image
not
available

THEOPHILI

BONETI

Doctoris Medici.

POLYALTHES

SIVE

THESAURUS

MEDICO-PRACTICUS.

THEOPHILI

BONETI

DOCTORIS MEDICI,

NEC NON SERENISSIMO QUONDAM PRINCIPI Henrico ab Aurelia, Longavillæ Duci, &c. à Consiliis Medicis.

POLYALTHES

SIVE

THESAURUS MEDICO-PRACTICUS

EX QUIBUSLIBET REI MEDICÆ SCRIPTORIBUS Congestus,

PATHOLOGIAM VETEREM ET NOVAM Exhibens,

UNA CUM REMEDIIS USU ET EXPERIENTIA COMPERTIS.

In quo Viri Excellentissimi JOHANNIS JONSTONI Syntagma explicatur.

TOMUS PRIMUS.

Cum Indicibus *Rerum, Materiarum, ac Authorum locupletissimis.*



GENEVÆ,

Sumptibus Leonardi Chovët, & Socii.

M. DC. XC.

PRÆFATIO.

QUANTO fuerit apud Veteres in pretio *Ars illa*, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos scilicet, propulsat, vitámque incolumem ab omni ærumna & languore liberam quàm diutissimè tuetur, Illis omnibus notum est, qui literas vel à limine salutarunt. De *Ægyptiis* nemo hactenus inficiatus est; Apud eos enim quidam *Apim*, alii *Isidem*, Magna Phariæ gentis Numina, *Mercurium* alii, Medicinam invenisse autumabant. Nec sua purpura ac diademate indignum esse reputabant Principes, artem addiscere Machaoniam. *Athotis* secundus primæ Dynastiæ Thinitarum Rex de Anatomia libros scribere non erubuit, & tertiæ Dynastiæ Regem etiam secundum insignem Medicum fuisse, alterum Niligenarum Æsculapium narrant historici. Imo ad Sacerdotes remedia inventa deferre, & in Templorum sacrario reponere Ægyptiis in more fuisse referunt Plinius atque Galenus. *Iudæi* inter Præfecturas Templi ægrotorum Præfectum idest Medicum numerabant, teste Maimonide, & eos qui hanc artem profitebantur summopere honorandos esse censebant; quamvis inter illos apellas & recutitos reperti sint malè sani capitis nonnulli, qui *Medicorum optimum gehennam mereri* asserere ausi sint. *Græci* tanto honore Medicos prosequebantur, ut Hippocrati à Senatu & populo Atheniensium propter servatam à truculentissima peste Græciam ludi decreti sint, magnisque mysteriis ab iis initiatus, auteáque corona regio planè insigni donatus sit. *Romanos* tandem non indigenas tantùm Medicinæ Doctores enutrivisse, sed & advenas Græcos admisisse, ac munificentissimis prœmiis donavisse certum est. Equidem à maleferiatis quibusdam jactatum Medicos sexcentis annis Româ pulsos fuisse; sed adeo putida & insulsa est hæc calumnia, ut qui eam obtrudunt Medicis potiùs quàm refutatione egeant, & ad Anticyras potiùs relegandi quàm rationibus convincendi: Nunquam enim Medicinam, quam Philosophiæ sororem vocat Tertullianus, damnavit Urbium Domina, sed tantùm artem Archagathi, qui igne & ferro in humanos artus sæviebat, improbavit; Nec unquam suis Româ pomæriis ἰατρῶν πόδας excedere jussit: Imò omnes Medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores civitate donasse Julium Cæsarem observat Tranquillus; Et Augustum, cùm venalitias & lanistarum familias peregrinósque omnes urbe expulisset, Medicos excepisse refert Orosius; Atque eundem Dio docet aurei annuli usum concessisse Antonio Musæ Medico, cui & statuam ære collato juxta Æsculapii signum statuerunt Romani. *Principem* etiam *Medicorum*; Augustorum familiam agnovisse illis compertum, qui Cujacii, Filesaci, Gothofredi scripta non planè ignorant. De aliis gentibus differere animus non est, ut de Arabibus, Germanis, Gallis, quorum ἀρχιάτρων à Marcleifo, qui sub Childeberto Rege id munus sustinuit, seriem recenset Celeb. D. Carolus du Fresne. Unum hoc notasse satis hanc artem Apollineam tanti æstimasse viros in Ecclesia Christiana primarios, ut Gerontio Diacono Mediolanensi Medicinæ peritia Episcopatum Nicomediensem meruerit, & Basilius Ancyranus Præsul arte fuerit Medicus: quod & de Theodoto refertur Laodiceno Episcopo, qui ab Eusebio multum celebratur. Quamvis Canone 10. Concilii Moguntini Ann. 813. & 100. Concil. Aquisgran. an. 816. Clericis ex Medicina lucrum aliquod aucupari prohibeatur.

De iis qui in hac arte olim inclaruerunt non opus est ut verba faciamus, nec angusta Præfationis spatia hoc à nobis fieri patiuntur. Norunt φιλίατροι Nomina *Machaonis*, *Podalirii*, *Democedis* Crotoniatæ, *Democriti* Abderitæ, *Empedoclis* Agrigentini, *Acronis*, *Herodici*; *Hippocratis*, (quem omnis Medicinæ parentem vocat Cornelius Celsus, scientiæ Medicinalis conditorem Seneca) ejusq; filiorum *Thessali* & *Draconis*, *Ctesii* Cnidii Artaxerxis Medici, *Theophrasti*, *Asclepiadis*, cujus facundiam celebrat Romuli nepotum disertissimus, *Galeni*, (qui inter duodecim subtilissima orbis Ingenia subtilitate ultimum, arte clarissimum meruit locum, ut censet Cardanus) *Philagrii*, aliorumque, Quorum si nomina quæras,

Promptius expediam, quot fulgeat ignibus æther,
Et quota in Oceani bellua mole natet.

Præfatio.

Observasse sufficiat primos qui hanc artem professi sunt multa ignorasse, quæ nostris seculis reservari videbantur. Imo si quibusdam credere fas est, ab initio Medicina paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur sanguis, & vulnera simul coirent. Magnus ille Cous cui omnes assurgunt Medici in primis Artis elementis hæsisse videtur, reliquum Medicinæ corpus posteris perficiendum commisit, Apellis ad instar, qui Veneris caput & summa thoracis perfecit, cæteras corporis partes inchoatas reliquit. Longe locupletior evasit Respublica Medica hisce temporibus, & nostra ætas doctorum feracissima innumeris ac præclaris inventis se commendavit. Circulatio, v. g. sanguinis, veræ cordis structuræ notitia, novi Chyli receptaculi, Ductuum lymphaticorum, Ductuum salivalium inferiorum, Pancreatici ductus cognitio, aliáque innumera Veteribus occulta nostro ævo innotuerunt: Hinc non parùm orbi literato gratulamur, quod hisce orbis senescentis seculis viri eximii prodierint, qui ea ad quæ nulla ingenii acies penetraverat, invenerint, quique innumeris, & doctissimis libris rem medicam auxerint. Erat tamen quod conquererentur multi tot esse comparanda volumina, tot legenda ut perfectam Medicinæ notitiam compararent. Nestoris non sufficere annos ajebant, ut vel ea scripta legerent, quæ de unico tantùm morbo confecta essent. Avebant omnes virum aliquem non mediocriter doctum sagacissimi ingenii, indefessi laboris excitari, qui ex præcipuis authoribus notatu dignissima excerperet, ac in lucem ederet: Vires humanas res ista superare videbatur, & tantus labor qui Herculem remoratus fuisset *ἰατροὺς* omnes terrebat. Tandem surrexit, & quasi de cœlo descendit Vir Magnus Theophilus Bonetus, qui hoc opus aggressus fœliciter perfecit, & absolutæ Medicinæ speciem quam vix inveniri posse Hippocrates affirmavit, Medicorum unus expressit, in hisce tribus voluminibus quæ tibi jam, Candide Lector, lubentes & læti sistimus. Aliis inclaruerat libris, & omnium literatorum applausum magnámque de se existimationem concitaverat; cui enim docto non innotuerunt, *Pharus Medicinæ*, *Mercurius Compitalitius*, seu index Medico-practicus veram ac tutam medendi viam ostendens; *Medicinæ Septentrionalis collatitia*, atque imprimis *Sepulchretum*. Unum superesse videbatur, ut Thesaurum Medico-practicum ex quibuslibet rei Medicæ scriptoribus congestum celeberrimus author ederet, & illud opus est, quod jam lucem videt. Utilissimum, si quid unquam fuit, quid enim utilius, quàm totum Medicinæ corpus in eodem opere intueri? quod in immensa librorum copia vix reperias, & super unoquoque argumento ea omnia legere posse, quæ docti meditati sunt; Ac rursus quid utilius quàm veterum & recentiorum simul audire placita, & Bibliothecam Medicam vili sibi comparare pretio?

Ut res pro voto succederet, Experientissimus Bonetus authorem quemdam sibi seligendum esse existimavit, ad quem omnes aliorum observationes referret, & quem suis illustraret commentariis. Nullus magis arrisit, quam Vir Excellentiss. *Ioh. Ionstonus*, qui Ideam universæ Medicinæ practicæ XII. libris absolvit, in qua multa excerpsit ex innumeris viris in arte famigeratissimis & celebribus. In hanc ideam commentatus est *Noster*, & ea quæ in Jonstono obscura, illustravit, quæ breviter indicata tantùm, fusiori sermone explicuit, quæ deerant supplevit, nec tantùm aliorum opibus ditavit, sed suis atque amicorum observationibus locupletavit. *Polyalthis* nomen suo operi indidit, voce Dioscoridi usitata, quando περὶ τῆς ἀλθαίας loquens dictam esse ait διὰ τὸ πολυαλθές, ob eam qua pollet medendi vim. *Panaceam* vocare etiam potuisset voce Galeno, Dioscoridi, Lucano aliisque frequenter satis usurpata; & qua filia Æsculapii cognominata fuit. Etenim in hoc eximio opere fere omnium morborum remedia quantùm ab hominibus excogitari potuerunt, reperiuntur. Unde si vita cunctis mortalibus charissima, si corporis firma constitutione nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores, nihil Thesauro nostri Boneti anteponendum videtur, in quo quicquid ad valetudinem adversam propulsandam, ac vitam tuendam conducibile est legitur, & incomparabilis author pro magno Apolline habendus, qui eas opes communicare non gravatus sit, per quas externæ fortunæ obtineri possint, illarúmque usus jucundus atque dulcis habeatur. Totum opus absolverat quum rebus humanis fato heu immaturo ademptus est, Anno Æræ Christ. M. D C. L X X X I X. die 29. Martii, quando scilicet corpus tot laboribus exhaustum, animæ hospitium amplius esse non potuit. Natus erat hujus seculi anno XX. 5. die Martii. Pater erat ANDREAS BONETUS experientissimus Medicus, Filius *Petri illius Boneti*, qui adeo in Apollinis arte inclaruit, ut à Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce accersitus fuerit, qui ipsum multis beneficiis mactavit & magnis donis cumulatum ægrè dimisit. Mater erat Genuensis ex illustri familia Pineli Borsoni oriunda. Fratrem habebat natu majorem *Iohannem Bonetum* reconditæ eruditionis virum, Medicæ facultatis quondam grande jubar & decus ingens; quem ut alterum Hippocratem non Geneva tantùm, sed aliæ urbes quas perlustraverat, agnoverunt, & demirari sunt. Tanto parente natus, Tantúmque fratrem nactus, miros in arte fecit progressus & suo indefesso labore omnigenæ doctrinæ penum sibi comparavit, unde Doctoris gradum anno XLIII. consecutus est tota plaudente coronâ. In ejus præconia excurrerem, nisi supra laudes nostras eveherent

eximia

eximia ſcripta cedro digna & ære perenniora. Decore fulgens dotibuſque propriis beata virtus nil eget præconio, famæque palpo. Vir erat in omni literatura verſatiſſimus, rerum Antiquarum & Novarum callentiſſimus, laboris patientiſſimus, ſubacti judicii, tenaciſſimæ memoriæ; βιβλιοθήκη erat ἔμψυχος, & ex ejus fonte perenni cuivis haurire dabatur. Ad quemvis morbum propoſitum innumera in promptu habebat remedia; quid veteres, quid recentiores ſenſerant ex tempore referebat, Hippocratem, Galenum, Sennertum, Fernelium, Willisium, alioſque magni nominis in ejus ore loquentes audire volupe erat; & ac quandoquidem abſque Anatome Medicus Nauclero ſimilis eſt oculis & mente capto citra clavum & navigatoriam acum; Illi accuratè incubuerat, & ſumma voluptate perfundebantur qui audiebant differentem, modo de Palladis arce, *cerebro*, ejuſque montibus ac monticulis, modo de famigeratiſſimo τῶν λόγων ἀγγέλῳ, linguâ, noſtrarum cogitationum interprete; glanduliſque σιαλοχόοις. Modo de vigilibus ſub fronte miniſtris *oculis*, modo de diſciplinarum organo *auribus*, modo de cordis ventilabris atque ſpiraculis, modo de cartilaginoſis oſſium incruſtationibus atque ſuggrundis, modo de muſculorum denſiſſima ſylva, modo de aliis corporis partibus. Ubique magnum, & doctum Medicum ſe demonſtrabat. Neutiquam ſuffenus ſibi plaudebat, ab illo Menecrate Medico multum diverſus, qui adeo ſuperbus erat, ut quos morbo comitiali liberaſſet circumduceret ſecum, hunc Herculis, illum Mercurii, alium Apollinis habitu; Ipſe vero Iovis inſtar aureâ coronâ, purpurea veſte ſceptrum tenens crepidatus procederet; & ab ilio Theſſalo Tralliano, qui tanti faſtus evaſit, ut ſe *ἰατρονίκην* inſcribi vellet monumento. Religionis amans ac virtutis rigidus ſatelles, alta mente Dei leges meditabatur ejuſque opera ſuſpiciebat,

Cæleſtem agitans mortali in corpore vitam.

Tantum virum Mors avidis pallida dentibus abſtulit, & funere merſit acerbo. Viduam reliquit Nobiliſſimam ac omnibus virtutibus inſtructam Incomparabilis *Spanhemii*, (Quem nullus unquam ſeculo expunget dies, donec ſuperſtes fama ſervabit ſacros labores, poſterique gloriam piis rependent) dilectiſſimam *natam*, & virorum in orbe literato Principum *Ezechielis* & *Friderici Spanhemii*, (quorum fama per cunctas volat orbis oras, qua diem promit jubar, occidenſque lumina condit) *ſororem*, tantis fratribus dignam, ſexu ſuo & præconio noſtro majorem. Quinque ex ea genuit filios, quorum natu major omni laudum & eruditionis genere florentiſſimus Sereniſſimi Electoris Brandeburgici prudentiſſimus adminiſter eſt apud Potentiſſimum & Invictiſſimum *Gulielmum*, Orbis miraculum & ſtupotem, Collapſæ Reformationis Reſtauratorem, humani generis delicias; & apud Auguſtam ac Sereniſſimam *Mariam*, cujus heroicæ virtutes non ſolû invidiam vicerunt, ſed & mortale faſtigium ſupergreſſæ ſunt, & quam omnes ſuſpiciunt tanquam ſydus è cœlo tranſmiſſum, ut ſeculo everſo ſuccederet, & rebus afflictis mederetur. Secundus ab iſto Ludovicus Fridericus veſtigia premens majorum, Medicinæ incumbit & ad magna aſſurgit, unde non levis ſpes eſt in ipſo aliquando redivivum fore Petrum, Andream, Johannem, & Theophilum. Filias etiam reliquit Noſter, Utriuſque parentis virtutum ac pietatis ex aſſe hæredes. Sic habes, Candide Lector, Magni Boneti utramque ſuperſtitem progeniem. Illius laboribus jam fruere. Poſthumum hunc fœtum ut alia ejus monumenta benigno vultu excipe, & cœlo vindicati famam ab omni ærugine intactam præſta. Propediem tibi aliud Authoris Opus de rebus quæ ad Chirurgiam ſpectant, ſpondemus. Vale.

INDEX AUTHORUM

Qui in hoc Opere adducuntur.

A

B

Ludovica

Index Authorum.

THESAVRI

THESAURI MEDICO-PRACTICI SIVE SYNTAGMATIS NOSOCOMICES SPECIALIS

JOHANNIS JONSTONI

Explicati, & Commentariis ex variis Authoribus depromptis Illustrati.

LIBER PRIMUS.

DE FEBRIBUS.

TITULUS PRIMUS.

De Febribus in Genere.

ET tantum de externis morbis. *Interni* vel afficiunt universum corpus, dicunturque *Universales*, Vel partes corporis, & dicuntur *Particulares*. [1.] Universalis morbus est [2.] *Febris*, quæ [3.] nihil aliud est quam [4.] *Intemperies* [5.] *totius* [6.] *calida*, [7.] *à calore præter naturam* [8.] *in corde* [9.] [10.] [11.] *accenso, mediantibusque spiritibus &* [12.] *& sanguine per venas & arterias* [13.] *in totum corpus diffuso orta*, [14.] *actiones naturales, vitales & animales symptomatum congerie* [15.] *lædens*.

[16.] *Subjectum* [17.] non est *sanguis*, [18.] ut *Schegkio* visum, [19.] tum quia non est facultatum subjectum, & à quo perficiuntur actiones, quale subjectum morbi esse debet: tum quia morbi duntaxar cujusque partis interventu actiones, ut & alii humores lædit; quod si citra interventum ... lædatur, fit id propter errorem externum, non facultate læsa, [20.] Sed corpus humanum, ... tione partium nobiliorum interdum: Diffusus enim calor partes occupat, [21.] vel κατὰ χύσιν ... καθ' ἕξιν. Et quia febris morbus est universalis, inque eo id quod est partibus omnibu... une laborat, *temperamentum* etiam ipsarum, [22.] ex calido insito influente & constans, alteratur ... immutatur: ita tamen ut calidum innatum, quod substantia est, [23.] suam naturam retineat, & oppositas calori præternaturali actiones sua natura edat; [24.] caliditas verò naturalis cum præternaturali in unam quidem simplicem naturam conspiret, sed quæ formalitatem supervenientis caloris gradu acceperit; & sic calor febrilis naturali per accidens, quatenus eum intendit opponitur, & ab utróque actiones vitiosæ proveniunt, utriusque gradum referentes. *Nota verò*. I. [25.] Magis ad febres prona *calida & humida corpora*, inprimis si in eis humiditas prædominatur, ita ut calorem obtundat & suffocet. Hinc enim regimine caloris excusso, obstructio, eventilatio...es prohibitæ, & per consequens, calor extraneus ob humidi prædominium exsurgunt. II. In *passivis corpora temperata*, cum caloris prædominio, facile propter spiritus multos valdè calidos & inflammabiles in ephemeras seu vaporosas ruere III *In activis temperata*, cum humiditatis prædominio, esse magis prona ad putridas quam prima illa, propter superfluitatem nimiam facilè putrescibilem: minus tamen ad hecticas & ephemeras. IV. *Frigida & humida*, ut & *frigida & sicca*, non tam facilè parere ephemeris inprimis: tum quod secundum utrámque qualitatem intemperiei febrili resistant; tum quod Spiritus non habeant incendio paratos, ista inprimis. V. *Cholerica*, id est, calida & sicca, magis esse parata Ephemeræ, acutis & hecticis quam alia,

propter bilis prædominium, calorémque acrem & fuliginosum. Et hoc subjectum *totale* [26]. *Partiale* est ipsum cor, in quo primùm calor accenditur.

[27]. *Causa febrium* est [28]. Calor in corde [29]. accensus, & quidem talis qui [30]. per Spiritus & Sanguinem, semper in corde unitas, & in quibus ille unus numero persistit diffusus, ἀλλόθεον præternaturalem calidam, à se numero diversam, in toto corpore, seu viventibus & solidis partibus inducit, ut actiones naturales lædantur: in qua caloris illius, ut ita dicam, febrilitas, seu febrilis caloris aut febris essentia consistit. [31]. Hunc verò inducunt [32]. I. *Per se*, Calidi, halituosi & fuliginosi effluviis quod ex coctione colligitur retentio, propter pororum cutis seu à refrigerantibus seu ab adstringentibus, seu immodicè siccantibus interceptionem: tam in corporibus minus sanis, etsi vapores sint minus acres, quam in sanis si ob nimiam incalescentiam exacuentur. II. *Per accidens*, & quidem [33]. propter transpirationis vitium. 1. [35]. *Motus nimius*, isque vel *corporis*, quo fit ut plus ad partem confluat quàm discuti possit; [36]. partes ex collisione nimia incalescant, calórque humoribus, venis, arteriis & cordi communicetur; Vel *Animi*. Nam per *iram* sanguis & Spiritus in corde, bilis in arteriis, venis & folliculo fellis agitatur & effervescit, æstúmque febrilem nisi evacuetur excitat: per *metum* sanguis & Spiritus intraferuntur, & nisi nimia condensatione strangulentur cor incendunt: per *vigilias*, propter motum perpetuum; per *inediam*, propter humidi defectum attriti ignescunt. 2. [37]. *Putredo* tam intra quam extra, ut in inflammationibus, inprimis magnis, & quæ propè magna vasa stabulantur, utpote in qua calor interius ab extraneo intenditur, vapores tam copiosi exurgunt ut difflari non possunt, spiritibúsque & humoribus accensis cor quoque afficitur & incalescit. 3. [38]. *Permistio* [39]. *rei calidæ* cum humoribus, cibi nempe, potus, [39]. aëris seu per inspirationem seu per poros cutis attracti, in corporibus inprimis siccioribus & calidioribus. 4. [40]. *Contactus rei calidæ*, ut radiorum solis, aëris balnearis, & vaporum internorum. Unâ parte incalescente, facilè spiritus, humores vel cor accenduntur. [41]. *Signum* est ipse [42]. calor totius corporis naturali major, foris & intus molestus, qui nonnunquam fervido halitu è naribus prorumpit, & à quo actiones illæ præcipuè læduntur, quæ à similaribus partibus, quatenus sunt tales, beneficio temperamenti obeuntur. Ex *naturalibus* læduntur coctio, nutritio &c. [43]. Ex *vitalibus* [44]. pulsus, qui propter necessitatis & usus augmentum, [45]. primo crebri, mox celeres, [46]. tandem, si virtus debilis, magni evadunt: fiunt & *inæquales*, qui solius calidioris cordis proprii: [47]. Ex *animalibus*, sensus, imaginatio, motus &c.

[48]. *Curatio* [49]. respicit I. *Affectum ipsum*, id est 1. *Febrem*, quâ febris, quæ [50]. *alterationem* per refrigerantia, hepatica, cardiaca, stomachica &c. reposcit. 2. [51]. *Causam*, quæ removenda, prout in differentiis dicetur. 3. [52]. *Symptomata*, quæ mitiganda. II. *Ægrum*, in quo omnia illa benè examinanda, quæ in methodo medendi proposita sunt, & cui de *victu* providendum.

[53]. *Differentiæ* [54]. accidentales febrium tot ferè dari possunt quot morborum, agemúsque tertio titulo de illis. Nunc eas in genere in *Non putridas*, *Putridas* & *Malignas* distinguemus, [55]. quarum calor vel est in *Spiritibus*, qui solidas partes non adeò excalefaciunt; vel in *humoribus*, quæ easdem urunt; vel *in solidis partibus*, quæ ita incalescunt, ut calorem, nulla etiam causa quæ foveat accedente, retineant. [56]. Est idem vel *simplex*, vel *putredinalis*, vel *malignis miasmatis* perfusus: [57]. Est vel *Mitis*, qui manum tangentium non ita urit; vel *Mordax* tangentibus, & punctorius, talísque manet; vel ad primum tactum acer non est, sed si diutius manum detinueris talem se exhibet: vel celeriter quidem se manui offert, sed si diutius detineas ab eadem vincitur.

1. *Universalis morbus est Febris.* Universalis hic morbus nominis sui mensuram egregie implet, *Subjecti* ratione. Non solum vitæ radicem cor, sed solidas cum spiritibus & humoribus adoritur partes, imo ἐιλοπσαλής: Communis singulis membris est morbus, imo in universalium morborum synedrio non infimum, forte primum occupat merito suo locum; generaque ejus "insuper multiplicia, *inquit Seneca*, de multitudine fe-"brium *Epist.* 95. quorum quædam impetu vehementi "sæviendo vires crudeliter deterunt; alia tenui peste "repunt: cætera cum horrore & multa membrorum "quassatione veniunt. Individuorum ratione *Universalis* etiam censetur morbus: raro quis moritur sine febri, nisi [illegible] ... Morborum ratione universalis etiam est, omnibus enim fere morbis supervenit, aut eorum maximæ parti, inde & *Medicorum Princeps* l. de Flat. *Morbum communissimum* febrim vocat, *omnium enim morborum, præcipue vero inflammationis comes est.* Febrium magnam cum morbis esse affinitatem quotidiana testatur experientia; Morbi vel sunt febres ipsæ, vel febres comites habent. Præcipue acutis morbis febres junguntur, continuæ ut plurimum: raræ sunt quæ comitatu illo febrium carent: scite *Galenus* 1. aph. 7. *febres inseparabiles à morbis acutis vocat*, non quod omnes acuti morbi febres habeant comites, sed quibus acutis morbis continuæ febres adnectuntur, hæ ἀχώριστοι ἴσως inseparabiles sunt, cum eodem acuto morbo simul incipiunt, & simul desinunt. *Ætatum* ratione universalis etiam appellari potest: reliqui morbi cæteris invadunt ætatibus; sua cuique est ætati sanitas, suæ molestiæ, suus morbus; hinc morbi pueriles, seniles, hic vero morbus æque senes ac juvenes adoritur. *Sexus* ratione universalis etiam est; Podagra mulieribus, pueris, eunuchis, parcit, febris nulli ætati, sexui. *Anni temporum* ratione suam etiam ostendit universalitatem: nulli anni parcit tempori; reliqui morbi certis anni temporibus quasi destinati, certis videntur autem dare inducias: Illos recensuit *Hipp.* 3. aph. 19. 20. 21. 22. 23. Febris autem omnia occupat anni tempora, vere synochus; æstate continua, tertiana ardens utplurimum sævit; autumno quartana & erratica; hyeme quotidiana, cœlo sicco acuta, pluvio diuturna, omnibus tamen nihilominus indifferenter compent. *Actionum læsione* omnium universalitatem etiam quandam præ se ferre videtur: morborum plurimi tantum animalem, aut vitalem, aut naturalem actionem lædunt, febris omnes actiones labefactat.

quasnam

quasdam imminuendo, abolendo, quasdam depravando. *Rolfincius l. de Febr. c. 1.*

1. *Universalis morbus est febris.*) Si quidem sanguinis & spirituum ratione totum corpus necessario affligit, adeoque ratione partium solidarum ita denominatur, quas tamen nunc æqualiter, nunc inæqualiter affligit, Hoc fit ratione circumstantiarum accidentalium, prout fermentum febrile, aut corporis humores, sub febrili motu plus minus alterati, aut etiam producta humorum morbosa &c. aptiora sunt ut unam vel alteram partem magis vel minus afficiant; Ipsæ etiam partes solidæ, vel connato, vel acquisito ex vitio, quo inprimis partium robur inæquale pertinet, magis vel minus dispositæ sunt, ad suscipiendam ex prædictis alterationem, sive immutationem. Pro talium enim circunstantiarum ratione accidentales istæ febrium differentiæ, Continuarum quidem in Pemphigoden, Esseroden, Eloden: Intermittentium vero in Tussiculosam, Deliram, Asthmaticam &c. oriuntur; Forsan etiam & huc referenda venit Febris continua, in qua lateris sinistri totius æstus & dextri frigus, Vide *Acta Hafniensia vol. 2. p. 137.* Item febris ista brachii dextri particularis quotidiana *Ettmuller Prax. Part. 1. p. m. 251.*

2. *Febris, quæ nihil aliud est.*) Febris definitio est duplex, *nominalis* & *realis.* Nomen autem febris est πολύωνυμον, *late* enim sumitur pro quacunque φλεγμονῇ; *Stricte* dupliciter, improprie & synecdochice pro paroxysmo febrili, quocunque is modo vel tempore repetat, sumpta parte pro toto, *proprie* autem pro ipso morbo, sive continenter affligat, sive per vices accessionum & remissionum. Græci πῦρ, πυρετὸς, ῥῖγος καὶ ἐίγος. hæc tria habent nomina. *Hippocr. 2. aph. 26.* διακαῆ vocat πῦρ, quo nomine alias & 1. *Epid. Ægr. 2.* autore *Gal.* vehementissima & maxime ignea species indigitatur. Πυρετὸς ὀνομάζεται inquit *Gal. 3. de fract. c. 8.* ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ τοῦτ' ἐστι πυρετοῦ ἴδιον, πυρετοῦ τὴν θερμασίαν ἔχειν πυρώδη: *Vocatur ab igne, estu, calore, incendio, Ea est febris essentia quod calorem igneum habeat.* 2. βρύχετος nomine etiam febris designatur. Sic Athenienses febricitantes βρυχετοὺς appellabant febres, à βρύχω strideo seu frendeo, cum febricitantes concussis, strictis, & stridentibus quasi dentibus, durante adhuc horrore, vocem emittere soleant. 3. ῥίγος, *rigor & horror*, seu horridus rigor, tertium febris nomen est, à *fervore* vel à *feritate*, vel quasi ferus & fervidus calor. A *Latio* Febris appellatur: Nonnulli dictam volunt à *Februis*, Romanorum festo, unde etiam *Februarius* mensis, quo ab omnibus piaculis urbs lustrabatur; Ita Febres sunt quasi purgatorius corporum ignis, inque febribus vitiosorum humorum fex separatur & purgatur: Denominationem tamen hanc non à significatio universali, sed particulari solum desumptam alii judicant; Multæ febres potius confundunt quàm purgant & separant, aliquæ solum id præstant: Omnibus si esset concessa illa vis, nulla foret funesta, *Paracelsus lib. 1. param. c. 6. erronee* inquit, *febris nomen à fervore deducitur, fervor vero iste saltem signum morbi illius non causa, non materia. Nomen autem procedere debet à materia, & proprietate, & natura ipsius substantiæ. Dicitur ergo proprie morbus nitri sulphuris incensi.* Definitio *Realis* duplex est, *Synthetica* & *Analytica.* constans prioris resolutione in suas partes, earundemque explicatione. *Syntheticam* quod spectat, *omnis cong nentem febri*, ea ex demonstratione & natura rei extructa talis est, Intemperies totius &c. *Rolfinkius ibid.* vide definitionem Febris ex *Ettmullero* inferius §. *Hunc vero inducunt*) prope finem.

Willis sic describit *Febris est motus inordinatus sanguinis, ejusque nimia effervescentia, cum calore & siti, aliisque præterea symptomatis, quibus œconomia naturalis varie perturbatur.*

3. *Febris quæ nihil aliud est &c.*) Descriptio hæc paucis mutatis ab *Avicenna* descripta est, *Febris*, inquit, est *calor extraneus raccensus in corde, & ab eo procedens, mediante spiritu & sanguine, per venas & arterias in universum corpus, & inflammatur in eo inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas ira & caloris cum non ultimatur.* Hippocrates 1. de morbis, hanc descripsit, ὅταν θερμαίνηται πᾶν τὸ σῶμα καλεῖται τοῦτο πυρετός. *Galenus* aph. lib. 1. comm. 16. *conversionem esse*, ait, *caloris nativi in igneum*, Et 9. meth. *Excessum intemperiei in caloris abundantia*, & de *morbor. causis*, *Totius animantis immodicum calorem:* Perfectius definire videtur comm. 1. 6. Epid. t. 28. *Febrium essentia est calor p. n. per universum diffusus animal, aut certè per plures vel per maxime principes partes.*

4. *Intemperies*) Nonnulli *Intemperiem* à *calore* distinguunt, ut illa sit morbus, hic causa febris, hinc *Capivaccius*, cum statuitur calor p. n. genus in definitione Febris, causalem dicit esse definitionem, non formalem: At nequaquam distinguenda videtur intemperies calida cordis à calore accenso in corde, quandoquidem febrium indicatio curativa sumatur à calore, qui refrigerationem indicat, At curativa indicatio desumitur à morbo, sicuti præservativa à causa morbi, ideoque calor morbus dicendus est, nec ab intemperie calida alius faciendus. Demum si calor causa statuenda esset, febris hecticæ aliqua causa statuenda esset, quod tamen non fit, cum morbus sit in facto, à causa amplius non depēdens. *Primrosius.*

5. *Intemperies*) Ad Intemperierum classem Febrem refert *Galenus de diff. morb. c. 5.* his verbis, *At quos sola intemperies primarum qualitatum committit morbos is non omnibus iis patent, nisi cum plurimum à naturali habitu pars recesserit, tunc enim facile affectus ipse ab omnibus deprehenditur, veluti qui superante caliditate, ac totum obsidente animalis corpus Febris nuncupatur;* *Avicenna* cum febrim definit per *calorem*, per hunc talem intemperiem calidam intelligit. In verbis occurrit differentia, in re & sensu non item: *Calor. p. n.* dupliciter sumitur, in *concreto* & in *abstracto*; utrobique coincidit cum intemperie calida p. n. Intemperies & calor in ratione formali sunt unum & idem: idem etiam sunt in materiali, & important dispositionem calidam lædentem actiones, dependentem ab improportione calidæ quantitatis ad reliquas. Ratio quæ febrim intemperiem calidam adstruit petitur ab *essentialiter inhærentibus*, & ex *necessitate consequentibus*, seu effectis, quæ signorum rationem obtinent, & morbi attestantur naturam; Hujus sunt argumenta evidentia. *Calor* tactui naturali occurrens vehementior, mordax, *Respiratio* & *Pulsus* ad contemperationem minus accommodata, *Lotium* ab ardore ustum. *Vigilia, Sitis.* Nemo autem à calore hæc accidentia provenire negaverit Atque calida intemperies adeo febri est intrinseca & essentialis, ut non alia ratione febris sit morbus quam qua similarium corporis partium temperamentum mutat. Simplex est hæc in Ephemera & Putrida, composita, calida & sicca in Hectica, utrobique calida intemperies est immaterialis. *Rolfincius.*

5. *Totius*) Ex *Galeno* Comment. 1. in Prorrh. t. 7. *Febrire putantur non modo qui in superficie exteriori igneam caliditatem habent verum multo magis qui in alto corpore visceribusque illam possident.*

5. *Totius*) Febris continuæ in muliere meminit *Thom. Bartholinus*, qua solum latus sinistrum incalescebat frigido dextro, tanto calore ut manum tangentium fere combureret; Latere dextro demum, *ait*, calor consuetus redit, exhibito sudorifico. Mirari hic subit vasorum περὶ ἰξὺν consensum in variis morborum generibus, illorumque curationibus conspicuum. *Ex Actis Danicis.*

6. *Intemperies totius calida*) Si calor esset febri essentialis, deberet ab ipsa esse inseparabilis, & ejus individuus comes, cum tamen noviter innotuerint febres Castrenses, quæ citra situm & manifestum calorem occidunt. *Joh. Helmontius l. de Febribus.* Huc forte referri potest εἴγος ἀπυρέτιμος, de quo *Hippocr.* 1. Epidem. *Rigor*

vehemens tam occupavit, nec, ut aiebant, incaluit, Rigorem enim febris comitem perpetuo esse testata est antiquitas, ut ex *Hippocr.* apparet *1. de morbis.* Si a Rigore corpus non recalescat, inquit *Foesius in œcon. Hipp. p. 553.* aut febriciet, ob summam frigiditatem accidit. Hic fit, *ait*, à pituita vitrea, frigidis & crudis succis &c. curatur medicamentis calefacientibus, & humorum crassitudinem secantibus &c.

Helmontium sequutus *Etmuller op. p. 1. p. 250.* nec calorem nec frigus esse de essentia febrium, aut rationem earundem formalem constituere, sed saltem esse symptomata febri supervenientia, non secus ac sitis aut cephalagia, easdem ordinario comitari solet. Idem autem calor in statu sano, temperatus, qui in febribus nimis corpus calefacit, idem efficiens, idem fiendi modus, idem subjectum recipiens, saltem in major gradu omnia. Vide fundamentum assertionis inferius §. *Hunc vero inducunt.*)

6. *Intemperies calida*) Utrum etiam sicca? Sed non necessario febris calidus siccus affectus statuendus, quandoquidem & humiditati & siccitati combinari potest. Demum si siccitas esset de natura Febris, in quavis illius specie illa occurreret, at non paucarum febrium comes est insignis humiditas. Præterea, si hectica omnium siccissima est, in omni autem, siccitas non deprehenditur, in primo enim gradu sola humiditas rorida effervescit; marasmoden solam siccitas comitatur, multo minus hæc in reliquis febribus aderit, Sin *Galenus* febrem affectum calidum siccum vocavit, Sin *Hippocrates* victum calidum humidum imperat, ab effectu potius quam affectu desumunt indicationem, quia calor igneus tandem inducit siccitatem, quam præcavet victus humidus, id est liquidus, & quia calorem ille retundit quem exacuit siccitas. *Primirosius.*

7. *A calore præter naturam*) Omnino duplex in nobis statuendus videtur calor, *Naturalis* unus, commune actionum omnium organum; Naturæ nomine sæpenumero veniens, Et *Præternaturalis*, prioris hostis, nam hic functiones quasvis obire censetur, ipsosque morbos, juxta *Hippocratem*, curare: cum posterior inflammet, putredinem inducat, naturalem obundat calorem, cunctasque actiones vitiet & labefactet: hinc putredinem ajunt *Aristoteles* & *Galenus* esse calidi innati corruptionem à calore igneo: Etsi vero uterque sub eodem prædicamento collocari soleat, contrarios tamen esse innuit operationum diversitas. Circa hunc disceptari solet, utrum Febris sit calor auctus? Utrum sint duo calores in febre, naturalis unus alter p.n.? quarum quæstionum decisionē hic prætermittimus ad usum properantes. *Primirosius.*

8. *In corde accenso*) Admisso implantatum esse natura in cavitate ventriculi cordis calorem, & hunc in febre accendi, nego tamen, juxta recentiorum placita, febrem primario in hujus caloris accensione consistere; quia Accensio est quid consequens ad essentiam febris, dum hanc præcedit sanguinis effervescentia, in qua essentia febris consistit: Pro veritate hujus assertionis considerandum est, calorem cordis sicuti fovetur & conservatur à calore sanguinis, & per spiritus à sanguinea massa extractos, ita augere etiam, si calor sanguinis fuerit intensus, & spiritus abundanti quantitate adjuncti fuerint calori cordis, sed calorem intensum sanguinis, & diu in eo perseverantem, præcedit effervescentia inordinata, & per hanc calor in sanguine augetur, & spiritus in [illegible] separantur, consequenter calorem ab istis auctum [illegible] rescentia præcedit, etsi calor cordis augetur [illegible] sanguinis per spiritus, cum hic sit posterior [illegible] ntia, multo magis ille cordis auctus, & ita ve[illegible] st in febre calorem cordis augeri, in eo tamen non [illegible] sistere essentiam febris, sed esse quid consequens ad effervescentiam inordinatam sanguinis, *quæ est essentia Febris.* cum sit prior calore cordis. *Pompejus Sacchus triduo Febr. c. 5.*

9. *In corde*) quod primarium Febris subjectum à plurimis habetur, quia nulla Febris non affecto corde oriri possit, docente *Galeno lib. de differ. Febr.* Nam 1. cor fons est caloris naturalis, in universum corpus inde exporrecti & expensi: Sed febris est mutatio caloris illius naturalis, necesse ergo est mutationem fieri in corde tanquam in radice, aliàs in reliquo corpore immutationem experturus non est. 2. Si pulsus in febribus multifariam variet, necesse est illius originem Cor, injuria aliqua affici; 3. Si contraria circa idem versentur, & temperies & intemperies ab eodem fonte, scilicet Corde, deducenda sunt.

10. *Ex calore p. n. in corde accenso*) Si Febris sit morbus, hic autem aliquid permanens, necesse est calorem jam infixum esse, factum & permanentem: objicies à *Galeno* traditam definitionem, qui ait hanc *Conversionem esse caloris nativi in igneum*, atqui conversio motum non motus terminum denotat? At notandum *Galenum* non tam Febris definitionem tradidisse quam generationis modum; sin definitionem esse velis, causalis illa erit, non formalis: Nec enim febris definitur per eum terminum qui sit ultima dispositio ad introductionem formæ, sed qui licet sit adhue in fieri, obtinet tamen quidpiam factum & permanens, quod morbi naturam induit, ideoque cum definitur per viam, accipiendum id prout contradistinguitur ab ultimo termino. *Primerosius.*

11. *Accenso*) Intemperies hæc calida est ῥᾴον, permanēs, quid, quod actu lædit operationes; est morbus factus, non est morbus fiens; ὁ Μόνιβ, cum [illegible] *conversionem* vocat, non intelligit viam ipsam conversionis seu generationem, sed terminum; meth. 8. cap. 1. ait ille *Febris utique est cum adeo immodice augetur calor, ut & hominem offendat & actiones lædat si neutrum adhuc efficiat quantumvis sit homo nunc quam ante calidior, nondum tamen eum febricitare demonstravimus.* Non statim febris est cum adest intemperies calida, quę simplici & aliquali fit alteratione, sed tum demum cum ita convertitur ut sit proximæ dispositionis ad ignis formam suscipiendam; Non sufficit alteratio, sed conversio, illa terminum [illegible], hæc terminum ulteriorem notat. Non fit febris nisi calor sit in termino per moram acquisito. Febris est dispositio sequens ejus intensionem in termino, hoc, Terminum talem notat vox Accensa, in definitione. *Rolfincius.*

12. *In corde accenso*) Quin & primario in sanguine, *Sydenham* inordinatam illam massæ sanguineæ commotionem, Febris causam, à Natura concitari ait, vel ut heterogenea quædam materia in eadem conclusa, ac ipsi inimica secernatur, vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur. 1. Materiæ cujusdam heterogeneæ, ipsique Naturæ adversantis, secretionem ab eadem concitari, probat ex omni febrium malignarum genere, utpote in quibus illius ebullitionis sanguinis beneficio, fit excretio ad cutem excrementi in eodem latitantis & prava qualitate affecti: 13. Eandem febrilem sanguinis commotionem suscitari censet, ut ipse sanguis sese in novum quendam statum & diathesin immutet; hominemque etiam cui sanguis purus & incaminatus persistat, febri corripi posse, sicuti in corporibus sanis evenire frequenti observatione compertum est, in quibus nullus apparatus morbificus, vel quoad plethoram, vel quoad cacochymiam fuerit, nulla insalubris aëris anomalia quæ febri occasionem subministrarit: nihilominus etiam hujusmodi homines, præcedente insigni aliqua aëris, victus, aliarúmve rerum non naturalium mutatione, identidem febre corripiuntur; propterea quod eorum sanguis novum statum & conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aër aut victus postulaverint, minime vero quod particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio febrim procreet. Etsi nequaquam dubitet materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solenniter excretam vitiosam esse, etsi sanguis antea laudabilem diathesin obtinuerat: id quod vix

magis

magis mirandum est quam quod esculentorum portiones aliquot corruptæ & fœtidæ evadant postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam à reliquis segregatæ fuerint.

12. *Sanguine*) Sanguinem in febre immaniter ebullire & impetum facere, vel sensui plane constat: Etenim de cruore affecto, eodemq; in vasis effervente, ac velut in furorem acto unusquisq; (rudis & imperitus licèt) febricitans queritur. *Willis l. de Febr. c. 8.*

13. *In totum corpus diffuso*) Corpus universum secundarium est Febris subjectum: cum febris actiones totius corporis lædat, rationi consentaneum est ὁλομελῶς, sive solidas corporis partes, quarum sunt actiones, incalescere: Ideo tamen necesse non est in universum corpus febrilem calorem diffundi, nam paroxysmis inchoantibus, in Leipyria febre extremas partes frigus occupat, interiores partes calor: In Epiala partes cunctæ simul æstuant & algent: Hinc *Galenus* calorem febrilem vel totum corpus ait obsidere, vel præcipuas partes: Febris ergo primo & per se cordis passio est, non necessario autem totius corporis; si enim calori è corde in universum corpus commeatus denegatus fuerit, universum illius particeps non fiet, febris tamen aderit. *Primirosius.*

14. *Actiones naturales, vitales & animales lædens*) Non est necesse omnes actiones lædi, ut animadvertit *Massaria*, sed satis est si ex omni genere quædam lædantur. Vel dic convenire hæc febri generatim, non enim quælibet febris quasvis actiones lædit; Sed si collective omnia febrium genera perpendantur, manifestum erit nullam non actionem à febre vitiari, alias animalem, alias vitalem, alias naturalem, modo hanc, modo illam, prout hæc vel illa pars afficitur, & pro febris aut causæ febrim parientis indole: nam quædam actiones à quibusdam febribus melius obeuntur, sicuti aliæ læduntur; Actiones ergo ergo omnes non à quavis febre læduntur, sed ab omnibus, quædam enim vigilias inducunt, quædam somnum, aliæ hanc vel illam actionem principem. Non ergo quælibet febris omnes actiones lædit, quia sunt contrariæ, ut abolitæ & auctæ, quæ nequeunt simul lædi in una eademque febri. *Primirosius.*

15. *Lædens*) Forte etiam quis dicat calore ipso febrili plurimum afferri adjumenti, nam & febris convulsionem sedat ab humoribus frigidis natam, & retanos rigoresq; minuit. Quartana epilepsiam fugat. Qui coryzæ sunt obnoxii, si febricitant facilius liberantur; nam, ex *Galeno*, calor febrilis mitigat, temperat, frigiditatem tollit, imo & coquit; Quod si verum est non est, febri ipsi studendum, sed soli materiei, imo adaugere febrem juvabit. Nam cum discutiendus est humor tepefaciendusq;, præsertim natura impense frigidus, oporter calorem esse auctiorem & materiei analogum, alioquin opera ludetur. Unde *Numæ* filius apoplecticus interiit, quod febricitaret ἀπυρέτως i.e. *sine febre*, quod si febris humori respondisset, spes aliqua sperabilis foret. Tamen hoc audemus asserere, calori febrili hoc quidem proprium est, ut frigidos humores quodammodo mitificet; tempereterq;, ut ea ratione ab eo expectari possit utilitas aliqua. Unde non est mirum quod longior futura sit Epiala febris, quo minor moderatiorq; exstitit, brevior autem si validior: tamen fortasse dicemus calorem febrilem juvare alienam materiam mitificando, non suam: cum enim dicimus epilepsiæ vindicem esse Quartanam, hoc audiendum est quoniam excrementitiũ humorem absumit diuturnitate temporis, sed suum humorem deteriorem facit accersendo putredinem. *Ballon. l. de virg. & mul. morb. c. 8. p. 165. & 166.* Cum multa est materia cruda & frigida, in qua calor febrilis sepultus non ἀναδίδωσι, si calor febrilis augeatur, conferre potest, at calor omnis febrilis malus est, præsertim si putredinalis sit: sed si gradu tantum à calore naturali discedit, potest ea ratione, si sit materiæ ἀνάλογος, conferre. *Idem ibid. p. 194.*

Denique ipsa febris (quod maxime mirum videri potest) præsidio est, etiam & præcordiorum dolores, si sine inflammatione sint, & in jecinoris dolore succurrit, distensionemq; rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit; & ex difficultate urinæ morbum tenuioris intestini ortum (si urinam per calorem levat) tollit. *Celsus R. M. l. 2. c. 8.* Contingere nonnunquam quod per accidens aliqua operatio juvetur à febre monet *Nicolas F. de Febr. c. 5.* sicu cum digestioni stomachi auxiliatur, in eo qui habuerit humores frigidos in stomacho suo digestionem impedientes auxiliatur etum istis per accidens ad digerendum, calefaciendo & consumendo frigidos illos humores: Nos existimamus febrem *omnes lædere actiones per se*, & quidem, si non omnes, tamen potissimas. Si vero nonnullis morbis auxiliares præstet manus, id fieri per accidens. *Rolfinkius l. de Febr. c. 20.* Si lethargicis febris superveniat, febris solvitur, quod si febris sponte non accedat, licet eam arte facere, inungendo pulsibus *oleum è scarabeis lucanicis* factum, ad modum olei scorpionum; sic enim certo experimento febris excitatur, Ephemeræ æmula, & altero statim die disparentem. *W. Hoeferus Herc. med. l. 1. c. 6.* Raucedinem à frigore contractam nullis remediis cedentem, sublatam vidi in ancilla quadam mea anno 1681. accedente post semestre febre continua.

16. *Subjectum*) De subjecto Febris ad mentem Authoris sic ratiocinatur *Primirosi l. 1. de Febr. 1.* Exprimit *Avicenna* in Febris definitione primarium Febris subjectum, nempe Cor, nulla enim febris esse potest non affecto corde, ut docet *Galen. lib. de differ. febr.* Pulsus in omnibus Febribus maximam mutationem subeunt in frequentia, magnitudine, cæterisq; differentiis, ipsorum igitur originem labefactam necesse est: Cor est fons caloris naturalis qui in universum corpus distribuitur, siquidem à corde in universum corpus calor influit, sed Febris est mutatio caloris istius naturalis, oportet igitur mutari in corde, tanquam in radicibus, alias in corpore incolumis permanebit: Contraria versantur circa idem, sed temperatio caloris est in corde, ergo & intemperies: Addit *Avicenna* secundarium febris subjectum, scilicet *Universum corpus, Et ab ipso procedens in universum corpus mediante spiritu & sanguine.* tum modũ transmissionis febrilis caloris, per venas & arterias mediante sanguine, cum febris actiones totius corporis lædat, rationi maxime est consentaneum ὁλομελῶς totam, sive solidas partes, quarum sunt actiones, incalescere: Hinc *Averroes* ait Febrem lædere omnes actiones & passiones, & Galenus inter morbos toti corpori communes febrem reponit, & *Avicenna* de morbis universalibus tractaturum se pollicetur, & à febre principium desumit: Recentiorum particulam hanc *Et*, interpretantur *deinde*, ut significet ordinem generationis febrilis, etsi non sit necesse in universum corpus calorem febrilem expandi, nam in accessionum principiis, in Lypyriis febribus exteriora refrigerantur, calore & spiritibus in viscera revocatis: In febre Epiala simul & incalescunt & rigent. Itaque *Galenus* recte statuit calorem febrilem vel esse in toto corpore, vel in præcipuis partibus, nam Lipyriis repugnat omnino actualis calefactio ἀκροτηρίων, sed contra eorum adest perpetua refrigeratio, alias Lipyria non esset; Unde alii hanc particulam *Et*, per hanc *Vel* explicarunt, quia non est necesse ut calor in totum corpus diffundatur, sufficit si in corde visceribusq; intimis conceptum sit incendium: Febris itaq; primo & per se cordis passio est, non necessario autem totius corporis, si enim calor è corde in corpus effundi non potest, universum non incalescet, febris tamen aderit, sic stuporem nervorum, & syncopen cordis affectum dicimus, etsi reliquum corpus illis compatiatur. *Primirosius l. 6.* Aliter *Recentiorum quidam.* Totum corpus uti sanum est, ita etiam idem ægrotare solet, adeoque & *singulæ ejus partes. Sanitatis & morborum subjecta* erunt, utut pro partium varietate diversimode. *Primario* scilicet *Partes cõtenta, Spiritus*

& *Sanguis*, quatenus hæ ipsæ propter Vitæ radicem attingunt. *Secundario* vero *Partes solidæ* sive *Continentes*: ut enim *vita in spiritu & sanguine* radicaliter & fundamentaliter consistit, in *Partibus* vero *solidis* nonnisi per denominationem, quod scilicet sint viventes, quatenus sanguine & spiritu irrorantur, ita etiam primarii morbi istis inhærebunt, & *Principale* adeo morborum *Subjectum* erunt: In his nonnisi *Secundarii*, quæ ob id minus principale subjectum constituunt. Certe, sicut omnibus patet, insigniores & successivas istas corporis mutationes, quæ per ætatum vicissitudines contingunt, ita ut ultima senectus tandem & ipsa morbus evadit, tantum ratione Sanguineæ massæ mutatæ, & Spirituum, inprimis influentium, diversimode dispositorum evenire, & seniles à Testibus sub pubertatis annis corporis inductas operationes ratione eadem corpus immutare partibus solidis organicis, sub omnibus istis mutationibus in eodem statu persistentibus, nisi in quantum ex sanguinis varia alteratione in Nutritione forsan patiuntur, Ita repentinæ Corporis sub Morbis læsiones, & in Actionibus mutationes, non nisi à diversimode & præternaturaliter alterata Massa sanguinea, aut Spiritibus vitiatis oboriuntur, adeo ut istis morbose affectis tota Machina non rite, nec secundum constitutas naturæ leges gubernata, in præternaturales Actionum & Operationum læsiones exorbitet: Omnes ergo in genere & specie Corporis Partes subjecta sunt morborum &c. *Ettmuller Fundam. Medic. par. 2 p. 1.* Subjectum morbi est corpus vivens, ejusq; partes solidæ & fluidæ, eæque sunt quæ ægræ denominatur *Zypeus Fund. med. p. m. 339.*

17. *Subjectum non est sanguis*) Subjectum sive pars affecta in Febribus sunt *Sanguis & Spiritus insitus*, qui motu tam intestino quam locali alterati omnia alia pathemata, inferunt quibus febricitantes corripiuntur, *Sanguinem affectum*, præter alterationem pulsus, & sudor, sine quo nulla febris perfecte judicata, sive curata dici potest, & coctio ac cruditas materiæ in sanguine contentæ, perque urinam manifestatæ, & Icterus, febribus facile superveniens, & alteratio insignis sanguinis, quæ post absolutas febres observatur, eo major quo diuturnior febris extiterit, dum indolem acidam exinde acquirere recte dicitur à *Majow Tract. de Nitro pag. 159.* confirmat. *Spiritus* vero *insitos* simul laborare confirmat opii usus, qui spirituum sistendo impetum, Intermittentium paroxysmos nunc penitus sistit, nunc saltem postponere notabiliter, & minus hinc eligere facit: Tandem quod pariter in *continuis* obtinet, quarum ferociam & mitigare, interdum penitus extinguere notatum, Videatur *Bartholinum cent. 1 histor. 64.* Utut autem palliativum saltem subinde sit remedium, eo ipso tamen quo febres insigniter mitigari ac mutari ejusdem usu, spiritus saltem alterante & afficiente observatur, & spiritus simul affici in febribus manifestum evadit. Adhæc, qui gravibus, etiam sanissimi, corripiuntur undecunque natis doloribus, aut diutius perseverantibus, febrilia exacte patiuntur symptomata, qualia in continuis mictionibus contingere solent doloris occasione, in motum nimium adactis, & inde alteratis in suis proprietatibus spiritibus influxis, à quibus solis tunc febris; Nec obstat Ephemeram, aut Synocham sine putredine, dicas tales febres, E[illegible] ipso enim quo Ephemeras tales unius sive plurium dierum à spiritibus affectis, & undecunque alteratis unice dependere concedis, spiritus in febribus aliis quoque multo magis affici negare non poteris. Id quod magis confirmant *maligniores* spiritus magis quam sanguinem alterantes, quæ tunc etiam ubi urinæ sanorum similes ex[illegible] nec adeo insignis, pro ratione scil. pessime habe[illegible], in statu naturali in pulsu mutatio, observatur, adeo sanguis minus alteratus notatur, tamen ægros facillime trucidare solent, spirituum magis affectorum culpa; Imaginatio tandem quantum in concitanda febre valeat, cum meticulositate, aut horrore ægri, sanus sibi facile similem febrim contrahit, aut dum ludicris aut ridiculis amuletis intermittentes subinde fugantur, ex sola imaginatione spiritus saltem afficiente per se notissimum est. Consistere ergo dicimus *Formaliter* Febrim in *fermentatione sanguinis præternaturali*, eaque *depravata*, sive, ut alii loquuntur, disproportionata, subinde simul insigniter aucta, (adeoque plus minus quasi effervescente) cujus ratione & alterantur spiritus, & rarefacti magis impetuosiores, & intensius incalescentes redduntur, inducta à fermento peregrino, nunc sanguinem, nunc spiritus, nunc utrumque immediate afficiente, quo depuretur eadem, aut separetur quod ipsi præternaturale & hostile existit.

Omnis *igitur* Febris est motus *Naturæ*, sive, ut aliàs dicunt, quædam ejus lucta, qua spirituum plus minus alteratorum ope, Et fermentativi in sanguine motus auxilio, id quod hostile, seu inimicum œconomiæ animalis existit, eliminare satagit. *Ettmuller Pr. Tom. 1. p. m. 252.*

17. *Non est sanguis*) Imo verum subjectum agnoscunt plurimi è Recentioribus, idque adstruit *Willis c. 2. lib. de Febribus*. Videtur, *inquit*, quod Febris sit tantum Fermentatio, seu Effervescentia immodica *sanguinis & humoribus* inducta; Hujus nomen à *Februo* (seu purgamento, quod etiam à *ferveo* derivatur) ortum ducit, quæ quidem vox commode omnino febri imponitur, eo quod sanguis in hoc morbo *effervescit*, & insuper fervore suo, velut mustum efflorescens, à sordibus purgatur, (vide supra §. *subjectum*) ex *Ettmullero*.

17. *Sanguis*) Ut effervescentia febrilis rite explicetur, perpendendum quis sit *Liquor fermentescens*, an tantum *sanguis*, an alii præterea humores? Sanguinem in febre immaniter ebullire, & impetum facere, vel sensus plane constat, Etenim de cruore affecto, eodemque in vasis effervente, ac velut in furorem acto, unusquisque febricitans queritur; Etiam præter sanguinem venis & arteriis æstuantem, suspicari fas sit quod *Succus iste, quo cerebrum & nervosæ partes irrigantur*, sæpe in vitio esse solet; Cum enim liquor hic motu constanti, & circulatione quadam à sanguine in nervosum genus, indeque per vasa lymphica in cruoris sinum referri videatur, probabile est si ob labem à sanguine contractam humor iste in crasi depravatur, aut à motu suo æquabili pervertitur, quod exinde rigor & dolor, convulsio, delirium, phrenitis, & pleraque nervosi generis symptomata in febribus usitata oriantur. Post *sanguinem & liquorem nervosum*, duo alii humores, prout effervescere apti, in considerationem veniunt, scil. *chymus*, sive *succus nutritius*, cruoris massæ continuo adveniens, Et *latex serosus*, ab eadem perpetuo discedens; qui licet primo & ultimo sint liquores à sanguine secreti, & ab eo distincti, tamen pure confusi, veluti partes adscititiæ, seu complementa ejus, debent censeri, Etenim *succus albidus* recens adductus, sanguinis pars cruda & assimilanda, atque *serum* pars ejus inveterascens & ableganda habetur, Atque hoc modo, quamdiu cum sanguine ipso utraque circulantur, de cruoris primogeniti effervescentiis participant, & non raro occasionaliter easdem inchoant, aut inceptas augent; Quoad cæteros humores, qui sunt tantum nutritii, aut sanguinis recrementa, cum sint aut propriis receptaculis inclusi, aut in visceribus intra spatia angusta coerciti, nec uti cruor, aut liquor nervosus, aut reliqui humores modo citati, singulas corporis partes lustratione continua perluant, erunt ab hoc censu eximendi. Aliquando forsan causa occasionalis esse poterunt ut Sanguis effervescentiam indebitam concipiat, aut in eadem diutius persistat; Verumtamen ipse est solummodo sanguis (cum *liquore nervoso succo albido* & sero adscititiis) qui excandescentia sua supra modum ebulliens, & per vasa cum impetu citatus, calorem præternaturalem

naturalem in toto corpore diffundit, ac febris rationem formalem inducit. *Willis c. 1.*

18. *Ut Scheckio visum*) Hic *lib. de causa continente*, [illegible], subjectum febris constituit triplex, *Putrida sanguinem, Ephemera spiritus; Hectica solidam cordis substantiam.* 1. Morbus, *inquit*, est habitus contra naturam, quo primum impeditur ἐνέργεια naturalis: Caeterum, ut expedita sit ἐνέργεια corporis animati, non solum agens corpus, sed & patiens secundum naturam affectum & sanum esse oportebit; quod si ambo sana, ambo etiam morbida esse poterunt: 2. Quis ignorat à *Galeno* & *Aristotele* morbidum sanguinem dici? Quis non intelligit propter spiritum deficientem saepe languescere vires solidarum partium? quae sunt nutrimentis & medicamentis reficiendae: Ergo si non in continentibus aut solidis partibus duntaxat est causa, ut corpus suas [illegible] exerceat, sed etiam in contentis & spiritibus, quid vetat quominus sanguinem [illegible] putridae dicamus, & Ephemerae spiritus? quod si non facimus 3. necesse est omnem febrem esse hecticam, si morbus, seu febris tantum est in solidis: Contagionem porro hanc caloris, qua solidae etiam partes afficiuntur, à febribus contentorum, febrim non esse dicimus, sed intemperiem quandam calidam & imbecillitatem.

19. *Tum qua non est facultatum*) *Steph. Roder. Castrensis lib. de met. Microc. 2. cap. 15.* Sanguinem animatum esse statuit; sive enim à posteriori effectus sanguinis in corpore consideres, sive à priore animae conditionem, omnia sanguinem animatum esse proclamant. Et à *priore* quidem, sanguis & spiritus cum sint instrumenta animae, verisimile est & ipsa esse conjuncta cum anima, non vero ab anima separata. A posteriori mirabiles in sanguine effectus, & spiritus animatos esse confirmant. Verecundia effectus est animae; illa in hoc affectu sanguinem in faciem quasi velamentum effundit; Ad argumentum respondet quod cum sit alimentum, non queat esse pars, cum nulla ex aliis partibus hoc habeat quod possit nutrire. Sanguis est [illegible], hoc habens peculiare quod simul & partes nutriat, & sit una ex partibus, ordo est naturae suaviter gubernantis, quod haec pars nutriat, ne aliae partes pereant; Nisi sanguis suppeteret ad nutrimentum, partes aliae ex aliis nutrirentur, & contingeret quod usu venit in republica male ordinata, in qua potentiores trahunt à debilioribus; in fame ventriculus lancinatur, & nisi cibo sucurreretur, partes ex partibus peterent alimentum. Praeterea si sanguis nihil aliud est quam nutrimentum, cur ejus effusione subito perit animal? alimenti defectum per plures dies potest tolerare: Ad alterum argumentum, Disjunctum esse sanguinem, & ceu liquorem in vase, & spiritus fluctuare & evanescere, & propterea in viventium numero esse non posse, *Respondet*, rorem sanguinis, gluten, & cambium partibus esse continua. Spirituum fugacitas brevem notat vitam, non nullam. Vagantur per omnia, non perfecte concreti, ita tamen ut ab una anima informati contineantur, aliter enim non possent illius mandata capescere. Nam quamvis ob tenuitatem appellentur spiritus, corpora tamen sunt; & corporeo indigent impulsu, quem anima extrinsecus adsistens praestare non potest, sed intrinsecus informans. Mortuo animali moriuntur. *Hac Rodericus.* Humores itaque & spiritus cum sint partes, & quidem viventes? cum praeterea aliis morbis subsitent, nihil obstare videtur quo minus etiam febrium subjectum esse queant, adeoque non solum secundum [illegible]. *Rolfincius lib. 1. cap. 44.*

20. *Sed corpus humanum, falsum ratione &c.*) Totum corpus esse febris subjectum indicavit *Galenus 6. Epid. comm. 1. t. 29. Essentia febrium est non secundum Hippocr. modo, atque praeclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem hominum notionem p. n. caliditas, maxime quidem in totum animal effusa, sin minus, aut omnino vel in nobilissimis accensa. Saepius namque universa cum nullam evidentem p. n. caliditatem, neque nobis externis tangentibus, neque ipsis laborantibus, prae se ferre videtur, sed in profundo corpore ipsam aegrotantes sentiunt, visceraque sibi immodice flagrare aiunt, Nonnulli praeterea & fastidio afficiuntur, & siticulosi sunt, atque pervigiles.* Duplex posuerunt sapientes Febrim habere subjectum, inquit *Nicolaus Florent. Tr. 2. summa 1. de gen. consid. circa febres cap. 4. Primum* est, primum & immediatum, sive principale & propinquum, & hoc est *Cor. Alterum subjectum* febris est mediatum, & secundarium, & hoc est totum corpus, in quod febris à principali & immediato subjecto defertur. Et hoc quidem subjectum secundum, subjectum extensivum, & adaequatum subjectum febris appellatur. *Avicenna* in definitione sua totum corpus asseruit subjectum. Cum vero videret dari febrim, in qua caliditas non prodiret in totum corpus ex corde, taciti huic objectioni obviam iturus, *subjungit*, quod in terminis harum rerum attendatur una conditio, ut non sit quod prohibeat: sicut definimus aquam frigidam & humidam, quando disposita est secundum naturam suam, & non fuerit aliquod impediens. *Averroes* febrim totius corporis affectionem esse confirmavit. Ratio etiam quod febris subjectum sit totum corpus, suffragatur, quia Febris totius corporis actiones laedit sensibiliter, ut morbus universalis: Afficitur autem corpus, non propria ratione, sed in virtute cordis, cum enim reliquum corpus calorem influentem beneficio sanguinis à corde habeat, ut calor cordis se habet, ita & influentem calorem se habere necesse est, Ergo cum calor cordis immoderatus sit, non potest aliter fieri quin & calor influens intendatur, totumque corpus incalescat. Jure ergo merito statuitur Cordis propria passio Febris, Corque statuitur proprium & principale subjectum Febris, qua Febris. *Rolfincius l. de Febr p. 102.*

21. Vel [illegible], vel [illegible]) Aequalis est illa intemperies in *hectica* febre, & en ἕξει, habitualis, radicata, tam firma basi, ut etsi à nulla foveatur causa, nihilominus subsistere queat & in eodem gradu manere, licet fervor ingens non sit in gradu. Ratione siccitatis tamen, quam calor adsciscit sociam, Hectica inaequalis etiam dici potest. Inaequalis haec febrilis caliditas est in *Ephemera & Putrida.* (*Rolfincius.*

22. *Ex calido insito & influente*) D. Ant. *Altimarus l. de Febr. 1. cap. 1.* recenset visum esse plerisque, cum observarent febris substantiam in calore p. n. consistere, constituere febris subjectum geminum, *Universale* unum, *Cor*, *particulare* alterum, tres diversas cordis substantias, humores, spiritus & solidas partes. Ipse statuit cal. innat. febris subjectum; nam cum febris sit conversio nativae caliditatis ad igneam, ejus forma, essentia, seu qualitas, tanquam in subjecto recipitur primum in substantia calidi innati; haec namque est quae mutatur atque alteratur, accidentalem, quae febris est, caliditatem suscipiens; Et propterea, *dicit*, cujuslibet febris subjectum esse Calorem nativum; Hujus vero subjectum cum sit Cor, ideo dicere solemus Cor esse subjectum febris, ex quo ut calor naturalis, ita etiam febrilis in totum dispergitur corpus: Assentitur *Altimaro* Th. Erastus *Disp. de Febribus.* *Sennertus* etiam consentit; At vero licet concedamus Calidum nativum (si quod à sanguine & spiritibus distinctum in humano detur corpore; non esse autem quid distinctum asseruit *Harveus*) affici in febre, non tamen subjectum genuinum & primarium febris constitui potest, nullamque prae sanguine & spiritibus habet praerogativam; ita ut non necesse sit

illud pro singulari agnoscere subjecto. *Rolfincius lib. de Febr. c. 31.*

23. *Suam naturam retineat*) Terminus, *ad quem deducta est calida intemperies*, non est usque eo extendendus, quasi existente in corpore calore febrili alter nativus plane intereat & absolute corrumpatur, generetur-que calor igneus secundum formam ab innato calore diversus. Neque emergente febrili calore, alter nativus omnimodam in igneam naturam, ceu ad oppositam differentiam, & ad determinatam speciem patitur conversionem; nec substantia ejus mutatur, sed recedit solum à naturali constitutione, 1. gradu qualitatis, intenditur enim ultra mediocritatem ejus gradus, 2. conditione proprietatis, ut ita mutetur, quod ceu alienus se destruere videatur: & nec à se ipso, propriave virtute, munus suum obire valeat, Calor nativus manet, opera vitæ coctionis, assimilationis perficit, impari quidem successu: Si igneus esset in hisce operibus non solum languesceret, sed plane contabesceret. Hinc *Galenus 8. de Plac.* reprehendit *Platonem*, forte nimio rigore usus, quod naturalem calorem ignem dixerit. Si enim, *inquit*, ignis esset alimenti concocti digestio, & in alin substantiam conversio, melius citiusque in febribus fierent. *Rolfincius.*

24. *Caliditas vero naturalis cum præternaturali*) Quod Medici distinguunt inter naturalem & non naturalem calorem, sive febrilem, hoc fit ex accidente, & cum quodam respectu ad corpus nostrum; Nam in determinato & conveniente gradu calor dicitur naturalis, quia ita constitutus naturæ nostræ convenit, & obeundis actionibus aptus est. Non naturalis autem evadit quando gradus ille intenditur; tum enim statim incipit constitutioni nostræ esse incommodus. Itaque quæ naturalia, & non naturalia dicuntur, si absolute talia sint, non statim secundum sese, genere vel specie, imo ne quidem semper numero sunt distincta. Ita unum idemque vinum in uno eodemque vase contentum, relatum ad corpus nostrum, potest dici & esse naturale nobis & non naturale. Nam legitima quantitate sumptum naturale nostro corpori est, quia naturalem id præstat usum, scilicet sitim extinguit, corpus nutrit & vegetat; Immoderate autem sumptum non naturale est, quia corporis vires enervat, actiones pervertit, & tandem prorsus destruit. Nemo autem adeo absurdus est, ut illam ob causam velit statuere idem illud vinum vero genere à seipso differre, *Rolfincius l. de Febr. pag. 72.*

25. *Magis ad febres prona*) Subjecti corporis quod Febribus corripitur occasione Febres præcipue variant; Corporis autem quævis constitutio febres concipere potest si causa eam evincat externa, à qua calor excitatus, prout vel in corpus quod *temperatum*, vel *calidum*, vel *impurum* etiam incidit, Febres pro constitutionum diversitate variant; *Temperatum* enim corpus, si à causis adventitiis accendatur, cum diutius in eo calor persistere nequeat, sed corpus mox iterum ad suam temperiem redeat, *breves Ephemeræ*, quæ primo die plerumque cessare solent, febres gignuntur, quarum & calor ob eandem causam minor existens nullas in corpore insignes mutationes parit; & cum impurus minime sit, & sine crisi sensim per sudores, quia in illis quoque aliqua fit propter calorem exhalatio, expirat; *Calidior corporis constitutio* ea est quæ ad calorem suscipiendum magis apta existit quæ si à causis externis accendatur, tunc utrinque [illegible] ente calore *synochi simplices febres*, quæ diutius [illegible] t, caloreque vehementiore urgent, [illegible]. Talem autem *constitutionem* vel *sanguineam* [illegible] *biliosam* e[illegible] stere necesse est; *Sanguinea* [illegible] eo citius à causis adventitiis calorem concipi[illegible] o major est sanguinis copia, vel calidior existit: proin & junioribus, & plethoricis, & natura calidioribus, & quibus consueta sanguinis hæmorrhagia, per menses, hæmorrhoides narium fluores suppressæ sunt, febres hæ facilius accidunt, quæ & ob causæ efficientis cum adjuvante concursum, supra unum diem ad duos vel tres usque extenduntur, *synochique simplices sanguineæ* dici possunt; majore æstu aliisque symptomatis, ob enarratas causas quoque, affligentes; alioquin eodem modo ut Ephemeræ incipientes & desinentes. *Biliosam constitutionem* prompte quoque cum calidior sit, eædem causæ accendunt febremque *Synocho similem* efficiunt; quem *synochum* simplicem biliosum vocare possumus. Cum præter ea accidentia, quæ bilis proferre solet, quibus insuper molestat, in reliquis, nisi in putridam commutetur, eundem processum quem *sanguinea febris servet*. *Impurum corpus*, si à causis exterioribus febrem concipiat, tunc si sanguis impurus ad putredinem aptus sit, *simplex & pura febris* diutius minime manet, sed cum putredinem mox sanguis concipiat, febres hæ in putridas synochos quoque, sed *putridos* dictos longioresque permutantur. Quod si vero sanguis impurus nonnihil, nondum tamen putredini obnoxius sit, tunc *synochus simplex*, & purus adhuc, nondum tamen putridus permanet, accidentia quoque & plura & vehementiora quam priores synochi hic affert. Frequentius tamen de vinoso hoc sanguine natura portionem illius aliquam è venis propellente *synochus* inde *comitatus* nascitur. *Platerus.*

Consuetudo & experientia in hac re perpendenda, quæ pluris facienda est quam quodvis ratiocinium humanæ opinioni addictum, Communiter ratiocinatur vulgus de corporibus calidis & humidis, quæ putredini magis sunt obnoxia; Item de calidis & siccis, ut quæ intemperiei calidæ opportuna: Sic sanguineis & biliosis febres paratæ dicuntur, hac de re juvenes ad febres paratiores sunt, Verum non his acquiescendum, etenim omnem ætatem æqualiter adoritur: videtur tamen febris Pestilens juvenum majorem stragem edere, & quo validiores sunt homines, eo vires suas magis intendere Cur qui in argenti vivi fodinis versantur raro aut nunquam febre corripiuntur? Cur qui hydrargyrosin passi ad tempus longissimum febre non corripiuntur? etsi ejusmodi corpora sint complexionis cal. & humidæ? qui excrementis nitrosulphureis abundant, illi sunt maxime parati ad febres. Item quibus pori sunt obstructi, & qui crapulæ sunt dediti. *P. Poterius l. 1. de Febr. cap. 15.*

25. *Magis ad febres prona*) Ut Res non naturales dictæ causæ morborum fiant, tria ex *Galeno* requiruntur, ut vehementer, ut debito tempore agant, corpusque sit dispositum ad suscipiendam causæ morbificæ vim; sic rusticorum corpora, etsi toto die sub sole serventissimo versentur, non tamen febricitant, ob corporum ineptitudinem; idem de aptitudine corporum dicendum, nam quędam facile, alia difficile febricitant: corporum variam dispositionem quod spectat, inter *Galenum* & *Avicennam* differentia quædam est, sed ea levis, *Galenus 8°. meth. 1.* statuit corpora calida & sicca, 2. cal. & humid. 3. calida tantum, 4. sicca tantum, postmodum temperata, Contra *Avicenna* 1. ponit calida hum. 2. calida sicca, 3. calida tantum, 4. hum. tantum. 5. frig. & hum. 6. frigida tantum. 7. sicca, 8. frigida sicca. Sed hæc nimis sunt generalia, non enim tanquam ideam *Platonis* febrem in universum corpora recipiunt, sed hanc illamve illius speciem; Cum itaque plurimæ sint Febrium species, ad Ephemeras, sicca, biliosa, ad Hecticas corpora calida sicca maxime propendent, habent enim effluxus plurimos fuliginosos, non vaporosos, ex *Paulo* & *Ætio*, est si quidem febris effectus calidus & siccus, non mirum si simili intemperie prædita corpora facillime

corripiuntur

corripiantur, hinc Capræ ob caloris acrimoniam & siccitatem perpetuo febrire perhibentur: Sed pituitosis frigida humida, melancholicis frigida sicca, sanguineis calida humida sunt maxime obnoxia, & hæc ratio est cur pueri, juvenes & viri, & sæpius & facilius febricitent quam senes aut mulieres, propter corporis majorem fervorem & peculiare temperamentum: Sic quoque tenues & macilenti hecticis, pingues & obesi putridis facile capiuntur, idque ratione temperamenti, quod ex ætate, habitu corporis & sexu æstimatur. *Primrosius.*

26. *Partiale est ipsum Cor*) Patet ex dictis (*Supra §. subjectum non est sanguis, ut Scheckio visum*) non Cor, aliamve partem quandam solidam esse subjectum febrium primarium; nec vasa aut majora aut minora, sed *sanguinem* & *spiritus*: Alia tamen ratio est foci febrilis, cujus subjectum viscus quoddam esse potest. Sic certum est focum intermittentium, ubi nascitur fermentum febrile, esse ventriculum. Sic in febribus symptomaticis ulcerum & vulnerum, afficitur quidem in febri massa sanguinea, focus tamen est in parte ulcerosa; vel vulnerata. Non confundatur tamen focus morbosus cum receptaculo producti morbosi; sic enim chronicis febribus supervenirent subinde tumores. v. g. quartanis diuturnis Lienis tumor supervenire solet. *Etmuller.*

27. *Causa Febrium est &c.*) Causæ Febrium omnes vel Procatarcticæ sunt, ut Res dictæ non naturales, Aer, Cibus, Potus, Somnus, vigilia, Motus & Quies, Excrementorum retentiones, & Animi pathemata: Vel Antecedentes. Humores & Spiritus præter naturam calefacit: Has omnes Galenus ad genera quinque reduxit, cap. 3. 1. de diff. Febr. & cap. 2. l. de Caus. Morb. ad Calidorum vicinitatem, Motus animi & corporis, Putredinem, Prohibitam transpirationem, & Calida assumpta. *Primrosius.* c. 3.

27. *Causa febrium*) Causæ Febrium in genere erunt omnia illa quæ crasin massæ sanguineæ naturalem pervertere, & talem dyscrasiam, sive heterogeneitatem, & disproportionatam texturam particularum componentium inducere valent, ut exinde salium activitate vitiata, fermentatio præternaturalis concitetur, Hæc ipsa in genere, qualiacumque fuerint, *Fermentum Febrile* appellare placet, cujus occasione nempe *sanguis* præternaturalem fermentationem concipit, & *spiritus* simul insigniter alterantur. Immediate tale fermentum sanguinem, & hoc mediante spiritus afficit; Seu è contra, immediate spiritus, & his mediantibus sanguinem inquinat; Tale *fermentum* est v. g. quod ex *insensibili transpiratione* prohibita & retenta febrim subinde accendit; Tale fermentum est quod ex ulcere quodam interno, v. g. *phthisi* pulmonali febrim inducit; Tale fermentum est quod in *erysipelate* aut *pleuritide* febrem acutam infert: Tale fermentum est quo *Scabies* retropulsa febrim periculosam subinde excitat; Tale est *Lympha acidior*, febrem catarrhalem inducens: Tale *Fermentum* est quod ex fructuum horæorum abusu febre subinde nos mulctat; Tale Fermentum est quod *Contagii* sub tegmine nos inquinat, Tale Fermentum est quod ex usu rei horridæ, & facile alterabilis, in primis viis sæpius febrem intermittentem excitat: Fermentum tale nunc *extrinsecus* nobis communicatur per *assumptorum* aut *inspiratorum* varietatem, quo & *contagia* pertinent; Nunc *intus generatur*. Vix tamen febrilem alterationem inducent talia, nisi volatilis plus minus naturæ, & spiritibus aut sanguini commiscibilia fuerint: Sine hac enim conditione variam quidem immutationem, non tamen fermentativam effervescentiam febrilem in sanguine concitare valebunt. *In specie*, quoad *intus genitum fomitem febrilem* speciatim ad primas vias respectus habendus, quarum errata fermento quidem digestivo acido volatili ex ventriculo impregnata, & interius sanguini commiscibilia; defectu tamen debitæ digestionis & perfectionis in primis viis, quia in salsum volatile temperatum abire debebant, non adeo homogenealiter assimilabilia existunt, quin inordinatam fermentationem citius vel tardius inducant. Notum hoc imprimis est ex febribus intermittentibus fomitem simpliciter in primis viis habentibus, continuarum vero, præsertim benignarum plurium, par omnino est ratio, si erratum primarum viarum sanguinem, sive lympham, inquinet, & eatenus, fermenti instar, continuam fermentationem in sanguine efficiat: Siquidem Intermittentis febris paroxysmus quilibet integram quandam benignam, per crisin sudoris finiente, febrim Continuam repræsentat; Vnde non rarum est ex Intermittente Tertiana continuam fieri, Et contra ardentem continuam in intermittentem terminari, aut complicari hæc duo denuo, ut in continuis periodicis obvium est. Fermentum hoc in benignis videtur *acida* plus minus *natura*, ut ex iis quæ supra de *Æstu corporis, Rigore Urina &c.* dicta sunt probabiliter, concludi potest;) imo etiam in malignis, sed in his acrius, volatilius, & penetrabilius; ratione quarum proprietatum & spiritibus tam promte communicabile existit, ideoque ad veneni naturam (quæ in intemperatura insigni simpliciter consistere videtur,) propius accedit; Non autem humorum copia & moles, seu, ut vocant, saburra, hanc fermentationis læsionem semper infert, sed sufficiunt interdum minima quædam fermentativa, vel inspirata, vel relicta) quæ quatenus sunt activa, & undique per contenta corporis diffusiva (odorum ad instar) facile vel totam massam sanguinis, motum salium æqualem pervertendo, vel spiritus influos, eorum texturam vitiando, inficere possunt: Qualia Fermenta v. g. contagiosa sunt, spirituosa in malignis, quæ vel spiritibus, vel sanguini se insinuantia, nunc citius, nunc tardius potentiam suam alterativam exercendo, febris occasionem suggerunt; Adeoque minimum subinde est quod peccat in febribus ceu materialis causa, quod tamen fermentationis medio multiplicabile existit unde Intermittentium insignis diuturnitas, continuarum vero malignarum copia contagio spirituosa. *Etmuller Part. 1. p. m. 260. & 261.*

28. *Calor in corde*) Inveniuntur qui ab Hepate, aliave corporis parte communicari posse putant caliditatem toti corpori non affecto corde: Calefieri potest totum corpus ab apostemate hepatis, aut aliarum partium, Ergo non semper febris est passio Cordis propria; *Baillonius l. 1. Epid. & Ephem.* statuit *febrem particularem*, dum inquit, p. 95. Sublata diathesi, vitio partis correcto, nec non [illegible], cessat motus, irritatio, provocatioque humorum, febris aut similis affectionis authorum: Eodemque modo febris aliqua particularis esse potest; Vnde quidam narrant os, aut caput, aut manum æstuare videri, ac si febre particulari prehenderentur: *Et l. 2. p. 114* ubi agit de Siriasi, eam putat proprie dici posse [illegible], etsi non sit vera inflammatio, sed quippiam analogum, *Idem 2. Epid. & Ephem.* Febres *ait*, aliæ sunt [illegible] aliæ venosæ; hæ potius [illegible] sequuntur venosi generis, & f. m. facile tolluntur, Illæ vitium humorum in præcordiis contentorum & egent cathartico: [Verum nos censemus præcipuum Febris subjectum esse cor, adeoque etiamsi reliquæ partes calorem habeant non naturalem, is vero ad cor non pertingat, nunquam oriatur febris, statim autem atque ille cordi communicatur, Febris tum demum suam nanciscitur denominationem, Quamvis tam partes corporis externæ, quam interna viscera, non raro plus justo incalescant, atque intemperiem calidam contrahant, tamen impossibile est quamdiu ille calor ad cor non penetrat, veram febrem generari; non enim quævis intemperies cujusvis partis, sed ea demum quæ cor occupat, febris est: Febris Capitali, Lienaris, Hepaticæ appellationem *Galenus 2. aphor 42* rejicit *Rolfincius.* Sed si quidem sanguis universo circumducitur corpore,

quid impedit quominus pars aliqua intemperie calidiori &c. affecta, hanc pertranseunti sanguini communicet; qui ideo æstuans, & circumfusus toti corpori, similem affectionem inducat?

29. *Accensus*) *Ad occursum & concursum Acidi cum Alkali referunt recentiores causam accensi caloris*, Quemadmodum totum naturæ motum proficisci videmus à pugna elementorum, scilicet quod cal. & frigid. humidum & siccum invicem pugnent: *Frigidum* enim semper *acidum* vel austerum est, *Calidum* vero *amarum* seu *alkalinum*. Vnum ergo attingens alterum, mox strepitum & ebullitionem excitat, uti omnia acida & austera alkaliaq; confusa semper ostendunt, Ita etiam eandem naturam in hoc acido & amaro corporis esse verisimile est: Modum tamen non excedens ista contrarietas non nocet, sed potius ad vitam excitandumque calorem & motum necessaria est; Ast si perversa diæta, vel vehementibus animi affectibus alterutrum nimium exciteiur, tunc extra dubium *efferrescentia* morbifica concitatur, quæ paroxysmis febrilibus corpus quatit. *Card lucius in Hartmannum pag.*872.

29. *Calor accensus.*) Videtur quod Febris sit tantum *Fermentatio*, seu *Efferrescentia* immodica Sanguini & Humoribus inducta: Hujus nomen à *febrno* (seu *purgamento*, quod etiam à *ferveo* derivatur) ortum ducit, quæ quidem vox commode omnino Febri imponitur, eo quod sanguis in hoc morbo *effervescit*, insuper fervore suo, velut mustum effervescens a sordibus purgatur: Sanguini autem (quemadmodum liquoribus quibuscunque fermentativis) insunt particulæ heterogeneæ, quæ cum diversæ sint figuræ & energiæ, earum mutuo occursu & subactione, quamdiu in mixtione perstant, Fermentationis motus jugiter conservatur; prout in vino, cerevisia, aliisque liquoribus fermentescentibus cernitur: dein si à fermentis adjectis liquoris mixtio nonnihil resolvatur, particulæ activæ à vinculis liberatæ adhuc magis turgescunt, & fermentationem cum motu rapidiori & calore inducunt, quod videre est in familiari Chymicorum experimento, scil. cum sales fluidi liquoribus alius generis salinis committuntur, inde calor ingens ac ebullitio concitantur &c.

Quæ omnino consimiles habent particulas minime fermentescunt, quare nec Aquæ distillatæ, Olea Chymica, spiritus vini, aut alij simplices liquores commoventur: Sanguis autem, pro ingenio rerum cito irritabilium, constat ex proportionata elementorum mixtura, in quibus *Spiritus*, utpote valde agiles, sese continuo expandunt & avolare nituntur, crassioribus vero cæterorum particulis irretiti in fuga detinentur; Atque hoc modo detenti crassiora, quibus impediuntur, corpuscula exagitant, refringunt, & plurimum subtiliant; *Salem*, alioquin fixum, minutissima sub actione & sui adhæsione volatiliant: *Sulphur* in se compactum, & cum cæteris non miscibile perfecte dissolvunt, & Sero incoquunt; *Terram* secundum minima refringunt, & cæteris commiscent: Interea tamen à Salis & Sulphuris subactione & attritu caloris effluvia ubertim procedunt, quæ reliquis commista quaquaversus diffusa fermentationis motum adaugent: Atque ad hunc modum omnia minutissime confracta, & particulis aquosis diluta, liquorem Sanguinis constituunt, qui dum in vasis, velut vinum in dolio includitur, continuo fermentescit, & secundum omnes suas particulas in perpetuo est motu &c. *Fermenta* ad sanguificationem requiri argumento est, qu[illegible] cum natura deficiant, bono cum successu artis o[illegible]u-plentur; etenim Sales fixi, Alkalia, extracta, [illegible]siva, deoppilantia, & imprimis remedia chaly[illegible]tum sub hac ratione juvant, quod velut fern[illegible]uodam sanguinis ebullitionem, aut imbecill[illegible] aut [illegible]re extinctam de novo restituant. Quoad Fermenta naturalia spectat, possunt certe plura formari, & diversis partibus aut visceribus recondi: Etenim humor quispiam, in quo Salis, Sulphuris, vel Spiritus particulæ plurimum exaltatæ continentur Fermenti naturam induit: ad istum modum fæces aut flores cerevisiæ, vel musti, farinæ subactæ massa ad acorem servata, in hunc censum veniunt, quibus cerevisia novella, & consimiles liquores, nec non panis massa optime fermentantur. Pariter in *Ventriculo* humor acetosus, de sale exaltato participans, coctionem ibidem adjuvat, Et in *Liene* feculentiæ sanguinis de sale & terra exaltatis in fermentum abeunt. Quantus ab *Utero & partibus genitalibus* Sanguini accedat vigor hinc constat, quia ab horum privatione aut dyscrasia in virginibus Chlorosis, in viris barbæ sterilitas, vox tenella & virilitatis amissio sequuntur.

Præcipuum vero Fermentum quod Sanguificationi inservit, in *Corde* stabulatur, hic enim maximus caloris focus, in quo velut accenduntur crudiores chymi particulæ & volatilitatem acquirunt, quod multis rationibus confirmare licet, præcipue vero ab affectibus quos in præcordiis patimur quoties sanguis debito plus aut minus fermentescit: Quando enim nimis in corde accenditur impetuose veluti ab admotis ignibus agitatur; (cujus immodicæ ebullitionis signa sunt Pulsus altus & vehemens) tum in præcordiis æstus fere intolerabilis fit cum siti vehementi: Ex altera parte cum in *Corde* diminuta est fermentatio sanguinis, respiratione difficili & anhelosa ad quemvis motum afficimur, prout in hydrope, cachexia & ictero cernitur; cujus ratio est, non quia Pulmones sunt infarcti, vel ichore lento oppleti, sed quia sanguis non recte in illo *ζυμώσεως* conditivo fermentescit; quare in sinus illius illapsus non statim rarefit, nec cito in pulmones exilit; quin illic stagnare & resilire aptus, cordis ipsius oppressionem inducit; in cujus sublevationem respiratio crebra instituitur, ut sanguine in pulmones exantlato eidem succurratur; Sin motu aut exercitio cruor in illius ventriculum plus urgetur quam respiratione aut pulsu potest in vasa pneumonica derivari, suffocationis periculum incurritur.

Itaque *motus* & *calor* in sanguine à duobus præcipue dependent, scilicet partim à *propria* ipsius *crasi* & constitutione, qua principiis activis spiritus, Salis & Sulphuris ubertim conflatus in vasis, non secus ac vinum dolio inclusum, sponte turgescit; Et partim à *Sanguinis fermento*, quod liquorem sinus ejus pertranseuntem plurimum rarefacit, & cum spumosa effervescentia exilire cogit; ut qui per venas instar fluminis leviter decurrentis cordi placide instillatur cruor, inde per arterias, torrentis more, cum strepitu & orgasmo exsiliens ad singulas totius corporis partes proripiatur: Quo ritu hoc fiat ostendunt *Entius* & *Cartesius*, supponentes velut ignem in corporis foco continuo stabulari, qui sanguinem per venas infusum protinus accendat, (sicut cum vinum flamma admota exardescit) qui dein accensus deflagratione sua (fulguris instar) arterias citissime trajiciat, ita ut *Calor*. *Motus rapidissimus* & Effluvia per diapnoen *emissa*, à Sanguinis in corde accensione solummodo procedant: Statuit *Hogelandius* Fermentum in cordis sinubus recondi, quod Sanguinis liquorem, cum calore & copiosa fuliginum emissione, ebullire & effervescere cogit, non secus ac cum Spiritus Nitri Butyro Antimonij confunditur; adeo ut sanguis leniter per venas influens, à fermento cordis illico in spumam & vaporem rarefactus, impetuose admodum arteriarum ductus pervadat: Res fere eodem recidit sive hoc sive isto modo fieri dicatur, Etenim alteratio quam Sanguis in corde recipit, possit æque à flamma ac fermento nitro sulphureo (illic collocari supposito) deduci; Quippe dum sanguis cordis ventriculos illabitur, statim in liquoris compages solvitur, & particulæ activæ, imprimis spirituosæ

sitiosæ & sulphureæ, soluto mixtionis vinculo, à cæteris exsilire & sese quaquaversus expandere nituntur, verum à vasis intus contentæ, & cum reliquo liquore simul coercitæ, per apertos arteriarum ductus, qua data via, cum tumultu & turgescentia ruunt, & exinde calores effluvia per totum corpus diffundunt; parum interest sive hæc particularum cruoris expansio, & in motus libertatem exertio ab *accensione* vel à fermentatione fieri perhibeatur, si quidem utrovis modo sanguinis compages ita referari poterit ut exinde Spiritus, Salis, & præcipue Sulphuris particulæ in motum coercitæ (velut ab igne accenso) calorem toti corpori impertiant.

Hæc autem cruoris in corde rarefactio, sive *accensio*, ab ipsius sanguinis crasi & constitutione dependet, si enim liquor ejus sit rite coctus, volatilisatus, & (instar vini generosi) ad maturitatem evectus, tunc debito modo illic fermentescat, quo solutæ spirituum & sulphuris particulæ calorem æquabilem & moderatum singulis partibus diffundunt; Quod si cruor ob malam victus rationem & coctionis defectum sit crudus & aquosus, tunc minus in corde accenditur, indeque frigida totius intemperies, respiratio difficilis & anhelosa cum pulsu imbecillo & languido sequuntur, prout in cachecticis, chlorosi affectis & moribundis cernitur; Sin vero sanguis ob sulphuris evectam copiam, aut effluvia cohibita, aut victum calefacientem, nimis luxurians aut turgescere aptus evadat, ejus in corde sive accensio, sive fermentatio plurimum intenditur, ita ut exinde calor febrilis & æstus vehementiæ solito majores in toto excitentur *Willis*.

3°. *Per Spiritus.*) Spiritus sunt subtilis & maxime volatilis Sanguinis portio: Eorum particulæ semper expansæ, & avolare nitentes cæterorum quibus obvolvuntur corpuscula crassiora exagitant, & in fermentationis motu continuo detinent: Horum effervescentia, & æquabili expansione in vasis, cruoris liquor continuo ebullit, cæteraque principia in motu ordinato, & sub exactæ mixtionis vinculo continentur: Si quid heterogeneum, aut mixtioni ineptum Massæ Sanguineæ confunditur, statim spiritus in motu suo perturbati impetum faciunt, Sanguinem exagitant & immaniter effervere cogunt, donec quod extraneum est, & non miscibile, aut subigitur, ac reducitur, aut foras eliminatur &c. Horum motus & effervescentia in Sanguine citatior præcipue dependet à fermento cordis; quippe dum Sanguis cordis sinus pertransit, ejus mixtio plurimum solvitur, ita ut spiritus una cum particulis sulphureis aliquatenus laxati, & velutim flammam accensi dissiliant & plurimum expandantur, indeque deflagratione suæ calorem Toti impertiant &c. *Willis*.

4°. *Hunc vero inducunt 1. per se.*) Ut Febrium essentiam cognitam habeamus debemus ejus aliquod signum inseparabile quærere, quo posito ponitur Febris, & contra, Id autem est *Pulsus celeris* debito tempore & debito modo; Causa *Pulsus celeris* duplex est, *Primo*, quia cordi aliquid citius sit molestum, ac proinde celerius à se propellit: *Secundo*, quia cor movetur motu animali: Molestia illa excitatur in corde vel ab *humore calido*, *acri* vel *maligno*; Humores illi vel in corde prius (calore ejus dissoluti) suam acrimoniam manifestant; vel in foco aliquo dissoluti ad cor perveniunt *Walæus Med. Pract. lib. 1. cap. 1.*

Eadem fere, sed explicatius exhibet *Sylvius de le Boe*, Si, *ait*, quod in affectuum lateotium aut controversorum natura investiganda omnino fieri oportet, Practicorum morem, atque signa, ex quibus de Febris præsentia ipsi & alii, omnes concludere solent, observemus, facile patebit ex *Solo pulsu præternaturam frequentiore ipsos Febrem arguere* &c. *Pulsus* ergo *p. n. frequentioris*, causa est 1. Vel *nimia permanensque Sanguinis rarefactio*, ab igne potentiore, ex utriusque Sanguinis effervescentia erumpente facta: Vel ij. quodlibet *acre*, nunc *acidum*, nunc *lixivo salsum*, nunc *muriatico salsum*, per venas una cum sanguine ad cor propulsum, atque [illegible] cordis parenchyma mordicans:

Vel iij. Quodlibet *Halitu[illegible] flatulentum*, [illegible] cum Sanguine ad cor delatum, aut ex ejusdem in corde effervescentia excitatum, atque cordis ventriculorum explicationem augens. Vel iv. Quodlibet *acre* [illegible], aut in pericardio, aut alibi existens, atque cor externe rodens aut pungens: *Sylvius Pr. l. 1. cap. 27.* Ab *Acido* æstus Febrilis omnes causam deducit *Emmuller*. cujus sententiam vide proxime.

5°. *Hunc vero inducunt*) Æstus *omnes* occasionalis *sit ab Acido*, crasin Sanguinis immutante, & inde fermentativum ejus motum; [illegible] spirituum alterationem & majorem incalescentiam & fervorem inducente: Cum ipsi spiritus fursan certi volatilis ac subtilis *acoris* ratione, caloris sensum in animalibus undique diffundant, (quod tamen ulteriori considerationi relinquo.) Et quidem eæ Febres, in quibus Sanguis simul alteratur, & ad motum insigniorem fermentativum præter naturalem disponitur, intensiori æstu comitatæ esse solent; tensilliori, quæ primario ex spirituum alteratione accidunt. Peccare autem in intensiori corporis æstu, adeoque in *Febribus* primario *Acidum*, *probatur* partim, partim illustratur sequentibus: 1. In *Vulneribus* & *Ulceribus*, & hinc dependentibus Febribus symptomaticis, vinum & quælibet acida nocent, quia inflammationem in vulnere, & æstum febrilem in corpore accendunt, Quæ omnia præservantur, & curantur interne per *lapillos cancrorum* & similia, Et per externa *Saturnina*, acidum imbibentia: Est enim *Saturnus* Chirurgorum patronus; vulnerum & ulcerum pathemata, ab acido nata, curans, non secus ac *caput mortuum vitrioli* vulnerum corruptionem tollit, ut loquitur *Helmont*. Acidum imbibendo & corrigendo: ij. *Pleuritides. Anginæ*, & quælibet inflammationes internæ, tam in principio quam in progressu ad suppurationem tendunt, febrim continuam acutam junctam habent, h. e. *æstum* continuum intensum: Jam vero morbi ii extra controversiam ab *Acido* originem ducunt; hinc per acidum absorbentia remedia promptissime curantur v. g. *dentem apri*, *maxillam lucii piscis*, *Sal volatilia qualibet*, *florem equinum* &c. iij. *Erysipelatæ* itaque, sponte sua, & à causa interna enatæ inflammationes, cum æstu & ardoris manifesto sensu, & non raro gravi juncta f bre, cum externo ardoris & ruboris per quam sensili indicio, ab *acido* originem ducunt, hinc præter interna modo dicta, similia externe conducunt, acidum istud absorbentia optima sunt remedia, v. g. *creta*, *cerussa antimonii*, & *epithemata Saturnina*, *lac virginis* &c. Ablato per hæc in Erysipelate acido, juncta febris pariter evanescit; v. *Intermittentes* ex acida viscerida stomachi cruditate originem obtinent; hinc *alkalia* etiam tam *fixa* quam *volatilia*, ut *sal absinthii* & *spir. salis armoniaci* quam *testacea*, ut *ossa ac adentra*, ut *specificum Crollii & Strobelbergeri*, quæ illas curant, & paroxysmi fermentum acidum tollunt; In Quartanis spectatim *Martialia* & *Saturnina*, intensius acidum absorbendo conveniunt. v. *Febres Catarrhales* dictæ, à *lymphæ acrimonia* originem ducunt, quæ quo acidior fuerit, eo intensiorem cephalalgiam, ferinam magis tussim, lancinationes artuum graviores, & speciatim intensiores æstuationes vespertinas & nocturnas, & febriles infert, unde & volatilibus, *spiritu sal. armon.* inprimis *anisato*, *liquore c. c. succino*, optime curantur, acidam lympham corrigendo, Item *Opiatis* vitiatum lymphæ motum suspendendo. vj. *Variola* & *morbilli* intensissimum æstum junctum habere solent, qui erumpentibus istis cessare solet; *Acidum* autem in *Variolis peccare*, præter symptomata, ab acidi acrimonia & erosione nata, v. g. suppuratio cutis, in foveas erosio, interdum ossium caries, pulmonum exulceratio, cura per absorbentia, per invertentia salia volatilia *tincturam tartari* &c. abunde confirmat, vij. *Arthritis* quælibet, primario *vaga*, & hanc etiam *fixa*, nisi hæc nimis inveterata fuerit, cum f bribus symptomaticis plus minus ingruit, & præter æstum, in vaga admodum

intensum pulsum celerem & frequentem excitus scil. *acidum*: ut in arthritide, dolores excitat, ita & æstum & ardorem infert febrilem, unde & acido devicto dolores evanescunt & ardores extinguuntur, VIII. *Febres* istæ, quæ ex retropulsa vel scabie adultorum vel achoribus infantum, oriuntur continuæ, & subinde admodum periculosæ sunt, in infantibus etiam utplurimum cum diarrhœa junctæ ab acido salso, plus minus viscido originem habent, adeoque superiora confirmant. IX. *Febris lenta*, quasi hectica, ex ulcere cujusdam partis interno, speciatim pulmonis nata, & à sanie purulenta originem habens, idem confirmat. In sanie autem purulenta Acere inprimis considerandum, & hoc non urinosum, sed acido salsum, hinc læsa sanguinis crasi, vitiatur ejus fermentatio & æstuatio. X. Infantes vero *tormina*, patiuntur ex *acido lactis vitiato*, testes sunt excreta viridia, item semigrumosa; Hæc si diutius durent, sequitur æstus febrilis totius corporis, interdum satis contumaces quoque, iisdem occasione Acidi excitatæ, superveniunt convulsiones, sed destructo acido in primis viis per absorbentia & volatilia omnia ista cessant, XI. *Urina* idem videntur illustrare; Hæ in febribus intensius tinctæ & perquam rubræ observantur, & quo intensior æstus vexat ægros, eo magis flammeum & rutilantem contrahunt colorem, nisi turbentur. Declinante febre, ac defervescente æstu, naturali citrino colore deinceps apparent. Intensiorem hunc colorem ab acido esse mechanica chymia docet, tum ab acidis instillatis, spir. Vitrioli, Nitri Sulphuris, Salis, etiam Aceto, urinæ intensius rubescunt; quæ ab alkali, oleo *tartari* per deliquium, lixivio cinerum clavellatorum, aut nonnulli pallescunt, aut saltem nullam in colore mutationem patiuntur, Scorbuticorum urinæ subinde intensissime tinctæ sunt, absque febrili æstu, ab acido saltim luxuriante, urinas ita alterante: XII. Symptomata quæ à vini abusu, v. g. Rhenani, accidunt, Ex acido tartareo volatili inprimis originem ducunt, v. g. orexis, æstus corporis, cephalalgia, pulsus febrilis &c. similia fere symptomata febrium: hinc Spir. Salis armon. vel pulveres præcipitantes, os sepiæ, vel hic ipsum ista compescit: XIII. *Æstuationes* vagæ & phlogoses quæ hypochondriacos sæpius affligunt, ex effervescentia in primis viis, ab acido primario excitata, originem ducunt; Hinc præcipitanobus dictis *corallis*, ebore, alkalibus fixis, fere cicurantur, & correcto acido concudantur. XIV. Similia observare possumus in *Soda*, sive *ardore stomachi*, æstus ille ardorque unde nisi ab Acido? hinc acido hoc præcipitantibus correcto soda etiam evanescit. XV. Considerationem etiam meretur, quod *Tackenius* in *Hippocr. Chym* cap. 18. remedia vegetabilia *Calida acido* prædominante; *frigida* vero *Alkali* superante dari asserit: Sane calida omnia resinosam substantiam obtinent, eamque acrem, in qua vis calefaciens residet; adeoque Oleo aut substantia ab acido concentrata gaudent: Hinc resinosa, vel liquefacta, vel destillatione resoluta in spiritum ardentem, intense calefaciunt. Porro oleolum destill. e. c. aut terebinth. in forma propria assumpta calidissima sunt; per digestionem vero cum alkali fixo in Sal volatile mutantur, quod macrum (purum) nec oleosum, nulla caloris vestigia exhibet; calido, i. e. pingui acido in Sale fixo remanente: Sane sæpius observavi in febribus Intermittentibus æstum & ardorem ex usu spiritu armon. simplicis ante paroxysmum exhibiti; multum remisisse. XVI. Illustrat negotium nonnihil quod ardoris iste sensus, qui post combustionem ab ignitis subjectis remanet, sit ab acidi spiculis in parte læsa relictis, unde per Saturnina, per *alkalia animalium, sperma ranarum, urinam hum. spir. salis armon.* &c. promptum levamen & refrigerium.

Videtur ergo æstus oriri occasionaliter ex acido præternaturali, volatili, sive tali, quod sanguini commiscibile, nonnihil naturalem ejus fermentationem turbare, & cum particulis alkalinis & oleosis præternaturalem quasi effervescentiam constituere possit; sub qua & ipsi spiritus geniti acriores, hincque calidiores & fervidiores existunt; à quibus cum sanguine per universum corpus ex præcordiis calor diffunditur: Equidem plures ex Bile acriori rationem tam naturalis quam præternaturalis febrilis ardoris derivare amant; Sed 1. an ex Bile oriatur iste ardor dubium, 2. Posito ex bile eum oriri, quæritur qua ratione fiat; an magis ab ejus oleo, in recessu acido volatili impregnato, an vero ab alkali, siquidem id extra artis operam bilis formaliter obtinet) origo sit: 3. Unde in febr. intermittentibus, quæ quasi tot continuæ sunt quot paroxysmos habent amara resinosa, bili quasi analoga, & bincalkalia volatilia, tum proficua sunt. *Etmuller p. 252. Part. 1. Prax.*

32. 1. *Per se*) Effervescentia in sanguine ob duas præcipue causas solet concitari, *primo* quando aliquid extraneum & minime congener cruori commiscetur, quod cum non assimilatur perturbationem & effervescentiam inferre solet, donec heterogeneum illud aut subigatur, aut foras eliminetur, & particulæ sanguinis confusæ & perturbatæ denuo extricentur, ac priorem in mixtione repetant positionem & spiritum: Vel 2. Sanguis præter modum effervescit, quia principium quoddam, seu elementum ejus constitutivum (scilicet *spiritus* aut *sulphur*) ultra temperiem naturalem evehitur atque efferatum evadit, quo nimirum hujus aut illius particulæ, non congeneres exteris, à mixtione solvuntur, solutæ plus debito impetum faciunt, sanguinis liquorem exagitant & effervescentiam pariunt, quæ minime sedatur donec sanguis veluti inflammatus diuturno febris incendio deflagraverit, Utroque modo, sive cruor, ob rei non *miscibilis confusionem*, seu ob *spiritus*, aut etiam *sulphuris* evecti *efferationem* in vasis efferbuerit, quoniam hinc compages ejus plus laxatur, ideo magis in corde accenditur, & particulæ activæ prius solutæ à fermento illic consito plurimum excandescunt, à mixtione exiliunt, & motu suo calorem intensum ac velut igneum quaquaversum dispergunt; sub hoc tamen discrimine, quod effervescentia quæ ab extranei cum sanguine confusione dependet, sit plerumque brevis aut interpolata; quæ cum heterogeneum quodvis secernitur aut subigitur sponte sedatur, partesque sanguinis conquassatæ, & extra ordinem positæ, facile ad situm & crasin naturalem redeunt: Quæ vero à spirit. aut sulphuris efferatione & inordinatione ebullitio exoritur, fit continua, nimirum hic tota cruoris massa ita laxatur, & stricto mixtionis vinculo exsolvitur, ut tanquam liquor oleosus incendio correptus, effervescere seu inflammari non desinat, donec spiritus, aut sulphuris seu materiæ combustibilis particulæ maxima ex parte deflagraverint. *Willis.*

33. II. *Per accidens*) Causæ remotæ, variæ ac multiplices, ex usu rerum non naturalium usu vario & abusu sunt derivandæ; Notabile tamen est quod ij qui Mercurij unguento peruncti fuerunt, ad longissimum tempus vix febribus corripiantur; teste *Poterio* l. v. *de Febr.* c. 15. Item quod ii qui laborant in Mercurij fodinis, raro febribus affligantur. Nec obstat quod *Panarolus Pentecost. obs* 19. referat febrim periculosissimam ob hydrargyri inunctionem ad pecten & axillas contra pediculos, nam forsan febris occasione inflammationis in dictis locis enatæ fuit inducta. *Etmuller.*

34. *Propter transpirationis vitium*) Prohibita transpiratio plurimos fervidos vapores intus coercet, calorisque consuetam temperationem prohibet, unde acrior evadit & ingeminatus effervescit: In corporibus quidem impuris, quorum succi sunt acriores, & temperies calidior febrem generat, in puris vero non semper, sed plenitudinem primum parit, quæ ubi gravis & molesta esse incipit omnia in pejus ruunt, & non minus quam ex

priori

priori febris tandem subsequitur : Huc igitur pertinent quæcunque Obstructiones generant : *Primerosius.*

35. I. *Motus nimius*) Motus tum *corporis* tum animi, febrem inducunt, quia spiritus humoresque agitant & concitant, & ex agitatione attenuant, si diuturniores sint & violentiores calorem maximum ingenerant, maxime si accedat suscipientis dispositio; hinc corporibus impuris & cacochymicis periculosa exercitatio: Febris, ait *Avicenna*, est calor accensus, non sicut caliditas iræ & laboris, cum non ultimatur, nisi accedat & causæ vehementia & corporis dispositio : Motus *Animi* & pathemata varie spiritus commovent, interdum ab externis ad interna centrumque corporis, & contra, & hæc nunquam febrem faciunt, ut gaudium, verecundia, potius enim refrigerant, diffuso ad exteriora calore ; sed priora valide corpus accendunt, in *Ira* siquidem fervent Sanguis spiritusque in præcordiis, & si calorem, quem semel concepere, adeo retineant ut *ultimetur*, febris fiet : *Tristitia* quidem spiritus ad interiora retrahit, qui in unum coacti facile deinceps incandescunt, & post modum fervidi in corporis habitum expanduntur, sic Hecticæ generantur utplurimum : primum quidem ex subito occursu opprimitur & suffocatur calor nativus, corpus videtur quodammodo refrigerari, pulsusque evadunt minores, at tandem calor ille oppressus habet & ἔκλαμψιν & fortius sævit. *Primerosius.*

36. *Partes ex Collisione nimia incalescant &c.*) Motum esse caloris causam ita notum est ut in proverbium abierit, & plurimis exemplis probavit *Aristoteles*, Quomodo id contingat indecisum manet ; Omnes Medici in hoc concurrere videntur quod motus per se id non agat ; experientia enim docet ferrum ignitum in manu hominis velocissime currentis, vel supra volantem rotam infixum, præcipiti cursu circum actam, citius refrigerari quam ferrum ignitum non motum) quod non contingeret si motus ex sui natura calorem excitaret ; observantes etiam velocissime mota minus incalescere quam quæ lente moventur ; Caloris à motu provenientis causam facillime reddunt qui elementa in mixto actu ponunt, asserendo partes igneas in mixto delitescentes per motum excitari, & à reliquis separari, quæ simul unitæ lignum calefaciunt, si adhuc in ejus substantia permaneant ; ubi vero in unum conglomeratæ ab eo exierint flammam exhibent cum totali ligneç substantiæ dissolutione : partium calidarum separatio habetur à confricatione, qua unio earum laxatur, & distractæ particulæ separantur, naturalem motum à soluto compede exercentes, & exitum, ab aperta in laxitate unionis via, adinvenientes : Alij docuerunt *motum localem* esse omnium motuum principalissimum, ideoque primam qualitatem, quæ est calor, ex se producere ; cujus opinionis falsitas ex dictis patet : Alij censuerunt à confricatione partium, quæ in motu semper conjungitur, aerem intermedium ita attenuari & rarefieri ut acquirat dispositiones igni necessarias, ideo statim ex aere ignem produci ; quæ sententia omnino improbatur, ex eo quod ad generationem ignis ex aere, non solum requiritur introductio majoris tenuitatis in eo, sed intensio majoris caliditatis, & productio siccitatis correspondentis naturæ ignis : Cum vero in motu nullum appareat agens potens producere prædictas qualitates, patet non posse sequi aeris mutationem in ignem : Ex his patet, motum non primo & immediate calorem excitare, sed mediate solum, nempe vel attenuando & rarefaciendo; vel ignem separando, vel spiritus & partes calidas ad motum provocando. *Pomp. Sacchi Irid. Febr. c. 3.*

37. *Putredo*) Illa est quæ Putridarum febrium tam frequentium author est & parens, fit enim omnis ex calore extraneo, naturalem superante & vincente ; atque febrem excitat per vapores & fuligines putridas in cor delatas, & interdum per solam successivam alterationem, ut in Ephemeris ex Bubone, & ad Viciniam calidorum refertur, quoties in tumore vapor putridus ita coërcetur ut foras non emicet : Vnde dubium illud vulgare solvitur, Ad quod genus causæ febrilis Inflammatio referatur? etenim ex rationibus dictis, aut ad putredinem, aut ad calidorum viciniam referri debet; Sed & putredo externa, a nobis cum aëre inspirando attracta, tum spiritus tum humores, tum reliquum corpus venenata sua pernicie insigniter labefactat : Sed cum in intestinis quondie fæces humoresque plurimi insigniter putrescant, ut fœtor summus indicat, cur febres non fiunt? An quia intestina plurimum anfractuosa, & à corde dissita, putridos suos vapores non possunt recta ad cor transmittere, ut docet *Mercurialis*? *Primerosius.* Patet ex dictis superius. §. *Hunc vero inducunt*) quid de *putredine*, adeo à veteribus in febribus decantata habendum, nempe diu viventes corporis partes sunt, putredo proprie dicta locum nullum habere potest, unde & veterum ista Putredo non potest concipi nisi per fermentationem explicetur ; Hinc *Sennertus*, utut explicet & statuat adhuc febres putridas, sæpius tamen vocabulo e-bullitionis, effervescentiæ &c. utitur, Conferatur etiam *Piens de Febr p. 1. Etmuller.*

38. *Permistio rei calida*) Vt calida assumpta, sive medicamenta fuerint, ut confectio Anacardina ; sive alimenta, aut nimis fervida, ut copiosior vini generosi, spiritus vini potus, alliorum, ceparum, piperatorum usus; aut jam vetustate putrescentia, quæ in annonæ caritate, maximisque exercitibus, non minima causa est febrium malignarum quæ adesse consueverunt ; *Primirosius.*

38. *Permistio rei calida*) Quando aliquid extraneum Sanguini commiscetur, & minime congener cruori confunditur, cum non possit ei assimilari, neque ad suam indolem converti, inimicitias hinc inde exercet, & tumultus in massa sanguinea excitantur, quibus effervescentia naturalis illius pervertitur, & in febrilem erumpit, & hoc tam à sanguine, quam ab extraneo ei admixto potest evenire : À sanguine, moliente expulsionem ejus quod ei noxium est, seipsum agitat, conturbat & inordinate movet. Hujus veritatis argumentum ex crisibus habemus, in quibus natura materiam morbificam expellere tentans sanguinem inordinatius movet, ut febris exacerbetur, Morbi augmentum apparens, quod naturæ salutis ægri satagentis est opus : Quod autem est *sanguini extraneum*, est pariter noxium, sicut humor per crisin expellendus ; Vnde non mirum si sanguis ab eo irritatus, in illius expulsionem, alterato suæ effervescentiç motu incumbit. Fit ab *Extraneo* effervescentia inordinata, quando rationem fermenti induit, potentis propria activitate massam Sanguinis præternaturali effervescentia exagitare ; eo modo quo gutta sevi, vel pinguedinis, in dolium vini instillata, illud ebullire facit, & fæces vini ab eo secretæ, & ad fundum depressæ, si denuo exaltentur, illud fervida ebullitione turbant; Est enim natura fermenti partes mixti, cum quo miscetur, ad motum excitare, suarum partium componentium motu, abundat enim fermentum spiritibus & corpusculis volatilibus, in quibus summa propensio ad motum inhæret, prout docet *Willis l. de Febr. c. 2.* quia flores cerevisiæ, & massa farinæ subactæ, non habent rationem fermenti, ad fermentandum vinum, vel cerevisiam, aliosve liquores, & massam panis, nisi acorem conceperint, & ad hunc pervenire non possunt, nisi illorum spiritus, sulphuris & salis particulas sublimis exaltatio & volatilisatio nobilitaverit. Idcirco in cerevisia, & farina subacta, ad naturam fermenti elevata, aciditas persentitur, quæ prius in eis erat insensibilis, sale in summa fixitate permanente, sub dominio illarum partium, à quibus diffusio suæ vir-

cutis impeditur; fluore vero adepto super alias particulas, imperium exercet, & totam massam aciditate perfundit: Ab hujusmodi exaltatione, & volatilitate, prædictæ particulæ motum ab intrinseco debitum exercent, intimos & remotiores mixti sinus, cui commiscentur, penetrando, illius particulas etiam fixas concutiendo, & ad motum promovendo, ex sui natura mobiles in motum concitatiorem stimulando: Sic per massam farinæ subactam, & acidam factam, farina cui commiscetur turget, & fermentatur. Sic cerevisia per admixtionem fæcum acidarum novam subit fermentationem: Ita omnia excrementa quæ in corpore nostro redundant, & quorum secretionem natura intendit, sive sint utilia, sive inutilia; si sanguini misceantur in fermenti naturam exaltata, febrilem effervescentiam sanguini impertiunt, fermenti conditionem nanciscuntur, vel à propria natura, particulas Sulphuris & Salis exaltatas & volatilisatas largiente, qualis est urina, quæ prædictarum particularum est valde ferax, ut in ejus destillatione colligitur, ut & sudor: Hæc excrementa quandoque in ipso sanguine generantur, & cumulantur; aliquando ab aliis partibus genita illi consignantur; tota integra, vel in vapores & exhalationes comminuta. Hoc extraneum determinat *Sylvius* bilem, pancreaticum succum, salivam & lympham qualitatibus depravatis febrem accendentes excitata in Sanguine, cui commiscentur, inordinata effervescentia. Ut videre est l.1.c.VI.Prax. *Ad febrem*, ait, *Intermittentem producendam requiritur quid in sanguine non existẽs sed ipsi admistum quod una cum ipso ad cordis dextrũ ventriculum deferatur*, ex quo admistio extranei in sanguine habetur, quod enim aptum est producere febrem, vere est extraneũ, hinc effervescentia &c. *P. Sacch. Jrid. Febr. p.* 105.

38. *Permistio*) Admistionem corporis extranei, non debemus intelligere pro perfecta mixtione, quia ex hac nullum sequeretur Sanguini damnum, nec dicta pullularet effervescentia p. n. non valente extraneo perfecte commixto cum aliis partibus, sanguinis in eum suam vim exercere, à mixtionis vinculo frenato & impedito motu, ad fermentandum sanguinem p. n. necessario: tum etiam quia per mixtionem veram sub aliarum partium dominio coërceretur; quæ in quantitate & virtute prævalendo illius conatus suffocarent, & formæ principalis imperio ex toto submissus extra suas & naturæ leges non exorbitaret, docente *Hipp. l. de vet med* his verbis, *Inest in homine amarum, salsum, dulce, acidum, acerbum & insipidum, aliaque sexcenta, qua pro copia & viribus varias habent facultates, & hac quidem mistione, & mutua contemperatione, neque cernuntur, neque quempiam lædunt*: Sic videmus inquinamentum ex quo morbilli, & variolæ prodeunt, per annos in sanguine latitare, sine sanitatis detrimento. Et venena per contagium Sanguini communicata, à cane rabido, lue venerea infectis, per longum tempus occultari, nec alia ratione nisi quia tale venenum & inquinamentum sanguini fuit perfecte mixtum; & tunc solum desævire cœpit quando à prædicta mixtione liber evasit: Ita extraneum, ad hoc ut sanguinem inordinate fermentare faciat, necesse est ut sit liberum à perfectę mixtionis vinculo, & in actuali exercitio suæ virtutis, cum remotione cujuslibet potentiis eam impedire. *Idem ibid.*

38. *Permistio rei calida*) Comprehendit etiam medicamenta calida, quæ intus assumpta varias subeundo concoctiones, [illegible] sedes proprio influxu calefaciunt, & in sanguinem [illegible] transmutata, nativam caliditatem eis homoge[illegible] [illegible]tiendo illum summæ caliditatis participem [illegible] ac singulas partes, per quas circulatur, in[illegible] [illegible]aciendo: Ab hac admistione non excluduntur [illegible] excrementitii, in caliditate excessum p[illegible]nentes, qui si massæ sanguineæ admiscean[illegible] illius calo[illegible] augebunt: T[illegible] humores excrementitios in corpore gigni ex usu calidor[illegible] [illegible] est dubium; sanguini misceri probant tot affectus p. n. sanguini contingentes, ex admissa in suo sinu horum excrementorum colluvie. *Idem ibid. c.* 3.

39. *Rei calida*) Res extraneæ mixtæ Sanguini calorem febrilem prævia effervescentia excitando, sunt calidæ in effectu, etiamsi non essent tales in essentia, quod nec ab antiquis requiritur, dum causam Febris motum & obstructionem volunt, quæ in sua essentia non sunt calida, sed solum in effectu, *Pompeius Sacchi*.

39. *Aeris*) Aër etiam in admixtione rei calidæ includitur, cum per inspirationem intus trahitur, & per carnis porositates penetrando, omnibus partibus tam liquidis quam solidis miscetur; unde in caliditate si excesserit, totum calefacere potens est; *Idem.*

40. *Contactus rei calida*) Vel Vicinia calidorum, nam & insolatus, & longior in balneis & thermis mora, corpus nostrum accendunt; Æthiopes facile labuntur in febrem, quia sub ardenti cœlo semper versantur. Pariter intus in corpore bubones, inflammationes, tumores calidi vicinis primum partibus quem habent calorem impertiuntur, & ab his continua successione ad cor usque corpusque universum diffundunt, *Primerosius.*

40. *Contactus rei calida*) Per viciniam rei calidæ intelligunt Medici approximationem corporis calidi, quod valeat corpus calefacere ad cordis usq; substantiam progrediendo, sui caloris intensionem operando, ex quo postea febris, quæ ideo excitatur ex mora longa in balneis calidis &c. Hujusmodi calorem ajunt communicari medio qualitatis quæ ab agente calido in corpore proximo producitur, & hęc aliam producit, donec in corpore calefaciendo introducatur, ita ut hæc duo simul jungantur, corpus calidum, & approximatio passi, quia sine hac, quæ reddit corpus agens immediatum passo; vel immediatione suppositi, vel virtutis, non potest fieri actio calefactionis ab agente extrinseco, non sufficiente sola vicinia, quę non est activa; nec solo agente, quod ad calefactionem existentiam passi intra sphæram suæ activitatis exigit, idcirco agens requiritur tanquam principale calefactivum, Vicinia vero tanquam conditio sine qua non *P. Sacchi c.* 3.

41. *Signum est*) Omnes notas breviter complexus est *Fernelius*, *Omnium Febrium*, inquit, *communes notæ sunt. Pulsus celer & frequens, interdum etiam inæqualis, qui solius caloris cordis est proprius; virium languor & imbecillitas, cum spontanea corporis gravitate aut dissolutione; Corpus quoque universum consentit laboranti cordi: Calor aut foris acer & pungens* aut *intus tetre molestus, qui & nonnunquam fervido halitu prorumpit è naribus*: Quattuor primaria sunt symptomata in quavis febre notabilia. 1. Mutatus *Pulsus.* 2. *Calor* sive æstus plus minus intensus. 3. *Frigus Horror*, & *Rigor*, 4. *Urina* mutata tam secundum liquorem quam secundum contenta. *Etmuller.*

42. *Calor totius corporis naturali major.*) Quamvis plerisque Febribus comes sit universi corporis calor auctus (in quo à corde quaquaversum cum sanguine propulso Febris essentiam plerosque quærere aut ponere non ignoramus) quoniam tamen is nec omni, nec soli, nec semper convenit, eundem pro inseparabili & pathognomonico ipsius signo neutiquam puto habendum, nam primo, non soli febri competit calor in universo corpore auctus, cum non raro in maniacis, aliisque nullo modo Febricitantibus, deprehenditur calor naturali auctior, Sed nec 2. Omni Febri jungitur calor auctus, cum nonnunquam occurrant & suo, & adstantium, & ipsorum Medicorum calculo febricitantes, quales hic etiam in Nosocomio habuimus, & examinandos sistimus Medicinæ studiosis, in quibus nunquam, ne quidem per aliquot septimanas, [illegible] menses, observatus fuit in ulla corporis parte, nedum universo corpore, auctus Calor vel ab ipsis ægris, vel à nobis aliisque Medicis, cæterisque adstantibus, sed contra frigus perseverans, ægrisque valde molestum, & adstantibus omni tempore manifestum: Nec obstat tamen quod aliquis ex præjudicio urserit; Calorem fuisse nihilominus

in

in ægrorum, utpote, febricitantium, corde tunc auctum, quod ipsum confutavit experientia, pejus enim habuerunt semper ægri ab assumptis medicamentis refrigerantibus, melius vero à calefacientibus, tum spirituosis tum oleosis aromaticis: Quin nec 3. *Febribus Semper comes adest calor*, cum circa Intermittentium initia plerumque affligat ægros frigus, idque non raro ad horas plures durans, & tam grave ut in ipso solo vulgus totam vulgus constituat Febrim Intermittentem, à dicto frigore in Germania denominatam, nec plerumque subsequentem valde curet calorem, utpote non semper æque ac frigus molestum, aut tamdiu permanentem: idque contra erroneam quorundam opinionem, qui ex præjudicio suo fingunt, & credulis inculcant, non tantum aliquando, verum semper quadruplo diutius infestari febrientes à calore quam à frigore: Falli tamen ipsos arguit Experientia quotidiana, uti sæpenumero ad fuctum omnem tollendum, ex ingenua & simplici ægrorum narratione, & propria singulorum Medicinæ tyronum observatione contrarium evicimus in Nosocomio Academico. *Sylvius de le Boe.*

Vulgo *calorem præternaturaliter auctum* signum Febrium pathognomonicum asserunt, utpote in quo ipso febris essentiam positam esse autumant; Male, Non *semper* convenit febri calor, cum in principio continuarum febrium, & paroxysmorum intermittentium horror & frigus urgeat; Nec *omni* convenit febri; Dantur enim malignæ, in quibus nil minus quam calor molestus est, quæ tamen sunt pessimæ, quo Castrenses dictæ Helmontio pertinent Tr. de *Febr.* §. 4. imo & *frigida febres* dantur, quę frigore aut rigore plus minus molestæ sunt, absque æstuatione superveniente: Vide de tali Febre frigida *Barthol. cent.* 3. Epist. p. 293. 295. &c. *Kergerum de Ferment.* sect. 3. p. 229. Nec rarum est Intermittentes diurnas solo frigore & aliquali rigore statis temporibus invadere, sine eo ut nullus, vel levissimum vestigium, æstus superveniat; Quin imo in lectione veterum jam prostant exempla observatarum febrium frigidarum tam ab *Hippocrate* quam *Avicenna*. Ipse *Galenus* observavit horrores febriles sine subsequente calore. *Vide Schenckium* observ. l. 6. p. 757. *Rolfincum* de *Febr. in genere cap.* 13. *Etmuller* p. m. 250. apud quem exemplum ejusmodi febris curatæ.

43. *Ex vitalibus Pulsus*) Pulsus mutatus sequitur vel spiritum animalem Cor moventem, vel sanguinem in cordis ventriculis, præsertim sinistro turgentem, qui irritando cor, spirituum provocat motum, hinc Pulsus: Ex irritatione igitur frequentia & celeritas; ex impetu spirituum, vehementia: Ex sanguine irritante, plus minus turgescente, magnitudo: Vehemens semper bonus æstimandus, quia robur facultatis moventis ostendit: licet etiam nonnunquam ex irritatione facultatis fiat, conantis expellere quod noxium est, ut initio dolorum & in conflictu critico. ut *Poterius* l. 1. c. 6 *de Febr.* loquitur, *Etmuller.*

44. *Pulsus*) Inter omnia Febrim concomitantia symptomata immediate nullum magis universale existit quam *Pulsus notabilis mutatio*, & speciatim pulsus præternaturalis frequentior, adeo ut recte signum pathognomonicum statuatur febrium in genere *Sylvio de le Boe*. Accedit ut plurimum simul *celeritas*, unde *celerem pulsum*, ceu inseparabile cujusvis febris signum, & quod nunquam abesse possit, statuit *Pisus de Febr.* p. 1. c. 2. p. 12. *Etmuller*, *Prax. Lib.* 1 *p. m.* 249.

45. *Primo crebri*) *Pulsus crebritatem*, seu *frequentiam*, Pathognomicum febris signum constituit *Sylvius de le Boe Disputat. Med.* IX. adeoque *febri omni. soli* ac *semper* convenire; quippe quo præsente, adesse; absente autem abesse febrem pronuncient cuncti; Pulsum autem p. n. frequentiorem intelligit, cum insuper observetur & naturalis, à peculiari corporis constitutione; Et *non naturalis* frequentior, propter aliquod in rebus non naturalibus perpetratum erratum: Pulsum vero p. n. frequentiorem vocandum dicit, qui præterea notabilem habet functionis alicujus labefactationem.

46. *Tandem si virtus &c.*) *Magnitudinis* & *vehementiæ* ratione variat *Pulsus*: Quo major eo melius signum, laudabilis & æquabilis sanguinis fermentatione turgescentiæ & spiritualescentiæ, *Vehemens* pariter spirituum influentium vigorem insequens nunquam rejici debet; Adeo ut *magnus & vehemens Pulsus* semper animosum reddat Medicum, in quocunque febricitans statu fuerit; sicut *parvus ac debilis* nonnisi periculosa sub ægri constitutione, uti maligna in febri adesse solet, & insignem virium labefactationem junctam habere solet. *Durus* interdum observatur in febribus, sed nunquam fausto omine, quin semper tensionem spasmodicam membranarum, in quodam loco plus minus læsarum aut infestatarum; & hinc in dilatatione arteriarum renitentiam, aut fibrarum aliquali spasmo sequatur; Unde in febribus, cum inflammatione partium membranosarum junctis, v. g. in pleuritide, observatur; Deinde in febribus quibusdam, præsertim malignis, in quibus spiritus animalis, & genus nervosum magis afficiuntur, in quibus etiam cutis sensibilem, de qua conqueri possint ægri, molestiam, pulsus durus plus minus observatur, pessimo ut plurimum omine, cum deliria, convulsiones & mortem sæpius insequi observarem: Semper bonus est *Pulsus mollis*, generis nervosi minus mutatum habitum, ac spirituum animalium debitum motum ostendens, & fere cum madore, aut loci sudore junctus esse solet, Et tali ex pulsu sæpius expectari possunt fausta in febribus, unde & *Pulsus undosus* dictus, ex magno, vehementi & molli compositus, ordinarius imminentis sudoris prodromus esse solet in febribus; cum in pulsu duro, ut nullum; vel quod absque ἀῤῥοίᾳ quasi per vim naturæ prodit, sudorem observarim, scil. & fibras cutaneas in tali casu tendi, porosque contractiores hinc esse arbitror; nisi Pulsus talis insigniorem partis cujusdam inflammationem sequatur, tunc sudores enim proficui, & ut plurimum pulsuum mutationes inferentes eliciuntur. *Etmuller.*

47. *Ex Animalibus*) *Quo pertinent Horror, Rigor Frigus, qua nonnisi gradualiter differunt, suntque motus convulsivi*; Frigus quod attinet, non rarum est quod febricitantes conquerantur de Frigore; & multo magis de Horrore, utut ab alio calidi observentur, aut licet extremæ manus, pedes & nasus frigus actuale contrahant; item pallescant, ac ungues livescant, corpus tamen ipsum calidum plus minus observatur, Nempe *membranosarum* saltem *partium* pathemata hæc tria sunt, quæ ab acido febrili vellicatæ *Motus convulsivos* patiuntur. Unde pro horum graduali differentia, si leviores sint, & vix tali appellatione digne, in quibus saltem sit cutis anserina, *frigoris* sensu interdum imponunt ægro; si graviores sint, ita ut sensibili convulsione quatiantur membra, & per consensum simul nonnihil afficiantur musculi *Rigor* existit: Medio modo si se habeat, *Horror* dicitur: Sane interdum tam gravis est *Rigoris* insultus, & tanta convulsiva membrorum extremorum, ac totius corporis conquassatio, ut epilepticis similes concutiantur; Afficiuntur autem sub hoc *Rigore* qualescunque sensiles membranæ, non panniculus saltem carnosus, quæ plurimorum est opinio, sed etiam aliæ quævis membranæ, etiam internæ, ventriculi puta, intestinorum, mesenterium, & aliæ quævis. Cum enim sentiendi vi polleant exquisita, si ab acri; in specie acido, irritantur, Rigores fiunt, Hinc in colicis doloribus Rigores frequenter accidunt; Abscessus quilibet indem interni dum rumpuntur, & ita membranas, quæ eos ambiunt, perfodiunt, Rigores superveniunt. De his vide pluribus agentem *Pisus tr. de Febr. pag.* 1. 6. 7. Sane rigores & horrores qui Intermittentium inchoant paroxysmos, nonnisi ex præcordiis, sive partibus membranosis, in primis vus affectis excitantur, ut recte

docet *Fernelius Pathol.l.4.c.* 10. quod etiam afferendum de iis qui in principio continuarum contingunt: Illi vero qui in continuarum cursu, tam benignarum quam *malignarum*, & præsertim circa statum morbi affligunt, ex irritatis,& hinc quasi ustis partibus membraneis externis, inter & subcutaneis fere contingunt, & in benignis, sudoris, præsertim critici, fere prænuntii existunt: In malignis vero excretionis intercutaneæ,purpuræ,pustularum, & similium sunt indicia. *Etmuller. P. 1. p.m.* 855.

Prognosis Febrium in genere.

Prognosis Febrium in genere ex *Pulsu & urina* desumitur, Ille prout vehementior, major & æqualior; Hæc prout coctionis signa laudabiliora ostendit eo meliora sunt indicia, & contra, Atque ex his etiam principaliter tempus & modus eventus cognoscitur. *Etmuller.*

48. *Curatio) Curatio Febrium in genere* consistit in eo.I.ut *Fermentum Febrile acidum volatile*, specifici tamen saporis, corrigatur, altereretur, & enervetur, sive quasi figatur, & hinc in saporem, & texturam minus activam mutetur. II. ut materia vitiosa peccans, fermenti talis, vel vehiculum, aut fomes, mediante quo, v.g. ex primis viis, fluidis corporis contentis, speciatim sanguini permiscetur; ut in Intermittentibus aut Continuis benignis, Vel productum ab isto fermento ex naturalibus corporis contentis fluidis, per horum fermentativam alterationem genitum (v. g. copiosus ichor in Variolis) ab iis, præsertim à sanguine separetur, III. Vtrumque qua data porta, inprimis per peripheriam cutis eliminetur; Opus hoc, est vel solius Naturæ, vel solius Artis, vel Vtriusque simul. *Etmuller. P.1.p.262.* Vide inferius Tit.iij. de Feb.Putr.in genere.

49. *Respicit affectum ipsum, id est Febrem*) Auxilia generalia quod attinet, ex fonte Chirurgico se offert inprimis *Venæ sectio*, de cujus usu quæritur, Ex supra jactis fundamentis (vide supra §. *Hanc vero inducunt*) Et §. *Hanc vero inducunt primo per se*) Et §. *urina in principio cruda*) per se patet insignem hic intercedere abusum, cum per se nihil in febre conferat venæ sectio, utcunque ejus effectus explicentur: Per accidens igitur in plethoricis, tam veris quam apparentibus, quo pertinent & ij quibus consueta sanguinis evacuatio suppressa est; Item qui consueti sunt Sanguinis alias detractionibus artificialibus; aut qui ad nimias Sanguinis ebullitiones & fermentationes, indeque ortas spirituum excandescentias proni sunt, ut adolescentes; Et qui laudabili, euchymo, ac generoso victu, præsertim in potu utuntur, interdum Venæ sectio concedi potest, idque in morbi principio, magis tamen in benignis, minus in malignis, præsertim ubi jam aliquo usque progressa sit febris, in quibus nonnisi caute & circumspecte eadem locum habet, Et quo malignior fuerit febris, eo minus locum habet. *Etmuller.*

50. *Alterationem per refrigerantia, hepatica, cardiaca*) Cum *Cordialia* sint quæ Cordi laboranti opitulantur, notabimus in antecessum 1. quod Cor & Sanguis sint caulæ sociæ, non disjungendæ, 2. Sanguinem constare duabus partibus *Calido*, seu Sanguine, κατ' ἐξοχὴν, & Humido, seu Sero, in quibus duobus humoribus alimentaribus vita nostra & salus consistit. 3. dicemus Cordialia, quæ Sanguinem & calorem (quorum Cor fons est) dispensant, consistentiamque Seri, & motum ac vigorem utriusque disponunt. Sunt I. vel Rarefacientia Sanguinem, quando in [illegible] sua deficere videtur & debilis est, particulæ sulphureæ & volatiles, Mercuriales & spirituosæ, vel obrutæ, vel non sufficienti quantitate vigoratæ, qualia conveniunt in languoribus cordis, lassitudine cum malignitate, paroxysmis febr. intermittentium &c. Vel II. *Rarefactionem* impedientia, quæ uti jam dicta sulphureas, Balsamicas & mercuriales volatiles particulas in corde & sanguine restaurant, Ita hæc easdem nimis efferatas deprimunt, obtundunt, præcipitant, Suntque Vel *Aquea*, diluentia & serum restaurantia, cujus defectus rarefactionem alias reddit majorem, ut Aquæ cordiales temperatæ, endiviæ, acetosæ, cord. H. S. frig. serum lactis &c. quæ dispergentia magis partes volatiles enervant: Ex quo patet Iulapia, Potumque ipsum largiorem in febribus concedi debere, nec ægros cogendos adeo arcte ad sitim. Vel *Acida*, quæ inter hæc præcipue eminent, unde instar regulę esse potest, *Acidum obtundit Sulphur*, ut succus citri, granatorum, acid. acetosa, acetosella, spir. minerales acidi, nitri, vitrioli, Nitrum mineral.seu Clyssus antimon. sulphuratus, phlegma vitrioli, & cum his parata tinct. violar. rosar. 4. flor.cordial. &c. vel *Nitrosa*, quæ itidem Sulphur infringunt, debilitant, exhalationem ejus promovent & egregie attemperant, serumque ipsum vigorant & sibi restituunt, ut lapis prunellæ, nitrum antimoniatum, perlatum &c. Vel *terrea*, *absorbentia & præcipitantia* ut corallia, perlæ, lapides pretiosi, bezoar, conchæ ipsæ, unicornu &c. Et hęc in omni Febrium genere locum suum merentur, & ebullitionibus biliosis aliis (bilis enim maxime sanguinem rarefacit) unde in affectibus ab ira, mania, delirus, febribus ardentibus, Hungaricis &c. eximie prosunt. *Wedelius de S.M. Fac.p.91.*

51. *Causam quæ removenda*) Ex fonte Pharmaceutico in genere se offerunt *Evacuantia*, sive sint *Purgantia*, in specie sic dicta, sive *Sudorifera*, sive *Diuretica*; Evacuantia quidem Purgantia nulla sane per se Febribus conducunt, nisi in declinatione, adeoque correcto fermento febrili, & cocta materia ac sedata ebullitione, frustra enim alias propinantur, turbabunt magis massam sanguineam, irritabunt partes solidas, & quicquid evacuabunt, absque euphoria erit, cum non evacuetur, tunc temporis, quod evacuandum esset, nulla facta inutilis ab utili segregatione Confirmat hoc experientia, quæ ostendit etiam post repetitas purgationes etiam eodem tenore pergere, interdum gravius affligere intermittentes, Continuæ vero magis exasperantur iisdem; id quod manifesto ostendit non attingere Purgantia radicem morborum, sed Medicos & Ægros deludere; Quod si aliquando à purgante remedio cesset febris, hoc uti rarum, ita summe accidentarium erit, sub liquaminibus istis, quæ conficiunt & evacuant purgantia, una forsan exhausto fermento febrili, aut ab acrioribus amaricantibus, solutivis, v. g. *scammonio*, aut *colocynthide*, vi alterante correcto eodem, vi solutiva proprie nil emolumenti conferentes. Sane in omni purgatione in febribus, instar cynosuræ aphor. *Hippocr.* observandus, *Cocta medicari non cruda*, Hinc si in principio præscribenda proprie purgantia, *Vomitus* saltem tunc convenit, Natura hoc monstrat, quæ nunquam, ubi sui juris est, instituit evacuationem, adeoque nec crisin, nisi cocta sit materia: hanc imitemur magistram: Blanda interim primas vias abstergentia, & hinc præsertim diaphoretica, quovis fere febris statu & tempore, nisi forte crisis quædam instans aliud moneat, optime adhibentur. *Etmuller.*

52. *Symptomata, quæ mitiganda*) Ad mitiganda atrociora symptomata, inprimis subinde urgentia, interdum usurpantur *Opiata*, quæ per se non conveniunt, sed per accidens; alias, naturæ motum impediendo, febres quidem interdum sistunt, sed aut gravioris cum recidivæ, aut chronici alicujus morbi supervenientis metu; unde quando adhibentur, saltem in incremento fiat, non in statu; ne motus critici plus minus impediantur; non in principio, ne naturæ conatus inchoatus

sistatur

ufflammetur & hoc in continuis; In intermittentibus vero, præmissis præmittendis, vel ante paroxysmum ad inhibendam febrim; vel in paroxysmo, ad sopienda graviora symptomata: Utrinque nonnisi appropriat[a] vel absorbentibus vel Diaphoreticis permissus, *Ettmuller*.

8. *Differentia*.) Variæ Febrium divisiones ab Authoribus proponuntur, sed Galeno omnium maxime placet divisio Hippocr. quam 6. Epid. Sect. 1. t. 29. attulit, *Febres aliæ sunt mordaces manui, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, sed post insurgentes, aliæ acutæ, sed à manu victæ Aliæ statim Ardentes* &c. quæ divisio est admodum obscura, sed eam ideo *Galenus* probat quod differentias omnes complectatur, una cum dignotionis modo, Differentiæ autem essentiales sumuntur à calore præternaturali, in quo considerare possumus intensionem & remissionem, subjectam materiam & motum: Hujus itaque quatuor sunt partes, Prima continet differentiam quæ pertinet ad motum caloris, *Febres aliæ sunt mordaces manui* &c. mordaces & mites dicuntur comparatione facta inter se ipsas, nam ratione caloris nativi acrimoniam omnes tangenti exhibent, sed Mites dicuntur quæ sunt minus mordaces: Mites autem & blandæ, vel revera tales sunt, & tangenti tales apparent; Aliæ in principio mites videntur, sed longa manus impositione acrimonia earum percipitur: Aliæ primum acres tandem mitescere videntur: Per Acutas autem & Acres cum Galeno intelligimus eas quarum calor celeriter manui occurrit, quales sunt Ardentes, Secunda parte continetur divisio Febrium ab intensio & remissio: Aliæ, *ait*, statim *Ardentes*, *aliæ in totum debiles*, pro vehementia aut imbecillitate caloris: Dixit autem, *Statim ardentes*, nam ardentium quædam non protinus statim valde calent, sed primum satis debiles post modum augentur: Tertia divisio continet Febres à subjecta materia, *Aliæ Aridæ Salsæ, aliæ Pemphigodes, affectu Terribiles, Humectæ*: Aridæ sunt Hecticæ, sed cur eas Salsas vocat, cum Salsa gustu non tactu sentiatur? Per similitudinem ita dictas verisimile est, quia sicut Salsa male afficiunt Gustum, ita hæ febres tactui mordaces apparent, perinde ac si muria cutis esset aspersa, ex salsuginosis & multum ustis excrementis per corporis habitum & cutem delatis, ut in pruritu docet Galenus, qui ab humoribus salsis solet generari: Dicere quoque possumus esse eam in qua salis sapor in lingua percipitur ex salsa pituita, ut Cusus illegitimus: Sed quid per πεμφιγώδεις sit intelligendum non ita patet, Galenus in Exegesi eas esse dicit quæ sunt humoris plenæ & spirituosæ: In comm. quoque inclinare ad id videtur ut sint πνευματώδεις, αἰσθανομένης τῆς χειρὸς πεμφιγώδους τινὸς ἐπ' αὐτῷ ἀτμώδους, οὐδὲν δὲ ἔχειν. Tales sunt febres nostræ Synochi, in quibus sanguinis fervidi copia venæ sunt distentæ & inflatæ, veteribus Arabum Interpretibus Inflativæ dictæ: Sed præterea Author Defin. Med. πεμφιγώδη dici scribit quæ ob ardoris vehementiam pustulas in ore excitat, & reliquo corpore: Idem Galenus putat dici posse Pestilentes, præsertim cum addatur Terribiles, in quibus corpus plenum est pustulis quas πέμφιγας vocant Græci. Quid si Variolas & Morbillos nostros intelligeret, quarum febris synochus esse solet & inflativa, & pustulis per universum corpus obortis valde corpus deturpat? Nulla enim alia febris est quæ pustulis adeo multis cutem inficiat, ut aspectu terribiles ægri videantur: pestilentes aliæ & malignæ, etsi maculis plurimis scateant, multum tamen à pustulis differunt, & cum varia pemphigodeon nomen significet, videtur adjecisse ἰδεῖν δεινὰς, quasi aliud esset pemphigodeon genus quod non esset aspectu terribile: Sed hæ meæ sunt conjecturæ: Quarta pars divisionis, *Aliæ Rubræ, aliæ Pallidæ, aliæ Lividæ*, accidentales continet differentias, quæ sumuntur à colore, Rubræ à Sanguine; Pallidæ à flava bile, Lividæ caloris πλῆθος indicant, omnesque sunt malæ: *Galenus* hanc divisionem summe probat, quod omnes differentias una cum dignotionis modo contineat; quod tamen mihi non videtur, nam præter obscuritatem & confusionem, plurimas omittit necessarias, etiam à calore desumptas; multas adducit inutiles & accidentarias, ut parum utilis omnino videatur.

Aliam autem divisionem *Galenus* protulit ex Calore desumptam, in quo spectatur Intensio & Remissio, est enim qualitas quæ recipit magis & minus; Subjectam materiam, nam tanquam accidens semper est in subjecto, Et modum motus, nam Calor inter cæteras qualitates est maximæ activitatis: Ab intenso & remisso Magnæ febres dicuntur & Parvæ, quantitatis nomen qualitati impropriè quidem, sed ex vulgari loquendi usu adaptando; Sed differentiæ à materia omnium sunt maxime propriæ, & ad medendi usum accommodatæ, non enim curantur Febres nisi vacuata materia, imo causa ignota cognosci plene febris non potest, unde in definitionibus accidentium materiam & subjectum Physici ponunt: Non tamen putandum differentias à materia sumptas esse essentiales, est enim calor qualitas infima, quæ in alias non dividitur, sicut albedo nivis & parietis, etsi subjectis specie differentibus insint, ipsæ tamen à se invicem specie non differunt; potius igitur enumeratio est variorum subjectorum febris quam vera caloris divisio: Materia triplex est, Spiritus Humores & Solida, In omni autem febre solida incalescunt, sed æqualiter in Hectica, inæqualiter in Ephemeris & Putridis, in quibus humores & spiritus incaluerunt, & calorem in tacto esse possident: Hanc triplicem differentiam Galenus appositis exemplis Vasis, Follis & Balnei declaravit: Febris Synochos aut ad ephemeras aut ad putridas referenda est; Quæ ex putrescentibus in ventriculo alimentis aut vermibus generatur, fit quia calor p. n. vel spiritibus vel humoribus communicatur, ut sint tantum causæ remotiores febris, ex quibus calor interdum per meram alterationem, interdum per vapores emissos cordi communicatur, unde ad Ephemeras, modo ad Putridas referuntur.

Fernelius calorem dividit in simplicem qui purus fervor est, & in spiritibus Ephemeram, in humoribus Synochum imputrem, in solidis Solidam inducit, Et Putridam, qui Putridas parit & Pestilentes; quæ divisio Fernelii priori satis est consentanea, etsi simplex putridæ non adversetur, sed potius compositæ aut multiplici; Sicut & hæc quæ in spirituosas, humorales, putres & imputres, & hecticas dividit, quæ omnium maxime aperta est, & genera febrium optime constituit, & maximas de Synocho imputri ambiguitates perimit, ad quodnam scilicet Febrium genus sit referenda: subdividuntur hæc Febrium genera in plures species, de quibus suo loco. Notandum autem has Febres fieri posse ex sese invicem: Spiritus ob tenuitatem facillime, solida difficillime accenduntur, humores medio modo se habent, & ubi calor semel horum alterum occupavit, nisi cito solvatur reliquis eundem communicat, unde putrida ephemeræ, utrisque hectica succedere solet: Sed insuper Accidentales differentiæ plures ab *Avicenna* recensentur, quæ etiam aliis morbis sunt communes, de quibus præclare Argenterius pathologices suis libris tractavit.

Sed præter has Divisiones est alia valde celebris & antiqua, & ad medendum utilis, in *Febrem morbum*, & *Febrem symptoma*: Febrem morbum vocabant veteres, ut docebat *Galenus* 5. aphor. 65. quando absque aliquo aut dolore, aut erysipelate, aut alio affectu fiebat: Si vero aut pleuritidi, aut anginæ &c. succederet, non amplius febris, sed pleuritis aut angina dicebatur, quod febris tantum esset illorum symptoma: Idem docet aph. 42. lib. 7. Sed illam rejicit Avicenna, Omnis enim febris est intemperies, & morbus, & ad nullum symptomarum genus referri potest, cum nec sit actio læsa, nec excrementum, nec qualitas simplex; Verum tamen per quandam similitudinem febris, quæ alteri morbo succedit

potest dies symptoma, 1°. quia sicut symptome morbum sequitur, 2°. quia abolemur sicut symptoma ablato morbo, cujus est symptoma, & ideo qua tale nihil indicat. Ita & hæc febris, quæ casus est, morbi illius indicationes & curationem sequitur. Est tamen hæc divisio utilis ad medendum. *Primirosius. c.2. De Febr.* De Febribus symptomaticis vide suo loco.

Quoad *differentias Febrium reales*, Febris 1. ratione *conditiones causæ*, & inde acquisiti motus, est vel *Benigna*, vel *Maligna*. ij. Ratione *modi afflictionis*, est vel *Continua* vel *Intermittens*, *Continua* ratione *generationis*, est vel *primaria* vel *secundaria*, hæc vel *comitata* vel *symptomatica*; *Primaria*, est vel *continens*, *Synocha* dicta, vel *continua* plus minus Periodica, Synochus dicta Eadem *continua*, ratione *cursus* seu *motus febrilis* est vel *acuta* vel *lenta*, Tanta tamen varietas, in unaquaque Febrium classe subinde observabilis est, ut certis eas cancellis includere impossibile sit. *Ettmuller Part. 1. c. 60.* Accidentales febrium, differentias ex eodem vide supra §. 1. *Universalis morbus est Febris.*)

54. *Differentiæ accidentales*) Ratione symptomatum graviorum nomina diversa sortita sunt *Febres intermittentes*, nam 1. *Algidæ* observantur, non tantum frigore præsertim, sed aliquando frigore tantum molestæ, ita ut frequentius levis, aliquando, & rarius, nullus sequatur calor. ij. *Ardentes*, inprimis Tertianæ, in quibus breve ac leve duntaxat, vel nullum fere notatur frigus, vel horror tam mediocris præcedere calorem ardoremque summum, eundemque post finitum paroxysmum sæpènumero diutine permanentem, ac semper molestum, adeo ut nonnunquam novus paroxysmus prius revertatur, quam præcedentis calor auctior in totum remiserit: iij. *Epialæ*, in quibus simul ac ubique frigus & calor vehementer urget: iv. *Siticulosæ*, à siti valdè importuna & inextincta, adeo ut licet continuo bibant ægri, nihilo tamen sitiant minus. v. *Famelicæ*, à fame rabida & inexplebili, etiam tempore paroxysmi. vj. *Cardiacæ*, dolore inexplicabili circa ventriculi orificium superius comitatæ. vij. *Torminales* aut *Colicæ*, dictæ à torminibus ventris gravissimis, ejusdemque distensionibus mire angentibus, & una cum intermittentis febris accessu accidentibus, ejusdemque discessu discedentibus: viij. *Syncopales*, à syncope ægros una cum febre invadente nomen sortitæ: ix. *Præfocantes*, à comite suffocatione hypochondriaca, vulgo hysterica dicta, cum paroxysmo febrili gravius (fœminas præsertim) afficiente, nominandæ, cum revera nonnunquam ægras tunc suffocent ac interimant; x. *Anhelosæ*, à difficili & anhelosa respiratione nominatæ, & mire misereque, cum vel sine cordis palpitatione ægros angentes. xj. *Asthmaticæ*, à comite Asthmate, nunc graviore nunc leviore, in quibus itidem abdominis anxietas & defensio præcedere solet, atque illis remittentibus difficilis respiratio & vere asthmatica sequi, quæ una cum paroxysmo utplurimum satis diu, & aliquando ad unum vel plures dies durante, minuitur, & tandem cessat; nonnunquam illo sublato perseverat. xij. *Tussiculosæ*, cum vel sine asthmate, in quibus mox atque ingravascit paroxysmus febrilis, urgere quoque incipit tussis, ut plurimum sicca, rarius, nec nisi per accidens, humida; xiij. *Catarrhales*, à Catarrho, non tantum ad Pulmones, verum ad alias partes quoque ruente, atque una cum paroxysmo febrili moto ac cessante: xiv. *Arthriticæ*, in arthritide notandæ. xv. *Insanæ* aut *Deliræ*, à Delirio, rarius quidem durante frigore, crebrius urgente calore, [illegible] capitis dolorem, vigilias, temporum pulsatio[illegible] ipsis superveniente, atque una cum paroxysmo [illegible]rum, & quidem post somnum vel placidum, vel [illegible]omnis tumultuosum cessante. xvj. *Vomitoriæ*, aut [illegible]*æ*, à vomitu (symptomatico) aut mox incipiente, duranteve adhuc frigore, aut mox inchoante accrescenteve calore, nunc continuo, nunc per intervalla multum molesto. xvij. *Cacatorræ*, seu *catharticæ*, ab alvi dejectione multa vel frequenti, & quandoque simul torminosa, diverso accessus tempore ægros valde molestantes ac debilitantes, xviij. *Sudatoriæ*, à sudore, qui nonnunquam durante bona vel maxima cujusvis paroxysmi parte multus, ægroque noxius, adeoque symptomaticus, sæpius calidus, rarius frigidus, ex universo corpore aut parte privata, capite, thorace, abdomine, artubusvè manat: xix. *Ureticæ*, quæ continua fere mictione, & quidem symptomatica ægros infirmante, non critica & ipsos levante molestæ: xx. *Sputatoriæ*, seu Ptyalodes, quas durante paroxysmo sputatio & salivatio gravis & molesta comitatur; xxj. *Odontalgicæ*, in quibus odontalgiæ, ab humore acidiore natæ affligunt; *Sylvius de le Boë*; Hinc inde plures tales, aut etiam aliæ, in Practicis occurrunt.

55. *Quarum calor vel est in spiritibus, qui solidas &c.*) Differentiam à subjecto desumptam, seu quæ respicit τὴν ὕλην, materiam in qua, *Galenus* l.1. de diff. Febr. cap. 1. sic exprimit, Quæ vero, *ait*, à *Materia* differentiæ sumuntur, in qua hic calor p.n. accenditur, maxime propriæ sunt, sive quod idem calor ipsum *cordis corpus* occupaverit; Sive quod eos qui in ejus ventriculis continentur *humores*; Reliqua autem est, ac tertia, post has differentia, cum sola *aërea substantia* sufficienter incaluit, humores autem, & solida corpora, calescunt quidem adhuc nondum autem adhuc sunt calefacta: neque enim parum refert si calescere dicamus corpus, aut calefactum esse: Quid autem dicamus hæc tibi exempla manifeste ostendent, cogita aquam calidam lebeti frigido injectam; deinde ex ejus vicinia lebetis corpus calefieri quidem, nondum autem exquisite esse calefactum: Excogita iterum in calidam atque ignitum lebetem aquam frigidam infusam; deinde ab eodem lebete adhuc quidem calefieri, nondum autem esse calefactam: Horum quidem exemplorum secundum Primam febrium differentiam ostendit, quas diximus ipsum cordis corpus occupasse; Primum verò eas quæ in ipsius consistunt humoribus: Reliqua verò & tertia differentia simile quidem omnino non habet exemplum, ut manifestioris quidem doctrinæ gratia concipe animo febrilem follem, trahentem quidem ad se ipsum aërem admodum calidum, deinde ab eodem calefieri, nondum tamen esse calefactum; Sed & rei quam monstrare volumus exemplum ipsum magis ostendet, si humorem in folle contentum cogitaveris: adhuc verò magis si follis foramina, per quæ aërem trahit & efflat, adeo arte fabricata, ut humorem quidem non admittant, aëri autem pervia existant; In quo sane plurimum naturæ operæ, ab his quæ humana arte sunt fabricata; Nam mista est in omnibus arteriis, per multa foramina spirantibus aërea substantia Sanguinis, ac nihilominus in corde ipso, ut quod confluxile sit omnibus ipsis arteriis: Incipit igitur hic p.n. calor, quem & febrem nominamus, alias ex aliis eorum, quæ nuper diximus, spargitur autem, atque una cum patiente afficit reliqua duo genera: Facillima igitur ab humoribus ad spiritum caliditatis transumptio; non æque autem prompte una cum spiritu accenduntur humores: Corpus etiam solidum humoribus atque aëreæ substantiæ facilius calorem impertitur, quem ipsum ab iisdem suscipit: Omnis siquidem substantia tenuis promptius alteratur quam crassa; Est autem tenuissima quidem aëris, crassissima verò corporum solidorum; media humorum est, substantia.

56. *Est idem vel simplex*) Observetur duplex hic caloris in Febribus differentia, 1. vel est *humidus* vel *siccus*, 2. Est *mitis* vel *acris*, *humidus*, sive *vaporosus*, semper melior sicco: Oritur à juncta copiosa transpiratione, quæ fere præsupponit cutim mollem, & ejus fibræ minus sint tensæ, & ostendit talem febrilem in sanguine commotionem, qua copiose secedant, & mediante sero emittantur particulæ heterogeneæ separatæ sive coctæ: Contrarium fit in *sicco calore* quo cutis arida, & quasi squalida deprehenditur,

henditur, ac inordinatum particularum in sanguine fermentationem, & insignem confusionem spirituum, præsertim animalium, præternaturali impetu, fibras plus minus stringente innuit. mœrere, *Etmuller. Pr. p. Part 1.255.*

17. *Vel et mitis*) *Mitis* calor, vel *acris* seu *mordax*, ex asin sanguinis & spirituum sequitur, qui mitius acrioribus particulis Salinis, præsertim acidis effervescentibus turgidus, mitiorem: sin copiosioribus aut acrioribus iisdem sit impregnatus, acrem ad tactum, mordacem, tanquam si igneæ particulæ tactus se insinuarent, calorem repræsentat. *Etmuller.* Vide inferius Cap. De Putridis in genere §. *Mordaces quæ remittuntur.*)

TITVLVS SECVNDVS.

DE FEBRIBVS NON PVTRIDIS.

CAPVT PRIMVM.

De Ephemera.

FEbres non putridæ sunt *Ephemera, Synocho simplex*, & *Hectico*.

1. *Febris ephemera est* febris *ò spirituum vitalium in corde incendio orto*, & 2. *spacio unius diei plerumque affligens.*

Nomen inde accepit, quod diem naturalem non transcendat, 3. ut animalculum ephemeron & Colchicum.

4. *Signa* sunt: Incendium est repentinum, nullo cibi fastidio, aut spontanea corporis lassitudine, aut graviore somno, aut frequenti oscitatione præcedente, nullo aut admodum levi horrore fatigante, nisi sit corpus cacochymicum, exspirationem multam calidam & acrem diffundens, quæ ob cutem à frigore densatam, aut ob exilium meatuum constipationem suppressa, nervos ferit. 4. Urina, colore, substantia, sedimento aut nihil aut minimum à naturali distat, nisi causa quæ febrem invexit, insignem aliquam in sanguine mutationem excitarit. 4. Pulsus solito quidem celerior & frequentior est, in diastole nempe propter majorem calorem, absente fuliginum copia; sed tamen æqualis, ordinatus, magnus & validus. Inspiratio exspiratione major & celerior.

5. *Causa continens*, est spirituum secundum totum nec successivum incendium, & quidem sine putredine. 6. Procatarcticæ sunt quæ calefaciunt 7. per se vel per accidens.

8. *Curatio* non est ita difficilis, nisi aliquid interveniat. 9. *Respicit* I. Ipsum *affectum*, ad cujus depulsionem 10. *alteratione* per refrigerantia & humectantia, intra data & extra ad cordis regionem, carpos manuum, & soleas pedum applicata, II. 11. *Causam* morbum aucturam, ubi aliquando venæ sectio & Evacuatio adhibenda est. III. 12. *Ægrum*, cui victus refrigerans & quidem 13. sub declinationem imperandus est. 14. Conceditur Vinum tenue, album, & cura confectis liberalis. 15. Veteres 16. victu & 17. balneo agebant. Balneo inquam, 18. quod adhiberi potest 1. *si* nulla in primis venis cruditas, quæ in omne corpus rapi possit. 2. *si* cacochymia non aggravat: 3. *si* præcordia nec dura nec tumida.

Differentiæ sunt variæ, quæ à *subjecto, accessionis modo, eventu, causis externis*, & *morbis* desumuntur.

I. *A subjecto.* Vel enim 19. invadit *plethoricos*, & hæc plærumque in synocham in juvenili corpore abit: 20. vel *Cacochymicos*, quæ aliquando in putridam facessere solet. Evacuatione ergo & exactiore Alteratione providendum est.

II. *A modo accessionis.* *Alia* cum *nullo horrore* venit. *Alia* cum aliquo, quod in corpore Cacochymico multam calidam & acrem exspirationem diffundente, & vel ob exilium meatuum constipationem, vel ob cutem à frigore densatam suppressam, nervi à febrili calore feriantur.

III. Ab *Eventu.* 21 Alia finitur uno die, 22. Alia transit in aliam febrem. Et tum, vel *declinat sine madore*, unde colligi potest, aut typum madorem prohibentem supervenire, aut humiditatem, quam blandus calor liquefacere poterat, ab intensione dissipari; aut humorum copia naturam obrui, Vel *per madorem non cessat*, quod indicio est calorem in re non facilè evaporabili fixum. 23. Abit autem, vel *in synocham sine putredine*, in corpore plethorico & juvenili, quod aliquando accidit, si æger cibandus non cibatur. Et *tum*, venæ implentur justo magis; calor intenditur, & facies nimis rubescit. 24. Vel *in putridam* in corporibus calidis humidis & cacochymicis, idque die quarto vel quinto. Et *tum*, horror invadit, sparsa ad membra materia: Pulsus cum coarctatione, quam materia suffocans causatur, parvus est: calor mordax propter fumos putridos evadit: vehementiora symptomata oboriuntur; nausea affligit, urina tingitur; agendumque *lenitivo* & *vena sectione*; vel *in hecticam*, in corporibus siccis & raris: Et *tum* arteriæ ad tactum toto corpore calidiores evadunt; calor omnium membrorum æqualis est, qui post sumptum cibum intenditur; æqualis & cum quadam duricie pulsus.

IV. 25. A *Causis externis* & quidem.

I. *Ab illis* [26]. *quæ aſſumuntur*. 1. [27]. *Aëre frigido* cutim conſtringente: unde vapores aeres intercepti ſpiritus inflammant: Et *tum*, invaſio fit ſine horrore: *Vrina* & pulſus parum immutantur; & illa aliquando eſt propter caloris à frigido præfocationem alba: *Calor* in ſtatu moderatior eſt: *anxietas* pectoris & animi deliquium, ob denegatam eventilationem aliquando ingruit: cutis quandoque arida redditur. [28]. Benè agitur *balneo*, cujus aër calidus & udus, per omnia cutis ſpiracula meabilis, in intima quæquè penetrat. Caſtigari debet illis quæ poros aperiunt. Succedere ei poteſt inunctio cum oleis chamomillæ, violarum, lilior. albor. nec non ſudor, II. [29]. *Aëre calido*, [30]. & Solis æſtu, in corpore calido & humido. [31]. Et *tum*, caput dolet, quia hoc maximè Solis injuriis exponitur, repletur, tenditur: cutis ſqualet, oculi tument, rubent. Sudor ſub febris inclinationem eſt promovendus, ut ſpirituoſæ ſubſtantiæ calor per habitum corporis diſſipetur. Intemperies victu modicè refrigerante & humectante corrigenda. III. [32]. A *Cibis calidis*, quæ *IbnSina* heparica eſt, & in ſpiritu naturali primum ſine dubio reſidet. *Oritur* ab alliis, cæpis, aromatibus & aliis ſpiritus inflammantibus: *Cognoſcitur* ex ægri relatione: *Curatur* 1. *Evacuatione* per *mannam*, *tamarindos* &c. 2. *Hepatis refrigeratione*, per Syrupos *corallorum* Quercet. *rubi Idæi*, *granatorum acidorum* &c. IV. *A potu calefaciente*, [33]. ut vino. Commendatur aquæ fontanæ puriſſimæ hauſtus, niſi ventriculi debilitas, morbi cruditas, viſcerum obſtructio & tumor impediant. Sic enim ille magis debilitaretur, humor frigore denſante & boni à malo ſeparationem impediente impingeretur, putredóque cui humiditas amica eſt, excitaretur.

II. *Ab illis quæ geruntur*, ut I. [34]. *Triſtitia*, in qua quia ſpiritus ad interiora movetur & quaſi concentratur, incaleſcit. Et *tum*, urina eſt citrina & mordicans propter aduſtionem: pulſus debilis & parvus & fortè ad duritiem declinans, facies pallet: oculi evadunt cavi &c. *Tollitur* cordialibus frigidis & reſolventibus: [35]. balneo inprimis aquæ dulcis. II. [36]. *Irâ enormi*, quæ cholericos invadit. Et *tum*, facies inflatur & rubet exactè ſi ſola eſt; remiſsè, ſi timore aliquomodo temperata: oculi rubent, propter ſpirituum ad exteriora motum: tremor brachiorum, crurum, labiorum aliquando invadit, quia ſpiritus & ſanguis inordinatè feruntur: pulſus eſt magnus, plenus, fortis, velox, ob vindictam in potentiis excitatam: urina tincta & mordicans, & aliquando propter motum humorum exterius turbida. *Curatur* 1. Quiete & rebus ludicris. 2. Balneo aquæ tepidæ, quod inunctio per olea temperata excipere debet, 3. Victu refrigerante & humectante, vinum nocet. III. *Venere*. Et *tum*, Cavendum à venæſectione, quia debilitato adhibita palpitationem, vertiginem & delirium excitat. Quadragies plus diſſolvit nimia ſeminis quam ſanguinis evacuatio, *IbnSina* teſte, quia illud puriſſima hujus portio. IV. *Gaudio magno*, in quo vehementer ad extra moti ſpiritus incenduntur. *Curatur* ferè ad modum illius quæ ex ira. V. [37]. *Vigiliis*, in quibus nimio & continuo ſuo motu agitati ſpiritus exardeſcunt. Et *tum*, palpebræ ob ſpirituum exhauſtum & vaporum appulſum graveſcunt, & inflantur. Oculi propter humiditatis ſubſtantialis reſolutionem profundi: urina propter digeſtionem turbata. *Tollitur* ſomno & illis quæ vigilias arcent. [38]. VI. *Labore*, Unde & in corpore ingens excitatur ſiccitas. Agendum quiete & balneo.

II. A *Morbis*, & illis quidem.

I. *Externis* I. [39]. *Bubone*, non quidem per modum tranſmiſſionis, quatenus febrem is aliquando excipit, ſed attractionis, ita ut ſpiritus continua calefactione alterentur. II. [40]. *Pororum cutis conſtrictione*, 1. *vel* ab aëre, de quo ſuperius; 2. *vel* à balneo, frigido, aluminoſo, ſalſo; & tum cutis dura eſt, nullus vapor exit; pulſus ob neceſſitatem velox; 3. *vel* à calore exurente. Et *tum*, ſicca potius cutis quàm denſa, calidiórque primo acceſſu apparet; ægri minus ſiti moleſtantur, quòd externæ partes internis ſint calidiores; corpus non tumeſcit, quia ambientis calore diſſolvitur. 4. *vel* à ſanguine in corpore plethorico & juvenili; Et *tum* vena ſecanda. Evacuandum ſi copia craſſiorum humorum adeſt, & ſudor ſubſequi ſolet: 5. [41]. *vel* ab aliis humoribus. Et *tum*, balneum putridam concitat, niſi æger in declinatione univerſali ſit conſtitutus. III. [42]. *Vulnere*, de qua vide Cæſalpinum.

II. Vel *Internis*, nempe I. [43]. *Ab apoſtemate ſeu abſceſſu*, eóque vel parvo, vel profundè nimis latente, quod nuper in Illuſtriſſima quadam abſceſſu omenti laborante obſervavimus. Et *tum*, ſigna abſceſſus adſunt; febris eſt plærumque vaga. Datur feliciter intus cremor hordei cum ſale nitri exaltato, inprimis ſi flatus adſunt, ſecatur & vena ad revulſionem. Clyſteres ex emollientibus herbis cum decocto carnium proſunt. II. [44]. A *Catarrho* per habitum corporis ſe diffundente, quæ *Cognoſcitur* ex [45]. coryza, capitis gravitate & plenitudine, tuſſi, laſſitudine, inquietudine, frigoris ſenſu: *ſolvitur* ſudore. *Oritur* vel à frigore: Et *tum*, ſudor obtecto corpore movendus; caput ſuffumigio, gummi ſandarachæ, maſtiches, iridis, caryophyllorum per linteum calens fricandum: alvus, quia cruditas præſens, clyſtere ſollicitanda: *Vel* à calore liquefaciente: cui cucurbitulæ ſcapulis affixæ, & capitis unguento roſaceo illitus ſatisfaciunt. III. [46]. A *cruditate*, & hæc 1. Cibi inconfecti nondum in acorem vel nidorem converſi, quam Galenus *diarrſam ex nauſea*, & ſatietate vocat. Et *tum*, quies & ſomnus imperanda; ventriculi coctioni extra, in unctione olei vel applicatione epithemarum, ſubveniendum. [47]. Prodeſt & vomitus. 2. *Acida*, de qua in capite de ventriculo. Et *tum*, ructus adeſt acidus, vomendum, Evacuandum ſyrupo roſarum

rum solutivo si vomitus non prodest. 3. *Nidorosa*, eáque vel *Tenuis*, quæ in ventre oritur. Et *tum* fumosus erumpit ructus, aquæ frigidæ potus, & victus crassus prosunt: vel *Crassa & pingui*. [a] Et *tum* fuligo sentitur; ructus est fuliginosus & nidorosus; Vomitu agendum. IV. [aa] *Ab evacuatione nimia*, seu *per alvum* à medicamentis validis, quæ plerumque vehementer calefaciunt, spiritusque exagitant & incendunt: seu *per venæ sectionem*, quæ biliosam constitutionem educto, qui bilis frenum, sanguine exasperat. Præcavetur adstrictione ventris. *Curatur* refrigerantibus & humectantibus, inunctione nempe ol. nymphææ, liliorum alborum, chamomillæ Apponi & lana in eis intincta potest. Vide Herculanum in Avicennam de febribus. V. [l] A *Dolore*, qui aliquando spiritus ita inflammat ut febris accendatur. *Tollitur* paregoricis & narcoticis. VI. [a] A *Lipothymia*, propter motum spirituum ad cor qui exinde incalescunt. Et *tum*, victu euchymo agendum: lipothymia amovenda; refrigerandum & humectandum. VII. [f] A *suppressiones urinæ*, de qua suo loco.

1. *Febris à spirituum vitalium*) Propriè est calor p. n. in spiritibus consistens, hinc à levissimis causis accenditur & augetur: Mitissima est, utpote in aërea & spirituosa substantia residens, & facili ac levi vapore citissimeque solvitur, ob facilem subjecti dissipationem: Sunt autem Spiritus tres, Naturales, Vitales & Animales, secundum quam distinctionem Avicennæ tres Ephemerarum species producit, Cerebralem, accenso animali spiritu, ex Solis ardore; Cordialem accenso vitali, & Hepaticam naturali calefacto ex alimentis; Etsi enim Spiritus Vitales accendi & effervescere semper oporteat, id tamen sæpissime mediate per animales & naturales patiuntur: Inedia enim, crapula, & calidorum alimentorum usu naturales incalescunt: Vigiliis autem, curis, insolatu longo, Animales, hinc calor Vitalibus communicatur, universoque corpori: Cum spiritus sint vel Fixi vel Influentes, rectè judicavit *Fernelius* insitos non calefieri, tenacior enim esset & diuturnior febris ac periculosior, si spiritus fixi accenderentur: In solis igitur influentibus calor hic consistit, & cum sanguini in venis & arteriis sint permixti, fieri non potest quin sanguis quoque plurimum incalescat; sed non primo in *Sanguine, verum in spiritibus* calor fundatur, *Primerosius*.

2. *Spatio unius diei plerumque affligens.*) Hujus differentia duplex statuitur, Prima quæ uno die sponte solvitur, & κατ' ἐξοχὴν talis dicitur: Secunda, quæ in plures dies protogatur, & Ephemera Extensa vocatur, sive Notha & Illegitima, quam alias Synochum imputrem quidam vocant, etsi in hac sanguis incaluerit, tamen ad Diarias refertur, quod eandem cum iis naturam habeat, unamque accessionem eodem tenore à principio ad finem exporrectam, unde sub unico genere potius *Galenus* eas complecti voluit quam novum nomen fingere, duasque species construere, & sic tria tantum Febris genera constituuntur, Ephemera, Putrida & Hectica; Verum Ephemera Extensa aliud quid est ac diversum à Synocho imputri, quæ ad Humorales potius febres potius quam ad spirituosas referri debet, Spuriæ enim & Extensæ dicuntur quæ ultra primum diem porriguntur, causa scilicet perseverante. *Idem*.

3. *Ut animalculum Ephemerum & Colchicum.*) Ephemera appellatur, & Diaria, quia non ultra diem horarum xxiv. protenditur: sic *Ephemeron animal.* quia vivit in postmeridiem; & *Ephemeron herba Dioscoridis*. quia una die interficit, *Colchicum* appellatum. *A Cæsalpinus Art. Med. l. 2. c. 6*

4. *Signa sunt*) Signa generalia omnium Febrium ex quinque fontibus petemus, Ex qualitate Caloris, Ex Pulsu, Ex Urinis, Ex Forma febris, & deinde ex Causa, mitis est, suavis Calor in Ephemera, naturali etiam in statu quam simillimus, quia ex materia miti minimeque acri & mordaci emergit, respectu scil. hecticarum & putridarum, nam ratione ipsius nativi caloris paulo est acrior ut in ebriis & laborantibus esse salet.

Pulsus magnus & validus, celer & æqualis, non ut in principiis putridarum submersus & inæqualis, nisi ex mærore, inedia, vigiliis, labore, cruditate, febris orta sit, in quibus virtutis debilitate pulsus minuantur, etiam sine ulla febre; qui præterea tandem ad naturalem statum redeant, quod febribus intermittentibus non contingit, in quibus in ipso etiam intervallo remanent quædam caloris vestigia, & inæqualitas febrilis dicta cernitur.

Urina à naturali statu non recedit, quia in spiritibus solis, non in humoribus residet; Si tamen aliud vitium accesserit urinæ immutantur, ut in Eph. ex cruditate apparent crudæ & albæ, non ob febrem, sed ob coctionis defectum, ob quam etiam si nulla adesset febris urina cruda foret; alias inquit *Paulus*, urinarum primo die concoctio, & caloris suavitas inseparabilia signa sunt *Diariarum*

Quartum signum est ex *Forma febris*, seu τύπωσις, per quam intelligo dispositionem, & particularia temporis; Est enim [illegible] ait *Galenus* 4. t. de Cris. [illegible] Itaque incipit sine rigore aut frigore, quia tota causa venis continetur, estque blanda & mitis, quanquam interdum levissimus horror soleat apparere, utpote acri per cutim delato. ex *Avic.* idque in calidis & siccis corporibus post laborem & inediam, in quibus sunt humores acres qui moventur à calore extraneo, alias ratione sui non solet Diaria ullum habere rigorem aut frigus: *Augmentum* in calore & pulsu liberum est, & æquale, cum nulla materia calorem ad interna revocet, aut opprimat, *Status* sine ullis gravibus symptomatibus, *Declinatio* cum madore facilis, quam integra ἀπυρεξία solet excipere, Fiunt autem madores non sudores, quia materia non est humida, spirituosa, ex calore autem accenso vapores in cutem feruntur benigni & mites, qui in cute condensati madores illos pariunt, quod si sudor copiosus fuerit, tunc non est Ephæmera, inquit *Avicenna*.

Quinto proprium est Diariarum non nisi à *Causa procatarctica* generari, estque signum quod & omnibus & semper convenit, sed non solis, Putridæ enim plurimæ etiam à causa procatarctica originem habent: Objicies Bubones & Cruditates, à quibus fiunt Diariæ, quæ tamen causæ sunt abditæ, non evidentes & externæ?

℞. 1°. Ephemeras à manifestis & procatarcticis causis generari, sed non perpetuo immediate, sed per alios affectus, qua ratione à bubonibus fiunt, cum Bubo ipse ab evidenti causa fuerit ortus, ex *Galeno* 9. meth. & t. ad *Glaucon.* Idem dicendum de cæteris inflammationibus si ab evidenti causa ortum habuerint, & à *Cruditatibus*: *Secundo*, dic Ephemeras esse vel veras, vel spurias: Priores quidem, quarum abiit effectus & causa, semper à procatarcticis causis habent originem, Posteriores vero, quæ causæ præsentia semper foventur, non perpetuo à procatarcticis, sed & ab internis causis fieri possunt; *Tertio*, procatarctica causa non semper est externa, sæpe in ipso corpore est, ut sunt animi pathemata, sed externa dicitur quod sit extra rei essentiam: Itaque quæ cruditates, obstructiones ab externo frigore factas, febres sequuntur, ex omni à causa pendent procatarctica: Pariter illæ quæ sunt ex Bubone, si Bubo ab externa causa, ut laboribus oriatur; Et hæc sunt signa verarũ Ephemerarũ, *Primerosius*.

Spuriæ Ephemeræ habent alia signa, etiam Putridis communia, quædam enim habent calorem acrem, mordacem, horrores, nauseas, inappetentiam, dolores, pulsus duros, parvos, ut si sit Ephemera ex vigiliis 1. *de diff. feb.* 7. interdum quoque inæquales, ubi materia os ventriculi,

obsidet, ex loco cit. Pariter adsunt interdum rigores, ut si fiunt ex catarrho salso, aut à calida & acri quadam exspiratione, in cute frigore externo cohibita, tum quando in cruditate nidorosa humores quidam acriores facti os ventriculi valde sensile vellicant; Symptomata quoque adsunt plurima putridarum, ut vix ab iis distingui queant & internosci; Observandum tamen calorem, etsi mordax sit, non exurere plurimum ut in putridis, urinas colorem habere sæpe intensum, sed raro cum substantiæ aut contentorum mutatione; Pulsuum æqualitatem systematicam dilucidius apparere in Ephemeris quam Putridis, sed & hæc nonnunquam fallunt. Unde recte dixit *Galenus*, Diariæ cognitionem curatione longe esse difficiliorem. *Primrosius.*

4. *Signa sunt.*) Quocunque demum modo phlogosis primo excitatur, statim spiritus impetum faciunt, & huc illuc conciti sanguinem ebullire, & cum spumosa rarefactione in majus spatium ampliare cogunt; Hinc dolor præsertim in capite aut lumbis, lassitudo spontanea, ac velut inflatio totius corporis sequuntur; Quod si cum spiritu cruoris una pars quædã sulphurea aliquatenus accéndatur, calor acris per totum diffunditur, pulsus fit vehemens & citatus, urina rubicunda, etiam sitis, vigiliæ & pleraque alia symptomata infestant. *Willis.*

5. *Causa continens est incendium &c.*) Minimus effervescentiæ gradus qui *Febrem Continuam* inducit in subtili & spirituosa sanguinis portione nimis agitata & excalefacta positus est; hæc enim instar spiritus vini de levi quavis occasione ebullit, & fervorem concipit, à nimio corporis motu aut animi perturbatione, à calore ambiente, puta Solis aut æstuarii, à calidis intro sumptis, prout vini potu, ciborum piperatorum esu & similibus irritata; Etenim spiritus cruoris facile excandescunt, & impetuosius commoti non statim sedantur, quia alias sanguinis particulas exagitant, varie confundunt, in motum rapidiorem & extraordinarium compellunt: Etiam ab hoc spirituum motu Sulphur, seu pars sanguinis oleosa, magis excoquitur, aliquantulum plus dissolvitur, & in corde nonnihil uberius accenditur, inde calor intensus in toto corpore oritur: Quatenus verò sulphur per minutam solummodo partem, & non per totum excalefit & inflammatur, iste spirituũ fervor brevi compescitur & cessat: quare Febris, quæ hoc ritu suscitatur plerumque intra xxiv. horas terminatur, ideoque Ephemera dicitur: Quod si ob majorem Sanguinis spirituosi æstum diutius prorogetur, raro triduum excedit, diciturque *Ephemera plurium dierum*, sive *synochus non putris*; Sin vero ultra hoc tempus protendi contigerit, hæc febris in Putridam facile transit, scil. à diuturna spirituosi sanguinis ebullitione tandem crassiores Sulphuris particulæ incendium concipiunt, ac totam Sanguinis massam effervescentia sua involuunt; Non secus ac spiritus Terebinthinæ cucurbita inclusus, & Balneo arenæ impositus, si calore modico urgetur, leniter ebullit, velut sanguis in febre Ephemera; Sin vero calor intendatur, liquor impetuose effervescit donec in flammam erumpat, cui sanguinis inflammatio in febre Putrida satis apte confertur. *Willis.*

6. *Procatarctica sunt quæ &c.*) Prima hujus morbi initia à præsentia causæ evidentis dependent, vel enim caloris extranei corpuscula cruori confusa, instar aquæ super ignem effervescentis ipsum ebullire faciunt; vel à motu, aut ob transpirationem præpeditam febris inducitur, non secus ac cum Vina motu excalefacta, aut dolio strictius incluso in fervor[illegible]untur. *Willis.*

Causæ Febris E[illegible]h[illegible]meræ omnes sunt procatarcticæ, & referri possunt [illegible] capita, quæ assumuntur, quæ excernunt[illegible]tur, & quæ extrinsecus accidunt, quæ caus[illegible] spiritus tantum inflammant, sed si vehementi[illegible]unt, hecticas & putridas producunt, unde Ephemera, si diutius duret, in aliam Febris speciem transire sol[illegible]t: Quæ assumuntur, aër, cibus, potus, medicamenta calida, intra corpus sumpta, illud calore suo in consimilem intemperiem trahunt; vel per accidens id faciunt cibi in ventriculo corrupti, calorem putredinalem concipientes; Sed & inedia humores accendit, & inflammat, ac demum in solidas partes ipsas agit, earumque humorem substantificum populantur: Quæ Geruntur, sunt Animi & corporis motus, Tertio, Retenti calidi humores, & excrementa, suam temperiem corporis partibus in quibus hærent, communicant, Et si putredinem concipiant, in aliud febris genus facessunt: Quarto quæ extrinsecus accidunt, ea non uno modo calefaciunt; Per se quidem id præstant &c. Vide infra §. 7. *Per se vel per accidens*, Principales causæ sunt septem. 1. Aëris omnisque ambientis fervor, Solis æstus: 2. Inedia, atque etiam cruditas, sive ex nimia copia & helluatione, sive ex vino meraciore ejusque spiritu, sive cibis aliisque calidioribus rebus assumptis contracta: 3. Naturalium evacuationum, ut alvi urinæ, sudoris habitusvè retentio, ob cutis densitatem & conspirationem, vel ex frigore, vel ex adstringente balneo: 4. Lassitudo & labor Vehemens. 5. Vigiliæ, 6. Animi contentio ex curis, tristitia, timere, 7. Adenum tumores. *Corbeus Pathol. l. 1. sect. 1. c. 1.*

7. *Per se vel per accidens*) Per se quidem id præstant Sol, aër, ignis, calidorum applicatio, potissimum in corporibus calidis & rarioribus, quæ humoribus calidis & fervidioribus abundant: Per *accidens* calefaciunt frigida, & adstringentia foris admota, ut aër frigidus, balnea, aluminosa, Hæc enim poros cutis de sunt, calidas exspirationes cohibent, quæ in corpore retentæ, vel ex sua natura quod calidæ sint, vel quod putrescunt calidorum morborum sunt causæ: Ita autem facilius præstant in corporibus quę jam antea incaluere, aut nonnihil adstrictos poros habent, qui ex laboribus cursuque exæstuant, & subido aëri frigido, vel balneo se committunt, febribus corripiuntur, reseratis enim poris, facile frigus in interiora sese insinuat: Quibus vero pori jam adstrictiores sunt, frigore externo plane occluduntur: Et ab his causis generantur febres Ephemeræ, non eæ quidem semper veræ & legitimæ, sed interdum spuriæ, quæ ultra unam diem perdurant. *Primrosius.*

8. *Curatio non est ita difficilis*) Ephemeræ omnes sua natura sunt salutares, & sponte sæpe sine Medici auxilio finiuntur, quicquid de febre Anglica dicatur, erat enim putrida & humoralis: Sed dubium quomodo Febres quæ ex incensis spiritibus fiũt sint adeo salutares; Ex sola spirituũ disgregatione & congregatione in extremis animi pathematis mors sæpe sequuta est, ut ex gaudio repentino & timore? Respondet *Mercurialis* spiritus esse calidissimos, ita ut accensi vix à propria natura recedunt, & ob id sine detrimento id patiantur: Idem cum sint tenuissimi & levissimi facile evanescunt, sed non sine pernicie, una enim cũ illis universi corporis robur exolvitur: Quamvis sint salutares, in alias febres degenerant, humorales & hecticas, idq́, errore vel ægrotorum vel Medicorum, vel ministrantium; mutantur autem prout majorem cum aliis habent societatem, inter symbola enim facilis est transitus; Siquidem Ephemeris maxime obnoxii sunt calidi & sicci, quorum corpus si cacochymicum esse contingat, facilis erit in putridas lapsus, præcipue si error aliquis committatur, si corpus patens & nudatum aëri frigido objiciunt, si vigilent, sitiant, jejunent, exerceantur, vel cibis utantur acrioribus, in Hecticas, In corporibus verò carnosis, maxime si obstructio adsit, in Synochum putrem vel imputrem mutatio fit: Cognoscitur autem conversio illarum in synochum, quando tempore declinationis dolor capitis, & symptomata quæ aderant permanent vel augentur, corpus magis accenditur, [illegible]tesque fit rubicundior: Tunc quoque si putrida futura est, calor, qui primum mitis erat, fit acrior, urinę evadunt crudæ, pulsus quasi submergitur, redditurque inæqualis: In Hecticas vero si degenerent, pulsus fit durus, parvus & æqualis: Inter Ephemeras periculosissimæ quæ ex cruditate fiunt, ob vitiosorum humorum proventum, *Primirosius.*

9. Respicit

9. *Respicit primo &c.*) Circa Febris Ephemeræ & Synochi non putridæ solutionem, sive crisin, tria sunt præcipue requisita, scilicet 1. *Causa evidentis remotio* 2. *Materia depravata*, sive *excrementitia* à sanguinis massa *secretio*, & *difflatio*. 3. *Partium sanguinis sedatio*, earumque ad motum & situm naturalem ac æquabilem restitutio; juxta quod hæc modo citius, modo tardius, & magis difficulter succedunt, hic morbus brevi aut longiori tempore finitur.

I. *Causa evidens*, quæ plerumque extrinseca est, facile amovetur, solentque ægri statim atque noxæ à re qualibet sensum percipiunt, istius rei præsentiam, seu assiduitatem vitare: nullus à vino febricitans ejus potui adhuc indulget, quamprimum à balnei, aut Solis æstu quispiam plus solito incalescit, iis diutius immorari tædet.

II. Quoad *Materiam excrementitiam*, quæ à sanguine secerni & difflari debet, hæc vel ab extra confertur, ut cum à crapula, vini potu, insolatione aut balneo calidiore, effluviis seu corpusculis calidis & fermentativis cruor inficitur, Vel isthæc materies intus progignitur, ut cum à Sanguinis deflagratione ejus liquor recrementitiis seu particulis adustis refercitur: Vtraque hæc materies a sanguine discerni, difflari, & vel sudore, vel insensibili transpiratione debet foras protrudi, priusquam febris sedetur; quare cum pori sunt constricti, & transpiratio impeditur, febris Ephemera diutius prorogatur, & nonnunquam à Synocho simplici in putridam transit.

III. Causa evidenti remota, ac materia hac degeneri difflata, ad ἀπυρεξίαν requiritur partiû sanguinis sedatio, & in ordinem reductio, etenim motus rapidior & inordinatus in sanguine incœptus non statim sedatur, sed paulatim debet compesci: etiam diversæ sanguinis particulæ hoc modo confusæ, & ob effervescentiam febrilem sursum deorsumque actæ, non statim repetunt priorem situs & positionis ordinem; quin eas sensim extricari & æquabili mistioni paulatim restitui opus est.

Licet hic morbus post amotionem causæ evidentis, postea sponte naturæ utplurimum cessat, tamen remedia quædam medica bono cum fructu in usum adhibentur, præsertim cum periculum est ne Ephemera in Putridam transeat: Præcipuæ intentiones erunt sanguinis fervorem compescere, & transpirationem liberam procurare; quibus conducunt imprimis venæ sectio, victus tenuissimus, seu potius abstinentia, Potus refrigerantes, fæcum alvi per enemata subductio: præ cæteris maxime juvant somnus & quies, quæ si deerint, Opiatis & anodynis tempestive procurentur. *Willis.*

9. *Respicit*) Ad evacuationem materiei illius subtilis, seu *fuliginosa*, ut vocant, quæ ab accenso nonnihil sanguine in vaporem resolvitur & expirat per insensibilem transpirationem, vel madores manifestos, naturam, quæ & sponte illud, nisi impediatur, per ejusmodi excretiones facit, juvabimus, Corpus ægri tectum, ne repercussio fiat, servando, *Cibum* nullum antequam declinet febris, ne naturæ motum impediamus; vel si vires in corpore debili languent, *tenuem* saltem exhibendo, propinandoque ea interdum quæ transpirationem illam, vel etiam sudores movere possunt: *Alvus* si laxa fuerit, minus de commutatione hujus febris in Synochum erit periculi; quod suppositorio vel clysmate, non per assumpta, hoc brevi tempore rectius peragitur. *Vomitus* si ab assumptis, & vino præsertim corpus adeo incaluerit, non erit inutilis: *Platerus.*

10. *Alteratione*) Alteratio non magna, cum calor mitis sit, instituitur, Nisi quod aërem, in quo decumbit æger, si calidior sit, contemperamus potius quam admodum refrigeramus; ne calore subito ad cor represso febrem augeamus, aut transpirationem sudoremve impediamus, *Potu* quoque moderato, si sitiant, leviter eos refrigeramus, seu potius refocillamus, quo & sudoribus, ut melius prodeant, occasionem præbemus. *Platerus*, Hic *frigida aqua* usus tutus est, cum quod victus robustior eam ferre potest, tum quod promptissime spiritus refrigerat Quod si naturalium viscerum tonus & tonus non usquequaque constet, si febricula fuerit prolixiuscula, si oppressiunculæ, obstructiunculæque subsint, melius est aquam omittere, aut quam modicissimam admittere. *Joh. Stephani Paraphr. in lib. Avic de Febr.* p. 246.

11. *Causam morbum aucturam*) Hic purgationis & venæ sectionis nulla est necessitas, nisi, *ut inquit Avicenna*, adsit satietas nauseativa, materia obstruens, aut totius corporis repletio, idque ut prohibeatur transitus in febres putridas. *Primirosius.*

Diæta.

Quæcunque causa fuerit, imperetur quies tum animi tum corporis, ut spiritus agitati refrenentur; Cibus non sumendus donec præterierit accessio, nisi forte febris ex inedia longiore, vigiliis, coitu immodico aut aliis rebus exinanientibus sit profecta; alioquin facilis transitus fiet in hecticam, aut ardentem, maxime si æger temperamento sit calidus & siccus, & biliosis humoribus abundet, *Cibus* sit *hordei cremor*, Iusculum ex herbis refrigerantibus, decoctis cum carnibus boni succi &c. *Potus* sit aqua fontana si æger sit ei assuetus, vel ptisana, vel pomaceum secundarium, vel vinum album tenue & dilutum; nam id ut parum calefacit, sic urinas & sudores promovet; Vel in siti utatur æger *Iulepo rosato Alexandri* cui *succus limon. sit* affusus, aut *Iulepo violato syr. capill. vener.* cum quadruplo aquæ decoctæ aut ptisanæ. *Ench. M. Pr.*

12. *Ægrum, cui victus refrigerans*) Victus refrigeret, humectet, sit ἄχυμος & εὔχυμος, Ad id optima est Ptisana hordeacea, cibus veteribus valde familiaris, optime refrigerat & humectat, nullumque excrementum detinet; Carnes sint eupeptæ & delicatæ, præsertim avium montanarum, in aëre libero viventium; quæ enim domi altiles exercitio carent excrementosæ sunt, sicut & quæ in lacubus & paludibus degunt, tum quæ nimis antiquæ sunt, & concoctu difficiliores. Iusculis quoque utatur, quibus refrigerantes herbæ, *oxalis*, *borrago*, *cichorium*. *lactuca*, *endivia*, *portulaca* incoquantur, addito *succo citri*, *aceto*, *omphacio*; Pisces concedi possunt delicati, saxatiles. *Primirosius.*

13. *Sub declinationem*) Ante quam cibis solidis non utatur æger: Sed si febris ex vigiliis, inedia longiore, aliisque causis inanientibus oriatur, cibus statim concedi potest, ne fiat transitus in ardentem aut hecticam, maxime si æger sit temperamento calidus siccus, aut biliosis abundet humoribus. *Primirosius.*

14. *Conceditur vinum*) Potus sit aqua, aut vinum tenue, aquosum, oligophorum, dummodo non adsit dolor capitis, catarrhus, aut insignis obstructio: Veteres ejusmodi Vinum valde aquosum, album, inodorum, & ferme insipidum, non his tantum febribus, sed etiam in acutis concedebant; minime enim calefacit, sed urinas sudoresque promovet, per quæ morbi calidiores magna ex parte solvuntur: *Galenus* hoc vinum maxime laudat, quod in Gallia nunquam vidi (*in agro Pictonum inferiorum & Andegaviensi simul occurrit*) nec puto ex uvis maturis exprimi, sed ex immaturis, ut maxime accedat ad omphacij naturam, Rhenanum album huic oligophoro simillimum est, generosius tamen quam ut ægris merum præscriberetur, sed pauca aqua temperatum concedi potest: In universum à vino abstinere satius erit, & maxime si ex inguine aut ira febricitent, sed ejus loco optima erit *aqua hordei*, cum *succo limonum*, *julepo rosato*, *violato*, *syr. capilli veneris*. [*Primirosius.*

15. *Veteres victu*) Qui refrigeret, humectet &c. Ante declinationem cibis solidis non utatur æger: Omnes autem *passiones* præter lætitiam vitentur, *Somnus* sit moderatus, Quies imperetur; Sed si febris ex vigiliis, inedia longiore, aliisque causis inanientibus oriatur, cibus statim concedi potest, ne fiat transitus in ardentes aut hecticam, maxime si æger sit temperamento calidus siccus, aut biliosis abundet humoribus. *Primirosius.*

16. *Victu & Balneo*) Quo frequentissime utebantur antiqui, etiam in statu sano, sed cum nostris temporibus in desuetudinem abierit, in hujusmodi febre etiam obsolevit, & minime tutus habetur illius usus propter plethoram, cacochymiam, aut fluxionem quæ in talibus corporibus possunt existere, aut timeri ne accidat. *Riverius c.1. de Febr.*

17. *Balneo*) Declinante febre; Id omnes indicationes adimplet; vim enim habet humectandi, poros corporis reserandi, sudorem promovendi, atque adeo refrigerandi; dissipatis enim per cutis raritatem calidis halitibus, corpus refrigescit: &c. Porro scire necessum est eos duntaxat tuto in *aëre Balnei* morari qui densiore corporis habitu sunt, ut rarescant pori, & sudor promptissime erumpat: Cæteros utilius quam mox in aquas immergi, in quibus diu morari licet; donec sudore perfundantur; *Unctura* vero, sive litu, sive effusione fiat, corporis meatus offercit: *Frictiones* vero iis conveniunt qui à stegnosi obturamentoque febricitant, nam poros recludunt conniventes, & humida obviaque recrementa dissipant, si subsint, alioquin corpus resiccant impensius adhibitæ. *J. Stephanus.* l.c. Vult *Galenus* omnes Ephemeras Balneis curari, maxime si ab ustione, obnatæ fuerint: Quod si ex *corruptis cibis* liberalius feratur alvus, etiam hi ad Balnea ducendi erunt, suasure *Tralliano*, nisi omnino fractæ fuerint vires: Si ex *Inedia* oborta fuerit Ephemera, primum diu hæreant in calido balneo, & tunc calidam cervisiam bibant, prisanam edant, deinde lactucã & pisces teneros: Ita etiã ages si ab *adstricta cute* fuerit. *J. Heurnius l. de Febr. c.6.*

18. *Quod adhiberi potest. 1. si &c.*) Vbi putredinis periculum impendet, parcendum temperandumque Balneo, ne vel excitetur, vel augeatur; Quare qui ex infarctu, aut nimia repletione laborant, nisi jam ab sit, nmotisq; superfluis, tuto Balneum non ingrediuntur; Iis pariter noxiæ sunt Balneæ qui rheumaticis affectiunculis sunt opportuni; Balneum enim fundit liquatque humores, atque adeo fluxiles reddit: Non est tamen inutile iis queis torrida sunt viscera, & materia adusta. *Idem.* Si adsit *catarrhus*; ni coctus ille sit, non lavetur dicit *Paulus*: *Ætius* tamen id laudat, si materiam calidam agnoscit catarrhus, ita etiam *Rhases*: quare de crudo & aquoso loquitur *Paulus*: de adstricta cute cum calida materia *Ætius*. (*Joh. Heurnius ibid.*

19. *Vel invadit plethoricos*) Tunc curatio debetur eadem quæ synocho imputri, cui obnoxii plurimo sanguine abundantes. *Primirosius.*

20. *Vel Cacochymicos*) Adhibeatur eadem curatio quæ Ephemeræ ex Cruditate.

21. *Alia finitur uno die*) Ephemeræ febris duplex differentia statuitur, *Prima* quæ uno die sponte solvitur, & κατ' ἐξοχὴν talis dicitur; *Secunda* quæ in plures dies prorogatur, & *Ephemera Extensa* vocatur, sive *Notha* & *Illegitima*, quam alias *Synochum imputrem* quidam vocant; Etsi in hac sanguis incaluerit, tamen ad Diarias refertur, quod eandem cum iis naturam habeat, unamque accessionem, eodem tenore à principio in finem exporrectam: Vnde sub unico genere potius Galenus eas complecti voluit quam novum nomen fingere, duasque species constituere. *Primirosius l.1.c.4.*

22. *Alia transit*) *Ephemera Extensa* aliud quid diversum est à Synocho imputri, quæ ad humorales febres potius quam ad spirituosas referri debet: *Spuria* enim & *Extensa* dicuntur, quæ ultra primum diem porriguntur, causa *sil.* perseverante. Nam ex *Galeno 10 m.m.c.2.* triplex colligi potest Ephemerarum distinctio, *Una*, in qua causa procatarctica recessit, quæ vera est & legitima: *Secunda*, in qua ea permanet cum obstructione pororum cutis, & Synochus est imputris, *Tertia* quæ sine obstructione in aliquot dies extenditur, quia causa adest quæ spirituum accensionem fovet, *ob errorem*, (inquit *Galenus*) ægri, si balneo adstringente usus sit, si in vigiliis, curis, solicitudinibus perseveret, *Medici*, si ægrum inedia maceret, præscribatque diatriton; effervescit enim calor *jejunio*, qui cibi suavitate mitescit: Error quoque esse potest ex *parte causæ*, si putredo adsit & obstructio; A nobis ostensum quomodo per solam alterationem ex putredine interdum febris oriatur, quia putridus vapor ad cor non pervenit, sed solus calor extraneus, sic ex Bubonibus fiunt Diariæ, Id autem variis de causis contingit, 1. Si locus à corde sit dissitus, Sic in articulorum inflammationibus, & in ipsa paronychia febris interdum accenditur, sed non putrida, ob distantiam: 2. Ex ignobilitate loci, in scabie, furunculis, phymate, cæterisque externis cutis affectibus, febres interdum contingunt, in solis spiritibus consistentes; 3. Si affectus sit exilis. 4. ex parte materiæ, quæ non est subjecta cuilibet putredini; si quidem ex lacte in mammis collecto, ex catarrho salso, cujus materia aut leviter putruit, aut tantum incaluit, febres fiunt diariæ, sicut & ex corruptione ciborum in ventriculo: Et harum nulla ad Synochon aut veram Ephemeram referri potest, unde *tertium genus* constituere necesse est? Ex *obstructione* quoque contingunt Ephemeræ, & siquidem humores fuerint acres, Putrida fiet, Si blandi, plenitudo generaliter, qua calefacta & accensa succedit Synochus: Ex *Dolore* quoque fieri voluit *Avicenna*, sed potius ratione calidorum humorum, quos dolor attrahit; tum propter vigilias animique motus, qui in doloribus vehementibus dolores accendunt: Et hęc Ephemera statuitur ab H. *Saxonia*. periodica, ut febris quæ arthritidem sequitur sæpe redire solet, nova in articulos facta fluxione; Sed male, Periodicos enim morbos vocamus, non qui reverti possunt, sic enim omnes morbi essent periodici. sed qui natura sua reverti solent, ut febris Tertiana &c. antequã æger perfecte liberetur, Hujus generis non est Ephemera, nam natura sua perfecte sanatur, sed nova causa ingruente nihil obstat quin revertatur, & ideo hæc Ephemera novus est morbus, à priori distinctus, cum tamen periodi morborũ non faciant novũ morbum, sed tantum sint unius & ejusdem morbi variæ accessiones: *Idem ibid.*

22. *Alia transit in aliam febrem*) Degenerasse in aliud Febris genus hinc conjicere est, quod febris declinat sine sudore aut ephidrosi, vel certe, si adsit sudor, æger ad febris immunitatem non pervenit: Accessio vero longa est, difficilis, pulsus nondũ mediocritaté nanciscuntur: capitis dolor si adfuerit, non aufertur: Quæ quidem signa sunt Putridæ succedaneæ, interdum Synochæ, At vero ubi in Putridam facta est conversio, ægri perhorrescunt. Pulsus inæqualiter micant, contrahuntur, systole concitatur, calor mordicat, symptomata omnia ingravescunt, vestigium tamen concoctionis ex præcedente substantia relinquitur, quod plerumque non est præstu. *Joh. Stephanus Paraph in Avicennam de Febr. p.246.*

23. *Abit autem vel in Synocham &c.*) Si quis calida siccaque intemperie præditus, picrocholos, in Ephemeram incidat, & opportune alimonia non reficiatur, minimo negotiu gradum facit ad Causonem, aut ad Habitualem febrem: Si autem laborans fuerit eusarcos, facile implicatur Synochis, maxime ubi corporis habitus fuerit densior solidiorque, nec adhibita fuerint chalastica & arajotica; quæ corporis poros recludant, ne humores retenti, minimeque difflati impendio incalescant, atque putredinem situmque contrahant. *Joh. Steph. Paraph. in Lib. Avic. de Febr. p.246.*

24. *Vel in Putridam*) Transit ubi corpus vitiosis humoribus refertum est, qui à calore febris Ephemerę calefacti facile putrescunt & corrumpuntur. Degenerationis Ephemeræ in Putridam hoc certum signum est, quod jam unus aut alter dies elapsus est, nec tamen febris desinit, imo æger gravius laborat; calorque pro miti acer evadit. *Euchir. m. Pr. pag. 392.* Quæ est à crapula, esu fructuum facile putrescibilium, lactis &c. facile in Putridam transit, cujus transitus signa sunt inclinatio longa, & difficilis, quam nec sudor, nec mador excipit; aut si à sudore frequens fit pulsus & inæqualis, aut capitis dolor,

dolor, aut sitis, aut inappetentia resistat, nec post tres dies exactos pura sequatur integritas. *Ibid.*

25 *A causis externis*) Causæ febris Ephemeræ omnes sunt procatarcticæ, & referri possunt ad quatuor capita, Ea quæ *Assumuntur* quæ *Excernuntur*, quæ *Retinentur*, & quæ *Extrinsecus accedunt*; Quæ causæ spiritus primum tantum inflammant, sed si vehementiores sint, hecticas & putridas producunt, unde Ephemera, si diutius duret, in aliam febris speciem transire solet. *Primirosius.*

26. *Quæ assumuntur*) Ut aër, cibus, potus, medicamenta calida, intra corpus assumpta illud calore suo in consimilem intemperiem alterant; Vel per accidens id faciunt, ut cibi in ventriculo corrupti, calorem putredinalem concipientes. Sed & *media* humores accendit & inflammat, ac demum in solidas ipsas partes ægit, earumque humorem substantificum depopulatur. *Primirosius.*

27. *Aëre frigido*) Ex retentis suppressisque excrementis Ephemeræ interdum fiunt, ut ex *aere frigido*, balneo *aqua aluminosa*, si æstuans calefactumque corpus derepente ab externis hisce causis afficiatur, constipatis enim corporis poris, & densata cute, prohibetur effluxus vaporum spiritusq; accenduntur; Ægri relatione causa hæc deprehenditur, cutis arida redditur, pulsus fit aridus & velox, calor primum mitis videtur, sed longa manus impositione acrior persentitur; Et si diutius cutis constipetur periculum est ne putrida succedat in corpore cacochymico: In hac laxanda omni arte cutis est, aperientibus & relaxantibus, ideo continendus æger optime pannis contectus, frictione & unctione molli utendum, & sudorum provocatione: *Fricatur* igitur corpus manibus inunctis *Oleo chamæmilino, amygdal. dulcium anethino* cum *modico nitri*, & pauco vino albo: Sed & Balneum calidum ad hæc utilissimum est, in quo aperientes herbæ decoquantur, ut *menthastrum, balsamita, fœniculum, apium, petroselinum cum radicibus*: Quod si in balneo horror aliquis percipiatur, diutius non est immorandú, humores enim acres adesse horror indicat, unde putridæ metus impendet, vinum quoque bibat album mediocriter dilutum, caveatque semper ab omni frigore externo, *Primirosius.*

28. *Bene agitur &c.*) Plurimi madidi pluvia in febrem incidunt, sæpissime, à prohibita cutis transpiratione: Post V.S. nil inveni utilius quam decocto sudorifico corpus relaxare.

℞. *rad. salsapar.* ℥j. *sem. card. ben.* ʒß *flor. scabios. calendulæ ãã m.ß. f. omnium Decoctio, quæ calide hauriatur, addito vino albo, aut aqua theriac. guttis aliquot, Petrus Pachequus obs. 61.*

29. *Aëre calido*) Ephemera quæ ex aëre fervido, Solis ardore, aut alia externa calefaciente causa genita fuit, ut plurimum caput offendit, quamvis enim cerebrum aëre quovis ambiente calidius sit ex *Galeno*, tamen radij Solis ubi reflectuntur à capite, & solidis alijs corporibus, vehementissimum calorem generant, sed præterea universum corpus aëris fervor accendit, & per inspirationem attractus spiritus vitales ipsumque cor inflammat, unde Febris: Cognoscitur autem tum ægri relatione, tum quia caput grave redditur, cutis apparet sicca, oculi faciesque rubent, pulsus magnus adest, urinæ redduntur copiosæ; Capiti admovendum est oxyrrhodinum, vel simplex, vel compositum ex oleo oenopharino, papaverino, violaceo, cum unguento populeo: Oxycratum quoque erit utile ex aquis rosarum, plantaginis, solani cum aceto, sicut & embrochæ ex decocto refrigerantium, atq; his synciput, frons & tempora irrigentur: Victus ratio sit refrigerans, Balneumque aquæ dulcis convenit, cui refrigerantes herbæ sint incoctæ. *Primirosius.*

Et Solis æstu) Ab igne Solis omnia conservantur, componuntur; Debet autem hic ignis esse rarus, mollis, in motu moderatus, placidus; nam densus, rigidus, & in motu violentus, potius destruit quam componit: Sic quælibet mixta, à Sole distantia, ejus calore conservantur, quæ si approximarentur sphæræ, in cineres abirent, quia unita corpuscula, & citatiori motu vibrata, activitatem destructivam inferunt; In distantia vero disgregata, & in motu remissa, conservationi conducunt. *Pompeius Sacchi. meth. Febr. Cor. &c. p. 5.*

31. *Et tum caput dolet*) Cognoscitur tum ægri relatione, tum quia caput grave redditur, cutis apparet sicca, oculi faciesque rubent, pulsus magnus adest, urinæ redduntur copiosæ (*ex Hippocr. 1. de morbis, Cum caput calefactum fuerit plurimum urina redditur*) *Primirosius.*

Dolor levandus hoc *Oxyrrhodino* ℞. *Ol. rosac.* ℥iij. *aqu. rosar. violar. & plantag. ãã.* ℥j. *aceti* ℥.ß. *agitentur simul donec permista sint*: his tepidis frons, syncipur & tempora irriganda. *Ench. M. Pr.*

32. *Intemperies corrigenda*) Quod & Topicis præstandum, Olei frigidantis & humectantis, ut *ros. violac.* nive algefacti affusione super caput & pectus, curatio tentanda; Quod si oleum stillicidio quodam super suturam coronalem de sublimi concidat; majorem altioremque efficiet impressionem; Hic *gelida aqua* potus concedendus, & quæ æstum spirituum compescunt, dum febris inclinarit, quo tempore ægri ad Balneum pertrahendi sunt eo amsi rheumaticis dispositionibus obnoxij sint: hoc autem cavendum ne Balnei aut ambientis calor offendat; Neque verendum tepidam capiti superfundere, nam hinc solvitur febricula, & caput interim uvidum evadit: Postquam vero Balneis egressi fuerint, diligenter oleis refrigerantibus, ut *rosaceo & nenuphar.* circumlinendi sunt: *Joh. Stephanus.*

32. *A Cibis*) Si à *crapula, ebrietate.* imperetur *inedia*, proritetur vomitio & alvi dejectio, si eo repat humor, multo magis convenit Purgatio si ex immodico fugacium fructuum, ut persicorum, mororum, melonum, cucumer. lactis aliorumque cito putrescibilium esu orta sit, ex hac enim corruptione sanguis inquinatur, unde febris putrida: Postea corroboretur ventriculus *aromat. ros. & cort citri cond.* &c linatur extrinsecus *ol. nard. mentha* &c. *Ench M. P. tall.*

32. *A cibis calidis*) Febrem hanc interdum fieri notum est ex assumptis cibis & potibus, qui vel calore suo, vel corruptione corpus inflammant, Calore suo allia, aromata, vinum generosum copiosius potum, & hujus fundamentum est in hepate, quia cibi ad jecur attingunt: Cognoscitur immoderata siti, incendio hypochondriorum, urinæ ardore & rubore, Curatur blanda vacuatione per blanda cathartica, cassia, syrupo rosar. solut. Elect. lenitivo, catholico; dein refrigeratione corporis per refrigerantes cibos potusque; tum per balnea & epithemata refrigerantia hypochondrijs admota: Et si contingat ex vino, curatio ut in Ebrietate debetur. *Primirosius.*

33. *Ut vino*) *Vino* aliquando incalescunt spiritus ut Febris succedat, quæ perinde atque Ebrietas curatur; Interdum solvente pharmaco est opus, nonnunquam S.M. sæpe vomitiones, maxime si perseveret capitis dolor, Sub finem in Balneũ ingressus non est de nihilo. *Joh. Stephanus.*

34. *Tristitia, in qua*) Si ex *tristitia* & *mœrore* generetur, aderit *oculorum* cavitas & dimissio ex resolutione, *facies* decolor & pallidior, ob spirituum intro recursum, *calor* acris & mordax, *pulsus* parvus, languidus, rarus, durus, *urina* ignea, *corporisque* macies: Tunc animi hilaritas, tranquillitas imperanda, quæ rebus jocosis, minime serijs accersiri potest; sicut & optimis cibis, humectantibus, vini potu moderato (animum siquidem exhilarat) & lætificantibus medicamentis cardiacisque, *borragine, melissa, conf. alkermes* &c. Balneum aquæ dulcis &c *Primirosius.*

Curatur hujusmodi febris ingressu in Balneum sine mora in aere; subinde Litu ex oleo chalasti co, puta *amygdalino*, quod magis est profuturum, quam Balneum, Reliqua curatio lenientibus, frigidis, odoris, spiritus recreantibus, epithematis super cordis regionem positis, ex bene olentibus refrigerantibusque succis, & suavissimi lymphatique vini haustu perficitur. *Joh. Stephanus l.c.*

Ephemera ex Timore.

34. *Tristitia*) *Timorem* nonnunquam sequitur Ephe-

mera, ea prorsus ratione qua ægrimoniam & animi solicitudinem. Proportio enim Timoris ad angustiam fere analoga est iræ ad gaudium; nam ut motus spiritus in formidine est foris intro, ita in ira est intus foras, repenteq; succedit, non paulatim. Dignoscuntur perinde atque ab angustia febricitantes, hoc tantum interest quod hic pulsus diversi magis, inordinatique fiunt, perterritorumque speciem habent oculi: Curantur similiter atque Tristitia laborantes, præterea verborum lenocinio securitas promittenda; nuntii introducendi qui læta pronuncient. His vinum conceditur. *Joh. Stephanus.*

35. *Balneo inprimis*) Ubi ab animi affectione incubuit Ephemera, *illitus* valde *Galeno* celebrantur: hi enim oleo tepido & multo manibus molliter fricandi. *Johan. Heurnius.*

36. *Ira enormis*) Ex *Ira* aliquando adeo incandescunt spiritus (est enim fervor sanguinis circa cor) ut febricula excitetur &c. Curatur tranquillitate inducta, sublatisque irarum causis, sermonis blandiloquentia, lætificantium oblatione, revocato ad ludos & ad spectacula animo, ingressu in balneum tepidum, oleorum illitu. His vino sit interdictum: Utantur interim alimonia refrigerandi facultate prædita. *Joh. Stephanus.*

37. *Vigiliis*) Si ex vigiliis, longa meditatione contingat, Ad curationem victu utendum humectante, curarum omnium ablegatione, tum somno vires exhaustæ recreandæ, vinoque tenui & odorato reparandæ, & corpus balneo tepido sine sudore humectandum. *Primirosius.*

Ephemera ex *Somno* & *Otio*.

Ut intermixti cum halitibus per vigilias, & labores plurimi spiritus resolvuntur, & frustra eunt, Ita ex longiore *somno*, & *quiete* conduplicantur halitus (& fuligines, ut spiritus inde calescant, & febrim pariant, quam facile ab antecedentibus & consequentibus, pervigilio oppositis dignoscas; Curatur prolicito circa aërem balnei sudore, In balneum ingressu, frigidorum & humectantium usu, moderato exercitio, abstinentia vini. *Joh. Stephanus.*

Ex Labore.

38. *Vi Labore*) Ex immodico *labore* & peregrinatione si fiat, lassitudinem habet comitem, artuum musculorumq; calorem & dolores, siccitas adest partium pectoralium ob exhaustos humores, *pulsus* durus, parvus fit & debilis, ob contractam siccitatem, & resolutionem caloris spirituumq; factam in labore: Curatio tota analeptica est, nequaquam discutiens & resolvens: imperentur quies & otium, cibisque utatur boni & facilis nutrimenti; deinde ingrediatur *balneum aquæ dulcis tepidum*, cui peculiare est lassitudinem demulcere; dein ungatur corpus oleo dulci, ac tenui; ut violato, liliaceo, chamamelino; aut balneum paretur ex hydrelæo: docente enim *Aristotele* in Probl. hydrelæum melius lassitudinem solvit quam oleum purum, ideoq; *Galenus* unctionem olei post usum balnei præcipit, sed, ut docet *Alexander*, l. 12. c. 1. corpus neque sit plethoricum, neque cacochymum, alias cum humores jam incaluerint, prompte putrida febris accersetur à balneo, maxime si victus improbus accesserit; Sed nunc sine balneo hæ febres curantur. *Primirosius.* Noscitur ex corporis ariditate, nonnunquam ex emanante sudore, ni immodicus calor humorem [illegible] us absorbeat quam erumpit, aut certe ambiens frigus inhibeat, certe si vehementior fuerit labor, minus sudoris emergit, sed calefactis pulmonibus Tussis sicca emergit. *Urina* citrea, acuta propter [illegible]; tenuis ob resolutionem emittitur. Perperam [illegible] existimarunt illi qui ex lassitudine febricitantibus alimentum plusquam cæteris extenuandum esse crediderunt. [illegible] *[illegible]anus.*

Vir annor. 36. [illegible] adusti ex exercitatione per sex dies [illegible] febre [illegible], cum capitis dolore gravissimo [illegible], [illegible] increbescebat accessio per 14. horas [illegible] &c. Vocatus, solius sitis ratione [illegible], [illegible] potum aquæ frigidissimæ concessi, c[illegible] tenuissimi; Capiti & renibus admotum refrigerans medicamentum, videlicet herba *sonchus* contrita; sic convaluit. *Bern. Cristini Observ. 1. cent. 12.*

Ephemera ex Bubone.

39. *Bubone*) Ex *Hippocr. aph. 55. 4.* constat non Ephemeras solum febres fieri posse sed etiam Putridas, *Ex Bubone* ait, Febres omnes malæ præter Ephemeras. De Putridis id palam fit ex morbo *Adriani Spigelij* Anatomici celeberrimi, è vivis sublati cum Bubone sub axilla sinistra. Hic ex indicis digiti punctura dolorem & tumorem insignem in sinistro brachio expertus est cui successit abscessus, seu *Bubo* sub axilla, cum dolore adeo gravi, ut non solum brachium, sed & totum corpus immobile factum sit, cum febre acuta absque annotationibus manifestis: xx. sponte erupit abscessus, multam saniem suberuentam fœtidam effundens, hinc remisit quidem dolor; persistit tamen febris vehementia, à qua extinctus est 63. die morbi. Si *Galenum* consulamus is 1. *de diff. febr.* adstruit expressissimis verbis solas Ephemeras ex Bubonibus fieri. *Quæ ex Bubonibus* ait, *febres fiunt, calefaciunt semper partes continuas, donec ad cor usq; calor febrilis propagatur. Non pervenit autem ad ipsum putrida fuligo sed ibi permanet, loco Bubones circumscripta sola alteratione per continuum facta usque ad cor perveniente calore, eo prope modo quo in iis qui solo calore deuruntur.* Ex quibus verbis apertum est; Ex bubonibus putridas fuligines ad cor non elevari, atque ideo neque putridam febrem fieri. Accedit quod pulsus in febribus, ex Bubone sunt æquales, ex *Galeno l. de Dign. Puls.* cum in Putridis semper sint inæquales: Pro solutione non dixerim Febres ex Bubone, vel fieri à causa externa & manifesta, & has esse Ephemeras, vel à causa occulta, & esse Putridas; quod videntur mutuari ex *Galeni comm. l. cit.* licet & eo loco non dicat *Galenus* Bubones, qui sine causa manifesta ortum habuerunt, causas esse Febrium Putridarum, sed hoc solum *Verisimile est una cum viscerum inflammationibus accessiones suas habere* prout in casu *Adr. Spigelij*, in quo licet Bubo sub axilla factus sit à causa manifesta, punctura scil. digiti, nihilominus febrē putridam adnexam habuit, eamq; lethalem propter hepatis abscessum; Quare statuendum est Bubones factos à causa occulta non inferre putridas, sed significare noxam viscerum principum, ac propterea malos esse ratione signi, non ratione causæ; Non enim excitant febrem putridam, quoniam putredo illa cor non subit per vapores putridos; Ideoq; ubi legitur in aph. *Ex Bubone febres*, legendum, *Cum Bubone febres omnes malæ præter Ephemeras* Aliæ enim omnes possunt esse cum Bubone, & non ex Bubone &c. *Ben d. Silvaticus consl. 18. l. 3.* Quæ de impossibilitate elevationis vaporum ex Bubonibus ad cor afferuntur, repugnant circulationi sanguinis.

Ephemera ex *Sordibus cuti adhærentibus*.

40. *Pororum cutis constrictione*) Qui balneis & frictionibus assueverunt, si consuetudinem dimiserint, colligunt sub cute sordes & situm, a quibus meatus occluduntur, hinc calor intro aggestus augetur, & spiritus accenduntur, unde Ephemera nascitur, maxime iis qui cholericæ sunt complexionis, pravis utuntur cibis, sese impendio & importune exercent & evigilant. Curantur abstersione sordium, balneo, sudore, frictione ex *smegmate ex furfure fabar. farina. amygd. amar.* adjectis *nitro & rad. ireos* concinnato; Interim humectantes refrigerantesque cibi exhibendi, vinum pauciferum, & si opus, repetendum Balneum. *Joh. Stephanus.*

Ephemera ex Oppilatione.

40. *Pororum cutis constrictione*) Ex *retentis supressisque*, excrementis Ephemeræ interdum fiunt, ut ex aëre frigido, balneo aquæ aluminosæ, si æstuans & calefactum corpus derepente ab externis hisce causis afficiatur, constipatis enim corporis poris, & densata cute, prohibetur effluxus vaporum spiritusque accenduntur. Ægri relatione causa hæc deprehenditur, cutis arida redditur, pulsus fit durus & velox, calor primum mitis videtur; sed longa mora impositione acrior persentitur; Et si diutius cutis constipetur, periculum est ne putrida succedat in corpore caco-

re cacochymico. In hac laxanda omni arte cutis est, aperientibus, & laxantibus, ideo continendus æger optime pannis coopertus; Frictione & unctione molli utendum, & sudorum provocatione, Fricetur igitur corpus manibus inunctis oleo *chamamelino, amyg: al. dulc. anethino* cum modico *nitri* & pauco *vino albo*; Sed & Balneum calidum ad hæc utilissimum est, in quo aperientes herbæ decoquantur, *mentastrum, balsamita, fænic. apium, petrosel.* cum radicibus. Quod si in Balneo horror aliquis percipiatur, diutius non est immorandum, humores enim acres adesse horror indicat, unde putridæ futuræ metus impendet. Vinum quoque bibat album, mediocriter dilutum, caveatq; semper ab omni frigore externo. *Primirosius.*

Cum multis de causis, nempe propter siccitatem, propter pulverem, & sordes ablutione minus detersas, ob Solis adustionem, ob balneum adstringens, nonnunquã oscula & ramuli venarum intercluduntur, hinc ortus Ephemeræ, Nam ubi diaphoresis minuitur, & augetur repletio, & præclusio, necesse est transpiratum deficere, plurimosque vapores suffici, qui præcalfacti spiritus caloremq; accendunt; quod si thermalia sanguini communicetur, ut ferveat quidem citra putredinem, imputris synocha fiet, verum si contumacius inhæreseat infarctus, si diutius perspiratus prohibeatur, necesse est humidum interclusum putrescere.

Sic vitium capiunt ni moveantur aquæ, & putridam febrem inolescere. Id vero maxime accidit ubi obstructiones à materiæ crassitie, lentore, multitudine, aut ab instrumentario quopiam alio affectu dependent, ceu ex frigore constipante, apostemate coarctante, aut supercrescente tuberculo: Et sane febris ab hisce causis prognata difficile facessit in hecticam, quoniam corpus cacochymia plurima scatet, & uvescit. In hac Febre *sitis* urget, *calor* acrius urit, *urina* proxime ad igneam accedit, hinc propter similitudinem, quæ illi intercedit cum putridis, difficulter dignoscitur, hinc perseverante causa etiam ad tertium diem producitur, &, si Diis placet, eo etiam amplius maxime si pervicaciores fuerint infarctus, origineq; ab intestino trahant. Quod si ab extraria origine proficiscantur, exiguique sint, citius abolerur febricula, quæ abolita interdum reviviscit, vestigio infarctus remanente, ut speciem & imaginem quandam Putridę febris periodicæ referat, At vero si cum horrore aut frigore repullulet, revera jam in putridam defecisse conjectandum est, facilis enim est metastasis ob symbolum.

Dignoscetur febris hæc si nulla primitiva causa præcesserit, si prolixiorem habeat declinationem, nullaq; sequatur madoris aut sudoris eruptio. Quod si repleoonis signa præsto sint, conjectura augetur, nempe corpus eusarcum; polyæmum, aut certe non desint indicia crassorum & viscidorum humorum. Utrum subsit *plethora* inde colliges, quod qui à repletione laborant corpus habent prætumidum, rubore facies suffunditur, oculi micant, venæ turgescunt; causæ replentes antecesserunt; intermissum exercitium, pulsus magni; pleni, suppressa est solennis aliqua evacuatio, hæmorrhoidum, mensium. Qui vero à *cacochymia*, viscidis quippe & crassis excrementis obturantibus febricitant, nihil habent talium, Imo si plurimæ subsint obstructiones, exiliter subsultant pulsus parvuli; si modicæ minus.

Curatur phlebotomia si humorum multitudo subsit; in principio adhibita, ubi minus febricitare videtur, nam vigente febre melius est quietem habere, quandoquidem V.S. fluxiles reddit humores, & perturbat commiscetq; quare si mittendi sanguinis scopi præsto sint, ab initio sanguis erit hauriendus: Absoluta V.S. subductaq; alvo, expediendis obstructionibus vacandum est, & meatibus detergendis, alioquin periculum esset ne tractis in venulas recrementis obstructiones augerentur, maxime si meatus natura sint angustiores, crassiusculaq; excrementa.

Cæterum V.S. ita fumidos halitus educere consuevit, ita reprimere uligines, maxime si per plenitudinem eam uberius exercere liceat, ut in Putridam lapsum inhibeat. At si oppilatio ex lentore & crassitie proveniat, non tanta sanguinis effusione opus est, sed modicissima, & cibis & medicamentis incidentibus, & detergentibus, quæ infarctus recludant, Aperientia vero non debeat impendio calfacere ob febrem, sed sint ceu *syrupus acetosus*. *de endivia. adiantinus* dilutus *aqua borraginis, agrimoniæ, fænicul*; Cibus vero is sit qui nihil admittat crassi, aut viscidi, qui abluat & detergat; qualis ptisana hordeacea addito saccharo.

Ubi decens evacuatio peracta, & aperientia propinata, observandum erit num febris decrescat, &, si accessiones habuerit, num prima levior fuerit secunda; Ad hæc ad Urinam & Pulsus oculos adjicere oportet; nam si ista concoctionem præ se fert mediocritate sua, si pulsus æqualitate putredinis suspicionem arceant, tutum est ab incepta medendi methodo non desistere. A tertio paroxysmo, decedente febre, in balneum deducendus æger, ibique totum corpus oblinendum, perfricandumq; hic quæ mediocri detergendi vi pollent, ceu *hordei, orobi, rad. lilior. & aristol. polline* cum *hydromelite in smegma coactis* quibus si *nitri* modicum adjicias multo reddes efficacius.

Quod si in Balneo accidat rigor vel horror, aut quæpiam molesta affectio, tunc ne momento quidem relinquendus in balneo est æger: nam oppilationes non sunt hujusmodi quæ tolli possint Balnei usu: Ab egressione igitur à Balneo quam mox cibis refici haud debet, sed parcat oportet alimoniæ donec febris remiserit, ut aliter corporis dispositio exigat, tunc enim *ptisanam hordeaceam*, incocta *rad. apii* propinare licet; Sed enim repetendum est Balneum si prima vice profuerit, id quod ex sequenti dignoscetur paroxysmo leviusculo, lotio laudabili; Pauca enim oppilatio iterato balnei usu penitus exigi potest, Atque extincta febre resovendi sunt ægri ut reliqui, humectantibus, & refrigerantibus cibariis: Quod si sequens accessio deterior fuerit, & urina nihilo melior, tunc febrem in Putridam jam degenerasse credendum est. *Joh. Stephanus c. 22.*

41. *Vel ab aliis humoribus*) Hæc referenda ad tertiam classem, Vide supra §. *A causis externis*) eorum videlicet quæ *Retinentur*, Retenti enim calidi humores & excrementa suam intemperiem corporis partibus, in quibus hærent communicant: Et si putredinem concipiant, in aliud genus febris facessunt.

42. *Vulnere*) Tunc eadem symptomata accidere solent quæ ex *Bubone*, qui non ex causis latentibus, sed ex ulcere in proximis partibus concitata fluxione ortus sit, Pulsus maxime veloces, frequentes, calor plurimus, humiditas calida post statum, mitis, minime omnium acris, facies rubicunda, tumens, urinæ subalbidæ, ob defluxionem ad inferiora. *Cæsalpinus* Art. m. l. 3. c. 6. Quod si ab *ictu bestiæ venenatæ* productæ inflammationes febrem comitem habeant, *venenata* à nobis appellata erit, Ephemeræ instar brevis, cum etsi hominem non interimat, supra diem unum durare vix possit: Accidentia gravia alia quoque, ut tremorem, convulsionem similiaque subito supervenientia (quibus, un & ex prægresso ictu cognoscitur, obruitur) simul conjuncta habens. *Platerus.*

42. *Vulnere*) Eadem accidentia sequuntur quæ ex Bubone (vide supra §. *Non quidem per modum transfusionis*) Nam antequam sanguis vitiatus fuerit, ex inflammatione fit Ephemera, post Putrida; Prohibenda inflammatio V.S. si non satis sanguis profluxit ex vulnere: Victus tenuis, Potus aquæ frigidæ in æstate, at præsente inflammatione, tepidæ; *Celsus* super vulnus quoque lintea imponit ex aqua frigida, vel tepida, ubi inflammatio, nam citius suppurat; Licere vulnus curare sine peregrinis, & conquisitis, & compositis medicamentis, ex *aceto, vino, aqua*, Hodie unimur *rosaceo* ad prohibendam inflammationem, Non Balneo. *Cæsalpinus Art. Med l. 2. c. 9.*

43. *Ab Apostemate*) Febres intestina sequentes *Apostemata* Putridę sunt, nonnunquam etiam veteres Abscessus excit-

piunt hecticæ: Quæ vero externas Phlegmones phlogosesque sequuntur. Diariæ sunt, veluti Furunculos, phygetlon, bubones, phymata maxime, quæ in glandulosis locis & adenibus erumpunt, ut in inguinibus, ex hepatis excrementis; aut sub axillis ex cordis retrimentis, aut pone aures ex supervacuis cerebri: Hinc si citra putredinem ad Cor halitus æstuosi deferantur, Ephemera excitatur; Si cum putredine, ut in internis inflammationibus, Putris paritur febris. Et sane ut plurimum febriculæ quæ succedunt Apostematibus ab evidente causa subortis, utpote scabie, ulcere, dolore, percussione, lapsu, sunt de genere diariarum; materiæ enim concitæ ad partes molles confluunt, ibique incuneatæ calescunt; Apostemata vero quæ non ex primitivis evidentibusque causis fiunt, sed ex antecedentibus intrinsecis, cacochymia, plethora, infarctu, frequêtius Putridas pariũt; Quicquid sit, febriculæ, quæ secundum phlegmonas erumpunt, pullulantve, de genere Ephemerarum esse consueverunt, Febres vero quę præcurrunt, non solent esse tales, proin *Hippocrates* febres damnat ex Bubonibus, nisi sint Diariæ, Phlegmonas autem & Erysipelata febribus excipi notum est experientia. *Curantur* ejusmodi febres phlebotomia, pharmaco, topicis convenientibus. Interim accisa Diæta instituenda, vinum subtrahendum, danda humectantia & refrigerantia, In Admotis vero ea methodo utendum, ut primum valida apocroustica (*contra mentem plurium neotericorum*) dein resolventia mixtis adstringentibus, tandem digerentia sola adhibeantur. Id animadvertendo repellentia non esse adhibenda ubi phlegmone adenas & emunctoria occuparit. *Joh. Stephanus.* Vide supra §. *Bubones.*)

44. *A catarrho*) Catarrhales febres vocat *Sylvius de le Boe* pr. m. l. 1. c. 3. quas inducit catarrhus, non tantum ad Pulmones, verum ad alias quoque partes, ruens, atque una cum paroxysmo febrili motus ac cessans: humor namq; novus non delabitur ad partes extra paroxysmum, qui vero jam defluxit, non recedit aut deserit partem affectam licet desinat febrilis paroxysmus. Debentur autem humoribus in capite paulatim collectis, atque ab intermittentis febris causa, eo delata, solutis, & ad sui destillationem & defluxum quaquaversum commotis. Catarrhi una cum febrili paroxysmo ad sui delapsum concitati, prout materia constant diversa, & diversas partes afficiunt, medicamenta desiderant diversa, In genere corrigenda eorum qualitas vitiosa; minuenda eorum copia, & corroborandæ partes ab ipsis affici solitæ Catharri proinde crassi & viscosi attenuandi & incidendi *aromaticis*. Serosi vero & salsi temperandi *oleosis* & *opiatis*. Evacuandi crassi *phlegmagogis*; serosi *hydragogis*; Corroborandæ partes affectæ afficiendæve, contra pituitam viscosam & crassam per *aromatica* ipsis grata. Contra serum salsum per *glutinosa* tum interna tum externa. *Fr. Sylvius.*

45. *Coryza, capitis gravitate*) Sic apud *Hippocratem l. 5. Epidem.* Ex catarrho secundum capitis dimidium quidam dolebant, & per nares humore fluente febricitabant moderate, & intra quintum diem refrigerabantur: Catarrho laborantes, *inquit Vallesius in Comm.* comitari solent febriculæ quædam non adeo magnæ, sed quotidie vespere ingravescentes, quod somno & noctu crescat capitis repletio: Durare solent hæ diutius quibus catarrhi lente coquuntur, neque evacuantur; quibus vero vacuationes idoneæ cito superveniunt, morbum contrahunt &c. Quinta die refrigerabantur, i. e. febres cessabant.

Ephemera à Cruditate.

46. *A cruditate*) Fit interdum Ephemera ex ciborum corruptione, ex qua vapores fervidi, spiritibus permisti, tũ illos tum reliquum corpus accendunt, *Cruditas Nidorosa* à Medicis vocatur, Arabũ interpretibus *Nauseativa satietas* dicitur. Dubitat *Valescus*, an ex ea febris generari queat, hęc enim repletio calorem nativum potius obtundit, crudos plurimosque humores procreat, à quibus frigidi morbi & chronici pullulant. Dic Cruditatem esse duplicem, Acidam, quæ fit à frigido, nec febris causa existit, & Nidorosam, quæ caloris exsuperantis soboles est, & proinde causa febris: Notat tamen *Trallianus* non fuctum tantum & cruditatem, sed & ætatem, temperamentum, reliquamque victus rationem spectari oportere, non enim semper nidorosus ructus à caliditate, sed ab ipsis interdum cibis provenit, quales sunt mellitæ placentæ; sic acidus interdum ab acidis & acerbis cibis proficiscitur. Fit ergo ex ciborum repletione, qui cum perdomari & coqui non possint, corrumpuntur, maximeque si acriores fuerint, aut facilè corruptibiles, aut etiam jam corrupti; Est autem vel in ventriculo & intestinis primisque viis, vel in toto corpore. Cum in prima regione subsistit, ventriculum & hypochondria distendit, hinc tumor, inflatio, frequens borborygmus, tormina ventris, vellicatio, nausea ructusque, capitis dolor. Quod si diutius in ventriculo remanserit, aut in Jecur venasque majores penetrarit, humores contaminans, Putridam accendit, tunc urinæ primùm redduntur tenues & aquosæ ac omnino crudæ, aut saltem leviter tinctæ, post fiunt conturbatæ cum divulso sedimento & inæquali, quod procedente coctione læve fit, album & æquale; debilis enim calor, & materiæ contumacia hypostaseos bonitatem interturbant, lassitudo quoque spontanea adest, & interdum horror plurimus & longissimus, somnus gravis & molestus, pulsus inæqualis, obscurus, parvus, color faciei mutatur in lividum, plumbeum aut pallidum, aut saltem alium à naturali.

Febris hæc periculosa evadere solet, mutatur enim in Putridam, *Ventris segnities, vasorum impuritas, omnium confusio*, Itaque si prædicta signa perseverent, malus scilicet faciei color, urinarum cruditas, pulsuum imbecillitas & inæqualitas, accedantque mentis & sensuum, hebetudo, maximum impendet mortis periculum, copiosam enim crudorum humorum copiam ostendit, quos vires imbecillæ superare nequeunt & emendare, unde sub hoc onere collabuntur & ruunt, & sæpe accedente syncope moriuntur. Ratione autem crudorum succorum à quibusdam inter Pituitosas refertur, Solet enim primum à spiritibus incipere & in Putridas degenerare. Sed *Hippocrates libro de Flatibus* elegantissimè Febrium ex prava victus ratione ortum declarat, *Fiunt*, inquit, *cum quis cibos copiosiores ingerit quam ferre possit, nec exercitiis utitur, tum cum varios dissimilesque immittit, nam dissimilia* στασιάζει *& hac quidem celerius, illa tardius concoquuntur, tum cum ciborum copia plurimus spiritus intro subit, ut patet ex ructibus, ex quibus flatus è disruptis bullis erumpit. Repleto itaque corpore tum cibis, tum flatulento vapore ex cibis generato, obstructa alvo, ac retentis in ventre cibis, in universum corpus flatus subeunt, partesque sanguine refertas refrigerant, unde universum corpus horror occupat, & quo major fuerit horum flatuum copia & frigiditas, eo major est hic horror.* Et hic est sensus sententiæ Hippocraticæ; Et vidimus sæpe plurimos post ingluviem & crapulam toto corporis habitu per unum aut alterum diem valde refrigeratos, & interdum per vices incalescentes, ac statim iterum horrore correptos, cum dolore capitis aliisque symptomatis, quæ postea sponte omnia cessabant, evicta à calore nativo omni cruditate quæ calorem sui copia suffocabat.

Ad Curationem autem spectandum alvusne soluta sit an adstricta, fluere enim melius est quam si in intestinis & mesenterio cibi retinentur. Cavendum tamen ne corrupti humoris mordacitate intestina violentur, quod fiet clysteribus acrimoniam temperantibus, ex oleo amygd. dulc. butyro rec. decocto malvæ, althææ, lactucæ, lapathi, (*cremore hordei, avenæ &c.*) conveniens instituenda diæta, quies, inedia, cibi parcitas, Vomitio aut alvi subductio accommodata quæ primas vias expurget, ex *Hiera, Rheo, Senna, cathol. Elect. Lenitivo*, Solus enim corruptionis

ruptionis nidus intus derelictus Putridæ febris initium plerumque fuit: Ventriculus deinde roborandus internis & externis, Itaque foveatur *oleo mastichino, de mentha, de absynthio, nardino*, Fomentis quoque & Emplastris, si alvus fluxus sit immodicus, adstringentia & aromatica sunt admiscenda quæ simul roborent, Imponatur mica panis aceto vel vino adstringente madefacta, cum pipere, cinnamomo, spica, mastiche, vel pulpa cydoniorum cocta, additis prædictis pulveribus, Sic fiant Fotus ex *rosis coriandro, balaust. absynthio, spica, in vino adstringente* decoctis. Pariter fiant litus ex simili materia.

℞. *Olei cydonior. rosar. de absynth. spica āā. ℥ß. mastiches, nucis mosch. cinnam. ʒß. ceræ parum misce Linimentum.*

Intus præbeantur Pulveres *diarrhodon aromatic. rosat.* aliaque similia stomachica, Cibus non administrandus nisi cruditate superata & vacuatis excrementis, sed si alvus sit adstricta, aut saltem fluat parcius, recineri cibos corruptos contingit, vel in ventriculo vel intestinis quod cognoscetur ex doloribus vel sub umbilico, vel supra infestantibus, solent tunc flatus plurimi infestare, ideo præscribendi Clysteres qui & flatus discutiant, & dolorem leniant, & blande vacuent.

℞. *Jusculi domi parati* ℔ß. *incoque flor. chamom. anet. meliloti. āā. P. j. semin. anis. fœnic. āā. ʒij. In colatura dissolve cassiæ extr.* ℥j. *cathol.* ℥ß. *olei chamæm. butyri fr. fi. āā.* ℥j. *sacch. rubri* ℥ij. *vitellum unius ovi m. f. clyster.*

Si adhuc fuerint in ventriculo, blandis vomitoriis erunt sursum evacuandi, ex *hydrelæo* tepido copiose sumpto, vitatis semper vehementioribus, quæ stomacho molestiam exhibent. In omnibus utilis erit blanda purgatio, ex manna, syrupo rosar. solut. rhabarb. & similibus, maxime si ex fugacium fructuum esu orta sit, ut sunt melones, cucumeres, persica, mora, ova, pisces frixi.

Roborandus deinde ventriculus lana purpurea ventriculo obducta, mastiche, rosis & similibus. Sed tamen calefacientia vetat *Trallianus*, etsi enim ad tempus prodesse videantur dissipatis flatibus, febrem tamen postea magis accendunt, ideo vinum prohibet, nisi vires suadeant, miraturque Galenum uti diatrionpipereone, Verum purgato corpore non nocet, ejus enim calor in primis viis extinguitur, nec venas subit, & ventriculum debilitatum optime restituit in pristinum statum. Notandum tamen est ejusdem *Tralliani* remedium, *Potum* enim *aquæ calidæ* commendat, ubi cibus est in ventriculo, eluit enim, abstergit, & ad inferiorem ventrem cibum propellit, spiritumq; incensum temperat, & melius remedium se non nosse ait, Et revera est optimum. *Primirosius.*

Maxime accidit si picrocholus fuerit æger & densioris habitus, nam hujusmodi scatere consueverunt fumidis recrementis, & carere acidis ructibus: Illi vero peropportuni sunt qui à repletione & crapula sese immodicæ exercitationi aut balneis dedunt, aut se solaribus exponunt radiis, sic enim fit ut halitus acres conduplicentur, maxime si in visceribus mordax aliquis, aut dolorem inferens humor præfuerit. Illi vero qui acidum eructant à crapula, vix tali febre corripiuntur. Diversa vero est curandi ratio febricitantes cum cita alvo aut cum stricta, nam si tali febre laborans bis terve alvum exoneravit, & subinde sanguis mittatur, immodica ventris effusio sequi solet, & forte etiam fluxus hepaticus ob exustum sanguinem, quem cordis palpitatio & linguæ nigredo arguunt; Quatuor, aut etiam periodis septem, terminari solet, naturam Ephemeræ haud exuens, cum pulsus undequaque salutem portendant. Indicia sunt ructus nidorosi, acres fumi, qui si mitiores suavioresque appareant, adventantem sanitatem denuntiant, Urina vero cruda est, aquea; Cruditatum quandoque causæ sunt immodestæ vigiliæ, & tum adest oculorum [illegible] inflatio, prægravantur palpebræ.

Febricitans à cruditatibus aut soluta alvus est, aut stricta, tunc excitari debet præmissa vomitione si stomachi fastidia incessant: Sed & animadvertendum an alvum subducere clysmo, suppositorio, aut pharmaco expediat. Dein an deposita feb. digestionem confectionemque cruditatum promovere sit præstantius. Utrum patrandum Ructus indicant, Nam si cibus adhuc in ventre innataverit, nec facilis sequatur vomitio, tunc satius est coctionis quam febris rationem habere, dato diapipereo, quo una in fentuiam digesta cruditas descendat; seu simavis foris admoveas quæ coctionem promoveant, Imitare autem naturæ impetum oportet, quare si cruditas ad intestina devolvatur, clystere aut suppositorio promitari debet dejectio. Hic toleranda fames donec nausea & fastidia ventris cessaverint. Verum si alvus fluat, videndum an excreta sint fœtida, corruptave necne, quod si talia sint, minime cohiberi, imo exigi expungive debent. *Job. Stephanus c. 24. Paraph. in Avicen. lib. de Febr.*

47. *Prodest & vomitus*) Puero ab esu carnis caprinæ assatæ accidit febris non mediocris, cum delirio tota nocte perdurante. Pulsus erat validus sed urinæ crudæ: Præcepi decubitum in lecto tota die sequenti, cum cibi abstinentia, febris non conquiescebat: Postridie dedi ℥vij vini in calice è stibio confecto infusi; Plurima vomuit, circa vesperam liber a febre fuit, neque deinceps reversa est. *Berhard. Cristini cent. 12. obs. 6.*

48. *Et tum fuligo sentitur*) Etsi quæpiam febris incipiat à rigore, quod quodammodo putridam indicat, tamen non omnino inde constare potest non esse Diariam; quia quæ ex satietate aut ebrietate oritur Diaria, maxime imitatur Putridarum figuram, ob redundantis cibi ac potus alterationem. *Vallesius comm. in lib. 5. Epid. p. m. 554.*

Ephemera ex Evacuatione nimia.

49. *Ab evacuatione nimia*) Ex catharsi & sequenti lassitudine, interdũ ita cientur spiritus ut igneũ concipiãt calorem, hinc pravus excitatur febricula, quã & pharmacĩ caloris vi exuscitat, Et *phlebotomia* quoque, quoniã educti sanguinis uvidi ubertate, cholerici halitus spiritibus intermixti ardorem ingeminant. *Curatio* percipitur adstringentibus alvum, alimoniæ refrigerantis & humectantis copia, quæ facile confici possit: conferunt quæ stypsi pollent nutrimenta austeriuscula; stomacho calida roborantia admovenda, nam tepida relaxant. Proinde si lana inebrietur *oleo nardino, melino, myrtheoque* permixtis, & admoveantur, maxime erunt usui. Item Epithemata cordi & hepati ejusdem naturæ applicita juvabunt. *Joh. Stephanus.*

Ephemera ex *Fame* & *Siti*.

Defectu *Alimenti* & *Potus* aliquando adeo excandescũt spiritus, & acuuntur, ut febris accendatur. Dignoscitur debilitate, Pulsus parvitate & duritie. Curatur ingestione cibi, sorbitunculis, potissimum ptisana, oleribus, omnino recreantibus & roborantibus: dein balneo, effusione aquæ super caput, Litu totius corporis ex *ol. rosac. violat. cucurbitino* & potu frigidæ; intermixto Punicorum succo, & balnei frigidi usu. *Joh. Stephanus.*

50. *A Dolore*) Dolor excitis spiritibus Febrem parit, Occupatione læsæ particulæ, ut dentis, auris, articuli, extremorum, coli aut hæmorrhoidum dignoscitur: Curatur anodynis, & iis quæ febricitantibus ex labore conveniunt; Vino interim sit interdictum, si dolor hinc suscipit incrementum. *Joh. Stephanus.*

51. *A lipothymia*) Superveniente *syncope* fit quædam spirituum reciprocatio, hinc æstuant, & febris excitatur. *Dignoscitur* [illegible] & aliarum absentia, ac negatione causarum quæ Ephemeras parere consueverunt; *Pulsus* diversimode se habent, modo enim concidunt, modo fortiùs emergunt; interim vehementiusculi, prout frigus aut calor prævaluerit. In duritie vero tabidorum referunt Pulsus, interim vermiculares subsultant; Curatur exhibitione cibi euchymi & qui festinatore reficiat, sicuti sunt recentia ova & vinum modicellum; Verum redintegratis viribus febrium curationem auspicari oportet ab humidis & frigidis. *Joh. Stephanus.*

52. *A suppressione*) Suppressa *ulceris sanies* Ephemeram inducere potest, quod tunc aperiendum. Sic si a *suppressis hæmorrhoidibus* aut *mensibus* oriatur Ephemera, hæmorrhoides & menses evocantur. *Enchiri. Med. Pr.*

CAPUT II.

De Synocha simplici.

SYnocha simplex est [1] *Febris sine Putredine, à spirituum &* [2] *tenuioris sanguinis effervescentia, sine remissione tres, quatuor, vel plures dies affligens.* Dicitur *Synocha*, à continuo fervore, *Galeno lib. 2. de Febr. c. 11.* & *Ephemera* plurium dierum. *Mercato Humoralis* seu *Continens citra putredinem*: Zacuto, *sanguinea imputris*: aliis *inflativa*, quia cum sanguis effervescit, vasa distenduntur & lassitudo corporis sentitur.

[3] *Signa* vehementiora sunt quam in diaria, nempe, calor blandus, cutis mador cum membrorum distentione: [4] pulsus, propter arteriæ molliciem, magnus, plenus, frequens, celer. Urina solito crassior & rubicundior, respiratio, à magna pectoris per vapores distentione, & summa venarum jugularium repletione difficilis. Lassitudo spontanea citra ullum corporis exercitium, spontanea & tensiva, ob venarum à sanguine turgentiam: gravitas circa frontem & tempora, narium quidam à vaporibus vellicantibus pruritus; [5] totum corpus rubet & inflatum est.

[6] *Causa* est spirituum & [7]. sanguinis tenuioris effervescentia, in omnibus vel maximis vasis, juxta alas & Inguina, ut quidam volunt; [7] quæ à transpiratione suppressa in corpore plethorico multos calidos vapores emittente oritur. Adstrictis cutis poris, plus à sanguinis copia vaporum attollitur, quam ob meatuum angustiam difflari potest: vapor retentus calidior evadit, & proxima accendit.

[8] *Curatio*, [9] non est ita *difficilis*, quia robusta corpora magis corripit, vel [10] temperata, vel calidiora, vel humidiora, ætatis mediæ, habitus carnosi ac verè quadrati, nisi in aliam transeat. [11] *Solvitur* interdum sudore vel [12] hæmorrhagia narium copiosa, intra quartum ad summum septimum diem, nisi insigni aliquo errore, quem vel æger vel Medicus, vel assidentes commiserint, in putridam vel morbum gravissimum, ex plethora nasci solitum, abeat. [13] *Respicit*, I. *Morbum* seu *febrem*, & *tum* opus erit, [14] *alteratione* tam *intra*, [15] per aquæ frigidæ cum cautionibus, de quibus apud Galenum, assumendæ haustum: [16] vel quod tutius, per succos citri, limonum, granatorum. [17] spiritus salis vitrioli, Emulsiones ex seminibus frigidis paratas &c. [18] quam *extra*, per epithemata cordi vel hepati admovenda, ex pulveribus diatrion santalon & aliis facta, [19] óxyrrhodina, [20] balnea [21] & alia. II. *Causam*, ubi locum habet 1. [22] *Venæ sectio*, [23] celer, parua, aliquot vicibus facta, non obstante Galeno, qui sanguine ad animi deliquium emisso febrem se jugulasse gloriatur. Per hanc enim sanguine evacuato, putrida præcavetur, refrigerium oritur, & vaporum proventus minuitur. Præmittendus tamen clyster, si suspicio aliquid vitiosi in intestinis hærere. 2. [24] *Evacuatio* [25] si biliosa & serosa excrementa in intestinis stabulantur, ne fumi porrò coacerventur, prosunt tamarindi, rhabarbarum, syrupus rosarum solutivus, cremor tartari &c. III. [26] *Ægrum*, cui debetur 1. [27], [28] *Victus refrigerans*, cremor hordei, jusculа pullorum citrata, limoniata, vel acetosella imbuta. 2. *Corroboratio*, per manus Christi perlatas, diamargaritum frigidum, syrupum corallorum, conservam rosatum vitriolatam &c.

[1] *Febris sine putredine*) Quia calor febris hujus in sanguine non in spiritibus fundatur, eam ab Ephemeris distinxere Recentiores, contra *Galeni* mentem: Docuimus differentias febrium desumi à triplici materia, spiritibus, humoribus & solidis partibus. Eam quæ in humoribus consistit duplicem constituunt, quæ enim ab humoribus excalefactis fit, distinguitur ab ea quæ ex iisdem putrescentibus oritur, & sane hoc sensu Synochos à Diaria maxime differt, Sed quia maximam habet cum Diariis analogiam in calore, pulsu, brevitate & causis, eam *Galenus* sub eodem genere reposuit, non siquidem à Febris substantia, sed tantum à duratione Ephemeræ nomen datum, Cum enim sanguis in utraque incalescat, & tantum secundum magis & minus differant, frustra in duas classes disponentur, magis enim calent in synocho humores quam in vera Diaria, in qua spiritibus humoribus contenti magis fervent. *Primirosius.*

[2] *Tenuioris sanguinis*) Subjectum est universa sanguinis massa, quæ interdum biliosior est, & Febrem facit synochon biliosam, quæ tamen non debet à priori distingui, quia non ex bile sincera excandescente oritur, sed ex sanguine calidiori & fervidiori, imo universa massa cum accenditur videtur quodammodo bilescere & attenuari, Sed quæritur, An Obstructio in homine bilioso, cum plurimam bilem coacervet, & ex prohibita transpiratione accendat, febrem non procreet biliosam imputrem? ℞. Sanguinem solum naturæ lege in venis contineri, cujus pars tenuior biliosus, crassior melancholicus sanguis vocatur, bilis vero utraque suis receptaculis continetur, nisi p. n. ob causas plurimas bilis proventum facientes, vel quod sanguis ipse putrefactione in humores tales degeneratur. Hoc modo non dubium est quin Synochus biliosa detur, minime tamen à priori diversa, sed abusive biliosa d[illegible]ur, quia ex bile ipsa non generatur. Si enim bilis prædominetur, cacochymia est; itaque si tunc adsint obstructiones, febris quidem generabitur, sed ea putris, omnis enim humor qualitate peccans sibi relictus putredinem concipit. Ideo sanguis sine putredine incalescit, quia à natura conservatur, & calore nativo plurimo abundat, ideo tardius ab extraneo afficitur; quo enim singula calore fortiori prædita sunt, eo difficilius à calore p. n. corrumpuntur, ut vina generosa; reliqui autem humores, cum naturaliter non sint in venis, si calorem extraneum concipiant, à natura derelicti facile in putredinem labuntur; Fieri itaque ex Bile Synochus potest, sed quæ erit ad putridas referenda. *Idem.*

[3] *Signa*) Quoties ab internis causis, nullo in rebus non naturalibus dictis patrato errato, intervallis certis aut incertis redeunte molestantur ægri febre, toties, illa vocatur Intermittens, h. e. haud continuo affligens, ast

per

per paroxyſmos repetens, iterumque in totum deſinens: Quoties contra non ab internis, ſed ad externis cauſis, ac imprimis ab uno plurimiſve erratis in Rebus non naturalibus commiſſis excitatur Febris, toties illa ſimpliciter vocatur Febris, donec aut ex comitibus ſymptomatibus probabiliter cenſeatur futura vel continua, eaque diaria ſynochave, vel intermittens; aut poſt paucos ſaltem dies certo determinetur ipſius ſpecies. Nimium namque ſibi adſcribunt quotquot, falſi, ſæpius licet argutt, ad conſequendam judicii acris apud imperitos famam, inaniter gloriantur ſe mox in prima cujuſvis febris invaſione, & invaſioni principio, ſtatuere poſſe certo an Ephemera, an Synocha, an Intermittens, & quidem an Quotidiana, an Tertiana, an Quartana ſit futura febris: Quam gloriationem Thraſonicam libenter iis concedimus qui ſe abolque paſcere ſolent fumo, ac delectari vento, *De le Boe Sylvius Prax. M. c. 30.*

Hanc ſignificant *corporis habitus* craſſus, tumidus, color corporis & faciei rubicundus, *Dolor capitis* tenſivus, *ſomnolentia*, pulſatio temporum, inquietudo, pectoris anguſtia, &c. Febris æqualiter procedit, nempe vel in eodem teoore procedit, vel decreſcit paulatim, vel creſcit æqualiter, Unde tres illius ponuntur differentiæ, Quæ enim contiouo augetur, dicitur *Epa.maſtica*; quæ continuo decreſcit, *Paracmaſtica*, que eundem tenorem ſervat, *Homotonos* ſive *Acmaſtica. Riverius.* Præterea urinæ naturalibus ſimiles, niſi quod ſint aliquantulum rubræ & craſſiores: Incipit ſine rigore, horrore & frigore, Somnus interdum corripit, etiam profundior, ex benigna ſanguinis anathymiaſi in cerebrum: Fit tantum in juvenibus carnoſis, ætateque florente, cauſæ præceſſerunt ſanguinem cumulantes.

4. *Pulſus magnus, plenus. celer. frequens*) Primariæ in carpo explorati Pulſus differentiæ ad tria ſumma reduci poſſunt capita, Pulſos *Robur, Magnitudinem ac Frequentiam*. *Celeritas enim pulſus* adſcripta, mente quidem concipi poteſt, non item digitis tangi ac percipi *Durities* autem non niſi raro in pulſu reperitur, ac ſemper in ſtatu p. n. cum modo dictæ in naturali quoque ac non naturali obſerventur. *Pulſus Robuſtus* dicitur, quando vi tangentis digitos ferit arteria, *Debilis* quando leniter ac leviter duntaxat contingit. *Magnus* quando multum & amplo ſpatio, *Parvus* quando parum & anguſto explicatur arteria, *Frequens*, quando eodem temporis ſpatio ſæpius quam alias, vel in aliis. *Rarus*, quando minus ſæpe quam ſolebat, aut decebat, obſervatur arteriæ expanſio & ictus: *Moderatus*, qui medius eſt inter prædictarum differentiarum trium extremos.

Robuſtus debetur ſpiritibus animalibus copioſe ad muſculoſum cordis parenchyma delatis, & ipſum valide contrahentibus. Unde is nunquam ſui ratione exiſtit præternaturalis, aliquando qoidem ratione cauſæ irritantis. *Debilis* ſequitur ſæpius ſpirituum animalium defectum univerſalem in corpore univerſo, partialem ſaltem in ipſo corde, aliquando univerſi corporis ſegnitiem ac torporem ſive immobilitatem. Spirituum animalium defectus univerſalis eſt, tum ob ſanguinis defectum, ab ejus effuſione ac hæmorrhagia notabili, quandoque ab inedia protracta; tum ob impeditam in ſyncope, ſuffocatione hypochondriaca &c. *ſanguinis efferveſcentiam & rarefactionem*, unde ſemper cum Parvo Pulſu concurrit Debilis: Tum ob ſpiritus exhauſtos curis, inedia, vigiliis, nimio corporis motu aut agitatione. Tum ob male affectum cerebrum, ſpirituum ſecretioni præparationique adverſarum. In Corde privatum deficieot ſpiritus animales, ſi nervi ad ipſum tendentes fuerint vulnerati, nam illos ſolos, cæteris bene habentibus, humiditate quavis tráſmittendis ſpiritibus ineptos reddi poſſe vix puto: *Segnitiem ac torporem ſpirituum animalium* ſemper in ſomno vel ſopore haud reperiri t ſtatur motus animalis ſomnambulorum, & ipſe Pulſus in ſopore gravi non raro valde robuſtus, unde patet Narcotica, qua talia, non tam ſpiritus animales forſan, vel omnes ex æquo nervos, quam ſenſuum externorum organa vel nervos ad ipſa tendentes afficere.

4. *Magnus, Plenus, Frequens*) Pulſus *Magnus* ſequitur *Sanguinis rarefactionem* amplam plenamque, concurrente arteriarum mollitie. *Parvus* vero contingit tum ob ſanguinis rarefactioné exiguam, tum ob arteriæ duritiem, propter quam multum expandi nequit; *Frequens* Pulſus agnoſcit pro cauſa, vel *ſummam Sanguinis rarefactionem*, ita ut ſola pulſus magnitudine ſatis excipi nequeat, vel in *mediocri ſanguinis rarefactione arteria duritiem*, unde ibi frequeori pulſui conjunctus eſt magnus, hic parvus, Vel quidvis aliud *cor ad ſui* contractionem crebro velcans. *Rarus* Pulſus accidit ob exiguam lentamque ſanguinis rarefactionem. *Sanguis multum* rarefit, cum is laudabilis exiſtit, excitaturque in corde, dum efferveſcit, Ignis potens, qui tamen quando nimius exiſtit, plus ſatis, adeoque male rarefit ſanguis, uti ſolet in *Ardentibus* evenire febribus &c. Ad ſui contractionem crebro vel continuo vellicatur Cor, tum à quocunque acri, una cum ſanguine ad ipſum delato, ſive illud ſit acidum, ſive ſalſum lixivum, ſive ex utroque miſtum, quale ſalſum eſt muriaticum; Tum à quocunque Halituoſo vel Flatulento in cordis ventriculos penetrante, ipſiuſque parietes aliquantum, non tamen nimium explicante, & ita quidem ut iterum queant contrahi. Tum ab re cordi externa, in pericardio puta conteota, ipſumque rodente aut pungente. Sic oſtendimus in pericardio humorem ſalſum & acrem, à quo tam pericardii quam cordis membrana erat eroſa excoriataque. *Franc. Sylvius de le Boë Pract. Med. c. 26.*

5. *Totum corpus rubet*) Interdum accidit Synochum maculis purpureis, aut alio colore præditis ſtipari, verum ille nunquam ſimplex, ſed venenati aëris & malignitatis particeps; cum igitur tales maculæ ſe produnt, ſi die critico, coctionis ſignis apparentibus oriuntur rubicundæ aut purpureæ maculæ, nec intro remeaotes, cito diſparent ſed perſiſtunt, res ægri bene ſe habet, ſi cardiacis oatura roboretur, ſudorque poſtea erumpat. *Ench. Med. Pr. p. 400.*

6. *Cauſa eſt*) Generatur utplurimum ex Diariis male curatis, ob errorem Medici vel ægri, aut adſtantium, vel propriis ex cauſis; Non autem ex quacumque Diaria, nec in omnibus corporibus fit, ſed ubi Ephemeræ occaſio ſtipatio fuerit & obſtructio, quæ ſi levior fuerit, facile febris ſolvitur, ſi vero gravior, ultra unum diem porrigi ſolet, *9. meth. c. 1.* aut ſi levis alias obſtructio male curetur. Non fit in frigida ætate aut temperie, nec in gracili aut calida, ſed in carnoſis plurimoque ſanguine abundantibus, calidiſque excrementis refertis, Hinc quæ cauſæ ſanguinem cumulant & accendunt hujus febris ſunt authores; Cumulatus ſanguis accendi ſolet à cauſis calefacientibus, quibus Diaria ipſa ſuccreſcit, victuque calidiori, aut multo vini generoſi potu: Sed maxime id paritur ab obſtructionibus cutis, ſic in Tumoribus p. n. ſuppurationem emplaſtris promovemus, quibus effluvium caloris naturalis retinemus: Hæc igitur obſtructio, ſi corpora corripit ſanguinea, pura & temperata, plenitudinem tantum auget & hinc facit Synochon. Si vero cum ſanguine humores acres & pravi fuerint, putrem Synochon parit, augetur ſcil. ſanguis, ſimulque putreſcit. Noo quævis autem Plenitudo huic febri generandæ idonea eſt, ſed ex 9. meth. quæ plenitudo ubi gravis eſſe incipit bonitatem naturæ ſuæ amittit: Quæ vero ad vires Plethora vocatur, ea nec copia ſua ora venarum obſtruit, nec tumorem parit, nec tranſpirationem prohibet. *Primiroſius.*

7. *Sanguinis efferveſcentia*) Hinc Recentiores inhærentes etymologiæ verbi *Febris*, deductæ à verbo *Ferveo*, quod *Efferveſcentiam* ſignificat, definierunt Febrem per Efferveſcentiam nimiam, ſanguini & humoribus inductam; Efferveſcentia dicitur, quæ idem eſt ac Fermen-

ratio, & essentialiter consistit in motu intestino particularum, seu principiorum cujuslibet corporis, cum tendentia ad aliquam mutationem ejusdem, perfectivam vel corruptivam. Hujusmodi Effervescentiam seu Fermentationem, sanguineo liquori naturaliter deberi, probant moderni scriptores. 1. Quia ratione suæ constitutionis ex heterogeneis partibus fermentationis principia includit; quodcunque enim heterogeneum illam facile, imo necessario subit, & maxime si fluxilitate gaudeat: ubi enim sunt principia dissimilia, pro dominio statim inter ea lis oritur, & unum alterum in motum provocat, ut ex victoria, & contraria subjectione, imperium in mixto sibi firmet, resistente aggressio, oppugnantis vim motu contrario repellendo; & in hoc motu Fermentationis ratio fundatur, quæ conspicua magis redditur quando partes heterogeneum corpus componentes erunt laxæ, ut in fluidis & valde humidis; tunc enim particulæ talis corporis facillime expandi possunt ob laxitatem & disjunctionem inter se, & à loco in locum commigrare, aliasque quiescentes particulas movere & exagitare, cum universali tumultu & seditione omnium partium mixti, si modum in motu excesserint, vel concordi consequente harmonia, placido & naturali motu atoore temperatis partibus, cum perfecto partium nobilium unionis vinculo, & inutilium particularum secretione, ad integram misti perfectionem & conservationem conspirare. Hoc observamus in vino, cerevisia, fructuum herbarumque succis, quæ facile & cito turgescunt, ex heterogeneitate & laxitate partium quibus componuntur. E contra vero aquæ optime destillatæ, olea chymica, spiritus vini, ob defectum partium dissimilarium, fermentatione non commoventur; sicuti neque corpora compacta, ob strictam nimis partium unionem: *Sanguinem* partibus heterogeneis constare docent, & antiqui, bilem, pituitam, melancholiam massæ sanguineæ principia admittentes, Et Chymici ignis cultro sanguinem in sulphur, sal & mercurium resolventes, Fluxibilitatem vero, & partium laxitatem retinere fatebuntur, qui per arterias & venas ad universas corporis partes fluere cognoscunt, vel ex secta vena decurrentem observarunt; consequenter sanguinem fermentationis subjectum ex suis principiis intrinsecus conce[illegible]re debemus. Quod ulterius manifestatur ex subtilitate & agilitate spirituum, ac salis volatilitate quibus abundanter ditatur, cum prædictæ particulæ suarum qualitatum beneficio à massa sanguinea, carceris fastidio, avolare nituntur, pristinam libertatem affectantes, ideoque cæteras partes exagitant, discutiunt & subtiliant, suique motus sequac[illegible]s f[illegible]ciunt, itavt omnes sanguinis particulas & principales, continua agitatione exerceant, in quo fermentationis essentia fundatur. 3. Ex perpetuo sanguinis motu per circulum in corpore exacto, illius fermentatio colligitur: ab isto enim partes sanguinis etiam crassæ attenuantur, earum compages & unio laxatur, spiritus excitantur; quæ omnia motum sanguineis partibus imprimere apta sunt; eo modo quo motus in corporibus solidis inflammabilibus ita particulas earum exagitat, ad motum provocat, segregat, ut unitæ postea flamma c[illegible]ncepta corpus [illegible] cinerem reducant. Hæc majori facilitate in [illegible] præstare debet motus, cum [illegible] mul[illegible]x, [illegible] par[illegible]xitate facile [illegible]. Et sicuti in motu corporis violento magnam sang[illegible] [illegible]bservamus, ita circulant[illegible] imp[illegible] negare non poss[illegible] per loca calida [illegible] fermen[illegible] [illegible]mprobatur: Ibi enim [illegible] & innati caloris hujus principis visceris [illegible]rvescit, spumam ostentans, æstus & agitation[illegible] argumentum, & ita [illegible]arescit, ut paucæ sanguinis guttæ a[illegible] [illegible]cula sinistra, correspondenti ventriculo [illegible] [illegible]jus capacitatem impleant, cum p[illegible] etiam dilatatione, qua ex aliquorum sententia, ad constrictionem cogitur pro rarefacti sanguinis expulsione, ut disruptionis periculum avertat; Adde transitum per cæteras corporis partes, suo calore effervescentiam in corde conceptam foventes; non absimili ratione qua liquores violento igne ebullientes, sub moderato fervorem continuant; Huc tendunt fermenta quæ à partibus principibus, hepate, liene, utero, cerebro, renibus sanguini inspirantur, dum per eas transit; quibus cordis fermentatio sanguini conciliata, vel conservatur, vel renovatur; Vide *Willis de Ferment. c. v.* 4. Ex necessitate quam habet sanguis talis fermentationis, & 1. ut partium heterogenearum perfecta sequatur mixtio, ad hoc enim ut crassiores & terreæ cum subtilioribus & spirituosis uniantur, debent illæ attenuari, & quodammodo volatilisari; quod præstat effervescentiæ motu & impulsu aliarum particularum, crassiores particulas in minutiores comminuendo, unde subtilitas & agilitas terreo & fixo impertitur & facillime omnium partium perfecta obtinetur unio. 2. Altera necessitas est depuratio ab excrementis, quod melius attingi non potest quam effervescentia; partes à sanguinis perfectione recedentes segregante, unde purior & magis defæcata massa sanguinea resultat; eo modo quo vinum fermentando sua deponit excrementa, & ab omni inquinamento se liberando perfectionem adipiscitur, *Pompeius Sacchi Irid. Febr. c. 2.*

6. *A transpiratione suppressa in corpore plethorico*) Causæ Ephemeram excitantes si incidant in corpus plethoricum, denso habitu præditum, febrem synochum inducunt: Solus tamen sanguis abundans, venis infarctus, pluresque vapores producens quam exspirare valeant, hanc febrem producere potis est. *Riverius c. 2.*

7. *Sanguinis effervescentia*) Advertendum inordinatam illam massæ sanguineæ commotionem, Febris causam, seu comitem, à Natura concitari, vel ut heterogenea quædam materia in eadem conclusa, ac ipsi inimica secernatur, Vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur; *Prius* apparet in omni genere febrium malignarum, utpote in quibus, istius ebullitionis sanguinis beneficio, fit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis & prava qualitate affecti. *Posterius*, febrilem scil. sanguinis commotionem sæpè (ne dicam sæpius) non alio collineare quam ut ipse sese in novum quendam statum & diathesin immutet, hominemque etiam cui sanguis purus & intaminatus perstat, sicuti in corporibus sanis evenire liquet, frequenti observatione compertum est, in quibus nullus apparatus morbificus, vel quoad plethoram, vel quoad cacochymiam fuerit, nulla aëris insalubris anomalia quæ febri occasionem subministraret; Nihilominus etiam hujusmodi homines, præcedente insigni aliqua aëris, victus, cæterarumque rerum non naturalium mutatione, identidem febre corripiantur propterea quod sanguis eorum novum statum & cõditionem adipisci gestit; qualem ejusmodi aër aut victus postulaverit, minime vero quod particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio febrim procreet: Etsi nequaquam dubitem materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solenniter excretam, vitiosam esse; quamvis sanguis laudabilem antea diathesin obtinuerat, id quod vix magis mirandum est quam quod esculentorum portiones aliquot corruptę & fœtidæ evadant postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam à reliquis segregatæ fuerint, *Sydenham l. c.*

7. *Tenuioris sanguinis effervescentia*) In hoc negotio magis arridet latius & generalius *Commotionis* vocabulum quam vel *Ebullitionis* vel *Fermentationis*, Quamvis enim Cruoris in febribus *Commotio*, liquorum vegetabilium alias *fermentationem*, alias etiam ebullitionem æmuletur, differre tamen inter se nonnulli arbitrantur; Quoad *Fermentationem*, licet 1°. fermentescentia liquida vinosam quandam indolem ita nancisci soleant, ut spiritum ardentem ex iisdem destillatio eliciat, atque in acetum facile desciscant, quod ipsum insigni acore pollet, & spiritû acidum

dum destillatione exhibet, neutram tamen ejusmodi mutationem in sanguine hactenus observatam fuisse contendunt. 2. Adverti volunt, quod cum in liquoribus vinosis *fermentatio* & *depuratio* eodem tempore peragantur, *Depuratio* tamen sanguinis in febribus ejusdem æstuationem non comitetur, sed consequatur, id quod in paroxysmo febrili per sudores soluto patere censent. Quod ad *Ebullitionem* attinet, difficilior illis videtur hæc analogia, quæque experientiam habet summopere refragátem, in multis nimirum casibus, quoties non adeo est effrænis cruoris orgasmus, ut *Ebullitionis* appellationem mereri possit, Verum utut sit, quandoquidem *Fermentationis* & *Ebullitionis* vocabula apud recentiores Medicos plurimum invaluerunt, eadem usurpare non dubitaverim. *Sydenham Obs. in Ac. p. m. 30.*

Differentiæ.

Triplex hujus febris differentia statuitur, vel enim æqualis semperque similis sibi febris toto morbi decursu permanet, & ὁμότονος vocatur, in qua quantum dissipatur tantum recens inflammatur: Vel calor quotidie invalescit, quod inflammatio dissipatione fit major; & ἐπακμαστικὴ fit, increscens. Alias plus dissipatur quam recens inflammetur, tum sensim calor imminuitur, dum prorsus desinat & παρακμαστικὴ dicitur. Docet *Galenus 6. Epid. s. 1. t. 29.* hæc nomina à recentioribus inventa ad diversos harum febrium modos distinguendos, non ad diversas earum species constituendas. Contingit autem plus reponi quam dissolvatur, cum plurima est obstructio, quæ indies aucta omnimodam vaporum transpirationem prohibet, materia subest multa, causæq; calefacientes sunt validæ; contrariis ex causis plus dissolvitur quam gignitur: non enim in synocha semper omnimoda vaporum & fuliginum adest retentio, sed aliqua interdum perspiratio restat, quę ὁμοτόνῳ & παρακμαστικῇ occasio est: Cũ igitur harum Febrium quædam semper augeantur, aliæ continuo decrescant, quæritur an quatuor percurrant tempora? ℞. necesse esse humorem morbificum concoqui si morbus solvi debet, ideoque hic adesse quatuor tempora ratione concoctionis & digestionis materiæ; etsi tempora morbi & symptomatum perpetuo non omnia appareant. *Primirosius.*

8. *Curatio*) Indicationes veræ ac genuinæ in eo versantur ut sanguinis commotio intra modum Naturę proposito congruentem sistatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat; unde periculosa symptomata insequi solent, Nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protrusio impediretur, vel sanguinis novum statum affectantis labefactarentur conatus: Adeo ut sive materiæ heterogeneæ irritanti, sive cruori res novas molienti febris ortus debeatur, Indicatio utrobique eadem existat. *Sydenham Obs. in Acut. p. m 33.*

9. *Curatio non est ita difficilis*) Solet esse salutaris, facillimeque solvitur si remedia prompte adhibeantur, alias in putridam aut causon mutatur. Sed & fervidus sanguis, cum vasis amplius contineri non possit, erumpens suffocationes, erysipelata, bubones, vel internas inflammationes, easq; valde periculosas subito plerumque producit: Tutior est quæ decrescit, pessima quæ augetur, ob nimiorem resolutionem; Solvitur sudore, hæmorrhagia vel exanthematis. *Primirosius.*

Synochus Imputris Biliosa.

10. *Vel temperata, vel calidiora, vel humidiora*) Fernelius meminit Febris cujusdam imputris, huic Synocho imputri finitimæ, quam scribit se sæpius observasse in *calidis & siccis* naturis, ex simplici bilis, aut permistorum bili humorum citra putredinem effervescentia contractam, quam ideo vocat *Synochum biliosam*, cujus hæc sunt *Signa*, Æger post iram, aut famem, aut vigilias, aut dolorem vehementissimum, aut laborem immodicum, aut similem causam repente correptus est; Conqueritur de calore acri, mordaci, oris amarore, siti, inappetentia, capitis dolore, vigiliis; Hæc interdum sponte, & solius naturæ beneficio, non hæmorrhagia, ut *Synochus sanguinea*, aut alvi profluvio, aut vomitibus biliosis, aut sudore, aut urinarum profusione, 2. 3. aut 4. die indicatur, *Tollatur externa* causa, Neve ad putridam transeat, detur *expressio rhabarb. infusi in aqua ros. aut cichor.* aut in decocto rad. *cichor. oxal. oxylap. gramin tamarind.* vel detur *syr. de cichor. comp. cum rheo.* Vel Bolus ex *cassia rec. extr.* refrigerat enim, humectat & purgando lenit. Utatur æger Jusculis factis ex carne boni succi, decocta cum *lactuca, oxal. portul.* &c. quibus *omphacii* tantillum additur. Potus sit *Ptisana, Vinum oligophorum* aqua dilutum; Noctu sub horam somni dabitur *cremor hordei* mundati; hic enim insigniter refrigerat, humectat, bilis acrimoniam lenit, & præterea somnum conciliat; *Amygdalatum* minus convenit, quia facile bilescit. Si vehemens sitis urgeat, tuto bibere poterit aquam prius tamen agitatam, ut cruditas corrigatur, maxime si adsint conditiones requisitæ, Nihil enim æque sitim, quæ per febrium ardores vehementer excruciat, compescit atque aqua: ut tamen humor biliosus refrænetur, in ea pulpâ pomi citri incoquatur, vel cum aqua misceatur *succus limon. granat. acid.* &c. *Enchir. M. Pr. p. 401.*

11. *Solvitur interdum*) Hæc febris magna ex parte tutò terminatur, non quidem vomitibus aut alvi profluviis biliosis, aut copiosa sudorum profusione, uti aliæ febres putridæ, sed solo sanguinis fluxu, interdum per nares, & per venas hæmorrhoidales facto, intra 3. 4. 5. & 7. diem, nisi mutetur in synochum putrem. Tuta enim & commoda crisis est ea quæ morbi materiam detrahit; at materialis hujus febris causa est sanguis, Ergo solum sanguinis profluvium hanc febrem perfecte judicat, *Ench: M. Pr.*

12. *Hæmorrhagia narium*) Fluxurum è naribus sanguinem hæc signa ostendunt, Visa rubicunda & splendentia instar candelarum accensarum ante oculos obversantur; oculi scintillant, eorumque acies & obtusa est, tota facies rubet. In præcordiis sentitur tensio repentina; spiritus difficultas ægrum corripit, velut compresso thorace; dolor capitis adest gravis, distendens, pulsans, qui ab initio non invaserat, Pulsus magnus est, altus, arteriæ in temporibus valde pulsant, & tensæ admodum apparent; lacrymæ ab oculis involuntarie prodeunt, Nares prurigine tentantur: hæc enim omnia signa sanguinem moveri ad supernas partes demonstrant. Quæ omnia signa cum aderunt, certo prædicere possumus quod sanguis per nares fluxurus est, Tumque refrigerans nihil capiti aut fronti, nec ob vigilias, nec ob capitis dolorem admovendum, aut si appositum tollatur, ne sanguinem intro revocet & naturæ motum impediat; Quod si videamus naturam velle moliri crisin per hæmorrhagiam à naribus, eam tamen esse imbecilliorem quam ut id facere possit, remediis juvanda est. Inspiciat æger pannos rubros attente, fricet nares, ungue scalpat, vel in eas immittat setam porcinam, aut equi, eaque intra nares circumvolvatur, sic enim dehiscent venarum quæ sunt in naribus orificia; Id autem mane potiùs fiat quam alia hora, quia tunc movetur sanguis. Fluens autem critice è naribus sanguis non est sistendus, nisi sit immodicus. Interdum enim natura sanguinem fluentem cohibere nequit; idemque naturæ accidit quod homini qui è loco sublimi in declivem rapitur, qui quidem motum illum incipit, sed postea nequit sistere donec ad vallem pervenerit. *Enchir. M. Pr.*

13. *Respicit morbum*) Præmissa Venæ sectione, Enemate, blanda catharsi, exhibeantur ea quæ fervorem sanguinis extinguant, putredinemque, in quam facile convertitur prohibeant, quod utcunque commode acida præstant, bilis enim fervorem compescunt & retundunt, oris amaritudinem & sitim emendant putredinique obsistunt; Valent *succi* prædicti, quorum penuria dentur syrupi officinales, *limonum* granator. oxysacch. simplex, de endivia, *ribrum, nymph. violar.* ex aquis *endiviæ, portulac. plantag.* maxime si alvus fluit; addito etiam interdum spiritu vitrioli, qui gratam aciditatem aquæ conciliat, & valde

cuilibet corruptioni adversatur: Sed & Tinctura violar. rosar. quæ ejusmodi spiritu secundum Chimicorum artem eliciuntur, maxime sanguinis fervori temperando sunt idoneæ. *Primerosius.*

14. *Alteratione tam intra*) Exhibentur quæ fervorem sanguinis restringuendo extinguunt, vel mitigant, eumq; ne facile è venis excidat, incrassant; quod actu potentiaq; frigida præstabunt; Et quæ *putredinem*, in quam sanguis inflammatus facile convertitur, arcent, & sic ne in putridam synochum abeat præcavent, qualia *acida* sunt, quæ utrumq; refrigerando, & putredinem inhibendo præstare possunt; Quæ & cum bilis fervorem compescant, in illius redundantia & effervescentia eam egregie retundunt, oris amaritudinem & sitim potenter emendant, & sic triplici nomine juvant. Quæ omnia variis formis usurpantur. *Aqua frigida potus præcipuum*, quod sanguinis fervorem compescere potest, est remedium; *Aqua cruda* vel *cocta* addito interdum *hordeo, aceti* pauxillo, vel *succo granator limon.* aliorumve acidula reddita loco potus exhibita, prodest, *Aquæ stillatitiæ* etiam commendantur, *portulacæ, acetosæ*, affatim bibitæ, cum *decocto*, si vis, *hordei*, Plerique *lenium decoctum* commendant, quod præsertim si *erysipelas* appareat ut materia foras evocetur, locum habet, *Julepi* quoque ex *syrup. de ribes, granat. limon. acetos. citri.* vel *jujub ad sanguinem incrassandum*, additis aquis convenientibus. Usitati *Julepi rosar. violar. capill. vener.* conveniuot, vel si alvus adstricta sit hoc modo.

℞. *Syr. vel julep. viol.* (differunt quod ille ex succo fiat, hic ex aqua violar.) āā. ℥iß. *syr. ribes* ℥j. decocti *hord.* ℥vj. *aq. still. bugl. acetos.* āā. ℥ij *f. Julep. aromatiz. tantillo cinnam.* Quod si alvus nimium fluat.

℞. *Julep. Alexandr.* vel *Julep. rosac.* (qui propter *aquam rosar.* adstringit, cum syrup. laxet) ℥ij. *decocti hordei duplum, utatur per vices. Platerus.*

15. *Per aqua frigida*) Aquæ frigidæ potus omnium optime sanguinis ardorem compescit, modo ad satietatem usque sumatur; observatis cautionibus à *Galeno* propositis, de quibus cap. de Putrida continua; Id tantum hoc loco notandum quando *Galenus* frigidam dari vetat ante signa coctionis, id intelligendum esse de febribus Putridis; nam in hac febre, in qua nulla putredo fatigat, potest administrari etiam in principio, modo cæteræ adsint conditiones, scilicet si nulla sit obstructio in visceribus, nulla inflammatio, aut ventriculi imbecillitas. *Primerosius.* Aquæ frigidæ potus, præcipuum quod sanguinis fervorem compescere potest est remedium; in quo tamen constitutio corporis, & consuetudo hujus remedii quantitatem vel augere vel imminuere possunt. *Platerus.*

15. *Per aqua frigida*) Eam *Galenus* tanta copia exhibendam esse præcipit ut æger pallescat, tremat, & toto corpore refrigeretur; sicque asserit eam calorem igneum extinguere, solidas partes roborare, inutiles humores per alvum, urinas, & per sudores excernere; Ad illius autem exhibitionem multas cautiones adhibendas præcipit, nempe ut in rigore febris, concoctionis signis apparentibus exhibeatur, ut æger per sanitatem frigidæ assuetus sit, firma habeat viscera & succi plena, corpus eusarcum & quadratum; viribus polleat validis atque constantibus, non sit refertus crassis viscidisque humoribus; neque tumorem aliquem habeat in visceribus, neque ventriculus, gula aut ne[illegible]olum genus debilia sint, Alioquin si conditiones istæ defuerint, periculum est ne in spirandi difficultatem, hydropem, tremorem, convulsionem, lethargum aut aliu[m] gravem affectum præcipitetur. *Riverius.* Frigida lib[e]raliter pota, *inquit Galenus 9. meth.* reliquias caloris febrilis dissipat, ipsum calorē igneum extinguit, solidas partes roborat, quæ sic roboratæ inutiles humores excernunt; Sic quotidie videmus post largum frigidæ potū sudores toto corpore erumpere & alv[um] fluere, Quod autem ait *Hipp. 3. de vict. rat.* frigidam tar[d]e meare, ideoq; nec alvum, nec sudore moveres, sed potius adstringere, *Resp.* eam non vacuare nisi per accidens, solidis scil. partibus roboratis, hæ enim humectatæ & refrigeratæ vaporem emittunt è quo fit sudor. Exhibendi tempus, si *Galeno* credimus, cum declinat Synochus, manifestis coctionis signis in urinis & pulsu apparentibus, quod nō ante morbi diem quartum contingit, ante quæ signa non concedit ejus usum, ne humorem, qui febrem facit, refrigeret, incrasset, & coctu difficiliorem reddat. At vero nos experientia docti non expectamus signa coctionis, quia interea æger periclitatur, & serius futurum sit auxilium, sed si in primis diebus largum ejus usum concedimus in ejus autem exhibitione hæ conditiones observandę, Non danda iis qui crassis humoribus abundant, & viscera habent obstructa, Nec in febribus genitis à phlegmone viscerum, nam eos tumores attenuari, digeri, vacuari suo frigore & incrassatione prohibet, nam angustos venarum & aliarum partium poros, per quos viscerum phlegmone resudat, adstringit, adeoque humoris qui phlegmonem committit excretionem & coctionē prohibet; adde quod densando & refrigerando febrem inde genitam magis accendit. Nec danda est iis quibus partes sunt imbecillæ, frigidæ, vel ex naturali intemperie, vel ex vitio adscititio. Ab ejus frigore interdum oesophagus, ventriculus, os stomachi, intestina, jecur, pulmo, lien, renes, diaphragma adeo afficiuntur ut post actiones suas integre obire nequeant, Non etiam iis danda qui sani ab ejus potu læderentur, Læduntur autem qui parum habent carnis & sanguinis, nam cito ad solidas corporis partes perveniens aqua frigida earum temperiem vitiat; cum ab ipsis partibus imbecillis vis ipsius aquæ non infringatur; Tuto vero datur assuetis, & ab ejus potu lædi non solitis; juvenibus robustis, obstructione viscerum non laborantibus. Protinus autem æger, ubi hausit aquam, operiatur multis stragulis, ut ad sudorem recipiendum cogatur, aut statim ab ejus haustu digito in fauces alte immisso ad vomitum se provocet, cohibita enim tanta frigidæ quantitas summo periculo nativum calorem cum febrili pariter extinguit &c. *Enchir. Med. Pr. p. 395.*

16. *Vel quod tutius*) Obsolevit hoc remedii genus nostro seculo, cum omnes conditiones dictas observare difficile sit, & ex præpostero illius usū tanta pericula immineant, Satius ergo est aliis remediis sanguinem & totum corpus, refrigerantibus, usque tutioribus, uti, ut Julepis & aperientibus emulsionibus, epithematis, linimentis & omnino victu refrigerante. *Julepi* parantur ex *decocto hordei*, aut *acetosæ & cichoraceorum*. vel *aquis cichor. endiviæ, acetosæ, lactucæ*, additis syr. *de cichor. simpl. limon. granat. oxysach.* &c. Quibus etiam ad majorem aperiendi & refrigerandi vim iis conciliandam, guttulæ aliquot *Spiritus vitrioli* aut *sulph.* addi possunt. Si aquæ destillatæ crudiores videantur, leniter bulliant cum modico *spec. triasant. diamarg. fr. Riverius.*

17. *Spiritus salis, vitriol* Alterans insigne & multis palmam præripiens, est [illegible] *prunella* à ℈ß. ad ʒß. *in aqua card. ben.* solutum & propinatum, refrigerat potenter & sitim sedat. *Rolfincius.*

17. *Spiritus salis &c.*) *Olei vitrioli*, alias *spir.* dicti guttas aliqui permiscent aquæ, acidamque sic redditam propinant; Sic Chymici ulterius in hac febre, ut & Ephemera, commendant *spiritum nitri*, ut & *sal* ejus, seu *lapidem prunellæ in aquis destillatis refrigerantibus*, aut *fontana.* sat bona quantitate propinatum. *Platerus.*

18. *Quam extra*) Externis remediis alteramus, cordi, hepati & renibus frigida adhibendo, quorum consensu universum corpus refrigerium sentit. *Cordi* hoc *Epithema*

℞. *Aq. rosar.* ℥iij. *aqu. bugl. borag.* āā. ℥ij. *acet. ros.* ℥ß. *succi pomor. acid. vel limon.* āā ʒij. *sant. rub* ʒj. *m.* Hepati tale.

℞. *Aqu. endiv. acetos.* āā. ℥iij. *aceti rosac.* ℥ß. *spec.* ℈ß. *misce.* *Renes* inungimus *cerato albo Galeni* vel *Santalino. Platerus.*

18. *Quam extra*) Externa quoque remedia admovenda sunt, si quidem Renes, in quibus maximus sæpe ardor persentitur, inungi debent *Cerato Galeni refrigerante*, vel *Unguento Santalino*, Cor præterea & Jecur epithematis appositis

oppositis alterentur; Sed Balneum aquæ dulcis in declinatione competit, ad cutis obstructiones solvendas, ut sanguinis vaporibus perspiratio concilietur, post quod oleo humectante, ut chamæmelinô corpus inungendum. Id docet *Hippocr. libro de loc. Si lassitudo, febris & plenitudo detinuerit, multa aqua lavare oportet, & liquido illinere, & plurimum calefacere, quo calor aperto per sudorem corpore exeat, hæcque tribus vel quatuor diebus facienda; quod si non sedetur, medicamentum cholagogum propinato.* Tunc enim nisi ex prioribus remediis cessaverit in putridam degenerabit. *Et febrem perfrigerato antequam ad quartam diem pervenerit, non*, ut *Foesius*, antequam ad quartanam deveniat, Sed vult *Hippocr.* febrem omni arte refrigerandam & compescendam ante diem quartam; vix enim solet ulterius hæc febris prorogari quin in putridam transeat. Sic alibi docuit morbos ex sanguine intra diem 4. terminari. *Primirosius*,

19. *Oxyrrhodina*) Nota tamen quod Frontalia die critico, quarto scilicet & septimo & XIV. tollenda, ne hæmorrhagiam è naribus, quæ hanc febrem solvere consuevit impediant. *Enchir. M. Pr.*

20. *Balnea*) *Balneum aquæ dulcis* in declinatione, ad refectionem & ut quod residuum est discutiatur, prodest; Post quod *oleo humectante* corpus vel spina inunguntur. *Platerus.*

21. *Et alia*) ut *Frictiones*, quæ in declinatione quoque ad vapores à sanguine excitatos resolvendos, lenis, pannis calidis, competunt; Postea *chamæmelino* corpus inungendum. *Platerus.*

22. *Vena sectio*) Quot es mihi cum ægris res est quorum sanguis vel per se imbecillior e[illegible] (uti fere in pueris) vel justa spirituum copia destituitur (ut in decliviore ætate) atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis, à Venæ sectione manum tempero. Enimvero si phlebotomiam his imperarem, sanguis etiamnum citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis, despumationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur, unde totius massæ perversio, ac proinde forsan ipsius ægri interitus sequeretur (quemadmodum si cerevisiæ, aut alius cujusvis musti fermentatio intempestive sistatur, liquores illi vitium plerunque contrahunt) Quippe particularum, quas semel exterminare coeperit, quæque, tametsi dum reliquæ cruoris massæ æquabiliter immiscerentur, puræ extiterant, jam vero putredinem deterrimam acquirere; & cæteros humores gravi inquinamento inficere habiles evaserint, consortium Natura ferre amplius nô potest; Quanquam haud me latet ægros temeraria sanguinis missione mulctatos, convenientium cardiacorum usu aliquando servari, sanguinemq; ad tenorem defæcationi suæ veg[illegible]ndæ idoneum restitui posse. Sed præstat plagam non infligi quam sanari. Attamen ubi in contrariæ indolis sanguinem incido, qualis in juvenibus, athletico habitu & temperamento sanguineo præditis, reperiri consuevit, primum in alteratione locum Phlebotomiæ attribuo, quæ sine salutis periculo hic omitti nequit. Nam alias, non solum præ nimia sanguinis ebullitione, Phrenitidum, Pleuritidum, aliarumq; id genus inflammationum periculum immineret; sed præ copia etiam impedito omnimoda circulationis, & totius massæ quasi strangulatio consequeretur. *Sydenham. Obs. in Ac. p. 34.*

23. *Vena sectio celer, parva &c.*) Statim vena secanda ut sanguis inflammatus refrigeretur & vacuetur, inflammationum periculum evitetur, insignisque illius copia detrahenda, cum in plethoricis tantum contingat, non [illegible] ad animi deliquium, ut ait *Galenus*, sed potius bis terve iteranda, sic enim commode & tuto plethora vacuatur natura mole oppressa recreatur, sicq; confirmata reliquum facilius expellit alvi profluvio, vomitu, sudoribus. Et quidem vacuatio ad animi del[illegible]m n[illegible] potest fieri [illegible] in summo virium robore, non tan[illegible] vitalium, sed etiam [illegible]talium & animalium, aliàs periculum est ne aut cachexia, aut hydrops, aut apoplexia contingat, ubi facultas animalis & animalis imbecilla est. *Galenus IX. meth.* & l. de S.M. duos vidit in manibus medicorum periisse, alios ex hac larga profusione sanguinis in graves & exitiales morbos incidisse. Præterea, cur mittetur sanguis ad deliquium, cum iterata V. S. plethoram commode eximat, & corpus postea refrigerantibus remediis commode temperetur, *Primirosius.*

Hęc etiam sententia est *Averroi*, quã probat tribus rationibus. 1. Natura nunquam educit sanguinem usque ad syncopem nisi symptomatice, At Medicus imitatur naturam, Ergo. 2. Evacuatio fit tantum ratione superflui, ergo superfluus tantum sanguis debet evacuari, At in evacuatione usque ad animi deliquium naturalis sanguis evacuatur, satius autem est ut caloris p.n. aliquid relinquatur quam calorem nativum prorsus dissipari. 3. In corporibus synocho laborantibus aliqua est præparatio sanguinis ad putredinem, At si tanta quantitas sanguinis mittatur, diminuto calore naturali, reliquus sanguis corrumpetur. Quod si primis diebus omissa fuerit V. S. ea etiam die 4. præscribi poterit, nisi forte adsint crisis signa; Parcius autem sanguis eo tempore mittendus quam si missus fuisset in primis diebus, ob vires imbecilliores. *Enchir. Med. Pr. p. 395.*

24. *2. Evacuatio*) Ante V. S. molli clystere & refrigerante alvus solvatur, ne cacochymia primæ regionis in majores venas rapiatur. Conveniet quoque, Enematis loco, blanda catharsis; ex *syrupo rosar. solut. viol. [illegible] diaprune. cath.* aliisque benignioribus, quibus cacochymia, si quæ adsit, blande tollitur. *Primirosius.* Per alvum Evacuatio, cum de causa nihil demat, & corpus tantum accendat, minime competit. Per clysteres res rectius perficitur, vel illius loco *syrupus violaceus vel rosar. sol. ad* ℥ij. cum aqua fontis dissoluti dantur, vel *Diaprun. simplex* aliave ex lenioribus, quibus & cacochymia, si illa adsit, tollitur. *Vomitus* in consuetis, maxime natura ad eum impellente, conceditur, præsertim vero convenit si à vino aut aliis assumptis febris hæc nata sit; Et si bilis in stomacho effervescat molesteque, plurimum juvabit. *Platerus.*

24. *Evacuatio*) Dum sanguis in corde rarefactus, seu accensus, indequeque per vasorum ductus effervescens in partes minutas resolvitur, à soluta ejus compage corpuscula quædam discedunt, quæ denuo adunari, & cum reliquo corpore coaptari renuunt: hæc sunt duplicis generis, vel *tenuia*, quæ veluti fuligo ab igne accenso, aut effluvia à liquore fermentato, à sanguinis constanti diaphoresi per corporis spiracula evaporant. Vel *crassiora*, quæ velut cinis ab incendio residuus, aut fæces à fermentatione subsidentes in cruoris massa protinus secerni & foras amandari debeant, secus enim confusione sua insignes perturbationes in sanguine producunt. Quo plus effervescens cruor magis in corde dissolvitur, eo excrementa hæc tum fuliginosa tum terrestria copiosius aggeruntur, & cum præ nimia congestione statim subigi, & à cruoris massa secludi nequeant, sanguinis turgescentiam & febriles effervescentias pariunt. *Willis l. de Feb. c. 2.*

25. *Evacuatio, si biliosa*) Si morbus protrahi videatur, à V.S. purgatio instituenda est, ne serosa & biliosa excrementa putrescant, indeque Putrida oriatur. Remedia tamen usurpanda quæ citra calorem & agitationem id præstant, ut *Cassia, Manna, Syr. rosar. tamarindi, cathol.* & similia. *Riverius.*

26. *Ægrum, cui debetur*) Somnus illi convenit, tum quia reficit, sitim sedat, sudoremque provocat. *Platerus.*

27. *Victus*) Ut vires sustententur *victus*, conceditur nutriens, sed tenuis, ut *ptisana*, seu *cremor hordei, Lac amygd. fructus* cocti &c. *Platerus.*

28. *Victus refrigerans*) Idem sit tenuis, & parum nutriens, ut *ptisana* seu *cremor hordei lac amygdalinum*, sive *emulsio ex seminibus frigidis majoribus*; Ideo interdicimus usu vini, carnis, & eorum quæ multum sanguinis generant & corpus calefaciunt, sed poma & pruna cocta

concedimus, & si vires aut consuetudo tam tenuem victum aversentur, juscula concedi poterunt carnium optimarum refrigerantibus herbis alterata; Eo autem tempore cibus præbeatur qui per sanitatem consueverat, quod in continuis omnibus morbis qui non habent *παροξυσμούς*, & citra exacerbationem fangant, est observandum, *Hipocr. autem 3. de V. Ac.* ita procedit, *Si febris ex plenitudine detinet, nihil præter aquam offerto,* (qui victus valde tenuis est) *per tres dies. siquidem intra tertiam cessant. Si non, ptisana succo utendum, & vel 4. vel 7. die abibit, si sudaverit, optimum autem sub crisios tempus unctionibus uti sudorificis, sudores enim cogunt.* Quæ brevis sententia valde consentit prædictis, & Putridis etiam continuantibus convenit, & expositionem nostram superioris sententiæ valde confirmat, nisi enim tertia die finierit antequam sit *πολυχρόνιος*, ad septimam porrigitur, & Putrida evadit. *Primirosius.* [*Tempus cibi exhibendi* est quo æger dum sanus esset cibari consueverat, quod ut & in Synochis sit & in iis febribus continuis quæ eodem tenore, citra ullam exarcebationem ferventur, est observandum. *Potus* sit *aqua* simplex, cruda vel cocta, vel quæ attenuata agitatione, aut crebra transfusione ab uno vase in aliud, aut in quam immersus sit panis cibarius, vel Ptisana, vel *julep. rosat. Alexandr.* vel *Oxysaccharum E. g.*

℞. *aqua prabull.* ℔ iv. *sacch.* ℔ j. *aceti* ℥ iv. *vel* ℔ ß. utatur in siti; minus tamen ponatur aceti si æger sit gracilis & attenuatus, & quo major est calor, eo minus *sacchari* est adiciendum, ne in bilem vertatur: Sed nota inter pastus, aliis interjectis horis, cibum leviorem, ut gelatinam exhiberi debere, si adsit virium infirmitas. *Enchir. M. Pr.*

CAPUT III.

De Febre Hectica.

[1] HEctica est [2] [3] *febris à calore corpus ita occupante, ut etsi à nulla causa foveatur, nihilominus subsistat, exarta, continuò, cum remissione tamen affligens.* Hectica, dicitur non quod calor in habitu corporis seu [4]. partibus solidis simpliciter hæreat: id enim & aliis febribus competit, vel quòd difficulter tollatur; curatu enim initio facilis est: sed quòd in habitum quasi transeat, & in corpore *κατ' ἕξιν* stabuletur.

[5] *Signa* sunt [6] *Calor* æqualis & sibi semper similis, in iis quibus robusta viscera statim enasci suetus, in iis quibus non, cum levi refrigerio, nullum dolorem propter partium solidarum alterationem jam factam inferens; ad manus contactum, ob vaporum ex solidis partibus paucitatem debilis primò, post acer & mordax, seu propter partium siccitatem, & soliditatem: seu quod cutis longiore contactu tarescens plus sub specie tenuis vaporis emittat; in arteriis major, propter communicationem à corde; qui [7]. horâ unâ & alterâ post cibũ, propter partium siccarum humectationem, liberè & incompressè sine horrore aut rigore augetur. [8] Cum pulsu magno & veloci, facta ad præcedentem statum comparatione, quod accessu alimenti virtus roboretur, & arteriæ sicciores ex vapore humido mollescant, inordinato, si copiosior cibus assumptus continuat, & distributo alimento cessat. Idem humidum radicale exsiccat, humores secundarios absumit, & omnem in corpore pinguedinem colliquat. [9] Urina à naturali non differt, &c [10]. Adest aliquando [11]. appetitus deiectio, [12]. alvi durities, humiditate à calore absumpta &c.

[13]. *Causa* est quicquid [14]. solidas corporis humani partes, in subjectis inprimis siccioribus & attenuatis afficere potest, ut earumdem humidum absumatur: [15]. sive id sit *externum*, ut inedia, labores, curæ, exercitia nimia, purgationes intempestivæ, balnea, si diutius in corpus agant; [16]. vel *internum* [17]. ut sunt inflammationes renum, hepatis pulmonis ulcera, fistulæ, quod apud Forestum habes, diarrhœæ, dysenteriæ, [18]. febres ardentes, quartanæ, morbi acuti, pestilentes &c.

[19]. *Curatio* [20]. absolvitur. I. [21]. *Humectatione & refrigeratione* [22]. notandumque 1. [23]. Peccari hic posse & facile & graviter, quia affectus magnus 2. Tutiorem humectantium quàm refrigerantium usum, quia hæc si vehementiora fractum jam calorem obruunt, partibus nervosis, utpote macilentis negotium facessunt, & concoctionem offendunt, unde atrophia sequitur, frequentius ergò & in majore dosi, modò simul alimentaria sint, adhiberi posse. 3. [24]. *Interna* esse flores *violarum, borrag. buglossæ*, semina quatuor frigida, [26]. lac perlatum, corallorum, & alia mitiora, ne debilis calor obruatur. [27]. *Externa*, [28]. ut *balnea* aquæ dulcis, lactis, olei olivatum. [29]. *Inunctiones* spinæ dorsi, ut ol. violar. amygd. dulcium. sed vide ut balneum aquæ dulcis radicibus & foliis humectantibus temperetur: ne sudor in eo provocetur; & ut æger post oleis prædictis, vel butyro recenti non salito, vel mucilagine semin. Cydonior. althææ, cum adipe gallinæ, & medulla cruris vituli, vel Unguento ex Cassia Zacuti inungatur. II. [30]. *Diætâ convenienta* seu [31]. cibis [32]. paucis, [33]. boni [34]. glutinosi nec dissipabilis succi, [35]. ut partibus adhærere possint, [36]. illis quæ concoctioné juvant alteratis, qui sæpius offerri debẽt, quia quę diu extenuata sunt corpora sensim reficere oportet. [37]. Tales sunt. *Panis* elotus & cum lacte simplici subactus: [37]. *lac* humanum, asininum, caprinum, [38]. nisi febris putrida adsit. [39]. *amygdalata*, ex amygdalis, nucleis pineis, pistaciis &c. [40]. *jascula* pullorum, perdicum, phasianorum, vitulorũ, cum hordeo mundato, lactuca & aliis: *aqua* caponum, [41]. cancrorum fluviatilium, ex perdicibus & aliis. *Mirabilis Aqua Ferdinandi* ad impinguendum, quæ constat ex *sanguini porcini juvenis & adulti & nuper decallati libris duabus, Terebinthina Veneta librâ unâ, Liquiritiæ rasa* lb. ß. [42]. *passular. minorum manip. v. Ficubus pinguibus* I. *Radic. Ireos unc.* III. *Plantar. mundatar. manip.* III. *folior. Tabaci m.* II. *Mica panis libr.* ß. *in vase vitrea destillatis.* Aquæ dosis unc. ij. cum saccharo. Vide eum in *Observationibus* Histor. 21. [43]. Confectiones ex pulpa Caponum, [44]. carnibus testudinum, cum pulv. elect. resumptivo, [45]. margaritis, corallis, pineis, amygdalis cum aqua rosarum & saccharo albissimo, de quibus Practicos consule.

Dividitur.

[46] *Dividitur* Hectica *dupliciter.*

I. Alia eſt *ſine tabe*, [47] quando rorida partium humiditas in ſpaciis ſimilarium intermediis ſita nondum abſumta eſt, ſed demum veluti ebullit & effervescit. [48] Vbi *incipit*; difficulter (niſi forte quis eam ex gracilitate corporis, bilioſa ejuſdem conſtitutione, & pectoris anguſtia colligere velit) cognoſcitur. In *progreſſu*, Ephemera præſente, ultra diem calor extenditur & augeſcit. Circa diem tertium calor poſt cibum augetur. Alia *cum tabe*, eaque duplex. [49] *Vna μαρασμώδης, quando rorida humiditas abſumitur, & ſubſtantia carnoſa arripitur.* [50] *Tum* corpus evadit macilentum, tempora collabuntur, volæ manuum & plantæ pedum calidiores ſunt, illa (de quibus in ſignis ſuperius) accidunt. [51]. Alvi excrementa [52]. pinguedine perfunduntur. [53] Eadem cum urina excernitur, non confertim, ut in bene conſtitutis; nec cum dolore renum, [54] ut in pinguedinis renum ſolutione; ſed lentè & parum. [55] Furfures in urina non affecta veſica, crurum tumor, [56] fluxus ventris [57] mortem minantur. *Altera* eſt, *quando ſubſtantia fibroſa & membranoſa violatur.* Hinc ſubſequitur *μαρασμὸς* [58] qui interdum præternaturaliter juvenibus & [59] ſenibus accidit: [60] Interdum ex alimenti defectu, & caloris extinctione, ſeu propter ætatem, ſeu propter ſcirrhoſum tumorem, oritur. Vide de eo *Ioelem.* tomo dicto.

II. [61] *Aut* cum putrida intermittente, & *tum* Caloris maxima pars in fieri manet, minima in factum abit, finito paroxyſmo arteriarum loca calent, reliquæ partes ſunt temperatæ, pulſus frequentiam & celeritatem non amittit, æger cibo ſumpto non roboratur. *Aut* cum putrida continua, & *tum* difficulter cognoſcitur, ſicca caliditas, poſt finem declinationis vel totius febris, remanet. corpus plus extenuatur. [63] Urina & adipoſa & oleaginoſa. [64] In *obſervationibus* occurrit febris hectica cum *ſpaſmodea pedum diſpoſitione*; cum *inflatione capitis*, cum *ulcuſculis in faucibus*; cum *depreſſione ſterni maxima*; cum *tumore ventriculi*; cum *hydrope*, *arthritide*, & *ulcere veſicam perforante.* Cum *lue Gallica*; cum *lepra*; cum *alvi fluxu*; cum *ſudore* vehementi, & *deſtillatione.* Secta in hac dextri brachii vena ad refrigerationem, quod & Hippocrates Epidem. V. 6. fecit; propinatum lac ſilicibus & china caſtigatum, exhibitus Bezoar, quia palpitatio cordis aderat: applicata hepati, cordi, renibus refrigerantia & humectantia.

De Febre Hectica.

[1] *Hectica dicitur*) Ἀπὸ τῆς ἕξεως nomen habet, tum quia corporis habitum occupat tum quia eſt δύσλυτος, utrumque enim ἕξις nomen complectitur; Non quod ſemper ſit in habitudine, nam quædam facile amovetur, ſed quod ſit in ſolida corporis ſubſtantia, etſi maraſmodes etiam ſit in habitudine; *Primiroſius.*

[2] *Eſt Febris*) Eſt calor p. n. æqualiter accenſus in ſolida cordis ſubſtantia, ad differentiam Putridarum & Ephemerarum, in quibus ſolida inæqualiter tantum ſunt affecta, in Hectica vero æqualiter; *Id. ib.*

[3] *Febris à calore &c.*) Quidam definitioni addunt Siccitatem, ſed ex *Galeno* 1. *de Febr.* c. 9. dantur hecticæ in quibus ſola rorida humiditas effervescit, needum conſumpta eſt: Ideo *Trallianus* vocat Hecticas has in quibus partium ſolidarum ſubſtantia effervescit; ubi vero conſumpta eſt, vocat *Maraſmodes*; ubi omnino abſumitur, vocat maraſmum, ita ut inter Hecticam & Maraſmum differentia quædam ſit. *Primiroſius.*

[4] *Seu partibus ſolidis*) Per ſolidam partem intelligimus omnem quæ ab humoribus & ſpiritibus diſtinguitur, quam *Hippocrates* nomine continentium complexus eſt.

[5] *Signa ſunt*) Hecticæ febris pathognomonicum ſignum conſtituunt hæc tria, I. quod ſit continens II. quod exacerbetur duas fere horas poſt ſumptum cibum, III. quod corpus vehementer conſumatur; Continentia naſcitur quod cordi continenter aliquid moleſtum ſit, ideo cor continenter celeriorem pulſum facit, Id autem vel eſt in maſſa ſanguinea, vel in loco extravaſato; In maſſam venit quod paulatim, pravo vitæ genere ſit contractum, vel quod reliquiæ ſint alicujus ardentis febris nondum evictæ, quæ ſenſim reliquum corrumpunt & cor moleſtant: In loco extra vaſa, ut cum humor aliquis putreſcit in parte ubi colligitur, ut crudum tuberculum in pulmone; vel quando ipſa pars putreſcit, ut pulmo, veſica, renes, meſenterium &c. Si humor in maſſa ſanguinea ſit corruptus, fere æqualiter affligit, niſi quod poſt cibum exacerbatur, & urina interdum exhibeat ſedimentum (quod ſæpe in finis naſcitur, ideo quod ventriculus male ſe habeat) interdum vero non præceſſere cauſæ ante dictæ: Æger ſe febricitare non putat, Et ſi materia extravaſata in cauſa ſit, ac proinde cor continenter afficiatur, tamen multæ contingunt exacerbationes, ob quas nunc confertim, nunc parce, nunc raro, nunc frequenter ad cor a foco veniens, unde ægri interdum ſubito ſuffocantur. *Walæus Pr. p.* 122.

Hectices febris incipientis quidem ſigna nulla dari poſſunt, niſi quis eam ex gracilitate tenuitateque, & bilioſa conſtitutione corporis & anguſtia pectoris aliquem in hecticam incidere prædicere velit: *Comeda* enim & pinguia corpora non facile ab hectica febre infeſtantur: Jam vero factæ hecticæ ſigna manifeſta ſunt, *Fr. Joel. Tom.* 2. *ſect.* 2. Tria ſunt pathognomonica quaſi, & primaria ſymptomata, quibus præſentibus Hectica conjicitur I. *Calor occultus* poſt paſtum auctus II. *Abſumptio corporis* III. *Pulſus* celer, frequens, parvus, debilis, durus. *Ettmuller.*

[6] *Calor æqualis*) *Galenus* 3. de Præſ. ex Pulſibus cap. 2. duo proponit ſigna, 1. Si febris æqualis ſemper permaneat: 2. Si ægri non ſentiant ſe febricitare; primum tamen ſignum etiam Ephemeris & Synocho homotonæ convenit, quarum æqualis calor eſt à principio ad finem; tum interdum hecticæ putridis copulantur, Sed in Ephemeris & Putridis vehemens eſt calor & acer, etſi interdum manus impoſitione miteſcat, in Hecticis vero blandus: Quod ſi æger aut dolorem ſentiat, aut ſe febricitare percipiat, jam febris humoralis, aut viſceris alicujus inflammatio ſuſpecta eſt! Calor ergo Hecticarum parvus eſt, tactuque primum occurrit, & blandus, quia paucum illud eſt quod ex ſolidis partibus evaporat, ſed poſtea ſentitur acer & mordax, ægerque nec febrem ullumve alium affectum percipit quod intemperies facta ſit æqualis, quaſi naturalis foret: Arteriæ tamen reliquis partibus calidiores ſentiuntur, tum quia ſuo motu calorem producunt

tum quia ipsarum fons, Cor scilicet, omnium maxime afficitur, spiritusque transmittit fervidos: Illud tamen signum quoque fallax est, nam in febribus lentis, quæ non sunt hecticæ, vix ullam febrem ægri percipiunt, sed per intervalla exacerbationes aliquas habent, unde syndrome signorum perpetuo spectanda ut rectum de morbis fiat judicium. *Primirosius.*

7. *Qui hora una & altera post cibum*) Febris Hectica est sine ulla accessione continua, uno eodemque tenore consistens, nisi quod post unam vel alteram horam à cibo sumpto calor emergere videtur, pulsusque celerior ac crebrior evadit, quod signum ab Hecticis inseparabile esse tradit *Galenus*: Si enim diversis diebus, diversoque tempore æger nutriatur, id semper observavimus calorem & augeri & Pulsum citatiorem evadere, sine ullo rigore, horrore, frigore aut anomalia febrili: quæ incompressi annotatio quibusdam vocatur, idque in primo gradu obscurius, in secundo vero & tertio manifestius apparet; Quidam id fieri dicunt quod adjectione alimenti, à calore febrili & extraneo accensi, universum corpus recalescat & accendatur: *Galenus* vero id fieri statuit, quod sicut calcis calor affusa aqua suscitatus vaporesque emittit, ita solidæ corporis partes hectico calore obsitæ, dum cibi madore proluuntur & irrigantur, vapores de se proferunt, caloremque ampliorem effundunt: *Averrois* non placet hoc exemplum, quia alimentum non ut aqua calci, ita nutrito contrariatur? Verum hoc non fit ratione contrarij, sed quia per alimentum suscitatur calor qui sopitus latebat in corporibus hecticorum; Etenim, ut docet *Galenus*, 3. *de nat. fac. cap.* 1. tenuiores alimenti particulæ intra unam aut alteram horam ad corporis partes deferuntur, maxime si potulentis & sorbitionibus æger utatur, quorum coctio facilior & digestio expeditior est quam crassorum & solidorum; id ostendit experientia, quia si quis defatigatus, vel alia quavis ratione factus debilior, alimenta sumat, refici ipsum & recreari statim percipimus, quod tenuiores alimenti particulæ statim conficiantur, & ad solidas corporis partes citissime permeent, idque celerius in hecticis fieri posse videtur, in quibus inanitæ partes, & calidiores redditæ, promptius & citius alimenta ad se pertrahunt: Sed cur idem non accidit in Putridis? Respondet Mercurialis, id fieri quia etiamsi augeatur calor à cibo, tamen incendium febrile adeo magnum est ut obscuret novum hunc ex alimento calorem. Itaque si quibusvis horis oblato alimento, sine horrore pulsusque inæqualitate fiat augmentum caloris, signum est hecticæ: Si vero adsit pulsus inæqualitas & submissio, de Putrida dubitandum. *Primirosius.*

Exacerbationis post cibum causa est, vel quia cibus malam largitur qualitatem (quod potissimum in fine hecticæ accidit, cum ventriculus incipit non bene coquere; Vel quia cibus & potus particulas calidas existentes dissolvit, quæ dissolutæ cordi magis sunt molestæ; partes autem hæ sunt humor acidus & sal, si enim oleum vitrioli in manu contineas, & parum aquæ affundas, non poteris præ ardore continere, Et videmus eos qui salso catarrho laborant, si bibant febrim incurrere, quia materia potu dissolvitur, si non bibunt, immunes illam: hinc recte Gal. calcem vivam pro exemplo adducit, in qua partes calidæ sunt sal. *Walæus Pr. Med p.* 122.

7. *Hora una & altera post cibum*) Licet *Galenus* incalescere à cibo ut signum certum & indubium Hecticæ febris proponat, Nihilominus vix in primo gradu observari potest, minus in secundo, minime vero in tertio; Vix quidem in primo, quia nondum deficit [illegible] siccitas quæ ab appetito humido fermentari, moveri, accendique possit, ut [illegible] lce: Minime vero in tertio, quoniam adest ingens incineratio in partibus, humido suscipiendo inepta, ut oleo addito ellychnio lucernæ torrefacto contingere videmus: Sed præterea incalescentia illa hectica visceribus primo & faciei, tandem vero, & non adeo facile extraneis impertiri solet. *Joh. Raim. Fortis Cent.* 2. *consult.* 57.

8. *Cum Pulsu*) In Hecticis Pulsus obscuri sunt & parvi, qui in putridis majores, celeriores, & inæquales; Parvi sunt, ob virtutis imbecillitatem ex spirituum & humorum consumptione; sed frequentes propter usum auctum, & durities arteriæ siccitate. *Primirosius.*

9. *Urina à naturali &c.*) Ab Urina nullum signum *Galenus & Hippocrates* desumpsere, cum tamen *Galenus* 3. de crisib. fateatur in omnibus febribus, quoniam venosi generis sunt affectus, urinas præcipue esse spectandas: Rationem reddit *Actuarius*, quia nullum proprium aut inseparabile signum hecticarum vel ex substantia vel ex contentis desumi potest: Non ex substantia, quia urina est serum eorum qui in venis sunt humorum, unde ejus diversitas ex humorum diversitate dependet; pariter de colore & contentis sentiendum, urina enim nostra diversorum humores varientur: Cum itaque in hecticis solidæ tantum partes sint affectæ, reliquum est ex urinis nullum indicium sumi posse pro earum dagnosi: *Galenus* autem l. c. attendendas esse vult urinas, non tanquam propria & inseparabilia signa, sed quia si bonæ apparuerint, multum valent ad salutem; contra si pravæ, augent ægri periculum; &, ut docet *Alexander*, cum à partibus solidis fiant coctiones, si hæ male se habent, urinæ non possunt esse probe concoctæ, sed tenues, flammeæ & crudiores, ut in calida & sicca intemperie. Et quamvis hæ urinæ ad morbi cognitionem nihil faciant, non sunt tamen prætermittendæ ad prognosin: Sed Arabes dixere urinas esse pingues & oleaginosas, In principio quidem vix à naturali statu diversa est, quia calor extraneus non multum naturæ limites excessit, In secundo vero gradu urinæ sunt pingues, & instar telæ araneæ, adeps innatat liquori, In tertio vero urinæ sunt oleaginosæ; de quibus aliquid dicendum; *Actuarius* de Ur. cap. 3. Oleaginosæ dici possunt tripliciter, vel enim Olei colorem referunt, vel splendorem, vel nomine generis Oleosæ vocantur. Galenus 3. Epid. refert urinam oleaginosam quibusdam diei cui innatat pinguedo, quæ mala est quia colliquationem significat; Aliæ Oleaginosæ dicuntur quæ colore & cōsistentia oleo sunt similes, quas refert *Galenus* se vidisse nullo ægri detrimento, imo cum coctionis signis redditas, quas tandem statuit non esse revera oleosas, cum pingues non sint, nec periculum portendant; *Paetus* enim 3 *Epid* S. 3. sexto die urinas reddidit oleaginosas, & tantum centesimo ac vigesimo die mortuus est, quod ostendit in illo nullam fuisse colliquationem, quæ acutissimis morbis accenseri debet, non chronicis; Et ejusmodi urinæ sunt tantum [illegible], fiuntque ex humoribus æruginosis per vehementes febres; & *Galenus* docet eas non habere exacte unum colorem, pallidum tamen esse solere, idque magis vel minus, propterea illas quæ candidiores sunt indicare cruditatem, flaviores vero bilis [illegible] & æruginosum humorem, periculumque portendere ob bilis vehementiam, non paucos tamen liberari solere: Aliæ autem urinæ quæ proprie sunt oleagineæ, pingues sunt olei instar, fiuntque ex colliquatione adipis aut carnis, & ideo indicant fervorem maximum carnes colliquantem, vel totius corporis, vel renum: Discernuntur autem ex aph. 35. libr. 7. quod renibus affectis pinguedo exeat conferatim, cum dolore & ardore, propter viciniam; affecto vero toto corpore, paulatim & sensim exeat per varios venarum ductus & anfractus delata, antequam ad renes perveniat, solent; sæpissime in febribus pestiferis apparere & ardentibus, hincque Arabes, & eorum sectatores, male in hecticis tales urinas excerni tradiderunt, in quibus ejusmodi non adest colliquatio, sed absumuntur humores per insensibilem transpirationem, hinc *Gal.* 10. meth. ultim. hanc inter synectichas & hecticas

ponit

poris differentiam, quod in his colliquatur vaporis specie digeratur, in [illegible] defluit in ventrem: Unde inferetur et quod fu[illegible] natat in urina confum[illegible] nem indicat, & colliquationem, non tamen hecticam [illegible], nam [illegible] est quod in ea colliquatur; sol[illegible] partes sunt [illegible] ipsa febris exigua & mitis, unde vapori specie quicquid est consumitur, non autem diffluit ad alvum aut urinas: Id docet *Galenus* exemplo carnium craticul[illegible], quæ si pingues fuerint diffluit humor in prunas largiter; si siccæ fuerint & sale siccatæ, exsiccantur amplius & corii instar indurantur. Ita si febres ardentes pinguia corpora occupant, maxima & copiosa fit [illegible], in corporibus vero calidis & siccis transeunt in marasmum & tabem. Et sane, etsi hecticas plurimas hactenus viderim, hujusmodi tamen urinam pinguem nunquam observavi, quæ in aliis quamplurimis affectibus sese mihi obtulit, qui tamen ab hectica febre longe erant alienissimi. *Primerosius.*

In Hectica tertio gradu pinguedo in urina fit, consumpta membrana interposita pinguedini, & hoc modo circulatio sanguinis prohibetur, & consequenter nutritio, unde partes concidunt. *Wallæus Med. Pr. libr. 1. cap. x.*

Verum nec putredinem semper non exhibent. *Idem.*

19. [illegible] *aliquando*) Sudoribus enim aliquando diffluunt hectici Vide §. *Causa est.* §. 13.)

11. *Appetitus dejectio*) Vide §. *Causa est.*)

12. *Urinæ diuritiæ*) Vide §. *Alterex. temeritas.*)

13. *Causa est*) Causa proxima hujus febris est *dyscrasia sanguinis nimis acido salsa & acris, cum nimia ejus viscositate* sive glutinositate juncta; Unde simul *Lympha* facta *viscositas*, idque sensibiliter in glandulis conglomeratis adesse solet; Hinc enim Saliva non tantum pauca, sed etiam viscida & glutinosa percipitur: In ista igitur dyscrasia sanguinis, non blanda & æqualis fit fermentatio in præcordiis, sed potius insigniter depravata; Unde & spirituum in corpore defectus, & virium successiva debilitas superveniunt, cum particulæ salinæ acidæ & urinosæ non debite invicem intestino motu consolidantur, sed potius inertes factæ in tertium fere salsum coaluerint partum, partim adhuc liberæ ab istis Salinis particulis impediantur quo minus debite fermentent, quin potius ex vinosa fermentatione calor nonnihil *auctus* quidem, non tamen intentus, sed tantum acris nonnihil inducatur. Hæc ipsa omnia insigniter à *viscidiuate salsa lymphæ*, unde magis viciata est, & quasi plus minus oppressa Sanguinis fermentatio, pulsum parvum ac celerem generat: *Sanguis talis salsus*, ac simul *viscidus*, ineptus est ut nutriat partes, quin potius asperitate sua rorem nutritium viciat, eumque acri ac lento calore successive colliquat, unde corpus necessario tandem absumitur: *post pastum* ergo, dum fluidior, facilæque digestibilis alimentorum pars, per vias consuetas sanguini infunditur; hic ipse nonnihil dilutus fluxior redditur, & ob resolutra magis talia fermentationem nonnihil intensiorem induxit, inde aliquot horis post pastum calor *auctus* cum pulsu frequentiore, & nonnihil majore percipitur, efflorescente nonnunquam calore faciei plus minus roseo: Sed cum hoc ipsum chylosum excrementitium supplementum minus commode assimilatur tam sanguini quam partibus solidis tempore nocturno sub specie *sudoris* denuo per cutis poros emanat, Unde sudores nocturni in hectica confirmata sunt satis frequentes: Utenus, propter dictam salivalis lymphæ viscitatem, [illegible] simul *appetitus*, supervenientem omnium alimentorum fastidio: Nempe in vitiis stomachi semper est ratio habenda Salivæ, nam ex hujus ratione non raro impeditur & [illegible] factatur plus minus [illegible] fermentatio, [illegible] ipsa sanguificatio, Hęc quæ dicta sunt de *causa proxima* confirmant ea quæ tanquam *causa remota* febrem hecticam inducunt, dum nempe hinc colli-mant ut ad *acrimoniam acido salsam*, cum juncta visciditate sanguinem & lympham disponant. Vide plura apud *Sylvium l. 1. Pr. c. 32. §. 8 & sequ.*

14. *Solidas humani corporis partes*) Vulgo dicitur Hecticum consistere in *habitu corporis*, ita ut sit quidam calor in partibus solidis accensus ac residens, quod tamen non est; quin potius, instar aliarum febrium, *radicatur in massa sanguinea*, una cum *lympha innata*: Prout enim se habent hi duo liquores, in specie sanguis, ita se habet universum corpus: Id quod confirmat ulcus in parte quadam, nonnisi sanguinis inquinamento Hecticam inferens. *Etmuller. p. 5.*

15. *Sive id fit externum*) Hectica quæ per se incipit, ordinario ex vitio ventriculi ac alimentorum originem habere solet, Unde in tali hectica primario semper respiciendum ad stomachum, ut corrigatur ejus cruditas: Imo reliquæ causæ non naturales vix sufficiunt inferre Hecticam, nisi simul stomachus ita afficiatur, ut hujus vitio alimentorum succedat corruptela. *Etmuller. pagina 3.7.*

16. *Causa est quicquid &c.*) Hectices [illegible], sunt febres ardentes, vel putridæ, vel ephemera diu perdurans, hecticam antecedentes & in ipsam degenerantes, Item viscerum internorum, ac potissimum cordis & partium thoracis, renum, ventriculi, diaphragmatis, Et colluvies biliosa, & salsa pituita in thoracis capacitate collectæ, similiter & pleuritis, & phthisis, & peripneumonia, & ventriculi inflammatio, & colicus dolor male & intelecte curatus; Excitatur quoque nonnunquam ex mœrore, dolore [illegible] animi Cor torrefaciente, *summus*, Quicquid cor ipsum arefacit Hecticam excitare potest, sine enim cordis sicca intemperie ea generari nequit: Procatarcticæ sunt, assumpta intra corpus venena, alimenta ac potiones impensius calefacientes & exsiccantes, aut exulcerantes, diuturna mora in gelido balneo, aut vaporario, & post balneum frigidissimæ potionis larga assumptio, & diuturna mora in gelido & extreme frigido aëre, item [illegible] nerationes viscerum. *Franc. Joel. Tom. 2. part. 2. p. m. 3.*

15. *Sive id fit externum*) Illa Hecticæ differentia quæ fit à causis præternaturalibus dupliciter generatur, vel à principio, Ephemeræ instar, ex causis procatarcticis, ira, mœrore, siti &c. vel aliorum morborum consectaria est: De priori dubium est an fieri possit: nam tenuia corporis facilius alterantur quam crassa, hinc necesse est calorem prius spiritibus & humoribus imprimi quam in solida grassetur; quibus addi potest *Argenterii* argumentum, Si calor in universum corpus defertur mediante sanguine & spiritu, necesse est illum prius spiritus & humores occupasse quam solida, præcedit ergo hecticam Ephemera & Humoralis: contrarium tamen statuit *Galenus 1. d. diff. febr. 8.* quamvis id raro contingere fateatur, nec in omnibus, sed iis tantum qui calido siccoque sunt temperamento, & ideo facile exsiccari possunt ex vigiliæ, curæ, labores, aut vehementior causa accesserit: Etsi vero tenuia facilius alterentur quam crassa, quod exteris paribus verum esse fatemur, fieri tamen interdum potest ut solida prius quam spiritus incalescant, magisque ad id disposita sint quam ipsi humores; Sic facilius ligna tenuia comburuntur quam crassa, cæteris scil. paribus, nam si crassa valde sint sicca, tenuia autem sint viridia, haud dubio facilius crassa quam tenuia ignem concipient: Ita de solidis corporis nostri partibus dicendum est, quæ ob temperamentum calidum & siccum facilius inflammari possunt quam contenta, si ea aut ob malam victus rationem, aut ob alias causas fuerint temperatiora, ut docet *Massaria*; Verum non video quomodo hæc constare possint, Fatemur quidem sine præcedente febre Hecticam solius procatarcticæ vi posse generari, sic per labores æstusque immoderatos videmus nostra corpora maxime emaciari, nihil igitur prohibet quin ex iisdem causis febrem incurrant; Sed id fieri non

posse arbitramur sine spirituum humorumque accensione: Mœrores, æstus, inedia, ira, spiritus omnium maxime commovent & exagitant; Iram, fervorem sanguinis circa Cor omnes definiunt, non cordis fervorem; Verum causæ hæ externæ non primum humores, & deinde solida; sed simul eodemque tempore universum corpus calefaciunt, & ad febrem hecticam disponunt, & continua actione, maxime si calidum siccumque sit corporis temperamentum in illam præcipitant, etiam sine præcedente ulla febre, etsi talis dispositio non statim sed longo tempore in corpus possit introduci; idque citius aut tardius pro corporis dispositione & causarum efficacia; Fieri igitur à principio ita intelligendum esse putamus, quod nullo alio præcedente morbo, solius procatarcticæ vi & actione contingat, quamvis id rarissime fiat, *Longinquum est*, inquit Avicennas, *ut accidat hectica incipiendo, & radicalia membra inflammentur ante humores & spiritus*, ubi difficultatem generationis ostendit non impossibilitatem *Primirosius*. Frequentissima esse solet symptomatica, aut saltem, aliarum febrium respectu, quæ in illam terminantur, *secundaria*, adeo ut negent quidem dari Hecticam *primariam* ac per se incipientem Quod tamen universaliter vix concedendum, quin ex perverso usu rerum non natural. hecticam oboriri posse Practicio bservarunt. *Ettmuller*.

[16]. *Vel internum, ut inflammationes &c.*) Frequentius aliis morbis succedit Hectica, ut febribus ardentibus, inflammationibus ventriculi, jecoris, pulmonum, coli, diarrhoeæ, lienteriæ, gonorrhoeæ, quæ Tabes dorsalis *Hippocrati* secundum quosdam dicitur; Pulmo tamen, secundum *Galenum*, etsi cordi vicinius sit, minus communicat Hecticam quam inflammatio jecoris aut ventriculi, ob visceris scilicet humiditatem & respirationem refrigerantem; tum quia vitiato jecore aut ventriculo corpus suo genio defraudatum tabescit, Si quis objiciat phthisin quæ pulmonum ulceribus solet succedere? Respondent *Cæsalpinus* & *Massaria*, id fieri non ratione inflammationis aut ulceris, sed ob copiam puris, ex cujus mala qualitate, putredine & vicinia nonpotest non accendi febris Hectica; Verum *Fernelius* negat non sine ratione febrem hanc Hecticam dici debere, sed Lentam Symptomaticam: Febribus etiam aliis succedunt Hecticæ, diariis aut putridis; Diariis quidem, si sint in corpore calido sicco, & ipsæ non solvantur, Putridis vero, ut ardentibus, quarum calor vehemens depopulatur omne corporis humidum, corpusque exsiccat: Propterea *Hippocr. 16. aph. libro 1.* præscripsisse videtur febricitantibus victum humidum, ut præcaveret siccitatem illam quam igneus febris calor inducit: Sequitur etiam febres longas, ut tertianas, quartanas: præcipue si aliquis error commissus fuerit ut si ægri pertinaces à calidis cibis & potibus nolint abstinere. *Primirosius*.

[18]. *Vt sunt Inflammationes renum*) Horum affectuum membra peculiaria obsidentium, & febrem hecticam producentium exempla habentur satis manifesta; Nam quod ad *inflammationes* attinet, *Galenus* ex inflammatione septi transversi se hecticam vidisse refert: *Ex ulcere* vero hecticam complicatam phthisi quotidie animadvertimus Putredo humoris in viscere contenti fit in obstructi ibus magnis, Membri denique corruptio in Pulmone sæp contingit, aliquando in Iecore, in hominibus vinolis, & qui calidis multis utuntur aromatibus. Sani enim quædam in hepate gignitur qua illius substanti orrumpitur Hanc febrem se aliquando vidisse *Fernelius* affirmat; & signa illius esse dicit quod vinum avidissime cupiant, carnes vero maximo odio prosequantur. *Riverius*.

[18]. *Febres ardentes, quartana*) Hecticæ Tertianæ succedentis, & succedente ardente feliciter curatæ, exemplum habet *M. Bern. Valentini in med sept. p. 281.* quam curavit *M. Pulvere antihectico D. Comerdingij.*

℞. *Ocul. cancri* ℥j. *Salis armon. mer. ppti* ā ʒß. *divide in* vi. *part. aqu.* detur una dozis quotidie: Si diarrhœa adsie nitrum dimittatur.

Prognosis.

In principio Hectica facile curatur, quo vero magis confirmata est, & quo propius accedit *Tabi*, eo difficilius curatur: Tertij gradus plane incurabilis est: *Hectica* quæ *Putrida*, ut vocant, sive *Intermittenti*, vel *continua* aliquando jungitur, curatu difficilis est & plerumque lethalis, ægris contabescentibus, In *junioribus* facilius, in adultis difficilius, in *senibus*, quocunque se habeant modo, nullo modo curatur, Si facies adsit Hippocratica res fere est desperata, Ad hæc, si accedit Lienteria vel Alvi profluvium, aut si intumescant crura, mors brevi aderit: Quoad tempus eventus, notum est, quod sit morbus admodum chronicus, contumax, ejusque longitudo ac difficultas ætate ac corporis constitutione est metienda: *Etmuller p.* 138. Primus gradus facile curatur, ij. medio modo se habet, iij. est incurabilis, & quo magis secundus ad primum vel tertium accedit, ita facilius aut difficilius curatur, Frequentius accidit Hectica à xviii. ann. ad xxxv. Eo enim tempore calor est intensior, faciliusque marcorem inducit: Qui vero ante hanc ætatem, vel paulo post hectica corripiuntur, facilius evadunt, ac nonnunquam curantur; vel longo tempore palliatione vitam protrahunt, præcipue vero mulieres. *Riverius*.

Indicium an Hecticam curare possimus hæc tria potissimum demonstrant, quæ si adsint frustra curandum suscipimus, I. Ardor gutturis, II. prostratus Appetitus & concoctio depravata, III. Lipothymia frequens: Hæc si absint ejus curam hoc modo instituimus, Primo expurgamus leniter corruptos humores aloë, pilulis ex aloë, & chalybe vitriolato: Secundo corriguntur deinde humores fermentatione, ut oleo sulphuris, vitrioli, nitri; Tertio refrigeramus, si libet, decocto præsertim sempervivi majoris. *Walæus Med. Pr. libr. 1. cap. x1.*

[19]. *Curatio*) In cura primum advertendum est num Hectica dependeat à partis alicujus morbo, adeoque sit *symptomatica*, tum enim cura ad istum morbum est dirigenda; Deinde considerandum an sit simplex *primaria*, an vero *complicata* cum *febre quadam Putrida*, & in hoc casu tollenda prius putrida, & hinc removenda Hectica. *Etmuller. p. 238.*

[20]. *Absolvitur*) Pro hujus ergo cura I. *acrimonia sanguinis & lympha acido salsa temperetur*, II. *Eorundem viscidistas corrigatur*. III. *Ventriculi digestio* restauretur. *Idem.*

[21]. *Humectatione &c.*) Cum febris hæc sit intemperies calida sicca cordis & solidarum partium, corpusque inanitum sit & exsiccatum, evacuantia prodesse non possunt, nec cathartica locum habent, nisi excrementorum & cruditatum in longo morbo proventus id exigant, tunc enim aut leviora clysmata, aut eccoprotica tantum erunt ex usu, ut manna, dissoluta in jusculo, cassia, syrupus rosatus solutivus: Sed Alterantibus intemperiem hanc emendare, viresque afflictas & laborantes recreare & sustinere conabimur; Alteratio autem præcipue humectantibus perficitur & leviter refrigerantibus. Nam vehementiora, ut narcotica, calorem debilem prorsus extinguunt; & quæ refrigerant humectare simul debent, non siccare: non calefacere. *Primirosius, F Joel.*

[21]. *Curatio absolvitur*) Ex Pharmacia desumuntur Medicamenta hecticis idonea, tum Interna tum Externa, Inter *interna* primum *Purgantia* consideranda sunt,

sunt, Et cum adjectio hic magis necessaria sit quam detractio, vix ea convenire possunt nisi Hecticæ Putrida adjuncta sit. Si tamen prima regio excrementis referta videatur, propter cruditates à debili ventriculo productas, tuto Purgatio institui poterit, ex *cassia*, *manna* aut *syr. rosaceo*; Imo vero aliquando, si vires non sunt debiles, exhiberi poterit infusum *Rhei* cum *decocto prunor. tamarind. myrobalan. buglossi & violar.* *Riverius*.

22. *Notandumque*) Observandum 1. In Hectica simplici, & quæ est absque *Putrida*, sive *Fermentativa*, nec *Evacuationes*, nec Venæ sectiones esse instituendas: 2. Si prima regio corporis excrementis sit referta, propter cruditates à debili stomacho productas, tuto blandam *purgationem* institui posse; 3. Imo si vitio stomachi oritur Hectica, tunc attendendum esse consilium *Lindani*, dum inquit, In curatione Hecticæ statim ad partis affectæ cognitionem incumbere oportet, qua cognita facilius Hectica quam Quartana curatur: Oriuntur plerumque ex stomachi vitio, convenit ergo *vomitum* tali in casu instituere. 4. Dulcia, ut *saccharata* & *mellita*, &c. vitanda sunt, quod viscidati contentorum, & hinc inæquali fermentatione eorundem fomitem suggerunt. *Ettmuller pagina* 328. Dum Alterantia remedia usurpantur, in uso Refrigerantium hoc observandum ne potentiora statim & frequenter usurpentur, Calorem enim debilem possent extinguere, utilius autem est sensim quam subito refrigerare. *Riverius*.

23. *Peccari hic posse*) Oportet Medicum in Hecticæ curatione vigilantissimum esse, & omnem errorem in curando præcavere, præsertim qui deinceps emendari nequit, iste primum considerari debet utrum Hectica morbus sit an symptoma, qualis est in exulceratione Pulmonum, ubi enim symptoma est hectica, frustra laborabit Medicus in ejus curatione, nisi prius morbum tollat, *Fr Joel. Tomo 2. sect. 2.* Vide plurimas Cautiones in Indice nostro Practico.

Peccari potest si distinctio causarum adhibita non fuerit, monente *Ballonio consf. 7. libr 1* Ex Galeno, *art.* x. meth. In febribus hecticis si quid peccatur graviter peccatur, & cum magnus sit affectus levissimum errorem tolerare nequit, Si Hectica pestilens, omne medentis consilium ad cardiaca converti debet; In hac urinæ confusæ & subcroceæ appareot, cum nihil tale contingere soleat in simplici; sæpe enim, idq; primis diebus, urinæ non parum absunt ab urinis sanorum: Si Hectica sit symptomatica, ab obstructione aut vitio totius substantiæ partis alicujus nata, illorum habenda est ratio &c. *Ballonius*.

Obstructio & Phlegmone duo sunt quæ impediunt quominus audacter in febribus hecticis refrigeremus; Tamen *Galenus* mavult usu *frigida* & obstructionem & phlegmonem augere, quam sinere longius serpere hecticam intemperiem; *Idem Consf. 7. lib. 1. pag. 14.*

Ex Galeno x. m. m. In febribus hecticis si quid peccatur, graviter peccatur, Et cum affectus sit magnus, levissimum errorem tolerare nequit, Si Hectica pestilens, omne medentis consilium ad cardiaca converti debet; In hac urinæ confusæ & subcroceæ appareot, cum nihil contingere soleat in simplici hectica: Sæpe enim, idque primis diebus, urinæ non parum absunt ab urinis Sanorum: Si hectica sit symptomatica, ab obstructione, aut vitio totius substantiæ partis alicuius nata, illorum habenda ratio est; Etenim legere est cap. 2. l. 10. m. m. exoriri sæpe febres lentas ex hecticarum genere, à latente obstructione, aut seminmala in parte quapiam corruptione; Sic nimirum focus videtur cor, hepar, mesenterium, ipsi quoque Pulmones, licet *Galenus* lib. de Marasmo, neget Pulmonem sedem esse febris hecticæ, quod Pulmo sit humidus, & perpetuo novo attracto aëre refrigeretur, Sed hoc quam verum, aliorum esto iudicium *Idem ibid.*

24. *Interna esse Flores violar. &c.*) Intra corpus hisce utatur remediis.

℞. *Rad. pimpinell. endivia, cichor. ãã. ℥ß. rad. borraginis ℥j. Cons rosar. borrag buglossi, violar. nymph. ãã ℥vj hordei mundat. m. j. prunor. Hung. n°. x. passular. minor. ℥j. sebesten n° x. coquantur cum ℔iij. aqua in duplici vase per duas horas, colentur, colato jure admisce syrupi cichor. nymph. ãã. ℥iß. violar. ℥ij. cujus mane bibat ℥v. donec tota Potio sit absumpta.*

Vesperi autem ituro cubitum præbeatur *lactis* ex iv. *semin. majoribus* contusis cum q. s. *aqua hordei* parati, & *sacch. candi* in *syrupo violar.* concreto, ad palati ægri placitum dulcorato haustus; Et eo quidem lacte & interdiu ad sitim restinguendam uti poterit.

Quamvis nihil utilius hecticis quam *aqua ex quatuor semin. frigidis maj. flor. cordial. & herba hepatica, cum sanguine porcelli destillata*, & manu Christi cum perlis dulcorata.

Aut matutino tempore bibat haustum sequentis Potionis.

℞. *Lactuca, buglossi, portulaca, omnium virescentium m. ß. 4or. semin. frigid. maj. ãã. ℥ß sem berberis ℥ii.*

Cum hisce præscriptis herbis decoquatur capo, vel pullus gallinaceus, qui è jure extractus una cum herbis contundatur, in Balneo mariæ distilletur, fiat liquor limpidissimus.

Aut ℞. *Caponem*, aut *pullum gallinaceum* evisceratum, cujus capacitati impone *anguillas excoriatas*, & in frusta concisas, simulque concoque ad semi-consumptionem, Deinde è iure exemptus contundatur, & in BM. destilletur, Præscripti utriusque liquoris sæpe bibat æger ℥iv. Mirum enim in modum refrigerat & humectat.

Idem præstat & *aqua stillatitia cancrorum fluviatilium* à testis liberatorum, & semicoctorum sine sale.

Aut utatur sequenti Potione mane & vesperi.

℞. *Rad. bugloss. ℥j. glychyrrh. rasa ℥ß. rad. Satyr. ℥iß Herb. Lactuca, portulac. cichor. ãã. m. ß. sem. malvæ m. j sebesten n°. x. 4. sem frig maj. ãã. ℥ij. semin. alkek. ʒiß. berberis, sem. cydonior. ãã. ʒj. cons. violar. violar. nymph. ãã. ℥ß. carnium cancrorum semicoct sine sale & à testu mundat. ℥ij.*

His omnibus contusis & concisis affundantur *aqua hordei* ℔vj. & simul concoquantur in cantharo probe obturato, & in ahenum aqua plenum collocato per duas horas, refrigerata colentur, & colato liquori immisce *Sacch. candi violac.* ℥iß. pro edulcoratione, Fiat Potio.

Utilissimum quoque erit subinde bibere aquam stillat. *violar. purpurear.* cum *aqua nymph.* aut *aqua cancror.* prius sine sale coctorum, aut *aqua testitudinacea*, quæ si in promptu haberi nequeunt, utatur æger aut Lacte caprillo, aut cremore ptisanæ, aut aqua hordei cum s. q. sacch. candi, aut syrupo violar. dulcorata. *Fr Joel. Tom. 2. sect. 2.*

Conveniunt Iulepi & Syrupi refrigerantes.

℞. *Succi Portulaca* (quem mire in hoc casu quidam extollunt) ℥uj. *Succi buglossi ℥j. depurati coquantur cum saccharo, in formam Julepi media consistentia, Primirosius.*

Alterantia medicamenta in formam Juleporum, Jusculorum & Emulsionum redigi poterunt in hunc modum.

℞. *Aqu. endiv. lactuca acetosa ãã. ℥iv. syr. violac. nymph. pomor ãã ℥j. m. f Julep. pro iij. dosibus.* vel

℞. *hord. integr. p. j. fol. endiv. cichor. lactuc. pimpin. ãã. m. j. flor. borrag. bugl. violar. nymph. ãã. p. j prun. Damasc. par. iij. coqu. ad ℔iß. colat. adde syr. cichor. simpl. & de nymph. ãã. ℥ij. f. Julep pro iv. dosibus.*

Ex iisdem simplicibus cum *pullo gallin.*, vel *gallina juniori decocto, parari potest Jusculum* ad eundem usum. vel

℞. *rad. China ʒß. hordei int. p. ij. 4. semin. frigid. maj. ℥ß. contundantur. usque impleatur venter capi aut pulli junioris, fiat Jusculum, cui adde sacch. rosar. ℥ß.*

Capiat per longum tempus, refi[illegible] & impinguat.

℞ *amygd. d. exc. in frigida infus.* ℥j *sem. 4 frig. ma. papav. albi ãã* ʒj. *contund. in mortario marm.* sensim affundendo *aqua hordei* ℔j. *in colat. dissolve manus Chr. perl.* ℥iv. *f. Emulsio pro iij. dosibus.*

Si intensius refrigerare est animus, adde unicuique dosi Julepi vel Emulsionis *Salu prunell.* ℈ij. vel ʒj. Riverius.

25. *Interna*) Ad interna revocari possunt *Clysteres*, ad quos recurrendum in extreme debilibus, qui ob fastidium, aut aliam causam, cibum non sumunt: Clysteres nutrientes esse ex usu multis persuasum est, fiunt autem ex alimentosis, *jusculis*, *lacte*, *vitellis ovorum*, & aliis ejusdem naturæ: hæc enim, quia longa non egent coctione, ab intestinorum vi alteratrice, quantumvis imbecilla, facile superantur: *Primirosius*. Eorum autem quantitas exigua esse debet, alioqui compressis intestinis vim expultricem irritarent. *Riverius*.

26. *Lac perlarum*) Medicamentum stupendum, & nunc efficax ad curandam Hecticam, est *butyrum margaritarum*. P. *Joh. Faber* Univ. Sap. part. iij. cap. 15.

27. *Externe*) Remediis & alterantibus, & naturam corroborantibus, absumptamque substantiam restituentibus hac sequenti utendū ratione, Foris applicantur Epithemata per intermedias horas, & Cordi quidem tale.

℞. *Aqu. stillat. nymph. lactuc. violar. rosar. ãã.* ℥ij. *aceti rosac.* ℥j. *camphor. in eo dissoluta* ℈j. *santali rubr. specier. diamargar. fr. ãã.* ʒj *f. Epith.* quod duplicatis linteolis exceptum cordis regioni imponatur, & exsiccata in eo iterum madefiant; *Hepatis* vero regioni, sub dextro hypochondrio, tale concinnetur Epithemata.

℞. *Aqu. cichor. rosar. ãã.* ℥ij. *aceti rosar.* ℥j. *spec. diarrhod. abb. santal. omn. ãã.* ℈j. *aqu. violar.* ℥iß. *misce.* [*Fr. Joel.*

28. *Balnea aqu. dulcis*) In Hectica febre est utilissimum singulis diebus bis, aut ad minimum semel, in lavacrum aquæ dulcis tepidæ ægrum deducere: Cupam, autem sive tinnam lavatoriam oportet tantæ esse altitudinis ut æger usque ad collum se mergere queat, Et in ea quidem aqua concoquendæ sunt sequentes herbæ.

℞. *Malv. alth. violar. folior. salic. cap. papav. albi. fol. lactuca, gramin. virid. tilia, flor. rosar. nymph. ana ad libitum, consciendantur & coquantur.*

In eadem quoque aqua decoquatur Sacculus, in quo consuta sint *femin. lini. fœnugr. ãã.* ℔ß. *sem. psyll.* ʒij. *rad. alth* ℔ . *cortic. tilia* ℥iij.

Quo sacculo in balneo universum corpus confricetur: Fiat autem lotio pro virium ratione ad spatium unius aut semihoræ, Et opportunissimum lavandi tempus erit, vel mane jejuno ventriculo, vel paulo ante cœnam, semper prius depositis excrementis alvi & vesicæ, si modo natura ad egestionem sit prompta: Cavendum autem inter lavandum ne ipsum caput humectetur: At si vires valde sint debiles, una hora antequam in balneum descendat æger, commode illi offerri comedenda possunt ova tremula, ex aqua rosarum, saccharo conspersa; Vel si famem ferre queat, ea ipsa ova post balneum offerantur; Lotione peracta universum corpus mundis linteis æstate ad luculentum ignem, hyeme vero in tepido hypocausto abstergatur, ac postea rursum madefiat cum linteolis in *aqua rosea* imbutis, & ita per se siccare dimittatur: *Franc. Joel.*

Balneum, prout à *Galeno* proponitur, suspectum est, nostroque sæculo evanuit curiosus ille Balneorum apparatus, [illegible]que fieri ex aqua tepida, vel si nimium incaluit, rursus ad teporem redacta, ut eam æger sine situ, sine [illegible]dore pe[illegible], qui tabidis noxius unde est, u[illegible] d. Galenus [illegible] post tepidam administrare jubet: Sed periculum [illegible] in corpore extenuato, in quo penuria adest sanguinis, carnisque absumptio frigida, subito corporis intima subiens, calorem extinguat: quin etiam actuali frigiditate calefacit per accidens, pituitosos humores in tetano resolvit aph. 21. nam si juvenis carnosus æstate & regione calida tetano correptus, potest curari balneo frigido, hecticus cum non sit carnosus ab eodem maxime læditur: Quare tepidum potius usurpandum, aut aquæ solius, aut cum decocto *capitum* vel *intestinorum* vervecis, malvæ &c. *Galenus* quidem 10. meth. in marasmo balneum probat, sed vetat ne longam in eo moram faciat æger, dein jubet ut bis vel ter mergatur in frigidam involutus syndone, quia longiorem frigidæ rigorem exanguis æger non perfert, sed sufficit una aut altera perfusio; quin potius unctio totius corporis præferenda, ex oleo rosaceo, nenupharino, quæ olea suis poros contrahunt, ne à balneo calido majus contingat effluvium, judicio H. *Saxonia*, Nunc autem satius esse ducunt tantisper in balneo immorari dum aqua per se refrigeretur, atque ut id citius contingat, frigida addi potest: Diutinibus autem lac, oleum, butyrum possunt admisceri, ut magis emolliat & humectet. Objicies *Hippocr. 4. de V. Ac.* prohibere iis Balneum quibus vires languent, cujusmodi sunt hectici. ℞. illum loqui de Balneo *evacuatorio*, quod multos sudores movet, corporis substantiam absumit, quale hecticis non convenit; sed id quod ad temperandum calorem extraneum, & effluvium caloris cohibendum administratur.

Sciendum autem Balneum multis de causis noxium I. Si Hecticæ Putrida conjuncta sit, quia habet obstructionem quæ augebitur fusis humoribus, ideo ante coctionem non est imperandum. *Trallianus*. II. Ob internam aliquam inflammationem quia balneo liquati humores ad eam confluent, *Idem*. Quod si *Hippocr.* 3. acut. id concedit pleuriticis & peripneumonicis, id intelligendum post totius evacuationem, & in morbi declinatione, quo tempore nullus humor amplius affluit ad partem affectam, imo tunc spiritus liberior est & facilior, inflammationis reliquiæ resolvuntur, dolor mitescit, III. est imbecillitas partis principis & nobilis, humorum etenim fluxus per balneum concitatior redditur, in partem debilem facilius fertur. Quod si pars languida non sit princeps, licebit balneo uti, quia ad partes ignobiles, ut cutim & articulos, solet natura cum ægri commodo humores transmittere. IV. *causa* est plenitudo, vel ad vires vel ad vasa, in hac enim periculum est ne vas aliquod disrumpatur, In illa vero ne humores colliquat, & fusi naturæ reddantur graviores; quamvis in hectica plenitudo ad vasa esse non soleat: V. *causa* est *cruditas*, hæc enim à calore balnei ad venas attrahitur, quare blando clystere evacuanda est, ventriculus roborandus crusta panis aspersa caryophyllis & cinnamomo, pauco vino irrorata &c. VI. est *Alvi fluor*, 1. quia ad cutem attrahit, impedit motum naturæ per alvum expellentis, præsertim si calidum sit; 2. quia tepidum aut frigidum corpus, humectat, fluxiliorem reddit alvum diarrhœa autem hecticis metuenda. VII. est *Alvi constrictio*, quia calore balnei tenuiores fæcum partes resolvuntur, ad hepar & alias corporis partes attrahuntur, indeque alvus magis induratur, VIII. *Cibus ac potus* nondum in stomacho concoctus, balneum enim cruda ea rapiet ad venas, ob id statim ab eo nihil est sorbendum priusquam omnis agitatio fuerit sedata: Sciendum autem, *ait Trallianus*, non modo hectica febre laborantibus, sed etiam frigidis siccisque intemperiebus, & senio ex morbo, Balneum conferre, hoc enim admiratione dignum quod calidas & frigidas intemperies emendet. *Primirosius*.

Post Balneum & Inunctionem ad unam vel semihoram dormiat æger, sed si sitis urgeret, ante somnum

bibat

bibat haustum vel lactis amygdal. vel capr.; Ac tandem post unam vel alteram horam alimenta & potus parcissime offeruntur, *Fr. Joel.*

Licet antiqui ex *aqua simplici* Balnea parare consueverint utilius tamen est ea magis humectantia efficere, decoctis in iis herbis emollientibus & refrigerantibus, vel *hordeo & amygd. contusis*, præcipue æstatis tempore, quia Balneum ex decocto herbarũ cito corrumpitur: *Balneum ex Hydrelao à Zacuto* maximè laudatur, *obs. 35. l. 1. Pr. Adm.* quo asserit juvenem curatum fuisse, Cui Balneum *ex aqua simpl. & lac caprinum* nihil profuerant: Utilitatis rationem ex eo desumit, quod tensas partes emolliat, siccas & arefactas humectet; poros obstructos, & præ siccitate conniventes aperiendo, ad extimas maximeque distantes corporis partes alimentum attrahat. *Riverius.*

29. *Inunctiones spina dorsi &c.*) Non solum ab exitu Balnei, sed etiam quolibet tempore, præcipue mane & vesperi, Inunctiones commode instituuntur ex oleis relaxantibus, spinæ, hypochondriis, ventri applicatis; *e. gr.*

℞. Mucilag. semin. psyllii, cydoniorum, malvæ ãã. ℥ß. gummi tragac. arab. infusi in lacte ãã. ʒß. but. rec. ℥j. axung. anatis ℥ß. olei violat. amygd. d. ãã. ℥j. ceræ parum, f. Linim.

Galenus & Trallianus ceratum rosac. commendant, quod cordis regioni applicant, nisi hectica ex aliarum partium inflammatione contigerit, tuncque illi potius remedia adhibebimus, ut ipsum velut ignis fomitem extinguamus, quod optime præstat ceratum rosaceum, refrigerat enim & humectat, humiditatem enim, quæ in partibus superest, conservat, ne absumatur prorsusque intereat; Oportet autem sæpius ungu. immutare, ne calefactum corporis calorem ingeminet, *Guanerius* frustum cucurbitæ imponit, quia valde refrigerat & humectat, vel.

℞. Axungia gallin. rec. sexies lota aqua violar. ℥ij. Olei nenuphar mucilag sem. cydoniorum extractæ in aqua lactuc. ãã. ʒj. succi umbilici ven. & semperv. maj. vel ins. ãã. ℥ß. ceræ albæ q. s. f. Linim.

Sed Pectori nimis refrigerantia non sunt adhibenda, nisi eximius fervor sentiatur; nec diu etiam sinantur; Inde enim non mediocrem respirationi & voci illatam noxam vidit *Trallianus*, quod Galenus ante monuerat 10. meth. propterea etiam ungu. Resumpt. commode inungitur: Carnes autem aliqui ungu. non minus quam Epect. admiscent, sed frustra, nulla enim nutriendi facultas appositione carnium elici potest *Primrosius.*

Spinæ) Epithemata quoque Pectori, Cordi, Jecori, Renibus Ventriculo, Pulsibus apponi possunt, sentiuntur enim arteriæ calidiores; *℞. Emulsionis amygd. d. facta cum hordei decocto portu y. & violar. ℔ij. adde butyr. rec. ℥ij. mucil. semin. malvæ ʒj. misce & panni intincti pectori admoveantur:* Quidam *Portulacam* tritam ventriculo appositam summopere extollunt. *Idem.*

Si in Hectica adsit quoque vel Hepatis, vel Renum, vel Ventriculi, vel Intestinorum inflammatio, illorum quoque viscerum regiones peculiaribus quoque Linimentis & oleis convenientibus diligenter sunt inungendæ, ut si Hepar sit inflammatum, dextrum hypochondrium inungatur *ol. rosac. & nymph.* Si ventriculus uratur, inungatur *ol. mastich. cydonior.* & sic de reliquis: *Riverius.*

30. *Diæta*) Hæc ut in omnibus chronicis affectibus multum potest, in hoc præsertim plus præstat quam medicamenta, &c. *Aër* præsertim si natura sua mediocriter frigidus sit, vel temperatus, tali utendum est, sin minus corrigendus, ita ut ad frigidum & humidum declinet: Ea ratione *Galenus* x. m. m. c. 8. æstatis tempore, aëre existente calidiore, ægrum degere præcepit in loco subterraneo, qui frigidissimus sit, & maxime perflatus, & ad Septentrionem vergens: Quo solo remedio nos Hecticum, extrema macie confectum intra mensem restitutum vidimus: Quando vero Aër frigidissimus est, eum esse admittendum *Galenus* præcipit, quatenus respirando attrahitur, ut qui calorem cordis magis refrigeret; quamvis minime conferat quatenus extrinsecus ægrum contingit, quod cutis poros condenset & transpirationem prohibeat: Attamen majus fore ex inspiratione frigida commodum affirmat, quàm ex cute condensata incommodum, præsertim cum illud vitari possit operimentis corpus probe muniendo. Advertè tamen si febris hectica fuerit ex ulcere Pulmonum, aërem frigidum non convenire ratione ulceris, sed temperatum in activis, ad calidum vergentem, in passivis siccum; qua ratione *Galenus* Phthisicos mittebat ad Tabias, montem Vesuvium dictum, ubi aër siccior esse solet, *Riverius.*

30. *Diæta convenient*e) Circa Victus rationem, causas naturam nostram alterantes, quas *Res non naturales* Medici vocant, ita gubernandæ erunt, *Aër eta* in quo versetur æger & decumbit, oportet esse vel natura vel arte frigidum & humidum, Talis autem arte redditur si cubiculi pavimentum, vel solum, aqua frigida crebro conspergatur, aut foliis floribusque virescentibus refrigerantium herbarum, ut sunt rosæ, violæ, gramina, fol. salicis & nemph. consternatur, In tali loco versetur æger, & lectus in quo decumbit adornetur: *Fr. Joel.*

Ea ratione *Galenus X. meth.* 8. æstatis tempore, aëre existente calidiori ægrum degere præcipit in loco subterraneo, qui sit frigidissimus, & maxime perflatus, & ad Septentrionem vergens: Quo solo remedio nos Hecticum, extrema macie confectum intra mensem restitui vidimus: Deinde caliditas aëris in conclavi alteranda est aqua frigida de vase in vas transfusa; cujus etiam strepitu somnus conciliatur: Quando verò aër frigidissimus est, eum esse admittendum *Galenus* præcipit, quatenus respirando attrahitur, ut qui calorem cordis maxime refrigeret; quamvis minime conferat quatenus extrinsecus ægrum contingit, quod cutis poros condenset & transpirationem prohibeat; attamen majus fore ex frigida inspiratione commodum affirmat quam ex cute densata incommodum, quod operimentis vitari potest. *Riverius.*

In *lecto* autem subjiciendæ sunt stragulæ molles, non multis plumis tumentes, quibus utilissime aluta seu pellis, unde culcitræ præparantur imponitur, & mollissimis & quam mundissimis linteolis obtegatur, quæ lintea, veluti & stragula subinde mutentur: Stragula autem quibus se contegit æger, non plumacea, sed ex panno & lana, aut ex alia materia consuenda sunt, ex plumis enim facile inflammatur corpus, & exacerbatur Hectica; hyeme tamen, & frigida constitutione aëris, antequam se in lectum conferat æger, moderate calefacere oportet stragula.

Ad Cibum ac Potum quod attinet, omnino debent esse refrigerantes & humectandes optimumque sanguinem generantes, cujusmodi sunt ex carnibus, caro pullorum gallinaceorum, caponum, perdicum, cuniculi sylvestris, hœdorum, vitulorum, agnorum, & bovis juvenculi: Hæc autem elixa potius & jurulenta quam assa conveniunt, & omnia saccharo & uvis passis minutis condienda sunt: Ex Piscibus concedi utiliter possunt Percæ aculeatæ simplices, & lucii, item passeres & funduli ac a[illegible] indurati pisces, probe macerati ac cocti; anguillæ pinguiores non elixæ, sed assæ concedi possunt: Reliqui autem elixari debent, & condiri saccharo & uvis passis, quorũ juscula, addita pauca ichthiocolla cogi ac congelari debent; Inter pisces autem omnes convenientissimi sunt Hecticis *Cancri* fluviatiles non ultra modũ saliti; Ex *Oleribus* prosime lactuca, portulaca, spinachia, gingidion & carotarum radices: His addi licebit *ova* sorbilia, aut ova confracta & in ferventem aquam conjecta, ac cum albuminibus haud nimis induratis comesta: Item ex ovis & lacte parati casei: Utilissimum quoque est *Lac ex amygdalis confectum*, & cremor ptisanæ, & hordeum excorti-

catum: Lac item caprillum recens mulctum & Saccharo conditum; Ex *Fructibus* prosunt pruna Hungarica dulcia, cerasa, uvæ passæ & recentes, amygdala, pineæ & pistacia; *Lac* omnium utilissimus cibus est Hecticis, id enim non modo nutrit, sed & absumptam substantiam restaurat, humectat & refrigerat: Inter Lactis autem genera laudatissimum est sugere Lac mulieris Sanæ & nitidæ, quod si haberi nequit, Lac caprinum substituatur &c.

In *Potu* ad mensam utilis est Hecticis *Cerevisia* clara, qualis est *Brunsvicensis*: A mensa vero, si sitis urgeat, levanda est aqua hordei cum Saccharo, aut Syrupo Violarum dulcorata, aut lacte ex quatuor seminibus frigidis majoribus & aqua hordei confecta. Aqua autem hordei parabitur ex hordeo & uvis passis adjectis, quæ per conservam rosarum ac violar. transcolari potest fervens: Aut levetur sitis aqua stillatitia ex capone, quæ non tantum sitim sedat, verum etiam corroborat & assumpta restaurat; *Franc. Joel.*

In Potu quo ægri magis delectantur, & reficiuntur, cum sitis maxime sit molesta, exhiberi hæc commode possunt, Vinum mediocriter temperatum citissime absumptam corporis substantiam reficit: Consuetis interdum concedi potest, & ne corpus inflammet, diluatur aqua plurima: Dulce autem generosum, quia corpus facile accendit, vitatur in hac specie, in qua refrigerandum & humectandum, etsi phthisicis tussiculosisque, sicut & alia dulcia competat; Hecticis autem satius erit non hoc tantum sed & omni vino abstinere, Ideo *Galenus* aquam maxime commendat 10.meth. in prima specie, in qua humor tantum effervescit, nondum absumptus est, corpusque adhuc, etiamsi calidum sit & siccum, Sanguine tamen abundat, & est succi plenum; hujus enim usu scribit *Galenus* se multos præservasse à marasmo & à tabe: hieque sequendum Alexandri consilium, qui frigidam dare præcipit post cibum, quantum ægro libuerit: Sed si ex febre putrida, humorum cruditate, aut præcordiorum inflammatione Hectica contigerit, vitari debet Aquæ potus, præsertim si vires sint imbecillæ, inflammatio mediocris, coctioque nondum appareat; Sed in vehementissima, & maxime urgenti inflammatione, ut erysipelacea, dari frigida poterit, extinguetur enim inflammatio; etsi morbus in longius tempus protrahatur; Quod si putrida admista sit, coctio expectetur; Sed in Hectica quæ Ardentibus succedit, aut in ipso Marasmo, cavendum à frigida, ne in excarni & imbecillo corpore calor nativus extinguatur, senectus præmatura accersatur, quam Senium ex morbo vocant, in quo calor nativus nullus est aut exiguus, ideo non refrigerantia sed calefacientia, humectantia & analeptica postulat; Notandum ex *Galeno* x. *meth. c.* 12. Potus posse dari actu frigidos, non autem cibos, nam potio ob tenuiorem substantiam facile incalescit, tum per corpus distribuitur, cibus autem solidior non ita, & propterea non fit actu frigidus. *Primirosius.*

Aromata autem omnia, & quæcunque exsiccant ac calefaciunt edulia ac potabilia, ut perniciosa, fugienda erunt; Cum autem in Hectica nihil sit magis perniciosum *repletione* cibi ac potus, sive saturitate, hic ordo & modus in alimentorum assumptione est observandus, Parum cibi & potus pro vice assumat æger, interim tamen inediam ac u[...] m evitet diligenter. Præstat itaque Hecticis ter aut qua[...] cibum ac potum offerre, & quidem parum ac boni su[...] ex iis quæ paulo ante sunt enumerata.

Somnus [...]gus utilis sit Hecticis, sed præfertur nocturnus [...]urno, verum ubi nocturnis vigiliis infestantur, à somno [...]iurno minime sunt arcendi: Somni autem tempus opportunissimum est 3. aut 4. horis ante cibi assumptionem, ut post balneum; *Exercitium* omnemque [...]lidiorem corporis motum, debet vitare Hecticus, quia exsiccat & calefacit, satis [...]que fuerit si peracto somno æger artus omnes leniter vola contricet, & caput pectine demulceat, ut pori aperiantur, & leviter deambulet.

Quantum ad *Retentionem* & excretionem superfluitatum attinet, cavendum est ne *alvus* Hecticorum sit adstricta, neve excrementa tum alvi, tum vesicæ diutius retineantur: id si contingat, leni clystere subducatur alvus hunc in modum parato.

℞. *Malvæ, mercurial. violar. lactuc. ãã. m. f. flor. violar. rosar. nymph. hordei ãã. pug.* j. *semin. lini* ℥ij. concisa & contusa coquantur in q. s. aquæ ad tertias, Colati hujus juris accipiatur ℔j. cui admisceantur *Pulpæ cassiæ* ℥iß. *ol. violac.* ℥ij. *salis* ʒj. *fiat Enema*: Ubi vero & reliqua viscera obstructa esse conjicientur, violenta quidem omnia pharmacia evacuantia vitanda erunt; & satis erit exhibuisse ʒx. *pulpæ Cassiæ*, aut ℥iß. *mannæ in jure gallinaceo solutæ*, aut ℥iv. *syr. violac. solut. cum aqua lactuca.*

Animi vehementes perturbationes, ac imprimis Ira, Tristitia & sollicitudo vitandæ sunt Hectico, convenit autem moderata *Lætitia*, qua per musica instrumenta & suavia amicorum colloquia comparari potest. *Fr. Joel.*

Motus corporis non convenit, sed quies potius imperanda est, quamvis ante cibum, si vires ferant, idoneum esse possit leve aliquod *exercitium*: Aut ejus loco molles *Frictiones*, non multæ, institui possunt, præcipue statim à somno, incipiendo ab inferioribus partibus, nam internos humores ad exteriora evocant: Fricandus tantum æger donec levis rubor apparere incipiat, nam si ulterius pergatur, corpus exsiccabitur(*Riverius.*

31. *Boni, glutinosi, nec dissipabilis succi*) In cibis ij maxime conveniunt qui reficiunt simul & humectant; qui assi quidem humiditatem substantificam magis augent, elixi vero magis humectant; Demum assi in bilem, si nimis torreantur, facile abeunt, ut ait *Galenus*: Juniorum *animalium cerebrum* quoque convenit, sicut & Gallorum testes; nec inconvenit saginare gallos hordeo vel pasta ex carne cancrorum fluviatilium, ranarum, cum farina tritici vel hordei subacta: *Cancros* si quidem fluviatiles, ranas aquaticas, testudines ac morales, limaces ad Tabidos reficiendos plurimi commendant: hinc quidam caudas cancrorum fluviatilium cum amygdalis, hordeo & Saccharo contusas ad miraculum fermè extollunt: Sed alii carnes has improbant, quia crassum succum gignunt, difficulter concoquuntur, unde cum hecticis calor nativus debilis sit, malum succum generabunt & cruditates plurimas, ex quibus infœlix succedit nutritio, Etsi enim plurimum nutriant, & succum corpori præbeant qui non facile resolvitur, Hecticis tamen concedi non debent, à quarum debili calore perfecte confici nequeunt; cæteris vero macilentis convenire possunt, in quibus vividus est calor & validus ad dyspeptum alimentum concoquendum, Tabidis verò & debilitatis nequaquam prosunt: Respondemus autem hecticis convenire cibos faciles coctu, sed prædictas carnes posse ita præparari contusione, elixatione, coctione, ut fiant non ita dyspeptæ quin hecticis possint convenire, maxime si earum juscula præbeantur, quæ & plurimum alunt, & alimentum præbent validum & firmum. *Primirosius.*

32. *Glutinosi succi*) Cujusmodi sunt Limaces, qui ex *Galeno* 3. *de alim. facult.* plurimum corpori præbent alimentum, & non spernendum, etsi sint concoctu valde difficiles, & succo constent glutinoso, quo tota hyeme sine alimento se sustinent, quemque si pungantur plurimum emittunt; Unde concludit *Quercetanus* maximam esse illorum nutriendi vim, sed in hoc deceptus, cum totus ille humor à cochleis præparatione & lotione educatur, solaq; remaneat caro quæ est valde dyspepta, etsi alat quamplurimum: Carunculam quandam habent Limaces in parte posteriori, albam mollem, teneram, instar casei concretam, & concoctu satis facilem, eaque eligi debet ad hecticorum analepsin: Optimi autem sunt qui in vineis & circa sepes nascuntur; Observatum tamen est rebus venenatis pasci solere, inde quidam noxii evadunt, iidem ex locis mundis colligendi, diligenter lavandi & per dies

dies aliquot in olla mundi servandi, ut mucosam illam substantiam deponant; Quidam in lixivio coquunt, dein in aqua, quæ intra horarum sex spatium ter aut quater mutari potest, sicque omnis impuritas tollitur: ita præparatos, & leviter exsiccatos, aqua iterum coquunt plurimum, & jus sorbendum præbent, vel lacti incoquunt, jusculo pulli, addita tussilag. & sacch. ros. Coctum jus propinatur ad ℔ß. mane & sero, duabus horis aut tribus ante pastum: Cæterum, præter id quod cochleæ sunt crassi succi, coctionis difficilis, addit *Galenus* 11. *simpl.* carnem earum contusam desiccare plurimum, ita ut hydropicis conveniat. Unde miror, cum victus Hecticorum humectans esse debeat, cur carnes has exsiccantes iis præscripserint, præsertim in tanta copia & varietate alimentorum ubique luxuriantium: Nec valet quod posset responderi, juscula sola imperari, & siccitatem aquæ additione retundi; etsi enim imminuatur, non omnino tamen deperditur, & transit in jusculum cum substantiæ quadam portione, videmus enim aquam rerum decoctarum vires attrahere, unde putandum est juscula illa vim quandam habere desiccandi, & ob id hecticis non esse admodum idonea, *Primirosius*. Diæta.

Diæta) An *vinum* convenit? Dic ex *Mercuriali*, viribus morbi diuturnitate fractis pauciferum esse concedendum; quo calor nativus paulatim refocillatus ciborum coctionem melius peragere, sicque idoneo nutrimento, ad singulas corporis partes transmisso, earundem restauratio facilius obtineri potent. *Luc. Schrockius Fil. not. in Helvvigii observ.* Comes juvenis in febrem hecticam post Variolas incidit, consumpta prorsus omni carne, cuteque late attrita ob diuturnum decubitum, Vinum à Medicis interdictum avide expetebat; Quidam bonum haustum vini, vitello ovorum permisti obtulit, quo assumpto æger vires mox recolligens, pristinæ sanitati restitutus fuit, accedente Balneo aquæ dulcis, *Joh. Helvvigius in Observat.*

Cibis paucis) Tenuis victus, ut in putridis non convenit, quod nulla crisis expectetur, nec putres subsint humores: Sed nec pleno victu opus est, quod ob caloris imbecillitatem concoqui nequeat, febrisque increscat, Medius itaque eligendus erit, & maxime analepticus: *Primirosius.*

33. *Ut partibus adhærere possint*) Unum alicujus momenti non est silendum, videlicet ante cibum immediate *jus parva pulla*, omni pinguedine remota, ad ℥v. vel vj. utiliter hecticis propinari, quo solidæ partes humectentur; Sic cæmentarii aqua parietem aspergunt priusquam calcem aut cæmentum admoveant, ut paries tenacius ac firmius incrustetur: *Joh. Zacchius consult.* 28.

34. *Illis quæ concoctionem juvant*) Nempe in talibus habeatur ratio stomachi, ejusque quoad appetitum dictamen, & quoad digestionem operatio: Notabilis est observatio *Lindani* super *Hartmannum*, qui dicit Amstelodami fuisse virginem xx. annorum, quæ ex ulcere pulmonum in hecticam jam desperatam per aliquot annos inciderat: Huic voluptas ostreas edendi obveniebat, unde præparatarum xij. offeruntur; quibus absumptis & tantundem iterum conceduntur; Et cum bene exinde haberet, illa intra breve tempus magnam earum quantitatem comederat, unde brevi convaluit, nupsit, & octo liberos peperit. *Idem de ranis*, alii *de testudinibus* idipsum affirmant, *Etmuller.*

35. *Tales sunt*) Sequens alimentum in Febre colliquativa præstantissimum est, *Sume farinam zeæ tenuissimam, impono in vase terreo, supra quam pulverem Sacchari pono* & sic S.S.S. *facio donec totum vas plenum erit farina*, Sit autem hæc proportio, ut pro *libr. farinæ sacch.* ℥iv. sumantur: Hoc in furno ad siccitatem coquo: Ex *hujus farinæ* ℥iv. dissolutis cum *jure carnis*, & parte quarta *aqu. rosar. & santal. albi* ℥ß. præparo *Ptisanam* præstantissimam: De qua detur ægro sæpius pro libitu. *Horat. Angenius l.* 8. *de Febrib. c.* 17.

36. *Lac*) Adhæc circa usum Lactis observandum Ne ventriculus scateat excrementis ac sordibus acribus ex digestionis vitio natis, Item, absit Hypochondriorum tensio; In specie sumatur lac ebutyratum, (si bubulum) Optimum est *Asininum*, pro cæteris in Hecticæ cura expertum: Modo usurpentur hujusmodi Lacticinia mature, nec nimis tarde, ideoque viribus adhuc utcunque constantibus; Deinde ut coagulatio impediatur, aliquantulum Sacchari addendum, *calidum* etiam assumptum: *Primarium* etiam Lac alimentum sub tali *lactea cura* constituit, cæteris nonnisi levioribus, ac facile digestibilibus, usque paucis assumptis: Ante omnia vero exploret Medicus an æger lactis usum queat tolerare; Modum docet *Joel* in praxi, ubi de Hectica, nempe ventriculo prius leni *purgatione* evacuato exhibeantur ægro initio ℥iij. vel iv. lactis, videlicet si probe concoquat, & nihil molestiarum exinde sentiat, nec post assumptum lac gravitas ventriculi sentiatur, aut singultus excitetur, aut vomitus, nauseaque succedat; nec calor in corpore, nec pulsus intendatur, tunc potest integra libra mane & vesperi propinari; Post sumptum autem Lac nec violentius se commovebit, nec dormiet æger. *Etmuller pag.* 541.

37. *Lac humanum, asininum &c.*) Lac ubi manifeste apparet absumptio, nullaque suspicio est febris putridæ, erit utilissimum, & primum quidem *Avicennas* Lac detracto butyro præscripsit, quia butyrum facile inflammatur, caseosa autem pars, quæ remanet cum sero, non est noxia: Caseum siquidem recentissimè factum & mollissimum non improbat *Trallianus*, sed cum veteribus aliis maximè commendat, refrigerat autem magis quando sero suo admiscetur; Ideò *Galenus* in prima specie, in qua hecticæ videlicet minor est consumptio, *Asininum lac* commendat, quia maxime refrigerat, tenuissimum est, sero abundat, coagulique minimum habet, unde ad corporis siccitatem emendandam, caloremque temperandum omnium maxime est idoneum, qua ratione crudum, & magna copia exhiberi debet, sic enim tenuissimum cum sit, minimè coagulatur & quoquo versum in corpus distribuitur, coctum autem, evaporatis partibus tenuioribus & serosis crassescit, & minus aptum refrigerationi redditur: Quibus autem Asinini lactis copia non adest, ij lacte vaccino, butyro detracto, uti commode possunt: At in Hectica secundi gradus, ubi non tantum refrigerationi, sed etiam analepsi studendum est, lac integrum prodest, exhiberi autem debet longo tempore, ab unciis quatuor ad libram unam ascendendo: *Muliebre*, ob temperiei affinitatem (quæ etiam optima est & excellentissima) cæteris lactis generibus præferri debet; Inde primas tenet *Asininum* quo (inquit *Trallianus*) hectica sanari posse creditur.

Caprillum deinde laudatur, maxime butyro prius detracto: *Bubulum* crudum exhiberi quoque potest, sed potentius nutrit, quia crassius, ideo sextam aquæ partem immiscere videtur *Hippocrates* ratione enim butyri, quod plurimum est in eo, nocere potest, tum quoque decoquendo ejusmodi lac facile vitiatur; Eligendum autem optimum, quod moderate spissum, colore album, odore gratum, sapore dulce, & cum instillatur in unguem neque cito, neque tarde defluit; Bibendumque est recenter mulctum, aut è mammis ipsis mulgendum, quod optimum erit, vitiatur enim ab aëre, sicut semen; Et quia tædiosum est plurimis id facere, vase tepido ex aqua tepida excipiendum, & statim sorbendum, antequam ex aëre vitium conceperit: Cura præterea animalis habenda est, ut refrigerantibus herbis nutriatur, ut Lac frigidius evadat; Sed si magis nutriendum sit, convenit idem lac aut chalybeatum aut decoctum, Cavendum siquidem ne hecticorum alvus subducatur, præsertim eorum qui ex syncope aut diuturniori diarrhoea in marasmum inciderunt: Quapropter quibus alvus facile subducitur, aut venter imbecillis est, lac coquere, vel fluviatiles lapillos igne candentes in eo extinguere oportet, dejectiones

enim biliosas sedat & compescit, ut docet *Trallianus*.

58. *Nisi Febris Putrida adsit*) Spectandæ sunt conditiones quibus illud non licet exhibere, *Prima* est ejus in ventriculo corruptio, quam deprehendimus ex Pulsu, si fiat inæqualis & parvus à lactis assumptione, talis enim pulsus solet fieri affecto orificio ventriculi; Et *ructu*, si sit acidus cum tormimibus ventriculi & intestinorum; à frigiditate ventriculi lac corrumpitur, si nodorulentus fuerit & fumosus, ab ejusdem calore: Si ructus sit acidus incoqui potest aliquid mellis aut sacchari, Si sit nidorulentus, consilio *Gordon. Hollerii*, *Jouberti*, addatur aquæ sexta pars, stomachi liquidem fervorem temperat, nec lacti quicquam nocet, hecticis ipsis refrigerando prodest: Sic 5°. Epid. *Pyocles* lac aquę mistum laborantibus offerre solebat; atque ut docet *Galenus*, in hecticis à melle & mulsa abstinendum, pari ratione etiam à sacchato, quod melli viribus est affine, aut saltem eo parcissime est utendum.

Secundo, impedit Lactis assumptionem *Febris Putrida*, quia ab ejus calore, & humoribus in ventriculo contentis lacte alteratur & corrumpitur ac in nidorem mutatur.

Tertio, Dolor capitis, quia vaporibus multis caput implet & gravat.

Quarto, hypochondria in tumorem elata, lactis enim corruptione augetur inflammatio, cacochymia major succrescit, & vaporibus multis à lacte consurgentibus tumor comprimitur.

Quinto hypochondriorum borborygmi, qui fiunt à flatibus, & plurimum usu lactis multiplicantur.

Sexto, sitis valida, fit enim aut à summo ventriculi calore, aut ab humoribus biliosis & atribus stomachum infestantibus, & his de causis solet Lac facillime vitiari, Eademque est ratio cur biliosis dejectionibus non conveniat.

Septimo, impeditur ejus exhibitio à profluvio sanguinis quod præcessit, à quo refrigerari potest ventriculus, unde periculum est ne in eo lac acescat: Hæc complexus est *Hippocr*. aph. 64. lib. 5. *Primirosius*.

59. *Amygdalata*) Lac, quod amygdalinum ob lactis similitudinem vocatur, Lactis loco in usum venire potest, additis interdum strobylis, seminum cucumeris, melonum & papaveris emulsionibus, cum saccharo violato, & hæc omnia cum medulla panis albissimi & jure pulli misceri commode possunt, fientque ferculum polytrophon, refrigerans & eupeptum; Aliud fit ex farina oryzæ in lacte vel jusculo dissoluta, & addito lacte amygdalino, saccharo violato & vitello, ovi lento igne, semper agitando coquatur parum. *Primirosius*.

c. *Cancrorum fluviatilium*.) Cancros ita præparari jubet *Avicennas*; jubet extrema abijci, reliquum corpus lavari aqua salsa, vel lixivio dum gravitatem odoris deposuerint, deinde coqui in aqua hordei: Alii caudas cancrorum tantum assumunt, easque contusas in lacte infundunt, per horas sex, deinde decoqnunt in eodem lacte, additis prædictis emulsionibus & saccharo; Sic docet *Diosc*. l. 2. c. 10, elixos cancros cum jute suo tabidis opem ferre; Cæterum monet *Matthiolus* cancros fluviatiles non esse Asticos, quos nos vocamus *Escrevisses*, sunt enim cancri rotundi, astaci longiores, unde Aristot. 4. p. an. c. 8. cancros à squillis differre tradit quod cauda careant E si nullam videam rationem cur Astacorum caro non sit etiam hecticis idonea, cum eandem habeat alendi vim.

d. *Carnibus Testudinum*. Testudinis hæc præparatio utilis esse p[illegible] st [illegible] udinem memoralem ab ossibus separatam, & visceribus repurgatam, cum aqua violarum d[illegible] lavare oportet, dein per noctem in lacte inf[illegible] demum in jusculo carnium coquere, & addito [illegible] haro jus illud hauriatur; etsi prædictæ carnes [illegible] um comedantur, & subeant Electuariorum analepticorum confectionem; Earum tamen Juscula salubriora sunt, & minus stomacho facessunt negotium.

Ejusdem sortis sunt *Ranæ*, Ranarum solæ coxæ sunt salubres, paulum differentes colore & albedine à pullorum gallinaceorum coxis, maxime si in jusculo carnis elixentur, summum enim phthisicis afferunt remedium; Sed curiosius illarum delectus esse debet, nam quædam non sunt adeo tutæ, pleræque noxæ & venenosæ.

e. *Juscula pullorum &c. cum lactuca*.) Recentiorum carnium Juscula prædictis præferri debent, alterata refrigerantibus herbis, ut lactuca, endivia, acetosa, borragine, & satis nutriunt ac refrigerant; sed inter Juscula maxima differentia est, nam majorem nutriendi vim habent, Consummata dicta, Restaurantia, Gelatinæ, Expressa: Consummata à Jusculis differunt longiore coctione, sumuntur scilicet carnes caponum, pullorum gallinaceorum, vervecina, vitulina, cum herbis convenientibus, & coquuntur, dum solvantur carnes in minutissimas particulas, jus per linteum percolatur, pinguedo supernatans secernitur, dein lento calore coquitur ut aquea pars exhalet, Sola remaneat alimentaria, cujus quatuor aut quinque cochlearia ægris sufficere possunt, Solet autem ejusmodi Jusculum sponte congelari, unde Gelatinæ nomen, est enim tantum jusculi composita substantia concreta; ut autem præclarior evadat, viscida adduntur, ut pedes vervecis, vituli poples, mucosa enim substantia, & quasi spermatica ex illis extrahitur, quæ Jusculi concretionem juvat; Itaque carnes prædictæ coquantur in aqua ad ossium separationem, coletur jus, carnes exprimantur, ubi refrixerit pinguedo omnis auferatur, quod superest clarificetur ovorum albuminibus, dein saccharum adjiciatur; Expressa vero fiunt ex carnibus optimis, quales sunt perdicum, phasianorum, caponum, coxæ vervecinæ & vitulinæ, Ex quibus semi-assatis jus torculari exprimitur, dein lento igne recoquitur ut aquea pars exhalet: Imbecillis autem corporibus vires reparat, & proinde toto morbi decursu exhiberi potest. *Primirosius*.

f. *Lac perlarum, corallorum*) Prædictis *rasura eboris, cornu cervi, dens equi marini* incoqui possunt, eorum enim substantia abit in Jusculum, etsi non tota, & concretioni opitulatur: In aliis affectibus, aromata addi possunt; tunc jus calidum transcolari debet per manicam Hippocratis, & ad saporis gratiam affundi potest succus limonum aut acetum; Olim autem Decoctis addebant conservas, pulveres & aurum, sed eos merito reprehendit *Rondeletius*, nam carnem crudam pulveribus cardiacis admiscent & una decoquunt, cum tamen minorem quam carnes coctionem postulent; nam si carnes integre coquantur, adurentur Pulveres: Si vim Pulverum brevi coctione servare volumus, caro cruda remanebit. *Idem*.

g. *Aqua caponum &c.*) Distillata, Restaurantia dicta, à multis laudantur, ad vires prompte & celeriter reficiendas, substantia enim tenuior, purior & defæcatissima alimenti sublimatione elicitur: Extrahitur autem hæc aqua ex carnibus prædictis dissectis, ab ossibus & pinguedine purgatis, lotis aqua cardiaca aut vino albo; tum conservæ, pulveres cardiaci, herbæ cæteraque scopo Medici accommodata adduntur, distillantur simul in MB. liquor servatur in ampulla vitrea, de quo ℥ij. per se, vel cum jusculo & panatellis sæpius exhibentur in die: Quin etiam commendantur ex limacibus, cancris, lacte, Sanguine humano extractæ, quæ ob analogiam maximas nutriendi vires habere creditur.

℞. *juris caponis bene cocti mensuram unam, carnium testudinum nemoralium, cancrorum, coxarum ranarum āā. p. j. conserva rosar. bugloss. borrag. violar. nymph. scab. āā. ℥j. spec. diamarg frig diatrag. āā. ʒj. cinnam. ʒß. aq. bugl. acetos. ros. āā. ℥iij. semin. lactuc. papav. albi portul. āā. ʒj. Elicitur Aqua s. a.* Vide *Weckerum in Antidot.* sicut & illius quæ ex Sanguini humano elicitur: Sed hæc Destillata, secundũ placitum Medicorum, novitate aliqua sese commendantium, aliorum

rum judicio nullius sunt utilitatis, cum enim experientia ostendat non omnia postulare Chymicam præparationem, id de alimentis maxime verum est, quorum nullum ita præparari debet: Si tamen, vinum, cæteráque esculenta redigeremus in essentias, & à terrestri parte, ut vocant separaremus, quam ineptum & insalubre ferculum ægris nostris præberemus, Sed & supina quorundam agyrtarum ignorantia hanc consuetudinem intulit, repugnat siquidem chimicæ ἐγχειρήσει phlegma enim solum hac arte elicitur, pars scil. aquea insipida, quæ nullam habet aut exiguam nutriendi vim, nam viscosa illa & glutinosa pars quæ remanet, & è qua nihil secedit, ea est quæ alimoniam præbet corpori constantem & copiosam, & in expressis decoctione extrahitur, in distillatis remanet in fundo & abjicitur, unde Expressa Distillatis contraria sunt; Nā res dari ita fixas ut distillatione nulla elici possint Chymia, ostendit ex quibus pars illa est carnium glutinosa, viscosa, quæ nutrimentum suppeditat, Unde si quam vim habent ejusmodi Aquæ, ea tota ab herbis & aromatibus additis, etsi frustra adiciantur *corallia, margarita. aurum*, cæteraque essentiæ compactioris è quibus nihil secedit; Hinc *Bapt. Porta* 10. *Mag.* Nat. jusculā carnium blando calore distillat, ut tota pars aquea evaporet: Sed ineptiores sunt qui Lac distillant, cum enim ad analepsin Lac integrum recenter mulctum cum *Galeno* Medici præscribant, isti tantum partem ejus aqueam nullius energiæ & efficaciæ imperant, ex qua nihil utilitatis corpori accidere potest; Ejusmodi Aquas præscriptas vidi, quas potius credidissem cosmeticas fuisse quam analepticas: Sed quæ ex Sanguine humano elicitur, etsi multum à Gainerio, Montagnaga, aliisque probetur, viresque forsan possideat insignes, multumque cardiaca sit, tamen Hecticis ideo noxia esse videtur quod calida sit & nimium spirituosa, instar aquæ vitæ ardens, propterea iis quibus refrigeratio & humectatio necessaria est minus convenit, calefacit enim & exsiccat: *Primirosius.*

Exemplo domestico demonstrari potest futilitas aquarum ejusmodi è carnibus distillatarum, ollæ scilicet in qua carnes elixantur, plerumque absque operculo; Pessime mensæ consultum esset si vis illarum alibilis in auras abiret, superstite tantum parte terrestri, quæ tamen lingua judice, saporem retinet, qui in guttis operculo adhærentibus nullus est, aut solum subsalsus: Eadem aquarum è carnibus distillatione elicitarum conditio est.

h. *Confectiones &c.*) Etsi ad nutriendum Jusculа, Consummata, Gelatinæ, Expressa sufficere possint, sintque eo nomine præferenda quod in rem præsentem recentia parari soleant, Analeptica tamen remedia recentiorum curiositas in syrupos, electuaria, morsellos, aliasque formulas adaptavit, Syrupi resumptivi hæc formula esse potest.

℞. *carnis testudinum lota, carnis cancrorum, coxarum ranarum, pulpæ caponis* āā. ℥iij. *hordei mundi* ℥ij. *rad. buglossi. liquir.* āā. ℥j. *satyrionis* ℥β. *endiv. lactuca portulaca, symph.* āā. *m. j. da ctylor.* passular. mundat. āā. ℥j. *sebesten, jujubar.* āā. *par. N. sem. frigid. maj. recentium*, āā. ℥ij. *sem. bombac. lactuca, papav. albi, cydonior.* āā. ʒj. *flor. violar. nenuph. bugl.* āā. *p.* 1. *f. decoctio in s. q. aqua ad* ℔ij. *In colatura clarificata adde sacchari albiss.* ℔iβ. *sacch. rosat.* ℥β *f. Syrupus perfecte coctus, aromatizatur* ʒj. *santal. rubri.*

Sed additio carnium inutilis est, propterea iis demptis, ad temperationem caloris hæcticorum, ex reliquis Syrupus concinnari potest, conveniunt enim Julepi & syrupi refrigerantes: *Pimpinella* & *raparum* succos sunt qui commendent; Infantibus autem, qui ægre medicamenta sumunt, *aquæ portulaca & scabiosa* dantur.

Confectiones variæ restaurantes fieri possunt, quas gratissimas componere debemus ne in morbo longo fastidium pariant: *Martius panis* simplex fit ex amygdalis contusis in aqua rosarum & saccharo, simulque lento calore coctis in clibano; Compositus vero præstantior, parumque differt à Regio Electuario. Pastam regiam hodie vocant, quod Regibus digna sit: Adduntur simplici martio pani fructus, semina, aromata, carnes coctæ, contusæ & lotæ in aqua hordei, quando fit ex carne testudinis Testudinatum vocatur, sicut Pineolatum quando strobyli mundati & contusi cum saccharo benè cocto & dealbato adduntur: Carnes itaque vel simul omnes, aut harum una ad ℥iv. fructus ad ℥.j. semina ad ʒj. ʒβ. pulveres ad ℥β. adduntur, Si sine carnibus fiant, fructus augeri possunt & semina, Et quidem cum carnes hoc modo apparatæ sint coctu difficiles, parumque succi alimentosi retineant, quem coctione deposuerunt in jusculum, omitti commode & utilissime possunt.

℞. *Amygdal. d. excorticat.* ℥iβ. *strobyl. mundat. aqua scabiosa lotor. & per horas xij macerator. pistacior.* āā. ℥β. *pulpa passular. d. ctylor. jujubar.* āā. ℥iij. *semin. frig. mundat.* āā. ℥j. *semin. papav.* ā. ʒj. *Teruntur optime in mortario, irrigando massam aqua rosar. adde amyli, gummi tragac. arab.* āā. ʒj. *penidior.* ℥j *sacchareque paulatim asperso fiat massa, & inde panes cujusvis figura, sensim exsiccandi, auro obducendi.*

In aliis ambra grisea, cinnamom. addi possunt, vel.

℞ *pasta ex qua Martius panis fieri solet* ℔j *pinearum, mundat. quart.* β. *sem. cucurb. mundat. & in lacte infusor.* ℥j. *contundantur diligenter. Adde pulv. Diatrag. Diapen. Diamarg. frig.* āā. ʒij. *vitellos duorum ovor. sacch. in aqua tussilag. dissoluti* ℔β. *formentur placenta. coquenda s. a.* vel

℞. *Pulpa caponis aut gallinæ* ℥iβ. *semin melon. vel cucurb.* ℥β. *margar. pr. apar.* ʒβ. *sacch. in aqu. violar. solut.* ℥vj. *succi limon.* ℥β. *f. morselli.*

Sed carnes prius teri debent fortiter ac longo tempore, deinde cum aliis misceri, Vel

℞. *Pulpa caponis assi & perdicum assatarum. coxar ranar. cancror fluviat. testudin memoral. coctarum in aquis portul. & hordei* āā. *quart.* β. *amygdal.* ℥iβ. *pinear.* ℥j. *pistacior.* ℥β. *sem. frigid. maj. papav. albi* āā. ʒj. *passula mundat. sebesten* āā. ℥j. *contundantur simul. addendo amyli a* ʒβ. *margar.* ʒj. *spec. elect. resumpt.* ʒiβ *diatrag. fr.* ʒj. *penid* ʒβ. *sacch. c.* ℥iβ *g. tragac. in aqua rosar. r. fusi* ʒj. *sacch. albiβ. in aqu. rosar. & tussilag. dissol.* ℥x. *coquantur lento igne ad sufficientem exsiccationem, fiant Placenta vel morsuli servandi ad usum.*

Extat in officinis *Electuar. resumpt.* dictum, quod loco prædictorum usurpari potest: Saccharum insuper Rosat. tabulatum in frequenti usu habere debent; Vel saccharum in aqua violar. aut portulacæ dissolutum, & in tabulas redactum. Vel

℞. *Conserv. rosar. portul. buglossi.* āā. ℥j. *conserv. rosar.* ℥β. *spec. diamarg. frig.* ʒj. *sacch. q. s. f. mistura. Primirosius.*

40. *Aqua caponum &c.*) Aqua ex *sanguine lactentis vituli*, vel *agni*, Mar-balneo præparata mirifice in hoc affectu commendatur. *Lalius à Fonte cons.* 126.

41. *Cancrorum fluviatilium*) Infanti trium annorum atrophia & hectica laboranti, cui brachia & pedes flavescebant, venter vero tumidus erat, consului primo de hoc *lacte Cancrorum* daretur mane & vesperi, calide cochl. j. vel ij.

℞. *Cancror. fluviat. vivor. n.* v. *bene lotis & mundatis affunde lactis capr. q. s. contunde parumque coque: Postea per linteum succus expressus edulcoretur sacch. cand. q. s.* (*Johann. Petrus Lotichius.*

42. *Passularum minorum*) In specie conducunt *Passula* perquam egregie, nempe, ut alias dicunt, non datur melius *hepaticum*. ac melius nutriens quam *rob.* sive *pulpa passularum*; unde etiam à *Riverio* tam in praxi quam observationibus, Item à *Joële*, non secus ac aliis multum extolluntur ad curam Hecticæ: Sane in dyscrasia Sanguinis acri temperanda, & sanguine quasi renovando perquam egregiæ sunt *Passula*: Item *decoctum Passular.* cum *rad. cichor.* vel cum *radice china* egregium est. *Ettmuller.* 339.

43. *Confectiones ex Pulpa*) Peculiaris hic Pulvis est.

℞. *Ranar. virid. n. iij. exsiccentur, pulverentur, adde margar. prapar. ℥j. corall. rub. ℈ß. Misce, de hoc quotidie mane sumatur ʒj. cum Emulsione nuc. pinear. ad ℥ij.* continuando per septimanam. *Arnold. Weickardus Thes. Pharm. p. 441.*

44. *Testudinum) Amatus cent. 2. curat. 53.* curavit quendam per pullorum gallinaceorum testudinibus nemorabilibus saginatorum esum, & potum lactis asinini; Sed præstat sub Lactis usu carnium esum intermittere, ne lacti ad corruptionem detur occasio: quin *Lactuma* sola pro cura usurpentur *Ettmuller.*

44. *Carnibus Testudinum) Ranarum* esu hecticum se curasse perhibet *Zacutus Lusit.* Habui, *ait*, hecticum in curatione diu, qui siccatus & tabidus nec balneo, nec lactis potu &c. potuit restitui, tandem morbi pervicaciæ pertæsus ad *Ranarum* usum accessi, *Aquam ex illis stillat.* in B.M. cum *syr. violac.* permixtam pro potu quotidiano bibendam obtuli; Eas elixas cum oleo, sale, saccharo, & salsamentis in cœna & prandio degustabat: Interim illi erat pro frequenti usu *Jus album* factum ex illarum contusa carne; cum *amygdalis, lacte butyro far. hordei facch vitell. ovor.* quæ omnia respersa *cum cinnamo & rosac.* irrorata, & percocta, conditum faciunt suavissimum, quod optime nutrit, humectat, impinguat, coquitur facile, cito distribuitur; Hoc modo gubernatus hic æger trium mensium spatio pristinam recuperavit valetudinem, *Zacutus Pr. Adm. Obs. 6. lib. 3.*

45. *Margaritis, corallis)* Nam viscerum corroborationi incumbendum est, quapropter *opiata* in hunc modum confici poterit, cujus usus, dum alterantia usurpantur.

℞. *conserv. flor. borrag bugl & violar. ãã. ℥j. conf. florum nymph. ℥ß pulv. Elect. diamarg. frig ℈jv. ras. ebor. ossis de corde cervi ãã. ʒß. margar. prapar. & corall prap. ãã. ℈j. fol. auri n°, iij. cum syr. de Pomis* fiat opiata. *Riverius.*

46. *Quando rorida partium humiditas)* Hecticarum tres sunt Gradus vel differentiæ, ad quarum intelligentiam ex Physialogia repetenda est humorum secundariorum distinctio, sunt autem variæ sanguinis præparationes antequam in partium substantiam immutetur, Sanguis cum primum è magnis vasis in minora, quæ singulis partibus natura dedit, exciderit, ab illis ita immutatur ut partis naturam quasi assumat, & fit primus ex secundariis humoribus, & proprie est tantum sanguis elaboratior & perfectior, qui proximum partium alimentum futurus est: Sed ubi jam ex parvis illis vasis excidit, & in similarium spatia roris modo dispergitur, illisque adjungitur & apponitur, propriumque fit partium alimentum.

Ros vocatur, & à nonnullis, humor alimentarius: Hic coactus concretusvè cum partibus agglutinatur, & solidis fibris adhærescit, assimilaturque, Gluten dicitur & carniformis, estque nonnisi carnosa & adipis substantia: Sed cum jam perfecte mutatus & assimilatus fuerit, tunc solida fit partium similarium substantia, ex Galeno, alii Cambrium vocant, quia ex alimento perfecto alimento generatur: Aliis dicitur primogenitus humor, insitus, humidum radicale.

His quatuor humoribus quatuor siccitatum genera *Galenus* opposuit, *7. meth. c. 6. Quod senium est in sanis, id sicca est intemperies in ægris, itaque etiam insanabilis est si prorsus sit consummata, nempe ubi solida partium similarium substantia reddita fuerit siccior: Nam est & altera siccitas, quum ea quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps, sunt liquata; Etiam tertia cum propria humiditas unde partes nutriuntur omnino absumpta est. Continetur ea in omnibus animalis partibus ceu ros quidam per ea sparsus: Quarta ab iis diversa siccitas est qua in propriis cujusque particulæ exilibus arteriis venisque consistit, Provenit & hac ex sanguinis penuria.*

Ex quibus est perspicuum primam siccitatem esse quando solida substantia consumitur, aut cambium, ut vero quarti humoris consumptio primam eamque pessimam siccitatem constituit, ita tertii consumptio secundam, secundi tertiam, & primi quartam, quæ omnium facillime curari potest: Ex his statuunt Medici tres Hecticæ differentias, non quatuor, cum quarta illa siccitatis differentia, quam *Galenus* vult dari, eorum sit humorum qui in venis arteriisque continentur, quorum consumptio etsi hecticæ sit perpetuo comes, non constituit tamen ullam illius differentiam, quia omnis hectica est in solidis partibus, potius febrem facit synochon aut putridam, si humor ille putrescit, aut effervescit, ut vult *Avicennas*, Cum enim humor iste à sanguine quamminimum differat, putrefieri poterit & inflammari; vel, ut vult *Gentilis*, consumptio istius humiditatis confunditur cum absumptione torida, unde unam eandemque simul constituunt Hecticæ speciem.

Tres itaque tantum sunt Hecticæ gradus, 1. quando everti incipit cordis temperies, sed nondum virtus laborat, tantum humiditas alimentaria effervescit: 2. quando consumpta ea est, etsi alimento possit reparari. 3. quando radicale humidum, caloris nativi fundamentum & subjectum absumitur, quod quia spermaticum est, nec alimentis nec remediis reparari aut resarciri potest, sufficit si ulterior exsiccatio prohibeatur, Marasmus vocatur ἀπὸ φλογώσεως, vel torridus, ad differentiam illius Marasmi qui vel frigori vel senio succedit: In his hecticæ differentiis prædicti humores insensibiliter absumuntur, contra quam fieri solet in ardentibus in quibus ex vehementia caloris, caro & adeps colliquantur, & defluunt in ventrem, unde dejectiones fiunt pingues, urinæ ἐλαιώδεις & oleaginosæ, Non tamen credendum est calorem hecticarum majorem esse calore ardentium, quod quibusdam placuit, cum difficilius esse videatur materiam per halitum dissipare quam sensibiliter eliquare; attamen calor mitis & diuturnus, ac alte corpori insidens insensibiliter humores resolvit, vehemens vero cor fundit & colliquat.

Hic quæri potest, An divisio ista febris hecticæ sit divisio in veras species? Respondet *Gentilis* Hecticam minime dividi in species per consumptionem humiditatum, quia non esset febris facta, sed fiens & à causa dependens; quod repugnat doctrinæ Galeni, sed potius sunt varii febris gradus, calor enim cum occuparit omnes solidas corporis partes, consumit humiditatem roridam, dein gradatim reliquas substantias populatur, ut docet *Avicennas*, exemplo ellychnii, eadem flamma primo absumit oleum lucernæ, deinde oleum ellychnio imbibitum, denum illius humiditatem, & tamen non migrat de specie in speciem; Sic in hectica idem numero calor per varios gradus universum corpus tandem depascitur & absumit. *Primirosius.*

46. *Dividitur Hectica)* Multiplices habentur hujus Febris divisiones, 1. Alia est Hectica *primaria*, quæ à principio invadit, Alia *secundaria*, quæ aliis febribus succedit, ij. Hectica, vel *simplex* est & *solitaria*, vel cum febre putrida *complicata*. iij. Alia à corde incipit, aut ab alia aliqua parte, ut pulmone, hepate, liene, renibus, utero, aliisque partibus inflammatis, ulceratis, corruptis, aut alio aliquo gravi morbo obsessis, Et hæc febris quamvis sedem habeat in corde, & toto corpore, symptomatica tamen vulgo dicitur, propter primam originem quam ab aliis partibus sortita est. *Riverius c. 3.*

47. *Quando rorida partium humiditas)* Humores secundarios tres tantum agnoscit *Walæus* l. 1. c. 6. *Instit. Med.* 1. est *Ros*, id quod diluitur quando lavamus carnem. 2. *Gluten* id quod distillat cum lentè assatur caro; 3. *Cambium*, est aliquod mucosum quod carni adhæret. Humorem innominatum non agnoscit.

48. *Ubi incipit, difficulter)* Utraque tamen exacte est distinguenda, cum maximi sit in curatione momenti, quæ admodum varia tunc temporis existit: Hæc autem complicatio dignosceretur comparando signa Hecticæ cum signis Putridæ. *Riverius.*

48. *Ubi incipit)* Imminens febris Hectica dignoscitur si causæ

mosæ prædictæ præcesserint; nempe si febris ardens in corpore calido sicco, raræ texturæ, 10 aëre æstuante præcesserit, periculum est ne æger in hecticam incidat, Et remedia eam præcaventia usurpanda sunt. Primus gradus, si cum Putrida fuerit conjuncta, difficillime dignoscitur; si sola sit, non facile: In prima die omnia signa Ephemeræ, In die sequenti augetur ariditas, con calor, Tertia die non repent, non aucta evidenter, non diminuta, Ac tandem una aut duabus horis post cibum caliditas nonnihil aucta apparet. *Riverius.*

48. *Ubi incipit difficulter*) Tres gradus Hecticæ dantur, Primi signa communia reliquis, *vide supra*; Secundi signa sunt pinguedo in urina, & manifesta consumptio; (*vide de urinis oleosis notis* supra) consumptio autem omnium partium simul à principio fit, non seorsum hujus aut illius: Tertii signa sunt, ardor in gutture, prostratus appetitus, frequens lipothymia, & facies hippocratica, consumptio totius jam fere peracta. *Walam Med. Pract. l. 1. c. 11.*

49. *Una ... ...*) Duplex constitui potest *Marasmus*, vel enim fit à causis præternaturalibus, ut febribus, vel à causis naturalibus, & sunt ætatum mutationes, & vocatur senium; in quo humidum primogenium sensim contabescit: Uterque Marasmus vel simplex est, vel compositus; simplex, quando sola adest siccitas sine frigiditate aut calore excedente: Compositus, quando siccitati aliqua activarum qualitatum conjungitur: si calor adsit proprie est febris Marasmodes, Et si annoxa sit syncope, Syncopalis dicitur; Si frigida adsit intemperies, vel ex senio, vel ex morbo, Marasmus *Philippi* dicitur. *Primerosius.*

50. *Tum corpus evadit macilentum*) Qui secundus est gradus, quo æger non percipit se febrire, quamvis percipiat alterationes à cibo: Arditas manifesta est, Pulsus minor & celerior, cum duritie quadam. *Tertii* autem *gradus* signa manifestissima sunt, Oculi concavi, sordes in iis siccæ & squallor, ossium prominentiæ conspicuæ, vividus flos coloris extinctus, cutis universa arida, præcordia vehementer contracta, ut videantur carere intestinis; Pulsus sentitur sub ventriculo in omnibus extenuatis. *Riverius.*

50. *Tum corpus evadit macilentum. Tempora collabuntur &c.*) Si prioribus signis, quibus Hectica dignoscitur, addamus faciem Hippocraticam dictam, Nares scil. acutas, Oculos concavos, collapsa tempora, plumbeum colorem, Palpebras aridas ut vix attolli possint, Hypochondria tensa & contracta, cutim squallidam, corpus universum aridum, ut quasi sceleton esse videatur, signa habebimus *Marasmi* consummati & insanabilis, facilis siquidem est ejus cognitio, sicut curatio impossibilis: In primo vero gradu curatur facillime, sed dignosci certo vix potest; in secundo vero gradu medio modo se habet, tum circa curationem tum circa cognitionem; pulsus enim adsunt languidi, duri, parvi, corpusque sensibiliter contabuit: Fit autem *Facies* Hippocratica ob maximam consumptionem carnium faciei; *Color* plumbeus est & lividus, propter sanguinis & spirituum calorisque naturalis paupertatem; *Palpebræ* autem vix attolli possunt, propter siccitatem musculorum & virtutis imbecillitatem, quæ clausas palpebras attollere non potest, sed illis perpetuo connivent, hinc dormire videntur etsi vigilent; Eadem est ratio cur *Hypochondria* tensa sint, & *cutis* arida, imo ita inaruit ut non rigosa sit & mullis, ut in aliis extenuatis, sed instar corii exsiccata, ita ut digitis comprehensa consistat nec revertatur, Insuper decidunt *Capilli, Ungues* incurvantur ob alimenti inopiam: *Primerosius.*

51. *Alvi excrementa*) In Hecticis sunt diversa, fæces quandoque sunt duræ, imo sæpius in principio & incremento hecticæ difficulter egeruntur: Fiunt postmodum admodum liquidæ & copiosæ, ventriculo nempe labefactato, nec tacite continente, nec debite digerente assumpta: In ultimo hecticæ gradu fluor alvi fere est continuus. *Etmuller p. 334.*

Colliquativæ Febres.

52. *Pinguedine perfunduntur, eadem cum urina*) *Colliquativas Febres* vocant, Io his ad *acre colliquefaciens* inprimis respiciendum, ut hoc corrigatur; Si enim hoc negle-cto, excretiones saltem, quæ tantum sunt producta morbosa, respicere velis, hasque supprimere, retenos iisdem, mille malis mulctabis ægrum: Ad Acre autem illud temperandum, vix aliquod convenientius esse videtur, quam *absorbentia. v. g. antimon. diaphor. martiat. terra sigill. unicornu fossile &c.* quæ eo videntur efficaciora, si sociatione blanda acidorum aliqualem quasi austeritatem contraxerint. Hinc enim *Sylvius c. 29. §. 92. spir. salis dulcem* laudat, Forsan & quodvis acre temperans hic locum habebit. Inter composita *Diascordium Fracast.* juncto succo citri propinatum, præ aliis conducibilius videtur: *Etmuller. p. 322.*

53. *Eadem cum urina excernitur*) Hectica ad Marasmum progrediente, urina est *oleaginosa*; qualis urinæ facies etiam in duobus aliis casibus observari solet, nempe in febre ardente, Item in intermittente, nimio æstu coo-junctis, interdum talis conspicitur, quia aucto calore, liquata corporis pinguedine nonnihil ejus cum urina excernitur: Deinde in *scorbuticis* & *malo hypochondriaco* affectis, similis pinguedo supernatans observatur, sed non est pinguedo, sed potius salia vinosa coagulata, pelliculæ instar urinæ supernatantia: Ut distinguatur hæc, observetur quod vera pinguedo supernatans semper est uniformis, & ad latus aspecta nullum colorem aut splendorem repræsentet, In *scorbutica* vero & *hypochondriaca* hujusmodi quasi pinguedo innatans ad latus aspecta instar caudæ pavonis vel iridis elegantissime colorata apparet. *Etmuller p. 336.*

53. *Eadem cum urina excernitur*) *Calor hecticus* hoc differt à *Putrid* quod in solidis partibus insidet, proprio scil. fomite glisceus non alieno, Et quia in solidis se vertit in materiam quæ est intra solidas partes, sicuti febrium putridarum calor se accendit in materiam quæ est intra vasa. Est autem in solidis partibus humidum triplex, videl. quod partium stamina circuinstat; quod in substantiam partium imbibitum est, & quod solidum ipsum constituit, quoque veluti glutine substantia cohæret; quemadmodum etiam in lucerna triplex est humidum, Oleum quod ellychnium circumfluit, quod ellychnio imbibitum, & quo ellychnii substantia continetur, quoque absumpto ellychnium incineratur: Pro triplicis hujus humidi absumptione, qua hectica febris distinguitur, etiam *urinas* variare volunt; Nam in prima Hecticæ specie, in qua effervescit & absumitur humidum nutrimentitium, *Urinam* faciunt *oleo apparentem*, In secunda, in qua ros partibus imbibitus, *Oleosam*, i. e. colore & crassitie oleum referentem; In tertia & *Hectica marasmode Galeni*, in qua gluten coorinuitatis absumitur, & colliquatio solidarum partium est exacta, vere *Oleosam* i. e. ut oleum pinguem; Ita *Actuarius*, & qui eum sequuntur; Ultimam dari negamus authoritate *Galeni.*

Huic aliam substituimus, videlicet *Oleosam, qua est omnigeni coloris*, qualis in Iride conspicitur, idque nixi experientia & ratione. Experientia *Th. Zwingeri Phys. Medic.* c. 49 qui se talem in quodam tabescete bis vidisse testatur Et ratio suffragatur, nam & Tartarum & Vitriolum & urina ipsa, quando elixantur, sub finem exhausto ferme omni humido seroso, quod phlegma appellant, vapores in alembicum elati tingunt illum colore variegato, videlicet ex portione salis subtilissimi & levissimi elevati; An tale quid etiam in corpore exhausto, morbique diuturnitate extenuato fiet? De aliis dictum est, eas fieri (vide inferius *§. Et oleaginosa*) cum ratione *alimenti* tum *seri*, Alimenti quidem, quod ad partes affluens nec perficitur,

nec ab excrementis liberatur, sed inquinatum exit, quod si diu duret, conclamatum est de salute hominis ob extremam imbecillitatem, quia jam nec continere quicquam alimenti partes possunt; Ratione *seri*, vero, quod à calore hectico livorem ex viridi, sive virorem obscurum & extinctum contrahit; Cum enim in Hectica sit calor quidem vehemens & acris, cujus ratione Sal torretur & tostura virescit, at non vividus, sed in agendo subevanescens & quasi emoriens, propter deperditam calidi nativi formam, extinctionis vestigia in sero relinquuntur, unde livescit, quo sensu etiam à *Galeno* dictum existimo 1. *de crisi*. 12 *Lividus calor tantum* frigiditatis effectus, Et ex his, simul conjunctis, Oleagineam urinam concinnavimus, quales in Hectica, continuatæ præsertim, sunt lethales, ob maximam imbecillitatem, Est autem cum calor non totum corpus corripuit, sed partem aliquam occupat, ut in *Hectica Topica*, & in Putrida etiam, in quibus nihil singulare, quam quod labes initio est minor, & signa quoque talia, progressione tamen Toti communicantur: Quin & Putrida aliquando in Hecticâ degenerat, humido videlicet corporis exhausto; Et hectica cum Putrida conjungitur, contagio humorum, in qua tunc signa mixta, quæ artifex novit conjungere: Quod si calor hecticus partem corripiat, quæ urinæ coctioni destinata est, ut Renes, notabiliora sunt signa, quia in propinquo: *Ita urina oleacea* subita & accumulata nephritici affectus indicium est &c. In his urinis (in Hectica intellige) commune est quod graviter fœtent, ob squalorem ac fæculentam cruditatem, & sæpe morticinium cum jam mors injicit manum. *Henr. Martinius Anat. urina Vap.* x.

54. *Ut in pinguedinis renum solutione*) Huc pertinet *Aphor.* 35. 7. *Quibus in urina adipalis superficies est & conferta, iis nephriticum & acutum morbum esse significat*: Ad quem eleganter *Galenus*, in comm. *In aliis siquidem corporis partibus liquati adipes paulatim non universim exeunt, cum urina, Primum enim colliquefactum pingue illud in proximas sibi venas transportatur, deinde in continuas, indeque rursum in alias traducitur, donec tandem in renes perveniat; Renum vero colliquefacti adipis in urinas traductio celerrima est, nec paulatim sed confertim universimque fit, atque adeo renum affectionem significat.* Concessa vero sanguis circulatione pingue illud detritum à partibus, citra multas ambages ad urinarias vias deduci potest.

55. *Furfures in urina non affecta vesica*) *Farina*, *Furfures*, *Squamæ*, iisdem fere de causis oriuntur, & magnitudine saltem differentibus: Causa autem, juxta *Galenum* 2. *Progn. t.* 28. est colliquatio carnis à calore adurente; Cui ex recentioribus nonnulli contradicunt, eo quod quæ à calore concrevere, à calore vicissim non liquentur sed indurentur: quam rationem urget *Reusnerus de ur.* p. 2. c. 24. sed apparet eum non legisse quæ apud *Hipp. l. de Princ.* t. 2. extant, *Fibras*, ex quibus caro concrescit, *frigidas esse*, concretionemque carnis fieri cum frigidum superavit calidum: Ad id quod addit, *exponas Sole sub Syrio frustum carnis*, nunquam liquabitur. ℞. magnam esse caloris externi & sicci, humidumque evocantis, & Interni in humido consistentis, & mediante humiditate operantis differentiam, qui si vividus sit & æquabilis, tenues partes per transpirationem educendo reliqua magis stabilit & confirmat: conclusus & inarescens & compositus existens, cum tenuia non educat, crassiora simul laxat & colliquat (non aliter ac calor qui est in cortice aurantio, eum in umbra laxat & colliquescit), quæ deinde effervescens adurit & exarefacit: Ex quibus evidens quid *Saxoniæ de ur. c.* 16. & 17. respondendum, quando ex *carne molli colliquata tenuiorem tantum humorem exprimi, tunicas autem venarum interno et in vivente animali nunquam & nusquam posse [illegible] esse adeo vacuas ut igneus calor prænimia siccitate possit [illegible] exsiccare, ut quid decerpatur & quasi scabies usque [illegible]* Nam quia in *Hectica* est calor aridus, urens & mordax, qualis vel ipso sensu in *hecticorum volis & plantis* pedum percipitur, partes quæ ob caloris nativi exsolutionem tabescebant, exurit resecatque nunc squamarum nunc furfurum specie, idque non tam exsiccando, quam corrodendo, exedendoque aquarum corrosivarum instar, quia humidum corporis à calore febrili, ex dulci & balsamico factum est corrosivum; &c. Omnes ergo à calore colliquante & adurente originem habent, *mat via* autem differunt, Nam postquam absumpta jam cute pingui febris ad carnem usque processit, *farinaceum*, sive *ervinum sedimentum* oriri volunt *Actuarius* & *Galenus*, in quo videlicet globosa apparent corpuscula instar ervi, quod excoriatum rubescit, idque si *febris adsit*, totius corporis affectum significat; Sin absit, renum præsertim si αἰθρόως mingatur; Postquam jam non carnem tantum, sed & solidas partes calor depascitur, *Furfuraceum* & *Squamosum sedimen* apparet: Et Furfures quidem à squamis *Cardanus* distingui docet *in aph.* 77. 4. *tenuitate, parvitate & tenuitate magis obscura. quia ob tenuitatem magis aduruntur*; Squamosum autem sedimentum per id cognoscitur quod in eo latæ parvæque pelliculæ, latis unguium præsegminibus similes conspiciuntur: Utrumque, si urina sit tenuis & cruda, totius consumptionem & tabem, sin crassa, vesicæ scabrem significat Vide aph. 77. sect. 4. *Henricus Martinius ibid. p.* 205.

56. *Fluxus ventris mortem minantur*) In omnibus quæcunque vires deiciunt vitanda; ut inedia, fames, motus validi, tum corporis tum animi, vigiliæque, cum somnus plurimum conducat, sed coitus, & omnis inanitio plurimum nocent: Accidens enim quod maxime urget, est *Alvi fluxus*, qui perseverans mortem accelerat, & sæpe morituris contingit Libefactata intestinorum retentrice; Cui symptomati inunctione ventris aliisque prospiciendum, parcendum humectantibus, sed modice refrigerantibus utendum & adstringentibus, ut *syrupo de rosis siccis, myrtino, cydoniorum ptisana solata ex hordeo* torrefacto, avena & oryza eodem modo præparatis, quę fluxiones egregie sistunt; convenier Gelatina ex pedibus vitulinis, hœdinis, suillis, cum santalo rubro, gummi tragac. *Primirosius*.

56. *Fluxus ventris*) Inter symptomata quæ superveniunt Hecticæ, præcipuum & magis funestum est Alvi fluxus, ægros facile ad interitum perducens, Colliquativus enim est; Restænandus ergo erit remediis ex *cydoniis, rosis rubr. siccis lacte chalybeato* &c. Ettmuller p. 339.

57. *Mortem minantur*) Quantum ad prognosin, sciendum Hecticam primæ speciei, quæ putridę non sit connexa, omnium facillime curari; modo statim cognoscatur: In secundo gradu difficilius, sed marasmum omnem esse incurabilem; propterea si fac es adsit hippocratica desperata res est; Adhæc si accedat lienteria, aut alvi profluvium, si pili defluant, inflentur tibię mors brevi sequetur ob prostratas naturæ vires, quæ alimentum conficere nequit & retinere; Quibus adiunt alii si venæ albæ appareant, tales autem sunt quando sanguine omnino desti tuuntur, & caro superposita absumpta est; In pueris autem & junioribus facilius hectica, nondum tamen consummata restituitur, sicut in adultis difficilius; atque ea tantum quæ vel incipit, vel confirmata nondum est sanatur, in senibus vero quocunque modo se habeat incurabilis est. *Primirosius*.

Marasmus.

58. *Marasmus*) Non ab Hectica febre tantum exarescit humidum primigenium in corde & aliis visceribus, & absumuntur molliores corporis partes, verum etiam à senio ætateque decrepitorum, quæ tamen absumptio longe diversa ratione fit quam in Hectica febre, in qua præternaturalis calor substantiæ partium additur, depopulatur & humidum radicale & humores alimentarios, & colliquat corporis partes: In Senecta autem diminuitur calor nativus & augetur frigiditas, quæ conjuncta est cum summa siccitate: Per exsiccationem itaque, non inflammationem, in senibus, absumitur

substantia

substantia partium corrugaturque cutis ac debilitantur omnes vires, constat autem macilentiæ & absum[illegible] senum nullum hactenus remedium inventum fuisse quo & nativus calor, & humidum radicale restaurari potuisset: hoc enim si possibile esset immortalitatem senibus polliceri possemus, quicquid tandem impudentissima *Paracelsi* pecora de suo Auro potabili & Gemmarum, tincturis ac magnalibus nugentur, se nimirum posse [illegible] hominibus jam decrepitis juventutem, formam & vires restituere, & vitam ad multa secula producere, quæ meræ sunt præstigiæ; Cum itaque in eo tale sit fatum semel mori, satis erit cordatis Medicis de conservatione sanitatis senilis Homericum præceptum illis adhibere, *Hæc conveniunt & salutaria sunt senibus crebro lavari, ferculis bonis vesci, bono vino uti, in molli lecto placide dormire, nullis curis gravari. Fr. Joel Tom. 2. Sect. 2.* Vide *Ranchinum* de Senum regimine.

59. *Marasmus qui interdum præternaturaliter juvenibus & senibus accidit*) Est quædam Marasmi species quam vocant *Marasmum senectutis*, vel *Senium ex morbo*, quando scilicet sine febre fit totius corporis consumptio, frigidaque siccaque intemperies inducitur à causis præternaturalibus, quæ est similis marcori facto ætatis decursu in senibus: Quædam corpora ad Marasmum propensa, ut docet *Galenus* x. meth. maxime quorum temperies sicca est, præcipue in ventriculo, jecore, corde, cæterisque partibus principibus, & eo citius ruunt in marasmum si frigiditas adjuncta sit: Sicut enim ætatis inclinatione humidum primigenium absumptum est, cujus jactura est irreparabilis, calor evanuit, aut saltem imminutus est, frigidaque intemperies & sicca successit, ita præmature idem ex causis morbificis contingit, Sunt autem eæ vel calidæ vel frigidæ: A calido resolvente corporis nostri humorem contingere potest, ad cujus absumptionem sequitur totius siccitas, caloris nativi imbecillitas, unde per accidens ejusmodi corpora frigida fiunt & sicca: A frigido vero fit talis marcor, calorem nativum debilitante, unde nutritio impeditur, aut saltem imminuitur, corpus refrigeratur & exsiccatur; Fitque sæpe, ut docet *Avicenna*, ex immodico frigidæ potu & intempestivo in febribus, aut stomachi imbecillitate, ut si à jejuno, & post immoderatum exercitium, cum pori maximè aperti sunt, hauriatur: Tunc enim penetrabile frigus in viscera subit & præcordia, caloremque nativum extinguit contrarietate sua.

Fieri quoque potest ab Externis nimium refrigerantibus, ut balneo aquæ frigidæ in febribus, & corpore exangui ac macilento: Pariter fit ex causis omnibus calorem resolventibus, ut vacuationibus immodicis, aëre æstuoso, inedia vigiliis, curis, sollicitudinibus, nimia Venere, febribus ardentibus, morbis diuturnis, tumoribus crudis & rebellibus membrorum præcipuorum; sic vidit *Galenus* Simiam tabescentem ob tumores duros circa cor existentes: præterea quidam vapores venenati & tabifici intra corpus attracti illius humidum primigenium insigniter depopulantur, quibus si accesserit frigida corporis constitutio, ob quam læditur alimenti attractio & concoctio, ac consequenter nutritio, corpora genio suo fraudata in siccitatem labuntur, Hinc senes facilius tentantur quam juvenes, ob paupertatem caloris nativi, minus siquidem refrigerantibus causis obsistere possunt; sed si à calido exhauriente calorem nativum obtigerit, juvenibus ob familiaritatem temperamenti erit facilior lapsus in tabem: Sunt autem illius, sicut febris Hecticæ, tres gradus, incipientis, provecti & consummati ac irreparabilis. *Signa* sunt facilia, si quis enim sine febre præter ætatem extenuatus sit, corpus universum habeat squalidum, coloris flore vivido destitutum, pulsumque debilem, parvum, tardum, rarum, urinas albas aquosas ac tenues, is senium ex morbo aut marasmum incurrisse censendus est; *Primirosius*.

In his extremæ partes semper frigent, adeo ignis lucul[illegible] præsentia delectantur, nec post assumptum alimentum [illegible] pore, ut in Hecticis magis [illegible], n[illegible] volæ manuum sunt calidæ, Urina magis est cruda [illegible], [illegible] ex urinis non potest certi aliquid statui, cum & color urinæ, & substantia, per assumpta subinde [illegible] itur. *Fr. Joel.*

Con[illegible] hæc ægritudo curationem non admittit, est enim humiditatis illius, quæ in solidis est partibus, absolutus interitus; Emaciatos enim tantum curarunt qui severum Marasmum curasse gloriantur, ut indicat *Trallianus*, si quidem resarciri tenuitas colliquatioq; carnium facile potest, primariæ vero humiditatis, quæ sola nutrit, absumptio & deperditio nullam medicinam recipit, sicut nec ipsum senium, non quidem ratione materiæ, quia perpetuo affluit alimentum, sed quia ob frigidam intemperiem concoctrix facultas labefactata alimentum nec probe conficere potest, nec assimilare, præcipue quia longinqua alteratione eget Sanguis humidus, ut in partium spermaticarum & albarum naturam transeat, ob defectum caloris incoctum & crudum manet alimentum, excrementorum humidorum proventus fit maximus, pedes senibus inflantur, & aliquando fiunt hydropes; *Primirosius.*

Curatio Hecticæ senilis in humectatione & moderatâ calefactione, virium corroboratione, & dissipatæ substantiæ restauratione consistit, quæ per victus rationem, remediorum adhibitionem, & balnea humectantia ac modice calefacientia tentanda sunt: In victus ratione *Aër* ad humiditatem & moderatam caliditatem declinare debet: *Cibi* quoque sint humectantes & moderate calefacientes, concoctuque faciles ac purum sanguinem generantes, ut sunt carnes pullorum gallinaceorum, caponum, perdicum, avicularum sylvestrium, & bovis juvenculi, ex iisque parata juscula, ova sorbilia, & ex iisdem cum cerevisia confectum jusculum. Ex Piscibus Percæ aculeatæ cum vino coctæ, ac cum cinnamomo & saccharo conditæ; item lac amygdalin. amygdalar. pinei nuclei & uvæ passæ: Lac caprillum & oryza cum lacte caprillo & saccharo cocta, Item cremor ptisanæ & grumi hordei cocti cum jusculo carnis ovillæ aut caponum, *Joel.* Lac coctum cum melle & saccharo, etsi enim mel noceat hecticis, his tamen maxime convenit. *Primirosius.* In Potu conferunt vinum Rhenanum optimum, cujus libræ sint admixtæ ℥iij. aut iv. aquæ hordei & sacchari ad arbitrium ægri; De ordine & modo edendi bibendique id observetur ut pro vice parum, & in die ter aut quater alimentum offeratur.

Idque prospiciendum ut si *Alvus* sit *obstructa* leniatur Enemate ex *foliis malvæ, alth. flor. chamomillæ, melilot. & anethi decoctis, cujus libra admixta sint pulpa cass.* ℥ij. *& ol. aneth. & chamam. āā.* ℥iß. *sal.* ʒj.

Quo Enemate singulis septimanis semel, aut etiam pluries si necessitas exigit, uti poterit: *Joel.* Si excrementa quædam in alvo subsistant, educi poterunt Enemate ex jusculo cum oleo, butyro, vitellis ovorum composito, quod & aliquam nutriendi vim habebit: Balnea quoque temperata supra modum competunt, *Habent enim hoc admiratione dignum*, inquit *Trallianus*, *quod & calidas & frigidas intemperies juvare possint.* Sed iis tantum utendum post coctionem, si quidem statim à cibo, ut monet *Avicenna*, vires debilitant, cruditatibus corpus replent. *Primirosius.*

Post Balneum inungatur dorsum *oleo amygdalar. dulc. chamam. aneth. pingued. rec. gallinæ*, & ex his præscriptis concinnetur Unguentum cui mucagine ex *sem. lini & rad. alth.* cum lacte muliebri confecta admisceri poterit: Ventriculus autem semper inungatur cum oleis calefacientibus & humectantibus, qualia sunt de *mentha, absinth. nardo & mastiche Joel.*

Vires corroborentur Confectionibus, iden convenit *Elect. Resumpt. Marinus panis, Pasta regia*, detractis refrigerantibus & additis iis quæ calefaciunt, ut *cinnamomo*,

cubebis, gran. parad. & cæteris ejusmodi, sed *am. ambr. gr. zibetum moschus* maxime conveniunt senibus, calefaciunt enim & roborant: Horum loco sumi possunt Pulveres *Diamargar. diarrhod. diamosch. d. diambræ, pleres archont.* diatrag. cal. Et quia calidiores esse videntur, possunt temperari dissolvendo saccharum cum aqua rosar. violar. vel additis speciebus Electu. frigid. ut diatragac. fr. & similia ita ut pro sacch. ℔j. sit tantum specierum uncia semis.

℞. *saian. & sacchar.* ā ā. ℔ß. *vitell. ovor. n.* ij. *cinnam.* ʒiß. *zz. caryoph. piper.* ā ā. ʒj. *moschi, ambræ* ā ā. *gr.* ij. *misce cum aqua rosar. & chartis includantur, & coquantur in clibano.*

Sequens admirabile est ab *Arn. Villanovani* descriptum.

℞. *Roris maral. distill.* ℔ij. *sacch. opt.* ℥viij. *coque lento igne dum ros absumatur, adde aquæ stillat. flor. vel cortic. citri aqu. meliss.* ā ā. ℥j. *misceantur simul semper agitando ad Solem aut Balnei calorem stentque in infusione per dies* iij. *donec probe misceantur & inspissentur*, postea.

℞. *Aqu. stillat. sangu. hum.* ℥ij. *sangu. dracon.* ℥ß. *croci orient* ʒj. *Balsami nat.* ℈j. *mosc. ambr.* ā ā. *gr.* vj. *ros. sicc.* ʒß. *ligni aloes* ʒj. *auri fol.* ʒß. *margar. ppt.* ℈j. *misceantur cum prædictis, & vase clauso serventur, dum massa exsiccetur.*

Humidum radicale confortat, senectutem remoratur, hominem in suo vigore conservat, & ob id cor & partes principes adjuvat, lætificat, Pesti venenisque omnibus adversatur: Sed aquam sangu. hum. omitterem, forsan aqua ex alio sanguine distillata non minoris erit efficaciæ, *Aliud.*

℞. *Cons. Buglossi* ℥ij. *cons. violar. cortic. citr. cond.* ā ā. ℥j. *myrobal. condit.* ℥iß. maxime si sint Chebulæ, *nuc. mosch. cond.* ℥ß. *cinnam. el.* ʒj. *santal. rub. coralli*, ā ā. ℈j. *Margar. prep. serici crudi, croci* ā ā. ʒß. *conf. alkerm. sine lap. lazuli* ℈ij. *folior. auri minutiss. concis.* ℈j. *ambr. gr.* iij. *mosch. gr.* ij. *sacch. succo citri vel limon. dissol.* ℔ß. *misce fiat Conditum, vel Pandaleon*: Spiritus fovet, auget & roborat: Nota est Aqua qua *Marcus Gallus* ad vicesimum & centesimum, annum vixisse dicitur.

℞. *Cinnam. cubeb. gr. galanga, caryoph. nuc. mosch. zz.* ā ā. *p. aqu. salviæ quadruplum, aquæ vitæ optimæ ad pondus omnium. misce & distilla.*

Aliam describit *Fallopius* in secretis, quæ vocatur *Aqua juventutis*, quæ apud eum videri potest, Sed notandum Aquas has calefacientes calorem nativum, qui in hoc affectu debilis est, roborare, ideo tantum utiles esse ubi cibus eupeptos, polytrophos, euchymos assumitur; ita ut cum calidum innatum humido primigenio constet & calore, alimentis humidum, aquis stillatitiis prius descriptis, calor instauretur; Julepi quoque & syrupi ex herbis huic intentioni dicatis parari possunt: Demum *Picatio* competit, quæ attrahit alimentum, partem calefacit, ideo intemperiei huic frigidæ convenit, non autem calidæ & siccæ. *Primirosius.*

De hoc Marasmo fuse agit *Gainerius* capite de Hectica senectutis. Febris lenta ex prava visceris alicujus diathesi.

60. *Interdum ex alimenti defectu*) Species Hecticæ ex labefactata ac semiputri pulmonum, jecoris, aut alterius visceris substantia frequenter occurrunt: Nonnulli duos tresve annos febre lenta conflictantur, quæ non nisi cibo sumpto ex pulsu innotescit; Hæc ob invalescentem in dies corporis extenuationem, & febris diuturnitatem, Hectica à quibusdam [illegible]tur. Sed tamen victu humectante & refrigerante, purgatione bis terve mense repetita, è *syr. de cichor. comp. cum rheo*, vel *cassia*, vel *catholic.* & iis quæ [illegible] in visceribus calidam & siccam intemp[illegible] curatur, Sic affectos male habet non H[illegible] febris, sed prava quædam Jecoris affectio, [illegible] & siccitatis particeps, obstructionibus [illegible], cum venarum meseraicarum implicata;

Quæ obstructio Febrem lentam fovet, unde fit ut alterata calida & sicca hepatis intemperie, ejusve obstructionibus detersis, sensim febris evanescat; Occurrunt & febres lentæ ex phlogosi aut erysipelate, aut substantia viscerum corrupta, quæ vel tabefaciunt, vel hydropem accersunt incurabilem; Si forte lenta febris Putridæ implicita occurrit, hæc primum, dein lenta profliganda: Putridæ remedia fuerint S. M. Purgatio, alteratio & concoctio; Lentæ dein causa & locus investigandus ut accommodatis remediis oppugnetur: Qui diuturniis, *Decocti Guaiacini* usu, aut vicissim repetit, unctionibus ex hydrargyro ac sudationibus per hidrotica in marasmum inciderunt, victu humectante, & lactis asinini usu restituuntur, detersa prius viscerum impuritate per purgationes idoneas. *Ench. Med. Pract.*

61. *Aut cum Putrida*) Notandum etsi interdum Hectica fiat ex putrida, aut etiam putridæ copuletur, non tamen sequi hecticam habere causam continentem, est enim affectus μονιμός, qui sublata febre putrida remanet in corpore, nec ab ea dependet tanquam à causa, unde propriam curam unaquæque harum febrium seorsim postulat: Id docet *Galenus* xi. *meth.* c. 22. ubi hecticam ait habere tantum curationem non præservationem, quia curatio soli morbo, præservatio causæ morbificæ debetur, Innuens hecticam; cum ipsi non debeatur præservatio, causam non habere, scilicet continentem. *Primirosius.*

Signa Hecticæ cum Putrida, tria sunt, 1°. si postquam declinavit putrida Pulsus maneant debiles, veloces, carnes aridæ 2. Si certum fuerit adesse Hecticam & appareant refrigerationes, horrores, pulsusque submissiones: 3. Si cum febricula perpetua corpus sit plus extenuatum quam conveniat putridis. *Idem.*

Hectica cum Intermittente.

62. *Aut cum Putrida*) Hecticæ si aliam febrem comitem habent, Synochus simplex ea non solet esse, cum ultra quatriduum non soleat perseverare, sed aut Putrida quædam continua, vel intermittens diuturna. Tertiana vel Quartana, & in Tabe ac phthisi Quintana, tuncque non solum ex marcore & majore consumptione quam alias fieri solet, sed ex pulsu febrili, paroxysmorum periodis putridam deprehendimus, & cessante paroxysmo hecticæ notæ se produnt:

In hac igitur commixtione utriusque ratio habenda est, nam & materia concoqui, obstructiones aperiri, demum purgari humor noxius postulat, sed ita ne hecticæ noceamus, aut saltem quam minimum, Itaque refrigerantibus syrupis, & sine noxa aperientibus utendum erit, ut de cichorio, de endivia, de acetositate citri & similibus cum aquis idoneis.

Purgationes deinde leviores instituantur ex manna, syrupo rosat. solut. infuso rhabarbari, cassia, electuar. lenit. In ejusmodi febribus utiles erunt leves illę purgationes, quas in Diætetico *Quercetanus* præscribit, ex syrupis de manna, de cassia, cum senna, alięque judicio Medici relinquendæ, dein in declinatione accessionis detur Jusculum, vel cremor ptisanæ, ne eorum corpus immodice exsiccetur, cibus enim temperat humorum acrimoniam, & humectat, modo non sit illius naturæ ut facile vertatur in bilem: In Quotidiana jus galli antiqui, cum semine carthami, passulis, & manna convenit, cavendo semper ab agarico trochiscato, propter zinziber & sal gemmæ, fit enim medicamentum calidius & extenuans magis quam par sit; Ex præparantibus autem *syrupus Byzantinus capilli veneris, hydromel* sufficiunt,

In Quartana quoque utendum levioribus melanagogis; quæ præparantia & purgantia, si febris exigat,

nec

nec hecticæ obsint, repetenda erunt *Alterantia* humectare & refrigerare debent, propter cordis intemperiem, ob quam causam liberalior potus conceditur, sic Julep, conservæ aliæque remediorum formæ in Hectica explicatæ possunt exhiberi, admistis iis quæ propter febrem continuam, aut intermittentem, refrigerare, obstructiones solvere, putredini resistere debent; Lac autem, quia & putredini, & capitis dolori nocet, dare noxium est, nisi propter consuetudinem extra paroxysmum, butyro detracto, illis concedatur, sed exigua quantitate, *Primerosius*.

62. *Ardens cum Putrida continua*) Quod si continuæ Ardenti Hecticæ jungatur, dubium est an frigida potus concedatur; si quidem *Galenus* x. met. 6. probat frigidæ potum ubi non adsunt inflammationes viscerum, humorum putredo & obstructio; Idem tamen tum hecticis præscribit, tum etiam ardentibus, multo magis si simul conjungantur, Sed in hectica solitari datur in principio, in putrida post coctionem propterea in connexione hecticæ & putridæ quidam verentur aquam dare: Habenda igitur ratio urgentioris, ut si tabes valde urgeat, frigida detur etiam non expectata coctione, aut ejus loco aquæ stillatitiæ herb. refrigerantium, aqua hordei, serum lactis.

Pariter de usu *Balnei*; quæritur an conveniat? Nocet enim ubi adest humorum putredo, aut inflammatio. Præterea hecticis tepidum primo, dein frigidum convenit, Putridis vero tantum calidum, ut digerat per habitum corporis: Sed hac in re sequendum est *Galeni* consilium, qui *l. de Marcore c. 3.* usum Balnei probat saltem, in declinatione, eo enim tepido evacuantur excrementa subtilia, succedens autem frigidum hecticæ convenit: Epithemata refrigerantia & humectantia apponi debent cordi, hepati tum in hectica tum in putrida; Sed in quotidiana ventriculus, qui maxime patitur cum hypochondriis, oleo amygdalino similibusque inungi debet, *Idem*.

Febris Lenta ab Obstructionibus.

His adjungenda, *Febris Lenta obstructionum* soboles, Hecticæ speciem imponens, quam sic describit Author Enchiridii Medico-Practici p. m. 446. Species, *inquit*, Hecticæ ex labefactata ac semiputri Pulmonum, Hepatis, aut alterius visceris substantia frequenter occurrit: Nonnulli duos tresve annus febre lenta conflictantur quæ nonnisi cibo sumpto ex pulsu innotescit Hæc ob invalescentem in dies extenuationem, & febris diuturnitatem Hectica à quibusdam putatur, Sed tamen victu humectante & refrigerante purgatione bis terve mense repetita, è syrupo de cichorio comp. cum Rheo, vel Cassia, vel Catholic. & iis quæ impressam in visceribus calidam & siccam intemperiem debent curatur; Sic affectum male habet non hectica febris, sed prava quædam Jecoris affectio, caloris & siccitatis particeps obstructionibus tum ipsius tum venarum mesaraicarũ implicita, Quæ obstructio Febrem lentam fovet, unde fit ut alterata calida & sicca Jecoris intemperie, ejusque obstructionibus deterfis, sensim febris evanescat: *Ench. M. Pract.*

63. *Urina & adiposa & oleaginea*) Inter aliena Urinarum contenta *Oleum & Pinguedo* enumerantur: *Oleum* hic considerari quatenus divulsum urinæ supernatat & per puncta; Apparent autem hæc puncta, & quasi olei granula, & in medio & in circulo, aliquando pauca, aliquando plura, nunc majora nunc minora, & splendent & sunt coloris aurei ut oleum: Diceres olei pauculum infusum, sed oleum infusum supernatat, & diffunditur, hoc in granula colligitur, *& non supernatat nisi media & superiore parte*, *Cardanus in aph.* 74. 7. Idem hæc à se bis visa perhibet; non meminisse tamen in quibus morbis, esse autem tam raram & miram, Verum *Guardinus* eadem ostendere *flatuit* quæ pinguedo, etsi mitiora: *Pinguedo*, si sit tenuium partium, urinæ supernatat, ex doctrina *Galeni*; si crassarum, subsidet ex *Villichii* sententia: Nec fallitur fortassis, nam & in oleo amurca subsidet, & in pinguedine liquefacta fæculentius crassamentum, & quin simile quid in absoluta suppuratione fieri possit non ita absurdum videtur: Oritur autem ab adiposæ partis colliquatione, nam quæ frigore concreta sunt à calore eliquantur *Aristotelis*; Pinguedinem autem à calore concrescere omnium est dogma [illegible] Porro Pinguedo in superficie urinæ duplex apparet quando urinæ innatat instar [illegible]: De hac re extant verba *Hippocr. 2. Progn.* 5. *Neque leviter terrere nos debet urina cum Pinguedo telis araneorum similis innatat, quippe qua hominem tabe consumi significat.* Ad quæ recte monet *Villichius Prob. ur. p. 2. c. 17.* subintelligendum esse si febris perpetua hominem corripuerit; Hæc enim si absit, nihil tum inauspicatum portendi experientia docet, Ita de se *Cardanus testatur aph* 54. 6. vidisse se in urina sua ejusmodi pinguedinem singulis diebus per xl. annos sine ulla noxa, nec non in pluribus aliis observasse. Et ipse vidi in quodam sano alioqui, sed affectione hypochondriaca laborante. Hanc autem *Cardanus* Vesicæ acceptam fert, conjecturam petens ex *Galeno. qui 2. Progn.* 37. de urinæ pinguedine agens, monet nos ne Vesicæ vitio decipiamur, & cum *Galenus* ubi de alia pinguedinis specie agit; Et nisi me *experientia* fallit, in quo ego illam observavi à renibus erat; horum enim manifesta intemperies aderat; Ipsa etiam ratio id mihi facile persuadet, nam quia Renes copiosa pinguedine præditi sunt, à qua exsudans oleosus humor meatus, ne à seri acrimonia cædantur, oblinit, facile fieri potest calore partem ejus peculiari modo attenuante & subtilisante, ejusmodi virgulæ pingues in urina obortiantur, quæ à sero transfluente divisæ, atque sese iterum, qua datur, unientes, fenestratam ejusmodi speciem, ac aranearum telis similem repræsentent: Deinde pinguedo aliquando in urinæ superficie concrescit crustularum instar, quales videlicet in lebetibus conspiciuntur cum jus à frigore concrescit; Hoc expresse docuit *Galenus comm. in 2 Progn. Quale pinguioribus jusculis refrigescentibus supernatat, vocata a multis crustula, tale in urina ex consumptione existit*, Hanc sæpius à se visam, idque in magnis Hecticarum colliquationibus *Cardanus* testatur; Prodit autem cum urina, vel sensim in febre, & tunc tonus corporis colliquationem significat, vel conferta & cum calore, dolore ac renum lassitudine, & tunc renum vitio contingit De hac est *Aph.* 35. 7. Quibus in urina adipalis superficies est & conferta, iis nephriticum & acutum morbum esse significat. *Henr. Martinius Anat. ur. c.* x.

64. *In Observationibus occurrit*) Hectica quæ per se incipit, est quæ oritur vitio rerum non natur. Quæ vero aliis supervenit morbis instar symptomatis est, quando observatur superveniente *febribus continuis* aut *intermittentibus* contumacioribus ac vehementioribus, in specie perverso modo curatos: *Horstius l. 1. obs.* 34. observat hecticam lethalem obortam ex intermittente, per specifica inepte curatam: Supervenit sæpissime viscerum plerorumque, pulmonum præsertim, inflammationi, ut etiam hinc natis apostematis, & ulceribus, cum quibus solet ordinario jungi hectica; *Lindanus* super *Hartmannum* vidit hecticam contumaciam ex *abscessu mesenterii*: Item ex *ulcere renum*, Item ex *utero*, qui ut carcinoma inciderat: Vidit in fœmina ortam ex multitudine fonticulorum, qui omnem humiditatem & rorem consumpserant; quibus clausis sanata fuit: Quin & lui Venereæ subinde febris lenta, hecticæ plus minus similis, sociari solet, aut sub febre, quæ hecticam simulat, latet morbus Gallicus. Vide *Zacut. Pr. Adm. l.* 2. *Obs.* 119. *Fonsecam l.* 1. *consil.* 40. *Etmuller p.* 336.

TITVLVS TERTIVS.

De Febribus Putridis in genere.

[1] FEbri non putridæ succedit[2] *Putrida*, considerarique in genere & in specie debet. *Febris putrida in genere est febris à vaporibus calidis & acribus, putredine humorum excitatis & Cor præter naturam calefacientibus proveniens, cum calida solidarum universi corporis partium intemperie, & promiscuo symptomatum concursu.*

[3] *Signa* sunt[4] *invasio* absque causis procatarcticis, nisi vel corpus ita dispositum sit ad putredinem, ut levi occasione spiritibus inflammatis accendi possit; vel calor à vehementioribus causis excitetur, putredinemque moveat [5] sæpè cum [5] lassitudine, oscitatione, pandiculatione, [6] aliquando cum *rigore*, propter materiæ acrioris per sentientes universi corporis partes, celerem, densum & numerosum motum: sed qui quandoque & ab externi frigoris occursu, vel distillatione induci solet,[7] aliquando cum horrore & frigore, propter mitioris decursum. [8] *Calor* initio accessionis non acris, propter suffocationem dum excrementa accenduntur, in augmento mordax propter jam ardentis excrementi fuligines. [9] *Pulsus*[9] nonnunquam [10] initio invasionis compressus, parvus, & inæqualis inæqualitate systematica, tam ob facultatis quam caloris nativi ab humorum ad interiora confluxu oppressionem, & viscerum obstructionem: semper ita inæqualis, ut systole sit diastole velocior propter fuliginosorum excrementorum copiam, quæ magis necesse est expelli quàm cor refrigerari. [11] *Vrina*[11] in principio [12] cruda vel obscurè cocta. Levatur, imò tollitur sudore vel aliqua excretione.

[13] *Causa* est I. Vel *Immediata*, vapores nempe putridi, copiosi, acres, mordaces, à putridis humoribus, qui sæpè diu in corpore latere solent,[14] nec difflari possunt elati: nam si discutiuntur, non excitatur febris; transpirabilia ideò corpora non facilè πυρετὸς attingit. II Vel[15] *Mediata*,[16] eaque [16] putredo humorum, cujus causa 1. *In prima febris invasione*, aut[16] [17] *natura ipsorum prava*, [18] seu ex cibis pravi & viscosi succi, facilè putrescentibus, quales ὡραῖοι seu ex eorum præparatione & inordinata, in quantitate & ordine usu contracta; seu ex neglectu rerum aliarum non naturalium: aut *agens externum*, ubi habent locum [18] *transpiratio intercepta*, seu ex[19] pororum cutis angustia, seu à fuliginibus ad ambitum corporis delatis, in principio inprimis, dum caliditas dominatur (calida in calidis locis nisi ventilentur putrescunt) seu ex vasorum in partibus externis constitutione & condensatione; seu ex eorundem ab humoribus crassis & viscidis [22] obstructione: *febris ephemera*, vel synocha simplex, in calidis inprimis naturis: *Calor* à rebus non naturalibus profectus: & [23] *occursus putredinis* humorum, prout in pestilenti constitutione ex seminio iidem corrumpuntur. Unde fit ut in febribus post crisin τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα [24] ὑποστροφὰς facere soleant. Aphor. II. 12. Epidem. II. 2. *In continuatione* seu progressu, est partium coctioni destinatarum vitium: & μίασμα, in [25] foco putredinis quod humores fermenti instar corrumpit.

[1] *Febri non Putridæ succedit Putrida*) Per Putredinem *Willis* intelligit partis sulphureæ sanguinis accensionem, Hactenus, *inquit*, de *Febre continua*, quæ simplicissima sanguinis effervescentia, sive infimo inordinati caloris ejus gradu concitatur, sequitur quæ à gradu superiore dependet, scil. cum *pars sanguinis oleosa* seu sulphurea, nimis excalefacta supra modum turgescit, ac veluti in flammam adigitur; ideoque à similitudine qua humida putrescentia fervorem concipiunt, hujusmodi sanguinis ebullitio, quia calorem immodicum inducit, febris Putrida appellatur, quod nomen sine injuria retineri debet, eo quod in hac febre sanguinis synthesis (sicuti liquoribus putrescentibus accidere solet) plurimum reseratur, Quando spiritus solummodo impetum faciunt (uti in *Ephemera*) massæ sanguineæ compages nonnihil recluditur ac laxatur, ut à fermento cordis plus solito dissolvatur, & particulæ plures, quàm naturaliter assolet, exsiliant, & calorem intensiorem diffundunt, adhuc tamen liquoris mixtio quoad partes præcipuas conservatur: Cum vero cruoris materies *Sulphurea* excandescens supra modum effervet, mixtionis vinculum maxima ex parte solvitur, ut principia ejus à fermento cordis fere in totum distrahantur, & particulæ activæ à mixto solutæ velut in flammam erumpant: Quare sanguinis liquor hoc modo in corde rarefactus, & velut accensus, exinde motu rapidissimo per vasa defertur, & deflagratione sua caloris effluvia quamplurima dispescit; Hinc tota cruoris massa (instar aquæ super ignē positæ) continuo ebulliens, vasa distendit, cerebrum & partes nervosas vellicat; in iis spasmos & dolores excitat, effervescentia sua spiritus vitales plurimum disperdit, viscerum fermenta destruit, coctionis & dispensationis munia impedit, succum alibilem nervoso generi destinatum sæpe depravat, ut exinde spirituum animalium maximæ inordinationes consequantur; imo totam fere oeconomiam Naturæ pervertit. *Willis c. 9.*

[2] *Putrida*) Febris Putrida est quæ ex putrescente humore excitatur; Sed quæritur, An ejusmodi Febris detur? Refert *Trallianus* Medicos quosdam negasse febres à putredine fieri, sed humores in venis exardescere tantum; quippe concipi incendium in spiritibus primum, quod nisi restinguatur, etiam vicina depascitur; Humores autem non putrescere probabant quod lumbrici & bestiæ in venis ex humoribus, sicuti in intestinis fieri non cernantur; sic in externis quæ putrescunt degenerant in animalcula quædam: Alii, qui febres à putredine concedunt, omnes volunt esse Pestilentes, ut *Joubertus*.

Contra sensere Medici antiqui, *Attalus* & *Athenæus*, qui voluerunt omnes febres esse putridas, referente

referente *Galeno*, qui eos non refellit, tantum excipit Ephemeras; Etsi multi voluerint spiritus ipsos putrescere posse, cum omnia mista putredini sint obnoxia; si enim terra & aqua putrescunt, multo magis spiritus: Praeterea quae admittunt mistionem alterius corporis putridi, ea putrescere possunt; Tales sunt spiritus; igitur possunt corrumpi.

Verum satius est ex communi Medicorum consensu statuere Febres quasdam dari Putridas, Id probat *Galenus* 2. *de diff. febr. c.* 3. I. quod calida humida in calidis locis contenta facile putrescunt, maxime si prohibita transpiratione calorem extraneum suscipiant: nihil prohibet ergo humores putrescere, & hoc maxime cernitur in putredine ad vasa; II. In plenitudine ad vires humores facile corrumpuntur, cum non possiut regi à natura; haec enim est causa putredinis. III. Ex malis cibis saepe succrescunt humores putridi, qui febres putridas postea facere possunt: IV. Si solum incalescerent humores, non autem putrescerent, pulsus in omnibus putridis essent aequales, ordinari, ut in ephemeris, quod solus calor fatiget, aut saltem diastole major esset systole, quod major foret necessitas refrigerationis quam expulsionis fuliginum; pariter urina concocta non cruda foret. V. Omnia praeter igneum possunt putrescere, Non absurdum igitur ex humoribus putrescentibus febres accendi. VI. Sanguis putris saepe educitur venae sectione, & humores putridi saepe per alvum, sudores &c. vacuantur, etiam cum foetore maximo, putredinis indice: VII. Si sine putredine fierent solis curari possent alterantibus, nec opus esset vacuantibus, nec Natura vacuationes sponte institueret. VIII. Multa putredinem generant, ut vicinia putridorum, cibus vitiosus, prohibita transpiratio, caloris nativi debilitas, aër putridus, quae causae si praesto sint, dubium non est humores putrescere posse, Et haec in multis febribus apparent, quae tamen non sont pestilentes: Quin etiam multae pestilentes sunt absque putredine. *Primirosius.*

3. *Signa*) Continuarum Febrium Prognostica haec sunt, Continuae Febres ut plurimum Acutae esse soleot, Acutorum autem morborum non sunt certae praenotiones salutis & mortis 2. *aph.* 19. Acuti morbi 14. diebus solvuntur, & omnes periculosi sunt.

1. Ergo, *In Febre non intermittente, si labrum, palpebra vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, si non videt, si non audit, aegro jam debili, quicquid horum acciderit in propinquo mors est.* 4. aph. 49. haec enim convulsionem significant, ob inflammationem siccitatemque, quae febri superveniens est lethalis, praecipue aegro jam debili: His tamen solis signis non est fidendum, sed addendum robur naturae, quod intelligit *Hippocr.* cum ait, *aegro jam debili*, & tunc mors est in propinquo: interdum cum virtute valida, ut in perturbatione critica, ut contigit *Metoni* 1. *Epidem.*

2. *Ubi in Febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit* lethale aph. 50. 4. dummodo spirandi difficultas non pendeat ex delirio, cum scil. delirantes sui officij obliviscuntur: At cum illa sequitur affectum partium spirabilium, deliriumque adjungitur, lethale est, quod significat incendium & inflammationem alicujus partis internae, è qua delirium & dyspnoea ortum ducunt, quales sunt pleuritides, peripneumoniae, diaphragmatis inflammationes.

III. *Quibus in febribus aut aliis aegritudinibus voluntarie oculi illacrymantur, nihil horribile accidit; quibus vero non sponte, horribilius*, aph. 52. 4. lacrymae enim quae sine causa manifesta ullove affectu oculorum contingunt, talos sunt à debilitate retentricis, quae malum est indicium.

4. *Quibus in febribus lentores fiunt circa dentes, iis fortes fiunt febres* aph. 5.. 4. fiunt enim ex calore pituitam exsiccante, inde morbi longitudinem significant.

5. *Febricitanti sudor superveniens febre non deficiente malum, prorogatur enim morbus, & multam humiditatem significat.* aph. 56. 4. sive in principio appareat, nam critica nec statim appareant; sive in fine, nam critica non judicantia, mala.

6. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis è naribus fluens aut alvus turbata, solvit morbum* aph. 60. 4. modo haec surditas fiat absque praecipua instrumenti auditus passione.

7. *Quibus in Febribus Icterus ante diem VII. malum.* aph. 61. 4. Vide symptomata Febrium.

8. *In febribus circa Ventriculum fortis aestus aut cordis Morsus, malum*, aph. 65. 4. fit enim à flava bile fortiter in ventriculi tunicis ebulliente.

9. *In febribus ex somno timores aut convulsiones malum*: Somnus enim sedare debet omnes hos pravos affectus, quod si non faciat, sed potius plethoricis causis caput impleat, malum, & siquidem humor ad atrae bilis naturam accedat, timores fiunt, sed si talis non fuerit, labores fiunt & convulsiones: Nec solum ex cerebro repleto malis humoribus tales fiunt casus, sed etiam ab ipso ore ventriculi, ut vult *Gal.* in comm.

10. *In febribus spiritus offendens malum*, convulsionem enim significat, fit si quidem musculis jam ad convulsionem paratis.

11. *In Febribus convulsiones & circa viscera fortes dolores malum*, aph. 66. 4. ob vehemens incendium, erysipelas vel inflammationem visceribus conceptam.

12. *Quibus in Febribus urina turbata velut jumentorum, iis capitis dolores aut adsunt, aut aderunt*: Fiunt enim materia crassa aut densa à calore agitata, unde spiritus flatuosus prompte fertur ad caput.

13. *Si in somnis palpebris subclausis aliquid albi subappareat, nec alvi fluor aut medicamentum in causa sit, aut ita dormire consueverit lethale*, significatur enim facultatis palpebras moventis imbecillitas, aut convulsio musculorum illas claudentium.

14. *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidae, interiores vero urantur, & sitim habeant, lethale.* Id quod tribus de causis contingit, I. ob vehementem dolorem in internis, ut in colico dolore, quo spiritus & humores accurrunt cum dolor saevit: II. in syncope aut cardiogmo, quae non sunt lethalia. III. ex inflammatione interna, ut in Lipyria, ad se retrahente calorem nativum: & hic casus lethalis; Unde sitis à concepto visceribus incendio excitatur: quibus si accedat corporis agitatio, vestium rejectio, pedum denudatio, pejores sunt loco res aegris: iis cum ad extremum ventum est succedit tenuis sudor, primum per caput, dein per totum corpus, tandem mors, Ad eundem sensum scriptum aph. 26. 7. *In fortis dolore ventris extremorum frigus, malum.* Et aph. 1. 7. *In morbis acutis extremorum frigus, lethale*: frigent extrema initio paroxysmi intermittentium, vel in morbis longis, ob materiae frigiditatem, sed id citra pernitiem, at in acutis malum, vel ob inflammationem aliquam, vel extinctionem caloris nativi; Sed intenditur periculum si sudor adsit, & frigus eorundem extremorum.

15. *Febricitantium non omnino leviter permanere corpus & nihil minus, vel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum*, aph. 28. 2. illud enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem significat.

16. *Si rigor incidat in febre non intermittente, aegro jam debili, lethale*, aph. 46. 4.

17. *Si febrem habenti suffocatio repente advenerit, nullo tumore in faucibus existente, lethale* aph. ,4. 4. *Si febrem habenti repente collum pervertatur, ac vix possit devorare, non existente tumore, lethale*, aph. 35. 4.

18. *Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant*, Aph. 37. 4.

19. *Febricitanti si XIV. die aphonia succedat, non solet cito liberari*, sed temporis longinquitatem denotat, 4. acut.

De *Intermittentibus* aliter pronunciandum, nam aph.

43.4. *Febres quocunque modo intermiserint periculum abesse significant*, quod intelligendum est ex natura ipsius febris, non vero si cum aliis symptomatibus conjungatur, aut alia producat, ut dum quartanæ succedit hydrops immedicabilis; si itaque viscus aliquod sit læsum, si accedat syncope, virium infirmitas, error in victu, aliudve simile, tum febris intermittens potest fieri lethalis; Præterea; *Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris remiserit, si eadem hora occupaverit, judicium habet difficile*, Signum illud est Naturæ nihil moventis, aut debiliter, quia materia paroxysmorum fixa est, immota, contumax, etiamsi natura fortiter moveat; nam quod celeriter solvatur morbus fit ob tres causas, quia Natura robusta est, materia cedit, viæ sunt liberæ: Citius igitur finitur cujus accessiones non eundem servant tenorem, brevior siquidem futura est quæ habet accessiones anticipantes, maxime si magna sit anticipatio, sine ulla proportione.

Tandem generaliter sciendum *Febres senibus non admodum fortes fieri* 1. aph. 14. ob corporis frigiditatem, *Avicenna* eorum *febres* vocat *sepultas*, quia intus latent, ob humoris crassitiem caloriſque debilitatem qui expandi non potest. Cognoscuntur quia lingua eorum nigrescit cum debili febre tunc febris est sepulta, inquit Avicenna. *Primrosius. l. 2. c. 8.*

3. *Signa sunt invasio*) &c. Hujus Febris decursus sic se habet ex *Willisio* cap. 9. Raro incipit, *ait*, sine causa procatarctica, sive dispositione prævia, nimirum *Sulphurea*, seu oleosa pars sanguinis prius evehitur nimis, & supra debitum tenorem exaltatur, quæ postea, aut sponte sua (instar fœni minus evecolati) effervescere incipit, aut causæ evidentis accessu in calorem præternaturalem adigitur, Cum primo autem turgescit, ob crudi succi cum sanguine ad mistionem, modo rigor modo calor infestat, qui inæqualiter se habent, instar ignis, qui cum viridibus lignis coopertus est, modo fumum, modo flammam emittit: Tandem vero incendio latius gliscente, prout hic victor late se spargit Vulcanus, ita illic (dicto citius) tota cruoris massa inflammatur; simulque æstu & motu citatissimo urgetur, nec prius immodica hæc sanguinis effervescentia sedatur, quam particulæ ejus activæ a mixtione laxatæ, & deinde successive in corde accensæ, penitus deflagrent, quod nonnisi plurium dierum spatio contingit: Atque tunc demum hæc febris cessat, quando cruoris liquor residuus; spiritu & sulphure plurimum absumptis, fere vapidus & pauperior factus, fermentationi tantum debili & minutæ aptus fuerit. Ab hujusmodi sanguinis, ac una succi alibilis (eodem incendio ustulatorum) deflagratione recrementa, seu corpuscula materiæ torrefactæ in cruore congeruntur, quæ fervorem ejus & ebullitionem adhuc magis promovent, ac intemperiem febrilem pro tempore adaugent: Postquam sanguis plurimum deflagravit, & ejusmodi corpuscula ad turgescentiæ plenitudinem congeruntur, Spiritus vitalis secretionem molitur, recrementa isthæc adusta quæ potest) subigere & concoquere satagit, ac dein copia eorum in turgescentiam actus fluore oborto prorsus excludere nititur.

Atqui in hujus materiæ subactione & seclusione præcipue consistit morbi eventus, si enim prepollente spiritu vitali humor sanguineus cum satis deflagraverit, & particulis hisce adustis liberatus fuerit pristinum tenorem recuperat, quo fit motui & debitæ in corde accensioni idoneus, æger in salutem redit: Sin vero à longa deflagratione, & inextricabili materiæ morbificæ confusione liquor Sanguinis, spirituum & Sulphuris purioris expers, aut iisdem (impura mixtione invalescente) veluti sub jugum missis ita vapidus reddatur, ut à fermento cordis non amplius rarefiat, seu accendatur, sensim calor, ac motus ejus, una cum vita ipsa deficiunt.

4. *In vasio absque causa procatarctica.*) Id quod ipsarum proprium esse tradit *Galenus*, sed non est inseparabile, cum illarum quædam à causa procatarctica originem ducant; Unde valet consequentia, incepit sine causa procatarct. ergo est Putrida, sed non contra; Putrida est, ergo incepit sine causa procatarct. non enim retro commeat consequentia. *Primrosius.*

5. *Sæpe cum Lassitudine oscitatione, Pandiculatione*) Inter signa quæ Putridam febrem denuntiant, non tantum est rigor, sed etiam inæqualitas & lassitudo, Inæqualitas vel febrem præcedit, vel eam perpetuo comitatur, Est autem tristis sensatio musculorum corporis, ex inæquali intemperie proveniens, ab humore pauco minime acri, per corporis ambitum ante febrem leviter moto, Solet siquidem sicut rigor & horror ante febrem infestare, sed humor, à quo fit, non movetur ut in rigore & lassitudine, aut saltem quam minimum.

Est autem res hæc aliena excrementitia quidem sed paucior, minusque mordax quam in rigore & horrore, ad cujus vacuationem facultas expultrix magnopere non concitatur, potestque interdum ex prava victus ratione citra febrem generari, sed utplurimum fit ab interno corporis vitio.

Est autem humor hic excrementitius interdum calidus, interdum citra calorem mordax, interdum calidus & mordax, interdum citra calorem & mordacitatem tantum distendens, ut si spiritus flatulentus in musculos se insinuet, aut humor pituitosus: In his omnibus inæqualitatem se sentire ajunt ægri, & pandiculantur, omnesque partes distendunt.

Est autem *Pandiculatio* musculorum totius corporis distentio, tentante Natura inæqualitatis hujus materiam depellere: Est autem materia hæc flatulenta, non corpulenta, alias faceret lassitudinem, aut rigorem, aut horrorem potius quam pandiculationem: Estque vel calida, qualis ex vapore sanguineo suscitatur, vel calida & acris, ex halitu bilioso; vel mordax sine calore, ex halitu acidæ pituitæ; aut distendens, ex flatu ab humida materia.

In febribus autem hæc inæqualitas, est secundum tempus paroxysmi, cum incipit calor distribui in corpus, fit lucta inter calorem & frigus, hinc tristis sensus & inæqualitas, tum pandiculantur & oscitant, & hæc inæqualitas non tam febrem futuram indicat, quam eam fore intermittentem & longiorem, nam ostendit frigidæ materiæ annexionem, sed eam fore salutarem. *Primrosius.*

5. *Lassitudine, Pandiculatione*) Vide inferius Lib. 1. Titul. 2. cap. 6. Art. 1. De Lassitudine & Pandiculatione.

6. *Aliquando cum Rigore*) Differunt Rigor, Horror & Frigus à se invicem, tantum intensione & remissione; φρίκη enim *Horror* levior est Rigore, intensior & gravior frigore, ex *Galeno cap 8. 2. diff. febr.* fiunt si quidem ambo iisdem ex causis, sed horror à levioribus, minoribus, paucioribus, minus agitatis & motis: Sic idem horror est gravior refrigeratione & inæqualitate; fit enim illa ab humore frigido, crasso & immoto, hæc vero à tenui, pauco, leviter commoto, unde lassitudinis quidam sensus, quasi pruriginosus & ulcerosus sentitur: φρικώδης πυρετὸς, febris horrifica dicitur, non quæ cum horrore incipit, id enim commune est plurimis febrium speciebus, sed in qua bonam partem accessionis horror occupat, qualis est exquisita semitertiana, *cap. 9. libr. 2. de diff. febr.*

Rigor vero est totius corporis vibratio & cõcussio cum dolorifica refrigeratione, nam frigus non sufficit ad rigorem nisi accedat corporis totius inæqualis motus; Fit autem vel in sanis vel in ægris, qui causis & natura differunt, In ægris enim causa rigoris est interna, in sanis vero externa; & quamvis in rigore sanorum refrigeratio & concussio adsint, attamen tantum cutis & partes externæ patiuntur, non autem corpus universum Qui fit in ægris Rigor, vel est sine febre, vel cum febre; Putabant veteres, referente *Galeno*, Rigorem nullum à causa

interna

internum fieri posse sine febre, qui veteribus fuerit incognitus ob frugalitatem vitæ, sed labentibus seculis, ob vitæ errata, magnam crudorum humorum copiam in se coacervatam, quæ hunc Rigorem excitaret; Fieri siquidem solet à pituita vitrea, frigidis crassisque succis, ex victus intemperantia, deside vita, & frequenti balneorum post cibum usu coacervatis, qui per partes sentientes delati rigorem faciunt, quem mulieribus sæpius quam viris accidere scribit, ob temperiem frigidiorem vitámque sedentariam, sæpiusque à se observatum potiusque horrorem esse quam rigorem, verum, quia à crassis humoribus & frigidis difficulter mobilibus, non videtur Rigor posse excitari.

Rigor qui est cum febre, alius est criticus alius symptomaticus, *Criticus*, qui morbum solvit, estque futuræ crisis prænuntius, partes enim sese comprimunt & concutiunt ad exclusionem materiæ morbificæ: *Symptomaticus* vero fit à materia indomita, nondum subacta, & natura irritata.

De *Rigoris causis* variæ sunt opiniones, sed credendum *Galeni* opinionem esse verissimam, scilicet Rigorem esse motum facultatis expultricis, eumque fieri à facultate irritata à materia morbifica: Quoties enim humor mordax per partes sentientes violenter defertur, eas pungit, stimulat & lancinat, Oportet itaque causam Rigoris esse multam, tenuem, mordacem, & velociter agitatam, alias rigorem nullum facit, nam quæ pauca est, parum mordax, leviterque commota, Horrorem tantum facit, pauca vero, mordax, sed immota, lassitudinem ulcerosam: Sic enim *Galenus 2 de sympt. c.5.* hæc symptomata distinguit, ut lassitudo ulcerosa ab horrore, hic à rigore secernatur materiæ paucitate, acrimonia, motu, & præterea exquisito sensu patientis; *Quod autem* (inquit *Galenus* l.c.) *omnis mordax causa, sive ea calida sit sive frigida, animal in horrorem aut rigorem ducat, ex his intelligere licet, Si sano corpori ferventem aquam subito infundas, aut ignis scintillam injicias, statim horrore vexabitur: ita cum ulcerata particulæ causticum medicamentum imponitur, primo quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant nonnulli: Quid quod Tertianæ febres, quæ omnium febrium maxime biliosæ sunt calidaque, omnium maxime rigore infestantur; quantoque sinceriores Tertianæ sunt, tanto etiam rigor incidit in iis vehementior.*

Cum itaque Rigor fiat à materia mordaci partes sentientes vellicante, dubium quænam sint illæ partes adeo sensiles; Plurimi volunt musculoso genere, seu carnibus quæ sunt in ambitu corporis affectis Rigorem excitari, cujus opinionis videntur illi qui tantum in habitu corporis febrium intermittentium sedem statuunt: *Fernelii* tamen sententia probabilior, qui Rigores fieri vult, non tantum affectis musculis, aut panniculo carnoso, sed etiam partibus interioribus sensibilibus, ventriculo puta, intestinis, membranis quæ sunt circa hepar, mesenterium, lienem, pancreas; Cum enim sentiendi vi polleant exquisita, si ab humoribus acribus irritentur, tum rigor tum dolor excitabitur, unde in colicis doloribus rigores frequentissimi accidunt: Sic abscessibus & inflammationibus circa viscera ad suppurationem tendentibus iidem contingunt, pariter si quis acre medicamentum biberit: Sed quomodo affectis internis visceribus corporis habitus concutitur? Respondet *Saxonia* universum nervosum & membraneum genus trahi in consensum ob generis affinitatem.

Causæ autem vel sunt *Externæ*, ut ignis scintilla, aqua fervens &c vel internæ, humores acres commoti, sive sint calidi, ut bilis, sive frigidi, ut pituita acida & vitrea: pituita Vitrea Rigores nunquam excitabit nisi [illegible], quia nec penetrare potest, nec moveri per [illegible] tes, *2. de caus. sympt. c.2.* Attamen ex pituita vitrea intestinis adhærer vehementissimi sunt rigores, etiamsi nondum attenuata, ut docet *Avicenna*, quia expultrix ad humoris tam noxii expulsionem omni conatu insurgit. Ad Rigorem igitur faciunt non solum quæ humores illos acres generant & retinent in corpore, verum etiam quæ illos movent & agitant, ut metus, ira, animi corporisque motus; medicamenta aut potus calidi balneum calidum, mora sub Sole; Causa autem calida Rigorem non infert qua calida, nam *aph. 22.5* calidum rigores mitigat, resolvendo, attenuando, itaque rigorem tantum infert qua mordax, qua de causa pituita salsa, pus aut medicamentum acre, bilis cibusque acris eum morsum inferre possunt, ut docet experientia. *Primirosius.*

• *Aliquando cum Horrore & Frigore*) Solent præter Rigorem in febribus apparere Horror & Refrigeratio: Horrorem diximus differre à Rigore secundum magis & minus, mitior siquidem est motus in Horrore, fit enim ab humore commoto quidem, sed minus acri, vel ab acri, sed aut pauciori aut minus violenter commoto: Eadem siquidem causa potest Lassitudinem, Rigorem & Horrorem facere, prout aut quieta est, aut valde commovetur, aut, debilius, sed refrigeratio etsi interdum prædictis conjungatur, potest tamen alias causas habere internas & externas, privativas & positivas; Privativas, quando calor fugit ad interiora, attractus vi inflammationis in corporis centrum humoribus: sic in forti ventris dolore refrigeratio extremorum malum; vel attrahuntur in syncope ad cor, unde syncoptici toto corpore frigidi sentiuntur, Idem dicendum de iis qui suffocantur; pariter in intermittentibus febribus refrigerantur extrema, idque cum horrore & rigore quia colliguntur humores in corporis centro; & calor illorum copia quasi suffocatur: Positivas causas habet refrigeratio, ut multitudinem humoris frigidi, quomodo sudores frigidi in febre ardente sunt lethale signum; *aph. 34.4.* quia tantam humorum frigiditatem arguunt, quæ neque à febrili, neque à nativo calore potuerit superari. *Idem.*

8. *Calor initio accessionis*) Generaliter in febribus putridis calor est acer, mordax, ita ut tantum offendat & erodat, qui quidem in principiis accessionum, dum adhuc est suffocatus, non statim dignoscitur, sed diutius imposita manu de profundo emergit, forasque attollitur; & quamvis in omnibus calor mordax sit respectu Ephemerarum, inter se tamen comparatæ quædam dicuntur habere calorem blãdum & suavem; nam sanguinea habet calorem lenem respectu biliosæ. Sed acrimonia caloris in hecticis quoque adest, verum non tanta quam in putridis, eaque non statim se prodit, sed primum initis nullaque ferme apparet, post manus impositione magna satis deprehenditur: Caliditas; *inquit Paulus*, primo occursu languida, paulo post acris, & erodens erumpit, estque ille calor semper sibi similis, nisi à cibi exhibitione, ut dictum cap. de hectica. *Primirosius.*

9. *Pulsus*) Pulsus inæqualis est, nam velocior est systole quam diastole; Sed hoc signum inutile est in iis qui systolen deprehendere non possunt, cujus cognitionem difficillimam esse *Galenus* pronuntiavit lib. *de Puls.* In initiis quidem, quando refrigerantur partes & suffocatur calor, facultas gravatur ex humorum ad interiora confluxu, pulsus sunt parvi veloces, sed inæquales inæqualitate systematica; in vigore autem aucto calore magni fiunt & veloces. Durities autem pulsus etsi quandoque adsit non tamen convenit febri qua febris, nisi aliquid aliud adjungatur; hecticis siquidem familiaris est ob arteriæ siccitatem, sed non ephemeris, nisi ex lassitudine, nimio frigore aliisque de causis pulsus indurantibus succedat: Nec etiam putridis; nisi aliqua inflammatio durusve tumor subsit in visceribus, unde tensio arteriarum fit, aut vacuatio magna spirituumque resolutio, unde exsiccantur, vel congelatio à refrigeratione, ut potu aquæ frigidæ; fiunt enim Pulsus duri, ex *Galeno c.7.1. de diff. febr.* tribus de causis, aut ex congelatione à frigidis; aut ex tensione ab inflammationibus & tumoribus duris

aut ex siccitate à causis evacuantibus & siccantibus; sed ob... et non indum in nulla febre, excepta ephemera, pulsum redire in naturalem statum in intervallo, cum remaneat talis inæqualitas dictæ febris, e... 1. ad Glanc. alibi ... men excipit Tertianam. *Primrosius.*

[1] *Pulsus initio invasionis nunquam compressus* Atque admodum tardus, qui plane arguit calorem & spiritus vitales ... um à materia quadam cruda, & non facile comb... velut obrui, non secus ac ignis in foco accensus, ac dein lignis viridibus obrectus, inter admodum gliscit & parum deflagrat, qui postea dissiato humore crudo in flammam apertam, & valde intentam erumpit: Sic etiam sanguis, materia cruda, quæ in fluore est, aliquatenus subjecta aut dispersa, plurimum accenditur; & quod in cruore residuum est, cum ipsius particulis fermentescens exuritur, & calorem cum siti intensissimum inducit: quare sanguis impetuose effervescens pulsu vehementi & velocissimo urgetur; secus in corde nimium congestus suffocationis periculum induceret. *Willis de Feb. cap.* 3.

Idem cap. x. de statu Pulsus in Febre Putrida hæc habet, Pulsus & Vrinæ, *aut* præcipue attenditur pro dignoscendis rum morbi statu, tum ægri viribus; cum enim duo sint quibus vita nostra innititur, scil. calor in corde accensus, & coctio in visceribus à corde peragenda, quoniam *Pulsus & Vrina* alterationes in utrisque à febre inductas optime ostendunt, ideo hinc affectus in mortem aut salutem cessuri certissimum dignoscimus criterion: Hic satis erit de iis præcipua annotasse quæ in febrium decursu consideratione digna occurrunt: Et primum consulitur *Pulsus*, velut constitutum à natura *thermometron*, ut exinde mensuretur calor in febre accensus, qui si intensior fuerit, & magnam sanguinis ebullitionem concitet, arteria vehementius & citatius vibratur, quamdiu spiritus vigore pollent; dein ipsis paulo exhaustis validior pulsus remittitur; qui tamen celeritate compensatur, & fit celer & parvus: Si febris sit mitior, & minori incendio tumultuetur, etiam pulsus à naturali statu minus deflectit, & in toto morbi decursu hujus moderatio naturæ inducias denotat; Nec tantum Pulsus febris, velut hostis, copias prodit sed & naturæ robur & resistendi valorem præcipue ostendit: Quamdiu Pulsus est laudabilis, res in vado est, & spes optimam exhibet, sed ex malo hujus statu pessimum infertur omen & salutis desperatio: Ideo sine crebro & diligenti Pulsus examine Medicus nec Prognosticon ... faciet, nec pharmaciam tuto instituet.

Quoad primum, innotescat oportet in quantum fieri licet qualis sit cujusque Pulsus juxta naturalem constitutionem, his enim fortior illis debilior existit: dein in singulis febrium momentis perpendendum est quibus gradibus à naturali statu distet, modo enim est debilior, modo vehementior, & arguit febrem intendi; modo infra solitum deprimitur, & denotat spiritus & vires dejectas.

Quibus sanis debiliter & languide pulsat, eos febre correptos pulsum habere exilem & debilem non adeo malum est, ut statim de salute desperemus: Quibus Pulsus à natura ...tus & vehemens est, si à morbi crisi vix me... pollet vigore, licet non sit omnino debilis, ... suspectam & minime rutam arguit.

Si ... initio febris, priusquam sanguis deflagravit; vel ... facta ..., cum pars oneris detrahitur; aut si alio tempore, sine causa evidenti pulsus debilior evadat, malum portendit; Sin post longas vigilias, aut à magna evacuatione paulo debilior sit Pulsus, non ideo de salute concl... rum erit, quia vires his modis dejectæ, aut labefactatæ poterunt denuo restaurari & spiritus refici.

Quando Pulsus subito in deterius alteratur, licet æger quoad cætera symptomata se melius habere visus sit, triste mortis prognosticon edicas: & vice versa, licet horrenda urgent symptomata, & tamen Pulsus sit laudabilis, adhuc salutem sperare liceat: Si in viro robusto febre tante pulsus valde exilis & formicans evaserit, mors in propinquo est.

In exhibendis medicamentis cautiones & regulæ non levis momenti à *Pulsu* desumuntur, Purgatio & Vomitus prohibentur à pulsu nimis citato & violento, etiam ab humili & depresso; quippe dum sanguis nimis effervescit, evacuatio parum conducit, tum quia quod noxium est minime secernitur, tum etiam quod à perturbatione vires plus debilitantur, Cum vero spiritus sunt fracti, & vires dejectæ, pharmacia eas magis prosternit, & quandoque penitus exsolvit: Quare cum Medicus evacuationem ... vel ... meditatur, prius Pulsum exploret & hoc opus aggrediatur solummodo cum natura est fortis, & sedata, ut una operationi medicamenti vacare, & viribus possit sufficere.

Nec minori circumspectione opus est in Diaphoreticis & Cardiacis, quæ si in febrili paroxysmo adhibentur, cordis motum prius violentum nimis accendunt, & sæpissime ejus robur frangunt, Etiam cum Pulsus valde languidus sit, si cardiaca valida & validiora adhibentur, (ut cum exilis flamma fortioris spiritus afflatu urgetur) facile vita extinguitur: quare vulgaris observatio est, quod cardiaca non raro mortem accelerant, eo quod cruorem minus exagitando vires citius atterant.

Adhuc maxima opus est cautela, & pulsus directione in exhibendis Narcoticis; hæc enim quia spiritus vitales nimium feroces extinguendo & figendo opus suum perficiunt) si in pulsu debili aut vacillante usurpentur, aut spiritus vitales diminuendo eos morbo omnino impares reddunt; aut eos nimis suffocando somnum perpetuum accersiunt: quare in pulsu languido, inæquali aut formicante, cane pejus & angue Opiata vitentur.

Pulsus inæqualis ac intermittens, ex Medicorum scriptis pessime audiunt, tamen pravæ licet notæ, non uti pulsus debilis tam certo mortem portendunt; novi enim pl... cum ejusmodi signis, licet sepulchro damnatos evasisse: quippe multo certius & facilius spirituum & ... inordinatio compesci aut sedari potent, quam eorum dejectio restaurari.

[11] *Vrina*) Quoad Vrinam, ea, præcipue in Tertiana, colore ... ito, & velut flammeo, etiam cum desunt ...ta, imbuitur, quod sanguinis assationem & temperiem nimis adustam innuere videtur: Porro in hoc affectu, secus ac in aliis, utplurimum male se habet urina, quando cum ægrotis bene est; & è contra, siquidem toto intermissionis tempore maxime à statu naturali distat, colore rubicundo saturata, & frigori exposita crassa evadit, sedimentumque copiosum, instar boli Armeni, deponit; quod ideo fieri necesse est quia toto ... intervallo materia febrilis cum sanguine circulatur, & tacitis ibidem incrementis ad maturitatem assurgit; in medio autem paroxysmo, cum calor & æstus ... maxime urgent, urina laudabil... existit, magisque ad naturalem accedit, Scil. materia fermentativa ad circumferentiam corporis transmissa. *Willis.*

[12] *Cruda*) Cruda vocatur quæ tanquam à naturali statu recedit, quod fit bifariam, vel enim quæ minimam aut nullam passa est alterationem, qualis est alba tenuis, cruda vocatur: vel quæ ... tem vergit colorem, cum substantiæ tenuitate aut crassitie, quales sunt flammeæ, igneæ, rubræ, crassæ, ab ebulliente sanguine genitæ. *Primrosius.*

[13] *Vrina in principio cruda* In febribus urina immutantur ... quarum tinctura intensior ab acido prædominante & hinc ceteras particulas magis concentrante, originem ducere supra insinuatum fuit (vide §. *Hunc vero inducunt*) Et ab hoc Acido plus minus exaltato, aut enervato & saturato, etiam coctionis & cruditatis materiæ morbificæ in sanguine ratio, ac in urina signa dependent.

Nempe

Nempe coctio in separatione, & quasi præcipitatione heterogenei ex sanguine consistit; quod cum sero dilutum per renes transcolatur & in urinæ fundo considet, in signo coctionis perfectæ (sicut dum nihil secernitur, & in sanguine intime plus minus commixta sunt omnia, nil potest separari, & cruditas est, cujus signum urina cruda, absque sedimentis excreta, Quod si vero mediante fermentatione & motu fiat successive extrusio & separatio istarum quasi fæculentiarum, urinæ crassiores, magis contentis saturatæ, & quæ sponte *turbatæ* prodeunt, adeoque inchoatam coctionem ostendunt.

Quod si *turbidæ* maneant, adhuc ingentem motum, & inordinatam fermentationem & confusionem in massa sanguinea innuunt; Sin vero turbidæ clarescere, & ad fundum contenta dimittere incipiant, signum progressus ulterioris in coctione ostendunt.

Rem exemplo quasi simili nonnihil illustrabo: In febre continua, aut paroxysmo intermittentium, massa sanguinea est similis vino aut musto generoso fermentescentibus; nam utut varus constent particulis ex salibus, tamen ejus acido & alkali sic fermentativus motus, quo mediante separantur, & ad fundum successive præcipitantur partes disproportionatæ, non bene miscibiles, sub fæcum nomine, quo facto ex recuperata debita particularum textura vinum quietum, laudabile ac perfectum existit.

In turgescentia febrili simile quid occurrere videtur, nam & ibi particulæ massæ sanguineæ, mediante tali fermentatione separantur, & quædam earum præcipitantur, quarum quædam cum urinis sub forma sedimenti rejiciuntur, donec supervenientie critico naturæ motu uno impetu vel ejiciantur, vel in aliquem locum deponantur; Sed hæ ipsæ partes fæculentæ non sunt solum recrementa morbosa, sed etiam partes massæ ipsius sanguineæ sub tumultu isto fermentationis febrilis alteratæ, mutatæ, & simul præcipitatæ, ita una foras emittuntur. Non secus enim ac sudore artificiali per motum, exercitia, non serum purum, aut recrementosis saltem particulis commistum est, quod emittitur, sed etiam ex ipsa massa sanguinea copiosæ particulæ utiles, fermentationis aucto motu attritæ, hinc in salsum mutatæ, & ita reliquis minus sociabiles factæ, una excluduntur, ita etiam in sudore Intermittentium massa sanguinea sub paroxysmo in tantum sive plus minus colliquata, propriæ substantiæ una jacturam facit; In Intermittentibus quot sunt paroxysmi tot sunt febres quasi particulares, in quibus post horrorem turgescentia fermentativa, in qua materiæ coctio peragitur, accidit, hinc in fine quadam quasi crisi copiosus sudor supervenit.

Quando igitur sanguinis crasis, unicuique homini propria, fundamentaliter ab *acido* & *urinoso* dependens, naturaliter proportionata est, tamdiu fermentatur & spirituascit sanguis; simul vero ac ista læditur, inprimis si se insinuent particulæ valde fermentiscibiles, & non rite cum integra massa miscibiles, ex primis viis, fiunt fomes pro febri.

Ab isto negotio *Cruditatis & coctionis, universa crisium dependet ratio*, quæ in præcipitatione fœcum, subitanea ex massa sanguinea exclusione, & vel extra corpus excretione, vel in quendam corporis locum congestione in tumorem ac abscessum consistit ipsis, separatis fæculentiis prius circa exclusionis locum, ex facta ibidem, aut in vicinia irritatione, varia symptomata occasionaliter concitantibus, dum v. g. sudores critici, rigores repetiri, hæmorrhagia critica, agrypniæ, deliria, narium pruritus; oculorum splendores, cephalalgiæ, obaudiciones præcedere [illegible], cum secundum *Hippocr.* Nox quæ antecedit crisin gravis.

Hinc semper observavi, quamdiu in febribus, præsertim continuis, urinæ sunt crudæ, tam diu res ægri in statu consistit ambiguo; quando vero adsunt signa coctionis, semper quælibet fausta possumus ominari, ita ut non meminerim, vel legisse me, vel observasse, cum coctionis signis quempiam interiisse: Et contra quæ coctę jam plus minus apparebant urinæ, si recrudescant denuo, semper periculum portendunt; si nempe sedimentum, quod primis diebus subsiderat, deficiat; aut si urinæ crassæ, intensius tinctæ pallescere, aut tenuiores excerni incipiant; id quod nunc per causas externas, vini generosi potum, iracundiam, pastum paulo copiosiorem, præt-tim carnium vel similium; nunc per causas internas, ex deficiente naturæ motu, & dominio causæ morbificæ evenit.

Propterea recte *Poterius* l. 1. de *Febr. cap.* 42. coctionem veram, continuam & universalem esse debere asserit: *vera* quidem, quia non raro falluntur Medici, rati verum esse coctionem in urinis ex crudo humore in fundo earum subsidente, quasi verum sit sedimentum, *Continua* etiam debet esse coctio, ut fida sit; Fit enim aliquando cum non ex toto humor à natura superatur, ut mane appareat cocta, vespere autem delitescat coctio: Debet etiam esse *universalis*, & totius materiæ morbificæ; Frustra namque in parte quapiam coctio suspicitur, morbo in corpore reliquo crudo existente.

Opus hoc coctionis solius est naturæ, & hanc insequens crisis, quam arte adjuvare non possumus, saltem impedimenta, naturam gravantia, removere valemus, Motus hic naturæ, circa coctionis negotium in eo consistit, *ut acidum, fermentativum morbosum*, unde febris oritur, corrigatur, & temperetur, adeoque in *salsum*, aliarum particularum additione mutatum, ex massa sanguinea extrudatur, id quod mediante fermentationis motu accidit, *Cruditas* enim & arctior omnium particularum in sanguine unio, & hinc procedens acrior effervescentia febrilis, *ab acido* dependet; quo dominante, intensior fermentatio, nulla secretio fit.

Dum propter mutuam collisionem quasi acidum febrile fermentum successive ab alkalibus arrepus saturatur, in salsum mutari, & sic ex compedibus sanguinis solvi, i. e. liberari incipit; etiam aliæ particulæ heterogeneæ, nec sanguini debite assimilabiles, ab acido tamen vitiose una colligatæ, & quasi concentratæ, simul ex sanguine extrudi, & hinc ex ejus liquore, fermentationis medio, (qua partes unibiles rite coeunt, non unibiles secernuntur) præcipitari solent, coctio, & copiosiorum cum urina contentorum excretio accidit.

Hinc etiam in febribus malignis si urinæ sanorum similluniæ excernuntur, signum periculosum est, scil. spiritus influos inprimis esse affectos, & ipsam massam sanguineam à fermento maligno citra insigniorem fermentationis ejus turbationem corrumpi, & in textura sua vitiari significans; unde & cum minori ardore tales febres junctæ esse solent, summa virium potius prostratio, & nervosi generis symptomata magis urgent, Sin tamen, in his etiam malignioribus coctionis veræ signa se exhibere inchoant, bene sperare Medicum jubent, & si salubres sunt tales, in fine coctione materiæ morbificæ, ejusque signis in urina terminari assolent. *Emmuller*, 1. p. m. 256. & *sequ.*

15. *Causa est vel immediata* &c.) Causæ procatarcticæ, quæ in hunc morbum disponunt, sunt temperies cal. & hum. habitus corporis athleticus, ætas juvenilis, tempestas verna, aut æstiva, victus lenius & opimus, insuper vinorum divitum potus assiduus, vita sedentaria & otiosa, corpus cacochymicum, & vitiosis succis refertum. Præ cæteris vero observatione constat quod crebr. sangu. missio homines febri aptiores reddat; quare dicitur vulgo, quibus sanguis semel detrahitur, eos, nisi quotannis, idem faciant, in febrem proclives esse: hujus ratio (ni fallor) hæc est, Crebra sangu. missione sulphur in massa Sanguinea copiosius congeritur, interea sal (quod ipsum frænare, & ab efferatione cohibere debet) hac ratione subducitur, etenim sanguis, quo magis inveteratus

ultro ad absolutam putredinem possit pervenire: ut patet in vino, quod amarorem prius contrahit, postea marcescit: Humores secundum has qualitates esse naturæ molestos, corporisque œconomiam perturbare docuit *Hippocrates l. de vet. med.* scribens. *Quod in unoquoque potentius esset & supra naturam humanam, adeo ut ab eo superari non posset, id lædere consueverunt & tollere conati sunt, In homine namque inest amarum, & salsum, & dulce, & acidum & acerbum, & insipidum &c.* Et majorem potentiam inesse hisce secundis qualitatibus ad corpus alterandum docet cit.l. *Neque enim calidum est,* ait, *quod magnam vim habet, verum acerbum & insipidum cæteraq. de quibus dixi.*

Et clarius idem expressis verbis de materia febrili, *Illud vero mihi magno argumento esse videtur quod neque calidum simpliciter febricitantium, neque ipsum solum affectionis causa sit;* sed est & *amarum & calidum idem & calidum & acutum,* & salsum & calidum, aliaque *innumera, & rursus frigidum aliis qualitatibus conjuncta.*

In his qualitatibus *Putredinem secundum quid* fundari fit manifestum ex eo quod concoctione emendantur, ut pronuntiavit *Hippocrates loco cit.* scribens, *At vero Ardor narium tum sedatur, non cum fluxia fit, & inflammatio adest, sed cum humor crassior & minus acer extiterit ac concoctus, eique qui aderat magis permixtus,* Et infra subjungit. *Reliqua autem omnia quæ ex humorum acrimonia & incommoderatione orta assero, eo modo sedantur commoderata & concocta,* Et inferius addit, *Quin etiam quæ in fauces feruntur, ex quibus raucedines oriuntur, angina, erysipelata, & pulmonum inflammationes, hæc omnia primum quidem salsa, humida & acria demittunt, & in his morbi confirmantur, At ubi crassiora & magis cocta fluerint, omnemque deposuerint acrimoniam, tum jam & febris, & quæ molesti afficiebant desinunt.* Quæ omnia comprobant humores per primas vel secundas qualitates depravatos corrigi, & per has *putredinem secundum quid* vel *secundum partem* constitui, quæ concoctione emendatur.

Et quoad *primas qualitates,* humorum naturam contaminantes, & concoctione correctis, clariorem sententiam habemus eodem libro, ubi habet, *ab ipsa pauca caliditate & frigiditate, nullinsque alterius facultatis participe si hæc contigerint, hac ratione cessabunt, si ex frigido in calidum, & calido in frigidum commutata fuerint.*

Hujus Putredinis naturam & efficaciam expresserunt recentiores, cum ad *Hippocr.* normam multorum morborum causas in primarum & secundarum qualitatum alteratione humoribus, superveniente invenerunt. *Willis lib. de Febr. cap. 1.* ait, *Si vero aut succi alibilis supplementum cum reliquo cruore non sit congener, nec cum ipso assimilatum, quin vel ob concoctionis defectum in humore, in prorsus tenuitatem dilutatur; vel propter ejus excessum in materiam retorridam afferetur; aut si sanguis veterascens suas non deponit exuvias, & novo codis humori nutritio, propter hujusmodi inquam circa hæmatosin vitia, cruor à debita crasi & motu æquabili varie pervertitur, evaditque modo aquosus & frigidus; modo acris & salsus, modo acidus, austerus, aut alia saltem ratione degener.* Et cap. de Tertiana intermittente, *Essentia Febris Tertianæ in eo consistit, quod sanguis instar cerevisiæ ò brasio nimis tosto plus satis acris ac retorridus succum alibilem, qui è comestis crudus inseritur, non cito subigi & maturari, sed plurimum ejus in materiam nitrosulphuream pervertit.* Et de Quartana, ait, *quod sanguinis liquor à natura dulcis, balsamica & spirituosa, in acidam & nonnihil austeram instar vini acescentis transferit.*

Hanc humorum trasmutationem admittit *Sylvius*, qui *Pr. lib. a. cap. 29.* loquens de Febribus, ait, *Bilis tunc temporis, vel acrimonia salina lixiva sola, aut insuper inflammabilitate aleosa peccare solet,* Et §. 10. *Limpha conglobatarum glandularum omnium, aut plerarumque saltem, acrior & acidior.* Et §. 13. *succus pancreaticus secundum se totum diversimodo vitiatus & acrior factus &c.* Ab hoc vitio secundarum qualitatum *Helmontius* Febrium quoque causas deducit, Vide *Ejus Tr. Blas humanum §. 52. Rectius quam Galenus Hippocr. dixit, non cal. aut frig. sunt morbi, sed acidum, acre, amarum &c. Pompeius Sacchus Iisd. Febr. c. 4. §. 27. & sequ.*

[16]. *Putredo*) Putredo est duplex, una totalis seu perfecta, alia partialis seu imperfecta; Totalis est qua mistum ex toto omnique ex parte putrescit, quando nempe penitus sejungitur humidum à sicco, & mistum perfecte solvitur in elementa, aut alia mista, ita ut reliquum ejus nihil appareat præter terram. Hoc modo putrescunt omnia mista, quæ per excessum terrea sunt & solida, siquidem evocato proprio calore humidum quoque educitur ad externa, pariterque absumitur ut remaneat terra sicca.

Partialis seu imperfecta putrido est, quando separatio illa non perficitur, tunc dicitur mistum interire *κατὰ μέρος*, vel aliqua ex parte dissolvi, & ut ait *Aristot.* à naturali sua constitutione recedere; contingitque hæc Putredinis species in iis mistis quæ fluida & magno excessu aquea sunt, ut in vino contingit, & elementis ipsis, excepto igne.

Est autem hæc Putredo adeo levis interdum, ut potius via ad putredinem dici debeat quam putredo, in qua mistum propriam formam retinet; Interdum tanta est, ut etiamsi non fiat perfecta resolutio in elementa, forma tamen misti pereat, & in aliam speciem transeat. Sic putrescunt in corporibus nostris humores, ex quibus fiunt febres Putridæ, quamvis interdum possit humor ex ingenti putredine marcescere, quod perrarum est, imo non videtur animalis vita eousque perduci posse dum absoluta putredo fiat, sed mortem prævenire necesse est: Solent igitur vivo animali putrescere humores, secundum partem ut vocant, quod intellexit *Galenus* dum Putredinem definit *Mutationem* ad corruptelam: Imo etiam coeptam humorum putredinem remediis Medici sæpe cohibent, humoremque pristinæ integritati restituunt, ut docet *Galenus* A. P. c. 89, inquit enim, *concoctionem fieri ut humorum putredo cesset, proinde eos alterari manente substantia. Primirosius.*

[17]. *Aut natura ipsorum prava, seu ex cibis pravi &c.*) Tertia putredinis causa sunt excrementa in corpore genita, generari autem solent per cruditates & corruptas alimentorum coctiones; fiunt autem cruditates 3. *de symp. caus.* ob imbecillitatem facultatis coquentis, ipsius alimenti vitium, & errores externos; Imbecillitas facultatis, vel partium intemperies, vel earum morbos organicos sequitur, Sed vitio alimenti fit cruditas, ex *Galeno*. 1. ob pravam ipsius alimenti substantiam, 2. quantitatem, quæ consideratur vel absolute & simpliciter quoad vasa, ut in helluonibus, vel ex viribus assumentis æstimatur, *Tertio*, ob malam qualitatem, quæ duplex est, vel quia alimenta facile natura sua corrumpantur, ut fungi, cucumeres, &c; vel quoniam, etsi natura sua sint bona, tamen ob quandam putredinem aliunde acquisitam noxia evadunt, ut triticum, hordeum, omne denique alimentorum genus, quæ aut à prima statim generatione, aut temporis diuturnitate, aut ob malam repositionem vitium potest contrahere; *Quarto* ob malam præparationem, *Quinto* ob malum usum in tempore assumendi & ordine, In Tempore, ut si cibo nondum concocto novus assumatur, In Ordine, si adstringentia, ut cydonia fructibus horæis, lacti, aliisque quorum substantia facile corruptibilis est, præmittantur.

Cruditates denique fiunt propter Errores externos, referri autem debent ad usum sex rerum non naturalium, quæ quomodo febrem inducant dictum cap. de causis febrium. Sed *Galenus* non vult ab ejusmodi excrementis, quantumvis in corpore abundent, febres induci; si nulla in visceribus sit obstructio, & libera sit corporis perspiratio, at si

obstructio contigerit, aut habitus corporis adstringatur, febris succedet; Itaque iis qui malis humoribus sunt referti, si intempestive laborent, aut temere balneo usi sint, aut pororum cutis obstructio contingat, facilis erit lapsus in febres, siquidem corrupti humores ex his causis magis ac magis accenduntur, & fuligines in corpore retinentur. *Primrosius.*

18. *Seu ex cibu pravi &c.*) *Cacochymici cibi*, succo maligno ex sua natura referti, etsi postquam assumpti sunt concoctione aliquas mutationes subeunt, & in sanguinem convertuntur, in eo tamen pristinæ conditionis vitia cum remanserint, si continua congestione accumulentur, tandem Putridas hasce febres producunt, easque sæpenumero populares, si vitium in alimentis, quibus omnes passim ex necessitate utuntur consistit; qualia multa in herbarum leguminumque generibus inveniuntur, vitiaque frugum præsertim existunt, quæ dum frumentis, vel necessitate ob annonæ caritatem pauperioribus; vel casu cum nimium luxuriant, copiose permixta, plerisque esitantur, sanguinem inficiendo, febribus epidemicis occasionem præbent. *Corrupta* quoque *alimenta*, & putredinis labe infecta, tandem in sanguine noxam deponunt, ut quæ laudata alioquin, nec per se vitiosa, vel antequam assumantur, talia evadunt, vel ingesta primum corrumpuntur.

Antequam ingerantur multa alimenta, vetustate vel humiditate putrescentia, uti salsamenta carnis pisciumque semiputrida, caseus putris, fœtore & putredine sanguinis massam usu assiduo tandem inficientia febres accersunt. Et quæ cum multis sint communia, veluti aqua, panis, caro, in longinquis navigationibus, aut aliis corrupta, vel frumentum madidum in horreo congestum, ex necessitate comesta, febres multis communes generant. *Ingesti cibi* facile corrumpuntur qui humido excrementitio abundant, ut sunt *fructus præsertim horarii*, quorum usus continuus æstatis tempore febribus, quæ vel mox in autumno, vel sequenti vere invadunt, ansam præbent. Quæ vero vel alimentosa, uti *lac & ova*, vel dulcia alioquin in calidis ventriculis cito corrumpuntur, in bilem meracissimam conversa, biliosos alios potius morbos quam febres procreant; Sicuti & si ob ciborum duritiem, tenacitatem, vel potius ob ventriculi, jecoris & lienis affectus, assumpta alimenta, ægre concocta, crudiorem sanguinem gignant, alii affectus citius tunc, ut obstructiones quam febres, nisi aliud quid accedat, sequuntur. *Platerus.*

19. *Transpiratio intercepta*) Retentio excrementorum sanguinis fuliginosorum, ut vocant, seu potius, *serosorum & ichorum*, quæ continuo per insensilem transpirationem, interdum quoque per manifestos madores sudoresque expurgantur, quia sanguinem impurum, & coacervatis hisce excrementis vitiosum tandem reddit; Putridas febres quoque gignit. Hæc autem un variis de causis supprimi possunt, præsertim si ob otium & naturæ inertiam hæc excrementa non discutiantur, sic ab adstricta cute, porisque obstructis, corporeque extrinsecus à liberiore aëre impedito, si hæc diutius perseverent, maxime si tales [illegible] per accedant causæ, accidere quoque potest. Non quod sanguinis per poros refrigeratione, aëre intercluso impedita, sanguis accendatur primum, moxque putrescat, sicuti hoc evenire potest in productione febrium Diariarum, à subitaneo frigiditatis dum corp[illegible] occursu; sed quia cute condensata excrement[illegible]ora, per habitum corporis expirare consueta [illegible]t; Dein & eum tunc ab aëre liberiore corpus perflari nequeat, seu eventilari, humiditates excrementitiæ sub cute non consumantur & difflentur, sicuti videmus in locis occlusis, quæ aër subir[illegible] nequit, res muco si usque tandem obductas corrump[illegible] & ex huin d[illegible]bus hisce, retentisque excr[illegible]ne infecto, febres putridas; non tamen [illegible] causa perseverete, quoque prodire. *Platerus.*

20. *Pororum cutis angustia*) Constrictio meatuum cutis tripliciter generatur, vel ex nimio frigore, vel ex nimia siccitate, vel ex usu rei alicujus adstringentis, ut Balnei aquæ aluminosæ. *Primrosius.*

21. *Dum cruditas diminuatur*) Qualis sit hæc cruditas, Vide supra §. *Urina in principio cruda.*)

22. *Obstructione*) Hoc non intelligendum de omni Obstructione, nam viscerum obstructiones non semper pariunt febres, ut docet *Galenus* 2. de l. aff. gravitatem hypochondriorum sine febre ostendere obstructionem vel scirrhum; cum febre vero inflammationem. Præterea obstructio quæ est absque inflammatione non facit *febrem continuam*, quia non est causa putredinis humorum qui sunt in venis, qui aliàs commodam habent diaphoresin per habitum corporis. Nec facit *Intermittentem*, fit enim hæc ex humore in habitu putrescente; Tum potius continua illa foret quam intermittens, quandoquidem putrescens humor in vasis determinatis partium facere febrem potest, sed tantum continuam; quoties igitur putrescit humor in visceribus, facit febrem, sed non semper putrescit per obstructiones viscerum. *Primrosius.*

22. *Obstructione*) Obstructio importat impedimentum in venis vel arteriis existens, quo sanguis stagnare cogitur, prohibita illius ventilatione, putredinis initium & p. naturalis causa caloris; retentis in stagnante sanguine exhalationibus calidis, quæ in suo cursu exhalarent, cum sibi adjacentium partium refrigerio: Patet hinc, in febre Obstructionem non considerari tanquam indispositionem morbosam vasorum, sed ut causam intensionis caloris, Sub Obstructione venit Adstrictio, vel impedimentum claudens porositates cutis, & cogens fuligines ab humoribus & partibus vi caloris interni, & in exercitio nutritionis, & aliarum functionum elatas retrocedere, qui post suo calore illum internarum partium augent: quod amplavit *Galen d. loc. aff. c. 4.* de cubiculo in quo sint accensi carbones: major enim calor eo clauso persentitur, quia prohibetur cal. exhalationum expulsio. Hinc patet obstructionem non calfacere, nec formaliter, nec virtualiter, sed per accidens, effluxum calidæ substantiæ impediendo. *Pompeius Sacchi Irrid. Febr. c. 3.*

23. *Occursus Putredinis*) Putredo est causa caloris, ut docuit *Aristoteles 25. Probl. 20.* & confirmavit *Hippocr. sect. 2. aphor. 47.* Dum pus, *ait*, conficitur, dolores & febres fiunt magis quam quando confectum est: Et *Galenus* idem sen[illegible] *de caus. morbor. c. 2. & 7. aph. 42.* & alibi. Et experientia docet omnia putrida calorem exspirare, & vicina corpora calefacere, *Pompeius Sacchi Irrid. Febr. c. 3.*

24. *ὑποστροφή*) Recidiva (in recidivis aliqua videtur esse periodus, adest enim intermissio & exacerbatio) est morbi qui desiisse omnino videbatur recursus. Causam habet internam vel externam, Interna duplex, prima, materia superstes ab imperfecta crisi. Secunda, dispositio præter naturam relicta quæ novam morbi historiam orditur; Externæ causæ sunt multiplices, cibus intempestivus & nimius, animi motus, loci commutatio, temporis injuria, Venus intempestiva, & similes ex rebus non naturalibus repetendæ. *Primrosius* Vide Riv. in observ.

25. *In foco Putredinis*) Circa *Locum* in quo humores putrescunt non parva est tum inter Veteres tum inter recentiores altercatio. Quidam enim, *ait Trallianus*, non continuas modo, sed etiam Intermittentes fieri volunt ex humoribus in vasis putrefactis, à continuis non loco sed humoris & quantitate & qualitate differentes, quod in Continuis multus crassusq; humor subsit, in Intermittentibus tenuior, quiq; in summam cutim efferri facilius possit; Probatur ea sententia 1. ex Urinis febrium Intermitt. quæ coctionem & cruditatem demonstrant, at urinæ tantū significant humores qui sunt in venis, Est enim urina serum eorum qui in venis, vasis) sunt humorum 2. Sanguis extra venas concrescit, In venis ergo tantum putrescet.

Sed

Sed si hæc opinio vera esset, nulla posset reddi ratio rigoris illius qui febres intermittentes præcedit, concluſi enim venis humores, & coërciti nullum rigorem excitant. Si Urinæ spectantur, hæ tantum causæ antecedentis dispositionem innuunt: non conjunctæ, quæ singulis paroxysmis evacuatur.

Alii semper extra venas humores putrescere volunt, & in vētre, 1. quod illic generantur lumbrici 2. quod excrementa etiam in sanis illic putrescere soleant, 3. quod unico vomitu, aut alvi dejectione febres integre fuerint solutæ. 4. in locis propriis cuncta conservantur, sed venæ sunt loca propria humorum. 5. omnis putredo est cum fœtore, in venis nullus fœtor, ergo in illis nulla putredo; 6. Humores putrescunt, vel quia pauci, vel sunt extra proprium locum, vel non moventur, vel sunt in loco angusto, at humores in venis nullam habent ex prædictis conditionibus, non igitur ibi putrescunt.

At ex hac sententia sequitur febres omnes esse intermittentes, nullas continuas, nisi quæ essent symptomaticæ: prima ratio adeo difficilis est, ut in illa solvenda plurimi fuerint hallucinati, sed respondendum puto animalia non generari in venis, quia putredo quæ in illis fit non potest esse totalis, sed tantum secundum partem; non possunt enim fieri vermes nisi per mutationem formæ humorum in formam animalis, quod ingentem arguit putredinem, qualis vivo animali non fit in venis. Cur vero non fiat, hanc esse rationem puto, quia in venis humores non possunt ita putrescere ut omnino destituantur calore nativo, adest enim cal. nativum perpetuo in illa materia putrescente, & prohibet mutationem totalem humoris in animal: apparet autem adesse, quia natura assidue molitur coctionem humoris illius morbifici, in ipsis etiam morbis lethalibus, in quibus etsi id semper non assequatur, tamen humorem illum nunquam deserit, nisi simul extinguatur homo; sequitur enim mors ubi humor morbificus calorem nativum expugnavit: in intestinis vero putrescens humor à calore omnino relinquitur, quia nulli usui corpori esse potest, ideo generari illic solent lumbrici. (*Sed non desunt exempla vermium* una cum sanguine è vena secta eductorum. Vide *Renodæum lib. 3. mat. med. cap. 33. & miscell. cur.*

Vera autem ratio cur vermes in massa sanguinea non generentur, petenda ex circulatione sanguinis, motus enim obstat putredini, ut vitium capiunt ni moveantur aqua) Ad ij. rationem, dic non in intestinis tantum, sed etiam in venis posse fieri putredinem, (*Sed putredo illa fit ad admistione ut plurimum rei putrida ex aliis locis illata*) *Ab iii. dic; subtracto fomite & causa antecedente, conjunctam cito à natura subigi, domari & expelli.* Ad iv. locus servat locatum, quamdiu nihil vitii accedit aliunde, aliàs virtus loci nequit prohibere putredinem; Aër, aqua, omnia denique in suis locis corrumpuntur, ut docet experientia. Ad v. foetor omnis sequitur putredinem, sed non contra omnem putredinem foetor, magna tantum, & quæ ad totalem accedit solet esse cum fœtore. Ad vi. insufficiens est enumeratio partium, nam aliæ præterea dantur putredinis causæ 2°. Dicere possumus in venis posse humores esse paucos, extra locum proprium, & in loco angusto ob prohibitam transpirationem, ob quam febres fiunt continuæ.

Concludendum igitur est Putredinem fieri vel in venis vel extra venas. Si fiat in venis, fient febres continuæ, extra venas Intermittentes: Continua duplex est, primaria, quam parit putrescens humor in vasis majoribus inter alas & inguina sitis, Symptomatica quæ visceris partisve putredinem quasi comes insequitur: huc referri potest ea quæ ex vasis partium determinatis oritur, ut Causos, ex *Galeno 4. acut.* tum quæ ex jecoris, lienis, alteriusve partis erysipelate & phlegmone principium ducit. Fit etiam symptomatica cum sensim & lente humor in dictis visceribus putrescit, & fit continua Lenta, quæ diuturna esse consuevit: Putrida Febris, continua & primaria, species sortitur ex vincentis humoris natura.

Est autem Continuarum genus duplex, unum earum quæ ab initio ad finem perseverant sine ullo excandescentiæ ordine, ut Synochus putrida & Causos, quarum materia est in venis cordi proximis, & vasis majoribus quæ inter alas & inguina excurrunt, inter quæ vasa, pulmonis, uteri, ventriculi continentur, ac proinde cor assidue pari vehementia fatigat; Alterum earum quæ etsi nunquam intermittant, remittunt tamen, ut Quotidianæ, Tertianæ, Quartanæ continuæ, quæ causam habent in venis aliquantulum dissitis, ex quibus putredo pari impetu in cor ferri nequit.

Atque hæc est series Febrium Continuarum, quæ sunt continuæ, quia humor putrescens, venis coërcitus, non potest difflari & dissipari ob obstructionem cutis, ideo assiduo vapore cor fatigat, propter continuitatem venarum & arteriarum cum corde.

Intermittens Febris alia simplex est, alia composita, alia confusa; *simplex* ab uno humore seorsum putrescente, generatur, ut Tertiana ex bile flava &c. *Confusa* non ex humore sincero, sed ex multis uno extra majores venas loco conclusis, pariterque putrescentibus emergit, qualis est Tertiana notha, ex bile & pituita simul corruptis.

Composita ex mistis implicitisque fit intermittentibus aut continuis, ut Tertiana duplex, Quartana triplex, Hemitritæus, quæ ex quotidiana continua, & tertiana intermittente constat, Hic ut variæ sunt febres, ita & humores sunt varii, non uno eodemque loco conclusi, sed seorsim putrescentes.

Causa autem cur humor extra venas putrescens febrem faciat intermittentem, ea est quod putridus humor consumitur & expurgatur, tunc abit paroxysmus: donec rursus nova materia putrescente redeat; tamdiu siquidem perseverat febris dum humor aut ex toto consumatur aut coquatur. Ideo in inflammationibus, etsi materia sit extra venas; continua tamen fit febris, quod humor tumore conclusus maneat non expurgetur. Hanc autem Evacuationem causam esse intermissionis ostendunt sudores aut alvi fluxus quibus paroxysmus solvitur, quod si ejusmodi evacuatio non succedat, aut accessio prorogetur, aut in continuam degenerat ob retentionem materiæ: Quotidiana, in qua sudores pauci sint; non solet in perfectam desinere apyrexiam, & parvam habet remissionem, quæ solet esse tantum sex horarum.

Causa igitur reditûs paroxysmorum est humoris nova collectio *in foco putredinis*. Colligitur autem vel congestione vel influxu; Congestio fit ex vitio partis in concoctione & expulsione, unde necessario & generantur & congeruntur excrementa, quorum putredo postea febrem inducit: frequentior est *fluxio*, quæ est motus materiæ ab una parte in aliam, fluunt humores, attracti, vel transmissi; *Attrahuntur* calore vel dolore, calorem attrahere experientia ostendit: Dolor verò proprie non attrahit, sed potius est occasio fluxus humorum in partem affectam, nam natura ut partem dolentem tueatur, dolorisque causam submoveat, spiritus humoresque confestim transmittit. 2. pars ipsa dolens ab his incalescit, unde postea ob calorem magis attrahit. Demum ex dolore pars infirmatur, debilis autem pars etsi non attrahat, facile tamen excipit influentem quamcunque materiam; *Pelluntur* autem humores à natura irritata illorum aut copia aut qualitate; Hic spectanda est tum

Pars mandans, tum recipiens. Pars mittens robusta esse debet & irritata. Recipiens debilis, aut ad recipiendas fluxiones prona; Debilis aut natura sua, ut quæ rara est, laxa, mollis, ignobilis, nulli actioni insigni destinata, ut cutis quæ totius corporis emunctorium est; Proclivis vero ad fluxionem excipiendam ea est quæ mittenti subjacet, aut cum ea connectitur, aut vias habet amplas & patentes quibus humores influentes admittat; His de causis fit nova humoris acervatio, ex qua accessio redintegrari solet; tamdiuque solet hic circuitus durare dum plene mala qualitas fomitis fuerit emendata. Naturales enim humores nunquam faciunt febrem, sed oportet aut eos corrumpi, vel malos subministrari, aut ipsius alimenti aut partis vitio, quæ pravos suppeditet, aut bonos corrumpat, sicut fermentum massam totam alterat.

Et hæc ratio est cur sæpe in diversis temperamentis eædem febres, & in similibus variæ generentur, ut quartana in sanguineo, & contra; Non est enim necesse ut humores febrem intermittentem facientes prius adfuerint in venis, sufficit si quotidie ex novo succedente alimento generentur, Pariter videmus unum idemque alimentum in diversis ventriculis amarescere & acescere: potius igitur est attendenda conditio causæ humores corrumpentis aut generantis quam ægri natura & tempenes; Sic videmus ex viperæ morsu humores converti in æruginem, ex scorpionis morsu alio modo alterari. Spectanda igitur est præcipue est vitiosa illa dispositio partium quæ humores alterat instar fermenti, & in suam naturam deducit, ita ut quibusdam omnia facessant in bilem, in aliis in pituitam.

Fomitem hunc in Quotidiana esse in ventriculo, in Tertiana in hepate, in Quartana in liene voluit *Galenus*, *Fernelius* etiam in præcordiis generaliter, in mesenterio, pancreate, in quibus humorum confluit colluvies, In iis ergo partibus Fomes constituatur in quibus humorum generatio & acervatio fieri solet, & unde in universum corpus dimanant: Redit igitur Febris, quia nova materia à fomite suppeditatur, quæ paroxysmum redintegrat: mittitur siquidem ex præcordiis ad habitum corporis, ut vult *Galenus*, demum in sudores solvitur, sic abit paroxysmus donec dictis ex causis redeat. *Primrosius*.

Curatio Febrium Putridarum in genere.

26. *Curatio* ab eo Inchoatur quod in resolutione ultimum est; & Putredinis quidem primam rationem habet: sæpè tamen & febrem neglecta causa oppugnat, inprimis si præsidia contra causam febrem augeat. Tutissimum verò Ita ad alterum curam dirigere ne alterum negligatur: præsertim, si ea quæ febrem extinguunt & causam tollunt, consentiant. 27. *Absolvitur.*

I. *Quoad morbum*, refrigeratione per medicamenta refrigerantia.

II. *Quoad causam*, 1. 28. *Venæsectione*. 2. *Lenitione*. 3. *Vomitu*. 4. *Purgatione*, & 5. *Sudatione*.

29. I. *Venæsectio*. I. Administrari debet, 1. propter evacuationem, motus conciliationem & refrigerium, quod per accidens fit: proptérque hoc tum, cum aliud sanguinis venæsectionem exposcens vitium concurrit. 2. 30. tum sanguinis plenitudine præsente; tum Cacochymia in vena cava cum sanguine permista; 31. ne si alibi esset, vitiosa è primis viis in communes venas rapiatur & sanguis conspurcetur: tum eadem in primis viis existente, modò plethora adsit, quod ex urinis animadvertitur, ut in Cachexia, evacuatione solita suppressa, sanguinis copia calor obtunditur. 3. in principio, cum omnia leviora, & quidem in *continuis* die tertio nisi plethora vehementer urgeat, in *intermittentibus* ultra; in omnibus mitiore leniente præmisso, si in primis viis aliquid residet; *tempore mitiore*, & quo minus virtus affligitur; *quacunque hora*, modo prius vigiliis oris ventriculi morsui, vel doloribus urgentibus, si adsunt, occurratur; *foramine* angustiore, si plenitudo tenuior, latiore, si crassior; ægro potius decumbente quàm sedente, si imbecillis; parca potius manu quam larga, ut vires concoctioni humorum conserventur.

II. 32. *Repeti debet*, urgente plenitudine; *eodem die*, si plethora totius affligente evacuationis gratia instituitur & vires ferunt, examinatis simul prohibentibus; post *intervallum unius & alterius diei*, si vires labascunt revulsionis gratia: tum enim plenitudo duntaxat partis respicitur, & vires interim recreari possunt. Quia verò sanguis per hirudines etiam, & cucurbitas scarificatas educi potest, ideò nota de illis, applicari debere hæmorrhoidibus si caput repleri incipit; venis narium, temporum, vel frontis, si jam repletum est, præmisso fotu ut & crassus sanguis exeat. De *his*, apponendas plenitudine minore, & viribus minus validis, si venæsectione non satisfactum, supra malleolos, in poplite, in cruribus, quod Aëtio & Ibn Sinæ placet.

II. 33. *Lenientibus* agendum I. Statim in *principio*, & ante venæsectionem si à morbo induciæ, non expectata coctione, ob ventriculi concoctionem, quæ à pravis in corpore dispositionibus facilè lædi potest; humorum in mesaraicis, intestinis, vel fundo ventriculi copiam. II. Vel per 34. *clysteres* 35. emollientes, & 36. si materia viscidior, validius abstergentes, quod *beta*, *saccharum*, & *mel rosatum* faciunt: 37. qui & in accessione applicari possunt, si materia in infimo ventre urget: vel per *medicamenta* 38. *lenientia*, per os exhibita, qualia sunt, Syrupus *rosarum solutivus*, *violarum* ex pluribus infusionibus, *manna*, cum decocto & aqua refrigerante diluta, *flos* 39. *cassiæ* cui si carminativa semina admiscenda, crasso modo contundi debent, &c.

III. 40. *Vomitio procuranda* 1. Si materia versus superiora vergit, & aliqua ejus copia in vicinis locis stabulatur. Ejiciuntur eo sæpe quæ in ventriculo & ejus tunicis, pancreate, cavis jecoris, liene &c. sedem fixerunt. 2. 41. Medicamentis mediocribus potius quam validis: nec enim totum evacuare animus est: & pro ratione tenuis vel crassæ materiæ variantibus. Jus pulli vel aqua hordei cum Syrupo de acetosa, aqua nucum juglandium, foliorum asari, vel tabaci locum hic fortè inveniunt.

IV. a 43. *Pur-*

IV. [41]. *Purgatio per inferiora*[a] requirit,[b] I. *Coctionem* [c] *humoris putridi*, qui crudus dicitur,[d] & cum sanguine in venis permiscetur, & quidē ex [44]. Hippocratis præcepto, qui [45]. *πέπονα καὶ τὰ σῶμα φαρμακεύειν* jussit, in febribus præsertim continuis & acutis. [46]. Nihil autem aliud hæc coctio quam [47]. naturæ arte adjutæ opus, quo materia cruda, id est, fermentans & ebulliens, in meliorem & minus noxium corpori statum deducitur, à materia bona & utili separatur, & sic expulsioni idonea redditur. Præmittenda hæc 1. *etiam in materia copiosa*, quia plus fortè incommodi si tenues illius partes detraherentur, crassiores manerent. [48]. 2. *in materia tenui*: & si non expectata coctione moveri deberet, in omnibus synochis, qui ab ichorosi sanguinis putredine veniunt, purgandum in principio esset. 3. *in parte aliqua nobili supra primas vias fixa*, propter eandem rationem. [49]. *Non est tamen quod eam attendas*, 1. [50]. si humores in primis duntaxat viis resident. 2. si iidem turgent, id est, vel ad partem aliquam moventur; vel ita dispositi sunt ut ruere possint; vel, quod Marciano placet, in parte minimè fixi, alicubi turgentiæ quendam sensum excitant, ac si pars verè tumida esset. Solet námque materia febrilis initio licet exigua, fermenti tamen instar reliquos humores corrumpens, à natura tanquam ipsi molesta moveri, & [51]. vel extra corpus ejici, vel ad partes ignobiles detrudi. II. [52]. *Adjumentum naturæ*, quod fit, 1. per humorum putridorum, bilis nempe, pituitæ & melancholiæ, *alterationem & digestionem*, [53]. quæ præparatio prima dici potest, de qua in generalibus præceptis egimus. 2. *deobstructionem viarum*, [54]. per medicamenta aperientia & abstergentia, [55]. vel statim in principiis, ubi calor & putredo plus urgeat adhibendam, ut & remedia præparatoria facilius penetrare, & humores parati excuti possunt, [56]. vel simul, ut omnibus scopis satisfiat.

V. [57]. *Sudatione*, [58]. excitata per medicamenta *sudorifica*, & quidem, *non admodum calida*, ne febris augeatur; *sufficientia* tamen, ne materia duntaxat agitetur. *Post* reliquas *evacuationes administrata*, ne transpiratio magis impediatur. [59]. Licet tamen in *principio* interdum fortiora sudorifera adhibere, ut fermentum illud discutiatur, toto morbo illis corpus [60]. ad sudores disponere, ut libera corpori transpiratio præstetur. Quoties opus repetere, ut materia ad expulsionem assuefiat. Laudantur, *sal Absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, spiritus & rob ebuli, sambuci*, Magisterium *matris perlarum, oculorum Cancri, Antimonium Diaphoreticum* &c.

III. *Quoad Ægrum, Diæta*, in qua occurrunt, I. [61]. *Cibus*, qui debet esse 1. boni succi, facilis concoctionis, paucis excrementi, [62]. qualia sunt, jura carnium, [63]. ova sorbilia, nisi ventriculus & hepar biliosis humoribus scateant, 2. *nullus*, in ipso paroxysmo vel accessione, nisi virtus sit resoluta. 3. *tantus* initio quantum vires ut ad statum perdurent reposcunt, & causa morbifica permittit. 4. *plenior* paulò in illis qui pleniori victui assueti sunt, virtute ob evacuationem debili. 5. *tenuior*, eâdem ob suffocationem infirmâ, ut plenitudo minuatur, & natura concoctioni bonorum rectius incumbat. 6. *medicinalis* interdum, qualis ptisana, cremor hordei, muisa, pro morbi & causæ ratione. 7. *Debet exhiberi, quocunq; tempore*, si virtus per evacuationem & inediam collapsa: in *declinatione* vel *intermissione*, si eadem à morbi vehementia suffocata: *ordinatè*, ut faciliores coctionis & lubricantes præcedant, quia faciliùs descendunt. Universaliter autem verum est cibum febricitanti, *convalescenti ὑγιαίνοντι* esse *ἰσχὺς robur, κάμνοντι νόσον ægrotanti robur*. Aphor. VII. 62. *Impura namque corpora quo magis nutriveris, eo magis læseris*, Aphor. II. 10. II. [64]. *Potus*, qui debet esse [65]. *Nutrimentosus*, in virium imbecillitate. [66]. *Medicamentosus*, pro morbi & causæ intentione. Talis est, Decoctum *hordei, Oxymel, serum lactis*, aniso, fœniculo & cumino correctum. [67]. Julepi refrigerantes. [68]. In continuis primis diebus [69]. *paucus*, posterioribus *copiosior*. In intermittentibus [70]. instante paroxysmo *nullus*: ne putrescentis humoris separatio & exclusio impediatur: instante sudore *calidus*, ut isti promoveantur. [71]. *Vinum* in *intermittentibus* austerum esse debet, quia tale humectat, excretiones promovet, facilius distribuitur: [72]. in *continuis*, circa coctionis initium paucum; in *quartanis* ante; in *progressu*, majoris quantitatis. [73]. In *declinatione*, si virium imbecillitas adest; Calor febrilis non est intensus: Materiæ cruditas non prohibet: Capitis dolor vel similes affectiones absunt. Heurnius ad sectionem Aphor. VII. 62. usu sibi compertum scribit, ex potu, ineunte paroxysmo, plærúmque febres intermittentes & periculi expertes in continuas & lethales abivisse. III. [74]. *Somnus*, qui debet esse *initio paucus*, ne calor humoribus ad interiora retractis obruatur: *nunquam nimius*, ne eodem suffocato excrementorum evacuatio impediatur.

[25]. *Curatio*) Circa therapiam Febrium Putridarum cujuscunque generis *quatuor sunt intentiones generales*, quibus totius negotii cardo innititur 1. ut Sanguis (si fieri possit) ab incendio vendicetur, & prorsus supprimatur flamma, sive ignis in sulphurea ejus parte accensus, quod [illegible] hujus morbi initia non raro fieri contingit 2. ut cum sanguis incendio tactus protinus extingui nequeat, [illegible] mitius, & cum minori noxa deflagrationem [illegible] peragat. 3. Ut deflagratione finita materiæ concrematæ & adustæ recrementis liquor cruoris expediatur, & postea ad crasin & vigorem naturalem restituatur. 4. Ut symptomatis præcipue urgentibus (quæ nisi tollantur, & naturæ & pharmaciæ opera frustra erunt) tempestive occurratur. Quoad remedia particularia, quibus intentionibus istis satisfiat, varia sunt; hic præcipuas quasdam indicationes, & cautiones medicas, quæ in decursu hujus febris, juxta varia ejus tempora, & diversa symptomata, observari debent, paucis subjiciam.

2. Circa primum hujus morbi *insultum*, danda erit

opera ut febris protinus supprimatur; atque sulphuris effervefacti inflammatio inhiberi possit, cui *venæ sectio* imprimis conducit: hoc enim modo sanguis eventilatur, & particulæ calidæ, nimis agglomeratæ, & incendio jam proximæ ab invicem dissipantur. Veluti cum fœnum exardescere aptum, si aperto aëri exponatur, ejus accensio præcavetur. Insuper tenuis instituatur victus, in quo nihil spirituosum aut sulphureum adhiberi debet, Viscera, & primæ viæ, materiæ excrementitiæ saburra liberentur: quare Enemata erunt usus necessarii, quandoque etiam vomitoria, & lenia cathartica, quibus aliquando tempestive & cum judicio adhibitis Febris inter ipsa statim initia, detracto accensionis pabulo, extinguitur: Quod si non obstante hac methodo incendium latius serpit, & sulphureas sanguinis particulas magis indies & magis corripit, procuretur (qua fieri possit) ut deflagratio sine magno tumultu leniter procedat.

2. Quare cum febris in Augmento fuerit, si cruor nimis effervescat, & cum pulsu forti & vehementi vasa plurimum distendat, si vigiliæ, phrenitis aut dolor capitis immaniter urgeant, sanguinis missio denuo repetitur, & transpiratio (quantum licet) libera procuretur; quare in lecto ægri ut plurimum decumbant, Victus sit parcus, ex alimentis admodum tenuibus; item Potus tenuis & copiosus, ut sanguis exardescens sero uberiore diluatur: Enemata satis tuto, & revera commode adhibentur. Pharmaca autem sive *cathartica*, seu *diaphoretica*, *& quæ nimis exagitant sanguinem, eadem industria vitentur qua ventrum flamma ædibus incendio flagrantibus.* Quin potius Opiatæ & anodyna, quæ sanguinem & spiritus figunt & constipant, erunt usurpanda. Item Julapia & decocta, quæ viscera æstuantia refrigerant, cruorem attemperant, & spiritus refocillant, erunt crebro exhibenda, Liquores acetosi vegetabilium aut mineralium, nec non Nitrum purificatum, quia sanguinis æstum cohibent, & sitim extinguunt, rite conveniunt. Aquæ ardentes spirituosæ, pulveres cardiaci & bezoardici (quamdiu morbus malignitate caret) procul habeantur: Si modo sanguis inæqualiter circulatur, & magis impetuose versus caput quam pedes feratur, conducent Epithemata ex tepidis animalium carnibus, aut visceribus, plantis pedum applicanda.

3. Quando Febris in statu est, diligenter attendatur Naturæ motus, num crisin factura sit necne, Quare nihil temere à Medico tentandum, Venæ sectio aut fortis Purgatio omnino prohibeantur; postquam vero à sanguinis deflagratione aliquatenus remittitur febrile incendium, & signa coctionis in urina apparent, si modo segnior sit naturæ motus, diaphoresis aut lenis purgatio procuretur, quæ tamen melius & tutius à Medico peraguntur, cum prius natura motu critico materiæ morbificæ seclusionem fuerit agressa, Quod si omnia sint cruda & perturbata, urina adhuc turbida, absque sedimento aut partium secretione, si vires sint languidæ, pulsus imbecillis, si crisis nulla aut irrita tantum præcessit, non sine manifesto vitæ periculo aut sudore, aut catharsi evacuatio quævis tentatur: quin diutius expectandum est ut [illegible] cruoris se recuperent, materiam excreme[illegible] & adustam aliquo modo subigant, & dein [illegible] secernant. Interim cardiacis tem[illegible]entur, immodica sanguinis efferv[illegible] adsit, inhibeatur, & debita ejus ferm[illegible]entetur; quod revera à coralliis, margari[illegible]usmodi pulveribus optime perficitur, quæ quidem à [illegible]cerum fermentis dissolvuntur & deinceum sanguine fermentescunt, ejusque motum imbecillem & vacillantem valde restaurant: Interim (Natura laborante) obstacula quævis & impedimenta removeantur, & præcipue excrementorum proventus in primis viis congestus crebro Enematum usu subducantur.

4. Qua ratione aut methodo Symptomata maxime urgentia tractari debent, non facile erit certis regulis præscribere, quoniam ipsamet eadem aliquando protinus compesci & sedari, interdum citatius promoveri postulant, ad quo majus quiddam est, alio forsan tempore Naturæ erunt prorsus relinquenda. Horum nonnullis cum remediis demulcentibus & lenitivis, aliis vero cum pharmacia asperiore & irritativa occurri poterit. Interea tamen præceptum in omnibus tenendum sit, ut Naturæ vestigiis religiose insistatur, quæ si perperam agat, ejus inordinatio reducenda, si recte ac vehementer nimis, refrænanda: si vero recte ac debito segnius aut debilius operetur, è re erit ut ejus motus ope medica incitetur atque adjuvetur.

5. In Febris declinatione, cum à crisi perfecta Natura fuerit morbo superior, res in vado est, nec multum negotii Medico relinquitur, solummodo restat exactam victus rationem proponere, ut sine recidivæ metu cito vires ægri recuperentur; Etiam leni purgatione materiæ febrilis reliquias exterminare conducit. Circa *Victum* recidivæ scopulo sæpe alliditur, scil. à præpropero carnium aut cibi fortioris comestu ægri in febrem relabuntur; Cum enim viscera sunt debilia, & alimenta (nisi admodum tenuia) non facile coquunt, cumque & sanguinis crasis sit imbecillior, ut succum nutritium fortiorem non assimilet, si alterutri quid improportionatum offeratur, iterum naturæ oeconomia pervertitur & omnia pessum eunt. Quare à carnibus convalescentes diu temperent, usque demum utantur nonnisi postquam urina fuerit sanorum similis, neque amplius à frigore turbatur, & quidem tum satius erit à diluto carnium Jusculo incipere, atque dein pedetentim ad alimenta fortiora ascendere.

6. Cum à crisi imperfecta res in dubio versatur; & adhuc sub judice lis est, tunc Medico difficile pensum incumbit, Sedulo attendantur Naturæ motus, & vires, num morbo prævalere incipiat, an eidem succumbat. Si coctionis adsint signa, & vires constent, evacuatio lenis, & per epicrasin tantum erit celebranda. Interim symptomatis maxime urgentibus cum remediis idoneis succurratur, impedimenta quævis tollantur, cardiacis & recta victus ratione (quantum fieri possit) vires sustententur.

7. Cum à Crisi aut mala, aut nulla, omnia in deterius vergant, cumque de morbi curatione fere desperat Medicus, eventum ejus suspectum & valde timendum prædicet, Neque tamen nudo prognostico adeo fidendum, ut reliqua omnia metus occupet, verum adhuc quantum artis est Medicæ, pro salute, conclamata licet, consulatur, symptomatis maxime infestis remedia adhibeantur, spiritus cruoris fere extincti cardiacis redintegrentur. Cum de salute despondemus, vita quamdiu potest protelertur, & saltem euthanasia procuretur. *Willis lib. de Febribus cap. 11.*

26. *Curatio*) In ea primo considerandus morbus, scilicet intemperies, seu calor p. n. 2^{o}. causa morbifica, ac putredo. Febris est affectus calidus & siccus, propterea indicat refrigerantia & humectantia, ex lege contrariorum; Causa vero indicat Evacuationem & Alterationem. Alterationem, qua putredo corrigatur, manente substantia, & hæc alteratio vocatur Concoctio; Evacuationem vero, qua noxius humor vacuatur, sive per Venæ sectionem sive per Purgationem, ut docet *Galenus cap. 89. Art. Med.* Putredinis causa solet esse obstructio, quare hæc quoque tollenda. His addenda Indicatio à viribus sumpta; in Quotidiana servabimus robur Ventriculi, in Tertiana Hepatis, in Quartana Lienis, quia in his harum febrium fomes continetur. His indicationibus satisfieri potest Diæta, Pharmacia & Chirurgia.

Quo

Quo ad Curationem, ea fit per *causa febrilis* aut *Alterationem*, aut *Evacuationem*; Alteratio emendat & sic putredinem remanente substantia; *Gal. Art. P.* Evacuatio fit per phlebotomiam, purgationem, per alvum, urinam, sudorem & vomitum; quibus interdum causa febris continens & propria, interdum antecedens & communis vacuatur, nam in Synocho phlebotomia sanguinem, febris hujus causam propriam educit, ita ut unica venæ sectione sæpe cesset; Sic in Tertiana, cum movetur humor biliosus ad stomachum, in paroxysmi principio vomitu educitur, aut si ad alvum feratur, Enemate: Similiter interdum rarefactis poris corporis evacuantur humores putridi, qui sunt causa conjuncta febris, ita udem etiam evacuari possunt per urinam. Interdum vero non conjuncta sed antecedens & communis expurgatur ut quando V. S. Medicus imperat in febribus, in quibus sanguis non dominatur, sed tantum alii sunt humores sanguini permisti, aut ne sanguis ipse convertatur in naturam humoris peccantis, & ut natura oneris parte levetur, qua de causa etiam in Tertiana intermittente sanguinem mittimus.

Idem dicere possumus de reliquis evacuationibus, quibus sæpissime non ipsa febris causa sed alius humor febres augens fovensque expurgatur, ut in Quartana vomitum præscribimus ad vacuandum humorem pituitosum è ventriculo, qui etsi quartanam non faciat, ipsam tamen fovet & auget: Est autem materia hæc communis triplex secundum *Gentilem*, aut sunt viscositates quædam stomachi & intestinorum, ex quibus crassi vapores & putres suscitantur: Aut serositates aquosæ venarum, quæ inflammantur à calore febrili, Au: excrementorum à secunda & tertia coctione proventus. *Primirosius.*

27. *Absolvitur*) Curatio Dogmatica ut plurimum vomitorus & catharticis, nec non sanguinis missione instituitur. Quibus misere excruciantur ægri, & raro profligatur morbus, ut merito hic affectus Medicorum opprobrium dicatur. *Willis.*

27. *Absolvitur*) Non prætermittam me sæpius ad tenuis conditionis homines, quorum crumena prolixo apparatu Medico ferendo non erat, accersitum, nil fecisse aliud post V.S.& vomitionem peractam (siquidem eas postulasset indicatio) nisi quod ipsis præscriberem, ut toto morbi tempore lecto defixi, nonnisi jusculа avenacea, & hordeacea, vel similia haurirent, tenuem cerevisiam (dempto frigore) moderatè biberent ad sitim sedandam. Et versus febris finem, coepta jam separatione, si quidem segnior esset, ad eam juvandam, fortiorem subinde Potum, cardiacorum loco, bibere ipsis permisi; Atque ita, sine ulteriore aliquo apparatu, nisi quod leve catharticum in fine morbi addere soleam, eos salvos & incolumes dimisi. *Sydenham Obs.* in *Acut. pag.* 53. & 54. Diuretica.

28. *Vena sectione*, *Lenitione*, *Vomitu* &c.) Adde his Diuresin, Post purgationem materiæ morbificæ natura plerumque in morbi declaratione per *Urinas* excernere reliquias consuevit, quod ex iis copiosioribus vel crassioribus colligere licet. Illius motus adjuvandus est diureticis medicamentis, iisque temperatis, qualia sunt Emulsiones & aperientia in Julepis & Jusculis descripta. Quibus, si febris admodum remissa sit, aliquid *rad. fœnicul.* & *petrosel.* vel *fol. absinth.* addi poterit, idque præsertim in febribus pituitosis, ut Quondiana continua. *Riverius.*

29. *Vena sectio*) An Putridis febribus per V. S. succurratur, dubium. Affirmat quidem *Galenus lib.* 11. m. m. *cap.* 15. qui eam optimum esse in omni putrida febre sanguinem [illegible], nisi impediat vel ætas, vel virtus: Rationem addit [illegible] od levata natura, exoneratаque eo quo veluti farcina premitur, haud ægre quod reliquum est vincat: Idem quoque vult *Aëtius* 2. *tetrab. s.* 1. *c.* 75. aliquæ principes, cum enim p. V. S. corpus refrigeretur, & sanguis qui rationem causæ morbificæ habet, in his febribus partialiter educitur, ut habet *Capivaccius Pr. l.* 6. *cap.* 10. ideo merito conceditur, modo non desit insigne quoddam impedimentum, quod etiam *Galenus* diligenter innuit, Cum idem l. contra Erasistr. eos reprehendat qui in omni putrida sine discrimine venam secant, idcirco *Heurnius* lib. de Febr. cap. 14. limitationem addit, nimirum quod semper Galenus plenitudinem aliquam præsupponat, Dico *plenitudinem aliquam*, ut enim febribus putridis V. S. deberi statuit cum aliis *Sennertus lib.* 2. *cap.* 7. quibus vel sanguinis plenitudo adest, vel in quibus cacochymia sanguini in venis permista est: in quibus autem cacochymia non in vena cava est, sed in primis viis maxima ex parte hæret, neque adest sanguinis abundantia, abstinendum à V. S. præsertim si prohibens aliquod adfuerit: *Gregor. Horstius Dec.* 1. *Probl.* 5.

In principio) Sanguis mittendus est nisi vires prohibeant; *Celsus* ultra quartum non vult mittendum: *Hipp.* tamen Anaxioni pleuritico post diem 8. sanguinem misit, quia prius non fuerat accersitus: Docet enim *Galenus* mitti posse sanguinem quoties principes adsunt scopi phlebotomiæ, etiamsi is vicesimus à principio dies foret, Ubi quatuor notanda 1. ut prima regio munda sit, 2. ne in inedia unquam, aut saltem parce detrahatur, adjectio enim tunc potius convenit quam detractio. 3. ut eligatur hora diei frigidior quantum fieri potest. 4. ut nunquam in ipso paroxysmo sanguis mittatur, nisi periculum adsit suffocationis. *Primirosius.*

30. *Sanguinis plenitudine præsente*) Unde quantitas sanguinis detrahendi æstimanda, illa autem vix certo definiri potest, sed Medici judicio relinquitur, antiqui enim ad libras plures detrahebant, seu ad animi defectum, nam Galenus interdum ad libras sex detrahebat: Refert *Avicenna* xvij. sanguinis libras effundi posse una die absque interitu animalis: Spectandum autem solusne sanguis peccet, exuperetque plurimum, an cum eo reliqui humores: si solus peccat, copiose detrahendus, solent enim vires esse robustæ: Monet tamen Celsus satius esse iterare V. S. bis terve quam semel affatim detrahere, totiesque iterare jubet *Argenterius* donec urinæ crassities & rubedo adeunt, dum enim crassa rubraque permanet, indicat plus esse sanguinis quam natura vincere possit; Si reliqui humores peccent, distentque plurimum à natura sanguinis, sintque à sanguine secreti, aut nullo modo tunc, aut parce detrahendus sanguis: Quod si huic permisti fuerint in venis, vel sanguis cacochymiam foveat, tunc mitti debet copiosius, habita semper ratione virium, & præsentium & futurarum. Sic Galenus 8. meth. in obstructionibus, aut factum aut faciendus febrem, sanguinem mittendum, jubet etiam sine plenitudine. *Idem.*

31. *Ne si alibi esset* &c.) An Neotericorum standum opinioni, qui in febribus quas humor putrescens accendit, à V. S. temperant, quod in mesenterio humores concludantur? Contra stat experientia, nam statim à V.S. morborum levatio: Ratione empyreumatis & caloris qui post paroxysmos in imo concipitur, & cujus impressio novi paroxysmi occasio est, phlebotomia juvat. *Ballonius Epid. & Ephem. p.*

32. *Repeti debet* &c.) Vomendi exantlato negotio, illud mecum disquirere ulterius soleo, utrum evacuationibus prægressis non obstantibus, *sanguis* etiamnum adeo exæstuet ut illius effervescentiæ limites adhuc ponendi sint; ac sufflamen addendum, an vero eousque elanguerit ut indigeat incitamento, vel denique, An fermentatio ad gradum idoneum ac debitum reducta permitti sibi absque periculo ægri possit. De horum singulis nonnulla dicenda sunt.

1. Itaque si sanguis eo usque exæstuet, ut merito adhuc suspicari liceat ægrum vel phrenitidi, vel alii alicui molesto symptomati, ex nimia sanguinis ebullitione prognato obnoxium esse, postridie exhibiti Emerici Enema præscribo, idemque repeti pro re nata jubeo; quo sæpe fit ut sanguine ventilato refrigeratoque, illius effervescentia satis compescatur.

Interdum tamen usu venit ut Venæ sectionem etiam semel adhuc atque iterum repetere necesse sit, nempe in temperamentis admodum sanguineis, & ætate florentibus, ut in iis qui nimio vini usu inflammatoriam quandam diathesin sanguini suo impresserunt; verum plerumque tanto tamque insigni remedio (quale quidem est repetita V. S.) non opus est, ac proinde si prædictos casus exceperis, effervescentiam illam *Enematum* adminiculo satis reprimemus.

Quare si sanguis nimium æstuet atque effervescat, à ternis diebus clysterem injici jubeo, idque ita fieri ad x. usque morbi diem vel circiter, Verumtamen si magna vis sanguinis missa fuerit, vel æger sit ætate provecta, tunc temporis Enemata nulla impero, etiamsi sanguis multum efferbuerit: In his etenim casibus, ubi metuendum non est ne omissis clysteribus ebullitio concepta eo usque procedat, ut insignis alicujus & infesti symptomatis periculum immineat; ita certissimum est eorundem usu sanguinis robur ac vim, atque tonum relaxari, caremus quidem ut, in senibus præcipue (neque enim illis Enemata tam prospere ac juvenibus cedere solent) naturæ opus interturbetur atque impediatur.

Quod si vena secta quidem fuerit, sed non multum sanguinis emissum, tunc, uti dixi, Clysteres ad usque x. plus minus diem impero, nonnunquam etiam ad usque xii. quod in illis præsertim obtinet quibus sanguinem demere non audeo: Sunt enim qui post Intermittentes Autumnales febribus continuis, ex purgationis in præcedentis morbi fine defectu corripiuntur. His si sanguinem miseris, periculum est ne sedimentum illud, quod prægressa fermentatio deposuerat, in massam sanguineam resorbeatur, novasque turbas excitet; Venæ sectionis itaque loco, rebus sic se habentibus; clysteribus utor, & quidem ad diem usque xii. modo æger sit juvenis, atque fermentatio nimis exaltata.

Verum è contrario, sive venæ sectionem adhibueris, sive omiseris, si sanguinis effervescentia nimis elanguescat, adeoque stimulo egeat, ne naturæ juvandæ impar fuerit, tunc equidem à clysteribus etiam ante diem x. multoque magis eo prætertlapso, prorsus abstinendum arbitror. Quorsum enim jacentem jam, & nimis elanguidam fermentationem, ulterius compescere atque reprimere conaremur?

Quod si vero post tempus illud, in morbi nempe declinatione, Clysteribus utaris, profecto non minus absonum id fuerit, atque ab omni ratione alienum, quam si quis effervescenti cerevisiæ nimis amplum spiraculum aperuerit. Etenim aperto illo spiraculo præpeditur natura, quo minus ad materiæ morbificæ separationem unitis viribus incumbat; postquam igitur, vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, æger ἰξω βιῶ, positus fuerit, quantũ ad illa symptomata attinet quæ ex nimia ebullitione nascũtur, vel morbus jam declinaverit, quanto magis adstrictam illi alvum præstitero, tanto magis eam extra periculi aleam colloco, nempe febrili materia ad sui concoctionem suaviter ac blande propendente.

Quocirca si præcedentes evacuationes sanguineæ massæ quasi laxitatem quandam induxerint, vel inducere minentur; vel æger ante debitum tempus febre levatus fuerit, vel etiam febris ad ultimam suam periodum pervenerit, non solum Enemata procul haberi volo, sed & cardiacorum opem atque auxilium suggerendum arbitror, atque mox ad alvum adstringendam memet accingo. *Sidenham.*

33. *Lenientibus agendum*) Lenientia ventrem tantum subducunt, eorumque vis ultra primam regionem vix ascendit, suntque diversi generis, vel enim occulta tantum proprietate id faciunt, ut aloë, cassia, manna, vel tantum exigua quantitate, ut rhabarbarum, etsi valide satis purget, tamen ad ʒß. exhibitum redditur eucoproticum tantum medicamentum. Aut id manifesta faciunt qualitate, vel detergendo, ut mel rosatum; vel abluendo, ut serum, aquæ thermlaes; vel molliendo, ut malva; vel comprimendo, ut myrobalani, tamarindi, sebesten; Hæc medicamenta cruditates ventriculo contentas tantum subducunt, & quæ sunt in intestinis & primis viis. Ideo utilis illorum usus ante venæ sectionem, tum quia in febribus utimur attenuantibus, incidentibus, aperientibus, quæ alias crudos humores, quos in prima regione invenerint, rapient ad venas & secundam regionem, obstructionesque ingeminabunt, ideoque febris principio iis uti convenientissimum est.

Quidam, quibus omnis Purgatio ante coctionem suspecta est, solis *clysteribus* contenti sunt, & quidem si prima regio ab excrementis crudisque succis libera sit, nec enematibus nec lenientibus opus erit: Id autem cognoscetur tum ex inedia præcedente, tum alvo fluida: Quod si impuritas in crassioribus fuerit intestinis, Clysteres sufficere possunt; Si vero ventriculum & superiora occuparent, Lenientibus sumptis opus erit, eo enim clysteres non pervenient; Noscitur autem esse in ventriculo si præcessit lauta vivendi ratio, si appetitus langueat; in ventriculo gravitas sentiatur, adsit sitis, oris amaror, dolor supra umbilicum, maxime si alvus adstricta, tunc Lenientia sunt ex usu, quæ exhiberi possunt clysteribus, bolo, potionibus, & pilulis; *Avicennas* ipse laudat vomitum. *Primrosius.* Primas vias evacuantia, in quibus fere stabulatur fomes morborum, sunt vel vomitoria, vel per inferiora laxantia. Illa in omni febre locum inveniunt, in primis in principio; Sane iisdem Vomitoriis interdum radix morborum quasi una falce demetitur, id quod restitat febrile facilius dehinc curatur. Intermittentes sine eo difficulter curantur.

In continuis, acutis & lentis, ibi in principio, hic etiam in progressu sunt optima, uno non tarum est, quod malignæ exinde, sed in principio adhibito, multum leventur. Ergo qui apti sunt ad vomendum, nec in quibus aliquid obstat, item quibus hypochondria suspensa, aut rugitus in iisdem adest, aut nausea, vel ructibus tetris amaricantibus; item cephalalgia vel aliquali vertigine vexantur, in febrium principio optime; imo sæpius necessario vomitu evacuantur. Quæ vero *per inferiora laxant alvum* in febribus, sunt vel injecta *clysmata*, vel *assumpta pharmaca*.

Clysmata familiarissima in febribus locum habent, & inprimis pro levando æstu, & aliarum, præsertim capitis, per consensum utplurimum laborantis, partium symptomatis, & hoc abdominis pathematis propter mitigandis conducunt.

Bina saltem conditiones observentur, eorum usum prohibentes 1. Quando natura aliorsum vergere, & evacuationem præsertim criticam, vel huic saltem analogam, per alias vias instituere tentat, unde v. g. in paroxysmo in intermittentibus natura criticum quasi sudorem tunc moliente, præpostere injiciuntur, 2. Quando excretio cutanea in febribus malignis vel expectanda est, vel imminet, vel jam adest & facta fuit. Hinc in variolis; morbillisq́, purpura, petechiis, minus conducunt; nec nisi summa necessitate urgente ad eadem, eaque saltem lenissima, & tamen caute, fiat accessus, potius, quantum possibile, in dictis affectibus vitentur. Per os sumpta, sunt *blanda Laxantia*, præsertim salibus Digestivis sociata, & acuata, & ultra primas vias haud penetrantia, ex *tamarindis rhabarb. infuso sennato &c.* & hæc speciatim in principio locum inveniunt. *Etmuller.*

34. *Vel*

34. *Vel per Clysteres*) De usu clysterum vide §. *Repeti debet.*

34. *Clysteres*) Clysmata, cum citius operentur, maxime conveniunt, proinde & ante venæ sectionem, quam longius differre nolumus, plerumque injiciuntur, Quæ & humiditate actuali melius intestina eluunt, & non adeo uti exhibita irritant, nec calefaciunt; dein & alvum humectam diutius retinent, & ne tam facile rursum sistatur, uti fere post reliquas purgationes solet accidere, cavent; Unde & per totum morbi decursum, cum præsertim constipatio ob calorem summum adest, atque aliis naturam irritare non licet, uti in statu quoque morbi, injici possunt. *Platerus* Vide §. *Lenientibus agendum.*)

35. *Emollientes*) Paratu facilis, laxans, humectans, abstergens, refrigerans sic fiet.

℞. *Hordei, furfuris, āā. p. j. b. malvæ, violar. āā. m. ij. sempervivi mai. āā. m. iij. vel iv. fiat decoctio, & in ℔j. dissolve mellis comm. cochl. ij. butyri salsi cochl. iij. succi betæ* ℥j. misce.

Eadem præstabit sequens, sed magis abstergendo stimulabit. ℞. *iv. herb. emoll.* (sumendo *atriplicem si branca ursina desit*) *blitii spinachia, beta, caulium, lactuca, āā. m. j. rad. althææ.* ℥j. *h. parietar. mercur. āā. m. j. prunor. n. x. sem. lini* ʒß. *sem. cucurb. conquass.* ʒß. *f. decoctio in* ℔j. *dissolv. sacch. rubr. mell. violat. āā.* ℥j. (quæ duo præter vim abstergendi etiam putredini resistunt) *ol. violar.* ℥iij. *vitellos ovor. n. ij. cassia. vel diapran. simpl.* ℥j. *ignicea dissol. cum ovi vitello* ʒij. (præ cæteris stimulat) *salis parum f. Clyster.*

Cum amplius refrigerandum est, ut in Causone, sic paretur,

℞. *iv. emoll. fol. lact. portulac. semperv. endiv. āā. m. j. flor. violar. endiv. nymph. hordei āā. p. j. sem. cucurb.* ℥ß. *sem. melon.* ʒij. *prunor. d. n. x. f. Decoctio & in* ℔j. *dissolve sacch. r.* ℥j. *mellis violar.* ʒiß. *cassia* ʒß. *succi lactucæ* ℥j. *salis parum. f. Clyster.*

36. *Et si materia viscidior*) Quod si vero æger pituitosus sit, aut senex, febrisque minus sit ardens, qualem *Quotidianam continuam* esse putarunt, tunc temperata magis eligenda, & leviter calida reliquis permisceri possunt, atque abstergentia propter pituitam augeri debeot, hoc modo

℞. *Malvæ, parietar. mercur. betæ āā. m. j. hordei furfur. āā. p. j. passular. ficuum āā. par xij. sem. fænic. carvi āā* ʒß. *flor. cordial. chamom. āā. p. j. f. Decoctio, In col.* ℔j. *dissolve mell. rosac. sacch. rub. āā.* ʒij. *succi betæ vel mercur.* ℥j. *ol. chamam. & viol. āā.* ℥iß. *salis parum m. f. Clyster. Platerus.*

37. *Qui & in accessione applicari possunt*) De Clysterum usu & abusu in Febribus, audiendus *Sydenham.* Si sanguis, *inquit*, eo usque exæstuet ut merito adhuc suspicari liceat ægrum vel Phreniti di, vel alii alicui molesto symptomati, ex nimia sanguinis ebullitione prognato esse obnoxium, postridie exhibiti emetici *Enema* præscribo, idemque repeti pro re nata jubeo, quo sæpe fit ut sanguine nonnihil ventilato refrigeratoque illius effervescentia satis compescatur.

Interdum tamen usu venit ut venæ sectionem etiam semel adhuc atque iterum repetere sit necesse, nempe in temperamentis admodum sanguineis, & ætate florentibus, aut in iis qui nimio vini usu inflammatoriam quandam diathesin sanguini suo impresserunt; verum plerumque tanto, tamque insigni remedio non opus est, ac proinde si prædictos casus exceperis, effervescentiam illam Enematum adminiculo satis reprimemus. Quare si sanguis nimium æstuet, atque effervescat, alternis diebus clysterem injici jubeo, idque ita fieri ad decimum usque morbi diem vel circiter:

Verumtamen si magna vis sanguinis missa fuerit, vel æger sit ætate provecta, tunc temporis. *Enemata* nulla impero etiamsi sanguis multum effervescat: In his etenim casibus, uti metuendum non est ne omissis clysteribus ebullitio concepta eousque procedat, ut insignis alicujus & infesti symptomatis periculum immineat, ita certissimum est eorundem usu sanguinis robur ac vim, atque (ut ita dicam) tonum relaxari, eatenus quidem ut, senibus præcipue (*neque enim illis Enemata tam prospere ac juvenibus cedere solent*) naturæ opus interturbetur atque impediatur. Quod si secta vena quidem fuerit, sed non multum sanguinis emissum; tunc, uti dixi, *clysteres* ad usque x. plus minus diem impero, nonnunquam etiam ad usque xii. quod in illis præsertim obtinet quibus sanguinem demere non audeo; sunt enim qui post Intermittentes Autumnales (sive Tertianæ sint illæ sive Quartanæ) febribus continuis, expurgationis, in præcedentis morbi fine, defectu corripiuntur. His si sanguinem miseris, periculum est ne sedimentum illud, quod prægressa fermentatio deposuerit, in massam sanguineam reforbeatur, novasque turbas excitet: V.S. itaque loco, rebus sic se habentibus, *Clysteribus* utor, & quidem ad diem usque xii. modo æger sit juvenis, atque fermentatio nimis exaltata.

Verum è contrario, sive V.S. adhibueris, sive omiseris si sanguinis effervescentia nimis elanguescat, adeoque stimulo egeat, ne naturæ juvandæ impar fuerit; tunc equidem à clysteribus, etiam ante diem x. multoque magis eo præterlapso, protinus abstinendum arbitror. Quorsum enim jacentem jam, & nimis elanguidam fermentationem, ulterius compescere atque reprimere conaremur?

Quod si vero post tempus illud, in morbi nempe declinatione, *Clysteribus* utaris, profecto non minus id absonum fuerit, quam si quis effervescenti cerevisiæ nimis amplum spiraculum aperuerit: Etenim aperto illo spiraculo præpeditur natura, quominus ad morbificæ materiæ separationem unitis viribus incumbat. Postquam igitur, vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, æger ἐξω βελῶν positus fuerit, quantum ad illa symptomata attinet quæ ex nimia ebullitione nascantur; vel morbus jam declinaverit; quanto magis adstrictam illi alvum prælitero, tanto magis eum extra periculi aleam colloco; nempe febrili materia ad sui concoctionem suaviter ac blande propendente. Quocirca, si præcedentes evacuationes sanguineæ massæ quasi laxitatem quandam induxerint, vel inducere minentur, vel æger ante debitum tempus febre levatus fuerit; vel etiam febris ad ultimam suam periodum pervenerit, non solum *Enemata* procul haberi volo, sed & cardiacorum operi atque auxilium suggerendum arbitror, atque mox ad alvum adstringendam memet accingo, *Sydenham Observ. in Acut. p. m. 43. & sequ.*

38. *Lenientia per os exhibita*) Minorativa dicta, loco Clysmatis venæ sectioni vel purgationi præmittuntur, variis formis.

℞. *Cassia r. extr. pulpa tamarind. āā.* ℥ß. *cum sacch. f. Bol. i.* vel ℞. *Cathol. Diaprun. simpl. āā.* ʒiii. *cum sacch. f. Bol.*

℞. *Mannæ el.* ʒiß. *dissolvatur cum brodio cicerum f. Potio* pro delicatioribus. vel

℞. *Prunor. Damascen. n. x. passul. enucl.* ℥ß. *dactil. num. iv. flor. 3 cord. p. j. sem. cucurb.* ʒß. *sem. melon. conquass.* ʒij. *f. Decoctio, dissolve cassia, syr. ros. lax. simpl. āā.* ℥ß. *f. Haustus*

In biliosis & calidioribus

℞. *syr. ros. sol. & violar. āā.* ℥j. *cassia rec. extr.* ʒj. *Misc.*

Eadem repeti possunt per morbi progressum, si clysteribus non utimur, & alvus est constipata; Hoc fine noxam alvum apertum servare soleo, quo alvus semper lubrica manet. A cujus tamen usu, si rugitu & aliis signis fluorem alvi metuamus, abstineo. ℞. *syr. rosar. sol. simpl. & violat. āā.* ℥iii. *cum aqua cocta.* utatur instar Julepi. *Platerus.*

39. *Cassia cui si carminativa &c.*) Alias tenuiter trita Diureticam eam reddunt, vimq; catharticam impediunt.

40. *Vomitio procuranda*) Post venæ sectionem, si quidem necessaria fuerit, solicitus sedulusque inquiro nunquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliquando vomendi propensio sub febris initium interturbaverit. Id si contige-

rit, omnino medicamentum Emeticum præscribo, nisi vel ætas tenella, vel insignis aliqua debilitas ægri ab eo temperandum suaserit. Sane vomitorium propinare ubi istiusmodi prægressa est vomendi proclivitas, adeo necessarium, ut nisi humor ille expellatur, in sentinam complurium malorum difficilium sit abiturus, quæ crucem figent medico toto durante medicationis tempore, ægrumque in haud leve periculum conjicient. In horum præcipuis, & maxime solitis est *Diarrhoea*; quæ utplurimum in defervescentia febris consequitur, quotiescunque Emetica, quando ea suadebat indicatio, omissa fuere. In febris quippe progressu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil subegerit Natura, & ad intestina amandaverit, illa ab acri humore, ex hoc in stomacho fonte perpetim scaturiente, usque adeo corroduntur, ut non possit non insequi Diarrhoea.

Observavi nihilominus in febribus, quæ vere *maligna* haberi debent, omissionem Vomitorii, tametsi talis vomendi propensio præcesserit, Diarrhoeam, quemadmodum in aliis quibusvis febribus, necessario non inferre, Jam autem in eo versatur istiusmodi Diarrhoeæ periculum, quod æger satis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, & præterea (id quod majoris est in ipsius noxam momenti) in febris declinatione, quo tempore contrahere se sanguis, ac vim suam exserere debebat, ad despumationis officium peragendum, penitus præpeditur hac emissione.

Jam vero ne quid dubites humorem hunc in ventriculo nidulantem, nisi forte vomitu eliminetur, hanc tragœdiam (Diarrhoeam dico) quasi ex insidiis aliquanto post daturum, inquisitione instituta nunquam fere non comperies, si quando febrim Diarrhoea comitetur, ægrum in morbi principio in vomitum proclivem fuisse, nec tamen Emeticum fuisse propinatum. Porro etiam compertum habebis etiamsi proclivitas illa ad vomendum jampridem praeterierit, Diarrhoeam tamen, quamprimum Vomitorium exhibueris, plerumque cessaturam, dummodo Emetico ferendo pares fuerint ægri vires: Sæpius autem observavi Diarrhoea sæpius oborta, medicamenta adstringentia vel nihil omnino, vel parum admodum ad eam sistendam conferre, sive intro sumpta, sive exterius applicata. Sæpe miratus sum, dum forte materiam vomitu rejectam aliquando curiose contemplabar, eamque neque mole valde contemplabilem, nec pravis qualitatibus insignem, qui factum fuerit ut ægri tantum levaminis exinde senserint. Nempe vomitu peracto, sæva illa symptomata (nausea, v. g. anxietas, jactationes, suspiria luctuosa, linguæ nigredo &c.) quæ & ipsos excruciant, & adstantes perterrefecerant, mitigari solent ac solvi, quodque morbi reliquum est ἀδήμως tolerari.

Illud hic loci prætereundum non erit, si ægri conditio utrumque auxilium postulaverit, (venæ sectionem intelligo & vomitorium) tutum omnino esse ut venæ sectio Emetici exhibitionem præcedat. Alias enim dum vasa sanguine distenta sunt, periculum imminet ne ex violentis illis vomendi conatibus, vel vasa pulmonum rumpantur, vel cerebrum lædatur, affuso cum impetu sanguine atque effuso, adeoque æger Apoplexia correptus pereat.

Si quis autem quærat, quo tempore febris vomitorium exhiberi velim, dico in ipso plane febris initio, siquidem optio daretur, Emeticum propinarem; Ita enim fiet ut ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo, locisve vicinis delitescentium illuvie ducentibus, ægrum præmuniamus.

Imo vero & fortasse in ipsis quasi incunabulis opprimamus morbum, qui alias cum ægroti periculo grandesceet ac longævus evadet; nutritus enim dictis illis humoribus, qui vel substantia sua in penitiores corporis partes transmissi cum sanguinis massa commiscentur, vel ex ipsa mora peiores facti, atque venenata pravitate infecti ex foco suo jugiter pertranseunti sanguini malignam auram afflabunt. Hujus rei Cholera morbus exemplum nobis exhibet; fit enim aliquando ut intempestiva cura vomitum in illo morbo cohibere satagente, (sive illud Laudano fiat, sive adstringentibus medicamentis) eo cohibito non minus periculosam malorum catervam invehant; Humores enim acres corruptique, quorum exclusionem tantisper permittere oportuerat, ut satis evacuarentur, hoc pacto repulsi vires suas ac sævitiem in sanguine exercent, febremq; accendunt, quæ ut mali moris, & gravibus symptomatis stipata esse solet, ita nisi propinato emetico tolli vix poterit, etiam ægro jam nequidem vomituriente.

Quod si nobis (ut sæpe fit) sero accersitis, non licuerit Emeticum propinando ægrorum saluti sub febris initium consulere, certe tamen convenire existumaverim ut quovis morbi tempore illud fiat, modo vires eousque morbus non attriverit ut Emetici vim ferre jam amplius nequeant: Equidem ego die febris xii. vomitum imperare non dubitavi, etiam cum æger vomiturire desiisset, neq; sine fructu. Eo namque Diarrhoeam sustuli, quæ sanguinem in peragenda despumatione impedivit; quin & serius idem facere minime dubitarem, nisi virium attritarum ratio prohiberet.

Vesperi celebrata jam Vomitione, semper illud ago ut tumultum ab Emetico in humoribus excitatũ consopiam & quietem conciliem, ideoq; sub noctem vel hora somni Paregoricum quendam haustum exhiberi jubeo, E.g.

℞. Aqu. papav. rhoead. ℥ii. *aqu. mirab. & syr. de mecon. ãã.* ʒvi. *syr. papav. errat.* ℥ß. *misce.*

At si vel ob copiosam sanguinis jacturam, quam curationis decursu passus sit æger; vel ex vomendi frequentia dejectionibusq; in Emetici hujus usu factis, vel ex præsenti ejusdem ἀνορεξία, vel ex debilitate ejus, vel ex febris jam declinantis vetustate, nullũ jam supersit in posterum concitandæ nimię ebullitionis periculum, tum metu procul habito, vice haustus præscripti, *Diascordy* satis largam dozin, vel impermixti, vel aquæ alicui cardiacæ sociati, exhibere jubeo; Præclarum sane medicamentum, modo ea quantitate exhibueris quæ remedii potius quam tituli mensuram impleat. *Sydenham obs. in Ac. p. m. 36.* Vide §. *Lenientibus agendum*) Ex *Etmullero.*

4°. *Vomitio procuranda*) In febribus periodicis initio paroxysmorum, præsertim si facile vomitu materiam rejici posse conjectura assequare, utile est valde vomitorio excretionem tentare per os. Febres Continuæ, præsertim quæ exacerbationes nocturnas habent, aut levem aliquando perfrigerationem, aut rigorem habent exacerbationis præambulonem, Et cum id non sit periodicum, nec sequatur motum materiæ à partibus internis ad exteriores per sensibilia corpora, quemadmodum aut frigus aut rigor periodicus, Non confert in ejusmodi febribus vomitum ciere, Et ita Veterum decreta sancivere, *Ballonius Epid. l. 2.*

4°. *Vomitio procuranda*) Vomitu quoque utimur in febribus, idque felicissime, non quidem semper, sed quoties natura vacuationem hanc affectare videtur, id quod maxime contingere solet in principiis paroxysmorum intermittentium; Tum etiam interdum in continuis si æger nauseat, os habeat amarulentum, cęteraq; humoris in stomacho stabulantis signa adsint; Ideo Medicus naturam imitari debet, eamq; adjuvare levioribus præsidiis. Nihil enim ęque cito intermittentium febrium saburram & fomitem evacuat & emendat quam vomitus:

Emetica leviora, quæ tantum aut copiosa quantitate, aut oleaginosa qualitate ventriculum subvertendo, aut acri irritando vomitum concitant, ut *aqua tepida. oleum, jusculo pinguia, flores anethi atriplex,* &c. ventriculum tantum vacuant, nec longius sese illorum vis in ventriculum traducit, ideo etsi aliquantulum prosunt vẽtriculum exonerando, non tamen adeo magna est illorum utilitas, nec morborum causas adimant; at vehementior, aut azarum,

antimonium,

antimonium, nicotiana, vitriolum album, non ventriculum tantum, sed jecur & viscera exonerant, unde sæpe eos humores educunt quos nulla unquam catharsis per alvum forsan evacuasset, sicque febres intermittentes si quid aliud citissime solvunt. *Primirosius.*

41. *Medicamentis mediocribus &c.*) Emeticum quale passim à me propinatur, hujusmodi fere est, ℞. *Infus. croci metallor.* ℥vi. *oxymel. scyll. & syr. scabios. compos.* āā. ℥ß. *M. f. Emeticum.* Quod haurire jubeo tempore pomeridiano, duabus horis post leve prandium; Verum quo tutius ac felicius vomitio subsequutura succedat, illud etiam in mandatis habeo, ut zythogalæ ℔vi. vel viii. sint in promptu, quippe quod periculosa sint ista medicamenta nisi copiose diluantur; Ideoque quoties vomuerit æger, aut alvum exoneraverit, è vestigio sumendus erit haustus, quo facto, & inania illa tormina præcaventur, & vomendi conatus auspicato procedunt. *Sydenham.*

42. *Foliorum Asari*) Quidam Antimonii usum reformidant, at quisquis Asaro utitur is Antimonio uti potest, cum & gratius sit remedium & minore cum periculo, faciliusque multo ventriculum subvertat, & à penitioribus partibus attrahat, præsertim si sumatur infusio, vis enim illius tunc altius subit, nec tantam ventriculo molestiam facessit; & in quibusdam, imo sæpissime alvum moveat: Vacuat autem præcipue humores biliosos, rarissime pituitosos, rarius melancholicos, nisi sint in ventriculo, tunc enim eos, sicut & omne emeticum, promiscue evacuat; Antimonio validius est Vitriolum album, utroque validior Nicotiana, quæ impense ac supra modum corpus exagitat. Multos tamen novi qui ea infusa, tum in substantia, satis commode purgantur: In universum omnis vomitus naturæ gravis est, ob motum ventriculi naturali contrarium, nam qui ex sola aqua tepida vomunt, quæ alias innoxia est, ii gravius multo afficiuntur quam si purgarentur per inferiora, ut apparet quoque in ipsis spontaneis vomitibus, qui molestiores sunt & violentiores ferme qualibet artificiali vacuatione facta per alvum; est enim os stomachi pars nobilis quæ noxiorum humorum occursum nonnisi graviter ferre potest, unde sæpe ex maximo cum corde consensu syncope succedit; Plethoricis, asthmaticis, rabidis, debilibus nocet. *Primirosius.*

43. *Purgatio per inferiora requirit*) *Rectè Hippocr.* præscripsit caute & cum præmeditatione utendum esse Purgantibus, nam cavendum jubet *Avicennas* ne catharsi maturius accersamus paroxysmum; Id quod fieri potest quinque modis, 1. si medicamentum sit violentum & inflammans, ut scammonium in febribus ardentibus: Eadē ratione Pilulæ non adeo prosunt in febribus, nimis enim calefaciunt; ideo in potu potius quam solida forma propinanda sunt cathartica: 2. si medicamentum in majori detur quantitate quam sit necesse, sic enim humores nimium agitando eos inflammat. 3. Si minor sit quantitas quam oporteat, humores enim tantum movet, non educit. 4. Si non purgentur qualia oportet purgari, ut si in febre biliosa pituita evacuaretur. 5. Si purgatio ante coctionem detur, quod quomodo verum esse possit inferius videbitur. *Primirosius.*

45. *Purgatio per inferiora*) Notandum etiam soluta per crisin febre, materiæ morbificæ reliquias *Purgatione* esse auferendas, præcipue si per sudorem aut hæmorrhagiam facta fuerit crisis: Hisce enim evacuationibus tenuior tantum materiæ portio educitur, crassior vero relicta novum concipit incendium & recidivam efficit: Sola itaque crisis, quæ fit per alvi fluxum solet esse secura, cui tamen non est ita fidendum ut ab omni purgatione prorsus abstineamus. Sordent enim adhuc præcordia, & affluens alimentum adhuc corrumpunt, unde aut recidiva oritur, aut alterius morbi causa; Itaque multo satius est (quod à recentioribus nonnullis fuit observatum) semel atque iterum blando cathartico ita reliquias omnes abstergere, ut omnis recidivæ metus, omnisque morbi alterius occasio tollatur. *Riverius.*

a. *Purgatio requirit primo &c.*) Non promiscue prosunt Purgantia, vel exhibenda sunt, Empiricorū more, i.e. qui promiscue exhibent purgantia citra cognitionem vel attentionem humoris peccantis ejusdemque qualitatis: Vulgi, id est plebeiorum, qui quando appetitus deest, quando febri laborant, continuo purgans petunt, quo sæpe si non moventur aliud superingerunt: Ut itaque purgentur *quæ oportet purgari*, Medici id præstant præparantibus dictis. *Vedelius de M. F. pag. 128.*

b. *Coctionem humoru &c.*) Plurimi Coctionem confundunt cum Præparatione, Coctionem enim definiunt humorum præparationem ad expulsionem, quos refellit *Argenterius*, quia confundunt duos aphor. 9. 2. *Corpora cum quis purgare voluerit fluida faciat oportet*, Et aph. 22. 1. *concocta medicari non cruda*, cum in illo de præparatione, in hoc de concoctione tanquam de rebus diversis agat. At ille non observavit coctionem, de qua hic agimus, esse præparationem ad evacuationem, humores enim crudi inepti sunt ad purgationem, ideo eos vetat purgare; sed non omnem præparationem esse coctionem, nam convenit præparatio etiam corpori, non tantum humoribus, ut præparatio latius pateat coctione. *Primirosius lib. de Febr. pag. 152.*

c. *Humoris putridi qui crudus dicitur*) Quidam putant id tantum concoqui quod nutrire potest, ideo nec flavam bilem, nec atram, nec serosos humores esse concoquēdos, cum eam perfectionem non possint assequi, sed falso nituntur fundamento, finem scil. coctionis esse nutritionē, nam natura, quę per calorem coquit, conatur sibi similem reddere materiam, quod ubi perfecit, quiescit, quādo scil. vicit qualitates repugnantes, easque sibi similes fecit, tunc sequitur nutritio si substantia est alibilis; aut solum victoria adest qualitatum, si substantia est inutilis: Nam natura in omnem materiam quæ dissimilis est agit, ita ut quilibet humor coctioni subjiciatur, modo crudus sit & naturæ adversus, talis autem est omnis humor putridus. *Idem.*

d. *Cum sanguine in venis*) Præparantia respiciunt Cacochymiam, sive humores, vel in vasis adhuc contentos, & massæ sanguineæ confusos, vel extravasatos. Utroque nomine faciunt officium, Uti enim certum est in evacuatione per alvum accidi per purgantia quoque partes excrementitias, serosas imprimis & biliosas, hinc & reliquas, Ita alterando totum sanguinis, aperiendoque, ζεγματῶς, omnia perspirabilia & fluxilia præstant; Imo frequentius ipsamet debentur humoribus cum massa sanguinea adhuc confusis, quando enim jam extravasati sunt, v.g. bilis restans in primis viis, pituita collecta in intestinis, ut aptiora jam sunt, ita & citra præparantia educi queant. *Wedelius, ibid.*

a. *Purgatio requirit coctionem*) Evacuantia enim & Alterantia se modificant, Non fieri potest alteratio si copia vitiosorum humorum obstet, qui sui evacuationem, natura præeunte, urgent, Nec evacuatio præstari potest commode si humorum qualitates impedimento sint naturæ; hinc videtur ipsa experientia suggessisse Præparantia, ut v. g. ponamus scabiosum, vel melancholicum frustra sumere purgans, si ipsi per aliquot dies demus digestiva, è tinctura martis pomata, & aliis aperitivis, res melius succedet, & hæc ipsa sanguinem purificantia non operantur nisi humoribus purgans. *Idem.*

44 *Ex Hippocratis præcepto*, Quæritur An in Principio purgandum, cum coctio tantum sit in statu, cui succedit declinatio, in qua tantum convenire videtur purgatio, etsi enim morbus solutus videatur, reliquiæ tamen permanent quæ solent facere recidivas: Cocta autem purganda, quia materia sequax est nec resistit purganti, deinde naturæ motus sequendus, quæ primum coquit, separat, deinde purgat: Ex his quidem negamus esse unquam purgandum in principio: Quidam Purgationem distinguunt in Eradicativam & Minorativam, hanc di-

cunt initio convenire posse: illam autem tantum perfecta coctione.

Alii Minorativam definiunt quæ partem materiæ morbificæ subtrahit, Eradicativam quæ universum humorem: At si ita est, raro ea purgatione utimur, etsi enim interdum quando humor paucus est unico dato cathartico totus potest vacuari, tamen id raro contingit, cum sæpius cogamur catharsin iterare, Nec satis tutum sit talem purgationem aggredi, quæ præterquam quod non semper succedit, corpus præterea conjicit & præcipitat.

Sed quid dicent de Epicrasi quæ paulatim tantum humores concoquit & expurgat? Demum purgatio instituitur in morbis ad eorum curationem, unde purgare tantum in declinatione, curato scil. morbo, aut inutile est, aut saltem id non fit ad curationem, sed tantum ad præcavendam recidivam, quæ à priori morbo distincta est: Præterea per blanda & minorantia pharmaca, sed sæpius repetita, universum humorem morbificum sæpe expurgamus, ut apozematis nostris in quatuor pluresve dozes institutis, & violentis pharmacis, aut semel tantum, aut minore dozi exhibitis, partem tantum educimus, unde confundi possunt istæ duæ Vacationes, si *numerando*, ut loquuntur, eradicamus totumque humorem vacuamus.

Aliter igitur istas Purgandi rationes explicandas censeo, ut Eradicativa sit illa quæ humorem morbificum totum educere & expurgare apta est, sive id unica dozi sive pluribus exhibita præstat, ut Rheum universam bilem quæ Tertianam committit expurgare aptum est si sæpius debitaque quantitate exhibeatur: *Minorativa* vero illa sit quæ non ipsum humorem morbificum, sed quoslibet humores in primis viis latitantes educit, ita ut hujusmodi medicamentum sua natura nunquam morbum ipsum curet, cum natura sua nullam morbi partem demat: Dixi *natura sua*, quia etsi *minorativum* (quod idem cum leniente esse puto) promiscue quoslibet humores, non hunc illumve seorsum vacuet, fieri tamen potest ut humoris morbifici portio quædã iisdem in viis lateat, quæ una cum reliquis à cathartico expurgatur, & sic tum apozemata nostra in plures doses præscripta, tum *Galeni* epicrasin, ad purgationem eradicativam reducemus; in id enim sunt instituta ut humores morbificos seorsum sandius educamus, sicque morbum ipsiusque à corpore radices evellamus: Id confirmatur ex purgatione materiæ turgentis, quam omnes fatentur in principio eradicari ve purgandam, id autem raro, imo ferme nunquam fit semel tantum exhibito cathartico sed sæpius repetito: unde licet concludere, etsi primo exhibito purgante universus humor vacuatus nõ fierit, eradicativam tamẽ purgationem fuisse institutam, His sic explicatis ad Quæstionem veniendum, sitque prima Conclusio.

Leniens medicamentum, sive minorans, utiliter initio morbi administratur, cum quia primam regionem expurgat, cujus impuritas morbum fovere potest, cũ quia alias nec venæ sectione, nec aperientibus tuto uti licet.

2. Conclusio, Medicus interdum regulariter operatur, interdum coacte, Regulariter nõ debet in principio purgare, quia humores crudi etsi possunt esse tenues, & parati ad expulsionem, tamen non sunt à reliquis separati, viæque non solent esse apertæ. Coacte autem potest purgare initio, 1. cum materia turget. 2. cum humor pestilens est & venenatus, nam quod putridum est, ait *Galen. 4. de tu. valet.* statim è corpore pellendum ne reliqua inquinet.

3. Conclusio, Non licet ante coctionem perfectam & completam purgationes repetitas, quales fiunt per apozemata, instituere, cum enim Natura coctionem intendat, istis purgantibus interturbatur; nec præterea purgatio succedit, sed ea incommoda succedunt quæ *Galenus* aph. 22. 1. recenset, & de hujusmodi purgatione intelligendus *Hippocr.* quando dicit, Concocta medicari non cruda.

4. Conclusio, Non est semper expectanda perfecta concoctio ad purgationem sed qualiscunq; sufficit, ideo licet in principio & augmento, quando coctio incipit apparere, catharsin instituere, Id docent *Fernelius* & plurimi recentiores, ut enim humor per partes coquitur, ita & per partes vacuatur; Id maxime apparet in febribus chronicis, ubi alternis purgare solent Medici, & Præparantibus uti, sicque sensisse visus est *Galenus* cum per epicrasin purgare jubet: Idque tutius nunc facere possumus cum suppetant benigna medicamenta quibus veteres carebant, neq; febres accendunt, neque humores nimium exagitant, neque naturam debilitant. *Primirosius.*

45. *Πέπονα μὴ ὠμὰ φαρμακεύειν*) Ex laudabilis in urina separationis, tum ex manifesta omnium symptomatum remissione, percipio tempestivum tunc esse Potionem purgantem exhibere, quæ sedimentum è prægressa fermentatione hic illic depositum subducat, quod nisi tempestive factum fuerit, periculum est ne in massam sanguinis remigret, ejusdemque febris recidivam conciliet; vel etiam sua, in partibus naturalibus, ad quas amandatum fuit, mora in mineram, tenacium deinceps in corpore malorum feracem abeat; Nimirum separatione jam facta, humores crassi ac impuri ex arteriis sanguini in venis refluo immissi, regressum ejus facile impediunt, ex quo [illegible]na obstructionum, ac tandem fermentorum gener[illegible] nascuntur. Ubi tamen animadvertandum, non adeo plane necessarium esse post febres Vernales, atque post Autumnales, purgationem celebrare. Idque propterea quod sedimentum à vernalibus depositum, tum copia, tum qualitate terrea malignaque ab Autumnali superetur, Quod ipsum etiam in variolis obtinet, multisque morbis aliis verno tempore prassantibus, in quibus Purgantium omissio non tam grave periculum (quod ego quidem observaverim) quam in casibus memoratis prius inferre solet.

Et sane non multum is à veritatis scopo aberraverit, qui affirmare ab hoc capite (purgandi scil. post morbos autumnales omissione) plurium morborum colluviem quam ab ullo alio, quo demum cumque causarum fonte dependere. Si valde debilis sit æger, vel alioquin perfecta adeo depuratio facta non fuerit; ut audacter possim purgans exhibere die xv. rem differo ad xvii., quo tempore sequentem, vel similem, pro ratione ægri virium, Potionem propino

℞. *Tamarind.* ℥ß. *fol. senn.* ʒij. *rhabarb.* ʒiß. *coqu. in s. q. aqua, Colat.* ℥iii. *dissolve manna & syr. ros. āā.* ℥j. *misc. fiat* Potio mane sumenda. *Sydenham obs in Ac p. 55. & 56.*

46. *Nihil autem aliud hac coctio*) Quid cruditas, quid coctio, Vide Tit. 1. §. *Urina in principio cruda.*)

47. *Naturæ arte adjuta*) Aliorum remediorum successu frustratus, alios consilium vertere sæpe coactus fui, cum successu non vulgari; nempe adolescentulum vivum vegetumq; calorem ægris applicando. Nec est quod quis multum miretur hac methodo, licet inusitata, ægrum tantopere corroborari, naturamq; debilitatam juvari, ut semet à materiæ secernendæ eliminandæq; reliquiis exoneret, cum proclive sit intelligere insignem effluviorum vegetiorum copiam à sano & athletico corpore in corpus ægri exhaustum transfundi. Neque unquam comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id præstare valuisse, quod modo præscripta methodus præstitit, ubi calor applicatus tum magis est humano corpori coagener, tum simul blandus, humidus, æqualis perennisque. Atque hæc ratio spiritus & halitus, forsitan balsamicos, in ægri corpus immittendi, ex eo quo ipse illam adhibui tempore, licet aliena primum videretur, ab aliis cũ successu felici fuit adhibita. *Sydenham obs. in Ac. p. 59.*

48. *In materia tenui*) Dubium est an Tenues humores sint præparandi, id est incrassandi, humores enim vacuari non possunt nisi sint concocti, sed coctio incrassat, ex *Aristotele 4. met.* Coctio, inquit *Avicenna*, est adæquatio quædam & reductio ad mediocritatem, Si igitur tenues sunt concoquendi, reducendi erunt ad mediocritatem, igitur incrassandi.

Sed contra Tenuitas humorum requiritur ad exclusionem

nem, sponte enim tenues humores exeunt: Dic ad purgationem idoneam tria requiri, 1. Medicamentum efficax 2. Vias apertas, alias aut nulla aut molesta evadit purgatio 3. Humorem dispositum, talis est si nullam faciat medicamento resistentiam, ut si viscidus non sit, crassus, aut sanguini aliisve humoribus permistus, à quibus motus ejus impediatur. Itaque humores tenues natura sua facillime expurgantur, sed vel sanguini, vel aliis humoribus immisti sunt, vel viæ possunt esse clausæ vel obstructæ, itaque sunt aperiendæ. deinde humores vacuandi à reliquis sunt separandi.

Coctio duplex est, una in qua humores reducantur ad benignum, ut nutriant, Altera in qua redduntur apti ad expulsionem; Si de prima loquamur, humores tenues concoquere oportet ut redeant ad mediocritatem, ideo incrassandi Si de secunda, crassi humores potius sunt attenuandi, quia resistunt motori, non autem tenues, quia facile mobiles, ut docet *Galenus* l. c.

Sed si tenues humores fuerint sanguini permisti, prius præparari debent, cognoscitur id primum misso sanguine, si multi ichores fuerint separati; secundo quando sunt secreti, fiunt pruritus, ulcuscula, scabies, Tertio, si urina sit rubra & crassa, signum est humores tenues esse sanguini permistos: Si vero sit copiosa, tenuis & clara, signum est esse secretos & separatos. *Primirosius.*

49. *Non est tamen quod coctionem attendas &c.*) Præparatio semper necessaria est ante catharsin præterquam duobus in casibus 1. Si materia turget 2. Si tenuis est, qualis est biliosa & serosa, quæ facillime cedit cuilibet trahenti remedio: Alias si sine præparatione humores purgentur multa contingunt symptomata, ventris tormina, vertigines, fastidia, anxietates &c. contingitque ex importuna illa vacuatione plus boni interdum quam mali evacuari, humorque noxius non ita potest facile deinceps coctionem subire, imo sæpissime malignior redditur & ferocior. *Primirosius.*

50. *Si humores duntaxat in primis viis resident.*) Tempus præparandi in morbis est quando prima regio fuerit à suis excrementis liberata, alias periculũ est ne Præparantium usu in venas impuritas illa rapiatur, ideo tum lenientibus pharmacis, tum clysteribus, tum sanguinis missione opus est ante usum præparantium; hæcque ratio etiam est cur etiam vacuo stomacho sumi debeant, quo facilius penetrent, nec cibum incoctum deducant in venas. *Primirosius.*

51. *Et vel extra corpus eiici.*) Hic quid agendum Medico cum vitiose agit natura, h. e. cum cruda adhuc materia excretiones symptomaticas in principio, aut incremento, instituit eadem irritata, sive turgeat plus minus materia peccans, ut alias dicitur, sive non? Coacta sane agit natura, unde & debilitant ægrum tales excretiones, & absque εὐφορίᾳ fiunt, quas tamen ubi presseris arte, periculum est, ne impetu contentorum intra corpus coërcito, fiat irruptio in partem aliquam nobilem, adeoque exitialem vitæ calamitatem inferas, v.g. pone febrem continuam insignem, sed benigniorem (utut malignarum revera eadem sit ratio, in quibus tamen magis ad malignitatem, præsertim si spiritus potissimum occupet, respiciatur) cui, crudis adhuc existentibus urinis, die tertia, quarta & quinta, supervenit diarrhœa aut hæmorrhagia narium crebrius repenta; Excretio hęc revera est symptomatica, debilitatur æger, franguntur vires, periculum est ægrum vix superaturũ morbum, aut ad statum cum ista excretione perduraturum; Quod si supprimas, hæc ipsa, ex diarrhœa impedita febris intensior, sitis, cephalalgia, deliria, &c. metuenda erunt; Si hæmorrhagiam narium sistas, eadem, ac præsertim deliria, & convulsiones.

Quid igitur agendum in talibus casibus? Varie decertant hic practici, an promovendus, an sistendus sit talis naturæ motus? Omnium optime videtur mihi negotium decidisse *Rod. Castrensis l.Q. ex Qu. l.3. c. 10.*

Decisionis nucleum paucis comprehendam, inquit, *Omnis vacuatio symptomatis ratione facta, in tempore peccat, Si enim debito fieret tempore*, h. e. *in die decretorio, non amplius symptomatica, sed critica diceretur; Nihilominus vel peccat in solo tempore, vel simul cum temporis vitio habet vitium qualitatis aut quantitatis, aut utrumque: Si qualitate aut quantitate simul sit vitiosa, omnino damnanda est; Si quantitate tantum, quantitas vel excedit, & tunc est inhibenda, vel deficit, & tunc an sit supplenda certant artis Proceres, & adhuc sub judice lis est: Si qualitate peccaverit, decreto* Hippocr. *sect.1. aph. 2. damnabitur, Nam cum non purgantur talia qualia purgari oportet (quod idem est ac si diceret, quæ peccant in qualitate) nec conferre, nec leviter tolerari.*

Profecto si non conferunt, non sunt proficua: si non tolerantur, non fiunt cum virium tolerantia: Si tandem solius temporis peccatum sit, non autem omnino qualitatis, neque valde magnum quantitatis, tunc posse aliquando judicare tam certum est quam quod certissimum: De deficiente ergo ac quanto excretione symptomatica sub judice lis est, Hippocr. *consilio sect. 1. aph. 59. Cum morbi inchoant si quid movendum videtur move, Ubi* Galenus *melius esse ait in principiis evacuare, quo minorem jam factam materiam facilius possit natura concoquere: Si igitur evacuatio in principio confert ad futuram coctionem, sane ista evacuatio ante coctionem fit: Si autem fieri potest cum utilitate ab arte, à qua majorem agitationem patitur corpus, multo melius fiet à natura, à cujus operibus minor contingit agitatio.* Hactenus *Castrensis.*

Hinc & excretiones symptomaticas interdum morbum solvere observatum refertur in *Act. Hafn vol* 4. pag. 104. Interea Medicus sive sistendas sive promovendas observavit hujusmodi evacuationes, semper *acre peccans temperantibus & invertentibus enervare* sedulus insistat; Siquidem tam materiæ morbificæ turgescentia, quam excretiones symptomaticæ, semper sequuntur motum materiæ occasionalis, sive fermenti ejus vehiculi acrimoniam, tam benignam quam malignam: Sive enim ex aucta effervescentia, sive ex irritatione partium sensilium, & hinc nato motu contentorum vitiato, sive ex utroque oriri dicas turgescentiam & excretionem symptomaticam, sane ubique peccans erit acrimonia nimia: Pertinet ad hujusmodi naturæ dubios motus *Icterus*, de quo *Hippocr. 4. aph 62. Quibus per febres morbus regius supervenerit ante diem septimum, malum.*

Minus universale hoc esse non solum *Sennertus* annotat. *Inst.l.3.p.2.c.7.* sed etiam ex *Horstii l. 1. obs.23.* patet, ubi Icterus salutaris quarta die in continua obvenit, Et *Bartholinus centur. 3. histor.* 4. Icterum Salutarem in quartana ante septimum supervenientem notat: Ergo præter signa coctionis plus minus jam prægressa, optime hoc negotium decidit à *Castro supra cit. libr. 3. capite* 20. Nempe etiam die 4. Icteritiam cum rigore esse bonum signum, quia quasi critica sit; Item Icteritiam sine rigore ante septimum accedentem, utut symptomaticam, si sequatur evacuatio aliqua per alvum v. g. aut urinam, ægrum liberare, vide plura loco cit. *Ettmuller.*

52. *Adiumentum Naturæ.*) Proprie loquendo solus calor concoquit, quæ autem coctionem juvant varia sunt, nam vel caloris substantiam augent, vel generant, ut vinum, ex quo plurimus spirituosus sanguis gignitur; vel exhaustum illius prohibent, vel ipsius qualitates excedentes temperant; vel imbecillitatem excitant, ut exercitium; Unde quæritur, An syrupi juvent humorum coctionem? quidam negant, quia coctio fit à calore temperato & nativo; pauci autem aut nulli tales sunt syrupi, cum omnes vel calefaciant, vel refrigerent, extenuent,

detergeant; *At Galen. 1. ad Glauc.* ad concoquẽdos humores pituitosos piper præscribit, & alibi origanum, serpillum; thymum: 8. meth. laudat aquæ potum ad coctionem bilis: Cum enim non sit una natura eorum quæ coquuntur, propterea varie erit concoquendum, cum alia fortem, aliæ debilem calorem requirant; aut si organum sit labefactatum ut coquere non possit, contrariis illi erit succurrendum, ideo vinum in pituitosis febribus, aqua in ardentibus coctionem promovet. Syrupi igitur proprie non concoquunt, sed tantum coctioni opitulantur. *Primirosius.*

52. *Adjumentum Naturæ*) Opus hoc (vide Titul. 1. §. *Curatio*) est vel *solius naturæ*, vel *solius artis*, vel *utriusq; simul*: *Solius naturæ* opus est hæc cura, dum coctione materiæ morbificæ, & hinc facta crisi, expedit; unde in veterum methodo medendi Medici agebant spectatores naturæ, observando coctionis signa & tempora, & hinc expectando crisin, quibus rite se habentibus, morbus rite iudicabatur, & salvabatur æger, *Solius artis* opus est quando remediis specificis antifebrilibus fermentum febrile enervatur & corrigitur, & quod superest sua sponte, & absque morboso conatu, curante natura; Talia sunt v. g. specifica febrilia intermittentium, ut febrifugum *Riverij*, aut specificum febrile *Kergeri*, aut in Quartana specificum febrile, sive *China China* nempe. ℞. *China China* ℥ß. *salis armon.* ℈j.) aut *Helmontij diaphor. Paracelsi* quartanivis febrium rhizotomos.

Artis & Naturæ opera simul curantur, in methodo hactenus communiter recepta, qua naturæ, fermentationis sanguinis febrilis medio, laudabiliter agenti & coquenti, auxiliatrices opes ferimus, impedimenta illius, sordes & somites primarum viarum removendo: Hinc ut temperantibus aut absorbentibus, aut diaphoreticis, vulgo præcipitantibus dictis, appropriatis aliis fermenti febrilis vim & vitiosorum humorum orgasmum refrænando, mitigando & plus minus enervando, & hinc nata gravia symptomata, motum & impetum naturæ plus minus frangentia, mitigando.

In quem finem in genere venę sectionis, purgantium, opiatorum & diætæ usus observandus venit: Auxiliatrices opes ferimus naturæ recte agenti, h. e. quæ fermentationis medio coctionem rite molitur, pro futura excretione. Quid agendum Medico cum vitiose agit natura, h. e. cum cruda adhuc materia excretiones symptomaticas molitur, vide supra §. *Et vel extra corpus ejici.*) *Etmuller.*

53. *Quæ præparatio prima*) Præparatio humorum ante purgationem interdum statim in morbi principio, excrementis, seu fæcibus prius expulsis, & in morbi progressu quoque, si febris perseveret, instituitur: Quæ ex iis quæ humores calidos ferocientes frigiditate compescunt; tenues incrassant, illorumque putredinem reprimunt: atque adhærentes & impactos abstergunt, parantur: ea addendo quæ simul vias obstructas expediunt, ut sic humores rectius per illas, per sudores, urinas & alvum quoque; educi queant, quæ si simul alterando calorem febris reprimant, & partibus principibus cordi & hepati, quæ duo viscera maxime incaluerunt, appropriata sint, tanto magis juvabunt. *Platerus.*

54. *Per medicamenta aperientia & abstergentia*) Præparantia vel aperiunt, vel attenuant, vel incidunt, vel detergent, suntque plerumque calida & tenuium partium, sed in febribus minus calidis utendum est, *Oxymelite*, *melle rosato*, *syr. de betonica, de cichor. de oxalide*. Simplicia sunt adiantum, hyssopus, pentaphyllum, scolopendrium, cuscuta, radix graminis, cichor. petroselini, apij. *Primerosius.*

54. *Per medicamenta aperientia &c.*) ℞. *succi nasturt. aqu. expressi aceti ãã. q. s. salis parum* Dentur ante *paroxysmum cochl.* ij. *vel* iij. In omnibus Febrium generibus valde prodest, *Joh. Kortuhaverus comm. in Tract. Paracelsi de Peste.*

Nitrum vitriolatum (*spir. vitrioli coagulatus*) in febribus prodest. *Adr. à Mynsicht Armam. p.* 28. ubi præparatio.

Gentiana aqua, præsertim quæ vase duplici balnei vapore elicitur, febres, ut ego sæpius expertus sum ab infarctu tum viscerum tum vasorum excitatas mirifice pellit. *Matthiolus.*

55. *Vel statim in principio*) Quin dum jam febris remittit universaliter, aut etiam alio tempore, die intermissionis commode *essentia absinthij comp. mm. spir. cochlear. Elix. propr. sine acido, Elixir febrile Mynsichtio similiaque alterantia* quæ acidum infringunt, & biliosiorem, acriorem & subtiliorem reddunt, propinantur bis in die ad 30. vel 40. guttas. *Etmuller. p.* 292.

56. *Vel simul ut omnibus scopis satisfiat*) Modus agendi Præparantium, ut & Alterantium in genere, fit per eaquę contrarias humorum qualitates, caloris nativi actioni resistentes, mutant & in ordinem redigunt; contrariorum enim contraria sunt remedia; Obstacula enim illa quæ ineptum ad fluendum reddunt humorem, sunt removenda, & qualitates excessivę omnes sunt domandæ.

Præparantia autem alia universalia sunt, alia particularia, Vniversalia hoc loco vocamus non stricto & rigoroso sensu; quod omnibus omnino humoribus æque conveniant; sed quæ sunt polychresta, & quæ ceu communia & frequentius occurrentia sæpius in usum vocari possunt.

Talia vero sunt aperitiva, antiscorbutica, anticachectica, hepatica & splenetica; Frequentiores enim causæ quæ remorantur purgantium vim, ne operentur ex voto, sunt obstructio vasorum, humorum siccitas, vel *plerumque* scorbuticum: adeoque nec tartarus vitriolatus, nec cremor & tartari crystalli, vel ipsa *mistura simplex*, alio nomine quam hoc universalia digestiva dici merentur vel debent, nisi quod insigni gaudeant reserandi facultate, & pluribus indicationibus satisfaciant, Particularia vero sunt alterantia & aperientia, vel incrassantia tenuiter, ex singulorum remediorum quoad partes digestorum fontibus deprompta.

Hæc ipsa vero vias vel simul disponunt, vel iis expurgatis melius operantur, Hinc communi praxi usitatissimum est præmittere tota die purgantibus vel lenientia, vel præparantia, ut viis & humoribus aptitudo & parasceve quasi quædam addatur. *Wedelius de M. Fac. pag.* 128.

57. *Sudatione excitata per medicamenta sudorifera*) Eadem diaphoretica, hidrotica, χενωτ fundentia dicuntur, Non differunt vero eadem nisi gradu operationis, ut *diaphoretica* strictiori sensu audiant quæ per insensibilem transpirationem, uvidam, vaporosam, halituosam, *Sudorifera* vero per sensibilem humidam magis pellunt; Illæ udorem, hæc sudorem respiciunt &c. In singulis adest seri halituositas, & halituosi diffusio sive excretio: *Diaphoretica* vero illa sunt remedia, quæ id ipsum præstant, quæ humores serosos, aqueos, sudoris materiam in halitus convertunt, & concitatis sudoribus per spiracula cutis dilatata evacuant: Finis Sudorificorum & Diaphoreticorum generalis est halituositatem seri procurandi, ut sanguinis hinc motus, calor & consistentia sui fiat juris, id quod patet ex omnibus phænomenis sudoris cum ἀφοδ's & naturæ motu instituendi.

Hęc ut magis pateant, ulterius supponi potest 1. debere inter sanguinem & serum perpetuam esse proportionem, quæ nisi observetur, vel eadem interturbetur, exprompta adest morborum variorum turba.

2. Onerosum reddi frequentius archeo humidum quam calidum, quatenus vel id ipsum obruit, intra vasa tamen, vel impedit nec obedit æquali & decenti motu, sed seducit potius in devia.

3. Continuo expirare è glandulis subcutaneis earumq; poris infinitis, humidum, quod nisi fiat, per insensibilem transpirationem licet, mox omne genus morborum

consur-

consurgit, & in primis *febres*, tumores, aliaque circuli impediti producta symptomata.

4. Perpetuam ergo esse in corpore halituositatem, vim elasticam, expansivam, calidi & humidi æternam actionem & passionem; motu duplici visendam, particulari respective per os & nares, quæ respiratio audit; & universali per poros cutaneos universos: calidum enim est perpetuo difflativum humidi; igneum aquei, sanguis seri, unde calor vorax dicitur.

5. Stagnante humido, & calidum varios pati manes, sive efferetur gradu addito, spiritibus irrequietis maxime debilitatis, ut in *febribus*, sive *mors* meditetur, unde dolores varij & tumores, universaliter à circulo sanguinis impedito oriundi, & humidum, seorsim miris modis in opere suo impediri: Est enim ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum alimenti, sanguinis, spirituum, γλισχρόν, unde vel solidæ, vel spirituosæ, vel humidæ ipsæ patiuntur inæqualitatem.

6. Humidum hinc stagnans, spissescens, coagulatum, fermento peregrino inquinatum, esse dissipandum, fundendum, resolvendum & corrigendum.

7. Excitato ut decet calore, halituositatem concitari simul, hac vero denegata, illum consistere posse nequaquam.

8. Calorem lucidum, & mobile volatile serum, legari ab Acido, ne in halitum citari possit, imo nec moveri ut par est, illo obtuso, hoc fixato, unde extra ordinem facilis fit versio, grumescentia.

9. Motum sanguinis intestinum, cui spiritus vitalis præest, deberi mobili duplici, sali volatili & humido.

His præmissis explicari magis potest sudodoriferorum materia, *Sero*, veluti fundamento innixa, Sudorifera enim, sive Diaphoretica (magis & minus quippe nec hic variant speciem) rarefaciunt sanguinem, in motum cient, & consequenter dissipant, ac per poros cutis difflant roscidum humorem, Hinc regula generalis, *Quæcunque halituositatem humidam promovent in corpore, & fixitatem acidam vel pituitosam fundunt*, illa sunt sudorifera.

In specie vero Rarefacientia principaliter & proprie sunt salina, adæquate Sulphurea & acida, communia, velificantia singulis aquea, Hinc 1. *Quæcunque sale pollent alkalino, nitroso, ammoniacali vel Mercuriali, implicito vel explicito, illa sunt sudorifera*; à volatilitate, vel fixitate, vel medio statu salis, volatilia, fixa, & media, æstimanda: Optima sudorifera & præcipua sunt *Salina*, Sic implicite id præstant magis simplicia, ut *Carduus benedictus*, cujus pulvis tum per se sudorem facit, tum utiliter in pulveres febrifugos recipitur, & decocta quoque, Item *rad China Salsa par. contra yerva, diptamni, scorzon. gentian* & aliæ bezoardicæ, amaræ, vel alio charactere salino insignitæ, ut cortex *chin. de chin.* &c. Explicite id præstant Salia vegetabilia *absinth. card. ben. centaur. min. scord. junip. &c.*

Sic potentissime sudorem movent salia alkalia volatilia, & hisce fœti unice spiritus; *V. g. spiritus c. c. eboris, serpent. viperar. salis ammon.* sic *nitr. antimoniatum, arcanum duplicat.* nitr vitriolat sunt sudorifera. Sic *flores salis ammon. simpl. & martiales* huc faciunt, in quartanis præcipue experti; Sic *Mercurius dulcis* commode additur febrifugis, ut fundendo serum adjuvet halituositatem, sive dissipationem & explosionem, ut & *Mercurius fixus diaphoret. Parac. Helmontio* quasi Panacea est. Sicuti autem in singulis hisce est vis fundendi & fluxile reddendi serum quod omnibus iis commune vel in motum cient. Item.

2. *Quæcunque ots affinia alkalina acidum in sanguine absorbent, circa ullum quendam effectum alium. præcipitando fusionem, & exhalationem inducunt, & sunt sudoriferæ*; Talia sunt terrea calciformia plurima, v. g. *testacea* omnia, *conchæ nostrates & marinæ*, in *febribus* ob vim salinam illis præferenda sæpe, *Mater perl. ocul. cancr. lap. bezoart. Orient. Occid. c. c. ustum philos. terra Lemn. bolus Arm. unicornu fossile verum, antimon. diaphor. bezoard. min.* simpl. *martiale joviale, solare, magist. c. c. spinar. viperar. elect. diascord.* quod tamen & ad alteram sequ. classem referri potest, Item *pulv. bezoard. Sennerti, Montagn. Pannonic.* ruber &c. Hæc licet fixiora & torpidiora, omnino tamen habent locum, præcipue ubi in motum citat sanguinem *fermentum febrile* peregrinum, bilis spumescens aliaque. Cumque & calor roboratus exhalationem promoveat & cieat, sulphurea quoque variis modis exhalabilia reddantur, hinc.

3. *Quæcunque habent sulphuri remixtum principium alkalinum (fixum vel volatile) Mercuriale vel acidum, adeoque fert fusioni vel exhalationi aptatum*, illa sunt *sudorifera*, *Sulphureo alkalina* sunt, tum ex dictis non pauca, ut *card. bened. rad. contrayerv. diptamn. gent.* tum huc inprimis faciunt *lign. sassafr. Sanct.* eorundemque *cortices*, ita quidem ut generalem quasi classem constituant ad *catarrhos, luem veneream* & alia seri viscidioris vitia; Sic & *Opium* sudoriferorum est apex, quod *Platerus* unice Theriacæ fœnerari vim sudorificam asserit ob sulphur resolubile sali volatili maritatum, & ex eo præparata, pulvis, magisterium, essentiæ, tincturæ anodynæ: Sic *rob. sambuci & ebuli*, ex compos. *theriaca Androm. diatessar cœlestis, Mitridat. Orviet.* laudatissima sunt sudorifera, & orragoga; inprimis etiam ipsum *sulphur* ejusque *flores*, in scabie & peste maxime commendabiles, *simpl & comp. myrrhat & sulphur. aurat diaphor. antimonij*, In singulis his est principium alkalinum sulphuri remixtum, vel quasi tale; Referri huc quoque possunt semina quædam, ut *card. bened. aquileg. citri, napi* in quibus sulphur resolubile particulis terreis benignis immersum est, unde ad aqueas nominatim Emulsiones spectant.

Sulphureo alkalinum mercuriale vero præcipue sibi vindicant *Cinnabarina*, *Cinnabaris* omnis est sudorifera, etiam vulgaris factitia, præcipue vero nativa granulata, statim sua, vel glebosa & saxea, præparata lotione & sublimatione, & *antimonij*, unde polychresta consurgunt remedia, imo panaceæ quasi: Notabile hoc est, quæcunque sulphurea sal prædominans, vel æquabile & proportionatum exhalationi non possident, non esse æque sibi relicta sudorifera; sic *spiritus vini*, & his affinia, *aqua vitæ*, asthmaticæ, apoplecticæ, & simil. minus est sudorificus per se, aliorum vero connubio activitatem & suam & rel quorum exerit insigniter: Sic piper omne, licet calidum & rarefaciens, minus tamen in se est aptum sudoriferum, vel ea ratione quoque quod exsiccet nimis, & magis sulphur intendit expanditque quam fluxile reddat serum; vel saltim non tuta sunt adeo talia hæc, facile nocere possunt, quatenus accendunt nimis sanguinem: Hinc plebejum quidem, ast ex dictis minus probandum est *Tertianariorum* remedium, quando *piper* cum spiritu vini assumunt, & corpus hinc ad sudandum cogunt, unde sæpe ex intermittente sive continua, exceptis robustioribus, & ubi mucus biliosus viscidus horum vim obtundit, vincente natura: De sulphureo acido mox dicemus ubi de *aqueis* prius dixerimus.

4. *Quæcunque salinas vel sulphureas particulas secum possident aquea, sunt sudorifica*, vel saltim reliquorum vim diduntt & promovent, quatenus ipsa horum vehicula citius vel magis sunt talia: Faciunt huc *aqua card. ben. sambuci, hidrotica Zvvingeri, beZoard. prophylact. Sylvij, cordial. saxon.* frig. &c. Item *decoct. lignor. card. bened.* & aliorum, Potiones, emulsiones, successive etiam sudorem prolicientia paulatim repetita pocillatione.

5. *Acida cum sulphureis spirituosis & terreis data sunt Sudorifica*, Adeoque licet non per se, cum aliis tamen dictis maritata sudorem creant, quatenus spirituosis juncta, incisione humorum viscidorum, ineptitudinem exhalationis tollunt & sic sudationem facilitant: Vt Alkalia volatilia primo loco, & sulphurea

tertio dicta difflant & in halitus resolvunt vaporosos avidos, dispositam materiam ; Vt alkalina terrea fixos acidos, austeros, & fluxilitatem impedientes humores absorbent & præcipitant, Ita Acida in coagulum abiens serum incidunt, attenuant & resolvunt una, ut halituositas & rarefactio tum restituatur tum promoveatur.

Sic facit huc *acetum simplex, rutac. bezoar. card. ben. theriacale, Ut spiritus tartari, mannæ, ligni S.* Sic *acetum* cum *lapid. cancror. pulv. contra casum, sanguine hirci* laudatissimum est sudoriferum: Adde acidum sanguinem & serum pro diverso statu & coagulare & resolvere: Sudorifera sunt Acida, non coagulando, sed resolvendo & incidendo ; Cum sulphureis junctum acidum id facit primario, cum terreis quasi secundario, quatenus acor infringitur, & in sal medium vertitur, unde fluxilius fit serum.

Et sane laudatissima & præcipua Sudorifera sunt media hæc, è combinatione sulphurei & salini acidi vel volatilis enata, ut *mistura simpl. Tinctura bezoart. liquor diaphoret. è spiritu eboris & tartari una* factus prævia filtratione &c. Hæc quippe cum pluribus indicationibus debeantur, etiam magis sunt polychresta ; Quin videmus id ipsum quoq; in *Pulveribus febrifugis* ubi *conchæ, antimon. diaphor. arcanum duplicatum, ol. cariophyll.* sunt specifica sudorifera ; Sin sola dentur, vix tantum proficiunt quantum inter se mixta; ex quo & miscendi necessitas ac usus simul probari potest.

Vsum vero laudatissimum habent Sudorifera & Diaphoretica, ita ut manca, imo nulla esset Medicina si his carere oporteat ; Summatim ut id complectamur, prosunt 1. in *Febribus*, excepta, juxta nonnullos, hectica, quæ tamen fere magis comes & productum est febrium quam febris principalis, neque ipsa tamen temperata excludit, quale est *antihecticum Poteri : Febrium*, inquam, sunt panacea, in *Intermittentibus* principaliter fixiora, nitrosa, alkaliaque & his affinia, In *Continuis* principaliter volatilia, hinc & reliqua, inprimis quæ resolutionem intentatam sive malignitatem simul respiciunt, quæ dicuntur Bezoardica, quæque expellunt miasma peregrinum, ut in *Variolis*, adeoque fermentum peregrinum domant, vel ad discussionem promovent.

Prosunt 2. in Inflammationibus, doloribus & tumoribus, tanquam effectibus circulationis impeditæ, seu extravasitione, vel revera in vulneribus, contusionibus, vel quasi tali in pleuritide, erysipelate, arthritide, hemicrania, tumoribus tonsillarum, affectu ischiadico & affinibus omnibus, seu morbis à colluvie serosa oriundis, tussi, catarrhis etiam suffocativis.

3. In grumescentia & coagulatione sanguinis æquali & inæquali: Inæqualis visenda est in palpitatione cordis & syncope ipsa ; æqualis in elephantiasi, scorbuto, scabie, lue Venerea, Observatum hinc est *Decoctum lignorum*, sive Diætam ... dictum, in rebellibus alioquin morbis proficuum fuisse: *Wedelius A. M. M. pag.* 343. &c.

57. *Sudatione*) Sudoriferorum usum ipsa nobis natura monstrat, cum enim in febrium fine, natura sua sponte copiosos sudores movere soleat, ita ut absque sudore nulla febris perfecte iudicata dici possit ; ob id declinantibus febribus *sudorifera* sunt optima, sicut in toto illarum decursu *diaphoretica* sunt utilissima; quæ cum liberam & copiosam transpirationem promoveant, æqualia non solum sunt effectu sudorificis, sed propter operandi modum illis etiam præferenda, dum sine insigni virium jactura successive, & citra vel contentorum graviorem agitationem, vel continentium partium molestam irritationem operantur; ac heterogeneas fermentativas particulas, in massa sanguinea hærentes, discutiunt & excludunt: Nempe minus periculose illi decumbunt quibus in febribus cutis humida aut madida percipitur, quam quibus arida aut sicca est.

Certe vulgus indoctum, non raro imminentes, aut jam increscentes febres, etiam continuas, repetito sudoriferorum, eoque promiscuo usu, non raro curat; Eligenda autem temperata, non acria, nec aromatica, aut resinosa, sed vel fixa absorbentia, communiter *præcipitantia* dicta, vel volatilia merca, non oleosa aut calida: In malignis semper alexipharmacea, eaque sudorifera, usurpanda, sequendo nempe naturæ ductum, quæ fere quarta quintave die erumpere facit petechias sive pustulas. *Etmuller.*

57. *Sudatione*) Per sudorem evacuari solet humor qui tenuis est, serosus & biliosus, & in habitu corporis exiguisque venis continetur, qui autem in prima secundave corporis regione stabulatur, nonnisi violenter eo impellente Natura per illam regionem evacuatur : Sic quotidianis febribus non admodum familiaris est sudor, in tertianis autem exquisitis uberrimus esse solet, ob humoris tenuitatem. *Primirosius.*

58. *Excitata per medicamenta sudorifica*) Sudores si natura eo potius vergat, uti fere circa declinationem fit, movendi, & si natura in illis propellendis deficere videatur, vel etiam antequam erumpant, si eo inclinet adjuvanda : Ad eos autem movendos diuretica, aperiendo & attenuando quoque conducunt ; uti & potus alij, Iulepi, aliaque, quia sudori materiam præbent, id præstanti *Aquæ solæ*, cum valde tenues sint, *stillatitiæ*, affatim exhibitæ in usu frequenti sunt; quibus *spiritus vitrioli*, guttas aliquot, ut & *spiritus nitri* vel *salis*, qui potenter putredini resistunt, permiscent.

59. *Laudantur sal absinthij* &c.) Sudorem moventia omnia sunt acria & tenuium partium, quæ non peculiari facultate, sed summa humores extenuandi vi sudores concitant : Sed non solum acria, verum quædam modice calida sudores cient, ut aqua hordei, decoctum chamæmeli, syrupus S. Ambrosij ; præterea quædam proprietate quadam sudorifica sunt, ut Guaiacum ; radix Chinæ, quæ minore acrimonia prædita est quam alia multa, quæ tamen in efficacia sudores eliciunt : Sed his in febribus non solemus uti nisi rarissime & in pituitosis. *Idem.*

Inunctio etiam *spinæ dorsi*, & *extrimitatum*, sudores evocat, E.g.

℞. *Oleor. chamæ mel. aneth. āā. ℥ß. ol. violar. amygd. dulc. āā. ℥j m. Inungantur manibus prius aqua vitæ madefactis.*

60. *Corpus ad sudores disponere*) Cum non solum requiratur materiæ, sed etiam viæ aptitudo, extrinsecus utemur rarefacientibus, ut frictionibus, fomentis, unctionibus ex oleo chamæmel. & aliis ejusmodi, tum etiam Balneis, quæ quanquam vix nisi in hecticis in usum veniant, laudantur tamen plurimum à veteribus tum Græcis tum Arabibus, non tantum calidum sed etiam frigidum, quod præscribit *Avicennas* si temperies sit calida sicca, si febris valida fuerit, si vacuationes universales præcesserint, si morbus sit in declinatione, sic enim contemperatur calor ; resolvuntur humorum reliquiæ tenuiores, sicque febris solvitur superfluaque siccitas prohibetur, maxime ex temperato balneo : Sed frigidum pericula secum habet ne calor naturalis extinguatur, partes nervosæ convellantur, humores recrudescant, ideo non convenit febribus pituitosis aut melancholicis Ante coctionem quoque in febribus acutis non convenit, sed post coctionem si temperies sit calida, habitus carnosus, aut saltem non macilentus, ætas juvenilis, nullaque adsit internorum viscerum imbecillitas, competere potest ex XI. *meth.*

Tepidum autem Balneum poros aperit, humectat, humorum reliquias resolvit, sed calidum nimis inflammat, humoresque colliquat, partiumque debilitatem cæterosque affectus fovet & auget ideo non convenit febribus quæ pendent ab humore viscido, crasso & tenaci ; quique non in habitu corporis in intimis visceribus delitescit, sed competit febribus quæ

fiunt

fiunt ab humore tenui,pauco,in habitu corporis stabulante, modo nulla adsit viscerum imbecillitas, ne humores balneo concitati facilius eo confluant; *Fuchsius* in paradoxis dolet ejus usum,veteribus familiarem,exolevisse, *Idem.*

Frictio huc referri potest, quæ materiam ad externora alliciendo, ut per sudores exhauriatur, vel discutiatur, efficit. *Platerus.*

57. *Licet tamen in principio &c.*) Quod de rigoribus inanibus, & qui frustra fiunt, aliquando translationem ad caput afferre symptomaticam, idem de *Sudoribus* est audiendum; nam cum vel arte vel vi elicitur sud.or,corpore adhuc pleno, quoniam exprimitur vi quadam,si fit invitus,aut si frustra elicitur, translatio fieri potest ad caput, Id quod verum esse experientia comprobavit. *Ballonius Epid.l.1.pag.59.*

Diuretica.

Non tantum per alvum & vomitum, sed per urinas & sudores corpus in febribus evacuamus: *Vacuationem per urinas, quam prætermittit author, hic subjungimus.*

Vacuamus per *Urinas* naturæ imitatione, quæ sæpissime per perirrhoeam criticam humores expurgat: commode autem hac via expurgantur non tantum humores tenues & serosi, sed etiam crassi,pituitosi & melancholici, quoties remediis extenuantur, & aquoso humore diluuntur, unde Quartanis & Quotidianis febribus hæc quoque evacuatio convenit: Obstare autem possunt,tum magna humoris quantitas, tum locus; humor enim copiosus & crassus non facile potest per angustos renum meatus expurgari; unde *Galenus* satius esse ducit humorem copiosum trahere ad alvum quam ad renes & vesicam, eoque magis si partes illæ vel ulcere, vel calculo vel alio affectu laborarint: Præterea commode hac via vacuari non possunt humores qui vel sunt in primis viis, vel in habitu corporis, sed ij tantum qui in venis & arteriis continentur, nec semper illac ducendi sunt, nisi natura per eas partes sese exonerare cupiat: Cum porro varia sint Diuretica, alia plurimum extenuantia & calefacientia,quæ serosam humorum partem à reliqua separarunt, quæ crassos humores incidunt & fundunt; quædam aquositate multa abundant, unde diluunt reliquos humores & ad vias urinæ præcipitant, & hæc ut plurimum sunt frigida; quædam evacuant proprietate occulta,ut adiantum, halicacabum &c. quæ nec calore, cum eorum quædam sicca esse possint & terreniæ substantiæ,nec acrimonia,cum ea careat halicacabum,sed inexplicabili quadā proprietate urinas ducunt,sic rheum & cassia humores per urinas trahunt,Cum, inquam,varia sint diuretica,non est promiscue quibusvis utendum;nam si febris sit vehemens, humorque copiosus, benignioribus utendum, minusque calefacientibus, ne vehementioribus agitatus humor, & ad angustos meatus deductus obstructiones plurimas pariat; ideo est necesse catharticis prius corpus vacuare: leviora quoque sufficiunt si Natura jam eo inclinat:quod si febris sit remissior,humor crassior,corpusque prius aliquo modo repurgatum, validioribus un commodius poterimus; sic *Galenus* 1. ad Glauc. valentioribus utitur in Quotidiana; Iis autem uti non debemus nisi in morbi declinatione,humore scil. concocto,& à bonis separato; nam si in purgatione per alvum concoctio expectatur, multo magis in ea quæ fit per urinam. *Primerosius.*

Urinæ & Sudores (cum per hæc natura plerumque causam morbificam jam concoctam & præparatam expellere soleat) promoveri;naturæque in iis provocandis suppetiæ ferri debent, remediis vias aperientibus,&c.uti vocant, deobstruentibus, quæ & utrumque præstare possint, quatenus attenuant,etiam sudores promovent.

Hic autem potissimum motum naturæ, an ad *Urinas* vel *Sudores* vergat observare, & quo vergit eo ducere convenit: Quod ex *Urinis*,si illæ crassescant, multam hypostasin habeant, eamque copiose,& plus fere quam bibant,mingunt;eo naturam tendere,& si contrarium evenit, & per sudores eruptionem aliquam tentarit, ad sudores potius inclinare cognoscemus: *Diuretica autem aperientia & attenuantia,* hic non calefacere,vel saltem minus quam alia debent,aut saltem si illis utamur,refrigerantibus additis, ne noceant, contemperari; Quod variis formis in potu exhibitis,quibus *purgantia* interdum permiscemus, si alvus constipata, perficitur.

Quæ vero non purgant, sed solum ad urinas promovendas usurpantur, per morbi progressum una, duabus, vel tribus vicibus exhibentur, quibus absolutis rursum quoque interdum purgantibus in progressu morbi evacuamus: Vel si natura per urinam & sudores evacuare incipit,omissis purgantibus,ne ab officio eam revocemus, potius eam refocillabimus.

Decoctum asparagorum in jure exhibitum admodum urinas provocat:sicun & *granatorum succus* exhibitus. Vel.

℞. *syr.de byzant.de endivia ā̄ā̄ ℥j.aqu.endiv.absinth.polytr.ā̄ā̄.℥j misce.* Vel si majore apertione opus.

℞. *Mell.rosat.Oxymel simpl.syr. capill ven.ā̄ā̄.℥vij.aqu; vel decoct gramin aspar.cichor.ā̄ā̄.℥j misce.*

Pilulæ ad hæc præstanda accommodæ, hoc modo ex Urina, moventibus,aperientibus & attenuantibus parantur, E. g. ℞. *trochisc de rosis, de eupat.ā̄ā̄. ℈ß. de cappar.* (in melancholicis) ℈j *f Pulvis, & cum aqua api Pilula, capiat alternis diebus,superbibendo parum decocti hordei & fæniculi.*

Aquam adianti, cum *decocto hordei & rad.fænic.Fontanonus per se exhibet.* Platerus.

Corroborantia.

Corroborantia conveniunt, medicamenta; nam viscera debilitatem contrahunt,tum à febre tum à medicamentis, unde laxitas partium consequitur, aut intemperies tum calida tum frigida, sed potissimum calida: Laxitas postulat adstringentia & roborantia, Intemperies calida emendatur *saccharo rosato, conserva nymphææ cichorij, diarrhodon,* tum balneis, epithematis, unguentis: In frigida convenit, *diatrion piper.*aromat.rosat.cæteraque calefacientia interna & externa: Obstructiones quoque viscerum contumaces in febribus diuturnis solent contingere, quæ aperientibus sunt curandæ,ut *troch de absinthio de eupatorio*, de *rhabarbaro*, sed maxime & potentissime tincturam chalybis varie præparata. *Primerosius.*

Diæta.

61. *Diæta in qua occurrunt*) Victus febrium consistit in quantitate, qualitate & utendi modo,Qualitatem victus declarat *Hippocr. aphor.*16.1. *Victus omnibus febricitantibus confert, maxime vero pueris, & aliis qui tali victu uti consueverunt,* Nam cum febris sit affectus calidus & siccus, ex lege contrariorum refrigerantia postulat & humectantia, in illis siquidem calor solet esse noxius,non semper siccitas fatigat, unde per victum humidum intelligere possumus, vel humectantem, vel liquidum & sorbilem: Humectans maxime febribus convenit, tum quia siccitatem emendat, quam febrilis calor accelerat,tum quia calorem præternaturalem temperat, est enim siccitas lima caloris, humiditas autem eundem retundit; tum quia facillime in ventriculo concoquitur, tum quia facilius permeat.

Boni succi facilis coctionis) Calor enim innatus ab extraneo labefactatus imbecillius concoquit, qui non fatigandus cibis solidioribus, ne si crudiores remanserint corrumpantur febremque deinceps augeant, unde cavendum à carnibus assis aut elixis, quæ etsi humidæ forsan potentia esse possint, earum tamen substantia durior est quam ut à febricitantium imbecillo calore concoqui possit; Unde Iuscula carnium c.minibus ipsis præferri debent, Et his Ptisana, veteribus & recentioribus cibus familiaris, in febribus præsertim acutis & biliosis, nam refrigerat & humectat, idque magis

aut minus pro varia præparatione hordei, decoctione aut aquæ quantitate: Nam fit ex hordeo decorticato, vel integro,& hæc magis deterget, illa magis humectat, sitim&asperitatem sedat,inflammationem extinguit,pulmonem lenit;& hæc maxime competit febribus biliosis & sanguineis,in quibus refrigerandum&humectandũ,sicut prior magis competit pituitosis & melancholicis, in quibus abstersio necessaria est & apertio, maxime si apium & fœniculum addantur: Quod si ventris lenitio desideratur,addi possunt manna & saccharum violatum; ad pectus liquiritia, sebesten, hyssopus &c. Et si magis nutrire intentio sit. coquatur hordeum dum crepet, & quodammodo in pultem redigatur.

Potest & ex Iusculo carnium parari, sive integra sive colata paretur, addito pauco sale & saccharo; indito autem aceto prohibemus in calidis febribus sacchari in bilem conversionem,aut loco aceti, succum aurantiorum, citri & limonum; modo succi aliquantulum cum reliquis ebulliant, ut acerbitatem deponant, nam, ut monet *Septalius*, nimius usus acidorum, nisi coctione aut saccharo temperentur, ob acerbitatem obstructiones parit inemendabiles.

Boni succi & facilis coctionis cibis annumeratur *Panatella*, qua in febribus utimur diversimode, Quidam panem lavant aqua ut vis fermenti ab eo eluatur: Alii panem prius assant, dein bis vel ter aqua abluunt, sed sic ferculum evadit calidius & siccius quam ut febricitantibus conveniat, nisi alvi profluvio, aut diuturniori febre teneantur: Ablutum panem quidem incoquunt,vel lacti amygdalino; emulsioni seminum frigid. cum saccharo vel succo granator. ptisana vel jusculo, vel lacti, prout aut nutriendi aut alterandi est animus: Quidam etiam panem lotum ex aqua simplici cum ovo integro prius agitato & saccharo coquunt, additis refrigerantibus herbis, interdumque butyro, fitque ferculum nutriens satis & refrigerans, addito præsertim succo limonum & aurantiorum, & ejusmodi Panatellæ præparatio competit febribus acutis; in aliis autem præparari potest ex pane non loto & jusculo aliquantum validiore.

Jura Carnium) Cum dixerimus sorbitionibus alendos ægros, & potulentis secundum Hippocr. placita, sequitur Carnes non esse febrientibus idoneas, maxime quæ inter illas sunt crassioris succi coctionisque difficilioris, ut bubula, vervecina, &c. sunt enim cibus sanorum non ægrorum, etsi in chronicis febribus, iisque intermittentibus minori forsan cum noxa forte concedi possint, etsi semper juscula, consummata, carnium ipsarum substantiæ præferri debeant; In acutis autem nocent, quibus tenuior victus competit, eoque tenuior quo virtus validior est, alias in ejusmodi febribus vel mors, vel morbi longitudo, vel symptomatum sævities sequitur.

Nec recurrendum ad consuetudinem, quod antiquorum victum par cum ægri nostri sustinere nequeant, id enim falsum esse ostendit experientia, cum plurimi in carceribus per annos plures pane & aqua victitantes incolumes vixerint: Sub declinationem tamen morbi ad carnes eupeptas, quales sunt avium montanarum, sensim deduci possunt laborantes,in principio autem usque ad statum minime, nisi virium imbecillitas pleniorem victum suadeat; Sicut in iisdem acutis in principio ipsa *Juscula* consummata non adeo prosunt, etsi enim facillime concoquantur, tamen in bilem facessunt, nisi alterantibus herbis succisque refrigerantibus, ut limonum, arantiorum cæterisque ejusmodi temperentur,Ita ut melius fuerit tum hordeatis tum jusculis dilutioribus uti.

Quod si solidior cibus concedi debet *Pisces* carnibus præferri debent, nam quod ex Piscibus succrescit alimentum tenue est, humidum, facileque resolubile, Eos enim probat *Galenus* 1. ad *Glauc.* c.10.quia facile concoquuntur si sint saxatiles, carnibusque præfert: tum marinos tum saxatiles,ut sunt trutta, lucius,aliique eupeptoi,friabiles,quique facile non putrescunt, febrique ipsi qualitate sua frigida resistunt.

Arabum interpretes ita distinguunt, Pisces ratione temperamenti frigidi & humidi maxime competunt; præcipue febribus cholericis, sed quia facile corrumpuntur minus convenire censent; Sane carnes in sanis semper præferri debent: nam quod ex piscibus succrescit alimentum tenue est, humidum facileque resolubile, Est enim omnis Piscis frigidus humidus, pituitamque plurimam generat; at in ægris alia ratio est, etsi enim solido cibo semper præferri sorbitiones debeant, in iis tamen febribus quibus cibi concedi possunt, pisces, quia refrigerant & humectant, carnibus præferendi; Nec verum est eos facillime corrumpi, optimi enim pisces, quales febricitantibus concedit *Galenus*, satis laudabilem succum præbent, nec adeo corruptioni obnoxium.

Vitandos tamen eos esse puto I. in continuis acutis febribus, sicut & carnes omnes, ne corrumpantur, & stomacho coquenti negotium facessant: II. in pituitosis, ne causam febrilem augeant, Sed intermittentibus, ut tertianis; quartanis, intermissionis tempore concedi possunt, nam eos *Galenus* præscripsit,& carnes etiam eupeptas avicularum, Idque summa cum ratione, nam in febre non solum spectamus naturam morbi calidam siccam, sed etiam consumptionem humidi primigenii, à febrili calore factam, cui utrique succurrere debemus, non tantum refrigerantibus remediis, sed etiam alimentis, & carnibus; quarum pars maxima in probum sanguinem facessit: unde sicut juscula refrigerantibus herbis alterata in inclinatione paroxysmi conveniunt, ita in ipsa quiete carnes pullorum similesque eupeptas dando nihil peccabimus, maxime si intervallum sit longum,ut concoqui cibus possit ante novi paroxysmi adventum, quale solet esse in exquisita tertiana; corpora enim calida sicca, raræ texturæ, quæque humores habent tenues, quia facile resolvuntur, crassiorem cibum postulant; unde si utraque die tenui victu alantur, facile in marasmum præcipites ruunt. *Primirosius.*

Ova sorbilia) Fuit olim, hodieque durat altercatio maxima inter Medicos, an *Ova* febribus conveniant? Præstat autem ovum alimentum corpori temperatissimum, & optimum, est eupepton, euchymon, peneque nihil excrementi relinquit, vixque ullus cibus est qui melius alat, neque oneret si sit recens, vetusto enim nihil deterius, Coctum autem, sive sorbile, debet sumi, aut tremulum,non coctione induratum, fit enim dyspepton: non frictum,quod nidorulentum, pravumque & excrementitium succum suppeditat.: Tremulum autem,quod in aqua exempto putamine eatenus coquitur ut non durescat, aut sorbile, quod simul cum putamine coquitur, sed minimum, optime convenire potest, nam vires roborat, facillime concoquitur, plurimum nutrit. humoralibus ideo febribus,cocta materia, & minorante aliquantulum evacuata,utiliter præscribitur; Sed ratione ipsius febris & symptomatum Ova non competunt, quia non sunt medicamentosa, nec enim alterant, nec vacuant, sed potius ipsa facillime alterantur, in stomacho corrumpuntur & inflammantur, sunt enim unctuosa & oleosa; præterea plus nutriunt quam quibusdam febribus utile est, ut synochis & acutis ante statum, in quibus tenuiori victu est utendum & oligotropho, nisi virtutis imbecillitas nos urgeat, & à legitima curandi ratione nos avocet: sed in aliis febribus, ut pituitosis & melancholicis; omni tempore utiliter dantur, & in acutis, ut diximus, concocta & evacuata materia, alias minime. *Primirosius.*

Nullus in ipso paroxysmo) Vtendi modum quod spectat, Tempus maxime spectandum, In Intermittentibus quidem in paroxysmis cibum dare prohibet *Hippocr.* 1. aph.

aph. 11. & 19. ne scilicet à febrili calore citius corrumpatur, febremque deinceps augeat; Et hoc maxime verum est in febribus illis quarum intervallum tam longum est ut sufficere possit ad coquendos cibos ante novi paroxysmi adventum; curandum enim est ut paroxysmus accidat ventre vacuo, ex Avicenna; Sed in febribus illis, quarum accessio tam longa est ut ferme statum in declinatione novus instet paroxysmus, dubium maximum est an in statu exhibere cibos conveniat, an in declinatione, ita ut cibo nondum concocto novus succedat paroxysmus; an vero in ipso paroxysmo sit alendum.

Quidam deterius esse putant cibum efferre initio paroxysmi quam in statu, invadente enim febre, suffocatur calor nativus, pulsus imminuitur, cor magis læditur, hinc virtus labefactata cibum commode non concoquit, cruditates augentur, putredo increscit, vapores plurimi ex alimento incenso suscitantur, sic fit periculosior paroxysmus, & mors interdum contingit ex suffocato calore; quod enim initio commissum est erratum aliis temporibus etiam communicatur, unde vetat *Hippocrates* ptisanam dare cum pedes frigidi sunt; sed in statu tantum non est periculum, ob calorem vehementer accensum, solum prorogatur accessio: Alii his omnino adversantur; quia virtus in statu plus laborat in universo corpore quam in principio, & *Galenus* videtur huic sententiæ assentiri 11. meth. ad finem, ubi, nisi adsit inflammatio ventriculi, aut hepatis, in principio dare cibum non vetat: Attamen prior sententia ob rationes dictas, verior videtur, falsum enim est virtutem plus laborare in statu, quam in principio paroxysmi, pejus enim est virtutem opprimi quam à calore paululum alterari: *Galenus* autem l. c. in casu proposito id non negat, tantum ait posse cibum in principio paroxysmi exhiberi, quod nos non negamus, est enim quando invadente paroxysmo cibus est offerendus; sunt enim corpora quædam biliosa, sensus exquisitissimi, quæ cum plurimis laboribus copiosoque victu uti soleant, nisi cibus detur in paroxysmi initio, incidunt in syncopen, convulsiones & marasmum, & ideo iis cibus dandus: Non omnes tamen cholerici his periculis sunt obnoxii, sed ii tantum qui valde calidi sunt & sicci, rariores texturæ, & qui exercitiis plurimis utuntur ex *Avicenna*: in his enim invadente febre mittitur humor biliosus ad stomachum qui pungit & vellicat, unde cadunt in syncopen, is autem cibi suavitate mitescit & temperatur; Attamen in casu supra proposito, nisi etiam casus qui modo dicti sunt adfuerint, satius est in fine status cibum præbere, qualis febricitantibus convenit, scil. qui sit eupeptos & oligotrophos; sic enim citissime concoquetur ante adventum novi rigoris, pauciores enim horæ ad sorbiles cibos concoquendos sufficiunt; Pariter in iis febribus, quarum paroxysmi ita sunt connexi ut declinationem unius statim excipiat invasio alterius, idem observandum, ut in statu cibum demus eumque quam levissimum; *Primerosius*.

a. *Plenior paulo in illis &c.*) Formam victus quod attinet, nota est divisio victus in tenuem, crassum & mediocrem, Tenuis vel simpliciter talis est, qui fit per ptisanæ cremorem, vel Tenuior, in quo melicratum exhibebatur, vel Tenuissimus, qui est omnimoda inedia, aut saltem sola aqua hordei continetur; Crassus victus pariter triplex est, vel simpliciter talis, qui fit per Ptisanam integram, vel crassior, in quo Pisces, Ova, Aves montanæ exhibentur; vel Plenissimus, in quo cibi valentes conceduntur, & sanis, non ægris competit: Sed in nostris regionibus victus ille antiquorum tenuissimus, qui omnimoda constabat inedia, est periculosus, unde *Galenus* sæpissime Medicos reprobat qui Diatriton imperabant, Est enim in omnibus morbis virtus servanda, quæ non magis quam à tenui victu labefactatur: Victus autem ille tenuissimus non aliquot horis mensurandus, multi enim etiam forsan per diem integrum sine cibo vivere possunt, idque utilissimum illis est ad humorum concoctionem, sed inedia intelligenda quæ est plurium dierum, qualis erat diatritos veterum; nam in morbis acutissimis, quorum terminatio & exitus quarta die speratur, cum virtutis robore, omnimodam inediam præscribebant, à qua tamen nos debemus abstinere, alias in acutis morbis, accedente statu, victus ratio attenuanda, & forsitan pauto ante crisin omnino cibo abstinere utilissimum est; Febres, ut diximus, vel sunt Acutæ, vel Acutissimæ, vel Longiores: In Acutissimis, quæ quatuor diebus judicantur, tenuissimo victu utendum, quia habent brevissimum principium & augmentum, & statum ad statum properant, *statim extremos habent labores*, inquit *Hippocr.* Sed quæ minus sunt acutæ non adeo tenuem victum postulant, semper observando ut juxta statum tenuior sit quam in principio, quoniam natura tum humorum pepasmo intenta non debet revocari ad alimenti pepsin; In victu enim exhibendo vel materiam morbi spectamus vel vires; Materia cum concoqui & evacuari postulet nullum cibum desiderat, viribus autem inedia tenuisque victus nocet, eas enim atterit, Igitur semper spectanda virtus est, an sine cibo ad statum usque perdurare possit, ut docet *Avicenna*, *Si ægritudo fuerit valde acuta, & virtus valida, tunc eam incitabis super materiam, & eam non facies occupari in cibo, imò subtilia regimen cum dimissione cibi omnino.*

Quod si vires sint debiles, humores pauci & corrupti, parum & sæpe cibandum; Si vires debiles, & humores temperati & abundantes, parum & raro; Si vires multæ, humores pauci, non corrupti, multum & sæpe: Si vires validæ, corpus plethoricum, parum & raro cibo indulgendum: Ad virtutem autem referuntur tum ætas, tum corporis habitus, regio, tum anni tempus, tum consuetudo, pueri enim inediam non ferunt, senibus vero minus nocet; pariter qui corpore sunt calido & sicco, præcipue circa ventriculum ab inedia facile resolvuntur, & in marasmum incidunt: Regionibus quoque frigidis, hyeme, & consuetis plus cibi dandum est quam in aliis; Imo in ipso morbi vigore, si quapiam de causa morbi vires dissolvantur, nutrire cogimur ex *Galeno* 1. aph. 9. qua ratione in pestilentibus morbis victum pleniorem decernimus, alias morbi malignitate vires ruerent & fatiscerent: Tenuis præterea victus tripliciter dicitur, vel qualitate, sunt enim quædam alimenta oligotropha, quæ parum nutriunt; Vel quantitate, ut si multum nutrientia exigua tantum quantitate præscribantur, à quibus parum nutrimenti corpori succrescit: Vel numero, ut si raro assumantur; sic etiam parum nutrire possunt: Igitur tenuis hæc ratio victus morbis acutis semper competit, at nisi caute & circumspecte præscribatur periculosior est paulo crassiori; *Aph.* 5. l. 1. etsi enim periculum utrinque adsit, majus tamen est in tenuiori quam in pleno: etenim indicatione sumpta à viribus, & magis ex tenui diæta labefactantur quam ex crassiori; nec ita facile possunt reparari nisi alimento, quod nonnisi per varias transmutationes in corporis substantiam facessit: sed ex crassiori victu id tantum imminet periculi ne morbus evadat longior, tum evacuatione noxa illa emendari potest; etsi suo non careat victus crassior periculo, *Primerosius*.

b. *Medicinalis interdum*) Ut cum ratio causæ habenda spreta febre; sic quamvis semper sorbilis esse debeat cibus, non tamen semper refrigerans esse debet & humectans, ratione scilicet causæ quæ febri conjuncta est; aut ratione alterius morbi, vel symptomatis adjuncti, interdum calidus, interdum siccus esse debet, ut in febribus pituitosis & quartanis piper conceditur: Tum si febris cum hydrope vel dolore colico, vel obstructione adsit, in hac non humectantibus & refrigerantibus, sed calidis aperientibus utendum erit, ut docet *Galenus* comm. in cit. aphorismum. Sic *Olera* ac *Fructus* in febribus præscribuntur ad alterandum; Herbæ frigidæ, ut lactuca, endivia, spinachia in biliosis, calidæ, ut thymus; hyssopus, pituitosis, sed solis non est utendum, nulla enim nutriendi vis illis adest, aut exigua, potius sunt medicamentosæ;

ideo jusculis incoctæ præscribuntur, ut sit in alimento medicamentum.

Igitur non est ægris concedendum ut herbis & radicibus vescantur, solent enim earum plurimæ in bilem porraceam verti in ventriculo; & *Galenus* cum ferme omnes herbas in victus ratione vituperasset, solam lactucam, tanquam minus noxiam concessisse visus est: igitur sumantur decoctæ cum aliis alimentis ad alterandum; Sed & *Acetaria* à quibusdam non improbantur, *Galenus* enim 1. ad Gl. 9. & 10. non solum lactucas, sed & atriplicem, malvam, lapathium concedit, quod si acetum addatur, appetendi vim excitabit putredini resistet, tenaces humores diffecabit, obstructiones aperiet; Parum tamen olei addendum, quia in febribus facile inflammatur: Sed & Sal, tum acetariis, tum reliquis cibis additum in pauca quantitate exiccare non potest plurimum, quin potius, ex *Galeno*, putredini resistit, appetitum excitat, ejus tædium aufert, crassa colliquat attenuatque, & sic olera minus nocent, parum nutriunt, humida frigida sunt, appetitum excitant, & decocta in jusculis aut acetariis cum sale & aceto præparata conferre possunt.

Fructus quod attinet, generaliter pronuntiat *Avicenna*, omnes nocere febricitantibus, cui tamen repugnant Græci omnes, qui fructus lubentissime præscribunt; *Galenus* 1°. ad *Glauc.* in cura Tertianæ fructus concedit qui sint faciles coctu: *Trallianus* Persica cocta & non cocta præscribit, melonem & melopeponem, *Hippocr. ipse lib. de Affect.* de *Pepone* ait quod alvum & urinam moveat, levis sit, At nos hoc tempore ignoramus quid sint melones, melopepones, cucumeres antiquorum: Melones autem nostri, utut sapore & odore grati, sunt insalubres, in stomacho fervido facile putrescunt, sunt enim humidissimi.

Ad alios Fructus ut accedamus, varii illi sunt, frigidi, humidi, facile corruptibiles, horæi, acidi, dulces, recentes, sicci: Calidi indicatione à febre desumpta omnino nocent, tamen ratione causæ febrilis, aut alicujus symptomatis concedi possunt; ut caricæ ad abstergendum, & si colicus dolor febri jungatur.

Frigidi autem conveniunt ratione febris, & prosunt hecticis, ephemeris, Putridis vero, ac etsi refrigerando prodesse possunt, tamen ratione putredinis nocent, quia in stomacho immundo & fervido facile inflammantur & ebulliunt, quod maxime intelligendum de horæis, ut sunt fraga, mora, pruna, persica, cerasa: Sed Fructus qui possunt servari, ut uvæ, amygdalæ, pruna Damascena sicca, poma, possunt concedi: Item omnes acidi, ut Limones, arantia, granata, temperant enim calorem febrilem, sitim arcent, appetitum excitant, vaporum ascensum prohibent; Sed tamen nimia Acidorum copia vitanda, aut cruda, alias obstructiones maximas procreant, cum tamen plurimum prosint refrigerando, incidendo, putredini resistendo; Horæi quidam possunt admitti, quia decoctione corriguntur & sacchari additione, cujus tamen parcissimus esse debet usus, quia calefacit & in bilem abit.

Recentes quoque Fructus magis in quibusdam conveniunt quam vetusti, solent enim quidam cum tempore rancescere, ut amygdalæ, strobyli; sic fiunt oleosi, ideo minus febribus acutis conveniunt, quia oleosa pars facile inflammatur, & in bilem vertitur; & ideo in lacte amygdalino dicto amygdalæ recentes eligendæ; Quidam lac illud coquunt, sed crudum melius cocto, nam refrigerat magis ob permistionem aquositatis plurimæ quæ coctione consumitur, ideoque minus alterat. Contra quidam Fructus vetusti magis conferunt, ut passulæ, pruna, & qui recentes nimia humiditate scatent. *Primirosius.*

Cibus qui debet esse 1.) *Cibus* sanis & ægris quamdiu vivunt, ad restaurationem deperditi necessarius est, sic & hic, cum præsertim corpora vehementer calore exolvantur, requiritur; Sed quia is, ut nutriat, à natura nostra evinci & concoqui prius aliquoties debet, eoque nomine naturam cibi exhibitione à morbi materia concoquenda revocamus, maxime si illi copiosum, aut qui ægre evinceretur, exhiberemus, hanc ob causam ille cibus, qui ægrum aliquo pacto sustentare queat, atque interim naturæ minimum negotii præbere possint illi debet sufficere.

Talis autem *tenuis* esse debet, qualem *Hippocr.* in acutis esse voluit, Qualis dicitur qui parum nutrit, rarusque, certoque demum tempore dumtaxat exhibetur: Qui tamen secundum magis & minus differens, vel *tenuis*, vel *tenuissimus*, vel *medio modo* se habens, existit; Interim *consuetudinem*, quæ altera est natura, diligenter observantes, illique aliquid condonantes.

Tenuissimus victus, nunc extreme tenuissimus est, quo in vigore morbi utendum esse docet *Hippocr.* quem & ægri ob breve hoc tempus, quo natura in morbo expugnando impedita est, facilius perferunt, qui alias si summe exquisitus diutius perseveraret, ut idem *Hippocr.* scribit, periculosus esset, ob quam causam tenuissimus quidem, non tamen extremè tunc esse debet; In quo tamen *minus*, sicuti in eo *frequentius*, quod *pleniorem* quam par erat exhibent, sic morbum facilius ægrum superaturum vulgo inepte existimant, peccatur. *Rarus* autem qui exhibetur, *Tenuissimus* esse dicitur, ut *semel* in die, vel si *bis* detur, *pauci* tamen sit *nutrimenti*.

Parum nutriens cibus inprimis huc refertur, ut si *decoctum hordei*, non *potus*, sed *cibationis* causa, bis in die, in *statu* tantum *morbi*, ægris propinetur: *Ptisana* veteribus dicta, cũ paulo sit efficacior, ubi cũ hoc decocto perseverare nequeunt, illis conceditur, Quæ *cremor*, ut nunc vocatur, seu *succus* est *hordei*, ex eo *excorticato*, vel *mundo*, ut vocant, unde *ptisana* nomen, decoctio paratus, qui nunc *spissior*, nunc *dilutus* magis, si minus eum velimus nutrire, exhibemus, qui & simul *bilis*, si illa effervescat, uti in hisce febribus fieri solet, acrimoniam ad modum retundit: Cujus loco & *succus tritici*, *amylum* dictum, vel *oryza* bene cocta, quæ facilius digeritur, minusque inflat, usurpari potest; *Jufcula gallinæ*, vel *pulli*, additis interdum *alterantibus* nostri uti solent, quod certe, cum in eo conficiendo natura non adeo occupetur, improbari non omnino potest: *Lac* vocatum, seu *Emulsio amygdal.* non loco *Potus* quia tunc nimia copia ingeritur, sed *cibi* datum, huc referri potest, cui emulsio aliorum *seminum frig.* ut *melonum*, interdum permiscetur *Tenuis* vero *victus*, qui hoc paulo plenior est, dicitur, quo à principio æger (uti quoque docet *Hippocr.*) uti, eoque tamdiu donec status immineat (tunc enim sensim iterum detrahendum) perdurare debet, & diebus *pluribus*, aut paucioribus prout status morbi citius, ut in *causone* & *tertiana*, tardiusve in reliquis advenit, perseverare.

Sed & cum exacerbatio febris adest, eo tempore, & paulo ante, non cibandus erit æger, non tam ob naturæ motum, non impediendum, quam ne calor, quod cibo sumpto fieri solet, ut in hecticis evenit, augeatur: *Plenior* autem *victus*, attamen *tenuis*, is erit tum qui frequentius, ut *bis* tervè in die exhibetur, tum is qui solidiorem cibum præbet; uti est *contusum carnis* alicujus, prius bene decoctæ, & cum suo jure dilutæ, vel *brodium*, in quo hæc diu multumque coxerunt; *Ova*, cum in biliosis facile corrumpantur, non temere exhibenda; uti eandem ob causam *Lac*, quod febricitantibus noxium esse ait *Hippocr.* minime convenit: *Panis prius lotus*, *cum jure*, huc refertur. *Pruna*, *poma*, *pyraque*, non austera tamen, recentia, vel potius aliquandiu asservata, aut etiam siccata penitus (tunc enim in illis succus est laudatissimus) cocta suo jure, qui ab aridis instar syrupi spissus coquitur, utiliter exhibentur. Quæ reliqua à *plantis*, exceptis fructibus, sumuntur, *alterationis* causa potius quam *nutritionis*, ut & *fructus acidi* usurpantur: *Platerus*.

Quoad *victum*, parum in febribus quibusvis appetitur, unde nec ad cibum cogendi ægri, ac nil quod ipsi nauseant porrigendum, semper ruminandum illud *Hippocr.* *corpora*

impura

tempora &c. qualia potissimum sunt febricitantium: Ventriculus enim languidior est, idcirco cibus non concoquitur, sed potius corrumpitur, sicque febrili causæ fomitem præbet: unde, in continuis præsertim, tenuis victus est optimus, & quo acutior est febris eo tenuior ac strictior convenit Diæta: Utut etiam ad aliquot dies nil comedant tales ægri, perinde erit, *nam appetitus & quantum & quale & tempus alimentorum præscribit*, In specie *carnium esum* ut aversantur febricitantes, ita nocet iis: *juscula, leves pulticula,* & ad summum *ova sorbilia* abunde sufficiunt; Juscula inter *avenacea*, & Pultes expane & ac cerevisia magis conducunt: *Saccharata*, ac similia dulcia quæcunque, in omnibus febribus nocent: cum talia sint admodum fermentativa, adeoque malum exasperant; *Fructus omnes*, vel ex his parata quælibet facile fermentiscibilia, sunt nociva: *Nam omnia quæ augere aut inducere possunt fermentationem præternaturalem in febribus* nocent. *Etmuller.*

62. *Cibus quis debet esse*) ut *Juscula avenacea* & hordeacea, Panatellę, ex pane & vitello ovi in aqua cum saccharo confectæ: Juscula tenuia ex decocto pulli; quamvis juscula Avenacea sint instar omnium. *Sydenham.*

63. *Jura carnium*) Ab ipsis carnibus, etiam reconvalescentes, abstinere jubet *Willis*. Sæpius, *inquit*, circa victum post febrim instituendum recidivæ scopulo allidi solet, scil. à præpostero carnium & cibi fortioris comestu ægri in febrim relabuntur, Cum enim viscera sint debilia; & alimenta, nisi tenuia, non facile coquantur; cumque sanguinis crasis sit imbecillior, ut succum nutritium non assimilet, si alterutri improportionatum quid offeratur, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia pessum eunt; Quare à carnibus reconvalescentes diu temperent, usque utantur demum nonnisi cum urina sanorum fuerit simillima.

63. *Qualia sunt pura*) An lac in Putridis convenit? Sexagenarius cum ultra annum febre Quartana intermittente simplici pressus esset, ad tabem properare visus est: Orta quæstio an in hac febre lac tuto propinari posset, ob aphor. 65. 5. Sed omni die, qua Patiens à febrili paroxysmo immunis esset, Lac caprinum methodice exhibuimus, eo effectu, ut cum per aliquod tempus continuasset, notabiliter incrassari & viribus restitui cœpit, redeunte appetitu deperdito, Et paulo post antifebrilibus sumptis febris desiit; Sed nota in prædicto aphorismo Hippocr. Lac concedere *Phthisicis non valde febrientibus, Et in febribus longis. nullo prædictorum signorum præsente, & extra rationem tabefactis:* Supponit ergo phthisicos febricitare nonnisi febri hectica, Ergo per *febres longas*, quasdam putridas intellexit, Sed cum nec in omnibus Putridis tuto lac conveniat, ideo addidit requisita 1. ut cum ejusmodi putridis non jungatur capitis dolor neque sitis &c. 2. ut febribus similibus laborantes non quasi consumpti conspiciantur; Quæ in prædicto patiente concurrebant: *Rhases 3. contin. c. de Lacte*, caprinum lac in phthisi & febribus antiquis proponit: Consentiunt *Th. Garza & Felix Accorambonius Tr. de Lacte*, qui tres similes historias proponit. *Joh. Ferdin. Hertodus Med. Septentr. vol. 2. p. 176.*

64. *Potus*) Potus Febricitantium quod spectat, primo statim occurrit *Aqua*, & quæ ex Aqua conficiuntur, *Aquam* pro Potu ordinario valde improbat *Hippocrates*, sicut eam commendat pro medicamento, scilicet affatim sumptam: In Potu autem ordinario eam nocere ait quod crassa sit, hypochondria non permeet, & in biliosis facile bilescat, putrescit enim facile evicta à calore febrilis alias quæ frigida febri omnino adversatur, illique ideo convenit: In assuetis ergo aquæ potu non video cur dari non possit, sed melior si aliorum mistione corrigitur, decoqui autem illa potest ut tenuior evadat; alii distillari volunt, deinde admistione refrigerantium syruporum & aperientium temperari.

Alii *panem* infundi jubent, ut vim fermenti aliquantulum imbibat: alii *Cinnamomum*, *coriandrum*, anisum hordeum passulas, liquiritiam, saccharumque incoquunt pro varia causæ febrilis ratione, sed maxime celebris est *Aqua hordei* quam *Ptisanam* male vocant, quæ cibus est, vere ipsam hordei substantiam habens, Debet autem hordeum optime decoqui ut flatulentiam amittat, sicque fiet Potus acutis & fervidis febribus valde conveniens.

In Pituitosis febribus *Hydromel* valde commendatur; ex aqua & melle confectum, cujus variæ sunt differentiæ; quod ex melle crudo fit flatulentum est, alvum citius deiicit, fervet enim & intumescit à calore stomachi, & hypochondriorum, ut fit dum ad ignem ebullit; Ex melle cocto autem confectum magis nutrit, coquitur autem ad mellis despumationem, deinde colatur, utrumque dilutius fit vel meracius pro varia aquæ & mellis quantitate: præterea addi poterunt herbæ & similia instituto accommodata, ut magis evadat medicamento suum in morbis frigidi & chronicis: solet autem œnogala sphachnicis & biliosis esse aduersissimum, ex *Hippocr.* de v. Ac. Sed & loco mellis *Saccharum* addi potest, quod minus calidum, ideoque biliosis febribus minus noxium evadet, præsertim si acidus aliquis succus addatur.

Idem de *Cerevisia* fere dicendum, quæ quantumvis imbecilla sit, tamen semper habet aliquam calefaciendi & inebriandi vim, unde febricitantibus acute & capite dolentibus non adeo convenit, quia inflammat & sitim generat si copiose assumatur, ut febricitantes solent, Et quanquam ex *hordeo* conficiatur, magna tamen inest differentia inter *Cerevisiam* & *Aquam hordei*, teste experientia, cum *aqua hordei* refrigeret, nunquam copiose pota corpus accendat, nec caput tentet, nec sitim excitet, quod de cerevisia imbecilli nemo sibi polliceri ausit: differentia autem ex eo pendet quod cerevisia ex *hordeo torrefacto* conficiatur, addito *lupulo* sicco, qui satis calidus, accedente fermentatione, unde calidam qualitatem contrahit: Ejus tamen usus magis quam vini tolerandus est, quod minus caleat & diuretica sit. *Primerosius.*

Pro Potu vulgo usurpatur in omnibus Febribus continuis *Ptisana recentiorum*, ex *decocto hord. & liquir.* parata, cui si febris ardentior sit, addi potest aliquid *lactuc. acetosæ tamarind.* frequentius tamen adduntur *rad. gramin.* vel *acetosæ*, quæ vini calore eleganter inficiunt: In *longis* addi possunt *rad. fœnic. petros. sem. anis. coriand. aut cinnam.* posteriora tamen tantum addenda cum ventriculus debilis à potu ostenditur.

℞. *Ptisan. vulg.* ℔ j. *spir. sulph. q. s. ad gratam acidit. c. c. ad albedinem calcin.* ℥j. utatur pro Potu ordinario.

Utatur etiam *aqua panata*, vel soli, vel *sacch.* dulcorata, vel cum modico aceti permixta, vel aqua simplex decocta, ut cruditas ipsius auferatur, addito interdum *sacch.* Tum aliquando nonnihil *succ.* vel *syr. limon. granat. berber. cerasorum.* vel *spir. sulph.* aut *vitriol.* q. s. ad gratam acid. vel *salis prunellæ* tantillum si potentius refrigerandum sit: Laudatur *aqua* in qua macerantur *tamarind. berberes*, aut pruna: Decoctum *prunor. Brunolensium* gustui gratissimum est: Vel coquitur hordeum cum *Tamarindis* sub finem addito *cinnam. & santal. citr.* qui potus non solum sitim sedat, sed alvum laxat, hepar refrigerat & roborat.

℞. *Sacch.* ℥viij. *salis prun* ℥j f. Pulvis Ptisanæ permiscendus, cui siti admodum urgente *spir. vitrioli* admisceri potest.

De *spiritu vitr. & sulph.* hoc advertendum, in febr. putridis illius magnum esse usum, ob insignem refrigerandi vim, aperiendi, putredini resistendi, inflammabilitatem humorum prohibendi & sitim sedandi; In pleuritide tamen, peripneumonia, hæmoptysi, phthisi, aliisque pulmonum affectibus (nisi à crassa pituita vasa obstruente ortum habeant) ventriculi inflammatione, dysenteria, sanguinis mictu, renum & vesicæ ulceribus, plurimum

noceret: In Febribus à bile valde tenui & calida, aut cum tenui acrique destillatione conjunctis, adeo non conveniunt, sed potius leviter incrassantia, ut *syr. violar. ros. siccar.* cum *aqu. hordei*, vel *panata*, vel cocta simpliciter, Ubi humores crassi lentique abundant *syr. acetosus* erit utilissimus: Interdum *conserv. rosar. violar. bugl.* cum *aqua cocta* vel *hordei* miscentur, trajiciendo per manicam *Hippocr.* addins gutt. aliquot *spir. vitrioli*, Vel paratur *Tinctura rosar.* calore & sapore jucundissima.

℞. *rosar. rub. sicc.* ℥j. *aqu. tepida* ℔iij. *spir. sulph. aut vitrioli* ℈ß. *infundantur per 3. aut 4. horas frigide, colat. adde sacch. albi* ℥iv. *aq. rosar.* ℔ß *f. Julep.*

Julepus Alexandr. utilis est & jucundissimus, sic parandus.

℞. *aq. font.* ℔j. *aqu. rosar. succi limon. sacch. albi* āā. ℥iv. coqu. lento igne dum despumaverint. *Riverius.*

65. *Nutrimentosus*) *Cerevisia* lupulata non rejiciendа nisi propter amarorem molestum; hinc ut plurimum febricitantes, in specie in continuis, recusant cerevisiam, quia tunc cessat in stomacho plus minus digestio prima: ob id Cerevisia talis assumpta, corrumpitur ac cadaverisatur, ac nidorem stomacho molestum contrahit, indeque molestiam ipsi excitat, unde mox nausea ejus & abhorrescentia sequitur, unde vel cerevisiam secundariam, vel alios simpliciores aquosos potus subinde appetunt. *Etmuller.* De vino vide infra §. *Vinum.*

65. *Nutrimentosus*) E. g. Cerevisia tenuis lupulata, cui quandoque æstuante ardore febrili immisceri potest *succus aurantiorum* recens expressus, & super ignem, ad cruditatis tantummodo sublationem coctus: Negare vero cerevisiam tenuem, quæ subinde in mediocri quantitate sumatur, severitas est minime necessaria, imo sæpe numero etiam detrimentosa; *Sydenham.*

66. *Medicamentosus pro morbi &c.*) Dum sitis frequentius urget Potus tenuis, facile transiens, ventriculo amicus, nec eum lædens est optimus: Alias aliquot guttæ stagmatis, sive spiritus sulphuris acidi, plus levant sitim quam integra mensura potus cujusvis. Non denegandi simpliciores *aquosi potus*, saltim quoniam flatus generant, & stomachi tonum lædunt, propterea ad præservandam atoniam ejus ac inflationes, vel *nitrum antimoniatum*, vel *parum spiritus sulphuris acidi*, vel cum hoc paratæ Tincturæ vegetabiles, aut parum *spiritus vitrioli*, vel parum *spiritus nitri dulcis* instillentur. In continuis febribus cum *aqua*, vel *cerevisia secundaria* mista pars tertia vel quarta vini, ac additum pomum citrium in taleolos incisum suggerit potum talibus ægris convenientissimum: *Serum lactis* depuratum potus est convenientissimus. In specie *spir. sulphuris* cum sufficiente quantitate aqua communis propinetur, quod præter alia commoda & copiosum sudorem movere solet; Vide *Riverium cent. 1. obs. 19. Piens* de Febr. p. 2. p. 21. *Etmuller.*

In selectu Potionis habenda ratio effervescentiæ febrilis plus minus temperandæ & sedandæ; hinc symptomatum, speciatim circa primas vias urgentium, præsertim alvi plus minus clausæ vel apertæ: *Consuetudinis* & ratio habenda, Hinc *serum lactis*, *succo citri* leviter acidulatum convenit, modo diarrhoea absit, & in intenso æstu; *Aqua fontis. cerevisia secundaria*, cum pauco *succo cydon.* vel *ribium* ad gratum acorem, acutè febrientibus gratissimus potus: Acida enim tam mineralia quam vegetabilia, illa in grandi æstu, hæc in moderatiori conveniunt: *Decoct. hordei*, seu *ptisana* plures utuntur, quod non probo, cum cruditates stomachi flatulentas ejusque atoniam inferat. *Idem, pag. 314.*

67. *Julepi refrigerantes*) Julapia refrigerantia locum non habere ubi calor proportionatus est constitutioni ægri; vel qualitati materiæ coquendæ &c. multo minus ubi minor est, Ergo in tali casu satius est, si sitis adsit, concedere potum ordinarium consuetum: Si quis vino assuetus, nec in totum interdicendum, quia consuetudini aliquid dandum, & ingens foret delictum ab uno extremo ad aliud prolabi; Nobilissimum remedium ad temperandum calorem febrilem, est *Nitrum* depuratum; cujus præsertim in febribus ardentibus continuis continue ad ʒß. licet dare, nempe successive: Si accidat ut dato *Nitro* urina cum tanto ardore non mittatur; vel liberalius accidat mingere, bono animo esto: *Etmuller p. 293.*

68. *In continuis primis diebus paucus*) In febribus ardentibus monendi sunt ægri ne nimium potum ingurgitent, quoties lubet; Præstat potum liberaliorem concedere, modo dein expectent dum sentiant omnem ex ventriculo exiisse: Si vero hoc ab ægris impetrari non possit, ut calidum bibant è re esset; Si enim calidum biberetur cum nitro dissoluto, magis calorem temperari videres; A potu enim calido magis incalescimus, quod videmus cum ex ambulatione æstuamus & frigidum bibimus. *Etmuller.*

69. *Primis diebus Paucus &c.*) Sitientibus ægris non denegandus potus, modo fiat cum regimine; nempe dum in *continuis* continuo sitiunt, crebrius quidem sed parcius nec nimis frigidus porrigendus potus: In *Intermittentibus* non prius propinandus quam sub æstus vigore, tunc primum potum calidum, plus minus medicatum assumat, cætera moderate frigida largius superbibant, ut longior provocetur sudor. *Etmuller.*

70. *Instante paroxysmo nullus*) Maxima damna sibi afferre solent febricitantes dum potant ineunte paroxysmo; usu mihi compertum est inde plerumque ex febribus intermittentibus, periculoque expertibus, nasci continuas ac lethales febres, *Joh. Heurnius ad aph. 62. 7.*

70. *Instante paroxysmo nullus*) *Avicenna* vetat dare aquam hordei & Julep. toto paroxysmi tempore, nisi coacti simus: Consentiunt Interpretes, præter *Jacobum de Partibus*, qui concedit *Decoctum hordei*, quando calor in universum corpus expanditur; Crudele enim est ægrum siti enecandum tradere; Potus enim interiora roborat, calorem sitimque compescit, exsiccationemque prohibet, sudores promovet, & negat inde febrem prorogari, Corpore autem rigente valde nocet. *Primirosius.*

71. *Vinum*) Vinum præ cæteris omnibus illud est quod magis reficit, sed non tam ob calorem, cum si dulce non sit, sed vinosum, aut acidulum, tunc minime corpus inflammet. quam ob capitis dolorem, quem in hoc affectu consuetum auget, non, donec hæc remittant, & in declinatione sit febris, conceditur: Tunc enim & ad urinarum provocationem & reficiendum ægrum permittitur, ut & convalescentibus. *Platerus.*

71. *Vinum*) Pessimo consilio febricitantibus interdicitur; in *Intermittentibus* enim vinum non nocet, saltem die intermissionis, vel post paroxysmum assumatur. In *febri maligna* vini haustus in conservandis & restaurandis viribus est egregius: Id quod etiam in *febribus continuis* sub nimia virium prostratione obtinet; Quoad febres vero *continuas benigniores*, in *Causo*, *Tertiana continua*, *Hemitritæo* &c. vino abstinere tutius est, nisi adsit vomitus, summa virium prostratio, ut & syncope: *Hippocrates* in omni febre vinum porrigit, tamen animadvertere licet, vina generosa non habere locum: alba debilia & aquosa probamus, ut loquitur *Poterius l. Febr. p. 2. c. 26.* Nempe vis fermentativa vini, ejusque acidum, ardentibus in febribus nonnihil suspecta sunt, nisi in casu quo medicamenti vices subit; Est scil. vinum naturæ amicissimum, præsertim ventriculo, prætereaque non raro sanguinis motum ita promovet, ut per vias urinarias, vel per poros cutis sequatur larga excretio; Sane quibus nocet vinum in febribus, mox ab ejus usu nocumenta percipiunt; nempe mox phlogosin, & æstuationis incrementum; non ob spiritum ejus volatilem, inflammabilem, sed ob acidum: Talibus igitur interdicendum vino, vel mox superingestis absorbentibus vis ejus infringenda. *Etmuller.*

72. *In continuis*) In febre ardente sive continua, Potus concedendus est liberalior, inprimis quo major est sitis & intensior ardor eo liberius indulgendum genio: Recte enim *Paracelsus, Lindanus & Langius in Epist.* carpunt eos qui ægris febricitantibus omnem potum interdicunt, pessimo consilio: Hoc saltim observetur melius esse ut frequentius & parcius bibant quam ut una vice multum ingurgitent: Prius enim successive alterat, Posterius vero tonum stomachi labefactat. *Etmuller.*

73. *In declinatione si virium debilitas adest*) Accidit interdum (maxime in senibus) ægrum febri jam curata, & corpore satis jam superque purgato, nihilominus valde debilem esse, & quandoque *Tussi*, interdum etiam screatu, magnam glutinosi viscosique phlegmatis copiam expectorare; quod symptoma non tantum ægro terrorem inicit, sed & ipsi Medico præsertim minus cauto, imposuit, eumque in opinionem induxit, quasi affectus iste Phthisi viam sterneret: Licet observaverim ego rem adeo periculosam non esse: hoc in casu ægrum jubeo *Vinum Malaganum* annosum, vel *Falernum*, sive *Muscatum*, cum pane tosto ei immisso bibere, quod crasin, multum prægressa æstuatione sanguinis debilitati (proindeque nuper ingestorum succis assimilandis imparis) corroborans, symptoma illud, paucorum admodum dierum spatio abigit, ut crebra mihi experientia constat.

Hac ipsa ratione ægrum à multis affectibus, symptomatibusque quæ malignitati tribui solent, tutum præstabimus; Cum nihil magis sit saltim Medicis, minus in arte sua exercitatis, quam, quando medicamentis nimis refrigerantibus, vel usu Enematum intempestivo crasin sanguinis ita relaxarint; naturamque in perficienda sanguinis depuratione adeo debilitarint, ut animi deliquia, aliaque symptomata (quæ genuina sunt ejusmodi impedimentorum arte positorum effecta) contingant, malis citatis transcribere: Aut si in diuturnitatem abierit morbus, tum quicquid in medela eos deinceps fatigat, id Scorbuto acceptum referunt; quamvis re ipsa, neque symptomata quæ accidebant, vigente morbo, *malignitatis* erant effecta; neque ea quæ contigerunt in declinatione ejus *Scorbuti*, sed utrumque rei male gestæ debetur, id quod crebro à me observatum. *Sydenham. obs. in Anat. p. m. 5.*

74. *Somnus qui*) Somnus etsi admodum vires reficit, à multis tamen toto febris tempore, quo calor ad exteriora vergit, ne per eum ad interiora repat, improbatur, Verum cum calorem per somnum ad externa potius quàm interna rapi, quod somni tempore plus calere & sudare soleant, satis ostendat, eoque nomine, uti & quod sitim sedet, quoque prosit, non necesse erat hoc quod potius juvat metuere, & ob id somno eos arcere, sicque magis debilitare, cum nec per somnum natura ab officio, quod tunc magis concoctioni ciborum intenta sit cum minus tempore somni, ut alibi ostensum est, concoctio fiat, revocetur, sed naturæ vis in morbi causa elaboranda minime, cum dormit, quiescat; Interim tamen in ipsa febris exacerbatione satius est à somno abstinere; & reliquo tempore, habita ratione ætatis, consuetudinis, & prout se post somnum bene maleve se habent, eum ita regere ne immoderatus aut intempestivus sit; Et si quoque omnino insomnis sit æger, eum interdum exhibitis, ad moris, provocare. *Platerus.* Somnus, semper bonum signum est naturalis: præternaturalis, nempe comatosus, qui malignis interdum supervenit, malus & curandus, Alias nunquam arcendus somnus ab ægris est; Sibi enim in somno relicta natura, nec perturbati spiritus, optime suo funguntur munere, & coctionem materiæ eo citius absolvunt; Unde & arte in incremento somni, moderate tamen, provocari potest; uberiorem fere esse insensibilem transpirationem, ac interdum sensibilem sudationem sub quiete somni constat. Hinc *Quies corporis*, tam externa in vigilantibus, quam interna in dormientibus est optima: sane quo quietiores sunt ægri (nisi hoc ex omnimoda virium prostratione fiat) & minus anxii, eo melius est signum, & eo minor est febris, & benignior ejus conditio, E contra si anxii sunt ægri, jactabundi, membra inordinate agitantes, eo pejus. *Etmuller.*

Symptomata Febrium Putridarum.

75. *Symptomata* quæ in febribus putridis, *continuis vero maximè* obveniunt 76. sunt *actionum* 77. *naturalium, vitalium, animalium, excretorum & qualitatum mutatarum.*

I. 78. *Actionum* 79. *naturalium*, ut I. 80. *Sitis*, quæ fit, vel *à pulmonis fuligines* à corde excipientis *incendio*. Et *tum*, os maximè est torridum; ægri propter tracheæ & laryngis asperitatem difficulter loquuntur: inspiratione potius frigidi aëris quàm potu allevantur. Vel *ventriculi vitio*, inferiore ejus tunica, seu ardore fuliginum ab hepate & corde inarefacta; seu acri, bilioso, salso, nitroso calidoque humore imbuta. *Colluì os debet* vel aqua fontana, prunellæ, sempervivi, admisto pauxillo syrupi granatorum, nitri, vel salis armoniaci: vel decocto berberis cum spiritu vitrioli & julepo violato; vel decocto hordei cum tamarindis; vel butyrum recens aqua portulacæ, fragorum, rosarum lotum, & pauxillo nitri præparati aspersum exhiberi. 81. Potus circa finem vigoris 82. fieri potest. II. 83. *Singultus*, qui ab humoribus acribus, & mordacibus ventriculum vellicantibus proficiscitur. Et *tum* vomitus ciendus, 84. quem aliorum remediorum usus excipere debet. 85. Quidam cucurbitam aut regioni ventriculi, aut dorso è regione cum multa flamma applicant. III. 86. *Vomitus*, qui non statim si non nimius sistendus; & oritur, aut ab *humore calido & bilioso*, qui & 87. Cardialgiam excitat. Et *tum*, *syrupus granatorum, acidorum, Corallum præparatum, decoctum hordei cum seminibus melonum* exhibenda, Aut *à frigido*. Et *tum* locum habent, *Nux moschata, vinum decoctionis mastiches, theriaca nova*; quod si tenacior, *Oxymel.* Extremi remedii loco est laudatum opiatum, Si initio, dum omnia adhuc sunt cruda, & natura à morbificis causis opprimitur, atra bilis sursum & deorsum propter copiam & ἀπεψίαν prodeat, lethale est. Nam & partium unde prodit malitiam arguit, & partes per quas fertur corrumpit, & tum cum nihil salutariter excerni potest excluditur. Coaca 68. IV. 88. *Aviprofluvium*, quum ventriculus vel copia, vel acrimonia, vel malignitate humorum, eousque proritatur, ut minimè cibum vel amplectatur vel conficiat: & cum immoderatè frigida bibitur. 89. Non debet sisti si talia evacuantur qualia debent: sin minus educenda materia per rhabarbarum; 90. Si astringendum potest & ad laudanum accedi.

II. *Actionum vitalium*, ut sunt I. 91. *Lipothymia*, & Syncope, quæ modo ab humoris pernicie

modo ab æruginoſa, praſſina aut atra bile turgente, & è venis in cor ſubveniente procedit. Et [92.] *tum* exhibenda intra, *confectio alkermes*, de *hyacintho*, *tinctura ambræ* cum ſpiritu roſarum extracta, *vinum* è baccis *rubi Idæi*: Extra admovenda pulſibus & regioni cordis epithemata; naribus, *balſamus* citri, roſarum, rutæ. II. [93.] *Dyſpnœa*, quæ præcordiorum oppreſſionem ab ardore bilis praſſinæ circa cor exæſtuantis, vel humorum copia procedentem, conſequitur; nonnunquam cordis aut pulmonum æſtum, quum bilis atque putredo circum eas ſedes incenditur, aut cùm turgens in venis materia cum impetu proſiliens eò incumbit.

III. *Actionum Animalium*, ut ſunt I. [94.] *Vigiliæ*, quæ à dolore, ſiccitate, humoribus & vaporibus ſpiritus turbantibus oriuntur. [95.] Et *tum*, 1. Revellendum per clyſteres, cucurbitulas, [96.] extremorum frictiones. 2. Contemperandus fervor, *intra* juſculo gallinæ in quo folia lactucæ ebullivere: Emulſione ex ſeminibus quatuor, lactucæ, papaver. albi cum aqua fragorum, laudani opiati gr.j. cum ſyrupo violato; *Extra*, Emulſione *ex ſem. pſyllii*, & papaver. cum aqua lactucæ, unguento *populeo*, quo plantæ pedum & volæ manuum inungi ſolent. Sed ſemper *familiare* quid cerebro addendum, ne nimiũ refrigeretur, & fugienda *repellentia*. II. [98.] *Sopor profundus*, quem vapores narcotici, vel nimius horum uſus inducunt. [99.] Revellendum. Veſicantia inter primam & ſecundam vertebram apponenda, palatum theriaca vel mithridatio inungendum. *Ruta* cum aceto, vel acetum ferro ignito affuſum naribus admovenda. *Fomenta* & *ſacculi* diſcutientes, ex floribus ſalviæ, lavendulæ capiti applicandi. *Balſamus* ſalviæ, rutæ, roriſmarini, cum ſpiritu theriacali permiſtus, ſuturæ coronali, naribus, & temporibus inungendus, laudatiſſima confectio anacardina cum aceto ſcillitico ſi febris permittit. III. [*1.] *Aurium abſurdeſcentia*, Aphor. IV. 60. quæ à palindrome materię morbificę ad aures provenit. Et *tum*, ſi translatio eſt *Symptomatica*, phrenitidis inſtat metus, niſi bilioſum alvi profluvium acceſſerit: ſi *Critica*, ſolvitur hæmorrhagia larga. Eadem ſurditas in febribus quæ cerebrum in conſenſum trahunt, ſi enaſcatur ab meatus oppilatione, vel nervi auditorii offenſione, propter materiæ ſurſum repentis motum, alvum remoratur. IV. [2.] *Laſſitudinis ſenſus*, ſi vel minimum moveantur ægri, Aphor. IV. [3.] Unde febres κοπώδεες ſeu laſſitudinariæ potius quàm [4.] laborioſæ dicuntur. Et *tum*, [5.] febricitantes abſceſſibus per metaſtoſin materiæ febrilis, niſi aut alvus [6.] aut urina craſſa, multa & alba, ut Archigenis ſervo accidit, profluat, corripiuntur, & quidem [7.] ἐς ἄρθρα, circa articulos, partes nempe ampliores, & materiæ febrilis capaces; & παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα, circa maxillas maximè, excitatis nempe parotidibus, vel phlegmonoſis, quod in febre ardente fieri ſolet, vel œdematoſis quod in lenta. Aliquando ſolius aut cibi aut potus intempeſtivum uſum ſequitur, uaccedente ad dejectionem viriũ novo onere, & inde cruditate, oſtendit Galenus in hiſtoria Philiſtis Comment. III. in I. Epidemiorum. V. [8.] *Vertigines tenebricoſæ*, δῖνοι, quæ leviter habentibus initio accidunt cum urinis tenuibus, ut nulla ſit Criticæ perturbationis excuſatio, febrem mortiferam præſagiunt VI. [9.] *Rigores*, qui ſi in non intermittente ægrum jam debilem frequenter invadunt, mortiferum eſt, Aph. IV. 46. quia materiam morbi intro referri oſtendunt; ſi quotidie repetunt, quotidiè ſolvi febres indicant, Aphor. IV. 63. diſcuſſa ſcilicet febrili materia, cujus motu paroxyſmus fiebat: ſi ſexto die fiunt, judicationem difficilem habent, Aphor. IV. 29. quia antè ſignis apparentibus ad tempus criſis ſignificata non fuere; ſi febri ardente laboranti ſupervenit, eam ſolvit, Aph. IV. 58. niſi fortè nulla materia excludatur. VII. [10.] *Tremor*, qui ab humoris è venis [11.] ad nervos metaſtaſi provenit, provenit & ab oppreſſione facultatis motricis à cauſa morbifica. *Si* in *juvenibus* inprimis, quibus validæ ad pepaſmum & excretionem vires, *initio febris conquieſcit* abſque judicatione, *abſceſſus ad articulos decumbunt*, materia, eo translata, & quidem cum dolore, *purulenti*, materia prædicta tandem à natura evicta, & in intermediis muſculorum ſpaciis in pus converſa. [12.] De *delirio* & *convulſionibus* locis ſuis vide. VIII. *Vocis defectiones*, quæ ſi in febre ſymptomatibus, propter fruſtraneam irritationem & humoris morbifici cruditatem aucta, fiant, & convulſionis ſpeciem ob partium materiam vocalem exprimentium, deducentium, excipientium & modulantium, convulſionem præ ſe ferunt, & in mentis emotionem cum ſilentio, aphoniæ cauſa vel diſſipata vel alio converſa, & ægro linguam recipiente, perniciem adferunt, quia principales partes obſeſſæ ſunt. IX. *Dolor*, & quidem I. [14.] *Capitis*, quem humores vel vapores per venas & arterias ad caput delati, & membranas cerebri vel pericranium vellicantes & pungentes cauſantur. *Tollitur* is per revulſionem 1. Cucurbitulis partibus inferioribus appoſitis. 2. Crurum frictionibus cum linteis aſperioribus deorſum factis. 3 Extremorum ligaturis. 4. Externorum applicatione, ut ſunt, *Radix raphani* cum modico ſale & aceto, vel *fermentum* cum ſapone, ſale, aceto, foliis caulium, plantis pedum alligata. [15.] *Epithema* ex ſtupa cannabina & linteolo, ad ſynciput, frontem & tempora, immerſis in albumine ovi, cum aquæ aut aceti roſati cochlearibus aliquot, & caphuræ drachma una in ſpiritu vini rectificato diſſolutæ, commiſtis & conquaſſatis ſimul. *Emulſio*, ex amygdal. amar. N. vj. nucleorum perſicor. & ceraſor. ãã. N. IV. ſemin. papav. rhœad. dr. iij. ſemin. quatuor frigid. major. ana dr. j. aqu. urticæ, beton. flor. papav. rhœad. ana unc. iij. roſar. unc. II. parata, cum theriacæ veter. dr. j. nitri puri ſcr. ij. Camphoræ diſſol. dr. ſ. ſacchari Saturni ſcr. j. permiſta, ſuturæque coronali, fronti & temporibus tepidè appoſita, *Nota* verò, 1. Repellentia in principio, ferventibus nimis

nimis humoribus, revulsione præmissa, tutius exhiberi. 2. Capite jam occupato, ne soporosi affectus, vel Catarrhi inducantur, fugi debere & 3. Moderate calidis in discussione vaporum utendum. 2.[16] *Cervicis*, cum *pulsatione venæ* quæ ibidem est, quàm materia deorsum à capite tendens inter musculorum spacia delata excitat: collumque præcipuè affligit, quia substantia ibi densior, & plurimo sensu prædita, immediateque capiti subjicitur. Accidit in febribus quæ plenitudinem capitis conjunctam habent; deducitque aliquando ad dysenteriam. 3.[17] *Pulsatio aspectabilis*, est à vasorum plenitudine, vel acrium & calidorum humorum ad caput translatione. Si[18] accidit circa initia tenuiter febricitantibus, cum urina tenui, aquosa, & omnino cruda, ita ut[19] ad judicationem invalescant materia è venis in cerebrum effusa, mentis emotio, & pervigilium excitatur, *Coaca* 81. 4.[20] *Lumborum*, à materia in crassa intestina secedente: qui, si succedat *præcordiorum dolori ἀραιῷ* & per intervalla infestanti, quem flatulenta distentio, vel agitata materia sine φλεγμονῇ excitavit, *alvos plerumque humectat*, fæcibus & flatibus humidioribus agitatis & eo detrusis, nisi sero in alimentum converso, *flatus erumperit*, aut[21] eodem ad hepar refluente, & inde ad renes deducto, urinæ copia prodierit. *Coaca* 291. Solent aliquando[22] cum horrore ad os ventriculi recursare, ex quibus ægri,[23] si tenuia & aquosa vomant, delirent,[24] voce deficiant,[25] post nigrorum vomitum moriuntur. *Coaca* 318. 5. *Genuum*, & *coxendicum*, *Coaca* 152.[26] translata per imperfectam crisin à partibus ignobilioribus ad nobiliores materia. X. His adde 1. *Tumores glandularum*, qui in febribus pituitosis ex superflua peccantium humorum impuritate producta oriuntur: & quia morbificæ causæ continuationem denotant, morbi quoque diuturnitatem prænunciant. 2.[27] *Palpitationes circa ventrem*, quæ in febre focum in arteria lumbari habente accidere solent, & à vehementi arteriæ spinam perreptantis motione, aut magna visceris alicujus inflammatione oriuntur. Adferunt aut[28] mentis emotiones, si sanguis atra bile perfusus eòdevehitur;[29] aut sanguinis ex naribus cum horroris sensu profluvium, quod aliquando tantum accidit. *Coaca* 298.

IV. *Excretorum*, ut sunt, I.[30] *Urina* æque 1. *variæ*, quæ morbum producunt,[31] quia à materiæ varietate & inæqualitate proficiscuntur, *Coaca* 595.[32] unde & pepasmus & redintegratio difficilis. 2.[33] *Turbata tanquam jumentorum*, (ὥσπερ ἀνατεταραγμένα τῶν ὑποζυγίων) quæ diu depositæ nunquam subsidunt. *Et tum*, si nulla renum affectio adest, adest vel aderit cephalalgia, Aphor IV. 70.[34] propter flatulenti spiritus cum calore præternaturali, qui serum in venis turbat, sursum elationem. 3. *Spumosa & bullata*, quæ à flatulento spiritu ex crassiore materia tales, vel recidivam significant ab inchoata crisi, cujus perfectio cum tali crisi sperari nequit; vel sudorem, oppressionis sobolem. 4. *Tenues & lienosa*, σπληνώδεις, i. e. crudæ, aquosæ, & quæ cum signo lienis jam pridem durescere incipientis, & κατάῤῥοπα apparent, si cætera sunt salutaria, abscessus ad inferas partes sub diaphragmate moveri indicant. 5. *Crassa*,[35] *grumosa*, *pauca*, quæ prosunt si ab eis tenues & copiosæ mejantur. Aphor. IV. 72. maximè autem tales minguntur, quibus statim ab initio[36] vel non multo post sedimentum inest. 6. *Densitatem habentes divulsam*, quæ vel morbi reversionem, vel sudorem portendit, *Coaca* 593. 7.[37] *Cum albo & levi sedimento*, quæ celerem ἄφεσιν significat, *Coaca* 575. quia materiæ pepasmum non renuentis, & partium solidarum integritatis index est. 8.[38] *Tenues*, quæ quia, utpote crudæ, longum tempus ad coctionem requirunt, morbi longitudinem portendunt; si simul nigræ, mortem; si copiosæ, crisin. 9.[39] *Tenue & modicum*[40] *sedimentum habentes* quæ, quia naturam toti humori non dominari, ita ut una parte cocta altera adhuc cruda sit, & eo modo plures partes affectas; plurésque morbi mineras esse, quibus non ita cito natura succurrere potest ostendunt, diuturnitatem quoque modo significant. 10. *Quæ frequenter in melius & deterius mutantur*, malæ sunt, *sive* in hac vicissitudine diutius perseverent, *sive* ad judicationem longinquitas temporis requiratur. *Illud*, quia morbi inconstantiam & naturæ instabilitatem significant: *istud*, quia partis affectæ difficilem curationem & infirmitatem innuunt: *hoc*, quia naturæ segnitiem arguunt, quod tum evenire solet, cum natura morbum non exactè eo tempore, quo ad crisin concitatur, superavit, *Coaca* 575. II.[41] *Sanguinis undecunque*, id est, *per nares, uterum vel sedem, immoderata eruptio*. Et *tum* ægris in refectionibus αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται, *ventres humectantur*, Aphor. IV. 27. *Coaca* 153. læsa scilicet ventris à calore labefactato temperie, unde cruditas & intercepta alimenti distributio. Non sistendum temerè profluvium, ne interclusa cruditas putredine corripiatur. III.[42] *Sudores*,[43] unde febres ἑλώδεις, palustres, & ὑετώδεις, sudorificæ, qui accidunt plærumque dum imbres cadunt; καύματος αὐχμηροῖς, in æstibus squalidis febres sunt ἀνίδρωτες, sine sudoribus & siccæ. In prima febris εἰσβολῇ si accidant, plenitudinem significant. Si ἐπιγενόμενοι febrem non solvunt, malum. Prorogatur enim ob contumacem & tenui sua parte seu ichore spoliatam materiam morbus, significaturque subesse ὑγρασίην πολλήν, multam humiditatem, quæ ob copiam & partium solidarum infirmitatem contineri non potest. Aphor. IV. 56.[44] Heurnius jubet purgare sensim semine Carthami & Mechoacanna, & ducere urinam cicer. asparagi, capillorum veneris &c decocto. *Tenuis*, seu ἐφίδρωσις, si calore febrili in summo vigore existente oboriatur, malignè ægri habent, quod tales ab imbecillitate retenticis, aut imper-

critica evacuatione proficiscantur, naturæque suppressionem denotent. IV. [45] *Lacrymæ oculorum involuntariæ* Aphor. IV. 52. quæ nisi criticæ evacuationis suspicio adsint, absurdæ sunt, quia à resoluta ob calorem febrilem facultate fiunt, & resolutionis canthorum & cerebri sunt indicium. Dealeis uxoris oculos ichor à phrenitide tenuis feriebat. V. [46] *Biliosus alvi fluxus*, & qualis in [47]. dysenteria interno abscessu per alvum soluto fieri solet, vindicare à febre solet, translata per imperfectam crisin à nobilioribus partibus ad ignobiliores materia, si urina sub judicationem, naturæ robore secxerente, concocta. VI. [48] *Profluvium muliebre*, quòd, si confertim fiat, & diebus decretoriis, ut Larissææ virgini accidit, l. III. Epidemior. Ægro 12. criticè morbum solvit.

V. *Qualitatum mutatarum*, ut sunt I. [49] *Linguæ ariditas*, absumpta à fuliginibus exurentibus salivali humiditate: eaque *vel* cum *nigredine & fissura*, si illi fervidiores: Et *tum* aqua lactucæ, prunellæ, cum pauxillo nitri; nec non sal prunellæ cum aqua sempervivi laudantur: vel *sine*, si minus fervidi: & tum decoctum hordei cum syrupo violarum prodest. II. [50] *Linguæ lentor*, ex crudo & lento humore, qui à calore febrili excitatur. Valet *collutio oris* cum decocto hordei, salviæ, oxymelite, & paucis guttis Spir vitr. III. *Oculorum rubor*, qui, [51] ab exhalationibus febrilibus sursum elatis obortus, diuturnam & præsentem alvi malignitatem præ se fert, non tam in profluvio consistentem; nam hoc ophthalmiæ superveniens bonum, quam in adstrictione ejusdem, Marcianus exemplo cujusdam senis ostendit. IV. [52] *Icterus*, qui si ante diem septimum supervenit, nec ulla inflammati hepatis, obstructæ fellis vesiculæ, aut venenatæ potionis suspicio, [53] malum: tum quòd ante diem eum cruditatis plena sint omnia; ideò tum nulla excretio salutaris: tum quod febres quæ bile ad cutim excussa judicantur, à bile natura crassiore & crudore nascantur. Aphor. IV. 62. Arceri tamen urinæ, alvi, vel sanguinis ex naribus profusione periculum potest.

75. *Symptomata*) Febris omnis symptomata quædam habet, quæ vel ideam, vel malignitatem, vel magnitudinem demonstrant; atque quando intenduntur morbum augent viresque labefactant, ad se curationem trahunt, aliàs sponte evanescere solent: Graviora autem symptomata reddit humoris situs, partium ac imbecillitas, si quæ enim pars veteri quodam morbo afflicta sit, in febre prima solet indolescere. *Primirosius.*

76. *Symptomata sunt actionum* &c. *Excretorum* &c. Enumerationem deducit *Willis* c. 10. ex corporis regionibus, Symptomata *aut*, Febri putridę supervenientia, licet totius corporis œconomiam plerumque depravatam, & pullius non partis, aut membri crases & functiones læsas arguant, tamen accidentia, quæ Medicus circa morbi hujus diagnosin, ejusque prognosin rite instituendam, præcipue considerare debet, ad tres veluti classes, sive locos communes referri possunt, Ea nimirum respiciunt 1°. *coctionis viscera*, scilicet ventriculum & intestina cum eorum appendicibus: Secundo vel *humores in vasis confluos*, scilicet *sanguinem in arteriis & venis*, & *Liquorem tenuem* in partibus nervosis, una cum primis utriusque scaturiginibus, scilicet corde & cerebro; Vel denique symptomata ista spectant *habitum corporis* cum varia pororum constitutione, & *partium solidarum* tensitate, aut emarcescentia.

Circa *Ventriculum* & primas vias, in toto hujus febris decursu, molestia & inordinationes, uti sunt nausea, vomitus, inappetentia, apepsia, diarrhœa, oris & linguæ scabrities, sapor amarus infestare solent; Hæc utplurimum humoribus in stomacho prius congestis, ibidemque putrescentibus attribuuntur, at præterea quod chyli recrementa nimio calore perassata in materiam noxiam degenerant, non raro ejusmodi accidentia eveniunt eo quod sanguinis & succi nervosi effervescunt, purgamenta & sordes introrsum feruntur, atque in viscerum membranas deposita spasmos cient, etiamque humoris vitiosi, & valde infesti colluviem faciunt: Sæpius observavi, quod circa febrium initia sanguis effervescens cum ægrorum commodo recrementa sua usque interius deponeret, ubi licet magnæ molestiæ circa primas vias accrescerent, tamen effervescentia propterea fuit mitior, pulsus moderatus & urina laudabilis, atque hoc modo febricitantes cum victu tenui & lenientium usu brevi convalescebant: Sin vero in hoc casu pro extirpandis humoribus vehemens catharticum adhiberem, præpedita istac naturali cruoris perpurgatione, statim febris intensa cum urina rubicunda & turbida, pulsu alto, vigiliis, aliisque horrendis symptomatis evasit, etiam non raro post morbi statum, hujusmodi lustratione interiori, materia adusta & excrementitia à cruore secernitur: Hinc aliquando diarrhœa, interdum crustacea oris & gutturis oblinimenta succedunt, quare circa accidentia quæ in primis viis contingunt cautione opus est, ne dum iis occurrimus naturæ pervertamus motum, & dum has partes contra materiæ morbificæ incursum munimus, ne perperam in cruoris massa eandem occlusam servemus.

Symptomata circa *massam sanguineam* præcipue perpendenda sunt calor in toto diffusus, præcordiorum æstus, sitis, pulsus inordinatio, urina rubicunda, lassitudo spontanea, syncope: E quibus rite considerans sequentia innotescunt, scilicet quis sit caloris modus, seu quo tenore exardescens sanguis deflagret, qualia remissionis aut exacerbationis tempora ejus effervescentia observet inter deflagrandum; An crasin suam sive mixtionem integram retineat pro incendio ejus & accensi circulatione, cui cordis robur sufficiat, & vasa spatium concedant quamdiu exardescit cruor, qua copia recrementa adusta congerat, quo ritu eadem subigat, secernat, aut saltem secernere nitatur, qualem denique criseos viam moliatur, & quo successu.

Accidentia quæ ad *Liquorem tenuem* cum cerebro & appendice nervosa spectant, sunt inordinationes circa somnum & vigilias, debilitas totius corporis, tremor, rigor, dolores, motus convulsivi, viscerum spasmi, stupor, phrenitis; quorum observatio suggeret quæ sit liquoris istius tenuis temperies & constitutio, quo ritu partes nervosas irriget, inflet, & per eas circuitus suos peragat: quomodo spiritus animales viscerum functiones obeant, quis sit cerebri status, an ab incursu materiæ febrilis immunis perstet, an non ob criticam ejus metastasin obrui periclitetur.

Circa *Habitum corporis*, observare oportet quæ sit diaphoreseos ratio ejusque modus, an tantum per effluvia vaporosa, aut per sudores, aut etiam per exanthemata: Utrum carni de solita sua mole cito decedat, vel an

diu

diu ipsam retineat? Quis sit faciei color & oculorum vigor aut hebetudo? Ex his rite collatis febris decursum optime metiri liceat, quo tempore ad statum pervenerit, utrum Natura morbo prævaleat, necne, quali denique modo, & quo successu materiæ febrilis expulsionem molitura sit: Hisce etiam signis edifcitur, quibus gradibus sanguis effervescens, & sæpe congelatus versus putredinem sive corruptionem tendat? An succum alibilem ipsi consulum ullatenus coquat; vel anno sudore totam ejus penum (prout in declinatione hujus morbi sæpe accidit) protinus foras ejiciat. *Willis*.

77. *Actionum naturalium*) Causas symptomatum in intermittentibus vide inferius Tit. v. cap. 1. §. *Causa proxima*.

78. *Actionum naturalium, ut sunt &c.* Intermittentes diuturnæ, præsertim Tertianæ duplicatæ, itemque Continuæ paulo diuturniores, ita videntur alterare sanguinem, & inde derivatam lympham, ut crassior, viscidior, glutinosiorque eorum evadat textura; Unde convalescentes tales adhuc febriculas lentas subinde experiuntur, aut saltem *Appetitus* aliquandiu infausto omine non debite redit; Febricutæ tali optime (præmisso interdum vomitorio, mucum primarum viarum eliminante) per sal armoniacum occurrere possimus: *Acorexia* vero vel *absynthii*, vel *centaurii min.* continuatam qualemcunque aliquandiu usum. *Ettmuller p.* 291.

79. *Naturalium*) *Quæ à vitalibus non contra distinguuntur*: Advertendum autem est naturalis œconomiæ perversionem non solis symptomatis convenire, sed inordinatæ effervescentiæ esse communem; Oeconomia enim naturalis non solum pervertitur per actiones læsas, excrementa & retenta multa, vel per qualitates corporis alteratas; sed etiam pervertitur per ea à quibus hujusmodi symptomata originantur; Quantum autem valeat inordinata sanguinis effervescentia ad evertendam naturalem œconomiam, poterit unusquisque colligere exinde, quod omnia corporis officia, omnes actiones, quashbet operationes sanguinis concursu & auxilio natura perficit; unde illo p. n. affecto, omnes facultates, & cum his totius œconomiam labefactari necesse est, non solum mediantibus symptomatibus, sed etiam prævia inordinata sanguinis effervescentia, cum in præternaturali statu constituente. *P. Sacchi. Irod. Febr. cap.* 13.

Sitis in febribus.

80. 1. *Sitis*) Innumera symptomata Febrem sequuntur, inter quæ præcipue tamen numeratur *Sitis*, quia nullum est forsan symptoma frequentius, quia est immediata caloris soboles, cum febre inseparabiliter conjuncti: Consumpto enim humido quo ventriculi os irroratur, & fauces gutturve madent, Sitis oritur, quæ est appetitus humidi, à calore vero illud humidum consumitur; qui cum in febre semper reperiatur, Sitim etiam, frequentissimum Febris symptoma efficit; Et si videamus dari febres sine siti, hoc provenit vel à nimia humiditate, qua prædictæ partes perfunduntur; vel à calore debili, licet febrili; non valente moderatam humiditatem consumere. *Ettmb. M. Pract.*

80. *Sitis*) Sitis fere inextinguibilis fit tum ab æstu in præcordiis gliscente, tum ob particulas materiæ febrilis acres & calidas, ventriculo à sanguine inter circulandum affixas, quas quidem eluì desiderant, non secus ac alimenta salsa & piperata uberius ingesta, aut etiam acria, ore vel gutture voluta: hujusmodi enim affectus uberiorem potus ingestionem appetit, prout membrum nimis incalescens aquæ frigidæ suffusionem suggerit. *Willis cap.* 10. Contrariis ferme ex causis in febribus etiam ardentissimis nulla sitis interdum adest, aut quia sentiendi facultas demortua est & extincta, aut quia tenuis humor distillat, aut ob delirium, unde sitim non sentiunt, etiamsi valde sicci sint; Unde in *Coacis*, Sitis præter rationem soluta in morbis acutis malum, nam vel mentis errorem, vel extinctionem caloris nativi significat: Pariter inexhausta Sitis, quæ largo & sæpius repetito potu sanari non potest, mala, ob magnam intemperiem partium interiorum supra modum æstuantium, vel ob humidi substantifici maximam absumptionem. *Primirosius*.

81. *Potus circa finem vigoris offerri potest*) Remedium in omni siti præsentissimum *Potus est*, In paroxysmi tamen principio & augmento potus prohibendus, quia calor tunc suffocatus est, & potus à materia morbifica immutatur, unde accessio fit mali, nam ut ignis aqua affusa, sic magis potu calor effervescit. In statu collutionibus & gargarismis utendum, In declinatione autem potus magis convenit, neque permittendum ne ægri magis siriant, ne cadant in hecticam, maxime si siccitas valde infestet, ideo si sitis valde urget demulcenda est: Eam autem compescit imprimis aqua pura, levis, omnis alienæ qualitatis expers, quæ amplius extenuabitur vel agitatione crebra, vel immersa panis medulla, quæ fermenti acrimonia illam emendet; Cocta levior quidem sed minus suavis, quod ignis vi fuerit immutata.

Incoqui solent *hordeum, liquiritia, passula, saccharum*, maxime ubi pectoris aliquis affectus adest; sed ad humores frænandos, visceraque tonum servandum, si dulcia ingrata sint, addantur grana aliquot mali punici, vel citrii pulpa, vel baccæ oxyacanthæ, eorumve succus expressus & defæcatus, Conveniuntque ejusmodi potiones febribus malignis, pestilentibus, ubi ventriculus visceraque sunt debilia, ubi nausea fatigat, alvi profluvium, animi defectio, spirituum ac virium defatigatio adest, ut docet *Fernelius*, Utitur præterea syrupis ad sitim, & si quidem febris sit ardens citra obstructionem, datur *syr. violaceus*, quia refrigerat & humectat, In pestiferis *syrup. de acetositate citri*, In ardentibus ex *aqua rosa. uni* & saccharo fit *Julep. Alexandrinum*: Sed in intermittentibus, & quando obstructio adest, non est ex usu.

Ubi advertendum an Alvus fluat necne, nam si alvus liberior sit, loco violacei & lenienum adstringentes usurpabimus, ut *granat. cydonior. myrtill.* Si vero alvus sit adstricta, lenientes, qui refrigerant & alvum faciant liberiorem; At in diuturnis febribus, & aliis morbis quos Jecoris lienisque intemperies & obstructio progenuit, ut in ictero, cachexia, leucophlegmatia, pro potu erit decoctum radicis *graminis, acetosæ, cichorii*, si jecur in vitio est: sicuti *asplenii, buglossi, tamarisci* decoctum, ubi Lien laborat: In malignis decoctum cornu cervi, cum vino granatorum, julep. violato, tale prunellæ.

℞. *aqua hordei* ℔j, *incoque sacch. cand.* ℥ij. *seminis citri* ℥j. *rad. acetosæ, gramin. ãã.* ℥j. *c. c. usti* ʒ. *flor. violar. pug. j vini granat.* ℥iß. *m. f. Potio pro potu ordinario.*

adde si vis conservam rosar. vitriolatam: Conservæ quoque violar. borrag. buglossi, caules lact. conditi, pruna, cerasa condita, conserva berberis in aqua dissoluta prosunt, sicut eadem pruna & poma in taleolas secta concoqui possunt ad oris humectationem: Sed si adsint in ventriculo biliosi humores, vomitu & medicamentis sunt educendi; quod si post purgationem sitis non cessaverit, prædictis erit intendum, & oxycrato, oxalidis, lactucæ seminibus & foliis in aqua maceratis, Emulsionibus seminum frigidorum, Præterea cydonia, pyra, cucumer. cucurbitæ in rotulas concisa, infunduntur in aqua gelida, Somnus sitim sedat à sicci tate inductam: Vigiliæ sitim leniunt interdum, quia calorem evocant ad externa: *Pilulæ* hypoglottides sequentes commendantur à *Paulo*.

℞. *sem. cucum.* ʒviij. *g. tragac.* ʒiv. *dissolvatur cum ovi recente. albumine gummi, dein semina trita commisceantur, fiant Pilulæ quæ siccentur in umbra,*

paulatim deglutienda. Gargarismata quoque conveniunt ex superiorum decocto, Tum ℞. *conserv. rosar. violar. ribes āā.* ℥iij. *Pulv. artasant. diatrag. āā.* ʒß. *sacch. rosat. tabul. ad pondus omnium, misce.*

Extrinsecus conveniunt Inunctiones capitis ex oleis refriger. *rosar. nymph. cucurbita*, cum impetu in caput expressis superfusisque, *ex Avic. & Paulo*, quia stomachus capiti consentit per nervos sextæ conjugationis, modo non prohibeant catarrhus aut tussis: Valent & Gutturis epithemata ex *oleo rosato* cum mucilag. semin. psyllii, granis aliquot camphoræ, & succis lactucæ, sempervivi, solani, similiumque refrigerantium, in quibus linteola madefiant & frequenter gutturi imponantur: Probant alii detentionem & immersionem manuum in aqua frigida, ob consensum manuum & jecoris. *Primirosius.*

82. *Offerri potest*) Natura tenuium humorum expurgationes cum sero & ichoribus, per urinæ vias & sudores evacuat; quam & Medicus illius minister imitari, idoneo tempore debet; &c. *Aqua cocta* cum pauco vino exhibita sudores elicit, sed & *sola* affatim bibita sudores potenter movet; Unde qui ægris Potum adeo interdicunt, eosque sin fere enecant, cum sit minus, sudent, & corpus ipsorum valde inflammetur, unde hectica facilius sequitur, temere illos affligunt. *Platerus.*

Deglutiendi difficultas in Febribus.

Deglutiendi difficultas fit à faucibus occupatis, & coangustato œsophago à fuliginoso vapore, aut à pituita è ventriculo per œsophagum ascendente, aut à cerebro in dictas partes defluente, eaque à febrili calore incrassata & concreta; Nunquam tamen deprehensum est, *inquit Fernelius*, his solum ex causis, quod tamen plurimi metuunt, fauces omnino præcludi; Accidit alias & hoc symptoma ex bilioso sanguine, in musculos & faucium & cervicis decumbente; alias ex vertebrarum cervicis distensione, excitata à nervorum in dictas partes insertorum siccitate, alias etiam ab extrema virium imbecillitate.

Lethalis ea deglutiendi difficultas est quæ à convulsione nervorum oritur, cum enim hæc convulsio à siccitate fiat, incurabilis est; Febres enim vehementer instar ignis siccant nervos, ideoque eos tendunt & convellunt, Quæ item à summa virium imbecillitate oritur, lethalis est, hanc enim mors proxime consequitur: At vero quæ lentis humoribus & pituitosis fuliginosisque vaporibus, incrassatis obduratisque, fauces & œsophagi introitum occupantibus prodit, curatur iis remediis quibus lentor linguæ & faucium: Si tumor cervicem occupans hoc symptoma excitet, admoventur collo unguenta, linimenta & cataplasmata emollientia, resolventia, digerentia, & si nulla spes digestionis adest, suppurantia; *Euch. Med. Pract.*

Singultus.

83. *Singultus*) Qui per Febres accidit alias à *repletione*, alias ab *inanitione* accidit, sæpe etiam à cæca quadam *malignitate* & pernicie: A Repletione, ut cum vitiosus humor mordax, per venas in ventriculum effunditur, & in ejus tunicas altius impingitur, ut interdum accidit in vigore & horrore intermittentium, & in crisi continuarum; Ab inanitione, ut cum exsiccatæ ventriculi tunicæ ab ardore febris in se contrahuntur: Interdum etiam teter & malignus vapor orificio ventriculi & ejus tunicis altius infixus singultum creat, ut contingit in febribus pestilentibus aut aliter malignis.

Supervenit etiam hoc symptoma cerebri & jecoris inflammationibus, ventriculo in consensum mali veniente: Si fiat ab acribus humoribus contentis in ventriculi tunicis, præscribatur vomitorium, si æger facile vomat; aut lenis & blanda purgatio, aut revellatur, alioquin revocetur ille mordax humor: Contemperetur idem jusculis, ptisana, emulsionibus 4. semin. frigid. maj. ex decocto hordei, lactucæ, portul.

Si ab Inanitione, lethalis utplurimum esse solet, ut cum antegressæ sunt lethales evacuationes, per hæmorrhagiam, alvi profluvium &c. Juvandus tamen æger jusculis consummatis, expressionibus carnium &c. Si à venenata pernicie impacta orificio ventriculi, prætermissis & vomitoriis & purgantibus, oppugnetur illa solis alexiteriis, *aqua theriacali*, cardui ben. &c. Præterea sacculis ex stomachicis bullitis in *aqua* vel *vino rubro*. *Euch. M. P.*

Hoc symptoma plerumque senibus accidit post copiosas evacuationes, vel per secessum, ex diarrhœa, maxime per vomitiones, atque sæpenumero mortem præ foribus adesse denunciat; Ingenue fateor me mihi de singultus causa disquirenti satisfacere non posse, Nihilominus observavi sæpe illum ex turbis ac tumultu ab asperioribus medicamentis in ventriculo, locisque vicinis excitato ortum ducere, quibus sedandis, atque in pristinam pacem reducendis cum naturæ vires non suffecerint, fit ut ingens periculum immineat, proinde consentaneum existimavi curam eo dirigere, ut quod natura per se nequibat, artis adminiculo suffulta perficeret: *Diascordium* larga dozi exhibitum, nempe ad ʒij, à scopo meo non aberravit, cum *semine anethi*, aliisque quæ tanquam specifica decantantur, usus nihil profecissem. *Sydenham, Obs. in Acut. p. m. 69.*

84. *Quem aliorum remediorum*) D. N. ex *febre singultuosa* quàm alias semel tantum videram, sanavi dum jam excederet annum octuagesimum: Exhibui *absynthium* & *oleum amydal.* & *oxymel assidue.* Extra vero *absynthii succum* cum *ol. amygdal. dulci.* Existimavi, ut par erat, membra esse Sicca. *Cardanus.*

85. *Quidam cucurbitam*) Qualiscumque fuerit causa, si illa diutius perseveret, juvat *Cucurbitula* cum multa flamma, admota regioni hepatis, nam partes ventriculo, superpositæ ita suspenduntur, & quamdiu ventriculum minus comprimunt, minus urget Singultus, & ob id et erecto corpore minus urget Singultus quam supino. *Euch. Med. Pr.*

86. *Vomitus*) Vide proxime §. 88. *Cardialgiam excitat.*

87. *Qui & Cardialgiam excitat.*) In plerisque Tertianis sunt Cardiogmoi, vomitiones subvirides, An ideo [illegible] est, & scobs unicornu præsens alexiterium? Id faciunt Medici, qui id vulgo persuadent, ut aliquod agere videantur; Vix enim febris Intermittens [illegible] habet, cum & [illegible] & partium [illegible] secum ducant febres assiduas: Tales [illegible], [illegible], jactationes, oriuntur à r effluente bile & os ventriculi feriente (sed id fit ob morsum bilis) & purgatione restaurantur; *Ballonius. Epid. l. 1. p. 8.*

Cardialgia, Inappetentia.

88. *Cardialgiam excitat*) Cardialgia in febribus contingit quando ventriculus, & imprimis ejus orificia, ob multiplices nervorum insertiones valde sensilia, humore acri & amaricante, aut etiam acido & corrosivo obsidentur, hinc enim dolor ab acrimonia humoris, simili modo ac sphincter ani in dejectionibus biliosis dolore & molestia afficitur.

Ob ejusmodi causam *Vomitus & Nausea* solent excitari, nimirum ventriculo à materia extranea, & sibi non congeneri obsesso, & ad spasmum irritato: Talis excrementitia materia tribus modis in ventriculo congeritur, aut enim alimenta partim ob defectum acidi fermenti, quo rite coqui deberent; partim ob calorem ventriculi adurentem, in talem putrilaginem exassantur: Aut *secundo* hujusmodi materia ex arteriis in ventriculum terminatis in cavitatem ejus deponitur, prout usu venit

in

in variolis, peste, & febribus malignis: Aut *tertio* mera bilis è meatu choledocho in jejunum intestinum expressa propter motum inversum ac velut convulsivum istius intestini in ventriculum suffunditur.

Inappetentia etiam accidit ob ventriculum succis vitiosis scatentem, & quia fermentum acidum à calore torrefaciente omnino pervertitur; Hujusmodi ventriculi & viscerum affectiones aliquando oriuntur à materia excrementitia (scil. alimentosa inter coquendum degeneri) diu ante febrem in primis viis congesta, quæ non raro ipsius febris causa occasionalis existit: Interdum vero Nausea, Inappetentia, Vomitus, Cardialgia &c. sunt immediata febris producta, cum enim pridie ægrotationis affecti satis stomacho valuerant, quamprimum immodica effervescentia sanguini inducitur, dum iste supra modum ebullit, tum effluvia & excrementa exterius evaporari solida, tum humor biliosus è vasis choledochis exundans, ventriculo suffunduntur, quibus ipsius crasis evertitur, ac etiam chyli reliquiæ; aliaque in visceribus contenta insigniter depravantur, unde prædicti affectus originem ducunt. *Willis.*

Vomitus & Nausea.

Vomitus & Nausea contingunt in Febribus, vel ob humorum malignitatem, putri vapore os ventriculi stimulante & labefactante, vel ob crudorum humorum copiam, vel biliosorum acrimoniam: Isti autem humores vel in ventriculo ipso generantur, vel aliunde in ipsum confluunt; Interdum quoque vomitus causa est ventriculi relaxatio à pituita dulci; unde ventriculus imbecillis nihil potest retinere: Est autem vel criticus, vel symptomaticus, Criticus si fiat die critica, præcedentibus signis coctionis, atque huic remedia non sunt adhibenda, nisi modum excedat, Symptomaticus vero curandus est; utilis autem ille est qui bilem pituitæ accurate permistam exhibet, sincerus autem variisque coloribus præditus malus est; ut cœruleus, viridis, niger, ob malignitatem horum humorum, & inter hos maxime lividus cum fœtore junctus; ob maximam putredinem & caloris nativi extinctionem; Panctus quoque & laboriosus periculosus, maxime si vigiliis torqueatur, eoque magis si multa adsit dejectio, lumborumque dolor, Hinc in febre continua damnantur ab Hippocrate nausea & ciborum fastidia cum sialismo.

Ad *curationem* fluxus revellendus, vires instaurandæ; stomachus roborandus, Revellunt clysteres, frictiones, ligaturæ, balnea, cucurbitulæ ventriculo affixæ, quibus adhuc adhærentibus alimenta sunt exhibenda; 2°. Ventriculus roborandus, sed nonnisi purgatis prius humoribus & præparatis: Roborant frigida adstringentia si humor sit calidior, ut *Conserva rosar. cichorii, syrupus de rosis siccis*, de agresta, portulaca, limonibus, berberis, ribes & similia: Panis vino granatorum intinctus exhibetur.

Quæ si non prosint, Narcoticis utendum, *laudano, philonio, theriaca recenti*, sed caute, & magna in necessitate, abstinendo si vires sint imbecilles: *Extrinsecus* apponantur linimenta ex oleis *rosar. cydonior. mentha, mastiches*; Fomenta ex decocto adstringente, *absynthii, mentha, rosar. balaust. myrti, sumach. granat.* Empl. *ex cydoniis, acaciæ, hypocyst.* &c. Empl. *de crusta* panis Montagn. & Diaphœnicum: Valet crusta panis assata & vino intincta cum nuce mosch. & similibus: Valde confert sequens.

℞. *Fermenti acerrimi* ℔ß. *mastiches* ʒß. *mentha sicca m. j. carnis cydonior.* ℥ß. *pulv. corall. r.* ℥j. *absinth. nuc. mosch.* ā ʒß, *cum oleo mast. f. catapl. Paulus* sequens imperat.

℞. *Palmul. balaust. acaciæ, sumach. gallar. malicorii.* ā ℥j. *coqu. dum tabescant, transmitte per setaceum & stomacho applica.*

Laudant *Avicenna & Paulus spongiam aceto calido imbutam*: Si humor sit malignus addantur cardiaca, *Bolus Arm. Terra sigill. c. c. Theriaca mithridatium.*

Si humores sint frigidi calida addantur, absinthium, sampsuchus, nux mosch. mentha, semina odorata. Vires roborentur præsertim vino generoso, unde panis ex vino optime & celerrime nutrit; dummodo absint febris ardens, viscus inflammatum, capitis dolor, delirium, In victus ratione exhibeantur ovorum vitelli, testiculi gallorum, cydonia, pyra, cavendo à mulsa & ptisana, ex x. meth. m. *Primrosius.*

Nausea & vomitus febres sæpe præcedunt, factas vero semper comitantur, præcipue tamen Pestilentem; Si ab hac causa sit, ea oppugnanda est cardiacis, tum admotis tum assumptis, theriaca, mithridatio, aqua cardui bened. scabiosæ, pimpinellæ, morsus diaboli, aqua theriacali, & similibus dicendis in cura Pestis. *Enchir. Med. Pract.* p. 481.

Boulimus in Febribus.

Boulimus sæpe febri longa laborantibus accidit, maxime tamen pueris, qui plurimum habent innati calidi, cujus ratione plurimo indigent alimento; Est autem Boulimus fames p. n. quæ nisi statim sumpto alimento sedetur, syncopen, aut certe animi deliquium affert.

Causa in febribus est partium corporis spiritualium, humoralium & solidarum magna dissipatio, ab incommodico calore facta, Et alimenti penuria, ob quam plurimam per universum corpus inanitionem maximus fit in orificio ventriculi suctionis sensus: Interdum hoc symptoma in febribus contingit à vermibus contentis in intestinis, qui alimentum assumptum statim absorbent: Interdum ab immodico aquæ frigidæ potu, quæ refrigerato orificio ventriculi famem invehit, unde *Hippocr.* aquam voracem vocat; frigus enim ab aqua orificio ventriculi inductum ejus tunicas constringit, & constringendo exprimit, unde fames: Interdum & humor frigidus acidusque & malignus; sive pituitosus, sive melancholicus, sive atrabilarius, orificio ventriculi & ejus tunicis impactus, sua frigiditate & aciditate morsum suctioni similem inducit.

Sunt tamen qui negant Boulimum fieri à refrigeratione oris ventriculi sed potius ab immodico ejus & viscerum calore, à quo fit maxima totius substantiæ corporis dissipatio, cujus effluvii ratione æger subinde alimentum assumere cogitur.

Si sit à *maxima totius dissipatione*, facta à febrili incendio, extinguatur id refrigerantibus tum sumptis, tum admotis: Alatur æger alimentis liquidis potius quam solidis, facilius enim impleri potu quam cibo: neque tamen multa affatim ingerantur, mors enim repentina consequeretur: modicum potius per brevia intervalla exhibeatur, ne vis imbecilla pondere suffocetur: Si fiat à *Vermibus*, hi excludantur: Si à *frigido potu* inducta sit intemperies, calefacientibus corrigatur; habita tamen febris ratione: Si ab *humore frigido* & acido, evacuetur vomitoriis, si æger facile vomat, vel blandis catharticis: Valet hic decoctum radicis enulæ & absinthii, aut vinum absinthites & enulatum, quod licet appetentiam naturalem incitet, famis tamen non naturalis causam coquit & absumit. *Euch. Med. Pract.*

Famelicarum Febrium *De le Boë Sylvius* causam deducit à succo Pancreatico, propter stagnationem aciditate graviore, potenti tamen prædito, quæ ad ventriculum usque ascendens tum famem illam immanem, tum aliquando, si denegetur cibus, animi deliquium & alia symptomata inducat: Præscribit omnia quę Acidum potenter infringunt concentrantq;, Oculos cancri, margaritas corallia, cretam,

& misturis aliis conducentibus additæ, vel seorsim ex liquore, cerevisia, jusculo &c.

Dolor Stomachi in Febribus.

Variis ex causis dolere stomachus in Febribus solet, vel ob malam victus rationem, si ægri nimium cibo potuve se repleverint; vel ob biliosos humores in ventriculum aliunde transmissos, à quibus dolores atrocissimi, convulsiones, syncope, vomitiones, diarrhœa contingunt: Prior causa exacta victus ratione curatur, Inflammationis & Erysipelatis remedia ex propriis locis repetantur: Humores biliosi primum vomitu educantur, si æger sit pronus ad vomendum, tum clysteribus, purgatione, dein contemperentur refrigerantibus ut oxysaccharo, succo granat. citoniorum, mororum epithematis, roborantibus electuariis; Victus ratio refrigerans sit, stomachusque oleo rosato, myrtino, cum santalis & similibus inungatur: Si fiat à flatibus, panis calidus stomacho applicatus, vinoque generoso immaceratus prodest; Pannus quoque lineus in decocto calente carminativo immersus fortiterque compressus apponi debet; Utendum quoque temperationibus, carminantibus, ne fbetem augeant. ut decocto chamom. Rom. in jusculo &c. *Primrosius.*

Gustus in Febribus depravatus.

Gustus depravatur, i. e. perperam de saporibus judicat, cum vel linguæ corpus, vel sola illius tunica imbuitur vitioso aliquo vapore, vel humore bilioso, pituitoso, aut aliter corrupto; tunc enim vis gustandi in lingua suam sedem habens ob organum male affectum ab abjectis non satis afficitur: Hic vitiosus humor in lingua quietus hærens, ubi ab e[...]lentis & potulentis commovetur in lingua, corpus & molles nervos penetrat suumque saporem illis exhibet, quem æger à cibo & potu inductum esse putat; Ille autem corruptus humor; vel in solo linguæ corpore consistit, tuncque non omnino prostrata est appetentia; vel etiam ventriculum ejusque tunicas occupat, tuncque adest inappetentia: Si manente ciborum appetentia solus Gustus offensus est, solius etiam linguæ & palati vitium est, quod frequenti lotione per aquam solam, aut cum omphacio mistam, aut per pomaceum secundarium, & abstersione per parvum cochlear & oblongum, aut per bacillum eluitur: Si vero est etiam inappetentia, ventriculus & in eo contenti humores accusandi, hique idonea purgatione, eaque repetita sunt purgandi. *Enchir. Med. Pract.* Iisdem remediis curantur, Gustus depravatus, Deglutiendi difficultas, Appetentia prostrata, quia ab iisdem causis fiunt: Non omnino autem denegandum est quod æger appetit, nam aph. 32. 2. deterior cibus & potus, suavis tamen præferendus, quia illum familiarius ventriculus amplexatur: Quod si nihil appetat, clysteribus nutriatur ex jusculo &c. prius alio clystere intestinis repurgatis: In potu dentur acida & refrigerantia. *Primrosius c. 20. l. 3.*

Alvi fluxus.

28. *Alvi profluvium*) In Febribus Fluxus alvi fiunt omnis generis, Diarrhœa, Dysenteria, Lienteria, idque vel ab humorum acrimonia, vel copia, vel intestinorum exulceratione, vel medicamento effræni, à quibus natura vel excitata, vel imbecillior reddita, humores per alvum protrudit, interdumque ventriculus prædictis ex causis languidior cibum nec continet nec conficit, unde Lienteria; *Criticus* fluxus sinendus, nisi major abundantia vires labefactet; cognoscitur autem si præcedentibus coctionis signis, & in die critica, contingant ructus, flatus, rugitus & inflationes in alvo, alvus fluere solet; ostendunt enim hæc humorum in alvum & intestina translationem; quibus addunt alii urinas suppressas, aut albas, translata bile in alvum: Symptomaticum quod attinet, recte dicit *Avicennas* nullum morbum esse salutarem qui ab alvo fluida inceperit, & cum ea perseverat, ob maximam humoris morbifici copiam, unde in *Coacis*, Perliquida dejectio & multa, neque quiescens in acutis, valde mala censetur, potissimum si adfuerit sitis, indicat enim caloris nativi extinctionem & facultatis debilitatem. Pessima quoque est alvi dejectio biliosa, cum ventre subtumido & excrescente, debet enim æger hypochondria habere mollia & molis convenientis, non intumescentia, non dura, non dolentia.

Non est autem Alvi fluxus statim supprimendus; nam à corruptione & cruditate emanat, docente *Paulo*; Quod si sponte non cesset, tunc internis & externis adstringentibus utendum erit, quæ si non prosint, *Narcotica* erunt in auxilium advocanda; Interna autem sunt cibi refrigerantes, boni succi & crassioris; si humores sint fervidiores; aut sicci & calidiores, quatenus febres permittunt, si humores sint pituitosi, ex *Paulo* Purgatio instituenda ex *Rhabarbaro*, & *Agarico* & *Myrobalanis*: Deinde conveniunt adstringentia, *succus granatorum, tormentilla, corall. camphora, cryftall. bolus Arm. terra sigillata* &c. Clysteres sint adstringentes ex lacte chalybeato, vel decocto adstringente: Plura ex tractatu de Alvi fluxibus repetantur. *Primrosius. c. 28. l. 3.*

Cruentum alvi profluvium etiam Rhabarbari usum postulat, quod detracta acri & mordaci bile intestina rodente, profluvium conquiescat. Crudum & Lientericum parce bibendum esse hortatur, & Rhei usum postulat, quod detersis crudis humoribus, & roborato ventriculo facile conquiescet, & alacriores evadent partium omnium concoctiones. *Ench. Med. Pract.*

39. *Non debet sisti*) Si in morbi decursu *Diarrhœa* oboriatur (quæ accidere tum solet cum in morbi initio Vomitorii propinandi indicatio se obtulit, neque tamen illud propinatum fuit) dico in hoc casu convenire ut quovis morbi tempore (nisi vires contra indicaverint) emeticum exhibeatur, etiamsi jampridem illa ad vomendum propensio præterierit: Addo vero hic quid facto opus sit, si exhibito licet Emetico nihilominus Diarrhœa supervenerit; quod tamen oppido rarum est nisi *in febre vere maligna, ubi vomitorium hoc symptoma non solum non impedit, sed quandoque creat*. Cum sic se res habuerit, præ quibusvis adstringentibus hujusmodi *clysterem* profuisse comperi.

℞. *cortic. granat.* ℥ß. *rof. rub. p.* ij. *coque in lactis vaccini s. q. In colat.* ℔ i. *dissolve Diascordii* ʒiij *m.*

Non suaserim in majori quantitate Clysterem injicias, quamvis enim propria vi adstrictionem polliceatur, metuendum tamen ne sua mole lacessat intestina, adeoque fluxum alvi quem consopire animus erat, uberius provocet; *Objicies*, magis è re videri ut, præsertim declinante morbo, diarrhœam si quid acciderit, permittas potius quam sistas, siquidem fluxus ille alvi nonnunquam criticus est morbumque solvit: Concedo id fieri aliquando ut febris per hanc portam sibi viam faciat, at id rarius fit quam ut illius spe quicquam moliamur: Nunc id addendum, nempe ad genuinam sanguinis depurationem, non tantum necessariam esse illam quarundam partium secretionem, quæ per *faces* fit, sed requiri etiam ut aliæ secernantur, tanquam *flores*; id quod in aliis etiam liquoribus opulentis atque heterogeneis quotidie cernimus.

Itaque si Diarrhœæ nimium indulseris, mediam solummodo depurationem, tantopere expetitam procurabis, atque etiam forsan, quod postremo in loco rejiciendum erat primo excernetur: Fateor equidem separatione illa per flores jam facta (quæ sensim

&c

& fine sensu peragi solet, æque plerumque paulo pleniori ἀλγεινοὶ potius quam sudore manifesto diarrhœam, si forte accidert, periculi non multum interminari: Sciendum tamen est illam tum non aliunde accidere, quam quod purgatio, subducendis fæcibus dicata, non opportune adhibita fuerit; quæ quidem fæces mora sua fermenti alicujus maligni indolem adeptæ intestina jam ad excretionem irritant stimulantque; ut omittam dicere liquidissimam illam excrementorum consistentiam (tali enim forma plerumque visuntur) satis indicare ea pro critica morbi solutione habenda non esse. *Sydenham Obs. in Acut. p.m. 71.*

90. *Adstringendum*) In alvi fluxu in Febribus *Syrup. à Cornis* parandum suadeo, cujus efficaciam non raro felici cum successu sum expertus. *Laur. Joubertus Pr. l. 2. c. 22.*

Alvus adstricta in Febribus.

Interdum accidit in Febre *Alvum* semper esse *adstrictam*, ut nisi à pharmaco proritata minime solvatur; & licet ægri per plures dies liquida tantum ingesserint, dejectiones usque sunt consistentiæ solidæ & duriusculæ: Hoc autem plerumque fieri videtur, quando sanguis acriter & plurimum excandescens, humiditates ubivis scatentes velut ignis absumit, & copiosa halituum emissione materiam aquosam è visceribus in se allicit, & statim exterius evaporari facit: quare pars crassior in intestinis relicta à calore torrefaciente, velut caput mortuum à destillatione residuum, inspissatur. *Willis ibidem.* Alvi obstructio fit vel à calore immodico, à quo torrefiunt intestina, fæcesque exsiccatæ expulsioni magis resistunt; vel obstructione meatus qui è vesica fellis bilem refundit in intestina, quam causam sequitur Icterus; *Curatio* completur decocto prunorum dulcium & acidorum, clysteribus frequentibus, refrigerantibus, emollientibus, & blande purgantibus, Suppositoriis, quæ vim intestinorum excitant, Purgationibus blandis comparatis ex cassia recens mundata, Infuso *fol. sennæ, Elect. Lenit. diapruno. simpl.* & similibus *Ench. Med. Pract.*

Leipothymia & Syncope.

91. *Lipothymia & Syncope.*) Syncope horrendum febrium symptoma, fit ab iis omnibus causis quæ spiritus vitales alterant, corrumpunt, dissipant, quales sunt venenata perniries cordi impressa, longæ vigiliæ, dolores acutissimi, omnimoda inedia, immodica & qualibet repente facta evacuatio.

Bilis æruginosa & porracea se altius insinuans in os ventriculi, unde syncope stomachica inducitur; vel aliquis abscessus intro latens, è quo teter & venenatus vapor in cor vitales spiritus extinguit.

Interdum etiam Lumbrici orificium ventriculi compungentes hoc symptoma excitant; Syncope nisi abstinentia; aut sudorum profusione, aut causa alia manifesta contrahitur, perniciem portendit, cum præsertim per morborum initia frequenter fatigat, quo fit ut febres omnes continuæ, quarum comes est syncope, sint valde formidabiles; nam vel occulta quædam malignitas cor, ut in peste, afficit, vel abscessus quidam intus latens, in hepate, pulmone, splene &c. qui si rumpatur repentinam mortem accersit: Hoc autem periculosius est syncope quod necessaria febris remedia differat, præsertim vero venæ sectionem, quæ citra calumniam vix imperatur: *Enchir. Med. Pract p. 476.*

Syncope solet pluribus modis in Febribus concitari, potissimum vero ob has tres causas, nempe aut *Ore ventriculi* affecto quæ pars cum sit multiplici nervorum plexu intexta, fit valde sensilis, & quia ab eodem sexti paris ramo ad cor atque ad ventriculum nervorum surculi derivantur, si ventriculi orificium ita nervis consitum magna molestia afficiatur, etiam cordi communicatur noxa, & in ipso aut sistitur motus, aut saltem inordinatus concitatur, quo æquabilis sanguinis & spirituum affluxus ad tempus interrumpitur.

Secundo interdum inducitur quia venenata materia cum sanguine circulatur, quæ spiritus vitales repentè figit, & extinguit, ipsumque sanguinem congelat, ut in corde stagnare aptus sit, prout in usu venit in peste, variolis &c.

Tertio accidere solet ob *variorum spirituum* texturam; qui cum valde teneri & subtiles sunt, motu aut dolore quovis immodico facile exsolvuntur; ita novi quosdam qui in lecto compositi satis bene se habuerunt, verum in hanc aut illam partem commoti, statim animo defecerunt. *Willis.*

Quatuor numerat *Paulus*, post *Galenum* causas, *dolores, vigilias, immodicas, inanitiones motus corporis & animi*, præcipue timores: Dolori, vigiliis, inanitioni propriis remediis est occurrendum, Timores sedandi blanda adhortatione, animusque erigendus, Tum frictio extremorum, oculorum exposca aspersio nariumque vellicatio revocant, In Gaudio contra utendum aëre frigidiori, aquæ gelidæ aspersione, herbis refrigerantibus: Sed paroxysmus revocatur frictionibus, optimis odoribus, faciei ex aqua aspersione, succo granatorum, berberis, cidonior, demum vini usus, quod etiamsi febri admodum noceat, nihilominus in periculo imminenti levius damnum non est adeo formidandum, *Galenus* tamen in quatuor casibus vinum improbat, si sit interna viscerum inflammatio, si febris ardens, si delirium, si capitis dolor, *Avicennas* tamen in summo periculo nihil excipit; sed in levi deliquio prædictos casus approbat. *Primirosius.*

Cum Syncope febrem comitatur, ejus causa diligenter investiganda, ut proprium ei opponatur remedium; Malignitati quidem cardiacum; Cacochymiæ vero ad ventriculum pertinenti catharticum cardiaco mistum, vomitorium etiam, Lumbricis Rhei expressio, infusi in aqua portulacæ, aut cardui benedicti: Hic nota quod in omnibus febribus syncopalibus blandiora cathartica exhibenda, vitata etiam Cassia, quia ventriculum relaxat: Solus Abscessus intro latens, nec certis signis se prodens, incurabilis.

Hæc autem, ubi syncope adest, fieri solent, ad illud symptoma se convertendo, febre interim neglecta, Exhibetur ex cochleari vinum flavum, substantiæ tenuis & boni odoris, tale enim corpus celeriter calorem per totum corpus transfundit; Panis assus vino generoso maceratus, & plane saturatus cum saccharo & pauco cinnamomo: Odoramenta ex rebus quibusque jucundis, quibus Cor & spiritus foventur, Vapor panis calentis spiritus etiam recreat, Epithemata cordi admoveotur &c. *Enchir. Med. Pr.*

92. *Tum exhibenda intra*) Leipothymia interdum præcedit febrem, Medici territi isto symptomate ad Cardiaca properant, cum potius ad purgans medicamentum statim sit veniendum. *Ballonius 2. Epid pag. 200. annot. 6.*

Dyspnoea.

93. *Dyspnœa*) Spirandi difficultas in febribus, non à destillatione, hæc enim inter febrium symptoma non debet recenseri, sed aliis ex causis generatur, quas quatuor recenset *Avicenna*, prima est Siccitas musculorum thoracem moventium; Secunda, maximum incendium Pulmonum & Cordis, cum bilis in Causo putrida turgensque illas sedes occupat; Tertia est humorum calidorum turgentia, tunc impetu irruunt in cor, pulmones, diaphragma, & dyspnoeam pariunt; Quarta est debilitas facultatis motricis, ut in moribundis, quando præ imbecillitate thoracem movere nequeunt; tunc respiratio frigida est, rara, exigua, sicut in delirantibus rara & magna: In morbis omnibus chronicis & acutis facilem spirationem laudat *Hippocr. 1. Progn.* Quando autem in

febre acuta difficultas adest spirandi cum delirio, lethale, affecto scil. corde & cerebro; aph. 54. 4. Quod si simul æstuosus valde sit spiritus, periculosum, ob maximum febrile incendium: Pariter frigidus valde exitiosus, quia denotat extinctionem caloris nativi, qui in corde residet.

Spirandi difficultas si fiat à *siccitate musculorum*, curatur refrigerantibus, humectantibus & emollientibus, Oleo violato, butyro recenti, lacte muliebri, decocto malvæ, althææ, lini, *psyllij* & seminum mucilaginibus similibusque partibus exsiccatis admotis: Si ab æstu & humorum turgentia, refrigerantibus internis & externis, venæ sectione, purgatione, aquæ frigidæ potu, epithematis, demum sanata ipsa febre, à qua procedit, symptomata evanescunt. *Primirosius.*

Cum contingit à bile æstuante, Julepis refrigerantibus ejus fervor & acrimonia contemperanda, ut Julepo rosato Alexandrino, cum succo citrior. *Decocto ex radicibus graminis, cichor. tamarind. seminib. frig. maj. & min.* concedendus est etiam *potus aqua frigida*, si eam expetat æger: Aër cubiculi refrigerandus, hordeum mundatum convenit, Venæ sectio bis, ter, quater, quinquies, si opus repetenda; Purgationes ex Decocto refrigerante, leniente, & bilis acrimoniam temperante, *Cassia & cathol.* conveniunt, tum per os, tum per alvum; Epithemata admovenda ex aquis rosar. plantag. cichor. solani, *aceto rosat.* addita camph. *aceto rosat. spec. trasant.* &c. *Enchirid. Med. Pract.*

93. *Dyspnœa*) Vt initio febrium aut continuarum, aut intermittentium, nausea, sicca tussis, *ἀλύη* &c. inducitur, ita si movetur materia, & species quædam febris intus fovetur, quandam difficultatem spirandi afferre potest, quam nec ad catarrhum suffocantem, nec ad vitium Pulmonum referre debemus. *Ballonius 2. Epid. pag. 200. annot. 7.*

Raucedo Febricitantium.

Raucedo ex iisdem ferme fit causis ac Dyspnœa, ut plurimum ex humoribus acribus, sive ex toto, sive ex ex cerebro, in tracheam arteriam demissis, Aut à nimia vociferatione & querelis ægrorum, à quibus ipsi etiam sani raucescunt.

Tussis.

Tussis pariter affecto Pulmone contingit, idque vel symptomatice, quando tumor in aliquo viscere comprimit diaphragma, ut in jecoris inflammatione contingit; fit præterea in febribus continuis & intermittentibus, vel à tenui humore in pulmones è catarrho delabente; vel ab intemperie calida sicca instrumentorum respirationi inservientium: vel ab eorundem asperitate, estque ejusmodi Tussis sicca, talisque solet perseverare.

Contingit etiam in principio Intermittentium, ob Diaphragmatis oppressionem, dum humores & vapores in principio accessionis agitati diaphragma & pulmones tetigerint: Tussis illa generatur inanis & sicca, & quæ ægrum non assiduo, sed tantum cum rigore infestat, vaporibus siquidem à calore resolutis cessat: Scribit autem *Hippocr. 4. aph. 54.* Quibus siccæ Tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, illi parum siticulosi sunt; quia irrigantur fauces humore tenui & seroso tussim excitante, Nam, ut docet *Galenus*, à quocunque causa fiat tussis sicca, semper aliquis humor attrahitur in fauces, qui sitim demulcet; Nocet autem Tussis, quia commoto corpore febrem auget, dolorem, vigilias; cæteraque febris symptomata exasperat.

Tussis quæ inchoante accessione contingit, peculiarem curam non postulat, siquidem in incremento & statu sponte cessat, si perduret.

℞. *Diacodij* ℥ß. *syr violat.* ℥iß. *aqu. papav. rh.* ℥ij. *spec. diatrag.* ℥j. *misce F. Potio.*

℞. *Lo hoc sani & de papav. Masue* ana ℥j. *syr. violat.* ℥ij. *misce. Primirosius.*

Sæpe accidit ægrum per totum morbi decursum *Tussi* molesta divexari, nimirum commota vehementer ac tumultuante sanguinea mole omnibus jam ad seditionem & partium studia spectantibus: Sic ut humores quidam soluti, diffluentesque è massa sanguinea per vascula pulmonarias, vel etiam per diapedesin in tracheæ membranam interiorem, teneriorem scilicet atque exquisito sensu præditam transferantur; Hinc Tussis oboritur, quæ primo sicca est, quoniam tenuis adhuc materia vim expultricem eludit; mox crassescit, atque expectoratu difficilis evadit, eo quod sensim febrili calore torreatur atque assetur, hinc fit ut suffocationis metu percellatur æger, utpote cui vires desunt ad lentam hanc viscidamque materiam tussi eliminandam.

Ego in hoc affectu raro aliquo medicamento utor, præter *oleum amygdal. dulc.* recenter expressum, nisi forsan accederit (accidit autem aliquoties) ut oleum prorsus aversetur, tunc enim vulgaribus illis pectoralibus uti licet, & opem ferre conamur, Interim *Oleum* illud *amygdal.* bechicis aliis anteponendum censeo, ob eam causam præcipue, quod cum necesse sit hæc liberalius & majori quantitate exhibere, modo prodesse velimus, hoc pacto ventriculum jam satis superque debilem, & ad nauseam proclivem oneramus; nonnunquam etiam eadem opera præpedimus, ne reliqua, eodem ipso tempore transigenda procuremus, Neque vero satis aut intellectu assequor, aut experientia edoctus sum, cur ab hujus Olei usu in febribus abhorreamus, eo quod scil. inflammabile sit, adeoque metuendum ne febrim adaugeat; Fac enim illud sua natura calidum esse, certe tamen calor ille tantus non est, ut aliunde non abunde pensetur, præ cæteris enim manifesta vi pectori conducit, aperitque vias ac lenit, adeoque expectorationem promovet, qua, præsertim si copiosior acciderit) tum exoneratur sanguis à molesto humore commode jam excreto; tum eadem opera nonnihil refrigeratur; adeoque me non admodum male habet si viderim aliquando symptoma hoc intercurrere, cujus beneficio non parum etiam ægro beneficij accedit.

Illud unicum moneo, una eademque vice tutum non esse totis cochlearibus hoc oleum exhibere: periculum enim est ne & ventriculo nauseam & alvo fluxum inducamus: parce itaque, sed frequenter interdiu noctuque propinandum erit; quo non solum expectoratione facta tussim leniemus; verum etiam, quod alicujus momenti est, attritas ægri vires blando nutrimento nonnihil solabimur. *Sydenham. Obs. in Ac. p. 64. & 65.*

Vigiliæ Delirium &c.

94. *Vigiliæ*) Vigiliæ, delirium, phrenitis, convulsio &c. quandoque à sanguine impetum faciente, adeoque motus inordinatos in cerebro concitante; quandoque etiam à succo nervoso degeneri, ac idcirco spirituum animalium regimini improportionato facto oriuntur; Sæpissime autem hujusmodi symptomata in febribus increbescunt ob materiæ febrilis è cruoris sinu in has partes metastasin: Etenim sanguis excrementis adustis à deflagratione residuis satur, ea (velut mustum efflorescens) omni modo subigere, & consortio suo excludere nititur: quæ cum fluore oborto, per sudorem, urinam, hæmorrhagiam, expellere nequit, sæpe in cerebri substantiam transfert, ibidemque ea affigit; atque hinc potissimum prædicti affectus, quando fixi, & firmiter radicati sunt, originem trahunt; cum autem leviores & facile mobiles sunt, à causis prius citatis, (*Vide §. de capitis dolore*) non raro procedunt *Willis.*

Vigilias inferunt secundum *Galenum* tres causæ, dolor, calor, siccitas; quibus totidem contraria opponuntur, refrigerantia, humectantia, anodyna: In Febribus igitur, vigiliæ fatigant, à calido acrique vapore cerebri substantiam feriente, quam exsiccat, calefacit, spiritusque atte-

nuat

nuat & mobiles reddit: Mala autem est excedens vigilia aph.3.lib.1.2.& ut causa, & ut signum, ut causa, quia coctionem cibi potusque impedit, cruditatesque parit, ob revocationem caloris ad externa, cerebrum spiritusque exhaurit, corpus desiccat & infirmum facit, humores ferociores reddit; ut signum vero, quia cerebri siccitatem, humoris acrimoniam; ejusque delationem in cerebrum arguit.

Quando igitur infestant, quia morbum augent viresque labefactant, illis cito occurrendum internis & externis, quod sæpe non est adeo facile, Occurrerunt sæpe mihi tales vigiliæ quæ nullis narcoticis cedere poterant: Conveniunt ergo primo refrigerantia & humectantia, dein narcotica; ut *Emulsiones, syrup.de papav.de nymph. diacod.cum aqua vel decoctis lactuca, nymphæa, portulaca*, & simil. In quorum usu id observavi, cum vigiliæ rebelles sunt, non tantum hora somni ad parvam dosin debere propinari, sed sæpius toto die, sicque tandem æger in placidum somnum labitur: Tandem ad *pil. de Cynogl.* veniendum si cætera non sufficerent, *Laudanum* creditur esse prædictis tutius, quia magis extractione correctum, sane minore dosi datur, & id tantum habet commodi, alias prædicta non minus tuta sunt: *Hollerius* laudat aquam stillatitiam è *floribus croci* ad ℥iiij. propinatam, quæ suspecta est ob vim croci deleteriam, quæ in qualibet illius parte magna est, in radicibus & flore: Syrupus sequens somniferus mihi est instar omnis syrupi.

℞. *Capit papav. albi recent. & contus.* ℥x. *flor. nymph.* ℥iiij. *flor. papav. rub.* ℥iß. *flor. violar. pag.* ij. *fol. lactuca, semperv. portul.* ãã *man.* ij. *sem. lact. portul.* ãã. ʒij. *Opii gr.* vj. *aqu.* ℔v. *coqu. lento igne dum capita combuerint, dein catera addantur, & cum sacch. f. Syrup.*

Præstantior est syrupis de papavere officinalibus.

℞. *Confect. Alkerm.* ʒß. *syr. de papav. de nymph.* ãã. ℥j. *aqu. vel decoct. lactuc. portul. nymphaa,* ℥iiij. *f. Potio danda hora somni.*

Foris fiunt Lotiones tibiarum ex *decocto folior. vitis, arundines, lenticula aquat. falic. portulac. lact. cucurb. cucum. melon. nymph. rosar. violar. solani. mand. ag. hyoscyami semperv. papav. albi* & similium, Quo Decocto foveri quoque potest caput, addito *coriandro, flor. chamam.* rosar. & semin. frigid. Sicut quoque prædictorum *vapor* naribus excipi potest, quibus illini quoque potest Oleum aliquod narcoticum cum quibusdam granis Opij: Succum *menitha*, sive *chelidonia agrestis* laudat Gentilis supra omnia.

℞. *Vngu. popul.* ℥ß. *Ol. papav. nymph.* ãã. ʒij. *Opii gr.* iij. *misce f. Linimentum quo tempora & nares illinantur.*

℞. *flor. violar. nymph. papav.* ãã. *pug.* j. *cort. mandragora* ʒiij. *Opii gr.* vj. *croci gr.* iv. *ligentur in Sindone, fiatque Nodulus naribus sæpe admovendus.*

Linimenta sæpius renovanda, quia statim incalescunt, Nota est autem utēdum *Narcoticis* instante crisi ne naturę motus inhibeatur, intus atq; assumpta nocent mulieribus, corporibus mollioribus, memoriam lædunt, & sæpe Lethargum excitant: Quidam ipsi ano admovent suppositorium ex opio, aut composito narcotico cum melle: Præter hęc *Paulus* ad somnum conciliandum præscribit Frictiones & Ligaturas extremorum ad ægrum defatigandum, quas statim solvit, ut postea in somnum labatur sed ligaturæ debent esse leves, sæpius repetitæ, cavendumque ne æger sit arthriticus. *Primirosius.*

Admoventur Frontalia, quorum usus frequentissimus est.

℞. *Olei rosati* ℥ij. *aqu. rosar.* ℥iß. *aceti* ʒij. *agitentur simul cum ovi albumine.*

Pauca aceti quantitas additur, quia acetum vi sua exsiccante vigilias inducit: Hoc frontale fortius erit si *populeum* addas & *opium*: In Decocto somnifero spongia bis terve maceretur, macerata in umbra siccetur, dein cum erit usus rursus prædicto liquore madescat, & tepida naribus admoveatur, ut vapor illius per nares subiens cerebrum refrigeret & humectet.

Interdum cogimur uti Narcoticis, quæ potius extrinsecus admovenda quam intro sumenda, quia ventriculo nocent; In clysteribus tamen non ita nocent, & somnum satis conciliant. Interim subducatur lumen, imperetur silentium, æger quamminime poterit in lecto se agitet, Oculos subinde aperiat & claudat, donec fuerit defatigatus: Fricentur plantæ pedum & volæ manuum & blande titillatæ contrectentur. *Enchir. Med. Pract. pag.* 459.

95. *Et tum* 1. *revellendum*) *Vigilia, Dolor capitis. Delyria*, iisdem propemodum remediis curantur revellentibus, repellentibus, derivantibus, resolventibus & anodynis: *Revellentia* sunt clysteres emollientes, laxantes, purgationes blandæ, phlebotomia, cucurbitulæ, lotiones pedum; *Repellentia* sunt frontalia, oxyrrhodina, unguenta vel linimenta, *Derivantia* sunt sectio venæ frontis, vesicatoria; Ad *Resolventia* referuntur olea nonnulla, & animalia capiti admota, quæ etiam anodyna, Per usum autem prędictorum remediorum exhibentur Julepi & Emulsiones, ad humores acres & calidos contemperandos: His accedunt & *Narcotica*, nonnisi maxima urgente necessitate, & reliquis non conferentibus usurpanda: Medicamentorum materia in phreniridis & doloris capitis à causa calida curatione reperitur; In eorum tamen administratione hoc unice observandum, ne instante crisi in usum vocentur, motum enim naturæ perturbare & crisin impedire valent: Ad *vigilias* & deliria plurimum confert cataplasma plantis pedum admotum ex cucurbitis recentibus contusis, *fol. sempervivi maj. lactuca*, & *similibus*, Tum etiam lotiones pedum ex *decocto herbar. refrigerantium*, Sic enim frigiditas per nervos cerebro communicatur. *Primirosius.*

Et vi Circulationis sanguinis, hic enim in pedibus refrigerium adeptus, toti massæ, ac proinde cerebro id communicatur.

95. Omnes causas vigiliarum productrices in febre habemus, dum pars sulphurea sanguinis, summe inflaminabilis & calida, attenuata & volatilisata per effervescentiam subtilissimos cerebri poros penetrando, spiritibus animalibus permiscetur, suo calore & motu eos expandit, non solum in nervorum ductibus discurrentes, sed etiam in substantia cerebri commorantes.

Hi sua expansione cerebrum inflant, poros coarctant, & sua resistentia cuique ingressum defendunt aliquali crassitie donato; quapropter humor serosus, & succus nerveus per eos viam non invenit in ea copia qua possit premere spiritus; hinc deficiente pressore magis expanduntur, & continuo organa sensûs externi & interni actuant cum continua vigilia.

Ab assiduo exercitio dissoluta spirituum multitudine, alij à sanguine suppeditantur, unde brevi spirituosis depauperantur particulis, in quarum deficientia spiritus animales minores facti, cerebrum antea inflatum concidit, & defatigati spiritus pororum ostia deserentes, serosi humoris vi cedunt, qui subiens dictas porositates, spiritus premendo coarctat & stringit, unde à vigilia ad lethargum fit transitus; Quod agit materia sulphurea, potest etiam exigi à qualibet alia in motu concitata. *Pompejus Sacchi. De sympt. Febr. p. m.* 113.

§. 96. *Extremorum Frictiones*) De *vesicantibus* non audeo determinare; Video omnes Practicos in hoc concurrere, Dubito tamen ne evacuando laticem nervosum spiritus comprimentem, eorum expansio succedat;

Concurrente dolore hanc promovente: *Idem*: Sanguinis miſſione, qua ſulphureæ & ſpirituoſæ materiæ copioſa fit evacuatio, totum refrigeratur, Etſi à capite emittatur, exhauſtis ibi ſpiritibus, ſeroſo humori patet via, victa eorum reſiſtentia à ſociorum evacuatione manifeſta, ab introducto in poros cerebri ſero: expanſi ſpiritus recolliguntur in anguſtius ſpatium, cum quiete ſomnum conciliante: Poſt ſectam venam exhibenda quæ refrigerant. *Idem.*

De Frictionibus vide ſupra §. *Vigiliæ* ſub finem.

97. *Extra*) convenit *Vngu. Populeum* temporibus & pulſibus illitum, vel hoc.

℞. *Vngu. popul.* ℥ij. *Ol. papav. hyoſciami*, ãã. ℥ß. *mandragoræ, thuris* ãã. ʒij. *opii* ʒß.

Strophiolum intingatur *aqua frigida*, vel *roſar.* exprimatur, & circumligetur capiti, Mox medetur vigiliis. *Cardilucius* in *Hartmannum p. m.* 147.

Si vigiliæ extra febrem excurrunt, ceſſantibus aliis ſymptomatibus, obſervavi *linteum in aqua roſarum* immerſum, & frigide ſincipiti ac temporibus applicatum, plus quam narcotica quævis prodeſſe. *Sydenham.*

Sopor in Febribus.

98. *Sopor profundus.*) Somnus qui per febres accidit, alias maxime naturalis eſt, qui ſcil. in declinatione acceſſionis aut totius febris contingit, qui denique ægrum juvat; Nam qui ægro laborem affert, & qui timor in, convulſionem, & delirium facit, non naturalis cenſendus eſt; & malum portendit, ut eſt in *aph.* 1. & 2. *ſect.* 2. & 67. 4. Alius non naturalis, qui initiis acceſſionum contingit, Talis enim, ex *Galeno, comm. in aph. 7. libr.* 1. acceſſionem facit longiorem, quia humorem cauſam febris, qui initio acceſſionis afflatum foras effundi incipit, intro retrahit, ſaltem retinet, fitque ſomnus gravis eo tempore; vel revocatione ſanguinis & ſpirituum ad internas partes, ob rigorem, horrorem, aut frigus, vel à copia craſſorum vaporum effuſorum ab humore vi[...]do, à calore febrili ſuccenſo, qui in caput elati in frigidiorem humorem convertuntur, qui dein motus & ſenſus organa replet: Alius vero ſomnus eſt præter naturam, is ſcilicet à quo febricitantes excitari nequeunt, & inquem ſi excitentur ſubinde recidunt, [...]que appellatur Sopor, eſtque alias lethargicus, alias caroticus, alias comatoſus; hicque non raro ineptam cephalalgiæ, vigiliarum, & paraphreniditis medicationem ſequitur, cum ſcil. nimium refrigerantia & narcotica fuerint extrinſecus capiti admota, vel ſumpta: his enim ce[re]brum ſtupeſcit, & animales ſpiritus cone[...]ſcunt & congelantur, unde inhabiles redduntur ad motum & ſenſum expromendum.

Idem alias vi Febris accidit, vaporibus nempe acribus qui delirium fecerunt aliqua ex parte in cerebro concretis & in aquam converſis: Nam cum fervet humor, quicquid tenuius eſt diſcurritur remanente craſſo, à quo cerebrum deinde gravatur, [un]de reprimitur quidem delirium, ſed gravis & profundus Sopor ejus loco exoritur: Sunt febres etiam quædam natura ſua Soporiferæ, ut ex quibus multa pituita viſcida in viſceribus collecta eſt, quæ fuſa à [f]ebrili calore, cerebrum ingenti frigidorum vaporum copia replet, quales interdum ſunt febres quotidianæ, intermittentes aut duplices tertianæ, aut tertianæ nothæ.

Sopore correpti debent omnibus artibus excitari, metus enim ne ſomnus calorem nativum opprimat, Excitantur autem violentis corporis agitationibus, duris [...]nibus, evulſionibus pilorum capitis, menti pubis, altis acclamationibus, injectionibus *clyſterum acrium*, ex *decocto pulegii*, *majoranæ*, *origani*, *calam.* in quo infundatur *pulpa colocinth. ad* ʒj. diſſolvendo *ben. lax.* ʒß. *Ol. rutæ, ſal gemmæ*), ut excitetur natura torpens, & revellantur humores & vapores caput [...].

Ad eundem effectum infunduntur in [o]s ex cochleari, *Pilulæ cochiæ, aureæ*, & quæ *colocynth.* recipiunt, diſſolutæ in aqua vitæ aut in vino, Inungatur palatum *mithridatio, ſinapi*; Admoventur *ventoſæ* cervici, cute prius per novaculam leviter inciſa, Inſtillatur in [o]culos *acetum, omphacium, ſuccus limonum*; Inicitur in na[res] *pulvis hellebori*, ut commoveatur cerebrum, commotum calefiat, & contenta in eo pituita colliquetur, Naribus etiam admoveantur odores excitati è *galbano*, *aſafœtida*; capiti raſo inſpergitur *pulvis Zinziberis, piperis, nuc. moſch. pyrethri, euphorbii*, dein ſuperinducatur Empl. ex *pice nigra*, *ammoniaco*, *terebinthina*, addito *ſulphure*, & pulvere *ſinapi*, in *aqua vitæ* macerato; malaxatis omnibus cum oleo nucis moſchatæ, & ceræ q. ſ.

Quod ſi affectus ſit contumacior, admovetur capiti ſinapiſmus, Item cataplaſma ex ſemine Sinapi & ficubus, proportione ficuum ad ſinapi alias majore, alias minore pro ratione magnitudinis morbi, ætatis & virium ægri, A ſinapiſmo progredimur ad medicamentum rubificans, ut à profundo capitis ad ſuperficiem humor evocetur: Fit autem ex *pulpa ficuum*, *fermento* acri, *ſemine ſinapi*, *urticæ*, *canthardibus*, ſimul ad formam emplaſtri incorporat[is] ac capiti raſo applicatis: Id medicamentum brevi tempore ruborem inducit, poſt bullas excitat, quæ conſiguntur, humor exprimitur, & ulcus diu apertum tenetur, per quod humoris cerebrum gravantis aſſidua fiat revulſio: *Ench. Med. Practicum.*

Naturalis ſomnus cauſas arguit moderatas, præternaturalis contrarias; *In quo morbo ſomnus laborem facit, malum*, Aph. 1. l. 2. Nam ſomnus ex natura ſua viſcera omnia roborat, ſpiritus reparat, cauſas morbificas concoquit, funeſtum igitur eſt ſi ſymptomata, febris, dolor, d[eli]rium, capitis gravitas, inflammatio cæteraque ingraveſcant & exacerbentur, aut ea ſomnus accerſat; ſicut contra *quando ſomnus delirium ſedat*, aphor. 2. 2. ubi delirii exemplo reliqua intelligit ſymptomata; Delirium quidem facere poteſt, & dolorem, quia vapores acres & calidi in cerebrum ſublati lædunt phanthaſiam, vaſa diſtendunt & exagitant: Auget vero febres & inflammationes internorum viſcerum, intro revocatis humoribus, unde & initiis acceſſionum, & in internis inflammationibus, & in peſte ſomnus noxius eſt, præcipue ſi multa ſit cacochymia, nam ſymptomata auget, materia in intimum corpus confluente: Malus igitur eſt Somnus immodicus & ut cauſa & ut ſignum: Vt *cauſa*, quia torpidum diſſolutumque corpus reddit, capitis gravitatem parit, excrementorum omnium effluvia cohibet; Vt *Signum*, quia arguit imbecillitatem caloris nativi, qui non potuit materiam evincere & edomare, Tum indicat cerebrum nimium eſſe refrigeratum & humectatum, materiamque morbificam contumacem: Ideo excitationes ipſas è ſomno turbulentas & feroces valde exhorreſcit in *Prorrhet.* & convulſionis prænuntias eſſe exiſtimat, præſertum ſi eum ſudore quodam appareāt, qui ſymptomaticus, vel diaphoreticus eſt, oſtendit enim ejuſmodi ſomno humorem morbificum non fuiſſe edomitum, ſed potius exacerbatum: Ideo febres ſomniculoſas non minus periculi plenas eſſe ſtatuit quam pervigiles, nam temperari ſomnus & vigilia debent, ſi quidem ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt.

Contingit interdum ex *Galeno* 2. *Prorrh.* ægros poſt criſin, integrum diem placide dormire, præcipue ubi per plures dies inſomnes fuerint, idque maximo naturæ ſolatio: Sic pueri dormiunt nonnunquam per biduum, in quibus tamen ſomnus non dicitur eſſe immodicus, quia talem neceſſitas exigit, ac manifeſta utilitas excipit, iſque cauſis naturalibus ſuccedit: Interdum contingit

ſomnus

somnus ob summam debilitatem exolutionemque virium; unde calor ad sensoria usque extendi non potest, unde talis somnus cum pulsus debilitate lethalis censendus est, in quo roborantibus calorem nativum cibo potuque utendum est.

Sed si fiat à pituita, aut pituitosis vaporibus, opus est dissipantibus, resolventibus aut revellentibus vapores: Valet suffitus *ex aceto* acerrimo regulæ candenti insperso, odor panis cum *aceto*, odoramenta ex *ruta*, *castoreo*, *corio perusto*, *extincta lucerna*, quem tamen odorem improbat *Aëtius*, quia nimis cerebrum ferit. Confert quoque olfacere *peucedanum*, *tymbram*, *pulegium*; *spicam nardi*, *melanthium*.

Sed *Avicenna* maxime probat *librorum lectionem*, at aliis lectio tantum abest ut somnum prohibeat, quin potius cum inducit: Dicit *Gentilis* id fieri ex varia audientium legentiumve tempere: Quidam enim pituitosis in cerebro scatent humoribus, qui si legendo agitentur & moveantur, ex commotione spirituum, meatus cerebri occludunt, unde somnus; Si vero humores fuerint calidi tenuesque, motu illo spirituum agitari, vigilias reddunt deteriores. *Primirosius cap.18. lib.3.*

Sopor.

93. *Sopor profundus*) Fit Somnus in febribus, aut ob pituitæ copiam in cerebro putrefactæ, ut in lethargicis, aut ex vaporibus frigidis in cerebrum elatis, qui condensati somnum accersunt: Interdum contingit ob nimium usum narcoticorum, aut ob summam debilitatem exolutionemque virium, unde calor ad sensoria usque extendi non potest; ideoque talis somnus profundus cum pulsuum debilitate lethalis censendus est, in quo roborantibus calorem nativum, cibo potuque est utendum: Sed si fiat à pituita, aut vaporibus pituitosis, opus est dissipantibus, quæ vapores aut resolvant, aut revellant; Revellunt autem clysteres acres, suppositoria, frictiones extremorum, ligaturæ dolorificæ, cucurbitulæ scapulis appositæ cum scarificatione, phœnigmi, vesicatoria, *Vacuant* vero sternutatio ex *helleboro*, *euphorbio*, suffitus ex aceto acerrimo tegulæ candenti insperso, odor panis cum aceto, *odoramenta* ex *ruta*, *castoreo*, *coriis perustis*, extincta lucerna quem tamen odorem improbat *Ætius*, quia nimis cerebrum ferit: *Apophlegmatismi* ex discutientibus; palati *Inunctio* ex *theriaca*, *mithridatio*, *hiera picra*, Confert olfacere *peucedanum*, *thymbram*, *puligium*, *spicam nardi*, *melanthium*, *Fotus* capitis fiant, *cucupha*, Ex discutientibus & resolventibus: *Repellunt* oxyrrhodina ex *aceto rof. aqua & aceto*. Iisdem remediis *capitis gravitas* curari potest. *Primirosius.*

99. *Revellendum*) Somno profundo febribus supervenienti eadem adhibentur remedia quæ in soporosorum affectuum curatione; hoc tantum observando ut ea quæ intus assumpta nimis calefaciunt, minime usurpentur. *Riverius.*

Surditas in Febr.

* 1. *Aurium obsurdescentia*) Surditatis causa in Febribus continuis est biliosus vapor sursum in caput irrepens, qui spiritum auditorium impuriorem reddens surditatem in utraque aure invehit: Ex bile surditatem contingere testatur *aph.28. sect.4*: Quibus biliosæ exeunt dejectiones ex superveniente surditate sistuntur, Et quibus surditas adest, biliosorum dejectione finitur, ut etiam sanguinis è naribus fluxu, *ibid.60*. Observatur sæpe in febribus continuis & surditatem & alvi dejectionem ter & quater recurrere; Ad sublevationem hujus symptomatis, nihil neque capiti neque auribus admovendum; sed vacuandus biliosus humor contentus in prima & secunda corporis regione. Evacuatur autem per infusionem Rhabarb. in aqua cichor. aut folior. Sennæ in decocto refrig. & humect. Evacuatis autem biliosis humoribus surditas sponte conquiescit: Quod si à copia sanguinis, vel à vaporibus è sanguine elatis contingat ut in simplici synocho accidit, magis confert basilicæ dextræ sectio, aut venarum narium apertio, quod setis porcinis aut similibus fiet.

Vt ab iisdem causis fiunt *Tinnitus* & *Sibilus*, nempe exagitatione spirituum auditoriorum, à vaporibus excitatis è biliosis humoribus sursum in aures impulsis, sic eodem modo curantur; Quod si prædicta symptomata atrocissima sint, aurium dolore comitata, leniendus hic per sacculos comparatos ex sem. lini, rad. alth. lilior. fol. malv. bismalv. parietar. chamom. melilot. anethi, sem. fœnic. &c. præbullitis in lacte. *Enchir. Med. Pract.*

Oppressio, Iactatio in Febribus.

Oppressio & *Inquietudo* in febricitantibus, vel est Critica vel Symptomatica, Critica non adeo mala est, si à principio non adfuerit, & post signa coctionis contigerit, *Si criticus rigor ex inquietudine fiat, morbum solvit*. nempe, aut per sudores, vomitum, aut alvi fluxum; symptomatica vero in febricitantibus contingit ab humoribus acribus & putridis, qui circum cor exæstuant, ut bilis æruginosa, prasina; vel circum viscera firmantur, ut in hepate, præcipue vero tunicis ventriculi imbibuntur, qui per febrem impulsi comprimunt diaphragma & cor, unde oppressio contingit suffocationis metum inferens, tuncque in tali causa hypochondria contenduntur & contrectata indolescunt; sitiunt vigilantque, interdum post levem somnum delirant: Ἄση pariter & jactatio, unde febris ἀσώδης dicitur, in qua perpetuo viget hoc symptoma, vel critica est vel symptomatica, quando ægri omnis figuræ & loci sunt impatientes. Ἀλυσμὸς aliter *Hippocr.* dicitur, Fit vel à fervore & æstu febris, vel dolore aliquo viscerum interiorum, ut phlegmone; vel in acutis, cum humores in venis turgentes huc illuc feruntur, unde homo nullam certam decubitus formam servat.

Sed aphor.34. lib.7. duplex causa redditur ἀλυσμοῦ, 1. quando os ventriculi à pravis humoribus mordetur, cujus signum est Nausea, cibi magnum fastidium & ἐκλυσμὸς, unde Coaca 2. *Anxietates cum perfrigeratione pessima*, & phrenitidem portendere ait, Prorrh. 27. Vt in ardente, lipyria, viscerumque inflammationibus: Vel fit à virium omnium prostratione, quando facultas à corpore ita gravatur ut nullam facile ferat figuram, corpus enim amplius sustinere nequit, atque hic nulla est nausea, *Coaca 77. & Prorrh. 76.* unde mors instat, vixque possunt alia remedia quam cardiaca & roborantia adhiberi.

Critica periculosa non est, si vacuatio sequatur: nec quæ à cibo fit, nam eo concocto cessat, sed quæ aut ab humorum malignitate, aut viscerum inflammatione, aut virium imbecillitate contingit, periculi plena est, tum quia gravissima hæc mala indicat, tum quia corpus agitat, viresque prosternit & labefactat, unde in acutis corpus nudare, nullam decubitus formam servare, malum, *Progn.* 12. In priori autem iis utimur quæ adversus febres acutas & ardentes præscripta fuere, Obscuro loco jaceat æger, ne splendore spiritus agitati majorem faciant anxietatem, mollisque sit lectus; Vtatur *oxysacchаro*, *syr. cydonior. ribes*, *limon. granator.* Purgatio quoque levior sit ex rheo & similibus, Victus refrigerans & humectans: Hypochondria, secundum *Hollerium*, foveantur *hydrelæo* in quo *semina lini. althææ coxerint*, vel *farina hordei* ex eodem *hydrelæo* subacta præcordiis admoveatur: Si fiat ab humorum malignitate, ut in pestilentibus fieri solet, alexiteriis erit utendum. *Primirosius.*

Si sit ab inflammatione hepatis aut lienis, ibi petatur curatio; Si à biliosis humoribus, porraceis, æruginosis, purgatio: Si ab æstu capitis aut lumborum, aut cordis, admoveantur animalia dissecta, fronti frontalia, refrig. humect. Si ab æstu thoracis: *epithemata* refrigerantia: Litus ex *Oleo papav. in quo opium* solutum, in æstu capitis aut lumborum. *Enchir. Med. Pract.*

Laboriosæ Febres.

2. *Lassitudinis sensus*) Lassitudo spontanea in toto corpore sentitur, nimirum ob vasa cruore ebulliente distenta, etiam caro musculosa sanguine & copioso halitu plurimum infarcitur, ut ad motum sit minus accommodata, veluti qui anasarca laborant habent artus minus expeditos, propter serosi humoris exundantiam: Præterea in febribus ob sanguinis phlogosin, succus qui nervoso generi suppeditatur, à debita temperie deficit, ut sit actuandis corporibus parum idoneus *Willis*. Vide Caput primum, de Febre Ephemera §. vi. *Labore*) Οἱ κοπώδεες ἐκ τῶν πυρετῶν, dicuntur lassitudine fracti per febres; lassitudinem habentes: In febribus magna crudorum humorum copia, gravitatis sensum musculoso generi facit, indeque in spatiosam articulorum laxitatem decubitum procurat; Id si fit, κοπώδης dicitur ea febris: nam in κοπώδει πυρετῷ æger magnam sentit lassitudinem, ut non possit sine dolore corpus movere, etiamsi non antecesserit exercitium vehemens: *Dietericus Iatrei p. m. 624.*

3. *Vide febres κοπώδεις*) Sunt febres κοπώδεις *lassitudinales* vel *lassitudinariæ* appellatæ, non quæ à labore sunt immodico, sive assuetus sit, sive insoetus, hæc enim lassitudo ἀυτόματος dicta sæpe ardentium febrium causa est atque comes: Febris autem ardens magis judicatur τῷ ἀποστάσει quam τῷ ἐκκρίσει, sed quibus conjunctus est κόπος αὐτόματος, atque hæc quidem oon quæ febrem præcedit, sed quæ ejusdem est ἐπιφαινόμενον: Accidit autem cum materia à venis ad musculos propagatur; Et hæc interpretatio *Galeni* interpretationi adversatur, qui voluit frequenoores fieri abscessus in febribus quas lassitudo à causa manifesta orta excitatur. *Rodericus à Castro l. Quæ ex quibus.*

4. *Lassitudinaria potius quam laboriosa*) Est Lassitudo quędam quæ dicitur ἀυτόματος, seu manifesta, à manifestis orta causis, nempe immodicis *laboribus*, Hæc febres ardentes inducit, quippe ex valida agitatione ichores intra venas consistentes incenduntur, & igneas particulas cordi communicant, unde rursus in universum corpus flamma diffunditur; Curatio istarum febrium valida refrigerantia indicat, Est alia *spontanea* dicta, quia nempe non habet manifestam sive externam causam, quamvis enim ut illa ex *negotio* fit, sic ista ex *otio*, nihilominus negoőum est causa proxima incendij (nam inter causas aucti caloris reponitur Motus) Otium vero non est proxima causa; sed ex eo retinentur excrementa, aut augetur sanguis, & ex retentione excrementorum cacochymia; ex sanguine aucto plethora gignitur; Ad utrumque si defluxus in membra sequatur, corporis fit, omniumque artuum cooquassatorum molestia, ita ut nec quiescere quidem æger sine fatigationis sensu possit, nec moveri sine dolore.

Itaque lassitudo ἀυτόματος quæ ex pręcedenti labore fit, febres ardentes antecedit, quarum causa est labor immodicus (*Et febribus his laboriosarum nomen competit*) Sic contigit *Sileno*, quem ex lassitudinibus, potatioo ibus, & exercitaoonibus intempestivis, ignis corripuit. Lassitudo αὐτόματος, potest futuri morbi signum esse, juxta aph. 4. 44. Potest etiam symptoma esse ἐπιφαινόμενον, si enim augescente febre sanguis liquatur, artus occupat, tunc sensaoo erit tensiva; si ingravesceos cacochymia diffluat, *Ulcerosa*; si utraque causa adsit, *Inflammatoria*, Itaque humorum *multitudo* & *motus* cum increscunt, adeo ut plus nimio molestent, febris evadet *lassitudinaria*. *Rod. Castrensis Q ex Qu. l. 1. cap. 12.*

5. *Laboriosa dicuntur*) A lassitudinariis dictis non distinguit *Hollerius*, qui Laboriosas duplices statuit, unum facit genus earum quæ Oriuntur ex vehementi motu & exercitio, ot si quis diu æstate sub Sole sese exercuerit, In qua febre est lassitudinis ulcerosæ sensus: Alterum quod natum est ex multitudine crudæ & crassę materiæ in qua, etiamsi non pręcessent exercitium, æger tamen magnam sentit lassitudinem, ut non possit corpus movere sine dolore: Prima illa febris ex multo labore biliosissima est, neque potest iudicari per abscessum, sed potius per sudores aut hæmorrhagiam; Posterior autem ex multa materia cruda & crassa, sæpius solvitur per coctionem vel abscessum; Addit *Galenus comm. in 6. Epid.* ubi citat hanc sententiam in servo *Archigenis*, posse præcessisse aliquid exercitii, onde lassi sint articuli & excalefacti; ut si quis plenus crudi & crassi humoris corpus exerceat, facile is humor inceodetur & febrem afferet. *Hollerius aph. 74. 4.*

5. *Potius quam laboriosa dicuntur*) Laboriosas febres appellat *Ballonius* quæ cum ἀγρυπνίᾳ & jactatione coorigunt, vel Anxiosas: In febribus laboriosis, *æstu*, & *jactatione* plenis, præsertim dum iis mulieres conflictantur; mensium eruptionem vidimus, & tunc valde sunt anxij Medici, An ratione tam sævæ febris secanda sit vena, & An tuto secari possit; Quoniam ex ista mensium eruptione non tam promptum sequitur remedium ac ex ipsa evacuatione sanguinis per phlebotomiam, nam si demitur sanguis è brachio, manifestus apparet profectus. *Ballonius Epid. l. 1. p. 99.*

6. a. *Febricitantes abscessibus*) Natura morbos solvit per excretionem, concoctionem aut abscessum; Iam quemadmodum κόπος, ita & febris κοπώδης bifariam dicitur; una enim lassitudinem spootaneam sequitur à materia frigida, cruda & crassa, Altera vehementiori & longiori exercitio succedit, biliosa, aut, ut scribit *Galenus*, biliosissima: In febre utraque sensus est lassitudinis, h. e. in toto genere musculoso sensus quidam tristis, idque maxime si pars dolens & affecta moveatur; In febre κοπώδει, biliosa, raro fiunt abscessus, quin potius indicatur per excretiooem, ut per sudores, vomitiones, hæmorrhagias narium, diarrhœas &c. Febris vero à multitudine crudorum & crassiorum succorum raro per excretionem, sæpius per coococtionem, i. e. quum natura materiam alteratam separat ad excretionem, iudicatur aliquando tamen per abscessum; Est autem Abscessus quum materia illaborata, & nondum coococta, à parte nobiliore ad ignobiliorem transmittitur. *Hollerius comm. in aphor. 31. sect. 4.*

7. *Aut urina crassa*) Si conògerit ut natura robusta sit, & viæ urinales pateant, natura excernit partem materiæ crudę cum cocta, non expectata perfecta coctione morbi aut abscessus, tuncque fient urinę multæ, albæ, crassæ, ac crudæ; Multæ ob humoris multitudinem, & quia natura robusta est, & viæ liberæ: Albæ, ob pituitæ naturam, quæ alba est; Crassę, quia una cum parte materiæ coctæ excernitur cruda: *Idem comm. in aph. 73. sect. 4.*

8. Ἐς ἄρθρα) Si iudicetur per abscessum febris, in quam partem decumbet abscessus? In *articulos* fere inferiores, ut pedum, ut *lib. de humor.* & manuum, rarius; In malleolos, genua, aliquando in totum crus, aliquando in inguina, sæpe ad maxillas & ad parotides: Certe si Copodes febris materiaro habeat crassam: crudam & viscidam, expectare potius abscessum oportet ad articulos inferiores, vel si multa sit materia, ad totum crus: Si vero sit biliosa, potius ad maxillas: Vt maxillarum nomine intelligamus totum illud spatium sub mento ab aure ad aurem: Parotidas alibi exponit Hippocrates: Aliquando tamen accidit ut ubi materia crassa & cruda incalescit, habeat permixtum aliquid materiæ tenuioris, ut bilis, qua sursum delata fiat abscessus ad aures, *Idem ibid.*

9. b.) *Et tum febricitantes abscessibus*) De his Febribus, accidentibus quę comitari soleot, & Abscessibus succedaneis agit *Hippocrates lib. 6. Epid. sect. 7. Tusses*, inquit, *laboriosas incumbunt in partes læsas, sed maxime in articulos*: quin

etiam

etiam in inducentibus lassitudinem febribus tusses ficca fiunt · Tusses ficca firmantur in articulos cum febre, Si intus relinquantur ; Quem locum sic illustrat Vallesius.

Βῆχες κοπώδεες dicuntur quæ comitantur febres laboriosas : *Laboriosa* vero febres sunt quas comitantur lassitudines spontaneæ ; quas à multitudine succorum pendere haud dubie indicat lassitudo ; Hinc fit ut abscessus in articulos plerunque faciant, ut aphor. 31. & 74. sect. 4. dicitur, nisi fluxus sanguinis copiosius antecipet : Eandem quoque ob causam comitantur has Febres Tussicula sicca, quia omnis multitudo fluxiones commovet; Iidem igitur Abscessus expectari debent ex Tussi laboriosa, qui ex febribus laboriosis, siquidem in Laboriosis febribus Tusses tales fiunt.

Tusses agitur siccæ cum febre firmantur in articulos, ut scilicet ipsæ febres, si intus relinquantur (causa scil. morbi) h.e. nisi evacuatio insignis & accommodata anticipet, ut in fluxus sanguinis ex naribus aut multa urina: Cum itaque dicit, Tusses siccæ cum febre, intelligere debet iuxta sermonis consequutionem, cum febre laboriosa, Nam tusses siccæ febrium ardentium, quas aph. 54. 4. docet sitim tollere, nisi etiam sint laboriosæ (plurimæ autem ardentium laboriosæ non sunt) non minantur dictos abscessus : Cum itaque prius dixit, Tusses laboriosæ incumbunt in partes læsas, & postea, Tusses siccæ cum febre firmantur in articulos, eædem tusses intelliguntur quæ fiunt in febribus laboriosis : Neque enim intelliguntur quæ in alus febribus, neque etiam quæ sine omni febre, Nam ex sect. 1. lib. 2. Epid. Tusses diuturnæ (nam ex non diuturnis, & sine febribus, nihil timens) quæ sine febre fiunt, finiri solent in tumores testiculorum, & amant abscessus in partes humiles, contra ac tusses febrium laboriosarum, quæ finiri solent in abscessus circa maxillas : Recte autem dicitur, hic, incumbunt in partes læsas, sed maxime in articulos, etsi in aphorismo tantum dicatur, circa articulos, Nam in eo aphor. dicitur id quod maxime solet fieri, hic vero adjicitur, id quod etiam alias fit; Nimirum, ut alio aphor. dicitur, Si quæ pars per morbum dolet, in eam fiunt abscessus, Quia si quæ pars parata est recipere, in eam potius abscessus est expectandus quam in ullam aliam; parata autem est & quæ dolet, & quæ aliter utcunque læsa est, ut si quam homo habet partem insigniter debilem &c.

8. *Vertigines tenebricosa*) Febrium Vertiginosarum meminit *Hippocr. in Coacis* sect. 1. versu 134. *Febres vertiginosa, & cum volvulis, & sine volvulis perniciosa*, Vbi Εἰλεοὺς inquit *Martianus*, hoc in loco communi significatione accipiendus est pro volutatione & circumagitatione, à verbo εἰλεῖν quod verto & volvo significat, non pro morbo tenuioris intestini ; Quid enim habet intestinorum morbus cum vertigine, quæ est capitis morbus? Sententia ergo Auctoris est, Febres omnes vertiginosas, h. e. in quibus ægri sæpe à vertigine corripiuntur, etiam si rotarum modo res circum agi non ita manifeste appareant, nihilominus semper esse perniciosas : Indicant enim vapores à febris foco elevatos non modo mentis arcem invadere, sed ejus nobiliorem & secretiorem partem, ventriculos inquam, in quibus præcipuæ operationes animæ perficiuntur, unde timen debeat ne tandem humores ipsi, vaporum viam arripientes, illuc ferantur, ægrumque apoplexia excitata interimant.

Rigor in Febribus.

9. *Rigores, qui si in non intermittente &c.*) Prognostica quod spectat, *Horrores & Rigores*, vel sunt Critici, vel Symptomatici: *Critici* in continuis febribus, si post signa coctionis appareant, solent sudores portendere salutares, bonique habentur, sed mali sunt, judicio *Hippocr.* qui in ipsa crisi contingunt, *Coaca* 321. *Sub absurdus cum crisi rigor*, Subabsurdus & infidus est ille Rigor qui vacuationibus criticis intermiscetur ; easque potius remoratur quam promovet ; ob aliquam retractionem humorum ad interiora ; quæ fit in rigore: præcedere siquidem rigor debet, non comitari aut subsequi.

Boni quoque fiunt illi rigores quos evacuatio aliqua subsequitur, & quos febris remissio excipit ; alias in febribus continuis boni non sunt ; In principio siquidem, aut incremento, si appareant humorum pravitatem denotant, à quibus natura ad expulsionem excitatur, quam ob imbecillitatem perficere nequit.

Pariter mali sunt qui cum mala aut difficili crisi contingunt ; sic 4. *aphor. lib. 7. A sudore horror non bonus*, Si enim, ut diximus, cum ipsa crisi horror conjunctus malus est, multo magis qui eam sequitur, &, ut docet *Gal. in comm. Indicatoria qua non judicant, partim lethalia, partim male judicantia sunt, quia natura in ejusmodi dispositionibus morbo succumbit*, tum quia signum est plus retineri quam fuerit sudore vacuatum ; Oritur enim ille horror à tenui & mordaci humore intus relicto, & ideo malus est ob restantes humores in corpore ; Si enim solum manere febrem post sudorem, vel mortem vel morbi longitudinem significat, *aphor.* 56. 4. quanto magis si horror succedat. Et *Coaca* 46. *Qui crebris leviusque horroribus desudant difficili morbo laborant*, Et *Coaca* 36. *Lassitudine laborantes cum horrore, critice leviter exsudantes, ac celeriter recalescentes male habent, præsertim si tunc sanguis è naribus stillaverit*, quippe nihil paucum est criticum ; malum siquidem si post sudorem febris aut remaneat aut redeat. Et *Coaca duodecima*, *Qui multum & crebro inhorrescunt capite dolentes, leviter exudantes, maligne habent.* φρικώδεες enim dicuntur qui crebro & multum magna morbi parte, non semel inhorrescunt : Crebri enim rigores cum sudanuncula & capitis dolore naturam indicant ab humoribus crudis maxime irritatam & debilem, unde morbi malignitas portenditur.

In *Intermittentibus* autem *Rigores*, qui singulis paroxysmis accidunt periodice, sunt potius symptomata quam signa prognostica, & nihil mali portendunt. *Quibus in febribus quotidie Rigores fiunt, iis quotidie febres solvuntur.*

Itaque generaliter loquendo boni sunt illi Rigores qui accidunt post signa coctionis, criticas evacuationes præcedunt, quos libera liberalisque evacuatio sequitur, morbique imminutio, si non omnimoda sublatio succedit, & post quos corpus iterum recalescit : cum his conditionibus vetus est *aphor.* 58. 4. *Febre ardente laboranti rigore superveniente febris fit solutio.*

Mali contra qui cum malis signis apparent, ut qui fiunt materia aut omnino cruda, aut nondum exquisite concocta : quos nulla aut exigua evacuatio sequitur, nihil enim paucum criticum, à quibus corpus non incalescit, caloris nativi siquidem extinctio significatur.

Et 64. 4. *In Rigore familiares non agnoscere malum.* Et 46. 4. *Si rigor incidat in febre continua, ægro jam debili, lethale.* Si enim ægro jam debili fiat rigor, sequaturque aliqua evacuatio, propter utrumque hominem dissolvi par est, tum quia vis imbecillis non potest ferre rigoris agitationem, tum quia ab agitatione dissolvitur, utroque modo casus hic caret bonitate, nam tanquam mala causa vires hominis tentat, & malum signum erit, illius indicans imbecillitatem, quæ solita erat noxios humores in rigoribus evacuare, nunc vero hoc non potest perficere, ut docet *Galenus in comm.* Per verbum, *incidat*, inquit, intelligit rigorem non semel sed sæpius invadentem,

nam si semel tantum appareat ; certum non est utrum bonus vel malus sit futurus, sed ubi sæpius apparet sine evacuatione, malum est signum: *Coaca* 15.

Rigores qui in sextum diem incidunt, difficile habent judicium: Vocat *Galenus* δύσκριτα quod malam affert crisin, aut difficilem & gravibus symptomatis conjunctam, aut morbum in longum tempus protrahit, aut recidivæ facit periculum: Igitur sexto die malus est Rigor, quia dies ille non est criticus, sed similis tyranno, unde non tantum rigor, sed & reliqua symptomata critica, quæ sexto die contingunt, parum tuto judicant, unde aut difficilis judicatio succedit, aut cum gravibus symptomatis, aut morbus prorogatur, aut recidivæ contingunt, sicque terminatur morbus aut in mortem, aut in statum deteriorem.

Contra terrere non debet Rigor qui præcedentibus signis coctionis inciderit in dies criticos: Aliis symptomatis adjuncti Rigores augent perniciem, sic *Rigores multi torporem inferentes maligni sunt*, *Coaca* 14. significant tum corpus universum, tum maxime nervorum principium esse perfrigeratum; & maxima frigidæ materiæ copia tentatum, indeque facultates ipsius esse sopitas & læsas, Et *Coaca* 7. *Rigores cum sopore periculum denunciant, & facies incensa cum sudore malignitatem significat*: *Et Coaca* 1. *Qui ex rigore perfrigescunt, cum capitis & cervicis dolore, vocis defectione & levi sudore, ubi vires resumpserint, moriuntur*, Omnes enim casus rigori conjuncti funesti esse solent, perfrictio scil. levis sudor, aphonia, capitis dolor, quæ ostendunt naturam debilem esse & multitudine humorum oppressam, unde non mediocrem omnium functionum noxam senserit, Hæc symptomata seorsum mala sunt, multo magis si rigori & horrori conjungantur, tunc enim natura tentat quidem expulsionem, sed ob debilitatem statim concidit: Unde Coaca 22. *Virium exsolutiones ex rigore cum capitis dolore perniciem denunciant*, fatiscit enim natura & exolvitur, unde quam tentat vacuationem perficere non potest: Sunt autem ἐκλύσεις semper Hippocr. malum signum, sive per eas virium prostrationem, sive animi deliquium; sive ad motum impotentiam quandam intelligamus; Et Coaca XI. *Rigores ex dorso graviores, ubi vero quis* 17. *riguerit, &* 14. *iterum, male habet*, Solet siquidem rigor ex parte posteriore magis incipere quam ab interiore, *aphor.* 64. 5. quia posteriora nervosis sunt magis referta; Etsi enim ab extremitatibus, ut nasi & unguium, frigus incipere videatur, lumbos tamen prius cruciat ob copiam partium nervosarum.

Quod si die critico, qualis est XVII. rigor inciderit, isque redeat XXIV. qui criticus non est, oppressionem naturæ indicat & irritationem, quæ non potuerit primo conatu morbificam materiam extrudedere, & cogitur iterum die non opportuno conatus extremos tentare: 2. *Prorrh. aphor.* 57. *In oculorum perversione cum febre & lassitudine rigor perniciosus, comatosique in his male habent*, significatur enim maxima animalis facultatis imbecillitas, ex oculorum perversione & comate, multo magis si convulsio adsit, unde *rigor* ὀλέθριος κάκιστον. Coac. 23.

Præterea brevis sed vehemens Rigor, cum sensu punctionis, brevem morbum significat, quia ex biliosis fit humoribus; contra longus rigor, sive parvus sive vehemens, cum sensu refrigerationis, judicat longum morbum, quia fit à pituita aut succo melancholico, & qui in una & eadem accessione frequenter repetit, ut in hemitritæo longitudinem significat, & quo diutius rigores perseverant eo diuturnior morbus est; In Febribus autem continuis, cum signis coctionis, die critico apparens, salutaris est, indicatque crisin futuram, eamque per excretionem non per abscessum, nam ex *Hipp.* 6. *Epid.* sect. 1. tit. 10. *Abscessus non admodum fiunt quibus rigores*, Rigor autem vehemens qui increscere solet, ut in quartanis, non mitescit antequam ad statum morbus pervenerit, ut docet *Hippocr.* t. 8. dicti libri, ex incremento siquidem & decremento rigoris solemus prædicere incrementum aut decrementum febris. *Primirosius*, Vide plura apud *Prosp. Alpinum* de Prognosi medica l. 3. cap. 11.

Refrigeratio in Febribus.

Refrigeratio quoque facit ad præsagium, 1. si inæqualiter corpus infestet, ut modo calidum modo frigidum vicissim evadat, longitudinem significat, *aphor.* 40. 4. nam variæ dispositiones diuturniores sunt, quas natura parvo tempore superare nequit: Longa etiam Refrigeratio in febre non acuta longam ægritudinem significat, brevis brevem; idem dicendum de vehementia; nam vehemens refrigeratio cum valida virtute, in febre non acuta, longitudinem morbi portendit; in Acuta autem signum est pernitiosum, maxime si vires sint imbecillæ, *aph.* 37. 4. Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant. *Idem.*

Tremor in Febribus.

10. *Tremor*) Quidam Tremores in principiis morborum apparent, quidam postea; Qui in principiis, docente *Galeno* 3. *Epid.* comm. t. t. 2. nunquam citra validum morbum, vel famem, vel lassitudines, vel vigilias, vel immoderatam Venerem, aut ob humorum copiam gravantem accidunt; quare cum ex Tremoris causæ non præcesserint, humorum multitudinem tantum significant, nihilque certi ad prognosticum per se soli, tametsi morbos graves significent, eo quod omnis humorum multitudo difficilem reddat morbum. Ex iis vero qui postea apparent, quidam criticam humorum transmutationem, natura à visceribus ad musculos propellente humorum molestorum partem, qui optimi sunt modo una cum coctionis signis apparuerint, Cujusmodi fuit Tremor in adolescente peregrino, die sexto judicato 4. Epid. Sæpe vero fit ut instante crisi per vomitum Tremor occupet labrum inferius; 3. *de crisib.* Atque hi sunt Tremores in morbis, post principium observati minime timendi, sunt vero alij omnes in febribus ardentibus, & in cerebri inflammatione, exsiccatis nervis aut quovis modo læso principio nervorum, hinc in phreniticis perpetuo Tremores lethales, præsertim si una cum convulsis partibus appareant. In principio vero lethales non sunt. *Prosper Alpinus* Progn. l. 3. c. 5.

11. *Ad nervos metastasi*) In febribus Tertianis & Continuis parvas manuum contractiones vidimus, hoc à venoso genere translationem indicat, Interdum his venæ sectio confert, sæpe periculum creat. *Ballonius Epid. lib.* 1. *pag.* 21.

Delirium in Febribus.

12. *De Delirio*) Sæpissime in febrium ardentium, & febrium accessionum vigore mens abalienatur, interdum & initiis earundem febrium, cum causa vehemens & principes partes imbecillæ: Declinante autem febre ardente, aut intermittentis febris accessione, hoc symptoma utplurimum mitescit, interdum permanet utraque soluta, si cerebrum fuerit valde oblæsum: Paraphrenitim vocant hanc mentis abalienationem, in qua cerebrum non primario, inflammatis internis cerebri membranis afficitur, sed secundario; interdum solo calore per continuitatem partium ad caput ascendente,

cendente, Interdum vero vapore acri fervido, & retorrido, qui inordinate agitans & corrumpens spiritus animales, & ipsam cerebri intemperiem oblædens, actiones animales corrumpit.

Præterea intensissimæ vigiliæ, quæ nimia cerebri exsiccatione ejus temperamentum vitiant, delirium accersunt, cujus imminentis hæc sunt signa, *Vrina*, quæ prius valde tinctæ erant & flammeæ, nunc sunt aqueæ & tenues, quod contingit raptu bilis, quæ urinas tinxerat, ad cerebrum: *Profluvium alvi biliosum* suppressum, Æger importune præter consuetudinem obloquitur, nullam in gestu modestiam exhibet ac insolenter petulans est: Præsens vero facile dignoscitur: Majoris autem terroris est quam periculi, nam sæpissime nullo vitæ discrimine accidit, & præterito morbo aut accessionis vigore conquiescit: Fere autem cum humor fervidus, à quo excitatur defervbuerit, repressо delirio gravis profundusque sopor obrepit. *Enchir. Med. Pract.*

Ab iisdem causis fiunt Delirium & Vigiliæ, fervida scil. bile cerebri temperiem evertente, *A modesto & prudenti viro ferox responsum malum*, sicut contra, *In omni morbo mente constare, & bene se habere ad oblata bonum.* Ideo *in causa suifera non sitire malum*, sicut in causa dolorifica non dolere, nam *qui aliqua parte dolentes non sentiunt dolorem, iis mens ægrotat.* Insaniæ autem & phrenitides in principio acutorum apparentes sunt funestæ, & quæ superveniunt internis inflammationibus, *aphor.* 12. *libr.* 7. propagata ad cerebrum usque causa morbifica: Quæ autem contingunt in statu post signa coctionis non sunt formidandæ, sicut tutiores sunt quæ accidunt cum risu quam quæ serio & cum feritate contingunt. *Primirosius.*

Iisdem remediis Delirium antevertitur quibus vigiliæ sedantur, & capitis dolor, nempe refrigerantibus & repellentibus, tum intro sumptis, tum intro admotis: Loco Repellentium quidam admovent animalcula recens incisa per tergum capiti, hæc enim calore suo tepido cerebri fervorem contemperant & vapores in cerebrum sublatos dissolvendo absumunt: Ad idem prosunt frictiones artuum, multoque magis dolorem inferentes Ligaturæ, quia à capite vapores avertunt: Alvus emolliatur Clysteribus emollientibus & blande purgantibus: Præscribuntur etiam Potiones purgatoriæ convenientes.

(*Per Potiones purgatorias Lenientes intellige, electivas enim prohibet etiam morbi vigor, cum non minorem quam V. S imo majorem conturbationem inferant.* An vero in *morbi statu nihil moliri debeat Medicus*, *Vide Indicem nostrum Medico-Pract. lib.* xx.)

Venam secare non licet, quia tum adest morbi vigor, in quo nihil moliendum; Cucurbitæ tamen cum scarificatu ad revulsionem humerim admoveri poterunt: Conciliandus somnus iisdem remediis quæ ad vigilias præscripta, ut Natura somno, & quiete roborata humores & vapores delirij causas per sudores evacuet: Nutriatur æger alimentis refrigerantibus & humectantibus, abstineat à vino: Assidentes caveant ne irascendi occasionem ægro præbeant, neque audiendi qui eos duriter tractari imperant. *Enchir. Med. Pract.*

Quidam etiam adhibent extremis partibus vesicantia, quæ *Mercurialis* non improbat si valde urgeat delirium: ita ut curationem ad se trahat febre relicta. Consideranda quoque pars ea est è qua delirium procedit, ne illi noceamus, ut in inflammatione pulmonis abstinebimus à syrupis adstringentibus, de agresta, de granatis, & similibus, qui sputi eductionem non prohibent sed remorantur, quorum loco utimur syrupo jujubino, violaro, de papav. Sed in hepatis inflammatione non debemus timere adstringentes syrupos, quia partes pectorales non sunt in vitio: Topica sint epithemata varia partibus affectis apponenda, inter quæ laudat *Rondeletius* sequens. ℞. *decocti hordei & violar.* ℔j. *Ol. vi lar. qu. j. m.* panni intincti applicentur, convenit pleuritidi, peripneumoniæ, febribus ardentibus, hecticis, colliquantibus, nam refrigerat, humectat, thoracem lenit, respirationemque liberam reddit: *Primirosius.*

12. *De delirio*) Si æger vel Calidiora medicamenta minus propere atque intempestive sumendo, vel Calido nimis temperamento sua natura fretus, non in delirium modo, sed & in Phrenitidem inciderit, vel (quod proxime illuc accedit) si non omnino dormiat, sæpe exclamet, aut inauditis vocibus utatur, si vultu ac loquela ferociat, si medicamenta potumve communem avide & quasi raptim bibat, vel denique urinam habeat suppressam, In hoc, inquam, casu liberaliori manu ad V. S. clysteres, ac medicamenta refrigerantia me accingo, verno tempore præsertim (quo alias etiam symptomate hoc non apparente, iuvenes atque vegeto calore præditi, ejusmodi auxilia sine multo discrimine admittunt) atque talibus remediis utens, ægrum eo usque sustinere conor donec in diuturnitatem aliquam affectus excurrat; quo tempore non admodum difficile erit eum & à morbo & à symptomate una eademque opera liberare; Id quod fiet Narcoticum aliquod medicamentum largiori paulo dozi exhibendo.

Quamvis enim febre vigente, quæ narcotica vi prædita sunt non omnino prosint, tamen in declinatione morbi adhibita præclaros effectus edunt Antea vero prodesse non possunt. partim quia fermentationem, vi atq; impetu procurrentem sistere nequeunt, etiam in maxima dozi exhibita, partim vero materiæ peccanti, tunc temporis massæ sanguineæ æqualiter admistæ, neque versus separationem adhuc vergenti ab exhibito ejusmodi medicamento manus injicitur, adeoque depuratio illa tantopere expetenda impeditur: Semel equidem Narcotico die morbi XII. usus sum, nec frustra, citius autem unquam.

Quod si autem illius usum ad XIV. usque diem distuleris, tanto magis proficuum evadet; nempe separatione perfectiori tunc facta. Neque vero hæc mora, tametsi forte adstantes perterrefaciet, horrendum hoc symptoma, mortem statim subinfert, cum sæpe observaverim hanc rem plerumque inducias ferre posse ac solere donec ad Narcotica descendere sit opportunum; saltem si caveatur oe *Cardiacis*, calidisque medicamentis adhibitis, intemperies cœpta accendatur ulterius, quo casu ægri subito pereunt: Narcotica quibus ego uti soleo, sunt vel *Laudanum Londinense*, ad gr. j. vel sequens.

℞. *flor. paralys. m. j. coqu. in s. q. aqu. cerasor. colat.* ℥iij. *dissolve syr. de meconio.* ℥ß, succi limon. *gut.* 8. *vel* 10. misce.

Notandum, Si symptoma hoc eo usque inducias ferat ut æger ante sumptum Narcoticum commode purgari possit, medicamentum illud tanto felicius effectum suum editurum; Neque metuendum est à tumultu illo, quem calidior illa massa Pilul. alias excitare solet, (hoc enim medicamentum imperare soleo, *massæ Pil. cochiar. maj.* ℈ij. *in aqu. beton. dissolut.* atque hoc 10. vel 12 horis ante medicamenti exhibitionem) subsequentis enim Narcotici vis pensabit illas turbas, & quietem suavissimam blandissimamque inducet. *Sydenham Observ. in Acut. p. m.* 63.

Convulsiones in Febribus.

13. *Convulsionibus*) Motus convulsivi propter causas diversas in febribus contingunt, quandoque ob materiam in primis viis cōgestā, quæ insigni pravitate sua partes ibidē membranosas vellicat, & dein consensu nervosi generis statum spasmus nervorum origini & cerebro communi-

catur, & exinde in partes modo has illas retorquetur: qua ratione lumbrici in visceribus scatentes, humores acres commoti, & pharmaca deleteria convulsiones inducunt; vel 2. Quando febris malignitatis cujusdam fit particeps, sic variolis, morbillis aut pesti convulsiones frequenter accidunt; quia scil. sanguis à temperie benigna & naturali in deleteriam & venenatam alteratur, qua nervi eorumque principia percelluntur ac in spasmos aguntur: Non raro etiam absque malignitatis suspicione, in febre putrida, propter materiæ febrilis metastasin ad cerebrum, motus convulsivi inducuntur: Ita sæpius observavi, quod quando morbus crisi non statim solvitur, ægri longa ægritudine decumbunt, & motibus convulsivis & tremulis fiunt obnoxij. *Tertio* denique, in unaquaque utplurimum febre, quæ in mortem terminatur, motus convulsivi sunt tristes lethi prænuntij: quod puto accidere non tantum à materiæ malignitate, qua nervosum genus vellicatur & percellitur, sed quia spiritus plurimum exhausti & debilitati non satis inflant & distendunt nervorum corpora; quare à solita tensitate & motu tonico relaxata, debiliori utcunque spirituum nixu in motum inordinatum aguntur. *Willis. l. Feb. cap.* 10.

Dolor capitis in Febr.

14. *Dolor capitis*) Capitis dolor in febribus excitatur propter meninges cerebri vaporibus, ac sanguine acri & effervescente vellicatas: etenim sanguis impetuose commonis, propter arteriæ magnæ directionem majori copia ad caput quam ad partes infernas defertur, quippe transitus è cordis sinu in caput rectus est, ex eodem in membra inferiora obliquus, & velut refluxus: quare cum cerebri membranæ sint valde sensiles, ibidemque sanguis in cursu rapido sistatur, ac reverberetur, nihil mirum est si immanes Cephalalgiæ in febribus concitentur: Præter impetuosum hunc sanguinis affluxum, quo (velut arietatione quadam) capitis membranæ perculsæ & distentæ graviter dolent, interdum Cephalalgiæ etiam oriuntur propter succum nervosum (qui à sanguine æstuante suppeditatur) nimis acrem & pungitivum, quare cum eodem membranæ & nervosæ partes irrigantur, acrimonia ejus vellicatæ, in dolores & spasmos aguntur. *Willis l. de Feb. c.* 10.

Pauci qui febricitant dolore capitis non vexantur, est enim hoc symptoma ut plurimum omnium febrium comes, Dolor autem capitis, qui ratione febris accidit, ut annotavit *Fernelius*, aut tempora, aut frontem, aut omnino anteriorem capitis partem prehendit; qui enim vel in occipite, vel in vertice, vel circum aures figitur, aut profundior in oculorum radicibus sentitur, etiamsi cum febre suscitetur & incandescat, symptoma febris non est, sed peculiarem causam habet in capite: Sæpe enim hisce locis dolor vetus quasi sopitus & conquiescens humore irritato exasperatur cum febre &c. Prodeunt autem vapores ab humore, qui febrem facit, ebulliente vel in prima, vel secunda corporis regione, interdum & ab excrementis contentis in intestinis, uti accidit iis quibus alvus adstricta est.

Est autem ille dolor vel acer, vel distendens, vel gravans, vel pulsativus; Acer fit à bile membranas cerebri pungente & feriente: Distendens à vaporis aut humoris copia membranas quibus cerebrum tum interius tum exterius contegitur, vel alias cerebri partes divellente, Gravans vero ab humore pituitoso: Gravantem vero capitis dolorem somnus comitatur, ut distendentem & acrem vigiliæ: Pulsativus fit à solis vaporibus in arterias penetrantibus, quas dum distendunt, & magis quam pro naturali consuetudine dilatant, talem dolorem inducunt.

In febribus autem Intermittentibus, accessione sedata, interdum post aliquot horas perseverat capitis dolor, quia scil. vapor, aut humor, ejus causa, tardius & difficilius resolvitur in capite, ob cranij densitatem, quam ille qui per habitum corporis effusus est, ob cutis raritatem; *Enchir. Med. Pract.*

Variis ex causis dolor capitis in Febribus adesse solet, 1. ob retentas fæces &c. 2. per consensum aut partis cujusdam, aut totius corporis: Consentit caput stomacho, Lieni, utero, jecori, si in illis humor putridus lateat & effervescat; Toti vero corpori in febribus continuis, si tenuior sanguis sursum impulsus &c. Rationem vero doloris capitis eleganter reddit *Hippocr.* l. de *Flatibus.*

Sanguinis viis in capite angustia contingit, quia flatu replentur, repleta autem distensionem pariunt, & dolorem à vaporoso spiritu; sanguis autem vi impulsus cum calefactus sit, per angustam viam non potest celeriter permeare, (impedita sanguinis circulatione) *multa enim impedimenta & obstructiones, inde pulsationes fiunt circa tempora.*

Ad curationem autem scire necesse est; An criticus sit, an symptomaticus, critico enim remedia non sunt adhibenda; Docet *Galenus* 1. ad *Glauc.* criticum distinguere, 1. ex specie febris, an calida sit & ardens, nam excretione solvitur, An mitis & diuturnior, abscessu enim terminatur. 2. An sit salutaris, vel lethalis, nam in morbo pernicioso bonam crisin nemo speraverit.

3. Videndum an in principio morbus invaserit, & ante signa coctionis, tunc enim criticus non est: Adjungenda quoque sunt reliqua signa crisin comitantia, & antecedentia, ut dysphoria crisin præcedens: Solet autem portendere crisin per hæmorrhagiam, vel vomitum: Hæmorrhagiæ futuræ signa sunt splendores ante oculos obversantes, oculorum hebetudo, rubedo, lacrymæ, malæ naresque rubicundæ, hypochondriorum sine dolore tensio, respirandi difficultas, dolor capitis gravans, distendens, pulsans, narium pruritus; Quibus addere possumus consuetudinem, ætatem, regionem, cœli statum, anni tempus, cæteraque humorum calorem indicantia.

Vomitus vero critici futuri signa sunt stomachi vellicatio, dolor capitis, vertigo tenebricosa, labij inferioris agitatio, ptyalismus: Futurum autem capitis dolorem ostendunt urinæ instar subjugalium perturbatæ, aphor. 70. 4. ob vaporum petentium caput multitudinem. *Primerosius.*

Si capitis dolor non urget vehementius, nec somnum impedit, nulla eget cura, nam sublata febre statim evanescit, at vehementior curationem ad se trahit, cum vel vires frangit, vel plenitudinem, tractis ad caput humoribus accersit: Compescitur vero, tum iis quæ vapores & humores ad cerebrum ascendentes derivant, tum iis quæ refrigerant & affluentem ad cerebrum humorem repellunt: Derivatur & revocatur humor & vapor qui ad cerebrum ascendit, purgationibus blandis, clysteribus emollientibus, refrigerantibus, & leviter detergentibus, venæ primum cephalicæ, dein earum quæ sunt in temporibus sectione, (Nota *Venarum pedum apertionem efficaciorem esse, teste experientia, penuria enim sanguinis in extremis illis partibus inducta, ceteris sanguis retrahitur & revellitur: Sin in capite illius copia consistet qua per venas, ut decet, non revehatur, certissimam opem afferre jugularis venæ reserationem, qua nullo periculo tunditur.*) Cucurbitularum applicatione cervici & scapulis, ligaturis extremarum partium, & blanda totius corporis inferne descendendo frictione.

Repellitur vero humor & vapor ad cerebrum ruens, Ejusdem cerebri calor & ardor corrigitur refrigerantibus & repellentibus capiti admotis; quorum non aliud oxyrrhodino frequentius, i. e. aceto cui oleum rosac mistum est: addita si vis *aqua rosac.* Quantitas *aceti* major aut minor, & prout plus aut minus refrigerare volumus,

(*Sil-*

(*Silvaticus & Fortis in consiliis aceto substituunt succum citri vel limonum, in quibus vis refrigerans & aperiens manifesta, quæ in aceto dubia*) in quo habetur ratio ætatis, temperiei, naturæ ægri, & anni temporis (nam si æstas sit, si æger calidus & siccus, robustusque, plus aceti & minus olei ponitur: Sin hyems sit, æger puer, delicatus, debilis, plus olei, minus aceti additur: His etiam admiscetur *Ol. chamæmel.* ad aceti qualitatem infringendam, est enim acetum nervosis partibus inimicum: Interdum cum aceto miscentur *aqu. rosar. plantag. beton. solani*, In his linteum immergitur, & expressum sincipiti apponitur; renovaturque cum siccescere incipit; admoventur autem tepida, quia frigida cerebro semper noxia sunt: Quod si Oxyrrhodino non sedatur ille dolor, fit Cataplasma cum *mica panis albi, croco, pulvere betonica, & oleo rosar.* quod stupis exceptum capiti applicatur; Sed & tempora & frons illinuntur. Quod si his nondum sedetur dolor, adduntur vehementius refrigerantia, ut *Oleum Nymph. papaver. mandragoræ, ungu. popul.* ex quibus cum vel sine cera fiat litus.

Interdum & extrema necessitas nos cogit recurrere ad Narcotica, ut ad *Opium*, cujus ℈ij. dissolvuntur in Olei ℥j. Interdum & *Philonij Rom.* ℥j. *aut Pilul. è cynoglossa* ℈ij. (gr. vj. vij.) intro sumuntur. Datur ad idem hordeum mundatum, in quo semen papav. mundatum & opium decocta fuerint; Sed his non utendum nisi in extrema necessitate, ne capite nimis refrigerato sopor lethalis accersatur vel dementia: Satius fuerit loco Narcoticorum blandioribus intro sumptis dolorem demulcere, ut syrupo papav. nymph. diacodio sine speciebus; decoctis rosar. lactucæ, sem. lactucæ, papav. Fiunt & Frontalia sic. ℞. *flor. rosar. nymph. violar. fol. lactucæ, sempervivi* āā. *P.j semin. lact. & papav.* āā. ʒß. *tundantur cum aqua rosar. & fiat frontale post litum admovendum.* Vel ex *capitibus quatuor papav.* in pulverem redactis cum ovi albo prius egitato ex aqua rosarum. Comprimatur autem caput fortiter, nam & compressio capitis dolorem lenit.

Ab his cavendum in diebus criticis, maxime si crisis immineat per hæmorrhagiam è naribus; ne impediatur. Sunt qui loco refrigerantium capiti raso admovent pullos gallinaceos, Columbas dissectas, pulmones arietis &c. adeo ut non diutius insideant quam horis tribus, ne fœtore visceribus obsint, quorum animalium applicatio multum prodest, nam illa insito suo calore, nostro amico, & cerebrum roborant & dolorem leniunt: Quidam ad Capitis dolorem è naribus sanguinem, experientia edocti; & ab *Hippocrat. aphor.* 10. S. 6. Quod capite dolentibus si pus aut aqua, aut sanguis è naribus exstillent, sedatur ille dolor, Sic autem provocatur, Æger attente res rubras prospiciat, fortiter nares emungat, vel setam porci aut aculeatas herbas in nares immittat, ut dehiscant orificia venarum: quidam hac sanguinis per nares provocatione naturæ motum interturbari censent: *Enchir. Med. Pract.*

Si dolor sit ab humoribus fervidis, vitanda lux est, humores enim agitat, vitandus quivis calor, imo & odor, ex *Aëtio.* libr. 5. cap. 11. ubi quoque ait vitandum esse omnem potum orisque collutionem, nam statim ab ore, aut humecto stomacho, vapores ad caput jam ignitum deferuntur, quod tamen non est absolute verum, nam potu frigido humor calidus delatus in cerebrum temperatur &c. Probat Hirudines *Paulus*, quæ venis sedalibus utiliter applicabuntur; *Celsus* rosas aceto madefactas imponit; quidam *farinam hordei cum succo sempervivi* subactam, vel cum *hyoscyamo*: *Lac* admotum non improbatur, præterquam in duobus casibus. 1. si materia sit humida, somnum inducens 2. si resolutione indiget, lac enim poros obstruit, vaporesque intus cohibet; Convenit ergo in febris declinatione. Si dolor sit ab humoribus frigidis, remedia debent esse discutientia, ex decoctis rerum calidarum, Oleo chamæmel. anethino, & similibus. *Primirosius.*

[15.] *Epithema ex stupa*) In doloribus capitis, præsertim cum febre, etsi magna vis febris impressionem facit in capite, cavendum ab iis quæ multum refrigerant, ut ab anacollematis & *populeone*, Si enim mador, aut sudor manans, dolorem minuit aut sedat, quis dubitat quo minus refrigerantia & repercutientia adhibita; difflatu materiam prohibentia, noceant plurimum? *Ballonius Epid. l. 2. p.* 254.

Sternutatio in Febribus.

Sternutamenta in febribus incidentia tribus de causis molesta sunt, ex *Paulo* 1. quia caput replent, attractis ad caput tali motu humoribus, maxime morbi initio: nam in declinatione, post morbi coctionem arguunt vim naturæ noxium pellentis 2. importuna virtutem reddit imbecilliorem ob motum concussivum. 3. sanguinem è naribus elicit, qui fluxus si intempestive accidat; potius nocet quam juvat; Fit autem è vaporibus cerebro molestis, quos omni conatu expellere nititur, quare si nimium molester, demulceri debet & temperari, quod fiet frictionibus palati, nasi, frontis, oculorum colli, ex *Paulo*, aut etiam posteriorum Capitis partium; quibus frictionibus resolvitur humor sternutamentum concitans: Pariter *Oleum anethinum, laurinum*, auribus instillatum, *spongia aceto macerata* naribus admota eam sedat; item musculorum maxillæ ex Oleis calidis perunctio, capitis in altum elevatio, inclinatioque ad latus, & pulvinum calidum mento subjectum prosunt, hæc enim humores resolvunt; ex *Paulo*: Caveri autem debet repentina è somno excitatio, fumus, pulvis, & acriorum odoratus: *Menthæ* vero, *pomorum, & panis, vel polentæ* odor prohibet Sternutationem, & spongiæ ex mari recentes, Symptoma autem hoc rarum est in febribus. *Primirosius.*

Cervicis dolor.

Cervicis) Cujus dolor in omni febre malum; In his vero pessimum in quibus etiam vehementis insaniæ metus est, *Coaca* 273. Qui scilicet propter inflammationem spinalis medullæ & membranarum ejus à distensione venarum & arteriarum cervicalium oritur. *Jonstonus in Conac.*

Pulsatio in capite.

Pulsationes in capite, vel à calidis vaporibus inferne elevatis fiunt; vel materiam calidam caput obsidere significant. Primus modus peculiaris est earum febrium quæ à calidis humoribus dependent, ex quorum æstu magna vaporum copia ad caput transmittitur; inde enim caput vehementius incalescit; unde arteriæ in eo sitæ, adaucto usu, vehementius pulsare coguntur, ita ut earum motus & adstantibus aspectabilis & ægro sensibilis fiat: Hujusmodi causæ ex eo distinguuntur, quod si à calidis vaporibus inferne elevatis fiant febres cum pulsu sunt, semper magnæ & vehementes; Si vero à calidis humoribus in cerebro ferventibus, calore mites erunt febres, nec admodum urentes, ratioque diversitatis à partis affectæ natura & temperamento dependet, quia enim cerebrum natura frigidum est, humores etiamsi calidi sint, calorem vehementem in eo excitare non possunt, nisi è venis egressi inflammationem constituant, verum egrediente è vasis humore pulsus arteriarum cessat, delirium adest, aliaque signa cerebri inflammati. *Martianus in Hipp. p.* 420. §. 103.

[18.] *Si accidit circa initia*) Id est primis febris insultibus.

[18.] *Tenuiter febricitantibus*) Ita ut moderate habere videantur, & Medicis imponatur, λανθάνει hic summus τοῖς ἀγαν λεπτῶς πυρέττουσι: Tales febres ἀχαρεῖς καὶ χλιαρὰς vocat *Galen.*, Oriunturq; ex magna humorũ inæqualitate,

ex crudis videlicet atque crassis succis, cum bile & acribus humoribus permixtis. *Jonstonus.*

19. *Ad judicationem invalescant*) Quia major est vis materiæ peccantis dum latet in crassiori substantia, quod in ejusmodi humorum inæqualitate accidit, qua de causa difficilior redditur naturæ morbique pugna. *Idem*,

20. *Mentis emotio & pervigilium*) Quia translatio flatuosi spiritus; humores sursum inclinantes, & symptomata; calores intensi circa caput, affectiones has facile producunt. *Idem.*

Lumborum dolor.

20. *Lumborum*) Lumborum dolor & gravitas interdum fit ex venæ cavæ distensione, quam vel efficiunt copiosi vapores ex calfacto sanguine geniti, vel etiam humores qui febrem committunt, illabentes maxima copia in venam cavam & majorem lumborum arteriam, hæc enim vasa Lumbis assidentia, vel ab eis vaporibus vel humoribus distenta, lumbos comprimunt, unde dolor maximus: Quod si prædicti humores in dictis vasis ebulliant ; renum dolores inquiete maxima comitatos suscitabunt; qui etiam contingunt cum multa pinguedo renes circumstans incalescit à febrili calore : Sedatur vulgo ille dolor oxyrrhodino , quod fit ex aqua rosar. oleo rosar. & aceto, vel oleis papav. nymph. lotis in aceto , vel ex Popul. aut cerato Galeni refriger. cum succo sempervivi & camphora; Fit etiam Epithema ex aqua plantag. rof. aceto rosat. & camphora : Intro etiam sumuntur Emulsiones semin. frigid. amygdalata , hordeata & clysteres refrigerantes, emollientes, & blande purgantes. *Enchir. Med. Pract.*

21. *Eodem ad hepar refluente*) Huc refer aphor. 72. sect.4.

21. *Ad os ventriculi recursare*) Seu per translationem materiæ symptomaticam, quæ & substantiæ tenuitate atque calore facile sursum rapitur , & acrimonia naturam ad expulsionem irritat ; seu per affluxum fieri in os ventriculi ab hepatis vel mesenterij inflammatione. *Jonstonus.*

22. *Cum horrore*) Et febre; ex eo orta, vel quod venulæ arefactæ acres & biliosos trahant ichores, quibus totum corpus incandescit & viscera conflagrant; vel quod pravus humor in mesenterium aut pancreas depositus, lapsu temporis putrescit; Cum *horrore* , quia per corporis habitum, aut vasa sensus non omnino expertia , agitata materia symptomaticum aut periodicum excitat. *Idem.*

23. *Si tenuia & aquosa evomant*) A serosis inflammationis excrementis, vel humore putri & corrupto prodeuntia. *Idem.*

23. *Delirent*) Vel propter defectum *spirituum*, eadem ratione qua tremores membrorum fiunt , depravata cerebri actione, & facultate imbecilla; vel propter siccitatem cerebri & vigilias, quæ sanguinem biliosiorem reddant : vel ob cerebri inflammationem, vel flavæ bilis ustionem. *Idem.*

24. *Voce deficiant*) A cerebri exolutione ; unde summa facultatis motricis imbecillitas ; & vocalis materiæ per caloris extinctionem defectio. *Idem.*

25. *Post nigrorum vomitum*) Ab atra bile per ustionem genita, aut succo melancholico, aut vitio hepatis aut lienis , genito.

25. *Moriuntur*) Nigra vomitio morbi & materiæ morbificæ incremento, viscerumque exolutione , mortem affert; Nota vero, Concoctis humoribus aliquando talia à natura excerni. *Idem*

26. *Translata per imperfectam crisin*) Diuturnæ febres ; Item, quæ per copiosa absorbentia , aut calcinata terrea diutius usurpata curatæ fuerunt, vix sine insigni viscerum labe , aut multiplicibus hinc restitantibus symptomatis solent evanescere ; unde & coliez, & hydropes, aut pedum saltem tumores , aut cachexiæ subinde hos insequuntur: Talibus malis & præcavendis & curandis, optime inservit *Absinthium in decocto, essentia, succo, extracto*, frequentius usurpatum, aliaque congrua amara ; Sane *crurum tumor Oedematosus* ordinarie chronicis intermittentibus supervenit, præsertim si copiosius biberint ægri & parum sudaverint; Vel si copiosius post curam febris cito se ingurgitent; Sed parum in recessu habet hic tumor: Interno etiam multiplici *absinthij* usu, externo vero *chelidon. maj.* recentis plantis pedum admotione facile abigitur. *Ettmuller. p.292.*

Palpitationes circa ventrem.

27. *Palpitationes circa ventrem*) *Martianus* hic per palpitationes juxta ventrem , Hippocratem intelligere existimat pulsationes quasdam ad regionem ventris , venæ cavę è directo respondentem, idque ob flatulentum spiritum in vena cava conclusum, à quo sanguis; & cum eo cæteri humores affecti supernas petunt partes, deliriumque in capite constituunt, nisi ab hæmorrhagia delirium avertatur : Quod tanquam raro contingens indicatum est per illa verba , hæmorrhagia φρικώδης , horrida , q. d. hæmorrhagia vero aliquando subsequitur loco delirij, quam horror præcedit; Et ratio est , quia dum sanguis movetur, ad motum dicti spiritus , cum eo conclusus , horrorem infert : quemadmodum *Hippocr. l. de Flat.* v. 100. docet; Spiritus enim, ut pote tenuiores sanguine, ex motu ventilantur, refrigeratique per sanguinem transcurrentes, inæqualem sensum illum frigoris faciunt , qui Horror appellatur; eodem plane modo quo rigorem fieri docebat *Hippocr.* l.1. de morbis. *Ionstonus.*

Mentis emotiones.

28. *Mentis emotiones*) Multa accidentia febres sive continuas sive intermittentes Autumnales consequi solent , ob purgationem vel non omnino , vel non rite celebratam , inter quæ non contemnendum referre lubet, quod non tantum evacuationibus aliis quibuscunque, V. S. præsertim cedere dedignatur , verum & ab illis vires acquirit : Illud autem peculiaris quædam est, ac sui generis *Mania* , Intermittentes diuturniores , (Quartanas præcipue) nonnunquam excipiens , quæ communem medicandi rationem aspernatur, & post evacuationes fortiores adhibitas, in miseram quandam Stultitiam degenerans , nonnisi cum ipsa ægrorum vita terminatur; Miratusque sæpenumero sum nullam hujus rei mentionem ab Authoribus factam fuisse ; cum non raro accidisse viderim ; Cum reliquæ Amentiæ species copiosis evacuationibus , & venæ sectione , & catharsi ut plurimum persanentur , hæc neutram potest ferre : Sed cum jam æger in sanitatis limine est , si vel Enema ex lacte saccharato semel injeceris , statim de novo recrudescet malum : Et si reiteratis Purgationibus venæque sectione contrariamur, ejusmodi evacuationes morbi ferociam possunt quidem domare , ægrum vero certissime non tantum Fatuum , sed & incurabilem omnino reddent ; quod quidem nemo mirabitur , qui secum reputaverit alteram Amentiæ à nimis exaltata & vivida sanguinis crasi produci ; Hanc vero ab ejusdem debilitate , & , ut ita dicam , vapiditate , à diutina fermentatione quam invexit febris , qua mediante spiritus functionibus animalibus obeundis impares plane sunt. Huic malo ad hunc modum mederi soleo , Ægro ter in die Cardiacum aliquod è generosioribus exhibeo , dozi paulo liberaliori E. g. *Theriacam Andromachi* , *Eiect. de ovo* , *Pulv. Comitissæ* , vel similem, in *aqua epidemica* , *theriacali* &c. Possunt etiam in alia quavis forma exhiberi Cardiaca : Æger interim victu quidem moderato , Analeptico tamen , & Potu generosiore reficiendus est ; oras ne exeat , in lecto

lecto se diu multumque contineat, Alvus sub hoc regimine [illegible] ent adstrictior, unde ut etiam à calidorum medicamentorum usu à febre quis sibi metuat, sed vano proclivis timore, cum spiritus antecedente morbo fere exhausti novum deinceps non valeant accendere: Post [illegible] quot septimanas paulatim in melius proficiet; quo tempore omitti possunt cardiaca ad dies pauculos: Diæta vero analeptica jugiter instituenda, & post brevem intermissionem repetendus est denuo cardiacorum usus, atque in eo persistendum donec integra sanitate fruatur: Dicta methodus maniam, etiam quæ has febres minime excepit, quandoque sanavit, in frigidiori scil. atque infirmiori temperamento præditis. *Sydenham Obs. ix. Acut. p. 121. & 122.*

28. *Mentis Emotiones contingunt*) Sanguine atra bile perfuso eo devecto, cujus acriores sunt quam flavæ morsus: οἱ μελαγχολικοὶ ἐξιστάμενοι, qui melancholici evadunt, seu in quibus insaniæ plena sunt omnia. *Duretus in præd. Coacam.*

29. *Sanguinis ex naribus profluvium cum horrore*) Quod plerumque verum est, nam, *ut inquit Jacotius*, moderatus rigor interdum antecedit hæmorrhagiam in corporis plenitudine, quæ perturbationem in ipso faciens, naturam ad excernendum quod noxium est excitat; Verum magna ex parte ex rigore sudores sequuntur, aut biliosorum vomitus, aut dejectiones, rarius hæmorrhagia; Sed & interdum horror vel rigor copiosæ hæmorrhagię supervenit, ipsamque revellit; Excitatur enim dissipato calore nativo, & refrigerato corporis habitu, sicuti & convul[illegible] per [illegible], & immodicum refrigerantium usum. *Jansen.*

Urinarum consideratio in Febribus.

[illegible]. *Urina* Urinarum inspectio in Febribus præ cæteris quibuscunque morbis, plus habet certitudinis, & maximi est usus, hinc enim ægri & morbi status optime cognoscuntur, & Me[illegible] in[illegible]ntiones circa agenda melius diriguntur; circa has præcipuas observationes annotasse sufficiat, ac præcipue advertenda sunt *Color*, *Consistentia*, *Contenta* & *Subsidentia*.

Color urinæ indicat modum aut excessum caloris in sanguine, qui prout augetur, vel remissius se habet, etiam urina plus aut minus rubicunda existit: cujus causa est ebullitio sive effervescentia cruoris à febre inducta propter quam particulæ salis & sulphuris sanguini, humoribus, & solidis partibus insitæ, plus dissolvuntur & sero incoquuntur eique rubedinem impertiunt, non aliter ac cum sal Tartari, & sulphur commune invicem commixta, & aquæ incocta, liquori saturatam rubedinem impertiunt. Quorundam urinæ summe rubescunt, quando parum vel leviter febricitant; & è contra aliorum æstu febrili laborantium sunt minus coloratæ: Qui calore vegeto, & sanguine præfervido abundant, aut Scorbuto, phthisi aut affectioni hypochondriacæ sunt obnoxii, cum a[illegible]re suscepto, [illegible], crapula, aut vini potu febri[illegible]ula quavis tentantur, urinam intense rubicundam reddunt, eo quod salis & sulphuris particulæ, in sanguine eorum exaltatæ, & prius semisolutæ exstiterunt: quare necesse est ut febre urgente sero plus incoquantur E contra qui temperie frigida, cum pulsu debili [illegible]ti sunt, febre correpti cum majori sanguinis effervescentia urinam minus coloratam reddunt.

[illegible] *consistentia*, *contenta* & *subsidentia*, velut in eodem [illegible] posita, simul dependent à materia adusta & excrementitia, quæ à deflagratione febrili in sanguine residua [illegible] copia adfuerit, urina consistentia nonnihil [illegible] & postquam steterit, à frigore turbatur: si [illegible] sit minor quantitas, aut alio quam ad Renes derivatur nimirum si vel sudore, aut critica in hanc vel illam partem metastasi avocatur) consistentia fit tenuior, & liquor clarus persistit: Etiam hujus materiæ particulæ urinæ contenta elargiuntur, quæ se diversimode habent, juxta quod succus nutritius à sanguine modo nonnihil coquitur & assimilatur, modo omnino pervertitur & in putrilaginem facessit: Coctionis & assimilationis figura quædam exhibetur in urinis febricitantium, modo hypostasis laudabilis, modo ejusdem vestigia quædam & rudimenta: Coctionem vitiatam denotant hypostaseos privatio, & partium urinæ confusio & perturbatio: Prior autem hæc materies plus aut minus in sanguine assatur, contenta sunt modo pallidi, modo russi coloris, instar ochoræ: Pro ratione qua recrementa sanguini confusa, vel spiritu præpollente subigi & secerni incipiunt, vel eodem nimis depresso separari minus queunt; etiam contenta urinæ plus aut minus, citius aut tardius, à reliquo liquore secerni, & versus fundum subsidere solent.

Quoad *Prognostica* ab urina desumenda, annotamus, quod urinæ color nonnihil remissior, consistentia mediocris, contenta pauciora sponte subsidentia, aut facile in nubeculam collecta bonum portendant: E contra rubor intensus, consistentia spissa & turbida, contenta crassiora & opaca, quæ tarde aut vix omnino versus fundum subsidunt, effervescentiam magnam, materiæ adustæ copiam, ejusque subactionem, & secretionem difficilem, aut frustratam denotant.

Quoad directiones Pharmaceuticas, res hoc in cardine versatur, ut crebra urinarum inspectione naturæ motum attendamus, eidemque obsequamur: nec catharsi, nec diaphoresi quicquam movendum nisi eum hypostasis quædam in urinis coctionis & separationis signa exhibet: *Willis l. de Feb. c.* 10. Vide plura in Ejusdem Tr. de Urinis.

30. *Urina*) *Inter enumeratas differentias recense* Nigras: Raro evenit ubi *urina nigra* minguntur in febris acutis:, si alia adsunt signa mala, ut evadant ægri: Sic *Philiscus* apud *Hippocr.* 3. die nigra minxit, & 4. & 5. demum 6. obiit. *Silenus* ibid. 1. die urinam nigram minxit, & 2. Obiit 11. die &c. *Forestus Schol. ad obs. 6. l. 2.*

31. *Quæ à materia varietate*) Tria ad *urinarii liquoris constitutionem* concurrunt, *Materia*, *Efficiens* & *Instrumentalis causa*; Ratione *Materiæ*, ab optima temperatura urina deficit, vel ob *defectum materiæ propriæ*, vel ob *alienæ accessionem*: *Materiam Propriam* quadruplicem facimus, *Potulentam*, *Sal resolutum*, *Bilem* & *Spirituosam substantiam*; quorum si unum alterumvè defecerit, in urina fit lapsus, isque pro ejus quod deficit ratione, Nam defectu *materiæ potulentæ* urina oritur *pauca*, ut in ascite, in qua materia aquosa ad abdominis capacitatem convertitur: Et in sudoribus, in quibus ad habitum corporis exhauritur.

Defectu salis resoluti urina fit *tenuis & aquosa*, Nam si ex sententia Chymicorum Mechanici ventriculi & hepatis salem è cibo non resolvant, & à reliquo nutrimento sequestrent, sed ejus impuritates ad partium œconomiam ferantur, ratione locorum in quibus confluentiam inveniunt, variorum morborum causa sunt & origo; quippe si in cerebro continuitatem inveniant, imminent Vertigo, Apoplexia, Epilepsia &c. Si in nervis, Paralysis, Si in articulis Arthritis &c In quibus morbis urinas esse Tenues & Aquosas experientia docet.

Defectu *Bilis*, quæ urinæ non permiscetur, urina evadit *Alba*, *Aquea* instar aquæ puræ, propter scil. tincturæ privationem: Bilis defectum hic consideramus, non quatenus non generatur, nam id fit vitio efficientis, sed quatenus generata alio fertur, fertur autem non ad unum locum: aliquando ad caput, ut in phrenitide, in qua *Galenus comm. ad aph.* 724. albas urinas adeo calamitosas esse prodidit, ut nullum servatum viderit. propter scil. bilem ad caput translatam: Nonnunquam ad ventrem divertit, unde dysenteriæ metus: Est cum rapitur ad habitum corporis, ut in Ictero; quod si diu duret omnium calculo sequitur Hydrops: Vel ad partem ali-

quam in habitu corporis viam affectat, ut in Erysipelate: In his ergo vomitibus urina initio apparet *Alba, Aquea,* seu *Diaphana: At inquies*, Quid ergo differt urina, quæ est à defectu salis, ab illa quæ est à defectu bilis? Respondeo, quod ibi urina est *Diaphana ratione substantia*, seu propter substantiæ tenuitatem, hoc est *Diaphana ratione coloris*; nam etsi hæc propter salis præsentiam potest esse corpulentior, tamen propter ejusdem in humido acuitionem splendorem obtinebit; adeoque à salis absentia urina semper est *tenuis & aquosa*, sed *obscurior*, ut aqua leviter cocta, in qua superficiali coctione partes quædam crassiores separatæ sunt, unde tenuior, reliquæ autem non exæquatæ, unde obscurior: At à defectu Bilis, est *Aquea, candida*, sicut aqua lixivialis, nisi cum bile etiam salia portio abrepta sit, tunc enim aquæ crudiori similis erit, ut prior, expers scil. ejus, quæ est à sale, coruscationis. Atque hæc ita se habent in totalis bilis absentia: quod si vero bilis urinæ etiam misceatur, sed non ea dosi quæ naturæ recte operanti est conveniens, urina quidem tingitur, verum ad aureum colorem non aspirat, sed prout bilis, vel plus vel minus, ejusque vel magis vel minus tinctæ ei miscetur, eo vel longius à medio recedit, vel propius ad medium accedit. Ita si bilis pallida & dilutior moderate urinæ misceatur, fit *subspucea*, pariter si & flava nonnihil, Si autem bilis flava modica admisceatur, urina erit *spucea*, prout etiam à pallida copiosa.

Defectu *spirituosa substantia* Urina apparet *Obscurior*, & quasi *extincta*, propter nullas vel leves Caloris & Spirituum impressiones; ut & *Gravior*, liquore nulla sui parte attenuato alleviatoque; *Materiam ex qua urina constat*, statuimus esse *Serum triplex*, sive triplicis concoctionis, quatenus scil. serum primæ concoctionis impraegnatur Secundæ concoctionis sero, & hoc vicissim tertiæ, unde urina suum acquirit consistentiæ modum: Quod si ergo serum ventriculi, seu primæ concoctionis, non expectata alterius sorte, foras propellatur, urina fit *aquosior*, vel subpallida, juri carnis semi-crudæ similis, qualis est quæ non diu à pastu educitur; Si serum, quod ex aquosiore chymi substantia à massa sanguinea in jecore segregatur, foras expiret, non præstolata mixtionem seri venarum & arteriarum, urina erit *subpallida*, vel etiam *pallida*, instar juris carnium excocti, qualis est quæ aliquanto à pastu longius exit.

Quoad *materiam Alienam*, quæ præter naturæ recte operantis ordinem & modum urinæ permiscetur, Ea duplicis est generis, *Humorosa & Vaporosa*, Quoad Humorosam, quanquam Humores non tam ipsi urinæ liquori quam ejusdem *contentis* videantur materiam præbere, tamen ad liquoris constitutionem dupliciter videntur concurrere, 1. quatenus secundum partem sui tenuiorem, seu *ichorem*, unum cum sero urinario liquorem construunt; quod etiam faciunt humores ipsi fusi scilicet; Deinde, etsi ab ipso liquore in urina separentur, & ita ad contentorum sortem transeant; quatenus videl. suo colore & tinctura liquorem inficiunt, Notandum enim quod *Plato in Tim.* primus docuit, quemlibet humorem habere suum proprium ichorem, unique à communi sanguinis sero diversum; Unde *Montanus Veronensis in q. de Febr*, inquit, *In quolibet succo est quadam pars subtilis, quam vocamus Ichorem*, Hos autem Ichores humorum in corpore prius separari quam ipsus humores, ibidem inculcat, *Cum putredo accedit in corpus humorum, primum accenditur hac putredo in ipsis ichoribus humorum, quoniam, longe sunt aptiores ad putredinem & longe inflammabiliores*, Id quod etiam sine putredine fit, præsertim in redundantia humorum; Ichoribus affines sunt humores illi quos *Hippocrates* [illegible] appellat, propter majorem scil. fluxibilitatem, quales sunt bilis tenuis, & sanguis minus excoctus, omnesque pituitosi fluores: Solidi autem, & magis consistentes *Hippocr.* [illegible] dicti, ut pituita vitrea, bilis vitellina, melancholicus succus, etsi ob viscidìtatem & coagulum minus ad fluorem apti, aliquando tamen vi valida funduntur & urinæ miscentur, Unde *Vassæus lib. de Jud. urin.* urinas crassas & pellucidas, propter pituitæ vitreæ resolutionem apparere scribit: Qui vero jam proximiores sunt humori partium geniali, vel etiam in partium substantiam jam concesserunt, adeoque particulæ partis statui debent, Ii colliquatione attenuati urinario liquori permiscentur, quemadmodum & adeps, qui jam partibus annumerari meruit.

Ab his itaque urina multifariam alteratur, tum in Consistentia, tum maxime in Colore, quo etiam tanquam minime fallaci indicio se produnt; Nam cum quatuor in universum sint humores, ex doctrina *Hippocr. l. de Nat. hom.* Sanguis Pituita, Bilis & Melancholia, qui prout temperie diversi sunt, ita colore ab invicem distinguuntur, Sanguis rubedine, Pituita albedine, Bilis flavedine, Melancholia nigredine, quilibet proprii coloris ratione urinam tingere & colorare aptus est.

Vaporosa materia sunt *Vapores & Flatus*, iisdem parentibus orianda proles, nec nisi substantiæ modo differentes: Flatus hic intellige, non qui in ventriculo & intestinis, sed qui in venis generantur; A *Vaporibus* autem urinario sero permistis *urina* fit *Obscura & Nebulosa*; à spiritu videlicet nebuloso, & ab inæquali partium, vaporum cum aqueis locatione, ob quam perspicuitas adimitur.

A *Flatibus* urinario liquori permistis, Urina fit *Turbulenta*, authore *Galeno l. de cris. c. 12.* qui perturbari urinas ob permistionem flatuosi spiritus, veluti in vinis novis fermentescentibus docet; Idem fit in cerevisia recenti, aliisque liquoribus, in quibus quamdiu fermentatione, tanquam vicaria coctionis, spiritus illi flatuosi attenuati non fuerint, non clarescunt, sed turbidi manent, & sic in urina &c. His subnectimus spiritus præternaturales & igneos, qui a caloris febrilis, in corpore dominantis incendiis urinæ permiscentur, eamque inflammant, unde urina fit *ardens & scintillans*, quæ tamen non multo post extinguitur, spiritibus videlicet evanescentibus, & reliqua urina turbata, idque nunc citius nunc tardius &c. *Henric. Martinus Anat. Urina cap. v.*

32. *Unde & pepasmus & redintegratio*) Præcipuus [illegible] usus erit in observandis morbi cujusvis statu & progressu, necnon alterationibus versus salutem aut mortem: Etenim in affectibus *chronicis* ex urina quotidie inspecta Medico innotescit quibus gradibus ægritudo indies accrescat; quo tempore remedia purgantia aut alterantia erunt magis opportuna, qualia medicamenta sint maxime proficua. Hinc observare est an natura morbo prævaleat, necnè: Certissimum hinc Prognosticum elicitur de spe aut periculo convalescentiæ, prout nimirum coctionis aut cruditatis signa in urinis apparent: In morbis *Acutis* hinc status & ἀκμὴ febris optime prænoscitur, quo tempore crisis, & quo successu speratur: quando evacuationibus & quando cardiacis tempestive insistendum est: Non certiori fide, aut majori diligentia pyxidem nauticam intuentur naucleri quam pro idoneis medendi temporibus & modis urinarum phænomena observare debent Medici. *Willis l. de urinis cap. 6.*

33. *Turbata tanquam jumentorum.*) Vide inferius *§. Tenues, qua quia utpote cruda.*)

34. *Propter flatulenti spiritus cum calore*) Ad flatuum generationem requiritur *Efficiens & Materia* commoda, *Efficiens* est calor imbecillis ex *Galeno 3. de symp. c. 2.* sive ille sit talis per se, *qui in materiam agit quidem, caterum dominante, eamque quodammodo dissolvit, non tamen prorsus conficit unde oritur flatuosus spiritus*, sive materiæ ratione, quam superare nequit, Materia; sive minera flatuum, hic est humor crudus, & viscidìtatis particeps, in venis contentus; Crudus quidem, quia Cruditas proprius flatuum fomes, ex quo suscitantur, ac viscidìtatis particeps, propter cohærentiam in divisione, quæ fit attenuatione partium, necessariam.

Oritur ergo Flatus, aliquando ratione efficientis, quando

do vid. calor nativus debilis in materiam agit, sed tenuiter, adeoque vaporem tantum attollit; Vel cum calor, qui est contra naturam, materiam non coquit, sed saltem agitat, unde *φῦσα*; Aliquando ratione materiæ, quando Calor etiam alias satis fortis, in materiam agit, sed rebellem, quam cum conficere non possit, attenuat & in flatum resolvit.

Atque hæc in Febribus potissimum spectantur, in quibus crudus hujusmodi & musteus humor in venis continetur; Unde si propter tenuium humorum in venis concoctionem, vapores tenues cum sero misceantur urina redditur *Clara* i.e. non turbida, sed quæ postea turbatur, distincte *Turbata* dicta, quia vapores, qui per liquorem divisi urinam quomodocumque æquabant, coëuntes, & in aquam condensati perspicuitatem turbant, Si vero à materiæ, sive crudæ, sive jam aliquatenus coctæ, agitatione vehementi, flatus multi & crassæ urinæ permisceantur, *Urina* fit *Turbida*, & quæ talis manet, vulgo *subjugalis* dicta, quod propter flatus crassos, & valde permistos materia descendere prohibeatur.

Quod si autem à materiæ attenuatione jam spiritus turbidus cum urina remixtus exeat, urina quidem mingitur *Turbida*, sed quæ postea clarescit, spiritu qui ex agitatione urinam turbaverat, secedente, & materia propria gravitate à reliqua urina sese segregante, ac in fundo subsidente, non secus atque aquam limosam subsidendo clarescere videmus: Et hæc consentanea sunt doctrinæ *Galeni*, qui 1. *de cris.c.*11. dicit pejorem esse urinam quæ clara redditur, & postea turbatur, quia saltem inchoatæ concoctionis vestigium adest; Non ita malam quæ *Turbida* redditur, & talis permanet, quia natura jam aggressa est coctionem: Minus adhuc malam quæ Turbida redditur, & postea clarescit, propter scil. majorem coctionem *Henricus Martini ibid.c.*6.

35. *Grumosa*) Disjectis per urinam sedimentis, ut quibusdam Intervallis appareat liquor sincerus urinæ, aliis autem partibus multæ concretiones grumosæ, quemadmodum quibusdam temporibus appareat cœlum quadam parte nubibus coactum; aliis partibus quibusdam serenum: (Nostri dicunt *Ciel pommelé*) Indicium est in urinis secerni partes crassas ac crudas, quod ineunte morbo fit non pepasmo profecto, sed quod crassæ partes à flatibus & à calore agitantur; Postea à caloris vi unitur hæc hypostasis in enæorema, indicium materiæ crudæ plurimas partes mutari in flatus à calido emicante, tandem cedit in hypostasin bonam. *Heurnius comm. in aph.* 69. 4. *sect.*

36. *Vel non multo post sedimentum inest*) Urina contentis saturata aliquando non præcipitatur omnino (nisi cum longo post tempore liquoris compages putredine resoluta fuerit), quin turbida & nonnihil opaca diu perstat, corpusculis per totum innatantibus: Hujus ratio est, aut quoniam hæc contenta nimis alte sero incoquuntur, ita ut spiritus insiti purum ab impuro, crassum à tenui nequeant segregare: uti cernitur in conficienda cerevisia, cui si brasii farina nimium incoquatur, nunquam postea inclarescit liquor: Aut etiam urina manet turbida, quia omnino destituitur spiritibus, qui partes liquoris in fermentationis motum compellant, sicut fieri solet in cerevisia ob tonitru ob calorem immodicum acescente; & quæ turbida infecta, quæ vix unquam rite defæcatur; Hujusmodi urina plerumque in febribus valde periculosa & quandoque in cachexia conclamata cernitur, atque malum portendit.

[illegible] contingit urinam contentis adeo saturari, ut d[illegible] incalescat turbari incipiat, Sæpius observavi hoc [illegible] fieri in febre lenta, cujus calor fuit mitis & remiss[illegible] qua scilicet nutritii crassamenti particulæ depravantur, [illegible] manus calore subactæ, aut sero incoctæ facilius ejus poris excidunt; veluti cum sulphur commune lixivio incoqu[illegible], si priusquam perfecte dissolvatur, ab igne removeatur, liquor primo clarus & rubicundus, ob citam dissoluti præcipitationem statim fit turbidus & subalbidi coloris: Quod vero sæpissime usu venire solet urinam hujusmodi contentis gravidam, quamdiu incalescit, & aliquo post tempore videri claram & perspicuam, cum vero frigescit paulatim turbari, & velut coagulo infuso secundum omnes sui partes præcipitari eandem tamen si juxta focum, aut in aqua calida aliquantisper detineatur, denuo clarescere; Hujus ratio ex caussis opacitatis & diaphaneitatis petenda.

Opacitatis & Diaphaneitatis *in Urinis, ut &* Colorum *diversimode apparentium, & varie immutatorum, causa, sicuti in liquoribus aliis quibuscunque, unice dependens à varia incidentia ac emersione radiorum lucis, Nam si liquoris compages sit rara & tenuior*, cum poris & meatibus apertis, ut radii *lucis facile pertranseant, iste fit pellucidus, & instar aquæ fontanæ limpidus; sin vero contentis, seu corpusculis innatantibus laticis pori implentur, adeo ut radii luminosi in transitione sua refringantur, utcunque vero demum emergant, juxta varios ejusmodi refractionum & emersionum modos color citrinus, & croceus aut rubicundus in liquore adhuc diaphano apparebit: Quod si pororum spatiolis adhuc plus occupatis lux minime pertransit*, Opacitas *inducitur: Tunc autem si radii immersi parum aut minime reflectuntur, fusci aut atri coloris liquor apparebit: Sin vero repercutiuntur, pro diverso reflexionis modo φάσις alba, cineritia, aut alius generis inducitur.*

Postquam *urina* frigori exposita hoc modo præcipitatur, observandum quo pacto ejus contenta ad fundum descendunt, quandoque enim brevi tempore subsident, & si spatio duarum aut trium horarum liquor clarescat, signum est urinæ liquorem haud nimis esse crassum, nec *sale & sulphure* valde saturatum; quare in principio ac declinatione febrium, quando calor est remissus, talis urina sæpissime excernitur: Interdum nonnisi plurium dierum spatio talis subsidentia succedit; Cujus ratio est, quia liquoris consistentia est debito crassior; ideo contenta, aut dissoluta complexu non adeo facile dimittit, ut pondere suo ad fundum decidant; Hujusmodi *urinæ* in febris statu reddi solent, & malam sæpissime crisin præcedunt. *Willis lib. de urinis cap.*5.

37. *Cum albo & lævi sedimento*) Sciendum est nihil præter *hypostasin* urinæ sanæ inesse debere; Hæc autem quid sit, ac quo pacto subsideat, disquirendum; Quamdiu sanguinis massa, sero & humore alibili perfusa in vasis continuo circulatur, ex ea succus quidam nutritius perpetua digestione elaboratur, qui in nutrimentum solidis partibus continuo apponendum facessit: hic primo in humorem glutinosum, instar ovi albuminis, postea in tenuia filamenta excoquitur, quæ poris & spatiolis solidarum partium interiexta, iis novæ usque substantiæ accretionem præbent: dum vero serum sanguinis commixtum diversas corporis regiones perluit, ultimi hujus alimenti, solidis partibus apponendi, portionem quandam superfluam in se absorbet, & secum foras abducit, atque hoc est quod in urinis *hypostasin* constituit; quare quamdiu hæc adest, quatenus coctionem & nutritionem aliquatenus obire indicat, pro signo laudabili habetur; Ejus absentia, aut cruditatis in cachecticis, aut dyscrasiæ in febribus indicium est.

Tenuibus filamentis consistens primo dispersa est per totum urinæ corpus, ac deinde in unam nubeculam colligitur hac ratione, filamenta ista sunt longa & teretia, etiam asperitatibus quibusdam veprium instar prædita, ut hinc inde commotæ facile se invicem corripiant, & inter sese complicentur, non aliter ac si matracio aquæ pleno plurimos inicias pilos, ac dein vas istud diu conquassando circumducas, pili primo sparsim innatantes brevi post tempore se mutuo comprehendent, ac in unam fasciolam colligentur; pari (uti videtur) ratione, filamenta quæ hypostasin constituunt, calore & spiritibus urinæ insitis varie hinc inde agitata, se invicem implicant

& protrudunt, donec mutuo omnium implexu in unam nubeculam coeunt; Et quoniam filamenta ista sunt compacta, & cæteris urinæ contentis solidiora, pondere suo versus fundum subsistunt.

Quod hujusmodi filamenta in urinis sanorum hypostasin faciunt, verisimile est, eo quod sanguis bene constiturus, & ad nutriendum dispositus, *fibris*, seu *filamentis albis* valde refertus sit, quod, cum vena secta cruor emissus aqua calida excipitur, cuivis conspicuum erit; etenim crassamento rubro à liquore diluto, fila isthæc teretia & candida aquæ innatant; quare videtur quod istorum tenuia quædam remanentia, cum seroso latice abrepta, sint flocci istius in urina subsidentis materia; quare in cachecticis, ob cruditatem sanguis valde aquosus, & nutritioni ineptus, fibrillis istis bene elaboratis destituitur: Etiam in magnis dyscrasiis, quando cruore nimis assato humor nutritius in hujusmodi filamenta non rite excoquitur, hypostasis in urinis aut omnino deest, aut valde confusa & perturbata existit.

Hypostasis bona & laudabilis dicitur, quæ est coloris albidi, figuræ rotundæ & æquabilis, & versus fundum subsidit; ad quæ requiruntur *primo*, ut alimentum illud ultimum rite elaboretur, quo filamenta evadant alba, teretia, & solida, instar fibrarum tenuium; *Secundo*, ut urina satis polleat spiritibus, qui (ut in musti effervescentia cernitur) partes omnes hinc inde agitant, & compellunt; *Tertio*, ut liquor non sit nimium crassus, nec ejus pori corpusculis alienis prius occupentur; quo fit motus contentorum impeditus, sed spatium agitandis & circumducendis istiusmodi corpusculis satis liberum relinquatur: *Willis Pract. de Urinis cap.3.*

38. *Tenues, quæ quia, utpote crudæ*) Calor febrilis ex calore naturali & p.n. quasi compositus est, Et talis maxime spectatur in febribus Putridis ob materiæ coctionem, Nam calor hic consideratur, vel quatenus *materiam coquit*, vel quatenus *eam miscet*, Quatenus materiam morbificam coquit, ita à nutritione cessat; neque enim natura utrique vacare potest, unde *urina tenuis* propter nutritionis defectum, ut ex *Hippocr.* patet, & plerumque etiam *decolor*, ob cruditatem adhuc, Et talis in initiis febrium non sine spe, maxime si in colore mutari incipiat: Quod si nec materiam coquat, nec nutritioni incumbat, tunc *Tenuis & candida*, ob oppressionem caloris à materiæ copia vel cruditate, quam Natura aggredi desperat; Et talis in principiis febrium, non sine metu, quod sive natura ad pugnam se explicet, victoria dubia, sive sub onere succumbat, & certa mors: In his urinis plerumque odor nullus, aut certe minor quam in sanis, ob neglectum coctionis; quod si autem talis fuerit, Qualis ex aceto carbonibus accensis infuso percipitur, idque in febre ardente, lethum minatur, ob extremam cruditatem, cui natura par esse non possit.

Quatenus *calor materiam miscet*, vid. vel coctam vel incoctam, Coctam quidam statim; recte enim *Cardanus in aph.71.4. Natura ubi coxerit materiam, statim movet illam*, Et tunc *urina* crassa propter heterogenei admistionem, Eaque nunc *Turbida*, ob materiæ copiam, quam natura non satis regit, & vel talis manet ob diminutam coctionem; vel clarescit, materia jam evicta, & exagitatione quidem turbata, sed qua cessante clarescit; *Clara*, ob caloris valde separantis & miscentis efficaciam; quo evanescente ad naturalem suam turbulentiam redit, Atque in his fœtor gravior est quam in sanis, ob putredinem, ex [illegible] minor, quo concoctio est melior, quæ putredinem emendat: Quatenus miscet incoctam, vel valide, vel languidius; Si *valide*, oritur urina valde turbida, *Subjugalis* distincte dicta, quæ non subsidet, idque ob caloris nativi defectum, materiam neutiquam aggredientis; præternaturalis autem turbantis & agitantis excessum; Ex qua agitatione attenuata materia cruda, & vaporibus crassis sursum sublatis, cephalalgia excitatur, Vide *aph.70.sect.4.* Si miscet, sed languide, fit urina *confusa*, è caloris imbecillitate orta, & hæc cito clarescit, materia ob gravitatem fundum petente: In his est fœtor gravis, ob cruditatem quam calor non corrigit, & gravissimus, si magna humorum putredo. *Henr. Mart. Anat. Ur. cap.6.*

39. *Tenue & modicum sedimentum habentes*) Si [illegible] sit *rubrum*, indicio est alimentum istud ultimum nimio calore perassari & aduri, quare tale sedimentum plerumque fit initio febrium, quamdiu coctio in visceribus & vasis haud in totum pervertitur: Si hypostasis sit *abrupta & inæqualis*, signum est sedimentum solidis partibus destinatum non recte & æquabiliter coqui, ejus particulas non esse homogeneas, & ex omni parte congeneres, quare filamenta non una cohærent, verum hæc cum illis, & ista cum aliis seorsim implicantur: hinc quædam densiora versus fundum descendunt, alia autem rariora altius suspenduntur; Quando *hypostasis non omnino subsidet*, verum tota aut in summa, aut media regione pendet, ideo contingit, vel quoniam ista constat filamentis non perfecte elaboratis, solidis & compactis, sed rarioribus & spongiosis, Aut quia liquor est crassior, *sale* & sulphure impregnatior, ideoque lixivii instar quædam pondera sustentat, quæ alias in imo subsiderent; Interdum *hypostasis omnino deest*: in sanis post longam inediam, immodicos labores, aut sudorem copiosum, materia aut in nutrimentum penitus absumpta, aut diaphoresi evaporata; In *febribus*, ob sanguinis crasin valde depravatam, etiam in pica, cachexia, aliisque ejusmodi affectibus ob summam cruditatem. *Willis cap.3.*

40. *Sedimentum*) Contenta in urinis ægrotantium duplicia agnoscimus, scilicet, vel *universalia*, quæ à sanguinis & liquoris nervosi massa procedunt, & totius corporis habitudinem respiciunt; vel *particularia*, quæ sunt unius visceris, aut partis male affectæ excrementa aut deposita; Quæ prioris generis, à toto decedunt, sunt vel *naturalia* scil. filamenta hypostasin, prout in sanis constituentia; vel *præternaturalia*, quæ præcipue sunt humoris nutritii, ab assimilatione degeneris, particulæ & sedimenti in urinis corpuscula crassiora constituunt; atque his demum (si adest *intemperies febrilis*) materies à deflagratione sanguinis adusta, & seroso latice destituta accedit, & contentorum molem auget.

Hæc autem, tum *naturalia*, tum *præternaturalia* urinarum contenta, se vario habent modo, prout sanguis plus aut minus indebite effervescit, etiam prout alimenta in visceribus & vasis varie coquuntur, & chymi inde confecti aut superfluitates aut corruptelæ cum sero abluuntur; namque si humor alibilis Cruori transmissus haud totus pervertitur, sed magna ejus portio in nutrimentum solidis partibus apponendum mutatur, etiam hujus rite elaborati, partes quædam sero commixtæ in urina adhuc aliqua hypostaseos vestigia imprimunt; quodque ex materia degeneri, aut adusta sedimentum præternaturale conflatur, adhuc paucum & tenue existit, neque hujus naturalis apparentiam omnino delet; Quare in principio & declinatione febris, quandoque etiam in phthisi, aut cachexia, hypostasis, licet non adeo perfecta cernitur: Quod si major ejusdem chymi portio cum sanguine effervescens, ob calorem immodicum in materiam heterogeneam pervertitur, quæ postea, ut noxia & inutilis, cum sero amandatur, hypostasis statim obscura & imperfectior evadit, atque præterea in urinis plurima habentur contenta, quæ earum colorem & consistentiam intendunt.

Talis urina quæ simul hypostasin, licet imperfectam, & alia ejusmodi in se dissoluta continet, si in loco calido detinatur, sola hypostasis cernitur, reliqua autem contenta poris urinæ, à calore dilatatis comprehensa, fiunt prorsus inconspicua, postea tamen pororum spatiolis à frigore constrictis, præcipitantur eadem contenta, ac proinde situm ac positionem mutantia urinam turbidam ac opacam reddunt, ac hypostaseos apparentiam debent: Hujusmodi urinæ in meliori febrium statu, catarrho, tussi, & [illegible], cacochymia, & levioribus

bus

bus plerisque dyscrasiis mingi solent.

Sin ægritudine ulterius provecta omnino vitiatur co-ctio,& succus nutritius totus in putrilaginem mutatur, hujusmodi contenta etiam absque hypostasi in urina cernuntur, & varie in morbis significant, prout variis præcipitantur aut subsident modis; sedimentorumque diversi generis constituunt; prout nimirum cito aut tarde,aut omnino non partium separatio succedit, & prout materia subsidens fuerit pauca aut multa, aut etiam coloris albi vel fusci; *Willis cap. 5. Hæmorrhagia.*

42. *Sanguinis undecunque*) Hæmorrhagia è naribus in Febribus est vel critica vel symptomatica, Critica est quæ fit Naturæ robore expellentis quod molestat, Noscitur esse critica si superveniat die critica, Si ægri ætas, natura, & regio consentiant, & si indicata sit in diebus indicibus; Hæc Critica duplex, una moderata cum Natura sanguinis fluorem cum opus est cohibet; altera immodica, cum eam sistere nequit: Symptomatica vero est quæ vi morbi fit, nullis antegressis coctionis signis, in die non critico: Quæ moderata, reprimenda non est, sed sinendum fluere tantum sanguinis quantum opus est: immodica vero quamprimum reprimenda, reprimitur autem admotis repellentibus & refrigerantibus frontis temporibus.

Ad id fit litus ex *sanguine draconis*, *bolo Armena*, *albumine ovorum*, & *aceto*; fit & Emplastri massa ex emplastris contra rupturam, desiccativo rubro & mastiche, cum oleo myrtillor. Et penicillus ex pilis leporinis, aut linteo contorto paratus, & unguento supra dicto circumlitus in narem à qua fluit sanguis inditus, ea lege, ut nasi alam, qua parte ossi cartilago annectitur, æger digito comprimat, ut apertum venæ osculum unguento adhæreat, & occludatur: Sed interim ægri caput pronum sit, ne in fauces sanguis relabatur: Linteum in *aceto* frigidissimo maceratum utiliter tum cervici tum testibus imponitur, & cum mora incaluerit renovatur; Insufflatur etiam in narem Pul. boli Armenæ & sangu. Draconis, Ventosa *hypochondrio* adhibetur, Injiciuntur arcta vincula extremitatibus partium; Spina & lumbi illiniuntur ungu. albo refriger. *Galenus*, mucilag. semin. psyllii, cydonior. extracta in aqua portulacæ; Epithema refrigerans jecori adhibetur, & corallum collo appenditur. *Enchir. Med Practicum.*

Ejusmodi vacuatio febribus ardentibus inflammationibusque internis est familiaris, quæ debet esse larga & liberalis, & fieri è directo partis laborantis, damnantur ideo ab *Hippocr.* sanguinis stillæ 1. *Epid* quia nihil proficuum est [illegible] tum quia fiunt, cum gravibus symptomatis, ut delirio, [illegible]ncope, vel quæ illa accersunt &c. Sal prunellæ cum aqua adstringente propinatum sanguinem undequaque fluentem sistit, nam eundem abunde refrigerat &c *Primrosius.*

Fit nonnunquam ut Hæmorrhagia narium superveniat, sive quod medicamenta nimis calida morbi initio fuerint exhibita, sive quod ebullitio non satis coërcita fuerit ægro nempe vel in florenti ætate constituto, vel anni tempestate coadjuvante. Hoc si fiat, non admodum juvabunt ea quæ ad sistendum sanguinis motum vulgo fieri [illegible] sueverunt, e. g. V. S. ligaturæ, medicamenta adstringentia & agglutinantia, aut sanguinis acrimoniam temperantia, etsi enim his vel illis uti liceat, in eo tamen cardo rei vertitur, ut idoneo aliquo medicamento sanguinis ebullitioni frænum imponatur, quod sistat sigatque [illegible] impetum in præcipitia quæque ruentem: Verum [illegible] est si symptoma seorsim spectetur, superius enumerata, [illegible] potissimum, accommodata satis esse, sed eadem [illegible] si v. s. exceperis) non satis attingunt, quam profecto non majori ratione per prædicta tolleres quam si gladio [illegible]em extinguere satageres: Ego, frustra [illegible]lus tentatis, [illegible] quem exhibeo.

℞. *aqu. portul.* [illegible] *papav. errat. āā. ℥iß. syr. de mecon. ℨvi. syr. paralys. ℥ß. m. f. Pot.*

Non tamen statim quamlibet Hæmorrh. ita curari velim, quin potius illa sæpe permittenda est, quæ plurimum prodesse potest nimiam ebullitionem reprimendo, aut critice morbum solvendo; nam revera parum, proderit huic symptomati frænum prædictum apparare priusquam illud tantisper excurrere aut vena in brachio secetur: Illud adnotandum hæmorrhagiæ huic, & cuilibet alvi immodicæ, id peculiare esse, quod statim ac illæ quomodocunq; sedatæ fuerint, nisi leniens aliqua purgatio detur, metum esse recidivæ, proindeque purgandum erit. *Sydenham Obs. in Acut. p. 67.*

Sudores in Febribus.

42. *Sudores*) Sudores in febribus apparentes vel sunt symptomatici vel Critici: hi fiunt die critica, præcedentibus signis coctionis, qualitate tepidi, toto corpore manantes, sine ullo gravi odore, cum pulsu bono & undoso, à quibus levatur febris ægerque melius habet; Periodici in fine febrium intermittentium accidunt; Quod si post Sudorem febris in quietem non desinat, præcesseritque signum aliquod eorum quæ febri intermittenti accidere solent, ut rigor, composita vel confusa febris erit, non omnino periculi expers: *Symptomatici* vero, qui alio morbi tempore emanant, qui febrem non minuunt, nec symptomata tollunt, sed potius vires prosternunt, *sic 7. Epid.* initio, *Post caniculam multi sudores contingebant*, nec morbum solvebant, erantq; febres hæ & [illegible] & [illegible]. Est autem sudoris triplex materia, vel portio tenuior alimenti, vel serum humorum, vel colliquatio ultimi alimenti partium; Et quidem sero immiscetur biliosus & febrilis humor, hinc in ardentibus & intermittentium singulis paroxysmis sudoris eruptio solvit morbum, quia materia morbifica una evacuatur: In sanis quidem raro contingit sponte Naturæ sudor, sed omnis externæ causæ vi cietur. Quod si in eo qui nondum ægrotat sponte prodeat, is vel plethora vel cacochymia, morbum quamprimum factura laborat, non satis sanus haberi potest.

Quod si aliqua tantum pars in sano sudore diffluat, affectum quendam in ea aut esse aut fuisse credendum, ut docent partes illæ quæ olim vulnera abscessusvè sunt passæ, è quibus emanare sudor levioribus ex causis solet: Sic si in coquendo cibo ventriculus laboret, circa illum sudor emanat, Et in magna respirandi difficultate circa faciem & cervicem; & si abscessus aliquis circa inferiorem maxillam olim fuerit, imbecilliori parte illa reddita inter masticandum, levi scilicet ex labore, sudor prorumpit.

Idem de articulis aliisq; partibus sentiendum, quę imbecilliores factæ excrementa cumulant, quæ levi postea ex causa effluunt: In ægris vero sudor, aut est humorum noxiorum sero immistorum, aut partium alimenti soboles.

Alius autem sudor est *Universalis*, è toto corpore emanans, alius Particularis, à parte tantum quapiam effluens, Alius calidus, alius frigidus, Alius fœtidus, alius odore carens, Alius copiosus, alius paucus: Alius tenuis & aquosus, alius crassus & viscidus, quod tactu, interdum & visu cognosci potest: Alius amarus, salsus, acris, alteriusve saporis, nam sudorem per ora copiose diffluentem interdum gustari posse docet *Galenus*, Alius est flavus, sanguineus, aquei coloris viridisque secundum *Avic.* Alius sponte, alius causarum externarum vi cietur.

Universalis Sudor fit ob cutis raritatem, vel ob humorem in toto corpore redundantem: Particularis vero materiam morbificam in parte quapiam adesse, aut adfuisse significat; aph. 38. l. 4. *Qua parte corporis sudor est*, ibi significat morbum, quod tamen non videtur semper verum, nam toto corpore laborante, viribus exhaustis, sudatiuncula perniciosa apparet circa cervicem, thoracem, caput, in quibus materia morbifica non continebatur, atque ejusmodi sudatiunculæ semper ab Hippocr. damnatur, & qui syncope ex stomacho corripiuntur, quamvis ventriculus laboret, tamen in facie sudant: Et contra

laborante tantum parte quapiam, ut in interiori phlegmone, tamen sudor salutaris etiam, & universo corpore prorumpit; Universales autem sudores utplurimum laudavit Hippocr. particulares vituperavit, nam universales significant Naturæ super morbum victoriam, humoris morbifici tenuitatem, & per universum corpus diffusionem; Particulares vero vim & conatum Naturæ ad humores noxios expellendos, vel facultatis imbecillitatem, humoris in aliquo viscere collectionem denotant, a qua pars opprimitur.

Calidus sudor omnis esse debet, qui ab interioribus partibus, quæ calidæ sunt, emanat; nihil enim naturaliter constitutum in corpore actu frigidum est: serum, urina, humores omnes calidi percipiuntur, unde non mirum si in febribus, interno scil. æstu & ardore, ab humoribus fervidis biliosisque, calidus sudor proveniat, quæ ex se nihil sinistri portendit: *Frigidus* vero semper malus est; fit autem vel in acuta febre, vel in mitiori, idque vel ob caloris ad interiora retractionem quando viscera conflagrant, vel lipyria febris subest, cum habitu corporis refrigerato; vel ob caloris nativi paupertatem & extinctionem, ut in syncopticis & morituris, vel ob humoris frigidi copiam; hinc *aph.* 57. 4. *Frigidi sudores, cum acuta quidem febre mortem*; ob caloris nativi extinctionem, morbi ipsius sævitiem vel humorum crudorum copiam, qui à calore febrili superari non possunt, *Cum mitiori verò morbi longitudinem significant*, quia materia frigida multa non potest statim superari à calore.

Qui *odore* caret sudor naturalis est, atque ex optima concoctione promanat: At *fœdus* cruditatem humorisque fœtidi & putris permistionem denotat, vel ipsius seri putrefactionem, ut in corporibus calidis & humidis, quorum excrementa omnia fœtent, tum in iis qui indusia non permutant, quibus sudores exceperunt, sic sub axillis sudores fœtere solent, ob defectum perspirationis: Sed & causæ externæ malum odorem sudoribus conciliant, ut scribit *Galenus* omnia acria sudores fœdos reddere, quia humores fœtidos commiscent sero. Est autem rarus fœtidus sudor, nam in febribus pestiferis, aliisque putridis, quamvis cætera excrementa fœteant, sudores tamen non solent male olere, quod mirum videtur si humores putridi & fœtentes sero commisceantur: Sed non omnis putredo est cum fœtore, ut sanguine emisso in febribus putridis patet; vel putredo si fit in vasis intimis, & procul à corde dissitis, fœtor non solet in sudoribus adesse, sed si eadem putredo fit juxta cutim, fœtor etiam contingit, si putredo magna sit, alias non; Sic eorum qui humorum vitio laborant, leprosorum & impudicorum hominum sudor hircum olere solet; ideo talis sudor toto corpore manans testis est cacochymiæ & putredinis interioris corporis, ideo non semper formidandus sudor male olens, potest enim per sudorem humorum fœtidorum excretio salutaris esse, ut plurimum tamen malus est, maxime si in principio, aut saltem ante crisin contingat, ob humorum magnam corruptionem quæ nunquam bona est, tum quia signum est eos non fuisse à Natura edomitos, nam cessante putredine post coctionem cessat quoque fœtor; unde sudores critici raro aut nunquam fœtent, quod si fœtent, vix potest evicta putredo fuisse: at qui ex aliis pedibusve male olentes promanant, nihil mali pronunciant, id enim illis locis satis est familiare: Omnes autem sudores quamvis primum nil tetri aspirent, tamen cum refrigerantur aliquid grave spirant; Ut in iis qui sudantes pectus denudant, quia tunc putrescunt à naturali calore destituti.

Copiosus sudor in sanis, vel alimenti copiam vel cacochymiam quandam indicat, ex aph. 41. 2. In ægris vero acuto morbo laborantibus fit ob humorũ copiam, vel ob tenuitatẽ cutis, & raritatẽ vel facultatis retentricis imbecillitatẽ, ex pulsricis robur: Cutis raritas fit ex nimio calore aëris, balneorum, integumentorum, & violentis motibus: Humorum tenuitas fit ut plurimum à calore febrili, humores liquante & dissolvente: Retentricis imbecillitas ex caloris naturalis defectu, & intemperie frigida calori succedente, tunc effluit sudor frigidus, ut in morituris: Expultrix irritatur vel copia vel qualitate humorum: Contra autem *Paucus* sudor effluit aut ob sudoris paucitatem, à ut ejusdem crassitiem, meatuum constipationem, & adstrictionem, aut retentricis robur; Bonus est copiosus sudor si contigerit die critico, natura per crises humorem excernente: unde æger melius habet, nam nihil paucum est criticum: quod si initio morbi ante coctionem prosiliat, si vires sint robustæ, plenitudinem, copiam, morbi longitudinem, si imbecillæ, mortem denuntiant, Nam *critica ne statim appareant*, hinc coaca 574.

Copiosus sudor cum acuta quidem febre malus, & aph. 48. 4. *Sudor* copiosus sive calidus sive frig. damnatur: & aph. 56. 4. *Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente, malum, prorogatur enim morbus & multam significat humiditatem.*

Unde *Avicenna*, malum si à sudore ægritudo non desinat, nec æger levius habeat, sed potius morbus augeatur: Contra *Paucus* sudor, sive ἰδρώσιον, sæpe damnatur ab *Hipp.* prorrh. 39. 68. &c.

Alius sudor est *Tenuis*, ex humorum tenuitate, & pororum cutis angustia, sicut aquis contingit eas fieri tenuiores dum per terram percolantur: Alius *crassus*, ex humoris crassitie & meatuum amplitudine: Alius *viscidus*, ex materiæ viscositate, & colliquatione ultimi alimenti partium, ut accidit hecticis, & paulo ante mortem, ad quem sudor miliiformis refertur, tantopere ab Hippocr. damnatus.

Saporem quod attinet, naturalis sudor mediocriter salsus est, in ægris vero si valde salsus sit, sanguinem aduri & assari significat: insipidus & dulcis serosum sanguinem; amarus, acris, bilem flavam indicat, sicque de reliquis saporibus judicandum.

Pariter & de coloribus, nam referunt naturam humorum qui una evacuantur: utplurimum sudor aquei est coloris, quando nihil alienum sero admiscetur, aut quia humor crassior est, meatus sunt angusti per quos sudor percolatur, sed flavus à bile, viridis à porracea, vel atra gignitur: Ruber est rarus, fitque vel sanguinis tenuitate & serositate, vel à vasis rarefactis & relaxatis, vel apertis illarum osculis, aut imbecillitate retentricis; atque quoties ejusmodi sudor contingit semper pravus est, & toto genere p.n. Reliqui autem denotant humores é quibus fiunt.

Prognostica quod spectat, *Sudores in febricitantibus boni si cœperint tertio die 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34. Hi enim sudores judicant morbos, reliqui vero dolorem significant, morbi longitudinem, & recidivam*, aph. 36. 4. Id quod non solum de sudoribus, sed etiam de aliis evacuationibus criticis intelligi potest, quæ si die critico incipiant salutares esse solent: Totam sudorum θεωρίαν complexus est *Hippocr.* 1. Progn. 29. *Sudores in acutis morbis boni sunt si in diebus decretoriis proveniunt* & febrem prorsus tollunt; boni *quoque qui è toto corpore manant, faciuntque ut homo facilius morbum ferat*: qui autem nihil horum *efficiunt, haud æquem commodi videntur: Pessimi autem sunt frigidi, & qui circa caput & faciem tantum oriuntur, Isti enim cum febre acuta quidem mortem, cum minori autem morbi longitudinem significant*; Criticus autem sudor cognoscitur si præcedentibus signis coctionis calor æqualiter per totum corpus expandatur, credibile est sudorem criticum die critico futurum; Ante enim eruptionem pulsus sentitur mollis, undosus & magnus, cum faciei quodam rubore & tumore, cui succedit levis mador, & præterea quoque frequenter horror & rigor, interdum cum urinæ suppressione, refluente sero ad habitum corporis; hinc 6. *Epid.* ait Hippocr. *Ante rigorem urinæ sistuntur*, & 6. aphor. 4. *A sudore horror malus*, quia

judicatoria

judicatoria quæ non sunt judicantia mala sunt; nam, ut docet [illegible], Horror significat expulsionem humoris noxii, [illegible] si fiat in sudore, vel post sudorem, significat humores noxios aut non fuisse excretos, aut saltem illorum [illegible]imam copiam superesse, hinc humoris multitudinem, vel naturæ imbecillitatem arguit, unde qui referuntur in Epidemiis horruisse, vel riguisse post sudores, omnes ferme interierunt; ex quo particulari generalis sententia inferri potest, mala esse symptomata quæ post criticam evacuationem aut remanent aut redeunt.

Curam quod spectat, Criticus distinguendus est à symptomatico, nam criticus naturæ relinquendus est, nisi modum excedat, symptomaticus cohibendus, Generaliter autem in febribus sudor non est vi exprimendus, sed si natura eam evacuationem affectet, adjuvanda erit: Si igitur sudores commode non effluant, vel ob copiam, vel ob visciditatem & lentorem humorum, vel ab externa causa, harum remotione causarum sudores elicientur. *Paulus* sudorem ciet fotu, quiete, sorbitionibus, scil. humores attenuantibus; ut aqua hordei calida, decocto hyssopi, thymi, pulegii, oxymel. syr. S. Ambrosii, aquis card. bened. cerefol. limon. Præterea aëre calido, multis integumentis, balneo calido. Difficulter autem erumpit Sudor iis quibus scirrhosa & indurata sunt viscera: Vult enim *Fernelius* in hepate & liene esse sudorum scaturiginem, quod qui calida ea habent humidaque, quavis ex causa sudore diffluant, contra vero quibus ea inaruerunt, nulla vi sudare possunt, quia exhausta est sudorum scaturigo. Cum autem tenuior tantum humorum portio sudore vacuetur, nisi cathartico crassior pars subtrahatur, recidiva expectanda est. Pariter qui in accessionibus potant nimium, tardius sudant, quod si parce bibant, citius multo sudore diffluunt, & à febre liberantur.

Sudoris autem modus esse debet, nam omnis immodicus, etiam criticus, supprimendus est: Modum autem indicat Pulsus, qui cum incipit minui & languescere, vires laborare indicat, tuncque eo concidente cohibendus est, ne in syncopen ægros perducant, quod præstant refrigerantia & adstringentia. Primo aër eligatur frigidus, talisque arte paretur, & ventiletur flabello, hominumque frequentia vitetur, sudorque effluens non abstergeatur, quia sudor obstruit poros, abstersio vero eos aperit. 2. Extrinsecus refrigerantia & adstringentia sunt admovenda, ut sunt faciei conspersio ex oxycrato, epithemata sæpius præscripta; foetus præcordiorum ex decocto cydoniorum, balaust. plantag. portulacæ, malicorii, gallarum, [illegible], hypocist. & similium, Inunctiones thoracis, [illegible], extremitatum ex oleis adstringentibus, *rosat. cydonior. myrtill. nymph.* cum mucilagine sem. psyllii, cydonior. tragac. gummi arab. Farina hordei, ex aqua, oxycrato, succo portulacæ subacta, hypochondriis apponatur. Non inutile quoque erit Pulsibus epithemata adhibere, qui totum corpus refrigerant: Sed & odor camphoræ, aqua rosar. dissolutæ juvare creditur, Interea laudantur trochisci de terra sigillata, de carabe, cum syrupo de rosis siccis, limon. granat. myrtillorum, & aquis [illegible]. *Primirosius.*

Febris Elodes.

[illegible] *Unde febres Ἑλώδεις*) De his Febribus vide infra Tit. [illegible] Febribus continuis simpliciter ita dictis.

[illegible] *Unde febres ἱλώδεις*) Exemplum extat in Observ. [illegible] adnexis, *Obs. 28.* Dom. N. subito dolore [illegible] in imo metaphreno corripitur, febris subsequente [illegible] siti, Postero die totum corpus sudore madidum [illegible] prodeunte, ex quo dolor metaphreni sedatus fuit [illegible] ab eo die multo copiosior sudoris facta fuit emissio, [illegible]quam ex rivulis undiquaque diffluentis; nullis diap[illegible], ventilabris &c. coercendus; hinc viribus sensim deficientibus repentina morte præventus fuit, nullis aliis symptomatis cum sudore coëuntibus &c. Sudor ad extremum usque diem manavit calidus, quo frigidissimus extitit.

44. *Heurnius jubet purgari sensim*) Quadam tempestate *Sudores* aderant magna febris parte, Dubitamus an tuto posset dari aliquid aut tentari. Nos referebamus causam istius sudoris ad copiam mali seri, quod facile ob calorem ambientis effluebat, præsente & juvante calore interno qui attenuabat. Quod si diaphoreticus fuisset, aut per modum expressionis, aut ratione imbecillitatis, non ita audacter aliquid tentavissemus. *Ballonius Epid. l. 2. p. 170.*

Lacrymæ in febribus

45. *Lacrymæ involuntariæ*) Explicantur illo aphorismo signa quædam indifferentia, de quibus sine distinctione causarum & corporum pronuntiari non potest. In quo genere continentur Lacrymæ quas ægri profundunt, Nam si eæ invitis nobis profluxerint, jam modo mortis adsuturæ signa sunt, quod carunculæ illæ resolutæ, in sympathiam a cerebro tractæ, cerebri significant resolutionem. Si vero lacrymæ profluxerint ex causa aliqua, & non invitis nobis, ex illis nulla indicatio sumi debet. *Heurnius commun. in dictum aphor.*

Biliosus Alvi fluxus.

46. *Biliosus alvi fluxus*) Frequens symptoma in febribus est *Diarrhoea*, quæ aliquando circa morbi initia contingit, oriturque utplurimum, aut à bile è vasis choledochis in duodenum exundante, aut à sanguinis & succi nervosi recrementis ex arteriis & ductu pancreatis ad intestina suffusis: Singuli prædicti humores (præsertim vero biliosus) quando in copia suppeditantur, cum massa sanguinis à chymo residua non raro fermentescunt, ut eadem spumosa rarefactione intumescens intestina irritet, & iis excretionis motum stimulet. Quando etiam circa morbi statum, & in declinatione ejus, diarrhoea concitatur, & sic vel natura victrice, crassiora sanguinis purgamenta hoc modo critice excernuntur, vel eadem succumbente; viscerum omnino viribus & firmo tenore exsolutorum alvi fluor effectus & signum est. *Willis de Febr. cap. 10.*

Dysenteria.

47. *Dysenteria*) *Dysenteria* etiam est affectus in febribus continuis adeo frequens, ut quibusdam annis epidemius evadat, & peste non mitior plurimos invadat; In causa esse solet, non humor aliquis intus in visceribus productus, qui acrimonia sua intestina corrodit (uti nonnulli asserunt) sed miasma quoddam sanguini impressum, adeoque intime ipsi confusum, ut sub vaporis aut humoris sinceri forma à cruore divelli nequeat, quare intestina versus propulsum arteriarum oscula reserat, ulcuscula & sanguinis exsudationes illic facit, veluti cum à sanguine febrili cutem versus efflorescente pustulæ & phlegmones exterius erumpunt; Verisimile autem est quod affectus illi dysenterici, qui febres malignas, aut epidemias comitantur, à sanguinis coagulatione quadam oriantur. *Willis l. c.* Vide l. 4. cap. de Dysenteria.

Profluvium muliebre in Febribus.

48. *Profluvium muliebre*) Larissæa hac virgo in Epid. laboravit febre ardente, nam intra primã septimanam finita est; Occasio autem ægrotandi fuit quod tunc primum ei fluxerunt menses; morbus itaque virginalis hic fuit, Nimirum pleræque mulieres morbo aliquo tentantur cum jam instat tempus muliebris fluxus, quia adolescentulis venerem inexpertis exigui sunt uteri, & viæ omnes quæ ad uterum finiuntur, angustæ, quæ angustia difficilem facit primam mensium excretionem, quo fit ut quibusdam quibus angustiæ est plus, aut debilitatis facultatis expultricis, aut crassitiei succorum, eo tempore pro bona & salutari excretione fiant obstructiones multæ viscerum; Aliis vero non hæc fiunt, sed fluunt

mediocriter menses, tamen ob sanguinis agitationem insolitam (omnia enim insolita mala fert natura male) quam facit secretio quæ evacuationem antecedit, corripiantur febribus, à quibus liberantur fluentibus mensibus, ut huic virgini evenit; Cui sexto die quidem per nares fluxit multus & copiosus sanguis, evacuatusque illac est sanguis qui sese in caput collegerat, & reliquus qui per totius corporis venas putrescebat; Non tamen tuta fuisset judicatio nisi tunc illi fluxissent menses; ea enim fuerat occasio febricitandi, ut diximus, &c. *Vallesius 3. Epid. p. 317.*

Linguæ ariditas, nigrities, scabrities, nigredo, fissuræ.

49. *Lingua ariditas*) Tunicam habet Lingua communem cum ore, gula, stomacho, ventriculo, quibus propterea facile consentit; nam in febribus sæpe exasperatur & nigrescit. Idque vel à causa extrinseca vel ab interna; Externa, ut ab immodico æstu, cum quis hiante ore dormit, aut ab immodicis querimoniis, planctibus, vociferationibus, tuncque nulla adest sitis. Interna vero, calore immodico ventriculi, vaporibus acribus in os, fauces palatumq; elatis, à quibus lingua primum exsiccatur, dein scabra nigraque efficitur, postmodum finditur, eademque affectio totum os, asperam arteriam œsophagumque interdum occupat, ex *Hollerio*: Hinc Linguæ asperæ multumque siccæ, atque alieno colore imbutæ passim Phreniticæ ab Hippocrate vocantur.

Valde notandum quod idem scribit, si in medio linguæ, ubi linea linguam per medium dividens excurrit, post alienos ejusmodi colores, appareat saliva alba, ob edomitos scil. & mitigatos humores, securitatem in morbis pollicetur; Quod si contra bullæ quædam ferventes, aphthæ & velut ecthymatha, apparent in superficie linguæ, pessimum, ob maximum incendium fervoremq; in visceribus conceptum. Quod si præterea præcordia mollia reperiantur, periculosius signum est, ex *Aëtio*: Vapores autem hi crassiusculi, sive è cerebro, sive è ventriculo, in os & palatum delati, vi caloris crassescentes, *lentores* pariunt circa dentes, de quibus aph. 53. 4. *Quibus in febribus lentores fiunt circa dentes, his fortes fiunt febres*: Addidit, *in febribus*, quia sine illis sæpe fiunt ejusmodi lentores ex humoribus è capite delapsis ut in sanis noctu potissimum contingit, & in lienosis, quibus etiam gingivæ computrescunt. In febribus autem mali sunt, quia resiccatur humor ab incendio febrili, interdumque aphthas generat.

Iisdem quoque ex causis oritur difficultas deglutiendi &c. *Primerosius.*

Linguæ nigrities, asperitas, scabrities & fissuræ fiunt à fuliginosis vaporibus è toto corpore in spongiosam linguæ carnem elatis, & in ea inhærentibus, ut enim fuligo ex accensis lignis sursum elata in externa camini superficie inhæret, ibique crassescit; sic etiam fuliginosi vapores ex ebullientibus extra vel intra venas humoribus excitati, in linguam & fauces sublati, ubi jam non habent quo ulterius progrediantur, in spongiosa lingua consistunt, eamque nigrefaciunt, exiccant, exasperant, & ob suam acrimoniam ejus continuitatem solvunt.

Siccitas & asperitas Linguæ his corriguntur quæ valde humectant & leniunt, ut syrupo violato, injubino, *cremore hordei. saccharo crystallino, penidiu, succo liquiritiæ in ore* contentis; gargarismate ex *decocto hordei mund. rad. & sem. althea fol. portulac. lactuc. carnu cucurbita, semin. lini, flor. violar.* dissolvuntur *syr. violar.* ℥iii. *ad* lbi. *decocti.* Tenentur in ore frusta redolentium pomorum madefacta in aqua, vel pannei linei madefacti in mucilag. semin. psylii, vel cydonior. extracta in aqua rosarum: Illinitur etiam lingua butyro recenti loto in aqua rosar.

Nigredo Linguæ iisdem remediis delebitur, si iisdem maceratа lingua diligenter fricetur linteo asperiore, vel cochleari, vel alio instrumento ad id comparato. Admoventur etiam collo folia lactucæ & portulacæ quæ in pratis nascitur, trita & comprehensa inter linteola; Vulgus admovet collo Asellos vel millepedes. Admoventur etiam olea violarum, & butyrum recens in aqua rosarum lota, quibus veluti ustum guttur humectari possit. Adduntur etiam olea recentia lilior. nymph. axungiæ gallinæ, porci, vituli, omnia lota in aqua hordei, ut majorem acquirant tum humectandi tum refrigerandi facultatem.

Quod si simul cum asperitate & siccitate *fissura* in lingua appareant, eæ curandæ sunt iis quæ humectando agglutinant, ut semine cydoniorum, gummi arabico: nam primum siccitas, unitatis solutæ causa, est corrigenda, qua superata partes ad se invicem diductæ ita laxantur, ut earum labra se attingant, tuncque levi glutine consolidantur. *Enchir. Med. Pract.*

Valent *decocta hordei, prunorum jujubar. violar. portulac. semin. cydonior. alth. malva, psylly, portulac.* additis *syr violac. granat. nymph. oxycrato, aqua lact. prunella semperv. cum sale prunella. Aëtius simach* incoquit mulsæ ad scabritiem detergendam.

℞. *Aqua prunell. acetosa, rosar. ãã.* ℥iii. *diamoron* ℥j. *sal prunellæ* ʒß. *F. Gargarismus.*

℞. *Hordei mundi P. j. tragac. albi sem. malva, cydonior. ãã.* ʒß. *liquir. rasa* ʒiii. *vel succi ejusdem* ʒß. *f. decoctio in aqua hordei. In colatura dissolve sacch. c. viol. ãã.* ℥j. *sacch. penid.* ℥ß. *m. f. Gargarismus, ex Hollerio, qui valet etiam ad cancrum oris.*

Decubitus supinus & hiante ore factus multum nocet, sed sternutationes valde humectant, quia motu humiditas è cerebro in os excutitur. *Primirosius.*

49. *Lingua ariditas*) *Lingua* ac faucium *ardor* & *scabrities*, sæpe etiam *crustæ* cujusdam albæ, aut flavæ, aut nigræ accretio, proculdubio accidunt propter calorem & fuliginem è ventriculo & pulmonibus æstu flagrantibus exhalatam: Lingua vero *albescit* quotiescunque humiditas illa (qua plurima naturaliter imbuta est) exaruit & decoquitur, adeoque exterior linguæ cutis à calore retorrido velut elixatur; hinc quoque *scabra* evadit: quod etiam in sanis cernitur, si quando linguam jusculo, aliove sorbili præfervido amburi contingit. Pariter cum linguæ animalium ad usum culinarium elixantur, earum cutis alba & aspera evadit, Sive enim saliva è glandulis maxillaribus (prout è solertissimi *Warthoni* doctrina primum innotuit) sive alius quispiam humor à tonsillis aut aliunde proliciatur, quia tamen ob calorem & siccitatem nimiam incrassescit & viscidior evadit, etiam tunc quoque linguæ tunica exterior albicat nihilominus, sed & mucoso quodem lentore obducitur, nimirum quia humor iste præ crassitie linguam oblinire quidem potest, diluere tamen & humectare non potest.

Si vero accidat linguam humore bilioso vel introrsum suffundi, vel extrinsecus tingi (ut in vomitibus πρασοειδέσι usu venit) tum villi ejus, utpote spongiosi, flavum virus imbibentes colorem quoque similem exhibent: Quod si denique calor adeo intensus fiat, ut sanguinem adurat, ignemque solito ardentiorem accendat, sequitur ut è cordis foco, per pulmonum spiracula, vix tanto incendio ventilando sufficientia, fuligines suscitentur, quæ ad palati fornicem allisæ, linguam quasi reverberio feriunt, & nigrore inficiunt. Istiusmodi autem nigredo (ut & reliqua linguæ impedimenta) in medianis ejus partibus magis conspicua est, quia scil. exteriores ambitus frequentiori ad gingivas & palatum attritu deterguntur. *Willis l. c.*

Linguæ lentor.

50. *Lingua lentor*) Quandoq; in febribus (ac præcipue circa earum declinationem) contingit linguam, palatum, gingivas, imo totius oris & gutturis cavitatem, materia viscosa, albicante, velum crusta quadam vestiri, quę sæpius

detersa

detersa, statim nova repullulat, & ni diligenter os fricando [illegible] colluendo, crustosa hæc materies crebra vice abstergatur, suffocationis periculum ægri non raro subeunt.

Ejusmodi affectus infantibus recens natis sæpissime [illegible], *v. de in eo. um affectibus*. In febricitantibus hoc symptoma vaporibus crassis & fuliginosis avētriculo elevatis vulgo adscribitur. Mihi autem verisimilius videtur, quod in utrisque hic affectus à totius sanguinis (& forsan aliquatenus humoris nervosi) impuritatibus circa has partes depositis oriatur. Etenim quoties in utriusque humoris massa aliquid extraneum intime confusum continetur, quod nec su fore sit dissabile, nec per urinas facile amandetur, illud sæpissime cum serosa colluvie circa os defigitur; unde affectus catarrhales, tumores & sputationes molestæ cientur. Cum enim pro masticatione ciborum humor salivalis hic loci ubertim suffundi debeat, per patentes & hasce assuetas excretionis vias natura sæpe quod superfluum est, aut alias molestum, foras amandare nititur. Hinc à mercurio exhibito, cum & cruor & succus nervosus, particulis ejus minutissime divisis, abunde referciuntur, easque sero involutas excernere moliuntur, quia nec per sudorem, urinam, aut alias vias, mercurialia hæc corpuscula intime confusa exterminare queant, quod reliquum est per arterias, aliosque ductus, qui salivam ori suppeditant, eadem seroso latice obvoluta, expellere nituntur; Pariter etiam in Febribus, cum à longiori sanguinis deflagratione materies adusta plurimum congeritur, cujus non minima pars post crisin residua, adhuc [illegible] ori [illegible] succo nervoso confunditur, aut cerebro adhuc loco defixa, ab iisdem denuo resorbetur; probabile est quod [illegible] materies diuturna coctione perasseritur adeo, & fere glutinis instar crassescat; quare nec sudore, nec transpiratione insensibi dissilabilis, nec per vias urinarias secerni habilis, sed demum arteriolis, alusq; salivæ ductibus in palatum dehiscentibus (utpote usitata excrementis via [illegible] nsim exsudet & protinus præ crassitie sua in lentorem illum concrescat. Novi quendam in declinatione febris, cui non solum hujusmodi lentoris incrustatio in partibus oris successit, verum salivatio copiosa, velut ab adsumpto mercurio, cum fœtore anhelitus, item linguæ & gingivarum intumescentia per plures dies ciebatur. *Willis l. c.*

Oculorum rubor in Febribus.

Qui ab exhalationibus febrilibus) Quidē de rubore oculorum ab [illegible] & fervente humore, quo cerebrum opplearur dum alvus deorsum deturbatur, sumunt, Et [illegible] [illegible], de [illegible] cum torminibus diffluente exponunt, Nec male, sic enim aphorismo illi quo lippientes alvi profluvio corripi bonum pronuntiatur, satisfit. *Jonstonus Duc. in Coacam 219.*

Icterus in Febribus.

Icterus [illegible] Icterus in febribus acutis apparens, vel fit ex jecoris inflammatione, cujus incendio tota massa sanguinea fere in bilem vertitur, vel per crisin, qua bilis febris causa, naturæ robore è profundo corporis foras in [illegible] propellitur, vel ex nimia bilis copia, quam venæ [illegible] gignunt.

[illegible] n fit sensim, quia sensim humor gignitur & [illegible] Al [illegible]s vero & [illegible] lubrius accidit, affatim hu[illegible] [illegible] o ad urinam expulsionem servato, Scripsit [illegible] 2. & 64. l. 4. malum esse si in febribus con[illegible] [illegible] primum Icterus superveniat; bonum vero [illegible] 7. aut 9. aut 11. aut 14. superveniat, nisi forte dextrum hypochondrium obdurverit. Si vero in alus di[illegible] [illegible] ticis erumpat, malum esse; Sententiam Hippocr [illegible] falsi insimulant, quia plerique febre continua [illegible] s ante diem 7. Ictero desdantur, quod tamen fit cum eorum salute. Quin *Hippocr. 1. de morbis Pop.* multos servatos scripsit quibus die 4. Icterus accidisset: Præterea ante diem septimum alu sunt critici, in quibus humor morbificus, ut & naturæ robore expelli potest, Adde quod si febris Tertiana, etiam notha, sæpe tertio circuitu terminatur, cur non poterit & ardens febris tertia die, aut saltem quinta per morbum regium expurgari? Sic autem Hippocr. à calumnia vindicamus, quod in acutis febribus morbus regius ante 7. diem exitiosus est, nisi forte sequatur vel hæmorrhagia, vel alvi profluvium, vel multæ urinæ excretio, vel alia quælibet evacuatio; Si enim hæc non sequantur, naturæ imbecillitas & oppressio à copia bilis arguitur, vel graves intemperies, vel obstructio, vel inflammatio hepatis. At vero si post 7. diem, die critico fiat, apparentibus concoctionis signis, subsequente excretione, & jecore non indurato, salutaris est; Vel sic intelligi potest *Hippocr. aphor.* Quibus ante 7. diem, i.e. ante humorum concoctionem Icterus supervenerit, malum, At cum ante 7. diem contingit humorem qui febrem gignit concoqui, fit inde ut bilis ad cutim critice transmittatur, unde regius morbus ægro se bene habente.

Quod si quis dicat se vidisse multos febre continua affectos quibus ante 13. Icterus supervenerit, qui febrem eorum finuerit? Respondemus Hippocr. non negasse id posse contingere, sed dixisse, id malum esse, melius enim fuisset expectari concoctionem: raro autem ante septimum diem concoquitur bilis, & raro ante eundem diem judicatorie ad corpus diffunditur. Dicimus ergo Icterum, ante 7. diem in febribus continuis supervenientem, quum nulla consequitur evacuatio, neque febris, ejusq; symptomatis remissio, lethalem esse, maxime si comitetur Jecoris inflammationem. At si post 7. diem fiat, & criticus sit, expectandam esse salutem, multo magis si quæ excretio conjuncta est, unde febris minuitur; quæ si non contingant, periculo non vacat talis Icterus ante 7. diem enatus.

Icterus qui ab inflammatione hepatis lethalis est, indigetque iisdem remediis quibus ipsa inflammatio hepatis à qua dependet. Icterus criticus salutaris est, si die critico supervenerit, minuitque febrem. Qui vero à calida & sicca venarum totiusque corporis intemperie procedit, refrigerato & humectato ex parte corporis habitu cessat, sic enim prohibebitur flavæ bilis generatio, si ejus quæ jam genita est evacuatio consequatur per cholagoga. *Enchir. Med. Pract.*

Icter. qui si ante septimum) Aphor. est 62. lib. 4: *Quibus in febribus Icterus ante diem 7. malum.* fit enim ab inflammatione, obstructione aut scirrho, Et talis Icterus etiam post septimum diem malus, perseverantibus scil. ejus causis, nam critice ante diem septimum non solet fieri: sed multi dubitant de veritate aphorismi, nam in Epidemiis *Heraclides* tertia die Icterus factus liberatus est: *Hippocr. 4. de rat. v. Acut. In febre biliosa*, inquit, *Icterus ante septimum diem natus cum rigore morbum solvit, sine rigore vero pestiferum*, Rigoris nomine complectitur sequentem vacuationem: Hic autem agit *Hippocr.* de Ictero qui fit ratione febris, quum bilis venis contenta effunditur in habitum corporis, tum potest esse salutaris; at si fit gravis obstructio, inflammatio, aliudve fit vitium, lethalis erit; Sic ait *aphor. 64. lib. 4. Quibus in febribus Icterus 7. vel 9. vel 11. vel 14. supervenerit bonum, nisi dextrum hypochondrium obdurverit, si vero, non bonum. Primerosius lib. 2. de Febr. c. 8.*

Malum tum quod) Quæ enim febres biliosæ solvuntur bile transmissa critice ad cutem, ex bile crassiore ortum habent, qualis bilis coctionem admittere non potest ante diem 7. ac proinde nec salutariter transmitti ad cutim ante diem 7. Adde quod febres biliosæ, quæ ante 7. terminantur, potius alia vacuatione, ut fluxu alvi, aut sanguinis, quam per cutem finiuntur, Hujus autem axiomatis veritas potius experientia quam certa ratione constat; Licet enim plurimæ febres ardentes atque biliosæ possint tertio die, aut saltem

quinto per morbum regium salutariter expurgari, tamen experimur justa observatione quotidiana, morbum regium in acutis febribus sæpius lethalem, aut unde ægri vix revalescant, Quidam sexto factus auriginosus commota alvo biliosa dejecit; urinas minxit quales auriginosi, nigras & multo intinctas felle; febris intermisit, ambulavit, qui sibi omnino liberatus videretur, 14. recidit 17. obiit. Aliis duobus idem accidit; Alii sine excretione & recidiva obierunt. Quidam admodum robustus inde revaluit, sed diu admodum laboravit, multis interpositis recidivis, multis casibus, iisque gravibus & periculosis subinde interjectis. Plurimi apud *Hippocr. in Epid.* ante 7. diem auriginosi facti servati sunt, sed nonnisi quibus aut sanguis è naribus profluxisset, aut vomitus, vel dejectio, vel urina erupisset, idque justa ac copiosa vacuatione, & cum virium robore, vide aph. 7. *lib.* 4. *Coac. ar.* Amat. Lus. curat. 49. cent. 3. *Liebautius comm. in cit. aphor.*

Ulcus circa os sacrum in Febribus.

Solet in longis lentisque febribus ex longo decubitu fieri ulcus circa os sacrum: primum rubescit locus, dein inflammatur, ac deinde exulceratur. Ut ulcus præcaveatur cum rubescere incipit, cingulum ex lana appone, dein *Empl. ex lithargyro, cerusa, cum oleo rosac. myrtino*: Quod si jam inflammatio facta fuerit, præter superiora, *cataplasma fiat ex solano, polygono, plantag. sempervivo, scabiosa cum pane*, vel *farina hordei*. Sed si ulcus ulterius serpat, addatur *lenticula* cum *malicorio*, ex *Paulo* & *Aetio*, imo reliquorum ulcerum more curetur. *Primirosius.*

Differentiæ Febrium Putridarum.

Differentiæ febrium Putridarum vel sunt *Essentiales*, & sic alia est febris *simplex*, alia *composita*. Et illa [1] vel *continua simplex* vel *continua periodica*, vel *intermittens*: de quibus in sequentibus: vel *acidentales*, quæ ab *accessione, tempore, magnitudine, duratione, eventu & motu*, desumuntur.

I. Quoad *accessionem*, [2] *Aliæ* nulli morbo succedunt: *Aliæ* morbis superveniunt, ut I. [3] *Cerebri divisioni*, seu alto vulneri, Aphor. VI. 50. & quidem tum ob putredinem sanguinis ejecti, ad quem cerebrum inflammatur: tum ob pus, quod à corrupto sanguine ortum, vapore suo cor ferit. Et tum biliosus vomitus, ex sympathia ob nervum sextæ conjugationis, ori ventriculi implantatum supervenit.

II. *Apoplexiæ*, vel *Tenui*, à putredine humoris venas cerebri obsidentis exorta: adfertq; tùm ægris perniciem, inprimis si in morbi augmento invadit, ut ex *Coaca* 480. patet: vel *Magnæ*, quæ à spirituum effervescentia, quos natura ob respirationis difficultatem & alia symptomata stimulata adhibere solet, provenit. Et *tum*, solvit [4] apoplexiam, si in principio, naturâ adhuc in suo robore constitutâ, exsurgit, Marcian. ad l. 1. Hippocratis de morbis.

III. [5] *Spasmo* [6] à repletione, cum crudorum succorum & flatuum copiâ nervi implentur. Et *tum* soluit spasmum, dissipatâ materiâ, concoctis cruditatibus & confirmatis partibus. *Aphor.* IV. 57.

IV. [7] *Dentis syderationi Coaca* 237. Inchoatæ nempe, quam à sanguinis biliosi affluxu exorta inflammatio, eaq; cum pulsu & summo dolore conjuncta causatur, causaq; morbifica ad cor propagatur. Et *tum*, si *delirium* quoq; ob tractum in consensum per nervos cerebrum accedat, mortem minatur; quia sic duæ principe partes laborant: quod si ægri per pepasmum & liberam excretionem servantur, victrice naturâ, morbo mitigato, & inchoata syderatione ad integritatem perveniente, ulcera pus colligunt; luxatâ verò dentium per syderationem gomphosi ossa abscedunt.

V. [8] *Dolori* [9] *in pectore fixo cum torpore*, Et *tum*, si ægri exæstuant, ὀξέως ἀποθνήσκουσιν, celeriter mortem oppetunt, *Prædict.* 70.

VI. *Dolori jecoris vehementi*, à flatulento vapore sine febre affligenti. Et *tum*, flatu discusso dolorem solvit. *Aphor.* 52.

VII. [10] *Dolori hypochondriorum*, Aph. VI. 40. qui vel à frigida & crassa materia, vel à flatu procedit. Et tum illum, discussâ & post per urinam & intestina exclusâ materiâ solvit.

VIII. [11] *Bubonibus*, quæ pessimæ omnes præter ephemeras *Aphor.* IV. 55. quia sine causa manifesta cum viscerum inflammationibus invadunt.

IX. *Cholerico alvi fluxui*, quando prorumpit χολώδεα τρέπων, si intempestivè cohibitus est. Et tum pernicies præstò est, quia malignus humor virium infirmitati conjunctus.

X. *Morbis* deniq; *crudis*, *frigidis*, & *flatuosis*, quos plærumq; febres curare solent *Aliæ* diebus paribus exacerbantur. *Aliæ* imparibus, de quibus vide Continuam tertianam.

II. *Respectu Temporis* sunt I. [12] *Diurna*, quæ de die invadunt. II. [13] *Nocturna*, quæ de noctes [14] quas Hippocrates minus diurnis malas in Epidemiis docet: sed experientia videtur in contrarium niti. III. [14]. *Hyemales*, quæ hyeme ob constipationem inprimis cutis ingruunt Sunt hæ *longæ* propter humorum contumaciam, & quia nihil è corpore foras protruditur: [15] sunt & ad *sensum mites*, & magnarum jactationum expertes: sed quia intrò calor retruditur, copiaq; & qualitate augetur, multum æstum, sitim & linguæ ariditatem, in iis præsertim quibus viscera præcalida causantur.

In *Curatione* 1. Cave à medicamentis calidissimis & validissimis, ne intestinum incendium adaugeas, & lientericum quid inducas. 2. Expecta pepasmum. Tum enim maximè prod[e]st

πέπονα

πέπονα φαρμακεύειν. Poterius ejus meminit *cum sudore & tremore cordi*: Centur II. 9. unde marcor & cachexia. Causa, succus melancholicus; Ideò usurpata melanagoga, & Electuar. ex Croc. Martis dr. iij. Spod. dr. j. Conserv. rosar. unc. iv. & spirit. Vitrioli gutt. iv. Vide & Gabelchoverum. IV.[16] *Autumnales*[17] quæ plærumq; acutæ, & perniciosæ. V. *Æstivæ.* VI.[18] *Vernales.* quarum ratio per oppositionem ad illas sumitur.

III. *Respectu magnitudinis,* Sunt I. *Aliæ vehementes*, in quibus ægri malè habent, quales accidere solent iis quibus[19] per febres[20] dentes lentore & quidem albo obducuntur, Aphor. IV. 53. Accendi enim contumacem materiam, quæ morbo calorem non profert, indicio est: fitq; id in hominibus quorum caput vel ventriculus crudâ pituitâ perfunditur: lentescunt per calorem surrecti inde vapores. In his si acutæ, pueri & viri non adeò convulsionibus prehenduntur, nisi vehementissimum & pessimum quuddam signum ex his quę in phrenitide fieri solent affuerit. Prænot. III. 30. II. *Tenues*, in quibus ægri moderatè habere videntur, etsi insidiosè quandoq; laborent, Galenus *βληχρὰς καὶ χλιαρὰς*, ad manum leves vocat; Hippocrates verò Epidem. I. IV.[21] quandam febris speciem *ξηρὸν βληχρὸν* constituit. *Oriuntur*, vel ex magna humorum inæqualitate, seu crudis & crassis succis, qui cum bile & acribus humoribus permiscentur; vel[22] ex partium principum *διαφθορᾷ*, ut apud[23] *Ballonium* habes. Agit de illis Hippocrates *Coaca* LXXXI. ubi per eas Marcianus febres intelligit, quæ à bile in venis cerebri, quod per naturam frigidum est, simpliciter fervente oriuntur. Solent aliquando syderationibus, quæ *ἐξαιφνῆς* contingunt supervenire, & tum istæ perniciem minantur, *Prædict.* LXXXII.

IV. *Durationem* si respicias, sunt febres I. *Longæ & diuturnæ* de quibus nota I. *Quoad subjectum*, 1. Fuisse qui quinquennio integro; de septennio in septennium, imò perpetuò febricitaverunt, de quibus apud Schenckium. 2.[24] Grandiores pueros & ad pubertatem accedentes, seu cum duodecimum, decimum tertium, & decimum quartum anuum agunt, infestare. *Aphor,* III. 27. & quidem ex voracitate. Unde cruditatis pituitosæ copia, & ex quadam acrimonia (pituita quæ antehac dulcis his fit salsa) putredo. 3. Illos afficere[25] quorum in urinis sedimenta crassiorem farinam referunt, *Aphor.* VII. 31. si virium robur adest: notant quippe pituitam quæ difficulter concoquitur.

II. *Quoad invasionis tempus,* accidunt[26] assiduis imbribus *Aphor.* III. 16: quia tum madidiores & frigidiores corporis succi; putredo propter obstructionem promprior; pepasmus vero & excretio, quòd cœlo pluvio angustiores meatus reddantur, & proventus cruditatis fit copiosus, tardiora.

III. *Quoad locum,* plærumq;.[27] mineram in hypochondriorum regione, quæ ventriculum, jecur & lienem continet, habere:[28] sed à capite eam aliquando suggeri.

IV. *Quoad accidentia.* I. Supervenire enim ipsis sæpè 1.[29] *Tubercula & dolores in articulis* Aphor. IV. 44. & VII. 63. propter materiæ coctioni vel excretioni difficulter cedenti ad artus pulsionem, nisi vrinæ crassæ, albæ, & copiosæ profluvio tollatur.[30] Utuntur nempe tum ægri cibariis plurimis supra corporis exhausti & partium nutrioni dicatarum conditionem, quòd calor nativus per diuturnum morbum langueat, unde nulla exacta concoctio; ventriculus verò frigida appetit. 2.[31] *Abscessus*[32] si sunt acutæ ex decidentia ad articulum, cum tumore & dolore maximè in inferioribus, partibus *Prænot.* III. 17. si salutariter afficitur æger, nec ob inflammationem aliquam, vel ullam aliam evidentem causam dolor detinet. 3. *ὑποσαρκίδιον* seu tumorem vel totius corporis vel partium. Et tum, nec vini tutus usus propter febrem; nec jusculorum propter seri augmentum, ut apud *Ballonium* in Ephemeridibus habes. De reliquis vide apud Moronum.

II. In *quartanam terminari solere*;[33] quando intermiserunt, & errabundum in modum prehendunt, sicq; in autumnum deducuntur. *Prænot.* III. 20. Juvat secundum Ballonium Epid. in illis venæ sectionem parcissimâ manu iterare: tum ne vires quæ longitudini satisfacere debent frangantur: tum ut natura ad aliquid moliendum excitetur: imò suadet, ut sub finem sanguis mittatur. obseruatum tamen, addit, nullo profectu demptum, illumque laudabilem.

II. *Breves*, quæ vel sunt *Acutæ* vel Non. De illis separatim.

V.[34] *Respectu Eventus* sunt I.[35] *Salutares*, quæ ad salutem terminantur. Spirant in illis ægri facile, vacant dolore, noctu dormiunt, aliaq; securissima signa habent, *Prænot.* III. 3. In his si quis dixerit caput dolere, aut tenebricosum quiddam ante oculos obversari, vel morsus ventriculi accesserit, biliosa vomitio aderit: *Prænot.* III. 23. quia illa signa istam præcedunt, evaporante & feriente ventriculum bilioso humore: inprimis verò si rigor quoq; subortus fuerit, & inferiores præcordiorum partes frigidæ evadant. Bilem enim jam moveri hæc denunciant, quæ ventriculi vellicans ob exquisitum ejus sensum rigorem excitat: & dum materia calida [illegible] superiores partes transfertur, hypochondria frigent. Nec cibus nec potus tum retineri potest quod ventriculi vis à morsu humoris concitata, neutrius onus sustinere queat.

[36] II. [illegible], quæ ad mortem terminantur,[37] in quibus ægri difficilius spirant, delirant, vigilant, cæt[illegible] pessima signa habent, *Prænot.* III. 3. notariq; potest,[38] securiores illas quæ nihil excernunt, [illegible] quam quæ pauca & inutilia. Nam dum cessatur, natura coquere quod paulatim fit

præsumitur: mitior morbificæ materiæ vis, si nec copia, nec corruptione ad excernendum ante tempus irritat; nec ulla translationis ad partes nobiles suspicio, quæ frustra tentata crisi fieri solet.

III. Sunt quæ *in totum desinunt*, cum signis judicatoriis & tempore suo: sunt & quæ [40]. ὑποτροπιάζουσι, *redeunt*, & tales sunt illæ quæ neque apparentibus solutionis signis, neque diebus judicatoriis cessant, *μὴ κενούμεναι ἀρτίως*. Scilicet τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα μετὰ κρίσιν ὑποστροφώδεα. reliquiæ materiæ febrilis cum assimilari non possint, ab empyreumate relicto, putrescuut, & simul alimentum corrrumpunt.

[41]. IV Aliæ [42]. *solvuntur absque manifesta evacuatione* Et *tum*, naturæ provisione per coctionem ad summam benignitatem materiam febrilem deductam esse, ita ut ne irritare quidem possit, rationabile est. Aliæ *cum evacuatione manifesta*, quæ fit vel per ἔκκρισιν, vel per ἀπόστασιν. Quæ sine pepasmo desinunt, sunt ἀνυπόστατοι, firmantur signis securissimis, & intra quartum diem finiuntur.

V. [43]. *Respectu motus*, de quo ante alias differentias nobis agendum erat, sunt apud Medicos celebres *Acutæ febres*, quæ brevi tempore cum gravissimis symptomatibus *motum* suum absolvunt, quæq; quoad subjecta, accessionem, affectus & symptomata tam actionum quam qualitatum mutatarum considerari debent.

1. *Subjectum* si attendas, I. [44]. Adoriuntur *juvenes Aphor.* III. 29. quia hac ætate biliosus, copiosus & acris sanguis gignitur. II. [45]. Non facilè *senes*, quòd illorum calor debilis & remissior multis alimentis opprimatur; si corripiunt, non ita tamen vehementer: quòd si vehementer, periculosum id; quia ægritudines dissimiles magis periculosæ quam cognatæ. Exempla senum acutè febricitantium, vide apud *Guarinonium*. III. Occupant & *pueros*, de quo idem Consil. 25.

2. *Accessionis tempus*. Invadunt I. ἐν τοῖς αὐχμοῖσιν [46]. in *squaloribus* & quidem acutissimæ, *Aphor.* III. 7. cum cœlum incendio flagrat, nec est ulla madoris & siccitatis vicissitudo: & hinc major bilis sævitia & acrimonia. II. ἐν φθινοπώρῳ, *autumno*, [47]. acutæ & perniciosissimæ ἐπὶ πᾶν. Tum enim calor innatus paucus, virium languor quem æstas induxit, cacochymia, ab opora seu esu fructuum, major, quam propria ipsius autumni vis auget. Quod si βόρειος est, αὐχμηρὸς, *aquilonius & siccus, Aphor.* III. 14. [48]. ferocit bilis seri sui expers, in corporibus siccioribus, in venis, ac ibi cunctando putrescit. III. [49]. *Æstate*, quam ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος, *hyems sicca & aquilonia*, τὸ δὲ ἔαρ ἐπομβρον καὶ νότιον. *ver* autem *pluvium & austrinum* præcessit, quod ille mador, quem ver fecit, æstate præsertim calidissima & Etesiarum experto, in corporibus inprimis humidioribus putrescat. Et quia plærúmque comitem dysenteriam hæ febres habent; ideò consultum putat *Heurnius* exhibere *decoctum* radic. pentaphylli, agrimon. torment. cum syrupo ribium & acerositatis citri & pauxillo spiritus vitrioli.

3. *Affectus*, [50]. supervenire namq; aliquando solent [51]. *glandularum tumores*, [52]. qui si statim remittunt, [53]. deteriores sunt, Epid. II. aliquando & *Alvi à flatibus distentio*, ita ut totum abdomen infletur, & [54]. hypochondria, quæ mollia, solida, succi plena & æqualia esse debent, talia esse desinant. Et *tum*, flatum non erumpere malum, tam signo, quod hecticam ventris indicet intemperiam quàm causa, quod hinc multorum symptomatum congeries oriatur. *Coaca* XLIV.

4. *Actiones læsæ* sunt I. [55]. *Convulsiones* [56]. *& circa viscera vehementes dolores, Aphor. IV. 66.* [57]. quæ mala. *Illa* enim, modo non fiant ineunte morbo, quia tunc convulsio febri finem imponit, aut vitio peculiaris instrumenti, aut ex eventu, videlicet ob paralysin musculorum, à translatione materiæ ab interioribus ad genus musculorum proveniunt. Hi, à viscerum vehemente inflammatione & siccitate. Unde contumacia morbi & labefactatio viscerum.

II. [58]. *Vehementes mentis emotiones cum taciturnitate*, Coaca LXV. ita ut ægri interrogati non respondeant, quæ in eo qui voce defectus non est, vocis organis illæsis, & causa in cerebro latitante, perniciem minantur propter gravissimum cerebri affectum.

III. [59]. *Capitis dolor continens*, Coaca 160. qui à causa multa & acri, seu sanguine bile perfuso, in capite collecta, vel aliunde translata, nec exitum habente, absque via sympathiæ vel criticæ evacuationis perturbatione oritur. Si cum gravibus aliis signis, puta, crebrâ & paucâ æruginosæ bilis vomitione, cervicis dolore & delirio affligit; mortem vel citam, vel præter expectationem Medicorum venientem, vel quæ circa tertium, quintum aut septimum obveniat, in primis si æruginosa vomunt, minatur: & quidem propter spirituum per doloris contumaciam exhaustum.

IV. *Dolores hypochondriorum* Coaca CCXCVII. *fugaces* & sine inflammatione, qui si *ægro fari nequeunte*, musculis linguæ ab obstructione nervi septimi paris læsis, *absque sudore*, id est, excretione vel abscessu solvantur, *malum indicant*, quia evanescentes μετάστασιν humorum in viscera nobilia significant. [60]. His etiam *dolores ad coxendices decumbunt*, per palindromen nempe, [61]. febri ex crisi καθ' ἔκκρισιν [62]. deducta ad eam quæ fit καθ' ἀπόστασιν.

V. *Vocis defectiones*. Coaca CCLVI. à nimia humorum copia exortæ; quæ cum virium exsolutione à trium facultatum oppressione procedente, *sine sudore*, critico nempe, sunt *lethales*, propter naturæ imbecillitatem & humoris contumaciam.

VI. *Distractio velut à vomitu* Coaca 55. i. e. ventriculi ad nauseam proritatio, ab humoribus, seu in ejus cavum defluentibus, seu ab inflammatione resudantibus, & ita eidem innatantibus, ut ad

ut ad expulsionem incitata natura, osculum quoque commoveatur. Si *in exscreationem desinit*, quòd frustrata ob humoris contumaciter stomachi tunicis adhærescentis & partis obsessæ imbecillitatem expultricis, ab orificio tenuior duntaxat humoris exsudantis ac velut expressi pars, sputo vel salivatione refundatur, malum portendit, quia nec causa mali tollitur, nec facultas se recolligit.

VII. [63] *Sitis cessatio præter rationem*, Coaca LVIII. & quidem sitis antehac intolerabilis sublata, nulla certa externa causa quæ sitim extingueret præsente, & totalis, quæ mala quia sensus hebetudinem subito succedentem indicat, & imminentem caloris nativi suffocationem.

VIII. *Nullus ardoris sensus*, ad tactum nempe, [64] cum tamen intus ardeant, Coaca CCXXVIII. Et *tum* ægri phrenetici fiunt, cerebro ob internum incendium æstuante: idque magis si sanguis fluxerit, quia materiam sursum cum impetu ferri ostendit.

5. *Excreta* sunt I. [65] *Sudor* [66] *frigidus*, isque circa caput tantummodo, faciem & cervicem *Progn.* I. 16. qui lethalis *Aphor.* IV. 37. tumquia indicant succorum crudorum copiam, ut ne à febrili quidem calore incalescant, tum extinctum calidum nativum, & facultatem retentricem resolutam. II. [67] *Sanguis stillans*, leviculè nempe, & [68] febtire incipientibus: quòd [69] si cum sternuratione fit, & [70] albo die quarto in urina sedimento, eoque æquali & lævi, solutionem in septimo promittit, non tam propter liberalem hæmorrhagiam, quam ob perfectam materiæ morbificæ concoctionem, cujus urina indicium est, *Coaca*, CXLIX. [71] De alvo aquosa multa bile permixta transmittente vide Coacam LXVII. &c.

6. *Qualitates mutatæ* sunt I. [72] I. *Extremorum frigus Aph.* VII. & quidem absque causa manifesta, quod quia vehementissimam alicujus visceris inflammationem sanguinem ad se trahentem, vel caloris nativi oppressionem & extinctionem, viriumque debilitatem significat, pessimum est.

II. *Rubores ad aures* seu tumores flammei [73] vel parotides, qui spem erysipelatis in facie faciunt. *Coaca* CC. per seri biliosi è jugularibus arteriis & cervicalibus venis amplioribus in angustiores expressionem. Hos excipiunt *convulsiones*, propter materiæ in cerebrum & nervos spinales translationem, nisi urinæ vel alvi copiosa dejectio sequatur: *Vocis privatio* per vocalium instrumentorum interceptionem; & *virium exolutio*, cum qua aphonia ita cohæret, ut lethalis in *Prorrhet.* pronuncietur.

III. *Livores*, πελιώματα *Coac.* 66. Partium nempe extremarum, digitorum, ungulum, & quidem diutius perseverantes: quæ, si non à syncope aut immodica evacuatione, ubi calor & spiritus ob paucitatem ad cor redeunt, sed à νεκρώσει, καὶ σβέσει τῆς ἐμφύτου θερμασίας proficiscuntur; propè mors adfore significatur, propter causam jam allatam.

Adde his malum vel mortem illis portendi, [75] Quibus manus ante faciem feruntur, vel qui aliquid *frustra venantur*, festucas colligunt, aut floccos è vestibus evellunt, vel paleas ex pariete carpunt. *Progn.* I. 16.

In [76] *Pueris*, si venter non dejicit, si vigilant, perterrentur, assiduè plorant, si color immutatur; & fit ex viridi pallidus aut lividus, convulsio metuenda est. *Progn.* III. 30.

[a] *Vel Continua simplex, vel Continua Periodica, vel Intermittens*) Continuitatis, Remissionis & Intermissionis febrium, ut è Frigoris & Caloris, primariorum symptomatum comitum, has affert causas, *Sylv. de le Boë P. M. l. 1. . . 27.*

Missis aliorum de hac re opinionibus existimo I. Febrium Continuarum omnium causam esse Bilem, aut Lympham (sub qua succum Pancreaticum, ipsamque adeo salivam comprehendo, quatenus cum ipsa deferuntur ad cor) aut utramque vitiosam, & in dextro cordis ventriculo Effervescentiam talem excitantem, ut inde continuo Pulsus producatur frequentior.

Frigus autem, si à Bile sola primario vitiata pendeat febris Continua, circa primam invasionem observabile, ab eadem deduco Bile vitiosa, & una cum succo Pancreatico vitiosam in tenui intestino Effervescentiam excitante, & quidem talem, ut halitus excitati à dicto socco attollantur, & mox, quaquaversum propulsi, Frigus leve ubique pariant, quod tamen paulo post Calor, ab eadem Bile ad cor delata cedat.

Sin à Lympha sola primario vitiata pendeat Febris continua, cum male affectas consequatur illa tum Glandulas Conglobatas, tum ex parte quoque Conglomeratas, ipsumque adeo Pancreas, quid mirum si hujus succus aliquanto factus acidior, vitiosam producat in tenui intestino cum Bile Effervescentiam, simulque halitus promat acidiusculos, qui per universum corpus dispersi, ubique Frigoris sensum excitent pro vitio suo majore aut minore diversum?

Sin tum à Bile tum à Lympha simul vitiatis pendeat Febris continua, ex memoratis causis conjunctis producetur Frigus exacti ejus initia ægros infestans.

Post præcedens Frigus, aliquando gravius, aliquando levius, solet in Febribus continuis plerisque subsequi Calor, isq; lõge major & molestior à Bile sola primario peccante, à qua proinde ortum habet Febres Ardentes dictæ.

Longe vero minor & blandior, & quandoque Nullus, Lympha, sola primario peccante, imprimis quoties multa simul in ægris redundat Pituita, quibus adscribi debent *Febres Algidæ*.

Deniq; modo medio se habens calor, ab *utraque* simul vitiata, seque quodammodo vicissim temperante.

Quoties *Lympha* vitiatur, & Glandulæ in Cerebro existentes simul valde afficiuntur, solet (si propriam vocabulorum significationem sequamur) primum *Gravedo*, i. e. dolor gravativus in capite excitari, & paulo post tum quandoq; Coryza, ubi ad nares, tum quandoq; Raucedo vel Tussis, ubi ad fauces vel pulmones distillat dilabens à cerebro liquor, Catarrhi nomine notus, à quo tunc comites Febres nominari solent Catarrhales.

II. Febrium *Intermittentium* omnium Causam esse puto Succum pancreaticum aliqua sui parte in uno pluribusve Pancreatis ductibus lateralibus obstructis stagnantem, ac mora sua ibi acriorem factum, atque acrimonia ista acida per pituitam, plus minusve viscidam, & notatæ obstructionis causam via vi parata penetrantem, ac in tenue intestinum effusam, vitiosamque ibi cum Bile atque Pituita Effervescentiam excitantem, ac in paroxysmi quidem principio Frigus diversum, aliquando gravius, aliquando levius, aliquando diuturnius, aliquando brevius producentem,

donec tandem (ubi ejus p.n. retenti, atque adeo vitiati nil amplius adfluit) superetur idem vicissim (quod plerumque fieri solet) à Bile partim prius compressa, & quasi suppressa, nunc denuo sibi reddita, partim continuo allabente, unde citius tardiúsve ex mixtura ex utroque ac Pituita exsurgens, & ad dextrum cordis ventriculum delata subsequentis caloris, aliquando majoris, aliquando minoris, aliquando nullius causa existit; prout varie se habet ad succum Pancreaticum, semper tunc, ex parte saltem vitiatum, Bilis & Pituita.

iii. Ex Continuis ac Intermittentibus compositarum, atque non plane Intermittentium, verum Remittentium duntaxat, rursusque Exacerbatarum causam censeo utramque utriusque jam memoratam causam simul concurrentem.

iv. Febrium continuarum & blandarum quidem, verum duabus circiter post alimenta assumpta horis Exacerbatarum (quas *Hecticas* vocare solent) causam existimo imprimis Salivam propter affectas Glandulas plures simul, vitiosam, & vinoso chylo ansam præbentem, à quo ad Cor sic delato Effervescentia læsa quam prius frequentior adhuc excitetur Pulsus.

Quemadmodum autem Frigus omne in Febribus quibusvis deducendum judico partim, ac imprimis, à succo Pancreatico, qua acido; Et forte etiam aliquando à Lympha, itidem acidiore existente, Partim à Pituita vel Insipida vel Acida. Sic *Calorem* omnem acceptum puto ferendum Bili, ratione sui tum *salis lixivi*, tum olei, Oleum namque aptum est Ignis vim suscipere, ipsamque conservare, Acidum contra eundem extinguere, Oleumque ab igne rarefactum denuo condensare. Salsum vero Lixivum, oleo præsertim junctum, quoties cum Acido effervescit, Calorem notabilem producere. Atque sic, ubi omnia moderata sunt, & proportionem servant debitam, modumque requisitum, conservatur per pugnam illam amicam in sanguine universo Ignis vitalis: augetur vero quoties dominium habet Bilis multum salsa, & oleosa minuitur; contra quoties vis Acidi major est, extinguitur denique idem, ubi excessus extremus est in subcontrariorum illorum alterutro vel utroque.

Walæus in Medicina Practica l. 1. cap. 9. Sic ab invicem distinguit, Febres, *ait*, Continuæ cum Continentibus sunt eædem, ratione causarum à quibus excitantur, & ratione materiæ putrescentis, sed ratione Loci in quo sanguis putrescit, differunt: fiunt autē continuæ hoc modo Sanguis in vasis liberis corruptus febrem Continuam facit, dum æqualiter fere ad cor venit, idque irritat: Exacerbationem febris acquirit dum corrupto in venis sanguini nova materia putrefacta à parte, seu foco exiliens permiscetur, & ad cor cum eo venit &c. Febres Intermittentes cum Continuis ejusdem sunt generis, & ejusdem quoque curationis, & fiunt Intermittentes præsertim his conditionibus, vel saltem aliqua, 1. si materia sit pauca, 2. si sit benigna, ob quam benignitatem facilius discuti potest, nec aliquid intus manet, unde motus accelerari potest. Si materia discuti non potest, febris motum accelerat, quod inde apparet, quod illi qui intermittente Febre laborant, si se denudant, postea continua infestantur. 3. Si materia sit minime fluxilis. 4. si pars sit nimis sensilis. Si vero materiæ sit major copia, malignior, fluxilior, & pars sensibilior Continua potius oritur &c. *Willis l. de Febr. c. 3. Discrimen hoc constituit.*

Effervescentia, *inquit*, sanguinis in Febre Intermittente pro duratione paroxysmi, æque intensa & violenta est ac in febre continua, quare partes sanguinis inter se, aut cum heterogeneo quodam admisto colluctari, & supra modum fermentescere concludendum est; Ut vero inter se fermentescant & nimis ebulliant, requiritur ut principium quoddam, velut imprimis spiritus aut sulphur, nimis exaltatum & efferatum cæteris supereminent, quod dum iis conjugari nequeat, luctum & effervescentiam continuam inducat. Verum ab hac causa Febris continua ortum duceret, quia talis ebulitio sanguinis semel incepta non subito sedatur; & si quando compescitur, non illico statim repetit. Quare pro febre Intermittente supponendum est heterogeneum aliquod confundi, cujus particulæ, cum non assimilantur, eo usque ejus ebullitionem faciunt, donec vel subactæ miscibiles reddantur, aut subtiliatæ foras excludantur: quare tali materia subacta, aut foras exclusa, cessat paroxysmus: & quando repullulat hæc materia, novam ebullitionem concitat, & proinde novus infertur paroxysmus. De continuis Periodicis inferius dicetur.

[2] *Alia nulli morbo succedunt, Alia morbis superveniunt*) Febrium vulgata est divisio in Primarias, & Symptomaticas, Illæ dicuntur quæ à nullo alio morbo dependent; Hæ quæ morbum aliquem tanquam umbram sequuntur, & nunquam, docente *Galeno*, Febres à veteribus vocabantur, nomen gerentes affectus à quibus originem ducere creduntur, Omnes continuæ, nunquam intermittentes; quarum causa non in venis majoribus conclusa, sed parte quapiam contenta, ex qua calor febrilis in universum corpus dimanat; De his inferius cap. 5. art. 3. Earum, quarum exempla huc adducuntur, pleræque ortum ducunt ab Archei indignatione, ut cum Helmontio *loquar*, spinam infixam, h.e. rem molestam omni nisu è corpore excutere annitentis, i.e. ab unione calidi nativi adversus causam morbificam insurgentis; quam causam agnoscit *Galenus* variis in locis, tum lib. 1. de crisibus cap. 18. Vbi de Anaxione.

[3] *Cerebri divisioni seu alto vulneri*) Febris non supervenit vulnerato cerebro cum multus sanguis effunditur. & ampla statim via relinquitur, qua puri, vapori & spiritus pateat exitus; aut cum arte, vacuatione & ratione vitæ prohibetur inflammatio & inde febris; Febris enim ad vulneratum, aut conquassatum cerebrum subsequitur ob commoti, aut effusi, nec liberum exitum habentis sanguinis putredinem, è putredine conceptam inflammationem in cerebro. Indicio est quod non semper initio vulneri, sed post initia, ut 4. 7. 9. 11. 14. die, vel eo tardius suboriatur febris, adde quod in *Coacis* scribitur febrem utplurimum supervenire vulnerato cerebro. *Liebautius.*

[4] *Et tum solvit Apoplexiam.*) Cum plurimos apoplecticos observaverim superinducta febre citius interiisse, eam deveni in sententiam quod ait *Hippocr. 2. de morbis*, superveniente *febre apoplecticos sanari*, intelligendum esse si febris magna, non tenuis & lenta corripiat, quasi hæc sola nomine febris dignetur, non autem parva & levis; Febris enim apoplexiæ superveniens duplicem causam habere potest, nempe vel putredinem humoris venas cerebri obsidentis, quo casu propter pituitæ in cerebro dominantis admixtionem, febris lenta & tenuis excitatur; Vel spirituum effervescentiam, quam probabiliter eo tempore incurrunt, ob conatus quos natura, ob respirationis difficultatem, & symptomatum vehementiam stimulata solet adhibere; & tunc febris magna oritur ex ephemerarum numero, quæ ea ratione apoplexiam solvit, quia sanguinem refrigeratum calefacit, congelatumque dissolvit, quorum nullum febris lenta efficere apta nata est; imo quia febris putrida est, geminatis malis omnia in pejus ruunt, unde æger citius moritur: Distinguuntur ulterius hæ febres, quia quæ salubriter accedit à principio morbi, tum natura adhuc in suo robore existens extremos conatus efficere potest, supervenit; Quæ vero in ægri perniciem invadit, non à principio, sed ulterius progresso morbo apparet; Quam distinctionem respiciens *Hippocr. Coacar. sect. 3. v. 55. Apoplectica affectiones*, inquit, *derepente modo exolutorio fientes*

firmus, febre temporis progressu accedente, perniciosæ: An vero Febris cuilibet Apoplexiæ superveniens eam solvat, est dubium, si quidem id tantummodo asserit *Hippocr.* in ea specie de qua loquitur *2. de morb. §. 67. & 6. aph. 51.* Certe non videtur rationabile febrem tollere eam quæ nullo præcedente dolore invadit, eamque è multitudine fieri dicimus, febris enim coarctationem à plenitudine non tollit, sed auget potius, dum succi à calore diffusi majorem locum desiderant, De Apoplexia ab Ebrietate inducta, an eam febris solvat, vide suo loco. *Martianus in lib. 2. de morbis p. 134.* In Apoplecticorum cadaverum dissectione duæ causæ frequentissimæ Apoplexiæ occurrunt, Sanguis & Serum. Sanguis, vel intra vasa adhuc contentus, in iis conculcatus, & in circuitu præpeditus: diathesin, quam vocat *Galenus* phlegmonodem inducens. Si copia sanguinis insignis hujus affectus causa sit, non juvat febris, quin potius illam auget, fusione sanguinis & expansione hujus majoris, ut notat *Martianus*, Tunc sola sanguinis missio adjumento est; Si minor adsit copia sanguinis, sed ad concretionem & coagulationem vergentis, febris tunc auxilio esse potest, quo concretionem illam imminentem dissolvere valet. Si extra vasa effusus fuerit sanguis; casus est desperatus, cui nec febris nec remedia opem ferre queant. Altera causa est serum quod cum nonnisi præ copia Apoplexiam inducere possit, huic consumendæ & dissipandæ impar est febris, forte adiumentum allatura si copia exuperans medicamentorum ope educta fuerit, adeo ut portio exigua in cerebro restitans, febri absumenda, supersit.

5. *Spasmo*) Hæc sententia licet de tetano & convulsione proferatur ab *Hippocrate*, vera tamen esse potest in convulsivis motibus, epilepsia, apoplexia, atque re in omni nervorum dolore, à pituitoso humore ac frigido, quia in causa conveniunt. *Martianus ibidem.*

6. *Spasmo à repletione*) Si cui convulsione aut tetano laboranti, non ab inanitione, sed ab humorum frigidorum plenitudine, aut flatulento tumore, febris, potissimum diaria, imo & putrida, quæ sit analoga convulsioni aut tetano inciderit, morbum solvit, quia calor febrilis humores frigidos concoquit, & concoctos excernit, non quidem per se & vi propria, sed caloris nativi interventu, cujus solius proprium munus est concoquere etiam vitiosos humores; qui tamen à calore p. n. juvari potest in morbis, nequaquam vero in generatione optimorum succorum, aut nutritione corporis, aut mitificatione pravorum humorum; Unde supra dictum est per aphor. 26. sect. 2. febrem convulsioni satius esse supervenire quam convulsionem febri. *Liebautius in cit. aph.*

7. *Dentis sideratione*) Quam ejusdem inflammatio inducit, discrimen autem vitæ imminet quod pars, ob exilitatem, totius materiæ morbificæ capax non sit, quæ in vasis restitans febrem inducit; Eadémque hic ratio est quæ abscessuum ἀποστάσεων, nihil quippe pauxum est criticum. Juvanda ergo natura materiæ in vasis stabulantis vacuatione, revulsione, derivatione &c. adeoque febris hæc est de natura earum quas describit *Hippocrates lib. de Loc.* cum cruoris in vasis turgentis portio in partem quampiam excutitur.

8. *Doloris*) Febres ex Doloribus vehementibus diuturnas esse ait *Hippocr. Coaca 75.* Febres autem ex doloribus dicuntur illæ quæ doloribus absque febre invadentibus, a dolorum acerbitate & vehementia superveniunt. Febrem autem carere à principio in doloribus, signum est nec partem dolentem principem aut nobilem esse, nec causam calidam: quod si postea febris superveniat, id doloris vehementia evenire solet, quatenus humores undique in tanta copia ad locum doloris confluunt, ut non solum dolor magis exacerbetur, sed etiam confluentes incalescant & febrem inducant, quæ focum si [illegible] habeat ipsammet doloris sedem, materiamque febrilem ejusdem doloris causam. At vero quando humor [illegible] copiosus, non tamen aptus acutum morbum facere, quod proprium est calidorum humorum, aut quando pars princeps laborat, cujus contrarium supposuitum est, necesse est morbum in longum tempus protrahi, propter humoris copiam & ejusdem frigiditatem. Id quod observavi in famulo D. N. qui ex humerorum vehementissimo dolore in febrem incidit, à qua vix trium mensium spatio liberari potuit. *P. Martianus in cit. Coacam p. 420.*

9. *Dolori in pectore*) Dolor in pectore (*anteriore totâ thoracis parte, ossibus septem & cartilaginibus 12. constante, ideo ita firmatus ut agro develli possit, continuus idem & cum æstu*) fixus (*apblegmone ex sanguinis biliosi per venam mammariam affluxu collecta*) cum torpore (*i. e. summa totius corporis exolutione, ut subinde ad pedes delabatur*) suborta febre (*acuta nempe & ardente*) malum indicat (*torpor enim in principio morbi madefacti nervorum principii est index, in progressu effœti & exoluti, imo omnium facultatum prostrationis, & quod totum corpus refrigeratum sit*) ûque celeriter mortem opperiunt (*febris ardore, spirandi difficultate.*) Jonstonus *Coaca 315.*

Dolore Jecoris vehementi) Dolet hepar non in suo parenchymate, hoc enim nullum nervum habet, nec habere opus fuit, non in venulis suis, sed in membrana sua, quæ duos nervorum surculos recipit, ne hepar sensus, stirpis modo, expers esset, hi autem nervorum sureuli, quia rari, tenues ac modici sunt, gravem ac vehementem dolorem excitare non possunt: proinde qui dolor Jecur exercet, si vehemens extiterit, à connexis potius quam corpore jecoris est, nimirum à musculis, tunicis, venis, vinculis, mesenterio, pancreate, partibus nimirum jecori vicinis. *Liebautius in c. aph.*

Sine febre) A flatu crasso incluso, neque exitum habente; nam est etiam dolor ab obstructione, sed qui non est tam vehemens; Est & à vehementi inflammatione & erysipelate, sed tum est febris. Dolorem vero illum levat febris superveniens, quia tenuat, discutit, resolvit, vacuat eos flatus. *Hollerius.*

10. *Dolori hypochondriorum*) Περὶ τὰ ὑποχόνδρια πόνοι circa hypochondrium dolores: In parte non principe excitati à crassa & frigida pituita, & à flatu: *his febris superveniens dolorem solvit*, nam calor febrilis discutit, & materia per urinas & intestina excluditur: Igitur nos, imitando febrem, foribus tenuantibus, discutientibus, coquentibus, sacculis, spongiis, modo, ut admonet hic *Hippocr.* nec febris, nec inflammationis, nec mordentis materiæ, unde dolor, excusatio afferri possit. *Heurnius.*

11. *VIII. Bubonibus, quæ pessima omnes &c.*) Quomodo differt Febris ex Bubone Diaria à Putrida, quæ ab eadem causa proficiscitur? Responderi potest ex *Galeno* in Diaria putridam fuliginem ad cor non ascendere; contra in Putrida, corruptum vaporem ex putrescentibus humoribus in cor exporrigi: Sed cur in uno Bubone putridus vapor conclusus manet, in alio vero ad cor transmittatur, nulla videtur esse ratio, cum idem sit locus affectus, eædam viæ in utroque affectu? Quare rationem aliam reddit *Argenterius*, quod scilicet putrida illa fuligo non gignatur in Bubone, eo qui facit Diariam, sed tantum adsint vapores fervidi, minime putres, cum non putrescat ejusmodi Bubo, sed solum calor accendatur in sanguine, sicut in venis fit Ephemeta ex sanguinis mero fervore: Non mirum igitur si ab ejusmodi Bubone Diaria, ab alio vero Putrida procreatur, quia putridum putridam solet gignere; calefacit vero quod calefaciendi vim habet; *Primrosius.*

At potius verisimile, ex doctrina circulationis sanguinis, Non ex Bubone oriri aut Ephemeram febrem, aut Putridam, sed Buboni ansam præbere alias Diariam alias Putridam. Priorem quidem si humor, qui illam peperit, mitis sit, putredinis expers, paucus, cujus portio ad glandulas inguinum, aut alarum excussa sit, adeo ut simul & semel & tumor & febris desinant, unius quippe ejusdemque causæ soboles; Putrida autem si

materiæ in vasis putrescentis pars in easdem glandulas decubuerit, superstite in illis parte plurima incendium febrile fovente: Utriusque generationis modus idem est qui febrium symptomaticarum vulgo dictarum, *Platero* comitatarum, à morbo comite; & parte morbificæ materiæ partem excipiente, nomen desumentium, cujusmodi sunt pleuritis peripneumonia &c. Eo solum discrimine, quod in illis metastasis in partes internas facta sit, hic in extimas & sensibus obvias, scilicet glandulas. Contingit aliquando in ejusmodi febribus ut & partes internæ simul & externæ humoris morbifici portionem admittant, id quod *Adriano Spigelio* accidit, qui ab acus in digito punctura interiit, subsequuta jecoris Inflamatione, & Bubone in inguine dextro; qui eventus exercuit *Bened. Silvaticum* (quem vide in cons.) quomodo nempe bubo è directo jecoris laborantis non emicuerit, quod fluxionis originem statuit, cum è massæ sanguineæ depravatione & vitio sit repetenda, Sic qui viret in foliis venit ab radicibus humor.

Diurna, quæ de die) Vide inferius *Artic. 2. De Febre Intermittente Quotidiana, §. Diurna periculosior est nocturna.*) *ex Primirosio.*

12. *Diurna, Nocturna*) Ad Quotidianas referuntur, quamvis non omnes fiant à pituita. Sic dicuntur quod earum paroxysmi interdiu vel noctu prehendant; *Galenus* quidem per Nocturnas intelligit semper pituitosas, quia solet pituita noctu exacerbari & accessiones facere, Attamen hoc non impedit quin febris phlegmatica interdiu prehendat, unde etiam per diurnam febrem Pituitosam intelligit *Galenus* 3. 1. Epid. t. 2. & 6. Ita ut ex eo tam nocturnæ quam diurnæ sint pituitosæ, at omnes febres sunt nocturnæ vel diurnæ, omnes igitur erunt pituitosæ. Videtur igitur ista explicatio *Galeni* esse illius somnium, Nam ex ipso Hippocr. concludi posse videtur sub diurnis & nocturnis nullam peculiarem Febrium differentiam contineri, *Febris*, ait l. 3. 1. Epid. *aliæ quidem continuæ, aliæ interdiu detinent, noctu intermittunt, noctu detinent, interdiu relinquunt semitertiana, tertiana, quartana, quintana &c.* Ubi febres quæ interdiu aut noctu invadunt continuis opponit, dicitque eas semitertianas, tertianas, quartanas &c. quod verissimum est, cum hæ febres omnes, tam tertianæ quam quartanæ, & noctu & interdiu paroxysmos facere possint, ut experientia patet.

13. *Quas Hippocr. minus diurnis malas*) Subjungit *Hippocr.* prognosin, primum continuatum, quas lethales esse dicit, deinde intermittentium, quas salutares esse ut plurimum docet, Inter quas Nocturnam esse longam, Diurnam longiorem ait, quod intelligendum est de eodem febris genere, ut sensus sit, Tertianam nocturnam esse longam, sed diurnam longiorem, & sic de cæteris; Duplicem affert rationem *Gal.* in comm. 1. quia accessio quę interdiu prehendit difficilior est & malignior; quia corpus condensatur & constringitur, quando rarefieri consuevit. At unde id habet *Galenus*, corpus in paroxysmo constringi & condensari? Secunda *Galeni* ratio est, quia cum febris diurna totū diem occupet, sola nox relinquitur cibis & medicamentis, unde homines coguntur vitam egere quasi vespertilionis, nam à stomachi repletione non est dormiendum; qui ergo febricitant interdiu, & vigilant noctu, multum consumuntur, sicque facile in tabem incidunt; At sic non minus periculosa est febris nocturna quam diurna, quia noctu dum febris detinet vigilandū est, quare non minus imminet tabis periculū; & interdiu dormiendum, quod non est adeo salutare: Demū sumere cibum noctu non est adeo periculosum, cum id sit plurimis consuetum; Tum quia hora post cibum sumptum somnus iniri potest, at noctu vigilare est pejus, unde potius nocturna censenda est periculosior diurna. Ob id statuendum per nocturnam & diurnam nullam peculiarem differentiam febrium intellexisse *Hippocr.* nec esse absolute verum diurnam esse longiorem & periculosiorem nocturna. *Ex Primirosio l. de Febr. 3. c. 6.*

14. III. *Hyemales*) Mirum illud est, Hyemales febres, quoad sensum externum pertinet, mites esse & mansuetas, sed si sitis linguæque ariditas spectetur, aliud multo nobis apparet, Annon retruditur intro calor, copiaque augetur & qualitate? partes internæ æstuant, non tantæ jactationes quanta æstate, sed quibus viscera sunt præcalida in iis multus æstus intus, multus squallor, & id, quod vulgo dicitur, verum non videtur, ut hyeme validissima præscribantur, nam si multum calida sint, adaugebunt intestinum illud incendium, imo & lienteriem quid efficient. Sic expectanda ibi, si quando alias, humorum concoctio: Si habeatur humorum quidem ratio, validis utique medicamentis locus esse debet, at quia superficies intestinorum æstuat, ob revocatum intro calorem, verendum ne adaugeatur incendium calore medicamenti; Et si quando valet illud ἄτμητα φαρμακεύειν, illud ad hyemales morbos referendum. Dum enim reddit rationem Galenus, cur morbi hyemales sint longi, ad contumaciam humorum id refert, & quia nil in corpore foras protruditur, sed abstrusum reconditumque intus est. An igitur calidissima hyeme usurpanda? Nequaquam. *Ballonius l. 1. Epidem. f. 54.*

15. *Sunt & ad sensum mites*) Quæ nonnunquam malignæ sunt, ac furtim grassantur, seu, ut loquitur *Galenus in Definit. Med. cap. 7.* de morbo maligno, potestate magnæ sunt gravesque, φαντασίᾳ, autem, hoc est, in specie, imbecilles. Tales personatæ prodeunt, & emetita probitate fucatæ, paulo post vero, velut detracta larva, immanitatem suam inexpectatis symptomatis patefaciunt. Capuosi isti morbi, quasi post siparium suas moventes tragœdias, *à Sabino* apud *Galenum* latronibus apprime comparantur, qui incautos viatores, suique nimium securos, ex insidiis opprimunt. Fraudulentiæ ejusmodi Febrium, ac præcipue mendacis earum Pulsus causam, partim à veneno, partim à putredine exspiscandam esse judicamus, Venenum si minus activum fuerit, operibus & cuniculis rem gerit, donec viribus eundo acquisitis, jam non clandestino, sed aperto Marte, & quasi passis vexillis prælietur. Putredo autem profunda ac sordida tanta eluxuriatur humiditate, ut obrutus febrilis calor non possit ἀναλάμψαι. quosque tandem evicta putrilaginosa uligine, sopiti suscitentur ignes, denique clara incendia lucem; Nam ut siccitas est lima caloris, sic humiditas caliditatem retundit, hinc febres [illegible], sed maximum incendium præ se ferentes, ubi incipiunt [illegible], illico βραχεῖαι sunt atque χλιαραί, i. e. mites, omniaq; symptomata, à calore sobolescentia, deseviunt dum interim floret venenata qualitas, viresque suas exserit. *Anton. Menjotius Dissert. de Febre maligna p. m. 23.*

16. *Autumnales, Æstiva, &c. Vernales*) Febrium Intermitentium quædam *Veris* sunt, quædam *Autumni*, quamvis enim in tempestatibus intermediis nonnullæ oboriantur, quoniam tamen illæ & minus frequentes sunt, & ad prædictas reduci possunt (illas nempe quibus magis appropinquant) ideirco omnes sub duobus hisce generibus complectar. Usque adeo necessaria est hæc Febrium distinctio, ut nisi eandem in praxi sedulo contemplemur, neque de earum duratione prognostico aliquo rite facto quicquam pronuntiare, neque commodo regimine ægrotum corpora curare poterimus non habita tum tempestatum tum naturę febrium diversę ratione. Verum quidem est febres utriusq; tempestatis ingenium non plane dissimile nancisci, interim tamen non dubito quin febres istæ tota sua natura sive essentialiter distinguantur.

Febres Vernales Intermittentes.

Quoad *vernales*, illæ omnes vel *Quotidianæ* sunt vel *Tertianæ*, & vel serius velocyus ingruunt pro vario tempestatis apparatu, Nam per brumale frigus spiritus concentrati vires in suo recessu sibi acquirunt, quos appropinquantis

postea

postea Solis calor jam vegetos evocat, qui cum viscidis humoribus (minus tamen viscidi sunt hi, quã quos in Autumno prægressi fervores excoxerunt ac torrefecerunt) cõmisti, quos durante hyeme natura in in sanguinis massa congesserat, dum avolare nituntur implexi detinentur, & quasi in etiti, adeoque vernam hancce ebullitionem concitant. Eodem planè modo quo vasa cerevisia repleta, atque in arena vel cella frigida diutiùs reposita, si igni admoveantur tumultũ statim concipiunt, & liquor ad volatum pronus est. Sanguis hoc modo affectus purgationem sui molitur, atq; spirituum volatilium ope negotium hoc sat citò peragit, nisi fortè nimia viscidorum succorũ vi instructus fuerit, qui fermentationem cœptam remorentur; & licèt hoc ipsum accidat, effervescẽtia tamen verna raro continua suiq; similis manet, verùm dissilire atq; in diversos Paroxysmos quasi findi solet. Sanguine enim opulentis hisce spiritibus jam turgido, natura negotium suum quasi præceps aggreditur, & quarundam partium secretionem, ad modum perfectæ solutionis, per Paroxysmos particulares peragit, priusquam universali separatione defungatur: Atq; hæc mihi quidem ratio non inidonea videtur, quod vernâ tempestate, præsertim illa quæ æstatem propiùs attingit, paucæ Febres continuæ occurrant, nisi forte constitutio fuerit Epidemica. Fermentationes enim tunc temporis obortæ vel subitò consopiuntur, vel ad intermissionem properant; vel denique partes humorum ad separationem proniores, præmaturè & cum vi quadam alio transferuntur; ex quo mox *Angina*, *Peripneumoniæ*, *Pleuritides*, aliæque id genus pestes succrescunt, quæ desinente potissimùm vere caput suum exerunt.

Animadverti Febres Intermittentes Vernales rarissimè fuisse diutinas, semper verò salutares; ita ut vel maximè senex, vel deb[illegible] quispiam, officiosissima damnosissimaq; imperitissimi cujuslibet *ἀπεργίᾳ*, modò probus is fuerit, è medio vix queat tolli. Contigit mihi tamen videre Tertianas Vernales, quæ ob Phlebotomiam & Catharsin indebitè celebratas, & regimen insuper cum morbo malè quadrans, moras tr[illegible]e etiam usq; ad tempus illud quo Autumnales solent invadere; quæ tempestas, cùm hujus morbi genio sit admodum cõtraria, eundem continenter extingu[illegible], ægro interim frequenti Paroxysmorũ reduplicatione, & duratione lõgiore ita penè confecto, ut in extremis versari videatur; quæ nihilominus (quatenus mihi hactenus observare licuit) semper est eluctatus. Neque in convalescẽtibus ab hoc morbo mihi adhuc subiit videre gravissima illa symptomata, quæ, ut infra dicetur, Intermittentes Autumnales diuturniores sequuntur; *Lethalem* intelligo, *tonsillarum inflammationem ventrem induratum, tumores hydropicos* &c. Plus semel tamen adverti ægros à morbi diuturnitate & Paroxysmorum ingeminatione (accedentibus [illegible] malorum cumulum evacuationibus repetitis) ad summã debilitatem redactos, ubi primũ ceperint convalescere, in *Maniam* incidisse, quæ pari cum illo passu recessit, quo eorundem vires de novo redintegrabantur.

Intermittentes verò Autumnales longè aliter se habent. Primò enim *Tertiana*, licèt quibus annis Epidemica nõ est, & sanos invadit, cito nonnunquam se proripit, neq; pluribus stipatur, Symptomatis quàm quæ Verno tempore contingere solent Tertianæ, ubi tamen Epidemicè grassatur, & ætate provectiores, aut pravo corporis habitu prę[illegible] [illegible]rit, haud vacat periculo; quinetiã ad menses duos vel tres, fortè etiam in sequuturum usq; Ver tyrannidem exercet. Deinde *Quartana* & periculosiores sunt, & obstinatiores longè quàm sunt illæ de quibus ultimo diximus: Ubi [illegible]n grandiores impetunt, eosdẽ paucis adhuc *Paroxysmis* [illegible]tatos quandoq; jngulãt; quo in casu æger *tempore convalescentiæ*, ineunteque adeo Paroxysmo, ut *plurimum* [illegible], quod jam dictum. Quòd si æger in *senectutis can[illegible]* fuerit cõfinio, nec-dum ejus limen *prætergressus*, *lic[illegible]* in eodem versetur discrimine ne inter *Paroxysmos* primò lacessentes luce privetur, haud tamen *facilè à Febre* liberabitur, nisi veniente anno, appetenteq; *illo tempore* quo primò corripiebatur. Nonnunquam etiam *hæret lateri lethalis arundo*, nec, nisi à morte, languescenti decutitur. Quartana interim Typum subinde variat, plurima etiam patit Syptomata, *Scorbutum* v. gr. *Ventrem induratum*, *Hydropem* &c. Juniores verò ferendo huic morbo pares sunt, à quo nõnunquam circa *solstitium brumale* liberantur, frequentiùs tamen non nisi adveniente *Verno Æquinoctio*, vel etiam Autũno insequẽti, ubi scil. venæ-sectionẽ aut Catharsin admiserint. Sæpe non sine stupore sum intuitus, Infantes tenellos cum hoc morbo per totos menses sex commissos, nec oppressos tam[illegible]n, sed de eodem, *Herculis* instar pueri, in cunis triumphantes.

Febres Autumnales Intermittentes.

17. *Autumnales quæ plerumque acutæ & p[illegible]* [illegible]) Hæ non tam levi opera *quam vernales* se amoveri p[illegible]tur. Si Autumnalis constitutio fuerit epidemica, circa *Junium* adultum solent invadere, sin minus *Augustum* præstolantur & *Septembris* initium. In subsequentibus vero mensibus rarius occurrunt.

Cum earum ingens aliquod agmen simul invaserit, observare licebit earum paroxysmos plerumq; una eadẽq; diei horâ contingere, accessionibus nunc prævertentibus, nunc postponentibus, simili plane modo, atque eodem tenore, nisi quod accidere queat ut ordo ille, medicamẽtis adhibitis, quæ retardandi ac præcipitandi vi pollent, in quibusdam corporibus immutetur vel pervertatur.

Observandum etiam est quod in principio febrium Intermittentium (epidemiarum præcipue quæ Autumno contingunt) haud ita in proclivi est Typũ sub primis invasionis diebus rite distinguere, quandoquidem febre continua adscita primum adoriuntur, nẽq; facile est aliquandiu, nisi diligenter adverteris animum, quicquam aliud præter aliqualem morbi remissionem deprehendere; quæ tamen paulatim in perfectam desinit intermissionem, & typum anni tempestati apte respondentem.

Typorum ratione vel *Tertianæ* sunt vel *Quartanæ*, Et de Quartanis quidè illud merito affirmari potest eas genuinam esse Autumni sobolem; utræque profecto ea affinitate inter se conjunctæ sunt, & sæpenumero vices permutare, saltem ad tempus deprehenduntur, mox fortassis ad pristinum genium rediturae; Sed Tertianæ vernales nunquam Quartanarum typos induunt, cum toto (ut ita dicam cœlo) à se invicem distinguantur, Neq; porro observavi unquam hac tempestate Quotidianam cõtigisse, nisi quis Tertianam duplicem, vel triplicem Quartanam hoc nomine censuerit *καταχρηστικῶς* appellandam.

Has autem Febres Intermittentes hoc fere modo suam originem nancisci arbitror, Nempe anno surgente atque progresso, sanguis etiam prorata portione exaltatur (haud secus ac vegetabilia quævis augmẽtis ac declinationibus suis anni cursum referunt) donec ad *ἀκμὴν* suam ultimumque rigorem pervenerit hinc parallelis motibus cum anni tempestatibus pergens, eo declinante relaxari tandem & ipse incipit; ac nimpræcipue cum ab accidentali aliqua causa promotus fuerit, puta sanguinis immodica jactura, frigore admisso, cibis crudis atq; excrementitiis; balneorum usu intempestivo, aliisq; non paucis: Jam vero sanguis, in hoc decidentiæ gradu constitutus, impressioni morbificæ cuicunque obnoxius est, quam in illum faciet aëris quælibet constitutio, quæ hoc tempore dictis Intermittentibus est epidemica; Atq; huc spectat ebullitio mox inducta, qua liquorem sanguineum quandoq; valde degenerem corripiente; febris inde oriunda mali moris esse solet, & malignis atq; horrendis symptomatis plenissima. Illud utcunq; accidit, ut sanguis spiritibus suis magnam partem exutus, & ab æstate præcedenti plurimũ adustus, ebullitione sua nonnisi tardissimis motibus defungatur, suæque despumationi longissimam periodum postulet.

Jam vero, ut manifestum evadat quam difficulter hæ febres Autumnales curationem admittant, hoc loco perpendendum est, continuarum hujus tempestatis; atq; Intermittentium discrimen, in eo maxime ve[illegible], quod Continuæ conceptã semel effervesc[illegible] [illegible]iam [illegible] u[illegible]q; tenore perficiant; Intermittẽtes autem partitis vicibus ac

partitis temporibus eadem defungantur; Interim in utrisque fermentatio naturæ ductu peragitur spatio horarum 336. aut circiter, neque enim citius aut tardius massa sanguinea in humano corpore ordinario repurgatur, si negotium naturæ permiseris, haud secus ac pomatium suam, vinum atque cerevisia suam ac peculiarem habet periodum qua depurentur.

Quamvis autem in febribus Intermittentibus sanguis nonnunquam (ut in Quartana contingit) sex mensium spatio despumationem suam moliatur ac tandem perficiat, non tamen (si recte calculum ponas) plus temporis in eadem absolvenda impenditur quam quod in cōtinuis impendi naturaliter solet, x i v. enim [illegible]. sive dies naturales, efficiunt horas 336. tribuendo nēpe horas quinque cum dimidia cuilibet paroxysmo Quartanarum, habebis in Quartana valorem 14. dierum, h.e. horas 336. Jam si quis dixerit Quartanam, v.g. (eadem enim reliquarum Intermittentium ratio subintelligenda est) ultra sex mensium spatium aliquando excurrere antequam periodum suam absolvat? Respondeo idem etiam non raro in continuis febribus spectari, quæ sæpe ultra dies 14. protrahūtur; In utroque nimirum casu, si effervescentiam (præsertim circa febrium finem) rite ac ex ordine decurrere, ac sustineri vegetam curaveris, despumatio intra prædicti temporis spatium, h.e. 14. dierum, vel 336. horarum peragetur. Quod si vero effervescentiam illam, seu fermentationem, refrigerantium medicamentorum, aut clysterum usu, tunc temporis (scilicet versus febrium declinationē) importune inhibueris, & quasi frænum illi injeceris, mirum nō est si in longum evagentur, ordine quippe naturæ perturbato, Namq; hoc modo relaxatur quodammodo naturæ tonus, unde se ad despumationem accingere cum effectu nequit: Imo vero in corporibus debilibus & effœtis, idem aliquando vel sponte accidit, nisi cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo sanguini despumando par sit: Hic notandum ea quæ de Fermentationis spatio atq; continuatione adduximus, de illis solūmodo Febribus intelligenda esse quę statam quandam naturam atq; habitum nactæ sunt, Nam quædam sunt, tum continuæ, tum intermittentes, quæ transeuntis & incerti generis sunt, neque in suis effervescentiis ad destinatam periodum pertingunt; Hujus generis sunt quæ à levi aliqua offensa ex sex rerum non natural. abusu ortum ducunt; his enim morbis correpti subito convalescunt.

Idem in adolescentibus, sanguine puro, ac multis spiritibus referto præditis aliquando accidit, Nimirum febres illorum spirituosa quadam ac nimis tenui, voluciq; materia nixæ, fermentationes suas citius perficiunt, ac celeri gradu spatia sua emensa evanescunt.

Ad fermentationem enim illud primò requiritur, ut materia fermentiscibilis, sive illa sanguis sit, sive vinum, aut alius liquor, ea tenacitate & viscositate polleat, ut spiritus implexos, atq; irretitos eatenus detinere valeat, ut in liquoris massa moveri atque agitari possint. Neque tamen eam tenacitatem obtinere debent liquores memorati ut spiritus prorsus obruant opprimantque, adeo ut non omnino moveantur.

His jactis fundamentis, mirū non erit si illis non aliam medendi methodum superstruam quam quæ in febribus continuis ad despumationis debitum opus rite perficiendum adhibenda videatur, cum nimirum illæ à continuis nullo discrimine sejungantur, si ordinem spectes quo natura earundem materiam expellere solet, scil. per effervescentiam certa periodo comprehensam; Etsi, quod ad earum speciem, atq; naturæ proprietatem attinet, illas & à continuis, & à se invicem plurimum differre non difficear. Itaque vel methodum, qua natura se liberare ab hoc morbo solet, caute observando, indicium sumere oportet quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ægros ad sanitatem perducamus; vel in ipsam causam specificam penetrando; danda erit opera ut remediis efficacibus ac specificis morbo obviam eatur. Ab horum alterutro indicationes sumendæ sunt. Ego utramque viam ingressus aliquando fui, at profiteri possum me nondum eam felicitatem adeptum esse ut Autumni febres Intermittentes certa aliqua praxi atque medicandi ratione tollere possim, antequam status illas fermentationes peregerint, utcunque molestum hoc peregrinantibus videatur, qui eousque sanitatem suam expectare inviti coguntur. Quantumlibet autem fuerit difficile has certo fugare, tradam tamen quicquid ad earundem curationem præ reliquis facere mihi visum est.

Intermittentium Autumnalium curationem non sine ingenti discrimine per catharsin tentari (nisi eo quem dicemus modo instituatur) præsertim vero per phlebotomiam, frequenti nimis observatione didici; Etenim in *Tertianis*, (maxime si ea constitutio admodum fuerit epidemia) hac methodo sanandis, nisi Chirurgi gladiolus eodem ictu quo venam pertundit, ipsam etiam febrem confodiat, dictæ febres, etiam in vegetioribus & athletice valentibus, nonnisi longo temporis tractu expugnari se patiuntur; In provectioribus autem, diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excepit, quam præ foribus jam esse haud raro denuntiat lethalis Tonsillarum inflammatio *succedens*. Adde quod V. S. alia etiam symptomata illa maturius accersivit, quæ febres Autumnales Intermittentes in statu declinationis vel comitari diximus vel à tergo sequi; Quartanariis vero in tantum obest phlebothomia, ut juvenes, qui à morbo alias intra sex menses fuissent liberati, per sex menses adhuc alios ab eodem detineantur: Ætateque provectiores, qui, nisi sanguinem detraxissent intra annum poterant sanari, morbum etiam ultra statum illud tempus ægre periclitentur, ac denique ab eodem victi succumbere. Quæ de V. S. dixi levi opera ad catharsin possunt revocari, nisi quod hæc non adeo perniciosa sit, nisi crebro repetita.

Neque forte cum minori fructu usurpari poterit *cortex Peruvianus* in Tertianis, qua vernis, qua autumnalibus, quam in Quartanis adhibetur, Sed ut vere loquamur, nec artem [illegible] ostentemus, Si alterutra harum febrium correptus æger, vel infans sit, vel ætate floreat, convenit omnino (quantum ego hactenus edoctus sum) nihil omnino medicamentorū quorumvis ope, aut aëris, aut diætæ mutatione moliri; nihil enim mali natum hucusque intellexi, si modo totam rem naturæ permiserim. Quod si contra, vel si aliquo strictiori regimine utaris, vel purgantia subinde adhibeas (adhibere sc. solent eo prætextu ut obstructiones expediantur, atque humores in primis viis stabulantes exturbentur) vel si, quod præcipuum est) in constitutione epidemica venæ sectio celebretur, fiet ut morbus in longissimum tempus procurrat, atque interim ut ægri mille symptomatis, iisque periculosissimis exponantur.

Si vero febricitantes provectioris ætatis, ex utroque morbo (Tertianas dico autumnales ac Quartanas) non solum diuturnitatis, verum etiam ipsius mortis grave periculum impendet.

Hic itaque Medicum illud agere oportet, si neque *cortice Peruviano*, nec alia quavis methodo morbum submovere valuerit; ut naturę saltem superius ferat, eamque illis adminiculis sublevet quibus ad negotium suum peragendum opus habuerit. Certe enim in effœtis corporibus, nisi fermentatio cardiacorum & corroborantis diætæ, ut *vini absynthites*, ac id genus similium beneficio sustineatur, illud accidet ut ægri incertis atque frustraneis paroxysmis divexati debilitentur, atque morbus ejusque duret, donec languida prius natura, paroxysmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non possit, adeoque in ipso exhorrescentiæ tempore diem suum obeant ægri. Atque hoc in senibus non raro usu venit, qui longa catharticorum serie debilitati fuerunt, imo, ut aliquando visum est, in ipso vel primo paroxysmorum rigore penitus defecerunt, cum exhibito cathartico satis forti saltem ad tempus aliquod sustineri potuissent.

Cum

Cum sanguis tempus illud exegerit quod ad despumationem suam perficiendam requiritur, necessarium est ut provectioris ætatis ægri, eodem ipso tempore, vel paulo antea, in [illegible] ignem aliquam mutationem aëris subeant, sive [illegible] iorem aliquam regionem commigrando, sive mutando saltem locum in quo primum morbo correpti sunt; mirum sane quantum valeat hæc aëris mutatio ad morbum hunc prorsus abigendum: Interim ut ante hunc temporis articulum aër mutetur, non tantum non necessarium est ad sanitatem restituendam, sed & minus convenit: Etiam si enim quis in regionem calidiorem migraverit, sanguis tamen ejus in morbido hoc motu constitutus, depurationem suam ut peragat necesse est, quod beneficium frustra expectabitur ab insolito novoque aëre, priusquam procedente, atque adulto jam sanguinis motu sanitatis recuperandæ capax fuerit: Insignis ergo illa aëris mutatio tum demum adeunda cumprimum æger á paroxysmo liberari potest, E.g. in Quartana, quæ primum in Autumno invasit, n[on] citius aër mutandus quam circa Februarii initium. Interim si æger mutare locum vel nolit, vel commode nequeat, oportebit ut hoc ipsius temporis articulo, forti aliquo medicamento utatur, cujus ei sint vires, ut uno quasi ictu languescentem illam depurationem potenter promoveat, & si licet perficiat; Ideo consulerem ego ut *Elect. de ovo* vel *Theriac. Andr.* ℥ß. *in aqu. cælest.* vel *vitæ commun.* ℥ij. exhibeatur; id quod successu non infelici in morborum hujusmodi declinatione factum, Licet agnoscam calidiora hæc citius exhibita, vel morbum duplicare, vel in febrem continuam permutare: In juvenibus idem fieri potest, cautela adhibita, at in pueris periculo non vacare dudum observavi.

Sublato morbo æger sedulo *Purgandus*, Incredibile enim d[i]ctu quan[ta] morborum vis ex purgationis defectu post febres Autumnales subnascatur: Miror autem hoc à Medicis minus [obser]vari, minus etiam admoneri; Quandocunque enim horum morborũ alterutrum paulo provectioris ætatis hominibus accidisse vidi, atq; purgationem etiam omissam, certo prædicere potui periculosum, aliquẽ morbum eosdem postea adorturum, de quo tamen illi nondum somniaverant, quasi perfecte jam sanati.

Omnino tamen interim cavendum est ne purgetur æger nisi morbo penitus depulso: quamvis enim partes naturales illuvie illa, quam in illas congessit febris, hoc pacto quadam tenus sublevari videantur, nova tamen materia derepente succresceret, febre se à cathartici impetu, atq; humorum agitatione jam revocata, eandem suppeditante, ac proinde id tantum à Purgatione lucri fecerimus ut morbus contumacior evadat; Quotidiana id nos docent exempla eorum, qui in morbi [illegible], ut *theoria* isti morem gerant, quæ in tollendis obstructionibus, & vacuando humore melancholico, qui mali fons & origo habetur, curationis spem omnem ponit, repetitis purgationibus misere plectuntur, quibus sane quicquid id demum est humorum quod a corpore divellitur atq; eliminatur, compertissimum est nobis Febrem altiores exinde radices agere, & pertinacius stationẽ suam tueri quam si non fuerit proritata; quapropter religio mihi est catharticũ propinare ante illud tempus quo non tantum paroxysmi perceptib[ile]s, sed etiam alterario ista qualis qualis ea fuerit quæ [illegible]bus illis in quos paroxysmus incidere debuerat persentiscitur, omnino evanuerint, atq; unus insuper mẽ[sis] [illegible] lapsus, quo quidem effluxo: Potionem aliquam ex [illegible] vul[g]aribus præscribo, atq; eandem semel in [illegible] ad [illegible]nses duos tresve subsequentes repetendam [illegible] etiam singulis vicibus *haustulo* aliquo *paregori*[illegible] assumendo, finita jam medicamenti *operatione* [illegible]pe paroxysmo se de novo ingerendi *ansam p*[illegible], quam aliter forte arriperet, ex *occasione tumult*[illegible] orgasmi, quos vehementissima *excitant cathartica*.

Purgationibus instituendis idcirco spatia ista ampla *interpono, ut scil.* æger à recidivæ metu liberetur, quæ quidem à nimis crebra confertim repetita sanguinis & humorum exagitatione de facile poterat induci. *Sydenham observ. in Acut. p. m. p. 89. & sequ.*

Intermittentum Vernalium Curatio.

18. *Vernales quarum ratio*) Licet illas suo semper arbitrio permittendas existimaverim, & nihil prorsus movendum, cum nemo quispiam, quod sciam, earum unquam opera satis concesserit; atque ex adverso qui illas abigere satagerunt, remediis præsertim evacuantibus, id tantum egerunt, ut morbus inde confirmatior pertinacius obsisteret, si tamen importuna ægri impatientia opem obnixe efflagitet, Intermittentes vernales variis modis, & quidem cum optato exitu aggredi licet: Nonnunquam *Emeticum* tempestivè propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio suo defungi possit, fælicissime successit, præsertim si quantitatem mediocrem *syrupi de meconio*, vel cujusvis narcotici, post finitam emetici operationem exhibueris immediate ante paroxysmi insultum: Est ubi sanitatem restitutam videas per diaphoretica, quæ sudorem in paroxysmi solutione obortum promoveant, ægro interim optime stragulis cooperto, Id quod tantopere ac tamdiu faciendum est quamdiu vires ægri patiuntur; Atque hoc in veris Intermittentibus, præcipue Quotidianis, sæpe obtinuit: Humoribus enim in hac tempestate non admodum crassis existentibus solutio, alias imperfecta futura, in perfectam adolescit, quod quidem in Autumno nunquam accidit, Quid quod *Clysteris*, in diebus Intermittentibus per triduum aut quatriduum adhibiti beneficio, Tertianas aliquando curaverim, Interim, si ob phlebotomiam, liberiori manu celebratam, quo tempestas ipsa parum cautos facile inclinat; vel ob ægri debilitatem antecedaneam, spiritus illi qui subito ad despumationem se accingerent, pauperiores facti minus valeant, accidere potest ut hujusmodi febres vernales auxilio quibuscunque frustra tentatis, Autumnalium diuturnitatem æmulentur, Sed sane non solent illæ eo usque durare, quippe quæ vel sponte sua desinant; vel leviori remediorum ope facile in fugam vertantur. *Sydenham p. m. 93.*

19. *Per febres dentes lentore*) Si quis per sanitatem abundat multa pituita cruda, crassa & glutinosa in ventriculo aut cerebro, tollitur vapor crassus, qui (si accedat calor aliquis, aut ex vino meraciore, aut si homo dormiat in dorsum, & ore aperto, obstructisque viis ac meatibus ad nares & os) lentescit & concrescit in lingua & dentibus: atque ita mane reperias dentes & linguam imbutam viscido & lento ita humore ut vix abradere possit: Idẽ accidit ægris in febribus, quæ quidem materiam habent pituitosam, tuncque (inquit *Hippocrates*) sunt vehementiores & fortiores: Hujusmodi enim lentores indicant calorem immensum qui pituitam illam calefacit & exsiccat; & ob id febris non solum vehementiam, sed & pertinacem longitudinem, ut enim ignis non facile accenditur in lignis viridibus, & quæ lentorem quendam habent, sed accensus diutissime servatur & acriter urit, sic in iis febribus materia illa pituitosa tarde incalescit & accenditur; sed ubi accensa est, major est calor & diuturnior: In calida & sicca materia celerrime quidem accenditur, & vehemens est, sed celerrime contabescit Periculosissimum quoque est si dentium intervalla nigrescere videantur; significatur enim magna adustio materiæ, & plerumque mors. *Hollerius in comm.*

20. *Dentes lentore*) Lentor Dentium, Linguæ & totius Oris vulgo à mulierculis vocatur *Chancer*, Eluitur ex cochleari, vel alio instrumento convenienti, vel panno aspero: Os sæpe abluatur vino bene diluto, vel aqua cum pauco omphacio mista, moxq; sordes linguæ & dentibus adhærentes abstergantur vel cochleari, vel alio instrumento idoneo; Quod si fauces internas lentor ille occupat, præscribatur Gargarisma ex refrigerantibus, hume-

ctantibus lenientibus, additis iis quæ incidunt; ut ex rad. altheæ, liquor. semin. lini. gramin. oxalid. fol. beton. pimpinel. semin. 4. frig. maj. quibus ad incisionem additur parum hyssopi & salviæ. Si *Lentor* ille obstruat etiam Oesophagum, commode abraditur devorato pane; aut si id nequeunt febricitantes, ut sæpius nequeunt (abhorrent enim à pane & solidis alimentis) potione affatim absorbenda, sic enim potio apprimens se omnibus gulæ latebribus, & confertim descendens, viscosas materias inhærentes in ventriculum deturbabit. *Enchir. Med. Pract.*

21. *Quandam febris speciem &c.*) βληχρὸς, ἰσχνὸς πυρετὸς pusilla sicca febris, Est differentia febris apud *Hippocr. 6. Epid.* opposita τῷ καύσῳ, h. e. ardenti, cum ad manum quidem calor debilis est & pusillus, penitusque lentus, ut in Epialis febribus, & diaris multis, plurimisque pestilentibus, intus tamen plurima apparet siccitas ex linguæ scabritie, siti magna, inquietudine, vigiliis & reliquis symptomatis febris malignitatem indicantibus; quibus hoc febrium genus à mitibus differt, quas *Hipp.* πραείας & ἠπίους appellare consuevit. *Gorrhæus.*

22. *Ballonium in Ephemeridibus*) Vide Consil. lib. 1. Cons. 17. & 24. Ubi historia mercatoris uxoris hyposarcidio cum febre laborantis, lectu digna.

23. *Ex partium principum diaphthora, ut apud Ballonium*) Locus habetur 2. Epid & Ephem. p. 122. Cum partes, *ait*, principes laborant ἀδιαφόρως, & febre, maxima ex parte veluti lenta & symptomatica intereunt, & incautis Medicis & imprudentibus nobis eripiuntur: Quomodo Condæi Principis à partu Uxor interiit, à corruptione Uterorum: Quod non animadverterunt Medici: Hippocr. hoc animadvertit, 1. de morb. mul. qui non requirit febrem ardentissimam in morbo uteri per corruptionem, imo ait πῦρ βληχρὸν, i. e. blandus, debilis & mitis malor est.

24. *Grandiores pueros*) Accidunt pueris febres magis diuturniæ ob quatuor causas, *ex Gal. lib. de cris.* prima est, quantitas materiæ copiosior, 2. qualitas frigidior & crassior, 3. densitas corporis, 4. imbecillitas virium. Itaque si in pueris insit copiosior materia, si frigidior & crassior minusque fluxilis, si densius corpus, si virium imbecillitas, febres erunt diuturniores: At à contrariis causis erunt breviores, si nimirum materia pauca, si tenuis, fluxilis & calida, si rarius corpus, si virtus naturalis robustior; Qum etiam si materia sit copiosior & nimis tenuis, corpus densius, etiam si vires paulo robustiores sint adjunctæ, febres ejus materiæ ratione erunt diuturniores: *Hollerius comm. in dictum aph.* Diuturnæ illis & contumaces febres accidunt, cacochymiæ & voracitatis soboles: Adde quod in his qui venerem agnoscere incipiunt, corpus multum turbatur, humores corrumpuntur, vires usu veneris non assuetæ debilitantur. *Liebautius ibid.* Ex voracitate, *oriuntur*, unde cruditas Pituitosa; accedit & quædam acrimonia quæ putredinis sit causa, Nam pituita quæ in prima ætate erat dulcis, hic fit salsa, & difficultate pepasmi negotium facit. *Heurnius ibid.*

25. *Quorum in urinis sedimenta &c.*) In urinis sunt aliquando sedimenta divulsa, magna, nec alba, & colliquatæ carnis signa sunt: Alia sunt quæ rubent & orobis sunt similia, quod indicium est assati sanguinis, & colliquationis hepatis & renum: Quæ vero nigra sunt eliquescentem splenem magis indicant; Sunt etiam alba, lenta & viscida, quæ indicant corpus abundare pituita vitrea & crassa: hæc aliquando cruda excernitur cum urinis, aliquando utcunque coquitur & elaboratur à natura, & tum mejuntur quæ *Hippocr.* vocat κρίμνα χονδρώδεα, ubi urinæ sunt crassæ & velut fusa crystallus, aut tanquam si humorem aqueum ex oculo vitulino, effundas, Si igitur hujusmodi urinæ appareant in febricitantibus, vel mortem in brevi denuntiant, ut *Seleno*, qui die xi. mortuus est, vel longæ ægritudinis indicia sunt (ut ejus qui in Dealcis porto decumbens 40. die judicatus est) quia materia illa agat longa coctione. *Hollerius comm. ad aph. 31. sect. 7.*

Quæ farinæ crassiori similia volitant aut subsident in urinis febricitantium, longam ægritudinem aut mortem præsagiunt; Hæc enim contenta sunt, vel à sanguine crasso, eoque melancholico; aut pituitoso ardore febris exassato & torrefacto; vel à & colliquatione, non solum adipis aut carnis, sed & totius substantiæ partium solidarum, facta ab ardore febrili: In priori casu si vires validæ fuerint, sola morbi longitudo metuenda, crassus enim humor nonnisi longo tempore concoqui poterit, talis autem urina tenuis esse solet: Si vero vires langueant, nulla spes salutis, sed proximus interitus expectandus: In casu posteriori oleaginea urina præcedere consuevit, furfuracea subsequi, tandem farinacea, & tum certa mors imminet, *Liebautius ibid.* Κρίμνον est farina quæ molam subterfugit, h. e. quæ crassius molita fuit. *Heurnius comm. in cit. aph.*

26. *Accidunt assiduis imbribus*) Licet siccitas imbribus sit salubrior, utraque tamen temporis constitutio suæ intemperaturæ congeneres morbos invehit; Pluvili statu incidunt febres, à motu, putredine & synathrismo humoris qui à venis aut visceribus exitum non habet, eæque diuturnæ, concoctu scil. & excretu difficiles; quales febres utplurimum per abscessum in articulos judicantur, *Joh. Liebautius, sch. in aph. 16. lib. 3.* Ubi pluviæ modum superant, morbi generantur multi, & particularum febres longæ: Inter febris causas est materiæ quantitas, qualitas, & densatum corpus, Si ergo sit multitudo materiæ, una cum imbecillitate naturæ, quæ non possit materiam illam evincere, si etiam viæ sint interceptæ, febres eruut longæ: *Jac. Hollerius in prædictum Aphor.* Assiduis ab imbribus succi corporis redduntur madidiores & frigidiores, Fiunt autem febres à putredine per obstructionem nata: *Eæque diuturnæ*, pepasmi & excretionis difficultate, quia pluvioso cœli statu meatus redduntur angustiores & natura debilitatur, ac proventus excrementorum est maximus, *Joh. Heurnius.*

27. *Mineram in hypochondriorum regione*) In imo ventre Febrium plerarumque, si non omnium, scaturigo videntur quærenda, siquidem ex *Hippocrate*, *Venter omnibus dat & ab omnibus accipit.* Sed valet plurimũ, *inquit Ballonius Epid. lib. 2.* hæc distinctio, nunquam fere audita, ad ideas febrium cognoscendas (*adde & ad usum practicum*) Quædam febres sunt à genere venoso in humores à massa sanguinis alienos, ut qui in præcordiis continentur, qui Putridas febres sæpe faciunt, & tales Febres sunt Synochi imputres: Quædam sunt à contentis in Mesaræo humoribus, & in massam sanguinis dum suum serum refundunt, Putres faciunt, ut sunt συνεχεῖς, i. e. Continuæ, quæ aut Quotidianæ, aut Tertianæ, aut Diurnæ, aut Nocturnæ sunt. *Et ibid. p. 117.* Febres aliæ sunt *venosæ*, aliæ sunt χυμικαί, i. e. quædam φλέβιον potius sequuntur venosi generis quam vitiatum humorum in præcordiis contentorum: Priores primo quoque tempore per phlebotomiam cessant; Posteriores non facile phlebotomia solvuntur, contra potius cathartico egent, ut non mirum sit si quasdam febres, velut miraculo tollat phlebotomia, aliæ potius exacerbentur.

28. *Sed & à capite etiam*) Hæc ex *Ballonio* videntur desumpta, Dicimus *ait*, paulum discedentes à doctrina Galeni Febrem aliquam esse Cephalicam, aliam Lienosam, Ventriculi aliam, Hepaticam, ut cum partibus ipsis insita obstructio aut impactus mordicus humor, aut corruptio cõtracta est: Ut ii erroris convincendi sint qui & febrium Continuarum & Intermittentium, & Hecticarum, & Marasmodeon sedem perpetuo in ventre inferiore constituunt: contra enim sentiendum, quod notandum est: Febrium ardentium focum Hippocr in Capite videtur constituere, & Galen. 1. Epid. sect. 2. part. 73. Pulmonis venas: Si in Ardente febre aurium sonitus cum caligine, proveniatque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant,

Galenus

Galenus hunc locum explicat de febre ardente cujus focus est in Cerebro, propter collectam in eo bilem quæ inflammationem excitat: eaque febris distinguitur ab altera quæ fit, non coacervata in cerebro materia, sed in venis & arteriis tantum vel in interioribus reside, à qua flatuosa cxpirano suscitatur delirium excitans, nam cujus febris ardentis materia in cerebro mansionem habet, ea continuam habet desipientiam, & symptomata non sunt ita fugacia, atque materia dum ibi ebullit & effervescit, flatulentam naturam acquirit, cujus signa in variis capitis partibus apparent, prout illa in varias cerebri partes tepserit, parque hoc vel illud nervorum obsederit: At quæ ardens febris materiam habet in aliis partibus, non habet desipientiam assiduam.

Prior febris Phrenitidi simillima est, ob symptomatum cognationem, sed in Phrenitide symptomatica ea est febris quæ adest: præterea ardens febris primario cerebri affectu contracta, fere statim insilit apparetque, phrenitis non tam cito sed tempore acquiritur, ita enim *Galen. 1. Epid. sect. 2. p. 71.* Phrenitis, ait, paulatim accidere solet, non autem qui est ere subito atque confestim, imo ne in declinatione quidem febris deliria quiescunt, quod aliter contingit in iis febribus quarum deliria sunt symptomata tantùm: prout enim mansuescit febris, ita & delira &c. brevi, si materia in cerebro sit à massa sanguinis separata, vera fit Phrenitis, si autem perfunderetur adhuc & nondum pedem fixerit, fit febris Capitalis: quemadmodum itaque caput febris cujusdam focus esse potest, ita & reliquæ partes. *Ballonius lib. de Virg. & mulmorb. cap. 7.*

[29.] *Tubercula & rubores in articulis*) Febres diuturnæ, quæ supra xl. dies, fiunt à materia crassa, frigida ac contumaci, & perseverant aliquando ad sex menses; Hujusmodi ut solvendæ sunt, solvuntur magna ex parte abscessu & concoctione, ut alii longi morbi, quanquam interdum etiam idem contingat acutis: *Phyma* vox est ambigua, siquidem significat interdum omnem tumorem qui foras enascitur. Interdum peculiariter dicitur hypostasis & abscessus ad articulos & maxillas, status summitur pro suppuratione; Alias est inguinum inflammatio, quæ celeriter transit in suppurationem, Hic pro abscessibus critici, sumitur at vero ... hoc loco vel dolores vel noxam in articulis dicit: *Hollerius comm. in aph. 43. sect. 4.* Febres diuturnæ cum salutaribus signis, aliquando concoctione, sæpius abscessu, præsertim si earum diuturnitas conjuncta sit in pepasmi difficultate, ob materiæ multitudinem, crassitiem & frigiditatem; non sic viscerus alicujus vitio, aut culpa ægri, vel Medici: Proinde humor ille ob frigus resistens coctioni, ob crassitiem minus admittens calorem, ob viscidiratem excerni non potens, à partibus potioribus ad articulos debiles repellitur, sparsusque in eorum cavitatibus lassitudinem ac dolorem collectus & exuberans, abscessum verum facit, nisi abscessus materiam & occasionem tollat urinæ crassæ copiosæ & albæ profluvium, vel hæmorrhagia per nares. *Liebautius ibid.*

[30.] *Utuntur nempe tum ægri*) *Quibus tubercula, ait Hippoc. aph. 45. sect. 4. ad articulos, vel labores post diuturnas febres fiunt, ii pluribus cibariis utuntur.* Hic aphorismus, *ait commentator Hollerius*, est de convalescentibus, quibus nonnunquam accidit ut plus appetant, aut plus ingerant, quam conficere possit natura, unde sæpe non corroboratur; Cum itaque his calor sit imbecillior, si alimenta largius cupiant, excrementa multa colligi necesse est quæ excrementa si decumbant ad articulos, fiunt [illegible] & abscessus atque dolores in articulis, *Hollerius*. Si [illegible] materia, & febre integre ac perfecte [illegible] copiosiore cibo utatur quam exhausti [illegible] quam vires stactæ & ventriculus frigidior [illegible] or, nondum regenerato spiritu ferre possint [illegible] us est abscessus vel dolor in articulis: *Convalesc*[illegible] ex morbis longis calorem nativum *habet langu*[illegible] & ventriculum frigidum, ideoque plura appetentem quam possit conficere, unde multa cruditatum colluvies, quæ tandem ad articulos decumbunt, *Liebautius ibid.* Judicato morbo, finitaque febre, non amplius expectari abscessus ratione morbi debent, ita ut si alicui contingant, id erroribus in victu tribuendum sit: merito igitur *Hippocr.* ait. Quibus tubercula fiunt post febres, ii cibariis plurimis utuntur, ex his enim cruditates in corpore oriuntur & generantur, quæ recidivam facere possent, nisi à supervenienre abscessu antevertetetur, Verum quia quotiescunque Tubercula fiunt ad articulos, non semper id erroribus in victu imputandum est, ideo *Hippocr.* particulam apposuit, *post febres longas*, nam per has magis quam per acutas partes naturali facultati inservientes debilitantur, unde facilius cruditates ex erroribus generantur, quæ abscessibus materiam subministrant; *Martianus comm. in c. l. p. m. 356.*

[31.] *Abscessus si fiunt acuta ex decidentia*) Quos provocare solebat *Vallesius* si sponte non apparerent: Ego soleo inquit, mox ac febris aliqua videtur produci, & ex crassis succis pendere, estque laboriosa, si quæ pars ignobilis dolet aut doluit, in eam abscessum vocare: sui nulla talis sit, omnes partes adenusas fovere calente oleo, aut etiam alia inunctione convocante, Nam quibus cum juxta naturam morbi deberent erumpere, hæc manent interius, vel non satis erumpentia, etsi inceperint, ut cum fiunt abscessus minores quam ut possint, vel ne tentantia quidem erumpere, celerrimæ & certissimæ sunt recidivæ: Nam si abscessum succorum facere natura non potuit, multo minus poterit evacuationem, Quæ vero relinquuntur in morbis recidivas faciunt. *Vallesius 2. Epid. p. 111. & 112.*

[32.] *Si fiunt acuta ex decidentia*) Hæ febres cum potissimum à crassis oriuntur succis, non facile concoctionem admittunt, Et propterea ratione gravitatis plerumque inferiores & debiliores petunt partes, quales sunt pedum articuli, præsertim si facultas expultrix satis fuerit robusta, qualis utplurimum est in iis qui xxx. annum nondum attigerunt; In senibus vero, cum magna adsit facultatis debilitas, cum materiæ contumacia, mors magis quam abscessus contingere solet. *Barth. Horn Vat. Med. p. 289.*

[33.] *Quando intermiserunt, & erraticundum in medium*) Cum magna febrium sit differentia, ita ut quædam continuæ sint, quædam intermittentes, non omnium etiam eadem erit permutatio, sed illæ in abscessum transire consueverunt; hæ vero in quartanam, Non tamen simpliciter intermittentes, sive quotidianæ, sive tertianæ sint, in quartanam mutantur, sed tunc duntaxat si modo erraticæ apprehendant hominem, & autumnum attingant; Sunt autem febres Erraticæ, quæ nullum intensionis & remissionis ordinem observant; Harumque natura consistit in diversorum humorum putredine, qui in diversis hærent partibus, cujusque una portio movetur, altera manet immota; una jam putrit, altera non putrescit: dunus vero perseverante hujusmodi febre humores tandem æqualiter aduruntur, & atrabilariam inducunt naturam; cujus transpiratio, autumno superveniente, prohibetur, Ex melancholia autem retenta quartanam effici in confesso est. *Barthol. Horn. Vat. Med p. 291.*

[34.] *Respectu eventus*) Si fermentatio sanguinis rite processerit, fiet omnino materiæ morbificæ despumatio intra *statutum* tempus: At si *remedia refrigerantia*, vel *Enemata* serius adhibita fuerint (vide superius §. *Quæ & in acceptione applicari possunt*) multo longius excurret febris, præcipue in hominibus grandævis, male à Medico curatis: Ad quos quandoque accersitus, postquam febri per xl. dies & amplius laboraverant, nihil non expertus fui quo despumationem sanguini inducerem; sed nempe adeo debilitatus erat sanguis, partim senio, partim enemaribus (*forte à subducta tota bile, qua sanguis calcar indit*) & medicamentis refrigerantibus, ut neque cardiacis, neque ullis aliis corroborantibus remedius scopum meum assequi possem; sed vel illorum fe-

febris, virium suarum tenax permanebat, vel alioqui, si adesse videretur *ἀνωμαλία*, vires ægrorum admodum prostratæ erant, & tantum non emortuæ. *Sydenham obs. in Acut. p. 58.*

35. *Salutares, quæ ad salutem terminantur*) De his dicit *Hippocr.* l. c. Mitissimas, & quæ securissimis fulciuntur signis, die quarto aut ante desinere: Notandum hic quod *Hippocr.* hic non sine ratione in mitissimis, & malignissimis febribus], non uti voluerit voce *Criseos*, sed solum *salutis* & mortis: quoniam ut mitissimæ finiuntur absque crisi, h. e. absque vehementi motu; sic in malignissimis, & cum signis deterioris, fit mors sine crisi aliqua, quod ob vehementiam febris vires subito collabantur; In mitissimis vero natura adhuc valida & robusta materiam benignam, tenuem & paucam, sine ulla difficultate vincere, & morbum solvere potest. *Barthols Horn. Vat. Med. p. 244.*

36. II. *Lethales*) Circa febris putridæ crisin Prognosticon hic particulare subjungendum, in quo licet quæ ab initio apparent optatissimum eventum spondeant, valde funestus imminet; Sæpe observari in febre putrida, quæ exinde & cum incendio diminuto incipit, si urina fit rubicunda, ac cum redditur statim turbida ac opaca, quæ neque à frigore præcipitatur, neque sedimentum sponte deponit, ac si eodem tempore per plures noctes ægri jacent insomnes, licet quieti minime jactabundi fuerint, res eorum in magno periculo versatur; erit gravior suspicio si interea nec febre intensa, neque siti ac calore multum infestis urgentur; quippe ad hunc modum affecti circa morbi statum plerumque in deliria, motus convulsivos, & non raro in maniam incidunt, è quibus brevi in mortem præcipitantur, & cum hæc symptomata emergunt, urina è crassa & rubicunda in tenuem & pallidiorem alteratur; Videtur in hoc casu cruoris massa febre correpta, non ita sulphure ad summum exaltato turgescere, quemadmodum solent vina ac cerevisia in illorum effervescentiis, verum (sale & fæce terrestri una cum *sulphure* commotis) eodem ritu affici quo vina & cerevisia à tonitru subito perturbata & acescentia; quare licet sanguis à febre haud statim immodicum fervorem concipiat, tamen mutata sua diathesi succum cerebro & nervosis partibus destinatum omnino depravat; ideoque circa initium febris pertinaces vigiliæ accedunt; dein statu urgente totius nervosi generis œconomia pervertitur: Hujusmodi febribus melancholici sunt maxime obnoxii, in quibus nimirum efferationes *sulphuris*, à sale & fæculentiis terrestribus una commotis parum refrænantur, quæ tamen omnia sensim evecta postea cum majori clade erumpunt. *Willis l. de Febr. c. 9.*

37. *In quibus ægri*) Huc pertinet 1. aphor. 4. 49. In *febre non intermittente si labium, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, si non videt, si non audit, ægro jam debili, quicquid horum acciderit, in propinquo mors est*; Hæc enim convulsionem significant ob inflammationem siccitatemque, quæ febri superveniens est lethalis, præcipue ægro jam debili: His tamen solis signis non est fidendum, sed addendum robur naturæ, quod intelligit *Hippoc.* cum ait, *ægro jam debili*, & tunc mors est in propinquo: Interdum hæc cum virtute valida, ut in perturbatione critica, sicuti contigit *Metoni 1. Epid.*

II. *Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit lethale. aphor. 50. lib. 4.* Dummodo difficultas respirandi non pendeat ex delirio, cum scilicet delirantes sui officii obliviscuntur: At cum illa sequitur affectum partium respirationi dicatarum, deliriumque adjungitur, lethale est, quod significat inflammationem & incendium alicujus partis internæ, è qua delirium & difficilis respiratio ortum ducunt: quales sunt pleuritis, peripneumonia, diaphragmatis inflammatio.

III. *In febribus non intermittentibus si partes exteriores sint frigidæ, interiores vero urantur & sitim habeant, lethale.*

Id autem fit tribus de causis, quod est maximè distinguendum, 1. Ob vehementem dolorem in internis, ut in colico dolore, quo spiritus & humores accurrunt ubi dolor sævit, 2. In syncope aut cardiogmo, quæ non sunt lethalia 3. ex inflammatione interna, ut in Lipyriis, ad se retrahente calorem nativum, & hic casus est lethalis; unde sitis à concepto visceribus incendio excitatur; quibus si accedat corporis agitatio, vestium rejectio, pedum denudatio, pejore sunt loco res ægri: Iis cum ad extremum ventum est succedit tenuis sudor, primum per caput, deinde per totum corpus; tandem mors.

Ad eundem sensum scriptum est *aph. 26. 7. In forti ventris dolore, extremorum frigus malum* & aph. 1. 7. *In morbis acutis extremitatum frigus lethale.*

Frigent extrema principio paroxysmi intermittentium, vel in morbis longis, ob materiæ frigiditatem, sed id citra perniciem; at in acutis malum, vel ob inflammationem aliquam, vel ob extinctionem caloris nativi, sed majus periculum est si sudor adsit & frigus eorundem extremorum. *Si prior incidat in febre non intermittente, ægro jam debili, lethale*, aph. 46. 4.

V. *Si febrem habenti suffocatio repente advenerit, nullo tumore in faucibus existente, lethale aphor. 34. & 35. l. 5.*

VI. *Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant. aph. 37. 4.* Prognoses dubium eventum significantes multæ occurrunt in aph. & aliis locis operum *Hippoc.*

38. *Securiores illæ quæ nihil excernunt*) Vide infra §. *Respectu motus*, circa medium, ubi, 2. *Sin natura ad motum* criticum.

39. *Quam quæ pauca & inutilia*) Hinc vomitus paucus & laboriosus in acuta febre malus, Nihil enim eorum quæ decretoria sunt exigue secerni convenit, sed quæ ita vacuantur omnia duorum alterum significant, aut materiæ copiam quam Natura tolerare nequeat, sed ex ea aliquid symptomatice effundatur: Vel Naturæ imbecillitatem, quæ superflua expellere frustra nitatur.

40. *Ἀ ...*) Omnes *Recidiva* fiunt à reliquiis humorum qui concoctione à natura separari nequeunt, Hoc ideo fit quod morborum causæ non sint ejusdem conditionis, sed pars alia tenuior alia vero crassior: Crassi humores difficilius & tardius sunt coctu ac tenues, unde fit ut tenuiores facilius & citius sive copia, sive qualitate adversantur excernantur, quamvis crassi nondum concocti vel putrefacti sint.

Hi aliquando in corpore sine febre possunt esse, & demum ex suapte natura putrescere, aut intemperie partis, quæ contrahitur aut vi morbi, aut irrita agitatione, quæ contingit quando materia agitatur & mutatur: Quid mirum itaque est si putrescentibus reliquiis materiæ prioris morbi, idem morbus reviviscat, & cum priore jungatur, cum ex eadem radice proveniat, Sic colligitur propterea in iis morbis qui per crisin solent finiri, & in vigore sensibili vacuari judicatione, recidivas esse timendum, non vero in iis, qui vigore exacto per tempus declinationis paulatim decrescunt, quod à caloris nativi virtute ipsorum cruditas emendetur: Etsi ad utramque morbi solutionem coctione humorum opus est, tamen illa plane est diversa; Equidem ad criticam evacuationem satis est humores à natura devictos esse, ut sponte vel artis subsidio ex corpore discedant.

Hoc si non contigerit, quocunque modo morbus mitificatis humoribus terminat, ex ipsis tamen recidiva metuenda est, humores enim calidi & sicci, qui acutorum morborum & crisium sunt alimentum, sunt hujus indolis, ut licet ex parte corrigantur, tamen ad eam benignitatem non perveniunt, ut sine seditione in corpore nostro possint esse: Contra quando morbi per λύσιν, absq; evacuatione cessant, non solum crudi humores, qui morborum talium causæ sunt, à natura subiguntur, sed etiam adeo

adeo benigni evadunt, ut in posterum naturam non lacessant, verum etiam ut nutrimentum in corporis substantiam concedant, Hujusmodi enim morbi, cum à crudis [illegible] & frigidis oriuntur, utique natura sibi eos concoctione familiares reddit; Hinc *Hipp. 6. Epid. 3. 7. Quod in pus vertitur id morbi reversionem non facit, ipsa namque maturatio, & judicationis & excretionis rationem habet.*

Hinc deprehendimus ex quibus morbis recidivæ incidere solent; scil. ex iis quos acres & calidi humores procrearunt; Hi utcunque sedati fuerint, tamen revertuntur, si non est facta copiosa evacuatio, velut de Febribus perhibet *Hippocr. 2. de morbis*, & ex ipso *Galenus l. de docibus cri. c. 1.* Non fit sufficiens evacuatio, sive eam natura moliatur, sive ars, quod humores ad expulsionem inepti sint, ob quantitatem vel qualitatem; sub horum alterutro vitio calor nativus fatiscit, præsertim si viæ fuerint impeditæ.

Etiam Recidivæ causa est materiæ morbificæ violentia, quæ præmaturam judicationem accelerat, scil. cum adhuc omnia cruda sunt, ex quo necessario morborum recidivæ subsequuntur, 2. *Epid. Sect. 1.* & fit id ratione materiæ diversæ: Medici errore Recidiva sæpe repetit, si is contra præceptum *Hippocr. Aph. 10. 1.* integre judicata novat, & movet medicamentis, vel aliis irritamentis, cum hoc tempore convalescentem plenior potius victu reficere debeat. Idem Medicus si justa dosi remedia non adhibet, etiam Recidivas accelerat, Ea tantum (si infra modum sunt) humores agitant & corpus calefaciunt, ex quo aquosum (i. e. serum, bilis frænum, quod febri infensissimum est) absumitur, & bilis relinquitur præcipuum febris alimentum.

Etiam Recidiva contingit, si Medicus intemperiem in aliquo [illegible] relictam neglígit, ob quam istius alimentum [illegible] in fomitem morbi concedit: Vel quando etiam impuris corporibus victum concedit, *Martinus Bogdanus in Thes. inaugur. de Recidivis.*

41. *Alia solvuntur sine manifesta vacuatione*) Vide superius §. *Salutares quæ ad sanitatem terminantur.*)

42. *Solvuntur absque manifesta excretione*) Urina, de qua loquitur *Hipp. in Prognost.* dum optimam dicit in qua residet album, læve & æquale per omne tempus donec morbus judicatus fuerit, non ea ratione probatur quatenus est signum concoctionis, sed ut signum mitissimi morbi, & materiæ benignioris, unde morbi solutio evenit per solam ejusdem urinæ excretionem, Nam criticas excretiones referens *Hipp.* urinam purulentam & vitriformem adnumerat [illegible] cum bona substantia, quæ non differt à priori. Et *Coaca 2.* 8. cos referens modos per quos febres solvuntur, [illegible] nam concoctam apposuit, inferens solam urinæ c[illegible] que alia evacuatione, ad morbi solutionem [illegible] *Pr. Martianus p. m. 432. V. 209.*

43. *Respectu motus*) In hac febre licet quatuor observare tempora, quibus velut totidem spatiis febris Putridæ cursus peragitur, sunt autem hæc *Initium, Augmentum, Status & Declinatio*: Initium computari debet à quo sanguis ferve[illegible], ejusque sulphur æstum concipere incipit, usque dum in totum cruoris massam ardores & incandescentiæ diffundantur: *Augmentum* erit à quo sanguis per totum fervefactus & accensus aliquo tempore [illegible] avit, ejusque massa recrementis, seu particulis [illegible], quæ & fermentationem augent, aggravatur: *Status* [illegible] est quando, postquam sanguis satis deflagravit, [illegible] ipsique incendium jam remiserit) Diu vexatus [illegible] tanquam nobilis athleta, cedente aliquantum [illegible] vires omnes recolligens, materiæ istius aduste [illegible] penitudinem saturatur, subactionem & secretionem, [illegible] non crisi semel aut sæpius tentata, foras expul[illegible] litur: *Declinatio* post statum succedit, in qua sanguis [illegible] ente incendio minus effervescit, & vel spiritu vitali [illegible] præpollente, quod reliquum est istius materiæ adustæ extraneæ subigit, & paulatim excernit, donec pristino vigori restituatur; vel eodem spiritu nimis depresso liquor sanguinis adhuc recrementis adustis inficitur, ideoque turbidus & depauperatus evadit, ut nec succum nutritium assimilet, nec circulationi, neque in corde accensioni pro lampade vitæ sustentanda idoneus perstet.

I. Itaque, cum Febre Putrida quispiam corripitur, primum insultum plerumque Rigor aut Horror comitatur; quando enim sanguis effervescere incipit, fit succi crudi recens in vasis congesti fluor, ac turgescentia, non secus ac in paroxysmo febris Intermittentis rigori calor, & interdum sudor succedunt, quibus crudi istius succi materies accenditur & difflatur, postea caloris remissio quædam sequitur, tamen ab incendio usque in sanguine glisceute lassitudo & perturbatio cum siti & vigiliis continuo infestant; dolor in capite aut lumbis viget, partim à sanguinis ebullitione, partim à succi nervoli motu præpedito; nausea, aut etiam vomitus ventriculum lacessit, quoniam & bilis è vasis choledochis exundans ei suffunditur, & spasmus à vaporibus & succo acri per arterias advecto in stomacho excitatur, Interim calor licet auctior & inæqualis nondum intensus est, quia sanguis crudis adhuc scatens succis solum per partes accenditur, ideoque parum deflagrat, & dein cessat denuoque redit, instar flammæ quæ paleam udam & madidam depascitur; In hoc statu per aliquot dies morbus perstat, urina fit solito rubicundior, ob *Sal* & *Sulphur* magis dissoluta, ac fero incocta, hypostasin adhuc retinet, quoniam coctio & assimilatio non omnino depravantur, sedimento constat debito majore, quod tamen facile secernitur & sponte subsidit: Hoc tempore licebit sanguinem mittere & vomitu aut purgatione pharmaciam celebrare, modo sine magna sanguinis perturbatione fiant; Non raro accidit ab hujusmodi vacuationibus tempestive adhibitis majora morbi incrementa præcaveri, febremque velut in ovo necari.

Hujus stadii limites juxta ægri temperiem, & alia morbi accidentia varie determinantur, quandoque intra diem unum aut alterum hujus febris prima rudimenta jaciuntur; aliquando ad plures morbi initium extenditur, si in corpore *ακόλαστον*, copioso spiritu, succo & sanguine calidis referto, in ætate juvenili & tempestate præ ervida contigerit, si dispositio ad febrem sit potens, & causa evidens fortis supervenerit, effervescentia febrilis semel incœpta cito totum pervadit sanguinem, & die 2. aut 3. actis radicibus morbus ad incrementa assurgit.

Sin vero in corpore minus calido, temperamento pituitoso, aut melancholico, in ætate senili, aut tempestate frigida indispositio febrilis inchoatur, longiori fruitur proœmio, & vix ante sextum aut septimum diem primi hujus stadii limites excedit.

II. Hujus morbi *Incrementum* computatur à quo tempore febris incendium totam occupavit sanguinis massam hoc est, *sulphur*, seu oleosa pars sanguinis diu excalefacta, & per partes effervescens, tandem instar fœni madide repositi, post longam incalescentiam simul tota in flammam erumpit, sanguis hoc tempore immaniter ebullit, & plurimum in corde accensus deflagratione sua calorem velut igneum in corpore universo, & præsertim in præcordiis diffundit: hinc ægri de siti intolerabili queruntur, insuper dolor capitis, vigiliæ pertinaces, sæpe etiam deliria, phrenitis, & motus convulsivi infestant: alimenta quævis fastidio sunt, aut vomitu rejiciuntur, vel si forte retinentur, nimio calore assata in materiam febrilem facessunt; accedunt oris amaror, sapor ingratus, linguæ scabrities, pulsus vehemens & citatus, urina summe rubicunda, plerumque turbida, contentis saturata, sine hypostasi aut sedimento laudabili.

Cum sanguis hoc tempore totus accenditur, deflagratione sua materiæ adustæ (velut cineris ab incendio residui) ingentem copiam progignit, qua & serum valde refertum urinam spissam exhibet, & contentis gravidam

item cruor, hujus fabitura ad turgescentiam impletus, in motus criticos irritatur, quibus materia ista febrilis (si fieri potest) sub acta & secreta, foras excludatur, atque hoc febris *Statum* inducit, in quo inter Naturam & morbum, licet velut ad examen revocata, judicium decernitur, ideoque quæ inde sequitur evacuatio Crisis appellatur.

III. Est itaque Febris Putridæ *Status*, illud morbi tempus, in quo Natura Crisin, seu materiæ adustæ, & à deflagratione sanguinis residuæ, expulsionem molitur; *Quænam ut rectè succedat requirantur Vide caput de Causo §. Solvitur febris variis &c.*) Est itaque morbi status non unus & simplex, neque semper ad eundem modum contingit, sed cum vario symptomatum discrimine, & ad eventus longe diversos tendentia: A prudenti autem Medico prognosticum adhiberi expedit quo temporis spatio morbus ad statum pervenerit, & qualem habiturus sit exitum.

Si febris ab initio sit vehemens, & subito totam sanguinis massam cum incendio pervadat, si cum symptomatum ferocia, sine remissione; constanter & æquabiliter urget, plerumque intra quatuor dies sanguis in tantum deflagrabit, ut materies adusta, crisin factura, ad turgescentiæ plenitudinem assurgat: Quod si initia sint tardiora, & accensio sanguinis sæpe interrupta, circa diem septimum febris ad *ἀκμὴν* perveniet; Si adhuc remissius incipiat, morbi status ad undecimũ, aut decimumquartum protrahi solet: Interea notandum est, quod sicut paroxysmi intermittentium febrium statis redeunt temporibus, ita motus critici in continuis (diem autem quartum ut plurimum observant) nam licet crisis perfecta ad xiv. vel xvij. aut forte xx. diem prorogetur, quoniam citius omnia ad plenum morbi judicium requisita non concurrunt, tamen intermedio tempore motus leviores contingunt, quibus materia febrilis ad incrementa sensim assurgens partim depletur, & velut per partes amputatur, donec pleniorem ejus discussionem natura aggredi valeat; Cum autem sanguine deflagrante intra quatuor dies ingens materiæ adustæ proventus in vasis cumuletur, Natura, nisi alias perturbata, quarto quovis die materiæ copia lacessita, partem oneris sui turgescentia quadam excutere tentat, quare ut plurimum diebus quarto, septimo, undecimo, decimoquarto, motus critici, non Planetarum directione, sed ob Naturæ necessitatem eveniunt.

Quando morbus ad *Statum* pervenerit, vel uno conflictu res peragitur, & exinde cum declinatione manifesta fit *ῥοπὴ* ad salutem vel ad mortem; Vel fiunt crebræ velitationes inter Naturam & morbum, & motus critici sæpe tentantur priusquam in alterutrius partes victoria cedat.

Quoad 1. Si cum bona signorum & symptomatum syndrome, postquam cruor satis deflagraverit, ejusque incendium remiserit, materies adusta, æquabiliter subacta & subtiliata, pleno incremento ad turgescentiæ motum assurgat, & Natura quovis impedimento aut depressione libera, viribus satis integris ad decertationem valet, uno utplurimum motu efflorescentiæ materia febrilis exterminatur, & sanguis ejus lube & consortio immunis factus pristinum vigorem brevi recuperat.

II. Sin Natura ad motum criticum irritatur priusquam sanguis perfecte deflagraverit, aut materies isthæc adusta ad excretionem præparetur, licet quoad cætera res in mediocri sint statu, tamen hinc crisis nonnisi imperfecta succedit, qua quidem aliquid sarcinæ sive oneris, quo sanguis aggravatur, detrahitur, attamen ejus loco statim aliud à novo incendio repullulat, & statis dein temporibus (forsan spatio quatuor aut septem dierum) velut paroxysmi intermittentium, secunda forsan aut tertia vice motus critici repetuntur, priusquam eite ditempera in hanc aut illam partem res aperte inclinaverit.

III. Cum vero præcedente malo signorum & symptomatum apparatu, urgente adhuc sanguinis incendio, absque materiæ febrilis coctione quavis, aut sub actione, motus criticus provocetur, primo interdum conflictu Natura prosternitur, nec denuo se recolligit, quin morbo victas manus cedens, in mortem præcipitatur; Nec multo melius res agitur, quando crisis primo imperfecta & irrita, sine quovis ægri levamine celebratur; & exinde huic proxima deterior succedit, indeque alio, aut forsan alio conflictu morbus prævalet, donec viribus omnino fractis & prostratis, de salute plane actum sit.

Hactenus de morbi Statu & crisi, è cujus bono aut improspero successu morbi eventus dependet, hujus periodum Morbi Inclinatio incipit, de qua jam.

IV. Licet febris Declinatio plerumque in meliorem partem accipiatur, ut denotet conditionem ægri à morbo convalescentis, in qua sanguinis effervescentia fere immunis vires & spiritus labefactos sensim recuperat, & quod extraneum in sinu suo relinquitur expellit, tamen significatu satis genuino usurpari potest pro eo statu, cum à crisi mala aut irrita sanguis depauperatus, & mixtione extranea & febrili infectus usque in pejus declinat, donec tandem (instar vini in vappam mutati) circulationi, & in corde accensioni omnino inhabilis factus mortem accersat: Igitur Declinationis nomine hoc loco intelligo conditionem ægri, & morbi, quæ statum sequitur, sive in salutem sive in mortem tendat; seu febris, aut ipsa ægri vita hoc tempore declinat.

Quoad *Declinationis tempora*, erit operæ pretium requirere quæ sit sanguinis temperies, & quas alterationum vices subeat quoties à crisi bona aut mala versus salutem aut mortem sit morbi progressus, Nimirum 1. quæ sit sanguinis & spirituum diathesis, seu conditio à *crisi bona*, & quibus alterationibus ejus liquor labefactatus pristinum vigorem recuperet: 2. Quæ sit eorundem temperies à *crisi mala*, & quibus gradibus usque in pejus tenditur; quo denique pacto se habeant cum à statu dubio, & longa ægri imbecillitate vix tandem emergunt & sanitatem recuperant.

Vitium, seu *depauperatio*, quam sanguis ab effervescentia febrili contrahit, in his consistit, *Spiritus* plurimum evaporat & disperditur, *pars sulphurea* nimis assatur & à deflagratione multum absumitur, atque ab incendio ejus materies adusta (velut caput mortuum) relinquitur, cujus particulis massa sanguinis aggravatur & debilitatur; interim partes salinæ & terrestres nimis exaltantur, non secus ac in vino aut cerevisia nimis fermentatis usu venire solet.

Sanguis his modis labefactatus succi nutritii penum male assimilat, quin & in corde, ob sulphuris assationem, aut defectum haud recte fermentescens, aut inflammatu, spiritum vitalem perperam dispensat; interim à materia adusta ac Sale nimis exaltata plus debito effervescit, seque magis disperdit.

I. A *crisi bona* spiritus, licet debilior factus, adhuc dominio potitur, quare quod reliquum est materiæ febrilis paulatim subigit, & expellit succum nutritium (modo adhibeatur tenuis) concoquit & assimilat; inde Sanguinis massa spiritu ac sulphure de novo reficitur, quique modo salsus & acris continuo effervescebat cruor, naturam dulcem & balsamicam denuo acquirit, & motu & calore vegeto citatus, vitæ & sensus munia rite peragit.

II. A *crisi mala* res aliter se habet, Liquor sanguinis (instar vini nimis fermentati) in vappam fere degenerat, *Spiritus* ejus valde diminuitur, quæ supersunt reliquiæ materiæ adustæ particulis utplurimum in-

[illegible], & velut obruuntur, unde continua effervescentia adhuc in cruore perstat, sine coctione tamen, succis alibilis assimilatione, aut inutilis ab utili secretione, [illegible] sulphur benignum, & vitalis flammæ pabulum maxima ex parte absumitur, ita ut sanguis debito minus in corde accendatur, interim à recrementis adustis nec non Sale & terra nimis evectis, cum sero & calore perpetim in vasis effervescit: & quoniam in dies Spiritu & sulphure benigno absumptis depauperatur, atque Sale & fæculentiis terrestribus nimium exaltatis magis inficitur, ejus liquor brevi fit vapidus, circulationique & accensioni in corde pro sustinendo igne vitali inidoneus evadit; quare vitam perire necesse est, non secus ac ellychnii flamma extinguitur, cum vice olei absumpti liquor tantum salsus & limosus suppeditatur.

III. *A crisi imperfecta & dubia*, quando ægri diuturna imbecillitate labefactati nonnisi longo tempore convalescunt, res ad hunc modum se habet, Sanguinis partes *spirituosa & sulphurea* tarda deflagratione plurimum absumuntur. liquor residuus à recrementis adustis & fæculentis non expurgatus valde impurus redditur: cum vero superest adhuc aliquid olei pro vitali lampade nempe Spiritus pro subigenda materia febrili omnino deficiunt, sanguis usque circulatur, & (diminute licet) in corde accenditur, quin & paulatim se recolligunt Spiritus, ac materiam à febre residuam aggredi & qua possunt, subigere incipiunt; dein pertinaci coctionis assiduitate, instar flammæ circa ligna viridia vacillantis & semi-extinctæ tandem victores emergunt, motuque & calore sensim redintegratis fermentationem in corde vividam vegetamque de novo restituunt: *Willis l. de Febr. cap. 9.*

44. *Ad [illegible]*) Febres acutæ, ut tertianæ præsertim & ardentes, tum ratione ætatis, quæ biliosa est, tum ob errata vitæ, cum enim intemperanter vivant, multam cruditatem coacervant, quæ bili permixta gignit illas febres. *Hollerius.*

45. *Non facile senes*) Febres senibus non admodum fortes fieri docet *Hippocr.* aph. 14. ob frigiditatem corporis, & *Avicenna* vocat eorum febres, *sepultas*, quia intus latent, ob humoris crassitiem caloris que debilitatem, qui expandi non potest, Cognoscuntur quia lingua eorum nigrescit cum debili febre, tunc febris est sepulta, inquit *Avicennas.*

46. *In squaloribus*) Per squalores, seu siccitates, quæ potius ab ardore quam à frigore aut pluviarum inopia fiunt, & quæ conjunctum habent calorem, non insignem tamen, febres acutæ fiunt, continuæ, vel intermittentes essentiales & symptomaticæ; quod scil. venulæ arefactæ attrahunt ad sese biliosos humores, quorum perennis generatio est in siccis temporibus. *Lo-bautius.*

47. *Acutæ & perniciosissimæ*) Autumno magna cacochymia est, inquit *Galenus 6. Epid.* eaque duplex, altera à bile, quæ æstate exusta est, assata & crassior facta; altera à [illegible], cruda & crassa, quæ quidem colligitur multa, tum propter fructuum autumnalium immodicum usum, & frigidæ potionem; tum quia ab horum fructuum, atque herbarum crudarum usu, potuque aquæ frigidæ frequenti, calor nativus ventriculi redditus est per æstatem debilior: Præterea humores vitiosi, qui per æstatem à [illegible] externo ad cutem attrahebantur & difflabantur, [illegible] ob aëris ambientis frigiditatem, confugiunt in [illegible] corporis & ad medias venas, His accedit [illegible] per æstum vires imbecilliores sunt redditæ, [illegible] humores malignos nequeant evincere: denique [illegible] queas notare partem anni qua natura sit ita infirma [illegible] autumno; Nihil ergo mirum si hac parte anni, dum imbecillis viribus cruda illa pituita crassior, bili commixta, sese confert in venas & principes corporis partes, parit pertinaces obstructiones, unde febres acutissimæ, h. e. celerrimæ (ut etiam finiantur sæpe die quarto) vel etiam vehementissimæ: Quum enim natura ob imbecillitatem morbo non resistit, aut si id facit, id præstat languide, tunc fit celere indicium; Contra si naturæ vires supersint, morbi erunt longi, & qui terminantur cum gravibus accidentibus & recidivis. *Hollerius comm. in aph. 9. sect. 3.*

48. *Ferocis bilis*) Vbi ab æstate & autumno sicciori-bus absumptum est quicquid erat in bile seri aut aquositatis &c. fiunt acutæ febres, quod nimirum tenuissima & humidissima bilis parte absumpta, manet acerrima, quæ intro compulsa à frigore superveniente, putrescit. *Hollerius.*

49. *Æstate, quam*) Tunc febres acutas, potissimum synochos, quæ celeriter, vehementer, & continenter moventur oriri necesse est, à motu, putredine & synathrismo humoris calidi, veris statu collecti. *Lobautius comm. in aph. 11. lib. 3.*

50. *Supervenire namque aliquando*) In Febribus & Continuis & Intermittentibus, præsertim si differatur venæ sectio, & febris vires acquirat eundo, pustulæ apparent, quæ non sunt malignitatis ullius, sed ingentis æstus argumenta, ut in Damisella Du-Four, Tertiana febre laboranti, similis efflorescentia apparuit in febris paroxysmis. *Ballonius Epid. lib. 1. p. 72. annot. 5.* Terminthi, i. e. *pustula nigra*, ex assato sanguine quæque in tibiis maxime apparent, cuidam apparuerunt in febre continua *Hippocr. libr. 2. Epid. sect. 3.* & innocuæ fuerunt Medicis ignaris hoc terrori esse potuerit, sed originem hujus rei explicavit; [illegible] sublienosus erat; ac si Lienem hujus mali authorem statuat; Si tales pustulæ apparuissent vi febris aut malignitatis humoris, malum id quidem foret, sed talis eruptio peculiarem diathesin partis alicujus sequitur: sic splenicos in febribus nigrum mejere videmus; & tamen nihil sinistri denuntiatur; Damisellæ N. nigræ pustulæ efflorescunt aliquando in toto corpore, & nihil inde incommodi sequitur, ferventiore est jecore: Tunc primum cœpit illa eruptio cum annos undeviginti nata, decussa ab equo, humique velut semimortua prostrata & attonita sanguinem ore rejectavit, Credidi internam fuisse sugillationem & ecchymosin, cujus adhuc est soboles ista efflorescentia pustularum & ecthymatum: An tunc de maligno verendum? nequaquam; hoc enim velut est è numero [illegible]. *Ballonius Epid. l. 1. pag. 98.*

51. *Glandularum Tumores*) *Tonsillarum dolor & inflammatio* post febres sive continuas sive intermittentes, cum deglutiendi primum difficultate & molestia, supervenientibus deinceps raucedine, oculis cavis & Hippocratica facie, mortem certo imminentem præmonstrant, intercisa plane omni reintegrandæ sanitatis spe: Funesto huic symptomati producendo evacuationes justo copiosiores, in ægris vi morbi jam fere attritis, longiori febris moræ sociam operam complurimum commodasse observavi. *Sydenham obs. in Ac. p. m. 122.*

52. *Qui si statim remittunt*) Quid tunc agendum vide superius §. *Abscessus si fiunt acuta ex decidentia.*)

53. *Deteriores sunt*) Nam decretoria significantia contrarios motus iis qui sunt bene judicatori, malum; Id quod fieri potest recurrente materia ad internal, aut ad partem male affectam; Vt si abscessus, qui bene fieri cœpit, retrocedat; Id enim significat contrarium motum, quod quidem est valde periculosum; Sed non ita solum mala sunt quod significant contrarium, non solum, inquam, si recurrant, sed etiam primariæ naturæ contra repentia adest, repentia contra pristinam naturam morbi; velut si à principio morbi videantur adesse signa motus materiæ deorsum, & nunc subito mutato eo impetu, qui huic morbo videbatur esse naturalis apparere incipiant signa, raptus contrarij in caput facti. *Vallesius 2. Epid. p. 96.*

54. *Hypochondria, quæ mollia*) *Præcordia optima quidem quæ dolore vacant, mollia sunt, & æqualia, tum dextra tum*

sinistra parte incensa vero, aut dolentia, aut intenta, aut inæqualiter affecta dextra parte ad sinistram, hæc omnia animadvertenda sunt. Hippocrates l. v. Progn. §. 31. Constituit tres optimi hypochondrii notas, ut sit doloris expers; molle & æquale: *Doloris est expers* propter absentiam caussarum quæ dolorem hypochondriorum movere solent, quales sunt inflammatio, flatulentus spiritus, vehemens incendium, obstructio & convulsio, *Mollities* ejus deprehenditur ex moderato renixu, id est, quando ad tactū nullam durioem repræsentat, estque sine obstructione, phlegmone, scirrho, tumore, immódica reficcatione, abdominis revulsione ad superiora, ab inanitione, *Æquale* vero est, ubi in utraque parte, tam dextra quam sinistra, æqualiter est constitutum, in substantia, quantitate, qualitate & situ partium, *In substantia*, ut non sit hęc pars durior, altera mollior: *In qualitate*, ne aliqua parte dolore careat, aliqua vero crucietur; Vel alio loco calidius, alio frigidius sit; *In situ*, ne versus inferiora retractum, seu excavatum, vel versus exteriora distentum, ac promineat, juxta 2. aph. 35. Hujusmodi autem hypochondrii constitutio bona est, ut *signum*, scil. integrorum viscerum; Et ut *causa*, nempe optimæ constitutionis, distributionis, excretionis, & facilioris respirationis. *Barthol. Horne. Vatu Med. l. 1. §. 31.*

55. *Convulsiones*) Quia convulsio febri ardentissimæ superveniens mala; quia ab inanitione: In ejusmodi convulsionibus febres ardentissimas consequentibus incipiunt contremescere manus, quod malum est signum (nisi ex consuetudine id fiat, ut in temulentis & ebriosis; quia tunc genus nervosum reficcatur, & valde imminuitur nativus calor. Deinde revellitur pulsus, & retrahitur manus sursum versus humerum. Hæ manifestæ convulsiones fere incidunt sub mortem, neque unquam æger evadit tertium, quartum aut quintum diem. *Hollerius.*

55. *Convulsiones, & circa viscera*) Si in assiduitate febrium acutarium, motus partium quæ sponte moventur, involuntarie fiant, aut hypochondria intro contrahantur; cum viscerum dolore acerbo, malum: Tales enim convulsiones, acerbique dolores, ab inflammatione, vel potius siccitate ortum habent. Ab inflammatione quidem diaphragmatis, quæ utrumque hypochondrium contrahit convellitque convulsione per catachoesin. A siccitate vero hepatis aut lienis, dum enim hepar aut lien inaruit à nimio febris æstu, per sympathiam afficit diaphragma; sicque contrahitur hypochondrium. *Liebautius in dict. aph.*

56. *Et circa Viscera*) *Hippocrates* vocat [illegible] omnia interanea, ut pulmonem, cor, ventriculum, lienem, hepar, Galli vocāt, la *Fressure: Philotheus* intelligit Hypochondria; quod si admittam., significabūtur viscera hypochondriis subjacentia; Viscera, ut viscera sunt, non sentiunt, neque dolent, tamen dolent propter colligationem quam habent cum partibus nervaceis; Vel si hepar vehementer intumuit, dolor commovebitur, qua pendebit deorsum, & detrahet diaphragma ac membranam succingentem costas; Itaque graves obstructiones hepatis & lienis, eorundemque inflammationes, afferunt acerbissimos dolores ratione partium ambientium & vicinarum, quæ nervaceæ sunt & membranaceæ. *Hollerius.*

57. *Quæ mala*) Sinistri aliquid præ se ferunt, sive viscus trahatur in contagionem biliosæ materiæ ab anadrome, sive id accidat per syntimoriam visceris primum affecti; Sunt enim hæc signa contumaciæ morbi, & sunt causæ labefactentes viscera, M. *Gallandinus*. cum ex inanitione quidam toto corpore convelleretur, hominem totum cado repentis olei immergi jussit. *Heurnius ibidem.*

58. *Vehementes mentis emotiones*) [illegible], seu ea mentis alienatio per quam ægri interrogati non respondent, puncti sentiunt quidem, sed neque clamant neque conqueruntur, quæque ex cerebri inflammatione provenit; ubi compresso quodammodo ejus incendio, affectio in habitum redacta est: Et ideo ejus phrenitidis consectaria quæ ab inflammatione procedit: Taciturnitas hæc garrulitati succedere censenda est, & ab exustis & quasi incineratis humoribus, bile quasi in melancholiam transmutata proficiscitur: Tales ægri [illegible] dicuntur; Addit *in febribus*, ut eam [illegible] excludat quæ superveniens furori utilis censetur ex aphor. 5. sect. 7. *Jonstonus in præd. Coacam.*

59. *Capitis dolor continens*) In febre acuta (*tam primigenia quam symptomatica, qualis inflammationem cerebri consequi solet*) continens capitis dolor (*illeque ingens*) *in prognostico* [illegible] *dixit*) cum gravibus aliis signis (*ut æruginosa bilis crebra & pauca vomitione, cervicis dolore delirio*) mortem minatur, Quod si neque præterea alia signa mala sunt (*quæ vel fluxus perennitatem, vel partium principum vitium indicent*) & viginti dies superat, (*quo tempore lentiora incipiunt fieri omnia ratione celeritatis, vehementiæ & assiduitatis*) aut sanguinis ex naribus (*materia jam pepasmo subacta, quæ cruda adhuc septimo excerni non potuit* (aut puris effluxum (*Humore, cephalalgiæ causa, postquam nec per diaphoresin tolli potuit, à calore in pus converso, mox expulso*) aut abcessus ad inferiores corporis partes (*materia à nobilissima & officinali parte ad ignobiles per* [illegible] *detrusa. Virginis Abderitanæ à surditate remansit superstes pedum dolor*) denunciat, præcipue quidem in his qui nondum 35. annum attigerunt fluxiones, In superioribus autem abscessus sperare convenit, (*natura per illam ætatem medio modo se habente*) Si vero dolor vehemens circa frontem ac tempora affligat (*quod illarum partium venæ sint crassissimæ, & cerebrum ibi uberius jaceat*) fluxiones expectandæ sunt (*è naribus scil. quod causa cephalalgica motus non citius desinat quam ad oscula venarum delata, iisdem reclusis foras prorumpat.* Ionston Not. in dictam Coacam.

60. *His etiam dolores ad coxendices decumbunt*) ut *Herophonti* accidit 1. *Epid.* sect. 3. Cui abscessus decurrerunt, ut oportuit quibus homo liberaretur; nam à supernis ad inferna semper, & à nobilioribus ad ignobiliora; nam imprimis fuit surditas, à surditate tumor lienis, ab hoc dolor inguinis sinistri; Deinde dolores ad ambas tibias. &c. *Vallesius in comm. p. 60.*

61. *Febri*) Essentiali, continua & acuta, in qua *Sanguis multa bile perfusus ad caput tendit. Jonstonus.*

62. *Deducta ad eam quæ fit* [illegible]) Modo natura, humoris potens, cerebrum & alia viscera liberare possit; nam ut & omne periculum tollatur, procul abscessus, [illegible], in parte totius materiæ capacissima exoriri debet; id quod Herophonti accidit. *Idem.*

Cessatio præter rationem) *Hermocrates l. 3. Epidem.* in febre ingenti, non valde siticulosus fuit, quod duorum alterum significare poterat, corruptionem sensus, aut delirium; Nam non dolere, cum sit causa dolendi in parte, nulla alia ex causa fieri potest, quam aut quod propria partis natura admodum sit corrupta; aut quod mens, quam partibus omnibus, ut sentiant, adesse oportet, sit per delirium avocata; ac proinde, etsi patiatur, non sentiat, Iuxta id quod in aphor dicitur, *Quicunque parte aliqua dolentes omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Vallesius 3. *Epid. pag.* 138. Tempestate quadam libr. 2. Epidem. in febre Acuta ægri non valde siticulosi erant, neque tamen delirabant: Si delirassent, non mirum fuisset sitis carentia; tamen citra delirium, & cum febre acuta, satis præter rationem, ac proinde etiam malum, Significare enim poterat naturæ corruptionem; tametsi in his non puto istud ad malignam causam debere referri, sed ad multæ humiditatis redundantiam quam assiduæ pluviæ illius anni pepererant. *Idem ibid. pag.* 286.

64. *Cum tamen intus ardeant*) Tales *Hippocr.* in *Prorrh.* nominant [illegible], æstuantes, injudicate perfrigeratos.

65. *Sudor frigidus*) Fiunt in acutis febribus sudores illi

illi frigidi, quia, ut vult *Galenus*, tanta est humoris crudi & frigidi copia, quæ in venis putrescit, unde calor ille internus ingens, ut neque à calore nativo, neque à febrili possit incalescere (*Sed si à neutro possit incalescere, quomodo febrim acutam excitare valebit?*) Præterea, quemadmodum glacies, quantumvis fundatur in Sole, incalescere non potest, ita de humore illo crudo à febrili calore fuso, & liquato censendum, unde colligitur caloris nativi extinctio, & præterea retentrix facultas exoluta. *Hollerius in comm.*

66. *Frigidus*) Frigidus sudor manifestus est Medico, non tamen semper ægro, ut qui sæpe præ calore corpus nudet, *Idem.*

66. *Usque circa caput tantum*) Si sudor is appareat, distinguere oportet, siquidem apparet vel toto corpore, vel in pedibus tantum & manibus, vel in thorace, vel circa caput, faciem, cervicem, In quacunque corporis parte moveatur, malus est; Sed deterior est & pernitiosior in partibus superioribus, ut capite, cervice, facie, & thorace, quia tunc expectatur syncope, id est præceps virium lapsus; Ac hi quidem sudores non solum sunt frigidi sed etiam tenues. *Idem.*

67. *Sanguis stillans*) Alias stillas synceras vituperavit nobis *Hippocrates*: Galenus per syncerum, sive merum, nigrum intelligit; quia rubrum, qualem merum sanguinem esse oportet, non putat significare gravem affectionem; Ego vero intelligo dicere *Hippocratem* quæ dicit, Stillare autem sanguinem purissimum, nihilo melius est tunc temporis, imo vero fortasse etiam deterius; quia præterquam quod evacuatio est quantitate & tempore mala, non evacuantur qualia oportet, sed qualia non oportet, *Vallesius in lib. 1. Epid. sect. 3. p. 64.* *Ægro iij. sect. 2. lib. . Epidem.* vehementi febre correpto, quarta die ex nare sinistra paucus & merus sanguis effluxit; quod quidem & secundo sic factum fuerat, cum mala significatione, sed nunc illud etiam mali accessit, quod quarto die evenit; Id enim etiam per se vituperatur, 1. *Prorrh.* in initio, ubi ita scriptum *Stillatio è naribus hic perniciosa. ... alias, cum si quarto* cœperit die, neque sane citra causam, *Quodcunque enim grave, die iudicatorio gravius est*, D... autem quartus est primus impetus eorum qui mo... per pares; Et quod ad cœlestem causam attinet, pr...is eorum qui magnam vim obtinent, primi enim q...ernarij finis *Idem ibid. p. 246.*

68. *Febrire incipientibus*) Febre nempe acuta, cujus celerrimi sunt motus, & ideo celeres mutationes & crises, *maxime vero* juvenibus biliosis. *Jonstonus.*

. *Si cum permutatione*) A facultate cerebri validiore, id *quod molestum est excludere tentante. Idem.*

69. *Albo die quarta in urina sedimento*) Eoque æquali simul & lævi, perfectæ concoctionis & crisis futuræ signo.

70. *Solutionem in septimo promittit*) *Adnuo* enim non ... vocabulo utitur; Cum materia morbifica perfecte sit concocta, cujus urina illa signum, non poterit à natura mitificata ... eidem molesta esse, quæ evacuationem criticam necessario antecedere debet. *Jonstonus.*

71. *De Alvo aquosa &c.*) Sic habet Coaca, *Quibus cum febre continua scil. & acuta, quæ vires acquisivit*) lateris dolore accedente (*ab humoribus tenuibus & biliosis ibidem stabulantibus exorto, & pleuritidem mentiente*) alvus aquosa ...ile permixta transmittens (*natura crisin, sed imperfectam moliente*) allevationem affert (*quod materia, à cujus præsentia morbus dependet, sit aliquantulum evacuata: Resolutionis ... affectibus plerumque suspecta sunt*) deinde vero ... aversantur (*ut se ... habeant; ventriculo à continuo regenerato. propter pravam vi... dispositionem, humore læso*) & sudoribus diffluunt (*Retentrice propter copiam imbecilli*) cum bene colorata facie (*Quod affectio quæ à principio intemperies à materia tantum erat, in inflammatoriam degeneravit, prout in peripneumonia fieri solet, & faciem coloravit*) ac humescente alvo (*i.e. alvo liquida propter humoris acrimoniam & malignitatem expultricem stimulantem, permanente*) & dolor aliquis oris ventriculi succedit (*Cardialgicus nempe, male versus partes superiores & spiritales se extendente*) ij diutius morbum trahentes (*quod affectiones istæ inflammationis participes, serpendo varias pervadant partes*) pulmonum vitiis laborantium more intereunt (*i.e. mediante suppuratione, quam lenta corporis consumptio insequitur aut μετὰ πνιγμοῦ καὶ ῥογμοῦ. cum strangulatu & gutturis stridore.* Jonstonus.

72. *Extremorum frigus*) In acutis morbis Frigiditas partiũ extremarum malum, 1. quia significat gravem inflammationem internam, quæ cucurbitulæ instar sanguinem & calorem partium externarum ad se trahit, & is attractus consumitur: 2. *causa*, quia dolor est vehemens, ut in ventriculo præsertim 3. Quia est extinctio caloris nativi, 4. cum in febribus calor ille partium extremarum tam vehemens sit ab exhalatione materiæ febrilis, materia quædam crassa & viscida inclusa in medio corpore vias intercipit, ita ut calor febrilis non possit exhalare & pervenire ad cutim: *Hippocr. lib. de morbis* dat aliam rationem, quia videlicet partes extremæ, ut manus, nasus, pedes, aures, cutis, aliquando & externæ, siccæ sunt, ut interiores humidæ: Quum igitur tales sint partes exteriores, humor paucus harum partium peruritur & consumitur, à calore illo febrili consumpto humore, necesse est calorem, qui illic est, extingui, quo extincto, necessario refrigescunt. *Hollerius.* Si in morbis acutis, febrem continuam comitem habentibus, frigeant extrema, aures nimirum, nasus, pedes, manus, cutis denique universi corporis, funestum est præsagium.

Frigent quidem extrema in invasionibus febrium intermittentium.; in morbis quoque longis ob materiæ frigiditatem, sed id citra perniciem: At in acutis præter modum calor urit æstuatque totum corpus: Si ergo interna viscera urantur, externa vero frigeant, indicium erit inflammationis alicujus conceptæ in aliquo viscere, quæ ad se totum sanguinem & spiritum revocat: Aut imbecilli admodum caloris nativi, qui non valet extremas partes attingere; & si febris adsit, quod fere accidit in longis febribus; languescente ipso ægro; Aut caloris oppressi nimia crassorum humorum copia; Aut doloris alicujus vehementis, ob quem videmus ægros rigere & in toto corporis ambitu refrigerari: Extrema si frigeant cum siti, aut cum sudore, aut cum livore eorundem, lethale, sin minus, malum. *Liebautius. ibid.*

73. *Vel Parotides*) Interdum febri superveniunt Parotides, quæ periculosæ sunt, & dolorem maximum excitant; hic enim febrem geminat ac vires prosternit, unde natura victa nequit humorem foras propellere, qui excurrens in cerebrum mortem minatur, nisi alvi fluor, aut sudor, aut alia insignis evacuatio superveniat: Cum ergo Parotides se proferunt in febribus, repellentibus non utendum, quia tumor ille est prope partem nobilem: Adde quod humor per crisin expulsus non est intro regerendus, sed si dolor urgeat utendum, anodynis, pars affecta est illinenda *Ol. chamom. lilior. amygd. dulc.* dein supponenda lana succida iisdem oleis imbuta, his oleis interdum *mucilag. sem. lini, fœnugr. alth.* extractæ in *aqua decoct. chamom.* adipes, butyrum adduntur, Quorum usu si nihil proficiatur, nec humor digeri possit, ad suppurantia veniendum: hic prodest basilicum cum fermento veteri vel acri incorporato, ut ex intimo recessu humor attrahatur.

Quia autem humor hujus morbi materia, ob sui crassitiem non facile suppurat, non est expectanda perfecta suppuratio, sed ubi aliquod leve suppurationis argumentum se profert Parotis aperienda, vel ferro vel cauterio potentiali, quod illi parti apponetur quæ tactu mollior apparebit, sic facto emissario pars venti-

labitur, & exigua sanie resudante dolor mitigatur & Natura per viam arte factam se exonerabit, Reliqua curatio fit detergentibus, sarcoticis, epuloticis. *Enchir. Med. Pract.*

71. *Parotides*) Huc refer Coacam sequentem, *In plurimum graveolentibus dejectionibus, cum febre acuta, præcordiorum contensione, ex longo intervallo, oborta ad aures tubercula, mortem afferunt.* Sicut exitiosis Parotidibus (inquit Martianus) nihil optabilius supervenire potest quam diarrhoea, aut dysenteria, quarum beneficio spes aliqua salutis concipitur; quod quidem observavit *Hippocr.* libr. 1. *Epid.* sect. 2. in *Hermippo*, eo quod materia morbifica à superioribus & nobilioribus partibus revellitur ad inferiores & ignobiliores, à quibus tandem naturæ impulsu excernitur, ita vice versa diarrhoea correptum supervenientes parotides occidunt, si diarrhoea ex graveolentibus humoribus fiat, cum febre acuta, & hypochondrij tensione; Ita enim omnis spes tollitur critici abscessus, tum ex parte diarrhoeæ, quæ cum graveolentia, etiamsi copiosa excernat, omnem coctionis suspicionem tollit, indicatque tumorem hypochondrij inflammationem esse malignam, & succos ipsos corrumpentem; Tum ex parte ipsius Abscessus, qui salutaris esse nequit, non solum propter præsentiam cruditatis præfatæ; sed etiam quia in parte excitatur minime convenienti, facta materiæ translatione ab ignobili & inferiori parte ad superiores & nobiliores: qui quidem abscessus eo graviores erunt quo tardius eruperint, ægro jam à progresso morbo consumpto, nam hi in ipsa eruptione ægrum è medio tollunt. *Martianus p. m.* 436.

74. *Livores*) Livor partium, vitalis facultatis internecionem significat, ut in Prognostico dicitur, magisque quam si omnino nigrescant; Quod signum ubi conspicue videris, certo scias in proximo jam esse mortem. *Vallesius Epid. p.* 568.

75. *Quibus manus ante faciem*) *De manuum motione; ita censeo, In febribus acutis, aut pulmonum inflammationibus, aut phrenitide, aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur, & aliquid frustra venantur, & festucas colligunt, aut floccos è vestibus evellunt, & ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mortem portendit.* 1. Prorrh. t. 15.

Manus, *ait Aristoteles 4. de part. Anim.* cap. 10. datæ sunt homini, tum quia erectus, nec iis tanquam cruribus; uti pecudes, uti posset, tum quia prudentissimus omnium animalium cū esset, instrumento pro prudentia usurpando egeret, Idque *Galenus l. 1. de usu Part.* confirmat, Hominem ratione, omnium artium altrice & inventrice donatum, habuisse opus multis instrumentis, quæ in una manu comprehendantur, ut jure ea dicatur instrumentum instrumentorum: Si ergo manus & vox, sunt proprium rationis instrumentum, sequitur functiones manuum, dum bonæ sunt, à ratione bene operante proficisci; ubi vero pravæ, indecentes ac turpes, id ab aberrante ratione pendere: Errare autem rationem semper malum est, præsertim in morbis acutis.

Præterquam enim quod ineptæ hujusmodi manuum gesticulationes ægrum jam delirare ostendunt; in alterius quoque rei, nempe materiæ morbificæ, seu fuliginosorum vaporum, non cerebrum tantum, sed & oculos occupantium, ac falsa phantasmata excitantium, cognitionem nos inducunt; Fiunt autem hęc falsa phantasmata per morbos quorum hic mentionem facit *Hippocrat.* suffusionis in modum, elata sursum vaporum vel humorum magna copia, quæ ubi intra caput contineri non potest, ad oculos quoque transmittuntur, & inter humorem crystallinum, corneamque tunicam sese insinuans, aqueum humorem inficit, & sic pro varia sua natura ac motu varias producit rerum imagines, sic ut interdum velut pilos quosdam, vel floccos, vel festucas, vel etiam pulices aut muscas prætervolantes videre se putent, non secus ac si extrinsecus positæ essent, hasque aut decerpere, aut abigere manibus conantur.

Hæc autem symptomata mala aut perniciosa esse non mirum, cum ob magnitudinem ac vehementiam morborum enumeratorum, tanta vaporum ac humorum copia cerebrum affectum esse testentur, ut iis resistere amplius nequeat, sed ad oculos eos quoque transire permittat, ut sic imaginatione læsa, phantasmata quæ intus sunt in oculo occurrant, tanquam in oculo essent.

Atque hinc etiam nonnunquam contingit quod ægri nonnulli lamiam morituri dæmones aliaque spectra videre se putant, labascente ob morbi vim sensu & intellectus judicio: Distinguendum tamen est an alteratio cerebri ab humoribus vel vaporibus sit tantum in fieri, & cum robore naturæ adversus morbum pugnantis, vel jam facta, prostratis ex morbi victoriæ viribus, Ex illo enim casu multi servantur; Ex hoc neminem eluctari experientia constat. *Barthol. Horn. in vate Medico p.* 64. 65. & 66.

76. *Pueris si venter &c.*) *Pueris convulsiones accidunt si febris acuta fuerit, venter non dejiciat, si vigilent, perterreantur, plorent assidue & color immutetur, & ex viride pallidus aut lividus, aut ruber contrahatur; Hac autem pueris recens natis ad 7. usque annum promptissime eveniunt; At grandiores pueri & viri non adeo per febres convulsionibus prehenduntur, nisi vehementissimum & pessimum quoddam signum, ex his quæ in phrenitide fieri solent affuerit;* Convulsiones in acutis morbis futuras prædicere docet. *Hippocr.* Fiunt autem hę maxime in pueris qui VII. ætatis annum neque dum attigerunt, nonnunquam etiam in adultis: At frequentius in pueris contingunt, quoniam nervos habent debiliores, partim etiam ob alimentum pravum, seu vitium lactis & voracitatem, Alvus constipata materiam suppeditat vaporum, Febris & vigiliæ pituitam, ex pravis humoribus collectam colliquant, quæ in nervos incumbit & convulsionem parit; *Terror* fit, quod calor innatus præcipua deserat membra, & ad ventriculū, noxiis humoribus refertum convolet, ex quibus varij ad cerebrum transferuntur vapores, qui imaginationem falsis phantasmatis objectis perturbant; Ex his vaporibus etiam cerebrum, calore privatum, accumulat excrementa, & inde nervi, hanc excrementorum colluviem recipientes convelluntur; *Ploratus* assiduus etiam futuram convulsionem ostendit: Per hujusmodi enim conatum humores cerebri liqvantur, & per propagines nervorum diffunduntur; Tandem *mutatio coloris in facie*, qui humoris convulsionem excitantis pravitatem ostendit, Nam pallidus quidem aut lividus, humorem maligna imbutum qualitate denuntiat; ruber vero sanguinis copiam & concursum ad cerebrum manifestat: In adultis, & post 7. annum, quando jam omne genus nervosum firmum est, nonnisi gravioribus de causis convulsiones proveniunt, nempe vel partium exsiccatione, vel inanitione, Et cum talia apparent symptomata, qualia per graves phrenitides fieri consueverunt, maxime vero partium faciei tortura, stridor dentium, oculorum mobilitas vel inversio, vel imbecillitas, minitanturque hæ convulsiones certam perniciem, 7. aph. 17. *Barth. Horn. Vates Med. lib.* 3. 36.

TITVLVS

TITULUS QUARTUS.

De Febribus Putridis simplicibus Continuis.

CAPUT IV.

De Febribus Continuis simpliciter ita dictis.

1. FEbres Putridæ continuæ vel sunt *simpliciter ita dictæ*, quarum species *Causus*: vel cum *adjecto, seu periodicæ.*

Febres Continuæ simpliciter ita dictæ, Græcis *ovvexeis* aliis *Synochi* [2] *continentes*) *sunt febres à sanguinis in vena cava putredine exortæ, uno paroxysmo omnia quatuor morbi tempora comprehendente,* [3] *sine ulla remissione vel intensione ab initio ad finem affligentes.*

[4] *Signa sunt,* Absentia illorum quæ in intermittentibus occurrunt, nisi vel sit composita, in qua horror & rigor occurrit; vel restagnantes in ventriculo humores, vomitus in principio excitent. *Calor* acrior & vehementior. *Urina* ab initio interdum, quum nondum putredo invaluit, senum non multo dissimilis, sed quæ postea crescente putredine, est crassa, rubore multo perfusa, turbida, ac sine sedimento; quamvis interdum crassum, [6] copiosum, ac rubescens sedimentum deponat. *Pulsus* magnus celer, frequens, inæqualis & inordinatus, Difficilis *respiratio*, capitis *dolor*, appetitus dejectio, &c.

2. *Causa* est putredo sanguinis, & quidem corpus nutrientis, [7] sive is ex pluribus humoribus constet, sive non. In propria forma considerati, Non totius, sed [7] *Ichorosi* & serosi, [7] qui vitium ex prohibita transpiratione facillime concipit. [8] *Oritur* illa, vel à *vehementi* per impactos multos, crassos, viscidosque humores, in cute, interioribus jecoris, & aliarum partium venis *obstructione*: vel à *contagio* humores inficiente. Putrescere aliquando & [9] in ventriculo, ut apud Zecchium cons. 46. videre est.

Curatio [10] si *Eventum* spectes, est *Bonæ spei*, si statim decrescit, si symptomata mitiora habet. *Dubia*, si nullius evidentis causæ vi, sub noctis & somni finem excitatur, si extremos statim labores habet, & sævis symptomatibus excipitur. Si ei fluxus alvi, initio magnus, vires dissolvens, ex materia prava, nigricante, intervenit. *Alvus liquida*, ardentibus inprimis, est malum ut *signum* & *causa*. *Illud*, quia indicat vel colliquationem, vel tantam phlogosin, ut omnia intro revocet & retineat, vel partes naturales vi caloris labefactatas, vel potum immoderatius sumptum: *Hoc*, quia interim non excretis qualia debent, & debilitato ventre, vires concidunt; medicamentis solutivis nullus locus; imo tandem, liquidioribus excretis, crassioribus retentis, venter intumescit. [11] Observatum quoque illos qui nec dormiebant, nec conquerebantur, nec nisi interrogati loquebantur, quieti jacebant, & manus tremulas quando pulsus contrectabatur, retrahebant, mortuos.

[12] *Respicit*, I. *Morbum ipsum*, qui reposcit. [13] *alterationem* [14] per refrigerantia: Cauteque [15] tum circa haustum aquæ frigidæ & [16] balneum, quæ antiquis in usu, in corporibus hisce inassuetis agendum.

II. *Causam morbi* [17] quæ tollenda, [18] 1. per *venæsectionem* [19] largam [20] nisi vires obstent. 2. [21] *Purgationem* [22] per mitiora, ut [23] Rhabarbarum, Tamarindos, Syrupum rosarum solutivum, diasereos &c. [24] sed nec die critico, quia hypercatharsin excitare solet [25] nec si urinæ [26] Inter initia tenues & non nebulosæ, Sæpè leves etiam à Medico irritationes factæ, perturbationes magnas excitare solent: sæpe ex acuto morbo chronicus factus, cum materia in profundo corporis quieta commota est. [27] A Vesicatoriis abstinendum monuit Tonnerus observ. l. I. 20.

III. *Ægrum*, [28] cujus viribus succurrendum partim [29] per *Corroborantia*, ut Morsellos citri, conservas & species refrigerantes; partim [30] per *diætam*, cujus superius facta mentio. *Ubi extremi sunt labores, ibi ad quartum usque nihil dare oportet*, inquit Galenus.

[Sym]*ptomata*, quæ illis superveniunt sunt varia, inprimis, I. [31] *Delirium* & *vigilia*, exhiberique potest [32] laudanum opiat. gr. iij. pondere cum syrupo papaver. erratici II. [33] *Sopor*, quem exhalationes [pu]tridæ & narcoticæ cerebrum replentes, & materiam in ea pituitosam solventes producunt. III. *Lassitudo totius corporis*, seu ob gravedinem musculosi generis, seu ob spirituum ab exhalationibus putridis impuritatem. IV. *Convulsio* ab orgasmo concitatæ materiæ in partes nervosas se effundentis. Aliquando cerebro & sensu illæsis non tantum universa spina dorsi cum colli vertebris, sed & brachia, manus, pedes, diversimode convelluntur. V. *Paralysis linguæ*, propter catarrhum ad linguæ nervos decumbentem. VI. *Alvi*, propter bilis alio translationem, *obstructio*. VII. [34] *Lumborum dolores gravativi*, ob sanguinis in magnis vasorum infimi ven-

tris divaricationibus putreſcentis copiam, & quidem aliquando cum *punctura lateris*, ob materiam à capite eo deſcendentem. VIII.[35] *Capitis vehementes*, ob materiæ in membranis cerebri à calore febrili commotionem. IX. *Dolor lateris* ſeu *thoracis* tenſivus & pulſatorius, à materia bilioſa cum pituita mixta, muſculos intercoſtales externos afficiente, unde reſpiratio, in exſpirando inprimis, quando muſculorum externorum contractione thorax contrahitur, difficilis. X. *Dolor ad ſplenem* cum laſſitudine ὀστοκόπῳ, ob tenuium humiditatum acrimoniam & quandam δυσέχειαν, cum genarum rubore magno, quam tandem in quartanam diuturnam abiviſſe *Ballonius* obſervavit Conſil. l. II. 34. XI. *Singultus*, & quidem etiam circa declinationem quandoque ob humoris corrupti & maligni in tunicis ventriculi ſedem, qui laudani gr. iij. cum theriacę dr. ſ. vel j. & conſerv. roſar. q. ſ. aliquando feliciter tollitur. XII. *Crebra mictio*, ob excrementorum ad vias urinarias depoſitionem, ſitibundos renes & quandam δυσέχειαν. XIII.[36] *Gutturis tumor*, ita ut lingua difficulter officium faciat, quod in glandulas gulæ ſpongioſas acris humor reſudet, & acerrimis vaporibus impleantur. XIV. *Exanthemata ſæpe* toto corpore *livida*, *nigra*, quia pars ſanguinis aliqua in cutem pellitur; quæ bona ſi ſunt à pepaſmo critico; calamitoſa ſi non[37]. De quibus omnibus & aliis conſule obſervationes *Horſtii* inprimis, *Ballonii*, *Thonneri* & aliorum.

Nota verò,[38]. *Ab his & aliis ſymptomatibus varias iſtas febres trahere appellationes.* Dicuntur 1.[39]. Ἁλυκώδεις ſeu *ſalſa*, Hippocrat. Epidem. VI. 1. eædem forte cum ταῖς λιγνυώδεσι, *favilloſis*, quæ tangentibus pruritum excitant, ab atra bile tam acres vapores exhalante, ut ſe ægri urtica cædi putent exortæ.

2.[40]. Ἀσώδεις, quæ propter affectum os ventriculi, jactationem & inquietudinem perpetuam conjunctam habent: unde etiam δυσφόρητοι & δυσφόρητοι vocantur.

3.[41]. Δακνώδεις, *mordaces* quæ remittunt, ubi manu victæ fuerint.

4.[42]. Ἐξέρυθροι, quæ faciem intensè rubram repræſentant.

5.[43]. Ἔξωχροι, quæ eandem quaſi croco tinctam, qualis in bilioſis.

6.[44]. Πέλιοι, quæ lividam, qualis in pituitoſis.

7.[45]. Κρυώδεις, quæ *cum frequentibus rigoribus*. 8. Κωματώδεις *ſoporifera*.

9. Λυγγώδεις ἢ λυγμώδεις, *ſingultuoſæ*, cum ſymptoma hoc valde increbeſcit.

10. a. Τυφώδεις, quæ cum ſtupore fiunt, & intenſam cum furore mentis alienationem habent.

11. Νοτιώδεις[46]. ad manum humidæ: nonnullis cum præcedentibus eædem, quando nempe ægri perpetuo fumant.

12.[47]. Ἑλώδεις *paluſtres*, quando febricitantes in perpetuis ſudoribus natant.

13.[48]. Πεμφιγώδεις, Galeno, ſunt aliquando quæ cum puſtulis erumpunt: quandoque ex quæ exilientium & manui occurſantium ſcintillarum ſpeciem præbent; interdum quæ mentem tentant; nonnunquam madentes & humidæ.

14.[49]. Ταραχώδεις *turbulentæ*, non illæ tantum quibus delirium jungitur, ſed & quibus alvi profluvium.

15.[50]. Φρικώδεις, quæ Semitertianæ eſſe videntur.

Diſtinguuntur à quibuſdam, in[51]. Ὁμοτόνους, ſeu in eodem tenore[52]. à principio ad criſin uſque manentes, quia tantum putreſcenti materiæ accedit quantum reſolutum eſt: (accenſa una parte alia accendi incipit) ἐπακμαστικὰς ſeu ἀναβατικὰς, ſeu *increſcentes*, humore vitioſo inæqualiter putreſcente, ita ut plus addatur quam reſolvatur, & παρακμαστικὰς, ſeu *decreſcentes*, quod plus materiæ putridæ reſolvatur, quam putreſcenti addatur.

[1]. *Febres Putridæ vel Continuæ ſunt &c.*) Sciendum eſt ex 1. *Epid. ſect.* 3. t. 2. Juniores Medicos, i. e. *Hippocr.* poſteriores, συνεχεῖς & συνόχους diſtinxiſſe nam συνεχεῖς vocabant omnes Continuas quæ remiſſiones habent & exacerbationes; συνόχους vero eas quæ ab initio ad finem perſeverant nullo ſtato excandeſcentiæ ordine: Sic 2. *de diff. Febr.* cap. 9. ac 9. meth. Synochon eam eſſe dicit cujus tempus uno tenore, quaſi una tantum acceſſione à principio ad finem porrigitur: Ex quibus concludi poterit nomen Synochi non tantum ſanguineæ febri, ſed & omni continenti debere accommodari, ita ut optime ſynochos dividi poſſit ſecuddum *Galenum* in Sanguineam & bilioſam: *Primroſius.*

[2]. *Continentes ſunt febres à ſanguinis*) Duæ ſpecies à *Galeno* proponuntur, Una ex ſanguine putreſcente, de qua 2. m. m. c. 1. & 9. Tum etiam 9. *m. m. cap.* 3. & 5. Altera ex *bile* putreſcente in majoribus vaſis, de genere ardentium, de qua 2. *de diff. febr.* c. 1. & 2. *de criſ.* c. 6. Prima dicitur *Synochus ſanguinea*, altera vero *Synochus* bilioſa; Licet enim tota humorum maſſa in venis contenta, ſanguinis nomen obtineat, quatuor tamen illius partes agnoſcuntur, quarum magis temperata Sanguis ſpeciatim nominatur, calidior Bilis, crudior & frigidior Pituita, craſſior & fæculentior Melancholia: Jam vero ſi pars illa magis temperata, quæ ſanguis proprie dicitur, reliquas copia ſuperet, & tota maſſa putredinem concipiat, *ſynochus Sanguinea* efficitur. Si vero tenuior ſanguinis pars, & calidior, quæ flavæ bilis naturam æmulatur, reliquas partes ſuperet, & putredinem concipiat, *Synochus Bilioſa* exoritur. *Riverius.*

[3]. *Sine ulla remiſſione*) Quæ febres vagatæ ſunt Continuæ initio hyemis anni 1573. in nonnullis per unum diem aut duos vacuitas febris adeſſe viſa eſt, quod novum non eſt; Nam l. 1. *Epid. hiſt.* 12. quidam febre continua laborabat, & octava die à febre immunem fuiſſe ait ut *Hipp.* Et eodem loco, Prægnans mulier aſſidua febre occupabatur, per tres dies febre vacaviſſe ſcribit *Hippocrates* XI. die febris repetiit, & judicata eſt, Quod notan-

notandum est, ne eos evasisse existimes quod febre vacare videantur. *Ballonius Epid. l. 1. p. 36.*

4. *Signa sunt) Sic illa persequitur Etmuller pag. 298.* Synocha febris, sive Continens; ingruit primitus cum rigore & horrore, plus minus intenso, præcedente membrorum omnium lassitudine & aliquali capitis perturbatione, quam insequitur incalescentia ac æstus totius corporis intensus, isque continuus, eodem tenore, vel persistens, vel similiter decrescens, vel similiter accrescens, usque ad finem status: Itaque æstus vaporosus bominis, sæpius acris & mordax cum *pulsu* celeri, frequenti, plus minus magno & vehementi: interdum inæquali: nem se similis fere est pulsus quem possumus in nobis observare quando ex intentiori corporis motu, concurrente irascibili animi pathemate, v. g. ex fuga, ex malo imminenti incalescimus: *Urina* intense crassæ, tinctæ, post aliquot dies successive turbatæ, & sedimentum copiosum deponentes excernuntur: *Sitis* affligit intensa, *Saliva* pauca, eaque glutinosa, *Cephalalgia, agrypnia* utplurimum junctæ esse solent. *Etmuller.*

5. *Absentia illorum)* Continuitatis certa erit conjectura si æger sit obnoxius febribus continuis, nam in familiares morbos facilis est relapsus; Et si impuram habeat corporis regionem, & præterea si eo tempore febris continuæ populariter grassetur, cum enim continuarum febrium magnus est proventus, etiam si prima motus invasio Intermittentem febrem fore polliceatur, metuenda tamen ob commune aëris vitium continuitas. *Enchir. Med. Pr.* Sed si ad ægrum continua febre non multo ante laborantem Medicus accedit, si ab eo intelligat febrim sensim citra horrorem invasisse, & spontaneam lassitudinem præcessisse, non dubitet eam febrem esse continuam. *Ibid.*

6. *Copiosum ac rubescens sedimentum)* Observandum quod eorum urinæ qui constitutionis sunt biliosæ, aut qui laborant scorbuto, aut qui declinant ad phthisin, levi etiam febricula intense rutilescant; ob acriora & acidiora plus minus salia massam sanguineam talium ingredientia, E contra quorum massa sanguinea est magis temperata naturaliter, h. e. dulci nutritio chyloso succo æquali permista, eorum urinæ minus intense, cæteris paribus, tingi solent, & crassiores, Illorum vero tenuiores observantur; hinc & pariter in illis naturaliter celeriores & frequentiores, in his rariores & tardiores Pulsus observantur; Semper igitur idiosyncrasia subjecti simul consideranda. *Etmuller p. 199.*

7. *Causa est putredo sanguinis)* Humor in venis & arteriis putrescens sanguis est; cum enim calidus & humidus sit, facile putrescit, eadem ratione qua illum extra vasa effusum corrumpi videmus & putrescere: Verum *universus*, nisi ad extremum vitium pervenerit, vix putrescit, sed quænotas quædam illius duntaxat, remanente semper sanguinis aliqua portione meliore (etiamsi propter morbum & inediam, quam patiuntur ægri, nullus novus dum ægrotant gignatur sanguis) qui vel à putri sanguine separatus aliis in locis consistit; vel etsi illi permixtus est, ab eoque incaluit, nondum tamen, quia minus aptus erat, computruit, & dissipata putri materia, mox ad pristinam puritatem redit; Sicuti hæc ex sanguine detracto consideratoque, qui nunc purus, mox impurus, interdum confusus effluit, observamus: Sed [illegible] ex diversis particulis constet sanguis, separatim [illegible] ex istis, reliqua intacta, potest putrescere, sed [illegible] loco putredo illum invaserit, & tenuiorem, & [illegible], & mediæ consistentiæ, & pinguiorem potius [illegible]iorem illius partem affici simul necesse est, cum [illegible] distinctis separatisque (quales tamen in sanguine [illegible] frigoreque concreto, aliquomodo distinctas o[illegible]bis conantur) sed penitus invicem confusis sanguineæ massæ quamdiu in venis existit, constetur: nullaque v[illegible] minima sanguinis portio, quæ non ex illis partibus constet, existat; & serum quoque putredinis hac labe infectum, manifesta illius tum per urinas, tum per sudores excretum proferat indicia: Ob quam causam febrium putridarum diversa genera, non ex eo quod diversæ illius partes, quas humores sanguinem, bilem flavam & atram pituitamque vocant, putrescant, uti voluerunt, proficiscuntur, sed pro *loco in quo putrescit*, & sanguinis qui putrescit, diversitate exurgunt. *Phaternus.*

7. *Causa est)* Causas habet easdem quas Synochus imputris sed validiores, nempe quæ sanguinem cumulant, eundemque accendunt, & nonnunquam similium putridorum occursu accenditur, ut fructuum horæorum esu, ex quibus in ventriculo putrescentibus aquosus putridusque generatur sanguis: Sanguineos occupat, carnosos, juvenes, tum quibus retenti menses, suppressæve fuerunt hæmorrhoides: ver, regio septentrionalis, victus polytrophus; otium, vini generosi potus, somnus immodicus, quia sanguinem *Cumulant, occasionem præbent. Primirosius.*

8. *Ichorosi & serosi) Argenterius* non sine ratione addidisse videtur Febrem ab humore seroso & putrefacto (præter quatuor humores, ex quibus quatuor febrium differentiæ desumuntur, Sanguinea, Biliosa, Pituitosa, Melancholica) quam vult esse Synochoo: cum enim putrescere queat, cur febrem non pariet: Sic docet experientia multas febres sanari eductis humoribus serosis; detractoque sanguine multus humor aqueus supernatans cernitur, in quo solo febrem reponere oportet, cum nullus alius videatur labefactatus, ipseque sanguis purus appareat; Id ostendunt febres hydropicorum, quæ non ab alio quam à seroso humore fieri possunt; Ostendunt & febres quæ profusione urinarum aut plurimis sudoribus judicantur, aut serosa diarrhoea. Vide *Carol. Pisonem.*

9. *Qui vitium ex prohibita transpiratione &c.)* Cui *Hippocr. l. de loc. in Hom.* hujus febris originem adscribit, *Cum corpore supercalefacto carnes intumuerint*, pituita *bilisque conclusæ quieverint, neque refrigeretur quidpiam, neque exeat neque moveatur, neque aliud quidpiam subeat:* Ostendit enim plenitudinem ex obstructione pororum cutis genitam, in qua post quartum diem purgandum esse docet, nisi febris cessarit, quia in Putridam degeneravit.

2. *Sanguinis, sive is ex pluribus humoribus constat)* Cruoris massa, ex opinione veterum, quatuor humoribus, nimirum sanguine pituita, bile, & melancholia constare perhibetur; Pro hujus aut illius humoris eminentia, diversa temperamenta efformari; atque propter eorum fervores, aut exorbitantias fere omnes morbos oriri statuitur. Hæc sententia licet à *Galeni* usque temporibus Medicorum scholis increbuerit, nostro tamen seculo, cui sanguinis motus circularis, ejusque aliæ affectiones prius incognitæ innotuerunt, aliquantulum suspecta esse cepit: quippe ejusmodi humores sanguinem minime constituunt, verum qui sic appellantur (excepto sanguine) sunt tantum cruoris recrementa quæ debent ab ipso continuo secerni. Vide *supra* §. 7.

Est enim revera sanguis humor unicus; nec alius circa viscera, & alius in habitu corporis; nec alio tempore movetur pituita, & alio bilis aut melancholia (uti vulgo effertur) sed liquor in vasis effervescens solummodo sanguis est, & ubicunque loci per singolas corporis partes defertur, usque idem est & sui similis: quia vero in aliquibus, ob caloris insiti abundantiam, & ob ejusdem in aliis penuriam, alimenti coctio & in visceribus & in vasis modo intensius modo remissius peragitur, ideo sanguinis (licet unici & ejusdem semper liquoris) temperies diversa existit, & juxta variam hujus crisin dici potest quod homines sunt biliosi, melancholici aut alius temperamenti.

Præterea, quia dum sanguis in vasis inter circulandum conficitur; partes quædam continuo inveterascunt, & aliæ de novo supplentur, hinc à cruditate, aut nimia coctione, quid excrementitium congeri necesse est, quod tamen effervescentia (velut in vinorum depuratione accidit) ab ejus massa separatur; scil. *humor aquosus* visceribus aut solidis partibus defixus, is est qui dicitur *Pituita*. *Salis* & sulphuris adustorum reliquiæ quædam in hepate secretæ & vasis choledochis dicuntur *Bilis*: *Feculentiæ terrestres* in Liene depositæ, dicuntur *Melancholia*.

Interim sanguis si recte depuretur, pituita, bile & melancholia carere debet, non secus ac cum vina quædam aut cerevisia depurantur, particulæ leviores sursum evehuntur, quæ ejus florem constituunt; crassiores & fæculentæ in imum deprimuntur, quæ in fæcem sive tartarum concrescunt, tamen nemo dixerit vinum, vel cerevisiam è floribus, tartaro, & liquore vino componi, *Willis l. de Febr. c. 1.*

8. *Oritur illa*) Ephemeræ & Synochi non Putridæ, in fermentatione sanguinis naturali intensius aucta, & plus minus turbata, adeoque non naturali facta ex abusu rerum non naturalium, consistunt: *Hæ* vero *in fermentatione sanguinis præternaturali*, ac spirituum influorum præternaturali fervore & impetu hinc concitato; id vero quod eam occasionaliter inducit, adeoque fermenti præternaturalis vices occupat, est secundum fundamenta supra in genere posita, & quantum hactenus ex juvantibus & nocentibus judicare potui.

Vitium chyli, sub digestione plus minus corrupti, & ob id in duodeno à bile affusa minus perfecti, sed *vitiose alterati*, quod sub liquoris fermentativi occulto acido dulcis, aut acido amaricantis volatilis nidorosi forma, successive massæ sanguineæ instillatum, eo usque vices fermentationis & circulationis leges subit, donec ulterius aut copiosius congestum, vel quacunque occasione externa excitatum, tandem ordinariam sanguinis fermentationis & effervescentiam naturalem turbat, indeque quasi effervescentiæ præternaturalis occasio existat; mediante qua, heterogenea ista materia sanguini suffusa, ipsique inimica secernitur, & hinc excernitur: Vel sanguinea corrupta & inquinata deficiat in effectu secretorio, ut tandem prorsus immutata ejus textura & fermentatio vitalis, & spiritualescentia, & ipsa vita, ceu illorum effectus deficiat; Adeoque depuratur massa sanguinea in Febre continente salutari, penitus vero pervertitur eadem in lethali, quasi scil. generosum mustum fermentando se depurat, & fæcum secretione, tanquam quasi coctione in vinum generosum abit; quod undecunque læsa fermentatione ista, in vappam, aut situm, aut potum ingratum, aliisve modis vitiatum transit: Quod simile intelligibilius saltem reddendæ, non autem explicandæ harum febrium naturæ inservit.

Nempe hoc ipsum chyli vitium est quasi (mutatis nempe mutandis) stercus liquidum, sive scoria ex intestinis præternaturaliter transmissum in massam sanguineam, ibidem irritando Archeum febrem inferens, ut vult *Helmont. Tr. de Febr. cap. 11.*

Confirmat hactenus dicta analogia ista, quæ inter febrem Intermittentem & Continuam talem intercedit; dum non saltem de facili complicantur, aut invicem permutantur; sed quod unus est in intermittente paroxysmus, hoc in continua est integri morbi cursus; Nempe acidum primarum viarum fermentativum, sed sub digestione aberrans, chyli non recte transmutati, & consequenter nec debite perfecti medio, in ægri massam sanguineam delatum præternaturalis fermentationis est occasio, quod alias naturali modo chylum perficiens, hunc sanguini permiscibilem, & continuatæ fermentationis adjumento perfecte assimilabilem reddit; Adeo nempe, secundum *Verulamium hist. V. & M. p. 136.* Stomachi robur fundamentum est ad reliquas coctiones, & omnes succorum in corpore fermentationes sunt saltem continuationes fermentationis in stomacho inchoatæ; ut loquitur *Symson* in *Zymologia* p. 50.

Ex dictis hactenus vis operandi & ratio causarum remotarum prompte elicitur, Cur febres hæ soleant frequentius occupare corpora juvenilia; magis grassari verno & æstivo tempore; corpora item εὔσαρκα & εὔχυμα, quorum massæ sanguineæ, ob particularum fermentiscibilium copiam & volatilem acrimoniam, intensius fermentari solent; ut taceam prohibitam transpirationem insensibilem, iracundiæ fervorem, acrium & volatilium abusum &c. *Etmuller pagina* 300.

9. *In ventriculo, apud Zecchium*) Præter frequentissimas Febrium differentias quæ ab Autoribus proponuntur, dantur nonnullæ à causis peculiaribus & extraordinariis oriundæ, quæ in usu practico interdum solent apparere; Exemplo sit casus à *Zecchio* allatus, de Infante duorum annorum, febre continua laborante cum gravissimis symptomatis, inquietudine, motibus convulsivis, & nausea continua, Cui etiam malum morem esse conjunctum inde conjiciebat, quod tam gravia symptomata febri non responderent, Omnes enim partes externæ frigebant, licet internæ urerentur; quod ex calore circa thoracem & hypochondria, nec non ex arida nigraque lingua intelligi poterat; Cujus causa erat sanguis putrescens in ventriculo contentus; Cum enim huic infanti loquela impedita fuisset, ob innaturalem linguæ cum partibus subjectis colligantiam, & præsertim cum membrana quæ frenum dicitur, ideo nuper illi à Chirurgo lingua cultello à subjectis partibus separata fuerat; In quo opere aperta vena aliqua sanguinem in ventriculum effuderat, qui illic putrescens, calidos, putridos, ac veluti venenatos vapores in cor & cerebrum expirando, omnium commemoratorum symptomatum causa fuit: Exhibito *oleo amygdal. dulc.* ad ciendum vomitum, cujus ope sanguinis concreti purulentique notabilis copia ejecta; ad hęc clystere injecto, qui sanguinis corrupti grumos permultos eduxit, infans convaluit.

10. *Si Eventum spectes*) Quoad Prognosin; Terminantur febres acutæ, vel *perfecte* ad sanitatem aut ad mortem, vel imperfecte: *Perfecte*, quando aut crisi subitanea, aut successiva λύσει convalescunt ægri; Sin minus, invalescente quotidie febri, agrypniæ, deliria, convulsiones superveniunt, hinc mors ultimam ducit lineam: *Imperfecte*, dum ab usu nimio præcipitantium, sive absorbentium fixiorum, supprimitur impetus fermentativus humorum & spirituum febrilis, & fixato in tantum acido morboso, aut recidiva, ut plurimum periculosior, denuo resurgit; aut febris acuta in lentam, hecticæ similem, mutatur.

Alias febris tam continens quam continua Tertiana, ceu acuta, sunt ambigui exitus: per se quidem minus periculosæ quæ mox extremos habent labores, h. e. quæ nimis sunt acutæ, & ubi symptomata actiora præsertim ac mox in principio ingruunt, Tales fere malignæ esse solent, inde quævis malignæ acutæ periculosæ censendæ sunt, *Urina alba*, aut admodum cruda, in febribus ardentibus admodum periculosa est, & plerumque mortem portendit: *Urina alba, tenuis* & clara in delirantibus, cum febre continua vel ardente, lethale est signum.

Quando *Urina rubicundior* est initio, tanto citius terminatur, cum signis bonis ad bonum, cum malis ad malum; *Quæ lethales* futurę sunt, vires indies magis prosternũt, citra ullam criticam evacuationem, aut si quid excernitur die minime decretorio, naturę fatiscentis signũ exhibet: Cum sunt morbi acuti, 7. aut 14. die finiuntur apud nos; quin & ad 20. extendi solent; qui in aliis regionibus ordi-

ordinario 7. terminantur, rarius ad 14. extenduntur: unde in effatis *Hippocratis* & Practicorum, regionis ac aliarum circumstantiarum probe habenda est ratio: Dum per crisin finitur, usitatissime quidem apud nos vel sudore, vel alvi fluxu solvitur, In calidioribus regionibus inprimis hæmorrhagia narium critica judicatur: *Hildanus cent. 6. Obs. 77.* observat virum robustum febri ardentissima & continua laborantem, qui 7. die in sudorem adeo flavum ac si croco tinctus esset erupit: tam copiose, ut contorta subula aqua ubertim exstillaret, & linteamina omnia croceo colleore inficeret. *Etmuller pag. 308.*

[10.] *Si Eventum spectas*) Periculosissima est quæ continuo augetur, deinde quæ eundem servat tenorem, mitissima quæ semper decrescit: 2. Synochi sæpe intra diem quartum solvuntur 3. *de Cris.* In solis synochis quarto die crisis feliciter succedit, sicut & die sexto, quod aliis febribus non contingit, ut docet *Galenus* & post eum *Amatus*; sæpius tamen, ait *Avicennas*, ad septimum crisis extenditur, & ad XIV. 3. Gravitas symptomatum, attendenda, ut sunt gutturis inflammationes, sermonis difficultas, lacrymarum involuntaria profusio, somnus profundior, aut vigiliæ immodicæ, anhelitus difficultas, phrenitis, signum sunt mortis. 4. Variolæ, pustulæque nigræ, lividæ, malæ secundum Arabes; ex quibus nostras purpureas cognitas fuisse colligitur. 5. Jactatio de loco in locum, ventris borborygmi, præsertim si alvi profluvio inflatio non quiescat, malum: 6. Vrina alba ut in ardente, ita & synocho, mortem prædicit: Dolor gravans in collo & cervice vel mortem vel delirium portendit; inquit *Rhases* ex proprio experimento: 7. Si diutius duret in Ardentem degenerat, quod tamen non est necessarium: Longitudo tamen ejus cognoscitur, ut in aliis morbis, ex communis signis, tum ex faciei & corporis constitutione in mole & characthere &c. *Primirosius.*

[11.] *Eventum si spectas*) Prædictionem quod attinet, cum, ut *inquit Hippocr. Acutorum morborum* (febres intelligens) *incerta sint indicia*, non temere salutem aut mortem polliceri debemus; periculum tamen, aut bonam spem, nec hoc tamen frivole nimium, sed ambigue patefacere possumus, observatis signis atque accidentibus, diebusque inprimis decretoriis, atque inter eos *Indices* vocatos observare convenit, ut prout in illis signa bona maláve se offerunt, an crisis bona maláve aut dubia, in certos quoque dies cadere solita futura sit, prædicere queamus; *Platerus.*

[12.] *Eventum si spectas*) Talis febris solvitur vel subitanea crisi, vel successiva λύσει, Illa nonnisi in his febribus solet accidere, idque frequentius in calidioribus climatibus, & generosiori victu potuque utentibus, rarius apud nos, idque vel 7. vel 14. vel 21. &c. λύσει vero pedetentim solvitur, dum cocta materia, V. g. per successivam urinæ excretionem, vel per sudores nocturnos crebrius repetentes successive excluditur, Quo etiam facit quando eædem, præsertim plus minus acutæ, solvuntur per copiosam expectorationem & exscreationem cum moderata tussi: Sicut præsertim petechialibus copiosa ex faucibus excretio, & quasi ptyalismus morbum solvit: Interdum successive abscessus quodam in loco supervenit &c. nempe & λύσις hæc, his in febribus, successiva materiæ morbificæ coctionem insequens, criseos [illegible] vicaria, tamen excretione vel translatione materiæ [illegible] fit necesse est, nisi in lentam aut hecticæ [illegible] hæc febris degeneret; aut ex materia cocta, [illegible] te. h. e. non sufficienter in falsum mutatæ, [illegible] renovato fermentationis impetu recidiva sequatur. *Etmuller. p. 299.*

[13.] *Observatum quoque illos*) *A Petro Pachequo observat. 24.*

[14.] *Respicit*) Continua putrida solitaria febris, etsi varias species sub se comprehendat, veluti *Continuam Tertianam, Quotidianam, Quartanam*, & quæ illis frequentior est, *Inordinatam* dictam, *Synochum* item *putridum* & *Causonem*, cum tamen harum omnium causa sit eadem, sanguis in venis putrescens, licet ob illius diversitatem, locique varietatem, hæ illius species pro exacerbationum ratione tantum differentes oriantur; nos tamen omnium curam simul, cum pleraque, si non omnino, saltem ex parte, accommodari possint, remedia accommodamus. *Platerus.* Quoad curam febrium *Acutarum*, in hac si unquam alias, Medicus sit in febribus acutis Naturæ minister; cum enim depuretur m. s. in iisdem, adeoque fiat sanguinis febrilis effervescentia, ob materiæ, ejusque heterogeneæ, ipsiusque naturæ aversantis secretionem, ut ejus coctio, & hinc crises testantur, manifestum evadit, Indicationes veras & genuinas in eo versari ut sanguinis præternat. fermentatio intra modum naturæ propositum ingruentem conservetur, ea nimirum ratione s ut nec hinc plus æquo gliscat sive intendatur, unde periculosa symptomata insequi solent; nec illinc nimium torpeat, sive deficiat, qua ratione materiæ coctio & excretio impediretur, ac facile lenta chronica febris dubii eventus superveniret; ut recte loquitur *Sydenham sect. 1. c. 4. meth. cur. Febr.*

Medicatio igitur febrium talium, cum à sola fiat natura, hinc solum *Medici est officium ut illius conatum debite moderetur & adjuvet*, 1. Impedimenta removendo. 2. alterantibus & blandis diaphoreticis, h. e. (fermentum febrile, ejusque acrimoniam plus minus absorbentibus, & temperantibus, vulgo bilem corrigentibus) causæ occasionalis peccantis vim moderate infringendo: 3. symptomata nimis urgentia mitigando: *Primum* præstat per V. S. evacuatio: *Secundum* vero *nitrata, antimonialia fixa, animalium partes duræ.*

Tertium in genere *anodyna*, in specie moderate *acida* aliave appropriata; Hac nempe methodo, nec negligit crisin Medicus, nec otiose eam expectat: Crisin negligere jubet *Helmont*, quia anticipare, idque rectissime licet, remediis nempe universalioribus & sublimioribus, mox initio vim causæ occasionali, sive fermenti morbosi evacuando, & naturæ turbatæ impetum sistendo: Crisin vero otiose expectant & veteres & nonnulli moderni, qui præmissa V. S. frigidæ largiore haustu saltim curant ægros, motum naturæ criticum observando; sub spe criseos. *Etmuller. l. 1. p. 309.*

[15.] *Alterationem per refrigerantia*) Alterantia usurpanda, quæ calorem febrilem refrigerando & humectando emendantia *morbo* contraria sint; quæ una & causæ putridæ calorem & evaporationem retundant, & simul putredinem emendent; *Causæ* quoque opponuntur, & per consequens *symptomata* quæ à febrili calore emergunt, ut sunt dolores capitis, vigiliæ, sitis, inquietudo &c. emendant.

Refrigerantibus itaque & humectantibus utendum; quæ communis cum in omnibus sit regula, ut *Hippocrat.* in victu docet, maxime in hisce acutis, tum quia magnus in illis est calor, & causa in sanguine accenso & putri latet, locum habet: Inter quæ *acida*, cum putredini resistant, id maxime præstant, Additis quæ *obstructiones* quoque, si illæ adsint, tollant: Hic tamen non ut in synocho simplici, affatim est refrigerandum, sed sensim, ne humorum impediatur coctio, quæ solis refrigerantibus perfici nequit, cum ipsorum portionem corruptam maturescere oporteat; Hæc itaque & *exhibitis*, & *injectis* & *admotis* perficiuntur.

In *Potu* ordinario *aqua*, quia humectat, actuque refrigerat & madefacit, eo nomine & *sitim* compescit, eamque hujus sedandæ causa ægri maxime appetunt, præcipue competit, Quæ vel *cruda*, vel *cocta*, vel *præparata* datur, De *Cruda* vide §. *Caute circa haustum aquæ frigidæ*) *Cocta aqua simplex*, cum nihilominus humiditatem suam servet, & grata sit, in stomacho debiliore, quia flatulentiam & cruditatem deposuit, melior est; *Composita* inter-

dum datur addit iis quæ vel simul nutriunt, vel putredini resistunt, illiusque penetrationem juvant, vel potentia refrigerant, vel alioquin eam corrigunt.

Ex *Nutrientibus* potius quam refrigerantibus, ut vulgus putat, est *hordeum*, quo nomine *Hordei Decoctum* usitatum est, quod cum parvam nutriendi materiam conferat, affatim quoque bibere conceditur: quod & in exacerbatione, cum calor ad exteriora jam pervenit, datur: *Panis in aqua agitatus*, succumque deponens, eamque dealbans, nutritivam aliquo pacto illam facit. *Nitrum præparatum*, cum *albumine* ovi in aqua fontana agitatum & dissolutum, jucundum & putredini resistens potum efficit: *Amygdalarum* in *aqua cruda* vel *cocta* contusarum *emulsio*, *Lac* dictum, valde apud Germanos usitata est; quæ tamen cum nimium nutriat & victus tenuis hic requiratur, non itatur ad satietatem illam bibaot concedenda, sed potius alimenti loco quam sitis extinguendæ gratia exhibenda; Quod si diluta admodum detur, paucas amygdalas ad mensuram unam aquæ addendo, incommodum hoc minime afferet, Et si *semina cucurbitæ*, aut *melonum* excorticata cum paucis *amygdalis* ponantur, utilissimus & magnæ virtutis potus fiet.

Putredinis resistentia *Acida* plerumque & *Dulcia* sunt; *Acida*, cum simul refrigerent egregie, usque ægri summopere delectentur, præ cæteris competunt; Quo nomine *aceti* guttas aliquot ut sic se mutuo corrigant, aquæ permiscet *Galenus*: Sed & succi alii, ut *granatorum*, *vinosorum*, *mustorum*, seu potius mistorum dictorum, plurimum commendantur: *Syrupi aciduli* id præstant, aquis permisti, *Acetosus simpl. de limon, de acetositate citri, de ribes, de succo oxalidis, de agresta, de omphac. granat. pomor.* præcipue *redolentium*, *&* *prunorum acid.* item gratissimus *cerasorum acidor.*

Ii qui austeri simul sunt, qualis de *Berberis*; si fluxus alvi adsit, non inutiles erunt. *Aqua* his permiscentur, fiuntque Julepi, ut *aqua endiviæ*. *lactucæ* (quæ & per se solæ affatim quoque bibuntur) *cichorij*, *acetosæ*, quibus & *aqua rosar.* si adstrictio requiratur, addi poterit: *Dulcia* aliqua putredini quoque resistunt; & ex illis *saccharum* potius quam *mel*, cum facile in bilem convertatur, in adultioribus si illis delectentur, interdum potionibus miscetur, sed quia dulcia plerumque fastidiunt, potius *acido dulcibus syrupis* permiscentur: Sed & Passularum quoque decoctum in usu quibusdam gratum est.

Corrigentia cruditatem in ventriculis debilioribus quædam interdum addi possunt, quorum caliditas, si quam habeant, copia aquæ evicta facile deperditur: Inter quæ *cinnamomi* tantillum, ut odor tantum suavis aquæ concilietur, in ea decoquere, vel potius eam aquam aromatizare est vulgatissimum: Alii *semen coriandri* incoquunt, *rad. galangæ*, alia: *Santalum rubrum* aquæ vini rubri colorem inducit, ad fallendos delirantes vinum expetentes, præsertim si *vino granator.* vinosus aquæ odor quoque concilietur.

Inter medicamentosa alterantia *Potiones* variæ & *Julepi*, cum utrumque præsteot, *humores* nimirum, & *corporis* inde *natam* intemperiem emendent, per totum morbi decursum eo nomine usurpari possunt.

Clysteres, non solum cum constipatio adest, ut ea tollatur, & ut humores ad alvum deriventur, sed quoque *alterationis* causa injiciuntur: qui tamen minus id quam assumpta præstare possunt, cum non *actu*, ut illa quæ sumuntur, hos frigidos injicere tutum sit, nec adeo ut illa ventriculum afficiant, cujus consensu maxime corpus refrigeratur, & sitis extinguitur; idcirco laxationis potius nomine quam refrigerationis usurpantur.

Extrinsecus occurrentia, *alterationis* causa usurpanda, sunt *Aër* (de quo in *Diæta*) & *remedia quæ adhibentur*, de quibus capite de *Causo* sequ. §. *Hæc admovenda pectori &c.*) *Platerus.*

33. *Alterationem per refrigerantia*) Remedia *Alterantia* in his febribus usitata, non ipsum solum *affectum*, sed & ejusdem, *causam* materialem occasionalem respiciunt, & *symptomata* primaria: Illa sunt *Nitrum* & *Nitrata*, inprimis *Nitrum antimoniatum*; & *Nitrum vitriolatum*, sive *arcanum duplicatum Mins.* hinc *sulphura mineralium fixa*, præsertim *antimonialia*, v. g. *antimonium diaphor.* tam *simplex* quam *compos.* aut *Martiale*, *Ludovici* aut *Poterij antihecticum*, *bezoartic. miner. simplex*, aut ℞. *antimon.* &c.

Hinc *absorbentia animalia*, usque cognata *terrea* v. g. c. c. sine igne, *hujusque gelatina*, cujusvis acris temperativa, *Ebur sine igne, maxilla lucii piscis, corallia præpar.* aut *borum cum succo citri magister Unicornu fossile*, *terra sigill.* Quin & *salia volat. c. c.* Item *liquor c. c. succinat.* subinde cum aliis fructuose usurpantur: Hisce ex *vegetabilibus refrigerantia* & *hepatica* vulgo dicta itidem accensenda, *cichor. tarax.* &c. Quo pertinent *semina frig. maj.* dicta, oleosa sua vi blande temperativa, Emulsionis forma usitata. *Sylvius* Cap. 29. §. 40. Corrigendæ acrimoniæ oris salinæ, inter composita commendat Apozema sequens in dies usurpandum, quantitate mediocri & tepidum.

℞. *acetosæ totius m. ij. fol. frag. v. violar. ãã. m. ij. coqu. in aqu. hordei, colat.* ℥xx. *adde syr. acetos. citr.* ℥ij. *nitr.* ℈ß. *m.*

Ad emendandam *bilis oleositatem* inflammabilem præscribi poterit Apozema sequens similiter usurpandum.

℞. *rad. plantag.* ʒj. *fol. semperv. maj. portulac. ãã. m. ij. coqu. ex aqua pura ad* ℥xx. *adde syr. portul.* ℥ij. *ol. sulph. p. c. q. s. misce.*

Ad *bilem sanguini penitius immistam* denuo ab ipso secernendam conferet Apoz. sequ. eodem modo usurpandum.

℞. *Tarax. totius m. ij. h. fumar. m. j. coqu. ex aqua pura ad* ℥xx. *colat. adde syr. cichor. simpl.* ℥ij. *salis tart. vitriol.* ʒj. *misce.*

Remedia quæ *symptomata* magis respiciunt, sunt inprimis *acida*, *æstum*, *sitim*, *oris squalorem virium diminutionem* mitigantia, Talia vel ex *vegetabili* regno sumuntur, adeoque mitiora, vel ex *minerali*, adeoque acriora existunt; *illa* in æstu minus urgente, hæc ubi intensior æstus, nec subjecto patienti, aliisque circumstantiis proportionatus adest, magis locum habent, Illa enim facilius in salsum, temperatum, diureticum in nobis alterantur, *hæc* è contra, fixioris naturæ, & quasi firmioris texturæ, minus alterabilia sunt, adeoque humores nimis effervescentes ceu acida potentiora figuot, & inde natas æstuationes aliaque pathemata mitigant.

Vegetabilia usitatiora sunt *succus citri*, *cydonior*, *ribium*, *rubi idæi acetosæ*, *tamarind.* &c. Præ ceteris commendabiles sunt hi ipsi per spontaneam residentiá depurati: *Mineralia* suggerunt *spiritus minerales*, tam simplices, primario *sulphuris*, hinc *vitrioli*, *salis*, *nitri*, quam compositos, nempe clyssos, sulphureos, Item illos tam *acres*, quam mediante spiritu vini dulcificatos, qui merito aliis præferuntur: Hæc enim suprema sit lex praxeos, quam sæpius urget *Sylvius*, ut quantum fieri potest *temperatis* insistamus, quia etiam naturaliter omnia corporis nostri contenta fluida sunt temperata: 2. Quia remedia intemperata subitaneam nimis inferunt mutationem, quæ nunquam bona: Ex omnibus illis *spiritum Sulphuris*, hinc *spiritum nitri dulcem* eligerem: Ex quibus plures formulæ, in incremento & statu proficuæ concinnari possunt, v. g.

℞. *arcani duplic.* gr. xvi. *antimon diaph.* ℈ß. m. pro dosi Pulvis hic ita compositus interdum non nihil laxare observatur.

℞. *antimon. nitrati, sive nitri antimon.* ℈ß. *ad* ℈j. *antimon diaphor.* ℈j. m. pro ij. dozibus.

℞. *c. c. sine igne* gr. xv. *bezoart min. vel Jovial*, ℈ß. *camphor.* gr. j. *vel* ij. *misce.* Vel

℞. c. c.

℞. C. c. sine igne gr. xv. antimon. diaph. ℈ß. sal. volat. c. c. gr. vj. pro dosi.

℞. ebori s. igne igne, unicornu foss. cinnab. antimon. ana. gr. viij. misce. Vel.

℞. aqu. tarax. card. ben. flor. acacia ana. ℥j. gelat. c. c. ℥j. ad ℥iß. c. c. sine igne ℈j. antimon. diaph. antihect. Poter. ana. gr. xij. syr. portulac. ʒvj. misce. Vel.

℞ aqu. rubi. id. ℥iß. tarax. ℥j. succi rib. vel rub. id. ʒvj. ad ℥j antimon. diaphor. ʒß. ad ʒj. spir. nitr. d. q. s. ad gratum saporem, vel ʒj. ad ʒiß. misce. Item.

℞. aqu. tarax. ℥iij. tinct. flor. bellid. ʒiß. ad ʒiij. c. c. sine igne ʒß. antihect. Poter. ℈j. syr. papar. rh. vel albi ℥j. misce. Vel ubi magis Salsa acrimonia peccat.

℞. sem. iv. frig. maj. ana. ʒiß. papav. albi ʒij. cum s. q. aquæ flor. flor. pap. rh. f. Emulsio, adde ebor. sine igne ℈ij. antimon. diaph. ℈j. sacch. parum, m. capiantur subinde cochleat.

Alias Acida ista fere sub Julcporum forma imprimis præscribuntur, V. g.

℞. flor. bellid. rubr. rosar. tunicar. ana. m. ß. infunde in aq. commu. mens. ℔ß acidulatur parum spir. sulph. per campanam, stent in loco tepido ad extractionem Tinctura: Colat. adde syr. rubr. id. vel ros. rub. vel violar. q. s. pro grato sapore.

Ad Sitim Vide Sylvium l. 1. Pr. capit. 1. §. 11. & 13. & cap. 29. §. 47. Decoctum herb. & rad. acetosa, elegantis & coloris & grati saporis, cui vel succi acetosa expr. vel ribium addi potest.

℞ Decoct. rad scorzon. cum c. c. ℔j syr. acetosell. de nymph. ana. ℥j. ad ℥iß. Tinct. rosar. violar. ʒiß. sp. sulph. parum m.

℞ aqu. font. ℔j. syr. rub. id. ℥iß. papav. albi ʒvj. ad ℥j. spir nitri dulc. ʒj. ad ʒij. vel q. s. misce. Etmuller p. 316.

1. Alterationem) Humores vena secta alterandi & præparandi, ut natura vel arte possint postea evacuari: Id præstant syrupi refrigerantes putredinemque coercentes cum aquis accommodatis, qui eligendi secundum ægri dispositionem, nam alij leniunt, alij incidunt, alij incrassant; Siquidem si alvus fluit, syr granat. de limon. oxysacch. de acetos. citri. Julep Alexandr. Tinct. rosar. Cons rosar conveniunt, quia simul putredinem arcent & adstringunt: Si alvus sit adstricta, syr. violar. de cucurb. quia leniunt; de fumar. de cichor. de endiv. quia abstergunt: Sanguis crassior attenuabitur leviter incidentibus & acidis: Tenuior incrassabitur decocto lenium & jujubarum, ex Avicenna, si Vigiliæ adsint adde papaver; Si Tussis cavendum ab acidis, ut granatis, limon. sed addantur passulæ, sebestes, jujubæ: In cardiaca adde rosas, santal. spod. c. c. ras. eboris, In alvi constipatione pruna dulcia, tamarindos Aqua distillata ex Anguria secretum quibusdam est in his febribus remedium: ℞ succi Anguria ℔j. sacch. ℔ß. coque in syrupum. Pr[illegible] rosim.

℞ spiritus vitrioli. urina ana ℔j. m. distilla per retortam & [illegible] cendet butyrum crystallinum, de quo detur ℈j. cum quæ s[illegible]u phlegm. vitrioli ℥iij. misce & da ægro, Tanta [illegible] medicina quę multorum vitam servavit, Calorem [illegible] præternaturalem internum extinguit; Joh. Poppius [illegible] mat. de Febrib. p. 129.

Per [illegible]efrigerantia) Præter interna remedia Extrinsecu[illegible] varia adhibentur ad calorem febrilem tempe[illegible]u[illegible] p[illegible]idcipum robur confirmandum, vel po[illegible] laxandos; & fuliginem caloremque febrilem [illegible]hendum Epithemata nimirum, Linimenta, ali[illegible]ati, aliisque partibus admovenda: Quæ caloris tempe[illegible]estinata sunt, nonnisi in statu aut declinatione [illegible]enda, dum calor ad exteriora sese diffundit, non [illegible]o, vel augmento, dum circum viscera adhuc [illegible]ec etiam instante crisi.

Epithema cardiacum.

℞. aqu. bugl. acetosa, nymph. rosar. ana. ℥iij. aceti rosac. vel succi limon. ℥j. pulv. elect. diamarg. fr. & triasant. ana. ʒj. camph. & croci ana. gr. v. m. f. Epithema applicandum tepide cum panno scarlatino.

Ad magis roborandum, & odoris gratiam adde aq. naph. ℥iij. conf. alkermes ʒj.

Epithema solidum si magis corroborandum.

℞. conserv. bugl & rosar. ana. ℥j. conf. alkerm ʒij. pulv. elect. diamarg. frig. ʒiß. cum succo limon. vel aq. ros. f. Epithem.

Vel forma Linimenti.

℞. conf. Alkermes & de hyacintho ana. ʒiij. pulv. el. triasant. & diamarg. fr. ana. ʒij. cum aq. ros. f instar Linimenti.

Ad roborandum quoque, & fuligines caloremque febrilem foras evocandum maxime conveniunt Pulli columbini per spinam secti, & regioni cordis applicati, qui etiam non raro sinapisari solent pulveribus cardiacis, ut diamarg. frig. & triasant. vel antequam applicentur, regio cordis confect. alkermes & linimento cardiaco illinitur.

Hepati quoque Epithemata admoveri solent.

℞ aquar. endiv. acetos. cichor. rosar. ana. ℥iij. aqu. lactuc. ℥ij. acet. rosac. ʒß. pulv. elect. triasant. ʒj spod. ʒß. camphor. ℈ß. m.

Ad potentius refrigerandum, fiant ex succis.

℞. succi endiv. cichor. ana ℔ß. succi lactuc. & aceti rosarum ana ℥ij. pulv. triasant. ʒij. Misce.

Non solum autem Hepati, sed etiam uni vel alteri Hypochondriorum regioni Epithemata refrigerantia adhibere utile, Illa enim non solum pepasmum promovent, sed etiam viscerum intemperiem emendant, & impediunt ne partes principes in marasmum lethalem incidant.

Linimentum Hepatis regioni renum & lumborum admovendum.

℞. Vngu rosac. ℥iß. cerati santal. ʒj. succi endiv. ℥iß. ol. ros. & ceræ ana. q. s. adde parum aceti rosac. unctionis tempore.

Testibus etiam refrigerantia utiliter adhibentur propter maximum consensum qui ipsis cum partibus principibus intercedit; illis ideo refrigeratis totius corporis incendium magna ex parte restinguitur, illis hoc Epithema adhiberi potest.

℞. aqu. nymph. plantag. rosar. & cichor. ana ℥iij. aceti rosac. ℥iß. vini ℥ij: m. his immergatur linteum, quo actu frigide Testes involvantur.

Manuum & pedum refrigerationes maximum quoque juvamentum afferunt, ob eundem consensum quem habent cum toto corpore, propter arterias, venas & nervos quæ ad illas partes desinunt. Neque timendum est ne excrementorum difflationem impediant, siquidem pauca sunt quæ ex illis partibus effluunt, & ideo majus ex refrigeratione juvamentum quam nocumentum emergit;) Contra recentiorum mentem, nam revera & plurimi fuliginosi effluunt vapores e manibus & pedibus, & maxima incommoda ex illorum suppressione oriuntur, hinc calceatis pedibus dormire Sennertus docet admodum esse noxium; Vide Sim. Pauli, Tr. de Febre maligna, Fatuitatem ortum ex refrigeratione pedum observavit Th. Bartholinus &c.

Ad manuum & pedum lotionem sequens fiat Decoctum.

℞. fol. lactuc. violar sempervivi, portulac. fol. vitis salic. ana. m. j. cap. papav. num. xij. vel fol. ejusdem (si adsint vigiliæ) m. j aceti ℥ij. vini albi ℥ij. aq. fontis q. s. f. Decoctio.

Cui adde si lubet lixivij parum ad corroborationem artuum, Hoc laventur manus, brachia, pedes, tibiæ, tepide bis in die, aut semel hora somni. Riverius.

15. Caute circa haustum Aqua frigida) Apparente coctione nullum remedium Aqua frigida præstantius, refrigerat, humectat, calorem extinguit, & demum vacuationi humoris febrilis opitulatur, Sed prohibent 1. humor crudus & crassus, quia illius coctionem impedit; 2. si viscera fuerint imbecilla, 3. si in iis fuerit inflammatio aut dolor. 4. si calor innatus fuerit debilis, corporisque constitutio frigida; 5. si æger non fuerit assuetus

sinistra parte incensa vero, aut dolentia, aut intenta, aut inaequaliter affecta dextra parte ad sinistram, hæc omnia animadvertenda sunt. Hippocrates l. v. Progn. §. 31. Constituit tres optimi hypochondrii notas, ut sit doloris expers; molle & æquale: *Doloris est expers* propter absentiam causarum quæ dolorem hypochondriorum movere solent, quales sunt inflammatio, flatulentus spiritus, vehemens incendium, obstructio & convulsio, *Mollities* ejus deprehenditur ex moderato renixu, id est, quando ad tactū nullam duritiem repræsentat, estque sine obstructione, phlegmone, scirrho, tumore, immodica resiccatione, abdominis revulsione ad superiora, ab inanitione, *Æquale* vero est, ubi in utraque parte, tam dextra quam sinistra, æqualiter est constitutum, in substantia, quantitate, qualitate & situ partium, *In substantia*, ut non sit hęc pars durior, altera mollior: *In qualitate*, ne aliqua parte dolore careat, aliqua vero crucietur; Vel alio loco calidius, alio frigidius sit; *In situ*, ne versus inferiora retractum, seu excavatum, vel versus exteriora distentum, ac promineat, juxta 2. aph. 35. Hujusmodi autem hypochondrii constitutio bona est, ut *signum*, scil. integrorum viscerum; Et ut *causa*, nempe optimæ constitutionis, distributionis, excretionis, & facilioris respirationis. *Barthol. Horne. Vartn Med. l. 1. §. 31.*

55. *Convulsiones*) Quia convulsio febri ardentissimæ superveniens mala; quia ab inanitione: In ejusmodi convulsionibus febres ardentissimas consequentibus incipiunt contremescere manus, quod malum est signum (nisi ex consuetudine id fiat, ut in temulentis & ebriosis; quia tunc genus nervosum resiccatur, & valde imminuitur nativus calor. Deinde revellitur pulsus, & retrahitur manus sursum versus humerum. Hæ manifestæ convulsiones fere incidunt sub mortem, neque unquam æger evadit tertium, quartum aut quintum diem. *Hollerius.*

56. *Convulsiones, & circa viscera*) Si in assiduitate febrium acutarum, motus partium quæ sponte moventur, involuntarie fiant, aut hypochondria intro contrahantur; cum viscerum dolore acerbo, malum: Tales enim convulsiones, acerbique dolores, ab inflammatione, vel potius siccitate ortum habent. Ab inflammatione quidem diaphragmatis, quæ utrumque hypochondrium contrahit convellitque convulsione per catachoesin. A siccitate vero hepatis aut lienis, dum enim hepar aut lien inaruit à nimio febris æstu, per sympathiam afficit diaphragma; sicque contrahitur hypochondrium. *Liebautius* in *dict. aph.*

56. *Et circa Viscera*) *Hippocrates* vocat σπλάγχνα omnia interanea, ut pulmonem, cor, ventriculum, lienem, hepar, Galli vocāt, la *Fressure*: *Philotheus* intelligit Hypochondria; quod si admittam., significabūtur viscera hypochondriis subjacentia; Viscera, ut viscera sunt, non sentiunt, neque dolent, tamen dolent propter colligationem quam habent cum partibus nervaceis; Vel si hepar vehementer intumuit, dolor commovebitur, quia pendebit deorsum, & detrahet diaphragma ac membranam succingentem costas; Itaque graves obstructiones hepatis & lienis, eorundemque inflammationes, afferunt acerbissimos dolores ratione partium ambientium & vicinarum, quæ nervaceæ sunt & membranaceæ. *Hollerius.*

57. *Quæ mala*) Sinistri aliquid præ se ferunt, sive viscus trahatur in contagionem biliosæ materiæ ab anadrome, sive id accidat per syntimoriam visceris primum affecti; Sunt enim hæc signa contumaciæ morbi, & sunt causæ labefactentes viscera, M. *Guillandinus*, cum ex inanitione quidam toto corpore convelleretur, hominem totum cado repentis olei immergi jussit. *Heurnius ibidem.*

58. *Vehementes mentis emotiones*) [Greek illegible], seu ea mentis alienatio per quam ægri interrogati non respondent, puncti sentiunt quidem, sed neque clamant neque conqueruntur, quæque ex cerebri inflammatione provenit; ubi compresso quodammodo ejus incendio, affectio in habitum redacta est: Et ideo ejus phrenitidis consectaria quæ ab inflammatione procedit: Taciturnitas hæc garrulitati succedere censenda est, & ab exustis & quasi incineratis humoribus, bile quasi in melancholiam transmutata proficiscitur: Tales ægri [Greek illegible] dicuntur; Addit *in febribus*, ut eam [Greek illegible] excludat quæ superveniens furor utilis censetur ex aphor. 5. sect. 7. *Jonstonus in præd. Coacam.*

59. *Capitis dolor continens*) In febre acuta (*tam primigenia quam symptomatica, qualis inflammationem cerebri consequi solet*) continens capitis dolor (*illeque ingens*) *in prognostico* [Greek illegible] *dixit*) cum gravibus aliis signis (*ut æruginosa bilis crebra & pauca vomitione, cervicis dolore delirio*) mortem minatur, Quod si neque præterea alia signa mala sunt (*quæ vel fluxus perennitatem, vel partium principum vitium indicent*) & viginti dies superat, (*quo tempore lentiora incipiunt fieri omnia ratione celeritatis, vehementiæ & assiduitatis*) aut sanguinis ex naribus (*materia jam pepasmo subacta, quæ cruda adhuc septimo excerni non potuit* (aut puris effluxum (*Humore, cephalalgiæ causa, postquam nec per diaphoresin tolli potuit, à calore in pus converso, mox expulso*) aut abcessus ad inferiores corporis partes (*materia à nobilissima & officinali parte ad ignobiles per* [Greek illegible] *detrusa. Virgini Aidersiana a surditate remansit superstes pedum dolor*) denuntiat, præcipue quidem in his qui nondum 35. annum attigerunt fluxiones, In superioribus autem abscessus sperare convenit, (*natura per illam ætatem medio modo se habente*) Si vero dolor vehemens circa frontem ac tempora affligat (*quod illarum partium venæ sint crassissimæ, & cerebrum ibi ubertius jaceat*) fluxiones expectandæ sunt (*è naribus scil. quod causa cephalalgica motus non citius desinat quam ad oscula venarum delata, iisdem reclusis foras prorumpat.* Ionston Not. in dictam Coacam.

60. *His etiam dolores ad coxendices decumbunt*) ut *Herophonti* accidit 1. *Epid.* sect. 3. Cui abscessus decurrerunt, ut oportuit quibus homo liberaretur; nam à supernis ad inferna semper, & à nobilioribus ad ignobiliora; nam imprimis fuit surditas, à surditate tumor lienis, ab hoc dolor inguinis sinistri; Deinde dolores ad ambas tibias. &c. *Vallesius in comm. p. 60.*

61. *Febris*) Essentiali, continua & acuta, in qua *Sanguis multa bile perfusus ad caput tendit. Jonstonus.*

62. *Deducta ad eam quæ fit* [Greek illegible]) Modo natura, humoris potens, cerebrum & alia viscera liberare possit; nam ut & omne periculum tollatur, procul abscessus, [Greek illegible], in parte totius materiæ capacissima exoriri debet; id quod Herophonti accidit. *Idem.*

Cessatio præter rationem) *Hermocrates l. 3. Epidem.* in febre ingenti, non valde siticulosus fuit, quod duorum alterum significare poterat, corruptionem sensus, aut delirium; Nam non dolere, cum sit causa dolendi in parte, nulla alia ex causa fieri potest, quam aut quod propria partis natura admodum sit corrupta; aut quod mens, quam partibus omnibus, ut sentiant, adesse oportet, sit per delirium avocata; ac proinde, etsi patiatur, non sentiat, Iuxta id quod in aphor dicitur, *Quicunque parte aliqua dolentes omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Vallesius 3. *Epid. pag.* 138. Tempestate quadam libr. 3. Epidem. in febre Acuta ægri non valde siticulosi erant, neque tamen delirabant: Si delirassent, non mirum fuisset sitis carentia; tamen citra delirium, & cum febre acuta, sitis præter rationem, ac proinde etiam malum, Significare enim poterat naturæ corruptionem; tametsi in his non puto istud ad malignam causam debere referri, sed ad multæ humiditatis redundantiam, quam assiduæ pluviæ illius anni pepererant. *Idem ibid. pag.* 286.

64. *Cum tamen intus ardeant*) Tales *Hippocr.* in *Prorrh.* nominant [Greek illegible], æstuantes, injudicate perfrigeratos.

65. *Sudor frigidus*) Fiunt in acutis febribus sudores

illi

illi frigidi, quia, ut vult *Galenus*, tanta est humoris crudi & frigidi copia, quæ in venis putrescit, unde calor ille internus ingens, ut neque à calore nativo, neque à febrili possit incalescere (*Sed si à neutro possit incalescere, quomodo febrim acutam excitare valebit* ?) Præterea, quemadmodum glacies, quantumvis fundatur in Sole, incalescere non potest, ita de humore illo crudo à febrili calore fuso, & liquato censendum, unde colligitur caloris nativi extinctio, & præterea retentrix facultas exoluta. *Hollerius in comm.*

65. *Frigidus*) Frigidus sudor manifestus est Medico, non tamen semper ægro, ut qui sæpe præ calore corpus sudet, *Idem.*

66. *Isque circa caput tantum*) Si sudor is appareat, distinguere oportet, siquidem apparet vel toto corpore, vel in pedibus tantum & manibus, vel in thorace, vel circa caput, faciem, cervicem, In quacunque corporis parte moveatur, malus est; Sed deterior est & perniciosior in partibus superioribus, ut capite, cervice, facie, & thorace, quia tunc expectatur syncope, id est præceps virium lapsus, Ac hi quidem sudores non solum sunt frigidi sed etiam tenues. *Idem.*

67. *Sanguis stillans*) Alias stillas synceras vituperavit mihes *Hippocrates* : Galenus per syncerum, sive merum, nigrum intelligit; quia rubrum, qualem merum sanguinem esse oportet, non putat significare gravem affectionem; Ego vero intelligo dicere *Hippocratem* quæ dicit, Stillare autem sanguinem purissimum nihilo melius est tunc temporis, imo vero fortasse etiam deterius; quia præterquam quod evacuatio est quantitate & tempore mala, non evacuantur qualia oportet, sed qualia non oportet, *Vallesius in lib. 1. Epid. sect. 2. p. 64.* *Ægru iij. sect. 2. lib. Epidem.* vehementi febre correpto, quarta die ex nare sinistra paucus & merus sanguis effluxit; quod quidem & secundo sic factum fuerat, cum mala significatione, sed nunc illud etiam mali accessit, quod quarto die evenit; Id enim etiam per se vituperatur, 1. *Prorrh.* in initio, ubi ita scriptum. *Stillatio è naribus bis perniciosa ... al. as, tum si quarto* cœperit die, neque sane citra causam, *Quodcunque enim grave, die iudicatorio gravius est*, D... autem quartus est primus impetus eorum qui moventur per pares; Et quod ad cœlestem causam attinet, pr... us eorum qui magnam vim obtinent, primi enim quaternarij finis. *Idem ibid. p. 246.*

68. *Febrire incipientibus*) Febre nempe acuta, cujus celerrimi sunt motus, & ideo celeres mutationes & crises, *maxime vero* juvenibus biliosis. *Jonstonus.*

69. *Si cum permutatione*) A facultate cerebri validiore, id *quod molestum est excludere tentante Idem.*

69. *Albis die quarta in urina sedimento*) Eoque æquali simul & lævi, perfectæ concoctionis & crisis futuræ signo.

70. *Solutionem in septimo promittit*) *Adventus* enim non ... vocabulo utitur; Cum materia morbifica perfecte sit concocta, cujus urina illa signum, non poterit à natura mitificata ... eidem molesta esse, quæ evacuationem criticam necessario antecedere debet. *Jonstonus.*

71. *De Alvo aquosa &c.*) Sic habet Coaca, *Quibus cum febre* (*continua scil. & acuta, quæ vires acquisivit*) lateris dolore accedente (*ab humoribus tenuibus & biliosis ibidem stabulantibus exorto. & pleuritidem mentiente*) alvus aquosa ... ile permixta transmittens (*natura crisin, sed imper... moliente*) allevationem affert (*quod materia, à cujus præsentia morbus dependet, fit aliquantulum evacuata: Rejectiones in pectoris affectibus plerumque suspecta sunt*) deinde vero cibos aversantur (*ut se atque ... habeant; ventriculo à continuo regenerate. propter pravam vi... ferrum dispositionem, humore laso*) & sudoribus diffluunt (*Retentrice propter copiam imbecilli*) cum bene colorata facie (*Quod affectio quæ à principio intemperies à materia tantum erat, in inflammatorium degeneravit, prout in peripneumonia fieri solet, & faciem coloravit*) ac humescente alvo (*i.e. alvo liquida propter humoris acrimoniam & malignitatem expultricem stimulantem, permanente*) & dolor aliquis oris ventriculi succedit (*Cardialgiam nempe, malo versus partes superiores & spiritales se extendente*) ij diutius morbum trahentes (*quod affectiones istæ inflammationis participes, serpendo varias pervadant partes*) pulmonum vitiis laborantium more intereunt (*i.e. mediante suppuratione, quam lenta corporis consumptio insequitur aut μετὰ πνιγμοῦ καὶ ῥεγμοῦ, cum strangulatu & gutturis stridore* Jonstonus.

72. *Extremorum frigus*) In acutis morbis Frigiditas partiũ extremarum malum, 1. quia significat gravem inflammationem internam, quæ cucurbitulæ instar sanguinem & calorem partium externarum ad se trahit, & is attractus consumitur. 2. *causa*, quia dolor est vehemens, ut in ventriculo præsertim 3. Quia est extinctio caloris nativi, 4. cum in febribus calor ille partium extremarum tam vehemens sit ab exhalatione materiæ febrilis, materia quædam crassa & viscida inclusa in medio corpore vias intercipit, ita ut calor febrilis non possit exhalare & pervenire ad cutim: *Hippocr. lib. de morbis* dat aliam rationem, quia videlicet partes extremæ, ut manus, nasus, pedes, aures, cutis, aliquando & externæ, siccæ sunt, ut interiores humidæ: Quum igitur tales sint partes exteriores, humor paucus harum partium peruritur & consumitur, à calore illo febrili consumpto humore, necesse est calorem, qui ibi est, extingui, quo extincto, necessario refrigescunt. *Hollerius.* Si in morbis acutis, febrem continuam comitem habentibus, frigeant extrema, aures nimirum, nasus, pedes, manus, cutis denique universi corporis, funestum est præsagium.

Frigent quidem extrema in invasionibus febrium intermittentium; in morbis quoque longis ob materiæ frigiditatem, sed id citra perniciem: At in acutis præter modum calor urit æstuatque totum corpus: Si ergo interna viscera urantur, externa vero frigeant, indicium erit inflammationis alicujus conceptæ in aliquo viscere, quæ ad se totum sanguinem & spiritum revocat: Aut imbecilli admodum caloris nativi, qui non valet extremas partes attingere; & si febris adsit, quod fere accidit in longis febribus; languescente ipso ægro; Aut caloris oppressi nimia crassorum humorum copia; Aut doloris alicujus vehementis, ob quem videmus ægros rigere & in toto corporis ambitu refrigerari: Extrema si frigeant cum siti, aut cum sudore, aut cum livore eorundem, lethale, sin minus, malum. *Liebautius. ibid.*

73. *Vel Parotides*) Interdum febri superveniunt Parotides, quæ periculosæ sunt, & dolorem maximum excitant; hic enim febrem geminat ac vires prosternit, unde natura victa nequit humorem foras propellere, qui excurrens in cerebrum mortem minatur, nisi alvi fluor, aut sudor, aut alia insignis evacuatio superveniat: Cum ergo Parotides se proferunt in febribus, repellentibus non utendum, quia tumor ille est prope partem nobilem: Adde quod humor per crisin expulsus non est intro regerendus, sed si dolor urgeat utendum anodynis, pars affecta est illinenda *Ol. chamom. lilior. amygd. dulc.* dein supponenda lana succida iisdem oleis imbuta, his oleis interdum *mucilag. sem. lini, fœnugr. alth.* extractæ in *aqua decoct. chamom.* adipes, butyrum adduntur, Quorum usu si nihil proficiatur, nec humor digeri possit, ad suppurantia veniendum: hic prodest basilicum cum fermento veteri vel acri incorporato, ut ex intimo recessu humor attrahatur.

Quia autem humor hujus morbi materia, ob sui crassitiem non facile suppurat, non est expectanda perfecta suppuratio, sed ubi aliquod leve suppurationis argumentum se profert Parotis aperienda, vel ferro vel cauterio potentiali, quod illi parti apponetur quæ tactu mollior apparebit, sic facto emissario pars venti-

labitur, & exigua sanie resudante dolor mitigatur & Natura per viam arte factam se exonerabit, Reliqua curatio fit detergentibus, sarcoticis, epuloticis. *Enchir. Med. Pract.*

73. *Parotides*) Huc refer Coacam sequentem, *In plurimis graveolentibus dejectionibus, cum febre acuta, præcordiorum contensione, ex longo intervallo, oborta ad aures tubercula, mortem afferunt.* Sicut exitiosis Parotidibus (inquit Martianus) nihil optabilius supervenire potest quam diarrhoea, aut dysenteria, quarum beneficio spes aliqua salutis concipitur; quod quidem observavit *Hippocr.* libr. 1. *Epid.* sect. 2. in *Hermippo*, eo quod materia morbifica à superioribus & nobilioribus partibus revellitur ad inferiores & ignobiliores, à quibus tandem naturæ impulsu excernitur, ita vice versa diarrhoea correptum supervenientes parotides occidunt, si diarrhoea ex graveolentibus humoribus fiat, cum febre acuta, & hypochondrij tensione; Ita enim omnis spes tollitur critici abscessus, tum ex parte diarrhoeæ, quæ cum graveolentia, etiamsi copiosa excernat, omnem coctionis suspicionem tollit, indicatque tumorem hypochondrij inflammationem esse malignam, & succos ipsos corrumpentem; Tum ex parte ipsius Abscessus, qui salutaris esse nequit, non solum propter præsentiam cruditatis præfatæ; sed etiam quia in parte excitatur minime convenienti, facta materiæ translatione ab ignobili & inferiori parte ad superiores & nobiliores: qui quidem abscessus eo graviores erunt quo tardius eruperint, ægro jam à progresso morbo consumpto, nam hi in ipsa eruptione ægrum è medio tollunt. *Martianus p. m.* 436.

74. *Livores*) Livor partium, vitalis facultatis internecionem significat, ut in Prognostico dicitur, magisque quam si omnino nigrescant; Quod signum ubi conspicue videris, certo scias in proximo jam esse mortem. *Vallesius Epid. p.* 568.

75. *Quibus manus ante faciem*) *De manuum motione; ita censeo, In febribus acutis, aut pulmonum inflammationibus, aut phrenitide, aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur, & aliquid frustra venantur, & festucas colligunt, aut floccos è vestibus evellunt, & ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mortem portendit.* 1. Prorrh. t. 15.

Manus, *ait Aristoteles* 4. *de part. Anim.* cap. 10. datæ sunt homini, tum quia erectus, nec iis tanquam cruribus; uti pecudes, uti posset, tum quia prudentissimus omnium animalium cũ esset, instrumento pro prudentia usurpando egeret, Idque *Galenus l. 1. de usu Part.* confirmat, Hominem ratione, omnium artium altrice & inventrice donatum, habuisse opus multis instrumentis, quæ in una manu comprehendantur, ut jure ea dicatur instrumentum instrumentorum: Si ergo manus & vox, sunt proprium rationis instrumentum, sequitur functiones manuum, dum bonæ sunt, à ratione bene operante proficisci; ubi vero pravæ, indecentes ac turpes, id ab aberrante ratione pendere: Errare autem rationem semper malum est, præsertim in morbis acutis.

Præterquam enim quod ineptæ hujusmodi manuum gesticulationes ægrum jam delirare ostendunt; in alterius quoque rei, nempe materiæ morbificæ, seu fuliginosorum vaporum, non cerebrum tantum, sed & oculos occupantium, ac falsa phantasmata excitantium, cognitionem nos inducunt; Fiunt autem hęc falsa phantasmata per morbos quorum hic mentionem facit *Hippocrat.* suffusionis in modum, elata sursum vaporum vel humorum magna copia, quæ ubi intra caput contineri non potest, ad oculos quoque transmittitur, & inter humorem crystallinum, corneamque tunicam sese insinuans, aqueum humorem inficit, & sic pro varia sua natura ac motu varias producit rerum imagines, sic ut interdum veluti pilos quosdam, vel flocos, vel festucas, vel etiam pulices aut muscas prætervolantes videre se putent, non secus ac si extrinsecus positæ essent, hasque aut decerpere, aut abigere manibus conantur.

Hæc autem symptomata mala aut perniciosa esse non mirum, cum ob magnitudinem ac vehementiam morborum enumeratorum, tanta vaporum ac humorum copia cerebrum affectum esse testentur, ut iis resistere amplius nequeat, sed ad oculos eos quoque transire permittat, ut sic imaginatione læsa, phantasmata quæ intus sunt in oculo occurrant, tanquam in oculo essent.

Atque hinc etiam nonnunquam contingit quod ægri nonnulli jamjam morituri dæmones aliaque spectra videre se putant, labascente ob morbi vim sensu & intellectus judicio: Distinguendum tamen est an alteratio cerebri ab humoribus vel vaporibus sit tantum in fieri, & cum robore naturæ adversus morbum pugnantis, vel jam facta, prostratis ex morbi victoriæ viribus, Ex illo enim casu multi servantur; Ex hoc neminem eluctari experientia constat. *Barthol. Horn. in vate Medico p.* 64. 65. & 66.

76. *Pueris si venter &c.*) *Pueris convulsiones accidunt si febris acuta fuerit, venter non dejiciat, si vigilent, perterreantur, plorent assidue & color immutetur, & ex viridi pallidus aut lividus, aut ruber contrahatur; Hæc autem pueris recens natis ad 7. usque annum promptissime eveniunt; At grandiores pueri & viri non adeo per febres convulsionibus prehenduntur, nisi vehementissimum & pessimum quoddam signum, ex his quæ in phrenitide fieri solent affuerit;* Convulsiones in acutis morbis futuras prædicere docet. *Hippocr.* Fiunt autem hę maxime in pueris qui VII. ætatis annum neque dum attigerunt, nonnunquam etiam in adultis: At frequentius in pueris contingunt, quoniam nervos habent debiliores, partim etiam ob alimentum pravum, seu vitium lactis & voracitatem, Alvus constipata materiam suppeditat vaporum, Febris & vigiliæ pituitam, ex pravis humoribus collectam colliquant, quæ in nervos incumbit & convulsionem parit; *Terror* fit, quod calor innatus præcipua deserat membra, & ad ventriculũ, noxiis humoribus refertum convolet, ex quibus varij ad cerebrum transferuntur vapores, qui imaginationem falsis phantasmatis objectis perturbant; Ex his vaporibus etiam cerebrum, calore privatum, accumulat excrementa, & inde nervi, hanc excrementorum colluviem recipientes convelluntur; *Ploratus* assiduus etiam futuram convulsionem ostendit: Per hujusmodi enim conatum humores cerebri liqvantur, & per propagines nervorum diffunduntur; Tandem *mutatio coloris in facie*, qui humoris convulsionem excitantis pravitatem ostendit, Nam pallidus quidem aut lividus, humorem maligna imbutum qualitate denuntiat; ruber vero sanguinis copiam & concursum ad cerebrum manifestat: In adultis, & post 7. annum, quando jam omne genus nervosum firmum est, nonnisi gravioribus de causis convulsiones proveniunt, nempe vel partium exsiccatione, vel inanitione, Et cum talia apparent symptomata, qualia per graves phrenitides fieri consueverunt, maxime vero partium faciei tortura, stridor dentium, oculorum mobilitas vel inversio, vel imbecillitas, minitanturque hæ convulsiones certam perniciem, 7. aph. 17. *Barth. Horn. Vate Med. lib.* 3. 36.

TITVLVS

TITVLVS QVARTVS.

De Febribus Putridis simplicibus Continuis.

CAPVT IV.

De Febribus Continuis simpliciter ita dictis.

1. FEbres Putridæ continuæ vel sunt *simpliciter ita dicta*, quarum species *Causus*: vel cum *adjecto*, *seu periodica*.

Febres Continua simpliciter ita dicta, Græcis συνεχεῖς aliis *Synochi* [2] *continentes*) *sunt febres à sanguinis in vena cava putredine exorta, uno paroxysmo omnia quatuor morbi tempora comprehendente*, [3] *sine ulla remissione vel intensione ab initio ad finem affligentes.*

[4] *Signa* sunt, [5] Absentia illorum quæ in intermittentibus occurrunt, nisi vel sit composita, in qua horror & rigor occurrit; vel restagnantes in ventriculo humores, vomitus in principio excitent. *Calor* acrior & vehementior. *Vrina* ab initio interdum, quum nondum putredo invaluit, senum non multo dissimilis, sed quæ postea crescente putredine, est crassa, rubore multo perfusa, turbida, ac sine sedimento; quamvis interdum crassum, [6] copiosum, ac rubescens sedimentum deponat. *Pulsus* magnus celer, frequens, inæqualis & inordinatus, Difficilis *respiratio*, capitis *dolor*, appetitus dejectio, &c.

2. *Causa* est putredo sanguinis, & quidem corpus nutrientis, [7] sive is ex pluribus humoribus constet, sive non. In propria forma considerati, Non totius, sed [7] *Ichorosi* & serosi, [7] qui vitium ex prohibita transpiratione facillime concipit. [8] *Oritur* illa, vel à *vehementi* per impactos multos, crassos, viscidosque humores, in cute, interioribus jecoris, & aliarum partium venis *obstructione*: vel à *contagio* humores inficiente. Putrescere aliquando & [9] in ventriculo, ut apud Zecchium conf. 46. videre est.

Curatio [10] si *Eventum* spectes, est *Bona spei*, si statim decrescit, si symptomata mitiora habet. *Dubia*, si nullius evidentis causæ vi, sub noctis & somni finem excitatur, si extremos statim labores habet, & sævis symptomatibus excipitur. Si ei fluxus alvi, initio magnus, vires dissolvens, ex materia prava, nigricante, intervenit. *Alvus liquida*, ardentibus inprimis, est malum ut *signum* & *causa*. *Illud*, quia indicat vel colliquationem, vel tantam phlogosin, ut omnia intro revocet & retineat, vel partes naturales vi caloris labefactatas, vel potum immoderatius sumptum: *Hoc*, quia interim non excretis qualia debent, & debilitato ventre, vires concidunt; medicamentis solutivis nullus locus; imo tandem, liquidioribus excretis, crassioribus retentis, venter intumescit. [11] Observatum quoque illos qui nec dormiebant, nec conquerebantur, nec nisi interrogati loquebantur, quieti jacebant, & manus tremulas quando pulsus contrectabatur, retrahebant, mortuos.

[12] *Respicit*, I. *Morbum ipsum*, qui reposcit. [13] *alterationem* [14] per refrigeranntia: Cauteque [15]. tum circa haustum aquæ frigidæ & [16] balneum, quæ antiquis in usu, in corporibus hisce inassuetis agendum.

II. *Causam morbi* [17] quæ tollenda, [18] 1. per *venæsectionem* [19] largam [20] nisi vires obstent. 2. [21] *Purgationem* [22] per mitiora, ut [23] Rhabarbarum, Tamarindos, Syrupum rosarum solutivum, diasereos &c. [24] sed nec die critico, quia hypercatharsin excitare solet [25] nec si urinæ [26] inter initia tenues & non nebulosæ, Sæpè leves etiam à Medico irritationes factæ, perturbationes magnas excitare solent: sæpe ex acuto morbo chronicus factus, cum materia in profundo corporis quieta commota est. [27] A Vesicatoriis abstinendum monuit Tonnerus observ. l. I. 20.

III. *Ægrum*, [28] cujus viribus succurrendum partim [29] per *Corroborantia*, ut Morselios citri, conservas & species refrigerantes; partim [30] per *diætam*, cujus superius facta mentio. *Vbi extremi sunt labores, ibi ad quartum usque nihil dare oportet*, inquit Galenus.

Symptomata, quæ illis superveniunt sunt varia, inprimis, I. [31] *Delirium* & *vigilia*, exhiberique potest [32] laudanum opiat. gr. iij. pondere cum syrupo papaver. erratici II. [33] *Sopor*, quem exhalationes putridæ & narcoticæ cerebrum repientes, & materiam in ea pituitosam solventes producunt. III. *Lassitudo totius corporis*, seu ob gravedinem musculosi generis, seu ob spirituum ab exhalationibus putridis impuritatem. IV. *Convulsio* ab orgasmo concitatæ materiæ in partes nervosas se effundentis. Aliquando cerebro & sensu illæsis non tantum universa spina dorsi cum colli vertebris, sed & brachia, manus, pedes, diversimode convelluntur. V. *Paralysis linguæ*, propter catarrhum ad linguæ nervos decumbentem. VI. *Alvi*, propter bilis alio translationem, *obstructio*. VII. [34] *Lumborum dolores gravativi*, ob sanguinis in magnis vasorum infimi ven-

tris divaricationibus putrescentis copiam, & quidem aliquando cum *punctura lateris*, ob materiam à capite eo descendentem. VIII.[35] *Capitis vehementes*, ob materiæ in membranis cerebri à calore febrili commotionem. IX. *Dolor lateris* seu *thoracis* tensivus & pulsatorius, à materia biliosa cum pituita mixta, musculos intercostales externos afficiente, unde respiratio, in exspirando inprimis, quando musculorum externorum contractione thorax contrahitur, difficilis. X. *Dolor ad splenem* cum lassitudine ὀστεοκόπῳ, ob tenuium humiditatum acrimoniam & quandam δίψωδην, cum genarum rubore magno, quam tandem in quartanam diuturnam abivisse *Ballonius* observavit Consil. l. II. 34. XI. *Singultus*, & quidem etiam circa declinationem quandoque ob humoris corrupti & maligni in tunicis ventriculi sedem, qui laudani gr. iij. cum theriacę dr. s. vel j. & conserv. rosar. q. s. aliquando feliciter tollitur. XII. *Crebra mictio*, ob excrementorum ad vias urinarias depositionem, sitibundos renes & quandam δίψωδην. XIII.[36] *Gutturis tumor*, ita ut lingua difficulter officium faciat, quod in glandulas gulæ spongiosas acris humor resudet, & acerrimis vaporibus impleantur. XIV. *Exanthemata sæpe* toto corpore *livida*, *nigra*, quia pars sanguinis aliqua in cutem pellitur; quæ bona si sunt à pepasmo critico; calamitosa si non[37]. De quibus omnibus & aliis consule observationes *Horstii* inprimis, *Ballonii*, *Thonneri* & aliorum.

Nota verò,[38] *Ab his & aliis symptomatibus varias istas febres trahere appellationes.* Dicuntur 1.[39] Ἀλωδώδεις seu *salsæ*, Hippocrat. Epidem. VI. 1. eædem forte cum ταῖς λιγνυώδεσι, *favillosis*, quæ tangentibus pruritum excitant, ab atra bile tam acres vapores exhalante, ut se ægri urtica cædi putent exortæ.

2.[40] Ἀσώδεις, quæ propter affectum os ventriculi, jactationem & inquietudinem perpetuam conjunctam habent: unde etiam δυσφόρητοι & δυσφόρητοι vocantur.

3.[41] Δακνώδεις, *mordaces* quæ remittunt, ubi manu victæ fuerint.

4.[42] Ἐξέρυθροι, quæ faciem intensè rubram repræsentant.

5.[43] Ἔξωχροι, quæ eandem quasi croco tinctam, qualis in biliosis.

6.[44] Πέλιοι, quæ lividam, qualis in pituitosis.

7.[45] Κρυώδεις, quæ *cum frequentibus rigoribus*. 8. Κωματώδεις *soporifera*.

9. Λυγγώδεις ἢ λυγμώδεις, *singultuosæ*, cum symptoma hoc valde increbescit.

10. 2. Τυφώδεις, quæ cum stupore fiunt, & intensam cum furore mentis alienationem habent.

11. Νοτώδεις[46] ad manum humidæ: nonnullis cum præcedentibus eædem, quando nempe ægri perpetuo fumant.

12.[47] Ἑλώδεις *palustres*, quando febricitantes in perpetuis sudoribus natant.

13.[48] Πεμφιγώδεις, Galeno, sunt aliquando quæ cum pustulis erumpunt: quandoque ex quæ exilientium & manui occursantium scintillarum speciem præbent; interdum quæ mentem tentant; nonnunquam madentes & humidæ.

14.[49] Ταραχώδεις *turbulentæ*, non illæ tantum quibus delirium jungitur, sed & quibus alvi profluvium.

15.[50] Φρικώδεις, quæ Semitertianæ esse videntur.

Distinguuntur à quibusdam, in[51] Ὁμοτόνους, seu in eodem tenore[52] à principio ad crisin usque manentes, quia tantum putrescenti materiæ accedit quantum resolutum est: (accensa una parte alia accendi incipit) ἐπακμαστικὰς seu ἀναβατικὰς, seu *increscentes*, humore vitioso inæqualiter putrescente, ita ut plus addatur quam resolvatur, & παρακμαστικὰς, seu *decrescentes*, quod plus materiæ putridæ resolvatur, quam putrescenti addatur.

[1] *Febres Putridæ vel Continuæ sunt &c.*) Sciendum est ex 1. *Epid. sect.* 3. t. 2. Juniores Medicos, i. e. *Hippocr.* posteriores, συνόχους & συνεχεῖς distinxisse. nam συνεχεῖς vocabant omnes Continuas quæ remissiones habent & exacerbationes; συνόχους vero eas quæ ab initio ad finem perseverant nullo stato excandescentiæ ordine: Sic 2. *de diff. Febr.* cap. 9. ac 9. meth. Synochon eam esse dicit cujus tempus uno tenore, quasi una tantum accessione à principio ad finem porrigitur: Ex quibus concludi poterit nomen Synochi non tantum sanguineæ febri, sed & omni continenti debere accommodari, ita ut optime synochos dividi possit secuddum *Galenum* in Sanguineam & biliosam: *Primrosius.*

[2] *Continentes sunt febres à sanguine*) Duæ species à *Galeno* proponuntur, Vna ex sanguine putrescente, de qua 2. m. m. c. 1. & 9. Tum etiam 9. *m. m. cap.* 3. & 5. Altera ex *bile* putrescente in majoribus vasis, de genere ardentium, de qua 2. *de diff. febr. c.* 1. & 2. *de cris.* c. 6. Prima dicitur *Synochus sanguinea*, altera vero *Synochus* biliosa; Licet enim tota humorum massa in venis contenta, sanguinis nomen obtineat, quatuor tamen illius partes agnoscuntur, quarum magis temperata Sanguis speciatim nominatur, calidior Bilis, crudior & frigidior Pituita, crassior & fæculentior Melancholia: Jam vero si pars illa magis temperata, quæ sanguis propriè dicitur, reliquas copia superet, & tota massa putredinem concipiat, *Synochus Sanguinea* efficitur. Si vero tenuior sanguinis pars, & calidior, quæ flavæ bilis naturam æmulatur, reliquas partes superet, & putredinem concipiat, *Synochus Biliosa* exoritur. *Reverius.*

[3] *Sine ulla remissione*) Quæ febres vagatæ sunt Continuæ initio hyemis anni 1573. in nonnullis per unum diem aut duos vacuitas febris adesse visa est, quod novum non est; Nam l. 1. *Epid. hist.* 12. quidam febre continua laborabat, & octava die à febre immunem fuisse ait ur *Hipp.* Et eodem loco, Prægnans mulier assidua febre occupabatur, per tres dies febre vacavisse scribit *Hippocrates* XI. die febris repetiit, & judicata est, Quod

notan-

notandum est, ne eos evasisse existimes quod febre vacare videantur. *Ballonius Epid. l. 1. p. 36.*

4. *Signa sunt*) *Sic illa persequitur Etmuller pag. 298.* Synocha febris, sive Continens; ingruit primitus cum rigore & horrore, plus minus intenso, præcedente membrorum omnium lassitudine & aliquali capitis perturbatione, quam insequitur incalescentia ac æstus totius corporis intensus, isque continuus, eodem tenore, vel persistens, vel similiter decrescens, vel similiter accrescens, usque ad finem status: Itaque æstus vaporosus boni ominis, sæpius acris & mordax cum *pulsu* celeri, frequenti, plus minus magno & vehementi: interdum inæquali. nempe similis fere est pulsus quem possumus in nobis observare quando ex intensiori corporis motu, concutiente irascibili animi pathemate, v. g. ex fuga, ex malo imminenti incalescimus: *Urina* intense crassæ, tinctæ, post aliquot dies successive turbatæ, & sedimentum copiosum deponentes excernuntur: *Situs* affligit intensa, *Saliva* pauca, eaque glutinosa, *Cephalalgia, agrypnia* utplurimum junctæ esse solent. *Etmuller.*

5. *Absentia illorum*) Continuitatis certa erit conjectura si æger sit obnoxius febribus continuis, nam in familiares morbos facilis est relapsus; Et si impuram habeat corporis regionem, & præterea si eo tempore febris continuæ populariter grassentur, cum enim continuarum febrium magnus est proventus, etiamsi prima morbi invasio Intermittentem febrem fore polliceatur, metuenda tamen ob commune aëris virium continuitas. *Enchir. Med. Pr.* Sed si ad ægrum continua febre non multo ante laborantem Medicus accedit, si ab eo intelligat febrim sensim citra horrorem invasisse, & spontaneam lassitudinem præcessisse, non dubitet eam febrem esse continuam. *Ibid.*

6. *Copiosum ac rubescens sedimentum*) Observandum quod eorum urinæ qui constitutionis sunt biliosæ, aut qui laborant scorbuto, aut qui declinant ad phthisin, levi etiam febricula intense rutilescant; ob acriora & acidiora plus minus salia massam sanguineam talium ingredientia, E contra quorum massa sanguinea est magis temperata naturaliter, h. e. dulci nutritio chyloso succo æquali permista, eorum urinæ minus intense, cæteris paribus, tingi solent, & crassiores, illorum vero tenuiores observantur; hinc & pariter in illis naturaliter celeriores & frequentiores, in his rariores & tardiores Pulsus observantur; Semper igitur idiosyncrasia subjecti simul consideranda. *Etmuller p. 199.*

7. *Causa est putredo sanguinis*) Humor in venis & arteriis putrescens sanguis est; cum enim calidus & humidus sit, facile putrescit, eadem ratione qua illum extra vasa effusum corrumpi videmus & putrescere: Verum *universus*, nisi ad extremum vitium pervenerit, vix putrescit, sed quantitas quædam illius duntaxat, remanente semper sanguinis aliqua portione meliore (etiamsi propter morbum & inediam, quam patiuntur ægri, nullus novus dum ægrotant gignatur sanguis) qui vel à putri sanguine separatus aliis in locis consistit; vel etsi illi permixtus est, ab eoque incaluit, nondum tamen, quia minus aptus erat, computruit, & dissipata putri materia, mox ad pristinam puritatem redit; Sicuti hæc ex sanguine detracto consideratoque, qui nunc purus, mox impurus, interdum confusus effluit, observamus: Sed [illegible] ex diversis particulis constet sanguis, separatim una aliqua ex istis, reliqua intacta, potest putrescere, sed [illegible] ue loco putredo illum invaserit, & tenuiorem, & [illegible], & mediæ consistentiæ, & pinguiorem potius quam [illegible] iorem illius partem affici simul necesse est, cum [illegible] n distinctis separatisque (quales tamen in sanguine detracto frigoreque concreto, aliquomodo distinctas o[illegible] nobis conantur) sed penitus invicem confusis sanguineæ massæ quamdiu in venis existit, conficitur: nullaque vel minima sanguinis portio, quæ non ex illis partibus constet, existat; & serum quoque putredinis hac labe infectum, manifesta illius tum per urinas, tum per sudores excretum proferat indicia: Ob quam causam febrium putridarum diversa genera, non ex eo quod diversæ illius partes, quas humores sanguinem, bilem flavam & atram pituitamque vocant, putrescant, uti voluerunt, proficiscuntur, sed pro *loci in quo putrescit*, & sanguinis qui putrescit, diversitate exurgunt. *Phaternus.*

7. *Causa est*) Causas habet easdem quas Synochus imputris sed validiores, nempe quæ sanguinem cumulant, eundemque accendunt, & nonnunquam similium putridorum occursu accenditur, ut fructuum horæorum esu, ex quibus in ventriculo putrescentibus aquosus putridusque generatur sanguis: Sanguineos occupat, carnosos, juvenes, tum quibus retenti menses, suppressæve fuerunt hæmorrhoides: ver, regio septentrionalis, victus polytrophus; ovum, vini generosi potus, somnus immodicus, quia sanguinem *Cumulant, occasionem præbent. Primrosius.*

8. *Ichorosi & serosi*) *Argenterius* non sine ratione addidisse videtur Febrem ab humore seroso & putrefacto (præter quatuor humores, ex quibus quatuor febrium differentiæ desumuntur, Sanguinea, Biliosa, Pituitosa, Melancholica) quam vult esse Synochon: cum enim putrescere queat, cur febrem non pariet: Sic docet experientia multas febres sanari eductis humoribus serosis; detractoque sanguine multus humor aqueus supernatans cernitur, in quo solo febrem reponere oportet, cum nullus alius videatur labefactatus, ipseque sanguis purus appareat; Id ostendunt febres hydropicorum, quæ non ab alio quam à seroso humore fieri possunt; Ostendunt & febres quæ profusione urinarum aut plurimis sudoribus judicantur, aut serosa diarrhoea. Vide *Carol. Pisonem.*

9. *Qui vitium ex prohibita transpiratione &c.*) Cui *Hippocr. l. de loc. in Hom.* hujus febris originem adscribit, *Cum corpore supercalefacto carnes intumuerint*, pituita bilis*que conclusa quieverint, neque refrigeretur quidpiam, neque exeat, neque moveatur, neque aliud quidpiam subeat:* Ostendit enim plenitudinem ex obstructione pororum cutis genitam, in qua post quartum diem purgandum esse docet, nisi febris cessarit, quia in Putridam degeneravit.

a. *Sanguinis, sive is ex pluribus humoribus constat*) Cruoris massa, ex opinione veterum, quatuor humoribus, nimirum sanguine pituita, bile, & melancholia constare perhibetur; Pro hujus aut illius humoris eminentia, diversa temperamenta efformari; atque propter eorum fervores, aut exorbitantias fere omnes morbos oriri statuitur. Hæc sententia licet à *Galeni* usque temporibus Medicorum scholis increbuerit, nostro tamen seculo, cui sanguinis motus circularis, ejusque aliæ affectiones prius incognitæ innotuerunt, aliquantulum suspecta esse cepit: quippe ejusmodi humores sanguinem minime constituunt, verum qui sic appellantur (excepto sanguine) sunt tantum cruoris recrementa quæ debent ab ipso continuo secerni. Vide *supra* §. 7.

Est enim revera sanguis humor unicus; nec alius circa viscera, & alius in habitu corporis; nec alio tempore movetur pituita, & alio bilis aut melancholia (uti vulgo effertur) sed liquor in vasis effervescens solummodo sanguis est, & ubicunque loci per singulas corporis partes defertur, usque idem est & sui similis: quia vero in aliquibus, ob caloris insiti abundantiam, & ob ejusdem in aliis penuriam, alimenti coctio & in visceribus & in vasis modo intensius modo remissius peragitur, ideo sanguinis (licet unici & ejusdem semper liquoris) temperies diversa existit, & juxta variam hujus crisin dici potest quod homines sunt biliosi, melancholici aut alius temperamenti.

Præterea, quia dum sanguis in vasis inter circulandum conficitur; partes quædam continuo inveterascunt, & aliæ de novo supplentur, hinc à cruditate, aut nimia coctione, quid excrementitium congeri necesse est, quod tamen effervescentia (velut in vinorum depuratione accidit) ab ejus massa separatur; scil. *humor aquosus* visceribus aut solidis partibus defixus, is est qui dicitur *Pituita*. *Salis* & sulphuris adustorum reliquiæ quædam in hepate secretæ & vasis choledochis dicuntur *Bilis*: *Feculentia terrestres* in Lieoe depositę, dicuntur *Melancholia*.

Interim sanguis si recte depuretur, pituita, bile & melancholia carere debet, non secus ac cum vina quædam aut cerevisia depurantur, particulæ leviores sursum evehuntur, quæ ejus florem constituunt; crassiores & fæculentæ in imum deprimuntur, quæ in fæcem sive tartarum concrescunt, tamen nemo dixerit vinum, vel cerevisiam è floribus, tartaro, & liquore vino componi, *Willis l. de Febr. c. 1.*

8. *Oriuntur illa*) Ephemeræ & Synochi non Putridæ, in fermentatione sanguinis naturali intensius aucta, & plus minus turbata, adeoque non naturali facta ex abusu rerum non naturalium, consistunt: *Hæ vero in fermentatione sanguinis præternaturali*, ac spirituum influorum præternaturali fervore & impetu hinc concitato; Id vero quod eam occasionaliter inducit, adeoque fermenti præternaturalis vices occupat, est secundum fundamenta supra in genere posita, & quantum hactenus ex juvantibus & nocentibus judicare potui.

Vitium chyli, sub digestione plus minus corrupti, & ob id in duodeno à bile affusa minus perfecti, sed *vitiose alterati*. quod sub liquoris fermentativi occulto acido dulcis, aut acido amaricantis volatilis nidorosi forma, successive massæ sanguineæ instillatum, eo usque vices fermentationis & circulationis leges subit, donec ulterius aut copiosius congestum, vel quacunque occasione externa excitatum, tandem ordinariam sanguinis fermentationis & effervescentiam naturalem turbat, indeque quasi effervescentiæ præternaturalis occasio existat; mediante qua, heterogenea ista materia sanguini suffusa, ipsique inimica secernitur, & hinc excernitur: Vel sanguinea corrupta & inquinata deficiat in effectu secretorio, ut tandem prorsus immutata ejus textura & fermentatio vitalis, & spirituascentia, & ipsa vita, ceu illorum effectus deficiat; Adeoque depuratur massa sanguinea in Febre continente salutari, penitus vero pervertitur eadem in lethali, quasi scil. generosum mustum fermentando se depurat, & fæcum secretione, tanquam quasi coctione in vinum generosum abit; quod undecunque læsa fermentatione ista, in vappam, aut situm, aut potum ingratum, aliisve modis vitiatum transit: Quod simile intelligibilius saltem reddendæ, non autem explicandæ harum febrium naturæ inservit.

Nempe hoc ipsum chyli vitium est quasi (mutatis nempe mutandis) stercus liquidum, sive scoria ex intestinis præternaturaliter transmissum in massam sanguineam, ibidem irritando Archeum febrem inferens, ut vult *Helmont. Tr. de Febr. cap. 11.*

Confirmat hactenus dicta analogia ista, quæ inter febrem Intermittentem & Continuam talem intercedit, dum non saltem de facili complicantur, aut invicem permutantur; sed quod unus est in intermittente paroxysmus, hoc in continua est integri morbi cursus; Nempe acidum primarum viarum fermentativum, sed sub digestione aberrans, chyli non recte transmutati, & consequenter nec debite perfecti medio, in ęgri massam sanguineam delatum præternaturalis fermentationis est occasio, quod alias naturali modo chylum perficiens, huic sanguini permiscibilem, & continuatæ fermentationis adjumento perfecte assimilabilem reddit; Adeo nempe, secundum *Verulamium hist. V. & M. p. 136.* Stomachi robur fundamentum est ad reliquas coctiones, & omnes succorum in corpore fermentationes sunt saltem continuationes fermentationis in stomacho inchoatæ; ut loquitur *Symson in Zymologia p. 50.*

Ex dictis hactenus vis operandi & ratio causarum remotarum prompte elicitur, Cur febres hæ soleant frequentius occupare corpora juvenilia; magis grassari verno & æstivo tempore; corpora item *εὔσαρκα* & *εὔχυμα*, quorum massæ sanguineæ, ob particularum fermentiscibilium copiam & volatilem acrimoniam, intensius fermentari solent; ut taceam prohibitam transpirationem insensibilem, iracundiæ fervorem, acrium & volatilium abusum &c. *Ettmüller pagina 300.*

9. *In ventriculo, apud Zecchium*) Præter frequentissimas Febrium differentias quæ ab Autoribus proponuntur, dantur nonnullæ à causis peculiaribus & extraordinariis oriundæ, quæ in usu practico interdum solent apparere; Exemplo sit casus à *Zecchio* allatus, de Infante duorum annorum, febre continua laborante cum gravissimis symptomatis, inquietudine, motibus convulsivis, & nausea continua, Cui etiam malum morem esse conjunctum inde conjiciebar, quod tam gravia symptomata febri non responderent, Omnes enim partes externæ frigebant, licet internæ urerentur; quod ex calore circa thoracem & hypochondria, necnon ex arida nigraque lingua intelligi poterat; Cujus causa erat sanguis putrescens in ventriculo contentus; Cum enim huic infanti loquela impedita fuisset, ob innaturalem linguæ cum partibus subjectis colligantiam, & præsertim cum membrana quæ frenum dicitur, ideo nuper illi à Chirurgo lingua cultello à subjectis partibus separata fuerat; In quo opere aperta vena aliqua sanguinem in ventriculum effuderat, qui illic putrescens, calidos, putridos, ac veluti venenatos vapores in cor & cerebrum expirando, omnium commemoratorum symptomatum causa fuit: Exhibito *oleo amygdal. dulc.* ad ciendum vomitum, cujus ope sanguinis concreti purulentique notabilis copia ejecta; ad hęc clystere injecto, qui sanguinis corrupti grumos permultos eduxit, infans convaluit.

10. *Si Eventum spectes*) Quoad Prognosin; Terminantur febres acutæ, vel *perfecte* ad sanitatem aut ad mortem, vel imperfecte: *Perfecte*, quando aut crisi subitanea, aut successiva *λύσει* convalescunt ægri; Sin minus, invalescente quotidie febri, agrypniæ, deliria, convulsiones superveniunt, hinc mors ultimam ducit lineam: *Imperfecte*, dum ab usu nimio præcipitantium, sive absorbentium fixiorum, supprimitur impetus fermentativus humorum & spirituum febrilis, & fixato in tantum acido morboso, aut recidiva, ut plurimum periculosior, denuo resurgit; aut febris acuta in lentam, hecticæ similem, mutatur.

Alias febris tam continens quam continua Tertiana, ceu acuta, sunt ambigui exitus: per se quidem minus periculosæ quæ mox extremos habent labores, h. e. quæ nimis sunt acutæ, & ubi symptomata acriora præsertim ac mox in principio ingruunt, Tales fere malignæ esse solent, inde quævis malignæ acutæ periculosæ censendæ sunt, *Urina alba*, aut admodum cruda, in febribus ardentibus admodum periculosa est, & plerumque mortem portendit: *Urina alba, tenuis* & clara in delirantibus, cum febre continua vel ardente, lethale est signum.

Quando *Urina rubicundior* est initio, tanto citius terminatur, cum signis bonis ad bonum, cum malis ad malum; *Quæ lethales* futurę sunt, vires indies magis prosternũt, citra ullam criticam evacuationem, aut si quid excernitur die minime decretorio, naturę fatiscentis signũ exhibet: Cum sunt morbi acuti, 7. aut 14. die finiuntur apud nos; quin & ad 20. extendi solent; qui in aliis regionibus ordi-

ordinario 7. terminantur, rarius ad 14. extenduntur: unde in eſſans *Hippocratis* & Practicorum, regionis ac aliarum circumſtantiarum probe habenda eſt ratio: Dum per criſin finitur, uſitatiſſime quidem apud nos vel ſudore, vel alvi fluxu ſolvitur, In calidioribus regionibus inprimis hæmorrhagia narium critica judicatur. *Hildanus cent. 6. Obſ. 77.* obſervat virum robuſtum febri ardentiſſima & continua laborantem, qui 7. die in ſudorem adeo flavum ac ſi croco tinctus eſſet erupit: tam copioſe, ut commota ſubula aqua ubertim exſtillaret, & linteamina omnia croceo colore inficeret. *Etmuller pag. 308.*

[illegible] *Si Eventum ſpectas*) Periculoſiſſima eſt quæ continuo augetur, deinde quæ eundem ſervat tenorem, mitiſſima quæ ſemper decreſcit: 2. Synochi ſæpe intra diem quartum ſolvuntur 3. *de Criſ.* In ſolis ſynochis quarto die criſis feliciter ſuccedit, ſicut & die ſexto, quod aliis febribus non contingit, ut docet *Galenus* & poſt eum *Amatus*; ſæpius tamen, ait *Avicennas*, ad ſeptimum criſis extenditur, & ad XIV. 3. Gravitas ſymptomatum, attendenda, ut ſunt gutturis inflammationes, ſermonis difficultas lacrymarum involuntaria profuſio, ſomnus profundior, aut vigiliæ immodicæ, anhelitus difficultas, phrenitis, ſignum ſunt mortis. 4. Variolæ, puſtulæque nigræ, lividæ, malæ ſecundum Arabes; ex quibus noſtras purpureas cognitas fuiſſe colligitur. 5. Jactatio de loco in locum, ventris borborygmi, præſertim ſi alvi profluvio inflatio non quieſcat, malum: 6. Urina albaut in ardente, ita & ſynocho, mortem prædicit: Dolor gravans in collo & cervice vel mortem vel delirium portendit; inquit *Rhaſes* ex proprio experimento: 7. Si diutius duret in Ardentem degenerat, quod tamen non eſt neceſſarium: Longitudo tamen ejus cognoſcitur, ut in aliis morbis, ex communis ſignis, tum ex faciei & corporis conſtitutione in mole & characthere &c. *Primiroſius.*

[illegible] *Eventum ſi ſpectas*) Prædictionem quod attinet, cum, ut *inquit Hippocr. Acutorum morborum* (febres intelligens) *incerta ſint indicia*, non temere ſalutem aut mortem polliceri debemus; periculum tamen, aut bonam ſpem, nec hoc tamen frivole nimium, ſed ambigue patefacere poſſumus, obſervatis ſignis atque accidentibus, diebuſque inprimis decretoriis, atque inter eos *Indices* vocatos obſervare convenit, ut prout in illis ſigna bona maláve offerunt, an criſis bona maláve aut dubia, in cer[illegible] quoque dies cadere ſolita futura ſit, prædicere qu[illegible]us; *Platerus.*

Eventum ſi ſpectas) Talis febris ſolvitur vel ſubitanea [illegible] ſucceſſiva *λύσει*, Illa nonniſi in his febribus ſolet a[illegible]ere, idque frequentius in calidioribus climatibu[illegible], & generoſiori victu potuque utentibus, rarius apud [illegible]s, idque vel 7. vel 14. vel 21. &c. *λύσει* vero pedetentim ſolvitur, dum cocta materia, V. g. per ſucceſſivam urinæ excretionem, vel per ſudores nocturnos crebrius repetentes ſucceſſive excluditur, Quo etiam facit quando eædem, præſertim plus minus acutæ, ſolvuntur per copioſam expectorationem & exſcreationem cum mediocri tuſſi: Sicut præſertim petechialibus copioſa ex faucibus excretio, & quaſi ptyaliſmus morbum ſolvit: Interdum ſucceſſive abſceſſus quodam in loco ſupervenit &c. nempe & *λύσις* hæc, his in febribus, ſucceſſiv[illegible] materiæ morbificæ coctionem inſequens, criſeos cum [illegible]icaria, tamen excretione vel tranſlatione materiæ [illegible] fic[illegible] neceſſe eſt, niſi in lentam aut hecticæ ſimilem [illegible] hæc febris degeneret; aut ex materia cocta, [illegible] debite. h. e. non ſufficienter in ſalſum mutatæ, [illegible] renovato fermentationis impetu recidiva ſequa[illegible]ler. p. 299.

11. *Obſervatum quoque illos*) *A Petro Pacheque obſervat. 24.*

12. *Reſpicis* Continua putrida ſolitaria febris, etſi varias ſpecies ſub ſe comprehendat, veluti *Continuam Tertianam, Quotidianam, Quartanam*, & quæ illis frequentior eſt, *Inordinatam* dictam, *Synocham* item *putridum* & *Cauſonem*, cum tamen harum omnium cauſa ſit eadem, ſanguis in venis putreſcens, licet ob illius diverſitatem, locique varietatem, hæ illius ſpecies pro exacerbationum ratione tantum differentes oriantur, nos tamen omnium curam ſimul, cum pleraque, ſi non omnino, ſaltem ex parte, accommodari poſſint, remedia accommodamus. *Platerus.* Quoad curam febrium *Acutarum*, in hac ſi unquam alias, Medicus ſit in febribus acutis Naturæ miniſter; cum enim depuretur m. ſ. in iiſdem, adeoque fiat ſanguinis febrilis effervescentia, ob materiæ, ejuſque heterogeneæ, ipſiuſque naturæ averſantis ſecretionem, ut ejus coctio, & hinc criſes teſtantur, maniſeſtum evadit, Indicationes veras & genuinas in eo verſari ut ſanguinis prætereat. fermentatio intra modum naturæ propoſitum ingruentem conſervetur, ea nimirum ratione; ut nec hinc plus æquo gliſcat ſive intendatur, unde periculoſa ſymptomata inſequi ſolent; nec illinc nimium torpeat, ſive deficiat, qua ratione materiæ coctio & excretio impediretur, ac facile lenta chronica febris dubii eventus ſuperveniret; ut recte loquitur *Sydenham* ſect. 1. c. 4. *meth. cur. Febr.*

Medicatio igitur febrium talium, cum à ſola fiat natura, hinc ſolum *Medici eſt officium ut illius conatum debite moderetur & adjuvet*, 1. Impedimenta removendo. 2. alterantibus & blandis diaphoreticis, h. e. (fermentum febrile, ejuſque acrimoniam plus minus abſorbentibus, & temperantibus, vulgo bilem corrigentibus) cauſæ occaſionalis peccantis vim moderate infringendo: 3. ſymptomata nimis urgentia mitigando: *Primum* præſtat per V. S. evacuatio: *Secundum* vero *nitrata, antimonialia fixa, animalium partes dura.*

Tertium in genere *anodyna*, in ſpecie moderate *acida* aliave appropriata; Hac nempe methodo, nec negligit criſin Medicus, nec otioſe eam expectat: Criſin negligere jubet *Helmont*, quia anticipare, idque rectiſſime licet, remediis nempe univerſalioribus & ſublimioribus, mox initio vim cauſæ occaſionalis, ſive fermenti morboſi evacuando, & naturæ turbatæ impetum ſiſtendo: Criſin vero otioſe expectant & veteres & nonnulli moderni, qui præmiſſa V. S. frigidæ largiore hauſtu ſaltim curant ægros, motum naturæ criticum obſervando; ſub ſpe criſeos. *Etmuller. l. 1. p. 309.*

13. *Alterationem per refrigerantia*) Alterantia uſurpanda, quæ calorem febrilem refrigerando & humectando emendantia *morbo* contraria ſint; quæ una & cauſæ putridæ calorem & evaporationem retundant, & ſimul putredinem emendent; *Cauſæ* quoque opponuntur; & per conſequens *ſymptomata* quæ à febrili calore emergunt, ut ſunt dolores capitis, vigiliæ, ſitis, inquietudo &c. emendant.

Refrigerantibus itaque & humectantibus utendum; quæ communis cum in omnibus ſit regula, ut *Hippocrat.* in victu docet, maxime in hiſce acutis, tum quia magnus in illis eſt calor, & cauſa in ſanguine accenſo & putri latet, locum habet: Inter quæ *acida*, cum putredini reſiſtant, id maxime præſtant, Additis quæ *obſtructiones* quoque, ſi illæ adſint; tollant: Hic tamen non ut in ſynocho ſimplici, affatim eſt refrigerandum, ſed ſenſim, ne humorum impediatur coctio, quæ ſolis refrigerantibus perfici nequit, cum ipſorum portionem corruptam matureſcere oporteat; Hæc itaque & *exhibitu*, & *injectu* & *admotu* perficiuntur.

In *Potu* ordinario *aqua*, quia humectat, actuque refrigerat & madefacit, eo nomine & *ſitim* compeſcit, eamque hujus ſedandæ cauſa ægri maxime appetunt, præcipue competit, Quæ vel *cruda*, vel *cocta*, vel *præparata* datur, De *Cruda* vide §. *Caute circa hauſtum aquæ frigidæ*) *Cocta aqua ſimplex*, cum nihilominus humiditatem ſuam ſervet, & grata ſit, in ſtomacho debiliore, quia flatulentiam & cruditatem depoſuit, melior eſt; *Compoſita* inter-

℞. *c. c. sine igne gr. xv. antimon. diaph.* ℈ß. *sal. volat. c. c. gr. vj. pro dosi.*

℞. *Eboris sine igne, unicornu foss. cinnab. antimon.* ana *gr. viij. misce.* Vel.

℞. *aqu. tarax. card. ben. flor. acaciæ* ana ℥j. *gelat. c. c.* ℥j. *ad* ℥iß. *c. c. sine igne* ℈j. *antimon. diaph. antihect. Poter.* ana *gr.* . j. *syr. portulac.* ʒvj. *misce.* Vel.

℞. *aqu. rubi. id.* ℥iß. *tarax.* ℥j. *succi rib. vel rub. id.* ʒvj. *ad* ℥j *antimon. diaphor.* ʒß. *ad* ʒj. *spir. nitr. d. q. s. ad gratum saporem, vel* ʒj. *ad* ʒiij. *misce.* Item.

℞. *aqu. tarax.* ℥iij. *tinct. flor. belled.* ʒiß. *ad* ʒiij. *c. c. sine igne* ʒß. *antihect. Poter.* ℈j. *syr. papav. rh. vel albi* ℥j. *misce.* Vel ubi magis *Salina acrimonia* peccat.

℞. *sem. iv. frig. maj.* ana ʒiß. *papav. albi* ʒij. *cum s. q. aqua flor. flor. pap. rh. f. Emulsio, adde ebor. sine igne* ℈j. *antimon. diaph.* ℈j. *sacch. parum, m. capiantur subinde cochlear.*

Alias Acidaista fere sub Julepotum forma imprimus præscribuntur, V. g.

℞. *flor. bellid. rubr. rosar. tunicar.* ana *m.* ß. *infunde in aq. commu mens.* ℔ß. *acidulentur parum spir. sulph. per campanam, sicut in loco tepido ad extractionem Tincturæ: Colat. adde syr. rubr. id. vel ros. rub. vel violar. q. s. pro grato sapore.*

Ad *Sitim* Vide *Sylvium l. 1. Pr. capit. 1. §. 11. & 13. & cap. 29. § 47. Decoctum herb. & rad. acetosæ*, elegantis & coloris & grati saporis, cui vel *succus acetosæ expr.* vel *ribium* addi potest.

℞ *Decoct. rad scorzon. cum c. c.* ℔j *syr. acetosell. de nymph.* ana ℥j. *ad* ℥iß. *Tinct. rosar. violar.* ʒiß. *sp. sulph. parum m.*

℞ *aqu. font.* ℔j. *syr. rub. id.* ℥iß. *papav. albi* ʒvj. *ad* ℥j. *spir. nitri dulc.* ʒj. *ad* ʒij. *vel q. s.* misce. *Ettmuller p. 316.*

[1]. *Alterationem*) Humores vena secta alterandi & præparandi, ut natura vel arte possint postea evacuari: Id præstant syrupi refrigerantes putredinemque coercentes cum aquis accommodatis, qui eligendi secundum ægri dispositionem, nam alij leniunt, alij incidunt, alij incrassant; Siquidem si alvus fluit, *syr granat. de limon. oxysacch. de acetos. citri. Julep Alexandr. Tinct rosar.* Cons rosar conveniunt, quia simul putredinem arcent & adstringunt: Si alvus sit adstricta, *syr. violar. de cucurb.* quia leniunt; *de fumar. de cichor. de endiv.* quia abstergunt: Sanguis crassior attenuabitur leviter incidentibus & acidis: Tenuior incrassabitur *decocto lentium & jujubarum, ex Avicenna*; si Vigiliæ adsint adde papaver; Si Tussis cavendum ab acidis, ut granatis, limon. sed addantur passulæ, sebestes, jujubæ: In cardiaca adde rosas, santal. spod. c. c. ras. eboris, In alvi constipatione pruna dulcia, tamarindos Aqua distillata ex *Anguriæ se[...]* [...]rum quibusdam est in his febribus remedium: ℞ *succi Anguriæ* ℔j. *sacch.* ℔ß. coque in syrupum. *Pi[...]rosius.*

℞ *spiritus vitrioli, urinæ* ana ℔j. *m. distilla* per retortam, & [...]cendet butyrum crystallinum, de quo detur ℈j. *cum* quæ [...]u *phlegm. vitrioli* ℥iij. misce & da ægro, Tanta est medicina quæ multorum vitam servavit, Calorem [...] præternaturalem internum extinguit; *Joh. Poppius* [...]man. *de Febrib. p. 129.*

[...] *Per refrigerantia*) Præter interna remedia *Extrinsecus* [...] varia adhibentur ad calorem febrilem tempe[...], [...]artium principum robur confirmandum, vel [...] laxandos; & fuliginem caloremque febrilem [...]trahendum Epithemata nimirum, Linimenta, aliaque [...]he[...]ti, aliisque partibus admovenda: Quæ *caloris tempe[...]* destinata sunt, nonnisi in statu aut declinatione [...]enda, dum calor ad exteriora sese diffundit, non [...]cipio, vel augmento, dum circum viscera adhuc residet, nec etiam instante crisi.

Epithema cardiacum.

℞. *aqu. bugl. acetosæ, nymph. rosar.* ana ℥iij. *aceti rosac, vel succi limon.* ℥j. *pulv. elect. diamarg. fr. & triasant.* ana. ʒj. *camph. & croci* ana. *gr. v. m. f. Epithema applicandum tepide cum panno scarlatino.*

Ad magis roborandum, & odoris gratiam *adde aq. naph.* ℥iij. *conf. alkermes* ʒj.

Epithema solidum si magis corroborandum.

℞. *conserv. bugl & rosar.* ana ℥j. *conf. alkerm* ʒij. *pulv. elect. diamarg. frig.* ʒiß. *cum succo limon. vel aq. ros f. Epithem.*

Vel forma Linimenti.

℞. *conf. alkermes & de hyacintho* ana. ʒiij. *pulv. el. triasant. & diamarg. fr.* ana. ʒij. *cum aq. ros. f instar Linimenti.*

Ad roborandum quoque, & fuligines caloremque febrilem foras evocandum maxime conveniunt *Pulli columbini* per spinam secti, & regioni cordis applicati, qui etiam non raro sinapisari solent pulveribus cardiacis, ut *diamarg. frig. & triasant.* vel antequam applicentur, regio cordis *confect. alkermes* & linimento cardiaco illinitur.

Hepati quoque Epithemata admoveri solent.

℞ *aquar. endiv. acetos. cichor. rosar.* ana ℥iij. *aqu. lactuc.* ℥ij. *aceti rosac.* ℥ß. *pulv. elect. triasant.* ʒj *spod.* ʒß. *camph.* ℈ß. *m.*

Ad potentius refrigerandum, fiant ex *succis.*

℞. *succi endiv. cichor.* ana ℔ß. *succi lactuc. & aceti rosarum* ana ℥ij. *pulv. triasant* ʒij. *Misce.*

Non solum autem Hepati, sed etiam uni versæ *Hypochondriorum regioni* Epithemata refrigerantia adhibere utile, Illa enim non solum pepasmum promovent, sed etiam viscerum intemperiem emendant, & impediunt ne partes principes in marasmum lethalem incidant.

Linimentum Hepatis regioni renum & lumborum admovendum.

℞. *Ungu. rosac.* ℥iß. *ceran santal.* ʒj. *succi endiv.* ℥iß. *ol. ros. & ceræ* ana. *q. s. adde parum aceti rosac. unctionis tempore.*

Testibus etiam refrigerantia utiliter adhibentur propter maximum consensum qui ipsis cum partibus principibus intercedit; illis ideo refrigeratis totius corporis incendium magna ex parte restinguitur, illis hoc Epithema adhiberi potest.

℞. *aqu. nymph. plantag. rosar. & cichor.* ana ℥iij. *aceti rosac.* ℥iß, *vini* ℥ij: *m. his immergatur linteum*, quo *actu frigido Testes involvantur.*

Manuum & pedum refrigerationes maximum quoque juvamentum afferunt, ob eundem consensum quem habent cum toto corpore, propter arterias, venas & nervos quæ ad illas partes desinunt. Neque timendum est ne excrementorum difflationem impediant, siquidem pauca sunt quæ ex illis partibus effluunt, & ideo majus ex refrigeratione juvamentum quam nocumentum emergit;) *Contra recentiorum mentem, nam revera & plurimi fuliginosi effluunt vapores e manibus & pedibus, & maxima incommoda ex illorum suppressione oriuntur, hinc calceatis pedibus dormire Sennertus docet admodum esse noxium; Vide Sim. Pauli, Tr. de Febre maligna, Fatuitatem ortum ex refrigeratione pedum observavit Th. Bartholinus &c.*

Ad manuum & pedum lotionem sequens fiat Decoctum.

℞. *fol. lactuc. violar sempervivi, portulac. fol. vitis salic.* ana. *m.* j. *cap. papav. num* xii. *vel s. d. ejusdem (si adsint vigiliæ) m.* j *aceti* ℥ij. *vini albi* ℥ij. *aq. fontis q. s. f. Decoctio.*

Cui *adde* si lubet *lixivij parum* ad corroborationem artuum, Hoc laventur manus, brachia, pedes, tibiæ, tepide bis in die, aut semel hora somni. *Riverius.*

[15]. *Cauto circa haustum Aqua frigida*) Apparente coctione nullum remedium *Aqua frigida* præstantius, refrigerat, humectat, calorem extinguit, & demum vacuationi humoris febrilis opitulatur, Sed prohibent 1. *humor crudus & crassus*, quia illius coctionem impedit; 2. si viscera fuerint imbecilla, 3. si in iis fuerit inflammatio aut dolor. 4. si calor innatus fuerit debilis, corporisque constitutio frigida; 5. si æger non fuerit assuetus

potioni frigidæ, quibus addit Avicenna corporis extenuationem.

In his casibus si detur, sequuntur incommoda quæ *Galenus* recenset, scil. lentorum, crassorumque humorum digestionem prohibet, imbecillas corporis partes concutit, nonnullis spirandi difficultatem tremorem & convulsionem infert: Contra si humor fuerit calidus, ut bilis & sanguis, aut saltem concoctus, si corpus fuerit carnosum, si calor innatus plurimus, si virtus robusta, si viscera omnia sana, si naturalis constitutio non fuerit frigida, si æger illi assuetus, nullum præstantius ad febres extinguendas remedium potest excogitari: Quas omnes conditiones ad tres reduxerunt *Gal.* 11. meth. 9. & *Paulus* l. 1. cap. 18. *Ergo si vires cuncta valentes sint, & febris ardentissima, coctionis nota evidentes, frigida detur audacter.*

Sin *Hipp.* 3. *acut.* 40. nullam se potuisse frigidæ utilitatem in acutis morbis percipere testatur: Dic illum frigidam damnare in potu, non ut medicamentum, quod paulatim sumpta noceat, non affatim & copiosius: *Rhazes* sui temporis Medicos ridet, quod ab ejus potu crisin retardari ajebant, eamque commendat 1. quia contraria est febri 2. quia ejus symptomata sedat, dolorem capitis, æstum, sitim, vigilias.

Nota autem I. convenire tantum in calida & sicca intemperie, quia frigida & humida est; Est autem intemperies vel totius corporis, vel alicujus partis, vel cum materia, vel sine materia, quibus omnibus frigida prodest; ut in calida sicca ventriculi intemperie, in febribus sanguineis, ardentibus, tertianis, pestilentibus, hecticis, ephemeria, in ipso erysipelate, quod affirmat *Galenus* 9. met. aliter non posse sanari; ij. Si æger temperiem habuerit frigidam, aut totius corporis, aut principum partium, frigidam non convenire, sed tantum temperaturis calidioribus, maxime si sanguine & spiritu æger abundant: iij. convenire tantum robustis & ætate florentibus, IV. Non gracilibus aut extenuatis, hujusmodi enim corpora, ait *Galenus* 2. aph 28. debilia sunt, parumque habent sanguinis, unde eorum viscera vehementer & statim ab aqua offenduntur; 10. quidem *m.m.* 4. 5. *Gal.* exhibuit ægro cuidam extenuato, sed neque copiose, neque semel, verum pluribus vicibus, potius pro potu quam medicamento, sic scribit 9. m. m. 5. *febres hectica aquam neque multam, neque plane gelidam desiderant*, Sunt tamen quidam graciles qui venas habent amplas, plurimum sanguinis, quibus concedi potest. V. Sexum quod attinet, quamvis certum sit magis convenire viris, utpote robustioribus & calidioribus, ulsique tamen sexui competit, dummodo adsint requisitæ conditiones.

Sed an Prægnanti exhibenda? nisi detur, ægra de vita periclitatur; Si detur extinguet calorem fœtus, Sed non adeo lædi potest fœtus, datur enim tantum in summo ardore, à quo fœtus magis periclitatur: deinde temperat tantum sanguinem matris; si non extinguit calorem matris, quam tangit immediate, multo minus calorem pueri, qui nonnisi mediante sanguine materno afficitur.

VI. De Consuetudine dubiū, an sit necessaria conditio? Dico non esse, adeo ut si cæteræ adsuerint conditiones, etsi hæc desit, licere tamen frigidam exhibere, quod si simul cum cæteris accedat, audacius posse administrari.

Sed qua *Quantitate*? Avicennas illam exhibet donec æger fiat viridis & rigore corripiatur, Sed periculum ne calor nativus extinguatur, *Galenus* 8. m. m. tantum propinat quantum ægro bibere licet, sic flamma extincta natura roboratur, quod tutius certiusque est consilium: *Tempus* quod spectat, *Galenus* illam prohibet ante coctionem, etsi enim febris qua febris proprium remedium sit frigida, tamen non est remedium humorum putrescentium, nisi quatenus per alvum, sudorem &c. à natura frigida potu recreata dejiciuntur quæ vacuationes ante coctionem fieri nequeunt: ideo ante coctionem non licet dare nisi in impusri synocho, in qua sanguis temperari tantum debet, non evacuari; quia nulla putredo cruditasvè fangat.

In Pestilentibus quoque febribus & syntecticis frigida statim, & in magna copia exhibenda est, quia urgentiori semper attendendum: Sed, An die critica licet præscribere? Negat *Massaria*, ne critica vacuatio aut retardetur, aut contrarius Naturæ motus succedat, nam ex aph. 20. 1. die critica nihil movendum innovandumque est, At aqua non movet sed tantum naturam roborat, illique sic in motibus perficiendis opitulatur.

In morbis qui per paroxysmos affligunt in statu ipsius accessionis convenit 9. m. m. 5. tunc enim incendium visceribus conceptum extinguitur, partes principes nervo sumq; genus propugnat quominus insigni & repentina aquæ frigore lædantur. Tutius etiam datur si venæ sectio præcesserit, citius enim coctio succedit, ante quam frigida non est danda, cujusque illinc frigiditas per vasa in universum corpus penetrat. Aquam ipsam quod spectat, si quis simplicem, è puro fonte haustam reformidat, detur aut decocta, aut saccharata aceto addito syrupisque refrigerantibus, aut aqua borde i. *Galenus* 3. *de rat.* v. 40. Optimam eam esse dicit quæ est purissima, omni aliena qualitate destituta; si nullum habeat saporem aut odorem, si pellucida & sincera &c. *Primerosius* l. 3. c. 1. De Frigidæ usu vide nonnulla capite de Synocho imputri.

[16.] *Et Balneum*) Laudant Balneum veteres aquæ tepidæ, quidam etiam frigidæ; sed respectus esse debet illius occursus, ne calorem febrilem putridosque vapores intus coërceat; Tepida autem corpus refrigerat & reliquias materiæ resolvit: Sed nostro tempore sine Balneo hæ febres curantur. *Primrosius.* Balnea vel *frigida* admonistrabant Veteres in febre vehementissima, ut ardente exquisita; vel *tepida*; in declinatione febrium, & concoctionis signis apparentibus: Verum nostra ætate non sine periculo hujusmodi Balnea administrari possunt, & in uno tantum casu conveniunt, cum scilicet febris in diuturnitatem abit, & corpus calidum & siccum ac squalidum occupans in hecticam degenerare posse videtur. *Riverius.*

Diaphoretica.

[17.] *Quæ tollenda*) Diaphoresis ut in omni febre, ita in specie in Cononuis conservanda libera: Sic enim calor & æstus mitior, & cephalalgia, ac alia symptomata minus gravia esse solent: minus tamen ad sudorem cogendi sunt ægri, præsertim in principio aut incremento, quia tunc temporis, dum adhuc omnia sunt cruda, sine successu & absque διῳρίᾳ debilitatur æger: Conveniunt autem inprimis diaphoretica salina, terrea, minus volatilia sulphurea & aromatica, vel resinosa, quia hæc καῦμα nimis solent intendere. *Etmuller. pag.* 313.

[18.] *Per vena sectionem*) Si febris est in qua V. S. locum habet talis est sane febris acuta continua, atque saltim ubi nimius urget, aut metuendus est æstus, nimiaque turgescentia contentorum corporis; ut in plethoricis generosiori victu vtentibus, item in assuetis, aut quibus suppressa est solennis quædam evacuatio; in talibus commode vena incidi potest: Et quidem aperienda vena mox in principio, quocunque dici tempore; nempe recte hic loquitur *Lindanus*, Venæ sectio eam ob causam instituitur ne calor immodice exardescat, ut igitur frænet illos æstus, & circuitus sanguinis liberior fiat, opus est V. S. mane sive vesperi; multis enim religio est alio tempore sanguinem mittere quam mane, & hoc qui observant,

observant, quandoque graviter peccant: Et accidit sæpe ut sanguis mittatur cum in furore maximo est febris, cum tamen v. s. fieri non debeat nisi meliore tempore morbi & remissiore calore febris: Nam, ut recte *Celsus* monet *l.2.c.*10. In ipso furore sanguis non est mittendus, & qui tunc mittit idem facit ac si hominem jugularet: Qui itaque matutinum præcise observant tempus sæpe in hunc errorem incidunt. Ergo dies non oportet numerare, sed in principio primo, aut tempore huic proximo, sanguis mittendus, modo hoc observetur ut in remissiori fiat febris tempore. *Etmuller p.* 310.

Veteres in Synocho putrida, & Ardente febre sanguinem mittebant ad animi deliquium, sed multo tutius est partitis vicibus quantitatem necessariam educere quam ægrum subito in vitæ discrimen conjicere: *Avicenna* in febre ardente, & tertiana continua V. S. prohibet, nisi urina crassa rubraque fuerit, metuens ne bilis magis effervescat, cujus sanguinem frænum esse dicit, verum exploditur hæc sententia à sapientioribus, cum hujusmodi febres hæmorrhagia sæpe à natura judicentur, tum phrenitides aliasque interdum inflammationes producant: *Denique* cum S. M. potenter refrigeret, ebullitionem potius cohibet quam excitat, cum non solus sanguis, sed bilis etiam cum eo permista educatur, ita ut in ea massa, quæ superest in venis majoribus, eadem maneat sanguinis ad bilem proportio quæ prius inerat.

Imo vero cum vena secatur, si vegetæ sint ægri vires, & sanguis confertim erumpat, solus putris & naturæ molestus excernitur, remanente in venis puriore, quod à paucis adnotatum, quamvis in usu practico passim observetur, si enim sanguis è vena guttatim effluat, purissimus est, quia motu proprio è vena egreditur, at si cum impetu erumpat, impurus & putris apparet, natura deteriorem sanguineæ massæ partem expellente: Parcius tamen sanguis mittendus est in naturis admodum biliosis, æstate media & sub canicula, quam in aliis naturis & temporibus: *In pituitosis* vero & melancholicis febribus minori copia sanguis mittendus, & perpetuo summa ratio habenda est coindicantium & contraindicantium, cum febres Quotidianæ utplurimum contingant in senibus aut pueris, regione frigida aut tempestate hyberna, quæ sanguinis quantitatem à morbo, vel causa morbifica indicatam imminuunt: Quando febris fit à nimio *labore*, parcius mittendus sanguis: Si ex nimio Veneris usu, V.S. perniciosa.

Quoad *iterationem* spectat, si ea ad evacuationem necessaria est, eodem die instituenda, si revulsionis causa diversis diebus: Nam ubi evacuandum est, præsertim in acutis, subito corpus in alium statum transferendum est; Tum sæpe accidit ut morbus mox principium percurrat, ut postea V. S. non ita commode uti liceat; In *revulsione* vero respicimus ad motum humoris, quia rectius fit si diversis vicibus, & intervallo interjecto natura contrario motui quasi assuescat: intervallo enim temporis sanguis in partes effusus regurgitat in venas, & iterata V.S. utiliter extrahitur; Iterandam esse V. S. intelligimus si sanguis primo detractus valde putris appareat, ejusque in venis magna copia superesse videatur.

Imo vero licet sanguis sit initio purus, ac minime corruptus appareat, non tamen desistendum est ab illius detractione, quin potius ea continuanda est donec impurior & corruptior appareat; Et certe utilissime observari potest in febribus acutis præceptum ab *Hippocr.* traditum 4. de . Ac in pleuritidis curatione, ut scilicet sanguinis detractio continuetur usque ad coloris mutationem, *ut si ab initio corruptus educatur, continuetur evacuatio, donec purus appareat*; Et contra, si ab initio laudabilis *prodeat, eousque educatur donec impurus & corruptus extrahatur.*

Est tamen quædam diversitas adhibenda in utroque casu, si enim ab initio sanguis laudabilis educatur, iteratio debet fieri ex eadem vena, ut sanguis putridus in profundo corporis residens citius educatur, Si vero ab initio sanguis putridus educatur, ex altero brachio sanguis est educendus, & consequenter ex utroque brachio alternandæ sunt phlebotomiæ. (*Contrarium tamen ratio & experientia me docuerunt*, nam cum non ejusdem conditionis sit sanguis in omnibus venis, *si aperta quapiam vena impurus effluxerit sanguis, cur aliam ferias qua purum forsan continebit, id quod aliis suadentibus non semel contigisse animadverti, nullo profectu; impuro scil. remanente, puro effluente.*) Si vero symptomata demonstrent putredinem subesse in inferiore ramo venæ cavæ descendentis, ut æstus & dolor lumborum, urinæ rubor & crassities, post duas aut tres V. S. in brachio factas, è saphena sanguis mittendus, eam evacuationem bis aut ter repetendo.

Si in postremis sanguinis missionibus portio quædam laudabilis appareat; ita ut non adeo putridus videatur ut antea, signum est naturæ restituentis novum sanguinem & probum in putridi vacuati locum: Contra si quo magis educitur eo deterior appareat, signum est morbum in pejus ruere ac putredinem augeri, unde partium internorum necrosis metuenda est. *Riverius.*

18. *Vena sectionem*) Sanguinis detractio, (nisi quid impediat, inter quæ virium subita prostratio, syncope, eaque præsertim quæ in febre quam *syncopalem* vocant; ex diarrhœa vel bile commota prodit, sunt præcipua) quæ vena secta & scarificata cure perficitur, locum hic potissimum habet, tum ut *causa morbi minuatur*, tum ut *accidentia mitigentur*; Causam minuet si vena aliqua patens generalis in brachio aperiatur sanguisque inde extrahatur: Quod certe primarium in hisce febribus (cum causa in sanguine & in venæ cavæ ramis, à quibus sanguis extrahitur, lateat) est remedium, cum & una cum sanguine putredinis portio evacuetur, sicuti manifeste talem fere in principio dum effluit prodire videmus; natura ad extremitates portione aliqua hujus causæ febrilis in venas majores cutaneas, quæ & eo nomine tumidæ sunt iis in locis ubi major est illius copia protrudente; quod & cum talem materiam mox primo ictu effluere solere viderem, occasionem mihi præbuit talem potius venam, quæ hac materia turgeret, eligere, quam discrimen aliquod inter brachii venas, cum uno in loco omnes à cavæ vena juxta jugulum prodeant facere, & vulgi & Chirurgorum, non ita magni in hisce uti & in signis cœlestibus, observationes facere. Sed & per V. S. si calor ventiletur, & refrigerii nomine convenit, febrisque calorem minuit.

Tempus autem ad phlebotomiam faciendam idoneum mox Ipsius febris est principium, in quo & statim fieri debet, ut sic incrementum morbi impediamus, & à causa morbi illico aliquid, dum vires constant, detrahatur.

Sed & in *augmento*, si neglecta fuerit ab initio, fieri potest: In *vigore* tamen qui alias citius, alias tardius supervenit ab ea, ne naturæ motum impediamus, abstinendum; In principio enim teste *Hippocrate*, si quid movendum videtur movendum, cum vero consistit morbus, quiescere oportet. *Platerus.*

19. *Largam*) Quantitas sanguinis detrahendi, pro ratione *causæ & morbi* examinanda erit: *Causæ* occasione, sanguinem si impurus & putris effluat, permittendo, sin minus, citius sistendo; & si quia dum adhuc fluebat sanguis & calebat, non ita uti postea cum refrigeratus congelatur, impuritas illius cognoscebatur, copiosius minime detractus sit, eum rursum quoque, quia morbus exigit, nonnunquam reiterando, & tertio quoque aliquando, si nulla adsint impedimenta, viresque ferant administrando: *Morbi* quoque ratione quantitas sanguinis detrahendi est metienda: Sic enim in *synocho putrida*, ut in simplici, cum & hic in plethoricos soleat incidere, magna

illius requiritur evacuatio: Quæ & in *Causone* ob summum incendium, larga fieri debet, etsi hoc, qui eum à bile pura nasci autumant, quod nos improbamus, damnerit; In reliquis, prout majus minusve est incendium, largius parciusve, observatis ad hæc corporis constitutione & viribus, usurpanda. *Accidentia* quæ sanguinis detractione minuuntur sunt *Cephalalgia* & *Deliria*, quæ hasce febres frequentius comitantur, & quæ vulgus mox observare solet: In quibus materia ad cerebrum fertur, generali venæ apertione præmissa, vena in pedibus secta, & scarificatione in extremitatibus facta, sanguinem inde revellimus: *Derivatione* quoque causa *frontis venam*, in *delirio* præsertim aperimus; vel sub lingua venam tuous tundimus, præsertim cum colli vel faucium metuitur inflammatio: Sed & *scarificationes* in *collo* vel *scapulis* plurimum commendantur. *Platerus.*

20. *Largam nisi vires*) Inter remedia duo præcipue commendantur *Vena sectio*, & *frigida potus*: Et sane V. S. materiam peccantem statim vacuat è venis majoribus, ideoque nunquam differenda, impendet enim periculum ne suffocentur ægri, syncope prehendantur; Sed quantitas sanguinis mittendi valde dubia est, vult enim *Galenus* in utraque Synocho sanguinem ad animi deliquium educendum; quod remedium tum ratione tum experientia intuiti asserit 9. *m. m.* 4. quod corpus in contrarium statum deducatur, ab animi deliquio refrigeratum, cui succedunt alvi dejectio, vomitus sudoresque, quoniam natura humoris noxii vacuatione recreata, facilius reliquum expellit.

Aliis remedium hoc suspectum est, absurdumque est, inquit *Thriverius in aph.* ægrum ad eum statum deducere quem Medici reformidant, contra quem perpetuo pugnant: *Hippocr.* terminum bonæ vacuationis ægri euphoriam constituit, ut animo delinquere & facile ferre contraria sint: Sanus ergo est sequi recentiorum consilium, sanguinisque missionem iterare etiam sæpius, donec indicationi satisfactum sit, quam simul & semel tam abunde evacuare, quia periculosa est subita mutatio, nec vires eorum satis esse perspectæ possunt cum quibus antea non sumus versati, Ne tamen terreatur Medicus si quendo largæ sanguinis profusioni succedat leve deliquium; *Primirosius.*

20. *Nisi obstent*) *Occurrit aliud impedimentum ex sede causæ morbificæ*, Puella 7. annos nata laborabat febre continua non admodum vehementi, sed quæ circa vesperam exacerbabatur. Incepit febris cum vomitu pituitoso, quem deinde sequutus est alvi fluxus etiam pituitosus, per unum tantum diem perseverans, scil. 2. die morbi, urina erat pallida & turbata, anhelitus acidus & graveolens, præscribo Potionem ex infuso *Rhei cum syr. rof.* ℥j. Antequam exhiberetur, alter Medicus volebat istud omittere, & V.S. potiorem esse contendebat; Exhibitum evomuit cum crassa & putrida pituita: Injectus clyster ex cathol. dupl. ℥β. circa vesperam, dejecit tota nocte materiam biliosam fœtidam, mane febris per exigua, meridie febris fuit expers: Hinc collige quantum aberrent qui in omni continua indiscriminatim à V. S. inchoandam esse curationem jubent; Cum sæpe in pueris dictæ febres à putridis humoribus, in prima regione stagnantibus oriantur, qui purgatione facile educuntur: In hac autem puellula vomitus pituitosus & alvi fluxus talem humorum redundantiam indicabant. *Riverius cent.* 1. *obs.* 57.

21. *Purgationem*) Si frigidam exhibere non diceat, Purgantia erunt ex usu, tum quia sanguinis quædam partes in utramque bilem facessunt, tum quia sanguis à reliquis humoribus expurgatus depuratur; Levioribus tamen utendum, *ut cassia fere lactis, rhabarbaro manna. myrobalanis. tamarindis. senna.*

℞. *radic. oxaladis.* ℥β. *cichor. totius, endivia. scariol. cardB. ven. ana m.* β. *femin. cu. um. cucurb. ana* ʒj. *senna* ʒβ. *sem. anisi* ʒβ. *flor. violar. sambuc. ana. pulv. tria. sant.* ℈j. *f. Decoctio ad* ℥iij. *infunde Rhebarb.* ʒj. *dissolve syr. rof. sol.* ℥j. *m. f.* *Primirosius.*

Purgatio, nempe proprie dicta, sive quam abusive *eradicativam* vocant, ut plurimum nociva est in continuis & ardentibus, nec nisi in declinatione morbi videtur convenire, cocta scil. jam materia: Sed tunc fere est superflua & inanis, cum materiæ copia per sudores & urinas eliminari soleat: Quod si non fiat, aliqualis & repetita blandior purgatio, & quæ stimulando saltem motum naturæ provocat, locum habet: In principio harum febrium est frustranea, movens quidem sive turbans corporis contenta, sed non rite promovens nociva, aut saltem inutilis dictis ex causis: Si quid tamen movendum videntur in principio, secundum *Hippocr.* move. *Etmuller p* 311.

21. *Purgationem*) Humorum & excrementitorum Purgationes in Continuis putridis febribus nonnunquam instituuntur, tum ut *causam*, quæ febrem fovet & urget, amoveamus, tum ut eam quæ febrem facit, illique proxima puncta est, minuamus, præparemus & auferamus; *Causa qua febrem fovere* & augere potest, *retentio excrementorum intestinorum & ventriculi* existit.

Retentio crassiorum excrementorum seu fæcum in intestinis, duplici nomine in hisce febribus acutis obesse potest; Tum quia si copia adsint, venæ per sanguinis detractionem inanitæ, in se illuviem ex venis meseraicis primum, illaque ab intestinis ea, uti voluerint, rapiant, quo nomine plerumque venæ sectioni excrementorum alvi quædam ablatio præmittitur; Tum quod si humores purgare volumus, & prius alvi fæces non fuerint elutæ, nec corpus, ut inquit *Hippocrates*, fluidum sit factum, medicamentum hisce fæcibus expurgandis impeditum, minus de reliquis evacuat, quo nomine catharticis hæc fere præmitti solent: inprimis vero quod cum in fæcibus alvi varia excrementa putrida, biliosa contineantur, si ea retineantur diutius, vapore tetro & putr, quem exhalant, calorem si non cordis (quo penetrare minime possunt) saltem partium vicinarum, illarumque quo hic vapor potest pertingere, adaugent, & sic febrem, illiusque symptomata, situm præsertim, capitis dolorem, reliquaque graviora & vehementiora reddunt.

Eo nominene, alvus vel ab initio, nec etiam toto morbi progressu constipata sit, & à principio, & toto morbi decursu laxantibus exhibitis & injectis cavebimus: Quæ naturam leviter, vi abstergente ad excretionem solicitent, at nullo tamen pacto calefaciant, sed vel temperat & humida sint, vel, quod & alterationis causa juvat, simul refrigerent; quæ variis formis, per indita & assumpta administrantur.

In ventriculo si excrementitii, aut crudi humores sint, eadem ratione levioribus expurgantur, Præsertim vero, quia tunc *Vomitus* urget, & si bilis io illum feratur, sitis immensa affligat, orisque amaritudo molesta sit, natura ut per *Vomitum* illud quod molestat ejiciat, juvanda erit, Idque vel actu fauces irritando, vel exhibitis simul vomitoriis levioribus, quæ relaxando & abstergendo potius juvent, & calorem simul contemperent, Quale hoc est.

℞. *aqua tepida poculum unum, aceti albi parum, bibat.*
Vel

℞. *aqua tep. vel brodii pinguis, cyathum, addendo syr. acetosi simpl. vel oxymel.* ℥iβ.
olei comm. loti à salsed, ℥j. *misce.*

Conjunctam causam febris in sanguine, scil. putredinem, etsi venæ sectio potius educat, tamen *purgantibus per alvum, urinas*, & *sudores* de illa aliquid educere possumus, cum ex venis quoque per has vias evacuatio fieri queat.

Purgantibus per secessum primum fere utimur, ut non tantum excrementa intestinorum & ventriculi, uti

dicetur

dictorum eluantur, sed & illuvies in primis venis, quæ putredini in majoribus vasis occasionem præbuit, educatur, & per consequens è venis ipsis, cum natura medicamentis sollicitata, etiam ab intimis locis excrementa præternaturalia, quibus gravatur, soleat ad sentinam illam excrementorum protrudere, de causa morbifica aliquid tollatur; Quo nomine statim, ubi intestina abluta, vel expurgata prius fuerint, post venæ sectionem altero die, vel si ea locum non habeat, eidem maxime cum morbus non dat inducias, vel materia jam turget, ubi præparatione longiore opus non est, illa exhibentur, Interdum vero, cum febris diutius perseverat, præmissa prius præparatione dantur: Sed & in progressu morbi Purgationes, uti & præparationes ante illas interdum repetimus. *Platerus.*

21. *Purgationem*) *Huc pertinent etiam Clysteres*, qui non solum initio morbi, sed etiam toto illius decursu injiciendi sunt, singulis, vel alternis diebus si alvus libere non fluat, compositi ex decocto refrigerantium & emoll. *hordei, prun. malva, vel. sempervivi, nymph.* &c. addito *cathol. cassia, mello violac. sacchar. diaprun simpl. ol. nymph. violac.* In febre tamen intentiori olea omittenda, quia facile inflammantur, Nota vero 1. *semperv. maj.* in decocto unius clysteris squammas iij. vel iv. tantum esse præscribendas, quia potentissime refrigerat, & majori copia intestina lædere posset, ij. In omni febre biliosa clysteres non actu calidos, sed levem tantum teporem adeptos esse injiciendos. *Riverius.*

Vomitoria.

22. *Vomitoria*) *Vomitus* etiam aliquando in principio harum febrium provocandus est, cum videlicet ægrum nausea & vomitus valde urget, tunc enim natura per superiora materiam morbificam evacuare nititur, & medicus illius motum adjuvare debet: Sæpeque accidit ut magna copia materiæ in ventriculo & vicinis locis contineatur, quæ per vomitum quamprimum educenda est, cum nulla tam copiosæ & excrementitiæ materiæ coctio expectari queat, & quodcunque ingeritur in humorem consimilem commutetur, aut peccantem materiam augeat: Recte enim annotavit *Fernelius* 3. m. m. c. 3. omnem illuviem in ventriculo, liene, pancreate, mesenterio & cavis hepatis contentam per vomitum commode expurgari, quæ interdum catharticis, etiamsi pluries exhibitis, deturbari nequiverit: Et non raro fit ut materia per vomitum rejecta febris ab initio tollatur, quæ longa alioquin futura esset, materia illa in penitiores corporis partes transmissa, & sanguini permista. *Riverius.*

Vomitoria, utut non æque videantur necessaria atque in Intermittentibus, nihilominus tamen ubi in principio aut incremento morbi nausea urget, aut inanis vomendi conatus est, saporve amaricans, aut similes ructus adsint, vel cardialgia aut præcordiorum anxietates in principio & augmento urgeant, sæpe *Vomitoria* sunt optima, nisi vel diarrhœam, vel gravia symptomata in cursu morbi experiri velis, E. g. in febris initio propinato Vomitorio, ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo locisque vicinis delitescentium illuvie ortum ducentibus, ægros præmunimus; imo vero & fortasse in ipsis quasi incunabilis opprimimus morbum, qui alias cum ægri periculo grandescet & longævus evadet: Quod si sero accersitus jam incrementum morbi adsit, nihilominus, cætera ubi responderint, ac speciatim si vires à morbo admodum attritæ non fuerint, etiam in incremento Vomitorium propinari poterit: Quod si dubium sit, an non *sit febris maligna*, tunc sane si ista indicantia supra *indicata adfuerint*, item si febris maligna ex contagio *ortum traxerit*, tuto Vomitus provocandus: Hoc enim *facto sane omnia symptomata* toto morbi cursu erunt *mitiora*, *Observandæ* tamen simul sunt *vires*; Item Vomitoria non sint nimis valida, quoniam in talibus ægris multum & vehementer solent evacuare, fluidioribus corporis contentis, secus ac in intermittentibus, in quibus, præsertim contumacioribus, validiora subinde usurpanda veniunt vomitoria. *Emmuller. p.* 311.

Vide §. *Purgationem*, ex *Platero*.

12. *Per mitiora*) A vehementioribus & calidioribus catharticis vel abstinebimus, vel illa sic præparata, ne corpus nimium exagitent, vel inflamment exhibebimus. Et licet Practici in Intermittentibus & continuis febribus non admodum diversis remediis purgantibus utantur, cum tamen in intermittentibus quietis diei causa, cum æger tunc à febre liber sit, etiam fortioribus liceat uti purgantibus, hic vero cum febris nunquam desinat, non ita commode facere queamus; *purgantia in continuis febribus moderanda*, & pro febris natura varianda. *Platerus.*

Illis substitui possunt *Clysmata*, perquam proficua in his Febribus ut alvum continuo fluidam servent, idque præsertim duobus In casibus, 1. si urgent symptomata præcordiorum & abdominis, Item si orgasmus humorum ad caput ferri quodammodo videtur, 2. Si nimia æstuatio & ebullitio sit sanguinis, tunc commodissime applicantur Enemata. Quibus & adde principium morbi præceps, in quo ante V. S. clysmate alvus eluenda venit. *Emmuller. p.* 212. Nonnulli utuntur in biliosis febribus *sero lactis capprini*, idque apposite, nam & ardorem febrilem temperat, & bilem evacuat & viscera corroborat: In cyatho uno seri lactis infundunt per noctem *rhabarb.* ʒj. vel ʒiß. vel addunt *syr. rosac.* ℥ij. *vel* ℥iij. exhibent mane, & postea duas alias libras propinant, ne totum serum medicamenti sapore inficiatur. *Riverius.*

22. *Per mitiora, ut rhabarbarum*) Nonnulli *inclinante febre*, ad diagrydiata audent transcendere, ut *Diaprun. sol. diaphœn. elect. de succo rosar. aut diacarth.* Quæ tamen in febribus continuis rarissime usurpanda sunt, cum *scammonium* humores maxime inflammare soleat & sitim vehementer excitare, idque præcipue in febribus ardentibus, in quibus plurimum noxia sunt *diagrydiata* medicamenta: Imo *rhabarb.* etsi benignum, ac præstantissimum medicamentum, in valde biliosis febribus apud nonnullos suspectum est, propter calefaciendi & exsiccandi vim qua insigniter præditum est; quamvis illius noxa magna ex parte præcaveri valeat illius infusione facta in aquis refrigerantibus, eamque permiscendo cum *decocto tamarindor.* & herbarum refrigerantium, addendo *cassiam, syr. rosac. de cichor. cum Rheo* & similia. *Riverius.*

23. *Rhabarbarum*) Quidam id terrent, quia calefacit, tum etiam *mannam & syr. rosac.* quia dulcia cum sint facile in bilem vertuntur; verum cum aquis vel decoctis refrigerantibus *Rhabarbarum* infusum, vel *manna* aliaque dissoluta nullum afferre possunt incommodum, præcipue si in dictis decoctis addantur *tamarindi*, qui ad hunc usum maxime commendantur, vel pulpa eorum simul exhibeatur. *Riverius.*

24. *Sed nec die critico*) Si magnus Pulsus, si febris insignis, si symptomata urgent, si æger æstuat insigniter, si sitit, an Medicus aliquid tentabit evacuando aut purgando? forte morbus tunc consistit, in vigore est, Pus fit (i. e. in Pepasmum incumbitur in toto genere venoso) oppugnatur qualitas materialis quæ tam vehementem paroxysmum intulit: sinendum id Naturæ, non revocanda; solus etiam emanans sudor plus proficiet quam quidvis quod agitare queas: si tum revoces naturam ab instituto, crises interturbabis, si interturbas, secretio non continget bona post coctionem, ut mirum non sit si Purgatione immodica & detractione sanguinis, morbus imminui ac hebescere videatur, sed postea non amplius eluceat vis naturæ & ipsius aggressio insultusve, unde acutus morbus ex *μεταπτώσεως* longus sit, at satius esset brevius & acutius ægrotare, cum enim Naturæ morborum sit

medicus, plus efficiet coquendo & secernendo intra paucos dies per modum κρίσεως quàm nos vacuando, purgando & humores innoxios agitando & quasi camarinam movendo, pro crisi & præcipiti judicio inducere τὴν λύσιν: imò (magno medicorum opprobrio) id observatur sæpe iis qui valida sunt natura, & quæ non facile quatitur affligiturque, morbum febremque eodem fere tenore progredi & perseverare, licet omni remediorum ope adversus morbum pugnatum sit, & fœliciter crisim in 7. aut 11. aut 14. incidisse diem: quod si natura sit debilior, & minimè medicationibus assueta, frangitur quidem medicando vis morbi sed protrahitur, quia naturæ demptum detractumque est calcar suum, detractus stimulus, quo sollicitata beatas ac felices crises miraculo quodam intentare solet. Sic non abs re Hippocr. toties celebravit, initio quidem agitandum aliquid, quiescendum verò cum omnia consistunt.

Contra fit hoc tempore, nullo enim non tempore aliquid agitatur, etiam in vigore quidam Phlebotomiam celebrant vehementia morbi adducti, minimè rati augeri symptomata ad victoriam naturæ & aggressionem, non propter deteriorem statum morbi & causæ morbificę potentiam, & initio morbi natura opprimitur tantum à causis morbificis, in vigore à symptomatis: symptomata enim sunt fortiora, dispositio morbi non est fortior, sed melior est quàm in initio, præsertim si morbus salutaris fuerit, i. e. cùm natura coquat humorem & fit lucta inter morbum & naturam, non mirum, si urgeant omnia & augeantur symptomata, conditio tamen morbi & causæ morbificæ est melior, quia Natura est potentior & victrix futura est, & si tum ab opere naturam revocas, quantum incommoda ægri pecces, ipse videris: *Ballonius. Consil. 30. lib. 2.*

25. *Si urinæ inter initia tenues*) Maxime controvertitur apud authores An Purgatio in principio febrium Putridarum conveniat, Quod dissidium, missis ambagibus, ita resolvendum est, Ratione materiæ febrem putridam continuam immediate producentis, quæ in venis majoribus continetur, Purgationem in principio non convenire, nisi ea turgeat, adeo ut ex illa turgentia metus sit ne in aliquam partem nobilem irruat, quod tamen quia raro contingit, utplurimum illius concoctio expectanda est: Ratione vero materiæ in prima regione contentæ, si plurima illa sit, quæ febrem augeat, naturam gravet, eamque à materiæ in venis contentæ coctione avertat, purgantia altero à V. S. die exhiberi poterunt, sed leviora, quæ primam tantum regionem evacuent. *Riverius.*

26. *Inter initia*) Usurpatis per aliquot dies remediis alterantibus & humores noxios præparantibus ac concoquentibus, eorum purgationi incumbendum erit *inclinante febre* & quando concoctionis signa apparent, vitando dies criticos: Idque paulo fortioribus medicamentis quam quæ in principio usurpari solent, cujus generis sunt *senna, rhabarb. agar. cathol. duplex* &c. *Riverius.*

26. *Inter initia*) Purgationem quæ fit in *principio* febrium putridarum vulgus medicorum vocat *minorativam*, Eam vero quæ fit concocta materia, *Eradicativam*, quæ etiam in principio convenit ex Hippocr. sententia, si materia turget, Illa autem Turgentia, seu orgasmus materiæ morbificæ, cognoscitur ex eo quod æger percipit in diversis corporis partibus dolores leves ac fugaces, admodumque mobiles: Varias etiam patitur in facie aliisque corporis partibus coloris mutationes, ut nunc rubeat nunc palleat aliqua faciei parte, ac denique anxietatibus & inquietudinibus maxime torquetur; Illud tamen *Hippocr.* præceptum de Purgatione in turgentia materiæ in praxi ordinaria non observatur, sed potius apparente humorum orgasmo ad S. M. tutius confugimus, ne humores commoti irruant in aliquam partem nobilem, qui à medicamento purgante exagitati promptius in eam præcipitari possent. *Riverius.*

27. *A vesicatoriis*) Vesicatoria quando & quomodo in Febribus applicanda, vide cap. de *Febribus malignis.*

28. *Cujus viribus succurrendum*) Virium conservatio in febribus, præsertim continuis, summe necessaria, quas altero oculo, ut docent, semper intueri oportet, nam illis deficientibus frustra Medicus laborat, cum naturæ opus sit febrem evincere, qua succumbente, morboque superante, crisis perfecta fieri nequit, sed vel imperfecta fit, vel in ea lucta succumbit, ægerque extinguitur: conservantur autem & *vivendi ratione*, seu decenti *aëris, cibi & potus*, aliorumque dein & *medicamentis. Platerus.*

29. *Partim per corroborantia*) Ad vires reficiendas, quæ in omni febre vehementi plurimum deiiciuntur, conveniunt Opiatæ & condita roborantia, composita *ex conservis. rad. bugl. fol. acetosæ, acetosellæ, stirpium lactucæ, flor. buglossi, borrag. cichor. rosar. pulpæ citri*, quæ vulgo *acidum citri* nominatur; quibus addantur pulveres, *coralior. margarit. rosar. ebor. cornu cervi, diamarg. frig. triasant. diarrh. abb. conf. alkerm. de hyacintho*, Ex quibus variæ formulæ fiunt.

℞. *conserv. flor. borrag. bugl. & rosar,* āā. ℥j. *conf. Kermes.* ℨiß. *pulv. elect. diamarg. fr. ras. ebor. corall. pr. margar. pr.* āā. ℈ß. *sacch. ros. ad pondus omnium, f. auri num.* ij. *f. Conditum auro coopertum, datur sæpe ex cochl. superbibendo parum aquæ potus ordinarii, vel cum eadem aqua pro potu admisceatur, vel cum jusculis.*

Pro delicatioribus, & in magna virium exolutione, Julep. sequens gustui gratissimus componi poterit.

℞. *aqu. acetos. naphæ, ros.* āā. ℥iß. *syr. limon. granat.* āā. ℥j. *conf. alkermes* ʒj. misce, detur è cochleari. *Riverius.*

29. *Per corroborantia*) Tum interna, tum externa, quæ principes partes, cor & hepar refrigerent: Saccharum rosatum maxime prodest, quia non facile in bilem vertitur.

℞. *conserv. rosar.* ℥j. *conf. nymph.* ℥ß. *pulv. diamarg. triasant* āā. ℨß. *sacch. rosat. tabul. q. s. f. conditum.*
Vel.

℞. *conserv. violar. borrag. bugl.* āā. ℥ß. *pulv. margar.* ʒj. *corall. cryst.* āā. ℨß, *ossis de corde cervi, vel bovis* ℈j. *sacch. q. s. f. Conditum auro coopertum.*

Extrinsecus Epithemata applicantur & Inunctiones hepati & cordi &c. *Primirosius.*
Conservæ & conditura sit exhiberi possunt.

℞. *Conserv. rosar.* ℥i.
Conservæ acetosæ.
rob. de ribes ana ℥ß.
corticis citri conditi ℥ß.
cum *syr. de ribes.*

vel tale Conditum.

℞. *conservæ ros.*
acetosæ.
rob. de ribes sicci paoum, & *rob. de berberis*
si alvus nimium fluat, āā. ʒij.
Coralli ʒj.
santali rubri ℨß.
Sacchari rosat. tabulati quantum satis, fiat Conditum. *Platerus.*

30. *Partim per Diætam*) Aër frigidissimus à natura, vel sic arte paratus, inspiratus, plurimum alterat, cum illius actualis & potentialis frigiditas pulmonibus communicata, vicinitatis causa magnum cordi accenso afferat levamen: Interea tamen, etsi sic inspiratione attractus conferat

conferat *aër*, non tamen ad occursum illius corpus subito denudare & refrigerare ægri (quod tamen maxime dum ob calorem inquieti sunt, præcipue dum exacerbationem expetunt) debent; idque ne ex subita illa temperatione lædantur, & sudores impediantur: Interim tamen ne integumentis nimis & præsertim plumeis & pellicis corpus magis incalescat cavendum, quo nomine & lectum ipsum, aut pulvinari corium insternere valde juvat. Ubi & si *radii solares, hominumque frequentia* avertatur, *cubiculum aqua cum aceto* conspergatur; *floribus* & *herbis* frigidis, foliis *salicis, vitis* &c. consternamus: *Cibis alterantia* permixta, aut *condimenti* loco illis addita, ut illi non solum nutriant & reficiant, sed & refrigerent, efficiunt; quod & vulgus hac ratione fieri cum ægris semper cibos velit obtrudere, magis probat, illi autem in potu fieri potius experiunt: *Jusculis* eo nomine *lactuca, acetosa, portulaca, borrago, endivia*, quæ gratiora præ cæteris sunt, incoquantur, quæ & alvum laxam, præsertim si *prunachia* & alia emollientia seu laxantia addantur, fervant; *condimenta* variis modis in hunc usum ex *aurantiorum, limonum, ceraso. granat. ribes, uva crispa, berberis succo* &c. parantur: *Platerus*.

Partim per Diatam) Victus ratio similis omnino esse debet victui febris ardentis, nisi quod minus nutriens esse debet quam in Causo, unde *Avicennus* lentes jujubasque commendat, quæ sanguinem minuunt & incrassant, 2. Statim tertiis instituatur, quoniam status in propinquo est. 3. Cum continuo affligat, hora exhibendi cibum eadem servetur quæ sanitatis tempore. 4. A dulcibus abstineat, quæ facile incalescunt, ideo meliorari usum improbat *Galenus*, Nec valde probandi qui dulcissimus syrupis utuntur, nisi valde diluris, cum acida potius conveniant, nam, ut recte docet *Avicennas* hoc capite, *jujuba dulces*, lib. in aquæ lbv. coquendæ sint *tantum ad tertias, & quo minus facchari decocto addetur eo melius erit*.

Aër itaque frigidus sit natura vel arte, quia inspiratus plurimum juvat: Tamen cavendum ne corpus denudatum aëri exponatur, quod ægri inquieti & ferventes faciunt, ne pororum cutis obstructio augeatur, sudoresque, si qui tunc instent, aut saltem perspiratio prohibeatur: Radii solis, hominumque frequentia à cubiculo arceantur, fenestræque ad septentrionem aperiantur: Cibi sint refrigerantes & oligotrophi, abstineatque à vitellis ovorum, carnibus &c. sufficiunt jusculi alterata *endivia, lactuca, oxalide, portulaca, cucurbita, scariola, cichorio, hordeo, succo aurantior. limonum, granator. Lac amygdalin*, cibus est & potus: *Poma, pruna cocta, arantia, fraga, berberis*, concedantur ad ægri lasciviam.

In Potu à Vino abstinendum, tum ob febrem, tum ob capitis dolorem, tum quia plurimum nutrit, præterquam in virium imbecillitate & morbi declinatione. Detur *aqua hordei, aqua cocta*: Sequens Potus secundum *Gordonium* vini albi oligophori saporem & colorem imitatur.

℞. *Aqua fontis* lbv. *aceti vini* ℔ß. *facch.* ℥iij.

simul coquantur ad cujus similitudinem alii componuntur, et succis acidis limon. granat. cum aquis stillat. & facchar. *Primirosius*.

Per Diatam) *Alimenta* quod attinet, *Victus tenuis* esse debet in acutis febribus, Et in eo adeo severa fuit antiquorum diligentia, ut potissimam curationis partem constituerent; ægrisque febre acutissima laborantibus tenuissimum imperarent, ac sola ptisana hordei nutrirent, utpote febricitantibus maxime conveniente, cum refrigeret & humectet, simulque extenuet & aperiat, nullamque evacuationem cohibeat.

Duplex autem *Ptisana* erat, una simpliciter dicta, sive *Ptisana integra, non colata*, Altera colata, quæ *cremor* hordei nominatur; Hordeum à corticibus mundatum, in aqua simplici coctum, & in massam conglobatum, est Ptisana integra: Hæc postea cum expressione colata, *cremor* aut *succus hordei* dicitur.

At nostris temporibus, in hac saltem regione, mulierum contumacia, & medicorum indulgentia, factum est ut in quibusvis febribus, quantumvis acutissimis, jusculа semper concedantur, ex decocto carnium *gallina, capi, vervecis*, eaque utplurimum tertia, aut ad summum quarta quaque hora exhibeantur: æstate vero *pulli gallinacei*, aut *carnes hœdina* prædictis addi solent; Tum etiam per vices ex *pullo* solo cum herbis refrigerantibus, ut *lactuca endivia acetosa portulaca*, juscula conficiuntur.

Præterea in febribus minus acutis *Panatella* exhibentur, bis aut ter in die, ex *pane loto* cum *jusculo* confectæ: Hordeata etiam aliquando usurpantur, ex ptisana colata antiquorum cum jusculo carnium prædictarum & facchаro parata, vel etiam sine Jusculo, additis *amygdalis* dulcibus; sed plerumque ea ventriculum gravant; adeoque jusculorum simplicium, & panarellarum usus commodior est: Cum tamen utilissimum sit hordei mundati tantillum cum carnibus decoquere, & inde Jusculа parare. *Riverius*.

[51]. *Delirium & Vigilia*) *Delirium* in febribus, & ejusmodi anteambulones, *agrypniam* & *cephalalgiam* curant præservativa, inprimis *blanda anodyna* aut *opiata*, cum aliis appropriatis caute & circumspecte usurpara: Quod si caput affligi in specie innotescat, ex eo quod circa frontem intensior æstus quam circa reliquas corporis partes sentiatur, *venarum raninarum* apertio subinde proficua existit: Ac sane in morbo dicto *Hungarico*, seu *febre castrensi*, earum sectio, & ratione junctæ *Prunella*. & ranonе capitis parhematum, summe proficua existit; Quarum loco, & tali symptomate urgente, cætera si respondeant, *vena frontis* sectio à quibusdam institui solet.

Forsan ubi sub agrynnis, aut *cephalalgiis*, item *frontis æstuationibus*, periculum *delirii* immineat, *hirudinum pone aures admotio* non inutilis foret, cum alias in febribus ardentibus, etiam periculosissimis, obauditio superveniens bonum signum esse soleat, propterea quia ex decubitu aliquali fermenti febrilis, seu, ut alias loquuntur, materiæ peccantis ad glandulas parotides cæteræ partes alleviantur: Præter dicta in capitis pathemata epithemata non raro fructuose, sed calide, aut saltem repide applicantur, Observandum autem quod ejusmodi Epithemata etiam tempora simul tegere debeant, ita ut ultra arterias ibidem pulsantes pergant, v. g.

℞. *aqu. flor. sambuc.* ℥ij.
apoplect. usitata ʒß.
Philon. Roman ʒj *misce*, Item.

℞. *aqu flor. sambuci chamam.* āā ℥j.
apoplectic. usit. ℥iij.
spir. vini camphor. ʒß. *misce*.

Item Epithema *ex succo cancr fluviat.* commode applicatur, vel hujus loco.

℞. *sem papav. albi* ℥ij. *nucleor. persic.* ℥ij.
vel ℥iij. *aqua sperm. ranuar.* ℥iij.
semperv. maj. solani. āā. ℥iß.
fiat Emulsio, adde camphora gran. viij. *vel* x. *f. Epithema*.

Huic dimidium, vel ana *succi cancror. fluviat recens expressi* permisceatur & ita crebrius fronti applicatum.

Tandem & ea quæ pedum plantis applicantur, tum ad æstum temperandum, quam illa capitis symptomata mitiganda, in casibus in quibus nulla ad cutim excretio futura speratur autexpectatur, conferunt v. g.

℞. *ruta rec.* m. iij. *rad. raphani incis.* n.iij. *salis comm.* m.j. *fermenti acerrimi* m.ij. cum f.q. *aceti rutac.* fiat cataplasma pedibus applicandum.

Alii stomacho *rad. raphani* in ideos incisam, pedibus *sale* & *aceto* probe prius mundatis, apponunt: Quidam

etiam occipiti applicant, raphanus enim irritando successive quasi attrahendo derivare videtur. Pauperiores saltem recipiunt *limum recentem*, hunc *aceto* probe permistum nudis pedum plantis applicant; Quin & fermentum Pistorum acre, aceto & sale nonnihil subactum, ita nudis pedibus applicari potest: Quin & si impetuosior raptus quasi ad caput metuatur, in specie ubi excretio quæcunque, inprimis cutanea suppressa, ista capitis symptomata inferunt, *Vesicatoria* femoribus vel brachiis applicata,, conducere arbitror *Etmuller pag.* 321. Vide plura infra §. 35. *Capitis vehementes.*

Narcotica.

32. *Laudanum*) *Opium & Opiata* legitimo usu in febribus Ardentibus sunt optima, Docet hoc ipsum *Laudanum* dum inquit, Si materia peccans turgeat, & orgasmus sit humorum, tunc *syrupus papaverinus ad* ℥j. optime convenit, Nobilissimus enim & blandus est, & convenit in febri ardente, cum nitro, vel etiam *laudano opiato*, usurpari potest; In febribus sane ardentibus motus furibundus optime sedatur *laudano opiato* cum tantillo *nitri*, Sed debet recto tempore exhiberi, nempe si spiritus animalis tenuis & furibundus sit: Consultum est in exhibitione ejusmodi medicamentorum non expectare donec spiritus jam plane consumpti sunt; sed in tempore usurpanda, dum adhuc vires constant; adeoque urgente nimis æstu symptomatibus mitigandis, quietem ægro conciliando, & hinc diaphoresin promovendo, optima sunt moderate usurpata papaverina, nam orgasmum humorum nonnihil sufflaminant, & hinc ut coctio melius procedat per accidens juvant, & spiritus blande figendo, absumptionem & dissipationem eorum nonnihil præcavent, v. g. imitari possumus *Platerum*, dum aliquot Causo laborantes, cum dolore ventriculi, hac potione curavit.

℞. *aqu. scabios.* ℥vj. *syr. de papav. nigro* ℥j.
succi limon. ℥ß. *spec. diamarg. frig* ℈j. *misce.*

Vel imitemur *Sydenham* ad tumultum ab emetico concitatum sopiendum, sub noctem, vel hora somni, blandum anodynum propinantem.

℞. *aqu. papav. rhœad* ℥ij,
mirabil. syr. de meconio āā. ℥ij.
papav. errat. ℥ß. *m. f. Haustus.*

Etmuller p. 303.

33. *Sopor*) Febris continuæ cum sopore insigni prostat exemplum in observ. *Riverianis cent.* 4. additis obs. 4. Uxor D. N. post curatum maritum, ex continuis vigiliis, inediam, curas &c. incidit in febrem continuam, quæ 60. dies uno eodemque fervore citra aliquam intermissionem, veluti stupida, conniventibus oculis permansit, Nec interim per totum morbi decursum ulla crisis se prodidit, usque ad diem 60. in qua tantum sputum album & spumosum, sine ulla tussi rejecit (ut pelvim 12. libr. capacem impleverit) quo abunde per os emisso, à febre libera ad sese rediit, asserens se nihil doloris, nihilque incommodi percepisse &c.

34. *Lumborum dolores ob sanguinis in magnis vasorum &c.*) Solet in his febribus relinqui incendium, in dorso & renibus, quia per illas partes percepant venæ magnæ & arteriæ, in quibus cum maxime ferveat sanguis, etiam post febrem relinquitur intemperies quæ molestiam parit, quare renes sunt refrigerandi *oleis rosato*, *violato*, &c. *Ungu. rosat. Mesue cum camph.*

Galenus inter refrigerantia externa principem locum attribuit suo *cerato*, quo adversus erysipelata & inflammationes utebatur, *fit ex cera alba lota* ℥j. *ol. rosac. omphac. sine sale præpar.* ℥iij. *liquatis in duplici vase*, addendo tantum aquæ frigid. quantum molliendo poterit accipere, cui ad majorem efficaciam parum aceti albi tenuis & clari additur: Si magis refrigerandum, succum *psyllii*, *sempervivi*, *solani*, *portul.* addere licet: monet assidue mutandum medicamentum priusquam incalescat, ne calorem ingeminet; *Primirosius.*

35. *Capitis vehementes*) Notandum sæpius *Dolorem capitis* Febrium continuarum, inprimis benignarum, esse saltim per consensum stomachi, vel primarum viarum, saltem in principio: Cujus ratio exinde desumitur, quod vomitorio in principio morbi dato, ut præcaveantur omnia febre præcordiorum symptomata, & speciatim cephalalgia, quam intensa etiam fuerint, remittant, Quin & clysmata injecta subinde notabiliter levant; Sunt tamen & Febres, præsertim malignæ, quæ genus nervosum, adeoque & caput affligunt, primario; Hinc æstu corporis; utcunque moderato, caput præsertim circa frontem, intense ardet, agrypniæ adsunt plus minus, interdum plane non dolet: Febres sunt pessimæ notæ, quibus correpti raro evadunt, nempe spina maligna capiti & nervoso generi infixa est, unde illa symptomata.

Quoad *Vigilias*, hæ pertinaces, vel hypochondria ac præcordia male affecta sequuntur, & tunc inquieti, & plus minus jactabundi esse solent ægri; Vel capitis, sive cerebri male habentis sunt pedissequæ, & tunc intensior incalescentia circa frontem, oculi fulgidi, capitis plus minus perturbatio, Hæc ipsa symptomata diutius si durent aut gravius affligant, delirium post se trahunt, cujus comites tandem sunt Convulsiones.

Dolor igitur capitis si in principio est, adeoque non portendat judicium, curandus venit, Si vero febris sit valde iotensa, adsintque salutis signa, supervenerit vero capitis dolor, cum ipsa prope judicationem venerit nil oportet tentare, quia interdum talis solet esse signum decretorium, vomitum vel hæmorrhagiam præsagiens: Par ratio est quoad *Vigilias*, in quibus criseos tempore, vel præsentis vel instantis, anodyna, aut plus minus somnifera, minus tuto applicari possunt; *Interne* vero mala hæc curat in genere *papaver*, & quælibet ex eo parata opiata.

Externe vero in usu est *ungu. alabastr.*, nunc cum *ol. papav.* expresso temporibus subinde illitum; It. *Emulsio ex nucl. Persic. v. g.* ℥iij. *cum sem papav. alb.* ℥i. cum *aq flor. samb. aut verbenæ* aut *solanis* parata, fronti tepide applicata, nunc cum, nunc sine *camphora*: Pariter & *Suppedanea* remedia, *catapl.* ex *fol. rutæ*, *rad. raph. sale comm.* cum *fermento* excepta; pedibus applicata: *Nitrum*, & aqua appropriata solutum, cum linteis multiplicatis fronti ac temporibus admorum convenit.

Nota Dolorem in parte capitis anteriore à febre oriri, In posteriori à proprio capitis affectu. 2. Epithemata humida minus convenire cum corpus in continuo est madore; talia enim refrigerata stricturam pororum capitis, adeoque & per consensum universa cutis diaphoreseos impedimentum afferunt. Hæc ipsa fere & *Vigiliis* medentur, Sed & *medulla crurum vituli* recens temporibus crebrius illita, somni tempore juvat, Emuls. ex *semin. 4. f maj. papav. &c.* Ut usu interno, temperando sanguinis æstum & acrimoniam fermentis febrilis, vigilias compescunt sic externe Epithem. forma, non inutile, Interne.

℞. *Aqu flor. papav. rh.* ℥j. *c. c. sine igne, antim. diaph.* āā. ℈j. *laud op. gr.* j. *vel* ij. vel *ess. opii gr.* xij. *syr. corall.* ʒvj. m. pro j. vel ij. dozibus. *Etmuller.*

Febris cum Prunella.

36. *Gutturis*) Huc refer *Febres cum Prunella*, Germanis *die Braune* dicta conjunctæ: Arbitror Salivæ hic maxime habendam esse rationem, quæ alterata, & inprimis mox glutinosa reddita, in febribus mucilaginis instar nonnihil obducit istas partes, quæ mucilago pedetentim ab æstu febrili calcinata quasi aut exsiccata, indeque istis partibus teneris perquam molesta & hostilis existit, quæ exinde irritatæ, mox phlogosin sive inflammatoriam quasi dispositionem acquirunt, unde rubedo, ardor, dolor, Succi plus minus spissi proventus &c. *Etmuller p.* 303.

Prunellam

prunellam) Cum febribus junctam præter apertionem maturam venarum raninarum, in hoc symptomate specialiter commendatum, promovent oris lotiones tam cum, quam sine gargarisatione V.g.

℞ *fol. prunellæ salicis, fragar. āā. m. j. hordei mt. p. j. fiat Decoct. in aqua pura, colat.* ℥xij. *adde diamor.* ℥j. *lapid. prun.* ʒß. *m. f. Gargarismus* quo tepido utatur frequenter. *Vel*

℞ *sem. psyll. cydon. malvæ āā.* ʒij. *cum s. q. aqu. sperm. ranar. extrahatur mucilago, Mixturæ* ℞. ℔ß. cujus q. s. ore subinde detineatur. Vel *mucilag. sem. cydon. cum aqua rubi idæi extr.* ℥ß. *syr. portul.* ʒvi. *nitri parum*, m. teneat in ore.

Succus cancror. fluviat. contusor. expressus, perquam egregius in hujusmodi faucium affectibus est: Vel ex cancris fluviatilibus in mortario cum pauco aceto contusis, post lenem factam expressionem: Addatur huic *succi sedi major.* ℥ij. m. & hoc ipso liquore fricanda lingua, Aut

℞. *aqu. sempervív. maj.* ʒiij. *vel iv. mucilag. sem. cydon. cum aqua sperm. ranar. extr.* ℥j. *nitri depur.* ʒß. *Misce.*

Aliis palmam præripere dicitur si

℞. *Semperv. maj. q. v. contunde, succi* ℔j. *adde salis armon.* ℥ß. *dissolvantur, & ita invicem distillentur*, qua aqua fauces eluantur aut humectentur. Vel

℞. *aqu. semperv. vulgar. cum succo præpar. recent impregnati, & in ejus* ℔j. *sal. armon.* ʒj. *& dicto modo adhibeatur.*

Alioquin observavi in morbis malignis, dum fauces sunt siccæ & aridæ, sine crustæ pituitosæ præsentia, optimum fuisse remedium *aquæ comm.* ℔iiß. *mellis comm.* j. *vel* ij. *spir. vini Rhenani rectific.* ℥j *vel* ℥iß. mista usurpentur pro oris collutione. Si post tales oris collutiones in graviori malo mox lingua denuo arescit, tum nihil melius est quam *frustulum lardi non saliti*, vel si salitum fuerit, in aqua prius macerari; hujus frustulum unum imponatur linguæ, & ita aliquandiu detineatur; emollitur exinde lingua, & interdum crusta quasi coriacea separatur, Loco frustuli lardi contra talem scabritiem linguæ alia pinguia, v.g. *butyrum* non salitum itidem commode usurpari potest. *Idem pag.* 320.

In febre publice grassante, cum gutturis dolore molestissimo, plurimum profuit Gargarismus, per quem subito cessavit, simul & angustia pectoris miraculi instar.

℞ *aqu. plantag.* ℔j. *aqu. scabios.* ℔ß. *flor. rosar. rubr. p. j. sem. cydon.* ʒj *bulliant leviter, colat. adde diamor. dianuc. āā* ℥j. *terræ sigill. veræ* ʒj. *m. f. Gargarismus. Forestus obs.* 1. *lib.* 6.

37. *De quibus omnibus*) Adde prædictis symptomatis, *Hæmorrhagiam Narium, Urinæ suppressionem, Sudores molestos.*

Hæmorrhagia narium.

Observandum an illa sit Critica vel Symptomatica: Critica intempestive suppressa quæ mala intulerit, & quomodo ipsa correcta sit, vide apud *Heers Obs. p.* 70. Hæmorrhagia talis sistitur, vel sanguinis fluxum prohibendo, vel locum apertum occludendo; *illud* prius, *hoc* posterius. *Illud* inprimis revellentia, aut derivantia, aut interna refrigerantia præstant.

Quod si sedata fuerit, placet consilium *Sydenham met. Cur. Febr. p.* 61. Laxationem alvi esse instituendam, si nempe alia non impediant; Inter *Interna* excellit *laud. Op.* omnia *papaverina*, etiam & præsertim in *malignis*, præmissis immittendis, hinc & *aqua papav. errat.* cum *syrupo* de *portulaca* & de *papav.*: Hinc & succi aciduli *cydon. ribium, portul.* aut *plantag.* It. *terra sigill. lap. hæmat. antimon. diaph. martiale* &c.

Inter *externa*, Epithemata ex *aceto* collo applicata; ablutio pedum & manuum ex eodem, creta cum *aceto*, empl. forma fronti & temporibus, col. Buso, vel vivus sub alis applicatus, vel exsiccatus, ibidem admotus, aut pugno compressus ut incalescat, probe hæmorrhagias sistit; *Nitrum* ad ʒiß. dissolutum in *aqua frigidaa*, ac propinatum; Julepus *Primerosii* quo sæpe usus fuit alius ritis.

℞. *aqu. symph. plantag. āā.* ℥iv. *syr. de ros. siccis, plantag. cydon. āā.* ʒiß. *aceti vini albi* ʒiij. *salis prun.* ʒj. *spir. vitr. gtt.* x. *Etmuller.*

Urinæ suppressio.

Urinæ Suppressio interdum supervenit, quæ interdum criseos per sudores imminentis indicium est, præsertim si prægresso sudore superveniat; Interdum in statu, sine criseos indiciis supprimitur, vel in delirantibus, vel alio modo affectis: In talibus pubes illinenda venit *Ungu. de alth.* ℥ß. ol. scorp. simpl. ʒj. m. applica crebrius. *Etmuller.*

Sudores.

Sudores rarius vexant nimis sub febrium motu, quia moderati sunt exoptati; interdum tamen post febres continuas: aut graviores, aut paulo diuturniores; crebri sudores nocturni ægros vexare solent, atrophiam minantes; ex deficiente nutrimenti chylosi assimilatione, ob sanguinem depauperatum nati; Hos *Emulsiones temperantes*, vel *absorbentia corallata*, interdum *martialia* cum aromaticis, subjunctis amaris, v.g *absinthio, curant. Etmuller.*

Febris verminosa.

Febris verminosa, Filia D. N. annor xij. febre continua laborabat cum alvi fluxu molestissimo, quo materias excernebat colore cineritio infectas, quales apparere solent plerumque in verminosis affectibus: Præscripti initio fuerunt clysteres ex rebus dulcibus; & *rhabarb. pulv.* bis iteratati; nullo successu, imo febris & alvi fluxus in deterius vergebant, delicata erat puella, pallidis coloribus defœdata, ut etiam de salute dubitaretur, Hoc Julepo usa est.

℞. *aq. acetosæ, gramin. cichor. āā.* ℥j. *fol. endiv. cichor. acetosæ. portulac. & hyper. āā. m. j. scordij & absinth. Pontic. āā. m. ß. flor.* iij. *cord. āā. p. j. coqu. in aqu. hordei ad quartar. j.* In *colat. dissolve syr. limon.* ℥iv. *spir. vitriol. gtt. aliquot ad levem aciditatem, f. Julep. pro* iv. *dosibus mane & sero sumendis.*

Intra illud biduum quo Julepo usa est, febris & alvi fluxus omnino quieverunt, & perfecte curata est: Si quis miretur tam levi remedio sublatum esse hunc affectum, sciat *hypericum* & *scordium* mirabili efficacia putredini resistere, & lumbricorum generationem prohibere, nedum jam genitos enecare. *Riverius cent.* 1. *obs.* 16.

Ab umbilico inuncto sequ. linimento, & Pilulis deinde devoratis novem vermes ejecit, & sic præter spem evasit.

℞. *Ol. ovor. lilior. fell. bubuli, succi cepæ assatæ, butyr rec. āā.* ʒij. *m. f. Linim.*

℞. *Aloes socotr.* ℈j. *spec. diatrag. fr.* gr. v. *cum syr. viol. f. Pil.* iij. Sumebat autem supra Pilulas cochl. unum *syr. de limon.* ne aloe calor calorem febrilem augeret. *Forestus Obs.* 4. *l.* 6.

38. *Ab his & aliis symptomatibus Varias istas febres trahere appellationes*) Differentias sortiuntur Febres à symptomatibus gravioribus, hinc.

I. *Algida* febris dicitur in qua sæpe calor nullus, sæpe levis tantum sequitur (forsan Quotidiana) cujus causa succus Pancreaticus est acidus, pituitæ satis copiosæ ac viscidæ junctus, bile valde inerte existente.

II. *Ardens*, inprimis *Tertiana*, cujus causa succus Pancreaticus minus acris, & pituita pauca, minusq; viscida, Bilis autem acris, oleosa, copiosa.

III. *Epiala* à succo pancreatico acriori, & bile item acri, Estque hic duplex Intermittens, cujus unius frigus concurrit cū alterius ardore, Et prioris paroxysmus novus, à frigus revertitur, quando posterioris calor incipit augeri.

IV. *Siticulosa*, à bilis sale acri, quæ si cum oleositate sit multa, sitis urget durante calore, Sin eum pauca, durante etiam frigore sitis urget; Apparet autem magis sitis succo pancreatico facto libero post stagnationem, eum vitiose fervet.

V. *Famelica*, succus Pancreaticus gratior, sed potenter acidus ad ventriculum tepens, & sæpe animi deliquium efficiens.

VI. *Cardiaca*, succus Pancreaticus stagnatione factus corrodens, inprimis junctus eum bile acri, unde potens effervescentia & halitus ad ventriculum acerrimi.

VII. *Terminalis*, à succo Pancreatico tum acriori, tum austeriori, exercente suam acrimoniam in tenuia crassaque intestina, cui si jungatur viscida pituita & bilis mediocriter acris, flatus generantur qui abdomen distendunt, & colicum dolorem producunt.

VIII. *Syncopalis*, à succo Pancreatico volatili magis quam acri & acido, pauca vel inerte existente bile, huc ad cor tendit, & sudorem frigidum excitat, sanguinem coagulat, pulsum abolet & ægrum quasi mortificat.

IX. *Præfocantis*, causa halitus austeri è succo pancreatico austeriori eum bile effervescente delati ad cor, pulmones & ventriculum.

X. *Anhelosa* Causæ sunt halitus minus austeri, ex succo Pancreatico minus austero, cum pituita viscida concurrentibus, unde flatulenti magis.

XI. *Asthmatica* ex pituita viscida solutâ à succo Pancreatico, & delata ad pulmones & cor cũ multis flatibus.

XII. *Tussiculosas* efficiunt halitus acres ex succo pancreatico & pituita intestinali, sed acrioribus ad Pulmones delatis.

XIII. *Catarrhalis* causæ sunt humores in capite paulatim collecti, & ab intermittentis febris causa eo delata, & ad defluxum commoti.

XIV. *Arthritica* est succus Pancreaticus nimis acer, unà cum bile ad articulos delatus, unde dolor atrox, vel etiam minus acer, unà cum pituita viscida, inde tumor œdematosus, & sæpe frigus, calorque nullus, sed potius dolor capitis levis & sitis.

XV. *Insana*, à bile acri, factaque acriori à succo Pancreatico misto.

XVI. *Vomitoria*, à bile valde volatili, & quandoque simul acri, effervescente cum succo Pancreatico, & ad ventriculum repente, nunc flava, nunc æruginosa.

XVII. *Cacatoria*, à bile minùs volatili, sed magis acri, factaque acriori à succo Pancreatico, post solutam intestinalem pituitam, intestina mordente, & ad dejectionem stimulante.

XVIII. *Sudatoria*, à succo Pancreatico magis volatili quam acri, sanguinis massam solvente magis quam coagulante.

XIX. *Uretica*, ab eadem sed minus volatili causa producitur ab externo frigore sudore impedito.

XX. *Sputatoria* à succo pancreatico, deducto ad salivares glandulas copiosius in febrili paroxysmo, unde salivæ copiosioris & fluidioris materia. *Margravius Prodr. Med. pr. 82.* Ex *Sylvio de le Boe*.

Febris Oscitans.

XXI. *Febris Oscitans*, Virgo febre vaga afficiebatur: cum incumberet gravius, & sociam sibi jungeret nauseam, perpetua fatigabatur oscitatione, quæ nonnisi absoluto paroxysmo solebat placari. Adhibita varia successu non satis optato, donec vesicatoriis occipiti admotis, seroque acerrimo illa parte vacuato, malum tandem desineret. *Olaus Borrichius.*

39. Ἁλμυρώδεις *seu salsæ*) Per has intelligere censet Hippocratem *Vallesius 6. Epid. sect. 1. Hecticas*, nam hæ sunt siccæ, calor vero siccus est mordax, diciturque proinde salsus per metaphoram; nam salsum proinde ad gustum, non ad tactum refertur, sed qualis est gustui mordacitas ex salsis, talis tactui ex aridis & exustis; Proinde ergo hecticæ febres dicuntur aridæ & salsæ.

Febris Anxiosa.

40. Ἀσώδεες) Sani homines si quando præsentibus molestantur & ab uno negotio atque actione ad aliam transeunt, ἀλύειν, i. e. anxietudinem habere dicuntur; eodem modo, *Galenus* in 7. aph. 46. ægros illos anxios dicimus, qui decubitum non ferentes, jacendi figuram variant, quia semper præsens aggravat eos: Jactãtur aliqui in lecto, non aliam ob causam quam ob ingestum intempestive cibum; Videbis apud *Hippocr.* 2. acut. t. 22. eos qui consueti non sunt prandere, & prandent, si supercœnaverint, σπατίλην, i. e. alvi laxitatem, sive humidam dejectionem pati: Vel, ut alii legunt, ἄσην, vel ῥιπτασμὸν, i. e. corporis projectationem pati: Hæc Jactatio interdum febres, quas *Hippocr. 4. acut. t. 47.* ἀσώδεις appellat, comitatur, in quibus ægri, ut Galenus interpretatur graviter afficiuntur, atque implacide habent.

Inter omnes anxietatis causas frequentissima est oris ventriculi affectus, imo huic magis proprie vocabulum ἄσην quadrare videtur; Hujus mentionem facit *Galenus 1. Prorrh. sect. 2. comm. 44. Cum os ventriculi à pravis mordetur humoribus*, qui tamen non sunt multi neque in ventriculi spatio innatantes sed ejus tunicis immersi, noscitur hæc anxietas ex nausea adjuncta, sed quæ est κρύφιος.

Itaque corpus ἀσῶδες redditur vel præ nausea & satietate, quæ præsenti negotio vix inservit, siquidem vel sanis accidit, vel febrium est magis προφαινόμενον, mox apparens, quam ἐπιφαινόμενον, superveniens, quia scil. qui ventriculũ *excrementis* scatente febricitat, & febrem & anxietatem simul initio habet; Vel præ *caumate*, non illo quidem quod in paroxysmorum febrilium augmento vigoréve fit, nam anxietas inde orta statim vomitu aut dejectione quiescit, sed eo quod stabile est, & ebullitionem in vena cava & arteria lumbari conquirit. Hinc anxietas mox apparens est, nonnunquam auctæ febri superveniens.

Vel præ *malignitate*, cujus nomine orgasmum etiam comprehendo, quippe malignum est quod turget; turgens autem materia, & irrequiete fluctuans non finit ægrum quietum manere. Maligna cor obsidet, corde autem, vitæ fonte, lacessito totum animal commovetur, & tum animo, tum corpore anxietatur. Vel præ *debilitate*, quippe ob virium debilitatem, loquit *Galenus Prorrh. s. 2. comm. 44* Virtus à corpore gravatur, nullamque figuram facile sustinet; sic affecti perniciose afficiuntur.

Omnes hæ anxietates, illam quæ ex ventriculi fit noxa, malitia superant; Id significavit *Hippocr. 1. Prorrh.* damnans *anxietates citra vomitum*, adde & *citra nauseam*, ut eam significet quæ citra ventriculi vitium, nempe, vel ob cauma, vel ob orgasmum, vel ob malignitatem, vel ob imbecillitatem angit. *Rodericus à Castro Q. ex Q. cap. 21 lib. 1.*

40. Ἀσώδεες) In his cum jactationes & ἀλυσμοὶ καὶ ἄσαι non tam fiunt à maligno, quam à calore impense aucto, & à cacochymi sanguinis copia, venæ sectioni locus est, Illius argumenta sunt horrores aut rigores, qui non tam fiunt per caloris affectionem, aut ejus absentiam, quam putrentis humoris, membranis & spermaticis partibus sentientibus partibus molestis proventum; nam postquam horruerunt, statim incalescunt, deinde frigescunt: *Galenus* autem in *Epid.* scribit illud usu venire, ut quoties humores corrupti incalescant, leves horrores inducant; quod cum evenit audacius sectio venæ tentari debet: non ut quod semel fiat, (quia in humorum pravorum proventu raro vires sufficiunt) sed iterato: Sed cum horrores qui adsunt materiæ [illegible] significant; aut cum vere periodici sunt, aut symptomatici, cave ne hinc secandæ venæ occasionem quæras; Item cum jactationes, ἀναφορήσεις, oris ventriculi κακώσεις sequuntur cunctantius timidiusque v. s. aggredieris. Ideo aliquando est ubi potius febris ratio habenda quam causæ febrem committentis, in cacochymia consistentis, Est ubi etiam potior ratio habenda causæ ipsius quam febris

febris: quanquam purgatio potius febris causam quam febrem ipsam, sectio venæ & febrem & causam. *Ballonius conf. 71. lib. 1.*

4 *Mordaces quæ remittunt &c.*) *Febrium quidem quædam manus mordaces sunt, aliæ vero mites: quædam autem non mordaces quidem, sed postea augescentes: quædam acutæ quidem, sed quæ ad manum imminuuntur.* Hippoc. *1. Epid. s. 1.*

Quatuor partitiones febrium allegato loco videtur afferre *Hippo. r.* quarum prima petita est ab ipsius *caloris* p. n. (in quo febris consistit essentia) modo, aut materia (modum dico quo tangentem manum afficit, *mordendo*, aut non, & quo movetur acute aut tardius; materiam vero, in qua tactus firmatusque consistit) *Mordere tactum*, aut non, ex ipsius materiæ natura nascitur &c. Nimirum differentiæ contingunt secundum differentiam causarum internarum; dignoscuntur secundum alium & alium modum afficiendi tactum; Ea vero est hæc.

Febres quædam aliæ mordaces manus, h. e. semper & à principio mordentes manum, aliæ autem *mites*, h. e. gratum, mitem, minimeque mordentem calorem præferentes: Aliæ sunt, *non mordaces* quidem prima manus admotione, sed postea *ἐπαναδιδοῦσαι*, h. e. paulatim mordacitatem acquirentes: Aliæ contra, *Acutæ* quidem *primo occursu*, h. e. acute occurrentes tactui, & mordentes, sed paulo post imminute & paulatim, velut à manu vincantur, mordacitatem deponentes; Constat his quatuor differentiis, quandoquidem ex modo afficiendi sensum accipiuntur, dignotionē etiam contineri. Continentur vero his quatuor differentiis omnium ex succo pendentium febrium species, quinetiam quodammodo febres omnes.

Nam cum juxta succorum differentiam, quatuor sint, melancholica, sanguinea, biliosa & pituitosa, calor bilis & melancholiæ mordax est ob materiæ ariditaté, sed bilis mordacitas vincitur à manu, ob materiæ & vaporum tenuitatem. Sanguinis & pituitæ, ob humiditatem materiæ, non est calor mordax, tamen a pituita non abest mordacitas, si quidem putrida sit, sed adest quædam, quæ etsi primo occursu non appareat, persistente manu insurgit. Itaque semper sunt mordaces melancholicæ, semper mites sanguineæ; non mordaces, sed postea augescentes pituitosæ, acutæ, sed imminute biliosæ.

Quibus quatuor generibus continentur omnes quæ ex succis pendent. Possunt autem contineri etiam aliæ omnes; hecticæ quidem in mordacibus, cum melancholicis. Diariæ in mitibus, cum sanguineis, tales enim sunt revera. *Vallesius comm. in eū locum* p. m. 585. & 586.

42. *Ἐξέρυθροι, quæ faciem &c.*) Postrema partitio Febrium Hippocratica (*Aliæ etiam prærubræ, aliæ lividæ, quædam valde pallidæ &c.*) equidem inartificiosa est, & ex iis quæ per accidens adsunt desumpta; Antiquissimi enim Medici in multis morborum inartificiosis differentiis usi sunt, quia nondum ars erat exacte constituta. Sive igitur *febres rubræ, pallidæ, lividæ, virides, albæ*, aut alio quovis colore, ob cutem hominis, sive ob excrementa dicantur, externæ differentiæ sunt, & nullas proprias species constituunt, sed tanto quævis febris esse agnoscetur benignior aut malignior, quanto color, sive faciei, sive exeuntium, mitiorem aut maligniorem causam præ se fert. *Vallesius p. 587.* Vide supra Tit. 1. de Febre in genere §. *Differentiæ*) ex *Primirosio*.

43. *Ἰκτεροῦσι*) In iis qui initio febris Ictero fœdantur.

44. *Ἐπίρριγοι*) Per has intelligi possunt febres *Algidæ*, in quibus ... vix aut nunquam recalescunt, de qua specie vide ...um & alios Neotericos.

Febris Singultuosa.

45. *Λυγγώδεις*) Non quilibet Singultus febrem facit quæ *Singultuosa* appellatur, nam ut *Singultuosa* vocetur, inquit *Galenus* 1. Acut. 69. *permanere amplius debet singultus, vel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbari*; intellige tamen *per totum morbū*, i. e. ex quo singultus cœpit ægrum corripere, Etenim potest aliquando simul cum morbo adesse, & est tunc *ἐπιφαινόμενον*. i. e. mox apparens; aliquando evenire post primos dies, & est *ἐπιγινόμενον* i. e. superveniens, Attamen debet perdurare, nam ex singultu qui facile evanescit, non dicitur febris Singultuosa; solet namq; Singultus facile vel spiritus cohibitione, vel sternutatione, *6. aph. 13.* evanescere, ut contigit *Aristophani*, qui cum singultiendo rumperetur, neque spiritum cohibendo, neque bibenno levaretur, tandem ex præscripto *Erisymachi* citata sternutatione singultiendi finem fecit. Itaque *Galenus* eos qui vomitu bilioso à singultu liberantur febre singultuosa detentos appellari vetuit.

Porro Singultus est ventriculi concussio, sive convulsio, qua tunicæ ipsius id à quo pertinaciter molestantur, excutere laborat, fitque ex *Galeni* sententia, sicuti reliquæ convulsiones, aut ab inanitione, aut à repletione; fit etiam à re mordicante; ideo *Galeno* singultus accidebat (3. l. aff. c. 7.) quoties piperis immodicam quantitatem ingerebat. Materia igitur, sive advena, sive indigena, in ventriculi ore consistens ac putrescens, febrem excitat singultuosam, febrem, ob putredinem, singultum ob irritationem; Quod si inde vel discussione, vel evacuatione extrahatur, utrumque cessat, nempe quod ab una causa fiant, Si non extrahatur, sed duntaxat ab eo loco removeatur, cessabit singultus (erat namque ratione loci) remanebit febris, remanente in corpore humore putrido: Si putredo corrigatur, maneat tamen tunicis ventriculi aliquantula materia impacta, cessabit febris, sed singultus permanebit amplius: Hanc Febrem curat *Hippoc. 4. acu. 69.* rebus attenuantibus, incidentibus, abstergentibus. Cæterum in ea potest Singultus statim advenire, si statim materia mordeat, & erit symptoma epiphænomenon, poterit & paulo post aucta cum putredine mordacitate, supervenire, & erit *ἐπιγινόμενον*.

Potest etiam nulla in ore ventriculi materia existente, sed duntaxat compatiente illo ad alia, fieri singultus, dupliciter, 1. ob *συμπάθειαν*, cum parte aliqua nervosa affecta, nervosum genus, & nervorum origo, cerebrum, in consensum trahuntur, & quoniam os ventriculi plurimos magnosque participat nervos, concutitur & convellitur, cumque pars primo affecta febrem inducat, inducit similiter singultum.

Et licet singultus simul cum febre adveniens sit febris epiphænomenon, nihilominus ratione passionis nervorum, quæ nonnisi valde aucta stomachum in consensum trahit, erit *ἐπιγινόμενον*. Ad calcis sideratonem ex *Hippocr. 2. de Fract. t. 23.* singultus sequitur, non statim, sed si diu jacuerit æger. 2. (Et hæc est Singultuosa, in qua Singultus semper est *ἐπιγινόμενος*,) cum præter vicinæ alicujus partis inflammationem ventriculus vel premitur, vel uritur, vel conspurcatur. Sic 7. aph. 17. *In hepatis inflammatione singultus malum*, in magnitudinem, scil. *ait Galenus* aucto hepate, fervente inflammatione, in quo fervore stomachus ad compassionem trahitur nonnunquam, communium nervorum ratione &c.

Eadem etiam vel compressio ventriculi, vel ejusdem adustio, vel à vaporibus tetris conspurcatio, ex quorum quolibet fit singultus, contingit ex thoracis inflammatione, quod colliges ex 2. de morbis, *Febris detinet vehemens, & rigor, & tussis & singultus, & una cum saliva grumos sanguinis tussiendo rejicit & 7. die moritur. Rod. à Castro Q. ex Q. l. 1. c. 19.*

46. *Ad manum humida*) Nomine *ad tactum humidarum* recte intelliguntur *Diaria*, quia harum calor est vaporosus, & tactui humorem quendam repræsentat; Tametsi ergo putridæ ex succis pendeant, ad tactum non sentiuntur adeo humidæ, Quin potius illæ omnes sunt mordaces, & acres, aut mox, aut postquam manus aliquandiu adhæserit, aut semper, nam sanguineæ, quæ solæ earum quæ ex succis pendent sunt ad tactum humidæ, inter diarias potius censeri debent; Quia, quæ in illis putridæ sunt, biliosæ etiam sunt, atque ut ad biliosas plus aut minus accedunt, ita a blando tenui & humido tactu recedunt. *Vallesius l. c. p. 588.*

a. Τυφώδης) *Rodericus à Castro* easdem Ἑλώδεις inferius vocat. *Gorraeus in Defin. l.* Τυφώδης πυρετὸς, ait, nomen est febris continuæ & ardentis, non per se quidem natæ & essentialis, ut vocant, sed symptomaticæ & Jecinoris erysipelate excitatæ. Eam præterea *Galenus l. adversus Lycum* dicit esse de genere humidarum febrium, quod à primo statim die ægri sudent, sudore ipso aut parum aut nullo modo levante, Unde *Rod. à Castro* desumpsit.

47. Ἑλώδεις *Palustres*) Febris sudorifica, Τυφώδης καὶ Ἑλώδης, καὶ Ἱδρώδης; Retinet apud authores Latinos Græcum nomen febris illa quæ continuis sudoribus stipatur, *Typhodes* sic dicta quoniam sudantibus è toto corpore, simul cum sudore, halitus sive fumus elevatur; fumus enim Græce Τύφος, & Τυφόω, fumum emitto, Dicitur & Ἑλώδης, palustris, sudans enim quasi in palude immersus videtur. A recentioribus Ἱδρώδης, à sudore; Porro tribus modis sudor exit, Excretione, Expressione, & partium solidarum *Exolutione*, siquidem succum, quo nutriri debent, assimilare non possunt, eumque sinunt effluere. Hic omnium est pessimus, neque confertim fit, potiusq; sudatiuncula appellatur quam sudor, & cum virium imbecillitate; *Expressione* elicitur sudor, vel in magnis doloribus, vel in angoribus, cum scil. spiritus agitati incalescunt, rursusque ad cutem transmittuntur, & juxta ipsam condensantur. *Excretione* sudores possunt esse optimi, vel saltem boni, juxta conditiones quas scripsit *Hippocr.* Progn. 18, *Rod. à Castro Q. ex Q. cap. 23. lib. 1.* De sudoribus vide plura supra Tit. 3.

48. Πεμφιγώδεις) Latine *Ampullosam* diceres, in qua tam facies & os, quam caput & aliæ partes corporis, bullis & bullulis hinc inde protuberantibus interstincta observatur. Talis bullarum elevatio intumescentia, potius fermenti maligni, cujusdam critico quasi naturæ motu cum suo vehiculo ad instar variolarum exclusi effectus esse videtur. *Etmuller. p. 305.* Ampullosas febres dici non posse alias quam quas ampullæ quædam per corpus obortæ comitantur satis constat ex ipso nomine, & quod addit *Hippocr.* aspectu horrendæ, Nimirum morbi in quibus per cutem ampullæ, ut ex cutis combustione, dispersæ sunt, aspectu graves & horrendæ sunt. Constat vero hæc in febribus malignam putrescentiam, aut exustionem succorum indicare. *Vallesius in 6. Epid. sect. 1. p. m. 686.* Si Febrem Variolosam voces vero similia forte dixeris.

48. Πεμφιγώδεις *Galeno sunt aliquando quæ cum pustulis*) Licitum erit ad *Febres bullosas* sequentem referre, quantumvis ampullæ non tantum fauces, sed alias etiam externas corporis partes occuparint.

Quinquagenarius vir vicino in regenda domo suppetias fert, In culmine constitutus maligna quadam aura perculsus inopinato capitis dolorem gravissimum cum calore p. n. conjunctum persentiscit: Ad nobiliora bezoartica cum præcipitantibus commixta confugio, & pro calore p. n. & fermento febrili compescendo, *Antimonium*, ad modum *Peppii* calcinatum, cum ocul. cancr. præparatis commixtum, singulis 4. horis in *aqua. ulmar.* propinabam. Pro levando capitis dolore *Oleum Sal. armon. sulphur.* per instrumentum *Glauberi* destillatum, cum *aqua rosar. & verbenæ* combinatum ut vertici guttatim applicaretur curavi. Cum solis occasum uxor faciem mariti mirum quantum intumuisse refert, Ego continuationem prædicti pulveris impero, addito *Julepo sambuci myrrhato*, cum spir. *salis armon.* sulphureo nonnihil acuato. Postridie patientem visitans fauces & faciem bullis adeo defœdatam deprehendo, ut vix cognoscibilis esset; imo collum, manus, thoracem, tibias, & alias partes, quæ libero Jovi fuerunt expositæ, bullis majusculis instar globulorum, quibus pueri ludunt, contectus monstrabat, ut ne hilum genuinæ & naturalis cutis dignoscere possem: Calor vero p. n. nonnihil remiserat, symptomataque alia remiserant, ideoque à prædictis duobus medicaminibus non destiti: Intra octiduum convaluit. *Christoph. Seliger Med. Sept. vol. 2. p. 180.*

49. Ταραχώδεις) Febres acutæ quædam sunt *Deliræ*: In his fermentum febrile (utplurimum tamen malignum, unde & interdum epidemice grassantur tales febres) speciatim spiritibus animalibus, & hinc generi nervoso circa interiores capitis partes inimicum videtur: quod istorũ texturam vitiando, adeoq; motum debitum pervertendo, h. e. continuo vellicando (unde intensior circa frontem quam alias corporis parte ardor percipitur) vigiliarum pertinacium, hinc deliriorum ac consequenter convulsionum causa existit. *Etmuller p. 303.*

Febris Horrifica.

50. Φρικώδεις, *quæ Semi-Tertianæ esse videntur*) Febris Horrifica non est illa cui initio accessionis horror adest, huic enim proprium & pathognomonicum signum est horror, ut ex intermittentibus sunt Quartanæ, quas non propterea (cum earum paroxysmi cum horrore incipiant) horrificas appellabis. Ex continuis Hæmitritæus, quamvis hunc aliquo jure posses febrem horrificam nuncupare, quippe non solum initio accessionis, sed per totam ipsam horroribus infestatur; Porro Horrificæ febres sunt, quibus epigenomice crebri horrores superveniunt, contingit autem hoc inprimis in suppurationibus, non iis solum quæ in thorace contingunt, sed in quovis alio abscessu & vomica, Esse autem epigenomenon ex eo addisces quod auctam febrem consequitur. Id *Galenus* agnovit 2. *Progn.* 58. Primũ enim suppurationis signum appellat, *quo rigor una cum febre, vehementiore scil. admodum quam anterior existente coincidit.* Et 1. de rig. trem. palpit. c. 7. *Inflammationem cum in abscessum mutatur rigorem horroremq; comitari*, ait,

Deinde ex qualibet putredine rigores horroresve excitantur, nam ex *Galeno 1. Progn.* 58. malignis ulceribus, aut cuidam putredinosæ affectioni rigere & febricitare contingit, hoc tamen dummodo adsint conditiones de quibus 10. *meth. c. 4.* prima est *multitudo*, nam multa paucis mordent magis, morsu autem mediocri horror fit, majore rigor: 2. *acrimonia*, hæc quo insignior, eo magis pungit, 3. *motus celeritas*, quippe quæ velociter feruntur vellicant magis quam quæ tarde. 4. *virium infirmitas*, vires enim validæ contemnunt omnia, debiles à quolibet offenduntur, Rigent itaque ægri vel propter humores biliosos, vel propter pituitam *Praxagoræ* vitream dictam, hæc enim mordere etiam apta est, Propterea *Epialas*, in quibus *ægri simul febricitant & rigent*, inter *horrificas* recenseo.

Nec humores solum, sed & vapores etiam putridi rigere faciunt & horrere, *Mordentem halitum & succum, ubi per sensibilia corpora fertur, horrorem rigoremque excitare* dixit *Galenus 10. meth. c. 14.* Posse vero flatuosam substantiam per se solam rigores movere testatur *Hippocr. l. de Flat.* & *Galenus l. de sympt. c. cap. 5.*

Etsi autem *Galenus* dicat aliquando naturam rigore ab excrementis biliosis liberari, non ideo negare potest putridas etiam fuligines rigorem facere, & hinc colliges solas putridas febres rigorem comitem habere, nam ephemeræ & hecticæ nec habent materiam irritantem, neque acrium fuliginum effluxum, ita tamen ut effluxu exoneretur natura, retentione autem agitati humoris vaporisvè horreat aut rigeat, Agitatur autem non solum per venas, quas non omnino sensu carere ex *Galeno* constat, vel per pancreas & mesenterium, quæ sunt totius impuritatis sentina, quippe materiæ hæc continens in se putredinis rudimenta facile ebullit, feritque membranas, dolorem cum horrore inducens.

Potest etiam venenata quædam qualitas irrequietam tribuere conditionem, ob quam in corpore à cacochymia obstructo, materiae hac illac fluctans sensationem tristem excitat, propterea natura refugit & contrahitur, hinc horror, & à fortiore causa rigor. Si quæris, quomodo Continuis, in quibus materia non fertur extra venas, rigor adesse possit?

℞. Ordi-

24. Ordinarie solis contingere intermittentibus, quæ statuto tempore transmissione humoris extra vasa suas conficiunt reversiones; At continuæ intra vasa habent fervorem putredinemque, cujus pars aliqua redundans mordet, & rigori horrorive materiam præbet. Vt non simpliciter putridarum, sed malignarum, quæ materiam irrequietá habent sit proprium crebris horroribus ægrũ vexare. *Rod. Castrensis Q. ex Q. cap. 20. l. 1.* Dehac & ei affini semitertiana V. de infra Tit. 6. de Febr. compositis.

· *Φρικώδης*) Qui fit ut in febribus continuis perpetua horrendi quædam sit vicissitudo? An omnino meatus suppurati in aliqua parte, quod magna Medicorum pars suspicatur? Nequaquam, nam cum in febribus putridis, præsertim si cacochymia sit magna, quæ incendium conceperit, dum calor ex intervallis incalescit, & putridus vapor effertur à foco ad partes, reliquas partes feriens tum horroris occasio adest; Omnes enim cacochymi, dum repente vehementer incalescunt, horrent; quod in externis videre licet, Nam si quis cacochymus insolet, paulo post horrescit & febricitat; Nunquid quod calor externus facit ad horrorem inducendum idem & internus facere potest, dum è foco & sede suscitatur, refunditurq; in alias partes? sed hæc in valde cacochymis & [illegible]. *Ballonius Epid. lib. 2. p. 119.*

51. *In Ομοτόνοις &c.*) Licet hujusmodi febres continuo crescant, aut decrescant, aut eundem tenorem servent, hoc tamen non impedit quin illæ quatuor habeant tempora, si ad salutem terminentur, sed alia longiora alia breviora, si juxta symptomatum vehementiam considerentur; Sic enim *homotonos* brevissimum habet principium & augmentum, longum vero statum. *Epacmastica* longum habent augmentum, *Paracmastica* longam declinationem, reliqua autem tempora citissime transeunt. *Riverius cap. 1. sect. 2. de Febr.*

52. *A principio ad crisin usque*) Sciendum Febrium Putridarum tempora dupliciter considerari, vel quoad *symptomata*, vel quoad *coctionem & cruditatem*, quæ duo in aliis febribus plerumque coincidunt; In *synocho* vero non item, Earum enim tempora non tam ex symptomatum incremento & decremento, quam ex signis concoctionis æstimari debent, quæ in urinis præcipue apparent. *Riverius.*

CAPUT II.

De Synocho Putrida & Causo seu Febre Ardente.

1. *Causus* [2] *seu Febris Ardens est* [3] *febris continua* [4] *à sanguinis in vasis majoribus* [5] *putredine exorta cum ingente siti, & calore urgente continuo affligens.*

[6] Dicitur etiam *πῦρ*, quod flagrantissima sit. *ἀσώδης*, quod ægros maximè inquietos reddat. *Τεταρχώδης*, propter causam superius allatam, & fortè quod spectris quibusdam imaginatis ægri terreantur. & [8] *ἀσαγκὴς πυρετὸς*, ob urgentis caloris copiam.

[9] *Signa* pathognomonica sunt, [10] *sitis ingens & calor urgens*, uterque continuus, [11] nisi forte, illa, tussi, quæ humorum affluxum causari potest, mitigetur.

His accedunt, magna *corporis jactatio*, à magno fervore tenuiúmque vaporum acrimonia corpus undique lacessente.

Vrina pauca, ob copiam sudoris & caloris urinam absumentis: interdum *cruda* & turbida, quæ subsidentibus partibus extraneis, & resoluto turbido spiritu, postea clarescit; nonnunquam tenuis, biliosissima & flammea.

Dejectio, nisi fæces ab ardore febris torreantur & indurescant, liquida & crocea, bile in ventrem effusâ, fæcesque diluente.

Pulsus celer, frequens & inæqualis. velocior enim systole, quia fuligines graviter urgentes, arteriæ, celeri compressione expellere conantur. *Respiratio* difficilis, & exspiratio inspiratione, ob auctam necessitatem ignei halitus emittendi, celerior.

Oris amaritudo, quia bilis tunicam ventriculi internam ori communem imbuit.

Lingua ariditas, scabrities, & nigror, quia ardor linguæ humiditatem absumit, & suas fuligines in lingua deponit.

Desipientia, ob bilis ad caput recursum; quæ si tremorem excipiat, transferri humorem biliosum è venis in nervos, à nervis in cerebrum indicatur.

Somni interdum profunditas, in minus exquisita præsertim; quia crassi vapores in cerebrum sublati, ejus meatus offarciunt.

· *Causa* est sanguis calidior in hominibus calidioribus & siccioribus, peculiari hepatis proprietate exortus: cui occasio, à non naturalibus, de quibus in differentiis.

Causus) Ὁ Καῦσος, ὁ Καύσων. Monendum hic de vera [illegible] Latinos pronunciatione, Non enim ut *causa gaudium*, *audax*, & talia pronunciari debet, sed ut græcum *αὐτὸ αὐτὸν*, (*Cas[illegible], Cafson*) Hanc pronunciationem firmo ex libr. *Ciceron. 2. de Divinat.* cum *Marcus Crassus* (inquit ille) [illegible] Brundusii imponeret, quidam in portu caricas, [illegible] advectas, vendens, Cauneas (ita *Casaubonus*) proclamabat. Dicamus, si placeat, monitum ab eo Crassum, caveret [illegible]: Hic nisi exclusisset præco diphthongum Græcam [illegible], nulla fuisset divinatio, inde Cauneas igitur, quasi [illegible] eas, dixit. *Piens Tr. de Febr. p. 79. l. 2.*

2. *Causus, seu* [illegible] *ardens*) *Causos*, si nomẽ spectemus, non est differẽtia te[illegible] tantũ conditio, quæ ejus gravitatẽ vehementiamque denotat; Qua ratione febrem omnem, quæ ardorem sitimq; gravem annexam habet, licebit Ardentem appellare. Nomen illud de pluribus dici potest; sed non pari de omnibus ratione, sed secundum analogiam, dubitaturq; de Synocho, de Tertiana exquisita, de Tertiana Continua an Ardentes sint. *Primirosius cap. 4. lib. 3.*

3. *Febris Ardens est febris continua*) Sic describit *Piens l. c.* Est vehemens & continua febris, ex vehementi cordis irritatione, ab inordinata effervescentia, cum calore acerrimo & siti inextinguibili continuo affligens.

3. *Est Febris continua à sanguine &c.*) Variis in locis illam describit *Hippocr. 2. de morbi*, *Febris*, inquit, *& sitis detinet, lingua est aspera, nigra, ex virore pallida fit, a & valde rubra, oculi ex virore pallescunt, alvi excrementum dejicit rubrum, salemque urinam reddit, & multum spuit.* Sed hæc non semper adsunt, nam in lethalibus decolor urina sæpe videtur, ut ex historiis Epid. annotare licet. Libro quoque de *V. Acut.* eleganter eam describit. *& 9. de morbis.*

4. *A sanguine*) In Causo sanguis plus debito sulphureus, simulque crassus, sero non satis diluitur, quasque hujus in se particulas continet, à complexu suo ægre deponit; quapropter intra pulmones uberius accenditur; cumque horum ductus, tum ob majorem effervescentiam, tum ob crassitiem suam difficilius pertransit, Cor impigre & vehementissime vibrans circumpulsionem ejus totis viribus molitur, nihilominus à flamma ejus majore intra præcordia gliscente, æstus & sitis molestissima, cum linguæ scabritie & velut torrefactione quadam oriuntur. *Willis de med. op. sect. 1. c. 2.*

Illius ortus adscribi solet bili sinceræ in venis putrefactæ: sed notanda *Galeni* sententia *4. aphor. 59.* ubi inquit, Febrem ardentem habere in venis una cum sanguine bilem plurimam ebullientem; Ubi videtur *Galenus* non tantum bilem sed etiam Ardentis causam sanguinem facere; id quod confirmare videtur experientia cum narium hæmorrhagia frequenter solvatur, nec possibile est illas oriri quin sanguis incalescat, etsi putredo non semper accedat, cum sufficiat bilis fervidæ accessio & cum sanguine commistio. *Primerosius l. de Febr. p. 227.*

5. *Putredine exorta*) Non sanguinis putredini causam assignat *Willis*, cujus vestigia alii premsit, sed maximę illius effervescentiæ: Causus, *inquit*, seu febris Ardens, ea est quæ cum majori æstu, siti fere intolerabili, aliisque symptomatibus, insigniorem sanguinis phlogosin arguentibus, cursum suum peragit. Ejus ratio formalis, qua à cæteris discriminatur, in hoc consistit, quod temperies sanguinis ea affectus sit calidior, hoc est, sulphure concremabili magis abundat; ideo cum effervescit, majori copia accenditur, & deflagrationę sua caloris intensissimi effluvia per totum corpus diffundit. Ejus motus est acutus, & cito ad statum pervenit, symptomatibus magis horrendis stipatur, crisin habet difficilem, & eventum periculosæ aleæ plenum.

6. *Dicitur etiam πῦρ*) Maxima Medicorum pars affirmant *Hippocr. πῦρ* si sit ardentior, febrem nominasse; Sed si vim nominis rimari lubet, apud *Hippocratem τὸ πῦρ* peculiarem significat speciem; uti videre est locis à *Foesio* in Oeconomia allatis: Cum itaque *τὸ πῦρ* apud illum febris significationem habeat, non tamen cujuscunque, sed vehementis, quæ *Causus* uno nomine vocari solet, ad hanc febris speciem allu dit *Virgilius l. 3. Georg.*

Cum furit atque artus depascitur arida febris
Profuit incensos æstus avertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam

ut & *Seneca Thyeste, Act. 4.*

flagrat incensum siti
Cor, & perustis flamma visceribus micat.

Pieus Tr. de Febr. in Gen. c. 1.

7. *Ἀσώδεις*) Assodeis sunt illæ Febres quæ ob inflammatum os ventriculi jactationem & inquietudinem faciunt; quam etiam ob causam febres illæ *intolerabiles*, ut ita dicam, appellantur: Et quia nausea & vomitu ægri infestantur, *Fastidiosa* dicuntur. *Causa* sunt particulæ acres & fervidæ, aliqua malignitate impregnatæ, unde fermentatione improportionata facta, modo in majori, modo in minori copia, materia subtilis ad cor accedens illud irritat, hinc anxietas & jactatio. Illæ acres ac fervidæ particulæ à corde jam in partes sensiles inter circulandum, ac præcipue in tunicas & plicas ventriculi effusæ, eum evertunt, unde tale quid quale vomiturientibus contingit. *Pieus.*

a. *Quod ægros maxime inquietos*) Inquietudinis in his febribus duplex causa à *Galeno* assignatur *comm. ad sent. 47. l. 4. Vict. Ac. Et 2. Prorrh. 47. Uno* quidem modo quum virtus à corpore opprimitur, nullamque figuram facile sustinet; *altero* quum os ventriculi à pravis mordetur humoribus.

8. *Πυρετοὶ καυσώδεις*) An datur *Febris à combustione humorum? Affirmatur*, Quæ febres ab hac causa generentur, illius natura docet, in *intensione caloris* consistens, & per eam à putredine differens. Unde omnes febres quæ cum intenso urunt calore, à combustione venire credendn u; Hujusmodi distinctio putredinis à combustione maxime est momenti in Febrium curatione; varia in utraque existente tam medicamentorum quam victus indicatione, unde in istis eodem modo procedere maximi esset præjudicii, ut adnotatum à *Galeno 3. m. m. c. 8.* ubi de juvene bilioso.

Nam cum accenditur ait, *in his febris propter mordentem acrimoniam, excalefacti attenuatique ex Sole & inedia & laboribus succi*, maximum remedium est *nutrimentum humidum: Sicut e diverso, ubi ob copiam, vel obstructionem, vel phlegmonem, vel, ut semel dicam, humoris alicujus putredinem Febris est orta, maximo malo est cibus.*

Ex qua sententia, ut interpretatur *Minadous*, distinguit *febrem ex combustione & putredine.* An autem Humores combustionis sint subjectum? ambigitur, quia cum sint corpora fluida & humida, in cinerem desinere non possunt &c. Ex eo minus propriam combustionem in venis, per quas fluunt humores, non credimus, cum in purgatione post febrem, quam à combustione dicimus, non observentur partes istæ adeo siccæ ut cineres, in quos humida corpora desinere non possunt.

Per quandam tamen proportionem humores esse combustionis subjectum negandum non est; quia sicuti in combustione propria, ejus subjectum inflammatur & accenditur, & cum illius humido evaporant partes subtiles & igneæ cum violentia, vicina corpora calefacientes & comburentes; ita cum humores ab agente violento excalefacti, partes calidas suo sinu reconditas diffundunt in magna copia, & cum impetu, membra per quæ transeunt intense calefaciendo, in partium dissolutionem postea abeundo, relicto crassamento fluido, ulteriori combustioni inepto, dicentur proportionaliter comburi. In Humoribus Combustionem expressit *Galenus 1. diff. febr. cap. 5.* ubi calorem febrilem hac explicat similitudine.

Quemadmodum in agro aliquando conspexi excrementa jumentorum, simul ac columbarum, quadam ex parte adeo vehementer excalefacta, quod instar fumi multam evaporationem in sublime emittebant, non parum mordacem & dolorificam, & si quis proxime accessisset nares oculosq; lædentem, ipsa etiam excrementa tangentibus adeo calida sentiebantur, ut qui longiori tempore manus & pedes admovissent exurerentur; multa illa evaporatio, quamvis sine flamma, & lumine, combustionem importat, quia ad cineres terminatur, sicut combusti e nec à flamma differt nisi luce,

Galenum secuti sunt in admittenda combustione humorum non pauci, *Willis de Febr. c. 9.* ubi Febrem putridam fieri ait.

Cum pars sanguinis oleosa & sulphurea nimis excalefacta supra modum turgescit, & velut in flamam adigitur, Et eodem capite habet. *Hoc est sulphur, seu oleosa pars sanguinis diu excalefacta, & per partes effervescens, tandem instar fœni madide repositi, post longam incalescentiam, simul tota in flammam erumpit.* Vide eundem *l. de Ferment. c. 10.* ubi exponit quomodo foenum modo prædicto repositum exardescat. *Pompeius Sacchus Irid. Febr. c. 5.*

Combustionis natura & quidditas modum quo Febris ab illa producitur dilucidat, Cum enim consistat essentialiter in evaporatione multa, turmatim & subito facta, partium ignearum, patet etiam his, & ratione similitudinis, & ratione caliditatis corpora vicina, in quæ cum debita approximatione tendunt, calefacere. Quando ergo humoribus hujusmodi dissolutio contingit, pervenientibus igneis particulis ad sanguinem & cor, utrumque intense & ultra naturæ leges calefaciunt.

Patiuntur autem hanc dissolutionem humores per obstructionem, in qua prohibita humoris conclusi ventilatione, admodum incalescit, rarescit, igneæ particulæ disgregantur, & facto impetu acervatim erumpunt & velut in flammam attolluntur ad cor; hinc illius alteratio

calorıs

caloris & intensio, à quo Febris & sanguini etiam extra cor insinuatæ eum inter se calefaciunt; ut ad cor perveniens majorem in eo teddat calorem; & ab hoc vicissim calefactus, totum corpus postea, per quod dispergitur illud, ignea caliditate perfundens, & ita combustio ab obstructione proveniens; nec aliter succedit quando putredo primo incipit per obstrectionem, succedente postea combustione, ob exhalationem partium ignearum, non sensim, sed in copia factam, dependenter ab earum impetu, & à mixtione subito dissoluta.

Et si combustio contingat à calore cordis, cum dispositione humorum ad eam, ut fit quando ille valde est auctus ab aliqua causa calefaciente, & sanguis adeo rarus & fervidus, ut per cor transeundo inflammetur & exardescat, non aliter ac spiritus vini candelæ accensæ approximatus, tunc fervor sanguinis, spiritus & partes calidas ad motum excitat, & disgregat; raritas ad libertatem disponit, & calor cordis illam augendo, & unionem solvendo, viam aperit, ut multitudine & impetu è carcere in apertum egrediantur, instar flammæ ab accensis lignis scaturientis. Hinc pars particularum ignearum in cavitate ventriculorum cordis remanens, & spiritui vitali ibi habitanti conjunctæ, & aliæ in substantiæ porositatibus penetratæ, calorem cordis ad summam intensionem evehunt, & aliæ per sanguinem discurrentes, & in ejus superficie hærentes, tanquam in carbone accenso, illum adurentem reddunt; Posse vero hujusmodi sanguinis combustionem à sola istius dispositione oriri puto, cum in raritate & calore est excedens, manente calore cordis in suo statu naturali per aliquod tempus, quia perseverante combustione non potest non intendi. *Idem cap.8.*

9. *Signa pathognomonica sunt*) Ad febrium Ardentium dignosin duo signa sufficiunt, ex *Galeno*, Calor ingens & Sitis maxima, Nec opus est plura accedere quæ necessaria non sunt, etsi plurima consequantur, unde in mediis æstibus *pullulant*: Calor itaque maximus est, ut neque vestes neque lintea ferre possint; quamvis in externis calor non semper appareat, ut in malignis, in quibus interiora calent exteriora tepent: Ab hoc immenso fervore procedunt linguæ asperitas, nigredo, vigiliæ, delirια, ventris morsus, dejectiones pallidæ, sitis, urina flammea, crassa, turbulenta, prove bilis hanc vel illam partem magis infestat: dejectiones nonnunquam sunt graveolentes, subnigræ, rufæ, interdum etiam subalbigantes in futuro ictero; Sopor quoque nonnunquam contingit, sæpe funestus, urina decolor in phreniticis aut moribundis. Ipsa quoque *Sitis*, quæ hujus febris character est, abesse potest tribus de causis, vel ob emortuam ventriculi facultatem, vel ob tussim, *aph. 54.4. Quibus tusses siccæ leviter irritantes in ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.* Eurianactis filia ardente correpta, nunquam toto morbi decursu sitivit, tussiebat autem, *3. Epid. sect.2.* vel denique ob mentis alienationem, ob quam ægri, quamvis sitiant, sitim tamen non percipiunt: *Pulsus* præterea frequens est & durus ob arteriæ siccitatem, inæqualis, minor quam in synochis. Incepit sine *rigore*, aut si rigor quidam in principio fatigat, non solet is postea per paroxysmos redire ante statum quod febris sudore terminatur. *Primerosius l.3.c.4.*

[illegible] *Sitis ingens*) Ex *Galeno* part.1.4. *Acut. Interdum Causo* [illegible] una parte, interdum in toto corpore gignitur, *Si in uno situm omnino parit, Cum in una parte, non necessario, nisi pars* [illegible] *sitim afferat: Omnium autem primum id facit os ventriculi deinde stomachus, post pulmo, subinde jejunum intestinum,* [illegible]ere est Sitim non esse Causi pathognomonicum: ideo [illegible]us præsagiens non statim male debet ominari, & vacuitatem sitis facultatis naturalis intermortuæ signum esse existimare. Potest enim non adesse sitis si focus Causi [illegible] particularis, & in ea parte quæ inflammata & erysipelatis modo affectas sitim non provocet, Si impedita sit tantum ad tempus, aut languidior, sed non extincta & emortua facultas, potest sitis ad tempus non sentiri, deinde percipitur. Potest & non adesse sitis, cum putrens humiditas in ventrem non influxit.

Ex Recentioribus quidam unum non negligendum adnotavit, nempe quod sitis aliquando major est quam Febris, ut cum in inflammatione juxta os ventriculi arescit magis os ventriculi quam cor exuratur. Et contra minor quam febris, cum facultas languet, aut venter multa natat humiditate. Ego vidi plerosque febritentes ardente febre, cum lingua exusta, tamen non aderat sitis, aut ea mediocris; Cujus ratio referenda ad instrumenti propriam affectionē. Lingua enim fit aut pellucida aut nigra exustaq;. Et cum totus stomachus, cui illa continua est eo pene modo affectus sit, arentibus iis particulis, & supra modum siccatis, non percipitur sensus indigentiæ; quia nervus linguæ subjectus non est eo modo affectus quo debet. *Ballonius Cons.5.l.3.*

10. *Sunt sitis ingens & calor urgens*) Causos, sive Febris ardens, duo quasi pathognomonica habet signa, sive sint continentes, sive sint continuæ tertianæ: Primarius illis symptomatis subinde accedunt linguæ ariditas, labiorum fissuræ, capitis dolor &c. Easdem penitus causas, sed intensiores, & concitatiorem fermentationem excitantes ac febres aliæ acutæ habet: unde ex *volatili acriori acido* intensiorem effervescentiam excitante intensissimus iste æstus. Ex hoc ipso vero, dum alkalizatur quasi causa febrilis, ut loquitur *Helmontius Tr. Pylorus rector §.126.* intensa adeo sitis, h.e. depravatum in febre fermentum stomachale, dum non aptum est ad consuetam digestionem, in excrementum nidorosum facessere sinit, quicquid in stomacho fuerit, quod à calore partis, & speciatim ab nimio æstu febrili magis alteratum, & quasi colliquatum, in texturam alkalisatam, ut quasi empyreuma contrahat, tunicis ventriculi tenacius impactum, febrilem sitim infert, irritando & vellicando certo modo membranam stomachi & oesophagi; & per consensum ipsius quoque linguæ. Unde intolerabilis fere sitis; & quæ amaricantibus, v.g. cerevisia lupulata, ex dictis causis intenditur; nec nisi acidis, præsertim mineralibus, corrigibilis est, *Ettmuller p.302.*

10. *Calor urgens*) Æstus febrilis inusitatam vim exhibet *Oliger Jacobus in med. nostra Sept. vol.2.p.181.* Fœmina, *inquit*, febri acuta & inflammatione circa umbilicum subito correpta, opinione citius, & ἀλόγως liberata fuit. Æstum vero febrilem in foetum transiisse eventus docuit, mortuus enim ex utero extractus ossa habuit in pulverem rubicundissimum redacta, Tanta vis ignis febrilis fuit.

11. *Nisi forte illa tussis*) Ex Galeno colligere est Sitim non esse Causi pathognomonicum: ideo medicus præsagiens non statim malè ominari debet & vacuitatem sitis facultatis naturalis intermortuæ signum esse existimare: Potest enim non adesse sitis si focus Causi sit particularis, & in ea parte quæ inflammata & erysipelatis modo affecta sitim non provocet: potest etiam mens læsa esse, ut affectionis sensus non sit: Vel facultas naturalis potionis appetens in ventriculo residens extincta est: Omitto communem illam causam, descensum pituitæ dulcis qua tonsillæ & fauces irrigantur: Si impedita sit tantum ad tempus aut languidior, sed non extincta & emortua facultas, potest sitis ad tempus non sentiri, deinde percipitur: potest & non adesse sitis, cùm putrens humiditas in ventrem non influxit: Ex recentioribus quidam unum non negligendum adnotavit, nempe quod Sitis aliquando major est quàm febris, ut cùm in inflammatione juxta os ventriculi, arescit magis os ventriculi quàm cor exuratur, & contra minor quàm febris, cum facultas languet, aut venter multa natat humiditate? Ego vidi plerosque febrientes ardente febre cum lingua exusta, tamen non aderat sitis aut ea mediocris; cujus ratio referenda ad instrumenti propriam affectionem: lingua cùm sit aut pellucida, aut nigra exustaque, & totus stomachus, cui illa continua est, eo pene modo affectus sit, arentibus iis parti

tibus & supra modum siccatis, non percipitur sensus indigentiæ, quia nervus subjectus linguæ non est eo modo affectus quo debet. *Ballonius conf. 5. lib. 3.*

[12]. *Causa est Sanguis calidior)* *Causa proxima* Ardentis febris est vehemens & maxima Cordis irritatio, ex calidissimis sanguinis particulis, sulphure concremabili, & sale volati magis abundantibus: hinc cum incipiant dissolvi & effervescere, majori copia accenduntur, & deflagratione sua caloris intensissimi effluvia per totum corpus effundunt. *Causa remota* est omne id, quod calidam sanguinis effervescentiam, ac vehementem accensionem, nec non ad illarum sulphurearum, fervidarum & salinarum volatilium particularum collectionem quicquam faciunt. *Piens.*

Curatio exigit, ut *febris, causa & virium agri* ratio habeatur, [13]. *Solvitur* febris variis *excretionibus*, [14]. præcipuè *Rigore*, die critico, signis coctionis apparentibus superveniente: idque non propter rigorem, sed propter excretionem, cujus prænuncius rigor est: familiare etiam in eo judicium [15]. per sanguinis fluxum.

I. *Causa*, & [16]. tum *absolvitur* curatio, 1. [17]. *Vena sectione* [18]. in cubito, [19]. ut plenitudo sanguinis imminuatur, ardor reprimatur & vitium corrigatur. Administrari debet *initio*, validioribus adhuc viribus in temperatis naturis: & quia velocissimè movetur, præcipitem occasionem indicat. Salvatellæ in dextra manu sectio, jecur temperat & viscera ventilat. In [20]. *cubito* Valleriola seni *octogenario*, sed solidi corporis, & virium validarum, ter feliciter aperiri curavit, *Observat.* l. 6 7. & 30. 2. [21]. *Scarificatione*, [22]. cucurbitulis & similibus, quæ vicariam operam præstant, & si procedit ab inanitione, inedia, æstu, resiccatis venis, consumpto ichore &c. & si quid est quod aliud non permittat. (*tunc analepsi potius locus est.*)

3. [23]. *Purgatione*, per medicamenta cholagoga, benigna, & refrigerantia, qualia sunt, Syrupus *rosarum solutivus, Manna Tartarizata*, pulpa Tamarindorum, Electuar. tamarindor. Horstii, vel hoc quod *ex Cass. recent. extracta unc. iß. Manna electa unc. j. Syrupi rosar. solut. unc. iii. Pulpa tamarind. unc. ß.* componitur, partitim exhibita. Trallianus l. xii. c. 3. [24]. scammonio cum malis coroneis parato usus, magis fortè confidenter, quàm judiciosè. Usus & Galenus in muliere herpetica eodem, ut in inflammatione jecoris veratro, Meth. l. xiv. 19. & xiii. 15. sed nolim mireris, cum mitiora prostent. [25]. Clysteres refrigerantes sub noctem dari possunt.

4. [26]. *Sudatione*, si eo natura vergit. Commendant quidam [27]. milii decoctum.

5. [28]. *Vomitione*, si nausea est, & ventriculus humore bilioso, quem oris amaritudo prodit.

II. *Febris*, [29]. quæ alterantia tam *interna* quam *externa* reposcit. [30]. Ex *illis* laudatur inter cætera *decoctum tamarindorum* in [31]. sero lactis vel aqua hordei. [32]. *Hæc* admovenda pectori, dorso, jecori, ventriculo & cordi, [33]. postquam ardor febrilis internis refrigerantibus repressus, & humor putrescens majori ex parte eductus videtur.

III. [34]. *Virium agri*, quæ firmandæ 1. [35]. *Cardiacis refrigerantibus*, inter quæ laudantur, Syrupus granatorum, de acetositate Citri, trifolii acetiosi &c. 2. *Diatâ conveniente*, de qua superius.

[13]. *Solvitur febris variis excretionibus, die critico)* Febris Putridæ status illud est morbi tẽpus in quo Naturæ *Crisin*, seu materiæ adustæ, & à deflagratione sanguinis residuæ expulsionem molitur: Ad hoc requiritur I. ut sanguis maxima ex parte jam deflagrarit, quippe in medio ejus incendio Natura crisi non vacat, nec eam usquam prospere molita est: neque vero ab arte bono cum successu procuratur. II. Ut Spiritus cruoris materiam hanc adustam, seu caput mortuum, prius aliquo modo subigat, ab utili secernat, & expulsioni peridoneam reddat; alias enim evacuatio utut copiosa eveniat, Natura sarcina sua neutiquam libera erit. III. Ut hæc materies tanta in copia congeratur, ut turgescentia sua Naturam ad expulsionem criticam irritet; Si hæc rite concurrant, morbi Crisis plerumq; perfecta succedet, in qua non secus ac in paroxysmis intermittentium, fluore oborto, quicquid extraneum & heterogeneum in cruoris sinu continetur, exagitatur; dein secretum, & sero involutum foras expellitur.

Quando aliquid istorum defuerit, crisis plerumque est irrita & infida, ac raro morbum solvit: Si enim medio incendio, priusquam sanguis deflagraverit, evacuatio sive per sudorem, diarrhoeas, hæmorrhagiam, aut alio quovis modo contingat, materies adusta haud tota secernitur, etiamsi magna ex parte in præsens detraheretur, cruor amplius deflagrãs statim novam substituet, & febrem expugnari vitam denuo redintegrabit, quod si materies ista nondum subacta, nec ad turgescentiæ plenitudinem congesta, Natura ad expulsionem sollicitetur, crisis tantum imperfecta & partialis sequatur, & cum primus excretionis nisus fuerit irritus, raro perfectus & unica posthac vice judicatorius succedet.

Crisis in Febre continua idem fere est ac paroxysmus intermittentium, nam veluti in hoc, quando succi alibilis depravati, & maturationi inidonei particulis sanguinis massa ad turgescentiæ plenitudinem saturatur, fiunt istius materiæ fluor, secretio, & foras expulsio, ita in febre continua, à deflagratione sanguinis & succi alibilis, materiæ adustæ corpuscula quamplurima congeruntur, quibus cum cruor aggravatur, & paulisper ab incendio vacat, ea subigit, paulatim secernit, & dein fluore concitato foras eliminare nititur; quare in paroxysmis intermittentium nonnisi stato tempore, & post totidem horas eveniunt, sic etiam motus critici à die quarto in quartum, aut forsan à septimo in septimum contingunt, hujusmodi enim spatio sanguis accensus deflagrat, & incendio suo materiæ adustæ velut cinerum congeriem facit, quæ Naturæ molesta irritatione sua motus Criticos inducit.

Quod itaque perhibent nonnulli *Crises* à Lunæ & siderum influentiis omnino dependere, eorumq; aspectus quadratos aut *συζυγίας* sequi, verum non est; quia tantum à materiæ adustæ congestione & turgescentia evacuationes criticæ determinantur: Quamvis enim cruor à deflagratione vacat, & materiæ adustæ particulis saturatus eas aliquatenus subigere & secernere valet, fluere statim, seu turgescentia oborta eas quovis modo excludere nititur: quæ cum facile à sanguine separari possunt, & satis patent cutis spiracula, sero involuta cum sero amandantur.

Estque hæc optima crisis via, quæ si recte succedat, non raro semel, & una vice, sine recidivæ metu morbum perfecte solvit: huic proxime succedit quæ per hæmorrhagiam crisis tentatur: etenim materies hæc velut efflorescentia cum cruore commota, (si ob [illegible] minus liberum

ram (sudore nō ejicitur) in partem aliquam à corde remotam transfertur, & frequenter impetuoso sanguinis raptu in caput trajicitur, ubi si è sinubus in nares dehiscentibus patet exitus, materia morbifica una cum portione sanguinis [illegible] as exsilit: Secus autem, sæpe in cerebro defixa phrenitin, deliria, aut alios graves atque diuturnos capitis morbos adfert.

Quod observare licet, quod in febribus quibuscunque continuis, si quando difficile aut imperfecte judicantur, ita ut sanguis materia febrilis seu recrementis adustis per longum tempus inficiatur, exinde succo nervoso (uti videtur) labem contrahente, affectus pertinaces, scil. vigiliæ, necnon deliria, tremores, motus convulsivi, & diu hærentes nervosarum partium imbecillitates sequuntur.

Sunt & alii criseos modi, quibus non simul & integre, sed paulatim & per partes natura materiam febrilem expellere nititur, modo per urinas, modo per vomitum aut secessum, modo per exanthemata & bubones: quocumque modo, ut bono cum eventu fiat, requiritur ut sanguinis deflagratio præmittatur, utque materies adusta concoquatur & secerni apta reddatur.

Quoad eventum, num C[r]isis bona futura sit necne, à viribus ægri, pulsu, urinis, aliisque signis & symptomatum concursu prænotiones quædam desumuntur: Si urgente febris incendio æger aliquatenus viribus constet, pulsum habeat fortem & æqualem, si urina sit cōsistentiæ mediocris, cum aliqua hypostasi, contentorum separatione & facili subsidentia; si absq; vomitu immani, vigiliis, phrenitide, motus convulsivis & malignitatis suspicione morbus progressum fecerit, erit status laudabilis cum bona crisi expectandus. Si contraria his accidant, scil. ut statim vires prosternantur, sicque æger crebræ lipothymiæ, convulsionibus aut delirio cum pulsu debili, intermittente aut inæquali obnoxius, si vigiliæ pertinaces; sitis intolerab[ilis], & vomitus continuo infestent; si urina sit crassa & rubicunda sine hypostasi aut partium subsidentia; si urgente adhuc incendio Natura ad evacuationes crineas [illegible] [illegible] culosius imminet morbi status, nec de Crisi qu[illegible] b[ene] [s]perare licet. *Willis l. de Febr. c. 9.*

Prognosis.

[illegible] Solvitur Febris [illegible] Progn[o]sin quod spectat 1°. omnis Ardens pericul[os]a est, qu[ia] continua & acuta, unde *Coaca 137. Febres a[r]dentes d[ie]bus [illegible] aut liberando aut perimendo determinant*. n[illegible] acti [illegible] terminus 14. dies esse solet, *aph. 25. 2.* id qu[illegible] [illegible] [i]ndum de vera Ardente, nam notha ult[illegible] perd[illegible], [illegible] lib. Epidem. multas ardentes, etiam lethales [illegible] quæ ulterius fuerunt prorogatæ, non sun[illegible] [illegible] febres æque acutæ. Brevitas autem & longitu[do] ex symptomatum sævitia & coctionis signis [illegible] scribit *Hippocr. 2. de morbis.* & de diebus *crit. Si in principio lingua nigrescit, exspectatur, crassescit, [illegible] crises. si vero posterius, diuturniores*, ostendit enim lingua [illegible] do causæ vehementiam & motum, Sicut eade[m] [illegible] sci potest ex urinarum intenso calore, aut rem [illegible] um sputum præ calore & siccitate exustum esse [illegible] & crassum.

Secundo, Febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, periculosæ, aph. 43. 4. Eas esse dicit *Galenus* quæ ex [illegible] ne & maligna putredine ortum habent, Nō [illegible] potest Aphor. de Tertianis continuis quæ [illegible] quo die exacerbantur, non sunt enim periculo[illegible] ard[en]te aut Synocho, sed potius securiores, ve[illegible] endus est de febribus Semitertianis, aut, cum [illegible] quæ ex inflammatione oriuntur (*NB. Adria[illegible] de Semitertiana, omnem ab inflammatione [illegible] [illegible] veneris deducit*) aut maligna putredine, [illegible] emittere ut tertianæ continuæ, & ta[illegible] [illegible] o quoque die intenduntur: quas alibi [illegible]

[illegible] attendenda [e]st signorum gravitas, ut si insomnes [illegible] tidiosi, graviterq; angantur, leviter sudent, malum: [illegible] si delirent, læsum enim cerebrum denotat.

Quarto, ubi paululum in fronte & claviculis sudant mutuniq; delirant malum, maxime si sudor frigidus fuerit, Syncopen enim denuntiat; *Hippocr.* aph. 37. 4. *Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori morbi longitudinem significant.* Fiunt, *inquit Gal. in comm.* frigidi sudores, aut frigidi humoris copia, aut extinctione caloris nativi, vel, ut *Argenterius*, à retractione caloris ad interiora, unde habitus corporis refrigeratur. Scripsit *Avicennas* non fieri sudores frigidos in febribus acutis nisi cedente caliditas innata.

Quinto Timores ægrorum & moestitiæ malum, sunt enim atræbilis & delirantium symptomata.

Sexto, Febres omnes biliosæ exsiccant viscera ignis instar, quod si alvus adstricta fuerit, suspiciu esse debet phrenitidis, ex *Rhazi*, ob humores biliosi in corpore retenti motum ad superiora. *Vox clangosa* succedere solet resiccato gutture, & ideo mala 1. *prorrh.* 17. velut rauca signum quoque malum est & funestum.

Septimo Partium extremorum frigiditas pessima est *In morbis acutis, frigus extremorum malum*, aph. 1. 7. & 48. 4. sinm addidit, sit hoc symptoma vel ob extinctionem caloris nativi, aut ob ejus retractionem ad interiora. Illa præsentem mortem, hæc febris malignitatem significat.

Octavo eadem de causa extremorum frigus & nigredo mala, ob summum caloris nativi languorem.

Nono Lingua arida, nigra. sine siti, vel delirium portendit, vel extinctionem facultatis naturalis ventriculi; quod si primum incandescentes sitierint, derepente à Siti liberentur, signum est vel morbum solvi, si cætera signa consentiant, vel virtutem emori. 3. *Epid. sect.* [illegible] *2.*

Decimo Urinæ *nigra, tenues, paucæ, alvique duræ malum*, Nigræ sunt ab humore adusto, paucæ, quod ab immenso calore omnis humor sit absumptus, aut instrumenta urinæ sint emortua, Tenues, quod bilis non sit à natura evicta, Alvi duræ ab immenso calore, ut diximus ex *Rhazi* alvum duram portendere phrenitidem.

Undecimo, Sanguinis è naribus stillicidium, de quo supra.

Duodecimo, Lacrymæ involuntariæ mortem significant, Aph. 52. 4. Causa, inquit *Galenus*, est debilitas retentricis, *Argenterius* vult fieri ex colliquatione humorum cerebri facta à calore febrili.

Decimotertio scribit *Hippocr. 3. de morbis. Qui ex ardente intereunt omnes ex siccitate moriuntur, Extrema manus pedesque primum ipsis exsiccantur, deinde vero partes sicciores; ubi postus corporis humor exhaustus est, sanguis concrescit & refrigeratur, reliquum vero corpus exsiccatur, sicque interit.* Calore si quidem febrili universum corpus exsiccatur, ac demum refrigeratur; quantumvis enim ardentissima febre quis moriatur, solet tamen is ex frigore interire, nam ante mortem calor extinguitur, succedit frigida intemperies fervori.

Decimoquarto, Quibus in febribus ardentibus fiunt Tremores, delirium solvit, aph. 26. 6. Fiunt Tremores in ardentibus exhaustis viribus, & ibi delirio solvi non possunt; vel fiunt humoribus ad nervos transfusis, à quibus si ferantur ad caput fiunt deliria. Familiare autem est *Hippocr.* uti verbo λύειν, improprie pro succedere, sic ecstasis maniam solvit, hic enim non solvitur morbus, sed pejor succedit, Pessimus pariter Tremor est delirio succedens.

Decimoquinto, Febris ardens [illegible] *Coaca 31. & 130.* Intelligit autem per laboriosum & vehementem dolorem eum qui ex viscerum internorum phlegmone aut erysipelate ortum habet, cui dolori maligna febris & lipyria succedit.

Decimosexto, solet solvi Febris ardens sanguinis profluvio, quod si accidat die 4. malum, nisi aliud quidpiam bene acciderit, quia quarto die critica sui tantum significationem dare debent, non autem apparere, quod si die 5. contingat, minus affert periculi, quia aliquomodo criticus est ille dies, non tamen periculum adimit. Sic

scripsit 2. *Epid.* [illegible], *Coaca* 133. & 131. *Si in febre ardente aurium sonitus, cum visus hebetudine, & ad nares gravitate accidant, nisi sanguis ex naribus profluat, delirium metuendum*, Sunt enim hęc signa futuræ hæmorrhagiæ, quæ si subsistit, incalescente ac putrescente sanguine, nec vacuato, cerebrum incalescit, phlegmonen concipit; succeditque delirium ferox & maniacum, quod intelligit *Hippocr.* per [illegible], quo verbo atrox delirium semper intelligit, solerque esse funestum.

XVII. [illegible] *Coaca* 129. quod non est absolute verum, nam fluor criticus salutaris est, sed si ægro debili, aut crudo morbo id contingat, vires prosternit & ægrum ad internecionem duci metus est. Dicit *Avicennas* nullum morbum esse salutarem qui ab alvo fluida inceperit; Idem dicendum de aliis excretionibus, [illegible], nam abundantiam humorum indicat, qui non potuerint febrem tollere, unde protogari morbus solet ac esse longior si non occidat. 2. de *morbis* legimus, *Si sudet copiose, nec febris remittat, diuturnus morbus esse solet, maxime si sudor frigidus est, si minime exsudarit, citius judicatur.* Unde Galen. 1. Prorrh. 15. ait febrium insultus cum sudore significare plenitudinem.

XVIII. Causos in ambiente frigido lethalis, *comm.* ad *aph.* 34. 2. quia maxima causa est quæ non potuit ambientis frigiditate emendari: Sic senibus raro ardens accidit, sed ubi contingit, periclitantur ob causæ magnitudinem & virium imbecillitatem.

XIX. Solvitur ardens interdum præ Parotides, *Coac.* 138. sed rara est hæc solutio, sicut & parotidum suppuratio rara est, estque ejusmodi febris, in qua adsunt parotides, potius notha quam legitima.

XX. *Ardente febre laborantibus, paululum frigescentibus, egestionibus aquæ similibus, & crebris, oculorum perversio malum, maxime si catocho detineantur*, Coaca 134. qui casus in ardente sunt funesti ostendunt enim inflammationem & phlogosin in visceribus conceptum, à qua summo corporis habitu paululum refrigerantur; tum ascendentibus in cerebrum humoribus, & facultatibus naturalibus pereuntibus, fertur; alvus tenuibus & aqueis excrementis, quod in urinis quoque solet accidere, ac lacessito cerebro oculorum convulsio & perversio, ac demum languente cerebri facultate sopor lethalis accedit, intemperies scil. frigida calidæ succedens semper funesta. *Primirosius.*

14. *Præcipue Rigore*) Nam sequi solet Sudor multus evacuata in cutim materia: tum interdum Vomitus aut alvi solutio sequitur, ex *Galeno comm. ad aph.* 58. 4. Non tamen semper Rigor ille statim solvit morbum, ut exemplis quibusdam Epid. probatur, in quibus non statim à Rigore sed postea excretio facta est, ut *1. Epid. Æg.* 13. Mulier gravida XI. riguit & XIV. tantum judicata fuit, quamvis utplurimum rigorem excretio sequi soleat, nisi virtus sit admodum imbecilla; facta quidem separatione humoris biliosi è venis, fit rigor, sed ob vires attritas non potest fieri materiæ separatæ exclusio, hinc *Ægro jam debili rigor lethalis esse solet.* Aphor. 46. 4. *Primirosius.*

15. *Per sanguinis fluxum*) Dummodo libera & liberalis sit excretio, sic 1. *Epid. sect.* 2. *Qui bene & largiter sanguinem è naribus profudissent, ij omnes servabantur.* Hinc vituperatur sanguinis substillum, quod, ut & quælibet exigua excretio, in malis habetur, *Philiscus, Epaminondas*, & *Silenus*, quod quarto & quinto die parum è naribus stilaverit, mortui sunt. *Idem.*

16. *Et tum absolvitur Curatio*) Cautissimus tamen esse debet Medicus ne pro Causo, aliaque continua acuta, curet præsentem malignam, Febris enim maligna non raro in primis diebus formam tum causi præ se fert, & sua malignitate latitat. Ideo melius est statim adhibere appropriata alexipharmaca; Et tutiori ratione procedent illi in cura qui primis diebus usum bezoarticorum & alexipharmacorum (ita tamen ut ad sudorem patiens minime cogatur) recommendare recordabuntur. Si itaque certo non constet malignitatis metum adesse nullum, tuto quæ agenda sunt reliqua peragi poterunt. *Etmuller p.* 310. *l.* 1.

17. *Vena sectione*) Inter præcipua hujus Febris remedia laudatur V. S. ab aliis improbatur, ut ab *Avicenna*, quod bilis evacuatione sanguinis, qui ejus frænum est, effervescat; Alii tantum abest ut s. m. vereantur, quin potius ad animi deliquium mittendum velint; Alii distinctione utuntur, voluntque sanguinem mittendum si adsint indicia sanguinis, desistendum vero si pura sit bilis. In febribus acutis, *inquiunt*, adest urina rubra & tincta; quod si primis diebus talis non appareat, bilis non est bene permista sanguini, & propterea abstinendum à s.m. donec urina rubra apparuerit, aut valde tincta? quod si primo die talis fuerit tunc mittatur sanguis, quod sane in praxi est notandum

At secandam esse venam voluit *Galenus* in omnibus continuis & acutis, quia humor noxius intra vasa continetur, Natura etiam per hæmorrhagiam narium solet Causon judicare, ut testatur *Hippocr.* 1. *Epid. sect.* 2. *t.* 68. eos à febribus ardentibus evasisse quibus sanguis è naribus effluebat, aut quibus mulieribus menstrua prodibant; Cum ergo Medicus sit imitator naturæ, debet etiam sanguinem evacuare.

Nec metuenda est biliosi humoris effervescentia, ut volunt Arabes, non enim solus educitur sanguis, sed una cum eo bilis plurima, imo plus bilis educitur quam ipsius sanguinis, & corpus plurimum refrigeratur, unde nova humoris biliosi impeditur generatio, & natura quod reliquum est evincit.

Considerant alii An bilis juncta sit sanguini necne quod cognoscitur ex urina rubra, crassa & turbida, ut vult *Avicennas*, an vero ab eo sit sejuncta; quod mihi videtur impossibile, bilem in magnis vasis putrescentem à sanguine esse sejunctam. At utut sit, volunt illi sanguinem esse mittendum si urina rubra sit & crassa, si vero sejuncta sit, à V. S. abstinendum; Id videtur docere *Galenus* 1. ad *Glaucon.* 33. ubi inquit, *sanguinem mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus multo plus ruboris insit quam naturæ conveniat; & major quam pro consuetudine corporis tumor, & venæ eminentiores atque magis extensæ: his omnibus auferendus, nisi vires, aut ætas, aut aliud quid prohibuerit.* Sunt autem hæc quæ commemorat sanguinis abundantis indicia. Et sane raro aliæ apparent ardentes febres, cum ex bile una cum sanguine in majoribus vasis contenta oriantur.

Nec signum ex urina, quamvis utplurimum experientiæ respondeat, perpetuum est, Nam interdum in Ardente urina nulla admisti sanguinis indicia habet, ubi phrenitis aut adest, aut imminet, & tamen sanguinem tunc mittere maxime necessarium est. *Primirosius lib.* 3. *cap.* 4.

18. *In cubito*) Locus ad plethoram tollendam commodissimus, secundum normam veterum decretorum, est *Basilica* dextri, si hepar affectum, sinistri, si lien male habeat, brachii vena. Norma novorum si consulatur decretorum, venarum delectum circulatorius tollit sanguinis motus. Nulla hic ordinis prærogativa specialis; Communi omnes venæ fruuntur fato: Proximiores tamen brachii venæ videntur cordi, adeoque citius in æstuantibus idem deplent febribus, dum raptum ad cor sanguinis impediunt violentum. *Rolfincius de Febr. pag.* 270.

19. *Ut plenitudo sanguinis imminuatur &c.*) *Vallesius* 7. *controv.* vult mittendum ad animi deliquium ex *Galeno* 3. *aph.* 23. ubi docet in ardentissimis tam copiose esse

mittendum

mittendum sanguinem. 2. venam secat *Galenus* ut refrigeret, sed ardentes omnium maxime egent refrigeratione, addens post ejusmodi vacuationem subsequi sudores, interdum alvi dejectiones; præterea in summis doloribus eandem vacuationem cõmendat, qui ut plurimum à bile.

20. *In Cubito*, In ardentibus & malignis αὐτοσχεδίως se propositurum ait *H. Fabritium ab Aquapendente*, quod evacuatio per hæmorrhoidas magis conferat quam venæ sectio in brachio. Rationem subjungit, Cavæ enim majores propagines, in quibus materia peccans hæret, sic depleri possunt. Addimus nos, Dum ex arteriis sedalibus trahunt, cor inde mirifice sublevatum iri verisimile est. *Rolfincius p 273. l. de Febr.*

21. *Scarificatione*) Brasiliani, authore *G. Pisone Medic. Brasil. lib. 1. c. 11.* eam instituunt, non in malleolis ad veterum normam, sed femoribus, suris, brachiis, & omnibus torosis, musculosis partibus, vulneraque aqua calida irrorant. Hac ratione libras sanguinis educunt, & hoc solo remedio plurimos affectus, febres inprimis, non raro destruunt, internasque partes nobiliores à nuxiis liberant humoribus, absque multa virium jactura. Instrumentis utuntur non ferreis, sed spinis arborum, & dentibus piscis Lamiæ.

22. *Cucurbitulis*) Hæ nunquam Venæ sectionis vicem in febribus cõtinuis & ardentibus tuto sustinere possunt, quia nunquam illum sanguinem, quem fundere debent eliciunt: scil. fermentativum illud quod magis in vasis majoribus fluctuat quam in capillamentis & cutaneis. 2. Scarificatæ, & quidem profundius, magis solent motum sanguinis quam v. s. perturbare, idque ideo quoniam in locis diversis debent affigi: 3. nihil insigne operantur & efficiunt, nisi partes subjectæ profundius scarificatæ fuerint, ac hoc absque periculo in febribus acutis fieri nequit. *Pisens Tr. 2 de Febr. p 108.*

23. *Purgatione per cholagoga benigna & refrigerantia*) Ante v. s. molli enemate blandoque pharmaco, tum intestinorum, tum primæ regionis illuvies expurgetur, ne in locum sanguinis putridi trahatur in venas. Deinde præscribatur blandum catharticum ad humores qui solent turgere evacuandos, non enim coctio expectanda est cum humores impetu quodam moveri soleant, sic docet *Hippocr.* aph. 29. 2. *Cum morbi inchoant, si quid movendum videtur move.* Et aph. 24. *In Acutis raro, & in principiis purgandum. Galenus* 4. acut. 1. interdum die, 2. 4. ac 5. medicamentum dedit.

Sunt autem Purgantia mitiora, ideo vitanda quę scammonium recipiunt, *rheum & myrobolani* secundum *Rondeletium* nocent morbis biliosis, nisi vi adstrictoria, quam habent, spolientur, ut si illud in aqua endiviæ infundatur. *Manna* quoque, quia dulcis, ideo facile in bilem vertitur, minus convenit, Sed cassia, quia humida est, saporemque habet acidum non contemnenda.

℞. *Prunor. par.* iij. *passular. mundat.* ℥ß *fol. endiviæ, lactuc. ãã. m.* j. *fol. portul. scariol. ãã. m.* ß. *tamarindor.* ℥j. *semin. frig. maj.* ʒj. *flor. violar. p.* j. *fiat Decoctio pro dosi, in qua infunde rhab.* ʒiß. *expressioni adde cassiæ* ℥vj. *syr. rosar. sol.* ℥j. *f. Potio.*

Plurimi *serum lactis* commendant in quacunque biliosa continua, temperat humores biliosos eosque evacuat, potentque in eo infundi rhabarb. ʒj. Quod si bilis non turgeat, primum præparari & concoqui, deinde evacuari debet medicamento dicto eradicante: *Præparandi rationem vide infra ubi de* alterantibus. *Primirosius.*

Rhabarb. propter adstrictionem aliqui improbant, quæ tamen minime est metuenda, præsertum cum infusum hac [illegible] datur

℞. *Syr. violac.* ℥iß. *rosar. sol. simpl.* ℥j. *rhabarb. infusi in aq. endiv. & expressi* ℥ß. *f. Potio* vel sic

℞. *rhabarb. el.* ℈iv. *spica* ℈j. *infundantur in aqua endiv. & sero lactis, in expr. dissolve mannæ granat.* ℥j. *cassiæ* ℥vj. *syr. violac.* ℥j. *f. Potio.* Platerus.

24. *Scammonio*) Assumpta potione *diagridiata*, vel alia *syrup. violar.* ℥iß. cum *aqua endiv.* ad *scammonii* ardorem reprimendum superbibere possunt, vel post evacuationem factam. Illud ad restagnendum incendium sumere, aut alia alterantia. *Platerus.*

25. *Clysteres refrigerantes*) *Aëtius* probat Clysterem ex ptisana, cui recentiores addunt succum lactucæ, cucurbitæ, anguriæ, imo quolibet die ejusmodi Clysteres injicere utile erit: *Rabbi Moses* ex aqua præparat tantum & oleo: *Oribasius 7.* collect. laudat Clysterem ex aqua pura frigida; Sed nos nonnisi ex variis herbarum decoctis Enemata præscribimus, majori quidem cum fastu, sed non majori cum utilitate. *Primirosius.*

26. *Sudatione*) Præsertim si ex attractione ichorum (ex mente Hippocr.) in corporis habitum ortum duxerit, Ab habitu enim corporis maxime sudor manat, quanquam & totum corpus sudoribus exhauriri potest, quibus materiam præbet serum quod universum alluit, & sordes quasvis abluit.

26. *Sudatione*) De hidroticorũ & diaphoreticorum usu in continuis, Vide caput præcedens. §. *Quæ tollenda.*)

27. *Milii decoctum*) Revera hidroticum, eoque conducibilius quod id semen vi refrigerandi polleat; & siccandi, quæ putredini resistit: apud nos id male audit quod febrem accersere credatur; ac revera id præstare observavi in quibusdam in febres pronis: forte quod sudorifica vi impuros humores in prima regione latentes ad secundam impellat.

28. *Vomitione*) Experientia longa observavimus in curandis febribus, & iis equidem quæ nullis pharmacis solvi & tolli potuerunt, illas mox & certo solutas esse *aqua benedicta. Martinus Rulandus cent. 9 cur 68.* Pauper quidem 40. annor. correptus est ardente febre cum symptomatis solitis, illum paucis sanum feci

℞. *Aqua card. ben.* ℥vi. *rad. asari pulv.* ℈ij. *m pro haustu. Hausto* hoc calide in lecto sudavit multum, vomuitque nonnulla biliosa, sequenti die basilicam brachii dextri aperui, & copiose sanguinem misi. Pro cibo dabantur Jus-cula, Potus erat decoctio *rad. fragar.* atque his mox subventum est misero. *Idem Cur. 68.* Juvenem xix. ann. febre continua periculose laborantem mox sanum feci

℞. *Aqu. fontis, vini, ãã* ℥iiii. *bulliant simul & semel, postea infundantur in calice nostro chimico, per horæ quartam partem.* Ebibit æger infusum, & post horam evomuit multa phlegmatica.

29. *Quæ alterantia*) In curatione Causus nihil singulare obtinet, saltem quod *nitrata*, tam *situs* quam *æstus* ratione in primis convenit; sive in forma sicca, in potu dissoluta usurpentur; sive *spiritus nitri simplex*, aut potius *dulcificatus*, in potionibus assumatur, E. g.

℞ *Nitri antimoniati* ʒij. dissolvatur in mensura vel cerevisiæ, vel potus ordinarii, ita ut ℥ß. liceat dare die naturali, nisi liberior alvus obstiterit.

Quod si accidat ut dato *Nitro* cum tanto ardore non mittatur urina, & liberalius accidat meiere, bono animo esto, dicit *Lindanus*: *Spiritus nitri* in Julepis valet, item in potionibus, In hoc passu bonum etiam est remedium *Laudan. opiat.* si tempestive & prudenter exhibeatur, omnem caloris vim refrænabit. *Ettmuller pag 320.*

30. *Ex illis laudatur*) Maximè laudantur à *Mesue* & *Averroe* aquæ Anguriæ & Cucurbitæ. Illico sanguinis æstum extinguunt & febrem placant; Aquam Anguriæ frigidiorem aqua nive refrigerata statuit Averroes, quia non tam cito incalescit, & sanguinem generat temperatiorem, quod aqua pura non præstat, Distillatur Anguria instar aquæ cichorii, vel

℞. *Succi Anguriæ* ℔ij. *sacch.* ℔ß. *coquantur.*

Cucurbita vero maza involuta clibano coquitur, aqua intus natans colligitur.

℞. *hujus aquæ vel succi, expressi* ℔v *sacch.* ℔. iij. *coquatur.*

Excellentissimum est ad febres ardentes remedium, Nobilem quendam à Judæo Medico confestim sanatum

scribit *Sylvius comm. in Mesuem.* Valet insuper ad gutturis asperitatem & pleuritidem.

Usu compertum est *Pimpinellam* solutam aquæ calidæ, febrem continuam statim domare, *Heurnius meth. ad Pr. l. 2. p. 168.* Aqua destillata *ex anguria* secretum quibusdam remedium est in *Causo*, nam illico sanguinis æstum extinguit, *Idem l. 2. c. 16.*

Aqua Cucurbita præstantissima est ad *febres ardentes*: Recens *cucurbita* recenti pasta vestitur; calente clibano cum pane assatur, aperitur & aqua intus natans colligitur; Vel tota cucurbita frustillatim secatur, fictili novo includitur, coquitur & exprimitur, & *saccharum* additur. *Idem ibid p. 331.*

30. *Sero lactis*) Cur *Hippocrates*, qui *Sero lactis* uti adeo frequenter consuevit & ad purgandum & ad subluendum, nunquam tamen illud in febre ardente usurpavit, etsi omnibus intentionibus satisfacere posse videatur, quæ in hujus morbi curatione occurrunt 1. Quia serum fortasse haud ita biliosos humores educit quemadmodum pituitosos; nam *Hippocr.* eo usum frequentissime in his potius quam biliosis constat; 2. Quia cum serum admodum sit familiare humori peccanti, quem ichorem biliosum vocat *Hippocr.* timet ne assumptum serum in eum convertatur; hac enim ratione succorum cognationes considerandas jubet *l. de Vet. Med.* 3. quia supponitur esse æstivum tēpus, in quo serum majorem habet acrimoniam quam convenit &c. *Prosp. Martia. comm. in sect. 4. l. Vict. Acut.*

31. *Sero lactis*) Si tempore hyemali serum lactis quispiam præ manibus non habeat, ipsum ex tempore conficere potest cum *alumine plumoso* in pulverem redacto, & in aqua soluto, si tunc in lac effunditur, ac ipsum lac cochleari ligneo circumagitetur subito caseosam substantiam à serosa separari videbis, quæ per subtile colatorium transmissa ad usum asservetur, *Poens Tr. de Febr. pag. 116.*

32. *Hæc admovenda Pectori &c.*) Externa sunt Epithemata, Unguenta.

℞. *Aquar. endiv. cichor. nymph. hepat.* āā. ℥iiij. *aceti* ℥i. *troch. de camph.* ʒß. *pulv. diarrhod. triasant.* āā. ʒj. *f. Epithema jecori vel cordi admovendum.*

Solent plurimi Epithematis adjicere pulveres *Margaritarum, Corallor. lap. pretiosor. ossis de corde cervi*, qui inutiles plane sunt, quod eorum virtus eo non penetret, cum vix certum sit an hæc in corpus assumpta quidquam prosint, unde simplicissimum Epithema ex solis aquis cum aceto sæpe non minus utile est, imo & melius: quia tamen hæc non nocent, Magnatibus possunt præscribi.

Ungantur *Renes cerato santalino*, vel *refriger. Galen.* vel *unguen. rosac. Testiculis* quidem eadem Epithemata possunt applicari, ob maximum quem habent cum universo corpore consensum; sic refrigerantibus Testibus admotis hæmorrhagia statim, undecumque prodeat, conquiescit, internusque ardor compescitur.

Extremorum quoque *Lotiones* multum conferre dicuntur, ob eundem consensum cum universo corpore, propter vasorum, nervorum congeriem (*ratio petenda ex circulatione sanguinis*) maxime si æger insomnis sit utiles sunt.

℞. *Lactuc. violar. semperv. portulac. salic. cucurbita* āā. m. ij. *flor. nymph. violar. rosar.* āā. P. ij. *semin. papav. alb.* ʒß. *coqu. in aqua ad lotionem brachiorum & crurum.*

Varignana in secretis laudat *portulac. tritam*, cum *farina* hordei subactam, stomacho & hypochondriis admotam.

Universum tandem corporis habitum *Balneum* præclare refrigerat; Illis ideo convenit, ex *Aetio* & *Paulo*, qui citra phlegmonem vel erysipelas ægrotant, ubi apparuerint signa concoctionis; Si vero æger juvenis sit, carnosus, cœli status calidus siccusque, vires valentes, coctionisque notæ adfuerint, frigida natatio utilis erit, pro-tinus enim, inquit *Galenus* 11. meth. sudabunt, nonnullis eorum alvus biliosa redditur. *Alexandri* consilium videtur tutius, ut tepentis aquæ solium paretur, aqua enim tepens humectat non calefacit, plurimos vapores fervidos discutit, illicque poterit immorari dum aqua paululum refrigeretur, non autem ut rigeat. In mediocri quoque febre tutius est tepentis aquæ Balneum, quando vires sunt paulo debiliores, coctionisque notæ adsunt. *Primirosius.*

33. *Postquam ardor febrilis repressus & humor &c.*) Caute dictis Topicis utendum, ne occlusis poris fuligines retineantur, ideo præsente plenitudine non sunt admovenda, nec ante statum, & si febris paroxysmos habeat; Non in principio accessionis, sed tantum in vigore, tepidaque potius sint quam valde frigida, quæ maxime omnium vitanda sunt si crisis immineт. *Primirosius.*

34. *Virium ægri*) Etsi dubitatur de Corroborantibus, utrum ea dentur? Viscera tamen *Debilitatem* contrahunt, tum à febre tum à medicamentis. Unde laxitas partium consequitur; aut *Intemperies* tum calida, tum frigida, sed calida potissimum. *Laxitas* postulat adstringentia & roborantia; Intemperies calida emendatur *conserva cichor. spec. diarrhod. abb. pulpa citri. pulv. corall. margar. diamarg. fr.* &c. tum Epithematis & ungu. In *frigida* conveniet *spec. aromat. ros. vinum* per se, vel medicatum &c.

Alterandæ sunt & corroborandæ corporis vires.

℞. *Conserv. rosar. violar. nymph.* āā. ʒiij. *pulv. di. marg. triasant.* āā. ʒj. *corall. rub. crystall. pulver.* āā. ℈j. *Spir. vitr. gut.* iij. *cum syr. de cichor.* f. Opiata.

℞. *Pulv. triasant. diamarg.* āā. ʒj. *diarrh.* ʒß. *margar. præpar.* ℈ij. *coralli* ℈j. *ossis de corde cervi* ℈j *troch. de camph.* ℈ß. *sacch. aq. rosar. dissoluti* ℔ß. f. Tabellæ. *Primirosius.*

35. *Cardiaca*) Quoniam usu mihi compertum est *Cardiaca* nimis propere exhibita non contemnendam noxam inferre (vena scil. nondum secta, metuendum est ne materia cruda adhuc existens in cerebri membranas aut pleuram &c. decumbat) ideo mihi curæ semper est, ne cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omnino vel parum sanguinis emissum, nullaque alia insignior evacuatio facta fuerit, aut æger ætatis vigorem nondum exegerit; neque enim video quorsum sanguis ejus, per se satis locuples, ulterius in ipsius perniciem ditesceret; Locuples autem atque opulentus satis est, neque succendiculis eget, quamdiu evacuationes insignes calorem ejus insitum non prostraverint.

Hujusmodi ægris domi nascuntur Cardiaca, & quæ foris adduntur, aut frustranea sunt, aut etiam damnosa, quapropter ego vel nulla omnino, vel saltem levissima (*cujusmodi sunt in textu recensita, fervorem sanguinis compescentia*) permiserim; Interim vero si æger ex profusis vacuationibus lassus & languidus, vel ætate fuerit provectus, solenne mihi est Cardiaca, vel in ipso febris initio propinare. Morbi autem die xij. negotio tunc temporis ad secretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum censeo (imo paulo maturius idem fieri potest, modo non metuendum sit ne febrilis materia in partes principes præceps agatur) Namque hoc tempore quo magis calefecerim, eo magis concoctionem acceleravero.

Neque revera cogitando assequi possum, quid sibi velint Medici, cum sua præcepta toties ingeminant, de remediis ad promovendam materiæ febrilis concoctionem administrandis, id quod in morbi initio accersiti sæpe faciunt, nihilominus tamen eodem ipso tempore medicamenta ejusmodi imperare non dubitant, quæ febrim scil. attemperare possint. Profecto enim est febris ipsa naturæ instrumentum; quo partes impuras à puris secernit; hoc illa modo plane imperceptibili præstat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi, verum in ejusdem declinatione apertius idem opus aggreditur, id quod ex urina cernere licet.

Materiæ

Materiæ febrilis concoctio nihil aliud revera significat *quam peccantis materiæ a sana* separationem. Hanc igitur ut acceleres non satagendum nescio quibus attemperantibus sed febris effervescentia tamdiu permittenda est quamdiu salus ægrorum passa fuerit: Cum autem finem spectat, atque declarationem, secretione jam confecta, tunc quidem calidioribus medicamentis illam à tergo insequemur, ad rem eo celerius ac certius perficiendam. Atque hoc reipsa est febrilis materiæ concoctionem promovere: cum evacuationes & refrigerantia moras nectant, & curationem impediant, ipsamque sanitatem, jam appropinquantem abigunt, ut sæpius à me observatum: Si fermentatio satis progrediatur despumatio circa diem xiv. peragetur. Verum si temperantia quælibet serius adhibueris, atque ita eorum ope effervescentia sufflaminetur, mirum non est si febris ad diem 21. quin & in effœtis corporibus male tractatis, longius multo excurrat.

Cardiaca quæ adhibeo passim sunt ejusmodi quæ statim sub indicabo; quorum moderatioribus utor in morbi principio, æstuatione maxime fervente; gradatim ad alium calidiorum, juxta morbi progressum, vel ebullitionis gradus pergens, semper memor licere, siquidem multum sanguinis missum, vel æger senex fuerit, ut cardiaca fortiora administrentur, quam cum vel nulla præcesserit V. S. vel æger ætate floruerit. *Moderata* autem illa quæ dixi *Cardiaca*, fiunt ex aquis *stillatitiis*, v.g. *borrag. citri. scord. compos. fragor. theriacal.* cum admixtis *syrup. melissophylli*, *Fernel. Caryophyll. de succo citri* &c. Fortiora vero ex *pulv. è chelis cancror. comp. bezoar. conf. de hyacinth. Ther. Andr.* &c. Quæ sequuntur in frequenti usu sunt.

℞. *Aqu. borrag. citr. scord. comp. ceras. nig.* āā. ℥ij.
aqu. cinnam. hordeat. ℥ij. *margar. prep.* ʒij.
sacch. cryst all. ℥iß.
m. sumat. cochl. iv. sæpius in die, præcipue in languoribus.

℞. *Aqu. totius citr. fragor.* āā. ℥iij.
aqu. cord. frig. Saxon. ℥j.
aqua theriacal. stillat. syr. melissoph. Fern. caryoph. & de succo citri āā. ℥ß.
m. f. Julep. sæpius exhibendum.

℞. *pulv. chel. cancr. comp. lap. bezoart. ori. & occid. contrayerva* āā. ℈j. *fol. auri* n j. *m. f. Pulv. subtiliss. Dosis gr.* xij. quoties opus fuerit *ex syr. è succo citr. caryoph.* āā ʒij.
superbibendo cochl. aliquo. Julepi suprascripti.

℞. *aqu. Theriac. still.* ℥iv.
semin. citr. ʒij.
contunde & fiat Emulsio, colat. adde sacch. perl. q. s. ad gratiam, sumat cochl. ij. ter in die. *Sydenham obs. in Acut. p. m.* 50. 51. & 52.

Symptomata, quæ ei supervenire solent, sunt varia, nempe I. *Delirium*, quod aliquando est cum tussi & catarrho, ut *Platerus* observ. l. 2 in quodam ex sumpta contra venenum terra per dies 35. febricitanti, nec quia sufficienter evacuari non poterat, purgato observavit; interdum cum gravi syncope ut *Valeriola* observat l. 6. 8. in quadam muliere, quæ tandem 12. die soluta sponte alvo & sudore copiosè manante liberata fuit.

II. *Post continuas vigilias sopor*, qui resolutionem cerebri denotat.

III. *Tremor* Aphor. 6. 26. qui metastaseos à venoso genere ad nervosum, meningas & cerebrum index est.

IV. [18] *Rigor*, qui si in principio vel die sexto accidat, solidam cordis substantiam affligi ostendit: si die critico, signis coctionis apparentibus solvit, ut dictum.

V. [39] *Surditas aurium*, quæ si erumpente alvo non solvitur, à labefactatione facultatis animalis, ut in Hermocrate, procedit.

VI. [40] *Sonitus earundem*, propter humoris crassi caput replentis à vehementia caloris febrilis distentionem vel resolutionem, si cum visus hebetudine & ad nares gravitate accidat, furiosam & vehementem emotionem, vel potius [41] melancholicum delirium, nisi sanguis ex naribus profluxerit, minatur. *Coaca* cxxxi.

VII. *Tumores*, abscessus imprimis ad aures, [42] qui si cum somnolentia, & torpore obveniant, laterisque dolor, recurrente abscessus ad pectus & pulmones materia, cum leviparti alicujus syderatione, tales, vide *Coacam.* LX.

VIII. [43] *Peripneumonia*, & tum mors in propinquo est.

IX. *Τὸ πνῖγμα προσκόπτον*, spiratione nempe faucibus illisa, quod convulsionem musculorum intercostalium a siccitate profectam, corque fraudatum refrigerio æstuare indicat.

X. *Pulsus frequens & facile tactu sistendus*, qui calamitosus.

XI. *Singultus*, post citam alvum seu hæmorrhagiam, quia convulsionem ab inanitione quæ in nervoso genere ægrè tollitur, innuit.

XII. *Sanguinis atrum è naribus substillum*, quod symbolum lethargi. Alias quando atrum non est, nec febris ardens, solet in juvenibus morbus in parotidem abire: natura nempe se ab excretione ad abscessum convertente, materiæ contumacia, meatuum angustia, & naturæ infirmitate.

XIII. *Sanguinis ex naribus fluxus*, qui si quarto die obveniat malo est, nisi aliquid interveniat si quinto, minus adfert periculi. *Coaca* cxxxiii. *Illud*; tum quia judicium firmum & stabile in diebus exacerbationum obvenit, qualis hic non est; tum quia quæ in quarto fiunt, morbum per dies pares moveri significant, quod & judicium difficile & casum ancipitem reddit: *Istud*, quia alia signa concurrere possunt, quæ judicii firmitudinem adferant: *Hoc*, comparatè loquendo, tum quia hic impar, & principio morbi, in quo nulla crisis perfecta, remotior.

XIV. [44] *Avus confertim prorumpens*, & quidem symptomaticè, mortis periculum adfert. Coaca cxxix. tam propter corruptæ materiæ copiam, quàm propter ipsius malignitatem.

XV. *Sanguinis coacti febre perseverante per inferiora dejectio*, qui à resolutione partium nutritioni dicatarum procedit, & mortem postridiè minatur.

XVI. *Vrinæ suppreßio* ita [45] ut vel parum vel nihil mejatur. Excernitur aliquando mucorem seminis fæculenti referens, & quidem ita ut cubitum longitudine superet. Et tum, fortè vel copiosi aut crassi humores vias urinarias occupantes, aut ad eas confluentes, à vetere aliquo in urethra vel ad parastatas sarcomate retinentur, *quamvis* & materia antecedens ab urinæ viis seu per alvum seu per vomitum revocanda. Vesicæ & renibus consulendum, diureticis supersedendum. *Ballon. Consult. l. 2. c. 37.*

XVII. *Vrina alba*, quæ raptum bilis in caput, & hinc secuturum delirium significat.

XVIII. [46] *Icterus ante diem septimum*, Aphor. IV. 64. qui malum denunciat, quod etiam Hermocrati accidit, quia febres quæ translata criticè bile ad cutim judicantur, à bile natura crassiore & crudiore, quæ ante septimum non mitigarut, nascuntur.

XIX. [47]. *Vlceris*, si quod antè morbum fuit, *livor* & siccitas, in quo venenatus qui exhalat vapor intro recurrens, internarum partium incendio attractus, spiritus dissipat.

[36]. *Symptomata quæ ei supervenire solent*) Vide supra Caput de Symptomatis febrium.

Symptomata. Ratione symptomatum Continua alia est Ardens, alia Colliquans, alia Horrifica, alia Assodes, alia Elodes, alia Epiala, alia Syncopalis, alia Lenta. *Piens*. De Colliquativa hoc loco; De qua nonnulla cap. de Hectica pag. 49.

Febris Colliquativa.

Quoniam Colliquationis variæ sunt notiones, commode tamen vocabulum, *colliquare* cum *Galeno 1 de ratione nat. c. 13. & 2. aphor. 33.* hic accipi potest pro eo quod est in humorem solvere; qua ratione medicamenta solventia, si humorem debitum non nanciscantur, corpus liquare dicuntur.

Febris colliquativa est continuus affectus ex fermento corruptivo massam sanguineam solvente & colliquante, quo ipsa partium solida substantia extenuatur.

Differentiam quod spectat, hic mihi sufficiat veteres distinxisse τὰς διαφόρους ἀπὸ τῶν συντήξεων: hanc distinctionem credo, exprimere voluit ille qui dixit, Colliquatio alias fit insensibiliter, alias sensibiliter, Cum id quod dissolvitur, vel ad ventrem confluit, vel ad renes, vel per sudores, uo *Galenus l. 3. de caus. sympt. 2.* sed infeliciter, colliquationi enim insensili l. h. non est, Imo vero dicat aliquis, est, & probatur ex *1. Art. 10.* Longe alius casus ibi est, cum scil. Medicus corpus extenuare laborat; Quicquid sit, quia locus hic præ aliis insignior est, afferam verba, *Est profecto resolutio quadam quam vel colliquationem, vel reelementationem vocaveris, vel quomodolibet*, In his licet febris mentio nulla sit, tamen quia omnes de colliquativis accipiunt, tum speramus etiam quenquam mihi fore molestum.

Iterum discrimen est in Colliquatione, Aliæ enim febres *colliquativa* sunt de genere *Ardentium*, de quibus meminit *Galenus x. m. m. in fine. 3. Acut. comm. 12. & 13.* & alibi, de quibus hic agitur: Aliæ sunt ex febrium Pestilentium, de quibus *Hipp. 3. Epid.* De his hic non agitur.

Causa, Uti ex homogeneis, puris & proportionatis coagulatio & fixatio contingit; ex hac unione in substantiam mineralem permanentem; ita quippe ex heterogeneis & disproportionatis in massa sanguinea, seu per febres ardentes seu malignas, seu particulas fermentales corruptivas & malinate impraegnatas fit magna dissolutio, disgregatio ac colliquatio: Liquari autem ea dicantur quæ coagulata, fixa & concreta cum sint, dissolvuntur, humidiora & flaxiora evadunt (peractum fere eodem modo quo lac separatur in serum partemque caseosam) Fixatio vero & coagulatio inter se parum discrepant, nisi secundum magis & minus, & humidum mixtum vel glutinosum semper præsupponunt, quo quasi vinculis Gummosis Spirituosiora principia, Mercurialia, Sulphurea, & aliquantulum Saliosa colligantur; Attamen hujusmodi *Fixationem* vel *Congelationem*, ex salis & terræ majori proportione non tantum dependere meeum adhuc conjiciam quam *Cl. Willisl. de Ferm. c. 3.* in lucem prodidit, 1. quia pars humida radicalis mineralis copiosior debet esse tum quantitate tum pondere, quam substantia illa sicca sive salina & terrea, 2. ejusque ductilitas ad fixum magis à Mercuriali humiditate pendeat, 3. Corruptio quoque mineralium non fieret tam obvia, cum pars sicca, quæ *salis* naturam sapit, corruptionem nesciat ullam, & corruptio non fiat nisi per humidum.

Dignoscitur hæc Febris ex sudore copioso, ex mictione, dejectione, emaciatione corporis, quod quasi subito colliquescit, ut patet ex variis *Hippocr. & Galeni locis*.

Prognosis dictu difficilis non est, cum enim colliquatio adsit, mortis periculum imminet, vel in hecticam terminatur, idcirco semper est periculosam *Piens*.

[37]. *Tremor*) *Quibuscunque ex Causo laborantibus tremores gignuntur, d lirium hos solvit.* aph. 26. 6. Hoc est à delirio in mortem abeunt quasi resoluti ante, nam nervosum genus affligitur valde, ubi à Causo tremor supervenit; Itaque illud λύει pro resolutione totius corporis interpretor; nam ille Tremor metastaseos indicium est ad partes nobiliores; nam à venoso genere excurritur malum in nervos, meningas, & inde in cerebrum ejusque in substantiam, & tunc cedit tremor in delirio, quod tandem resolvit totum corpus: Hunc sensum aphorismi esse me experientia docuit, Undique ita illud perniciosum est &c. Sæpe cum venam tentas manus, pollice in adversa ægri manus parte senties subsultantes nervos, variéq; exilientes sub pollice, & etiam ipsis digitis, quibus pulsum examinas hoc senties: id calamitosum in Causis, ubi jam principium superavit morbus. *Heurnius in comm.*

[38]. *Rigor qui si*) Rigor in continuis die sexto si fiat difficilem judicationem illis affert, nempe aut ad mortem, aut statum deteriorem, aut cum periculo recidivæ. Sextus enim dies tyranno similis, qui ægrum judicat aut ad mortem, aut eum pravis accidentibus, aut cum periculo recidivæ Proinde quæ symptomata judicatoria (ex quorum numero *rigor* est) in diem sextum incidunt, ea parum tutam judicationem portendunt: Idem statuendū de excretione, hæc enim si ineûte morbo fiat mala est, quia coctio desideratur: Si affecto jam morbo, eo die quo non oportet, desideratur ratio temporis: Si sudor sequatur rigorem symptomaticum, eadem ratio est. *Lubantius comm. in aph. 29. 4.*

[39]. *Surditas autem qua si &c.*) Juxta aphor. 28. 4. *Quibus biliosis excrementis fertur alvus oborta surditate sistitur*, Et contra, *qui obsurdescunt superveniente alvi bilioso profluvio liberantur.* Sistitur alvus oborta surditate, materiæ ad superiores partes translatione, & auditorii meatus obstructione fugaci: Surditas autem superveniente alvi bilioso profluvio solvitur, facta diadosi. Si autem non in auditorium meatum sed in cerebrum translata fuerit bilis, phrenitis nascetur,

quare

quare solve, *quasi dicat*, tunc alvum, quo fiat diadosis. *Heurnius*) Surditas superveniens biliosam diarrheam sedat, non quidem eo quod bilis, quæ per alvum fertur, tota ad meatus auditorios feratur; sed quia surditas est signum bilem ad supernas partes ferri, unde revulsione quadam ab infernis ad superna facta, biliosæ dejectiones cohibet, *Martianus pag.* 355.

Humoris crassi caput replentis) Seu vaporibus impulsis vitiorum instrumentum occupantibus, seu ob sanguinis melancholici plenitudinem. *Jonstonus ad præd. Coacam.*

· *Humoris crassi*) Nam dominante bile dolor potius capitis, ob naturalem humoris ad cerebri membranas ascensum exoritur. *Idem.*

41. *Vel potius melancholicum delirium*) Quod succus cerebrum infestans ad atræ bilis naturam accedat. *Idem.*

42. *Qui si cum somnolentia & torpore &c.*) Cum febris ardentis duplex fit materia, bilis nempe & pituita salsa; quæ in textu referuntur symptomata, de secunda intelligendum esse *Coacam* attestantur; quam quidem aliquando per abscessus ad aures (hos tumores soporosos hic appellat *Hippocr.*) judicari novimus; id enim naturæ humoris peccantis maxime convenit.

Si igitur recurrente abscessus materia, ad pectus & pulmones convertatur, cum quibus magna est communio; cujus gratia in pulmonum morbis parotides frequentissime apparent, parotidasque solvunt tussiculæ cum sputationibus, ægrotantem paraplectico modo necat, hoc est, instar eorum quos paraplegia occidit, idque ingenti & maligna inflammatione in partibus spiritualibus excitata, quæ aortis communicetur, ex quarum inflammatione, ... fuerit, ægri in resolutionem modo unius modo alterius partis, aliquando totius corporis incidere testatur *Hippocr. Coaca* 287. *sect.* 1. Factum vero materiæ ... ad partes spirituales decubitum attestatur ... ... dictis superveniens; quo apparente mors, ... Coacæ authoritate, à Medico prædici tuto poterit. *Martianus pag.* 439.

43. *Peripneumonia, & tum mors*) Si virtus imbecilla, aut ex morbo præcedente, ex pleuritide aut angina, in septem diebus pereunt, Si effugerint suppurantur, *Lib. de loc. in hom.*

· *Peripneumonia*) Notandum dictum *Hippocr.* 1. *de morbis*, Peripneumoniam non facere febrem ardenté, cum tamen lib. de *Affect.* scripserit febrem ardentem facile mutari in Peripneumoniam: Rationem reddit *Trallianus*, quia bilis ... potest interdum in Pulmonibus firmari & ... facere, ubi autem illic semel stabulatur, ... redire in venas ut ardentem faciat: At si *Galenus* velit ardentem fieri posse ex humoribus in vasis Pulmonum putrefactis, si ex aliorum viscerum phlegmone, in quibus humor fixus est fieri ardens potest, rationem non video quare eadem ex Pulmonis inflammatione non succendatur, Nisi dicamus Peripneum. potius ex pituitoso sanguine generari, qui frigidior est quam ut ardentem facere queat. *Primirosius.*

Rationem repete ex capite de symptomaticis febribus.

44. *Alvus confertim prorumpens*) Id est quæ ἀθρόως & πολλὰ, acervatim multa excernit, & quidem symptomatice: Quibus paulatim & per multos dies in febribus ardentibus alvus dejecit, sive biliosa sive pituitosa sive dysenterica, evascere. *Jonstonus in Notis.*

45. *Ut parum vel nihil mejatur*) In febribus sæpe supprimitur urina, summum vero adhibeat judicium Medicus an supprimatur per se an per accidens: Nam alias ut symptoma curari debet, alias ut morbus: Falso quidam recurrunt ad calculum, aut alias causas falsas: Oportet diligenter incumbere in coctionem humoris & exclusionem, & naturæ vim excitare, & non frustra catheterem immittere, metu majoris mali; Id enim accidit cum totum corpus crudioribus humoribus refertum est; confluit autem ex ipso acervata multitudo in vesicam; quæ amplius distenta & dolitans ad actiones suas inefficax fit; & periculum suppressæ urinæ inducit *Ballonius Cons.* 88. *lib.* 1.

Est urinæ suppressio febris καυσώδους proprium quoddam symptoma, & quod medentis consilium & provisionem ad se trahit; Fit autem multis de causis initio talium febrium, præcipua tamen est copia humorum, & pituitæ præsertim vias urinarias occupantis, Vel confluxus humorum ad easdem vias: Et Medici graviter errarent si ad diuretica sese converterent; derivandum potius per alvum: Juvaret quoq; elicere vomitum, nisi re aliqua prohiberemur: plerisque creatum est periculum quibus præ propere diuretica sunt administrata, hac sola ratione & consideratione quod urina non redderetur. Idem *Cons.* 37. *lib.* 2. *Anno* 1. *p.* 274.

46. *Icterus ante diem septimum*) *Aph.* 62. 4. Fit enim ab inflammatione, obstructione, aut scirrho, Et talis Icterus etiam post septimum diem malus: perseverantibus scilicet ejus caussis: Nam critice ante diem septimum non solet fieri; Sed multi dubitant de veritate aphorismi; nam in Epid. *Heraclides* 3. die Icterus factus liberatus est, *Hipp.* 4. *de rat. v. acut.* In febre biliosa, *inquit*, Icterus ante diem 7. natus cum rigore morbum solvit, sine rigore vero, pestiferum: Rigoris nomine complectitur sequentem vacuationem insignem: Hic autem *Hippocr.* agit de Ictero qui fit ratione febris, quum bilis venis contenta effunditur in habitum corporis, tum potest esse salutaris: at si sit gravis obstructio, inflammatio, aliudve vitium, lethalis erit; Sic aut *aph.* 64. 4. Quibus in febribus Icterus 7. vel 9. vel 11. vel 14. supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit, si vero non, bonum. *Primirosius.*

47. *Ulceris, si quod ante morbum*) Ulcus lividum & aridum, aut pallidum effectum, mortem indicat; *Coaca* 496. Sive ante morbum, sive in morbo natum: *Aridum* fit calore nativo extincto, & si ab ἐγχυμάτων à nutricatus defraudatione, quæ nigri humoris vel atræ bilis soboles est: *Aridum*, seu ob alimenti in parte defectum, seu ob saniei paucitatem, quæ alimenti reliquiæ quædam; seu ob humoris ab ulceratis partibus in aliquam partem principem refluxum, qui ex loco repente detumescente cognoscitur: Fieri tamen potest ut cum siccitate substantiali ulceris, & puris inopia, extranea humiditas, aut puris copia ex colliquatione ex toto corpore appareat: *Aut pallidum*, propter humorum mutationem, & humoris biliosi exuperantiam. *Jonstonus in Not.*

Differentiæ sumuntur à *Causa*, *Subjecto*, & loco *Causæ*.

I. A *Causa* est I. β. *Alius* à *causa externa*, calorem inrendente, ut sunt [49] æstus, vini copiosus potus, salsorum nimius usus, exercitium, ira, vigiliæ, inedia &c. præsente in humoribus dispositione Inflammant hæc corpus, attenuant sanguinem, resolvunt & adurunt, accendunt in calido æstate inprimis bilem, ebullire faciunt spiritus. Non est ergo mirum invasisse, 1. *Ex usu balnei*, post liberaliorem uini malvatici haustum, apud *Gabelchover.* Cent. VI. 2. Et *haustu* meri, apud *Galenum de loc. affect.* l. 2. c. ult. 3. Ex nimio Clareti potu, apud *Schenckium Observat.* l. 6. 4. Ex lapsu in aquam frigidam, unde clausis cutis poris, intercepta *transpiratio*, & sic humorosus apparatus accensus. 5. Ex intempestiva venæ sectione post expulsum humorem ad partes extremas; apud *Zacutum Lusit. Hist. Medic.* l. 4. hist. 16. quia retracti ab

extremis materia, nova humorum intra secuta ebullitio: & metastasis ante facta, non tam à validitate naturæ & judicio, quam à materiæ copia & malignitate provenisse putanda. 6. Ex nimio fugacium fructuum esu apud *Galenum l. de succorum bonit. & vitiis*, c. 2. quia hi, utpote aquosi, serosum sanguinem & qui facilè ebullit gignunt. Detraxit sibi sanguinem Galenus, cum propter materiæ ad hepar decubitum, hepatis inflammationem metueret.

II. *Alius est à Causis internis* [50] isque I. *Biliosus* à bilioso sanguine exortus, qui & *Exquisitus*, [51] qui plerumque ab ortu plejadum ad æstivale æquinoctium calidioris sicciorisque temperamenti homines affligit: symptomata sunt vehementiora. [52] Æstate fit per attractionem, [53] quod tum venæ & viscera facillime succos ad se attrahant: hyeme per depulsionem, quia eo tempore corpora compinguntur.

a. In Curatione 1. [54] *Sanguis* parcè & ad eventilationem duntaxat, fuliginum adustarum in vasis redundantium transpirationem, humorisque æstuantis à corde & visceribus aversionem mittendus.

2. Eventilato sanguine [55] *gelida potus* olim [56] affatim exhibebatur. *Galen. Meth. l. 9. c. 5.* & hoc juvenem quendam calidum & siccum sanatum apud eundem & Rhasin habemus. Excitatur ita & *vomitus*, per quem natura refocillata biliosam saburram ejicit; de quo *Zacutum Lusitanum Hist. Med* l. 4. hist. 11. vide: Sæpe & validus obvenit sudor. [57] *Abstinebis* tamen ab ea, à *si* humor est crudus & simul crassus: [58] *si* aliquod ex nobilibus membris imbecillum, natura vel per morbum; *si* ventriculus vel hepar frigidius: *si* inflammatio in ventriculo, hepate, liene, intestinis &c. adest; quia sic coctio & excretio peccantis materiæ prohiberetur: *si* genus nervosum dolet, quia frigidum ei inimicum: *si* sanguis paucus, quia sic facilè calor debilis opprimitur: *si* caloris nativi inopia affligit, quia sic spiritus qui pauci suffocarentur: *si* æger non est aquæ assuetus, quia aliquando inde gravissimæ affectiones: *si* æger non boni habitus, i.e. non carnosus, validus, sanguine & spiritibus abundans, quia sic innatus ignis extinguitur.

3. b. *Balneum aquæ dulcis*, ad temperandum calorem & humoris effervescentiam, pro illis quibus urinæ coctæ & vires alacres parabatur, ut apud Galenus l. 3. de acutis c. ultimo videre est. Posse & ante coctionem parari contendit Averroës l. 8. c. 8. beneque cessisse exemplo probat *Zacutus Praxis admirand.* l. 3. *Observ.* 6. 4. Rarefiebat post aliquam evacuationem & corpus decocto chamæmelino, ciebaturque sudor, ut Aëtius Tetrab. 2. s. 1. c. 78. Est & serum lactis cum herbis refrigerantibus decocti loco utilissimum.

II. [59] *Pituitosus*, alias [60] *Causodes & mothus*, [61] qui à pituita per adustionem, determinatam putredinem, vel pravorum ichorum permistionem salsa, bili permista oritur: plurimum ab æquinoctio autumnali ad plejadum occasum, [62] si australis constitutio processerit, ingravescit; symptomataque sunt mitiora.

In *Curando* 1. Præsidia minus frigida & humida esse debent. 2. *Balneum*, propter reliquiarum duntaxat discussionem & quidem calidum, adhibendum: quia aliàs minus secundum IbnSinam utile. Ejusdem dogma est, febrem biliosam aquæ frigidæ haustu in pituitosam transire: idque fortè, vel quando propter intensam ventriculi & hepatis refrigerationem crudorum humorum copia coacervatur; vel quando in illa pituita cum flava bile abundat & accenditur. Vide *Alsarium de Cruce* in quæsit. per epist. Cent. 4. p. 361.

II. [63] *A subjecto.* Vel enim infestat *Senes* quod raro accidit, quia horum febres, tanquam natura frigidorum, sunt sepultæ, ut IbnSina vocat: & si accidit, quia à forti & à temperamento planè abhorrente causa oritur, ægrique debiles evadunt, periculo non vacat: Vel *Iuvenes*, quod plerumque fit. Vel *Pueros*, in quibus, ob nimiam humiditatem, caloris acrimoniam retundentem, levior est: & propter copiosam vaporum ad caput elevationem, soporem quandoque infert. Si ægri tabescunt periclitantur, quia substantia ipsorum transpirabilis & resolutioni obnoxia est. Vel *Lactantes*, in quibus lac vel acessit vel fumescit.

III. [64] A *loco Causæ* ponit Causi differentias Galenus. *Aliquando* bilis putrescit *in pulmonibus*. Et tum difficultas spirandi adest; alvus interdum adstringitur: sputa crassa bona sunt. *Aliquando* in *venis abdominis*. Et tum, alvi liquiditas ob cibi corruptionem infestat, sitisque premit. *Aliquando*, in *ore ventriculi*, Et tum dolor cardiacus affligit. *Aliquando* in *hepate*. Et tum alvus quandoque liquida, quandoque spyratodea excernit. *Aliquando* in *habitu corporis*. Et tum dolores ὀστοκόποι incurrunt, & sudorib. solvitur; Sed hæ febres ad Symptomaticas potius referri debent.

48. *Differentiæ sumuntur*) *Adde & à more morbi, Alius est benignus, alius malignus*; Benignæ sæpe sunt acutæ sed sæpius quoq; malignæ, eæq; admodum periculosæ, Imo sæpius accidit ut febris sæpius revera maligna in primis diebus formam *Causi*, aut febris benignæ præ se ferat, at sua malignitate lateat; Imo dubitant nonnulli an detur *Causus* aliquis cui non utplurimum juncta sit malignitas. *Etmuller p. 303.*

b. *Alius à causa externa*) Febris Ardentis Causæ vel sunt Procatarcticæ, vel Antecedentes, vel Conjunctæ, Procatarcticæ sunt nimius Aëris calor, Alimenta acria & calida, cæteraque quæ bilem copiosam generare eamq; in putredinem deducere valent: *Si Æstas & Autumnus pluvii fuerint & austrini, hyemem morbosam esse necesse est & pituitosis, ac annum 40. excedentibus fieri Causos.* l. de A. A. & L. ex pituitæ putrefactione & incandescentia, quæ salsedinem contrahit: aut simul putrefacta bile, quod est verisimilius: nemo enim pituitosus adeo est ea ætate quin bilem

bilem habeat plurimam: At *aph. 7. lib. 3. In siccitatibus febres fiunt acutæ*, quoniam in siccitatibus bilis plurima generatur, At aphor. 16. ejusdem lib. Febres in pluviarum multitudine longas generari scribit, quod videtur ad[illegible] que [illegible]pta sunt l. de A. A. & L. scil. fieri tunc [illegible]dentes, non longas, Dicendum id fieri per ac[illegible] in iis tantum qui 40. annum excesserunt, sunt[illegible] calidissimi & siccissimi, quibus aëris humiditas pu[illegible] [illegible]it non autem in pueris & senibus, qui tunc in febres longas potius incidunt; quamvis omnibus temporibus omnes morbi fieri possint, ut alibi docet Hippocr. *Primirosius.*

4°. *Æstus*) Febris ardentis causæ vel sunt procatarcticæ, vel antecedentes, vel [illegible] junctæ: Procatarcticæ sunt *Aëris nimius calor*, alimenta acria & calida, aliaque quæ bilem copiosam generare, eamque in putredinem deducere valent. *Aphor. lib. 3. siccitatibus fiunt febres acutæ*, quoniam in siccitatibus bilis plurimum generatur, Attamen eodem libro, *Siccitates salubriores* esse dicit, ratione quidem aëris, præcipue si squallidus non fuerit, sed aquilonaribus ventis perflatus. Sed per accidens acutos morbos gignit ob bilis plurimæ proventum: sicut ver sa[illegible] n, morbos tamen producit quamplurimos: [illegible], ut innuit *Galen.* in comm. febres in siccitatibus sunt quidem pauciores, sed acutiores, ita ut siccitates saluberrimæ dicantur, non quod morbi acuti & periculosi tunc non fiant, sed quod sint rariores eo tempore ægritudine. *Primirosius.*

[illegible] *isque 1. Biliosus &c. 2. Pituitosus*) Biliosum à Bile, Pituitosum à Lympha deducit *Sylvius de le Boe Prax. lib. 1. c. 29.*

In Synocho, seu Continente Putrida, notanda 1. *Definitio.*

Synochos Effervescentia est sine ulla exacerbatione, continua [illegible] cordis ventriculo producta, cum pulsu [illegible] Bile & Lympha facta.

II. *Differentia* [illegible] *Causa*, alia est *Lymphatica*, eaque 1. *Glandularis* [illegible] febres cum doloribus capitis & artuum, catarrho, coryza, tussi.

2. *Pancreatica*, unde febris cum ventris torminibus, & vicinarum partium lancinatione.

[illegible] *Salivaris*, unde ventriculi & vicinarum partium di[illegible], & anxietas, estque hecticæ similis.

4. Mixta ex pluribus vitiatis humoribus, ubi plurium symptomata simul occurrunt.

Alia *Biliosa*, unde Ardentes, peccatque Bilis sale lixivo o[illegible]ne. In illis est *calor* acrior, in his maximus, *Pulsus* [illegible] frequentior, hic major. Sunt *urinæ ibi* crassiores, *hic* tinctæ magis, *Sitis* ibi valde molesta, *hic* inexplebilis. *Lingua ibi* arida, *hic* nigra vel fissa.

Causus, qui est cum summo calore & summa siti. Cujus causa est Bilis valde salsa & valde inflammabilis.

III. *Causa*, quæ est, *Bilis* & *Lympha*, ex conglobatis glandulis, sub qua & continetur *succus pancreaticus*, *Salivaque*, *ex conglomeratis*. Si *Lympha* conglobatarum glandularum facta est acrior & acidior, calor est rodens & [illegible]nans magis quam magnus: Si *Lympha in capitis glandulis* facta est acrior & *salsa muriatica*, vel simul *acida*, fit [illegible]vedo, quam sequitur coryza, raucedo, tussis & febris catarrhalis, estque cum calore acri, mordente. In omnibus prædictis signa adsunt horror levis, urinæ [illegible]mox cum sedimento copioso, lassitudo gravis & lancinatus artuum.

Si *succus pancreaticus* factus est *acrior*, adsunt anxietas circa præcordia, ventris tormina, dejectio cruenta, urina cruda, aquea.

Si *Saliva viscida* est, febris est blandior ac lenta, Pulsus tamen post alimenta assumpta fit frequentior; Hæc Febris & est affinis Hecticæ, & si non est ejus species semper tamen ei est adjuncta.

IV. Notandus est *Modus caloris producendi*, Qui oritur *per se* ac proprie à Bile tum *acriori*, tum *pinguiori*, effervescente cum succo pancreatico in tenui intestino, & cum lympha in cordis ventriculo dextro: *Illa acrior* producit particulas igneas; *hæc*, pinguior conservat eas.

Per accidens calor à lympha accidiori glandularum conglobatarum ortus, quatenus effervescens lympha cum bile ascendente, in cordis ventriculo dextró bilem corrumpit, *id est*, viscíditate privat, unde calor major acriorque erumpit: Per *accidens* quoque à succo pancreatico acidiori ortus, quatenus hic in tenui intestino bilem infringit, & cum pituita salivari confusus, ad cor tendit una cum lympha, ubi bilem acriorem & oleosiorem offendens vehementius effervescit: Ubi *Saliva* nimis viscida est, corrumpit hæc bilem & succum pancreaticum in intestino tenui, & liquorem inde productum, ut halitus inde exurgant flatulenti, copiosi & volatiles, qui ad cor delati, calorem non magnum excitant, cum genarum rubore, & cutis ariditate, pulsu paulo frequentiori & debili, & totius corporis tabe.

V. *Curatio*, Et 1. *Synochi biliosæ*, quæ perficitur *Corrigendo bilis acrimoniam* acidis temperatioribus, *spir. salis dulc.* Apozematis ex *rad. & fol. acetosæ, fol. fragar. viol.* cum *decocto hordei mund.* addito *syr. acetos. citri. & sp. sal. dulc.*

Emendando oleositatem bilis, per acida austeriuscula, *sempervir. maj. plantag.*

Minuendo Bilis copiam. per cholagoga subacida blanda, *tamarind. syr. cichor. cum rheo.* vel acidis juncta, *crem. t. & crystall. tart. Sal tartar. vitriol.* Et quidem mox in principio, vel postquam per alterantia bilis à sanguine secreta est, quod præcipue acida præstant &c.

Temperando æstum & rarefac. sangu. eductione ejus per V. S. ne rumpantur vasa, aut ignis vitalis suffocetur.

Tollendo sitim, apozem. proposito, vel *tinctura rosar.* &c.

Leniendo linguam aridam & fissam, succo quorundam semin. cum aqua quacunque extracto, *muc ag. sem. cydon. psyllii.* in ore detinendo & eiciendo; Vel *fol. semperv. maj.* membranula externa nudata, *aqu. rosac.* madantur; Valet *aqua pura, decoct. sapar. Emulsio liquida, vitell. ovi cum aqu. rosæ.* ℥iv. conquass. paucoque Sacch.

Glandularis Synochi Lymphatica curatio.

Synochus Lymphatica curatur 1. *Temperando* mox imo acidam lympham *aqua theriac. & spir. salis dulci.*

2. *Domando ignem* acidis temperatis compos. ut & *sal. volatil. laudano op. &c.*

3. *Sedando sitim*, apozem. ex *rad. scorzon.* & *syr. papav. rhœad.*

4. *Minuendo lympham* hydragogis, *ex ebulo, soldano, jalap. &c.*

5. *Educendo sanguinem*, si corpus plethoricum.

6 *Adhibendo* tum alterantia, tum purgantia, si febris lymphatica supervenit ægro bilioso, & si æstus adsit S.M. conjungatur.

7. *Addendo cephalica*, tum universalibus alterantibus, tum evacuantibus si *catarrhalis* erit *febris*, Particulariter caput vacuetur errhinis, masticatoriis *fol. beton.* aut *major. recent.* digitis contritis & naribus inditis; Vel naribus admoveatur *spir. salis Arm.* Suffitus *ex succino, mastiche* &c.

Pancreatica Synochi curatio.

Fit. 1. *temperando humorem acidum* blandioribus, ut sunt *salia lixiva*, inprimis *volatilia oleosa*, *opium, opiata omnia*, aromaticum quodvis: Et si simul *vitiatur bilis*, quod calor indicat magnus, temperetur *aq. cich. card. ben. spir. sal. & nitri dulci.*

2. *Tollendo anxietatem circa præcordia*, *sal. vol. oleosis* & oleis stillat. *spir. salis, nitri*, opiatis.

3. *Sedando tormina ventris*, salib. volatil. oleosis, additis *oleis stillat. anisi, fœnic. opio, spir. nitri* &c.

4. *Compescendo dejectiones cruentas* Enemate ex *lacte bubulo, terebinth. & ovi vit.* parato, sæpius injecto.

O 3

tibus & ſupra modum ſiccatis, non percipitur ſenſus indigentiæ, quia nervus ſubjectus linguæ non eſt eo modo affectus quo debet. *Ballonius conſ. 5. lib. 3.*

11. *Cauſa eſt Sanguis calidior)* *Cauſa proxima* Ardentis febris eſt vehemens & maxima Cordis irritatio, ex calidiſſimis ſanguinis particulis, ſulphure concremabili, & ſale volati magis abundantibus: hinc cum incipiant diſſolvi & effervescere, majori copia accenduntur, & deflagratione ſua caloris intenſiſſimi effluvia per totum corpus effundunt. *Cauſa remota* eſt omne id, quod calidam ſanguinis effervescentiam, ac vehementem accenſionem, nec non ad illarum ſulphurearum, fervidarum & ſalinarum volatilium particularum collectionem quicquam faciunt. *Piens.*

Curatio exigit, ut *febris, cauſæ* & *virium ægri* ratio habeatur, 13. *Solvitur* febris variis *excretionibus*, 14. præcipuè *Rigore*, die critico, ſignis coctionis apparentibus ſuperveniente: idque non propter rigorem, ſed propter excretionem, cujus prænuncius rigor eſt: familiare etiam in eo judicium 15. per ſanguinis fluxum.

I. *Cauſa*, & 16. tum *abſolvitur* curatio, 1. 17. *Venæ ſectione* 18. in cubito, 19. ut plenitudo ſanguinis imminuatur, ardor reprimatur & vitium corrigatur. Adminiſtrari debet *initio*, validioribus adhuc viribus in temperatis naturis: & quia velociſſimè movetur, præcipitem occaſionem indicat. Salvatellæ in dextra manu ſectio, jecur temperat & viſcera ventilat. In 20. *cubito* Valleriola ſeni *octogenario*, ſed ſolidi corporis, & virium validarum, ter feliciter aperiri curavit, *Obſervat.* l. 6 7. & 10. 2. 21. *Scarificatione*, 22. cucurbitulis & ſimilibus, quæ vicariam operam præſtant, & ſi procedit ab inanitione, inedia, æſtu, reſiccatis venis, conſumpto ichore &c. & ſi quid eſt quod aliud non permittat. (*tunc analepſi potius locus eſt.*)

3. 23. *Purgatione*, per medicamenta cholagoga, benigna, & refrigerantia, qualia ſunt, Syrupus *roſarum ſolutivus, Manna Tartarizata*, pulpa Tamarindorum, Electuar. tamarindor. Horſtii, vel hoc quod *ex Caſſ. recent. extractæ unc. iß. Mannæ electæ unc. j. Syrupi roſar. ſolut. unc. iii. Pulpæ tamarind. unc. ſ.* componitur, partitim exhibita. Trallianus l. XII. c. 3. 24. ſcammonio cum malis cotoneis parato uſus, magis fortè confidenter, quàm judicioſè. Uſus & Galenus in muliere herpetica eodem, ut in inflammatione jecoris veratro, Meth. l. XIV. 19. & XIII. 15. ſed nolim imiteris, cum mitiora proſtent. 25. Clyſteres refrigerantes ſub noctem dari poſſunt.

4. 26. *Sudatione*, ſi eo natura vergit. Commendant quidam 27. milii decoctum.

5. 28. *Vomitione*, ſi nauſea eſt, & ventriculus humore bilioſo, quem oris amaritudo prodit.

II. *Febris*, 29. quæ alterantia tam *interna* quam *externa* repoſcit. 30. Ex *illis* laudatur inter cætera *decoctum tamarindorum* in 31. ſero lactis vel aqua hordei. 32. *Hæc* admovenda pectori, dorſo, jecori, ventriculo & cordi, 33. poſtquam ardor febrilis internis refrigerantibus repreſſus, & humor putreſcens majori ex parte eductus videtur.

III. 34. *Virium ægri*, quæ firmandæ 1. 35. *Cardiacis refrigerantibus*, inter quæ laudantur, Syrupus granatorum, de acetoſitate Citri, trifolii acetioſi &c. 2. *Diætâ convenienti*, de qua ſuperius.

13. *Solvitur febris variis excretionibus, die critico)* Febris Putridæ ſtatus illud eſt morbi tēpus in quo Naturæ Criſin, ſeu materiæ aduſtæ, & à deflagratione ſanguinis reſiduæ expulſionem molitur: Ad hoc requiritur I. ut ſanguis maxima ex parte jam deflagrarit, quippe in medio ejus incendio Natura criſi non vacat, nec eam uſquam proſpere molita eſt: neque vero ab arte bono cum ſucceſſu procuratur. II. Ut Spiritus cruoris materiam hanc aduſtam, ſeu caput mortuum, prius aliquo modo ſubigat, ab utili ſecernat, & expulſioni peridoneam reddat; alias enim evacuatio utut copioſa eveniat, Natura ſarcina ſua neutiquam libera erit. III. Ut hæc materies tanta in copia congeratur, ut turgeſcentia ſua Naturam ad expulſionem criticam irritet; Si hæc rite concurrant, morbi Criſis plerumq; perfecta ſuccedet, in qua non ſecus ac in paroxyſmis intermittentium, fluore oborto, quicquid extraneum & heterogeneum in cruoris ſinu continetur, exagitatur; dein ſecretum, & ſero involutum foras expellitur.

Quando aliquid iſtorum defuerit, criſis plerumque eſt irrita & infida, ac raro morbum ſolvit: Si enim medio incendio, priuſquam ſanguis deflagraverit, evacuatio ſive per ſudorem, diarrhoeas, hæmorrhagiam, aut alio quovis modo contingat, materies aduſta haud tota ſecernitur, etiamſi magna ex parte in præſens detraheretur, cruor amplius deflagrās ſtatim novam ſubſtituet, & febrem expugnari viſam denuo redintegrabit, quod ſi materies iſta nondum ſubacta, nec ad turgeſcentiæ plenitudinem congeſta, Natura ad expulſionem ſollicitetur, criſis tantum imperfecta & partialis ſequatur; & cum primus excretionis niſus fuerit irritus, raro perfectus & unica poſthac vice judicatorius ſuccedet.

Criſis in Febre continua idem fere eſt ac paroxyſmus intermittentium, nam veluti in hoc, quando ſucci alibilis depravati, & maturationi inidonei particulis ſanguinis maſſa ad turgeſcentiæ plenitudinem ſaturatur, fiunt iſtius materiæ fluor, ſecretio, & foras expulſio, ita in febre continua, à deflagratione ſanguinis & ſucci alibilis, materiæ aduſtæ corpuſcula quamplurima congeruntur, quibus cum cruor aggravatur, & pauliſper ab incendio vacat, ea ſubigit, paulatim ſecernit, & dein fluore concitato foras eliminare nititur; quare in paroxyſmis intermittentium nonniſi ſtato tempore, & poſt totidem horas eveniunt, ſic etiam motus critici à die quarto in quartum, aut forſan à ſeptimo in ſeptimum contingunt, hujuſmodi enim ſpatio ſanguis accenſus deflagrat, & incendio ſuo materiæ aduſtæ velut cinerum congeriem facit, quæ Naturæ moleſta irritatione ſua motus Criticos inducit.

Quod itaque perhibent nonnulli *Criſes* à Lunæ & ſiderum influentiis omnino dependere, eorumq; aſpectus quadratos aut συζυγίας ſequi, verum non eſt, quia tantum à materiæ aduſtæ congeſtione & turgeſcentia evacuationes criticæ determinantur: Quamvis enim cruor à deflagratione vacat, & materiæ aduſtæ particulis ſaturatus eas aliquatenus ſubigere & ſecernere valet, fluere ſtatim, ſeu turgeſcentia oborta eas quovis modo excludere nititur: quæ cum facile à ſanguine ſeparari poſſunt, & ſatis patent cutis ſpiracula, ſero involuta cum ſero amandantur.

Eſtque hæc optima criſis via, quæ ſi recte ſuccedat, non raro ſemel, & una vice, ſine recidivæ metu morbum perfecte ſolvit: huic proxime ſuccedit quæ per hæmorrhagiam criſis tentatur: etenim materies hæc velut efflorescentia cum cruore commota, (ſi ob ἀδυναμίαν manus liberum

ram sudore nō ejicitur) in partem aliquam à corde remotam transfertur, & frequenter impetuoso sanguinis raptu in caput trajicitur, ubi si è sinubus in nares delabscentibus patet exitus, materia morbifica una cum portione sanguinis foras exsilit: Secus autem, sæpe in cerebro defixa phrenitin, deliria, aut alios graves atque diuturnos capitis morbos adfert.

Quin observare licet, quod in febribus quibuscunque continuis, si quando difficile aut imperfecte judicantur, ita ut sanguis materia febrilis, seu recrementis adustis per longum tempus infìciatur, exinde succo nervoso (uti videtur) labem contrahente, affectus pertinaces, scil. vigiliæ, necnon deliria, tremores, motus convulsivi & diu hærentes nervosarum partium imbecillitates sequuntur.

Sunt & alii criseos modi, quibus non simul & integre, sed paulatim & per partes natura materiam febrilem expellere nititur, modo per urinas, modo per vomitum aut secessum, modo per exanthemata & bubones: quocumque modo, ut bono cum eventu fiat, requiritur ut sanguinis deflagratio præmittatur, utque materies adusta concoquatur & secerni apta reddatur.

Quoad eventum, num Crisis bona futura sit necne, à viribus ægri, pulsu, urinis, aliisque signis & symptomatum concursu prænotiones quædam desumuntur: Si urgente febris incendio æger aliquatenus viribus constet, pulsum habeat fortem & æqualem, si urina sit cōsistentiæ mediocris, cum aliqua hypostasi, contentorum separatione & facili subsidentia; si absq; vomitu immani, vigiliis, phrenitide, motus convulsivis & malignitatis suspicione morbus progressum fecerit, erit status laudabilis cum bona crisi expectandus. Si contraria his accidant, scil. ut statim vires prosternantur, sicque æger crebræ lipothymiæ, convulsionibus aut delirio cum pulsu debili, intermittente aut inæquali obnoxius, si vigiliæ pertinaces; sitis intolerab[illegible], & vomitus continuo infestent; si urina sit crassa & rubicunda sine hypostasi aut partium subsidentia; si urgente adhuc incendio Natura ad evacuationes criticas stimuletur, periculosius imminet morbi status, nec de Crisi quid boni sperare licet. *Willis l. de Febr. c. 9.*

Prognosis.

13. Solvitur Febris Prognostico quod spectat 1°. omnis Ardens periculosa est, quia continua & acuta, unde *Coaca 137. Febres ardentes diebus 1[illegible] aut liberando aut perimendo decernunt*; nam acutorum terminus 14. dies esse solet, *aph. 25. 2.* [illegible] quod intelligendum de vera Ardente, nam notha ult[illegible] perducitur, [illegible] lib. Epidem. multas ardentes, etiam lethales [illegible] censet quæ ulterius fuerunt prorogatæ, non sunt [illegible] omnes febres æque acutæ. Brevitas autem & longitudo ex symptomatum sævitia & coctionis signis di[illegible]noscitur, unde scribit *Hippocr. 2. de morbis*, & de *diebus crit. Si in principio lingua nigrescit, exasperatur, crassescit, celeriores erunt crises. si vero posterius, diuturniores*, ostendit enim linguæ nigredo causæ vehementiam & motum, Sicut eidem cognosci potest ex urinarum intenso colore, aut remi[illegible]ori; um sputum præ calore & siccitate exustum esse solet & crassum.

Secundo, Febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, periculosæ, aph. 43. 4. Eas esse dicit *Galenus* quæ [illegible] [illegible]tione & maligna putredine ortum habent, Nō [illegible]lligi potest Aphor. de Tertianis continuis quæ [illegible]que die exacerbantur, non sunt enim periculo[illegible] ardente aut Synocho, sed potius securiores, ve[illegible]endus est de febribus Semitertianis, aut, cum [illegible] quæ ex inflammatione oriuntur (*NB. Adria[illegible] de Semitertiana, omnem ab inflammatione su[illegible] [illegible] ventris deducit*) aut maligna putredine, [illegible] remittere ut tertianæ continuæ, & ta[illegible] [illegible] semper uno quoque die intenduntur: quas alibi [illegible]

[illegible] attendenda est signorum gravitas, ut si insomnes [illegible]tædiosi, gravit[illegible]q; angantur, leviter sudent, malum: si delirent, læsum enim cerebrum denotat.

Quarto, ubi paululum in fronte & claviculis sudant mutuumq; delirant malum, maxime si sudor frigidus fuerit, Syncopen enim denuntiat; *Hippocr.* aph. 37. 4. *Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori morbi longitudinem significant.* Fiunt, *inquit Gal. in comm.* frigidi sudores, aut frigidi humoris copia, aut extinctione caloris nativi, vel, ut *Argenterius*, à retractione caloris ad interiora, unde habitus corporis refrigeratur. Scripsit *Avicenna* non fieri sudores frigidos in febribus acutis nisi ceciderit caliditas innata.

Quinto Timores ægrorum & moestitiæ malum, sunt enim atræbilis & delirantium symptomata.

Sexto, Febres omnes biliosæ exsiccant viscera ignis instar, quod si alvus adstricta fuerit, suspicio esse debet phrenitidis, ex *Rhaza*, ob humores biliosi in corpore retenti motum ad superiora. *Vox clangosa* succedere solet resiccato gutture, & ideo mala 1. *prorrh.* 17. velut rauca signum quoque malum est & funestum.

Septimo Partium extremorum frigiditas pessima est *in morbis acutis, frigus extremorum malum*, aph. 1. 7. & 48. 4. sirim addidit, fit hoc symptoma vel ob extinctionem caloris nativi, aut ob ejus retractionem ad interiora. Illa præsentem mortem, hæc febris malignitatem significat.

Octavo eadem de causa extremorum frigus & nigredo mala, ob summum caloris nativi languorem.

Nono Lingua arida, nigra, sine siti, vel delirium portendit, vel extinctionem facultatis naturalis ventriculi; quod si primum incandescentes sitierint, derepente à Siti liberentur, signum est vel morbum solvi, si cætera signa consentiant, vel virtutem emori. *3. Epid. sect. 1. comm. 2.*

Decimo. Urinæ *nigræ, tenues, paucæ, alvique duræ malum*, Nigræ sunt ab humore adusto, paucæ, quod ab immenso calore omnis humor sit absumptus, aut instrumenta urinæ sint emortua, Tenues, quod bilis non sit à natura evicta, Alvi duræ ab immenso calore, ut diximus ex *Rhazi* alvum duram portendere phrenitidem.

Undecimo, Sanguinis è naribus stillicidium, de quo supra.

Duodecimo, Lacrymæ involuntariæ mortem significant, Aph. 52. 4. Causa, inquit *Galenus*, est debilitas retentricis, *Argenterius* vult fieri ex colliquatione humorum cerebri facta à calore febrili.

Decimotertio scribit *Hippocr. 1. de morbis. Qui ex ardente intereunt omnes ex siccitate moriuntur, Extrema manus pedesque primum ipsis exsiccantur, deinde vero partes siccìores; ubi penitus corporis humor exhaustus est, sanguis concrescit & refrigeratur, reliquum vero corpus exsiccatur, sicque interit.* Calore si quidem febrili universum corpus exsiccatur, ac demum refrigeratur; quantumvis enim ardentissima febre quis moriatur, solet tamen is ex frigore interire, nam ante mortem calor extinguitur, succedit frigida intemperies fervori.

Decimoquarto, Quibus in febribus ardentibus fiunt Tremores, delirium solvit, aph. 26. 6. Fiunt Tremores in ardentibus exhaustis viribus, & ibi delirio solvi non possunt; vel fiunt humoribus ad nervos transfusis, à quibus si ferantur ad caput fiunt deliria. Familiare autem est *Hippocr.* uti verbo λύειν, improprie pro succedere, sic ecstasis maniam solvit, hic enim non solvitur morbus, sed pejor succedit, Pessimus pariter Tremor est delirio succedens.

Decimoquinto, Febris ardens ἐν κοιλίῃ ἀλγήματος ἐπιγινομένου θανάσιμον. *Coaca 31. & 130.* Intelligit autem per laboriosum & vehementem dolorem eum qui ex viscerum internorum phlegmone aut erysipelate ortum habet, cui dolori maligna febris & lipyria succedit.

Decimosexto, solet solvi Febris ardens sanguinis profluvio, quod si accidat die 4. malum, nisi aliud quidpiam bene accidens, quia quarto die critica sui tantum significationem dare debent, non autem apparere, quod si die 5. contingat, minus affert periculi, quia aliquomodo criticus est ille dies, non tamen periculum adimit. Si

scripsit 2. *Epid.* [Greek] , *Coaca* 133. & 131. *Si in febre ardente aurium sonitus, cum visus hebetudine, & ad nares gravitate accidant, nisi sanguis ex naribus profluat, delirium metuendum*, Sunt enim hęc signa futuræ hæmorrhagiæ, quæ si subsistit, incalescente ac putrescente sanguine, nec vacuato, cerebrum incalescit, phlegmonen concipit; succeditque delirium ferox & maniacum, quod intelligit *Hippocr.* per [Greek], quo verbo atrox delirium semper intelligit, soletque esse funestum.

XVII. [Greek] *Coaca 129.* quod non est absolute verum, nam fluor criticus salutaris est, sed si ægro debili, aut crudo morbo id contingat, vires prosternit & ægrum ad internecionem duci metus est. Dicit *Avicennas* nullum morbum esse salutarem qui ab alvo fluida inceperit; Idem dicendum de aliis excretionibus, [Greek], nam abundantiam humorum indicat, qui non potuerint febrem tollere, unde prorogari morbus solet ac esse longior si non occidat. 2. de *morbis* legimus, *Si sudet copiose, nec febris remittat, diuturnus morbus esse solet, maxime si sudor frigidus est, si minime exsudarit, citius judicatur.* Unde Galen. 1. Prorrh. 15. ait febrium insultus cum sudore significare plenitudinem.

XVIII. Causos in ambiente frigido lethalis, *comm.* ad *aph.* 34. 2. quia maxima causa est quæ non potuit ambientis frigiditate emendari: Sic senibus raro ardens accidit, sed ubi contingit, periclitantur ob causæ magnitudinem & virium imbecillitatem.

XIX. Solvitur ardens interdum præ Parotides, *Coac.* 138. sed rara est hæc solutio, sicut & parotidum suppuratio rara est, estque ejusmodi febris, in qua adsunt parotides, potius notha quam legitima.

XX. *Ardente febre laborantibus, paululum frigescentibus, egestionibus aquæ similibus, & crebris, oculorum perversio malum, maxime si catocho detineantur*, Coaca 134. qui casus in ardente sunt funesti ostendunt enim inflammationem & phlogosin in visceribus conceptum, à qua summo corporis habitu paululum refrigerantur; tum ascendentibus in cerebrum humoribus, & facultatibus naturalibus pereuntibus, fertur alvus tenuibus & aqueis excrementis, quod in urinis quoque solet accidere, ac lacessito cerebro oculorum convulsio & perversio, ac demum languente cerebri facultate sopor lethalis accedit, intemperies scil. frigida calidæ succedens semper funesta. *Primirosius.*

14. *Præcipue Rigore*) Nam sequi solet Sudor multus evacuata in cutim materia: tum interdam Vomitus aut alvi solutio sequitur, ex *Galeno comm. ad aph. 58. 4.* Non tamen semper Rigor ille statim solvit morbum, ut exemplis quibusdam Epid. probatur, in quibus non statim à Rigore sed postea excretio facta est, ut *1. Epid. Æg. 13.* Mulier gravida XI. riguit & XIV. tantum judicata fuit, quamvis utplurimum rigorem excretio sequi soleat, nisi virtus sit admodum imbecilla; facta quidem separatione humoris biliosi è venis, fit rigor, sed ob vires attritas non potest fieri materiæ separatæ exclusio, hinc *Ægro jam debili rigor lethalis esse solet.* Aphor. 46. 4. *Primirosius.*

15. *Per sanguinis fluxum*) Dummodo libera & liberalis sit excretio, sic 1. *Epid. sect. 2. Qui bene & largiter sanguinem è naribus profudissent, ij omnes servabantur.* Hinc vituperatur sanguinis substillum, quod, ut & quælibet exigua excretio, in malis habetur, *Philiscus, Epaminondas, & Silenus*, quod quarto & quinto die parum è naribus stilaverit, mortui sunt. *Idem.*

16. *Et tum absolvitur Curatio*) Cautissimus tamen esse debet Medicus ne pro Causo, aliaque continua acuta, curet præsentem malignam, Febris enim maligna non raro in primis diebus formam tum causi præ se fert, & sua malignitate latitat. Ideo melius est statim adhibere appropriata alexipharmaca; Et tutiori ratione procedent illi in cura qui primis diebus usum bezoarticorum & alexipharmacorum (ita tamen ut ad sudorem patiens minime cogatur) ræcommendare recordabuntur. Si itaque certo non constet malignitatis metum adesse nullum, tuto quæ agenda sunt reliqua peragi poterunt. *Etmuller p. 310. l. 1.*

17. *Venæ sectione*) Inter præcipua hujus Febris remedia laudatur V. S. ab aliis improbatur, ut ab *Avicenna*, quod bilis evacuatione sanguinis, qui ejus frænum est, effervescat; Alii tantum abest ut s. m. vereantur, quin potius ad animi deliquium mittendum velint; Alii distinctione utuntur, voluntque sanguinem mittendum si adsint indicia sanguinis, desistendum vero si pura sit bilis. In febribus acutis, *inquiunt*, adest urina rubra & tincta; quod si primis diebus talis non appareat, bilis non est bene permista sanguini, & propterea abstinendum à s.m. donec urina rubra apparuerit, aut valde tincta? quod si primo die talis fuerit tunc mittatur sanguis, quod sane in praxi est notandum.

At secandam esse venam voluit *Galenus* in omnibus continuis & acutis, quia humor noxius intra vasa continetur, Natura etiam per hæmorrhagiam narium solet Causon judicare, ut testatur *Hippocr. 1. Epid. sect. 2. t. 68.* eos à febribus ardentibus evasisse quibus sanguis è naribus effluebat, aut quibus mulieribus menstrua prodibant; Cum ergo Medicus sit imitator naturæ, debet etiam sanguinem evacuare.

Nec metuenda est biliosi humoris effervescentia, ut volunt Arabes, non enim solus educitur sanguis, sed una cum eo bilis plurima, imo plus bilis educitur quam ipsius sanguinis, & corpus plurimum refrigeratur, unde nova humoris biliosi impeditur generatio, & natura quod reliquum est evincit.

Considerant alii An bilis juncta sit sanguini necne, quod cognoscitur ex urina rubra, crassa & turbida, ut vult *Avicennas*, an vero ab eo sit sejuncta; quod mihi videtur impossibile, bilem in magnis vasis putrescentem à sanguine esse sejunctam. At utut sit, volunt illi sanguinem esse mittendum si urina rubra sit & crassa, si vero sejuncta sit, à V. S. abstinendum; Id videtur docere *Galenus 1.* ad *Glaucon. 33.* ubi inquit, *sanguinem mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus multo plus ruboris insit quam naturæ conveniat; & major quam pro consuetudine corporis tumor, & venæ eminentiores atque magis extensæ: his omnibus auferendus, nisi vires, aut ætas, aut aliud quid prohibuerit.* Sunt autem hæc quæ commemorat sanguinis abundantis indicia. Et sane raro aliæ apparent ardentes febres, cum ex bile una cum sanguine in majoribus vasis contenta oriantur.

Nec signum ex urina, quamvis utplurimum experientiæ respondeat, perpetuum est, Nam interdum in Ardente urina nulla admisti sanguinis indicia habet, ubi phrenitis aut adest, aut imminet, & tamen sanguinem tunc mittere maxime necessarium est. *Primirosius lib. 3. cap. 4.*

18. *In cubito*) Locus ad plethoram tollendam commodissimus, secundum normam veterum decretorum, est *Basilica* dextri, si hepar affectum, sinistri, si lien male habeat, brachii vena. Norma novorum si consulatur decretorum, venarum delectum circulatorius tollit sanguinis motus. Nulla hic ordinis prærogativa specialis; Communi omnes venæ fruuntur fato: Proximiores tamen brachii venæ videntur cordi; adeoque citius in æstuantibus idem deplent febribus, dum raptum ad cor sanguinis impediunt violentum. *Rolfincius de Febr. pag. 270.*

19. *Ut plenitudo sanguinis imminuatur &c.*) *Vallesius 7. controv.* vult mittendum ad animi deliquium ex *Galeno 3. aph. 23.* ubi docet in ardentissimis tam copiose esse mittendum

mittendum sanguinem. 2. venam secat *Galenus* ut refrigeret, sed ardentes omnium maxime egent refrigeratione, addens post ejusmodi vacuationem subsequi sudores, interdum alvi dejectiones; præterea in summis doloribus eandem vacuationem cõmendat, qui ut plurimum à bile.

20. *In Cubito,* In ardentibus & malignis ……… se propositurum ait *H. Fabritium ab Aquapendente*, quod evacuatio per hæmorrhoidas magis conferat quam venæ sectio in brachio. Rationem subjungit, Cavæ enim majores propagines, in quibus materia peccans hæret, sic depleri possunt. Addimus nos, Dum ex arteriis sedalibus trahunt, cor inde mirifice sublevatum iri verisimile est. *Rolfincius p. 273. l. de Febr.*

21. *Scarificatione*) Brasiliani, autbore *G. Pisone Medic. Brasil. lib. 1. c. 11.* eam instituunt, non in malleolis ad veterum normam, sed femoribus, suris, brachiis, & omnibus torosis, musculosis partibus, vulneraque aqua calida irrorant. Hac ratione libras sanguinis educunt, & hoc solo remedio plurimos affectus, febres inprimis, non raro destruunt, internasque partes nobiliores à noxiis liberant humoribus, absque multa virium jactura. Instrumentis utuntur non ferreis, sed spinis arborum, & dentibus piscis Lamiæ.

22. *Cucurbitulis*) Hæ nunquam Venæ sectionis vicem in febribus cõtinuis & ardentibus tutu sustinere possunt, quia nunquam illum sanguinem, quem fundere debent eliciunt, 1. fermenta nvum illud quod magis in vasis majoribus fluctuat quam in capillamentis & cutaneis. 2. Scarificatæ, & quidem profundius, magis solent mutum sanguinis quam v. s. perturbare, idque ideo quoniam in locis diversis debent affigi: 3. nihil insigne operantur & efficiunt, nisi partes subjectæ profundiùs scarificatæ fuerint, ac hoc absque periculo in febribus acutis fieri nequit. *Pitius Tr. 2. de Febr. p. 108.*

23. *Purgatione per cholagoga benigna & refrigerantia*) Ante v. s. molli enemate blandoque pharmaco, tum intestinorum, tum primæ regionis illuvies expurgetur, ne in locum sanguinis putridi trahatur in venas. Deinde præscribatur blandum catharticum ad humores qui solent turgere evacuandos, non enim coctio expectanda est cum humores impetu quodam moveri soleant, sic docet *Hippocr.* aph. 29. 2. *Cum morbi inchoant, si quid movendum videtur move.* Et aph. 24. *In Acutis raro, & in principiis purgandum. Galenus* 4. acut. 1. interdum die, 2. 4. ac 5. medicamentum dedit.

Sint autem Purgantia mitiora, ideo vitanda quę scammonium recipiunt, *rheum & myrobolani* secundum *Rondeletium* nocent morbis biliosis, nisi vi adstrictoria, quam habent, spolientur, ut si rheum in aqua endiviæ infundatur. *Manna* quoque, quia dulcis, ideo facile in bilem vertitur, minus convenit, Sed cassia, quia humida est, saporemque habet acidum non contemnenda.

℞. *Prunor. par.* iij. *passular. mundat.* ℥ß *fol. endiviæ, lactuc.* ana *m.* j. *fol. portul. scariol.* ana *m.* ß. *tamarindor.* ℥j. *semin. frig. maj.* ʒj. *flor. violar. p.* j. *fiat Decoctio pro dosi, in qua infunde rhab.* ʒiß. *expressioni adde cassiæ* ʒvj. *syr. rosar. sol.* ℥j. *f. Potio.*

Plurimi *serum lactis* commendant in quacunque biliosa continua, temperat humores biliosos eosque evacuat, potest que in eo infundi rhabarb. ʒj. Quod si bilis non turget, primum præparari & concoqui, deinde evacuari debet medicamento dicto eradicante: *Præparandi rationem de infra ubi de* alterantibus. *Primirosius.*

Rhabarb. propter adstrictionem aliqui improbant, quæ tamen in eo minime est metuenda, præsertim cum infusum hac ratione datur

℞. *Syr. violar.* ℥iß. *rosar. sol. simpl.* ℥j. *rhabarb. infusi in aq. endiv. & expressi* ʒß. *f. Potio* vel sic

℞. *rhabarb. el.* ℈iv. *spicæ* ℈i. *infundantur in aqua endiv. & sero lactis, In expr. dissolve manna granat.* ℥i. *cassiæ* ʒvj. *syr. violar.* ℥j. *f. Potio.* Platerus.

24. *Scammonio*) Assumpta potione *diagridiata*, vel alia *syrup. violar.* ℥iß. cum *aqua endiv.* ad *scammonij* ardorem reprimendum superbibere possunt, vel post evacuationem factam. Illud ad restinguendem incendium sumere, aut alia alterantia. *Platerus.*

25. *Clysteres refrigerantes*) *Actius* probat Clysterem ex ptisana, cui recentiores addunt succum lactucæ, cucurbitæ, anguriæ, uno quolibet die ejusmodi Clysteres injicere utile erit: *Rabbi Moses* ex aqua præparat tantum & oleo: *Oribasius 7.* collect. laudat Clysterem ex aqua pura frigida; Sed nos nonnisi ex variis herbarum decoctis Enemata præscribimus, majori quidem cum fastu, sed non majori cum utilitate. *Primirosius*

26. *Sudatione*) Præsertim si ex attractione ichorum (ex mente Hippocr.) in corporis habitum ortum duxerit, Ab habitu enim corporis maxime sudor manat, quanquam & totum corpus sudoribus exhauriri potest, quibus materiam præbet serum quod universum alluit, & sordes quasvis abluit.

26. *Sudation.*) De hidroticorũ & diaphoreticorum usu in continuis, Vide caput præcedens. §. *Quæ tollenda.*)

27. *Milii decoctum*) Revera hidroticum, eoque conducibilius quod id semen vi refrigerandi polleat; & siccandi, quæ putredini resistit: apud nos id male audit quod febrem accersere credatur; ac revera id præstare observavi in quibusdam in febres pronis: forte quod sudorifica vi impuros humores in prima regione latentes ad secundam impellat.

28. *Vomitione*) Experientia longa observavimus in curandis febribus, & iis equidem quæ nullis pharmacis solvi & tolli potuerunt, illas mox & certo solutas esse *aqua benedicta. Martinus Rulandus cent. 9. cur. 68.* Pauper quidem 40. annor. correptus est ardente febre cum symptomatis solitis, illum paucis sanum feci

℞. *Aqua card. ben.* ℥vi. *rad. asari pulv.* ℈ij. *m. pro haustu. Haustu* hoc calide in lectu sudavit multum, vomuitque nonnulla biliosa, sequenti die basilicam brachii dextri aperui, & copiose sanguinem misi. Pro cibo dabantur Jus cula, Potus erat decoctio *rad. fragar.* atque his mox subventum est misero. *Idem Cur. 68.* Juvenem xix. ann. febre continua periculose laborantem mox sanum feci

℞. *Aqu. fontis, vini,* ana ℥iiii. *bulliant simul & semel, postea infundantur in calice nostro chimico, per hora quartam partem.* Ebibit æger infusum, & post horam evomuit multa phlegmatica.

29. *Quæ alterantia*) In curatione Causus nihil singulare ubtinet, saltem quod *nitrata*, tam *situ* quam *æstus* ratione in primis convenit; sive in forma sicca, in potu dissoluti usurpentur; sive *spiritus nitri simplex*, aut potius *dulcificatus*, in potionibus assumatur, E. g.

℞ *Nitri antimoniati* ʒij. dissolvatur in mensura vel cerevisiæ, vel potus ordinarii, ita ut ʒß. liceat dare die naturali, nisi liberior alvus obstiterit.

Quod si accidat ut dato *Nitro* cum tanto ardore non mittatur urina, & liberalius accidat meiere, bono animo esto, dicit *Lindanus*: *Spiritus nitri* in Julepis valet, item in potionibus, In hoc passu bonum etiam est remedium *Laudan. opiat.* si tempestive & prudenter exhibeatur, omnem caloris vim refrænabit. *Etmuller pag. 320.*

30. *Ex illis laudatur*) Maximè laudantur à *Mesue & Averroe* aquæ Anguriæ & Cucurbitæ. Illico sanguinis æstum extinguunt & febrem placant; Aquam Anguriæ frigidiorem aqua nive refrigerata statuit Averroes, quia non tam cito incalescit, & sanguinem generat temperatiorem, quod aqua pura non præstat, Distillatur Anguria instar aquæ cichorii, vel

℞. *Succi Anguriæ* ℔ij. *sacch.* ℔ß. *coquantur.*

Cucurbita vero maza involuta clibano coquitur, aqua intus natans colligitur.

℞. *hujus aquæ vel succi, expressi* ℔v *sacch.* ℔.iij. *coquitur.*

Excellentissimum est ad febres ardentes remedium, Nobilem quendam à Judæo Medico confestim sanatum

scribit *Sylvius comm. in Mesuem.* Valet insuper ad gutturis asperitatem & pleuritidem.

Usu compertum est *Pimpinellam* solutam aquæ calidæ, febrem continuam statim domare. *Heurnus meth. ad Pr. l. 2. p. 168.* Aqua destillata *ex anguria* secretum quibusdam remedium est in *Causo*, nam illico sanguinis æstum extinguit, *Idem l. 2. c. 16.*

Aqua Cucurbitæ præstantissima est ad *febres ardentes*: Recens *cucurbita* recenti pasta vestitur; calente clibano cum pane assatur, aperitur & aqua intus natans colligitur; Vel tota cucurbita frustillatim secatur, fictili novo includitur, coquitur & exprimitur, & *saccharum* additur. *Idem ibid. p. 331.*

31. *Sero lactis*) Cur *Hippocrates*, qui *Sero lactis* uti adeo frequenter consuevit & ad purgandum & ad subluendum, nunquam tamen illud in febre ardente usurpavit, etsi omnibus intentionibus satisfacere posse videatur, quæ in hujus morbi curatione occurrunt 1. Quia serum fortasse haud ita biliosos humores educit quemadmodum pituitosos; nam *Hippocr.* eo usum frequentissime in his potius quam biliosis constat; 2. Quia cum serum admodum sit familiare humori peccanti, quem ichorem biliosum vocat *Hippocr.* timet ne assumptum serum in eum convertatur; hac enim ratione succorum cognationes considerandas jubet *l. de Vet. Med.* 3. quia supponitur esse æstivum tépus, in quo serum majorem habet acrimoniam quam convenit &c. *Prosp. Martia. comm. in sect. 4. l. Vict. Acut.*

31. *Sero lactis*) Si tempore hyemali serum lactis quispiam præ manibus non habeat, ipsum ex tempore conficere potest cum *alumine plumoso* in pulverem redacto, & in aqua soluto, si tunc in lac effundatur, ac ipsum lac cochleari ligneo circumagitetur subito caseosam substantiam à serosa separari videbis, quæ per subtile colatorium transmissa ad usum asservetur, *Piens Tr. de Febr. pag. 116.*

32. *Hæc admovenda Pectori &c.*) Externa sunt Epithemata, Unguenta.

℞. *Aquar. endiv. cichor. nymph. hepat.* ãã. ℥iiij. *aceti* ℥i. *troch. de camph.* ʒß. *pulv. diarrhod. triasant.* ãã. ʒj. *f. Epithema jecori vel cordi admovendum.*

Solent plurimi Epithematis adjicere pulveres *Margaritarum, Corallor. lap. pretiosor. ossis de corde cervi*, qui inutiles plane sunt, quod eorum virtus eo non penetret, cum vix certum sit an hæc in corpus assumpta quidquam prosint, unde simplicissimum Epithema ex solis aquis cum aceto sæpe non minus utile est, imo & melius: quia tamen hæc non nocent, Magnatibus possunt præscribi.

Ungantur *Renes cerato santalino*, vel *refriger. Galen.* vel *unguen. rosac. Testiculis* quidem eadem Epithemata possunt applicari, ob maximum quem habent cum universo corpore consensum; sic refrigerantibus Testibus admotis hæmorrhagia statim, undecumque prodeat, conquiescit, internusque ardor compescitur.

Extremorum quoque *Lotiones* multum conferre dicuntur, ob eundem consensum cum universo corpore, propter vasorum, nervorum congeriem (*ratio petenda ex circulatione sanguinis*) maxime si æger insomnis sit utiles sunt.

℞. *Lactuc. violar. semperv. portulac. salic. cucurbitæ* ãã. m. ij. *flor. nymph. violar. rosar* ãã. P. ij. *semin. papav. alb.* ʒß. *coqu. in aqua ad lotionem brachiorum & crurum.*

Varignana in secretis laudat *portulac. tritam*, cum *farina* hordei subactam, stomacho & hypochondriis admotam.

Universum tandem corporis habitum *Balneum* præclare refrigerat; Illis ideo convenit, ex *Aetio* & *Paulo*, qui citra phlegmonem vel erysipelas ægrotant, ubi apparuerint signa concoctionis; Si vero æger juvenis sit, carnosus, cœli status calidus siccusque, vires valentes, coctionisque notæ adfuerint, frigida natatio utilis erit, protinus enim, inquit *Galenus* 11. meth. sudabunt, nonnullis eorum alvus biliosa redditur. *Alexandri* consilium videtur tutius, ut tepentis aquæ solium paretur, aqua enim tepens humectat non calefacit, plurimos vapores fervidos discutit, illicque poterit immorari dum aqua paululum refrigeretur, non autem ut rigeat. In mediocri quoque febre tutius est tepentis aquæ Balneum, quando vires sunt paulo debiliores, coctionisque notæ adsunt. *Primirosius.*

33. *Postquam ardor febrilis repressus & humor &c.*) Caute dictis Topicis utendum, ne occlusis poris fuligines retineantur, ideo præsente plenitudine non sunt admovenda, nec ante statum, & si febris paroxysmos habeat; Non in principio accessionis, sed tantum in vigore, tepidaque potius sint quam valde frigida, quæ maxime omnium vitanda sunt si crisis imminet. *Primirosius.*

34. *Virium ægri*) Etsi dubitatur de Corroborantibus, utrum ea dentur? Viscera tamen *Debilitatem* contrahunt, tum à febre tum à medicamentis. Unde laxitas partium consequitur; aut *Intemperies* tum calida, tum frigida, sed calida potissimum. *Laxitas* postulat adstringentia & roborantia; Intemperies calida emendatur *conserva cichor. spec. diarrhod. abb. pulpa citri. pulv. corall. margar. diamarg. fr.* &c. tum Epithematis & ungu. In *frigida* conveniet *spec. aromat. rosf. vinum* per se, vel medicatum &c.

Alterandæ sunt & corroborandæ corporis vires.

℞. *Conserv. rosar. violar. nymph.* ãã. ℥iij. *pulv. diamarg. triasant.* ãã. ʒj. *corall. rub. crystall. pulver.* ãã. ℈j. *Spir. vitr. gut.* iij. *cum syr. de cichor.* f. Opiata.

℞. *Pulv. triasant. diamarg.* ãã. ʒj. *diarrh.* ʒß. *margar. præpar.* ℈ij. *coralli* ℈j. *ossis de corde cervi* ℈j *troch. de camph.* ℈ß. *sacch. aq. rosar. dissoluti* ℔ß. f. Tabellæ. *Primirosius.*

35. *Cardiacis*) Quoniam usu mihi compertum est *Cardiaca* nimis propere exhibita non contemnendam noxam inferre (vena scil. nondum secta, metuendum est ne materia cruda adhuc existens in cerebri membranas aut pleuram &c. decumbat) ideo mihi curæ semper est, ne cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omnino vel parum sanguinis emissum, nullaque alia insignior evacuatio facta fuerit, aut æger ætatis vigorem nondum exegerit; neque enim video quorsum sanguis ejus, per se satis locuples, ulterius in ipsius perniciem ditesceret; Locuples autem atque opulentus satis est, neque succendiculis eget, quamdiu evacuationes insignes calorem ejus insitum non prostraverint.

Hujusmodi ægris domi nascuntur Cardiaca, & quæ foris adduntur, aut frustranea sunt, aut etiam damnosa, quapropter ego vel nulla omnino, vel saltem levissima (*cujusmodi sunt in textu recensita, fervorem sanguinis compescentia*) permiserim; Interim vero si æger ex profusis vacuationibus lassus & languidus, vel ætate fuerit provectus, solenne mihi est Cardiaca, vel in ipso febris initio propinare. Morbi autem die xij. negotio tunc temporis ad secretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum censeo (imo paulo maturius idem fieri potest, modo non metuendum sit ne febrilis materia in partes principes præceps agatur) Namque hoc tempore quo magis calefecerim, eo magis concoctionem acceleravero.

Neque revera cogitando assequi possum, quid sibi velint Medici, cum sua præcepta toties ingeminant, de remediis ad promovendam materiæ febrilis concoctionem administrandis, id quod in morbi initio accersiri sæpe faciunt, nihilominus tamen eodem ipso tempore medicamenta ejusmodi imperare non dubitant, quæ febrim scil. attemperare possint. Profecto enim est febris ipsa naturæ instrumentum; quo partes impuras à puris secernit; hoc illa modo plane imperceptibili præstat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi, verum in ejusdem declinatione apertius idem opus aggreditur, id quod ex urina cernere licet.

Materiæ

Materiæ febrilis concoctio nihil aliud revera significat *quam pec[illegible] materia a sana* separationem. Hanc igitur ut acceleres non satagendum nescio quibus attemperantibus, sed febris effervescentia tamdiu permittenda est quamdiu salus ægrotorum passa fuerit: Cum autem finem spectat, atque declarationem, secretione jam conspicua, tunc quidem calidioribus medicamentis illam [illegible] insequemur, ad rem eo celerius ac certius perficiendam. Atque hoc revera est febrilis materiæ concoctionem promovere: cum evacuationes & refrigerantia moras nectant, & eutationem impediant, ipsamque sanitatem, jam appropinquantem abigunt, ut sæpius à me observatum: Si fermentatio satis progrediatur, despumatio circa diem xiv. peragetur. Verum si refrigerantia quælibet serius adhibueris, atque ita eorum ope effervescentia sufflaminetur, mirum non est si febris ad diem 21. quin & in effœtis corporibus male tractatis, longius multo excurrat.

Cardiaca quæ adhibeo passim sunt ejusmodi quæ statim sub indicabo; quorum moderatioribus utor in morbi principio, æstuatione maxime fervente; gradatim ad alium calidiorum, juxta morbi progressum, vel ebullitionis gradus pergens, semper memor licere, siquidem multum sanguinis missum, vel æger senex fuerit, ut cardiaca fortiora administrentur, quam cum vel nulla præcesserit V. S. vel æger ætate floruerit. *Moderata* autem illa quæ dixi *Cardiaca*, fiunt ex aquis *stillatitiis*, v.g. *borrag. citr. scord. compos. fragor. theriacali* cum admixtis *syrup. melissophylli*, *Fernel. Caryophyll. de succo citri* &c. Fortiora vero ex *pulv. è chelis cancror. comp. bezoar. conf. de hyacinth. Ther. Andr.* &c. Quæ sequuntur in frequenti usu sunt.

℞. *Aqu. borrag. citr. scord. comp. cerasnig.* āā. ℥iij.
aqu. cinnam. hordeat. ℥ij. *margar. prap.* ʒij.
sacch. crystall. ℥iß.
m. sumat. cochl. iv. sæpius in die, præcipue in languoribus.

℞. *Aqu. totius citr. fragor.* āā. ℥iij.
aqu. cord frig. Saxon. ℥j.
aqua theriacal. stillat. syr. melissoph. Fern. caryoph. & de succo citri āā. ℥ß.
m. f. Julep. sæpius exhibendum.

℞. *pulv. chel. cancr. comp. lap. bezoart. ori. & occid. contraygervæ* āā. ℈j. *fol. auri n* j. *m. f. Pulv. subtiliss. Dosis gr.* xij quoties opus fuerit *ex syr. è succo citr. caryoph.* āā. ʒij.
superbibendo cochl. aliquo. Julepi suprascripti.

℞. *aqu. Theriac. still.* ℥iv.
semin. citr. ʒij.
contunde & fiat Emulsio, colat. adde sacch. perl. q. s. ad gratiam, sumat cochl. ij. ter in die. *Sydenham obs. in Acut. p. m.* 50. 51. & 52.

Simptomata, quæ ei supervenire solent, sunt varia, nempe I. *Delirium*, quod aliquando est cum tussi & catarrho, ut *Platerus* observ. l. 2 in quodam ex sumpta contra venenum terra per dies 35. febricitanti, nec quia sufficienter evacuari non poterat, purgato observavit; Interdum cum gravi syncope ut *Valeriola* observat. l. 6. 8. in quadam muliere, quæ tandem 12. die soluta sponte alvo & sudore copiosè manante liberata fuit.

II. *Post continuas vigilias sopor*, qui resolutionem cerebri denotat.

III. [17] *Tremor*, Aphor. 6. 26. qui metastaseos à venoso genere ad nervosum, meningas & cerebrum index est.

IV. [18] *Rigor*, qui si in principio vel die sexto accidat, solidam cordis substantiam affligi ostendit: si die critico, signis coctionis apparentibus solvit, ut dictum.

V. [19] *Surditas aurium*, quæ si erumpente alvo non solvitur, à labefactatione facultatis animalis, ut in Hermocrate, procedit.

VI. [4] *Sonitus earundem*, propter humoris crassi caput replentis à vehementia caloris febrilis distentionem vel resolutionem, si cum visus hebetudine & ad nares gravitate accidat, furiosam & vehementem emotionem, vel potius [41] melancholicum delirium, nisi sanguis ex naribus profluat, minatur. *Coaca* cxxxi.

VII. *Tumores*, abscessus imprimis ad aures, [42] qui si cum somnolentia, & torpore obveniant, laterique dolor, recurrente abscessus ad pectus & pulmones materia, cum levi partis alicujus syderatione, lethales, vide *Coacam*. LX.

VIII. *Peripneumonia*, & tum mors in propinquo est.

IX. *Τὸ πνεῦμα προσκόπτον*, spiratione nempe faucibus illisa, quod convulsionem musculorum intercostalium à siccitate profectam, corque fraudatum refrigerio æstuare indicat.

X. *Pulsus frequens & facile tactu sistendus*, qui calamitosus.

XI. *Singultus*, post citam alvum seu hæmorrhagiam, quia convulsionem ab inanitione quæ in nervoso genere ægrè tollitur, innuit.

XII. *Sanguinis atrum è naribus substillum*, quod symbolum lethargi. Alias quando atrum non est, nec febris ardens, solet in juvenibus morbus in parotidem abire: natura nempe se ab excretione ad abscessum convertente, materiæ contumacia, meatuum angustia, & naturæ infirmitate.

XIII. *Sanguinis ex naribus fluxus*, qui si quarto die obveniat malo est, nisi aliquid interveniat si quinto, minus adfert periculi. *Coaca* cxxxiii. *Illud*; tum quia judicium firmum & stabile in diebus exacerbationum obvenit, qualis hic non est; tum quia quæ in quarto fiunt, morbum per dies pares moveri significant, quod & judicium difficile & casum ancipitem reddit: *Illud*, quia alia signa concurrere possunt, quæ judicii firmitudinem adferant: *Hoc*, comparatè loquendo, cum quia hic impar, & principio morbi, in quo nulla crisis perfecta, remotior.

XIV. [44] *Alvus confertim prorumpens*, & quidem symptomaticè, motûs periculum adfert. Coaca cxxix. tam propter corruptæ materiæ copiam, quàm propter ipsius malignitatem.

XV. *Sanguinis coacti febre perseverante per inferiora dejectio*, qui à resolutione partium nutritioni dicatarum procedit, & mortem postridiè minatur.

XVI. *Vrinæ suppressio* ita [45] ut vel parum vel nihil mejatur. Excernitur aliquando mucorem seminis fæculenti referens, & quidem ita ut cubitum longitudine superet. Et tum, fortè vel copiosi aut crassi humores vias urinarias occupantes, aut ad eas confluentes, à vetere aliquo in urethra vel ad parastatas sarcomate retinentur, *[illegible]* & materia antecedens ab urinæ viis seu per alvum seu per vomitum revocanda. Vesicæ & renibus consulendum, diureticis supersedendum. *Ballon. Consult. l. 2. c. 37.*

XVII. *Vrina alba*, quæ raptum bilis in caput, & hinc secuturum delirium significat.

XVIII. [46]. *Icterus ante diem septimum*, Aphor. IV. 64. qui malum denunciat, quod etiam Hermocrati accidit, quia febres quæ translata criticè bile ad cutim judicantur, à bile natura crassiore & crudiore, quæ ante septimum non mitigatur, nascuntur.

XIX. [47]. *Vlceris*, si quod antè morbum fuit, *livor* & siccitas, in quo venenatus qui exhalat vapor intro recurrens, internarum partium incendio attractus, spiritus dissipat.

[36]. *Symptomata quæ ei supervenire solent*) Vide supra Caput de Symptomatis febrium.

Symptomata. Ratione symptomatum Continua alia est Ardens, alia Colliquans, alia Horrifica, alia Assodes, alia Elodes, alia Epiala, alia Syncopalis, alia Lenta. *Piens.* De Colliquativa hoc loco; De qua nonnulla cap. de Hectica pag. 49.

Febris Colliquativa.

Quoniam Colliquationis variæ sunt notiones, commode tamen vocabulum, *colliquare* cum *Galeno 1. de ratione nat. c. 13. & 2. aphor. 33.* hic accipi potest pro eo quod est in humorem solvere; qua ratione medicamenta solventia, si humorem debitum non nanciscantur, corpus liquare dicuntur.

Febris colliquativa est continuus affectus ex fermento corruptivo massam sanguineam solvente & colliquante, quo ipsa partium solida substantia extenuatur.

Differentiam quod spectat, hic mihi sufficiat veteres distinxisse τὰ διαφέρειν ἀπὸ τῆς συντήξεως: hanc distinctionem credo, exprimere voluit ille qui dixit, Colliquatio alias fit insensibiliter, alias sensibiliter, Cum id quod dissolvitur, vel ad ventrem confluit, vel ad renes, vel per sudores, uti *Galenus l. 3. de caus. sympt. 2.* sed infeliciter, colliquationi enim insensibili l. h. non est, Imo vero dicat aliquis, est, & probatur ex 1. *Art.* 10. Longe alius casus ibi est, cum scil. Medicus corpus extenuare laborat; Quicquid sit, quia locus hic præ aliis insignior est, afferam verba, *Fit profecto resolutio quædam quam vel colliquationem vel reelementationem vocaverit, vel quomodolibet*, In his licet febris mentio nulla sit, tamen quia omnes de colliquativis accipiunt, non speraram etiam quenquam mihi fore molestum.

Iterum discrimen est in Colliquatione, Aliæ enim febres *colliquativa* sunt de genere *Ardentium*, de quibus meminit *Galenus x. m. m. in fine, 3. Acut. comm. 12. & 13.* & alibi, de quibus hic agitur: Aliæ sunt ex febrium Pestilentium, de quibus *Hipp. 3. Epid.* De his hic non agitur.

Causa, Uti ex homogeneis, puris & proportionatis coagulatio & fixatio contingit; ex hac unione in substantiam mineralem permanentem; ita quippe ex heterogeneis & disproportionatis in massa sanguinea, seu per febres ardentes seu malignas, seu particulas fermentales corruptivas & miasmate impregnatas fit magna dissolutio, dis[illegible] ac colliquatio: Liquari autem ea dicuntur quæ coagulata, fluxa & concreta cum sint, dissolvuntur, humidiora & fluxiora evadunt (peractum fere eodem modo quo lac separatur in serum partemque caseosam) Fixatio vero & coagulatio inter se parum discrepant, nisi secundum magis & minus, & humidum mixtum vel glutinosum semper præsupponunt, quo quasi vinculis Gummosis Spirituosiora principia, Mercurialia, Sulphurea, & aliquantulum Biliosa colligantur; Attamen hujusmodi *Fixationem* vel *Congelationem*, ex salis & terræ majori proportione non tantum dependere mecum adhuc conjiciam quam *Cl. Willis l. de Ferm. c. 3.* in lucem prodit. 1. quia pars humida radicalis mineralis copiosior debet esse tum quantitate tum pondere, quam substantia illa sicca sive salina & terrea, 2. ejusque ductilitas ad fixum magis à Mercuriali humiditate pendeat, 3. Corruptio quoque mineralium non fieret tam obvia, cum pars sicca, quæ *salis* naturam sapit, corruptionem nesciat ullam, & corruptio non fiat, nisi per humidum.

Dignoscitur hæc Febris ex sudore copioso, ex mictione, dejectione, emaciatione corporis, quod quasi subito colliquescit, ut patet ex variis *Hippocr. & Galeni locis.*

Prognosis dictu difficilis non est, cum enim colliquatio adsit, mortis periculum imminet, vel in hecticam terminatur, idcirco semper est periculosam *Piens.*

[37]. *Tremor*) *Quibuscunque ex Causo laborantibus tremores gignuntur, delirium hos solvit.* aph. 26. 6. Hoc est à delirio in mortem abeunt quasi resoluti ante, nam nervosum genus affligitur valde, ubi à Causo tremor supervenit; Itaque illud λύει pro resolutione totius corporis interpretor; nam ille Tremor metastaseos indicium est ad partes nobiliores; nam à venoso genere excutitur malum in nervos, meningas, & inde in cerebrum ejusque in substantiam, & tunc cedit tremor in delirio, quod tandem resolvit totum corpus: Hunc sensum aphorismi esse me experientia docuit, Undique ita illud perniciosum est &c. Sæpe cum venam tentas manus, pollice in adversa ægri manus parte senties subsultantes nervos, varieq; exilientes sub pollice, & etiam ipsis digitis, quibus pulsum examinas hoc senties: id calamitosum in Causis, ubi jam principium superavit morbus. *Heurnius in comm.*

[38]. *Rigor qui si*) Rigor in continuis die sexto si fiat difficilem judicationem illis affert, nempe aut ad mortem, aut statum deteriorem, aut cum periculo recidivæ: Sextus enim dies tyranno similis, qui ægrum judicat aut ad mortem, aut cum pravis accidentibus, aut cum periculo recidivæ: Proinde quæ symptomata judicatoria (ex quorum numero *rigor* est) in diem sextum incidunt, ea parum tutam judicationem portendunt: Idem statuendū de excretione, hæc enim si ineūte morbo fiat mala est, quia coctio desideratur: Si affecto jam morbo, eo die quo non oportet, desideratur ratio temporis: Si sudor sequatur rigorem symptomaticum, eadem ratio est. *Lechautius comm. in aph. 29. 4*

[39]. *Surditas aurium quæ si &c.*) Juxta aphor. 28. 4. *Quibus biliosis excrementis fertur alvus oborta surditate sistitur*, Et contra, *qui obsurdescunt superveniente alvi bilioso profluvio liberantur.* Sistitur alvus oborta surditate, materiæ ad superiores partes translatione & auditorii meatus obstructione fugaci: Surditas autem superveniente alvi bilioso profluvio solvitur, facta diadosi. Si autem non in auditorium meatum sed in cerebrum translata fuerit bilis, phrenitis inficietur;

quare

quare solve, *quasi dicat*, tunc alvum, qoo fiat diadosis. *Heurnius* [illegible] surditas superveniens biliosam diarrheam sedat, [illegible] m eo quod bilis, quæ per alvum fertur, tota [illegible] atus auditorios feratur; sed quia surditas est signum [illegible] lem ad supernas partes ferri, unde revulsione quadam ab infernis ad superna facta, biliosæ dejectiones [illegible] t, *Martianus pag.* 355.

Humoris crassi caput replentis) Seu vaporibus impu[illegible] torum instrumentum occupantibus, seu ob sanguinis melancholici plenitudinem. *Jonstonus ad præd. Coacam.*

4[illegible] *Humoris crassi*) Nam dominante bile dolor ponus capitis, ob naturalem humoris ad cerebri membranas ascensum exoritur. *Idem.*

41. *Vel potius melancholicum delirium*) Quod succus cerebrum infestans ad atræ bilis naturam accedat. *Idem.*

42. *Qui si cum somnolentia & torpore &c.*) Cum febris ar dentis duplex fit materia, bilis nempe & pituita salsa; quæ in textu referuntur symptomata, de secunda intelligendum esse *Coacam* attestantur; quam quidem aliquando per abscessus ad aures (hos tumores soporosos hic appellat *Hippocr.*) judicari novimus; id enim naturæ humoris p[illegible] cculiis maxime convenit.

Si igitur recurrente abscessus materia, ad pectus & pulmones convertatur, cum quibus magna est communio; cujus gratia in pulmonum morbis parotides frequentissime apparent, parotidasque solvunt tussiculæ cum sputamentis, ægrotantem paraplecticomodo oecat, hoc est, vel instar eorum quos paraplegia occidit, idque ingeni & [illegible] inflammatione in partibus spiritualibus ex [illegible] ortis communicetur, ex quarum inflammatio[illegible] gna fuerit, ægri in resolutionem modo unius modo [illegible] us partis, aliquando totius corporis incidere t[illegible] statur *Hippocr. Coaca* 287. *sect.* 1. Factum vero materiæ p[illegible] rotidarum ad partes spirituales decubitum attestatur la[illegible] tumoribus dictis superveniens; quo apparente mo[illegible] præ[illegible] tus Coacæ authoritate, à Medico prædici tur poterit. *Martianus pag.* 439.

43. *Peripneumonia, & tum mors*) Si virtus imbecilla, aut ex morbo præcedente, ex pleuritide aut angina, in septem [illegible] pereunt. Si effugerint suppurantur, *Lib. de loc. in hom.*

4[illegible] *Peripneumonia*) Notandum dictum *Hippocr.* 1. *de morb.*, Peripneumoniam non facere febrem ardentē, cum tamen lib. de *Affect.* scri[illegible] ferit febrem ardentem facile mutari in Peripneumoniam: Rationem reddit *Trallianus*, quia bi[illegible] ta potest interdum in Pulmonibus firmari [illegible] nam facere, ubi autem illic semel stabulatur [illegible] t redire in venas ut ardentem faciat: At si *Galenus* vult ardentem fieri posse ex humoribus in vasis Pulmonum putrefactis, si ex aliorum viscerum phlegmone, in quibu humor fixus est fieri ardens potest, rationem non video quare eadem ea Pulmonis inflammatione non succendatur, Nisi dicamus Peripneum. potius ex pituitoso sanguine generari, qui frigidior est quam ut ardentem facere queat. *Primirosius.*

Rationem repete ex capite de symptomaticis febribus.

44 *Alvus confertim prorumpens*) Id est quæ ἀθρόως & πολλὰ, acervatim multa excernit, & quidem symptomatice: Quibus paulatim & per multos dies in febribus ardentibus alvus dejecit, sive biliosa sive pituitosa sive dysenterica, evascere. *Jonstonus in Notis.*

45. *Ut parum vel nihil mejatur*) In febribus sæpe supprimitur urina, summum vero adhibeat judicium Medicus an supprimatur per se an per accidens: Nam alias ut symptoma curari debet, alias ut morbus: Falso quidam recurrunt ad calculum, aut alias causas falsas: Oportet diligenter incumbere in coctionem humoris & exclusionem, & naturæ vim excitare, & non frustra catheterem immittere, metu majoris mali; Id enim accidit cum totum corpus crudioribus humoribus refertum est; confluit autem ex ipso acervata multitudo in vesicam; quæ amplius distenta & dolitans ad actiones suas inefficax fit; & periculum suppressæ urinæ inducit *Ballonius Cons.* 88. *lib.* 1.

Est urinæ suppressio febris καυσώδους proprium quoddam symptoma, & quod medentis consilium & provisionem ad se trahit; Fit autem multis de causis initio talium febrium, præcipua tamen est copia humorum, & pituitæ præsertim vias urinarias occupantis, Vel confluxus humorum ad easdem vias: Et Medici graviter errarent si ad diuretica sese converterent; derivandum potius per alvum: Juvaret quoq; ciecere vomitum, nisi re aliqua prohiberemur: plerisque creatum est periculum quibus præ propere diuretica sunt administrata, hac sola ratione & consideratione quod urina non redderetur. Idem *Cons.* 57 *lib.* 1. *Anno* 1. *p.* 274.

46. *Icterus ante diem septimum*) *Aph.* 62. 4. Fit enim ab inflammatione, obstructione, aut scirrho, Et talis Icterus etiam post septimum diem malus: perseverantibus scilicet ejus causis: Nam critice ante diem septimum non solet fieri; Sed multi dubitant de veritate aphorismi; nam in Epid. *Heraclides* 3. die Ictericus factus liberatus est, *Hipp.* 4. *de rat. v. acut.* In febre biliosa, *inquit*, Icterus ante diem 7. natus cum rigore morbum solvit, sine rigore vero, pestiferum: Rigoris nomine complectitur sequentem vacuationem insignem: Hic autem *Hippocr.* agit de Ictero qui fit ratione febris, quum bilis venis contenta effunditur in habitum corporis, tum potest esse salutaris: at si sit gravis obstructio, inflammatio, aliudve vitium, lethalis erit; Sic ait *aph.* 64. 4. Quibus in febribus Icterus 7. vel 9. vel 11. vel 14. supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit, si vero non, bonum. *Primirosius.*

47. *Ulceris si quod ante morbum*) Ulcus lividum & aridum, aut pallidum effectum, mortem indicat; *Coaca* 496. Sive ante morbum, sive in morbo natum: *Aridum* fit calore nativo extincto, & si ab ἐγχυμίας à nutricatus defraudatione, quæ nigri humoris vel atræ bilis soboles est: *Aridum*, seu ob alimenti in parte defectum, seu ob famei paucitatem, quæ alimenti reliquiæ quædam; seu ob humoris ab ulceratis partibus in aliquam partem principem refluxum, qui ex loco repente detumescente cognoscitur: Fieri tamen potest ut cum siccitate substantiali ulceris, & puris inopia, extranea humiditas, aut puris copia ea colliquatione ea toto corpore appareat: *Aut pallidum*, propter humorum mutationem, & humoris biliosi exuperantiam. *Jonstonus in Not.*

Differentiæ sumuntur à *Causa*, *Subjecto*, & *loco Causa.*

I. A *Causa* est I. 6. *Alius à causa externa*, calorem intendente, ut sunt [49] æstus, vini copiosus potus, [illegible] alsorum nimius usus, exercitium, ira, vigiliæ, inedia &c. præsente in humoribus dispositione. Inflammant hæc corpus, attenuant sanguinem, resolvunt & adurunt, accendunt in calidis æstate inprimis bilem, ebuilire faciunt spiritus. Non est ergo mirum invasisse, 1. *Ex usu [illegible] dulci*, post liberaliorem uini maivatici haustum, apud *Gabelchover.* Cent. VI. 2. Et haustu mer[illegible] apud *Galenum de loc. affect.* l. 2. c. ult. 3. Ex nimio Clareti potu, apud *Schenckium Observat.* l. 6. 4. Ex lapsu in aquam frigidam, unde clausis cutis poris, intercepta transpiratio, & sic humorosus apparatus accensus. 5. Ex intempestiva venæ sectione post expulsum humorem ad partes extremas; apud *Zacutum Lusit. Hist. Medic.* l. 4. hist. 16. quia retracti ab

bilem habeat plurimam: At aph. 7. lib. 3. In siccitatibus febres fiunt acuta, quoniam in siccitatibus bilis plurima generatur. At aphor. 16. ejusdem lib. Febres in pluviarum multitudine longas generari scribit, quod videtur adversum iis quæ scripta sunt l. de A. A. & L. scil. fieri tunc febres acutes, non longas. Dicendum id fieri per accidens, in iis tantum qui 40. annum excesserunt, suntque calidissimi & siccissimi, quibus ab iis humiditas putredinem accersit; non autem in pueris & senibus, qui tunc in febres longas potius incidunt; quamvis omnibus temporibus omnes morbi fieri possint, ut alibi docet Hippocr. Primerosius.

Æstus) Febris ardentis causæ vel sunt procatarcticæ, vel antecedentes, vel conjunctæ: Procatarcticæ sunt Aeris nimius calor, alimenta acria & calida, aliaque quæ bilem copiosam generare, eamque in putredinem deducere valent. Aphor. lib. 3. siccitatibus fiunt febres acutæ, quoniam in siccitatibus bilis plurimum generatur, Attamen eodem libro, Siccitates salubriores esse dicit, ratione quidem earum, præcipue si squallidus non fuerit, sed aquilonaribus ventis perflatus: Sed per accidens acutos morbos gignit ob bilis plurimæ proventum: sicutvet salubrium, morbos tamen producit quamplurimos: ut innuit Galen. in comm. febres in siccitatibus sunt quidem pauciores, sed acutiores, ita ut siccitates saluberrimæ dicantur, non quod morbi acuti & periculosi tunc non fiant, sed quod sint rariores eo tempore ægritudines. Primerosius.

) que 1 Biliosus &c. 2. Pituitosus) Biliosum à Bile, Pituitosum Lympha deducit Sylvius de le Boe Prax. lib. 1. c. 29.

In Synocho, seu Continente Putrida, notanda 1. Definitio.

Synochos Effervescentia est sine ulla exacerbatione, continua, in dextro cordis ventriculo producta, cum pulsu ... Bile & Lympha facta.

II. Differentia ratione Causa, alia est Lymphatica, eaque 1. Glandularum ... febres cum doloribus capitis & artuum, catarrho, coryza, tussi.

2. Pancreatica, unde febris cum ventris torminibus, & vicinarum partium lancinatione.

3. Salivaris, unde ventriculi & vicinarum partium dolor, & anxietas, estque hecticæ similis.

4. Mixta ex pluribus vitiatis humoribus, ubi plurium symptomata simul occurrunt.

Alia Biliosa, unde Ardentes, peccatque Bilis sale lixivo oleoso ... In illis est calor acrior, in his maximus, Pulsus frequentior hic major; Sunt urina ibi crassior, hic tinctæ magis; Sitis ibi valde molesta, hic inexplebilis: Lingua ibi arida, hic nigra vel fissa.

Causus, qui est cum summo calore & summa siti Cujus causa est Bilis valde salsa & valde inflammabilis.

III. Causa, quæ est, Bilis & Lympha, ex conglobatis glandulis, sub qua & continetur succus pancreaticus, Salivaque, ex conglomeratis: Si Lympha conglobatarum glandularum facta est acrior & acidior, calor est rodens & ... magis quam magnus: Si Lympha in capitis glandulis facta est acrior & salsa muriatica, vel simul acida, ... quam sequitur coryza, raucedo, tussis & febris catarrhalis, estque cum calore acri, mordente. In omnibus prædictis signa adsunt horror levis, urinæ ... mox cum sedimento copioso, lassitudo gravis & lancinans artuum.

Si succus Pancreaticus factus est acrior, adsunt anxietas circa præcordia, ventris tormina, dejectio cruenta, urina cruda, aquea.

Si Saliva vitiosa est, febris est blandior ac lenta, Pulsus tamen post alimenta assumpta fit frequentior; Hæc Febris & est affinis Hecticæ, & si non est ejus species semper tamen ei est adjuncta.

IV. Notandus est Modus caloris producendi, Qui oritur per se ac propriè à Bile tum acriori, tum pinguiori, effervescente cum succo pancreatico in tenui intestino, & cum lympha in cordis ventriculo dextro: Illa acrior producit particulas igneas; hæc, pinguior conservat eas.

Per accidens calor à lympha acidiori glandularum conglobatarum ortus, quatenus effervescens lympha cum bile ascendente, in cordis ventriculo dextro bilem corrumpit, id est, viscididate privat, unde calor major acriorque erumpit: Per accidens quoque à succo pancreatico acidiori oritur, quatenus hic in tenui intestino bilem infringit, & cum pituita salivari confusus, ad cor tendit una cum lympha, ubi bilem acriorem & oleosiorem offendens vehementius effervescit: Ubi Saliva nimis viscida est, corrumpit hæc bilem & succum pancreaticum in intestino tenui, & liquorem inde productum, ut halitus inde exurgant flatulenti, copiosi & volatiles, qui ad cor delati, calorem non magnum excitant, cum genarum rubore, & cutis ariditate, pulsu paulo frequentiori & debili, & totius corporis tabe.

V. Curatio, Et 1. Synochi biliosæ, quæ perficitur Corrigendo bilis acrimoniam acidis temperatioribus, spir. salis dulc. Apozematis ex rad. & fol. acetos. fol. fragar. viol. cum decocto hordei mund. addito syr. acetos. citri. & sp sal. dulc.

Emendando oleositatem bilis, per acida austeriuscula, semperviv. maj. plantag.

Minuendo Bilis copiam, per cholagoga subacida blanda, tamarind. syr. cichor. cum rheo. vel acidis juncta, cremor & crystall. tart. Sal tartar. vitriol Et quidem mox in principio, vel postquam per alterantia bilis à sanguine secreta est, quod præcipue acida præstant &c.

Temperando æstum & rarefac. sangu. eductione ejus per V. S. ne rumpantur vasa, aut ignis vitalis suffocetur.

Tollendo sitim, apozem. proposito, vel tinctura rosar. &c.

Leniendo linguam aridam & fissam, succo quorundam seminum aqua quacunque extracto, mucag. sem. cydon. psyllii, in ore detinendo & eluendo; Vel fol. semperv. maj. membranula externa nudata, aqu. rosac. indantur; Valet aqua pura, decoct. tapar. emulsio liquida, vitell. ovi cum aqu. ros. ℥iv. conquass. paucoque Sacch.

Glandularis Synochi Lymphatica curatio.

Synochus Lymphatica curatur 1. Temperando mox initio acidam lympham aqua theriac. & spir. salis dulci.

2. Domando ignem acidis temperatis compos. ut & sal. volatil. laudano op. &c.

3. Sedando sitim, apozem. ex rad. scorzon. & syr. papav. rhoead.

4. Minuendo lympham hydragogis, ex ebulo, soldano, jalap. &c.

5. Educendo sanguinem, si corpus plethoricum.

6 Adhibendo tum alterantia, tum purgantia, si febris lymphatica supervenit ægro bilioso, & si æstus adsit S. M. conjungatur.

7. Addendo cephalica, tum universalibus alterantibus, tum evacuantibus si catarrhalis erit febris, Particulariter caput vacuetur errhinis, masticatoriis fol. beton. aut major. recent. digitis contritis & naribus inditis; Vel naribus admoveatur spir. salis Arm. Suffitus ex succino, mastiche &c.

Pancreatica Synochi curatio.

Fit. 1. temperando humorem acidum blandioribus, ut sunt salsa lixiva, inprimis volatilia oleosa, opium, opiata omnia, aromaticum quodvis: Et si simul vitiatur bilis, quod calor indicat magnus, temperetur aq. cich. card. ben. spir. sal. & nitri dulc.

2. Tollendo anxietatem circa præcordia, sal. vol. oleosis & oleis stillat. spir. salis, nitri, opiatis.

3. Sedando tormina ventris, salib. volatil. oleosis, additis oleis stillat. anisi, fœnic. opio, spir. nitri &c.

4. Compescendo dejectiones cruentas Enemate ex lacte bubulo, terebinth. & ovi vit. parato, sæpius injecto.

Salivaris & Pituitosæ Synochi curatio.

Curatur 1. *Corrigendo Salivam* & Pituitam viscidam medicamentis aromaticis, h. e. *sale volatili oleoso* præditis, vel acidis temperatis, vel utrisque mixtis.

2. *Discutiendo flatus halitusque*, & eorum proventum novum impediendo, Excitando appetitum *spir. sal. dulci; elix propriet.* potui additis.

Ardentis curatio.

Fit 1. *Educendo sanguinem* aliquoties, inprimis si plethora adsit, sic optime æstus tollitur.

2. *Educendo bilem turgentem* cholagogo blando.

3. *Alterando æstum ac sitim* Apozem. ex *aqua hordei syr. acetos. citri portulacæ* & *spir. sal. dulcis* parato. *Margravius prodr. Med. Pr. p. 70. & sequ.*

52. *Qui plerumque ab ortu Plejadum*) Hippocr. aph. 7. l. 3. *In siccitatibus febres fiunt acutæ*, Attamen eodem libro Siccitates salubriores esse dicit, Ratione quidem aëris, præcipue si squallidus non fuerit, sed aquilonaribus ventis perflatus, sed per accidens acutos morbos gignit, ob bilis plurimæ proventum, sicut ver saluberrimum, morbos tamen producit plurimos, velut innuit *Gal. in comm.* Febres in siccitatibus sunt quidem pauciores, sed acutiores, itaut siccitates saluberrimæ dicantur, non quod morbi acuti & periculosi tunc non generentur, sed quod rariores sint eo tempore ægritudines: *Rufus* tamen in hoc aphor. per febres Acutas intelligit Pestilentes, Carbunculos, Bubones, quod etiam verum est, Etsi enim siccitas sit salubrior humiditate gignuntur tamen in ivehementissimis squalonibus prædicti morbi, quia exuruntur humores qui materia sunt pestis & carbunculorum. *Primerosius.*

53. *Æstate fit per attractionem*) Fit, inquit *Hippocr. 4. de V. Ac. Ardens quando æstivo tempore venulæ resiccatæ attraxerit ad se calidas fluxiones & biliosos ichores:* Hic, docente *Galeno*, summus Præceptor proponit causas antecedentes & procatarcticas Febris ardentis, Procatarcticæ causæ sunt æstus, longa via, sitis, quæ corpus calefaciunt, venas resiccant, inanitæ autem quosque obvios humores attrahunt præcipue tenues & acres qui facilius moventur, & inde Febris accenditur Ardens, vel quia ex prædictis bilis in venis contenta, accenditur, & accensa febrem parit; Per ferosos autem tenues intelligit *Galenus*, aut potius Pituita salsa indicatur, quæ est altera Febris causa conjuncta. *Primerosius.*

55. *Quod tum venæ & viscera facillime succos*) Venulas vocat capillares venas & arterias quæ in carnibus & toto corporis habitu sunt: Hæ ante alias exhauriuntur & siccantur, cum quis aut longum iter agit, aut longam trahit moram in sola æstivo: siccatæ vero sugunt, sed ante alia ichores, seu tenues acrium humorum partes; Sunt vero biliosæ & serosæ humiditates in venis, quod in Ulceribus sanies arguit, excrementitius succus, tenuis bilis & seri particeps. Constat vero non ex his quæ ad carnes tracta sunt solis pendere febrem (alioquin esset intermittens, sed à simili humore qui superest in magnis vasis. *Vallesius comm. in cit. loc. p. 148.*

54. *Sanguinis parce & ad eventilationem*) Etsi bilis detractio sanguine protervit ferocitque magis, ut placuit Arabibus, in Ardentissimis tamen febribus *Galenus* misit sanguinem cum in illis uberrimæ bilis impetus atque impressio apparet: In quibus *Galenus* ardentissimum Sanguinem detraxit, non simpliciter, i. e. non parca manu, ad evacuationem tantum nonnullæ materiæ, & refrigerationem nonnullam sed ad animi usque deliquium, ut refrigerationis ratio omnino habeatur, Quod diligenter notandum, nam qui in biliosa febre parce detrahit sanguinem, iis furentem magis bilem reddit, At si liberaliter, non est dubium quin sequatur magna refrigeratio & bilis temperatio. *Ballonius consil. 42. lib. 1. p. 143.*

55. *Gelidæ potius*) Solantur setum si blandisse humectantia, aqua temperata, Aquas ipsas laudamus hac in rem non tam veterum morem quam locum egregium *Georg. Hornei* in *arca Mos. p. 124* Ab Alkali, inquit, Sitis est inextinguibilis, nisi per acida & puram aquam, crudam, incoctam, copiosissime ingestam, et unica vomitu flamma prævalente regurgitet, donec aqua in stomacho remoretur, mox sequitur cessatio sitis, caloris, sopor, sudor, sanitas, intra xij. horas, quod ipse multoties in acutissimis febribus probavit: Præcipuam in eo consistere curam remedio, ubere frigidæ potu, citra ullam venæ sectionem & purgationem. *Wedelius.*

56. *Olim affatim exhibebatur*) Curavi hac via ægros haud paucos, qui cum ad statum pervenissent continuæ febris, ac summa sitis, summisque ardoribus conflictarentur, rogati biberene cupiant, ostensum fontem (in ... lympham intentissimi) ubi semel atque iterum ad lb j. vel iv. aquæ hausissent, paulo post dejicere vel evomere cœperunt flavissimam eum epota aqua bilem; Postque reclinati, ac probe operti mox uberrimis sudoribus totas noctes, vel etiam altissime dormientes diffluxerunt; quibus finitis omnem in posterum amiserunt febricitationem. *Jodocus Lommius.*

57. *Affatim exhibeatur*) In febre ardente *Potus* concedendus est liberalior, inprimis quo major est sitis, & intensior ardor, eo liberius indulgendum genio: Recte enim *Paracelsus*, *Lindanus*, & *Langius* in *Epist.* carpunt eos, qui febrientibus omnem fere potum interdicunt; pessimo consilio: Hoc saltim observetur, melius esse ut frequentius & parcius bibant quam ut una vice multum ingurgitent; prius enim successive alterat, posterius totum stomachi labefactat. *Ettmuller p. 114*

57. *Abstinebit tamen ab ea*) Cuidam Chirurgo cum per dies aliquot cum summa cutis siccitate & squallore febris assidua periculum mortis crearet, ac jam de funere ageretur, audacioris medici consilio propinata aqua quantum ebibere posset, deinde vestimentis circumtectum corpus; Sudores manaverunt, alvus liberior fuit, convaluit: ab eo tempore familiaris fuit, ob refrigeratas impendio partes, alvi fluor. Jam annos 24. perseveravit, mirum cur major offensio non contigerit; In meth. med. lib. 9. vetat Galenus ne siccis calidisque corporibus aqua exhibeatur, quod partes solidas lædat, verba Gal. hæc fere sunt, Intempestivè aqua præscripta imbecillas corporis partes coocuit, unde nonnullis illico spirandi difficultatem, convulsionem ac tremorem conciliat: minus iis tuta qui paucum sanguinis habent, nam celerius ad partes solidas venit. Tamen alio in loco in febribus Hecticis, in quibus carnium est cõsumptio, aquam mirifice multissime laudat. Aquæ potus (ut ita duo illi loci conciliantur) mirio Hecticarum & intemperiei calidæ siccæ confert, & dum vires vigent, sed si contra eveniat, quia in corpore est quod vim occurrentis aquæ debilitet atque frangat, damnis augetur ægrum corpus. *Ballonius Parad. 56.*

58. *Si aliquod ex nobilibus*) Aristo Mitilniensis corpore erat gracili, macro, & superius os ventriculi, ut pote frigidius, aquæ frigidæ assuescere non posse sæpe animadverterat (Gal. lib. de Consuet.) morbo prehensus est cui profligando aquæ potum ex usu esse Medici colligebant; ille verò contra insistebat ne frigida propinaretur, alioqui aut gravis singultus aut convulsionis metum adesse: Medici opinionis suæ defensores pertinaces, frigidæ poculum propinant: contigit ut æger prædixerat, nam convulsus inde interiit: Quod diligenter notandum est ut aliquid consuetudini tribuatur. *Ballonius Parad. 37.*

2. Si

Si humor est crudus & simul crassus.) Inquirendum quo morbi tempore exhibenda? Certum est post signa coctionis apparentia scil. in statu, esse utilissimam & tutissimam nam & refrigerat & crisyi promovet: Sed *A[illegible]oes 7. col. 8.* quocunque morbi tempore eam exhi[illegible] Ardentissima, nam cum ardentium varij [illegible], non in omni ardente statim frigida exhiben[illegible]tum in ea quæ ob sui vehementiam pericu[illegible] colliqu[illegible] & exsiccationis partium solidarum [illegible], cuju[illegible] consumitur, *inquit*, quam concoctio [illegible]pareat; quod si concoctio expectetur, forsan nulla [illegible] humores comburentur, utcque frigidæ potus non [illegible]nt.

[illegible] in ejusmodi febre, humor biliosus cum extreme calidus sit, nec e[illegible] nec viscosus, nec etiam crudus, nisi ob extr[illegible]em, qui dum à largo fri[illegible] potu emendatur [illegible] ipsa statim cocta apparet. [illegible]enim melius est febrem immutare in chronicam quam ut homo ante coctionem pereat, nam damnum ex alteratione emergens levius est periculo mortis. Testaturque *Rhasis* Dominum & servum curasse, servatum [illegible]isse dominum aquę potu, servum vero mortuum, quod quod ipsi fuerit denegata.

Non negat tamen *Averroes* coctionem expectandam quantum fieri potest, verum in febre quæ extremum possidet [illegible]loris, ne majora ex calore damna subsequantur bilem statim extinguendam profitetur; sic dicit *Avicennas* febrem interdum tantæ esse vehementiæ ut indigeat refrigeratione extrema, & curandi rationem non expectet, Vrgentiori enim semper occurrendum; Qu[illegible] si A[illegible]ua non placeat, modo id julepis & syrupis fiat perinde est. *Primirosius. l. 3. c. 4.*

19. Pituitosus, alias Causodes & Nothus) Est alia Febris ardens à phlegmate salso genita, quæ Spuria vocatur: Fit autem P[illegible] secundum *Galenum* à putredine, aut salsæ se[illegible]tatis permistione: *Avicennas* à bilioso & adusto [illegible] cum pituita permisto fieri voluit, ita ut sit simil[illegible]ivij: Dicunt alii amara humore aqueo [illegible] non [illegible]sa evadere sed amarescere, idque expertum esse dicit *Valleriola* dum fel aquæ admiscet[illegible]; ideo *Galeni* [illegible]ntiam certiorem esse, fierique pituitam salsam aut ex putredine, aut salsæ serosæ humiditatis admistione, sic aqua dulcis longa coctione salsa e[illegible]t.

S[illegible] videtur *Galenus* nihil docuisse, nam 1. certum e[illegible]onem humoris salsi inficere eodem sa[illegible]m liquorem cui permiscetur. 2. Non do[illegible] salsedinem contrahat serosa humiditas, quæ p[illegible] bene permisceri, putredo enim sola non potest facere salsedinem, nisi humores putridi & salsi permisceantur f[illegible]. 3. Cur dicit febrem ardentem fieri à pitu[illegible] salsa, non autem ab ipso salso, nam ex illo colligi[illegible]tur pituitam, quæ primo dulcis erat, admistione sal[illegible]h[illegible]moris salsam evadere, sicque febrem ardentem facere posse, at hæc pituita minus salsa erit, minusque [illegible] ipso sero salso cujus tantum permistione salsa eva[illegible] sicque serum salsum febrem generabit ardentiorem quam pituita salsa. Demum explicandum erat unde serum salsedinem contrahat, nam sola putredo id facere [illegible] potest.

[illegible]enior itaque videtur sententia *Avicennæ*, non enim [illegible] quodlibet amarum, sed amarum adustum, & [illegible] bilis autem adusta ad atram accedit bilem: Et hujusmodi bilis vehementer adusta sero permista salsum generat [illegible] unde videmus vix unquam quam in valde [illegible] biliosis hujusmodi humorem salsum defluere è [illegible]os, maxime in hypochondriacis, & sic ardentem [illegible] non à pituita salsa, sed à sero salso bumg[illegible]ns adusti & [illegible] atrabilaris permistione genito fieri [illegible]sum [illegible] q[illegible]um Pituita vocari non debet, cum à phlegmate differat, Quando inquit *Hippocr.* venulas [illegible] attrahere ad se biliosos ichores, nihil diversum dixisse visus est, cum ichores & humores serosi mistione bilis adustæ fiant salsi.

Nec obstat eundem *Hippocr.* describere 4. *Acut.* duo genera Καύσου, primum in quo lingua amara est, à biliosis ichoribus genitum; alterum in quo minora sunt symptomata, & lingua est salsa; nam hæc duo genera ardentis genera ipsa causa non differunt, sed tantum secundum magis & minus, non enim solent humores æqualiter semper accendi: deinde in priori humor biliosus minus est sero dilutus, in posteriori vero multa adest cum bile humoris serosi permistio, à quo salsedo provenit: Præterea, non est necesse, quamvis lingua sit salsa, salsum humorem esse in venis, nam sæpe distillat humor tenuis salsus, serosus in fauces, in iis qui temperamento sunt fervidiori, & hypochondriacis, cum reliquum corpus non pituita sed bile retorrida abundat, ita ut sapor oris salsus non sufficiat ad probandum hujusmodi febrem à pituita generari.

Quod si pituita putredine salsedinem adquirit, cur putrescens in quotidianis febribus, in lethargo, demum in constitutione pituitosa salsa non apparet, sed tantum adest in temperamento fervidiori, maxime bilioso, quando humores biliosi torrentur & adurentur? Verius igitur est à pituita ardentem febrem non generari, & hunc nothum Καῦσον esse à bile adusta, sed multo sero permista, aut etiam à sanguine ipso, cum quo hujusmodi humor serosus plurimus permiscetur, ut sæpe vena secta sanguis serosus & ichorosus cernitur: Vnde etiam secundum *Hippocr.* sanguinis è naribus profluvio judicatur. Igitur quamvis ejusmodi ardentem spuriam concedamus à salso humore proficisci, negamus tamen eam fieri à pituita, cum serum non sit pituita, sed potius à bile valde adusta, quę sero permista ipsum salsum reddit; quod si sero non misceretur, forsan non multum ab atræ bilis natura distaret.

Nec valet humoris amari mistione tantum amarescere liquorem, non contrahere salsedinem: Est enim humor ille biliosus non simpliciter amarus, sed valde adustus & acris saporis, unde non mirum si mistione humoris salsedo contingat, ut cum cineres aqua diluuntur; Vnde concludo hunc Causum tantum à priori differre, quod humor biliosus adustus sero sit dilutus, minusque acris redditus, sed revera ab eodem humore fieri; hinc fit post multas inedias omnesque causas quæ humores accendere possunt, quæ causæ in pituitosis corporibus pituitam dissipant, non autem eam salsam reddunt; alias in pituitosis morbis calidorum usus pituitam salsam redderet, quod tamen non fit, quin potius morbos omnes frigidos curant & pituitam resolvunt.

Cum igitur hi humores sint calidi sicci, febrem accendere possunt, quæ hominem exurat, sitimque magnam inferat: Legitima Ardens ea est secundum *Galenum*, quę omnia habet ardentis symptomata, febrem, sitim, linguam aridam, nigram; Spuria vero in qua quædam symptomata deficiunt, in qua *Hippocr.* loco citato Linguam dixit esse aridam, siccam, sed non nigram, verum potius salsam, cæteraque symptomata minora quam in legitima.

Si salsam opposuisset summus Præceptor amarę, conjicere possumus cum *Galeno* fieri hanc febrem ab humore salso, sed salsam opposuit nigrę, cum potius albam dicere debuisset, si sit à pituita, nam sapor non opponitur nigro, sed tantum omisit nigram: non opposuit salsę, ut ostenderet solum intensione à priori legitima differre, non autem humore febrem generante: In eo igitur, inquit *Hippocrates*, lingua arida est, sicca, non nigra, sed salsa, quia minor ardor est, unde reliqua symptomata minora sunt quam in legitima.

Iudicatur ex *Hippocr.* sanguinis ex naribus profluvio; quod *Galenus* ait valde esse mirum; aut abscessu per parotides, aut sputo crasso, præsertim si pulmo fuerit affe-

ctus, ut ait *Galenus* in comm. Caput incalescens sanguine repletur, inde sanguinis per nares effluxus, aut abscessus. Exspuuntur crassa critice, dum pulmones afficiuntur, cocto jam morbo, ac interdum urinæ difficultas accedit. *Primirosius*.

α. *Curatione*) Curatio eadem in ardente, nisi quod volunt minus esse refrigerandum; Sanguis mittendus si vires ferant, urina rubea sit & crassa, alias non, Corpus vacuandum, humor temperandus sero lactis, aqua hordei decocta, aut emulsione seminum frigidorum, malvæ, liquir. adianti, cichor. solet enim adesse quædam stranguria, ideo juvanda est istis urinam temperantibus. Deinde purgetur *cassia*, *syrupo rosar. solut. manna* & simil.

℞. *borrag. bugl. cum toto, endiv. scariola*, āā. *m. j. lupuli m. ß. flor. cordial. P. j. passular. sebesten*, āā. *Par. V. liquir.* ℥ß. *sem. frig. maj.* āā. ʒß. fiat *Decoctio ad* ℔j. *dissolve syr. de cichor. simpl. de pomis* āā. ℥ij. *syr. capill. ven.* ℥j. *f. Apozema. In Cujus* ℥iv. *si infundas & coquas rhabarb.* ʒij. *Senn.* ʒiij. *& expressione facta dissolvas cassia, manna* āā. ʒß. *syr. ros. sol.* ℥ij. *fiet Potio purgans.*

Conveniunt deinde Alterantia, electuaria mollia, solida, ex conservis, pulveribus, prædictis cum confect. Alkermes, de hyacintho & similibus.

℞. *Conserv rosar. violar. borrag.* āā. ʒiij. *pulver. de gemmis, triasant.* āā. ʒj. *conf. alkerm.* ʒß. *magist. perlar. & corall.* āā. ℈ß. *cum syr. viol. f. Opiata.*

Conveniunt etiam Epithemata refrigerantia: Aquæ potus nullus veterum hic meminit præter *Alexandrum*, qui negat in hac febre convenire. *Primirosius*.

β. *Balneum*) De eo disceptatur an conveniat, *Galenus* :. de rat. v. acut. negat convenire in ardente quæ fit ab humore salso, *Avicennas* contra magis convenire vult quam in legitima; Conciliant hos authores plurimi qui dicunt Balneum non convenire nisi post coctionem, quia materia crassa jam concocta per Balneum commode potest evacuari; debet autem esse tepidum ut resolvat, & attenuet humorem crassum. *Idem*.

Febris Elodes.

60. *Causodes & Nothus*) Huc referuntur à *Plemp. pag.* 88. Elodes, Typhodes & Pemphygodes: Conjungo, *ait*, hasce omnes, quia cunctas credo esse à calidis ac flammeis particulis, quas καυσώδη solet vocare *Galenus*, cum calidæ particulæ tam validæ sunt ut sudoribus ægri diffluant, fit Causus spurius, ἑλώδης dictus, quasi palustris, cum perpetuo natant in sudoribus.

Differunt itaque hæ febres secundum magis & minus: Quod ad ἑλώδη, opponit se quidem *Simonius synops. Febr. c.* 8. obstare dicens vocabuli originem quo minus sit idem morbus cum τυφώδης, πεμφιγώδης, ἑλώδης, sed nil efficit, cum concedat *Galeno* esse in genere humidarum febrium; quin dicat non multum esse hic humidi effluvii, sed plus fumi gigni: Et hic satis est, Sicuti quidam ab exercitiis ita incalescunt, ut parum quidem sudent, fument autem nudato corpore instar equorum defatigatorum, ita Causus quidam tam fortiter agere potest in serum, quod trium harum febrium subjectum est, ut magna ejus pars sub sudoris specie abeat: Et hæc est febris τυφώδης fumida, halituosa, *Causus* inquam spurius.

Causa harum Febrium sunt calidæ ac flammeæ particulæ ex insigni & inordinata seroli humoris fermentatione, in tenuia colliquamenta mutatæ; præsertim cum hæ particulæ per aliquod viscus, quod intemperie laborat calida, sunt percolandæ, Unde massa sanguinea harum particularum facillime colliquatur & liquescit; hac enim in tenuia colliquamenta ex parte soluta, sudores copiosos oriri necesse est.

Dignoscuntur hæ febres ex manifestis sudoribus, & continuo madore, absque tamen ullo ægri levamine.

Prognosin quod attinet, cum parum aut nihil ex sudore & madore juventur ægri, ideo *Galeno* plerumque censentur lethales.

61. *Quæ à pituita*) Ex *Galeno* colligere possumus Acutarum febrium etiam causam frigidissimam esse scilicet Pituitam, ut ratione istius frigoris materiæ & extimæ partes algeant, & frigidi sudores emanent; Et quod frigidus sudor fit in Acuta febre, hanc [illegible]um recensuit comm. ad *aph.* 37. *lib.* 4. Cum putreant humores in vasis, eoque ex putredine caliditas magna sit, & tamen quæ excernuntur frigida sentiantur, exitiale id est; docet enim in corpore animalis humorum multitudinem superabundare, tantam frigiditatem habentium, ut nec à calore febrili nec à nativo calescant; Si ita sit, & si, ex *Galeno* Pituita salsa Causi causa sit; cur ita sanguis audacter demitur in Causo, cum ita sit materia frigida, ut neuter calor & nativus & febrilis calefacere queat. *Ballonius Consil.* 5. *lib.* 3.

62. *Si australis constitutio præcesserit*) *Si æstas & autumnus pluvij fuerint, & austrini, hyemem morbosam esse necesse est, & pituitosas, atque annum* 40. *ex. edentibus fieri* [illegible]. l. de A. A. & Loc. ex pituitæ putrefactione & incandescentia, quæ salsedinem contrahit: Aut simul putrefacta bile, quod est verosimilius; Nemo enim pituitosus est ea ætate quin bilem habeat plurimam. At aph. 16. lib. 3 adversari videtur, *Febres in pluviarum multitudine longas fieri* scribens, Sed dicendum id fieri per accidens in iis tantum qui XL. annum excesserunt, suntque calidissimi & siccissimi; quibus aëris humiditas putredinem accersit; non autem in pueris & senibus, qui tunc in febres longas potius incident; quamvis omnibus temporibus omnes morbi fieri possint, ut ait Hippocrates. *Primirosius*.

63. *A subjecto*) Præter primarias causas sunt aliæ sine quibus Ardens raro fieri solet, scilicet Temperamentum, Sexus, Ætas; Temperies calida sicca, biliosa; est huic febri maxime obnoxia, Et hujus ratione mulieres, quia frigidiores, rarius tentantur ardente, saltem legitima, Viri contra facilius ob corporis calorem, quamvis plurimas mulieres ardentissima febre laborantes videre liceat, Eadem ratione Senes raro tentantur ardente & acuta febre, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα: aph. 14. 1. nam senibus pituita dominatur, nec potest ignavus illorum calor multum accendi, sed cum accedunt illis febres ardentes, pereunt, In morbis enim minus periclitantur quorum naturæ, ætati, consuetudini vel tempori familiaris est morbus, quam ubi nulli illorum congruit, *aph.* 34. 2. causæ vero cur pereant senes duplex affertur ab *Avicenna*, tum quia in frigidis & pituitosis non potest quam à causa maxima febris ardens generari, tum quia vires eorum debiles sunt, quæ tanti morbi ferociam non possunt sustinere.

Attamen l. de A. A. & L. scriptum reliquit *Hippocr.* in plagis Orientalibus senes tentari febribus ardentibus, Sed hoc non fit ratione ætatis, quia frigida est, verum quia ob aeris calorem in regionibus ejusmodi corpora biliosa sunt, contingit autem illis dum senescunt alvum adstringi, & inde bilem retineri, quæ retenta febres ardentes facit; [illegible], *inquit*, [illegible], sed juvenibus & pueris sæpius accidunt, suntque in infantibus leviores ob humiditatem & facultatum naturalium robur, suntque in iis interdum cum somno profundo, ob vapores non biliosos sed sanguineos & pituitosos in caput elatos. *Primirosius*.

64. *A loco causæ &c.*) Ἡ Καύσου focus aliquando in Capite est, aliquando in Pulmone, aliquando Ventre, Annon tales Καῦσοι essentiales febres dicerentur? alioquin *Galenus* peculiariter de iis non egisset, nisi essent de genere febrium essentialium. *Ballonius Epid. & Eph. l.* 6. *pag.* 123.

Obser-

Observavimus *Galenum* velle os ventriculi, hepar, pulmonem & jejunum intestinum Ardentis ἑστίαν esse, Vnà & totum corpus, quod notandum: Sic enim ad *part. 17. 4. acut.* Quibus venter afficitur, & focus febris est, ex corrupto cibo dejectiones liquidæ sunt: Quibus Pulmo focus febris, contingit ut adstringatur aliquando alvus: Si Jecur Causi fomes est, aliquando alvus liquida, aliquando spyrathodea excernit: Si solum phlegmonem patitur, dura alvus est; Si cum phlegmone et imbecillitas; liquida dejiciuntur, viscere ad se alimentum allicere nequeunte: Sed ejusmodi dejectiones ab iis quæ ventre affecto eveniunt distinguuntur τῷ χολώδει, Et parte 1. 4. *Acut.* Interdum Causus in una parte, interdum in toto corpore gignitur, si in toto corpore sitim omnino parit &c. Atque inde colligere possis attractionem ichorum in totum corpus, non tantum in majores venas, causam esse Causi: Si in habitu corporis accenduntur ichores, & febrem committent, & dolores σπασμώδεις parient, & sudoribus solventur, & ab habitu maxime sudor manat, Si ergo ventriculus, hepar, os ventriculi, jejunum intestinum, stomachus, & sitis & febris sint foci quidam, Item & corpus totum plenum ichoribus, quid est cur ad generationem febris continuæ recurramus ad venas internas majores? *Ballonius Consf. 31. l. 2. At hæc origo est febrium symptomaticarum.*

CAPUT III.

De Febribus Periodicis Continuis in genere.

1. FEbres continuæ Periodicæ considerantur in *genere*, vel in *specie*.

In *genere* spectatæ, sunt *Febres ab* [2]. *humoribus excrementitiis, in venis inter magnas & capillares mediis* [3]. *putrescentibus exortæ,* [4]. *certis periodis absque intermissione remittentes.*

[5]. *Signa* a remissione & exacerbatione inprimis sumuntur. Remittunt sine intermissione ob permistionem humoris cum sanguine, qui expelli non potest nisi coctus: remittunt, sed nunquam ad ἀπυρεξίαν deveniunt. Exacerbantur [6]. certis periodis, & quidem aliquando statis, aliquando non item: aliquando una die bis, aliquando singulis diebus semel, quandoque longiore nec ita certo spacio ingruunt, & quidem ob appulsum materię inæquali copia ad cor, [7]. propter loci distantiam, si exactas periodos non servant: ob communicationem materiæ novæ à membris secundæ coctionis, si statis invadunt. Exacerbationem nullum frigus, horror aut rigor antecedit, nisi materia sit inæqualis & inobediens, Inæqualiter moveatur, viresque sint debiles, neque remissionem sudor sequitur.

Causa sunt *Humores excrementitii*, qui nascuntur in liene & epate, vel suo, vel chyli vitio; possunt tamen & in mesaraicis generari, & ad epar deduci. Non tantum *confunduntur* cum sanguine, sed & *permiscentur* cum eo, toti simul in venis, nec ante coctionem separabiles, eaque unica quasi fermentatione perficitur. [8]. *Locus* ergo illorum sunt venæ, non majores quidem, sic enim esset continens; [9]. nec minores, sic enim intermittens: sed *mediæ* inter magnas & capillares.

[10]. *Curationis* ratio in speciebus videatur.

1. F*Ebres continuæ Periodicæ) Earum naturam sic explicat Willis l. de Febr. c. 11. Synochus putrida essentialis* dividi solet in *Putridam*, in *Causum*, & præterea in *Quotidianam*, *Tertianam*, & *Quartanam*; Quod spectat ad periodos illos, sive paroxysmos, quibus febris Putrida stato tempore quendum exacerbari solet, & (velut intermittens) diebus modo singulis, modo tertio quovis aut quarto febrilem quasi accessionem repetit, hujus ratio non facile explicabilis videtur, præsertim si *quatuor humores*, quorum spontaneo motui hic affectus vulgo adscribitur, ab hoc censu rejiciamus.

Super hac re, quod mihi verisimilius videtur dubitans proponam: In *febre Continua* duo sunt præcipua quæ sanguinis effervescentiam utplurimum inducunt, nimirum, in cruore partis sulphureæ exaltatio & accensio, deinde consequenter materiæ adustæ, & à deflagratione sanguinis residuæ ad turgescentiam congestio, A priori febris continuitas, ab altero ejus status & perturbationes criticæ dependent: His aliquando tertium quoddam accedit, nimirum succi crudi ab alimentis recens congestis plenitudo & turgescentia; quæ statis temporum intervallis febre continua (prout in paroxysmis intermittentium) majorem effervescentiam inducit: Cur autem non semper, nec eodem prorsus modo hoc contingit, ratio hæc est.

Quando Synochus Putrida est valde acuta, & sanguis fere *totus cito* inflammatur, & summe æstuat, quicquid succi *nutritij cruori* affunditur, statim aduritur & incendio *absumitur*, *quare* parum ejus aut nihil in paroxysmi materiem in massa sanguinea continetur: Sin vero hæc febris sit minus acuta, & sanguis modice & per partes solummodo deflagrat, succi crudi supplementum non prorsus adustione absumitur, sed mitiori incendio in massam fermentativam pervertitur; qua cum ad turgescentiæ plenitudinem in vasis assurgit, fluorem concipit, & effervescentia sua calorem febrilem prius in sanguine gliscentem velut novi pabuli accessu intendit; Hujus materiæ efflorescentia non raro cum levi rigore aut frigore incipit, & aliquando in madorem desinit; plerumque vero transpiratione insensibili exhalatur.

In singulis paroxysmis, præter succi nutritii degeneris penum, aliquid è materia sanguinis adusta & concremata evaporat: quare morbi crisis diutius protrahitur, ut raro intra dies 12. aut 14. judicetur: quin ut plurimum in febre hujusmodi paroxysmis & intermissionibus intercalata, vix intra dies xx. perfecta morbi solutio contingit; atque aliquando sine manifesta diacrisi sensim remittit, & dein longa declinatione in mortem aut salutem terminatur. Quod vero hujusmodi remissio & exacerbatio juxta typos febris intermittentis varietur, ut diebus modo singulis, modo alternis, & interdum nonnisi intra quatriduum vices suas repetant; hujus ratio à doctrina febrium Intermittentium erit petenda, Nimirum juxta quod sanguinis dyscrasia diversimode se habeat, succi degeneris supplementum citius aut tardius ad turgescentiæ plenitudinem assurgit, & proinde effervescentia sua modo majores, modo rariores in hac febre paroxysmos efficit.

Wallaus Med. Pract. lib. 1. cap. 5. hunc ortum illis adsignat, Fiunt, *inquit*, Continuæ hoc modo, Sanguis in vasis liberis corruptus febrem continuam facit, dum æqualiter fere ad Cor venit, idque irritat, Exacerbationem febris acquirit, dum corrupto in venis sanguini nova materia putrefacta à parte seu loco (foco) exiliens permiscetur, & ad cor cum eo venit.

Putrescit autem materia illa vel in vase conclusa ab aliqua parte; nō vero totaliter, ut materia regurgitare possit in vasa libera, vel extra vasa: Vnde duplici ratione ad vasa remeat, vel quando ibi rarefit, vel quando copia augetur, ac in illo statu plus contineri non possit, ac proinde necessario ad vasa remeat: Materia illa vitiosa & corrupta hæret vel in parte sensili, id est, vel quæ externis partibus inhæret ac sensibus conspicua sit, vel quæ eximio sensu est prædita; febrisque tunc sequens vocatur *Symptomatica*, Vel in parte insensili, ut sunt Cerebrum, Pulmo, Hepar, Lien, Mesenterium, Pancreas; Et tunc vocatur *Primaria* febris; Ex quibus patet quaslibet febres ex quolibet putrescente humore fieri posse, sed fere tamen Quotidiana ex pituita, Tertiana ex bile, Quartana ex melancholia oritur.

Ex Intermittente & Continente componuntur *Continua Periodica*, speciatim Tertianæ acutæ: Adeoque *composita continua*, sed quæ certo temporis recursu exacerbationes plus minus intensas patiuntur, ob id Periodicæ bæ dictæ. Hæ ipsæ Continuæ Periodicæ sunt plurimum Tertianæ, exque frequentiores; in quibus nempe sine intermissione quidem febris pergit, utut subinde exacerbetur, & ab ista exacerbatione denuo remittat: Hinc sunt *continua Quotidiana*, sed hæc rarius est acuta, & fere sub censum continuarum, sed lentarum venit. Omnium rarissima est *Continua Quartana. Etmuller pag.* 301. *Part.* 1.

2. *Humoribus excrementitiis in venis &c.*) *A diversitate loci & sanguinis* variari Febres Putridas contendit *Platerus*, non eo quod modo accendatur bilis, pituita, vel melancholia, sanguineæ massæ partes; quia cum sint ita per minima simul confusæ, non potest una portio dictarum partium accendi, vel putrescere, quin altera portio partis diversæ sibi conjunctæ accendatur, vel putrescat; Vnde impossibile est Febrium diversitatem secundum varias differentias, & continuationem habere à prædictis partibus, & putat in sanguinis diversitate Febrium varietatem posse reperiri, prout is temperatus vel intemperatus extiterit.

Temperatus sanguis, nullo vitio, nisi forte copia peccans, si putrescat, Febres efficit Synochos dictos Putridos, qui nullas exacerbationes habent nisi quatenus calor in istis augeri vel minui potest; quia sanguis ob sui æqualitatem in putredine, & ob eandē viciniam cum corde, hoc pari impetu semper ferit, & æquali calore accendit, ex quo æqualis continuitas, præter augmentum & declinationem: Si vero intemperatus sit, antequam putrescat, necesse est calidiorem esse quam in statu naturali extaret, cum frigidior ad febres excitandas sit ineptus: iccirco si sanguis antequam putrescat summe calidus extiterit, & caliditati tenuitatem conjunxerit, quando putrescit magnum patit incendium; eoque magis adhuc si in loco cordi vicino putrescat: quibus concurrentibus Febres fiunt *Causodes*, cum æstu immenso, & cum continuationis æqualitate.

Ita ex *loci & sanguinis diversitate* Febrium differentiam & continuationis modum ex *Platero* habemus &c. Sed quæ de *Loci* putredine habet *Platerus*, in magnis vasis, admissa circulatione sanguinis non subsistunt, quia in istis supponit humorem putridum firmari & ejus motum impediri & circulationem prohiberi; quod utique in magnis vasis contingere non potest nisi cum subita vitæ extinctione; & si movetur, non habemus amplius majorem vel minorem proximitatem humoris in illis putrescentis cum corde, dum circulari motu sanguis, cordi modo fit proximus, modo remotus, idcirco videtur solum subsistere fundamentum, in sanguinis diversitate positum: quapropter diversitas febrium, & continuitas, quæ à foco putredinis à corde distante petitur, aliunde desumenda venit, & ejus principiis inhærendo, circa febres quæ exacerbationes habent sine horrore, videntur accipi posse à materia quæ de novo putrescit, unde & Febris exacerbatur, quæ postea ab eodem calore febrili dissipata minuitur, &, nova addita, redit exacerbatio &c.

Calor *putredini permixtus*, in *putrescentibus humoribus*, vel corporis partibus excitatus, atque inde cum exhalatione putri, vel aliqua putredinis portione, ad cor usque delatus, illudq; putri calore accendens, & à corde in singulas corporis partes effusus, Febres facit *Putridas* dictas, quarum continuitas habetur, ex eo quod in amplissimis vasis, per universum corpus dispersis, humor putrescat, cui per illa ad cor aperta semper patet via, assiduo putres vapores, vel ipsius quoque putridi humoris portiones demandans, à quibus continuo etiam cordis calor accenditur, in hoc perseverando donec putridæ exhalationes, vel materia putrida deficiat &c.

Distans nonnihil à corde putredo in venæ cavæ ramis, quia cor pari impetu, uti ea quæ cordi propinqua est, non pulsat, idcirco Febres, quarum calor non semper idem existit, sed *quæ suas habent exacerbationes*, seu *paroxysmos* gignit, variata per paroxysmos continuitate, quæ observatur in Febribus nulla accessione interruptis, quia exhalatio putris, cujus locus procul abest, ob viarum ambages nonnihil impedita, non potest eadem mensura semper & ordine ad cor perferri, unde cum majori copia coacervata ad cor potentius fertur, illudque validius pulsat, calore aucto exacerbationes novas causat, non tamen cum horrore; discussa tamen paulatim materia febris remittit, & nova accedens febrem renovat, antequam præcedens sit extincta, varias in continuitate subiens mutationes, intensiones & remissiones, juxta materiæ quantitatem majorem vel minorem.

At hæc quæ de loci putredine ingeniosissimus docuit *Platerus* in vasis magnis, *hæc inquam*, admissa circulatione sanguinis non subsistunt. *Pompejus Sacchus Trad. Febr. cap.* 11. *§.* 11.12.13.9.10.

3. *Putrescentibus*) Vtrum humores, & massa sanguinea, quantitate, qualitate aut motu peccantes, cum quadam *Putredine* sociati sint, quæ *cordis irritationem*, *proximam febris causam*, efficere potens sit, late disquirit *Pieus Tr. de Febr. l.* 1. *c.* 6. Solam ille Effervescentiam aut Fermentationem agnoscit; hunc Febrem vulgo Putridam dictam, Synochum fermentativam appellat.

4. *Putrescentibus exorta, certis periodis*) Causa continuarum harum febrium, est continua cordis irritatio, cum aliqua tamen remissione, ob continuum fermentationis motum, cum sanguinis particulæ accensæ, & disproportionatæ, efferæ ac indomitæ fiant, repagula totius compagis effringuntur; non secus ac vina cum à fæce nimis opulenta effervescunt; scil. & spiritu pollent & sulphure exaltato turgescunt, ideoque sua sponte, sine alterius mixtione, fervorem febrilem concipiunt & immaniter ebulliunt: Cum ex hac immani ebullitione ac fermentatione, particulæ disproportionatæ succi animalis fiant magis heterogeneæ, minus coctæ sive depuratæ à fæcibus, & particulæ contralucitantes sulphureæ, pingues, oleosæ, igneæ & efferæ ferociant, ac verisimiliter ultra limites omnes ex illis irregularibus motibus evehantur, ita & earum fervores atque exorbitantiæ febres valde acres, biliosas ac sulphureas constituunt.

Hujus nimiæ fermentationis ac effervescentiæ. *Motus in hisce continuis febribus, habet exacerbationis tempora.* Hujus rei *causa*, Quando nimirum è foco febrili nova pec-

peccans materia & facile fermentabilis per vasa cum circumeunte sanguine ad cor accedens, statim gravius exacerbationi [illegible] dicium præbet.

E[illegible]nli regurgitat hæc nova materia duplicem ob causam, 1. ob *copiam* si augeatur, ita ut ejus particulæ [illegible] sinonatæ eo in loco in quem colliguntur, amplius [illegible] neri nequeant, sed ob ebullitionem & fermentationem facile discedant, unde aliquid continuo regurgitat, si non tota massa saltem aliqua ejus pars 2. Ob *qualitatem & motum* si illa febrilis materia ex particulis acribus, fervidis, sulphureis, oleosis, ac facile effervescentibus rare[illegible]cta, ac dissoluta illo in loco, seu foco, majus requirit spatium quam ante ejus bullitionem fermentationem & rarefactionem possidebat; tum enim tantum excrementi est collectum quantum natura illo in loco tolerare non potest.

Hinc fit ita ut à sulphureis, oleosis, fervidis ac biliosis, sanguinis particulis, nimis excalefactis & accensis, *Febris Fermentativa* concitetur. Vel, ut ita dicam, ob febrilis materiæ quantitatem, vel qualitatem, vel motum, vel ob conditionem loci.

Ob *quantitatem*, cum particulæ febriles tanta abundant in c[illegible]p[illegible]a, ut massam sanguineam in vasis liberis existentem, & per totum corpus circulantem quasi totam inquinare ac fermentare, sic p.n. ad cor accedentes, illudque irritantes, levissimo negotio febres continuas generare possint.

Ob *qualitatem*, cum particulæ illæ disproportionatæ sint fluxiles, tenues & summe agiles, ac ad fermentandum [illegible]que irritandum habiles, hinc quoque contingit quasdam harum febrium citius vel tardius moveri; si enim particulæ febrilis materiæ sint viscosiores, tenaciores, limosæ & hebetiores, difficileque solubiles, difficilius fermen[illegible]ur unde febres tardiores; Acres vero, calidæ, [illegible]æ, sulphureæ particulæ facilius ebulliunt, un[illegible] patet in v[illegible]onibus.

Ob *motum*, [illegible] particulæ, vel ratione quantitatis, vel [illegible]tatis, celerius vel tardius moveantur.

Ob conditionem loci in quo continetur illa materia, eaq; in hisce duobus c[illegible]sistit, 1. in *foci vicinitate*. 2. in *loci sensibilitate*: In illo casu particulæ febriles propter vicinitatem cordi [illegible]to ac facile communicari possunt: In hoc vero materia disproportionata hæret, vel *in parte sensili*, unde ibidem diu morari, restagnare & quiescere nequiens, facile & [illegible] ad motum & effervescentiam disponitur. V[illegible] in *p[illegible]te insensili*, ut sunt cerebrum, pulmo, hepar, [illegible], mes[illegible]nterium, pancreas; Ex quibus patet quaslibet [illegible] quolibet fermentante humore fieri posse. *Pitus Tr. 2. de Febr. c. 5.*

Prognosis.

[5] *Signa*) Omnes febres Continuæ periculosæ sunt ob continuam afflictionem: Febres Continuæ in quibus [illegible]nue *sudor* exit, non sunt periculosæ, nisi ex imbecillitate partium provenerit, Sunt & frequentiores (*quæ exacerbationes habent*) quam Continentes: Si febres Continuæ *postponunt* statim, periculosiores sunt. *Walæus m. Pr. 5.*

[illegible] hæc Febris lenta ac longa sit, periculo non caret, [illegible] exiguum remissionis tempus, tum ob causæ pertinaciam & hecticam olentem; Minus longa existit si particulæ fermentales sint biliosæ, calidæ ac facile solubiles. *Piens.*

[5] *Signa*) Quod ad materiam illarum, in initio cum materia c[illegible] ad cor venit, sentitur quædam anxietas; & quia [illegible] principio non bene se dilatat ob acri moniam materiæ qua cor affligitur, & consequenter se continuo contrahit hinc *Pulsus* fit celer, frequens & parvus. *Unde sentitur* in partibus, externis maxime, quædam *molestia*, & inprimis *in naso & pedibus*, quia istæ partes jam non ita sanguinem accipiunt ut ante. In principio vero paroxysmi, cum materia à corde propellitur in habitum corporis, facit aliquem horrorem: Symptomata febres sequentia sunt, cū materia propellitur corrupta in ventriculum, *causa vomitus, dejectio* appetitus: Cum ad fauces & oris interiora, *Sitis*, Cum in caput, *ejus dolor, delirium &c.* In intestina, *diarrhœa*, cum per venas transcolatur portio quædam cum sero, eaque si sero exacte permista sit, reddit *urinam tenuem* sine sedimento, Si non sit exacte permista, facit sedimentum. *Walæus Pr. c. 5.*

[5] *Signa*) Cum ad ægrum Continua febre non multo ante laborantem accedit Medicus, si ab eo intelligat febrem sensim citra horrorem invasisse, & spontaneam lassitudinem præcessisse, non dubitet eam Febrem esse continuam. *Enchir. Med. Pract.*

[6] *Certis periodis*) Quæritur an hæc Febrium differentia potius ab *Humore*, qui *proprietate sua*, ut vulgo loquuntur, illam exacerbationem facit, sit petenda, quam ab ipso *tempore quo hæ exacerbationes* incidunt? Respondeo, Ita quidam sibi persuadent, non statim febrem Quotidianam esse judicandam quæ quotidie affligit, nisi *Pituita*, quæ notas febris Quotidianæ ostendit, in vitio sit; At verior sententia, quæ *temporis* rationem habet: Nullus enim humor ex proprietate sua specifica, vel singulis diebus, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum movetur diem, nam nullus humor ex proprietate sua sibi conscius est. 2. Pituita, cum putrida apud Medicos habeatur, ut pro defensione accipiunt, non tamen febrem excitabit; Si qui enim lue Venerea cum ulceribus sordidis (ex quibus ichores pituitosi magna in copia emanant) leucophlegmatia, elephantiasi, aliisque pituitosis morbis laborant, febribus tamen continuo non affliguntur, cum frigidi potius quam calidi notentur, Et ita de cæteris humoribus, Causa itaque in hisce tribus potius consistit, in *quantitate* particularum febrilis materiæ; in *qualitate*, & *motu* ratione *loci*, ex quo modo citius modo tardius febrilis materia movetur. *Piens. pag. 100.*

[7] *Propter loci distantiam*) Vide superius §. *Ab humoribus excrementitiis in venis inter magnas &c.*)

[8] *Locus illarum sunt Venæ, non majores &c.*) In hujusmodi febribus perpendenda Continuitas & Exacerbatio: Hæc, ex mente Authoris, pendet ex humoribus excrementitiis in liene, hepate natis, imo & in mesaraicis, hinc in massam sanguineam delatis, qua cum confunduntur & permiscentur, cum vero massa sanguinea, circulationis ope, vasa & majora & minora & media oberret, quæ ratio est cur in venis mediis potius quam majoribus materia illa deflagret? Non ergo ex Loco Continentium & Continuarum periodicarum differentia deducenda, sed ex Materia, quod in illis materia universa in vasis coërceatur; in his nova à fomite subministretur. Vide supra *Walæi & Willis* sententiam, Et *Claudinum* Responsione 1. qui fuse ad mentem authoris hanc rem pertractat.

[9] *Nec minores, sic enim intermittens*) Bilis putredinem, etiam in carnibus ipsis putrentem, Tertianam febrem parere ostendit *Bened. Sylvaticus* Cons. 15. lib. 1. qui in morbo Epidemio Lucæ grassante anno 1648. mense Aug. ait in cadaveribus ex Tertiana defunctis circa carnes serositatem biliosam inventam fuisse in copia.

[10] *Curationis ratio in speciebus*) *Hoc illis commune est*, ut in progressu morbi, febre perseverante, antequam status appropinquet, vel si imperfecta crisi facta febris nondum soluta fuerit, rursum aliquid esse evacuandum: Diligenter tamen prius observando, an per alias evacuationes, ut per sanguinis fluorem; vel urinā, aut sudores natura excretionem tentet, quod nisi ante septimum fiat; aut harum evacuationum signa adsint, denuo evacuare, viasque obstructas aperire tentabimus. In *declinatione morbi*, si quid residui, sæpe iisdem purgantibus repetitis educitur, *Platerus.*

10. *Curationis ratio*) Indicationes sunt, ut post primum paroxysmum exhibeatur purgans validum ex *scammonio*, aut alio: tunc enim vitiosa materia nondum bene est sanguini permista; Post secundum paroxysmum vena secetur, Tertio aliquod conveniens Julep propinetur, Quarto paroxysmo, quoniam ægri illi pessime sese habent, nihil præscribatur, sed quod prædici poterit prædicetur: Quinto paroxysmo dentur valida sudorifica: Interim si non cessent febris, pro ratione cujuscunque exigentis faciendum. *Walaus Med. Pract. libr. 1. cap. 5.*

Author Encheir. Med. Pract. pagin. 405. Purgans validum initio severe interdicit, quanquam ratio à *Walao* adducta id innuere videatur, & *aphorismus. In principiis morborum si quid* &c. *Cum porro prædictus Encheir. author felicissimus Practicus fuerit, Ejus methodum huc inferre æquum visum est.*

Cum sanguis contentus majoribus venis corrumpitur & putrescit, aut quod ob obstructionem non eventiletur, aut quod vitio aliunde influente depravetur, spontaneæ lassitudini febris succedit, nullo horroris aut rigoris sensu, nisi forte è capite defluat destillatio, aut bilis à venis in primam corporis regionem decumbat, tunc enim horror aut frigus corripit, tanquam intermittens febris invaderet; nec tamen hic horror aut frigus aliis diebus occurrit, nisi forte criticis, & tunc eum horrorem vehementissimum excipit sudor, qui febrem solvit.

Sive autem ab horrore, sive sine horrore, prægressa lassitudine, aut etiam citra lassitudinem repente post admissum errorem, ut iram aut crapulam, aut motum corporis vehementiorem febris oritur, nisi continuus sit, primo aut saltem secundo die finitur accessio, & ideo quoties extra secundum diem porrigitur moeror suspecta futura sit continuitas, Cujus certa erit conjectura si obnoxius continuis febribus fuerit, nam in familiares morbos facilis est relapsus: Et si impuram habeat secundam corporis regionem, & præterea si eo tempore febres continuæ populariter grassentur, cum enim continuarum febrium magnus est proventus, etiamsi prima morbi invasio intermittentem febrem fore polliceatur, metuenda tamen ob commune aëris vitium continuitas.

Cum igitur Continua febris putatur; sub primi diei finem, quo videlicet tempore accessio intermittentis desineret, Clyster emolliens & detergens recte injicitur, ut postridie, perseverante febre, venæ sectioni locus sit; Primo tamen morbi die, si plenitudo vasorum & symptomatum sævitia postulat, vena secanda.

Postridie venæ sectionis Purgatio datur, sed blanda, quæ duntaxat è prima corporis regione vitiosos humores eliciat: Nam qui in principio, augmento aut vigore continuarum febrium catharticis validioribus, acribus & malignis, ut scammonio, colocynth. & similibus impuritatem venarum exhaurire nititur, maximo ægrorum damno id facit, Nam præterquam quod de crudo humore sanguini misto minimum maximis fere torminibus detrahit, Naturæ etiam concoquentis coctionem, adeoque crisin interturbat, omnia confundit, calorem febrilem intendit, & vires debilitat, de quarum custodia Medicus valde debet esse sollicitus: præterea motu violento humores exagitat, eosque in majorem putredinem adducit: *Cassia*, ergo, *Catholicum*, *Senna*, *Rhabarb*, & quæ ex his componuntur, non vero *Diaphoen. Diaprun. lax. Elect. Diacarth.* aut *de succo Rosar. &c.* usurpanda sunt: Non enim conandum est primis diebus continentem febris causam radicitus tollere per cathartica sed tantum antecedentem, quæ è jecore & cysti fellis & prima corporis regione in venas majores effertur; & obstructiones venarum mesaraicarum, per quas postea natura concoctum humorem expurget, solvere.

Prima corporis regione blandiore catharsi detersa, nisi venarum plenitudini, secta vena, satisfactum est, repetitur sangu. missio quarto, quinto die, habita tamen criticorum dierum ratione, Sanguis enim bis terve in plethoricis ad continuæ febris curationem tuto mittetur; hocque remedio una cum refrigerantibus, & putredinem inhibentibus, plusquam catharticis, in primis morbi temporibus, usque ad declinationem profici experientia docuit: Nam declinante febre, concocto scil. humore, cathartica necessaria, quæ morbi reliquias demant, Secatur autem basilica dextra sæpius, interdum etiam, cum lien laborat, sinistra; & in validis corporibus semel ℥x. aut xii. detrahere possumus, in imbecillioribus minus, ne vires in iis prosternantur, quarum robore opus est ad concoquendam morbi causam: Cumque paucæ febres eodem tenore flagrent, opportunius mittendi sanguinis, & exhibendi cathartici tempus, in iis quæ exacerbationes habent, deligendum id in quo æger se melius habet, scil. in Continuis quotidianis, quæ à meridie reduplicantur, matutino tempore: In Tertianis continuis, aut Quartanis, vena secabitur, aut purgatio exhibebitur eo die qui liber est ab exasperatione, quia scil. eo die æger se melius habet &c.

De idonea *Cibi* Quantitate ita statuendum, non ut veteres, primis totius morbi diebus usque ad quartum à cibo & potu prorsus abstinendum; nec vires media convellendæ, sed tenui cibo sustinendæ, ut facile & V. S. & purgationem ferre possint, adeoque vix æger ullo die cibo abstinere potest: Quod si Febris sit Peracuta, quæ ultra quartum diem non producatur, statim dum incipit, vigorem attingens, statim quoque victu tenuissimo utendum; Quod si peracuta sit, quæ excurrat usque ad 7. diem, simpliciter tenui: Si vero sit Acuta, quæ in diem xiv. produci posse videatur, paulo pleniore; semper autem cibus initio sit, plenior, sensimque minuatur dum febris suum vigorem attingat, in quo tenuissimus dandus, sic ut in summo vigore summe tenuis sit, incremento tenuis, initio aliquanto plenior, quo tamen vires corpus non acquirat, sed solum paulo infirmiores confirmet; ut morbum coquere, & purgationes tum artificiosas tum spontaneas ferre possint; & ne ante vigorem deficiant, nec tamen nutrire, & naturam à morbi concoctione ad cibi coctionem revocare cogamur: Quæ incommoda ut fugias, victus potius paulo plenior quam tenuior initio convenit, quia nimis tenuis pleniore periculosior est, *aphor.* 4.1. hora nutriendi convenientissima est in qua æger se melius habet; Ergo in ipsis exacerbationibus cibo abstinendum, nisi forte aut ætas, aut virium imbecillitas prohibeat,

Interim Julepis & Apozematibus refrigerantibus, humectantibus, bilis acrimoniam temperantibus, putredinem inhibentibus & obstructiones solventibus locus erit.

Occurrendum etiam siti, dolori capitis, inquietudini, & aliis febrilibus symptomatis iis remediis quæ seorsim exponentur.

Inclinante vero Febre, nisi forte causa illius crisi perfecta, quod rarissime contingit, fuerit evacuata, purgatione identidem repetita, eaque validiore quam fuerat initio morbi, quia humor erat adhuc crudus, detrahitur; aucta etiam cibi quantitate.

Etsi ante febrem obstructio Lienis aut Hepatis inerat, & tum purgantibus & alterantibus intro sumptis, tum aperientibus, fotibus, linibus, & emplastris profligabitur.

Quod si maligna aëris qualitas populariter grassetur, Cardiaca interjicienda, quæ cordis robur tuentur, & tum aliquanto reverentius vena secanda & purgandum, ne profusis spiritibus, & exagitatis humoribus vitalis

facul-

facultas concidat, Sed de singulis Febribus Continuis, earumque crisibus minutius disserendum.

Febres ergo Continuæ interdum ab Horrore, ut intermittentes invadunt, qui tamen, ut solet in intermittentibus, non repetit nisi forte die critico, & tunc febrem continuam solvit, *aph.* 58. 4. Interdum sine horrore à spontanea lassitudine antegressa corripit: Quæ ab horrore invadunt, vel à fluxione oriuntur quæ è capite delabens, non solum subcutaneas partes & externas irrigat, sed etiam venas & arterias, omniaque conturbans putredinem & inflammationem accersit; quæ Malignitatis est particeps, Vel à multis & vitiosis & acribus humoribus è venis mesenterij in primam corporis regionem delapsis; quod voluit *Galenus* 1. ad *Glaucon.* cum diceret, Continuas interdum cum levi horrore aut rigore corripere, ob humoris vel quantitatem vel inæqualitatem, vel malignitatem: Quæ vero à lassitudine spontanea sensim invadunt, eæ oriuntur citra fluxionem à cacochymia in venis majoribus conclusa & putrescente: *Cum igitur* ad ægrum continua febre non *multo ante laborantem* Medicus accedit, si ab eo intelligat febrem sensim citra horrorem invasisse, & spontaneam lassitudinem præcessisse, non dubitet eam febrem esse continuam.

Eo cognito, sic ejus Curationem aggrediatur: Si leve adeo principium est ut nulla sint peracutæ febris argumenta, quæ ex symptomatum primo & secundo die valde augescentium vehementia cognoscitur, si sit tamen Acuta, quæ intra xiv. dies judicari posse videatur, remedia non ita acceleranda sunt; 1. igitur die satis sit alvum clystere subducere refrigerante, emolliente, & leviter detergente, Postridie vero dare Bolum ex *cassia* recenter extractæ ℥j. vel expressionem *Rhei*, & *fol. Senæ mundat.* in decocto oxalidis, gramin. oxylap. capill. &c. Nulla ad ejusmodi purgationem *præparatione* opus est, Si cui tamen ita videtur, præparetur æger *pridie* purgationis Julepo facto ex ℔j. decocti rad. herb. & semin. refriger. aperient. & hepar roborantium, in qua dissolve ℥iv. *syr. cap. ven. de cichor. simpl* &c.

Expurgatis primis viis V.S. quæ proprium est continuarum febrium remedium, locus est, quia causa earum in venis majoribus contenta est, secundo quidem die, si primo adhibita est, purgatio tertio vero si ad secundum fuerit dilata: Semper enim, nisi necessitas urgeat, purgatio debet præcedere V.S. ne si postponatur, vitiosa excrementa in intestinis & primis venis contenta refluant in venas majores: Sanguinis autem detrahendi quantitatem virium robur, magnitudo morbi, & sanguinis qualitas præfinient, Si enim vires validæ sint, si febris vehementissimis symptomatis sit comitata, & sanguis valde corruptus, major sanguinis quantitas detrahetur; fere autem ℥viij. aut ix. ex alterutra basilica detrahantur, habita ratione constitutionis hypochondriorum, nam si sit major tensio in Liene, sinistra; si Hepar magis affectum, dextra tundi-tur.

Sequentibus vero diebus accurata animadversione opus est, ut intelligas num repetenda sit V.S. aut danda [illegible]is purgatio, aut cunctandum dum natura se per crisi[illegible]neret, quod sic cognosces, Si sanguis primo detractus valde putris fuerit, ejusque in venis magna copia su[illegible] videatur, repetita venæ sectio magis conferet, ut [illegible] sola sit plethora sine cacochymia, magis autem si [illegible] plethora adsit cacochymia; Sin adsit sanguinis penuria & cacochymia, purgatio tutius repetitur, sed *ea blanda* [illegible], nec primam regionem ejus vis transcendat.

At si Peracuta febris futura est, quæ intra septem dies *judicari posse* videatur, sic acceleranda remedia sunt, ut *primo & secundo* die sanguis mittatur, & ante quartum, si opus *sit, missio repetatur*; Quarto vero, qui criticus est, ab utraque evacuatione supersedendum; clysteribus tamen alvus mollienda, & Julepis adparandus, concoquendus, & refrigerandus humor, ne si crisis eo die futura esset, naturæ motus interturbetur, ut quinto repetitæ vacuationi locus sit, Sexto enim die; qui in morbis tyrannidem exercet, & 7. qui Peracutarum febrium judicatorius est, melius est alterationi solum & concoctioni incumbere, alvo quotidie emollita; hisque criticis diebus, si gravia urgeant symptomata, nihil ea demulcere prohibet, ut ingentem fervorem epithematis cordi & hepati abhibitis; oxyrrhodino lumbis illito, nauseam inanem cardiacis intro-sumptis, & topicis ventriculo admotis refrigerando; corroborantibus, ut *conserva rosarum carne cydonior. mastich. syr. absinth.* & simil. ex quibus fit Opiata, quæ extensa super alutam regioni ventriculi admovetur; Dolorem capitis ut & vigilias oxyrrhodino & frontalibus fronti applicatis, cavendo tamen ne soporem aut distillationem proritent, gallinis, pullis, calentibus felibus, pulmone vervecis recens extracto, capiti raso adhibitis: Sitim gargarismis acidulis & refrigerantibus, ptisana &c.

Si crisis die 7. febrim perfecte judicaverit, aut sudore, aut hæmorrhagia, aut alvi profluvio, nisi reliquus humor intro remanens artificiosa purgatione dematur, recidiva in propinquo est, ideoque octavo die medicamentum paulo quam per initia validius, quia tunc humor magis concoctus est, tuto porrigitur, ut crassior humoris pars, quæ in præcordiis forte propter obstructas vias subsistit, ducatur.

Si alvus per se mollis magnam bilis & pituitæ copiam profundat, æger in tuto est, nec minus tamen tertio quoque die purgatio decernenda est, facta ex his quæ viscerum obstructiones tollunt, & bilem utramque ac crassam pituitam ducunt: At si morbum levaverit sudor aliquis aut hæmorrhagia cum alvi obstructione, quia tota morbi causa in venis restitit, non ita secuta est levatio, Imminet enim recidiva accenso rursus humore; hic ergo victu tenui, & idoneis remediis concoquendus & attenuandus humor est, Obstructæ viæ reserandæ, ut tertio quoque die repetita purgatio morbi causam demat, ejusque recursum impediat; nec prius præparandi ac purgandi finis fiat, quam expeditis obstructionibus, detractoque humore qui morbi causa est, æger prorsus fit liberatus.

Jam vero cum die critico sudor copiosius emersit, qui & febri & omnibus symptomatis finem imposuit, spes est crisin perfectam fuisse, nec tamen ei ita fidendum ut ab omni medicamento purgante abstineaas, sæpe enim magnam sudoris evacuationem consequitur febris solutio, quæ tamen postea recurrit, nam profunditur tantum per sudores serum, quo vel fræno bilis intus coercebatur, crassior autem humor intus remanet, qui per habitum corporis nequit evacuari, idemque accidit quod in alembicis, in quibus vi caloris tenuiores tantum partes sursum in capitellum efferuntur, in fundo autem vasis crassiores remanent partes eorum quæ fuerant in alembico, ut distillarentur, posita: At hic humor crassus qui intus remanet interdum rursus accenditur, eoque reaccenso febris repetit, multo quam ante deterior & acrior, Nunquam ergo crisi quæ fit per sudores, multo minus crisi qua fit per hæmorrhagiam confidendum in febribus Continuis putridis; sed postridie potius quod reliquum est crassi humoris idoneis medicamentis purgandum, sicut in imperfecta crisi.

Sola igitur alvi perturbatio, multos vitiosos humores & putres excernens, febrem putridam perfecte judicat, Cui tamen non ita fidendum ut ab omni carthartico prorsus abstineamus; Sordent enim etiamnum præ-

P

cordia, & affluens alimentum corrumpitur, unde aut recidiva oritur, aut alterius morbi causa in corpore succrescit, Itaque multo sit satius semel atque iterum repetito blando cathartico, quod ignoravit vetustas, ita reliquias omnes purgare, & morbi focum abstergere, ut omnis morbi occasio, omnisque reversionis metus tollatur.

Jam vero si Acuta febris est, quæ ad diem XIV. aut XVII. aut XX. potrahi posse videatur, haud ita acceleranda remedia sunt; ne vis naturæ inferatur: Initio quidem utraque vacuatione opus est, eáque repetita si opus sit, Verum cum plethoræ quæ in venis erat per Sangu. missionem erit satisfactum, & cacochymiæ quæ primam corporis regionem obsidebat per Purgationem, reliquo tempore ad crisin usque in virium custodiam, interni incendii refrigerium, humoris morbifici concoctionem & viarum apertionem incumbendum, quod victu euchymo, & julepis ante præscriptis præstabitur: Et si malignitas subest, quæ dignoscetur ex nausea, maxima inquiete, frequentibus animi deliquiis, pulsu minimo & intermittente, & summa virium imbecillitate, his cardiaca erunt adjungenda, & inter 7. & 14. diem, si coctionis signa in urinis appareant, medicamentum purgans repetendum, & nisi febris XIV. die soluta est, rursum inter XIV. & XVII. diem aliud dandum; hac arte minuta, morbi materia minor fiet perturbatio in die critico.

Quandiu vero in febribus putridis cruda apparent in urinis omnia, medicamentum validius multo profecto vires naturæ à fert; nihil enim ejus humoris qui in venis contentus febrem facit educit, sed solum quid crudum & inutile magnis cruciatibus è venis primis & intestinis revellit; At cum & coctionis signa adsunt, & vitiosorum humorum optata succedet evacuatio, nihil tunc metuendum est: Si XX. die febris disparuit, antegressa manifesta evacuatione, ad tollendas reliquias, adeoque ad reversionem impediendam, purgationes conferunt.

At si fervore restincto, levatisque symptomatis perseverat, fiatque continua quam vocant ex *Decidentia*, paulo validioribus catharticis humor contumax trahendus, & præparatione majore attenuandus & concoquendus est; hic ergo convenit syrupus Byzantinus, de 5. radic. & similes, in hepaticorum & spleneticorum decocto, quod *hyssopum, absinth.* & *radicem enul. camp.* accipiat soluti.

Præparato humore, viisque reseratis hujus apozematis usu, locus erit purgationi, comparatæ ex senna, rhabarb. diaprun. laxat. & simil. Interim si in hypochondriis sit tensio aut durities sine inflammationis suspicione, commode illinuntur olea roborantia, attenuantia, flatus discutientia, A Fotu admovebuntur Sacculi comparati ex radic. herbis, semin. aperientibus, incidentibus, attenuantibus; Hic remediorum vicissim usurpatorum usus continuatus febrem continuam extirpat.

Quod si concoctionis signa adsunt, & facilis sit tolerantia febris, non verendum est bis in hebdomade catharsin repetere; Sin vero absunt, semel dare satis erit, aliis vero diebus dabuntur præparantia: Præterea post XX. diem sanguis mitti potest, etiamsi ante XIV. diem semel bisve vena secta est: Si tamen adsint signa Cacochymiæ secundæ corporis regionis, detrahendus sanguis, sed minori copia quam initio, quia tunc vires debiliores.

Tempus autem purgandi, & cibum sumendi in febribus Continuis hoc est, Observandum qua diei hora febris solet exasperari, tutius enim vel nocte media propinatur purgatio quam mane, si mane febris increscat, Sin remissio exacerbationis longa est, non ante solutionem exacerbationis danda est purgatio; ut antequam altera repetat exacerbatio, absolvatur purgationis opus: Sin febris eodem tenore perpetuo fertur, matutinum tempus vespertino aptius: Quæ autem cautio in propinandis catharticis, eadem in cibis necessaria est.

CAPUT IV.

De Febribus Continuis Periodicis Primariis in specie.

ARTICULUS I.

De Febre Continua τεσταιοφυεῖ.

FEbris continua in specie considerata vel est *primaria*, quæ nullo antecedente morbo exoritur, & [11]. hæc τεσταιοφυὴς, ἀμφημερινὴ, aut τεταρτοφυὴς, vel *symptomatica*.

Febris Continua τεσταιοφυὴς est febris à sanguine bilioso in vena cava propaginibus putrescente exorta, continuo sed tertia magis die affligens,

[12]. *Signa* sunt, [13]. febrium continuarum & ardentium symptomata, *tertia die* recursens *exacerbatio*, ex ratione bilis, quæ ira movetur. *Remissionis* causa est; tum distantia loci, ubi vapores generantur: tum minor ipsorum copia, propter quam totum priusquam aliud in ejus locum succedat, dissipatur.

Causa est [14]. sanguis biliosus & [15]. quicquid cacochymiam biliosam in venis cumulare, & cumulatæ putredinem inducere potest.

[16]. *Curatio*, quæ non est differenda, respicit, I. *Febrem ipsam*, quæ exposcit *alterationem* per refrigerantia & humectantia, quæ infra vide, [17]. & quidem eo validiora, quo calor magis ardens. Exhiberi debent *1.* lenientibus præmissis. 2. jejuno ventriculo, ne concoctio violetur. 3. modice, ne cruditatum sint causæ. 4. non frigida, ne calor versus interiora collectus & repulsus magis urat. *Topica* cordi, hepati, dorso, sed non ante statum applicanda, ne poris occlusis majus intra excitetur incendium. Agi potest, *mucilagine psyllii*, unguento *santali rubri*, & *rosarum*. Oleo *violarum*, *nymphææ* recenti.

II. *Causam*, quæ tollenda. 1. *Venasectione* & quidem *larga*, inprimis si copia sanguinis adest & vires ferunt: *in principio*, præmisso clystere aliquando; administrata, & si fieri non potuit etiam in augmento, sic humor biliosus in vena cava stabulans & cum sanguine permistus deprometur; sanguis

pra-

pravus quem natura plerumque ad extremas venas depellit, evacuabitur; residuus in nobilioribus visceribus facilius à natura corrigi poterit; nec ulla, manente sanguinis proportione, bilis ebullitio excitabitur.

[18] 2. *Evacuatione per inferiora*, & quidem in principio post venæsectionem, si materia turget, si est copiosa, si vires robustæ: [17] post concoctionem, si natura pigrior. Fit per *rhabarbarum* & *myrobalanos* in infusione aut decocto cum aquis refrigerantibus: syrupo *rosarum* solutivo in decocto *tamarindorum*, addita *manna* & cremore tartari, sero lactis caprilli cum rhabarbaro & oxymelite.

3. [20]. *Evacuatione* tam *per sudorem*, qui radicib. *tormentillæ, cornu cervi* præparato, & *sale absynthii* concitatur, quam per *diuresin*, cui inservit *serum lactis caprilli* cum semin. quatuor majorum emulsione.

Alterantia sunt, [21] spiritus *nitri* dulcis, [22] *salis vitrioli*; seu simplex seu *coagulatus*, *nitrum vitriolatum* in [23] jusculo hordaceo; Emulsiones *ex seminibus frigidis*, [24] *portulacæ, lactucæ*, Syrupi *granatorum, corallorum rubrorum*, acetosit. citri cum aquis refrigerantibus diluti, [25] *violarum*, acidis castigatus ne stomachum laxet, in vaporem siticulosum resolvatur, & facilius in venas penetret, Tinctura *rosarum*, aqua fontana cum succo limonum & saccaro, quæ Ægyptiis sueta. [26]. Veteres *aquam* frigidam prædebant, [27] nec improbari potest in tanto bilis fervore, præsentibus coctonis signis. De *balneo aquæ dulcis* vide eosdem.

III. *Ægrum*. Et tum agendum, *victu*, qui oppositus sit morbo & causæ. [28] Convalescentes, si febris evacuatione *perfecta* critica solvitur, [29] nunquam ad satietatem plenam edant. sæpius, sed parum. Inanitione omni, ventris dejectione excepta, abstineant. *Electuario Diarhodon* ad ventris corroborationem utantur. Si *imperfecta*, ita ut reliquiæ maneant, eas evacuent, per urinas præsertim. Tenui cibo utantur.

Dividitur in *Exquisitam* & *Notham*.

I. *Exquisita*, à bile puta, [30] aliquando porracea & æruginosa procedit, cujus eparæstuosum & similis diæta causa. *Cognoscitur*, quod acriore calore, siti, & vigiliis infestet, & in illos qui bile abundant cadat; pulsus sit vehemens, velox, durus, urina flammea. *Terminatur* septem vel quatuordecim exacerbationibus. [31] Non est ita lethalis, nisi vel error aliquis insignis committatur, vel malignitas aliqua adsit. In *Evacuando* [32] cave *scammoniata* adhibeas: in porracea *crystallor. præpar.* dr. s. cum syrupo aliquo aqua diluto specificum est Langio.

II. [33] *Notha*, a sanguine bilioso cum pituitoso vel melancholico temperato, aut a. pituita salsa provenit. Et *tum*, symptomata sunt leviora; sanguis mittitur parcius: refrigerantia leniter calefacientibus castigantur: purgantibus *agaricus* admiscetur.

[11] *Et hæc τεταρτοφυὲς, πεμπταιοφυὲς* &c.) Quæritur, *An non dantur Continuæ Quintana, Sextana Septimana*: Respondeo, Continuæ raro, Intermittentes vero dari tales nihil impedit, Ratio *prioris*, quod materia febrilis, quæ ita in continuo est motu fluxilior redditur, magisque attenuatur ob continuum febris afflictum & fermentationem, unde aliquid per hæc vel illa loca expurgari ac dissolvi necesse est: Ratio *posterioris*, ubi continuus ille afflictus non datur; hæc est ex conditione loci in quo materia febrilis nec quantitate nec qualitate ita abundare potest, ut vel singulis diebus, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum diem è foco suo exacte effluat, & cum sanguine ad paroxysmum instituendum [illegible]tur; sed ob loci conditionem diutius, ad quintum sc. vel sextum diem latitat, antequam fermentando ac ebulliendo è foco exire possit; Videmus enim lentam, viscosam, ac difficile solubilem materiam sat diu latitare posse quodam in loco antequam febrem excitat, [illegible] epilepsia quæ per consensum, imo & per essen[illegible] contingit videre est: fit itaque vel quia tanta in co[illegible] non sunt vellicationis ac irritationis illæ par[illegible] motum fermentationis ac dissolutionis præstare [illegible], Vel quia hærent quodam in loco insensili, ex quo [illegible]n per intervalla acquirunt, ita ut ad partes sensib[illegible], *Piens.* §. 11. p. 99.

[12] [illegible] Signa generalia febris biliosæ ex quinque fontibus re[illegible]ntur, 1. ex *calore*, qui valde acer, sed longo manus co[illegible] facile superatur, quia humor tenuis & calidus fa[illegible], ac cito discutitur: Quod intellexit *Hippocrates*, cum febres quasdam esse dicit valde acutas, sed à manu victas. 2. Ex *Pulsu*, qui in principio contractus est & parvus, postea vehemens, celer, quod magna sit refrigerationis necessitas: Nullam habet inæqualitatem, aut certe minimam; præterquam febrilem, quia [illegible]lis est, nec ita gravat naturam ut melancholia & pituita; tum quia non minor est refrigerationis ex diastole, quam expellendarum ex systole fuliginum necessitas, *Galen. 1. ad Glauc. c. 5.* 3. Ex *Urina*, quæ solet esse flava, aut flammea, substantia mediocris, & odore gravis in exquisita: nam, ut docet *Avicenna*, in Notha potest urina esse cruda & crassa: 4. ex *Forma Febris, nam*, [°] quoque die invadit; principium non est diuturnum; in augmento & statu symptomata increscunt, æger est vigil, nisi in *notha*, in qua humores sunt crassiores, in quibus interdum sopor contingit: Dolor adest capitis, vigilia, delirium, sitis, nausea, oris amaror, inappetentia, cardiogmos & similia: Declinatio est cum sudoribus & remissione omnium sypromatum: 5. Ex *causis* prægressis, ut ætate, regione, anni tempore, victus ratione, consuetudine, corporis habitu, Quibus addere possumus conjecturam *Archigenis*, scilicet si biliosæ febres eo tempore sint epidemicæ *Primrosius*.

[12] *Signa sunt*) Eadem sunt quę Tertianæ intermittentis, attamen ab illa absunt horror, aut rigor, & sudor, nisi quando crisis instat; sed calor, delirium, sitis, viginiæ, linguæ nigredo & similia symptomata quã in intermittente vehementiora sunt. *Bernardus Christini l. de Febr. p. 42.*

[13] *Signa sunt Febrium continuarum & ardentium symptomata*) Tertiana Continua, quod tertio quoq: die exacerbetur sic dicta, à Causo, qui assiduo parilią; incendio Cor exagitat, humore non differt, in utraque enim bilis putrescit; In utraq; calor adest exurens cum siti inexhausta: Communia ergo sunt signa, communes causæ, parisque curandi ratio. Satis arbitrantur, si studiosi febres

Tertianas distribuant in Tertianam continuam, sive ardentem, & in Tertianam intermittentem, ex earumque curandi ratione reliquas species biliosarum febrium persanandas discant; Nos inter Ardentem & Tertianam continuam nullam ponimus differentiam, nisi extensionem ac remissionem caloris febrilis & symptomatum; Extensiora enim sunt & acutiora in ardentibus febribus quam forsan in continua; Alias utraque ex iisdem causis excitatur, eadem adfert symptomata, & iisdem curatur præsidiis. *Fr. Joel Tom. 2. sect. 2 p. 18.*

13. *Signa sunt Febrium continuarum & ardentium symptomata*) Quæstio est apud *Vallesium l. 5. contr. 22.* An Causus & Tertiana continua sint ejusdem nominis morbi? an Causus pateat latius? Huic quam pulchre quadrat responsio? Causus vel legitimus est, vel spurius, Dicere enim, debebat, *F. nomen* nomen non esse simplex, sed dici de variis speciebus, licet non pari ratione de omnibus. Duæ itaque ejus species sunt quas *Vallesius* etiam docet, Aliæ duæ sunt, Causus aut benignus est aut malignus. Signa *Utriusque, Causi scil. legitimi & Continua Tertiana*, ex duobus illis characteribus secundum *Galenum 4. Acut 13.* sumuntur, ex calore scil. ingenti & siti clamosa. *Pieus p. 79.*

Sanguis biliosus) Cruoris massa; ex opinione veterum, quatuor humoribus, nimirum Sanguine, Pituita, Bile & Melancholia constare perhibetur: pro hujus aut illius humoris eminentia diversa temperamenta efformari, atque propter eorum fervores, aut exorbitantias, fere omnes morbos oriri statuunt; Hæc sententia, licet à Galeni usque temporibus Medicorum scholis increbuerit, nostro tamen seculo, cui sanguinis motus circularis, ejusque aliæ affectiones prius incognitæ innotuerunt, aliquantulum incognita esse cœpit, nec ita passim pro solvendis morborum phænomenis usurpari: quippe ejusmodi humores sanguinem minime constituunt, verum qui sic appellantur (excepto sanguine) sunt tantum cruoris recrementa, quæ debent ab ipso continuo secerni.

Est enim sanguis revera humor unicus, nec alius circa viscera, & alius in habitu corporis, nec alio tempore movetur Pituita, & alio Bilis aut Melancholia, uti vulgo asseritur, sed liquor in vasis effervescens solummodo sanguis est, & ubicunque loci per singulas corporis partes defertur, usque idem est & sui similis: Quoniam vero in aliquibus ob caloris insiti abundantiam, & propter ejusdem in aliis penuriam, alimenti coctio, & in visceribus & in vasis modo intensius modo remissius peragitur; ideo sanguinis (licet unici & ejusdem semper liquoris) temperies diversa existit, & juxta variam hujus crasin dici potest quod homines sint *biliosi, melancholici*, aut *alius temperamenti*, Præterea, quia dum sanguis in vasis inter circulandum conficitur, partes quædam continuo inveterascunt, & aliæ de novo supplentur, hinc à cruditate, aut nimia coctione quid excrementitium congeri necesse est, quod tamen effervescentia (veluti in vinorum efflorescentia seu depuratione succedit) ab ejus massa separatur, Scilicet *humor aquosus* visceribus aut solidis partibus defixus, is est qui dicitur *Pituita*: Salis & Sulphuris admistorum reliquiæ quædam in hepate secretæ, & vasis choledochus exceptæ, dicuntur *Bilis*: Fæculentiæ terrestres in Lienem depositæ dicuntur *Melancholia*.

Interim sanguis, si recte depuretur, pituita, bile & melancholia carere debet, non secus ac cum vina quædam aut cerevisia depurantur, particulæ leviores sursum evehuntur, quæ ejus Florem constituunt; crassiores & fæculentæ in imum deprimuntur, quæ in *Fæcem* sive *Tartarum* concrescunt: tamen nemo recte dixerit vinum, vel cerevisiam è floribus, tartaro & liquore vinoso componi.

Cum autem humores isti, vulgo sic dicti ex aliis principiis constent, scilicet Bilis ex sale & sulphure, cum admistione spiritus & aquæ, & Melancholia ex iisdem, cum adjectione terræ, cumque ex hujusmodi principiis sanguis immediate conficitur, & in eadem sensibiliter soleat resolvi, satius duxi, missa vulgari humorum acceptione, pro explicanda sanguinis ejusque affectuum natura, celebrata hæc Chymicorum principia in usum adsumere: Insunt igitur sanguini, veluti liquoribus quibuscunque ad fermentescendum aptis, plurimum *aqua* & *spiritus*, modicum *salis* & *sulphuris*, & aliquantulum *terræ*.

Sanguis putrefactione resolutus eadem exhibet separata & distincta, Etiam in sanguine vasis contento, aut iisdem recens immisso, eorundem energias & effectus licet detegere; Præterea cum esculentis quibus vescimur, & quorum succo sanguinis liquor constat, hæc eadem insunt, etiam cruorem ex iisdem conflari nemo inficias eat, quare hæc percurram, & quo pacto sanguinis consistentiam, proprietates & affectiones constituant ostendere conabor.

I. *Spiritus* (qui facile principatum obtinent) sunt subtilis & maxime volatilis pars sanguinis, quorum motus & effervescentia à *fermento cordis* dependet, quippe dum sanguis sinus cordis pertransit, ejus mixtio plurimum solvitur, ita ut spiritus, una cum particulis sulphureis aliquatenus laxari, & velut in flammam accensi, dissiliant & plurimum expandantur, indeque deflagratione sua calorem toti impertiant; Propter hujusmodi expansionem, & caloris suffusionem, fit jugis spirituum expensa, qui nimium rarefacti, velut accensi continuo avolant, & foras evaporantur, atque horum, quoad vivimus, fit continua reparatio per alimenta imprimis generosa, quæ plurimum spiritus & materiæ turgescentis in se continent, à quibus succus per digestionem elicitus, & sanguini collatus ipsi assimilatur, ejusque defectus resarcit.

Quando sanguis animalium destillatur, spiritus (instar aquæ vitæ) coloris limpidi ascendunt, salis adhæsione fiunt plurimum acres & pungitivi, non tamen ita facile prout spiritus vini proliciuntur, quia necesse habent intensiori igne urgeri, quoniam à consortio crassiorum, quibus obvolvuntur, partium ægre propelluntur.

II. Quod *Sulphur* copiose insit sanguini, constare videtur, quoniam alimentis pinguibus & sulphureis præcipue vescimur, etiam à sanguine nutrimentum solidis partibus appositum in sulphur & pinguedinem facessit. Quando pars sulphurea evehitur, ac in cruore nimis luxuriat, ejus crasin à debito statu pervertit, ut exinde sanguis vel depravatus, seu biliosior factus, succum alibilem non recte coquat, vel in totum accensus, æstus atque *ardores*, quales *in febre continua* oriuntur, concipiat. Etenim sulphur nimis exaltatum, & turgescens plus debito, maximas in sanguine effervescentias concitat, & *quorum sanguis sulphure uberius impregnatur, ii sunt febribus maxime obnoxii*: In destillatione sanguinis sulphur sub olei nigricantis forma ascendit, quod etiam ob empyreuma perdiutissime fœtet.

III. *Salem* inesse sanguini gustu evincitur, qui tamen è vegetabilibus fixus, ex aliis esculentis primo minus volatilis comestu elicitur, postea optima naturæ digestione & circulatione summe volatilisatur, ut non tantum sine capite mortuo residuo singula corporis nostri membra & partes permeet, verum & sanguine destillationi exposito alembicum ascendat, & caput mortuum velut terram insipidam relinquat: Si quando in Sanguine propter malam digestionem particulæ salinæ non rite exaltantur, verum crudæ & magna ex parte fixæ permanent, inde cruor evadit spissus & circulationi ineptus; ita ut in visceribus & solidis partibus obstructiones gignantur, & cruditates ser-

sim co[...]tur: Sin vero spiritu depresso, aut deficiente, [...] nimis evehitur, & fluorem patitur, sanguini diathe[...]tosa & austera inducitur, qualis in Scorbu[...] & *[...] quartana* laborantibus observatur: Etiam à [...], ob hanc rationem varie coagulato, Arthri[...], S[...]mæ, Nephritis, Lepra, & morbi plerique chro[...]ur.

Cum autem in visceribus & vasis, coctione rite pe[...], S[...] debite exaltatur, & spiritui associatus vola[...]atur, tunc propter eius mixtionem liquor sangui[...] magis æquabiliter fermentescit, etiam à putredine, [...]tione, & coagulatione vendicatur: Etenim particulæ salinæ spirituum, & imprimis sulphuris, efferationes refrænant: *quare qui sanguinem habent Sale volati[...]to bene saturatum, ij sunt febribus minus obnoxii*; *Hinc etiam qui sæpius sanguinem mittunt*, ad febres aptiores sunt:

IV. Insuper sangui[...]. (cum sit humor crassius, & consistentiam habeat spissam) particulæ terrestres copiose insunt, hinc etiam nimi[...] ejus volatilisatio velut staturninatur, & præpropter nimis accensio inhibetur, non secus ac pulveri pyrio carbones sæpe in majori proportione adduntur, ne partes ejus simul & cito nimis ignem concipiant; Denique à distillatione sanguinis caput mortuum leve & friabile in magna copia relinquitur.

V. Ab *aquosa sanguinis parte* fluiditas ejus dependet, hinc enim stagnatio ejus impeditur, & sine inspissatione cruor in vasis circulatur, etiam nimia ejus conflagratio & adustio restringuitur, nec non calor attemperatur: Cum Sanguis destillatur, aqua limpida & insipida, respectu cæterorum in dupla ut minimum proportione educitur, hinc enim urinæ, sudoris ac humidi cujusvis excrementi materia maxima ex parte procedit. *Willis l. de Feb. c. 1.*

In hac febre sanguineæ massæ synthesis, quemadmodum liquoribus fermentantibus accidere solet, plurimum reseratur; & particulæ activæ à misto solutæ velut in flammam erumpunt; Unde fermentales illæ particulæ cum massa sanguinea ad cor deferuntur, illudque irritant, ac magis inde æstuantes per arterias in corpus quaquaversum diffunduntur.

Quod vero hæc febris vehementius affligit quam con[...] Quotidiana, non est propter humores biliosos, li[...]t admixti esse possint, nam isti humores ex propr[...]ate sua illis constitutis diebus non moventur [...]n enim sibi conscii non sint, exacerbationem facere non possunt, sed quia spiritus in fermentando magis in actu suscitantur quam in Quotidiana; In hac itaque [...] sufficienter non generantur, ob crudas & ichorosas particulas, aut obtunduntur & suffocantur, ob longam febris durationem. *Picus Tr. 2. part. x 1. pagina 97.*

[1]. *Et quicquid cacochymiam biliosam*) Sanguini (quemadmodum liquoribus quibuscunque fermentativis) in[...] particulæ heterogeneæ, quæ cum sint diversæ figuræ & energiæ, earum mutuo occursu & subactione, quamdiu in mixtione perstant, fermentationis motus [...] conservatur; prout in vino, cerevisia, aliisque liquoribus fermentescentibus cernitur: dein si à fermen[...] liquoris mixtio non nihil resolvatur, particulæ activæ vinculis liberatæ, adhuc magis turgescunt, & fer[...] [...]m cum motu rapidiori & calore in[...] quod [...] est in familiari chymicorũ expe[...] [...] fluidi liquoribus alius gen[...] mitt[...] calor ingens ac ebull[...] *Willis l. de Feb. c. 1.*

[10]. *Cura[...]* quoad meden[...] *[...]dentibus* [...] nam & ead[...] remedia; saltem [...] in his a[...] [...]n magis r[...]dum [...]ida fuerint, *absorbe[...]*

Alterationem per refrigerantia) laudata, in specie *nitrum vitriolat. coralliata, lapid. cancr. & Poterij antihecticum*, imminente quasi paroxysmo in specie usurpanda sunt, conservando corpus in diaphoresi blanda, alvumque liberam retinendo, aliaque pro symptomatum tam præternaturalium quam non natur. varietate debite præstando. *Etmuller.*

[17]. *Et quidem eo validiora*) In febribus ardentibus ubi gradu superaddito calor augetur, quando solis refrigerantibus sustinent ægri vel Medici eundem obtundere (qui jam dum per se illo Vesuviano peregrino igne depauperatur satis superque) potu largiori aliisque, utplurimum hinc tumorem pedum, si non hydropem ipsum reportant. (*vide ergo ne quid nimis*) *Wedelius Am. m m. p. 152.*

[18]. *Evacuatione per inferiora* In Tertiana & biliosis corporibus, à calidioribus & fortioribus, quia facile diarrhoea sequitur, cavendum; Vix itaque ad scammoniæta, nisi facile ferunt remedia, descendendum, Proin in Causone descripta, & quæ bilem maxime respiciunt, hic conveniunt. E. g.

℞. *Prunor. n°. x. tamarind. ℥j. jujubar. sebest. ãã. n°. x. passular. ℥ß. da ctyl. n°. v. flor. violar. borrag. bugl. ãã. p. j. sem. cucurb. ʒß. f. decoctio, infunde Rhei ℈iv. myrobal. citr. ʒij. spicæ ℈j. f. Expressio. adde cassiæ ℥ß. mannæ ʒvj. f. Potio.* Vel.

℞. *syr. diaser.* (qui multa refrigerantia &, deoppilantia recipit) ℥iß *dissolve cum aqua buglossa vel endiv.*

Vel sic, cum urinæ quoque promovendæ.

℞. *rad. cichor. gramin. asparag ãã. ʒ j. infundantur in vino acidulo, h. endiv. borrag. acetos. ãã. m. j. tamar. ℥ß. flor. iij. cord. ãã p j. fol. senæ ʒ j. f. Decoctio. dissolve in colat syr. violar. rosar. solut. ãã. ℥j f Haustus.* Platerus.

Observanda tamen hic est animadversio *Septalii* l. 5. § 4. ut in Continua Tertiana respectu sui, aut materiæ illam facientis, nunquam ab initio ante coctionem medicamento purgante evacuandum est; ita cum quandoque bilis acris ad ventriculum transfundatur, & mordens gravissima inferens pericula, & sæpe mortem, potissimum si æger ad vomendum natura ineptus fuerit, illa ut præveniamus, licebit purgatione uti respectu symptomatis, ut *syrupo rosac. solut. ex sero lactis*, vel solo *sero*, vel cui incocti sint *Tamarindi* &c.

Utut autem Purgatione uti vix liceat, toto tamen morbi decursu eo respiciendum subinde ut alvus blande servetur aperta, idque inprimis ubi æstus urget, qui sub alvo clausa semper magis intendi solet; Idque eo tutius fieri potest quo minus malignitatis inest suspicio: nam malignis in febribus, in quibus natura vere intendit motum ad partes intercutaneas, cautissimi simus in alvo aperienda.

Pro hoc igitur scopo, alvum apertum servandi, convenit inprimis *serum lactis*, aut simplex, aut cui de *tamarindis* ℥j. aut ℥iß. infusa fuerit, item *Decoctum Tamarind. cum passulis.* Quod si vero initio harum febrium blande purgare, aut primas vias abstergere animus sit, Infusum blandum ex [...] cum *rhabarbaro*, ubi non nimis celeriter moven[...] febre, tu[...] [...]edi potest. *Etmuller p. 312.*

[...] *conco[...]* [...]urimi Coctionem confundunt [...]epara[...] [...]nem enim definiunt humorum [...]ratio[...] [...]sionem, quos non abs re refellit [...]ter[...] [...]dunt duos aphorismos simul, 9. [...] 2. C[...] *purgare voluerit, fl[...] facere oportet.* [...] aph[...] *[...]a medicari no[...]* [...]llo de [...]ræp[...] [...]c de Conc[...] [...]de re[...] bu[...] *Preparatio[...]* [...]an[...] d[...] [...]r, hum[...] [...]ssi & [...]uatur, in[...] [...]ribus [...]endum [...] *[...] cichor.* [...]andi re[...] [...]ando pri[...]

3

ma regio fuerit à ſuis excrementis liberata; alias periculum eſt ne præparantium uſu in venas impuritas illa rapiatur, & medicamenta præparantia incidant in colluviarium.

Coctionis itaque latitudo aliqua eſt habenda, *quædam propriè talis* quæ fit ex mitiori temperatura, mutuaque velut elixatione, In qua *acerbum, ſalſum, amarum &c.* vitioſum, potentia utile adhuc, emendatur, contemperatur, & reliquis conſociatur; *Quædam impropriè & abuſive ſumpta*, Græcis [illegible]. Digeſtio & Præparatio Latinis appellata, cujus officium eſt, non ut concoquant, ſed ut tantum diſponant, quo facilius deinceps Coctio fiat.

Ea de re dat exemplum *Hippocrates, Vbi*, inquit, *craſſa evaſerint, ac pepaſmo mitigata fuerint, & ab omni acrimonia aliena evaſerint. tunc illico tum febres ſolvuntur, tum cætera quæ hominem affligebant miteſcunt*: Hinc brevibus lineis interjectis concludit, *Concoqui autem & mutari, attenuarique & craſſeſcere in aliam ideam humorem oportet, (quapropter & criſes, & numeri temporum in hiſce talibus plurimum valent) verum cuncta hæc evenire calido aut frigido minime omnium conſentaneum eſt, cum nec putreſcere nec craſſeſcere queant.*

In levi itaque receſſu harum, intemperaturarum, maxime ſimpliciter alterantia, calefacientia, frigefacientia &c. ſunt proficua: talibuſque nitimur in febribus. In *magno* autem & *notabili*, ceu plerumque fit in *Angina, Pleuritide, Peripneumonia, Febribus continuis & ardentibus*, una concoquentibus opus eſt.

Extendit autem ſe coctio materiæ febrilis ad duo, quorum *alterum* mutationem utilium in priorem ſtatum, *alterum* vero aptitudinem inutilium ad expellendum & evacuandum comprehendit, *prius* genuinum illius opus eſt, *poſterius* ex accidenti ſequitur: Cum enim in qualibet coctione quædam ſuperflua ſint, & hinc tanquam inutilia & aliena ſe habent; fit ut cum locum nullum amplius obtinent in corpore, expellantur & evacuentur.

Coctio tandem materiæ febris hic intelligitur, non ea elaboratio & mutatio eorum, quæ idonei corpori noſtro alendo redduntur, ſed cum ii caloris nativi viribus ita alterentur, & ab utilibus ſeparentur, ut evacuationi reddantur apti.

Hinc itaque Cruditas & Coctio alibi locum non habere videntur quam in febribus, Vnde ii peccant qui in omnibus morbis, etiam ſine omni omni febre, Digeſtiva, quæ vocant, Purgationibus præmittenda eſſe arbitrantur, cum materia ita ſæpe ſit diſpoſita, ut licet exhiberemus ſexcentos ſyrupos (uti loquitur P. *Æneas Caprilius*) nunquam major fieret ſeparatio: Cruditas enim in febribus videtur eſſe humorum quaſi fermentatio, Nondum enim, ut *Galenus* explicat, durante illa ebullitione vitioſum à bono eſt ſeparatum: Non multum differre videtur à cerevisia & muſto, Si quis vel decies colant, vel per filtrum quoque, uti dicunt, diſtillaris muſtum vel cereviſiam, nondum defæcatam, clarum non reddet eam, ideo quod natura partes heterogeneas nondum ſepararit: Ceſſante vero illa ebullitione, & fermentatione abſoluta; poſtea vinum & cereviſia clara ac defæcata redduntur, fæceſque ſubſidunt; aut ſi in vinum aut cereviſiam defæcatam, pulverem aliquem injicias, is facile vel ſubſidentia vel filtratione ſeparatur, (*Quæ de muſti defæcatione per filtrationem adducuntur. experientia repugnare oſtendunt ii qui vina, quæ vocant Raſpata parare ſolent, ſi enim dolio immiſerit raſpaturam, aut ſcobem, ligni, præſertim fagini. quod nullo ſapore præditum eſt, hiſque muſtum recentiſſime ex uvis expreſſum affuderit, intra horas XXIV. muſtum, ſervata priſtina dulcedine limpidum ac tenue evadit: Idem experimentum in Vappa, ſeu vino, quod vocant* Tourné, *Conturbato, tali ab ebullitione reddito procedit, An in cereviſia idem accidat, experiri non licuit: Itali Pharmacopæi ſuccos plantarum recentes defæcaturi, qui ebullitioni obnoxii ſunt, per arenam trajiciunt.*)

Medicamenta autem concoquentia, ſeu Digeſtiva; ſunt ea quæ impedimenta quæ in coctione naturam remorari poſſunt, tollunt, & quantum quidem licet, naturam in elaboranda febrili materia juvant: *Galenus 1. ad Glauc.* ad coquendos humores pituitoſos; ac lymphpam craſſam præſcribit *piper*, & alibi *origanum, ſerpillum, thymum*, Libro octavo *meth.* laudat *aquæ potum*; Cum enim non ſit una natura eorum quæ coquuntur, propterea varia quoque erit concoquentium; cum alia fortem, alia debilem requirant calorem, Aut ſi in febribus organum ſit labefactatum, ut coquere non poſſit, contrariis illi erit ſuccurrendum; ideo *vinum* in febribus lentis, ac à particulis crudis, craſſis & aquoſis ortis, *Aqua* in ardentibus coctionem promovet. *Piens Tr. de Febr. P. 2. p. 111.*

[20]. *Evacuatione tam per ſudorem*) Alia Diaphoretica conveniunt febribus intermittentibus, alia continuis; Fruſtra ſunt qui in continuis *Sale abſinthii, card. ben.* &c. in intermittentibus vero *ſpir. c. c. viperarum* &c. utuntur, Media vero, ut *miſtura ſimplex* utroque caſu mediant; Alia conveniunt in principio, alia in progreſſu, ſive declinatione; ſemper ſimul reſpiciendus eſt ſtatus feri: Vidimus hinc ex intermittentibus redditas fuiſſe continuas; Quo volatilior fuerit ſtatus, eo mitius procedendum, cæteris paribus; Valet id quoque de dozibus ipſis; falluntur qui correpti inſultu febrili *antimonii diaph.* vel *bezoart. min.* gr. v. vi. ſolum ad ſumunt, neq. enim præcipitare ſufficienter, vel diſſipare hæc dozis poteſt: par ratio eſt *tinctura bezoard. ſpiritus c. c. Wedelius.*

[21]. *Alterantia ſunt*) Cum integra & abſoluta Purgatio, quam *eradicativam* vocant, nonniſi concocta materia inſtituenda ſit, Medicus ab ipſo morbi initio, poſt primam venæ ſectionem, & primarum viarum evacuationem, ea medicamenta uſurpare debet quæ humores crudos præparant ad concoctionem & evacuationem, ſimulque calorem febrilem contemperant, putredinem arcent & obſtructiones reſerant. In progreſſu febris, apparente concoctione, decoctis prioribus addunt ur *rad. aſparagi, liquir. fol. agrimon. pimpin. hepatica, capill. vener.* Riverius.

[22]. *Spiritus nitri &c.*) De iſtorum ſpirituum uſu vide ſopra Tit. 3. De Febr. putr. in genere §. *Potus.*)

[22]. *Spiritus nitri dulcis, ſalis vitrioli*) Acida in bilioſis febribus nunquam omittenda, quia amara dulcificantur per acida; quæ ſi intenſa ſint in ſuo gradu, ut *ſpiritus vitrioli*, aut *ſulph.* ipſius aloes & colocynthidis amarorem delent; Bilis autem flava ſuo amarore ſpoliata, mortua eſt & innoxia. *Riverius.*

[23]. *Juſculo hordeaceo, Emulſiones*) Præparatio humorum inſtitui poteſt per Julepos, Juſcula medicata, Emulſiones & alia: *Julepi* componuntur in materia bilioſa ex, *ſyrupis de limon. granat. de agreſta, acetoſo ſimpl. de ſucco acetoſæ, oxyſacch. cum aqua endiv. acetoſa gramin. & cichor.* Vel melius ex *decoctis rad. acetoſ. cichor. fol. acetoſ. capill. ven. ſcariola, dentis leon. ſemin. frig. tamarind.* cum ſyr. prædictis, interdum ad intenſius refrigerandum *Sal prunella additur* ℨj. pondere pro unaquaque Julepi dozi vel *ſpir. vitr. aut ſulph.* q. ſ. ad moderatam aciditatem. Ex *ſuccis* etiam poſſunt fieri *Julepi*, ſummæ efficaciæ & gratiſſimi.

℞. *ſucci pomor. redol. recenter extracti, & per reſidentiam depurati* ℥iv.
ſucci limonu ℥iij.
aqu. roſar. ℥ij.
ſucci granat. ℥j. *ſacch. albiſſ.* ℔ß.
f. Julep. clarificatus pro iij. dozibus.

Pro delicatioribus *Juſcula medicata* Juleporum loco præſcribi

scribi solent; tum etiam ne ægri ejusdem remedii olintius usurpati tædio afficiuntur, eaque componuntur ex prædictis radic. & herbis, gustui gratiores eligendo, cum *pullo gallinaceo*, vel frusto *gallinæ* aut *capi*, Jisque interdum, cum magis refrigerandum est, *salu prunellæ* ʒj. vel *spir. vitrioli* guttæ aliquot addi possunt. *Emulsiones* locum habent, Julepis ut plurimum gratiores, Tum maxime usurpandæ ubi febris siccam viscerum intemperiem habet comitem, vel catarrhum tenuem, vel pulmonis & partium spiritualium phlogosin, vel etiam ut remediorum formulæ immutentur, nec æger longioris Juleporum usus tædio afficiatur, *Riverius.*

24. *Portulaca lactucæ*) Si bilis valde acris & tenuis sit quæ orgasmum faciat, & vel diarrhœam; aut gravem aliquam aliam fluxionem paret, Incrassantes Julepi parandi sunt ex *aquis lactucæ, portulacæ, papav. rhœad. nymphææ rosar. cum syrup. violac. jujub. de rosis siccis, de succo portul. papav. rh. papav. albi* vel ex *decoct. lactucæ portulac. plantag. flor. nymph. papav. rh.* & *violar.* cum syr. prædictis. *Riverius.*

25. *Violarum*) Hic, aliique dulciores, soli non exhibendi, tum quia laxant stomachum, tum etiam quia antequam in venas penetrent ventriculi calore in vaporem calidum convertuntur, qui postea sitim intendit, Idcirco aliquid syrupi cujusdam acetosi semper admiscendum, ut facilius penetrent in venas, & magis calori febrili resistant. *Riverius.*

26. *Veteres aquam frigidam*) Non admodum arcendi ab aqua ii qui ex sincera bile febricitant, Ejus enim succi alteratio ustio est potius quam putrescentia, quare cum concoctio non sit contrariæ ustioni, ut putrescentiæ, in talibus ab attemperatione expectandum auxilium est potius quam à concoctione, quare aqua largius utendum. *Vallesius Epid. pag. 482.*

27. *Nec improbari potest*) Frigida magna copia exhibita in Febribus etiam Putridis continuis à veteribus usurpari solebat, & à Recentioribus quamplurimis laudatur: Verum quemadmodum in synocho simplici suspectus est illius usus, sic jam prudenti Medico consultius fore ducimus ab ea abstinere ob rationes dicto loco adductas: Conferre tamen aliquando in magno æstu febrili aquæ frigidæ bonum haustum ad ℥x. vel xij. cum guttis *aliquot spir. vitrioli* exhibere, ab ea enim iidem interdum effectus producuntur quos *Galenus* aquæ frigidæ tribuit ad ℔iij. vel iv. exhibitæ, cum tamen inde ea pericula metuenda non sint quæ *Galenus* ipse ex præpostera magnæ illius aquæ frigidæ copiæ exhibitione sæpe contingere fatetur, *Spiritus* enim *vitrioli* facit quo minus aqua obstructiones augeat, quinpotius eas aperit, & cito penetrat atque viscera pervadit, nec moratur in hypochondriis ut aqua frigida simplex, sed aquis mineralibus & acidulis valde affinis evadit, quæ licet magna copia sumantur, non gravant hypochondria, & citissime rejiciuntur, nec non obstructionibus reserandis opportunissimæ sunt. *Riverius.*

28. *Convalescentes*) Illud velim consideres quantopere sibi cavere debeant convalescentes, etiam si recte soluti morbi esse videantur, quia debiles cum sint, à levibus erroribus graviter nonnunquam offenduntur; Id vero præcipue teneri debet in iis qui ob internas aliquas affectiones periclitati sunt habitualibus intemperiebus corporis, Quo in genere sunt omnes qui internam habent partis collectionem, & qui ob inflammationes aut erysipelata interna cœperunt macrescere; Cum enim horum debilitas esset in essentia, non potest eorum facultas nisi diuturno tempore reparari; Sæpe ergo quibusdam, quæ urgebant, mitescentibus, incipiunt velut revirescere; Cum vero eorum virtus non potuerit confirmari brevi ob erratum aliquod, etsi non gravissimum, denuo præcipitantur: Itaque hilente reficiantur, & diu sibi caveant, atque adeo omnes ex quibus, ob malignitatem morbi, aut affectæ partis naturam, facultas videtur esse corrupta magis quam pro morbi longitudine, pluri tempore reficiantur quam extenuati sint: Respiciendum enim est non quanto tempore sed quantum sint debilitati quaque in essentia. *Vallesius f. Epid p. m. 501.*

29. *Nunquam ad satietatem*) Convalescentibus ut laborandum non est, sic neque nimiis cibis corpus replendum; nam quemadmodum nimia satietas sanitati officit, sic si plenior paulo supra naturam in morbo cibus capiatur, quo scil. vires opprimantur, non confirmentur: quod accidit iis qui à morbo cibos avide expetunt, genioque indulgent, & tamen nihil proficiunt; Cibus hic morbum facit, in alvo scil. oppressionem, spirandi difficultatem, dysenteriam quoque aut leienteriam. In genere venoso obstructiones & febres, In habitu corporis extenuationem & phymarum omne genus: Quod ita esse declarat rei eventus, Etenim eorum morborum qui à nimia cibi abundantia succrescunt curatio vacuatione perficitur, *Liebantius Schol. in aph. 18. sect. 2.* Vult Hippocrates præsentem aphorismum illis accommodare, qui cum à morbo convaluerint liberalius se cibo & potu invitant: Hujuscemodi enim iterato laborant & periculosissime: Hoc docuit *Hippocrates* exemplo mulieris, quæ septimo die plene judicata, cum se eodem die liberalius invitasset, postridie obiit, non sine ratione: Nam calor naturalis partium solidarum infirmitate laborans strangulatur, si multo cibo prematur; Etenim convalescentes ut labor frangit, ita etiam repletio. *Heurnius l. c.*

30. *Aliquando porracea & æruginosa*) Non tantum à bile simplici, sed ab æruginosa, vitellina, porracea fieri potest secundum quosdam, ut ostendit experientia purgatis per alvum & vomitum hujusmodi humoribus febres Tertianas finiri. Scribit *Galenus 5. aph.* 1. se vidisse juvenem qui expurgata per vomitum bile æruginosa à febre & convulsionibus liber evasit: Vidi mulierem quæ in singulis paroxysmis bilem vomebat æruginosam, & vitellinam interdum. De his Febr. docte tractat. *Averroes 7. colligat. c. 11.* ubi docet eas potissimum quæ fiunt ex bile æruginosa habere accessiones longas, periculosa symptomata, & esse admodum exitiales, *Avenzoar* cap. 6. *Theisoir. lib. 3.* vocat fraudulentas & pernitiosas: *Massaria* eas reponit inter spurias, cum potius exquisitissimis sint adnumerandæ, *Mercatus Pernitiosas* quasdam Tertianas describit, inter quas eas recenset quæ ab ejusmodi humoribus procreantur; *Conciliator* negat dari febres ab ejusmodi bile ob malignam & venenatam humoris naturam, 1. quia quæ sunt valde ignita non putrescunt, quia calida sicca, ut prædicti humores, ergo nec febrem generabunt; 2. Oportet adesse tempus idoneum ad febrem generandam, sed hic non adest, quia humor ob malignitatem & venenositatem statim à corpore ejicitur: Sed dubium non est humores hos posse putrescere, cum omnia putrescant, imo nihil sunt quam bilis intense putrefacta: Si igitur retineantur facient febres, sed valde malignas: Retineri autem contingit & in venis & extra venas. *Primirosius l. 3. c. 2.*

31. *Non est ita lethalis*) Febres, de quibus *Hippocr. aph. 43. sect. 4. quæ tertio quoque die vehementius affligentes, non intermittunt, periculosiores sunt: quoquo autem modo intermiserint periculum abesse significant.* Febres, *inquam* illæ sunt quas alibi *tertianarum naturam referentes* appellavit, quæ continuæ sunt, & tertio quoque die graviores fiunt; hæque periculo non vacant, quæ de genere continuarum sunt, Quatenus vero tertio die ingravescunt, periculosiores sunt illis quæ singulo die, sine intermissione, pariter invadunt, & ratio est, quia quo totius paroxysmi pars deterior, quam vigorem dicimus, diutius perduraverit, eo magis naturam affligi necesse est, cum igitur hæc febris per longiora intervalla exacerbatur, quam quotidiana continua, & omnia tempora longiora habeat, vigorem etiam longiorem habere necesse est, & ex conte-

quent etiam periculosiorem esse, & hac ratione (ni fallor) adhuc periculosior est quartana, si sit continua, ut experientia demonstrat; quamvis hæc eadem ad intermissionem deveniens omnium securissima sit.

Sed duo pro vera hujus sententiæ explicatione veniunt adnotanda, & 1. non asserere *Hippocr.* febres omnes intermittentes carere periculo, quia id falsum esse in dies observatur, quoties enim febres à principio sunt intermittentes, quæ temporis progressu factæ continuæ ægros interimunt; quod etiam advertit *Hippocr. 7. Epid. 2.* vi. dum inquit, *æstate cholericæ affectiones, & febres intermittentes fiunt, & quibus horrores accedunt, hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt*, Si quis vero exponat quamdiu febres intermittunt, periculo carere, Is prædicendi ridiculum, & *Hippocr.* indignum modum proponet, similem ei quem à nostris frequenter audio, Ægrum scil. non moriturum, nisi aliquid aliud mali accedat; certum enim est, si mori debet, ulterius mali aliquid supervenire ei oportere.

Quare hoc modo intelligendus est in hac sententia *Hippocr.* Si febris, quæ continua fuit, & tertio quoque die exacerbari solita ad intermissionem devenerit, nullum amplius periculum afferre potest: ij. *Adnotare* oportet *Hippocr.* non asserere febre quoquo modo desinente omne periculum abesse, nam sæpe ægri in hujusmodi febribus ad infebricitationem deveniunt, qui febre redeunte tandem moriuntur, quod quamplurimis ægris Epidem. accidisse legimus (ut proprias observationes taceamus) Sed intelligere febrem intermittere eo modo quo febres periodicæ intermittere solent: quod ut significaret usus est voce διάλειψις, quæ proprie prædictam intermissionem significat; ad differentiam vocis ἀπύρεξις, quæ simpliciter febris carentiam denotat.

Quare sensus est, Febres continuas, tertio quoque ingravescentes, periculosas esse; quæ quidē quoquomodo intermiserint, h. e. quocunque typo, sive quotidiano, sive tertiano aut quartano, sive etiam erratico, ad eam intermissionem devenerint qua febres periodicæ intermittentes fiunt, periculum abesse significatur; Et ratio est, quia hujusmodi transmutatio significat mineram febris translatam esse à venis ad extra venas: quare si natura talem motum potuit perficere, dum à febre continua affligebatur, multo facilius prohibere poterit, ne rursus intra venas firmetur, & periculosum morbum denuo constituat, dum in febris intervallo recreari potest: Et si *Parius 3. Epid. sect. 3.* ex continua in intermittentem erraticam conversa tandem mortuus est, id non naturæ morbi tribuendum est, sed erroribus in victu. *Pr. Martianus p. m. 356.*

[32] *Cave scammoniata*) Attamen *Hippocr. l. de Loc.* sect. 2. v. 79. In febrium curatione pharmacum cholagogum exhibet, cui mitia nostra cathartica ignota erant, usurpanti scammonio validiora: *Franc. de le Boë Sylvius*, *dacrydium*, *scammonii* progeniem, tutissimum esse medicamentum esse ait, sibique in febribus familiare; Ex eo Emulsionem parat gratissimam, Ex *scammoniatis* medicamentis officinalibus utilissime usurpatur *Electuarium de psyllio.*

[33] *Notha à sanguine bilioso*) Tertiana Notha, secundum *Avicennam* est, quæ ex bile cum aliis humoribus putrescente generatur, vincente tamen bile: Sic Tumores vocamus exquisitos qui & si acero humore, alterius mistione non inquinato, oriuntur; Quod si varij humores simul misceantur, fiunt Tumores Nothi, ut erysipelas phlegmonodes, sic in febribus sincera bilis exquisitam; aliis admista *Notham* parit *Tertianam*: Suntque hic duo animadvertenda, 1. Bilem in illa permistione vincere debere, ut nomen formamque febri largiatur: alias si copiosior esset pituita, non Tertiana sed Quotidiana notha potius deberet appellari, 2. Humores hos varios simul permisceri debere, ut unam faciant febrem unumque paroxysmum; nam si diversi humores diversis in locis putrescant & accendantur, aut diversis temporibus moveantur, duæ erunt febres, ut in hemitritæo, duabus tertianis, non una. *Primirosius.*

a. A Pituita per adustionem) Quidam dicunt *Ardentem spuriam oriri à salsa pituita.* At vero quæritur, an pituita, quæ facit hanc febrem sit salsa priusquam faciat morbum, an vero in ipsa generatione febris salsa evadat, Ex una parte non videtur fieri posse ut pituita salsa existens putrescat, & faciat febrem quia salsa, tantum abest ut faciant putredinem, ut eam procul arceant; ita muriam nunquam putrescere quotidie videmus: Ex altera parte est, quia si fieret à pituita salsa, sequeretur omnem febrem fieri à pituita salsa, quod est falsum, quoniam si pituita, cum putrescat, salsa evadit, & putrescens facit febrem, ergo omnis pituita facit febrem, quod experientiæ & rationi repugnat. *Piens p. 235.*

Articulus II.

De Febre continua ἀμφημερινοφυεῖ.

[34] Febris continua *ἀμφημερινοφυὴς est febris à sanguine pituitoso in venæ cavæ propaganibus putrescente excitata, singulis diebus exacerbari sueta.*

[35] *Signa* sunt, exacerbatio quotidiana etiam nullo assumpto cibo, quæ fit circa vesperam propter pituitæ motum, cum *calore* primo attactu miti, propter lentam & inæqualem ex varietate partium pituitæ incensionem, post laxatis manuum tepore poris cutis acriore, [36] quibus ab hectica distinguitur; cum levi partium extremarum *refrigeratione*, quod tamen perpetuum non est, [37] *Urina* est crassa potius quàm rubra [38] *pulsus* mollis & latus, sitis exigua.

[39] *Causa* est sanguis [40] pituitosus putrescens, qui à senibus ob frigiditatem, pueris ob lactis usum & ἀδηφαγίαν, nec non otiosis & in humido degentibus cumulatur,

Curatio est I. quoad eventum, 1. [41] *Difficilis*, quia ob humoris crassitiem ad quadragesimum & sexagesimum interdum diem durat, ita ut principium ante vicesimum non absolvatur. 2. *Facilior*, [42] si virtus valida [43]. & plures evacuationes contingunt: si pauciora & minora symptomata: si paroxysmi justo breviores. 3. [44] *Anceps & dubiæ spei* si virtus ab initio debilis: si paroxysmi longi: si somnus profundus: si ventriculus debilis, quia obstructo indies hepate & liene cachexiæ & hydropis metus est: si diu durat, quia potest facilè in hecticam terminari.

II. [45] *Quoad processum*, respicit I. *Febrem ipsam* quæ adeò refrigerantia, quia calor mitis, non reposcit.

II. *Causam*,

II. *Causam*, quæ præparanda, educenda. Ergo, I. primæ viæ, quia crassis & crudis humoribus scatent, clysteribus vel lenientibus medicamentis (mel rosatum valet) evacuentur: ne, si id negligatur, attenuantibus fusi & colliquati naturam ante statum obruant. Ventriculus *vomitu* purgari potest semel & iterum, si nausea subrepit. 2. [48] Sanguis qui pituita infectus, parcè, ne crudior evadat mittatur, inprimis si natura nimia humoris copia obruitur; vires ferendo pares, nec naturalibus annexa impediant, sic enim parte oneris levata, facilius reliquum subigitur. 3. *Humor peccans per ἀλλοίωσιν alteretur*; moderatè primò incidentibus & detergentibus, ne si per validiora fieret, idem in penitiores corporis partes deducatur; post sine excessu [49] validioribus. *Ibi* conveniunt quæ ex *capillis veneris*, [50] *oxymelite simplici, melle rosato* [51] *chamadry*, *betonica* &c. parantur, seu illa syrupi & aquæ, seu Electuaria & conservæ: *Hic*, [52] *Oxymel compositum*, syrupus de *duabus radicibus*, *Tartarum vitriolatum*, *Nitrum præparatum*, quæ in jusculis propinari possunt, *Notandumque* simul. [53] Refrigerare ex accidenti calida & quæ tenuis substantiæ, dum reseratis arctioribus viis, calori nativo eventilationem conciliant. Incidentium & detergentium vim pro humoris conditione, febris vehementia & corporis constitutione variare debere. Circumspecti, secundum Feynæum, esse Medici, novare interdum, morbum augere, febrem incendere, ut curationem, eo quod est non recipiente, id quod futurum est recipere possit, idque in lentis febribus usu venire, ut opportuniores sint curationes si in acutas mutentur: quod cum grano salis & ingente cautela sumendum est.

4. [54] *Purgetur* idem per inferiora, [55] si coctionis signa apparent, [56] partitis vicibus, *lenioribus* primò, ut *hiera picra, agarico trochiscato, aloë*, vegetioribus post, [57] quibus unum & alterum granum *magisterii scammonii rosati* addi potest.

5. *Sudores cieantur* imminuta jam materia, *sale absynthii & carduibenedicti* cum pauxillo *theriaca*, audacius, [58] si per *diuresin* aliquid demptum est.

6. *Ventriculus & hepar roborentur*, intra, trochiscis *de absynthio*, *rhabarbaro*, rotulis *aromatici rosati*, speciebus *diaxylo aloës*.

[5]. Extra, ceroto *santalino*, cum oleo nucis moschatæ, quod in ventriculo locum habet.

III. *Ægrum*, qui diæta fovendus.

Victus ergo præbeatur primis tribus *parcior*, si in ventriculo & primis viis cruditates redundarint; *plenior*, sin minus, ut ad statum perdurare valeat, per totum tempus εὔχυμος seu *boni succi & leviter conditus*; tum quia calor nativus à febrili oppressus est: tum, ne plus ejus accumuletur; tum ut medicamentosus simul sit. pisces vitandi. *Potus* debet esse vel aqua saccharata, cinnamomizata, vel hydromel, [6] vel vinum ὀλιγοφόρον apparente coctione, ut reliquiæ ad *diuresin* inclinentur.

Distinguitur in *Exquisitam*, *Notham*, *Epialam*, & *Syncopalem*.

I. *Exquisita* à solo pituitoso sanguine oritur, & paroxysmos ad octo, decem horas extendit. Si hic salsus, calida *cichorio*, *seminib. frigidis* & aliis temperabis, *fumariamque* cum fluribus borraginis, buglossæ, & quæ ex iis fiunt adjicies.

II. *Notham* bilis, vel melancholia phlegmatico sanguini permista, producunt. Miscenda in medicamentis ea quæ utrumque humorem respiciunt.

§ 34. **Febris continua Ἀμφημερινὴ συνεχής** Continua Quotidianæ naturam sapiens Barbaris *Lanca* (quia latentem habet calorem) velut rara est & insolens, ita eam Cathemerinam quidam recentiores appellare consuevere Medici, licet falsum, Ego vero (inquit *Galenus*) solitus sum eandem febrem *Amphimerinam continuam* nuncupare: nam cathemerinon vocabulum nusquam apud Græcos scriptum invenitur. Rectius itaque Febris continua, Quotidianæ formam quodammodo referens, dicetur *Febris continua, Quotidianæ formam sequens, est continuus affectus, qui singulis diebus cum exacerbatione febrili affligit.* Piens §, ix. pag. 95.

Alias Ἐφημερινὴ dicitur, similis hecticæ; Recte videtur *Fernelius* eam sub Lentæ nomine descripsisse; Solet autem infestare qui cachectici sunt, in iis enim plurima pituita acervata est in venis, sed hoc valde rarum est; nam vix possunt venæ tanta caloris inopia laborare, potius, fit ex obstructionibus à pituita factis, quæ pituita cum vix absumi possit, in continuæ modum affligit. *Primerosius.*

35. *Signa sunt* Diagnostica sunt, quod singulis diebus exacerbatio quædam observetur; Alias ad generalia continuarum febrium signa confugiendum est: Nam differunt signa secundum particulas dominantes: seu itaque sint calidiores, acriores, bilisiores, seu chylosiores, crudiores. *Piens.*

36. *Quibus ab hectica distinguitur*) Cum Quotidiana continua, quàm *Laicam* vocat *Avicenna*, sit febri hecticæ simillima; ita distinguentur, quod in Quotidiana calor est semper sui similis, in Hectica sub noctem & post cibum augetur, 2. in hectica pulsus est durus, In quotidiana mollis & latus. 3. cutis pariter est mollis in pituitosis; dura, squallida & arida in hecticis: Demum causis differunt. *Primerosius.*

37. *Urina est crassa*) Urinæ in principio crudæ sunt, albæ, tenues, aqueæ, procedente morbo crassæ, solutis obstructionibus, quia humor morbificus permiscetur sero, qua etiam ratione interdum rubicundi fiunt. *Primirosius.*

38. *Pulsus mollis*) Pulsus sunt parvi, debiles, rari & minores quam pulsus Quartanarum; inordinati & inæquales in principio accessionis; idque quia pituita frigida humida, copiosior est in corporibus nostris, unde calor in ea non potest habere ἀνάπνευσιν, & ideo facultas velut consopita est, & arteria humoris copia impedita; ut dilatari & constringi facile nequeat, nec usus & necessitas admodum urget: Tarditas vero pulsuum in Quartanis & Quotidianis æqualis esse videtur, sed pulsus

Quartanarum sunt rariores pulsibus quotidianarum, sicut harum pulsus rariores sunt pulsibus tertianarum: Et ratio est, quia pulsus in quartanis majores sunt quam in quotidianis, unde magis expletur usus in quartanis quam in quotidianis, hinc fit ut quod in magnitudine deest, frequentia compensent: Rariores igitur sunt Pulsus Quartanarum, sed majores, frequentiores vero sunt pulsus Quotidianarum, sed minores, sed in utrisque sunt æque tardi. *Primirosius.*

39. *Causa est sanguis*) Causæ sunt chylosæ ac crudæ particulæ, sive massæ sanguineæ fermentales reliquiæ, ponsimum juxta vasa lactea & glandulas mesenterii hærentes, quæ fermentatione concepta sese quaquoversum diffundunt, ac in venas lacteas subeuntes, cum reliqua sanguinis massa miscentur, cum qua ad cor tendentes *ad cor* idipsum subintrant; ibidemque majori fermentatione ebullientes irritationem, ex qua calor consequens est, & per arterias influens quoquoversum in corporis habitum diffunditur, excitant: *Piens* §.19.*p*.95.

40. *Sanguis pituitosus*) Pituita non semper in culpa est, cum plurimæ febres continuæ Quotidianæ sint, quæ à particulis biliosis & residuis proveniunt, eæque adeo obviæ, ut qui eas non observavit à negligentia excusari nequeat: Quales & non paucæ Quotidianæ Intermittentes frequenter obveniunt, quæ Tertianis succedere solent, Quartanæ quoque intermittentis in Tertianam subita mutatio, & vicissim Tertianæ in Quartanam, iisdem utrobique permanentibus symptomatibus, arguere videtur utramque ab eodem humore posse generari. *Idem.*

41. *Difficilis*) Febris hæc longa est & periculosa; *longa* quia pituita viscida est & crassa, copiosa, quæ non potest facile nec cito à natura superari; *Periculosa*, tum quia ob debilitatem ventriculi syncope facile succedit, tum quia jecur, splen facile trahuntur in consensum, sicque fit hydrops ex *Averrhoe*, tum quia assidue affligit, nullas ideo naturæ affert inducias, sed eam perpetuo gravat: minus tamen gravis est quæ fit à pituita in intestinis putrescente, quia levi medicamento potest sanari, cum hæreat pituita in viis excretioni dicatis: Et quo exquisitior eo diuturnior, ac periculosior, ob corporis imbecillitatem: Quartana tamen longior esse solet, quia pituita minus est tenax & rebellis, naturæ magis amica, à qua facilius alteratur & edomatur quam melancholia. *Primirosius.*

Periculosa admodum est Quotidiana continua, quia si purgas lipothymia sequitur, si non, idem contingit: *Walæus Med. Pr. cap.* 5.

42. *Si virtus valida*) Cujus robur indicant Sternutationes, quæ post statum bonæ & salutares, quia ostendunt naturæ supra morbum victoriam. *Primirosius.*

43. *Plures evacuationes*) Securior ea est cujus intervalla sunt manifesta, & quæ *sudoribus* libere & liberaliter solvitur, quod rarum est, ostendunt enim materiæ tenuitatem, corporis raritatem, & virtutis sive caloris nativi robur ex Avicenna. Solvuntur frequenter Quotidianæ febres *vomitibus & excrementis pituitosis*, Tum per *dolores articulares*, metastasi humorum ad articulos facta. *Primirosius.*

44. *Anceps & dubia spes*) Si Medicus observaverit humorem esse crassum, copiosum, viscosum; tempus anni frigidum humidumque, ætatem temperiemque pituitosam, paroxysmum longum, cum pauco aut nullo sudore, stomachi imbecillitatem, anorexiam, somni profunditatem, naturamque debilem, hypochondriorum inflationem, periturum ægrum pronuntiabit: Contraria signa salutem portendunt: *Primirosius.*

45. *Quoad processum respicit*) In cura 1. Fermentum acidum corrigendum, 2. vehiculum ejus, seu fomes, fere pituitosa cruditas acida removenda, 3. *Symptomata* mitiganda. Pro his scopis consequendis observetur 1. tam in principio quam incremento hujus febris mite *vomitorium* optime locum invenire, præsertim si vires simul constent; 2. *Diaretica*, quia simul sunt alterantia, optimo successu applicari possunt; nempe præmissis præmittendis, fundant atque attenuant sanguinem, & ita restaurant plus minus naturalem ejus fermentationem, simulque crassa crudaque excrementa, si quæ circa primas vias, aut aliis in locis restiterint, dissolvendo abstergunt, & remotioni aptiora reddunt: Remedia itaque hac in febre proficua sunt *sal armon. nitrum antimoniat. tartarus vitriolatus Tachenii. Antihect. Poter. terra fol. tartari, ejusque liquor. spir. salis dulcis &c.* hinc

℞. *sal. armon. depur.* ℈j.
antihect. Poter. ℈ß.
ad gr. xv. m.
Da una vel pluribus vicibus, præsertim ante exacerbationem. *Vel*

℞. *aqu. hyssopi. card. bened.* ana ℥iß.
spir. theriac. simpl. ʒiij.
spir. salis dulc. ʒß. *ad* ʒj.
syr. de hyssopo ℥ß.
misce. *Ettmuller p.* 326.

46. *Quæ adeo refrigerantia*) Refrigerandum non est, & humectandum, ut in aliis febribus, quia materia frigida est, crassa, tenax, ideoque præparanda est calefacientibus & attenuantibus, Quod si bili admista sit, aliquid refrigerantium admiscendum est, ut in Tertiana notha. *Primirosius.*

47. *Clysteribus*) In pituitosis febribus fiunt Decocta ex herbis emollientibus, cum *seminibus anisi, fœnic. carthami, flor chamom.* & *meliloti*; dissolvendo *hieram*, *diaphoen. mel. rosat. mercuriale, ol. chamæm. aneth.* &c. Riverius.

48. *Sanguis qui*) Quæritur hic an V.S. conveniat, nam nec à *Galeno, Aëtio, Paulo, Averroe*, aliove authore commendatur, *Actuarius* ex professo improbat, Cum enim humor sit frigidus, crudus, à natura sanguinis valde alienus, vires sint valde debiles, piaculum est cum sanguine calorem nativum profundere; *Avicenna* tamen non improbat si urina crassa sit & rubicunda; *Galenus* ipse sanguinem mittit in omnibus putridis, si adsit morbi magnitudo viriumque robur, tunc sane vena secari potest; Neque adeo metuenda est humorum crudorum copia, si quidem cum duobus prædictis non possunt adeo humores crudi dominari ut hoc auxilium prohibeatur; Spectandum igitur num vires & ætas consentiunt, quod raro in exquisita quotidiana accidit, quia ab humore crudo, in senibus, pueris, anni tempore frigido contingit, at v. s. corpus magis refrigerat, inde sanguine vacuato humores recrudescunt; inde ait *Avicenna, cave ne ægrum perducas ad frigidorum incrudationem: Si igitur ex urinis sanguinis permissionem judices. fiat s. m. alias non*: At non solet tunc esse exquisita, raro itaque sanguis mitti debet. *Primirosius.*

49. *Validioribus*) De *Oxymelite compos.* ut & *syr. de v. rad.* moveri potest difficultas, aliisque incidentibus, & attenuantibus, utrum initio conveniant, quia in plurimum per urinas evacuant, Diuretico autem non est utendum in principio? At si iis non utamur, humorem non præparabimus, cum omnia pituitam præparantia fere sint diuretica; Respondeo incipiendum esse à levioribus, minus calidis minusque aperientibus, ne si fortioribus utamur, crudus humor in venas deducatur, obstructionesque plurimæ contingant; Demum Diureticum medicamentum redditur tantum incisivum variis modis, 1. si blandum sit, 2. si humor sit admodum crassus & viscidus, 3. additione eorum quæ remittunt vires diureticas, 4. si parva dosi exhibeatur; 5. si natura aliam viam affectet, aut urinæ meatus sint valde obstructi; sic diarrhœa laboranti *jus cicerum rubrorum* raro movet urinam; potius abstergendo alvum magis movet; quod tamen non est semper verum; Igitur primis diebus non inutile erit hujusmodi aperientibus pituitam præparare sed levioribus. *Primirosius.*

Quotidiana continua à pituita lenta curentur *fricasi de* pedes & brachia, sic enim materia minuitur, *Waleus.*

50. *Oxymelite simplici, melle rosato*) Inter præparantia

præcipue

Præcipue laudat *Galenus oxymel. simplex*, sed quando conveniat dubium est, propter variam lectionem verborum *Galeni 1. ad Glauc. 12. Oxymelite*, inquit, *utitor*, quidam legunt μὴ ἐν ἀρχῇ τοῦ νοσήματος, alii μὲν δὲ ἀρχῇ τοῦ νοσήματος: Nulla enim causa videtur cur id, aliudve ejus naturæ remedium primis diebus exhiberi non possit, cum pituita qua corpus scatet attenuari, & calefieri, moderate incidi debeat: At quoniam *oxymel* nocet ventriculo, admiscenda erunt quæ ejus robur tueantur, *ut mel. rosatum*, quod ratione mellis abstergat, ratione *rosarum* adstringit, *Averoes* admiscet masticheu, *glycyrrhizam*, cinnamomum. *Primirosius*.

50. *Ut chamadry*) Ut *& centaur. min.* si valde sit, impacta, viscida & lenta, Quibus si *sal. tartari* & spiritus vinnoli addantur, felicius operabuntur. *Riverius*.

51. *Chamadry*) In febribus lentis & diuturnis, à contumacibus obstructionibus productis, *chamædrys*, licet amara, cum *cichoraceis* in jusculo decoqui potest: Et *Montanus* in consiliis, *Decoctionem cichor. & chamædr.* in Jusculis velut admirandam prædicat, in iis quibus febris longa cum obstructionibus conjungitur. In febribus Pituitosis *De. oct. aq. chamameli* præstans est ex *Zacuto obs. 26. Pr. Adm.* Riverius.

52. *His oxymel. compositum*) Primum utemur *Oxymelite simpl.* & levioribus, deinde accedemus ad *Oxymel. compositum, syr. de v. rad. byzant. de hyssopo*, quibus, cum magnus est calor, admisceri possunt *syr. de endiv. de cichor. simpl. & comp.* cum quibusdam aquis refrigerantibus, Ex prædictis fiant *Juleps, Apozem. Syrupi*.

℞. *aquar. beton. fœnicul. hyssopi* āā. ℥iij.
syr. de hyssopo, mell. rosat. āā ℥j.
sacch. ℥ij. *misc. f.*
Julep. aromatiz. ℈iv. *cinnam.*

℞. *syr. de v. rad. byzant.* āā. ℥iß.
spir. vitriol. ℈ß. *aqu. borrag.* ℥ij.
aqu. hyssopi meliss. āā. ℥iij.
aqu. cinnam. ℥j.
aceti caryophyllati ℥ß.
crem. Tart ℥j. *m. f. Julep.*

℞. *syr. conservat. nuc. condit. syr. conf. corticis citri* āā ℥j.
aquar. absinth. beton. āā ℥iij.
aqu. theriac. ℥j. *aqu. mariæ* ℥ß.
conf. alkerm. ℈j.
mosch. ambr. āā *gr. j. m pro ij. dos.*

stomachum roborat, & animi deliquio medetur, quod solet esse in hac febre frequentissimum.

℞. *succor. endiv. apii, buglossi* āā. ℔ij.
mccque pulegii, chamædr. lupuli āā *m. ß.*
rad. endiv. petrosel. fœnic. āā. ℥j.
semin. anis. ℥ij.
capill. vener. scheanant. āā ℥ij
spica celtic. ℥j. *colat. clarific. adde sacch.* ℔ij.
aceti caryophyll. ℥iv. *f. syrupus.* Vel

℞. *rad. pyreth.* ℥iij
rad. acori, aristol. bryon. dictamni, alb. valeriana āā. ℥ß. *v. aper.* āā. ℥vj.
infund. per horas 24. *in* ℔vj.
aq. font. coqu. lento igne ad ℔ij. *consumpt.*
adde chamædr. chamap. salv. rorismar. puleg. hyssopi thymi, ruta, calam. serpilli āā. *m. ß. stæch. p. f. sem. anis. fœnic. carvi sesel. ligust. ameos* āā. ℥ß.
nardi ℈ij.
croc. ℈ vj. *iterum coqu. ad* ℔j. *consumpt.*
colat. adde sacch. ℔ij.
mellis de pom. ℥ ij.
Clarific. adde aceti caryoph. ℥ij. *f. syrupus.*

Isti duo syrupi optimi sunt ad omnes frigidos viscerum morbos. *Primirosius*.

53. *Refrigerare ex accidenti calida*) Sic datur ad ejus concoctionem *vinum Hispanicum*, Et ad ejus evacuationem *pilulam aloe* cum *chalybe vitriolato*. Walæus.

54. *Purgetur idem per inferiora*) In quotidianis adjiciunt bilem spectantibus pituitæ educendæ accommodata; Sed cum hæ febres, ob frequentes exacerbationes vires admodum dejiciant, caute iis utendum, vel levioribus potius insistendum, In pituitosis tamen naturis.

℞. *agar. trochisc.* ℥j.
medulla sem carth. ℥iij.
macerentur in oxymel. & aqua endiv. violar. cap. vener. exprimantur, adde Cathol. ℥j. *f. Potio.* Riverius.

55. *Si coctionis signa*) Dubium an perfecta coctio sit expectanda ante purgationem? Nam *Galenus Paulus Ætius*, nonnisi completa coctione evacuant; *Trallianus*, & *Avicenna* laudant frequentes & repetitas purgationes per epicrasin, etsi humor non sit perfecte coctus, Quam sententiam merito amplectantur quidam recentiores, nam, ut docet *Saxonia*, coctio maxime longa esse solet, deinde materia in tanta est copia, ut post coctionem unico non possit expurgari cathartico: Præstat itaque levi apparente coctione sæpius & paulatim vacuare; nam propter longitudinem debilitantur ventriculus, hepar, hinc prima & secunda coctio male perficitur, quo fit ut pedes & crura intumescant, immineatque aquæ intercutis periculum, quæ mala prædictis remediis frequenter repetitis præcaveri possunt: *Primirosius*.

56. *Partitis vicibus*) Morbus hic quia longus non potest una vice evacuari aut præparari, quapropter, ut recte docet *Alexander*, debent & præparantia & evacuantia repeti, utendumque est epicrasi. *Primirosius*.

57. *Quibus unum & alterum granum*) An in continuis *scammonium* porrigere liceat vide supra Tit 4. c. 1. De continuis simpliciter sic dictis §. *Per minora, ut rhabarbarum*.

58. *Si per diuresin aliquid*) Decoctum *chamædr.* per urinas evacuat, & multum prodest, inquit *Trallianus*.

59. *Extra*) Inter Externa laudantur *Frictiones*, *Fotus* ex *decocto absynth. mentha, rosar. cortic. citr. macu. caryophyll. galangæ, ligni aloës*, Post Fotum ungatur *ol. de nuce mosch. aneth. nard. de absynth. de mastich cum caryoph. nuc. mosch. rosis, vel cerat stomach. Tela aranea* imbuta his oleis applicetur stomacho; Sed consilio *Tralliani*, hæc calida non dentur ante signa coctionis & corporis purgationem, alias inflammationes pariunt, humoresque attrahunt, sicque viscera reddunt imbecilliora, inquit *Avicenna*, Refert *Trallianus Ætitem* de collo suspensum omnibus Intermittentibus, sed prætertim, Quotidianis prodesse. Item *a aneam* de collo suspensam. *Riverius*.

60. *Vel vinum*) Dubium est an competat, periculum enim est ne febris augeatur; Id tamen concedunt *Valesius* & *Averroes*, quia concoquit, aperit, urinam provocat, modo sit album, tenue, Etenim si calida conceduntur, ut *cinnamomum, petrosel. anisum, cuminum, ruta*, quidni *Vinum*, quod naturæ est magis amicum & familiare, ac ventriculum roborat; Alii vinum quidem non probant, sed mirantur cur Medici ab eo abstineant, cum illa calidiora interdum præscribant, ut *mulsam* cum *origano, thymo, aromatibus*, quæ vino diluto & aquoso sunt calidiora, Alii id fieri respondent ob summam penetrandi vim quam possidet, cum prompte in venas & arterias rapiatur, caputque vaporibus oppleat, Sic podagrici jubentur à vino abstinere, cum tamen interea calidioribus utantur: At hæc vini incommoda minus percipiuntur in melancholicis & pituitosis febribus ob humoris crassitiem & frigiditatem, quapropter tuto tum vino, tum reliquis calidioribus utemur in his febribus. *Primirosius*.

De Febribus Continuis, Lentis, Quotidianis affinibus.

Continua Lenta ita dicuntur quod tardiori motu sua absolvunt tempora, minusque urgentibus stipatæ sint symptomatibus; calore in specie minu

cordia, & affluens alimentum corrumpunt, unde aut recidiva oritur, aut alterius morbi causa in corpore succrescit, Itaque multo sit satius semel atqoe iterum repetito blando cathartico, quod ignoravit vetustas, ita reliquias omnes purgare, & morbi focum abstergete, ut omnis morbi occasio, omnisque reversionis metus tollatur.

Jam vero si Acuta febris est, quæ ad diem xiv. aut xvii. aut xx. potrahi posse videatur, haud ita acceleranda remedia sunt; ne vis naturæ inferatur: Initio quidem utraque vacuatione opus est, eáque repetita si opus sit, Verum cum plethoræ quæ in venis erat per Sangu. missionem erit satisfactum, & cacochymiæ quæ primam corporis regionem obsidebat per Purgationem, reliquo tempore ad crisin usque in virium custodiam, interni incendii refrigerium, humoris morbifici concoctionem & viarum apertioοem incumbendum, quod victu euchymo, & julepis ante præscriptis præstabitur: Et si malignitas subest, quæ dignoscetur ex nausea, maxima inquiete, frequentibus animi deliquiis, pulsu minimo & intermittente, & summa virium imbecillitate, his cardiaca erunt adjungenda, & inter 7. & 14. diem, si coctionis signa in urinis appareant, medicamentum purgans repetendum, & nisi febris xiv. die soluta est, rursum inter xiv. & xvii. diem aliud dandum; hac arte minuta, morbi materia minor fiet perturbatio in die critico.

Quandiu vero in febribus putridis cruda apparent in urinis omnia, medicamentum validius multo profecto vires naturæ à ferig; nihil enim ejus humoris qui in venis contentus febrem facit educit, sed solum quid crudum & inutile magnis cruciatibus è venis primis & intestinis revellit; At cum & coctionis signa adsunt, & vitiosorum humorum optata succedet evacuatio, nihil tunc metuendum est: Si xx. die febris disparuit, antegressa manifesta evacuatione, ad tollendas reliquias, adeoque ad reversionem impediendam, purgationes conferunt.

At si fervore restincto, levatisque symptomatis perseverat, fiatque continua quam vocant ex *Decidentia*, paulo validioribus catharticis humór contumax trahendus, & præparatione majore attenuandus & concoquendus est; hic ergo convenit syrupus Byzantinus, de 5. radiç. & similes, in hepaticorum & spleneticorum decocto, quod *hyssopum, absinth.* & *radicem enul. camp.* accipiat soluti.

Præparato humore, viisque reseratis hujus apozematis usu, locus erit purgationi, comparatæ ex senna, rhabarb. diaprun. laxat. & simil. Interim si in hypochondriis sit tensio aut durities sine inflammationis suspicione, commode illinuntur olea roborantia, attenuantia, flatus discutientia, A Fotu admovebuntur Sacculi comparati ex radic. herbis, semin. aperientibus, incidentibus, attenuantibus; Hic remediorum vicissim usurpatorum usus continuatus febrem continuam extirpat.

Quod si concoctionis signa adsunt, & facilis sit tolerantia febris, non vetendum est bis in hebdomade catharsin repetere; Sin vero absunt, semel dare satis erit, aliis vero diebus dabuntur præparantia: Præterea post xx. diem sanguis mitti potest, etiamsi ante xiv. diem semel bisve vena secta est: Si tamen adsint signa Cacochymiæ secundæ corporis regionis, detrahendus sanguis, sed minori copia quam initio, quia tunc vires debiliores.

Tempus autem purgandi, & cibum sumendi in febribus Continuis hoc est, Observandum qua diei hora febris solet exasperari, tutius enim vel nocte media propinatur purgatio quam mane, si mane febris increscat, Sin remissio exacerbationis longa est, non ante solutionem exacerbationis danda est purgatio; ut antequam altera repetat exacerbatio, absolvatur purgationis opus: Sin febris eodem tenore perpetuo fertur, matutinum tempus vespertino aptius: Quæ autem cautio in propinandis catharticis, eadem in cibis necessaria est.

CAPUT IV.

De Febribus Continuis Periodicis Primariis in specie.

Articulus I.

De Febre Continua τεσταιοφυεῖ.

FEbris continua in specie considerata vel est *primaria*, quæ nullo antecedente morbo exoritur, & [11]. hæc τεσταιοφυὴς, ἀμφημεριν̀ὴ, aut τεταρτοφυὴς, vel *symptomatica*.

Febris Continua τεσταιοφυὴς est febris à sanguine bilioso in vena cava propaginibus putrescente exorta, continuo sed tertio magis die affligens,

[12]. *Signa* sunt, [13]. febrium continuarum & ardentium symptomata, *tertio die* recurrens *exacerbatio*, ex ratione bilis, quæ ita movetur. *Remissionis* causa est; tum distantia loci, ubi vapores generantur: tum minor ipsorum copia, propter quam totum priusquam aliud in ejus locum succedat, dissipatur.

Causa est [14]. sanguis biliosus & [15]. quicquid cacochymiam biliosam in venis cumulare, & cumulatæ putredinem inducere potest.

[16]. *Curatio*, quæ non est differenda, respicit, I. *Febrem ipsam*, quæ exposcit *alterationem* per refrigerantia & humectantia, quæ infra vide, [17]. & quidem eo validiora, quo calor magis ardens. Exhiberi debent *A.* lenientibus præmissis. 2. jejuno ventriculo, ne concoctio violetur. 3. modice, ne cruditatum sint causæ. 4. non frigida, ne calor versus interiora collectus & repulsus magis urat. *Topica* cordi, hepati, dorso, sed non ante statum applicanda, ne poris occlusis majus intra excitetur incendium. Agi potest, *mucilagine psyllii*, unguento *santali rubri*, & *rosarum*. Oleo *violarum*, *nymphæa* recenti.

II. *Causam*, quæ tollenda. 1. *Venasectione* & quidem *larga*, inprimis si copia sanguinis adest & vires ferunt: *in principio*, præmisso clystere aliquando; administrata, & si fieri non potuit etiam in augmento, sic humor biliosus in vena cava stabulans & cum sanguine permistus deprometur; sanguis

pra-

pravus quem natura plerumque ad extremas venas depellit, evacuabitur; residuus in nobilioribus visceribus facilius à natura corrigi poterit; nec ulla, manente sanguinis proportione, bilis ebullitio excitabitur.

[11] 2. *Evacuatione per inferiora*, & quidem in principio post venæsectionem, si materia turget, si est copiosa, si vires robustæ: [17] post concoctionem, si natura pigrior. Fit per *rhabarbarum* & *myrobalanos* in Infusione aut decocto cum aquis refrigerantibus: syrupo *rosarum* solutivo in decocto *tamarindorum*, addita *manna* & cremore tartari, sero lactis caprilli cum rhabarbaro & oxymelite.

3. [2]. *Evacuatione* tam *per sudorem*, qui radicib. *tormentillæ*, *cornu cervi* præparato, & *sale absynthii* concitatur, quam per *diuresin*, cui inservit *serum lactis caprilli* cum semio. quatuor majorum emulsione.

Alterantia sunt, [21] spiritus *nitri* dulcis, [22] *salis vitrioli*; seu simplex seu *coagulatus*, *nitrum vitriolatum* in [14] jusculo hordeaceo; Emulsiones *ex seminibus frigidis*, [14] *portulacæ*, *lactucæ*, Syrupi *granatorum*, *corallorum rubrorum*, acetosit. citri cum aquis refrigerantibus diluti, [26] *violarum*, acidis castigatus ne stomachum laxet, in vaporem sitiéulosum resolvatur, & facilius in venas penetret, Tinctura *rosarum*, aqua fontana cum succo limonum & saccaro, quæ Ægyptiis sueta. [16]. Veteres *aquam* frigidam prædebant, [17] nec improbari potest in tanto bilis fervore, præsentibus coctionis signis. De *balneo aqua dulcis* vide eosdem.

III. *Ægrum*. Et tum agendum, *victu*, qui oppositus sit morbo & causæ. [18] Convalescentes, si febris evacuatione *perfecta* critica solvitur, [19] nunquam ad satietatem plenam edant, sæpius, sed parum. Inanitione omni, ventris dejectione excepta, abstineant. *Electuario Diarhodon* ad ventris corroborationem utantur. Si *imperfecta*, ita ut reliquiæ maneant, eas evacuent, per urinas præsertim. Tenui cibo utantur.

Dividitur in *Exquisitam* & *Notham*.

I. *Exquisita*, à bile pura, [1] aliquando porracea & æruginosa procedit, cujus eparæstuosum & similis diæta causa. *Cognoscitur*, quod acriore calore, siti, & vigiliis infestet, & in illos qui bile abundant cadat; pulsus sit vehemens, velox, durus, urina flammea. *Terminatur* septem vel quatuordecim exacerbationibus. [11] Non est ita lethalis, nisi vel error aliquis insignis committatur, vel malignitas aliqua adsit. In *Evacuanda* [12] cave *scammoniata* adhibeas: in porracea *crystallor. præpar.* dr. s. cum syrupo aliquo aqua diluto specificum est Langio.

II. [1] *Notha*, a sanguine bilioso cum pituitoso vel melancholico temperato, aut a. pituita salsa provenit. Et *tum*, symptomata sunt leviora; sanguis mittitur parcius: refrigerantia leniter calefacientibus castigantur: purgantibus *agaricus* admiscetur.

[10] *Et hac πυρετοφυεῖς, ανωμαλοφυεῖς*, &c.) Quæritur, *An non dantur Continua Quintana, Sextana Septimana?* Respondeo, Continuæ raro, Intermittentes vero dari tales nihil impedit, Ratio *prioris*, quod in iterna febrilis, quæ ita in continuo est motu fluxilior redditur, magisque attenuatur ob continuum febris afflictum & fermentationem unde aliquid per hæc vel illa loca expurgari ac dissolvi necesse est: Ratio *posterioris*, ubi continuus ille afflictus non datur; hæc est ex conditione loci in quo materia febrilis nec quantitate nec qualitate ita abundare potest, ut vel singulis diebus, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum diem è foco suo exacte effluat, & cum sanguine ad paroxysmum instituendum circulétur, sed ob loci conditionem diutius, ad quintum sex. vel sextum diem latitat, antequam fermentando ac ebulliendo e foco exire possit; Videmus enim lentam, viscosam, ac difficile solubilem materiam tam diu latitare posse quodam in loco antequam febrem excitat, V. epilepsia quæ per consensum, imo & per essentiam contingit videre est: fit itaque vel quia tanta in corpore non sunt vellicationis ac irritationis illæ particulæ, motum fermentationis ac dissolutionis præstare. Vel quia hærent quodam in loco insensili, ex quo non per intervalla acquirunt, ita ut ad partes sensiles, *Poens.* §. 11. p. 99.

[11] *Signa* generalia febris biliosæ ex quinque fontibus repetuntur, 1. ex *calore*, qui valde acer, sed longo manus facile superatur, quia humor tenuis & calidus facile, ac cito dissolvitur: Quod intellexit *Hippocrates*, febres quasdam esse dicit valde acutas sed à manu vi. 2. Ex *Pulsu*, qui in principio contractus est & parvus, postea vehemens, celer, quod magna sit refrigerationis necessitas: Nullam habet inæqualitatem, aut certe minimam, præterquam febrilem, quia bilis est, nec ita gravat naturam ut melancholia & pituita; tum quia non minor est refrigerationis ex diastole, quam expellendarum ex systole fuliginum necessitas, *Galen. 1. ad Glauc. c. 5.* 3. Ex *Urina*, quæ solet esse flava, aut flammea, substantia mediocris, & odore gravis in exquisita: nam, ut docet *Avicenna*, in Notha potest urina esse cruda & crassa: 4. ex *Forma Febris*, *nam*, [a] quoque die invadit; principium non est diuturnum; in augmento & statu symptomata increscunt, æger est vigil, nisi in *notha*, in qua humores sunt crassiores, in quibus interdum sopor contingit: Dolor adest capitis, vigilia, delirium, sitis, nausea, oris amaror, inappetentia, cardiogmos & similia: Declinatio est cum sudoribus & remissione omnium sypiomatum: 5. Ex *causis* prægressis, ut ætate, regione, anni tempore, victus ratione, consuetudine, corporis habitu, Quibus addere possumus conjecturam *Archigenis*, scilicet si biliosæ febres eo tempore sint epidemicæ *Pottmrofius*.

[12] *Signa sunt*) Eadem sunt quę Tertianæ intermittentis, attamen ab illa absunt horror, aut rigor, & sudor, nisi quando crisis instat; sed calor, delirium, sitis, vigiliæ, linguæ nigredo & similia symptomata quá in intermittente vehementiora sunt. *Bernardus Christinus l. de Febr. p. 42.*

[13] *Signa sunt Febrium continuarum & ardentium symptomata*) Tertiana Continua, quod tertio quoq; die exacerbetur sic dicta, à Causo, qui assiduo pariliq; incendio Cor exagitat, humore non differt, in utraque enim bilis putrescit; In utraq; calor adest exurens cum siti inexhausta: Communia ergo sunt signa, communes causæ, parilisque curandi ratio. Satis arbitrantur, si studiosi febres

Tertianas distribuant in Tertianam continuam, sive ardentem, & in Tertianam intermittentem, ex earumque curandi ratione reliquas species biliosarum febrium persanandas discant; Nos inter Ardentem & Tertianam continuam nullam ponimus differentiam, nisi extensionem ac remissionem caloris febrilis & symptomatum; Extensiora enim sunt & acutiora in ardentibus febribus quam forsan in continua; Alias utraque ex iisdem causis excitatur, eadem adfert symptomata, & iisdem curatur præsidiis. *Fr Joel Tom. 2. sect. 2 p. 18.*

13. *Signa sunt Febrium continuarum & ardentium symptomata*) Quæstio est apud *Vallesium l. 5. contr. 22.* An Causus & Tertiana continua sint ejusdem nominis morbi? an Causus pateat latius? Huic quam pulchre quadrat responsio? Causus vel legitimus est, vel spurius, Dicere enim, debebat, *Causi* nomen non esse simplex, sed dici de variis speciebus, licet non pari ratione de omnibus. Duæ itaque ejus species sunt quas *Vallesius* etiam docet, Aliæ duæ sunt, Causus aut benignus est aut malignus. Signa *Utriusque, Causi scil. legitimi & Continua Tertiana,* ex duobus illis characteribus secundum *Galenum 4. Acut 13.* sumuntur, ex calore scil. ingenti & siti clamosa. *Piens p. 79.*

Sanguis biliosus) Cruoris massa; ex opinione veterum, quatuor humoribus, nimirum Sanguine, Pituita, Bile & Melancholia constare perhibetur: pro hujus aut illius humoris eminentia diversa temperamenta efformari, atque propter eorum fervores, aut exorbitantias, fere omnes morbos oriri statuunt; Hæc sententia, licet à Galeni usque temporibus Medicorum scholis inciebuerit, nostro tamen seculo, cui sanguinis motus circularis, ejusque aliæ affectiones prius incognitæ innotuerunt, aliquantulum incognita esse cœpit, nec ita passim pro solvendis morborum phænomenis usurpari: quippe ejusmodi humores sanguinem minime constituunt, verum qui sic appellantur (excepto sanguine) sunt tantum cruoris recrementa, quæ debent ab ipso continuo secerni.

Est enim sanguis revera humor unicus, nec alius circa viscera, & alius in habitu corporis, nec alio tempore movetur Pituita, & alio Bilis aut Melancholia, uti vulgo asseritur, sed liquor in vasis effervescens solummodo sanguis est, & ubicunque loci per singulas corporis partes defertur, usque idem est & sui similis: Quoniam vero in aliquibus ob caloris insiti abundantiam, & propter ejusdem in aliis penuriam, alimenti coctio, & in visceribus & in vasis modo intensius modo remissius peragitur; ideo sanguinis (licet unici & ejusdem semper liquoris) temperies diversa existit, & juxta variam hujus crasin dici potest quod homines sint *biliosi, melancholici*, aut *alius temperamenti*, Præterea, quia dum sanguis in vasis inter circulandum conficitur, partes quædam continuo inveterascunt, & aliæ de novo supplentur, hinc à cruditate, aut nimia coctione quid excrementitium congeri necesse est, quod tamen effervescentia (veluti in vinorum efflorescentia seu depuratione succedit) ab ejus massa separatur, Scilicet *humor aquosus* visceribus aut solidis partibus defixus, is est qui dicitur *Pituita*: Salis & Sulphuris admistorum reliquiæ quædam in hepate secretæ, & vasis choledochis exceptæ, dicuntur *Bilis*: Fæculentiæ terrestres in Lienem depositæ dicuntur *Melancholia*.

Interim sanguis, si recte depuretur, pituita, bile & melancholia carere debet, non secus ac cum vina quædam aut cerevisia depurantur, particulæ leviores sursum evehuntur, quæ ejus Florem constituunt, crassiores & fæculentæ in imum deprimuntur, quæ in *Fæcem* sive *Tartarum* concrescunt: tamen nemo recte dixerit vinum, vel cerevisiam è floribus, tartaro & liquore vinoso componi.

Cum autem humores isti, vulgo sic dicti ex aliis principiis constent, scilicet Bilis ex sale & sulphure, cum admistione spiritus & aquæ, & Melancholia ex iisdem, cum adjectione terræ, cumque ex hujusmodi principiis sanguis immediate conficitur, & in eadem sensibiliter soleat resolvi, satius duxi, missa vulgari humorum acceptione, pro explicanda sanguinis ejusque affectuum natura, celebrata hæc Chymicorum principia in usum adsumere: Insunt igitur sanguini, veluti liquoribus quibuscunque ad fermentescendum aptis, plurimum *aqua* & *spiritus*, modicum *salis* & *sulphuris*, & aliquantulum *terræ*.

Sanguis putrefactione resolutus eadem exhibet separata & distincta, Etiam in sanguine vasis contento, aut iisdem recens immisso, eorundem energias & effectus licet detegere; Præterea cum esculentis quibus vescimur, & quorum succo sanguinis liquor constat, hæc eadem insunt, etiam cruorem ex iisdem conflari nemo inficias eat, quare hæc percurram, & quo pacto sanguinis consistentiam, proprietates & affectiones constituant ostendere conabor.

I. *Spiritus* (qui facile principatum obtinent) sunt subtilis & maxime volatilis pars sanguinis, quorum motus & effervescentia à *fermento cordis* dependet, quippe dum sanguis sinus cordis pertransit, ejus mixtio plurimum solvitur, ita ut spiritus, una cum particulis sulphureis aliquatenus laxati, & velut in flammam accensi, dissiliant & plurimum expandantur, indeque deflagratione sua calorem toti impertiant; Propter hujusmodi expansionem, & caloris suffusionem, fit jugis spirituum expensa, qui nimium rarefacti, velut accensi continuo avolant, & foras evaporantur, atque horum, quoad vivimus, fit continua reparatio per alimenta imprimis generosa, quæ plurimum spiritus & materiæ turgescentis in se continent, à quibus succus per digestionem elicitus, & sanguini collatus ipsi assimilatur, ejusque defectus resarcit.

Quando sanguis animalium destillatur, spiritus (instar aquæ vitæ) coloris limpidi ascendunt, salis adhæsione fiunt plurimum acres & pungitivi, non tamen ita facile prout spiritus vini proliciuntur, quia necesse habent intensiori igne urgeri, quoniam à consortio crassiorum, quibus obvolvuntur, partium ægre propelluntur.

II. Quod *Sulphur* copiose insit sanguini, constare videtur, quoniam alimentis pinguibus & sulphureis præcipue vescimur, etiam à sanguine nutrimentum solidis partibus appositum in sulphur & pinguedinem facessit. Quando pars sulphurea evehitur, ac in cruore nimis luxuriat, ejus crasin à debito statu pervertit, ut exinde sanguis vel depravatus, seu biliosior factus, succum alibilem non recte coquat, vel in totum accensus, æstus atque *ardores*, quales *in febre continua* oriuntur, concipiat, Etenim sulphur nimis exaltatum, & turgescens plus debito, maximas in sanguine effervescentias concitat, *& quorum sanguis sulphure uberius impregnatur, ii sunt febribus maxime obnoxii*: In destillatione sanguinis sulphur sub olei nigricantis forma ascendit, quod etiam ob empyreuma perdiutissime fœtet.

III. *Salem* inesse sanguini gustu evincitur, qui tamen è vegetabilibus fixus, ex aliis esculentis primo minus volatilis comestu elicitur, postea optima naturæ digestione & circulatione summe volatilisatur, ut non tantum sine capite mortuo residuo singula corporis nostri membra & partes permeet, verum & sanguine destillationi exposito alembicum ascendat, & caput mortuum velut terram insipidam relinquat: Si quando in Sanguine propter malam digestionem particulæ salinæ non rite exaltantur, verum crudæ & magna ex parte fixæ permanent, inde cruor evadit spissus & circulationi ineptus, ita ut in visceribus & solidis partibus obstructiones gignantur, & cruditates serosæ pas-

sim

sim congerantur: Sin vero spiritu depresso, aut defi-ci[illegible] sal nimis evehitur, & fluorem patitur, sanguini diathe[illegible]osa & austera inducitur, qualis in Scorbu[illegible] *febri quartana* laborantibus observatur: Etiam à [illegible] ob hanc rationem varie coagulato, Arthri-[illegible] Strumæ, Nephritis, Lepra, & morbi plerique chro-nici [illegible]tur.

[illegible] autem in visceribus & vasis, coctione rite pe-[illegible], S[illegible] debite exaltatur, & spiritui associatus vola-[illegible]atur, [illegible]c propter eius mixtionem liquor sangui-nis magis æquabiliter fermentescit, etiam à putredine, st[illegible]natione, & coagulatione vendicatur: Etenim par-ticulæ salinæ spirituum, & imprimis sulphuris, efferationes refrænant: *quare qui sanguinem habent Sale volatilisato bene saturatum, ij sunt febribus nimis obnoxii*; *Hinc etiam qui sæpius sanguinem mittunt*, ad febres aptiores sunt.

IV. Insuper sangu[illegible] cum sit humor crassus, & consistentiam habeat spissam) particulæ terrestres copiose insunt, hinc etiam nimia ejus volatilisatio velut flaturamatur; & præpropera nimis accensio inhibetur, non secus ac pulveri pyrio carbones sæpe in majori proportione adduntur, ne partes ejus simul & cito nimis ignem concipiant; Denique à distillatione sanguinis caput mortuum leve & friabile in magna copia relinquitur.

V. Ab *aquosa sanguinis parte* fluiditas ejus dependet, hinc enim stagnatio ejus impeditur, & sine inspissatione cruor in vasis circulatur, etiam nimia ejus conflagratio & adustio restringuitur, nec non calor attemperatur: Cum Sanguis destillatur, aqua limpida & insipida [illegible] respectu cæterorum in dupla ut minimum proportione educitur, hinc enim urinæ, sudoris ac humidi cujusvis excrementi materia maxima ex parte procedit. *Willis l. de Feb. c. 1.*

In hac febre sanguineæ massæ synthesis, quemadmodum liquoribus fermentantibus accidere solet, plurimum reseratur; & particulæ activæ à mixto solutæ velut in flammam erumpunt; Unde fermentales illæ particulæ cum massa sanguinea ad cor deferuntur, illudque irritant, ac ma[illegible] inde æstuantes per arterias in corpus quaquoversum diffunduntur.

Quod vero hæc febris vehementius affligat quam con[illegible] Quotidiana, non est propter humores biliosos, [illegible] admixti esse possint, nam isti humores ex proprietate sua illis constitutis diebus non moventur cum enim sibi conscii non sint, exacerbationem facere non possunt, sed quia spiritus in fermentando magis in actu suscitantur quam in Quotidiana; In hac itaque aut sufficienter non generantur, ob crudas & ichoro[sas] particulas, aut obtunduntur & suffocantur, ob longam febris durationem. *Pieus Tr. 2. part. 21. pagina 97.*

Et quicquid cacochymiam biliosam) Sanguini (quemadmodum liquoribus quibuscunque fermentativis) insunt particulæ heterogeneæ, quæ cum sint diversæ figuræ & energiæ, earum mutuo occursu & subactione, quamdiu in mixtione perstant, fermentationis motus jugiter conservatur; prout in vino, cerevisia, aliisque liquoribus fermentescentibus cernitur: dein si à fermen-[illegible]jectus liquoris mixtio non nihil resolvatur, particulæ activæ à vinculis liberatæ, adhuc magis turgescunt, & fermenta[tio]nem cum motu rapidiori & calore inducunt, quod [illegible] est in familiari chymicorum experimento, scilicet [illegible] fluidi liquoribus alius generis salinis commiscuntur unde calor ingens ac ebullitio concitantur: *Willis l. de Febr. c. 1.*

16. *Curatio* [illegible]ar quoad medendi methodum *cum ardentibus* est [illegible] nam & eadem omnia locum habent remedia; saltem quod in his ad exacerbationum vicissitudinem magis respiciendum sit; adeoq; ubi præmissi præmittenda fuerint, *absorbentia* & *alterantia* ibi (Tit. 4. c. 1. §. *Alterationem per refrigerantia*) laudata, in specie *nitrum vitriolat. coralliata, lapid. cancr. & Poterij antihecticum*, imminente quasi paroxysmo in specie usurpanda sunt, conservando corpus in diaphoresi blanda, alvumque liberam retinendo, aliaque pro symptomatum tam præternaturalium quam non natur. varietate debite præstando. *Ettmuller.*

17. *Et quidem eo validiora*) In febribus ardentibus ubi gradu superaddito calor augetur, quando solis refrigerantibus sustinent ægri vel Medici eundem obtundere (qui jam dum per se illo Vesuviano peregrino igne depauperatur satis superque) potu largiori aliisque, utplurimum hinc tumorem pedum, si non hydropem ipsum reportant. (*vide ergo ne quid nimis*) *Wedelius Am. m. m. p. 152.*

18. *Evacuatione per inferiora* In Tertiana & biliosis corporibus, à calidioribus & fortioribus, quia facile diarrhoea sequitur, cavendum; Vix itaque ad scammoniata, nisi facile ferunt remedia, descendendum, Proin in Causone descripta, & quæ bilem maxime respiciunt, hic conveniunt. E. g.

℞. *Prunor. n°. x. tamarind. ℥j. jujubar. sebest. āā. n°. x. passular. ℥ß. dactyl. n°. v. flor. violar. borrag. bugl. āā. p. j. sem. cucurb. ʒß f. decoctio, infunde Rhei ℈. v. myrobal. citr. ʒij. spica ℈j f. Expressio. adde cassia ℥ß. manna ℥vj. f. Potio.* Vel.

℞. *syr. diaser.* (qui multa refrigerantia &, deoppilantia recipit) ℥iß *dissolve cum aqua buglossa vel endiv.*

Vel sic, cum urinæ quoque promovendæ.

℞. *rad. cichor. gramin. asparag āā. ʒ. j. infundantur in vino acidulo, h. endiv. borrag. acetos. āā. m. j. tamar. ℥ß. flor. iij. cord. āā p. j. fol. sena ʒ. j f. Decoctio. dissolve in colat. syr. violar. rosar. solut. āā. ℥j f. Haustus.* Platerus.

Observanda tamen hic est animadversio *Septalii* l. 5. §. 4. ut in Continua Tertiana respectu sui, aut materiæ illam facientis, nunquam ab initio ante coctionem medicamento purgante evacuandum est; ita cum quandoque bilis acris ad ventriculum transfundatur, & mordens gravissima inferens pericula, & sæpe mortem, potissimum si æger ad vomendum natura ineptus fuerit, illa ut præveniamus, licebit purgatione uti respectu symptomatis, ut *syrupo rosac. solut. ex sero lactis*, vel solo *sero*, vel cui incocti sint *Tamarindi* &c.

Utut autem Purgatione uti vix liceat, toto tamen morbi decursu eo respiciendum subinde ut alvus blande servetur aperta, idque inprimis ubi æstus urget, qui sub alvo clausa semper magis intendi solet; Idque eo tutius fieri potest quo minus malignitatis inest suspicio: nam malignis in febribus, in quibus natura vere intendit motum ad partes intercutaneas, cautissimi simus in alvo aperienda.

Pro hoc igitur scopo, alvum apertum servandi, convenit inprimis *serum lactis*, aut simplex, aut cui de *tamarindis* ℥j. aut ℥iß. infusa fuerit, item *Decoctum Tamarind. cum passulis.* Quod si vero initio harum febrium blande purgare, aut primas vias abstergere animus sit, Infusum blandum ex *foliis Senæ* cum *rhabarbaro*, ubi non nimis celeriter moventur hæ febre, tuto concedi potest. *Ettmuller p. 312.*

19. *Post concoctionem*) Plurimi Coctionem confundunt cum Præparatione, Coctionem enim definiunt humorum præparationem ad expulsionem, quos non abs re refellit *Argenterius*, quia confundunt duos aphorismos simul, 9. *scil. 2. Corpora cum quis purgare voluerit, fluida facere oportet*, Et aph. 22. l. 1. *Concocta medicari non cruda*, cum in illo de Præparatione, in hoc de Concoctione, tanquam de rebus diversis agat; *Præparationem* vult esse *Galenus* quando viæ reserantur, humores crassi ac lympha crassa & glutinosa attenuatur, inciditur detergetur; In febribus itaque hisce utendum, *oxymelite, melle rosato, syr. de cichor. &c.* Præparandi tempus est in morbis est quando pri-

ma regio fuerit à suis excrementis liberata; alias periculum est ne præparantium usu in venas impuritas illa rapiatur, & medicamenta præparantia incidant in colluviatium.

Coctionis itaque latitudo aliqua est habenda, *quadam propriè talis* quæ fit ex mitiori temperatura, mutuaque velut elixatione, in qua *acerbum, salsum, amarum &c.* vitiosum, potentia utile adhuc, emendatur, contemperatur, & reliquis consociatur; *Quadam impropriè & abusive sumpta*, Græcis [illegible]. Digestio & Præparatio Latinis appellata, cujus officium est, non ut concoquant, sed ut tantum disponant, quo facilius deinceps Coctio fiat.

Ea de re dat exemplum *Hippocrates, Ubi*, inquit, *crassa evaserint, ac pepasmo mitigata fuerint, & ab omni acrimonia aliena evaserint, tunc illico tum febres solvuntur, tum cætera quæ hominem affligebant mitescunt*: Hinc brevibus lineis interjectis concludit, *Concoqui autem & mutari, attenuarique & crassescere in aliam ideam humorem oportet, (quapropter & crises, & numeri temporum in hisce talibus plurimum valent) verum cuncta hæc evenire calido aut frigido minime omnium consentaneum est, cum nec putrescere nec crassescere queant.*

In levi itaque recessu harum intemperaturarum, maxime simpliciter alterantia, calefacientia, frigefacientia &c. sunt proficua: talibusque utimur in febribus. In *magno* autem & *notabili*, ceu plerumque fit in *Angina, Pleuritide, Peripneumonia, Febribus continuis & ardentibus*, una concoquentibus opus est.

Extendit autem se coctio materiæ febrilis ad duo, quorum *alterum* mutationem utilium in priorem statum, *alterum* vero aptitudinem inutilium ad expellendum & evacuandum comprehendit, *prius* genuinum illius opus est, *posterius* ex accidenti sequitur: Cum enim in qualibet coctione quædam superflua sint, & hinc tanquam inutilia & aliena se habent; fit ut cum locum nullum amplius obtinent in corpore, expellantur & evacuentur.

Coctio tandem materiæ febris hic intelligitur, non ea elaboratio & mutatio eorum, quæ idonei corpori nostro alendo redduntur, sed cum iis caloris nativi viribus ita alterentur, & ab utilibus separentur, ut evacuationi reddantur apti.

Hinc itaque Cruditas & Coctio alibi locum non habere videntur quam in febribus, Unde ii peccant qui in omnibus morbis, etiam sine omni omni febre, Digestiva, quæ vocant, Purgationibus præmittenda esse arbitrantur, cum materia ita sæpe sit disposita, ut licet exhiberemus sexcentos syrupos (ut loquitur P. *Æneas Caprilius*) nunquam major fieret separatio: Cruditas enim in febribus videtur esse humorum quasi fermentatio, Nondum enim, ut *Galenus* explicat, durante illa ebullitione vitiosum à bono est separatum: Non multum differre videtur à cerevisia & musto, Si quis vel decies colarit, vel per filtrum quoque, uti dicunt, distillarit mustum vel cerevisiam, nondum defæcatam, claram non reddet eam, ideo quod natura partes heterogeneas nondum separarit: Cessante vero illa ebullitione, & fermentatione absoluta; postea vinum & cerevisia clara ac defæcata redduntur, fæcesque subsidunt; aut si in vinum aut cerevisiam defæcatam, pulverem aliquem injicias, is facile vel subsidentia vel filtratione separatur, (*Quæ de musti defæcatione per filtrationem adducuntur, experientia repugnare ostendunt ii qui vina, quæ vocant Raspata parare solent, si enim dolio immiserit raspaturam, aut scobem, ligni, præsertim fagini, quod nullo sapore præditum est, hisque mustum recentissime ex uvis expressum affuderit, intra horas XXIV. mustum, servata pristina dulcedine limpidum ac tenue evadit: Idem experimentum in Vappa, seu vino, quod vocant* Tourné, *Conturbato, tali ab ebullitione reddito procedit, An in cerevisia idem accidat, experiri non licuit: Itali Pharmacopæi succos plantarum recentes defæcaturi, qui ebullitioni obnoxii sunt, per arenam trajiciunt.*)

Medicamenta autem concoquentia, seu Digestiva; sunt ea quæ impedimenta quæ in coctione naturam remorari possunt, tollunt, & quantum quidem licet, naturam in elaboranda febrili materia juvant: *Galenus* 1. *ad Glauc.* ad coquendos humores pituitosos; ac lymphpam crassam præscribit *piper*, & alibi *origanum, serpillum, thymum*, Libro octavo *meth.* laudat *aquæ potum*; Cum enim non sit una natura eorum quæ coquuntur, propterea varia quoque erit concoquentium; cum alia fortem, alia debilem requirant calorem, Aut si in febribus organum sit labefactatum, ut coquere non possit, contrariis illi erit succurrendum; ideo *vinum* in febribus lentis, ac à particulis crudis, crassis & aquosis ortis, *Aqua* in ardentibus coctionem promovet. *Pieus Tr. de Febr. P. 2. p. 111.*

20. *Evacuatione tam per sudorem*) Alia Diaphoretica conveniunt febribus intermittentibus, alia continuis; Frustra sunt qui in continuis *Sale absinthii, card. ben.* &c. in intermittentibus vero *spir. c. c. viperarum* &c. utuntur, Media vero, ut *mistura simplex* utroque casu mediant; Alia conveniunt in principio, alia in progressu, sive declinatione; semper simul respiciendus est status febris: Vidimus hinc ex intermittentibus redditas fuisse continuas; Quo volatilior fuerit status, eo mitius procedendum, cæteris paribus; Valet id quoque de dosibus ipsis; falluntur qui correpti insultu febrili *antimonii diaph.* vel *bezoart. min.* gr. v. vi. solum ad sumunt, neq. enim præcipitare sufficienter, vel dissipare hæc dosis potest: par ratio est *tinctura bezoard. spiritus c. c. Wedelius.*

21. *Alterantia sunt*) Cum integra & absoluta Purgatio, quam *eradicativam* vocant, nonnisi concocta materia instituenda sit, Medicus ab ipso morbi initio, post primam venæ sectionem, & primarum viarum evacuationem, ea medicamenta usurpare debet quæ humores crudos præparant ad concoctionem & evacuationem, simulque calorem febrilem contemperant, putredinem arcent & obstructiones reserant. In progressu febris, apparente concoctione, decoctis prioribus adduntur *rad. asparagi, liquir. fol. agrimon. pimpin. hepatica, capill. vener.* Riverius.

22. *Spiritus nitri &c.*) De istorum spirituum usu vide supra Tit. 3. De Febr. putr. in genere §. *Potus.*)

22. *Spiritus nitri dulcis, salis vitrioli*) Acida in biliosis febribus nunquam omittenda, quia amara dulcificantur per acida; quæ si intensa sint in suo gradu, ut *spiritus vitrioli*, aut *sulph.* ipsius aloes & colocynthidis amarorem delent; Bilis autem flava suo amarore spoliata, mortua est & innoxia. *Riverius.*

23. *Jusculo hordeaceo, Emulsiones*) Præparatio humorum institui potest per Julepos, Juscula medicata, Emulsiones & alia: *Julepi* componuntur in materia biliosa ex *syrupis de limon. granat. de agresta, acetoso simpl.* de *succo acetosa, oxysacch. cum aqua endiv. acetosa gramin. & cichor.* Vel melius ex *decoctis rad. acetos. cichor. fol. acetos. capill. ven. scariola, dentis leon. semin. frig. tamarind.* cum syr. prædictis, interdum ad intensius refrigerandum *Sal prunella additur* ʒj. pondere pro unaquaque Julepi dosi vel *spir. vitr. aut sulph.* q. s. ad moderatam aciditatem. Ex *succis* etiam possunt fieri *Julepi*, summæ efficaciæ & gratissimi.

℞. *succi pomor. redol. recenter extracti, & per residentiam*
depurati ℥iv.
succi limonio ℥iij.
aqu. rosar. ℥ij.
succi granat. ℥j. *sacch. albiss.* ℔ß.
f. Julep. clarificatus pro iij. dosibus.

Pro delicatioribus *Juscula medicata* Juleporum loco præscribi

scribi solent; tum etiam ne ægri ejusdem remedii diutius usurpati tædio afficiuntur, eaque componuntur ex prædictis radic. & herbis, gustui gratiores eligendo, cum *pullo gallinaceo*, vel frusto *gallinæ* aut *capi*, Jisque interdum, cum magis refrigerandum est, *salis prunellæ* ℥j. vel *spir. vitrioli* guttæ aliquot addi possunt. *Emulsiones* locum habent, Julepis ut plurimum gratiores, Tum maxime usurpandæ ubi febris siccam viscerum intemperiem habet comitem, vel catarrhum tenuem, vel pulmonis & partium spiritualium phlogosin, vel etiam ut remediorum formulæ immutentur, nec æger longioris Juleporum usus tædio afficiatur, *Riverius.*

24. *Portulaca lactuca*) Si bilis valde acris & tenuis fit quæ orgasmum faciat, & vel diarrhœam, aut gravem aliquam aliam fluxionem pariat, Incrassantes Julepi parandi sunt ex *aquis lactucæ, portulacæ, papav. rhoad. nymphææ rosar. cum syrup. violac. nymph. de rosis siccis, de succo portul. papav. rh. papav. albi* vel ex *decoct. lactucæ portulac. plantag. flor. nymph. papav. rh. & violar.* cum syr. prædictis. *Riverius.*

25. *Violarum*) Hic, aliique dulciores, soli non exhibendi, tum quia laxant stomachum, tum etiam quia antequam in venas penetrent ventriculi calore in vaporem calidum convertuntur, qui postea sitim intendit, Idcirco aliquid syrupi cujusdam acetosi semper admiscendum, ut facilius penetretur in venas, & magis calori febrili resistant. *Riverius.*

26. *Veteres aquam frigidam*) Non admodum arcendi ab aqua ii qui ex sincera bile febricitant, Ejus enim succi alteratio ustio est potius quam putrescentia, quare cum concoctio non sit contrariæ ustioni, ut putrescentiæ, in talibus ab attemperatione expectandum auxilium est potius quam à concoctione, quare aqua largius utendum. *Vallesius Epid. pag. 482.*

27. *Nec improbari potest*) Frigida magna copia exhibita in Febribus etiam Putridis continuis à veteribus usurpari solebat, & à Recentioribus quamplurimis laudatur: Verum quemadmodum in synocho simplici suspectus est illius usus, sic jam prudenti Medico consultius fore ducimus ab ea abstinere ob rationes dicto loco adductas: Conferre tamen aliquando in magno æstu febrili aquæ frigidæ bonum haustum ad ℥x. vel xij. cum guttis *aliquot spir. vitrioli* exhibere, ab ea enim iidem interdum effectus producuntur quos *Galenus* aquæ frigidæ tribuit ad lbiij. vel iv. exhibitæ, cum tamen inde ea pericula metuenda non sint quæ *Galenus* ipse ex præpostera magnæ illius aquæ frigidæ copiæ exhibitione sæpe contingere fatetur, *Spiritus* enim *vitrioli* facit quo minus aqua obstructiones augeat, quia potius eas aperit, & cito penetrat atque viscera pervadit, nec moratur in hypochondriis ut aqua frigida simplex, sed aquis mineralibus & acidulis valde affinis evadit, quæ licet magna copia sumantur, non gravant hypochondria, & citissime rejiciuntur, nec non obstructionibus reserandis opportunissimæ sunt. *Riverius.*

28. *Convalescentes*) Illud velim consideres quantopere sibi cavere debeant convalescentes, etiam si recte soluti morbi esse videantur, quia debiles cum sint, à levibus erroribus graviter nonnunquam offenduntur; Id vero præcipue teneri debet in iis qui ob internas aliquas affectiones periclitati sunt habitualibus intemperiebus corrupti. Quo in genere sunt omnes qui internam habent puris collectionem, & qui ob inflammationes aut erysipelata interna cœperunt marcescere; Cum enim horum debilitas esset in essentia, non potest eorum facultas nisi diuturno tempore reparari; Sæpe ergo quibusdam, quæ urgebant, mitescentibus, incipiunt velut revirescere; Cum vero eorum virtus non potuerit confirmari brevi ob erratum aliquod, etsi non gravissimum, denuo præcipitantur: *Itaque* lente reficiantur, & diu sibi caveant, atque adeo omnes ex quibus, ob malignitatem morbi, aut affectæ partis naturam, facultas videtur esse corrupta magis quam pro morbi longitudine, pluri tempore reficiantur quam extenuati sint: Respiciendum enim est non quanto tempore sed quantum sint debilitati quaque in essentia. *Vallesius 5. Epid p. m. 501.*

29. *Nunquam ad satietatem*) Convalescentibus ut laborandum non est, sic neque nimiis cibis corpus replendum; nam quemadmodum nimia satietas sanitati officit, sic si plenior paulo supra naturam in morbo cibus capiatur, quo scil. vires opprimantur, non confirmentur: quod accidit iis qui à morbo cibos avide expetunt, genioque indulgent, & tamen nihil proficiunt; Cibus hic morbum facit, in alvo scil. oppressionem, spirandi difficultatem, dysenteriam quoque aut leienteriam. In genere venoso obstructiones & febres, In habitu corporis extenuationem & phymatum omne genus: Quod ita esse declarat rei eventus, Etenim eorum morborum qui à nimia cibi abundantia succrescunt curatio vacuatione perficitur, *Liebautius Schol. in aph.* 18. *sect. 2.* Vult Hippocrates præsentem aphorismum illis accommodare, qui cum à morbo convaluerint liberalius se cibo & potu invitant: Hujuscemodi enim iterato laborant & periculosissime: Hoc docuit *Hippocrates* exemplo mulieris, quæ septimo die plene judicata, cum se eodem die liberalius invitasset, postridie obiit, non sine ratione: Nam calor naturalis partium solidarum infirmitate laborans strangulatur, si multo cibo prematur; Etenim convalescentes ut labor frangit, ita etiam repletio. *Heurnius l. c.*

30. *Aliquando porracea & æruginosa*) Non tantum à bile simplici, sed ab æruginosa, vitellina, porracea fieri potest secundum quosdam, ut ostendit experientia purgatis per alvum & vomitum hujusmodi humoribus febres Tertianas finiri. Scribit *Galenus 5. aph. 1.* se vidisse juvenem qui expurgata per vomitum bile æruginosa à febre & convulsionibus liber evasit: Vidi mulierem quæ in singulis paroxysmis bilem vomebat æruginosam, & vitellinam interdum. De his Febr. docte tractat. *Averroës 7. colligat. c. 11.* ubi docet eas potissimum quæ fiunt ex bile æruginosa habere accessiones longas, periculosa symptomata, & esse admodum exitiales, *Avenzoar* cap 6. *Theisor. lib. 3.* vocat fraudulentas & pernitiosas: *Massaria* eas reponit inter spurias, cum potius exquisitissimis sint adnumerandæ, *Mercatus Pernitiosas* quasdam Tertianas describit, inter quas eas recenset quæ ab ejusmodi humoribus procreantur; *Conciliator* negat dari febres ab ejusmodi bile ob malignam & venenatam humoris naturam, 1. quia quæ sunt valde ignita non putrescunt, quia calida sicca, ut prædicti humores, ergo nec febrem generabunt; 2. Oportet adesse tempus idoneum ad febrem generandam, sed hic non adest, quia humor ob malignitatem & venenositatem statim à corpore ejicitur: Sed dubium non est humores hos posse putrescere, cum omnia putrescant, imo nihil sunt quam bilis intense putrefacta: Si igitur retineantur facient febres, sed valde malignas: Retineri autem contingit & in venis & extra venas. *Primerosius l. 3. c. 2.*

31. *Non est ita lethalis*) *Febres*, de quibus *Hippocr. aph. 43. sect. 4. quæ tertio quoque die vehementius affligentes, non intermittunt, periculosiores sunt: quoquo autem modo intermiserint periculum abesse significant.* Febres, *inquam* illæ sunt quas alibi *tertianarum naturam referentes* appellavit, quæ continuæ sunt, & tertio quoque die graviores fiunt; hæque periculo non vacant, quæ de genere continuarum sunt, Quatenus vero tertio die ingravescunt, periculosiores sunt illis quæ singulo die, sine intermissione, pariter invadunt, & ratio est, quia quo totius paroxysmi pars deterior, quam vigorem dicimus, diutius perduraverit, eo magis naturam affligi necesse est, cum igitur hæc febris per longiora intervalla exacerbatur, quam quotidiana continua, & omnia tempora longiora habeat, vigorem etiam longiorem habere necesse est, & ex conte-

quent etiam periculosiorem esse, & hac ratione (ni fallor) adhuc periculosior est quartana, si sit continua, ut experientia demonstrat; quamvis hæc eadem ad intermissionem deveniens omnium securissima sit.

Sed duo pro vera hujus sententiæ explicatione veniunt adnotanda, & 1. non asserere *Hippocr.* febres omnes intermittentes carere periculo, quia id falsum esse in dies observatur, quoties enim febres à principio sunt intermittentes, quæ temporis progressu factæ continuæ ægros interimunt; quod etiam advertit *Hippocr. 7. Epid. 2.* vi. dum inquit, *æstate cholerica affectiones, & febres intermittentes fiunt, & quibus horrores accedunt, hæ quandoque maligna fiunt, & ad morbos acutos perveniunt*, Si quis vero exponat quamdiu febres intermittunt, periculo carere, Is prædicendi ridiculum, & *Hippocr.* indignum modum proponet, similem ei quem à nostris frequenter audio, Ægrum scil. non moriturum, nisi aliquid aliud mali accedat; certum enim est, si mori debet, ulterius mali aliquid supervenire ei oportere.

Quare hoc modo intelligendus est in hac sententia *Hippocr.* Si febris, quæ continua fuit, & tertio quoque die exacerbari solita ad intermissionem devenerit, nullum amplius periculum afferre potest: ij. *Adnotare* oportet *Hippocr.* non asserere febre quoquo modo desinente omne periculum abesse, nam sæpe ægri in hujusmodi febribus ad infebricitationem deveniunt, qui febre redeunte tandem moriuntur, quod quamplurimus ægris Epidem. accidisse legimus (ut proprias observationes taceamus) Sed intelligere febrem intermittere eo modo quo febres periodicæ intermittere solent: quod ut significaret usus est voce διαλείπειν, quæ proprie prædictam intermissionem significat; ad differentiam vocis ἀπυρέξιος, quæ simpliciter febris carentiam denotat.

Quare sensus est, Febres continuas, tertio quoque ingravescentes, periculosas esse; quę quidē quoquomodo intermiserint, h. e. quocunque typo, sive quotidiano, sive tertiano aut quartano, sive etiam erratico, ad eam intermissionem devenerint qua febres periodicæ intermittentes fiunt, periculum abesse significatur; Et ratio est, quia hujusmodi transmutatio significat mineram febris translatam esse à venis ad extra venas: quare si natura talem motum potuit perficere, dum à febre continua affligebatur, multo facilius prohibere poterit, ne rursus intra venas firmetur, & periculosum morbum denuo constituat, dum in febris intervallo recreari potest: Et si *Parius 3. Epid. sect. 3.* ex continua in intermittentem erraticam conversa tandem mortuus est, id non naturæ morbi tribuendum est, sed erroribus in victu. *Pr. Martianus p. m. 356.*

[32] *Cave scammoniata*) Attamen *Hippocr. l. de Loc. sect. 2. v. 79.* In febrium curatione pharmacum cholagogum exhibet, cui multa nostra cathartica ignota erant, usurpanti scammonio validiora: *Franc. de le Boë Sylvius, dacrydium, scammonii* progeniem, tutissimum esse medicamentum esse ait, sibique in febribus familiare; Ex eo Emulsionem parat gratissimam, Ex *scammoniatis* medicamentis officinalibus utilissime usurpatur *Electuarium de psyllio.*

[33] *Notha à sanguine bilioso*) Tertiana Notha, secundum *Avicennam* est, quæ ex bile cum aliis humoribus putrescente generatur, vincente tamen bile: Sic Tumores vocamus exquisitos qui & si acero humore, alterius mistione non inquinato, oriuntur; Quod si varii humores simul misceantur, fiunt Tumores Nothi, ut erysipelas phlegmonodes, sic in febribus sincera bilis exquisitam; aliis admista *Notham* parit *Tertianam*: Suntque hic duo animadvertenda, 1. Bilem in illa permistione vincere debere, ut nomen formamque febri largiatur: alias si copiosior esset pituita, non Tertiana sed Quotidiana notha potius deberet appellari, 2. Humores hos varios simul permisceri debere, ut unam faciant febrem unumque paroxysmum; nam si diversi humores diversis in locis putrescant & accendantur, aut diversis temporibus moveantur, duæ erunt febres, ut in hemitritæo, duabus tertianis, non una. *Primirosius.*

4. *A Pituita per adustionem*) Quidam dicunt *Ardentem spuriam oriri à salsa pituita.* At vero quæritur, an pituita, quæ facit hanc febrem sit salsa priusquam faciat morbum, an vero in ipsa generatione febris salsa evadat, Ex una parte non videtur fieri posse ut pituita salsa existens putrescat, & faciat febrem quia salsa, tantum abest ut faciant putredinem, ut eam procul arceant; ita muriam nunquam putrescere quotidie videmus: Ex altera parte est, quia si fieret à pituita salsa, sequeretur omnem febrem fieri à pituita salsa, quod est falsum, quoniam si pituita, cum putrescat, salsa evadit, & putrescens facit febrem, ergo omnis pituita facit febrem, quod experientiæ & rationi repugnat. *Piens p. 235.*

ARTICULUS II.

De Febre continua ἀμφημερινοφυεῖ.

[34] *Febris continua ἀμφημερινοφυὴς est febris à sanguine pituitoso in vena cava propaganibus putrescente excitata, singulis diebus exacerbari sueta.*

[35] *Signa* sunt, exacerbatio quotidiana etiam nullo assumpto cibo, quæ fit circa vesperam propter pituitæ motum, cum *calore* primo attactu miti, propter lentam & inæqualem ex varietate partium pituitæ incensionem, post laxatis manuum tepore potis cutis acriore, [36] quibus ab hectica distinguitur; cum levi partium extremarum *refrigeratione*, quod tamen perpetuum non est, [37] *Urina* est crassa potius quàm rubra [38] *pulsus* mollis & latus, sitis exigua.

[39] *Causa* est sanguis [40] pituitosus putrescens, qui à senibus ob frigiditatem, pueris ob lactis usum & ἀπεψίαν, nec non otiosis & in humido degentibus cumulatur,

Curatio est I. quoad eventum, 1. [41] *Difficilis*, quia ob humoris crassitiem ad quadragesimum & sexagesimum interdum diem durat, ita ut principium ante vicesimum non absolvatur. 2. *Facilior*, [42] si virtus valida [43] & plures evacuationes contingunt: si pauciora & minora symptomata: si paroxysmi justo breviores. 3. [44] *Anceps & dubiæ spei* si virtus ab initio debilis: si paroxysmi longi: si somnus profundus: si ventriculus debilis, quia obstructo indies hepate & liene cachexiæ & hydropis metus est: si diu durat, quia potest facilè in hecticam terminari.

II. [45] *Quoad processum*, respicit I. *Febrem ipsam* quæ adeò refrigerantia, quia calor mitis, non reposcit.

II. *Causam*,

II. *Causam*, quæ præparanda, educenda. Ergo, I. primæ viæ, quia crassis & crudis humoribus scatent,[47] clystetibus vel lenientibus medicamentis (mel rosatum valet) evacuentur: ne, si id negligatur, attenuantibus fusi & colliquati naturam ante statum obruant. Ventriculus *vomitu* purgari potest semel & iterum, si nausea subrepit. 2.[48] Sanguis qui pituita infectus, parcè, ne crudior evadat mittatur, inprimis si natura nimia humoris copia obruitur; vires ferendo pares, nec naturalibus annexa impediant, sic enim parte oneris levata, facilius reliquum subigitur. 3. *Humor peccans per ἀλλοίωσιν alteretur*; moderatè primò incidentibus & detergentibus, ne si per validiora fieret, idem in penitiores corporis partes deducatur; post sine excessu[49] validioribus. *Ibi* conveniunt quæ ex *capillis veneris*,[50] *oxymelite simplici, melle rosato*[51] *chamædry, betonica* &c. parantur, seu illa syrupi & aquæ, seu Electuaria & conservæ: *Hic*,[52] *Oxymel compositum*, syrupus de *duabus radicibus, Tartarum vitriolatum, Nitrum præparatum*, quæ in jusculis propinari possunt, *Notandumque* simul.[53] Refrigerare ex accidenti calida & quæ tenuis substantiæ, dum reseratis arctioribus viis, calori nativo eventilationem conciliant. Incidentium & detergentium vim pro humoris conditione, febris vehementia & corporis constitutione variare debere. Circumspecti, secundum Feynæum, esse Medici, novare interdum, morbum augere, febrem incendere, ut curationem, eo quod est non recipiente, id quod futurum est recipere possit, idque in lentis febribus usu venire, ut opportuniores sint curationes si in acutas mutentur: quod cum grano salis & ingente cautela sumendum est.

4.[54] *Purgetur* idem per inferiora,[55] si coctionis signa apparent,[56] partitis vicibus, *lenioribus* primò, ut *hiera picra, agarico trochiscato, aloë*, vegetioribus post,[57] quibus unum & alterum granum *magisterii scammonii rosati* addi potest.

5. *Sudores cieantur* imminuta jam materia, *sale absynthii & cardui benedicti* cum pauxillo *theriaca*, audacius,[58] si per *diuresin* aliquid demptum est.

6. *Ventriculus & hepar roborentur*, intra, trochiscis *de absynthio, rhabarbaro*, rotulis *aromatici rosati*, speciebus *diaxylo aloës*.

[59]. Extra, ceroto *santalino*, cum oleo nucis moschatæ, quod in ventriculo locum habet.

III. *Ægrum*, qui diæta fovendus.

Victus ergo præbeatur primis tribus *parcior*, si in ventriculo & primis viis cruditates redundarint; *plenior*, sin minus, ut ad statum perdurare valeat, per totum tempus εὔχυμος seu *boni succi & leviter conditus*; tum quia calor nativus à febrili oppressus est: tum, ne plus ejus accumuletur; tum ut medicamentosus simul sit. pisces vitandi. *Potus* debet esse vel aqua saccharata, cinnamomizata, vel hydromel,[60] vel vinum ὀλιγοφόρον apparente coctione, ut reliquiæ ad *diuresin* inclinentur.

Distinguitur in *Exquisitam*, *Notham*, *Epialam*, & *Syncopalem*.

I. *Exquisita* à solo pituitoso sanguine oritur, & paroxysmos ad octo, decem horas extendit. Si hic salsus, calida *cichorio*, *seminib. frigidis* & aliis temperabis, *fumariamque* cum floribus borraginis, buglossæ, & quæ ex iis fiunt adjicies.

II. *Notham* bilis, vel melancholia phlegmatico sanguini permista, producunt. Miscenda in medicamentis ea quæ utrumque humorem respiciunt.

[34]. *Febris continua Ἀμφημερινὴ* Continua Quotidianæ naturam sapiens Barbaris *Lanca* (quia latentem habet calorem) veluti rara est & insolens, ita eam Cathemerinam quidam recentiores appellare consuevere Medici, licet falsum, Ego vero (inquit *Galenus*) solitus sum eandem febrem *Amphimerinam continuam* nuncupare: nam cathemerinon vocabulum nusquam apud Græcos scriptum invenitur. Rectius itaque Febris continua, Quotidianæ formam quodammodo referens, dicetur *Febris continua, Quotidianæ formam sequens, est continuus affectus, qui singulis diebus cum exacerbatione febrili affligit.* Piens §, ix. pag. 95.

Alias Ἑψιμερινὴ dicitur, similis hecticæ; Recte videtur *Fernelius* eam sub Lente nomine descripsisse; Soler autem eos infestare qui cachectici sunt, in iis enim plurima pituita [illegible]ata est in venis, sed hoc valde rarum est; nam vix possunt [illegible]enæ tanta caloris inopia laborare, potius, fit ex obstructionibus à pituita factis, quæ pituita cum vix absumi possit, in continuæ modum affligit. *Primerosius.*

[35]. *Signa sunt* Diagnostica sunt, quod singulis diebus exacerbatio quædam observetur; Alias ad generalia continuarum febrium signa confugiendum est: Nam differunt signa secundum particulas dominantes: seu itaque sint calidiores, acriores, bilisiores, seu chylosiores, crudiores. *Piens.*

[36]. *Quibus ab hectica distinguitur*) Cum Quotidiana continua, quàm *Lascam* vocat *Avicenna*, sit febri hecticæ simillima; ita distinguentur, quod in Quotidiana calor est semper sui similis, in Hectica sub noctem & post cibum augetur, 2. in hectica pulsus est durus, In quotidiana mollis & latus. 3. cutis pariter est mollis in pituitosis; dura, squallida & arida in hecticis: Demum causis differunt. *Primerosius.*

[37]. *Urina est crassa*) Urinæ in principio crudæ sunt, albæ, tenues, aqueæ, procedente morbo crassæ, solutis obstructionibus, quia humor morbificus permiscetur sero, qua etiam ratione interdum rubicundi fiunt. *Primerosius.*

[38]. *Pulsus mollis*) Pulsus sunt parvi, debiles, rari & minores quam pulsus Quartanarum; inordinati & inæquales in principio accessionis; idque quia pituita frigida humida, copiosior est in corporibus nostris, unde calor in ea non potest habere ἀνάψυξιν, & ideo facultas velut consopita est, & arteria humoris copia impedita; ut dilatari & constringi facile nequeat, nec usus & necessitas admodum urget: Tarditas vero pulsuum in Quartanis & Quotidianis æqualis esse videtur, sed pulsus

Quartanarum sunt rariores pulsibus quotidianarum, sicut harum pulsus rariores sunt pulsibus tertianarum: Et ratio est, quia pulsus in quartanis majores sunt quam in quotidianis, unde magis expletur usus in quartanis quam in quotidianis, hinc fit ut quod in magnitudine deest, frequentia compensent: Rariores igitur sunt Pulsus Quartanarum, sed majores, frequentiores vero sunt pulsus Quotidianarum, sed minores, sed in utrisque sunt æque tardi. *Primirosius.*

39. *Causa est sanguis*) Causæ sunt chylosæ ac crudæ particulæ, sive massæ sanguineæ fermentales reliquiæ, potissimum juxta vasa lactea & glandulas mesenterii hærentes, quæ fermentatione concepta sese quoquoversum diffundunt, ac in venas lacteas subeuntes, cum reliqua sanguinis massa miscentur, cum qua ad cor redeunte *ad cor* idipsum subintrant; ibidemque majori fermentatione ebullientes irritationem, ex qua calor consequens est, & per arterias influens quoquoversum in corporis habitum diffunditur, excitant: *Pitens* §.19.*p*.95.

40. *Sanguis pituitosus*) Pituita non semper in culpa est, cum plurimæ febres continuæ Quotidianæ sint, quæ à particulis biliosis & residuis proveniunt, eæque adeo obviæ, ut qui eas non observavit à negligentia excusari nequeat: Quales & non paucæ Quotidianæ Intermittentes frequenter obveniunt, quæ Tertianis succedere solent, Quartanæ quoque intermittentis in Tertianam subita mutatio, & vicissim Tertianæ in Quartanam, iisdem utrobique permanentibus symptomatibus, arguere videtur utramque ab eodem humore posse generari. *Idem.*

41. *Difficilis*) Febris hæc longa est & periculosa; *longa* quia pituita viscida est & crassa, copiosa, quæ non potest facile nec cito à natura superari; *Periculosa*, tum quia ob debilitatem ventriculi syncope facile succedit, tum quia jecur, splen facile trahuntur in consensum, sicque fit hydrops ex *Averrhoe*, tum quia assidue affligit, nullas ideo naturæ affert inducias, sed eam perpetuo gravat: minus tamen gravis est quæ fit à pituita in intestinis putrescente, quia levi medicamento potest sanari, cum hæreat pituita in viis excretioni dicatis: Et quo exquisitior eo diuturnior, ac periculosior, ob corporis imbecillitatem: Quartana tamen longior esse solet, quia pituita minus est tenax & rebellis, naturæ magis amica, à qua facilius alteratur & edomatur quam melancholia. *Primirosius.*

Periculosa admodum est Quotidiana continua, quia si purgas lipothymia sequitur, si non, idem contingit: *Walæus Med.Pr.cap.*5.

42. *Si virtus valida*) Cujus robur indicant Sternutationes, quæ post statum bonæ & salutares, quia ostendunt naturæ supra morbum victoriam. *Primirosius.*

43. *Plures evacuationes*) Securior ea est cujus intervalla sunt manifesta, & quæ *sudoribus* libere & liberaliter solvitur, quod rarum est, ostendunt enim materiæ tenuitatem, corporis raritatem, & virtutis sive caloris nativi robur ex Avicenna. Solvuntur frequenter Quotidianæ febres *vomitibus & excrementis pituitosis*, Tum per *dolores articulares*, metastasi humorum ad articulos facta. *Primirosius.*

44. *Anceps & dubia spes*) Si Medicus observaverit humorem esse crassum, copiosum, viscosum; tempus anni frigidum humidumque, ætatem temperiemque pituitosam, paroxysmum longum, cum pauco aut nullo sudore, stomachi imbecillitatem, anorexiam, somni profunditatem, naturamque debilem, hypochondriorum inflationem, periturum ægrum pronuntiabit: Contraria signa salutem portendunt: *Primirosius.*

45. *Quoad processum respicis*) In cura 1. Fermentum acidum corrigendum, 2. vehiculum ejus, seu fomes, fere pituitosa cruditas acida removenda, 3. *Symptomata* mitiganda. Pro his scopis consequendis observetur 1. tam in principio quam incremento hujus febris nute *vomitoriorum* optime locum invenire, præsertim si vires simul constent; 2. *Diuretica*, quia simul sunt alterantia, optimo successu applicari possunt; nempe præmissis præmittendis, fundant atque attenuant sanguinem, & ita restaurant plus minus naturalem ejus fermentationem, simulque crassa crudaque excrementa, si quæ circa primas vias, aut aliis in locis restiterint, dissolvendo abstergunt, & remotioni aptiora reddunt: Remedia itaque hac in febre proficua sunt *sal armon. nitrum antimoniat. tartarus vitriolatus Tackenii. Antihect. Poter. terra fol. tartari, ejusque liquor. spir. salis dulcis &c.* hinc

℞. *sal. armon. depur.* ℈j.
antihect. Poter. ℈ß.
ad gr. xv. m.
Da una vel pluribus vicibus, præsertim ante exacerbationem. *Vel*

℞. *aqu. hyssopi. card. ben.* ana ℥iß.
spir. theriac. simpl. ʒiij.
spir. salis dulc. ʒß. *ad* ʒj.
syr. de hyssopo ℥ß.
misce. *Ettmuller p.* 326.

46. *Quæ adeo refrigerantia*) Refrigerandum non est, & humectandum, ut in aliis febribus, quia materia frigida est, crassa, tenax, ideoque præparanda est calefacientibus & attenuantibus, Quod si bili admista sit, aliquid refrigerantium admiscendum est, ut in Tertiana notha. *Primirosius.*

47. *Clysteribus*) In pituitosis febribus fiunt Decocta ex herbis emollientibus, cum *seminibus anisi, fœnic. carthami, flor. chamom. & meliloti*; dissolvendo *hieram*, *diaphoen. mel. rosat. mercuriale, ol. chamæm. aneth.* &c. Riverius.

48. *Sanguis qui*) Quæritur hic an V.S. conveniat, nam nec à *Galeno, Aetio, Paulo, Averroe*, aliove authore commendatur, *Actuarius* ex professo improbat, Cum enim humor sit frigidus, crudus, à natura sanguinis valde alienus, vires sint valde debiles, piaculum est cum sanguine calorem nativum profundere; *Avicenna* tamen non improbat si urina crassa sit & rubicunda; *Galenus* ipse sanguinem mittit in omnibus putridis, si adsit morbi magnitudo virium q; robur, tunc sane vena secari potest; Neque adeo metuenda est humorum crudorum copia, si quidem cum duobus prædictis non possunt adeo humores crudi dominari ut hoc auxilium prohibeatur; Spectandum igitur num vires & ætas consentiunt, quod raro in exquisita quotidiana accidit, quia ab humore crudo, in senibus, pueris, anni tempore frigido contingit, at v. s. corpus magis refrigerat, unde sanguine vacuato humores recrudescunt; unde ait *Avicenna, cave ne ægrum perducas ad frigidorum incrudationem: Si igitur ex urinis sanguinis permistionem judices, fiat s.m. alias non*: At non solet tunc esse exquisita, raro itaque sanguis mitti debet. *Primirosius.*

49. *Validioribus*) De *Oxymelite compos.* ut & *syr. de v. rad.* moveri potest difficultas, aliisque incidentibus, & attenuantibus, utrum initio conveniant, quia utplurimum per urinas evacuant, Diuretico autem non est utendum in principio? At si iis non utamur, humorem non præparabimus, cum omnia pituitam præparantia fere sint diuretica; Respondeo incipiendum esse à levioribus, minus calidis minusque aperientibus, ne si fortioribus utamur, crudus humor in venas deducatur, obstructionesq; plurimæ contingant; Demum Diureticum medicamentum redditur tantum incisivum variis modis, 1. si blandum sit, 2. si humor sit admodum crassus & viscidus, 3. additione eorum quæ remittunt vires diureticas, 4. si parva dozi exhibeatur; 5. si natura aliam viam affectet, aut urinæ meatus sint valde obstructi; sic diarrhœa laboranti *jus cicerum rubrorum* raro movet urinam; potius abstergendo alvum magis movet; quod tamen non est semper verum; Igitur primis diebus non inutile erit hujusmodi aperientibus pituitam præparare sed levioribus. *Primirosius.*

Quotidiana continua à pituita lenta curetur *fricanda* pedes & brachia, sic enim materia minuitur, *Walæus.*

50. *Oxymelite simplici, melle rosato*) Inter præparantia præcipue

Præcipue laudat *Galenus oxymel. simplex*, sed quando conveniat dubium est, propter variam lectionem verborum *Gale ni 1. ad Glauc. 12. Oxymelite*, inquit, *utitor*, quidam legunt [illegible], alii [illegible]: Nulla enim causa videtur cur id, aliudve ejus naturæ remedium ... mis diebus exhiberi non possit, cum pituita qua corpus scatet attenuari, & calefieri, moderate incidi debeat: At quoniam *oxymel* nocet ventriculo, admiscenda erunt quæ ejus robur tueantur, *ut mel. rosatum*, quod ratione mellis abstergat, ratione *rosarum* adstringit *Averroes* admiscet mastichen, *glycyrrhizam*, cinnamomum. *Primirosius*.

50. *Ut chamadry*) Ut *& centaur. min.* si valde sit, impacta, viscida & lenta, Quibus si *sal. tartari* & spiritus vitrioli addantur, felicius operabuntur. *Riverius*.

51. *Chamadry*) In febribus lentis & diuturnis, à contumacibus obstructionibus productis, *chamædrys*, licet amara, cum *cichoreacen* in jusculo decoqui potest: Et *Montanus* in consiliis, *Decoctionem cichor. & chamædr.* in Jusculis velut admirandam prædicat, in iis quibus febris longa cum obstructionibus conjungitur. In febribus Pituitosis *De. octum chamæmeli* præstans est ex *Zacuto obs. 36. Pr. Adm.* Riverius.

52. *Hic oxymel. compositum*) Primum utemur *Oxymelite simpl.* & levioribus, deinde accedemus ad *Oxymel. compositum syr. de v. rad. byzant. de hyssopo*, quibus, cum magnus est calor, admisceri possunt *syr. de endiv. de cichor. simpl. & comp.* cum quibusdam aquis refrigerantibus, Ex prædictis fiant *Julepi, Apozem. Syrupi*.

℞. *aquar. beton. fœnicul. hyssopi* ãã. ℥iij.
syr. de hyssopo, mell. rosat. ãã ℥j.
sacch. ℥ij. *misce. f.*
Julep. aromatiz. ℈iv. *cinnam.*

℞. *syr. de v. rad. byzant.* ãã. ℥iß.
spir. vitriol. ʒß. *aqu. borrag.* ʒij.
aqu. hyssopi meliss. ãã. ℥iij.
aqu. cinnam. ℥j.
aceti caryophyllati ʒß.
crem. Tart. ʒj. *m. f. Julep.*

℞. *syr. conservat. nuc. condit. syr. conf. corticis citri* ãã ℥j.
aquar. absinth. beton. ãã ℥iij.
aqu. theriac. ℥j. *aqu. mariæ* ℥ß.
conf. alkerm. ℈j.
mosch. ambr. ãã *gr. j. m pro ij. doz.*

stomachum roborat, & animi deliquio medetur, quod solet esse in hac febre frequentissimum.

℞. *succor. endiv. apii, buglossi* ãã. ℔j.
incoque pulegii, chamadr. lupuli ãã *m. ß.*
rad. endiv. petrosel. fœnic. ãã. ℥j.
semin. anis. ʒij.
capill. vener. schœnant. ãã. ʒij
spica celtic. ʒj. *colat. clarific adde sacch.* ℔ij.
aceti caryophyll. ℥iv. *f. syrupus.* Vel

℞. *rad. pyreth.* ʒiij
rad. acori, aristol. bryon. dictamni, alb. valeriana ãã.
℥ß. *v. aper.* ãã. ʒvj.
infund. per horas 24. in ℔vj.
aq. font. coqu. lento igne ad ℔ij. *consumpt.*
adde chamadr. chamap. salv. rorismar. puleg. hyssopi thymi, rutæ, calam. serpilli ãã. *m. ß. stœch. p. s. sem. anis. fœnic. carvi sesel. ligust. ameos* ãã. ʒß.
spica nardi ℈ij.
croci gr. j. *iterum coqu. ad* ℔j. *consumpt.*
colat. adde sacch. ℔ij.
mellis de pom. ℥iij.
Clarific. adde aceti caryoph. ℥ij. *f. syrupus.*

Isti duo syrupi optimi sunt ad omnes frigidos viscerum morbos. *Primirosius*.

53. *Refrigerare ex accidenti calida*) Sic datur ad ejus concoctionem *vinum Hispanicum*, Et ad ejus evacuationem *pilulæ ex aloe* cum *chalybe vitriolato*. Walæus.

54. *Purgetur idem per inferiora*) In quotidianis adjiciunt bilem spectantibus pituitæ educendæ accommodata; Sed cum hæ febres, ob frequentes exacerbationes vires admodum deiiciant, caute iis utendum, vel levioribus potius insistendum, In pituitosis tameo naturis.

℞. *agar. trochisc.* ʒj.
medulla sem carth. ʒiij.
macerentur in oxymel. & aqua endiv. viol. et cap. vener.
exprimantur, adde Cathol. ℥j. *f. Potio.* Riverius.

55. *Si coctionis signa*) Dubium an perfecta coctio sit expectanda ante purgationem? Nam *Galenus Paulus Ætius*, nonnisi completa coctione evacuant; *Trallianus*, & *Avicenna* laudant frequentes & repetitas purgationes per epicrasin, etsi humor non sit perfecte coctus, Quam sententiam merito amplectantur quidam recentiores, nam, ut docet *Saxonia*, coctio maxime longa esse solet, deinde materia in tanta est copia, ut post coctionem unico non possit expurgari cathartico: Præstat itaque levi apparente coctione sæpius & paulatim vacuare; nam propter longitudinem debilitantur ventriculus, hepar, hinc prima & secunda coctio male perficitur, quo fit ut pedes & crura intumescant, immineatque aquæ intercutis periculum, quæ mala prædictis remediis frequenter repetitis præcaveri possunt: *Primirosius*.

56. *Pariniis vicibus*) Morbus hic quia longus non potest una vice evacuari aut præparari, quapropter, ut recte docet *Alexander*, debent & præparantia & evacuantia repeti, utendumque est epicrasi. *Primirosius*.

57. *Quibus unum & alterum granum*) An in continuis *scammonium* porrigere liceat vide supra Tit 4. c. 1. De continuis simpliciter sic dictis §. *Per minora, ut rhabarbarum*.

58. *Si per diuresin aliquid*) Decoctum *chamadr.* per urinas evacuat, & multum prodest, inquit *Trallianus*.

59. *Extra*) Inter Externa laudantur *Frictiones*, *Fotus ex decocto absynth. mentha, rosar. cortic. citr. macis. caryophyll. galanga, ligni aloës*, Post Fotum ungatur *ol. de nuce mosch. aneth. nard. de absynth. de mastich cum caryoph. nuc. mosch. rosis, vel cerat stomach. Tela aranea* imbuta his oleis applicetur stomacho; Sed consilio *Tralliani*, hæc calida non dentur ante signa coctionis & corporis purgationem, alias inflammationes pariunt, humoresque attrahunt, sicque viscera reddunt imbecilliora, inquit *Avicenna*, Refert *Trallianus Ætium* de collo suspensum omnibus Intermittentibus, sed præsertim, Quotidianis prodesse. Item *a aneam* de collo suspensam. *Riverius*.

60. *Vel vinum*) Dubium est an competat, periculum enim est ne febris augeatur; Id tamen concedunt *Valesius* & *Averroes*, quia coocoquit, aperit, urinam provocat, modo sit album, tenue, Etenim si calida conceduntur, ut *cinnamomum, petrosel. anisum, cuminum, ruta*, quidni *Vinum*, quod naturæ est magis amicum & familiare, ac veotriculum roborat; Alii vinum quidem non probant, sed mirantur cur Medici ab eo abstineant, cum illa calidiora interdum præscribant, ut *mulsam* cum *origano, thymo, aromatibus*, quæ vino diluto & aquoso sunt calidiora, Alii id fieri respondent ob summam penetrandi vim quam possidet, cum prompte in venas & arterias rapiatur, caputque vaporibus oppleat, Sic podagrici jubentur à vino abstinere, cum tamen interea calidioribus utantur: At hæc vini incommoda minus percipiuntur in melancholicis & pituitosis febribus ob humoris crassitiem & frigiditatem, quapropter tuto tum vino, tum reliquis calidioribus utemur in his febribus. *Primirosius*.

De Febribus Continuis, Lentis, Quotidianis affinibus.

Continua Lenta ita dicuntur quod tardiori motu sua absolvunt tempora, minusque urgentibus stipatæ sint symptomatibus; calore in specie minu

vehemente ſive intenſo, utut plus minus acri, mordaci moleſtæ: idque nunc magis nunc minus tales; *Illa* magis proprie ita dictæ, quarum comes eſt contabeſcentia corporis; *hæ*, *minus lentæ*, & nonnihil ad acutarum naturam accedentes, graviora fere ſymptomata habent juncta, adeoque brevius tempora ſua, abſque tamen critico motu, ſucceſſiva ſaltem ſucceſſione percurrunt, quales *continua quotidiana* in ſpecie ſic dictæ, ſunt enim Lentæ omnes benignæ, malignæ autem acutæ eſſe ſolent, utut *petechiales* præ cæteris lentæ videantur.

Porro hæ *Lentæ*, nunc ſunt *primariæ*, nunc *ſecundariæ*, *Illa* per ſe incipiunt, & nullum alium morbum ſequuntur; *hæ* vero ex alio fiunt morbo, ſive ab alio, tanquam à ſua cauſa immediate dependent, v.g. quæ vulgo corruptionem partis cujuſdam internæ ſequuntur, item *Febres catarrhales* dictæ &c. Sive ab alio morbo male tractato per illius degenerationem fiant; adeoque tunc tanquam primariæ per ſe ſubſiſtant, quales ſunt quæ *continuas acutas*, item *intermittentes* male curatas inſequuntur; Suntque *omnes febres lentæ fere* periodicæ, h.e. quæ ſuis plus minus periodis certis exacerbari ſolent, idque vel (frequentius quidem) veſpertino tempore, ſicque *Quotidianæ* typum repræſentant, *vel* ab omni paſtu, tuncque ad hecticas fere revocantur.

Quoad *Lentas primarias*, *horrore* levi vel diuturno fere ægros apprehendunt, inſequente quidem calore continuo, ſed non adeo intenſo, ſive vehementi, prout in acutis, utut ſubinde mordaci, plusminus acri, interdiu tolerabili, ſive mediocri, ſed qui veſperi intenditur, & uſque poſt medium noctis graviter urit, & abſque ſenſili quadam excretione ſolvitur; *Pulſus* continuo celer, frequens, magnitudine & vehementia moderatus, ad parvitatem tamen declinans; *Appetitus* nullus, *Sitis* intenſa, *os glutinoſum*, *urina* craſſæ, intenſius tinctæ, quæ facile turbantur, & ſubinde multum ſedimenti deponunt; adeſt ſimul *Laſſitudo* totius quaſi contundens, cum lancinationibus artuum ſubinde junctæ, interdum etiam *cephalalgia* tenſiva & gravativa moleſta eſſe ſolet; Pluribus ad *acutarum* naturam accedere hujuſmodi lentas, non ſolum ex hactenus facta relatione patet, ſed in ſpecie quod *acuta continua*, & etiam *intermittentes* in lentas, tam has quam alias facile degenerent, quin & in hecticas tranſeant,

Nempe *Acutæ illæ* ex concitatiori fermentationis febrilis impetu, occaſione acrioris & volatilioris acidi in ſanguine acriori (cæteris hinc derivatis humoribus & ipſis acrioribus exiſtentibus) originem ducunt: *Lentæ* è contra, ex remiſſiore illo impetu, ab acido minus acri, aut in ſubjecto ſeu vehiculo viſcidiori & glutinoſiori hærente, ipſis corporis humoribus cæteris temperatioribus plus minus, ac glutinoſioribus vel naturaliter vel præternaturaliter exiſtentibus.

Obſervandum enim eſt probe Axioma, *Chronicos, contumaces, ac lentos morbos*, ex *viſcida, glutinoſa, ac tenaci materia*, vel tanquam proxima occaſionali cauſa, vel tanquam fomite dependere, *Acutos* vero, *& cum corporis perturbatione junctos*, *ab acriori cauſa occaſionali materiali originem deducere.*

Febres Lentæ primariæ.

Ortus ergo Lentarum harum febrium, primariarū, erit *vitium & defectus digeſtionis primæ*; dum ex inertiori & alterato fermento digeſtivo (undecunque id vitii ortum fuerit) & bile quoque mitiori minuſque acri, Chylus minus volatilis, vitioſo tamen acido ſapore inquinatus, maſſæ ſanguineæ inſtillatur, quo ipſo ſucceſſive fomes febrilis ſupervenit (unde à ſanguine pituitoſo, ſive pituita acida ortas continuas Quotidianas aſſeruere veteres) ſalubriter ceſſans dum illo fermentationis motu depurat maſſa ſanguinea & quicquid heterogenei permiſtum fuerit, coxerit & præcipitaverit, ut cum urina, vel ſucceſſivis ſudoribus eliminari queat.

Cum vero chylus talis juxta ſanguinem etiam *lympham* totius corporis inſigniter alterare ſoleat; utpote in qua lympha naturaliter gelatina lactea, ſeu chyloſa deprehendi ſolet &c. Sane talis plus minus alteratio, ac debitis uſibus exequendis hinc neceſſaria ineptitudo lymphæ, fovere ſaltem febrem, & nonnullorum in eadem ſymptomatum originem eſſe, probabile admodum videtur, adeoque revocanda huc veniunt ea quæ de *Febribus Lymphaticis* erudite diſſerit *Sylvius* l.1. capit. 19. Sane exacerbatio veſpertina, & calor circa idem tempus ibidem gravior, ex lymphæ alteratione illa primario oriri videtur; cum quilibet à lympha orti affectus circa veſperam & appetente nocte fere magis intendi ſoleant, ut in febribus catarrhalibus, ſimpliciter ex lymphæ vitio natis, manifeſtum eſt: Ratio hujus intricata eſt, forſan, connniventibus circa id tempus nonnihil corporis poris, uberior tranſpiratio impeditur, unde lymphæ aut copia aut acrimonia augetur, aut textura ſeu conſtitutio ejus plus minus vitiatur &c.

Laſſitudo itidem iſta *contundens*, & plus minus *lancinans*, ex lympha derivanda venit, cum lancinationes hæ in artubus fere ſemper, ſequantur *lymphæ* vel in motu, vel conſtitutione vitia; Obſervantur nonnunquam in Intermittentibus, item continuis, eædem, ſed tunc fere ſemper Scorbuticus ſubeſſe ſolet, & inde lymphæ præternaturalis alteratio.

Ad has *Lentas febres* pertinet & iſta quam veteres *Galeni* ſectatores *Epialam* apppellarunt.

Febres Lentæ ſecundariæ,

Supra dictum extra *Lentas primarias* etiam *ſecundarias* dari, ex aliis morbis, quocunque errato non rite tractatis, enatas, & tunc tanquam primarias ſolitarie exiſtentes.

Non raro tales in praxi occurrunt, & frequentes febres, vel continuas acutas vel intermittentes ſubſequuntur, quando *præcipitantium*, ut vocant, ſeu *abſorbentium* abuſu nimio, Acidum morboſum fermentum præmature figitur, ac quaſi retunditur, & hinc ceſſante ebullitione ſanguinis febrili, heterogeneæ copioſæ particulæ, alias præcipitandæ ſive concoquendæ, retinentur in ejus maſſa; quibus ipſis & obruuntur ejus particulæ ſalitiæ activæ fermentativæ, & inertes quodammodo evadunt, & Lympha ſimul, ſpeciatim glandularum conglomeratarum, v.g. ſalivalium & pancreatis, vitiatur & glutinatur, ſubindeque ſalſior evadit: Quibus occaſionibus *Febres lentæ continuæ* oriuntur, cum *calore mediocri* ægro interdum vix adeo ſenſili, niſi ſuas exacerbationes habent, eaſque utplurimum veſpertinas, in quibus ſubinde *intenſior & mordax* ſatis percipitur, *Pulſus* continuo celer, frequens, mollis, magnitudine ac vehementia moderatus, ad parvitatem declinans: *Vires* proſtratæ, *appetitus* nullus, *os glutinoſum*, ex quo copioſa viſcida ſubinde rejiciuntur, *moleſta præcordiorum gravitas*, *fluxus alvi*, ſubinde materiæ liquidæ, quaſi pituitoſæ, nunc cum, nunc ſine lancinationibus inteſtinorum: *Urinæ* craſſæ, copioſæ, copioſum, craſſum, albidum ſeponentes ſedimentum excernuntur &c.

Et ſane plura in his febribus obſervantur ſymptomata, à *Sylvio* ſub febre *Lymphatica ſalivali & pancreatica* annotata: superveniunt quoque tales febres Lentæ ſupradictis febribus, ſi poſt has curatas ægri avidius alimenta ingerunt; quo medio, ut non raro recidivam ſibi conciliant, ita, ubi depauperata magis fuerit maſſa ſanguinea, ex copioſiore & crudiore chylo, non rite aſſimilabili, lenta ſaltem febris gignitur.

Nec ſolis febribus, ſed aliis etiam affectibus, ex acido viſcido plus minus natis, in quibus vel intempeſtive move-

moveatur camarina, & hinc in massam sanguineam & lympham derivatur, vel non debite evacuatur, de facili Lentæ ..., quasi hecticæ, plus minus superveniunt febres. Pro quarum tamen omnium cura *acido-salsi peccantis ... correctio temperando*, *viscidi attenuando*, incidendo & c... n excretio, *vomitum, alvum urinam*, vel *sudorem ciendo* indicatur, prout ex exemplis allegandis pa teb .

Exemplum Quotidianæ continuæ minus lentæ, sed ad acutas ... accedentis.

Virgo ann. XVIII. cui difficulter fluere solebant menses, conqueritur de *lassitudine artuum spontanea*, quasi contusione, cum cephalalgia intensa, & pedetentim aucta, post dies aliquot succedit aliquando à meridie horror mediocris, per aliquot horas sequitur nox gravis cum æstu ... intenso, angustiis præcordiorum gravativis &c, Cruditatum pituitosarum, in primis viis delitescentium causa præcepi

℞. *aqu. menthæ* ℥j.
Syr. emet. sala ℥iij.

(...)cessus tormiuosos habuit sine vomitu, sed tanto cum levamine ut cephalgia insignis & æstus penitus evanuere, hinc

℞. *salis armon* ℈ij. *pro ij. dozibus mane.* Item
℞. *salis armon.* ℈j.
arcan. duplic. ß. *misce, pro una dozi ante consuetum exacerbationis tempus assumenda.* Item
℞. *spir. salis armon.* ℥ß.
dosis gutt. XXX.
bis in die, qui curam absolvit.

Exemplum febris continuæ Lentæ subsequentis febrem Tertianam intermittentem, & errores in victu.

Juvenis laboravit febre Intermittente Terniana, ordinaria, qua fere sublata concidit appetitus, assumpta omnia alienum saporem referunt, adest gravamen in præcordiis, sumpto vomitorio & rejecta viscida saburra, omnia evanescunt, sed brevi post, cum strenue ederet; omnia recrudescunt; subsequitur calor insignis vesperi & noctu usque post meridiem alterius diei affligens, cum *virium imbecillitate, capitis dolore gravativo, propendentia in somnum, appetitu dejecto, saliva cruda & viscida* os & fauces agglutinante. Credidi *febrem quotidianam lentam*, & quasi *lymphaticam* à Sylvio dictam. & quidem non tam ex *lympha pancreatica*, cum nulla essent abdominis symptomata; & æg. quotidie alvum exoneraret, quam ex *lympha reliquarum glandularum*, quæ crassa, viscida & acida p. n. reddita, una & saliva simul vitio affecta, oris & stomachi symptomata ista inducat: Hinc ut cruditates viscidæ attenuarentur (præmissis levioribus) & stomachus roboraretur.

℞. *Salis armon. depurati gr.* XV. *detur in duplo.*
optime profuit.
℞. *Salis armon.* ℈j.
antihect. Poterii gr. XVj. *m. detur in duplo.*

Exemplum febris Lentæ post tertianam legitimam, per usum præcipitantium citius curatam.

Supervenit Tertianæ legitimæ successive calor mediocris, sed lentus &c. vergebat ad hecticam usurpatur *sal. armon.* cum āā. *lapid. cancror.* item *arcan. duplic.* His irritis, ob viscida copiose per os rejecta, leve datum vomitorium, quod malum fere totum abstulit; quod superfuit, mane usus *Elix. propriet.* & vespertinus *spir. salis armon.* sustulerunt.

Exemplum febris Lentæ ex acido viscido sanguinem & lympham inquinante, post morbillos.

Nobilis post curatos morbillos curationem negligit; post aliquot septimanas sequitur insignis lassitudo & omnium membrorum torpor, accedit mox semper à meridie calor p.n. &c. copiosus mucus à meridie fauces opplex &c. Aliis frustra tentatis ordino *vomitorium*, quod cum *ἀνωϕελὲς* operatur, postea, *spir. salis armon.* & tandem post continuatum hujus usum, *Elixir* propriet. finem imposuit, Nempe *acidum morbillorum* sub cura temperatum, & vehiculo seroso aborpptum, non excretum, sanguinem, chylum, lympham, inquinavit, à quorum acida salsa visciditate talis febris supervenerat.

Exemplum febris continuæ lentæ post usum purgationum mercurialium & decocti sudorifici.

Quidam contagio Venereo inquinatus, ac bubone & exulcerationibus parvis circa glandem correptus, præmissis purgationibus mercurialibus, potare cepit decocta lignorum cum antimonio & mercurio præcip. hinc in febrem cum totius corporis lassitudine incidit, æstu p. n. &c. sed vesperi tantum exacerbante gravissime: rejiciebat copiosa viscida &c. Paucis præmissis propino vomitorium cum insigni euphoria, hinc

℞. *sal. armon.* ℈ij. *pro ij. dozibus semper ... ante paroxysmum.* Item
℞. *sal armon.* ʒß. *arcani dupl.* ℈j. *m. pro ij. dozibus,*
Hinc æstus & cætera symptomata remittunt.
Tandem
℞. *spir. sal. armon.* ʒiij.
dosis gtt. xl. bis in die, copiosam urinam cum euphoria movit; Ad appetitum prostratum profuit.
℞. *rad. Chinæ in taleolas incisa* ℥ß.
ras. ligni sassafr. ʒij.
rad. liquir. ʒvj. *santal. rub.* ʒiij. *infunde in aq. comm.* ℔vj. *fleut*, M.B. *per noctem, mane add. passul. min.* ʒiij. *coq. lentoque ad* ℔iv. De eo decocto mane & à meridie bonum haustum sumpsit, semper gtt. xl. *tinct. antimon.* addendo, & quoad affectum hunc convaluit, reduce appetitu, & viribus integris.

Similis *Febris lenta* affligit quosdam post scabiem male curatum, ut in studioso quodam, in quo prostratio virium, fauces & os siccum, saliva glutinosa, urinæ cum copioso laterino sedimento, calor continuus p. naturalis, affectus quasi hecticus &c. Varia & multa frustra tentabam, tandem optime contulerunt Pilulæ ex *extracto hellebor. n.* cum *Mercurio dulci*, & hinc *essentia* viperarum crebrior usus, & tandem *spiritus carminativus de tribus. Etmuller* pag. 323. & sequ.

Epiala Febris.

III. [61] *Epiala* [62] est, in qua [63] per minimas corporis particulas (ad sensum tales intellige) [64] uno eodemque tempore calor & frigus sentitur. [65] *Oritur* vel à bile cum pituita conjuncta sanguini permista vel à pituita vitrea modicè putrescente; quæ per sentientes partes delata, parte qua putrescit calorem, qua non, frigus infert: quòd si vehementer & æqualiter putrescat, cum [66] rigore ...it, quem superatum calor insequitur.

[68] De Curatione nota. 1, *Venæ sectionem* esse noxiam, quia hæc species frigidior & crudior est. 2, [69] Validius calefacientia & incidentia adhiberi posse; laudatiq; à quibusdam *Spiritum nitri* in aqua *juniperi*, tanquam insigne remedium. 3. *Purgationem* fortiorem causam reposcere, sed vires, quæ debiliores in hoc morbo esse solent, refugere. 4. *Vomitionem*, quæ unc. VI. *Aquæ juniperi* per descensum destilatæ excitari potest, non negligendam. 5. *Ventriculi* rationem habendam, cui vires afflabit, pituitam simul incidendo, ol. *Vitrioli* gutt. IX. cum tribus cochlearibus vini generosi; vel *Aqua vitæ* ex granis *juniperi* per adscensum destillatæ unc. duæ.

70. *Distinguitur*, in *Legitimam*, quam sola pituita vitrea concitat: in qua, *Vrina* cruda & alba, *pulsus* rarus & tardus: sitis nulla, calor mitis: & *Spuriam*, quæ à pituita bili permista, in qua urina rubra cum sedimento albo & crasso, reliqua intensiora.

61. *Epiala*) Ἠπίαλος dici vult Paulus ab ἠπίως & ἀλεαίνειν, *id est*, blande calefacere; unde apud *Hippocr.* Epiala febrem mitem lenemque significat, ut virgines ex suppressione menstruorum ἠπίαλος πυρετὸς ἔχει, *id est* mitis: Quidam deducunt ἀπὸ τῆς ἠπίου καὶ ἅλος, à mari quod jam tranquillum mox evadit turbulentum: Dicitur & Febris Algida; Veteribus Queteera & Querquera. *Primirosius.*

62. *Epiala est in qua*) Ad *febres lentas continuas* pertinet & ista, quam veteres *Galeni* sectatores *Epialam* appellarunt, in qua simul ægri calent & frigent, Vel, ut alii, in qua interiora algent, & exteriora fervent: Hanc cum Quotidianis coincidere, & ex cruditate pituitosa primarum viarum oriri putat *Ballonius l. de V. & m.m.* Sed merito fictitiam his modis definitam Gelenicorum asserit *Lindanus*, qui hoc nomine nil aliud quam *febrem mollem*, sive *continuam, humidam*, cum calore, leni, humido, ac molli intelligit, id quod & appellationis ratio insinuat, *Etmuller p. 325.*

Differt ne *Epialus*, & quomodo à Leipyria? Daturnè continuus *Epialus*? An sicut fieri potest ut æstuantibus internis frigeant externa, ita frigere possint interna calentibus externis? An subjectum Epiali sunt primæ viæ, quas illi vocant capacitatem ventriculi & intestinorum, in quibus cruditales sint? Ad *Platerum* accedo &c. An Epialus potest dici Tertiana illa in qua perpetuus regnabat horror, non superveniente in extremis ullo calore cum siti intensissima? Hoc narrantem audivit *Hofmannus*, qui per trimestre ita laborabat. *Piens p. 91. & 92. Vide §. 64*

63. *Per minimas corporis particulas*) Quæ sententia est *Galeni* & plausibilior: Quam enim proponit *Avicennas* in qua exteriora uruntur, interiora algent, imaginaria est: Ait fieri ex pituita vitrea, quæ putrescens in habitum corporis vapores transmittit, à quibus exteriora calefiunt, cum vero materia sit frigida in interioribus partibus, immota & quieta, vel etiam commota & agitata, illas refrigerat: Partes internæ illi sunt ventriculus, intestina, jecur, renes; Cor excipit commentator *Gentilis*, quod cor, febris subjectum, refrigerari nequeat; sed præter *Avicennæ* mentem, qui ex pituita vitrea putrente exoriri ait vapores, ad exteriora corporis, non ad cor pervenientes.

Sed quomodo febris adesse poterit si frigeant interna, caleant exteriora; quod febris definitioni ab *Avicenna* traditæ repugnat? Demum necesse esset, omnes febres à pituita inductas esse Epialas, nam pituita partes internas deberet refrigerare: Demum si partes externæ à pituita vitrea putrescente incalescunt, quæ eam non continent, potiori jure excalefaciet interiores illius fomites, proximum enim quodque agentis vim potius quam remotum experitur.

Præterea eadem esse deberet ratio Lypiriæ & Epialæ, illa enim fit, ex *Avicenna*, à dicta pituita in internis putrente, Tum solemne est naturæ ut partibus dolentibus succurrat, ad illas sanguinem ac spiritu transmittere, à quibus debent incalescere. *Primirosius.*

64. *Uno eodemque tempore calor & frigus*) Si unquam talis observetur febris in qua calor & frigus coincidant, placet præ aliis *Plateri* assertio, Epialam non continere Febris peculiarem speciem, sed esse symptoma vel Intermittentium copulatarum, cum horror alterius febris supervenit calori alterius; antequam dissolvatur, quod per Subintrantiam vocant: vel Intermittentium cum continuis junctarum, cum calori continuo misceatur horror Intermittentium, Videatur *Piens Platerum* sequutus: Simile quid interdum apud *Puerperas*, aliisve ægros *purpura affectos* videre est, apud nos, in quibus ante purpuræ eruptionem, urgente licet æstu, tamen si tantillam partem quandam extra lectum proferant, mox horroris sensum in corporis peripheria, interdum sub ipsius quoque lecti integumentis percipiunt, dum scil. acriores particulæ salinæ sub communibus corporis involucris delitescentes, & jamjam excernendæ, vellicatione sua talem horroris sensum circa panniculum carnosum inferunt. *Etmuller p. 325.*

Galenus l. de inæqu. int. & 2. de diff. f. c. 6. docet simul febricitare & rigere ægros eodem tempore in quavis corporis parte, velut si quis in hominem valde calentem aquam conjiciat, calorem simulque frigus sentiet: Ideo quanquam adsit intemperies inæqualis in omnibus putridis, non omni tamen tempore in iis reperitur; neque in omnibus partibus; tantum id contingit morbi initio, In Epiala vero toto morbi decursu molesta sunt simul calor & frigus. *Primirosius.*

64. *Eodem tempore calor & frigus*) Differt igitur hæc Febris à Quotidiana simplici, quod in hac adsit tantum horror, qui etiam præcedit, febris vero sequitur; In illa vero est rigor, qui simul cum febre ægrum detinet: Attamen quia fit ab humore pituitoso, ad genus Quotidianarum referenda est. *Idem*

65. *Oritur, vel à Bile cum pituita*) *Galenus l. de inæq. Int* bilem cum pituita conjungit, *Si pituita*, inquit, *quæ est frigida, quam vitream* Praxagoras *appellat, & amara bilis, quæ calida est, simul abundant, & per sensibilia membra moveantur, nihil mirum est utrumque pari modo sentiri*, Bilis enim calore pituitæ in internis externisque partibus accenditur & dissolvitur, Unde ægri sensus, qui minimas differentias non percipit, calorem & frigus in eadem parte esse judicans, hallucinatur. *Primirosius.*

Cum Pituita) Illa quam *Praxagoras* vitream appellavit, quæ si per partes sentientes moveatur, quando non putrescit rigorem sine febre affert; quando vero putrescit febrem facit; & si quidem parum corrumpatur, faciet Epialam; si multum putrescat, præcedit rigor, febris vere subsequitur, frigore devicto à caloris copia, ex *Galeno*: Humor enim iste cum sit frigidus & tenax, vix potest æqualiter totus putrefieri, hinc fit ut ex parte putrescente febrem; ex non putrescente rigorem soleat excitare juxta *Paulum*: Unde causa ex qua hæ febres generantur, non videtur esse simplex, nam quod putrefactum febrem accendit, non est ejusdem qualitatis cum eo, quod frigore suo rigorem generat, unde duplicem in hac febre causam statuunt Recentiores. *Idem.*

Sylvius causam assignat confusioni *succi pancreatici* & bilis cum sanguine, ut ab illo, ejusve halitibus acidis, excitetur frigoris sensus; ab hac vero, scil. bile, caloris.

65. *Oritur*) Fidem apud me *Galenus* non habet, cum vult frigus quidem fieri à pituita, calorem autem à bile; Præterquam enim quod necesse sit, utriusque eandem esse exquisite copiam, Epialus foret hoc modo Tertiana notha; hoc vero nemo tum dixit: Sed & parum constans est in vestigio *lib. de Diff. febr.* pro causa naturali habens solam pituitam acidam frigidam, modice putrescentem; Tum enim vult dicere. à putri pituita est calor, ab imputri frigus, revera hæc est mera imaginatio: *Avicenna* etiam multa imaginaria affert; Cum causam tamen quippiam desideret, hanc sibi adoptet.

Quæ in hac febre sese ostendunt, sunt dispositiones inæquales, & materiæ febrilis accedentis modo ad hanc, modo ad illam partem dissolutio ac fermentatio;

uti

ita cum particulæ fervidiores & calidiores febrilis materiæ ad habitum corporis delatæ sint, calor ibi apparet: Ad cor autem si accedant istæ particulæ, aliter atque aliter figuratæ ac proportionatæ, scilicet quæ sunt ratione qualitatis particularum frigidiorum, sensus frigiditatis in interioribus partibus percipitur, unde uno eodemque tempore calorem & frigus oriri posse videtur. *Pisus.*

66. *Rigore*) Quia rigores & horrores maxime perturbant, imo sæpe plus molestiarum afferunt quam reliqua symptomata, ideo de iis leniendis cogitaverunt; Inprimis probatur *Fernelii* consilium, qui affirmat compesci sedarique rigores foru ad sedem febris applicato; In Epiala & Quotidiana fovebis regionem ventriculi, In virginibus decoloribus Epialam patientibus, lienem & ventriculum. *Ballonius l. de virg. m p.* 171.

67. *Signa sunt*) In principio cum oscitatione invadit, & rigore magno, Pulsus minimus, tardus, rarus est, Urinæ crudæ sunt & aquosæ, quotidie fatigat, accessioque ad horas ferme xxiv protenditur: Sed aliquando ob humoris crassitiem, frigiditatem & paucitatem tertio aut quarto die tantum commovetur, nec tamen putandum est eam esse aut tertianam, aut quartanam; nam Quotidiana dicitur ob putredinem pituitæ non quod singulis diebus redeat, inquit *Avicenna.*

Itaque ut à prioribus distinguatur, cætera signa consideranda sunt: Unde possumus inferre paroxysmorum ordinem & recursum non pendere ab humorum proprietate, sed ab eorum conditionibus, crassitie, tenuitate, copia, paucitate: Etenim species febrium non cognoscitur ex paroxysmo, sed ex humoris putrescentis natura, qui est causa febris conjuncta: Præterea ad cognitionem hujus febris, vita anteacta, cœlum, ætas, temperamentum, cæteraque addenda sunt, quæ pituitam possunt indicare.

Raro autem hujusmodi febres contingunt, vixque ad finem usque tales perseverant, sed tandem, aucta putredine, in aliud febris genus degenerant. *Primerosius.*

68. *De Curatione Nota*) Eandem prorsus curationem postulat cum Quotidiana, nisi quod propter humoris frigus calefacientia & attenuantia debent esse validiora, sed, ut docet *Avicennas*, purgantia sint leviora ob virium debilitatem, quia natura cum perpetuo & calore & frigore affligatur, validiores purgationes ferre non potest, quæ tamen conveniunt in Quotidiana: Præparetur igitur humor syrupis & apozematis præscriptis, sed quoniam juncta esse solet insignis stomachi debilitas, jubet *Avicennas*, remediis ea addere quæ stomachum roborant; Deinde humor purgetur vel per vomitum, si æger nauseabundus sit, vel per alvum, ut in curatione Quotidianæ; Iterum præterea redeundum erit ad præparantia & purgantia validiora, fiantque Enemata calefacientia & attenuantia: *Galenus oleo rutaceo* injecto se excrevisse pituitam vitream testatur: Post purgationem ventriculus & viscera roborentur *aromatico rosato, diatrionpip. diamoscho, dianth. diacalam.* quod etiam à cibo conferre creditur.

A Phlebotomia autem omnino abstinendum, quia nequeunt vires cum tanta cruditate esse robustæ: Probant quidam *Thermas siccas* apparente coctione: meliores erunt si ex rebus calefacientibus parentur, ut calamintha, satureja, thymo, stœchade &c. In exitu corpus fricetur, spina inungatur oleis calefacientibus.

Victus ratio eadem prorsus fit ac in Quotidiana, sed seligantur ea quæ magis attenuare & calefacere possunt: Semen *Seseleos* cum vino potum torminadiscutit, Epialis febribus utile ex *Dioscoride*: Idem folia alterci terna quaternave potu Epialas febres sanare scribit, sed suspectus esse debet tanto narcotici usus. *Primerosius.*

Alimenta commode aromatibus calefacientibus & incidentibus condienda erunt, omnia refrigerantia, maxime fructus horæi, studiose fugienda, Potus sit hydromel, aut vinum plenius & forte Rhenanum: In principio curationis eluantur intestina, & subtrahatur pituita ex ventriculo & venis mesar. acri Clystere ac ratione parato.

℞. *flor. centaur. min. absinth. chamom. aneth, melilot. āā. man.* ß.
menth. scordii āā. man. j.
sem. anis. fœnic. āā. ʒiij.
carth. ℥ß. *coqu. in aqu. q. s. ad tertias, in fine adde pulpa colocynth. in linteolo ligata* ℈j. *in colat.* ℥x.
dissolve Diaphœn. Hiera simpl. āā. ʒvj.
ol. absinth. aneth. āā. ℥iß.
salis ʒj. *F. Clyster.*

Altero die provocetur Vomitus cum haustu vini, in quo rad. juglandis sint per noctem maceratæ, præclare enim per vomitum pituitosa colluvies è ventriculo exturbatur: Deinde venter corroboretur ante cœnam & prandium ventriculum inungendo hoc linim.

℞. *Olei absinth. menth. nardi* āā. ʒiij.
ceræ q. s. m. cui admisce gutt. vj. *Ol. vitr.*

Bis per hebdomadam exhibeatur ʒj. Ther. Andromachi &c. Tandem incidatur & extenuetur vitrea pituita sequenti Potione.

℞. *hyssopi. calament. origani, thymi, satur. stœch. rorismar centaur. min. card. ben.* āā. *m.* ß.
rad. pompin. dauci Cret. āā. ℥iij. *zz.* ʒij.
cinnam. cardam. āā ℥j.
contusa & concisa coquantur in duplici vase cum ℔iv. *vini Rhen. per* ij. *horas, Refrigerata colentur, & colato liquori admisce oxymel. scyll. syr. è calam.* āā. ℥iv.
f. Potio, de qua sumantur m. &c. ℥iv.

Exhausta Potione subducitur pituita qualitercunque concocta validiore carthartico.

℞. *Mass. Pilul. Hiera Gal. Troch. de Agar.* āā. ʒß.
Diagr. gr. ij.
Formentur Pil. n. xv. *in Aurora sumenda* vj. *horis ante prandium.* Aut

℞. *Elect. Diaphœn. Diaturb. Bened. lax.* āā. ʒij.
Aqu. centaur. min. ℥iij.
misce f. Haustus.

Iis qui syrupos & medicamentorum potiones aversantur, exhibere soleo m. & v. ℥ij. aqu. cremabilis ex gr. juniper. pauco sacchr. dulcoratæ, Aut olei vitr. gr. ix. cum tribus cochlear. vini generosi; quod non tantum crassam & vitream pituitam incidit & concoquit, verum etiam putredini & paroxysmis febrilibus resistit: Verum ventriculus in hac febre subinde corroborandus & calefac. spec. dictis, aqua cremab. Juniper. Apparente signo concoctionis, & consistentibus viribus, deduci potest æger in balneum aquæ dulcis, in qua cocta sint *menta, calam. absinth. grana junip,* & *flor. chamom.* Prodest quoque per hebdomadam semel exhibere ʒß. vel *Ther. Androm.* vel *Aur. Alexand.* cum vino generoso. *Fr. Joel.*

69. *Validius calefacientia & incidentia*) Ita se gerere oportet in Epialarum cura, ut materiei & febris habeatur ratio: Quis enim adeo temerarius, qui calorem in Epiala observans aliquantulum acrem, ad Juscula sese conferat, eaque ægris plenius præscribenda putet? Febré aliqua ex parte respiciet, at febris materiam augebit: Et hic sequi possumus *Galeni* consilium 1. ad *Glauc.* qui in Quartanis febribus acria, salsa piperataque adhibet à principio ad vigorem usque; Quod hercle *Galenus* indistincte proposuit, ut eo exemplo nonnullos possit seducere à via veritatis. *Ballonius l. de Virg. m. p.* 167.

70. *Pituita vitrea*) Quæ quo reliquis pituitæ generibus frigidior contumaciorque existit, eo diligentius validiora medicamenta sunt usurpanda: Salsa siquidem, nec tam calida, nec tam longo tempore postulat. *Ballonius l. de virg. in p.* 163.

De Febris Syncopalis.

IV. [71]. *Syncopalis* à symptomate nomen accepit, quia in ea levi momento frequentes animi defectiones, maximè circa vesperam obrepunt. Unde & *Cardiaca* dicitur.

Est I. [72]. vel *Minuta*, quæ ab humore tenui pauco, sed corrupto & venenato exsurgit.

II. Vel *Humorosa*, quæ *Oritur* [73]. à crudorum & pituitosorum humorum undecunque tandem ortorum; in venoso genere, eo inprimis, qui in ventriculo & proximis illi venulis, copia & putredine, [74]. Unde os ventriculi frigiditate & corruptione perstringitur, calorisque & spiritus substantia comprimitur & quasi extinguitur. Hinc, ingruente febre, & quando medicamentis materia movetur, syncope.

57. *Cognoscitur*, ex causar. prægressu, calore mitiore, cum linguæ ariditate, *pulsu* pro caloris ratione obscuriore & inæquali, post cibum inprimis etiam levissimum: in principio morbi sæpè *præcordia* inflantur; *corpus tumescit*, & colorem plumbeum, lividum, album, contrahit: ructus & vomitus acidi infestant cum oculorum fuscedine aut viriditate & prominentia.

Curatio difficilis, [76]. quia nulli ferè remedio locus est, & si hoc non adhibeas, ingens periculum, si non mors. *Illud*, quia si cibus subtrahatur, fame & imbecillitate æger perire potest; si exhibeatur, magis impurum corpus onerabitur. [77]. *Vena sectio*, quia refrigerat, cruditatem ipsam conduplicat & vires infringit: *aperientia* humorem diffundunt, exagitant, & in angustiora loca protrudunt: *purgatio*, si *mitior*, conturbata materia suscitatoque vapore corpus inflat; si *validior*, syncopen violento tractu inducit. *Tentanda* tamen, ita ut *loci affecti*, *humoris peccantis*, *virium* & *syncopes*, tanquam magni symptomatis ratio habeatur.

Absolvitur hæc 1. [78]. *Per corroborationem*, cui inservit, *aqua Cinnamomi*, *theriacalis* cum aqua borraginis mista, Epithemata ex *aqua rosacea cum aceto*, *speciebus diarrhodon Abbatis*, *Camphora* &c. cordi applicitis.

2. [79]. *Per laxationem*, ut humorum copia imminuatur, sed lentam, ne humores in venoso genere commoveantur, quæ fit aut *Clysteribus* ex jusculis hordeaceis, pulli vel galli decrepiti cum portione nitri vel tartari paratis; vel *medicamentis*, ut *manna* cum cremore tartari, [80]. *melle rosato* cum syrupo rosarum solutivo; quarto quoque die repetiram.

3. [81]. *Per frictionem*, qua calor sopitus excitatur, & putridi vapores à corde avertuntur: Celebretur hæc 1. quocunque tempore, quia occasionem expectare non tutum. 2. Per totum, lenior primo & deorsum tendens, tum validior, in illis præsertim quibus cutis durior, in extremis partibus. 3. in cruribus primò, post brachiis, tandem spina & scoptulis.

4. [82]. *Per Concoctionem* ad septimum usque diem, in quo quidam pauxillum theriacæ vel agallochi cum hydromelite, vel hoc cum hyssopo laudant: qua durante nec evacuationes, nec frictiones omittendæ.

5. *Per sanguinis missionem* parcam, urina rubicunda & pulsu majore apparentibus, ut Mercatus suadet, sed satius supersedere.

6. *Per diætam* tenuem, ut jusculа pullorum, contuso addito cinnamomo, vitello ovorum, panem vino madidum &c. habet enim hic & vinum etiam in morbi principio suum locum.

De cætero, *quiescendum* est ægro, nec facilè surgendum: *somnus* eo tempore quo Syncope obrepere solet fugiendus. Virium robur à Medico ex pulsu, humorum coctio ex urina diligentissimè venanda. Vide de ea Trallianum l. 12. 3. & Zacutum Lusitanum, Hist. Medic. Princip. l. 4. 39. [84]. Tulpius in ista febre vomitorio ex *succi asari dr. iß. Oxymel. simpl. unc. j.* & *aqua hordei unc.* ij. parato, feliciter usus est.

71. *Syncopalis*) Est Febris Putrida (de qua inter Pituitosas tractat *Avicenna*) in qua ob læsionem oris ventriculi *Syncope* succedit; potestque esse Continua & Intermittens: *Primrosius*.

71. IV. *Syncopalis*) Referuntur huc à quibusdam *Febres Syncopales*, in quibus ægri animi deliquio frequenter corripiuntur. Symptoma tamen hoc non solum observatur in *continuis plus minus lentis*, quin & *malignis* non raro superveniens, sed & in Intermittentium paroxysmis, Unde etiam ad Intermittentium differentiam hanc referre visum fuit *Sylvio l.* 1. *Pr. c.* 30. §. 104. *Ettmuller*.

Hæc Febris, quoniam in Febribus malignis frequenter oboritur; ita Fermentativis continuis haud raro obtingit: *Est continuus affectus, in quo ægri animi solutione frequenter & crebro corripiuntur*. Piens.

72. *Vel minuta*) Est Febris syncopalis species quam à biliosis humoribus & tenuibus fieri ajunt Arabes & *Minutam* vocant: Quidam humores habent tenuissimos, corporis habitum raram, hinc ex facili spirituum resolutione syncope corripiuntur: Fit igitur à biliosis humoribus qui ventriculum affligunt, faciuntque vel ἄκαυλα, inde καυσώδης febris, inquieta & implacida, vel syncopen: Arum quidem quando non adeo insigniter læditur os ventriculi, Syncopen ubi gravius.

Facies squallida est & sicca, pulsus sont exigui, inæquales, inordinari, dejectiones biliosæ, sitis, vigiliæ, præcesserunt sollicitudines, cibus vitiosus acris ex Tralliano.

In hoc affectu tria sunt consideranda, Humorum Tenuitas, Corporis Raritas, Paucitasque, spirituum:

Ideoque

Ideoq; triplex sese offert indicatio, Incrassandi humores, constringendi meatus, habitumque corporis & spiritus regenerandi.

Hæc omnia commode præstant alimenta quæ nec prompte diffluant, nec facile corrumpantur, qualia sunt, non mulsa, non ptisana, sed panis sorbitio cum vino granatorum aut alio adstringenti, fructus austeri tum per sectum cum pane exhibiti, ut refert *Andernacus* in *Paulum*, se usu uvæ immaturæ curasse ægrum hujusmodi syncope laborantem: Præterea conveniunt *ova* recentia, eorumque vitelli, tum quæcunque euchyma sunt & polytropha, quæ & sæpe & parum exhibenda sunt, quia ex 2. aph. 17. virtus imbecilla plurima indiget nutritione, multa tamen alimenta simul ferre nequit, Quod si æger ad sanitatem tendere videatur, potissimum post diem iv. humoribus ad coctionem tendentibus licebit carnes offerre.

Ut autem densetur cutis, spirituumque dissipatio prohibeatur, aër in quo versatur æger refrigeret & adstringat, qui si natura talis non fuerit, arte paretur inspersis *foliis nymphea, myrti, rosar. labruscar.* & similibus: Ungantur oleis eadem facultate præditis, ut rosat. cydonior. myrtill. cum *succu portuluc. sempervivi solani agrestis*, imo *farina hordei succo lactuca vel sempervivi* subacta præcordiis imponatur; vel *ungu. rosat. Mesue. refriger. Galeni* &c.

Hic nec *frictionibus*, nec *purgatione*, nec *vena sectione*, nec *sudorum* aut *urina provocatione*, ullove alio vacuationis genere opus est, cum ægri jam nimium sponte vacuentur & dissolvantur: Sed summa curationis esse debet vires instaurare, humores incrassare, humorum exhalationes sistere: Quod syrupis acidis & cardiacis quoque præstatur, ut de *agresta*, de *ribes*, *limon. nenuphar. portulac. rosar. siccar. granat. arantior.* cum aquis idoneis.

Humore crassiore reddito eum purgare quidam audent, quod *Galenus* summopere vetat, propter syncopen, quæ agitatis humoribus magis exacerbatur; aut si purgandum videatur, id tantum in declinatione levioribus catharticis concedunt: Quidam etiam *vomitum* commeodant, ad bilis eductionem, nec improbat *Averroes*, sed tantum ex levioribus præscribit, & cum æger nauseabundus est: quamvis in quadam syncope ab humoribus biliosis facta vomitus sit salutaris: In hoc tamen casu nulla vacuatio convenit, sed potius analeptica curatio instituatur: Extrinsecus Epithemans utendum ventriculo, cordi, jecorique admotis, quibus etiam testiculos fovere possumus.

℞. *Aquar. oxalid. nymph. solani, rosar.* ana ℥iv.
trium santal. pulv. diamarg. ana ʒj. *aceti* ℥j.
caphura gr. iij. *fiat.*
Epithema predictis partibus applicandum.

Addi etiam possunt *Troch. de spodio. de caph. de terra sigill.* & similia; Imo quidam involvunt ægrum linteo madido aqua rosar. quod tamen est periculosum, nam tantum frigus ex carnes ægri perferre nequeunt.

Syncope ipsi in paroxysmo omni arte providendum, aspersione aquæ rosar. & simil. cum aceto, super faciem, deinde sumpto pane vino adstringenti aut omphacio macerato, vel potione cardiaca.

℞. *Pulver. diamarg.* ʒj.
conf. alkerm. ℈j.
confect. de hyacinth. ʒß.
syr. limon. ʒj.
aqu. bugl. oxalidis. ana ℥iij.
f. Potio in duas doses. Vel
℞. *conserv. rosar. nymph. bugl.* ana ℥j.
cydonior. facch. condit. ℥iij.
pulv. diamarg. ʒj.
margar. prepar. coralli, crystalli, ana ℈j.
rasura eboris, c. c. usti ana ʒß.
conf. de hyacinth. ℈j.
syr. de limon. vel corallor. q. s. f.
Electuar. dosis sit ad ʒij.
superbibendo parum aqua rosar. & buglossi.

Primirosius l. 3. c 9.

73. *Qua oritur*) Causa est disproportionata fermentalis materia, præter modum viscida, aut crassa & pertinax simulque copiosa, quæ adeo sanguineæ massæ permixta, ordinaria illa quæ fit in corde fermentatione sufficienter pro spirituum generatione digeri nequit, ac interim inæquabilem in corde sanguinis motum, irritationem, fermentationem, digestionemque ejus ordinatam infert, unde ordinarius cordis motus interturbatur, ipse viriatur pulsus; hinc spirituum ac sanguinis sufficiens effluvium denegatur: Et si venenatæ sunt materiæ febrilis particulæ, spiritus derepente figunt, extinguunt, ipsamque massam sanguineam coagulant, prout usu venit in Peste. *Piens Tr 2. §. vj. p 90.*

Succo Pancreatico debetur, sed stagnatione sua volatilem magis quam acrem aciditatem nacto, Bile interim existente pauca, vel inerte, unde idem absque mora per lacteas venas versus cor penetrans, non tantum quaquaversum prorumpit, ac sudorem frigidum excitat, verum sanguinem quoque mox ita coagulat ut ad tempus sensibiliter trajici non possit, nec proinde Pulsus observari, donec cessante succi nocentissimi accessu, paulatim aliquid virium recipiat bilis, & æger quasi redeat ad vivos. *Franc. Sylvius.*

72. *Crudorum & pituitosorum*) Plurimi febricitant ubi maximam crudorum humorum copiam, vel ex cruditatibus, vel occasione alia congesserunt; quæ periculosæ febres sunt, ob læsionem oris ventriculi, soletque iis variis ex causis syncope contingere, & quia cum maxima pituitæ copia in ventriculo redundet, totoque corporis habitu, nunc quantitate & qualitate sua vires opprimit, & quia naturæ gravis, putrescit, febrem excitat, unde hic humor putris, oris ventriculi calorem suffocans, tracto in consensum corde, parit syncopen. 2. Inappetentia vexantur, inde languente stomacho totum corpus ruit. 3. ob corporis totius fragilitatem nutriri probe non possunt, inde spiritus, humores, solidæque partes absumuntur, sicque præcipites labuntur vires, hincque syncope. *Primirosius.*

74. *Unde os ventriculi*) Quibuscunque etiam febribus Syncopæ tales supervenientes videntur esse Stomachicæ, atque vel occasione muci vitiosi, superius ventriculi orificium obsidentis, & vinoso sapore illud crebrius irritantis, vel ex aliquali humore plus minus æruginoso in ventriculo contento originem ducere. Vide caput de Lipothymias. *Ettmuller p. 325.*

75. *Cognoscitur*) Signorum hæc syndrome ex *Aëtio* desumpta est.

76. *Quia nulli fere remedio*) Si prædictis *Signis* accesserit pessimus *faciei color*, *urinarum* summa *cruditas*, *pulsuum* inæqualitas, parvitas, raritasque, mentis sensuumque hebetudo, totius gravitas, in angusto spes est, multoque magis si ventriculi inflammatio, vel hepatis, Nam ob crudorum humorum plenitudinem & virium infirmitatem, syncope & mors expectanda est: si vero omnia leviora sunt, ad curationem veniendum. *Primirosius.*

77. *Vena sectio*) *Alexander Vena sectionem* probat, quando adest plenitudo sanguinis; sed, ut docet *Galenus*, præsentibus crudis succis semper vires languent, vixq; potest ulla adesse sanguinis copia cum tanta pituitæ mole, quæ tamen si adesset, plus tamen valet cruditas ad prohibendum S. M. quam sanguinis redundantia ad suadendum. *Primirosius.*

78. *Per corroborationem*) Valent confectiones ventriculum & cor roborantes, Tum quæ admota ventriculum calefaciunt & roborant.

℞. Fol. menth. absinth. origan. calam. puleg. āā m. j. flor. chamom. aneth. āā. pug. j. calam. aromat. schœnanth. āā. ʒß femin. anis. fœn. āā. ʒij. f. decoct. pro Fotu ventric. & hypochondr.

Sed nimio istis non est utendum ne humores crudos dissipent, sed tantum fundant, humores autem fusi ventriculum magis onerant, sed post coctionem conveniunt. Quando vero syncope jam premit, mica panis vino intincta offerenda est, aut vinum dilutum, aqua cinnam. potio cardiaca, tum demum quicquid paroxysmum removere potest; deinde reliqua curatio instituenda. *Primirosius.*

79. *Per laxationem*) Si pulsus fuerit parvus, & valdè inæqualis, æger in maximo est discrimine, nihilque præterea faciendum: Sed si Pulsus fuerit mediocris, minime intercisus, sed æqualis, nisi alvus sponte dejiciat, Clysteris usum concedunt *Galenus* & *Aetius*: Ille prohibet Purgantia, leviora tamen concedit *Alexander*: Validiora quidem jure improbantur, quia in hac febre syncope succedit, humoribus etiam non motis, multo magis si à pharmaco moveantur; At si vires sint paulo validiores, coctione apparente, sublatoque syncopes metu, leve pharmacum inutile non erit, quod judicio præsentis Medici relinquendum. *Primirosius.*

80. *Melle Rosato*) Hic advertunt quidam usu mulsæ & mellitorum, alvum mellis acrimonia interdum subduci & consequi diarrhœam, quæ si perseveret hominem ad extremam imbecillitatem deducit; tunc potius cremore ptisanæ esse utendum cum pauco pipere. *Primirosius.*

81. *Per Frictionem*) Cum ægri vacuationem postulent, nec eam ferre possint, *Galenus* solam Frictionem commodissimam esse statuit, quæ mediocriter sine dispendio virium resolvit: Igitur aspero linteo crura, brachia, spina deorsum versus perfricentur dum incalescant, & postea si ex perfrictione lassitudo oriatur, inungantur oleo relaxante & paululum digerente, ut chamæmelino, anethino, ab adstringentibus autem perpetuo abstinendum: quibus Victum admodum tenuem jungit *Galenus*: Quam curandi methodum improbat *Alexander*, qui miratur *Galenum* cum tanta inedia tam vehementes frictiones imperasse, cum ex Hippocr. *Ubi fames laborandum non sit*, quem aphor. tam de ægris quam de sanis *Galenus* interpretatur, unde testatur idem *Trallianus*, ægros se vidisse à Medicis interemptos quod simul exercitationes corporis inediamque imperassent: Pro solutione sciendum, quoties vires onere premuntur, calorique nativus exiguus est, sufficere corpori exiguum cibum, nam pituita longiore coctione & attenuatione in sanguinem facessit, ut ostendunt animalia in latibulis tota hyeme degentia, quibus pituita pro alimento est; In istis itaque febribus, à frictionibus excitato calore, vertitur in sanguinem humor pituitosus, qui ad nutritionem sufficit, Falsum ideo est ægros sub regula *Hippocr.* contineri, cum famem non patiantur, suppetit enim internum alimentum, nec appetunt novum; ideo periculum non est ne ex fame vires corruant & labantur. *Primirosius.*

82. *Per concoctionem*) Concedi possunt Præparantia quæ cardiaca sint, vimque habeant attenuandi & incidendi cum molestiam, ut *oxymel* cum *decocto majorana*, *hyssopi*, *betonica*, *polii* &c. *Primirosius.*

83. *Per Diætam tenuem*) *Galenus* victum instituit admodum tenuem, qui primo triduo ægrum nullis alimentis, sed sola *mulsa* cum *hyssopo* & *origano* sustinet; *Alexander* etiam *vinum* concedit optimum & generosum: *Somnus* & *Vigilia* sint moderata, nam somnus concoquit, vigilia digerit: In majori cruditatis copia etiam Oxymelite utitur. *Primirosius.*

An Diæta tenuis quadret, Vide §. Per Frictionem

84. *Tulpius in ista febre Vomitorio*) N. bilis porracea circa ventriculi ingressum plus æquo exuberans conjecit in febrem syncopalem, cum nausea, anorexia, ac tam vehementi animi deliquio qualibet exacerbatione ipsum invadente, ut videtur actorum è vita discessura, nisi opem tulisset quod sequitur medimamentum ℞. &c. cujus beneficio ventriculus ejecit ærugînosam ac porraceam bilem, seu veram angustissimæ hujus febris causam, eaque excreta ex morbo plane convaluit. *lib. 4 c. 46.*

Articulus III.

De Febre Continua τεταρταίᾳ.

F*Ebris*[85] *continua τεταρταίᾳ* est febris à sanguine *melancholico*, *in vena cava propaginibus putrescente, exorta, cujus calor semper durat, sed quarto die intenditur*,

86. *Signa* ejus sunt, *Calor* absque rigore, horrore, vel frigore præcedente, obtusus, sed acris & propter humoris per putredinem febrem excitantis densitatem & siccitatem pungitivus, quarto quoque die invalescens. *Pulsus* initio parvus, tardus, & submersus; postea magnus, plenus, & celerior quàm in intermittente, in statu magis intensus. *Exspuitio* interdum frequens, nimiam ventriculi humiditatem, vel lienis humorem melancholicum non secernentis vitium arguens.

87. *Causa*[88]. est sanguis melancholicus ad hepar delatus vel ibidem majore copia genitus, in venis magnis & mediis putrescens, à propriis causis ortus. [89]. Mutantur quandoque in intermittentes quartanæ, & tum vix evadit æger.

Curatio est[90]. in totum *difficilis*, tum quod ad quadragesimum diem & ultra protendatur, nisi forte æstiva sit: tum, quod quia humor iste crassus & fæculentus ægrè putrescit, magnam causam subesse indicet. *Absolvitur* 1. *Vena* sinistri brachii interni *sectione*. 2. *Præparatione* humoris, [91]. quæ magis ad humectationem vergere debet. 3. [92]. *Purgatione* per melanagoga sæpius instituta, ad quæ Sudorifera & Diuretica referantur. 4. *Virium roboratione* per buglossam, borraginem, acerositatem citri &c. 5. *Diæta*, ubi Victus debet esse incidens, humectans & refrigerans, vini usus parcus vel nullus &c.

85. *Continua τεταρταίᾳ*) Continuarum Periodicarum hæc rarissima est, adeo ut *Joel* in praxi, cui veterano Practico, jā septuagenario, & tamē in Pomerania, uti exarido fixo viscido, sive veterū melancholia, nata morbi, indeq; hypo-

hypochondriacum malum ac scorbutus frequentiores sunt, & ex quo humore Quartanam derivant; viventi nunquam apparuit, cum aut nullam aut rarissimam esse iudicet; Quin & si aliquando occurrant, ad lentarum naturam eas proxime accedere asserit *Piens de Febr. part. 2. pagin* 98. aut cum continua lenta complicatæ erunt. *Emuller pag* 301.

Hæc febris ex periodicis continuis rarissime in Praxi observatur; nam maxima errandi occasio datur inter hanc & febrem Lentam. *Piens.*

86. *Signa ejus sunt*) Eam significant *calor* minus acer quam à bile, sed acrior quam à pituita; similiter quoque *Sitis* major quam in quotidiana, minor quam in tertiana, *Pulsus* initio tardus, rarus, languidus; post validior, crebrior, valde inæqualis: *Urina* in principio tenuis, post varia; *Corpus* aridum & macilentum; *Color* fuscus aut obscurus: *temperamentum* frigidum & siccum, *ætas in clinans tempus* autumnale, aut magnas inæqualitates habens; *vita* multis curis & solicitudinibus implicata, *hæmorrhoidum* fluxus suppressus, *tumor lienis*, *exacerbatio* quartana. *Riverius.*

87. *Causa est*) Fit à sanguine melancholico in venæ cavæ ramis putrescente: Eamque omnia efficere possunt quæ humorem melancholicum generare, eique putredinem inducere valent. *Riverius.*

88. *Causa est sanguis*) Causa hujus febris est, quod hæc æque ac cæteræ continuæ remittentes, à vitiosa sanguinis diathesi dependeat; nisi quod reliquiæ fermentales massæ sanguineæ fæculentiores ac minus fermentatæ sint; Unde fermentales particulæ, ex hoc vel illo loco, seu foco exurgentes, continue massæ sanguineæ, ac una cum ea cordi communicantur, illudque irritant, & exinde calor effervescens, cum sanguine in reliquum corpus diffunditur. Locus itaque, focus, *in liene* non semper est statuendus, cum lienosi isti homines ita non sunt ut vulgus sibi persuadet; sed quia non multum quandoque differre videtur à febre lenta, ideo focus in mesenterio esse, ejusque glandulis & annexis existimandus est. *Piens* §. 11. p. 98.

89. *Mutantur quandoque*) Contra quandoque Intermittens in Continuam transit, hæcque utplurimum lethalis est, quia fit mutatio illius febris quæ foras movetur, in eam quæ intro; quod hyeme maxime contingit; dum excurrentibus succis frigus se opponit, eosque in intima corporis penetralia repercutit: Id etiam contingit medicamentorum purgantium acriorum & vehementiorum intempestivo usu; Inde etiam ex simplicibus duplices & triplices quartanæ generantur *Riverius.*

90. *Curatio est in totum difficilis*) Admodum periculosa est & gravis, ut ægri vix mortem evadant, *Avicenna* tria commemorat in quibus differunt Continuæ & Intermittentis curationes, 1. quod magis refrigerandum sit in Continua, *syrupo de lactuca, portulac. borrag. de fumaria, de limon. de pomis, violat. &c.* 2. Quod S. M. magis in hac convenit. 3. Victus ratio tenuior esse debeat, Præterea purgandus est humor blandis & lenientibus, ut *Cassia*, *Catbol. Senna.*

91. *Quæ magis ad humectationem*) Medicamentis humores præparantibus ad concoctionem (post primam venæ sectionem & primarum viarum evacuationem) adduntur quæ vim aliquam humectandi obtinent, ut *syrup. violac. buglossi, borraginis, de pomis*, circa initia, Postea vero de *fumar. de epith. de V. radic. oxymel. scillit.* cum *decoctis primum buglossi. borrag. ceterach, capilli ven. fumar. lupulor.* deinde *Cuscuta, scordii*, centaur. *min. cortic. cappar. fraxini* & *tamarisci.* Riverius.

92. *Purgatione per melanagoga*) In Quartanis continuis quæ melancholicis competunt adiiciuntur, ut.

℞. *rhabarb.* ℈iv. *myrobal. ind* ℥ij. *inf. in sero lactis*; *Expressionem dissolve cum decocto facto ex mercurialis m. j. epith.* ℥ij. & *fol. sennæ* ℥iij. *addendo syr. de Pom. redol. ad* ℥ß. Platerus.

CAPUT V.

De Febre Continua Symptomatica.

1 Febres *Symptomaticæ sunt quæ alios morbos insequuntur, iisque sublatis cessant.*

2 *Signa* inde, quod nullis statis periodis exacerbentur: in urina nullum putredinis signum compareat, nisi ex affecta parte sensim in venas effundatur, affectæ partis indicia si non statim initio, mox tamen se prodant, & quod raro 7. vel 14. die vel aliis decretoriis crisi solvantur.

Causa in differentiis ponetur, notandumque hic, 1. [3] Multas febres inter istas censeri quæ sunt primariæ, in quibus natura sanguinem à quo vel ob copiam, vel ob fervorem & tenuitatem, vel etiam impuritatem gravatur, è vasis majoribus ad minora, & partes determinatas, viscera inprimis carnosa, venis multis referta & cordi vicina, pulmones, cerebrum, hepar, lienem, nec non ventriculum, intestina, uterum, vesicam, articulos, imò ipsam corporis substantiam propellit, & ibi novum morbum excitat 2. [4] Posse eas Comitatas appellari, quatenus ab inflammationibus, dysenteriis, doloribus vagis, exanthematibus &c. excipiuntur.

[5] *Curatio* non tam ad febrem quam ad causam dirigenda est.

Differentia harum febrium sunt aliquot.

I. [6] *Alia est quæ partis alicujus, interioris præsertim & cordi vicinæ, vel saltem consensum cum illo habentis* [8] *inflammationem sequitur*, à vaporibus ex sanguine in partem inflammatam effuso & putrescente cordi communicatis idque calefacientibus exorta. Totuplex est quotuplex inflammatio. Typhodes quibusdam quando hepar laborat.

1. *Febres symptomaticæ sunt quæ alios morbos*) Febres divisimus in *primarias* & *symptomaticas*. Illæ à nullo alio morbo dependent, hæ vero morbum aliquem tanquam umbra corpus sequuntur: Febrem morbum vocabant Veteres, ut docet *Galenus* 4. aph. 63. quando aliquo aut dolore, aut erysipelate, aut alio affectu fiebat; si vero aut pleuritidi, aut anginæ succederet, similique affectui, non amplius febris, sed pleuritis aut angina dicebatur, quod febris tantum esset illorum symptoma: Sed illam divisionem rejicit *Avicenna*, Omnis enim Febris est intemperies & morbus; & ad nullum symptomatum genus referri potest, cum nec sit actio læsa, nec excrementum, nec qualitas mutata: Ergo non est symptoma; Verumtamen per quandam similitudinem febris

quæ alteri morbo succedit potest dici symptoma, 1. quia sicut symptoma morbum sequitur, ita & febris proposita alium morbum, ut pleuritidem: 2. Sicut abolctur symptoma ablato morbo à quo dependet; & ideo qua tale nihil indicat, ita & hæc febris quæ casus est morbi, illius indicationes & curationem sequitur: Est tamen hæc divisio utilis ad medendum. *Primirosius*. Dici possunt *Secundariæ*, h. e. quæ non propriam subsistentiam habent, sed à graviori alicujus partis affectu originem trahunt. *Etmuller.*

2. *Signa inde &c.*) Distinguitur à Primaria quod nullis periodis exacuitur, Urinæ raro putredinis habent indicia, nisi interdum ex affecta sede putredo obrepat in venas: distinguitur etiam inflammatæ partis signis, qualia sunt actiones læsæ, excreta, qualitates mutatæ; Actiones sunt pulsus, dolor, lassitudo; Pulsus durus est & inæqualis usque ad declinationem: Dolor comes est inflammationis, partemque læsam ostendit, & qua parte sentitur lassitudo ea sedes est morbi. Actio quoque partis alicujus læsa ostendit eam affici, sed præterea pars unaquæque propria sua habet symptomata quibus ipsius affectus dignoscuntur: Urinæ si parum à naturali statu sint immutatæ, febris oritur à parte determinata, ostendunt enim vitium non esse in venis: Sudores qua parte erumpunt affectam partem indicant, 4. *aphor.* 38. & qua parte corporis calor est, vel frigus, ibi morbus est, aph. 39. 4. Sed insuper in inflammationibus fiunt aliquando rigores, refrigerationes, *horrores* maximi & longissimi. 4. *aph.* 48. *Primirosius.*

Prognosis.

Signa Prognostica, Solent hæ inflammationes, ex 1. *aphor.* 12. resolvi intra 14. vel 20. diem, Sed si febris xx. superet, expectanda suppuratio est, tum si quo tempore illam cessaturam spes erat, symptomata augeantur, & si rigor sæpius accidat, abscessum fieri verisimile est 2. *progn.* 38. & 4. de *loc.* Pulsatio post xx. diem, aut increscens aut perseverans, pariter spirandi difficultas angusta, suppurationem minantur: De iis Febribus intelligendi multi Hippocr. loci in Coacis & Prorrhet. *Præcordiorum dolores in febribus, si sine sudore solvantur cum loquendi impotentia, maligni sunt: In his dolores ad coxendices, & alvus soluta, perniciem ostentant*, Prorrh. 9. libr. 1. Item *In febre palpitationes circa ventrem extases pariunt, & hæmorrhagia cum horrore accidit.* Coaca 298. & *Prorrh.* 144. addit hypochondrii εἴλεον ἐγκαύσῃ, ut intelligatur hypochondriorum inflammatio, quæ sensum horroris sæpe inducit, acribus humoribus præcordiorum membranas lacessentibus, nam 1. Epidem. inter hæmorrhagiæ futuræ signa recensetur hypochondriorum ἔντασις. Periculum designat *Hippocrates* cum scribit, febres *implacidas*, i. e. in quibus ægri eodem loco jacere nequeunt, cum hypochondriorum contensione, ab inflammatione oborta, multa cura & custodia indigere, fiunt enim ab inflammatione in intimis visceribus concepta. *Idem.*

3. *Multas febres inter istas*) Vide inferius §. *Ex vehementi alicujus partis interioris &c.*)

4. *Posse eas comitatas appellari*) Sunt qui febres has in *Comitatas* & *symptomaticas* strictius dictas dividunt, ut *Sennertus* eo nomine illas indigitat quæ inflammationibus partium junguntur, hoc cæteras, Sed non opus est scrupulum in talibus quærere, *Etmuller.*

5. *Curatio non tam ad Febrem* &c.) Si ab inflammatione oritur, Curatur eodem prorsus modo quo tumor à quo dependet, & quamvis refrigerari & humectari febris postulet, à balneo tamen, & aquæ frigidæ potu abstinendum; quia balneum humores commovet ad locum affectum, Aqua frigida coctionem remoratur: Sed Trallianus scribit se frigidæ potu erysipelata & febrem extinxisse, Et sane in erysipelate non nocet, sed in phlegmone: *Aëtius* vero Balneum prohibet, sed post statum, & coctione peracta frigidissimam aquam & multam impetat, cui consentit *Paulus* cap. 31. l. 2. Vterque applicat præcordiis refrigerantia, ut lactucam, intybum, sempervivum, portulacam, atriplicem solanum, plantaginem, cum pane trito, rosaceo & omphacio, ac sæpe renovant ne incalescant: historiamque narrat *Aëtius* mulieris quæ frigidis potibus ex diacodio cum vino & aqua curata fuit, cum mors ferme instare videretur. *Primirosius.*

7. *Differentiæ harum febrium sunt aliquot*) Sunt hæ ipsæ *Secundariæ*, nunc *acutæ*, idque crebrius; nunc *lentæ*, pro *affectuum*, quos sequuntur, & partium affectarum conditionibus, dum illi vel graviores vel leviores sunt: hæ vero, nempe partes affectæ, vel sensiliores, vel minus sensiles: Item vel nobiliores, sive quæ majus cum sanguine & spiritibus commercium habent; vel ignobiliores. *Etmuller. p.* 331.

7. *Alia est quæ partis alicujus interioris &c.*) Earum genera sunt quamplurima, Unum sequitur inflammationes, quæ si externa sunt, & à corde longius dissitæ, tantum faciunt Ephemeram, ut in Bubone, quia sola partium continuitate cor alteratur: Internæ vero cordi proximæ putridam febrem concitant, ut in pleuritide, peripneum. &c. quas variis nominibus distinxit Aëtius, in lipyriam, typhodem, crymoden, &c. Nam Ephemeræ, docente *Galeno* 2. *aph.* 18. nec ex putredine, nec ex interna inflammatione ortum habent; Attamen si inflammatio sit exigua, fieri potest ut nec acuta, nec putrida febris succedat, ut docet *Galenus* 2. *Prorrh.* 17. ex Jecoris inflammatione non semper fieri febrem acutam, aut si pars à corde sit remotior.

Differunt autem febres symptomaticæ à sese invicem & causis & parte affecta, nam quæ fiunt ab erysipelate, fortiores sunt iis quas phlegmone parit, quanto bilis sanguine ferocior est: Tum quæ propius ad cor accedunt vehementiores sunt iis quæ longius absunt: Item quæ sunt in partibus sanguineis benigniores sunt iis quæ nervosis partibus inflammatis succedunt, nam symptomata ex nervosis partibus sunt multo graviora & maligniora, ut dolores, vigiliæ, convulsiones, quamvis in sanguineis soleant tumores fieri majores, sicque sæpe calor erit vehementior, sed minus periculosus, Præterea febres quæ sequuntur tumores partium arteriis refertarum, sunt fortiores iis quæ fiunt ex aliis partibus in quibus tantum sunt venæ, quod tamen capiendum est cæteris paribus; potest siquidem tumor ex parte venosa majorem febrem inferre quam arteriosa si venosa sit cordi propinquior, nobilior, majorique inflammatione laboret; sic inflammatio cavæ hepatis febrem vehementem concitat quam inflammatio splenis, & tamen splen arteriis refertus est.

Dicuntur autem Febres symptomaticæ sequi motum humorum ex quibus generantur, ut in pleuritide febris videtur terriano circuitu exacerbari, etsi nunquam intermittat, ex *Galeno Primirosius.*

8. *Inflammationem sequitur*) Monet quidam non semper has febres sequi inflammationem, quia potius hanc illas subsequi, adeoque *Comitatas* non *Symptomaticas* vocandas censet *Platerus*; Incipit febris primaria, cujus humor orgasmo continere se non potest in venis, sed ob copiam, tenuitatem, & acrimoniam effundit se in viscera, ibique phlegmonen vel erysipelas concitat, à quibus postea febris fovetur & conservatur *Primirosius*. Vide *Sennertum* & *Riverium*.

Illarum generationem sic describit Willis libro *de Febr. c.* 11.

De symptomaticis febribus *ait*, paulo aliter sentimus, quod scil. revera nulla Febris putrida sit mere symptomatica, nisi occasionaliter forsan oriatur ab alio quopiam affectu: fundatur vero immediate in sulphurea sanguinis parte nimis effervefacta, & velut accensa, etenim sine procatarxi, seu præcedente sanguinis indispositione, prædictæ affectiones raro, aut vix omnino febrem putridam accersunt.

Quod

Quod vero spectat ad Anginam, Pleuritidē, Peripneumoniam, dico quod ista sunt febris producta, seu affectus ipsam consequentes, minime vero ejusdem causæ; sæpissime enim causa evidens præcessit, quæ sanguinis effervescentiam febrilem produxerit, utpote frigoris susceptio, evacuatio cohibita &c. Dein licet non aperte statim febricitant ægri, tamen sanguinis ebullitio solito major concitatur, prout ex urina, pulsu; & inquietudine totius corporis licet facile conjicere; Post aliquot dies (modo citius, modo tardius inflammatio in hac vel illa parte producitur, cujus ratio satis probabilis hujusmodi assignatur) Sanguis propter effluvia retenta (quæ se instar fermenti habent) mole augetur, & in vasis plus solito turgescit; cumque ob ventilationis defectum circulationis suæ spatio angustatur, facile qua data porta arteriis exilit, & circulationis filo interrupto extravasatus in tumorem aggeritur; & quoniam ab ejusmodi tumore calor & dolor in parte intenduntur, sanguis in motu suo magis perturbatur, adeoque febris prius accensa magis aggravatur.

Præterea in hujusmodi affectibus advertere licet sanguinis aptitudinem quandam ad coagulandum, qua fit minus fluxilis, adeoque in vasis minoribus coagelari habilis, non secus ac in Lacte cernitur eum acescere incipit, tunc enim sine coagulatione non coquitur, nec super foco incalescit: Pariter & in sanguine suspicari est diathesin quandam ad acescendum, cujus ratione coagulationi fit obnoxius: facile enim constat quod in Pleuritide, Peripneumonia, Angina, & similibus morbis; inflammatio, seu cruoris extravasatio, non semper dependet à sanguinis exuberantia, & vasorum plenitudine; sæpe enim cum pulsu debili, & vasorum subsidentia, sanguis in motu sistitur, & in latere, aut alibi extravasatus, dolorem acutum infert, imo ex una parte depulsus, mox in alia defigitur: Quandoque in ipso corde stagnare incipit, ibidemque oppressionem sæpe lethalem inducit; quare solent pleuritici nonnulli, cum dolores evanuerunt, de insigni gravamine, & veluti pondere circa cordis regionem defixo queri: Cumque ex hujusmodi affectibus obeuntium cadavera aperuimus, in cordis sinubus, & vasorum circum circa cavitatibus sanguinem id frustula & glomeres oblongos concrevisse vidimus: *Willis.*

Febres quæ adsunt inflammationibus gravioribus, occasione *Acidi*, inflammationem ut plurimum causantur: Febres hæ nunc sunt *acutæ*, v.g. in *Pleuritide*, *Angina Erysipelate*, nunc *lentæ*, ut in inflammatione pancreatis, mesenterii &c. Curanturque hæ febres simul & eadem ratione qua inflammationes ipsæ, per *attenuantia*, *acidum absorbentia*, *volatilia*, *alkalia*, *diaphoretica*, &c. de quibus suo loco, nempe ubi de Inflammationibus. *Etmuller.*

8. *Inflammationem sequitur*) Ejus quæ internam inflammationem sequitur, signum certum esse ait horripilationes *Ioh. Raim. Fortis cent. 3. consult. 99.*

Febris Leipyria.

II. Alia est [9] *Lipyrias*, [10] in qua toto morbi decursu interiora quasi uruntur, exteriora frigent. [11] *Oritur* ex vehementi alicujus partis interioris, inprimis ventriculi inflammatione, vel erysipelate, sanguine & spiritibus ad locum inflammationis tanquam cucurbitula attractis & concurrentibus. [13] Vel *non* est *curanda*; [14] vel si suscipitur, [15] *intra* putrefactioni & refrigerationi resistendum; *Extra*, post partium frictionem, calefacientia & poros aperientia applicanda. Valet hîc ol. *anethin.* & *irinum*, cum ol. vitrioli, & aqua cremabili Iuniperi.

9. *Lipyrias*) Dicitur λειπυρία, quia λείπεται πῦρ, ignis, sive calor deficere videatur, atque medio in via subsistere, ad habitum corporis non protensus; Alii deducunt ab anxietate & molestia, λύπη τῆς πυρός.

10. *Lipyria in qua toto morbi decursu interiora &c.*) De hac febre disceptantes admodum quoad ortum & fiendi modum authorum sunt sententiæ, Quamplurimi ad secundarias, ad eoque vel comitatas vel symptomaticas referunt; Instar omnium sit *Landanus*, qui notis super *Hartmannum* inquit, *Febris lipyria est febris ardens, orta ex inflammatione visceris interioris valde sensilis, de qua loquitur* Hippoc. aph. 46. 4. & 72. 7. *de quibus notandum 1. Febres non intermittentes 2. in talibus algor extremorum, & æstus internorum ubi per partes exteriores, non vulgo dicta manus, pedes, nasus, lobi aurium intelligenda, sed universus corporis habitus, Algor autem, non ex tactu Medici aut adstantium judicandus, sed ægri judicio, qui se algere dicit & tegi jubet: Tepent enim membra, nec est ea vis, qua in aliis febribus ardentibus solet adesse.*

Notanter dicit *Landanus* partis sensilis valde sequi inflammationem Lipyriam, Pars enim non valde sensilis, v. g. mesenterium inflammatum, febrem etiam quidem continuam, sed lentam fere plus minus inferre solet, confer *Sennertum* l. 2. de Febr. c. 16. Sane practicæ experientiæ [illegible] simis consentiens est hæc sententia; Nonnulli prima[illegible] brim esse contendunt, ut *Sylvius*, *Primerosius*: *Borrichius Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 160.* ex nimis liberali usu frustum [illegible] rum eandem enatam, adeoque apparenter primariam [illegible].

Primariam [illegible] cum rarissima sit, adeoque adhuc nonnihil dubia, [illegible] ad fiendi rationem adhuc intricata; saltem Frigoris ratione, ad genus nervosum membranosum indecunque irritatum, Æstuationis vero respectu, ad sanguinem in præternaturalem fermentationem concitatum, hincque alteratos insigniter spiritus, idque ex supradictis probabilissime à sui generis acido respiciendum erit. *Etmuller pag. 302.*

Per externa intelligere debemus cutim universam, non tantum manus & pedes, ut *aph. 1. l. 7.* In *Acutis frigus ex remittitur malum.* At pejus est cutem frigere quam si solum externa frigeant: Artus enim quoniam longe distant à fonte caloris, leviori de causa refrigerantur; maxima autem causa esse debet, quæ prohibet caloris ad vicinas usque partes diffusionem. *Primirosius.*

10. *In qua toto morbi &c.*) Signa hujusce febris, præter calorem internum & frigus externum, ex *Hippocr. 2. de Morb.* Sunt *urina* flavæ, *lingua* arida, *exspiratio* fœtida, *vomitus* biliosus, *vigiliæ*, *anxietas* maxima, ita ut ægri nullam neque figuram neque locum patienter ferant; *Pulsus* præterea parvus est & debilis, inferiorisque *labri tremor* adest & commotio, quæ ardentem malignam denuntiant. *Primirosius.*

11. *Oritur*) De ejus causa & origine inter *Græcos* & Arabes non convenit, *Avicenna*, inter pituitosas eam recenset, quamvis unam ejus speciem faciat à crassa bile ortam: Ut plurimum tamen eam generari xit à pituita vitrea, idque dupliciter, vel quia ea putrescescente vapores elevantur crassi, qui nequeunt ferri ad exteriora, & illa calefacere; Vel quod in partibus externis frigidi adsint humores, qui à pituitæ in alto putrescentis calore non possunt calefieri; Febres Senum, quas ipse vocat *sepultas*, quod foras se non prodant, videntur esse Lipyriæ, quod tamen falsum: In Lipyria est vehemens incendium, febres autem senum sunt mites, Deinde Epialum eodem modo generari dixit: Cur autem pituita putrescens in Lipyria internæ viscera accendit, in Epiala eadem quasi gelu quodam refrigerat? A bile quoque eandem generari statuit; sed pauca & crassa, cujus vapores crassiores & pauci non possunt ad habitum usque corporis expandere sese, unde tantum interna calefaciunt.

Fr. Joel Pituitam quidem putrescentem, at non simplicem, sed bile flava putrescente perfusam & in meatibus viscerum impactam, causam constituit; in qua extremæ venæ & arteriæ crassa pituita ita infarctæ sunt, ut vapores & fumi in corde inflammati ad partes exteriores transire minime queant, sed ad viscera reverberentur, ut flamma in clibano clauso; quæ inflammatio allicit ad se ab exterioribus partibus & sanguinem & spiritum vitalem, & inde necessario extrema frigent: Non negat vero idem consequi viscerum phlegmones & erysipelata.

*Sylvius Pr.l.1. cap.*29. Lipyriam, (si modo detur, ait) putat ex duplici febre constare, Biliosa & Pancreatica, Ita quidem ut à succo Pancreatico universo acidiore continuo in tenui intestino eleventur habitus similes, qui confundantur tantum massæ sanguineæ, atque in corporis habitu frigoris sensum producant, dum in partibus internis à bile, oleosa magis quam acri, excitatur calor urens.

12. *Ex vehementi partis alicujus, interioris inprimis &c.*) Dubium est Num hæ febres sint Symptomaticæ vel Essentiales: *Galenus cap.* 3. *l.*1. *ad Glaucon.* docet, Febres vel ex inflammationibus vel ex humoribus accendi, Illas quidem esse symptomata partium inflammatarum, has vero morbos; At febres Lipyriæ non sunt symptomaticæ, veteres (ut docet *Galenus*) febres non vocabant eas, quę alios morbos comitabantur, ab iisque dependebant, & tamen Lipyrium inter febres, easque ardentes, *Hippocr.* omnium vetustissimus, numerat; Non sunt igitur symptomaticæ, nec ab inflammatione viscerum dependent, etsi cum ea esse possint: Ipse *Galenus* negat *comm.*4.libr.7. *aphor.* Lipyriam esse symptomaticam, quomodo ergo fiet ab inflammatione viscerum?

2. Docet *Hippocr.* febres Lipyrias nonnisi cholera superveniente solvi, At febres inflammationum cessant ut plurimum soluta inflammatione, quæ vel resolutione, vel suppuratione, rarissime aut nunquam cholera morbo solvuntur.

3. Ipse *Hippocras.* semper distinguit febrem Lipyriam à febre quæ fit ex hypochondriorum ἀλγήματος [illegible], nam de iis tanquam de diversis semper agit.

4. In Inflammationibus jecoris, pulmonum, febres semper forent Lipyriæ, at experientia ostendit in ejusmodi inflammationibus non semper interna uri, cutim frigere, cum utrobique, tam in externis quam in internis ardor sentiatur maximus, nisi forsan moriente homine; at hic casus cum sit communis omnium morborum lethalium, non constituit Lipyriam.

5. Male dixit *Galenus* inflammationes viscerum attrahere ad se sanguinem & humores, instar cucurbitulæ, *addunt recentiores*, cum tamen cucurbitula attrahat vi vacui, inflammatio vero vel calore vel dolore: nec attrahit nisi forsan in principio, cum humores fluant ad partem inflammatam, at in augmento & statu nullus fit confluxus ad partem affectam, Ergo tunc non est necesse, humores moveri ad interna, aliter inflammatio perpetuo augeretur, si toto morbi decursu fieret humorum confluxus: at quando is cessat, non potest fieri ista retractio caloris: nec partes externæ frigent internis ardentibus, ut experientia ostendit; Ideo initio inflammationum utimur derivatione & revulsione, quandiu humor est in motu, postea vero ad usum resolventium & suppurantium devenimus; at si humores non moventur ad interna, non fit refrigeratio cutis; at post principium in internis viscerum inflammationibus humores non moventur ad interna, ergo non fiet cutis & extremorum refrigeratio.

Statuendum igitur Lipyriam febrem esse de genere earum quas Veteres morbos vocabant: *Hippocr.* eam inter ardentes numerat, sed quælibet Ardens non habet hoc symptoma, sed tantum ea quæ maligna est & pestilens, ideoque ipse *Galenus* eam interdum malignam dixit; Ratio hujus symptomatis difficilis est explicatu, quam *Galenus* male ad phlegmonem erysipelasve viscerum retulit, cum plurimas malignas febres viderim, in quibus exteriora tepebant; interiora ardebant, nulla tamen aderant inflammatorum viscerum signa & symptomata.

Duplicem igitur hujuscemodi symptomatis causam reddi probabiliter posse crediderim, *Prima* est, cum hujusce febris natura in maligna venenataque qualitate ac putredine consistat; sitque omnis veneni proprium cordi insidias struere, natura, ut partem nobilissimam tueatur, illique suppetias ferat, undequaq; sanguinem spiritusque ad cor partesque nobiles transmittit, unde per accidens ejusmodi extremorum refrigeratio consequitur.

Ubi observandum ejusmodi refrigerationem, ut experientia ostendit, non esse toto morbi decursu perpetuam, sed interdum recalescere superficiem corporis, iterumque refrigerari, quasi per vices, quod valde maligni morbi signum est; id quod ante annotavit *Hippocr.* nam *hist.*5.*s.*3.3. *Epid. Pythio. Thasius* habuit sæpius apparentem ejusmodi febris remissionem, eodem tamen die recalescere solebat, x°que interiit, & *Philiscus* 1. *Epid* 3. die à febre immunis esse videbatur; eadem tamen die recaluit, & sexta mortuus est,

Secunda causa est, quod febris hæc fiat ab humoribus valde putrefactis in præcordiis stabulantibus, qualis est bilis æruginosa & summe putrescens, cujus occursum cum natura ferre non possit, conatur per vomitum & secessum eos evacuare, ideo omnibus viribus id contendit, fitque inde humorum ad interiora concursus: Quid si adderemus peculiarem humorum proprietatem, ut potius ad interna vergant quam ad externa, quid vetat? *Prim.irosius.*

13. *Vel non est curanda*) *Fr. Joel* præstare ait huic febri perniciosæ manum non admovere, quod scil. medicamenta irrito successu admoveantur.

Prognosis.

Scribit *Hippocr.*4. *aph.* 4. In febribus non intermittentibus si partes exteriores sint frigidæ; interiores vero urantur, & Sitim habeant, lethale: *Et* 1. *aph.* 7. In acutis frigus extremorum, malum; *Et Coaca* 1. *lib.*3. Caput, pedes, manus perfrixisse, costis & ventre calentibus malum. *Et Coaca lib.* 2. *aph.*11. Stomachi dolor, pulsus hypochondriorum, febre extincta malum: Quod intelligendum est de febre Lipyria, non de febre soluta, sed de ea tantum in qua videntur exteriora esse temperatiora.

Demum scribit *Hippocr. Coaca* 120. Febrem Lipyriam nonnisi per choleram solvi, Evacuatione bilis sursum deorsumque facta, qua evacuata pristinum parti temperamentum restituitur; Unde concludendum videtur, Febrem hanc non esse ab inflammatione viscerum, quæ non per choleram, sed resolutionem & suppurationem solvi solent.

At quomodo potest morbus acutissimus alium acutum solvere? An Cholera duplex est, *critica*, quæ materia concocta crisis ratione contingit, estque salutaris, *Symptomatica*, quæ accidit natura ab humoribus morbificis irritata cum virium exolutione & syncope ac surarum contractione, quæ acutus morbus est & periculosus? *Primirosius.*

14. *Vel si suscipitur*) Si omnino curanda sit, & remediis quicquam tentandum, *intra* corpus refrigerationi & putrefactioni adversantia adhibenda sunt: Extra vero post partium *frictionem*, calefacientia & poros aperientia inungenda & applicanda.

Ad refrigerium, & putrefactionis inhibitionem, detur Potio.

℞. *syrup. acetos. citri* aut *violar.* ℥iij.

aq. card. ben. ℥xij.

f. Potio crebro exhibenda.

Poro vero aperit & exteriora rarefacit sequens Inunctio.

℞. *Ol. menth. irini āā.* ℥ß.

Ol. vitrioli vel aquæ junip. ardent. ℨj.

Misce *Fr. Joel.*

Primerosius sic Curationem instituit. 1. ait, à S. m. curatio auspicanda est, Clystere præmisso, deinde refrigerantibus ac cardiacis utendum, in *succo citri limon-granator. Aqua Potum* nonnisi post concoctionem concedit: Cataplasmata ex *farina hord.* cum *succo semperv.* similiumque refrigerantium subacta hypochondriis applicat, sæpe commutando: Eademque huic febri quæ ardenti malignæ curationem assignat, additis quæ proprietate malignitati adversantur.

Notandum *Hippocr.* 2. de *Morb.* & *l. de Affect.* solis sorbitionibus uti dum febris deficerit: In *Potu* exhibere *mulsam* dilutam, solisque clysteribus uti, dimissis catharticis, antequam febris abierit.

Sylvius de le Boe curat Corrigendo aciditatem succi pancreatici, & bilis nimiam oleositatem, *margaritis, corallis, ocul. cancr. creta,* refrigerantibus.

Hippocrates l. de Affect. vers. 107. mirandam curationis rationem adducit, *Huic conducit*, ait, *frigefactoria adhibere, & ad alvum forinsecus ad corpus, cavendo ne inhorrescat.*

Hujus febris curatio primo aspectu, (ait *Martianus in comm.* satis inepta apparet, & maxime quia frigefactoria, h. . actu & potentia frigida exterius admoveri jubet, Sed si rem ipsam intimius perscrutabimur, remedium, longo experimento, ut credere est, confirmatum, ratione minime carere inveniemus; Nam quoties biliosus humor in interioribus partibus flagrans exteriorum refrigerationem facit, non autem caloris innati penuria, frigida admota nihil obesse possunt, imo hæc sæpius repetita vi refrigerandi internis partibus, à parte post partem communicata, internum bilis fervorem extinguere possunt: Nec timenda est caloris retractio, quia hanc facit multum frigidum & confestim adhibitum, non paulatim admotum, & frigiditate non intensa præditum, quod horrorem exciter, quem cavendum jubet; Sed præter rationes, & summi præceptoris authoritatem, Experientia ipsa eandem curationem confirmare videtur, Observavi enim taliter affectos, quo magis calefactoriis ad naturalem statum reducere procuramus, eo impensius refrigerari: Quod præ aliis nuper cognovi in N. quem ex febre ardente externis partibus summe refrigeratum, postquam adstantes Medicorum jussu, per totum diem & pannis laneis, & pellibus pelliceis extreme calentibus toti corpori adhibitis calefacere tentarunt, quibus statuam marmoream calefecissent; Cum tamen vesperi frigidiorem quam ante invenimus; Nec mirum, Quia si hujusmodi refrigeratio ex penuria humidi substantifici & spirituum defectu provenit (quem defectum siccitatem appellavit *Hippocr.* 1. *de morbu*) si cum calefactoriis ad superficiem trahere, & humidum & calorem intendimus, illum dissipantes exhaurimus quid mirum si corpus inde impensius refrigeretur, & si hac ratione calefactoria lædunt? Eo magis suspecta erunt quæcunque plus dissipare possunt quam calefactoria, v. g. Frictiones & Cucurbitulæ, quæ sunt in frequenti usu pro curatione harum febrium.

15. *Intra putrefactioni & refrigerationi*) Lipyria febris ad modum inflammationum Erysipelacearum, partes internas occupantium, curanda per *diaphoretica*, tam *absorbentia* quam *volatilia*, alkalia penetrantia & discutientia; Quam medendi rationem ubi de *inflammationibus*, in specie de *Pleuritide*, habebimus. *Etmuller pagina* 320.

Febris Lenta.

III. Alia *Lenta*, quæ [16]. *cognoscitur* exinde, quod [17]. calore lento, cum quo notæ putredinis in urina & pulsu apparent, affligat, nullum ordinem servet. Nullo gravi Symptomate ægro molesta sit. Vires collabantur, ut æger vix progredi possit. Corpus sensim γ. contabescat. Protrahitur ultra quadragesimum diem, nec citius desinit quam impacta visceri materia putredine absumatur. [18]. Purgantium usu exasperatur. [19]. *Oritur* ex materiæ extra vasa in visceris alicujus substantiam effusæ, aut certe in capillaribus vasis per visceris substantiam dispersis, impactæ, putredine, visceris substantiam labefactante. Unde nec tanta copia nec eo ordine vapores versus cor ferri queunt. *Curatur* aperientibus, attenuantibus, & detergentibus, cuique parti appropriatis &c. Clysteres lenitivi prosunt.

16. *Lenta*) Μαλακοὶ *Lenta*, χλιαροὶ, *Tepida, lib.* 4. *aphor.* Febris Lenta est *Continuus affectus, in quo ægri ob sucrum temporum decursum tarde afficiuntur.* Piens pag. 93.

17. *Cognoscitur* Qui hac laborant, plus debito incalescunt, præsertim a pastu, motu quovis aut exercitio: *Urina* plerumque rubicunda est, spiritus sunt debiles & *vires* de[illegible] circa *appetitum* & *somnum* se mediocriter habent, T[illegible] r sputo copioso carent, verum in dies tabidorum [illegible] & sine manifesta causa marcescunt. *Willis cap.* 11. *de* [illegible]

S[illegible] dragnostica sunt, quod omnium Fermentativarum [illegible] sit, ægrum nullo gravi symptomate afficiat, ita [illegible] non ægrotare putet: Fermentationis notæ in *urina* [illegible] nt; *Pulsus* frequens, celer & inæqualis *est*; at [illegible] nec validus nec magnus: Vires imbecilles & *langui*[illegible] corpus sensim contabescere: Sique ex corruptela peculiari alicujus visceris orta sit, illius notæ peculiares se produnt. *Piens.*

18. *Purgantium usu exasperatur*) Si Febris protrahatur Purgatio erit identidem repetenda, interjectis præparantibus & concoquentibus, donec tota illius minera sit sublata; Alioquin si ante integrum febris solutionem à purgatione cessetur, periculum erit recidivæ, Quod tamen præceptum restrictione quadam indiget, Si enim post repetitas pluries purgationes *Febris lenta* perseveret; quæ ægrum sensim absumat, & in tabem præcipitare videatur, optimum erit purgationem intermittere & Febrem sola victus ratione, alterantibusque remediis oppugnare; Contingit enim aliquando ubi prava aliqua est viscerum affectio, diuturnitatis febris causa, ut quamdiu medicamenta exhibentur, tamdiu morbus persistat; Fatigatur enim natura, quæ inde vires resumens, morbi causam concoquit, & concoctam expellit. *Riverius.*

Febres Colliquativa.

Vide supra pag. 49.

γ. *Corpus sensim contabescat*) *Causa* colliquationis *partim in subjecto patiente*, sive succo nutritio chyloso rorido, & inde nata pinguedine, *partim* in *efficiente* consistit: in *patiente*, si succus iste texturæ subtilioris, rarioris, minusque ab acido concentratæ existit, hinc facilius resolubi,

lis, & attenuabilis esse solet. v. g. carni aprugnæ sub assatione, nil omnino, aut sane minimum est quod defluit; suis vero domesticæ carni plurimum; eo magis quo plus adipe vel carne abundat, ut loquitur *Gorræus in Defin. Med. p. 309.*

Texturam autem istam, plus minus resolubilem, à certo acido contexente dependere illustrat experimentum istud, quo olea per spiritum nitri acidum in pinguedinis consistentiam coagulare possumus, dum alkalia è contra, & saccharum butyri coactionem debitam penitus imminuant: *Causa efficiens* attenuans, & menstrui instar dissolvens, & hinc seroso vehiculo unibile reddens, non est tantum modo caloris motus, utut hic multum simul valeat, sed *acrimonia septica*, sive quasi *caustica fermenti febrilis* peccantis penetrans, dissolvens, & nutritivum succum ac pinguedinem liquefaciens, simili fere ratione atque acres quasi causticæ particulæ purgantium, aut sudoriferorum resinosorum acrium &c. dissolvere & liquefacere assolent chylosas & tondas nutritivas particulas: quæ acrimonia ad quam acrium classem, non acidorum volatilissimorum, an alkalium, an salsorum, adscribenda sit, in medio hoc loco relinquo: Distinguenda autem sunt hic **das gelinde Zunehmen** / in febribus, ab eo quod nos dicimus **das Zerfallen oder Einfallen**/ Illud à colliquatione, & hinc emaciatione oritur; *hoc* vero à spirituum influorum defectu, aut saltem deficiente vi elastica, fibras & stamina partium à debito tono, & hinc interstitia porosa in debita dilatatione, pro fluidorum quorumvis faciliori transmissione detinente oritur: Hac igitur vi cessante, vel ob spirituum absolutam paucitatem; vel ob eorundem vitiatam constitutionem; vel denegatum plus minus eorum influxum, partes molles, præsertim faciei, collabi, nares acuminari, tempora excavari, oculorum orbitæ profundiores apparere incipiunt, ut in subitanea syncope correptis, aut facie Hippocratica deformibus redditur manifestum.

Ut igitur colliquatio subitanea nunquam bonum signum esse solet, pessimum tamen semper indicium est ista subsidentia partium subitanea, quæ nunc mox in principio morborum, nunc in eorum progressu, interdum horali spatio contingere observatur; spirituum influorum affectuum gravem omnino innuens *Ettmuller p. 304.* Vide plura de his capite de Febre Hectica.

19. *Oritur &c.*) Non ex partis inflammatione aut erysipelate, sed vel obstructione, vel visceris alicujus putrefactione generatur, *Obstructio* fit ex crassis viscosisque humoribus in aliquo viscere latentibus, præcipue in mesenterio ob venarum exilitatem, quod est universi corporis velut sentina, interdumque in jecore, splene, pancreate, ventriculo, imo & toto corpore, ut in cachexia pallidisque virginum coloribus; Hi crassi lentique humores cum putredinem sortiuntur febres has ingenerunt, placidas, mitesque, nulloque gravi symptomate infestas, sed diuturnas, quas videtur sub febris Laticæ nomine *Avicennas* intellexisse, atque ut in hecticis æger vix se febricitare putat, tamen debilitatur & contabescit, putredinis quædam vestigia urinæ proferunt, pulsusque nec magnus est, nec vehemens ob virium imbecillitatem, sed tamen celer & inæqualis, viresque sensim & sine sensu labefactantur, ac quantumvis eupepton, euchymon, polytrophon, copiosumque sumatur alimentum, corpus tamen eo non sustinetur sed; universa illius moles sumitur & colliquescit.

Oritur autem interdum per se, alias acutis febribus succedit, quando humor intempestive refrigeratus ita terunditur & incrassatur ut quasi pituitescat, nec facile deinceps aut concoquatur & ardescat, sed solet ejusmodi febris iterum redire ad pristinam ferociam, accenso ut prius humore. Igitur quando ex inscitia Medicus aut frigidæ potum intempestive præscripsit, aut coquendi purgandive occasionem neglexit, morbus acutus retrusus in lentam febrem haue degenerat.

Quoties igitur hujusce febris suspicio est, diligenter omnibus expensis, signis investigandum quænam pars præcipue affecta sit, morbique hujus fomitem contineat; sæpissime tamen, ut diximus, Mesenterium affligitur, ob crudorum humorum copiam quæ illic stabulatur, atque dejectionibus liquidis, chylosis, subalbis cognoscitur, quia non potest chylus obstructis viis ad hepar penetrare. *Primirosius. l. 3. c. 14.*

Aliam illarum generationem tradit, *Willis* l. c. Vitium plerumq; adscribitur Obstructionibus in viscere quodam, (puta, hepate liene aut mesenterio, cujus culpa alimentum non bene coquitur nec rite dispensatur: Videtur autem mihi (ait) quod hujusmodi affectio immediate fundatur in mala sanguinis diathesi, qua in intemperiem nimis salsam & acrem vergit, ideoque nutritioni & æquali circulationi minus aptus redditur; etenim sanguis in corde, non secus ac oleum in lampade, si particulis salinis nimium redundet, non placide & æquabiliter, sed cum crepitu & magna partium evaporatione accenditur, quo quidem citius disperditur, & flammam nonnisi languidam & imbecillam exhibet. Quendam tali morbo defunctum olim aperui, in quo viscera coctioni dicata satis recte se habuerunt; pulmones vero erant exsucci & aridi, necnon materia sabulosa instar cretæ per totum obsiti.

Non raro item in hoc affectu mesenterium glandulis tali materia argillacea replens obsidetur: Utrum vero sanguis salsior factus ejusmodi viscerum obstructiones primo intulerit; vel an viscerum dyscrasia sanguinem prius infecerit, incertum est? Probabile videtur quod alterutra affectio ab altera dependeat, & mali utriusque causæ reciprocæ fuerint.

Eustachius Rudius nunc eam oboriri docet cum humor in vasis impuri & imperfecti sanguinis (quæ venæ chyli ab Arabibus appellantur) putrescit, ita tamen ut in una quapiam parte fixus & immobilis, principium, progressum atque finem putredinis assequatur, Nunc vero excitari ab humore in vasis, non quidem communibus, sed viscerum & organicarum partium propriis putrescente.

Verum differentia à *Fernelio de Febr. c. 8.* tradita mihi magis arridet, Lenta enim febris diuturnum aliquem visceris cujusquam partisve affectum consequitur, unde sensim lenteque fermentum aliquod massæ sanguineæ suffunditur, cordique communicatur, at minori copia quam ut natura contra id ipsum cum impetu insurgat, ac periodicas exacerbationes excitet.

Causæ sunt fermentales ac disproportionatæ particulæ, quæ vel visceri alicui per obstructiones firmiter impactæ sunt, ac contumaciter inhærescunt: Vel cum vitiosis crudisque ac falsis humoribus per habitum corporis diffusæ sunt; Vel ob peculiarem debilitatem viscerum, seu labefactatam aut intemperatam substantiam, continue succrescunt & regenerantur; Vel ex alimentis corruptionem subeuntibus, aut cruditatibus, in ventriculo, mesenterii glandulis viciniisq; locis originem habent, Frequenter in puerulis hanc febrem animadverti ex Vermibus, oriri, unde hoc fermentale inquinamentum cordi facile communicatur, febrilemque paroxysmum ac lentam febrem suscitat. *Pieus Tr. de Febr. §. 8. p. 93.*

20. *Curatur aperientibus &c.*) Ad curationem, humores crudi & crassi incidi debent & *præparari* syrupis aperientibus, V. *rad. byzant.* & simil. Dein Purgan *cathol. agar. rheos senna, cuscuta,* Postea partes remediis idoneis roborandæ; *Celsus* c. 9 l. 3. *Nonnunquam*, inquit, *Lentæ febres sine ulla remissione corpus tenent, neque ulli remedio, neque cibo locus est: In hoc casu Medici cura esse debet, ut morbum mutet, fortasse namque curatio aptior fiet.*

Ad

Ad id oritur *balneo*, *aqua mulsa* potu, *inunctione ex oleo & sale*, Sed an per Lentam febrem hanc nostram intellexerit, ignotum est: Quicquid sit, non est temere hoc consilium sequendum, ne acuta succedat, ægro jam debili, quæ vires omnino prosternat; Interdum tamen, *ut idem ait*, Quos ratio non restituit temeritas adjuvat. *Primerosius lib.* . . *c.* 141.

Continua Lenta quæ obstructiones vasorum consequitur, ex quibus materia ad ejus continuationem in dies suppeditatur, alias per se aut sensim oritur, alias acutis aliis febribus succedit, cum humor represso ardore, crudorum usu, aut immodico frigidæ potu ita retunditur, ut nec cito concoqui, nec exardescere possit, sed ea quæ lenta per initia fuerat, accenso humore ferociam aliquando majorem adipiscitur.

Quæ *Per se* oritur à *viscerum Obstructione*, utraque vacuatione, nempe venæ sectione & purgatione primis diebus gaudet: Dein ubi venarum plethoræ S. m. & cacochymiæ purgatione satisfactum erit, reliquum curationis consistit in idonea Victus ratione, in humorum concoctione, & viarum præparatione, catharsi semel aut bis in hebdomade repetita: Hac tamen cautione adhibita, ne vel calidorum remediorum usu humor accensus febrem exasperet, vel victu nimis refrigerante ita incrassetur & impingatur ut curatio sit longior.

Quod si forte post diuturnum & methodicum remediorum descriptorum usum febris nihilominus perseveret, ægrumque sensim exsiccet & tabefaciat, sola conveniens victus ratione oppugnanda; remediorum intermissione facta; Sæpe enim quamdiu medicamentum exhibetur, ubi præsertim prava quædam est viscerum affectio diuturnitatis febris causa) tamdiu morbus persistit, sub quibus fatigatur natura, quæ deinde intermissis remediis vires resumens morbi causam concoquit & concoctam expellit.

Quæ vero *febris Lenta continua acuta succedit*, aut ægri errore, aut Medici imperitia fere fit, Errore quidem, cum nimio frigidæ potu, vel crudorum esu æger humorem febris causam nimis refrigerat & impingit, Medici vero inscitia, cum concoquendi & purgandi occasionem non arripit, sive quod ab imperfecta crisi reliquias non detrahit; sive quod febrem, quæ sine crisi manifesta sola coctione finitur, post unam aut alteram vacuationem naturæ committit: Quæ in Viscere aliquo focum habet, si ejus causa sit squallor & siccitas visceris, præcipuum remedium est *Balneum aquæ dulcis*, ex decocto remollientium, ut radic. *althea*, *lilior. sem. lini*, *fol. malva*, *parietar*; *& simil.* idque citra sudorum profusionem: Alteratio per refrigerantia & humectantia, tam intro sumpta quam extrinsecus adhibita: In id *Syrupus violaceus*, qui lenit, humectat & refrigerat, ex *hordeacea* aqua singulis matutinis datur; Dorsum & pectus *violaceo* inungitur, Nutritur æger cremore hordei, jusculis ex carne decocta cum herbis refrigerantibus, Tandem vero imperatur *Lactis asinini* usus: Si alvus sit adstricta, purgabitur æger per clysteres communes per cassiam catholic. & alia lenientia. *Enchir. Med. Pract.*

10. *Curatur aperientibus, attenuantibus*) Febris Lentæ ab obstructionibus in *Pueris* ortæ curationem, Vide Libro *de morbis Infantium.*

IV. Alia, 21. quæ *ex visceris alicujus putredine & corruptione oritur*, unde putridi vapores per venas cordi insertas communicantur, illudque calefaciunt. Est modo *mitior*, modo *vehementior*. 22. Accidit plerumque in *pulmonis putredine*, *fistulis* ad interiora penetrantibus. *Omenti*, *mesenterii*, *uteri* &c. corruptione: solet & s. fœtus aliquando etiam cum secundina in utero putrescere. *Raro* sunt curabiles. *Curatio* ad internarum partium ulcera & fistulas dirigenda. Differentias ex Galeno, vide supra Titulo 4. c. 2.

21. *Ex visceris alicujus putredine & corruptione*) Ulcera [illegible]iorum externarum, aut quælibet internarum partium insequi solent febres symptomaticæ, lentæ, fere hecticæ, adeoque diuturnæ, & ad tabem ac mortem tandem deducentes, à sanguinis in[illegible], à pure salso, acri, viscido, ut notissimum est [illegible] ulc[illegible] pulmonum phthisico, Nec curari hæ possunt nisi removeatur partis corruptela, & mundi[illegible]ur & consolidetur ulcus; id quod absorbentia sæpe laudata *Potiones vulneraria* alkali divites, ex *lapid. cancrorum*, *hedera terr. chaefol. bugula*, *pulmonaria*, *scabiosa*, ut & *lignorum decocta*, Item *sulphurea balsamica*, *flores sulph. myrrha*, *balsam. sulph.* præstabunt; Vide plura cap. de Phthisi; Ac sane quamplures lentæ, diuturnæ & tabificæ febres, ex occulta, nec à priori bene [illegible]gnoscibili corruptione aut putredine, ac latente [illegible] sive abscessu partis cujusdam internæ, mesenteri[illegible] creatis, renum epatis, vesicæ, uteri, &c. originem [illegible]e solent, difficile curabiles ac sæpe lethales: *Ettmuller p.* 332.

A[illegible] *quæ ex visceris alicujus putredine*) Est alia Lenta [illegible]matica, quæ non ex viscerum obstructionibus [illegible] ex ipsorum putredine corruptioneque emerg[illegible] qua *Fernelius* primus omnium doctissime scripsit[illegible] *Alterum*, inquit, *febris symptomatica genus obscurius est cum ex latente obstructione, & putredine, qua visceri impacta tenaciter adhæret, adeo ut ipsum labefecerit [illegible] putredinis portio quandoque sanguini permiscetur? hac reliquarum est mitissima, & sæpe æger se laborare non putat, corporis moles sensim liquescit, etiamsi alimentum absumitur: hanc plerique rerum affinitate ducti Hecticam dixerunt; Hoc genus febris Phthisin comitatur, quæ hectica non est, sed putrida, ex pulmone putrescente; non enim semper necesse est Putridam omnem in humoribus consistere.* Non enim fit ex humore ullo putri, sed à tetra exspiratione quam putrescentia viscera in cor emittunt. Dignoscitur autem quod sensim invalescit, multoque tempore procedit, aliisque fere morbis succedit: raro per se incipit, vacuationibus non mitescit, & remediis potius exacerbatur, corpus sensim marcore conficit & extenuat, syncopenque accersit: In primo principio forsan sisti potest ne ulterius procedat, sed in progressu sanari non potest, ideo remedia adhibenda potius protrahendæ vitæ causa quam sanandi spe: pars enim interna & princeps corrupta redintegrari non potest; nam putredo est interitus substantiæ & privatio, à qua ad habitum non datur regressus. *Primirosius. l.* 3. *c.* 14.

22. *Accidit plerumque in Pulmonis putredine*) Febris quæ symptomatica maxime dici meretur, ea est quæ in Phthisicis à pulmonum ulcere aut contabescentia excitatur, Etenim sanguis dum Pulmones in circulatione sua totus pertransit, huic visceri plurium morborum ideas sæpe imprimit, & vice versa ab eodem male affectato easdem excipit: Quicquid impurum in cruoris massa continetur, arteriarum extremitatibus, velut musti efflorescentia ejicitur, quare cum natura debilior facta in superficiem corporis secre-

menta sua nequit transferre, propiore lustratione eadem in Pulmones deponit, Hinc insignis cacochymia & morbi chronici plerumque in phthisin deducunt.

Pariter cum Pulmonum caro contabescit, aut ichoro ulceroso scatens semiputrida evaserit, sanguis pertransiens materia purulenta, aut tabido inquinamento inficitur, & proinde continua effervescentia ob rei non miscibilis confusionem concitatur; quare & febrem assiduam inducit, & succum alibilem omnino pervertit; Par ratio est de febribus ab ulcere, aut abscessu sæpe in aliis partibus concitato; hæc enim, non secus ac tabida pulmonum constitutio, sæpe phthisin & febrem hecticam accersunt: *Willis c.11.*

22. *Accidit plerumque in Pulmonis putredine &c.*) Corpora carnosa & humida, quia facile putrescunt, & putrescendo calorem p. n. acquirunt, febres putridas frequentius quam humores extra vasa positi, inducunt, *Pulmo* omnium frequentissime in Phthisicis ulceratus, tandemque corruptus & in pus conversus, mucoreque ex parte absumptus, viciniratis causa, *cor* indesinenter putredine lacessens, febrem ejusmodi *lentam, symptomaticam* vocatam, comitem semper habet; quæ tamen temperamentum illius destruens, in hecticam quoque symptomaticam dictam convertitur, cujus occasione, & quia viscus nobile disperditur, corpus ad extremum marcorem redactum tandem extinguitur.

Hepatis Lienisque putredines, quæ cum non ita diversi sit illorum substantia, utrisque ab iisdem causis, certis ipsorum in locis frequenter accidunt, & post mortem perscrutatis visceribus, magno cum fœtore sæpe occurrunt, febres lentas symptomaticas diuturnas proferunt, quas cum cachexia & atrophia, læsa sanguificatione (sive hepar aut lien corrumpatur) sequatur.

Renum vero putredo, etsi horripilationes, ut vocant, aliquas pariat, perseverantem tamen febrem minime inducit, cum portio illius putrescens minime subsistat, sed per urinam continuo diffluat, unde nec corpus adeo contabescit, præsertim cum Rene uno affecto, penitusque absumpto, alter nihilominus sua munia obire, homoque diutius sic adhuc conservari queat.

Cerebrum, uti & *Cor* ipsum, cum nobilissima sint viscera, ad eam putredinem quæ febrem ejusmodi quoque gignat, vivente homine pervenire minime possunt; etsi quandoque ulcera in cordis substantia deprehensa sint, illa tamen mortem citius quam febrem pepererunt.

Sed & in *membranosis* partibus circa ventriculum, *intestina, vesicam* & *uterum*; quia & in aliis membranis *mesenterij*, vel *omēti* insignis facta putredo, febres lētas comites protulit: Sicuti in habitu corporis alicubi, extrinsecus, intrinsecusve genita partis alicujus magna corruptio, febriculas tales symptomaticas solet inducere; quarum causa tamen quo magis à corde abest, eo magis inæquales febres, alias veluti remittentes, nunc rursum recrudescentes efficit. *Platerus.*

Fœtus aliquando) Huc facit *Fœtus mortuus*, aut *Secundina*, vel integra parte sui retenta, hinc putrescente, & in saniem plus minus purulentam abeunte, tam sanguinem inficiente, quam per contactum simul uterum inquinante: Haud *curabiles* nisi *illis* remotis, ac *putredine* ne latius serpat remediis mutare prohibita, ac parte læsa consolidata.

Pertinent huc & *Fistulæ diuturnæ* quæ etiam Hecticæ similem febrem inducunt. *Etmuller p.334.*

Fœtus una cum secundina ipsum involvente membrana, de novo in corpore genita, uteroque vasorum beneficio connexa, si putrescant; præsertim si diutius retenta uterum eadem labe inficiant, vicinisque partibus (uti vidi) corruptionem quoque afferant; febres similiter enarratas, non eodem modo, sed diversimode corpus exagitantes, & nisi æger prius extinguatur, diuturnas excitant. *Platerus.*

Febris Spermatica.

Huc revocari potest *Febris Spermatica*, de qua *Sinibaldus* in *Geneantbr.* quam deducit à Semine corrupto seu putrefacto, hujusque spiritibus excalefactis & inflammatis: Monachis, impollutis, virginibus pleno ævo nubilibus, vestalibus, viduis castis, & anaphroditibus, aliisque polyæmis & polygonis familiarem esse ait.

Ejus differentias triplici præsertim ordine constituit, ita ut si febris in spiritibus ipsius seminis accendatur, *Ephemeram Spermaticam*, Si in ipsa substantia humida generetur, *Spermaticam putridam*, quæ (si majus adhuc vitium semen contrahat, ut non putredine solum, verum etiam corruptione labefectetur) in perniciosiorem febrem & male moratam degenerare possit, ita ut *Spermatica maligna* salutari mereatur: Sin ipsis in continentibus, vasis scil. spermaticis accendatur, febrem *Hecticam seminalem* inde oriri dicit.

Signa. Si in urina febricitantis alicujus nullum vel bilis, vel melancholiæ, vel alterius humoris dominium appareat; Si sedimentum inculpatum existat, Statis quibusdam temporibus febris, instar aliarum humoralium non exacerbetur; Dorsum & lumbi doleant, Æger nimium tristetur, Febrem non bene distinguat, Viribus præter modum dejiciatur, Flecti non possit, Renes quati & internam phlogosin persentiscat, Pulsus exiles ac lenti deprehendantur &c.

Curationem Ephemeræ statuit in spirituum seminalium æstuantium refrigeratione ac mitefactione, per Balneum aquæ dulcis, *Topica* infrigidantia renum regioni admota, *Diætam* similem (in qua lactucæ frequens esus & usus obtineat:) *Putrida* præservationem potius quam curationem quod hæc in Anaphlasmo, seu seminis excretione consistat, inconjugatis illicita; In S. M. & vomitu iterato celebratis, In rebus semen imminuentibus & extinguentibus, In laboribus & exercitiis: In diæta tenui, jejunio, lecto duro: *Hectica* in dulcis aquæ balneo, lacte, cæterisque antihecticis remediis collocat.

V. Alia, quæ vel ex *lacte corrupto*, quod sæpe infantibus accidit; vel *sanguine* alicubi [23] extra vasa [24] *putrescente*, [25] vel *vermibus*, in qua cinericia dejiciuntur. Scordium & hypericum misceri debent aliis: vel *cruditate*, Infantibus ex ἀδηφαγίᾳ, cum hypochondriorum tumore & inflatione familiari, quam *Hertzgespan* vocant, existit, vaporibus putridis cordi communicatis. In *Curatione* causarum & partium affectarum habenda est ratio.

23. *Extra vasa putrescente*) An febris quæ hos affectus comitatur habenda est ex earum censu quæ Putridæ dicuntur? Respondeo, quod sæpissime sunt: Synochi simplices, in quibus tantum subtilis & spirituosior sanguinis portio inflammatur, ideoque si à copiosa sanguinis detractione, aut vasis à sudore depletis cruor extra-

extravasatus circulationi reddatur, statim effervescentia compescitur; & febris brevi levatur; Quandoque tamen cum prædispositio, velut in plethora, aut insignis cacochymia accesserit, simul cum hujusmodi affectibus ab eadem prorsus occasione febris Putrida accenditur. *Willis cap.* 11.

24. *Putrescente*) Hinc dum pus fit major *calor*, & *labor*, & *dolor*, quam facto pure adest, ut dicit *Hippocr.* Adeoque in quovis Apostemate; dum suppuratur, febris juncta esse solet, magis tamen lenta quam acuta, v. g. ex lacte coagulato tamdiu durans donec facta sit perfecta suppuratio: Unde hujus promovenda maturatio, & remedius acidum absorbentibus, & diaphoresi & diuresi sanguinem depurantibus insistendum. *Etmuller pagina* 334.

24. *Extra vasa putrescente*) Quæ sanguinem intra corporis cavitatem, aut in ipsis solidis partibus effusum coagulatum subsequi solent, ex acore putredinalem corruptelam antecedente oriuntur; Conducunt Sanguinem congrumatum resolventia, & Putredini resistentia, qualia sunt præter misturam supra laudatam, capite *de febre vulnera insequente*) sunt *bellis minor*, *papaver errat*, *antimon. diaphor.* non negligendo simul Potiones vulnerarias. *Etmuller p.* 338.

25. *Vel vermibus*) Præter naturalia quoque in corpore genita, *Vermes*, aliaque corpora *carnosa membraneave* partibus adnexa, si corrumpantur, præsertim vero si putredinis labem partibus simul aspergant, easdem *febres lentas*, inordinate corpora horrore concutientes consumentesque proferunt: Quas tamen antequam hæc putrescant, vix inducunt: Etsi infantes interdum, cum *vermes* adhuc scatent *lumbricis* febricitent; cum hæc illorum febris, tunc reliquorum synochorum instar à causa aliqua externa prægressa, acuta proin nec lenta, uti sæpe cum hisce febribus alii affectus occurrunt, sic in infantibus vermes illis coniueti se offerunt. *Platerus.*

Virginum Febris.

Huc refer febris Lentæ speciem quæ *fœdos virginum colores*, *Leucophlegmatiam*, & omnem pravum corporis habitum seu *Cachexiam* frequenter comitatur, non à siccitate viscerum, sed à nimio humore calorem obterente: Hujus febris curatio perficitur sicco victu tenuique, & remediis ejusdem facultatis ac catharticis benignis.

Febris Hypochondriacorum.

P[illegible]net huc & febris Lenta, qua Melancholici hypochondriaci plerumque tentantur, ad eam accedente quæ Virgines chlorosi laborantes occupat, quæ tamen levi quaque de causa accessiones majores habet, quoties humor melancholicus calidis vel alimentis aut exercitiis vehementioribus irritatur, aut cruditas ex cibo v[illegible] contrahitur, vel aliquod animi pathema gra[illegible], Ad cujus febris curationem interdum calida & [illegible]uantia remedia imperantur, cum humor me[illegible] crassus est, frigidus & terrenus, Interdum refrig. & contemperantia, aut saltem temperata, cum humor vi caloris torrefactus est, Vide plura cap. de Affect. hypoch. Ench. Medic. Pract. p. 424.

Febres Dolores insignes consequentes.

Rar[illegible] insigniores aut diuturniores dolores quarumvis [illegible], quin febrim symptomaticam tandem comitem [illegible]t; Continuo *pulsu*, celeri, frequenti; *in principio* [illegible]ehementi, in progressu debili ac parvo; *interdum* dum membranosæ partes magis afficiuntur, duro, *Calore* lent[illegible]ve min, non adeo magno, sive *acidum vel acre dolorificum* massam sanguineam simul alterat, & præternaturalem fermentativum motum inducat, sive simpliciter ex spirituum animalium concitatiore impetu, hinc vigiliis, inedia &c. commoto sanguine intensius, febris quasi *synocha simplex plurium dierum* concitetur: Sic v. g. colicas contumaciores, aurium dolorem, odontalgiam graviorem, tandem febricula talis sequitur &c. Quæ tamen consopito saltem dolore etiam evanescit, & fere blanda sudatiuncula terminatur. Pertinent huc febres istæ quæ in principio *paroxysmorum arthriticorum* usque ad statum fere observantur. *Etmuller pag.* 335.

Febris Symptomatica Vulnerum *insignium succedanea.*

Inter symptomaticas se offerunt illæ quæ *vulnera* quædam insignia sequuntur, *ab acido in vulnere oborto*, doloris, inflammationis, & hinc etiam febris authore: Præter ea quæ extrinsecus vulneri conducibilia sunt, interne egregia mistura est, in casibus Chirurgicis polychorest a.

℞. *aqu. hyssopi.* ℥ij.
fumic. ℥j.
spiritus theriac. ʒiij.
aceti vini vel simpl. vel destill. ʒ.ij. *ad* ℥ß.
lapid. cancr. fluviat. præpar. ʒß.
syr. card. ben. ʒiij. *Misce.*

Vel in forma sicca.

℞. *lapid. cancror. præpar.* ℈j.
extr. theriac. gr. ij. *M.*

Quibus etiam pro partium affectarum ratione, vel symptomatum variorum syndrome, simul alia appropriata addi possunt. *Etmuller p.* 331.

Febres Continuæ in Lentas degenerantes.

Febris Continua acuta primaria, cujus causa nullis partibus impacta, nec humore aliunde affluente renovata, venis majoribus concluditur, tertia ad summum hebdomada finitur, nisi errore commisso naturæ conatus interturbetur: Solet enim hoc temporis spatio Natura putredinem quæ febrem committit, venis majoribus coercitam, mitificare, concoquere & humores morbificos putridos per alvum aut vomitum, aut sudorem, aut insensibilem transpirationem excernere; At vero quæ Febris vel à visceris alicujus inflammatione, vel alvi prava affectione fovetur, in valde longum tempus sæpe protrahitur: Sic Febres continuas admodum vehementes, quarum materiam venis majoribus suppeditarit contumax obstructio jecoris, ad x. xx xxvii. aut ultra crudeliter exercere vidimus, quæ postea mitescentes ad xl. aut lx. diem durarunt; Idem de his statuendum quæ originem ab obstructione Lienis habent primariam: Sed & aliæ symptomaticæ quæ inflammationem alicujus visceris sequuntur, non prius integre desinunt quam illa conquieverit: Quæ vero citra hanc, in venis majoribus cum causam habeant; humorem putrem viscerum impuritate, in eas quotidie sese exonerante foventur, nec prius integre evanescunt, quam frequenti catharsi impuritas viscerum sublata sit.

Cum igitur febris continua & Acuta diem xx. superans, ex urinis, faciei colore, aliisque signis in longum tempus protrahi posse videtur; observandum quæ diuturnitatis futuræ causa esse possit: Si Icterus præcessit, aut etiamnum viget, si in dextro hypochondrio tensio, aut durities tangenti occurrit, aut oris amaror fatigat, inestque carnium inappetentia, Jecur obstructum, forte etiam calidum & siccum morbi fomes est, præcesseruntque vel Tertianæ intermitt. vel continuæ: Sin vel Quartana, vel sine hac hypochondrium sinistrum tensum ac durum est, Lienis impuritas in venas irrumpit, morbumque fovet, Instituatur victus viscerum affectioni quæ febrem protrahit accommodatus: Si ergo Jecoris imbecillitas sit in

causa; Potus minuendus, circumcidendaque vel prorsus vel magna ex parte sorbitio, Potus sit vinum aquosum & tenue: Sin Jecur sit calidum & siccius, citra imbecillitatem, Victus sit frig. & hum. ea tamen moderatione quæ cruditatem & obstructiones non ingeminet: Refriger. ergo & humect. jusculis aperientia inserantur: In locum vini detur Pomaceum secundarium, aut primarium aqua temperatum; aut ptisana, aut oxysacch. Cibi erunt elixi, caro pulli, gelatina: Reliquam curationem vide Tract. de Affect. Hepatis.

Si Lienis obstructio certis signis conspicua est, tumore sinistri hypochondrii, dolore gravi ad sinistram claviculam protenso, anhelitus difficultate, decubitu in sinistrum latus molesto, sputatione, frequenti rugitu & murmure totius imi ventris, palpitatione arteriarum, tum earum quæ sunt in temporibus & in toto corpore, & colore faciei pallido ad nigredinem vergente, Idem fere victus qui Quartanæ convenit, nam & vinum, sed tenue & dilutum, in sorbitionibus incoquendo quæ valide aperiunt, ut rad. fœnic. cappar. gramin. ab iis abstinendo quæ nimio calore & siccitate humorem qui in venis majoribus superest torrefaciunt, & fervorem fere extinctum reaccendunt: Ergo miscenda cum calefac. & aperient. refrigerantia, ne dum crudos humores volumus concoquere, novi fervoris & exacerbationis febrilis occasionem suppeditemus, Præterea ita reliquum incendium refrigerantibus restringuendum, ne magis ac magis impingatur humor, geminetur obstructio, & augeatur cruditas, unde diuturnitas febris, Præter victum diligenter præparatio adhibenda per ea quæ aperiunt, attenuant, concoquunt, &, quantum opus esse videbitur, refrigerant: Semel etiam, aut bis in hebdomada, præparatio repetenda, donec viscerum & vasorum impuritati ita prospectum sit, ut æger febris omnis prorsus sit expers. *Ench. Med. Pract.*

TITVLVS V.

De Febribus Putridis simplicibus Intermittentibus.

CAPVT I.

De Febribus Intermittentibus in genere.

Febris putrida Intermittens consideratur *in genere*, & *in specie*.

Febris [1] *intermittens in genere, est febris à vaporibus* [2] *ex humoribus* [3] *in venis mesaraicis genitis* [4] *& in cavam subinde emissis, putrescentibus exorta,* [5] *certis* [6] *periodis post ἀπυρεξίαν invadens, & cum* excretione desinens.

Signa ipsius sunt. [7] Invadere periodice [8] cum rigore, nisi materia sit benignior, & tarde ad membra sensilia moveatur, [9] horrore, vel [10] frigore, vellicatis partibus sentientibus à vapore acri; [11] *desinere* per sudorem, urinas, vapores per poros cutis emissos; & in totum aliquando per scabiem, si pars crassior in ambitum corporis protrusa est, vel pustulas in labiis exortas solet. [12] *Recurrere consuevit*, quia μίασμα in foco putredinis cum partis imbecillitate manet, & allapsos humores inficit. [13] *Recurrere* [14] *periodice*, partim propter [15] humorum genium, qui non tam à partis ἀσθενείᾳ quam à superfluitate putredinali & inquinamento fermenti se instar habente, corrumpuntur; partim ob peculiarem facultatem ipsis à cœlestibus impressam. *Illud*, tum quia in [16] epidemiis constitutionibus, ab una causa ejusdem generis humores, nunc tertianæ, nunc quartanæ typum exactissimè observant: tum quia in tertianis & quartanis duplicibus, licet diversis locis humor hæreat, quilibet tamen suam periodum servat: nec periodorum mutatio citius accidit, quam vel cum humor degenerat, ut bilis flava in atram; vel pro diversitate corporum & temperamentorum aliquam diversitatem sortitur. *Hoc*, quia [17] circa solstitia & æquinoctia febres quartanæ & diuturnæ incipere & terminari solent: *Recurrere aliquando inæqualiter*, [18] seu *anticipando* seu *postponendo*, quod sæpe per totum morbi decursum fieri solet, quando humor pro corporum diversitate variat: aliquando non servato *ordine*, quando vel erratum in victu, vel humor in aliam naturam abiit, *Paroxysmi* etiam vel sunt *breviores*, quando scilicet materia est pauca, aut tenuis, corporis constitutio rarior, & vires robustæ: vel *longiores*, quando eadem copiosior vel crassior, vires languidæ, & corporis constitutio densior, in qua angustiores & magis conclusæ venæ.

1. *Intermittens*) Intermittentes febris est quæ per intervalla diversis redit paroxysmis, tempore intercalari ab omni febri penitus vacuo: hinc pro interstitio diverso febres diversa sortiuntur nomina. *Etmuller.*

Intermittens Febris ex fermentativarum comparative sumptarum, genere est non modo periodicas habens exacerbationes, verum etiam per intervalla ad ἀπυρεξίαν seu intermissionem, aut infebricitationem plenariam perveniens: Sic definitur. *In genere est Affectus qui ex magna & inæquali cordis irritatione oritur, ab inordinata & magna fermentatione, per intervalla intermittente, cum pulsu magno & inæquali, atrique calore & siti p. n. se habet, motu qui sanitatem consequuntur. Piems. pag 29.*

2. *Ex humoribus in venis &c.* Biliosus sanguis, nimium in venis mesaraicis coacervatus, si putrescat *causa proxima & vera* est *Febrium omnium Intermittentium*, quæ tum ob interruptam viam, tum tenues vapores intermittere potest aliquandiu & redire: Verum quod diversimode hoc fiat, ratione *Diversitatis materiæ*, tum etiam *Loci* evenit.

Materia hæc sanguinis biliosi putrescentis non eadem

semper

semper est, sed sicuti videmus *bilem* segregatam à sanguine, nunc *flavam*, nunc *viridem*, nunc *atram* inveniri, eamque vel *tenuiorem* vel *crassiorem*, sic & dum sanguini venarum meseraicarum adhuc confusa est, vel saltem in venis adhuc residet, variat, præcipue que in eo quod nunc *tenuior* nunc *crassior* exhibet.

Tenuioris & fluida bilis, qualis fere esse solet quæ hinc sanguini permiscetur, putredo, antequam eo deveniat ut febrem excitare possit, ad triduum usque ex sua natura ab eo tempore quo jam prior illius putredo discussa est, supputando fere extenditur, unde tertio die tunc rursum invadens *Tertianam* dictam efficit.

Quæ si æqualis portio cum priore computruerit, eadem quoque hora rediens, justum aliquem servat ordinem; Vel, quod frequentius accidit, si majorem illius copiam putredo invaserit, horam unam aut aliquot anticipat; vel cum minor jam restat humoris illius ad putredinem apta portio, fereque tota consumpta est, tunc & paroxysmi cunctantur, sensimque febres desinunt, sed & prout hæc materia biliosa *pura impurave* fuerit; totius febris tum singulorum paroxysmorum decursus variant.

Pura, & nisi quod sanguini permixta sit, *sincera* alias *bilis*, cum calidior sit, *Exquisitam Tertianam*, *Ardentem* admodum efficit, cujus vapores cum citius discutiantur, paroxysmi quoque breviores sunt, febrisque ipsa, ob materiei citum motum, non diuturna, vix septem circuitus excedens existit.

Impura vero si fuerit hæc materia, *crudo* potius quam *pituitoso serosoque humore & sanguine* permixta, uo fere evenit, *Tertianam Notham* (in qua paroxysmi longius perseverant, magisque inordinati existunt, febrisque totius tempus longius producitur, quia materia & *copiosa* & *inæqualis est*) excitat.

Crassior, ac velut *adusta* si sit bilis, quia tardius tunc putrescit, antequam eo deveniat ut febrem excitare possit, longius tempus quoque requirit, proin & ad quartum diem usque paroxysmus protrahitur, *Quartanamque* ob id dictam febrem efficit; quæ eadem ratione, iisdemque de causis, ut in Tertiana dictum, vel anticipat, vel eodem modo invadit, vel cunctatur, & vel *Exquisita*, vel *Notha* existens, circuitus breviores longioresve obtinet; Et *calore* quoque aliisque accidentibus, non adeo à Tertiana discrepat, nisi quod, uti dictum, ob *humoris crassitiem* diuturna & pertinax existit, donec multis vicibus materia tandem absumpta paroxysmi mitius invadant, cunctentur, sensim febris penitus tandem desinat: Sed & si materia hæc ad tantam *tenacitatem* perveniat ut nonnisi *quinto* vel sexto die putrescens evaporationes eas, quæ febrem excitare queant, diffundat, tunc, quod rarissimum est, *Quintana* vel *Sextanæ* fiunt febres.

Loci d[illegible] etsitatis occasione, in quo *materia putrescit*, variant hæ febres, prout vel *Eodem in loco*, vel in *Diversis* latet; *Eodem in loco si* putrescat, *Simplices* fiunt febres, exque vel *Tertiana*, vel *Quartana*, *Legitima*, vel *Spuria*, pro *materiei*, uti dictum, varietate: *Diversis in locis* si *putredo* sit, in *venis* erit vel *mesaraicis* tantum, vel [illegible] quoque in *vena cava* ramis: In *solis venis meseraicis* [illegible] non uno aliquo in *loco*, sed *duobus* aut *tribus* [illegible] *hepar*, *lienem*, *mesenterium*, *omentum*, vel [illegible] putrescat, *febres* fiunt *duplices* vel etiam *triplices* [illegible] una cessante, altera mox sequente die invadit [illegible] nonnunquam etiam eodem die quo febris desiit.

Hinc [illegible] *Quotidiana* dictæ fiunt Febres, non ex quas Practici [illegible] *unica* fieri scribunt, & qui veritati magis adstipulantur tales se nunquam observasse, vel aperte fatentur vel tacite innuunt; sed quæ *Tertianæ duplices*, vel *Quartanæ triplices* dicuntur, quæ quotidie suas accessiones, raro pares, nonnunquam plures habent; Nam observavi in *Tertiana duplici Notha* duos paroxysmos uno die invadentes; imo ternas accessiones XXIV. horarum spatio reciprocantes.

Sed & huc Quartanæ duplices, quæ duobus diebus invadunt, unoque intermittunt, referendæ sunt: Et quemadmodum si *ejusdem naturæ bilis* diversis in locis putrescat, hæc fiunt; Sic & si *diversæ naturæ*, *tenuis* & *crassa* simul *diversis in locis* putrescant, *Confusas Tertianas* cum *Quartanis, diversis diebus* invadentes febres faciunt, quæ signis inter ipsorum symptomata commemoratis distinguuntur, *Platerus*.

3. *Ex humoribus in venis meseraicis* } Succum Pancreaticum solum febrium Intermittentium causam statuit *Sylvius de le Boë* Prax. lib. 1. c.30. Causa, *inquit*, Est aliquid in sanguine non existens (alias synocha excitaretur) sed ipsi admistum à parte aliqua corporis, unde via vel immediate vel mediate ad cordis ventriculum dextrum patet, per vasa, in quibus à causa externa (quæ fere sunt res non naturales) ita infici & affici potest; ut subito in motu suo secundum sui aliquam partem sistatur, & ad tempus aliquod impediatur, ne ad cor continuo perveniat, Potest & in ipsa parte, aut foco suo, hanc mutationem accipere, ac sola sua mora & stagnatione in vasis, sua sponte, aut propter quamcunque aliam causam internam, tale vitium acquirere, ex quo vel solo cuncta symptomata, etiam diversissima, febrium Intermittentium deduci, & curatio rationalis explicari queunt.

Impedimentum illud primo humorem prius stagnantem ad tempus cogere potest; postquam vero ei transitum concessit quacunque de causa, mox redit ad pristinam naturam noxiam, & similem prior humorem eodem loco iterum sistit, donec iterum uti prior per viam paratam effundatur idem & paroxysmum novum producat, hocque tamdiu continuatur, donec casu, sponte, arte impedimentum tollatur.

Talis humor debet esse vel 1. *Bilis* immediate per ductum hepaticum sanguini ascendenti, mediate per ductum intestinalem, intestina, venas lacteas, ductum lymphaticum thoracicum, sanguini descendenti mista.

Vel 2. *Lympha* immediate sanguini descendenti per vasa lymphatica eorumque truncum mista.

Vel 3. *Succus Pancreaticus* mediate sanguini descendenti per ductum proprium, intestina, venas lacteas, & ductum thoracicum admistus.

Vel 4. *Saliva* mediate sanguini descendenti addita, per os, oesophagum, ventriculum, intestina, lacteas venas, ductum thoracicum, atque una cum ipso ad dextrum cordis ventriculum propulsa. Præter hos enim quatuor humores nulli ad ventriculum cordis dextrum deferuntur; *Sanguis* enim per se male affectus *Synocham* producit; In parte vero singulari stagnans inflammationem, & hinc synocham quoque excitat; cui si copuletur Intermittens aliqua, præsertim Tertiana, fiet tum Tertiana continua.

Sed *Bilis*, *causa Febris Intermittentis* quatenus Intermittens est, esse nequit, quia nec in vesicula sua, nec in ductibus, subito ab ulla causa externa ita affici potest, ut ibidem ut in motu suo sistatur ad tempus, & postea per causam aliquam internam, vel sponte liberetur iterum, ut ad cor perveniat, & symptomata solita febris producat; Calculi in vesica non fiunt subito, sed lente; In Ictericis nonnisi raro intermittens febris conjungitur, quæ tamen ab impedita bile deduci nequit.

Nec *Lympha causa esse* potest, quia ab ea symptomata febrium in abdomine observata deduci nequeunt; quippe quod nec lympha tota, nec ejus pars in motu suo ita impediri possit, ut tamen postliminio

redire valeat; Et ubi aut quale vel in universa lympha, vel ejus parte tantum impedimentum tum esset? An in glandulis conglobatis omnibus, musculis & visceribus? an in omnibus vasis lymphaticis? eorumque trunco circa suam in venam jugularem axillaremque sinistram insertionem?

Itaque *lymphæ* ortus, focus, motus, vasa deferentia, nullibi causam febris intermittentis causam continere possunt; Nec *saliva* potest esse causa Intermittentium febrium, quia nec hinc symptomata febrium deduci possunt, quamvis interdum circa paroxysmum copiosius fluat ad os, sed hoc non semper fit.

Succus ergo *Pancreaticus* solus potest esse causa febris Intermittentis, qua est Intermittens, quia à suo fonte, per vasa sua, & ductus proprios ad dextrum cordis ventriculum deferri potest, Et à causa externa ductus ejus laterales ita affici possunt, ut subitò ejus motus sistatur, ne ad cor perveniat, si non in totum, ex parte tamen; fitque tum obstructio, cujus materia est pituita intestinalis, à rebus non naturalibus, æstu aëris, motu vehementi corporis, vigiliis, animi solicitudine, ita, alimentis, condimentis, aut medicamentis soluta, sanguini admista & quaquaversum missa; quæ superveniente externa causa (ut est frigus, potúsve frigidus, terror) coagulatur repente, & ductus laterales obstruit, succumque pancreaticum stagnantem reddit, idque eo facilius, quod acidus est, & cum pituita facilius jungitur, & facile iterum separatur, accedente causa coagulante pituitam viscidam, Testantur hoc observationes & experimenta Anatomicorum.

Vitiatur, vel sponte sua, & fit acidior sola mora, perforatque obstruentem pituitam, eamque pervadidit ut solvat; hinque symptomata vel solus, vel admistus aliis, producit omnia quæ in febribus intermittentibus occurrunt Potest hinc curandi ratio certa explicari: Acescit dum partes volatiles & spirituosæ avolant, quæ alias acidum ejus temperabant: Acidior & acrior factus pituitam incidere aggreditur, quam si non valet, ut pote nimis tenacem solvere; perforat tamen & sibi viam parit, vi: Pituita viscida tum iterum coit, & novam obstructionem novamque stagnationem efficit, donec iterum per paroxysmum novum soluta via reparetur, usque ad totalem consumptionem obstructionis, aut febris, aut mortem ægri.

Hæc ita esse docet omnium viscidorum natura, & medicamenta eradicantia eam, incidentia, diuretica, sudorifica, vomitoria, purgantia, Facta autem via acidus succus insurgit in confluentem bilem, & cum ipsa solito acriorem effervescentiam producit, pro pituitæ tamen varietate variam, *Marggravius Prodr. Med. Pr. p. 78. & seq.* Vide *Sylvium de le Boe.*

4. *Et in cavam subinde emissus*) Pro febre Intermittente supponendum est heterogeneum aliquid sanguini confundi, cujus particulæ cujuscunque sint conditionis, seu acres, biliosæ, salsæ, crassæ, tenaces, serosæ, & si quæ aliæ, cum non assimulantur, eousque ejus ebullitionem & fermentationem faciunt, donec vel subactæ miscibiles reddantur, aut subtiliatæ excludantur foras: quare tali materia subacta, aut foras exclusa, cessat paroxysmus; & quando repullulat hæc materia, novam ebullitionem concitat, ac proinde novus infertur paroxysmus: Repullulat, vel ratione *quantitatis* materiæ, prout major quantitas particularum febrilium, ob accessionem novæ substantiæ ex cibo & potu, vel alio aliquo chyloso & corrupto humore ortarum, adiit, citius quoque moveri necesse est, modo focus respondeat: Vel ratione *qualitatis* materiæ, prout particulæ febriles, tenuiores, magis fluidæ, acriores, biliosiores fuerint, eo citius ex foco febrili (quia fermentando & ebulliendo rariores & magis fluidæ factæ in eodem loco amplius contineri nequeunt, sed quantitatis, qualitatis, vel motus causa incipiunt fermentari & dissolvi, ac ita circulando per vasa ad cor deduci) repullulant: Et è contrario, quo crassiores, viscosiores sunt particulæ febriles, eo tardius moventur, ac minus aptæ sunt ad motum fermentationis: Vel ex conditione *loci* seu *foci*, quo enim liberiores, & aptiores, magisque sensibiles meatus & foci adsunt, eo citius inde moveri ac fermentari possunt; E contrario, quo arctiores & constipatiores sunt meatus, eo tardius inde febriles particulæ moventur.

Hinc è causis contrariis colligimus febres continuas gigni, scilicet quo major materiæ quantitas, quo aptior ejus qualitas, quo major foci apertio & sensibilitas, eo citius continua febris nascitur. *Plans p. 137.*

5. *Certis periodis*) Quare tam statutis horis recurrit paroxysmus? hoc à nemine convenienter explicatum; *Fermentum* dum dixi occasione febrium intermittentium, annuo hoc ipso non magnam materiæ molem, sed interdum minimum quoddam miasma, activum tamen & penetrans, indeque efficaciter alterans: Hinc præsertim in febribus diuturnis non videtur adesse semper talis materiæ morbificæ moles, utut in principio interdum contrario simul esse possit præsens, id quod *Celsus* subolfecit, cui natura interdum ex consuetudine videtur febrim continuare, Vnde etiam *Sennertus* vult, quod quoddam miasma fermentativum hæreat in massa sanguinea, quod revocet paroxysmos febriles, & quod à *Poterio* dicitur *Seminarium febrile*, utut genuinus focus non sit in massa sanguinea: Illustrat hoc experientia, cum tales febres diuturnæ sint subinde levissimæ, & imprimis Quartanæ, ut paroxysmus admodum tolerabilis ultra unam alteramve horam vix duret, ipsis febribus per plures annos durantibus.

Spigelius l. 2. de Febre Semitert. c. 3. recenset Tertianam xxx. annos durantem quales etiam observat *Wierus* in observat. Quis ergo ex fomite adeo copioso tantam febrium diuturnitatem velit derivare, unde & interdum curari solent citra excretionem notabilem, per terrorem v. g. alteramve similem subitam alterationem. Sic *Boyle* in *Philos. Experim.* pagin. 219. Quartanam aliquot annorum fere incurabilem subito terrore curatam refert: Et quomodo amuleta, aut acria rubificantia, extrinsecus admota subinde tales febres tollant; nempe fomes in stomacho fermentationis delitescet, in massa vero sanguinea, post paroxysmos, inquinamenta quædam, licet minima superesse videntur, Vnde fermento isto in fomite, tantillum saltem odorem quasi spirante, reliquiis commotis paroxysmi recrudescunt. *Ettmuller.*

5. *Certis periodis*) Præter febres periodicas dantur etiam quæ nullum periodum observant, & tales sunt; vel *Erratica*, vel *vaga*, quæ *Hippocrati* dicuntur *Planeta*, Erraticæ, sunt, quæ quidem aliquam periodum habent, sed ita, ut videantur non habere: Sic v. g. hodie invadit hora xii. perendie vi. matut. rursus perendie vesperi vi. rursus perendie hora x. &c. *Vaga* sunt quæ plane nullam periodum observant, neque tempus accedendi vel recedendi habent: quin aliquando per dies aliquot vel septimana remittit, & tunc redit, tum fit mox tertiana, mox quartana, &c. utut promiscue hæ duæ usurpentur. *Idem pag. 270.*

6. *Periodis*) Periodus, authori Definit. Med. est *Tempus in morbis ex intensione & remissione constans*, Duæ ergo illius sunt partes, Intensio & Remissio; Periodo continetur Typus, qui est ordo intensionis & remissionis; febres enim quæ ordinem non servant in accessionibus, sunt Erraticæ, Varie hi dividuntur, alii enim sunt *Primi*, quando brevis est accessio, longa remissio, ut Typi tertiani & quartani, Alii *secundi*, in quibus longa est accessio, remissio parva, ut quotidiani: Alii *constantes*, qui servant eandem horam: Alii *mobiles*, qui diversis horis accedunt; Suntque vel *Anticipantes*, si humores augen-

augentur, aut citius quam par est agrediuntur, ut ab ira, pharmaco &c. vel *Postponentes*, si humores imminuuntur, crassescunt vel magis quiescunt: Alii *simplices*, qui pertinent ad unam febris speciem; alii *compositi*, qui ad plures, quando quotidiani tertianis admiscentur, variæque oriuntur illorum complicationes.

Certus Periodus) Cum periodicæ febres sint ordinatæ, quæritur quæ sit causa illius ordinis? Cur bilis tertio die, melancholia quarto, Pituita singulis diebus moveatur? Quæ inquisitio valde difficilis, parum necessaria; & varie explicatur.

Sed non sine ratione quidam putant falsum esse certos humores certis diebus moveri, cum à quolibet humore omnes typi provenire possint; Sæpissime siquidem bilis & pituitæ omnes notas in Quartana deprehendimus: Tum ipsarum causarum, tam internarum quam externarum connexio & series alium humorem quam qui typo respondent arguunt.

Quoties enim in homine sanguineo Quartana visa est, cujus nulla symptomata atram bilem arguebant, & in Tertianis febribus Melancholiæ indicia sese produnt? Plurimi pituitæ vomitione à Quartana sunt liberati, unde eam à pituita fuisse verisimile est, cujus vacuatione fuerit sublata: Etsi enim non sit necesse excrementa ex ingestis alimentis succrescentia temperamentis partium respondere, & propterea possit adesse quartana in temperamento sanguineo, tamen illam ab alio humore potuisse fieri quam qui perhibetur ostendit solutio, hæc est enim continentis causæ natura ut ea sublata tollatur effectus.

Si igitur vacuato humore aut pituitoso aut bilioso solvitur Quartana, ab his humoribus factam fuisse quis non crediderit? Demum sæpe observatum est Quartanas in Tertianas fuisse mutatas, quod non fit per mutationem humoris, cum melancholia in bilem verti nequeat: Præterea idem ostendit anticipatio & postpositio, nam si humoris tenuitas & copia anticipationem; crassities & paucitas postpositionem facit, cur non his de causis auctis tanta fiet acceleratio & retardatio ut periodus omnino immutetur.

Si enim melancholia dicitur facere typos sextanos, quintanos, septanos, ac etiam longiores, ob paucitatem & crassitiem, cur non eadem de causa pituitæ tertianus aut quartanus circuitus adscribetur? Sic volunt Medici febrem Epialam facere quartanos circuitus, quæ tamen à pituita est.

Rectè itaque *Galenus* Periodorum causam voluit esse acervationem humoris, Itaque Quotidiana fiet quoties humor ita fuerit copiosus, aut auctus à fomite, ut singulis diebus naturam sollicitet ad excretionem, hinc etiam ob copiam materiæ solent paroxysmi esse longiores, Tertiana autem erit si humor non sit tam copiosus, Quartana denuum ubi minor adest ipsius quantitas: Id videmus in alvi egestione in hominibus sanis eandem vitæ legem servantibus, quæ definitis horis singulis diebus accidere solet, at si quæ in victu mutatio contingat, excernendi hic circuitus immutatur.

Falso siquidem fundamento innituntur aliarum opinionum fautores, statas scil. esse periodorum vices, cum nihil sit tam incertum & variabile, pessimumque sit signum ubi eadem semper hora febris redire solet, docente *Galeno* in aphor. Si enim bilis, quæ tertianum circuitum [illegible]ere creditur, copiosius aucta eandem aliquot horis [illegible]ertit, cur non si ex aliqua causa eandem plurimum augeri contingat, ad quotidianum circuitum [illegible] contrariis ex causis ad Quartanam?

Verum [illegible] adesse ejusmodi periodos experientia testatur, in quibusdam epidemiis tertianis & quartanis, ab eadem communi causa genitis, Et in inflammationibus *febres* tertianam obtinent circuitum, etiam tunc cum *nihil ad inflammationem* amplius fluit; Et tamen si conjungamus *Galeni* opinionem (qui periodos fieri ait, non ab occulta humorum proprietate, sed ex collectione & fluxione novæ materiæ putrescentis) cum ista *Sennerti*, veritatem forsan assequemur.

Dicamus igitur periodos Pendere ex aggregatione & collectione novi humoris, qui paroxysmum facit; hæc autem collectio interdum ordinata est, constans, si causa ejus talis sit, humorisque eadem quantitas semper affluat, sed pro varia materiæ qualitate & copia mutari solet, ita ut variari sæpe periodum contingat, ideo verisimile est à quolibet humore quamlibet periodum excitari posse; Frequentius tamen contingit ob causas superius assignatas tertianos circuitus à bile, quartanos à melancholia fieri, quia humores illi singulis accessionibus totaliter ferme expelluntur, parum relinquunt inquinamenti, ideo tardius novi paroxysmi materia generatur.

Id tamen non est perpetuum, cum ex causis sæpius dictis quilibet humor ita augeri aut minui possit, ut citius aut tardius periodum suam faciat, Adde sinceros humores non reperiri, nisi quam rarissime, sed sæpe plures conjungi, unde variæ febrium ideæ, varii circuitus: Id docet *Avicennas* capite de Tertiana, qui ridet eos, qui Tertianam per paroxysmos considerant, sed oportet, inquit, attendere ad alias significationes: Hac de re etiam carpitur *Thessalus* à *Galeno*, qui diatriton ad cognitionem Tertianæ expectabat 2. *de cris. c.3.* Idem faciunt plurimi nostra ætate Medici, qui febrem biliosam nonnisi ex Tertiana periodo cognoscunt. *Primirosius.*

7. *Invadere &c. desinere &c.*) Biliosus sanguis (*vide infra §. ab humore excitus*) diu sæpe antequam febrem producat, in venis coacervatus, tandem putrescens, & circa præcordia turgens atque effervescens, exhalationesque ardentes diffundens, sensiles primum partes, nervosas præsertim vellicans, facultatemque expultricem stimulans, frigus in principio paroxysmi (calore cum sanguine ad interiora revocato) excitat; moxque natura id quod molestat excutere tentante, *oscitationes*, *pandiculationes*, *horrores rigoresque*, seu corporis totius concussiones sequuntur; uti & aliis locis, si acris materia sensiles partes irritet, corpus quoque *horrere* observamus; Sed & *vomitio*, ob hanc facultatis expultricis commotionem, in principio molesta sæpe est.

Quibus *circa initia* se offerentibus, mox ubi exhalatio hæc à præcordiis per vasa ad cor usque ascendens illud accendit, *calor* succedit, remittentibus tunc ejusmodi frigoribus & rigoribus; nisi, sicuti aliquando accidit, tam subito vapores cor petant, ut calor, antequam frigus desinit, jam sua proferat indicia, & eodem tempore, & *frigus & calor* simul, sicuti in *febribus Epialis* evenit, sese offerunt.

Calore itaque ejusmodi accenso, qui nonnunquam à præcordiis velut exurgere videtur, *universum corpus æstuat*, *sitisque* intolerabilis, aliaque à calore prodeuntia accidentia, tamdiu perseverant, donec vaporibus hisce per *insensibilem transpirationem*, *sudoresve* manifestos discussis, febris sensim desinat, seu intermittat; tamdiu donec nova portio, quietis tempore putrescens, denuo exhalationum eam quantitatem quæ novum paroxysmum inducere possit, diffundat, duratque hæc *paroxysmorum* per vices continuatio, donec omnis ea quæ putredini apta erat materia è corpore educta fuerit, quod per varia evacuationum genera natura, Medici opera interdum adjuta præstat, nam & successive in singulis paroxysmis, pars biliosæ illius materiæ putrescentis, partim in vaporem conversa, calore que discussa consumitur; vel per corporis habitum occulte, madoreve manifesto exhalat; Partim vero sero permixta, per sudores graveolentes, & urinas, quæ ob bilis permixtionem, & calorem, admodum flavæ, & tanquam rubræ, acres & fœtidæ post paroxysmos redduntur, excernitur, morbusq; frequẽter totus sudoribus solvitur; In quibus si crassior materiei hujus biliosi portio in cute subsistat, *scabies* morbo curato sæpe succedit, nonnunquam & alia externa vitia.

Sed & per *vomitionem* in quibusdam, non tantum vel pituita, vel bilis è vesicula effusa in ventriculum, sed & de materia hac è venis excussa aliquid interdum rejicitur: Quibus evacuationibus paroxysmorum aliquot vicibus factis tandem causa febrilis tollitur, febresque desinunt; Quod & interdum majori vi per vomitiones vel diarrhœas ars naturavè præstat, materiam hanc febrium è venis meseraicis à sanguine secretam, hac ratione evacuando, quomodo frequenter hæ febres sanantur; uti rarius confusam hanc cum sanguine materiam per easdem cruentas vomitiones dejectionesvè ejiciendo; quæ etsi fiant periculo tamen, cum non sit ositata via, minime carent; nisi venis meseraïcis, quæ ad podicem feruntur, apertis, per hæmorrhoides hæc febrilis causa una cum sanguine permixta excernatur, quo pacto diuturnas quoque febres, plerunque quartanas, hac hæmorrhagia cessare observamus, cum vix per alias sanguinis detractiones, quæ venæ sectione fiunt, aut spontaneo narium sanguinis fluore, cum hæ sanguinem è venæ cavæ ramis duntaxat exhauriant, venæque mesaraicæ nullibi ad cutis exteriora, nisi circa anum desinant; proin nec causa sic tollatur; nisi forte inanitis venæ cavæ per hasce evacuationes ramis; è venis mesaraicis febrilis in has rapiatur materia, febres intermittentes desinant, sed frequentius si talis fiat transitus, putrisque sanguis sanguini in venæ cavæ ramis commisceatur, in continuas, uti ex intempestiva phlebotomia facta accidere sæpe videmus commutantur.

Sed & fit ut biliosa hæc materia à sanguine repurgata, feroque tandem confusa, ab eoque contemperata, illiusque beneficio in venæ cavæ ramos translata, in corporis habitum & urinas, quas admodum tingit & colorat infundatur: quod dum fit febris, comite ictero, vel mox cessat, si tota febris causa eo excussa fuerit; vel si portio illius remanserit, nihilominus adhuc persistit: Interdum vero & hæc materia, in fibras intestinorum infusa, *erysipelata, colicos cruciatus* enormes proferentia, cessante vel remanente febre, prout tota parsve illius duntaxat eo profusa fuerit, excitat, ex quibus dein resolutiones & convulsiones peerniciosæ sequuntur.

Sed & biliosam hanc materiam pondo libræ circa jecoris membranam coercitam, & portione aliqua spinæ nervis inhærentem post mortem febricitantis cujusdam sectione facta *Fernelius* se deprehendisse testatur, *Biliosus* namque *sanguis nimium in venis meseraicis coacervatus, si putrescat, causa proxima & vera est Febrium omnium Intermittentium*, quæ tum ob interruptam viam, tum tenues vapores intermittere potest aliquandiu & redire: Verum quod diversimode hoc fiat, ratione *diversitatis materiæ & loci* accidit, *Platerus.*

[s] *Periodice cum Rigore*) Quoad Rigorem aut Frigus in hoc affectu calori, præcedaneum, ex sua hypothesi sic statuit *Willis.*

Cum succi nutritii particulæ à cruditatis statu versus maturitatem pergunt, ipsam vero non attingunt, insignem acorem contrahunt, quo partes nervosas valde pungunt & vellicant, atque frigoris sensum incutiunt (non secus ac cerevisia quæ utribus inclusa à dulci in acidum & nitrosum saporem transit, ut præ acore & frigiditate vix deglutiri potent) cum itaque sanguinis massam hujusmodi crudi succi particulæ, nitroso acure præditæ, ad turgescentiam impleverunt, & cum densius agglomeratæ in fluore esse incipiunt, spiritus vitales acore suo primo obtundunt & calorem nonnihil obruunt, quare sanguis frigidior existit, & tardius circulatur, quin & ob caloris defectum sensus frigoris in toto corpore percipitur, & pulsus admodum rarus existit: Porro cum hujusmodi succo acetoso partes nervosæ & solidæ, pro ultimo suo alimento irrigantur, hujus fluore qui simul contingit cum sanguinis turgescentia, partes istæ sensiles vellicantur, & in tremores ac spasmos irritantur.

Atque hæc proculdubio est vera & genuina causa Frigoris & Rigoris quæ in paroxysmo febris intermittentis excitantur, nimirum succi nutritii in materiam nitrosam degeneris fluor, & turgescentia, quo spiritus & calor suffuti obtunduntur, & corpora nervosa irritata in tremores cientur; Postea vero cum particulis hisce nitrosis aliqua ex parte in superficiem corporis protrusis, earum gravamine & oppressione sanguis nonnihil liberatur, spiritus vitales se recolligunt & emicare incipiunt; Deinde autem calor intensissimus succedit, quoniam & cruoris massa propter effervescentiam cum materia febrili laxata, ejusque mixtione soluta, particulæ sulphureæ uberius in corde accenduntur, & quia poris cutis ab eadē materia versus circumferentiam corporis protrusa occupatis) effluvia vaporosa intus cohibentur, quę sanguinem magis exagitant & effervefaciunt, calor iste in sanguine usque persistit, donec materia ista fermentativa penitus combusta, ac una cum recrementis adustis à deflagratione residuis plene subjecta, & subtiliata, seroque involuta, sudore aut transpiratione insensibili evaporat. *Willis.*

[s] *Invadere periodice cum rigore*) In Intermittentis paroxismo ordinariu *frigus* ac *horror* vel *rigor.* præcedunt, subsequente calore plus minus intenso, quo in sudorem largum desinente, paroxysmus cessat: Hæc tria primaria constituunt symptomata paroxysmorum; Rarum interim est inverti horum in paroxysmo ordinem, ita ut calor præcedat, sequatur frigus &c. Observare & hoc licet mutare subinde febres symptomata paroxysmorum.

Observari enim Intermittentes ordinario modo affligentes, quæ post aliquot paroxysmos absque frigore prævio, solo æstu vexarunt ægros: Econtra occurrerunt Tertianæ solo calore in paroxysmo affligentes absque frigore, quæ post aliquot paroxysmos in suum ordinarium typum deflexerunt; Sicut frequenter occurrit ut intermittentes chronicæ mutent formam, & declinantes solo horrore aut rigore crucient ægros, absque æstuationis superventu: unde pro hujusmodi symptomatum variationis ratione in paroxysmo, plures accidentales Intermittentium differentiæ emergunt, in ardentes, algentes, vomitorias cardiacas &c. *Etmuller.*

[s] *Invadere cum Rigore*) Circa febres Intermittentes in genere earum anomaliæ quædam, quibus à more solito deflectunt, explicandæ sunt: Primo itaque solent paroxysmi *frigore* aut *rigore* interdum carere, Increbuit hoc Autumno febris Intermittens cujus accessiones tantum cum calore, eoque intensissimo, ægros exercuere; in plerisque adfuit vomitus immanis, minime vero frigus aut sudor; post 4. deinde aut 5. periodos, ingruente paroxysmo parum algere, & postea aperte rigescere solebant ægri, & in declinatione sudare.

Hujus ratio erat, quoniam à præfervida æstate sanguinis constitutio acris & plurimum retorrida evaserat, quare succi crudi particulæ ipsi confusæ torrefiebant statim & præ assibantur, ut non cum acore (instar novellæ cerevisiæ) effervescerent primo, ac dein postea deflagrarent; sed turgescentia concitata totum (instar ligni aridi foco superstrati) illico incendium caperet & in flammas erumperet: postea vero liquor sanguinis quibusdam paroxysmis deflagratus minus retorridus extabat, ut succus alibilis depravatus non statim torrefieret, sed in materiam nitrosam & cum acore fermescentem transiret, quæ primo turgescens frigoris sensum toti corpori induceret; Cum frigus paroxysmum inchoat, plerumque sudor ipsum concludit, quod revera contingit, quia sanguis aquosior factus, cum materia febrili facilius in vaporem resolvitur; non secus ac liquor aquosus distillatione facilius prolicitur quam qui sit oleaginosus aut consistentiæ crassioris. *Willis,*

[p] *Horrore vel frigore*) Præter *frigus* & *calorem* in febribus Intermittentibus, sequentia symptomata ex

Sylvio de le Boe maxime sunt obnoxia.

1. *Oscitatio*. quæ oritur ab halitibus lenioribus pulmonem petentibus, & præcipue in initio paroxysmi affligentibus.

2. *Pandiculatio*, quæ fit ab iisdem halitibus per corporis habitum dispersis.

3. *Inquietudo* & *Lassitudo artuum*: Ab iisdem quoque halitibus per habitum dispersis.

4. *Horror & Rigor*, Ab iisdem halitibus sed acrioribus.

5. *Frigus in regione lumbari*, scandens secundum spinæ ductum, sursum vel deorsum ad omnia corporis extrema, raro nullum frigus aut serius sentitur in regione lumbari.

6. *Somnolentia*, sed rarius.

7. *Rigor*.

8. *Dolores rodentes cum ventris torminibus*, *lancinantes*, fiunt ab iisdem, sed adhuc acrioribus halitibus: Si multa pituita est remissa, *dolores gravantes ac contundentes* fiunt.

9. *Pulsus* frequentior, minor, debilior, major, *Frequentior* ab halitibus flatulentis & acrioribus cor irritantibus, *Minor*, ob aciditatem halituum auctam, sanguinem aliquomodo coagulantem, ut minus rarefieri possit: *Major*, à bile dominium recuperante in corde, unde sanguis magis rarefit.

10. *Anxietas circa præcordia*, *Nausea*, *Vomitus*, *Alvi fluxus*, ab halitibus magis biliosis oriuntur.

11. *Sitis* ab iisdem halitibus fit, ad ventriculum & fauces, cor & pulmones delatos.

12. *Ardor* & *calor* oriuntur ab imperante in corde bile.

13. *Linguæ ariditas* ab halitibus per asperam arteriam è sanguine delatis ad eam.

14. *Respiratio anhela* fit à rarefacto valde sanguine.

15. *Capitis æstus*, *dolor*, *pulsatio*, oritur ab æstu sanguinis per arterias delati ad caput repletum arteriis.

16. *Vigiliæ & delirium* fiunt à vitiosis spiritibus animalibus, inde moventur turbulente.

17. *Sudor* & urinæ fiunt ab humorum, qui durante paroxysmo confusi erunt, secretione, quæ à potu liberaliore promovetur. *Marggravius p.76. & 80.81.*

8. *Horrore vel frigore*) Utrum Febres Intermittentes exinde sint æstimandæ quod cum rigore & frigore saltem incipiant? ℞. Est signum plerumque in Intermittentibus verum, sed non semper, continuæ enim cum Rigore quandoque incipiunt, ac plures Intermittentes cum rigore exiguo & vix sensibili invadunt, *Piens pag. 238.*

9. *Cum rigore &c. horrore vel frigore*) Quomodo hæc accidant vide inferius §. *Causa proxima.*)

10. *Frigore*) Frigoris causa est succus Pancreaticus, pituita adjutus, bilem oppressam tenens præcipue in lumborum regione, ubi confluxus trium humorum memoratorum, quod interdum paucum vel nullum sentitur ob pituitam salivarem valde viscidam, succi pancreatici penetrationem ad intestini tunicam impedientem, Vel in *ventris medio*, Vel *extremis partibus*, Vel in *capite interiori*, præsertim pituitoso, maxime percipitur frigus. *Marggravius p. 80.*

Desinere per sudorem, urinas &c.) Non raro accidit in declinatione hujus morbi, cum paroxysmi minorari incipiunt, ut frigoris & rigoris sensus paulatim minuatur, & tandem evanescat, atque cum levi tantum calore accessio [illegible] molestet; cujus ratio est, quoniam isto tempore [illegible] versus statum naturalem aliquatenus restitutus succum crudum concoquere & maturare incipit, ita ut plurima pars ejus assimiletur, quædam vero excrementa in cruore congesta levem adhuc effervescentiam pariant: Cum vero particulæ febriles de nitroso acore minime participant, sine rigore fermentatio sanguinis perficitur, qua quod extraneum est deflagrat, & vel subigitur, vel foras amovetur: Quandoque etiam in declinatione hujus morbi paroxysmi sine quavis incalescentia tantum levi constant frigore, cujus ratio est, quia materia morbifica, nitrosa potius quam sulphurea, cum in fluore est, calorem naturalem aliquatenus obtundit, & deinde sine magna deflagratione dissipatur & evanescit. *Willis.*

11. *Recurrere consuevit*) Si quę forte febris duos quatuorvè dies exercet, ac postea tandem & plures dies intermittens, nullis certis circuitibus eodem modo repetit, primæ sentinæ sedes è visceribus est, è quibus tamen portio in venas majores irrepens, ac putrescens, febrem fovet, dum discussa fit, ac tandem similis è loco in venas rursum effusa recidivum affectum proferat; Eademque postulat remedia quæ Erratica (de qua infra) illa, cujus accessio unum duntaxat diem durat, nisi quod venæ sectionem magis requirat, ut detrahatur humor qui è prima regione in majores venas irrepsit. *Etch. Med. Pr.*

12. *Recurrere consuevit*) Hic mediatoris parte relicta, mea phantasmata super hanc materiam exhibeo; 1. Suppono Febris Intermittentis causam proximam, seu conjunctam, consistere in aliquo corpore, seu substantia sanguini commixta, & hujus medio cordi communicata, ex qua ille effervescit p. n. tam à proprio motu quam à calore cordis: Hoc convincit curationis modus per emplastra brachiis in manuum extremitate applicata; ubi arteria pulsat; à quibus pluries observatum fuit febres intermittentes profligari: Et cum istorum virtus sanguinem circulantem attingat, in sanguine esse quod hujusmodi febres efficit fateri cogimur, & prædictorum medicamentorum actione, vel dissipari, vel præcipitari, cum omnimoda disgregatione à sanguine; vel hunc ita muniri seu stabiliri adstrictione partium, inter se, ut communicatæ materiæ conatum, & depravatum agendi modum deludat, naturalem suæ effervescentiæ motum conservando, natura interim per optimam sanguinis constitutionem corroborata ad superandam causam, quæ materiam depravatam congregabat extra sanguinem; vitio alicujus partis concurrente, forsan aliqua sanguinis indispositione intra limites sanitatis existente.

Hanc materiam aliunde suppeditari sanguini Febrilis intermissio docet, quia si in sanguine efformaretur, continuus esset ejus proventus, & ita continua non intermittens esset febris.

II. Hoc in sanguine existens, in quolibet paroxysmo ejici est manifestum ex Febris intermissione; nisi enim è sanguinis confinio pelleretur, Febris non cessaret, & ejus intermissio causæ deficientiam promittit; sive hoc contingat à calore in sanguine & corde accenso, à quo materia febrilis in fuligines paucas attenuata insensibiliter dissipatur: sive effervescentiæ ministerio secreta, per urinam vel sudores expellatur, qui sæpissime in Intermittentium declinatione contingunt.

III. Ad reditum novi paroxysmi priori similem, novam sanguini materiam advenire cum alterans inordinata effervescentia, caloreque intenso; quæ cum sint similia effervescentiæ, & calori prioris paroxysmi, similitudinem causæ & materiæ arguunt.

IV. Ex hoc infallibiliter concedendum esse partem, depravatæ materiæ sedem & genitricem, ex cujus intemperie materia uniformi qualitatum vitio, & æquali proportione generetur, & hanc partem instrumentis esse donatam, per quæ materiam suo sinu confectam sanguini consignare valet, Et hæc sunt venæ, vasa lymphatica, & ductus thoracicus, mediis lacteis.

V. Partem læsam, materiam febrilem sanguini & cordi præparantem, in primis viis existere, & in loco partium naturali facultati destinatarum residere: quod demonstrant passiones ventriculi, anxietates, vomitus, dolores, rigores in lumborum regione incipientes; inordinati in hypochondriis motus.

VI. Materiam in hujusmodi partibus, ad febrile in-

cendium præparatam, esse sanguini extraneam; & ob qualitatum pravitatem ei minime congenerem, unde sua præsentia potens est tumultus & seditiones cum magna effervescentia & calore in eo excitare.

VII. Vitium & depravationem materiæ versari circa putredinem absolutam, vel secundum partem, vel combustionem; cum ab his Febres, quæ dicuntur Putridæ, quales sunt intermittentes, solum oriri possint.

VIII. Materiam non posse aliquo ex his modis depravari nisi in parte moretur, & per aliquod tempus domicilium in ea contrahat; solo enim transitu non posset tam cito depravari, motu efficacem influxus actionem prohibente, unde in ea immorari necesse est, posito in parte impedimento moram inducente.

IX. Tale impedimentum non posse ab alio peti nisi ab obstructione vasorum partis, quæ liberum materiæ cursum interdicat & compedem apponat, ne suum libere peragat cursum, coactam quietem imponendo.

X. Si ex dictis sanguini communicatur materia depravata, oportere ut tale impedimentum superetur, & materiam rupto carcere ad libertatem exire, & per vasa partis, correspondentia vasis sanguinis, in ejus sinum deferri; Impedimenti devictio non potest contingere nisi à materiæ conatu obstructam reserante viam.

XI. Hoc impedimentum ex toto non tolli, sed tantum transitum coacte concedere, moxque eundem locum occupare, cuilibet viam defendendo sicuti prius, quod est maximè necessarium ad præparandam materiam pro altero paroxysmo: hoc autem non potest evenire, nisi dum materia in exitu humorem obstruentem secum non rapit, eo resistente, quia sua viscositate firmiter vasorum parietibus adhæret, sed solum perterebrat, & perforat, ut per foramina excitata exeat, quæ postea de novo occluduntur particulis distractis, & versus vasorum latera depulsis, ad suum locum redeuntibus; ut evenire observamus in viscosis & mollibus corporibus, quæ obvio corpori cedendo transitum concedunt, sine partium deperditione; ad cujus transitum filamenta quibus rexuntur, contrahendo propriu & naturali motu apertâ à corpore viam occludunt; Sic posito novo in parte impedimento, materia noviter fluens paratum ibi invenit carcerem, ubi ad modum prioris depravatur, & ipsa suo conatu impedimentum superante, accessionem reiterat sanguini permixta, & impedimento de novo remisso, modo dicto eadem revertuntur; donec ex toto auferatur, quia tunc materia depravari una cum febre cessat.

XII. Debere materiam talem dispositionem acquirere ex mora in parte, ut valeat impedimentum perforare & terebrare, ad quod maxime facit, vel spirituum igneorum impetus, vel aciditas, austeritas, salsedo & acrimonia, unde aliquam ex istis indispositionem materiam detentam suscipere credendum est.

His positis, quæ nulla probatione majori videntur indigere, cum per hæc quæ in Febribus intermittentibus contingunt aliter explicari non possint, non erit difficile rationem invenire Febrilis Circuitus.

Quando ergo pars aliqua, ut ventriculus, vel pancreas, vel mesenterium, lien & hepar, obstructionem patiuntur ab humore viscoso & lento, è pravis vino generato, vel aliunde recepto; ab alterius partis depravata conditione germinante, & ab erroribus per causas extrinsecas cumulato, sanguinique commixto, qui circulando per prædictas partes, in eis vinosam deponit sarcinam, tunc sanguini per obstructam partem transitus impeditur, & ventilationis deficientia incalescit, eo modo quo stagnantes aquæ tepore perfunduntur; & quia in eo partes sulphureæ & biliosæ, salinæ seu terrestres & melancholicæ existunt, quæ à concepto calore exaltatæ, & super cæteras evectæ effervescentiam & ebullitionem pariunt, cum calore ipsius materiæ detentæ, & furore, quibus valet parte aqua detinetur calefacere, & impedimentum superare, directo in illud impetu, quem à furore in suarum partium exaltationem concepit, eo modo quo mustum ebulliens in dolio, undique clauso, exaltata sulphurea & spirituosa ejus parte per fermentationem, & expiratione prohibita, occlusis undique spiraculis tantum vinum sibi conciliat, ut vas ferreis etiam firmatum ligamentis disrumpat.

Ulterius sanguis obstructione stagnans, & concepto calore effervescens, proprii salis fluorem experitur, & super cæteras partes evectum eas suo submittit imperio, aciditate, austeritate, vel salsedine totam materiæ substantiam inficiendo, juxta sui salis conditionem & qualitatem; eo modo quo vinum à calore extrinseco effervescens, in acetum mutatur, aciditatem undique spirans, tartari partibus fixis & acidis fluore exaltatis.

Ita dispositus sanguis fermenti naturam induit, potens sua virtute & activitate corpora proportionata, quibus commiscebitur, fermentare & agitare: Interim in angustiis sui carceris sanguis restrictus, ob sulphuris & spiritus exaltationem, & totius effervescentiam, turget & tumescit; & quo strictius detinetur, eo magis furorem concipit, donec impatiens talis carceris, sui incapax, ob conceptum tumorem, impedimentum aggreditur, & impetu facto, auxiliari ducta aciditate, vel austeritate, vel salsedine qua perfunditur, illud perforat, & viam liberam cedere cogit, intermissum iter per venas reassumendo, præmissa vaporum turma, consistentium in multitudine particularum salis & sulphuris attenuatarum: Primo autem salinæ acidæ agmen ducunt.

In qualibet enim chymica dissolutione acida corpuscula cæteras partes fere semper præcedere videmus: hujusmodi aciditate tactæ partes sentientes frigent, & si modum excesserint, vel humidum non habuerint moderatorem, prædictas partes vellicando & purgendo, rigorem & horrorem inducunt; & ad pulmones elevatæ *oscitationem*, si cum humido attenuato commixtæ; quia sine hoc nimis acres redditæ *tussim siccam* excitant: & si in copia extiterint, palatum attingentes *Sitim* magnam efficiunt; Cordi communicatæ ejusmodi evaporationes, copia illius calorem opprimunt, frigiditate minorant, aciditate sanguinem coagulant, & sentientes ejus partes pungunt, unde *Pulsus* minor & frequentior, & totius sanguinis rigor, ob privationem caloris sui principii, unde *totius corporis frigus*.

Sanguis ita alteratus in motu fit tardus, & circulationem protrahit, donec supervenientibus sulphureis exhalationibus; acidis dissolutis & ejectis, calor cordis sublevatur, sanguis calet, & cum eo totum corpus, destructis evaporationum acidarum reliquiis, à calore cordis & sanguinis resurgente cum pulsus elevatione, Interim per venas reliqua sanguinis substantia ab obstructa parte erupta serpit, & quia fermenti naturam adepta fuit citissime, per totam massam cruoris diffunditur, præcipue ubi magnos venarum ramos fuerit ingressa, & quia est extranea sanguini, inordinatam effervescentiam in eam introducit, Sanguis hoc modo effervescens, cordis sinus ingressus, incendium subit, unde æstus & totius corporis incalescentia: In hoc incendio massæ sanguineæ fermentum consumitur, & magis attenuatum sensim exspirat, & per inordinatam fermentationem segregatum, ad partes excretioni dicatas deponitur, unde ab hoc hoste sanguis liber, quieti redditur, & Febris intermittit. *Pompejus Sacchi Irid. Febr. c. 12.*

13. *Recurrere periodice*) Hisce præmissis (*vide supra* §. 8.) non difficile erit intermissionis, nec non statarum periodorum rationes & causas ostendere, scilicet intermissio sequitur, quia materia morbifica uno paroxysmo omnis difflatur, adeoque donec nova substituitur *ἀπυρεξία* subsequatur necesse est: Gigni autem incipit nova, ex quo ultimus desiit paroxysmus; nimirum sanguinis massa modo inanita, denuo recipit succum nutritium, ipsumque ob debitæ *αναδιανομῆς* & coctionis defectum (uti prius)

in materiam fermentativam pervertit, verum exigua hujus copia parum aut nihil molestiæ aut fermentationis ciet. [illegible] vero sanguis ad turgescentiam impletus, illico fervescit, & in fluore est, veluti cum cerevisia novella, aut mustum diu vase inclusum tandem certo tempore ebu[illegible] & vasis oras excedit.

Quod vero statis temporum intervallis accessiones plerumque repetant, idque tam certo ut automata horologia non exactius, Ratio est, quia succus alibilis è visceribus sanguini in vasis confluo, æquali mensura & modo utplurimum suppeditatur, licet enim non exacte in pondere & dimenso tantundem cibi & potus quotidie assumimus, tamen quia statis utplurimum horis ad satietatem edimus, ex comestis, & chymi massa in visceribus congesta, per vasa lactea æqualis succi nutritii portio sanguini convehitur: quare si totidem horis tantum humoris nutritii cruori infunditur, qui ad plenitudinem & turgescentiam accrescens, hoc die paroxysmum inducat, certe hoc finito, ejusdem temporis spatio pro sequenti paroxysmo sufficiens materia congeretur; sin vero errata in victu committantur, & ægri genio indulgentes plenius aut inordinate comederint, paroxysmi insultus solitam anticipat horam propter sanguinem materia febrili citius saturatum; quod si abstemii fuerint ægri, & parcius alimenta ingerant, intermissio diutius protrahitur.

Si adhuc inquiratur, Quare Febrium Intermittentium periodi non sint unius generis, & ejusdem distantiæ, quin aliæ quotidie, aliæ tertio aut quarto die repetant? In causa est diversa sanguinis constitutio, qua nimirum à debita temperie in diathesin modo acrem, modo acidam, aut austeram pervertitur; Pro diversa hujus dyscrasia succus alibilis recens advectus plus aut minus à maturatione deficit, & in materiam citius aut tardius fermentescere aptam pervertitur.

Cum sanguis diathesin acrem, calidam & biliosam acquisivit, suppono quod pars quædam succi nutritii in humorem perfectum maturatur & sanguini assimilatur, indeque in alimentum solidis partibus apponendum facessit, iisque affigitur, verum altera ipsius portio à sanguine nimium cocta & depravata, in materiam febrilem mutatur, & ex supposito, quod dimidia pars succi nutritii tali modo pervertatur, duplo istius temporis, quo in corpore nostro concoctio plenarie absolvi dicitur (h. e. post horas 48.) hujusmodi materia fermentativa ad plenitudinem & turgescentiam assurgit, & tunc inducet paroxysmum febris *Tertianæ*.

Quod si ob sanguinis degenerati naturam austeram & ponticam (in qua Sal fixus cum fæce terrestri nimis exaltatur) ideoque segnius fermentari aptam, tertia solum pars succi nutritii corrumpatur, tunc triplo prædicti istius temporis spatio paroxysmus inducitur, h. e. post horas lxxij. quibus solet concludi paroxysmus *Quartanæ*.

Sin ob majorem sanguinis labem fere totum succi nut[illegible] supplementum in materiam febrilem pervertatur, tunc isto temporis spatio, quo debuit coctio in vasis & [illegible]tu corporis plenarie absolvi, h. e. post horas xxiv. mate[illegible] hæc ad turgescentiæ motum assurgit, & *Quotidianum* paroxysmum inducit: Atque hinc fit ut in febre *Q[illegible]tan[illegible]* vires & robur non statim fatiscant, dum in *Tertiana* ægri solito imbecilliores fiant, à *Quotidiana* autem in [illegible]orem & summam imbecillitatem cito ducantur: [illegible]m in singulis quo plus aut minus succi nutritii in morb[illegible] [illegible]um abeat, tantundem etiam de viribus & corporis firmitate detrahitur; *Vide plura ubi de singulis speciebus.*

Contra æquales harum febrium circuitus arguitur, Quod [illegible] aliquot horarum spatio statum diei tempus [illegible] anticipant vel postponunt, At objectio hæc tollitur [illegible] intermissionis tempora non diebus sed horis computentur, sic enim intervalla quæ modo præoccupantia, modo diutius protracta videntur, ad hanc normam plerumque æqualia apparebunt, si quidem respectu diei dicitur febris *Tertiana* quandoque duas aut plures horas solitum accessionis tempus prævenire aut postponere, interim singuli circuitus post totidem horas qualibet vice exacte repetunt: Quare prima febrium Interm. discrimina solum in hoc consistunt, ut tempus accessionis in quadam febre celerius, in altera tardius adveniat, scil. horis dister modo 24. modo 54. modo 70, aut similiter. *Willis cap.3.*

[14]. *Partim propter humorum genium*) *Typi Quotidianæ* causa secundum *Sylvium de le Boe*, est Pituita obstruens parcior & minus glutinosa, Succus vero Pancreaticus acidior & copiosior; *Quartanæ* vel *Quintanæ* causa est pituita viscidior & copiosior, succusq; Pancreaticus obtusior, vel austerior & paucior: *Tertianæ* causa est pituita & succus pãcreaticus medio modo se habentes: Aut pituita viscidior & copiosior concurrens cũ succo pãcreatico acidiori aut copiosiori; aut pituita minus glutinosa & pauca, succusq; pancreaticus minus acidus paucusq;, unde differentes in symptomatis sint febres. *Marggravius Prodromi p.84.*

[15]. *Quæ non tam à partium ἀ[illegible]*) Vide inferius §. *Causa proxima.*

[16]. *In Epidemicis constitutionibus*) Quibusdam in locis ea est cœli constitutio ut hominibus quibuscunq; febrem aut Tertianam, aut (quod frequentius) Quartanam brevi accersat; licet in primis officinis, ubi morbi minera hospitari vulgo creditur, nulla sit ob malam victus rationem humorum congestio, aut invaletudinaria dispositio: Imo, in hunc morbum facillime incidunt qui viscera habent firma & robusta, & qui calore vegeto abundant: E contra, quibus ob debilem coctionem cruditates in primis viis continuo congeruntur, ut sint in hydropem aut cachexiam proclives, plerumque ab hoc affectu immunes degunt, nimirum sanguis aquosior factus (instar vini in vappam degenerati) est omnino ad fermentescendum ineptus. *Sydenham.*

[17]. *Circa solstitia & æquinoctia*) Ex hac ipsa temporis circumstantia *Willis* febres Intermittentes à temperie sanguinis immutata ortum ducere concludit, quod ea potissimum tempestate & locis increbescant quibus maximam ab aëre alterationem suscipit, scil aut *Vere*, cum calor vernus hybernum frigus excipiens, sanguinem prius torpidum, & segnius moveri aptum, in vasis efflorescere & luxuriari facit, indeq; temperiem calidam & biliosam nancisci: vel *Autumno*, quando sanguis ab æstivo calore torrefactus, ideoque spiritu ejus plurimum depresso, ac sale aut sulphure exaltatis, diathesin modo acrem aut biliosam, modo stypticam & austeram acquirit: quare hac tempestate febres modo tertianæ modo quartanæ increbescunt &c. Nec minus hanc assertionem comprobare videtur Febrium Intermitt. curatio, sive ea sit naturalis & critica, sive artificialis & medicamentorum ope perficiatur: Quoad primum, duplici modo solent febres interm. terminari, Primus est, cum ab ipsis paroxysmis sanguinis temperies alteratur, & non raro in naturalem reducitur, Cum enim in qualibet accessione plurimum sulphuris & salis adusti deflagraverint, & sudore exhalarint, liquor sanguinis inde temperatior & minus torridus existit; quare sæpenumero sex aut septem periodis hic morbus judicatur & sponte cessat: Si vero diutius protrahitur, & sanguis à temperie & diathesi acri & biliosa nonnihil immutatus in naturalem non restituitur, quandoq; in acidã & aquosam, aut etiam ponticam degenerat, unde Febris Tertiana diuturna in quotidianam aut quartanam, Sæpe etiam quia sanguis à diuturna hujus febris mora valde depravatur, icterus, aut scorbutus, aut cachexia succedunt: Alter modus quo hic morbus terminatur, est cum cœli aut soli mutatio insignem sanguinis alterationem infert, sic enim Febres *æquinoctiis* incœptę circa *Solstitia* finiũtur, Etiã ægri in alterã regionẽ migrantes sæpe convalescunt.

[18]. *Seu anticipando seu postponendo*) Anticipationem vulgo malam existimant, Postpositionem laudant; Utraq; tamen

parvi momenti est, modo duratio paroxysmorum & symptomatum gravitas in dies minuatur. *Marggravius Prodrom. p. 64.*

[18] *Seu anticipando seu postponendo.*) Anticipatio vel Postpositio tres fere habet causas. 1. Robur naturæ validius vel debilius; 2. Fermentum febrile magis vel minus activum, in volatilitate & acrimonia; 3. Fomes, sive vehiculum materiale magis vel minus viscidum, magis vel minus copiosum &c. Ex his recursus varietas deducenda, atque pro causarum modo dictarum ratione etiam prognosis anticipationis aut postpositionis instituatur. *Etmuller.*

Causæ.

[19] *Causa* proxima est vapor putridus [20] ab humore exortus & cor impetens: de quo sequentia notanda.

1. *Humorem istum esse putridum* [21] ut ex urinis putredinem præ se ferentibus apparet, cui singulis paroxysmis absumpto & excreto, novus qui putrescat & novum paroxysmum inducat submittitur. Nec tamen *totus* simul in primo paroxysmo putrescit, sed *pars* duntaxat putredini maximè apta, reliqua in reliquis donec tota absumatur.

2. [22] *Incipere eum putrescere* [23] *in primis viis & venis mesaraicis,* [24] *tanquam loco, foco, & fomite suo,* paterque id, tum ex eo quia ibi primæ & secundæ coctionis excrementa cumulantur, tum ex nausea, bilis synceræ, citrinæ, prasinæ, ad quam [25] aliquando febris cessat vomitu, præcordiorum tensione, cardialgia, oris amaritudine, quæ in intermittentibus accidere solent; tum ex eo, quia in illis locis non purus sed excrementis permistus sanguis gignitur.

3. [26] *Humorem istum sanguini non verè permistum per intervalla & periodos in venam cavam & arteriam emitti,* & vel ibi putrescere & actu febrem excitare, vel si putredinem antehac concepit, eandem venis communibus communicare. Et certè, cum venæ portæ rami in substantiam hepatis inserantur, & horum oscula cum vena cava communionem habeant, & arteriæ à corde progressæ, in ventriculo, intestinis, liene, & alibi vasis mesaraicis conjungantur, manifesti satis ductus erunt, per quos hi humores eo deriventur. Nec video, si materia febrilis in venam cavam & arteriam non emitteretur, quomodo posset in his prout in continuis cruditas & coctio humorum in urinis deprehendi? quomodo humores in principio paroxysmorum à circumferentia ad centrum; in augmento & statu à centro ad circumferentiam moveri, & in declinatione per sudorem & insensibilem halitum discuti? quomodo materia febrilis uno die intro & foras ferri, perque plura loca evacuari? quomodo instans materiæ febrilis motus & paroxysmus, illa nondum extra venarum oscula emissa, nec dum vel calore & vel rigore feriente, ex pulsuum compressione, & spontaneis lassitudinibus, in ἐπισημασίᾳ, colligi? quomodo Urina in paroxysmo clara & minus tincta, in ἀπυρεξίᾳ crassa & turbida esse? quomodo denique materia febrilis per urinas evacuari? quia nihil horum fieri potest, nisi in vasis materia contineatur.

4. *Humorem istum discussa in priore paroxysmo materia* [27] *de novo generari, & novam putredinem concipere.* Tum propter vitiosam partis dispositionem & debilitatem, quæ τὰ ἀσθενήματα gignit; tum propter ipsius ὑπάσματος μοχθηρίαν, & putredinale fermentum, quod post paroxysmum in foco relinquitur.

[19] *Causa proxima*) Omnes febres Intermittentes, cujuscumque fuerint typi, *sunt omnino ejusdem naturæ & essentiæ in radice.* Oriuntur ab eadem causa, diversificantur tam pro subjectorum, & hinc pro rerum naturalium, non naturalium, & præter naturalium varietate, à quibus causis etiam tanta diversitas symptomatum in his ipsis emergit; unde etiam una eademque medendi in genere est ratio.

Patet hoc ex eo quia sunt invicem permutabiles, qualis permutatio non deprehenditur nisi inter habentia symbolum, sive quæ invicem symbolizantur, h. e. essentia conveniunt: Sic Quotidianæ succedunt Tertianis, Quartanæ quoque mutatio subita in Tertianam, & vicissim hujus in Quartanam, iisdem utrobique permanentibus symptomatibus, urgere videtur utramque ab eodem humore generari, ut loquitur *Piens p. 2. de Febr.* Nempe præsupposito spirituum motu & impetu, ceu universali efficiente motuum, tam animalium quam præter naturalium morbosorum, adeoque febrium causa *proxima materialis*, seu *occasionalis* investiganda, quæ ratione radicalis originis & foci, *ventriculum & primas vias*; ratione vero alterationis primariæ & inhæsionis, *massam Sanguineam* speciatim afficit.

Arbitror ergo *causam hanc proximam* esse fermentum p... in ventriculo genitum, quod subinde massam sanguineam alterando, ratione motus fermentativi immutatam; & partes nerveas primarum viarum vellicando, ratione acrimoniæ hostilis, occasionem & præternaturali spirituum motui, & hinc cæteris omnibus symptomatis, quorum complexus paroxysmum constituit, suggerit; *Fermentum* hoc, ceu admodum activum, *salinæ est prosapiæ*, ejusque acidæ; conspirant enim in hoc & supervenientia accidentia, & una eademque Intermittentium cura.

Origo ejus est ex læsa ventriculi digestione imminuta vel depravata; qua occasione ex acido fermentativo naturali, facile præternaturale fermentativum emergere, seque in alimentorum reliquiis, stomachi rugis inviscatis inserere, & ita fomitem Intermittentium pro pluribus paroxysmis recurrentibus suggerere potest; Notum enim est, nonnullos ante sanos, ex usu rei adversantis, vel ipsis horridæ, incidisse brevi post in febrem; Sicut & contra, ex usu rei intensius appetitæ, utut apparenter etiam noxiæ, nonnulli in talibus febribus sanentur: Confirmat hoc vel levis error in Diæta taliter febricitantium commissus, vel exuperans, vel duplicans, vel recidivas faciens has febres; Nec rarum est curare se quosdam in his febribus sola pertinaci ac statuta inedia, cum alii curentur excessivo potu, insequente sive vomitu, sive largiore & profusiore sudore, Exempla passim sunt obvia.

Non

Non igitur putandum est *ex distinctis visceribus affectis* distinctas etiam exurgere febres, dum *Tertianas ex vitio hepatis, ac bile, Quartanas ex vitio splenis ac succo, melancholico* oriri volunt: Nam in principio talium febrium viscera utplurimum sunt sana; diuturnis autem his febribus, vel iisdem male curatis, nempe per sigentia nimis, sive paroxysmum cohibentia, subinde viscerum talium tumor plus minus scirrhosus supervenit, nempe tanquam productum morbosum: Facilis interim concedo, *Infarctus* tales quorumvis viscerum, aut alia eorundem vitia, item menstrua v. g. suppressa, subinde sanos disponere ad febres posse, vel aliunde natas febres fovere, & obstinatiores rendere; aut crebriori ac faciliori recidivæ occasionem subministrare, prima tamen radice, & talium morborum autore in ventriculi digestione fundatis.

Fermentum hoc delitescens, dum exserere se incipit, ratione aciditatis hostilis partes nerveas primarum viarum vellicat; hinc earum spasmi, hinc succorum fellei & pancreatici quocunque modo constitutorum nimiæ effusiones; hinc quamplura abdominis symptomata, hinc & paroxysmurum in primis viis prodromi.

Idem *fermentum* sanguini permistum activitate sua naturalem ejus motum fermentativum pervertere; hinc debitam incalescentiam ejusdem primitus impedire, hinc spirituum vitalium debitam emersionem & volatilizationem aliquamdiu sufflaminare potest, (instar vini denuo fermentationem molientis, turbari tunc videtur massa sanguinea hinc enim in tali statu pulsus parvi minusque vel [illegible] tes esse solent) donec ipso fermento cum sale volat[illegible]so sanguinis ad præter naturalem effervescentiam c[illegible]ncitato, oriatur hinc incalescentia cum sanguinis turgesce[n]tia cum pulsu magno, celeri, frequenti, plus minus v[e]hementi &c. donec dictæ nimiæ ac inordinatæ fermentationis motu separatis, & quasi præcipitatis heter[o]g[e]neis particulis, seroque involutis, sudor quasi criticu[s] superveniat; [U]nde etiam in paroxysmo collecta urina sanorum est simil[i]s, vigente adhuc fermentationis motu, quæ post paroxysmum collecta, turbida, aut copioso sedimento onusta solet excerni.

Ex *Ac[i]do* igitur cum *sale volatili urinoso in sanguine quasi effervescente* tota paroxysmi historia explicanda venit: Ex *acido* nempe vellicante membraneas abdominis particulas, speciatim stomachum ac intestina tenuia, hæc ipsa convulsivo impetu quatiuntur &c. unde *frigus, horror, ac rigor*, Confirmat hoc, *primo* cura per *alkalia* vel *absorbentia*, rigorem sensibiliter imminuentia, 2. *Oleosa destillata*, tum intus propinata, quam extra stomachi reg[io]n[i] [illegible] mirabiliter rigores sopiunt; corrigendo peccans acidum, & blando sensu afficiendo membraneas part[e]s. 3. *Opiata* sensibilitatem partium, & inde dependentes convulsivos motus sopientia, eosdem rigores placant.

Dum vellicantur ita primæ viæ, & spasmo concutiuntur copiosius effunduntur hepatici & pancreatici lati[ces] [illegible] quibus plus minus naturaliter constitutis, adeoque plus minus in intestino duodeno effervescentibus, & ex [illegible] miscella texturam ac saporem plus minus præter[nat]uralem acquirentibus, quamplurima abdominis symptomata, v. g. anxietates, vomitus, sitis clamosa, hypochondriaca, symptomata, tormina oriuntur, & à *Sylvio* [illegible] [d]ictorum succorum vitiatam miscelam ex[plicante]. Nempe ab utrisque actionibus *Vomitus* cre[bri] [illegible] originem ducunt, *A succo pancreatico acidiore* [illegible] ur *frigus abdominis & circa lumbos*, Ab utrorumque intensiori effervescentia, æstus ac ardor in abdomine molestus nascitur, ut ægri subinde se exuri dicant, Ex [illegible] onibus *flatus hypochondriorum, intumescentiæ, inquietudines* & præcordiorum anxietates, & distentis plus minus hypochondriis difficiles respirationes nascuntur.

Æstum quod attinet, in febribus ordinario fere urgentem; quod hic oriatur ab acido fermento in massa sanguinea, per vitiosam & inordinatam fermentationem cum ejus sale volatili oleoso, confirmant inprimis *nitrata, ut nitrum antimoniatum, nitrum vitriolatum*, i.e. *arcanum duplicatum, spiritus nitri dulcis* &c. quæ optime æstuationes compescunt, figendo & corrigendo tam acidum volatile quam sal volatile oleosum; & ita nimios tumultus compescendo. *Etmuller*.

[19]. *Causa*) *Antecedens* putredinis illius in humoribus venarum meseraicarum, quæ febres has Intermittentes facit, alia est *Efficiens*, alia *Adjuvans*, *Efficiens, cibus & potus*, è quibus acris, calidus, biliosus & adustus succus, tum in ventriculo tum primis venis mox gignitur; Is enim diutius illic collectus, nec rectè à sanguine separatus, in venis meseraicis, vel certo loco vel diversis coacervatus, cum putredo illum invadit febres gignit suo humori consentaneas: Talis autem succus à cibo & potu, qui vel succum talem in se habet, cæpæ, allia, porra, caseus putris, aliaque similia quæ ex sua natura & abundant, suppeditatur.

Corruptione in succum hunc abeunt, in calidis præsertim ventriculis, *dulcia*, quæ in bilem facile commutantur, uti & pinguia, horarii fructus, ob quorum esum autumni tempore, sicuti dysenteriæ à bile, ita & quartanæ eandem ob causam facile generantur; Sed & humida alia, etsi euchyma per se sint, ut *Lac*, & Ova, corruptione in meracissimam bilem degenerant frequenter; E quibus omnibus illuvies hæc nata, nisi per excrementa alvi rejiciatur, tandem in venas rapta accumulataque Febres gignit, quas tamen ab alia aliqua externa causa, quæ tunc primum cum febris incipit, occurrebat, initium sumpsisse, vel quia frigidum biberunt, hoc illudve comederunt, vulgus sibi persuadet.

Adjuvans causa dispositio corporis est, apta ad febres hasce suscipiendas, idque vel ratione constitutionis, vel *anni temporis*, *Constitutione* qui calidiores sunt, & *biliosi*, facilius hisce febribus prehenduntur; Proin qui mediæ ætatis sunt cito hisce corripiuntur: Sed & infantes ob intemperantiam iis sunt obnoxii, & cum in utero matris existentes adhuc talem materiam coacervare soleant, atro sanguini similem & biliosam, nisi ab ea in partu rite expurgentur, has febres nonnunquam in lucem afferunt, nonnunquam à matribus aut nutricibus ejusmodi febribus laborantibus sugunt.

Anni tempus febribus gignendis idoneum illud est quod calidius existit, & in quo victus ratione deteriore uti consueverunt: Sic autumni tempore, ob præcedentem alimentorum illuviem & tertianæ & quartanæ accidunt, Veris & æstatis tempore Tertianæ plerumque vigere solent. *Platerus*.

[20]. *Ab humore exortus*) Humor in venis meseraicis contentus *sanguis* est, non tamen adeo purus & elaboratus, sicuti cum in hepate denuo concoctus, & ab excrementis serosis biliosisque repurgatus corpori nutriendo magis idoneus factus est; etsi quamdiu in venis adhuc est meseraicis, potiu ipsius purior partibus illic membraneis alendis possit sufficere; Quæ ex diversis quoque partibus, tenuiore nimirum & crassiore constat, seroque diluta est.

Præter quas tamen portiones, excrementitiis insuper humoribus, ex cibi potusque portione continuo genitis, & cum chylo transeuntibus, *plus* minusve proin excrementa hæc redundant, permiscetur, à quibus in secunda primum concoctione repurgatus, denuoque elaboratus, in venam cavam transfertur; Ejusmodi autem *excrementitii humores*, quatenus sensus quoque indicat, *serosi* & *biliosi* existunt.

Serum enim ex potu largo, & cibi humidioris usu assiduo genitum, venasque meseraicas pertransiens, secumque alios humores, nunc *crudos nunc pituitosos*, aqueos potius quam mucosos deferens ad venas emulgentes majori seu

quantitate, indeque ad renes & vesicam derivatur.

Biliosa quoque *materia* ex assumptorum portione aliqua continuo nata, *sanguini* huic confusa, in hepate primum ab ea in propriam illi vesiculam destinatam repurgatur.

Præter quos humores excrementitios nullos alios in hisce venis sanguini commisceri, quibus natura, fieri prædictis duobus certas vesicas aut receptacula condiderit, sensibus invenire possumus; Uti neque lienem hoc nomine conditum, nec sensu nec ratione licet colligere; Putredo itaque in venis meseraicis suscitata vix dum, uti neque in vena cava quoque fieri posse diximus, separatim in aliqua parte hujus sanguinis, vel excrementis illi permixtis, cum hæc non distincta, sed invicem confusa sint, poterit consistere, sed ubicunque fuerit, totam illius quoque massam eo in loco inquinat; quæ si ad eam putredinem perveniat, à qua calidissimæ exhalationes & ferventissimæ expirent, cum nisi tales sint ad cor usque penetrare, illud que accendere vix possint) tunc febres hasce procreabit: proin neque à *crudo pituitosoque* aut *serosiore sanguine* ejusmodi febres, cum nec ea ratione putrescere, & vehementem calorem concipere, aut exhalationes ferventes diffundere queant, gignuntur, sed ab eo redundante alii potius affectus proveniunt.

Sicuti vero cum *biliosa*, quæ huic sanguini semper permixta est *materia*, immoderatius collecta, nec in vesiculam, uti solita erat, aut non sufficienter expurgata, sanguinem biliosiorem reddens putrescit, accidit quod tunc effervescens ejusmodi evaporationes ferventes subtilesque, usque transeuntes facile, Illudque inflammantes, & quæ mox iterum dissipantur, expirans, febres intermittentes causet: Eamque ob causam hunc *sanguinem, bile* vel *flava*, vel *atra* nimium perfusum, qualem per hæmorrhoides nonnunquam excretum febres has solvisse comperimus, & ab infantibus modo natis copiose per alvum excerni videmus, *putrescentem, febribus* intermittentibus causam præbere asseveramus. *Platerus.*

Ut ex urinis putredinem) Medici omnes ex Vrinis cruditatis & concoctionis notas in Intermittentibus sumunt, Sed certe est prorsus fallax quæ inde sumitur conjectura, Quia febrium Intermittentium causa non est in venis majoribus (ut est opinio fere omnium medicorum) in quibus, ut & in renibus & vesica urinæ concoctionem nanciscuntur, sed in prima corporis regione, Enimvero urinæ malæ in Intermittentibus significant multa excrementa è prima corporis regione, per accessionem, in vasa majora irrepere, quæ sanguinem corrumpunt, unde metuendus est transitus Intermittentis in continuam, ex raptu humoris e prima corporis regione in vasa majora; At minime ostendunt quam crudus aut coctus sit humor febrium intermittentium causa, quæ in mesenterio, vesica fellis, hepate & liene delitescit.

Sæpe autem secunda & tertia accessione tinctæ admodum apparent urinæ, eum biliosa sanies è primis sedibus in venas irrepit, unde multi venæ sectionem perquam necessariam esse contendunt, quasi incensus sanguis eo remedio restingui postulet; cum tamen bilis detractionem per alvum, & obstructionum reserationem potius demonstret, neq; enim destructo sanguine morbi focus expurgatur; nec bilis ferocientis in eo fervor extinguitur.

Cum enim nisi adsit plethora, quam solvere expediat in manifestis venis majoribus, major humoris excrementitii biliosi è prima corporis regione in eas fiet attractio, unde contingit intermittentis in continuam mutatio: Ergo urinæ croceæ & rubræ, aut crudæ, aut aliter vitiosæ, in Intermittentibus, docent inesse in primis corporis sedibus tam copiosum humorem excrementitium, ut multa ejus portio per accessiones in vasa & reliquum corpus transfundatur, qui humor, nisi repentina purgatione evacuetur, metus est, ne febris intermittens sit diuturna, aut in continuam transeat: Confert tamen V.S. cum præsertim præter bilis permistionem multa cruditatis insigna sunt, quæ naturam onere gravari ostendunt. *Ench. M. Pr. p 391.*

. 21. *Incipere eam putrescere in primis viis & venis meseraicis* &c.) Materiam febrium Intermittentium quidam statuunt esse in Habitu corporis, *Argenterius* in venis, *Fernelius* extra venas, sed in præcordiis, pancreate, mesenterio, hinc in venam cavam & arteriam transmittitur; Ibi autem Fomes adesse inlet, ipsius *Galeni* judicio, qui focum constituit splenem, hepar, ventriculum, ut ostendit dolor hypochondriorum, vomitus, cæteraque symptomata; demum venter inferior est quasi totius corporis sarcina, humoribus plurimis abundat, & præterea minus perflatur, calore multo abundat & humore: Commotus hic humore feriens præcordiorum membranas rigorem horroremque excitat, inde in vasa assumitur, universum corpus calefacit & accendit: ideo Natura insurgens ad illius expulsionem, ipsum evacuat per sudores aut alvi fluxum; Ita ut distinguendum sit inter locum in quo generatur materia febris, & locum in quo eadem, dum febrem actu procreat, continetur: Est autem fomes, seu vitiosa illa diathesis duplex, ex *Galeno* 2. de diff febr. propriarum partis virium, superfluos humores generantis, tum reliquiæ humorum putridorum, *Sincerum est nisi vas quodcunque infundis Acescit*, verisimile enim non est, *inquit Galenus*, nullam in partibus relinqui dispositionem in quibus humores putruerunt.

Probabiliter tamen dicendum puto humorem febrilem esse posse interdum in Habitu corporis, in febribus levissimis & brevissimis, *Primirosius lib. 2. cap. 4.*

Humores contenti extravasa putrescentes pauci, citra partium eos continentium corruptionem Febres putridas excitant; cum tamen singulos humores putrescentes extra vasa febres putres excitare posse plurimi opinati sint, Quod nos an & quomodo id fieri possit, in singulis tam calidis quam frigidis humoribus, quotquot extra venas inveniuntur cum hi tantum ad putredinem apti sint, examinabimus; *Calidi* autem sunt, *sanguis naturalis* è venis nonnunquam excidens, & *bilis ex. temperatura* diversorum generum: *Frigidi* vero, *serosus* & *pituitosus* humor, *Sanguinem*, si è vasis in partem influat, inflammationemque in illis excitet, *febrem symptomaticam simplicem*, seu *puram* tantum, necdum, etiamsi illic suppuretur, *putridam*, nisi vera illius putredo, & partis corruptio sequatur, excitare notum est: Quod si vero è venis vel ruptis aut apertis effusus sanguis concrescat, diutiusque retentus putrescat, magna præsertim copia, locove cordi proximis, uti in thorace pulmonibusve, tunc febres quoque putridæ, sed lentæ nonnunquam, ejusmodi affectus comitantur; Quod rarius tunc quando in ventriculum, aut intestina, uterumque illapsus, cum diutius illic vix possit subsistere, aut cum in renibus vesicave collectus, cum illic ab urina continuo eluatur, accidit.

Bilem, tam eam quæ à sanguine venarum mesaraicarum continuo in vesiculam illi propriam, vel lienem (uti quoque voluerunt) repurgatur, quam illam quæ in ventriculo interdum ex assumptis nascitur, si harum aliqua, vel in propriis receptaculis, aut in alia loca effusa putrescat, febres putridas intermittentes procreare plerique existimarunt, & a. *Bile flava*, *Tertianas* easque exquisitas, sinceras, si nothas, si permistas, existat: Sicuti nos bilinsæ illius materiæ, quæ sanguini venarum mesaraicarum permixta est, varietate accidere docuimus, fieri affirmant.

Nos vero cum Atram ejusmodi bilem qualem describunt

describunt, in lienis substantia nullibi observemus, nec illic vesiculam atræ bili excipiendæ exstructam, uti in hepate pro flava bile deprehendamus, & lienis usum longe excellentiorem quam ut bilis atræ esset receptaculum esse sciamus, nec alius quoque in locis bilem atram aliam quam quæ ex flava bile præter naturaliter in hanc degenerat, omniaque excedens ab ea, quem frigidum humorem statuunt plurimum differt inveniamus, nulla ratione convinci possumus ut talem aliquem humorem in liene positum febres quartanas aut alias excitare credamus: Quod si vero *succum melancholicum putrescentem* sic appellent, & Quartanæ, febris causam, si putrescat, statuant, neque hunc in Lienis substantia aut alibi separatum, à sanguine, cujus fæx esse dicitur, consistere concedimus.

Si vero *crassiorem sanguinis partem* intelligant, in eo sententiam nostram, quæ in venis meseraicis sanguinis portionem aliquam putrescentem febres intermittentes efficere diximus confirmant; cum fæculentus sanguis in majoribus venarum mesaraicarum ramis potius quam in exiguis *lienis* vasis, ob arteriarum copiam tenuiore potius sanguine quam crassiore implens continetur: In quibus meseraicis venis, si putredo in fæce sanguinis facta Quartanas, uti admittunt, procreat, concedent & necessario Tertianarum febrium, quæ ex intermittentium quoque, uti Quartanæ, sunt genere, causam in eodem sanguine, sed diversa solum illius parte, uti testatum fecimus, latere.

Sed nec *bilem excrementitiam aliam extra venas* alicubi collectam, sive flava, sive viridis & æruginosa, sic atra existat, Febrium intermittentium causam, si putrescat, uti aliqui voluerunt, statuimus, cum ea in parte aliqua ventris collecta, aut in eam effusa, siquidem calidissimus & acris ex sua natura est humor, præsertim si accedente putredine, vel alia causa calida; alium insuper calorem [illegible] ipsius effervescat, partes sensiles, vellicando adurendoque, colicos cruciatus, cardialgias & vomitiones, diarrhœasque biliosas potius quam febres procreat, nisi quatenus dolore & calore corpus interdum inflammando, febriculas aliquas, quæ tamen rarius hosce affectus comitantur, excitat; necdum, si sic effervescat, tamdiu [illegible] loco aliquo queat consistere, ut vaporibus [illegible] emissis ad cor usque penetrando putridas [illegible]bres possit invehere, in quibus tamen ob calorem febr[illegible]m, hæc quoque nonnunquam loco mota, excande[illegible]enique, præsertim si in corpore redundet, accidentia bilis proventum significantia, uti in febribus intermittentibus dictum est, profert; quorum potius ipsa fe[illegible] causa, quam bilis ipsius febris statuenda erit, cum & ip[illegible] excrementa alvi naturaliter permixta, atque una cum ipsis putrescens vapores tetros & fœtidissimos expirans, superiora tamen minime petat aut inficiat.

Pituitam supervacaneam, cum eam quæ in ventriculo, intestinis, mesenterio, tum quæ circum viscera coacervatur putrescentem, *Febres intermittentes quotidianas* generare scribunt; Et si vitrea acidaque fuerit, *Epialas* inde prodire. Sed & serosæ pituitæ in corpus effusæ putredinem, lentam aliquam febrem, leucophlegmaticis & cachecticis interdum peperisse, à quibusdam proditum est.

[illegible] qua ratione *pituita*, cum sit humor frigidus, ex [illegible] tantum calorem possit concipere, ut putres [illegible]es tam acres calidasque proferat, quales ut [illegible] febres gignantur, requiruntur; non video. Cum quoque si diutius retineatur, accedatque partis alicuj[illegible] caliditas, mucositatem potius quam putredinem [illegible], pituitæque putrescentis nullibi in generibus illius explicandis, ut aliarum specierum, authores meminerint, Accedit & hoc, quod ejusmodi febres quotidianæ, quales forte, ut singulis tribus humoribus excrementitiis, pituitæ, bili flavæ & atræ, suas febres accommodarent, excogitatæ fuerint; aliaque sit Febrium *Epialarum*, quod & calor & frigus simul tunc urgeant causa.

Quoad *serosam* vero pituitam febres inducentem attinet, id seri potius quam pituitæ causa accidere jam in *sero* demonstrabimus,

Serum, sicuti in venis sanguinem diluit, illiusque calorem humiditate sua contemperando febres mitiores reddit, & quando bilis illi excrementitia permiscetur, in Ictericis, illius fervorem compescendo facit ut febrem non accendat: Ita & in venis mesaraicis; biliosæ sanguinis materiæ putrescenti, majori copia permixtum, efficit ut febres lentæ magis, sed diuturniores, quales sunt nothæ prodeant; Cæterum à sanguine separatum, & in abdominis thoracisque capacitatem maxima copia effusum, vel sub cute collectum, illisque locis quam diutissime retentum corruptumque, fœtorem & acrimoniam acquirens, quale in hydropicis subviride & fœtidum sectione sæpius illis in locis contineri observavimus, febriculas aliquas, sed lentas, præsertim si in cordi vicinis locis abundet, tum ab ipsius calore & tenuitate, tum accedente fere partium corruptione nasci comperimus; quales & in leucophlegmaticis virginibus eo nomine provenire posse *Fernelius* quoque docet, concedimus. *Platerus.*

[23]. *In primis viis & venis mesaraicis*) Juxta proprias hypotheses Febris Intermittentis mineram & focum non ex primis viis & vasis mesaraicis deducit *Willis*, sed in sanguine fermentescere incipiente statuit, ex enarratione symptomatum plerorumque paroxysmum præcurrere solitorum, ex quibus constat qualis sit sanguinis effervescentia, pluribus siquidem horis antequam incipiat paroxysmus sentitur humorum ac sanguinis perturbatio, Cephalalgia, Vertigo, Oculorum coruscatio, Somni inquieti &c. quæ plane indicant sanguinem materia fermentescente prius infectum, & tantum eatenus differri paroxysmi insultum, donec cruoris massa hujusmodi materia ad turgescentiam saturetur: Paroxysmi statim ingruentis præludia sunt, modo in extremis manuum & pedum digitis, aut unguibus, pallor, interdum spasmus & stupor, modo in lumbis & femoribus frigus & dolor; aliquando totum simul corpus rigor & tremor invadunt, *quæ manifeste ostendunt sanguinem in arteriis & venis, nec non liquorem tenuem in partibus nervosis fermentationis motus primo concipere, & non à foco quodam aut minera hanc effervescentiam concitari.*

Quod si objicitur circa paroxysmum ægros sæpissime vomitu conflictari, unde videtur concludi materiam noxiam potissimum in ventriculo & primis viis stabulari, præsertim cum affectus iste vomitorio tempestive sumpto potissimum curetur; fatetur quidem in paroxysmo febris Intermittentis vomitus immanes sæpe concitari, hoc tamen sæpius contingere quoniam in rigore febrili membranæ totius corporis convelluntur, quare & ventriculus cum sit pars valde nervosa, convulsione afficitur, & proinde spasmo contractus quicquid in sinu suo fovet sursum ejicit: quod si præterea vasa choledocha bile turgent, etiam eodem viscerum spasmo bilem meatu felleo in duodenum exprimi & in ventriculum exantlari, ibidemque ferocia sua teteriorem adhuc vomitum provocaret, quare ut plurimum qui ob hanc rationem excitatur vomitus tantum in rigore succedit.

Quod autem bilis antequam urgeret paroxysmus in stomacho non fuerit, sed tantum viscerum spasmo & motibus cōvulsivis meatu choledocho emulgetur & in ventri-

culum effundetur, exinde constat, quod si vomitorium medio inter duos paroxysmos intervallo exhibeatur, parum vel nihil materiæ morbificæ eliciet: Porro humor iste amaricans istius ferociæ est ut diu in ventriculo contineri queat, quia statim cardialgiam & vomiturítionem procurabit.

Præter hujusmodi vomitum in rigore excitatum, quandoque in medio æstu aut sudore vomitio excitatur, cujus causa est humoris biliosi in sanguine redundantia, cujus si uberior sit copia quam ut sero diluta per sudorem excernatur, multa pars ejus, dum sanguis per anfractus hepatis circulatur, in vasa choledocha secernitur, quæ cum ad distensionem fuerint repleta, se exonerant, & bilem ex intestinis & ventriculo dimittunt, ibidemque spasmo statim excitato interdum vomitus provocatur, quandoque etiam alvi egestiones succedunt.

23. *In primis viis & vasis mesaraicis*) Pars affecta in Intermittentibus, ubinam collocanda? *Hofmannus* aliique solummodo in *abdomine* ponunt; continuas autem in thorace; At non est ratio catholica. 1. Quia continuæ febres excitari possunt ab inflammatione partium abdominis; unde particulæ febrilis materiæ inter circulandum ac fermentandum ad partes thoracis deferuntur, & per consequens ad cor; Id liquet in hepatis, ventriculi, ac mesenterii inflammatione, quas partes inflammatas continua febris sequitur: In puellæ xxx. ann. quæ ex febri continua interiit, aperto cadavere Pancreas obstructum & inflammatum reperiebatur, 2. Verum quidem est Intermittentes frequenter sedem habere in abdomine, sed non semper, Ex capite enim materia catarrhalis, quandoque cum sanguine refluo inter circulandum & fermentandum Intermittentem facere potest; 3. Ex vulnere seu ulcere partium externarum, manuum scil. & pedum, Intermittentes sæpe ortum ducunt: Hinc itaque concludendum non est, continuæ sunt, ergo in thorace: Intermittentes, ergo in abdomine &c. Probabiliter tamen dicendum arbitror quod frequentissime fomes mali sit in ipsis præcordiis, circa ventriculum, cava hepatis, lienem, diaphragma, pancreas, omentum, & præsertim mesenterium, unde fermentum, febrilis caloris causa, exsurgat: Indicio sunt symptomata illa quæ plerumque accessionum initio oboriuntur, anxietas, ac quasi suffocatio, præcordiorum intensio, dolores sæpe vehementes, nausea, cardialgia, vomitus &c. Necnon cadaverum eorum dissectio quæ febre Intermittente obiere. *Poens.* *pag.* 220.

24. *Loco, foco & fomite suo*) Quem à ventriculo repetit *Etmuller*, Vide supra §. *Causa proxima.*)

25. *Aliquando febris cessat, vomitu*) Sæpe initiis accessionum vomitiones urgent, quæ licet humore multo detracto naturam exonerant, non tamen critice sed symptomatice fiunt, neque morbum (*nisi raro*) recte judicant: ut enim continuarum febrium initiis, cum cruda sunt omnia, vacuationes omnes non naturæ vi, sed morbi potius impetu & symptomatice contingunt, Sic quæ per initia accessionum febrium Intermittentium contingunt, turgentis materiæ acrimonia, naturam irritante, proprioque morbi impetu, non solius naturæ victricis robore fiunt. *Ench. Med. Pr. p.* 345.

26. *Humorem istum sanguinis &c.*) *Willis*, qui sanguinis effervescentiam Febris causam statuit, cujusmodi illa sit in Febre Intermittente, sic disquirit: Effervescentia sanguinis in febre Intermittente pro duratione paroxysmi æque intensa & violenta est ac in febre continua, quare partes sanguinis *inter se*, aut cum *heterogeneo quodam admisso colluctari*, & supra modum fermentescere concludendum est; Ut vero *inter se* fermentescant & nimis ebulliant, requiritur & principium quoddam, velut imprimis spiritus aut sulphur nimis exaltatum & efferatum cæteris supereminear, quod dum iis conjugari nequeat, luctam & effervescentiam continuam inducat.

Verum ab hac causa febris continua ortum duceret; quia talis ebullitio sanguinis semel incepta, non cito sedatur, & si quando compescitur, non illico statim repetit; Quare pro Febre Intermittente supponendum est *heterogeneum aliquid* sanguini confundi, cujus particulæ, cum non assimilantur, eo usque ejus ebullitionem faciunt donec vel subactæ miscibiles reddantur, aut subtilatæ foras excludantur; quare tali materia subacta, aut foras exclusa, cessat paroxysmus, & quando repullulat hæc materia, novam ebullitionem concitat, & proinde novus infertur paroxysmus.

Circa hanc materiam, quæ sanguini confusa periodicas effervescentias & cætera febris intermittentis symptomata inducit, valde ambigitur, & diversimode disceptatur ubi generatur, in qua sede seu foco hospitatur, & qua ratione exacta adeo motus & ebullitionis tempora observet, sed quid mihi rem accuratius pensitanti in mentem venerit, dubitans propono, aliorumque judicio submitto.

Quod sanguinis effervescentiam exacte periodicam infert, sit aliquid necesse est quod ad singulas periodos seu febris accessiones, in stata mensura, & æquali semper proportione in corpore nostro generatur & cruoris massæ communicatur quo cum sanguis ad plenitudinem saturatur illico turgescit & effervescentiam concipit. hoc autem supponitur esse vel *humor excrementitius* in minera quadam delitescens, qui sensim, & certo tempore ad incrementum provectus & commotus cum cruore fermentescat, Vel est *Succus nutritius*, ex esculentorum materia suppeditatus, & in pondere & mensura sanguini communicatus, qui cum ob hæmatoseos defectum minime assimiletur, ad plenitudinem in vasis congestus, propter sui expulsionem turgescentiam sanguini inducit. Potiori modo Febrium intermittentium ratio vulgo explicatur, & ab humoris natura, ejusque sede seu foco, intermissionis & statarum accessionum causæ petuntur.

Hujus morbi Focus seu minera, unanimi fere consensu ad primam corporis officinam relegatur: atque hinc petitur intermissionis ratio, & Febris intermittentis à continua differentia: Materiam vero statuunt Bilem, Pituitam & Melancholiam, & prout humores illi, tardius aut citius putrescere perhibentur, etiam circuitus febriles unius aut plurium dierum spatio absolvi dicuntur.

Verum hæc opinio, postquam circulatio sanguinis plenius omnibus innotuit, merito rejicitur: Cum enim nusquam sanguis in vasis stagnet, sed cum perenni motu loca quævis perluat, eorumque sordes continuo transferat, impossibile est ut in venis mesaraicis, ubi vulgo asseritur hujus morbi minera, subsistat.

Quod attinet ad cavitates, sive specus, pro congestione humorum in visceribus, nec constat quo ritu sine tumore aut abscessu tales cudantur, nec quo instinctu tales humores in foco conclusi adeo exactis temporum intervallis accrescant, absumantur, ac denuo repullulent. Præterea, quod de Bile, Pituita & Melancholia, eorumque motibus periodicis affirmatur, omnino suspectum habemus, quia non dantur ejusmodi humores sinceri, quales in scholis describuntur; verum sanguis aut variam sortitus indolem, prout modo calidior, modo frigidior, natura sua talium humorum qualitates imitatur,

imitatur*, aut inter circulandum recrementa sua deponit, quæ in propriis capsulis vasisque deposita humores morbifici & præternaturales falso creduntur.

Quare cum *Succus nutritius* sit unicus humor quo sanguinis massa quotidie reficitur, usque supplementa usque in mensura & proportione fiant, proculdubio periodicæ sanguinis effervescentiæ ab hujus accessu & commixtione erunt deducendæ.

Alias annotavi circa particulas sanguinis triplicem cruditatis, maturationis & defectionis statum, nimirum succus nutritius, è quotidiano pabulo suppeditatus, crudus advenit: sanguini commixtus, & aliquandiu circulatus assimilatur, & in humorem perfectum maturatur, postea veterascens in partes abit, & spontur; Dum æquabili hoc tam sanguis continuo instauratur, & ejus dispendia reparantur, sine tumultu aut immodica effervescentia placide fermentescit, & intra vasa circulatur.

*Sin vero succi nutritii supplementum non (uti prius) maturatur, nec digestione perfecta in sanguinem facessit, ejus particulæ cruori confusæ, velut heterogeneum quoddam, & non exacte congener, in sanguinis massa persistunt; quibus cum ad plenitudinem saturatur illico turgescit sanguis, & effervescentiam febrilem concipit, qua vel subigitur, vel foras excluditur depravati succi hujus recens supplementum.

Dico igitur à primo instanti quo succus nutritius cum sanguine non assimilatur, ejus particulæ, licet commixtæ, adhuc cum eo sine magno tumultu aut perturbatione circulantur, atque ita deinceps donec ad turgescentiam cruoris massa adimpletur, tunc vero protinus ebullit illa & fervorem concipit: ad eundem fere modum ac cerevisia novella utribus infusa qui si strictim includitur ut nihil evaporet, primo sine fervore aut impetu in vasis illis continetur, postea cum effluvius usque cohibitis liquoris massa turgescit, insigniter fermentescit, & propter fermentationis impetum sæpe vas dissilire facit; etiam hoc stato tempore contingit, & totidem horarum spatio, velut in febre intermittente, liquor ad turgescentiam ἀκμὴν assurgit.

Adhuc difficultas restat, quam ob causam succus nutritius cruori confusus non assimiletur, quin in materiam heterogeneam & fermentantivam degenerat? Hoc utrum fieri existimo, nun alimentorum, nec viscerum culpa, sed ipsius sanguinis vitio, Etenim sanguis, secus ac vina, interdum à nativa & genuina in naturam acrem, acidam, aut austeram transit, Et quia *sanguis sanguificat*, usu venit ut cum ipse à debita temperie deficiat, succi nutritii penum, qui reparari debuit, facile pervertat; Qualis [illegible] tantum ab diathesis, & quo pacto contrahatur, inferius dicetur, ubi de febrium intermittentium speciebus, earumque causis evidentibus, & procatarcticis verba faciemus.

Effervescentia itaqua sanguinis, quæ febris intermittentis [illegible] oxysmum constituit, unice dependet à succi [illegible] assimulatione præpedita, hujus particulæ sanguinis [illegible] non (uti prius) maturantur, neque in [illegible] perfectum facessunt, quinharum mixtura sanguinis [illegible] (veluti cerevisia novella) corpusculis valde [illegible] vis imbuitur, quæ cum densius agglomera[illegible] cruor ad turgescentiam saturatus illico [illegible] fit ingens particularum agitatio & lucta, qua [illegible] em infringunt & subtiliant, donec tandem spiritu vitali præpullente, cæterisque subactis, quod heterogeneum est foras protrudatur, cujus consortio cum sanguis liberatur, sequitur apyrexia & accessionis febrilis intermissio; postea vero à novo hujus succi supplemento novus inducitur paroxysmus. *Willis de Febr. cap. 3.*

8. Rigore feriente ex pulsuum compressione, & spontaneis lassitudinibus) Propter quæ symptomata *Henricus Mundius comment. de Aere vitali*, Existimat primariam febris Intermittentis sedem in cerebro, & ejus appendice medullari quærendam: Ingruente enim, *inquit*, paroxysmo æger oscitat & pandiculatur; quibus præludiis succedit capitis dorsique dolor, & nonnunquam delirium; dein ægrum invadit, & sæpe misere torquet *Rigor*, vehemensque totius corporis concussio, quam sine ulla molestiæ intercapedine æstus subsequitur febrilis: qui fere post aliquot horas sudore oborto in apyrexiá terminatur, & exinde certæ induciæ in statam proximæ accessionis duraturæ horam: Hic licet conjicere materiam hujus morbi à sanguine aliquatenus depravata oriundam, in cerebrum & spinalem medullam congestam in latice, qui eas partes perluit hospitari: Eumque laticé ista materiæ saturatum fermentescere, unde Torpor, cum capitis & dorsi dolore oriri putatur; Probabile etiam videtur cerebri & ejus appendices membraneas frequenter præ dolore contrahi, eaque contractione rem molestam in nervos deferri, ubi utraque sensus & motus læsa facultate, rigorem & tremorem fieri creditmus, Qua commotione noxium illud è nervis excussum per lymphæ ductus in massam sanguineam transferri autumamus, ubi novos concitat tumultus, & gravem cruoris effervescentiam, quæ post aliquot horas materia febrili per poros diaphoresi judicata sedatur, donec satis novi fomitis in eundem locum denuo aggestum sit. *l. c. pag. 50.*

27. Humorem de novo generari &c.) Cognitio repetitionis febrium peti potest ab exemplo vitiati dentis, fluxionum provocatoris: Vulgo observatur proclives admodum esse catarrhos in dentium acetabula si unum vitium attigit: sublato dente, aut confestim cessat affluxio humoris, aut saltem nullo gravi symptomate sese prodit, Unde hoc? quoniam imbecillitas partis & vitium juvat istam proclivitatem catarrhi, imo veluti irritat & provocat: Sic necessario in ventre statuenda est diathesis mala, eodem modo viscus aliquod occupans ac vitium dentem ipsum: Illaque diathesis & infirmitas partis & vitium corruptionem alimenti in parte facit, Et motus humoris ejus, qui facile movetur, causa esse potest, Et sublata diathesi, vitio partis correcto, necnon διὰ τῶν ἐμφραγμάτων, cessat motus, irritatio, provocatioque humorum, febris aut similis affectionis authorum: Eodemque modo febris aliqua particularis esse potest, Unde quidam narrant os, aut caput, aut manum æstuare videri, ac si febre particulari prehenderetur. *Ballonius Epid. & Eph. l. 1. p. 96.*

Prognosis Febrium Intermittentium in genere.

Intermittentium omnium judicium certius est quam continuarum, cum Tertianæ breviores sint, si sint exquisitæ, sintque æstivales & vernales: Longiores vero nothæ & autumnales: Quartanæ vero omnium longissimæ, autumno incipientes, & per menses sex plerumque perseverantes, interdum tribus mensibus cessantes, errore nonnunquam ad annum producta, Ex duplicatis febribus singulæ suam naturam servant: Sunt autem febres hæ per se minime lethales, etsi quæ exquisitæ sunt admodum acutæ existant, cum ipsarum causa procul à corde, in ventre inferiore, circa excrementorum sentinam lateat, à quo loco melius quoque expurgari potest, Nisi ea in majores venas translata continuam excites, quæ deinde

periculosa est; Fit tamen quoque, si diutius febres intermittentes perseverent, aut frequentius infestent, ut visceribus vicinis læsis, hepate; liene, ventriculo & intestinis, novi inde morbi, & graviora periculosioraque sequuntur symptomata, ut Colicus dolor, Icterus, Hydrops, similiaque quæ ob errorem ægri, nonnunquam & Medici, possunt accidere. *Platerus.*

Febrium Intermittentium cura est tanti momenti, ut ea neglecta, nisi naturæ beneficio crisice solvantur, in tempus longissimum protrahantur, & in varios morbos, aut acutos, aut diuturnos degenerent; Aut colicis doloribus quam atrocissimis *a*niantur, quos in quibusdam excipit paralysis brachiorum & crurum, ea tamen imperfecta, qua sensu illæso motus permittitur, *Enchir. Med. Pr. p. 345.* Breves & securæ esse solent Febres intermittentes si bonus sit totius corporis habitus, si viscera bene sint affecta; si ver aut æstas adsit, Si æger non multo utatur alimento & parce bibat, Contra vero longiores & contumaciores esse solent, si prava adsit Jecoris aut Lienis affectio, Si æger abundet humoribus pituitosis aut melancholicis, si hyems vel autumnus urgeat; si æger multo utatur alimento, aut potu multo calorem opprimat. *Riverius.* Febres quoquo modo intermiserint, periculum abesse significant. *Hippocr. aph. 43. 4.*

Quoad *Prognosin* in genere, *Urinæ* inspectio, inque ea cruditatis ac coctionis observatio, utut non adeo sit necessaria ac incontinuis acutis, tamen propter evacuationem, & hinc specificorum legitimum usum, inprimis observanda; Nam quo citius aut perfectiora signa coctionis signa se exhibent, eo securior, ac etiam brevior febris innuitur: Sin vero vel pauca, vel non perfecta, coctionis signa se offerant, præter febris longitudinem, infida solutio, cum metu nempe recidivæ, vel febris in alium morbum diuturnum degeneratio metuenda; Observantur hæc in urinis aliquandiu post paroxysmos collectis, nam omnes quæ in paroxysmo excernuntur, crudæ esse solent; in paroxysmo enim mediante fermentatione fit coctio, quæ eo finito, ceu facta, in urinis se exhibet: Quod si Intermittentibus juncti sint scirrhi viscerum quorumvis, vel tumores his cognati, præter febris diuturnitatem, ferè lethale signum esse solent, dum aut febri intereunt, aut superveniente hydrope moriuntur; aut chronico quasi cachectico vitio successive enervantur. Intermittentes; vel successive perfecte curantur, vel male curatæ abeunt in febrem continuam lentam vel hecticam: Curantur probe per *sudores*, quæ solutio omnium tutissima, Interdum supervenientes Icteri has febres solvunt; Quo etiam suo modo pertinent ulcuscula labiorum, utut non solventes febrem, fausto tamen utplurimum omine erumpentes: Sane *Salmuth cent. 2. obs. 2.* refert Tertianas intermittentes per inflammationem labiorum criticam solutas. *Ettmuller.*

Curatio.

[28]. *Curatio* [29]. rationem habet I. [30]. *Morbi*, seu Ipsius febris quæ refrigerationem reposcit per medicamenta refrigerantia & humectantia, de quibus in specialibus.

II. [31]. *Causa febris* seu formenti putredinalis, [32]. quod corrigi & subduci debet.

1. [33]. *Præparatione*, per [34]. *taraxacum*, [35]. *acetosam, cichorium* [36]. *scolopendriam*, *betonicam*; & alia. [37]. *Refrigerantia*, nec in accessione, quia tum natura oblidetur; nec in declinatione, quia tum tempus resolutioni aptum; sed in vigore, quia tum calor effervescit, adhiberi debent.

2. [38]. *Evacuatione* [39]. *per inferiora*, ut humor qui primum vitium concepit educatur, antequam partem debilitet & sanguinem inquinet, [40]. eaque *die intermissionis*, inprimis si materia loco remotiore sita est; quia die paroxysmi natura laborat; & materia quæ purgatione à circumferentia ad centrum trahitur, tum à centro ad circumferentiam ductu planè contrario tendit: *sæpius repetita*, [41]. ut primis viis depuratis fomentum subtrahatur. [42]. *Specificum purgans* quod Hartmannus laudat, *ex Vitro antimonii*, saccharo Canario, farina triticea & croco componitur, & à scrup. ſ. vel uno ad drachm. j. sub initium paroxysmi & primis horroris vestigiis, adultis & robustis, fœminis dr. ſ. eodem ita præscribente, exhibetur.

3. [43]. *Venæ sectione* [44]. inprimis si sanguis in vena cava abundat, [45]. & à vitiosis humoribus corrumpitur. Si differatur, & febris vires acquirat solent pustulæ apparere.

4. [46]. *Vomitu*, si materia parata, [47]. nauseaque & vomendi desiderium affligit, Materiam quandoque è mesaraicis eliminat, [48]. si per fortiora moveatur, & [49]. *exhibetur*, vel die quietis post sumptum cibum, ut antecedens causa auferatur, vel instante paroxysmo, ut materia eum auctura minuatur.

5. [50]. *Sudore*, & quidem ut plurimum [51]. in fine paroxysmi, ut *ἀδέσποτα σπινθηρώδης* discutiatur, per sudorifera evocato: qualia sunt, *Theriaca è citro Konnerdingii*, quæ paratur ex conserva Citri saccharata, theriaca, smaragdo, terra sigillata, & speciebus elect. de gemmis cum syrupo de succo Citri, & datur à dr. j. ad ij. per se vel in aliqua aqua: *Theriac. antimonii*, ex antim. diaphoret. p. j. & duabus theriacæ composita, & à gr. xv. ad xx. exhibita: *Mixtura sudorifera Grulingii*, cap. 11. p. 207. Florilegii, de qua in sex brodii carnis cochlearibus tria cochlearia dantur: *Mixtura* ex [52]. olei vitr. scr. j. Salis absynthii scr. jſ. Aquæ cichorii unc. j. quam apud Crollium p. 40. invenies.

6. [53] Adhibentur aliquando [54]. etiam in principio, & quidem si non tanta materiæ copia, [55] feliciter [56]. *præcipitantia*, ut vocant, [56]. qualia sunt, *pulvis è* [57]. *cochlearum testis Crollii*, cujus scr. ij in haustu cerevisiæ cum pauxillo butyri recentis sumuntur, sed non nisi a firmis præmissis purgantibus; *pulvis à matre perlarum* calcinata, cujus scrup. iv. [58]. *magisterium oculorum cancri* majore vel minori dosi: & *pulvis serpentinus*. De [59]. *pulvere* [60]. *febrifugo Peruviano scito*, Eum ex cortice arboris *Gannanaperide* dictæ amare parari, & [61] duarum drachmarum pondere, subtilissimè tritum & cribratum, [62] post in unciis aliquot vini generosi per 40. vel 50. horas maceratum, valida expressione facta [63]. ingruente paroxysmo propinari, & proxime recurrente paroxysmo iterum repeti, [64]. purgato tamen primum bene corpore, nec ullo alio medicamento per quatuor dies ab assumptione

assumptione propinato. de quo vide Bartholinum hist. 50. Cent. V.

7. [66] *Extra* [66]. applicatnur [67]. ad Carpum, [68]. *Emplastrum febrifugum Strobelbergeri*, quod in Schroderi pharmacopœia habes, post novem dies in aquam projiciendum: *tela aranearum* cum unguento populeonis. *Caput allii* cum pauxillo salis & croci, maribus ad indicem dextræ, fœminis sinistræ, & relinquuntur per novem dies: Soleis [69]. tinca piscis, raphanus &c.

[70]. Inter *magica* est Caput serpentis ante paroxysmum appensum. Sunt & qui affirment febres ex esu alicujus piscis contractas tolli, si ejusdem piscis in pulverem redacti dr. s. ante accessionem. in vino, vel aceto exhibeatur.

III. *Ægri*. [71]. Et tum victus commodus præscribendus est, ut vires foveantur & partis debilitati providendum.

Curatio rationem habet 1. *morbi*.) Symptomatum etiam ratio habenda.

Symptomatum correctio. & 1.

Frigoris cujus curatio instituitur mistura ex *aqua foenic. petroselini. theriacali simpl.* cum *Sale volatili succini, laudano opiato* & *syr. carduiben.* Nil æque frigus temperat ac *oleum caryoph.* ter quaterque in paroxysmo exhibitum.

Calori, Confert *spir. salis dulcis*, *decoctum acetosæ cum hordeo.*

Epiala febri conducit mistura *ex aqua card. ben. cichor. theriacal. aum ocul. cancr. aceto stillat. syr. v. radic.*

Sitim tollit *aqua hordei*, *syr. portul. spir. sal. dulc.*

Famem, *oculi cancr. margar. corall. creta Misturis addita* vel ex *cerevisia* sumpta.

C[illegible] conferunt *Opiata* cæteris addenda.

[illegible] Torminales & *colica* conducunt misturæ ex *aqu. [illegible]hæ. fœnic.* cum *spir. nitri laud. op. spir. sal. armon. ol. fœn[illegible] anisi.*

Syncope pr[illegible]endæ mistura ex *aqua menth. vita Matth. ol. Caryophy[illegible] syr. cochlear.*

Suffocatio hypochondriaca curatur *tinct. castor. spir. salis Armon. ol. caryophyll.*

Anxietates anhelosæ curantur iisdem.

Asthma incid. humor. e inglutinos. & vomitor, phlegmagogis potentioribus, ut sunt omnia *Mercurialia*, *colocynth. hermodactyli*, inprimus Pilul. forma exhibita, & per epicrasin educentia: Flatus sunt tollendi emendando illorum causam efficientem, tum genitos discutiendo.

Tussis tollitur temperando halitus acres, eosque discutiendo, quod faciunt opiata, juncta volatilibus oleosisque salibus; exhibita instante paroxysmo.

Catarrhi crassi & viscosi attenuandi & incidendi aromaticis, *Serosi & salsi* temperandi oleosis; minuenda eorum copia phlemagogis & hydragogis; Partes sunt corroborandæ aromaticis & glutinosis, Empl. unguentis &c.

Arthritidis Curatio perficitur, succi pancreatici universali emendatione. 2. bilis correctione & eductione 3. pituitæ alteratione & diminutione; 4. articulorum contra dolorem corroboratione; Quæ causarum diversitatem respicere debent, nempe bilem, pituitam, succum pancreaticum. Conducunt Cataplasm. *ex far. & lacte* bubulo, vel ex *lacte eburyrato*, aut *far. fabar. flor. sambuc. chamæm. ex pane triticeo* sive *flore farina*; item Epithem. ex *op[illegible] aceto calendul. aqu. sambuc. fumar. theriac. simpl.* vel *[illegible]a* in cataplasin, epithem. ungu. emplastris, li[illegible] *opiatu*, exhibita, Item, *Oleosa ungu. album camphor[illegible] refrigir. Galeni*, *Martiat. Aregon Balsamus sulph[illegible]* Item ungu. & Linim. ex *salibus volatilibus* cum *axung[illegible]a, butyro* parat. Item *camphora* addita linim. [illegible] Aliqui commendant *salivam* propriam parti appl[illegible]

Insana febres curantur corrigendo bilem acrem, oleosis; opiatis, [illegible]sionibus, interne & externe applicatis.

Vomitoria curantur figentibus bilem, austeris coagulantibusque, ut & opiatis obtundentibus.

Cacatoria curantur iisdem, & *diascordio*, *conserv. rosar. rubr. sangu. drac. terra sigill. conf. hyacinth.* in condit. redactis, ut & *potu chalyb.* & aurato, vino, cerevisia, Inprimus conducunt Formulæ siccæ.

Sudatoria tolluntur austeris, ut sunt *acetum stillat. corall: portulaca syrup* quibus adde *acaciam*, *succum hypocistid. dr. aqu. plantag.*

Uretica curantur iisdem medicamentis.

Sputatoria hydragogis, diureticis, sudorificis, ante paroxysmum sumptis.

Odontalgica, tum generalibus, tum humoris acidi temperatione, vel applicatione ad dentem *theriac. rec.* vel educendo humores hydragogis. *Margravius Prodrom. pag.* 85.

Frigus, *Rigor*.

Frigus & Rigor omnium optime compescuntur per *aromatica*, præsertim sub *Olei vel extracti* forma usurpata: v. g. mirabiliter frigus & rigorem compescunt *Olea destillata caryophyll. junip.* ac similia, ingruente paroxysmo regioni stomachali inuncta, applicato desuper latere probe calefacto. Vel

♃. *ol. destill. macis, caryoph.* āā. ℈ß. *junip.* ℈j.
ol. nucis moch. expr. ʒj.
m. f. Balsamus præcordiis inungendus.

Qualis Iunctio etiam regioni lumborum aut plantis pedum interdum applicari potest: Imo solus later calefactus, plantis pedum applicatus, rigores etiam solet imminuere. *Interne* hæc ipsa symptomata optime corrigunt *salia fixa, extracta aromatica amara, olea destill. acria*, qualiber *opiata*, Hinc *mistura ex theriaca* cum specifico *Strobelbergeri* egregia est; præsertim in casibus, quando Intermittentes omnem calorem deponunt, & solo frigore molestæ sunt, sive algore. E. g.

♃. *Salis absinth.* ℈j. *matris perlarum*, vel *pulv. ostrear. præpar.* gr. xv. *piper. albi pulv.* gr. vj. *vel* vij. *Misce pro una dozi*, duabus vel tribus horis ante paroxysmum sumendis. Sic etiam in chronicis Intermittentibus, in quibus ordinario magis rigor urgere solet, vulgus *granoi. piper.* viij. vel xij. in grossa frustula concisa, in haustu cochlearis aquæ vitæ assumit ante paroxysmum, fausto cum successu; Item pro compescendo *Rigore*.

♃ *Salis absinth.* gr. xv. *lap. cancr.* ℈ß.
ol. destill. caryophil. gtt. ij. *laud. op.* gr. j. *misce f. Pulvis, capiatur ante paroxysmum*, inungendo simul dicto oleo præcordia. Vel
extr. absinth. ℈j. *salis absinth.* ℈ß.
cum s. q. olei destill. caryoph. f. Pilula, capiantur ante paroxysmum; Egregie calefaciunt: *Etmuller. pag.* 289.

Æstus Febrilis.

Curatio rationem habet) Ad *intermittentes ardentes*, præmissis præmittendis, nil melius est quam *Sal armoniacum*, vel solitarium, dosi ℈j. ad ʒß. ante paroxysmum usurpatum. Vel

℞. *sal. armon.* ℈j. *antihect. Poterii* ℈ß. *m. f. Pulvis dandus ante paroxysmum.*

Certe nil magis æstum intermittentium mitigat quam *sal armoniacum*, aut ejusdem *spiritus urinosus*, & hinc etiam *arcanum duplicatum*: Alias aliquot febres ordinario modo affligentes profligavi.

℞. *sal. armon.* ℈j. *ad* ʒß. *corallor. ppr.* gr. xv. *ol. destillat. junip. macis* āā. gtt. j. m. f. Pulvis ante paroxysmum propinandus. *Etmuller p.* 290

Acida, an qua talia in intermittentibus conveniant, dubito. Sane ex iis commodum adeo singulare haurire vix potui, nec nisi interdum, cum nimis urget *æstus*, pro hoc nonnihil compescendo, mediante fixatione humorum effervescentium, convenire solent, v. g. si in febre intermittente rigori superveniat intensior æstus, vel cum clamosa siti conjunctus, vel cum difficilis sudoris eruptione: vel quando ipsa intermittens ardens plus minus, in continuas degenerare velit; optima sunt, declinante nonnihil paroxysmo, aut saltem non ante ejus statum: tunc sequens mistura confert.

℞. *aqua rubi idæi.* ℥iij.
succi rubi idæi ℥iij. *ad* vj.
antimon. diaphor. ʒj.
succi rubi idæi. ℥ß.
spir. nitri dulcis q. s. pro sapore grato misce. Capiatur subinde cochleatim: Mirabiliter ardorem compescit, sitim minuit; sudorem provocat &c. Item proficuum observavi sequentis misturæ usum.

℞. *aqu. menthæ, fumar. acetosæ* āā. ℥j.
aceti sambuc. vel rub. idæi. ʒvj.
aceti theriac. simpl. ʒ^ß. *ad* ʒij.
lapid. cancr. præpar. ℈ij. *ad* ʒj.
syr. cort. aurant. ʒiij. *m. f. Potio cochleatim usurpanda.* Item proficua quando angustiæ & anxietates præcordiorum, item flatulentia, & hypochondriaca abdominis symptomata nimis urgent: *Etmuller p.* 289.

Virium prostratio, & Dyspnoea, Æstus.

19. *Curatio rationem habet*) Post Rigorem subinde, superveniente jam æstu, ægri conqueruntur de insigni *virium prostratione*, *respiratione anhela, celeri, frequenti & parva*, ac gravissimo *æstu interno*; utut quoad contactum externum minus æstuare soleant; Talibus in æstu paroxysmi, vel *spiritus salis armon.* quocunque modo propinatus; vel misturæ cum *aceto*, & *lapid. cancrorum* supra insinuatæ bono cum successu propinantur. *Etmuller. pagina* 190.

Cardialgia, Præcordiorum angustia, Anxietas.

In paroxysmis intermittentium subinde graves *cardialgiæ*, & *stomachi rosiones*. item *præcordiorum angustia*, similiaque symptomata, *inquietudinem* & *anxietatem* inferentia; idque inprimis in hypochondriacis & scorbuticis molestias pariunt; Curantur, præmisso pro circumstantiarum ratione, *vomitorio*, vel applicato in principio paroxysmi *clystere*, per *Empl. ex Tacamahaca*, vel sola, vel cum *cerato de ladano Cratonis*, cum *oleis destill.* malaxata, & regioni stomachi applicata. *Etmuller. p.* 291.

Cephalalgia.

Cephalalgia variæ post paroxysmum, aut die intermissionis, nisi suppressus sudor eas inducat, *oriuntur*, Fit tamen in febribus nonnullis, inprimis scorbuticis, ut in primis paroxysmis nullus omnino promanet sudor, sed declinante jam febre hic vel sponte prorumpit, ita ut noctu dieque interdum cum euphoria talis sudoribus tantum non diffluant: Ergo pro Cephalalgia tali, vel sudor patienter expectandus: vel blando *Epithemate camphorato* calido dictus dolor mitigandus. *Etmuller.*

29. *Curatio rationem habet*) In Febre curanda consideramus 1. Morbum, scil. intemperiem, seu calorem p. n. 2. causam morbificam ac putredinem: *Febris* est affectus cal. siccus, ideo indicat refrigerantia & humectantia, *Causa* vero indicat Evacuationem & Alterationem, qua putredo corrigatur manente substantia, & hæc alteratio vocatur Concoctio: Evacuationem vero, qua noxius humor vacuetur, sive per V. S. sive per Catharsin, ut docet *Gal.* cap. 89. A P. Putredinis causa solet esse Obstructio, quare hæc quoq; tollenda est: His junge Indicationem sumptam à Viribus, in Quotidiana servabimus robur Ventriculi, In Tertiana Hepatis, in Quartana Lienis, quia in his harum febrium fomes continetur. Hic etiam concurrunt Indicationes contrariæ, nam Febris postulat refrigerantia, Obstructio detergentia, quæ calida sunt, Et causa sæpe quoque calefacientia postulat, ut pituita, Verum hæc calida per accidens refrigerant ideo non tollunt indicationem desumptam ex natura febris. *Primirosius.* Vide supra Curationem Febrium Putrid. in genere.

29. *Curatio rationem habet*) Curatio Tertianæ, Quartanæ, Quotidianæ perficitur 1. Attendendo ad symptomata, *frigoris* præcipue & *caloris* diversitatem, Non vero tam ad intervalla quibus humores peccare creduntur. 2. considerando semper quosvis humores quovis modo in corpore peccantes, quia hi sunt causa cur pituita obstruens magis vel minus est glutinosa, Et succus pancreaticus magis vel minus acer, Unde paroxysmi variant circumstantiis & symptomatibus, Nam *à bilis* dominio fit pituita minus viscosa, & succus pancreaticus minus acer, unde febris facile curatur, 3. A *Pituita* in toto corpore dominante obtusior est succus pancreaticus & bilis, unde pituita obstruens est magis glutinosa, & febris segnius curatur, licet facile. 4. Ab *Acido* redundante bilis est magis fracta & iners, Pituita vero nunc glutinosior, inprimis acido vergente ad austerum, Nunc fluidior & serosior, præsertim quando acidum acrius existit, & serum salsum efficit muriaticum, unde difficilius curatur febris: 5. Eadem methodo qua simplices multiplices curátur, Nisi quod ob intervallum remissionis brevius majori circumspectione hic opus sit Medico, Et accurata occasionis applicandi evacuantia per alvum & vomitum observatione, quia nulla hic fere plena intermissio, sed tantum remissio est, & nocent multum non suo tempore applicata remedia. *Fr. Sylvius. Marggravius.*

30. *Curatio rationem habet 1. Morbi*) Febrium istarum omnium, tam Tertianarum quam Quartanarum, cujuscunque generis curatio simul explicanda, cum causa non adeo, quod ipsius naturam attinet, quam in utrisque nos *biliosam* statuimus, nec *loco*, quem in utrisque venas mesaraicas statuimus, discrepent.

Etsi plerique pro diversitate humorum tam naturalium quam præter-naturalium quotquot fere in corpore inveniri possunt, & excogitari, singulorum putredini suas accommodantes febres, singulis, vel saltem pluribus, certa curationis capita assignarint, non tantum tertianis & quartanis, quatenus *exquisitæ* vel *spuriæ*, *simplices* vel *duplices* sunt (quo nomine & nos ipsarum curationem variare dicemus) separatim singulis curationes præfigentes, sed & *tertianam nothum* à *bile citrina* (sic eam quæ pituita tenui & aquea diluta sit vocantes) genitis: Vel à *bile vitellina* (sic eam cui crassa pituita permixta sit appellantes) uti & huic *tertianæ*, quam *minorem* & *famæ notham* vocant, eamque à bile cum melancholici succi, vel atræ bilis præternaturali mixtione oriri existimant; Item huic quam à *bile prasina* vel *æruginosa* fieri dicunt,

dicunt, peculiarem curationem accommodantes; quod & diversis quartanis faciunt nothis, non tantum, uti volunt, fæce sanguinis, sed & bile, & pituita adustis ortis. Sed & *Quotidianæ*, quam non saltem à pituita simplici prov[illegible], sed & dulci, acida, salsa, vitrea, *epialas*, lipyrias [illegible]ctas, & ex illius mixtione cum melancholia vel bile fieri credunt, singularum quoque harum specierum privatam curationem docent; Eas item quæ ab hisce non alia ratione quam quod gravi syncope, ut & continua quædam in paroxysmis ægrum exagitant, & syncopales ob id dicuntur, ac si diversum constituerent febrium genus, peculiariter quoque quomodo curari debeant [illegible]plicant: Unde factum ut tam confusa & multiplex febrium curandarum descripta sit undique tractatio, tamque varii purgationum pro humorum diversitatibus, à quibus febres nasci crediderunt, modi sine propositi, quibus scatent integra febrium curandarum volumina; quæ si quis mutari vellet, ægro curam incertiorem redderet, quam si totum negotium naturæ committeret, quæ per se sola sæpe ad febres sanandas sufficit.

Itaque curationem omnibus Intermittentibus simul accommodantes, primum, quid *causæ* submovendæ ratione *evacuantibus* moliendum, Et ob *morbum alterantibus* efficiendum, *viriumque* restaurandarum causa, Denique *symptomatum* graviorum occasione faciendum; Curandi methodum ad singula interim tertianarum, quartanarumque diversitates respecturi explicabimus. *Platerus.*

In cura Febrium Intermitt. 1. *Fomes* materiæ morbificæ in [illegible] & primis viis resolvatur, & removeatur; incidentibus, abste[illegible]entibus, evacuantibus &c. 2. *Fermentum febrile*, [illegible] inde nati paroxysmi nati appropriatis, aliis dictis sp[illegible]is, enerventur & tollantur 3. *symptomata urgent* a[illegible]vocantur aut mitigentur, In specie calor, rigor, [illegible] 4. *Sanguinis dyscrasia*, aliquorumq; corporis fluidoru[illegible] viscerum, sub cursu morbi supervenient[illegible] alt[illegible]antibus debitis restituendæ: Hisce scopis fere ita [illegible]amus, dum præmissis salibus digestivis, v. g. *tartaro vitriolato*, aut *sale* hypochondriaco, propinatur [illegible] tonium, aut purgans per inferiora; quibus præmissi[illegible]aphoretica, tam vulgaria quam appropriata specifica, ante paroxysmum propinantur; Intermissionis [illegible]ebus eadem digestiva, & primas vias abstergentia, & postmodum alterantia aromatica, vulgo aperie[illegible]lecta, v. g. *absinthii essentia, elixir febrile* adhibentur. *Etmuller.*

Causa febris [illegible] *Evacuantia* [illegible]tione causæ administrantur, [illegible] tollatur vel minuatur, quam in venis meseraicis [illegible]ne[illegible] putrem, biliosam esse statuimus; Quæ [illegible] pr[illegible]us sublata sit, qui volunt aliis cursum paroxy[illegible]m, & motum naturæ hunc, per quem portionem al[illegible] causæ excutit, impediendo febres sanare, ut major empiricorum vel indoctorum turba facit, quia causa tunc r[illegible]et, graviores morbos, qui vel cessante febre, vel una [illegible] illa superveniunt, ut Colicam, ictericam, cachexiam, cæterosque inducent; Ergo primum per Evacuantia causa morbi tollenda erit; unde & *morbi calor* emendatur, & *symptomata* mitigantur. *Platerus.*

Quod corrigi & subduci debet) Curatio Febrium Intermitt[illegible]um perficitur 1. Incidendo Pituitam aromati[illegible], [illegible] volatili quovis, ita ut corpus penitus incalescat [illegible]neo, tegumentis; etiam ad sudoris eruptio[illegible] *Temperando bilem* acidis, Item educendo vomitorio [illegible] *antimonii*, 3. *Purgando bilem* per alvum, adjunctis [illegible]bus. 4. *Temperando aciditatem Pancreaticam salib*[illegible]us aromaticis & opiatis. 5. *Emendando effervescentiam* laudano opiato, quod oleositate sua tre mire lenit ac temperat. *Marggravius. p. 85. Sylvius.*

Præparatione) Præparatio humorum in Intermittentibus æque ac in continuis necessaria, eoque magis cum materia hic in venis meseraicis latens, putris, majori præparatione concoctioneque opus habeat, Et ne ulterius putrescat, putredo sit inhibenda, viæque aperiendæ, ut sic ex venis illis in intestina per cathartica rectius propellatur: Quæ ut melius operentur, hypochondria, dum his utimur, *oleo chamæmel.* vino permixto aliqui inungere jubent: Hæc pro ratione febris & corporis constitutionis distinguenda erunt. *Platerus.*

In nothis & longis febribus præsertim, de novo præparare & purgare oportet; Idque vel [illegible] præparantium purgantiumque formulis: Inprimis vero hic ea quæ simul & præparant, & vias & [illegible], & simul evacuant, laudantur, si aliquoties illis utantur, & postea nihilominus adhuc validiore medicamento purgentur. *Platerus.*

34. *Taraxacum*) Quod, teste *Schrodero*, refrigerat 1. & siccat 2. saporis amari, abstergit, aperit; hepaticum est, cum *endivia* conveniens, qua tamen potentius operatur; usus præcipui in febribus putridis inveteratis: Febre tertiana laborantibus pro specifico est, addit *Frid. Hofmannus.*

35. *Scolopendrium*) Verum seu ceterach. officin. calefacit & siccat, saporis acerbi, abstergit, splenetìcum est; Usus præcipui in duritie lienis, ictero, febre quartana &c.

36. *Betonicam*) Quæ calefacit & siccat 2. gradu, eatenus suspecta; conducit vero acredine & amaritie, ob quas dicitur, attenuat, aperit, & tergit, sed frigidiorum admixtione temperanda, ut & scolopendrium.

37. *Refrigerantia nec in accessione*) Præparantia febrifuga, diebus intermediis danda, optima sunt infusa & tincturæ liquidæ, quæ aperiendo humectent & fluxiles reddant humores, humida, aquea, diluentia; Eamque solemus observare methodum, ut id tempus extra & ante paroxysmum curationem dividamus; extra paroxysmum optima sunt dicta: *Wedelius Amœn. m. m. p. 218.*

38. *Evacuatione*) Tenuium humorum expurgatione, cum sero & ichoribus per diuretica & hidrotica perfici posse Vide Tit. 3. De Febribus Putridis in genere. §. V. *Sudatione.*)

38. *Evacuatione*) An *Diuretica* conveniunt? Intermittentibus non conducunt Diuretica nisi cum immodicus præcessit Potus; humor enim continens earum causa in prima corporis regione collectus commodissimam viam in alvum, non in venas majores, renes aut vesicam habet per quam expurgetur: At cum non in sola prima corporis regione, sed etiam in majoribus venis magna adest serosorum & crudorum humorum copia, ut prima regio catharticis, sic secunda diureticis per renes exoneratur: Adde quod Diuretica viscerum obstructiones solvunt, & crassos humores attenuant, ut vel hoc solo nomine, si modo acriora non fuerint, valde sint profutura, sed non ante quartam accessionem, in legitima Tertiana, Ante septimam in Notha sunt usurpanda, idque prius antegressis multis purgationibus, Quibus neglectis, si diureticis æger utatur, excrementitii humores è prima corporis regione in secundam, id est, venas majores transferuntur, & pro Intermittente fiet Continua Tertiana. *Ench. Med. Pr. p. 389.*

39. *Evacuatione per inferiora*) Purgatio humorum per *cathartica*, quæ naturam jam validius urgent & stimulant, ut sic à venis meseraicis materia putris febrium educatur, instituitur; Per quam enim semper aliquid deponendo, ut sic febres mitigentur, & tandem penitus cessent, efficimus: Cæterum in hac nec facienda, prius crassioribus excrementis eductis, humores ad purgationem præparari, posteaque evacuari debent; quæ duo & statim in principio peragenda erunt, nisi materia morbi tam sit copiosa, vel adeo turgeat, ut sponte jam exitum quærens, præparatione minime opus habeat; Tunc enim naturæ motus statim exhibito purgante ju-

vandus; Sed & nisi febris remittat; sed longius perseveret, per morbi quoque progressum ad præparationes & purgationes rursum redeundum: quod si nec cesset, tertio, & in summe pertinacibus & longis febribus, quarto quoque repetendum erit. *Platerus.*

Purgantia fortiora, præsertim vegetabilia, in nulla Intermittente conveniunt, præsertim initio: Paulo efficacior purgatio est nociva, turbat massam sanguineam, & dum cruda adhuc est urina, nihil noxium expurgat, sed vires debilitat, & febrem efficaciorem reddit, imo intermittens in continuam per ineptam purgationem degenerare potest.

Adeo in genere potenter purgantia, præsertim acriora vegetabilia, in Intermittentibus sunt vitanda. Conf. *Septalium in Animadv. l. 5. p.* 104. Imo in statu etiam, ubi copiosa sedimenta onerant urinas, si violentior eadem fuerit instituta, insigniter debilitat ægros, & paroxysmos insequentes aut graviores, aut certe febrim diuturniorem reddit. Possunt hæ febres curari sine ullis purgationibus per inferiora, dum vel vomitus in principio ex primis viis, vel sudor post paroxysmos, aut in declinatione universali erumpens, ex massa sanguinea sufficienter heterogenea expurget. Quod si in principio, aut progressu morbi, ubi contumacior videtur febris, instituenda sit purgatio, idque vel ob vomitionem impeditam, vel ob suspicionem excrementorum in primis viis latentium, sit ea levis, ultra quatuor vel sex sedes non proritans, idque specialiter in Quartanis observandum est. *Etmuller p.* 281.

Clysteres.

39 *Per inferiora*) Eapropter *Clysteres* ad alleviandam paroxysmi ferociam, ubi copiosi flatus aut borborygmi, aut ardores abdominis, aut dolores in centro mesenterij circa vertebras lumbares percipiuntur, sunt insigniter proficui: Item in ventriculi symptomatibus, ante vel in paroxysmo, v. g. vomitu nimio, anxietatibus, aut gravibus aliis symptomatibus, ex acrioribus & mordacibus æruginosis succis ad ventriculum delatis; in, difficulter vomentibus, h. e. orificio superiori ventriculi robusto instructis; id quod eo magis observandum quando alvus alias est contumacior, aut excrementa indurata fuerint, uti istud subinde evenit in hypochondriacis & similibus, Fiant saltem ex leniter abstergentibus aut carminantibus. E. g.

℞. *species. emoll. carmin.* āā. *m.* j.
salisciner. clavellat. ʒij. *ad* iij.
coq. in s. q. aqua simplic. colat.
℞. ℥viij. *adde ol. de baccis lauri* ℥j.
scoriar. reguli antimon. ʒj.
ol. destill. tereb. ℈j. *f. Clyster.* Vel
℞. *rad. levist.* ʒvj.
flor. chamom. m. j. *sambuci, fol. lauri* āā. *m.* ß.
sem. lini, fœnugr. āā. ʒij.
coqu. in s. q. aq. comm. in Colat. ℥ix.
dissolve Elect. hiera cum agar. ʒvj.
de baccis lauri. ʒiij.
ol. angel. ruta, carvi āā. gtt. iv. *misce f. Cl.*

Injiciuntur imminente paroxysmo, hora una altera've ante ejusdem invasionem; In *Scorbuto*, ubi dolores abdominis aut lumborum graviores adsunt, ex lacte fiunt, v. g.

℞. *lactis caprilli* ℔j.
dissolve mellis rosat. rutac. āā. ℥j. *ad* ℥iß.
vitell. ovor. n°. ij. *Misce, pro 2. Injectionibus.*

Non rarum est quod febres diuturnæ, præsertim Quartanæ, aut junctam habeant *Colicam*, aut in hanc terminentur; quo in casu emollientia ac temperantia clysmata sunt optima. *Etmuller.*

40. *Eaque die intermissionis*) *Contra nonnullorum sententiam (& ipsam experientiam) qui die paroxysmi felici cum successu purgantia exhibent*; Si in febribus Intermittentibus, *ait Petrus Monavius*, quibuscunque, apparente aliqua, etiamsi non perfecta, in urinis coctione; ægro ipso die paroxysmi purgans dederis, ita ut effectum suum ante paroxysmi invasionem compleat (horis scilicet 4. aut 5. antequam paroxysmum adventurum putas) videbis febrem post illum paroxysmum non amplius reverti, sed prorsus tolli quasi incantatione quadam: probavi jam sæpius, & in pluribus semper eventus respondit: In Tertianis post 3. aut 4. paroxysmum hoc facio, In Quotidianis tardius, In Quartanis tardissime, ac vix ante xxx. diem. *Epist. 37. l. 2. Epist. Cratonis.* (*nota*) In Quartana admittit Author purgantis exhibitionem ante Paroxysmi invasionem, vide infra cum eorum notis qui fulciunt hanc sententiam.

Etiam die paroxysmi recte purgatur, Ego jam sæpius probavi, & in pluribus semper eventus respondit. In Tertianis post tertium aut quartum paroxysmum hoc facio, In Quotidianis tardius. *Johan. Crato Consil. 2. p. m.* 417.

2. *Et sanguinem inquinet*) Ideo in principio ante reliquorum usum, & V. S. si illa facienda sit, intestina ab excrementis, quibus perpetuo scatent, elui debent; tum ut quæ sequuntur remedia reliqua melius operentur, tum ne per V. S. venæ inanitæ excrementa, uti voluerunt, rapiant; quod *injectu exhibitisque* perficitur, Injecta *clysmata* citius id perficiunt, & cum intestina tantum eluere cupimus, præsertim usurpantur; *Suppositoria* loco clysmatum, usurpari possunt, quibus iteratis eodem die bis aut ter, naturam potentius nonnunquam quam per clysmata operari vidimus. *Platerus.*

41. *Ut primis viis depuratis*) Hinc confert *Clyssus antimonii sulphuratus*, qui in potum inditus febricitantium & apertum alvum servat, & urinam movet, & sudorem promovet, & refrigerat, unde cum indicantibus pluribus satisfaciat, aptissimum constituit remedium. *Wedelius.*

42. *Specificum purgans*) Genuina purgantia ex Antimonialibus aut Mercurialibus desumenda sunt, Nam hæc dum evacuant, simul corrigunt fomitem & fermentum febrile, adeoque appropriatissima sunt: quorum defectu mitiora vegetabilia, in specie *Sennata & rhabarbarina* substitui possunt. *Etmuller.* Purgantia talia sunt *Mediocria*, fortiora aut acriora nocent, v. g. usurpetur *infusum sennæ*, vel solicitum, vel cum *helleboro* in quartanis, aut cum *rhabarbaro* in Tertianis sociato, Quod si Pulveres placeant.

℞. *Tartar. vitr.* gr. xv.
sl. ammon. sulph. gr. ij.
trochisc. alhand. gr. ß.
ol. destill. caryoph. gtt. j. *m. f. Pulvis*, Vel Pilulæ.
℞. *mass. Pilul. de ammon. Quercet. vel Tartar. ejusd.* ℈j.
extr. absinth. gr. iij.
sl. amm. sulph. gr. ij. *m. f. Pilula.*

Omnium optimum Purgans, præsertim in chronicis.

℞. *conserv. rosar.* ʒß.
Mercur. dulc. ℈j.
sl. amm. sulph. gr. v. f. Bolus.

Egregius est *Mercur. dulcis*, viscida, pituitosa, cruditates chylosas, & inde lymphæ vitia inprimis evacuat; *Scammonium* vero acrioribus, & uti vocant, biliosis expurgandis inprimis conducit. Pertinet huc præsertim contra *Quartanas contumaces*, *Mercurius dulcis, cum Merc. vitæ* mistus, ad imitationem *Hartmanni Pr. Chymiat.* lib. 1. c. 4. §. 1. Vide *Cardilucium Off. san. p.* 225. Pertinet huc *specificum* empiricum pro Intermittentibus, præsertim in *Tertianis* vel *simplicibus*, vel *compositis*.

℞. *Mechoac. alb.* ʒij.
gran. piper. albi gr. *vel n°.* xxi. *lapid. cancror.* ℈j.
misce divide in iij. *partes aequ. propinandas in haustu vini calidi* imminente paroxysmo, expectando semper largum sudorem; Plures diuturnæ hoc

ipso

ipso curatæ fuerunt, Pertinet huc *Pulvis Com. de Warvich*, præsertim additione *Martis* correctus, ante paroxysmum datus, optime conferens. Vel

℞. *coralla. præpar. sal. absinth.* ãã. gr. xij.
scamm. sulphur. gr. ij. *vel* iij. m. dea ante paroxysmum, Egregie confert, præsertim si mox in recidiva capiatur. *Etmuller.*

44. *Specificum purgans*) Cum *Goppingæ* morarer narravit D. *Muscoskyus Med. Lic.* se miram oppido febrium intermittentium, ac infallibilem in pluribus curam vidisse, sequenti medicamento perfectam.

℞. *arsenici albi crystallini* gr. iij. *vel* iv. pro ratione subjecti, *mitte pulverisatum in vitrum parvum lati orificii, affunde fluvialis frigidæ q. s. apertum vas colloca supra prunas, agitando dum cesset strepitus:* Hæc mixtura probe confusa febrienti per 12. plus minus horas ante jejuno una vice propinatur.

Vbi per horæ quadrantem, aut paulo amplius, hanc stomachus retinuit; capiatur *aquæ simplicis* præterpropter quartar. unum, in hac solvatur *butyri* notabile pondus, cum *ovi luteo*; duabusque vicibus calide sorbeatur, imperata rursum aliquot horarum abstinentia: Insequitur anxietas magna largo sudore profluente: Tollit omnes Intermittentes, ipsamque adeo Quartanam: Auctor perhibetur Monspeliensis Medicus Anonymus, cujus filius Ringraviæ Palatinæ à pedibus in Wirtembergico Ducatu plures hoc medicamine persanavit.

Paradoxa cura: *arsenicum tantum non crudum, intra corpus, adhuc jejunum.* sumere, Quis enim hanc præparationem sufficientem facile credat? Quantum conjicio, partes arsenici deleteriæ volatiliores, per effervescentiam cum aqua fluviali, calcis vivæ æmulam, in auras avolant, relictis fixioribus, eoque mage fatuis: Effervescentiam autem & solutionem calor promovet; ipsum vero arsenicum, potestate salina, lactearum obstructiones, quæ sunt fere perpetuæ intermittentium productrices, haud dubie promtius atque alia quævis, expedire aptum natum est.

Mixtura pinguis butyracea videtur hoc fine exhiberi, ut veneni spicula, si quæ ab operatione forte supersunt in visceribus, obtundat; velut alias iis, qui venena sumpsere, pinguia imperare solemus: haustus autem pinguis non statim propinatur, ne vomitu reddatur sine fructu, quod modo fuit absorptum &c. Arsenicum dulcificatum & fixatum sunt qui ad sudores pellendos usurpent, & ita febribus etiam opitulari possit: *Paracelsus* spiritu ejus Quartanam curari docet l. 2. *morb. metall.* c. 5. Imitetur qui volet: *Dioscorides* l. 5. de m.m. c. 81. de *Sandarca*, corpore minerali agens, interne illam purulenta extussientibus dari; suffitu quoque cum resina ad veterem tussim adhiberi; De Juniperino gummi quidam interpretantur, sed perperam, res enim ipsa loquitur &c. *Rosinus Lentilius Med. Sept. vol. 2. p. 535.*

44. *Venæ sectione*) Phlebotomia in vena cutanea aliqua patente aliquando conceditur, aliquando improbatur; Omittenda est enim in Tertianis exquisitis, aliisque quæ vehementi calore, ob bilem magis adurentem, unde hæ febres fiunt, excruciant; Quin & in pituitosis, in senibus, & in reliquis quoque non temere, uti tamen vulgus facit, potioremque curationis partem hanc esse judicat, administranda; Cum enim nihil de causa conjuncta febris detrahat, hac ratione juvare minime potest: Sed & intempestive, vel temere instituta, rapta materia intra venam cavam, ex intermittente continuam facit; vel puriore sanguine, ob exhaustos venæ cavæ ramos, ex venis meseraicis retracto, is qui remansit biliosus putrisque; cujus frænum sanguis erat, quo contemperabatur, magis ferocit.

Vnde plus in febribus venam aperiendo, quam eam negligendo (nisi hæc, quod gravius aliquod symptoma, ut ex sanguine accenso partium internarum inflammatio metuitur) fiat, peccari observavi, Conceditur tamen interdum in *plethoricis* & *cacochymicis* hac ratione, Si summa *plethora* adsit, quam ex constitutione corporis cognoscimus, & *urinis* admodum *rubicundis* ac *crassis*, quas potissimum eo nomine observant; & si quoque permanens post febrem in corpore calor, non tamen febris adsit; tunc ad summovendam eam plenitudinem, cum sit naturæ gravis, uti & ad caloris eventilationem probatur, & in die quietis fieri debet: Licet enim nonnunquam in principio paroxysmi facta calorem reprimendo, & vapores ascendentes revellendo paroxysmum vel impediat, aut tardet, quia tamen sic naturæ motus impeditur, quo materiæ morbificæ portio excutitur, convenire minime potest.

Ergo tempore quietis (diligenter illud præsertim in duplicibus febribus observando & eligendo) non in morbi principio, sed augmento vel statu quoque; in Tertianis, vix ante tertium paroxysmum vel quartum, qui gravissimus esse solet, mitti debet; prædicendo tamen paroxysmi; qui sequitur maliciam, ne V. S. causa id accidisse putent; Eligendo venam communem, latam brachij, ut tutius secari possit; cui magis quam ut jecoraria mediana ve eligatur, intendendum; In *Quartanis* tamen privatim, in sinistro brachio facta, sed tardius, cum jam aliquandiu perseverarint (sunt enim quartanæ ab initio leviter tractandæ, ne duplex vel triplex fiat, aut vires concidant, quas ob morbi diuturnitatem conservare oportet) prodesse creditur.

Aut si *sinistræ manus* vena, minimo digito proxima, *salvatella* dicta, secetur, quam singulari quodam modo quartanas sanare credunt; In *Cachecticis*, quia non tantum sanguis venarum meseraicarum impurus est, sed & ille qui in venæ cavæ ramis continetur, vel antequam febris incepit (facile enim impura corpora hisce febribus corripiuntur) vel febre jam urgente, ut tunc quoque aliqua illius portio educatur, V. S. ne febris augeatur, aut nova accedat, conceditur: Et si emissus sanguis putris quoque appareat, longius fluere sinitur, Et si crassus & niger in quartanis appareat, major quoque ipsius portio educitur, sin minus, sistitur; & si necessitas exigat, sæpius iteratur; Verum ne bilis, sanguine detracto, amplius ferociat, syrupum aliquem refrigerantem, ut de *limonibus*, vel *violar.* mox post V. S. exhibere consultum est, vel uti consuetum, jusculo mox exhibito illud cavemus. *Platerus.*

44. *Inprimis si sanguis in vena cava &c.*) Sanguinis detractio si fieri posset ex venarum meseraicarum ramis, ubi causam putrem harum febrium latere statuimus, sine dubio, quia eam evacuaret, præstantissimum esset remedium, uti in febribus continuis, si rami venæ cavæ aperiantur: Verum cum venæ mesaraicæ nullibi ad cutem pertingant, nulla ipsarum sectio uti venæ cavæ ramorum cutaneas venas constituentium illuc fieri potest.

Hæmorrhoidum fluxus in hisce febribus, non solum *quartanis*, uti existimarunt, sed & *tertianis reliquisque* omnibus speciebus plurimum competit: hasque febres, etsi longissimæ sint, nec alio artis præsidio sanentur, per fluxum hunc sanari subito interdum videmus, Nec mirum, cum venæ hæ, venarum meseraicarum rami, causam morbi proximam, si sanguinem effundant, evacuent; Ergo harum fluxus, si sponte à natura, ut in consuetis fere fieri solet, concitetur, non est sistendus, & si parcius fiat, promovendus.

Sed & in Intermittentibus febribus, Quartanis præsertim, quibus ob sanguinis crassitiem, qui hac ratione melius evacuatur, privatim competere existimant, si naturam eo inclinare præsertim videmus, vel quod notæ aliquæ sanguinis interdum apparent, vel pruritus in podice sentitur, proritandæ sunt, quod fit incipiendo à fotibus levioribus, *sanguisugarum* applicatione, quod

omnium est commodissimum, vel *frictionibus* cum *foliis ficus*, *capri folii*, *&c.* Sunt qui eas secando aperiunt, quod tamen nisi vena manifesto appareat, ne podex vulneretur cavere oportet, Unde eos summos postea passos esse cruciatus observavi.

Menstrua quoque in fœmineo sexu si suppressa sint, etsi hæc non ut hæmorrhoides à venis meseraicis, sed venæ cavæ ramis effluant, atque adeo à causa proxima febris nil videantur educere, quia tamen naturalis hæc excretio certo tempore fieri debet, & si impedita sit, collectionis illuviei in universo corpore, causam quoque præbet, uti & hisce febribus, ea est promovenda, ut sic corpus purum reddatur, & eosdem quoque usus quos V. S. præstare quoque diximus præstet; Præsertim cum per hanc viam in impuris corporibus natura suam illuviem soleat deponere, & forte etiam ex venis meseraicis, propter vicinitatem venarum hæmorrhoidalium aliquis fiat ad hanc sedem transitus, quæ venæ etsi non ita ob exilitatem pateant, impletæ tamen distendi, uti in reliquis quoque videmus possint: Ergo menses, si non fluant, aut non decenter, promovere eos oportet, quod variis fit modis; inprimis vero secta saphena dicta, quæ vel statim menses provocat, vel illorum materiam exhaurit, Sed & licet prius ob generalem evacuationem vena sit secta; altero tamen mox die, vel sequentibus; malleoli hæc vena nihilominus aperiri debet, unde sæpe febris mox cessat, vel ut citius desinat, una cum aliis remediis adhibita facit: Sed & Purgantia, uti naturam solicitando excretiones movent, sic & menses provocant, sicuti hæmorrhoides. *Platerus.*

45. *Et à vitiosis humoribus corrumpitur*) Hinc magnæ est prudentiæ observare in ægris quibus phlebotomia potius confert, & quibus purgatio, ut non peccetur in medendo. In quibusdam enim febribus curandis melius est sexies pharmacum dare quam semel phlebotomare, quia febrium materia in talibus est in mesenterio conclusa, & non per venosum genus sparsa: Sed quibus corpus calidum & humidum, & putredini obnoxium, præsertim parum perspirans, & cum venæ sunt amplæ, tuto sectio venæ tentatur. *Ballonius Epid. libr. 2. pagina* 164.

46. *Vomitu si materia parata*) Si mox in prima invasione ventriculũ cruditatibus, & excremẽtis, pituitosis aut lentore, aut bile infestari videmus; sicuti ex cardialgia, quæ fere semper comes est, nausea & desiderio vomendi, cognoscim⁹, tunc potius ante V. S. vel si illa minime fieri debeat, mox ab initio minorans damus, vel vomitum, maxime in consuetis damus; *Vomitus* autem, cum per superiora, & *crudam materiam*, vel *lentam pituitosam*, quæ in ventriculis febricitantiũ interdum, non tantum ut causa conjuncta sed tanquam redundantia excrementorum hæret, & *biliosam* quoque, si illa motu febris ad ventriculum concitetur, excutiat, plurimum allevat, & nonnunquam febrem mitigat, & proin minorativi vices obit; Qui tamen si constipatio adsit, nisi prius alvus solvatur, promoveri minime debet.

Etsi porro *vomitus* obvia tantum prima fronte educere videatur, & sic ventriculum evacuare, is tamen sæpe, natura mota, sive à principio fiat, & postea in morbi progressu, causam conjunctam illam biliosam è venis meseraicis egregie excutiens, febrem mitiorẽ reddit, vel penitus tollit; atque ea ratione febres interdum mox curantur; vel si diuturnæ sunt, ut quartanæ, & post multas purgationes non cessent, interdum repetitis vomitionibus per duos tresve dies sanantur.

Quod & sæpe si magna copia bilis per violentas vomitiones, quod tamen non adeo tutum, reiciatur, accidit; cum materia biliosa febrilis in venis meseraicis contenta, sicuti cum circa intestinorum venas hæret, per purgationes tandem evacuatur, sic si in superioribus circa ventriculum, venis mesaraicis lateat, vomitionibus vel pluribus vel magnis educitur.

Probatur idcirco in *omnibus febrium intermittentium speciebus vomitus*, maxime si nausea, cardialgia, uti fere fit, adsint & vomere consueti sint, nec alia, inter quæ & censetur ventris constipatio, impediunt, cum nisi ea prius laxetur, vomitus noceat, alvumque magis, stringat, nisi vomitoria ob vehementiam illam moveant. *Platerus.*

48. *Si per fortiora*) *Stibio* aliisque fortissimis exhibitis, ut *helleboro albo*, plurimi fuerunt restituti; tunc enim copiam immensam serosi humoris cum bile citrina vel porracea vomunt, sicque magna è venis mesaraicis, à natura, quæ tunc admodum irritata est, fit evacuatio, Sed quia non caret summa hæc vis periculo, non temere in quibusvis propinari hæc, ut Empirici faciunt, debent. *Idem.*

47. *Nauseaque & vomendi desiderium*) Indicantur in specie si conquerantur ægri de saporibus amaris aut nauseabundis in ore, præsertim dum mane evigilant; aut quando persentiscunt angustias aut molestias quasdam circa præcordia, & monstrant regionem epigastricam: aut quando nauseæ vel vertigines tam in, quam extra paroxismum ægros vexant &c. *Etmuller.*

48. *Si per fortiora*) ℞, *vitriol. cypr.* frustum, infunde in aquæ ℔v. bibat hujus aquæ cæruleæ ℔ß. mane per 6. dies, si vomat æger curabitur intra decem dies. *Petrus Borellus Cent.* 4. *obs.* 77.

48. *Si per fortiora*) *Mercurius præparatus* ad febres curandas valde efficax est, quo supra 500. febricitantes liberavi, *Joh. Agricola comm. in Poppium tr. de Mercurio p.* 111. præparationem vide pag. 119. *Essentia Antimonii* in febribus, præsertim Quartanis, ꝫ singulare est arcanum; Præparationem vide ibid. *Tr. de Antim.* pag. 41. *Crystalli antimonii* in Tertiana experimentum sunt egregium. *Idem* pag. 99. ubi præparatio. *Ol. antimonii* ad omnes fere febres optimum est. *Idem pag.* 187. præp, vide pag. 184. In febribus *Tinctura sulphuris* valde prodest. *Idem Tr. de sulph. pag.* 442. *Præp. vide p.* 483. In febribus, præsertim Quartana, *spir. Salis Armon.* secretum insigne est, dosis gtt. v. ad x. cum *aqua cichor.*

49. *Exhibetur vel die quietis*) Tempus vomitioni aptum interdum dies quietis est; debetque jejuno ventriculo, si facile vomant, fieri, sin minus, ventriculo cibis pleno, idque præsertim si cibum adhuc, ut in progressu quartanæ & tertianæ sæpe fit, sumere possint; Tunc & antequam vomant, vel jusculum *pisorum*, aut *cicerum*, aut sicut in Gallia solent, ex lardo pingui, affatim bibant; Sed & in principio accessionis vomitus factus, & aliquoties cum paroxysmi incipiunt, repetitus, plurimum juvat, febrisque indeminitur vel brevior fit, citiusque cessat, inprimis si paulo ante paroxysmum venturum vomitoria exhibeantur, quia sic promptissime materia febrilis, quæ in suo motu est, evacuatur. *Platerus.*

Propinanda sunt Vomitoria, vel ante paroxysmum, duabus vel tribus horis ante eũdem; vel ita ut ante paroxysmum negotio suo fungatur: Quod si vero vires ægri bino febris & vomitus labori non videantur sufficientes, die paroxysmum proximo antecedente propinentur. *Etmuller.* Vt [illegible] &c.)

50. *Sudore*) *Febrifuga* proprie dicuntur quæ id exterminandi vi pollent, sive sint diuretica sive *hidrotica* sive occulta vi id peragant; Usus est præsertim in febribus chronicis, ad quas præsertim Puerorum, mire conferre dicunt Decoctum radicis eryngii cum ʒj. rhabarbari; pro potu ordinario, debetque rhabarbarum decoqui, non infundi, ut vis ejus aperiens servetur, purgans evanescat; *Gesnerus* in Epistolis laudat radicis Eupatorii *Avicennæ*, quam *ageraton*, herbam S. Kunigundis vocant, fibras in vino decoctas, alvum urinam vomitumque cient instar veratri albi, sed minus; Idem *Gentianæ succum* valde commendat; Quidam apud Anglos Aquas quasdam distillatas alexipyteras habent, quibus in qualibet febre intermittente utuntur statim; sunt omnes ex calidis

aquis

aquis distillatæ, sed non valent in Tertiana exquisita, sed potius in pituitosis febribus, aut in Tertiana notha, quando humoris pituitosi magna copia est; aut quando obstructiones sunt maximæ, nec in principio ante coctionem *Galenus* improbat in Tertiana: Pariter eadem ratione [illegible] [illegible]endæ sunt illæ Aquæ calidæ, sed post coctionem in malo contumaci & obstinatis obstructionibus u[illegible]es esse possunt: Dantur autem aliquot horis ante paroxy[illegible]m ut æ, ei sudare possit, cavendo semper ne temperamento sit valde bilioso, alias nimium inflammant: Duas ejusmodi Aquas *Quercetanus* [illegible] Pharmacopœa recenset.

℞. *melissæ, beton. argent. āā q. s. ut extrahantur succi* ℔iiij. *summ. fol. & rad. centaur. min.* ℔ij.
aqua astacorum. ℔j.
aq. papav. albi. ℔ss.
aqu. fragar. ℔j. *misce & destilla per cineres.*

Specificam esse ait ad omnis generis febres intermittentes, Tertianas præcipue Nothas, Sequens mihi pro secreto fuit communicata, composita olim à celeberrimo apud Anglos Medico.

℞. *Absinth. Angl. anagall mer. agrimon. beton.* āā *m.*j *centaur min. calamint. card. ben. coronopi, (alias cornu cervi vocant) dracontii. galega* āā *m.*j *granor. paradisi* ℥ss. *rad. garyoph m.*j *Caryophyll. xx.* āā ʒj. *hypericon. imperat. lotis odorati, melissæ. parthen.* āā *m.* j. *tritum piper.* ʒj. *roris sol. rorismar. rutæ, salviæ, scabios. scordij, scorzon. thymi, verbenæ* āā. *m* ss *incidantur & contundantur, per biduum in vino albo macerentur in vase clauso, deinde distillentur ad siccitatem;* [illegible] *si sal calcinando elliceatur, potentissima fiet* [illegible] *d omnes viscerum obstructiones emendandas.*

Vale[illegible] [illegible]nes febres potissimum contumaces, exhibea[illegible] [illegible]uantitas cum spiritu vitrioli: Multa alia ad e[illegible] [illegible]oreslaudantur, ut *sal gemmæ ad* ℈j. *Sal Absynth.* [illegible] [illegible]l urinæ, cum extracto gentianæ & vino albo au[illegible] [illegible] convenienti: Commendat *Platerus camphora* ʒss. [illegible] [illegible]tiam in [illegible]tus vini ℥j. dando ante paroxysmum. Sed hoc esse falsum experientia certa cognovi: Ali[illegible] sequens laudat.

℞. *Aqu. Nucum viridium.* ℥iv.
aqua veronicæ. ℥j.
theriacæ ʒss. *essentia croci* gr. iij.
m. fiat dosis. Vel
℞ *Vini albi* ℥v. *sacchar.* ʒj.
olei Tartari. ss.
Misce fiat haustus ante febrem, sudetque in lecto si fieri possit. Valet etiam in Peste.
℞. *flor. sulph.* gr. xij.
aqu. card. vini albi āā. ℥ij. *Misce*

datur ante paroxysmum. Decoctum Pilosellæ quoque laudatur, Plurima alia reperiuntur quibus temere fides non adhibenda, nam qui temere in quartana calidis usus erat, ex simplici duplicem fecit, ac verendum ne idem in Quartana accidat, quod contigisse sæpius vidi ex importuno Aquarum febrifugarum usu, quas mulieres contra Medicorum consilium exhibebant. *Primerosius.*

Sudore. Rarius, aut fere nunquam, nisi interdum per accidens, solis purgantibus ac V. S. cedunt Intermittentes, quin alia insuper requirantur, quæ fermentum [illegible]le corrigere, fumitem febrilem alterare, & massæ [illegible]neæ vitiatam crasin emendare valeant, eaque [illegible] sunt *Diaphoretica*, quæ sane in omni Intermittent[illegible] sunt optima, sed ea partim communia, salina, tam [illegible]quam volatilia; partim appropriata, quorum vis i[illegible] destructione febrilis fermenti, ejusque per *sudorem expulsionem*: fere consistit, ut est v.g. *China China* contra Quartanam; item *mistura Crollij* contra Tertianas: &c.

Sed hæc ipsa diaphoretica, item specifica, nunquam usurpari debent nisi prius purgatum fuerit corpus, aliave debita universalia præmissa fuerint, alias febres reddunt compositas: Assumenda sunt autem semper instante febre, una, duabus vel tribus horis ante paroxysmum, ut ita junctis viribus cum natura operentur.

Eligenda autem sunt Diaphoretica pro varietate symptomatum in paroxysmis distincta: In specie calida nimis, sive aromatica, etiam theriacalia vitanda sunt, ubi intensior æstus affligit ægros, utpote in quo casu fixa magis conducunt.

Ac sane Febris Intermittens tuto curata dici potest nulla nisi per sudorem successive finiente: Interim observandum, in declinatione paroxysmi, si sponte sudet æger, cooperiatur leviter, alioquin si beneficio naturæ non erumpit sudor, ante paroxysmum quartum non provocetur, idque in *Tertianis*, post quem apparentibus coctionis signis, in fine accessionis commode cieri potest: *In Quartanis* ante coctionis signa nec prosunt, nec proliciendi sunt; Quod si ante talia signa sudent Quartanarij, equidem non supprimendus est, alias graves dolores [illegible] inferre solet; de quo vide *Pharos Med. p.* 199. Et sane quælibet specifica mediante sudore febrem profligare solent. *Ettmüller.*

[51] *Fine Paroxysmi*) In ipsa accessione quidem *piper* cum *spiritu* vini exhibent; Vel *absinthium* in aceto coctum cum pauco pipere, tribus diebus continuis, quanquam multis male cesserit, non paucis tamen profuit, sive quod vomitum provocarit, sive quod horrorem febrilem discusserit. *Th. Bartholinus hist.* 48. *cent.* 5.

[52] *Olei vitrioli*) Oleum hic aqueum, non pinguem liquorem denotat, adeoque à spiritu nisi crassitie differt; *Oleum* autem *vitrioli dulce* diaphoreticum est insigne; pollereque vi leniter adstringendi. *Schroderus Pharmac. l.* 3. *p.* 492.

[53] *Adhibentur aliquando*) Paroxysmus in febribus Intermittentibus totius morbi decursus est, in quo omnia febris accidentia, quæ à calore & frigore proficiscuntur, se proferunt, eoque cessante cessant; qui paroxysmus, & per consequens febrium hæc accidentia si impediantur ne eveniant, *cura* quoque sed illegitima est, qualis symptomatis attribuitur, cum causa non auferatur, sed duntaxat illius *evaporatio*, vel motus eor accendens impeditur, Hæc autem quæ illud præstant, potissimum *Rigorem* prohibent, qui principium est *Febrium Intermittentium*, quo impedito, cum hunc vulgus maxime respiciat, etsi calor aliquis levis superveniat, nihilominus febrem cessasse, vel mitiorem factam esse existimat.

Sed & fit ut cum *rigor*, per quem materiæ febrilis corpus pervadentis, rigoremque excitantis, fit per corpus transitus impeditur; cum tunc illa non per rigorem commota subsistat, tam *rigor* quam calor minime superveniunt, & febrilis paroxysmus sic illorum usu, quibus rigorem impedimus, penitus cesset.

Quod tamen, nisi purgata prius & concocta sit materia si fiat, tuto minime aut recte fieri potest; cum causa relicta, & si febris desinat, graviora tamen inde sequantur accidentia: Sicuti Empirici his tantum intenti, ut mox ita febrem sanent, in colicos cruciatus, icteros, hydropes, ægros adducunt: Fit tamen quoque hoc interdum etiam secundum rationem, si paroxysmorum multitudo vires multum atterat, ut aliquando, licet causa penitus sublata minime sit, paroxysmum hisce extraordinariis remediis cogamur mitigare aut sistere, sed ita ut nihilominus in cura methodica, in causæ sublatione procedamus: Sed & fit ut, licet causa sublata sit, adeo habitum contraxerit febris, & naturam in consuetudinem pertraxerit, ut hac consuetudine mota, hunc ordinem deinceps aliquandiu

nihilominus servet, tunc ut illum naturæ motum sistamus, maxime eo tempore quo febris invadere solet, vel cum jam præludia rigoris, oscitatio, pandiculatio, aut frigus incipiunt, vel etiam paulo ante horum adventum, ad *rigorem* impediendum, & per consequens sic paroxysmi partem aliquam, aut etiam una cum rigore calorem subsequentem, totumque paroxysmum retardandum, aut tollendum, ea quæ rigorem mitigare, vel penitus summovere possunt, remedia usurpabimus, rigori sistendo convenientia.

Quæ id faciunt, vel materiam, quæ corpus sensum pervadendo concutiendoque rigorem efficit, per evacuationes diversas divertendo, vel sensum nonnihil, ut minus irritationem partes sentiant, stupefaciendo, vel corpus subito in principio, antequam frigus & rigor superveniant calefaciendo, Quæ tamen omnia caute, & non prius (si modo non aliquid aliud, ut dictum, hoc urgeat) nisi materia præparata, & aliquo modo purgata, sit erunt administranda, & tunc primum ex uno aliquo horum, vel *evacuante*, vel *stupefaciente*, vel *alterante*, vel ex invicem commixtis præparanda.

Victus ratione, seu nutrimentorum exhibitione; cum natura à causa morbi ad cibum coquendum revocetur, sæpe fit ut si largius ante paroxysmum comedant, ille impediatur.

Evacuantia idem, naturam alio revocando, in excretionibus sursum deorsumve factis perficitur.

Per *Vomitum*, quem in principio paroxysmi instituimus, cum veluti revulsio quædam à venis meseraicis, è quibus materia ad cor evaporat, ad ventriculum fiat, paroxysmi impediri possunt; Sicuti & hoc sæpe fit, ut cum per vomitum causa in ventriculum & intestina excutiatur, non tantum paroxysmus impediatur, sed & febris penitus sanetur.

Purgantia paulo ante paroxysmum hora fere una exhibita, non ramen fortiora (quia cum ipsorum operatio in febris statum tunc incideret; & plurimum tunc debilitaret, & dum dejicere cogeretur, commoveret) sed leviora, quæ potius solicitando naturam quam purgando revellunt, eo modo sæpe paroxysmos præcavent, quo nomine, *agaricum*, *sennam*, aliaque dant, quibus quædam alterantia ob causam dicendam addunt: Ex pluribus autem *compositionibus*, quæ hoc modo illud præstant, hæc utiliora sunt.

℞. *epithymi, thymi, polypod. sennæ*, āā. ʒj *flor. borrag. p. j. f. decoctio, coletur, Capiat haustum hora una ante paroxysmum, addendo interdum parum vini.* In *quartana præsertim commendatur.* Vel

℞. *Sennæ* ℥ij. *turbith.* ʒj.
piperis ℈j. *Zinzib.* ℈ß.
cinnam. myrrhæ āā. ʒß.
sacch. ad pondus omn. f. Pulvis, dividatur in tres partes, Detur una ante accessionem ex vino albo.

Agaricus cum succo fumar. & *fænic. datur ad* ʒj. *ab Helidæo.*

Sunt qui *diagryd.* ℈j. *cum syr. violac.* ℥iij. *dant hora una ante paroxysmum*, instar castaneæ. *Mercurii pulverem* cum *aceto fortissimo*, *theriaca & sacch. in robustis exhibens aliqui.* Chymici hujus loco exhibent *Mercur. dulcem Mercur. vitæ, præcipit. rubr.*

Stupefacientia nonnihil, quia sensum partis minuunt, & interea sudores movent, ante invasionem quoque eo nomine exhibentur; ut *Theriacæ* ʒiß. plus aut minus, cum *vino* optimo data, ab omnibus in perseverantibus febribus laudatur; Aliqui eam cum *vino absinthite*, vel *aqua card. ben.* vel *menthæ*, vel *aqua rosar.* miscent, Cui alii *diatrion. pip.* alii *myrrham*, ut *Dioscor.* quoque addunt. In *Epialis hyoscyamum* laudat *Dioscor. dando fol. 3. vel 4. Sem. illius* ʒj. *cum vino aromatico* initio paroxysmi exhibita, iterando bis vel ter pro certo habetur præsidio; Sic syr. de papav. paulo ante paroxysmi adventum sumptus, sæpe quoque paroxysmos sistit.

Alterantia variis modis exhibita paroxysmos quoque sistunt, intus forisque admota, quibus & *motus corporis* jungitur; *Intrinsecus* & calefacientia & frigefacientia usurpantur, *Calida*, quia statim corpus accendunt, *frigus* & *rigorem*, & sic primam frigoris invasionem arcere videntur, unde nec calor postea, quem rigoris motus propellit, aut levior saltem sequitur, Sed & quia bonam portionem febrilis materiei, tenuioris præsertim dissipant, *Calida* illud præstare aliqui putant; uti & si *Sudores* mox moveant, hoc pacto quoque febrem præcipitant; Quæ tamen si vehementer calida sint, non statim in principio febrium, donec materia concocta sit, sunt exhibenda, ne absumptis tenuioribus materiebus, crassiore manente, ex simplici duplex vel triplex fiat febris, vel in continuam transeat, Quod & in supradictis *stupefacientibus*, ex *theriaca* cum calidis aliis permixtis observandum; Ex illis autem quæ calore operantur, hæc longa observatione potissimum probantur.

℞. *Zinzib.* ʒß. *piper.* ℈j.
membran. nucum inter. seu nauci. ℥ij.
bulliant in ℔ij. *vini stypt. dozis colati decocti.* ℥v.
adde syr. violac. ℥j.
B.bat horis duabus vel tribus ante accessionem, cooperiatur, expectando sudorem. Vel

℞. *gentian.* ℥j. (ʒj.) *summ. Centaur. min. serpill.* āā. ʒiij. *bulliant in vino, bibat ut supra.* Vel Potio hæc.

℞. *succi calam.* ℈iij.
aut syr. calam. ℥iß.
da cum vino & aqua borrag. Vel

℞. *aquar. gentianæ, centaur. plantag.* āā. ℥iß. *bibat Multi ol. vitr. gutt. j.* addunt, alii *spir. salis*, aut *nitri. aliquot guttas miscent.* Vel

℞. *plantag.* (quam febrifugam vocant) *rec. m. j. acetosæ rec. m.* ß. *aceti quart. j. theriac.* ʒij. *destill. Dosis.* ℥iij. *hora una ante paroxysmum.*

Succus crudus herbæ plantag. ad ℥iij. *cum tertia parte circiter succi portulac. dimidia fere hora ante paroxysmi invasionem exhibitus*, ad eam sistendam prodest.

Pulvis mire in omnibus febribus imo & pestilent. commendatus.

℞. *sacch. c.* ʒiij. *Zinzib.* ʒij.
camph. ʒj. *f. Pulvis. Datur.* ʒj.
cum aqua calida; Hunc & *Crato* laudat.

Refrigerantia nonnunquam id præstant, & febrilem paroxysmum sistunt; sed cum magna refrigeratione, ut id faciant, sit opus, adeo subito cor refrigerare per *assumpta* non ita tutum est atque si hoc *externis* perficiatur. *Potus frigidæ* affatim facto in ipso paroxysmo, vel extra hunc, multi paroxysmos sistunt. *Vinum granat. ad* ℥ij. initio paroxysmi si bibatur, & postea pulsibus *Unguenta* admoveantur, febres sanare potest. *Crystallus mineralis* in magna quantitate in *aqua fontana* aut *plantag.* aut *acetosæ destillata*, instante paroxysmo à *magni nominis Medico* exhibetur.

Exercitium, si ita instituatur ut corpus ante invasionem paroxysmi incalescat & sudet, paroxsmos diuturnarum febrium nonnunquam sistit, Hoc autem *motu corporis, eundo, equitando, currendo*, donec corpus incalescat perficitur.

Horum loco, si debiliores, qui ambulare nequeunt, fricentur; post tegantur & calefiant, nonnunquam etiam ungantur, eaque omnia antequam frigus incipiat fiant, ut rigor minime superveniat efficere possunt. *Platerus.* De Topicis Febrifugis vide infra §. *Extra applicantur.*)

35. *Adhibentur etiam aliquando initio feliciter Præcipitantia &c.*) In febrium omnium tum Continuarum, tum Intermittentium ablatione, cura potissima dirigenda est, ut in reliquis etiam affectibus fieri consuevit, ad magis urgens, nimirum ad *ebullitionem sanguinis*, quæ paroxysmum febrilem gignit, sedandam & impediendam, Id quod

quod tamen immediate nec V. S. nec purgantibus, h. e. virium diminutionibus peragetur, sed *specificis Antifebrilibus*, materiam febrilem *Præcipitantibus*, diaphoreticis [illegible] & diuret[illegible]s.

Cui indicationi inserviunt, in Febribus. Intermitt. simplici & duplici Tertiana, quædam quæ vel fundendo & exagitando sanguinem, Fermentum febrile præcipitant, & sic paroxysmum febrilem impediunt, ex quorum censu sunt *Sal. c.c. vel Viperarum fixum*, *Sal Absinthii*, *Spir. Salis Armon. Sal antifebrile rubrum & flavum Dom. D. Moebii*, *Tinctura Bezoarica Dom. D. Johan. Michaelis*. Laz. *Riverius* ante paroxysmum Tertianæ intermitt. sequen[illegible] offert.

℞. *Aqu. cichor.* ℥iij. *Salis Absinth* ℈ß. *spir. sulph.* ℈j. insequente sudore per horam. *Cent. Obs.20.26.*

Ego sequens ante paroxysmum propinarum maxime proficuum sum expertus.

℞. *Salis mei antifebr.* ℈ß. *Bezoart. Mart.* gr. xij. *ossis sepiæ* ℈j. Misce pro dosi, in aqua card. ben. hora una & circiter ante paroxysmum.

In Duplici Tertiana *Poterius* exhibet *salis centaur. min.* ℈ß. cum spir. vitriol. gtt. v. in aqua appropriata; Præ reliquis *Martialia* in hisce febribus utramque adimplent paginam. Quædam Alexipyreta in dictis febribus, sanguinem figendo & constringendo, accessionem febrilem compescunt, qualia *succus plantaginis*, *Pulvis rad. torment. c.c. ustum & præpar. alumen, &c. in aceto exhibitum.*

Nec desunt qui ad minuendum vel inhibendum paroxysmum *Opiata* exhibent, non solum in Intermittentibus Feb[illegible]us, sed etiam in malignis, si magna adsit symptomatum vehementia, sin morbi principio vel augmento illa alexipharmacis mixta ad aliquot grana propinando; eo quod illorum virtute narcotica & congelante ferventes fuligines cordi infestissimæ figantur quasi, & materia febrilis maligna compescatur, ut Natura à malignis humoribus & spiritibus non lacessita recollectis viribus alexi[illegible]riorum virtutem facilius sibi applicet; Cui sententiæ subscribit *Zacutus Lusit. M P H. lib.1. Riverius Tr. de Feb. Pest. p.m.136. P. Poterius cent. 2. cur. 44. Fridericus Hofmannus m.m.l.1.c.19.*

[52] *Sed nonnisi a præmissis &c.*) Ut nullum præsidium temere est aggrediendũ, ita & in Præcipitantium & *Opiatorum* administratione eandem observemus cautelam, In Febribus qu[illegible]em Intermitt. si major materiæ febrilis pars jamdum quodammodo consumpta, & obstructiones fuerint sublatæ, exemptis aliquot paroxysmis, non facile *Opiata & alia inde parata remedia* rite præparata, in [illegible]i cum Specificis, anti-febrilibus, aperientibus & incidentibus permixta, hora una circiter ante paroxysmum exhibita, nocere possunt, teste *Riverio* de *Febr. pag. m.84.*

Ast [illegible] *Ardentibus Febribus* longe alia est ratio, in quibus [illegible]um febrile malignum & venenatum ex corpore ablatationem & spiritus vitalis, seu Archeus, sub [illegible] tyrannide gemens, eventilationem flagitat, non autem fixationem, aut quampiam congelationem; Unde & [illegible] Opiatis Febris non solum non curatur, verum [illegible]iam gravius quandoque malum accersitur, dum [illegible]l aliud agunt, quam ut facultatem expultricem [illegible] obstructiones pertinaces creent, materiam febr[illegible] corpore retineant; eamque ad expulsionem [illegible] contumacem reddant; ut hæc postmodum collecti[illegible] gravius exsurgat, vel etiam flammam vitæ [illegible] *Idem ibid.* Vide ibi exemplum infausti ev[illegible]o narcotico in Febre Ardente: Exemplum [illegible]m quod attinet. Nota 1. hunc affectum in [illegible] symptomaticam, ab inflammatione ventriculi pendentem. 2. syr. de papavere exhibitum, an[illegible] *esse remedium* [illegible] narcotica comparatum.

[53] *Aliquando* [illegible] altera parte sunt qui statuunt Febrium Intermitt. paroxysmos ab initio non statim esse profligandos, sed illarum accessionem ad tempus quoddam esse permittendam: Hinc febris incepta si intra modicum tempus finitur, vulgo dicitur Medicina potius quam morbus: nam hac ratione sanguinis impuritates deflagrant, viscerum obstructiones expediuntur, & revera totum corpus ventilatur, ita ut à materia quavis excrementitia & nascentium morborum seminario prorsus liberetur.

At hoc ex parte concedimus, si scil. intra modicum tempus finitur, si vero diu protrahitur, plurium ægritudinum, & diuturnæ invaletudinis causa existit; Hinc cum sanguinis massa spiritu vitali plurimum spoliatur, & instar vini nimis fermentati vappescit, interim partes salinæ & terrestres nimis exaltantur, quare icterus, scorbutus, hydrops, aut cachexiæ aliæ hanc febrem sero curatam sæpe excipiunt: Ut enim domus ab extrinseco incendio invasa facilius à combustionis periculo liberatur quam si jam interiora depascat Vulcanus; sic facilius est febres a corpore ab initio arcere quam postquam febres jam interiorem viscerum œconomiam invasere: Et ex fermentatione viscerum depurativa humorum, si modum excedat, facile etiam corruptiva fieri potest. *Idem ex Willisio* cap. de Tertiana.

[54] *Adhibentur aliquando feliciter*) Curationem hanc vocat *Empiricam* Willis, quæ non raro plus efficiat quam medicamenta juxta exactam medendi methodum Medicorum præscripta; Remedia, *inquit*, Empirica, quæ dicuntur febres Intermittentes curare, ejusmodi sunt quæ sine quavis evacuatione paroxysmum arcent, Et vel intus sumuntur, vel exterius (ubi pulsus præcipue micant) applicantur, scilicet vel regioni cordis, vel carpis manuum, aut plantis pedum plerumque alligantur: Hæc interdum prodesse adeo vulgo notum est, ut quidam sub mulctæ cujusvis pœna per ista remedia subitam morbi hujus curationem polliceantur.

Quare inquisitione dignum est, Quomodo hæc operentur, & Qua ratione Accessiones febriles sistant: Constat inprimis eorum quæ exterius adhibentur, vim & actionem sanguini & spiritibus immediate impertiri; & cum paroxysmum sine humoris aut materiæ cujus[illegible]is evacuatione præcavendo arceant, necesse est, ut hujus affectus ratio solummodo in hoc consistat, quod hujusmodi medicamentorum usu sanguinis cum materia febrili turgescentia ac fermentatio inhibeantur; nimirum à pharmaco circa vasa colligato corpuscula quædam, sive effluvia, sanguini communicantur, quæ particulas ipsius valde figunt & constringunt: aut etiam fundendo & exagitando velut *præcipitant*: Utroque modo spontanea sanguinis effervescentia impeditur, non secus ac cum aqua frigida ollæ ebullienti instillatur: aut veluti cum acetum, aut alumen cerevisiæ novellæ & fermentescenti infunditur, illico fermentatio cessat, & liquor novum saporem & consistentiam adquirit quo ad potum æque fit idoneus ac si longo tempore maturaverit.

Quod autem ad hunc modum Febrifuga agant, constare videtur, quoniam quæ sunt præcipue notæ, vi styptica & adstrictoria aut etiam præcipitatoria virtute pollent; hinc sal marinus, nitrosus gemmæ, succus plantaginis, bursæ pastoris, herbæ quælibet adstringentes cum *aceto contusa*, & similia carpis alligata; *radix mille folii*, *tormentilla*, etiam *camphora* collo suspensa, perhibentur hunc morbum tollere, quin etiam quæ intus sumuntur sunt ejusdem farinæ, succus plantaginis, *aquæ rosar.* rubr. alumen, quatenus sanguinem figunt & constringunt; *decoctum piperis*, *sal ammoniacus* aut *absynthii*, *spiritus vitrioli*; item passio subitanea iræ aut terroris, quatenus sanguinem fundendo & exagitando præcipitant, non raro accessionem febrilem impediunt, non secus ac liquoris cujuslibet concussio & exagitatio, aut adstringentium infusio, in ipsis spontaneam effervescentiam & orgasmum impediunt.

Quibusdam Empiricis pro curatione Febrium in-

termitt. in usu est nodulum ex lino aut charta involutis arcte compressum carpis, ubi pulsus micant, carpis ad eo strictum alligare, ut in ea parte sanguinis circulatio aliquatenus inhibeatur, atque hac ratione febrilis paroxysmus ingruens arceatur.

Plures hoc ritu à diuturno morbo curatos certissime novi, cujus ratio videtur esse, quoddum cruor in qualibet parte à motu præpeditur, in cæteris impetuosius tumultuatur, adeoque à perturbatione istac in toto sanguine concitata, liquoris ejus effervescentia spontanea paulo postea sequatura inhibetur.

Quod autem hoc aliove modo paroxysmus semel impeditus postea non facile redit, ratio est, quoniam si materia ista febrilis & depravata in sanguine diutius continetur, postea concoquitur: & aliquatenus maturatur, ideoque & hanc, & penum de novo succrescentem sanguis non uti prius omnino pervertit, sed digerere & assimilare incipit; præterea cum paroxysmus semel sistitur, ejus consuetudo interrumpitur, cujus solius instinctu natura sæpe ipsos etiam errores repetit suos; Vt enim cum semel deliquit, solet eodem modo sæpius perperam agere, ita cum delictum suum semel omittit, facile in melius assuescit. *Willis l. de Febr.*

54. *Etiam in principio*) Pro meliori curæ directione observandum 1. *Maturandam esse curam*, nam quo diutius perstant eo contumaciores fiunt febres, eo magis ægrum ejusque humores ac viscera lædunt, & eo mala graviora post se relinquunt; Maturetur autem cura secundum dictam methodum (Vide supra §. *Curatio rationem habet*) *sub finem*) motum naturæ promovendo, non autem eundem impediendo, quod fit si paroxysmi inhibeantur, seu febris supprimatur: Sane nil est quod nocentius possit contingere ægro quam ista paroxysmorum inhibitio; id quod fit figentibus, aut similibus fermentum febrile obtundendo, & in suo fomite quasi concentrando; unde quidem paroxysmi cessant, sed fomite isto febrili cum fermento concentrato, ad alia loca successive delato, nunc colicæ convulsivæ contumacissimæ, nunc tumores pedum oedematosi, ac subinde hydrops; nunc tumores & scirrhi viscerum; nunc icteri difficulter curabiles; nunc cachexiæ, nunc febres continuæ lentæ, tanquam hecticæ supervenire solent. *Etmuller.*

55. *Præcipitantia*) *Fixa, & inprimis calcinata*, optime quidem curant, sed revera potius supprimunt febres intermittentes, adeoque non æque tuto semper usurpantur quin recidiva superveniat, vel febrem multiplicent, nisi universalia ac primas vias abstergentia exacte præmissa fuerint.

Talia sunt *Specificum Febrile Strobelbergeri, Crolli, Minsichti*, à ʒß. ad ʒj. item *Antimon. diaphoreticum*: quo pertinet *Pulvis febrilis perlatus Timæi*, Certe aliquoties observavi, ab horum usu si febres curatæ fuerint, vel diu languidos fuisse ægros, vel tumoribus abdominis hinc facile fuisse obnoxios: Usurpandi modus est.

℞. *aquæ taraxaci.* ℥iß.
spec. Febr. Strobelb. ʒj.
syr. de succo cardui ben. ℥ij. *Misce.* Vel

℞. *specif. febrilis.* ʒß.
salis absynth. ℈j.
misce pro una dosi.

Vnde pro his incommodis præcavendis, post febrim profligatam, dandum est blandum laxans die illo quo alias paroxysmus redire solet, V.g. ex massa *Pilul. de ammon. addito extr. absynth.* cum debito stimulo; Vel si recidiva forsan supervenerit, hanc, præmissis præmittendis, levat *sal ammoniacum*, vel solum, vel cum *corallis præparatis*, aut *antihectico Poterii* mistum, ante paroxysmum usurpatum, Præterea præfero hujusmodi calcinatis *Alkalia* supra laudata.

Pertinet huc *Alumen*, à non paucis tanquam singulare febrifugum Intermittentium commendatum, in specie *magisterium aluminis Schroderi in Pharm. p. 324. Dosis* ʒß. *ad* ʒj. bis vel ter ante paroxysmum propinatum eas profligat, Novi hoc remedio empirico diuturnas, in Medici opprobrium, febres curatas.

℞. *nuc. mosch. nitri depurati, alumin.* ãã. ʒj.
Misce divide in iij. partes æqual. & tribus successive paroxysmis, dum ingruunt, assumatur, expectando sudorem, febrem solvit.

Sed styptica vi condensando humores, & figendo fermentum febrile, vel palliative curat *alumen* vel non sine metu alicujus occurrentis morbi; Facit huc & *sacch. Saturni*, in Quartanis non inelegans *ἀνώδυνον*.

℞. *lapid. cancrorum* ʒß. *sacch. Saturni* ℈ß. *m. f. Pulvis* exhibendus ante paroxysmum.

Sicut continuo *Pulv. ocul. cancri* usu ad xiv. dies in decocto *cardui bened.* propinati contumax aliquot mensium Quartana aliquando curata fuit. *Etmuller pag. 287.*

55. *Feliciter præcipitantia*) Innotuit toti Medicorum orbi compendiosa febrium *Barbettiana, Sylviana* & aliorum virorum *celebrium curatio, imbibendo vel* temperando acidum; seu juxta *Willisium & Kergerum*, Præcipitando. vel, secundum *Helmontium*, Philosophum per ignem, saturando, mihi in frequenti usu est Specificum febrile, cujus basis est *antimonium nitratum*, quo multos curavi, subsequente leni vomitu, & copioso sudore. *Johan. Jac. Waldschmid.*

55. *Adhibentur aliquando*) *Opium* ac *Opiata* lenissimo usu omnes febres Intermittentes tollit mitigatque continuas, Sed usurpandum præmissis universalibus digestivis & evacuativis, idque saltem duobus in casibus. 1. Quando paroxysmi potius ex consuetudine naturæ febriendi sæpius recurrunt quam ex fomite morboso. 2. Quando graviora quædam, aut etiam molestiora symptomata durante paroxysmo affligunt ægros: Interim nunquam solum, sed febrifugis usitatis, quacunque forma, admisceantur; *alias* metus ut ne cito nimis, aut *sola* usitata, simplices febres reddant duplicatas, aut sopiendo febrim graviorum recidivam postmodum inferant. *Etmuller. Vide supra §. Adhibentur etiam aliquando Præcipitantia.*

59. *Qualia sunt*) *Laudanum* contra febres præstantissimum.

℞. *antimon. præpar.* ℔j.
sacch. cand. lib. medium. f. Pulvis subtilis. destilletur in arena aut balneo s. a. hujus olei accipe ℥ij.
aloës soco tr. ℥j. *ambra* ʒß.
croci selectiss. ℥vj.
reducantur successive in massam, fiant Pil. parvæ. Dentur tres cum conserva borrag. ante accessionem, inducaturque sudor si fieri potest. *Paracelsus.*

56. *Qualia sunt*) Juvat in febribus, si stercus sit recens (*Vaccinum*) & statim ab excretione sumatur calide, & siccum *aqua card. ben.* transcolatum bibat. Experimentum certum Rulandorum. *Joh. David. Rulandus Pharmac. nova p. 41.*

57. *E cochleatum teste Crollio*) Ope *pulveris Febrilis Crollians* febris sanatæ vide exempla in *Observat. cent. 4. Riverianis* annexis, obs. 1.83. In viro xxx. ann. cui præmissis purgationibus, præparantibus, s. m. exhibuit dictum Pulverem ex ℥iij. *aqu. cichor. sal. absinthii* ʒß. *& spir. sulph. gtt.* xv, II. In alio, post exhibitum *Pulverem Cornachin.* ℈. iij. In puella x. annor. cui expulit febrem unica dosis dicti pulveris.

58. *Magisterium ocul. Cancri*) *Salia fixa*, ut & *Tartarus vitriolatus*; *Sal hypochondriacus*, *Arcanum duplic.* &c. mire in omnibus intermittentibus conveniunt, inprimis in principio morbi, ante universalia utiliter propinantur; Diebus enim intermissionis, pro abstergendis primis viis, & removendo paulatim, si quis subsit, fomite febrili, multum valent, bis quotidie usurpata; ita etiam ante paroxysmum commode propinari possunt, præsertim *arcanum duplic.* scorbuto præ cæteris infestum, quem feliciter etiam tollit; V.g.

℞. *arcani duplic.* gr. xv.
lapid. cancr. gr. xij.
ol. destill. junip. gtt. ij. *misce.* Vel
℞. *arcani dupl.* gr. xv.
salis absinth. corall. rub. præpar. āā. ℈ß.
laud. Opiati gr. j. *m.* f. Pulvis. *Etmuller.*

Oleum, sal vel *magisterium concharum*, primo cum *aceto destillato* factum, sive cum *spiritu vitrioli præcipitatum*, egregium est sudoriferum & antifebrile, si illud cum *essentia Antimonii* ex *antimonio diaphoretico* misceatur, A me vocatur *Mistura antifebrilis* diaphoretica. *Mich. Crugner Tr. German. de Febrib. p.* 280.

Præmisso purgante *Sudorificum Jovis* summum est in curatione omnium febrium arcanum, Dosis est gr. 6. vel 8. cum *aqua card. ben.* & sudor provocetur, *Joh. Petr. Faber Univ. Sapient. part.* 3. *capit.* 1. Descr pt. vide c. 2. de Lue Venerea.

Idem excitato vomitu per *crocum metallor*, ad gr. vj. propinatum, summum est arcanum in cura Tertianæ; *Idem ib. cap.* 7.

Quinta essentia Ranarum virid. arcanum est mirum ad *quartanam* curandam occulta proprietate, Dosis est ℥j. cum *aqua Peti vel card. ben.* ℥ij. superfudando: Curat etiam *Tertianas & Quotidianas* unica potione cum *aqua Nicot.* Idem *Myrothec. Spagir. l.* 1. *cap.* 25.

Quinta essentia antimonii omnes febres intermittentes curat, Dosis ad ℈j. in jusculo, Præparat. ibid. vide

℞. *De Pulvere Febrifugo Eum ex cortice*) Omnium usitatissimum est & certissimum omnium est febrifugum; Notum est curiosis ex cortice arboris Peruvianæ desumi; sed sedula inquisitione à me adhibita, mihi innotuit corticem illum non ex trunco arboris aut ramis depromi, sed radicibus; ad me enim transmissus ex illis delibratus, neutiquam amarus est. Etsi hæc disquisitio parum conducere videatur, eam tamen aperuisse non inutile est iis qui nostris in regionibus cortices aliquos indagare vellent, parilem effectum producere aptos natos: Animi gratia nonnullos exploravi: Cortex radicum Persicæ arboris acerbitate insigni pollet, pauco vero amarore, ideoque verisimile est diarrhoeis conducere.

Cortex fraxini acerbitate quoque gaudet & acrimonia, à copia salium in illo latentium; quapropter vim febrifugam obtinent; Cortex Cerasi nigros fructus ferentis acrimonia & amarore donatus est, quo à me in Quartana aliquando exhibito mitescebat illa quidem, sed non desinebat: Existimo tamen ipsum rite usurpatum in febribus profligandis utilem esse: Jam vero disquirendum quibus viribus *Quinquina* febres curat: Si ad qualitates occultas, uti majoribus nostris familiare fuit, si quando obscurum aliquid illis offerretur recurramus, expedita sed nimium isti adulterini nemini nunc satisfaciunt, Hoc esse solu[illegible] autem mihi admodum verisimile videtur.

Primo ergo dico *Quinquinam*, siquidem cortex est arboris, s[illegible]bus admodum abundare, uti cæteros cortices, vel eo p[illegible] nomine quod ex æstuosis regionibus deduc[illegible]tur: Fraxini cortex, vi quoque antifebrili præd[illegible] multo plus salis suppeditat, ejusque penetrantioris præ[illegible] qui ex aliis arboribus desumuntur.

H[illegible] juxta hypothesin meā de causa Febriū Intermittent[illegible], hanc videl. utplurimū esse fermentum nimis acidum, [illegible]tinus id in mentem venit usum medicamenti, sale [illegible]no fixo & volatili plurimo turgentis (cujus prop[illegible]est ad occursum Acidi fermentationem subire hu[illegible]cere, aculeosque obtundere) perquam idoneu[illegible] [illegible]randis febribus ab ejusmodi Acido oriundis: P[illegible]si Quinquinæ substantia, aut infusio, acido a[illegible]mmixta, V. g. *spiritui vitrioli*, nequaquam fermente[illegible], eo quod intricata sit particulis crassis & ramosis, [illegible] tamen est à prægressis coctionibus, sublimationibus & filtrationibus variis quæ in corpore fiunt, citissime separati salem illi inexistentem: sicuti manifestum est ex omnibus alimentis, quæ assumpta insulsa videntur, elici liquorem salsum, cujus portio cum lotio egreditur, & produci sanguinem sale volatili plurimo constantem.

Hoc ipsum ergo præstat *Quinquina*, si enim ineunte paroxysmo sufficienti copia exhibeatur, adeo insignem fermentationem subit cùm acido febrili fermento, ut paroxysmus ideo admodum augeatur; sed pugna desinente fermentum illud adeo mitescit, ut postmodum novæ accessioni excitandæ ineptum sit: non secus ac spiritus vitrioli fermentatione inita cum quantitate idonea *spiritus Tartari*, acorem omnino exuit, neque deinceps cum aliis effervescit.

2. In gratiam eorum qui chymiam non callent, aut quibus vox *Alkali* displicet, dico *Quinquinam* febrifugam esse vi innati amaroris, temperata aciditate humorum corruptorum: Notum enim ex accuratis Physicorum observationibus, amarum & acidum sapores esse contrarios, & ex quorum commistione exurgit dulcis: Hinc si simul commisceantur ambo liquores, amarus & acidus, in eodem gradu, qui invicem recte permeent & penetrent; e. g. Sal absinthii, admodum amarus, cum spiritu vitrioli; aut aceto, qui liquores acidi sunt; inde emerturum est compositum subdulce: Accurate commisceantur spiritus vitrioli, & sufficiens copia extracti opii, hujus amaror gustui non amplius erit manifestus, uti nec acer *spiritus Vitrioli.*

Tertio, Quinquina febrifugam vim obtinet, acerba sua aut adstrictoria vi; sive constringendo aut corroborando fibras ventriculi aliorumque viscerum, quapropter vim adipiscuntur fermentum febrile expellendi; Sive intricando aut obtundendo aculeos febriles: Quibus addere licet cæteros illius effectus quos exserit juxta dispositionem obviam humorum; modo amarore suo attenuando viscidos & lentos, in primis viis occurrentes, hinc aptiores reddendo excretioni per alvum aut vias urinarias, modo calore moderato humores idoneos addendo expulsioni per sudores ac transpirationem. *Jacobus Sponius Tract. Gallico de Febribus & Febrifugis p.* 180. *& sequ.*

His positis elucescit quibus in casibus conveniat; Cum videlicet febris originem ducit à vitio ventriculi, lymphæ, aut aliorum humorum acescentium & corruptorum; Non item si excitata fuerit à sanguine fervidiore & volatili reddito, qui cum chylo etiam temperatissimo in fermentationem abripitur, non secus ac calx ab affusa aqua simplici effervescit: Sicuti in febribus ardentibus, continuis continentibus, symptomaticis, abscessum aut ulcus externum internum aut frequentibus: His enim in casibus Acida solum auxilio sunt, sanguini tranquillitatem conciliantia, cui levem concretionem inducunt, ejusque æstum sedant. *Idem p* 186.

℞. *De Pulvere Febrifugo*) In his febribus *China Chinæ* valde salutaris ab experientia probatur, Cujus virtutis fundamentum est sui Alkali efficacia, ab amaritie manifestatum, hoc Alkali acido humorali correspondens, ob pororum structuram facile ab hoc imbibitur, quapropter effervescentia cum alio humore contrario impeditur: Eadem virtute Alkalica, quæ est maxime dissolvens, obstruens materia attenuatur; Et quia rigidis inflexibilibusque particulis constat, quibus gustata linguam velut ligare videtur, his sanguini consistentiam conciliat, perfectioremque contribuit unionem, unde difficilius effervescit, & sic mortificato Acido, à materia febrili elevato, tollitur frigus accessionis, & munito sanguine contra erumpens alkali, ne ab eo effervescentia introducatur, omnino est suppressus paroxysmus, qui si revertatur, nova exhibitione Chinæ supprimitur.

Sunt etiam consulendi ægri post suppressum paroxysmum febrilem, purgante medicamento excrementorum sarcinam deponere, ne istis retentis cum majori impetu se explicent, periculosiorem morbum efficiendo. *Pomp. Sacchus Nova meth. febr. curandi p.* 83.

60. *Febrifugo*) Usus Pulveris *corticis Peruviani* hunc morbum certissime curare perhibetur, cujus virtus, sive operatio, sine quavis evacuatione solummodo in hoc consistit, quod paroxysmos febriles ingruentes inhibeat &c. Hæc potio non raro accessionem imminentem tollit, sæpe tamen est hac solito more habita, proxime succedentem præcavet; utcunque sive 1, sive 2. aut 3. periodo paroxysmus inhibetur; atque morbus curari visus, intra xx. aut xxx. dies sæpissime redire solet: Deim Pulvere hoc rursus exhibito, pro temporis circiter ejusdem spatio morbi insultus denuo protelatur; atque hoc ritu novi plures Quartana laborantes toto autumno & hyeme accessiones febriles tantum rariores pertulisse, hostemque in procinctu derinuisse, donec vere ineunte, tempestatis anni, & alius pharmaciæ ope, sanguinis diathesis in melius alteraretur, adeoque affectus iste sensim evanesceret.

Qui hac ratione crebrius inducias Quartanæ procurabant, alacres & vividi ad negotia quævis expediti degebant, cum secus enerves & pallidi in languorem & vitiosum corporis habitum redigerentur: Vix unus è centum hoc remedium incassum tentavit; Imo si in dimidia aut minore quantitate, scil. ad ℥j. aut ʒß. pondus sumatur; accessiones [illegible] tollit, non tantum in *Quart.* verum in aliis Intermittentium speciebus cum fructu adhibetur.

Vulgo præcipitur ut huic purgatio lenis præmittatur, at in quibusdam valde imbellicis, & lecto affixis, sine prævia pharmacia, hic Pulvis solitarie sumptus effectus laudabiles procuravit. *Th. Willis l. de Febr. c.* 8.

Si credendum erit magno *Digbæo*, culpandus potius Medicus quam nobilis hæc medicina, si post hujus exhibitionem unquam revertatur febris: (nam cum illum consulerem super hac re, sancte mihi asseveravit ex XXX. aut XL. circiter quartana detentis, quos hoc solo remedio curavit, ne vel duos relapsos fuisse. *Rob. Boyle Tract. de utilitate Nat. Philosoph. p. 2. sect. 3.*

Febrifuga alia.

Febrifuga Catholica, revera legitima sub medendi methodo plura dantur talia, ut salia fixa, vel *sal armoniacum* non immerito huc revocari queant; sicuti sub perverso ausu & inconcinna methodo etiam optima specifica fallant; *Hergerus de Ferment. sect. 3 p. 250.* commendat suum Febrifugum præcipitans ad quasvis Intermittentes: Relatum est ab amico esse nihil aliud quam *crem. tart. p. 4. & corall. r. ppti part.* iij. Subtilissime pulverisata, mista exacte, & dozi ʒß. ad ℈j. (℥j) tam die intermissionis, quam ante paroxysmum usurpando, *Helmontius* commendat suum *antimonium diaphoreticum fixum*, sed quem in arcanis reservavit: *Febrifugum antiquartanum Riverij* Mercuriale remedium esse existimo, & si recte operandi ratio in ejusdem operationibus observetur, suspicari licet ex basi *Mercurii* dulcis procedere.

His ita observatis, & medicandi ratio; & remedia febrium intermittentium patent: Alias inter *Febrifuga vegetabilia*, locum habent quævis *amara*, in specie *absinthium*, *carduus bened. centaur. minus, gentiana*, tertianaria, *taraxacum, nasturtium, sedum minus*, præsertim in Quartana, & in scorbuticis: item *Zedoar. chelidonium majus, imperatoria, china chinæ*, &c. & hæc in specie ad Quartanæ usum est proficua si dozi ℥j. ad ℥ij. vel in forma sicca, vel, quod præstat in haustu vini calidi ante paroxysmum usurpetur: Ordinarie Quartanam fugat: Sed loco hujus revera arbitror *Gentianam*, aut ejusdem succum inspissatum, cõmode posse substitui; cũ hæc ipsa in morbis chronicis, etiam Quartana sit egregia, *Barbette* salia fixa *China Chinæ* anteponit: Ex hisce veteres eorundem *succos recens expressos*, aut etiam *decocta amarissima* ante paroxysmum adhibuerunt; Confer *Rulandum* in suis curat. empiricis, per hujusmodi decocta mediante copioso sudore quasvis intermittentes curantem: Addatur his *myrrha*, ante paroxysmum contra Quartanam laudata: Sunt qui.

℞. *myrrhæ, Castorei, opopan. gentianæ absinth.* ãã. ℈j. *cum s. q. mithridatii, succi gentianæ f. Pilulæ n°.* xxv. *de quibus horis* ij. *ante paroxysmum æger 7. vel* 10. *deglutiat* & hinc sudorem expectet.

His addatur etiam *sulphur* inter febrifuga non inepte relatum à ʒß. ad ℥j. ante paroxysmum; Sane *Pulvis pyrius* non ineptum est militum febrifugum, quo utuntur in castris ad intermittentes fugandas: Datur à ʒß. ad ℥j. qui ratione *sulphuris* & *Salis* utique convenit, Facit huc *Pulvis. roseus* febrifugus D. *Saltzmanni*, cujus basis est in sulphure.

℞. *nitri fixi.* ʒß.
flor. sulph. ℥iij.
sal. armoniac. ʒj.
santali rub. pulver. ℥vj.
sacch. albiss. ℥ij.
m. f. Pulvis, dosis à ʒß. ad ʒiß. ante paroxysmum; Santalum & sacch. possunt sine noxa omitti, & tunc dosis diminuatur. *Etmuller pag. 295.*

Nobilis per sex menses Tertiana intermittente laborarat; Irrita erant remedia, Monachus veniens dari sibi petit libram sem. *spiritus vini Rhenani*, in eo infundit stercus suillum, digerit per horam, colat cum expressione forti, Colatum una vice exhibet, Æger egregie sudat, hinc abit febris: factum postmodum experimentum in aliis nunquam fefellit. *Al. Hermannus Cumnenus Med. Sept. vol. 2 p. 176.*

61. *Duarum drachmarum pondere*) Id notatu dignum, quicquod supererst magmatis post accuratam infusionem, non id esse quod febrem extinguit, Ideoque etiamsi Quinquinæ ʒij. fuerint assumptæ, forsan vix dimidia drachma istius remedii corpus subiit: Consultum ergo fuerit integrum sesqui unciam assumere, quin & uncias duas vel amplius, prout febris plus aut minus pertinax fuerit: Non diffiteor tamen, etiam adhibitis omnibus cautionibus febrem aliquando recidivam esse, sed utplurimum recidivæ illæ adeo leves sunt, ut remediorum aliorum apparatum non exigant, ac sponte aboleri prægresso uno vel altero paroxysmo: Si cui tamen visum fuerit, aliquot dozes ejusdem remedii possunt adsumi; vel unica *febrifugi* Crolliani, ex *sale absinthii* compositi; Vel observata accurato victus regimine, id instaurando quod ab errore in illo commisso labefactatum fuerat, cui vix etiam temperantissimi se addicunt, post prægressam inediam à febri imperatam, & [illegible] ob illam deperditam. *Jac. Sponius l. c. p.* 188.

62. *Post in unciis aliquot vini generosi*) Modum exhibendi quod attinet; pendet is ex prudentia Medici, vel etiam ex ægri nutu; Assumitur autem vel forma *Opiatæ*; qua ratione exhiberi solet à Dom. *Sydenhami*, Vel *Infusi, Boli, Tincturæ*, vel *Extracti*, *Syrupum ex Quinquina parat peritissimus apud nos Pharmacopæus Dm. Collado, in gratiam puerorum & delicatiorum, certissimi effectus*) qui modus sol[illegible]nis est Autori (Domino *Monginot*) curationis febrium; qui & Equit; *Talbotio* familiaris fuit; Sive in *Pulvere* ex aquæ cyatho, sicuti usurpari solet in Gallia Narbonensi: Neque enim æquum est ex vino semper porrigere; etiamsi hoc felicius quam aqua tincturam eliciet, Sive in *Tabellis*, qui modus mihi usitatus fuit; Vel tandem *Pilularum* forma: Prima methodus in Operibus, felicissimi hoc seculo Practici, *D. Sydenham* reperitur, Illam non semel observavi, sed vice *conserva rosarum*, plus nimio adstringentis; subtilissimum Quinquinæ pulverem *sapa* remiscui, quæ cum vino magis congruit. *Jac. Sponius ibidem.*

63. *Ingruente paroxysmo propinari*) Cortici isti fidem adhibere nonnulli destiterunt, quod Febris postliminio redire soleat, duabus aut tribus hebdomadis ab ipsius assumptione; Id quod præcipue contingere solebat;

cum

cum ex more statuto, ad ℥ij. vini haustu ingruente paroxysmo porrigebatur; Quin & nonnulli in conflictu excitato inter febrem & remedium interiisse observati sunt: Quapropter non abs re in intermissionibus remedium illud præbere consultum fuit, quo sensim mitescant & temperentur humores acidi & tumultuantes, majorique copia ad præcavendas recidivas: Etiamsi enim verum sit quod ait *Helmontius*, causam morbificam aliquando drachmæ unius pondus non æquare; Ego vicissim assero libram unam pondere nonnunquam eandem superare: *Jac. Sponius l.c.p.187.*

64. *Purgato tamen prius bene corpore*) *Cortice Peruviano* usus sum, eundem multifariam præbendo; nec eventus unquam defuit, dummodo corpus antea debite præparatum fuerit, nec intempestivus fuerit illius usus, sicuti prior monuit D. *Sidenham*, eruditissimus Medicus Anglus; Quin & experimento didici, in quadam ægra, cui fere exitium intulit, Mulier febre triplici Quartana laborabat à trimestri, nullo plane usa remedio: Cum febris nullas fere inducias daret, Infusum Quinquinæ illi porrexi, sed addita aquæ media parte, ut intercepto saltem uno paroxysmo concederetur spatium medicamentum purgans exhibendi: Sed tantum abfuit ut id consequutus sim, quin paroxysmi adeo vehementes fuerint, ac tam proxime se consequerentur, ut aliquando binos eadem die experiretur: Præterea successit diarrhœa biliosa, bilis vomitus & Icterus universalis, quorum causa vena aperienda fuit, ac refrigerantia quædam porrigenda, à quibus febris utcunque mitescebat; postmodum curata ægra assumptis aliquot haustibus *decocti centaurii minoris.*

Inde mihi colligere licuit, in cura febrium Intermittentium inutile esse, quin & noxium, febris cursum inhibere, quamdiu in corpore superstes est colluvies humorum, novam febrim excitare valentium, eo graviorem quod causa morbifica augmentum ceperit, aut alia symptomata febre ipsa deteriora.

Quapropter, si vomitorii usui nihil obstiterit, leve Emeticum exhibere in more mihi positum, e. g. vij. aut viij. grana *Tartari emet.* vel *syrupi emetici* ℥j. commixti *decocto tamarind. & senna*, die intermissionis, vel aliquot ante paroxysmum horis in robustis: Mirum quanta vis ab hoc remedio viscidorum & tenacium humorum deturbari soleat; nam postmodum subsequentia cathartica efficacius operantur, materiis ejusmodi glutinosis, quas deturbare non potuissent, vomitu illo exclusis: Laborantes Quartana vidi, ex aliorum consilio, ultra quindecim Potiones purgantes hausisse, nequaquam remittente febre: Si Emetico quapiam de causa locus non fuerit, substituantur Enemata, aut generosum aliquod catharticum quod eundem edat effectum. *Jac. Sponius Tract. de Febr. & Febrifugio Gallico p. m. 165.*

65. *Extra applicantur*) Externa specifica subinde multum valent; non tamen applicanda sunt nisi præmissis universalibus, Sic *Emplastra, cataplasmata, Amuleta* proficua sunt; Illa parantur vel ex *allio, sabina, ruta, ranunculo ardente, plantagine vulgari* & *aquatica, terebinthina, calce viva, pulvere pyrio, croco, araneis, horum oleo* &c. Sic *allium* contusum, mistum cum *croco* carpis manuum applicant, quibus quidam *piper longum* addunt: In *fuligine furni* non contemnendum remedium est, si hac & *salvia* ana [illegible]tur cum album ovi, & applicentur palmæ manuum, egregie æstum compescunt: Alii recipiunt *fuliginem*, eandem cum *allio, cepis* & *album. ovi* miscent, *aceti* nonnihil affu[illegible] & ita carpis manuum applicant; Facit huc *Emplast.* Febrif. Dom. *Michaelis*, quo mediante senem fere octuagenarium quartana laborantem curavit.

℞. *fulig. furni splendentis* ℥iß.
terebinth. ʒvj.
telarum aran. ℥j.
camph. ℈j.
ol. araneor. q. s. f. Empl. carpis manuum utrinque applicandum.

Recte additur *camphora*, nam hæc à ʒj. ad ℥ij. sacculo lineo inclusa, & in scrobiculo cordis suspensa, donec exhalaverit tota, feliciter tertianarios restituit: In Quartana præ cæteris externe *aranea earumque olea* conducunt, unde & *Empl. febrile Strobelbergeri araneos* pro basi cognoscit. *Etmuller pag. 293.*

Ossicula seu lapilli, in capite limacum, qui cochleis modo carent, mense Augusto inventi, quod contra febres conferant, ego sæpius præmissis universalibus, istis limacibus exemptis, & in filo è collo febricitantium usque ad scrobiculum cordis propendentibus in Tertianis & Quartanis infallibile fere remedium expertus sum: Vide *Boëtium de Boot* l.2. de Lap. c. 189. *Montanum* l. 4. *de Febr.* c. 10. Itali plerique in usu habent. *Joh. Helvvigius in observat.*

Si impleveris fictile *floribus Persicis*, & obturato vase permiseris dies aliquot sub terra macerari, & in fimo putrescere, exprimes *Oleum*, quo si inungantur Pulsus, Tempora, & Spina ante accessionem febrium putridarum, certo experimento illas curabis. *Ant. Mizaldus Horti Med. camp. 7. ar. 7.*

Applicationes illic ubi pulsus arteriarum sentitur factæ, multum in hac re, vel solæ vel una cum cæteris administratæ præstare possunt, ut in utriusque carpi regione, interdum & in temporibus utrinque, & pedibus juxta malleolos; Hæc autem ex illis fiunt, quæ vel materiam divertere & revellere à corde possunt, quod maxime acria præstare putantur, vel alioquin ex illis quæ cordis intemperiem nonnihil mutant, & ne facile à vapore elevando in paroxysmo inflammetur, veluti muniunt, & proin & *ex acribus* & *temperatis*, & nonnunquam refrigerantibus, quibus multa penetrationem juvantia addantur, ut virtus ad cor usque penetrare queat, componuntur.

Adurens & vesicas elevans, sic

℞. *fol. ranunculi, ped. columb. rec. contunde, m. cum sale & aceto.* Alia *calefaciens.*

℞. *fol. thlaspi contusa*, eodem modo cum *sale* & aceto applica Idem præstant *bursa pastor., dentillaria Rondel. ruta, salvia calendula, angelica, urtica similiaque*, sic.

℞. *fol. sambuc. rutæ, calendul. urtica* āā. *m. j. contunde cum sale & aceto*, applica. Vel

℞. *allia, capar.* āā. *q. s. cont, appl.*

Minus calefacientia, & potius *nonnihil refrigerantia.* sic

℞. *plantag. sonchi* āā. *m. j. contunde, adde fulig. furni p. con. salis & aceti q. s. applica.*

Hoc maculam nigram parit & nonnihil erodit, eoque feliciter sæpe usus sum.

℞. *cortic. inter. nucis ramor. q. s. macera in aceto*, applica. *Panis maceratus aliquoties in aceto, applicatus pulsibus prodest*, Remedium sæpe à multis commendatum, experientiaque sæpe comprobatum.

℞. *ungu. Popul. portionem, subige cum telis araneor. mundis f. Pilula magna; De quibus duas brachiis, duas pedibus, duas temporibus, cum folio vitis ante paroxysmum applica, repetendo aliis quoque vicibus.*

Inunctiones similem ob usum fiunt *Pulsuum, Spinæ* & *Extremitatum.* Ad *Pulsus.*

℞. *Succi rutæ, urina pueri*, āā. *p. aq. m.* Unge, vel lava omnes pulsus, paulo ante invasionem. Vel

℞. *Ol. chamæm. q. s. in eo decoque araneos, Inunge Pulsus & spinam.*

Oleum Bufonum inunctum prodest.

Spinæ inunctiones multum quoque, præsertim ad *rigorem* compescendum, possunt.

℞. *Ol. chamom.* ℥iij.
laurini ℥j. *de castor.* ʒß.

araneos, lumbric. ℥℥. *n.* x. (teſte Dioſcor.)
aquæ vitæ ℥ij.
coque ad aquæ vitæ conſumptionem ; Inungatur tota ſpina.

Suffumigium de merda cati laudat quidam : *Authenuidem* per clyſterem injectam alii probant. *Platerus.*

67. *Ad carpum*) Cortices tiliæ interiores, ſi conquaſſati in aceto macerentur, & ſupra pulſus ponantur, optimum eſt, quo remedio multi utuntur. *Arn. Weikardus Theſ. Pharm. p. 452.*

Taleolus ex ſucco citri imponere carpis vulgo ſolent non ſine ſucceſſu, non tantum alterandi fine, ita enim acida retuſa vis eſt, verum etiam revellendi & attrahendi: manifeſto enim ſi uſus continuetur rubedinem ſubſequi videas. *Wedelius Am. m.f. p. 89.*

68. *Emplaſtrum Febrifugum Strobelbergeri*) *Veſicatoria*, vel nuchis, vel carpis manuum applicata, febres diuturnas optime exhauriunt: ſpeciatim rigor ex eorum uſu ceſſare ſolet; Interdum penitus ceſſat Febris; Applicantur die intermiſſionis, ut ita eorum operatio præveniat paroxyſmum; Nam & *Strobelbergeri Emplaſtrum* (cujus deſcriptionem vide in *Schroderi Pharm.* l.2. p.195.) febrifugum, vim nonnihil cauſticam, certe intenſe rubificantem obtinet :Sic quoque *Poterius l.2. de febr. c.23.* refert, quod in Quartana diuturna *veſicatoria* carpo admota interdum fuit proficua. *Etmuller pag.292.*

69. *Tincapiſcis*) Quæ per medium diſſecta in Intermittentibus, ægrorum plantis pedum & brachiorum carpis admota, ſummi inſtar remedii habetur, *G. Rolfinkius l. de Febr p 354.*

70. *Inter magica*) *Amuleta* quamplurima paſſim deſcribuntur, interquæ & hæc à multis certa eſſe perhibentur, *Araneam in nuce avellana collo appenſam; Pileſellam decreſcente Luna collectam, in nodulo collo alligatam*, vel *lunacis lapidem.* aut *Jaſpidem* geſtare, *Talpam* manibus donec moriatur; in ipſo paroxyſmo retinere. *Superſtitioſa*, ut *characteres certos*, vel *notas*, aut *ſcripta*, ſecum ferre, febrem *carminibus pellere, luſtrare, vendere*, aliaque incantamenta ſeu nugas omittimus. *Platerus.*

70. *Inter magica eſt*) Infelicis ſucceſſus ejuſmodi curationis, per tranſplantationem rentatæ, vide in med. noſtra Septentr. ex *Sim. Schultzio. vol.2.p.*178.

70. *Inter magica eſt*) Coque ovum recens in propria urina, quod tunc ſepeliatur in acervum formicarum, quo facto evaneſcit febris, *Conradus Kunrath Med. deſtill. p. 2. p.*308.

70. *Inter magica*) Abſcindantur ægro ungues in manibus & pedibus, linteo involvantur, & cancro vivo in tergum alligentur, qui ſic in aquam fluentem conjiciatur. *Joh. Pharamundus Rhumelius Tr. Germ.* de *Medic. militar. c. 13.* Sunt qui ad curandam febrem ſegmenta unguium è manibus & pedibus ovo includunt, & avibus devoranda objiciunt; Alii eadem cera involvunt, & matutino tempore, ante ſolis ortum januæ affigunt : *Joh. Schroederus Pharmac. l.4.p.*287.

71. *Et tum victus commodus*) Non ſolum *Theſſalus* ſua triduana inedia febres curabat, ſed & Empirici quoque noſtro ſeculo idem facere conantur : Verum cum per omnimodam cibi abſtinentiam bilis admodum ſerociat, & partibus à quibus rapitur, (venis ſcil. meſeraicis in quibus congeſta eſt, ventriculo etiam & Inteſtinis, etiam ſe ſubſtantiæ ipſorum inſinuet, unde colicam prodire alibi docuimus, incommodet, gravioreſque ſæpe morbos excitet, non temere inedia, in qua omnino nihil ſumitur, cum ſic etiam ſudores & urinæ impedirentur, febres ſanare conabimur : Alias *media* ad evacuationes quoque pertinet, per quam cum non tantum ne nova cauſa accedat, impediatur, ſed & ea quæ in venis meſeraicis congeſta eſt, ab inteſtinis & ventriculo rapiatur, febres aliquand ceſſare poſſunt. *Platerus.*

71. *Et tum victus commodus*) In omnibus Intermittentibus, aliiſque periodicis febribus, æger ante paroxyſmum neque cibum neq; potum aſſumat, ſed neceſſe eſt ut ſtomachus itinanus quicquid enim ingeritur, aut ingeſtũ eſt, digeſtionis primæ, in paroxyſmo penitus deficientis, errato, in cruda recremẽta abit, novo fomiti febrili inſervientia, è contra utiliſſime ante poroxyſmum alvus exoneratur, vel per ſe vel injecto clyſtere; Interim pro Potu in febribus eſt *vinum & cerevifia abſynthites*, vel etiam vinum quoddam ex aromaticis medicatum, vel die intermiſſionis, vel declinante paroxyſmo uſurpatum : In ipſo peroxyſmo etiam à Potu abſtinendum eſt, niſi in ipſo caloris vigore, & paroxyſmo jam nonnihil declinante potus, ſed calidus, concedi poteſt, iſque quo calidior eo liberalior; potentiſſime enim ſudorem provocat; In *Quartanis* præſertim parciſſime bibendum eſt; cum nihil hanc febrim magis contumacem reddat quam nimia Potus in paroxyſmo copia : *Crato* plane in paroxyſmo Quartanario Potum interdicit, quod maxime curationi conferre aſſerit : Certe crebrior, præſertim cerevifiæ, potus, diuturniores reddit has febres, in paroxyſmo febris ingurgitatus, mucum in primis viis, & hinc fermentum febrile in fonute augens, adeoque conſultum eſt ut à potu abſtineant quamdiu poſſibile, aut ſaltem, non prius bibant quam æſtus invaluerit ; Et quidem bibant Potum calidum, & ſi melius rebus ſuis conſulere velint, huic primo potui, aut ſaltim ſequenti, uni alterive minus calidio, inſtillent *ſpiritus ſalis armoniaci* ſimpl. ad guttas 40. ut hujus uſu quaſi corrigatur noxa à potu illata, ac ſimul largior provocetur ſudor, Potus ſit vel aqua vel *cerevifia tenuis*, ſive *ſecundaria* cum *vino abſynth.* medicat ; aut ſaltem cum ſimplici vino ita correcta : Vel, quod his præferendum, ſerum lactis probe depuratum, præſertim in ſcorbuticis, cui etiam commode de *ſucco citri* aliquantulum inſtillari poteſt : Aut loco horum *Decoctum Tamarindorum cum paſſulis* egregie convenit : Quod ſi nimia ſitis urgeat, ſimulque æſtus gravior incenſus ſit, commode potui *Nitrum* addi poteſt, ita ut aliquot drachmas ebibere ſit licitum. *Etmuller p* 286.

CAPVT II.

De Febribus Intermittentibus in ſpecie.

ARTICULUS I.

De Tertiana Intermittente.

1. FEbris intermittens in ſpecie conſiderata, vel eſt 2. *Tertiana*, vel *Quotidiana*, vel *Quartana*, 3. Datur tamen & *quintana* 4. *ſeptana*, 5. *octana*, *nonana*. Tales verò rariores typi, ſunt ſpecies ſimplicium typorum, interpolata acceſſione una aut pluribus. *Quartana* eſt ſpecies tertianæ, in qua tertia dies eſt ſine acceſſione.

[6] *Febris Intermittens* [7] *Tertiana, est febris,* [8] *à bile excrementitia* [9] *in venis mesaraicis putrescente exorta,* [10] *tertio quoque die, cum rigore, quem calor & alia insequuntur affligens.*

[11] *Signa* sunt *paroxysmus* [12] alternis diebus [13] cum rigore impetens, [14] Rigore cessante *calor* multus. *Pulsus* initio accessionis parvus, tardus, post frequens, [15] *Vrina* subrufa &c.

Causa, est [16] *Biliosa* colluvies in venis mesaraicis, vel sola, vel, cum aliorum admistione putrescens, ab alimentis corruptibilibus, [17] vel aliis eam generantibus exorta, & vapores putridos ad cor emittens.

[1] *Febris intermittens in specie considerata, vel est &c.*) Hic quæritur An tempus & dies, quo hæc vel illa febris ingruit, nudam denominationem suppeditet? *Hofmannus* dicit judicium de febribus, num sint Quotidianæ, Tertianæ, Quartanæ, non spectare ad vulgum, sed ad Medicum, idque ex illo capit, quod Febres Tertianæ, præsertim duplices, singulis quoque diebus invadont; Verum rectius vulgus quam Medicus hac sentit in parte; scilicet hæc differentia est desumpta à tempore afflictionis, Et Medici in eo falluntur, quod biliosos humores non posse singulis diebus moveri putant. *Piens p. 231.*

[2] *Vel est Tertiana, vel Quotidiana &c.*) Causæ febrium Intermittentium ex errore populi non solum, sed etiam quorundam medicorum, qui febrem Biliosam nonnisi ex Tertiana periodo cognoscunt, Melancholicam ex Quartana, Pituitosam ex Quotidiana, haud bene innotescunt, Neque ulla sequela aliorum datur, ut Bilis tertio die, Pituita quotidie, melancholia quarto quoque moveatur, Tam facile enim est negare quam asserere: Et obmutescent illi, si quæstio instituatur, quamobrem hoc vel illo die moveatur hic vel ille humor? Quotidiana itaque experientia constat, ex quolibet humore, qui massæ sanguineæ inest, *quantitate*, vel *qualitate*, aut *motu*, abundante, oriri quamlibet febrem, Et tempore *Hippocratis*, *Galeni*, atque etiam *Avicennæ*, error erat credere ex febrium periodis posse humoris naturam cognosci.

Sæpe vero bilis & pituitæ notas in Quartana deprehendere licet, ipsarum quoque caosarum, tam internarum quam externarum connexio & series alium humorem, quam qui typo respondet, arguunt, Quoties enim in homine sanguineo Quartana visa est, cujus nulla symptomata atram bilem arguebant, Et in Tertianis febribus melancholiæ indicia sese produnt, Et iterum multi vomitione pituitæ à Quartana sunt liberati, Unde eam à pituita fuisse verisimile est, cujus vacuatione fuerit sublata: Et quomodo pituita & melancholia, forte & serum, possunt incendi, cum humores sint frigidi, adeoque putredini, nec per consequens febri obnoxii; Et quare leucophlegmatici & elephantiaci non perpetuo febricitant.

Quid sentiendum de Veterum opinione, Omnes febres oriri à Bile, aut certe nullam esse sine Bile? Solertior hac in parte *Simonus cap. 2.* acceptat quidem illud, bilem ex omnibus humoribus esse aptissimam huic incendio, & hac tantum spectasse veteres, sed ostensum solum quidem sanguinem in vasis contentum nutrire, reliquos autem humores non esse nisi [illegible], morbosa excrementa, Hinc deduco omnes febres fieri ex tota massa sanguinea, imo non tantum ex quatuor humoribus, verum etiam ex particulis sulphureis, salsis, acribus, serosis &c. Etsi etenim non sit necesse excrementa ex alimentis genita temperamentis partium respondere, & propterea possit adesse Quartana in temperamento sanguineo, illam tamen ab alio humore fieri posse, quam qui vulgo melancholicus esse perhibetur, ostendit solutio: *hæc* enim est causæ proximæ natura, ut ea sublata tollatur affectus Si igitur vacuato humore bilioso, vel pituitoso, alioque solvitur Quartana, ab hisce humoribus factam fuisse quis non crediderit?

Pueri quoque hac febri haud raro corripiuntur, à quorum temperamento, secundum vulgarem opinionem, admodum aliena: est enim melancholia humor frigidus siccus, pueri vero calidi humidique.

Idem quoque indicat anticipatio & postpositio paroxysmorum, nam prævertunt paroxysmi si particulæ humorum sint tenuiores, cur auctis hisce caussis tanta non fiet acceleratio aut retardatio ut periodus omnino immutetur? Si enim melancholia credatur facere typos sextanos, septanos, quintanos & etiam longiores, ob paucitatem & crassitiem particularum humoris, cur eadem de causa pituitosis particulis, seu lentis, tertianus aut quartanus circuitus non adscribetur, & biliosis particulis, copiosioribus ac tenuioribus quotidianus; crassioribus, ut vitellinis & parcioribus, quartanus?

Ostendi non laudabilem tantum sanguinem, sed & vitiosum multis modis, & fermentari & mutari in febribus, non longis tantum, verum & brevibus, hinc sequi mutationes non solum paroxysmorum, sed & urinarum, pulsuum, symptomatum: Hoc probo duplici φαινομένω, Aqua ad ignem sæpius calefacta salsescit, quamvis sal non imponatur; Aqua in ollis fornacariis hyeme per diem calefacta, refrigerata iterum per noctem, intra triduum putrescit, & humores in vasis toties incensi, toties restincti, non vehementer alterentur? & hoc quidem in Intermittentibus, in continuis vero perpetuus ille fervor nihil immutet: Quare hæc persuasio ex animis est delenda, & illa Quotidiana quæ singulis diebus, hæc Tertiana, quæ de tertio in tertium diem, & ista Quartana, quæ de quarto in quartum diem affligit, appellanda. *Idem pag 235. Tr. 2.*

[2] *Vel est Tertiana vel Quotidiana &c.*) Typorum in hisce Febribus, & spatii inter periodos differentiam, à diversa sanguinis crasi pendere putes: In temperamento bilioso tantum materiæ congeri potest, quantum fermentationi die inclusive tertio excitandæ sufficiat? At corpore cacochymico, ob materiæ fermentativæ uberius demensum cerebro (*Vide cap præcedens §. Rigore feriente, ex pulsuum compressione & spontanea lassitudine*) dispensatum, oritur quotidianus paroxysmus: E sanguine autem melancholico male ventilato emittitur materia minus irritativa, & quæ ante diem quartum inclusive etiam sumptum, non commovetur; Sed cum constet particulis magis terrestribus, ritu ferri candentis non statim frigescit, sed in longum paroxysmum extenditur. *Mundius comm. de Aëre vit. p. 51.*

[3] *Dantur tamen & Quintana &c.*) Longiorum periodorum quam Quartanæ meminit *Hippocr. 1. Epid. 3. 2.* ubi non solum febris Quintanæ, Sextanæ, Nonanæ mentio fit, sed etiam prognostica harum febrium subjiciuntur, *Septana*, inquit, *longa est, non lethalis, Nonana longior nec lethalis, Quintana & ante tabem & jam tabificis superveniens.* Galenus negat se unquã vidisse Nonanam, aut Septanam Quintanam vero admodum obscure, unde has periodos dari, negat 1. quia quæque periodus sequitur peculiarem humorem, sed tantum sunt quatuor humores, ergo saltem erunt quatuor periodi. 2. *Hippocr.* signa non describit quibus dignoscantur, quia non credidit tales dari periodos, 3. in Epidemiis nullum adducit qui dictis febribus laborarit. *Avicenna* vero has periodos confirmat, authoritate *Hippocr.* qui fuit vir sanctissimus, neque has febres unquam proposuisset nisi eas aliquando observasset.

Deinde quidam eas se vidisse referunt, *Gentilis* Quintanam & Sextanam: *Amatus* Nunanā, *Gorraus* Quintanam quindecim accessionum; *Salius* bis Octavum circuitum, Quamvis ergo *Galenus* eas nunquam observarit, non tamen negare debuit; Est enim, inquit *Avicenna*, ampla possibilitas, præsertim cum ejusmodi febres dari rei naturæ non adversetur: Nam si paucitas & crassities humoris melancholici facit Quartanam periodum, paucitas & crassities, major faciet & Quintanam, & Sextanam & Nunanam: *Galenus* nec lapidem vidit intestinorum, nec dracunculos, quos recentiores observarunt.

Causa igitur harum Febrium est eadem cum causa Quartanæ, humor scil. crassus, viscidus, & in pauca quantitate, Paroxysmorum enim redintegratio fit ex copia materiæ, quæ ubi naturæ gravis est, agitatur & paroxysmum facit, quando igitur pauca est, & tarde cumulatur, antequam paroxysmum possit excitare, quinque, sex, interdum etiam dies plures excurrunt; Accedit crassities, quæ facilem motum impedit, hincque fit ut tardius accedant paroxysmi: Humor autem iste crassus & paucus vocatur ab *Avicenna* Melancholia Phlegmatica, quæ à quibusdam sumitur pro melancholia ex pituita genita, non autem ex aliis humoribus, quia non sunt adeo tenaces, ut quamvis in melancholiam degenerare possint, tamen vix possunt tam lente moveri, Secus est de Pituita, quæ viscosa est & crassa, ideoque cum putrescat tarde progreditur.

Alii per melancholiam phlegmaticam intelligunt melancholiam mistam, cum pituita, vincente tamen melancholia, ex quibus fit unus quasi humor, qui ob viscositatem, quam ab humore pituitoso recipit, adjuvante paucitate tardius movetur, unde fit Quintana pro majori aut minori humoris crassitie aut copia.

Hinc solve rationes *Galeni*, melancholia enim, non qua melancholia generat Quartanam, sed qua pauca est & crassa, unde non solum melancholia, sed etiam pituita facere potest has periodos, ac etiam rariores, sic Epiala quarto quoque die movetur: Aliam harum febrium causam ex mente *Galeni* assignat Avicenna, scil. malam victus rationem, quia fieri potest, ut qui à febre liberetur, cumulans malis humoribus ix. aut x. die in febrem recidat, sed tunc non erit febris Nonana, sed potius recidiva: Est enim revera morbi circuitus, quando exacta victus ratione febris eodem constituto die recidit, ut in tertiana & quartana patet.

Signa autem ipsarum peculiaria non dantur, quia à peculiari humore non fiunt, tantum cognoscuntur ex circuitus ordine; Ex quibus patet solutio ad duas postremas rationes *Galeni*: Quintana autem ab *Hippocr.* pejor statuitur septena aut nonana, quia sequitur phthisin aut præcedit, quod non est universim accipiendum de omni Quintana, sed de ea quæ est cum Phthisi, Nonana longa est, sed non lethalis, pariter & Septana.

Hæ si contingant, curentur ut Quartana & Quotidiana: Laudat *Avicenna* tenuem victus rationem; summum digerentem in principio, deinde transit ad pleniorem: Commendat quoque Vomitum die paroxysmi ex validioribus, tum Purgationem, calidorum, ut theriacæ, mithridatii usum, sudoris provocationem, Balneum resolutivum. Monet Rhasis semper alvum esse leniendam, aut clysteribus aut aliis medicamentis, ante adventum paroxysmi; Advertit autem *Arculanus*, si febres hæ præcedant hecticam & phthisin, ut solent secundum Hippocr. caute esse utendum tum calefacientibus, tum vomitoriis, sudorificis, purgantibus, ne citius tabes acceleratur, Quod si illis utendum sit, levia esse debent, humectantia vero magis conveniunt, tum ratione ipsius morbi, tum ratione ipsius tabis. *Primirosius l.3.c.11.*

Febres Erraticæ.

5. *Dantur tamen & Quintana &c.*) Dantur etiam nulli certo typo addictæ, *Erraticæ* dictæ, seu, ut *Celsus* vertit, *Incertæ*, aliis *Vagæ*, nullum statum tempus nec ullum accessionis & remissionis ordinem servantes; *Causa* earum est humor diversi generis, in variis infimi ventris partibus putrescens, isque magna ex parte melancholicus & pituitosus; Ideo eos maxime corripiunt qui crapulæ indulgent, salsis & aromatis conditis humores torrent, aut frigidæ potu, & fructuum esu crudorum humorum copiam congerunt; Eadem *remedia* his conveniunt quæ Febri Quartanæ & Tertianæ nothæ, *Alterantia* scilicet & *Purgantia* vicissim repetita, ut primarum venarum obstructiones tollantur, adeoque morbi sentina prorsus exhauriatur; Earum autem ideo maturanda curatio, quia degenerant in Quartanam, si Autumnus proximus sit; in Tertianam vero si ver aut æstas immineat: Interdum & in continuam, humore è primis corporis sedibus in venas majores translato. Quod si præparantibus, purgantibus, & venæ sectione (si plethora inerat) opportune adhibitis, non cedunt, Balneum usurpandum, quod duntaxat erit tepidum, si humor ad bilis retorridæ naturam accedat; paulo vero calidius, & cum madoris perfusione, si pituitæ & fæculenti melancholiæ particeps est. *Riverius.*

Febris Menstrua.

4. *Dantur tamen*) Quin & dantur febres *Menstruæ*, sive in quibus singulis mensibus redit paroxysmus, quale exemplum citavit *Schenckius* L.16. Idem observavit in muliere, quæ toties, quoties menstruam patiebatur purgationem, ordinario per triduum febricitabat: Imo dantur febres Anniversariæ, Imo febris quæ die natali quotannis affligebat; & tandem eosdem extinguebat. *Ettmuller.*

4. *Septana, octana, nonana*) *Imo & annua*, Architectus quidam singulis annis stato die, h. e quo natus fuerat, febre implicabatur, quæ ex putrescente bile genita suum circuitum servans xiv. non transgrediebatur diem, donec confectus senio, & eadem ex more implicitus, febre natali suo die vi morbi prostratus naturæ concessit. *Benivenius cap.24.de Abdit. m. c.*

5. *Octana*, Observavi aliquando febrim octonam, omni die veneris circa vesperam redeuntem, quam præmisso vomitorio, per spiritum *salis ammoniaci* curavi. *Ettmuller.*

6. *Tertiana*) Dicitur Febris Tertiana, non quæ ad trium dierum distantiam porrigitur, verum inclusive à die quo incipit unus paroxysmus, dehinc tertio redit alter: Interim aliquando si paroxysmi sint diuturniores, scil. fere ad 24. horas protracti, simulque accessiones præoccupant *ἀνεπίληπτον* spatium sæpe nychthemero [illegible] est. *Willis c.4. libr. de Febr.*

Dicitur non quæ ad trium dierum distantiam [illegible]tur, sed inclusive à die quo inchoat unus paro[illegible] dehinc tertio, secundum Sabinorum & Latinorum [illegible]merum, redit alter. *Febris Tertiana Intermittens est affectus à magna & molesta cordis irritatione, ex massa sanguineæ disproportionata fermentatione, cum pulsu celeri & inæquali, rigoreque, atque acri calore per totum corpus diffuso, de tertio in tertium diem affligens, & ad intermissionem veniens.* Viens pag.251.

7. *Febris intermittens Tertiana est Febris &c.*) Est [illegible] Febris Tertianæ in eo cōsistit, quod sanguinis instar [illegible]siç è brasio nimis tosto paratæ) plus satis acris & [illegible]dus succum alibilem qui à comestis crudus [illegible]r, non cito subigit & maturat, sed plurimum ejus in materiam nitro-sulphuream pervertit; qua cum sanguinis massa ad turgescentiam saturatur, instar

cerevisiæ

cerevisiæ novellæ utribus inclusæ effervescentiam concipit.

A fluore istius materiæ nitrosæ, quæ calorem & spiritus vitales obtundit, partesque nervosas vellicat, primo excitatur frigus cum rigore; dein præpollente rursus spiritu vitali, materia hæc in sanguine effervescens subigi, ac in corde accendi incipit, à cujus deflagratione calor intensus per totum corpus diffunditur, dein reliquiæ ejus secretæ, ac sero involutæ, per sudorem amandantur.

Retorrida hæc sanguinis constitutio in hoc sita est, quod sulphuris & salis particulis plus debito impraegnatur, quare quæ ad hunc morbum disponunt causæ procatarcticæ, sunt temperamentum calidum & biliosum, ætas juvenilis, præfervida victus ratio, uti vini & ciborum piperatorum immoderatus usus.

Præcipue autem verna & autumnalis anni tempestas, quando sanguis (non secus ac vegetabilia quæque) efflorescere, & sua sponte fermentari aptus fit. Propter hujusmodi occasiones cruoris liquor perassari solet ac in temperiem biliosam verti: Et cum à crasi naturali in tantum discessit, ut succum nutritium in materiam plane fermentativam pervertat, hujus febris initium inducitur; quod aliquando ab hac intemperie sensim aucta, & ad summum provecta contingit: frequentius vero hanc dispositionem causa evidens in actum deducit, & accidenti cuidam notabili hujus morbi originem adscribimus.

Quare humi decubitus, à sudore frigus susceptum, aut quovis modo transpiratio impedita; item crapula, aut ab inordinate comestus ventriculi perturbatio; quæcunque demum effervescentiam immodicam in cruore cient, latentem hujus morbi diathesin in actum ducunt, quippe à tali qualibet occasione succus nutritius in sanguine congestus & aliquatenus depravatus fluorem concipit, & a reliquo sanguine secedens cum acore nitroso fermentescit; dein à spiritu & calore vitali accensus, & exagitatus cum æstu valde intenso, *Paroxysmum* inducit: Tertiana autem solet esse vere frequentior, quo tempore sanguis vegetior & opimior existit; ideoque ad hujusmodi diathesin febrilem magis idoneus. *Willis.*

8. *A Bile excrementitia putrescente.*) Quæritur quomodo Bilis putrescat, cum obstructionem parere non possit, quæ causa est putredinis? fit enim obstructio ex humore multo, crasso & lento, at bilis nec crassa est, nec lenta? Respondeo bilem vitellinam crassam esse & obstructionem parere, vel quotiescunque alia quavis ex causa obstructio fit in corpore, bilis putrefieri potest & febris accendi. Ideo *Galenus* etiam in febribus à bile utitur *origano, hyssopo*, ad obstructiones solvendas quas crassus humor parit, non ipsa bilis. *Primirosius.*

Bilem pinguiorem *Sylvius de le Boe Pr. Med. l. 1. c. 21.* ut & Famis diminutę causam statuit *c. 11.* cujus ortum deducit ab alimentis similibus copiosius assumptis, oleo, butyro &c. ut & medicamentis; aut medicamentis aromaticis valde oleosis sæpius usurpatis, oleis stillat. vini spiritu cum oleosis præsertim parato, anisato &c. adeo ut B[illegible] ipsa naturalis obstructionis causa esse queat, si copios[illegible] &c.

[illegible]. *A Bile excrementitia in venis*) Bilem excrementitiam, extra venas alicubi collectam (sicuti censet *Fernelius*) sive fla[illegible] sive viridis & æruginosa, sive atra existat, Febrium intermitt. causam si putrescat, esse posse negat *Pla[illegible]* ea in parte aliqua ventris collecta, aut in eam effusa quandoquidem calidissimus & acris ex sua natura sit humor, præsertim si accedente putredine, vel alia causa calida, altum insuper calorem suscipiens effervescat, partes [illegible] vellicando adurendoque, colicos cruciatus, cardialgias & vomitiones diarrhoeasque biliosas potius quam febres procreat; nisi quatenus dolore & calore corpus interdum inflammando, febriculas aliquas, quæ tamen tarius, hosce affectus comitantur, excitat: nec dum si sic effervescat tamdiu in loco aliquo queat consistere, ut vaporibus inde tetris emissis ad cor usque penetrando putridas febres possit invehere; Cum & ipsa excrementis alvi naturaliter permista, atque una cum ipsis putrescens, vapores tetros & fœtidissimos exspirans, superiora tamen minime petat aut inficiat.

8. *A bile excrementitia*) Vide §. *Vel est Tertiana, vel Quotidiana &c.*)

9. *In venis mesaraicis putrescente exorta, Tertio quoque die*) Ad motum istius febrilis materiæ de tertio in tertium diem, versus cor, faciunt non occulta qualitas, & quædam proprietas quæ explicari nequit, non Lunæ & syderum influxus, quoniam hoc modo nulla possit dari ratio quare quædam quotidie, aliæ de 3. in 3. vel de 4. in 4. diem obtingunt; neque incantationes, ut vulgus sibi persuadet, cum hic affectus naturalis naturalem agnoscat causam; Causæ igitur istius motus quærendæ sunt partim in *humore* ipso, seu febrilis materiæ spirituosa parte, partim in *foco*, in quo continetur.

In *humore* itaque si sit, vel fit ratione *quantitatis*, cum scilicet ita, adauctæ sint humorum particulæ illo in foco, ut inter rarescendum & fermentescendum necessario regurgitare debeant, unde fluxione ac dissolutione facta è loco suo ad cor accedunt, illudque irritant, ac per consequens febrem inducunt; Vel ratione *qualitatis*, quando scil. illam tenuitatem & fluxitatem acquisiverunt, ut nonnisi definito tempore istæ febriles particulæ disproportionatæ moveri queant.

Sicuti enim materia è sede sua haud facile movetur, si ejus particulæ sint crassæ, terrestres, tenaces, viscosæ, pituitosæ, magis fixæ, ac inter se consimiles ejusdemque figuræ ac dispositionis; E contrario facili negotio ebullit & fermentatur, si ejus particulæ male figuratæ sint, summe agiles, & avolare nitentes, dissimilisque figuræ ac constitutionis.

Locus denique, licet difficilioris sit indaginis, ad duo tamen ejus conditio referenda est, Ad *loci seu foci capacitatem*, & *vasorum* apertionem: Quando scilicet locus nihil ultra capere potest, vel novus sanguis, vel aliud quid accedit, necesse est materiam alias ibidem quiescentem è sede sita moveri, ac fermentari 2. Ad *Loci sensibilitatem*, locus febrilis quo minus sensibilis est, eo tardius exinde moventur humores: Locus autem, in quo delitescit febrilis materia, facillime irritari ac vellicari potest tam ratione *quantitatis* quam *qualitatis* illarum particularum; unde quo major & frequentior irritatio, eo citius paroxysmi contingunt.

Locus febrilis non facile determinari potest in Febri *Tertiana*; quidam *hepar* esse statuunt, & *partem ejus convexam cum fellis cysti*; quod licet quandoque verum sit, non tamen ubique admittendum: Possunt quoque *pancreas* & mesenterium, in quibus multæ ejusmodi particulæ acres, biliosæ, sulphureæ & fervidæ latent, locum affectum esse, nec non glandulæ, de quibus. *Warthonus. Pieus. p. 254.*

10. *Tertio quoque die*) Scribit *Averroes* 4. collig. 28. non esse necessarium omnes febres quæ tertio quoque die repetunt esse à Bile: Et *Galenus* cum *Avicenna* eos reprehendunt Medicos qui ex tertiano circuitu febrem biliosam esse judicant: Hoc tamen ævo omnis Tertiana periodus soli accepta fertur bilis; ita ut etiam *Galenus* 1. aphor. 12. Pleuritides, quæ fiunt à sanguine bilioso, tertio quoque die exacerbari voluerit; At quid prohibet multam & tenuem, quotidie, aut paucam & crassam, quarto tantum die moveri, Sicut melancholia potest facere periodum Quintanam & Sextanam, quidni quoque faciet Tertianam? Vtplurimum tamen non tantum Tertiana, sed & quælibet febris fit à bile. *Primirosius. lib 3. capit. 2.*

10. *Tertio quoque die*) Causam hujus febris vulgo sta-

tantum ſolam bilem in primis viis collectam, & de tertio in tertium diem calidam intemperiem accendentem: At vero ratio dari nequit quare bilis de tertio in tertium diem moveatur, non autem alii humores; Imo bilis ob fluxilitatem, ejuſque acrimoniam, ac particulas calidas ſingulis potius moveretur diebus, Et *Averroes l.4.collig.* 28. non neceſſarium eſſe ſcribit omnes febres, quæ tertio quoqno die repetunt, eſſe à Bile; potius illi ſunt reprehendendi qui ex tertiano circuitu febrem eſſe bilioſam judicant: Noſtro tamen tempore omnis Tertiana periodus bili refertur accepta, Ita ut etiam *Galenus* 2. *aphor.* voluerit pleuritides, quæ fiunt à ſanguine bilioſo, tertia quaque die exacerbari; Verum nihil prohibet bilem multam & tenuem quotidie, & paucam ac craſſam quarto tantum die moveri; ſicut melancholia, ſeu humor craſſus, tenax, & viſcoſus poteſt facere periodum quintanam & ſextanam, quidni faciet quoque Tertianam: utplurimum tamen non tantum Tertiana, ſed & quælibet febres, à particulis bilioſis fieri poſſunt. *Piens pagina* 252.

u. *Signa*) Bilioſæ Febris ſigna ex quinque fontibus [illegible]tur.

1. Ex *Calore*, qui valde acris, ſed qui longo manus [illegible]ctu facile ſuperatur, quia humor tenuis & calidus [illegible] halat, ac cito diſcutitur; quod intellexit Hippocrat[illegible]um febres quaſdam eſſe dicit valde acutas, ſed [illegible]v.ctas.

Ex *Pulſu*, qui in principio contractus eſt & parvus, poſt[illegible] vehemens, celer, quod magna ſit refrigerationis nec[illegible]itas: Nullam habet inæqualitatem, aut certe mini[illegible]n, præterquam febrilem, quia bilis tenuior eſt, nec [illegible]at naturam ut pituita & melancholia, tum quia [illegible]on minor eſt refrigerationis ex diaſtole, quam expel[illegible]ndarum ex ſyſtole fuliginum neceſſitas, ex *Galeno* 1. *ad Glau*..8.

3. Ex *Urina*, quæ ſolet eſſe flava, aut flammea, ſubſtantia mediocris, & odore gravis in exquiſita; nam in notha, ex *Avicenna*, poteſt urina eſſe cruda eſt craſſa.

4. Ex *Forma Febris*, nam tertio quoque die invadit, initium non eſt diuturnum, in augmento & ſtatu ſymptomata increſcunt, æger vigil eſt, niſi in notha cum humores ſunt craſſiores, dolor adeſt capitis, vigiliæ, delirium ſitis, nauſea; oris amaror, inappetentia, cardiogmos &c. Declinatio eſt cum ſudoribus & remiſſione omnium ſymptomatum.

5. Ex *cauſis pragreſſis*, ætate, victus ratione &c. Adde his *Conjecturam Archigenis*, ſi bilioſæ febres ſint epidemicæ.

Intermittens autem eſſe dignoſcitur ex propria Forma, Incipit enim cum rigore valido & pungente inſtar acus, qua differt à quotidiana, in qua ſola adeſt refrigeratio, in quartana vero vehemens adeſt perfrictio, oſſa ipſa quaſi afficiens: Præterea Tertianæ rigor primo ſtatim die vehemens eſt, quia bilioſus humor in morbi progreſſu à Natura ſuperatur; in quartana vero humor in dies magis putreſcit, nec punctionis, ſed vehementis refrigerationis ſenſum inducit: In Tertiana vero pauca eſt refrigeratio, tantum ob caloris ad interiora recurſum contingens, ſed in quartana & quotidiana frigus adeſt ex ipſa humoris qualitate, ait *Gentilis*: Præterea Pulſus in principio ſunt [illegible]vi ac debiles, mox in ſtatu magni fiunt & veloces, nullam aut exiguam habentes inæqualitatem præterquam febrilem; Calor per univerſum corpus expandi[illegible], ſitis urget, homo uritur ut ſe denudet, magnumque [illegible]m ducat, ſed ex facili; tandem Declinatio cum ſu[illegible]fit ob magnam materiæ ſubtilitatem quam *excipit omnium ſymptomatum* remiſſio & *ἀπυρεξία*. *Primiroſius.*

Prognoſis.

Signa Prognoſtica quod attinet, Simplex Tertiana ſalubris eſt, nec ulla ratione ſui lethalis, 1. *Epid.* unde *aphor.* 59.4 *In ſept m periodis longiſſima judicatur.* Dixit tamen in Coa.11 *Hippocr.* terminari novem circuitibus, ſed & ſæpe ante ſeptimum paroxyſmum, ſcil. 5. imo & 3. ſolutas videre licet; Quod ſunt in continuis dies, id ſunt in intermittentibus paroxyſmi, unde ſecundum eandem numerationem earum fiunt criſes.

Solvitur ergo Tertiana hoc tempore ſi nullus error ab ægro aut Medico committatur, nam, ut docet *Trallianus*, ſi male curetur redditur inſanabilis, alias ulterius prorogari non ſolet ob humoris tenuitatem & fervorem, qui eo temporis ſpatio, abſumpto fomite, ipſe quoque conſumitur: Sed ſi bilis ſit craſſiuſcula, acceſſiones poterit producere & criſin ultra ſeptimum paroxyſmum prorogare; at hæc febris non poteſt eſſe pura ſed potius notha. Scribit *Gal.* 2 *de criſ.c.* 3. *Si urina ſubflava fuerit & mediocriter craſſa, & paulo poſt vel nebulam albam, vel enæorema bonum habuerit; quartum non excedit circuitum*, Nebula alba eſt certiſſimum criſeos futuræ inditium, *Aph.* 71.4 ſolius meminit nebulæ rubræ, quoniam hæc rarius accidit; ruber enim color indicat coctionem inchoatam, albus vero progreſſam.

Deinde ſubdit *Galenus*, *Omnium febrium ſimpliciſſima eſt qua habet Tertiana Exquiſita indicia, & hypoſtaſin albam, lævem & æqualem*; hæc *enim tertium circuitum non tranſcendit*, Sed etiamſi ex ſe ſit ſalutaris, interdum tamen, ut obſervat *Saxonia*, movetur humor ad os ventriculi, unde qui illud habent valde ſenſile ex cardialgia incidunt in ſyncopen, & moriuntur, quod tamen non perpetuo verum, nam ſi, ſæpe & ordinarie movetur humor ad os ventriculi, qui vomitu utiliter excluditur; Circa coctionis ſigna, quę ſolutionis celeritatem oſtendunt, monet *Amatus*, ſi duplex ſit Tertiana, ea non eſſe certa, niſi de una tantum, quæ altera remanente ceſſare poteſt.

Quando Tertiana ſolvitur, ea aut vomitibus, aut ſudoribus, aut dejectionibus terminatur, raro per urinam: Labiorum & narium exulcerationes febris finem ſignificant, 6. *Epid.* 8. 41. Sic igitur iſtius febris longitudinem & brevitatem cognoſcemus, ex accidentibus & paroxyſmis, ſi enim ſecunda acceſſione omnia fuerint futura, & in tertio incipiant remitti, quarto finietur: Sed ſi VII. terminari debet, in IV. morbus erit in ſtatu, & quinto ſymptomata incipient remitti: Unde jubent Arabum interpretes ut prædicant Medici quartum paroxyſmum fore maximum, ne ſi V. S. fuerit prius adminiſtrata, aliudve genus remedii uſurpatum, dicant adſtantes ægrum à Medico fuiſſe interfectum. *Primeroſius.*

Prognoſis deſinitur ab *Hippocr.* Aphor. 59. 4. *Tertiana*, inquit, *exquiſita ſeptem circuitibus ad ſummum judicantur*, Et 43.4. *Febres quoquo modo intermiſerint periculum abeſſe ſignificant.*

Scribit *Haly*, & vulgatiſſima docetur experientia, [in] Tertiana laborantibus, ſi ulcera, aut puſtulæ, in [labiis] & naribus erumpant, finem febris præſagire: Eſt [enim] quædam velut criſis quæ ad illas partes fit.

Alvi fluxus ſuperveniens, materia jam concocta, eam ſolvit, Et hęc unica eſt via qua hujuſmodi febres perfecte judicantur, Cum enim illarum focus in cyſtide fellea, vel hepate, vel meſenterio, aliiſque partibus primæ regionis contineatur, etiam ſi quæ ſingulis acceſſionibus effertur exhalatio, in habitum corporis irrepens, vel ſudoribus, vel inſenſibili tranſpiratu, vel papulis expurgetur, manet tamen craſſamentum, quod niſi beneficio naturæ, vel medicamentum, per alvum expurgetur, aut febris diuturnæ, aut obſtructionum, aut recidivæ, aut aliorum morborum contumacium cauſa eſſe ſolet. *Reverius.*

u. *Signa ſunt*) Signa Diagnoſtica diligenter docet *Galenus l.* 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. Et 2. *de diff. febr. cap.*; Et 1. *ad Glau. cap.* 5. ubi quoque dicit, qui ex iis non primo ſtatim

ftatim die agnofcit Tertianam exquifitam, fore non afinum Theffalum, fed lapidem, quin lapidem molarem: Vereor tamen ne plu[illegible] peritiores hac in dignofcenda decipiantur, quamplurima eum figna aliis etiam febribus funt [illegible]mmunia, Hæc tamen funt certiora, 1. Quod de tertio [illegible] tertium diem affligat, 2. Quod primo infultu, cæ[illegible]que fuccedentibus vehemente rigore corripiantur ægri, qui quafi proprius eft huic febris, 3. *Calor* acris, qui aliquando initio nonnunquam vehementior exiftit, velut ignis quidam lucidus, non fumofus, 4. *Pulfus* ingruente [ri]gore parvus, debilis, & tardus; eo difcuffo, fenfimque accedente calore, fit vehemens, frequens, inæqualis, In declinatione paulatim redit ad ftatum naturalem, præterquam quod haud raro manet inæqualitas febrilis. 5. *Capitis dolor* vehemens, *delirium*, *vigilia*, *ventriculi fubverfiones*, 6. *Urina* varia, Vide ulterius §. *urina*) *Picus* p. 257.

[12.] *Alternis diebus*) Tertiana alia fimplex eft, alia duplex, alia triplex; *Simplex* dicitur cujus paroxyfmi tertiò quoq; die, h. e. alternis diebus recurrunt: *Duplex* vero quando paroxyfmi fingulis diebus invadunt; Et quamvis in hoc à Quotidiana non differat, utraq; tamen per figna propria bilem aut pituitam indicantia dignofcitur: Aliquando tamen in Tertiana duplici duo paroxyfmi eadè die apparent, die altera remanente libera; Nonnulli vocant duas Tertianas, *Triplex Tertiana* fit quando duorum dierum fpatio tres apparent paroxyfmi: Exemplum affert *Galenus* 2. *de Crif.* c. 9. Et nos vidimus Nobilem qui fingulis xvi. horis febris Tertianæ paroxyfmum patiebatur, Et finguli paroxyfmi intra x. aut xii. horas per fudores judicabantur. Fiunt diverfi hi paroxyfmi à diverfa materia in diverfis locis putrefcente, ita ut unaquæque peculiarem fomitem obt[ine]at. *Riverius*.

13. *Cum rigore*) Siniftri quidam *Galeni* interpretes à frigore activo pendere ajunt hunc Rigorem, Unde vero illud, ubi meræ funt particulæ acres, biliofæ & fulphureæ; Adeft quidem frig[us] fed ut comes afflicti in corde caloris: Rigor autem fit à particulis mordacibus, acribus & pungentibus, partes fenfiles vellicantibus, *Picus pagin.* 25[illegible].

14. *Rigore ceffante calor multus*) Quatuor obfervat *Avicenna* in R[ig]ore [T]ertianarum, 1. incipere cum horrore, deinde ri[gor]em fieri majorem, ac deinde in dies minui, contra quam in Quartana. 2. Effe pungentem inftar acus; 3. non effe valde frigidum, 4. citius fedari quam reliqui rigores à materia frigida pendentes folvant.

14. *R[ig]ore ceffante calor multus*) Occurrit tamen exemplum [illegible]s a calore incipientis & in frigus defineutis; [illegible] N[illegible] altiori loco decedit; vix reftitutæ fucceffit febris v[illegible] per hebdomadas aliquot durans, fed in qua id fing[illegible] q[illegible] cum acceffiones pateretur, inciperent il[illegible] quod in intermittentibus familiare eft, [illegible]ffimo totius corporis, per quatuor horas, fer[illegible]ue tandem in rigorem & frigus, nullo id [illegible]mporis in[ter]cedente calore: Redit tamen illa [illegible]rate in gratiam: *[illegible]aus Borrichius in Med. Sept. vol.* [illegible]

[illegible]*ma*) Ut ita abfoluto paroxyfmo in aliis indivi[illegible]eft, in quibufdam enim eft fubru[f]a, in quibufdam [illegible] [illegible]rea, confiftentiæ mediocris quæ vel con[illegible] [illegible]em habet: quæ habet, & quidem nebu[illegible] [illegible]m enæorema album febrim arguit brevem, & [illegible] paroxyfmum non progreffuram; Quæ [illegible] [illegible]ul fit rubicundior, ad 7. ufque paroxyfmum [illegible] *Picus*.

In [illegible] laborante hoc animadverfione dignum fuit, qu[illegible] unquam contentum in urinis apparuit, liquor [illegible]rum in declinatione calore & fubftantia laudabilis apparebat: Cujus eventus ratio inde fuit defumpta, quod æger nephriticis affectibus diu obnoxius fuerat, quorum ratione urinæ tranfcolari confueverunt. *Riverius cent.* 1. *obf.* 22.

[15.] *Biliofa colluvies*) Medici Tertianas febres prima divifione partiuntur in *Tertianam finceram*, *exquifitam*, feu *puram*, quam ex pura & fincera bile flava putrefcente oriri ajunt. Et in *fpuriam, notham, impuram* five, quam ex mifcela pituitæ putridæ & bilis flavæ generari fcribunt.

Nos hanc divifionem confulto negligimus; certum fiquidem eft Bilem flavam, finceram & puram, in corpore non reperiri, fed aliis humoribus mixtam, nifi in fua capfula, & Bilem per fe & fine mixtura fanguinis & pituitæ putridæ minime putrefcere poffe, vnde nec pura Tertiana aut exquifita dari poteft; Et bilis flava per fe etiamfi in corpore redundet, ut in Icteritia, febrim generare nequit, nifi putrida colluvie aliorum humorum mixta.

Quod autem in omnibus Tertianis & Ardentibus febribus una cum bile & totus fanguis vitietur & afficiatur, & pituita una putrefcat, ex cruore ex venis detracto perfpicuum eft, cujus fuperficies utplurimum cineritia pellicula contegitur, quæ fanguinis cum pituita admiftionem fignificat; & in pelvis fundo pituitofa mucago innatat: Item quod in urinis ardenter febricitantium fi per noctem in matula retineantur, matulæ parietibus tetorridus fanguis inftar arenæ rubræ aut fubflavæ tenuiffime adhæret; quam vulgus Renum calculum falfo effe judicat & pronuntiat; Et quod in evomitionibus biliofis una mixta pituita confpiciatur, manifefta funt indicia bilem non finceram fed una cum fanguine & pituita putrefcere. *Fr. Joel Tom. 2. fect 2. p. m.* 18.

16. *Caufa eft biliofa colluvies*) Omnem humorem falfum, acrem, fulphureum, biliofum & fervidum de 3. in 3. diem cum fanguine refluo, inter circulandum & fermentandum ad cor accedentem, ibidemque facta antea particularum male figuratarum in maffa fanguinea diffolutione, ac effervefcentia, irritationem in ipfo corde excitantem, febris potius caufam effe conftat.

Nec femper verum eft in febribus intermittentibus os & linguam effe amaram, aut ructus nidorofos, ac vomitiones biliofas oriri: Hoc enim fit quod in rigore hujus febris membranæ totius corporis convelluntur & vellicantur, qua de re ventriculus, cum fit pars valde nervofa, convulfione afficitur, ac ita quicquid in plicis fuis fovet furfum ejicit; id quod ob bilem non femper contingit, fed alii humores in vitio effe poffunt, modo acrimonia & vis vellicandi ipfis adfit: Infuper hæc in febribus Tertianis non femper eveniunt. *Picus p.* 253.

17. *Vel aliis eam generantibus*) Ex bile, humore calido ficcoque generatur Tertiana, & fero bilis, 4. *Acut.* 2. proinde eos invadit qui habitu gracili, natura calidi ficcique funt, quique maximum fecerunt bilis proventum, ex *caufis ipfam generantibus*, quales vel materiam fuppeditant, ut alimenta pinguia, dulcia, calidæ ficcæque naturæ, ac tenuis fubftantiæ: Vel efficiunt, ut corporis viscerumque conftitutio calida, ficca, ætas juvenilis, æftas, vigiliæ, ira, corporis nimius motus, quæ caufæ quo vehementiores funt eo bilem magis adurunt, & nunc hanc illam bilis fpeciem producunt: Aliæ caufæ bilem in corpore detinent, ut fuppreffa & impedita illius à jecore & vefícula fellis in inteftina evacuatio. *Primirofius*.

Caufæ *remota* funt omnia illa quæ ad collectionem iftarum particularum (vide §. 16. *caufa eft biliofa colluvies*) ratione quantitatis, qualitatis & motus, de tertio in tertium diem aliquid faciunt: Collectionis caufa eft tam *materia* quam *efficiens*, Scilicet fanguis (inftar cerevifiæ è brafio nimis tofto paratæ) plus fatis acris, fervidus ac retorridus fuccum chylofum, qui è comeftis crudus infertur, non rite fubigit & maturat, fed plurimum ejus in materiam nitro-fulphuream pervertit, qua fanguinea maffa, inftar cerevifiæ novellæ utribus inclufæ, effervefcentiam de tertio in tertium diem concipit.

Materia rationem habent cibi acres, falfi pingues, ut ova, lac, vini dulcis immoderatus ufus &c. quæ non tantum in bilem abeunt (uti *Hofmannus* inquit, qui natura calidiores funt, dulcibus vefcuntur, & pinguioribus

V

his supra modum excalefactis amarescit pars sanguinis tenuior, & fit bilis) sed & in particulas ichorosas, salsas, acres fervidas, sulphureasque ac facile inflammabiles.

Efficientis rationem habeat spiritus particularum febrilis fermenti, & viscera calidiora & fervida, quæ vel cibos recenter ingestos in ejusmodi humores convertunt, unde ipsum sanguinem & chylum sensim ita accendunt, & fermentant, ut in biliosas: acres & sulphureas particulas, imo ipsum febrile fermentum abeant: Huc referenda *Evacuatio* vel istorum humorum, in corpore lege naturæ genitorum suppressa; vel seri salsi, acris & fervidi, quo excrementa, cum alicubi restagnent, & ad tempus usque quiescunt, facile postmodum illo in loco, in quo amplius contineri nequeunt, fermentantur, ebulliunt, ac rarefiunt, unde cum sanguine refluo commixta, circulando ad cor moventur: Ad motum istius febrilis materiæ de 3. in 3. diem faciunt &c. Vide *§. Tertio quoque die) Pueris pag.* 255.

Curatio.

[18]. *Curatio* reposcit, [19]. I. *Ratione morbi, Refrigerationem & humectationem*, de quibus Infra vide; putaturque aquæ portulacæ unc. iv. cum spirit. sulfuris scrup. ß. vel i. [20]. morbum sustulisse. Aliis, mixtura ex succi plantag. unc. iv. cum aceti rosati unc. ß. croci gr. iij. duabus horis ante accessionem exhibita placet: ut & succus è medulla citrina axpressus, duorum cochlcarium dosi, cum totidem boni vini stillatitii.

II. [21]. *Ratione causæ* 1. [22]. *Evacuationem primarum viarum* per medicamenta lenientia, ut *syrupum rosarum solutivum* cum manna & [23]. Cremore Tartari; vel clysteres ex cassia, diacatholico &c. qui repeti ante accessiones possunt.

2. [24]. *Vomitum* [25]. si materia ad ventriculum tendit, [26]. & ægre rcardialgia, nausea & desiderio vomendi infestatur; sed ita ne humores è venis ad primas vias trahantur. [27]. Laudantur *sal vitrioli*, *radix asari* scr. j. vel duo in vino, horis aliquot ante paroxysmum; *Aqua formicarum Hartmanni*, quam etiam aqua fragorum & centaurii cum melle ingrediuntur, cautissime habita virium & causæ, an hac everri possit ratione, dimidii cochlearis dosi propinata. *Aqua tabaci*, ex uno & altero cochleari tribus horis ante paroxysmum assumpta, quæ paroxysmum tollere dicitur. Movere eum & duæ aquæ frigidæ heminæ, Tralliano tepidam laudante.

3. [28]. *Venæ sectionem* [29]. si humor è prima corporis regione in venam cavam penetravit, ß quod ex urinis rubicundis cognoscitur, quæ in intermissione institui debet. [30]. In plenilunio celebrata creditur magis prodesse, quia tum ob lunæ vim, humores ebulliunt, & sanguis sit fluxilior.

4. [31]. *Præparationem* [32]. *per medicamenta* [33]. *refrigerantia*, *humectantia*, & primas vias *extergentia*. Valent, *taraxacum*, *acetosa*, *hordeum*, *cichorium*, Spiritus *salis*, *vitrioli*, *Cremor Tartari*, *Tartarum vitriolatum*, syrupus *de acetos. citri*, *rubi Idæi*, *portulac*, *acetosa*, *acetosella*, Tinctura *rosarum* cum *santalo rubro & julepo rosato*. Inter [34]. specifica sunt. [35] *Centaurium minus*, *morsus Diaboli*; *decoctum chamameli* cum cremore tartari, aqua gentianæ destillata, (quidam succum inspissatum drach. j. pondere usurpant) *myrrha* quæ penetrantissima.

5. [36]. *Purgationem per alvum* & quidem [37]. die intermissionis ut plurimum 3. die paroxysmi, [38]. si materia ad alvum inclinat. [39]. Uti poteris *rhabarbaro*, *foliis sennæ*, Cremore Tartari, syrupo de tribus solutivo, diasereos. Sunt qui [40]. *pulverem Comitis Varvicensis* exhibent: sunt qui & *crystallos antimonii* cum sale Centaurii: sunt & qui *gummi guttæ*, & *Mercurium dulcem* ♂, ad quæ non est quod descendas.

6. [42]. *Sudores*, qui concitantur *aluminis crudi* in aqua Centaurii minoris scr. ß. vel j. [43]. quinque ante paroxysmum horis [44]. dati: *Salis absynthii*, *Ostrutii*, *Centaurii minoris*, *Carduibened.* scr. ß. in aqua eadem: [45]. *aquæ radic. Imperatoriæ* destill. cochl. j. [46]. *spiritus salis armoniaci* à gutt. iij. ad vii. in aqua cichorii vel alia; mixtura simplice &c.

7. [47] *Topicorum applicationem*. [48]. Alligatur *soleis* [49]. potentilla cum sale & aceto: [50]. *Carpis*, *cortices* nucum juglandium Interiores ex ramis in aceto macerati, quibus Platerus feliciter usus est: *Pulvis* siligineus cum virescente salvia, albumine ovi, & aceti pauxillo contusus, *Cataplasma* ex foliis plantagin. & chelidon. majoris ana m. j. telæ aranearum, semin. Urticæ, fuligin. camini, salis commun. ana dr. j. cum aceto formatum. *Cataplasma Mynsichti*, ex herba viridi absynthii, bursæ pastoris, Urticæ minor. rutæ, olibano, telæ aranearum, pulvere pyrio & sale fuso compositum; *Cataplasma* ex radic. bryon. dr. ij. hellebori albi dr. ß. salis nigri scr. ij. piperis albi scr. j. Croci scr. ß. & ficubus quatuor concinnatum. *Emplastrum* Strobelbergeri in Pharmacopœia Schroderi descriptum, *Sempervivum minimum* cum sale & aceto; *auricula* denique *muris* contusa & eodem modo præparata. [51]. *Hepati & cordi* [52]. admoveri possunt in summo vigore vel declinationis initio epithemata.

III. *Ratione ægri*, 1. *victum* refrigerentem & humectantem, qui in accessione adhiberi non debet, ne natura ab humorum concoctione avocetur, vel cibus appulsu terrorum humorum inquinetur, & corrumpatur, [54]. nisi fortè æger sit calidus, siccus, raræ texturæ, qualibus per inediam animi deliquia facilè obrepunt. Juscula pulli vel carnis egregiè biliosam materiam temperant, si lactuca castigentur, laxatiles pisces, lucii & percæ conceduntur. 2. [55]. *Partium corroborationem* hepatis inprimis, si calidiusculum, & ventriculi, quorum medicamenta suis locis vide. [56]. Prodest *sal absynthii* in Spiritu vini solutum, & iterum in crystallos coagulatum ad scrup. j.

18. *Curatio reposcit*) Medendi methodus vulgo in unicum hunc ſcopum dirigitur, nimirum ut morbi minera extirpetur, & ſine fomite reſiduo, aut recidivæ metu materia febrilis è corpore eradicetur, quare vomitoriis & catharticis diligenter inſiſtitur, quæ cum nihil ad curam proficiunt, quia plurimum frangantur vires, ægri à Medicis relinquuntur, & res tota Naturę committitur: Intentiones (ut mihi videtur) debent eſſe hujuſmodi 1. Sanguinis ad temperiem naturalem *reſtitutio*. 2. Depravationis ſucci nutritu (quantum fieri poteſt) *præcautio*. 3. *Fermentationis febrilis*, ne paroxyſmus ſuſcitetur, *inhibitio*.

Atque hæ indicationes non tantum in ſchte Tertiana, ſed in qualibet præterea intermittente locum habent, Quæ tamen non iiſdem modis aut remediis, verum aliis atque aliis pro diverſitate morbi, conditionis ægr, & ſymptomatum maxime urgentium ſunt peragendæ: Utcunque in curatione hujus morbi plus naturæ & bene inſtitutæ victus rationi quam pharmaciæ tribuendum eſt.

I. Circa primam intentionem, nimirum ut ſanguis ad temperiem naturalem reducatur, vomitoria, venæ ſectio, & Purgatio magni ſunt uſus, præcipue ſi in morbi principio celebrantur; Juvant *Vomitoria*, tum quatenus ventriculum expurgant, ut coctio primęva melius perficiatur, indeque chymus nutritius pro materia ſanguinis purior ſuppeditetur, tum præcipue, quatenus bilem à meatu chodedocho copioſe exprimendo cyſtin felleam inaniunt, ut exinde bilis è maſſa ſanguinis plenius ebutrietur, adeoque ſanguis à recrementis ſalis & ſulphuris aduſtis depuretur: *Vena ſectio* ſanguinem refrigerat, & ventilat, ut propterea minus torreſiat, aut præaſſetur, atque liberius ſine aduſtionis periculo in vaſis circuletur. Item *Purgatio* bilem è vaſis ſelleis, & conſequenter è cruoris maſſa ubertim emulger, & protirando exprimit: In hunc finem (ſcil. cruoris reductionem) conferunt *digeſtiva*, acetoſa, attemperantia. Quandoque etiam ſo is & ačris mutatio malam ſanguinis conſtitutionem præ cæteris quibuſcunque remediis inſigniter emendat.

Secunda Intentio *Diæta* & exacta victus ratione optime perficitur, quæ in hoc morbo ſit *tenuis & parca* oportet, Quare vulgo dicitur Fames optimum hujus ægritudinis [illegible]ium; & communi conſtat experimento à parcio[illegible]u acceſſionem febrilem ultra tempus conſuetum ſæpi[illegible]ime protelari: Duo ſunt imprimis circa victum ob[illegible]da, 1. ut alimenta ſint tenuia, nihil exhibeatur ſulphureum aut ſpirituoſum, ſic enim conflagratio ſanguinis minoratur; dein 2. ut urgente aut ingruente paroxyſm[illegible] alimenti ingeratur, quare in jejunus paroxyſmus eſt levior & citius finitur.

Q[illegible] tertio erat propoſitum, Acceſſionis febrilis inhibitio, [illegible]ſtituitur per remedia quæ ſanguinis fermentationem ſiſtunt, licet autem hoc remedium empiricum amethodicum, & valde infidum apud Medicos audiat, tamen mihi compertum eſt has febres hoc modo ſæpenumero curari cum pharmaca non omnino prodeſſent: Qualia ſint ſupra adnotatum: Hic ſolum advertimus horum uſum poſt pharmaca & V. S. (ſi opus ea fuerit) eſſe [illegible]me proficuum, & niſi hæc rite præmittantur, iſthæc [illegible]tera raro paroxyſmum inhibere.

[illegible] autem, Purgatio & venæ ſectio, niſi ab initio [illegible]rentur, parum opis præſtant, imo ſæpius obeſſe [illegible] dum enim ſanguis ſpiritu vitali pollet, ejus mala [illegible] facili negotio corrigi aut emendari poteſt; quare [illegible] initia copioſe emulgetur; aut cruor event[illegible] craſin naturalem reducitur: poſtea tamen in morbi h[illegible]reſſu (ſpiritu jam plurimum exhauſto, atque ſale & [illegible]hure nimium exaltatis) ſi ejuſmodi evacuationes adhibentur, ſanguinis craſin plus debilitant, ideoque obſervatione conſtat ab his remediis ſero admotis Tertianam raro aut vix omnino curari, & ſæpe in quotidianam tranſire: Novi egomet verno tempore quoſdam ſatis integra valetudine fruentes ab emetico fortioti, præcautionis gratia ſumpto, & evacuationem violentam ciente, è veſtigio in Tertianam incidiſſe, atq; alios à febre hac aliquandiu curatos, cum purgationem pro exterminandis materiæ febrilis reliquiis fortiorem inirent, illico recidivam paſſos: In promptu erit dicere mineram morbi prius ſopitam, hoc modo à pharmaco exſuſcitari & in actum deduci: Attamen ſi rem hanc recte conſideres, potius dicendum videtur, quod à pharmacia fortiori ſanguinis craſis plurimum lædatur; cumq; prius fuerit in bilioſam dyſcraſiam pronus, ut ſuccum alibilem ægre aſſimilet, à cauſa hac evidenti illico magis degeneret, ut protinus nutrimentum in materiam fermentativam perverterit, adeoque diatheſin febrilem ſuſceperit.

Vulgo increbuit opinio Tertianam ſine vomitorio vix ſanari poſſe, quare ſolent nonnulli medicaſtri, ſub neceſſitatis prætextu, quibuſcunque hoc morbo laborantibus (languidis & infirmis licet) non ſine magno vitæ periculo emeticum propinare; & quos tali remedio omnino impares cenſent, tanquam non facile curabiles naturæ relinquunt; Verum (ut mihi ſæpius contrarium experto ſatis conſtat) hujuſmodi praxis perperam inſtituitur; quin potius exiſtimo pro curatione Tertianæ, niſi in corpore robuſto, & ad vomitum facilè proclivi, & cum contigerit ventriculum materia excrementitia aggravari, raro aut nunquam Vomitoria requiri, ſed vice horum lenem purgationem, qua humorum ſaburra blande ſubducatur rectius ex uſu fore, quippe Purgatio, in hoc caſu, idem præſtat quod vomitorium, nimirum vaſa choledocha evacuat, ut bile è ſanguine uberius exhauſta dyſcraſia febrilis emendetur; Cum autem humor ſelleus in ventriculum exantlatus ſurſum educitur, gravis inde noxa ſtomacho infertur, ac inſignis perturbatio in toto corpore excitatur ſin vero à leni cathartico humor iſte deorſum proritetur, ſine quavis moleſtia foras excernitur: Dein ſi blandæ purgationi, ſemel aut bis iteratæ:

Victus admodum tenuis & carnium expers ſaccedat, indicationi præſervatoriæ non raro ſatisfiet, ut pro cauſa morbi tollenda non aliis remediis opus fuerit; quin his rite præmiſſis adhibeantur in uſum quę aut intus ſumpta, aut exterius applicata accesſionem febrilem ſiſtant; Hujuſmodi plano & facili Medicinæ inſtituto, ſcilicet Purgatione ex inſuſo ſennæ & rhabarbari, victu tenui, & topico febrifugo pectori aut carpis adpoſito, ſine pharmaci cujuſvis alterius deleterii uſu Tertianas brevi tempore ſæpiſſime curatas novi: quinimo gravidas, ſenes, itē valde imbecilles, quorum vires purgationi non ſufficerent, ſolum tenuis diæta cum periaptis tempeſtive adhibitis perquam feliciter ſanari: Iſtius methodi optatum ſucceſſum ita crebro expertus ſum, ut minime dubitem febrem Tertianam, ſi ab initio hoc modo tractetur, ſcil. priuſquam mala victus ratione aut pharmacia perperam adhibita ſanguinis temperies plus lædatur, ęque facile ac alium quemvis morbum perſanatum iri. *Willis.*

Symptomatum correctio.

19. *Curatio repoſcit 1. ratione morbi*) Primo videndum quid in paroxyſmo agendum ſit, Cavendum imprimis à ſomno ante acceſſionis declinationem, in qua ſi dormierit, ſudaveritque erit bonum, nam ex ſomno in acceſſionibus ſymptomata fiunt deteriora, augentur viſcerum incendia & inflammationes, paroxyſmuſque longior evadit, ex *Galeno* aph. 1. ſect. 2.

Ubi horrent urgentq; ægri, ſi ſint nauſeabundi, vel aqua tepida, vel hydræleo vomant, aut ſi tenuior materia eſt, oxymel addatur ſcylliticum, aut etiam vehementioribus utendum ſi opus.

Alvus tamen ſollicitari non debet in ipſa acceſſione, ſed longe ante inſultum, ut in declinatione, aut intervallo, glande aut clyſtere molli, Accedat enim paroxyſmus ventre vacuo, inquit *Avicennas*, ideoque unice obſervandum, ut ante cibi adventum

cibus in ventre concoctus sit, nihilque concedat, bibatque in accessione ante declinationem.

Sitis si valde urgeat, ad ejus tædia devitanda, aqua frigida sæpe os colluat, vel mulsa aquosa, 2. *de morb.* aut succum limonum aqua diluat, vel julepo Alexandrino utatur: Quod si sitim ferre nequeat, in statu paroxysmi bibere poterit, ex Aëtio c.79.l.5. & *Galeno* 2.*de cris*.3.

In fine Status, cum sudare incipit, leviter operatur, sudores abstergeantur, ubi multum sudaverit, vinum album mediocriter lymphatum quidam præscribunt, ad sudores copiosius eliciendos, aut Syrupum S. Ambrosii dictum, de quo inferius: Quod si sudor Naturæ beneficio non erumpat, non est vi & remedus eliciendus ante quartam accessionem: Solet tamen sudor paroxysmum finire, alias periculum est ne in continuam degeneret: Vidi tamen sæpe non sudoribus, sed biliosi alvi profluvio singulas accessiones solutas, quod me in sententia Fernelii confirmavit, Intermittentium febrium materiam sæpe latitare in præcordiis, non autem in corporis habitu. *Primirosius*.

20. *Cum spir. sulph.* ℈ß. *vel* ℈j.) Vel sic

℞. *Salis absinth.* ʒß.
spir. sulph. ℈j.
aqu. cichor. ℥ij.

Hocque est illud famosum *Crollii* febrifugum, in principio paroxysmi exhibendum. *Pieus* p.259.

In usu familiari fuit *Riverio*, ut patet ex ejus praxi & observat. innominato *Crollio*.

21. *Morbum sustulisse*) Ante adventum Paroxysmi per v.horas, mane detur ægro sequens Potus

℞. *vini vel succi granator.* ℥ij.

Quo assumpto immediate ligetur sequens mixtura pulsibus manuum, pedum & temporum.

℞. *unguent. popul.* ℥j.
tela araneæ. ʒij. *m.f.*
Pilula instar pisi.

& una cuilibet pulsui superligetur, easque detineat æger usque ad tempus quo timor paroxysmi præterierit, & certo sanabitur. *Ben. Victor Faventinum Empir. l.* 2. *c.11*.

22. *Morbum sustulisse &c.*) Legitimas Tertianas septem circuitibus ad summum judicari *Hippocr.* 4. aphot. 69. tradidit, Non desunt tamen specifica quæ una vel altera dosi hunc morbum radicaliter tollunt; Ex horum censu creberrimo usu & experientia probata sunt. *Tinctura Bezoartica* D.D. *Michaelis tum acida, tum salsa, Salia antifebrilia D.D. Mœbeii, Et imprimis ejus Emetico diaphoreticum minerale*, quod interdum primo purgat ἄνω. interdum simul κάτω, semper autem sudorem copiosissimum movet: Non raro hasce operationes simul ordine, & quidem cum euphoria exercet: Notandum; tamen quod, ubi plethora adest, simul fit V. S. administranda, ubi cacochymia fortis, simul alio purgante Naturæ succurrendum. *Frid. Hofmannus in m. l.1.c.19.p.371*. ubi exempla aliquot felicis eventus adducuntur.

23. *Evacuationem primarum viarum*) Præscribatur ante omnia Clyster, qui ex 1. ad *Glaucon.* debet esse mollis & refrigerans ne jecur incalescat.

℞. *Decoct. comm. clyster. emoll. & refriger.* ℔j.
infus. croci metaller. ℥ij.
mellis violat. ℥j. *f. Clyster.*

Vel purgetur blande cassia, Diaptuno (*scil. simpl.*) syrup. rosar. solut. manna, quam tamen improbat *Massaria* ob dulcedinem, ne in bilem vertatur; sed myrobalanos ante coctionem improbat *Avicenna*, quia adstringunt: Rhabarb. probat *Averroës*, quod rejicit *Massaria* (qui solet in rebus nihili esse valde cautus) ob fervorem & adstrictionem, quasi infusione aquarum non temperaretur. *Primirosius*.

23. *Cremore Tartari*) Qui in quacunque Tertiana utiliter medicamentis addi poterit, quia obstructiones aperit, potentior deterget, & nihilominus refrigerat *Riverius*.

24. *Vomitum*) Juvant Vomitoria, tum quatenus Ventriculum expurgant, ut coctio primæva melius perficiatur, indeque chylus pro materia sanguinis suppeditetur, tum scil. quatenus particulas acidas pituitosas, biliosas & calidas è vicinis locis copiose exprimendo, illas vias & meatus inaniunt, ut exinde istæ particulæ è massa sanguinea plenius eliciantur, adeoque sanguis à recrementis salis, sulphuris & bilis adustæ depuretur. *Pieus* p. 257.

25. *Vomitio si materia*) Febres Tertianæ quandoque à Vomitorio paulo ante paroxysmum adhibito tolluntur, quod quidem accidit, ut opinor, ob rationem quam superius innuebam, Dixi enim Febris Tertianæ causam esse malam sanguinis diathesin, qua in naturam acrem & biliosam transit, ideoque succum nutritium appositum non rite assimilat, sed in materiam fermentativam commutat: quare si bilis copiose à sanguine emulgetur, intemperies ista calida & biliosa utplurimum tollitur, & vis ista fermentativa sponte cessat; hoc autem imprimis præstant pharmaca Emetica; si enim fortiter operantur, non tantum ventriculi fundo spasmus inducitur, sed & duodenum motu inverso versus pylorum contrahitur, atque bilis è meatu choledocho prorsitanter continua expressa in ventriculum suffunditur, quæ statim vomitu rejicitur, qui si copiosus succedat, vesica fellea fere inanitur, & deinceps receptaculum evadit, quod humorem biliosum, sive talis & sulphuris adusti particulas sanguini uberrime suffusas emulgeat & excernat.

Paroxysmus mox futurus nonnunquam hoc modo præcavetur, non quod minera morbi vomitu extirpatur, sed quoniam evacuano & motus motui febrili contrarius excitatur, & proinde sanguinis effervescentia spontanea præcavetur, etiam hac ratione quandoque morbus tollitur in posterum, quoniam hoc modo sanguis à bilioso humore plenius emulgetur: Est tamen dignum observatione, quod Vomitoria in Quartana nihil prosunt, & raro in Tertiana, nisi statim ab initio exhibeantur, quando febrilis diathesis adhuc levis est, nec plene confirmata. *Willis*.

25. *Vomitum. si materia ad os*) Interdum in principio paroxysmi moventur humores vitiosi in primis viis ad os ventriculi: Et refert *Primir. de Febr.* l. 3.c.2. vidimus *ait*, convulsiones & cardialgias singulis paroxysmis enatas ex bile æruginosa, quæ ejusmodi bilis vomitu sedabantur; In his & similibus causis vomitoria in specie sunt necessaria; Nec quenquam deterreat, quod ægri sponte sua in Tertianis sponte vomant; Nam talis vomitus fere est symptomaticus, acrimoniam succorum in primis viis commotorum & effervescentium insequens, adeoq; vere est symptomaticus ac raro sufficiens: In quo casu si cætera respondeant, etiam vomitorio, sed blando sufficiens vomitus promovendus. *Ettmuller*.

26. *Et æger cardialgia, nausea*) *Riverius* mulieri quæ novem Tertianæ paroxysmos passa erat, cum capitis dolore acerbissimo, pungente & lancinante, dimidiam tantum capitis partem hemicraniæ instar occupante, Præscripsit *purgans ex aqua bened.* ℥j. *cum infusione* ʒß. *fol. sennæ* paratum, quo per inferiora quater purgata est, & bis per superiora, vomituque rejecit prima vice circiter ℔j. bilis porraceæ; secunda vero parem quantitatem bilis æruginosæ, Ersequenti accessione à dolore capitis omnino fuit libera; Judicavit hunc dolorem procedere à vaporibus acribus, ex materia quadam biliosa in ventriculo, aut partibus vicinis stagnante elevatis, *Cent.*1. *obs.*17.

27. *Laudatur*) Vomitu utimur si ad ventriculum humor moveatur, quod fieri solet in principio accessionis, tunc levioribus irritetur, ut *aqua hordei cum oleo amygdal.*

℞. Oxymel. ℥ij. *decoct. semin. raph.* ℥vj.

bibat tepide. Fortiora sunt *anethum, sem. atripl.* quibus validius *asarum*, nec nisi cum impetu vomitum provocat; commode tamen *Fernelii diazarum* in usum revocari potest, sed omnium Emeticorum præstantissimum est *Antimonium*, & omnium minime vires labefactat: Debet autem sola Infusio dari, ex croco metallorum optime defæcato; Est enim hæc omnium præparationum tutissima, & vim quandam balsamicam post operationem visceribus aspirat: Vomitoria cætera ex *asaro, flor. genistæ, helleb. albo*, & magis ingrata sunt, & pejora, & validiora quam *Antimon.* id quod millies experientia probavi. *Primirosius.*

℞. *vini albi opt. haustum unum, bulliat ad dimidiæ partis consumptionem, & sic hauriatur*: Multas vomere faciet aquas: Sic multos tertiana febre laborantes curavi. *P. Borellus cent. 3. obs 56.*

28. *Venæ sectionem*) De V. S. dubium An conveniat: quidam concedunt, alii negant, alii post tres paroxysmos eam concedunt: *Galenus* non meminit in cura Tertianæ. 1. ad *Glauc.* in notha & quartana eam admittit, Sed si *Galeni* consilium sequamur in *M. M. Saluberrimum est in omnibus putridis sanguinem mittere*, Cur notha requirit V. S. potius quam exquisita? id non fit ratione pituitæ, hæc enim V. S. non postulat; nec ratione sanguinis inflammati, accenditur enim sanguis in Exquisita non minus quam in notha.

Verentur alii ne V. S. Tertiana intermittens evadat continua, aut duplex, Non enim, ait *Fernelius*, evacuatur morbi causa quæ est in præcordiis, sed per V. S. attrahitur in venas, unde febres fiunt ardentes, idque experientia se didicisse profitetur, præterea corpus est omnino cacochymum, & generatur in regione, ætate, cœli statu calidissimo, in quibus venam secare prohibet Galenus, tum quia humores in exquisita non sunt in venis, fomes est extra venas, Ita ut neq; ratione causæ conjunctæ neque ratione fomitis vena sit secunda.

Respondet *Gentilis* V. S. administrari, non ad causam conjunctam, sed antecedentem, ne sanguinem vitiet & in bilem convertat; materia enim bilis sanguis esse solet, qui febrilem calorem in universum corpus defert, Quidam addunt Tertianam non esse morbum magnum, cum sit omnium febrium simplicissima post Diarias, ideoque V. S. non competere, quæ tantum magno morbo debetur; sed non perpendunt hi facile degenerare in acutam & ardentem, & incendium suum facile venis communicare, Nec metuenda est bilis effervescentia, ut volunt Arabes, non enim minus educitur bilis quam sanguinis, quia tenuior est; deinde universum corpus, tum hepar, quod tertianæ fomes est, temperantur, quo fit ut deinceps pro fervidiori succo temperatiorem procreet, tum etiam natura reliquum materiæ morbificæ concoquit expellitque facilius, crisisque acceleratur, febrisque in ardentem mutatio præcavetur.

6. *Quod ex urinis rubicundis cognoscitur*) Arabes venam secant si Tertiana non sit adeo Exquisita, hujusque humor in Jecore generetur, aut sit in corpore plethorico sanguini immistus, scil. si sanguis una cum bile accendatur, quod ex urina rubra dignoscunt; Et quidem certum est tutius venam secari, Hæc tamen conjectura non semper respondet, ut observat *Hollerius*, nam urina potest fieri rubra jecore infirmo, aut renibus plus æquo trahentibus, aut aliis de causis, non ex natura febris: Præterea urina rubra & flammea tantum in ipso paroxysmo apparet, in intervallo autem, quando vena secanda est, naturali similis redditur.

Et tamen sæpe observavimus sanguinem emissum alteratum fuisse, & etiam corruptum, nec tantum in Tertiana, sed & in ipsa Quartana, quæ longiora intervalla habet; Nec explicant Arabes quando urinam hanc rubram velint esse venæ secandæ signum, nam in paroxysmo semper rubra est, valde crocea in intervallo raro, & sic, aut semper vena secanda est, quia urina semper in insultu rutilans est & rubra, aut nunquam vena secanda; quia in Exquisitæ apyrexia urina semper naturali similis est, quod si non sit, Tertiana non est exquisita, nec ad perfectam devenit infebricitationem.

Non est igitur adeo curiose spectanda urinæ rubedo, sed vena in omni Tertiana; si vires & cætera consentiunt, injecto prius clystere, secanda est. *Primirosius,* Vide supra Tit, 5. cap. 1. §. *Venæ sectione.*

29. *Si humor è prima*) Arabum hoc fuit decretum in Tertianis febribus non mitti debere sanguinem nisi exacto jam tertio paroxysmo & postquam sanguis putruerit; quod forte non abs re dictum est: Videmus plerisque ante tertium paroxysmum missum sanguinem magno quodam profectu, aliis non item: Sed cur expectandum donec putruerit sanguis, nunquid satius est statim demere sanguinem ut natura recreetur, & non expectare quoad sanguis contaminatus fuerit: Si plethora est, eaq; naturæ molesta, solvatur is habitus & pertundatur vena; Si cacochymia, relicto illo solenni remedio, de purgando corpore cogitetur: Sed relictis salebris, quæramus num in Febribus Tertianis (quod & ad alias è putri humore natas febres potest extendi) tuto vena secetur ante tertium paroxysmum? Materia quę committit Tertianas extra vasa est, humor est primum laudabilis sua natura, sed qui per putredinem, quæ tempore aggreditur, & per gradus quosdem naturæ infestus fit: febris essentia in ignea natura consistit, materia quæ accensa calorem illum fovet, conscripta conclusaq; loco est, an ea educitur sectione venæ? humor qui hodie paroxysmum committit an putris an impuris? si putris erat, quare superioribus diebus non committebat febrem? Si imputris, intra naturæ limites contentus, quomodo febrem putrem committit? quia putrescit, inquies, ergo quandiu aderit putris humor tandiu perseverabit accessio? verum illud est, nam difflatur humor qui in hac accessione putruerat, unde perfecta ἀπυρεξία, quæ non contingeret nisi discuteretur humor putris, hinc confusæ urinæ, hinc sudores: ergo reliqui humores imputres sunt? quorsum itaque expectandum donec putruerint humores? non tantum humoris putris, quantum uni accessioni satis est, & sic humores non educentur venæ sectione nisi laudabiles in causa antecedente, & illaudabiles in causa conjuncta: Ut paucis terminetur quæstio, id quod ratione & experientia percepimus, declarabimus: Non est in eo diutius inhærendum, de quo dubitatur, si in una quaque accessione discutitur totum quod putret (unde in Quartanis & Tertianis perfectam esse apyrexiam Galenus ostendit) quid est quod expectemus hunc aut illum diem, hunc aut illum paroxysmum donec sanguis putreat? nam finita accessione humores reliqui expertes putredinis manent, ut videtur; contra tamen fit: aliud enim est humorem paroxysmi authorem putrere, aliud est massam sanguinis vitium concipere, etsi enim humor qui accessionem committit nondum putruerat, & post paroxysmum totus discutitur, tamen aliud est vitium in sanguinis massa, tanquam causa antecedente morbum alitura futuraque, cujus occasione demendi sanguinis captatur occasio, Quotiescunque enim in corpore febris concepta est, febrilis caloris vi humorum moles facilè corrumpitur; unde sæpe secundo aut tertio morbi die missum sanguinem vidimus laudabilem, progresso antisper morbo, aperta vena putrem ac virentem fluxisse, quod argumento esse debet minimis momentis magnas in corpore oriri mutationes in hanc aut illam partem, sic ratione illius putrentis sanguinis celebratur venæ sectio, quorsum itaque ante putredinem in massa conceptam celebratur? ratione plethorę: Sed juvat hic expectare quousque vitium in massa conceptum fuerit? id tribus rationibus fieri debet, prima est, si incendii concepti in humoribus major habetur ratio

quàm copiæ humoris morbifici in præcordiis, nam cum in Paroxysmis urget æstus, aperta vena illa præcipitatur prævertiturque, unde minus empyteuma, minus postea incendium & febris, sed si major occasio materiæ in præcordiis, ad Purgationem veniendum: Secunda, quoniam cùm vitium massæ sanguinis communicatum, aut ratione caloris febrilis, aut ratione vaporis, paulo tum morbus dicitur maturior, & natura irritatur magis, atque ita irritata per missionem sanguinis illius putris, paulo post reficitur ac recreatur, nam post ejusmodi evacuationes sequitur aut alvi fluor, aut sudor qui facilè morbi reliquias discutit. Tertia, cùm Plethora adest, aut ad vasa aut ad vires, sine ulla mora ferire venam oportet, nam præsente incendio febrili, & sanguinis copia, facile strangulatur calor nativus, hinc suffocationis periculum, hinc raptus humorum sursum, deorsum, & symptomatum augmentum: Ratio quæ efficiat sæpe ut primæ venæ sectionis nulla ferè sit utilitas, est quod parca manu nimium ea celebretur: si enim liberalius sanguis mitteretur, dubio procul manifestior foret utilitas. *Ballonius Conf. 44. l. 1.* Rondeletius Galenum exagitat quod voluerit in Tertianis exquisitis locum non esse S. M. nisi post tertium paroxysmum: quondam hoc visum fuit Avicennæ: at Galen. non adeo absurdus fuit ut expectandum tertium paroxysmum putarit: Sed credibile Rondeletium, & Galeni sequaces, legisse hunc contextum, c. 5. l. 11. meth. ex quo collegerint S. M. tertio paroxysmo exacto Tertianæ convenire: *Qui febricitant, si valentes viribus sint, omnibus sanguinem ab initio mittes, perfusosque oleo post tertiam accessionem, vel mulsa vel sorbitione nutries*: Si hoc loco nituntur, ut in Tertianis mittendum sanguinem post tertiam accessionem doceant, falluntur, nam primò hæc verba non sunt Galeni sed methodicorum: secundo non ait phlebotomandos post tertiam accessionem, sed nutriendos: tertio, illud, post tertiam accessionem, nec idem sonat, quod post tertium paroxysmum: in Græco legitur μετὰ τὴν διάτριτον quod verti debet, post tres dies exactos. *Ballonius 1. Epidem.*

30. *In Plenilunio*) Quo remedio eo tempore celebrato plures curatos, alios levatos esse testatur *Zacutus*. Et ipse novissime in viro Religioso, ac instante paroxysmo duplicis Tertianæ, curationem consequutam vidi. *Obs. 83. cent. 4. Observ. Riverianis adnexarum.*

31. *Præparationem per medicamenta*) Bilis utut quatenus crassitie & tenuitate peccat, sua postulet remedia, modo incrassantia, modo attenuantia, illa tamen potissimum dicuntur *Bilem* seu *cacochymiam biliosam* præparare, quæ *sulphur alkalinum* ejusdem, adeoque acre, mobile, fervidum domant, & fermentativum: Dicuntur illa, & sunt, ab effectu refrigerantia & temperantia, singula suo modulo agendi: aquea v. g. diluendo & humectando; acidula obtundendo, subamaricantia reserando & abstergendo, unda potissimum huc spectant hepatica frigida, inprimis simul sub-adstringendo roborantia. *Wedelius.*

32. *Præparationem per medicamenta refrigerantia*) Bilis, quia calida sicca, refrigerantibus & humectantibus temperanda; quia acris, lenientibus, si tenuis fuerit, debet incrassari, si crudior, ut vitellina, attenuantibus erit utendum, sed frigidis aut mixtis, Id præstat serum lactis caprini, aut emulsio semin. melonum, & similia quæ in varias formas Juleporum, Apozematum & Syrupi concinnari solent: *Julepi* ex aquis distillatis & syrupis fieri solent, interdum addito succo defæcato & saccharo, sensim eoquendo & despumando ad consistentiam Julepi, quæ media est inter Apozema & Syrupum, Accommodantur humoribus præparandis, sitis leniendæ, frænando humorum ardori: *Apozemata* vero ex decoctis plurimorum simplicium; Veteres olim herbas mulsæ incoquebant, nos aquæ, sero lactis, addito saccharo; quod si magna copia addatur, fiet *Syrupus*.

℞. *Aqua hordei* ℔j.
julep. violat. syr. de acetosa, āā. ℥ij. *m.*

℞. *Aqu. rosar.* ℥ij.
aqu. plantag. cichor. endiv. āā. ℥iij.
succi granat. limon. āā. ℥j.
sacch. clarif. ℥iv. *m. f. Julep.*

℞. *Aqu. pomor. redol.* ℔j.
incoque cortic. pomor. redol. man. ß.
santal. citr. ʒß.
adde syr. violar. ℥j.
succi limon. ℥j.
aceti rosac. vel caryophyll. ℥ß.
omphac. ʒiij.
sacchari clarif. ℥iij. *m. f. Julep.*

℞. *aqu. fontan.* ℔j.
aqu. rosar. sacch. albi. āā. ℥iv.
aceti vel omph. sub finem injecti ℥ij.
conserv. berber. prædictis dissoluta ℥iij. *f.*
Colatura & Julep.

Syrupi officinarum aquis dissolvuntur, & addito spiritu vitrioli fiunt Julepi: Conservæ idoneæ dissolvuntur aquis prædictis, dein colantur, & additis syrupis fiunt Potiones, interdum si opus, pulveribus aromatizatæ.

℞. *rad. cichor. dentis leonis, gramin. acetos.* āā. ℥j
fol. endiv. hepatica, lactuca, acetos. āā. *m. j.*
flor. violar. bugl. sambuc. āā. *p.* ß.
sem. endiv. portulac. melon. āā. ℥j. *fiat.*
Decoctio, in qua per residentiam clarificata dissolve syr. limon. ℥ij.
syr. capill. ven. ℥j. *f. Apozema.* Vel

℞. *rad. gramin. aspar. oxylap. filicis, plantag. cich.* āā. ℥ß.
vel unius horum ℥ij.
fol. cichor. borrag. rostri porc. dentis leon. herb. capill. agrimon. hepat. āā. *m. j.*
lactuc. *m.* ß.
prun. sebest. āā. *par.* v. *semin, maj. citri* āā. ʒj.
semin petros. anisi, āā ℈j.
flor. nymph. cichor. trium cord. āā. P. j.
coqu. ad ℔iß.
in qua clarificata dissolve sacch. ℔ß.
adde aceti rosac. ℥j.
aromatisetur ʒß. *pulv. triasant.*

Si malignitatis suspicio adsit, addantur radices *tunicis, tormentillæ*, succus citri, limon. &c. Hyeme herbarum inopia, radices & semina coquantur in apozema, temperari autem possunt radices in aceto, aut saltem acetum addi sub finem coctionis, *Oxymel. simplex* tepidum vel calidum datur etiam in acutis 3. Acut. nam concoctioni humorum opitulatur: Huc referri debet decoctum Hordei, quod magis compositum sic fiet.

℞. *Hordei mundi*, *m. j.*
semin. endiv. acetos. frigid. maj. āā. ʒß.
coque, Et in colatura ℔j.
dissolve vin. granat. ℥ij.
syr. limon. vel de acetos. citri, sacch. candi āā. ℥iß.
ad ignem parum bulliant pro Potu ordinario.

Primirosius.

33. *Refrigerantia, humectantia*) In Tertiana conveniunt diluentia sal acre, corrosivum, sulphureum, Aquea, ut aquæ destillatæ *cichor. hepat. nob.* &c. Potiones, infusa decocta, præsertim simul abstergentia & vehiculum abstergentibus præbentia: In ejusmodi febribus, etiam epidemicis & magis rebellibus, observavimus formam liquidam infusorum maxime profuisse, præter alia; Cum enim bilis acrior ibi & viscosior sit, fermentum febrile largiens & fovens, reliqua aperientia quidem officium faciunt reserandis ductibus, incidendo & attenuando; optima vero sunt infusa hujusmodi, ex *rad. acetosa, plantagin. gentian. ex fol card. ben. summit. centaur. min. cortic. china de china, cassia, caryophyll.* &c. Penitius insidens glandulis intestinalibus viscus extergunt promptissime, & fluxilitatem largiendo simul uni-

ce prosunt, si vel reliquorum vehicula constituunrur: quæ ratio medendi febribus est expertissima, adeoque merito commendanda merito: vero huc pertinere etiam censemus, in statu febrili ipso, *Acidulas*; extra eum *Thermas* quoque. *Wedelius Am.m.m.pag.*170.

33. *Refrigerantia*) Alteratur humor, universumque corpus refrigeratur, aut venæ sectione, aut refrigerantibus medicamentis, Medicamenta refrigerantia ad paroxysmi infractionem & cohibitionem pertinent, quibus mediis sanguinis fermentatio & effervescentia sistitur. *Piens p.eg.* 258.*&* 259.

34. *Specifica*) Præter remedia quæ regularem & methodicam curationem respiciunt, multa dantur specifica & empirica, tam interna quam externa, tum à Practicis laudata, tum apud vulgus usitatissima: Ad hæc referenda sunt ea quæ ad corrigendam pravam diathesin, jecori aut mesenterio impressam, & febres longas efficientem adducta sunt, (*tum & nonnulla inter* sudorifica *in textu allata.*)

Ac 1. *spir.sulph.* in Tertiana legitima, vel ad legitimam accedente, post V. S. & purgationem, in vigore paroxysmi, cum *aqua portulac.* exhibitus, ardorem febrilem potenter extinguit. Et si humor sit tenuis, eum per sudores expellit, ut novis paroxysmis materia non suppetat, & ita interdum morbus radicitus evellatur: Dosis à ℈ß. ad ℈j. *ex aqu.portul.*℥iv.

Spiritus hic cum *sale absinth.* mistus magnæ est efficaciæ in curatione Intermittentium, sic.

℞. *sal. absinth.* ʒß.
spir. sulph. ℈j.
aq. card. ben. ℥iv. *misce.* da instante accessione, & corpus integatur pluribus indumentis.

Aliqui *succum plantaginis* depuratum dant ad ℥iv. per horam ante accessionem. Vel

℞. *succi plantag.* ℥iv.
aceti ros. ℥ß.
croci. gr. iij. *misce*, sumat duabus horis ante accessionem.

Manardus summe commendat *Decoctum chamæm.* vel *aqu. ejus destillatam ad* ℥iv. per horam ante accessionem In vulgari usu est, & sæpefeliciter succedit, *Potiuncula ex aq. rosar. plantag. & aqua vitæ*, singulis ad cochlearis mensuram, ante accessionem.

Exterius vero sequentia usurpantur,

℞. *fol. hyssopi & tanaceti minutim incis.* ãã. *p.j. myrrhæ* ʒij:
macis, nuc. mosch. caryophyll. ãã. ʒß.
tereb. venet. & succi tanac. ãã. ℥ij.
in extendantur super placentam ros. frixam in sartagine cum vino generoso, panno lineo involuta, applica calide regioni ventriculi per horam ante *accessionem.* Vel

℞. *absinth. & menth. virid.* ãã. ℔j.
crustæ panis assata in aceto rosac. infusæ ℔ß.
pulpæ cydon. vel cydoniati cum melle confecti. ℥ij.
mellis, mastich. ãã. ʒß.
macis & nuc. mosch. ãã ʒij.
Omnia pistentur fortissime cum ol. cyden. f. Catapl. calide ante paroxysmum admovendum, Sudorem provocat & ventriculi dolorem aufert.

Vel

℞. *Nucis mosch. caryoph. cinnam.* ãã. ʒiij.
myrrh. & zinzib. ãã. ʒij.
f. Pulvis excipiendus pice liquida, fiat Empl. admovendum regioni ventriculi.

Hepati quoque sequens cataplasma utiliter admovetur.

℞. *santal. albi & rubr.* ãã. ʒj.
far. hordei ʒij.
aloes ʒß.
flor. violar. & rosar. sicc. ãã. ʒj.
cum succo absinth. & aceto fiat Catapl. admovendum hora una ante accessionem. *Riverius.*

Medicamenta refrigerantia ad paroxysmi infractioné & cohibitionem pertinent, quibus mediis sanguinis fermentatio & effervescentia sistitur: Licet autem hoc remedium amethodicum, empiricum apud plerosq; Medicos audiat, tamen mihi, *Riverio, Willis, Schrodero, Crolho*, aliisque compertum est has febres non modo sæpenumero curari cum pharmaca non omnino prodessent.

Hoc tamen advertendum horum usum post pharmaca & V. S. (si opus fuerit) esse maxime proficuum; quandoque vero absque aliqua prævia præparatione, aut evacuatione, sed primo principio. Et sunt *sal absinth.* ʒß. *spir. sulph.* ℈j. *aqu. cichor.* ℥ij. vel ita.

℞. *absinth. vulg. m.* iß.
f. decoctio in aqua cichor. ad ℥iiß.
adde sal. absynth. ʒß.
spir. sulph. ℈j.
f. haustus. Item

℞. *alum. crud. pulver.* ʒj.
nuc. mosch. pulv. ℈ij.
Elix. pr. Par. ℈ß.
aqu. cichor. ℥iiß. pro haustu.

Item *Cortex Peruviana*, aut ex succedaneo ejus, *corticis tamarisc. fraxini, gentianæ* cum *salibus* admixtæ è *vino albo* propinentur: Nec non *flor. chamom.* cum *sale tart. & spir. sulph. in aqua absinth. cocti*, Item *aqua fontis* cum *spir. sulph. per camp. elicit.* gtt. xvij. *Aqua febrifug. River.* Vel

℞. *Diascord. Fracast.* ʒß.
sal. centaur. min. ℈j.
ras. c. c. gr. xv.
spir. sulph. per camp. eliciti gtt. xiij.
aqu. card. ben. mane ℥iij. *à misce Piens.*

35. *Centaurium minus*) Purgato iterum post usum Juleporum corpore, si accessiones redeant, & ad longius tempus continuari videantur, signum est humores crassos & pertinaciter inhærentes febrem fovere, & obstructiones producere, quorum ratione abstergentia, aperientia, & incidentia usurpanda sunt, Eorum autem præcipua sunt *absinthium*, quod valde commendatur à *Galeno* 1. ad *Glauc.* cap. 9. & *Centaur. minus* quod ratione virtutis eximiæ, quam habet in curandis febribus, *Febrifugum* nominatur, Quia tamen ejusmodi calida sunt, frigidorum commixtione temperari possunt. *Riverius.*

λ. *Gentianæ*) Comprobatum est hoc.

℞. *succi gentianæ condensati.* ʒj.
vel liquidi. ℥iß.
juris pulli. ℥iij.
spec. diarrh. abb. aromat. ros. ãã. ℈j.
Horatius Augenius Epist. l. 5. *Epist.* 8.

36. *Purgationem per alvum*) Purgationem probant *Avicenna, Trallianus*, aliique, Est morbus acutus à cacochymia & bile prognatus, cui debetur Purgatio, Si *Natura per vomitum, urinas, sudores & alvum bilem in hac febre sponte vacuat, judicat peccare in hoc morbo bilem, ideo Naturam imitari Medicus debet.* Si ardenti convenit purgatio, quidni Tertianæ?

Quæ per os sumuntur benigna sint non diagridiata, ob vehementem illorum calorem, sintque potius in forma liquida quam solida, ideo à pilulis abstinendum, quia nimis impense calefaciunt & exsiccant: Docet autem *Hippocr.* 2. de *morbis*, & lib. de Int. affect. in Tertiana ante quartum paroxysmum pharmacum non esse dandum, quia ante illud tempus vix ulla adest coctio: Benigna tamen & levia quæ nos habemus medicamenta in principio innoxie propinari possunt; non obliti tamen quod Tertiana ex 1. *ad Glauc.* potius alterantibus quam vacuantibus sit curanda.

Quod si paroxysmus tardius invaserit, ut horis pomeridianis, suadet *Joubertus* ut die paroxysmi detur catharticum, sic enim accessio futura est remissior, quod consilium in quartana & tertiana notha est certius quam in exquisita. Scribit *Hippocr.* 2. de *morbis, Ubi nonum diem*

attigerit, medicamentum deorsum purgans exhibeto, si enim statim initio exhibueris, postquam purgatus fuerit febris repetit, rursusque medicamento indiget: Cum vero os ventriculi minime laboret, sed ad imum ventrem tormina decumbunt, deorsum purgans medicamentum dato, quæ consentanea sunt iis, quæ aliis libris prodidit.

℞. *Cassiæ extr. Cathol.* āā. ʒiij.
Rhabarb. pulver. ʒj.
coriand. ℈ß. *cum facch. f. Bolus.*

℞. *Rhabarb. el. cum santal. citr. infusi & expr.* ℥ij.
syr. rosar. solut. manna āā ℥j.
crem. Tart. ℈j.
Jusculi prun. ℥ij. *f. Pot.*

℞. *Aquar. fumar. cichor.* āā. ℔j.
aqu. agrimon. ℔ß.
folior. endiv. dentis leon. oxal. cichor. flor. violar. āā. p.j. tamarind. ℥j.
prun. dulc. par. iij. passul. ℥ß.
fiat Decoctio, Colat. adde succi limon. vel spir. vitr. q.s. ad gratam *aciditatem. dein macera fol. sennæ mundat.* ℥ij.
sem. fœnic. dulc. ʒj.
santal. citr. ʒß.
rhabarb. ʒiij. *crem. Tart.* ʒj.
f. levis ebullitio, fumantur infusa per biduum, Colaturæ adde manna. ℥ij.
syr. rosar. sol. ℥iv. *facch.* ℥iij.
m. f. Apozema, dosis. ℥iij.
blande bilem evacuat.

℞. *Rad. cichor. oxalid.* āā. ʒiij.
endiv. fumar. agrimon. āā. *m.* ß.
fol. sennæ, semin. carth. āā. ℥ß.
sem. anisi. ʒß. *f. decoctio pro dosi, In colat. dissolve Rhab. infusi in aq. endiv.* ʒij.
El. de succo rosar ʒ.j.
syr. de cichor. compos. cum Rheo. ℥j. *f. Potio.*

Raro tamen electuariis utendum, tum quia scammonium obtinent, febribus infensum, tum quia ingratam reddunt potionem & valde spissam, tum quia illorum compositiones sunt ineptæ, forentque à Pharmacopolis ablegandæ. *Primurosius.*

36. *Purgationem per alvum*) Finitis Julepis Purgans iterum exhibendum est, Imo *Vomitorium*, si natura per illam viam evacuationem affectet; Tunc enim, apparentibus scil. coctionis signis, hujusmodi febres feliciter per vomitum non raro curantur; Et *Galenus* 1. *ad Glauc.* cap. 10. multos solo vomitu ab hac febre curatos esse scribit: Imo quotidiana experientia docet Aquam benedictam hujusmodi febres utplurimum eradicare, nisi contumaces viscerum obstructiones obsistant; Multa experimenta prostant apud *Mart. Rulandum*, sed vehemens est medicamentum, nec nisi summa cautione exhibendum, Quidam hujus *aqua* ℥j. cum infusione ℥ß. *fol. Sennæ* exhibent, sicque magis per secessum quam per vomitum operatur. *Riverius.*

37. *Die intermissionis utplurimum*) Atque matutinis horis si intermissio in eas horas incidat, Alioqui tempus inter duas accessiones medium eligendum est, Et quavis hora diei ac noctis exhiberi potest medicamentum, modo illa ab accessione plurimum distet, & ventriculus assumptum prius alimentum concoxisse videatur, In Tertiana autem duplici difficile est horam exhibendi alimenti eligere; cum non raro tres aut quatuor horæ duobus paroxysmis tantum intercidant; imo interdum adeo longi sunt paroxysmi, ut alter incipiat antequam prior desierit, unde febres subintrantes nominantur; Tunc enim occasio præceps exactam Medici diligentiam postulat, Commoda autem exhibendi medicamenti hora ita eligenda est, ut in Tertiana duplici, non sub-intrante, in fine paroxysmi exhibeatur, ea ad sequentem paroxysmum distantia, ut antequam ille invadat, operatio medicamenti absoluta sit: In *sub-intrante* autem exhiberi debet in declinationis principio, simulatque tantillum remittere ceperit: Et in utroque casu, tribus horis ab assumpto medicamento, jusculum exhibendum est; ita tamen ut tres aliæ supersint horæ ab assumpto jusculo antequam paroxysmus invadat; atque adeo sex horis ad minimum adhibendum est medicamentum ante proximum paroxysmum. *Riverius.*

38. *Si materia ad alvum inclinat*) Cum alvi profluvium Intermittentem febrem comitatur, multi à purgatione abhorrent, sed tantum abest ut illud purgationem dehortari debeat, ut etiam illam accelerandam insinuet; Nam vel crudum & lienteri cum est, vel biliosum, vel cruentum, *crudum* parce bibendum esse hortatur, ac rheum postulat, à quo detersis crudis humoribus, & roborato ventriculo, facile ille fluxus conquiescet: *Cruentum* etiam ejusdem *Rhei* usum postulat, ut expurgetur acris & mordax bilis intestina rodens: *Biliosum* vero, seu symptomatice fluat, ob multitudinem humorum & agitationem; seu naturæ pellentis robore, vacuationem arte factam requirit, ut detracta oneris, quæ natura premebatur, portione reliquum facilius concoquat morbumque facilius profliget: Sed nec vomitio accessionum initiis fatigans, ac bilem forte multam & pituitam detrahens, à purgante medicamento nos avocat, cum vesica fellis vomitione, sic mesenterium purgante sit ...nerandum, ut perfecta succedat curatio. *Ench. M. P. p.* 384.

39. *Ut potero Rhabarbaro*) In Tertianis utimur ... lum anima rhabarbari, quæ ipsa & in Ictero ... verum & infusis aliisque: Gemina enim metho... randi febres consistit in amurca bilis, & obstru... expediendis; hæc quippe fermentum febrile ... briat vel fovet. *Wedelius.*

40. *Pulverem Comitis Warvicensis*) Alias *Cornachini* dictum, quem etsi improbet Auctor, utiliter tamen quotidie in Tertiana tum exquisita tum notha usurpatur; si præsertim die paroxysmi exhibeatur; adeo ut ante invasionem operatio peracta sit; Imo ex horum combinatione, prædicto scil. pulvere, ea die dato, & cortice Peruviano, ante sequentem paroxysmum, plurimas Tertianas tum simplices tum duplices profligatas vidi, *Gummi Gotte* quod attinere, *Lotichio*, felicissimo Practico, familiari in usu fuit, ut patet ex illius observationibus.

Revera specificum est Purgans in Tertianis febribus, quas aliquando citra alia remedia extinxisse observavi, etiamsi purgatio nulla consequuta sit. *Vide Observ* 83. *cent.* 4. *Riverii.*

41. *Ad quæ non est quod descendas*) Quidam usurpant Guttam gummi, alii *Mercurium dulcem* cum *s. ammoniac.* Quæ remedia cum potenter evacuent, febres hujusmodi sæpissime eradicant, sed robustioribus tantum exhibenda. *Riverius.*

42. *Sudores, qui concitantur &c.*) Valet syrupus S. *Ambrosii* dictus, quem *Guainerius* & *Weckerus* tradunt, Eundem *Quercetanus* sub nomine Decocti ad febres intermittentes describit.

℞. *Milii decorticati q. v. coque ad crepaturam, Decocti accipe.* ℥v.
vini albi ℥ij. *calidum præbe.*

Sudorem provocat, & sitim ardoresque febriles extinguit, *Cum febris remiserit*, inquit Hippocrates, *ptisanæ succum, aut milium liquidum sorbendum dato, aut vinum album generosum*, Unde observo syrupum S *Ambrosii* cognitum fuisse *Hippocr.* 2. de morbis, refrigerat enim, desiccat, & aliquantulum aperit, ex *Galeno*, & secundum *Dioscor.* alvum sistit & urinas movet, plurimasque habet egregias virtutes; dysenteriam, alvique fluxum ex Hippocr. certo sanat, pluresque ejus vires *Solenander* in Consiliis recenset; ideo deberet ad usum revocari. *Primerosius.*

Milium

Milium tamen apud nostrates rusticos febres inducere creditur, nonnulli enim messores, quibus frequenter puls ex lacte & milio confecta offertur, eam illa de causa respuunt; vi scil. diaphoretica latentem in præcordiis bilem, in ad febrem pronis corporibus commovet & ad ambitum corporis impellit. B.

Sudorum provocatio laudatur, sed ij nunquam nisi in fine paroxysmi provocandi in Intermittentibus, tunc enim natura eo viam affectat, In intervallo autem nonnisi magna vi elici possunt, & calidis remediis quæ febrem augent, sequentemque paroxysmum ingeminant: Ad id utemur aut frictionibus validis, Aqua card. ben. chamæm. nepethæ, hordei, aut vino tenui & oligophoro, oxymelite &c. *Primirosius.*

41. *Quinque ante paroxysmum horis dant Salis &c.*) Inter assumpta quæ proprietate conferre dicuntur, plurimum commendat sequens remedium *Alex. Benedictus.*

℞. *succi polygonati. rad. plantag.* āā. ℥j.
cuscutæ. semin. sinapi āā. ʒß.
fervefacto & percolato succo adde sacchar. q. s. da tribus horis ante paroxysmum.

Ad idem laudantur succus plantaginis, pimpinellæ, aquilegiæ, pulvis crystalli cum aqua cicerbitæ, vel vino, os de corde cervi, coriandri tria grana trita & ante paroxysmum pota. Experiatur qui volet. *Idem cap. 36. §, 19.*

42. *Sudores*) Sine Sudorum concitatione quædam ante accessionem exhibentur, quæ illam nonnunquam sistunt; Sequenti maximo cum successu hoc semper usus est *Joh. Heurnius.*

℞. *nuc. mosch. ustam, adde tantum nucleor. Persic.* & amygd. amar. f. Pulvis, cujus ʒj.
sumatur cum vino ante febrem. *Ottho Heurnius Not. in Pernelium.*

42. *Sudores qui concitantur*) Multas Tertianas Intermittentes, 3. 2. imo prima exhibitione sequentis haustus, præcesso purgante curavimus.

℞. *aqu. card. ben.* ℥ij.
theriac. simpl. ʒj.
sal. absinth. ʒß.
spir. sal. armon. ℈ß.
syr. papav. errat. ʒiij.
m. pro Haustu, quo multum sudarunt, & ut plurimum prima vice febris recessit. *Frid. Deckers notis ad cap. 3. Pr. Barbett.*

E. *Qui concitantur Aluminis*) *Aqua seu phlegma Aluminis,* magni aliquibus æstimatur in omnis generis febribus, ubi quoque spiritus ipsius interventu major videbitur energia: Constat enim clarissimorum virorum authoritate *Aluminis crudi* ʒß. cum *aqua centaur.* vel *tabaci,* in febribus Intermittentibus præscribere licere; Cum nimirum plus millies id felicissime successerit; universali aliqua, inprimis & *Antimonio* peculiari industria ad id elaborato, purgatione præmissa, *Angelus Sala Exegesis Chym.* p. 621. *Spiritui vini, spiritui aluminis junctus,* exhibet *spiritum aluminis dulcem,* seu *spiritum vini aluminosum,* quo Chymicum quendam familiarissime usum esse constat: Multum enim *Alumen* hecticæ conferre satis probat præparatio *Manna aluminis* dictæ, per plurimas operationes ab omni acredine spoliatæ. *Phil. Jacobus Sach. Ampelogr. p. 521.*

E. *Aluminis*) Quavi agat in Febribus ostendit *Willis de Ferment.* Capit. 11. Præcipitatio sanguinis, *ait,* præcipua, quæ extra corpus animale peragitur, fit in renibus, ubi non sine coaguli cujusdam vi materia serosa à reliquo cruore secernitur, non secus ac serum à lacte, ob quam rationem diuretica sunt ejusmodi, quæ & lacti coagulationem inducunt, ideoque quia sanguinem fundo plus præcipitant, largam urinæ profusionem inferunt; *Sanguis* extra vasa missus propria indole in varias substantias secedit; dum incalescit, à liquoribus quibusdam *infusis varie præcipitatur* (pariter etiam urina) non sine jucundo spectaculo; si modo sanguini calenti spiritum vini, cornu cervi, fuliginis, vitrioli aliosve liquores imprimis spirituosos, aut salinos infuderis, mira ebullitio & effervescentia excitabitur, unde licebit conjicere quo ritu in febricitantibus turgescat; Præ cæteris autem, Sal Tartari & *Aluminis solutio tum in sanguine tum in urina maximam liquoris perturbationem & partium subsidentiam procurant: hac enim contenta quavis poris & meatibus liquoris deturbant, & dein adstrictione sua ipsos plurimum obserant.*

E. *Qui concitantur aluminis*) Juvenis ann. xx. Tertiana duplici laborans in exercitu Pedemontano, sumpsit cyathum unum vini albi calide, in quo dissolvit *sulphuris* pulverati ad magnitudinem unius ovi, Post dimidiam horam copiosissime sudavit, nec amplius febris apparuit: Quod remedium in duobus aliis hac in urbe usurpavit cum eodem successu. Cent. 4. observ. 83. *Riverianis adnexarum.*

E. *Aluminis crudi*) Ejus usum laudat *Philippus Grulingius Florileg. Hippocr.* &c. *parte* 2 3. *c.* 1. sed in Quartana, ut & *Joh. Hartmannus in Praxi Chimiatr.*

45. *Aqua radic. Imperatoriæ*) Habetur etiam pro specifico, & sic paratur.

℞. *rad. imperat. & vini gener.* āā. digerantur invicem in MB. sub alembico cœcco; post destilla ex alembico per arenam in fine, cavendo ne empyreuma contrahat: Hujus exhibe patienti die quietis; & postero tribus horis ante paroxysmum: atque ita etiam tertio die jejuno ventriculo cochl. j. ut sudores, si possit moveat; raro post specificum paroxysmus redit. *J. Hartmannus in Pr. chimiatr.*

46. *Spir. Salis Armoniaci*) Qui specificum est ad Tertianas, cujus guttæ tres usque ad vij. in *aqu. centaur. min.* vel *cichor.* horis v. vel vj. ante paroxysmum exhibentur, sudoribus in de profluentibus. *J. Hartman. in Pr Chimiatr.*

47. *Topicorum applicationem*) Expertum & bene probatum hoc est in Tertiana Intermittente.

℞. *mucilag. semin. cydonior. psyllij, ol. violac. butyr. rec. loti* āā. ℥j. *ceræ albæ q. s. f. ungu.* quo omni mane tota ungatur spina dorsi, mirabiliter valet in febribus eorum qui non possunt medicinas assumere: *Ben. Victor. Faventinus, Empir. l. 2. c. 11.*

47. *Topicorum applicationem*) Sunt quæ occulta proprietate ad Tertianas profligandas valere dicuntur: *sambucum, sonchum, plantaginem* quidam terunt, ex aceto subigunt, carpis alligant, *Folia bursæ pastoris* carpis alligata hanc febrem depellunt; Ex *Rondeletio,* ea species *thlaspi* quæ similis est *bursæ pastoris,* teratur cum dentilaria, addito sale & aceto, carpis admove: Alii ad idem fuliginem è furno (vitiose in textu *pulvis filigineus,* pro *pulvis fuliginis*) & *salviam* contusam, vel *hederam terrestrem,* cum allio, cæpis, ovi album, & aceto miscent & admovent. *Sylvius* asserit *limacem potensem* cubito alligatum, omnibus febribus conferre; Nobile & familiare est epicarpium ex *ungu. populeo & telis araneor,* quo sæpe usus sum feliciter, quamvis non semper respondeat eventus: Hæc & similia possunt in usum revocari, sed tamen iis fides non adhibenda: Quidam sempervivum & alia refrigerentia hepati apponunt, sed, ut advertit *Hollerius,* suspectum est remedium quando timetur obstructio. *Primirosius l. 3. c. 3.*

Usurpant quidam vesicas excitantia, ut *allia, cepas, ranunculum* & similia, quæ minus tuta & valde incommoda sunt. *Riverius.*

Inter Empirica externa applicantur carpis aut plantis pedum quædam Epithemata Febrifuga, uti *Empl. Strobelbergeri.* Vel

℞. *aran. n°.* xxx. *coque in oleo laur. usque ad exsiccationem earum;* Hujus olei. ℥ß.
inungantur spina & pulsus in temporibus & brachiis: Item *telæ aran.* carpis & brachiis applicatæ.

Simile Empiricum cujusdam Itali.

℞. *urtic. m.j. tela aran.* ʒß.
salis comm. cochl. j. *aceti tantundem*, applicetur pulsibus per duas horas ante accessionem. *Piens.*

48. *Alligatur foleis*) Eum quoque in finem Topica quædam ventriculi & hepatis regioni admoventur, Vide supra §. *Specifica.*

49. *Potentilla cum sale & aceto*) Affinis quidam meus gratis innumeros febricitantes febre quotidiana & tertiana detentos Pericarpio sequenti curavit, quosdam 1. vice, alios 2. pertinaces 1. tertia, *Pentaphylli* fol. ix. radicitus colligit; postea incipiente paroxysmo arteriæ brachij dextri tria folia cum sale, superque his tria alia folia cum sale, rursusque desuper alia tria folia cum salis pugillo in medio foliorum imponit, Et sic mille ad minus febre detentos curavit; Multique etiam quartana detenti quatuor folia eodem pacto imponendo curati sunt. *Pet. Borellus obs. 32. cent. 1.*

A Febre Quotidiana violenta liberatus sum, carpis applicando.

℞ *salu mar. lupuli Angl. āā. m.* ij.
pissular. corvuth ℥iv.
probe misceantur, contundantur. *Rob. Boyle de utilitate nat. scientia cap. 10 sect. 10 part. 2.*

50. *Carpis*) Expertum ad Tertianam notham est *sumere* telas *aranearum mundatas à pulvere & ungu. populeo exceptas & in pilulas reductas*, quarum duæ pulsibus temporum, duæ pulsibus brachii, reliquæ duæ pulsibus pedum, admovendæ supponendo *folia vitis* & eas adligando iij. horis ante *accessionem. Jul. Cæsar Claudinus Empir. rat. p. 141.*

Sequens sæpe experti sumus magno successu.

℞. *fol. sambuc. salvia, pedis columb. ruta āā. m.* ß.
Calta mon. j. salis & vini partem: Trita carpis admove ante accessionem. *Walther in Sylva Med.*

51. *Hepati & cordi*) *Vermicularis cum aceto & farina hordei contusi, dextro hypochondrio adhibita, in febre non nimium ardente* plurimum prodest, Experto crede. *Joh. Crato Consil. 4. p* 390.

52. *Admoveri possunt in summo*) Quidam Tertiana febre laborabat eaque satis vehementi, cum molestiam aliquot Paroxysmorum pertulisset, novum & insolens remedium experiri voluit: cum enim ex aquatione equi revertissent, jussit eos aqua puteali perfundi; cum hoc spectaret, istaque affusio aquæ perplaceret, idem voluit sibi fieri, & ut id servi facerent coëgit, educunt frigidam è puteo, nudo corpori, medio in Paroxysmo, aqua affunditur, nec id diu impunè tulit, nam paulo post vocem amittit, convulsiones eum adoriuntur, spuma in os occurrit, Epilepticè convellitur; mors, Mirum unde tanta mortis occasio; licet enim distillari prohibeatur materia Tertianam committens, non ita tamen sæva edit symptomata: credibile est istud serum, eumque febrilem halitum qui affertur è materia putrente (licet febris ipsa *ἀκίνδυνος* videatur) malignum quid habere: declarant dolores vehementes capitis aut totius corporis, & id genus symptomata quæ tam cito assidere solent febribus etiam mansuetis, ut mirum non sit si insolentem experientiam & imprudentem, tam fatalis casus exceperit. *Ballonius. Epid. lib. 2.*

53. *Victum refrigerantem &c.*) Ad curationem hujus febris ex *Galeno* refrigerandum & humectandum, quia contrariorum contraria sunt remedia, & quo febris calor erit acrior, eo magis refrigerandum: Aer igitur frigidus sit & humidus quantum fieri poterit, somnus prodest, vigiliæ nocent, præterquam in accessione.

Et ut uno verbo, ex rebus non natural. vitet eas quæ calefacere possunt, ut motus, iram, Venerem, similiaque, quamvis *Trallianus* iram imperet ad vacuandam faciliu bilem, verum male, nam ira fervet bilis, & ad os ventriculi sæpe fertur, ubi pessima excitat symptomata.

Cibi sint eupepti & refrigerantes, ea quantitate dandi quæ facile concoqui possit: Pisces saxatiles, suum pedes, testiculos gallorum, aviculas concedit *Galenus* 1. ad *Glaucon.* Sed à pinguibus, dulcibus, acribus, salsis abstinendum, & etiam, si fieri potest, ab omni cibo, quia facilius humor concoquitur si sorbitionibus solis ægri victitent, quo magis autem ad statum morbus accedit, tanto tenuior præscribatur.

A vino autem ante coctionem abstinendum, ex 1. ad *Glauc.* ac ubi morbus concoqui cœperit, si autem sit in augmento tenue, aquosum & paucum dare non veretur, sed satius est & tutius uti aqua hordei &c. *Primirosius*, Vide supra de Diæta Febris in genere, & de Curatione Tertianæ ex *Willisio* hoc ipso capite.

Diæta multum præstat, ita utcunque in curatione hujus febris plus naturæ & bene institutæ victus rationi quam pharmaciæ tribuendum sit: Esto itaque tenuis & parca, cum fames hujus ægritudinis optimum sit remedium, & à victu parciori febrilis accessio ultra tempus consuetum sæpissime protelетur: *Cibus* autem & *Potus* sit tenuis, ac facilis coctionis & distributionis, ne obstructionem, ac per consequens Tertianam chronicam faciat, *Aër* sit frigidus, *somnus* prodest; Uno verbo, ex rebus non naturalibus vitet eas quæ calefacere ac febrilem fermentationem excitare possunt. *Piens pagin.* 260.

54. *Nisi forte æger*) In accessione alimentum exhibendum non est, juxta sententiam *Hippocr.* aphor. 11. 1. Natura enim, ut docet *Galenus* in *comm.* novi cibi concoctione avocatur à concoctione humorum morbificorum, Adde quod in accessione tetro vapore corpus perfunditur, qui cibum recenter sumptum labefactat, & maxima parte corrumpit: Attamen si accessio adeo longa fuerit; vel corpus ægri adeo calidum & siccum, gracile & raræ texturæ, ut facile dissolvatur, ut ad finem paroxysmi sufficere non valeat, etiam in accessione æger cibandus est, quod melius fiet in statu quam aliis temporibus: Quamvis etiam in principio & augmento, urgente necessitate, cibus offerri possit, Sic enim *Galen.* 10. *m. m. c.* 5. febre Tertiana laborantes, calido & sicco temperamento præditos, quibus adversissima est inedia, ne in syncopen inciderent, etiam in principio accessionum cibare coactus est: Ad ejusque imitationem *Amatus cur.* 68. *cent.* 4. picrocholo, & meram bilem evomenti, unde syncope oriebatur, panem lotum agresta aspersum paroxysmi initio exhibuit, sicque prædicta symptomata inhibuit.

Illud præterea in omnibus Intermittentibus observandum ut æger ante paroxysmum neque potum neque cibum assumat, neque somno indulgeat; *Riverius.*

55. *Partium corroborationem*) Post purgationem in[illegible] sunt revocanda, id quod Juleps, Opiatæ &c. præstabunt.

℞. *aqu. endiv. acetosa, bugl. nymph.* āā. ℥iij.
vini granat. ℥ij.
syr. de limon. aut de acetos. citri. ℥j.
sacch. ℥ij. *coque in Julepum.*

℞. *Conserv. rosar. nymph.* āā. ʒß.
spec. diamarg. triasant. āā. ʒj.
diarrhod. abb. ʒß.
trochisc. de caphura. ℈j.
coralli. ℈ij.
conf. Alkermes. ʒß.
cum syr. violat. fiat. Elect. Riverius.

56. *Prodest Sal absynthii*) *Sal fixum absinthij* generosius evadit remedium, si soluto in *aqua cichor.* tantundem *salis, seu lapidis prunella* addatur, ut una lege artis concrescat, Pondere ʒß. aut ʒj. Tertiana laborantibus propinanda

minanda cerevisia calida tantillo sacharo edulcata, ut ... curando, Quod medicamentum longe | Crollii antifebrili, ex conchis parato anteferendum. Simon Pauli Quadr. Botan. p. 185.

Tertiana Exquisita.

Distinguitur [1] in *Exquisitam, Notham* & [2] *Perniciosam.*

I. *Febris exquisita cognoscitur* ex eo, 1. quod *Rigor* in prima accessione sit *vehemens* & pungitivus; ab halitu & humore tenuissimo & pauco, è venis excidente exortus. *Exiguus*, si materia sit copiosa; nec subito moveatur: *vehementior*, quo materia est tenuior & acrior; facultas expultrix validior & partium sensus exquisitior. 2. quod *calor* sit multus, acer & mordax, in vigore quoquoversum extensus, & manu diutius detenta, propter facilem bilis discussionem mitescat, quo tempore levi madore corpus perfunditur. 3. quod *pulsus* initio accessionis sit parvus, tardus, materia nondum à calore oppresso evicta, sed tamen non retractus; in progressu vehemens, velox, frequens; parum durus, constrictionis propter fuliginum, ex materia recenter instar humidorum lignorum accensa, copiam velocioris, in intermissione dilatationis velocioris propter caliditatem particulæ, in foco putredinis relictæ, reliquis humoribus communicatæ, & ad cor delatæ. 4. [3] quod *Paroxysmi* ultra duodecim horas non extendantur. 5. quod *urina* sit subrufa & subflava, consistentiæ mediocris, nebulam quandoque albam vel enæorema circuitu primo exhibens: & tum ultra quartum paroxysmum febris non protenditur.

Oritur a bile, interdum illi simili [4] quæ in folliculo fellis est, in primas vias regurgitante, interdum æruginosa aut viridi, in ventriculo & venis producta.

Terminatur vel *sudore*, si in venas per ambitum corporis humor rejicitur; vel *vomitu*, & *alvi dejectione*, si ad ventriculum & intestina: vel *nullo* horum, si magna pars in venis mesaraicis consistat; & tum fiunt circa præcordia angustiæ, dolores & inflammationes.

[5] *Curatio* ut plurimum facilior, quia ταχυκίνητος ut dixi: notandaque I.[6] De *venæsectione*, 1. *Mittendum* sanguinem [7] si sanguis copiosus, & bilis ab hepate progenita sanguini permisceatur; quod ex urinis & calore post paroxysmum relicto deprehendes; & magnus morbus ob plenitudinem metuitur. 2. *Non mittendum*, si eadem circa ventriculum & vicina loca absque sanguinis abundantia, ne bilis augeatur & in venas trahatur. 3. *Mittendum minore copia*, ne bilis ferocior reddatur, & spiritus exhauriantur. 4. Mittendum tertiò paroxysmo exacto; tum, ne, si post, in statum, qui in quartoisque gravissimus obvenit incidas; tum quia post istum bilis sanguinem inquinare solet: tum quia observatum secta secundo vel tertio die vena laudabilem detractum sanguinem, progressu morbi putrem & virentem. Licet tamen *anticipare*, si majus in præcordiis empyreuma: sic enim id præcipitatur; & si ingens plethora adest: sic enim calor naturalis suffocationis periculo liberatur. Primæ sectioois nulla aliquando utilitas, [8] quia parciore manu fit: observatum tamen multis ante tertium paroxysmum bono cum successu emissum, Ballon. Consil. l. 1. consf. 44. [10]. Sunt qui præmisso leni purgante [11] venam accessionis tempore feliciter, ut scribunt, secuerunt.

II. De *Purgatione*, 1. Appetitum prostratum eam plerumque indicare. 2. Initio deberet fieri lenem, per *syrupum rosarum solutivum, mannam; decoctum tamarindor.* 3. concocta materia ad præcavendam recidivam, validiorem, per *rhabarbar.* cum sero lactis, *tamarind. manna, Elect. ros.*

III De *Præparatione* 14. Refrigerantia & humectantia magis desiderari, quæ superius in continuis vidi, laudarique salem absynthii [15] cum spiritu sulphuris in aqua Cichorii. 2. Serum lactis vel simplex vel cum emulsione quatuor seminum frigidor. majorum propinari posse. 3. Omnia sæpius & in sufficiente quantitate. 4. IbnSinam manè syrupum acetosum simplicem, post bihorium aquam hordei, & iterum in accessionis declinatione exhibuisse. 5. Omnem potum ægro interdicere viam esse ad hecticam: tempus autem bibendi Galenus statum esse dicit.

IV De *reliquis*, 1. *Vomitoria*, illi magis quam nothæ convenire, Sala salis vitrioli dr. j. in aqua frigida propinat.

[2]. *Sudorem* qui optimè aqua theriacali Riverii in capite de febre pestilentiali descripta cum aqua Carduib cietur, haustu aquæ hordei vel alterius alicujus juvandum.

[3]. Inter diuretica, capillum veneris à Tralliano, ab Ibn Sina semina quatuor frigida majora cum aqua acetosæ laudari.

[4]. Medicum quendam Gallum solitum fuisse [19] hora una ante accessionem haustum *decocti chamameli & cremoris* tartari, vel in ejus defectu aquæ frigidæ cyathum exhibere; [20] mox post sumptum remedium sanguinem detrahere summo cum successu, quod & ego experientia comprobatum habeo; forte quod aqua illa per phlebotomiam ad venas rapta, materiam ebullientem dilueret, Idem alius præmisso prius purgante faciebat.

Carpis ante accessionem admoventur, *auricula muris, sempervivum minimum, folia bursæ pastoris; cortex interior ramorum nucis juglandis*, cum sale & aceto contusa.

V. In *victu*, convenire aquam (calidam inquiunt quidam) vel decoctum galli cum succo ci-

triorum vel granatorum. A vino ante coctionem abſtinendum; à cibo ante acceſſionem, niſi aliquid, de quo ſupra, repugnet. Somnum in principio acceſſionis & augmento vitandum.

VI. *Diverſimode ſe habere*, 1. Aliquando *ad continuam* tendit. Et tum, tument venæ, arteriæ temporum moleſte pulſant, vena ſecanda eſt etiam ante tertium paroxyſmum. Evadit aliquando & *Cauſodes* propter viſcerum æſtum, cum inſignioris amaritudine, quod bilis in linguæ tunicam ſit effuſa.

2. [21] Tendit aliquando & *ad quartanam*, quod plærumque fit in ſenibus, & qui [22] de ſiniſtri hypochondrii dolore conqueruntur. Et tum evacuatione præmiſſa purgandum, & hypochondrio providendum eſt.

3. Aliquando *in totum ceſſat*, [23] nullo ſymptomate poſt ſe relicto: aliquando *ea ceſſante hepar laborat*, [24] *vel quia calidius*: Et *tum*, bilis copiam majorem novarum acceſſionum fomitem procreat, inprimis ſi hæc in venis reſtagnans chylum inquinat, ſitis, urina biliosa, calor volarum & ſolearum affligunt, febris aliquando per tres aut quatuor menſes in ſqualidis inprimis corporibus durat: materia peccans ad pancreas ſæpe & meſenterium, hepate tanquam nobiliore ſe exonerante detruditur. Purgantia & valide aperientia nocent; Victus humidus & refrigerans prodeſt: [25] balneum aquæ tepidæ laudatur: & inter corroborantia juvat inprimis ſal abſynthites in ſpiritu nitri ſolutum, poſt coagulatum ſcr. j. pondere. *Vel quia obſtructum*: Et *tum*, bilis copioſa in ejus vaſis hæret; facies aliquando ſubpallida & tumida, pedeſque veſperi intumeſcunt: aperientia & diuretica proſunt, inter quæ [26] abſinthium à Galeno laudatum; decoctum Cichorii & Chamædryos in juſculo à Montano. 4. Oriuntur quandoque circa præcordia anguſtiæ, dolores & inflammationes. Et *tum* maxima pars materiæ peccantis in venis meſaraicis ſtabulatur, eique pravam diſpoſitionem imprimit; febris diu durat, quod diatheſis illa in viſcere remanens, humorem novam acceſſionem foventem quotidie accumulet. Cautiſſimè tractanda eſt; placetque Varandæo dr. j. *theriacæ*, quam hauſtus aquæ *plantagin.* temperandi caloris ergo excipere debet; Zecchio, pillulæ, *trothiſc. de Eupatorio, rhabarb. abſynth. ana dr. ſ. & ſpeciebus diarrhodon. ſcr. j. cum ſyrupo de abſynth.* concinnatæ. Solet etiam, communicato maſſæ ſanguineæ ſeu per incendium ſeu per vapores vitio, magis irritari natura; & venæ ſectione refici, vel per ſudores aut alvi fluxum ſe extricare.

[1] *Diſtinguitur*) Aliæ ſimplices ſunt, aliæ compoſitæ, *Simplices*, cum unica ſaltem febris ægrum occupat, *Compoſitæ*, ſi duæ vel plures inter ſe junctæ, vel combinatæ, eodem die invadunt; Jam quæritur, An illæ febres, quæ codē die ingruunt, neceſſario ejuſdē ſpeciei eſſe debeant, & ex eodem humore oriri? Reſp. nihil minus, ſufficit convenire in eo ut eodem tempore affligant; Hoc enim experimur in compoſitis febribus intermittentibus, quod paroxyſmus hujus vel illius, modo gravior, modo levior, pro ratione ac diſpoſitione particularum iſtius febrilis materiæ, earumq; fermentationis tam in quantitate quam in qualitate & motu exiſtentium ad oriatur: Adeoque ſi paroxyſmi inter ſe diſtincti ſint quoad ſymptomatum vehementiam, non ſtatim nobis pronuntiandum Quotidianas, Tertianas, vel Quartanas eſſe, quoniam in Febri Tertianas, modo mitior, modo gravior revera paroxyſmus contingat. *Piens p.232.*

Diſtinguitur) Diſtinguitur etiam ratione Complicationis, Alia *ſimplex* eſt, alia *Compoſita*; Simplex in qua unus ſaltem paroxyſmus, Compoſita in qua plures paroxyſmi de tertio in tertium diem obtingunt; *Aliæ* ab aliis petuntur differentiæ, ratione quantitatis & qualitatis, quæ tamen ad materiam reduci poſſunt. *Piens p.252.*

[2] *Diſtinguitur in Exquiſitam &c.*) Diſcrimen ſtatuit *Willis* in ſanguinis diatheſi varia, Quod in Exquiſita ſanguis magis retorridus & acerís exiſtat, ideo ſuccum alibilem à cruditate verſus aduſtionem pervertat, quare efferveſcentia vehementior excitetur, ſed cum materia æqualius deflagrat, citius finiatur: In Notha autem præter aduſtionem ſanguis humiditate ſeroſa nimis ſcateat, quare ſucus nutritius in materiam crudiorem (ideoque ſubigi & deflagrare minus aptam) degeneret, quare ejus acceſſio ſit mitior & inæqualior, & nonniſi longiore ſpatio peragatur. *Quid de hac diſtinctione ſentiat* Joel. *Vide Notas ad §. Bilioſa colluvies) ſuperius.*

[2] *Exquiſitam*) *Galenus* 2. de *diff. febr.* c. 3. eam ſic deſcribit, Tertiana exquiſita eſt, *quæ fit à bile per ſentientes corporis partes delata, & ardentis febris ſimilitudinem gerens, & bilis vomitibus, aut dejectionibus, aut ſudoribus vel horum quibuſdam, vel omnibus ſolvitur. cujus acceſſio 12. ad ſummum horarum æquinoctialium ſpatio finitur.*

[2] *Diſtinguitur in Exquiſitam, Notham*) Obſervanda venit trita iſta Intermittentium differentia, præſertim Tertianarum, in *Nothas* & *Legitimas*, *Legitima*, ſive *Exquiſita*, ex pura & ſincera bile fieri dicitur; rigor inſignis corpus veluti pungens, ſitis & æſtus magnus, vomitus bilioſus, acceſſio longiſſima eſt 12. horarum; ſeptem circuitibus ad ſummum judicatur; primus igitur eſt debilis, 2. fortior &c. 4. fortiſſimus, poſtea paulatim remittit, *Notha* vero dicitur, quæ ex bile cum pituita mixta oritur, acceſſiones ultra 1 . horas extenduntur &c. Uno nomine, *tota differentia reſidet in fermento febrili plus minus libero aut impedito*, *Liberum* enim, nec impeditum, adeoque acrius, potentius quidem agit, graviora infert ſymptomata, ſed citius ſaturatum & enervatum febri finem imponit: Impeditum vero, vel propter vehiculum, aut fomitem cui inhæret, viſcidius atque tenacius, adeoque, ut vulgo vocant, pituitoſum; vel in ſubjecto, cujus maſſa ſanguinea, aliique ejus humores temperatiores, chyloſiores, adeoque quaſi viſcidiores exiſtunt, minus ſe exerere poteſt, adeoque mitiora quidem ſymptomata, ſed diuturniores paroxyſmos, febreſque etiam magis chronicas ſolet inducere. *Fmuller.*

[2] *In Exquiſitam, Notham*) Illam vulgo quæ ex humoribus diverſæ conditionis, naturæ & conſtitutionis oritur, *Spuriam* vocant, *Legitimam* quæ ex humore unius conditionis, naturæ & conſtitutionis excitatur: Hæc vero Medicorum licentia eſt: Hac in differentia hoc ſolum monendum *Legitimas* Intermittentes febres, uti vocant, raro admodum dari, eo quod particulæ illæ vitioſæ, quæ in foco ſuo hærent, rariſſime ejuſdem ſunt conditionis, naturæ ac temperiei; ſed quandoque magis ſolutæ & diſproportionatæ, nonnunquam male figuratæ, & cum aliorum humorum particulis commixtæ, hinc vel ſunt

ſolidio-

sol[illegible] tenaciores; vel fluxiliores & facile dissolubi-[illegible] in principio febriles particulæ existunt, tra-[illegible] pori valde mutantur, accedente continuo nova [illegible] ratione materia; ex chylo scil. & sangui-[illegible] febr[illegible]em: Et ratio inde petenda, quod typi [illegible] ratione & dispositione materiæ morbifi-cæ [illegible] o c[illegible]ssior & tenacior, modo tenuior & fluxilior modo acrior & [illegible]ior ac intemperatior est, [illegible] me mutentur. *Piens p.252.*

Perniciosam Hæc lo[illegible] si intra modicum tempus [illegible] ceni num[illegible] t dicitur pot[illegible] prodesse quam no-cere, [illegible] d ve[illegible]m quandoque [illegible] habendum, quia hoc [illegible] spiri[illegible]tates deflagrant, viscerumque ob-structio[illegible] expediuntur, & [illegible] fermentando ac defla-[illegible] sanguis purgatur à so[illegible]ibus vitiosisque humori-[illegible]s, Vnde Vesti[illegible]siacis Sanguipurgium appellatur: [illegible]doque non, si hic morbus diu protrahatur, san-[illegible]is massa spiritu vit[illegible]ur. [illegible]um spirituus, & instar vi-[illegible]is fermentati aliquom[illegible]do vappescit, hinc plurima-[illegible] ægritudinum causa, ut Scorbuti, Icteritiæ, Cache-[illegible]. *Piens p.251.*

[illegible] *Perniciosam* A[illegible] detur I[illegible] ermittens maligna, Vide Tit. 2. cap 1. §. *Humorem illum esse putridum.*)

4. *Quod Paroxysmi*) In E[illegible]quisita paroxysmi ordine quidam ant[illegible]cedunt aut postponunt, ob materiæ uni-formi[illegible] ubtilitatem. Sed in notha non observa-tur proport[illegible] ob materiæ crassitiem & difformitatem, quod si [illegible] eadem hora invadiit, notha est ob ma-teriæ crassitiem; nam aphor 3. l.b. 4. Si paroxysmi eadem hora r[illegible]petunt morbus longus significatur, Tertiana au-teme[illegible] ita non sol[illegible] t esse longa. *Primirosius.*

5. *Q[illegible] folliculo fellis*) Ex *Hippocrate*, datur Febris bi-liosa ex spl[illegible]ne *Lycino Grammatico ex Febre biliosa, ex splene, capitis gravitas &c.* Item alio loco, *Post Plejadas biliosi, sple-nes magni, duri, d[illegible]orosi, sanguinis eruptiones*; Alias, *sanguis biliosus ob splene*, Quod notandum, ne cum febrem bi-liosam videas & circuitus humoris biliosi & motum, & sanguin[illegible] qui [illegible]em, male accuses hepar, non autem splenem, sic frustra medeberis; Rubicundi vulgo hepati-ci dicuntur, & tamen multi tales splenica maxime pa-tiun[illegible]t. *Ballonius Consil.34.l.2.*

6. *Curatio* Hujus remedia sunt *Victus* humectans & refriger[illegible]. *Purgatio* leniens & humectans, *Præparatio*: Purgan[illegible] humores per aperientia; humectantia & refri-ge[illegible] & [illegible]jus acrimoniam obtundentia, *Vena sectio, vo-mitio, sudorum provocatio & symptomatum lenitio*, Quorum remediorum hic est utendi modus, *Prima accessio*, blanda cum sit nulla remedia postulat, tantum à cibo abstinen-tiam [illegible] pr[illegible]rsus quieverit, & si urget sitis, potione re-frigerant[illegible], [illegible]alis fervorem temperante sedanda.

Se[illegible]da accessio gravioribus symptomatis comitata est: In ea [illegible]ut[illegible] nihil tentandum est. Poterit tantum accessio-nis f[illegible], ad ardorem leniendum, hepari admoveri Epithe[illegible] refrigerans, dummodo non immineat sudor? qui [illegible] sponte erumpat, juvandus, alias non provo-candus.

[illegible] *secundam & tertiam accessionem vena secanda* est, pr[illegible]o clystere, si alvus sit tardior; licet enim de con-tinen[illegible] febris materia, quæ est in prima corporis regio-ne ni[illegible] tollatur, quod tamen ejus portio, & ab ea elati [illegible] venas majores effundantur, quæ sanguinem in [illegible]tentum corrumpunt, utiliter secatur vena, maxime [illegible] adsit sanguinis copia, & symptomata febris gravissime infestant.

[illegible] medicorum scripserunt, ante quartam acc[illegible]nent à V S. quod plerumque tertia aut quarta [illegible] morbi vigor sit, quo maxime tempore omnia e[illegible]lent; metuunt enim ne quæ caloris insiti, turg[illegible]umorem concoquentis robore fit per-turbatio, S. M. prægressæ adscribatur, Sed legitimæ cu-rationis ordinem ob vulgi calumnias pervertere nefas: Prædicenda potius morbi exasperatio multo major futu-ra nisi sanguis missus fuerit. Mittetur autem sanguis, vel die intermissionis, vel potius 4. aut 5. horis ante paroxys-mum.

Tertia accessio sæpe vehementissimis symptomatis co-mitata est, quæ convenientibus remediis lenien-tur.

Inter *tertiam & quartam* accessionem, nisi primo mis-sus est sanguis, utiliter demitur, Aut si missus est, *cathacti-cum* leniendo & refrigerando purgans dabitur; *Quarta accessio* hujus morbi vigor est, horrenda sæpe habens symptomata, quibus occurrendum; Postridie illius si vel V.S. vel purgatio omissa fuerit, recte alterutra instituetur quæ magis convenire videtur.

Post 3. & 4. accessionem, si sudores naturæ beneficio non erumpant, provocentur sudorificis calide exhibitis: Quod si singulæ accessiones sudoribus solvantur, & uri-næ sanis proximæ sint, nec sanguis extractus valde putris appareat, spes est accessione septima febrem solutum iri; Sin contraria adsint, in longum tempus protrahetur, ma-xime si Autumnus proximus sit.

Si post quartam accessionem continuat febris, repeti poterit V. S. ut prohibeatur ne putrescant humores in venis majoribus contenti, unde fieret transitus in conti-nuam.

Quæ remedia si ante quartam accessionem neglecta fuerint, *quinta* lus utendum, post *sextam* apozema insti-tuatur, quod leniendo, refrigerando, aperiendo & con-coquendo morbi materiam subtrahat, &c. Si *septima* ac-cessione febris non quiescat, & nausea fatiget, æger ini-tio accessionis ad vomitum incitetur &c. *Ench. Med. Pr.*

7. [illegible]) Quicquid sit de differentia (vide supra §. *Distinguitur in exquisitam & Notham*) febrium in nothas & legitimas, saltem diversitate paroxysmorum modo enarrata, colligere possumus, quod quo acrius est & vo-latilius, adeoque activius fermentum febrile, eo acu-tiorem h. e. *breviorem*, sive gravioribus symptomatis sti-patam inducere febrem: Et contra quo inertius est, ac minus activum tale fermentum; id quod in specie eve-nit quando pro fomite, in quo nidulatur, habet humo-rem viscidum & glutinosum, eo minus acutam, sed *diu-turniorem*, & mitioribus comitatam symptomatis fore fe-brem: Ex quo etiam Quotidianarum præ Tertianis, & Quartanarum præsertim, æstimanda diuturnitas; ita ut quo diuturnior sit febris, eo viscosum magis ac glutino-sum fomitem fermenti in primis viis existere putandum est, indeque in *acutioribus magis absorbentia*, vulgo *præci-pitantia* dicta, In *chronicis* vero *incidentia & abstergentia* ma-gis conveniunt. *Etmuller.*

7. Quia [illegible]) Ratione materiæ, alia *legitima* est, alia *spuria*, in qua materia febrilis ejusdem materiæ & conditionis non apparet, *Legitima* è contrario, Hinc ve-rum est dicere Tertianam *exquisitam* facilius à natura vin-ci quam *spuriam*, non ob pituitam & melancholiam ad-mixtam, sed quod remedia beneficio artis adhibita non conveniunt febrilis materiæ conditioni neque naturæ, adeo ut quod uni prosit, alteri nocere queat: Id illud in natura contingit, ubi idem calor aptus non est ad subi-gendam illam febrilem materiam, quæ plane est diversæ conditionis ac materiei: Et quia nostris moribus, in re-gione septentrionali, fere pituitæ, seu lymphæ crassæ, & melancholiæ, seu humoris nondum fermentati copia gi-gnitur, nonnisi raro etiam dantur Tertianæ Exquisitæ; cum non solos biliosos corripit, non semper 7. hor. nec semper 7. paroxysmum observat, Propterea consentio il-lis qui docent Veteres præbuisse nobis ideam Tertianæ exquisitæ, à qua quo longius abest hæc vel illa, eo magis *Notha* est. *Piens p.252.*

7. [illegible]) Prognostica signa sunt, Quo exquisitior eo salutarior est hæc febris. *4. aph. 42. 3. in 1. Epid. 8.* Hinc le-vissima & mitissima dicitur, , *1. ad Glauc.* 8. Tu vero

accipe hoc de eo casu in quo non erratur vel ab *Ægro*, vel à Medico, Secus si fiat & longa sit, & interdum lethalis, *Piens. p.257.*

8. *De Vena sectione*) Observandum Exquisitam fieri cœlo æstuoso, quo tempore V.S. caute est administranda: Arabes autem, authore *Avicenna*, venam non secant ante tertium paroxysmum, quod potius experientia quam ratione inniti videtur; V.S. siquidem, ex præceptis *Galeni*, semper in principio celebranda quantum fieri potest: Cum enim hæc febris septem circuitibus terminetur, post tertium paroxysmum status vel adest vel instat, quo tempore, ex Hippocr. nihil movendum: Itaque si venæ multo turgeant sanguine, statim sanguis mitti debet: quod si vero sanguinis non adsit copia, sequendum *Avicennæ* consilium, quod experientia verum esse sæpissime deprehendi; Jubet autem ut si possibile sit V.S. fiat ante quartum paroxysmum, *Si possibile est ut phlebotomes, usq; ad tres periodos, fac*, inquit ille, Vbi notandum, ex *Gentili*, estque verissimum Tertianam exquisitam primo incipere ab humore bilioso qui sanguini commistus non est, sed postea in sequentibus paroxysmis vitiare & labefactare potest sanguinem, ideoq; in primis paroxysmis non esse necessariam V.S. sed tantum in sequentibus, quod cognoscitur si urina primo citrina & flava, postea tendat ad rubedinem: Si igitur sanguis mittatur post tertiam accessionem, quoniam quarta proxima est, quæ status est morbi, ideoque omnium gravissima futura est, id erit prædicendum, ne gravitatis illius morbi culpa in Medicum transferatur. *Primirosius.*

8. *Vena sectione*) Quæ massam sanguineam ventilat, ut propterea minus torreat aut præasset, atque liberius sine adustionis periculo in vasis circuletur. Est itaque instituenda quando sanguis quantitate peccat, unde metus alicujus incendii, vel impetuosæ defluxionis ex magna & molesta cordis irritatione, ac humorum fermentatione in hanc vel illam partem. 2. Adhiberi debet, si peccet qualitate, cum ratione particularum fervidarum, sulphurearum & biliosarum valde accensus sit, ut metus febris continuæ præcaveatur, aut inflammationis alicujus visceris: 3. Locum habet *revulsionis* causa, quando ingens capitis dolor, vel impetuosa sanguinis in hanc vel illam partem adest fluxio; *Piens pagina* 258.

9. *Si sanguis copiosus*) Nobilis vir febre tertiana laborabat, Medicus qui illi medebatur, ut erat ἀμφοδίστον sanguinis detractionem neglexit; quarto paroxysmo ruptis veluti repagulis, & facto impetu quodam in partibus interius, tanta foras excretio sanguinis est consequuta ut eo ipso die illi fuerit obeundum, *Ballonius Epid. lib.2.p.367.*

17. *Præmisso*) Alias parum tuta esset venæ sectio, quia depletis vasis humores è prima regione in vasa migrarent. Si hidroticum hinc exhibeatur, turbas id hic & illic excitaturum est.

11. *Venam accessionis tempore*) Quidam Empiricus, *inquit Riverius in Observ.* multos curavit Tertianarios purgando semel levi medicamento, postea venam aperiendo initio accessionis.

In hoc latet vera methodus ad Febres Intermittentes curandas, quod nempe *Vena sectio & Sudoriferum* paulo ante paroxysmi invasionem instituantur, ut vis diaphoretica sic perveniat ad sanguinem & partes solidas, cum humor febris paroxysmum efficiens suo latibulo egreditur, & ad cor defertur, Et sic una vice æger sanitati sæpe restituitur. *Anonymus Praxeos Med. reform. caput.57.*

12. *Per syrupum rosar. solut.*) Hic etiam si mitis sit & gratus, quia tamen sola serosa excrementa detrahit, nullum locum habere debet in biliosis febribus, nisi seroso humore æger scateat; alioquin detracto sero, bilis fræno, sitis, ardor & siccitas magis efferantur; Adde quod benignorum medicamentorum actionem sic præcipitat, ut ea fine suo frustretur. *Ench. Med.Pr.*

13. *De præparatione*) Notandum corpora biliosa cum febricitant plus in iis alterandis operæ pretium ponendum quam in evacuandis; quod docuit servus *Dom. de Chaulne*, qui licet bene purgatus interiit; Potius fortassis profuissent alterantia quam insigniter evacuantia, Et id notandum maxime. *Ballonius Epid.l.2.*

14. *Refrigerantia & humectantia*) Inter quæ excellit *Frigidæ potus*, de quo vide caput de Febribus Continuis: Sunt qui consilio *Galeni* usi, propriam Tertianæ curationem Potu aquæ frigidæ compleri existimant, quia bilis fervorem optime restinguit, Verum usum ejus non permittit antequam concoctionis signa, ex urinis petenda compareant, nam si ante morbi statum & concoctionem aqua detur, lentos humores attenuari & digeri prohibet, imbecillas corporis partes concutit & nonnullis illico spirandi difficultatem, convulsionem & tremorem conciliat Verum non expectanda esse concoctionis signa cum *Averroe* censemus, quia interea æger periclitatur, & serius futurum sit auxilium ubi febrilis calor nativum extinxerit, & quod longe minus periculum immineat ex aquæ oblatione quam ex incendio; nam ex frigidæ potu sola morbi longitudo expectatur, ex caloris vehementia mors: Præterea coctio nota est naturæ potentis supra morbum, cum vero natura superior est, quid prodest Potus frigidæ? Nos igitur quamdiu fervet bilis, urgetque Tertiana, frigidam tuto dari asserimus: Cum vero fervor humoris, & morbi vigor præterierint, quod 7 saltem accessione contingit, non amplius aqua convenit, obstructiones enim ingeminat, & febris curationem differt, in melancholicis præsertim & frigidioribus naturis, quæ obstructionibus viscerum sunt obnoxiæ: Preterea certum est Tertianam non ultra septimam accessionem protendi, nisi obstructio viscerum & crassities humorum sit in causa. *Enchir. Med.Pr.p.387.* Cautiones in frigidam exhibendi vide l.a.

15. *Cum spiritu sulphuris*) Dn. N. laborans febre Tertiana duplici cum inquietudinibus, siti, dolore capitis & respirandi difficultate, à me curatus est pr.pr. exhibendo in vigore paroxysmi, ad extinguendos spiritus febriles sitibundos, *aquæ fontis* magnum haustum cum *spiritus sulphuris* per campanam elicit q.s. ad gratam aciditatem, & *syrupo de limonibus*, Quo potu febrientibus gratissimo, ter aut quater exhibito per triduum, omnia symptomata longe mitiora evaserunt, & paroxysmi multo breviores; ita ut prævia hac præparatione, & imminutione symptomatum, curatio absoluta fuerit usu *Pulveris Comitis & Febrifugi Croll.* per biduum sequens exhibiti: Erat autem æger obstructionibus utriusque hypochondrii obnoxius, *Anonymus Obs. 83. In annexis cent. 4. obs. Riverii.*

16. *Sudorem qui optime*) A *spiritu* etiam *sulphuris* cum *aqua* exhibito sudores copiosi moventur; quod multis experimentis nobis innotescit; qui plures Tertianas febres curatas vidimus eo remedio in summo accessionis æstu & siti urgente exhibito, unde copiosi sudores provocabantur; à quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus integre solvebatur. *Riverius Cent. 3. observat.19.*

17. *Inter Diuretica*) Per urinas etiam humor morbificus interdum vacuatur, ad quod *Galenus* laudat Potiones in quibus maduerit apium & anethum; utitur autem iis viridibus, & in aqua plurima coctis, ut eorum calor remittatur, Familiare est *Galeno* his calidis uti sine ratione cum febrem augeant: *Trallianus* laudat decoctum Apii & Adianti: Sed tutius est uti frigidis Diureticis, ut Decocto *graminis, asparagi, capill. ven. cicer. rubr. cuscutæ cum pauco chamæm. & syrupo de* duabus radic. vel in jusculo *semen melon. cum cicer. rubr.* addita *radice petrosel.* decoquimus, illudque per aliquot dies propinamus; quod etiam *Emulsio semin. frigid. maj.* & amygd. cum aqua parietar. vel fragorum, vel hordei facta

facta, addito syr. limon & capilli ven. præstabit; tum etiam [illegible] la[illegible]s caprini cum emulsione prædict a mistum [illegible]: Sed & cassia & rhabarb. per alvum & urinam commode evacuant, ideoque utiliter prædictis poterunt admisc[illegible]. *Primirosius.*

18. *Medicum quendam Gallum*) Fuit is *Franc. Chomel Annonacensis*, ut videre est in Observationibus *Riverianis* annex. *Obs.3.* Ad cujus imitationem *Riverius Centur. 4. Obs.12. Gul. Dortomanno*, Patrono &c. sexagenario, biboso temperamento prædito, præmissis venæ sectionibus quatuor, purgante, julepis &c. Tandem hora una ante o[illegible]vam accessionem, secuit venam præmisso *decocto chamom. & crem. tartari*, & admoto carpis *Empl. Strobergeri*, unde imminens accessio fugata, ut nulla deinc[illegible]jus vestigia apparuerint. *Idem* experimentum fec[illegible] in Quæstore Franciæ generali, duplici Tertiana laborante, *Vide observat. 16. sequ. Et Cent. 4. obs.72.*

19. *Hora bona ante accessionem*) Generoso cuidam Tertiana correpto, longe [illegible] remisso paroxysmo venam hepaticam pertundo, sequentibus diebus; sex horis ante paroxysmum, jejuno præbui hanc aquam frigide.

℞. *aqu. fontis* ℥vj. *spir. vitr gtt.v. vel vj. m f. Potio*, *aut aqua* acetosa; Per hujus primi potus efficaciam febris arcebatur, atque ex toto quiescebat, nec unquam postea revertebatur. Attamen per sequentes tres dies febri dicatis aqua ista dabatur, ut dixi, ante accessionem. *M. Rulandus cur. 100. cent 1.*

20. *Mox post sumptum remedium sanguinem*) Nunquid initio paroxysmorum V. S. conveniet? Nos sæpe forte incidimus in ægros, qui in febrium alias continuarum; alias intermittentium paroxysmis de laterum dolore adeo questi sunt ut Medicos ad V.S. adegerint, & secta vena feliciter. Item datum sæpe pharmacum initio paroxysmorum [illegible] feliciter, & hi tenuissiores facti sunt, Annon sequendum Arabum consilium, qui initio paroxysmorũ m[illegible]dicamenta præscribunt, ut facilius deturbent morbi [illegible]ulam dum in motu est. *Ballonius Epid.l.1.p.68.*

21. *Tendit aliquando & ad Quartanã*; Cum interius ob estatẽ præter morem modumq; fervidã calor ab externo evocatus [illegible]it foras, hoc facto reliqui humores tanquam in va[illegible]am subacidam desciscunt, promptam quartanæ genesin[illegible]; Explicatius loquar, Videntur humores corporum id pati quod cerevisia in cellis, tonante cœlo acescit paulo post mucet, corrumpitur; quod vividiores [illegible]us partes fulmineum illud sulphur, omnia pervadens, [illegible]n acra transtulerit, aut, si mavis, confuderit, & in al[illegible] schema perverterit. *Olaus Borrichius in Med. Septentr. p. vol.2.p 187.*

21. *Tendit aliquando & ad Quartanam*) Hic morbus diu protr[illegible]ctus non raro typum commutat, & à febre Tertiana fit aut Quotidiana aut interdum Quartana, dein al[illegible]quando ab utrisque in Tertianam redit: horum [illegible] sanguinis diathesis varie immutata; qui enim primo acris & biliosus succum nutritium isto modo pervertat; ut die tertio ad turgescentiæ plenitudinem as[illegible], postea a crebra deflagratione *minus acris*, verum aut [illegible]is aquosus, & quoad crasin ejus *longedebilior* evad[illegible]ur humorem alibilem parum aut non omnino assimilet & maturet, proinde citiora fiunt materiæ fermentationæ incrementa, & accessiones quotidie redeunt.

Aut etiam cruor ab intemperie acri & biliosa (alterationem [illegible] cœli aut anni constitutione promovente) in austeram & ponticam immutatur, ideoque succum nutritium [illegible] pervertit, & materiæ febrilis incrementis segnius congestis, nonnisi die quarto paroxysmus corripit: Sin ab utravis dyscrasia, pharmacis, aut victus ratione, sanguinis temperies denuo versus biliosam reducitur, etiam periodi alterantur, & Tertianæ typum resumunt. *Willis.*

a. *Et tum evacuatione &c.*) Si febris Tertiana [illegible] breve tempus nec sponte naturæ sensim declinet, ut intra vii. vel x. periodos plane cesset, nec quovis à prædictis modo (abscessum scil. aut crisin) judicatur, nec pharmaciæ ope tollitur, quin post x. aut xii. paroxysmos ægros usque graviter affligat, curationis difficile admodum incumbit pensum, quippe sanguis à continua materiæ febrilis congestione, crebrisque incendiis, adeo depravatus tandem evadit, ut nihil recte coquat pro corporis nutricatu, & ejus viribus sustentandis nec impuritates & excrementa à sinu suo prorsus excutere valeat quo morbi crisin faciat, at vero eodem in dies præpollente, sanguis præter dyscrasiam ejus in mixtione nonnihil lædi incipit, quare paroxysmi crebriores infestant, nec iis perfecta ἀπυρεξία intercedit, quin ægri valde imbecilles & languidi, cum siti & calore fere continuo febricitant: Cum res ad hunc statum deducitur, nisi remediis ab arte succurritur, aut soli & cœli [illegible] opem tempestive ferant, non raro hic affectus in mortem terminatur.

Si ergo Tertiana vel ob malam ægri constitutionem, vel errata in victu aut pharmacia commissa, altius radices egerit, ut post diuturnam affectionem paroxysmi usque ingravescant, & cum viribus dejectis, siti & æstu fere continuis, inappetentia, vigiliis, pulsu debili, urina rubicunda, & contentis valde saturata laborantes summe oblanguescant, methodus therapeutica paulo aliter institui solet; In hoc casu primo enitendum erit ut sanguinis dyscrasia tollatur; quare alimentis solum tenuibus, uti sunt juscula hordeacea, aut avenacea cum radicibus aperitivis incoctis) jure carnium omnino posthabito) ægri vescantur; Enematum emollientium usu, si opus fuerit, alvus soluta servetur, insuper, catharticis omissis) medicamentis solummodo digestivis quæ sanguinem fundant, & serosas impuritates blande per urinas evacuent, necnon remediis confortativis quæ viscera corroborent, & spiritus resuscitent, præcipue insistendum esse videtur.

In hunc finem Apozemata ex herbis & radicibus leniter diureticis concinne parata; item Opiatæ ex conservis temperatis, cum sale nitri, aut herbarum fixo, cumque pulveribus testaceis & spiritu vitrioli admixtis adprime conducunt: Quando sanguinis crasis nonnihil emendatur, ut urina sit clarior & minus colorata, etiam somnus quietior, cum sitis & æstus remissione succedat, tunc remedia paroxysmum febrilem inhibentia utiliter adhiberi poterunt: quare Epithemata febrifuga carpis aut plantis pedum applicentur. Etiam pulvis è *Cortice Peruviano*, aut ex succedaneo ejus, aut etiam è corticibus fraxini, tamarisci vel gentianæ, cum salibus admixtis è vino albo propinetur: postquam accessiones tolluntur, & ægri viribus constare, ac alimenta appetere, & aliquomodo concoquere incipiunt, Purgantia lenitiva ex usu erunt, usque tamen à victu lautiori aut carnium participi ægri abstineant: Atque non dubitandum erit quin absque catharsi violentiori, aut phlebotomia, ægri integram valetudinem propediem sint recuperaturi. *Willis.*

22. *Dolore conqueruntur*) In febre quæ tertio repeteret die, cuidam mulieri dolor incredibilis in hypogastrio oriebatur, idque ineuntibus paroxysmis, Nec non simul è regione illius partis dolor in sincipite excitabatur; hoc Medicis negotium facessit: Duabus horis ante paroxysmum clysmata indebantur, acria, cum *folliculis sena* parata, Dolores in utraque parte cessarunt: *Ballonius Epid.l.1.p.21.*

22. *Hypochondrii dolore conqueruntur*) Puellæ febre Tertiana jam mensem laboranti, ante paroxysmos dextri hypochondrii & cruris dolores; calore accenso quiescebant: Quid hoc rei? Nisi purgationibus antevertas, hoc minatur abscessum. *Idem Epid.l.1.p.22.*

X 2

23. *Nullo symptomate post se relicto*) Febri Tertianæ symptomata quædam supervenire solent quæ pro morbi hujus *crisibus* vulgo habentur, Et revera istis aliquando apparentibus affectus aut plane cessat aut de solita atrocia remittere incipit; sunt autem ejusmodi *ἐπιφαινόμενα* præcipue tria hæc, *Erysipelas*, seu *pustularum eruptio in labiis*, *Icterus* & *Phlegmon*. in hac aut illa parte corporis subito excitatus: Sæpenumero accidit post tres aut quatuor paroxysmos ægris circa labia ulcuscula cum scabie crustosa erumpere, & nusquam præterea in toto corpore cujusvis materiæ abscessus fiant, tamen hinc præsagium desumitur febrem esse mox desituram, quod interdum verum esse eventus comprobat: Verumtamen aliquoties observavi effectum speratum haud successisse, sed eum labiis ulcerosis febrem pertinaciter & diu afflixisse.

Quod vero ad symptoma istud spectat, oriri ex eo videtur quod sanguis diaphoresi liberiori potitus, recrementa non tantum tenuia & fuliginosa, sed etiam crassiora foras protrudat, Et cum eadem in aliis partibus per poros apertiores facile exhalant, circa labia, ob cutim magis constrictam, in transitu hærent: & quia materies vaporosa particulis salis & sulphuris adustorum scateat, in cute defixa circulationem illic impedit, ideoque pustulas & ulcuscula inducit: Huic forsan affectui halitus calidior, qui ore & naribus expiratus nonnihil contribuit, quatenus sanguinem & succos illic confluos torret & exurit.

Quare dicendum videtur quod ista pustularum eruptio tantum pleniorem diaphoresin in toto indicat; qua scilicet crassiora æque ac tenuia sanguinis adusti recrementa foras evaporant: Etenim in aliquibus à febre Tertiana exanthemata in toto corpore; veluti à variolis afficerentur, erupisse novi; quod si uberiori hac ventilatione, velut purgamento, sanguis ita liberatur, ut crasin pristinam recuperet, febris judicatur; Sin vero (uti interdum accidit) recrementa quædam licet crassiora erumpant, tamen alia intus manent, & diathesin febrilem adhuc fovent, ista ulcuscula tantum majorem sanguinis labem & morbi pertinaciam arguunt, Idcirco observare licet, quod cum scabiès labia occupat, si febris non statim remittit, ea diuturna & gravis futura est.

Tertianæ interdum *Icterus* supervenit, eamque solvit (quod etiam *Hippocr.* annotavit) cujus ratio est, quia cum sanguis diathesin acrem, seu biliosam nactus sit, ut propterea succum alibilem pervertat, indeque materiam excrementitiam congerat, à dyscrasia istac sæpe liberatur quando subita *ἔκκρισις* recrementa salis ac sulphuris adustorum uberius repurgantur, Hoc vasa choledocha, à pharmaco, aut sponte naturæ irritata, adeoque bilem à sanguine plenius elutriantia, non raro præstant: quippe vomitus, purgatio, ac imprimis diarrhœa, hujusce morbi curationi plurimum conducunt: quinimo interdum sanguis ipse sua sponte efflorescens, recrementa biliosa velut exuvias suas detrudit, ac inter circulandum in cute deponit, adeoque Ictericiam inducens hanc febrem judicat.

Quando *Phlegmon* (uti interdum assolet) huic affectui supervenit, dicitur vulgo Febrem in partem tumore affectam decubuisse: Quod vero à tali Abscessu hic morbus judicetur, nihil mirum est; quippe sanguis hac ratione succi nutritii degeneris penum è sinu suo continuo seponit, & parti affectæ transfert, & propterea in cruoris massa materies degener & fermentativa, ad turgescentiæ plenitudinem haud facile assurgit: Quare nonnullos alvus perpetim soluta sensim liberavit, eo quod sanguis sarcinam suam modo succrescentem hoc ritu è vestigio eliminavit, nec ipsi plenum incrementum concesserit, Quandoque etiam *Surditate* derepente oborta Tertiana statim cessavit, scilicet ob continuam materiæ febrilis è cruoris sinu in caput metastasin. *Willis.*

24. *Vel quia calidius*) Notandum Febris Tertianæ longitudinem à calida & sicca Jecoris aliquando intemperie foveri, quæ humorem biliosum, novarum accessionum fomitem, continuo producit, Quod sæpe observatur in multis, qui sicco & squalido corporis habitu præditi, & omnino biliosi, citra tensionem viscerum, & citra humoris copiam, per tres aut quatuor menses, calidiore præsertim anni tempore, Tertianam passi sunt; His valida purgantia, valde aperientia & calefacientia nocent. Sed victu refrigerante & humectante, Julepis & Jusculis simili facultate præditis tractandi sunt: Et superflui humores clysteribus emollientibus & refrigerantibus, *cassia, manna, tamarindis, cathol.* & *syrupo rosaceo* sensim expurgandi; Sed præsertim *Balnea aqua tepida* hic miranda præstant, calidam & siccam intemperiem visceribus impressam extinguendo: Iis utatur æger die intermissionis citra sudoris profusionem. *Riverius ex Enchir. Med. Pract.*

25. *Balneum aqua tepida*) Laudat *Galenus* Balneum, humectat enim, refrigerat & aliquid bilis educit: Sit autem ex aqua dulci, non sulphurea, aut nitrosa paratum, nam quamvis plus vacuet, suis tamen qualitatibus plus nocet quam juvat vacuando: Quo tempore morbi Balneum sit utile *Galenus* non reliquit scriptum, sed ex 6. meth. cap. 9. non convenit ante coctionem in putridis, Hecticis quando conveniat vide suo loco. *Primirosius.*

26. *Absynthium à Galeno laudatum*) Ad bilis vacuationem laudat *Galenus* Absinthium (cujus sal jam frequentiori in usu est) cum melicrato, Id damnat *Trallianus* ob summam caliditatem, præ qua multos vidit colliquatos, potius videtur convenire pituitosis, cujus consilium sequerer ob siccitatem absynthii: Cum enim febris affectio sit calida sicca, humectantia illi conveniunt, unde quamvis bilem in hypochondriacis. quibus maxime convenit, compescat, tamen in febribus valde noxium est, & cum eo sæpius hactenus usus sim, nullum tamen insigne ex eo emolumentum percepi, quin potius ferme semper in febribus nocuit ipsasque sæviores reddidit: Sed Tertianis nothis valde prodest, ob mistionem humorum pituitosorum quos bili admistos una evacuat. In Exquisita autem Tertiana, cum alia suppeditant; optimum erit eo abstinere. Alias obstructa expedit, ventriculumque roborat; Sed de tempore dubitatio est; nam hic spectanda materiæ concoctio, non dierum numerus; Galenus post 7. diem eo utitur, quia ante dictam diem coctiones in Tertiana notha vix possunt apparere: ac docere voluit ante diem 7. inutile esse absinthium, sed postea citius vel tardius posse dari, prout concoctio cito vel tarde apparebit. *Primirosius.*

Tertiana Notha.

II. *Febris* [1] *Tertiana Notha*, [2] inde *Cognoscitur*, quod *Calor* sit mitior, nec per universum corpus diffusus: quod nec vomitu nec sudore solvatur, sed vapore in declinatione ineunte, quod *pulsus* sit initio durus, duritie ad septimum augescente, in progressu cum urinis coctioribus melior. quod *paroxysmus* sæpe ad horas 18. extendatur, & febris sæpe ad decimum quartum, interdum & ad vigesimum pertingat. [3] *Oritur* à [4] *bile* [5] cum melancholia vel pituita commixta; [6] nec solum æstate, sed vere, autumno, & hyeme generatur.

De

De [illegible] *Curatione* quæ [8]. propter bilis & pituitæ permiſtionem, contrariaſque indicationes pa[illegible] [illegible]ſſicilior, inprimis ſi error committatur, nota I. [9]. Ad eluendas primas vias, ſi melanchol[illegible]a miſcetur, *Diacatholicon* clyſteribus adjici debere.

I[illegible] [illegible]ter *vomitoria*, 1 [1]. *Aſarum* primas obtinere, datum dr. ſ. pondere in juſculo, vel duplo in d[illegible] [illegible]l in aquæ ferventiſſimæ cum [1]. ſale vitrioli infuſione. 2. [13]. Si bilis circa ventriculum, & initio paroxyſmi dolores & anguſtiæ circa præcordia, unde lipothymia, etiam in paroxyſmo exhibe[illegible] poſſe. 3. Accedere quoſdam [14]. ad validiora. [15]. eaque chymicè præparata.

III. [16]. In *præparatione*, 1. ad diverſos humores reſpiciendum. 2. ſemina calida, quia adurunt, negligenda, vel frigidis temperanda.

IV. [17]. *Purgandum*, 1. initio etiamſi materia copioſa: ſolet enim tum interdum natura vomitus & [illegible] fluxus concitare; nec facile præparari illa poteſt, niſi imminuatur, 2. lenientibus, ſed [18]. nec nimis fortibus, ne plus a ſuperioribus attrahatur; nec nimis lenibus, ne nihil propter humorum lentem agatur.

V. [19]. *Venæ ſectionem* poſt tertium paroxyſmum, ubi plus humoris morbifici ſanguini in vena cava permiſtum, adminiſtrandam, & quidem *majori* copia, ſi urinæ craſſæ & rubræ; *minore*, ſi non, ne crudæ calore i[illegible] minuto magis crudeſcant.

VI. Inter *ſudorifera*, [2] . quæ etiam calidiora eſſe poſſunt, & aliquot ante paroxyſmum horis dari, [21]. laudari, ℞. ſal *abſynthii*, *carduibened.* centaurii minoris: *verbenam* cum radice in vino coctam. Pulveris *chamædryos* dr. j. quidam in principio in jure pulli exhibent: dantur & in aceto calido.

VII. [22]. *Diætam non negligendam*, [23]. vinum prætenue; juſculum in acceſſione, ſi vires exigunt; ſomnus largior ad concoquendam cruditatem, niſi forte capitis gravitas accedat, concedi poſſunt.

VIII. [24]. *Diverſimode ſe quoad paroxyſmum & durationem habere.* I. *Paroxyſmus* aliquando ad XXVIII. horas extenditur, aliquando ad XXIV. & *tum* hæc febris, *ſimpliciter extenſa* dicitur; aliqua[illegible]oad XXX. quæ *ſimpliciter extenſa* dici poteſt; aliquando ad XXXVI. & XI. Et *tum* craſſior & frigi[illegible]r humor bili permiſcetur, Intermiſſionis tempus eſt brevius.

IX. [illegible]ntur nonnunquam *quinto paroxyſmo*, quando materia pauca [25]. nec ullus in curando e[illegible] [illegible]t quandoque *decimo quarto* vel *vigeſimo* paroxyſmo. Et *tum*, pulſus ad mollitiem cito redit, acce[illegible]iones paulatim minores fiunt. [26]. Evadunt aliquando & *longæ*. Et *tum* 1. vel [27]. *ventriculus debilitatus vitioſum chylum gignit* · vomendumque bis in ſeptimana, aut die quietis poſt ſumptu[illegible] c[illegible]um ante paroxyſmum [28]. fovendus ventriculus. 2. [29]. vel *hepar vitium contraxit*, & *tum* pedes & [illegible]c[illegible]i tument, cachexiaque metuenda eſt: materia peccans aliquando ad pancreas, meſenterium & vicina loca mittitur, & varios affectus infert. [30]. Vacuantia & præparantia ſunt adhibenda & ad diverſos humores reſpiciendum. Syrupi de *Cichorio cum rhabarbaro*, de *fumaria*, *diaſereos* valent: [31]. *tartarum* admiſcendum potionibus, hepar trochiſcis de abſyntho, de capparibus & aliis roborandum 32. vel *bilis ob febris ardorem in humorem atrum degenerat.* Et tum, plærumque lien in conſortium trahitur, & *ſcorbutica diſpoſitio* quandoque ſupervenit, ſyrupus de *fumaria* in uſu eſſe debet. & balnea aquæ dulcis tepidæ.

[8]. [illegible]*ma Notha*) Secundum *Galenum* eſt cujus paro[illegible]us [illegible] [illegible]11. horas non extenditur; Secundum *Avi[illegible]* quæ ex bile cum aliis humoribus putreſcente ge[illegible]r, [illegible]centе tamen bile: Sic Tumores vocamus exq[illegible] qu[illegible] ex ſincero humore, alterius miſtione non inquinato [illegible]r[illegible]untur, quod ſi varii humores ſimul miſ[illegible]ur fiunt tumores nothi, ut Eryſipelas phlegmo[illegible]; ſic in febribus ſincera bilis Exquiſitam, Alius [illegible] N[illegible]tham parit Tertianam: *Primiroſius.*

Inde cognoſcitur) Cognoſcitur ſecundum *Galenum* [illegible] non omnia Tertianæ exquiſitæ ſigna adſint, [illegible] hic non adeſt rigor pungens, ob miſtionem [illegible]ri[illegible] & pituitoſi, ſed fit *Horror* medius inter ri[illegible] [illegible] frigerationem affectus: Solet autem eſſe longior [illegible]quam rigor Tertianæ, quod tamen non eſt perpetuo[illegible] [illegible]n, cum ſæpiſſime breviſſimos horrores v[illegible] [illegible]s rigores: Id igitur non eſt neceſſariu[illegible] [illegible] eadem humoris quantitate: In febre utra[illegible] [illegible]cipium longius eſt, imo totus paroxyſmus [illegible] [illegible]oxyſmum tertianæ, durat enim ad horas [illegible] [illegible] plus minuſve pro majori aut minori p[illegible]tuitæ [illegible] & miſtione, Imo *totus morbi decurſus* longior eſt, excedit enim ſeptimum paroxyſmum [illegible] ad XL. di[illegible]s [illegible]rdum & menſes ſex prorogatur. Cum ſigna hæc non ſemper ſint vera, merito quæritur An Nothæ paroxyſmus intra horas XII. poſſit terminari, cum Exquiſitæ id tantum competere dicat *Galenus*? Obſervare autem quilibet poteſt febres plurimas tertio quoque die repetentes, interdum cum longo, interdum brevi horrore, quarum reliqua ſymptomata humoris frigidioris permiſtionem arguebant, quarum tamen paroxyſmus ad horas XII. non extendebatur, Et ratio ſuffragatur; Cum enim brevitas paroxyſmi ex paucitate & tenuitate humoris, ac robore naturæ contingit, quid obſtat quin Tertianæ nothæ paroxyſmus his de cauſis brevior fiat? Non igitur ex hoc ſolum ſigno exquiſita à ſpuria diſtinguitur, ſed adjungenda ſimul & alia ſunt, *Si prolongetur rigor, ſignum eſt eſſe tertianam non puram*, inquit *Avicenna*. In fine paroxyſmorum *ſudores* ſunt pauci, nec univerſales, qui determinatam tantum partem occupant, & in quibuſdam febribus paroxyſmum perfecte non finiunt, quando ſcil. humor craſſus eſt, copioſus, corpuſque obſtructionibus ſcatet.

In quibuſdam tamen ſuperante natura ſudores erumpunt copioſi: *Calor* non eſt adeo acris, omniaque *ſymptomata* ſævitie & gravitate cedunt Exquiſitæ, *Urinæ* non ſunt adeo flammeæ, nec tam cito coctionis indicia oſtendunt; imo initio ſunt crudæ admodum, interdum craſſæ uſque ad quartum paroxyſmum,

attigerit, medicamentum deorſum purgans exhibeto , ſi enim ſtatim initio exhibueris, poſtquam purgatus fuerit febris repetit, rurſuſque medicamento indiget: Cum vero os minime laboret, ſed ad imum ventrem tormina decumbunt, deorſum purgans medicamentum dato, quæ conſentanea ſunt iis, quæ aliis libris prodidit.

℞. *Caſſia extr. Cathol.* ãã. ʒiij.
Rhabarb. pulver. ʒj.
coriand. ℈ß. *cum ſacch. f. Bolus.*

℞. *Rhabarb. el. cum ſantal. citr. infuſi & expr.* ℥ij.
ſyr. roſar. ſolut. manna ãã ℥j.
crem. Tart. ℈j.
Juſculi prun. ℥ij. *f. Pot.*

℞. *Aquar. fumar. cichor.* ãã. ℔j.
aqu. agrimon. ℔ß.
folior. endiv. dentis leon. oxal. cichor. flor. violar. ãã. p.j. tamarind. ℥j.
prun. dulc. par. iij. paſſul. ℥ß.
fiat Decoctio, Colat. adde ſucci limon. vel ſpir. vitr. q.ſ. ad gratam *aciditatem. dein macera fol. ſenna mundat.* ℥ij.
ſem. fœnic. dulc. ʒj.
ſantal. citr. ʒß.
rhabarb. ʒiij. *crem. Tart.* ʒj.
f. levis ebullitio, ſumantur infuſa per biduum, Colaturæ adde manna. ℥ij.
ſyr. roſar. ſol. ℥iv. *ſacch.* ℥iij.
m. f. Apozema, dosis. ℥iiij.
blande bilem evacuat.

℞. *Rad. cichor. oxalid.* ãã. ʒiij.
endiv. fumar. agrimon. ãã. *m.* ß.
fol. ſenna, ſemin. carth. ãã. ℥ß.
ſem. aniſi ʒß. *f. decoctio pro dosi , In colat. diſſolve Rhab. infuſi in aq. endiv.* ℥ij.
El. de ſucco roſar ʒij.
ſyr. de cichor. compoſ. cum Rheo. ℥j. *f. Potio.*

Raro tamen electuariis utendum, tum quia ſcammonium obtinent, febribus infenſum, tum quia ingratam reddunt potionem & valde ſpiſſam, tum quia illorum compoſitiones ſunt ineptæ, forentque à Pharmacopolis ablegandæ. *Primeroſius.*

36. *Purgationem per alvum*) Finitis Julepis Purgans iterum exhibendum eſt, Imo *Vomitorium*, ſi natura per illam viam evacuationem affectet; Tunc enim, apparentibus ſcil. coctionis ſignis, hujuſmodi febres feliciter per vomitum non raro curantur; Et *Galenus* 1. *ad Glauc.* cap. 10. multos ſolo vomitu ab hac febre curatos eſſe ſcribit: Imo quotidiana experientia docet Aquam benedictam hujuſmodi febres utplurimum eradicare, niſi contumaces viſcerum obſtructiones obſiſtant; Multa experimenta proſtant apud *Mart. Rulandum*, ſed vehemens eſt medicamentum, nec niſi ſumma cautione exhibendum, Quidam hujus *aquæ* ℥j. cum infuſione ℥ß. *fol. Senna* exhibent, ſicque magis per ſeceſſum quam per vomitum operatur. *Riverius.*

37. *Die intermiſſionis utplurimum*) Atque matutinis horis ſi intermiſſio in eas horas incidat, Alioqui tempus inter duas acceſſiones medium eligendum eſt, Et quavis hora diei ac noctis exhiberi poteſt medicamentum, modo illa ab acceſſione plurimum diſtet, & ventriculus aſſumptum prius alimentum concoxiſſe videatur, In Tertiana autem duplici difficile eſt horam exhibendi alimenti eligere; cum non raro tres aut quatuor horæ duobus paroxyſmis tantum intercidant; imo interdum adeo longi ſunt paroxyſmi, ut alter incipiat antequam prior deſierit, unde febres ſubintrantes nominantur; Tunc enim occaſio præceps exactam Medici diligentiam poſtulat, Commoda autem exhibendi medicamenti hora ita eligenda eſt, ut in Tertiana duplici, non ſub-intrante, in fine paroxyſmi exhibeatur, ea ad ſequentem paroxyſmum diſtantia, ut antequam ille invadat, operatio medicamenti abſoluta ſit: In *ſub-intrante* autem exhiberi debet in declinationis principio, ſimulatque tantillum remittere inceperit: Et in utroque caſu, tribus horis ab aſſumpto medicamento, juſculum exhibendum eſt; ita tamen ut tres aliæ ſuperſint horæ ab aſſumpto juſculo antequam paroxyſmus invadat; atque adeo ſex horis ad minimum adhibendum eſt medicamentum ante proximum paroxyſmum. *Riverius.*

38. *Si materia ad alvum inclinat*) Cum alvi profluvium Intermittentem febrem comitatur, multi à purgatione abhorrent, ſed tantum abeſt ut illud purgationem dehortari debeat, ut etiam illam accelerandam inſinuet; Nam vel crudum & lienterieum eſt, vel bilioſum, vel cruentum, *crudum* parce bibendum eſſe hortatur, ac rheum poſtulat, à quo deterſis crudis humoribus, & roborato ventriculo, facile ille fluxus conquieſcet: *Cruentum* etiam ejuſdem *Rhei* uſum poſtulat, ut expurgetur acris & mordax bilis inteſtina rodens: *Bilioſum* vero, ſeu ſymptomatice fluat, ob multitudinem humorum & agitationem; ſeu naturæ pellentis robore, vacuationem arte factam requirit, ut detracta oneris, quæ natura premebatur, portione reliquum facilius concoquat mor-bumque facilius profliget: Sed nec vomitio acceſſionum initiis fatigans, ac bilem forte multam & pituitam detrahens, à purgante medicamento nos avocat, cum veſica fellis vomitione, ſic meſenterium purgante ſit exonerandum, ut perfecta ſuccedat curatio. *Ench. M. P. p.* 384.

39. *Vti poteris Rhabarbaro*) In Tertianis utimur [illegible] lum anima rhabarbari, quæ ipſa & in Ictero [illegible] verum & infuſis aliiſque: Gemina enim metho[illegible] randi febres conſiſtit in amurca bilis, & obſtru[illegible] expediendis; hæc quippe fermentum febrile [illegible] bricat vel fovet. *Wedelius.*

40. *Pulverem Comitis Warvicenſis*) Alias *Cornachini* dictum, quem etſi improbet Auctor, utiliter tamen quotidie in Tertiana tum exquiſita tum notha uſurpatur; ſi præſertim die paroxyſmi exhibeatur; adeo ut ante invaſionem operatio peracta ſit; Duo ex horum combinatione, prædicto ſcil. pulvere, ea die dato, & cortice Peruviano, ante ſequentem paroxyſmum, plurimas Tertianas tum ſimplices tum duplices profligatas vidi, *Gummi Gotte* quod attinere, *Lotichio*, feliciſſimo Practico, familiari in uſu fuit, ut patet ex illius obſervationibus.

Revera ſpecificum eſt Purgans in Tertianis febribus, quas aliquando citra alia remedia extinxiſſe obſervavi, etiamſi purgatio nulla conſequuta ſit. *Vide Obſerv* 83. *cent.* 4. *Riverii.*

41. *Ad qua non eſt quod deſcendas*) Quidam uſurpant Guttam gummi, alii *Mercurium dulcem* cum *ſcammonio*, Quæ remedia cum potenter evacuent, febres hujuſmodi sæpiſſime eradicant, ſed robuſtioribus tantum exhibenda. *Riverius.*

42. *Sudores, qui concitantur &c.*) Valet ſyrupus S. *Ambroſii* dictus, quem *Guainerius* & *Wekerus* tradunt, Eundem *Quercetanus* ſub nomine Decocti ad febres intermittentes deſcribit.

℞. *Milii decorticati q. v. coque ad crepaturam , Decocti accipe.* ℥v.
vini albi ℥ij. *calidum prabe.*

Sudorem provocat, & ſitim ardoreſque febriles extinguit, *Cum febris remiſerit*, inquit Hippocrates, *ptiſanæ ſuccum, aut multum liquidum ſorbendum dato, aut vinum album generoſum*, Vnde obſervo ſyrupum S *Ambroſii* cognitum fuiſſe *Hippocr.* 2. de morbis, refrigerat enim deſiccat, & aliquantulum aperit, ex *Galeno*, & ſecundum *Dioſcor.* alvum ſiſtit & urinas movet, plurimaſque habet egregias virtutes; dyſenteriam, alvique fluxum ex Hippocr. certo ſanat, pluresque ejus vires *Solenander* in Conſiliis recenſet; ideo deberet ad uſum revocari. *Primeroſius.*

Milium

Milium tamen apud nostrates rusticos febres inducere creditur, nonnulli enim messores, quibus frequenter puls ex lacte & milio confecta offertur, eam illa de causa respuunt; vi scil. diaphoretica latentem in præcordiis bilem, in ad febrem pronis corporibus commovet & ad ambitum corporis impellit. B.

Sudorum provocatio laudatur, sed ij nunquam nisi in fine paroxysmi provocandi in Intermittentibus, tunc enim natura eo viam affectat, In intervallo autem nonnisi magna vi elici possunt, & calidis remediis quæ febrem augent, sequentemque paroxysmum ingeminant: Ad id utemur aut frictionibus validis, Aqua card. ben. chamæm. nepethæ, hordei, aut vino tenui & oligophoro, oxymelite &c. *Primrosius.*

43. *Quinque ante paroxysmum horis dant Salu &c.*) Inter assumpta quæ proprietate conferre dicuntur, plurimum commendat sequens remedium *Alex. Benedictus.*

℞. *succi polygonat. rad. plantag.* ãã ℥j.
cuscuta. semin. sinapi ãã ʒß.
fervefacto & percolato succo adde sacchar. q.s. da tribus horis ante paroxysmum.

Ad idem laudantur succus plantaginis, pimpinella, aquilegia, pulvis crystalli cum aqua cucurbita, vel vino, os de corde cervi, coriandri tria grana trita & ante paroxysmum potu. Experiatur qui volet. *Idem cap. 36. §, 19.*

44. *Sudores*) Sine Sudorum concitatione quædam ante accessionem exhibentur, quæ illam nonnunquam sistunt; Sequenti maximo cum successu hoc semper usus est *Joh. Heurnius.*

℞. *nuc. mosch. ustam, adde tantum nucleor. Persic.* & amygd. amar. t. Pulvis, cujus ʒj.
sumatur cum vino ante febrem. *Otho Heurnius Not. in Fernelium.*

42. *Sudores qui concitantur*) Multas Tertianas Intermittentes, .2. imo prima exhibitione sequentis haustus, præcesso purgante curavimus.

℞. *aqu. card. ben.* ℥ij.
theriac. simpl. ʒij.
sal. absinth. ʒß.
spir. sal. armon. ℈ß.
syr. papav. errat. ʒiij.
m. pro Haustu, quo multum sudarunt, & ut plurimum prima vice febris recessit. *Frid. Deckers notis ad cap. 3. Pr. Barbett.*

E. *Qui concitantur Aluminis*) *Aqua seu phlegma Aluminis*, magni aliquibus æstimatur in omnis generis febribus, ubi quoque spiritus ipsius interventu major videbitur energia: Constat enim clarissimorum virorum auctoritate *Aluminis crudi* ʒß. cum *aqua centaur.* vel *tabaci*, in febribus Intermittentibus præscribere licere; Cum nimirum plus millies id felicissime successerit; universali aliqua, inprimis & *Antimonio* peculiari industria ad id elaborato, purgatione præmissa, *Angelus Sala Exegesis Chym. p. 621. Spiritus vini, spiritus aluminis junctus*, exhibet *spiritum aluminis dulcem*, seu *spiritum vini aluminosum*, quo Chymicum quendam familiarissime usum esse constat: Multum enim *Alumen* hecticæ conferre satis probat præparato *Manna aluminis* dictæ, per plurimas operationes ab omni acredine spoliatæ. *Phil. Jacobus Sach. Ampelogr. p. 523.*

E. *Aluminis*) Quavi agat in Febribus ostendit *Willis de Ferment.* Capit. 11. Præcipitatio sanguinis, *aut*, præcipua, quæ intra corpus animale peragitur, fit in renibus, ubi non sine coaguli cujusdam vi materia serosa à reliquo cruore [illegible] emitur, non secus ac serum à lacte, ob quam rationem diuretica sunt ejusmodi, quæ & lactis coagulationem inducunt, ideoque quia sanguinem fundo plus præcipitant, largam urinæ profusionem inferunt; Sanguis extra vasa missus propria indole in varias substantias secedit, dum incalescit, à liquoribus quibusdam infusis varie præcipitatur (pariter etiam urina) non sine jucundo spectaculo; si modo sanguini calenti spiritum vini, cornu cervi, fuliginis, vitrioli aliosve liquores imprimis spirituosos, aut salinos infuderis, mira ebullitio & effervescentia excitabitur, unde licebit conjicere quo ritu in febricitantibus turgescat; Præ cæteris autem, Sal Tartari & *Aluminis solutio tum in sanguine tum in urina maximam liquoris perturbationem & partium subsidentiam procurant: hac enim contenta quævis poris & meatibus liquoris deturbant, & dein adstrictione sua ipsos plurimum obserant.*

E. *Qui concitantur aluminis*) Juvenis ann. xx. Tertiana duplici laborans in exercitu Pedemontano, sumpsit cyathum unum vini albi calide, in quo dissolvit *sulphuris* pulverati ad magnitudinem unius ovi, Post dimidiam horam copiosissime sudavit, nec amplius febris apparuit: Quod remedium in duobus aliis hac in urbe usurpavit cum eodem successu. Cent. 4. observ. 83. *Riverianis adnexarum.*

E. *Aluminis crudi*) Ejus usum laudat *Philippus Grulingius Florileg. Hippocr.* &c. *parte* 23. *c.* 1. sed in Quartana, ut & *Joh. Hartmannus in Praxi Chimiatr.*

45. *Aqua radic. Imperatoria*) Habetur etiam pro specifico, & sic paratur.

℞. *rad. imperat. & vini gener.* ãã. digerantur invicem in MB. sub alembico cœco; post destilla ex alembico per arenam in fine, cavendo ne empyteuma contrahat: Hujus exhibe patienti die quiens; & postero tribus horis ante paroxysmum: atque ita etiam tertio die jejuno ventriculo coch j. ut sudores, si possit moveat; raro post specificum paroxysmus redit. *J. Hartmannus in Pr. chimiatr.*

46. *Spir. Salis Armoniaci*) Qui specificum est ad Tertianas, cujus guttæ tres usque ad vij. in *aqu. centaur. min.* vel *cichor.* horis v vel vj. ante paroxysmum exhibentur, sudoribus inde profluentibus. *J. Hartman. in Pr. Chimiatr.*

47. *Topicorum applicationem*) Expertum & bene probatum hoc est in Tertiana Intermittente.

℞. *mucilag. semin. cydonior. psyllij, ol. violas. butyr. rec. loti* ãã ℥j *cera alba q. s. f. ungu.* quo omni mane tota ungatur spina dorsi, mirabiliter valet in febribus eorum qui non possunt medicinas assumere: *Ben. Victor. Faventinus, Empir. l. 2. c. 11.*

47. *Topicorum applicationem*) Sunt quæ occulta proprietate ad Tertianas profligandas valere dicuntur: *sambucum, sonchum, plantaginem* quidam terunt, ex aceto subigunt, carpis alligant, *Folia bursa pastoris* carpis alligata hanc febrem depellunt; Ex *Rondeletio*, ea species *thlaspi* quæ similis est *bursæ pastoris*, teratur cum dentilaria, addito sale & aceto, carpis admove: Alii ad idem fuliginem è furno (vitiose in textu *pulvis filigineus*, pro *pulvis fuliginis*) & *salviam* contusam, vel *hederam terrestrem*, cum allio, cæpis, ovi album, & aceto miscent & admovent. *Sylvius* asserit *limacem potensem* cubito alligatum, omnibus febribus conferre; Nobile & familiare est epicarpium ex *ungu. populeo & telis araneor*, quo sæpe usus sum feliciter, quamvis non semper respondeat eventus: Hæc & similia possunt in usum revocari, sed tamen iis fides non adhibenda: Quidam sempervivum & alia refrigerentia hepari apponunt, sed, ut advertit *Hollerius*, suspectum est remedium quando timetur obstructio. *Primrosius l. 3. c. 3.*

Usurpant quidam vesicas excitantia, ut *allia, cepas, ranunculum* & similia, quæ minus tuta & valde incommoda sunt. *Riverius.*

Inter Empirica externa applicantur carpis aut plantis pedum quædam Epithemata Febrifuga, uti *Empl. Strobelbergeri.* Vel

℞. *aran. n°. xxx. coque in oleo laur. usque ad exsiccationem earum*; Hujus olei. ℥ß.
inunguntur spina & pulsus in temporibus & brachiis: Item *tela aran.* carpis & brachiis applicatę.

Simile Empiricum cujusdam Itali.

℞. *urtic. m. j. tela aran.* ℥ß.
salis comm. cochl. j. *aceti tantundem*, applicetur pulsibus per duas horas ante accessionem. *Poens.*

48. *Alligatur soleis*) Eum quoque in finem Topica quædam ventriculi & hepatis regioni admoventur, Vide supra §. *Specifica.*

49. *Potentilla cum sale & aceto*) Affinis quidam meus gratis innumeros febricitantes febre quotidiana & tertiana detentos Pericarpio sequenti curavit, quosdam 1. vice, alios 2. pertinaces 1. tertia, *Pentaphylli* fol. ix. radicitus colligit; postea incipiente paroxysmo arteriæ brachij dextri tria folia cum sale, superque his tria alia folia cum sale, rursusque desuper alia tria folia cum salis pugillo in medio foliorum imponit, Et sic mille ad minus febre detentos curavit; Multique etiam quartana detenti quatuor folia eodem pacto imponendo curati sunt. *Pet. Borellus obs. 32. cent. 1.*

A Febre Quotidiana violenta liberatus sum, carpis applicando.

℞ *salis mar. lupuli Angl. āā. m.* ij.
passular. corinth. ℥iv.
probe misceantur, contundantur. *Rob. Boyle de utilitate nat. scientia cap. 10 sect. 10 part. 2.*

50. *Carpis*) Expertum ad Tertianam notham est *sumere* telas *aranearum mundatas à pulvere & ungu. populeo exceptas & in pilulas reductas*, quarum duæ pulsibus temporum, duæ pulsibus brachii, reliquæ duæ pulsibus pedum, admovendæ supponendo *folia vitis*, & eas adligando iij. horis ante *accessionem. Jul. Cæsar Claudinus Empir. rat. p. 141.*

Sequens sæpe experti sumus magno successu.

℞. *fol. sambuc. salviæ, pedis columb. rutæ āā. m.* ß.
Calcis viv. j. salis & vini partem: Trita carpis admove ante accessionem. *Walther in Sylva Med.*

51. *Hepati & cordi*) *Vermicularis cum aceto & farina hordei contusi, dextro hypochondrio adhibita, in febre non nimium ardente* plurimum prodest, Experto crede. *Joh. Crato Consil. 4. p.* 390.

52. *Admoveri possunt in summo*) Quidam Tertiana febre laborabat eaque satis vehementi, cum molestiam aliquot Paroxysmorum pertulisset, novum & insolens remedium experiri voluit: cum enim ex aquatione equi revertissent, jussit eos aqua puteali perfundi; cum hoc spectaret, istaque affusio aquæ perplaceret, idem voluit sibi fieri, & ut id servi facerent coëgit, educunt frigidam è puteo, nudo corpori, medio in Paroxysmo, aqua affunditur, nec id diu impunè tulit, nam paulo post vocem amittit, convulsiones eum adoriuntur, spuma in os occurrit, Epilepticè convellitur; mors, Mirum unde tanta mortis occasio; licet enim difflari prohibeatur materia Tertianam committens, non ita tamen sæva edit symptomata: credibile est istud serum, eumque febrilem halitum qui affertur è materia putrente (licet febris ipsa *ἄκακος* videatur) malignum quid habere: declarant dolores vehementes capitis aut totius corporis, & id genus symptomata quæ tam cito assidere solent febribus etiam mansuetis, ut mirum non sit si insolentem experientiam & imprudentem, tam fatalis casus exceperit. *Ballonius. Epid. lib. 2.*

55. *Victum refrigerantem &c.*) Ad curationem hujus febris ex *Galeno* refrigerandum & humectandum, quia contrariorum contraria sunt remedia, & quo febris calor erit acrior, eo magis refrigerandum: Aer igitur frigidus sit & humidus quantum fieri poterit, somnus prodest, vigiliæ nocent, præterquam in accessione.

Et ut uno verbo, ex rebus non natural. vitet eas quæ calefacere possunt, ut motus, iram, Venerem, similiaque, quamvis *Trallianus* iram imperet ad vacuandam facilius bilem, verum male, nam ira fervet bilis, & ad os ventriculi sæpe fertur, ubi pessima excitat symptomata.

Cibi sint eupepti & refrigerantes, ea quantitate dandi quæ facile concoqui possit: Pisces saxatiles, suum pedes, testiculos gallorum, aviculas concedit *Galenus* 1. ad *Glaucon.* Sed à pinguibus, dulcibus, acribus, salsis abstinendum, & etiam, si fieri potest, ab omni cibo, quia facilius humor concoquitur si sorbitionibus solis ægri victitent, quo magis autem ad statum morbus accedit, tanto tenuior præscribatur.

A vino autem ante coctionem abstinendum, ex 1. ad *Glauc.* ac ubi morbus concoqui cœperit, si autem sit in augmento tenue, aquosum & paucum dare non veretur, sed satius est & tutius uti aqua hordei &c. *Primirosius*, Vide supra de Diæta Febris in genere, & de Curatione Tertianæ ex *Willisio* hoc ipso capite.

Diæta multum præstat, ita utcunque in curatione hujus febris plus naturæ & bene institutæ victus rationi quam pharmaciæ tribuendum sit: Esto itaque tenuis & parca, cum fames hujus ægritudinis optimum sit remedium, & à victu parciori febrilis accessio ultra tempus consuetum sæpissime proteletur: *Cibus* autem & *Potus* sit tenuis, ac facilis coctionis & distributionis, ne obstructionem, ac per consequens Tertianam chronicam faciat, *Aër* sit frigidus, *somnus* prodest; Uno verbo, ex rebus non naturalibus vitet eas quæ calefacere ac febrilem fermentationem excitare possunt. *Poens pagin.* 260.

54. *Nisi forte æger*) In accessione alimentum exhibendum non est, juxta sententiam *Hippocr.* aphor. 11. 1. Natura enim, ut docet *Galenus* in *comm.* novi cibi concoctione avocatur à concoctione humorum morbificorum, Adde quod in accessione tetro vapore corpus perfunditur, qui cibum recenter sumptum labefactat, & maxima parte corrumpit: Attamen si accessio adeo longa fuerit, vel corpus ægri adeo calidum & siccum, gracile & raræ texturæ, ut facile dissolvatur, ut ad finem paroxysmi sufficere non valeat, etiam in accessione æger cibandus est, quod melius fiet in statu quam aliis temporibus: Quamvis etiam in principio & augmento, urgente necessitate, cibus offerri possit, Sic enim *Galen.* 10. *m. m. c.* 5. febre Tertiana laborantes, calido & sicco temperamento præditos, quibus adversissima est inedia, ne in syncopen inciderent, etiam in principio accessionum cibare coactus est: Ad ejusque imitationem *Amatus cur.* 68. *cent.* 4. picrocholo, & meram bilem evomenti, unde syncope oriebatur, panem lotum agresta aspersum paroxysmi initio exhibuit, sicque prædicta symptomata inhibuit.

Illud præterea in omnibus Intermittentibus observandum ut æger ante paroxysmum neque potum neque cibum assumat, neque somno indulgeat; *Riverius.*

55. *Partium corroborationem*) Post purgationem in usum sunt revocanda, id quod Julepi, Opiatæ &c. præstabunt.

℞. *aqu. endiv. acetosæ, bugl. nymph.* āā. ℥iij.
vini granat. ℥ij.
syr. de limon. aut de acetos. citri. ℥j.
sacch. ℥ij. *coque in Julepum.*

℞. *Conserv. rosar. nymph.* āā. ℥ß.
spec. diamarg. triasant. āā. ʒj.
diarrhod. abb. ʒß.
trochisc. de caphura. ℈j.
coralli. ℈ij.
conf. Alkermes. ʒß.
cum syr. violat. fiat. Elect. Riverius.

56. *Prodest Sal absynthii*) *Sal fixum absinthij* generosius evadit remedium, si soluto in *aqua cichor.* tantundem *salis*, seu *lapidis prunellæ* addatur, ut una lege artis concrescat, Pondere ʒß. aut ʒj. Tertiana laborantibus propinanda

pina … cervisia calida tantillo saccharo edulcata, ut … curando, Quod medicamentum longe Crollii antifebrili, ex conchis parato anteferendum. Simon Pauli Quadr. Botan. p. 185.

Tertiana Exquisita.

[1] Distinguitur [2] in Exquisitam, Notham & [3] Perniciosam.

I. *Febris exquisita cognoscitur* ex eo, 1. quod *Rigor* in prima accessione sit *vehemens* & pungitivus; ab halitu & humore tenuissimo & pauco, è venis excidente exortus. *Exiguus*, si materia sit copiosa, nec subito moveatur: *vehementior*, quo materia est tenuior & acrior; facultas expultrix validior, & partium sensus exquisitior. 2. quod *calor* sit multus; acer & mordax, in vigore quoquoversum extensus, & manu diutius detenta, propter facilem bilis discusionem mitescat, quo tempore levi madore corpus perfunditur. 3. quod *pulsus* initio accessionis sit parvus, tardus, materia nondum a calore oppresso evicta, sed tamen non retractus; in progressu vehemens, velox, frequens; parum durus, constrictionis propter fuliginum, ex materia recenter instar humidorum lignorum accensa, copiam velocioris, in intermissione dilatationis velocioris propter caliditatem particulæ, in foco putredinis relictæ, reliquis humoribus communicatæ, & ad cor delatæ. 4. [4] quod *Paroxysmi* ultra duodecim horas non extendantur. 5. quod *urina* sit subrufa & subflava, consistentiæ mediocris, nebulam quandoque albam vel enæorema circuitu primo exhibens: & tum ultra quartum paroxysmum febris non protenditur.

Oritur a bile, interdum illi simili [5] quæ in folliculo fellis est, in primas vias regurgitante, interdum æruginosa aut viridi, in ventriculo & venis producta.

Terminatur vel *sudore*, si in venas per ambitum corporis humor rejicitur; vel *vomitu*, & *alvi dejectione*, si ad ventriculum & intestina: vel *nullo* horum, si magna pars in venis mesaraicis consistat; & tum fiunt circa præcordia angustiæ, dolores & inflammationes.

[6] *Curatio* ut plurimum facilior, quia [7] ταχυκίνητος ut dixi: notandaque I.[8] De *venæsectione*, 1. *Mittendum* sanguinem [9] si sanguis copiosus, & bilis ab hepate progenita sanguini permiscetur; quod ex urinis & calore post paroxysmum relicto deprehendes; & magnus morbus ob plenitudinem metuitur. 2. *Non mittendum*, si eadem circa ventriculum & vicina loca absque sanguinis abundantia, ne bilis augeatur & in venas trahatur. 3. *Mittendum minore copia*, ne bilis ferocior reddatur, & spiritus exhauriantur, 4. Mittendum tertiò paroxysmo exacto; tum, ne, si post, in statum, qui in quarto isque gravissimus obvenit incidas; tum quia post istum bilis sanguinem inquinare solet: tum quia observatum secta secundo vel tertio die vena laudabilem detractum sanguinem, progressu morbi putrem & virentem. Licet tamen *anticipare*, si majus in præcordiis empyreuma: sic enim id præcipitatur; & si ingens plethora adest: sic enim calor naturalis suffocationis periculo liberatur. Primæ sectionis nulla aliquando utilitas, quia parciore manu fit: observatum tamen multis ante tertium paroxysmum bono cum successu emissum, Ballon. Consil. l. 1. consf. 44. [10] Sunt qui præmisso leni purgante [11] venam accessionis tempore feliciter, ut scribunt, secuerunt.

II. De *Purgatione*, 1. Appetitum prostratum eam plerumque indicare. 2. Initio debere ess: lenem, [12] per *syrupum rosarum solutivum, mannam; decoctum tamarindor.* 3. concocta materia ad præcavendam recidivam, validiorem, per *rhabarbar.* cum sero lactis, *tamarind. manna, Elect. ros.*

[13] III. De *Præparatione* 14. Refrigerantia & humectantia magis desiderari, quæ superius in continuis vide, laudarique salem absynthii [15] cum spiritu sulphuris in aqua Cichorii. 2. Serum lactis vel simplex vel cum emulsione quatuor seminum frigidor, majorum propinari posse. 3. Omnia sæpius & in sufficiente quantitate. 4. IbnSinam manè syrupum acetosum simplicem, post bihorium aquam hordei, & iterum in accessionis declinatione exhibuisse. 5. Omnem potum ægro interdicere viam esse ad hecticam: tempus autem bibendi Galenus statum esse dicit.

IV. De *reliquis*, 1. *Vomitoria*, illi magis quam nothæ convenire, Sala salis vitrioli dr. j. in aqua frigida propinat.

2. [16] *Sudorem* qui optimè aqua theriacali Rivetii in capite de febre pestilentiali descripta cum aqua Carduib. cietur, haustu aquæ hordei vel alterius alicujus juvandum.

[17] 3. Inter diuretica, capillum veneris à Tralliano, ab Ibn Sina semina quatuor frigida majora cum aqua acetosæ laudari.

[18] 4. Medicum quendam Gallum solitum fuisse [19] hora una ante accessionem haustum *decocti chamædr. & cremoris* tartari, vel in ejus defectu aquæ frigidæ cyathum exhibere; [20] mox post sumptum remedium sanguinem detrahere summo cum successu, quod & ego experientia comprobatum habeo; forte quod aqua illa per phlebotomiam ad venas rapta, materiam ebullientem dilueret. Idem alius præmisso prius purgante faciebat.

Carpis ante accessionem admoventur, *auricula muris, sempervivum minimum, folia bursæ pastoris; cortex interior ramorum nucis juglandis*, cum sale & aceto contusa.

V. *In victu*, convenire aquam (calidam inquiunt quidam) vel decoctum galli cum succo ci-

triorum vel granatorum. A vino ante coctionem abstinendum; à cibo ante accessionem, nisi aliquid, de quo supra, repugnet. Somnum in principio accessionis & augmento vitandum.

VI. *Diversimode se habere*, 1. Aliquando *ad continuam* tendit. Et tum, tument venæ, arteriæ temporum moleste pulsant, vena secanda est etiam ante tertium paroxysmum. Evadit aliquando & *Causodes* propter viscerum æstum, cum insignioris amaritudine, quod bilis in linguæ tunicam sit effusa.

2. [21] Tendit aliquando & *ad quartanam*, quod plærumque fit in senibus, & qui [22] de sinistri hypochondrii dolore conqueruntur. Et tum evacuatione præmissa purgandum, & hypochondrio providendum est.

3. Aliquando *in totum cessat*, [23] nullo symptomate post se relicto: aliquando *ea cessante hepar laborat*, [24] *vel quia calidius:* Et *tum*, bilis copiam majorem novarum accessionum fomitem procreat, inprimis si hæc in venis restagnans chylum inquinat, sitis, urina biliosa, calor volarum & solearum affligunt, febris aliquando per tres aut quatuor menses in squalidis inprimis corporibus durat: materia peccans ad pancreas sæpe & mesenterium, hepate tanquam nobiliore se exonerante detruditur. Purgantia & valide aperientia nocent; Victus humidus & refrigerans prodest: [25] balneum aquæ tepidæ laudatur: & inter corroborantia juvat inprimis sal absynthites in spiritu nitri solutum, post coagulatum scr. j. pondere. *Vel quia obstructum:* Et *tum*, bilis copiosa in ejus vasis hæret; facies aliquando subpallida & tumida, pedesque vesperi intumescunt: aperientia & diuretica prosunt, inter quæ [26] absinthium à Galeno laudatum; decoctum Cichorii & Chamædryos in jusculo à Montano. 4. Oriuntur quandoque circa præcordia angustiæ, dolores & inflammationes. Et *tum* maxima pars materiæ peccantis in venis mesaraicis stabulatur, eique pravam dispositionem imprimit; febris diu durat, quod diathesis illa in viscere remanens, humorem novam accessionem foventem quotidie accumulet. Cautissimè tractanda est; placetque Varandæo dr. j. *theriacæ*, quam haustus aquæ *plantagin.* temperandi caloris ergo excipere debet; Zecchio, pillulæ, *trochisc. de Eupatorio, rhabarb. absynth. ana dr. ß. & speciebus diarrhodon. scr. j. cum syrupo de absynth.* concinnatæ. Solet etiam, communicato massæ sanguineæ seu per incendium seu per vapores vitio, magis irritari natura; & venæ sectione refici, vel per sudores aut alvi fluxum se extricare.

[1] *Distinguitur*) Aliæ simplices sunt, aliæ compositæ, *Simplices*, cum unica saltem febris ægrum occupat, *Compositæ*, si duæ vel plures inter se junctæ, vel combinatæ, eodem die invadunt; Jam quæritur, An illæ febres, quæ eodẽ die ingruunt, necessario ejusdẽ speciei esse debeant, & ex eodem humore oriri? Resp. nihil minus, sufficit convenire in eo ut eodem tempore affligant; Hoc enim experimur in compositis febribus intermittentibus, quod paroxysmus hujus vel illius, modo gravior, modo levior, pro ratione ac dispositione particularum istius febrilis materiæ, earumq; fermentationis tam in quantitate quam in qualitate & motu existentium ad oriatur: Adeoque si paroxysmi inter se distincti sint quoad symptomatum vehementiam, non statim nobis pronuntiandum Quotidianas, Tertianas, vel Quartanas esse, quoniam in Febri Tertianas, modo mitior, modo gravior revera paroxysmus contingat. *Piens p.232.*

Distinguitur) Distinguitur etiam ratione Complicationis, Alia *simplex* est, alia *Composita*; Simplex in qua unus saltem paroxysmus, Composita in qua plures paroxysmi de tertio in tertium diem obtingunt; *Aliæ* ab aliis petuntur differentiæ, ratione quantitatis & qualitatis, quæ tamen ad materiam reduci possunt. *Piens p.252.*

[2] *Distinguitur in Exquisitam &c.*) Discrimen statuit *Willis* in sanguinis diathesi varia, Quod in Exquisita sanguis magis retorridus & acris existat, ideo succum alibilem à cruditate versus adustionem pervertat, quare effervescentia vehementior excitetur, sed cum materia æqualius deflagrat, citius finiatur: In Notha autem præter adustionem sanguis humiditate serosa nimis scateat, quare succus nutritius in materiam crudiorem (ideoque subigi & deflagrare minus aptam) degeneret, quare ejus accessio sit minor & inæqualior, & nonnisi longiore spatio peragatur. *Quid de hac distinctione sentias* Joel. *Vide Notas ad* § Biliosa colluvies) *superius.*

[2] *Exquisitam*) *Galenus* 2. de *diff. febr.* c.3. eam sic describit, Tertiana exquisita est, *quæ fit à bile per sentientes corporis partes delata, & ardentis febris similitudinem gerens, & bilis vomitibus, aut dejectionibus, aut sudoribus vel horum quibusdam, vel omnibus solvitur. cujus accessio 12. ad summum horarum æquinoctialium spatio finitur.*

[2] *Distinguitur in Exquisitam, Notham*) Observanda venit trita ista Intermittentium differentia, præsertim Tertianarum, in *Nothas* & *Legitimas*, *Legitima*, sive *Exquisita*, ex pura & sincera bile fieri dicitur; rigor insignis corpus veluti pungens, sitis & æstus magnus, vomitus biliosus, accessio longissima est 12. horarum; septem circuitibus ad summum judicatur; primus igitur est debilis, 2. fortior &c. 4. fortissimus, postea paulatim remittit, *Notha* vero dicitur, quæ ex bile cum pituita mixta oritur, accessiones ultra 1.. horas extenduntur &c. Uno nomine, *tota differentia residet in fermento febrili plus minus libero aut impedito*, *Liberum* enim, nec impeditum, adeoque acrius, potentius quidem agit, graviora infert symptomata, sed citius saturatum & enervatum febri finem imponit: Impeditum vero, vel propter vehiculum, aut fomitem cui inhæret, viscidius atque tenacius, adeoque, ut vulgo vocant, pituitosum; vel in subjecto, cujus massa sanguinea, aliique ejus humores temperatiores, chylosiores, adeoque quasi viscidiores existunt, minus se exerere potest, adeoque mitiora quidem symptomata, sed diuturniores paroxysmos, febresque etiam magis chronicas solet inducere. *Fumuller.*

[2] *In Exquisitam, Notham*) Illam vulgo quæ ex humoribus diversæ conditionis, naturæ & constitutionis oritur, *Spuriam* vocant, *Legitimam* quæ ex humore unius conditionis, naturæ & constitutionis excitatur: Hæc vero Medicorum licentia est: Hac in differentia hoc solum monendum *Legitimas* Intermittentes febres, uti vocant, raro admodum dari, eo quod particulæ illæ vitiosæ, quæ in foco suo hærent, rarissime ejusdem sunt conditionis, naturæ ac temperiei; sed quandoque magis solutæ & disproportionatæ, nonnunquam male figuratæ, & cum aliorum humorum particulis commixtæ, hinc vel sunt

solidio-

solidiores, tenaciores; vel fluxiliores & facile dissolubiles; Ut ita in principio febriles particulæ existunt, tractu temporis valde mutantur, accedente continuo novo alimento ratione materiæ; ex chylo scil: & sanguine ad focum febrilem Et ratio inde petenda, quod typi febriles pro ratione & dispositione materiæ morbificæ, quæ modo crassior & tenacior, modo tenuior & fluxilior, modo acrior & salsior ac intemperatior est, frequentissime mutentur. *Piens p.252.*

· *Perniciosam*) Hæc febris si intra modicum tempus desinat, communiter dicitur potius prodesse quam nocere, quod verum quandoque est habendum, quia hoc modo sanguinis impuritates deflagrant, viscerumque obstructiones expediuntur; & ita fermentando ac deflagrando sanguis purgatur a sordibus vitiosisque humoribus, Unde Vestfrisiacis Sanguipurgium appellatur: Quandoque non, si hic morbus diu protrahatur, sanguinis massa spiritu vitali plurimum spoliatur, & instar vini nimis fermentati aliquomodo vappescit, hinc plurimarum ægritudinum causa, ut Scorbuti, Icteritiæ, Cachexiæ. *Piens p.251.*

3. *Perniciosa*) An detur Intermittens maligna, Vide Tit. 2. cap. 1. §. *Humorem istum esse putridum.*)

4. *Quod Paroxysmi*) In Exquisita paroxysmi ordine quidam antecedunt aut postponunt, ob materiæ uniformitatem & subtilitatem: Sed in notha non observatur proportio ob materiæ crassitiem & difformitatem, quod si paroxysmi eadem hora invadũt, notha est ob materiæ crassitiem; nam aphor. 3. lib. 4. Si paroxysmi eadem hora repetunt morbus longus significatur, Tertiana autem exquisita non solet esse longa. *Primiosum.*

5. *Quæ in folliculo fellis*) Ex *Hippocrate*, datur Febris biliosa ex splene *Lycino Grammatico ex Febre biliosa, ex splene, capitis gravitas &c.* Item alio loco, *Post Plejadas biliosi, splenes magni, duri, dolorosi, sanguinis eruptiones*; Alias, *sanguis biliosus ob splenem*, Quod notandum, ne cum febrem biliosam videas, & excretus humoris biliosi & motum, & sanguinis qualitatem, male accuses hepar, non autem splenem, sic frustra medeberis; Rubicundi vulgo hepatici dicuntur, & tamen multi tales splenica maxime patiuntur. *Ballonius Consil.34. l.2.*

6. *Curatio*) Hujus remedia sunt *Victus* humectans & refrigerans. *Purgatio* leniens & humectans, *Præparatio*: Purgandi humores per aperientia; humectantia & refrigerantia & ejus acrimoniam obtundentia, *Venæ sectio, vomitio, sudorum provocatio & symptomatum lenitio*, Quorum remediorum hic est utendi modus, *Prima accessio*, blanda cum sit, nulla remedia postulat, tantum à cibo abstinentiam dum prorsus quieverit, & si urget sitis, potione refrigerante, & bilis fervorem temperante sedanda.

Secunda accessio gravioribus symptomatis comitata est: In ea autem nihil tentandum est. Poterit tantum accessionis fervore, ad ardorem leniendum, hepati admoveri Epithema refrigerans, dummodo non immineat sudor? qui si sponte erumpat, juvandus, alias non provocandus.

Inter *secundam & tertiam accessionem vena secanda* est, præmisso clystere, si alvus sit tardior; Licet enim de continente febris materia, quæ est in prima corporis regione nihil tollatur, quod tamen ejus portio, & ab ea elati vapores in venas majores effundantur, quæ sanguinem in venis contentum corrumpunt, utiliter secatur vena, maxime si adsit sanguinis copia, & symptomata febris graviter infestant.

Quamvis alias medicorum scripserunt, ante quartam accessionem abstinent à V S. quod plerumque tertia aut quarta accessione morbi vigor sit, quo maxime tempore omnia evacuari solent; metuunt enim ne quæ caloris insiti, turgentium humorem concoquentis robore fit perturbatio, S. M. progressæ adscribatur, Sed legitimæ curationis ordinem ob vulgi calumnias pervertere nefas: Prædicenda potius morbi exasperatio multo major futura nisi sanguis missus fuerit. Mittetur autem sanguis, vel die intermissionis, vel potius 4. aut 5. horis ante paroxysmum.

Tertia accessio sæpe vehementissimis symptomatis comitata est, quæ convenientibus remediis lenientur.

Inter *tertiam & quartam* accessionem, nisi primo missus est sanguis, utiliter demitur, Aut si missus est, *catharticum* leniendo & refrigerando purgans dabitur; *Quarta accessio* hujus morbi vigor est, horrenda sæpe habens symptomata, quibus occurrendum; Postridie istius si vel V.S. vel purgatio omissa fuerit, recte alterutra instituetur quæ magis convenire videtur.

Post 3. & 4. accessionem, si sudores naturæ beneficio non erumpant, provocentur sudorificis calide exhibitis: Quod si singulæ accessiones sudoribus solvantur, & urinæ sanis proximæ sint, nec sanguis extractus valde putris appareat, spes est accessione septima febrem solutum iri; Sin contraria adsint, in longum tempus protrahetur, maxime si Autumnus proximus sit.

Si post quartam accessionem continuat febris, repeti poterit V. S. ut prohibeatur ne putrescant humores in venis majoribus contenti, unde fieret transitus in continuam.

Quæ remedia si ante quartam accessionem neglecta fuerint, *quinta* his utendum, post *sextam* apozema instituatur, quod leniendo, refrigerando, aperiendo & concoquendo morbi materiam subtrahat, &c. Si *septima* accessione febris non quiescat, & nausea fatiget, æger initio accessionis ad vomitum incitetur &c. *Ench. Med. Pr.*

7. *Ταχυσέλιμος*) Quicquid sit de differentia (vide supra §. *Distinguitur in exquisitam & Notham*) febrium in nothas & legitimas, saltem diversitate paroxysmorum modo enarrata, colligere possumus, quod quo acrius est & volatilius, adeoque activius fermentum febrile, eo acutiorem h. e, *breviorem*, sive gravioribus symptomatis stipatam inducere febrem: Et contra quo inertius est, ac minus activum tale fermentum; id quod in specie evenit quando pro fomite, in quo nidulatur, habet humorem viscidum & glutinosum, eo minus acutam, sed *diuturniorem*, & mitioribus comitatam symptomatis fore febrem: Ex quo etiam Quotidianarum præ Tertianis, & Quartanarum præsertim, æstimanda diuturnitas; ita ut quo diuturnior sit febris, eo viscosum magis ac glutinosum fomitem fermenti in primis viis existere putandum est, indeque in *acutioribus magis absorbentia*, vulgo *præcipitantia* dicta, In *chronicis* vero *incidentia & abstergentia* magis conveniunt. *Emuller.*

7. Quia *ἐχυχελίμως*) Ratione materiæ, alia *legitima* est, alia *spuria*, in qua materia febrilis ejusdem materiæ & conditionis non apparet, *Legitima* è contrario, Hinc verum est dicere Tertianam *exquisitam* facilius à natura vinci quam *spuriam*, non ob pituitam & melancholiam admixtam, sed quod remedia beneficio artis adhibita non conveniunt febrilis materiæ conditioni neque naturæ, adeo ut quod uni prosit, alteri nocere queat: Id illud in natura contingit, ubi idem calor aptus non est ad subigendam illam febrilem materiam, quæ plane est diversæ conditionis ac materiei: Et quia nostris moribus, in regione septentrionali, fere pituitæ, seu lymphæ crassæ, & melancholiæ, seu humoris nondum fermentati copia gignitur, nonnisi raro etiam dantur Tertianæ Exquisitæ; cum non solos biliosos corripit, non semper 7. hor. nec semper 7. paroxysmum observat, Propterea consentio illis qui docent Veteres prebuisse nobis ideam Tertianæ exquisitæ, à qua quo longius abest hæc vel illa, eo magis *Notha* est. *Piens p.252.*

7. *ἐχυχελίμως*) Prognostica signa sunt, Quo exquisitior eo salutarior est hæc febris. *4. aph. 42. 3. in 1. Epid. 8.* Hinc levissima & mitissima dicitur, , *1. ad Glauc. 8.* Tu vero

accipe hoc de eo casu in quo non erratur vel ab Ægro, vel à Medico, Secus si fiat & longa sit, & interdum lethalis, *Piens. p.257.*

8. *De Vena sectione*) Observandum Exquisitam fieri cœlo æstuoso, quo tempore V.S. caute est administranda: Arabes autem, authore *Avicenna*, venam non secant ante tertium paroxysmum, quod potius experientia quam ratione inniti videtur; V.S. siquidem, ex præceptis *Galeni*, semper in principio celebranda quantum fieri potest: Cum enim hæc febris septem circuitibus terminetur, post tertium paroxysmum status vel adest vel instat, quo tempore, ex Hippocr. nihil movendum: Itaque si venæ multo turgeant sanguine, statim sanguis mitti debet: quod si vero sanguinis non adsit copia, sequendum *Avicenna* consilium, quod experientia verum esse sæpissime deprehendi; Jubet autem ut si possibile sit V.S. fiat ante quartum paroxysmum, *Si possibile est ut phlebotomes, usq; ad tres periodos, fac*, inquit ille, Ubi notandum, ex *Gentili*, estque verissimum Tertianam exquisitam primo incipere ab humore bilioso qui sanguini commistus non est, sed postea in sequentibus paroxysmis vitiare & labefactare potest sanguinem, ideoq; in primis paroxysmis non esse necessariam V.S. sed tantum in sequentibus, quod cognoscitur si urina primo citrina & flava, postea tendat ad rubedinem: Si igitur sanguis mittatur post tertiam accessionem, quoniam quarta proxima est, quæ status est morbi, ideoque omnium gravissima futura est, id erit prædicendum, ne gravitatis illius morbi culpa in Medicum transferatur. *Primirosius.*

8. *Vena sectione*) Quæ massam sanguineam ventilat, ut propterea minus torrefiat aut præassetur, atque liberius sine adustionis periculo in vasis circuletur. Est itaque instituenda quando sanguis quantitate peccat, unde metus alicujus incendii, vel impetuosæ defluxionis ex magna & molesta cordis irritatione, ac humorum fermentatione in hanc vel illam partem. 2. Adhiberi debet, si peccet qualitate, cum ratione particularum fervidarum, sulphurearum & biliosarum valde accensus sit, ut metus febris continuæ præcaveatur, aut inflammationis alicujus visceris: 3. Locum habet *revulsionis* causa, quando ingens capitis dolor, vel impetuosa sanguinis in hanc vel illam partem adest fluxio; *Piens pagina* 258.

9. *Si sanguis copiosus*) Nobilis vir febre tertiana laborabat, Medicus qui illi medebatur, ut erat αἱμοφόβος sanguinis detractionem neglexit; quarto paroxysmo ruptis veluti repagulis, & facto impetu quodam in partibus internis, tanta foras excretio sanguinis est consequuta ut eo ipso die illi fuerit obeundum, *Ballonius Epid. lib.2.p.367.*

17. *Præmisso*) Alias parum tuta esset venæ sectio, quia deplens vasis humores è prima regione in vasa migrarent. Si hidroticum hinc exhibeatur, turbas id hic & illic excitaturum est.

11. *Venam accessionis tempore*) Quidam Empiricus, *inquit Riverius in Observ.* multos curavit Tertianarios purgando semel levi medicamento, postea venam aperiendo initio accessionis.

In hoc latet vera methodus ad Febres Intermittentes curandas, quod nempe *Venæ sectio* & *Sudoriferum* paulo ante paroxysmi invasionem instituantur, ut vis diaphoretica sic perveniat ad sanguinem & partes solidas, cum humor febris paroxysmum efficiens suo latibulo egreditur, & ad cor defertur, Et sic una vice æger sanitati sæpe restituitur. *Anonymus Praxeos Med. reform. capit.57.*

12. *Per syrupum rosar. solut.*) Hic etiam si mitis sit & gratus, quia tamen sola serosa excrementa detrahit, nullum locum habere debet in biliosis febribus, nisi seroso humore æger scateat; alioquin detracto sero, bilis fræno, sitis, ardor & siccitas magis efferantur; Adde quod benignorum medicamentorum actionem sic præcipitat, ut ea fine suo frustretur. *Ench. Med.Pr.*

13. *De præparatione*) Notandum corpora biliosa cum febricitant plus in iis alterandis operæ pretium ponendum quam in evacuandis; quod docuit servus *Dom. de Chaulne*, qui licet bene purgatus interiit; Potius fortassis profuissent alterantia quam insigniter evacuantia, Et id notandum maxime. *Ballonius Epid.l.2.*

14. *Refrigerantia & humectantia*) Inter quæ excellit *Frigidæ potus*, de quo vide caput de Febribus Continuis: Sunt qui consilio *Galeni* usi, propriam Tertianæ curationem Potu aquæ frigidæ compleri existimant, quia bilis fervorem optime restinguit, Verum usum ejus non permittit antequam concoctionis signa, ex urinis petenda compareant, nam si ante morbi statum & concoctionem aqua detur, lentos humores attenuari & digeri prohibet, imbecillas corporis partes concutit & nonnullis illico spirandi difficultatem, convulsionem & tremorem conciliat; Verum non expectanda esse concoctionis signa cum *Averroe* censemus, quia interea æger periclitatur, & serius futurum sit auxilium ubi febrilis calor nativum extinxerit, & quod longe minus periculum immineat ex aquæ oblatione quam ex incendio; nam ex frigidæ potu sola morbi longitudo expectatur, ex caloris vehementia mors: Præterea coctio nota est naturæ potentis supra morbum, cum vero natura superior est, quid prodest Potus frigidæ: Nos igitur quamdiu fervet bilis, urgetque Tertiana, frigidam tuto dari asserimus: Cum vero fervor humoris, & morbi vigor præterierint, quod 7 saltem accessione contingit, non amplius aqua convenit, obstructiones enim ingeminat, & febris curationem differt, in melancholicis præsertim & frigidioribus naturis, quæ obstructionibus viscerum sunt obnoxiæ: Præterea certum est Tertianam non ultra septimam accessionem protendi, nisi obstructio viscerum & crassities humorum sit in causa. *Enchir. Med.Pr.p.387.* Cautiones in frigidam exhibendi vide l.a.

15. *Cum spiritu sulphuris* Dn. N. laborans febre Tertiana duplici cum inquietudinibus, siti, dolore capitis & respirandi difficultate, à me curatus est pr.pr. exhibendo in vigore paroxysmi, ad extinguendos spiritus febriles tinbundos, *aquæ fontis* magnum haustum cum *spiritus sulphuris* per campanam eliciti q.s. ad gratam aciditatem, & *syrupi de limonibus*, Quo potu febrientibus gratissimo, ter aut quater exhibito per triduum, omnia symptomata longe mitiora evaserunt, & paroxysmi multo breviores; ita ut prævia hac præparatione, & imminutione symptomatum, curatio absoluta fuerit usu *Pulveris Comitis & Febrilis Croll.* per biduum sequens exhibiti: Erat autem æger obstructionibus utriusque hypochondrii obnoxius, *Anonymus Obs. 83. In annexis cent. 4. obs. Riverii.*

16. *Sudorem qui optimo*) A *spiritu* etiam *sulphuris cum aqua* exhibito sudores copiosi moventur; quod multis experimentis nobis innotescit; qui plures Tertianas febres curatas vidimus eo remedio in summo accessionis æstu & siti urgente exhibito, unde copiosi sudores provocabantur; à quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus integre solvebatur. *Riverius Cent. 3. observat.19.*

17. *Inter Diuretica*) Per urinas etiam humor morbificus interdum vacuatur, ad quod *Galenus* laudat Potiones in quibus maduerit apium & anethum; utitur autem iis viridibus, & in aqua plurima coctis, ut eorum calor remittatur, Familiare est *Galeno* his calidis uti sine ratione cum febrem augeant: *Trallianus* laudat decoctum Apii & Adianti: Sed tutius est uti frigidis Diureticis, ut Decocto *graminis, asparagi, capill. ven. cicer. rubr. cuscuta cum pauco chamæm. & syrupo de* duabus radic. vel in jusculo *semen melon. cum cicer rubr.* addita *radice petrosel.* decoquimus, illudque per aliquot dies propinamus; quod etiam *Emulsio semin. frigid. maj.* & amygd. cum aqua parietar. vel fragorum, vel hordei

facta

facta, addito syr. limon. & capilli ven. præstabit; cum etiam serum lactis caprini cum emulsione prædict. a misSum [illegible]: Sed & cassia & rhabarb. per alvum & urinam [illegible] mode evacuant, ideoque utiliter prædictis poterant admisceri. *Primirosius.*

Medicum quendam Gallum) Fuit is *Franc. Chomel Annonaensis*, ut videre est in Observationibus *Riverianis* an[illegible] *Obs.* 3. Ad cujus imitationem *Riverius Centur.* 4. Ob[illegible]. *Gul. Dortomanno*, Patrono &c. sexagenario, bilioso temperamento prædito, præmissis venæ sectionibus quatuor, purgante, julepis &c. Tandem hora una ante octavam accessionem, secuit venam præmisso *decocto chamom. & crem. tartari*, & admoto carpis *Empl. Strobe geri*, unde imminens accessio fugata, ut nulla deinceps ejus vestigia apparuerint. *Idem* experimentum fa[illegible] in Quæstore Franciæ generali, duplici Tertiana laborante, *Vide observat.* 16. *sequ. Et Cent.* 4. *obs.* 72.

19. *Hora bona ante accessionem*) Generoso cuidam Tertiana correpto, longe à remisso paroxysmo venam hepaticam pertundo, sequentibus diebus; sex horis ante paroxysmum, jejuno præbui hanc aquam frigide.

℞. *aqu. fontis* ℥vj. *spir. vitr gtt. v. vel vj. m. f. Potio*, *aut aqua* acetosa; Per hujus primi potus efficaciam febris arcebatur, atque ex toto quiescebat, nec unquam postea revertebatur. Attamen per sequentes tres dies febri dicatos aqua ista dabatur, ut dixi, ante accessionem. *M. Rulandus cur.* 100. *cent* 1.

20. *Mox post sumptum remedium sanguinem*) Nunquid initio paroxysmorum V. S. conveniet? Nos sæpe forte incidimus in ægros, qui in febrium alias continuatum; alias intermittentium paroxysmis de laterum dolore adeo questi sunt ut Medicos ad V. S. adegerint, & secta vena feliciter. Item datum sæpe pharmacum initio paroxysmorum [illegible]tis feliciter, & hi remissiores facti sunt, An non sequendum Arabum consilium, qui initio paroxysmorū medicamenta præscribunt, ut facilius deturbent morbi causam dum in motu est. *Ballonius Epid. l.* 1. *p.* 68.

21. *Tendit aliquando & ad Quartanã*) Cum internus ob æstatē præter morem modumq; fervidã calor ab externo evocatus est foras, hoc facto reliqui humores tanquam in vappam subacidam desciscunt, promptam quartanæ geru[illegible]; Explicatius loquar, Videntur humores corporum id pati quod cerevisia in cellis, tonante cœlo accescit, paulo post mucet, corrumpitur; quod vividiores ejus partes fulmineum illud sulphur, omnia pervadens, [illegible] in aera transtulerit, aut, si mavis, confuderit, & in [illegible] schema perverterit. *Olaus Borrichius in Med. Septentr. p. vol.* 2. *p.* 187.

2[illegible]. *Tendit aliquando & ad Quartanam*) Hic morbus diu protractus non raro typum commutat, & à febre Tertiana fit aut Quotidiana aut interdum Quartana, dein aliquando ab utrisque in Tertianam redit: horum ratio est sanguinis diathesis varie immutata; qui enim primo acris & biliosus succum nutrinum isto modo per[illegible], ut die tertio ad turgescentiæ plenitudinem a[illegible]r, postea à crebra deflagratione *minus acris*, verum [illegible]s aquosus, & quoad crasin ejus *longe debilior* evadit, ita ut humorem alibilem parum aut non omnino assimilet & maturet, proinde citiora fiunt materiæ fermentativæ incrementa, & accessiones quotidie rede[illegible].

Aut etiam cruor ab intemperie acri & biliosa (alterationem [illegible] cœli aut anni constitutione promovente) in [illegible] & ponticam immutatur, ideoque succum nutritium [illegible] pervertit, & materiæ febrilis incrementis segnius congestis, nonnisi die quarto paroxysmus corripit. Sed ab utravis dyscrasia, pharmacis, aut victus ratione, sanguinis temperies denuo versus biliosam reducitur, etiam periodi alterantur, & Tertianæ typum resumunt. *Willis.*

4. *Et tum evacuatione &c.*) Si febris Tertiana [illegible] breve tempus nec sponte naturæ sensim declinet, ut intra VII. vel X. periodos plane cesset, nec quovis à prædictis modo (abscessum scil. aut crisin) judicatur, nec pharmaciæ ope tollitur, quin post X. aut XII. paroxysmos ægros usque graviter affligat, curationis difficile admodum incumbit pensum, quippe sanguis à continua materiæ febrilis congestione, crebrisque incendiis, adeo depravatus tandem evadit, ut nihil recte coquat pro corporis nutricatu, & ejus viribus sustentandis nec impuritates & excrementa à sinu suo prorsus excutere valeat quo morbi crisin faciat, at vero eodem in dies præpollente, sanguis præter dyscrasiam ejus in mixtione nonnihil lædi incipit, quare paroxysmi crebriores infestant, nec iis perfecta ἀπυρεξία intercedit, quin ægri valde imbecilles & languidi, cum siti & calore fere continuo febricitant: Cum res ad hunc statum deducitur, nisi remediis ab arte succurritur, aut soli & cœli [illegible] opem tempestive ferant, non raro hic affectus in mortem terminatur.

Si ergo Tertiana vel ob malam ægri constitutionem, vel errata in victu aut pharmacia commissa, altius radices egerit, ut post diuturnam affectionem paroxysmi usque ingravescant, & cum viribus dejectis, siti & æstu fere continuis, inappetentia, vigiliis, pulsu debili, urina rubicunda, & contentis valde saturata laborantes summe oblanguescant, methodus therapeutica paulo aliter institui solet; In hoc casu primo enitendum erit ut sanguinis dyscrasia tollatur; quare alimentis solum tenuibus, uti sunt juscula hordeacea, aut avenacea cum radicibus apertivis incoctis) jure carnium omnino posthabito) ægri vescantur; Enematum emollientium usu, si opus fuerit, alvus soluta servetur, insuper, catharticis omissis) medicamentis solummodo digestivis quæ sanguinem fundant, & serosas impuritates blande per urinas evacuent, necnon remediis confortativis quæ viscera corroborent, & spiritus refocillent, præcipue insistendum esse videtur.

In hunc finem Apozemata ex herbis & radicibus leniter diureticis concinne parata; item Opiatæ ex conservis temperatis, cum sale nitri, aut herbarum fixo, cumque pulveribus testaceis & spiritu vitrioli admixtis adprime conducunt: Quando sanguinis crasis nonnihil emendatur, ut urina sit clarior & minus colorata, etiam somnus quietior, cum sitis & æstus remissione succedat, tunc remedia paroxysmum febrilem inhibentia utiliter adhiberi poterunt: quare Epithemata febrifuga carpis aut plantis pedum applicentur. Etiam pulvis à *Cortice Peruviano*, aut ex succedaneo ejus, aut etiam è corticibus fraxini, tamarisci vel gentianæ, cum salibus admixtis è vino albo propinetur: postquam accessiones tolluntur, & ægri viribus constare, ac alimenta appetere, & aliquomodo concoquere incipiunt, Purgantia lenitiva ex usu erunt, usque tamen à victu lautiori aut carnium participi ægri abstineant: Atque non dubitandum erit quin absque catharsi violentiori, aut phlebotomia, ægri integram valetudinem propediem sint recuperaturi. *Willis.*

22. *Dolore conqueruntur*) In febre quæ tertio repeteret die, cuidam mulieri dolor incredibilis in hypogastrio oriebatur, idque ineuntibus paroxysmis, Nec non simul è regione illius partis dolor in sincipite excitabatur, hoc Medicis negotium facessit: Duabus horis ante paroxysmum clysmata indebantur, acria, cum *folliculis senæ* parata, Dolores in utraque parte cessarunt: *Ballonius Epid. l.* 1. *p.* 21.

22. *Hypochondrii dolore conqueruntur*) Puellæ febre Tertiana jam mensem laboranti, ante paroxysmos dextri hypochondrii & cruris dolores; calore accenso quiescebant: Quid hoc rei? Nisi purgationibus antevertas, hoc minatur abscessum. *Idem Epid. l.* 1. *p.* 22.

De [illegible] *curatione* quæ [8] propter bilis & pituitæ permistionem, contrariasque indicationes pa[illegible] difficilior, inprimis si error committatur, nota I. [9] Ad eluendas primas vias, si melan[illegible] ch[illegible] ad[illegible] fectur, *Diacatholicon* clysteribus adjici debere.

II. [illegible] Inter *vomitoria*, 1. [10] *Asarum* primas obtinere, datum dr.ſ. pondere in juſculo, vel duplo in d[illegible] [illegible] vel in aquæ ferventiſſimæ cum [11] ſale vitrioli infuſione. 2. [12] Si bilis circa ventriculum, & [illegible] pa[illegible] oxyſ[illegible] dolores & anguſtiæ circa præcordia, unde lipothymia, etiam in paroxyſmo exhibe[illegible] poſſe. 3. Accedere quoſdam [13] ad validiora. [14] eaque chymicè præparata.

III. In *præparatione*, 1. ad diverſos humores reſpiciendum. 2. ſemina calida, quia adurunt, negligenda, vel frigidis remperanda.

IV. [15] *Purgandum*, 1. initio etiamſi materia copioſa: ſolet enim tum interdum natura vomitus & alvi fluxus concitare; nec facile præparari illa poteſt, niſi imminuatur, 2. lenientibus, ſed [16] nec ni[illegible] [illegible] ortibus, ne plus a ſuperioribus attrahatur; nec nimis lenibus, ne nihil propter humorum lentem agarur.

V. [19] *Vena ſectionem* poſt tertium paroxyſmum, ubi plus humoris morbifici ſanguini in vena cava permiſtum, adminiſtrandam, & quidem *majori* copia, ſi urinæ craſſæ & rubræ; *minore*, ſi non, ne crudæ calore imminuto magis crudeſcant.

VI. Inter *ſudorifera*, [20] quæ etiam calidiora eſſe poſſunt, & aliquot ante paroxyſmum horis dari, [illegible] laudari, β. ſal *abſynthii*, *carduibened.* centaurii minoris: *verbenam* cum radice in vino coctam. Pulveris *chamadryos* dr. j. quidam in principio in jure pulli exhibent: dantur & in aceto calido.

VII. [22] *Diætam non negligendam*, [23] vinum prætenue; juſculum in acceſſione, ſi vires exigunt; ſomnus largior ad concoquendam cruditatem, niſi forte capitis gravitas accedat, concedi poſſunt.

VIII. [24] *Diverſimode ſe quoad paroxyſmum & durationem habere.* I. *Paroxyſmus* aliquando ad XXVIII horas extenditur, aliquando ad XXIV. & *tum* hæc febris, *ſimpliciter extenſa* dicitur; aliquando ad XXX. quæ *ſimpliciter extenſa* dici poteſt; aliquando ad XXXVI. & XL. Et *tum* craſſior & f[illegible] [illegible] r humor bili permiſcetur, intermiſſionis tempus eſt brevius.

IX. F[illegible] ntur nonnunquam *quinto paroxyſmo*, quando materia pauca [25] nec ullus in curando e[illegible] [illegible] einunt quandoque *decimo quarto* vel *vigeſimo* paroxyſmo. Et *tum*, pulſus ad molliriem ciro redit, acceſſiones paulatim minores fiunt. [26] Evadunt aliquando & *longæ*. Et *tum* 1. vel [27] *ventriculus debilitatus vitioſum chylum gignit* vomendumque bis in ſeptimana, aut die quietis poſt ſumptum ci[illegible] m; ante paroxyſmum [28] fovendus ventriculus. 2. [29] vel *hepar vitium contraxit*, & *tum* pedes & oc[illegible] i tument, cachexiaque metuenda eſt: materia peccans aliquando ad pancreas, meſ[illegible] orei um & vicina loca mittitur, & varios affectus infert. [30] Vacuantia & præparantia ſunt adhibenda & ad diverſos humores reſpiciendum. Syrupi de *Cichorio cum rhabarbaro*, de *fumaria*, *diaſereos* valent: [31] *tartarum* admiſcendum porionibus, hepar trochiſcis de abſyntho, de capparibus & aliis roborandum 32. vel *bilis ob febris ardorem in humorem atrum degenerat.* Et tum, plærumque lien in conſortium trahitur, & *ſcorbutica diſpoſitio* quandoque ſupervenit, ſyrupus de *fumaria* in uſu eſſe debet, & balnea aquæ dulcis tepidæ.

[1] *T[illegible] ana Notha*) Secundum *Galenum* eſt cujus paroxy[illegible] us u[illegible] XII. horas non extenditur, Secundum *Avicennam* [illegible] ex bile cum aliis humoribus putreſcente g[illegible] r, v[illegible] cente tamen bile: Sic Tumores vocamus exqu[illegible] s qui ex ſincero humore, alterius miſtione non inquinat[illegible] r. untur, quod ſi varii humores ſimul miſc[illegible] ui, hu[illegible] tumores nothi, ut Eryſipelas phlegmo[illegible] ſic [illegible] n f bribus ſincera bilis Exquiſitam, Alias [illegible], N[illegible] ham p[illegible] nt Te[illegible] tianam: *Primiroſius*.

Inde cognoſcitur) Cognoſcitur ſecundum *Galenum* ſi non omnia Tertianæ exquiſitæ ſigna adſint, [illegible] h[illegible] non adeſt rigor pungens, ob miſtionem [illegible] & pituitoſi, ſed fit *Horror* medius inter ri[illegible] [illegible] erationem affectus: Solet autem eſſe longior [illegible] qu[illegible] m rigor Tertianæ, quod tamen non eſt [illegible] n, cum ſæpiſſime breviſſimos horrores v[illegible] s rigores: Id igitur non eſt neceſſarium, [illegible] ta eadem humoris quantitate: In febre utra[illegible] [illegible] t [illegible] c pium longius eſt, imo totus paroxyſ[illegible] [illegible] roxyſmum tertianæ, durat enim ad horas [illegible] [illegible] plus minuſve pro majori aut minori pituitæ [illegible] & miſtione. Imo *totus morbi decurſus* longior eſt, excedit enim ſeptimum paroxyſmum, ad XL. dies, [illegible] erdum & menſes ſex protogatur. Cum ſigna hæc non ſemper ſint vera, merito quæritur An Nothæ paroxyſmus intra horas XII. poſſit terminari, cum Exquiſitæ id tantum competere dicat *Galenus*? Obſervare autem quilibet poteſt febres plurimas tertio quoque die repetentes, interdum cum longo, interdum brevi horrore, quarum reliqua ſymptomata humoris frigidioris permiſtionem arguebant, quarum tamen paroxyſmus ad horas XII. non extendebatur, Et ratio ſuffragatur; Cum enim brevitas paroxyſmi ex paucitate & tenuitate humoris, ac robore naturæ contingit, quid obſtat quo Tertianæ nothæ paroxyſmus his de cauſis brevior fiat? Non igitur ex hoc ſolum ſigno exquiſita à ſpuria diſtinguitur, ſed adjungenda ſimul & alia ſunt, *Si prolongetur rigor, ſignum eſt eſſe tertianam non puram*, inquit *Avicenna*. In fine paroxyſmorum *ſudores* ſunt pauci, nec univerſales, qui determinatam tantum partem occupant, & in quibuſdam febribus paroxyſmum perfecte non finiunt, quando ſcil. humor craſſus eſt, copioſus, corpuſque obſtructionibus ſcatet.

In quibuſdam tamen ſuperante natura ſudores erumpunt copioſi: *Calor* non eſt adeo acris, omniaque *ſymptomata* ſævitie & gravitate cedunt Exquiſitæ, *Urina* non ſunt adeo flammeæ, nec tam cito coctionis indicia oſtendunt; imo initio ſunt crudæ admodum, interdum craſſæ, uſque ad quartum paroxyſmum,

Pulsus sunt minores, rardiores, rariores, duri, ac in dies eorum durities increscit longamque ægritudinem portendunt, donec vincente natura mollescere incipiant, tum fiunt paroxysmi breviores, urinæque coctionis notas præbent: Hic plurima capitis corporisque gravitas adest, lassitudinemque habent tensivam, pandiculationes frequentes, sed vigiliæ sunt minores & raro delirant. *Primirosius.*

3. *Oritur à bile cum pituita*) Causas habet mistas, scilicet Tertianæ & Quotidianæ, ut si causæ bilem generantes incidant in hominem habitus crassioris, in otio viventem, crapulæ deditum, aut qui alia quacunque de causa crudos humores cumularit, fient nothæ biliosæ, ut æstate & autumno ex fructuum usu: Autumno plurimi æstivi morbi fiunt, inquit *Hippocr. 6. aphor.* quia inquit *Galenus*, remanet bilis in corpore, quæ reliquis humoribus immista nothas febres facit. Ideo rarissimæ sunt exquisitæ Tertianæ, nunquam enim adeo bilis sincera est in corpore, quin plurimam habeat pituitam, maxime in mesenterio & hypochondriis admistam. *Primirosius.*

4. *Cum melancholia vel pituita commista*) Notandum bilem in illa permistione vincere debere, ut nomen formamque febri largiatur; alias si copiosior esset pituita, non Tertiana sed Quotidiana notha deberet appellari. 2. Notandum humores hos varios simul permisceri debere ut unam faciant febrem, unumque paroxysmum; nam si diversi humores diversis in locis putrescant & accendantur, aut diversis temporibus moveantur, duæ erunt febres, ut in hemitritæo, duabus tertianis, non una. Duplex autem est, *juxta Arabes*, bilis mistio, vel enim admiscetur pituitæ, quod ordinarie & sæpius, hinc oritur Tertiana, Majoris Famæ, cujus tantum Galenus meminit: Vel cum melancholia, & dicitur Tertiana Minoris Famæ. *Idem.*

4. *Oritur à bile cum melancholia*) Hæc est Tertiana quæ dicitur *minoris famæ*, ex bile cum melancholia putrescente mista generatur, vel, ut quidam volunt, cum bilis torretur & degenerat in melancholiam; Ob id magis humectantia postulat, ejusque curatio parum differt à quartanæ curatione, quæ ex melancholia adusta producitur, Præparetur humor prædictis.

℞. *Rad. graminis, asparagi, cichor.* ãã. ℥j.
endiviæ, scolop. lupuli ãã *m.j.*
flor. borrag. buglossi, cichor. ãã. *P.* j.
semin. frigid. maj. ãã. ʒj.
f. decoctio, in cujus. ℥x.
dissolve syr. de pomis & de cichor. f. ãã. ℥iß.
M. f. Julep. Vel

℞. *prædicti Decocti.* ℥vj.
infunde & coque fol. Sennæ. ʒvj.
tamarind. ℥j.
myrobal. Ind. ol. amygd. d. confric. ʒiß.
prun. par. iij. *coqu. parum, In colat. dissolve Rhabarb. el. in aqu. endiv. infusi & expr.* ʒij.
cathol. ℥j. *confect. hamech.* ʒiij.
syr. ros. sol. ℥ij.
stent simul in Infusione per noctem, Mane colatura facta fiat Potio in tres doses.

Potest etiam vomitorio humor expurgari, Clysteres pariter sint lenientes. *Primirosius.*

4. *Oritur à Bile*) Tertianam notham referuntur à quibusdam febres quas *Bilis vitellina, æruginosa, isatodes, porracea* pariunt, sed hæ potius exquisitæ quam nothæ censeri debent, cum nullum alium humorem admistum habeant, imo sunt ipsa Tertiana exquisita ardentiores. Sed dubium est an ex his possit Intermittens generari, cum bilis æruginosa quasi venenum hominem cito juguleт? Verum docet experientia talium humorum excretione fuisse ægros à Tertiana liberatos: Raræ autem sunt hæ febres, breves & periculosæ, ob humoris sævitiam, quam Natura ferre non potest, qui acris est, sincerus, suóque sero privatus & destitutus; parum aut vix sudant ægri, nisi prope mortem, sudore diaphoretico: Cum igitur in febre Tertiana symptomata extremum obtinent, scilicet ardor, sitis, linguæ nigredo, anxietas, urina ignea, quasi lixivium, respiratio crebra, suspicio est humores hos adesse, maxime si dejectione vel vomitu, cum angore animique deliquio renciantur. *Primirosius.*

5. *Bile cum pituita vel melancholia commista*) Dubium hic quispiam movere posset, *Avicenna cap. de Tertiana* non pura, dicit mistionem illam gravare putredinem, & impedire digestionem; quod verum esse longitudo febris testatur, Attamen videntur hæc sese mutuo digerere, ob contrariarum qualitatum concursum; Bilis enim, quia calida sicca, pituitam incidit & præparare videtur ad purgationem, Pituita pariter, quia frigida & humida, præparat bilem & concoquit, At tantum abest ut id fiat, quin potius pituita bili permista bilem ipsam refrigerat quidem sed incrassat, digestioniq; ineptam reddit: Pariter bilis admista pituitæ; etsi illam calefaciat, tamen non juvat naturam in humorum coctione; non enim calore bilis utitur natura ad coctionem, quin potius calor ille præternaturalis, quia oppugnat nativum, pituitæ digestionem, & frigus pituitæ retardat bilis concoctionem: Quæ solutio etsi omnium ferme sit Interpretum, difficultatem tamen continet non exiguam, an non possit humor à calore præternaturali concoqui & præparari, cum febris morbis à pituita remedio sit?

Credo itaque ex his duobus fieri quandam mistionem naturæ valde molestam, simulque in unam quasi massam concurrere utrumque humorem, nec suas amplius qualitates retinere, sed simul putrescere, & febrem facere, ut in Arabum bile vitellina, quæ ex bilis & pituitæ commistione generatur; Et hanc mistionem chymici apposite nomine *Tartari* explicatunt, qui mihi videntur plenius & verius febrium istarum chronicarum, quas humorum fæces in mesenterio coacervatæ pariunt, causas, Tartari quam humorum naturalium nomine nuncupasse, Est enim illis *Tartarum* nihil aliud quam fæx humorum à naturalibus humoribus segregata. *Primirosius l. 3. c. 5.*

6. *Nec solum æstate*) Æstatis tempore crudi humores ex caloris nativi imbecillitate, fructuum esu & nimio potu geniti bili permixti, Tertianas Nothas pariunt. *Riverius.*

7. *De Curatione*) Intermittentes Tertianas Autumnales hoc modo aggredior, Ægro in lectulo composito, & stragulis undiquaque cooperto, sudores provoco sero lactis cerevisiato, cui salviæ folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante paroxysmum adventum; Quibus jam obortis, mox præcipio ut devoret ℈ij. *Pilul. cochiar. maj.* solutat. in sequ. misturæ ℥j.

℞. *aquæ vitæ.* ℔j.
theriac. Androm. ℥iij.
croci Angl. ʒj.
misce, stent simul pro usu.

Hæc ubi assumpserit, in sudoribus continuo eliciendis persistat, donec elapsæ fuerint aliquot horæ ab illo tempore quo paroxysmus ingruere debuerat; magna cum cautela se muniens contra illas sudationis interruptiones, quas illi forte creabunt dejectiones aliquot à medicamento cathartico profectę: Sæpius mihi ex animi voto cessit medicamentum hoc in fugandis Tertianarum paroxysmis, quam usu receptum illud ad eundem scopum tendens, Decoctum scilicet *rad. Gentianæ, summin. centaur. &c.* cum pauca *senna* atque *agarici* quantitate; Cum enim duos illos contrarios sudandi ac dejiciendi motus eodem tempore excitet, eundem cum vulgari illo effectum obtinet, ordinatum scilicet paroxysmi processum confundendo atq; interturbando; idq; efficacius, nec tamen tuto minus. Atque hac sane methodo Intermittentes Autumnales Tertianas bene multas pepuli, nec dum præstantiorē aliam experiri mihi licuit.

licuit. (*Confer. Margravium* in Pharmacopœa, qui pulverem ex *antim. diaphoretici* ℈j. *rosin. s. antim. crem. gr.* xij. *tart.* ℈ß. *ante paroxysmum exhibere cujus & laudabiles effectus non semel deprehendimus.*

In *Tertiana duplici*, quæ typum variavit; ob ægrum vel evacuationibus, vel alio quovis modo debilitatum, sudor pari etiam modo provocandus, & pari temporis intervallo à futura paroxysmi invasione, vel medicamento jam laudato (omittantur vero *Pilulæ cochiæ*, cum nec tutum sit, nec ad rem faciat cathartico, jam ab eodem fractas ægri vires amplius dejicere, & paroxysmus ejusdem prope ingeminans suppetias ferrere) vel diaphoretico alio aliquo *ὀρεγοποιῷ* atque efficaci, quod etiam repeti potest paroxysmo genuino proxime subsequente: In summa ægri debilitate, à dicta paroxysmi ingeminatione Electuarium sequ. præscribo

℞. *Conserv. flor. borrag. bugloss.* ãã. ℥j.
conserva anthos ʒß.
cortic. citr. cond. nuc. mosch. cond. theriac. Andrim. ãã. ʒiij.
Conf. alkermes ʒij. *m. f. Opiata.*
Dosis magnitud. avellanæ mane & vesperi, superbibendo cochl. 6. sequ. Julepi.

℞. *aquar. ulmar. & theriacal.* ãã. ℥iij.
syr. caryoph. ℥ij.

vel hujus loco aquam aliquam epidemicam simpliciorem *sacch.* dulcoratam exhibeo. Interdicto *Enematum* usu, Ægro juscula è pullorum carnibus, avenacea &c. concedo. *Sydenham de cur. acut p.m.* 105. *& sequ.* Vide ex eodem discrimen Febrium Autumnalium, quoad prognosim & curationem Tit. iij. *de Febr. Putr. in genere*, ℈. *Autumnales quæ plerumque acuta & perniciosa.*

8. *Propter Bilis & Pituitæ commistionem, contrariasque indicationes*) Eam ob causam curatio mixta esse debet ex contrariis facultatibus: Id tamen semper artificiosa conjectura inquirendum est, qui vitiosorum humorum in corpore excellat, id quod ex constitutione corporis, & ex aliis [illegible] temperamentum indicantibus à Medico facile deprehendi potest; Si pituitosa fuerit constitutio corporis major [illegible] ratio habenda concoquendæ, abstergendæ & detrahendæ pituitæ quam bilis, & tamen interim nec bilis emendatio & vacuatio negligenda erit. *Joel.*

9. *Ad eluendas primas vias*) Ratione humoris pituitosi, qui in intestinis plurimus esse solet, valet hic clyster aliquantulum calefaciens.

℞. *malva, parietar. mercur.* ãã. *m*, j. *hordei, furfur.* ãã. *p* j. *prunor. par.* vj. *sem. anisi* ʒj.
flor. chamam. melil. ãã *pug.* ß.
f. decoctio ad ℔j.
dissolve mell. ros. cathol. ãã. ℥j.
ol. chamam. ℥ij. *f. Clyster.*

Si opus sit, fortiora addantur, ut *Hier. Diaphen. oleum rutac. & similia*; Ventriculi quoque cruditas blando cathartico emendetur, *ut cassia* cum diaphœn. manna cum *syr. rosar.* solut.

℞. *flor. cordial. p.* j. *prunor. par.* vj. *passular.* ℥j.
tamarind. ʒvj.
sem anisi ʒß.
f. decoctio ad ℥iv.
in colat. dissolve cassia ʒß.
diaphœn. ℥ij.
syr. ros. sol. ʒj. *f. Potio.*

Primirosius.

10. *Inter vomitoria*) Præparatus humor purgari debet, vel vomitu [illegible] alvum; Vomitus Febribus longis & contumacibus [illegible] confert. Testatur *Galenus* 1. ad *Glauc.* quosdam solo [illegible] perfecte fuisse sanatos: *Paulus & Aetius* laudant vomitum à cibo, quibus febris hæc in vetustatem incidit, similiter *Avic.* Confert autem secundum quosdam tantum initio paroxysmi, quia tunc Natura humores ad ventriculum transmittit, ex *Galeno* 1. *Q. & Qu.* At tunc cibum dare potumve valde noxium est, vapores enim cibi tenuioresque partes febrem ingeminant, vixque potest cibus ita vomitu evacuari quin aliquid ejus remaneat in corpore, quod causæ febrili permistum corrumpitur paroxysmumque longiorem facit: Si vomitus instituatur ad ventriculum solum ab humoribus crassis expurgandum, utilior erit post cibum, quia cibus humores à ventriculi parietibus & tunicis absterget: sicque facilius educuntur, modo tamen paroxysmus febrilis caveatur.

Si vero ab universo corpore vacuandum sit, utile erit jejuno ventriculo, & in principio paroxysmi præbere, quia cibo obunditur vis attrahens remedii: Vidi sæpe paroxysmos post vomitum graviores, quod non ad aliam causam referendum judico quam ad immensam potus copiam, quam ægri ut liberius vomant adsumunt: Satius erit jejuno ventriculo assumere quam pleno, nisi longe à paroxysmo detur.

Quidam tantum utuntur vomitu quando æger nauseabundus est, ob Naturam vacuationi eo tempore opitulantem, quod etsi verum sit de iis vomitoriis quæ stomachum solum subvertunt, nec humores attrahendi vim habent (frustra enim ea præbentur quæ ventriculo molestiam tantum facessere possunt) non habet tamen locum in iis quæ à jecore & penitioribus partibus eliciunt humores, ea enim, etsi Natura non invitet, nec viam illam affectet, si æger facilis sit & promptus ad vomendum, nihilque repugnet, præberi possunt; vixque ullum aliud utilius certiusve remedium febribus Tertianis potest administrari, Fiat autem ex *vitrio e albo* à *Crollio* descripto, vel *diasaro Fernelii.* Vel

℞. *Infusion. Antimon.* ℥j.
oxymel. ʒj. *ap. hordei* ℥iß.
misce Fiat potio vomitoria. Primirosius.

11. *Asarum primas*) Rad. *asari* crudi, etsi magna cum anxietate vomitum cieant, in aqua autem non in vino coctæ mutantur in deoppilans diureticum, quod occultatum in eo aroma prodit: Ad hoc tanquam ad sacram anchoram confugiebat D. *Obermius* in febribus diuturnis, ab hypochondriorum inveteratis obstructionibus dependentibus. *Freder. Hofmannus m m p.* 195.

12. *Sale vitrioli*) Vir annorum 27. optimi habitus & temperaturæ, circa initium Septembris, Tertiana notha correptus est, quæ cum per mensem perseverasset, irritis aliis remediis, cessit vomitorio ex ʒj *salis vitrioli* in aqua dissoluti, à quo ter aut quater excitatus vomitus, nec febris amplius apparuit. *Simeon Jacos obs.* 14.

13. *Si Bilis circa ventriculum*) Fr. Joel vomitum potius suadet si constitutio corporis fuerit pituitosa, signa autem concoctionis in urina conspiciantur, ac præclare facere ad salutem ait à cibo sumpto vomitum concitare, & colluviem pituitosam biliosamque ex ventriculo proluere: Vomitum autem excitat haustulo aquæ juniperi per descensum distillatæ cum pelvi; Aut vini in quo radices juglandis per noctem sunt maceratæ, & mane ebullitæ.

14. *Accedere quosdam ad fortiora easque Chymicæ*) In morbis omnibus chronicis & contumacibus curandis, experientia & lectione didici vel hidrotica, vel præcipue aperientia valida præstantissima esse, v.g. *sal tartari, spirit. sulph. p. c.* & *mercur. dulc.* sexies sublimatum &c. ad longos dies usurpata, Exemplo Præceptoris mei (*Riverii*) qui sæpe ita *sal tartari* & *spir. sulph* infundebat cum ʒj. *vel* ij. *fol. sennæ* (aliquando *rad. Jalapæ* ʒ) in aqua fontis solea, aut decocto appropriato, Sicque febres Intermittentes diuturnas, ipsamque quartanam chlorosin, cachexiam, melancholicos affectus & contumaces viscerum obstructiones irritis aliis sæpe curavimus, *Obs.* 83. *cent.* 4. *apud Riverium.*

15. *Ad fortiora, easque chymicæ*) Quidam in Tertiana

nótha, per mensem perseverante sumpsit meo consilio vomitorium ex ʒj. *salis vitrioli, in aqua* dissoluti, à quo ter aut quater excitatus vomitus, nec febris amplius apparuit: *Simeon Jacos obs.14* apud *Riverium*. Quidam Tertiana laborans sumpsit *aquæ bened* ℥j. & à febre liberatus est, simulque latum lumbricum excrevit. *Samuel Formius obs.12.ibid.*

16. *In præparatione*) Vena secta præparandus humor uterque biliosus & pituitosus, remediis quorum mistæ sint facultates: Syrupi conveniunt sine calore magno aperientes, & sine adstrictione refrigerantes, *de endivia, cap.ven.bizant. de endiv.compos.acetosus s. & c. s. radic. mel. ros.oxym.cū aquis aut decoct.petros.endiv.fumar.cichor.gramin. aspar. apii, fœnic.* Galenus mulsæ incoquit *hyssopum, origan. spicam nardi*, sed cavendum à sicciorbus & calid. vix enim mere pituitosæ febri præscriberentur quæ bilem non haberet admistam.

℞. *rad.cichor. aspar. fœnic.* ā ā. ℥j.
rad. enul. ʒiij.
folior. endiv.cichor.capill. ven.hissopi ā ā. *m. s.*
sem frigora.sem.anisi, petrosel. ā ā. ʒß.
flor.cord.calend.anthos ā ā. *pß.*
F. Decoctio ad ℔j.
dissolve oxym. ℥ij.
syr. de cich. ℥j.
F. Apozema in iv. dozes.

Galenus 3.simpl. chamæm. commendat ad febres biliosas, & eas quæ citra visceris phlegmonen infestant, syr. quidam facit ex *succo chamæm.* cujus ℥iv. per triduum exhibet; quia parum succi habet, infundit in ptisana aut lacte amygdal. prodest quoque *Tarax.& tartar.* chymic. vitriol. ideoque optimum tartarum decoctis & syrupis admiscere: Ad obstructiones tollendas, & pertinacissimos humores edomandos probat *Mercurialis salsam pilulam.*

℞. *Trochisc.de ros.de eupator de absinth.* ā ā. ʒj.
cum aqu agrim.f. Pil.x. sumat. v. in aurora, superbibend.syr.capill. ven.aqua endiviæ dilutum, aut decocto agrimon. & cicer. rubr.

Fotus quoque hypochondriorum conveniunt ad obstructiones tollendas, materiam coquendam. *Primrosius.* Vide de Præparatione quædam infra §. *Purgandum.*

17. *Purgandum*) Purgandum initio lenientibus, iisque repetitis, ne nimia fiat humorum conturbatio, ac in aliquam partem principem decubitus; A lenientibus proprie dictis attractionis nullus imminet metus, proprie vero dictæ Purgationi locus est ante coctionem, *inquit Primrosius*, nisi materia admodum turgeat, ex *rhabarb.agarico, turbith.scammon.* & simil. nam mista purgatio esse debet, ex iis quæ bilem & pituitam purgant, Verum quia febris ex crassiore accenditur bile, atque utplurimum fiunt obstructiones, utile erit repetitis præparationibus & purgationibus uti, ideo Apozemata præparant simul, & evacuantia præscribantur, *Galenus* laudat usum frequentem medicamentorum lenientium.

℞. *radic.cichor.gramin. aspar.oxylapat. acetosæ* ā ā. ℥j.
rad.fœnic.petrosel.:quer. ā ā. ʒß.
fol. endiv. acetosa, cichor. agrimon. quinque capillar. bugl. ā ā *m.* j.
beton. pimpin. ā ā. *m.* ß.
semin.frig.ma. ʒij.
sem.anisi, apii, petrosel. fœnic. ā ā. ʒß.
passular.prun. ā ā. *par.* x.
flor cordial. ā ā, *pag.* j.
flor.chamom.calend. anthos ā ā. *p.* ß.
F.Decocto ad ℔iß.
In colat. dissolve oxymel. simpl. syr. de v.rad. bizant. ā ā. ℥iß.
F. Apozema aromatizandum pulv. Elect. triasantali.

℞. *præd.decocti* ℔iß.
in quo que tamarind.fol.senna semin.carth.contusi ā ā. ℥j.
agar.troch.insc. in nodulo positi ʒß.
turbith. el. & gummosi ʒij.
hermodact. ʒij. *zz.* ℈ß.
santal.citr. ʒß.
flor. violar.nymph. ā ā. *p.* ß.
F.Decoctio.in colatur ad issolve rhabarb.in aq.endiv. infusi & expr. ʒij.
syr.de cichor.sol. & rosar. ā ā. ℥ij.
F.Apozema. in iv. doses, In quarum ultima dissolve, si necesse, diaphœn. & elect.de succo rosar. ā ā. ʒiß.
& fiat s. a.colatura pro Potu. Ench. Med.Pt.

18. *Nec nimis fortibus*) *Riverius* tamen ad *præcipitatum* rubrum aliquando descendit: Juvenis, *inquit*, 25. annorum Tertiana simplici laborans, sequentibus curatus est, 1. catharticum exhibitum, 2. die facta V. S. 3. die exhibitus *Mercurius præcipitatus rubor*, sine corrosivis paratus, cum *scammonio* ad gr.x.utriusque, Excrevit biliosa multa & porracea bis per vomitum, & bis per secessum, Perseverante morbo eadem dozis utriusque exhibita, eodem modo purgatus est, & febris non amplius rediit. *Observ.* xx. *cent.* iij. Vide observ.x.& xi. ejusdem *Centuriæ.*

a. Nec nimis lenibus) Efficax hic *mercurius dulcis*, sexies sublimatus, (*Calomelas dictus*) qui certe laudabile, nec unquam noxium efficit catharticum, ad ℈j. *cum* ℈ß. *resinæ Jalapæ* vel *scammonii* plus minus: Et sane nunquam alium usi optatum ex hoc remedio vidimus effectum, in casibus innumeris & in omni ætate. *Observ. 7. cent. 4. apud Riverium.*

19. *Venæ sectionem*) Vacuato ventriculo *Galenus* V. S. commendat quam in Exquisita prætermisit, nam optimum est in omnibus putridis sanguinem mittere, maxime autem in Notha, præcipue si adsit plethora: Ergo si vires, ætas, anni tempus & cætera consentiant, aperiatur vena *eminentior* brachii, eaque copia extrahatur sanguis quæ & plenitudini & naturæ ægri respondeat, Idque in principio morbi, si fieri possit, Et quoniam longa esse febris solet, etiam post quartum paroxysmum V. S. locus est, contra quam in exquisita. *Primrosius.* At initio morbi celebrata s. m. suspecta est, nisi urinæ dent indicia transfusæ in vasa è prima regione corporis cacochymiæ. Vide quæ supra de V.S. dicta sunt,

20. *Quæ etiam calidiora esse possunt*) Ad *Theriacam* quidam *deveniunt*, Anno 1638. Tertianæ longissimæ vigebant in Autumno, à quibus multi liberati sunt, sumendo in declinatione post s. m. & purgationes iteratas, *theriaces* ʒj.cum *aqua plantag.* mane per triduum In quibus caliditas magis timebatur, à cœna exhibebam. Quidam sumpsit *theriacam* morbo adhuc crudo cum urinis rubris, & febris aucta est, Sic *Eudemus* apud *Galenum l. de Præcog.* à sumpta theriaca, in quartanam, morbo adhuc crudo existente, illa ex simplici triplex facta est &c. *Riverius cent.2.obs.46.*

21. *Laudari*) In superandis febribus Chronicis [illegible] sæpe successit *Decoctum Chinæ & salsapar.* cum [illegible] *guajaci v[illegible] sassafras, & cum simplicibus febrem respicientibus,* attenuantibus & detergentibus mistum. *Jul.Cæsar Claudinus Empir.rational. l.2.sect.1. Tract.1.*

a Sal absinthii) *Riverius cent. 1. obs.* 20. febre Tertiana laboranti, præmissa iterata purgatione & venæ sectione, ante paroxysmum sequentem Potionem dedit.

℞. *aqu.cichor.* ℥iij.
salis absinth. ʒß
spir. sulph.gutt. xij. *misce.*

Accessio non rediit, sed per urinas plurimum fuit evacuatus.

22. *Diætam non negligendam*) Si pituitæ bilis permista sit, Victus [illegible] 16, etsi communi febrium [illegible]e refrigerans & humectans esse debeat hic tamen ratione pituitæ aliquomodo [illegible] let[illegible]iat; ex *Galeno, Paulo, Aëtio* &c. Ideo vitanda quæ nimium refrigerant, *cucurbita, cucumis,*

lactuca;

lactuca, fructus, pisces saxatiles &c. A vino quoque abstinendum, nisi apparente coctione, cujus loco *aqua cocta* cum *petroselino* & *cinnamomo* ac *saccharo* præbeatur, Laudat *Galenus Ptisanam* pauco *pipere*, vel hyssopo medicatam; Reprehenditur ab *Alexandro* quod calefacientium nimio usu febres ipsas nimis exasperet, sed *Galenus* Ptisanæ immiscet, quæ ipsorum calorem retundit, sicut hæc ptisanæ refrigerantem vim minuunt & corrigunt; Sit autem modo plenior modo tenuior victus pro morbi longitudine vel brevitate: Imo alternis tantum diebus etiam præbendum esse vult *Avicenna*, ut humor crassior à natura concoquatur, tum ob paroxysmorum longitudinem, in quibus à cibo abstinendum, nostro tempore tam longa inedia difficilis est observata quia, etsi pituita adsit, bilis tamen adest plurima, quæ longiorem inediam non requirit: Non est tamen copiose alendum, sed mediocriter ne vires fatiscant sed integræ ad finem usque conserventur, observata semper ægri natura, ætate, tempore habitu, consuetudine, anni tempore, regione, nam si æger sit habitu corporis calido sicco ætate puerili, anni tempore calido, minus quidem, sed sæpius erit nutriendum. *Primirosius.*

22. *Diætam non negligendam*) In Tertiana notha, eaque simplici paulo plenior *quam in Exquisita* imperandus est, præcipue si illa in longitudinem abeat; tunc enim solida alimenta exhibenda sunt die intermissionis, & quinque vel sex horis ante accessionem, *Riverius.*

23. *Vinum prætenue*) Potus gratissimus ex *Foresto*

℞. *aquæ fontis* ℔ij.
cinnam. ℥ß. *sacch.* ʒiij.
trajiciantur per manicam, *Hippocr.*

23. *Vinum prætenue*) In Febribus Tertianis juvat plurimum sub finem accessionis, præsertim si morbus progressus jā est, & coctionis signa aliquot apparuerint, dare aquam vino albo perfusam, sive dilutum valde aqua vinum album ὀλιγοφόρον, nam sudores provocat, Tum autem maxime sudores prosunt cum obstructionibus sublatis corpus internum apertum est, Et forte restat cutis quædam constipatio, quam aquæ egelidæ lotio potest tollere. *Ballonius Epid. l. 6. p. 94.*

24. *Diversimode se quoad paroxysmum*) Nam aliquando alternis diebus invadit, & tum simplex est Tertiana; Aliquando singulis, & tum duplex Tertiana dicitur, quam prætermisit Cl. *Jonston.*, nisi hanc ad Quotidianam referat quam tamen rarissimam esse confitetur, cum duplex Tertiana frequentissime recurrat. *Triplicem* notavit *Riverius obs. x. cent. 4.* quæ intra duos dies ter recurrebat, nempe post singulas 16. horas.

25. *Nec ullus in curando error*) Errant Practici qui in Tertianis, aliisque febribus Intermittentibus diuturnis, Julepos refrigerantes & humectantes præscribunt, Quasi febribus omni tempore refrigerantia ex usu sint, Contra enim sæpe diuturnitatis & contumaciç febrium causa sunt, cum videlicet post septimam accessionem, humoris fervore represso eorum usus est, Hi enim humorem magis impingunt, & caloris nativi, qui solus concoctionis humorum author est, robur atterunt: Cum igitur febris in veru statem degenerat, viscerum constitutio ex facie totiusque corporis habitu noscenda, Qui firmo est corporis habitu, vegetumque habet calorem, refrigerantium & humectantium usum diu sustinet innoxie, ac inde ju..., Si calidior est & siccior jecoris intemperies, acresque & fervidi humores, Contra verò si languidior est calor insitus, & humores pituitosi & melancholici, refrigerantibus ac nimium humectantibus in longum protrahetur febris. Distinguere ergo convenit quibus in febribus cal... & sitis refrigerantibus & humectantibus restingui possint; quibus vero attenuante victu & potus abstinentia absumi: Crudi & crassi humores victu tenui, potus abstinentia, & concoquentium usu à calore nativo evicti facile dissipantur & evanescunt, vel in corporis alimoniam cedunt; At humores calidi & acres refrigerantibus & humectantibus leniri postulant, ita tamen ut neque visceribus neque calori innato vis inferatur. *Ench. m. Pr. p. 384.*

26. *Evadunt aliquando & longa*) Febris hæc utplurimum longa est, nam ad sextum mensem protenditur nisi recte curetur, maxime si autumno aut hyeme inceperit, si rigor parum pungat, frigus longius sit, paroxysmus longior, urina parum accensa; sudor exiguus aut nullus, longiorem futuram esse probabile est, ob majorem humoris crudi mistionem Periculosa quoque est, non quidem ex natura sua, intermittentes enim periculo carent, sed ob longitudinem immedicabiles.

Interdum viscerum, maxime splenis obstructiones patit: *Galenus 1. ad Glauc.* vidisse se ait quæ autumno inceperat vere desierat: tum quod æger Medico non paruisset, tum quod læsus ab hyeme fuisset, illi lien intumuit, facies facta decolor, hypochondria & crura intumuerunt: Prorogantur enim febres fiuntque chronicæ ex 2. *progn. 25.* vel ob affectam partem aliquam nobilem; vel ob humorum crassitiem & cruditatem, vel ob errata adstantium, ægrorum, aut etiam Medicorum: Hinc recte jubet *Avicenna* in morbo longo contrectare hypochondria, ut explorentur num intumuerint; In regionibus septentrionalibus solet degenerare in scorbutum. *Primirosius.*

27. *Vel ventriculus debilitatus*) Solent Tertianæ Nothæ partibus internis esse noxiæ, præcipue ventriculo, hepati & lieni, quæ solent plurimum obstrui, quare sunt roborandæ internis & externis, Ad ventriculum igitur roborandum.

℞. *Coriandri* ʒß.
sem. anisi ʒij.
corallii aq. rosar. loti ℈j.
ras. eboris ℈iv.
pulv. aromat. ros. ℈ß.
sacch. ad pondus omnium f. Pulvis.

℞. *Pulv. diamarg. frig. diarrhod. abb.* āā. ʒj.
tria-sant. ʒß.
ras. eboris, margar. præparat. āā. ʒß.
sacch. in aq. rosar. solut. ℥iv.
F. Tabellæ ponderis ʒiij.
sumat unam post singulos pastus, nihil superbibendo.

Inter externa laudat Galenus Fotum.

℞. *summ. absynth. menthæ* āā *m. j. cinnam.* ʒiß.
flor. chamom. meliloti. rosar. rubr. āā. *P. j cyperi* ℥ß.
sem. anisi, fænic. āā. ʒij. *spicæ* ʒj.
F. Decoctio, ex qua cum spongiis f. Fotus ventriculi & hypochondriorum.

Deinde ungatur unguento sequenti

℞. *Oleor. de absynth. mastich. nard.* āā. ℥j.
calami aromatici, ligni aloës aromat. rosar. āā. ʒi.
ceræ parum f. unguentum.

Hepati quoque prospiciatur.

℞. *conserv. cichor. rosar.* āā. ℥j.
pulv. diarrh. triasant. āā. ℈j.
pro liene cum syr. de cichorio f. Opiato.

℞. *Conserv. flor. Tamarisci, cichor. borrag. adianti* āā. ℥ß.
diamarg. trochisc. de cappar. ʒj.
cum syrupo de cichorio fiat Electuarium.

Primirosius.

29. *Vel Hepar vitium contraxit*) Interdum Tertianæ longitudo à prava quadam diathesi *visceris alicujus, Jecoris* præsertim aut mesenterii depēdet, quæ purgationibus, quantumvis repetitis curari nequit, quia prava illa qualitas in viscere remanens humorem novum quotidie accumulat, qui accessiones fovet, Quç quidem prava qualitas diureticis, sudorificis, aliisque & solventibus aufertur; Hisce facultatibus prædita sunt *absinthium, centaur. min. card. ben. rad. dictamni pimpinell. tormentilla*, aliaque ex quibus fiunt *Decocta, Pulveres* &c. per plures dies

exhibenda ante accessionem, vulgo exhibetur *Theriaca* ad ℨj. cum *vino albo* ante accessionem tribus vicibus repetendo; Alii *nucem juglandem* cum facch. aut melle conditam eodem modo exhibent, Ubi *Theriaca* caliditas timetur, sola primum exhibetur, & desuper *aqua plantag.* cyathus propinatur: Hoc frequenter utebatur *Varandaus*, tanquam specifico. Id præstare potest *vinu hippocr.* cyathus ante accessionem exhibitus, eoque remedio gratissimo multi curati sunt; Hæc tamen remedia nonnisi præmissa diligenti purgatione exhibentur: *Zecchius* in frequenti usu habebat Pilulas sequentes, quæ ad aperiendas obstructiones, hepar roborandum, & viscerum dyscrasias tollendas sunt efficacissimæ

℞. *Trochisc. de rhab. de eupator. de absinth.* āā. ℨß.
pulv. el. diarrh. ℈j.
cum syr. de absinth. f. massa Pilul. de qua capiat ℨj. *mane per triduum, superbibendo Jusculum ex cichor. & capill. paratum.*

Montanus exhibebat per multos dies *trochisc.* de *absinth.* vel de *rhabarb.* ℈j. cum *jusculo*, in quo *hordeum, rad. petros. cichorium & borrago bullierint.*

Exterius illinatur hepatis regio mane & vesperi ante cibum hinim. *ex cerati santal.* ℥ij. *succi cichor.* ℥ß. *succi absinth.* ℨij. *& aceti rosac. momento.* Pro ventriculo

℞. *ol. nardini, de absinth. & cydonior.* āā. ℥ß.
gallia mosch. ℈j.
cera alba q. s. f. linimentum. *Riverius.*

29. *Vel Hepar vitium contraxit &c.*) Obstructionibus obsessum. quæ contumaces hic adesse solent, adversus quas fortiter pugnandum: Usum frequentem Aloës valde commendat *Septalius*: Syrupus sequens præstantissimus est.

℞. *rad. apii, eryngii, vincetoxici, enula, asparagi* āā. ℥ß.
fol. agrimon. eupator Avicenna (quod ageraton) *ceterach, adianti albi & nigri, cascuta, cichor.* āā. m. j.
card. ben. m. ß.
comar. absinth. p. iß.
flor. centaur. min. p. j. *semina. alkek.* ℨij.
cicer. rub. p. j. *tartari opt.* ℨiij.
f. Decoctio ad ℔ iß.
In colat. dissolve aceti opt. ℥iv.
syr. de v. radic. ℥ij.
sacchar. opt. ℔ ij.
Iterum coquantur & clarificentur f. Syrupus mediocriter coctus, cujus dosis sit ad ℥iv.
singulis diebus mane.

Usus *Chalybis* præstantissimus est ad inveteratas illas obstructiones, *Mercurialis* hanc extollit præparationem, *Chalybis* limatura in aceto per sex dies maceretur, exsiccetur in umbra, inspergatur pulvis caryophillor. dosis est ℈j. ad ij. ex conserva idonea. Vide alias præparationes apud *Quercetanum, Schroderum* & alios.

30. *Fovendus ventriculus*) Fotus etiam conveniunt hypochondriorum si tensio in iis percipiatur, instituendus antequam Apozema exhibeatur, hunc in modum compositus.

℞. *rad. alth. gramin. & aspar.* āā. ℥j.
rad helen. & cort. median. tamarisci āā, ℥ß.
fol. malva violaria. agrimon. capill. ven. & absinth. āā. m. j. *sem. lini & fænugr.* āā. ℥ij.
flor. chamom. melilot. rosar. āā. p. j. *in* iij. *aqu. partibus & vini albi una sub finem additi, cum aceti* ℥ij.
Foveantur hypochondria calide mane & sero per biduum.

Post Fotum illinantur eędem partes

℞. *Ol. lilior. amygd. dulc. & tamarisci* āā. ℨß.
ung. de althaa ℥ij.
cera parum fiat linimentum. *Riverius.*

30. *Vacuantia & praparantia*) Si non obstantibus remediis pertinax febris in longitudinem abeat, & facies tumida &c. iis remediis ægri tractandi sunt quæ ad hepatis obstructiones præscribi solent, Inter cætera maxime laudatur à *Montano* Decoctum cichorii & chamædrios in insculo, quod dicit esse admirandum in febribus longis ab obstructione pendentibus. *Riverius.*

31. *Tartarum admiscendum*) *Acidum Tartari aluminatum* arcanas vires in reserandis obstructionibus, & Tertianis inprimis febribus debellandis. *Guerneus Rolfinkius Chimia l. 5. sect. 1. art. 1. c. 9.* Vide ib. præparationem. *Sal Nitri compositum Mynsichti* summum est alexipyreton. *Ibid. art. 2. c. 8.* ubi habetur præparatio.

31. *Tartarum admiscendum*) Laudatur *aqua Febrifuga Riverii*, quæ nihil aliud est quam *sola aqua Fontis, cum sale tartari*, Cujus certe miros effectus quondie experimur in omnibus diuturnis febribus, & morbis ab obstructionibus productis, *Observ. 83. cent. 4. apud* Riverium.

Perniciosa Tertiana.

III. [1] *Perniciosa* ex septem causis evadit, 1. [2] Si ab ægro [3] vel Medico *error* committatur:

2. Si *humor* extra vasa emittendus, ob occlusionem illorum in primarium membrum *incumbat.*

3. Si sit nimis *tenuis*, & putridus. Inde enim [4] frequentia animi deliquia, sudor absque alleviamento nimius.

4. [5] Si *pravitatem peculiarem* vel ob ustionem, vel ob alimenta *habeat.* [6] Inflammatis enim humoribus oriuntur *lingua* asperitas & sitis inexhausta, *oculorum* ob spirituum resolutionem excavatio, *Urina* ignea cum biliosis alvi dejectionibus, Totius *corporis* dolor ulcerosus. *Sudoris* propter materiæ crassitiem paucitas.

5. Si *crassus à calore fusus in aliquam partem decumbat.* Hinc sequitur, propter difficultatem & facilitatem accensionis, inæqualis accensio. Humoris crassi, & qui paucus in vasis majoribus esse videbatur, ex rarefactione per accensionem facta, in extremis vasis, ad quæ à tenui deductus est, fusio & copia, Inde fit, ut calor rigore, & rigor calore interpoletur, Urina fit aquosa, multi sedimenti & crassi. Pulsus fit interdum interceptus: In declinatione ab umbilico ad caput sudetur. Nec augmentum, nec status, nec declinatio æqualia sint.

6. [7] Si *malignitatem* contagiosam, ac pestilentem contrahat.

7. Si *calor vel uterum in consensum* trahat, & humores in eo contentos moveat, vel periculosum catarrhum, asthma, vel arthritidem excitet.

[1] *Perniciosa ex septem causis evadit*) Hippocr. aph. 43. 4. ait febres quæ quoquo modo intermiserint periculi esse expertes. Quod tamen intelligendum est de Tertianis febribus malignitate expertibus: Dantur enim Tertianæ malignæ & pestilentes, quæ quamvis evidentes habeant intermissiones; ægros tamen non raro de medio tollunt; Præterea multa possunt supervenire quę vitæ periculum inferre possunt, quamvis febris ex se periculosa non sit. *Riverius.*

[2] *Si ab ægro*) Verissimum esse *aliquando* deprehendi quod dicit *Fernelius* de corporibus cacochymicis, quibus purgatio est necessaria, eamque respuendo, alimentis potius quam remediis sese reficere conantur, non se, *inquit*, sed quam ipsi intemperiem alunt; sic enim natura, cum paucis contenta, ita suas functiones melius perficit, nec putres aut crudi humores in ventriculo collecta, aut aliunde illapsi, actiones illius destruunt &c. Omnes autem quotquot à popularibus hisce febribus evaserunt temperantes erant, & quicunque passi sunt recidivam, hoc contingebat propter cibum largius sumptum *Obs. 98 Cent. 4. apud Riverium.*

[3] *Vel Medico error committatur*) Si hic forte fermenti focum neglexit, sub quo hepar, pancreas, mesenterium ac glandulæ intelligi debent, *Galenus 1. ad Glauc. 5.* secus fit, & longa fit & interdum lethalis, cujus rei exemplum est in Julio Cæs. 9. Vide *Mettatum de Febr. 6. & Sennertum 1. 4. c. 18. Pietus pag. 257.*

[4] *Frequentia animi deliquia*) Matrona Tertiana duplici laborans, in paroxysmis graves leipothymias patiebatur, ut vererentur adstantes ne ipsa omnino deficeret, Exhibui ei in die in julepo cardiaco *Bezoart. Jovial. gr.* viij & *Bezoart. min.* ℈j. in singulis jusculis: Intra biduum cessarunt leipothymiæ, & paroxysmi sine gravi aliquo symptomate transacti sunt, paucisque diebus remediis ordinariis ægra a morbo liberata, *Riverius cent. iv. obs. 36.* Vide Obs. 54. 55. 56. 66. *Bezoart. Jovialis aquam suam theriacalem* non unquam admiscens: Videatur & obs. 80. de Tertiana diuturna, ejusdem Bezoart. Jovial. ope curata.

[5] *Si pravitatem peculiarem*) Cujusmodi sunt bilis vitellina, æruginosa, porracea, isatodes, quæ febres parum potius exquisitas quam nothas, etsi ad has nonnulli referunt, sed immerito, cum nullum alium humorem admistum habeant, imo sint ipsa tertiana exquisita ardentiore: Sed dubium est an ea his possit intermittens generari, cum bilis æruginosa quasi venenum hominem cito jugulet: Verum docet experientia talium humorum ... tione tuisse ægros à Tertiana liberatos: Raro autem ... hæ febres breves, sed periculosæ ob humoris sævitiam, ... natura ferre non potest, qui acris est, sincerus, suoque ... privatus & destitutus: Parum autem aut vix sudant ægri, nisi prope mortem sudore diaphoretico: Cum igitur symptomata in textu enarrata adfuerint, suspicio est humores hos adesse, maxime si vomitu vel ... in angore, aut animi defectione excernantur, *Enchir. Med. Pr.*

... *pravitatem peculiarem vel ob ustionem*) Peculiaris curatio debetur Tertianæ nothæ quam parit humor per adustionem genitus, cujusmodi est Bilis vitellina; Unde notandus error *libro tertio* (*inquit Primirosius lib. 3. c. 4.*) ... plurimorum recentiorum qui describunt curationem Tertianæ nothæ à *Bile Vitellina*, eandem cum curatione Tertianæ quæ fit pituita bili permista: Purgant ... diaphœnicone, carthamo, agarico, aliisque ... ogis, cum iis quæ bilem purgant commistis, ... vitellina fiat ex adustione bilis cum pituita, ut ... *Avicenna.*

Contra ... eam fieri docuit ex adustione bilis, *quæ tenuiori* ... sua substantia crassiorem acquisivit *consistentiam* & fervorem ex adustione: Si enim ex pi*tuitæ mistione fieret*, esset bile naturali frigidior, & colore pallidiori, cum tamen sit calidior & flavior: Vitellina enim dicitur quod vitellis ovorum sit similis colore & consistentia: Ex hac, ulterius caloris vi assata, fit prasina & æruginosa, Non itaque prædicto modo curanda est, sed refrigerantibus & humectantibus, ac etiam aliquantulum attenuantibus, sed frigidis, ut sunt radices *acetosa, asparagi, cichor. endivia, fumaria,, buglossum* &c. quorum materiam vide apud *Fernelium c. 4. 5. m. m.*

Quæ autem ad bilem atram prosunt, his humoribus conveniunt, sunt enim ejusdem fere naturę, & valde parum gradibus caloris & malignitatis differunt; tanta enim acrimonia sunt præditi ut è corpore ejecti ebulliant, pelvesque argenteas vario colore cyaneo, viridi, luteo, æruginoso inficiant, ita ut inde vix ulla lotione possint elui, unde ab his humoribus *Mercatus* non sine ratione vult potius fieri intermittentes quam continuas, quia ob acrimoniam natura non patitur earum in venis collectionem: Purgentur itaque statim ut capite de Tertiana dictum, quo Natura maxime vergit, sive per vomitum, sive per alvum, nulla expectata coctione, tum, quia sunt in primis viis, tum quia coctionem refugiunt, & quia si diutius eorum evacuatio differatur, noxas maximas corpori afferre possunt.

Vacuari itaque possunt, vel per vomitum vel per alvum, id semper observando, ut multo potu temperentur Emetica, sic enim facilius vomitus succedit, humor diluitur & mitigatur, cujus contactus maxime perniciosus est & insalubris: Sufficiunt autem blanda vomitoria, ex aqua tepida, syr. acetoso, cum oleo; In purgatione per inferiora idem quod de vomitu dictum observandum est, scil. ne humoris acrimonia dysenteria accersatur: Convenit cassia, infusio rhabarb. manna, confectio Hameck, diasenna *syrupus violar solut.* cum magna quantitate *seri lactis*, vel *aqua hordei*, vel *decocti malvar. violar.* A purgatione sumat Jusculum alteratum *oxalide, endivia, cichor. borragine, malva.*

Deinde alterantibus utendum; consulit *Galenus* xij. m. m. in doloribus quos succi erodentes pariunt, ut paulatim & sensim lenientibus utamur, id præstant syrupi de limon. de cichor. de acetositate citri, conserva rosar. buglossi, sacch. rosat. cum margaritis, aqua hordei, decoctum violar. cum sacch. violata: Utendum etiam alexipharmacis *theriacal smaragdo* sed præcipue *crystallo*, cujus ʒj. sumatur ex decocto oxalidis, intybi cum syr. limon. Est enim crystallum porraceæ & æruginosa bilis alexipharmacum, dyscoteriæque antidotum, tota substantia & qualitate manifesta, *ut vult Aponensis* libro *de venenis*. *Langius* 3. Epist. syrupum hunc valde extollit. ℞. *Crystalli optime triti* ʒß. *aqua vel decocti portulaca oxalidis, endivia* ℥iij. *syr. de succo limon.* aut *citri* ℥j.

In syrupis propinandis veretur *Massaria* ne frigiditate & aciditate adstringant & obstructiones augeant, sed soli non dantur, nec obstructionem pariunt succi acidi si parum decoquantur; Refrigerant autem, putredini & malignitati resistunt; obstructa leviter aperiunt; ita ut sua adstrictione nocere non possint: Admoveantur præterea Epithemata cordi & jecori, refrigerantia & roborantia.

Clysteres quoque fiunt lenientes ne acrimonia humorum intestina lædantur: Hi autem humores cum sint valde calidi sicci, refrigerantia & humectantia postulant; sed quia simul sunt crassi & obstructiones pariunt, attenuantia erunt miscenda, & simul aperientia, Ex quibus variæ formulæ parari possunt. *Primirosius lib. 3. cap. 4.*

[6] *Inflammatis enim humoribus oriuntur lingua &c.*) Tunc longos habet paroxysmos, inquit *Averroes*, & pessima symptomata, quæ ita describit *Avenzoar*, Cum invadit paroxysmus, *angustiantur multum patientes, & habent inquietudinem validam cum sitis valida, & alterationes* validas atque magnas, jactant se per *lectum huc & illuc, cum instantia vigiliarum, & Pulsus eorum est durus parvus & diversus, &*,

pro majori parte finis hujus febris est malus, & accidentia quæ superveniunt sunt pessima & fraudulenta, & deceptoria; urina ad viriditatem vel nigredinem tendunt, & hypostasis ejus etiam est talis: quæ omnia ex malignitate humoris dependent, unde febres hæ sunt valde periculosæ, vixque infirmi evadunt, *ut idem docet*; *Si hypostasis nigra fit in medio, moritur patiens in brevi, si fit in fundo adhuc citius: Quod si in die critica incipiat apparere urina nigra sine hypostasi*, est signum salutis, nam hypostasis *nigra est semper mala, quia ostendit debilitatem virtutis in digerendo; nam Natura quando est fortis convertit hypostasin ad albedinem*, sed *Averroes* negat quenquam ab hoc morbo evadere; Ipse *Galenus* in febribus salutaribus nunquam vult rejici æruginosam bilem: Juvenis tamen, de quo 5. aph. 1. vomitu æruginoso à febre & convulsionibus liber evasit; & experientia ostendit etiam post humorum istorum acrium rejectionem plurimos ægros fuisse sanitati redditos.

7. *Si malignitatem*) Quamvis Dixerit *Hippocr. aph.* 43. 4. Febres Intermittentes periculo carere, quomodocunque intermiserint, Id tantum intelligendum est de iis quæ nullius sunt malignitatis participes, Videmus enim singulis fere annis, hac saltem regione, febres Tertianas intermittentes, quæ summæ malignitatis sunt participes, tertia vel quarta accessione ægros de medio tollere; Alias quæ eos in gravissimum vitæ discrimen conjiciunt, maxima symptomatum sævitia. *Riverius.*

7. *Si malignitatem*) Sed dubium hic occurrit, An *malignus* quoque esse queat humor adeoque *an dentur intermittentes malignæ*: quæ istarum malignarum continuarum cum summa virium prostratione, interdum exanthematum aut petechiarum eruptione, summa cordis anxietate, corporis inquietudine, & similibus funestis symptomatis sint stipatæ: In specie malignitatis suspicio est, ubi sub æstus vigore parvi & debiles observantur pulsus: Revera non negandum videtur, cum observationes, malignitatis in Intermittentibus indices, non raro in Practicis occurrant, utut ab his mutato nomine, pernitiosæ appellentur. Cons. *Sennertus de Febr.* ubi de Tertianis: Exempla talium Tertianarum, & aliarum Intermitt. malignarum videsis in *Epiph. Ferdinando* h. 85. *Rhodio cent.* 1. *obs.* 9 & 10. *Salmuth. cent* 3. *obs.* 51. *River. cent.* 4. *obs.* 2. & 36. *Horst. l.* 1. *obs.* 15. *M. Donatum* l. 3. c. 14. & l. 7. c. 6. *Etmuller.*

Tertiana Epidemica.

IV. [1] Est aliquando & *Epidemia*, qualis Ann. 1652. à Cl. Bartholino in Dania, æstate præter morem & cœli illius constitutionem, siccissima & fortissima, observata est, varii in ea typi, nam modo singulis recurrebat diebus, modo alternis, modo vaga, modo post apyrexiam recurrens. Affligebat cum calore urgente, capitis inprimis, colli, lumborum & dorsi dolores, vomitu bilioso, qui multis post febrem remansit, siti, deliriis & petechiis, quæ tempore remissionis evanescebant, redibant cum paroxysmo, vel solvebantur post quartum paroxysmum per sudorem: vel translata materia, in abscessus colli, tumores pedum, hydropem, dysenteriam vel diarrhœam abibat. Subita virium prostratio [2] arguebat simul malignitatem. [3] Cedebat [4] *unicornu Groenlandico* dr. s. pondere in aquis appropriatis exhibito.

1. *Est aliquando*) *Nonnunquam Tertianæ affectus alii complicantur, quo fit ut paroxysmi alia, quam ordinaria, se offerant idea.*

Hystericæ passionis simul cum paroxysmo ingruentis meminit *Wedelius*, quapropter *Tertianæ hystericæ* nomine donavit: Nob. fœmina, *inquit*, 18. annorum, ab abortu vix respirans, durante adhuc sanguinis fluxu, corripiebatur febre Tertiana intermittente, ob mira adjuncta symptomata memoranda, Incipiebat paroxysmus præter horrorem & dorsi dolorem, typo suo modo anticipante, modo postponente, cum tussi levicula, qua continuante extorquebantur *ructus continui creberrimi*, ita ut singulis quasi momentis explo lerentur, & horæ spatio fere trecentos numeraverim: Post cum æstu hoc excipiebat delirium maximum cum motibus convulsivis, capitis, pedum, brachii, maxillæ, tensione abdominis & leipothymiis: A paroxysmo, qui ad 8. 9. 12. horas durabat, optime habebat, Præmisso post fluxum sanguinis, purgante, morbus feliciter & brevi cessit medicamentis antifebrilibus, tum internis, maxime *cinnabari nativa*, castoreo, & ex parte opiatis permixtis; non omissis extra paroxysmum *splenetic is & aperientibus Martialibus*, Aliam matronam, viduam 35. ann. sæpe aliàs affectibus hypochondriacis & hystericis pluribus, fluore albo, suffocatione, hysteralgia &c. conflictata, iisdem Tertiana conflictabatur &c. Symptomatibus his, ut talibus, feliciter opposui *spiritum salis armon. martialem, cum aqua lilior. convall. spirituosa* maritatum.

Tertianam scorbuticam, semper cum maculis instar petechiarum paroxysmantem, tandem viperinis debellatam in studioso Westphalo olim adnotavi. *Wedelius in Med. Septentr. Vol.* 2. *p.* 552.

2. *Arguebat simul malignitatem*) Deleri debet illa persuasio quasi febres Intermittentes nihil malignitatis & periculi habere possint: Certe humor ille vitiosus, qui febrem Intermittentem causatur, in foco suo febrili ita corrumpi & inquinari potest, ut suam malignitatem, dum motum acquirit, insigniter manifestet: At vero Intermittentes sunt extra periculum, inquit *Hippocr.* 4. *aph.* 43. contrarium tamen leges *lib. de Typ.* 4. *a.* Est autem non semper continua, *ait*, sed etiam intermittens reperitur, traditumque ab *Hippocr.* est ipsam non modo inter acutos morbos, sed etiam inter diuturnos commemorandam esse &c. *Pisens p.* 232.

3. *Cedebat unicornu*) In Tertianis perniciosis, sive malignis, Alexipharmaca semper misceantur cum specificis Diaphoreticis, quia magnum periculum subest dum febris maligna Tertianā simulat; propterea sit cautus Medicus, præsertim cum lingua sit aspera, omniumque virium prostratio, Forsan huc respexit Joh. *Toll. in praxi Schenckiana pag.* 290. Cum Tertianæ paroxysmus est cum malis accidentibus, & debilitate corporis, ita ut putetur à materia venenata esse, dantur in paroxysmo infirmo *sem. citri* aliquot grana, & videbis effectum mirabilem &c. Nempe *Emulsio sem. citri*, additis appropriatis alexipharmacis & absorbentibus, non foret inutilis. *Etmuller.*

4. *Cedebat unicornu Groenlandico*) Ad Tertianam Intermittentem epidemicam sudorifera maxime profuere, paroxysmo instante cum alexipharmacis exhibita, præmissis præmittendis: Innotuit in horum causa virtus *Unicornu* nostri *Groelandiæ*, quod non solum 3ß. pondere cum appropriatis ante paroxysmum exhibitum sudorem largiter procuravit, sed febrem plerumque extinxit: Expertus id remedii novi genus sum magno successu in plurimis. *Th. Bartholinus Hist.* 56. *Cent.* 2.

ARTICULUS II.

De Febre Intermittente Quotidiana.

QVotidiana intermittens, [2] *est febris* [3] *à pituita in venis mesaraicis putredine exorta*, [4] *singulis diebus invadens.* [5] *Signa* sunt, Causarum pituitam generantium prægressus. *Invasio* quotidiana, lenta & quidem sæpius nocturna, unde majus periculum ob incommodum medicationis tempus; & illa cum extremitatum duntaxat [6] horrore & refrigeratione, [7] *Calore* lento inæquali, ut modo hic, modo frigus sentiatur, halituoso, nec, ubi se per corpus diffudit, valde urente; sed si manum ad moram diutius teneas, aliquantum mordace & acri, cum præcordiorum inflatione & intumescentia, [8] *Urinis* principio albis, tenuibus & crudis ob materiæ copiam, cum materia concoquitur, crassis, turbidis & sæpe rubris. [9] *Pulsus* est valdè parvus, propter minus urgentem usum rarus, & tardus. *Paroxysmus* ad horas octodecim [10] interdum viginti quatuor extenditur. *Vomitus* & [11] *sudor* si sunt ab initio, proficiscuntur à valida natura, non crasso humore, [12] Rarissima est, ut vel ex sexcenti una obtingat.

1. *Quotid. Intermittens est Febris*) Hujus, excepto *Platone*, auctore non meminerunt; nec apud *Hipp.* extat ejus nomen; forte quod arbitratus sit omnem Febrem esse à Bile; Vel, ut ait *Galenus* 3. *Epid. tr.* 64. sub nomine nocturnæ & diurnæ eas complexus est: Nam liber 2. *de Nat. hum.* inquiunt, ubi Quotidianæ fit mentio, non est *Hippocratis.* Interim *l.* 1. *ad Glauc.* . b. *Galenus* paucas harum febrium pervenire ait ad manifestam quietem, Ergo jam ita se habet, Dantur Quotidianæ, tam Intermittentes quam Continuæ, ἀμφημεριναὶ dictæ, Et posterioris hujus, non prioris [illegible] exemplum est apud *Forestum l.* 2. *de Febr. Obs.* 32.

Febris Quotidiana Intermittens est affectus, ex inæquali cordis irritatione, ab inordinata fermentatione, cum pulsu celeri & inæquali, caloreque per totum corpus diffuso, singulis diebus invadens, & ad intermissionem veniens. *Piens.*

2. *Quotidiana Intermittens*) Quotidianæ nomen duobus modis sumitur, primo generaliter omnem febrem significat quæ singulis diebus repetit, à quocunque demum humore fiat, ut duplex Tertiana, triplex Quartana: Vocatur à Græcis ἀμφημερινός, & absolute sic vocari jubet *Galenus* eam quæ intermittens est, & ἀμφημερινὸν συνεχῆ eam [illegible] intermittit: Febris autem Quotidianæ veteres, [illegible] o Platone, non meminerunt, nec apud *Hippocratem* [illegible] us nomen extat, forsan quod putarit omnem febre[illegible] à Bile, vel, ut ait *Galenus* 3. *Epid.* tr. 64. sub nomine [illegible] & nocturnæ eam complexus est, nam liber 2. *De Nat humana*, ubi Quotidianæ, fit mentio, non est H[illegible] *Primirosius.*

3. *Est Febris à Pituita*) Non videntur veteres febrem à Pituita cog[illegible] sse. *Author. l.* 1. *De Nat. Hum.* qui si *Hippocratem* [illegible] er vetustissimos est recensendus, Quotidianam à [illegible] summa bile fieri statuit, Et lib. 126. *de morbis*, *Febr*[illegible] *ex bile quotidie prehendit*, Propiæ vero apud Med[illegible] s t[illegible] ris ea Quotidiana vocatur, non solum quæ singulis diebus redire solet, sed quæ fit ex humore pituitoso, qui humor sive natura sua, sive ob copiam singulis diebus [illegible] erere solet: Nam quod duplex Tertiana quotidie [illegible] id dicunt esse non ex natura febris, sed quod [illegible] bres ejusdem generis, diversis diebus affligentes [illegible] humoribus diversis in locis putrescentibus ortæ, [illegible] versis diebus moventur,

Id [illegible] quamvis possibile sit, ut observare licet in iis quæ [illegible] gulis diebus affligant, proportionem tamen [illegible] tertiani circuitus, Non negandum tamen bilem ita [illegible] cere & augeri ut singulis diebus moveatur, [illegible] cum Quotidiana satis frequenter observetur, & [illegible] um sit febrem à pituita esse adeo tamen, ut *Veteres* [illegible] tur eam non agnovisse, sicut pariter negandum non est posse quandam Pituitæ speciem *Tertiano & Quartano* circuitu moveri. *Idem.*

Quorundam opinio est hujusmodi Febrem esse solummodo Tertianam duplicè, & à materia dispersa, & duplicem focum nacta oriri, quibus tamen non assentior, Ejusque exortum peculiari sanguinis dyscrasiæ attribuendum duco; In hac frigoris & caloris symptomata sunt remissiora, verum accessio diutius protrahitur, & sæpe horas xviij. vel xx. solet durare.

Hæc Febris utplurimum Tertianæ succedit, cum enim spiritus vitalis à crebra sanguinis deflagratione plurimum avolarit, atque (diathesi febrili adhuc durante) cruor debilior factus sit, succum nutritium minus coquit, aut maturat, & totum fere in materiam fermentativam pervertit, quare citius ad incrementum pervenit, & sub duplo istius temporis, quo prius, ad turgescentiæ plenitudinem congeritur: Quoniam vero materia congesta cruditatis æque ac adustionis particeps est, ideo effervescentiæ calor est remissior & inæqualior, atque (instar ligni viridis foco superstrati) lentius deflagrat, quare paroxysmus est durationis longioris. *Willis l. de Febr. c.* 3.

Multi affirmant, plures negant, dari talem Febrem Intermittentem quæ quotidie simili typo recurrat, ita ut tertius paroxysmus secundo, quartus tertio exacte sint similes, sive in incremento accrescant, sive in statu similiter consistant, in declinatione similiter decrescant: Paroxysmi harum ut plurimum sunt octo horæ, intermissio sexdecim, Imo sunt qui affirmant subinde ad horas xxiv. extendi paroxysmum, ita ut continuæ similis appareat; multi tales affirmant, plures negant, cum rarissime observatæ fuerint tales febres: *Rhodius* tamen ejus exemplum allegat *cent.* 1. *obs.* 4. & *Gabelkoferus, cent.* 1. *p.* 132.

Verum sæpissime Medici decipiuntur dum febrem quotidie recurrentem putant esse Quotidianam, quæ tamen sæpius est tertiana duplicata, cum vel tertiana prius simplex fuerit, vel sub declinatione in Tertianam desinat; Interim non arbitror simpliciter esse negandas Quotidianas, cum multa appareat contrarietatis ratio; quin potius, sicut Tertianæ in Quartanas, ita & hæ in Tertianas facile mutari possunt, Sed totum negotium pendet à controversia, unde ordinata ista sit febrium periodus, quæ quamdiu latet in obscuro, etiam præsens de Quotidianis controversia fere in suspenso manet. *Ettmuller.*

3. *A pituita*) Causa hujus Febris, non saltem pituita est, uti vulgus sibi persuadet, nulla enim ratio hujus asserti dari potest, quare humor crassus, lentus & frigidus, tam cito singulis diebus moveatur, Et è contrario, bilis, humor fluidus, calidus & tenuis, tam tarde alternis diebus, Imo si qualitatem & modum substantiæ examinemus, prout vulgo pituita describitur, vix dici potest illam ipsam ad motum Quotidianum esse aptam, frigida enim habetur, Omne autem frigidum difficulter solubile & inflammabile, unde potius ad Quartanam inducendam hæc lympha

crassa (uti Neotericis placet) seu pituita, aptior evadit: Deinde cum putruit, uti vulgo loquuntur, nec febrem facere potest, quod ostendit Hydrops, necnon Lues Venerea inveterata, in qua tota massa sanguinea sese pituitosam ostendit, velut ulcera aliaque signa indicant.

Nec videntur Veteres Febrem à Pituita cognovisse, *Cous l. 2. de morb.* Febris, *inquit*, ex bile quotidie prehendit & dimittit; Non enim negandum Bilem, ob causas à nobis dictas, ita posse increscere, & augeri, ut singulis diebus moveatur, eoque magis cum Quotidianæ satis frequenter observetur, & certissimum sit Febrem à Pituita, seu Lympha crassa, adeo raram ut eam veteres non videantur cognovisse.

Potius itaque dicendum est Omnem omnino humorem disproportionatum, ac ratione particularum male figuratum (cum scil. earum unio sit soluta, & à repagulis liberata) causam Febris Quotidianæ esse posse: Cum enim spiritus vitales à crebra sanguineæ massæ deflagratione plurimum avolarint, & (diathesi febrili adhuc manente) sanguis debilior & intemperatior factus particulas chylosas minus coquit, aut maturat, & eas fere in materiam fermentativam singulis diebus movendam omnino pervertit, quare citius ad incrementum pervenit.

Frequenter quoque *Serum* corruptum & ichorosum, *Pituita tenuis* seu *Lympha* mediocris ex vasis lymphaticis collecta, cui tamen circulando & fermentando plurimæ aliæ particulæ esse possunt permistæ, uti acidæ, lentæ, biliosæ &c. in vitio sunt, si causa febrilis illas modo accendat: Quare autem &c.

4. *Singulis diebus invadens*) Quare autem singulis diebus moveatur, ex hisce rationibus petendum 1. Ex *materiæ febrilis quantitate*, cum scil. particulæ ita abundent ut singulis diebus moveri queant, idque vel ex victus ratione plenioris & liberalioris, potu largiori ac intempestive, priore nondum concocto assumpto, vel alio aliquo vitio 2. Ex *materiæ* qualitate, cum particulæ tenues admodum & fluxiles sunt, ita ut ex suo foco, seu via, facile exilire, & cum sanguine tefluo inter circulandum permixtæ ad cor pervadere possunt, 3. Ex *Foci* conditione, scil. si aptus admodum existat, & commodos habeat meatus & poros, ut facili negotio inde effluere queant.

4. Si sensibilis valde sit Focus, ita ut diu, eo in loco febriles particulæ remorari nequeant, sed singulis diebus exinde moveri; *Piens p.242.*

5. *Signa sunt*) In Quotidianis alvus fere tarda est: *Waleus Prax. p.118.*

5. *Signa ejus sunt*) Signa diagnostica colliguntur ex *Actione læsa.* 1. *Rigore* &c. 2. *Pulsu* &c. 3. *Siti*, quæ est intensa, quo acrior, salsior magisque sulphurea est febrilis materia, eo siticulosior æger. Ex *Qualitate mutata*, *Calore* &c. Ex *Excretis*, 1. *Urina* &c. 2. *Sputatores* [illegible] sunt, ut recte annotat *Mercurialis*, præsertim si Quartana fuerit diuturna, & ægri sero valde abundant, 3. finito paroxysmo *Sudor*. *Piens p.270.*

5. *Signa sunt*) 1. *Calor* est debilis, vaporosus, cum quadam acrimonia, qua non statim & contactu longo manus percipitur, estque calor quasi in humore suffocatus, qui propterea quasi per cribrum transmissus inæqualiter manum ferit: rationem reddit *Galenus*, quia cum humor lentus sit & crassus difficulter extenuatur, vide neque totus neque æqualiter accenditur, unde calor redditur inæqualis.

2. *Urina* in principio crudæ sunt, albæ, tenues aqueæ, procedente morbo crassæ, solutis obstructionibus, quia humor morbificus permiscetur sero, qua etiam ratione interdum rubicundæ fiunt.

3. *Pulsus* sunt parvi, debiles, rari & minores quam quartanarum, inordinati & inæquales in principio accessionis, idque quia pituita frigida humida, copiosior est in corporibus nostris, inde calor in ea non potest habere [illegible], & ideo facultas velut consopita est, & arteria humoris copia impedita, ut dilatari & constringi facile nequeat, nec usus admodum urget, tarditas vero Pulsuum in Quartanis & Quotidianis æqualis esse videtur, sed pulsus Quartanarum sunt rariores pulsibus Quotidianarum, sicut hi rariores sunt pulsibus Tertianarum, Et ratio est, quia Pulsus in Quartanis majores sunt quam in Quotidianis, unde magis expletur usus in Quartanis, quam in Quotidianis, hinc fit ut quod in magnitudine deest frequentia compensetur, rariores igitur sunt Pulsus Quartanarum, sed majores, frequentiores vero sunt pulsus Quotidianarum, sed in minores at, in utrisque æque tardi: male igitur scriptum est lib. de *Typis*, in Quotid. pulsus esse magnos: In statu vero Pulsus sunt celeriores & frequentiores, ob calorem auctum, qui magis refrigeratione indiget: Sed hæc intelligenda sunt modo fiat comparatio inter duos ęgros ejusdem temperamenti, sexus, ætatis, habitus, quorum unus Quotidiana alter Quartana æqualiter laborent, aliter cōparatio incerta est.

4. Febris hæc incipit sine punctione, rigore, sed tantum cum refrigeratione, præterquam in Epiala, in qua fit rigor a pituita vitrea, Hic autem humor quia frigidus, crassus, difficulter accenditur, ideo incrementum longiusculum est, status pariter sine sitis, multoque calore, nec lintea ægri a se abjiciunt: Declinatio primis diebus est sine sudore, ob humoris crassitiem, at tandem materia concocta & attenuata in sudores sed paucos solvitur, & raro in perfectam desinit apyrexiam; estque accessio ad minimum horarum octodecim.

5. Præcessere *causæ* pituitam generantes, *facies* subtumida est & sublivida, *color*, ex pallido albus, *corporis* gravitas, ad *somnum* inclinatio. plurimæ adsunt cruditates, *ventriculus* est imbecillior, dejecta appetentia, ructus acidus, capitis gravitas, ob copiam vaporum, & ideo in expugnabilis in somnum propensio; plerumque initio, ob debilitatem stomachi, animi defectio aut syncope, nam ob offensionem oris stomachi, & inappetentiam, sequitur nutritionis defectus, totius corporis & spirituum debilitas, ac demum syncope: Præterea hypochondria inflantur & distenduntur, vomitus dejectionesque pituitosæ interdum succedunt: His adde præcedentem victus rationem, ætatem regionem, aëris constitutionem frigidam humidam, pituitæ feracem, & reliqua dominantis pituitæ indicia, quibus id interdum accedit quod epidemicæ sunt Quotidianæ. *Primrosius.*

Circa vesperam accessiones habet; Ubi vero putrescens pituita salsa est, salsedo per linguam percipitur, & continua linguæ ariditas est, Urina est rubea & crassa & cum caloris sensu & acrimonia profluit: Si ex *Acida pituita* febris sit genita, urina alba est & ructus acidi, & desiderium cibi non ut in aliis febribus pituitosis prosternitur: Præterea in Quotidianarum fere omnium paroxysmis utplurimum nauseæ & pituitosæ vomitiones excitantur, nullum afferentes levamen, *Franc. Joel.*

Signa hujus Febris pręcipue sunt, quod singulis diebus cum intermissione affligunt, *Deinde*, quod brevi post cibum ingestum invadunt: Appetitus utplurimum prostratus, quandoque adauctus, prout acrior & salsior est materia febrilis, quæ ad ventriculum propellitur, unde aliquando voraces Quotidianarii. *Piens.*

6. *Horrore & refrigeratione*) Rigor hic non est sed tantum frigus extremorum, quod aliquando ad horrorem ascendit, cum scil. totum corpus occupavit. *Piens.*

7. *Calore lento, inæquali*) Calor, qui in hac febri apparet, non semper mitis est, sed acris quandoque reperitur. Prout serum ac lympha crassa salsior & acrior fuerit. nonnisi lento gradu procedit, quique suffocatur quasi sub particulis frigidis, similis illi qui à lignis viridibus. *Idem.*

8. *Urina principio albis*) Urina non semper est in principio alba & tenuis, cum revera in pluribus Quotidianis urina insigniter tincta & rubicunda evadat, præsertim si magna sanguinis & humorum contingat effervescentia ac perturbatio. *Idem.*

[9]. *Pulsus est valde parvus*) Pulsus est inæqualis, debilis, parvus & celer; tantoque minores pulsibus Quartanæ quam Quartana minor est Tertiana, *Galenus 2. diff. Febr.* 4. [illegible] *Glaucon.* Noc veritas semper est ulla in Quotidianis [illegible] & parvos esse pulsus; fallit enim hoc signum, qui ratione pituitæ pulsus censeri solent. *Idem*

[illegible] *Interdum* xxiv.) Unve *Avicenna* dicebat quod sicut raro datur Quartana continua, ita raro reperitur Quotidiana Intermittens, Sese enim excipiunt paroxysmi, fitque continua, quam vocant per superingressum paroxysmorum.

[11]. *Sudor*) In principio vix apparet, tractu temporis sequitur, præcipue si tenuior & serosior reddita sit materia. *Piens.*

[12]. *Rarissima est*) Vide supra §. *Quotidiana Intermittens est Febris.*

[13]. *Causa* est [14]. *Pituita* in venis mesaraicis putrescens, quæ *colligitur* propter imminutum viscerum calorem, alimentorum humidam & frigidam naturam, Eorumdem copiam & abundantiam. *Putrescit*, propter causas enumeratas.

[13]. *Causa est*) Causæ quæ pituitam generant istius febris causæ sunt, Eæ autem vel *materiam suppeditant*, ut cibi frigidi, humidi, crassi, lenti, concoctu difficiles & multo humore crudo abundantes, cibus item plenior & liberalior, potus largior ac intempestive priore nondum concocto assumptus; Vel *efficiunt*, ut corporis constitutio frigida, humida, ut in senibus, mulieribus, aut iis qui ventriculum vel hepar, aut natura, aut usu causarum refrigerantium [illegible] gidum habent, hyems otium, somnus nimius: Vel *genitum* humorem retinent, ut suppressa per nares, os, aliasve partes hujus humoris vacuatio: Accidit igitur, iis quibus copia pituitæ inest, natura vel ætate humidis, obesis, mulieribus, eunuchis, senibus, infantibus, & iis qui vel otio, somno longiore, crapula, edacitate, ebrietate, humidioribus cibis, vel crebris balneis, cruditatem & pituitæ copiam congesserunt, maxime vero hyeme [illegible] gidis regionibus & cœlo pituitoso: Generatur raro citra ventriculi aut hepatis offensionem: in his enim duobus locis generatur pituita vel ex debili & imminuto viscerum calore, vel cibi copia & frigiditate, unde juvenem biliosa & sicca natura præditum tali febre correptum *Galenus* se non vidisse scribit 1. ad *Glaucon.* unde rara quoque hæc febris est; nemo enim adeo pituita refertus quin bilem quoque plurimum habeat, unde raro Quotidiana exquisita cernitur. *Primerosius.*

Causa [illegible] est pituitosa colluvies putrescens vel in ventriculo, vel intestinis, vel in venis mesaraicis collecta, vel ex cerebro ad subjecta viscera defluens, quæ natura aut insipida est, aut salsa, aut acida, aut serosa ac tenuis, aut crassa crudaque ac vitrea. *Franc. Joel.* Vide *Platerum.*

[14]. *In Venis mesaraicis*) Focus in Febri Quotidiana (ut & reliquis in Febribus Intermittentibus) non ita facile definiendus; [illegible] tamen *Ventriculus est cum ductibus chyliferis, ac vasis lymphaticis*, Idque uno fere est probandum experimento, quoniam in Febri Quotidiana, si vel bibant, vel cibum assumant, mox febri corripiantur eo cum cibi & potus particulæ prædictis in locis, pravam aliquam qualitatem nanciscantur, materiam ibidem hærentem, ac delitescentem propellunt, ac fermentationem febrilem, cor irritando inducunt. *Piens p.242.*

Curatio.

[15]. *Curatio* est sæpe *lubrica*, tum quod ad dies 40. imò menses tres & ultra propter materiæ contumaciam duret: tum quod, [16]. ventriculo & epate validè læsis, ægros in cachexiam conjiciat, [17]. *Diurna* periculosior est *nocturna*, docente Hippocrate, tum quia illi longiores accessiones, quod ad noctem usque, in qua, densato corporis habitu, vapores putridi ita libere non transpirant, extendatur. Ita sæpe [18]. ad tabem perducit, tum quia intermissione noctu contingente, vel absque somno vel absque victu & medicamento relinquendus sit æger. [19]. *Peragitur*, 1. [20]. *Materia peccantis præparatione*, per medicamenta convenientia, moderatè calida, [21]. quam & clyster & levis vomitus præcedere potest. 2. *Ejusdem* jam [22]. concoctæ *evacuatione*, [23]. per *vomitum*, ubi extractum *Esulæ*, & Aqua *ex radicibus raphani & nuc. jugland. viridibus* [24]. cum aceto destillata, laudantur. Per [25]. *Purgationem*, [26]. *Sudorem*. 3. [27]. *Ventriculi & epatis roboratione*. [28]. 4. *Diæta*.

[15]. *Curatio est sæpe lubrica*) Febris hæc longa est & periculosa, *longa* quidem, quia pituita crassa est, viscida, copiosa, quæ non potest facile nec cito à natura superari: *Periculosa* vero, tum quia ob debilitatem ventriculi syncope [illegible] succedit; tum quia jecur, splen, facile [illegible] in consensum, sicque fit hydrops ex *Araeiore*, [illegible] denique quia assidue, aut saltem quotidie affligit, [illegible] naturæ affert induclas, sed eam perpetuo gravat.

[illegible] tamen gravis est quæ fit pituita in intestinis putrescente [illegible] levi medicamento, aut enemate potest sanari, [illegible] cat pituita in viis excrenom dicatis, Et quo [illegible] est, eo diuturnior ac periculosior, ob corporis imbecillitatem, duratque ad dies 40. nonnunquam & [illegible], interdumque plures, Quartana tamen longi[illegible] lex, quia pituita minus tenax est & imbellis, naturæ magis amica, à qua facilius alteratur & edomatur quam melancholia; deterior ea est cujus intervalla sunt distincta, & quæ sudoribus liber & liberaliter solvuntur, quod rarum est, nam ostendunt materiæ tenuitatem, corporis raritatem & caloris nativi robur, ex *Avicenna*: *Secundo* si Medicus observaverit humorem esse crassum, copiosum, viscidum, tempus anni frig. humidumque, ætatem temperiemque pituitosam, paroxysmum longum, cum pauco aut nullo sudore, stomachi imbecillitatem, anorexiam somni profunditatem naturam debilem, hypochondriorum inflationem, periturũ ægrum pronuntiabit; contraria signa salutem portendont: sternutationes post statum bonæ & salutares, quia ostendunt Naturæ supra morbum victoriam: *Quarto* solvuntur frequenter vomitibus & excrementis pituitosis, tum per dolores articulares, metastasi humorum ad articulos facta. *Primerosius.*

Quotidiana Intermitt. non ita facile ut Tertiana cura-

tur, sive enim illa simplex primo advenit, sive alteri intermittentium succedit, utcunque à causa fortiori excitatur, & majorem arguit sanguinis discrasiam, quæ remedius haud statim cedit: Quia etiam hæc febris si diuturnior fuerit, aut morbo alteri chronico supervenerit, præter sanguinis labem sæpissime adjunctas habet infirmitates, nimirum sanguis labefactus; impuritates suas sensim congestas visceribus, dum eorum anfractus pertransit, facile affigit, (hinc cum febre quotidiana ventriculi aggravatio, hypochondriorum tensio, modo hepatis, modo lienis aut mesenterii obstructiones, aut tumores conjunguntur) sunt autem hujusmodi affectus non causæ febris, (uti vulgo creditum) sed tantum eius producta. *Willis c 5.*

15. *Curatio est sæpe lubrica*) Aliquando desinit in Coma, nonnunquam in lethargum, scil. cum facta febrilis materiæ dissolutione, quædam particulæ inter circulandum & fermentandum ad Cerebrum accedunt, ibidemque spirituum distributionem in nervos impediunt. *Piens*

15. *Tum quod ventriculo*) Periculosa est præsertim si os ventriculi, per quod cibo potuique est transeundum, affectum sit, 1. *ad Glaucon.* 14. unde cibus & potus bene coqui & fermentari nequeunt, nec citra labem & corruptionem vasa lactea subire. *Piens.*

16. *Ventriculo & hepate valde læsis*) Ad hanc febrem pertinet febris syncopalis, orta ex pituita in *ventriculum* incidente, quæ si quoque in *cerebrum* incidat, torporem inducit: In hæc autem corpora semper fere aliqua portio humoris peccantis incidere solet, quia in illa naturaliter aliquid incidit, ut in ventriculum spiritus acidus, In cerebrum spiritus vitalis: Excitat autem Syncopen dum commota nervos orificii superioris ventriculi sua acrimonia (fere de salsa loquimur pituita) afficit, unde lipothymia subsequitur, *Walæus Medicina Pract. pag.* 118.

17. *Diurna periculosior est nocturna*) Semper intelligit *Galenus Pituitosas*, quia solet pituita noctu exacerbari & accessiones facere; Verumtamen hoc non impedit quin phlegmatica febris interdiu prehendat, unde etiam pes Diurnam febrem Pituitosam intelligit *Galenus comm.* 3. 1. *Epid.* l. 2. & 6. ita ut ex *Galeno* tam nocturnæ quam diurnæ sint pituitosæ, At omnes febres sunt nocturnæ vel diurnæ, omnes igitur erunt pituitosæ, cum enim omnis febris humoralis sit nocturna vel diurna, non potest esse divisio bona à tempore invasionis desumpta, sed tantum ab humore putrescente: Quod si *Hippocrates* per Nocturnas Pituitosas intelligit, quomodo sub diurnarum nomine eas quoque complexus est; nam si pituitæ adeo proprium est noctu exacerbari, ut nocturnam semper febrem pariat, quomodo faciat nocturnam? Aut diurna & nocturna erunt idem, quod est ab *Hippocr.* ἀκριβείᾳ alienum.

Dices febrem Pituitosam fieri diurnam ob majorem pituitæ copiam, quæ interdiu etiam movetur cum noctu tantum moveri deberet, ideoque addidisse *Hippocr.* Diurnam esse periculosiorem nocturna; Sed hoc nihil est, nam si pituita noctu facere solet paroxysmos, quamvis interdiu ob majorem copiam moveri possit, multo citius & acrius eadem noctu exacerbabitur ob eandem humoris quantitatem, sitque male diurna vocabitur, quæ sub noctem ingravescit, Præterea nullibi *Hippocr.* meminit Febrium à pituita saltem sola putrescente (*quin omnem Bilis progeniem esse asserit*) Veteresque *Galeno* antiquiores eas videntur ignorasse, & revera sunt raræ, cum tamen febres & nocturnæ & diurnæ sint familiares, imo necesse est omnes febres esse aut nocturnas aut diurnas.

Videtur igitur ista Febrium explicatio *febrium nocturnarum* esse *Galeni* somnium cum ex nullis *Hippocr.* locos, colligi possit; Sed ex ipso *Hippocrate* concludi posse videtur sub Diurnis & Nocturnis nullam peculiarem febrium differentiam contineri, Locus est *sect.* 3. 1. *Epid.* quem male *Fæsius* explicavit, *Galenus* non intellexit, *Febres aliæ quidem continuæ aliæ interdiu detinent, noctu intermittunt, noctu detinent, interdiu relinquunt, Semitertianæ, Tertianæ, Quartanæ, Quintanæ* &c. Ubi febres quæ interdiu aut noctu invadunt continuis opponit, dicitque eas esse Semitertianas, Tertianas, Quartanas &c. quod est verissimum, cum hæ febres omnes tam Tertianæ quam Quartanæ, & noctu & interdiu paroxysmos facere possint, ut experientia patet: *Fæsius* autem sic explicavit, *Sunt &c. Semptertianæ*, præter Græci codicis authoritatem, qui non dividit Semitertianas à præcedentibus, sed eum iis conjungit.

Postea subjungit *Hippocr.* Prognosin, primum continuatum, quas lethales esse dicit; deinde Intermittentium, quas salutares ut plurimum esse docet, Inter quas ait Nocturnam esse longam, sed Diurnam longiorem, quamvis hoc prognosticum non sit necessarium, *Hippocrates* scribit Nocturnam non esse lethalem, sed longam, Diurnam longiorem, & ad tabem in quibusdam vergere, Duplicem affert rationem *Galenus* in *comm.* t. quia accessio quæ interdiu prehendit difficilior est & malignior, quia corpus condensatur & constringitur, quando rarefieri consuevit, Cujus rationis levitatem cum viderent Arabum interpretes, dixerunt omnem febrem pituitosam esse malam ob ventriculi & stomachi læsionem, paroxysmique longitudinem, Diurnam tamen esse periculosiorem ob majorem pituitæ copiam, quæ etiam interdiu movetur, cum noctu tantum moveri deberet, ideoque longiorem difficilioremque facit paroxysmum quam si noctu incideret.

Verum sane est periculosam valde esse eam febrem quam pituita parit, sed nocturna secundum *Hippocr.* non est lethalis, nec unquam diurnam esse lethalem pronunciavit, verum longiorem, unde infero non intelligere eum per nocturnas & diurnas Febres quæ fiunt à pituita &c. Præterea facilius resolvitur humor interdiu quam noctu, at facilior humoris resolutio morbum facit breviorem & salubriorem: Nec obstat materiæ copia, non enim sola humoris quantitas spectanda est, sed etiam consistentia; nam pituita crassa, viscida, tenax, quamvis parcior noctuque infestans, difficilius tamen resolvitur quam multa blandior & tenuior, quæ interdiu agitatur.

2. *Galeni* ratio est, quia cum febris diurna totum diem occupet, sola nox relinquitur cibis & medicamentis, unde homines vitam coguntur agere velut vespertiliones, nam à stomachi repletione non est dormiendum: quod ergo febricitant interdiu, & vigilant noctu, multum consumuntur, sicque facile in tabem abeunt: At sic non minus periculosa est febris nocturna quam diurna, quia noctu dum febris detinet, vigilandum est, quare non minus imminet periculum; & interdiu dormiendum, quod non est adeo salutare, Deinde noctu cibum sumere non est adeo periculosum, cum id sit pluribus consuetum: tum quia hora post cibum sumptum somnus sumi potest, at noctu vigilare est pejus, unde potius nocturna censenda est periculosior diurna.

Propterea statuendum est per nocturnam & diurnam nullam peculiarem differentiam febrium intellexisse *Hipp.* Nec esse absolute verum Diurnam esse longiorem & periculosiorem nocturna, Itaque de *Curatione* nihil addendum, nam curari debent pro natura humoris febrem committentis. *Primirosius.*

18. *Sæpe ad tabem*) Quia vix datur tempus cibandi & medendi ob paroxysmum singulis diebus invadentem, hinc corrupto tandem succo vitali partes suo alimento defraudari necesse est, unde ad Tabem haud raro ægrum deducit. *Piens.*

19. *Curatio*

19. *Curatio peragitur*) In hac febre, præter simplicem curen[illegible] methodum, quo in Tertiana judicatur, quam plures [illegible] intentiones, sive coindicantia, in considerationem veniunt, nimirum ut Ventriculus humorum saburr[illegible]tur, viscerum infarctiones liberentur, infirmita[illegible] corroborentur, atque una cum his dyscrasia sang[illegible]s emendari queat, & *accessiones febriles inhiberi* possint, [illegible] opere niti decet, Unde propter varias hujusmodi [in]tentiones longiori[illegible] ad curationem proceditur: In hoc casu Vomitoria, si vires ferant, erunt præ cæteris [illegible], etiam Purgantia, quibus assiduus materiæ excrementitiæ proventus eliminetur, sæpius iteranda: Præter hæc [re]media digestiva, deobstruentia, quæ fermenta vi[illegible] & sanguinis restituunt, & dyscrasias corrigunt erunt crebro adhibenda: Quamobrem sale herbarum fixi eorundem extracta, spiritus mineralium acidi, ac in[illegible]um chalybis præparata apprime conducunt, Circa [illegible] media difficile inc[illegible]bit periculum, cum ob multiplex [illegible]um simul plura sint agenda, attamen ob paroxysmi [fe]bril[is] assiduitatem paucioribus solum uti ægro vacat; In affectibus ita complicatis, licet methodi ratio postulet impedimenta primo amovere, & dein morbum sanare, tamen hujusmodi febrem in corpore cacochymico, cum plerisque aliis affectibus stipatam, sæpe amethodice & empirice modo curatam novi, scil. post levem totius provisionem remedia febrifuga externus applicata accessionem [illegible] primo sublevarunt, ut deinde reliquis affectibus curandis tempus & medendi occasiones felicius concederentur. *Willis cap* 7.

[illegible] curavit mulierem Ill. cachecticam, languidam, quotidiana laborantem cum ventriculi summa debilitate, ac ventriculi & hypochondr. tumore duro, 1. Enemat[a], [c]um aliis vacuationibus locus non esset, 2. hac mistura b[illegible] sumpta.

℞. *aqu. magistr. lumbric.* ℥ij. *elix. propr. gutt.* vj.

3. Fotu ventriculi ex fol. absynth. Pont. centaur. abrot. cum rad. [illegible], vino albo in vase cooperto incoctis, 4. Placenta [illegible] toto eidem liquori immersa, ventriculi regio[ni] [i]nvoca[illegible]. Febrifuga carpis admota, die 3. febrili paro[xysmus] [illegible] caruit, ac demum immunis fuit tandem chalyb[eat]orum usu intra breve tempus integre convaluit.

[illegible] *Peragitur*) V.S. in hac febre locum non habet; sed [illegible] purgamus si lipothymiæ non sit metus, alioquin fr[illegible] tutam incidimus, sudorem ciemus: Affecto cer[ebro] [illegible] enim fit si humor peccans prolabatur in cerebrum magis purgamus; Si vero ventriculus sit affectus, pu[illegible] *Willis.*

Peragitur) In Quotidiana habenda est ratio Febris & M[orbi] [illegible]e siccantia & calefacientia postulat, Illa co[illegible] [G]*alenus* ita in eo se gerit negotio, ut neglecta ad[illegible] materiei præparationi incumbat, Quod di[illegible] [illegible]tari debet. *Ballonius consil. 14. l. 1.* Illud in febre Ep[iala] ut & in omni Quotidiana, & quæ à crudis frigidisqu[e] humoribus nascitur, diligenter est videndum ut dum prod[esse] [illegible] volumus non obsimus: Quid enim illud est quod [illegible] cly[ste]ratum decoctionibus, & medicamen[tis] [illegible]oquimus radices aperientes, acriores, calidiores, [illegible]na, herbas, imo & calidissima quæque adhibe[illegible] [illegible] bri[illegible] augent, pugnant autem cum materia [illegible] quod reponi possit, in febribus morbis[illegible] [illegible] contraindicationem quæ à morbo sumitur, [illegible] medicamenta quæ calida sunt & sicca, hæc [illegible]unt morbum; *Galenus* autem *aph. 24. lib. 1.* [illegible], quoniam major sequitur utilitas ex evacuati[one] [illegible]m nocuorum, quam incommodum ex ea cx[illegible] quam inducunt medicamenta: Itaque in *Quotid[iana]* [illegible] Epiala, minus formidandus usus rerum calidarum [illegible] materia pugnet, incidendo, tenuando, [illegible] parando eam materiam quæ accessiones multas [illegible] productura; *Idem lib. de Virgin. morb. p. 164. & 165.*

Curatio per Indicationes ita est instituenda 1. ut tempus cibandi & medendi mitius seligatur. 2. Ne valida nimis & acriora adhibeantur medicamenta, Alias ex Quotidiana facile continua generari possit. 3. ut symptomata mitigentur. *Pisonc.*

19. *Peragitur*) Ad digestionem humorum pituitosorum ordinaru hoc Claretum

℞. *Aquar. absynth. fœnic. cichor.* ana ℥iij.
syr. cichor. cum rhe. ℥iß. *syr. v. radic.* ℥j.
granat. acid ʒvj. *crem. Tart.* ʒß.
spir. vitriol. gtt. vj.
aromatic. etiam cum spec. diarrh. alb. ℈ij.
cinnam. el. ℈j.
m. f. Julep. instar clareti, pro iij. *vel* iv. *doz. matutina & vespertina.*

Paroxysmus anticipavit, & fuit paulo brevior ex usu Clareti quod continuabat; Sequenti die ex hac Potiuncula ter vomuit. & per inferiora copiose evacuavit.

℞. *gumm. gotte gr.* viij.
tart. vitriol. gr. vj. *spir. vitriol.* gtt. ij.
aqu. cinnam. ℥j. m. f. Haustulus.

Postea sequens Expulsivum in accessione febris accepit.

℞. *aqu. card. ben. centaur. min.* ana ℥j.
aqu. cinnam. ℥j. *syr. de papav.* ℥iij.
sal. absinth, gr. viij.
pulv. fol. centaur. min. ʒß.
spir. vitr. gut. iv.
m. diligenter f. Haustulus.

Paroxysmus vix tres horas duravit: horum usu continuato intra paucos dies à febre immunis evasit. *Johann. Petrus Lotichius lib. 5. cap. 4. obs. 2.*

20. *Materia peccantis præparatione*) Si vitio alimenti crudioris contigerit, cavendum est ne agitemur humores, alioqui torsiones excitabimus, & deliquia animi inducemus; Et de iis maxime morbis audiendi sunt Aphor. *Hippocr.* quibus monet ne cruda moveantur; Et cum scribit: Eos qui pravo utuntur cibo ægre medicationes ferre: quod plenius demonstrat dum ait, Eos qui crudis cibis & humoribus abundant, ineptos esse ad Purgationem, Ideoque materiam esse præparandam, libertatem meatuum procurandam, utendum *decoctis origani, tragorigani hyssopi, thym, melicrato,* & id genus aliis. *Ballonius l. de Virg. m. p. 162.*

21. *Materiæ peccantis præparatione*) Sed præmissa alvi lenitione, in qua solet magna pituitæ copia stabulari, Primumque iniciatur clyster, qui paulo acrior esse debet, quia facultas expultrix humoris copia sopita est; non sit tamen acris nimium, quia ob imbecillitatem facile cadunt in syncopen.

℞. *malv. parietar. mercur.* ana *m.* j.
origani, ruta, hyssopi, ana. *m.* ß.
passul. ficuum ana. *Par. x. sem. anisi fœn.* ana. ʒij.
flor. cord. chamæm. ana. pj. *sulph. in panno raro ligato p.* j.
decoque in aq. hord. ad ℔j.
In colat. dissolve mell. rosati sacch. rub. ana. ℥iß.
Ol. chamæm. ℥ij. *m. f. Clyster.*

Procedente morbo fortiori erit agendum, addendo agaricum, carthamum, diaphœn. bened. hieram &c. nisi metus sit de alvi profluvio, quo febris hęc non raro solvitur, tumque abstinendum ab acrioribus: Potest etiam blandis pharmacis pituita è primâ regione vacuari, nisi sit nimium tenax, tunc enim prius præparanda, *Primirosius.*

Præparatione) Præparantibus utendum est, inter quæ præcipue laudat *Galenus Oxymel simplex*, quod etiam primis diebus exhibere licet, cum pituita, qua corpus scatet, tenuari, calefieri, moderate incidi debeat; At quia nocet ventriculo, miscenda erunt quæ ejus robur tueantur, ut mel rosatum, quod ratione mellis abstergit, ratione rosarum adstringit.

Difficultas moveri potest de syrupo v. rad. & aliis incidentibus & attenuantibus, quia utplurimum per urinas vacuant, Diureticis autem non est utendum initio; at si iis non utamur humorem non præparabimus, cum omnia pituitam præparantia ferme sint diuretica, ℞. incipiendum esse à levioribus, minus calidis minusque aperientibus, ne si fortioribus utamur crudus humor in venas deducatur, obstructionesque plurimæ contingant: Præterea Diureticum medicamentum redditur tantum incisivum variis modis, 1. si blandum sit 2. si humor admodum crassus & viscidus 3. si parva sit dozis 4. si addantur quæ retundant vires diureticas, ut sacch. rosat. 5. si Natura aliam viam affectet, aut urinæ meatus sint valde obstructi: sic diarrhœa laboranti jus cicerum rubr. raro movet urinam, potius abstergendo alvum magis movet, quod tamen non est semper verum.

Igitur primum utemur *Oxymelite simplici*, & levioribus, deinde accedemus ad Oxymel. compositum, syr. de v. radic. *Bizant.* de *Hyssope*, quibus, cum magnus est calor, admisceri possunt syr. de endivia, de cichor. s. compos. cum quibusdam aquis refrigerantibus, Ex prædictis fiunt Julepi, Apozemata, Syrupi.

℞. *Syrupi conservat. Nuc. condit. conserv. cortic. auri* āā ℥j.
aqua absynth. beton. āā. ℥ij.
aqu. theriac. ℥j.
aqua mir. ℥ß.
conf. Alkerm. ℈j.
moschi. ambra āā. *gr.* ij.
misce f. Julep. in duas dozes.

Stomachum roborat, & animi deliquio medetur, quod solet in hac febre esse adversissimum. *Primirosius.*

In Quotidianarum febrium, sive Continuæ, sive Intermittentes fuerint, curatione, pituitæ putrefactæ species qualitas, & substantiæ ejus constitutio omnium primo studiose cognoscenda, imprimis utrum *crassa* sit aut *tenuis*: Crassa enim ad sui extenuationem & concoctionem, & longius tempus & fortiora remedia crebrioresque evacuationes efflagitat quam tenuis & aquosa pituitosa; quin & in crassa omnia refrigerantia immoderate vitanda sunt: Sed in *serosa salsaque*, quæ fere bilis naturam præ se fert, modice refrigerantia, nonnihilque incrassantia tuto administrari possunt; Si igitur *pituita* sit *tenuis*, post venam sectam, levioribus; si verò crassa, fortioribus concoquatur & ad evacuationem præparetur, leviora remedia sunt hæc sequentia.

℞. *rad. asparag. graminis, fœnic. liquir.* āā. ℥ß.
semin. anisi fænic. āā. ʒiij.
capill. ven. beton. āā. *m. j. cinnam.* ʒij.
passul. minor. ℥j.
concisa & contusa cum aqua ℔iij.
in duplici vase coquantur ad ij. *libr.*
Per se refrigerata colentur, colati juris m. & v. sumantur ℥iv.
cuique dozi admiscendo vel *oxym. simpl. vel syr. bizant. vel syr. de duabus rad.* ℥iß.

F. haustus qui per 6. & 7. dies tepidus usurpetur, donec signa concoctionis in urinis conspiciantur. Si urina rubicundior sit & crassior cum subsidentia magis quam antea appareat, pituita concocta evacuetur sequenti haustulo.

℞. *Diaphœn. Diacarth.* āā. ʒiv.
aqu. absinthii ℥iij. *misce*

F. haustus, tepidus mane sex horis ante prandium ebibatur.

Fortiora remedia pituitam magis crassam & contumacem extenuantia sunt.

℞. *rad. Apii fœnic. petros. pimpin. dauci cret.* āā. ʒiij.
semin. anis. fænic. āā. ʒij.
h. hyssopi, card. ben. orig. torismar. puleg. flor. centaurmin. āā. *m.* ß.
absinth. p. j. *passular. min.* ℥.
cinnam. ℥ij. *zz.* ʒj.
agar. trochisc. in linteolo ligati ʒij.
fol. senna ℥ß.
concidenda concidantur, & contund. contundantur, & in cantharo cum ℔iij.
aqua coquantur, ad duas libras, & expressa colentur colati juris m. & v. sumantur ℥iv.
iisdemque admisceantur syr. v. rad. aut oxymel. scill. aut syr. de eupator. ℥iß.

F. haustus pro singulis vicibus, quo tepido m. ac v. utatur æger, donec concoctionis signa appareant; Hæc Potio egregie concoquit, simul pituitam concoctam sensim evacuat; Verum si alvus ab hac potione concitatio reddatur, agaricus & senna omittantur, & reliquis utendum.

Extenuata & concocta pars pituitæ subducatur; Quia verò pituita crassa putrescens in Quotidianis febribus simul & semel, vel æqualiter tota, nec concoqui nec vacuari potest, & concoquentia & evacuantia iteranda sunt; Cum autem Pituita salsa tenuis sit, & instar Tertianæ intensum excitet calorem, ea sequenti potione ad evacuationem præparari, & nonnihil condensari commode poterit.

℞. *radic. aspar. gramin. endiv. cichor.* āā. ℥ß.
liquir. ʒiij.
sem. iv. *frig. maj.* āā. ʒij.
sem. acetos. plantag. āā. ʒiß.
capill. ven. plantag. cum radic. agrimon. āā. *m.* ß.
passular. min. tamarind. āā. ℥ß.
cinnam. ʒj.
coq. cum ℔ij.
aquæ in duplici vase: refrigerata colentur, & colato liquori adde *syr. de endiv. bizant.* acetos. citri āā ℥ij.
F. Potio, de qua dentur m. & v. ℥v. tepide.

Si autem Quotidiana ex *Acida pituita* putrescente, quæ tenuis est & frigida instar melancholici humoris, cujus signa sunt acidæ eructationes, alvi obstructio, dolor frontis & hypochondrii sinistri, ac nisi curetur transit in Quartanam, nec caret periculo, sic, præmissa sangu. miss. & vomitu præparanda est ad concoctionem.

℞. *rad. asparagi. fœnic. cichor. polypod. liquir.* āā. ʒiij.
semi. anisi, fænic. āā ʒiij.
h. ceterach. cap. ven. fumar. āā. *m. j.*
flor. thymi, centaur. min. āā. *m.* ß.
passul. minor. ℥j.
cinnam. ʒiß.
Concisa in duplici vase cum ℔iij.
seri lactis capr. ad 2. *horas coquantur; Refrigerata colentur, Colato juri adde oxymel. simpl.* aut *syrupi acetosi,* aut *syr. fumar.* ℥vj. *& f. Potio.*

Franc. Joel.

Zacutus duo remedia proponit quibus se febres Pituitosas contumacissimas expugnasse gloriatur, 1. *Decoctum Chamomil.*

℞. *flor. chamom. pug.* iij.
comar. absinth. Pont. p. ij.
coqu. in ℔iij.
aquæ ad medietatem partis consumptionem, colat. adde sacch. albi ℥iv.
capiat mane ℥v. *vel* vj. *singulis diebus.*

Alterum est *Decoctum China & Guajaci ad* 25. *dies exhibitum.* Quod licet à Medicis timeatur in hujusmodi febribus, ob nimiam calefaciendi & exsiccandi vim, maxime tamen commeodatur ab iis qui de Indicis aromatis peculiares libellos scripsere.

Advertendum autem est *Zacutum* in regione frigida & humida Medicinam exercuisse, ubi tutius hæc remedia usurpari possunt: Idoque in aliis calidioribus, nonnisi corporibus valde pituitosis & cachecticis exhibenda. *Riverius.*

Malo non cedente, ad generosum aliquod auxilium confugiendum est E.g.

℞. *ligni guajaci.* ℥ij.
visci qu. ℥j.
ligni sassafras. ℈j.
infund. horis. xij.
in jure pulli gallin. ℔j.
dein bulliant ad consumptionem tertiæ partis; sub finem adde cichor. beton. menth. virid. ãã. fol. ij. Colat. ℥vij. *dentur*
horis quinque ante prandium per dies aliquot continuos. *Joh. Zecchius Consil.* 22.

[21.] *Quam & clyster*) Ante omnia alvus lenienda, in qua solet magna materiæ copia stabulari; primumque injiciatur, imo ante venæ sectionem (si fieri possit) clyster, qui paulo acrior esse debet. *Piens.*

[22.] *Concoctæ evocatione*) Dubitatur an perfecta coctio sit expectanda ante Purgationem, nam *Galenus, Paulus, Aëtius*, nonnisi completa coctione evacuant: *Trallianus & Avicennas* laudant frequentes & repetitas purgationes per epicrasin, etsi humor non sit perfecte coctus; quam sententiam merito amplectuntur quidam recentiores, nam, ut docet *Saxonia*, coctio maxime longa esse solet, deinde materia in tanta est copia ut post coctionem unico non possit expurgari cathartico: Præstat itaque levi apparente coctione sæpius & paulatim vacuare, nam ob longitudinem debilitantur ventriculus, hepar, tunc prima & secunda coctio male perficitur, quo fit ut pedes & crura intumescant, immineatque aquæ intercutis periculum, quæ mala prædictis remediis frequenter repetitis præcaveri possunt. *Primirosius.*

℞. *sem. carth. cont.* ℥j.
agar. troch. ʒiij. *senna.* ℥ij.
mechoac. hermodactyl. ãã. ℥ß.
turbith. ʒij. *jalap.* ʒiß.
sem anis. fenic. ãã. ʒj.
rad. Ireos Flor. ʒiß.
caryoph. nuc. mosch. ãã. ℈j.
chamædr. eupator. adianti. ãã m.j.
card. ben. m. ß.
cort. citr. sicci. ʒiß.
flor. anth. calend.
iij. cordial. ãã. *P.* ß.
f. Decoctio ad ℔j.
in qua calente infunde per noctem Diaphoen. ℥vj.
mane facta colat. & clarific. adde aq. cinnam. ℥ij.
mell. rof. ℥j.
f. Potio in iv. doz.
Sequens Pulvis optimus est.

℞. *Turbith. hermodactyl. jalap. scammon. crystalli Tart.* ãã ʒj. *senna.* ʒiij.
cinnam. sem. anisi, facch. c. ãã. ʒß.
dozis ad ℈iv.
crassos humores evacuat. *Primirosius.*

[23.] *Ejusdem concoctæ evacuatione per vomitum*) Vomitum valde commendant *Galenus, Ætius, Paulus*, quoniam humor pituitosus utplurimum in ventriculo stabulatur, sit autem Emeticum ex levioribus, ut *diasaro Fernelij*, ex raphano, oxymel. aqua tepida, quoniam in hoc morbo stomachus infirmus est.

℞. *Semin. aneth. atripl. raph.* ãã. ℥j.
[illegible] ʒj. *coque ad* ℔iß.
[illegible] oxymel. ℥ij.
[illegible] pro vomitorio. *Primirosius.*

H[illegible] cruditas adhuc est in Ventriculo aliqui improb[illegible], [illegible] volunt ut Vomitus ante septem vel octo die[illegible]tur, tutiusque concitari si signa concoctionis adsint, docent; & pituita causa incidentia, ut *oxymell. scill.* vomitoriis permiscent; In quo cum pituitam febris causam proximam minime esse ostenderimus, (Tit. 5. cap. 1. §. *Ab humore exortus*) nimis solicite laborare videntur. *Platerus.*

Inprimis Vomitus utilis est in Quotidiana, ita ut vix sit febris in qua sit utilior, & quidem, si necessarium videatur, per intervalla instituendus: Cautione tamen opus est ne ventriculus alias debilitatus adhuc plus debilitetur. Peracta *vomitione*, confortante aliquo, *vino generoso, aqua cinnamomi* aut simili extra vel intra usurpato stomachus roborandus, Vomitoriorum formulæ convenientiores sunt.

℞. *Salis Armon.* gr. xv.
Tartari emet. gr, ij. *vel* iij. *plus minus, misce, Detur in vehiculo calido.* Vel
℞. *aquæ card. ben. syr. Emetici Ang. Salæ ad* ℥ij. *vel* ℥ß.
syr. Nicot. ʒß. *ad* ʒj.
Misce pro dozi. Vel
℞. *Mercur. vitæ* gr. v. *vel* vj.
infunde in vini absinth. q. s. stent in loco tepido per noctem, mane.
℞. *filtraturæ sumat* ℥j. *vel* ʒx. *ad* ℥iß. *Etmuller.*

[23.] *Per Vomitum*) Quem valde commendant *Galenus, Ætius, Paulus*, quoniam humor pituitosus utplurimum in ventriculo stabulatur; sit autem Emeticum ex levioribus, *ut diasaro Fernelij*, ex *raphano, oxymel. aqua tepida*, quoniam in hoc morbo stomachus infirmus est; Sed purgatio per alvum tutior est. *Primirosius.*

[24.] *Cum aceto*) Quæstio esse potest an tutus sit acetosarum rerum usus, quas tamen ad incidendum tenuandumque mirifice conferre contendunt, Et apud antiquos nil æque ac *Oxymeli* in usu fuit in Febribus quas pituita parit: Tamen si omne frigidum partibus nervosis inimicum est, multo magis lædit acetum, quod partium tenuitate cum frigore præditum est, quæ efficit ut intro penetret vis frigoris: Sed si oxymeli lædit, nisi jure & loco adhibeatur, contra magnas habet commoditates in præparatione materiæ ventriculum occupantis; Si is vacuus sit, nulla pituita obsitu quis dubitat quin oxymel nociturum sit? nam integris viribus afficit ventriculum: Sin multa sit materia frigida, pervicax, lenta & glutinosa, quandoquidem exseris vires in eam, vis ejus prius obtunditur & hebetescit quam ventriculi corpus attingat: *Ballonius l. de Virg. m. p.* 163.

[25.] *Purgationem phlegmagogam, sudorem &c.*) Inter alvum subducentia conducunt *Infusiones fol. sennæ cum sale tartari, & spir. sulphur. Jalapa, Hidrocatharticum Turqueti, Calomelanos Turqueti* &c. *Piens.*

[26.] Inter solutiva damnant quidam *Cassiam, Tamarindos, Mannam*, quia nimia humectatione robur ventriculi dissolvunt; Item Colocynthida, quod lædat os ventriculi: *Syr.* quoque *rosar. laxat.* inutilis est, sicut & *Cathol.* nisi cum phlegmagogis & decocto pituitam attenuante misceantur; Sed prodest *agar. turbith, carth. rhabarb.* & ejusmodi.

℞. *Diaphœn.* ʒiij. *cath.* ʒß.
agar. troch. ʒß.
cum sacch. f. Bolus. Primirosius.

[27.] *Per purgationem phlegmagogam, Sudorem &c.*) In hisce affectibus licet medendi ratio postulet impedimenta primo amovere, & deinde morbum sanare, tamen ejusmodi febrem in corpore cacochymico, cum plerisque aliis affectibus stipatam, sæpe ἀμέθοδως & empiruo modo curatam vidimus, uti *Empl. Strobelbergeri. Sal. absynth. aqu. cichor. card. ben. alum. ocul. cancror. crystall. tart. tart. chalyb. Elix. propriet. Parac. Aqu. magistr. lumbric.* Piens.

[28.] *Sudorem*) Decoctum *rad. Chinæ* aut *Salsapar.* bene aromatizatum, quovis tempore potest adhiberi; Non quidem ad prolectandos sudores, sed ad præparandum, & superfluam humiditatem absumendum, quæ alvum ipsam φλαδαρωτέρας & κλαδαρωτέρας καὶ δυσπλανεστέραν reddit. *Ballonius l. de virg. m. p.* 163. Sudorifica non prosunt initio, quia materiam crudam in venas raperent. In fine materia mirificata conferunt. *Idem p.* 169.

Tandem conveniunt decocta ex *China*, *sassafras* cum herbis convenientibus, pro ratione ætatis, temporis anni, temperiei & similium, nam tempore anni calido admisceri quædam temperantia debent, ut cichorium, agrimonia: Commendatur quoque sal absynthii, card. ben. cum theriaca; vel rob sambuci cum aquis idoneis: *Decoctum chamædr.* per urinas vacuat, & multum prodest, inquit *Trallianus*.

℞. *Agar. gentianæ. āā. ʒß.*
deturante accessionem.

℞. *sem. dauci. castor. āā. ʒiij.*
opopan. ʒj.
cum melle fiat massa, dozis. ʒj.
ante accessionem. *Trallianus.*

Idem refert *Ætidem* de collo suspensum omnibus Intermittentibus, sed præsertim Quotidianis prodesse, Item araneum linteo involutum, de collo suspensum. *Primirosius*.

[29.] *Ventriculi roboratione*) Solet hæc febris maxime lædere orificium ventriculi, quare est roborandum assumptis & admotis, ut sunt *diarrhodon*, *aromat. rosat. diambra*, *troch. de rosis*, *de rhabarb. de absinth. ther. conserv. rosar. anthos*, *betonica*. Inter Externa laudantur Fotus ex *decocto absinth. menthæ*, *rosar. cortic. citri*, *macis*, *caryophyll. galangæ*, *ligni aloes*, Post Fotum *ungatur ol. nuc. mosch. aneth. nardino*, *de absinth. mastich. cum caryoph. nuce mosch. rosar*, *vel cerato stomachico*. Tela araneæ imbuta his oleis applicetur stomacho: Sed consilio *Tralliani*, hæc calida non dentur ante signa coctionis & corporis purgationem, alias inflationes pariunt; humoresque attrahunt, sicque viscera reddunt imbecilliora, inquit *Avicenna*. *Primirosius*.

[29.] *Ventriculi*) Cui maxime consulendum alioqui cœliacas torsiones inducemus, frustraque operam navabimus: hujus enim febris & Epialæ focus maxime statuitur ventriculus, cum pituitosum excrementum in ea parte maxime superfluat. *Bailonius l. de virg. m. p. 163.*

Diæta.

[30.] *Diæta*) Victus debet esse tenuis & incidens, ob pituitam, Aër cal. siccus vel natura vel arte; Cibus eupeptos, propter ventriculi & jecoris debilitatem, & extenuans, ob pituitam, Panis cum aniso subactus, Carnes avicularum &c. assæ potius quam elixæ, imo optimum abstinere carnibus ob stomachi languorem; eatum loco jusculis uti, incoctis radic. apii, petrosl. fœnic. hyssopo, thymo, major. salvia &c. abstinendum ab Oleribus frigidis, piscibus, vel parte his, etsi *Trallianus* utatur piscibus salsis? A leguminibus, lacte, caseo & lacticiniis; Conceduntur asparagi, cappares, avellanæ, olivæ, passulæ; ficus, pistacia, strobyli: *Potus* sit ptisana, quæ etsi refrigeret & humectet, tamen quia attenuat, absterget, alvum lenit, dari potest, cinnamomo vel aliis alterata.

Dubium an *vinum* conveniat? ob periculum ne febris augeatur; Vinum tamen quidam concedunt, quia concoquit, aperit, urinam provocat, modo sit album, tenue: nam si calida conceduntur, ut cinnamom. petroselinum &c. quidni vinum Naturæ magis amicum ac familiare, ventriculum aoborans? Alii non probant ob summam penetrandi vim quam possidet vinum, cum cito in vasa rapiatur & caput repleat; sic podagrici jubentur abstinere à vino, cum tamen interea calidioribus utantur. At hæc vini incommoda minus percipiuntur in melancholicis & pituitosis febribus, ob humoris crassitiem & frigiditatem; quare tum vino tum reliquis calidioribus tuto in his febribus utemur: Si non arrideat, detur mulsa.

Quod ad *tempus* nutriendi, & quantitatem alimenti, quidam contra mentem *Hippocr.* primis diebus tenuem victum instituunt, post septimam diem transeunt ad victum pleniorem, cum contra circa statum tenuius sit nutriendum: Quod si pituita fuerit acida, aut dulcis, tenuior victus imperandus ut à natura coquatur; si vero fuerit salsa, plenius, est enim coctioni inepta: Somnus brevis sit, nunquam diurnus, ne cruditates augeat, *Motus* convenit potius quam quies, sicut & ægrum ad iram concitare.

Sic cetera quæ ad diætam spectant, ad has indicationes referantur, ut calefaciant, attenuent & incidant. Notandum de coitu quod scribit *Aristoteles*, morbis à pituita conferre, nocere tamen febri Quotidianæ: id quod verum cum calor innatus validus est & fortis, ita ut spermatis emulsione non debilitetur, & si in corpore nec putredo est, nec ad eam dispositio: Cum autem ægrorum pituitosorum corpora, & calorem habeant debilem, & sint putridis referta humoribus, ad ulteriorem putredinem disposita, Veneris usus erit noxius. *Primirosius*.

Differentiæ.

[31.] *Differentias* pro ratione causarum sortitur.

I. Alia est à *pituita crassa*. Tum *Urina* est alba & tenuis, sed paulatim postea rubescere incipit, & hypostasis crassior efficitur, ac os continuo madescit. [32.] Fortiora *remedia* ad sui concoctionem exposcit, eaque repetita; [33.] quibus *Tartarea* semper adjici debent. Vomitus pilul. *Mercurial.* bene cietur. [34.] *Purgationi* infusum *Diacartami* & fol. sennæ cum Zingibere in aqua centaurii minoris, additis aliquot spiritus Vitrioli guttis, inservit. Singulis *septimanis* semel drach. 1. Theriacæ Androm. exhiberi potest.

II. Alia est à [35.] *pituita* [36.] *tenui acida*, & tum frontis & sinistri hypochondrii dolor: alvi obstructio, acidæ eructationes adsunt. *Curanda* scite, ne in quartanam abeat, [37.] *Vena epatica* sinistri lateris [38.] secari poterit. [39.] Ante paroxysmum specificum aliquod exhibebitur.

III. Alia à *pituita* [40.] *tenui salsa*. Tum salsedo & ariditas in lingua percipitur. [41.] Urina rubea & crassa cum caloris & acrimoniæ sensu prodit. [42.] Vena epatica dextri brachii incidi poterit.

[31.] *Differentia pro ratione causarum*) Quotidiana alia est vera, alia notha *Vera* quæ à sola pituita prodit, *Notha*, quæ oritur ex permistione bilis cum pituita, cum tamen pituita dominium habeat, Pituita autem excitans Quotidianam potest esse omnis generis, excepta vitrea crassa (datur etiam vitrea tenuis ex admistione spiritus acidi humoris aquosi) quæ potius excitat Quartanam, Neque etiam ex gypsea oritur Quotidiana. *Walæus Med. Pr. p. 107.*

[31.] *Differentiæ pro ratione*) Differentiæ ratione modi generationis, Alia *primaria* est, alia *secundaria*, Illa sine prævia Tertiana, aut alio aliquo morbo, primo ortum ducit,

ducit, cum in corpus cacochymicum, praviſque ſuccis refertum diatheſis febrilis incidat, Hæc vero Tertianæ vel alii ſuccedat morbo: Quæ autem Quotidiana incipit haud raro typum commutat, & Tertiana evadit, non ſecus ac Tertiana ſæpe in Quotidianam migrat: Siquidem inter haſce febres, earumque cauſas, magna eſt vicinitas, & conſtitutio ſanguinis parum immutata alterius in alteram μετάβασιν facit.

II. Ratione *Complicationis*, alia ſimplex eſt, alia compoſita, *Simplex* illa habetur in qua ſingulis diebus unicus ingruit paroxyſmus, *Compoſita*, in qua plures ſingulis diebus invadunt; Et nihil impedit poſteriorem eſſe veram, ſi diverſi ſint foci, quod in Quotidiana æque ac in Tertiana contingere poteſt. 2. Si materia febrilis, quæ per Cor circulans κοινῇ illam excitat, non diſcutiatur, aut evacuetur, ſed cum ſanguine refluo inter circulandum & fermentandum eodem die redeat ad ipſum cor.

III. Ratione materiæ febrilis, alia *Legitima* habetur, alia *Spuria*, *Legitima*, quæ ex febrili materia ejuſdem naturæ & temperiei oritur, *Spuria*, quam materia diverſi generis & temperiei excitat; Prior autem vix datur, poſterior autem frequentior, *Piens p.*240.

Febris Epiala.

[31.] *Differentias*) Huc *quidam* adducunt *Febrem Epialem*, quam volunt à pituita ortam, eamque duplicem ponunt, *Prima*, in qua intus frigus, extra calor ſentitur, *Secunda* in qua prope eodem tempore ſimul & calor & frigus ſentitur.

Prioris cauſa non eſt pituita, intus putreſcens & refrigerans, ſed accidit hoc ob inæqualitatem materiæ ad cor venientis, ſi nimirum v.g. à corde primo materia vitioſa ad habitum corporis propellatur, quæ ibi calorem efficit, dein vero bonus ſanguis cor tranſit, qui reſpectu prioris frigidus exiſtit, atque ita in habitum corporis calor, ob vitioſam materiam, in interioribus frigus, ob materiam bonam ſentitur.

Secundi cauſa eſt; non pituita vitrea, partim putreſcens partim non, ſed fit cum materia febrilis calida ad partes propulſa eſt, unde in iis calor poſtea acer ſuccedit, quam acrimoniam cum partes calidæ ſentiunt, frigus etiam eſſe falſo iudicant; Evenit hoc quando rigor poſt febrem venit: At hæ mutationes momentaneæ ſunt, nec diu durant ſuntque rariſſimæ. *Walæus pag.* 118. De Epiala ſupra pluribus.

[31.] *Alia eſt à pituita tenui*) Hujus forſan progenies fuit Febris quam *Quotidianam Vretico-ſpatatoriam* vocavit *Benjamin Scharfius in Miſcell. Cur.* Juvenis 24. annor. temperamenti calidi & humidi, febre corripitur in dies revertente, præcedente horrore & frigore quidem levi & brevi, calore vero intenſiori, qui ad octo horas durabat; Durante vero paroxyſmo, & ab ejus initio, continua tam urinam reddendi quam ſalivam exſpuendi moleſtia tenebatur; hinc ſubſequente ſumma virium dejectione, Ca[…]ausam hujus mali, partim in ſale bilis volatilioris, mediante efferveſcentia febrili, ad glandulas ſalivales copioſius delato, ſeroque admixto, & eidem materiam tam copio[…] quam rariorem & fluidiorem conciliante; partim vero in acrimonia ſucci pancreatici, ſerum juſto accus [r]eddente, & veſicam ad continuam urinæ expulſionem […] conſiſtere putavi: Curam hoc modo agreſſus […]an[…], & tale præſcripſi Purgans.

> ℞. *ext. mechoac.* ℈ß.
> *diaphorm.* ℈j.
> *reſine jalapa.* ℈j.
> *diagr.* […] gr. xv. *ol. aniſ.* gtt. iv.
> *m. f. Pilul. juſtæ quantitatis.*

Diaphoreticum tale, acrimoniam ſeri temperans, ſæpius reiterandum ordinavi.

> ℞. *ſpir. theriac. camph.* ℥ß.
> *c. c. ſalis armon.* āā. ʒiß.
> *eſſent. anodynæ.* ʒj.
> *f. Miſtura. Doſis* gtt. L. *aut* LX. *ex vino.*

Hiſce exhibitis remiſit quidem nimius urinæ & ſalivæ egerendæ conatus, nondum tamen plane evanuit, quare & ſequens exhibui.

> ℞. *aqu. plantag. endiv. portulac.* āā. ℥iv.
> *ſucci cydon. jujubar.* āā. ℥j.
> *ſyr. corall.* ℥iß.
> *portulac. rubi idæi.* āā. ℥j.
> *tinctur. corall.* ʒij.
> *anodyna.* ʒj. *pulv. abſorbentis.* ʒiß.
> *f. Miſtura.*

Qua uſurpata, & ad ſex dies continuata, omnia ſymptomata remiſere. *Benj. Scharfius in Med. Sept. vol.* 2. *pag.* 192.

[32.] *Fortiora remedia*) Hinc uſum Pilularum præ cæteris Arabes commendant: Aliis id non videtur, utile quoniam eorum tum uſus incidit neceſſarius cum è partibus remotis abducenda eſt materia, ſed hic in alvo continetur: tamen ob contumaciam humoris, & quia quæ ſunt liquida dum cito transfluunt, vires integras in ventriculum non exſerunt, niſi te revocaverit calor quidam immoderatus, Pilularum uſus non eſt repudiandus. *Ballonius. l. de Virg. m. p.* 169.

[33.] *Quibus Tartarea ſemper*) Tartari depurati uſus eſt craſſos tartareoſque humores, præcipue autem in prima ventris regione ſtabulantes, incidere ac attenuare; Hinc quoque primas ſibi vendicat inter Digeſtiva univerſalia, cujus rei gratia & catharticis præmitti plerumque ſolet; quinimo ad laxandam alvum commodiſſimum medicamentum eſt, ſi ſaltem grano uno ac altero *diagridii*, vel gummi de *gamandra* acuatur. *Schroderus Pharm. l.* 4. *pag.* 119.

Cremor & *Cryſtalli* eaſdem habent vires, niſi quod *cremor* paulo ſubtilior eſt; utrumque attenuat & incidit, alvum blande ſubducit, fermentum ventriculi reſtituit, aliorum purgantium vires facile recipit, imo & eaſdem auget, & interdum reprimit, præcipue in ſcammoniatis. *Margravius in Collect. Chym. Leyd.* Conſtat ex acido & alkali inter ſe temperatis, nullo fere modo corroſivis: Hinc blande attenuat, incidit, reſolvit, alvum laxat, humores præparat, fermentum ventriculi fortificat; ſi imbuatur aliis purgantibus horum malignitatem reprimit, fœtorem abſcondit: *Idem ibid.* 429. In familiari jam uſu eſt, eoſdem in fines, *Tartarum, ſolubile* in aqua frigida, ſic parandum.

> ℞. *Cryſtallor. tart. pulver.* ℥iij.
> *ol. tartari per deliquium.* ℥iv.
> *ſolvantur invicem, ſolutionem filtra per chartam, filtratæ affunde aceti deſtillati.* ℥xx.
> *ſolvantur denuo ſimul, dein evaporentur lento igne ad cryſtallizandum, Cryſtallos lente exſicca & ad uſum ſerva.*

Omnia efficit quæ cremor; idque quadruplo fortius. *Le Mort. in Collect. Leydenſ. Chriſt. Lovve Morley. p.* 444.

[34.] *Purgationi infuſum*) *Hiera* inprimis confert in hac febre, ſi quando alias epicraſi utendum, tum quia nonniſi tempore materia detergetur, coquitur, deraditur & expellitur; tum quia & tempore vires deteruntur, & ſpecie ipſa morbi imbecillimi exiſtunt: quicunque enim morbus ventriculum occupat, cujuſmodicunque ſit, is cum virium imbecillitate perpetuo junctus eſt. *Ballonius*, l. de Virg. m. p. 168.

[34.] *Caſſia &c.*) Iis quæ Caſſiam recipiunt locus eſſe non debet: quia enim ea leniunt tantum, & ſuo virore lentoreque diſſolvunt ventriculum, ideo minus quadrant. *Idem. ibid. p.* 167.

[35.] *A pituita tenui acida, vena Epatica &c.*) Si Quotidiana ex acida pituita putreſcente, quæ tenuis eſt & frigida

instar melancholici humoris sit excitata, statim initio, si corpus est plethoricum, sanguis ex vena Epatica sinistri lateris detrahatur, *Fr. Joel.* Vide de hac specie Notas ad §. *Praeparatione.* & §. *Signa.*

36. *Pituita tenui, acida*) *Rhabarbarum* non convenit quidem humori acido depurgando, sed tamen quia robur addit ventriculo, potest aliquando usu capi. *Ballonius l. de Virg.m.p. 168.* Nullum se invenisse purgans humori acido expurgando idoneum reperisse asserit, donec aciditas retusa & victa fuerit *Fr. Sylvius in Praxi.*

37. *Vena Epatica*) Venae sectio in Quotidiana quaeritur An conveniat, nam nec à *Galeno, Aëtio, Paulo*, aliove Authore commendatur, *Actuarius* ex professo improbat, eo quoniam pituitosi & crudi humores subsint; Sed non est imitandum illorum praeceptum hisce in casibus 1. Si sanguis valde accensus, fervidus & dissolutus sit, ita ut periculum immineat ne in continuam Quotidiana mutetur, vel in alicujus visceris inflammationem 2. uti licet V. S. si sitis magna, dolor ac calor, ipsaque lingua arida valde adsint, Nec *Avicenna* V.S. improbat si urina crassa sit & rubicunda. *Piens p.244.*

38. *Secari poterit*) In tanta cruditate non videtur conferre V. S. In aliis quidem febribus, quarum materia partim in venis minoribus, partim majoribus concluditur, praesertim cum putredinis signa elucent, non ratione antecedentis materiae tantum, sed & conjunctae, sanguis demitur; quoniam materia febrem accendens in venis confusa esse videtur, non tantum in praecordiis, ut placet recentioribus, cum sunt interpolatae, sed in hac materia plane videtur secreta, &, ut ita dicam, sequestrata, & tunc minus à natura regitur: Hanc opinionem confirmat bonus medendi magister *Savanorola*, *Circum loca arteriarum & venarum non videtur probabile pituitam tantae frigiditatis coerceri posse, idque sensim, plurima enim adest in illis locis caliditas, sed in profundioribus locis, longeque à corde semotis coercetur, ut sunt intestina, ventriculus, venae profundae, musculorum.* Quod veteres in eam adduxit opinionem, ut audacter in febre Epiala, febribusque natis à cruditate humorum, venam non secarent. *Ballonius l. de virg. m.p.172.*

39. *Ante paroxysmum specificum*) Inter secreta hoc habetur.

℞. *Uvae crispa seu spina albae.* ʒj.
pulv. cum syr. vel oxymel. simpl. q. s. mixta tribus vicibus exhibeatur: semper duabus horis ante paroxysmi invasionem. *Arnoldus Weickardus Thes. Pharm. l.2.c.5.pag.422.* Pyretagogum hoc est bonum.

℞ *Myrrh. el.* ʒß.
pulveris. adde Olei piper. gtt. iiij.
misce, & cum syr. fumar. vel vino cretico, da ante paroxysmum.

Frigus & tremorem, ipsamque adeo febrem invadere prohibet, si non prima, tamen secunda aut tertia vice datum. *Arnoldus Weichardus. ibid. c. 8.p.429.*

39. *Ante paroxysmum specificum*) ℞. *agar. gentianae.* ãã. ʒß.
detur ante accessionem. Item.

℞. *semin. dauci, castor.* ãã. ʒiij.
opopan. ʒj. *cum melle f. massa, dosis.* ʒj.
ante accessionem. *Trallianus.*

40. *A pituita tenui salsa*) De hac vide Notas ad §. *praeparatione, & §. Signa.*

41. *Urina rubea & crassa*) Etsi veteres audacter in Febribus à cruditate humorum natis venas non secarent, In quotidianis tamen sanguinem educunt, praesertim si urina rubra & calor auctus id suaserint. *Ballonius l. virg. morb. c.8.*

42. *Hepatica dextri brachii*) Arabes nescio quid excogitant de secanda vena in Quotidiana; Secant basilicam sinistram; praesertim in frigida coeli constitutione, In calida autem dextram; Hoc forte illis in mentem venit, quod legerint apud *Galenum* facilius promptiusque educi sanguinem crassiorem aperta sinistri brachii vena quam dextri: Nescio ubi haec *Galenus* scripserit. *Ballonius.*

42. *Vena hepatica incidi poterit si urina rubea & crassa* &c.) Quaeritur An V.S. conveniat, nam nec à *Galeno, Aëtio, Paulo: Averroe* &c. commendatur: Actuarius ex professo improbat: Cum enim humor sit frigidus crudus, à natura sanguinis valde alienus, viresque sint valde debiles piaculum est cum sanguine calorem nativum profundere; *Avicenna* tamen V. S. non improbat si *urina crassa sit & rubicunda*, Galenus ipse sanguinem mittit in omnibus putridis si adsit morbi magnitudo viriumque robur; Neque adeo metuenda est humorum crudorum copia, siquidem cum duobus praedictis non possunt adeo humores crudi dominari, ut hoc auxilium prohibeant, Spectandum igitur num vires & aetas consentiant, quod raro in Exquisita Quotidiana accidit, quia ab humore crudo in senibus, pueris, anni tempore frigido contingit, ut S. m. corpus magis refrigerat, inde sanguine vacuato humores recrudescunt, inde ait Avicenna, *Cave ne aegrum perducas ad frigidorum incrudationem, Si ex urinis igitur sanguinis permistionem indices, fiat. V. S. alias non.* At non solet tunc esse Exquisita, raro itaque sanguis mitti debet. *Primirosius.* Vide supra §.37.

Detracta è ventriculo, intestinis & venis mesaraicis, pituita, si corpus sit plethoricum, aut si pituita putrescens in venis sit salsa serosa vel acida, venae hepaticae dextri lateris fiat incisio (in crassa enim pituita vena secari non debet) sed sanguinis minime copiose detrahatur, ℥v. detraxisse satis sit. *Fr. Joel.*

ARTICULUS III.

De Quartana Intermittente.

1. QVartana Intermittens est 2. *Febris ab humore melancholico, in venis mesaraicis exorta,* 3. *quarto quoque die infestans.*

4. *Signa* ejus sunt 5. *Pandiculatio & Oscitatio*, sequente *rigore*, qui ab initio materia crassa existente exiguus, progressu, attenuata eadem, iis qui hyberno frigore refrigerantur, similis, non tam pungens quam ossa contundens: 7. *Calor*, propter materiae crassitiem, paulatim succensus, 8. cum quo *Sitis* urget, sed propter materiae siccitatem, quae eum exacuit, quotidianae acrior, 9. *Pulsus* rarus in principio propter frigus, tardus propter oppressionem facultatis à materiae crassitie; In vigore paroxysmi velox & frequens, moveturque in principio & fine arteria velocius quam in fine: quod si pulsus & in quiete tardior & rarior manet, quam aegri natura fert, ob dispositionem nempe frigidam quae post exustionem manet, certissimum est quartanae signum. 10. *Urina*, 11. in principio primis octo diebus tenuis & aquosa, quod tum crassi humoris copia in venas

venas irruens obstructionem pariat, post coloratiores & crassiores, natura meatus reserante & ad Cachecticam in accingente. *Sudores* in principio paucissimi, ob materiæ crassitiem, post fusâ edem c[illegible]piosi & foetidi.

1. *Q[illegible]ana intermittens est febris*) Sic describit *Piens pag.16[illegible].* [illegible] aff[illegible]tus à molestia cordis irritatione, ex inordinata [illegible]tatione, cum pulsu celeri & inæquali, horrore, atque per totum corpus diffuso calore, de quarto in quartum diem invadens, atque ad intermissionem ven[illegible]

Quartana Intermittens est Febris ab humore melancholico A Melancholia febres Quartanæ fieri dicuntur, sunt autem eæ quæ quarto quoque die repetunt; Dividuntur in Intermittentes & Continuas, sed quæ exacerbationes habent: Communis generatio utriusque est ex Melancholia putrescente, quod probat *Hippocr. l. de Nat. Hom.* quod autumno maxime generetur, & ea ætate quæ est à 25. ad 45. quæ ætas omnium maxime atræ bili est obnoxia, ut inter anni tempora autumnale: additque, si quis extra hoc anni tempus & ætatem quartana corripiatur illam minime diuturnam fore: Refert *Avicenna* quosdam negasse Quartanam fieri à melancholia, quoniam ipsa non putrescit, quos ideo fefellit, quia omnis humor putredini obnoxius sit: At quamvis negandum non sit à melancholia posse fieri Quartanam, sic ab eadem posse fieri & Tertianam & Quotidianam ostendimus, pro varia humoris quantitate, tenuitate, crassitie, mobilitate. Sic pariter negandum non est ab aliis humoribus quam à melancholia posse fieri Quartanam, nam si T[illegible]tiana, quam bilis parere dicitur; adeo interdum postponit & remoratur, ut periodi suæ ferme obliviscatur, cur adeo retardare non possit ut quartano tantum c[illegible]rcuitu moveatur: Sic quoque pituita vitrea, quæ Epialon facit, movetur quarto die: In plurimis biliosis pitui[illegible]sque febres fiunt Quartanæ, quarum symptomata alium quemlibet humorem quam melancholicum indicant. Præterea non melancholici humoris, sed pituitosi aut alterius cujuslibet vacuatione solutas fuisse febres has experientia ostendit, Imo rarissime quispiam aut urinis, [illegible]ut [illegible]ectionibus, aut vomitibus humorem atrum ex[illegible]n vidit, nec minus frequenter hujus humoris excret[illegible] in aliis febribus quam quartanis cernitur: Nec [illegible] est, quod scribit Hippocr. & autumno & post 2[illegible] o[illegible]dinarie contingere, nam & in mulieribus, [illegible] & æstate, & vere quartanas cernere licet, etiam [illegible]estantes. *Primirosius.*

[illegible] *quoque die infestans*) De quarto in quartum diem [illegible]ur istæ particulæ, (vide inferius §. *Causa est humo.* [illegible]atione *motus*, vel *collectionis*: Ratione *motus*, conferunt *quantitas*, vel *qualitas* febrilis materiæ, ac conditio *loci*: cum *quantitas* particularum fit pauca, sensim colligenda est febrilis materies: *Hellerius* ait quod pituita consistentia crassa, quantitate pauca, quartanos, aut etiam rariores circuitus facere possit: *Per qualitatem* febrilis mat[illegible]æ hic intelligenda venit particularum crassities [illegible]tas, ita ut tam prompte è foco suo febrili moveri [illegible]t pr[illegible]ut reliquæ humorum particulæ tenues, [illegible] ac [illegible]cile solubiles; quo tenuior enim est substantia, [illegible]llius moveri, ac per consequens accendi potest, quo crassior & viscosior, eo difficilius &c. *Conditio* autem [illegible] angustia meatuum istius, in quo febriles [illegible] particulæ, lentæ, tenaces & tartareæ: Has causas [illegible]m omni quartana locum habere, ac quartanarum [illegible] periodos inde discimus, quod omnes [illegible] obstructionem alicujus visceris contumacem [illegible] vel magnam in visceribus cruditatem, ex vi[illegible] tartareis & crassis humoribus collectam: [illegible] vinum exhibeas, atque valde attenuantia, quæ egregie fermentant, & obstructiones solvunt, haud raro febris profligatur: Nec tantum viscida, crassa, lenta est hæc febrilis materia, sed etiam acris, acida, ac alio aliquo modo intemperata, & male figurata, quæ indispositio non solum melancholiæ competit, sed & aliis humorum particulis disproportionatis, & de quarto in quartum diem fermentando ad motum aptis &c. Ratione *Collectionis* conferunt, partim *Materia*, in qua causa hæret, si cibi sint crudi, viscidi, tenaces ac leoti, ut pisces arefacti, panis non bene fermentatus &c. Partim *Efficiens*, cum vel ipsa viscera (uti in quartanariis haud raro contingit, eo modo intemperata ac frigida existant, ut humores remorando facile eos incrassent; vel cum eorundem dispositio vitiata fit, ita ut humores ibi facile restagnent; quæ causa [illegible] quoque locum habet. *Pieni l.p.268.*

2. *Quarto quoque die*) In Quartana periodi longiora habent intervalla, quia cum sanguinis dyscrasia fit versus acidum, ideoque minus acris & calida, succum alibilem sine lucta & tumultu pervertit, quare ejus nonnihil assimilatur, & reliqui depravatio non ita longe (ut in tertiana) à statu naturali recedat; atque hinc ejus congestio ad plenitudinem fit tardior, & fere sesqui altero istius temporis quo in tertiana ad turgescentiam adsurgit, ideoque hac febre correpti mediocriter valent & robusti sunt, quod indicium est succi nutritii minus depravati: Etiam paroxysmi sine immani incalescentia fiunt, quia sine magna adustione humor nutritius in materiam fermentativam pervertitur. *Willis.*

3. *Quarto quoque die*) Cur tarde redeant paroxysmi, causa est, 1. quod humor sit admodum tenax & crassus, 2. quod omnes partes, ut & cor, sint admodum constrictæ, multæ cruditates in corpore abundent, quare non ita prompte expellunt humorem noxium; dato enim vino dicunt se melius habere, reficiuntur enim spiritus vitales, quare cor se magis expandit. *Walaus Med. Pr. pagin.* 120.

4. *Signa ejus sunt*) Tertianam à Quartana qui non discernit prima die Medici nomine indignus est, inquit *Galenus 2. Crif. cap. 4.*

5. *Pandiculatio & oscitatio &c.*) Signa hæc formam febris designãt, Incipit Quartanana cũ oscitatione, refrigeratione, aut rigore sed exiguo, post vero aucta febre rigor augetur, qui quidem non sicut in tertianis pungens est, sed contundens, & ossa gravans, refrigerationemque percipiunt qualem homines per gelu persentire solent, idque ob humoris crassitiem, qui cum impetu moveri non potest, cujusque vapores crassi sunt & sicci, unde quando membranas ferit, non pungit sed gravat: ubi recedit frigus, vomitio erumpit amara & biliosa, quamvis *Galenus* negant vomitum biliosum adesse in Quartanis, observatus tamen is sæpe fuit, unde absurdum non crediderim etiam à Bile fieri posse Quartanam: Augmentum difficile est & prolixum, quia humor frigidus, crassus difficulter accenditur & putrescit: Sitis, vigiliæ, capitis dolor, symptomata reliqua mitiora quam in Tertiana: Nec in statu multus calor est, Tandem declinatio cum pauco sudore, sed temporis progressu attenuato humore, copiosissimi sudores erumpunt; Paroxysmus longus esse solet, & quarto quoque die redire; Quod si humor ad *atram bilem vergat*, calor erit acrior, urina magis colorata, pulsus majores, frequentiores, aderuntque humoris adusti & calidioris signa, soletque alus ponus febribus succedere quam primo incipere, quia humor adustione atræ bilis naturam subit: Habet præterea plurima signa cum bile flava communia: Adde quod postri-

die accessionis æger etiam vestigia quædam percipit caloris non naturalis, nam & lassitudinem sentit, & male dormit, nec bene appetit, demum Notha hæc brevior, sed molestior estquam exquisita ob humoris seriatem, & male curata, aut calidis irritata, facile in duplicem triplicemve, imo in continuam degenerat, *Primirosius*

6. *Sequente rigore qui &c.* Rigor hic est talis, inquit *Galenus 2. de diff. febr. c. 5.* qualis iis qui versantur in intensissimo frigore, non autem iis qui in Sole versantur: *quasi diceret*, vehementissimus & cum concussione totius corporis, non superficialis: Hoc explicat *lib. de Trem. & Palp. c. 7.* his verbis, Qui quartanæ rigorem experti sunt, ad ossa usque penetrare ajunt; si sit vehemens, similis quippe iis rigoribus qui ex frigore externo sunt: Tu hic cogita, quorsum dicit illud, si sit vehemens? primis diebus invadere fere solet cum oscitatione, pandiculatione, & totius corporis sensu quodam inæqualitatis, quem excipiat frigus non magnum, horror potius quam rigor, verum qui temporis progressu subinde fiat major, usque dum vehementissimus evadat, dolorem afferens, non mordacem, seu punctorium, uti in Tertiana, sed gravantis, & quasi confringentis ossa, qui dicitur ὀστοκόπος. *Pieus pag. 269.*

7. *Calor*) Calor febris effectus nil simile habet cum Tertianæ calore. 1. ad *Glauc. 6.* Neque enim subito effulget, sed paulatim augescendo succeeditur, uti lapis, aut testa, aut quodvis corpus frigidum, & siccum, *2. de diff. febr. c. 5.* nihilo tamen acris est & mordax, licet ad acredinem tertianæ non accedat. *Pieus pag. 270.*

8. *Cum quo sitis urget*) Vide supra § *Signa ejus sunt.*)

9. *Pulsus*) Hi durante vigore, inquit *Hofmannus*, sunt rari, tardi: Hoc quidem verum est in principio, atque ob crassitiem & materiæ lentorem, quo ejus particulæ difficilius solvuntur & fermentantur; In vigore tamen satis celeres apparent, uti experimento quotidiano in quartanariis constat. *Pieus p. 270.*

9. *Pulsus*) In hac febre sunt tardi, rari, & duri in principio, dum rigent ægri, sed postea fiunt majores, validiores & paulo velociores: In Tertianis quidem Pulsus sunt parvi, tardi & rari, sed minus quam in Quartana, in qua scil. videtur arteria quasi ad interiora retracta, c. 3. 2. de *Crif.* Unde quamvis æger sit juvenis, talis tamen fit pulsus qualis in ætate decrepita, in qua ob caloris nativi pauperiem, & spirituum paucitatem, pulsus sunt parvi, tardi & rari; tarditas autem quæ in Tertianis apparet, parum abest à motu naturali: Etsi vero in augmento Pulsus fiant celeriores ob caloris incrementum, tamen si comparetur Quartanę status cum statu Tertianę: pulsus in Quartana tardiores sunt & rariores quã in Tertiana: Demum addit *Galen.* in Tertiana arteriæ inæqualitatem in uno pulsu manifestius apparere, quam in reliquis febribus, si quidem multo velocius habet principium finemque motus, quam medium. *Idem.*

10. *Urina*) Urinæ variæ sunt, initio crudæ ob crassitiem materiæ, quæ obstructiones generat, procedente morbo coloratiores, crassiores, hypostasin habentes, ex *Aëtio*: Sed ex *Gal.* 1. ad *Glauc.* variæ sunt urinæ, sed crudæ omnes, quod intelligendum de principio, nam in statu & declinatione apparent coctæ, unde falso quidam *Galenum* de toto morbi decursu intelligendum volunt; nam urinæ perpetuo non possunt esse crudæ, maxime quando natura morbo dominari incipit: Observat *Gordonius* urinam interdum in ipso principio apparere bene coloratam cum laudabili hypostasi, quia ægri in intervallo optimam observant vivendi legem, bene dormiunt; Tunc coctio quæ videtur, non est humoris morbifici, sed cibi, ideo humoris coctio tunc ex remissione tantum symptomatum cognoscitur, Est autem urina Quartanæ adeo similis urinę febris pituitosæ ut discerni vix possint, Unde *Gilbertus Anglicus* c. de Quartana, & *Richardus* quidam doctissimus, referente *Arculano*, sancte professi sunt se nunquam potuisse ex urinis Quartanam agnoscere; aut epilepsiam, aut graviditatem, quod est verissimum, & experientia comprobatum. *Primirosius.*

10. *Urina*) Quartana, etiamsi sit alicujus humoris acris soboles, nulla tamen quandoque ejus indicia in urinis exhibet; nec in paroxysmo, nec extra paroxysmum; *Gilbertus Anglicus in Praxi, cap. de Febr.* & *Richardus*, artis Medicæ peritus, referente *Arculano*, comm. in *Avicennæ 4. Can fen 1. tr. 20. cap. 65.* ingenue professi sunt se nunquam posse ex urinis Quartanam cognoscere. *Pieus Tr. 1. de Febr. cap. 2.*

11. *Urina in principio*) De urinis Quartanarum refert *Joel*, quod extra paroxysmum sint aqueæ, tenues ac pallidæ, sed die paroxysmi magis ad obscuram flavedinem vergant; & ante solutionem febris, utplurimum turbidæ & nigræ excernantur, adeoque nigras urinas in Quartanis esse salutare signum, utut in aliis morbis periculosum.

Urinæ sunt variæ (*inquit Pieus p. 270.*) sed crudæ omnes, *1. ad Glauc. 7.* albæ, tenues, aquosæ, *2. Crif. 4.* Hoc de principio accipit *Cæsalpinus*, in augmento, *inquit*, crassescunt, & magis colorantur; In ἀκμῇ, seu statu, multam habet subsidentiam, pauciorem tamen quam in Quotidiana; perfecta igitur coctione dealbantur.

12. *Sudores*) Qui finito paroxysmo apparent copiosiores quam in Quotidiana; minores quam in Tertiana. *Pieus.* Quod de omnibus Quartanariis non est accipiendum; quidam quippe adeo sudoribus diffluunt ut iis immergi videantur.

Causa.

13. *Causa* est 13. humor melancholicus, in venis mesaraicis 14. circa lienem & vicina viscera, 15. ex causis similibus, 16. Inter quas & *Acetum* est, collectus & putrescens. Nam nisi hoc esset, nulla posset dari ratio, cur ictero nigro vel melancholia laborantes non evadant quartanarii. *Sala* causam in materiam subtilem in ventriculo primo collectam, post humoribus crassis intime mistam, sanguinisque massam coinquinantem conjicit, ad cujus incrementum, fluxum & refluxum, statis temporibus, interveniente caloris vel frigoris communicatione paroxysmi fiant.

13. *Causa est humor*) Causa proxima est magna & molesta cordis irritatio ab omnis generis humoribus, tartareis scilicet, nitrosis, lentis, viscidis, crassis & tenacibus difficileque solubilibus, ac de quarto in quartum diem vim fermentandi & irritandi habentibus &c. Itaque negandum non est ab aliis humoribus quam à melancholia fieri posse Quartanam; nam si Tertiana, quam bilis parere dicitur, adeo interdum postponit & remoratur, ut periodi suæ ferme obliviscatur, cur adeo retardare nequeat ut quarto tantum circuitu moveatur? Et quid? bilem esse sua natura tenuem, posse tamen adeo natura sua crassescere ut crudis ovorum vitellis sit similis norunt & dupondii nostri. Quid? bilem etiam in sua vesica in lapides densari posse, sciunt lanii quoque, quidni ita quartanariis? Sic quoque pituita crassa, terrestris, & vitrea, quæ Epialon facere creditur, movetur quarto die, quo enim magis aut ulterius quidpiam è particulis terrestrioribus scatuiat, eo minoris erit spiritus *animalis* activitatis

vitans, [illegible] & eo diuturnior, radicatior, ac diuturnior erit [illegible] ex iis emergens & *κακοχυμικὸς* perstabit.

P[illegible] rarissime quispiam aut urinis, aut dejectio[illegible] vomitibus humorem atrum excretum vidit; nec [illegible] frequenter hujus humoris excretio in aliis febribus [illegible]uam quartanis cernitur: Item si vena in Quartanariis [illegible]tur, purus ac floridus non raro excernitur [illegible] qu[illegible] in quotidianariis secus evenit: Insani e[illegible] [illegible]r sanguine terrestri & atrabilario (uti dicunt) abundent [illegible] nunquam secundum *Hippocr.* in quartanam incidunt. Et quomodo generetur ab atra bile; cum humor des[illegible]ribitur esse acris, malignus, corrodens, perniciosus, unde potius acutissimus morbus foret & periculosissimus, ac sævissima inducerentur symptomata, quibus tamen quartana naturæ suæ ratione caret, cum sit febris diuturna, minimeque periculosa? *Piens pag. 260.*

12. *Humor melancholicus*) Oritur vel ab humore acido peccante, vel à melancholia, vel pituita, denique, sed rarissime ex bile. Symptomata & signa apparentia singulos humores ostendunt peccantes. *Walæus Med. Pr. pag* 119.

13. *Humor melancholicus in venis mesaraicis*) Super hac re quæ vulgo perhibetur opinio à veritate multum recedit, Fere omnium consensu Febris Quartanæ essentia & origo humori melancholico, alicubi in primus viis coacervato, & periodice illic putrescenti adscribitur, vice hujus, asserimus nos, quod in hoc morbo sanguinis liquor à natura dulci, spirituosa, & balsamica in acidam, & nonnihil austeram, instar vini acescentis transierit, nimirum adest sanguinis penuria, atque sanguinis pars terrestris seu tartarea, (quæ constat imprimis sale & terra [illegible] nimis exaltatur, & in fluorem evecta acorem cruoris massæ inducit; non secus ac cum cerevisia à tonitru commota, & fæce turbida infecta acescit: Sangnis hoc modo ab indole nativa degener succum alibilem non rite coquit, & sibi assimilat, sed in extraneam materiam pervertit, qua cum ad plenitudinem in vasis saturatur, partesque nervosæ à succo illinc oriundo irrigantur, sequitur hujus materiæ fluor, & velut spontanea effervescentia, quæ nimirum accessio febrilis cum rigore & calore non secus ac in Tertiana solet induci.

Dici dum igitur videtur quod Febris Quartana, æque ac cæteræ Intermittentes, à vitiosa sanguinis diathesi dependet, quia nimirum succus nutritius, sensim in [illegible] delatus, in materiam fermentativam pervertitur, atque hujus, usque ad turgescentiæ plenitudinem congestæ eff[illegible]vescentia, febris Quartanæ paroxysmum constituat, [illegible]s de Febr. c. 4.

14. *Humor melancholicus*) Cum variæ sint melancholiæ [illegible] *Arabes* post *Trallianum* ex omnibus illis has fieri vol[illegible] Alii vero ex solo melancholico humore naturali; nequaquam vero ex aliis speciebus; Et quidem quod spectat naturalem istam melancholiam, certum est ex *Galeno* [illegible] ipsa putrescente fieri febrem, quoties propius ex causu [illegible]bunde cumulatur, nec caloris nativi beneficio regitur.

[illegible] de melancholia præternaturali maxime dubium; [illegible] vel ex naturali ulteriori incendio in atram degenerante vel ex flava superassata; at quomodocunque generetur, humor est acris, malignus, corrodens, perniciosus [illegible]nde inferre possumus ab atra bile non posse [illegible], quia tunc acutissimus morbus foret & [illegible], cum Natura humoris adeo noxii præsentiam [illegible]eat: deinde sævissima inferrentur symptomata [illegible] exulcerationes, phrenitides, ardores maximi, [illegible] inexhausta, inquietudines, aliaque id genus maligni humoris propria, quibus tamen Quartana Naturæ [illegible], cum sit febris diuturna minimeque peric[illegible] *Galen. 2.* de diff. feb. ex solo humore melancholico, [illegible] siccoque, generari vult, nullibique eam fieri ab atra bile prodidit, Quamvis enim *2. Progn.* *3.* & *3. aph. 22.* duplicem illius generationem faciat; unam ex assato sanguine, alteram ex bile deusta, non vult tamen ab illis Quartanam oriri, sed tantum ab humore melancholico, frigido sicco: Unde reprehenditur à *Trallianο* quod unam tantum ejus curationem tradiderit, cum tamen alia ex bile flava deusta; alia ex fæculento sanguine nascatur, quæ curandi ratione differunt.

Dicere possumus Quartanam, vel primo incipere, vel aliis febribus succedere, præsertim erraticis. Cum primo incipit, ab humore fit frigido siccoque, Non omnis autem humor adustus adeo acris est & malignus ut atrabilis, putredine enim melancholia incalescit, nec tamen in atram degenerat; Pariter qui calido sunt temperamento, ætate inclinante valde fiunt melancholici, remanentque calidi & sicci, nec tamen atrabile, acri & maligna, de qua diximus, abundant, Et ab hujusmodi humore incalescente possunt fieri Quartanæ, non autem ab atra bile, cujus occursum partes ferre non possunt, & à qua omnes morbi lethales: Fit igitur à melancholia quæ atra bilis nondum est, sed est in ejus veluti confinio: quod si ingravescente putredine atra bilis aliis humoribus sit permista, febris quidem generabitur, sed valde periculosa ac lethalis, quam nullam habituram periodum puto, sed continuam fore: Proxima igitur causa humor melancholicus statuitur. *Primirosius.*

14. *Ex causis similibus*) Remotiores causæ sunt quæ ejusmodi humorem in corporibus acervare possunt, Eæ autem vel *materiam suppeditant*, ut cibi dyspepti, succi crassi, terrei, caro bubula, caprina, cervina, panis furfuraceus, caseus vetus, legumina, brassica, pisces setacei, sale conditi, fumove indurati, vina crassa, nigra. sed maxime acetum; Vel *eam cumulant*, ut suppressa ejus è corpore vacuatio per hæmorrhoidas, vel uterum, aut ob lienis imbecillitatem in universum corpus regurgitat: Vel eam *efficiunt*, ut sicca frigidaque constitutio corporis, ætas inclinans, autumnus, vigiliæ, curæ, tristitia: Recenter uxorati ab immodico coitu has febres incurrunt, inquit *Valesius*, quia ex nimio coitu corpora fiunt imbecillia, frigida & sicca, hinc succrescit copia humoris melancholici. *Idem.*

15. *Inter quas & Acetum est*) Est enim melancholiæ persimile, siccat enim & refrigerat: Sic quoque in Quartana fit humorum in acidum permutatio, ut docet *Galen. 2.* de *symp. causis*, 2: eodem prorsus modo quo ex vino acetum, ita ex sanguine melancholiam generari; ideo acetum melancholicis noxium perhibetur, quia sanguinem refrigerat & exsiccat, humorem ipsum fermentat, ex [illegible] *Acut. Idem.*

16. *Circa lienem*) De humore Quartanæ parente, & Loco putredinis, sic sentit *Platerus Pr. l. 2. p. m.* 56. Nos cum atram ejusmodi bilem, qualem describunt, in Lienis substantia nullibi observemus, Nec illic vesiculam atræ bili excipiendæ exstructam, uti in hepate pro flava bile deprehendamus, & Lienis usum longe excellentiorem quam ut bilis atræ esset receptaculum esse sciamus; Nec aliis quoque in locis bilem atram aliam quam quæ ex flava bile præternaturaliter in hanc degenerat, omniaque exedens, ab ea quam frigidum humorem statuunt plurimum differt inveniamus, nulla ratione convinci possumus ut talem aliquem humorem in Liene positum febres Quartanas, aut alias excitare credamus: Quod si vero succum melancholicum putrescentem sic appellent, & Quartanæ febris causam, si putrescat, statuant, neque hunc in Lienis substantia, aut alibi separatim à sanguine, cujus fæx esse dicitur, consistere credimus: Si vero crassiorem sanguinis partem intelligant, in eo sententiam nostram, qua in venis mesaraicis sanguinis portionem aliquam putrescentem febres intermittentes efficere statuimus

confirmant, cum fæculentus sanguis in majoribus venarum mesaraicarum ramis, potius quam in exiguis lienis vasis ob arteriarum copiam, tenuiore potius sanguine quam crassiore implétis contineatur.

[16] *Circa lienem*) Focus febrilis in Quartana non semper est Lien, uti *Helmontius* aliique sibi persuadent, Cum multi Quartanarii adeo Lienosi non sint; Potest enim in* mesenterio, pancreate, partibusque glandulosis, de quibus *Warthon* in *Adenogr.* materia febrilis hærere, ac ad tempus delitescere, ibidemque tamdiu obstructionem facere, quæ cum postmodum dissoluta, fermentata, ac fluxilis sit reddita facile è foco suo egreditur, & in vasa propulsa cum sanguine refluo miscetur, ac circulando ad cor deducitur. *Pieus tr. 2. c. 18.*

* *In materiam subtilem primo in ventriculo collectam*, Quam in ventriculo materiam subtilem quærit, *Sda*, sanguinis massæ postmodum commiscendam, Hanc eandem materiam *Dom. de le Boe Sylvius* ex Pancreate deducit, Cujus succum Febrium omnium Intermittentium causam statuit. *Vide supra cap.* de Febribus Interm. in genere; quæ doctrina Quartanæ præsertim congruere videtur quod febris Quartana, æque ac cæteræ Intermittentes, à vitiosa sanguinis effervescentia dependeat, quia nimirum succus nutritius sensim in vasa delatus, in materiam fermentativam pervertitur, atque hujus ad turgescentiæ plenitudinem congestæ effervescentia febris Quartanæ paroxysmum constituit. *Willis l. de Febr. c. 7.*

Prognosis, Curatio.

[17] *Curatio* est in totum *difficilis* [18] Diuturna enim est, & [19] ad annos interdum se extendit, *si* præsertim autumno incipiat. *Difficilior* tamen, *si* ab atra bile proficiscatur: [20] *si* in senes, quorum calor imbecillior materiam vincere non potest, Incidat: *si* [21] cum graviore visceris alicujus, splenis inprimis affectu, conjungatur. *Si* lumborum & coccygis dolores adsunt: *si* Icterus niger præcessit aut subsequitur. *Levior.* si sit legitima, & sine visceris alicujus affectu. [22] Alias quartana correpti, [23] convulsionibus non admodum corripiuntur, aut si corripiuntur, materia ad hypochondria vergente, nec amplius in venis cum sanguine permista, à quartana liberantur. [24] Mitissimè tractanda est, [25] observatumque A. MDLXXI. in Gallia convaluisse [26] qui nullis usi remediis, [27] mortuos qui exquisitis: ideò & nunc [28] eam quidam planè negligunt. [29] Tollitur aliquando excessibus, & [30] generosi vini potu, præmissis præmittendis, successisseque scio. [31] Veteres exhibebant [32] *antidota*, quibus stupefacientia admiscebantur.

1. *Respicit. Morbum ipsum seu febrem*, quæ refrigerantia & moderatè, vel validius humectantia reposcit, de quibus infra. II. *Causam morbi*, seu *melancholiam & adustos atrabiliariosque humores*, ubi locum habent, 1. [34] *Primarum viarum expeditio*, per clysteres, quos tamen Martianus In febribus vehementer improbat, si cruditatum ubertas apparet & siccitas urget, cum *pulpa cassiæ, melle rosarum solutivo*, oleo violarum &c.

[35] 2. *Venæ*, vel basilicæ vel medianæ amplo foramine sectio, [36] statim in principio, primis viis evacuatis, [37] si plethora adest, non statim, si abest. [38] *Copiosior* [39] si niger & crassus sanguis prodit; *statim supprimenda*, si tenuis. [40] *Salvatella* sectio [41] ante accessionem bis vel ter, [42] paulo ante conjunctionem lunæ, vel in plenilunio probatissima quibusdam, jugulataque per eam febris: sed per annum fere integrum [43] tota manus livida mansit, ut apud *Ballonium in Ephemeridibus* legitur.

3. [44] *Materiæ præparatio* per humectantia & refrigerantia per vices repetita, [45] & splenica, [46] qualia sunt [47] radices *althea, eryngii*: herbæ, *fumariæ, capillorum veneris, ceterach.* &c. [48] decoctum *raparum*, Syrupus *de pomis redolentibus*; [49] *chamædrys* in decocto passulato, cum *salis ex capite mortuo aqua fortis* scrup. ß.

4. [50] *Evacuatio per vomitum*, [51] die accessionis, inprimis si eo natura vergit, [52] per *agaricum* [53] in aqua tepida dissolutum, & præmisso *oxymelite* vel *oxysaccharo* excitatum: post quem [54] ante sequentem paroxysmum, *Theriaca Andromachi* dr. I. exhiberi potest, jugulat quandoque febrem, sed aliquando scabie, arthritide, vel ischiade Insequentibus, ut *Ballonius* observavit.

5. [55] *Evacuatio per inferiora*, [56] per *Cathartica* primo leniora, [57] post, concoctione apparente fortiora; [58] brevi [59] ante paroxysmum, si vires stant, si ita visum, exhibitæ, habentque [60] inter illa locum, [61] folia *senæ*, decoctum *passularum laxativum*, syrupus *violatus* laxativus; *Elixir proprietatis* secundum Helmontium paratum, *Extractum ligni colubrini* à scrup. j. ad scr. iß. *pillula septem granorum Davissoni* mihi communicatæ, quæ ex *aloës hepatic.* dr. iij. *ladani puri* scr. IV. & *croci* scr. ij. parantur: potest & ex laudano extrahi oleum & Immisceri. [62] Inter *hæc*, [63] pilulæ *de lapide lazuli*, [64] *de sagapeno Camilli de Camillis* [65] cautissimè adhibendæ, *pillula Tartarea Quercetani* à Sennerto correctæ, & essentia [66] *hellebori nigri*, quam in historia plantarum apud Bauhinum capite de helleboro descriptam habes. [67] Celebris apud quosdam & *Gannanaperidis* pulvis, de quo supra, dr. j. vel ij. pondere assumptus, quem excipere, [68] si non præcedere debent *pillula Spadana*, vel *pulvis ex magister. gummi gotte* gr. V. vel VII. *Panacea Holsatica* à Schrodero descriptæ gr. XV. & *acido Tart.* q. placet compositus.

6. [69] *Evacuatio per sudores*, [70] ad quos coctione apparente Socer meus confugere solebat, [71] quos ciere solent, [72] [73] *Theriaca, Antimonium diaphoreticum*, [74] *sal armoniacum* depuratum gran. VI. & ultra pondere, inprimis verò *aurum diaphoreticum*, seu antimonium fixatum, & *pillulæ antipodagricæ* Hartmanni.

Ha[illegible] 7. [illegible] *Evacuatio per hæmorrhoides interiores*, 8. *Symptomatum mitigatio*. [76] Rigor *theriaca*, [illegible] *de cervi* dr. j. in [77] decocto [78] chamædryos; & pulvere *cortic. aurant.* in vino leniri pot[illegible] *dorsi* sacculo Hartmanni oblongo ex hordeo ad crepaturam cocto imposito.

III. *Ægrum ipsum*, ubi observanda, 1. [79] *Diæta*, reposcens, [8] ut die paroxysmi ab omni cibo abstineatur: & [81] vinum maturum ac tenue concedatur. 2. [82] *Viscerum*, [83] lienis inprimis *roboratio*, per appropriata sua, nec febrem augentia, tam interna [84], quam externa.

[illegible] *opriata & Specifica* esse censentur, [86] *Ammoniacum* septies sublimatum. *Pulvis serpentum* i[illegible] convenienti vehiculo scr. 1. vel ß. pondere ante paroxysmum exhibitus. [87] *Cor leporis*, ut pulm[illegible] vulpi præparatum, in tres æquales portiones divisum, & tribus vicibus, hora una ante invasi[illegible] em [illegible] in vino albo, signis coctionis præsentibus, exhibitum. *Oleum magneticum* gutt. III. vel IV. pondere in vini cochleari in principio accessionis propinatum, quod nullum sensibilem effectum producit [89] *Oleum* [90] *myrrhæ* à guttis IV ad VIII. ante paroxysmum.

[illegible] *Externa* sunt, *Mixtura ecornu cervi* ad nigredinem combusto *cum allio contuso*, [92] carpis applicata. *Beta pallescens* tosta, contusa, [93] & abdomini imposita. [94] Inter *persapta* habentur, *vermitus* in echinis dipsaci, de collo suspensi & *ossa* suis.

Prognosis.

[87] *Curatio est in totum difficilis*) Cur hic morbus tam difficilis sit [illegible], ideoque pertinaciter ægros infestet, in causa est atrabilaria sanguinis constitutio, quæ non facile dimovetur, & fere nullis cedit remediis; Diathesis biliosa crebra sanguinis deflagratione emendatur, & sæpe sponte cessat; non secus ac vina nimis opulenta propria effervescentia deprimuntur & in debitum statum reduci solent; Verum melancholica hæc sanguinis dyscrasia, [illegible] qua cum spirituum inopia & defectu, sal & terra nimis exaltantur, veluti cum vina acescunt, difficillime restituntur, & pene ejusdem laboris & difficultatis est ac [illegible] n acet[illegible] vigorem & spiritum vinosum redintegrare. Etenim, ut sanguis isto modo depravatus redicatur, opus erat ut tota ejus massa volatilisetur, ac velut de novo spiritualescat. Quare in hoc casu evacuantia ne hilum quidem prosunt, imo sanguinem magis depauperando, sine medela sæpe vires atterunt; quin opus est iis quæ quod fixum [illegible] xaltent & volatilisent, & in tota cruoris massa [illegible] promoveant.

Inde [illegible] quod in hoc morbo cœli solique mutatio p[illegible] ætei s quibuscunque remediis sæpissime juvamen [illegible] Etenim Quartanas circa Autumnum oriundas [illegible] ens non raro tollit: quod procul dubio contin[illegible] mutata aëris conditio malam sanguinis dia[illegible] us alterare solet: Ob eandem rationem e[illegible] loci mutatio hunc affectum pharmaco cuivis in[illegible] sæpe curat. *Willis.*

[illegible] quartana correptæ diuturna, dum gravidæ fiunt [illegible] ere liberantur, Diuturnior Quartana, si ægri [illegible] n [illegible] m observent regimen, præsertim quoad Potum, ac [illegible] nte visceris alicujus affectu, in hydropem aut scorbutum ducit; Sicca corpora in hecticam & tabem. *Frimuller.*

Curatio est in totum difficilis) Dysenteria Quartanæ [illegible] c[illegible] salutaris, ex *Hippocr. aph.* 48. [illegible] *Lienosis difficultas* [illegible] *intestinorum superveniens*, bonum; At in Quartana ut [illegible] n Lien male afficitur, Et melancholicus humor [illegible] & Liene affecto communis est, Hoc tamen in[illegible] de Dysenteria quæ intra breve tempus fini[illegible] en in longior est, lethalis esse solet; juxta aph. 4[illegible] *lienosi difficultate intestinorum corripiuntur iis* [illegible] *in longam dysenteriam, aqua intercutem, aut lævam* [illegible] *um excipit & moriuntur.*

[illegible] e naribus Quartanæ superveniens pessima [illegible] humor Quartanam efficiens nequit per nares [illegible] propter crassitiem & frigiditatem: Et cum talis eva[illegible] promatica sit, & diu perseverans hydropem a[illegible] m cohibenda est, aperta vena basilica, è qua tan[illegible] putris emanat; cum è naribus purus excernatur. *Riverius.*

[17] *Est in totum difficilis*) Quartana omnis quæ sine scirrho jecoris & lienis urget, remediis ante veris adventum solvitur; sed quæ cacochymicos, & obstructione viscerum laborantes invadit, diutius perseverare solet; prava enim ea viscerum affectio nonnisi tempore & pedetentim emendari potest.

Quartana à *succo melancholico* longior est ea quæ fit ab adusta bile, hæc enim si justa vitæ lex observetur, & accommodata remedia adhibeantur, non multo magis continua esse solet quam Tertiana notha à bile retorrida, ut ideo & ad finem æstatis; & medium autumni, aut etiam incipiente hyeme sanescere visa sit.

Quartana *æstate* magna ex parte brevior est, quia eo tempore humores vi caloris attenuantur, & per meatus patefactos discutiuntur; Adde quod verisimile est genitam esse quartanam ex humore eo tempore genito, sed æstate gignitur bilis, igitur & ex ea adusta factam esse Quartanam verisimile est, quæ ut brevissima est, sic longissima quæ ex melancholia simplici, nam quo sincerior Quartana eo longior: Autumnalis etiam longior est, ob crassiorem humorem, & cutem duriorem, & ob frigus quod humorem intro repellit, Nec semper æstate brevis est, sed cum humor tenuior est, cumque justa vitæ lex observatur.

Brevissima fere in tertium mensem producitur, alias in sextum, aliquando in annum, aut ulterius si prava victus ratio præcesserit, Quæ diuturna est sæpe perducit ad hydropem, maxime si æger scirrho hepatis aut lienis laboret, & copiosiore aquæ potu in accessionibus sitim expleverit.

Aetius Hippocratis testimonio asserit eundem hominem bis in Quartanam non incidere, quod falsum ostendit experientia.

Si accessio Quartanæ eadem hora repetat, quacunque desinat, difficilior est febris, *aph.* 30. 4. Ob id vulgo etiam dicitur bene sperandum ubi febris varie invadit.

Quartanæ febres nisi medicamentis sensim vincantur, ad veris finem sponte sanescunt, alias crisi manifesta, cum justæ vacuationes neglectæ sunt, superestque multus humor; alias paulatim, humore per insensibilem transpirationem digesto, vel intus à calore absorpto & concocto.

Manifestæ autem Quartanarum sunt crises *urinarum* crassarum, alias albarum, alias nigrarum excretio aliquot hebdomadas perseverans; Nigrorum *excrementorum vomitio*, vel initiis accessionum repetens, vel inordinate etiam extra accessiones prodiens; Copiosa *Sudorum* profusio, & in singulis accessionibus & extra accessionem; *Nigrorum humorum dejectio* per alvum aliquandiu perseverans, quæ omnium optima & facil-

lima censenda est. Pessima crisis quæ fit per *hæmorrhagiam*.

Interdum *Quartana succedit Pleuritis* sinistri lateris, materia è venis & arteriis lienis in thoracem transmissa. *Ench. Med. Pr. p 33.79. 380.*

Vidi Ducem militum, qui cum diu Quartana afflictus fuisset & emaciatus, tandem concreti sanguinis magnam copiam per sedem deposuit, postridie obiit. *Joh. Heurnius ad aph. 23.4.*

18. *Diuturna enim est*) Plerisque visum est tantæ diuturnitatis causam non aliunde petendam quam ex cancrosa dispositione in corpore Lienis; nam quas Quartanas solus humor melancholicus accendit, eæ non sunt ita diuturnæ, sed cum lienis ipsius temperies est immutata, citra inflammationem aut scirrhum, aut obstructionem; (quod de hepatis [illegible] docet *Galenus c. 7 lib. 5. de loc. aff.*) mirum quam protrahantur affectus ipsi. At cum non sit in manu Medici situm istam aut partis [illegible] aut [illegible], aut notam quæ elui non potest, & quæ lanis Assyrio colore tinctis similis est, tollere, non est quoque in potestate illius ut morbos inde natos & alios tollat: *Ballonius consil. 106. lib. 1.* Quæ dispositio quo magis medicamentis irritatur, magis ægrescit medendo. *Idem consil. 23. lib. 1.*

18. *Diuturna enim est*) Quartanæ omnes sunt longissimæ, & ratione sui salubres. 1. *Epid. s. 3.* longæ sunt adeo ut per annum duosve durent, interdum & decem, idque quia pendent ab humore terrestri, qui facile nequit aut à Natura aut à medicamentis edomari, [illegible]. 2. de *Nat. hum.* *nam tertianæ*, inquit, *tanto sunt longiores quãto minus habent bilis illius quæ calorem præbet*, id est flavæ, Ibi ait omnes febres esse ex bile, In quartana pauciorem esse bilem quam in tertiana; ita ut cum ab atra eam fieri dixerit, bilis sit genus ad atram & flavam. *Primirosius*, Vide Scholia ad §. *Curatio est in totum difficilis.*

19. *Ad annos interdum se extendit*) Utplurimum ultra annum non exporriguntur. 6. *Epid. 6 t. 23.* quod intelligendum modo non ortum ducant ex aliquo viscere affecto: Adde ex diætæ vitio ulterius illam produci posse; ac intra anni spatium declinationem obtinere solet; quia, ex quorundam sententia, morbi in vetustatem abeuntes à motu Solis reguntur, sicuti breves à Lunæ.

19. *Ad annos interdum*) Hic morbus ad plures annos protrahi potest, ut *Avicenna lib. 3. Fen. tr. 2. c. 61.* in 12. extendi annum scribit; Alii vero 18. alii 33. annis eam durare posse se compertos esse testantur; Sed quid dicendum pro *Hippocrate* qui 6. *Epid. 6. t. 21.* affirmat ultra annum Quartanam non produci? Experientia enim aliud docet, Scita quidem est responsio *Massariæ l. v. Pr. 11*, verum esse nisi committantur errores vel ab ægro vel à Medico, vel ab utroque, sed non exhaurit rem; Potest enim viscerum, lienis præsertim & mesenterii tanta esse [illegible] quæ nulli cedat diligentiæ: Dico igitur, *Hippocr.* scripsit quod [illegible] fit, sed non semper. *Piens p. 265.*

20. *Si in Senes*) Quartana quamvis sit salutaris, in senibus tamen utplurimum lethalis esse solet, quia corpora ipsorum debilia ab hac febre valde agitantur: quæ cum fiat ab humore rebelli & contumaci, ab ipsis concoqui non potest & excerni, ob caloris & virium defectum: *Primirosius.*

Nonnulli ab hoc fato vindicari usu *pulveris corticis Peruviani*; Memini me liberasse senem octuagenarium; exhibito illi pulvere & addita theriaca veteri, ex vino generoso, paroxysmo jam progresso, qui illico suppressus est, nec in posterum rediit; supervixit annos tres, silicernium factus.

21. *Si cum graviore visceris alicujus*) Vel si junguntur obstructiones e. g. lienis præsertim, mesenterii, vasorum lymphaticorum, unde hydrops ascites sequi potest; Hoc præcipue fit in iis Quartanis quæ sequuntur alios morbos, e.g. febres tertianæ: Hodie ut plurimum in scorbutum quartanæ terminantur. *Piens p. 171.*

21. *Si cum Visceris alicujus affectu*) Vel ab alicujus visceris vitio oriatur, Dignoscũtur autem à *Splene* originem habentes Quartanæ, ex colore, cruditatibus, & quod venter non facile egerit, cum splenis in sinistro latere intumescentia, secundum *Aëtium*: Ex Hepate vero si sit, coloris sunt albicantis, toto corpore tumidi ægri, urinæ valde rubræ sandaracam referentes, dextri hypochondrii tumor infestat, difficulter magis quam splenitici spiritum ducunt, subtussiunt, & demum labuntur in Hydropem, ex *Aëtio. Primirosius.*

22. *Alias Quartana correpti*) Quartana apud *Hippocr. 1. Epid. sect. 3.* securissima est & facillima, licet longissima, Quin liberat à morbis quibusdam, ut convulsionibus; hoc capere oportet, sicuti explicat *Gal.* quatenus quartana est facere potest quid boni; sed quatenus junguntur obstructiones, e.g. lienis, mesenterii; vasorum lymphaticorum, hydrops ascites sequi potest; Apud *Gellium Plato* citatur, quod scripserit eum qui à Quartana evaserit, post melius valiturum: Huic forte nata est vulgi opinio falsa, neminem bis Quartana laborare. Cæterum securitas fere consistit in eo quod biduum habeat vacuum, in quo licet vacare curæ corporis, Hac de re scitum est dictum *Favorini* apud *Gellium, l. 17. c. 12.* in febre hac unam diem esse novercam, contra duas esse matres. *Piens p. 271.*

22. *Alias Quartana correpti*) Salubres sunt Quartanæ, quia manifesta habent intervalla in quibus vires recreantur. Non tamen id intelligendum de omni, nam & continua valde periculosa est, quia assidue ægrum fatigat; tum intermittens quæ fit cum Lienis alteriusque visceris affectu periculosa est, quia in hydropem degenerat.

22. *Alias Quartana correpti*) Et hoc notandum, quod cujuscunque demum ætatis aut temperamenti fuerit is qui Quartana corripitur, si quolibet alio vitæ tempore (vel etiam ab hoc remotissimo) eadem semel laboraverit, non diu admodum eum secunda vice fatigabit morbus, sed post paucos alios paroxysmos sponte sua solvetur, *Sydenham de Acut. p. m. 92.*

23. *Correpti convulsionibus*) Hippocr. aph. 70. 5. *Quartana correpti convulsionibus non admodum capiuntur; si vero prius capiantur, & Quartana supervenerit, liberantur*, Rationem reddit *Galenus in comm.* Quia materia crassa Epilepsiam efficiens longo hujus febris calore attenuatur & concoquitur, Nec non concussione totius corporis, quæ in rigore fit, facilius excutitur: Adde pravos humores in cerebro, aliisque partibus, aut etiam in venis latitantes, ad hypochondria & ignobiliores partes, ubi est Quartanæ minera, transferri, & dictas partes deserere. *Riverius.*

23. *Quartana correpti convulsionibus*) Quartana à magno morbo liberat, *inquit Hippocr.* 1. Epid. 3. & 6 Epid. 6. t. 9. *Galenus* per magnum morbum intelligit Epilepsiam; Alii legunt *ab aliquo magno morbo*, quam vulgarem esse fere omnium codicum lectionem esse ait *Fœsius*, quam secutus *Celsus* ait Quartanam per se neminem jugulare, sed à magnis morbis liberare, quod experientiæ refragatur; & ipse *Hippocr.* in *Coacis* Quartanam in acutos morbos degenerare scripsit. Quod vero generaliter de morbis magnis in *Epidem.* ait, ut vult *Galenus* de magno morbo, scil. Epilepsia, dixerat, id 5. aph 70. ad convulsiones refert, *Quartana laborantes convulsionibus non capiuntur, si vero prius capiantur, & Quartana supervenerit, liberantur*, Ratio est, ait *Gal. in comm.* quia fit convulsio ab humoribus crassis & pituitosis, quorum curatio coctio est & excretio: Utrumque habet Quartana, Excretionem quidem ex rigore, quo partes exagitantur, & humor expellitur, Coctionem vero, caloris febrilis curatione: At si valet hæc ratio, cur Tertiana, in qua major est rigor, & major calor, convulsioné non solvit? quod si ob calorem & rigoré quartana humores pituitosos coquere & excernere valet, unde tot obstructiones, hydropes? quæ ab humore pituitoso fiunt demũ quomodo potest pituitam excernere, si ipsam melan-

melancholiam à qua fit non excernit: Dicere licet ab eodem humore fieri posse Quartanam & convulsionem, unde [illegible] bris morbos hos curat, quia dum humor melancholicus ad hypochondria vergit, neque amplius sanguini tem[illegible], morbi isti solvuntur, aut ægri in illos non incidunt, imo & vomitu humores multi mali vacuantur: Sed id [illegible] m contingit in Tertiana, in qua etiam contingunt [illegible] tiones initio paroxysmi.

Dic[illegible] lligendum *Hippocr.* de convulsione idiopathica, quam humor pituitosus parit, non de sympathica, quam vapor acris è præcordiis elatus excitat, priorem tertiana [illegible] minus quam quartana curat: hæc vero posterior [illegible] quartana fieri non solet, quia ab humore fit, ejusdem quidem generis cum tertiana, sed minus acri, minus mobili, minusque tenui. *Primirosius.*

24. *Mitissime tractanda est*) Cum Quartana clementer agendum, neque catharticis fortiorique medicamento Natura irritanda, ne ex simplici duplex triplexve, aut etiam continua evadat, ex *Paulo, Aëtio, Galeno* 1. ad *Glauc. cap. ct.* sed gradatim à debilioribus ad fortiora ascendendum, nec nimis calidis, nec nimis frigidis, nec nimium siccis utendum. *Primirosius.*

Autumno anni 1654. *quo Quartanarum* seges fuit, in nonnullis circa prima ægrotationis initia, priusquam morbus radices egerat, Vomitoria opem contulere; in pluribusque autem pharmaca quovis modo cathartica, centies licet repetita, ne hilum profecerunt: Quibus alvus insederat labes, è remediis excogitatissimis per totum Autumnum usurpatis ægri ne quicquam levaminis recepere: *Willis cap.* 7. Medicamentorum purgantium actiorum & vehementiorum usu intempestivo ex simplicibus Quartanis fiunt duplices, triplices imo & continuæ: Intermittens autem Quartana in continuam mutata utplurimum, lethalis est, Quia fit mutatio illius febris, quæ foras movetur, in eam quæ intro, Quod hyeme maxime contingit, dum excurrentibus succis frigus se opponit, eosque in intima corporis penetralia repellit & repercutit. *Riverius.*

[illegible] *Observatumque anno* 1571.) Anno 1571. multi Quartanaru decubuere, qui sine remediis derelicti sunt [illegible] ene convaluerunt; quibuscumque adhibita remedia, [illegible] e periere, præsertim si macilenti biliosique fo[illegible]: Ut febres istæ potius à bile essent usta quam à fæce [illegible]. [illegible] cum Quartanis agendum mitissime, ne o[illegible] sedulitas plus obsit quam prosit. *Ballonius Epid. lib.* 1. *pag.* 2[illegible].

[illegible] *Remediis*) Circa remedia etiam notandum 1. perseverante morbo, cum plerumque diuturnus sit & [illegible], interdum quiescendum esse, & ab iis per mensem aut circiter abstinendum, ut interea natura [illegible] turno remediorum usu fatigata sese recolli[illegible] humoris morbifici concoctioni incumbat: postea vero ad præparantia & purgantia redeundum. 2. Notandum [illegible] morbo diuturno iisdem perpetuo remediorum [illegible] ulis insistendum non esse, ne iis natura assuesc[illegible] ægri v[illegible]ro nimio eorum tædio afficiantur; Tum quia [illegible] oribus ad validiora, tum purgantia, tum aperientia [illegible] ndum est. *Riverius.*

Mortuos [illegible] Quæritur an sit periculi expers? cum ex [illegible] h. 43. 4. febres omnes Intermittentes periculo [illegible] 112, *ait Galenus*, omnis morbus periculo non [illegible] est cum phlegmone, vel cum humorum pra[illegible] his ambobus necesse est febres esse conti[illegible] quæ vacant continuitate febres, periculo [illegible] Sed reste experientia multi ex febre intern[illegible] unt: Præterea Quartana cum scirrho lienis [illegible] e in senibus; In constitutione pestilenti fe[illegible] Intermittens in continuam pestilentem statim degenerat & jugulat.

Ita ergo Hipp. sententiam accipe, Quod febres Intermit. ex sua natura vacant periculo, tamen ob aliud, ut ætatem, scirrhum lienis, ægrorum aut adstantium errorem &c. aliquando pereunt. Omnium febrium longissimam, facillimã, & quantum in se est, securissimam esse Quartanam, neque solum talem per se esse, sed etiam ab aliis magnis morbis vindicare asserit *Hipp.* variis in locis, ut magno morbo, Verumtamen nullus est morbus quem tanta turba symptomatum consequatur, quorum pars ad multos annos durare consuevit; nam & lienis hepatisque scirrhum, & icterum, & melancholiam hypochondriacam, & ventris tormina colicis similia, & his succedentem paralysin brachiorum & pedum qua (sensu superstite) motus tollitur, & sputationes frequentes, & destillationes perniciosas, ulcera curatu difficilia, cachexiam, epilepsiam, hydropem, cancrum, & interdum elephantiasin, in his præsertim qui huic vitio sunt obnoxii, & alios morbos invehit, Præterea cum à frigido & sicco humore oriatur, qui nativo calori bellum indixit, coctiones lædit, & in ventriculo & aliis partibus, unde magnus frigidorum humorum proventus, & dissolutio roboris membranarum, nervorum, & cerebri: huc accedit quod in senibus semper lethalis est.

Statuimus tamen veram esse *Hippocr.* sententiam, Quartanam esse toto genere & per se tutam, & securam, At vero interdum ob errorem admissum in victu, ob copiosiorem potum, & neglecta remedia huic consentanea, periculosam esse, sed hoc non ex ipsius Quartanæ natura contingere, verum ex accidenti, Qui enim parcissime bibunt in pastu, nullo vero modo in accessionibus; & quo die invadit accessio cibo prorsus abstinent donec præterierit accessio, vel ante xii. horas ejus nonnihil assumunt; Et diebus accessione liberis blande purgantur, non modo sunt à febre tuti, sed etiam à multis aliis morbis; non quidem frigidis, sed calidis, Cum enim totius corporis habitum in melancholicam constitutionem transmutet, dum scil. terreno ac frigido humore omnes partes alit, corpus in posterum non inflammatione, cui forte ante febrem, vel pulmo vel jecur opportunum erat, aut febre tertiana, aut continua vix tentabitur.

Ut hanc disputationem concludimus, Quartanam nullis unquam per se lethalem fuisse, causam tamen præbuisse gravissimis morbis, qui postea intereunt, Sed quodcunque periculum consequatur, non in Quartanam referri debet, sed in aliquid eorum quæ extrinsecus contingunt & in pravos viscerum affectus supervenientes. *Enchir. Med. Pr. p.* 385.

28. *Quidam eam plane negligunt*) Anno Domini 1582. magna fuit Quartanarum seges, & verarum, quod per se & primo contingerent; Omnibus initio adhibita remedia, non tamen quiescunt: Hoc affirmo verum, Quibuscunque sæpius exhibita sunt medicamenta, & purgatum remediis valentibus, iis omnibus producta fuit febris: Qui vero præsidia neglexerunt principio exacto, ii intra breve tempus incolumes extiterunt; Ut male de Quartana laborantibus mereantur, qui id student ut medicamentorum frequenti usu humorem adeo contumacem oppugnent & expellant. *Ballonius Parad.* 132. *p.* 358.

29. *Tollitur quandoque excessibus & generosi vini potu*) Quidam putant excessu & copiosiore meracioris vini potu sanari posse Quartanam, quod verum esse confirmat experientia, asseritque *Aristot.* 1. *probl.* 1. *Probl.* 3. Ubi tamen notandum an materia sit cocta, si enim cruda esset, mors subsequi posset: Causa est, ex *Amato*, quia natura calore vini excitatur, & humorem jam concoctum per vomitum, sudorem, alvum ejicit: *Aristot.* vero tantum causam genericam reddit, Cur morbi curentur ubi quis abunde excessit, An quia causa morborum & remedia inter se contraria sunt, hinc fit ut per unius excessum alterum reduci possit ad extremitatem? Si per *aquæ frigidæ potum* largum synochus & ardens curari potest, quid mirum si

quartana vini tenuioris maxima copia curetur, cum inde augeatur calor nativus, humores crassi attenuentur, corpus humectetur, quod tamen remedium noxium esse crediderim ubi melancholia paulo calidior est & adusta, *Primirosius.*

Valeriola l. 2. Obs. 4. testatur se sanatum vidisse quendam Quartana affectum, quæ nullis antea remedijs cesserat, dum in vehementem iram à suis esset accensus.

30. *Generoso vini potu*) Præmissis præmittendis, & habita ratione temporis morbi & temperiei ægri: alias id remedii genus non successisse scio: memini olim Theologiæ candidatum, natione Gallum, febre Quartana prehensum; ex consilio cujusdam vini moschatellini, invadente accessione, mensuram nostratem integram, quæ sex cyathos adimplet, exhausisse; unde mitigatum quidem frigus febrile, sed tantus ardor successit ut in statu paroxysmi obierit.

31. *Veteres exhibebant antidota, quibus stupefacientia admiscebantur*) Post concoctionem *Gal.nus* præscribit calida medicamenta, ut diatrionpip. diaspolit. piper ipsum cum aqua, theriacam, mithridat; hæc enim humorum reliquias dissipant & coctionem juvant; sed maxime commendat *Galenus* medicamentum ex succo Cyrenaico, cujus hanc affert descriptionem *Aetius.*

℞. *succi Cyrenaici, piper. myrrha, ãã. p. aqu. seorsim trita succo rutæ & melle excipiantur, Fiant Pilulæ quarum. ʒß.* *Sufficit in dosin. Sed Galenus* l. de *Tremore* ex succo Cyrenaico & castoréo componit, ideo utile erit prædictis addere *Castoreum*, imo *Altimarus* testatur se per duas ante accessionem horas post concoctionem *Castorei & Myrrha ãã. ʒß. cum vini albi aqua borrag. dilut.* ℥iij. exhibere consuevisse felici cum successu.

Quid autem sit succus Cyrenaicus dubium est, Esse autem succum *silphii*, vel *laserpitii* vult *Galenus*. Silphium aliud est ex Cyrene, aliud ex Media & Persia, Silphii succus odorus est; quidam nostrum volunt esse *Benzoinum*, *Silphij* autem Persici & Medici succus fœtet admodum, quem *Assam fœtidam* esse putant *Matthiolus & Amatus*, Angelicæ radicis succum Cyrenaici loco poni posse putat *Ruellius*, tum quod Angelica Silphio admodum similis extat, tum quod vires ejus omnes æmuletur, ut videre est apud *Matthiolum*: Quicquid sit, vero succo Cyrenaico caremus.

Horum calidorum usum improbat *Alexander*, cum enim humor melancholicus sit frigidus siccus, humectantia non siccantia postulat, Dic *Galenum* hæc concessisse apparentibus signis coctionis, corpore jam purgato, ad reliquias humorum dissipandas, humores crudos coquendos, ventriculum roborandum, coctionem juvandam, Vetat enim hæc dari ante coctionem, in principio, ne ex simplici Quartana fiat duplex aut triplex vel continua: Quod si piper præscribit omni tempore, aqua dilutum præbet, quo modo minus calefacit, minusque exsiccat, præterea exigua quantitate datur, Docet enim *Galen.* 4. de Tu. Val. diatrium piper calorem circa primas venas extingui, quia, ut inquit *Amatus*, eorum calor in materia est crassa & terrestri, & ideo ipsius medicamenti alteratione facile extinguitur, aut saltem ad secundam corporis regionem non pervenit, sed crudos humores qui sunt in primis viis alterat & educit.

Tempus autem dandi hæc medicamenta est quibusdam horis ante paroxysmum aut in ipso rigore, Id tamen semper observando, non convenire ejusmodi medicamenta in Quartana quam Bilis assata & in atram versa generat; Quidam tamen his calidioribus utuntur etiam in principio, quia tunc humores sunt & crudiores & frigidiores; At quo Quartana ad statum magis accedit, eo etiam materiam habet tenuiorem, calidiorem, acriorem, vehementiaque tunc apparent symptomata, ideo si tunc calefacientia præscribantur facile duplex triplexve Quartana fieri, repugnatque *Galenus*, & experientia ostendit ea non conferre.

Igitur in principio calefacientia quidem conveniunt, sed minus quam in statu & declinatione, quia humor tunc facilius educitur & dissipatur edomitus jam à Natura: Quod si solam alterationem spectaremus, sane minus in statu calefaciendum videretur, at hic non tantum alterationem, sed humorum resolutionem attendimus, quæ non potest statim initio fieri ob humoris crassitiem, qui à nimium calidis forsan magis incrassaretur; præterea est humor rebellis, qui facile exasperatur, proinde debet sensim & blande edomari & vinci: Vbi igitur signa coctionis apparuerint, post purgationem sequentibus uti licebit, & ad corpus roborandum & ad febrem propulsandam.

℞. *Conserv. anthos. r.r. condit.* ãã. ʒj.
theriaces. ʒß. *benzoini.* ℈j.
pulver. angel. ℈ß.
croci. gr. ij.
Olei piper. gutt iij.
cum aqua cinnam. f. Bolus in duas doses.

℞. *Pulv. aromat. rosati, diamoschi.* ãã. ℈ß.
piper. r.r. ãã. ʒß.
myrrha. gr. v. *croci.* gr. j.
benzoini. ℈j. *sacch.* ℥ij.
f. Pulvis.

℞. *rad. gentiana, angel.* ãã. ℥iij.
summit. centaur. min. serpill. ãã. *pug.* ß.
nuc. moschat. ℈j. *caryoph.* ℈ß.
bulliant in vino albo, Colatura propinetur calida. Vide cap. de Rigore. *Primirosius.*

Willis commendat usum eorum quę paroxysmi intercipiunt ad hunc censum revocanda, Remedia, *inquit*, quæ sæpissime opem contulerunt) uti nostræ saltem observationi constant) fuerunt ejusmodi quæ paroxysmum febrilem inhibent; etenim mala sanguinis diathesis à mutata tempestate nonnihil emendata, si modo habitualis paroxysmorum consuetudo abrumpatur, Natura se recolligit, & pristinum valetudinis statum proprio nisu facile recuperat: Atque hujusmodi intentio, scil. paroxysmorum inhibitio, licet à vomitoriis paulo ante accessionem usurpatis interdum perficiatur (hæc enim motum sanguinis febrilem; motum alium huic contrarium ciendo, non raro sistunt) tamen indicatio hæc longe certius, & quidem felicius peragitur ejusmodi pharmacorum usu, quæ non omnino è visceribus evacuant, verum sanguini aut fixationem quandam, aut materiæ febrilis præcipitationem inducunt: Quare quos instante vere, & deinceps curandos suscepi, hac methodo (& in plerisque bono successu) tractavi.

Facta totius provisione, cum pharmaco interdum emetico, interdum solutivo, tribus horis ante paroxysmum, epithemata carpis admovi, simulque Pulverem febrifugum in vino generoso propinavi, ac ægros intra lectum in levi diaphoresi detinui: Raro evenit quin prima aut secunda vice hoc modo accessio febrilis inhiberetur, & dein eodem remedio aliquoties iterato tandem morbus integre cessaret, Hujusmodi praxi, præter experientiam nostram, fidem & probationem nonnullam adstruere videtur usus *Pulveris corticis Peruviani*, quæ hunc morbum certissime curare perhibetur; hujus tamen operatio sine quavis evacuatione, solummodo in hoc consistit, quod paroxysmos febriles ingruentes inhibeat. *De hoc et aliis plura vide supra capite de Febribus Intermittentibus in gen.*

32. *Antidota quibus stupefacientia admiscebantur*) Observo à veteribus addi solere Narcotica, ut Opium, *Galenus* theriacam & mithridatium probat. quorum compositionem opium ingreditur: *Aetius* præscribit sequens.

℞. *piper.*

℞. *Piper. longi, myrrh. opii, castorei, ãã.*
detur oboli dimidium cum aceto mulso duabus horis ante accessiones.

Idem alibi addidit semen hyosciami; *Avicenna* cum agarico miscet opium: Inter recentiores *Seylerus* in Epist. *Scholtzii*, Philonium commendat ante paroxysmum: *Sala* Laudanum die accessionis post purgationes: Fit autem ipsius *Laudanum* ex Opio per acetum distillatum extracto, tum ex *aloe, myrrha, floribus sulphuris*: Ipse *Hippocr.* 2. de Morb. post repetitas purgationes præscribit *semen hyosciami* milii magnitudine, *mandragoram* pari portione, *lasseris succum* trium fabarum quantitate, *& trifolii* parem modum ex vino meraco bibendum: *Gesnerus* in Epist. observat veteres Opium antidotis suis admiscere solitos, atque asserit Opium sudores promovere; Sane puto posse nos commode post purgationes ante paroxysmum uti his Opiatis, sic enim sedatur motus humorum ab Opio, deinde calore medicamenti edomatur, & vincitur; sed ab his cavendum initio & ante coctionem. *Primirosius.*

33. *Respicit*) A Quartana non paucos liberavi, sed inter hos filium N. qui jam septem mensibus detinebatur, incredibili celeritate: Cura fuit Vomitibus, Abstinentia cibi 10 die accessionis, Purgatione cum pharmaco *Amechino*, Inunctione dorsi hora frigoris ex *oleo de scorpionibus, pinguedine anseris* & *gentiana succo*: Alios vero curavi *succo rad. verbascii* in potu dato. *Cardanus.*

32. *Respicit*) Curatio Quartanæ duplex instituenda est, ad duas illius species referenda, longe enim diversa esse debent quæ spuriæ, ab iis quæ legitimæ debentur remedia. *Riverius.*

33. *Respicit* (Quæ licet methodice satis instituatur, plurimum tamen frustra adhiberi video; Idcirco quid in hac Febri mihi dextre successit breviter hic dicam.

Mihi primo ad ægrum accedenti, investigandum quid ad morbum profligandum jam subinde is tentaverit; Si responsum dat neque v.s. neque purgationem, aut aliud quid adhuc fecisse, colligo ex viribus ægri & morbi quid agendum.

Venæ sectionem adhibeo in sangoinis copia, In omni enim Quartana non videtur locum habere, uti in senibus, ob [illegible] cruditatem viriumque defectum, Deinde in [illegible] Quartana quæ ob mutatum focum, vel conditionem [illegible]s materiæ, ex alia febri est orta: Convenire itaque [illegible] r us in quibus vel sanguis omnium abundat, vel metus inflammationis alicujus visceris, vel febris conn[illegible].

Peracta Venæ sectione, Vomitoria, Purgantia, & Febri[illegible] paroxysmum inhibentia in usum veniunt, licet multo[illegible] me curati sint absque Venæ sectione, aut Vomitione: *Tempus vomendi* & purgandi præcipue dies est ante paroxysmum, ob vires satis integras, quamvis sequenti die post paroxysmum recte etiam fieri possit: Ipso accessi[illegible] [illegible] [illegible]obustioribus, cum fructu cathartica quoque [illegible]hibui. Si quis tamen *præparationem* præmittere velit per me licet, ego autem raro multum commodi ex ea [illegible]re potui.

[illegible] remedia ex quibus aliquid utilitatis hac in febre [illegible] potui, fuere sequentia 1. Nautam, qui subitam, [illegible] modo sanationem petebat, ita per *Salivationem* [illegible]. Dedi enim ipsi minerale aliquod, quo per [illegible] oris fluore laboravit; Ubi primum Salivatio [illegible] optime incepit, paroxysmus statim desiit; Et si [illegible]ndi modus sæpius usurparetur, plores Q[illegible] sanitatem integram citius restituerentur.

Mul[illegible] quoque Quartanariis, tam tempore hyemali quam autumnali adjumento fui sequentibus Trochiscis, quorum unum capiebant una ante paroxysmum hora.

℞. *semin. rutæ, petrosel. myrrh. theriac. Androm. ãã.* ℈ß.
bezoart. miner. ℈ß.
sal. absinth. gr. xij.
laud. op. gr. xiij.
El. Propr. Parac. q. s. f. Trochisci n. vij.

Cum die paroxysmi hisce ægri utuntur Trochiscis, subinde tamen die intermissionis, eos purgandos curavi sequ. Pilulis.

℞. *hydrocathart. Turqueti gr.* xiij.
resin. Jalap. gr. xx.
salis tart. gr. vij.
El. propr. q. s. Fiant Pil. n. v. vel vij.

Quare quos seu instante vere, seu hyeme, curandos suscepi, hac methodo, & hisce remediis, ac bono cum successu tractavi, omnesque adhucdum ad sanitatem perduxi, quosdam una vice saltem illud remedium sumentes, alii duabus vicibus, raro tribus: Et hoc *Hydrocatharticum* appellatur, quia tam pro purgatione, quam sudorifero sumi potest; si enim per se ægrotis exhibeatur, sudorem expellit; si cum *resina* vel *scammonii*, vel *Jalapa* & *sale tartari* misceatur, per inferiora purgat, per superiora nonnisi raro.

Febrifugi Riveriani penes me descriptio est, de eo tamen cum *Franc. Plempio* J. V. ac Med. Doctore apud Amstelodamenses locutus sum, qui eam descriptionem se curasse præparandam, haud magnum tamen fructum ex ea observasse dixit.

Neque *cortici Peruviana* semper fides adhibenda, quam frustra & absque levamine paroxysmi adhiberi vidi: loco istius cum fructu non semel usurpavi *cortices tamarisci, fraxini, gentianæ, capparum*, cum *oleo sulph.* per campanam elicito, ac salibus mixtas.

Loco Febrifugi Riveriani uti possumus *Pulvere Cornachini*, & etiam *antimonio Minsichti* per inferiora purgante, cum *Extr. Cathol.* vel *resina scammon.* vel *jalapa & sale tartari*, in pilulas, redactis: *Quercetanus* exhibet *Pilulas de Sagapeno*, de quibus inferius.

Tandem mihi quoque per literas communicavit *Fr. Jac. Cochim* M. D. & Professor, sequens medicamentum, quo in Nosocomio multos Quartana laborantes restituit.

℞. *aqua card. ben.* ℥iij.
a'um. crudi pulv. ʒj.
ol. sulph. per c. ℈ß.
salis centaur. min. ʒß.

fiat Haustus quem calide æger sumat. *Piens Tract. 1. pag.* 171.

32. *Respicit* 1.) *Joh. Crato hac methodo procedebat*, Si *alvus* sit *adstricta*, recte adhibeo Enemata humectantia, ex *decocto verbasc. & card. ben.* Judico, ac vere affirmo, me magni nominis virum solo usu Enematum (cum alia omnia remedia aspernaretur) liberasse: Sed hoc fit in illis qui initio paroxysmorum tormina ventris sentiunt: Diligenter autem observandum quæ pars corporis in ipsa invasione laborare videatur, eaque diligenter quærenda, ut calor innatus (qui est actionum omnium naturalium opifex) adjuvetur: Audivi hæc à Medico Excell. qui Quartana fere confectus, ab Empirico hoc modo est curatus, Primum parti quæ initio paroxysmi afficiebatur, fomenta adhibebat, processu temporis quod materiam educeret: Nunc quod in plurimis rectum, usu atque experientia compertum, significabo; nonnullis diebus solum *decoctum raparum do*, (vide inferius §. *Decoctum raparum*) matutinis horis do quinque *nucleos Persicos* mundatos: In ista curatione persevero plerumque diebus xv. ante accessionem, decoquo in *vino Necarino* herbam quam *Matthiolus* vocat *Clinopodium*, & exhibeo, Et ne *quid in paroxysmo bibant* veto; Viribus omnibus rationibus consulo, victus rationem exactam non requiro; à lacticiniis tamen & piscibus abstinere jubeo: Hoc modo servavi plurimos: Ubi valde contumax morbus est, in augmento paroxysmi, iis qui prompte evomunt, *aquam rosac. tepidam* exhi-

beo & non solum arteriis in brachiis & pedibus, verum omnibus articulis radices urticæ contusas, & cum aceto maceratas adhibeo. *Crato lib.5.consf.26.*

33. *Respicit 1.*) Multos curavi vomitibus, abstinentia cibi die accessionis, purgatione, inunctione dorsi hora frigoris, cum *oleo scorpion. pinguedine anseris & gentiana* succo: Alios curavi *succo rad. verbasci* in potu dato, *Cardanus Cur. 24.*

Præmissis aliquoties alterantibus & catharticis, ad eorum usum accedo quæ à proprietate huic febri opponantur, & putredini resistunt, qualia sunt *Elixir propriet. specificum febrile Crollii, gentiana, centaur. min. theriaca, arcanum duplic. Minsichti, radix Chinæ Chinæ & spir. salis armoniaci*, admirandarum in hoc affectu virium: Hac methodo plures à Quartana Dei auxilio, feliciter à me sunt restituti. *Wolfgangus Hœferus Herc. Med. l.6.c.3.*

34. *Primarum viarum expeditio per clysteres &c.*) Alvus, ex Galeni consilio, semper mollis esto, ad quod opportuni sunt clysteres, primum molles, dein in morbi progressu acriores.

℞. *Malva, alth. mercur. beta, bugloss. ãã. m j.*
passul. ficuum, ãã par. v. pruna n. x.
semin. anis. fœnic. frig. maj. apii. petrosel. ãã. ℈j.
medulla sem. carth. polypod. ãã ʒß.
flor. chamom. melilot. sambuc. tamar. ãã. P. j.
f. Decoctio ad ℔j.
In colat. dissolve cathol. facch. ãã. ℥j.
mellis rosat. ℥ij.
ol. chamam. & violac. ãã. ℥iß. m.
f. Clyster. Aut proponentur levia cathartica] ex manna, cassia, Elect. Lenitivo &c. Primirosius.

35. *Per clysteres*) Ab initio febris levis instituenda est evacuatio clystere injecto, pridie Porionis; Imo temporibus purgationum intermediis frequenter injiciendi sunt, qui naturam ad intestina humores noxios expellere assuefaciunt, & aliquid de materia morbifica in venis meseraicis contenta sensim educunt. *Riverius.*

35. *Vel basilica &c.*) Secanda est ex Aëtio vena interna aut mediana dextri brachii, si affectum sit hepar, aut sinistri si lien afficiatur, Non enim semper ex lienis vitio dependent Quartanæ, sed interdum fomitem habent in hepate: Et quamvis semper ex liene dependerent, nullam rationem video cur potius in sinistro quam in dextro vena secari debeat, cum utriusque brachii venæ ab hepate oriantur. *Primerosius.*

36. *Statim in principio*) Raro mittitur sanguis à principio, magis vero circa medium tempus augmenti, quando omnia consentiunt, Ex importuna enim V. S. inquit *Avicennas*, partes debilitantur, melancholia redditur ferocior, vacuato sanguine qui ipsi utraque qualitate adversatur: Unde potius frænum melancholiæ quam bilis dici debet: *Primirosius*, Ridenda est eorum sententia qui expectandam esse volunt concoctionem, ut sanguis mittatur, quod tunc temporis fluxilior & tenuior sit, melius enim concoquitur & præparatur, si prius illius quantitas imminuta fuerit. *Riverius.*

37. *Si plethora adest*) An in Quartana V. S. locus? *Galenus 1. ad Glauc.* ex hypothesi de ea sic loquitur, *Quartanas per initia moderate tractabis, nullum vehemens medicamentum ad evacuationem adhibebis, nisi sanguis admodum exuperare videatur; Et si secta vena sanguis niger aut crassus, qualis maxime in lienosis conspicitur, profluat, audacter mittendus:* Sin *flavus ac tenuis, statim sistendus*; Ubi notanda vis vocis *admodum*, nec dubium esse debet quin si corpus frigidum sit & siccum (quod corpus vere Quartanis implicatur) à sectione venæ temperandum sit. *Ballonius Consf. 64. lib.1.*

37. *Si plethora adest*) Non audiendi sunt illi qui sanguinis missionem non admittunt, nisi illius redundantia per venarum turgentiam aliaque signa apparuerint; Perpetuo enim ab initio adest plethora ad vires, nisi Quartana aliis febribus longis successerit. *Riverius.*

38. *Copiosior*) *Botallus* contra omnium Medicorum placita S. M. frequenter iteratam Quartanam curare asserit, etiam quæ hydropem minatur, suamque sententiam rationibus & exemplis confirmare nititur: Quæ tamen veluti paradoxa rejicienda est, cum per refrigerationem quæ toti corpori, multo sanguine detracto, inducitur, materia morbifica crassior & contumacior evadit. *Riverius.*

39. *Si niger & crassus*) Quod præceptum est *Galeni*, summa commendatione dignum, 1. *ad Glauc.* ut si ruber & purus sanguis prodeat, parca manu detrahatur, neque amplius phlebotomia iteretur. *Riverius.*

Salvatellæ sectio) Domina N. Quartanaria secta hora una ante paroxysmum salvatella, fassa est per illum multum imminutum fuisse, secunda vice ferme extinctum fuisse, post tertiam salvatellæ apertionem omnino desiisse accessiones *P. Pachequus Obs. 47.*

40. *Salvatellæ sectio*) Sectio inter annularem & minimum digitum ab antiquis credita est febrem Quartanam solvere, Mulier quædam septem jam menses Quartanaria fuerat, *Masilii* Medici consilio secta est ea vena, detractusque copiose sanguis, febris jugulata est, sed annum fere unum manus tota velut live facta mansit (*Vide inferius causam* §. 43. *Tota manus livida mansit*, Eadem asserit cuidam nobili viro sibi noto idem contigisse. *Ballonius Epid. lib.1. p 152. Parad. 158.*

40. *Salvatella sectio*) Apertio salvatellæ manus sinistræ ab antiquis & neotericis non paucis probatur; A plurimis rejicitur, quod nulla ratione fulciatur, cum sit ramus è venis brachii productus: At cum pluribus experimentis à non paucis celebretur, non omnino negligendam censemus: Alii autem in ipso Lunæ coitu aperiendam statuunt, Alii inclinante Luna 2. horis ante accessionem, & per tres vices, tribus accessionibus consequentibus, quod nonnullis feliciter successit. *Riverius.*

41. *Ante accessionem*) Dies accessionibus vacui sanguinis missioni, ut & purgationi opportuni sunt; Nonnulli tamen ipso accessionis die sanguinem detrahunt, quinque aut sex horis ante invasionem illius; quod satis commodum est, cum tunc temporis humores moveri incipientes facilius educantur. *Riverius.*

42. *Ante conjunctionem Lunæ*) *Zacutus* V. S. in plenilunio celebratam plurimum conferre asserit, Tunc enim ob Lunæ vim humor ille terrenus ebullit & fluxilior fit, promptiusque venasecta educitur; hocque remedio eo tempore celebrato plures levatos, alios à morbo prorsus immunes evasisse testatur, qui pluribus aliis auxiliis non cesserat. *Riverius.*

43. *Tota manus livida mansit*) Proculdubio ex errore Chirurgi qui venam utraque ex parte percudit, unde sanguinis suffusio & ecchymosis in partibus venam intime ambientibus facta est, ægre ob profunditatem resolubilis.

44. *Materiæ præparatio*) Melancholia, quæ fæx est sanguinis, crassa, sicca, terrestris, obstructiones rebelles & indomitas parit, quare ad præparationem eget calefacientibus, humectantibus, attenuantibus, meatus aperientibus, in quorum censu si quædam sicciora videntur, humectantium admistione temperanda; Atram autem bilem quæ præparant dictum cap. de Tertiana notha, eadem enim atræ bili quæ æruginosis humoribus conveniunt.

℞. *Syr. de scolop. capill. ven. de buglosso ãã. ℥j.*
aquar. fumar. fœnic. endiv. ãã. ℥ij. f. Julep. Vel

℞. *Oxymel simpl. bizant. de fumar. ãã. ℥j.*
aqu. borrag. bugl. lupul. ãã. ℥iij.
crem. Tart. ʒj. m. f. Julep.

Si ad atram bilem vergat

℞. *flor. violar. borrag. bugl. flor. pomor. redol. ãã. m. j.*

melissa

melissæ m. j. macerentur horis xij. in lib. ij. aq. tep. super cineres calidos, in expresso dissolve facch. lbß. f. Julep. Vel

℞. *aqu. [illegible] lar. bugl. borrag. āā. ℥iv.*
syr. pomor. redol. facch. albi āā. ℥v.
m. Julep.

[illegible] in eadem quæ bili conveniunt. Apozemata ad [illegible] tam quæ fæx est sanguinis, sic fiant.

℞. *rad. buglossi, rusci, aspar. cichor. satyr. fænic. apii, petros.*
enula, liquir. āā. ℥ß.
cortic. citri sicci ʒij.
cortic. cappar. tamarisci, āā. ʒvj.
passular. ℥j.
h. capill. ve. meliss. cichor. chamedr. chamæp. lupuli, fumar. borrag. buglossi, card. benedicti, thymi, beton. mercur. āā. m. ß.
prun. dulc. n. x. cappar. ℥j.
sem. frigid. maj. āā. ʒß.
sem. petros. endiv. acetos. āā. ʒj.
cicer. rub. pug. j. tartar. vini albi ʒj.
flor. genist. hypericon violar. borrag. sambuc. anthos. āā. p. j. f. Decoct. ad lbiß.
In colat. dissolve syr. de Pomis simpl ℥ij.
syrup. bis. ant. cap. ven. āā. ℥j.
sacch. lbß.
aceti caryophyll ℥j. m.
f. Apozema clarific. & aromatiz. ʒ j. cinnam.
in plures doses.

Crato decoctum *raparum* valde extollit, dicitque proprietate quadam melancholiæ adversari, sicut prodest *Tartarum vitriolatum Crollii, crystallum cremorque tart. vi,* commendant alii radices juglandis cum allis coctas: Sed his Præparantibus utendum diutius, ut per dies xij. xv. plureve *Primrosius.*

45. *Et splenica* Splenica ab hepaticis nonnisi virium intension & remissione differunt, ut hæc illis debiliora sint; Præscribuntur autem potius quam hepatica, quod humor rebellis validioribus oppugnari debeat, Quartanam cum vitio hepatis oriri concessum est. *Primrosius.*

Illi occurretur diligenti usu *Jusculi seq.*

℞. *rad. borrag. ʒij.*
rad. cichor. cortic. cappar. āā. ʒj.

In[illegible]antur & coquantur jusculo gallinæ juvenis, macro [illegible] diebus quietis hora una ante prandium [illegible] Repetantur octies herbæ superius ordinatæ [illegible] humorem melancholicum, Obstructiones [illegible] is reserabit, uno materiæ formæque febri[illegible] relistet, *Balthazar. Schneiderus Cons. 39. l. 7. cons. Scholtzii.*

46. *Quales sunt*) Hæc sæpius præscripsi.

℞. *rad. [illegible] pod qu. apii, fænic petrosel. āā. ʒj.*
cort. tamarisc. cappar. gentiana āā ʒß.
herbar. ceterach. absinth. centaur min. fumar. āā. m. j.
sem. anisi, dauci, āā. ℥ß.
tart. vitriol. ʒij.
cappar. ℥j.

Decoctio in aqua decoct. ligni guajaci lbiiiß. vel ejus loco [illegible] lactis cum spir. sulph. & succo limon. destillati, addendo in fine decoctionis parum vini Gallici ad lbij. in quibus [illegible] per noctem, fol. senna ℥j. helleb. nigr. agar. trochisc. [illegible] cinnam. ℈ij. cras fiat levis ebullitio & expressio, [illegible] de cichor. cum rh. ℥ij. elix pr. Parac. ʒj essent. fumar [illegible] ad gratam aciditatem, Pietis Tr. x. p. 272.

47. [illegible] r plantas primas tenet Decoctum *rad. enula & f[illegible]. Ench. M. Pr.*

48. *Decoctum Raparum* Multis diebus Quartana laborantibus solu[illegible] *decoctum raparum* do, admonitus sum de hoc Excell. Medici *Garnerii* consilio, qui scripsit se Abbatem quendam felicius rapis quam aliis medicamentis curasse: Sic autem exhibeo, mundandas ab exteriore cortice, deinde decoquendas curo, primum jus tempestive abucio, aliam aquam puram affundo, & donec diffluant rapæ decoquo, exprimo succum accurate, & addo butyrum recentissimum absque sale cum saccharo, si flatulentus est æger, adiicio *caryophyllos* leniter incisos. *Joh. Crato cons. 66 l. 5.*

49. *Chamadrys*) Ad aperiendum simul & corroborandum, commendatur tanquam remedium præstantissimum ejusdem *Extractum* cum *sale tamarisci* permixtum in forma Pilular. *Riverius.*

50. *Per vomitum die accessionis*) Quidam Recentiores Practici in initio hujus febris *Vomitum* provocant, & ante paroxysmum vel initio paroxysmi: Hujus remedii tanta vis est; modo recte instituatur, ut multi hoc unico remedio convaluerint, *P. Forestus obs. 35. l. 3. in Schol.* Levissimum, & securissimum experimentum invenimus, cum frigore Quartanarius torqueri cœperit; cyathum *stillat. aqua rosar.* ebibat quo multa & biliosa evomet, & sanus evadet, ita enim multis evenisse observavimus. *Amatus cent. 2 curat. 97.*

50. *Evacuatio per vomitum*) Non tantum per alvum vacuare convenit, sed etiam per Vomitum, ut jubent & suadent *Galenus 1. ad Glauc. c. xv. Paulus, Ætius, Trallianus, Avicenna*, maxime si æger ad vomitum sit pronus, secus per inferiora purgandum: Etsi enim humor melanch. potius videatur per inferiora debere expurgari, ex 4. *aph. 9.* quia crassus & terrestris, tamen quia quartanarii ob coctricis debilitatem, & morbi longitudinem, multos congerunt in ventriculo crudos humores qui vomitu debent expurgari, sic fomes subtrahitur quartanæ, quin etiam humor melancholicus à liene sæpe regurgitat in ventriculum, unde commode potest evacuari: *Saxonia* singulis ferme paroxysmis vomitum movet summo eam fructu, & ostendit experientia nihil hoc remedio utilius esse. *Primrosius.*

51. *Die accessionis*) Optimum est non semel sed sæpius vomitoriis uti, & die intervalli si præbeatur facilior à cibo erit vomitus; minoriq; cum molestia, sed die paroxysmi quoniam humor facile movetur, & cibum dare noxium est, satius erit jejunare, secundum *Alexandri* consilium, unde male faciunt Angli qui potum quamplurimum hauriunt quando vomitoriis utuntur, in ipso paroxysmo, quod est valde nocivum, ut experientia ostendit sæpe inde paroxysmos fieri & graviores & longiores, stomachumque debilitari.

An vero ciendus Vomitus à cibo, vel ante cibum? *Avicenna* & ante & post, & omni hora: *Trallianus* Galenum reprehendit, quod vomitum præscribat à cibo, quum melius provocetur initio paroxysmi ante cibum: Sed satius est *Avicenna* consilium sequi, A cibo quidem facilius vomit æger, sed minori cum fructu: Si vero sit ad vomitum propensus, satius erit ante cibum, sic attrahit melius ex venis, quoniam emetici vis cibi permissione non hebescit. *Idem.*

51. *Die accessionis*) Veteres in Quartana, affectione hypochondriaca, aliisque chronicis, vomitum à cibo moverunt, quod & neoterici imitandum censent, quia morbificus humor mistos facilius expellitur, adde quod transversæ ventriculi fibræ cibo & potu humectatæ ruptioni minus sunt idoneæ: Quia vero eo tempore vomitoria nihil materiæ morbificæ, quæ non in ventriculo, sed alibi stabulatur, detrahunt, sed tantum pituitam, & quicquid in ventriculo fluitat, danda potius duobus horis ante accessionem, aut in ipso accessionis initio, quia tunc humor commotus facilius sequitur. *Enchir. Med. Pr.*

52. *Per agaricum in aqua tepida dissolutum &c.*) Utebatur *Galenus helleboro albo*, primum cum *raphano*, dein solo, At recentiores blandis suis vomitoriis utuntur, *oxymel. cum decocto raphani, atriplicis, anethi & simil.*

℞. *semin. erucæ, atripl. raph. āā. ℥ß. asari ʒj.*

flor. in genista, anthos, ãã. p. j.
f. Decoctio, in cujus ℥vj.
dissolve *oxymel.* ℥iij. *bibat tepidum.*

Quidam in Quartanis commendat *succum verbenæ* igne depuratum ad ℥i. melius erit si succus mense Majo educatur: operatur eadem violentia qua *antimonium*, sed *Aqu. bened.* seu *infusio croci metall.* propinari potest, etsi potius biliosos humores quam melancholicos evacuet: Nec inutile erit *Vitriolum Crollii vomitivum* exhibere; Multo felicior, minusque molesta ex illis succedit evacuatio quam ex vegetabilibus; quæ si magis arrideant, *Diasarum Fernelii* usurpetur.

Novi quosdam qui infusione fol. siccorum *Tabaci* commode susque deque purgentur, sed est remedium violentum & formidabile; Si valde robusti sint patientes *Helleborismum Heurnii* poterit in usum vocari, estque *Extractum Hellebori albi* per decoctionem paratum, quam præparationem *Heurnius* male sibi attribuit, cum sit *Aetii* & forte aliorum ante *Aëtium*, Utut sit, aut nunquam aut saltem rarissime in usum ducatur. *Idem*,

In Quartanis plures *Vomitu* quam fere alio medicamento liberatos scimus, unde Vomitum radicem curæ febrium *Avicenna* vocavit, *Platerus*. In Quartanis extollitur in specie *radix asari*, ℞. ejusdem pulverisat. ʒß. ad ʒi. propinando ante paroxysmum cum *aqua vel decocto centaur. min.* aut *cardui ben.* Quod si post vomitum simul exerceat sudorem, eo melius erit, *Ettmuller pag.* 281. *Henr. Vergerius*, Med. Doctissimus, Aquam quandam vomitoriam, ex *aceto & herba acetosa* destill. in ipsis accessionibus, ad cyathum unum propinabat, atque ita vomitum irritabat, Utebatur etiam *aqua rosac.* ex *pallidis rosis Provincialibus* dictis destillata, quam & *Amatus* pro experimento indubitato convenire tradit. *Cent. 2. curat. 97.*

52. *Pro accessionis*) Communior est Medicorum consensus in *Vomitoriis* initio paroxysmi exhibendis, quia natura eo tempore ad eam evacuationem magis prona est: Neque dubium est vomitum in principio paroxysmi excitatum, & pluries cum paroxysmi incipiunt repetitum, mitiorem brevioremque morbum efficere. *Riverius.*

52. *Per agaricum in aqua*) In Quartana *asarum* reliquis vomitoriis est præferendum, ad ʒj. in pulverem redactum, & cum vino albo exhibitum, ac ter aut quater repetitum. *Riverius.*

53. *In aqua tepida dissolutum*) Sunt qui *Vomitoria Pilularum* forma præbent potius quam potionis, hac ratione impulsi, quod Quartanæ causa non in ventriculo resideat, sed in venis lienis; aut mesenterii, aut in cysti fellis delitescat, unde vomitoria potio, quæ sæpe rejicitur priusquam vim suam exserat, vix quicquam eliciat nisi violentis medicamentis constet, quibus non nisi coacti utuntur: Pilulæ vero duabus horis ante horrorem sumptæ, non ante sesqui horam aut horas duas vomitum cient, tantoque intervallo in altiores partes vim suam transmittunt, unde humorem potentius alliciunt: Miscent ergo ʒj. *asari* cum ℈ß. *mithrid.* & cum *syr. violar.* formant Pilulas. *Enchir. Med. Pr.*

54. *Ante paroxysmum*) In ipso paroxysmo purgare minime tutum videtur, nec ullus opinor est qui id facere unquam ausus fuerit, addere scil. afflictionem afflicto, Natura enim satis tunc hatur ab humore morbifico; Sed si purgationem præscribamus, non instante paroxysmo, verum quinque vel sex horis ante accessionem, ita ut omnino completa sit vacuatio ante adventum paroxysmi, id maxime fuerit ægris utile, sic enim materia accessionem factura imminuitur, natura oneris parte levatur, præcipue si catharsis instituatur ex medicamentis benignis, quæ Naturam minime exagitant.

Nec metuendus est motus pharmaci contrarius morbi humoris, quia duo hi motus diversi simul non concurrunt, purgatio enim finiri debet ante accessionis invasionem: Id præcipit *Gentilis* qu. 11. in 1. Fen. lib. 4. tr. 2. c. 71. Idem sentiunt *Arculanus, Amatus Lus. cur. 8. cent. 1.* Probat quoque purgationem & vomitum die paroxysmi. *Riolanus.*

Sed *Fernelius* Doctissime id universum explicat. c. 11. lib. 3. Meth. *Tranquillo die tutior purgatio, expeditior perturbato, Quum enim morbus minus fatigat, & collectæ vires melius constant, facilius medicamenti vis & impetus tolerari potest, atque die morbus exasperatur, agitataque ejus materia in motu est promptius detrahitur*, Et paulo post: *In febrium intermittentium quiete, medicamentum tanto ante accessionem tempore offerendum quo possit purgatio compleri: Per accessionem quippe materia non in alvum sed fere in diversum ruit, & plerumque accessionis vehementia purgatio subsistit, præstat tamen ante accessionem quam mox ab ea, & pridie Quartanæ quam postridie medicamento uti.*

Quibus nostram sententiam confirmat, quod in intermittentibus tantum convenit, & præcipue Quartanis aut Tertianis nothis; in exquisita vero aut continuis non licet, quia perpetuo morbus ægrum fatigat, ejusque vires deterit, ita ut non possit motum medicamenti & exacerbationis morbi simul perferre.

Id innuit *Hippocr.* 4. de *morbis*, Ubi veteres Medicos reprehendit quod diebus imparibus purgarent, quia illis diebus humor movetur: non mirum igitur si corpori, à motu humoris perturbato, accedens novus à pharmaco labor, ægrum in certam perniciem præcipitet: quod quidem præcipue in ardentibus verum, & reliquis continuis.

Sed in intermittentibus non semper locum habet ratio *Hippocr.* quia medicamenta habemus quæ non adeo Naturam exagitant, sed benigne purgant, quibus carebat *Hippocr.* qui helleboro similibusque validis purgabat, quæ quidem si darentur tempore paroxysmi, non dubium quin magna illa agitatione natura tanto oneri ferendo impar succumberet; sed nostra paulo mitiora die paroxysmi innoxie dari possunt, modo universa ipsorum operatio ante paroxysmi adventum completa sit, Hinc patet male à quibusdam purgationem in ipso paroxysmo præscribi. *Primerosius.*

Multæ rationes afferuntur ad probandum die paroxysmi neque emeticum neque catharticum exhibendum, sed præsertim hæc, quod motus fiunt contrarii, In accessione quippe humores ad circumferentiã, ferantur, contra in purgatione ad centrum: quod etsi usquequaque verum non sit, cum in accessionis principio humores ad centrum ferantur, tamen simile quid molendum ex sententia Hippocratis ad Quartanæ curationem oportet ut in aliam transmutetur naturam, Id quod vix alia ratione obtinere licet quam motum contrarium humoribus conciliando.

55. *Evacuatio per inferiora*) Confert & per superiora, videlicet per *Ptyalismum*, Hæc facit (inquit *Ettmuller* Pr. p. 291.) suo modo *salivatio mercurialis* Quartanarios subinde relictos curans, videatur *Ballonius Epid. l. 2. p. 51. &* 158. *& Parad.* 198. Item *Piens de Febr.* p. 2. p. 273. Notabile est alias eos qui aliquandiu Intermittentibus laborarunt, promptissime salivare etiam ex aliquibus granis *Mercurii dulcis* propinatis: Hinc ad præcavendum talem salivationem purgatio promovenda, vel fortis sudor repetitus impetrandus.

55. *Evacuatio per inferiora*) In chronico hoc morbo obstinata perseverantia necessaria est, ut continua remediorum vicissitudo illius causam concoquat & expellat; Unica enim fere hæc causa est cur multo Quartanarii incurari maneant, si quidem post paucorum remediorum usum tædio affecti reliqua prorsus dedignantur, Ad diuturniorem igitur usum purgantia quædam usualia habenda sunt, frequenter iteranda, Eaque in syrupi magistralis, aut Pilularum aut aliorum quamvis formam concinnari possunt. *Riverius.*

56. Per

57. *Per catharticæ primo leniora*) Ab initio leniter tractandæ sunt [illegible] rtanæ, nullumque fere medicamentum in earum pr[illegible] pio adhibendum, quia hæc ex simplici non raro [illegible] aut triplicem faciunt Quartanam; Imo obs[illegible] fuerunt Quartanæ, quæ ab exhibitis remediis diut[illegible] & [illegible]ntumaciores redditæ fuerunt; iis qui absque [illegible]ntis relicti fuerunt citius reconvale[illegible] observante *Ballonio* in *Pharo Med. B. pag.* 198. [illegible] um purgantium in Quartanis determinat [illegible] 196. nempe levioribus in initio utendum: Cocta [illegible] do est materia, ac jam aliqua ex parte mitificari cœp[illegible], locus valentioribus esto, quoniam humores tenace[illegible] c[illegible]ssi, viscosique leniorum vim effugiunt &c. *Etmull*[illegible].

58. *Post coctione apparente fortiora*) Præparantibus remediis purgantia interserenda sunt, ut 3. vel 4 quoque die catharticum aliquod exhibeatur; hac cautione adhibita, ut quamdiu materia est valde cruda mitiora usurpentur, Increscente vero coctione paulo validiora; utile est & aliquando Apozema præparans simul & purgans in 4. aut 5. dozes præscribere, ut bona materiæ morbificæ portio educatur, Quod componi poterit ex materia Juleporum, additis purgantibus: Attamen si humorum crassities & contumacia, cum frigida viscerum intemperie morbi longitudinem & hydropem minari videantur, ad potentiora incidentia confugiendum est. *Riverius.*

59. *Brevi ante paroxysmum*) Ad cohibendum etiam paroxysmum, hora una ante ejus invasionem, Purgantia leniora utiliter exhibentur, quæ solicitando naturam potius quam purgando humores revellunt: Eo nomine ta[illegible] p[illegible] bi p[illegible] ssunt.

℞. *sem. mundat. polypod. qu. thymi, epith.* ãã. ʒj.
fol. borrag. p. j.
f. Decoct. ad ℥iij.
cap[illegible] t hora ant[illegible] paroxysmum. *Vel*
℞. *sennæ mundat.* ʒiij.
tart[illegible]. ʒj. *cinnam.* ʒß.
caryoph. & zinzib. ãã. ℈ß.
fiat ch. ad pondus omn. Fiat Pulvis pro iij. *dozib. detur una ante paroxysmum* cum vino albo.

Quercetanus.
[illegible] laudat *Pilul. de sagap. Quercet.* quarum unam tantum exhibet initio paroxysmi, continuando ad ali[illegible], & paulo post inungendo spinam dorsi linimento[illegible] posito ex *theriaca, aqua vitæ & oleo laurino* vel [illegible] Tum duabus aut tribus horis post Pilularum devorationem exhibendo jusculum cum rad. aperientibus, [illegible]oc, buglosso, thymo, & pomo coripendulo parat[illegible] *Riverius.*

Brevi ante paroxysmum) Annon tutum in febribus Quarta[illegible] aliis obstinatis, dum humor movetur, & in die [illegible]xy[illegible], dare medicamentum. Uxori D. Du *Hamel* cop[illegible] Quartana laboranti datum medicamentum, una post h[illegible] [illegible]rruit, in caluit, alacriter tamen medica[illegible] [illegible]rut, repurgata est quibus oportuit: Ab eo tem[illegible] [illegible]uot sed paucæ admodum accessiones repererunt [illegible] odum omnino ab iis paroxysmis est liberata [illegible] in simili exemplo purgationi opera dari potest. [illegible]*nius Epid l. 2. p.* 271. Vide inferius §. *Observatum* [illegible] *Quartanariis.*

[illegible] *ante paroxysmum*) Purgantia medicamenta exhiben[illegible] pridie paroxysmi, quia ægri tunc temporis sunt [illegible] · Non pauci tamen ante paroxysmum ea esse [illegible] contendunt; quia per accessionem agitata [illegible]lior ad expulsionem redditur, Hanc sententiam [illegible] authoritate *Hippocr.* l. de *Affect.* qui pharmacum [illegible]um purgans exhibendum esse vult in ipsa apprehensione Et quamvis ex *Galeni* sententia liber ille *Polybi* sit non *Hippocr.* non ideo fidem illi derogandam volunt, cum experientia frequens huic sententiæ subscribat, prout ab *Arculano, Gentil. Amato,* aliisque proponitur, qui horis quatuor ante accessionem exhibendum medicamentum jubent, Quod tamen maxima cautione opus habet, cum inchoatam evacuationem superveniens horror intercipiat, & in accessione fiat humorum motus pharmaci motui contrarius, unde ingentes turbæ in ægri corpore excitari possunt; Ideo nonnisi in robustioribus corporibus hæc methodus tentanda est. *Riverius,*

60. *Habentque inter illa locum folia Sennæ*) Duplex Quartana graviter affligebat à duobus mensibus virum valde melancholicum: Curata est tribus dosibus infusionis sennæ in aqua febrifuga *Riverii* factæ, quæ nihil aliud est *quam aqua fontis cum sale Tartaris*: Frater meus post duplicem recidivam ex terriana duplici in Quartanam Triplicem incidit, sed post 4. aut 5. ejus paroxysmos, sumpta bis infusione prædicta, bene purgatus evasit. *Obs.* 83. *Cent* 4. *apud Riverium.*

60. *Habentque inter illa locum*) In contumaciori febre etiam appropriatis salinis incidentibus & abstergentibus remediis permista purgantia ante paroxysmum propinari possunt; in specie *scammonium*, quod fere tunc alterantis simul vicem obtinet, speciatim in Quartanis ante paroxysmum simul cum aliis propinanda purgantia; Vide Hœferi *Herc. Med. p.* 101. Hic enim in recidivis, appropriatis absorbentibus & abstergentibus *scammonium* additum felici cum successu usurpavit. *Etmuller p.* 282.

61. *Folia Sennæ*) Purgans medicamentum valde familiare, & paratu facillimum, sed utilissimum componi potest ex *decocti absinth.* ℥iij *in quibus sennæ* ʒiij. infusæ fuerint, sumendo per intervalla; ubi vini caliditas non metuenda, eadem quantitas sennæ infundi potest in vino absinthite; quod decocto cichorei temperari potest Juvabitur operatio *sennæ* additu *Tartaro Vitriolato.*

61. *Folia Sennæ*) Sequens commendatur experimentum ex *Vallesio*, *Folliculorum Sennæ* cochleariorum ex *decocto absinth* ℥iij. per aliquot dies ex intervallis, Et ante accessionem *Oleo laureo* spinam inungito: Si *aloes* ʒj addideris, cæteras febres sanabis. *Alex. Benedictus.*

61. *Folia Sena*) Puer annos 12 natus à febre Quartana liberatus est usu infusiones *Sennæ* cum *sale tartari* per septem dies, Dn. N. xxx. annos natus Quartana detinebatur per tres menses in principio Novembris: post usum apoxematis aperientis & purgantis præscribo *infusum sennæ cum sale tartari* per 15. dies, At xij. exhibitione cessavit febrilis accessio neque amplius rediit, Est autem temperamenti melancholici & difficillime purgatur: Post usum hujus remedii, quamvis ab accessionibus liber esset, præscripsi Opiatam roborantem & aperientem ad 12. dies à qua pristinum faciei nitorem recuperavit. *Riverius Cent* 2. *Obs.* 66.

62. *Inter hac*) Accense his *Gratiolam*, hyssopo affinem magis quam centaurio, quod *Bauhinus* vult, amaricante sua & laxante virtute in morbis chronicis, Quartana præsertim, Tertiana, cachexia, maxime vero in hydrope, usitata est, item in vermibus, magis tamen in infuso, extracto & cum aliis. *Wedelius.*

Hujus ope multos hoc anno 1684. à Quartana liberatos scio, quam lubens porrigebat egenis Trapezita celeberrimus Dom. Falliod, Genevensis, collectam in agro Ebrodunensi vicino villæ quam possidet prope Grandisonum in territorio Bernensi, sed robustis tantum compent.

62. *Inter hac*) *Mercurius vitæ dulcis* in Quartana, & aliis febribus, mirabiliter operatur. *Adr. à Mynsich. Armam. p.* 22. Præparat. vide ibidem.

63. *Inter hac Pilula*) Sequentes in progressu morbi, concoctionis signis apparere incipientibus, usurpari poterunt, uel seorsum, vel cum vino medicato subsequenti.

℞. *rad. gentianæ* ʒiij.

aristol. rot. ℥iß.
artemis. ʒß.
bryon. siccæ ʒiij.
myrrhæ & croci āā. ʒj.
rad. asari ℥ij.
aloes ℥j.
cum oxymel. scill. fiat massa, de qua capias ʒj. singulis diebus per se vel paulo ante assumptionem vini.

His Pilulis *chalybs præparatus* utiliter additur; si æger post earum præparationem deambulare valeat: Chalybis enim usus in omnibus febribus chronicis utilissimus est, obstructiones contumaces, quæ illas fovere solent, potenter dissolvendo.

℞. vini albi ℔iij.
rad. enul. camp. ℥ij.
cortic. rad. cappar. ℥ß.
summit. absinth. vulg. sicci ℥j.

Infund. per triduum in Baln. *Mar.* serventur omnia simul. dozis ℥ij. vel iij. singulis diebus, mane duabus horis ante pastum. *Riverius.*

64. *De Sagapeno Camilli*) *Quercetanus* describit Pilulas quasdam ex *sagapeno, diagridio, sale gemmæ, colocynthide*, quas attribuit Medico cuidam Genuensi, quarum una si hora ante paroxysmum detur, omnes Quartanas sanari posse testatur, quia dissolvunt tartareos humores & crassos; Easdem describit & laudat *Stokerus* in Empirica sua, nam præter purgantia ordinaria quidam requirunt ad curationem *dissolventia* dicta; id quod præstare ajunt *Sagapenum, ammoniac. myrrham sulphur, mercur. dulcem, oleum succini, gagatis, succini, piperis*, quæ reliquis catharticis si admisceantur tutius evacuabitur humor, Addunt etiam quidam *saccharum & spiritum Saturni*, *Saccharum* Martis dictum, quibus ad edomandos hos humores maximam vim tribuunt. *Primirosius. Piens Tr.2.p.276.*

65. *Pilulæ Tartareæ Quercetani*) Eximiæ quidem efficaciæ, sicuti non semel experimento comprobavi; quæ, sed cum operosiores sint compositionis à Pharmacopolis nostratibus prætermittuntur, Quibus succenturiantur cognomine *Bontii*, quæ componuntur ex Aloës Socotrinæ ʒiij. lacrymarum gummi Ammoniaci aceto dissolutarum ʒiß. Tartari vitriol. ʒß. in massam compactis, dosis est à ℈j. ad ʒj. mane vel ante cibum: Alias habet *Schroderus* compositiores.

66. *Hellebori nigri*) Inter purgantia olim communissimus fuit, unde & in proverbium abiit, *helleborum capere*, ire ad *Anticyras*, hodie vero itidem ad determinata magis pertinet: In usu est radix fibrosa, quo ipso etiam ab albo commode distinguitur, licet vero ex observatione *Manardi*, & aliorum, non tam vehemens sit sine dubio, & noxæ inde exortæ communes videantur cum aliis omnibus, cum tamen mitiora in usum introducta, sensim eviluit, & morbis gravioribus capitis, epilepsiæ, apoplexiæ, melancholiæ, maniæ, vertigini & atrabilariis aliis, lepræ, scabiei destinatus magis fuit.

Hinc jam usitatum in praxi præscribere *fibras hellebori nigri* in nodulis ad ʒij. vel ℥ß. quoque innoxie: *Extractum* quoque commode miscetur Pilulis In libello Germanico empirico recensetur remedium curandæ Maniæ, si *extractum helleb. nig.* per decoctum cum aqua simpl. factum, & despumatione depuratum, quotidie ad gran. j. vel alterum detur: Nempe *helleborus* acuit non solum purgantia reliqua, sed etiam alterantia; Exempli loco sit *Oxymel. helleboratum*, quod dilaudat *Hofmannus* l. de M. O. ingreditur vero in id *uterque helleborus*, fibræ integræ nigri ad ʒij. & *cort. albi radic.* ad ℥ß. ut taceam *dauram Paracelsi*, qui heroem vocat ad quatuor morbos cardinales, Et *pulv. folior. belleb. n. cum saccharo* ad Vertiginem. *Wedelius Am. m. m. pag. 251.*

66. *Hellebori nigri*) *Elleborismus Mathioli*, in Quartana, Cum signa aliqua coctionis apparebunt, vel id à natura sponte factum, vel concoquentibus medicamentis adjuta.

℞. aspleni, adianti, fumar. melissoph. absinth. Pent. artemis. agrimon. puleg. thymi, sennæ āā. m. j.
flor. anthemid. beton. bugloss, borrag. rorismar. Jacch. epithym. āā. m. ß.
rad. cichor. intybi, apii, fœniculi, asparag. rusci, pæonon. enid. eryng. angelic. bugl. borrag. doronn. āā. ℥vj.
semin. anisi, fœnic. ocymi, citri āā. ℥iij.
cinnam. el. ℥j.
santal. flav. ℥ij.
agallochi ʒj.
bulliant ad tertias in aqua q. s. colaturæ accipe ℥iijß.
syr. de fumar. de epithymo, bisant. acetosi, de radic. āā. ℥iij.
misce f. Potio diebus xv. continuis sumenda.

Deinde Helleborismum sequentem præbeto die xv.

℞. Decocti præscripti ℥v.
rhabarb. opt. ʒiß.
cortic. rad. ellebor. n. purpureum florem ferentis ℈v.
junci odorati, zedoar. sem. pæon. decort. āā. ℈ß.
vini Cret. ʒij.
Tere terenda, dein misce omnia, & die ac nocte macerato, affuso decocto, demum colato, exprimito, cum hoc Diluto dissolve Elect. Lenit. ʒv.
conf. Hamech ℥ij.
syr. de pomis Regis sapor ℥j. m. F. Potio.

Hujus (*helleb. n. qui flores fert purpureos*) rad. diluto ex more nostro parato, hyeme etiam media, & magis urgente frigore; præparata prius diutius materia decoctis ac syrupis ad id facientibus, plures Quartana laborantes sanavimus: Nunquam enim, quod meminerim, hoc *hellebori dilutum* dedimus Quartanariis nostris, quin ex unica assumptione, vel saltem altera, Deo juvante, fuerint ad sanitatem restituti. *Matthiolus.*

67. *Celebris est*) Nemo est in hac arte, vel mediocriter versatus, qui nesciat quam parum votis respondeant methodi istæ omnes, quæ huic Medicorum opprobrio eludendo hactenus destinantur, si *corticem Peruvianum* excipiamus, qui tamen inducias sæpius impetrat morbo quam eundem debellat; cum postquam ad septimanas duas vel tres delituerit, magno cum ægri emolumento, qui ab illa male mulctatus interim paululū respirat, mox de novo recrudescens haud segnius quam prius lacessit, atque ut plurimum, quotiescunque demum repetatur illud medicamentum, nonnisi longo temporis tractu expugnatur, Referam tamen quicquid de methodo ejusdem exhibendi habeo compertum.

Curandum ante omnia ne præmature nimis ingeratur, ante scil. quam morbus suo se marte aliquantisper protriverit, nisi collabescentes vires eundem temporius sumendum dictaverint: neque enim id solum metuendum ne à præpropero usu inefficax reddatur, sed & ne de ægri vita agatur, si sanguini omni fermentationis nisu se despumanti, eam derepente injiciamus remoram. Neque catharsi, nedum V. S. subducenda est materiæ febrili pars aliqua, quo liberius cortex suo fungatur munere: cum enim ab utraque labefactetur quadamtenus œconomia corporis, eo certius promptiusque recrudescent paroxysmi, evanescente semel pulveris vi.

Mihi etiam magis è re fore videtur, ut sanguinem dicto medicamine sensim, longioreque à paroxysmis intervallo leviter inficiamus, quā ut omnino uno ictu cum jam instantem tentemus hostē confodere, hoc enim pacto, & plus temporis remedio conceditur, quo suum opus plenius absolvat; & evitatur quicquid id est periculi quod ægro poterit oriri ex subito illo atque intempestivo nimis sufflamine, quo paroxysmum tum invalescentem, atque omni se ope exerentem conamur opprimere: Tandem

dem brevibus his temporis intervallis repetendus est pul- v… n protinus evanescat prioris dozis virtus ante- … exhibeatur, crebra enim repetitione … superabitur, profligato in solidum morbo. Hi… rationibus hanc methodum cæteris antepono.

Peruv. cort. ℥j. *cum conf. rof. rubr.* ℥ij. m. detur quantitas nuc… m. & l. quotidie devoret dictus à gemino p… vacuis, donec confectionem omnem absumpserit æ… er, Repetatur porro ad tres alias vices, interje… semper diebus xiv *Sydenham De cur. Acut. p. m.* 208.

… *Celebris apud quosdam*) Quidam incidit in febrem Quartanam legitimam, Jam duobus mensibus cum hoc h… confictatus incipiebat deficere, in hecticam in… & cachexiam, Egeram prius per indicationes Ga… nostras conluctas, corpus & causam morbificam … endo, maturando, evacuando, minorando; symptomatibus providendo. Tandem etiam volens recentiori indicationibus satisfacere, eas bene ponderavi, & reperi in quatuor indicationibus consistere, nempe sistere fermentationem, corrigere particulas acidas, aperire obstructiones, & restituere partes sulphureas, nam acidæ in hac febre prævaluerunt.

Ideo descendi ad usum Pulveris *China Chinæ*, quem in pondere ʒ j. *in vini boni Hispanici Canariensis* ℥iv. … noctem infudi, ac sic quatuor horis ante paroxysmum exhibui, jubendo ut æger calide se in lecto teneat. Prima vice febris accessit, sed debiliter, secunda & tertia vice plane emansit: Deinde in duabus libris vini dicti adhuc infudi ℥j. ac …di, ipsi per 6. dies quotidie ℥iv ebibendas, quibus … febris cessavit, & æger fuit refocillatus, sentini robur … poris crevit, ut nunc sanus degat sine ulla recidiva, quam tamen plurimi magnates nostri, qui hoc pulvere usi, … d intempestive, passi sunt &c. *China Chinæ* suo sul… vegetabili anodyno sistit fermentationem Eodē cor… acidas particulas, Eodē fit restitutio sulphureasū defic… entium, Et amaro suo sale aperit obstructiones, & pell… urinam, quam copiosam in hoc casu eduxit, cum … dio decursu hujus febris illa suppressa fuerit. *Ferd. Fr. d. Amer. Med. Sept. vol. 2. p.* 550.

… *Si non præcedere*) *Corticis Peruviani* usum felicissime antecedit *Pilula de Sagapeno Quercet.* juxta methodum ab … præscriptam, videlicet paolo ante paroxysmum detur … ula una ciceris magnitudine: Quin & felicissimo … entu diebus intermediis pilulam item unicam exhibe…, apparentibusque coctionis signis, una dozis … *peridis* febrem abstulit, quod à me sæpius obser… um anno 1684. quin & manet in ipso.

… *Examinatio per sudores*) Probe examinandæ morbi ci… antiæ, non solus externus effectus, sudario, atten… d & internus, v. g. præcipitandi, corrigenda… di humores: Hinc in intermittentibus, in… is, frequentata sudatio summe est noxia; V… præter alia, queodam quartanarium reportasse bo… purpuram incorrigibilem quasi, simul ac corpus xpo… et aër visendam: In alio inde dolorem ca… ctuum: In puella lipothymiam frequentem. *W…lisius.*

… *Evacuatio per sudores*) Diaphoretica sane in omni … ente sunt optima, sed ea partim communia partim …ina, tam fixa quam volatilia, quam appropria… vis in destructione febrilis fermenti, ejusque *expulsionem per sudorem* fere consistit: un est v. g. *China C…* …ra Quartanam. *Etmuller Arcanum cardui benedicti,* … quinque ad octo: item *sal cardui bened.* in *spiritu* … lurus & iterum in crystallos redactus, Dos… unus, commendatur valde in Quartana *Joh. Harmannus* Prax. Chumiatrica lib. 1. cap. 5. § 11.

7… *Ad quos coctione apparente*) Reveta observavimus … Quartanis sudores non proficere solere, Nam cum materia sit frigida, crassa, lenta, non est credibile ita eam attenuari posse, ut in sudores resolvatur: Sed cum calor naturalis, & calor febrilis nihil non agere possit adoritur aliam tenuem materiam, abeundo corpori satis accommodatam, ut mirum non sit, si non proficiant tales sudores, cum maxima ex parte non sint ipsius materiæ morbificæ: *Prosunt quidem sudores apparentibus coctionis signis*, quod materia naturę cedat. sed donec aliquid tale apparuerit, non est quicquam opis expectandum, Unde non est cur sollicitissimus de citandis sudoribus in Quartanis: Nam si sudores, nondum apparentibus coctionis notis, procurari non possint sine obstructionis majoris metu, quod ars non audet facere, id si natura parum provida præstiterit, minus salutı corporis consuluerit. *Jac. Thevart. Annot. t. in conf. 23. lib. 1. conf. Ballonii p.* 32.

7[1]. *Ad quos coctione apparente*) Diaphoretica & Discutientia, in declinatione morbi, ad illius reliquias discutiendas, apparentibus concoctionis signis utilissima sunt: Non solum enim dictas morbi reliquias discutiunt, sed etiam intemperiem longo morbo contractam corrigunt, malum corporis habitum emendant, ac ventriculum, hepar, aliaque viscera diuturnitate morbi debilitata corrigunt; Ex his primum locum obtinet *Theriaca*, Hæc tamen summa cautio adhibenda, ne hæc vel similia calidiora cruditatis temporibus exhibeantur, fundunt enim humores putridos, unde confusio & febris incrementum, ita ut Quartana simplex in duplicem, triplicem, imo continuam aliquando degeneret, ut videre est exemplo *Eudemi* apud *Galen. in l. de Præcognit. ad Posth.* c. 2. 5. *Riverius.* Sunt qui urgente febre urinas & *sudores* movent, & ad id *Decoctum Guajaci* dilutius imperant, cujus ℔ß. macerant in ℔xij. aquæ, decoquunt ad tertias, Verum suspectus est *Guajaci* usus in omni febre, à quacunque causa processerit; Utiliter tamen sudores in fine accessionis excipiuntur; imo quo sudor copiosior effluit, eo tardius recurrit sequens paroxysmus, & tempore intermedio æger se melius habet, contra, si non libere prodeant, ceu ex contusione gravitas in membris superest, neque exacta adest insebricitatio. *Enchir. M. Pr. p.* 370.

7[2]. *Quos ciere solent*) Aromatarius Quartana sat… diuturna laborans, quæ multis remediis non cesserat, miscuit cum prisanæ potus ordinarii cyathis tribus mixturam ex *ambaro* & *moscho*, quam pro conficiendis muscardinis paraverat, sacchato addito, in qua erant utriusque *grana* viij. & in calore accessionis Prisanam sumpsit in tres dozes, singulis vicibus agitando, ne pulvis in fundo remaneret, Unde copiosissimi sudores oborti sunt, qui moschum redolebant, & ille perfecte curatus est. *Laz. Riverius, Obs. 35. cent* 4.

7[2]. *Quos ciere solent*) Inter sudorifera inprimis commendatur *Asarum*, si folia cum rad. pulverentur, & pulv. ℈j. cum aliquot *granis piper.* hora ante paroxysmum, cum vino generoso dentur, & æger lecto stragulis coopertus vomitum & sudorem expectet, qoin & finito paroxysmo plerumque alvus dejicitur, idque bis vel ter. *Alexis Pedem. Secretor. lib.* 1.

℞. *Poculum vini Cretici, rad. asar. pulv* ʒj.
m. calide bibe & suda, Tunc.

℞. *fol. salv. minor. rutæ, bursa past* āā. *p. j. aceti albi parum, conquassa, misce & Pulsibus* applica per diem integrum, removeantur, ac tertio iterentur, instante præsertim paroxysmo: Facilius & certiùs remedium pro Quartana haberi non potest. *Arn. Weickardus Thes. pag.* 2,8.

Radices cichor. iij. ad tertias coquito, & potandum præbeto partem tertiam cum *theriac. elect.* ʒj. antequam febris insurgat, Et qui biberit, lecto quiescens sudare conetur, *Expertum Aliud. Succus oculi Christi. vel oculi Dei* ter quaterve potatus, Quartanam sanare expertum est. *Ant. Fumanellus.*

73. *Theriaca*) Sunt qui duabus horis ante accessionem dant ℥j. *theriaca*, aut *castorei*, aut *myrrha* ā̄ā̄. ʒß. cum ℥iv. *vini albi*, aut quod simile attenuans, incidens, calfaciens, & concoquens, quorum in frigidis & melancholicis naturis probatur sententia, Nam his ubsunt quibus à retorrida bile febris orta est. *Ench. Med. Pr.*

73. *Theriaca*) Scribit *Galenus* usu intempestivo *Theriaces*, & rerum similium præsertim nondum cocta materia, effici ut ex simplici Quartana duplex triplexve fiat; Incidit enim materiam nondum præparatam, & in diversas partes pellit: Et quod Theriaca tanquam externum efficere potest, idem humor in aliquo corpore redundans, tenuis, acer, à bilioso adusto procreatus, se ipse potest movere ciere & impellere, tanquam à sese habens motus principium. *Ballonius cons. 23. l. 1.*

73. *Theriaca*) An concedenda in Quartana? id quod à *Galeno* olim fuit factum: Recte cum cautela hoc faciendum monent Practici, ne intempestive ante concoctionem data febrem multiplicet: Nam modo recte procedatur, *succus absinthii ad* ℥ß. cum *Theriaces* ʒj. in haustu vini ante paroxysmum propinatus, quasvis intermittentes abigunt: Quod si nimius æstus *Theriaca* usum videatur respuere, propinetur ʒj. in haustu moderato *Aceti*, & mediante sudore febrim profligabit; Hinc aliquoties, ubi omnia rite præmissa fuerint sequenti Bolo aliquot febres fugavi.

℞. *Theriaces* ℈ij. *ad* ʒj.
specifici Febr. Strobelbergeri ʒß.
ol. destill. caryoph. gtt. ij. sumat bihorio ante paroxysmum. *Etmuller.*

Exhibetur hora una ante paroxysmum ʒj. pondere cum *vino* aut *decocto chamadr.* vel si nimia caliditas timetur, cum decocto *agrimon.* succo vel *aqu. plantagina.* Reiterandum est medicamentum per plures paroxysmos, potest etiam exhiberi inane extra paroxysmum per aliquot dies, sed paulo ante paroxysmum felicius operatur, quia augmentum frigoris prohibet, humoremque febris causam jam effervescere incipientem commodius discutit, & hoc modo paroxysmum vel imminuit, vel si materia paucior sit, prorsus tollit. *Riverius.*

73. *Theriaca, Antimonium diaphor.*) Ex aliis diaphoreticis commendantur à nonnullis *radices china, salsa par.* quarum decoctum primarium & secundarium, per xx. dies exhibitum, contumaces Quartanas interdum curat; Efficacius autem operatur si decocto primario Purgantia admisceantur. *Riverius.*

74. *Sal armoniacum*) Illius flores egregii sunt usus præmissis præmittendis. *Frid. Hofmannus m. m. l. 2. cap. 11.*

75. *Evacuatio per hæmorrhoides*) Venarum etiam hæmorrhoidalium fluxus utilissimus est, & multi quartanarii hac evacuatione liberantur; Cum enim venæ illæ sint rami meseraicarum, in quibus morbi hujus materia continetur, dum aperiuntur, causam morbi proximam evacuant, Si igitur fluxus hæmorrhoidum contingat in iis qui ei assueti sunt, impediendus non est, si vero parcior fuerit, adjuvandus: Tum etiam si natura eo inclinare videatur, quod per ani pruritum aut tumorem, aut guttas aliquot sanguinis emanantes cognoscimus, proritandus est affixis hirudinibus: In quibus vero hæmorrhoides nunquam fluere consueverunt, *malleoli vena*, post brachii phlebotomiam, utiliter aperitur; unde sæpe febris mox cessat, vel ut citius desinat, und cum aliis remediis usurpata, efficere potest; Idque inprimis mulieribus, quibus menstruæ purgationes suppressæ sunt, aut parcius fluxere convenit *Riverius.*

Sunt qui ad humoris melancholici evacuationem Hæmorrhoidas provocent, quod tamen non consuluerim; Nam neque facile vi evocari possunt, neque semper id tuto fit, quod immodica plerumque succedat hæmorrhagia, quam virium languor, & tandem hydrops consequuntur. *Ench. Med. Pr. p. 375.*

76. *Rigor theriaca*) Curationem quidam Medici tradunt, cum tamen curari omnis Rigor non debeat. nec omni tempore; remedia enim quæ Rigoris tædia demulcent sæpe febres ingeminant, 1. Rigor curationem non postulat qui levis tantum est, horrorem referens, 2. Qui brevis est diuriusque non fatigat 3. Criticus, nam ardentem febrem solvere solet, tantum curandum ut æger uptime pannis cooperiatur: 4. qui initio Tertianarum contingit, quia calidis assumptis paulo post calor ingeminatur, febrisque redditur acrior, ut sæpius à me observatū ab usu stillatitiarum aquarum valde calidarum: Convenit autem curatio Rigoris in febribus quæ fiunt à pituita vitrea, aut melancholia, quia in iis præter rigorem adest vehemens refrigeratio, quasi ossa ipsa infestans, & ferme tantum hujus febris gratia curatio instituta fuit; In aliis febribus si validus rigor, una cum frigoris sensu ægrum valde infestet, mitigari potius debet quam omnino prohiberi.

Sed in nisi caute in Quart. ipsa calidis utendum, vidit enim *Galenus* intempestivo illorum usu simplicem mutatam in duplicem, igitur non initio iis utendum, quando rigor minus vehemens est: nec etiam in progressu nisi coctionis signa appareant: In Epiala autem & Quotidianis omni tempore iis uti possumus.

Primum itaque externis id tentabimus, deinde cum cautionibus dictis ad interna veniemus: Quidam Frictiones plurimas imperant, ad revocandum calorem ad exteriora, post quę, unctiones spinæ ex oleis calefacientibus & nervoso generi amicis erunt utilissimæ: Talia sunt olea *chamæmel. aneth. hyperic. ruta cum aqua vita*: Quidam *theriacam* addunt & spinam inungunt: Alii, si magna refrigeratio, addunt aromata & herbas calidas cum succis illarum, ut.

℞. *Theriac. vet.* ℥ß.
caryoph. spica n. ā̄ā̄. ℥j.
olei rutac. aqu. vit. ā̄ā̄. ℥j.
prunis imposita vase aliquo ferveant, & inungatur spina dorsi.

℞. *summit. abrot. sicci* ℥j.
pyrethri ℥j.
croci. ℈ß.
ol. aneth. rutac. ā̄ā̄. *q. s. ut superemineat quatuor digitis, vini generosi* ℥ij. *coquantur lento calore ad vini consumptionem, exprimantur & serventur ad inunctionem spinæ.*

Fernelius Fotum hypochondriorum probat ex decocto *chamom. ruta, origani, anethi.* & calid. stirpium: Alii non tantum fotum sed & ipsum Balneum probant, quod sane prudenter & caute adhibitum humoris morbifici reliquias discutit: Item probantur panni linei extremis partibus præcipue Testibus applicati.

Pedibus quoque apponi possunt lateres igniti vino extincti, & panno involuti; laudant alii etiam vesicas plenas decocto calente, *origani, pulegii, anethi calam. ruta, abrotani, absinth. artemis. chamæm. melil.* Ungu. *Aregon.* laudatur, Remedium hoc experientia comprobatum ajunt, *Telam aranea cum semine urtica contusam*, addito *aceto* carpis alligatam, quod vel proprietate occulta, vel per revulsionem prodest.

Quoad interna Remedia, iis cautius quam externis utendum, nec nisi in febribus à frigidis humoribus pendentibus, Quartanis & Quotidianis, non item in Tertianis, ne febrem vehementius accendant: *Vinum*, aph. 37. 7. cōvenit, sed non in omnibus, *cui theriac. mithrid. sem. hyperici & asam fœtidam*, quæ ob intensum fœtorem repudianda; substituatur illi *benzoinum*, aliis *asa dulcis* dictum.

Gutta

Gutta una olei piper. cum spiritu vini cochleari propinetur; ℞. *Bacc. lauri.* ʒʒ. *gentianæ* ää *f. Pulvis, detur.* ℈i. *cum vino albo.* Sic conveniunt *diatrion pip. diacim. theriaca diatess.* & al[illegible]da.

Q[illegible]dam probant ʒi. *pulver. cranii hum. cum vino, Os de corde cervi* [illegible] *ranarum hepata, Tres plantag. radices* cum vino ha[illegible] in Tertianis, & quatuor in Quartanis; quæ superstitio[illegible] recte reiciuntur à *Pereda* cap. de Quart pe[illegible] tamen faciat qui volet, *Avicenna* præscribit *Agaricum* tum solum, in aqua cal. propinatum, tum opio adm[illegible]um, quia, inquit, somnum conciliat, sudorem movet [illegible] vehem[illegible]ntiam rigoris temperat: *Galenus 6. simpl.* ait *Agaricum* tollere rigores à crassis humoribus genitos, non tamen [illegible] in paroxysmo esse præbendum, cum sit catharticum, ideo ante paroxysmum competere potest, nam idem *Avicenna* præ[illegible]bit *diaphan. hieram, diacolec.* quæ valde purgant, cathartica autem dare in ipsa accessione summe vetuit.

An *Agaricum* præscribit ut vomitum moveat, qui utilis esse potest in paroxysmo? sed cur miscet opio, cum somnus initio accessionum sit noxius & solutivi actio hebetetur; Dicimus id fecisse ut humoris nimium narcosi consopiret, tum ut sudores promoveat, somno si quidem sudores uberius cientur; cæteris additur antidotis, non ad temperanda reliqua simplicia, est enim fervidum medicamentum, sed ad sudores promovendos: Sed tamen mistio in usum revocari non debet, cum alia tutiora suppetunt. *Primirosius.*

Spinæ Inunctiones ad dolorem leniendum utilissimæ sunt, & frequenter usurpandæ: sunt in frequenti usu quando Rigor & vehemens & importunus est, Fiunt ex *theriaca, aqua vitæ, & ol. laurino*, vel *de spica; anethin. chamæmelino, costino, rutaceo*, de piperibus, aliisque calidioribus, additis *caryoph. castoreo, sinapi, pipere*; Efficacius autem operantur si hora una ante paroxysmum spina ad ignem inungatur; dein æger in lectum calidum deferatur, & lateres calentes vino perfusi odorifero, linteis involuti plantis pedum volisque manuum admoveantur. *Riverius.*

76. *Rigor theriaca*) Sunt qui frigoris tempore grana piperis integra degluttiunt, dein hauriunt ℥iij. vini generosi: *Galenus*, cumque sequuti recentiores, his calefacientibus & attenuantibus uti metuunt ante concoctionis signa, & declinationem febris; quorũ sententiæ non possum horũ accedere, nam præterquam quod usu adjectis & repetitis catharticis & vomitoriis, incipientes, aut etiam jam diu grassant[illegible] Quartanæ, nullis signis coctionis comparentibus [illegible]gari visæ sunt, Ratio etiam edocet eorum usum tunc esse [illegible]tiorem cum adhuc humores crudi sunt, quam cum his incalescentibus concoctionis signa elucent; data enim [illegible]ncoctionis signis jam apparentibus, nisi statim succedat [illegible]cuatio conveniens, hæmorrhagias, febres continuas, aliosque graves affectus in perniciem ægrorum concitant. *Ench. Med. Pr.*

[illegible] *Rigor*) Contra ingens Quartanæ frigus, citandum remedium quod ex *Galeno* habetur, & sæpe à nobis in usu [illegible]rum & pro vero compertum, *gr. v. vel vj. piper.* integra degluttienda frigoris tempore ægro cum paucolo vino generoso dabis, quo auxilio repetito æger bene habebit, ut nostro accidit, cui Quartana post tres desiit paroxysmos: *Amatus cent. 2. curat.* 97.

Decocta chamædryos) Sunt qui *folia rorismar. in vino albo* decoquunt [illegible] maceratio per 24. horas satis est) & hortore [illegible]pinant pondere ℥ij. ad coquendum crudum [illegible] venis & arteriis lienis contentum: Sed reperito [illegible]era urit, & humores nimis extorret, & calida hepatis intemperie præditis phlogosin aut febrem continuam interdum accersit, ut ideo his solis qui *pituita* & melancholico succo scatent, & senibus conducat. *Enchir. Med. Pr.*

78. *Chamædryos*) Multi rustici curant febrem Quartanam *pulvere chamædr.* exsicc. cum jusculo per aliquot dies sumpto: Quod non sine ratione fit, præcipue si quædam purgantia præcesserint, cum splenetica ac hepatica sit, & insigni vi polleat viscera ab infarctu liberandi. *Obs. 83. cent. 4. apud Riverium.*

79. *Diæta*) Victus ratio instituatur contraria humori melancholico, qui frigidus & siccus: *Aer* ergo sit calidus humidus, Somnus longus, quia concoquit & humectat; prosunt in intervallo leviora *exercitia*, imo solent ægri ad consueta negotia redire, & à plurimis sani judicantur, sed die paroxysmi quies imperanda: ut & *Lætitia*, quæ calorem auget & recreat.

Quoad *cibum & potum*, quatuor in eo conditiones requirit *Avicenna*, 1. ut non sit crudus & refrigerans, quin potius cruditates resolvat, quæ fovere solent humores crassos Quartanæ parentes: 2. non incrasset sed attenuet, 3. non adstringat sed alvum potius fluidam servet: 4. Sanguinem procreet laudabilem, Talis erit victus calidus & humidus: Contrarius videtur *Galenus*, qui siccantia, ut piper & sinapi concedit: sed dicendum Galenum prohibere, non quæ humectant simpliciter, sed quæ simul refrigerant & humectant, quia crudus est humor, multo copiosoque sero abundans: Corpus Quartanarii debile est, ideo refrigerantibus & humectantibus cruditas augeretur, quæ fomes est istius febris.

Satius igitur est Victum esse calefacientem, attenuantem, incidentem, humectantem, *Primirosius*. Utatur æger cibis boni succi, facilis coctionis, tenuis substantiæ, ac mediocriter calefacientibus & humectantibus, ut carnibus juniorum animalium & avium montanarum, ovis recentibus & sorbilibus, piscibus saxatilibus, Conceduntur in statu & declinatione *Pisces* saliti, cappares & olivæ, *Galenus* 1. *ad Glauc.* etiam *Piper & Sinapi* concedit; Ex herbis commendantur *borrago, buglossum, pimpinella, spinacia, radix fœnic. petrosel.* ac præ cæteris *rapa*, quæ in aqua prius coquendæ, postmodum in jusculo pingui; *Crato* in consil. se multos Quartanarios curasse gloriatur *secundo raparum* decocto, cum *saccharo* & butyro permixto; Ex fructibus *Poma & Pruna cocta, passula, ficus pingues, amygdala, dactyli, nuclei pinei*; Ad condiendos cibos conveniunt *cinnamomum, nux mosch. crocus*: Abstineat ab alimentis crassis & tenacibus, ac tardiorem exitum habentibus, caro porcina, bubula, cervina, *leporina*, brassica, pane furfuraceo, caseo, nucibus, castaneis, carnibus multo sale conditis, aut fumo induratis, A fructibus & oleribus crudis, aceto & omphacio, quia humorem melancholicum fermentare creduntur, quemadmodum omnia acida: Potus sit *vinum album*, aut *rubellum*, tenue & oligophorum, aqua in qua cortices *tamarisci*, aut fol. *agrimoniæ* maduerint; vel *decocto salsapar.* vel *aqua hordei chalybeata* dilutum.

Exigua sit *alimentorum quantitas*, quæ vires tantum conservare valeat, nimia enim ciborum copia cruditates generat, quæ diuturnitatem febri conciliant; Maxime vero parcè bibendum est, enim nihil hanc febrem magis contumacem reddat quam nimia potus & humidorum copia; iis enim lien repletur ac distenditur: *Crato* potum omnino interdicit in paroxysmo, quod maxime conferre curationi asseverat; Die paroxysmi æger cibandus est sex horis ante illius invasionem; postea vero nihil sumat donec finitus fuerit. *Riverius.*

Diæta in hac febri licet accurate secundum Authorum leges observetur, nihil attamen quandoque prodest; uti ea de re multa prostant exempla. *Piens p.* 276.

79. *Diæta repoſcens*) Dubium eſt de victu, an inino tenuis eſſe debeat, an plenus? Tenuem præſcribit *Avicenna*, ut humor morbificus concoquatur; cruditas tollatur; Contra in morbis chronicis in principio victum pleniorem commendant *Galenus, Oribaſius, Valeſcus*: Reſpondet *Gatinarius*, ſi corpus ſit plethoricum dictum initio debere eſſe tenuem, ſi vero non fuerit, tenuis: Satius tamen eſt mediocrem ſervare vivendi rationem, quæ corpus nutriat, humorum coctionem copia ſua non impediat, ſed potius qualitate juvet.

80. *Ut die paroxyſmi &c.*) Ne ſcil. Natura coctioni cibi intenta humorem morbificum relinquat, Ne augmentum fiat materiæ morbificæ, & Ne in impuritatem abeat cibus.

81. *Vinum maturum ac tenue concedatur*) Potus ſit vinum album, tenue, mediocriter calefaciens, quod tenuitate ſua humorem craſſum attenuat, calore mediocri corpus calefacit, coctionem juvat, urinas provocat: Craſſum vero & calidum humiditatem reſolvit, craſſos humores cumulat, ægre concoquitur: Abſtineat à copioſiore aquæ, pomacei, ptiſanæ, alteriuſve cujuslibet refrigerantis potus uſu; Si ſit abſtemius, utatur mulſa aquoſa, aut aqua decocta cum aniſo, fœniculo, cinnamomo. *Primiroſius.*

82. *Viſcerum roboratio*) Roborandæ ſunt partes nobiles, præcipue ſplen & jecur, quæ ſolent obſtructionibus laborare; id præſtabimus conſervis borrag. bugl. anthos, cortice citri, pulv. diarrhod. aromat. roſat. diamargat. theriac. troch. de cappar. dialacca & ſimili.

℞. *Conſerv. bugl. borrag. violar.* ãã. ℥j.
conſ. flor. geniſtæ ℥ß.
cortic. citr. conditi ʒiij.
theriac. mithrid. ãã. ʒß.
confect. Alkermes, pulv. elect. de gemmis & lætific. Galeni ãã. ℈ij. *croci Martis* ʒj.
cum ſyr. de Pomis fiat Opiata.

℞. *Conſerv. anthos capill. ven. ſcolopendr. tamar.* ãã. ℥ß.
pulv. aromat. roſat. diarrhod. ãã. ℈iß.
pulv. diamoſch. dulc. diambr. ãã. ℈j.
pulv. diamarg. fr. ʒß.
trochiſc. de cappar. de eupator. de abſinth. de rhabarb. ãã ʒß.
cum ſyr. conſerv. cortic. citri f. Electuar.

Fotus quoque fiat Hypochondriorum.

℞. *radic. alth. lilior.* ãã. ℥ij.
rad. bryon. enul. campan. cortic. med. fraxini & tamar. cappar. ãã. ℥j.
4. emoll. fumar. rutæ, ãã. m j.
ſem. lini fœnugr. urtic. ãã. ℥j.
flor. ſambuc. geniſtæ ãã. *Pug* ij. *f. Decoctio.*

Deinde ungantur *oleo Ammon.* chymice deſtillato, addito acri aceto: Ungu. & Empl. deſcribuntur à *Bauderono* in Pharmacop. ad viſcerum obſtructiones optima. *Primiroſius.*

83. *Lienis imprimis*) Dum alia remedia uſurpantur, Lienis cura ſpecialis habenda eſt, quoniam ea pars in hoc morbo perpetuo afficitur, Ideoque diu continuari poterunt linimenta & Emplaſtra quæ ad lienis obſtructiones vulgo præſcribi ſolent. *Riverius.*

84. *Quam externa*) Inter quæ *Balneum aqua tepida* poſt plures evacuationes apprime conducit, non ſolum ad lienem emolliendum, ſed etiam ad totum corpus humectandum, & concoctionem materiæ morbificæ adjuvandam: Diebus intermiſſionis uſurpari poterit; curando tamen ut tepidum ſaltem adminiſtretur; Si enim calidius fuerit, periculum eſt ne tuſi humores in varias partes præcipitentur, & periculoſiſſimos abſceſſus producant. *Riverius.*

85. *Appropriata & ſpecifica*) Exhibentur per aliquot vices in aurora *aqu. flor. chamam.* ℥ij. deſtill. ex ſucco hæc aqua eſt præſtantiſſima, vimque magnam habet ad febres ſolvendas, ita ut jure merito dici poſſit *febrifuga*: Aperit enim obſtructiones & ventriculum roborat.

Alii pro ſecreto habent maximo & experto, exhibere ʒij. *fol. betonicæ* in ovo, die acceſſionis, horis 4. ante illam, & ter aut quater repetunt aliis diebus: Et certo in Quartana inveterata mira præſtat. *Rod. à Fonſeca Tom. 1. conſ. 65.*

Quidam *Gentianam* experti ſunt aliquot diebus acceptam Quartana laborantes mire juvaſſe. *Chriſt. Guarmonius Conſult. 270.*

Empiricum Pariſienſem plurimos Quartanarios *decocto rad. lappæ. amar. ex vino albo*, magno ſucceſſu curare ſolitum accepimus, inter obſervationes *P. Marquardi Slegelii*, Nimirum eadem Quartanæ & luis venereæ quandoque remedia obſervantur; ſic illam cum tibiarum ulceribus hydragyroſi ſcuratam narrat *Ballonius l. 2. Epid.* Hanc vero in *Henrico* iij. *Gall. Rege* eodem *decocto Bardanæ à Petro Pena* deletam reſtatur *S. Formius* Obſ. 41. *G. Hier. Velſchius obſ. 4.*

Decoctum ſalſapar. præmiſſis debitis evacuationibus, Quartanas brevi curat, paucis diebus, etiam cujuſcunque ſpeciei Hydropem curat. Sic paratur.

℞. *Salſæ par. contuſæ & inciſæ* ℥iv.
coqu. in aqu. ℔xvi.
cum ſenæ ℥ß.
f decoctio lento igne, quouſque abſumantur ℔iv.
adde epithymi ℥ß.
hermodactyl. contuſ. ℥ij.
qui prius cum modico parati decocti diſſolvantur, & paruumper inſuper bulliant.

Deinde amoveantur ab igne: Vas optime claudatur quouſque decoctum frigeſcat, fiat colatura; qua utatur pro Potu in prandio & cœna quantum ægro ſatis eſt; Hoc ad xx. uſque diem bibendum: hoc enim temporis ſpatio Quartanas curat, In diebus x. hydropem. *Franc. Arcæus c. 8. l. de Febr. curat.*

℞. *aqu. flor. centaur. min. & rad. gentian.* ãã. ℥j.
Julep. roſat. ℥iß.
bibat initio paroxyſmi, & ſpinam dorſi *ol. chamæm. & anethi* inungat, Bis Julepum exhibui quo fugata eſt febris. *Platerus obſ. lib. 2. p. 302.*

Cuidam initio paroxyſmi hauſtum *Aqua Tabaci* exhibui & valde profuit. *Idem p. 304. Thaddæus* terante ternos paroxyſmos *rad. gentianæ* recentis ʒj. dabat ex *vino malvatico*, *Joh. Heurnium ad aph. 25. ſect. 2.*

℞ *Pulv. ſemin. hyperici* ʒj
m. pro tribus doſibus, uſurpandis tribus horis ante adventum paroxyſmi. *Joh. Sigiſmundus conſ. 40. l. 7. in Conſ. Cratonis.*

Novem piperis grana integra, plures dies deglutita, à Quartana liberant. *Fr. Joel* Tom. 5. lib. 1. ſect. 2.

Trochiſcis ſequ. unica exhibitione, hyemis tempore, multi à Quartana liberati ſunt.

℞. *ſemin. rutæ, petroſel. myrrhæ, theriac. rec.* ãã. ℥j. *opii* ℈j, *F. Troch. parvi*, dabis unum cum aqua ante paroxyſmum, Proſunt etiam Quotidianis. *Vinum fortiſſimum*, in quo decocta eſt *agrimonia* Quartanam tollit, Idem facit *millefolium* cum vino. *Joh. Heurnius l. de Febribus.*

Viſcus oxyacanthæ innatus pulveriſatus, & vino albo aut Hiſpanico infuſus, Et duabus ante paroxyſmum horis exhibitus, doſi ſubinde repetita, ſi opus fuerit, Quartanam non raro fugat, & perfecte tollit. *Joh. Raius Catal. plant. Angl.*

85. *Appropriata & ſpecifica*) plurima ſunt quæ proprietate conferre dicuntur, Quidam probant hunc Pulverem.

℞. *ciner. cancror. fluviat. cranii hum. eboris uſti* ãã. ʒi. *cinnam.* ʒß. *croci gr. v. f. Pulvis, da* ʒi. *cum vino.*

Alii laudant decoctum *agrimon.* aut *verbaſci*, aut ſuccum ejus radicis datum in ipſa acceſſione.

Commendat *Rondeletius* uſum vini albi in quo ſalvia per noctem maduerit, idque ad omnes morbos melancholicos

[illegible] choleras certum esse remedium affirmat.

[illegible] um vivum fulvo linteolo appensum *Tralli-anus*.

Languana [illegible] succum plantag. min. cum mulsa & facch. duabus [illegible] ante paroxysmum.

Ite[illegible] *semina heliotropii* cum vino pota, & *semen hyperici* ante paroxysmum.

I[illegible] ctar suum laudat, cujus solo usu se Quartanam [illegible] scribit.

℞. *Epithymi fol. senna, flor. borrag. ãã. ℥iß.*
cinnam. ℥ij.
cassia lign. macis, spica, cardam. ãã. ʒß. zz.
caryophyll. sem. anisi ãã. ʒj.
fiat Nectar cum vino subtili, da Cyathum unum mane.

Ali[illegible]s commendat Vinum sequens.

℞. *rad. Enula* ℥iv.
rad. cappar. ℥j.
rad. Angel. ℥ß.
summit. absinth. vulg. sicci Pug. ij. vini albi ℔j.
serventur in loco tepido per quatriduum, dosis sit ad ℥iij.

Amatus laudat haustum *aqua rosar.* ante paroxysmum, ut vomitum eiciat, nam nisi vomitu rejiciatur, valde nocet, insignemque angustiam circa præcordia excitat.

Sal Ammon. sublim. ad gr. vj. à quibusdam Chymicis præscribitur.

Experimentum sequens ad omnes febres, sed præcipue Quart. laudatur.

℞ *Aceti opt. pintam unam, panis albi è furno calentis crusta detracta* ℔j.
pulv bombard. ʒij.
caryophyll. cinnam. ãã. ʒß.
croci ℈.j. *aqua centaur.* ℥iv.
facch. ℥vj.
dosis ad ℥ij. *vel* iij. *visci qu.* ʒj.

cum [illegible]ino ante accessionem sudores movit & ægrum à quartana liberavit.

Scribit *Platerus camphora* ʒj in spiritu vini dissolutæ ad idem prodesse, Quod talium esse novi.

De[illegible]um *ligni hedera* per plures dies exhibitum commendatur.

In [illegible]le non plumbatum pone *aceti fortis* Pintam unam, cum *salis communis Veneta* quartario uno, cooperiatur vas, servetur in loco humido, & quotidie crebro mo[illegible] tandem quiddam salis instar penetrabit vas, cujus [illegible] cum vino albo accessionis initio exhibeatur, secunda [illegible]rtia accessione febris evanescet.

I[illegible] fit ex *sale vitrioli, sulphure & alumine.* Item

℞. *succi polygoni cochlearia* vj. *piper. longi* ʒij.
sume sæpe jejunus.

℞. *sem. sinapi cochl.* ij. *terantur cum aceto albo optimo addendo macis* ʒj.
expressio exhibeatur paulo ante accessionem, oscitationibus supervenientibus, decumbat æger & tegatur.

[illegible]mo rumpunt sudores, mox vomitus febrem tollent, [illegible]n tollat. repetatur.

[illegible]tum quoque *abrotani & centaur. min.* ante paro[illegible] confert.

[illegible] *aristoloch. longa* ad gr. xij. exhibitum susque de[illegible]atur.

[illegible]udat *bitumen, myrrham, castoreum, semen trifol. bi*[illegible]*h decoctum, hedera corymbera* fol. v. cum myrrha [illegible] mulsa pota *Plantaginis* rad. iv. potas *Verbenaca recta* [illegible]um è terra geniculum: *Semin. smyrnii* ʒj. *Iridis calamintha* & chamædr. decoctum, sulphur & alia plurima.

Rad. *bryonia* ʒj. *infunde in vino albo*, colatura propinetur in paroxysmo, vomitum provocat, debili ʒß. sufficit.

Petrolei guttæ aliquot è liquore conveniente ante paroxysmum valde prosunt propinatæ: Mirum est sequens.

Subige *farinam cum urina ægri* ad formam placentulæ, coquatur in furno instar panis, objiciatur piscibus ut ab iis devoretur, abit febris, maxime Quartana. Idem refert *Gesnerus* de ovo in urina ægri decocto.

Irritis aliis remediis profuit linteum madidum aqua vitæ ventriculo impositum; Hæc sola nituntur experientia, non ratione. *Primirosius.*

Quæ huic febri creduntur specifica, versus declinationem usurpata sæpissime paroxysmos inhibent, & Quartanam curant, Præcipua hæc sunt.

℞. *fol. plantag. m.* j. *acetos. rec. m.* ß. *aceti & theriac. ãã. quart.* j. *destillentur, dosis hujus aqua* ℥iv.
dimidia hora ante paroxysmum.

℞. *facch. c.* ʒiij. *Zinzib.* ʒiij.
camph. ʒj.
f. Pulv. dos. ʒj.
cum aqua calida.

Croci pulv. ℈ß. *cum vino albo* ante accessionem datus, eam valde minuit, *Semen ruta sylv.* cum vino albo.

Sequentes *trochisci* unica exhibitione, etiam hyemis tempore multos liberarunt à Quartanis, ait *Heurnius.*

℞. *semin. ruta, petros. myrrha & theriaca rec. ãã.* ʒj.
opii ℈ß.
fiant Troch. parvi., dabis unum cum aqua ante paroxysmum.

Narcotica equidē eximiam vim habent ad cohibendum paroxysmū, sed nisi major humoris morbifici portio antea evacuata sit, & obstructiones plurimum imminutæ, noxam inferre possunt, cum humores vitiosos in corpore retineant, & obstructiones, aliosque morbos graviores generent; Attamen exigua quantitate exhibita, & aperientibus incidentibusque permixta, ut in his Trochiscis, minus nocere possunt. *Riverius.*

Hominis *calvaria trita*, & nescienti ægro in potu data, Quartanas sanat, haud dubio experimento. *Alex. Benedictus l.* 30. *p.* 1007.

Aqua sequens felicissimo successu mihi est probata.

℞. *amygdal. amar. torrefact.* ℔ß.
aspergantur vino austero & aqua ceterach. mox per 24. *horas in eodem liquore macerentur ut illum absumant, tunc distilla per alembicum, & per plures dies ad* ℥iij. *cum modico facch.* detur mane, præmissa aliqua evacuatione. *Jul. Cæsar Claudinus Empir. Rat. pag.* 174.

Si aliis remediis non cedat fermentatio, ad attenuandos humores, instituenda est (*curatio*) ex *chalybis* ℥ij. maceran in *cerevisia tenui*, vel *aqua pura* per octo dies, unde æger bibat mane ℥ij. consumpto liquore eidem *chalybi* alius superinfundatur, idque octiduo, ægerque hoc potu utatur. *Walæus Med. Pr. pag.* 120.

Testari possum me Quartanam satis laboriosam hoc solo Pulvere persanasse.

℞. *lapid. bezoart. & herb.* (rad.) *contrayerva ãã.* ℈j.
coriandri, anisi præpar. sem. fœnic. ãã. ʒij.
ras. c. c. Eboris ossis de c. c. pulv. margar. præpar. corall. cinnam. ãã. ʒß.
vagnula odorif. quæ chocolati miscentur ʒij.
facch. ros. tabul. ℥iv.
f. Pulv. j. *de quo coch.* j. *sumat ante prandium & cœnam cum vino vel aqua melissæ*, Caspar. *Caldera de Heredia Illustr. l. p. m.* 120.

Cimex lectum petens potens remedium est, si ab infrio ægro cum vehiculo congruo potentur, *Athan. Kircherus Mund. Subterr. l.* 12. *sect.* 2. *cap.* 9. A præstantia famæ commendo *ol. piperis ad* gtt. iv. *cum extr. gentiana*

datas, Item *sal. ammon. flores* sive *ter sublimatum* illud, cum extracto *scolop. vel centaur. min.* Item *spir. nitri cum sulph. paratum: Spirit.* etiam *vitrioli Martis & Veneris in aqua gentiana & theriacali* exhibitum. *Christ. Longius Miscell. cur. Tit.* 2.

Quidam per 42. menses Quartana cum hydropis initiis laborans, *vino* in quo *yva arthetica* infusa erat, intra mensem convaluit. *Leonardus Fioravanti ph.l.1.c.51.*

Experimentum est sequens Pulvis,

℞. *pulv. sem. hyper.* ʒij.
ciner. calvar. ʒj.
m. pro iij. dosibus horis tribus ante prandium *Joh. Crato Consil.* 261.

Ego experientia propria dico, Si *semen hyperici* contundatur, & in vino detur ante accessionem, multum confert. *Gul. Varignana secr. sublim. Tr. 1. cap. de Quartana.*

Arn. Villanovanus pro secreto habuit exhibere *tapsi barbati radicem* ex vino per duas horas ante accessionem: Et non minus *os de corde cervi* ad ʒj. Itidem ex vino alterato *diptamno cret. salvia, chamad. chamap. & myrrha* ex succo absinth. ad ℈ij. *Castorei* etiam *& bitum.* ãã. ℈ij. ex vino.

Sunt qui arcano hoc antidoto tenacia Quartanæ vires se infringere gloriantur.

℞. *Olei vitrioli rite apparati gtt.* vij.
syr. cichor. ℥j.
aqu. absinth. ℥ iß.
m. pro Haustu, Quæ omnia linimenta spinæ comitari debent ante accessionem, ex *Oleo scorpion.* &c. *Joh. Wierus.*

Quartanam vere sanans, *Ruta, plantag. abrotoni p. aqu. coquito & colato, addito que myrrha* ʒij. *agar.* ℈j. usus in reliquis, *Antonius Fumanellus.*

Sunt qui *Flammulam* Quartanariis edendam præbeant, magno, ut ferunt, juvamento, *Matthiolus Palma Christi radices, Nicolai* Florentini testimonio, Febrem Quartanam fugant, Is namque earum tantum usu *Belsotum* quendam curatum retulit. *Idem.*

86. *Sal Ammoniacum septies sublimatum*) Hinc plane spirituale factum, in haustu vini vel cerevisiæ, calide assumptum, & sudet per viij. dies mane, Ad febres præsertim Quartanas valde prodest, *Joh. Theod. de Bry introd. in vit. Philos. Tr.2 c.36.*

87. *Cor Leporis*) Remedium singulare & verum, *Pulvis cordis Leporis* super te ignua, vel in fornace siccati, cum pulvere *ossis de corde cervi* ex *vino odoro* potus ʒij. pondere liberat à Quartana, *Fumanellus.* Magi adversus Quartanam *fimi bubuli* cinere, consperso puerorum urina, illinunt digitos pedum, manibusque *leporis cor* ad alligant. *Plinius* Leporis juvenis *cor* sublatum, & Quartanarii collo vel brachio suspensum liberat, si sub accessione ejus pendeat. *Sextus & Kyranides.*

Vidi ego semel atque iterum, post hujus amuleti assumptionem, febrem deinceps non magis apparuisse, aut saltem paulatim evanuisse: Verum hoc non statim ab initio morbi, sed ubi jam manifesta coctionis signa appareant faciendum est. *Petrus Monavius Epist. 662. in Cons. Scholtzii &c.*

88. *In vino*) Ego paroxysmi quartam accessionem aliquando præmetuens, bibi modicum de *spiritu vini*, vel *aqua vita*, & nullam vidi, habuique periodum febrilis accessionis. *Joh. Petr. Lotichius Obs. lib. 1. cap. 6. obs. 5.*

89. *Oleum myrrha*) ℞. *Olei piper. & myrrha destill.* ãã. gtt. aliquot, in *vino malvatico calido*, ægro propinetur hora una ante paroxysmum, & ter repetatur post apparentem coctionem. *Cunradus Kunrath. Med. destill. ii. p.1. p.347.*

90. *Myrrha*) Myrrhæ ʒj. ex *vino Cretico* calido pota, hora una ante paroxysmum datur utiliter, sed sudare eos in lecto statim oportet, tribus replicatis potionibus in ipsis accessionibus: Hoc medicamento ego ipse curatus sum: Valet quoque ad idem in catapotiis cum *theriaca* conformatis, magnitudine à ciceris: Horum si unum quotidie voretur, hora una ante paroxysmum, Quartanarii bene habebunt. *Matthiolus.*

91. *Externa sunt*) Sequens Emplastrum secretum fuit Principi Anhaltino, quod extrahit miasma febrile, ut subinde etiam Pustulas excitet.

℞. *Piper. salis, croci, allii quod terra tegitur,* ãã. q. s. m. *contunde in mortario ad formam cataplasm.* inde nodulo, & applica in sinistra manu digiti annularis parti externæ, Eadem hora qua impositum est, deponatur, & repetatur ante paroxysmum. *Joh. Ferdin. Hertod Crocologia c. 21. de Febr.*

Summopere laudo ad Pulsus *salvia, ruta & bursa past. herbas cum aceto applicatas.* Christ. Langius Tit. 2.

92. *Carpis applicata*) Non omnino negligenda sunt, cum etiam non infimæ notæ authores iis aliquid tribuant. *Rondeletius* enim sequenti remedio magno successu se usum scribit.

℞. *folior. sambuc. salvia. pedis columb. ruta* ãã. *m. s. calibæ* iij. *partem man. j. salis & vini parum*, Omnia simul trita carpis *admoveantur*, ante accessionem.

Crato radices *urtica* contusas, & cum *aceto* maceratas brachiorum & pedum arteriis applicat, Et refert *Sennertus* civem quendam cum toto autumno & hyeme Quartana laborasset, tandemque acutissimos in scapula sinistra dolores sentiret, mulieris persuasu *ranunculum* Carpo applicasse, & pustula excitata à febre & dolore liberatum fuisse. *Riverius.*

93. *Et abdomini imposita*) Quidam à triennio Quartana laborans, dicebat sibi hoc unicum profuisse remedium, Accepisse vini spir. optimum, in eo madefecisse petiam lineam, ac adveniente Quartana impe fuisse ventriculo, atque sic eam depulisse; Videtur mihi satis tuta esse medicatio, præsertim in ventriculo frigido. *Joh Crato Epist. ad Camerarium l.5.*

94. *Inter periapta*) *Aranea* viva, quam fieri potest magna, inter duas testas nucis juglandis occlusa, ac colligata, collo appensa; per 4. dies gestata, *Cantharides* iv, *telis aranearum* involutę & collo appensæ: *urina patientis* in paroxysmo emissa, cum *farina* q. s. subacta in massam redacta, in clibano cocta; si famelico cani, masculo si mas est æger, fœmellæ si fœmina, obiciatur comedenda, idque ter quaterve iteretur, patiens liberabitur à febre, sed canis laborabit. *Franc. Joel pr. tom. lib 1. sect. 2.*

Experimentum certum, *Scarabaum* vivum extrinsecus fulvo linteo firmiter alligatum collo appende. *Alexander Trallianus l.12.c.8.*

94. *Inter persapta*) Sunt qui Febrem Quartanam, aut aliam Intermittentem inoffensum suum cursum tenenté, volunt intercipi Amuletis, sed tutius est cum causa ægrotare quàm sine causa juvari: Quendam diuturnæ Quartanæ iædebat, nil opis à Medicis experiebatur qui suorum Theorematum fiducia mitius cum Quartana agerent, præstigio medicinali humores quieverunt, naturæ cursu impedito & conatibus frustraneis nihil promovebatur quod paroxysmos revocaret, visus allevari, & dicteriis artem Medicam petivit, sed hanc contumeliam non impunè tulit, sequente die non ita conflictatur, non repetit febris, sed quæ videbatur repressa, furibunda tandem effecta est funestaque evasit: Hoc observandum, ut idiotarum & quorundam Primatum animus maleficiis plus æquo tribuens resipiscat & componatur, & interim notandum non parum referre si quoquo modo & sine causa manifesta morbo absolvi videatur æger. *Ballonius*

[illegible] *Epid. l. 1. p. 9.* Alius ad eam abigendam Empiricorum consilio præparatum destillatum aceti in alembico extracti infusionis micæ unius panis, hujus liquoris haustum vomitus est insequutus, febris quievit, sed ista quies & fucata cessatio majore malorum cumulo ægrum locupleravit, nam totum corpus scabie infectum est, ischias insequuta, articulorum dolores, uno & arthritis ipsa, sic istorum malorum pullulatione novit quanti referat contumacis obstinatique morbi cursum interrumpere velle: *Idem consil. 107. lib. 4. & Epidem. l. p. 180.*

Contra Quartanam bonum remedium; Dissolvatur in *spiritu vini fungus sambuci*, eo probe illinatur spinalis medulla ad fornacem, ut per se exsiccetur, & repetatur aliquoties, sic per se evanescet. *Conradus Kunr ath. Med. destillat. p. 421.*

Ægri urina in olla nova excipiatur, misceatur illi farina ex siligine; & in pultem redigatur; Puls arbori alicui illinatur; ut avibus evadat in prædam; tantum decedet Quartanæ quantum ex pulte aves comederint. *Thom. Barthol. hist. anat. cent. 1. 84.*

Differentiæ.

Differentiæ febrium quartanarum sumuntur, à *Subjecto*, *Tempore*, [96] *Causa* & *Invasione*.

I. [96] *Subjectum* si spectes sunt I. [97] *Pueriles*. quæ [98] utplurimum à pituita salsa, putrida, in melancholiam facessente fiunt: obnoxiosque illis autumno *Aristoteles* in problematibus credit. II. *Fœminarum*, quas plærumque mensium cohibitio excitat. Cadunt & in juvenculas, boni habitus, & pulchras, quia cum pulchriores partes terrestri succo non alantur, melancholia naturalis superabundare solet. III. [99] *Senum*, quibus tantum haud frequenter laborare illi putant, qui humorem istum ætati huic quasi naturalem credunt.

II. [1] *Tempus* si attendas, sunt I. *Æstivæ*, & hæ, *vel* æstate naturalem conditionem servante diætæ vitio oriuntur, primigeniæque sunt & leviores: quia beneficio calidioris aëris facilior concoctio & excretio; modo vires sint validæ: *vel* ab inclementia aëris, [2] à quo serosus humor æstu absumitur longæque evadunt, inprimis si visceris vitium adsit. Tales in Gallia A. 1530. & 1573. grassabantur. In mortuis lien planè flaccidus & tabidus; bilisque in cysti exhausta. Ineunte Ianuario abibant in duplicem tertianam & continuas mites, ut Ballonius refert. II. [3] *Autumnales*, quæ longiores, tum propter materiæ contumaciam, quia exhausto per æstatem corpore, diætæ vitio & empyreumate superstite, accedente contractaque quasi hectica intemperie tales evadunt; tum propter viarum angustiam, III. [4] *Hybernæ*, quæ aut hyeme [5] aut vergente in hyemem autumno incurrunt, longissimæque propter easdem causas sunt: & quia materia morbifica, quæ ab intro foras movetur frigore hyemis ad centrum & interiora viscera depulsa eventilatione negata σῆψιν concipit, in acutos morbos *ferè* transeunt.

III. [6] *Causas* si respicias.

I. *Aliæ* sunt *à melancholia naturali*, fæce & amurca sanguinis, tam copiosa ut nec absumi, neque educi possit: ideo copia & crassitie meatus infarcit, & putrescit. Infert rigorem, nisi ex cruditatibus ventriculus gravetur, aut hypochondria crudis humoribus turgescant. Humectantibus & moderatè calefacientibus in ea agendum est. *Aliæ* [] *ab humoribus adustis*, quæ plærumque post alium morbum invadunt, in quo aut propter acutiem, aut propter caliditatem humores exuruntur, Succrescunt quibusdam & biliosi humores tertianæ parentes, qui postea vel [8] aëris vel diætæ vitio retusi, quartanam excludunt. *Cognoscuntur*, ex siti vehemente, capitis dolore, vigiliis, vomitu quandoque bilioso, urinæ rubedine, &c. In *Curatione*, agendum moderate refrigerantibus, quibus in progressu morbi incidentia & attenuantia miscenda, laudatur [9] *balneum aquæ dulcis* diebus intermissionis.

II. [11] *Aliæ* sunt *Exquisitæ* à sola melancholia [12] vel humore adusto: quæ autumno frequentissimæ, & [] vix absque lienis vitio. In his lenioribus semper agendum: [14] hypochondria bene exploranda: *vena sectio* ad concoctionem non differenda, quia tum humor sanguini permiscetur, & cum eo educitur, [15] sed die accessionem antecedente tundenda: *purgandum* potius [16] sæpius & leniter quam ἀδρομερῶς, signis coctionis apparentibus, prodestque *syrupus de althæa Fernelii* cum oxymelite helleborato Gesneri. Iungitur eis quandoque *malignitas*; quam detegit delirium in paroxysmo, (cujus singulare exemplum apud Schenkium) propter evaporationes melancholicas, virium lapsus & anxietas, non negligendaque tum bezoardica, *morsuli de citro*, *syrupus granatorum*, *theriaca* &c. [17] Observatum est quartanaros [18] restitutos, transeundo aquam, vel loca concava & humida [19] in eam iterum incidisse. *Aliæ sunt spuriæ*, quæ à permista cum aliis humoribus melancholia oriuntur: senes plerumque invadunt, & quia alterius humoris admixtione materia [illegible] tenuior efficitur, legitima brevior quandoque esse solet. Permiscetur, *vel pituita*, & *tum* [illegible] potest *china* vel *guajaci* decocto pro sudorifero, nisi dextrum hypochondrium tumescat: *vel* [illegible] [20] mutantur quandoque in duplices quartanas, propter diætæ diebus quietis ἀταξίας, & *desinunt* circa magnas mutationes, ut solstitium: *solvuntur* etiam aliquando pruritu & pustulis. Si n[illegible] ἀταξίαν observaveris, [21] *malignas* esse crede.

III. *Invasionis respectu*, I. Aliæ *invadunt ex se nullo præcedente morbo*, quæ plærumque à melancholia naturali oriuntur, & exquisitæ sunt. Victus in eis primò paulo tenuior convenit, hinc paulo crassior, tandem versus statum iterum tenuior. [22] *Aliæ morbos alios sequuntur*, ut I. *febres erraticæ*

quæ temporis diuturnitate corporis habitum ficcant, & humores adurunt, ad quam adustionem incineratio sequitur. 2. *Tumorem lienis & phlegmonem*: hinc casuri in hanc febrem dolorem illius sentiunt, &c. solentque in hydropem utplurimum desinere. 3. *mensium & hæmorrhoidum suppressionem*. Et tum statim vena secanda est. II. [24]· *Aliæ affligunt cum aliis affectibus*, quales sunt, 1. *lienis scirrhus* calorem pedis socium habens, quia tum lien κατάῤῥοπος seu declivis, abscessusque in eas partes metuendus erit. 2. *jecoris intemperies bilem atram generans*; *& per obstructionem tumor*, unde difficultas respirandi, quia diaphragma opprimitur, tussis, æruginosorum dejectio, sudor sine alleviatione, quia viscera sicca, sæpe & hydrops insequitur; seu quia copia materiæ jecoris calor obruitur & extinguitur, seu quia tum lien laborat, nec sanguinem depurat. 3. [25]· *Ulcera* quæ *vel* toto corpore erumpunt maligna, quæ, *Ballonio* referente, aliquando frictionibus ex hydrargyro sublata sunt; *vel* in tibiis Telephia, quæ suspicionem luis venereæ inferunt, confecta mercuriali inunctione & [26]· ptyalismo, febre ipsa manente, idem auctor est. 4. *Dolor* ὀστοκόπος [27]· in tibiis, brachiis, lateribus, & sterno; ad claviculas nonnunquam tantus ut pleuritidem mentiatur, [28]· in iis inprimis qui non sudant. Agendum tum mitissimis, *syrupo pomorum redolentium*, iitibus chalasticis refrigerantibus & narcoticis: sacculis *furfure* plenis & lacti immersis; *pane recens è clibano educto*, & lacte tepidiusculo inebriato. 5. [29]· *hæmorrhagia narium cum sopore*, quæ refrigeratum nimis cerebrum innuunt. 6. *æruginosorum & nigrorum dejectio*, quorum illa hepar nimium concalefactum indicant: hæc, usta vi morbi materia, convulsionem præsagiunt, si vires debiles. Adde his, [30]· *alias in alios morbos terminari*, ut morbos acutos, [31]· *febres continuas*, [32]· *febres erraticas*, quarum incerti paroxysmi & ipsæ periodi typi expertes, ob multiplicem cacochymiam, & variam partium affectionem, prænunciantque eos nubeculæ in urinis, à melancholici humoris prædominio nigræ, ut in *Coacis* docetur, [33]· *duplices quartanas*, *hydropem*, &c. ut sparsim dictum; notandumque [34]· quandam ab ea liberatam, per sexennium, eo mense & tempore quo in eam inciderat, προφαινόμενα quædam signa sensisse, ac si iterum in illam casura esset. [35]· Datur & *Quintana* febris, & mihi semel in puero xv. annorum visa, & Tulpio, in virgine quadam quæ duravit cum horrore exili & calore conspicuo ad decimum octavum mensem. Noxia in ea frigida & humida: *Carduus bened. centaur minus, chamædrys, fumaria* &c. profuere.

95. *Differentia &c. sumuntur à subjecto &c.*) Sumuntur & ratione *complicationis*: Alia *simplex* est in qua nonnisi unus de die ingruit paroxysmus, Alia *composita*, in qua vel bini uno die sese ostendunt paroxysmi, vel binis succedentibus diebus, ita ut tunc *duplex Quartana* Medicis quoque vocetur, eo quod ἀνωμαλία quædam interveniat; Licet, si accurate loquendum sit, Tertiana duplex, cum nonnisi unus intermissionis dies interveniat, nuncupari possit: Alia tamen conditio hujus est febris, quod omnia illa symptomata, quæ binis illis succedentibus diebus contingunt, ejusdem fere sunt conditionis; ac materiam febrilem nonnisi de 4. in 4. diem moveri iodicant. *Piens pag.* 265.

96. *Subjectum si species, sunt* 1. *Pueriles &c.*) Pueris Quartana ob edacitatem contingit: *Galenus* 2. *Prognost.* Ætatem consistentem Quartanis obnoxiam esse scribit; At 1. ad *Glauc.* idem de ætate senili scriptum reliquit: Ex quibus colligitur omnibus ætatibus accidere posse, sed pueris, non ratione temperamenti, sed vel ob ingluviem, vel ob sanguinis materni, quo in utero nutriuntur, vitia: Sicut in sanguineis apparent sæpe Quartanæ, quod fieri dicitur ob malam vivendi rationem, quæ succum melancholicum plurimum parit, Sed potius meo iudicio dicendum etiam ab aliis humoribus fieri posse Quartanam. *Primirosius.* Quoad sanguineos, illos Quartanam pati ait *Sanctorius, in meth.* V. E. quia ubi multus sanguis, ibi quoque multa fæx, ac proinde materia generationi Quartanæ præsto est.

97. *Pueriles*) Juniores ferendo pares huic morbo sunt, à quo nonnunquam circa solstitium brumale liberantur; frequentius tamen nonnisi, adveniente verno æquinoctio, vel etiam autumno insequenti, ubi scilicet venæ sectionem aut catharsin admiserint: Sæpe non sine stupore sum intuitus Infantes tenellos, cum hoc morbo per totos menses sex commissos, nec oppressos tamen, sed de eodem, *Herculis* instar pueri, in cunis triumphantes. *Sydenham de Acut. p. m.* 92.

98. *Utplurimum à Pituita salsa putrida*) Etiam à pituita Quartanam fieri vult *Hollerius*, quæ tam crassa est & contumax quam ipsa atra bilis: Docet enim Quartanas fieri vel vitio hepatis sanguinem adurentis, vel vitio lienis melancholiam non expurgantis, vel vitio ventriculi crudum humorem generantis, à quo Quartanam fieri posse ipse *Aristot.* concessit *probl.* 19. *l.* 1. ubi ait pueros esse quartanæ obnoxios; Neque id (ait *Hollerius*) repugnat Græcis aut Arabibus, nam pitu ta consistentia crassa, quantitate pauca quartanos, aut etiam rariores circuitus facere potest; Sic Rhazes docet Quartanam fieri successione Quotidianæ & Tertianæ, adustis scil. aut incrassatis humoribus. *Primirosius.*

99. *Senum*) Qui LX. ætatis annum superant, si quartana occupentur raro evadunt, & magna ex parte hydropici moriuntur, Juniores minus periclitantur, nisi natura sint ad tabem propensi; hinc natum proverbium Quartanam Juvenes quidem sanare, Senes autem necare. *Encb. Pr. p.* 382.

Æstiva) *Hippocr.* 6. *Epid. sect.* 6. Quartanam æstivam non produci usque ad annum ait, uti neque Autumnalis ultra: Causa erit, quod ut acutæ febres motum sequuntur Lunę, ita longas sequi motum Solis est consentaneum; Igitur ut acutarum febrium fines sunt intra mensem, ita chronicarum erunt intra annum: Atque ut acutæ quædam mensis dimidium, atque aliæ etiam minus durant; quæ vero mẽsem superãt sunt decidentes ex acutarum cõstitutione, Ita longæ in hoc genere sunt. Quotidianæ; & Quartanæ quædã dimidium anni durant; quædã menses duos, & quæ longissimæ sunt annum integrum; quod si eum superant, id quidem fiet ob pravum victum, vel ob ineptam curationem, aut etiam aliquando ob conjunctam visceris cujuspiam intemperiem, eritque ea Quartana producta ultra communem Quartanæ consuetudinem: Certe testari possumus paucas esse quæ in iis qui prudenter se gerunt, non intra unum annum terminentur. *Vallesius comm. in cit. loc. p.* 725.

1. *Tempus si attendas &c.*) *Æstiva Quartana breves, Autumnales vero longa, maxime qua hyemem attingunt*, 2. *aphor.* 25. quod in universum de omnibus morbis intelligendum vult *Galenus* in comm. quia humores excrementitii

mentum æstatis calore diffunduntur, & facilius dissflantur: in quibus igitur vires validæ sunt evacuatis noxius humoribus ægritudines cessant; quibus vero vires sunt imbecilles dum noxii succi evacuantur, una etiam ipsæ diffluuntur, Autumno autem & hyeme longi fiunt, quod eo cœli statu nihil exuder è corpore, fitque materia contumacior quam aliis anni temporibus: Contingit autem sæpius apud nos Quartanas autumno, vel inchoante æstate genitas, solstitio hyberno vel solvi vel leviores fieri. Attamen sæpe nonnisi verno tempore solvuntur, quia veris temperies calida est humidaque, sanguis calorque nativus abundant, quæ humori melancholico, frigido siccoque contraria sunt. *Primrosius.*

[5] *A quo serosus humor*) Quæstione dignum unde oriantur crebri sudores qui in Quartanam incidunt? Nam non credibile est materiam tam crassam ita in halitus abire, id quod in corpore hoc squalido & sicco præsertim, in quo tamen tot sudores apparent: Et hic annotari oportet, anno Domini 1573. plurimis Quartanariis corpus totum sudoribus diffluxisse, corpore plane emaciato, squalido & sicco, Erit sudores nihil proficiebant; Horum duplex causa esse videbatur; Infirmitas naturæ, priore morbo ita fatigata, Item ariditas hepatis & viscerum: Nam cum calor febrilis diu durans partes resiccet, fit ut quod alimentum allicit, ad partes facile non possit agglutinari, præsertim cum liquidius est, Tales autem febricitantes solis jusculis liquidis utebantur, nec mirum si nequeunte hepate ob siccitatem multum consumere, reliquum per sudores exeat; *Jac. Thevart. Annot. 1. in consil. 23 l. 1. cons. Ballonij.* Forte melius causa referretur in acetosam & acerbam indolem massæ sanguineæ, quam propter serum laxius cohærens cruori, facile ab eodivellitur, hinc sudorum ubertas; hinc extenuatio totius, quia discedit ὑγρὸν τῆς τροφῆς, forte & quia ipsum serum nutritum est; ut nonnulli perhibent.

[3] *Autumnalis* Si quartana tempore Autumnali adveniat, magis erit pertinax, quia omnes humores in corpore tunc sunt fixiores, nam æstate spiritus avolarunt; adeoque per hyemem homoem comitari solent; sic tunc temporis ex hac febri facile oritur cachexia, hydrops, scorbutus, &c, quia tempore autumnali humores crassi magis incrassantur, & viscera labefactantur, fitque atonia omnium viscerum primæ & secundæ coctionis dicatorum, *Joh. Dolæus Encyclop. p. 833.*

[4] *Hyberna* Quæ præter omnium opinionem in morbos acutos transeunt, *Crato.* 159. quod raro contingit & quories contingit externarum causarum ope fit, ægri [illegible], victus intemperantia, Medici inscitia, aut latente interni corporis vitio, vel prohibita vacuatione per [illegible], unde humor in venis putrescens quartanam continuam parit valde periculosam. *Primrosius.*

[5] *Aut vergente in hyemem Autumno*) Quare hic morbus in Autumno potissimum oritur, raro autem vere aut æstate? Dico tempus autumnale hujusmodi febrilem sanguinis diarhesin aptissime producere: Cum enim ab æstate [illegible]re plurimum Spiritus & Sulphuris avolant, & [illegible]quum est à frigore constipari inceperit, sanguis liquor (veluti vinum à nimia effervescentia acescens) [illegible]turam ponticam & acidiusculam facile degenerat [illegible] etiam aura maritima, halitibus salinis, & [illegible]bus, inficiendo sanguinem facile procurat; Quin [illegible]finitas hujus morbi cum scorbuto & affectione [illegible]ondriaca plane indicat in vitio esse malam sanguinis [illegible]sin, qua nimirum salsus & terrestris cum [illegible] evaserit. *Willis.* Autumnales longæ, præsertim non longe absunt ab hyeme, Primus terminus est proximum Solstitium, seu initium quarti mensis, quo si non solvitur, extenditur ad proximum æquinoctium, sive 7. mensem, Inveteratæ nonnisi vere solvuntur, aliisque anni æquinoctiis, quibus temporibus facile curantur sponte vel arte. *Etmuller.*

[6] *Causa si respicias*) Quartana fit ab humore melancholico in prima regione putrescente; Humor autem melancholicus alius *naturalis* est, ex crassiori & terrestriori alimenti portione genitus, frigido & sicco temperamento præditus: Alius *præternaturalis*, ex bilis adustione oriundus, atque adeo calidus & siccus Hinc uvæ Quartanæ species oriuntur: Quæ enim à melancholiæ naturali fit, *Legitima Quartana* nominatur, Qua à *præternaturali*, *spuria*, Quanquam spuria etiam generari possit à melanchoria naturali, cum bilis portione admista: Quoad legitimam, ad illius causam expugnandam statim animus convertendus est, spreta etiam ipsa febre. Cum igitur illius causa sit humor frigidus & siccus, crassus & terrestris, calefacientia, humectantia, & attennantia usurpanda sunt, Tum etiam opportunis temporibus materia peccans erit evacuanda, quod tamen nonnisi longo tempore præstari potest, ob summam humoris contumaciam, & morbi longitudinem.

Spuria autem Quartana iisdem fere remediis curari debet quæ pro Tertianæ curatione fuere proposita, addendo in Decoctis Iuleporum & Apozematum ea quæ humorem atrabilarium peculiariter respiciunt. Quibus accedere poterunt omnia remedia magis temperata & minus calefacientia quæ pro legitima usurpantur. *Riverius.* Quartana fit ab humore melancholico in Liene, mesenterio, & hypochondriis contento putrente; Cum autem duplex sit melancholicus humor, alius veluti sanguinis limus, fæci vinorum crassorum proportione respondens, temperamento frigidus, qui proprie melancholicus dicitur; Alter vero multo tenuior, temperamento calidus, genitus vel ex sanguinis fæce, vel ex flava bile, vel ex pituita salsa, multam bilem flavam admixtam habente, qui proprie Atra bilis dicitur, Ideo duplex Quartana statuenda est, Una genita ab humore melancholico frigido, vi ignei caloris torrefacto, quæ vera, seu legitima, seu exquisita vocatur; Altera, ab humore atrabilario, quæ notha, seu illegitima, seu spuria dicitur.

In magno igitur errore versantur qui unam tantum Quartanæ causam agnoscunt, nempe melancholicum humorem frigidum & siccum, adeoque quamliber Quartanam nonnisi calidissimis medicamentis curant. *Enchir. Med. Pr.*

[7] *Alia ab humoribus adustis &c.*) Hanc Quartanam sævam & perniciosam vocat *Joel*, quæ quarto quolibet die, ut simplex Quartana, accessionem habet, sed ab ea differt, quia hæc statim ab initio & vires & appetentiam prosternit; & per duos quietis dies Natura nullo modo refici potest, sed inducta debilitas semper perseverat: *Causæ antecedentes* sunt morbi ardentes febrium præcuntes: & atra bilis, ex adustione vel melancholici humoris, vel flavæ bilis & in cinerem conversione genita, sanguineæque massæ commixta, vel in Hepare aut Liene cumulata.

Procatarctica sunt omnia quæ hepar & lienem inflammare, & sanguinem & utramque bilem adurere in cinerémque convertere possunt: *Signa* hæc sunt, quarto die paroxysmus redit cum maxima virium debilitate, in quo frigus est exiguum, sed calor acris & extensus ac diuturnus, Apperentia labefactatur, urina valde rubet & est turbida; adest & siccitas linguæ & sitis continua: In hac Quartanæ specie si hepar vel splen inflammetur, aut intumescat, maxime in corporibus biliosis, aut melancholicis, citam mortem infert; In Quartana sæva non tantum Lien, sed & hepar obstruitur & inflammatur.

Præstaret Medicum hujusmodi Quartanis manus non admovere; hic enim locum habet. *Hydrops, Quartana, Medicorum scandala plana*, Sed si Curatio tentanda est

ea mitissime est tractanda, ne nimirum medicamentorum usu vires magis debilitentur: Debet autem & victus ratio & medicatio refrigerans & humectans esse: Initio itaque si adsit obstructio alvi, vel venarum mesaraicarum, subducatur & aperiatur leni Clystere, ex ℔j *decocti malvæ, violar. mercur. alth. & fumar. cui admixta sint pulpa cassiæ* ℥iß. *olei violar.* ℥iij. *salis* ʒj. Deinde si corpus sit sanguineum seu plethoricum, & vires moderate constent, vena lienaris in sinistro hypochondrii latere, si dolor aut punctio in sinistro hypochondrio sentiatur; aut hepatica, si in dextro latere dolor affligat, & ℥iv. aut v. sanguinis detrahantur.

Eo facto *victus ratio* præscribatur quam dixi, In quem usum conferunt *cremor Ptisanæ*, *Lac amygdal. cum aqua hordei* paratum, *Pruna & cerasa cocta, ova sorbilia, caro pullorum*, & *ovilla*, pisces fluviatiles ac squamosi, lucii, percæ aculeatæ, percæ simplices, quæ omnia aut uvis immaturis, aut aceto rosac. condiri possunt: *Potus* sit aqua hordei quæ fervens per *Conservam rosar. nymph. borraginis* percolata est; Virium reficiendarum causa quoque potest vinum tenue concedi, sed in modica mensura & aqua hordei dilutum.

Tandem atræ bilis colluvies sensim & blande subducatur, exhibitis ℥iß. *mannæ in q. s. aqua card. bened.* solutæ, aut ʒx. *Cassiæ pulpæ* devoratis, aut ℥iij. *syrupi violac. solut.* cum *aqu. lactucæ* aut *cichorii* ℥ij. solutis & ebibitis: aut ℥j. *Elect. Lenitivi* cum haustu *aquæ endiviæ* resoluta; Reliquiæ vero & cinerosæ partes ejus colluviei, quæ in corpore fumigant, earum acrimonia mitigetur & extinguatur, aut ℥ij *syr. violac.* aut syr. *è nymph.* aut syr. *acidi è citro*, aut *syr. de endiv.* cum ℥iij. aqu. *cichor.* aut *card. ben.* aut *fumar.* aut *lacte* commixtis, & m. ac vesperi ebibitis, Aut loco syrupi, mane & vesperi assumat lactis haustulum ex iv. sem. frigid. maj. & sem. papav. cum aqua *fumar.* vel cum aq. *cichorii* confectum, & q. s. *sacch. cand.* quod in *syr. violato* concrevit dulcoratum: quin & *serum lactis caprini*, cum ad adustæ colluviei temperationem & ejus levem subtractionem faciat, Eo commode alternis diebus æger uti poterit in aurora, quæ præstantior fit & magis evacuat si Nodulus ex ʒj. *Rhabarb.* & ʒj. *fol. sennæ* & ʒj *polypod.* contusis & ejus seri ℥vj. per noctem maceretur; Et si æger sponte ad vomitionem feratur, per intervalla sumptis ℥vj. *aq. rosar.* & rursum evomitis, diminuetur per vomitum cinerea materia, & mitigabitur febrilis calor: Præter hæc subinde corroborentur vires *Rotulis* ij. *Christi devoratis*, aut *pyris moschatell. conditis*; vel rad. *cichor. cond.* vel *baccis fragorum* elotis, & cum vino rubro tenui perfusis sacchar. conspersis: Prodest etiam *succus arantior.* & *granat.* exhibitus.

Et Topica inter externa remedia plurimum conferunt pedum manuumque circa vesperum collutiones: In lavacro vero concoqui debent fol. *salicis, lactucæ, cap. papav, rosar.* & *chamam. flor.* Conferunt quoque plurimum quotidianæ inunctiones spinæ dorsi & hypochondriorum m. & v. adhibitæ cum sequ. Linimento.

℞. *Ol. rosar. nymph. violar.* āā. ℥ß.
mucag. ex sem. cydonior. & psyllii ex aceto rosac. facta. ℥ij. *Vngu. pop.* ʒj. *cera alba q. s. f. Linimentum.*

Carpis manuum applicetur in paroxysmo aut *Bursa pastor.* virescens cum aceto contusa; aut placentulæ ex *telis aranear.* cum q. s. Vngu. populei confectæ, & collo appendatur aranea viva in syndone aut testis nucum jugland. inclusa, & gestetur per quatriduum *Fr. Joel.*

Conveniunt in principio *borrago*, *bugloss. fumar. lupuli, acetosa, cichor. ceterach, scolopendr. agrimon. poma redolentia*, in decoctis Iulcporum & Apozematum, In progressu addere licebit *cortices rad. cappar. med. tamar. enul. camp. polypod. absinth.* Dum utitur æger his præparantibus *purgantia* frequenter interjicienda sunt, pridie accessionis usurpanda, Pro delicatioribus sit *Ptisana laxans*, *syr. de Pomis Regis Sapor &c.* *Vena sectio* non omittatur in principio, detracto sanguine pro copia & ægri temperie; Si morbus in longitudinem abeat, *Vomitoria* utilia sunt, Quibus accedant Fotus & Linimenta hypochondriorum, ad pravam viscerum diathesin corrigendum, Balneum aquæ tepidæ de quo infra. *Riverius.*

8. *Vel aëris vel diæta vitio*) Oriuntur Quartanæ sæpius ex crasso aëre quam ex crasso cibo. *Walæus Med. Pr. p.* 120. Clarius annotatur ex in oris maritimis hospitantibus, qui cum aura maritima halitus crassos, tartareos & salinos imbibunt; unde (ab eorum principiis) succi corporis impinguntur, & ab inde febres Quartanæ gignuntur. *Piens pag.* 267.

9. *Laudatur Balneum aquæ dulcis*) Commendatur quia humectat, reficit, conceditúrque quolibet morbi tempore ab *Avicenna* cap. de Quart. In principio quidem ante humoris coctionem, ex aqua dulci moderate calida, in qua diutius non sedeat æger, nec sudet, ne humores crudi vi caloris in cutem rapiantur, & augeatur obstructio, sed tantummodo ut hac coctione corpus humectetur: Apparente vero coctione licet diutius in Balneo immorari, & sudare, quia sic humores evacuantur, corpúsque etiam humectatur. Ingrediatur autem Balneum ventriculo vacuo, ante paroxysmum, paretúrque ex aqua dulci, in qua herbæ emollientes & humectantes coquantur, aut etiam *chamæmelum, melilot, stæchas, origan. melissa* &c. Aut etiam loco Balnei stuphas quidam imperant, ex prædictarum herbarum decocto, cujus vaporem excipiens æger sudet: Balneis autem & stuphis utebantur olim frequentius: At quia Balneo uti non solemus, solis Frictionibus, ex consilio *Galeni*, contenti esse possumus, qui Balnea ex indulgentia tantum videtur concedere, ob consuetudinem; *Primirosius.* In Quartanis autem à retorridis & adustis humoribus adprime convenit Balneum tepidæ, incoctis herbis refrigerantibus & humectantibus; temperatur enim humoris acrimonia & mitescit, nullaque ratione melius ad concoctionem deducitur. *Enchir. Med. Pr.*

Balneum in *Quartanis longis*, tum quia sudores provocat, tum quia simul humectat & reficit, utilissimum est, &c. Et post illius usum, corpore prius absterso, propinatáque *Mithridatii*, vel Diaborraginati āā ʒj. sudare superdormireque prodest, Quo pacto multi à febre Quartana diuturna liberati fuerunt. *Platerus.*

Balneum alterationis causa, & non tantum ad sudores movendos, uti superius dictum est, in Quartanis humectando, ex humectantibus paratum commendatur, quod tamen extra paroxysmum, jamdiu perseverante morbo, tutius adhibetur: Licet vulgo in Febribus intermittentibus omnibus madefacere adeo metuant, ut si vel juxta flumina aut fontes ambulent, recidivam se pati sibi persuadeant; Cum tamen madefactio illa in febribus illis diuturnis, calore nonnihil remittente, præsertim si corporis adsit consumptio, non improbetur. *Idem.*

10. *Balneum aquæ dulcis*) Non approbo eorum sententiam qui ab initio dum humor adhuc crudus est. Balneum tepidum commendant: cum vero concoctus, ut in statu & declinatione, imponunt quæ calfaciunt, incidunt, & attenuant, Contraria enim curatio ineunda est, Nam quo frigidior, crassior, & crudior est humor, eo magis attenuari & calefieri debet, Quo vero calidior & siccior, eo magis humectari: Adde quod Quartana, quo statui proprior est, eo materiam tenuiorem, calidiorem, & acriorem habet, vehementia tunc apparent symptomata, rigorem pro horrore sortita, Ideo nisi calfacientia & attenuantia diminuas, facile eo tempore duplex aut triplex Quartana fiet, Ideoque optime fecerit qui Quartanam legitimam in statu eo modo curat quo Quartanam spuriam in principio tractamus. *Enchir. Med. Pr.*

11. *Aliæ sunt exquisitæ*) Ratione materiæ Quartana alia *Legitima* est, ex humoribus ejusdem naturæ, temperiei ac dispo-

dispositionis; alia *Spuria*, quæ diversæ temperiei, naturæ, loci, & dispositionis est: Vulgus definit hanc per melancholiam simplicem vel mixtam, Sed generalius loquendum, prout ex causis patebit, Omnis generis humores Quartanam excitare posse. *Pieus* 265.

12. *Vel humore adusto*) Vitio utplurimum hepatis nimium calefacti, tunc valde rubentia & æruginosa dejici malum quod humores per adustionem malignitatem adquirant *Riverius*.

13. *Vix absque lienis vitio*) Quartanarij frequenter non sunt Lienosi, ex multorum observatione. *Walaus Med. Pi.p* 110.

14. *Hypochondria bene exploranda*) In cura Quartanarum, & hinc etiam quarumvis chronicarum, Medicus tangat hypochondria, an adsit tumor aut durities, scirrhus lienis, hepatis aut mesenterii: Quærat itidem an multi adsint flatus. Item an viscera interna salva sint, Facto hoc demum prognosin & curam instituat, Certe cum Quartanæ, aliæque intermittentes, vix possint esse diuturnæ quin superveniat vitium lienis, aut alius cujusdam visceris abdominis, In talibus casibus non negligenda *Martialia*, die inprimis intermissionis cum febrifugis mista, V. g. *Tinctura vitrioli martis Zvvelferi*, *Solutio Martis cum succo pomorum mista*, cum *spiritu cochlearia*, *Sal Martis compos.* &c. *Antimon. diaphoret. martiale*, & hoc inprimis ubi icterus supervenire velit, *Externè* in talibus casibus *Empl. de Cicuta*, mistum cum *gummi ammon.* in *aceto* solutum, Emplastri figura applicentur; Item *Empl. carminat. Sylvii* hic optimo cum successu applicatur: *Helmontius* mentionem facit Empl. quo ad splenis regionem applicato plurimos quartanarios se curasse asserit, Compositio creditur esse hæc.

℞. *Tabaci q. v. affunde vini qu. s. coquantur ad ebullitionem per mediam horam, cola & fortiter exprime, Expressioni adde succi Nicotianæ, mellis comm. ceræ, ol. comm. q. s. ad consistentiam Empl.* admove regioni Lienis, *Etmuller. p.* 294.

15. *Sed die accessionem antecedente*) Die Intermissionis venam secare, uti authores methodice docent) nihil commodi percipere potui: Commodissime sum compertus *ipso accessionis die, imo ipsa accessionis hora, sanguinem mittere*, quia tunc temporis humores & materia morbifica moveri & fermentari incipientes facilius educuntur. *Pieus Tr.* 1. *p.* 272.

16. *Sæpius & leniter quam*) Corpus repurgandum non valide quidem sed leniter, ut hic admitti non debeat Hippocr. sententia, qui melancholicos per inferiora porgat [illegible] Sed si melancholicis morbis vehementiora debentur medicamenta, cur. Gal. lib. 1. ad Glauc. lenius minuique cum Quartanis agit? Sed experientia perspectum est ex simplici Quartana duplicem triplicemque [illegible] nisi summissius egeris. Cancros si durius[cu]lis acriusculisque medicamentis vexaveris ferocire insultareque magis & medendo ægrescere videbis: uterque autem affectus in melancholicorum morborum censu numeratur & laborantes Hypochondriacos observavimus usu validiorum deterius longe habuisse, contra verò medicationes blandiores facile tulisse, quinetiam de muliere [illegible]tanam patiente constat, quæ cum liberata esset [illegible]rbo, quoties animi potiùs quam necessitatis gratia, decoctum folliculorum hausisset, sepulta febris suscitabatur pejusque solito habebat, & tamen placet H[illegible]us agendum esse cum melancholicis; & quæ [illegible] sunt, firma contumaciaque, ea magnam vim, quæ demolietur, exposcunt, i. e. & multo tempore, & sæpius, & [illegible] fortiora medicamenta negotium transigendum [illegible] explicat Galen. aph. 30. libr. 4. Si quid sit hujusmodi, [illegible] est melancholicus & præsertim atra bilis cujus contumacia blandiorum vires eludit: Sed ne quid hic, ut nec in aliis morbis melancholicis peccetur, ita cum distinctione rem definire oportet: Quidam dicunt melancholicis morbis, si Purgatione egeant, validiorum remediorum usum convenire, volunt autem conditionem istam (si Purgatione egeant) addi, ut excludantur Quartanæ febres quibuscum mitius agi debet, negant enim illas purgatione egere, sed potius mitificatione quadam ac temperatione: Sic dicemus alias utendum esse medicamentis levioribus, alias validioribus, alias nullis aut levissimis: levioribus quidem initio, cocta enim medicanda sunt, nec aphorismus, quo censet melancholicos [illegible] agitandos esse, quicquam detrahit ei quo mitificationem coctionemque expectat nisi materia turgeat, & ne putes in morbis melancholicis frustra expectari mitificationem quandam, eorum festinationem temeritatemque imitatus qui atræ bilis nomine, aut melancholici humoris, statim ad confectionem Hamech &c. confugiunt, consulendus est Hippocrat. hic eorum scribit aphor. 22. lib. 4. *Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis supra vel infra exiverit, lethale.* Satis docet excretionem bilis atræ perniciosam esse nisi sit mitificata: non potest autem mitificari nisi cum tempore, & in comment Gal. de excretione atræ bilis, ut & omnis humoris, si initio morborum fiat, loquens, hoc axioma conficit. *Cum natura a causis morbificis opprimitur, estque humorum cruditas, non potis est quippiam salutariter excernere*: hinc disces initio morborum melancholicorum lenioribus locum dari medicamentis: ut cum materia jam aliqua ex parte mitificari cœpit, libertas meatuum est, locus valentioribus esto, quoniam humores tenaces, crassi, viscosique leniorum vim effugiunt; & illud [illegible] per comparationem audiendum est, cum enim paulo ante aphor. 6. l. 4. Gracilium & Biliosorum purgationis inclinationes adumbrasset, quæ faciles sunt, melancholicorum purgationem instituit: eo nomine & humorem pituitosum & melancholicum intelligit, nam ob crassitudinem analogia est inter utrumque magna: vel illud [illegible] audies multum & sæpe, ut si semel validiuscule exagitare non licet, frequentia & purgandi assiduitate compensetur; & hæc via tutior est: Quanquam de purgatione contumacis materiei Galenus loquens, tria requirit, ut multo tempore, ut sæpius, ut per validiora fiat; Porrò incidunt ea tempora ut in melancholicis morbis Purgationes officiant plurimum, præsertim cum in mala partium diathesi potius quam in copia materiæ morbus consistit, *lib. 7. de purg. morb. capite* 7. Hęc sententia Mesuæi authoritate comprobatur, *In ægritudinibus melancholicis, non bis, non semel, sed per intervalla facienda est vacuatio: ita temperata vacuatio esse debet, ut natura regat evacuationem, non evacuatio naturam. Ballonius l. de Purg. morb. cap.* 7.

17. *Observatum est Quartanarios*) Ambigitur an Purgandum? si piget & tædet diuturnitatis, purgandum, ut febris aut transmutetur aut deficiat, Et *Hippocr. lib. de Affect.* in accessione dandum pharmacum solutivum jubet: *Celsus c.* 16. *l.* 3. docet movendam esse febrem ex eo statu in quo detinetur; &, quod mirum, vi & excessu aliquo febris Quartana cessat; Sic *Fabius in* cruento contra Allobroges prælio febre Quartana liberatus est, & febrili ardore per bellicum ardorem est absolutus; sic narrat *Plinius cap.* 50. *l.* 7. quosdam Medicos, maxime vero *Petronem*. hac ratione, temeraria quidem (quia quos ratio non restituit, temeritas adjuvat) ægros expedivisse ac liberasse. *Ballonius Epid. l.* 1. *p.* 29.

18. *Restitutes transeundo aquam*) Quidam, ut quartanam excutiant, infirmis, dum in accessione affliguntur, timorem ex improviso incutiunt.

Virgo Nobilis per aliquot menses quartanaria, cum ab aliis invitata cymbam intraret morbi tædium excussura, cymba derepente mergebatur, ut omnes aqua & morte simul corripi viderentur; Periculo vero erepta Quartanaria nullo modo postmodum paroxysmo tentata convaluit. L. *Chr. Frider. Garmannus in Med. Sept.*

V. 2. pag. 190. Ejuſmodi exempla vide in *Camerarii Sylloge memorab. & alibi.*

Interdum magno ſed repetito timore Quartanam ſolvi ſcripſit *Rhaſes*, Ratio eſt, quia repentinus timor calorem auget in præcordiis, ob ſanguinis ad interna recurſum: Scribit *Livius Q. Fabium maximum* apud flumen Haram prœlio commiſſo adverſus Allobrogum Regem febre Quartana liberatum eſſe.

19. *Reſtitutos in eam iterum incidiſſe*) Quidam ſcribunt eundem hominem bis Quartana non laborare, quod falſum eſſe demonſtrat experientia, & ratio ſuadet, nam cum in nutritione, & humorum generatione multum ſemper generetur melancholici humoris, ſi putreſcere contingat Quartana excitabitur, qua ſemel ſanata, ubi corpus denuo nutriri incipit, iterum generabit melancholiam, quæ rurſum putreſcere poterit, & novam morbi hiſtoriam aggredi, denuoque febrem generare. *Primiroſius.*

20. *Mutantur quandoque in duplices Tertianas*) Notha hæc Quartana minus diuturna eſt, ſed moleſtior quam exquiſita, & multo facilius in duplicem, triplicem & continuam degenerat, cum imprudenter tractatur humor, i. e. cum immodice calefacientibus tractatur: Hinc qui à retorrida bile in Quartanam incidunt, ſi calido & ſicco victu utantur, ut vino generoſo, muſcatellino, hippocratico, piperatis, aut etiam calidis remediis, ut theriaca, hi viſcera interdum ita torrent & exſiccant, ut non raro elephantici evadant. *Ench. Med. Pr.*

21. *Malignas eſſe crede*) His remediis ſimplices Intermittentes profligantur; ſed quæ aëreæ *malignitatis* ſunt participes cardiacis oppugnantur, malignæ conſtitutioni reſiſtentibus, una cum idonea victus lege: Adduntur ergo Apozematibus prædictis *rad. tormentillæ, raſ. c. c. pimpinellæ, ſcab. ſem. card. ben.* Fit Opiata ex *conſerv. flor. cichor. violar. bugl. borrag. roſar. c. c. margar.* &c. *Ench. Med. Pr. p.* 384.

22. *Alia morbos alios ſequuntur*) Cum æſtas calidiſſima noviſſimo anno præceſſerat, circa finem ejus febris epidemica inſequuta eſt, dein vergente Autumno, cum morbus iſte ceſſaret, Quartana plurimum increbeſcere cœpit, ut pluribus in locis fere quarta pars mortalium eadem corriperetur; nec tantum ſenes, melancholicos, lienoſos, ſed cujuſvis ætatis aut temperamenti homines, etiam infantes, pueros juveneſque hic morbus paſſim infeſtavit; Quod plane indicio erat hunc affectum non ab humore atrabilario, ob lienis vitium congeſto, verum à ſanguinis dyſcraſia, ob anni intemperiem inducta, ortum traxiſſe. Etenim ſanguinis maſſa, poſt nimios fervores, non ſecus ac vina poſt immodicas effervescentias nonnihil aceſcere, aut diatheſin auſteram nanciſci habilis eſt; adeoque in hujuſmodi febrem etiam proclivis uti ſuperius innuitur. *Willis c. 7.*

23. *Morbos alios ſequuntur, ut febres Erraticas*) Febres Quartanę aliis ægritudinibus ſuccedunt, maxime febribus Erraticis; idque citius Autumno, humor enim fervens æſtivo tempore per febres deſinit in atram bilem: Hujus mutationis ſigna tradit Hippocr. *Coaca 3. capite 5. Quæ in urinis ſunt nigra nubecula in Erraticis febribus Quartanas denuntiant.* quia ſcil. Oriuntur ab humore nigro, à quo Quartana dependet. At id non perpetuo, verum, ut certa experientia in quibuſdam erraticis obſervavimus, quibus Quartana etiam ſucceſſit: Quod ſi Quartanam futuram denuntiat nubecula nigra, cur ipſa quartana præſente non adeſt. *Primiroſius.*

21. *Febres Erraticas*) Contingit aliquando ut Tertianæ motus, qui prius ſtatutum ſervabat ordinem, poſtea reddatur ἄτακτος καὶ πλανώδης, i. e. inordinatur, erraticus, Et hæc febris πλανώδης appellatur, Eſt autem iſta paroxyſmorum incertitudo, ſignificans vel varietatem humorum; cum ſcil. febrile incendium unum tantum, ſaltem præcipue, mox vero plures, fere principaliter apprehenderit; Vel prædominium melancholici ſucci, qui in principio non ardebat, ſed ſolus biliosus, poſtea ardere incipit, & pars ejus movetur putrefacta; pars alia ſine putredine manet immota. *Rodericus à Caſtro Q. ex Q lib.* 1. *c.* 18.

Febris cum Scorbuto.

24. *Alia affligunt cum aliis*) Scorbutus, ut eſt Protheus, ac quibuſvis fere ſe aſſociat morbis, ita etiam non raro febribus intermittentibus ſe jungit, eaſque exacerbat, ac ſępius *periodum erraticā* infert; adeo ut ubi adeſt *febris erratica intermittens, ſemper ſcorbuti ſuſpicio adeſſe debet*, præterea dolores lancinantes artuum; item dolores vagi in paroxyſmis, vel præſentes vel eos antecedentes, ſcorbutum fere monſtrant: Interdum plures maculæ corpus in ſtatu paroxyſmi pingunt, poſt ſudorem denuo evaneſcentes, ſcorbuti indices; arenulæ quaſi rubræ, facile tamen friabiles & undique matulæ parietibus adhærentes, eundem quoque produnt: nempe ſalia ſunt ſubtili acido ſalſa cryſtalliſata; Contumaces vero ſolent exiſtere propter ſcorbutum; imo niſi hujus ſimul habeatur ratio in cura, creberrime recidivare ſolent. *Etmuller.*

24. *Alia affligunt cum aliis*) *Nonnunquam Febres intermittentes cum aliis affectibus complicantur*, ut hic loci utplurimum cum *Scorbuto*, unde ſæpius ſubinde recidivant febres, Retulit *D. Michaelis* quendam quinquies recidivam paſſum fuiſſe, ob ſcorbutum febri junctum, quo curato febris plane ceſſavit: Talibus in febribus neceſſe eſt Medicus aliis remediis ſemper addat *antiſcorbutica*, v. g. conducunt in tali caſu *arcanum duplicatum Mynſichti, magiſter. coralliorum*, cum *ſucco citri & ſpir. cochleariæ* ac ſimilia aliis ſociata V. g.

℞. *Elix. febr. Mynſicht. ſpir. cochlear.* ãã ʒij.
m. doſis gtt. xl. bis in die intermiſſionis. Vel

℞. *aqu. antiſcorbut. Dorncr.* ℥j.
ſpir. ſal. armon. ʒß.
cochlear. ℈j.
laud. op. gr. j.
ſpir. ſceletyrb. Foreſti. ʒij. *m.* Vel

℞. *arcan. dupl. Mynſicht. magiſt. corall. cum ſucco citr.* ãã. ℈j.
Salis c. c. vel viper. volat. gr. iij.
m. f. Pulvis. Vel.

℞. *aqu. antiſcorb. Dorncr. Febr. f. uſitata* ãã. ℥ß.
ſpir. cochlear. ſalis armon. ãã. ʒj.
laud. Op. gr. j.
ſpir. ſceletyrb. Foreſti. ℥ß. *m.*

In hoc ipſo, tanquam vehiculo, capiatur iſte Pulvis, atque perdurante paroxyſmo, durante æſtu, aut ſaltem poſt rigorem, ſubinde de eodem capiatur.

Agitat ſubinde febricitantes tales *Sitis*, pro qua fallenda, optimum eſt *ſerum lactis caprillum* acidulatum cum *ſucco citri*, Item *Decoctum tamarind. egregium* eſt in talibus febribus V. g.

℞. *Tamarind.* ℥iß.
coqu. in ſero lactis vel *aqua hordei*: *Colatura tinctura flor. bellidis.* ℥ij. *tingatur, addendo ſyr. violar. q. ſ.* pro gratia ſaporis. m. detur pro Iulapio durante æſtu.

Morellus de mat. Med. p. m. 33. Decoctum ita fit, *ait*.

℞. *Tamarind.* ℥j.
coq. in ſeri lactis vel *juris alterati lupulo vel fumar.* ℥x. *ad conſumptionem.* ℥ij.
Colentur per linteum denſum, Capiat. de Colat. ℥ij. v. vj. cum ſacch, f. Potus. *Etmuller p.* 292.

25. *Ulcera quæ vel toto*) Quidam Quartana diu laborat, in tibiis ulcera maligna & Telephia oboriuntur, febris perſeverat, arte remediiſque communibus non curantur; Suſpicio luis Venereæ eſt quod medicabilia non redderentur; tamen rebus diligenter expenſis, nil venereum inventum eſt, non deſierunt tamen Medici ſuadere uſum hydrargyri, Plantis pedum & femoribus applicantur

cantur cerones ex hydrargyro & consimilibus, provocat... curantur ulcera, curatur & febris, An idem in contumacia febris Quartanæ agere licet? Tamen apud *Fernelium*, quidam & Quartana & lue Venerea, & sordidis ulceribus implicatus, adhibitis litibus & diæta, lue est liberatus superstite Quartana, *Ballonius Epid. ... Paradigm.* 198.

26. *Ptyalismo*) Tempestate quadam Quartanarum feracl, cum vulgares medicinæ methodos incassum adhiberi cernerem (*inquit Willis cap. de Quartana* vij.) Virgini cuidam per illustri curationem subitam quovis licet modo perficiendam exigenti, proposui ut si à pharmaco minerali per aliquot dies fluorem pateretur, inde morbum brevi profligatum iri speraret: Cum huic facile assensit, pharmacum ei mitius, & omnino tutum exhibui, à quo sputatio tantum levior, eademque intra duodecim dies finita ciebatur: A quo salivatio incepit, paroxysmis statim caruit; quibus vero temporibus accedere solebant, perturbationem in toto corpore cum cordis oppressione & lipothymiæ metu persensit, postea tamen sputatione finita plane convaluisse videbatur; Cumque iterum post bimestre spatium hujus morbi leviores quasdam accessiones pateretur, & pulvere emetico bis aut ter exhibito, sine recidiva integre convalescebat.

27. *In tibiis, brachiis*) Finitur interdum Quartana per *Abscessus* factos ad articulos; quæ omnium pessima & maxime diuturna Quartanæ crisis. *Ench. Med. Pract. pag.* 38.

28. *In iis inprimis qui non sudant*) Quartanariis, præsertim quibus sicca sunt viscera, multi eliciuntur sudores, & vix allevantur, quibus non manant, sudores, dolores ... oboriuntur in tibiis, brachiis, lateribus & sterno, imo ad claviculas tantus dolor oboritur qui pleuritidē emendaturit; incredibile dictu quātis doloribus affliguntur: His levissima medicamenta & præsidia prosunt, officiunt vehementiora, licet humor sit melancholicus: Lirus ex chalastticis, refrigerantibus, obtundentibus, sacculis furfure plenis, & lacti immersis, panis è clibano recens eductus, & lacte calidiusculo inebriatus confert; Nunquid, si vires ferant, egelidæ balneum confert, usus syrupi de pomis redolentibus, lactis asinini potus &c. *Ballonius Epid. l.* 2. *p.* 155.

29. *Hæmorrhagia narium*) In Quartanis sanguinis è naribus profluvium malum, indicat enim vel sanguinem tenuem esse & serosum, ob debilitatem caloris, vt in ... contingit, aut sanguinis hoc profluvio vires debiles ... exhauriuntur.

30. *Alias in alios morbos terminari*) Vidua annorum 63. per tres quatuorve septimanas febre Quartana duplici laboravit, in *motus* denique *convulsivos* incidit, ac exinde mortua ... Post obitum cordis parenchyma videbatur colore pallidum, prorsus flaccidum, substantia sua carnosa ita absumpta ut nihil ferme præter venarum & arteriarum filamenta, sub membrana latentia apparerent &c. magnis terroribus, mœroribus confecta fuerat: *Job. Helmontius in observ.*

... Quartana defuncti corde frusta longa, magna, alba ..., seri scil. aut sanguinis concretiones (*Polypos* ... vocant) quas melancholici sive acidi humoris (... potiorem causam quam statuunt) vis coagulatrix ... luxerat; Sic etiam mœrores, curas & terrores ... Quartanam disponere non est dubium, cum ... nempe fermentescente febris Illa non minus ... tur, & qua polyposis istis concretionibus ... modata est, ut acidi succi proventum au... Quin & pathemata illa, non sanguinis tantum ... em retardant, sed & spiritibus vitalibus ac ... eosdem depascendo & suffocando, bellum indicunt, ... oque tandem ipsas eorumosticinas contabescere faciunt (*Unde variorum affectuum successio & generatio*) Lucas Schrockius in *Schol.*

30. *Alias in alios morbos terminari*) Nam, *ut optime dixit Avicenna*, una ægritudo causa est alterius, sicut cum accidit oppilatio & febris: medicamur oppilationem prius, deinde febrim: Et si necessarium nobis fuerit oppilationem aperire cum eo in quo aliqua existat caliditas, non curabimus de febre &c.

30. *In alios morbos terminari*) In fausto, alias fausto eventu: Nobilis aliquot mensium Quartana propter diætæ vitia afflictus, cum ipso die paroxysmi, sed horis aliquot ante ejusdem accessionem, pertinacius saltasset eoque sudore manans, liberali cerevisiæ frigidæ haustu abstersisset sitim, Pleuritide corripitur, adeo effreni, ut de vita ejus dubii amici accerserent me, qui expiato venæ sectionibus atque expectorantibus humore impetuoso, notavi illa via ita profligatam Quartanam ut nullo amplius paroxysmo molesta fuerit; *Ol. Borrichius in Med. Sept. vol.* 2. *p.* 552. Hippocr. ad Quart. curationem requirit illius transmutationem, h. e. ut alius morbi naturam induat.

31. *Febres Continuas*) Quartanæ in *Continuam* transitus his contingit qui generosi vini, aliorumque calidorum humorem melancholicum adusserunt, & convenientes purgationes neglexerunt, Obstructis enim venis meseraicis humor incalescens attenuatur & sursum in venas majores viam affectat. *Ench. M. Pr. p.* 383.

Febris Erratica.

32. *Febres Erraticas*) Febres Erraticæ, seu, ut *Celsus* convertit; Incertæ, aliis vagæ, nullum statum tempus, nec ullum accessionis & remissionis ordinem servant; Causa earum est humor diversi generis in variis infimi ventris partibus putrescens, isque magna ex parte melancholicus & pituitosus: Ideo eos maxime corripiunt qui crapulæ indulgent, salsis & aromaticis conditis humores torrent, aut frigidæ potu & fructuum usu crudorum humorum copiam congerunt: Eadem remedia his conveniunt quæ febri Quartanæ, aut Tertianæ Nothæ, alterantia scil. & purgantia vicissim repetita, ut primarum venarum obstructiones tollantur, adeoque morbi sentina prorsus exhauriatur, Earum autem ideo maturanda curatio, quia degenerant in Quart., si autumnus proximus sit, In Tertiana vero si æstas immineat; Interdum & in Continuam, humore è primis corporis sedibus in venas majores translato, Quod si præparantibus, purgantibus & venæ sectione (si plethora mereat) opportune adhibitis non cedant, Balneum usurpandum, quod duntaxat erit tepidum, si humor ad bilis retorridæ naturam accedat, paulo vero calidius, & cum madoris perfusione, si pituitæ & feculentæ melancholiæ particeps est.

Si quæ forte febris duos, tres, quatuorve dies exercet, ac postea totidem & plures dies intermittens nullis certis circuitibus eodem modo repetat, primæ sentinæ sedes è visceribus est, è quibus tamen portio in venas majores irrepens ac putrescens febrem fovet dum discussa sit, ac tandem similis è foco in venas rursum effusa recidivum affectum proferat; Eademq; postulat remedia quæ illa Erratica cujus accessio unum duntaxat diem durat, nisi quod venæ sectionem magis requirat, ut detrahatur humor qui è prima regione, in majores venas irrepsit. *Ench. Med. Pr.* De Erraticis supra.

32. *Febres Erraticas, quarum &c.*) Fieri has puto ex humore tartareo, crasso & adusto, ex cineribus aliorum humorum qui difformes sunt, & ita ut in una parte moveantur ad fermentationem, in alia ad motum sint inepti, quia crassi, tartarei, & nimis adusti; *Signa* earum sunt inordinatæ incertæque accessiones, ipsorumque paroxysmorum dispar ratio; *Longa* plerumque aliæ febres existunt, & fere debilitatem viscerum, aut cachexiam inducunt, Imo facile in Quartanam transeunt, maxime si Autumnus sit, *Hippocr.* 3. *Progn. t.* 21.

In his licet, ex hujus mente nullum sit adhibendum auxilium donec constent, quia occasio cathartici captari nequit, cum tamen non ignoretur materia mali, præstat tamen humorem hunc crassum, tartareum & adustum è corpore eximere quam obstructionibus adauctis, à quibus fere dependent, ægros naturæ relinquere, si enim diu durant, quartanam, scirrhum, alvi fluxum & hydropem sæpe minantur; Vir primarius, longo tempore hac febre oppressus, multis tentatis, quæ crassum & tartareum humorem expurgant, vias aperiunt, deobstruunt, nihil est levatus, & accedente œdemate pedum, hydropis rudimento, solum *magisterii Martis aperitivi Mynsichti*, usu à febri & tumore liber evasit, *Matthias Tilingius in Med. Septentr. collat. vol. 2. p. 193.*

33. *Duplices Quartanas*) Quartanæ duplicis, sed quæ eo typo ab initio invaserit, meminit *G. V. Wedelius, In misc. cur.* quam *Quartanam Inversam* vocat, Filia, *inquit*, novem annorum præterito autumno, in Hungaria, febriles insultus experta est tales, ut duobus ex ordine diebus paroxysmus redierit, tertio intermiserit, idque constanter hactenus postmeridiano tempore accidit, quo præeunte frigore, calore hinc, aliisque consuetis intermittentium febrium symptomatis correpta fuit: Si itaque Intermittentes febres à recursus tempore potius quam quietis denominantur, merito & hæc ad Quartanam, sed Inversam referenda est: Profuit inter alia *Tinctura Martialis, ex arcano tartari liquido*, menstruo aqueo soluto & filtrato, cum paucis guttulis *liquoris martialis ex capite mortuo flor. salis armon. martialis* in momento tincto, Et *pulvis ex antimon. Diaphor. arcani duplicati & conch. præpar. āā. ℈j. cum ol. antifebr. gtt. ij.* ante paroxysmum propinatus: Dubium porro de *Quartana inversa* dicta motum, magni momenti est: Quod vero à communi appellatione abierim, & hoc novum nomen posuerim, hæ fuere rationes 1. Certum est Quartanam à circuitu nominari, ut Quotidianam, non minus & Tertianam 2. Non prævia Quartana, proprie dicta, non posse, nisi impropriè dici duplicem mihi videtur; 3. Neque enim duplex ille focus, quem *Sennertus* & alii offerunt, æque liquet, 4. Authores qui Quartanam duplicem observationibus suis describunt, communiter non exprimunt in quo consistat ejus notio, typus idea, magis fere ex speculationibus scribentes quam experimento, vel saltim hypothesibus suis innixi; Cum ergo *Forestus*, & pauci forsan alii, Quartanam duplicem describant, & vocent, ex præeunte Quartana simplici, seu primaria, talem redditam, quæ ita commode appellatur, Ista vero proposita ab initio statim hunc typum observaverit, cum iisdem quoad rigorem & symptomata alia accidentibus, ac Quartana ordinaria, putavi commodius illam ita nuncupari posse; & vel illo saltim nomine observabilem, quod non facile notatum, genuinum hunc suum typum constanter à primo insultu observaverit; Uti enim Quartanam triplicem vocari posse vix admiserim febrem quotidie revertentem, quales primario tales aliquoties vidi, sed potius Quotidianam; ex decidentia vero Tertianæ vel Quartanæ recte ita vocatur, ita idem valere de Quartana duplici videtur. *Med. Septentr. Tit. 1. pag. 189.*

34. *Quandam ab ea liberatam*) Ideo in chronicis ac diuturnis Intermittentibus, ac in specie in Quartana, discusso licet morbo, diu paroxysmi tempus ægri observent, & præsertim ordinaria diæta & abstinentia recidivam declinent. *Ettmuller.*

Quintana Febris.

35. *Datur & Quintana Febris*) Quintanæ Febris duplicis extat exemplum in *Misc. curiosis*, Fœmina 24. annorum, habitus serosioris Tertiana, prout sub initium putavi, simplici, jam per octiduum laborabat; Cum autem paroxysmos vagos animadverterem, ut hodie hora prima pomeridiana, perendie hora 7. vespertina redirent; nec tamen hoc temporis intervallo postponere continuarent, sed is qui triduo post, iterum hora prima pomeridiana rediret, cœpi illos paulo exactius examinare, invenique rigorem illius paroxysmi, qui hodie affligit circa meridiem, vix quadrantem horæ durare; caloris vero moram notavi diuturniorem, tamque vehementem, ut igni se injectam putaret ægra: Istius contra qui perendie circa vesperam redit, schema frigoris immiti furore, sed summa caloris clementia stipatum vidi. Quia igitur quinto quoque die paroxysmorum facies & tempore & modo invadendi æqualis erat, Quintana duplici ægram laborare suspicabar; Illi ante sextum, qui contingebat vesperi, paroxysmum propinavi dozin de *Panacaa D. Crani*, sed septimus circa meridiem insequutus nihil omnino remisit: xiv. ita passa est paroxysmos, frustra semper propinatis febrifugis, aliisque medicamentis, hinc renuit horum usum: Quid fit, xvij. sua sponte emansit, quanquam xviij. non leviter iterum senserit: sed postea evanuit, quicquid *artus servabat frigidos, corpusque febrile.*

Henr. Christoph. Ebelius in Med. Sept. coll. Tom. 2 p. 193.

35. *Datur & Quintana Febris*) Febris octava die recurrentis meminit *Simon. Schultzius* in M. C. Scabinus N. quinquagenario major, ad hecticam valde proclivis, die quadam Saturni anni 1672. ad finem tendentis, cubitum iturus percepit in lecto rigorem febrilem, cum maximis dorsi doloribus, subsequente mox calore totius corporis urente, siti ingenti, anxietate cordis & continuo urinæ in magna quantitate effluentis stimulo; quæ omnia post matutinum tempus post copiosum sudorem solvebantur, sed appetitus, qui ea die prostratus fuit, sequentibus redit, hinc consueta munia obiit; liberque erat per totos septem dies à paroxysmo, Sed elapsis septem diebus, die Saturni, eadem hora paroxysmus cum iisdem symptomatibus reversus est, eodemque modo quo primus solutus: Fuit iterum per vij. dies à febre liber, at tertius paroxysmus, solito tempore, die scilicet & hora ordinaria rediit, sic consequenter; semper quartus & quintus, circumstantiis omnibus, in & extra paroxysmum in eodem statu permanentibus, sextus autem paroxysmus die v. tres horas anticipans venit, qui etiam ultimus fuit, & sic natura ipsa medicatrice, vir ille feliciter à febri prædicta liberatus est, Nullo interea medicamento usus, præterquam ad sudorem promovendum *pulv. pretiosi*, sive *cordial. simpl.* & *Marchion. Epilept. āā* ℈j. pro dozi bis aut ter, cum cerevisia calida, Verum natura ipsa partim per sudorem, partim per copiosam micturitiem febrim istam solvit. *Med. Sept. collat. vol. 2. p. 194.*

TITULUS VI.

De Febribus Compositis.

Et tantum de Simplicibus Putridis, tam Continuis quam Intermittentibus, [1.] sequuntur Compositæ, quæ *tum dicuntur tales* [2.] *quando Febris cum Febre conjungitur.*

[1.] Conjunguntur

[3.] Conjunguntur vero varie, Nam interdum *non Putrida cum Putrida conjungitur*, Interdum *Putrida cum Putrida*, & quidem vel [4.] *continua cum continua*, [5.] vel *Intermittens cum Intermittente*, [6.] vel viceversa.

Signa sunt eadem cum signis simplicium, inprimis frigoris, horroris, rigoris post quietem reditu, plures rigores unius sudoris successio, vel post rigorem nullus sudor: *Pulsus* frequentior, [illegible] ctior, ex quo novum materiæ motum, & novum paroxysmum insequi colligitur.

Curatio est difficilior, cum plus affligant quam simplices, & tempus agendi fere desit: *Patet* ex simplicium curatione: *Dividuntur* quadtupliciter.

I. Aliæ sunt [7.] *Confusa*, cùm duæ febres eodem tempore incipiunt, ac desinunt, ut vix discerni possit [8.] quod humores diversi inter se confusi uno in loco putrescant, Aliæ *Implicita*, quando [illegible]que natura seorsim cognosci potest.

II. [10.] Aliæ sunt *Subintrantes*, cum alterius paroxysmus incipit, antequam prioris paroxysmus desinat, Aliæ *Coalterna*, cum Uno paroxysmo finito, mox post breve intervallum alius incipit. Aliæ *Communicantes*, cum unius paroxysmus mox post alterius paroxysmum incipit.

III. Aliæ sunt *Intermittentes*, [11.] sub quibus continentur, I. *Tertiana* [12.] tum *duplex*, quæ vel [illegible] diebus semel, [13.] vel uno diebus affligit, & [14.] ex bile duobus in locis in venis mesaraicis putrescente [illegible]; [15.] tum *triplex*, quæ duorum dierum spacio ter affligit, uno scilicet semel, alterob[illegible], & ex bile tribus in locis putrescente exsurgit, [16.] tum *quadruplex*, quæ intra bidui curriculum quatuor circuitibus, cum rigore ab initio & sudore circa finem resolvitur, & semper per sex horas durat.

II. *Quotidiana duplex*, quæ ægrum viginti quatuor horarum spacio bis affligit.

III. [17.] *Quartana*, tum *Duplex*, quæ unum quidem diem vacuum relinquit, sed sequentibus duobus molestia est, tum [18.] *Triplex*, in qua singulis diebus ægri febricitant, [19.] Solet utraque plerumque ex intempestivo calidorum medicamentorum sudotiferorum præsertim usu excitari, Vidi & quintanam, in puero XIV. annorum, Et nuper in quodam decimo quarto die solebat redire cum horrore feb[illegible] sed intervenit veneficii suspicio.

[1.] *Sequuntur Composita* Notandum est magnum esse [illegible] & Compositas febres discrimen, Spuriæ [illegible] fiunt humoribus eodem loco eodem[illegible] putrescentibus, ideo simul incipiunt simul [illegible] nec peculiaribus dignoscuntur sympto[illegible] unima signa confusa; ut Tertiana no[illegible] notha, speciemque & nomen sortiuntur humoris natura, ut Tertiana notha in qua [illegible] quam pituitæ, quod si æqualis fere humo[illegible] tum copia, nullo peculiari & proprio [illegible] definitæ, *Composita* autem febres sunt, quæ [illegible] humoribus consistunt, quæ nec eodem loco [illegible] putrescunt, unde & diversis horis inci[illegible] que desinunt, quamvis interdum quædam [illegible] uni partes concurrant simul; Unde errâ[illegible] *dorus*, qui palam scripsit esse Febrem compo[illegible] materiæ putrescentis, & non putrescentis, [illegible] ne refellit *Rondeletius* 1. Quia febrium dis[illegible] ntur à materia putrescente, non autem ab [illegible] utruit, nam sine putredine aut inflamma[illegible] bus 2. Omnes putridæ essent composi[illegible] est febris Putrida quæ materiam non ha[illegible] tem & non putrescentem: Nec dicen[illegible] compositam ob mixtum sensum calo[illegible] aut in principiis intermittentiū interio[illegible] ra frigent, & tamen una tantum sim[illegible] esse dicitur: Nec proprie dicuntur Com[illegible] accidentibus, nam accidentia sequuntur [illegible] uam umbra corpus; Nec ex diversorum [illegible] mixtela, nam febres Nothæ istæ dicuntur, [illegible] itæ. *Primrosius*.

[2.] [illegible] *ndo febris cum febre conjungitur*) Quæritur quæ [illegible] larum compositarum Febrium uno eo[illegible] dentium? Respondeo, Causa potissi[illegible] oci, quo enim plures febrilis materiæ [illegible] eo plures quoque uno eodemque die [illegible] paroxysmi, Altera ratio adduci po[illegible] test, Etiamsi [illegible] existat focus, plures tamen Quotidianæ, tertianæ, uno eodemque die ingruere possint, idque hoc modo, quod nihil prohibeat parte febrilis materiæ jam è foco febrili propulsa, & cum ebulliente sanguine commixta ac circulata, nec non postea discussa & evacuata, sive per sudorem, urinam, aut vomitum &c. naturam iterum ab altera remanente febrilis materiæ parte irritata, ex eodem foco novas particulas propellere posse, unde novus paroxysmus; idque toties de die contingit quoad irritatio illa cessat; Certe idem accidit in Rheumatismis, & defluxionibus, imo in mensibus mulierum, ubi fere eadem istius motus ratio, quæ est istorum paroxysmorum febrilium existru. Et hinc defendi posset omnem febrem esse [illegible] aut motum criticum; cum nulla febris fiat nisi facta irritatione naturæ cum materia febrili, unde subita oboritur mutatio & motus, etsi non fit ratione totius febris, saltem respectu istius paroxysmi qui tunc affligit. *Piens p. 233*.

[3.] *Conjunguntur vero varie*) Connectuntur continuæ cum continuis, ut duplex Tertiana continua admodum frequens est; Sæpe connectuntur Intermittentes: Raro connectuntur quæ sunt diversi generis inter se, ut Quotidiana & Tertiana, quia cacochymia fere semper ejusdem est generis in venis. *Wallæus Medic. Pract. c. 10*.

[5.] *Conjunguntur vero varie*) Complicantur inter se Continuæ cum Continuis, vel Intermittentes cum Intermittentibus, vel Continuæ cum Intermittentibus: Suntque vel ejusdem speciei vel diversæ, Ejusdem speciei, ut duæ Tertianæ; Diversæ vero speciei, ut Tertiana cum Quotidiana: *Piens pag. 281*.

Compositæ febres simplicibus opponantur; Et illæ sunt Composita, quæ præter unius generis febrem, sui generis, vel alterius unam, vel duas accessiones habent adjunctas, ut sunt duplices, vel triplices, quartanæ, tertianæ, quotidianæ. *Rondeletius*.

[4.] *Continua cum continua*) Continuarum duarum compositio apud Authores controvertitur, & in praxeos usu vix animadvertitur. *Riverius*.

4. *Vel continua cum continua*) Continuæ cum continuis confundi duntaxat possunt, non componi, quia materia in venis est majoribus, unde simul in uno eodemque loco putrescit: Dicunt quidam in venis majoribus diversi sunt loci in quibus humores diversi putrescere possunt, sicque duæ continuæ conjungentur: At contraria sententia verior est, quam sequuntur *Fernelius, Augenius, Mercurialis*, scil. duas continuas tantum confundi, non componi; non quidem duæ continuæ ejusdem generis, ut duæ Tertianæ, quia duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto, ut in corde: Non possunt ergo duæ Tertianæ continuæ simul esse compositæ: Quod si febres sint diversæ speciei; ut Tertiana & Quotidiana, eæ in venis majoribus confundi queunt, sed non implicari, quia bilis & pituita diversis locis non putrescunt, aut quamvis putrescere posse concedamus, tamen fuligines, quæ de putrescente materia suscitantur, simul concurrunt & confunduntur, ideo confusam non compositam febrem faciunt, unde concludo confundi tantum simul non complicari: Quod tamen intelligendum est de continuis primariis, nam symptomaticæ, quæ omnes continuæ sunt, possunt complicari: Quia enim obstat quin cum febre ab inflammatione oborta humores in majoribus vasis putrescant, Duæque continuæ conjungantur: At quia id admodum insolens est, signisque vix perceptibile, ideo Medici, qui sensibus ut plurimum reguntur, negarunt continuas simul componi posse: *Primirosius.*

5. *Vel intermittens cum Intermittente*) Intermittentes simul componuntur quando humores diversis in locis putrescunt, si sint ejusdem generis, ut si bilis distinctis in locis putrescat, erunt duæ Tertianæ, duplex Tertiana, sit melancholia duobus aut tribus in locis putrescat, erunt duæ aut tres Quartanæ: Duplex Quotidiana dicitur quum singulis diebus accessiones duæ contingunt, quod admodum rarum est: Frequentior est duplex Tertiana, quæ in modum Quotidianæ procedit, ejus enim accessiones singulis diebus contingunt, sed nec pares sunt, nec iisdem horis fiunt, Duæ vero Tertianæ dicuntur secundum quosdam, quando eodem die bis contingit accessio, altero quiescente & tertio die repetunt: Fiunt à bile diversis in locis putrescente; sed eadem die continoea, verum non iisdem horis, quamvis quidam ponant hanc distinctionem inter duas Tertianas & duplicem Tertianam. *Primirosius.*

Intermittentes etiam complicantur cum Intermitt. diversa speciei, quamvis raro, ut Tertiana cum Quotidiana, qua qui laborant singulis quidem diebus febricitant, altero tantum semel, altero bis: Tertiana aut Quotid. cum Quart. quibus qui conflictantur singulis diebus febricitant semel & 4. quoque die bis si adfuerit Quotid. Aut si fuerit Tertiana 3. & 4. quoque die laborant; imo accessiones Tert. & Quart. in eundem diem incidunt, servata proportione Tertiani & Quartani circuitus: ut si hodie invadat Tertiana, cras vero Quart. die redibit Tert. 4. erit sine febre: 5. fiet accessio Tert. & Quart. 6. nulla febris, 7. accessio Tert. 8. accessio Quart. 9. Tert. 10. apyrexia, 11. duplex iterum accessio Tert. & Quart. simul, ac sic deinceps: Si vero Quart. præcedat, seq. die adsit Tert. 3. nulla erit febris, 4. duplex accessio Quart. & Tert. 5. apyrexia, 6. accessio Tertiana, 9. nulla febris, 10. duplex accessio &c. Sed si eodem die Tert. & Quart. inceperint, erit accessio Tert. 4. Quart. 5. iterum Tert. 6, nulla febris, 7. duplex accessio, 8. nulla, 9. Tertianæ 10. Quart. 11. Tert. 12. nulla, 13. duplex accessio, & sic de cæteris: Sed hæ compositiones quamvis possibiles, tamen ob raritatem a Medicis, parum considerantur. *Primirosius.*

4. *Continua cum continua*) Continuas inter se complicari posse duabus rationibus probari posse videtur 1. Si duo existant foci, ex quibus continuo febriles particulæ circulando ac fermentando ad cor accedere, & facta ibidem earum disproportionata effervescentia ac fermentatione, irritationem inducere possunt; Et hoc revera in febribus Continuis contingere verisimile est, Altera ratio est, quod in inflammationibus duorum vel trium viscerum plures continuæ, quarum exacerbationes procul dubio sunt diversæ, ortum habere queant; *Piens pag.* 281.

5. *Intermittens cum Intermittente*) Febres compositæ Intermittentes sunt Affectus in quibus plures paroxysmi uno eodemque tempore ingruunt; Vel plures paroxysmi sese invicem subsequuntur: Has invicem copulari posse exemplo manifesto in pluribus liquet Tertianis & Quartanis, ubi plures paroxysmi se invicem cum remissione quadam subsequuntur, & ratio duplex est 1. *Diversitas foci*, ita ut particulæ febriles diversis temporibus ex hisce locis & meatibus effervescant & moveantur 2. *Qualitas febrilis materiæ*, si vel aliqua pars ratione suarum particularum minus fluxilis ac dissolubilis sit; alia autem portio tenuior, acrior, & ad fermentandum & effervescendum aptior; unde superveniente particularum istius materiæ dissolutione & sequestratione, diverso tempore exacerbationes uno eodemque tempore contingere necesse est; *Piens p.* 81.

6. *Vel vice versa*) Intermittentes cum continua conjungi posse dictu difficile est, imo vix solida ratione probatur, nisi velis tempus remissionis in continua capere pro intermissione; Ubi enim continuatio, ibi nulla intermissio excogitari potest, Et è contrario, ubi intermissio, ibi nulla datur continuatio. *Idem ibid.*

6. *Vel vice versa*) Componitur intermittens cum continua, vel contra, continua cum Intermittente, ut Tertiana cum Quotidiana aut Quartana: Noscuntur quando in continua adest rigor, postea sudor contingit, nec tamen febris desinit, certum est compositionem adesse Intermittentis, à qua fit rigor, quæque in sudorem desinit, & continuæ quæ nunquam intermittit; Inter quas nobilis Hemitritæos, de quo infra.

6. *Vel vice versa*) Ex Intermittente & continente componuntur *Continua periodica*, speciatim *Tertiana acuta*, Complicatio tribus contingere solet modis 1. Dum Intermittens in continuam degenerat, & ita postmodum perdurat; 2. Dum Continens in Intermittentem abit, correcta plus minus massa sanguinea; & concurrente successive fomite præternaturali in primis viis; 3. Simul inchoant & pergunt, sive simplices fuerint Intermittentes, sive compositæ, sive multiplicatæ: Notabilis est complicatio quam refert *Panarolus Pent.* 2. *obs.*33. nempe Tertianam continuam duplicem cum quartana lethalem *Ettmüller p.* 301.

7. *Curatio est difficilior*) Curatio Febrium complicatarum eadem fere est ac simplicium, nisi quod *Victus ratio*, ipsaque medicamenta diversis imprimis illis exacerbationibus sunt accommodanda, ne vel cibus, vel medicamenta, & morbum adaugeant aut exasperent.

Id illud longe exactius in Semi-tertiana, seu (uti nos vocamus) in *febris continua horrifica*, observandum, quod vix medicandi & cibandi occasio detur, ob breviores illas cordis irritationes, sibi invicem succedentes: Qua de re hic locum inprimis habent Enemata bis de die iterata, quæ probe & expedite febrilem materiam, per intervalla cor & partes sensiles irritantem sensim sensimque revellunt, ac fermentationem disproportionatam imminuunt.

Cæterum si indicium sit in vasis liberis illam esse materiam, ita ut ratione virium ægri & morbi educi possit, Venæ sectioni dandus est locus; Aliquando, si tenuis & fluxilis admodum sit illa febrilis materia, Sudorifera locum habent. *Piens p.* 284.

6. *Confusæ*,

9. *Confusæ, cum duæ febres &c.*) Has cum spuriis confundit, ut enim spuria febris dicatur, requiritur miscela hu[illegible] eodem in loco, ac simul & semel putrescentium, ad[illegible] unica emergat febris non composita: Vide *Schol. [illegible] primum.*

Quos humores diversi) Confusæ febres non semper [illegible] ex commistione duorum diversorum humorum, [illegible] sæpe ex humoribus intermediæ temperaturæ. *W[illegible] Med. Pr. cap.* 10.

Aliæ sunt subintrantes &c.) Harum Intermitt. paroxysmi ex *Avicenna*, vel sunt *subintrantes*, quando ante prioris finem alter supervenit, ita ut febris videatur continua, Verum reditus rigoris, horroris, frigoris, & nova pulsus coarctatio, eam esse compositam indicant: Vel *communicantes*, qui simul incipiunt, fiuntque quando contingit diversos humores, diversis in locis putrescentes simul moveri, unde eorum paroxysmi simul contingant: Vel *Coalternantes*, quando inter duos paroxysmos intercedit quies. *Primirosius.*

11. *Sub quibus continentur*) Multiplicatio febrium quando duplicantur, aut triplicantur &c. fiunt hæc ex duplici fonte, vel 1. *Ex errore curæ*, vel 2. *ex errore diætæ*, Ex errore curæ 1. Quando medicus vel adstantes propinant intempestive specifica; præsertim figentia, v. g. specificum febrile *Strobelbergeri & Crollii* 2. Inconsideratus Opiatorum usus ante paroxysmum etiam febres multiplicat, 3. Acriorum, præsertim aromaticorum resolventium; Item Purgantium acriorum, aut vehementiorum, præsertim vegetabilium, usus ante coctionis signa, quæ ipsa movent quidem causam materialem, sed non promovent; resolvendo exsuscitant sed non enervant fermentum febrile; Talia facillime, præsertim in Quartanis, multiplicant febres: Verissimum est Quartanam in principio blande esse tractandam, ne simplex in duplicem, aut triplicem, aut etiam continuam lentam misceatur.

Errore *Diætæ* multiplicantur febres, quando ægri imminente paroxysmo non habent stomachum vacuum; vel quando ante paroxysmum lacticinia bibunt: vel quando ante absolutum perfecte paroxysmum præmature comedunt; vel quando die intermissionis copiosiora alimenta assumunt, vel quando fructus horæos, aut alia similia facile fermentiscibilia quocunque morbi tempore assumunt. *Etmuller.*

11. *Tertiana tum duplex &c.*) Maxima dubitatio est de periodorum intervallis, quæ aliquando in eadem febre videntur esse duplicia, ut accessio prima respondeat tertiæ, & utraque eveniat forsan hora matutina, & rursus secunda quartæ, & ambæ obtingant vesperi, atque ita deinceps: quare Febris ejusmodi typum gerens nominari solet Tertiana aut Quartana duplex, de quibus non facile constat quomodo fieri possunt si à mala diathesi sanguinis, & proinde à succi alibilis depravati ad turgescentiam congestione paroxysmi dependent, quam ob causam à duplici foco sive mineta duplicem hunc typum concitari seu originem ducere vulgo statuitur, mihi autem verisimilibus videtur, quod in hoc casu aliquando accidit febrem esse Simplicem & unius generis, etiam typos esse consimiles & omnes sibi invicem congruos.

Errorem vero præcipue oriri, quia non horis sed diebus computentur paroxysmorum interstitia; cum enim non [illegible] exacte, sed vel 16. vel 30. horis in Quotidiana; atque [illegible] Tertiana non 48. sed 40, aut 36. plus aut minus, [illegible] distent paroxysmorum initia, fiet ut alterius paroxysmi ante, & reliqui post meridiem eveniant: Cu[illegible] tiam accedit quod dispar victus ratio qua [illegible]untur ægri, magnas typorum inæqualitates sæpenumero producat, ut interdum bis in die paroxysmus replicetur, uti non raro observatur in hominibus cachecticis & inordinate viventibus: verum tamen non raro contingit ut febres Intermittentes paroxysmos repetant, qui nec eandem observent distantiam, nec prorsus ejusdem moris typum gerant.

Multoties observavi in febre Quartana quod præter accessiones statas die quarto circa eandem horam redeuntes, paroxysmi quidam vagi & incerti ægros infestarent, ut interdum die paroxysmum solitum præcedente, quandoque ipsum insequente, insuper de novo paroxysmus alter (levior tamen) cum rigore, æstu & sudore, typum febris Intermittentis exacte referens excitetur, & nihilominus accessio primaria tempore consueto rediret: Hoc utplurimum evenire solet aut à victu male instituto, præcipue à crapula & vini potu, aut à pharmacia perperam adhibita, cujus ratio (ni fallor) in hoc consistit, Sanguinis massa, cum materia fermentativa stato tempore ad turgescentiam saturari solita, sæpe ob errata quædam in victu plus materiæ coegerit quam quæ uno paroxysmo facile difflari poterit, cumque eandem materiam fermentativam inæqualiter coquat, non raro accidit ut partem ejus superfluã aut tenuiorem, quasi valitanone quadam leviori, paroxysmo prius excutiat, aut crassiorem (post accessionem primariam) adhuc in cruore residuam fermentatione febrili de novo suborta dispellat; Et cum in febre Intermittente paroxysmi hoc modo reduplicant, utrique se remissius habeot, ut sit eadem in utroque materies tantum divisa, & binis accessionibus eventilata; Præterea cum materia hæc fermentativa, sive succus nutritius inter circulandum depravatus, connneatur partim in arteriis & venis cum sanguine, & partim in genere nervoso, & solidis partibus, potest evenire ut utrique humores haud simul fermentescant, sed uno paroxysmo difflletur maxima unius portio, & dein altero maxima alterius. *Willis.*

12. *Tertiana tum duplex*) Incipiunt duæ Tertianæ, primum à simplici, ut notat *Fernelius*, cui dein succedit altera, & harum una prior terminari solet manente altera; ut notat etiam *Amatus*, unde in hujusmodi febribus ex urinæ concoctione non semper prædiceoda febris terminatio & solutio. *Primirosius.*

Tertiana duplex.

13. *Vel uno die bis*) Τριταῖος διπλοῦς, Tertiana duplex est Febris biliosa, acuta, rara tamen, quæ omni tertio die bis hominem invadit, ut hodie bis paroxysmum excitet, cras vero nullum, tertio die iterum bis affligat.

Causa προηγουμένη, est biliosa colluvies, eaque copiosa, vel in vena Porta, vel Cava, vel in ventriculo collecta: Procatarcticæ sunt fructus & olera cito putrescibilia, & alimenta omnia vitiosam bilem gignentia & concoctionem impedientia.

Signa sunt alternis diebus bis paroxysmum excitare, sitis intolerabilis, vigiliæ & hypochondriorum inflammatio, & alia quæ in Tertiana simplici & ardente occurrunt.

Curatio eadem, nisi quòd biliosa colluvies crebrius subtrahenda est, & venæ sectio nonnisi in plethoricis corporibus sit molienda: Alvum si adstricta sit, sequenti Bolo subducere oportet.

℞. *Pulpa cassiæ* ℥ß.
Diacathol. ʒß.
f. Bolus, sacchara conspergendus & duabus horis ante cibum die quietis sumendus.

Experientia plurimorum comprobatum est nullum remedium tam in ardentibus quàm Tertiana duplicata præstantius esse quam aqua frigida largissime pota & ad satietatem usque, vel potius usque ad vomitus rejectionem, sed hisce conditionibus diligenter

observatis 1. ut vires constent & corpus sit robustum. 2. signa concoctionis in urinis appareant, h. e. hypostasis alba & levis conspiciatur, 3. absit tumor vel hepatis, vel lienis, vel diaphragmatis: In iis enim perniciosa aquæ frigidæ potio: 4. ut non adsit obstructio vel alvi, vel venarum Portæ, vel Cavæ; Verum frigida bibenda debet esse optima, ex scaturientibus fontibus hausta: Reliqua remedia ex aliis febrium biliosarum curationibus petantur. *Fr. Joel.*

14. *Et ex bile duobus in locis*) Compositarum febrium causæ sunt obstructiones variæ, variis in pancreatis ductibus lateralibus simul productæ. *Sylvius de le Boe, Marggravius.*

15. *Tum triplex*) Uxor Cerevisiarii conquesta mihi est singulis diebus calore se corripi sine frigore, semper jam à longo tempore recurrente sine sudore: Hypochondriaca vero est; Credidi eam triplici Quartana laborare: Hinc variis ex methodo præmissis, tandem chalybeato vino convalescere visa mihi valedixit.

Sextuplicis Quartanæ historiam olim ab Hieron. Capivaccio conscriptam servo; In qua perhibetur Illustris Comes affectu hypochondriaco laborans, quem febris bis in die invadebat, mane & vesperi, nullo rigore aut sudore comite. *Joh. Helvvigius*, vide historiam integram *Med. Septentr. collat. vol. 2. p.* 191.

15. *Duplex Tertiana, Triplex Quartana*) Hæ febres procedunt in forma quotidianæ, sed ab ea distinguuntur, quod Quotidianæ accessiones sunt similes, harum vero dissimiles, Et quod symptomata flavam bilem aut melancholiam, non pituitam arguant: Causæ pariter non sunt eædem, etsi absurdum non sit, & vero quam simillimum, à bile & melancholia posse fieri periodum Quotidianam.

16. *Tum quadruplex*) D. D. *Wallæus* uno die vidit *octo Tertianas* Intermittentes, ac sequenti die iterum octo; Subsequebantur autem eodem die fere post duas horas finito semper sudore. *Wallæus Med. Pr. c.* 10.

17. *Quartana tum duplex*) vide superius §. *sub quibus continentur.*

18. *Tum triplex in qua &c.*) Quartanæ continuæ rarissimæ sunt, quæ si aliquando occurrant ad lentarum naturam eas proxime accedere asserit *Prens de Febr. p.* 98. aut cum continua lenta complicatæ erunt: Notabile talis complicationis exemplum suggerit *Lindanus* super *Hartmannum*, Vidi, *ait*, in hac urbe, (*Amstelodami*) tres Quartanas cum hectica, ex animi mœrore contractas, primus paroxysmus erat vehemens, secundus lenior, tertius lenissimus, quartus, qui respondebat primo iterum vehemens &c. His Quartanis remittentibus remanebat febris continua, sive hectica, ex mœrore orta, Principio non putavi dari Quartanam continuam, sed postmodum deprehendi, effeci ut omnes Quartanæ cessarent, sed hectica remanebat.

19. *Solet utraque plerumque*) mutationis simplicis in duplicem triplicemve causa est Error in diæta, medicamentis, aut venenis commissus, unde Pituita nova in corpore dissolvitur, præcipue in intestino tenui, & ad sanguinem propellitur ac pancreas, quæ in uno pluribusque ductibus ipsius, prius non affectis, quacunque de causa coagulatur, Obstructionem novam producens, quod testatur experientia quotidiana. *Marggravius Prodrom. p.* 85.

Febris Semi-Tertiana.

IV. Aliæ sunt *Continua*, qualis est [a] *Semitertiana* [b] *febris, ex continua seu primaria seu symptomatica & tertiana intermittente composita,* [c] *continua sed tertio plerumque die* [d] *cum horrore infestans.* Græcis est ἡμιτριταῖος [e] quod pars ejus dimidia sit tertiana, dimidia continua, & quidem integra, A tertiana potius nomen accepit, quia hujus symptomata sunt manifestiora. Tempore Sammonici nullum ei Latinum nomen, Hippocrati & Galeno est febris [f] φρικώδης, [g] *horrida*, quia toto durationis tempore horrores ipsi sunt familiares, Agatinus & Celsus tertianas intermittentes, quæ ad 24. vel 36. horas producuntur sic vocant. Archigenes tertianas & quotidianas intermittentes, *Cognoscitur* ex utriusque febris signis.

[i] *Oritur* ab iisdem causis, [k] pituita nempe & bile putrescentibus, non quidem permistis ut unam massam constituant, sed diversis in locis, nempe, vena cava, mesaraicis &c. simul putrescentibus, & ita duas febres integras excitantibus; sæpè & à viscerum inflammatione.

[l] *Curatur* difficulter, Nec enim est simplex sed composita, [m] Ventriculum [n] sæpissimè subvertit, Partes nervosas, quod solet esse diuturnitatis principium, lædit, & quæ in alto sunt vehementer commovet: solent & lethalia [o] symptomata, ut apoplexia, epilepsia, convulsiones, dysenteriæ &c. supervenire, Pro ratione febrium & causarum: putatur inter [p] purgantia Agaricus palmam obtinere, si nempe vulgarem de pituita sententiam sequaris. [q] *Dividitur* quadrupliciter.

I. Est *Legitima* & proprie dicta, quando par est bilis & alterius humoris copia, quæ symptomata media habet, & satis frequens est.

II. Est *Notha*, quando unus alterum superat, Et *tum*, symptomata naturam illius humoris sequuntur, si bilis superat, rigor potius affligit quam horror, calor est validior, & magis ad statum properat: si alius, aderunt etiam ea quæ in simplici affligunt.

III. [r] Est *Maligna*, epidemia & contagiosa, [s] in qua cardialgia, deliquia animi, pulsus parvi & languidi, vena cautè secanda, estque frequentior.

IV. Est & *natura sua intermittens, & cum inflammatione alicujus visceris conjuncta*, Solet nempe natura & intermittentibus materiæ morbificæ partem ad ventriculum, mesenterium, intestina, omentum, & vicina loca detrudere, & concitata inflammatione, febrem symptomaticam continuam excitare: ita ut [t] non sit mirum, quod Spigelius in dissectis ex semitertiana mortuorum cadaveribus, [u] semper aliquod primæ regionis viscus inflammatum repererit.

Infestat maximè illos qui destillationibus laborant, [x] vel viscera inferiora obstructa habent, vel cum colicis doloribus conflictantur: inprimis mulieres catarrhosas, quibus aliquando immodicus sanguinis per nares vel uterum fluxus supervenire solet; estque frequentissima, & ut plurimum maligna.

Cognoscitur

Cognoscitur ex signis inflammationis, Calor est continuus : *rigor*, γ nunc ordinatè pro febris intermittentis natura, nunc inordinatè, cum inflammatio novam partem occupat, aut pus fit, infestat, dolòres certis horis, plerumque exacerbantur, febris quotidiè inprimis circa vesperam & meridiem exardescit,

Solvitur nonnunquam doloribus Colicis, alvi fluxu, dysenteria ; nec non momentanea apoplexia & paralysi : *mutatur* quandoque in tertianas intermittentes, simplicés, duplices, vel triplices ; quandoque in quartanas.

* *Curatio* ex febris intermittentis α & visceris inflammationis curatione dependet, Clysteres injecti si intestina inflammata nihil educunt, Vena in principio statim secanda, β Evacuandum per inferiora lenioribus, ut *syrup. rosar. solutivo, diasereos* &c.

a. *Semi Tertiana*) *Galenus* 1. *Epid.* 3. 5. miratur cur veteres hanc Febrem Semi-Tertianam vocarint ; iis enim tantum attribuimus dimidii vocabulum quæ integram consummationem, non habent, sic semimortuum semi Deum vocamus : At hemitritæus tantum abest ut dimidia sit Tertianæ febris, aut symptomatum multitudine & viribus, aut utrisque, ut Tertiana pejor existat, ita ut satius fuerit hanc illius dimidium statuere quam illam hujus : Attamen hujus nominis varias rationes affert, quod cum Tertiana duas habeat conditiones 1. quod tertio quoque die invadat, 2. quod incipiat cum rigore, hemitr. quidem tertio quoque die invadit, sed incipit cum horrore, qui medius est inter rigorem & frigus, nec desinit in apyrexiam : præterea excretione non finitur, nec diem unum habet integrum ut Tertiana, ideo ex parte tantum hanc æmulatur, ideo semi-Tertiana dicitur 3. ex generationis modo, quia ex Tertiana & Quotidiana componitur, propterea partem habet dictarum febrium ; & quamvis non minus ad quotidianam quam ad tertianam accedat, tamen à tertiana tantum nomenclaturam accepit : pars autem altera semper intelligitur particula *Semi*, quæ ostendit ipsam non esse absolute tertianam, nec omni ex parte.

Quia his febribus horror familiaris est, ideo *φρικώδεις πυρετοί*, vocantur, non simpliciter, quia cum horrore invadunt, id enim aliis quoque commune est, sed quia per totam accessionem horroris extenditur symptoma, idque tertio quoque die, quando pituitæ & bilis paroxysmi concurrunt : Fit autem hic horror vel brevibus intervallis, per inæqualem incrementi motum, [illegible] longioribus per reduplicationem, *comm.* 1. in 1. *Epid. t.* 21. nam quando horror in eadem accessione sæpius repetit, & brevibus intervallis, vocatur ejusmodi motus inæqualis *ἀνώμαλος ἀνάδοσις*, cum videlicet Natura conatur humorem excludere, sed aut propter crassitiem, aut cutis densitatem, aut virium imbecillitatem, id perficere nequit : Tunc tardissime incalescunt, accessionisque principium & incrementum longius producuntur : Aliis autem cum bilis motus remissus est, novus redit horror, novusque insultus, quia dum calor in universum corpus expanditur, frigidi humores putrescentes & agitati novam accessionem commovent, inde frequens fit Reduplicatio, quã *ἀναδίπλωσιν* vocant, sicq; succedens accessio est pejor priore, quia virtus priore accessione defatigata est : In his scribit *Hollerius* mala esse omnia, S[illegible]dores mali sunt, etenim vi exprimuntur non victoria N[illegible]turæ, idque vel propter crudorum copiam, vel virium imbecillitatem : frigent extrema, uruntur interiora [illegible]e per vices, soporosi fiunt, venter cruda dejicit, [illegible] crudæ, decolores, tenues, aliis turbulentæ, crassæ, [illegible] edimento aut malo, inæqualis divulsio, fastidia [illegible] deliquia, synoope, convulsiones, mala omnia : P[illegible] nnn febres sunt, in quibus crudorum copia bili permista est, inquit *Hollerius* post *Galenum*.

Quod spectat nomen *ἡμιτριταίων*, generaliter omnes febres intelligit *Galenus* quæ tertio quoque die invadunt, speciatim eas esse vult quæ cum insultuum significationes habeant, inordinata tamen habent intervalla, neque ad integritatem desinunt, sic autem eas vocari ait quod magnam habeant cum tertianis similitudinem, & esse parvos hemitritæos dictos, ut aph. 35. l. 4. *Febres quæcunque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ*, Semi Tertianas intelligit, non Tertianas continuas, quæ etsi tertia die exacerbentur, non sunt tamen ardentibus periculosiores, sed hemitritæos, quarum proprium est tertio quoque die cum horrore fortiores fieri, quia tunc accessio fit tertianæ & quotidianæ, ut die intermedio sola quotidiana fatigat : Dicit autem *Hippocr.* fieri fortiores, non autem habere accessiones, quia sæpe confunduntur paroxysmi, ut nullum evidens sit principium, sed solum omnia symptomata vehementiora fiunt & febres ipsæ.

Tales ex pituita & bile putrescentibus Autumno sæpe generantur, quæ diebus imparibus gravius habent, quia tunc accessio fit Tertianæ, paribus vero non item, quia sola quotidiana fatigat : Die autem quo utriusq: febris accessio contingit, fiunt *ἀναδιπλώσεις*, propter inæqualem humorum motum, pituitæ tardiorem, bilis celeriorem, hinc fiunt incompositi & velut errabundi rigores, ut docet *Foësius in Epid. c.* 19. In medio scilicet cursu frequentes fiunt ingeminationes, ut veluti quædam novarum accessionum significationes ex vagis & incertis rigorum insultibus, qui faciunt *ἀναδιπλώσεις* & ordinem perturbant : hic frequentia sunt animi deliquia, resolutiones, interdum convulsiones, maligni morbi indicia ; Quamvis igitur non sint veræ semitertianæ, tamen ad eas referuntur, fiunt enim ex pituitæ & bilis permistione, habentque in principio horrorem, & prope ad integritatem veniunt, unde habent multa cum Semitertianis communia, ideo Hemitritæi parvi dicuntur Erotiano. *Primirosius l. 3. de Febr. c.* 13.

a. *Semitertiana*) De hac variantes sunt Authorum sententiæ; cujus discrepantiæ; præter generalem febrium theoriam, admodum intricatam, hæc fere est origo, vel nimia veterum veneratio, & eosdem defendendi studium; Vel non rite observata multiplex tam compositionis febrium mutuæ, quam complicationis earum cum aliis affectibus varietas. *Etmuller l. 1. p.* 306.

b. *Semitertiana Febris ex continua &c.*) Vulgatissima fert sententia esse eam compositam ex duabus febribus, Tertiana & Quotidiana, quarum una sit continua periodica, altera vero intermittens, in qua ipse, quoniam sub quovis paroxysmis insultu horror plus minus perceptibilis fit, ob id & *horrificam*, sive *phricodem* hanc febrem vocasse veteres asserunt : Talis Semitertianæ typum, ex Intermittente quotidiana cum tertiana, exhibet *Regius in Dissertationibus* : Semitertianam vero compositam ex Tertiana Intermittente Quotidiana continua, exhibet *Timæus* l. 8. c. 21. 22. Vide *Riverium in observ. comm. de morb. in freq. obs.* 23. Hemitritæum ex continua quotidiana & quadruplici Tertiana *Riverius cent.* 4. *obs.* 23. Hemitritæum ex continua minus acuta & duplici testimonium singultu vehementi & tumore in hypochondrio sinistro *Platerus l. 2. observ. p.* 312.

Sennertus hisce duobus modis & alium Semitertianæ

typum addit, nempe illam quæ ex intermittente, præsertim Tertiana, vel simplici vel multiplici, conjuncta cum febre continua symptomatica, inflammationem partis cujusdam internę insequente oritur, persuasus ad hoc speciatim per observationes *Spigelii* in Tract. de Semi Tertiana.

Observandum & hoc, ut male curatæ quacunque ex causa, intermittentes in continuas lentas facile degenerant, ita & tali lentæ ipsa intermittens complicata Hemitritæi speciem referre potuit: Sic etiam Tertianam intermittentem exquisitam mutatam in Semitertianam refert *Forestus* l. 5. obs. 13. & 16. '54. Et lentam tandem mutatam in Hemitritæum idem obs. 14. l. 5. *Etmuller l. 1. p.* 307.

c *Continua, sed tertio plerumque die*) Raræ *Hemitritæi* species meminit *Riverius*, D. N. febre continua laboranti accesserunt paroxysmi febris Tertianæ; à frigore insigni incipientes, bis in die recurrentes, & febre intensa ad multas horas perseverante; levi sudore terminabantur, manente perpetuo febre continua, ita ut hæc febris dicenda videatur species Hemitritæi, ex Quotidiana continua, & Tertiana intermittente quadruplici: Si enim duplex Tertiana dicitur quæ semel recurrit singulis diebus, rationi consonum est eam quæ bis in die invadit quadruplicem nominari, *Cent. 4. obs.* 23. Sed cur continuam Quotidianam esse velit ratio non apparet, cum pituitæ dominantis nulla afferat indicia, quin potius bilis exuperantis signa elucescant.

Hemitritæi Exemplum, scil. febris ex Quotidiana continua & Tertiana intermittente compositæ, vide sub finem *Cent. 4. observ. Riverianis adnexarum obs.* 23.

c *Continua, sed tertia plerumque die*) Hæc est figura Semi-tertianarum earum, quas sola *Galenus* Semi-tertianas vult vocari, ut *nihil intermittant, continuæ sint, & ingravescant in modum tertianarum*, uno die remittentes, quo scil. die unica exacerbatio est solius quotidianæ febris; alio ingravescentes, quo scil. est exacerbatio duplex, quotidianæ & tertianæ; quare frequenter videntur remitti & cito (sequenti enim die) rursum ex remissione ingravescunt violentius quam die superiori, accedente duplici accessione, & violentius quam nudius tertius, quum morbus tendit in summum vigorem: Accidunt illis *rigores* sine ordine multi, h. e. non uno quodam ordine, quotidiano aut tertiano, sed videntur sine ordine omnino fieri ob complicationem duarum febrium, acciditque hodie unus, duo cras, ut nullus videatur ordo, Quinetiam præter hos incidunt intempestive, quibusdam horis, sine ordine, rigores, ob varium motum quem facit succorum contraria natura, Rigores autem hi non sunt magni, sed minimi, vel horrores, hique paucissimi. *Vallesius sect. 2. lib. 1. Epid. p.* 22.

d *Cum horrore*) Notandum est quasdam reperiri febres malignas, quæ sine commixtione Tertianæ & Quotidianæ, sine ullo concursu bilis & pituitæ horridæ sunt, in iisque horrores contingunt ex vaporibus acribus & malignis, qui ex materia corrupta febrium malignarum elevantur, & partes sensiles vellicant. *Riverius l. 17. sect. 2. c.* 5. Incipit hæc primum cum *horrore*, si *continua* prima sit, si *Intermittens*, cum *rigore*; moxque alia illi copulata deinceps hunc processum servatur una die binæ fiant, quarum una cum rigore febris Intermittentis sit, altera exacerbatio tantum est febris continuæ, sine horrore, quæ secundo post die rediens unam tantum accessionem parit. *Platerus.*

e *Quod pars ejus dimidia*) Vide supra §. *Semitertiana* ex *Platero.*

f *φρικώδης*) *φρίκη* Græcis, febrilis horror est, uti habet *Al. Aphrodisæus l. 2. Probl.* unde febres *φρικώδεις horrificæ*, cum subinde horror (aut rigor) horrorem excipit, Non vero, quod *Hollerius* sibi persuadet, derivatur à *φρίξ*, quæ vox maris vel fluctuum fremitum denotat, & *Ciceroni*, motus maris incipiens, primaque agitatio fluctuum dicitur. *Picus l. de Febr. p.* 84.

g *Horrida, quia toto durationis tempore*) Notandum quasdam reperiri Febres malignas, quæ sine commixtione Tertianæ & Quotidianæ, sine ullo concursu bilis & pituitæ, horridæ sunt, In iisque horrores contingunt ex vaporibus acribus & malignis, quæ ex materia corrupta febrium malignarum elevantur, & partes sensiles feriunt ac vellicant. *Riverius.*

Si ex *Spigelii* sententia ejusmodi febres inflammationes viscerum consequuntur; Si malignis febribus accenseantur illæ quæ phlegmonem viscerum causam habent, Non est cur ad vapores recurramus cum horrores inflammationum fere sint comites.

h *Cognoscitur ex utriusque*) Omnes modo enumeratæ (vide §. *Semitertiana febris ex continua &c.*) & observatæ complicationes, ac aliæ plures, ut facile fieri possunt; ita & Hemitritæi, in genere sic dicti, typum omnino plus minus variare necesse est, Nempe *signum pathognomonicum Hemitritæi* fere esse solet, quando febris continuo quidem affligit, sed cum succedentibus rigoribus crebrioribus aut horroribus, ubi rigores cum insequente intensiore æstu *Tertianæ*; horror vero, aut saltem perfrigeratio, cum minori incalescentia *Quotidianæ* febris Intermittentis typum constituere dicitur.

Jam ex superioribus patet fermentum acidum; aliudve quodvis acre, membranosum genus vellicans, horroris & rigoris, Item massam sanguineam inquinans, exæstuationis occasionem suggerere: Quibus perpensis, de facili multiplicis typi, & complicationis acutarum, lentarum, intermittentium, primariarum, secundariarum, malignarum &c. in subjecto patiente ratione criseos partium contentarum, & constitutionis partium solidarum plus minus variantium, & modi & hinc differentiæ patescunt, adeo ut uni cuidam certę complicationis generi minus nos præcise nos applicare debeamus: v. g. Semitertianam cum variolis observavit *Spigelius l. 2. de Semitert. c.* 16. Nullus dubito recurrentem apparenter cũ rigoribus aut horroribus paroxysmos, ab acri variolarum fermento, partes membranaceas vellicante, & in sanguine æstuante accidisse; & ita in subjecto patiente, ratione specialis contentorum idiosyncrasiæ, quasi typum quendam repræsentasse: Pariter *Forestus* l. 5. obs. 22. febris horridæ mentionem facit, cui accessit Erysipelas: horrores hi non à speciali febris typo, sed ab acido Erysipelatis, vellicante subinde membranaceas partes ortum habuerunt: Pro meliori *διαγνώσει* compositionis talis febrium, inprimis notabilis locus *Sennerti de Febr. l. 2. c.* 21. dum dicit, Inprimis compositas arguit reditus rigoris, horroris ac frigoris post ejus quietem.

Quod si plane continuæ ac simplices videantur febres, attendendum est an post rigorem sudor subsequatur; Nam si in febre, quæ continua videtur, rigor fiat; & sudor non subsequatur, aut forte plures rigores unus sudor, signum est febrem illam non esse simplicem, sed compositam, nam in synocha rigor non apparet nisi tempore crisis, quem sudor sequitur: Deinde etiam pulsus febris compositæ indicium exhibet, Nam quamvis febres quædam continuæ videantur; si tamen sæpius fiat Pulsus contractio, illa novi paroxysmi, motusque materiæ novæ indicium est. *Etmuller p.* 307.

Familiare etiam est Semitertianis incipere leniter, ut non statim prodant suam acutiem, deinde vehementiores semper fiunt quam fere in principio videbantur, tum quanto vehementiores per se sunt, tanto hoc habent magis ut vehementiores fiant. *Vallesius Epid. pag.* 22.

Dignoscitur ista febris, quod continua & horrida sit, cum multis reduplicationibus maximisque symptomatis, Quod accessio diebus imparibus invadat cum horrore, paribus vero cum aliquo tantum frigore extremorum;

Pulsus sit frequens & inæqualis, Urinæ crudæ, tenues & decolores, interdum turbidæ, cum nullo aut malo sedimento; Differentiæ dignoscuntur ex iis quæ æqualem vel inæqualem bilis & pituitæ copiam indicant. *Riverius l. 17. sect. 2.*

Signa [illegible] sunt pro alterutrius horroris exuperantia, si enim bilis redundet, cum horrore invadit & crebro vomitu, egestione aut sudore bilioso; Præterea singulis diebus ratione pituitæ affligit, 3. autem die bilis ratione binos facit paroxysmos: Sin pituita redundet, calor est remissior, & paroxysmus à frigore externarum partium incipit: Sitis nulla molestat, & desinit cum sudore; Semper autem urina est turbida & crassa. *Franc. Joel.*

Semi-tertianæ signum Pathognomonicum est, quod sit continua, & frequentes habeat rigores: Contingit autem rigor, vel quia oritur à valde maligna materia, vel ab inflammatione partis alicujus sensilis, ut parotidum, inguinorum, Vel fit ab intermittentibus subintrantibus: Reliquum quod dicunt fere totum imaginarium. *Wallæus Med. Pract. 10.*

h *Cognoscitur ex utriusque &c.*) Febris hæc ex illis est quæ, utpote acta ex plurium febrium commistione, cognitionem difficilem habet, adeo ut non modo primam, sed secundam, tertiam & omnino quartam diem requirat ad sui cognitionem, Licet autem legitimæ & exquisitæ cognitio apud omnes difficilis sit, facilis tamen nobis redditur considerando quatuor conditiones ab *Hippocr. h. 1°. 1. Epid. 23.* 1. quod sit Horrifica, non quod solum cum horrore incipit, sed quia perseverat inæqualiter horror, vel tota accessione, vel saltem usque ad statum, Ex quo elicitur componi ex Tertiana Interm. & Quart. continuę ii. quod sit Continua, ideo ex duabus Intermittentibus componi nequit iii. sit Acuta, imo & lethalis. Nec obstat quod Tabidis ex *Hippocr.* accidant, ideo longæ esse videantur, at morbis longis acuti supervenire possunt, ut Semi-tertiana. iv. altera die sit gravior altera levior. gravior ea die qua uniuntur accessiones, Tertiana scil. & Quotid. levior qua sola Quotidiana invadit: ut enim sit legitima & exquisita Semi-tertiana, ambæ accessiones in unum & idem tempus concidere debent, ut horror inæqualis diu perseveret, unde horrifica dici possit, & ideo Confusa quoq; dicebatur, Quod si diverso tempore fiant accessiones, non erit amplius exquisita sed spuria. *Fortis.*

Dignoscuntur hæ febres per ea potissimum quæ in earum descriptione jam proposita sunt, horrorem scilicet, non eis invasionis, atque etiam accessionis ipsarum initio comes est horror, sed in qua per maximam paroxy[illegible] tem horror extenditur. *Piens.*

i *Oritur ab iisdem causis &c.*) Componitur legitimus & [illegible] Hemitr. ex Intermitt. Tertiana, & Quotid. Cont[illegible] ab humore bilioso extra venas, & à pituitoso æqualiter in venis putrescentibus: Tanta enim debet esse p[illegible] bilis rigorem compescat, quanta vis ipsius bilis, [illegible] rem remissam, horrorem scil. excitare valeat [illegible] inæqualem ad statum usque; dum enim utriusque humoris v[illegible]es æquales, diuturno tempore pugnant, modo unus vincit, modo alter, & ita inæqualis quoque horror ipse [illegible] observatur.

Neque hoc sufficit ad legitimi & exquisiti Hemitr. constitutionem, verum necesse est ut tertio quoque die simul [illegible] eantur bilis & pituita, uno & eodem tempore, atque [illegible] ertiana pariter cum Quotidiana coëat & confundatur, unde confusæ à *Gal.* dicebantur 2. *de diff. febr.* sicut [illegible] tempore complicatæ forent, nec legitimus esset [illegible] exquisitus Hem. Et licet ex hac bilis & pituitæ [illegible] one fieri possit etiam Tertiana Notha, erit tamen [illegible] febris, unica humoris forma, ac in unico loco putrescens, In Hemitr. vero duo humores forma distincti duas excitant febres, uno eodemque tempore invadentes: Obiicit *Cardanus*, sed non solvit, *Si in* hac febre alter humor reperitur in venis, alter extra venas, quomodo simul putrescunt, simulque uniuntur? Dic quod dum tempore accessionis pellitur bilis ab intra ad extra venas, secum ducit portionem aliquam pituitæ putridæ, quæ potest bilis activitatem adeo remittere, ut pro rigore horror excitetur, ex quo fit etiam ut ipsa Tertiana producatur, quod non contingeret nisi aliqua adesset mistio, sive pituitæ superadditio; Cessante autem Tertiana, quoniam minera vera pituitæ in venis stabulatur, ideo perseverat ipsa Quotidiana, & continua persistit. *Fortis.*

k *Pituita nempe & bile putrescentibus*) *Platerus*, qui caussam diversitatis febrium Putridarum non ex eo quod diversi humores, quos vocant sanguinem, bilem flavam & atram, pituitamque putrescant, sed pro loco in quo putrescit; & sanguinis qui putrescit diversitatem statuit, sanguinis quoque putredini Hemitritæi generationem adscribit, Non in solis mesaraicis venis, *ait*, sed & in cavæ ramis si putrescat sanguis, tunc continua febris Intermittenti copulatur, fitque Hemitritæus, Ubi rursum pro diversitate materiæ, vel Tertianæ, vel Quartanæ, simplices vel duplices, nothæ vel legitimæ cum continua, vel nullas exacerbationes, vel certis diebus habentes implicantur: Quo fit ut nunquam sint sine febre, sed vel exacerbatione certo tempore, ex continuis succedente; vel paroxysmo febris Intermittentis in dies, vel altero, vel tertio die simul invadente, varias mutationes in symptomatis perientiant.

k *Pituita nempe & bile*) Hæ febres à *Cæsalpino l. 2. de diff. febr.* 27, dicuntur generari ex diversis succis inter se pugnantibus, è quibus quidam calidi sunt, quidam frigidi à calidis corrupti, Sed profecto non est satis: Cupio enim inprimis ab hoc scire, cur Thasii fuerint tabidi (hi enim inquit *Galenus*, plerumque laborant talibus morbis, febribus scil. cum horrore frequenti invadentibus, continuis, acutis) cur hodie tales sequatur hanc febrim? Ne frustra immorer, nemo nos expediet ex his tricis præter doctissimum *Spigelium* in opere de Semi-tertiana &c. *Piens p. 85. part. 2. libr. de Febr.*

l *Curatur difficulter*) Sunt omnes periculosæ Semi-tertianæ, & nunc magis nunc minus acutæ, pro varietate nempe complicationis & compositionis variæ; unde & cura specialis pro earum varietate varianda, attendendo an *benigna* magis an *maligna* fuerit eadem; An simpliciter febris *complicata* sit, an vero cum *inflammatione partis cujuspiam*, vel nobilioris vel ignobilioris, sensilioris vel minus sensilis juncta: quo nobilior vel sensilior pars inflammata fuerit, eo auctus magis & periculosius erit affectus, & cui altiori ope succurrendum: *Lenta* itidem si *Intermittenti* juncta fuerit, pro ratione originis lentæ & prognosis, cura nonnihil modificanda; Adeoque ea quæ de Intermittentibus & Cõtinuis monita fuerunt, & de lentis & malignis, aut de inflammationibus, ea & Semi-tertianis, prout ad unum vel alterum talium prius accedunt, accommodanda erunt: In genere *rigorem* & *horrorem* tollent *absorbentia*, *alkalia* &c. *æstum* verò eadem, diaphoresi & alvi libertate juncta: Si stata periodo recurrant paroxysmi, ante exacerbationem possunt remedia propinari: *Vomitoria* in plerisque sunt optima, sicut si *cum inflammatione* juncta, *diaphoretica* & *sudorifica*: cum *lentis* vero, *salsa abstergentia* & *incidentia*, *ut sal armoniacum*, *arcanum duplicatum*. Ettmuller. *pag.* 389.

Curatio) Curatio hujus febris ex iis desumenda est quæ ad Tertianam & Quotidianam expugnandam necessaria sunt; Et cum continua sit, ea methodo erit tractanda quæ ad omnes continuas putridas est proposita, Ita ut bile magis dominante, ea quæ bilem respiciunt magis usurpentur, Pituita vero prævalente, eam præ-

parantia & purgantia magis præscribantur; Ac denique utroque humore æqualiter redundante, utraque remedia pari proportione misceantur, *Riverius.*

Magna diligentia atque industria curanda, cum enim bilis & pituita in unum coëant, dum adversus bilem refrigerantia adhibemus, pituita pertinacior redditur & augetur; Dum vero calefacientibus contra pituitam pugnare intendimus, bilis fervidior fit & copiosior, sicque dum adversus neutram causarum morbificarum vires medicas integras adhibere possumus, fit ut febris diuturnior evadat, & ab humore vincente prava symptomata superveniant, sicque ægri vita periclitetur. *Fortu.*

l *Curatur difficulter*) Febrem hanc lethalem appellavit *Hippocr. in Epid.* Periculosam vero *Galenus*, Miratus quod omnium deterrima sit, ideoque vix superabilis. 1. quia est composita ex causis specie diversis, ægre superabilibus, 2. quia ipsi sæpe Inflammatio aliqua interna supervenire solet. 3. quia alia symptomata sæva ei sæpe succedunt, 4. quia frequenter epidemicam malignitatem in se continet, quare hanc feram *Galenus* vocavit, & *Serenus* mortiferam. 5. quando diuturnis aliis morbis supervenit *Raim. Fortis.*

Periculosa est ista febris, & in ea ventriculus partesque nervosæ plurimum afficiuntur: Et consectariam habet linguæ siccitatem, sitim, animi defectionem, vigiliam & interdum delirium, ac soporem: Inter Acutos morbos ratione bilis, & inter chronicos ratione pituitæ ab *Hippocr.* numeratur: Et dicit *Avicenna* ad mensem septimum usque interdum prorogari, nec non in morbos chronicos ac febrem hecticam interdum desinere. *Riverius.*

m *Ventriculum*) Qui (sicut & reliqua viscera) roborandus, *conserva mentha* vel *sale ejusdem*: Jecur *conserva absinthii* vel *sale ejusdem* & *spec. diarrhod. abb.* Extrinsecus Illitionibus, Fomentis &c. *Fortu.*

Prognosis.

n *Ventriculum sæpissime subvertit, partes nervosas &c.*) Familiare est Semi-tertianas esse vehementes, & cum maximis doloribus, acutas, simulque longas, ut ait *Hippocr. 1. Epid. sect. 2.* cum ait, *In febre quam Semi-tertianam vocant, tum morbi eveniunt acuti, tum præter cæteras hac est lethalis, & qui tabe, & aliis longis morbis ægrotant, in hac maxime affliguntur*: Vallesius *Epid. p. 22.* Periculosa est ista febris, & in ea ventriculus partesque nervosæ plurimum afficiuntur; Et consectariam habet linguæ siccitatem, sitim, animi defectionem (cardialgiam, vide §. *In qua cardialgia*) vigiliam & interdum delirium ac soporem: Inter acutos morbos, ratione bilis, & inter chronicos ratione pituitæ ab *Hippocr.* numeratur 1. *Epid.* Et dicit *Avicenna* ad mensem usque septimum interdum prorogari, necnon in morbos chronicos ac febrem hecticam interdum desinere. *Riverius Pr. l. 17. c. 6.*

o *Symptomata*) Symptomata quælibet febris suo generi consentanea profert, maxime vero quia frigus cum rigore in corpus jam accensum continuæ febris calore coincidit, fit ut eo tempore quo accessio tertianæ febris incipit & calorem & frigus simul æger persentiat: Quæ fortassis est *febris Epiala*, quam hac ratione fieri posse censemus, & ad Quotidianas continuas à quibusdam refertur, cum in ea quotidie accessiones fiant, licet altero tantum die frigus cum calore concurrat, Sed & *calor* eo in compositis hisce quam simplicibus febribus major erit, quod calor *Tertianæ febris* cum *continuæ* calore alternis diebus concurrens duplicem veluti æstum tunc afferat: Unde & tunc *symptomata*, quæ calor proferre solet, admodum erunt vehementia, corpusque & ipsius excrementa valde alterabunt, viresque prosternent, inter quæ *syncope*, cum ambæ febres concurrunt, adeo ipsis familiaris ut *Rondeletius* febrem syncopalem eandem cum Hemitritæo fecerit. *Platerus.* Vide inferius §. *Ventriculum sæpissime subvertit &c.*

p *Purgantia*) An laborantibus Semi-tertiana continua, habente paroxysmos tertio quoque die aut Tritæophya, ipso die tertio quo reduplicatio fit, aut vena secari, aut medicamentum dari tuto potest? Id enim in religione non est apud nostros, ac fortassis male: Si enim afflictione ipsa, si in paroxysmo cibum dare nocet, cur non purgare & medicari; *Ballonius consil. 25. lib. 2.*

Potius moliendum est aliquid die mitiore, revera si manifesta tranquillitas, comparatione facta cum alio die, appareat: & appareat quoque manifesta exasperatio altero die, eligendus est is qui eam præ se fert tranquillitatem, ut aliquid moliamur. *Idem cons. 77. lib. 1.*

q *Dividitur quadrupliciter*) Quatuor modis complicari potest, Tertiana cum Quotidiana, 1. Tertiana intermittens cum Intermittente Quotidiana, 2. Tertiana continua cum Quotidiana continua, 3. Tertiana continua cum Intermittente Quotidiana, 4. Intermittens Tertiana cum continua Quotidiana: Ex hoc ultimo tantum modo fit *verus atque legitimus Hemitritæus*: Aliis enim tribus modis deficerent conditiones ad Hemitritæum necessariæ: Quare rejicienda *Sennerti* & *Zacuti* opinio, qui censent ad Hemitritæum constituendum sufficere alteram harum quamlibet Continuam esse, alteram vero Intermittentem, liquido namque patet, quod si Tertiana fuerit continua deerit horror, nec amplius cum *Hippocrate* Horrifica dici poterit. *Raim. Fortis Tract. de Febr.*

r *Est legitima &c.*) Quod vulgo de hac febri dicunt eam ex *Continua Quotidiana* & *Tertiana* Intermittente, Vel ex Tertiana Continua & Quotidiana Intermittente constare, nihil est, eo quod probatio, qua hæc febris species asseritur, prorsus invalida sit, nempe *signum pathognomonicum* dicitur esse Hemitritæi, quando febris quidem continuo affligit, sed cum succedentibus ibidem rigoribus & horroribus, Ubi statim insignis error committitur, ac si frigus & horror intermittentem febrem arguant, subinde in ipsa continua recurrentem, At vero ipsa continua cum multis rigoribus sibi invicem succedentibus (uti patet in febri Horrifica ob insignem febrilis materiæ acrimoniam, per intervalla per partes sensiles circulata) etiam contingere potest.

2. A prædominio bilis ac pituitæ Continuam Quotidianam, & Tertianam intermittentem, & è contrario posse generari, sicque Hemitritæum constitui falsum prorsus esse mihi videtur, eo quod nunquam aliqua ratio proprietatis istius febrilis materiæ dari queat, unde motus illi Quotidianarii, Quartanarii vel Tertianarii fierent, deinde Continuæ multæ à Practicis, quæ cum rigore incipiunt, observantur.

Quare potius concludendum. Febres continuas cum multis quoque rigoribus contingere, quæ tamen ideo non Semi-tertianæ, nec complicatæ febres sunt pronuntiandæ ex continuis & intermittentibus copulatæ, eo quod totum hoc pendet à febrilis materiæ conditione, ejusque temperie ac conditione partium ad quas fermentando accedit.

Unde etiam liquet Semi-tertianam (uti vulgo asseritur) revera non dici, sed nihil aliud esse quam febrem Horrificam, seu continuam non multis rigoribus ingruentem, Vel plures intermittentes sibi invicem succedentes: Hoc tamen verum est habendum, quod eventus continuarum febrium cum multis rigoribus invadentium, vel intermittentium talium, periculosus admodum sit, quia una cordis partiumque irritatio & afflictio sequitur, quare & ingens jactatio anxietas, lipothymia, aliaque graviora mala subsequuntur. *Pienis p. 282.*

Id probabiliter subinde evenire omnino arbitror. *Ettmuller lib. 1. Pr. p.* 307.

t *Est maligna*) Observandum non raro febrim malignam esse quæ Semi-tertianæ typum refetat, vel quia intermittenti tertianæ quocunque modo complicatur, vel quia ipsa maligna vago nonnihil motu exacerbationis Semi-tert. talis typum refert: Hinc Forestus l. 5. obs. 14. 16. has suboriri asserit grassantibus febribus malignis & pestilentibus; Et *Spigelius* tempore pestis hanc febrim frequentissimam esse ait: Unde & *Schenckius* l. 5. obs. Hemitritæum pestilentem pluribus describit; Quo facit & Hemitritæus malignus bezoart. curatus. *Riverio* cent. 4. obs. 56. *Ettmuller* p. 307.

Notandum est quasdam reperiri febres malignas, quę sine commixtione tertianæ & quotidianæ, sine ullo concursu bilis & pituitæ, horridæ sunt, In iisque horrores contingunt ex vaporibus acribus & malignis, qui ex materia corrupta febrium malignarum elevantur, & partes sensiles feriunt ac vellicant. *Riverius Pract. l.* 17. *cap.* 6.

s *In qua cardialgia*) Semi-tertiana ex duplicis succi putrescentia oritur, bilis & pituitæ, proinde hic morbus congruens est conditioni Autumni, temporis adeo varii & inconstantis, & ad multa variaque excrementa gignendum apti; Cardialgiam vocant veteres Dolorem oris ventriculi, qui fit ob humorem frigidum & flatuosum, aut calidum & mordacem, qui ibi gignitur, aut in eam partem ruit; plerumque vero frigidus ibi gignitur, & biliosus aliunde affluit, quod evenit cum talis in corpore redundat succus, & os ventriculi est ex quacunque causa debile: Ita fit ut hoc quoque malum Autumno sæpe accidat per morbos, quia eo tempore & languent ventres, & exusti sunt succi, utrumque ob antegressum æstum, qui nativum calorem dissipavit, succos vero exussit: Accedit alia causa dolendi non exigua, ex repentina in frigus mutatione, quæ multis horis in ea parte anni fit: Accedit etiam multus esus fructuum recentium, qui tunc abundant, & ventriculum laxant, & facili sua putrescentia vitiant: Jam vero in Semi-tertiana peculiaris quidam apparatus esse videtur ad hoc symptoma, nam quia quotidiana est, non raro habet sociam ventriculi debilitatem, quia etiam est tertiana, habet biliosam cacochymiam: Itaque ob hæc nisi peculiare quid habeat anni constitutio, fit Cardialgia: *Dirpetho* sorori in Semi-tertiana, & aliis quamplurimis in aliis quibusvis morbis. *Vallesius 5. Epid. p.* 555.

Uxori Theotimi in febre Semi tertiana anxietas & vomitus accidit, horrorque simul & sitis quum febris incipiebat, progressu vero temporis in ipso febris exordio ingens calor: Cum autem aquam mulsam potasset, & vomuisset, horror & anxietas cessarunt, & postea mali punici succum accepit *Hippocrates 7. Epid.* Uxori Apomoti in febre Semi-tertiana, circa Arcturum, vehemens oris ventriculi dolor & vomitus in ipsa febris invasione contigit, simulque uterinæ instabant strangulationes, & ad dorsum dolores erant juxta spinam; Cum autem huc pervenissent, oris ventriculi dolores soluti sunt. *Idem ibidem.* Uxori *Theotimi* datum est in initio melicratum tepidum, scil. ut vomeret, & ita sedata sunt horror & anxietas, vacuata bona parte succorum, qui in ore ventriculi acervati ea symptomata inferebant; & postea cum jam febris arderet, datus est *mali punici succus*, quo nihil est convenientius in fervore, præcipue parientis oris ventriculi: *Vallesius in comm. p.* 887.

t *Non sit mirum quod* Spigelius) Nemo ex his tricis nos expediet præter doctissimum *Spigelium in opere de Semi-tertiana*, cui manus dat *Sennertus 2. de Febr.* 21. Crebri ibi horrores sunt germina inflammationum viscerum; in hoc quidem subjecto horum, in alio autem aliorum, ventriculi dico, intestinorum, mesenterii cum glandulis vasisque consideratis, pancreatis &c. In has enim partes, dum vel defluit è partibus superioribus, vel ipsæ in se mutuo transmittunt humores, semper id fit cum horrore, qui pro ratione affluxus majoris minorisve, & quidem hujus vel illius humoris, talis vel talis est: Sed & cum vomicæ rumpuntur, horrores se ostendunt, quia post obstructiones (abruptiones) tabes succedit; Diversitas particularum febrilis materiæ potest etiam causari diversas febres, & consequenter horrores diversos, si modo per partes sensiles circulatur, Et ne parum dexter apologista sim, Causabor vitium loci. *Pitens pag.* 85.

u *Semper aliquod primæ regionis*) Nullomodo admittendam vult *Spigelius* sententiam *R. Fortis*, qui Semi-tertianam semper ab aliqua interna inflammatione proficisci credidit; eo quod non viderit quod diebus paribus, quibus sola Quotidiana succenditur, remitti non posset, quinimo acutissima semper esset æqualiter.

x *Vel viscera inferiora obstructa*) Si forte aliquæ in cavo viscerum latitarent obstructiones, egregium remedium aperiens & alterans fuerit *succus cichorii depuratus ad ℥iij. in jure* propinandus: Cui addi poterunt grana aliquot *Tartari vitriolati*, si manifestæ obstructiones adessent, sicuti guttæ *spir. sali.* pluries rectificati, si ad urinæ vias tendat. *Fortis.*

y *Rigor nunc ordinate &c. nunc inordinate*) *Galenus 2. de diff. Febr.* ait quod fiat duobus modis, aut cum augetur ascenditque paroxysmus, cum manifestis reduplicationibus horrificis; Aut cum inæqualitas tantum quædam sentitur. Hæc differentia, ut se explicat, consistit in quantitate temporis, cum enim motus horrifici brevibus intervallis à se ipsis distinguantur, dicitur motus inæqualis & horrificus: At cum jam majora intervalla intersunt, *μοναδικῶς* dicuntur, & *ἐπαναλήψεις. l. de morb. temp. Pitens p.* 85.

z *Curatio ex febris Intermittentis &c.*) Licet medela hujus febris eliciatur ex curatione tertianæ & quotidianæ, in his tamen componendis plures sunt necessariæ cautiones; Indicationes autem sunt 1. utrumque humorem præparare & evacuare 2. vias reserare, 3. calorem febrilem contemperare, 4. symptomatis occurrere 5. affectas partes roborare *Sanguinis missionis* neque Græci, neque Arabes meminere, quæ conceditur à *Celso* inter initia, si corpus plethoricum fuerit, ne fervidior tota massa sanguinea reddatur, sicque putredo augeatur, parce tamen educatur, quia humores peccantes in venis pituitosi sunt, extra venas vero biliosi: Ex fonte Pharmaceutico, Lenientia desumenda, Præparantia, Purgantia, Contemperantia, Aperientia, Symptomatis occurrentia, Viscera roborantia, & tandem à Proprietate juvantia.

Lenientia, vel assumpta, vel injecta, assumpta vel dejectoria, vel vomitoria: *Vomitorium* leve primo præscribatur ex jusculo seminibus citri alterato, & julapio acetos, mox Clyster injiciatur, ex *decocto malvæ. mercurialis, beta, hordei, syr. rosar. solut. ol. chamamel. sale & ovi vitello:* Medicamentum per os sit syr. rosar. solut. & mel. rosar. solut. cum aqua flor. citri, vel cassia & lenit. cum tartaro.

Secunda *Præparatio* est procuranda, ut inde frequens, & per epicrasin sequatur humorum evacuatio, eoque ordine ut prius præparetur bilis, mox pituita, vicissim tamen & alternatim, ut tantundem bilis quantum pituitę, utpote æqualiter peccantes, præparentur & evacuentur; Demum, quod potissimum est, non sunt simul miscenda, uno eodemque tempore præparantia & purgantia bilem & pituitam, ac si misti essent humores, ut in Tertiana notha fieri solet, atque decepti multi faciunt, sunt enim hi diversi atque contrarii, duobus in locis putrescentes, quibus uno eodemque medicamento, ex calefacientibus & refrigerantibus composito utrumque præstare minime possumus: Julapium tamen acetosum

utrumque humorem respicit, ut quod bilem in pituitam, & pituitam in bilem vertat, Narrat enim *Rhazes* se paucis diebus Semitertianam malignam curasse & sanasse ptisana, julapio acetoso, & Vomitu: Bis de die exhibeatur ad ℥iij. duabus horis ante prandium; & noctu in statu febris cum jure pullæ, alterato cichor. borrag. endivia, acetosa, pentaph. quibus absynth. addit *Avicenna* ad statum properante febre: Valet & cremor Tart. ad ℨiij. bilem enim compescit, & pituitam attenuat; fundit atque detergit, Et urgente calore, cum *Avicenna*, acida tenuium partium sunt usurpanda, ut syr. de acido citri, de succo limon.

Alterantia, sive febrilem calorem contemperantia, varia esse possunt, pro caloris majoris vel minoris indigentia, refrigerandum enim quantum sufficit: Cum calor febrilis multum excedit, estque tempus æstivum, da aquam hordei, vel mulsam dilutam acetosam qua Hippocr. 4. acut. 5. in curatione ardentis spuriæ utebatur; etenim calorem febrilem contemperat, & materiam pituitosam attenuat. *Fortu.*

α *Ut visceris inflammationis curatione*) Comites esse solent inflammationes, internæ vel externæ, quibus cæteris omnibus posthabitis est incumbendum; Etsi internæ revellentia, repellentia & alterantia conveniant, & ideo sanguinis missione, substypticorum appositione & internis refrigerantibus usus erit: Si vero externæ, ex humorum metastasi, aut ex crisi, per decubitum à natura procurata, sive materia ex continuato decubitu diuturno, ad partem aliquam attracta, hæc quam maxime à Medico erit observanda, à diversionibus abstinendo, tum sanguinis missione, tum medicamentis, præcipue purgantibus procuratis, sed levioribus præparantibus, & alterantibus & clysteribus insistendo: Interim Chirurgo partis recipientis cura incumbit ne inflammatio in gangrænam migret, nativo totius & partis calore in febre diuturna imbecilli reddito: *Idem.*

β *Evacuandum per inferiora*) Apparentibus signis coctionis, observandum in hac febre curanda cujus humoris in urinis appareat coctio, licet bilis prius apparere soleat; Tuncque leviora purgantia lenientibus commiscenda, ut Pilulæ de tribus cum rhabarb. & cassia: vel pro pituita agaricus, sivè potius aliqua portio *pil. de hiera cum agarico*, vel de *Agar. Mesues* cum *cassia* aut *Elect. Lenit. Idem.*

Diæta.

Victus ratio non adeo facilis est, unde dicebat *Celsus*, quod sub errore perperam curati ægri facile moriuntur; Et ideo subdit quod talis esse debet ut non incitet febrem, sed longum ejus spatium sustineat: Sic die alterius paroxysmi copiosior cibus exhibendus, sequenti vero parcior; memores, quod error major committitur in tenuiori quam in paulo pleniori victu: Alimenta sint boni succi facilisque coctionis: Vinum in duobus casibus conceditur. 1o Viribus deficientibus 2. apparentibus coctionis signis; paucum, tenue, & oligophorum. *Fortu.*

De Puerperarum Febribus.

Willis lib. de Febribus cap. 6.

PUerperarum febres supra communicum aliarum indolem valde periculosas esse vulgaris experientia abunde testatur: etiam easdem, quoad essentias, à synocho tum simplici, tum putrida plurimum differre, è signis & symptomatis eorum rite perpensis, liquido constat, Quapropter non abs re fore duxi, post febres malignas acutos puerperarum morbos, utpote ob perniciem ipsis summe affines tractare, Prius tamen quam affectus ipsos explicare aggredior, earum subjecta, scilicet puerperarum corpora quali modo sint prædisposita, & quo apparatu ejusmodi ægritudinibus fiant obnoxia, considerare oportebit, Circa hoc primo occurrit; quod sanguinis menstrui fluxum pati, humano generi, ibidemque fœmines omnino conveniat; de cujus natura & origine non erit hujus loci inquirere, at adnotare sufficiet, quod in istis cruoris periodice excernendi particulæ sint valde fermentiscibiles, quæ si præter solitum naturæ morem in corpore retineantur sæpissime plurium ægritudinum causa existunt, excepto tamen si mulier utero conceperit: toto enim ingravidationis tempore sine magno incommodo menses subsistunt, atque interea pro nutricatu fœtus lac, sive humor alibilis, in magna copia circa placentam uterinam deponitur, post partum vero ista diuturna mensium suppressio copioso lochiorum profluvio compensatur, atque lac intra triduum, utero penitus relicto, ubertim in mammas prol[...]t, quo tempore puerperæ solent febricula tentari: Quod si lac e mammis propellitur, versus uterum denuo re[...], & una cum lochiis sub forma humoris [...] excer[...]tur, Interim à partu uterus ipse varias affectio[...] sæpe enim ejus tonus læditur, unitas solvitur & al[...]runa accidentia inducuntur, quæ puerperas peri[...] aleæ subjectas reddunt, Quare ut acuti earum morbi [...]te explicentur, de tribus istic considerationem præcipuam habere conveniet: scilicet primo, de fœtus nutricatu, sive de generatione lactis, tum in utero, tum in mammis deque metastasi ejus ab alterutro in alterum, Secundo de sanguinis materni purgamento, sive de lochiorum profluvio post menstrua diu suppressa, Tertio de uteri post partum statu, ejusque in alias corporis partes influxu, Atque his præmissis de febribus Puerperarum, scilicet tum lactea, tum putrida dicta, quæ ob perniciem maligna dici meretur, verba faciemus.

Primo, lac, & humor nutritius, in uterinis partibus pro fœtus nutricatu congestus, sunt natura consimiles, licet consistentia aliquantum differant, Lac est revera crassius, quoniam ore excipiendum in ventriculo digeri, ac postea tenuior ejus portio massæ sanguineæ convehi debet: humor alter alibilis tenuior est, & velut aqua lactis stillatitia, quia per vasa umbilicalia, sine prævia digestione embryonis sanguini immediate infunditur, Uterque succus è chylo in stomacho materno recens confecto constare putatur: qui in mammis reponitur crassior, & albidior est propter colum rarius, & in glandulis majoribus coctionem; contra accidit in utero ubi percolatio est strictior & glandulæ sunt perexiguæ. Inter Authores autem valde disceptatur, quibus ductibus iste humor, tum in mammas, tum in placentam uterinam deferatur, Contendunt alii lac tantum è sanguine uberius in glandulis cocto progigni; quod tamen, propter immensa lactis dispendia, quæ cum sanguine non consistunt haud probabile videtur; Statuunt alii chylum, sive humorem lacteum, è coctionis visceribus per meatus occultos, sine alteratione quavis in utraque receptacula immediate convehi, Veruntamen, tantisper dum isti ductus patescant, mihi quidem verisimilius videtur, quod à cibis stomacho materno ingestis chyli inde confecti portio statim in venas absorbeatur, qui sanguinis vehiculo portus, priusquam ipsi assimiletur, in glandulas, hic illic eidem excipiendo destinatas, per arterias advectus à cruoris massa denuo secretus deponatur, cum enim constet quod potus copiose ingestus cito totam sanguinis massam trajiciat, & sub lymphæ forma per urinam reddatur: cumque ulcera per-antiqua mediante cruore humorem nutritium à toto corpore deprædantur, ipsumque sub specie putridi ichoris profundant, quidni pariter succus alibilis, glandularum colo secretus priusquam sanguinis colorem induat, in humorem lacteum facessit: Hoc equidem probabilius videtur, quia

dum

dum lac ab utero in mammas & è contra fertur, sanguinis massam pertransiens, perturbationem in toto cum intemperie febrili concitare solet; insuper primis à partu diebus, quando glandulæ secretionis officio minus rectè defunguntur, jumenta, quæ lochia non excernunt, lac cruentum (hoc est sanguine præ copia simul exundante, commixtum) uberibus emulgendum præbent.

Secundo, quod ad menstrua ingravidationis tempore suppressa, & lochia à puerperio copiosè dimanantia spectat: Dicimus, quòd è fœtu concepto menstrua designatione divina supprimi oportuit, eo quod eorum fluxus sæpe abortum inferat; dein quoniam vasa, succi alibilis in partes uterinas exsudatione continua deplentur, sanguinis massa in turgescentias, fluxu menstruo sedandas, non facile assurgit: Ob eandem rationem mulieribus, quamdiu infantes lactant, catamenia ut plurimum sistuntur: In quibusdam forsan sanguine calidiori præditis menses, tum ingravidationis, tum lactationis temporibus fluunt, verum id rarius, & non sine incommodo evenire solet, Interea tamen menstrua ingravidatione suppressa, quoniam longe minus humoris nutritii tunc temporis pro lacte impenditur, multo magis sanguinem depravant, quam eadem sub lactatione cohibita solent: Quinimo ex istis in priore statu diu suppressis labes quasi venenata cruoris massæ imprimitur, quæ nisi statim à puerperio diuturno lochiorum fluxu expurgetur, affectus graves, & fere malignos producit: Quare, ut de lochiis fluentibus sententiam feram, dico, quod hæmorrhagia ista è vasis, quibus placenta utero cohæret, disruptis immediate procedat, quodque hac via sanguis & humores excrementitii, partim circa uterum durante ingravidatione congesti, & partim è tota cruoris massa fluxiles evacuentur, scil. dum uterus, prius mole intumefactus, statim à partu concidit, & in minus spatium contrahitur, sanguis è vasis in eo patentibus copiose exprimitur; Præterea autem in quantum durante catameniorum suppressione massa sanguinea particulis valde fermentativis imbuitur, quamprimum à partu ora vasorum aperiuntur, illico, velut instante largiori mensium fluxu, totus effervescit cruor (non secus ac mustum utre aperto) & particulas maxime fermentescibiles lochiorum dimanatione, tanquam efflorescentia, è sinu suo expurgare nititur: ideoque præter sanguinem, qui primis diebus, propter vasa recens aperta, sæpe purus effluit, postea ichores valde discolores, scilicet lividi, aut virides, illique valde fœtentes, excernuntur: Hujusmodi fluor per quatuordecim ut minus dies, imo in quibusdam per mensem durare solet, atque si ob errata quævis prius sistatur, quam tali efflorescentia satis depuretur cruoris massa, illico febris valde periculosa cum tetro symptomatum apparatu induci solet, de qua inferius proprio in loco dicetur.

Tertia consideratio, ad doctrinam de puerperarum febribus prævia, præcipue circa ipsum uterum versatur: quomodo nimirum à puerperio afficiatur, & quaiem in alias corporis partes influentiam habeat, Quoad prius, duo sunt præcipuè accidentia, è quibus acuti puerperarum morbi multum dependent: Primo, scil. uteri concidentia, sive ab ingravidationis mole ad naturalem situm & magnitudinem reductio; secundo, intra cavitatem ejus, propter disruptam placentæ connexionem, unitatis solutio: Quando fœtus cum involucris deponitur, statim latera ipsius uteri, prius valde ampliata, mutuo concidunt, & fibrarum ope sese in spatium angustius sensim contrahunt: hujusmodi propter contractionem sanguis & ichores è vasis & poris uterinis copiosè exprimuntur, & cum lochiis excernuntur: interdum vero accidit ob res præternaturales in utero contentas, uti sunt pars secundinæ, mola, grumi sanguinis &c. etiam si à partu laborioso contusio aut magna dilaceratio accidant, quod uterus haud rite se contrahit, sed, fibrarum motu inversu, sursum adicendit, & in molem attollitur; nec non membranis spasmo affectis, ipse torminibus, quasi adhuc urgeret partus, usque tentetur; cujusmodi affectiones si aliquandiu persistent; propter orificium uteri motu convulsivo constrictum, sæpe etiam lochia sistuntur, hinc gravia symptomata succedunt, & sæpe numero febrem vel sæpe excitari, aut ob aliam causam inductam longe periculosiorem reddi contingit: Secundo, quoad unitatem à placenta disrupta solutam, partus aut legitimo tempore, aut præcipiti, & festinato nimium evenit, dein secundina vel integra dejicitur, vel divulsa, parte ejus pone relicta, quasi dimidiate abscedit, Si puerperium justo tempore fiat, cedit, atque fœtus cum involucris ab uteri cavitate quasi fructus ab arbore maturus, integer, & sucviolentia decidit, vasorum ora nonnihil referantur, ut lochia moderate fluant: hinc vero nullum symptoma gravius timetur: sin fœtus, nondum partui maturus, quasi vi abrumpitur, licet placenta cum membranis integra divellatur, tamen vasis dilaceratis, major hæmorrhagia, & demum vasorum osculis ichorem fœtidum exsudantibus, dispositio ulcerosa succedit.

Quod si pars, aut tota secundina, uteri lateribus post partum adhæreant, illic putrescunt, ichores valde fœtidos exsudant & affectus provocant: sæpe orificium uteri occluditur, & intus retinet grumos sanguinis, membranarum aut carnium frustula, quæ ob calorem putrescentia, sanguinem, & humores per circuitus è toto corpore illuc confluos, veneant, etiam protitatione molesta partes uterinas utpote valde sensiles in spasmos cient.

Cum itaque à puerperio modis prædictis noxa utero infertur, eadem aliis partibus, non sine totius corporis molestia, cito communicatur, quodquidem duplici ratione fieri solet, primo enim hoc contingit quia lochia excerni prohibita statim in cruoris massam restagnant, ipsamque velut miasmate virulento inquinant: insuper è contentis in utero putrescentibus, aut ipsa ichoris substantia, aut particulæ à re cadaverosa discedentes, sanguinis succo nervoso illas pertranseuntibus commiscentur, eorumque liquores brevi totos inficiunt: Secundo, affectiones hystericæ latius extenduntur propter insignem consensum qui inter uterum & cerebrum cum totius corporis fibris & membranis, mediante nervoso ductu intercedit, Cum enim nervorum extremitates, circa partes uterinas consitæ, ob humoris noxii præsentiam in spasmos & motus convulsivos adiguntur, convulsiones illic susceptæ, statim superius latæ, per nervorum nixus atque [illegible] cerebrum versus perreptant: adeoque viscera successive inflari, immaniter convelli, & cerebrum demum ipsum percelli, ejusque functiones velut obrui contingit, hinc à motibus convulsivis circa uterum exorsis ventris & hypochondriorum inflatio, rugitus vomitio, singultus, præcordiorum angustia respiratio difficilis, præfocationis sensus & sæpe sopor & ἀφωνία, aut saltem ex his aliqua concitantur: nec illa plane cessat tragœdia, quin cerebro per continuationem affectus etiamnum læso, exinde in alias partes noxa retorquetur, ut sæpe totum nervosum genus in mutuum anomalias compellatur, Quod enim per vapores fieri vulgo dicitur,

& affectus, qui ab infra ad superiora perreptans vaporum adscensus vocatur, nihil aliud est, quam membranarum ductuumque partes successive in spasmos adactæ: Porro in hujusmodi affectibus actio læsa non semper incipit, aut primo sentitur in ea regione, aut loco, ubi noxa infligitur, neq; passiones, quæ dicuntur hystericæ, solummodo ab utero procedūt, namq; interdum molestia immediate infertur cerebro, spasmi autem & contractiones in extremis partibus incipiunt, atq; aliquando nervorum extremitates alicubi in visceribus; puta stomacho, liene, renibus, nam non minus quam in utero vellicantur, in quibus extortæ anomaliæ in viciniam, ideoque in cerebrum continuantur: è quo rursus in alias partes, & non raro in totum corpus convulsiones reflectuntur.

Rem ita se habere in fœminis puerperis, aliisque febricitantibus sæpius adverto nimirum nonnullæ propter uterum male affectum, aliæ vero ob materiam febrilem, critica metastasi in cerebro defixam in passiones hystericarum æmulas incidunt; Atque his de apparatu puerperarum febribus prævio, ritè perpensis, non est quod ulterius in limine hæreamus, modo adnotetur quod parturientium (præcipue quæ sunt imbecilles, & tenerioris constitutionis) corpora maxime à partu laborioso & difficili debilitantur, adeo ut propter hanc solam occasionem intemperies febriles facile concipiant, atque hoc aut alio modo inductas ægre ferant, Iam proxime de febribus ipsis, quibus puerperæ laborare solent, dicamus, Quorum affectuum tres veluti species vulgo recensentur, sc: febris Lactea, Putrida, aut istiusmodi quę symptomate quodam mutuatitio, præcipue autem pleuritide, angina, aut variolis insignita est, de quibus ordine disseremus.

Febris Lactea.

Superius diximus adhuc in incerto esse, ex qua materia lac immediate constet, & quibus ductibus in mammas feratur, insuper quando αὐτοψία anatomica hac ex parte omnino cessat, me in ea esse sententia, quod chymus lactescens ex alimentis in visceribus confectus, denuo statim è massa ejus, ope glandularum in utero, aut mammis, non secus ac serum in renibus, magna ex parte secernatur, ut nutrimentum fœtui, aut in ventre, aut sinu materno gestato, suppeditet, Ingravidationis tempore, licet maxima hujus portio ad uterum derivetur, tamen ultimis mensibus ejus aliquantulū in uberibus deponitur, circa tertium vero, aut quartum à puerperio diem, lac in mammas uberius, & velut cum impetu quodam fertur ut ciro eas ad tensitatem impleat, & aggravare incipiat: Hoc tempore puerperę (licet non omnes, pleræque tamen) in intemperie febrili, cum siti, calore, & inquietudine totius corporis affici solent, queruntur de dolore gravativo in dorso & scapulis, de mammarum plenitudine & æstu; & ni lac diligenter emulgeatur, nimis congestum, sæpe inflammationem cum subsequenti abscessu in mammis parit: Hæc febris, dummodo lochia se rectè habent, vix ultra triduum perdurat, quin circa illud spatium sudore copioso sponte oborto sedari solet: hæc tamen intemperies, à lactis provētu excitata, nonnihil intenditur, & diutius immoratur, si quando lac mammas uberrim ingressum non emulgetur, ac illinc denuo repellitur, etenim decessu ejus, non secus ac adventu, perturbatio in toto tempore cum siti ac æstu contingere assolet, quod etiam certius evenit, si topicis repellentibus illud violenter abigi contigerit: ex uberibus autem eorumdem ope propulsum, aut sponte abscedens, cum lochiis sub humoris albicantis forma excernitur, atque sudor, aut plenior diaphoresis morbi reliquias exterminat: Quod si hujusmodi intemperie propter lactis commotionem inducta lochia sistantur, vel errata in victu admittantur, aut causa evidens alia quæpiam accesserit, ut cruoris effervescentia intendatur, non raro febris lactea pejora statim symptomata adsciscens in putridam, seu potius malignam migrat.

Febris prædictæ causa, seu ratio formalis (donec lactis innotuerit iter) tantum ex hypothesi, & quasi augurio quodam, proponi potest supposito enim, quod humor lacteus peculiari ductu è visceribus coctionis sine ullo sanguinis commercio immediate ad mammas feratur, intemperies ista febrilis oritur, eo quod, mammis lacte repletis, & valde distensis, vasa sanguinea comprimantur adeo, ut cruorem illac confluum non facile transmittant; unde cruor in circuitu suo præpeditus juxta totam ejus massam tumultuari incipit, & spiritibus innordinate commotis, & penitus confusis, effervescentiam concipit, qualis à κενώσεί, crapula, phlegmone, aut vulnere inducta, synochum simplicem passim constituit; Sin vero lactis materia (uti non improbabile est) sanguinem trajiciat, hæc puerperarum febris hinc nata videbitur, quòd cum utero relicto ad mammas latex iste transferatur, magna ejus portio in cruoris massa subsistat, quæ si quidem debitum succi nutritii penum excedat, adeoq; tota assimilari nequeat, insuper partibus heterogeneis scateat, velut extraneum quoddam & non miscibile sanguini molestiam creat, proq; ipso eliminando & foras excernendo effervescentia febrilis triduana inpenditur: cum enim chylus lactescens circa uterū secerni assoetus, mox à puerperio ista excretionis via præpediatur, in sanguinis massam restagnans, primò illic uberius congeritur, quam aut totum in nutrimentū facessere, aut in mammas excipi potest: hinc vasorum plenitudo & turgescentia, nec non propter superflui subactionem & exclusionem, immodica sanguinis fermentatio oriatur necesse est: quare lac non tantum in itinere ad mammas, at etiam inde versum uterum reditu, scil. propter utrumque Sanguinis trajectum febriculam parit.

Utcunque vero hujusmodi causa statuatur, circa curationem parum aut nihil interest, hæc enim naturæ omnino committitur, & quamdiu lochia se recte habent, quippe post effervescentiam sanguinis per 3. aut 4. dies peractam, aut sudor copiosus, aut transpiratio liberior hunc affectum solut, nimirum aut particulæ humoris lactei, inter assimilandum degeneres aut recremēta adusta, à sanguinis deflagratione residua, aut simul utraque fomitem febri suppeditantia, paulatim subiguntur & foras evaporantur, quibus exclusis sanguis extranea mixtura liber factus, cito pristinum statum recuperat, interea tamen quædam regulæ vulgares circa lactis admissionem, aut ejusdem ex uberibus propulsionem observari solent: Si lac copiose nimis in mammas prosilit, ut earum inflammatio,

nec non immodica sanguinis effervescentia præcaveatur, tunc temporis victus tenuior & parcior, nimirum ex jusculo carnium experte, & in minore quantitate imperatur; etiam ubera suctu crebriori deplentur, si matri infantem lactare minus commodum fuerit, mitatum est primo aut tertio à puerperio die, ceratis modicè adstringentibus (utpote ex emplastro de minio &c.) totas mammas obtegere: sic enim spongiosa glandularum substantia nonnihil constringitur, quo humorum lacteum illuc scaturientem minus prompte suscipiant, hoc tamen remedii genus cautè adhiberi debet, ne si lac omnino excludatur, aut nimis consertim è mammis abigatur, in cruorem subito restagnans, ejusdem inordinationem, febris putridę sive malignæ prodromum inducat: de qua proxime dicendum restat.

Puerperarum Febres Putridæ.

PUerperæ ex malè affecti corporis vitio, tanquam auræ pestilentialis contagio tactæ, febri putridæ, seu potius malignæ, quam nimium obnoxiæ reperiuntur, hujusce vero morbi labem haud omnes ex æquo suscipiunt, etenim pauperes, μελάγχραι, rusticæ, aliæque duris laboribus assuetæ, necnon viragines & meretrices, quæ clandestina agunt puerperia, sine magna difficultate pariunt & deinceps brevi à lecto excitatæ, ad solita redeunt opera: mulieres autem ditiores, tenellæ, & pulchræ puræque, vitam sedentariam degentes, quasi maledicti Divini gravioris modo participes, in dolore pariunt, indeque mox à partu difficiles, & periculosos subeunt casus, cujus ratio videtur in hoc sita, quod quæ multo exercitio utuntur, sanguinem continuo exagitant & eventilant, ideoque à suppressis mensibus miasmata pauciora in morbi materiam congerunt; porrò mulieres laboriosæ, & agiles, cum partes nervosas habeant firmiores, ideo motibus convulsivis, & affectibus vulgo dictis hystericis minus subjiciuntur: è contra, delicatulis & otiosis, ingravidationis tempore sanguinis massa valde impura & fermentescibilis evadit, insuper quia cerebrum & nervosum systema molle & imbecillum habeant, à levi qualibet occasione spirituum animalium distractiones, partiumque nervosarum motus inordinatos perpetiuntur: Atque hic obiter notandum quod fœminæ præ viris, aliæque ejus sexus præ aliis affectiones dictas hystericas sentiunt: non tam ob uteri ipsius vitia, quam propter debiliores cerebri & nervosi generis constitutiones: taliter enim affectis passiones iræ, tristitiæ, metus, nec non objecta quævis acria, aut fortiora, partium istarum crases & functiones facile pervertunt, quæ cum semel læsæ fuerint eisdem anomaliis postea fere semper assuescunt: Verum unde digressi sumus revertamur: Febris modo proposita puerperas quidem variis temporibus, & propter diversas occasiones infestare solet modo statim à partu, præsertim si difficilis & laboriosus fuerit, modo prima, modo secunda, tertia aut quarta septimana exoritur; quo tamen serius incipit, eo tutius absolvi solet, Typus vero affectus illius fere hunc ad modum peragitur: Post præviam indispositionem aperta febrificatio, plerumque cum rigore, aut horrore primum insultum constituit, quem statim calor subsequitur, postea sudor succedit: die uno forsan, aut altero, caloris & frigoris varii reciprocantur paroxysmi, dein sanguine per totum accenso lochia, si non prius suppressa, aut minute fluunt, aut prorsus subsistunt: si morbus sit acutus; & celeris motus, die tertio, aut quarto, ἀκμὴν pervenit; tunc calor intensus cum sitt valde molesta, pulsus vehemens & citatus, vigiliæ pertinaces, magna inquietudo totius corporis, ut huc & illuc continuo in lecto decumbentes sese jactitent, urina crassa & rubicunda, aliaque gravia symptomata increbrescunt: dum febris hoc modo in statu est crisis minimè expectetur, numquam enim sudore critico hunc morbum solutum vidi, quin res admodum in præcipiti versatur, ut postquam sanguis aliquantisper efferbuerit, materia adusta statim in cerebrum translata, ipsius, & totius nervosi generis inordinationes periculosæ & gravissimæ è vestigio ingruunt; namque tendinum motus convulsivi, circa viscera distensiones miræ, & inflationes passionum hystericarum æmulæ sæpissimè concitantur; dein aliquando phrenitis, aut delirium, non rarò stupor, & ἀφωνία etiam subsequuntur: fere in omnibus sine causa manifesta vires subito prostratæ jacent, pulsus debilis & inæqualis evadit, & ægrotantes cito in mortem præcipitantur: si quæ forsan evaserunt, aut restituto lochiorum fluxu, aut diarrhœa superveniente, post longam ægrotationem ægrè & vix tandem emergunt: novi in quibusdam maculas purpureas apparuisse: certe in plerisque symptomata, quæ aut sanguinem, aut succum nervosum spectant, malignitatem non levem arguunt.

Hujus Febris causas vulgari more in procatarcticas, evidentes, & conjunctas distinguere libet, Istæ prioris generis, è quibus morbi malignitas, & summa pernicies dependent, præcipue sunt duæ, scil. primo à longa mensium suppressione prava sanguinis diathesis, Secundo (à partu) malæ uteri affectiones ex periculosis mulierum puerperiis (quæ maledictionem divinam ratam faciunt) à menstruis diu suppressis non modo turgescit sanguis, ejusque partes sulphureæ nimis evectæ incendio aptiores redduntur, verum insuper cruoris massa particulis valde fermentativis imbuitur, adeo ut (quemadmodum prius innuitur) veluti miasmate veneno tacta effervescens, statim versus putredinem, & inordinationes corruptivas ipsa disponitur, & præterea liquorem nervosum illico veneret, ipsumque cerebro, & toti nervoso generi infestum reddat.

Hujusmodi labes, sanguini impressa, copioso lochiorum fluxu expurgari debet, sin vero à partu uterus male habeat, non modo sistuntur lochia, adeoque totius sanguinis depuratio impeditur, verum præterea ichores fœtidi illinc cruori traduntur, ipsumque graviter inficiunt, necnon ob motus convulsivos circa uterum inceptos, indeque aliis partibus continuatos, in sanguine & succis inordinationes concitantur, quæ sæpe in febris aut productionem, aut exacerbationem conspirant.

Causæ evidentes, quæ aut sanguini dyscrasiam nacto effervescentiam actualem inducunt, aut uteri vitia in totum corpus invertunt, diversimodæ existunt: Huc faciunt partus laboriosus, circa uterum unitas soluta, contusio, rerum præternaturalium retentio, dispositio ulcerosa, & plæraque alia accidentia quæ necessitate quadam inducuntur, Occasiones autem in arbitrio patientum sitæ, & facile evitabiles, quæ hujusmodi febrem excitare solent, præcipuæ sunt duæ, scil. mala

victus ratio, & frigoris susceptio usitatum est fœminis à puerperio imbecillis, primo aut secundo die, carnes animalium, aut eorum juscula consummata, aliaque esculenta earum crasibus valde improportionata exibere, ut statim in visceribus indigestio & magnæ molestiæ, atque in sanguine ob succum nutritium debito opimiorem turgescentiæ febriles oriuntur.

Præter erreta in victu sæpe noxa infertur, eo quod earum corpora, utpote tenerrima, etiam ob partus labores, fœtusque exclusionem, meatibus undequaque appertissimis præditæ, nimis incaute frigori exponuntur, pleræque enim, lecti impatientes, intra diem unum, aut alterum, aut citius quam oportuit, vestibus induuntur, lectoque exsurgunt, unde statim poris cutis subito constipatis, & aëre in partes uterinas admisso, transpiratio cohibetur, & non raro lochia derepente sistuntur, quorum utravis febrilem effervescentiam excitare suffecerit.

Causa conjuncta, sive ratio formalis hujusce ægritudinis, potissimum hæc tria complectitur; adsunt nimirum, Primo, sanguinis insignis dyscrasia, ut à febre occasionaliter inducta exardescens haut æquabiliter deflagret, nec recrementa adusta paulatim subigat, eademque postea critice excernat: quin cruor effervescens statim in mixtione laxatur, & tegerata ejus compage versus corruptionem vergit & deflectit, hinc, quando parum deferbuit, spiritus dominio excussi in confusionem aguntur, Interim particulæ sulphureæ indomitæ & efferatę evadunt, quare vires sine causa manifesta concidunt, pulsus fit debilis & inordinatus; à deflagratione sanguinis licet recrementa adusta plurima congerantur, tamen nihil rite coquitur, aut secernitur, quin laborantes, natura valde oppressa, licet continuo sudent, sæpe nihil levaminis inde capiunt, materies autem febrilis, quæ excerni debuit, in caput & nervosum genus transmissa, ibidem regiminis animalis perturbationes gravissimas inducit, Secundo, hujus morbi tragœdia haud minima ex parte, debetur succo nervoso statim acti, deoque, cerebro, ejusque appendici, improportionato facta; hic enim labe à Sanguine contracta inquinatus, subjecta sua haud leniter irrigat & blande inflat, verum teneras istas partes (veluti cum vitrioli infusio lumbrico affunditur) insigniter vellicat, ac in spasmos, & quasi trepidationum ac subsultuum motus irritat, eorumque functiones interdum prorsus obruit: hinc contracturæ, convulsiones graves, delirium, vigiliæ, quandoque stupor, & affectus comatosi puerperas incessunt: Tertio dum hæc aguntur, non raro tertia symptomatum cohors laborantes infestat, nimirum, eo quod uterus noxa quadam læsus se inordinate movet, & secundum has, aut illas partes spasmo percellitur, inde mox per membranas, & ductus nervosos, motus convulsivi totam abdominis regionem pervadunt, quare viscera, & hypochondria inflantur, ructus, & vomitus graves cientur, dein affectu superius perreptante, partesque thoracis nervosas occupante, respiratio difficilis & inæqualis, cordis palpitatio, præfocationis sensus in gutture ob musculos ibidem retractos, aliaque symptomata per totum corpus, eadem noxa cerebro demum illata, excitantur.

Puerperarum febres fere numquam periculo vacant; ipsis vero aliquando circa prima initia victu tenui, & restituto lochiorum fluxu, sanari contingit; sin vero intemperies febrilis altius radices egerit, ut totus accendatur cruor, & immodice effervescat, prognosticon non nisi lævi ominis haberi oportet, eritque major periculi ratio, si præter calorem in toto suffusum, laborantes crebro rigore tententur, si magna inquietudine, & vigiliis, cum subitis corporum concussionibus, aut tendinum contracturis afficiantur, si tertio, aut quarto diede, tinnitu aurium, cum capitis repletione queruntur, gravius illico malum ingruere colligas, scil. materiæ febrilis & noxiæ cerebro metastasin, nec minus metuendum est, si præcordiis oppressio & gravamen incumbant, ut non liceat ægrotantibus libere respirare, nec anhelitum alte, & à profundo thoracis, sed tantum à summitate, eumque crebrum & suspiriosum ducere, interim ut laborantes cogantur erecte sedere, seque huc illuc inquietim commovere: hoc enim arguit sanguinem in circuitu circa cor & pulmones stagnare, nec non grumescere & coagulari aptum: quod si pejores adhuc cerebri & nervosi generis affectus succedant, atque pulsus debilis & inæqualis evaserit, rem fere deploratam pronunties: sin vero (uti interdum, licet rarius contingit) à febre accensa, & graviter minante, aut repetat lochiorum fluxus, aut diarrhœa cum levamine succedat spes aliqua salutis, licet in profundo, eadem admitti debet.

Circa Curationem hujusmodi febrium Medico difficile admodum incumbit pensum, quoniam puerperis pharmacia quævis non modo inutilis, at insuper noxia admodum apud vulgus habetur, quare Medici raro accersuntur, nisi cum remediis nullus relinquitur locus & utilis operæ omnino præterit occasio, quod si forte circa prima morbi initia adfuerint, non facile erit vulgaribus remediis laborantibus salutem procurare, quodcunque vero tentaverint, ni istud opiferum fuerit, à mulierculis & adstantibus exitiale, & unica mortis causa perhibetur, ut revera circa nullius morbi curationem minus commodi, & plus opprobrii nobis obvenire soleat.

Methodus autem medendi (non secus ac in morbis contagiosis) duplex institui debet, nimirum prophylactica & therapeutica: prima harum tradit præcepta & cautiones quibus puerperæ à febrium incursu præserventur: altera intentiones curativas suggerit, quibus laborantes (si modo fieri poterit) salutem denuo recuperent.

I. Licet hæc febris, quantumvis maligna fuerit, contagio minime accersatur, & decumbentibus nullis venenati miasmatis ab extra suscipiendi incumbat metus; attamen puerperæ omnes indigenam habent virulentiæ mineram, & ab hujus noxa, tanquam summæ malignitatis fomite, cavere debent, quapropter iis exacto regimine opus est, quo nimirum à partu, sine febris periculo impuritates sanguinis & humores rite expurgentur; nec non uteri malæ affectiones sanentur, atque vires à partu fractæ & debilitatæ, debito modo restitui poterunt: Propter hos fines erunt hæc tria præscripti Medicis potissimum inculcanda, Primo exactissimam Victus rationem puerperis imperari necessarium duco: nimirum ut jusculis avenaceis, modo ex cerevisia, modo ex aqua vino albo admixto paratis, nec non panatella, aliisque levioris nutricatus, per septimanam ut minus omnino vescantur, quia multum inaniuntur, ideo crebrius eis sorbere licebit, at nihil solidi, aut fortioris alimenti exhibeatur: Etenim diligenter observavi, quod has febres sæpissime induxit præpropera carnium, aut esculenti lautioris comestio: Quippe puerperæ non solum uti gravites vulnerati, verum uti indispositæ

indispoſi-

spositionem febrilem ex perturbata sanguinis crasi & temperie nacti, tractari debent, apud enim ipsas cruor pridem nimium evectus, & velut impuro miasmate tactus pabuli cujusvis sulphurei accessu, citissime flammam concipit. Secund. post victum erit cura, ne à frigore externo incautiùs admisso constipentur pori, aut sistantur lochia: etenim à levissima occasione, immutato [illegible] modo, sanguis prius effervescens inordinationes concipit, necnon uterus, auræ afflatu tactus, se contrahit, & vasorum ora, quo lochia minus fluant obserat, quapropter per quinque ut minus à partu dies, mulierem in lecto detineri omnino velim, Scio, quod vulgi mos sit quasvis die tertio è lecto exsuscitare, verum exinde plures in febres incidisse novi & revera si puerperas extra periculi aleam consistere cupiamus, tutissima erit ratio, ut diutius se lecto contineant: Tertius circa præservationem restat scopus, ut puerperis, facta lenis sanguinis proritatione; lochiorum fluxus continuetur: in hunc finem solent obstetrices (si quando a partu difficili id malum timetur) sperma ceti, pulverem tegulæ Hibernicæ, aut crocum vino albo intinctum exhibere; porro juscula avenacea, ut Sanguinem magis fundant ex aqua vino albo, aut Rhenano admixto parare, quibus aut etiam sero lactis, flores calendulæ, folia pugelii, aut Artemisiæ incoquunt extant pleraque alia administrationum genera circa puerperas habenda, quæ utpote vulgo nota hic libens prætereo.

Febris puerperium subsequantis Therapeja à methodo in Putridis usitata longe recedit enim vero in ista non expectandum est, ut sanguis incendio febrili tactus gradatim deflagret, dein recrementa adusta in sinu ejus sensim congesta subigat, eademque crisi secernat, quin potius (uti in maligna fieri amat) quamprimum immodice effervescit cruor, à remediis blande diaphoreticis ipsum exagitari ejusque mixtiones heterogeneas, & impuras foras eliminari convenit: quare inter vulgares (idque haud perperam) in more est, puerperis febricitantibus statim sudorifica exhibere hoc ritu sanguine eventilato ejus effervescentia sedatur, necnon propter agitationem ejus lochia, cohibere apta, in effluxum proritantur: Inter authores plurimum disceptatur unde hujusmodi febrium initia computari debens, scilicet an ab ipso partu, an à primo febricitationis sensu; attamen parum interest, sive hoc aut isto modo hujus solutio statuatur: nam siquidem hæc febris solita putridarum stadia haud æquabiliter decurrat, nec eris in iubabitura sit, neque remedii carthartici usum omnino admittat, non est ut de periodo ejus aut mensuratione quoad dies omnino soliciti simus: at vero circa indicationes curativas solum ex usu erit distinguere, de agendis in morbi hujus principio, augmento, & fine: quid etiam, dum vires non nihil constant, etiam quid in iisdem oppressis & valde dejectis, moliri debemus.

Cum itaque hac febre puerpera quæpiam primo afficitur (cujus insultus à lactea dignoscitur, quia cum rigore ut plurimum incipit) protinus danda erit opera, ut sanginni flagranti uberius detrahatur pabulum, & ut superius monui, animalium carnes, aut juscula ex iisdem procul amandentur, interea tamen frigida quævis, & virtute styptica pollentia, æqua sanctione arceantur: hæc enim sanguinem figunt, & constipant nimis ejusque expurgationem valde requisitam, tum per lochia, tum per transpirationem cutaneam impediunt: Quin potius, febri licet urgente, decocta pulveres aut confectiones è moderate calidis exhibeantur: hujusmodi sunt (prout jam dictum) decocta aut aquæ destillatæ, florum calendulæ, foliorum pugelii, Artemisiæ, radic. Scorzoneræ, nec non pulveres Bezoartici, Spirit. Cornu cervici, Sales herbarum fixi &c. Si lochia sistantur, ut eorum fluxus denuo cieatur, omni modo enitendum erit: huic promovendo conducunt frictiones, & ligaturæ circa femora aut coxas, nec non in plantis pedum quandoque etiam venæ sectio in talo convenit: interea fotus ex decocto hysterico circa pubem applicetur, vel omentum vervecinum calide exemptum imo ventri imponatur, pessaria, & injectiones uterinas aliquando prodesse experientia constitit; Si alvus non respondeat, glande violacea dicta, aut clystere emolliente blande subducatur: à proritatione fortiori cavendum erit, quoniam in puerperio, non secus ac in febre maligna, à copiosa dejectione, cum spirituum deliquio vicerės subito exolvi constat: Si quando, cum lochiorum suppressione, sanguinis perturbatio insignis cum vomitu, siti & vigiliis adfuerit, sane laudanum croco admixtum felici successu exhibitum novi: Vice Julapii refrigerantis hujusmodi mixtura conveniat, scilicet, Recipe Aq. pugelii, melissæ an unc. 3. hystericæ unc. 2. syrupi Artemisiæ unc. 1. semi. tincturæ croci drach. 2. Castorei in petia ligati, & suspensi scrup. 1. Misturæ hujus cochlearia tria, aut quatuor aliquoties in die propinantur.

II. Si noo obstante hujusmodi remediorum usu, febris usque ingravescat, & cum pejori symptomatum apparatu sensim augeatur, ut præter sanguinis inordinationes, cerebrum & nervosæ partes percelli inceperint medicamina, licet plurima cujusque generis tententur, sæpissime minus possunt: quinimo, in hoc casu, indicationes cum iis in ipsa parte adhibendis fere coincidunt: si quidem lochia aliquandiu suppressa, haud facile, aut omnino in magna sanguinis & humorum confusione reduci poterint, ideo diaphoresin citatius movere convenit, nimirum ut corruptelæ Sanguinis & succo nervoso impressæ, & ab utero restagnantes per sudorem & transpirationem insensibilem quodaminodo eliminari poterunt, Quare hic pulveres, & confectiones Bezoarticæ, spiritus Cornu-cervi, aut fuliginis, tinctura è Corallis aut margaritis conducunt: Vidi aliquoties hujusmodi medicamentorum ope, in casu deplorato, cum pulsu aliisque symptomatis paulisper melius se habentibus, aliquantulum spei affulsisse, curatio tamen rarius successit: quin cum iste cardiacorum usus remitteretur, cum pulsu debili, & diarrhœa statum oborta, laborantes in lethum præcipites ivere.

III. Cum adhuc in deterius res ægrotantium vergant, ut, cum febre aucta, pulsus debilis, & inæquabilis fuerit, ac crebri horrores, & motus convulsivi in toto corpore, cum delirio aut stupore infestent, tunc Medicus, facto prius lethi prognostico. remediis pauciotibus, usque forte tantum cardiacis insistat & à sanguinis missione, Scarificatione, vesicatoriis, aut cucurbitularum usu omnino abstineat: tales enim administrationes solum odium & opprobria accersunt, ut propterea à fœminis quibusvis malefici & crudeles habeamur.

Febres Puerperarum symptomaticæ,

Acuti Puerperarum morbi non modo juxta Febris prædictæ typum se habent, at nonnunquam symptomate quodam insigni, scilicet angina, pleuritide, peripneumonia, dysentaria, variolis, aut alius generis stipantur, & tunc temporis affectuum istorum appellationes furtiuntur, Non erit opportunum quæ ad naturas & essentias singulorum late pertinent, hoc in loco repetere: quid vero ægritudines istæ, cum puerperii affectionibus complicatæ, circa causas, aut curationes, peculiare habent, breviter subjiciam.

Cuncta isthæc symptomata à sanguinis coagulatione quadam, & exinde ejus extravasatione procedere arbitramur: dum vero sanguis extravasatur in una parte, ejus effluxus quilibet naturalis, & criticus cohibetur in alia; quare periculum est, nedum cruor, aut in particulari assuetoque congelationis foco aut universum in tota ejus massa coagulari incipiat, protinus lochiorum diminutio sistatur: quod revera ut plurimum accidit, ideoque affectus isti puerperis sæpissime lethales existunt, attamen exitii causa cum aliquo discrimine plerumque evenit, scilicet in variolis lochia fluentia malignitatem exterius eliminari cœptam intus revocant, ejusque labe sanguinis massam, & cor ipsum prorsus veneni aricogunt, ideoque in variolis purgamenta isthæc uterina sisti convenit: in pleuritide autem, angina, & cæteris, cũ morbi stimulus, hic, aut illic particulari loco defixus, impuritates sanguinis per lochia secerni debitas sibi accersat, & prorsus ab utero derivet, propter istam rationem cruoris inquinamentum adauget: lochia in variolis cohibita universaliori excretionis modo, cum particulis morbi veneratis foras excludi poterint; quod quidem in cæteris ob minutulam, & parciorem ὑστερικὰς viam non succedit.

Ex his Angina, Pleuritis, & Peripneumonia, propter magnam & causæ similitudinem, & curationis analogiam, una considerari poterunt: Cum puerpera qualibet harum afficitur, putandum est quod, præter miasmata ingravidationis tempore congesta, accedit sanguinis diathesis quædam acidiuscula, cujus ratione, dum ipse febriliter effervescat, ejus particulæ quædam acore perfusæ, in hoc aut isto loco congelationem, instar lactis acescentis, & proinde coagulari, subeunt: cruor ibidem gelatus, & in circuitu præpeditus, reliqui transitum inhibet: sanguis autem, motu obstructus, in obicem suum arietat, adeoque circum circa congestus, & extra vasa propulsus in tumorem accrescit: inde statim quicquid in ejus massa heterogeneum & secernibile continetur, in partem affectam velut cloacam deponitur: quare sanguinis corruptelæ per uterum expurgari debitæ, illinc versus morbi hujus focum derivantur, qui e cum hac via satis expurgati nequeant, & cruoris liquor insignius corrumpitur, & affectus istius particularis, scilicet anginæ, pleuritidis, aut alterius judicium redditur difficilius.

Pro curatione complicatarũ hujusmodi ægritudinum, in primis statim initio entẽdum erit, ut sanguis, alicubi defixus, & extravasari cœptus, circulationi restituatur, nec apostema faciat; quoniam raro admodum puerperæ, febribus istis symptomaticis correptæ, materiæ abscessu, aut sputo sanantur, quapropter remedia interna quæ sanguinem fundunt, & à coagulatione liberant, erunt usurpanda, cujusmodi sunt inprimis Diaphoretica sale volatili referta, ut sp. cornu cervi, fuliginis, urinæ, nec non sales ipsi; item pulveres testacei, & bezoartici, salis prunellæ, decocta & Julapia, è vegetabilibus, menses aut urinam moventibus, quibus omnibus admisceri debent quæ, experientia duce, uterinis affectibus appropriata reperiuntur: insuper parti affectæ remedia discutientia, quæ materiam impactam abigant, & dispescant (ejusmodi sunt linimenta, fotus, & cataplasmata) sedulo erunt applicanda. Interim sanguinis impetuosior motus, & effervescentia immodica, procul inde amandentur, & purgamenta ejus, quibus fieri possit modis, usque inferius transferantur, In hunc finem frictiones, ligaturæ, epispastica, & (si opus fuerit) cucurbitulæ circa pedes, & crura adhiberi poterunt: si, affectu plurimum ingravescente, sanguinis missio indicatur, nisi ingens plethora in toto corpore, & inflammatio valde acuta in parte affecta adfuerint; venam in pede secari, aut vasa hæmorrhoidalia hirudinum suctu aperiri præstabit: sin vero necessitas urgeat, ipsam in brachio fieri: post isthac habitam phlebotomiam, altera (si admitti poterit) in crure subsequatur: veruntamen monendum erit venæ sectionem caute admodum in his casibus institui debere, nisi enim juvamen præstat (quod raro contigisse novi) statim, pulsu debiliori facto, res ægrotantium in pejus ruit.

Dysenteria à simili fere causa cum prædictis affectibus ortum ducit: verum in hac, quia sanguis extravasatus illico profunditur, nec in corpore retentus illic molestiam facit, & plus adhuc corrumpitur: cumque hæc ὑστερικὰς via prope uterinum effluxum fiat, eumque postea non alio derivat, hinc minus ab hoc morbo, quam ab aliis prædictis periculi timetur, sæpenumero tamen hic affectus puerperis lethalis est; eo quidem potius, quoniam à dysenteria sanguinem attemperantia, & modice adstringentia indicantur: hæc vero lochiorum fluxum inhibere nimis apta reperiuntur: quare in hoc casu, donec puerpera diutino fluore fere satis expurgantur, alterius morbi curatio omittatur & tantum demulcentibus symptomatum ferocia compescatur.

Variolarum indicationes non modo ab istis supra descriptis dissident, at vero sibimet ipsis contrariis stipantur; etenim lochiorũ fluxus modice cohiberi (quemadmodũ dictum est) postulant, interea tamen, ut sanguinis efflorescentia, & blanda diaphoresis continuari debeant: cum enim in hoc morbo fermentum venenatum duplex exuerit, & particulæ sanguinis corruptæ in duplicem extrinsecus ferantur viam, cavendum est, ne minor, & angustior porta materiam aut totam, aut plus, quam extramittere poterit, ad limen suum attrahat; itaque ne lochia copiosius fluentia venenum, exterius efflorescere aptum, intus revocent, erit ratio victus non nihil immutanda, atque inprimis ægrotantium jusculis, quæ vi alexiteria, simulque abstringenti pollent (uti sunt radix tormentillæ & bistortæ) incoquantur, etiam Pulveres, Julapia, & Opiatas tali virtute præditas debitis intervallis exhiberi convenit: quin etiam in hoc casu nullo modo fœminis indulgeatur, ut carnibus earumque jusculo vescantur, aut lecto exsurgant: verum quiete, (quo fieri possit modo) tum animi, tum corporis procurata, & diæta ex his quæ sanguinem minime exagitant imperata, res fere in totum Deo à naturæ committitur.

Quæ superius de acutis Puerperarum morbis dicta sunt, facile esset historiis & observationibus illustrare: verum exempla, quæ hac in re adduci poterunt, maxima ex parte luctuosa & mali ominis erunt quippe, febres ista in mortem ut plurimum cedunt, Hujusmodi vero ægritudines describere, nec Medici confirmabit operam, nec Medicinæ methodum in iis usurpatam omnino probatam reddet, utcunque, siquidem harum notitia ad meliorem morbi istius diagnosin facit, libet hic puerperarum singulares quosdam casus, & symptomatum varietates proponere, in quibus licet curationum formulæ, & rationes parcius occurrant, saltem præcautionis regulæ quædam non contemnendi usus habebuntur. *Vide Willisium l. c.*

Titulus

Titulus VII.

De Febribus Malignis.

Caput I.

De Febribus Malignis in genere.

HActenus *Benignas* febres habuimus, sequuntur Malignæ, quæ vel *in genere* vel *in specie* considerantur.

[1] *Febres malignæ in genere consideratæ,* [2] *sunt febres* [3] *à causis occultis aliquis, &* [4] *ad venenositatem accedente qualitate instructis exortæ,* [5] *symptomata solito graviora inferentes,* [6] *nec tamen multos, nec subito è medio tollentes.*

[7] *Signa* benè observanda, quia [8] latere in principio solet, febremque mitiorem mentiri: hincque sæpè malignitas vires sumit, & ægro perniciem adfert, satius est hic nimis esse cautum quàm securum, *Sunt* verò symptomatum major quàm pro febris natura vehementia, & [9] peculiares prout in aliis morbis, occurrunt differentiæ, inprimis [10] *Virium* à principio insignis sine causa manifesta *debilitas,* [11] major quàm pro febris & caloris febrilis natura, *Pulsus* frequens, [12] parvus, debilis: aut si is naturalis videtur, fallere ex aliorum symptomatum præsentia agnoscitur; Est idem inter initia naturalis, sæpè formicanti similis, ob materiæ malignæ copiam, minimus & frequentissimus: est & transactis primis diebus, ob naturæ non-satis validæ cum morbo velitationem intercidens, [13] *Vrina* aliquando primis diebus sanorum similes: aliquando tenues, crudæ, aut sine sedimento, aut cum eodem, sed crasso & excremento potius simili: [14] aliquando crassæ, coloratæ, turbidæ, crassum, rubrum & turbidum sedimentum deponentes. [15] *Calor*, quam pro natura morbi & symptomatum mitior, [16] Symptomatum [17] animalium, [18] vitalium, & naturalium congeries, Tumorum vel macularum eruptiones &c.

[1] *Febres malignæ in genere consideratæ*) Maligni morbi nomen tam variis attribuitur morbis, ut non sit facile eum definire, *Galenus 1. Prorrhet.* ait esse morbum, qui etsi periculosus sit spem tamen salutis non adimit; quæ definitio etiam cuilibet acuto convenit, 4. *Meth.* definiens ulcera maligna, ea esse ait quæ omnibus rite factis non sanantur; quæ definitio, *inquit Argent.* morbis magnis ex propria ipsorum natura convenit, sed male, nam magni morbi cedunt remediis rectè administratis, nisi simul sint maligni, nam si non cedant, malignitas subest; A more morbi sumatur maligni & benigni differentia, qui mos differt à magnitudine.

Alii describunt malignum morbum, qui occulte & furtim nos invadit, quales sunt multæ malignæ febres, quarum calor blandus mitisque apparet, eum tamen postea ex improviso jugulent: Benignum contra vocant eum qui palam grassatur & symptomata sua prodit; Sed hæc quoque definitio non est universalis, etsi enim sæpe malignorum morborum symptomata sæva non appareant, interdum tamen vehementiam suam ostendunt, ut ulcera nervorum, venenorumque genus omne.

Rectius itaque morbum malignum vocant alii, eum cujus symptomata sæviora sunt quam natura & essentia illius postulet, sic malignam febrem judicamus quæ cum parva mitisque videatur, vehementia tamen habet symptomata, sicut in pestilentibus calor mitis videtur, urinæ concoctæ apparent, & tamen reliqua symptomata gravia sunt; id autem fit quia causæ febrili aliquid adest occultum quod ad causas manifestas reduci nequit, sed ad totius substantiæ proprietatem: Sic Elephantiasin, morbosque venenatos malignos censemus, quod eorum natura ad manifestas qualitates reduci non possit, sic homines malignos vocamus, qui speciem præ se ferunt bonitatis, & expressa habent indicia virtutum, interea tamen facinorosi sunt.

Quidam omnes malignos volunt esse Pestilentes, nec distinguunt, sed male, nam pestilentes sunt epidemii, maligni vero possunt esse sporadici. 2. causis differunt, nam *Pestilentes* omnes vult *Galenus* nasci ex causa communi, ut aëre, Maligni vero sæpe ortum habent ex causa particulari, sic ex phlegmone hepatis, ventriculi, diaphragmatis fieri vult febres malignas, *Prorrh. t. 22.* Maligni igitur morbi nomen latius patet quam pestilentis, omnis enim pestilens malignus est, sed non contra: Promiscue tamen sumitur pestilentis & maligni nomen, cum tantum gradibus differre videantur. *Primerosius.*

Maligna febris ita dicitur ob similitudinem ab hominibus malignis, qui sub specie recti decipiunt, num tales morbi apparent mites, revera autem sunt mali: In febribus malignum tale, item pestilens (hæc enim nonnisi gradualiter differunt) est materialiter nihil aliud quam nudum nomen, designans causæ occasionalis, sive materialis statum & conditionem, quia nempe hæc degenerat à natura sua, & mutata fuit, respectu nempe corporis universi patientis in pejus: *Etmuller p. 342.*

Natat quidem [illegible] *malignum* omnium in ore, sed res ipsa est obscurissima, tormentisque opinionum tam est obsessa veritas, vix ut tantilla ejus vis è longinquo se exserat, *Febris maligna est vehemens & molesta cordis irritatio, ex contagiosa & venenosa dispositione orta, cum gravioribus symptomatis affligens quam quidem ex causis cognosci potest.* Piens pag. 151.

[2] *In genere considerata*) Febrium Malignarum, alia est *Maligna simpliciter dicta,* alia est *Febris Pestilens*, alia est *ipsa Pestis*, Placuit Medicis hæc tria jure merito discriminare, quia sævitia symptomatum ac magnitudine causarum maxime discrepant; Nempe Febris simpliciter maligna generali sermone solet appellari illa in qua graviora apparent symptomata quam quidem ex causis

cognosci potest: At vero cum contagiosa facta sit, repitque contagio de conclavi in conclave, de domo in domum, de vico, in vicum, de pago in pagum, de urbe in urbem, etiam promiscue cadunt multi (non semper tamen ex aëris inquinamento, sed potius ex irregulari sanorum communicatione cum ægrotis) jam sunt Pestilentes, adeoque ipsa Pestis, ex qua centesimus vix evadit, sequitur.

Febris Pestilentialis, vocatur illa quæ sæviora adhuc dum habet symptomata quam maligna simpliciter dicta.

Pestis autem nuncupatur illa in qua usque adeo sævissime apparent symptomata ut plures ex ea pereant quam serventur. *Pieus Tr.2. de Febr. p.* 153.

2. *Sunt Febres*) Si inquiratur cuinam febrium classi malignæ ac pestilentes accenseri debent, eas solummodo continuarum classi adscribimus; Intermittentes eximimus, quia per intervalla adeo firmas Naturæ concedunt inducias, & dein regulariter & ad amussim suas observant periodos, quod cum diathesi venenata minime consistat: Etiam Hecticas à malignitate excipimus, quoniam secus non ita diu protelarent funera, quin veneni participes citius jugularent: E Continuis, licet synochos simplices haud immunes, tamen rarius hac labe tactas asserimus: Sæpissime autem Febris, quæ pestilitatis aut malignitatis notas exhibet, ejusmodi est quę Putridæ sic dictæ typum mentitur. *Willis.*

3. *Sunt Febres à causis occultæ &c.*) Cùm in his Febribus præter virulentiæ phænomena, continuam sanguinis effervescentiam advertamus, quæ velut in Putridis principii, incrementi, status, ac declinationis stadia pertransit, merito hic *sulphuream* cruoris partem excalefactam & accensam fuisse, atque incendio suo febrem induxisse statuimus: quare in hujusmodi febribus duo sunt imprimis notanda, scil. sanguinis *effervescentia*, & malignitas huic conjuncta, quarum modo hæc modo illa potior est: Etiam in utrisque magna est latitudo, & plurimi sunt intensionis gradus, juxta quos febris evadit magis aut minus acuta aut maligna.

Effervescentia ad eundem modum peragitur ut superius de Putridis dictum est, nimirum sanguinis pars sulphurea supra modum incalescens fervore suo velut incendium concipit: inter deflagrandum materiæ adustæ copiam ingentem in cruore accumulat, à cujus subactione & secluſione, solito febrium more, status & crisis depēdent; Super his vero sanguis venenato quodam miasmate infectus, inter deflagrandum ratione fermenti maligni, per partes coagulari ac putrescere incipit: quare præter usitata febris vulgaris symptomata, propter sanguinis portiones quasdam congelatas, aut nervosa affectas, syncope & spirituū dejectione nec non macularum ac stigmatum apparentia succedunt: Insuper effluvia venenata, quæ ab ægrotis decedunt vi contagii similem in aliis affectum concitare valent: quare ob perniciem & contagium, & varios eorundem gradus, febris Pestilens aut maligna dicitur. *Willis.*

Hanc sententiam non inepte refutavit *Carol. de la Font.* Medicus Avenionensis, *Tractatu de Venen. pestil. nat. & cura* dissert. 1. c. 15. Qui potius venenum corrosivum, de natura arsenici, causam Pestis, hinc & mutatis mutandis, *malignarum febrium* statuit. *Etmuller.*

3. *A causis occulta aliqua &c.*) Tum ex enarratis symptomatis, tum ex iis quæ malignitati resistere eandemque superare valent, judico, malignarum febrium causam, si non semper, ut plurimum saltem *Sal* esse tum *volatile*, tum *acre*, quod *Glandularum liquorem subacidum* concentratione noxia enervet, atque inertem invalidumque præstet; unde *Sanguinis consistentia naturalis imminuatur*, ac proinde *ejusdem rarefactio* eludantur, quia non raro *animalium spirituum* secretio impediatur, hinc & reliqua symptomata enumerata producantur; prout nimirum *sal* illud *volatile acre*, aut cum aëre in pulmones, hinc & sanguinem quoque inspiratione allicitur, aut cum alimentis vel saliva in ventriculum deglutitur, aut per corporis poros sese insinuans, vel glandularum liquores primum, vel una cum sanguine ipsos inficit, enervat & viriat, Hinc namque symptomatum variorum, modis variis in malignis febribus observatorum varietas pendet.

Sanguis ergo minus consistens rarefactionem sustinet minorem, unde non tantum pulsus sequitur parvus, sed & languidus: quin præterea opprimitur extinguiturque faciliùs Ignis vitalis in sanguine accensus & sustentatus obruitque tam sæpe imparatos morte inexpectata: Febrium autem omnium malignarum causam existimo *forinsecus* advenire, numquam per se in corpore ex corruptis sponte humoribus produci: Idem de Febre Pestilente, & Peste dicendum judico, *Sylvius de la Boe Prax. lib. 1. cap. 33. & Tr. de Peste.*

Quæritur in specie, in quonam consistat *malignitatis ratio formalis*, tam *morborum malignorum quam in specie Febrium* Malignarum? De hac controversia quatuor primariæ sunt Hypotheses 1. Asserit consistere malignitatem in *singulari corruptione humorum*, qua iidem putredine quasi afficiantur, & ita singulari modo corrumpantur: Verum cum non explicetur in quo consistat putredo talis, neminem sententia hæc sapientorem reddit. ij. est *Willisii*, quam vide supra §. *Sunt Febres à causis multæ &c.*) iij. est *Sylvii*, qui *malignitatem quamcumque* in *acrimonia* nimia, nunc *lixiva*, sive *urinosa*, nunc acida consistere asserit, In specie autem in febribus malignis peccare acrimoniam *salis volatilis alkali* nimis acris, enervantis acidum lymphæ & sanguinis: *Vide fusius superius ex ipso Sylvio.*

Quarta est eorum qui malignitatē consistere volunt in Verminatione, sive *Putredine animata*, Hujus sententiæ patronus est *Kirkerus* in *Pestis scrutinio & alibi*, qui innumeros vermiculos minutissimos in quovis subjecto putrescente, in plantis putridis, aceto, lacte, cadaveribus, lignis, fructibus sed & in sanguine febrientium, in cerebro hominis, aliisque ejus partibus ex putredine ortos per microscopium observavit, *August. Hauptmannus* ejusdem est sententiæ, qui omnes morbos ex putredine maligna exortos suum ex verminosa substantia ortum trahere assent; Sed hanc sententiam, & hinc malignitatem derivatam, optime ventilat *Marcus Marci Phil. vet. restituta p.* 4. 5. 8. dum docet Vermes nonnisi accedente putredine, sive corruptione sanguinis & humorum posse generari, adeoque potius esse effectus corruptionis malignæ quam ejusdem rationem formalem.

Ex modo allegatis hypothesibus, eam probabilissimam arbitror quę in *acrimonia intensissima*, & simul summe *volatili* consistere malignitatem statuit, sive *acerrimum fermentum & spirituosum*, adeoque intime penetrans, & tam *fluidorum corporis* texturam immutans, quam *solidorum sensibilitatem* singulariter irritans, esse *causam fermentalem* (formalem) malignitatis, vel, ut *Sydenham* loquitur *observ.* in acutis, *Malignitatem in epidemicis morbis, in particulis calidissimis & spirituosissimis* consistere, ita ut malignitas ad venenorum naturam, quorum vis in *acrimonia summa* sub minima mole *insigniter activa* consistit, accēdere videatur: *Sylvius* equidem in Febribus malignis *acrimoniam lixiviosam* sive alkalinam intelligit; sed cum *alkalia* potius passive se habeant quam active, & ubique *acidorum* ductum sequi soleant, nervosarum etiam partium symptomata, v. g. deliria, vigiliæ &c. in plurimis perquam frequentia, potius ab *acido acri* quam urinoso videantur oriri: Et *constitutio partium vitalis*, quarum vis, tam *solidarum* quam *fluidarum*, sive veterum *calidum nativum*, quæ in malignis in specie oppugnatur, in *acido volatili*, (quatenus *Tackenius* hactenus probabilissimis

mis dum meliora monstrata nondum sunt, hypothesibus insistere placet) potissimum fundata sit, quæ nonnisi à *symbolisante*, sed *vitioso*, & illud quasi *subligante* vitiari potest, *acido*.

Remedia quoque usitatiora, ut *salia volatilia*, *camphora*, *animalium partes duræ ut e. g. ebur. unicornu*, item *terra pingues*, & plus minus *temperando absorbentes*, *terra sigillata*, *bolus Armena*, Item *antimonium diaphor. bezoart. min. remedia solaria, diaphoretica, speciatim vi acidi volatilis temperativa* & *correctiva*, ac plus minus *fixativa* polleant, Probabilius videtur *acidum acerrimum volatile* sive spirituosum, potius *malignum* istud in febribus constituere, quam *urinosum* sive *lixiviosum*: Unde etiam *Causus*, aliæque fixiores continuæ febres, tam vicinæ sunt *Malignis*, ut hæ subinde sub illarum tegmine lateant, & illæ quoq; promptissime in has degenerent, quatenus facile *fermentum febrium* illarum benignum, sive *mitius*, acrius & volatilius reddi, indeque malignitatem veram contrahere potest; Ut taceam *variolas*, *pleuritides*, ac similes, manifesto ex *acido* natas febres, sæpe malignas simul existere: Sed si rite hæc consideremus, *Benignitas* hactenus explicata, nonnisi illas febres attingit quæ ex contentis humoribus, maligno tali fermento inquinatis, oriuntur; quæ mitiores saltim esse videntur, cum *graviores* ex infectis, & maligno afflatu quasi *vitiatis spiritibus* primariò oriri videantur, qui infecti exinde notabiliter immutati, & plus minus siderati, sive ex parte mortificati, contenta corporis, in specie sanguinem pessime vitiantes, maligniorum febrium, & speciatim pestilentialium, ipsiusque pestis fundamentum existunt. *Etmuller parte 1. p. 345. & sequ.*

4. *Ad venenositatem*) Venenum in corpore genitum in febribus malignis est fermentationis peregrinæ soboles, sæpe tamen non tam à priori quam posteriori factum: Quando enim, vel ob aëris austrinum frigidioremve statum, ob errores diætæ, vel contagium quoque, leges proportionis sanguinis & seri violantur enormius, consistentia, motu & calore læsis, periculum ruinæ subit machina, peregrino inducto æstu, varius cum effectibus sinistris, inprimis sal volatilius redditum, rarefaciens sulphur, sero diluente excusso, ferociens hinc & quassans corpus accusari meretur; unde sanguis emissus rutilans, cinnabarinus, sero quasi incoctus visitur, *Wedelius*. Vide lib. vi. Tit. 2. c. c. 1. §. *De Venenis*.

5. *Symptomata solito graviora inferentes*) Quando febris vulgo increbescit, quæ pro symptomatum varietate *Putrida* sic dictæ indolem refert, cui nimirum adsunt sitis, ardor, lassitudo, anxietas, linguæ asperitas, vigiliæ, phrenitis, vomitus, inappetentia, syncope, lipothymia, cardialgia, aliorumque terribilium accidentium syndrome; si præterea accedant maculæ, aut exiguis pulicum morsibus similes, aut vibicum instar latæ, ac lividæ, hunc morbum mali moris existimamus: Super his, si solito febrium ritu non judicatur, quin ægrorum vires sine causa manifesta prosternuntur, & contra Medici prognosticon mors sæpe improvisa & insuspecta advenit, adhuc major ingruit malignitatis suspicio: *Willis de Febr. cap. 11.*

5. *Symptomata solito graviora*) Fundamentum diagnosticum febrium malignarum habet *symptomata majora* sive *graviora*, aut *solenniora* quam solent ex causa ordinario modo constituta oriri, adeoque qualia alias in tali morbo adesse non solent: Hinc sequitur fundamentum prognosticum, periculosos esse tales morbos, & speciatim febres, & quod sæpius acutæ ad mortem terminentur e. g. Febris hæc ex vitio digestionis primæ subnato fermento febrili est Tertiana; si more alias solito omnia procedant, est benigna; Si vero in eadem, tanquam in ardente, vel animi subinde supervenient deliquia, vel ægros anxios admodum cum pulsu parvo in vigore paroxysmi existere videmus, significant fermentum febrile, ejusque somitem depravatum & corruptum, adeoque subesse malignitatem. *Etmuller pag. 342.*

6. *Nec tamen multos nec subito è medio tollentes*) Si enim ægrotantium plurimi intereunt, ac qui ægris conversantur ejusdem morbi labem contrahunt, ut per totos sæpenumero vicos, aut civitates idem morbus grassetur, supra *Malignæ* appellationem *Febris pestilens* dicetur: cujus adhuc probationem facit si communi quodam symptomate passim in plurimos desæviat, ut cum angina, dysenteria, aut sudor funestus, qualis olim in Anglia increbuit, hujusmodi febres comitantur: Quod si febris exoritur quæ plures in eadem regione degentes fere eodem ritu simul afficiat, quæ tamen decursu suo Putridæ vulgaris leges observet, & fere simili modo judicetur (nisi quod in aliquibus insigni cacochymia laborantibus, Bubonum aut Macularum apparentia, crisi interdum funesta & contagio in alios serpente, malignitatis quædam signa prodit) hæc minime Pestilens, sed tantum *Febris maligna* dicitur. *Willis.*

7. *Signa bene observanda*) Præter contagium & perniciem, Febris malignitatem ostendunt subita virium dejectio, pulsus debilis & inæqualis; cerebri & partium nervosarum mala affectio subito inducta; vomitus immanes, linguæ nigredo, acredinis per totum corpus suffusio, præsertim vero macularum, bubonum aliorumque stigmatum apparentiæ. *Willis.*

Febris nomen malignæ sortitur quoties subito ac inexpectato vires ægri prosternuntur, aut symptomata occurrunt quam in affectu simili observari solent, longe graviora; *Vires* prosterni solitæ sunt vitales dictæ, ex *Pulsu* vel mox à principio nimis debili, vel subito multum debilitato, vel inopinata morte ægros obruente, dignoscendæ ac dijudicandæ.

Observatur plerumq; *Horror* levis præcedere, ipsumque *calor* mox subsequi, raro quidem magnus, sæpius mitior, adeo ut de ipso vix conqueri soleant ægri, *urina* ab urinis sanorum parum vel nihil utplurimum differunt, *Pulsus* frequens quidem est, ast simul parvus ac debilis, & modis omnibus inæqualis, quandoque intermittens aut deficiens, sæpius *sopor* aut veternus, rarius *Vigiliæ* urgent: *Insomnus* turbulentis anguntur crebro ægri, crebraque corporis *Inquietudine*, *Cardialgia* crebro adest molesta; quandoque *Nausea* quin subinde *Vomitus* quoque, ut & *Capitis dolor*, & nonnunquam *Delirium*, aut *Vertigo*, *Sitis* major sæpe quam corporis fauciumque ardor, membra omnia videntur aliquando *labore* multo *defatigata*, & præ lassitudine quasi quassata, *Biliosi fœtidique alvi fluxus* quandoque accedunt, *Sanguinis e naribus uterove stillicidium*, vel *fluxus copiosior* subinde concurrit, eductusque aut effluens sponte *sanguis* plerumque coagulari nescit: *Macula* atque *vesicula*, tum colore tum magnitudine multifariæ nonnunquam erumpunt in corporis superficie; *Tumores* autem in glandulis: Aliquando *Extrema* subito *incalescunt*, mox iterum *refrigerantur*: *Sudores* vel nulli vel satis copiosi sponte prodeunt, à quibus ni leventur ægri, præsertim quando arte promoventur, conclamatum est: *De le Boe Sylvius Prax. Med. l. 1. c. 33.*

8. *Latere in principio solet*) A modo invadendi malignam judicat Febrem *Ram. Joh. Fortis Tr. de Febr. p. m.* 64. cum sævit intense & atrocior statim ab initio, Cum enim ex *Hippocrate* circa principia & fines omnia sint imbecilliora, nec nisi vi adaucti morbi adaugeantur symptomata, si intra principii limites statim appareant sæviora, signum est præsentis causæ vehementissimæ, & aliquo pacto veneficæ: unde recte *Hippocr.* 3. Progn. 2. dicebat, quod simplicissimæ febres, & signis firmatæ securissimis, quarto die aut citius desinunt, Deterrimæ vero, ac signis affligentes difficillimis, quarto die aut

citius interimunt: Per *deterrimas* autem malignas intellexisse credit *Galenus*.

8. *Quia latere in principio solet*) Hæc & similia symptomata varia observantur, sed sæpe latent febres tales, ut nonnisi tarde subinde Medicus eas valeat internoscere: Sed suspicio earum oritur 1. quando ægri plus solito sint *imbecilles*, citra manifestam causam, 2. quod licet omnes functiones sint naturales, tamen *appetitus* penitus sit prostratus 3. *agrypnia* etiam sine quacunque causa ægrum vexet 4. quod *urina* tales sanorum similes sint 5. *Pulsus* minor plus minus debilis, 6. quod citra calorem magna adsit sitis, cum aridura linguæ & faucium: Quia etiam critica symptomata nonnunquam malignitatis signa mentiuntur, eadem distinguere docet *Poterius* l.1. de Febr. c. 28. nempe omnia symptomata gravia, quæ apparent ante signa coctionis, morbi maligni ratione fiunt: at post coctionem pendent à conflictu naturæ & morbi, nilque maligni habent præter speciem & apparentiam. *Etmuller*.

9. *Peculiares differentia*) Licet maxima discriminis ratio qua hujusmodi febres ab invicem & ab aliis distinguuntur, in earum pernicie & contagio consistit, tamen aliquando symptomate quodam peculiari insigniuntur, è quo tum malignitatis nota, tum nominis appellatio pro isto tempore desumuntur: hinc quibusdam annis febris epidemica regnat, quę plerisque affectis anginam, alio tempore pleuritim, peripneumoniam, dysenteriam, aut alium quendam affectum, eumque periculosum sæpe & contagiosum induxerit: adeo morborum semina non solum à parentibus ex traduce derivata fructus suos, velut designatione quadam, in eadem parte aut membro excitant, verum etiam ex miasmate communiter grassante suscepta ejusdem modi ac typi affectus in omnibus producunt: quod tamen existere puto, non quia venenati miasmatis semina hanc aut illam corporis regionem virtute quadam peculiari respiciunt, verum hæc sanguinis massam simili titu ita in omnibus afficiunt, ut necesse sit istius labis eluendę gratia crisin in omnibus eodem modo tentari: Cum enim absque malignitate sanguis ob coagulationem, aut forsan alias causas, extravasari aptus fuerit, loca usitata, in quibus ejusdem extravasati portiones defigi solent, sunt guttur, pleura, pulmo, & intestina: quare nihil mirum est quando à causa maligna sanguinis congelatio, atque id propter extravasatio inducitur, si morbus in assueto Naturæ foco niduletur. *Willis*.

10. *Virium à principio insignis*) Unde *omnia ista virium prostratio*? Nempe afficiuntur in febribus malignis primario quidem *contenta corporis*, utut secundario etiam *acres maligna particulæ nervosi generis* partes quasdam v. g. ventriculum plus minus affligere soleant; Prout autem particularum fermentativarum est differentia in proprietatibus & activitate, ita etiam malignitas quibusdam in febribus humores, præsertim sanguinem inquinat, in aliis vero spiritibus magis infesta est, quorum prævio inquinamento & massam sanguineam plus minus afficit: ut hoc pateat observandum, quod symptomata illa inter graviora & insolentiora, primatum ducat *Nimia virium prostratio*, tam ex ægri narratione quam ex pulsu observanda.

Cum vero omnis vis corporis, viriumque robur in spiritibus situm sit, non poterit in malignioribus febribus tantus virium collapsus tam esse repentinus, nisi malignitas sive venenum primo spiritus occupet, hisque in specie inimicum sit, & his mediantibus contenta cætera fluida, speciatim sanguinem inquinet; id quod ulterius cætera concurrentia symptomata confirmant, pulsus nempe parvitas & debilitas; urinæ in malignioribus aut pessimo ægri statu naturalibus similes, subinde item agrypnia ac delirium; In talibus febribus cito ac frequenter affligens contagium, efficacissime ac latissime, in distantiam, raro se diffundens, quod salem spirituosis ac subtilissimis effluviis competere potest.

Sunt autem *Spiritus*, virium fundamentum, duplices *vitales* vel *animales*, qui tamen mutuo nexu, & functionum circulo mutuas opes sibi conferunt, & ad conservationem sui totiusque corporis intime conspirant: Probe itaque attendendum, utrum in maligniori febri magis *spiritus vitalis* cum massa sanguinea vitiatur, an vero *spiritus animalis & genus nervosum*.

Spiritus vitales, & hinc massam sanguineam primario affectam esse persuadent 1. *Æstus intensus*, cum *pulsu* celeri, frequenti, parvo, 2. *Sitis* clamosa, *fauces arida*, lingua scabra, nigra & fissa, 3. *Æstus* moderatus cum *pulsu* celeri, frequenti & inæquali, mox sub ingressu lecti apparentes.

Spiritus vero *animales*, ac *genus nervosum* primario magis affectum ostendunt 1. *Ardor capitis* circa frontem continuus, & longe intensior quam in reliquo corpore 2. *Pulsus durus*, citra partis cujusdam membranosæ in quadam corporis regione notabilem affectum, simul celer, frequens &c. Tales *pulsus cum duritie* semper suspecti esse solent.

3. Si cum pulsu laudabili, h. e. magno, vehementi, æquali, frequenti, *æstu* plus minus intensio/, tamen *summa virium prostratio*, aut stupor, aut facultatum animalium defectus se exerit, 4. Si urina parum à naturali statu deflexerit, aut tenuior quam morbi ægrive conditio requirat fuerit, adeoque pertinaciter cruda extiterit; *Agrypnia* pertinaces sine manifesta causa.

Forsan & 6. huc pertinet si arida, scabra, squalida plus minus ægri cutis fuerit absque vaporoso calore, vel blandi madoris vestigio: Talium, adeoque malignarum febrium, qua spiritus afflando quasi adeo pessundent, ratio à priori hactenus imperscrutabilis extitit, ipsa spirituum natura, & existendi ratione nondum adeo exacte explorata; Sane contagia magis activa, atq; spirituosiora & potentiuta in spirit. inprimis agere, præter modo dictas rationes, persuadet *imaginatio*, quæ nonnisi spirituum ministerio peragitur, & tamen efficacissime contagiorum receptionem promovet, *Emuller pag.* 347.

11. *Major quam pro febris & caloris*) Ex supradictis lucem fœneratur, unde *æstus & febrilis sanguinis ebullitio* ut plurimum remissior observari soleat in febre maligna, & vix unquam ad gradum ardentium assurgere, pessimo licet ægri statu, Unde notatu dignissimum est assertum *Sydenham*, quamvis malignitatem, quæ sanguinem adoritur sine insigniori febrili ebullitione, periculosiorem longe esse, aut enim *spirituum* magis affectorum, & quasi syderatorum quam turbatorum humorum est indicium, aut salem in *humoribus*, præsertim *sanguine*, à fermentativis malignis miasmatis confusionem, & in textura & motu intestino eorum inordinationem indicat: undè natura quasi oppressa, non potis est symptomata illa magis regularia exerere quæ morbo competunt.i

Sane in istis malignis, quæ cum excretione cutanea contingunt, v. g. petechialibus, variolis, purpura &c. tantum abest ut *æstus & sanguinis ebullitio* gravioris morbi sit indicium, ut potius, modo non nimius fuerit, promoveat insigniter separationem & excretionem producti illius morbosi sub cute defixi: Cum hi contra periculosius habere soleant, in quibus deficit magis calor & æstuatio corporis febrilis, unde & parcius & tardius excretio talis cutanea procedere solet. *Idem ibid.*

12. *Pulsus parvus*) Ubi in febri quæ plus minus simulat ardentem, Pulsus est parvus, ibi certo colligendum subesse malignitatem: adeo ut quamdiu nonnihil magnus existit, vel quantocyus ex parvo nonnihil major evadit, semper bonum esse solet. *Emuller*.

13. *Urina*

13. *Urina*) Urina coronam habet claram, medium oleosum, in fundo sedimentum exhibet. *Walæus Med. Pract. l. 2. c. 13.*

14. *Aliquando crassa*) Interdum in statu turbidæ fiunt, sed tenues sunt, indeque parum vel nullum sedimentum deponunt; simul etiam color talium dilutior est, quod tamen nil boni denotat: Unde malignis in febribus coctionis & cruditatis ratio non habetur tanta quanta in benignis; Interea tamen, etiamsi pessime habuerint ægri, modo tamen in summa virium prostratione urinæ excernantur crassæ, ac fiant turbidæ, & sedimentum plus minus copiosum, vel candidum, vel lateritium, similevè, sed æquale deposuerint, tamen semper bonum signum est, & cum tali urina neminem intereuntem observavi. Quin & sudores antea impossibiles, aut similes huic excretiones cutaneæ sponte prodire solent: Econtra in febre maligna, etiam melioribus signis præsentibus, urina tamen cruda & perspicua, licet crassa & intense tincta existente, & ita perdurante, tamen nihilominus intereunt ægri, utut etiam in tali clara urina aliquid sedimenti flavescentis seorsim natare videatur; hoc enim chyli portiuncula est, ex assumptus cum urina secreta. *Etmuller.*

14. *Aliquando crassa*) Quo urinæ in febribus malignis primis diebus turbidiores, hoc melius de ægri rebus sperare soleo, quod videam magnam peccantis materiæ partem ita commode evacuari; quæ retenta in corpore, irruit sæpe in partes nobiles & tragœdias excitat: Non tamen perpetuum hoc esse experimenta loquuntur, quandoque enim, licet rarius, urina in malignis sana nihil mali portendit, quod peccans humor per metastasin alio declinet, *Olaus Borrichius.*

15. *Calor pro natura morbi*) Calor eam non habet acrimoniam quam aliæ febres benignæ fermentativæ sive putridæ, si nempe ejusdem generis benignas vel malignas conferas, symptomata tamen sunt graviora: Interdum foris non admodum vehemens sentitur calor, qui intus tamen exurere solet: Interdum ægri monstrant regionem stomachi, sive præcordialem, Certe dum conqueruntur ægri de intensissimo *calore interno*, partibus externis moderate calentibus, pravum malignitatis signum est. *Etmuller.*

16. *Symptomatum animalium*) Dum sanguis effervescens etiam fermento maligno & venenato inficitur, non tantum propriæ ipsius massæ coagulationes cum dispositione ad putredinem inducuntur, verum & liquor nervosus facile hujus labem contrahit; unde cerebro & spirituum animalium regimini improportionatus factus, in iis magnas anomalias concitat: quare hujusmodi febribus non solum maculæ, & exanthemata, verum sæpissime *delirium*, *phrenitis*, *sopores*, *artuum tremores*, *spasmi* & *motus convulsivi* superveniant: Non raro observavi quibusdam annis febres malignas increbescere, quæ sine stigmatum apparescentia virulentiam suam, præcipue circa genus nervosum ostentarunt; quippe in nonnullis mox ab initio somnolentia cum insigni *capitis dolore*; in aliis *vigiliæ* pertinaces, animi perturbatio cum tremore, & motibus convulsivis; in plerisque vero crisis aut nulla, aut tantum infida, ejusque vice materię febrilis ad cerebrum translatio sequuta est; Has insuper febres contagio in illos serpsisse, ab iisque plures interiisse animadversum est, ut ideo malignæ dici mereantur. *Willis* Agrypniæ utplurimum ægros vexant, mox à principio, sine causa manifesta, exque nunc anxiosæ, nunc absque anxietate: Hæ ex affecto nervoso genere & spiritibus animalibus, illæ ex stomacho & præcordiis male habentibus originem ducunt. *Etmuller.*

17. *Symptomatum naturali*) Annis 1649. & 1650. observavi in omnibus febribus malignis, quæ adeo grassabantur ut omnis generis remedia eluderent, Quod quicunque ab initio de corde, ut vulgo dici solet, conquerebantur; omnes ferme interierunt; Causam in malignam qualitatem jam in majora vasa & intimas corporis partes irrepentem referendam censeo, Et ventriculum, graviter à venenata illa qualitate citius affici quam remedia illum oppugnantia exhiberi possent. *Obs. 98. cent. 4. apud Riverium,*

18. *Naturalium*) Inter quæ est *Sitis*, quæ in febre maligna aliquando tanta est ut communem febrium conditionem longe superet: Et cum calor in malignis non soleat esse tantus quantus in ardentibus, imo interdum adeo mitis ut ægri de eo non conquerantur, nihilominus tamen gravissime urgeat sitis, signum est subesse malignitatem: Quod si Potus, extinguendæ sitis gratia porrectus, non solum nil prosit, verum etiam simul fluctuationem aut anxietatem pariat, linguamque scabram aut aridam reddat, malignam perniciem subesse indicium est. *Etmuller.*

Appetitus etiam subito omnis perit, cui interdum nausea & fastidium ciborum succedit, & quando ægri aliquid jusculi, vel tantillum alimenti sine nausea, aut insigni adstantium persuasione assumant, semper bonum est signum, inprimis si adhuc saporem percipiunt genuinum: quod etiam valet si potum ordinarium ferre valeant, nec illum aversentur. *Idem.*

Alvus interdum *clauditur*, id quod melius est, præsertim quando excretio cutanea expectanda; frequentius nimis fluida est, & excreta liquida, fæculenta, pessime olentia excernuntur, Uno nomine *fluxus colliquativus* est, *Idem.*

Causa.

19. *Causæ* sunt vel *humorum apparatus*. 20. vel *contagium*.

21. *Curatio* est *difficilis*. si majora & constantiora symptomata apparent. 22. Stillicidium sanguinis ab Initio magnam humorum ebullitionem, pravam qualitatem, & imbecillitatem significat. 23. *Perficitur* 24. Bezoardicis, & aliis: de quibus in Differentiis.

19. *Causæ sunt vel Humorum apparatus vel Contagium*) Hujusmodi febres nonnunquam à venenato miasmate primo inchoantur, & sanguis particulis veneni tactus sponte effervescentiam concipit ac incenditur, ut cum à *contagio*, aut maligno aëre inspirato quispiam sine causa evidenti aut pre-dispositione in febrim malignam inciderit: Interdum vero intemperies febrilis à causa propria inducitur, ac dein sanguini effervescenti malignitatis semina, aut intus in corpore latentia se exserunt, aut aliunde ex aëre contaminato, velut pabulum flammæ prius accensæ adveniunt, etenim crebra observatione constat, tempore quo febris epidemica grassatur, alias quocunque modo ortas in ipsam migrare. Febres Malignæ, ut & Pestilentes, plerumque sunt populares, ac plures simul invadunt: verum aliquando privatæ, ac sporadicæ, ut forsan unum aut alterum in tota regione solummodo corripiant: In tali casu suspicandum est eas, non ab aëre maligno, aut causa epidemica, sed à *morboso corporis apparatu* provenire: Nam sæpius observavi, quod cum vere, aut autumno, febris satis vulgaris in

urbe, aut vico quodam grassaretur, è qua ægroti plurimi evaderent, forsan aliquis, cui prædispositio mala, & causa evidens fortior febrem induxerit, cum symptomatis magis horrendis, & insignibus malignitatis notis decumberet, In quo casu ista malignitas non febris communis dicenda, sed tantum sporadica & accidentalis. *Willis.*

Circa causas hujusmodi febrium non multis opus est, respectu *malignitatis*, ut plurimum à *vitiosa aëris constitutione*, respectu *efferverscentia febrilis, à morboso corporis apparatu* erunt deducendæ: Vtraq; ex iis quę de febre Putrida dicta sunt, & causis Pestilentiæ dicenda, facile elucescunt: Si malignitas sit febre validior, eamque induxerit, ipsius impressio erit vel *auræ inspiratæ*, vel *contagio* ab aliis suscepto imputanda: Sin *febris* sit prior, ejus accensio transpirationi prohibitæ, crapulæ, aut alicui causarum evidentium supra enumeratarum adscribetur. *Idem.*

20. *Vel contagium*) Quoad malignas contagiosas, fundamentum harum consistit in tali *fermento maligno morboso* (h.e. quod ob acrimoniam malignam summe activum, adeoque sui mediante intestinu, quasi fermentativo motu, apta in materia, multiplicabile existit; ob volatilem vero & spirituosam naturam, spiritibus nostris inprimis communicabile, & hinc absque activitatis impedimento, in distans quoque diffusibile & summe penetrabile est) quod auræ sive odoris instar, adeoque in minima mole contentis nostris, præsertim spiritibus nostris sociatur, assimilationis modo se multiplicans, effluviorum spirituosorum medio longius in distans, vel per *aërem*, vel per alium quendam fomitem, aut etiam per ipsum cum corpore ægri contactum disseminatum spiritibus sibi symbolizantibus se sociat, sicque etiam sanum inficit.

Nempe *Contagium* istud videtur se inprimis associare *mumia nostra spiritui vitali*, hinc etiam v.g. in peste humana homines, non vero bruta, & contra inficiuntur: magis itidem ab ægris consanguinei quam alii affici solent: Contagium tale, quod *aëre mediante* se nobis insinuat præterea sensibiliter afficere solet *stomachum & massam sanguineam*, *spiritusque* per Pulmones circulatos.

Quod afficiatur *Stomachus*, ex eo patet quod tales infecti, ubi alias nullam alterationem sentiunt, conqueruntur tamen de quadam molestia in orificio ventriculi superiori, quam molestiam sæpius sequitur nausea, quæ si superveniat bonum est signum; innuit enim ventriculum insurgentem contra malignitatem: Et sane recte dicit *Lindanus* in constitutione epidemica hoc esse observatum neminem nauseare nisi qui μίασμα contagiosum suscepit.

Hinc in quibusdam febre maligna mortuis ventriculus alteratus eschara tanquam à vesicatorio aut caustico affectu deprehensus fuit: Contagium autem afficit stomachum, quatenus Aër haustus, contagio plus minus inquinatus & impregnatus, salivam inquinat, quæ per ventriculum descendens ventriculum inficit. *Etmullerus Pr. Med. p.349.*

Prognosis.

21. *Curatio est difficilis*) Quoad *Prognosin*, omnes equidem Febres malignæ periculosæ sunt, & pessimi sæpe omnis: quo periculosiora tamen cum viribus debilitatis concurrunt symptomata, eo majus periculum portendunt: Interim verissimum est *Hippocr.* effatum, In acutis incertas esse prædictiones vitæ & mortis: Unde & *Galenus* malignas febres statuta ad judicandum non habere tempora asserit.

Ideo Medicus prudens sit in Prognosi, Plurimi enim cum periculosissimis evadunt signis, alii cum salutaribus è medio tolluntur.

Quo magis æqualis est *Pulsus*, & consuetum eundemque tenorem servat, eo melius: inordinatus vero, inæqualis, & quasi contractus, periculosus, præsertim in principio, Inprimis quo *major Pulsus*, eo melius, quo *minor*, eo deterior.

Urinæ si sanorum sunt simillimæ, vel etiam perturbatæ & crassæ, tales permanentes malæ: multi coctionis signis in urina apparentibus, sed denuo recrudescentibus sublati sunt è medio; Urina tamen cocta, laudabile habens enæorema, per aliquot dies continuans, & in sedimentum sensim abiens, salutem certam certo pollicetur: Rarum est, quod cruda urina metastasim materiæ peccantis, sive producti morbosi in morbis malignis felici eventu insinuet.

Delirium si à somno compescatur, non est metuendum, inprimis si simul copioso conjunctum sit sudori, Post somnum autem perseverans delirium, admodum est periculosum.

Surditas, sive potius *Obauditio*, in morborum acutorum principio periculosissima, circa statim vero apparens salutem portendit; id quod aliquoties observavi, *quare*, nondum determinatum est; forsan ad parotides glandulas decubitum quendam quasi criticum innuit, & successivam hinc discussionem materiæ peccantis: Si quidem & parotides tumores in febribus malignis & purpuratis lethales in augmento & statu morbi, si vero tantillum declinante morbo appareant, salutares.

Si in vola manus æger sentiat *tensiones* aut *titillationes*; Item si circa carpum, dum pulsum tentat Medicus, tendines, etiam quiens digitis, moveri aut subsultare videntur, *convulsionum* certo imminentium signum est, Muscarum venatio, aut floccorum collectio in malignis, fere semper lethales, rarissime tales evadunt.

Tempus eventus acuti morbi, sive febrium malignarum quod attinet, in nostro climate à 7. ad 14. fere suos terminos habent.

Quoad modum eventus, fere modo quasi critico judicantur, nempe per *sudores*: Quo pertinent *excretiones cutanea* pustularum, petechiarum &c. nunc per metastasin producti nempe morbosi, à fermento quidem maligno geniti, ipsum tamen fermentum cicuratum & correctum in se continentis, ad loca glandulosa, unde bubones, anthraces &c. originem habent *Etmuller p.351.*

Solicitus sit Medicus in cura ægri, febre maligna correpti, præcipue circa tria hæc, nempe *Oculos*, *Linguam* & *Manus*: *Oculos* quidem, ut possit judicare de futuro *delirio*, quando nempe sunt ignei & quasi fulgidi; aut quando aspectus eorum est paulo ferocior, delirium imminet: *Linguam* vero consideret, ac fauces, ut cognoscat, an immineat *prunella* aut faucium excoriatio & exulceratio, aut alia similia pathemata: *Manus vero*, ut cognoscat an convulsiones sint metuendæ. *Idem pag.358.*

22. *Stillicidium sanguinis*) Quod semper malum signum est, præsertim si cum agrypnia, sine magna causa, ardore capitis, aut continuo magis, aut intenso magis quam reliqui corporis, faciei simul rubor adsit, raro tales evadunt; nempe spina peculiaris (fermentum malignum) capiti quodam in loco, aut ejus membranosis partibus infixa est, cujus occasione hæc symptomata; Hinc *vesicatoria* brachio aut cruribus admota: item *venarum sectio*, aut *hirudinum* pone aures applicatio subinde necessaria est. *Etmuller.*

23. *Perficitur bezoarticis*) In morbis malignis potius in alterationem per alexipharmaca incumbendum videtur quàm in evacuationem: at dicet quis jam, videmus iis qui laborant febribus malignis & morbis id genus, urinæ magnam contingere excretionem, absum

multis

multis & biliosis ferri excrementis, morbo præsertim ad crisim eunte, idque eodem modo fieri quo videmus in aliis morbis evenire, in quibus simplex putredo virium facit: At dicendum sciendumque est eam quæ contingit excretionem non tam moliendam esse quàm naturæ opitulandum, & oppugnandæ malignæ qualitati studendum: tales enim humores, etsi fortassis sunt ejus qualitatis participes, hi tamen non tam per se ipsos morbum alunt foventque, quàm extranea quædam putredo & qualitas maligna ordinariam putredinem sua malignitate superans: Sic agendum primum eum maligna qualitate, deinde, cum fracta domitaque fuerit, cum humoribus agendum: At dices, in Lue Venerea multa tentatur excretio per cutim & alvum licet potius qualitate infestet, quoniam coeffunditur humor bonus fovês tanquam subjectum istud virus, sic in morbis malignis fieri debet: quanquam credo à multis graviter peccari, & non abs re Hippocr. τὸ θεῖον in morbis observandum putavit, id est, videndum esse Medico num præter humorum solitam putredinem, sit aliquid quod propter putredinis excellentiam aliam curandi rationem postulet, Est enim ubi vacuare & coquere oportet, est ubi alterare oportet, id est, oppugnare alexiterio: Si enim insignis aliqua sit evacuatio, ubi in virium robur & qualitatis malignæ evictionem incumbere oportet, hic graviter peccatur & in perniciem ægri struuntur insidiæ; at difficilè cognoscitur ea maligna qualitas, difficile quidem, sed vitalis facultatis status id facile declarat; quanquam qui morbi oppressionem causam sui agnoscunt, aut in quibus bilis tumultum facit, osculumque ventriculi infestat, sæpe similitudine symptomatum nobis imponunt, hic autem experientissimorum expectatur judicium. *Ballonius* Epid. l. 2 p. 249.

[24] *Perficitur bezoarticis*) Ut in suas quasi classes redigantur remedia malignis febribus opposita, sunt ea vel *fixa* vel *volatilia*: Fixa vel *mineralia* vel *animalia*; mineralia, ut *antimonium diaphoreticum, bezoart. min.* qualibet, *aurum diaphor. cinnabar. antimon. terra minerales, unicornu fossile, corallium, flores sulph. nitrum & nitrata* &c. *Animalia* suggerunt *partes duras*, iam temperatas quam ustas, ut c.c. vel *ebur*. cum vel sine igne, *unicornu* verum præpar. *lapid. animalium bezoartici. pulveres viperini* & similia.

Volatilia sunt vel *macra*, sive salina, fere frigida, vel *aromatica* sive *oleosa*, fere *amara*, *calida macra* illa sunt, *spiritus* & *salia volatilia* urinosa *c.c. viper. urina, liquor c.c. succin.* &c. Item *acetum*, *succus citri*, Nam tota *citus* est alexipharmaca, *clyssi sulphurei*, qui tamen magis in potu usurpati, *Oleosa volatilia* sunt *camphora*, omnium optima *zedoar. centaur. mi. card. ben. scordium, allium, chelidon. maj. belenium, vincetoxicum, calendula, crocus, rob. junip. & sambuc.* Item *olea destillata*, ut *succini*, *citri*, *camphora*, exque his concinnatum *oleum pestilentiale Henisii*, *oleum destill. c.c. tartari* &c. *Essentia & spiritus theriacales, camphorati* vel *crocati Aceta bezoartica*, *Tinctura bezoart.* &c. Mediæ quasi naturæ est *gelatina c.c.* item *semina expulsiva* dicta, *napi, citri, aquilegia, card. ben.* &c. Ex modo dictis sexcenta alia coadunantur composita; v.g. *Pulvis bezoart. Sennerti* vel D. *Michaelis*, *Rubeus Pannonicus*, inprimis conveniens ubi *fluxus alvi* simul adest: *Pulvis Saxonic.* &c. Pertinent huc *Theriaca & Mithridatium*, *Elect. de ovo*, *conf. de hyacinth.* & præ his temperatum magis *Diascord. Fracast.* & quod magis laudandum, à *Sylvio* correctum, quæ ipsa propter actuationis incrementum, quod inferunt, convenientissime cum vehiculo acido, in specie *aceto* propinantur. *Etmuller* p. 353.

[24] *Bezoarticis*) Quæritur utrum calida an frigida esse debeant? Ji qui methodum & indicationes affectant, sola commendant refrigerantia ratione febris: *Rondeletius* laudat Pulveres Diamargariti frigidi, *trisant. diatragac.* addito *crystallo* & à pulvere bezoartico tollere jubet *sem. rutæ*, dictamn. rad. rumicis, quia nimium calefaciant; Idem improbat Pulv de *Bolo* & *Theriacam*, quia calida habent quamplurima simplicia; probat autem refrigerantes syrupos & aquas, eaque quæ in febre ardente dicta sunt: At *Galenus*, qui probat & laudat *Bolum Armenam*, idem probat *Theriacam* quæ calida est: Agunt hæc non qualitatibus manifestis, sed totius substantiæ proprietate; unde etsi frigida conveniunt, non tamen nisi quę sunt cardiaca & veneno opitulantur, nam cum ejusmodi refrigerantia vix febrem ardentem synochamvè superent, quomodo evincent pestilentem? Non semper igitur frigida esse debent, Ideo ferme omnes qui spestilentis curationem tradunt, calida non minus quam frigida usurpant. *Primirosius*.

Differentiæ, Curatio.

Differentia Febrium Malignarum [25] sumuntur [26] à causis.

I. [27] Aliæ sunt ab [28] *Humorum vitioso apparatu*, seu [29] is in ventriculo, seu circa præcordia, seu in primis viis hæreat. *Cognoscuntur* ex nausea, dolore, æstu, amarore oris, [30] anxietate, & aliis indiciis. [31] *Oriuntur* vel à cibo corruptis, [32] vel aliunde. [33] *Curantur*.

I. [34] *Venæ sectione*, quæ post primarum viarum & corporis evacuationem, per lenia, ne ebullitio major excitetur, ante quartum diem institui debet,

II. [35] *Sudoriferorum*, [36] quæ nec febrim augeant, nec admodum sint fortia, exhibitione, ut vel [37] corpus ad sudores disponatur, vel malignitas expellatur.

III. [38] *Humorum alteratione* & præparatione [39] per illa, quæ putredini, [40] bullitioni, & malignitati resistunt. [41] Laudantur [42] succus *Citri*, *Granatorum*, *Scorzonera* radix &c. Quin & [43] *Spiritus vitrioli* [44] cum aliis syrupis, nisi fortè patientes sint senes, & macilenti: nisi pulmonis affectibus ob aliam causam quàm pituitam vasa infarcientem laborent.

IV. [45] *Purgatione* per lenia, & [46] quæ vix ante XIV. [47] imò XVII. diem institui solet: nisi fortè propter vitiosorum humorum in ventriculo & vicinis locis copiam, eorumque effervescentiam & orgasmum, in principio circa tertium diem evacuare necesse sit: proderitque *serum lactis* depuratum, seu cum *manna*, seu cum tamarindis, ex præscripto Salę præparatum.

V. *Diureticorum* refrigerantium exhibitione, si eò materia morbi vergit.

VI. [48] *Topicorum* [49] ad pulsus & cortoto morbi tempore applicatione.

VII. [50] *Symptomatum* obvenientium vel mitigatione, vel sublatione.

VIII. [51] *Diæta*, in qua à vino, nisi Syncope obveniat, abstinendum. Decoctum C. C. [52] cum spiritus vitrioli ea quantitate quæ gratam aciditatem inducat, cui Iulep. Rosarum vel Violarum aliquid admisceri potest, exhibendum.

25. *Sumuntur à causis*) Sumuntur & à *subjecto recipiente*, quod alias magis sanguis & humores, alias magis & prius spiritus afficiuntur, Vide supra §. *Virium à principio insignis*.)

26. *Causis*) Causa *malignam* hanc *qualitatem* in sanguine producens, & putredinem jongens, unde postea hæ febres putridæ malignæ oriuntur, ab *Ambientibus*, vel *Assumptis*, vel *Retentis* proficiscitur; *Ambientianos Aër*, aliave corpora, si non solum putredinis, sed & malignitatis semina in se contineant, eaque vel per inspirationem attracta, aut per contactum corporibus infusa, sanguinem inficiant, febribus enarratis causam, præsertim si jam prius putredo in sanguine extiterit, frequenter præbent; Quod vitiom ab *ambientibus* procedens, vel à *mutationibus* magnis, aut *exhalationibus* proficiscitur; *mutationes temporum*, seu *tempestates inordinata*, magnæ subitæque, quas meteora quædam præcedentia vel comitantia præsagiunt, vel indicant potius quam causant, ejusmodi in aëre vitia febres hasce epidemias procreantia malignas, quibus multi passim corripiuntur, & quæ in vulgus Pestis instar sæviunt; Inter quas ver pluviosum, Austro diu flante causa non infrequens statuitur.

Exhalationes exspirationesque, nun solum putridæ, sed & perniciosæ, quas *terra, aquæ, lacus* proferunt, animaliumque præsertim jam prius hac lue infectorum excrementa; sudores, expirationes, cadavera reddunt, aërem inquinantia corporaque inficientia, febres ejusmodi, illis tamen qui in talibus locis versantur, unde semina contagii prodeunt, communiores procreant.

Assumpti cibi vitiosi, non qui putredinem saltem in sanguine accersunt, sed & qui vitium aliquod malignitatis illius, quam descripsimus, in se continent, si sanguini quem gignunt utramque ooxam imutant, febres jam non simpliciter putridas continuas, sed malignas insuper, illisque qui hoc vivendi genere usi sunt, infestas proferunt; Quales quoque post famem diuturnam hominum societatibus & militum expeditionibus sequi solere, dictum hoc vetus, μετ' λιμὸν λοιμός, post famem pestis (sic febres malignas quoque vocantes) ostendit.

Retentus quoq; diutius in corpore *sanguis putris*. quemadmodum si alicubi è venis effusus in corporis aliqua sede hæreat, venenatamq; naturam induat, symptomata qualia in iis qui à virulentis bestiis icti proveniunt excitat, sic & in venis sanguis alicubi putrescens, certoque loco, ubi febrem excitare nondum potest, diutius subsistens, si vetustate adeo degeneret & corrumpatur, ut jam non solum putris; sed & perniciosus existat, non tantum putridis exhalationibus febres putridas, sed & maligna vi exitiosas, & characteribus quibusdam interdum notatas inducet, Quales in adultis præsertim, sed certis duntaxat naturis impuris, etiam nulla grassante febre epidemia, iis solent accidere qui diu prius antequam febre illa corripiuntur, in neutra veluti dispositione positi, affectionibus tamen quibusdam præsagis gravati, tandem in febrem incidunt, Quam malignam esse subita virium prostratio & maculæ, aliaque latentis veneni indicia nonnunquam erumpentia contingunt.

Sed & in infantibus præcipue febres eandem ob causam, etsi ob robur naturæ mox virus propellentis, non ita perniciosæ, ecthymatibus tamen & exanthematibus copiose erumpentibus, totumq; corpus contaminantibus, horrendæ & contagiosæ, pleraque ipsorum certo ætatis tempore invadunt corpora: Per quas illuviem illam impuri putridique ipsorum sanguinis, quam à primo ortu ad illud infantiæ tempus usque, quo hæc putredo jam invalescens febrem parit coacervarunt, excutiunt & sic corpus prima hac ætate à putredine hac in sanguine nata, uti postea senescentibus ætatibus per scabiem aliasque naturæ expurgationes purificant & velut renovant.

Quæ excrementa per ecthymata primum erumpentia, non solum à materno sanguine, quem menstruum vocant, uti voluerunt, dependent, cum non impuro, sed laudato matris sanguine fœtus alatur, & quæ excrementa inde colliguntur, ad pariendi usque tempus coacervata, mox ubi fœtus in lucem prodit, per secessum, non solum biliosa & subviridia, sed & atri sanguinis instar copiose dejiciuntur; verum etiam postquam fœtus natus est, ex victus illa mutatione nova illuvies, uti postea illa immutata rursum, aliæ superfluitates congeruntur. *Platerus*.

Observanda hic venit Febriû malignarum differentia à *Lindano* super *Hartmannum* insinuata 1. *Maligna simpliciter*. v.g quando *quotid.*, aut *tertiana continua*, vel *intermittens* sua natura benigna, ex degeneratione causæ occasionalis, sive fermenti febrilis, ex parte acrioris & subtilioris pessima inferentis symptomata, facta est maligna: Sic Variolæ nunc benignæ, nunc malignæ observantur, ij. *Maligna contagiosa*, v g. *petechialis*, *febris castrensis*, vel *morbus Hungaricus*, quo utplurimum etiam pertinent *Epidemica maligna*: iij. Pestilentes; harum summus gradus iv. Pestis ipsa, rex morborum. *Etmuller*.

27. *Alia sunt ab humorum vitioso apparatu &c. Alia sunt à contagio*; Fermentum istud malignum, quamcumque afficiat partem, nunc *in corpore humano generatur*, nunc aliunde ipsi communicatur: Multis equidem videtur dubium an intra nos generetur malignum, & quasi ita venenum in nobis producatur, quod tamen, nonnisi ex natura veneni non rite perspecta originem duxit; Sed qui considerat varias, & subinde imperceptibiles in corpore nostro humorum *alterationes*, secundum *res non naturales*, præsertim varia assumenda, & *præter nat.* speciatim, in primis viis, & multiplices miscelas, & per medicamenta quoque factas eorum mutationes, & exinde mirabiles texturas, ac hinc proprietates novas, ac plane singulares sapores, is non dubitabit etiam malignas febres in specie, & primis viis suscitari posse: Nam & irati hominis morsus venenosus non absque ratione quibusdam putatur; Sic e. g. *succus pancreaticus & felleus*, naturaliter constituti, tertium temperatum succum constituunt: quorum alteratio, præsertim pancreatico acriori aut acidiori existere, bilis æruginosa dicta, plus minus hostilis, prout acrior, sive mitior eadem fuerit, & ob pessima symptomata, quæ interdum inferre solet plus minus maligna oritur, Sed tales febres utplurimum privatæ sunt, Nam quæ ab extra communicatur malignitas, aut *contagio*, aut *epidemia* quadam *aëris & alimentorum alteratione* nobis insinuatur, adeoque in plures simul observatur grassari. *Etmuller* p.348.

28. *Humorum vitioso apparatu seu in &c.*) *Locum* in quo *Putredo* maligna gignitur, eundem & in quo simplex putredo oritur esse oportet; Et in vasis vel *vena cava*, vel *mesaraicis*, vel *extra* hæc quoque consistere, atque in eisdem quoque *humoribus* vel *corporibus*, In *vasis* enim *majoribus* sanguis putrescens, si præter simplicem putredinem, venenatam quoque vim adipiscatur, & per vasa quoque cordi copulata, uti in putridis febribus dictum est, cor afficiat, illudque non solum calore putri, sed & maligno exagitet, febres *continuas*, easque, duplicem ob causam, perniciosas excitat, in quibus si portionem illius *sanguinis maligni* natura in cutis poros membranasque alias excutiat, maculas vel pustulas profert; Si vero minime, nil ejusmodi tunc erumpit, nisi forte jam prostrata natura, maculæ aliquæ, veneni latentis indices se manifestent, mortemque præsagiant..

In *mesaraicis venis biliosa*, quam diximus (supra tit.5 c.1. §. *Ab humore exortus* ex *Platero*) si præter putredinem eam qua febres intermittentes gignit, malignam insuper naturam acquirat, forte & intermittentes pernicie non carentes procreabit: verum cum ejusmodi materiam,

in

in primis ejusmodi viis natam, sive viridis cærulea, atrave fuerit, si venenata insuper vis accesserit, natura ipsius pernicie offensa, mox tentet ejicere, & per lienterias, diarrhœas, vomitiones perversas excutere, rarius fit ut febres intermittentes malignæ inveniantur: etsi quandoque ob retentam eam materiam diutius supervenient excretiones ejusmodi lethales comites habeant.

Extra vasa vero humores putrescentes, cum febres simplices excitare vix queant, ita & si malignitas quædam accedat, febres putridas malignas minime, sed syncopes, convulsiones, aliaque potius accidentia procreabunt: Vel si venenata ea vis, quæ & suapte natura etiam sine putredinis opera febres potest gignere accesserit, tunc febres quas à sola maligna vi accendi posse mox explicabimus, non putridas malignas excitabit: Corpora vero putrescentia, lentasque febres continuas producentia hecticas, si perniciem simul consequantur, infestas quoque febres eas producent. *Platerus.*

29. *Is in ventriculo*) In *principio malignarum*, si vel à *causa epidemica externa*, vel à *contagio extrinsecus hausto*, ortum fuerit malum, *Vomitoria* sunt optima, Innuit hæc *nausea*, post susceptum contagium ordinario insequens, vel *anxietate præcordiorum*, vel præsentes vel metuendæ ac imminentes, aut si alia circa præcordia molesta se offerant symptomata: Pariter conveniunt eadem si ex *privato contentorum vitio* febris maligna orta fuerit, sed tempus observetur, ut mature fiat, nempe initio *Vomitoria antimonialia* sunt optima, vi fermenti maligni collectiva plus minus simul instructa. *Etmuller p. 355.*

30. *Anxietate*) *Anxietas cordis*, indeque inquietudo ægri insignis, & interdum *jectigatio*, eæque majores quam pro ratione febris adesse solent: Inquietudo illa anxiosa non semper toto fit corpore, sed nunc brachium unum vel alterum movent, nunc pedem agitant, aut extra lectum exserunt, nunc integumenta hinc inde trahunt; nescii quare hoc faciant: Anxietates hæ quam frequentissime adsunt in his febribus, nunc, ut ut rarius, in principio, frequentius in incremento & statu; Sedem habent in stomacho, & ibidem angunt *ægros*, Interrogati *de sede doloris*, monstrant regionem præcordiorum, respiratione tamen libera & non impedita existente: Unde etiam vomituriunt ægri, interdum quicquid medicamentorum porrectum fuit denuo evomunt, & nil amplius.

Sæpius, observavi id quibuscunq; Vomitorium in primo malignarum insultu dedi, hi omnes morbi cursum, sive salutaris sive lethalis fuerit, quieti & tranquilli, summa etiam prostratione virium existente transegerunt: In specie si *a contagio* fuerit malum, adeo ut hoc in casu unum ex primariis videatur auxiliis, Vomitus mature provocatus: *Anxietates* istę etsi per sudores levantur, tamen sudoribus cessantibus redeunt: Nempe hoc in casu non semper copiosa materia peccans, aut sordium saburra est, quæ stomachum afficiat, sed effluvia illa fermenti febrilis maligna, quæ cum sudoris medio difflantur, primæ viæ ac præcordia liberiora sunt, sed illo suppresso, eadem interiora versus ruunt, & anxietates inferunt; non secus scil. ac diarrhœa ex suppressa diaphoresi interdum oritur, & contra hac aucta illa cessare solet. *Etmuller.*

31. *Oriuntur vel à cibos corruptis vel aliunde*) Quoad *Febres Epidemicas, malignis privatis*, & quæ ex particulari contentorum corporis, præsertim in primis viis, dyscrasia, & hinc maligna volatili acrimonia oriundis oppositas, hæ vel vitio *athmosphæra*, vel *vitio victus* generari, & his mediantibus in plures grassari solent: Quod si contagii simul accedat violentia, eo latius diffundere se solent: *Athmosphæram* quidem multiplicia effluvia inquinant, vel ipsa nobis in se hostilia & maligna, vel mutuo halitu & associatione nobis contrarie à tacta vel (quo inclinat *Hogdes* Tr. de peste Londinensi p. 39.) spiritus nitroaërei alterativa, & quasi corruptiva, quo minus usui vitali nobis amplius inservire queat: Sic febrim malignam ex *attractione auræ ex ventilato frumento*, per aliquot annos quieto obortam, notat *Rulandus de morbo Hung.* c. 8. sic ex *fœtore paludum* & *rerum infectarum putrescentium*, febrem malignam pestilentialem Lugd. Batavorum natam notat *Helvetius in Diribitorio*, pag. 65. Et sane frequentissimam febrium pestilentialium originem, rerum talium corruptarum fracedines esse jam diu observatum est; unde & post magnas hominum strages, & corporum minus debite sepultorum putredinales exhalationes, & in diuturnis obsidionibus, aut castris non mutatis, ex varia colluvie putrescente exhalantes fracidi odores, epidemicas malignas suscitare solent: Ut nihil hic dicam de antris subterraneis, antea diu clausis, apertis, de terræ motibus &c. crebrius febres malignas comites trahentibus: Quoad *victus errata*, nihil notius est quam *famem sequi pestem*, Item esus alimentorum, præsertim *carnium absque salis condimento*. Item *esus carnium ægrotantium*: Item *potus aquarum putridarum*, aut esus *fructuum horæorum corruptorum*, à maligna aura afflatorum, fœcundę matres morborum, speciatim febrium malignarum epidemicarum esse solent. *Etmuller p. 350*

32. *Vel aliunde*) Ex *mœrore* contractæ Febris malignæ exemplum habetur in *Miscell. Cur.* Primarius aulæ minister, cum gratia Principis sui excidisset, elapsis aliquot mensibus corripiebatur immani capitis dolore & maligna febri; calor equidem non videbatur usque adeo vehemens, sed anxietas cordis erat tanta ut vix sese in lecto continere posset, quamvis ob summam virium prostrationem, etiam primo statim die vacillantibus pedibus inniti non valeret: Urina erat tenuis, clara, cum copioso tartaro; 5. 6. & 7. die delirabat sæpius, cum siccitate linguæ: Exhibebantur frequentissime alexipharmaca mixta cum deopilativis, & acrimoniam arenosi istius humoris melancholici temperantibus; Nono præter omnium expectationem judicabatur perfecte sudore copioso. J. Jac. *Walaschmid. Med. Sept. p. 199.*

33. *Curantur*) Observandum, quia febrium malignarum non semper, nec in omnibus una eademque est ratio, sed eædem variis se produnt symptomatibus, & nũc *continua* nunc *intermitt.* videntur, quod sicut malignitatis gradus etiam differunt, ita eas *curandi ratio* non semper est eadem, sed pro varietate dictarum circumstantiarum subinde varianda sunt remedia: Sic illa *maligna febris* quæ à *contagio* oritur magis requirit *alexipharmaca* & *potentiora sudorifera*; quæ vero *à causa interna humorum*, nempe *intus genita maligna constitutione*, magis *temperantia, absorbendo alterantia*, & successiva diaphoresi *resolventia*: Sic quoque attendendum an *massa sanguinea*, an vero *spirituum animalium ac nervorum systema* magis affligantur, *Posteriori* in casu *volatiliora, subtiliora* ac *penetrantiora opiatis* mista magis conducunt: *Priori* vero in casu nonnisi volatiliora, aut fixa, *acidis* blandis subinde interpositis conducunt: Item propter *specialem* febrium malignarum *differentiam*, semper observandum ut in specie huic malignitati appropriata opponantur remedia, ut in *Variolis, Petechiis, Dysenteria epidemica, Purpura* & similibus fieri debet. *Etmuller.*

Prognosis,

a. Omnes hæ Febres malignæ sunt periculosissimę, & maxime lethales, Ita ut non sit fidendum plurimis impostoribus; qui certam istius morbi curationem pollicentur, Refert *Platerus* Chymicũ, qui stibio se omnes curaturum gloriabatur, peste cum uxore sua periisse: Et *Adamum à Bodenstein*, in Chymicis versatissimum,

cum libello edito se Pestem præcavere & curare posse divulgaret, Peste correptum cum ea ferme Basileæ cessaret, interiisse, & ratio est, quia Pestis verum alexipharmacum ignotum est.

Curant igitur Pestem tantum per accidens, naturam roborando quæ est morborum medicatrix, & quia sæpe valida satis non sunt ista antidota, ideo natura sub onere morbi fatiscit: Quo tamen symptomata sunt graviora, ac vires imbecilles, eo plus periculi imminet, Et contra, si Ecthymatis vel Exanthematis aut Bubonibus, vel Carbunculis prorumpentibus symptomata mitescant, bonum; si intendantur, malum: Plurimos vero cum bonis signis & salutaribus interiisse; alios è contrario cum lethalibus & desperatis servatos fuisse testantur scripta Authorum non pauca, Idcirco per signa ex actione læsa, qualitate mutata atque excretis & retentis considerata, diligenter & accurate Prognosis à Medico meditanda est. *Pieus pag.* 173.

33. *Curantur*) Pro curatione Febrium malignarum quam in cæteris quibuscunque majori opus est judicio & circumspectione, cum enim duo sint primaria indicantia, scil. *malignitas & intemperies febrilis*, cumque alteri sine alterius detrimento vix prospicere liceat, utri prius sit occurrendum, & potius consulendum non facile erit discernere: Respectu *Febris* purgatio, venæ sectio & refrigerantia imprimis conducunt: dum vero hæc celebrantur, malignitas plerumque augetur, & neglecta venenum latius diffundit: contra *malignitatem* alexipharmaca & diaphoretica requiruntur, verum hæc febrem valde intendunt, sanguinem ac spiritus prius accensos, velut follium explusu plus exagitant, & totos quasi in flammam adigunt; quare hic magna opus est solertia, ut hæc rite inter se conferantur, & unde plus periculi immineat, illius curativæ indicationes immediatius designentur, ita tamen ut dum alteri consulitur alterius neglectus non habeatur.

Verum in his casibus præter medici cujusque privatum judicium, experientia potissimam medendi rationem suppeditat: Cum enim hæ febres primo grassantur, singuli fere singula tentant remedia & ex eorum successibus una collatis facile ediscitur quali demum methodo innitendum erit, donec ultimo crebro tentamine, seu transeuntium vestigiis, via quasi regia & lata ad hujusmodi effectuum curationem teritur, variisque observationibus, monitisque munita. *Willis.*

Franc. de la Boë Sylvius juxta suas hypotheses, sic *curationem instituit*, Corpus, *ait*, humanum, tam continens quam contentum, contra malignitatem talem, omnem in Sale volatili acri consistentem, munitur ac conservatur frequenti & moderato *Acidorum*, ac præsertim *Austerusculorum* usu; Ipsum vero *sal volatile* & acre, malignitatis notatæ causa, corrigitur & *emendatur iisdem*, ut & *Oleosis*, sed inprimis *acido vel austero terreo* permistis: quo pertinent *argillacea* ac *sigillata terra* omnes, *Bolus Armena*, *Terra Lemnia* &c. Ipsumque adeo *sulphur minerale* aut *metallicum* omne, sed rite præparatum, *vitrioli*, *antimonii* &c. Huc spectant ex vulgo notis *Theriaca*, *Diascordium* &c. Quin ad hujus salis correctionem faciunt quoque *Salsa volatilia*, sed *blanda* & *oleosa*, quin quæ acrimoniam istius noxiam leniunt ac demulcent: Eundem *salem volatilem acrem*, plus minusve temperatum, aut à se saltem temperandum simul, foras è corpore propellunt ac eliminant tutissime, ac commodissime sudorifera; Notum enim per experientiam multiplicem, malignarum febrium curationem hac ratione ac via institui felicissime; Laudantur autem non tantum simplicia *sudorifera*, sed composita quoque, *Ther. Mithr. Diascordium* & infinitæ aliæ compositiones opiatæ, ubi hoc noto præferenda semper illa quæ simul salis volatilis acrimoniam possunt temperare, quæ idcirco aliis addi utile E. g.

℞. *Theriac. vet.* ʒij:
antimon. diaph. ʒj.
syr. card. bened. ʒij.
aqu. prophyl. nostra ℥j.
aq. cinnam. ℥ß. *scabios.* ℥ij. *misce.*

Hujus mistur æ partem quartam vel quintam sumat æger, & corpus ad sudorem disponat; quin post horæ dimidium ejusdem unum vel duo cochl. iterum capiat, sicque pergat donec commodus sequatur sudor; Interea, si valde sitiat, & lingua sit arida, subinde jusculi aliquid superbibat, sed acido aliquo, *succo citri*, *arantiorum*, omphacio, aceto &c, prius ad gratiam temperati, quo non tantum promovebitur sudoris eruptio, sed insuper corrigetur salis peccantis acrimonia noxia; Rarius, nec nisi quando in ventriculo & intestinis hæret pars noxii salis, urgetque simul nausea, vomitorio excludi debet hoc venenum, atque tunc cæteris omnibus præfero Antimonialia vomitoria, sed blandiora & fixiora, quin quæ sulphur in se habent mirabile à quo mire temperatur quodvis acre; Hujus sulphuris ratione sudoriferis reliquis, vel mixturis alterantibus, addo plerumque *Antimonium diaphoreticum Bezoarticumvè minerale* tam simplex quam modis variis compositum, aliave ex Antimonio sudorifera parata.

Postquam per sudorifera sufficienter ac rite usurpata sublatum est è corpore malignum illud venenum, in sale volatili & acri repertum, perseverandum aliquamdiu in moderato Acidorum subausterorum, potulentis admistorum usu, quo sanguinis consistentia pristina sensim restituatur: Conducunt proinde hic omphacium, mala granata, cytonea, arantia, berberis &c. *Vide plura Tractatu de Peste ex Eodem.*

34. *Venæ sectione*) Præmisso Clystere à V. S. inchoanda curatio est; ea enim maxime convenit ratione morbi magnitudinis, calidæ intemperiei & putredinis: Verum in quantitate sanguinis metrenda summa prudentia necessaria est, cum ratione malignæ & venenatæ qualitatis non conferat, imo potius noceat; ab ea enim facultas vitalis maxime labefactatur, Et qui veneno assumpto sanguinis missionem patiuntur in exitium præcipitari solent.

Ideo si maligna & venenata qualitas putredini prævaleat, quod ex propriis signis venandum, minori copia sanguis mittendus est: Si vero putredo magis infesta sit quam venenata qualitas, copia majori detrahendus; Atque ita si ex morboso apparatu potissimum, & putridis humoribus intra venas coërcitis febris maligna oriatur, iterari tuto potest V. S. semel, bis aut ter, donec sarcina humoris vitiosi in venis contenti exonerata sit: Idque imprimis si visceris cujusdam inflammatio adesse aut imminere videatur, quod non raro in febribus malignis solet contingere.

Mature autem & à morbi initio instituenda est, si enim progressum malum fuerit, & in totam massam sanguineam malignitas diffusa, non solum non confert, sed etiam naturam maxime debilitat; Ita ut Authores quamplurimi transacta die quarta sanguinem mittendum non esse censeant: Imo vero cum febres malignæ in variis temporibus diversam admodum habeant naturam, quando illæ grassari incipiunt sedulo observandum est quodnam ægri ex V. S. emolumentum capiant.

Nonnullæ enim de synochorum genere, & in quibus intensior est putredo, malignitas vero remissior, V. S. valde imminuuntur: Aliæ vero, quarum natura in una propemodum malignitate consistit, secta vena magis perniciosæ fiunt; Circa tempus, & intervalla in V. S. iteratione adhibenda, hoc advertendum ut si morbus lente procedat, sanguinis detractiones accelerandæ non sint, frangantur enim vires ante tempus; ita ut toti morbo exantlando sufficere nequeant

protu

pront igitur morbus movetur, sic Medicus celerius aut tardius V. S. celebrare debet. *Riverius l.17.c.1.*

Venæ sectio in malignis, qua talibus, locum non invenit, adeo ut quo magis maligna sit febris eo magis nocat V. S. idque fit eo deterius quo tardius instituitur, Quidenim prodest sanguinem & spiritum trahendo, fores apertiores maligno fermento pandere? Atque inprimis ubi excretiones cutaneæ sperantur minime motus naturæ V. S. turbandus est, cum ficta illa refrigeratio ex s.m. noceat, cum æstuatio talium ægrorum, modo non sit excessivè nimia, excretiones tales promoveat, Sane multorum annorum Practicus D.D. *Michaëlis*, nemini in febribus malignis venam secuit, plurimis funestis experimentis cautior factus: Quidam in plethoricis V. S. exanthematum eruptionem promovere asserunt, sed hoc nonnisi raro evenit: Ubi mitior malignitas, adjuncta autem febris ardens vehementior, in juvene, sed mox à principio, vel sub principio, V. S. caute instituenda. *Etmuller p.356.*

34. *Vena sectione*) In malignis temporum constitutionibus, præsertim cum febres *καυσώδεις* vexant, & ægri uruntur, sæpissime detrahitur laudabilis sanguis magno ægrorum & virium detrimento; serum nullum aut paucum, sanguis floridus, Serum calor absumit, truces oculi, jactationes, *καρφολογίαι*. An *vena sectio* tunc utilis? Nequaquam, aut parce detrahatur, Imo alexipharmaca & cardiaca dentur, alvus blande & sæpe eluenda, nam dejectionibus instar Pultis croceæ morbus solvetur, *Hipp.* & *Galeni* consilium est, Vomitiones sistere, & sanguinem plenius detrahere nocet. *Ballonius Epid.l.1.p.8.*

35. *Sudoriferorum*) Quæ primatum obtinent in cura Malignarum, sed debitis tamen determinata regulis: Quo major est malignitas, eo frequentius & copiosius provocandus est Sudor, adeo ut in malignioribus, aut pestilentialibus, ter in 24. horis sint propinanda sudorifera alexipharmaca; Adhibenda tamen virium ratio, ne hæ ipsæ nimis exolvantur: Ad hęc, ob nimiam seri exhaustionem, indeque sanguinis ortam incrassationem, nimia sudoris profusio subinde minus tuta, largiori potu resarcienda; Propter virium ergo istum defectum, post omnem sudorem, aut etiam ipso actu profluente, blandis acidulis, sub juleporum vel misturarum forma, viribus prospiciatur, unde *acida urinosis* mista naribus admovenda, ut *vinum generosum*, *acetum* cum *aqua carbunculi* temperatum &c. *aqua apoplectica* cum *succo citri* aut *aceto* diluta, quæ etiam cum ipso sudore cochlearis dozi possunt propinari, vel *aceti theriacalis* aut similis parum propinetur, v.g.

℞. *Decocti citri* ℔ j.
syr. rubi idæi q.s. pro grato sapore, m. Vel,

℞. *Decoct. c. c.* ℔ j.
succi rib. granat. acid. ãã. ℥ j.
Diascord. Fracast. ʒ j.
syr. rubi id. ℥ j.
spir. nitri dulc. par. m.

Et hujusmodi *mistura acidulata cum diascordio* præsertim locum invenit, quando per salia volatilia paulo profusior sudor fuerit prolectus: In sudoriferorum usu attendendum est an corpus sit perspirabile, & in sudorem inclinet vel non: Si *illud*, tutius & potentiora propinari possunt sudorifera; si *hoc*, cautius & mitiora, ne turbetur magis & exagitetur massa sanguinea, interpositis ubique blandis acidis *Etmuller p.356.*

36. *Qua nec febrim augeant*) Inter sudorifera non levis delectus habendus est, Tutissima omnium sunt *salia volatilia*, hinc *volatilia aromatica*, sed hæc ipsa saltem in principio morbi & incremento conveniunt, in statu fixiora tutius observantur, idque præsertim in *volatilibus sulphureis* ac remedius *theriacalibus* observandum; ac nonnisi in principio & incremento morbi adhibeantur, ac ubi minus urget æstus, periculum alias est en in statu novas turbas in massa sanguinea, *intensiorem æstum & ebullitionem*, indeque varia capitis symptomata inferant.

Hinc *volatilia* inter *sudorifera*, ubi febris paulo intensior fuerit, *macra* convenientius locum habent; ubi vero hæc febris remissior fuerit, *oleosa*, seu *aromatica* adhiberi possunt; Et sicuti hæc *aromatica* propter æstuationes nimias & phlogoses circumspecte usurpanda, ita *salia volatilia*, propter nimiam sanguinis fusionem, & nimiam facile supervenientem hæmorrhagiam, moderate usurpanda: Nocumentis omnibus medentur usurpata subinde *analeptica blanda acida*, nempe ex succis vegetabilibus, in specie *citro* ac *cydoniis*, item ex *clyssis mineralibus sulphureis*, aut denique cum pauco *spiritu nitri dulcis*: Et in specie *compositiones theriacales* cum vehiculo acido propinatæ melius ac tutius propinantur; De *Theriaces* genuino usu videatur *Septalius in Anim. l. 5. §. 53.*

Post Sudorifera talia volatilia in principio & augmento, aliquoties repetita, *fixiora animalia* aut *antimonialia* usurpanda, & continuanda erunt; *Camphorata alexipharmaca* & sudorifera sunt optima, quę præter vim veneni correctivam simul aliqualem vim spirituum quasi fixativam obtinent: unde præsertim in inquietudinibus, vigiliis ac metu deliriis conveniunt, quando & vigilias & deliria ipsa compescunt: Sed propter volatilem penetrantiam non semper excessive usurpentur, præsertim ab iis quorum vel caput debilius est, ut eruditi aut delicatiores fœminæ, aut etiam quibus alias horrida aut inimica existit: Alias in proprie dictis malignis, præsertim contagiosis, inter alexipharmaca nunquam intermittenda. *Etmuller* p. 354.

37. *Ad sudores disponatur, aut malignitas expellatur*) Id quod sequentibus Formulis fieri potest, *principio & incremento.*

℞. *aqua flor. sambuc. card. ben. ãã.* ℥ ß.
liquor. cc. succinati ʒ j.
(vel huius loco) *salis volat. viperar.* ℈ j.
syr. card. ben. ℥ ß.
m. pro doz., capiatur expectando sudorem. Vel more communi

℞. *Tinct. bezoart.* rite *parata* ʒ ß. *ad* ʒ j.
in quocunque vehiculo expectando sudorem, stomacho vacuo. *Vel*

℞. *aqu. scord. flor. sambuc. ãã.* ℥ iß.
c.c. sine igne antim. diaphor. ãã ℈ j. *ad* ʒ ß.
salis volat. c.c. gr. xv. *succin. gr.* vj.
syr. card. ben. ℥ j.
m.f. Potus pro ij. doz. expectando sudorem blandum: Cui ubi gravius urgent symptomata commode & *laud. op. gr.* iß. *potest addi*: Vel cui *mistura theriacalis placet.*

℞. *aqu. scab. flor. sambuc. ãã.* ℥ iß.
aceti rutac. ℥ vj. *theriac.* ʒ ij.
antimon. diaphor. ℈ j. *vel* ʒ ß.
bezoart. min. gr. xv.
syr. rubi idæi ʒ vj.
m. pro iij. *doz. ib.* Vel

℞. *aqua flor. sambuc.* ℥ iij.
acet. sambuc. ℥ ß. *ad* ʒ vj.
theriac. ℥ ij. *antimon. diaphor.* ʒ ß. *ad* ℈ ij.
syr. card. ben. ℥ ij.
m. pro ij. *doz.*, pro eliciendo sudore, *Item*

℞. *unicornu veri præpar. antimon. diaph. cinnab. antim. salis volat. viper. vel c.c. ãã. gr.* viij.
m.f. Pulv. pro doz.

Quod si *Theriaca* minus conveniat, ejus loco recipe *Diascord. Frac.* v.g.

℞. *aqu. scabios.* ℥ iiß.
succi citr. rec. ʒ vj.
Diascord. Frac. ʒ ij.

antimon.diaph. ʒß.
camph. gr. iv. syr. card. ben. ʒß.
misce pro ij. doʒib.

In *progressu morbi*, & ubi *salia volatilia*, in specie *sulphurea* cautius usurpanda veniunt.

℞. *Antimon. diaph.* ℈ß.
ebor. sine igne gr. xv.
sal. volat. c. c. gr. v.
m. f. Pulvis pro una dozi, cujus vehiculum sit.

℞. *aqu. flor. sambuc. scab.* ãã. ℥j.
syr. papav. albi ʒvj.
card. ben. ℥iij.
m. capiat pro libitu. *Item*

℞. *c. c. sine igne gr.* xv.
cinnab. antim. ℈ß.
bezoart. solar. gr. vj.
m. f. Pulvis pro una dozi.

Quod si *Diarrhoea* forsan sit juncta.

℞. *c. c. usti* ℈j.
boli Armena ʒß. *m. pro una dozi.* vel

℞. *aqu. flor. sambuc.* ℥iij.
spir. theriac. simpl. vel camph. ʒiij.
c. c. sine igne ℈ij.
vel usti ʒß.
terra sigill. ℈j.
syr. acetos. citri ℥ß. *misce* Porro,

℞. *aqu. scord.* ℥ij.
spir. theriac. camphor. ʒij.
c. c. sine igne ʒß.
bezoart. min. ℈j.
syr papav. albi ℥ß. *vel* ʒvj. *m. pro ij dozibus.*

Commode hujusmodi misturis etiam *myrrha* potest addi nisi saporem æger respuat.

Quod si convulsiones imminere velint

℞. *Pulv. bezoart. D. Michaelis* ℈j.
cinnabar. antimon. gr. xv.
salis volat. c. c. ℈ß. *m. pro ij. dozibus.*

Ra. Sencrenzerus in specie hunc Pulverem ex tribus salibus, ex tribus regnis desumptum laudat.

℞. *salis card. ben.* ℈ß.
bezoart min. gr. vj.
salis volat. c. c. gr. iv. *m. pro dozi.*

In graviori malignitate.

℞. *antimon. diaph.* ℥j.
cinnab. antimon. ℈ß.
camph. gr. v. *misce pro dozi.*

Quod si pro scopo expellendi semina expulsiva adhibere sit animus, hoc fiat ad imitationem *Zvvelferi* Pharm. R. p. 209.

℞. *cortic. citri flavesc. rec.* ʒij.
sem. citr. ʒj.
card. ben. aquileg. ãã. ʒiß.
myrrh. el. ʒß.
amygd. d. ʒj.
contundantur in mortario & cum s. q. aqu. scordii & scorzon. f. Emulsio ad ℥iv. *vel* v. *m. edulcoretur parum.*

Juxta hæc remedia *Diaphoretica*, in & post sudorem subinde misturæ blando acido confortativæ adhibendæ sunt, v. g. post *Decoctum citri* Mynsich. supra dictum, Julepus *ex decocto citri* cum *rad. scorzon.*

℞. *Pomor. citri rec. n. num. ij.*
incide cum corticibus in taleolas tenues, adde *sacch. albiss.* ℥iij.
rad. scorzon. mund. ℥ij. *vel* iij.
aqu. fontis ℔vj.
coque ad tertias, & colentur. *Vel*

℞. *Pomor. citri n.* ij.
in taleolas secta conspergantur sacch albo coqu. m. aq. quart. iij.
ad remanentiam mens. Semis, colatura frigida detur sola, vel *cum ea & succo citri* eliciatur *Tinctura rosar.* Vel

℞. *Decocti rad. scorzon. cum c. c.* ℔ß.
succi rub. Idai ℥ij. *citri* ℥j.
Gelatina c. c. rec. ℥j. *ad* ℥iß.
syr. acetos. citr. q. s. misce. Vel

℞. *aqu. fontan.* ℔j.
Gelat. c. c. ℥ij.
syr. rub. Id. ℥iß.
papav. albi ℥j.
spir. nitri dulcis ʒj.
vel q. s. pro gratia saporis, m.

Quibus placet, etiam *Decoctum Tamarind. cum pass.* ℔ß. *syr. rubi Idai acetos. citri* ãã. ℥j. *spir. nitri d. parum m.* Ettmuller pag 360.

Mixtura hæc diaphoretica insignis efficaciæ est

℞. *spir. terra sigill.* ʒj.
tartar. ʒß. *theriac.* ℥j.
magist. corallor. perlar. ãã. ℈ß.
aqu. card. ben. citr ãã. ʒß.
m. f. haustus pro 2. doz. Agricola in Poppium Tr. de Terra sigill.

Bezoartici mineralis usum non solum in febre malignis, petechiis, pleuritide, sed etiam in peste præsentissimum esse remedium observavi. *Greg. Horstius Obs. lib.* 2. *obs.* 27.

38. *Humorum alteratione*) Alterantia humorum qualitates emendant, obstructiones aperiunt, putredinem prohibent suntque pro humorum diversitate varianda, nam in calidis, qui utplurimum peccare solent, conveniunt succi limonum, arantiorum, granatorum, acetum & similia in febre ardente & synocho recensita, cum *decocto acetosæ, borraginis, lactuca, portula, scabiosa, cichor. endivia.*

℞. *Succi granator. limon. aceti rosac. vel caryophyl.* ãã. ℥ß.
succi pomor. ribes. ãã. ℥j.
aqu. acetos. bugloss.
melissæ scabios. ãã, ℥j.
camph. gr. v. *cum sacch. f. Julep.*

℞. *Aquæ rosar. acetos. borrag.* ãã. ℥ij.
aqu. cinnam. ℥j.
vini albi ℥iß.
manus Chr. perlat. ʒj.
ocul. 3ß. *bulliant in alembico cæco conc. colat. adde sacch.* ℥iv.
syr. de limon. vini granator. ãã. ℥j. *f. Julep.*

℞. *Conserv. flor. cordial.* ℥jß.
cortic. citr. cond. ℥ß.
conf. Alkerm. ʒß.
boli Armen. opt. ℥j.
corall. rub. crystalli, margarit. praeparat. ãã. ʒß.
ras. eboris. c. c. ãã. ʒj.
fragment. pretios. ℈j.
pulv. diamarg. & bezoart. ãã. ℈j.
cum syrupo caryoph. hort f. Electuar.

Quidam adstringentia minus probant, ut granata, sed quia his febribus solet adesse fluxus colliquativus humoremque putredinem & agitationem sedant, maxime conveniunt: Aquam quoque frigidam in pestiferis laudant *Celsus & Avicenna*, *Mercurialis* experientia propria id confirmat; sunt enim utplurimum febres ardentes: At quamvis in febribus ardentibus eam laudet *Hippocr.* in pestilentibus tamen minus conferre censent alii, quia præscribitur ab *Hippocr.* gratia evacuationis post coctionem, ubi Natura valida est, at in pestiferis cum vires sint imbecilles, Natura non sit valida, ea inferet mala quæ recensentur ab *Hippocr.* 2. acut. sed si alteretur vel incoquendo cornu cervi, vel aurum extinguendo, vel admistis syrupis, commodissime poterit propinari: In frigidis humoribus conveniet mel

rosac.

rosac. syr. de beton. de scordio, de cortic. citri cum decocto agrimon. tormentillæ, dictamni, scordii pimp. myrrhid. sem. citr. & sim. *Primrosius*

39. *Per illa quæ putredini, ebullitioni*) *Fr. Sylvius Prax. l. 1. c. 19.* in Peste & malignis censet abolere sanguinis effervescentiam in corde præ summa Bilis volatilitate atque acrimonia tunc peccante, quam effervescentiæ abolitionem præcavendam vult figendo coagulandoque ac temperando ipsam per acida austeriora, omphacium, alumen crudum, acaciam &c. Inter chymica *spiritus nitri, salis, vitrioli, sulphuris* & similes, imprimis cum *vino rectificato spiritu cohobatos* & blandiores factos: Ab hisce, *ait*, non tantum Bilis corrigitur, verum sanguinis consistentia diminuta restituitur, quin lymphæ inertia simul emendatur.

39. *Quæ putredini & malignitati resistunt*) *Willis* l. de *Febr.* c. 14. meminit febris malignæ & Pestilentis quæ anno 1643. in quibusdam Angliæ locis grassata est, Durante, *ait*, Canicula hic morbus usque infestus, non uti febris, sed veluti mitior pestis tractari, & remediis tantum Alexipharmacis expugnari cœpit: phlebotomia huicusque fatalis credita est: Vomitoria & purgationes interdum, licet non ita crebro, usui fuerunt: Potissima autem medendi ratio in alexiteriis & diaphoresi tempestive procuranda statuebatur: In hunc finem præter Medicorum præscripta è Pharmacopoliis petita, remedia quædam Empirica laudem nó exiguam meruunt: Tunc primum in hac regione *Pulvis Comitissæ Cantii* magni nominis esse cœpit; Etiam non minimæ notæ fuit Pulvis alter cinerittii coloris, quem Aulicus quidam in hac urbe forte diversatus bono cum successu pluribus exhibuit, aliisque ejus usum probantibus, magno pretio venalem exposuit: Solebant ægri ab hujus semidrachma, in quovis liquore propinati, in sudorem copiosissimum incidere, adeoque à morbi violentia liberari; Fuit diaphoreticum illud (cujus præparationem edidit) solummodo *Bufonum* sale expurgatorum, dein vino optimo lotorum, & in olla fictili leviter calcinatorum pulvis.

Pulvis Alexiterius Comitissæ Kanth.

℞. *Extremit. nigrarum chelarum maximorum Cancrorum marinorum* ℥iv.
oculor. cancr. fluviatil. margaritar. orient. & coralli rub. præparator. āā. ℥j.
Succini albi, rad. contra yerva, viperinæ, aut contrayerva virginianæ āā. ʒvi.
Bezoar. orient. ℥iij.
ossium cord. cervi ℈iv. *croc.* ℈ij.
Omnia in tenuissimum pulverem deducantur, irrorentur spiritus mellis ℥ß.
Cum jusculo viperino in massam compingantur, ex qua fiant Trochisci, in umbra siccandi, & usus tempore *terendi*.

39. *Per illa quæ putredini, ebullitioni & malignitati*) Quorum Formulæ quædam hic subnectendæ

℞. *rad. acetosæ, bugloss. torment.* āā. ℥j.
fol. endiv. acetos. cichor. pimpin. āā *m. j. tamarind.* ℥j.
coqu. ad ℔ij.
in colat. dissolve syr. granat. & limon. āā. ℥j.
f. Julep. pro iij. dozibus bis in die sumendis, addendo cuilibet confect. de hyacint. ℥j.
lap. bezoart. gr. vj.

Hæc Julepi forma in febris initio convenire poterit, quæ si *intensa fuerit, singula doza adde salis prun.* ℥j. vel *spir. sulph. aut vitrioli q. s. ad gratam aciditatem, vel utrumque simul*, In febre vero non admodum intensa addi poterunt *rad. carlinæ & pentaph. fol. scordii & scabiosæ*.

℞. *amygd. d. excort.* ℥j.
semin. melon. cucurb. napi, citri & card. ben. āā. ʒij.
contundantur in mortario marmoreo cum decocti Julepi præscripti ℔iß.
syr. de limon. ℥iij.
salis prunell. ℈iij.
f. Emulsio pro 3. dozibus bis aut ter in die sumendis. *Riverius.*

40. *Quæ putredini, ebullitioni & malignitati resistunt*) In his primas tribuit *aqua acetosellæ, Augusta Thonerus lib. 1. in Observat.*

40. *Ebullitioni & malignitati resistunt*) Quia non omnia Alexipharmaca indiscriminatim usurpanda sunt, ut eorum legitimus usus probe distinguatur, in 4. classes distinguenda sunt, 1. est eorum quæ præter specificam qualitatem alexiteriam frigida & sicca sunt, & modice adstringunt, sicque putredinem cohibent, corroborant, venenum coercent ne tam facile in totum corpus diffundatur, partiumque dissolutioni compressione quadam obsistunt, ut *bolus armena corall. rad. torment.* &c. ij. frigiditate & substantiæ tenuitate putredini resistunt, & malignitatem coercent, e. g. *succus limon. spir. sulph. vitr. acetum*, & acida omnia. iij. *Calida* & *diaphoretica*, venenatos humores & vapores à corde expellentia, & ad circumferentiam educentia, e.g. *angelica, zedoar. scord. theriaca, aqua theriac. &c. specifica* sine ullo primarum qualitatum excessu, venenatam qualitatem oppugnantia, *ut lapis bezoarticus c. c. monocer. trochisci viperini* & similia: Primæ & secundæ classis remedia initio & augmento magis conveniunt, Tertiæ vero in statu & declinatione; maxime autem varianda sunt hæc medicamenta pro vario malignitatis & putredinis gradu, pro varia febris intensione vel remissione, & vario ægrorum temperamento, sexu, ætate, aliisque circumstantiis: Adde his cum febris vehemens exardet, refrigerantibus & acidis præcipue insistendum; calida vero & diaphoretica non esse exhibenda, quæ maxime conveniunt ubi febris remissior est, & qualitas maligna præcipue negotium facessit. *Riverius.*

41. *Laudantur*) Mirabilem esse *Viperarum* naturam, & maximam partem adhuc nobis incognitam, ostendit Nobiliss. *Redi* His addam historiam mihi communicatam ab Illustriss. *Dn. Haub.* Sereniss. *Elect. Saxoniæ* à Consiliis, Apud Salmutienses anno 1670 corripiebatur Nobiliss. Dn. *Crafft* B. à B. febre quadam maligna, quæ omnium fere Medicorum ibi celebrium operæ illusit, adeo ut ipse patiens Prognostico relinqueretur; Medicus ex vicinia fuit advocatus, is quoque conclamatum dicebat, ut in morbo extremo ad extremum remedium confugiendum esse ipsi venit in mentem, propterea proposuit tres viperas, easque vivas degluttiendas, quod experientia teste illæ veneno resistant; Obstupescunt, sed obtemperant adstantes, atque summa cum molestia Agonizanti fere, tres viperas vivas deglutiendas præbent quæ intra trihorium integrum absuxerunt veneni, vel malignitatis labem, adeo ut postea per secessum excretæ, præ insigni tumore quasi rumpi viderentur, quo facto sensim convaluit Nob. æger. *Paulus Ammanus in Med. Sept. vol. 2. p. 210.*

Extractum mumiæ summum est remedium. Item *essentia sangu. human. Agricola in Poppium, Tr. de Mumia p. 963.*

Aqua ex stercore hum. destillata ad Pestis præservationem & curationem præstantissimum remedium, ut sæpe expertus sum, potenter sudorem movet. *Idem Chir. part. Tr. 7.*

41. *Laudantur*) Laudanda & *Opiata*, de quibus apertum est, *Horstii* judicium in *de Chirurgia infusoria*, pag. 83. In febribus malignis quibuscunque Opiata utramque faciunt paginam Alexipharmacis addenda suadet *Ludov. Pharm.* p. 276. Et *Verulamius* H V. 3. & mort. §. 21. Opiatorum eximium usum in febribus malignis prædicat, Nempe egregium Sudoriferum est opium; Spiritus quoque ne tam cito resolvantur, quasi coercet;

& graviora in malignis symptomata mitigat: Conveniunt autem inprimis in augmento morbi dum ad statum properat, ut sic melius proliciatur sudor, præsertim ubi anxii & inquieti sunt ægri, vel etiam post sudores cum Julepis & misturis propinentur, ut quasi roboretur nonnihil denuo ac quietior fiat æger: Notabile est quod hæmorrhagiæ, in malignis subinde periculosæ, opii usu fuerint coercitæ: moderni vel *laudanum Opiatum*, vel *essentiam Opii*, aut hujus loco *essentiam theriacalem* usurpant: Ex veterum compositionibus excellit *Theriaca*, præsertim cum vehiculo acido propinata, v. g. cum *aceto rosac.* ne nimium æstum in sanguine exciret: propter quam causam, nempe æstum, ejus loco *Diascord. Fracast.* ceu temperatum magis adhibetur, in specie in alvi aliisque excretionibus præternaturalibus. *Etmuller p.357.*

42. *Succus citri*) De *malo citrio* refert *Athenæus*, in Ægypto quondam homines morte damnatos, ab aspidibus quidem demorsos fuisse, & nihil inde damni perpessos; eo quod cum ad supplicium ducerentur, mulier commiseratione ducta, citria poma ad refectionem & sitim compescendam edenda illis obtulerat, quibus assumptis nihil à lethali virulentarum bestiarum ictu noxæ persenserunt: Omnes autem mali *Citri* partes vim quandam alexipharmacam habent, ideo utiliter in taleolas dissectum, cum radic. &c. convenientibus ad julepos decoquitur, ac aquæ potus ordinarii infunditur, usque fragrantiam à cortice, & aciditatem conciliat, quamvis solus succus refrigerandi facultate præditus sit. *Riverius.*

41. *Quin & spiritus vitrioli*) Adeo magnis laudibus extollitur ut nihil ferme huic remedio æquale habere credantur Pharmacopœi: Easdem vires obtinet spiritus sulphuris; *Quercetanus*, & alii in aceto & succo limon. vires inesse vitriolicas volunt; Est autem prædictus spiritus valde acris, nec debet nisi in exigua quantitate alio liquore permistus exhiberi; exsiccat enim, putredini & malignitati resistit; Quidam tamen sed pauci improbant; quia septicum cum sit non potest tuto exhiberi, sed ab acrimonia ejusque vi corrodente nos vindicat exigua dozis & alterius liquoris permistio, sicut aceto, succo citri, limon. berberis, innoxie utimur, etsi gemmas lapidesve acrimonia sua corrodant: Thermæ Vitriolatæ salutarem ejus ostendunt usum, nã præparatione multa illi adempta fuere quæ in integro aderant, unde non sicut integrum corpus perturbat aut vomitus ciet, sed calorem febrilem extinguit & humorum ferociam consopit; *Galenus* quidem 11. *Meth.* in febribus rejicit usum aquar. vitriolat. sed de externo intelligit, quod poros constringant, putredinem & calorem augeant: quamvis igitur plurima adsint febribus istis idonea, spiritus tamen iste non est rejiciendus. *Primirosius.*

Hoc elogio commendat *Mindererus* l. de Febr. Pestil. c.15. *Nulla est Putredo cujus vires* non frangant, nulla infectio quam non superent, nulla humorum depravatio quæ per ista non superetur, sane, ut libertime loquar, si mihi vitriolatorum medicamentorum usus vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad pestis curationem nunquam, vel saltem inermis accederem.

43. *Spir. vitrioli*) *Spiritus nitri* usus etiam optimus est. *Agricola in Poppium Tr. de Nitro p.* 803.

44. *Cum aliis syrupis*) *Julepi* alterantes, ex decoctis, aquis, syrupis &c. usitatissimi sunt; quorum loco pro delicatioribus interdum substitui poterunt *Juscula* medicata, ex *foliis borrag. acetosæ. pimpinellæ*, aliisque herbis gustui gratioribus, *cortic. pomorum redol. pulpa & acido citri*, cum *pullo gallinaceo*, iisque *sal prunellæ* ad magis refrigerandum interdum addi potest. *Emulsiones* etiam parari poterunt ex *amygdal. dulc.* & *semin. frigid. maj.* cum decocto Julepor. Et ad majorem qualitatis venenosæ oppugnationem prædictis addi poterunt *semina citri, napi & card. ben.* Ad saporis vero gratiam syrupi prædicti admisceri poterunt. *Riverius.*

45. *Purgatione*) Observandum nil exitialius esse, & hominem febre maligna correptum, præsertim si intensior fuerit malignitas, citius ad interitum trahens quam *Purgatio* in specie superflu, aun enim nõnisi funesto omine *laxa* in talibus observatur *alvus*, & *diarrhœa symptomatica* aut *colliquativa* pernitiosæ admodum sunt in his febribus, ita quælibet etiam artificialiter instituta *purgatio*, idque in specie, ubi à *contagio* natum est malum: Item ubi suspicio est *cutaneam* affuturam *excretionẽ* item ubi minus urget *effervescentia febrilis* ac *æstus* quam *malignitas* &c. Omnibus in his casibus *Purgatio* quocunque in morbi tempore vitanda: Quod si primis viis obstructis aperiendis aliquid moliendum necessarium sit, blanda *clysmata* eaque *temperata* adhibeantur: Et hæc ipsa, ubi jam *excretiontanea* se offert, nonnisi cautissime applicanda, *Declinante* autem *morbo*, aut devicta pernicie post XIV. dies &c. blande laxantia non incommode conveniunt: Si quidem interne pro *primis viis abstergendis* in febribus malignis necessarium videatur, hoc vel *serum lactis*, præsertim cum *succo citri* nonnihil acidulatum, vel *decoctum tamarind.* julepis in debita quantitate additum., vel *nitrum antimoniatum* in potu dissolutum optime complebit: Recte hoc dicit *Ballonius Phar. Med.* p.175. in malignis potius alterandum per alexipharmaca quam per purgantia evacuandum, id quod observandum contra Gallorum & Italorum praxin. *Etmuller p.*355.

46. *Et quæ vix ante* XIV.) Plurimum inter Practicos controvertitur utrum in febrium malignarum initio *Purgatio* debeat institui, Multi hanc omnino rejiciunt ob *Hippocr.* præceptum *concocta esse medicanda non cruda.* sed & quia humores maligni à purgantibus nimium exagitantur & malignam qualitatem latius diffundunt, naturamque acriter stimulantes pernitiosos alvi fluxus inducunt, cum alioqui in hisce febribus fluxus colliquativi sæpissime contingere, ægrosque de medio tollere soleant: Alii vero contendunt tantam esse interdum humorum pravorum ac venenatorum copiam in primis viis stabulantem, ut nisi purgante ab initio tollatur, aut valde imminuatur, reliquam massam inficiat, ut à natura, etsi alexipharmacis roborantibusque adjuta, superari nequeat.

Nos existimamus in principio, quantum fieri potest, à purgantibus esse abstinendum: Sed si putridorum humorum illuvies in primis viis stagnet (quæ maximo impedimento curationi esse consuevit) clysteribus frequentibus potius quam purgante esse educendam: Si tamen tanta sit in prima regione cacochymia ut clysteribus sufficienter educi non posse videatur (quod præcipue contingit, quando humores pravi in ventriculo redundant, tumque adest summa inappetentia, oris amaritudo, nausea & vomitus, vel quando adest lumbricorum copia, utilissimum est tunc temporis purgante eam educere, ut materia morbifica in venis contenta postmodum commodius edomari valeat, Quæ quidem materia ante concoctionem educi non potest, Et in illa tantum locum habet sententia *Hippocratis*, *Concocta esse medicanda*: sed materia in prima regione contenta, & excrementorum illuvies, nulla præmissa præparatione, aut concoctione educi potest, solisque clysteribus expurgatur plerumque.

Illa autem medicamenta, primam regionem expurgantia, ex benignioribus sint, vitando vehementia, imo etiam mediocria, Ideo valent *cassia*, *manna*, *tamarinds*, *syr. rosac. & de cichor. compos.* vixque licet ad *sennam* & *rheum* ascendere, aut saltem nonnisi exigua quantitate, magna urgente cacochymia cæteris permiscere.

Enemata vero non solum morbi initio, ad primam regionem ab excrementis liberandam, sed & toto morbi

bi decursu usurpanda si alvus sponte non fluat, singulis vel alternis diebus: his enim quotidiana excrementa educuntur, & quædam materiæ morbificæ portio sensim detrahitur: Tum etiam humores ad superiora vergentes ad contraria loca, eaque naturæ consentanea retrahuntur; Hæc autem Enemata ex decocto emolliente & refrigerante componenda sunt, additis laxantibus benignioribus, acria enim nimium irritant naturam ad excretionem, & sæpe alvi fluxus perniciosos inducunt, Imo vero satius est nulla Purgantia in morbi vigore Enematis remiscere, ne alvi fluxus excitetur, in hoc affectu frequentissimus, Itaut potius Fomenti interioris rationem obtineant, quam remedii laxantis: Quod si alvus in morbi decursu liquida appareat, non idcirco ab Enematis abstinendum, sed modice detergentibus & refrigerantibus utendum. *Riverius.*

47. *Imo xvij. diem*) Devicta remediis maligna & venenata qualitate, remissaque febre, morboque ad declinationem vergente, coctionisque signis manifeste apparentibus, purgatio instituenda ægri naturæ & constitutionis adaptanda: Neque utplurimum in morbi declinatione & statu convalescentiæ unica purgatio sufficit, sed ea non raro bis terve per intervalla repetenda, ut pravi humores funditus eradicentur; alioquin periculum est recidivæ, aut ne tardius ægri convalescant: quia natura, etsi satis potens sit illas materiæ morbificæ reliquias conterere, id tamen nonnisi multo tempore præstare potest, & interim corpus pristinum robur tardius recuperat. *Riverius.*

48. *Topicorum*) Dum diaphoretica usurpantur, si quando eorum operationem augere animus est, ut potentius venenum ad superficiem corporis educant, Externa quædam remedia possunt admoveri, *Cucurbitulæ*, siccæ aut scarificatæ, plures & pluries admotæ, *Vesicatoria*. quæ in statu morbi maxime conveniunt, & quo tempore sudorifica remedia admoventur: ac etiam *Oleum scorpionum Mattholi*, ab omnibus Practicis commendatum, virus enim in profundo corporis residens ad exteriora evocat: Ideo corporis emunctoria, ut inguina & axillæ, tum etiam pulsus temporum, manuum & pedum hoc oleo calente frequenter inungi debent, ter quater in die, vel etiam tertia quoque hora: In hujus penuria fiat *Linimentum ex theriaca succo limon.* dissoluta, cum *croci* & *camphora* tantillo.

Si quando natura veneni malignitate oppressa nihil prorsus agere, fortissima quæque diaphoretica, etiam majori dozi exhibenda sunt, ut consternati cordis vires quasi stimulis quibusdam concitentur; Tum aquæ theriacales, aut bezoartica potentiora, & majori vi penetrandi prædita (quæ addita *camphora* plurimum intendi poterit) usurpanda sunt: *Externus* vero *Fotus* sequens assumptorum vim mire juvabit, malignorum vaporum diaphoresin promovebit, qua methodo non pauci Orci faucibus erepti.

℞ *angel. & gentian.* āā. ℥iij.
fol. melissa, origani, scordii āā. *m.* ij.
semin. card. ben. ℥j.
flor. chamom. verbasci, melilot. hyperici, centaur. mi. stoech. anthos & calend. āā. *p.* ij.
f. Decoctio, addendo sub finem parum vini albi, quo foveantur pedes, inguina. axilla & latera calide cum spongiis.

Si linguæ siccitas, sitis, & alia febrem æque prævalere ac malignam qualitatem ostendant, hoc Fotu abstinendum est; Et illius loco *gallina* per spinam divisa vel *pulmo*, aut *omentum* vervecis recenter mactati, ventri admoveantur Epithemata etiam Hypochondriis admovenda, non omittenda sunt propter rationes in febrium putridarum curatione propositas. *Riverius.*

49. *Ad pulsus & cor applicatione*) Corroborantibus interne assumendis accedant Epithematum & animalium applicationes regioni cordis, *Fotus* genitalium *ex confect. alkermes in vino* dissoluta, *Sacculi* ventriculo admovendi, aliaque in affectibus cordis præscripta: Quod ad *Epithemata* spectat, in iis cautio adhibenda est, Si quidem plurimi eorum usum rejiciunt quod ex refrigerantibus & repellentibus componi soleant, aquis nimirum herbarum frigidarum & aceto, à quibus venenata qualitas ad cor repercutitur, illiusque diaphoresis. quæ perpetuo adjuvanda est, impeditur; Verum ratio hæc usum Epithematum nequit impedire, cum ea ex aquis cordialibus & diaphoreticis, nullaque adstringendi aut expellendi vi præditis, & sine aceto (quod tamen multi admittunt) componere possimus additis cardiacis, usque simul iniunctis fient Epithemata, non solum cordis robur sustinentia, sed etiam poros cutis aperientia, ut per eos maligni vapores facilius transpirent, E. g.

℞. *aqu. scabios. & card. ben.* āā. ℥iv.
aqu. naph. ℥ij.
conf. kermes. ʒij.
pulv. el. diamarg frig. ʒj.
croc. & camph. āā. *gr.* vj.
f. Epithema pro cordis regione, tepidum. Vel
℞. *confect. alkermes* ʒß.
pulv. elect. sesafani. & diamarg. frig. āā. ʒj.
aquæ napha parum f. linimentum applicandum eidem parti post usum Epithematis prædicti. *Riverius.* Vide supra § *Topicorum.*)

50. *Symptomatum obvenientium*) Quorum curatio eadem propemodum est quæ fuit proposita ubi de symptomatum febres putridas comitantium correctione actum: Et illa symptomata, cum iis quæ febribus malignis accidunt eadem fere sint, per magis & minus tantum differentia, ideo eadem remedia, in utroque morbo iis aptari poterunt; Nos tamen in hoc loco quæ frequentius nobis in febrium malignarum symptomatis edomatis usurpata sunt, quæque magis profuere paucis adnotabimus, Simulque morborum hisce febribus supervenientium curationem proponemus.

I. *Dolori capitis, Vigiliis, Delirio*, conveniunt in principio revellentia omnis generis, apertio venarum inferiorum, hæmorrhoidum, clysteres emollientes, frictiones partium inferiorum, Cucurbitulæ primo suris, post dorso & scapulis, siccæ, scarificatæ; Vesicatoria in *delirio simplici à materia biliosa*, brachiis & femoribus admovenda; In *delirio cum stupore* & somnolentia etiam cervici: deinde repellentia fronti, & oxyrrhodina, quæ tamen minus conveniunt in malignis quam putridis simpliciter, quia venenatorum vaporum difflatio omni via procuranda: Item Emulsiones 4. semin. frigid. maj. à quibus vapores frigidi & benigni ad cerebrum feruntur; Quæ si non satis sint, *Narcotica*, quæ acrium & malignorum vaporum ascensum mire prohibent, sed parva dozi, ut *syr. de papav.* ʒß. imo *laud. op. gr.* ij. cum *conserv. rosar.* vel theriaca rec. ad ʒß.

Repellentibus succedunt *derivantia*, ac in his vesicatorium cervici admotum; sectio venæ frontis, hirudines pone aures, quæ tenuem tantum sanguinem exsugunt, cum ex aperta dicta vena impetus sæpe sanguis educatur: Tandem in statu phrenitidis, aut declinationis principio, *resolventia*, ut pulmo vervecinus, pullis columbinis commodior, quod totum caput complectatur: Male in principio admoventur.

II. In *Linguæ inflammatione, siccitate, nigredine*, valent præsertim remedia ex *aqua* vel *succo sempervivi* & *sale prunellæ*: Sequens ex *Minderero* sæpe contulit,

℞. *butyri rec. in aqua ros. loti* ℥ij.
salis prun. ℥ß.
servetur in aqua frigida, detur pisi magnitudo, sæpe in ore detinendo.

Curationis succedentis signum si fuligo atra decedat;

ac lingua rimis dehiscens humescere incipit, sicque cutis ramenta decidant, ita ut faucium exuvias ægri screatu rejiciant, ac tum palatum dolet, tenui cuticula investitum, Medendum sic.

℞. *femin. psyllii & cydonior.* āā. ℈ij ß.
g. tragac. ℈j.
cum aqua rosar. extrahatur mucilago, adde syr. violar. q. s.
fiat instar Gelatinæ, diu & sæpe in ore continendæ: Valet *lac calens* ore detentum, Interim ad internum incendium extinguendum dentur Julepi refrigerantes.

III. *Sitis* intensissima felicissime extinguetur *sale prunella* & *spiritu vitrioli* in Julepis & aqua Potus ordinariu.

IV. *Inappetentia, Nausea, Vomitus* & *Singultus*, curantur remediis ibi propositis, De *Vomitu* nota interdum adeo divexare ægros ut omnia ingesta statim rejiciant, etsi situs, linguæ siccitas &c. urgeant, medetur quasi miraculo *sal absinthii ad* ℈j. in succi limon. cochleari exhibitum, ut experientia didici.

V. Alvi fluxus, alias frequentissimus, prudentiam requirit. nam cohibitus præpostere, materiam venenatam intus retinet, non cohibitus vires dejicit: Ille si ita sit moderatus, ut vires non dejiciat, non cohibendus, sed clysteribus roborantibus tantum moderandus: Si immodicus, vires admodum dejiciens, colliquativus esse consuevit, tunc cohibendus exhibita *theriaca* rec. ℈ß. vel *laud. op. gr.* ij. *aut* iij.

Sæpe tamen observavi alvi fluxum pernitiosum, ex quo æger ad interitum ruere videbatur, potentioribus diaphoreticis, magna doxi exhibitis quasi momento cohibitum fuisse, fugato veneno, quod intestina & viscera vellicando fluxum illum synrecticum efficiebat.

VI. *Lumbrici*, sæpe hic infestant, ex summa humorum putredine geniti; Conveniunt clysteres dulces, & Potiones contra vermes, præsertim ex *decocto scordii*, quod æque adversus malignitatem & vermes confert: hujus caliditas temperetur *portulaca, acetosa*, addatur *cornu cervi ustum decocto*, quo, teste Foresto, ad ℨj. nihil præstantius.

VII. *Parotides, Carbunculi*, quorum curationem vide in *Chirurgia*.

5°. *Symptomatum obvenientium*) Inter quæ Vomitus nonnunquam urget, D. N. febre purpurata graviter decumbebat, cum vomitu omnis materiæ potulentæ simul atque ebibita fuerat; Per quatriduum sævierat febris, hinc interiora adeo exsiccabantur & adurebantur, ut lingua summam nigredinem & ariditatem præ se ferret; hoc symptoma levissimum hoc remedio sedavi.

℞. *salis absinth.* ℈j.
succi limon. rec. coch. j.
mixta fuerunt in ipso cochleari & exhibita, Statim vomitus sedatus & ab eo tempore bibit quantum voluit, neque aliquid deinceps vomitu rejecit. *Laz. Riverius obs. 15. cent. 2.*

Parotides quoque assident febri malignæ, Anno 1623. febris maligna vagata est plurimos interficiens, ex peculiariter quibus Parotides superveniebant, circa 9. vel 11. diem erumpentes: Cum nullos alexipharmacis liberari observarem, cogitare cœpi ideo lethales esse quod pars illa non sit capax recipere totam materiam morbificam, quæ intus manens interimit, & supplendum esse naturæ opus; Et quanquam ægrotum pulsus esset parvus, frequentissimus, ut in agone esse viderentur, sangu. tamen missionem præscripsi partitis vicibus, bis aut ter eadem die, & sequenti die purgationem: Qua via omnes feliciter evaserunt, nec quisquam deinceps interiit. *Riverius cent. 1. obs. 43.*

5°. *Diæta, in qua à vino*) Diæta tenuis sit necesse est; & cum ægri sæpius fastidiant alimentorum odorem, nullo modo ad eundem cogendi sunt, quin Jufcula, aut similia, abunde, licet in parca quoque dozi sufficiant: *Potus* sit vel cerevisia secundaria, vel etiam *aqua* simpliciter, cum parte tertia, vel dimidia *vini* temperata, & infuso *pomo citri* in taleolas inciso, vel succo citri expressu medicata; quin etiam *Gelatina c. c.* recens parata, largiter cum potu isto partim scopo alexipharmaco administrari potest: Vel *Decoctum citri Mynsinch*, addita *gelatina c. c.* convenientissimus in malignis est Potus *Vinum generosum acidum* non nocet in malignis, quin moderato usu remedii confortantis vices subit: Nec inconveniens est *fumo sulphuris* medicari potum quemvis ordinarium, cum tale sulphuris *gas* ad extinguendam malignitatē & cōdiendos balsamica vi humores mire cōducat, Cujus loco etiam *clyssi antimoniales sulphurei*, moderata dozi cuivis ordinario potui utilissime instillari possunt, Quem Potum sulphurandi, & clyssos hos proficuos præ parandi modum vide apud *Crusselium in meth. Med. febr. epidemicas*, Alias & *nitrum antimoniat.* à ℨj. ad ℨij. in mensura una potus ordinarii dissolutum, nisi vel alvi liberior fluxus, vel stomachi nauseabundi imbecillitas obstiterit, commode potest dissolui: *Etmuller p. 358.*

5°. *Diæta, in qua à vino*) Victus ratio in hac febre eadem instituenda est quæ in febribus continuis: Hoc saltem observando ut *Acida* in potu & jusculis præscripta frequentius usurpentur, utpote putredini & malignæ qualitati oppugnandæ maxime idonea: Circa *Vini* usum adnotandum aliquando esse proficuum, utpote insigne cardiacum, & malignæ qualitati maxime adversum: Sæpè tamen valde nocere, febrilemque calorem plurimum intendere, Ideo ægri naturæ & morbi conditio accurate perpendenda, Ex his enim vini exhibendi indicatio desumenda; Si febris admodum exigua, venenata qualitas intensa, & corpus ægri pituitosum, tuto vinum, sed lymphatum datur: At in febre intensa, bilioso ægro pernitiosum: Hæc à nobis observata infinitis experimentis, ac præsertim in febre purpurata quę Monspelii grassata est anno 1623. post urbis obsidionem, tantę malignitatis ut tertia ægrorum pars interierit, à vera peste solo bubone distincta, nam etiam carbunculi frequentes erant; Quibus ægris pulsus erat parvus, frequens & pulsus sanorum fere similis, lingua humida, nulla sitis, vinum datum felici successu, cujus continuationem indicabat levamen sequens, & quod febris intensior non fieret: At quibus febris intensior, sitis, linguæ siccitas, nigredo, iis prorsus interdicebamus, in acidulorum potuum usu perpetuo detinentes: Primis autem diebus id nunquam exhibendum, ne materiæ crudæ nimium exagitentur, sed tantum circa statum, cum malignitatis signa se magis exserunt; *Riverius.* Vide *Zacutum Pr. adm. l. 1. obs. 93.*

5°. *Cum spiritus vitrioli*) Dn. N. à febre purpurata periculosissima hoc præcipue remedio sanatus est, quod scilicet in unoquoque haustu potus ordinarii, ex ptisana vulgari confecti, miscebam *salis prunella* ℨj. *spir. vitr. gutt.* x. sic enim summa linguæ nigrities & siccitas, cum ingentu conjuncta siti, paucis diebus discussa est, *Riverius cent. 2. obs. 12.*

5°. I. *Interdum*) Pro remediis rite applicandis observandum est ad illud præsertim *quod magis urget* esse respiciendum, Nempe *Febris* nunc est *simpliciter maligna*, nunc *complicata plus* minus *cum febre ardente*; propterea attendendum simul ad *motum sanguinis fermentativum*, ejusque *ebullitionem febrilem*, & inde dependentem *æstum, cephalalgiam*, & alia symptomata febribus ardentibus communia: Quo magis enim hic urget, eo minus *alexipharmacis volatilibus oleosis* utendum est, quo minus vero, eo tutius talia, præsertim in principio &

augmento

augmento usurpari debeat; i.e. ut vulgo vocant, attendendum, an major *putredo febrilis*, sive *effervescentia* in sanguine, an vero major malignitas: Nam si prius, *alexipharmaca minus sulphurea*, aut *oleosa*, sed magis absorbentia, aut *salia volatilia*, eaque subinde *blandius acidis* temperata usurpanda; Sin vero posterius, tutius generosiora etiam, & æstuationem corporis nonnihil intendentia theriacalia, & similia, usurpantur alexipharmaca. *Ettmuller p.* 344.

Differentiæ.

Dividuntur bifariam 1. [53] Interdum [54] omne *Venenum abest*, [55] sed ob causæ vehementiam vel aliquam malam qualitatem urget. Interdum occulta & *venenata qualitas* adest. 2. [56] Aliquando *putredo & malignitas* æquales sunt. Aliquando major *putredo quam malignitas*, ubi primæ viæ non tantum per Clysteres, sed & per Syrupum rosar. solutivum, Cassiam, Tamarindos &c. evacuati possunt. Aliquando *malignitas* putredine major.

[57] Aliæ sunt à *Contagio*, in quibus [58] *Curatio* per Alexipharmaca & Sudorifera institui, & natura, si quid expellit, juvari debet.

54. *Interdum omne venenum abest*) Præter hujusmodi Febres quæ simul in plures grassantur, & propter contagium, perniciem, & conspicuas virulentiæ notas, Pestilentes aut Malignæ dici merentur, dantur aliæ quædam epidemiæ, quæ singulis fere annis, aut vere aut autumno, in quibusdam regionibus desæviunt, à quibus incolæ quamplurimi ægrotare solent, & non pauci, præsertim è senioribus, occumbere, in quibus tamen nulla pestilentiæ aut malignitatis signa apparent; nec tam contagio videtur morbus ab aliis subinde in alios grassari, quam ob prædispositionem fere omnibus impressam una plures corripere.

Hujusmodi autem affectus à prægressa anni constitutione potissimum dependent; Si enim tempestas, propter excessus frigoris, aut caloris, siccitatis aut humiditatis, valde intemperata præcesserit, adeoque diu perstiterit, sanguinem nostrum utplurimum à debita temperie immutat, qua postea effervescentias febriles concipere aptus sit, atque hinc febris modo hujus, modo illius typi & ideæ producitur, quæ statim epidemica evadit, quoniam à causa communi, qua simul omnium quodammodo corpora afficiuntur, originem ducit: Tales vero febres, quatenus à sanguine diathesin modo acrem, modo austeram, aut alius generis, propter anni temperiem nacto dependent, utplurimum sunt de Intermittentium censu, proprio tamen symptomatum apparatu juxta peculiarem cujusque anni constitutionem insigniri solent: Has sub communi quadam norma, seu ratione formali, quæ singulis hujus naturæ quadret, comprehendere non licet, quoniam ipsæ juxta pleraque accidentia quotannis variant. *Willis lib. de Febr. cap.* 14.

55. *Sed ob causæ vehementiam vel aliam quandam malam qualitatem urget*) Malignarum adhuc censui febres quædam aliq; privatæ, & nullius contagii participes adscribendæ, Cujusmodi sunt imprimis quæ fœminis puerperis, ob partum difficilem & laboriosum, vel propter lochia detenta, accidere solent, Si quidem has valde periculosas, & non raro lethales esse observatione communi satis constat; nam si læsis uteri partibus, aut frigore admisso, aut alia forsan causa lochia sistantur, & qui excerni debuerat humor sanguinis massæ confusus fuerit, ipsum mixtura veluti quadam venenata pessime inquinat, ut exinde statim febris excitetur, quæ malo symptomatum apparatu, scil. calore & siti inmani, vomitu, cardialgia & vigiliis, utplurimum stipatur, & plerumque crisin aut nullam, aut valde difficilem obtinet, quippe ni solita via lochiorum fluxus denuo restituatur, post sanguinis effervescentiam per aliquot dies habitam, labes cerebro & nervoso generi communicari solet, unde mox delirium, phrenitis, convulsiones, aliæque pessime affectiones sæpissime inducuntur, quæ non raro in mortem terminantur, *Idem*, De his Febribus superius actum.

56. *Aliquando putredo & malignitas*) Pro ratione *Putredinis & malignitatis* quæ simul hic concurrunt hæ febres variant; *Putredinis sanguinis* causa hæ febres ad *synochorum putridarum*, vel reliquarum continuarum naturam quoque aliquo pacto accedunt; & prout in sanguinem temperatum vel intemperatum putredo hæc inciderit, vel in loco cordi magis vicino, miniora gravioravè in calore, & quæ illum sequuntur symptomata profert, totiusque morbi decursus variat: Unde fit quod harum febrium aliquæ in eodem statu, synochorum instar fere permanent nullasque insignes exacerbationes afferunt; quales febres cum in infantibus ecthymata efflorescunt, plerumque existunt: Sed & in adultorum febribus malignis, si putredo vehemens minime sit, neque in urinis aut sanguine illius indicia magna deprehendantur, mitius calor, aut quæ eum sequuntur accidentia graviora occurrunt; Sicuti vero putredine in illis invalescente, maxime si corpus intemperatum occupet, circaque cor proxime versetur, aut alias partes principes possideat, accidit, tunc enim reliquarum continuarum instar cum horrore incipiunt caloreque immiti, uti & illæ interdum & causonum modo proferunt symptomata,

Qualitatis vero *maligna putredini* junctæ occasione, præsertim si illa prævaleat, eorque labefactando vires mox dejiciat, cum natura tunc impedita morbum ordine quodam servato fortiter aggredi nequeat accidit ut hæ febres, sive mitiores sive vehementiores caloris causa existant, non certam rationem in motu, quo dijudicari queant, observent, nec stato tempore exacerbentur, licet per crisin aliquam quoque interdum solvantur; aliæ vero quæ synochos putridos referunt minime, sed per fœtidas excretiones sensim, ut in ea quæ ecthymata profert, fit, desinant, *Platerus*. Equidem malignis in febribus quæ ex *interna consentorum degeneratione* oriuntur, item in *variolis*, *morbillis*, & hinc etiam *febris acuta* sanguinis effervescentia agitari solet, Sed in *acutioribus pestilentialibus*, peste ipsa, *spiritus influi* inprimis affici, & quasi mortificari ant necrosi affici videntur. *Ettmuller p.* 348. Vide §. *Virium à principio insignis &c.*) ex Eodem, & §. *major quam pro febris & caloris*.)

57. *Aliæ sunt à contagio*) Quoad Malignas Contagiosas, fundamentum harum consistit in tali fermento morboso (h.e: quod ob acrimoniam malignam summe malignum, adeoque sui, mediante intestino; quasi fermentativo motu, apta in materia, multiplicabile existit: ob volatilem vero & spirituosam naturam, spiritibus nostris inprimis communicabile, & hinc activitatis impedimento in distans quoque diffusibile, & summe penetrabile est) quod auræ sive odoris instar, adeoque

Caput II.

De Febribus Malignis in specie.

Articulus I.

De Variolis.

[1] Febres malignæ in specie spectatæ, [2] continent sub se febres cum [3] *Variolis, Morbillis*, & hisce similibus exanthematis, febres *Petechiales, Sudorem Anglicum*, Morbum *Hungaricum*, Febrem *cum spasmo*, & Febrem cum *catarrho & tussi*.

[4] *Variolæ* [5] *sunt pustulæ*, [6] *in summa cute* [7] *partibusque cutis proportione respondentibus*, [8] *cum febre* [9] *continua, propter* [10] *peculiarem sanguinis effervescentiam & ebullitionem*, [11] *à facultate expultrice excitatæ*.

[1] *Febres malignæ &c. continent sub se Febres cum Variolis*) Febrili Pestilentium & malignarum censui referimus Variolas & Morbillos, qui revera sunt misti affectus, simul juxta & adversus Naturam nostram consistentes: Quoad originem suam, seminarium habent nobis connatum, quoad effectus vero, symptomata præternaturalia producunt, & (sicut ipsa Pestis) venenata, adeoque peculiare quoddam febrium genus constituunt, hominibus quidem proprium, verum alio modo quam Porphyrius assignavit, convenit enim homini *omni*, *soli*, & *semel* Variolis, aut Morbillis affici; Si forte quispiam in tota vita immunis degerit, aut alius in hos affectus sæpius inciderit, sunt hæc rara & inusitata naturæ eventa, quæ communi observationi minime derogant: quia omnino rarum est, quod nimirum cuncti & soli homines sint Variolis & Morbillis obnoxii, atque unica plaga iis absolvi soleant. *Willis lib. de Febr. c. 15.*

Rhazes, qui inter Arabes de his omnium optime scribit, Pestem vocavit, quod sint morbus epidemius, contagiosus & valde periculosus, nam pestem sæpe præcedunt aut sequuntur: Sunt vero quidem morbus malignus, & contagiosus, sed proprie non sunt Pestis, sæpe enim sporadicæ sunt, & quocunque anni tempore pueri quidam illis afficiuntur & etiam liberantur.

[2]. *Continent sub se febres cum Variolis*) Variolæ & Morbilli referuntur ad Febres acutas, malignas, epidemias & pestilentes, (etsi non sint tam exitiosæ quam ipsa pestis) quia inter XIV. dies plerumque terminantur; aut saltem xl. non transcendunt, malignitatis participes sunt, per contagium propagantur, & frequenter, instar Pestis, epidemicè grassantur. *Diemerbroeck Tr. de Var. & morb. c. 1.*

[3] *Variolis, Morbillis & hisce similibus*) Nominum aliqua Varietas occurrit apud Medicos, Græcis usitata fuere τὰ ἐκθύματα καὶ ἐξανθήματα vocabula (hæc ambo veteres Latini uno verbo *Papulas* dixere) Per quæ non semper intellexere duos distinctos morbos, sed frequenter unum eundemque, Alii Exanthematum duplex genus constituerunt, unum in quo Pustulæ eminentiores in cute erumpunt, Alterum in quo saltem cutis color mutatur, Atque prius illud speciatim nonnulli *Ecthymata*, Latini Variolas, quasi parvos *Varos* nominarunt, cui etiam Papularum nomen proprie adscribendum putant, Posterius vero ἐξανθημάτων nomine donarunt, & Latini etiam Exanthemata Morbillos appellarunt: Notandum interea Exanthemata propriissime nominari [illegible] maculas Purpureas quæ in Pestiferis ægris frequenter [illegible]pparent, Postmodum autem à multis Medicis hoc [illegible]eu etiam, sed minus propriè *Morbillis* fuit assignatum.

Quicquid [illegible], hodie nullum amplius dubium; nullaque ambi[gu]itas de nominibus superest, cum Medici per *Ecthymata* & Variolas passim intelligant Pustulas illas eminentes in cute & suppurantes, per totum corpus conspicuas, Et ἐξανθήματα, seu *Morbillos*, nominent maculas rubicundas, cutem nonnihil exasperantes, & nonnunquam minimis tuberculis instar seminum milii conspersas. *Diemerbroeck Tract. de Variolis cap. 1.*

[3] *Variolis, Morbillis*) Hi morbi etsi ejusdem malignitatis participes sint, in his tamen differunt I. quod cum sanguinis ab illa malignitate infecti duplex sit excrementum, unum crassum, alterum tenue, ex *crasso Variolæ*, ex *tenui* vero Morbilli generantur. II. Quod in *illis*, propter istam materiæ diversitatem tubercula elevata & purulenta fiant, *in his* vero duntaxat maculæ, vix cum aliqua cutis elevatione, & sine ullo pure appareant. III. Quod *illæ* sanatæ foveas ac cicatrices *hi* vero nullam fœditatem relinquant. *Diemerbroeck.*

Ex materiæ illa diversitate petenda est ratio peculiaris illius constitutionis, quæ epidemica fuit exeunte æstate & toto autumno anni 1686. nam maxima, saltem media pars ægrotum, primo morbillos passi sunt, quibus defuncti, jamque restituti, XV. aut XX. post die, nonnulli etiam tardius, Variolis prehendebantur, quia materia tenuis, morbillis producendis apta primo incendium concepit, altera crassior, reses & ignavior, posterius accendebatur, & fermentationem subibat. Domestico exemplo id didici, Filius meus *Gulielmus Bonetus*, octennis, morbillis occupatus fuit, & gravissime decubuit, Octiduo post cum restitutus crederetur, successit Hydrops Ascites, adeo ut desperatæ esset valetudinis, tandem idoneorum remediorum ope detumescente ventre, & febre hectica imminente; erumpunt Variolæ, quibus sanatis integram adeptus est valetudinem, In decursus omnium harum ægritudinum trimestre exegit.

[3] *Variolis*) Vocantur à Græcis Ἐξανθήματα & ἐκθύματα, quo nomine in universum omnes eruptiones intelliguntur quas Natura deponit in cutim, ipsæ etiam maculæ; Unde Variolæ & Morbilli etiam sub his comprehendi possunt: Arabes Variolas dixerunt à Varorum similitudine, quod instar Vari in corpore, emineant; hi sunt tumores exigui, duri in facie, ex crasso ferventique succo collecti, ad quorum similitudinem Variolæ dictæ. *Primerosius.*

[4] *Variolæ sunt Pustulæ &c.*) *Hanc Definitionem tradit Diemerbroeck*, Variolæ sunt Pustulæ suppurantes, in summa cute erumpentes, ac conspicuæ (raro internas partes occupantes, cum febre continua, à peculiari maligna humorum fermentacea effervescentia ortæ.

[5] *Sunt Pustulæ*) Continentur in genere tumorum p. n. sunt enim eminentiæ, adestque aucta magnitudo: Prominent autem in cute Tumor, Tuberculum, Pustula, Tumor tuberculo majus est, utroque minor Pustula est: Variolæ non ad tumores & tubercula, sed ad pustulas & exanthemata referuntur, quia tumores minimi sunt, nequaquam magni, ut phlegmone, furunculus. *Primirosius.*

5. *Sunt Pustulæ*) *Quæ ad suppurationem ut plurimum deducuntur*, Sub hac autem non rarum est quod ulcera gravia variis in locis relinquant, ipsaque ossa carie efficiantur: Acidum ex sanguine secretum, ac in *Pustulas* congestum intercutaneas, sanguinem in parvis, quas acrimonia sua excitant, inflammatiunculis in pus mutat, per præcipitationem sulphuris sanguinis ab acido. *Etmuller.*

An Veterès hos morbos cognoverint? dubium, Negat *Mercurialis l. de morb. Puer.* c. 2. Affirmant *Junius* & *Salmasius*, hic ex *Ætio* & *Valente, l. de Annis Climact.* p. 726. Plinius *Papulas* appellat, Latini *Pustulas*, Morbillos & Variolas, tanquam parvi vari. *Piens.*

6. *In summa cute*) De cute notandum, quod licet in ea passim dispersæ conspiciantur, non tamen æquali quantitate ubique in ea erumpunt, quippe communiter majori semper magnitudine & copia in facie, pedibus ac manibus, quam in aliis partibus prodeunt: Ratio videtur adscribenda hepati, propter cujus à maligna hac ebullitione conceptam calidiorem intemperiem, vitiosos putridosq; humores cũ sanguine magis ad illas (quas Emunctoria hepatis voco) quam ad alias partes propellit, Eodem modo sicut hepate calidiore præditi solent faciei rubedine & pustulis laborare, caloremque intensum in volis manuum & plantis pedum sentire. *Riverius.*

7. *Cute, partibusque cuti &c.*) Non tantum in exterois corporibus partibus, sed etiam in internis, ut pulmonibus, faucibus, intestinis, ventriculo generantur; Adeo ut illarum subjectum sit totum corpus, ad differentiam eorum exanthematum quæ unam tantum partem afficere solent, ut psydracia, vari &c. Variolæ autem totum corpus inficiunt: Potissimum autem erumpunt in facie, contra quam in purpureis maculis fieri solet, quæ faciem ferme nunquam occupant.

Certum est humores in utrisque ferri sursum, in Purpuris sicut in Variolis, ut deliria cerebrique symptomata ostendunt, sed quoniam cutis in facie tenuior est & rarior, nisi copiosa fiat humorum expurgatio in cute non firmantur, sed exhalant & per insensibilem babitum dissolvuntur, sive qood in purpuris humor crassior sive non soleat sursum ferri, sive quod majoribus vasis contineatur, In Variolis vero in ipsa sit partium substancia; sive quod facies aëri exposita inutilem illam & exiguam purpurarum evacuationem non admittat, in Variolis autem maximus impetus Naturæ humorisq; pravi abundantia ita urgeant, ut non obstante aëris frigiditate in cute faciei pullulent, nisi summo & extraordinario aëris rigore repellantur: Scribit *Aristoteles* Varos potissimum fieri in facie, quia locus humidus est & rarus, materiam ideo crassiorem facilius excipit, quod tumoribus illis etiam convenire potest. *Primirosius.*

8. *Sunt Pustulæ &c. cum febre*) Hi morbi non sunt unum, sed duplex morbi genus, quippe sunt morbi intemperiei, quod ex calore p.n. & febre notissimum est; Atque etiam morbi pravæ cooformatioois, quia adsunt tumores & continuæ solutiones. *Diemerbroeck.*

8. *Cum febre*) Explodenda est eorum opinio qui Variolas sine febre esse voluere; quod ita fieri commenti sunt, quia potest sanguis effervescere in partibus cuti proximis, tuncque ejus calor eos non afficiet, nec fiet febris aut saltem subsequetur, quando scil. in pus transmutatur, nam dum pus fit, febres fiunt, quem casum etsi rarum possibilem tamen esse contendunt, *Rhazes* Var. post febres erumpentes statuit salubriores esse iis quæ febrem præcedunt: Non negandum autem est posse pustulas quasdam oriri sine febre, quæ tamen non suot Variolæ, de quibus agimus, Necessario enim febris præcedit, cum sint criticæ vacuationes febrim solveotes, Effervescentia enim non juxta cutim, sed in vasis majoribus fit, à quibus in superficiem humor transmittitur: Fiunt ergo à febre semper Variolæ, nam ipsam critico impetu solvunt, tuncque ea cessat.

Quòd si contingat Variolas esse copiosas, magnas, sanguine ichoroso plenas, tunc febres à Variolis fieri possunt, quæ tamen non sunt ejusdem cum prioribus generis, sed symptomaticæ, eæque diariæ, sicut ex bubonibus fiunt diariæ, ex phymate, furunculis & cutaneis affectibus ejusmodi ephemeræ gigni possunt, secundum Avicennam; Propterea sobrie intelligendum dictum *Rhasis*, quod est verissimum, Nam cum iis apparentibus minui febris debeat, si ea aut perseveret, aut augeatur, aut quæ cessarat iterum redeat, augmentum putredinis significatur, quod non potest non esse perniciosum. *Primirosius lib. 4. c. 15. de Febr.*

9. *Cum Febre continua*) Variolas præcedit febris, sed non omnibus eadem & æqualis, quoniam sanguinis reliquorumque humorum oon solet idem esse incendium parilisque putredo, sed modo major, modo minor, Febris autem synochus esse dicitur, quę à principio ad finem usque cor assidue fatigat, donec impurus sanguis multorum excrementorum permistione inquinatus à Natura depuretur, & expulsis à majoribus vasis in minora, & ab his in babitum corporis humoribus papulas proferat: Putrida febris quoque esse statuitur, quamvis putredinis varii sint gradus, quibusdam enim levior est, quibusdam gravior, symptomatis pravis stipata, ex vehementi humorum putredine, tuncque Variolæ sunt mali moris, ulceraque gravia in partibus affectis relinquunt, tum internis, tum externis; Hæc tamen dubia mihi videntur, Num scil. febris Variolas præcedens semper Synochos sit, siquidem mirantur *Arabes* si quispiam in vita illis non laboravit, Certum autem est synochon non fieri nec in gracilibus, biliosis, nec in pituitosis, nec in melancholicis, nec in frigida ætate, ut senectute, nec in plenitudine ad vires, sed in plenitudine sola quæ ad vasa dicitur generari; Non est autem verisimile omnes qoos Variolæ occupant, plethoricos esse, valde carnosos & sanguineos, cum vix quisquam hunc morbum effugere possit, & in omni ætate contingere queat, in ipsa quoque senectute: Præterea synochos fit ex sanguine magnis vasis concluso, Variolæ autem dicuntur fieri ex menstruo sanguine non in venis, sed in partium poris contento, siquidem ita statuunt recentiores, qui menstruus sanguis à singulis partibus expelli potest sine febre; si enim excretiones plurimæ à Natura perficiuntur sine febre, cur hæc non fieri potent? Ostendit tamen experientia numquam sine febre fieri, sed hæc potest esse ioterdum alterius generis quam synochos, scil. vel ardens, biliosa, aut similis quæpiam. *Primirosius.*

10. *Propter peculiarem sanguinis effervescentiam*) Semper adesse febrem putridam non adeo certum, namque explorato sanguine illorum qui hac febre laborantes ante expulsionem Variolarum, scil. ante sanguinis depurationem venæ sectione vacuati sunt, conspeximus purum illum, rubentem, cito concrescentem tanquam à victima, quæ sunt sanguinis laudabilis indicia.

Et quidem ebullitio sanguinem puriorem reddit, unde colligi potest ipsam sanguinis substantiam non putrescere, sed tantum menstrui sanguinis & excrementorum inquinatione accendi, ex qua ebullitione purior perfectiorque redditur: Cujus quoque evideos argumentum est, quod evacuata per morbillos variolasve parte ea quę sanguinem in fervorem agebat cessat febris ardorvè omnis, sanguisq; ad pristinam redit bonitatem: Hic autem intelligimus universam sanguinis massam, etsi totus sanguis non putrescit, effervescit tamen secundum se totus, aliud autem est accendi, aliud putre-

fieri

fieri: accenditur in synocho imputri, putrescit autem simulque accenditur in synocho putri, sanguis ergo ille modo biliosus, est modo pituitosus, modo melancholicus, modo ichorosus: igitur de hac febre statuo non semper esse Synochon, ut varii pustularum colores indicant; nec semper putridam, sed malignam, siquidem contagiosa est, exitialis, & crises facit quæ aliis febribus non competunt, Ex quibus patet aliquid hic adesse peculiare quod aliis febribus non inest, nam si putrida foret febris, expulsis in habitum corporis noxiis humoribus, rigor ut in ardente & synocho contingeret. *Idem.*

10. *Propter peculiarem sanguinis effervescentiam*) Cavenda in genere sedulo *fermenti febrilis*, ceu causæ febris malignæ, confusio cum alterationibus sanguinis aliorumve humorum notabilioribus in malignis febribus obviis, ceu productis morbosis, utplurimum spirituum influorum prævia alteratione & affectione à fermento maligno inductis: Hinc enim nec *sanguinis coagulatio* à *Willisio* asserta; nec *ejusdem nimia dissolutio*, quam *Sylvius* urget, ad rationem malignitatis formalem explicandã, inserviens; dum hæ alterationes producta morbosa mediata, non secus ac bubones ac carbunculi, putandæ sunt, v.g. in ægro *Variolis* aut *Morbillis* correpto, & per totum corpus incrustato, non putandum est extitisse in corpore tales sordes quæ febrim induxerint, & postmodum, sub cute depositæ Variolarum pustulas & saniem constituant, siquidem sanissimus subinde ex improviso iisdem copiosissimis obducitur; sed à *fermento maligno*, interdum sub forma odoris contagioso hausto, spiritus inquinante, & horum medio humores afficiente generantur ista in corpore, donec una cum multiplicato fermento contagioso, sed istorum humorum, licet alteratorum, medio temperato & correcto secernantur, & circa glandulas intercutaneas defigantur.

Par ratio petechiarum, purpuræ, bubonum & anthracum, esse videtur: Sunt horum colores nigri, rubri, lividi, non à maligno fermento, plus minus caustico sive urinoso præcise, sed à majori vel minori mortificatione & necrosi humorum vel partium solidarum, ob spirituum extinctionem oriuntur, cujusque etiam naturæ fermentum malignum fuerit. *Emuller p.* 350.

10. *Peculiarem sanguinis effervescentiam & ebullitionem*) Qualis sit hujus morbi essentia, ob naturalem & communem morbi cum reliquis hominibus intellectus defectum, nescire plane me fateor; Verum tamen *enarranda* symptomata, pensiculatim trutinata, mihi videntur subindicare *Inflammationem* eum esse (à cæteris tamen inflammationibus specie diversam) tum sanguinis, tum reliquorum humorum, In qua amovenda per dies priores, duos tresve, id agit natura, ut particulas inflammatas digerat coquatque, quas postea in corporis habitum ablegatas maturat adhuc, & sub Abscessulorum forma suis demum finibus expellit.

Quapropter ut fundamento alicui medendi methodus superstruatur, notandum est duo esse hujus morbi tempora, quorum primum *Separationis est*, secundum *Expulsionis*, Atq; primum illud tempus plerumq: cum *febrili ebullitione* transigitur, quod tribus vel quatuor primis diebus peragi solet, quorum decursu id satagit Natura ut partes ejusmodi inflammatas seligat congregetque quæ sanguinem lacessunt; atque etiam ut illas in carnosas corporis partes relegatas ibidem deponat, quo facto pristina quiete fruitur, sedato jam tumultu qui, dum hoc ageretur, in sanguine ciebatur.

Separatione, sic ope ebullitionis in sanguine peracta, Expulsio jam locum obtinet, quæ per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis illis abscessibus, in carne perficitur, Sicut enim à natura abscessuum sua specie nõ abludunt, ita parem cum aliis *cruditatis*, *maturationis*, atque *exarescentiæ* statum percurrere solent; quæ omnia si rite atque laudabili modo absolvant & exequantur, in tuto res est, cum exinde curationis summa dependeat. Sin minus, omnia pessum ruitura sunt; Et quidẽ postremum hoc negotium priori illo *separationis* opere tanto plus temporis sibi vendicat, quod prius illud in tenui fluidoque corpore transigatur; atque in ipso (ut sic dicam) naturæ foco, posterius autem in denso spissoque theatro, atque à vitæ fonte paulo remotiori, partes suas exequi cogatur. *Sydenham.*

11. *Peculiarem sanguinis effervescentiam*) Sive aëris vitio, sive à menstruo sanguine, sive aliis ex causis oriantur, eadem curandi ratio datur, Certissimum itaque est hunc morbum originẽ ducere à corrupto sanguine, in ichores acres & colliquatos mutato, unde facta inordinata fermentatione, & irritatione naturæ, ad habitum corporis instar crisis hæc materia propellitur; ibidemque si crassiores & acriores fuerint materiæ particulæ, carnem & cutim erodunt, pustulasque excitant: Si autem tenuiores mitioresque, ac minori in copia appareant, maculas producunt. *Pietis.*

Signa præsentium non est quod inquiramus, Visui enim objiciuntur. [12] *Imminentes* indicant, [13] Capitis cum gravedine oculorum, colli & dorsi dolor, narium pruritus, Respirationis imminutio. Tussis siccitas, propter ascendentes ex fermentatione vapores, pedum ægro sese convertente tremor, quia copiosa materia nervos occupat, sternutatio frequens, quia cerebri meninges vellicantur, cordis palpitatio. Urina interdum sanorum similis materia vitiosa ad ambitum corporis protrusa, interdum ob magnam humorum ebullitionem turbida. Lacrymarum ex oculis spontanea eruptio quia aquea humiditas ab ebullitione sanguinis colligitur. [14] Febris ex humorum ebullitione accensio. [15] Macularum proventus &c.

[16] *Causa* est *Interna*, [17] materni [18] sanguinis impuritas, quem infans in utero posterioribus mensibus, quia purior non sufficit, attrahit. Hic in totam substantiam carneam attractus, [19] per aliquot annos insensibiliter occultatur: tandem, dum natura hanc impuritatem amplius ferre non potest [20] instar musti ebullientis fermentari incipit, [21] per ebullitionem purum ab impuro separatur, impuritas [22] per crisin quandam pellitur, & calor cordi communicatur, ac febris accenditur, [23] *Externa*, vel [24] *Contagium*, cum è corporibus ita morbidis, morbidum effluvium alteri communicatur: [25] Vel *Aër* [26] ob siderum influxum, aut [27] alias causas, humores seu corrumpens [28] seu commovens. In Islandia grassantur anno quovis vigesimo recurrente, persuasique sunt incolæ, qui tum variolis non laboraverit, annum 20. ab inde non excessurum, seu terminum recurrentem non attacturum. [29] In America propter summam aëris clementiam tam leves fuere, ut [30] ante *Hispanorum* adventum observatæ non fuerint: contagio ab Æthiope delato, bona pars Indorum periit.

Variolarum Species, Signa, Symptomata, Tempora, Variolæ Discretæ, Confluentes, & Causæ.

Signa præsentium non est quod inquiramus, Visui enim objiciuntur, Immmentes indicant) Variolæ quibus annis Epidemice grassantur, si *Regulares* etiam sint, atque mitiores, circa Æquinoctium vernum ingrediuntur; Quibus vero annis non tantum grassantur *Epidemice*, sed & *irregulares* atque periculosioris sunt generis, maturius nonnunquam, mense puta Januario invadunt: Integras familias contagio suo afflantes, nemini parcunt, cujuscunque demum ætatis is fuerit, nisi prius hoc morbo laboraverit: Neq; tamen eximuntur illi quos adulterinum Variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, prius obsederit.

Duplex est harum species (ut & Variolarum quæ quibuslibet annis infestant) vel sunt enim *Distinctæ*, vel *Confluentes*, quæ licet essentialiter, ut ajunt, non differant, per illustriora tamen quædam *symptomata*, quæ hanc comitantur speciem, illam non item, haud difficulter ab invicem discriminantur.

I. *Interstinctæ*, vel *Discretæ*, cum *frigore* atque *horrore* invadunt, quas mox excipiunt *calor* intensus admodum, *capitis* & *dorsi* vehemens *dolor*, vomituritio, ingens in sudores propensio (quod de adultis dictum volo, neque enim in infantibus ejusmodi διάθεσιν mihi unquam observare contigit, vel ante pustularum eruptionem, vel etiam post) doloris *sensus in partibus quæ scrobiculo cordis subjacent*, si manu premantur, *stupor* etiam & *somnolentia*, in infantibus præsertim, nonnunquam & *paroxysmi Epileptici*: qui si infantes Dentitione jam perfunctos corripuerint, suspicor ego ubique Variolas in procinctu stare, quæ intra pauculas horas se exserentes prognostico utplurimum fidem conciliant.

Atque hec fere sunt symptomata quibus hic morbus sub initio stipatur, quæque eruptionem Pustularum utplurimum antecedunt, Quamvis interim consentaneum fuerit hic loci indicasse in sanguine rariori atque δυσμεταβλήτῳ, nonnunquam accidere ut separationis periodus sensim atque gradatim, sine insigni aliqua ægritudine transigatur, priusquam expulsio materiæ pustularum eruptione se prodat.

Variolæ Discretæ iv. utplurimum die (si primum etiam incluseris) ab invasione erumpunt, nonnunquam serius aliquanto, ante illum vero rarissime; quo quidem tempore, vel minuuntur admodum symptomata, quod plerumque fit; vel etiam penitus evanescunt, nisi quod adulti in sudores propensi, vix ab illis possint cohiberi, ut vel leviter tegantur, quæ quidem διάθεσις nonnulli pustulis maturationem jam attingentibus ægrum deserit; idque sua demum sponte.

Eruptionem quod spectat, hęc fere se habet modo; Primo Pustulę subrubræ, tenuissimarum acicularum puncta æquantes magnitudine, sparsim se produnt, faciem inprimis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus universum, Per id temporis & fauces dolor infestat, qui una cum pustulis surgentibus augescit, quæ in dies grandescentes, & in majus fastigium elevatæ, cutem carnesque vicinas rubore afficiunt, atque inflammatione.

Circiter enim *octavum* à primo insultu diem (quam in morbo hoc Epocham quoque servo) intervalla quæ plus minus subalbebant, pro pustularum quibus obsidentur numero rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non sine partium dictarum dolore tensivo & lancinante, qui in horas auctus inflammationi & tumori prædictis viam sternit; ita ut progrediente morbo *palpebræ* usque adeo impleantur extendanturque, ut æger luce ferme privetur; qui quidem palpebrarum tumor, vesicam inflatam ac resplendescentem per easdem extensam non male refert: Est etiam ubi temporius oculis capiuntur ægri, si nempe major pustularum vis à prima eruptione se in illos effuderit; Proxime à facie intumescunt *manus*, digitique pro Pustularum numero distenduntur.

Usque ad hunc diem Pustulæ quæ faciem obsederunt, læves ad tactum fuere atque rubræ, jam vero asperiores evadunt (quod quidem primum est incipientis maturationis indicium) & subalbidæ, paulatim insuper succum quendam luteum evomunt: Faciei interim & manuum inflammatio ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis satis floridum; Et sane quo majores sunt Variolæ, & genuinæ magis, eo etiam magis, tum ipsæ pustulæ, tum & cutis in earum interstitiis rosarum Damascenarum colorem ad vivum exprimunt.

Uti vero quæ faciem occuparunt pustulæ, asperiores quotidie ac magis flavæ pro maturationis ratione: ita è contra quæ manus & reliquum corpus, minus asperæ, albæque magis conspiciuntur in dies, Die xi. *faciei tumor* atque inflammatio satis aperte recedunt, & pustulæ tam faciei quam reliqui corporis, jam maturitatem & justam magnitudinem adeptæ exarescunt, deciduntque; atque in hac Variolarum specie die xiv. vel xv. utplurimum funditus pereunt.

Verum tamen manuum pustulæ cæterarum partium pustulis pertinaciores plerumque recentes adhuc, albæque, diei unius aut alterius mora illas vincunt; faciei & reliqui corporis pustulæ desquamatione; at vero manuum quæ sunt disruptione abitum sibi parant.

Pustulis faciei succedunt squamulæ furfuraceæ, quas aliquando excipiunt foveæ cutis: Etenim ubi primum decidunt Pustulæ, nulla adhuc in cute cernitur inæqualitas, at vero hujusmodi squamulis exsurgentibus recedentibusque vicissim, tandem excavantur foveæ istæ, quæ sæpenumero in convalescentibus ab hoc morbo diu visuntur, quamvis raro admodum *Variolæ* interstinctæ ulla sui linquant vestigia; atque illæ ferme solæ quę sex postremis anni mensibus invasere, cumque hos præverterint nullas cuti notas imprimunt, nisi forte confluxerint: Decurrente morbo omni, æger vel constipatam prorsus habet alvum, vel saltem rarissime dejicit: Atque hæc de *Variolis Discretis dicta* sunt.

Symptomata cum *Discretis* communia habet & illa Variolarum species quas *Confluentes* appellavimus, nisi quod hic atrociora sint omnia, Febris scilicet, Anxietas, Vomituritio &c. immanius affligunt: quibus signis Medico sagaci, etiam ante eruptionem, *confluentes* se produnt, Nihilominus non ita prompte hic in sudores dissolvitur æger, ac in supradicto genere, Diarrhœa etiam insuper nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumve post illam protrahitur quod quidem in Discreto Variolarum genere nondum videre mihi contigit,

Tertiò utplurimum die erumpit species hæc, *ante illam* aliquando, vix unquam *post illum*, cum Discretæ vel ipso die 4. inclusive à primo insultu morbi, vel postea ante illum raro admodum se monstrent, quantoq; magis quartam illam diem præverterint Variolæ, tanto etiam confluent magis.

Quamvis autem, ut generaliter loquamur, confluentes diem quartum vix præstolentur unquam, fit tamen, licet raro, ut ob atrocius aliquod symptoma, ad 4. vel 5. usque diem differatur eruptio, v. g. acutissimus dolor, nunc in regione lumborum, nunc in latere, qualis pleuriticos vexat, nunc denique in ventriculo, cum ingenti anxietudine & vomitu enormi, ante eruptionem ægrũ fatigat angitq;: Hisce in casibus, licet infrequentes sint, Variol. solito serius erũpere animadverti, utpote ab immani symptomatum dictorum violentia constrictas atque impeditas, quæ quidem symptomata, solitis vehementiora, cum agmen ducant, mihi satis aperte indicant,

cant secuturas Variolas &c. confluentium genere esse, & periculo minime cavere.

At vero, licet in *Discretis* mox ab eruptione, quæ morbi insultum comitabantur symptomata nullum jam amplius facessant negotium, in *Confluentibus* se longe aliter res habet, cum tam Febris quam alia symptomata etiam ad multos dies, à pustularum eruptione ægrum discrucient.

Variolæ dictæ, nunc Erysipelatis ritu, nunc Morbillorum erumpunt, & quibus, nonnisi à Medico, in his morbis versatissimo distinguuntur, saltem quoad faciem externam, Nam qui ad dispar in utroque morbo Eruptionis tempus, aliasque circumstantias, quas utriusque historia longe ab invicem discrepantes exhibet, sedulo animum animadvertent, haud difficulter hunc ab illo discriminaverit; Crescente morbo, non in molem aliquam spectabilem, uti *Discretæ*, attolluntur, quæ faciem præsertim occupavere; at sibi invicem implicitæ primo se habent instar vesiculæ rubræ, vultum omnem contegentis, quem maturius etiam in tumorem elevant quam solent *Discretæ*: dein ad instar pelliculæ albæ vultus agglutinant, solitam cutis superficiem non multum superantes: Præterlapso die octavo, pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur, judice digito, & ad colorem fuscum, non vero flavum, ut in *Discretis* accidit, intenduntur in dies tum asperitas, tum etiam cutis color, donec tandem dicta pellicula latioribus laminis desquamatur, quod in quibusdam faciei partibus, si morbus truculentior fuerit, nonnisi post xx. diem solet contingere.

Quanto atrociores fuerint Variolæ, tanto magis Pustulę maturescentes ad colorem subfuscum vergunt, tanto etiam lentius, si suo utantur genio, abscedunt: ut è contra quanto minus confluxerint, tanto magis & flavescunt, & se ocyus proripiunt: Pellicula hæc, seu scabies, omnia pervadens, ubi primum deciderit, nulla quidem scabritie vultum afficit, at vero mox illam excipiunt squamulæ furfuraceæ, indolis perquam corrosivæ, quæ non modo patentiores excavant foveas quam solent Variolæ distinctæ, sed etiam faciem cicatricibus fœde deturpant: In *Confluentium* genere, si admodum sævierit morbus, humerorum etiam & dorsi cuticula nonnunquam deperditur, nudatis partibus subjectis expositisque.

¶ Animadvertendum autem est morbum hunc magnum æstimari, non pro Variolarum frequentia, quæ reliquum corpus, sed pro earum numero tantum quæ faciem obsedere, quæ si his tanquam injecta arena ubique contegatur, utut paucæ atque Discretæ sint eæ quę in reliquo corpore cernantur, haud minus periclitatur æger quam si membra omnia denso agmine pervaserint: Atque ex adverso quantum libet spisse truncum & artus occupaverint, si in facie rariores comparuerint, magis in vado res est.

Quod de numero dictum, & de Variolarum more potest affirmari, malusne scil. is fuerit, an secus, vultus aperte indicat.

In *Confluentium* genere ubique observavi Pustulas manuum atque pedum majores fuisse quam reliqui corporis, & quo altius ab artuum extremitate truncum versus ascenditur, eo sensim minores & contractiores semper extitisse, Et hæc de *Pustulis*:

Sunt vero & alia symptomata duo quæ Variolis *Confluentibus* accidunt, haud minoris momenti quam vel Pustulæ ipsæ, vel Tumor, vel aliud quodlibet è prædictis, *Salivatio* nempe in adultis, atque *Diarrhœa* in infantibus: Horum prius ita comitem se adjungit, ut unicum tantum viderim *Variolis confluentibus* laborantem nulla superveniente salivatione: Verum providens Natura has evacuationes idcirco substituit, quod in pusillo hoc ac humili genere, materia morbifica ita penitus nequeat exterminari ac in pustulis istis majoribus ac magis fastigiatis, generis Discreti, non defin. 3. Hoc certo scio, quod non solum *Variolas confluentes* ubique comitantur, sed etiam quod quæ per illas fit evacuatio, tam est necessaria, quam sunt vel pustulæ, vel faciei & manuum intumescentia.

Dicta *Salivatio*, nonnunquam sub primum eruptionis tempus se prodit, nonnunquam nonnisi postridie biduove præterlapso: Materia primo tenuis excernitur, ac facilè ad tempus aliquod rejicitur, ægro interim multa lintea eadem nocte conspurcante: Neque sane multum cedit Ptyalismus alteri illi qui ope *Mercurii* excitatur, nisi quod non ita male oleat: Die autem fere xi. saliva viscidior jam facta, ægerrime excreatur, siticulosus est æger, tussit subinde [illegible] bibendum, & potus per nares revertitur, atque ab hoc die cessat utplurimum salivatio, licet aliquando, sed rarius, ubi per diem unum alterumvè omnino cessaverit, tandem postliminio recrudescat.

Diarrhœa non ita mature infantes solet invadere, atque adultos *Ptyalismus*; quocunque vero tempore ingruerit nisi arte sistatur, singula morbi stadia decurrit.

In utraque Variolarum specie Febris à primo statim insultu ad eruptionem usque præcipue dominatur, qua peracta inducias fere dat usque ad Pustularum maturationem, & tempus in quo pus conficitur, quo demum elapso protinus desinit.

Observavi semper in morbo vehementiori, ægrum sub vesperam quasi paroxysmo laborasse, & funestiora symptomata vespertinis præsertim horis se ostendere atque exacerbari. *Sydenham observ. in Acut.p. m.* 177. *& sequ.*

Variolæ suas habent Differentias, etsi pauci Medici earum meminerint, Aliæ enim sunt *majores ac purulentæ*, quæ frequentissimæ; Aliæ *minores*, & hæ sunt tubercula quædam parva sine multo pure, sparsim, sed minime copiosa in cute erumpentia: sine gravibus symptomatibus: Aliæ denique sunt *claræ* & majusculæ, instar aquæ vel crystalli resplendentes, & aquosum quendam liquorem continentes: Præter has aliæ sunt, quatenus Variolæ sunt, *magnæ* vel *parvæ*, *paucæ* vel *copiosæ*, *profundæ* vel *superficiales*, *continuæ* vel *seunctæ*, *albæ* vel *rubicundæ*, *lividæ* &c. *molles* vel *duræ*, *elevatæ* vel *depressæ*, *tarde* vel *cito erumpentes*, *externæ* vel *internæ*, *Diemerbroech.*

12. *Imminentes indicant*) Præsentes dignoscere non est difficile, futuras vero, ut docet *Fracastorius*, antequam erumpant difficillimum, nulla enim habent signa pathognomonica quæ aliis morbis non sint communia: Suspicio tamen est illas futuras 1. si ea tempestate grassentur, tuncque quispiam febre synocho laboret, aut ardenti &c.

Rhazes pleraque signa brevi proponit, Cum, *inquit*, febris aucta pueris & juvenibus contigerit, simulque costarum dolor, nasi pruritus, in somno timor, capitis gravitas, oculorum rubor, & in toto corpore punctio persentitur, signum est ægro vel Variolas, vel Morbillos superventuros: Quæ tamen signa, ut diximus, non sunt necessaria, nam simul omnia & singula seorsim in febribus aliis contingere possunt, tantumque sanguinis fervorem indicant, cui necessario Exanthemata non succedunt. *Primirosius.*

Accensentur præterea *Timores* in somnis, ob ascensum vaporum in caput, *Punctionis* in universo corpore sensus, ex materia acri & pungente quærentis exitum; *Pandiculatio* frequens, *anxietas* & oscitatio, ex vaporibus tum totius corporis, tum oris musculos ferientibus; *Corporis palpitatio*, *Raucedo*, ex sanguinis circa partes spiritales ebullitione: *Sputum crassum*, à nimio calore; *Oris exsiccatio & ariditas* ab eadem causa: *Animi perturbatio*;

convulsio, syncope, ab humore maligno cor & cerebrum feriente: Adest & vehementia symptomatum ab initio, ut morbus statim vigorem attigisse videatur magna, *Anxietate & inquietudine* ægros infestante, scil. ob perturbatum sanguinis motum, necnon æquabilem illius mixtionem à fermento venenato solvi inceptam, cruor hinc in corde stagnare, & in circuitu suo præpediri aptus affectus modo citatos infert, quin & Syncopen.

Vomitus immanis, etiam quando ventriculus impura humorum saburra vacuus est, sæpe hunc affectum comitatur. Cujus ratio est, quia semina fermentativa in motum concita, arteriis in ventriculi tunicas dehiscentibus, ad singulos sanguinis appulsus deponuntur, Et vomitum non secus ac stibii particulæ deglutitæ concitant; P[illegible] tamen quamprimum diaphoresi procurata, venenum extra propellitur, symptoma hoc cessat, & sine quavis expurgatione noxiæ materiæ stomacho valent ægri. *Willis.*

13. *Capitis cum gravedine &c.*) Dolor in capite & lumbis adeo peculiare est signum in hoc affectu, ut fere solus in febre continua Variolas imminentes significet; Cujus ratio vasis majoribus, à sanguinis effervescentia plurimum distentis, vulgo imputatur: Verum tamen haud constat cur non æque in aliis partibus, ob similem vaporum distensionem eadem molestia inferatur, & quare in variolis potius quam in causone, aut aliis febribus, ubi sanguis plus effervescit, ejusmodi dolores increbescant.

Quin observare licet insignes modo in capite, modo in lumbis cruciatus urgere, quando sanguine parum turgescente vasa minime amplianture, scil. in morbi principio, quando febrilis intemperies nondum conspicua est, dum ægroti adhuc foras obambulant & stomacho valent, variolæ ingruentes primo hisce doloribus se produnt: Quare videtur potius in nervoso genere hujusmodi ἀλγημάτων causa subsistere, scilicet in cerebro; & spinali medulla, propter membranas, & partes nervosas, à veneni particulis vellicatas istos dolores oriri.

Etenim verisimile est quod innata variolarum seminia in partibus spermaticis potissimum recondantur, Et quod primum miasmatis contagium plerumque spiritus animales corripiat, Hinc in succo, quo cerebrum & partes nervosæ, præsertim vero spinalis medulla irrigantur, primam effervescentiam concitari, & exinde cruoris massæ labem communicari: quare incipiente hoc morbo caput & lumbi dolore atroci urgentur, postea veneno in sanguinem translato effervescentia febrilis in toto concitatur. *Willis.*

14. *Febris*) Adest Febris incerta & vaga, modo intensa, modo remissior, nullam observans incrementi aut παρακμῆς tationem, adeo ut ægri, nunc summe incalescant., mox sine causa evidenti ἀπυρέτως degant: Cujus causa est; quod semina fermentativa, non æquali motu agitentur, sed instar ignis semiobruti nunc magis gliscant, nunc fere sedentur & exspirent, donec incendio latius serpente flamma ubique erumpat. *Willis.*

15. *Macularum proventus*) Maculæ tales potissimum ac primitus in facie ac manibus apparent, hinc & reliquis in partibus quæ tumidæ omnino fiunt, ac quasi tumore ex phlegmone & œdemate misto affliguntur, præsertim caput. *Etmuller.*

16. *Causa est interna*) Hinc colligendum est Variolas & Morbillos nequaquam inter morbos novos esse recensendos, quia horum causa ab omni ævo extare & contingere potuerit. 2. Etsi verbis expressis & titulis apud Veteres descripti non sint, inde tamen non sequitur novos esse morbos, cum symptomatum diversitates, aliaque morbi faciem mutantia, aliam atque aliam nominum diversitatem in Arte Medica pariant, *Piens.*

10. *Causa est*) *Avicenna* & plerique Arabes causam materialem referunt in impuritatem sanguinis materni; Hanc sententiam rejicit *Gentilis*, quam sequitur *Mercurialis*, quæ insuper statuit Variolas esse morbum hæreditarium, atque hinc nullum fere hominem, ab iis immunem esse posse, quia omnes nascuntur ex parentibus hoc vitio temeratis: Sententiam suam plurimis rationibus adstruit, quas destruit *Sennertus.*

Fernelius in Variolarum productione aliquid occulti observans, statuit illas oriri à causa quadam cælesti & occulta, cui cum infantes & pueri minus resistant quam adulti, hinc fieri dicit quod illi frequentius Variolis laborent quam hi: *Fernelii* opinionem refutat *Mercurialis l. de morb. Puer. c. 2.*

Sennertus l. 4. de Febr. c. 12. concedit à certa quadam ac determinata putredinosa humorum ebullitione Variolas oriri & propelli, sed hanc ebullitionem à tribus causis provenire statuit, scil. ab aëre maligno, à sanguine materno, & vitioso alimento.

Verum nulla harum sententiarum mihi placet, Non *Arabum*, ob rationes infra afferendas *§. materni sanguinis impuritas*) Non *Fernelii*, nam ille occultas illas causas passim, pro more suo, in morbis occultis à syderum influentiis deducit, sed admodum incerta, imo frivola sunt illa omnia quæ ab his influxibus deducuntur.

Neque *Sennerti* opinio nobis probatur, quia ille quidem tres vitiosæ fermentationis causas proponit, sed per illas non potest explicari specificum illud malignum quod Variolis inest, Et quare per vitiosam fermentationem, à tribus illis causis excitatam, speciatim variolæ potius & magis producuntur quam aliæ febres Putridæ, malignæ aut pestilentes, vel etiam scabies, herpetes, cancri, aliivè similes morbi?

Quantum ad Variolarum *causas externas & procatarcticas*, à quibus interni humores moventur, illarum primaria. Medic. statuunt esse 1 *Aëris* peculiarem dispositionem & pravam qualitatem, quo pertinent temporis anni mutationes insigniores, ut veris & autumni constitutio calida & humida, vel etiam hyems austrina & tepida: Sanguinis & humorum perturbationem, quo pertinent nimia corporis agitatio, balnea crebra, ira, terror, crapula &c. 3. *Contagium*, nam per illud morbum hunc propagari experientia facit manifestum, E corpore enim infecto exeunt continua effluvia, quæ ab aliis corporibus suscepta statim instar veneni cum sanguine fermentescunt, & semina ejusdem affectus latentia, ipsisque homogenea suscitant, & in hujus morbi ideam disponunt, hæcque effluentia miasmata, non solum immediato contactu, sed etiam ad distans communicantur.

Verum per tales causas, talemque aëris qualemcumque manifestam, sive bonam sive vitiosam qualitatem aut dispositionem, & humorum perturbationem, aut per contagium, nondum innotescit, nec explicatur specificum illud malignum, quod in Variolis adesse animadvertitur, & quare illud magis in his quam illis subjectis, & his quam illis temporibus operetur.

Nam multoties fervidæ, vel humidæ, aut calidæ simul & humidæ extiterunt constitutiones: Multoties etiam diuturnus victus pravus (ut in annonæ caritate & urbibus obsessis) continuatus, & hinc magna corporum cacochymia est genita, multique crapulæ indulserunt (quam tanquam primariam causam statuit *Willis*) & tamen nullæ genitæ fuerunt Variolæ: Contra vero, multoties temperatissimo cœlo, & frigidissima hyeme grassatæ sunt, & victu optimo magis quam pravo utentes, atque euchyma potius quam cacochyma corpora infestarunt; nonnunquam etiam primitus, nullo alio

præ

præ ægrotante, aut miasma aliquod communicante; quinimo etiam per solum terrorem; & per solam imaginationem prodoctæ sunt, absque ullius contagii suspicione.

Itaque cum per omnes illas causas, neque specificæ malignitatis, quæ Variolis vera ac specifica essentia, neque peculiaris ac determinata sanguinis corruptio, atque specificæ fermentationis causa & modus innotescat, aut explicari possit, Ego potius dicendum arbitro, Causas Variolarum Proximas, cum internas, tum externas, quæ interiores movent, occultas esse (sicut ipsius Pestis causæ occultæ sunt) & à nobis explicari non posse, Præstabiliusque confiteri scientiæ nostræ imbecillitatem quam crassam ignorantiam prodere. *Diemerbreek.*

17. *Causa est interna &c.*) Circa causas, considerare debemus quæ sit causa προηγουμένη. quæ nimirum prædispositio naturalis homines quidem solos & omnes, idque semel huic morbo obnoxios reddit: Ista autem diathesis videtur esse labes quædam seu impuritas sanguinis, inter prima fœtus rudimenta in utero concepta; Hanc authores fere omnes sanguini menstruo adscriptam volunt; quæ sententia non omnino improbabilis videtur; quippe in utero muliebri (secus ac in aliis plerisque animalibus) generatur fermentum quoddam, quod sanguinis massæ communicatum ipsi vigorem ac ὀργασμὸν conciliat, ac dein statis periodis turgescentiam & sanguinis superflui excretionem procurat, Tempore autem conceptus, cum omnino desistunt menstrua, plurimum hujus fermenti fœtui impenditur, ejusque particulæ cæteris quibuscunque heterogeneæ; velut extraneum quoddam, humorum ac sanguinis massæ confunduntur, cui involutæ, & ab invicem separatæ, diu delitescunt; postea tamen aliquando à causa evidenti commotæ cum sanguine fermentescunt, ipsique *ebullitionem*, ac dein *coagulationem* inducunt, è quibus plurima hujus morbi symptomata inducuntur. *Willis. Vide §. materni sanguinis impuritas*) ex *Pien.*

Interna causa *adjuvans* est ebullitio sanguinis in corpore, dum sanguis instar musti ebullientis fermentari incipit, per quam ebullitionem & commotionem impurum à puro, & malus sanguis à bono separatur. *Pien.*

18. *Materni sanguinis impuritas*) Cum adeo tantum non omnes homines afficiantur Variolis & Morbillis, idque fere semel (unde rarum est mulierem septies variolas passam tandem 118. ætatis anno hoc morbo periisse, teste *Borello Cent.*3 *obs.* 10.) sane probabilissimum videtur, eas causam occasionalem alius in sanguine radicatam habere; non quidem ex vitio *sanguinis menstrui matris*, quæ sententia fuit Arabum, sed ut suspicor, *Acidi lactis* nutritivi corrupti reliquiis; hinc enim earum cum *achoribus* & *favis*, & ipsis ex lactis vitio fere nascentibus, convenientia: Propter hanc in sanguine fundatam originem, consanguinei in specie mutuo afficiuntur; sicuti occurrunt exempla quod Frater in Italia eodem tempore laboraverit Variolis aut Morbillis quo alter eodem morbo laboraverit in Germania; adeo ut ad longa etiam intervalla pertingat hæc inter consanguineos conspiratio. *Seminarium* autem illud fermentativum, in sanguine delitescens nonnisi accedente causa externa, speciatim certa aëris alteratione, in actum deducitur, unde sæpe Epidemiæ existunt: Non tamen putandum præextitisse in corpore sano tot & tantas sordes, quæ postmodum in ambitum corporis copiosissime sæpe detruduntur, sed *fermentum acidum*, fermentando se multiplicans ex naturalibus nutritivis corporis contentis eas generat: unde quo magis quis est cacochymicus, sive cujus sanguis alterabilis magis extitit, eo copiosioribus iisdem afficitur; *Ettmuller.*

19. *Per aliquot annos insensibiliter occultatur*) Fermentativa hæc semina modo sunt pauca & mitiora, aliisque corpusculis obvoluta, ut non facile emergant & in actum deducantur: quandoque sunt plura & fortiora, ita ut levi quavis occasione in hunc morbum maturentur; hinc quidam citius & primis annis variolis corripiuntur, alii tardius & nonnisi provecta ætate: Etiam aliqui facile contagium suscipiunt, alii vero sine periculo sæpe cum ægris conversantur. *Idem.*

20. *Instar musti ebullientis*) A materia crassiore, seu viscosiore, cui malignitas inhæret, cum sanguine specifico modo fermentante oriuntur, atque hinc in Pustulas majusculas purulentas attolluntur; In hac fermentatione putat *Willis* sanguinis aliquas portiones cum veneno coagulari, & sic simul cum eo foras expelli, Hoc tamen minus verisimile videtur, nam etsi corrumpantur, tamen non coagulantur, cum portiones sic coagulatæ ob nimiam crassitiem vix foras propelli possent, Sed hæc *ebullitio* fere simili modo peragitur ut in *cerevisia fermentante*, in qua nulla fit humoris coagulatio, sed multæ spirituosæ particulæ per fermentaceam effervescentiam in cerevisia fortiter agitatæ, ejusque viscidioribus particulis intricatæ & involutæ sursum tendunt, & cerevisiæ superiori innatant, aut è vase spumosæ erumpunt, sed minime coagulantur, nam sunt valde subtiles & spirituosæ, sicut non tantum ex forti odore, sed etiam ex eo liquet quod ex isto cerevisiæ flore distillato eliciatur spiritus, fortis instar spiritus vini. *Diemerbroeck.*

20. *Instar musti ebullientis &c.*) Quoad causam conjunctam, scil. quæ sit hujus morbi causa formalis, seu modus fiendi, res paulo intricatior videtur; vulgo comparari solet efflorescentiæ musti aut cerevisiæ, cum in dolio depurantur; istis enim liquoribus si aliquid fermenti adjicias, eorum particulæ, cum sint heterogeneæ & miræ activitatis, illico per totam se diffundit liquoris molem, crassiora & impura, quibus impinguntur, corpuscula varie exagitant, invicem diducunt & obvolvunt, donec efflorescentia facta, eadem ab intimo reliquorum consortio ad extremam superficiem propellunt: Pari modo heterogenea hujus morbi semina sanguinem fermentare, & dein pustularum eruptione, velut efflorescentia quadam depurare creduntur.

Verum enim vero si rem strictius consideremus, magnum hic discrimen apparebit, quippe Variol. miasma se habet ut fermentum, sed corruptivum, & sanguinem non versus perfectionem sed depravationem effervere cogit: cum enim venenatæ hujus miasmatis particulæ subjecto capaci impinguntur, alia statim corpuscula sibi ipsis similia, & nobis connata exsuscitant, quibus associatæ totam pervadunt sanguinis massam, eamque insigniter turgescere & ebullire, & post aliqualem effervescentiam in partes secedere ac coagulari faciunt: scil. dispersa veneni semina cruoris mixtionem solvunt, spiritus puriores statim profligant, dein crassiores ejus particulas sibi concisciscunt, & adhæsu suo velut congelatas reddunt: Portiones ita coagulatæ una cum implexis veneni seminibus à reliquo sanguine in circuitu ejus inter vasorum extremitates derelictæ, cuti affliguntur; quo pacto, si Natura satis robusta cum gelato sanguine totum virus eliminarit, reliqua cruoris massa, licet pauperior facta, utcumque salubris & vitæ prolongandæ habilis existit: sin cruor nimium coagulatur, hoc modo depurari nequit: vel si portiones sanguinis cum veneno coalescentes non plene erumpunt, aut denuo intus restagnant, & sanguinis liquorem penitus corrumpunt, aut etiam visceribus, & imprimis cordi affixæ, eorum crasin ac robur destruunt. *Willis.*

21. *Per ebullitionem purum ab impuro*) Illa ebullitio, juxta doctrinam *Avicennæ*, alia est *perfectiva*, seu *depurativa*, qua partes tantum impuriores & excrementitiæ san-

guinis putreſcunt, & à natura repurgantur, ut tota maſſa pura poſtmodum relinquatur, Et tunc variolæ fiunt ſalutares, quæ ſine ullo Medico auxilio curantur: Alia *corruptiva*, in qua non ſolum partes ſanguinis excrementitiæ, ſed ipſe etiam ſanguis ſincerus computreſcit; unde periculoſæ & lethalis variolę, quę tunc pręcipue contingit quando epidemice graſſantur. *Riverius.*

22. *Per criſin quandam pellitur*) Fiunt Variolæ per modum Criſis cujuſdam, natura humorem noxium expellente in corporis ſuperficiem; cum ægri euphoria, modo criſis bona ſit, febris etiam illico aut omnino deſinit, aut imminuitur, tertio quartove morbi die, qui criticus eſſe ſolet, & apparentibus ſignis coctionis: Eſtque criſis hic modus huic febri peculiaris, ab aliis longe differens; reliquæ enim febres aut per vomitum, aut per alvum, aut per ſudores, aut urinas ſanantur; hæc vero per ſolam corporis ſuperficiem, non externam ſolum, ut ardentes, quæ ſudore copioſo liberant, ſed extimam & intimam ſimul, ſcil. per parvos abſceſſus & puſtulas, numquam alvi fluore, nunquam vomitu ſanantur, Imo forte hæc ſi contingant, peſſimum ſignum eſt. *Primiroſius.* Ptyaliſmo ſolvi obſervat *Sydenham.*

23. *Externa vel*) Cauſæ *remota* ſunt omnia illa quæ ſanguineas quaſdam particulas ita colliquare & diſſolvere apta ſunt, ut in ichores acres & malignos abire poſſint, uti 1. Contagium, & maligna quædam cauſa toti aëri communicata; quod recte exponit *Fernelius.* 2. Illæ cauſæ quæ aptæ ſunt ſanguinem inſigniter turbare & fermentare 3. Ad cauſas *remotas externas* referendi ſunt cibi corrupti, calidi humidi, fructus horæi, muſtum, ſitus recentes, balnea. conſtitutio corporis calida & humida, cacochymia & ſimilia. *Piens.*

Interdum licet deſit contagii fomes, nullaque maligni aëris conſtitutio præceſſerit, ob ſanguinem & humores immodice perturbatos, Variolæ oriuntur; Ita novi quoſdam à crapula, aut exercitio immodico in hunc morbum incidiſſe; cum præterea nemo circumcirca in tota regione ægrotaverit: Nimirum ſine prævio miaſmate latentia hujus mali ſeminia, à nimio ſanguinis fervore commota, & invicem aſſociata agglomerantur, facileque totam inquinant ſanguinis maſſam, & fermento ſuo inficiunt.

Qui ſunt conſanguinei alterutros citius inficiunt: Etiam qui ſunt *timidi* & maxime hunc morbum perhorteſcunt, in eum promptius incidunt: Timore enim miaſmatis particulæ à ſuperficie corporis intus convehuntur: Quo tempore invaleſcit contagium, & Variolæ ſunt epidemicæ, fere alii quivis morbi in hunc degenerant. *Willis.*

24. *Contagium*) Contagio hunc morbum in alios ſerpere lateque graſſari quotidiana experientia manifeſtum eſt, videl. à corpore infecto continuo decedunt effluvia; quæ ab aliis corporibus ſuſcepta ſtatim inſtar veneni cum ſanguine fermenteſcunt, & ſemina ejuſdem affectus latentia ipſiſque homogenea ſuſcitant, & in hujus morbi ideam diſponunt, Nec ſolum contactu, ſed ad diſtans miaſma communicatur; Qui intra eaſdem ædes, aut in ægrorum vicinia degunt, facile labem ſuſcipiunt, Necnon & veſtium interventu fovetur, longius diſſipatur, & ad remota transfertur loca. *Willis.*

Primarium Variolarum aut Ecthymatum ortum quod attinet, videntur, ubi per aëris conſtitutionem licet, ab immani humorum in corpore corruptione, in corpore aliquo nata primum oriri, quæ in alio congeneri ſimilem putredinem excitare valet, Eo ritu quo è minima ſcintilla ingens incendium ſæpe erumpit, lateque vagatur.

Cauſa igitur *Contagii* naſcentis *conjuncta* eſt venenum ſanguini, aut humori qui ſpiritibus vehiculo eſt, à procatarctica aliqua, puta aëre infecto, aut victu pravo innatum: Quippe materia vitioſa in iſtis copioſe congeſta putredinem peſtilentialem ciet; ut fœnum non rite ſiccatum, niſi tempeſtive ventiletur, ignem concipit: Sunt qui vehementia *animi pathemata* inter morbi contagioſi cauſas procatarcticas numerant, à quibus corruptio peſtilentialis poteſt excitari, non ſecus ac calor ſeu ignis à lignorum attritu, corporum durorum colliſione, aut aquæ ſtygiæ in metalla actione oritur. *Mundius in Diatetico p.m.72.*

25. *Vel Aër*) Peculiaris quædam *Aëris* conditio Variolas inſigniter producit, hinc ſæpiſſime popularis evadit, ac per totas regiones, urbes, vicoſque paſſim deſævit: hinc etiam vere & autumno crebrior exiſtit, quippe in Aëre tunc temporis imprimis diverſimoda, atque exinde tumultuantia innatant corpuſcula, quæ cum aura vitali inſpiramus indeque variæ humorum ac ſanguinis efferveſcentiæ & morborum ideæ ſuſcitantur: Nec tantum hic affectus ob has cauſas crebrior & epidemicus evadit, ſed & multiplicem adipiſcitur naturam, ut Variolæ quandoque ſint lethales & velut peſtiferæ, quandoque mitius & benignius ſe habeant, prout nim. plus aut minus malignitatis ab aëre contractæ referunt: hinc etiam puſtulæ interdum nigræ & lividæ apparent, & multum de natura peſtilentiæ habent. *Willis.*

26. *Aër ob ſiderum influxum*) An Var. & Morbilli ἀπὸ τ. φύσ. ſunt? Revera abſceſſus ſunt magna ex parte, & ſequuntur conſtitutionem corporis; quanquam temporis conditio vires neſcio quas addit, ſed revera à corpore eſt id quicquid eſt, Et ſi ſolum hoc eſſet ab aëre, ſolis excretionibus & influxibus malignis id eveniret, & eas ſolis medicamentis alexiteriis oppugnaremus: at ingentia alvi profluvia quæ ſequuntur, & quæ, niſi ſequerentur, multo deterius cum ægris ageretur, declarant cacochymiam corporis ad id maxime conferre, & oportere etiam ſolemnia & vulgaria aliorum morborum remedia præſcribere; & hujus cacochymiæ, quæ revera habet aliquid præter communem communis cacochymiæ ſortem; virus eſt id quod in cutem effloreſcit. *Ballonius Epid.l.2. p.169.*

27. *Aut alias cauſas*) Quolibet anni tempore graſſantur, ſed inprimis vere & autumno, præcipue ſi hyems tepida & humida, vel æſtas pluvioſa & auſtrina, multorumque fructuum fugacium uſus præceſſerit. *Dimerbroeck.*

28. *Seu commovens*) Qualis eſt terror, Ab hac cauſa Sereniſſimum Electorem Palatinum Genevæ Variolis correptum eſſe anno 1673. notum eſt: Is in domus limine, exſpatiandi cauſa illam egreſſus, obvium habuit puerum in cujus vultu variolarum veſtigia exſculpta erant; Ex deambulatione redux febre corripitur, hinc Variolis, cura Clariſſimi D.D. *Winckleri* liberatus.

29. *In America*) Æthiopem puerum curavi Variolis infeſtatū quas peculiares notavi, ſecus ac in Europæis, & quamvis cœlum mutaſſet puer iſte, natura tamen idem temperamentum ſervare voluit, quod tam cito (nam vix ſemeſtre ſpatium hic in Dania vixerat) ſub alio cœlo mutari non potuit; Poſt uſum enim medicamentorum expellentium, totum corpus, præter faciem ubi nullæ apparebant, Variolis ſcatebat, ſed tam minutulæ erant, ut magnitudinem ſeminis milii non excederent; materia quidem purulenta, ſed magis ſeroſa repletæ, exceptis manibus & pedibus, ubi paulo majores erant, Europæorum fere ſimiles: Mater illa familias, ubi decumbebat Æthiops iſte, aſſeverabat ſe idem obſervaſſe anno præcedente in puella Æthiope, æque minutulas ſcilicet ac illas in puero Variolas, & nullas plane in facie, quod mirabar, Hoc præterea ſingulare in iſtis Variolis obſervavi, ut quamvis priores exſiccatæ evanuiſſent, novæ

iterum

iterum erumperent tam parvæ quam antea, hoc vel tertia vice, hinc factum ut longius decumberet quam Europæi solent. *Caspar Koluhen Medic. Sept. volum. 2. pag. 22.*

[3] *Ut ante Hispanorum adventum*) Ante Batavorum in Orientales & Austral-Orientales Insulas adventum, nec morbillos, nec variolas cognoverunt incolæ? Hodiernis autem diebus tantam erga indigenas exercent crudelitatem, ut peste (quæ nunquam in India Orientali est visa) minores haberi haud possint. *Joh. Oth. Helbigius in Med. Septentr. vol. 2. p. 222.* Ubi variolarum apud Indos curandi ratio ostenditur.

Præservatio, Prognosis.

Medicatio duo respicit, I. [31] *Præservationem*, quæ in *adultis* venæsectione, purgatione & fuga contagii; in *Infantibus* ultimo isto duntaxat peragitur, Sunt qui radicem rutæ sacculo inditam [32] de collo suspendunt. Periculosam tamen illam *Sala* putat.

II. *Curationem*, quæ est [33] *Bona* [34] *spei*, [35] si cito erumpunt, & eminentes, magnæ, disparatæ, albæ vel rubræ apparent, [36] si calor erumpentibus remittit, si largior narium hæmorrhagia præcessit, si nullis gravibus symptomatibus afficiunt, si vox & respiratio libera, si partes internæ non afficiuntur, quia prædicta signa materiæ morbificæ paucitatem, obsequium & benignitatem, naturæque robur significant.

[37] *Dubia spei*, *si* difficulter apparent, quia [38] materia contumax aut expultrix infirma, [39] *si* iterum occultantur, & [40] tumor partium remittit, quia materia ad interiora retrocedit, ægrique ut plurimum intra XXIV. horas moriuntur: *si* [41] sunt multæ, [42] magnæ, duplices & continuatæ, quia materiæ copiam indicant; *si* duræ, quia ejusdem crassitiem & quod sit δύσπεπτος; *si* [43] depressæ, quia expultricis debilitatem: quod si [44] maculam nigram in medio habent, singularem malignitatem: *si* [45] virides, lividæ, nigræ, quia ex bile porracea & atra generantur, *si* maculis petechiis familiaribus perspersæ, lividis & nigris, quia intensam putredinem adesse significant.

[46] *Nullius* ferè, *si* ægri tensione aut ventris meteorismo cum anxietate huc atque illuc agitantur, quia ingens humorum in venis ebullitio innuitur, [47] *si* difficultas spirandi, quia apostema in pulmonibus, pustula, aut angina, *si* sitis ingens, quia internum incendium, & *si* respirationis angustia augeatur mortem in propinquo indicat: *si* [48] alvi fluxus aut dysenteria post eruptionem supervenit, quia humores maligni ad interiora recurrunt, paucissimique evadunt, *si* [49] urina sanguinea, vel [50] sanguis purus per alvum, [51] os vel nares excernitur, quia summam materiæ acrimoniam & malignitatem, quæ irritando naturam ad præposteram excretionem compellunt, Si fæces vel urinæ lividæ aut nigræ, quia atram bilem in venis abundare, & totam humorum massam inficere argumento est; Accedit tamen aliquando ut post salubria signa mors sequatur.

[31] *Præservationem*) Cum Variol. miasma spiritibus & cruori semel imprimitur, raro admodum medicamentis aut venæ sectione deleri aut difflari potest, quin diathesis latens in actum erumpat; quare primo se paulatim diffundit, & sanguinis massam velut fermento inspirat, tunc ebullitio & effervescentia in toto corpore producuntur, vasa distenduntur, viscera irritantur, donec contagii semina sanguinem fundendo & coagulando, tandem congelatis ejus portionibus obvoluta foras protrudantur. *Willis.*

Prohibere Variolas ne fiant satis tutum non est, nec facile, si Natura semel hoc orgasmo cōcitetur: Sed quoniam Nobiles plurimi earum timent contagium, optimum erit si tunc cum hoc morbi genus grassatur, vitare primum omnem cum infectis conversationem, tum purgantibus medicamentis, venæ sectione, si vires ferant & ætas, corpus vacuare, & refrigerantibus syrupis temperare, *Primirosius.*

A fide digno mihi relatum, *Mannam* fabæ quantitate lacte dissolutam, & infanti nato datam, priusquam quicquam aliud degustet, vel omnino impedire ortum Variolarum & Morbillorum, vel efficere ut paucissimè & mitissime erumpant. *Prevotius Select. rem. p. m. 71.*

[32] *Præservationem*) In hoc morbo, non minus quam in Peste, curatio duplex requiritur, προφυλακτικὴ & θεραπευτική. De priore pauci scripserunt, vel quod minus necessariam existimaverint, vel quod paucissimi super hac re Medicos consulere soleant; *Avenzoar*, magnus Medicus Arabs, illam bona cum ratione hic non minus necessariam indicat quam in Peste, ob adultos & eos qui de pulchritudine sunt solicit; Demum præservatio etiam necessaria est inprimis cum morbus aëris vitio grassatur, & contagio multum proserpit.

In ea instituenda 1. ratio habenda *Aëris*, utpote cujus vitio morbus hic plurimum propagatur, Hic si vitiosus esse putetur, corrigendus, non luculentis ignibus, ut in Peste, ne nimis incandescant corpora, sed suffumigiis ex *baccis junip. thure, mastiche, benzoino, succino, rorismar. ligno juniper.* &c. conducit cubicula *aceto* aut *oxycrato* conspergere; aut *acetum* in *laterem* candentem infundere: Nec suaveolentia nec valde fœtida laudanda, at solum *acetum* omnibus aliis suffumigiis præferendum suademus, utpote quod non tantum vitia aëris corrigit, eique inhærentia miasmata extinguit, verum etiam odore cerebrum partesq; spiritales firmat, & in sanguine putredinosam effervescentiam impedit.

Præterea, ut contagiosa per aërem volitantia miasmata melius evitari possint, ii qui variolis non laborarunt, fugiant & variolis infestatos, & eos qui illis inserviunt, aut cum iis conversantur, quin & ipsas ædes in quibus decumbunt.

Cibi sint boni succi, facilis digestionis, conditi cum *acetosa, agresta, aceto, succo limon. aurant.* aliis acidis: Abstinendum à pravis eduliis, acribus, multum aromatisatis, valde salsis, fumo siccatis, alliis, cæpis, fructibus horæis &c. In usu ciborum modus servetur, vitetur fames repleto.

Potus sit Ptisana, aut cerevisia tenuis, vinum modica quantitate in assuetis; delicatulis subinde julepi ex *decocto hordei succo citri, syrupo limon.* &c. Abstinendum à vino forti, spiritu vini, cerevisia Gedana &c. ab ebrietate, crapula.

Exercitia corporis mediocria sint, nocent vehementiora & nimia *quies.*

Somnus sit moderatus.

Ioprimis *excernendorum* ratio habenda, & procurandum ut præter solitas quotidianas dejectiones corpora à superfluis humoribus, ad minimum semel singulis septimanis clementer evacueotur, idque *Pilulis Rufi*, *ex aloë rosata, senna, rhabarb. tamarindis*, In pueris *syr. de cichor. cum rheo, aut syr. passular. corinthiat. laxat.* &c. abstinendo à catharticis fortioribus, quæ humores totumque corpus turbant.

In Virginibus adultioribus curandum, & mulieribus etiam, ut menses statis periodis fluant; quibus hæmorrhoidum fluxus assuetus, curandum ut solito more procedat.

Plethoricis, aut quibus sanguis calidior videtur, vena secanda si permittat ætas, aut nihil prohibeat.

Animi summa tranquillitas, cum animositate conjuncta plurimum conducit; vitentur motus ejus vehementiores in primis, ira, metus & terror, *Diemerbroeck.*

32. *De collo suspendunt*) *Succini* externum usum quidam commendant, de quo curiosa est observatio *Beckeri de Cultrivoro Prussiaco*, Cum Variolæ essent epidemiales, Virgunculæ initio morbi, ante earundem eruptionē *brachialia ex succino* parata carpo circumposita fuere, Cumque à sinistra manu deciderent sæpe, dextra vero semper admotæ manerent, variolarum immensæ copiæ ibidem loci eruperunt, ita ot non sine molestia ardorem illarum ferre coacta fuerit. *Etmuller.*

33. *Bonæ spei*) Salutaria signa sic explicat *Willis*, Res in vado esse videtur quando hic affectus circumstantias habet benignas, nimirum cum accidit in bona constitutione aëris anni, quo tempore Variolæ sunt minus malignæ & pestilentes, prout anno 1654. *Oxonii* circa Autumnum Variolæ latissime grassabantur, tamen plurimi evaserunt: Circa annum vero 1649. rarior erat hic morbus, tamen plures ex eo interibant: Etiam minus subest periculi si in ætate puerili, aut infantia, si in temperamento sanguineo, habitu corporis bono; si in familia contigerit cujus antecessoribus Variolæ non fuere exitiales; Præterea si in toto morbi decursu symptomata eveniant laudabilia; si primo insultu febris adest lenis, sine immani vomitu, syncope, delirio, aut aliis horrendis affectibus: Circa diem quartum si febris cum symptomatis maxime urgentibus sedatur & tunc maculæ quædam rubræ apparere incipiunt; si die exitus secunda maculæ ejusmodi rubræ longe plures sunt conspicuæ, quæ postea sensim in moleculas accrescunt & in pus maturantur: Circa decimum plus minus ab eruptione diem, si tumores albi incrustari, & dein paulatim decidere incipiunt: Si à quo primo eruperunt Variolæ, sint molles, distinctæ, paucæ, rotundæ, fastigiatæ, solummodo cutim & minime partes internas occupantes, res ægroti in bono esse statu confidere licet.

33. *Bonæ spei*) Prognostica quod spectat, morbus hic acutus est, cū periculo scil. & vehementi motu, qui sunt morborum acutorum characteres; imo tam graves interdum sunt hi tumores ut putredioe & tumore fiant ingratissimi, in squammas fœtidissimas abeant, transeantque neglecti in scabiem fœtidam, interdumque ex iis corpus contabescat: sunt autem evacuationes criticæ, crisis vero mala esse potest & bona, Ideo dignoscendum quando salutares sint, quando lethales. *Primirosius.*

33. *Bonæ spei*) Ut plurimum itaque salubres sunt, quia sunt criticæ, maxime si cum exigua febre erumpunt, cito apparent, febrem tollunt, aut saltem imminuunt; Si sint coloris rubicundi, oon violacei aut nigri, si sint magni, si cito suppureot, nam *Coaca* 114. *Quibus per febres assiduas pustulæ toto corpore enascuntur, lethale est nisi quid purulentum accedat*, si symptomata reliqua imminuuntur, ægri bene spirant, ad oblata bene se habent. *Idem.*

34. *Erumpunt*) Eruptionem quod spectat, hoc se fere habet modo in mitibus & Discretis 1. Pustulæ subrubræ, tenuissimarum acicularum puncta æquantes magnitudine sparsim se produnt, faciem imprimis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus universum: Per id temporis & fauces dolor infestat, qui una cum pustulis surgentibus augetur, quæ io dies grandescentes, & in majus fastigium elevatæ, cutem carnesque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione, circiter octavum à primo insultu diem (quam in hoc morbo epocham ubique servo) intervalla prius subalbentia rubere jam incipiunt atque in molem attolli, cum dolor tensivo & lancinante: hinc progrediente morbo palbebræ implentur extenduntur q; ut lux fermne excludatur, est ubi temporius oculis capiuntur ægri si major pustularumvis se in illos effuderit: Proxime à facie intumescum manus digitique; Usque ad hunc diem pustulæ quæ faciem obsederant, læves ad tactum atque rubræ, jam asperiores evadunt, quod quidem primum est incipientis maturationis indicium, & subalbidæ, paulatim insuper succum quendam luteum evomunt: Faciei interim & manuum inflammatio ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis satis floridum: Et sane quo mitiores sunt Variolæ, eo magis pustulæ & cutis in earum interstitiis dictum colorem exprimunt: uti vero faciei pustulæ asperiores quotidie ac flaviores pro maturationis raoone evadunt, ita manuum & reliqui corporis minus asperæ, albæque magis conspiciuntur in dies. *Sydenham.*

35. *Erumpunt &c.*) Sanguinis cum veneno coagulati portiones circa diem quartum (modo citius, modo tardius) erumpere incipiunt, quippe non statim, sed post aliquod tempus, quo venenum se explicat, & effervescentia cruorem fermentat, coagulatio inducitur: Primo leves portiunculæ sanguinis inquinatæ, eæque numero paucæ, instar culicum morsus in cute designuntur; cito posthac plures apparent, & primo eruptæ novæ materiæ accessu, & cruoris congelati continuo appulsu accrescunt, & in tumorem elevantur, dein hæ moleculæ primo rubræ, sensim auctæ albescunt tandem, scil. sanguis cum veneno extravasatus propter calorem & stagnationem in pus mutatur: Circa septimum ab eruptione diem albi tumores in scabiem siccam incrustantur, tenuiore enim materiæ parte evaporata reliqua indurescit, quæ dein cuticula exesa & abrupta, à cute decidit. *Willis.*

35. *Erumpunt*) Interstinctarum, vel Discretarum, hoc est indicium, hæc indicia tradit *Sydenham* l. c. Cum rigore atque horrore invadunt, quos non excipiunt calor intensus admodum, capitis & dorsi vehemens dolor, vomituritio, ingens in sudores propensio, scil. in adultis tantummodo, cum ejusmodi diathesis in infantibus noo observetur: Doloris sensus in partibus quæ scrobiculo cordis subjacent, si manu premantur; stupor & somnolentia, aliquando paroxysmi epileptici, præsertim in infantibus dentitione perfunctis, unde tunc variolas in procinctu stare asserit; Imo observavit Variolas quæ statim à paroxysmis epil. aggrediuntur pustulas emittere magnitudinis cōspicuæ, mitres esse & boni moris & rarissime confluere: Quarto ut plurimum die ab invasione erumpere, quo tempore admodū minuuntur symptomata, vel penitus evanescunt.

35. Bonæ

55. *Bona spe [...] cito erumpunt &c.*) Scilicet si *Regulares* sint atque mitiores, quæ circa Æquinoctium vernum ingrediuntur, quibus vero annis non tantum grassantur epidemice, sed & *irregulares*, atq; periculosioris sunt ge[...]s, maturius nonnunquam erumpunt, mense puta Ja[n]uario invadunt, integras familias contagio suo afflantes nemini parcunt, nisi prius hoc morbo laboraverit *Sydenham Sect. 3. c. 2. observ. in Acut.* Materiæ enim obedientia & naturæ robur ostenditur. *Etmuller.*

56. *Si calor erumpentibus remittit*) Post eruptas Variolas & morbillos febris & symptomata remittere debent, Sin minus res periculosa est; Aut enim insufficientem expulsionem, aut defectum virium ostendit. *Etmuller.*

56. *Si calor*) Si Variolæ appareant comitante solummodo levi febre, ex pulsu aut urina, aut etiam *calore* externo vix notabili, tum vel materia expellenda pauca est, benigna, & natura robore pollet; Vel suspecta res est, præcipue si magnus sit dorsi dolor, & insolita virium oppressio advertatur, latitante febri admodum maligna & quarto subinde die lethali. *Etmuller.*

57. *Dubia spes*) Phænomena quæ in Variolis rem suspectam & periculi plenam significant sunt hujusmodi, si adest maligna aëris constitutio, ut hic morbus pestilentior evadat, eoque plures interimat: Si homines provectæ ætatis eo corripiuntur, Si in temperamento frigido & melancholico, aut in corpore impuro & cacochymico acciderit, ubi sanguis non expedite circulatur, nec transpiratio rite peragitur, Vel hypochondria aut præcordia sint obstructa, Viscera quævis infirma, aut ulcere affecta, aut si Habitus corporis sit nimium obesus, Variolæ non sine magno vitæ periculo eveniunt: Nec minus timendum est quando statim ab initio febris ingens, vomitus immanis, syncope, virium dejectio, ph[r]e[n]itis aut delirium ingruunt; neque Variolis plene eruptis desistunt; hæc enim nimiam in sanguine & humoribus perturbationem significant, ac materiæ morbificæ confusionem & contumaciam; quæ nec subigi, nec cruoris massa facile secerni, aut æquabiliter extrudi potest; Si adsit anxietas & magna inquietudo, cum inordinata humorum effervescentia & ebullitione; Etiam Sitis ingens & Spirandi difficultas, necnon Alvi fluxus, aut Dysenteria, indicant diaphoresin præpeditam, & humores malignos versus interiora restagnare.

Variolę tarde erumpentes materiæ cruditatem, effrænationem, & Naturæ impotentiam arguunt; multo magis duplices & continuatæ, quantitatis nimiæ, confusionis; necnon expulsionis inordinatæ & irregularis materiæ (haus cum non certis foraminulis, sed indiscriminatim quaquaversus ejicitur) indicio fuerint: Variolæ duræ ejusdem materiæ incoctibilitatem, Depressæ expulsionem debilem significant, eoque deteriores sunt si in earum medio maculæ nigræ appareant; aut si maculæ febri purpuratæ, seu pestilentiali familiares Variolis interspergantur, malignitatem insignem & sanguinis putredinem indicant, qualis nimirum in peste reperiri solet: Denique Variolæ nigræ, lividæ, aut virides male ominantur, quia præter sanguinis coagulationes, ejus *[...]* & corruptiones, prout in gangræna aut anthrace pestilenti, arguunt.

Si ubi egressæ sint Variolæ confestim marcescunt, & tumor partium remittitur, indicat malignæ materiæ sive sanguinis cum veneno congelati retrocessum, & ad interiora restagnationem; unde ni statim diaphoresi liberius excitata denuo foras eliminetur, cita mors ut plurimum succedit; hinc enim sanguis plus coagulatus putredinem subit, ac etiam in motu præpediri, & in eosde & vasis stagnare aptus est: Si post eruptionem Variolarum alvi fluxus, aut hæmorrhagia supervenit, malum indicium est, quoniam hac ratione venenum extra propulsum denuo intus revocatur, Interdum vero hæc symptomata cum magno ægrotorum levamine contigisse observavi, scil. Natura prius gravata & oppressa hoc modo, velut parte oneris detracta sublevatur, quare se operi diaphoreseos accingit, & noxiæ materiæ expulsionem promptius expedit. *Willis.*

58. *Quia materia contumax*) Materiæ contumaciæ indices fuere Variolæ, de quibus *Joh. Schmidius in misc. cur.* quæ post diem XVII. suppurationem adeptæ sunt: Puer quinquennis decumbebat cum convulsivis motibus, delirio, Pustulæ indies incrementa sumebant, quæ tamen nulla referta materia conspiciebantur, exteriores pisorum exuvias referentes: XIJ. jam aderat morbi dies, quæ res periculi incussit metum, nec fefellit opinio, nam subito XIV. die horror novus eum corripiebat, hunc calor excipiebat, pectoris angustia &c. Propino expellentia fortiora, & inter alia *sal. c.c. volatile* cujus præprimis ope XVII. demum die materia sese in pustulis monstrare incipiebat, qua apparente symptomatum ferocia remittebat; sicque suppuratione facta æger XX. die melius habere incipiebat, & sensim pristinam recuperabat sanitatem. *Medic. Sept. Vol. 2. p. 221.*

59. *Si iterum occultantur*) In quibus subito disparuere, varia induxere symptomata, v.g. epilepsiam: Ex his, quos quidem vidi, unicam tantum virginem servatam vidi: motus alios exercuerunt spasmodici, & ut ita dicam ambulatorii, modo brachium, modo pedem, modo saltem digitos varie torquentes, hi vero servati: Puer morbillis detentus, se libero exponit Jovi, recurrunt oppido, nihil tamen inde mali, ut videbatur, altero aut tertio die dolorem dextræ sentit scapulæ, post cordis angustias, & demum spasmum abdominis incurrit; durante paroxysmo loquela destituebatur &c. detinebatur hoc malo ultra duos menses, Tandem iterum Variolis correptus malum evanuit, & cum sanitate in gratiam redire incepit; Quod tamdiu in sanguine latuerit miasma singulare quid videtur. *Chr. Frid. Garmannus.*

59. *Si iterum occultantur, & tumor partium remittit*) Si contigerit ut vel phlebotomia minus opportune celebrata, vel admisso frigore *Pustulæ recesserint*, vel *facies ac manus detumuerint*, Cardiacis utendum est: Cavendum tamen ne in his exhibendis nimii simus, Quamvis enim sanguinem ademeris, fieri tamen potest ut virium inde jacturam metuens, adeoque cardiacis, aut fortioribus aut sæpe repetitis utens, novam ebullitionem ex improviso suscites, Nimirum sanguis adhuc tenerior est, & vim calidioris stimuli facile sentit, Unde fit ut sæpe repetitæ ebullitiones in eodem excitentur, quibus ægrotorum mors majori jure tribuenda est quam prægressæ venæ sectioni. *Sydenham.*

40. *Tumor partium remittit*) Si in Discreto genere, ob regimen justo calidius, & continuos Sudores ægri facies non intumescat (pustulis interim satis dense se exserentibus) sed flaccida sit, & palleant pustularum interstitia; In casu posito, ultra quod ad temperatum magis regimen, & compescendum sanguinis orgasmum velis remisque contendo, *Paregoricum* aliquod medicamentum è vestigio hauriendum præcipio; quod quidem somnum blande conciliando (nisi plus nimio cerebrum incaluerit) & mitigando proinde effrænem sanguinis ferociam, sanguinem una cum calore ad faciem, prout morbi ratio postulat, tempestive determinat. Vide §. *Symptomatum*) *Sydenham.*

40. *Ex tumor partium remittit*) Quam periculosus sit intumescentiæ defectus, Vide superius §. *Variolarum species, signa &c.*)

40. *Tumor partium*) Partes tumidæ omnino fiunt, ac quasi tumore ex phlegmone ac œdemate mixto affliguntur. *Etmuller.*

41. *Quia materia ad interiora retrocedit*) *Quæ omni molimine revocanda*, Puero cum produxissent spariæ per universum corpus pustulæ aqua madentes, sed quæ male ab adstantibus custoditæ retrocederent omnes, ægro in animi deliquia & frigus extremorum fatiscente, ne in rebus dubiis nihil ageretur, prognostico præmisso, cum æger pharmaca deglutire non posset, quatuor vesicatoriis brachia & femora parte interiori, secutus ductum grandiorum venarum aduro, ea spe ut revocatus in cutem veneficus humor viam exeundi promptius inveniret, Quid multis? prodiere postliminio in suos alveos aquæ, &, licet tardius, in pus versæ, à certa desperatione ad sanitatem pristinam iter patefecerunt, *Olaus Borrichius.*

41. *Si multa, magna, duplices & continuata*) Has *Confluentes* vocat *Sydenham* l.3. c.2. ad differentiam Discretarum vel Disparatarum, quæ licet essentialiter non differant, per illustriora tamen symptomata, quæ priorem, non illam comitantur speciem, discriminantur: Hic atrociora, *inquit*, sunt omnia, febris, anxietas, vomituritio &c. quibus signis sagaci Medico ante eruptionem se produnt, in sudores tamen non ita ut in priori specie pronus est æger: diarrhœa insuper nonnunquam eruptionem præcedit; Tertiò ut plurimum die erumpit species hæc, ante illum aliquando, vix post; cum *Discreta* quarto die fere erumpant.

In *Confluentibus* aliquando ad quintum usque diem differtur eruptio, ob supervenientem acutissimum dolorem, nunc in regione lumborum, nephritici æmulum; nunc in latere qualis pleuriticos vexat, nunc in ventriculo cum vomitu enormi, è quibus symptomatis Variolas è *Confluentium* genere esse judico: At vero licet in *Discretis* mox ab eruptione quę morbi insultum comitabantur symptomata, nullum jam amplius facessant negotium, in *Confluentibus* aliter se res habet, quod & febris & alia symptomata etiam à pustularum specie ad multos dies molesta sint; Hæ nunc erysipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt, à quibus nonnisi à Medico in his morbis versato distinguuntur, saltem quoad faciem externam; Crescente morbo, non in molem aliquam spectabilem, uti *Discreta*, attolluntur, quæ faciem præsertim occupavere, at sibi invicem implicitæ, primo se habent instar vesiculæ rubræ, vultum omnem contegentis, quem maturius etiam in tumorem elevant quam *Discreta*; deinde ad instar pelliculæ albæ, vultui agglutinatæ solitam cutis superficiem non multum superantes Elapso die 8. pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur, indice digito, & ad colorem fuscum, non flavum, ut in *Discretis* accidit; intenduntur in dies tum asperitas, tum etiam cutis color, donec tandem pellicula dicta latioribus laminis desquamatur &c. Vide plura l. c. & curandi rationem cum symptomatis *Indic. nostri Med. Pract.* p.668. &c.

41. *Si sunt multa*) Dubitatur quænam sint deteriores, plures an pauciores? *Aetius* copiosas vituperat, *Avicenna* paucas; Sane optandum est semper ut quamplurimæ exeant, sic enim removetur magis ab internis visceribus humor morbificus: sed sive copiosæ, sive paucæ erumpant, attendenda semper sunt symptomata, quæ si perfecte cessaverint, semper sunt bonæ; si remaneant & perseverent, vel redeant, malæ: In posteriori hoc casu paucæ humoris perniciosi paucitatem, copiosæ Naturæ sanguinem perfecte expurgantis robur ostendunt: Prognostica hæc signa eleganter complexus est *Aetius* Tetr 2. l.1.c.129. *Deteriores sunt*, inquit, *plures* quam *pauciores*, *majores quam minores*, quæ cito delentur quam quæ multo tempore durant, & quæ succedunt alvo suppressæ, aut moderate fluenti meliores; quæ vero fluente alvo aut vomitibus vexantibus malæ, si succedentes alvum reficcent, bonæ. *Primirosius.*

43. *Si depressa*) Tum mirum in modum contulit Julepus sequens

℞. *rad. pentaph & torment.* ana ℥j.
fol. pimpinella & scord. ana m. j.
santal. citr. & ras. ebor. ana ʒij.
coqu. ad quart. iij. *dissolve in aq. napha & rosar.* ana ℥β.
trochisc. viperin. ℈j.
lapid. bezoart. gr. iv. *f. Potio*

quæ grandioribus detur uno haustu bis in die; lac sugentibus ex cochleari frequenter. *Riverius cent.* ij. *obs.* ij.

44. *Si maculam nigram in medio habent*) Aliquando in Pustularum summitate maculæ nigræ, exiguæ, acicularum capita vix æquantes, in medio vero subsidentes, se produnt variis in locis, quæ cum nimio fervori ortum debeant suum, tandem beneficio regiminis magis temperari fuscum colorem acquirunt, posteaque pedetentim subflavum illum, qui Variolis genuinis, ac suum morem obtinentibus, naturaliter competit: quod satis liquido cernitur in illa quæ circa morbum hunc praxi, in quo omnia symptomata eo sunt mitiora quo magis pustulæ maturitatem adeptæ ad dictum colorem recedunt, atque è contra. *Sydenham.*

45. *Si virides, livida*) Interdum hæ Pustulæ, licet non statim jugulent ægrum, tamen vel quia male curatæ, vel quia partem quandam gravius læserint, diuturna aut lethalia inducunt symptomata. *Ermuller.*

v. *Si maculis Petechiis familiaribus perspersa*) Nostrates solent has Petechias Maculas mortis appellare, nec sine causa, iis enim apparentibus plerumque eventus tristis sequitur; Sed interdum decipiuntur à maculis scorbuticis; ita ut sæpius viderim à plebe hac de causa proconclamatis habitos feliciter evasisse: Sed aliquando Petechias ejusmodi nigras, cum totius cutis asperitate, post Variolas neglectas, & medicamenta spreta, etsi fere per mensem post illas sana videbatur, exortas in virgine vidi, quæ etiam cum prognostico mortis alumna facta: Putavi materiam à Variolis relictam magis magisque corruptam esse, donec ad tantum malignitatis gradum perveniret. *D. Wincler. Med. Sept. vol.* 2. *p.* 223.

46. *Nullus*) Qui ex Variolis pereunt, aut suffocati intereunt, propter faucium vel pulmonum oppletionem, vel convulsi, vel alvi profluvio, præsertim cruento, jugulantur: Similiter quando Variolis impliciti vehementer sitiunt, intusque continenter anguntur, prompteque frigescunt, detumescuntque morbilli variolæve, glauco livore pallescunt, tunc ægri capulæ propinquant. Hoc enim caloris nativi extincti signum est. *Ermuller.*

47. *Si difficultas spirandi*) Hinc *Joh. Stephanus* comm. in *Avicennam*, Nil observatione dignius est quam *anhelitus* & *vox* in patientibus Variolas: Ubi enim prompte recteque agitur respiratio, vox facile sequitur, neque raucescit, admodum salutare signum est: Atque ubi difficulter trahitur spiritus, alterutrum significatur, nempe aut vires concidisse, aut certo in septo transverso adesse phlegmonem. *Ermuller.*

48. *Si alvi fluxus*) Curandum habui cum alio Medico Nobilem xvi. annos natum: Ex voto eruperant Variolę, ac ad maturitatem perductis supervenit diarrhœa, quam in bonis ducebat alter Medicus: Infaustam pronunciavi, nam protinus delituerunt Variolæ, succedente tam effræni delirio ut se præcipitem per fenestras dare vellet: Urgebant mulierculæ expellentium usum, assentiebaturque Medicus; Jam satis efferatum esse sanguinem dixi, neque ulterius irritandum, suasique venæ in malleolo apertionem, qua facta, denuo se exeruere Variolæ, ac prospere deinceps omnia successere.

48. Si

48. *Si alvi fluxus*) Puellus annos 5. natus Variolis laborabat cum alvi fluxu per totum morbi decursum perseverante, 7. die morbi multo gravior erat alvi fluxus, febris intensa, sitis ingens, Variolæ depressæ, quarum elevatio ab alvi fluxu impediebatur, Cum alia non proficerent, præscribo Julepum alvi fluxum & malignitatem respicientem.

℞. *rad pentaph. & torment.* āā. ℥j.
scabios. pimpin. āā. *m.j. scord. p.j santal. citr.* ʒij.
coqu. ad quart. iij *pro* iij. *dos. bis in die sumendu, Addendo unicuique conf. hyacinth.* ʒß.
trochisc. viperin. ℈ß.
lapid. beZoart. gr. iv.

Post primam exhibitionem alvi fluxus imminutus fuit, Variolæ tumofactæ, & sitis imminuta. *Riverius obs. 2. cent. 2.*

49. *Si urina sanguinea*) Adolescentum, & ætatis flore vigentium, præcipue si vino, aut alio quovis liquore spirituoso se nimium impleverint, usque adeo in hoc morbo nonnunquam sanguis accenditur furitque, ut per arterias & vesicam viam sibi faciat, & qua data porta ruat: quo quidem *Mictu sanguineo* vix aliud symptoma pejoris notæ atque ominis invenire licet, per omnem hujus morbi tragœdiam. *Sydenham.*

50. *Si sanguis purus &c.*) Stillicidium sanguinis ex naribus est ominosum, præsertim in principio, Sed si in principio morbi sanguis è naribus largiter effluat, Variolæ & Morbilli pauciores erumpere, & æger facilius liberari solet: Sed si post eruptionem jam factam, vel hæmorrhagiæ superveniunt, vel alvi fluxus, malum est; Aut enim retrocedere pustulas faciunt; aut inquinamenti humorum insignis, ab istis pustulis inducti signum sunt; Hæmorrhagia igitur salutaris debet 1. in principio aut incremento, 2. sufficiens & moderate copiosa, 3. continua, una vel altera vice, non interrupta, 4. per anastomosin fieri. *Etmuller.*

51. *Os vel nares excernitur*) Ab eadem causa (vide supra §. 49. *Si urina sanguinea*) nonnunquam, licet rarius, sanguis è pulmonibus ejicitur: Utraque vero hæmorrhagia hæc sub morbi initio plerumque contingit, pustulis nondum erumpentibus, vel si in quibusdam locis se ostendant, in plerisque tamen aliis adhuc sub cute densæ latent; atque ejus sunt generis quæ in maxime *confluentes* adolescerent, nisi jam dictum symptoma ægri morte morbum finierit. *Sydenham.*

Curatio.

52. *Absolvitur*, I. 53. *Ebullitionis*, quæ quatuor ut plurimum diebus perficitur, ita ut quarto sed & quandoque citius pustulæ erumpant, *mitigatione*, 54. ne nimia ebullitio graviora symptomata adferat.

Quæ 55. peragitur 56. *vena sectione* & 57. *purgatione* 58. in adultis, ubi nota: 1. 59. *Inutilem venæ sectionem*, 60. si pustulis erumpere incipientibus febris & symptomata minuuntur permittendumque totum negotium naturæ; 61. *Necessariam* quando Variolis difficultas, urina rubra erumpentibus febris intensior, anxietas spirandi &c. quid natura ab humoribus premitur: 64. utilem istat eruptionem, si sanguis redundat.

2. 65. *Purgationem* convenire ante eruptionem & febris incandescentiam, cacochymia præsente, quæ lenioribus, ut manna cum cremore *tartari* vel Electuario in capite de febribus acutis descripto: Noxiam, postquam erupere 3. 66. Infantibus clysterem ex decocto hordei cum butyro recente applicari posse; Intus syrupus de citro cum syrupo violaceo, vel morsellis citri exhiberi. *Sala* vomitorium antimoniale, vel ex sale vitrioli, si ventriculus impurus, antequam erumpant, etiam tenellis exhibet.

52. *Absolvitur*) Cum morbi hujus stadium, sive decursus tria habeat tempora, velut totidem metas invicem distinctas, etiam curativæ intentiones singulis horum accommodari debent, quare circa Variolas methodus therapeutica, *Primò* quid agendum sit quamdiu sanguis materia fermentativæ motu intus ebulliat & effervescat; ac Variolæ nondum appareant, quæ periodus, ut plurimum quatuor aut quinque diebus solet absolvi; *Secundò*, quæ victus & medicinæ ratio instituenda sit à Variolarum eruptione usque ad morbi statum, sc. dum Pustulæ ad summum pervenerint, & plene suppuratæ exarescere incipiunt, *Tertiò* denique quid in morbi declinatione, usque dum Variolæ exsiccatæ plane deciderint, observare debeamus. *Willis.*

Quoad *primum*, Intentio sit ut Naturæ impedimenta quævis auferamus, quo sanguis Variolarum fermento inquinatus, & coagulari aptus, adhuc moram æquabilem in corde & vasis sine stagnatione retineat, ac effervescens portiones cum veneno gelatas foras expellat; Interim cautio sit ne fermentationis, seu effervescentiæ opus ullatenus cohibeatur, aut nimium proritetur, hoc enim cruoris massa plus debito in portiones congelatas agitur; isto restringitur nimis in motu, nec particulæ venenatæ cum cruore gelato foras amandantur; Natura à secretionis & expulsionis opere impediri solet nimia congerie excrementorum in visceribus, aut sanguinis exundantia in vasis; quare primo statim morbi insultu danda erit opera ut evacuatio per vomitum aut sedem, si opus fuerit, tempestive procuretur, unde pharmacis tantum mitioribus & blandis utendum est, quæ nimirum non irritent, aut humores perturbent; quare hoc tempore interdum Emetica, Purgantia aut enemata; modo hæc modo ista locum habent; Etiam sanguinis missio, si plethora adsit, bono cum successu celebratur.

Durante hac sanguinis effervescentia *Victus* instituatur tenuis & modice refrigerans, scil. ex hordeatis & avenaceis, liquore posseti, cerevisia tenui & similibus, vitentur caro & Juscula ejus, quibus sanguis, ob nimiam pabuli sulphureis copiam plus debito accenditur: Etiam frigida & acida quævis nocent, hæc enim sanguinem magis congelant, & adstrictione vasorum oscula contrahunt,

ut Variolæ minus libere erumpant; Etiam Cardiaca & calida caute exhibeantur, his enim sanguis & humores agitantur nimis, & in confusionem aguntur. *Willis.*

Indicationes sunt 1. Ut æquabilis ille tenor *Ebullitionis* in sanguine conservetur, qui neque nimis propere separationem nimia sua vi perficiat; neque tamen torpido nimis motu eandem remoretur, vel non satis idoneam præstet, ij. Ut Abscessuli pustulævè summa cura sustineantur, quo debita tempora percurrentes tandem contentam in se materiam omnino avehant, ipsæque etiam evanescant. *Sydenham.*

Curatio Variolarum & Morbillorum quatuor Indicationibus perficitur, Quarum *prima* versatur in humorum quantitate peccantium evacuatione ij. In motu naturæ, seu Variolarum expulsione adjuvanda. iij. In malignæ & venenatæ qualitatis oppugnatione. iv. In symptomatum correctione. *Riverius.*

In cura 1. *Fermentum acre acidum* temperandum 2. correctum per diaphoresin, natura monstrante viam, ejiciendum 3. Symptomata urgentia mitiganda, 4. læsio partium vel imminens præcavenda, vel facta restituenda. *Etmuller.*

Diæta.

§. *Absolvitur*) Diæta, Chirurgia & Pharmacia: Quoad Diætam 1. *Aër* sit tepidus, cavendo ut nullum frigus ad ægrum perveniat, ne erumpentes Variolæ retrocedant aut evanescant, vel subsidant: Hac eadem de causa ægri ante 14. diem indusia ne mutent, ne per illam mutationem frigus suscipiant.

Præstat ut *indusia* à sudore madida in lecto à corporis ægri calore rursum sponte paulatim exsiccentur, & æger per aliquot dies sudoris ac Variolarum erumpentium fœtores patienter ferat, potius quam ut maximo suo periculo sordida linteamina mutet & alia nitida assumat: At si forte contigerit ut necessaria aliqua de causa indusium, ut & lodices mutare necesse sit, tunc procurandum ut talia dentur linteamina quæ vel ab ipso ægro ante suum morbum, vel ab alio sano per aliquot dies gestata fuerunt; nam semper observavi nitida & recenter lota linteamina ægris nocuisse, forte à fœtore saponis: Linteamina non mutare semper profuisse, at illa ante 14. diem mutare semper plus minus nocuisse animadvertimus: Nec est quos quis metuat illum fœtorem, quem à sudore & ruptis pustulis linteamina contrahunt, quoniam hunc nullis ægris noxium fuisse millies observavimus.

Et hoc notandum observavimus, Variolosis capita arctis capitiis, aut strictis linteaminibus non esse obvolvenda; hinc enim duo incommoda oriuntur 1. calore sic in capite nimis adaucto, longe plures Variolæ in facie & capite erumpunt quam eo leviter contecto: ij. Variolæ sub strictis capitis integumentis adeo ulcerantur, ut postea cum molestiæ curatæ foveas admodum indecoras in capite relinquant: Atque ego hinc communiter caput laxis quidem capitiis contegere, & à frigore defendere, sed non stricte ligare jubeo. *Diemerbroeck.*

Mulierculæ quædam, & imperitum vulgus sine delectu, pueris ex Variolis & Morbillis laborantibus, Vinum Gallicum rubrum propinabant, quamvis febre ardenti corriperentur, perperam enim sibi persuasum habebant hoc modo melius per cutem exire Variolas: Hinc factum ut quamplurimi qui tale vinum adstringens bibissent subito morerentur, motu naturæ inhibito quo minus foras protruderentur, ac febre aucta capitis dolorem incurrebant, delirio subsequente mox extinguebantur, & aliqui horum non sine periculo evadebant. *Forestus lib. 6. observ. 41.*

Antequam Variolæ prodeant *Aëris* frigidi usus est salutaris, humorum enim sanguinisque fervorem temperat, illis vero erūpentibus noxius est quia intus cohibet excrementa quæ in cutem deponere Natura gestit: hæc autem cohibita viscera partesque nobiles lædunt, angustiam, syncopen, inquietudinem & prava inducunt symptomata: Temperatus igitur sit cum foras erumpunt Variolæ, præsertim si salubres sint, nam in malignis, quibus apparentibus & febris & symptomata perseverant, unice cavendum est à nimium calido, ne augeatur incendium, non minus quam à frigido, ne retrocedant: Salubribus autem calidus aër prodest.

Æger pannis, præsertim rubris, cooperiatur, ut ab aëris frigidi occursu satis tutus sit, non autem ut præ pannorum copia & nimio calore suffocetur, animi deliquium & syncope contingant: Superstitio mihi esse videtur in colore pannorum, cur potius rubri quam albi viridesque esse debeant; *Amatus*, *Vallesius*, aliique qui hujusmodi pannos ex vulgari consuetudine probant, id sedulo monent ne corpus ipsum contingant, quia ex tinctura aliquam habent adstrictionem: Ideo quamvis eos non improbem, ridiculum tamen esse puto colorum facere discrimen, imo potius candidissimos probarem, quia color ille visum disgregat, spiritus ad externa evocat, & ex consequentia quadam humorum in cute efflorescentiam promovet.

Somnus pueris concedi potest longior ante eruptionem Variolarum, quamvis omnes vacuationes cohibeat præter sudorem, Est autem hæc expulsio non multum absimilis sudori, Erumpentibus autem iis magis vigilandum quam dormiendum.

Animi motus, ut in aliis morbis præter gaudium fere nocent omnes, Ira tamen quibusdam non improbatur, reliqui vero sanguinem caloremque retinent in visceribus: continenda igitur corpora sunt in summa quiete corporis & animi, solum in principio *Frictiones* competunt lenfores, quibus meatus dilatantur, & naturæ juvatur expulsio, à quibus tamen abstinendum erit quando incipiunt eminere in superficie corporis.

Evacuationes provocandæ glandibus & clysteribus.

Reliqua in *cibo* victus ratio tenuis esse debet, etsi in pueris ob consuetudinem & plurimum calorem, in senibus ob virium imbecillitatem, paulo plenior concedi debeat, sicut in pestilenti statu, in quo vires inedia læduntur: Refrigerantes autem cibi sint ob febrim adjunctam, modice adstringentes & refrigerantes, ne sanguis in partem principem impetu quodam irruat, viscera ipsa confirmentur adversus hanc luem.

Vitentur ergo acres cibi, salsi, pingues, dulces, ex Avenzoare, tum etiam amari, quia sanguinem in fervorem agunt: Carnibus & ovorum vitellis *Arabes* abstinent antequam periculo æger defungatur, sed postea convenire posse docent; ideo solis sorbitionibus alendos ægros vult *Hippocr.* Juscula ergo carnium eupeptarum, lactuca, cichorio, portul. endivia, borragine & similibus alterata dentur: Hordeata quoque, amygdalata, succis granat. limon. medicata prosunt.

In *Potu* Julepi, *tinctura rosar. aqua hordei cum succis acidis* &c. commendantur; Sed *vino* abstinendum præterquam iis erumpentibus, tumque convenit oligophorum, aqua dilutum, modo febris non sit vehemens, nec caput doleat, nec æger deliret, *Primrosius.*

Cum morbus in declinatione fuerit, & Variolæ emarcescere & incrustari inceperint, res ut plurimum extra periculum sita est, nec multum negotii Medico incumbit, Victu adhuc tenui & carnium experte æger, licet valde esuriens, contentus

sit:

sit: Postquam Variol. exuviis per totum depositis obambulare potest, laution victu uti permittatur: *Willis*. Quid de Acidorum usu sentiar vide §. *Ebullitionis mitigatione.*

De *Potu*, nota ex *Ballonio Epid.l.* 1. tametsi sitis urgeat cavendum esse ne is sit frigidior, quia cum corpus impurgatum est, & obstructum, usu frigidæ augetur obstructio, & sic motus venenatæ materiæ impeditur.

In Variolis & Morbillis *Aer* studiosissime cavendus, quin potius in loco tepido, sive moderate calido, ægri asservandi, & debitis stragulis custodiendi sunt; Ne quid tamen nimis in hoc puncto: Passim in hoc erratur, dum ægri in locis nimis calidis custodiuntur, atque copiose stragulis tantum non suffocantur, id quod subinde admodum est nocivum: ut hoc regimen fiat rite tempore ebullitionis, observetur æstus in ægro febrilis, qui si excedat, nullo modo per integumenta aliusve modis est intendendus: E contra si est debilior, aut saltim videatur minor quam qui sufficiat secernendæ & expellendæ materiæ Variolarum, integumentis aliusve modis est augendus: quod si medius fuerit æstus, ita ut nec excedat, nec deficiat, sed sufficiens videatur pro excretione Variolarum & Morbillorum, mediocri calore sustentandi sunt ægri.

Diæta tenuis inprimis convenit his ægris, præsertim ebullitionis tempore. *Ettmuller.*

Primo æger in loco calidiusculo detineatur, quo cutis pori aperiantur, & Variolarum eruptio adjuvetur, Ideo detinendus est in cubiculo bene clauso, quod aër frigidus nullo modo ingrediatur, multi enim pueri benignis alias Variolis laborantes, frigidioris aëris appulsu de medio sublati sunt, repercussa nimirum materia morbifica ad interiores partes, Eademque ratione vestibus moderate contegendi sunt, ita tamen ut aëris caliditas aut integumentorum pondus febrilem ardorem non intendant: Dicta tegumenta ex pannis rubris plerumque concinnari solent, quia analogia quadam sanguinem ebullientem ad exteriora movere creduntur: Solent etiam multi *ovem* aut *vervecem* in cubiculum, vel etiam cubili detinere, quod illa animalia venenatam labem facile recipiant, & in se attrahant, unde ægris levamen aliquod emergere potest. *Potus* sit *Decoctum hordei*, vel *radicis acetosæ*, vel *rasur. ebor.* aut c. c. usitiliter usurpari solitum præsertim in principio, & dum febris est vehemens; Si vero non ita incalescat, *decoctum hordei & caricarum* erit utilissimum. *Somnus*, cum toto morbi decursu moderatus esse debeat, in augmento tamen, cum pustulæ erumpunt diuturnior noxius est, & sanus est plus solito vigilare. *Riverius.*

Regimen Ægrorum post eruptionem Pustularum Discretarum.

Ubi primum eruperint Pustulæ, jam proxime meorum diligenter perpendo an *Discreti* fuerint generis, an vero *Confluentium*, cum longo hoc intervallo hæc ab invicem distent, quantumlibet conveniant quoad symptomata quædam utrisque communia.

Si itaque ex Pustularum magnitudine & paucitate, tardioreque eruptione, tum etiam ægritudinis, aliorumque symptomatum gravissimorum, quæ in *Confluentibus* etiam post eruptionem fatigant, evanescentia, de genere *Discreto* mihi constet, ægrum Cerevisia tenuiori, jusculis avenaceis; hordeaceis &c. reficiendum curo, modo quem supra præcepimus.

Atque si tempore æstivo, eoque calidissimo, Variolæ non ita multæ contingant, quorsum attineat ægrum in lecto jugiter stratum obrutumque detinere ego quidem non video, Quin potius singulis diebus per aliquot horas de toto surgat, ea lege ut tam loco quam vestitu frigoris pariter ac caloris nimii incommoda præcaveantur; Quid quod ægro à cubili aliquando abstinente, morbus minori cum molestia, ac etiam breviori spatio sua tempora peragat, quam si eidem continenter affigatur, quod non modo ægritudinis tædium adauget, verum etiam febrilem æstuationem fovet, & prodeuntibus vesiculis dolorificam inflammationem conciliat.

Quod si aut frigidior anni tempestas, aut copiosior Exanthematum eruptio perpetuo decumbendi necessitatem ægro imponat, prospicio ut non intensiori caloris gradu, vel adjectis pluribus stragulis in lecto decumbat, quam quibus in prospera valetudine uti solebat, accenso interim nonnisi hyeme incumbente, mane & sero, foco mediocri: Neque etiam exigo ut in eodem loco semper jaceat, nempe ne sudores erumpant.

Determinante morbo, cum halituum, à materia jam in pus conversa prodeuntium, eruptio liberior à Pustulis tandem crustosis ac duriusculis impediatur, abs re non erit Vini Canarini, semicocti, cochlearia 3. vel 4. vel aliud medicamentum Cardiacum temperatum exhibere, ne scil. halitus illi putridi in sanguinis massam postliminio revertatur; Et sane jam nunc, neque prius, Cardiacis locus est.

Eodem pariter tempore Diæta paulo calidior, & cardiaca magis, potest concedi, Jusula v. g. è pane & cerevisia saccharatis, è farina avenacea cum cerevisia & saccharo &c. Neque aliis omnino erit opus, in genere scilicet Discreto ac leniori, si æger hac methodo ac diæta, utrisque moderatis, se tractari patiatur.

Hæc sane, reclamante licet immani isto, ac male fundato hominum præjudicio quod ex adverso militat, vera est ac genuina methodus huic Variolarum generi medendi, & obtinebit demum, me vita functo: Et licet non negem multos regimine admodum opposito tractatos nihilominus convalescere, fatendum tamen (& sane dolendum etiam, si nobiscum reputemus quam omni prorsus periculo vacat ex sua natura hoc Discretum genus) plurimos etiam interire: quin & alii complures pariter fatis concederent, nisi vel à frigidiore tempestate, in quam incidit morbus, vel à V. S. (aliter supervacanea atque inutili) nuper celebrata servarentur; Quo nomine, si vel obstinatio, vel ægri diffidentia prædicto regimini intercesserit, tutius mihi videbatur sanguinem detrahere; quod quidem, licet per se officiat (quatenus scil. & separationem perturbat, confunditque, & pabulum insuper tum pustulis, tum tumori elevandis destinatum subducit) aliquantisper tamen sequuturum regimen calidius pensat, ac proinde hanc, quam nonnisi coacti usurpamus, methodum non usque adeo periculosam atque ancipitem reddit. *Sydenham.*

Curatio Ægrorum Variolis confluentibus *laborantium.*

Si *Confluant Variolæ* periculosæ plena aleæ res est, arbitror enim ego genus hoc non minus ab altero discrepare quam ab hoc ipsa Pestis, licet apud hominum vulgus, quibus nomina & verba pro rebus sunt, utriuslibet curatio ex æquo prædicetur.

In hac morbi specie, cum intensioris sanguinis inflammationis proles sit, major pariter adhibenda est cura ne calefiat æger, ut in prioris curatione dictum; Quamvis autem species hæc ex sua natura majorem sibi vendicet refrigerationem quam altera ista, ad promovendam tamen manuum ac faciei intumescentiam (sine qua de ægro actum est) & pustularum

elevationem atque augmentum, tum etiam quia æger ob exulcerationes dolorificas lecto abstinere nequeat, expedit ut in eodem contineat & se, & manus etiam suas, modo stragulis modice contectus sit, & concessa fuerit venia ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitri suo transferendi, ut in genere *Discreto* innuimus: Præsertim vero morbo exeunte, cum jam appetat *Febris maturationis*, non tantum hac libertate demetendus est æger, sed monendus etiam ut ea utatur, quin & versandus persæpe nocte atque interdiu, ut ingens calor contemperetur, & evitentur sudores, quibus amandatur lenis ille humor quo diluendæ sunt Variolæ ut mitescant.

Quandoquidem vero *Ptyalismus* hanc speciem jugiter comitatur, qui cum è præcipuis sit Naturæ evacuationibus, atque in ejus locum quæ per Pustulas fieri debuit substituatur (quæ quidem per pustulas evacuatio in hac specie humili ac depressiore non æque atque in altera procedit) summopere annitendum est ut dicta Salivatio in vigore persitet & conservetur, nec ante diem suum sistatur, vel remediorum calidorum usu, vel à cerevisia tenui, aut simili alio liquore, liberaliter hauriendo ægrum arcendo.

Jam cum Ptyalismi mos sit naturaliter se habentis, ut cum prima eruptione incipiat, & die xi. minuatur, neque tamen nisi post diem adhuc unum aut alterum omnino desinat, si ante diem illum penitus cessset, in lubrico sunt ægri res: Nam cum faciei tumor (per quem materiæ morbificæ nonnihil evacuatur) nunquam non eo ipso die dispareat, si salivatio eodem pariter tempore se subducat, æger materia Variolosa jam putrescente ceu veneno inficitur; Cumque nulla amplius detur porta per quam evacuari possit, in busti limine constituitur, nisi forte (quod fit nonnunquam) manuum intumescentia, quæ ut serius quam illa faciei se ostendit, ita tardius recedit, ejus sit molis ac momenti ut ab Orci faucibus illum eripiat.

Salivatio, quæ hic tanti est momenti, tamque necessaria, admodum promovetur si ægro affatim propinetur cerevisia tenuis, vel liquor alius quilibet, qui nec illum calefaciat, nec ad sudores provocet.

Præter hæc vero, ut consopiatur vehemens illa sanguinis ebullitio, qua hæc Variolarum species alteram illam longe superat; & sustentetur Ptyalismus (necessaria nempe hujus morbi vacuatio) conveniunt *Narcotica* medicamenta præ aliis quibuscunque; quæ licet ob vim qua donantur, incrassantem, educendæ, salivæ videantur officere, jamdiu tamen ego me isto liberavi præjudicio, atque eadem in hoc morbo adhibui, adstipulante ubique rerum eventu, modo æger pubertatem excesserit.

Sanguis enim Infantium Puerorumque (qui per integrum morbi statum plerumque satis bene dormiunt) cum mitius fervear, nullo hujusmodi, eget sufflamine, atque insuper horum usu *Diarrhœa*, quam in hoc morbi genere infantibus evacuationem natura instituit, cum ægri damno sistitur.

Adultis vero *Paregorica* medicamenta, si frequenter usurpentur, hæc afferunt commoda, *Primo* somnum moderate conciliando efferam nimis sanguinis ebullitionem, ac proinde phrenesin cohibent præcaventque; Dein ab eorum usu faciei & manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet evacuationem, rectius procedit.

Quin etiam, quod non parum facit ad ægri securitatem, cum non raro detumescat facies justo citius, cum malis ægri rebus, tumor narcoticorum ope ad debitum usque Naturæ terminum suffulcitur & protrahitur; mitigato enim sanguinis fervore, radii inflammati opportune ad manus & faciem, atque omnem corporis superficiem pro morbi ingenio feruntur.

Ptyalismus denique hisce propagatur, qui licet vi medicamenti ita fortiter incrassantis ad horas aliquot sistitur in quibusdam, mox tamen aucto novis hisce suppetiis robore, insurgit denuo Natura, & cœptum opus feliciter peragit.

Quin etiam animadverti Salivationem, quæ circa diem xi. aliquando etiam citius, cum ingenti ægri periculo minui solet, exhibitis plus semel paregoricis, de novo fuisse redintegratam, nec ante diem xiv. alicubi, etiam & post illum desiisse.

Propino ego utplurimum vel *Laudani liquidi* guttas xiv. aut circiter, vel *syr. de meconio.* in *aqua flor. paralys.* vel simili stillatitia solutam: Quæ si adultis post plenam eruptionem ad morbi usque finem, singulis noctibus propinentur, non modo incommodi nihil, sed & magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientia didici.

Expedit vero, ut censeo, paulo temporius quam alias fieri solet, *Paregoricum* exhibere; facile enim observatu est in Variolis pessimi moris, caloris, ut ita dicam, paroxysmum vesperi plerumque ægrum inquietudine, anxietate, aliisque symptomatis lacessere, quæ, si paregoricum hora vj. vel vij. vespertina sumatur, aliquatenus præcaveri possint.

Proximo loco, cum in Variolis *Confluentibus* haud minus certo *infantes Diarrhœa* comitetur, quam *adultos Ptyalismus*, Natura alterutram harum evacuationum materiæ morbificæ eliminandæ ubique constituente, ut neque hic *Ptyalismo*, ita neque hic *Diarrhœa* frænum injicio, cum utrumque ex æquo sit absurdum: Male locata interim imprudentium aliquot muliercularum opera in sistenda hujusmodi Diarrhœa multa infantium millia letho dedit, dum falso secum reputant Diarrhœam par in *hac* Variolarum specie atque in *Distincta* discrimen apportare: Nescia scilicet illic solum officere Diarrhœam ubi per Pustulas fit evacuatio, hic vero naturæ opus illam esse, morbo effugium quærentis, missa itaque Diarrhœa καὶ τῇ φύσει, ex præcepto divini Sennis συμπερὶ τῷ quo cœpi pede pergo: In curis ut nunc jaceant Infantes, ut nunc istinc auferantur consulo, Et si fuerint ablactati, eandem quam superius adultis Diætam istis consulo. *Sydenham Observ. in Acut. pag. 216, & sequ.*

Regimen eorum quibus in procinctu sunt Variolæ Discretæ ut erumpant.

Quamprimû manifesta hujus morbi se produnt indicia, Ægro aura liberiore, vino, carnium esu interdico, cerevisiam vero tenuiorem, pane tosto leviter repefactam, pro potu ordinario, ac nonnunquam pro arbitrio hauriendam concedo: Pro victu etiam Juscula avenacea, hordeacea, poma cocta; aliaque quæ neque frigoris, neque caloris vim aliquam egregiam obtinent, aut ventriculo concocturo molestiam exhibent injungo: Nec vulgarem illam rusticamque Diætam admodum improbo, nempe ut lacte cum pomo cocto & contuso vescatur, modo cautum sit, ut eo per vices utatur, & modice, dempto etiam lactis frigore.

A regimine calidiore protinus inhibeo, ut & ab usu remediorum Cardiacorum quorumcunque, quibus Variolas in cutem ante diem *quartum*, qui eruptioni proprius est ac naturalis, temere propellere nonnulli satagunt; Cum pro certo habeam eo magis universalem fore materiæ Variolosæ separationem quo tardius istæ prorumpunt, proinde & securiores possumus esse ne se denuo intro condant, & rectius maturescant;

maturescent; Cum si ante tempus extrudantur, præcipitatur materia cruda adhuc atque inconcocta, quæ ad instar fructuum præcociorum inani spe lactat; Adde quod ab hac nimium sestinata diligentia periculum est (in calidioribus, præsertim temperamentis ac vegetioribus, quorum principia activa plus satis supplent Cardiacorum vicem) ne natura nimis irritata coactaque universam pene corporis substantiam in Variolas, effundat, ita ut jam *Confluant* illæ, quæ, nisi plus æquo properasses, in Distinctarum ordine lætiori omnine substitissent.

Porro, non ideo statim foras propellendæ sunt Variolæ ubi primum aliqua morbi hujus suspicio oritur, quia scilicet æger ante eruptionem vehementer utplurimum laborat angiturque, cum ne vel una quidem instantia possit ostendi quempiam interiisse, utut graviter ægrotaverit, quod non mox prodirent Variolæ, vel naturam iisdem serius ocyus extrudendis defuisse, nisi sicubi regimine calidiore &c. remediis Cardiacis præmature ingestis fuerit impedita.

Etenim non semel observavi in junioribus, & temperamento sanguineo præditis, regimen calidius, & Cardiaca, eo animo exhibita ut Variolas ante justum tempus exturbent, ita parum eruptionem accelerasse, ut eidem è contra obicem ponerent Sanguine enim his modis excalefacto, & in motum violentiorem quam qui materiæ Variolosæ separationi rite peragendæ par esset, concitto, certa tantum quædam morbi indicia se prodidere, latentibus intra cutim pustulis, neque se ultra efferentibus, quibuscunque demum Cardiacis solicitarentur, donec tandem sanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, cancessa scil. cerevisia tenuiori, demptaque partim stragulorum, quibus torrebatur, onere, pustulis exiturientibus commodam viam stravi, atque ægrum in tuto, favente Numine, collocari.

Neque magis, si quid ego judicando valeo, ab illis stat ratio, qui ægtum ita pertinaciter ante diem *quartam* lecto addicunt, modo cubiculi ambitu se contineat, quam ab his qui adeo præmature atque intempestive Cardiaca ingerunt: Etenim *sanguinis mictus*, *maculæ purpureæ*, & reliqua symptomata lethalia, eo tantum nomine ætate florentibus præsertim superveniunt; quod nempe lectulo præpropere nimis affigantur; Quarto vero die Ægrum lectulo adjudico, ac tum temporis, si eruptio parum pro votis succedat, recte exhiberi potest Cardiacum aliquod blandius, unica saltem vice, quo exigantur Pustulæ.

Inter ista quæ hæc faciunt medicamenta, *Paregorica* dicta, qualia sunt *Laudanum liquidum*, *Diascord.* &c si in pauca quantitate aquis Cardiacis appropriatis admisceantur, cæteris prælucent, Hæc enim cum sanguini æstuanti frænum injiciant, Natura materiam morbificam opportunius atque liberius ejicit atque amolitur.

Neque etiam consulerem ante hunc diem Cardiacum propinare vel urgente *Diarrhœa*, atque illud, ut videtur, indicante: Licet enim nonnunquam Variolarum *Confluentium* eruptionem præcedat *Diarrhœa*, quæ oritur ab halitibus inflammatoriis, vel humoribus è massa sanguinis, per primos dies exagitati atque æstuantis, in intestina exoneratis non tamen hic magis deerit Natura dictis materiæ Variolosæ halitibus in corporis habitum propellendis (quo facto sua jam sponte sistetur Diarrhœa (quam solet in halitibus istis extrò vertendis eliminandisque, qui in ventriculum inversi sub initio morbi vomitum provocabant.

Animadvertendum vero est, quod si ad adolescentem vegetiorem accersor, & qui insuper liberaliore sive vini, sive liquoris cujuscunque spirituosi compotatione morbo ansam dedit, non satis habeo ad frænandam sanguinis ebullitionem ut tam lectulo quam Cardiacis abstineat, nisi ad hæc sanguis è brachio mittatur: Quod si non concedatur, obtinente vulgi præjudicio, missionum mihi saltem petendam esse existimo; Superinducta enim inflammatione ista, quam sanguini induxit liquorum spirituosorum fervor, intense illi calori, quem hic morbus naturaliter comitem habet, ita furit sanguis ut non raro in vesicam vasorum ductu irruat; vel maculas pariat purpureas, aliaque ejusmodi symptomata quæ per omnem morbi decursum crucem figunt Medico, atque ægrum è medio tollunt. *Sydenham.*

53. *Ebullitionis*) Distinguendum est *tempus Ebullitionis*, & *tempus Excretionis* sive *Expulsionis*, Illud est quamdiu Effervescentia febrilis massæ sanguineæ depuratoria viget, Hoc quando excretio cutanea incipit, probeque procedit.

Tempus ebullitionis, sive *massæ sanguineæ depurationis*, utplurimum 4. primis diebus absolvitur, *Excretionis* vero à 3 vel 4. die per 7. subsequentes ad 11. protrahitur, quo tempore etiam fere maturescunt, ut circa 13. diem curatio absoluta sit; Nempe hoc utplurimum fiunt ita; interim pro circunstantiarum varietate subinde Variolæ non præcise 3. vel 4. sed etiam 7. vel 8. etiam 20. erumpentes die observatæ. His temporibus rite distinctis magna pars curæ innititur: Nam nec *ebullitio nimis evehenda*, nec nimis *supprimenda*.

Nec Expulsin Variolarum nimis provocanda; Sed in principio, ubi Pustularum elementa nondum comparent, haud protinus ad expellentia dilabendum, sed naturæ conatus ita expectandus, ut interim porrigamus talia, quæ non tantam primordia morbidi fermenti compescere ac mitigare, sed etiam quæ corruptioni sanguinis à malignis miasmatis perficiendæ obstaculum ponere possunt.

Dum vero erumpunt, sive jam erupetunt Variolæ, symptomatis urgentibus pro re nata Medicus debet prospicere: Magna tamen in hoc cautione opus est, ne dum exiguis consulimus, magna pharmacorum molestia naturæ opus turbetur: Etenim toto hoc tempore una & continua est ebullitio febrilis, quare nil temere movendum erit. *Ettmuller.*

54. *Ne nimia Ebullitio graviora*) Solicite inprimis cavendum est ne nimium assurgat Ebullitio, sive id fiat ex stragulis congestis, sive ex aëre loci in quo decumbit æger, igne nimium excalefacti, sive ex calidorum medicamentorum & cardiacorum usu; præcipue vero ab his cavere oportet si æger in ætatis flore constitutus fuerit; vel sanguinem habeat generosiori potu nimis exaltatum, vel anni tempestas aut verna sit, aut saltem ultra æstatis initium non processerit.

Hinc enim fiet ut separatio, quæ sensim lentisque gradibus peragi debebat, ut ad universalem quandam despumationem opportunius pergat, præcipiti cursu reratur, atque ita vel non satis idoneus partium numerus congregetur, vel (quod forte contingat) nonnullæ partes ad secretionem damnentur, quas alias Natura illam subire noluisset, nisi quod ultra debitos limites excurrere coacta noxam hanc sibi creet; secretis enim illis quæ ad separationem minus opportuna sunt, aliorum illuc propendentium motus eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulsioni minus accommoda: Mihi quidem rationi consentaneum videtur, ut quo diutius Natura *separationem* molitur, ac perficit, dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque universalius eadem *separatio* absolvatur.

Atque ex illa sic absoluta curationis insequentis successus potissimũ ut depẽdeat necesse est, uti ex methodo

contraria, contrarius plane rei exitus, Ex calido enim isto regimine nihil boni nascitur, sicut ex præcoci fructu nihil frugi: Cum frequenter usu veniat ut vel in phrenitidem æger prono lapsu ruat; Vel (quod pejoris notæ est) sudores ingẽtes oboriantur, ex quibus partes nõ secerni aptæ, neque puris naturæ respondentes (quod ipsum tamen pus genuina soboles est hujusce excretionis) eliminentur; Vel ex cardiacis illis administratis, calidaque custodia, Variolæ nimis protrusæ in unum confluant, fœdo certè spectaculu tristemque eventum interminante. *Sydenham.*

55. *Peragitur venæ sectione & leni purgatione in adultis*) An commode præscribi possunt medicamenta antequam sese prodant? an illa impediunt motum Naturę? Imo inopinato venam secuimus, & medicamentum purgans dedimus, quibus die sequenti aut postridie apparerent Variolæ, & melius multo habuerunt quam quibus non ausi fuimus idem exhibere, Sic parum probabile quod dicitur minus, affatim erumpere papulas si corpus ante purgaveri. *Ballonius 1. Epid. pag. 36.* Cuidam summa difficultas deglutiendi (quæ erat tantum morbillorum latentium soboles, nos autem nil tale suspicabamur) insignis febris; eluimus alvum clysmate venam metu synanches secuimus, sequenti die exanthemata apparent, & brevi tamen convaluit. *Idem Epid. l. 1. p. 37.*

In sævitia symptomatum, quæ etiam prænuntia Exanthematum (sed hoc ignorabamus) medicamenta & v. s. tentavimus, cum ea eruptio præsto adesset, & tamen innocuum utrumque remedium, ut jam sit anile credere nil in exanthematis tentandum; Imo ex tribus pueris Exanthemata passis, qui purgatus est levius habuit, cũ servæ cuidam Exanthemata eaq; densissima apparuissent, necnon lingua intumuisset flagrante etiã malo secta est venę, copiosus detractus sanguis, & hoc innocuum fuit. *Idem Epid.* l. 2. p. 145. Imo dato medicamento (nisi forte validius fuerit) & aperta vena, eruptio citatur & accersitur: Quidam primarius Medicus affirmat se sine ullo damno cuidam famulæ, jam apparentibus pustulis larga copia, venam aperuisse, sanguinemque plena manu detraxisse cum suffocationis esset periculum: Cur non idem in cæteris factitari potent, præsertim si quid sit quod urgeat? Pulsus id testabitur, qui si parvus & frequens cunctantius id fiet; si plenus, altus & magnus, audacius: Nec imbecillitate Pulsus terreri oportet, si ea ab oppressione sit, sæpe enim tanta est oppressio, & ob plenitudinem conculcatio, ut sese pulsus non explicet. *Idem Consil. lib. 2. Histor. 5.*

55. *Peragitur vena sectione*) Hæc si suspecta sit, propter ætatem tenellam, vel quod tempus idoneum jam fuerit transactum, sanguinis redundantia auferri poterit *Cucurbitulis* scarificatis dorso, scapulis & femoribus admotis, Quæ etiam in statu morbi conferre poterunt, cum motus naturæ à centro ad circumferentiam per eas adjuvetur; Cavendum autem in puerulis ne profundiores fiant scarificationes, Contingit enim aliquando, ut penitus adacto scalpello ab imprudenti Chirurgo, sanguis fervidus, venulis divisis, eo impetu per vulnuscula effluat ut vix cohiberi possit. *Riverius.*

56. *Venæ sectione*) Si plenitudo maxima adfuerit, sanguinisque ebullitio, statim vena secetur ex *Aetio*, ut scil. humor in venis ebulliens vacuetur, & Natura oneris parte levetur, sic enim postea alacrius expellit, meliusque corpus transpirat, alioquin periculum est ne Natura oppressa multitudine nihil deponat in superficiem, aut tantum morbi partem, aut ne materia orgasmo concitata ruat in partem principem, Et si authoritatibus certandum sit, *Amatus* se venam feliciter in pueris secasse asserit, *Hollerius* quoque idem suadet, ut corpus felicius transpiret; *Avicenna & Gordonius* supra cætera remedia extollunt: mittendus autem sanguis ratione plenitudinis & virium, nunquam autem ad animi deliquium, necesse est enim vires supersint in corpore ad venem istius vacuationem: Supponimus autem & vires, & ætatem & cætera consentire *Primirosius.*

In ejusmodi eruptionibus circa s. m. cautos esse oportet, ubi potius quantitate res peccat quam qualitate, & sanguinis fervor est, pulsus altus, magnus, plenus & frequens, tunc phlebotomiæ locus est: Sed cum vitium potius est in qualitate, demissus, languidiusculus & frequentissimus est pulsus, nequæquam, quod notandum. *Ballonius consil. l. 2. Hist. 5.*

57. *Purgatione leni*) Ne occasio detur periculo isti quod ex alvi fluxibus imminet; adeoque vel blandum laxans passulatum conducit, ad imitationem *Horstii obs. anat. 27.* vel *Mercurius* dulcis parva dozi propinetur, ac appropriatum contra Variolas remedium, *Vide M. C. Anni 3 p. 13. & 87.* Sane cum ante triennium Variolæ populariter grassarentur, ad hujus loci imitationem omnibus quibus suspicio forsan imminentium aderat, mox in primo principio *Merc. dulcem* dedi pro ætatis ratione, dedi v. g. infanti trium annor. gr. iij. iv. ann. v. vel vj. interdum pro stimulo granulo pulv. *Jalapæ* addito; Pulvis hic nunc solitarius, nunc sub regmine *conserv. rosar.* in principio primo datus, nunc vomitum & aliquot secessus, nunc alterutrum solum provocavit, & fere semper felicem eventum, appropriatis remediis adhibitis observavi. *Etmuller.*

58. *In adultis*) Ita necessaria est v. s. in periculosis Variolis in quibus ebullitio corruptiva fieri consuevit, ut tenellula puerorum ætas illam non impediat, Usus enim invaluit ut in 4. & non raro 3. ætatis anno s. m. usurpetur; Parisienses Medici in teneriori ætate, & lac sugentibus pueris, à V. S. non abstinent; quod tamen ægerrime admittit tenella natura, levissimum lactis alimentum & copiosus per cutem effluxus, Neque ullius è sapientibus scriptoribus patrocinio defendi potest nova hæc mittendi sanguinis licentia: In paulò grandioribus pueris enim V. S. non sufficit, sed illa erit iteranda si febris intensa perseveret, vel delirium aliudvè grave symptoma urgeat; Imo vero peracta variolarum eruptione, quæ intra novem dies majori parte fit, si febris valde urgeat, sanguis denuo mittendus est, & ægri tractandi ut febre continua putrida laborantes. *Riverius.*

59. *Inutilem venæ sectionem*) Sanguis mittendus haud venit, In nostro climate nil prodest, sed naturę motum turbando multum nocere valet; Interim tamen in principio, in adultis plethoricis, aut habitioribus, vena aperta haud adeo nocere solet, præsertim cum subinde veniat in casu quo de Variolis nondum adhuc est suspicio, sed in primo fiat principio: Dum enim jam apparere incipiunt Pustulæ periculosissimum, modo non lethale existimo venam aperire: Hoc tamen non obstat quin in aliis regionibus, aliis in casibus, subinde ante, aut etiam post pustularum eruptionem vena salubriter secta fuerit: Exemplo tamen apud nos non imitando: *Rolfincius* Vide *Ballonium Pharm. Med.* 179. 185. *Septalium* & alios. *Etmuller.*

60. *Inutilem V. S. si pustulis*) Secanda est vena nondum apparentibus Variolis, in morbi principio, cum materia fervet in venis, nequaquam vero iis prodeuntibus, ne humor revocetur in viscera, exeunt enim per modum crisis; *Hollerius* tamen non vult esse perpetuum extantibus in cute papulis à phlebotomia abstinere, nam interdum non erumpunt præ copia vitii, natura multitudine oppressa, quæ recreari debet & exonerari, tum si febris gravis perseveret, spirandi difficultas urgeat, qui casus sunt lethales & mortem minantur, quando apparentibus Variolis febris non cessat, ob humoris maligni, Naturam assidue fatigantis copiam, quibus periculis V. S. tempestivè adhibita opitulari posse mihi

videtur:

videtur; In pueris autem junioribus hirudinibus & & cucurbitulis sanguis mittatur, majora enim non perferunt remedia. *Primrosius.*

Piaculum fere apud nos si quis ab eruptione Variolarum, etsi summa urgeat necessitas, venam secare aggreditur, præsto enim sunt mulierculæ (quas penes arbitrium & vis & norma medendi) in Medici infamiam: Experientia tamen crebra illius utilitas innotuit; duo solum afferam, exempla propria, alterum alienum: Ante annos xxx. curæ meæ commissa est uxor Generos. Dom. de *Crassi*, Noviodunensis, in valle Equestrium, Mulier plethorica, Ante eruptionem Variolarum larga, me præcipiente, instituta fuerat venæ sectio: Ubertim illæ prodierunt, adeo ut universus corporis habitus obsessus esset: Caput stupendum in modum intumuerat; cætera, salutaria omnia signa aderant, ideoque præscriptis præscribendis, prohibitoque omnino vitu usu, Urbem repeto: Postridie revocor; retrocesserant Variolæ. quæ pridie extantes margaritas referebant, depressæ & lividæ, cum febri intensa, delirio aliisque funestis symptomatis: Venam malleoli tundi jubeo, quæ ut in conspectum veniret solertia Chirurgi opus fuit, adeo densæ erant pustulæ: invenit tamen & ferit, affatimque prosilit sanguis, subsequente eadem die mentium eruptione, successit illico somnus, delirii sedatio, Variolæ iterum eminent, lætaque sanitas, omnibus desperata, brevi adparuit.

Alterum exemplum sit Nobilis juveni, sexdecim annos nati, ex Illustrissimo *Chandaorum* familia: Correptus is Variolis, cum omnia in tuto esse adstantes crederent, jamque maturitatem essent adeptæ, septimo ab eruptione die successit alvi fluor; alter Medicus bene ominatus est, ego improbū successum; revera illico spes retro sublapsa referri, febris ingens, delirium, phreniticum, adeo ut ni præsto fuisset vir robustus, præcipitem per fenestram daturus se fuisset æger; Variolarumq; retrocessio: In scenam prodeunt illico mulierculæ, urgentque exhibitionem *Pulveris Comitissæ à Canib.* qui ad manus erat; collega Medicus annuit, obsto illi, & metum ne turgens humor excandescat, & ad cerebrum vi medicamenti, aut aliam partem impellatur obtrudo: venæ sectionem in pede instituendam, qua revellatur humor ad inferna, sursum impetu delatus: A venæ sectione majorem retrocessum non metuendum, quæ potius ad exteriora humores convocet, Vicit mea sententia, illico in pede vena aperta, exhibitum Julep. humorum orgasmum sedans, hinc provocatus somnus placidus, qui solutus mentem tranquillam exhibuit, febris sedationem, pustularumque reditum & efflorescentiam novam: integra valetudine paucis post diebus insequuta.

Nuperrimum vero exemplum hoc esto, Nobilis Germanus, annos circiter xxx. natus mense Decembri Geneva Lugdunum Gallorum proficiscitur, paucis ab adventu diebus Variolis prehenditur; curam illius suscipit Excellent. & Clar. D.D. *Carolus Sponius*, qui ter ab eruptione Variolarum sanguinem mitti jubet, tam prospero eventu, ut prædictus Nobilis exeunte Januario salvus & incolumis Genevam redierit.

61. *Permittendum totum negotium*) Quemadmodum inconsultum est atque periculosum calidioris regiminis, vel calidiorum ope, cœptam ebullitionem nimis evehere, Ita è contrario non minus periculo vacat, mediantibus venæ sectione, clysteribus, emeticis, catharticis, aut id genus aliis eandem minuere; cum hoc pacto partium separabilium commoda secretio plurimum impediatur; Licet enim illud vulgare atque tralatitium argumentum, quo adversus venæ sectionem, aliasque vacuationes utuntur (nempe quod non liceat à circumferentia ad centrum movere humores cum natura in hoc morbo contrarium affectare videatur) nullarum plane virium sit; eo quod ex earundem usu contrarius omnino effectus, subitanea scil. Variolarum eruptio sæpissime consequi deprehendatur.

Aliæ nihilominus rationes in promptu sunt, quæ vehementer suadent, ut, siquidem ullo modo vitari possit, ab hac praxi manus abstineamus: Namque (ut earum præcipuas paucis attingamus) per hasce evacuationes non tantum ebullitio nimis imminuatur, cujus interim ope partes despumandæ accurate secerni debuerant, Verum etiam illud ipsum subducatur quod cœptæ secretioni quasi pabulum continenter suppeditaret; Unde sæpenumero contingit ut Variolæ primum laudabili impetu erumpentes, eoque fortasse melius quod evacuationes jam dictæ præcesserant) paulo post ex improviso quasi repercussæ detumescunt, idque ob eam potissimum causam quod materia deficit, quæ quasi à tergo præeuntem insequeretur atque agmen clauderet. *Sydenham.*

62. *Necessariam quando Variolis*) Annon bonum est sanguinem demere & ante & post eruptionem Variolarum, cum æger totus scaber & fœdus elephantico non dissimilis & febricitat, & fœtet, & cutim offarctam obsetatamque habet ista scabie, & totum corpus [illegible] habet, & deniq; carnes corrumpuntur & quasi in virus istud putre dilabuntur ac colliquantur? Sic si pueris detrahatur sanguis initio in suspicione Morbillorum & Variolarum, impedietur augmentum febris cujus calor maleficus est & tabificus; & sic fusis liquatisque carnibus non ita intumescet corpus, nec fœda scabie maculabitur & inquinabitur: imò dum erumpunt, potest etiam detrahi sanguis, quod nos beato quodam successu fecimus & consecuti sumus, sic enim una sanguinis detractione plus educimus sanguinis quam natura possit propellere suras: Interea successu temporis & febris augetur, & corpus quasi in putre serum resolvitur: accedit quod in Variolis & Morbillis, imò in peste, fiūt excretiones sanguinis [illegible] per os, per urinas, per acrimoniam & malignam qualitatem in sanguine, ut materia, fundatam, quæ à parvo incipiens in totam massam prorogata & propagata est: sic subducendo materiam ut pabulum, minuemus morbum, & faciemus quod morbus ipse facit, & natura ipsa sed coacta: nam profusiones urinarum immensæ proveniunt, & alvi profluvia eò utraque progredientia, donec ferè totum corpus tabescat: Ergo, habita semper virium ratione, in Morbillis, Variolis, imò & Peste tuto possumus demere sanguinem, quod nos ducuit longa experientia: *Ballonius Epid. lib. 1.*

63. *Necessariam quando Variolis &c.*) Venæ sectio innoxie potest celebrari ante jam factam exanthematum eruptionem: nam cum apparent jam, nisi forte videas tantam esse plenitudinem, ut ea viam sibi quasi obstruens, & naturam premens liberum exitum præpediat, non alienum erit venam tundere; cum tamen malignitas summa est, & languida facultas vitalis, cum meditatione omnia agenda sunt: Quidam primarius Medicus affirmat se sine ullo damno cuidam famulæ, jam apparentibus pustulis, larga copia venam aperuisse, sanguinemque plena manu detraxisse, cum suffocationis esset periculum; Cur non idem in cæteris potest factitari, præsertim si quid sit quod urgeat? Pulsus id testabitur, qui si parvus & frequens, cunctantius id fiet; Si plenus, altus & magnus, audacius, Nec imbecillitate Pulsus terreri oportet, si ea ab oppressione sit; sæpe enim tanta est oppressio, & ob plenitudinem conculcatio, ut sese pulsus non explicet; Sed an imbecillitas pulsus per se sit, an ex eventu, proprium est prudentis Medici diligenter inquirere: Imo dato medicamento (nisi forte validius fuerit) & aperta vena, eruptio citatur & accersitur. *Ballonius Histor. 5. lib. 2. consil.*

In sævitia symptomatum, quæ erant prænuntia Exanthematum (sed hoc ignorabamus, quia forte cautiores fuissemus) nos medicamensa & V.S. tentavimus, cum ea eruptio præsto adesset, & tamen innocuum utrumque remedium fuit: Ut jam anile sit credere nil in Exanthematis tentandum; Imo ex tribus pueris Exanthemata passis, qui purgatus est, levius habuit: Dn. *Denisot* narrat Abbati cuidam, cum nil de Exanthematon eruptione constaret, V.S. large celebrata à prandio erupisse illa: Calumniabantur Medicos, tamen nihil inde evenit deterius; imo cum servæ cuidam Exanthemata, eaque densissima apparuissent, necnon lingua intumuisset, flagrante etiam malo secta est vena, copiosus detractus sanguis, & hoc innocuum fuit, Notandum hoc. *Idem Epid. lib. 1. p. 141.* Quod nos docuit longa experientia in popularibus morbis, in quibus Exanthemata apparuerunt sæpius iterata s. m. & profusio alvi; imo olida proluvies, tum arte tum natura, tum vi morbi procurata, multos orco eripuit. *Idem Epid. lib. 1. pag. 51.*

64. *Utilem ante eruptionem*) Si Medicus primo morbi die non fuerit vocatus, utiliter nihilominus sanguinem detrahet ante eruptionem Variolarum, vel dum adhuc paucæ apparent (quod tempus vulgo ad 4. usque diem extendi consuevit à febris invasione; At si pustulis erumpere incipientibus febris imminutio, & symptomatum remissio subsequatur, satius est totum negotium naturæ committere, quæ totam materiam morbificam ad cutem sufficienter expulsura est; Tum venæ sectio necessaria non est, cum experientia doceat infinitos pueros, benignioribus Variolis laborantes, neque plethora oneratos, sine sanguinis detractione feliciter curari: Quin potius aliquandu in dicto casu V. S. noxiam inferre poterit, cum Variolarum expulsio fieri soleat per ebullitionem sanguinis, quæ si levis sit, sanguinis detractione multum imminuetur, sicque insufficiens evadet ad sanguinis massam ab impuritatibus perfecte liberandam; At si erumpentibus Variolis febris intensior, anxietas, difficultas spirandi, lotium crassum & rubrum, aliaque symptomata majora appareant, signum est naturam nimio humorum onere premi, eosque non posse convenienter regere, ideo V. S. esse necessariam, ut detracta portione oneris reliquum à natura facilius expellatur: Uno verbo, in Ebullitione mere perfectiva, seu depurativa sanguis detrahendus non est, In corruptiva vero V. S. maxime necessaria est, etiam in ea quæ minoris malignitatis est particeps. *Riverius.*

64. *Utilem ante eruptionem*) Imo ægro jam convalescente, pustulisque deciduis, ubi per dies aliquot carnes idem degustaverit, circa diem nempe xxi. *sanguinem è brachio extrahendum* censeo, si morbus fuerit vehementior, cum inflammatio, quam sanguini impresserunt, Variolæ, sive adultus fuerit æger, sive infans, non minus V. S. indicet quam colluvies, quæ eidem accrevit, catharsin, quod satis liquet *tum* à sanguinis colore, qui post atrociorem morbum educitur, Pleuriticorum sanguini omnino similis, *tum* etiam à magnis istis inflammationibus quæ post morbum nunc in oculos incumbunt, aliisque diris sanguinis excalefacti & à morbo depravati effectibus; Unde etiam qui antea pancratice valebant, postea cum humoribus calidis acribusq; in pulmones, aliamque aliquam partem depluentibus, per reliquam vitam omnem confligunt: At si pauciores extiterunt pustulæ, Phlebotomia non opus erit: Post venæ sectionem catharticum exhibeo ad tres vel quatuor vices. *Sydenham.*

65. *Purgationem convenire*) Semper post sanatas Variolas corpus *purgandum* est, sanguisque purificandus, ne hinc inde hærentes *reliquiæ acido salsæ* nulle mala inferant, pro quo scopo *Mercurius dulcis* præ cæteris excellit: Sed an in principio purgandum quærunt? Equidem Variolis & Morbillis, qua talibus, nil conferunt purgationes, quatenus tamen subinde corpus cacochymicum est, aut primæ viæ sordibus obsessæ, ne supervenientia exinde varia symptomata naturæ motum turbent, blandissimum primas vias abstergens, caute tamen, & saltem in primo principio propinetur, ne occasio detur periculo isti quod ex alvi fluxibus imminet. *Etmuller.*

65. *Purgationem convenire ante eruptionem*) Imo ægro jam convalescente; pustulisque jam deciduis, Vide supra §. 64. *Utilem ante eruptionem.*)

65. *Purgationem*) Laudem meretur hic *Mercurius dulcis*, forsan cum sit hostis, ut lumbricorum, ita & colluviei animatæ, quam ope & fide microscopii statuunt hodierni Philosophi in morbis malignis: Observavi remedium hoc, si detur in morbi suspecti principio, vel præservasse plane, etiamsi alii in eadem domo Variolarum malignitate torquerentur, vel saltem à nimia eruptionis abundantia liberasse; *Sigismundus Grassius Medic. Sept. vol. 2. p. 225.* plurimis exemplis de eventu edoctus, dubitandi occasio incessit, Num *Mercurius* convenienter paratus & usurpatus, ut luis Venereæ, sic Variolarum, sit ἀλεξίκακος? (*de la grosse & petite Verole*) *Franc. Bouchardus ibidem.*

65. *Purgationem convenire*) Purgationem plurimi vituperant; *Hollerius* ait melius esse alvum adstringi, *Fracastorius* idem sentit, *Rhazes* & *Avenzoar* nec medicamenta exhibent, nec alvum movendam volunt, præterquam glandibus & clysteribus si non respondeat, Et ratio est, quoniam pharmaca acria cum sint & calida, humorum ebullitionem augent, præterea cum corpus externum exanthematis scater, intro virulentam materiam revocant, moventque motu Naturæ contrario: Insuper alvi fluxus hic periculosus est, quia contingunt dysenteriæ, ulcera maligna & sanatu difficilia, viresque hac vacuatione labefactantur; In historia *Simonis* dicit *Galenus* vomitum non profuisse, tum quia hyems erat, quo tempore vomitum minus conferre scribit *Hippocr.* tum quia motus ille contrarius erat motui Exanthematum.

Demum Variolæ criticæ sunt vacuationes, propterea sinendæ, ex *Aphor.* nam, ut docet *Galenus*, quæ sunt in cute non possunt in alvum retrahi per medicamenta: Verum tamen utilis interdum esse potest levior & benigna purgatio in principio & declinatione, Initio quidem, ut prima regio vacuetur, sicque Natura aliquantulum levior fiat & expeditior ad excretionē: *Inchoantibus* siquidem *morbis si quid videtur movendum move*: *Hollerius* solos clysteres satis esse posse scribit, aut saltem levissima pharmaca, quæ in corpore cacochymo primo die, aut secundo, antequam Natura movere incipiat, exhibita bilis effervescentiam compescunt; *Gentilis* laxativa præscribit, quia leniunt malitiam humoris menstrualis, monet autem frigida illa esse debere ut sedent fervorem, & in pauca quantitate, quia largior alvi fluxus nocet: Scribit *Galenus 5. Meth.* fuisse ab exanthematibus pestilentibus liberatos omnes qui ante purgati fuerant: Attamen *Nicol. Florent.* ipsos Clysteres vituperat, sed nimis timidus esse mihi videtur, non enim impediunt Naturæ motus olysmata, in solis enim intestinis operantur, nisi sint acriores, Natura autem prope cutim, & in venis movet,

In Declinatione vero utilis est catharsis, ad reliquias humoris morbifici exhauriendas: Sed ubi jam corpus occupant, hoc uti remedio piaculum est, nam quæ judicantur irritare non oportet, sed sinere; potius si alvus tunc fluxerit, adstringentibus est utendum: Igitur si catharticum Medico utile visum fuerit, ea sint benigniora, cassia, manna, tamarindi, rhabarbarum, senna & similia. *Primerosius.*

Postquam

Postquam æger Variolarum exuviis per totum depositis lecto exsurgere, & in cubili obambulare potest, purgatione bis aut ter iterata, sordes & materia excrementitia in visceribus & sanguine relicta auferatur, & dein victu lautiori uti permittatur. *Willis.*

66. *Infantibus clysterem*) In morbi decursu si alvus adstricta sit; blandissime solicitari debet; non autem irritari, idque *suppositorio* ex solo melle sine sale confecto, Vel *Enemate* ex *jusculo*, aut *lacte*, aut *decocto hordei, passular.* & *liquir.* cum sacch, *& vitellis ovorum.* Riverius.

II. 67. *Naturæ pellentis adjumento.* Et tum, 68. ita sudor excitetur, 69. ne febris intendatur, ita æger tegatur, ne respiratio intercipiatur: somnus erumpentibus sit brevior: 70. si malignitas maximè, ut in epidemicis fieri solet, urget, 71. meris alexipharmacis & bezoardicis agatur: *a.* si magno impetu erumpunt, ebullitio 72. meris refrigerantibus compescatur.

67. *Naturæ pellentis adjumento*) *Quo sæpe non indiget,* Nam fit sæpe ut perpauci adeo è plebe hoc morbo intereant, si ad eos comparentur qui inter divites eodem trucidantur, quod quidem vix ad aliam causam potest referri, quam quod ob tenui domi angustiorem, & agr [illegible]e vivendi genus, vix illis fiat copia sibi nocendi regimine magis accurato ac delicatiori; Quinimo & plures inter vulgus jugulavit hic morbus, ex quo *Mithridatii, Discordii,* Decocti c.c &c. usum didicere, quam in seculis indoctioribus quidem at magis sapientibus, cum in singulis ferme ædibus reperiatur sciola muliercula, quæ in hominum perniciem, quam non didicit artem exerceat. *Sydenham.*

67. *Naturæ pellentis adjumento*) Communis multorum Medicorum error notandus venit, quod medicamentis immisceant acetosam, uvas crispas immaturas, fructus berberis & ribesiorum, succum & *syrup. de limon. poma, tamarindos,* aliaque acida, idque ad mitigandum, ut inquiunt, fervorem, & ebullitionem inhibendam, Profecto hi tota errant via; mitigent, si velint, per acida fervorem, & inhibeant effervescentiam in inflammationibus, febribus ardentibus & tertianis, aliisque similibus sanguinis fermentationibus vitiosis, sed non in hoc morbo, qui, per aliquem caloris excessum atque ebullitionem, ad crisin & materiæ morbificæ expulsionem ac maturitatem adducendus sicque finiendus est: Acida, quia calorem & ebullitionem sulphuream, qualis in hoc morbo adest, infringunt (quemadmodum alias salsam promovent) & materiæ morbificæ necessariam coctionem & maturationem, simulque expulsionem hic impediunt, & pectori plurimum obsunt, adeo noxia sunt, ut vix quicquam damnosius præscribi possit. *Diemerbroeck.*

67. *Naturæ pellentis adjumento*) Non solis Diaphoreticis Natura juvanda est, sed & initio, antequam erumpant Variolæ, refrigerantibus & cardiacis ea roboranda, Vidimus (*inquit Primerosius l. 4. c. 15.*) nec purgationem, nec V.S. esse satis tutam, ideo *Alterantia* sola supersunt, quæ, antequam erumpant papulæ, refrigerantia sint & simul cardiaca, ut *syrupus de agresta, de ribes, limon. granator.* cum *pulvere de gemmis* & aliis, de quibus in febribus dictum.

℞. *Succ. borrag. bugl. scariol. limon.* āā ℥iij.
flor. rosar. nymph. āā. ℥ß.
santal. albi ʒij.
ras. ebor. c.c. āā. ʒj.
aceti albi ℥ij.
aq. rosar. ℔ß.
sacch. ℥x. *f. Syrupus.*

Quidam sequentem syrupum probant.

℞. *decoct. lactuc. endiv. jujubar. lentium, sumach.* ℔j.
succi granat. agresta, moror. berber. citri, aceti āā. ℥iij.
spodii ℥j.
caphur. ʒj.
spir. vini ℥ß.
sacch. ℔ij. *f. syrupus.*

Refrigerat, putredinem prohibet, confert anthraci, choleræ, febri ardenti sanguineæ, & Variolis: Hæc & ejusmodi alia in principio conveniunt, tum etiam in progressu si maxima inflammatio & febris perseveret, si æger angatur, inquietus sit, animo delinquat, nauseabundus, sit, alvique fluxu laboret.

Alias transacto principio motus Naturæ juvandus est iis quæ vim aliquam habent aperiendi, Laudantur lacca, leotes, semen fœnic. ficus, tragac. passulæ.

℞. *rad. graminis, apii, aspar.* āā. ʒiij.
liquir. ℥ß.
fol. acetos. capill. Veneris, āā. *m. j.*
flor. cordial. p. j. ficus xij. *passular.* ℥j.
sem. sæn. ʒj.
f. Decoctio, In cujus *una dozi adde syr. limon. de acetos. citri* āā. ℥ß.
f. Potio, Vel

℞. *Ficuum n.* xij.
lentium hordei, āā. *p. j.*
jujubar. num. xv.
dactylor. num. iv.
passular. par. xx.
seminum cydonior. gu tragac. lacca, āā. ʒj.
croci ʒß.
cicer. rubror. man. ß.
F. Decoctum sacch. dulcoratum.

Quæ remedia ex Arabum mente præscripta mihi videntur satis levia & in hoc morbo inutilia, Potius utendum est Cardiacis, & iis quæ malignitati resistũt, ut seminibus *Napi, card. ben. citri, flor. calend. scabiosa, theriaca, diascordio* & cæteris, sed præcipue *confectio de hyacintho* huic morbo opitulatur; Non veniendum tamen est ad ea quæ vehementer aperiunt, nisi Natura segniter expellat, quod cognoscetur exanthematum & paucitate & tarda eruptione.

℞. *cortic. citri ficci* ʒij.
fol. ulmar. scabiosa, melissa, pimpinell. scord. āā. *m.* ß.
sem. napi, card. b. citri, āā. ʒß.
flor. calend. borrag. tunic. āā. *p. j.*
dictamni alb. ʒj.
f. decoctio ad ℔j.
in colat. dissolve syr. limon. ℥ij.
syr. granat. ℥j.
syr. conserv. nuc. condit. ℥iij.
syr. caryoph. hort. ℥j.
conf. de hyacinth. ʒj.
fiat Apozema in iv. *dozes.* Vel

℞. *rhapont. rad. torment. fraxinella myrrhid.* āā. ʒiij.
flor. cordial. p. j. acetos. m. j.
terra lemn. ʒj.
bulliant in aq. card. acetosa, veron. āā. ℥iv.
In colat. dissolve pulv. diamarg. ʒj.
syr. limon. ℥iij. *f. Julep.*

Prodest etiam *aqua papav. errat. scorzon. flor. lini* ex *Hollerio*, ex quibus cum *theriaca*, & aliis antidotis, Potiones idoneæ concinnari possunt.

℞. *rad. contrayerva* ℥ß.
ossis de corde cervi ʒj.
margar. præpar. lap. bezoar. āā. ʒß.

f. Pulvis dosis sit ad ʒß.
cum aquis idoneis, ut carduu, ulmar. theriacali.

Sequens quoque pulvis optimus est.

℞. *rad. bistorta* ʒij.
magist. corall. & perlar. ãã. ʒß.
viperarum exsiccat & in pulv. redactarum ʒij.
oculor. cancror per acetum destillatum prapar. instar magist. perlar. ʒj.
sacch. candi ℥j.
F. Pulvis dosis ad ℈iß. *ex aquis pradictis.*

Quibusdam sufficit ægros calide continere ne sese aëri frigido exponant, & Natura opitulante protruduntur Exanthemata.

Quidam *Balneum aqua dulcis* tepidum probant, quia meatus dilatat, cutim laxat, ut facilius & promptius humores excipiat; nam qua ratione *Hippocr.* in historia *Simonis* probabat inunctiones ad ignem resolventes & cutim laxantes, eadem ratione Fotus probat, & prodesse possunt Balnea moderata: At hodie importunum ægris remedium Balneum est, nec forsan huic morbo adeo commodum, quia vires maxime resolvit, quibus autem Variolæ non erumpunt id ex sola virium imbecillitate procedit, quæ à balneo magis debilitantur: Sufficiunt Fotus partium quarundam, ut manuum & pedum ex aqua simplici, vel decocto *chamom. alth. origani*, calamenth. scorzon. & simil. Sic *Simon* cum ad ignem ungebatur, vel calidè lavabatur, opem sentiebat, nam quo natura vergit per loca conferentia eo est ducendum. *Primirosius.*

Cum Variolæ apparere incipiunt, tria sunt quæ regula constanti quibusvis ægris agenda præcipimus, nimirum ut lenis & blanda *diaphoresis* usque in sanguine continuetur, Etiam ut *guttur* & *oculi*, à nimia Variolarum eruptione præserventur: Quo sanguis leniter effervescens Variolas emittat, Decocta ficuum, florum calendulæ & rasuræ cornu cervi in liquore possetti vulgo præscribuntur, & eorum usus à longo tempore fere inter omnes increbuit, propter eandem intentionem cardiaca moderata aliquoties in die propinare solemus: Calida autem & fortiora sedulo vitentur: Purgatio & V.S. hic pessime audiunt, & cogente licet necessitatis prætextu, ob opprobrii metum, hæc Medici vix audent celebrare, *Willis.*

68. *Ita sudor excitetur*) Si aut frigidior anni tempestas, aut copiosior Exanthematum eruptio perpetuo decumbendi necessitatem ægrotanti imponat, Prospicio ut non intensiore caloris gradu, vel adjectis pluribus stragulis in lecto decumbat, quam quibus in prospera valetudine uti solebat; accenso interim nonnisi hyeme incumbente, mane & sero, foco mediocri: Neque etiam exigo ut in eodem loco semper jaceat, nempe *ne sudores erumpant*, quos ego ipsa experientia fretus fidenter affirmo non absque ingenti periculo promoveri posse. *Sydenham.*

68. *Et tum ita sudor excitetur &c. Ita æger regatur &c.*) Secunda Indicatio *Tempus Expulsionis* spectat, quo materia separata parvorum abscessuum sive Pustularum ope amandatur atque expellitur, Nempe illud hoc agendum est, ut Pustulæ debito modo sustineantur, quo rite atque ordine destinatam periodum assequantur.

Sicuti ergo periculosum est si æger præsente febre, at pustulis vix dum apparentibus, in ipso secretionis tempore nimium calefiat, atque illo præsertim quod ad expulsionis initium vergit, crudis adhuc existentibus pustulis: Quamvis enim sanguis peracta jam separatione, atque relegata ad carnosas partes materia ab intestinis tumultu magnam partem immunis fit, interim tamen tener adhuc, recensque, ac vix novo statu & quasi textura indutus, *ἀσθενὴς* est, facileque vi caloris immodici undecunque appellentis afficitur, atque adeo levissimo momento irritatus flammam concipit, & in novam ebullitionem proclivis est; quæ quidem nova ebullitio non, ut prior illa, *separationem* jam molitur (illam quippe peractam supponimus) verum illius loco non tantum symptomata prava excitat, sed & cœptam per Pustulas *Expulsionem* interturbat, & contentam materiam exagitando noxam parit.

Vel itaque partes jam secretæ, atque in corporis ἕξει depositæ, vehementi illo rapidoque sanguinis ebullientis cursu abreptæ, in ejusdem massam resorbentur; Vel partes carnosæ ultra gradum suppurationi debitum excalefactæ, minus commode illam exequuntur, vel denique fortassis oborta nova hac ægritudine, sanguinis œconomia, ipsarumque carnium tonus pervertitur, usque adeo ut materiam illam expulsam vincere, eamque solenni more abscessuum coquere nequeat.

Interim non usque adeo nos illuc intentos esse oportet, quo ebullitionem nimiam in sanguine prævertamus, ut ægrum frigoris injuriis exponendo Pustularum eruptio impediatur, Gradus ille caloris ad harum expulsionem promovendam accommodatissimus, naturalis sit oportet, atque ejusmodi qui carnosarum partium temperiei conveniat: quique hunc excedit, aut ab eodem deficit, utrinque periculosus est.

Hinc manifestum videtur in quam incerto lubricoque sit loco tum morbus hic, tum praxis Medica quæ ei accommodanda est; Hinc porro cernere est, quod minus mirum sit si Nutricibus, per se nimium plerumque officiosis & satagentibus, res male sæpe numero succedat; Nempe res ardua est, & quæ mulierculárum ingenium atque judicium superat, gradum caloris requisiti hic definire, præsertim cum anni tempestas, ægrorum ætas, & vitæ ratio, aliaque huc spectantia simul pensanda veniant, Id quod prudentem profecto a que sagacem Medicum omnino postulat. *Sydenham.*

69. *Ne febris intendatur*) Cum hic morbus in statu est magna requiritur Medici & ministrantium sedulitas & circumspectio, scil. ne cum Variolæ plene eruptæ, & ad summam molem evectæ sunt, transpirationem impediant; tunc enim de febre redintegranda, & de materiæ malignæ intus restagnatione ægri periclitantur, quorum alterutrum dum præcavere studemus, sæpe alterum inferimus. *Willis.*

70. *Si malignitas maxime, ut in Epidemicis*) Anno 1621. æstate ubique dominabantur Variolæ, non pauci moriebantur, Etiam adultos multos invasere, imo & senes: Quibusdam *abscessus* factus est in brachio, alii *ulcera* multa habuere: Virgo dolorem magnum in manibus & pedibus vagum, postea brachium dextrum totum intumuit erat tumor œdematosus, Malignitatis quantum & qui gradus adfuerit testimonium exhibent tam mortes crebræ quam dicta symptomata: *Severinus* de *Absc.* p. 288. profert morbum ante incognitum, quem pædarthracacen vocat; qui morbus, ut nomen declarat, articulos fere omnes, præcipue epiphyses ossium puerorum occupat & exedit, ortumque habet ab humore acri & corrosivo à Variolis relicto. *Dan. Winklerus in Med. Sept. vol. 2. p. 223.*

71. *Meris alexipharmacis & bezoarticis*) *Qui qui negligunt, & vulgaribus remediis acquiescunt, in discrimen ægros adducunt*; Anno 1669. tempore fervido Morbilli apud nos in Norvvegia in adultos sævierunt, ac infantes pauperiores maxime libitinæ docebunt rationes: Omnes fane ad unum qui *hydromelite* morbillorum tentarunt expulsionem, nullo ad malignitatem habito respectu, convulsionibus aut diarrhœa, miserando perierunt modo: Nonnullis, ex neglectis aphthis, tanta excrevit oris putredo, ut ante instans mortis punctum, mandibulæ sponte exciderint, Aliis à Chirurgis caro circa illas gangræna infecta omnino fuerit resecta. *Joh.*

Frid.

Frid. Treublerum. Apud plebejos, qui variolarum & morbillorum malignitatis scelus non attendebant, simulans morbillis variolæ succedebant, & vice versa; Aut febres viscerum humidum, & facultates sensim infringentes, donec ad multos abire cogebantur, *Chr. Frider. Germannus in Med. Sept. vol.2 p.223.*

a. Si magno impetu erumpant) Advertendum est diligenter ea medicamenta quæ variolarum eruptionem adjuvant in omnibus non esse usurpanda; Interdum enim tanto impetu erumpunt ut earum motus aliquando cohibendus sit; maxima enim ebullitio, & fervor sanguinis immodicus nisi temperentur, ad exitium ægri perduci solent; ideo sixnantibus & modice refrigerantibus tunc uti conveoit, E.g.

℞. *hordei mu. p. j. rad. pentaph. & torment. āā.* ℥j.
folior. acetosa endiviæ, oxytriph. āā. m. j. lent. excortic. ℥ß.
gum. tragac. ʒj.
coqu. ad ℔j.
dissolve in colat. syr. limon. aut granat. ℥iv.
f. Julep. pro 4. dozib. bis in die sumendis. Riverius.

Puer variolis correptus, ex quibus nonnullæ ita percurrebant ut miserum corpusculum intra duos dies fere totum excoriatum reliquerint; serpebant quippe, ac cutem tantum exanthemata excoriabant, quæ aliis quoque puerulis obvenisse observavi, Contra quæ sic orsus aum, 1. sum materia hæc plus justo subtilis esset, sam obtundere conati sumus; nec tantum eam, verum etiam jecinoris & membrorum internorum malam qualitatem infringendo, ne de novo altera gigneretur, Sed id refrigerantibus complebamus, ut *syr. rosf. de cichor. simpl. de endiv.* adjectus similibus aquis: Exterius vero Jecur ex *santalino ungu.* illinebatur: Sed victus ad id multum faciebat, qui ad frigidum cum humiditate declinabat: Quibus omnibus materia crassior est reddita, & variolæ crassæ & amplæ apparere cœperunt. *Amatus Lusit. cent.3. cur.18.*

Ad *Expulsionem* facit, *pulvis Ioëlis* Tomo 4. l 9. f. 5. ex semin. *nasturtii, aquileg.* ana dr. j. scobis *unicornu* scr. j. aut *c. c.* scobis dr. f. *Corallor.* rubr. *Margarit.* præp. ana scr. j. factus, & pondere dr. j. vel f. exhibitus. [73] *Decoctum ficuum* Mynsicht Armam. sect. 25. *Terra* sigillata Silesiaca. Confectio de hyacintho. *Semen* raporum alborum. [74] *Decoctum* Lentium decorticat cum semin. fœniculi & gummi tragacanthi, quibus adde, trochisc. viperinos, vel eorum extractum seu essentiam.

[72] *Ad expulsionem facit Pulvis*) Remedia duobus prioribus scopis satisfacientia (1. *Fermenti acris acidi temperationi.* 11. *correcti per diaphoresin ejectione*) sunt vel generalia, *absorbentia & volatilia,* vel *specifica* magis, Variolis & Morbillis inprimis convenientia: *Absorbentia & volatilia* simul & acre acidum temperant, & per diaphoresin auctam illud ejici faciont: Sed illa *fixiora* magis temperant, *volatilia* magis sudorem & urinam movent; *Illa* potius conducunt ubi circa primas vias urgent symptomata, hæc ubi acrius & volatilius peccaverit acidum, adeoque graviora præsertim nervosi generis symptomata inferat, ut inquietudines, convulsiones &c. Illa magis tempore ebullitionis, hæc excretionis conducunt, dum difficilem aut tardam eruptionem ad modum promovent. *Illa* magis conveniunt ubi primarum viarum urgent symptomata; *hæc* ubi pectoris aut pulmonum metuuntur a Variolis mala.

Remedia *fixiora* sunt *unicornu fossile, antimon. diaphor. cinnab. antimon. coralia, c. c. sine igne, unicornu verum;* Item *semina* expulsiva ista, speciatim variolis & morbillis dicata; *Volatilia* autem sunt quælibet *volatilia salsa*, speciatim *sal volat. c. c. viperarum*, & in infantum Variolis nunquam satis laudatus *liquor succinatus.*

His ipsis pro urgentium symptomatum ratione & *Opiata* quolibet morbi tempore possunt associari, *Specialia* magis remedia *myrrha castoreum, horumque essentia cum spiritu vini tartarisato parata*, Item *unctura tartari*, bene acris, Item *stercora animalium, crocus, ficus, milium*, & inter Externa *succinum*; *myrrha* optimum est præservativum & curativum Variolarum; balsamica vi alterationem à fermento maligno harum (partium) inhibens, adeoque ne copiose nimis affligant præservans, quod & pariter de *Castoreo* verum.

De *Croco* refert *Lipsius* de Variolis, eum mirabilem esse in expulsione Variolarum & Morbillorum, dolorem sedando & venenositati resistendo; Inter stercora animalium excellit *stercus equinum*, in forma noduli Pomi infusum, aut etiam cum cerevisia calida *succus* expressus & exhibitus scopis omnibus satisfacit, & in specie ab angina ac pleuritide, ac cognatis in Variolis periculosis malis præservat; *Stercus ovillum* tanquam infallibile prædicatur remedium ad Variolas *Digby Recept. p.1. p.69* Sicut ad *morbillos* singulare experimentum est *stercus caprinum* in potu datum, mirabiliter simul expellens.

De Ficubus Forestus l.6. inquit, Morbilli adeo passim grassabantur ut vix puer aliquis in urbe ab illis esset immunis, omnibus autem qui decocto Ficuum in cerevisia utebantur, facile foras expellebantur; hunc *Decoctum Ficuum* Minsichu in usu est: Quoad Succini externum usum vide supra § *De collo suspendunt.*)

Ex his variæ fieri possunt Formulæ. V.g.

℞. *antimon. diaphor. c. c. sine igne. āā.* gr. xv.
myrrh. ℈ß.
misce pro iii dozibus. Item, præmisso præsertim usu *mercur. dulc.*

℞. *c. c. sine igne.* ℈j.
myrrha gr. vj. *theriac.* gr. ij. *m pro duabus dozibus in infante.* Vel

℞. *c. c. sine igne, unicornu. foss. āā.* ℈j.
salis volat. c. c. ℈ß.
m. pro q. dozib. Vel

℞. *aq. scorzon. scabiosf. āā.* ℥ß.
antim. diaph. ʒß.
c. c. sine igne. ℈j.
salis volat. viper. gr. xv. *syr. fl. calend.* ℥j.
m. pro iij. dozib.

℞. *semin. naps, aquileg. card. ben. āā.* ʒj.
cum q. s. aqua scab. f. Emulsio, adde bezoart. min. c. c. sine igne, unicornu foss. āā. gr. xv. *m. edulcoretur parum.* Vel

℞. *Unicornu veri præpar.* ʒß. *cinnab. antim.* gr. xij. vel xv. *sal. volat. c. c.* gr. vj. *m. pro ij. dozibus.* Vel

℞. *antimon. diaphor.* ℈j.
cinnab. antim. ℈ß.
myrrh. gr. vj. *m. pro j: vel ij. dozibus.* Vel

℞. *c. c. sine igne* gr. xv. *bezoart. Solar.* ℈ß.
sal. volat. c. c. gr. v. *laud. op.* gr. ß. *m. pro dozi.* vel forma liquida.

℞. *aqu. scab.* ℥iß.
essent. myrrh. ʒj.

c.c. sine igne. ℈j.
bezoart. min. ℈ß.
laudan. op. ferment. gr. ß. vel j. *syrupi card. ben.* ℥iij. *misce.*

Convenienter quoque in principio *Salia fixa*, In progressu & tempore ebullitionis salia volatilia usurpari possunt, Hinc.

℞. *Eboris sine igne:* ℈ß.
antimon. diaph. myrrha. ãã. gr. vj. *salis card. ben.* gr. vij. pro j. dozi.

Circa *statum*, & dum remittunt symptomata, & copiosæ jam Pustulæ efflorescunt.

℞. *Tinct. Tart. acris, essent myrrhæ.* ãã. ʒij.
m. dentur adulto 50. *vel* 60. *gutta ter in die, Infanti,* 20. *vel* 30. Vel

℞. *Tinct. Antimon. essent. myrrh.* ãã. *q. v. m. da bis vel ter in die* pro circumstantia ægri.

Aliquando cum recessissent morbilli, & varia effecissent symptomata.

℞. *antimon. diaphor.* ℈j.
cinnab. antim. ℈ß.
salis volat. c.c. gr. xij. *camph.* gr. ij. *m. pro* ij. *doz.*

In Puella decenni variolis afflicta, quæ sine suppuratione incipiebant evanescere, cum fluxu alvi, & hujus pedes jam ad genua usque cum dolore livescebant.

℞. *antimon. diaphor. martiati* gr. xv. *castor. myrrhæ.* ãã. gr. iv. *camph.* gr. ij. *m. detur in duplo.*

Quem Pulverem cum aliquoties sumpsisset, alvo suppressa, variolæ denuo apparuerunt, sicque evasit.

Puero xiij. annor. tribus diebus gravi corporis æstu, vomitu continuo, & incipiente diarrhœa afflicto, in suspicione variolarum, cum in vicinis locis observarentur.

℞. *Extr. theriac.* gr. v. *laud. op. ferment.* gr. iß. *m. f. Pil. n.* xij. *pro* ij *dozibus.*

A prima dozi omnis vomitus & angustia cessarunt, hinc.

℞. *pulv. bezoart. compos. spec. cephal.* ãã. ℈j.
m. pro ij. *doz.*

Hinc copiosissime eruperunt Variolæ: Potui infundebatur *stercus equorum, ejusque succus permiscebatur.*

Puer unius anni cum semisse, à meridie cum gravi stertore incalescere admodum & debilitari cœpit, Cum malum hoc ex imminentibus Variolis esse suspicarer, cum alii fratres una decumbentes graviter tussirent.

℞. *aq. flor. sambuc.* ℥iß.
liqu. c. c. succinati. ʒj.
syrup. papav. alb. ʒiij.

Hujus usu copiosissimi proruperunt morbilli, stertor & anhelitus difficultas cessarunt, Nempe ex impetu lymphæ acrioris, & hinc inimica vellicatione & irritatione faucium, laryngis & pulmonum, malum ortum fuerat, Ob id acrimonia suspecta maligna erat corrigenda per volatilia, Irritationis autem sensus per papaverina.

Pucro aliquot annor. ex Variolis dyspnœa laboranti, & simul diarrhœa correpto in statu morbi.

℞. *aqu. scab.* ℥ij. *terræ sigill.* ℈ß.
syr. è succo scab. ʒvj. *m. s.*

Infantibus morbillis affectis cum *diarrhoea.*

℞. *aqu. menth. flor. sambuc.* ãã. ℥j.
gelat. c. c. ʒvj.
succi cydon. ʒß.
terræ sigill. ℈j.
antimon. diaph. ℈ß. *syr. de toto citro.* ʒß. *misce. Etmuller.*

Seriò testari possum *semen aquilegiæ pulver.* ʒß. *vel* ʒj. *pondere in nulso, vel fumar. card. ben. aqu. aut decocto c.c.* datum, veluti ab orco revocasse puerulos morbillis laborantes. *Simon Pauli Quadr. Bot. p. m.* 21.

Sal fraxini, è ramulis, una cum cortic. arte præparatum dici non potest quantopere conveniat morbillis & variolis laborare incipientibus *in aqua card. ben. cum syr. granat.* vel *rubi idæi* dilutus, 6. vel 7. gran. pondere. *Idem pag.* 310.

Oleum cornuum tenellorum è cervo, & calvaria, loco *lapidis bezoar*, Variolis & morbillis puerorum utile est. *Eustach. Rudius Pr. Alchim. c.* 26.

Ungu. rubr. puerorum celeberrimum in morbillis & Variolarum meta, summæ utilitatis dum ejus portio cum haustu vini oligophori pueris adultis offeratur, mox stragulis ad sudorem operiatur æger, quo præsidio quicquid est corruptæ tabis per totam cutem efflorescit.

℞. *butyri rec. & insulsi.* ℔ij.
rad. alkannæ. ℥ij.
vini rubr. ℔j. *castor. pinguiss.* ʒvj.
radices tusæ vino per diem macerentur, tunc butyrum addatur, & pariter ad vini consumptionem lento igne coque, Colaturæ castoreum admisceatur. *Strobelbergerus De Aff. puer. c.* 19.

72. *Ad expulsionem facit*) *Opiata* in variolis & morbillis perquam proficua sunt, debitis cum cautelis adhibita, cum pro mitigandis urgentioribus symptomatis, & *promovenda excretione cutanea*, pro sistendo alvi fluxu, & præcavendis nervosi generis symptomatis multum conferant, in specie vesperi exhibita; Ad hæc, ab eorum usu in faciei ac manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet, evacuatio rectius procedit; dictusque tumor eorum ope ad debitum naturæ terminum pertrahitur, ut loquitur *Sydenham*, *Obs. pag.* 203. Hinc puer in variolis per quinque dies ex abusu *syrupi papav.* innocue dormiit, unde infantibus gr. j. vel alterum *theriacæ*, adultis *laudani opiati* concisam dozin commode propinare possumus. *Etmuller.*

Inter alia nullum *aqua nostra theriacali* efficacius inveni, quæ non est ingrati saporis, atque hinc vel sola, vel cum pauxillo grati alicujus syrupi mixta facile infantibus & pueris exhiberi potest. *Diemerbroeck.* Vide Descriptionem cap. de Peste.

℞. *stercor. ovilli rec.* ʒvj. *aut* ℥j.
vini albi tenuis, decocti hordei ana. ℥iß.
misce, stent per duas tresve horas, & colentur cum levi expressione, pro Haustu. Potenter expellit.

℞. *semin. aquilegiæ rapar.* ãã. ℈iß. *nasturtij.* ℈j.
f. Pulvis pro vulgaribus. *Diemerbroeck.*

Foras Evocantia Variolas.

72. *Expulsionem*) Materiam *evocantia* in usum etiam adducenda sunt; Sunt qui laudant *aquam destillatam è floribus* lini, huic rei valde conferentem, *Forestus obs.* 49. *lib.* 6. Imperavi etiam ut puer in hypocausto calidiusculo lenteis rubris involveretur; hoc enim egregie ad morbillos puerorum propellendos juvare novimus. *Idem observ.* 43.

Valde laudatur si pannus *succo fœniculi & apii* imbuatur, & puerulі eò calide involvantur. Item ℞. *aquas petrosel. & fœnic.* Imbuatur iis pannus lineus duplicatus, Infans eo calide involvatur, sæpius repetendo, Variolas potenter evocat. *David. Lipselius Tr. German. de Variolis.*

Cum Variolas erupturas, putamus vix præstantius medicamentum sudoriferum externum quam hoc.

℞. *aquam aliquam destillatam, adde ol. amygd. amar.* vel *chamæmel. vel aneth. vel sambuc.* ãã. ℥iij.
nitri. ʒß. *coqu. simul* ad consumptionem aquæ, Corpus bis vel ter inungatur, & leniter fricetur, *Paulus Muncerus Tr. German. lib.* 1. *sect.* 1. *pag.* 119.

73. *Decoctum Ficuum*) Observetur quod hoc interdum alvum laxare soleat, quod merito his in morbis suspectum

ctum, Præcavetur hoc si decoctum paretur *milli* cum *fi-culis* ad mutationem *Sala* in *myrothecio. p.*855. Cum *decoctum milli* per se egregium admodum his sit in affectibus. *Etmuller*. Vide §. *Natura pellentis adjumento.*)

72. *Decoctum ficuum Mynsicht*) *Forestus* & *Amatus felici* cum successu *decocto hordei & caricarum* usi sunt, utpote humores ad cutem efficaciter pellit. *Riverius.*

73. *Decoctum Ficuum &c. Decoctum Lentium*) Vulgatissimum est,& à *Rhasi, Avicenna,* totaque Arabum familia commendatum ad cutem propellens medicamentum, quod etiam à potissima recentiorum parte usurpatur, juxta *Avicennæ* descriptionem, quæ sic habet.

℞. *ficuum pingui.* ℥vij. *lentium excortic.* ʒiij. *lacca* ʒiiß. *g. tragac. & sem. fœnic. ãã.* ʒij. *coquan* ℔iß. *aq. fontis donec redeant ad tertiam partem:* Detur de ea in Potu.

Rhasis addit *croci* gr.xv. *passular.* ʒv. quia *crocus* aperit & corroborat, *passula* hepar firmant, *tragacanthum* licet incrasset & adstringat, ideo reliquis miscetur ut nimiam sanguinis ebullitionem prohibeat, *Lentes* à quibusdam rejiciuntur quod adstringant, ideoque Variolarum eruptionem prohibeant, Sed non temere rejicienda est tot tantorumq; Medicinæ procerũ authoritas, quin potiùs statuendum cum ratione lentes excorticatas, vel levem ebullitionem passas, huic compositioni addi, ut rumitum adstringendi & inspissandi vi fervorem nimium humorum coërceant, eorumque impetum in aliquam partem nobilem prohibeant; In quem finem etiam *tragacant.* additur.

Hoc desumitur à *Galeno* qui 1. de alim *fac. c.*18. lentes bis coctas partes naturales roborare, & adstrictione qua pollent ventris fluxum cohibere docuit: Illæ igitur præscribi vel omitti poterunt, prout major vel minor attenuandi, & ad cutem propellendi necessitas urgere videbitur, Si enim materia subtilis, & magna ebullitio fiat, utiliter lentes præscribi poterunt, ad intentiones prædictas: Si vero materia crassa videatur, quam natura ad cutem segniter propellat, tunc illæ erunt omittendæ, imo & *tragacanthum*, & reliqua attenuantia ac diaphoretica solum permiscenda. *Riverius.*

Ad expellendum Variolas exhibe Decoctum *Avicennæ ex ficubus, lentibus excorticatis* & *tragacantho*, & mane ac sero, quater vel quinquies sume, magnum inde commodum sentitur.

Haustus etiam *aqua fœniculi* mane & vesperi prodest. *Crato Cons.*318.

Ficuum De *dulcibus* scribit *Mercurialis*, *Potissimum*, ait, *cavendum est à dulcibus omnibus & in potu & in cibo*: addit quod *Avenzoar* scribat eos qui dulcibus uruntur vix posse servari. Verum hæc ejus opinio non convenit cum praxi, qua docemur ficus, liquiritiam, jujubas, passulas, saccharum, aliaque dulcia materiam morbificam citius coquere & versus exteriora propellere, Ergo dulcia non obesse. Nocent vina dulcia, sed quia febrem augent, caput tentant. *Diemerbroeck*

74. *Decoctum Lentium*) Inter omnia medicamenta, vel alimenta, Lentes primum obtinere locum dicuntur, ita ut *Augenius* occulta proprietate opitulari dicat, Medicosque inexpertos & ignaros vocet qui illas improbant, atque etsi ut alimentum in substantia non conveniant, convenire tamen ut medicamentum ad causam morbillorum in superficiem expellendam. *Portus* adstrictione valere scribit, sicut & laccam & tragacanth. quia viscera roborant, quæ roborata humores pellunt in habitum corporis: Alii humorum sanguinisque fervorem retundi ajunt, ejusque motum compesci à lentibus, fuisseque Arabes in viribus medicamentorum explorandis Græcis multo diligentiores: *Amatus* in *Dioscor. Cardanus*, *Sylvaticus* Medicos damnant qui lentes in pleuritide & morbis acutis ægris præscribunt; Scribit *Galenus* Lentes esse dyspeptas, crassum succum generare, elephantiasin, cancros. 8. *simpl.* earumque decoctum alvum solvere, quod est Variolis noxium: Cave, *inquit Avicenna*, ne detur corpus lentium materia existente grossa: *Mercurialis* prodesse putat si aliquid admisceatur quod crassioem illarum attenuare possit, laudatque *Arabes* qui illas aceto incoquunt; Alii corticem adstringere scribunt, substantiam aperire, ideo coquũt vel cũ cortice, vel sine cortice, idq; vel semel tantum, vel bis terve: Ad sanguinis fervorem compescendum exhibent cum cortice bis coctas, priore decocto abjecto, sed ad nudice provocandas sine cortice bis coctas præbent, *Avicenna* cap. de Synocho lentes ad sanguinem incrassandum commendat, non ad ullam in cutim expulsionem promovendam; Ideo convenire Variolis vix possunt.

Cum igitur hujus remedii facultas ignota sit hactenus, & dubia, contra certissimum sit ab omnibus improbari; quod vitiosi sint succi, mentem turbent, sanguinem melancholicum generent, scribatque *Galenus* pleurit. cum ex earum usu interiisse, sane vix tam ineptum alimentum crediderim bonum esse medicamentum, cumque tutiora & certiora suppetant, ab eo abstinendum, *Primirosius*

Adde Trochiscos Viperinos) In puero 23. menses nato Variolis correpto, cum comate & convulsionibus, ac summa virium prostratione, *Riverius* 2. morbi die v. s. statum præscripsit, post exhibuit è cochleari frequenter *Julep. ex aqu. card. ben. scab. ãã* ℥iij. *trochisc. viper. & bezoart. miner.* ℈ß. cum pauco jusculo, quibus per biduum continuatis Variolæ erupere per totum corpus, quibus æger feliciter defunctus est, *Cent* 4. *obs.*17.

III. [75] *Partium defensione.* Et tum, [76] 1. *Oculi* auro puro [77] confricandi: vel aqua plantaginis & euphrasiæ cum pauxillo camphoræ, tuthiæ & croci, vel urina propria in qua pauxillum croci resolutum, vel infuso sumach in aqua rosarum, illinendi: si aperiri non possunt, decocto semin. lini, & cydoniorum, lacte tepido inungendi [78] si pustulæ intus exoriuntur, sanguis columbinus frequenter instillandus.

2. [79] *Facies* quando erumpere incipiunt, illinenda larido in aqua liquefacto, & sexies aqua rosarum loto: maturescentibus, oleo amygdalarum dulcium recenter sine igne expresso, vel oleo nucum recente cum aquæ rosarum pari quantitate ad formam linimenti subacto.

3. [81] *Naribus* nodulus ex santalo & camphora aceto rosaceo intinctus admovendus: Occlusæ, oleo amygdalorum inungendæ.

4. [82] *Guttur* vel oleo eodem vel diamoro illinendum; vel decocto plantaginis & hordei cum melle rosaceo eluendum; nisi malis decoctum lentium potum, & si exulceratum, urticæ, & hordei integri, ad collutionem.

5. [83] Ne cicatrices & [84] nævos post se relinquant solent [85] aperiri acicula aurea, argentea,

vel oſſea, 3. [86] ablui aqua omnis generis florum: [87] inungi pinguedine humana, vel Foreſti unguento, quod ex [88] *olei* amygdal. dulcium & liliorum alborum ana unc.j.*pingued. Caponis* dr. iii. *radic.* pæoniæ, ireos, *lithargyri* ana ſcr. ß. *ſacchari* ſcrup. j. conficitur.

6. [89] *Rubendinem in partibus relictam* ſolebat Mercurialis pulte ex lupinis, fabis & hordeo ana, craſſo modo contuſis & coctis tollere: tollitur & oryza in lacte caprino cocta.

7. [90] *Cicatricibus* implendis conducit etiam oleum ex vitellis ovorum, & ſevum vervecinum recens liquatum & penna inunctum.

Partium defenſio.

[75] *Partium defenſione*) Specialis curatio debetur aliquibus partibus, quæ nonnunquam in hoc morbo magis quam aliæ affliguntur, propterea quod materia morbifica aut iis ſpeciatim magis infeſta ſit, aut majore copia & impetu ad illas decumbat: Partes autem plus aliis afflictæ ſunt vel internæ, vel externæ. *Interna* præcipue ſunt Pulmo, ventriculus, inteſtina, hepar & renes, quas affectas, & graviter læſas eſſe ex læſione deprehenditur.

Etſi autem his partibus, una vel plurimis, ſpeciatim magis afflictis, maximum ægris periculum incumbat, & pauci ſic detenti à morbo reſurgant ac ſerventur, tamen quia non omnes moriuntur, ſed aliqui adhuc ſervantur, oportet ut Medicus qualemcumque poteſt curationem, etiam in deſperatis hiſce caſibus inſtituat, ſicque cauſam mali, quantum poteſt imminuat, & ſymptomata leniat, & denique vel ægro ſanitatem reſtituat, vel mortem leniorem procuret.

Externæ partes quæ plus cæteris affligere ſolent, ſunt manus & pedes, os & fauces, nares, aures, oculi, & facies.

Omnibus partibus internis, ſeu viſceribus afflictis in genere ſuccurrit *Decoctum lentium*, *lacca*, & *tragacantha* ab *Avicenna* traditum, *Lacca* enim jecur, lienem & renes tuetur, *lentes* inteſtina roborant, *tragacanthum* partes ſpiritales defendit.

Peculiariter *Pulmoni* laboranti conveniunt dulcia, utpote quæ maturationem promovent, tuſſim leniunt & ſputa facilitant; conveniunt *Decocta pectoralia*, ex *hordeo mundato*, *tuſſilag. alth. violaria*, *ficubus paſſulis*, *jujubis*, &c.

Ventriculi vomitum & cardialgiam principio potenter ſedat *theriaca*, Poſtea ſæpe exhibenda talis Emulſio.

℞. *amygd. d. mund.* ℥j. *ſem. 4. frig. maj.* ãã. ʒiß. *ſem. papav. alb:* ʒiiß. *aqu. hordei q. ſ. f. Emulſio ad* ℔j. *cui admiſce ſyr. de papav.* ʒij. *ſyr. de borrag.* ℥ß. *miſce.*

Foris in regione ventriculi, cum magna ſpongia facienda eſt *Fomentatio ex decoctom alvea, altha, mentha, meliſſa, majorana, flor. roſar. chamom. melil. ſem. aneth. & cumini.*

Poſt Fotum, ad majorem corroborationem; valet Linim. hoc.

℞. *Olei menth. aneth.* ãã. ℥j. *nuc. moſch. expr.* ʒiß. *ſpica, philoſ.* ãã. ʒj. *miſce.*

Poſt inunctionem imponendus hic *Sacculus*, ſiccus vel vino calido irroratus, vel in vino nonnihil excoctus & expr.

℞. *fol. major. roſmar. ſalviæ, flor. melilot. roſar.* ãã. *m.* ß. *ſem. aneth. leviſt. cumin. nucis moſch.* ãã. ʒj. *caryoph.* ℈ij. *f. Pulvis groſſus*, Ex hoc ſacculus interſutus.

Inteſtinorum tormina & alvi fluxum ſedant *theriaca*, *mithrid. diaſcord. c. c. uſtum, oculi cancr. pulver. terra ſigill. corall. rubr. conſerva roſar. rubr.* Valet hoc Amygdalatum.

℞. *ſemin. papav. albi.* ʒiij. *amygd. d. mund.* ℥ij. *decocti hordei q. ſ. fiat Emulſio ad* ℔j. *adde ſyr. de papav. de roſis ſicc.* ãã. ʒiij. *miſce.*

Hepati laboranti conveniet ſimile *amygdalatum*, additis *ſemin. iv. frigid. major.* Vel conducet etiam *Decoctum hordei* cum *roſis & ſantalis rubr.* dulcoratum cum *ſyrupo papaver. errat. roſar. & violac.* Aut præſcribendum *Conditis ex conſerva roſar. violar. & pulv. triumſantalo.* addito *ſyrupo papav. errat.*

Renes ſi ſanguinem profundant præſcribenda talis Emulſio.

℞. *amygdal. dulc. mundat.* ℥iß. *ſem. 4. frig. maj.* ãã. ʒj. *ſemin papav. albi* ʒiij. *decocti hordei q. ſ. f. Emulſio ad* ℔j. *in qua diſſolve tragac. pulver.* ℈ij. *ſyr. papav. errat. de roſis ſicc. de ſymph.* ãã. ℥j. *m. f. Amygdalatum.*

Liddelius in hoc caſu commendat *pulverem ſuccini*, aut *trochiſc. de carabe, vel alkekingi*, cum Emulſione *4. ſem. frigid. major.* datum. *Diemerbroeck.*

Peculiaritet vero *Pulmonem* defendunt *Conſerv. roſar. violar. ſyr. jujub. violac. myrtinus, de roſ. ſiccis*, de *papav.* vel Eclegma ſequens.

℞. *conſerv. roſar.* ℥iß. *ſucci expr. ex lentibus tertio elixis.* ʒvij. *ſemin. papav. albi.* ʒß. *g. tragac.* ℈j. cum *ſyrupo de roſis ſiccis ſ. Lohoc.*

Vel iſtud *Avicennæ*, à *Gainerio* & *Foreſto* laudatum.

℞. *lent. excortic. & ſubtiliſſ. trit.* ℥iij. *ſem. papav. albi.* ℥j. *conſerv. roſ.* ℥ij. *Julep. roſat. q. ſ. f. Lohoc.*

Si jam præſens *fluxio in Pulmonem* irruat, & raucedinem ac ſuffocationem inducat, non ſolum remediis prædictis cohibenda erit, ſed etiam revellendo per cucurbitulas, tum ſiccas tum ſcarificatas, & V. S. Si cætera conſentiant, Præterea in *Potu decoctum hordei, jujubar. & liquir.* Lohoc ſequens ſæpe etiam uſurpetur.

℞. *ſemin. alth. melon. cucumer. & papav. albi* ãã. ʒij.
paſſular. mund. & jujubar. ãã. *par. iv. coqu. ad* ℔j.
diſſolve conſerv. roſar. & violar. ãã. ʒß.
pulv. el. diatrag. fr. ʒiij.
ſacch. c. & roſac. ãã. *q. ſ. f L. hoc.*

Fauces & Guttur defendi poterunt Gargariſmo.

℞. *Hord. mund. p. j. fol. plantag. m. ij. roſ. rub. p. j. balauſt. ſem. ſumach.* ãã. ʒij. *bulliant in aq.* ℔ij. *In colat.* ℥viij. *diſſolve ſyr. moror. & granat.* ãã. ℥j. *f. Gargar.*

Si tenella ætas Gargariſmos non ferat, fiat Lohoc ex *ſucco moror. granat. de roſ. ſiccis, vel ſolis, vel cum aq. plantag.* & *roſar.* da frequenter è cochleari. His ſi fluxio ob copiam cohiberi nequit, unde adſit ſuffocationis periculum, uſurpentur quæ vias laxant & excretionem juvant.

℞. *Mucilag. ſem. pſylli, ol. amygd. d. r.* ãã. ℥iß.
ſacch. albi ſſ. ℥ij.
miſce f. Lambitivum.

Si fluxionis acrimonia, aut copia variolarum *ulcus faucibus* induxit, *aqua hordei cum melle roſac.* vel *aqua alumin.* detergendum eſt. Si ad corruptionem vergat, adde tantillum *Ægypt.*

Inteſtina præſervabuntur iiſdem remediis quibus Pulmones: At ſi jam præſens *alvi fluxus*, vel *dyſenteria* urgeat, 1. detergentia & lenientia, poſt adſtringentia uſurpentur, Clyſteres ex *lacte chalybeato ſacch. & vitell. ovor.* mox ex *decocto hord. & roſar. rubr.* cum *ovi vitello*, tandem ex *decocto plantag. centinod. & prunellæ*, &c.

Renes etiam interdum afficiuntur & exulcerationem patiuntur &c. *Riverius.*

[75] Externæ partes quæ plus cæteris affligi ſolent, ſunt manus & Pedes, Os & Fauces, Nares, Aures, Oculi & Facies.

Pruri-

Pruritus & dolor in volis manuum & plantis pedum.

In eruptione Variolarum, aut dum maturescere incipiunt, interdum ingens dolor aut pruritus affligit in volis manuum & plantis pedum; eo quod densior illarum partium cutis eruptionem impediat: Huic symptomati medeberis si partes illas in *aqua calida*, vel in *aqua cum lacte dulci* mixta, vel in decocto emolliente diu foveas.

Oris & faucium Variolis obsessorum curatio.

Si magna copia Variolarum in *ore & faucibus* eruperit, molesta inde solet esse respiratio & deglutitio, Hinc os frequenter colluendum, & fauces gargarizandæ cum *decocto ficuum simplici*, vel si forte magnus fervor aut inflammatio adsit, poterit id hoc modo præscribi.

℞. *hordei mund* ℥iß. *ficum conscissar n.* viij. *passular. mund.* ℥iß. *fol. alth. violar. endiv. lactuc.* ā ā m. iß. *flor. rosar. rubr.* m. j. *sambuc. man.* ß. *aqu. q. s. f. Decoctum ad* ℔. j. pro Collutione oris.

Cum jam sunt maturæ Variolæ, ad faciliorem deglutitionem; & faciliorē Variolarū eruptionem subinde degluttienda est Pilula magnitudinis nucis avellanæ, ex *butyro recenti insulso sacchara* obvoluta; hæc enim mirabiliter faucium tumentes Variolas dissolvit.

Si hoc tamen non succedat, Variolæque integræ remaneant, & magna respirandi degluttiendique difficultas plurimum urgeat, tunc parva spongia bacillo firmiter alliganda, eaque syrupo violaceo intincta fortiter in fauces intrudenda est, ut sic Variolæ illic vi disrumpantur, & angustia dissolvatur: Facta disruptione, gargarisandum est cum decocto *hordei*, *plantag* & *rosar. rubr.* dulcorato cum *melle rosat.* & *syrupo de symphyto.*

Aurium dolor, pruritus.

Aures si doleant, vel pruriant, curandum ne manibus contrectentur, & si fluant, ut sæpe solent, dimittendum est, & curandum ut apertæ maneant, At si dolor urget, spongia immergenda est decocto *folior. alth. flor. chamom. melilot. rosar. semin. fœnic. aneth. & cumini* eaque tepens auri aliquandiu imponenda. *Diemerbroeck.*

Oculorum medicatio.

76. *Et tum 1. Oculi*) Consistit partim in Præservatione, partim in Curatione: Ut Oculi à magna Variolarum copia præserventur, nonnulli Palpebras sæpe lavant cum *aqua rosar. & plantag.* in qua nonnihil *tuthia præparata infusum*, aut pauxillum *sief. albi & camphora* admixtum fuerit.

Mercurialis sumit *lac chalybeatum* cum *aqua rosat.* mistum, cui interdum *myrrhæ* aliquantillum permiscet ad *pruritum & dolorem* leniendum.

Ego omnium optimum esse comperio, si *crocus* pulverisatus misceatur cum *cremore lactis*, hacque mixtura palpebris cum pluma illinatur, ejusque etiam nonnihil caruncula in angulo majori admoveatur, quo ipso, addito pauxillo sief. albi, etiam feliciter utor ad curationem cum Oculi quoquo modo læsi sunt.

Si forte *Palpebra* à Variolis præservari nequeant, tunc frequenter contingit, ut ab iis valde intumescant, ita ut oculi ob illum tumorem omnino claudantur; In eo casu notandum palpebras, non obstante isto tumore, singulis diebus semel aut bis digitis à seinvicem semovendas, & nonnihil aperiendas esse, ut sic liquor intus subsistens effluat, qui alioqui intra palpebras crassescens albuginem parit.

At si forte ob Tumoris magnitudinem commode aperiri nequeant, prius fovendi sunt cum spongia molli intincta in jure vervecino, aut tepido decocto *folior. althaa flor. rosar. pallidar. meliloti, & semin. fænugr.* eoque fotu aliquandiu adhibito, admotis digitis apertio palpebrarum tentanda est.

Si post detumescentiam, & hinc liberam palpebrarum apertionem, nebulæ albugineæ in oculis obortæ, visum obfuscantes observentur, *sacchar. candum album*, subtilissime pulverisatum, per pennam scriptoriam, à pluma rescissam, in oculos subinde insufflandum est, quo solo illas nebulas sæpe feliciter discussi.

At si forte duriores evaserint, & oculos plane excæcent, tunc est *sacchara candi* addenda quarta aut sexta pars *lapidis calaminaris* cum *sacchara* pulverisati: Tali pulvere albuginosæ istæ maculæ egregie tolluntur visusque restituitur.

Si à Variolis oculi ulcerentur, curandi erunt hoc Collyrio.

℞. *cerusa lota* ʒiij. *sarcocolla* ʒj. *gumm. tragac.* ℈j. *opii grana* ij. Cum *mucilag. tragac.* in *aqua plantag. extracta fiant Trochisci*, usus tempore dissolvendi in *lacte muliebri* vel *aqua rosacea.* Diemerbrock.

Ecthymata & Exanthemata si oculos petant, hisce præcavendis cura adhibenda: Oculis igitur clausis, palpebræ circumlinantur sequentibus, de quibus & si aliquid oculis incidat vel instilletur non nocebit, sed potius conveniet, *Aqua* hic usurpantur *plant. agnus, myrtillorum & coriandri, Aqua rosac. croco*, ut bene flava fiat, tincta, communiter illinitur; vel *decoctum* aut *infusio fol. sumach* in prędictis aquis; Vel instilletur *succus granat. dulc.* & florum mistus *succo hyoscyami*; aut *Pulvis flor. hyoscyami* tritus cum *vino austero* oculorum palpebris illinatur.

Collyrium utile.

℞. *Pulv. fol. sumach.* ʒj. *sem. coriandr. præp. vel myrtill* ʒß. *croci.* ℈j. *camph* ℈ß. *aqu. prædict. ad* ℥viij. *misce diligenter*: Efficacius erit si parum *succi granat.* addatur.

Sapphiro gemma, vel *auro* puro si ambitus oculorum circumducatur, eos à Variolis tutos manere aliqui existimant. *Plater.*

His Variolis laborantibus admoveatur *frustulum crudum carnis recentis vitulina*, & ita tepide oculis imponatur, ut hoc ipsum salsam oculos infestantem humiditatem absorbeat. Hinc ubi fere ad quadrantem horæ adhæserit, auferatur, & recens imponatur, & sic consequenter aliquando continuando, *Succus carefolii* cum *aqua fænic.* instillatus Variolas oculorum curat; *Primrosius.*

Si nihilominus Oculi in progressu morbi intumescant, ita ut nequeant aperiri, vel etiam glutinosis sordibus inviscentur, *decocto semin. lini, fænugr. cydon. malva*, Vel Fotu ex *malva & sem. cydonior. in aqua commum* decoctis aperiantur, idque tamdiu donec inviscatio & tumor cessent.

Nebula postmodum in oculis apparentes *pulvere sacch. candi* in oculos inflato curantur, Hoc enim sacchar. præservat non solum oculos, sed etiam nebulas detergit: Si etiam cum *aqua rosac.* adhibeatur, Sin his omnibus non obstantibus, tāmen Variolæ Oculos occuparint, ita ut istis curatis nebulæ, aut suffusiones, aut similes visus obscurationes supersint, proficua est *Aqua ophthalmica Rulandi*, Vel Ophthalmica ex *croco metallor.* *Etmuller.*

Ad præservandos Oculos, antequam appareant, efficax.

℞. *Collyrii albi sine opio.* ʒiß.
aqu. rosar. vel *plantag.* in qua *aurum ignitum decies extinctum fuerit.* ℥ij.
camphor. ℈ß.

Et si Variolæ jam videntur conspicuæ circa corneam, *pulv. stibii tenuiss.* & bene permista *rosacea* cum *collyrio albo* &c. De hoc per 4. vel 5. dies, 5. vel 6. vicibus imponantur guttulæ iij. vel iv. majori angulo. Vix dici potest quam sit egregium medic.

Ad cicatricem relictam mire hoc prodest,

℞. *succi consol. min. depur.* ʒij. *succi papav. rub.* ℥j. *aq. mellis*, ʒvj. m. instilla in angulum oculi. *Hor. Augenius l.6. de Febr. c.22.*

Id adstringentia & repellentia præstant, In oculis periculum est ne cæcitas contingat ex cicatrice: Si enim Corneam occupant Variolæ, rumpitur ea, ulcusque succedit difficillimum, & eo curato cicatrix.

℞. *aqu. plantag. rosar. āā.* ℥iij. *sem. sumach* ʒß. *santali albi & rubri. āā.* ʒß. *ferveseant parum & colentur, Colatura adde camphoræ,* ℈j. *Croci. gr.ij. & oculi foveantur.*

Albumen ovi cum aqua plantag. sufficit.

℞. *Sief albi sine opio.* ʒß. *aqu. plantag.* ℥iij. *Camph.* ℈ß. *Coll. gr. Primerosini.* Tale collyrium nunquam me fefellit, inquit *Renealmus* in *Observ.* Sæpe oculis instilletur, idque in principio, ut defendantur oculi à pustulis. Aliquando cum jamjam humor ad partem appulerat, admiscui decoctis *aqu. solani & sem. sumach. mucilag. sem. alth.* in aqu. fœnic. *extr.* ʒß. quibusdam minori in copia pro ratione morbi. Loco semin. sumach. *malicor.* sumi potest E.g.

℞. *cort. granat.* ℥iij. *infunde in s. q. aqu. rosf. & plantag. stent in infus. loco calido, filtra, adde margar. præpar.* gr. ix. *croci orient.* gr. iij. *misce.* Collyrium extemporaneum.

℞. *aqu. plantag. sperm. ran. misce parum facch. Saturni* instilla pro præservatione; Hujus loco *tuthiæ prap.* cum pauco *vitriolo* adhiberi potest, *Etmuller.*

Nutrix quædam lingua propria oculos pueris lingebat, sicque reseratis oculis, abstersaque sanie convaluit infans, *Thom. Bartholinus Cent. 1. Histor. 29.*

Ne Exanthemata Oculos petant, Aqua ophthalmica excellens, quæ amissum visum in morbillis potenter restituit.

℞. *Tuth. prap.* ʒß.
vitrioli albi, sarcocoll. nihili albi aloës lota. āā ℈j.
aqu. fœnic. rosar. chelidon. pimpin. nymph. āā. ℥j.
albumen ovor. ossis sepia. ʒß.
m. pro Collyrio. Phil. Grulingius. Pr. l. 1. c. 10.

Præservativum à suffusione expertissimum in Variolis.

℞. *pollin. smaragdi, margar. præpar. āā.* gr. x. *camph.* gr. ij *aqua rosar.* ℥iij. *ponantur in phiala & sæpe agitentur,* Hæc aqua sæpe instilletur, *Idem Pr. l. 5. p. 3. c 9.*

77. *Confricandi*) Lenis palpebrarum frictio, unprimis cum *succino, smaragdo sapphiro,* valet in Variolis pro defensione oculorum, quod cum successu fustinus sæpius. *Wedelius Am. m. n. p. 137.*

78. *Si Pustulæ*) Ubi jam Variolæ oculorum tunicas exteroas palpebrasque occuparint, possumus præscripto collyrio (§. *Et tum* 5. *Oculi*) similiter uti, illud oculis quoque instillando, addendo *tuthia præparata*, vel *trochisc. alb. Rhasis* ʒß. Quod si suppuratæ in ulcus abeant, periculi est de amissione visus, tuncque uti ulcera oculorum tractari debent, & ad *cicatricum ablationem pulvis tenuissimus sabarum* cum *facch cando*, aliaque cicatricibus oculorum convenientia inspergi. *Platerus.*

Facies Medicatio.

79. Faciei medicatio, non minus quam oculorum, partim in præservatione consistit, partim in curatione.

Præservatio ea de causa oon instituitur ut Variolæ in facie prorsus non erumpant, si enim illic earum eruptio impediretur, forte labes illa alias interiores partes, ut cerebrum, meninges, oculus, aliasve gravius feriret) sed ut decidentes & exsiccatæ Variolæ quam minimas foveas & cicatrices relinquerant: Hunc in finem varia sunt excogitata Topica.

Nonnulli erumpentibus; Variolis totam faciē identidē fovent cum *decocto illo in quo pisa ad summam mollitiem excocta sunt*: Alii faciem pluma bis de die illinunt cum *oleo rosarum*, egregio successu. *Forestus* laudat *oleum amygdalar. dulc. Riverius oleum nucum.* Alii *lardum* in camino exsiccatum, & in forcipe ignito, seu ab igne candente assatum, seu tostum & liquatum, *aqua rosacea* exceptum instar unguenti mollis feliciter illinunt, hocque magni Practici *Tomanus Gesselij* ordinarium erat. Alii *porci masculi recenter mactati omentū* in veru ad ignem assant, & distillantem *pinguedinem* supposita *aqua rosacea* excipiunt, eamque toti faciei illinunt, & mox faciem totam contegunt ejusdem porci laido in tenues laminas conscisso hæc bis de die renovant usque ad perfectam variolarum maturationē (quæ sic longe mitius maturantur) & usque dum decidant: Hoc Dominarum aulicarū secretum est.

Certe hæc omnia non contemnenda, sed egregia, atque nonnunquam in usum vocanda existimo, præcipue in iis Magnatibus & ditioribus qui sibi imaginantur Medicum magno aliquo molimine plus præstare posse quam Naturam, proprio conamine; Interim ego ordinarie meis ægris consilium do ut in principio molli spongia foveāt totam faciem cum *jure carnis vervecina* ad summam mollitiem coctæ, ablata pingnedine (hæc enim cutem nonnihil denigrat, vel obfuscat) idque aliquoties de die repetant, usque ad variolarum maturationem, postea vero totum negotium naturæ committant, inprimis si Variolæ non valde magnæ & copiosæ sint.

Præterea & hoc maxime commendo, ut caveant ne Variolas scalpendo detrahant, Experientia enim docet eos quibus Variolæ sponte, vel sine apertione exsiccantur, & decidunt, paucioribus minoribusque vestigiis & cicatricibus deformatos evasisse; quod ipsum etiam *Garcialopus & Forestus lib. 6. obs. 50.* in scholiis notarunt. *Diemerbroeck.*

79. *Faciei quando erumpere incipiunt*) Cicatrices & foveæ earum ab acido acri salso, præcaventur temperando illud, ut pus mitescat, quo facto fovearum & cicatricum nullus metus; *Unde* 1. maturantia & temperantia conveniunt: 2. nævos & maculas tollentia. 3. cicatrices & foveas, si quæ sunt implentia. Pro quo, ut mitigetur & temperetur pus, *ol. amygd. d.* cum penna calide illinatur, quando jam maturaverint, & in medio oculi quasi albicantes apparuerint; hoc sæpiuscule fiat in die.

Frustulum item *lardi* subinde impositum ac sæpius renovatum est egregium. Præstantius est *pinguedo lardi incensi* distillans; Pulvis ad Variolas *Minsicht. p. 134.* Unum ex optimis est *spiritus vini aromaticus* cum *salibus volatilibus* leviter acuatus, & subinde calide Variolis applicatus. *Empl. de sperm. ate ranarum* cum *facch. Saturni* imponi potest. Sed caute talia fiant, ne repulsis Variolis superveniat mors: Vide *Borell. obs. 64. c. Forestum l. 6. obs. 45. Etmuller.*

Ad Foves morbillorum, Quamprimum erumpunt, tota facies *oleo amygd. dul.* largiter inungatur, Hinc

℞. *fol. auri, n.* ij. impone faciei & oculis; & intra x. vel xij dies cadent, nulla relicta fovea aut cicatrice. In multis expertum est: *Digbæus Exper. p. 60.*

79. *Facies.*) Ne facies tot Variolis obsideatur, Viennæ dorso, sive scapulis, imponunt vesicatoria: Vide *Thermair. l. 1. consf. p. 106.* Alii pro hoc vaporem ex decocto herbarum æmullientium pedibus suscipiunt; Aut lacti calido pedes immergunt; Sed habeatur tunc pedum ratio, ne à copia variolarum dolores diuturni, aliave mala gravia iisdem concilientur. *Etmuller.*

Ad faciei custodiam, nonnulli eam *aqua rosac.* aliisque adstringentibus abluunt; quod non probo, siquidem maxima impuritatum portio ad faciem propellitur, Illius enim cutis laxa & mollis excrementis recipiendis maxime idonea est; unde si impuritates illæ, quæ à natura ad faciem amandantur, ab ea repellantur, intus retentæ gravem noxam inferre poteruut, atque ita naturæ motus neunquam impediendus erit. *Riverius.*

Habent aliqui ut more positum, quo faciem à multitudine Variolarum liberent, illasque ad pedes usque derivent, ut in lac bubulum calens infantium pedes immergant, & quidem cum primum erumpere Variolæ incipiunt, quod successu non caret, quamvis non sine notabili pedum detrimento, qui tunc Variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur gravissimi, succedere diuturna pedum debilitate; consulitur tamen sic formæ: *Fr. Sylvius Pr. Med. l. 4. tr. 1. capite 9. §. 76.*

Sana

Sanguinis fermentantis ad pedes sic fit revulsio, pedes enim cruraque à vaporibus non tantum incalescunt, sed & emolliuntur; eorumque vasa ac carnosæ partes dilatantur, hinc quia copiosius in his sanguis colligitur, sanguinis ebullientis à partibus superioribus quædam fit revulsio. *Joh. Christ. Fromannus.*

Si Variolæ in facie oriantur, summe utile est hoc, *Nodulus ex aceto & aqua rosac.* pauca *camphora*, & pulvere *santali*, aliisque odoratis frigidis naribus frequenter admoveatur, ut *& theriaca aceto soluta* & inuncta.

Præ cæteris valet tale Linimentum.

℞. *ungu. rosat.* ℥j. *santalini.* ʒß. *argenti vivi* ʒiß. agitentur probe ut amplius non appareat, quo cavitates & ambitus oculorum, statim à prima morbi suspicione illinantur. *Arn. Weickardus. Pharm. p. 636.*

Item, Bonum etiam est hoc defensivum.

℞. *lapid. calaminar. crudi & subtiliter triti.* ʒß.
aqua rosar. vini. āā. ℥ij.
m. & tota facies, inprimis oculi illinantur. *Id in ibid.*

80. *Maturescentibus.*) Non prætereundum quod à multis Practicis docetur, ut nimirum Variolæ ad maturitatem perductæ acu perforentur, aurea vel argentea, ne pus diutius moram trahens in parte cicatrices relinquat, Quod tamen fere jam obsoletum est, cum experientia doceent Variolas perforatas tardius curari, & crustas diutius retinere, ob caloris nativi imbecillitatem, quæ à perforatione parti inducta est, unde cicatrices fœdiores relinquuntur, Ideoque satius est puris evacuationem soli naturæ relinquere. *Riverius.*

81. *Naribus*) Ad *Nares* præservandas *Acetum* sæpe olfaciendum, At efficacius operabitur *collyrium* ex *succo polygoni* & *bursæ pastor. sem. sumach. & camph.* quo inuncta turunda sæpe in nares erit immittenda; Si nihilominus Variolæ intra nares nascantur, illæ cito in crustas abeunt, quæ *oleo amygd. d.* frequenter erunt illinendæ ut brevi decidant; Si *exulceratio* contingat, *linim. ex oleo vitell. ovor.* & *succo plantag. in mortario plumbeo* subactis tractanda erit. *Riverius.*

Ad Oculos præscripta naribus convenire possunt, addito *aceto rosaceo*, cujus solius odoratus frequens prodesse dicitur.

℞. *plantag. myrti, rosar. balaust.* āā. *p.* ß.
f. decoctio in aqua plantag. & acet. āā. ℥iij.
Colatura sæpe nares foveantur.

Vbi exulceratæ sunt, *Ceratum rosac. aut violac.* cum *mucilag. tragac.* convenit.

℞. *Mucilag. semin. cydonior. extr. in aqu. plantag.* ʒvj.
oleo rosat. ℥j.
cera parum. fiat Linim. Primirosius.

Nares defendendæ sunt, in quem finem.

℞. *flor. rosar. rub. p.* ij. *camph.* gr. 8. m. f. Nodulus crebrius naribus admovendus, vel solitarius, vel *acet. ros.* intinctus.

Quod si *crustæ* subinde circa nares concrescant, ita ut per eas spiritus trahi nequeat, *butyrum* recens aut salitum, vel cum *aqua rosar.* sæpius lotum blande nasus inungendus est, quousque crustæ decidant. *Etmuller.*

Suadent quidam ut ægri hæc vel illa decocta naribus attrahant, sed illud pueri facere nequeunt, & in adultis etiam, propter obstructionem, peragi non potest, verum solum butyrum, naribus aliquoties immissum, totum negotium feliciter absolvit, ita ut aliis opus non sit. *Diemerbroeck.*

82. *Guttur*) Funestæ inprimis Variolæ sunt *Faucibus*, in quibus suffocatoria pathemata atque adeo agrypniam (aphoniam) quasi inducunt; Ad præservationem.

℞. *aqu. prunell.* ℥iij.
syr. de succo scabios. granat. āā. ℥ß.
rob. diamor. dianuc. āā. ℥ij. *m.* Vel

℞. *aqu. prunella scabios.* āā. ℥ij.
sem. cydon. fænugr. āā. ʒj.
nitri depur. ʒß. *ad* ʒj. *m.*

In quem finem *stercus equinum* optimo consilio potui additur, vel succo *cancr. fluviat. cum aqu. semperv. maj.* misto, pro Collutione oris & faucium usurpato fauces & lingua præservantur, Quod si nihilominus fauces & lingua obsideantur, idque cum magno dolore & calore, imitemur *Forestum l. 7.* qui jubet ut continuo cum *lacte caprino* & *aqu. plantag.* simul mistis repide se gargarisent ægri, aut si gargarisatio molesta sit, saltim aliquandiu in ore detineantur, hinc expuantur, quod miraculi instar prodesse ait, Et oris & gutturis præstantissimum remedium cum signa exanthematum se produnt, Item Gargarisma ex *decocto hordei, passul. min.* ac similibus temperantibus adhibeatur, idq; ad faciliorẽ maturationem, *Pustulis* verò jam se aperientibus, huic *decocto mel rosat.* pauxillo *alumine* addito admisceatur ad meliorem purificationem; ne ulcera sordida remaneant, Quod si nihilominus *Fauces exulceratæ* fuerint,

℞. *herb. salv. vel veron. sem. hord.* āā. *m.* ß. *vel j.*
passular. min. m ß.
coq. in s. q. aqu. plantag. colat. ℥viij. *vel* ℔j.
adde mell. ros. ℥iß. *alum.* ʒß. *ad* ʒj.
m. pro *Gargarismate.*

Quod si *Lingua exulcerata* fuerit, siquidem hoc non raro, teste *Schenckio*, tota putrescit, eroditur & expuitur, contra talem exulcerationem.

℞. *flor. malv. arbor.* ℥ß.
balaust. ʒij.
myrrh. el. ʒj. *alum.* ʒß.
cum s. q. mellis despum. f. Linimentum molle. *Etmuller.* Vide §. *Partium defensione.*

Ad Fauces valent Gargarismata ex decocto adstringente parata, cum *diamoro*, *dianuco*, *granatorum berberisque succo*, qua sola, si gargarismis æger uti non possit, lambendo sumpta prosunt. *Primirosius.*

Pro tuendis Gulæ & Gutturis partibus, exterius scutum croco intersitum, & lacte muliebri intinctum apponimus, hæc enim poros aperiendo venenum ab intimo gutturis exterius alliciunt, In hunc finem gargarismos adhibemus & oris collutiones, quæ restrictione sua variolas intus erupturas cohibeant. *Willis.*

Cuidam Variolas in gutture habenti mandavi, ut continuo cum *lacte caprino* & *aqua plantag.* simul mixtis tepide gargarisaret, quod miraculi instar profuit: Præservat maxime ab Angina, tum suffocatione, estque oris, tum gutturis præstantissimum remedium, cum signa Exanthematum se produnt.

In eundem usum ut *syr. granat.* sæpius paulatim deglutiret, cum hujus usum in tali casu sæpius mirabilem expertus *sum. Forestus Obs. 17. lib.*

83. *Ne Cicatrices & navos &c.*) Vbi eruperunt Variolæ plurimi multa moliuntur, at earum plurimæ sine ullo remediorum apparatu sponte sanescunt, *Valesius*, *Forestus* & alii, nihil remedii volunt admovendum, minimeque exsiccandas jubent si sanies alba effluat; utut sit Oleis non est utendum, quia facile inflammantur, eaque vetat *Galenus* in Erysipelate; Nec narcoticis, ne repellant humorem in interiora; nec emplasticis, quia humoris difflationem prohibent: nec suppurantibus, quia putredinem & corruptionem fovent; Et quotidiana docet experientia sine

maturatione sponte sæpissime exsiccari, si sint paucæ, salubres, boni moris exiguæ, Quædam tamen maturantia postulant, sed ad id fotus sufficiunt remollientes.

Postea quibusdam aperienda videntur acu aurea, argentea, vel ærea, non forficibus, ne foveas relinquant, fœdasque cicatrices, retentus ichor subjectam cutim violet, illicque ulcera generet interdum profunda; quicquid dicat *Mercurialis*, qui negat esse aperiendas, quoniam jam damnum intulerunt Variolæ cum albescunt; verum tamen videmus ordinarie putrem materiam ulcera pruritumque inducere, & subjectas partes violare nisi prompte vacuetur.

Ad eorum igitur exsiccationem laudabant Arabes salitionem, sed non est utendum solo sale, faciem siquidem inflammat ob acrimoniam & dolorem quem infert, diluendus ideo est aquis quæ illius vim obtundant, ut fontana, *plantag. rosar.* aut simili, cavendo semper ne ante perfectam maturationem laventur.

℞. *aqu. ros. vel plantag.* ℔ij.
salu. ℥j. *hordei. lup. mor.* ana. *P.* ß.
fol. tamar. flor. rosar. ana. *m.* ß.
plantag m. ß.
lentium excort. m j. troch. de camph. ʒj.
santal. omn. ʒij.
croci. ℈j. *fiat decoctio* qua cum gossipio vel spongia tangantur Variolæ: Cujus quoque decocti fumum excipere non est inutile, Exsiccat quoque Pulvis sequens.

℞. *far. fabar. cicer. lupinor. orobi lithargyr. cerusa, aloës, thuris, myrrha, croci, sangu. dracon. terra Lemnia* ana. *p. aq. fiat. Pulvis inspergendus.*

Exsiccat, cicatricem inducit, carnemque generat, ex *Gordonio.*

Quod si Natura segnis sit in squammis ulcerum tollendis, emollientibus utendum erit, ut *ungu. ros. pomata*; dein ulcera sanabuntur siccantibus & detergentibus, ungu. albo camphor. de cerussa, de lytharg. de plumbo, quibus addunt quidam *rasuram rad. cannarum, salicis* aut *pyri*: Sed *Barcellius ol. amygd. d.* inungit, donec exsiccentur, sic vestigia non remanent, & si excoriatæ fuerint mirabiliter eas sanat. *Primirosius.* De apertione vide inferius.

Usurpanda exsiccantia, sicubi humiditas vel ichor superfluus excedens inæqualitatem pariat, cujus rei exemplum præbent non tantum ulcera alia, verum etiam Variolarum ipsarum, quem in finem instar omnium esse potest pulvis probatus *Mynsicht* ad exsiccandum, consolidandum & sanandum Variulas. *Wedelius. Am. m m. p.* 103.

Contingit interdum ut à Variulis superstites remaneant exulcerationes quædam fœdæ cutem erodentes, quas fœdæ etiam cicatrices subsequuntur; Has *Amatus* primo lavat hoc Decocto.

℞. *flor. rosar. rubr. myrtillor. fol. lentisci, summit. mercur. tamarisci* ana. *part. aqu. Aqua q. s. f. Decoctum, quo ulcerationes laventur.*

Linteo abstersis hunc Pulverem inspergit.

℞. *thuris, mastiches, rosar. rubr. sarcocolla. part. aqu. f. Pulvis subtilis.*

Forestus in eodem casu, præter *Ungu. camphor.* etiam utitur hoc *Unguento de Plumbo*, descriptionis *Montagnana*, quod etiam valde commendat *Duncanus Liddelius.*

℞. *plumbi usti.* ℥ij.
lithارg. ℥j. *cerusa lota, aceti.* ana. ℥ß.
olei rosat. ʒiij. *mellis ros.* ℥j.
vitellor. ovor. num. iij. *myrrha.* ʒß.
cera q. s. m. f. s. a. Unguentum.

82. *Ne cicatrices & navos*) Facies ne cicatricibus deturpetur nihil quicquam molior, dum Olea, Linimenta &c. id tantum quo tardius evanescant albi isti furfures; quibus se invicem pellentibus excipientibusque, postquam æger jam lecto surrexit ac mediocriter valet, paulatim succedunt fœdæ illæ cicatrices: Sed ab his non valde metuendum est ægro, ubi ob regimen moderatius pustulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem causticam contraxere. *Sydenham.*

83. *Relictas ab acrimonia corrodentis humoris.* Male itaque *Horstius* dicit ex materia acri Morbillos gigni; cum è contrario argumentetur quispiam; quo res acrior sit, eo magis corrodit, ac vi sua cutim per consequens ita in variolas attollit. *Prens. p.* 227.

84. *Navos*) Tollunt imprimis *sperma aranearum*, hinc *aqua flor. fabar.* cum pauco *oleo Tartari* per deliq. temperata; Item *aqua omnium flor.* cui misceatur *Cosmeticum Clavij* cum pauca *creta* &c Facit huc cataplasma.

℞. *far. fabar. lupinor.* ana. ʒij. *m. cum urina bovis ad consistentiam catapl.* hoc ipso vesperi tota inungatur facies, Relinque per noctem, mane tunc *aqua flor. fabar.* ablue & videbis egregium effectum. *Ettmuller.*

85. *Solent aperiri acicula.*) Examinandus Aulicorum mos, qui de pulchritudine sua magis soliciti præ aliis existentes, solent Variolas maturas acu aurea aperire; & sic pus educere antequam (inquiunt) cutem profundius erodat (hoc ipsum facere jubent Arabes, multique Medici neoterici) & sic profundas foveas faciat.

Dicendum *hanc apertionem* prorsus noxiam existere (quod notat etiam *Riverius*) & semper à nobis compertum est post illam vestigia valde profunda & fœda relicta fuisse: Hanc experientiam quoque gemina suffulcit ratio.

Nam I. apertio, seu perforatio illa, non potest aut debet institui nisi cum Variolæ jam factæ sunt albæ & maturæ, atqui cum pure albo & cocto existente, omnis ab eo acris fervor & potentia cutem carnemve exedendi abiit, imo & pustulæ sponte exsiccari incipiunt, omnino supervacanum illud apertionis opus acu aurea instituitur, cum ulterioris erosionis nullius metus amplius supersit.

II Per illam apertionem educto pure, tunc cavitates mox ab ambiente aëre exsiccantur, & indurescunt, unde fit ut substrata caro altius succrescere, easque ulterius replere nequeat, at si Variolæ non aperiantur, sed pus in iis paulatim sponte exsiccari permittatur, tunc substrata caro mollis servatur, tantumque succrescit, ut ante omnimodam puris exsiccationem vestigia carne repleantur, ita ut tandem delapsis desiccatis Variolis, vix amplius ullæ foveæ superstites remaneant.

Hæc eadem posterior ratio etiam docet omnino impediendum esse ut ægri Variolas patientes unguibus scalpendo non dilacerent, aut ante exsiccationem detrahant; certa enim experientia docet tali modo semper fœdas cicatrices & profunda vestigia relinqui

Caveat nutrix vel Medicus, tam in puerulo quam in adulto, ne talium pustularum vesiculæ, nec propter pruritum, nec propter aliud rumpantur, seu *aperiantur*, maxime circa faciem; quod si perforentur Variolæ, perpetuis temporibus vestigia apparebunt. *Auctor libri de propr. rerum.* Vide etiam *Forestum.*

Nundum inter Medicos convenit, An Exanthemata acu aurea argenteave sint aperieoda: Sed si sanies in Exanthematis livida, aquosa & indigesta apparuerit, & ea ex aëris contagione pestifera, quam crebro anteverterunt, pullulaverit, tunc ob acredinem & virulentiam humorum, ut illorum virus exhalet, & ne exedant, aperienda censeo; Ita tamen ne illorum crustula, quã Græci ἐφελκίδα vocant, una auferatur, At si sanies spissa, alba, & bene cocta fuerit, satius esse arbitror ea intacta relinquere: Nam in hujusmodi Saniei generatione carnem quoque succrescere, qua pustularum vestigia ex-

plentur

plentur novimus. *Joh. Langius.* ex quo *Mizaldus.*

86. *Ablui aqua*) Si faciei decorem conservare volueris, postquam crustæ sponte deciderint, faciem cum decoctione lupinorum, aut *aqua distillationis florum fabarum*, mane & vesperi abluito; vel *liquore tartari usti stillatitio*, & spe non frustraberis. *Joh. Langius.*

87. *Inungi pinguedine*) Ad Variolarum foveas in usu est quibusdam faciem brodio carnis vitulinæ fovere & mulcere, quod cum perfecte maturuere locum habet. *W dolius*

88. *Olei amygdal. dulcium*) Ultimis morbi diebus, cum facies ob pustulas crustosas duras aridasque fere riget, eandem *ol. amygd. d.* inungo persæpe, tum ad mitigandum dolorem, tum ut effluvia calidiora liberius exhalent. *Sydenham.*

89. *Rubicundum in partibus relictam solebat Mercurialis.*) Idem sequens commendat, ℞. *Limonem unum vel alterum, fol. serpentariæ p. ij. pedes vitulinos duos, incidantur omnia & destillentur*, liquor hic, *ait*, illitus faciei & manibus summopere prodest ad colorem restituendum.

Ad Variolarum vestigia delenda, & faciem pristino nitori restituendam, probatissimum est oleum tostimar. ejusque balsamum: *Strobelbergeius Tr. de Puer. Aff. c. 19.*

Sanatis Variolis maculæ rubicundæ aliquamdiu superstites manent, ad quarum citiorem sanationem nonnulli eas bis terve de die lavant cum decocto lupinorum & fabarum, in quo aliqui etiam coquunt radices arundinis & abrotanum: alii utuntur *aqua distillata flor. fabarum & sigilli Salomonis*, addendo aliquantum *succi limon.* Alii maculas abluunt cum aqua *millefiorum*: *Joh. Paschalius* commendat lotionem cum *aqua rosmar.* Celebrat *Mercurial. aquam distillatam ex duobus pedibus vituli, totidem limonibus*, & pauxillo *serpentariæ.* Alii inungunt *ol. rosac.* aut *pomatum*, cui *oleum tartari* admixtum est.

Sed ego in praxi à longo tempore observavi illas citius sponte evanescere si omnino nihil admisceatur, nam aër externus cutem post exulceratas Variol. de novo regeneratam paulatim exiccat & indurat, & sic paulatim etiam imminuitur macularum istarum color, imo tandem penitus evanescit, ubi nova illa cutis cum priore reliqua cute æqualem duritiem adepta est, Ac proinde ego communiter nullas lotiones, aut inunctiones cum in finem præscribo; cum illas cutis indurationem, & macularum sublationem potius tardare, & solum aêrem externum optimum macularum remedium esse compertam.

Si tamen aulicis quibusdam Domicellis sine aliquo remedio topico satisfieri nequeat, illis commendo lotionem ex *aqua fabarum*, cui pauxillum *aquæ tartari* (vulgo male appellant oleum) vel *succi limon.* admixtum, vel lotionem ex *lacte virginali. Diemerbroeck.*

90. *Cicatricibus implendis*) In foveis illis quæ plurimæ per faciem & nasum dispersæ, post morbillos sanatos relinquuntur, cum fieri nequeat ut fortiora singulis locis adhibeantur, nec alia *extergentia* hic, quæ vulgo præscribuntur, aliquid abradendo efficerent, sed potius amplius excavarent, exigua sane emendationis hujus vitii spes est, & proin fere negligenda: Exemplo sint magnatum liberi, in quibus si quid tali cura perfici posset, nihil relinqueretur intentatum, Quod si tamen aliquid tentandum, non deradentibus, sed contrariis potius, *emollientibus & attrahentibus* adhibitis illud, ut se attollant, faciesque aliquo pacto magis plana evadat, moliendam, Veluti *lilior. decocto*, item *ped. vitul.* alisque similibus, quæ studio, cum parva spes sit curationis, omittimus: Huicque vitio potius præcavendo ne hoc fiat occurrendum. *Platerus.*

Quæcunque remedia præscribuntur fere frustra fiunt, nam ubi semel exsiccatæ sunt Variolarum foveæ, & cicatrices nimis cavæ vel elevatæ constant, hinc omnino fixæ permanent, nec unquam ullis topicis immutantur: Verum si nimis rubicundum, aut alium fœdum colorem habeant, ille per *lac Virginale*, aliaque ad maculas delendas proposita, fortassis aliquantum imminuetur, aut penitus tolletur; sed ulterius in fovearum curatione & repletione nihil proficietur.

His adde quod *exungia humana, vervecina, asinina, anserina*, aliæque variæ, cutis splendorem adeo obfuscent, & subnigricantem reddant, ut longe majorem quam ipsæ Variolarum cicatrices & foveæ fœditatem inducant. *Diemerbroeck.*

Si quædam supersint, pro his mediante nutritione debite implendis, inservit axungia *asseca pisciu* illita, & pinguedo anguillæ. *Etmuller.*

Cicatrices fœdæ huic morbo solent sæpissime succedere quas fieri prohibebimus si æger manibus prurientem locum non scalpat nec excoriet, tum inungendo *decocto oryzæ*, vel *butyro* in *aqua ros.* cocto, vel *sero lactis*, vel *pinguedine vervecina, aqua violar.* lota.

Factæ autem cicatrices aboleri non possunt, quicquid recentiorum industria hactenus excogitarit, sufficit si aliquantulum emendentur: Quidam emolliunt, deinde detergent; emolliunt *decocto malv. althea, chamom. melil. flor. lini*, quo faciem fovent, fumumque facie excipiunt, vel ungunt medulla *vitul.* medullis recent. ol. amygdal. dulc. & simil. Emollitam cicatricem detergent *sacch. cando, aqua mellis. decocto flor. rorismar. & anagall. vel ol. de tartaro, de myrrha, de camph. de frumento, de vitellis ovor. sunt aquis e fabis stillat. è terebinth. saponar. serpentar. limon. aranttis, limac. fol. e ulmi.*

Gordonius & *Hollerius* hoc Vngu. commendant.

℞. *lithargy. cerusa, cadmia lota, pulv. cannar. ust. croc.* ā ℈ß. *ol. de lil.* ℥ij. *cera* ʒvj *f. ungu.*

Os sepia, sacch. cand. spuma maris, cum optimo *melle* locis affectis admoveantur,

℞. *lithargy. pett. ciner. rad. cannar. off. canis, far. cicerum & oryzæ, sem. melon. cucurb. becn. costi* ā ℥ß.
cum mucilag. sem fœnugr. & pauco melle fiat mistura.

qua sæpe faciem aliasque partes, prius decocto furfuris lotas, curasse se refert *Paschalius*, quod tamen non credo.

℞. *Pulv. boracis* ʒj.
off. sepia ʒß.
sperm. ceti ʒij.
sacch. cand. ℥ß.
mellis & pomata ā. ℥vj. *f. unguentum.*

℞. *lythargy. arg. prap.* ʒiv.
caph ʒij. *alum. lorac.* ā. ʒiij.
moschi. gr. iv.
coq. omnia in aqu. rosac. & aceti ā. ℔ß.
donec tertia pars fuerit absumpta, adde ol. de tartaro ℥ß.
serventur usui & macula sape abluantur.

Rad. Ireos coque in aqua ad putrilaginem, & faciei applicentur.

Mercurialis habet aliam curandi rationem, cicatrices panno aspero fricat ad ruborem, dein apponit, picem si locus pilis careat, quam postea vi avellit, idque ter quaterve repetendum jubet, post locum sic inungit.

℞. *olei opt.* ℥iß.
succi limon. ℥iij;
lithavg. lott, cineris testudin. ustarum ā. ℥iß.
pulv. rad. cannar. ℥ij.
pinguad. gallin. ℥ß.

misce, vesperi illinatur facies, mane abluatur aqua in qua decocti lupini: Idem laudat sequentia.

℞. *lupinor. fabar. hord.* ā. *p.* iß.
cont. & coqu. ad pulris consistentiam, quo cremore abluatur facies mane & sero.

℞. *limonem unum, vel ij. fol. serpent. p. ij. pedes vitul.* ij

distillentur, aqua servetur ad faciei & manuum ablutionem.

Sanguis leporis, vel tauri, cum *far. hordei* calide admotus prodesse creditur, sicut & *amygd. amara*, semen raphani cum pomata probantur: Quæ remedia si aliquid præstent satis erit. *Primirosius.*

Oleum ex *vitell. ovor.* cutem nutrit & generat, ideo cicatricibus implendis maxime idoneum est, *Sevum vervecinum* recens liquatum, & reparantur fœda vestigia si *aqua mille florum*, seu è *stercore vaccino* mense majo destillata abluantur, & postea *axungia hum.* inungantur.

Forestus sequens ung. prædicat.

℞. *ol. amygd. & lilior. alb.* ãã. ℥j.
pingued. capi ʒiij.
pulv. rad. paeon. ireos flor. & litharg. auri ãã. ℈ß.
sacch. c. ℈j.

M. omnia in calido mortario & per linteum exprime, Inunge loca mane & sero, Post *aqua e pedibus vitulinis* destillata bene abluantur, vel *aqua* prædicta *mille florum*. Riverius.

Summopere hoc Linimentum prodest.

℞. *Ol. olivar.* ℥iß.
succi limon. ℥vj.
lithargiri, ciner. hirund. testudinum, combust. ãã. ℥ß.
pingued. gallinæ ℥ß. *m. f.*
linimentum, à quo facies *Decocto lupinor.* abluitur. *Claudinus Emp. Rat. l. 5. s. 1. c. 1.*

Egregium unguentum ad vestigia delenda.

℞. *Ol. amygd. ol. lilior. alb.* ãã. ℥iß.
sarcocoll. ʒß.
farinæ, oryzæ, lupinorum, ãã. ʒj.
lithargyr. aurei ʒß.
pulv. radic. bryon. ireos ãã. ℈j.
sacch. tabarzet. ʒj.
tragac. g. Arab. ãã. ʒß.
in liquore conven. dissolvantur, conterenda conterantur in pollinem; & cribro tenuissimo excipiantur, hinc gummata dissoluta addantur, tandem commisceantur in mortario, super infundendo aqu. rosar. lilior. alb. fabar. ãã. *q. s. continuo agitando & incorporando, per pannum laneum, manibus emulgendo trajiciantur,*

Exibit ungu. molle, quod expertissimum perhibetur ad vestigia Variolarum delenda. *Forestus lib. 6. obs. 57. & 58. In schol.*

Conducit *aqua mellis cum terebinthina destillata*: Itidem confert *pinguedo asini cum oleo lilior.* liquata & *oleum ovorum*, & *de lateribus*, *Sanguis leporis, aut tauri*, calide admotus cavitates implet. Itidem *corium suillum* salsum & calefactum si fricentur vestigiorum cavitates, cutem æquant; Itidem valet *axungia anseris, anatis*, aut *gallinæ*, & *usus ungularum arietis*, aut *capræ*, aut *putaminum ovorum*, ad cutis asperitatem delendam, *Bauderonius Pr. Tr. 2. cap. 3.*

℞. *Olei amygd. dulc. lilior. alb.* ãã. ℥j.
pingued. capi ʒiij.
pulv. rad. Paeoniæ, irid. Flor. lithare. auri ãã. ℈ß.
Sacch. c. ℈j.

His omnibus in calido mortario bene mistis, & per linteum expressis inunge loca mane & sero; postea aqua è pedibus *vitulinis* distillata, aut *aqua mille florum* bene abluantur. *Forestus*, qui præ multis aliis hoc Ungu. commendat.

Tubercula cicatricum eminentia.

Ad Tubercula cicatricum eminentium æquanda.

℞. *Olei lilior. axungiæ anseris* ãã. ℥j.
unguenti citrini ℥ß.

Misce pro litu tuberculorum hora somni per multos dies continuando: Die sequenti mane lavetur facies

℞. *radic. lilior. alb.* ℥ij.
radic. ari vel serpentar. ℥ß.
malum citrium in frusta divisum n. j. furfuris macri man. j. aqua q. s. coquantur.

pro lotione faciei mane. *Bauderonius Prax. Tract. 2. cap. 3.*

IV. [91] *Symptomatum* [92] intercurrentium [93] & subsequentium *ablatione*, nempe.

I. *Epilepsiæ*, quam humiditates illæ cum vaporoso sanguine elatæ, & initium nervorum attrectantes excitant, per *radic. pæoniæ* masculæ recentis cum *semine* contusam & collo infantum appensam: nec non per *aquam Cerasor. nigror.* cum syrupo *florum tiliæ* vel *cortic. citri* intus exhibitum.

II. *Convulsionis*, quæ vulgo (*Kriebel-Kranckheit*) in qua membra, brachia, pedes, spina dorsi, contra voluntatem ægri huc & illuc convelluntur, quia membranæ nervi, cum tota carnea substantia à pustulis obsessæ, Per expulsionis promotionem, & si hæc fieri non potest, doloris lenitionem, factam calida spinæ dorsi *inunctione* oleo lumbricorum terrestrium, rutæ, cum nuce moschata; Quam *Cataplasma*, ex semine lini & fœnugræci, florib. salviæ & chamæmeli in vino decoctis, addito adipe porcino, & oleo rutæ, excipere potest.

III. *Paralyseos*, propter nervorum & carneæ substantiæ à pustulis obstructionem, quæ ad modum pareseos curari debet; & in qua, absente febri, potest adhiberi balneum aquæ dulcis, salvia, roremarino, chamomilla &c. castigata, & inunctiones, ex pingu. taxi, vulpis, anserum &c.

[94] IV. *Durorum Tumorum*, qui insequi solent, & si absque suppuratione dissipari possunt, feliciter unguento ex *mucilag. radic. althææ* cum *aqua malvæ* extractæ, *semin. lini* cum *oleo amygd. dulc.* & *lilior. albor.* tolli possunt.

[95] V. *Dysenteriæ*, detrusa ad intestina materia, in qua humida & pinguia vitanda, constipantibus absque acredine agendum, ut *decocto hordei tosti* cum *melle rosato, coral. rub. præpar. c. c. philos. calcinato*, cum *succo cydonior. Riverius* laudat *decoctum ex radic. pentaphyll. & tormentill. folior. scabios. & pimpinell. scordii, santal. citr.* cum *confect. de hyacintho, trochisc. viperin.* & *lapid. bezoar. præparatum.*

VI. [96] *Læsionis auditus*, occupatis à copiosa materia membranulis, in qua Vesicatoria post aures, & vapores ex *vino calido* cum *castoreo, myrrha, azaro*, & *croco* immissi pro sunt.

VII. De *oculorum inflammatione* Vide suo loco; De *Variolis* [97] *Epidemiis*, & earum cura consule *Tulpium obs. lib. 4. cap. 51.* in qua [98] *lapidem porcinum Malaccensem* vehementer laudat.

97. *Symptomatum &c. ablatione*) Licet methodus præſcripta (ſi caute ac prudenter circumſtantiis particularibus accommodetur) ſymptomata à natura abhorrentia atque periculoſa præoccupet, & ſecurum atque perbenignum morbum reddat, à quacunque tamen cauſa exorta ſunt hæc, neceſſe eſt in aliquibus alia via inſiſtere, ut ſubmoveantur & debellentur. *Sydenham.*

Symptomata in his morbis mitiganda ſunt vel *ante eruptionem*, vel *poſt eruptionem*.

Anxietates præcordiorum & jactigationes, quas quando vel vomitus ſpontaneus præceſſit, vel per medicamenta nauſeoſa provocatus fuit, omnium optime confert *liquor c. c. ſuccinatus*, infantibus præſertim ſingulariter conveniens, cui etiam *extr. theriacale*, aut *laud. op.* in parva doſi conveniunt.

Vomitus initio non ſtatim ſupprimendus, aſt ſi nimius fuerit, *extr. theriacale ſyr. papav. laud. op.* una cum abſorbentibus curant.

Diarrhœa, aut *alius alvi fluxus*, per *terram ſigill.* curatur, ſi nempe hujus pulveris largiter cereviſiæ injiciatur, & ſub quolibet hauſtu probe invicem agitentur, & ita aſſumantur, *lt. c. c. uſtum*, *theriacalia* conveniunt.

Vigiliæ, Deliria, inprimis *Convulſiones Epilepticæ*, quæ infantes mox in primo morbi principio cum abdominis dutine affligunt, quas optime curat *liquor c. c. ſuccinatus cinnab. antimon.* &, ſi neceſſarium videtur in morbi principio, *clyſmata* levia.

Hæmorrhagia narium moderata aliquandiu ſinenda, præſtat ut plus fluat ſanguis quam minus: Quod ſi non ſufficienter procedat, potius promovenda venit vellicando nares, aut cum ſeta porcina, aut crebrius, & fortius eaſdem emungendo, aut aliis modis provocando, quod cum feciſſem ſanguis bene fluxit, & febris deſiit, & brevi ſanata eſt, dicit *Foreſtus lib. 6. obſerv.* 48. Quod ſi excedit, optime curant *Bufones appenſi*: Alias cum nimiæ hæmorrh. ex ebullitionis ſanguinis nimio impetu oriuntur, eaſdem etiam *Opiata* cum *abſorbentibus*, ſeu præcipitantibus, compeſcent, vitando volatilia.

Tuſſis, hic initio temperantia & lævigantia, vulgo incraſſantia; In ſtatu incidentia & expectorantia uſurpanda, *ibi ſyr. violar. papav. jujub. diacod. in aqua ſcab. tuſſilag.* Hic *ſyr. nicot. de eryſimo*, cum *aqu. hyſſopi* &c. omni tempore, remedia præſertim ex *ſcabioſa* ſpecioſe præſervant & curant partes reſpirationi dicatas.

Virium proſtratio corrigitur *tinct. corall. cum ſpir. c. c.* Item *vini Rhenani* hauſtulo, præſertim ſi ſit à nimio ſudore *Erumller.*

Si in *Diſcreto* genere, ob regimen juſto calidius, & continuos ſudores, hucuſque copioſe manantes jam ſponte ſua deficientes, æger *Phrenitide* corripiatur, de vehementi queratur ægritudine, urinam paucam ac frequenter reddat, Cum eo uſque proceſſit malum hac ἀκμὴν ortum, nullo jam alio auxilio (cum in propinquo mors ſit) ægro ſubveniri poſſe exiſtimo, quam ſanguinem è brachio ſatis larga quantitate extrahendo, corpuſque exponendo auræ liberiori; Et profecto haud ita temerarium atque ἄτοπον videbitur quod jam propoſui, ſi ad illos animum advertamus qui ob copioſas Narium hæmorrhagias ſubito ingruentes ferreas imminentis lethi manus evaſere.

Illud inſuper eſt perpendendum quod in extremo hoc agone, non idcirco inſtat mors quod puſtulæ intro cedant (extant enim hæ, ut diximus, eminentque cum *inſigni* rubore, etiam animam agente ægro) ſed quod *facies* non turgeſcat: Ad promovendam vero hanc *faciei* intumeſcentiam, quicquid id demum eſt quod ad ſanguinem contemperandum fuerit (venæ ſectionem autem. & modicam refrigerationem eam vim obtinere nemo opinor negaverit) neceſſario, æque ac paregoricorum uſus, atque ob eaſdem plane rationes debet conferre.

Non hæc ita velim intelligi, ac ſi in qualibet Phrenitide Variolis ſupervenientibus (cum nullum hic ſymptoma frequentius occurrat) V. S. ſtatim ſuaderem, ſed in illa tantum quæ ideo accidit, quia facies non turgeſcit, in *Diſtincto* ſcilicet genere, & puſtulis copia ſatis magna comparentibus: Vel ubi ob regimen admodum calidum; & cardiacorum uſum, ſanguis adeo efferus eſt, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat, donec medicamentis paregoricis, & reliquis eodem facientibus, ad debitam temperiem reduci poſſit.

Cum enim ita ſe res habent, Medicus ad conſcientiam ſuam potius, quam ad incertam famam ſe componens, vel ſanguinem, ut ante dictum detrahere debet, vel ut æger aëre liberaliori refocilletur præcipere: Quod ut efficeretur, ſatis mihi viſum eſt ut æger lecto aliquantiſper exſurgeret, quo facto plures à morte liberavi: Præter iſta vero quæ oculis ipſius uſurpavi, innumera ſunt illorum exempla, qui his modis Orci faucibus quaſi erepti ſunt: *Phreneticorum* enim nonnulli Nutricum curam fallentes (miris ſcilicet artibus utuntur homines ita affecti) atque è lecto dilapſi, aëris frigori ſe ipſos etiam noctu expoſuerunt; Alii frigidam vel furtim, vel raptim etiam precibus à nutrice emendicatam hauſerunt, adeoque felici errore ſalutem jam plane deſperatam conſequuti ſunt. *Sydenham pag.* 223. *& ſeq.*

Cætera quæ in hoc morbo accidunt *ſymptomata*, ut *præcaveantur*, ope regiminis moderati, ita ab eodem pleraque etiam tolluntur, E. g. ut *Phrenesis* antedicta, à nimia cerebri excalefactione proficiſcitur, & ſanguine quovis modo paululum ventilando curatur, Eadem methodo è *Comate* (quod alteri contrarium prorſus videtur ſymptoma, & ab obſtructione corticis cerebri fit, dum halitus calidiores à ſanguine, regiminis ac medicamentorum calidorum uſu attenuato, magna copia ac vi illuc impelluntur) facile occurritur.

Eadem hac ſanguinis contemperatione & *Maculas Purpureas* vidi ſublatas, ſed neque hac, neque alia methodo quacunque, vel *mictum ſanguinis*, vel violentam *ejuſdem à Pulmonibus* eruptionem adhuc ſufflaminare potui, Utraque vero Hæmorrhagia hæc, quatenus mihi hactenus obſervare licuit, indubiè mortem prænuntiat. *Idem.*

Sunt & alia adhuc ſymptomata quæ in quolibet morbi ſtatu occurrunt, tam *Diſcreto* Variolarum generi, quam *Confluenti* pariter communia.

Phrenitis v. g. à nimia ſanguinis ebullitione nonnunquam ægrum corripit, & caloris tam parum eſt patiens ut magnis viribus, ac furibundo niſu injectas prehendentium, & lecto incarcerantium manus eludere conetur.

Aliquando eadem cauſa effectum longe diverſum producit; *affectum* ſcil. *comatoſum*, ita ut æger nunquam ferme evigilet, niſi continuo pulſu excitatus.

Eſt etiam ubi in hoc morbo, perinde atque in Peſte, laxata inflammationis vi ſanguinis compage, *Maculæ Purpureæ* ſe oſtentent Puſtulis interſperſæ, mortis fere ſemper prænuntiæ: Frequentius hoc evenit ubi aëris conſtitutio morbo iſti epidemice graſſanti præ cæteris favet.

Aliquando etiam *Urina ſuppreſſio* totalis ad malorum cumulum accedit, in juvenibus præſertim, idque in ſtatu, vel etiam declinatione *Diſcreti* generis.

Sunt & alia ſymptomata quæ à ἀκμὴν aliqua, jam dictis contraria, interdum oriuntur, ſi nempe æger à frigore nimis intenſo fuerit læſus, vel ſi præter jus faſque vena fuerit pertuſa; aut alvus catharſi ſubducta; unde Puſtulæ nonnunquam faſtigiis cedunt,

c.c. fine igne. ℈j.
bezoart. min. ℈ß.
laudan. op. ferment. gr.ß. vel j. *fyrupi card. ben.* ℥iij. *misce.*

Convenienter quoque in principio *Salia fixa*, In progressu & tempore ebullitionis salia volatilia usurpari possunt, Hinc.

℞. *Eboris fine igne:* ℈ß.
antimon. diaph. myrrha. ãã. gr. vj. *salis card. ben.* gr. vij. pro j. dozi.

Circa *statum*, & dum remittunt symptomata, & copiosæ jam Pustulæ efflorescunt.

℞. *Tinct. Tart. acris, essent. myrrha.* ãã. ʒij.
m. dentur adulto 50. *vel* 60. *gutta ter in die, Infanti,* 20. *vel* 30. Vel

℞. *Tinct. Antimon. essent. myrrh.* ãã. *q. v. m. da bis vel ter in die* pro circumstantia ægri.

Aliquando cum recessissent morbilli, & varia effecissent symptomata.

℞. *antimon. diaphor.* ℈j.
cinnab. antim. ℈ß.
salis volat. c.c. gr. xij. *campb.* gr. ij. *m. pro* ij. *doz.*

In Puella decenni variolis afflicta, quæ fine suppuratione incipiebant evanescere, cum fluxu alvi, & hujus pedes jam ad genua usque cum dolore livescebant.

℞. *antimon. diaphor. martiati* gr. xv. *castor. myrrha.* ãã. gr. iv. *campb.* gr. ij. *m. detur in duplo.*

Quem Pulverem cum aliquoties sumpsisset, alvo suppressa, variolæ denuo apparuerunt, sicque evasit.

Puero xiij. annor. tribus diebus gravi corporis æstu, vomitu continuo, & incipiente diarrhœa afflicto, in suspicione variolarum, cum in vicinis locis observarentur.

℞. *Extr. theriac.* gr. v. *laud. op. ferment.* gr. iß. *m. f. Pil. n.* xij. *pro* ij *dozibus.*

Aptima dozi omnis vomitus & angustia cessarunt, hinc.

℞. *pulv. bezoart. compos. spec. cephal.* ãã. ℈j.
m. pro ij. *doz.*

Hinc copiosissime eruperunt Variolæ: Potui infundebatur *stercus equorum, ejusque succus permiscebatur.*

Puer unius anni cum semisse, à meridie cum gravi stertore incalescere admodum & debilitari cœpit, Cum malum hoc ex imminentibus Variolis esse suspicarer, cum alii fratres una decumbentes graviter tussirent.

℞. *aq. flor. sambuc.* ℥iß.
liqu. c. c. succinati. ʒj.
syrup. papav. alb. ℥iij.

Hujus usu copiosissimi proruperunt morbilli, stertor & anhelitus difficultas cessarunt, Nempe ex impetu lymphæ acrioris, & hinc inimica vellicatione & irritatione faucium, laryngis & pulmonum, malum ortum fuerat, Ob id acrimonia suspecta maligna erat corrigenda per volatilia, Irritationis autem sensus per papaverina.

Puero aliquot annor. ex Variolis dyspnœa laboranti, & simul diarrhœa correpto in statu morbi.

℞. *aqu. scab.* ℥ij. *terra sigill.* ℈ß.
syr. è succo scab. ʒvj. m. f.

Infantibus morbillis affectis cum *diarrhœa.*

℞. *aqu. menth. flor. sambuc.* ãã. ℥j.
gelat. c. c. ʒvj.
succi cydon. ℥ß.
terra sigill. ℈j.
antimon. diaph. ℈ß. *syr. de toto citro.* ℥ß. *misce. Etmuller.*

Seriò testari possum *semen aquilegia pulver.* ʒß. *vel* ʒj. *pondere in mulso, vel summar. card. ben. aqu. aut decocto c.c.* datum, veluti ab orco revocasse puerulos morbillis laborantes. *Simon Pauli Quadr. Bot. p. m.* 22.

Sal fraxini, è ramulis, una cum cortic. arte preparatum dici non potest quantopere conveniat morbillis & variolis laborare incipientibus *in aqua card. ben. cum syr. granat.* vel *subsidai* dilutus, 6. vel 7. gran. pondere, *Idem pag.* 310.

Oleum cornuum tenellorum è cervo, & calvaria, loco *lapidis bezoar*, Variolis & morbillis puerorum utile est. *Eustach. Rudius Pr. Alchim. c.* 26.

Ungu. rubr. puerorum celeberrimum in morbillis & Variolarum meta, summæ utilitatis dum ejus portio cum haustu vini oligophori pueris adultis offeratur, mox stragulis ad sudorem operiatur æger, quo præsidio quicquid est corruptæ tabis per totam cutem efflorescit.

℞. *butyri rec. & insulsi.* ℔ij.
rad. alkanna. ℥ij.
vini rubr. ℔j. *castor. pinguiss.* ʒvj.
radices rufæ vino per diem macerentur, tunc butyrum addatur, & pariter ad vini consumptionem lento igne coque, Colaturæ castore um admisceatur. *Strobelbergerus De Aff. puer. c.* 19.

72. *Ad expulsionem facit*) *Opiata* in variolis & morbillis perquam proficua sunt, debitis cum cautelis adhibita, cum pro mitigandis urgentioribus symptomatis, & *promovenda excretione cutanea*, pro sistendo alvi fluxu, & præcavendis nervosi generis symptomatis multum conferant, in specie vesperi exhibita; Ad hęc, ab eorum usu in faciei ac manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet, ęvacuatio rectius procedit; dictusque tumor eorum ope ad debitum naturæ terminum pertrahitur, ut loquitur *Sydenham*, *Obs. pag.* 203. Hinc puer in variolis per quinque dies ex abusu *syrupi papav.* innocue dormiit, unde infantibus gr. j. vel alternm *theriaca*, adultis *laudani opiati* concisam dozin commode propinare possumus. *Etmuller.*

Inter alia nullum *aqua nostra theriacali* efficacius inveni, quæ non est ingrati saporis, atque hinc vel sola, vel cum pauxillo grati alicujus syrupi mixta facile infantibus & pueris exhiberi potest.. *Diemerbroeck.* Vidé Descriptionem cap. de Peste.

℞. *stercor. ovilli sec.* ʒvj. *aut* ℥j.
vini albi tenuis, decocti hordei ana. ℥iß.
infusio, stent per duas tresve horas, & colentur cum levi expressione, pro Haustu. Potenter expellit.

℞. *semin. aquilegia rapar.* ãã. ℈iß. *nasturtij.* ℈j.
f. Pulvis pro vulgaribus. *Diemerbroeck.*

Foras Evocantia Variolas.

72. *Expulsionem*) Materiam *evocantia* in usum etiam addocenda sunt; Sunt qui laudant *aquam destillatam è floribus* lini, huic rei valde conferentem, *Forestus obs.* 49. *lib.* 6. Imperavi etiam ut puer in hypocausto calidiusculo linteis rubris involveretur; hoc enim egregie ad morbillos puerorum propellendos juvare novimus. *Idem observ.* 43.

Valde laudatur si pannus *succo fœniculi & apii* imbuatur, & puerulis eò calide involvantur. Item ℞. *aquas petrosel. & fœnic.* Imbuatur iis pannus lineus duplicatus, Infans eo calide involvatur, sæpius repetendo, Variolas potenter evocat. *David. Lipselius Tr. German. de Variolis.*

Cum Variolas erupturas, putamus vix præstantius medicamentum sudoriferum externum quam hoc.

℞. *aquam aliquam destillatam, adde ol. amygd. amar.* vel *chamamel. vel aneth. vel sambuc.* ãã. ℥iij.
nitri. ʒß. *coqu simul* ad consumptionem aquæ, Corpus bis vel ter inungatur, & leniter fricetur, *Paulus Muncerus Tr. German. lib.* 1. *sect.* 1. *pag.* 119.

73. *Decoctum Ficuum*) Observetur quod hoc interdum alvum laxare soleat, quod merito his in morbis suspe-

ctum

ctum, Præcavetur hoc si decoctum paretur *milli* cum *fi*-*culus* ad mutationem *Salæ* in *myrothecio. p.*855. Cum *decoctum milli* per se egregium admodum his sit in affectibus. *Etmuller.* Vide §. *Naturæ pellentis adjumento.*)

[13]. *Decoctum ficuum Mynsicthi*) *Forestus* & *Amatus felici* cum successu *decocto hordei & caricarum* usi sunt, utpote humores ad cutem efficaciter pellit. *Riverius.*

[73]. *Decoctum Ficuum &c. Decoctum Lentium*) Vulgatissimum est,& à *Rhasi*, *Avicenna*, totaque Arabum familia commendatum ad cutem propellens medicamentum, quod etiam à potissima recentiorum parte usurpatur, juxta *Avicennæ* descriptionem, quæ sic habet.

℞. *ficuum pingui.* ℥vij. *lentium excortic.* ʒiij. *laccæ* ʒiiß. *g.tragac. & sem.fœnic.* āā.ʒij. *coqu.in* ℔iß. *aq.fontis donec redeant ad tertiam partem*: Detur de ea in Potu.

Rhasis addit *croci* gr.xv. *passular.* ʒv. quia *crocus* aperit & corroborat, *passulæ* hepar firmant, *tragacanthum* licet incrasset & adstringat, ideo reliquis miscetur ut nimiam sanguinis ebullitionem prohibeat, *Lentes* à quibusdam rejiciuntur quod adstringant, ideoque Variolarum eruptionem prohibeant, Sed non temere rejicienda est tot tantorumq; Medicinæ procerū authoritas,quin potiùs statuendum cum ratione lentes excorticatas, vel levem ebullitionem passas,huic compositioni addi, ut nimirum adstringendi & inspissandi vi fervorem nimium humorum coërceant, eorumque impetum in aliquam partem nobilem prohibeant; In quem finem etiam *tragacant.* additur.

Hoc desumitur à *Galeno* qui 1.de alim.*fac.c.*18.lentes bis coctas partes naturales roborare, & adstrictione qua pollent ventris fluxum cohibere docuit: Illæ igitur præscribi vel omitti poterunt, prout major vel minor attenuandi, & ad cutem propellendi necessitas urgere videbitur, Si enim materia subtilis, & magna ebullitio fiat, utiliter lentes præscribi poterunt, ad intentiones prædictas: Si vero materia crassa videatur, quam natura ad cutem segniter propellat, tunc illæ erunt omittendæ, imo & *tragacanthum*, & reliqua attenuantia ac diaphoretica solum permiscenda. *Riverius.*

Ad expellendum Variolas exhibe Decoctum *Avicennæ ex ficubus, lentibus excorticatis* & *tragacantho*, & mane ac sero, quater vel quinquies sume, magnum inde commodum sentitur.

Haustus etiam *aquæ fœniculi* mane & vesperi prodest. *Crato Consf.*318.

Ficuum) De *dulcibus* scribit *Mercurialis*, *Potissimum*, ait, *cavendum est à dulcibus omnibus & in potu & in cibo*: addit quod *Avenzoar* scribat eos qui dulcibus utuntur vix posse servari. Verum hæc ejus opinio non convenit cum praxi, qua docemur ficus,liquiritiam, jujubas,passulas,saccharum, aliaque dulcia materiam morbificam citius coquere & versus exteriora propellere,Ergo dulcia non obesse.Nocent vina dulcia,sed quia febrem augent, caput tentant.*Diemerbroeck.*

[74]. *Decoctum Lentium*) Inter omnia medicamenta, vel alimenta, Lentes primum obtinere locum dicuntur, ita ut *Augenius* occulta proprietate opitulari dicat,Medicosque *inexpertos* & ignaros vocet qui illas improbant, atque etsi ut alimentum in substantia non conveniant, convenire tamen ut medicamentum ad causam morbillorum in superficiem expellendum. *Portus* adstrictione valere scribit, sicut & laccam & tragacanth. quia viscera roborant, quæ roborata humores pellunt in habitum corporis: Alii humorum sanguinisque fervorem retundi ajunt, ejusque motum compesci à lentibus, fuisseque Arabes in viribus medicamentorum explorandis Græcis multo diligentiores: *Amatus in Diofcor. Cardanus*, *Sylvaticus* Medicos damnant qui lentes in pleuritide & morbis acutis ægris præscribunt;Scribit *Galenus* Lentes esse dyspeptas, crassum succum generare, elephantiasin, cancros. 8. *simpl.* earumque decoctum alvum solvere, quod est Variolis noxium: Cave, *inquit Avicenna*, ne detur corpus lentium materia existente grossa: *Mercurialis* prodesse putat si aliquid admisceatur quod crassitiem illarum attenuare possit; laudatque *Arabes* qui illas aceto incoquunt; Alii corticem adstringere scribunt, substantiam aperire, ideo coquūt vel cū cortice,vel sine cortice,idq; vel semel tantum, vel bis terve: Ad sanguinis fervorem compescendum exhibent cum cortice bis coctas, priore decocto abjecto, sed ad modice provocandas sine cortice bis coctas præbent, *Avicenna* cap. de Synocho lentes ad sanguinem incrassandum commendat, non ad ullam in cutim expulsionem promovendam;Ideo convenire Variolis vix possunt.

Cum igitur hujus remedii facultas ignota sit hactenus,& dubia, contra certissimum sit ab omnibus improbari; quod vitiosi sint succi, mentem turbent, sanguinem melancholicum generent, scribatque *Galenus* pleuriticum ex earum usu interiisse, sane vix tam ineptum alimentum crediderim bonum esse medicamentum, cumque tutiora & certiora suppetant,ab eo abstinendum, *Primirosius*

Adde Trochiscos Viperinos) In puero 23. menses nato Variolis correpto, cum comate & convulsionibus, ac summa virium prostratione, *Riverius* 2. morbi die v. s. statim præscripsit, post exhibuit è cochleari frequenter *Julep. ex aqu.card.ben.scab.* āā. ʒiij. *trochisc. viper. & bezoart. miner.* ℈ß. cum pauco jusculo, quibus per biduum continuatis Variolæ erupere per totum corpus, quibus æger feliciter defunctus est.*Cent.*4. *obs.*17.

III. [75]. *Partium defensione.* Et tum, [76]. 1. *Oculi* auro puro [77]. confricandi: vel aqua plantaginis & euphrasiæ cum pauxillo camphoræ, tuthiæ & croci, vel urina propria in qua pauxillum croci resolutum, vel infuso sumach in aqua rosarum, illinendi: si aperiri non possunt, decocto semin. lini, & cydoniorum, lacte tepido inungendi [78]. si pustulæ intus exoriuntur, sanguis columbinus frequenter instillandus.

2. [79]. *Facies* quando erumpere incipiunt, illinenda larido in aqua liquefacto, & sexies aqua rosarum loto: maturescentibus, oleo amygdalarum dulcium recenter sine igne expresso, vel oleo nucum recente cum aquæ rosarum pari quantitate ad formam linimenti subacto.

3. [81]. *Naribus* nodulus ex santalo & camphora aceto rosaceo intinctus admovendus: Occlusæ, oleo amygdalorum inungendæ.

4. [82]. *Guttur* vel oleo eodem vel diamoro illinendum; vel decocto plantaginis & hordei cum melle rosaceo eluendum; nisi malis decoctum lentium potum,& si exulceratum,urticæ,& hordei integri, ad collutionem.

5. [83]. Ne cicatrices & [84]. nævos post se relinquant solent [85]. aperiri acicula aurea, argentea,

vel offea, 3. [86]. ablui aqua omnis generis florum. [87]. inungi pinguedine humana, vel Foresti unguento, quod ex [88]. *olei* amygdal. dulcium & liliorum alborum ana unc. j. *pingued. Caponis* dr. iij. *radic.* pæoniæ, ireos, *lithargyri* ana scr. ß. *sacchari* scrup. j. conficitur.

6. [89]. *Rubendinem in partibus relictam* solebat Mercurialis pulte ex lupinis, fabis & hordeo ana, crasso modo contusis & coctis tollere: tollitur & oryza in lacte caprino cocta.

7. [90]. *Cicatricibus* implendis conducit etiam oleum ex vitellis ovorum, & sevum vervecinum recens liquatum & penna inunctum.

Partium defensio.

75. *Partium defensione*) Specialis curatio debetur aliquibus partibus, quæ nonnunquam in hoc morbo magis quam aliæ affliguntur, propterea quod materia morbifica aut iis speciatim magis infesta sit, aut majore copia & impetu ad illas decumbat: Partes autem plus aliis afflictæ sunt vel internæ, vel externæ. *Internæ* præcipue sunt Pulmo, ventriculus, intestina, hepar & renes, quas affectas, & graviter læsas esse ex læsione deprehenditur.

Etsi autem his partibus, una vel plurimis, speciatim magis afflictis, maximum ægris periculum incumbat, & pauci sic detenti à morbo resurgant ac serventur, tamen quia non omnes moriuntur, sed aliqui adhuc servantur, oportet ut Medicus qualemcunque potest curationem, etiam in desperatis hisce casibus instituat, sicque causam mali, quantum potest imminuat, & symptomata leniat, & denique vel ægro sanitatem restituat, vel mortem leniorem procuret.

Externæ partes quæ plus cæteris affligere solent, sunt manus & pedes, os & fauces, nares, aures, oculi, & facies.

Omnibus partibus internis, seu visceribus afflictis in genere succurrit *Decoctum lentium, lacca, & tragacantha ab Avicenna* traditum, *Lacca* enim jecur, lienem & renes tuetur, *lentes* intestina roborant, *tragacanthum* partes spiritales defendit.

Peculiariter *Pulmoni* laboranti conveniunt dulcia, utpote quæ maturationem promovent, tussim leniunt & sputa facilitant; conveniunt *Decocta pectoralia, ex hordeo mundato, tussilag. alth. violaria, ficubus passulis, jujubis,* &c.

Ventriculi vomitum & cardialgiam principio potenter sedat *theriaca*, Postea sæpe exhibenda talis Emulsio.

℞. *amygd. d. mund.* ℥j. *sem. 4. frig. maj.* ãã. ʒiß. *sem. papav. alb.* ʒiiß. *aqu. hordei q. s. f. Emulsio ad* ℔j. *cui admisce syr. de papav.* ʒij. *syr. de borrag.* ℥ß. *misce.*

Foris in regione ventriculi, cum magna spongia facienda est *Fomentatio ex decocto m. altea, altha, mentha, melissa, majorana, flor. rosar. chamom. melil. sem. anis. & cumini.*

Post Fotum, ad majorem corroborationem; valet Linim. hoc.

℞. *Olei menth. aneth.* ãã. ℥j. *nuc. mosch. expr.* ʒiß *spica, philos.* ãã. ʒj. *misce.*

Post inunctionem imponendus hic *Sacculus*, siccus vel vino calido irroratus, vel in vino nonnihil excoctus & expr.

℞. *fol. major. rosmar. salvia, flor. melilot. rosar.* ãã. *m.* ß. *sem. aneth. levist. cumin. nucis mosch.* ãã. ʒj. *caryoph.* ℈ij. *f. Pulvis grossus*, Ex hoc sacculus intersutus.

Intestinorum tormina & alvi fluxum sedant *theriaca, mithrid. diascord. c. c. ustum, oculi cancr. pulver. terra sigill. corall. rubr. conserva rosar. rubr.* Valet hoc Amygdalatum.

℞. *semin. papav. albi.* ʒiij. *amygd. d. mund.* ℥ij. *decocti hordei q. s. fiat Emulsio ad* ℔j. *adde syr. de papav. de rosis sicc.* ãã. ʒiij. *misce.*

Hepati laboranti conveniet simile *amygdalatum*, additis *semin. iv. frigid. major.* Vel conducet etiam *Decoctum hordei cum rosis & santalis rubr.* dulcoratum cum *syrupo papaver. errat. rosar. & violac.* Aut præscribendum *Condits ex conserva rosar. violar. & pulv. triumsantalo.* addito *syrupo papav. errat.*

Renes si sanguinem profundant præscribenda talis Emulsio.

℞. *amygdal. dulc. mundat.* ℥iß. *sem. 4. frig. maj.* ãã. ʒj. *semin papav. albi* ʒiij. *decocti hordei q. s. f. Emulsio ad* ℔j. *in qua dissolve tragac. pulver.* ℈ij. *syr. papav. errat. de rosis sicc. de symph.* ãã. ℥j. *m. f. Amygdalatum.*

Liddelius in hoc casu commendat *pulverem succini*, aut *trochisc. de carabe, vel alkekinge*, cum Emulsione *4. sem. frigid. major.* datum. *Diemerbroeck*

Peculiariter vero *Pulmonem* defendunt *Conserv. rosar. violar. syr. jujub. violac. myrtinus, de ros. siccis,* de *papav* vel Eclegma sequens.

℞. *conserv. rosar.* ℥iß. *succi expr. ex lentibus tertio elixis.* ʒvij. *semin. papav. albi.* ʒiiß *tragac.* ℈j. cum *syrupo de rosis siccis f. Lohoc.*

Vel istud *Avicenna*, à *Garnerio* & *Foresto* laudatum.

℞. *lent. excortic. & subtiliss. tri.* ʒiij. *sem. papav. albi.* ℥j. *conserv. ros.* ℥ij. *Julep. rosat. q. s. f. Lohoc.*

Si jam præsens *fluxio in Pulmonem* irruat, & raucedinem ac suffocationem inducat, non solum remediis prædictis cohibenda erit, sed etiam revellendo per cucurbitulas, tum siccas tum scarificatas, & V. S. Si cætera consentiant, Præterea in *Potu decoctum hordei, jujubar. & liquir.* Lohoc sequens sæpe etiam usurpetur.

℞. *semin. alth. melon. cucumer. & papav. albi* ãã. ʒij. *passular. mund. & jujubar.* ãã. *par. iv. coqu. ad* ℔j. *dissolve conserv. rosar. & violar,* ãã, ʒß.
pulv. el. diatrag. fr. ʒiij.
sacch. c. & rosac. ãã. *q. s. f. L. hoc.*

Fauces & Guttur defendi poterunt Gargarismo.

℞. *Hord. mund. p. j. fol. plantag. m. ij. rof. rub. p. j. balaust. sem. sumach.* ãã. ʒij. *bulliant in aq.* ℔ij. *In colat.* ℥viij. *dissolve syr. moror. & granat.* ãã. ℥j. *f. Gargar.*

Si tenella ætas Gargarismos non ferat, fiat Lohoc ex *succo moror. granat. de ros. siccis, vel solis, vel cum aq. plantag. & rosar.* da frequenter è cochleari. His si fluxio ob copiam cohiberi nequit, unde adsit suffocationis periculum, usurpentur quæ vias laxant & excretionem juvant.

℞. *Mucilag. sem. psylli, ol. amygd. d. r.* ãã. ℥iß.
sacch. albi ff. ℥ij.
misce f. Lambitivum.

Si fluxionis acrimonia, aut copia variolarum *ulcus faucibus* induxit, *aqua hordei cum melle rosac.* vel *aqua alumin.* detergendum est. Si ad corruptionem vergat, adde tantillum *Ægypt.*

Intestina præservabuntur iisdem remediis quibus Pulmones: At si jam præsens *alvi fluxus*, vel *dysenteria* urgeat, 1. detergentia & lenientia, post adstringentia usurpentur, Clysteres ex *lacte chalybeato. sacch. & vitell. ovor.* mox ex *decocto hord. & rosar. rubr.* cum *ovi vitello*, tandem ex *decocto plantag. centinod. & prunella*, &c.

Renes etiam interdum afficiuntur & exulcerationem patiuntur &c. *Riverius.*

75. Externæ partes quæ plus cæteris affligi solent, sunt manus & Pedes, Os & Fauces, Nares, Aures, Oculi & Facies.

Pruri-

Pruritus & dolor in volis manuum & plantis pedum.

In eruptione Variolarum, aut dum maturescere incipiunt, interdum ingens dolor aut pruritus affligit in volis manuum & plantis pedum; eo quod densior illarum partium cutis eruptionem impediat: Huic symptomati medeberis si partes illas in *aqua calida*, vel in *aqua cum lacte dulci* mixta, vel in decocto emolliente diu foveas.

Oris & faucium Variolis obsessorum curatio.

Si magna copia Variolarum in *ore & faucibus* eruperit, molesta inde solet esse respiratio & deglutitio, Hinc os frequenter colluendum, & fauces gargarizandæ cum *decocto ficuum simplici*, vel si forte magnus fervor aut inflammatio adsit, poterit id hoc modo præscribi.

℞. *hordei mund.* ℥iß. *ficus conscissas n.* viij. *passular. mund.* ℥iß. *fol. alth. violar. endiv. lactuc.* āā m.iß. *flor. rosar. rubr.* m.j. *sambuc. man.*ß. *aqu. q. s. f. Decoctum ad* ℔.j. pro Collutione oris.

Cum jam sunt maturæ Variolæ, ad faciliorem deglutitionem, & faciliorē Variolarū eruptionem subinde deglutienda est Pilula magnitudinis nucis avellanæ, ex *butyro recenti insulso sacchar*o obvoluta; hæc enim mirabiliter faucium tumentes Variolas dissolvit.

Si hoc tamen non succedat, Variolæque integræ remaneant, & magna respirandi deglutiendique difficultas plurimum urgeat, tunc parva spongia bacillo firmiter alliganda, eaque syrupo violaceo intincta fortiter in fauces intrudenda est, ut sic Variolæ illic vi disrumpantur, & angustia dissolvatur: Facta disruptione, gargarisandum est cum decocto *hordei*, *plantag* & *rosar. rubr.* dulcorato cum *melle rosac.* & *syrupo de symphyto.*

Aurium dolor, pruritus.

Aures si doleant, vel pruriant, curandum ne manibus contrectentur, & si fluant, ut sæpe solent, dimittendum est, & curandum ut apertæ maneant, At si dolor urget, spongia immergenda est decocto *folior. alth. flor. chamom. meliloti. rosar. semin. fænic. aneth. & cumini* eaque tepens auri aliquandiu imponenda. *Diemerbroeck.*

Oculorum medicatio.

76. *Et tum* 1. *Oculi*) Consistit partim in Præservatione, partim in Curatione: Ut Oculi à magna Variolarum copia præserventur, nonnulli Palpebras sæpe lavant cum *aqua rosar. & plantag.* in qua nonnihil *tuthia præparata infusum*, aut pauxillum *sief. albi & camphora* admixtum fuerit.

Mercurialis sumit *lac chalybeatum* cum *aqua rosac.* mistum, cui interdum *myrrha* aliquantillum permiscet ad *pruritum & dolorem* leniendum.

Ego omnium optimum esse comperio, si *crocus* pulverisatus misceatur cum *cremore lactis*, hacque mixtura palpebris cum pluma illinatur, ejusque etiam nonnihil caruncula in angulo majori admoveatur, quo ipso, addito pauxillo sief albi, etiam feliciter utor ad curationem cum Oculi quoquo modo læsi sunt.

Si forte *Palpebra* à Variolis præservari nequeant, tunc frequenter contingit, ut ab iis valde intumescant, ita ut oculi ob illum tumorem omnino claudantur; In eo casu notandum palpebras, non obstante isto tumore, singulis diebus semel aut bis digitis à seinvicem semovendas, & nonnihil aperiendas esse, ut sic liquor intus subsistens effluat, qui alioqui intra palpebras crassescens albuginem parit.

At si forte ob Tumoris magnitudinem commode aperiri nequeant, prius fovendi sunt cum spongia molli intincta in jure vervecino, aut tepido decocto *folior. althaa flor. rosar. pallidar. meliloti, & semin. fænugr.* eoque fotu aliquamdiu adhibito, admotis digitis apertio palpebrarum tentanda est.

Si post detumescentiam, & hinc liberam palpebrarum apertionem, nebulæ albugineæ in oculis obortæ, visum obfuscantes observentur, *sacchar. candum album*, subtilissime pulverisatum, per pennam scriptoriam, à pluma rescissam, in oculos subinde insufflandum est, quo solo illas nebulas sæpe feliciter discussi.

At si forte duriores evaserint, & oculos plane excæcent, tunc est *sacchar*o *cand*o addenda quarta aut sexta pars *lapidis calaminaris* cum *sacchar*o pulverisati: Tali pulvere albuginosæ istæ maculæ egregie tolluntur visusque restituitur.

Si à Variolis oculi ulcerentur, curandi erunt hoc Collyrio.

℞. *cerusa lota* ℥iij. *sarcocollæ* ʒj. *gumm. tragac.* ℈j. *opii grana* ij. Cum *mucilag. tragac.* in *aqua plantag. extracta fiant Trochisci*, usus tempore dissolvendi in *lacte muliebri* vel *aqua rosacea.* Diemerbrock.

Ecthymata & Exanthemata si oculos petant, hisce præcavendis cura adhibenda: Oculis igitur clausis, palpebræ circumlinantur sequentibus, de quibus & si aliquid oculis incidat vel instilletur non nocebit, sed potius conveniet, *Aqua* hic usurpantur *plantaginis, myrtillorum & coriandri*, *Aqua rosac. croco*, ut bene flava fiat, tincta, communiter illinitur; vel *decoctum* aut *infusio fol. sumach* in prædictis aquis; Vel instilletur *succus granat. dulc.* & florum mistus *succo hyoscyami*; *aut Pulvis flor. hyoscyami* tritus cum *vino austero* oculorum palpebris illinatur.

Collyrium utile.

℞. *Pulv. fol. sumach.* ʒj. *sem. coriandr. prap. vel myrtill* ʒß. *croci.* ℈j. *camph* ℈ß. *aqu. pradict. ad* ℥viij. *misce diligenter*: Efficacius erit si parum *succi granat.* addatur.

Sapphiro gemma, vel *auro* puro si ambitus oculorum circumducatur, eos à Variolis tutos manere aliqui existimant. *Platerus.*

His Variolis laborantibus admoveatur *frustulum cruentum carnis recentis vitulina*, & ita tepide oculis imponatur, ut hoc ipsum salsam oculos infestantem humiditatem absorbeat. Hinc ubi fere ad quadrantem horæ adhæserit, auferatur, & recens imponatur, & sic consequenter aliquando continuando, *Succus cærefolii* cum *aqua fænic.* instillatus Variolas oculorum curat; *Primrosius.*

Si nihilominus Oculi in progressu morbi intumescant, ita ut nequeant aperiri, vel etiam glutinosis sordibus inviscentur, *decocto semin. lini, fænugr. cydon. malva*, Vel Fotu ex *malva & sem. cydonior. in aqua communi* decoctis aperiantur, idque tamdiu donec inviscatio & tumor cessent.

Nebula postmodum in oculis apparentes *pulvere sacch. candi* in oculos inflato curantur, Hoc enim sacchar. præservat non solum oculos, sed etiam nebulas detergit: Si etiam cum *aqua rosac.* adhibeatur, Sin his omnibus non obstantibus, tāmen Variolæ Oculos occuparint, ita ut istis curatis nebulæ, aut suffusiones, aut similes visus obscurationes supersint, proficua est *Aqua ophthalmica Rulandi*, Vel Ophthalmica ex *croco metallor.* *Ettmuller.*

Ad præservandos Oculos, antequam appareant, efficax.

℞. *Collyrii albi sine opio.* ʒiß.
aqu. rosar. vel *plantag.* in qua *aurum ignitum decies extinctum fuerit.* ℥uj.
camphor. ℈ß.

Et si Variolæ jam videntur conspicuæ circa corneam, *pulv. stibii tenuiss.* & bene permista *rosacea* cum *collyrio albo* &c. De hoc per 4. vel 5: dies, 5. vel 6. vicibus imponantur guttulæ iij. vel iv. majori angulo. Vix dici potest quam sit egregium medic.

Ad cicatricem relictam mire hoc prodest,

℞. *succi consol. min. depur.* ℥ij. *succi papav. rub.* ℥j. *aq. mellis*, ʒvj. m. instilla in angulum oculi. *Hor. Augenius l.6. de Febr. c.32.*

Id adstringentia & repellentia præstant, In oculis periculum est ne cæcitas contingat ex cicatrice: Si enim Corneam occupant Variolæ, rumpitur ea, ulcusque succedit difficillimum, & eo curato cicatrix.

℞. *aqu. plantag. rosar. āā. ℥iij. sem. sumach ℥ß. santali albi & rubri. āā. ʒß. fervefiant parum & colentur, Colaturæ adde camphoræ. ℈j. Croci. gr. iij. & oculi foveantur.*

Albumen ovi cum aqua plantag. sufficit.

℞. *Sief albi sine opio. ʒß. aqu. plantag. ℥iij. Camph. ℈ß. s. Coll. gr. Primerosius.* Tale collyrium nunquam me fellit, inquit *Renealmus* in *Observ.* Sæpe oculis instilletur, idque in principio, ut defendantur oculi à pustulis. Aliquando cum jam jam humor ad partem appulerat, admiscui detractis *aqu. solani & sem. sumach. mucilag. sem. alth.* in aqu. fœnic. *extr.* ʒß. quibusdam minori in copia pro ratione morbi. Luco semin. sumach. *malicor.* sumi potest E. g.

℞. *cort: granat. ℥iij. infunde in s. q. aqu. ros. & plantag. stent in infus. loco calido, filtra, adde margar præpar.* gr. ix. *croci orient.* gr. iij. *misce.* Collyriũ extemporaneũ.

℞. *aqu. plantag sperm. ran. misce parum sacch. Saturni* instilla pro præservatione; Hujus loco *tuthia præp.* cum pauco *vitriolo* adhiberi potest, *Ettmuller.*

Nutrix quædam lingua propria oculos pueris lingebat, sicque reseratis oculis, abstersaque sanie convaluit infans, *Thom. Bartholinus Cent* 1. *Histor.* 29.

Ne Exanthemata Oculos petant, Aqua ophthalmica excellens, quæ amissum visum in morbillis potenter restituit.

℞. *Tuth. præp.* ʒß.
vitrioli albi, sarcocoll. nihili albi aloës lota. āā ℈j.
aqu. fœnic. rosar. chelidon. pimpin. nymph. āā. ℥j.
albumin ovor. ossis sepiæ. ʒß.
m. pro Collyrio. Phil. Grulingius. Pr. l. 1. *c.* 10.

Præservativum à suffusione expertissimum in Variolis.

℞. *pollin. smaragdi, margar. præpar.* āā. gr. x. *camph.* gr. ij *aqua rosar.* ℥iij. *ponantur in phiala & sæpe agitentur,* Hæc aqua sæpe instilletur; *Idem Pr. l.* 5. *p.* 3. *c.* 9

77. *Conservandi*) Lenis palpebrarum frictio, imprimis cum *succino, smaragde sapphiro*, valet in Variolis pro defensione oculorum, quod cum successu suasimus sæpius. *Wedelius Am. m. m p.* 137.

78. *Si Pustula*) Vbi jam Variolæ oculorum tunicas externas palpebrasque occuparint, possumus præscripto collyrio (§. *Et tum* 1. *Oculi*) similiter uti, illud oculis quoque instillando, addendo *tuthia præparata*, vel *trochisc. alb. Rhasis* ʒß. Quod si suppuratæ in ulcus abeant, periculũ est de amissione visus, tuncq; uti ulcera oculorũ tractari debent, & ad *cicatricum ablationem pulvis tenuissimus sabarum* cum *sacch cando*, aliaque cicatricibus oculorum convenientia inspergi. *Platerus.*

Faciei Medicatio.

79. Faciei medicatio, non minus quam oculorum, partim in præservatione consistit, partim in curatione.

Præservatio ea de causa non instituitur ut Variolæ in facie prorsus non erumpant, si enim illic earum eruptio impediretur, forte labes illa alias interiores partes, ut cerebrum, meninges, oculos, aliasve gravius feriret) sed ut decidentes & exsiccatæ Variolæ quam minimas foveas & cicatrices relinqueant: Hunc in finem varia sunt excogitata Topica.

Nonnulli erumpentibus; Variolis totam faciẽ identidẽ fovent cum *decocto illo in quo pisa ad summam mollitiem excocta* sunt: Alii faciem pluma bis de die illinunt cum *oleo rosarum*, egregio successu. *Forestus* laudat *oleum amygdalar dulc. Riverius oleum nucum.* *Alii lardum* in camino exsiccatum, & in forcipe ignito, seu ab igne candente assatum, seu tostum & liquatum, *aqua rosacea* exceptum instar unguenti mollis feliciter illinunt, hocque magni Practici *Timanni Gesselij* ordinatum erat. Alii *porci masculi recenter mactati omentũ* in veru ad ignem assant, & distillantem *pinguedinem* supposita *aqua rosacea* excipiunt, eamque toti faciei illinunt, & mox faciem totam contegunt ejusdem porci laido in tenues laminas conscisso hæc bis de die renovant usque ad perfectam variolarum maturationẽ (quæ sic longe mitius maturantur) & usque dum decidant: Hoc Dominarum aulicarũ secretum est.

Certe hæc omnia non contemnenda, sed egregia, atque nonnunquam in usum vocanda existimo, præcipue in iis Magnatibus & ditioribus qui sibi imaginantur Medicum magno aliquo molimine plus præstare posse quam Naturam, proprio conamine; Interim ego ordinarie meis ægris consilium do ut in principio molli spongia foveãt totam faciem cum *jure carnis vervecinæ* ad summam mollitiem coctæ, ablata pingnedine (hæc enim cutem nonnihil denigrat, vel obfuscat) idque aliquoties de die repetant, usque ad variolarum maturationem, postea vero totum negotium naturæ committant, inprimis si Variolæ non valde magnæ & copiosæ sint.

Præterea & hoc maxime commendo, ut caveant ne Variolas scalpendo detrahant, Experientia enim docet eos quibus Variolæ sponte, vel sine apertione exsiccantur, & decidunt, paucioribus minoribusque vestigiis & cicatricibus deformatos evasisse; quod ipsum etiam *Garcialopus & Forestus lib.* 6. *obs.* 50. in scholiis notarant. *Diemerbroeck.*

79. *Facies quando erumpere incipiunt*) Cicatrices & foveæ earum ab acido acri salso, præcaventur temperando illud, ut pus mitescat, quo facto fovearum & cicatricum nullus metus; *Unde* 1. maturantia & temperantia conveniunt: 2. nævos & maculas tollentia. 3. cicatrices & foveas, si quæ sunt implentia. Pro quo, ut mitigetur & temperetur pus, *ol. amygd. d.* cum penna calide illinatur, quando jam maturaverint, & in medio oculi quasi albicãtes apparuerint; hoc sæpiuscule fiat in die.

Frustulum item *lardi* subinde impositum ac sæpius renovatum est egregium. Præstantius est *pinguedo lardi incensi* distillans; Pulvis ad Variolas *Minsicht.* p. 134. Vnum ex optimis est *spiritus vini aromaticus* cum *salibus volatilibus* leviter acuatus, & subinde calide Variolis applicatus. *Empl. de spermate ranarum* cum *sacch. Saturni* imponi potest. Sed caute talia fiant, ne repulsis Variolis superveniat mors: Vide *Borell. obs.* 64. *c. Forestum l.* 6. *obs.* 45. *Ettmuller.*

Ad Foves morbillorum, Quamprimum erumpunt, tota facies *oleo amygd. dulc.* largiter inungatur, Hinc

℞. *fol. auri, n.* ij. impone faciei & oculis; & intra x. vel xij dies cadent, nulla relicta fovea aut cicatrice. In multis expertum est: *Digbeus Exper. p.* 60.

79. *Facies.*) Ne facies tot Variolis obsideatur, Viennæ dorso, sive scapulis, imponunt vesicatoria: Vide *Thermair. l.* 1. *consl. p.* 106. Alii pro hoc vaporem ex decocto herbarum æmollientium pedibus suscipiunt; Aut lacti calido pedes immergunt; Sed habeatur tunc pedum ratio, ne à copia variolarum dolores diuturni, aliave mala gravia iisdem concilientur. *Ettmuller.*

Ad faciei custodiam, nonnulli eam *aqua rosac.* aliisque adstringentibus abluunt; quod non probo, siquidem maxima impuritatum portio ad faciem propellitur, Illius enim cutis laxa & mollis excrementis recipiendis maxime idonea est; unde si impuritates illæ, quæ à natura ad faciem amandantur, ab ea repellantur, intus retentæ gravem noxam inferre poterunt, atque ita naturæ motus neunquam impediendus erit. *Riverius.*

Habent aliqui in more positum, quo faciem à multitudine Variolarum liberent, illasque ad pedes usque derivent, ut in lac bubulum calens infantium pedes immergant, & quidem cum primum erumpere Variolæ incipiunt, quod successu non caret, quamvis non sine notabili pedum detrimento, qui tunc Variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur gravissimi, succedente diuturna pedum debilitate; consulitur tamen sic formæ: *Fr. Sylvius Pr. Med. l.* 4. *tr.* 1. *capite* 9. §. 76.

Sanguinis fermentantis ad pedes sic fit revulsio, pedes enim cruraque à vaporibus non tantum incalescunt, sed & emolliuntur; eorumque vasa ac carnosæ partes dilatantur, hinc quia copiosius in his sanguis colligitur, sanguinis ebullientis à partibus superioribus quædam fit revulsio. *Joh. Christ. Fromannus.*

Si Variolæ in facie oriantur, summe utile est hoc, *Nodulus ex aceto & aqua rosac.* pauca *camphora*, & pulvere *santali*, aliisque odoratis frigidis naribus frequenter admoveatur, ut & *theriaca aceto soluta* & inuncta.

Præ cæteris valet tale Linimentum.

℞. *ungu. rosat.* ℥j. *santalini.* ℥ß. *argenti vivi* ʒiß.
agitentur probe ut amplius non appareat, quo cavitates & ambitus oculorum, statim à prima morbi suspicione illinantur. *Arn. Weickardus. Pharm. p.636.*

Item, Bonum etiam est hoc defensivum.

℞. *lapid. calaminar. crudi & subtiliter triti.* ʒß.
aqua rosar. vini. ãã. ℥ij.
m. & tota facies, inprimis oculi illinantur. *Id in ibid.*

80. *Maturescentibus.*) Non prætereundum quod à multis Practicis docetur, ut nimirum Variolæ ad maturitatem perductæ acu perforentur, aurea vel argentea, ne pus diutius moram trahens in parte cicatrices relinquat, Quod tamen fere jam obsoletum est, cum experientia docuerit Variolas perforatas tardius curari, & crustas diutius retinere, ob caloris nativi imbecillitatem, quæ à perforatione parti inducta est, unde cicatrices fœdiores relinquuntur, Ideoque satius est puris evacuationem soli naturæ relinquere. *Riverius.*

81. *Naribus*) Ad *Nares* præservandas *Acetum* sæpe olfaciendum, At efficacius operabitur *collyrium* ex *succo polygoni* & *bursæ pastor. sem. sumach. & camph.* quo inuncta turunda sæpe in nares erit immittenda; Si nihilominus Variolæ intra nares nascantur, illæ cito in crustas abeunt, quæ *oleo amygd. d.* frequenter erunt illinendæ ut brevi decidant; Si *exulceratio* contingat, *linim. ex oleo vitell. ovor.* & *succo plantag. in mortario plumbeo* subactis tractanda erit. *Riverius.*

Ad Oculos præscripta naribus convenire possunt, addito *aceto rosaceo*, cujus solius odoratus frequens prodesse dicitur.

℞. *plantag. myrti. rosar. balaust.* ãã. *p.* ß.
f. decoctio in aqua plantag. & aceti. ãã. ℥iij.
Colatura sæpe nares foveantur.

Vbi exulceratæ sunt, *Ceratum rosac. aut violac. cum mucilag. tragac.* convenit.

℞. *Mucilag. semin. cydonior. extr. in aqu. plantag.* ʒvj.
oleo rosat ℥j.
cera parum. fiat Linim. Primirosius.

Nares defendendæ sunt, in quem finem.

℞. *flor. ros. rub. p.* ij. *camph.* gr. 8. m. f. Nodulus crebrius naribus admovendus, vel solitarius, vel *acet. ros.* intinctus.

Quod si *crustæ* subinde circa nares concrescant, ita ut per eas spiritus trahi nequeat, *butyrum* recens aut salitum, vel cum *aqua rosar.* sæpius lotum blande nasus inungendus est, quousque crustæ decidant. *Etmuller.*

Suadent quidam ut ægri hæc vel illa decocta naribus attrahant, sed illud pueri facere nequeunt, & in adultis etiam, propter obstructionem, peragi non potest, verum solum butyrum, naribus aliquoties immissum, totum negotium feliciter absolvit, ita ut aliis opus non sit. *Diemerbroeck.*

82. *Guttur*) Funestæ inprimis Variolæ sunt *Faucibus*; in quibus suffocatoria pathemata atque adeo agrypniam (aphoniam) quasi inducunt; Ad præservationem.

℞. *aqu. prunell.* ℥iij.
syr. de succo scabios. granat. ãã. ℥ß.
rob. diamor. dianuc. ãã. ʒij. *m.* Vel

℞. *aqu. prunella scabios.* ãã. ℥ij.
sem. cydon fœnugr. ãã. ʒj.
nitri depur. ʒß. *ad* ʒj. *m.*

In quem finem *stercus equinum* optimo consilio potui additur, vel succo *cancr. fluviat. cum aqu. semperv. maj.* misto, pro Collutione oris & faucium usurpato fauces & lingua præservantur, Quod si nihilominus fauces & lingua obsideantur, idque cum magno dolore & calore, imitemur *Forestum l.* 7. qui jubet ut continuo cum *lacte caprino* & *aqu. plantag.* simul mistis tepide se gargarisent ægri, aut si gargarisatio molesta sit, saltim aliquandiu in ore detineantur, hinc expuantur, quod miraculi instar prodesse ait, Et oris & gutturis præstantissimum remedium cum signa exanthematum se produnt, Item Gargarisma ex *decocto horder, passul. min.* ac similibus temperantibus adhibeatur, idq; ad faciliorẽ maturationem, *Pustulis* verò jam se aperientibus, huic *decocto mel rosac.* pauxillo *alumine* addito admisceatur ad meliorem purificationem; ne ulcera sordida remaneant, Quod si nihilominus *Fauces exulceratæ* fuerint.

℞. *herb. salv. vel veron. sem. hord.* ãã. *m.* ß. *vel j.*
passular. min. m ß.
coq. in s. q. aqu. plantag. colat. ℥viij. *vel* ℔j.
adde mell. ros. ℥iß. *alum.* ʒß. *ad* ʒj.
m. pro *Gargarismate.*

Quod si *Lingua exulcerata* fuerit, siquidem hoc non raro, teste *Schenckio*, tota putrescit, eroditur & expuitur, contra talem exulcerationem.

℞. *flor. malv. arbor.* ℥ß.
balaust. ʒij.
myrrh. el. ʒj. *alum.* ʒß.
cum s. q. mellis despum. f. Linimentum molle. *Etmuller.* Vide §. *Partium defensione.*

Ad Fauces valent Gargarismata ex decocto adstringente parata, cum *diamoro*, *dianuco*, *granatorum berberisque succo*, qua sola, si gargarismis æger uti non possit, lambendo sumpta prosunt. *Primirosius.*

Pro tuendis Gulæ & Gutturis partibus, exterius scutum croco intersutum, & lacte muliebri intinctum apponimus, hæc enim poros aperiendo venenum ab intimo gutturis exterius alliciunt, In hunc finem gargarismos adhibemus & oris collutiones, quæ restrictione sua variolas intus erupturas cohibeant. *Willis.*

Cuidam Variolas in gutture habenti mandavi, ut continuo cum *lacte caprino* & *aqua planteg.* simul mixtis tepide gargarisaret, quod miraculi instar profuit: Præservat maxime ab Angina, tum suffocatione, estque oris, tum gutturis præstantissimum remedium, cum signa Exanthematum se produnt.

In eundem usum ut *syr. granat.* sæpius paulatim deglutiret, cum hujus usum in tali casu sæpius mirabilem expertus *sim. Forestus Obs.* 17. *lib.*

83. *Ne Cicatrices & navos &c.*) Vbi eruperunt Variolæ plurimi multa moliuntur, at earum plurimæ sine ullo remediorum apparatu sponte sanescunt, *Valesius*, *Forestus* & alii, nihil remedii volunt admovendum, minimeque exsiccandas jubent si sanies alba effluat; utut sit Oleis non est utendum, quia facile inflammantur, eaque vetat *Galenus* in Erysipelate; Nec narcoticis, ne repellant humorem in interiora; nec emplasticis, quia humoris difflationem prohibent: nec suppurantibus, quia putredinem & corruptionem fovent; Et quotidiana docet experientia sine

maturatione sponte sæpissime exsiccari, si sint paucæ, salubres, boni motis exiguæ, Quædam tamen maturantia postulant, sed ad id fotus sufficiunt remollientes.

Postea quibusdam aperienda videntur acu aurea, argentea, vel ærea, non forficibus, ne foveas relinquant, fœdasque cicatrices, retentus ichor subjectam cutim viulet, illicque ulcera generet interdum profunda; quicquid dicat *Mercurialis*, qui negat esse aperiendas, quoniam jam damnum intulerunt Variolæ cum albescunt; verum tamen videmus ordinarie putrem materiam ulcera prurituumque inducere, & subjectas partes violare nisi prompte vacuetur.

Ad cutis igitur exsiccationem laudabant Arabes salitionem, sed non est utendum solo sale, faciem siquidem inflammat ob acrimoniam & dolorem quem infert, diluendus ideo est aquis quæ illius vim obtundant, ut fontana, *plantag. rosar.* aut simili, cavendo semper ne ante perfectam maturationem laventur.

℞. *aqu. rof. vel plantag.* ℔ij.
falu. ℥j. *hordei. lup. inor.* ana *p.* ß.
fol. tamar. flor. rosar. ana *m.* ß.
plantag m. ß.
lentium excort. m j. *troch. de camph.* ʒj.
santal. omn. ʒij.
croci. ℈j. *fiat decoctio* qua cum gossipio vel spongia tangantur Variolæ: Cujus quoque decocti fumum excipere non est inutile, Exsiccat quoque Pulvis sequens.

℞. *far. fabar. cicer. lupinor. orobi lithargyr. cerusa, aloës, thuris, myrrha, ireos, sangu. dracon. terra Lemnia* ana *p. aq. fiat. Pulvis inspergendus.*

Exsiccat, cicatricem inducit, carnemque generat, ex *Gordonio.*

Quod si Natura segnis sit in squammis ulcerum tollendis, emollientibus utendum erit, ut *ungu. rof. pomata*; dein ulcera sanabuntur siccantibus & detergentibus, ungu. albo camphor. de cerussa, de lytharg. de plumbo, quibus addunt quidam *rasuram rad cannarum, salicis* aut *pyri*: Sed *Bancellus ol. amygd. d.* inungit, donec exsiccentur, sic vestigia non remanent, & si excoriatæ fuerint mirabiliter eas sanat. *Primirosius.* De apertione vide inferius.

Usurpanda exsiccantia, sicubi humiditas vel ichor superfluus excedens inæqualitatem pariat, cujus rei exemplum præbent non tantum ulcera alia, verum etiam Variolarum ipsarum, quem in finem instar omnium esse potest pulvis probatus *Mynsicht* ad exsiccandum, consolidandum & sanandum Variolas. *Wedelius. Am.* ... *m.p.* 103.

Contingit interdum ut à Variolis superstites remaneant exulcerationes quædam fœdæ cutem erodentes, quas fœdæ etiam cicatrices subsequuntur; Has *Amatus* primo lavat hoc Decocto.

℞. *flor. rosar. rubr. myrtillor. fol. lentisci, summit. mercur. tamarisci* ana *part. aqu. Aqua q. s. f. Decoctum, quo ulcerationes laventur.*

Linteo abstersis hunc Pulverem inspergit.

℞. *thuris, mastiches, rosar. rubr. sarcocolla. part. aqu. f. Pulvis subtilis.*

Forestus in eodem casu, præter *Ungu. camphor.* etiam utitur hoc *Unguento de Plumbo*, descriptionis *Montagnana*, quod etiam valde commendat *Duncanus Liddelius.*

℞. *plumbi usti.* ℥ij.
lithar g. ℥j. *cerusa lota, aceti.* ana ℥ß.
olei rosat. ʒiij. *mellis rof.* ℥j.
vitellor. ovor. num. iij. *myrrha.* ʒß.
cera q. s. m. f. s. a. Unguentum.

51. *Ne cicatrices & naevos*) Facies ne cicatricibus deturpetur nihil quicquam molior, dum Olea, Linimenta &c. id tantum quo tardius evanescant albi isti furfures; quibus se invicem pellentibus excipientibusque, postquam æger jam lecto surrexit ac mediocriter valet, paulatim succedunt fœdæ illæ cicatrices: Sed ab his non valde metuendum est ægro, ubi ob regimen moderatius pustulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem causticam contraxere. *Sydenham.*

83. *Relictas ab acrimonia corrodentis humoris*. Male itaque *Horstius* dicit ex materia acri Morbillos gigni; cum è contrario argumentetur quispiam; quo res acrior sit, eo magis corrodit, ac vi sua cutim per consequens ita in variolas attollit. *Piens. p.* 217.

84. *Navos*) Tollunt inprimis *sperma aranarum*, hinc *aqua flor. fabar.* cum pauco *oleo Tartari* per deliq. temperata; Item *aqua omnium flor.* cui misceatur *Cosmeticum Clavij* cum pauca *sena* &c Facit huc cataplasma.

℞. *far. fabar. lupinor.* ana ʒij. *m. cum urina bovis ad consistentiam catapl.* hoc ipso vesperi tota inungatur facies, Relinque per noctem, mane tunc *aqua flor. fabar.* ablue & videbis egregium effectum. *Etmuller.*

85. *Solent aperiri acicula*) Examinandus Aulicorum mos, qui de pulchritudine sua magis soliciti præ aliis existentes, solent Variolas maturas acu aurea aperire; & sic pus educere antequam (inquiunt) cutem profundius erodat (hoc ipsum facere jubent Arabes, multique Medici neoterici) & sic profundas foveas faciat.

Dicendum *hanc apertionem* prorsus noxiam existere (quod notat etiam *Riverius*) & semper à nobis compertum est post illam vestigia valde profunda & fœda relicta fuisse: Hanc experientiam quoque gemina suffulcit ratio.

Nam I. apertio, seu perforatio illa, non potest aut debet institui nisi cum Variolæ jam factæ sunt albæ & maturæ, atqui cum pure albo & cocto existente, omnis ab eo acris fervor & potentia cutem carnemve exedendi abiit, imo & pustulæ sponte exsiccari incipiunt, omnino supervacanum illud apertionis opus acu aurea instituitur, cum ulterioris erosionis nullus metus amplius superfit.

II Per illam apertionem educto pure, tunc cavitates mox ab ambiente aëre exsiccantur, & indurescunt, unde fit ut substrata caro altius succrescere, easque ulterius replere nequeat, at si Variolæ non aperiuntur, sed pus in iis paulatim sponte exsiccari permittatur, tunc substrata caro mollis servatur, tantumque succrescit, ut ante omnimodam puris exsiccationem vestigia carne repleantur, ita ut tandem delapsis desiccatis Variolis, vix amplius ullæ foveæ superstites remaneant.

Hæc eadem posterior ratio etiam docet omnino impediendum esse ut ægri Variolas patientes unguibus scalpendo non dilacerent, aut ante exsiccationem detrahant; certa enim experientia docet tali modo semper fœdas cicatrices & profunda vestigia relinqui

Caveat nutrix vel Medicus, tam in puerulo quam in adulto, ne talium pustularum vesiculæ, nec propter pruritum, nec propter aliud rumpantur, seu *aperiantur*, maxime circa faciem; quod si perforentur Variolæ, perpetuis temporibus vestigia apparebunt. *Auctor libri de propr. rerum.* Vide etiam *Forestum.*

Nondum inter Medicos convenit, An Exanthemata acu aurea argenteave sint aperienda: Sed si sanies in Exanthematis livida, aquosa & indigesta apparuerit, & ea ex aëris contagione pestifera, quam crebro anteverrunt, pullulaverit, tunc ob acredinem & virulentiam humorum, ut illorum virus exhalet, & ne exedant, aperienda censeo; Ita tamen ne illorum crustula, quã Græci ἐφελκίδα vocant, una auferatur, At si sanies spissa, alba, & bene cocta fuerit, satius esse arbitror ea intacta relinquere: Nam in hujusmodi Saniei generatione carnem quoque succrescere, qua pustularum vestigia explentur

plentur novimus. *Joh. Langius.* ex quo *Mizaldus.*

86. *Ablui aqua*) Si faciei decorem conservare volueris, postquam crustæ sponte deciderint, faciem cum decoctione lupinorum, aut *aqua distillationis florum fabarum*, mane & vesperi abluito; vel *liquore tartari usti stillatitio*, & spe non frustraberis. *Joh. Langius.*

87. *Inunge pinguedine*) Ad Variolarum foveas in usu est quibusdam faciem brodio carnis vitulinæ fovere & mulcere, quod cum perfecte maturuere locum habet. *W. delius*

88. *Olei amygdal. dulcium*) Ultimis morbi diebus, cum facies ob pustulas crustosas duras aridasque fere riget, eandem *ol. amygd. d.* inungo persæpe, tum ad mitigandum dolorem, tum ut effluvia calidiora liberius exhalent. *Sydenham.*

89. *Rubedinem in partibus relictam solebat Mercurialis*) Idem sequens commendat, ℞. *Limonem unum vel alterum, fol. serpentariæ p. ij. pedes vitulinos duos, incidantur omnia & destillentur*, liquor hic, *ut*, illitus faciei & manibus summopere prodest ad colorem restituendum.

Ad Variolarum vestigia delenda, & faciem pristino nitori restituendam probatissimum est oleum rorismar. ejusque balsamum: *Strobelbergerus Tr. de Puer. Aff. c. 19.*

Sanatis Variolis maculæ rubicundæ aliquamdiu superstites manent, ad quarum citiorem sanationem nonnulli eas bis terve de die lavant cum decocto lupinorum & fabarum, in quo aliqui etiam coquunt radices arundinis & abrotanum: alii utuntur *aqua destillata flor. fabarum & sigilli Salomonis*, addendo aliquantum *succi limon.* Alii maculas abluunt cum aqua *millefoliorum*: *Joh. Paschalius* commendat lotionem cum *aqua rosmar.* Celebrat *Mercurial. aquam distillatam ex duobus pedibus vituli, totidem limonibus*, & pauxillo *serpentariæ* Alii inungunt *ol. rosac.* aut *pomatum*, cui *oleum tartari* admixtum est.

Sed ego in praxi à longo tempore observavi illas citius sponte evanescere si omnino nihil admisceatur, nam aër externus cutem post exulceratas Variol. de novo regeneratam paulatim exsiccat & indurat, & sic paulatim etiam imminuitur macularum istarum color, imo tandem penitus evanescit, ubi nova illa cutis cum priore reliqua cute æqualem duritiem adepta est, Ac proinde ego communiter nullas lotiones, aut inunctiones cum in finem præscribo, cum illas cutis indurationem, & macularum sublationem potius tardare, & solum aërem externum optimum macularum remedium esse compertam.

Si tamen aulicis quibusdam Domicellis sine aliquo remedio topico satisfieri nequeat, illis commendo lotionem ex *aqua fabarum*, cui pauxillum *aquæ tartari* (vulgo male appellant oleum) vel *succi limon.* admixtum, vel lotionem ex *lacte virginali. Diemerbroeck.*

90. *Cicatricibus implendis*) In foveis illis quæ plurimæ per faciem & nasum dispersæ, post morbillos sanatos relinquuntur, cum fieri nequeat ut fortiora singulis locis adhibeantur, nec alia *extergentia* hic, quæ vulgo præscribuntur, aliquid abradendo efficerent, sed potius amplius excavarent, exigua sane emendationis hujus vitii spes est, & proin fere negligenda: Exemplo sint magnatum liberi, in quibus si quid tali cura perfici posset, nihil relinqueretur intentatum, Quod si tamen aliquid tentandum, non deradentibus, sed contrariis potius, *emollientibus & attrahentibus* adhibitis illud, ut se attollant, facieique aliquo pacto magis plana evadat, molliendam, Veluti *lilior. decocto*, item *ped. vitul.* aliisque similibus, quæ studio, cum parva spes sit curationis, omittimus: Huicque vitio potius præcavendo ne hoc fiat occurrendum. *Platerus.*

Quæcunque remedia præscribuntur fere frustra fiunt, nam ubi semel exsiccatæ sunt Variolarum foveæ, & cicatrices nimis cavæ vel elevatæ constant, hinc omnino fixæ permanent, nec unquam ullis topicis immutantur: Verum si nimis rubicundum, aut alium fœdum colorem habeant, ille per *lac Virginale*, aliaque ad maculas delendas proposita, fortassis aliquantum imminuetur, aut penitus tolletur; sed ulterius in fovearum curatione & repletione nihil proficietur.

His adde quod *axungia humana, vervecina, asinina, anserina*, aliæque variæ, cutis splendorem adeo obfuscent, & subnigricantem reddant, ut longe majorem quam ipsæ Variolarum cicatrices & foveæ fœditatem inducant. *Diemerbroeck.*

Si quædam supersint, pro his mediante nutritione debite implendis, inservit axungia *ascia piscis* illita, & pinguedo anguillæ. *Ettmuller.*

Cicatrices fœdæ huic morbo solent sæpissime succedere quas fieri prohibebimus si æger manibus prurientem locum non scalpat nec excoriet, tum inungendo *decocto oryzæ*, vel *butyro in aqua ros.* cocto, vel *sero lactis*, vel *pinguedine vervecina, aqua violar.* lota.

Factæ autem cicatrices adimi non possunt, quicquid recentiorum industria hactenus excogitaverit, sufficit si aliquantulum emendentur: Quidam emolliunt, deinde detergent; emolliunt *decocto malv. althea, chamom. melil. flor. lini*, quo faciem fovent, fumumque facie excipiunt, vel ungunt medulla *vitul.* medullis recent. ol. amygdal. dulc. & simil. Emollitam cicatricem detergent *sacch. cando, aqua mellis, decocto flor. rorismar. & anagall. vel ol. de tartaro, de myrrha, de camph. de frumento, de vitellis ovor. tum aquis e fabis stillat. e terebinth. saponar. serpentar. limon. aurantiis, limac. fol. ulmi.*

Gordonius & *Hollerius* hoc Ungu. commendant.

℞. *lithar. cerusa, cadmia lota, pulv. cannar. ust. croc. ää ℈ß. ol. de lil. ℥ij. ceræ ʒvj f. ungu.*

Os sepiæ, sacch. cand. spuma maris, cum opomo *melle* locis affectis admoveantur,

℞. *lithar. pet. ciner. rad. cannar. ossa. cant. far. cicerum & oryzæ, sem. melon. cucurb. bern. costi ää ℥ß. cum mucilag. sem fœnugr. & pauco melle fiat mistura.*

qua sæpe faciem aliasque partes, prius decocto furfuris lotas, curasse se refert *Paschalius*, quod tamen non credo.

℞. *Pulv. boracis* ʒj.
oss. sepia ʒß.
sperm. ceti ʒij.
sacch. cand. ℥ß.
mellis & pomata ää. ℥vj. *f. unguentum.*

℞. *lytharg. arg. prap.* ʒiv.
caph ʒij. *alum. lorac. ää.* ʒiij.
moschi. gr. iv.
coq. omnia in aqu. rosac. & aceti ää. ℔ß.
donec tertia pars fuerit absumpta, adde ol. de tartaro ℥ß.
serventur usui & macula sape abluantur.

Rad. liliorum coque in aqua ad putrilaginem, & faciei applicentur.

Mercurialis habet aliam curandi rationem, cicatrices panno aspero fricat ad ruborem, dein apponit, picem si locus pilis careat, quam postea vi avellit, idque ter quaterve repetendum jubet, post locum sic inungit.

℞. *olei opt.* ℥iß.
succi limon. ℥iij;
litharg. lot. cineris testudin. ustarum ää. ℥iß,
pulv. rad. cannar. ℥ij.
pinguied. gallin. ℥ß.

misce, vesperi illinatur facies, mane abluatur aqua in qua decocti lupini: Idem laudat sequentia.

℞. *lupinor. fabar. hord. ää. p. iß.*

cont. & coqu. ad pultis consistentiam, quo cremore abluatur facies mane & sero.

℞. *limonem unum, vel ij. fol. serpent. p. ij. pedes vitul. ij*

91. Symptomatum &c. ablatione) Licet methodus præscripta (si caute ac prudenter circumstantiis particularibus accommodetur) symptomata à natura abhorrentia atque periculosa præoccupet, & securum atque perbenignum morbum reddat, à quacunque tamen causa exorta sunt hæc, necesse est in aliquibus alia via insistere, ut submoveantur & debellentur. *Sydenham.*

Symptomata in his morbis mitiganda sunt vel *ante eruptionem*, vel *post eruptionem*.

Anxietates præcordiorum & jactigationes, quas quando vel vomitus spontaneus præcessit, vel per medicamenta nauseosa provocatus fuit, omnium optime confert *liquor c.c. succinatus*, infantibus præsertim singulariter conveniens, cui etiam *extr. theriacale*, aut *laud. op.* in parva dosi conveniunt.

Vomitus initio non statim supprimendus, ast si nimius fuerit, *extr. theriacale syr. papav. laud. op.* una cum absorbentibus curant.

Diarrhœa, aut *alius alvi fluxus*, per *terram sigill.* curatur, si nempe hujus pulveris largiter cerevisiæ injiciatur, & sub quolibet haustu probe invicem agitentur, & ita assumantur, *lt. c. c. ustum*, *theriacalia* conveniunt.

Vigiliæ, Deliria, inprimis *Convulsiones Epilepticæ*, quæ infantes mox in primo morbi principio cum abdominis duritie affligunt, quas optime curat *liquor c.c. succinatus cinnab. antimon.* &, si necessarium videtur in morbi principio, *clysmata* levia.

Hæmorrhagia narium moderata aliquandiu sinenda, præstat ut plus fluat sanguis quam minus: Quod si non sufficienter procedat, potius promovenda venit vellicando nares, aut cum seta porcina, aut crebrius, & fortius easdem emungendo, aut aliis modis provocando, quod cum fecissem sanguis bene fluxit, & febris desiit, & brevi sanata est, dicit *Forestus lib. 6. observ.* 48. Quod si excedit, optime curant *Bufones appensi*: Alias cum nimiæ hæmorrh. ex ebullitionis sanguinis nimio impetu oriuntur, easdem etiam *Opiata* cum *absorbentibus*, seu præcipitantibus, compescent, vitando volatilia.

Tussis, hic initio temperantia & lævigantia, vulgo incrassantia; In statu incidentia & expectorantia usurpanda, *lb. syr. violar. papav. jujub. diacod. in aqua scab. tussilag.* Hic *syr. nicot. de erysimo*, cum *aqu. hyssopi* &c. omni tempore, remedia præsertim ex *scabiosa* speciose præservant & curant partes respirationi dicatas.

Virium prostratio corrigitur *tinct. corall. cum spir. c.c.* Item *vini Rhenani* haustulo, præsertim si sit à nimio sudore *Ettmuller.*

Si in *Discreto* genere, ob regimen justo calidius, & continuos sudores, hucusque copiose manantes jam sponte sua deficientes, æger *Phrenitide* corripiatur, de vehementi quetatur ægritudine, urinam paucam ac frequenter reddat, Cum eo usque processit malum hac *ἀκμὴν* ortum, nullo jam alio auxilio (cum in propinquo mors sit, ægro subveniri posse existimo, quam sanguinem è brachio satis larga quantitate extrahendo, corpusque exponendo auræ liberiori; Et profecto haud ita temerarium atque *ἄτοπον* videbitur quod jam propositum, si ad illos animum advertamus qui ob copiosas Narium hæmorrhagias subito ingruentes ferreas imminentis lethi manus evasere.

Illud insuper est perpendendum quod in extremo hoc agone, non ideirco instat mors quod pustulæ intro cedant (extant enim hæ, ut diximus, eminentque cum insigni rubore, etiam animam agente ægro) sed quod facies non turgescat: Ad promovendam vero hanc faciei intumescentiam, quicquid id demum est quod ad sanguinem contemperandum fuerit (venæ sectionem autem. & modicam refrigerationem eam vim obtinere nemo opinor negaverit) necessario, æque ac paregoricorum usus, atque ob easdem plane rationes debet conferre.

Non hæc ita velim intelligi, ac si in qualibet Phrenitide Variolis supervenientibus (cum nullum hic symptoma frequentius occurrat) V. S. statim suaderem, sed in illa tantum quæ ideo accidit, quia facies non turgescit, in *Distincto* scilicet genere, & pustulis copia satis magna comparentibus: Vel ubi ob regimen admodum calidum; & cardiacorum usum, sanguis adeo efferus est, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat, donec medicamentis paregoricis, & reliquis eodem facientibus, ad debitam temperiem reduci possit.

Cum enim ita se res habent, Medicus ad conscientiam suam potius, quam ad incertam famam se componens, vel sanguinem, ut ante dictum detrahere debet, vel ut æger aëre liberaliori resocilletur præcipere: Quod ut efficeretur, satis mihi visum est ut æger lecto aliquantisper exsurgeret, quo facto plures à morte liberavi: Præter ista vero quæ oculis ipsius usurpavi, innumera sunt illorum exempla, qui his modis Orci faucibus quasi erepti sunt: *Phreneticorum* enim nonnulli Nutricum curam fallentes (miris scilicet artibus utuntur homines ita affecti) atque è lecto dilapsi, aëris frigori se ipsos etiam noctu exposuerunt; Alii frigidam vel furtim, vel raptim etiam precibus à nutrice emendicatam hauserunt, adeoque felici errore salutem jam plane desperatam consequuti sunt. *Sydenham pag.* 223. *& seq.*

Cætera quæ in hoc morbo accidunt *symptomata*, ut *præcaveantur*, ope teguminis moderati, ita ab eodem pleraque etiam tolluntur, E.g. ut *Phrenesis* antedicta, à nimia cerebri excalefactione proficiscitur, & sanguine quovis modo paululum ventilando curatur, Eadem methodo è *Coman* (quod alteri contrarium prorsus videtur symptoma, & ab obstructione corticis cerebri fit, dum halitus calidiores à sanguine, regiminis ac medicamentorum calidorum usu attenuato, magna copia ac vi illuc impelluntur) facile occurritur.

Eadem hac sanguinis contemperatione & *Maculas Purpureas* vidi sublatas, sed neque hac, neque alia methodo quacunque, vel *mictum sanguinis*, vel violentam *ejusdem à Pulmonibus* eruptionem adhuc sufflaminare potui, Utraque vero Hæmorrhagia hæc, quatenus mihi hactenus observare licuit, indubiè mortem prænuntiat. *Idem.*

Sunt & alia adhuc symptomata quæ in quolibet morbi statu occurrunt, tam *Discreto* Variolarum generi, quam *Confluenti* pariter communia.

Phrenitis v. g. à nimia sanguinis ebullitione nonnunquam ægrum corripit, & caloris tam parum est patiens ut magnis viribus, ac furibundo nisu injectas prehendentium, & lecto incarcerantium manus eludere conetur.

Aliquando eadem causâ effectum longe diversum producit, *affectum* scil. *comatosum*, ita ut æger nunquam ferme evigilet, nisi continuo pulsu excitatus.

Est etiam ubi in hoc morbo, perinde atque in Peste, laxata inflammationis vi sanguinis compage, *Maculæ Purpureæ* se ostentent Pustulis interspersæ, mortis fere semper prænuntiæ: Frequentius hoc evenit ubi aëris constitutio morbo isti epidemice grassanti præ cæteris favet.

Aliquando etiam *Urinæ suppressio* totalis ad malorum cumulum accedit, in juvenibus præsertim, idque in statu, vel etiam declinatione *Discreti* generis.

Sunt & alia symptomata quæ à *ἀκμὴν* aliqua, jam dictis contraria, interdum oriuntur, si nempe æger à frigore nimis intenso fuerit læsus, vel si præter jus fasque vena fuerit pertusa; aut alvus catharsi subducta; unde Pustulæ nonnunquam fastigiis cedunt,

& derepente considunt, superveniente insuper *diarrhæa*, à qua ægro, adultus si fuerit, ingens est discrimen, & anceps morbi exitus, materia scil. Variolosa introversa, ita ut natura eidem per cutis poros debite exterminando impar prorsus inveniatur: Huc accedit quod faciei manuumque tumor in his retunditur, qui non minus in bonis ægri rebus est censendus quam ipsa Pustularum eruptio, nisi eæ fuerint perpaucæ.

Quæ vero à *suscepto frigore* pendent symptomata, raro admodum occurrunt; si enim illis conferantur quæ à contrario, calidiori nempe regimine nascuntur, Cum enim morbus hic inter calidissimos jure optimo habeatur, longe minus ab hac parte peccatur quam ab altera. *Sydenham.*

Quæ à materiæ Variolosæ repercussione, ob frigus externum, vel evacuationes indebite factas proveniunt symptomata, usu Cardiacorum & conformi regimine sunt tollenda, qui tamen non ultra spatium, quo ista perstant, continuandus, Horum præcipua sunt *Pustularum depressio*, & *Diarrhœa* in Variolis *discretis*, Neque enim in *Confluentibus* Pustularum depressio mali quicquam ominatur, cum ea sit morbi natura, Neque *Diarrhœa infantium* iisdem laborantium, cum salutem ista afferat non periculum; In utroque hoc casu Potio Cardiaca, *ex aquis stillatitiis appropriatis*, cum *diascordio*, *laudano liquido* &c. jure optimo concedetur, idque non tantum ad dicta symptomata submovenda, sed quolibet morbi tempore, si æger de cordis dolore atque ægritudine conqueratur.

Sed ut verum loquamur, symptomata hujus generis oppido rara sunt, si cum illis conferantur quæ extremorum alteri, exitiabili magis, licet minus culpato debentur: Et quidem opinor Tumorem illum qui de crebra pustularum retrocessione invaluit, ex eo natum esse quod qui earundem depressionem in genere *Confluentium* observaverint, illam pro materiæ Variolosæ, ob susceptum frigus, recessu habuerint, cum nihil sit hic præter morbi morem, Atque de genere *Distincto* idem suspicantur, quia scil. pustularum eruptionem atque augmentum ante diem expectant, cum non satis attenderint ad tempus illud quo natura fructum hunc ad maturitatem solet perducere. *Sydenham.*

Sanatione peracta interroget Medicus clientes, an in partibus quibusdam, præsertim in pectore, aut abdomine, aut cavitatum harum visceribus, sentiant aliqua symptomata, & tunc parti læsæ mature succurratur; Post Variolas enim non sufficienter expulsas, sive excretas, facile ægri in phthisin incidunt; aut pleuritidem, aut diuturnum periculosumque alvi fluxum. *Etmuller.*

92. *Symptomatum intercurrentium*) Præter hæc symptomata quædam horrenda quandoque urgent, quibus cum idoneis remediis tempestive occurratur: adsunt modo vigiliæ, phrenitis, hæmorrhagiæ, vomitus, diarrhœæ, Variolarum recursus: His & quibuscunque aliis pro re nata prudens Medicus novit prospicere, In quibus tamen magna cautione opus est, ne dum exiguis consulimus nimia pharmacorum molestia magnum Naturæ opus interturbetur: Etenim toto hoc tempore una & continua est crisis, quare nihil temere movendum est. *Willis.*

92. *Subsequentium*) Inter quæ numeratur 1. *Retrocessus*, In hoc casu nil melius est quam *vesicatoria*: Sicut alias ubi graviora urgent symptomata, nec rite eodem erumpunt, non absque fructu *vesicatoria* usurpantur,

2. *Suppuratio*, pro hac promovenda, ac ne lædantur partes præsertim internæ, optime conveniunt *lapides cancr.* cum *myrrha* crebrius usurpata, v.g.

℞. *lap. cancr. præpar.* ʒß.
myrrha gr. xv. c.c. sine igne ℈j.
salis card. ben. gr. v. m. pro iij. dosibus.

vel vesperi ad promovendam suppurationem, & levandum ejus dolorem in adulto.

℞. *aqu. scab.* ℥vj.
lapid cancr. prep. ℈j.
myrrha gr. vj. laud. op. gr. ß.
syr. de succo scab. ʒiij. misce. *Etmuller.*

3. *Ulcera*, quæ ex malignis & exedentibus Variolis oriuntur, curanda sunt *Ungu. albo Rhasis camphorato*, vel hoc *Ungu. de plumbo.*

℞. *plumbi usti* ℥ij.
litharg. ℥j.
cerusa lota, aceti āā. ℥ß.
ol. rosac. ʒiij.
mell. ros. ʒj.
vitell. ovor. n. iij.
myrrha ʒß.
cera q. s. f. ungu. Riverius.

93. *Epilepsia*) Non terreri tamen debet Medicus adesse *Epilepticas convulsiones* ante horum exanthematum eruptionem, Expulsis enim his pustulis subito & sponte evanescunt, nec amplius redeunt; Sed si continuent post expulsionem, aut redeant, admodum periculosum, sæpius lethale: Deficientem enim expulsionem hoc innuit, nam semper post eruptionem alleviari æger, ac ejus symptomata remittere debent: sin minus periculosum. *Etmuller* Vocatus fui anno 1680. invisurus puellum triennem, Arcularii filium, convulsionibus epilepticis prehensum; prædixi imminere Variolas tunc Epidemicas Exhibitis illas pellentibus, convulsiones cessarunt, feliciterque Variolis defunctus est. B.

In infantulo post Variolas petechiæ lividæ, cæruleæ, & nigricantes apparebant, quædam quadratæ, quædam triangulares, quædam trifolium exacte referentes, Epilepsia tandem correptus obiit. *Chr. Frid. Garmannus.*

Hanc, aliaque accidentia, ab *Acido* deducit *Etmuller*, In Variolis & Morbillis (differentibus tantum secundum magis ac minus) peccant, inquit, inprimis particulæ fermentativæ, *Lactis acore* corruptæ (à qua *acrimonia acida convulsiones* partium nervosarum, *dolores lancinantes dorsi, dysenteria, urina cruenta, ulcera & adeo ossium caries & phthisis* pulmonis non raro post Variolas relicta) Acidum illud, uti effervescit inprimis cum sanguine, donec præcipitetur, ita excitatum simul *lympham* inquinat singulariter, cujus ratione *tusses siccæ, raucedines, oculi lacrymantes* &c. oriuntur: Acre illud acidum nunc volatilius & acrius existens *malignitatem* sic dictam comitem secum trahat. *Etmuller.*

Salivatio suppressa.

Si in Variolis *Confluentibus Saliva* eo usque excocta sit & viscida, ob calorem præcedentem, ut tantum non suffocetur æger (quod 11. die non insolens est, Gargarisma necessario in usum trahatur, & ut sæpe die nocteque syringa in fauces sedulò injiciatur, serio imperandum. Componatur id è cerevisia tenui, vel *aqua hordei* cum *melle rosar.* Quod si æger rite fuerit tractatus, Ptyalismus, etiam cum jam cœperit imminui, ita pulchre suo fungetur munere, ut hoc remedio opus non fuerit: Et profecto ubi res eo redierit ut æger singulis momentis à suffocatione periclitetur, stupore obrutus, & spiritu fere undequaque præcluso, non satis tuto huic remedio fruitur, Ægro ita ad incitas redacto, Emeticum peropportune ac feliciter nonnunquam exhibui, ex *infusione croci metallorum*, sed dosi paulo majori, scil. ad ʒiß quando ob eximiam, qua laborat æger, stupiditatem, minor dosis haud quaquam operabitur, atque interim eos exagitando humores, quos nequeat educere, ægrum in magnum vitæ discrimen conjiciet. *Sydenham.*

Urinæ suppressio &c.

In *Urinæ suppressione*, quæ juniores ac vegetos non-

nunquam

nunquam incessit (a confusione scil. magna, & spirituum *ἀταξία*, ejusdem excretioni subservientium, ob sanguinem & humores omnio fervore agitatos) omnes Diureticorum tribus in auxilium accersivi, sed nihil æque feliciter hic mihi cessit atque è lecto eximere ægrum, qui postquam adstantium manibus suffultus, cubiculum bis terve circum ambulaverit, mox urinam satis copiose reddet, haud parvo cum levamine: Testes hic possim compellare Medicos quosdam, qui in hoc casu ex meo consilio idem fieri præceperunt, neque eos fefellit eventus. *Sydenham.*

Io *Pruritu* manuum & plantarum pedum, dum erumpunt pustulæ, ponantur dicta membra assidue in aqua calida, & multum confert pruritui & punctiones cessant, meliusque morbilli erumpunt. *Forestus l.6.obs.* 42. Vide §. *Facies.*)

Si Variolæ *Labia* obducant, adeoque ingentem dolorem inducant, *mucilagine* semin. *psyllii* eædem inungantur & curentur. *Etmuller.*

In *mictu cruento* remedia ex *plantagine* sunt optima. *Idem.*

Notandum *alvi fluxum* non raro in pueris à lumbricis excitari, eumque toto fere morbi decursu perdurare, unde vitæ periculum immineet, quia Variolarum expulsio impeditur ~~aut~~ ~~imminuitur~~, Idque facile dignoscitur ex dejectionum crassitie ac viscositate, & colore griseo vel albicante; Tunc lumbricos enecantia exhibenda, & Clysteres dulces injiciendi. *Riverius.*

94. *Durorum tumorum*) Oedematosi tumoris relicti exemplum vide superius §. *Si malignitas maxime ut in Epidemicis.*)

Ægri à *Confluentibus* Variolis jam diu liberato, & lecto quotidie surgenti ægro, nonnunquam accidit crurum tumor ferus ac molestus, qui tamen vel sponte facessit post V.S. & catharsin, vel usu herbarum emollientium ac discutientium, *malvæ. verbasci. sambuci, lauri*, cum *flor. chamom. & melilot.* in lacte coctarum, facile fugatur: *Sydenham.*

Dolorum illis anteire, vel comitari solitorum curandi rationem singularem tradit *Ballonius Eph. & Epid.* l.2. p.265. Dum urgent dolores in Variolis & oboriuntur *Tumores*, si illorum ratione in solis anodynis consistas, opera forte luderur: Si dum tumet pars ad suppurantia festines, corruptionis metus major erit: Videtur id consilii sequendum quod aliquando eadem in mali specie Medici sequuti sunt; etenim dum quædã tempestas sævirer pustularum & eruptionum ferinarum ferax, oborti sunt tumores & dolores in Variolis, quæ pueros necabant corruptis partibus solidis: Itaque in eam sententiam itum est, ut Empl. de Vigo cum Mercurio applicaretur, aliis levis litus ex hydrargyro fieret, mirum in modum id remedij profuit; id quod negligi non debet, ne tam facilis, & ad manus parati remedij contemptus calamitatem ægris afferre videatur.

95. *Dysenteria* Alvi quoque fluxus in his febribus noxius est, ideo utitur *Avicennas trochiscis de spodio*, & aliis adstringentibus: Quidam id volunt esse perpetuo verum, nisi ratione Variolarum intestina obsidentium contingat: tuncq; in ipsa declinatione periculosius est, multoque magis in principio: Fiunt etiam in intestinis ulcera curatu interdum difficilia: Sed si in morbi declinatione relictam cacochymiam, quam per cutim non excreverat, per alvum evacuet, salutaris interdum esse potest: Igitur si in principio contingat alvi fluxus, semper est sistendus clysteribus lenientibus & repellentibus. *Primirosius.* Vide §. *partium defensione*

Si corripiat, vel subsequatur Variolas, interne *Diascord. Fracast. c.c. ustum, terra sigill. tormentilla &c.* conveniunt: Externe, si ferat morbi conditio, *Clyster ex lacte cum rad. symph.* usurpari potest. *Etmuller.*

96. *Læsionis Auditus*) Ubi læsus fuerit, inprimis *Vesicatoria* pone aures applicanda; Hinc *essentia card. ben.* aut *castor*, bombace crebrius auribus immittatur: Vel fiat *Suffitus ex castoreo, myrrha, colocynth. sem. fœnic.* & *pauco croco in vino* coctis, ac per tritorium auribus immittatur, *Etmuller.*

97. *Epidemiis*) Modo Sporadicæ sunt, modo epidemiæ: Cum autem epidemiæ sunt, tunc quoque aliis plerisque morbis adjunguntur, in iis scilicet qui antea Variolis non laborarunt. *Diemerbroeck.* Vide supra §. *Signa præsentium.*)

97. *Variolæ Epidemiis*) Stragẽ infantiũ à Variolis & Morbillis editam vidit Geneva exeunte æstate & toto fere Autumno anni 1686. In iis singularia quædam animadversa, præcedentium tempestatum cõstitutioni forte adscribenda. Hyems prægressa frigore vix molesta fuit, terra superficie tenus paucissimis diebus gelu constricta, Paucissimæ nives montes vicinos, eorumque solum cacumina obtexere, quibus diutius obsessis hyemes apud hos protrahuntur; quare nulla glacies in subsequuturam æstatem coacervari potuit: Hinc anticipatio veris quod uno tenore, nulla intermixta *μεταβολή* ad æstatem usque processit: Medio Majo æstus cujusmodi ardente Syrio, qui post aliquot hebdomadas de fervore remisit, quem iterum accendit exorta Canicula: Cereris & Bacchi munera statutum tempus præoccuparunt; Horæorum fructuum ubertas fuit, hinc seri proventus, in fermentationem sponte proni, excitatam à calore intensiori: Morbilli primo se prodidere, pluresque hi quam Variolæ invadebant, quibus illi sternebant iter, nam non pauci Rubiolas experti, usque defuncti, octavo circiter post die Variolis etiam corripiebantur, à materia dissimili, tenui scilicet & crassa, quarum illa prius incendium concipiebat, posterius hæc successive utraque deflagrante; ita cum in vado Parentes liberos constitutos arbitrarentur, Variolæ è latebris erumpebant, eo periculosiores quod ex prægressis Rubiolis attritos opprimerent, nec locus iterum foret generosis remediis. Invasionis etiam celeritas plurimis nocuit, à prærepta expurgandi corporis occasione; & humorum congeriem, fomitem morbo subministraturam eliminandi: In filio meo, *Gulielmo Boneto*, octenni, tenerrimæ constitutionis puero, inter prandendum in vultu exitum affectantes morbillos deprehendi, qui tamen D. G. octiduo post feliciter illis defunctus est, citra remediorum apparatum: Sed hydrops ascites brevi successit, cui se adjunxit febris Hectica, Illum remediis convenientibus superavi, sed hæc superstes desperatæ salutis opinionem faciebat; tandẽ sex exactis hebdomadis, prodiunt se ex insperato Variolæ, paucę, citra graviora symptomata; Protinus extincta hectica, sanitas ex insperato redit, firmioresque quã unquã fruitur puellus valetudine: *Symptomata* assibant in plurimis, vel fames intensa, vel prostratus omnino appetitus; adeo ut viderim puellam quinque annorum, in qua Variolæ plane exaruerant, XVII. die mortuam, quæ toto morbi decursu sola aqua sustentata fuit cui immaceratus fuerat panis dulciarius; nullis indiciis occupatarum à Variolis faucium: Cum insatiabili illo appetitu nonnulli evaserũt, nonnulli mortui, illi præsertim in quibus se adjungebat diarrhœa, quæ duo symptomata instantis mortis erant præsagia: *Lumbricos* multi dejecerunt, atque ex his plerique periere: Quin & nonnullis ex ipsis Variolarum pustulis prodiere vermiculi, ut in Filia Dom. *Jacometi*, incarceratorum custodis, evasit tamen libitinam hæc: In plurimis idem si contigisset, *Christiani Langii* sententia hinc confirmari potuisset, qui cum Kirkhero Pestẽ & Variolas, vermium fœturam esse credit: Eorum qui hactenus meæ curæ commissi sunt (neque enim adhuc

desævit lues) duæ puellæ tantum interiere, Prior, in qua Petechiæ pro Variolis emersere, ac solum latere sinistro, cum mictione ac dejectione cruenta: Paucis ante morbum diebus, ex matris consilio, Balneo (quo illa ad facilem partum utebatur) immersa fuerat, tam fervido ut universa cuticula abscesserit: Posterior puella sesqui annum attigerat, quam Variolæ citra ullum prævium medicamentorum usum prehenderunt; Tumidus illi ab obstructionibus venter; Inchoantibus Variolis marmoreum frigus artus occupabat; quibus conciliatus calor, admotione catulorum pedibus: Vitam tamen illi ad xij. usque diem produxi; Quotquot in cura habui, vino plane eos interdixi, carnibus, earumque jusculis, ovis, quod sanguinem in inflammationem & putredinem à tempestate pronum generent, hordeata concessi, avenata, panatellas ex pane eloto, poma & pruna cocta: *Potus* fuit *decoctum cornu cervini*, cum *passulis*, aliquando taleolis *citri*, aliquando *ficubus*, & his si alvus restitaret: A cardiacis & expellentibus fere abstinui, ne calcar currenti equo subderem; *Avicennæ* decoctum ex *lentibus, tragacantha* potius in usum duxi, frænum humoribus injecturus: Qui simili in casu ad Card. calidiora recurrunt, egregie à *Wallisio* & *Sydenham* cōparantur iis quis ignem, quem extinguere satagūt, folle exagitant: A Sanguinis missione, vel per venæ sectionem, vel hirudinum admotionem, etiam in tenella ætate, non abstinui, si effervescentiam sanguinis plus justo majorem animadverterem: Plurimos ægros vini usus sustulit, quod temere vulgus porrigebat, seductum à Variolis vernalibus, quas excitat sangnis crudus & pituitosus, qui fusione indiget, quam promovet vinum: Hoc præterea observandum in hujus tempestatis decursu, Febres Intermittentes, quæ tunc vagari solent, inducias dedisse: Tertianas vernalium indolem induisse, & vix quartum paroxysmum excessisse, Variolas cladem infantibus præsertim intulisse, erga adultiores mitius, præter morem, se gessisse, unus enim vel alter tantum occubuere. Ac tandem, foveas nullas in vultu fere reliquisse, etiamsi malignitas acrimoniam fere & corrodendi vim, sibi adsciscat.

98. *Lapidem porcinum Malacensem*) Quem *Jacobus Bontius l. 1. Med. Indor.* asserit in Histrice & Apro inveniri; Usum lapidem *Bezoar* superat liquori alieno inmaceratus, & potui datus; Sudorem enim elicit, & malignitatem valde absumit.

ARTIC. II.

De Morbillis, & similibus Exanthematibus.

1. MOrbillis [2.] *sunt tubercula parva, rubra,* [3] *in cute erumpentia,* [4.] *cum febre continua,* [5.] *à sanguinis peculiari ebullitione ad cutem à facultate expultrice protrusa, exorta.*

6. *Signa β Causa, Differentia &* [7.] *Curatio*, non differunt multis à variolis, sudores leviter sunt concitandi, & calor temperandus, ne major fiat ebullitio: & cordi occurrendum. [8.] Supervenire illis aliquando solet [9.] *defluxio tenuis in pulmones*, quam tussis & suffocationis metus, cum raucedine excipiunt; [10.] cui amovendæ *vesicatorium* cervici admovendum, & *laudani* gr. ij. in conserva rosarum exhibenda sunt. In adultioribus præscribebat *Riverius* bezoardici mineralis gr. xii. cum aqua ulmariæ & Cardui benedicti.

1. *Et similibus Exanthematibus*) Differentiæ τῶν ἐκθημάτων & ἐξανθημάτων sunt nonnullæ, quæ commode ad Variolas & Morbillos referri possunt, ac curandi rationem fere communem habent; Et quidem ad *Variolas* referendæ sunt Pustulæ quædam sparsim per cutim erumpentes, albicantes, ac crystalli instar splendentes (vide inferius §. *Crystalli*) Huc quoque pertinent *Tubercula* quædam parum humoris continentia, quæ vulgo, de *Steenpokjes* dicuntur. *Diemerbroeck.*

2. *Morbilli*) Ortum habet atque occasum hic morbus (*sub initio Januarii* 1670. ita ut solent præmature, *Morbilli sunt ingressi, atque in dies magis invalescebant, donec instante verno æquinoctio ἀκμὴν adepti, exinde iisdem gradibus imminuti, tandem Julio sequenti penitus extinguerentur*) temporibus supra notatis: Infantes plerumque aggreditur, omnesque adeo ex illis iisdem mœniis inclusos. *Sydenham Observ. in Acut. p. m.* 295.

2. *Morbilli*) Morbilli sunt maculæ, seu Tubercula, parva, rubra, in cute erumpentia, non suppurantia, cum febre continua, à sanguinis peculiari fermentatione orta.

Differunt à Variolis accidentaliter, seu secundum magis & minus, quia Variolæ in altum exsurgunt, & suppurantur, Morbilli vero vix in molem conspicuam attolluntur, & non suppurantur; atque hinc etiam citius hi, & minore cum periculo quam Variolæ finiuntur (errant qui in his majus periculum subesse putant quam in Variolis) & frequentissime pueros, rarius ætate grandes, aut senes, aut qui prius Variolis laborarunt illi plerumque (etsi non semper) à Morbillis excusantur; sed hi tamen nihil immunitati, ab illis promittunt. *Diemerbroeck.*

Post septimum fere diem, imo frequenter citius, sine ulla exulceratione evanescunt, nullo sui vestigio superstite, nullaque fœditate relicta.

Plerumque semel duntaxat unum hominem prehendunt; neque tam frequenter bis aut ter redeunt, sicut Variolæ, quoniam horum materia, ob longe majorem tenuitatem prima invasione utplurimum tota difflatur & consumitur. *Idem.*

3. *In cute*) Cutem & epidermidem habent pro subjecto in quo erumpunt & conspiciuntur; An verò similiter, sicut Variolæ, internas quoque partes nonnunquam obsideant, merito dubitandum, imo vix credendum censeo, cum illud à nullis Medicis hactenus compertum sciam. *Diemerbroeck.*

4. *Cum febre*) Febris iis adjungitur, sicut Variolis, imo à febre oriuntur, cujus quasi critica evacuatio sunt. *Idem.*

5. *A sanguine*) A subtiliore calidiore & licciore humore sanguineo, subbilioso, specifico modo fermentante oriuntur, atque hinc cito egrediuntur & non assurgunt in Pustulas, aut alicujus momenti tumores, sicut Variolæ, sed parvæ in principio exortæ fiunt maculæ rubræ ac latæ, cum levi aliqua cutis asperitate. *Diemerbroeck.*

5. *A sanguinis peculiari ebullitione*) Videtur quod Morbilli sint fermenti extranei ab utero contracti levior

levior quædam efflorescentia, quæ particulæ nonnullæ in motum concitæ sanguinem leniter effervescere & parum coagulari faciunt, quare stigmata inde prolata sine cuticulæ diruptione, sola evaporatione difflantur. Variolæ autem sunt ejusdem fermenti plenior, valida, & secundum omnes particulas agitatio, quæ majorem ebullitionem & coagulationem sanguini inferens, exanthemata longe plura, eademque mole grandiora, & nonnisi suppuratione dissolubilia producit. Quando Variolæ præcedunt, non tantum ejusdem affectus, sed plerumque morbillorum exinde sequitur immunitas: Morbilli, quia fermenti particulas solum aliquotas adsumunt, adhuc diathesin ad Variolas relinquunt, quare senes, aut ætate grandiores, Morbillis non ita prompte inficiuntur, quoniam aut Variolis prius infecti contagio absolvuntur, aut leviori hujus affectus miasmati eorum spiritus robustiores facile resistunt. *Willis.*

Signa.

a. Signa) A rigore atque horrore, calorisque & frigoris, quæ se mutuo *primo* die expellunt, inæqualitate tragœdiam orditur.

Tandem affulgente *secundo* die in febrem consummatam desinit, vehementi ægritudine, siti, inappetentia, lingua alba, (non vero sicca) tussicula, capitis atque oculorum gravedine & somnolentia perpetua stipatam. Plerumque etiam è naribus atque oculis stillat humor, sternutat æger tanquam à suscepto frigore, intumescunt palpebræ (paulo scilicet ante eruptionem) vomit, sæpius tamen laborat diarrhoea, cum dejectionibus coloris subviridis, Dentientibus maxime id convenit: Infantes etiam per hunc morbum solito sunt morosiores.

Ingravescunt utplurimum symptomata ad *quartum* usque diem, quo tempore plerumque (licet ad diem *quintum* aliquando differantur) circa frontem & reliquam faciem maculæ parvæ, rubræ, pulicum morsibus persimiles, prodire incipiunt, quæ tam numero quam magnitudine auctæ, racematim coalescunt, & faciem maculis rubris majusculis, variæ figuræ interstinguunt; Quæ quidem maculæ rubræ è parvulis quibusdam papulis rubris, haud longe ab invicem dissitis, supra cutis superficiem paululum elevatis, conflantur, quarum protuberantia, digito leviter admoto tactu potest deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat; A vultu ad pectus ventremque, crura deinde ac tibias se diffundunt hæ maculæ, licet truncum atq; artus rubore inficiant tantum, nulla eminentia sensibili cutis æquabilitatem transgressæ.

Eruptione *Morbillorum* non perinde deliniuntur symptomata atque Variolarum, *Vomitum* tamen post eruptionem nunquam observavi, *Tussicula* nihilominus febrisque intenduntur cum spirandi difficultate, oculorum debilitate defluxioneque in eosdem decumbente; somnolentia perpetua, atque inappetentia uti prius adhuc perseverantibus.

Die *sexto*, aut circiter, frons & facies asperescunt, emorientibus pustulis, ruptaque cuticula, & per id temporis maculæ per reliquum corpus, & latissimæ sunt, & maxime rubescunt.

Octavo circiter die maculæ in facie evanescunt, vix in reliquo corpore cernuntur, *Nono* vero nullæ sunt prorsus, facie atque artubus, quandoque & toto corpore quasi farina conspersis, particulis scil disruptæ cuticulæ paulum elevatis & vix cohærentibus, quæ morbo jam abituriente in frusta distrahitur, & postea à toto corpore squamularum forma decidit.

Evanescunt itaque morbilli die fere *octavo*, quo tempore vulgus (à spatio quo perdurare solent Variolæ deceptum) eosdem introversos affirmat, licet revera illi cursum à natura destinatum absolverint, & symptomata, quæ iisdem recedentibus supervenerunt, ex eo nata autumat quod justo citius se intro morbilli receperunt.

Observare enim est Febrem, atque spirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius augere *Tussiculam*, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu fere somnus possit obrepere, Infantes præsertim qui sub regimine calidioribus usi sunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo sunt obnoxii, quod morbillis jam facescentibus se ostendit, unde in Peripneumoniam conjiciuntur, quæ plures jugulat quam Variolæ ipsæ; aut symptoma quodcunque ad eum spectans morbum, licet omnis prorsus periculo vacent Morbilli, si modo perite tractentur.

Hic etiam non raro accidit *diarrhoea*, quæ vel morbum statim excipit, vel etiam ad plures septimanas excurrit, post morbi omniumque ejus symptomatum fugam, haud sine magno ægri discrimine, in quo abhinc orta spirituum profusione continua versatur.

Aliquando etiam post regimen intense calidum Exanthemata livescunt primo, mox nigrescunt; Id vero adultis tantum contingit, de quibus conclamatum est ubi primum nigredo ista conspicitur, nisi phlebotomia & regiminis temperationis refrigerius actutum subveniatur. *Sydenham.*

a. Signa) Cognoscuntur si malignæ febres grassentur, & apparentibus earum indiciis maculæ se prodant; Solet febris primo ita mitis esse, ut vix se laborare ægri percipiant, calor mitis apparet, sed interna perturbatio maxima adest, cõfractio & lassitudo in universo corpore persentitur, capitis gravitas adest, & ferme semper mens perturbata, sensus sunt hebetes, *urina* subalbidæ, confusæ, interdum rubentes, vino granatorum similes, sed sæpe sanorum similes, imo quibusdam sine dolore retinentur, quod pessimum signum est, ob emortuum vesicæ sensum. *Primirosius.*

In malignis pestilentialibus ægri inprimis conqueruntur de Lassitudine & dolore contundente totius corporis; Vires simul mox insigniter prostratæ, febri nihilominus mitl adhuc existente; Nam *calor* non vehemens est in toto corpore, minusque mordax quam in ardente etiam mitiore, fere tamen vespertino tempore intendi observatur, imo interdum in principio tam mitis est ut æger vix se ægrotare percipiat; Hinc superveniunt graves & *continua cephalalgia, agrypnia, anxietates & jactigationes* ægrorum, In principio facile sudant, in progressu difficilius, in statu fere nunquam. Subinde *alvi fluxus* variorum, spumosorum, utplurimum fœtidissimorum excretorum supervenit, quæ omnia & aliis malignis sunt communia; Saltim quod *Maculæ* raro *quarto*, sæpius circa *septimum* solent erumpere, præsertim circa *pectus & scapulas*, hinc & *abdomen* & crura, tandem etiam brachia, Iisdem tinguntur, facies ordinario libera esse solet: Maculæ hæ non solum externas partes (*sed etiam internas*) affligere solent, teste à *Castro de Peste*, *p.76.*

Interdum non maculæ solum, sed etiam *vibices* in his febribus apparent. *Delíria* quoque & *convulsiones* frequentissimæ in statu superveniunt, quo tempore etiam in morbo salubri, & multo magis in declinatione quasi *ptyalismus* quidam, h.e. copiosæ salivæ, mucosæ, eaque continua ex ore & faucibus cum *ἀποχρέμψει* ægri exscreatio. Continua fere esse solet hæc febris, hinc rarum est Intermittentem eandem fuisse observatam à *Febr de Scorzonera.* Etmuller. *pag 362.*

B. Causa) Causa eadem censetur cum causa Variolarum, sed differentia horum morborum in eo consistit, quod materia è qua generantur in Variolis crassa, sanguinea, & humida sit, unde hæ in pustulas assurgant; In morbillis vero tenuis, siccior & biliosa existat. *Diemerbr.*

Prognosis.

a. Signa) Prognostica sunt, si cito appareant, cum febris, anxietatis, aliorumq; symptomatum imminutione, & per tres quatuorve dies in statu persistant, postea vero

paulatim evanescant: Mala sunt si tarde erumpant, gravia symptomata adsint, & primo die rursus dispareant: Porro multa alia Prognostica cum Variolis communia habent. *Diemerbroeck.*

7. *Curatio*) In principio à Variolarum curatione non differt, quippe datis sudoriferis appropriatis ægri ad sudores sunt impellendi, & in leni diaphoresi usque ad perfectam eruptionem servandi: omne frigus ab iis arcendum, & *decoctum hordei*, *liquiritiæ*, *cicerum* ac *ficuum* sæpius exhibendum, hoc enim morbillos non minus feliciter quam Variolas expellit: Hac methodo procedẽdum usq; dũ rursus spõte & salutariter evanescant. *Idem.*

7. *Curatio*) Morbillis, ut natura, ita & medendi, quam sibi poscit hic morbus, ratione cum Variolis satis convenit, Medicamenta & Regimen calidiora periculi plenissima sunt, utut frequenter in usum revocentur ab ignaris, ægrorum curatricibus, eo animo ut morbus à corde procul submoveatur.

Feliciter præ aliis mihi cessit methodus illa qua æger ad dies binos ternosve ab eruptione lecto adstringebatur, quo sanguis leniter pro morbi genio particulas inflammatas facile separabiles, à quibus offendebatur, per cutis spiracula distillaret, nec lodicibus, nec igne, præter modum quem sanus tenebat, adjectis. A carnibus quibuscumque arcebam. Juscula avenacea, hordeacea, & similia, nonnunquam & pomum coctum concedebam. *Potus* vel erat cerevisia tenuis, vel lac cum aquæ triplo coctum. *Tussim*, quæ huic morbo fere assidua est, Decocto aliquo pectorali subinde hausto delinitam volui; Rarissime perit qui hoc utitur regimine, nec, præter necessaria atque inevitabilia morbi symptomata novisque insuper malis atteritur.

Tussis præ reliquis fatigat, quin & *Diarrhoea*, quam Morbillos excipere diximus, Venæ sectione pariter sanatur: cum enim halitibus inflammati sanguinis in intestina ruentibus ortum suum debeat, (quod etiam in pleuritide, peripneumonia, aliisq; qui ab inflammatione creantur morbis usu venit) à quibus illa ad excretionem stimulantur, sola venæ sectio levamen afferet, à qua tum revelluntur acres isti humores, tum etiam sanguis ad debitam redigitur temperiem.

Neque est cur quis miretur me in teneris infantibus Venæ sectionem instituendam suadere, cum sanguis, quantum ego hactenus potuerim observare, haud minus tuto ex eorum venis quam ex adultorum extrahatur, & profecto ita est illa necessaria, ut nec symptomati memorato, nec aliis quibusdam quæ infantibus accidere solent omissa phlebotomia certo mederi valeamus, E.g. quo pacto *puerorum Dentientium convulsionibus*, quæ IX. & X. mense superveniunt, (cum gingivarum intumescentia doloreque, à quibus comprimuntur nervi atque irritantur, unde etiam paroxysmi isti nascuntur) sine venæ sectione opem feremus? Quæ sola in dicto affectu specificis quibuscunque, vel decantatissimis, quę hactenus innotuere, lõge est anteferẽda, quorũ nõnulla adventitio calore nocent etiam; & dũ aliqua occulta proprietate morbo adversari creduntur, manifesto calore eidem militant, atque ægrũ ad plures deducunt.

Prætereo in præsentiarum ingens illud solatium quod affert v. s. in infantum *Pertussi* (quam nostrates vocant *Hoopingcough*) in qua remedia quælibet Pectori dicata longo post se relinquit intervallo.

Quod de horum symptomatum *Morbillis* decedentibus supervenientium curatione jam diximus, nonnunquam etiam eisdem florentibus potest competere, si nimirum artificiali, si fas est dicere, atque adventitio calori ea debeantur. Huc anno 1670. famulam Dominæ N. hoc morbo laborantem, una cum febre, dyspnoea maculisq; purpureis corpus omne deturpantibus, aliisq; symptomatis quamplurimis periculosissimis. Medicus inviseram; cum regimine & medicamentis, quæ satis multa usurpaverat, calidioribus ista omnia tribuerem; sanguinem ex brachio extrahendum curavi, & Ptisanam pectoralem atque refrigerantem sæpe assumendam præscripsi quorum opera, & regiminis simul temperationis, & maculæ, atque alia omnia symptomata pedetentim evanescebant. *Sydenham.*

8. *Supervenire illis aliquando solet*) Interdum contingit ut ingens, molestissimus & intolerabilis *Pruritus ac punctio in plantis pedum* & volis manuum accedat; ad cujus symptomatis mitigationem certo experimento conducit, si pedes & manus continuo detineantur in *aqua calida*; tali enim modo pruriginosa illa punctio optime sedatur; & morbilli in plantis pedum & volis manuum melius emergunt; Hoc experimentum fuit olim arcanum *Nicoli Florentini* à quo illud mutuatus est *Blasius Astarius Papiensis, lib. de cur. Febr.* Hac de re singularem habet observationem *Forestus lib. 6. obs. 42.*

9. *Defluxio tenuis in Pulmones*) Si æger à cardiacorum, usu aut regiminis calidioris justo, vel morbillis adhuc vigentibus, vel post eorum discessum (quod magis est familiare) febre vehementi atque dyspnoea, aliisque accidentibus qualia Peripneumonici solent affligere, in vitæ discrimen adducatur, felicissimo semper eventu, vel tenerrimorum infantum venas in brachio secui, educta ea sanguinis quantitate quam ætas viresq; indicarent, Phlebotomiã iterare haud sum veritus; Profecto haud paucos infantes, hoc statim symptomate enecandos, benedicente summo Numine, misso sanguine *morti* eripui.

Infantibus autem accidit illud post morbillorum recessum, quibus ita est exitiale, ut inter præcipuos Parcarum ministros jure habeatur, plures jugulans quam vel ipsæ Variolæ. Nec dum visus est qui certa alia methodo, eidem potuit occurrere, *Sydenham.*

9. *Defluxio tenuis in Pulmones*) Quæ non necessario à cerebro arcessenda, sed potius à sanguine tenuiori in pulmones irruente, efferato, acri, bronchia irritante, qui & laryngem impetens raucedinem inducit, morbillorum utplurimum præludium. Huc pertinet quod affert *Ballonius Epid. l. 2.* Filio Dom. N. dyspnoea erat, & audiebatur strepitus magnus cũ raucedine, id ad crudũ succum referebant, aut ad flatum malignum in Pulmone excitatum, at adventantis Rubiolæ id fuit indicium.

9. *Defluxio tenuis in pulmones*) Nutrix filii mei correpta est morbillis; his accessit fluxio in pulmones tenuis, tussim frequenter excitans, & suffocationis metum incutiens, cum raucedine ingenti; Admotum est vesicatorium cervici, & exhibita *laudani gr. ij.* cum *conserva rosar.* Fluxio cohibita est tota nocte, Postridie rediit, & iterum exhibitum *laudanum* cum simili effectu; Rediit ad convalescentiam sed diu superstite raucedine. *Riverius cent. 2. obs. 45.*

9. *Defluxio tenuis in Pulmones*) Ad Pulmones Loch de lenitibus maxime commendatur ab *Avicenna.*

℞. *Lenitum m. ij. uvar. passar. m. j. semin. papav.* ℥ij. *rosar.* ℥iß. *decoqu. ad* ℔i. *dissolve sacch. cand.* ℔ß. *pulv. tragac.* ℥ii. *f. Lohoc.* vel

℞. *cons. rosar.* ℥j *pulv. diatrag. fr.* ʒiß *sem papav. albi* ʒi. *syr. de pap. q. s. f. Lohoc.* *Primirosius.*

10. *Cut an. over. de*) Cum in gutture morbilli magis se emergerent, non sine magno dolore & calore, ut sese suffocari clamaret, mandavi ut continuo cum *lacte caprino & aq. plant.* simul mixtis tepide gargarisaret, quod miraculose profuit; Præservat enim maxime ab angina & suffocatione, estque oris & gutturis præstantissimum medicamentum cum signa exanthematum se produnt. *P. Forestus lib 17. c. 1.*

11. *Præscribebat Riverius bezoart mineralis.*)

Filius N. ann. ix. Febre laborabat, quæ videbatur Variolas portendere: Vocatus 1. die sanguinem extraxi ad ℥vi & vesperi tantundem. Julepi præscribuntur, Inunctio ex *oleo scorp.* & alia: 2. & 3. die parum delirabat: Variolæ apparent minutæ, densæ, depressæ; segniter increscebant, nam 6. die facies nullo modo inflata videbatur; imo non nullæ in medio erant concavæ, Eo magis timebant parentes, quia

ute

tres liberi eo modo interierant, Ad efficacia transire necessarium ratus, sequentem Julepum præscripsi.

℞. *acq. card.ben.* ℥iij. *acq.theriac.* ℥iij. *troch.viper.*℈ß. *lap.bezoart.* gr.vj. capiat horis vespertinis

Cordi applicantur pulli columbini, ac deinde linimentum *ex theriaca, conf.alkermes & ol.scorp. Matthioli.*

In omnibus Jusculis dissolvebatur *bezoart. minerale*, sequenti die, quæ erat 7. morbi, ter excrevit per alvum materiam sans crassam, sed omnino lividam, Eodem tempore copiosissimas excrevit urinas, & variolarum eruptio ita promota est, ut intra unum diem facies multum inflata fuerit, & variolæ ab eo tempore sufficienter increverint: Continuatum fuit *bezoart.minerale* per alterum diem, & postea *confectio de hyacintho*, quæ ab initio usurpata fuerat, Donec tandem æger à sævo illo morbo potinus liberatus fuerit, *Riverius obs.100. cent.1.*

Quæ causa fuerit tardæ illius eruptionis variolarum, non obscura; Humorum copia & sarcina gravabatur natura, in prima & secunda corporis regione delitescentium; hoc gravamine illa liberata per alvi dejectiones & diuresin, reliquum facilius ad embitum expulit.

[12]. Similia Morbillis exanthemata sunt.

I. *Crystalli*, pustulæ lupini ferè magnitudine, in corpore erumpentes, & crystalli instar splendentes, è quibus aquositas quædam effluit, Germanis *Schafs-Blatter* dicuntur.

II. *Tubercula*, Germanis *die Steinpocken* dicta, quæ sine multâ sanie sparsim nec copiosè erumpunt, citra febrem invadunt, & citissimè sanantur.

III. *Rubeola*, tubercula exigua & rubra, quæ quandoque sola cum calore & tussi invadunt, quandoque variolis vel morbillis intersparguntur, quandoque sanatis superveniunt.

IV. *Rossalia* seu ἐρυθρήματα, maculæ rubræ & quasi ignitæ, quæ cum vix effatu digno tumore, per universum corpus, quasi quædam erysipelata parva, in principio morbi, seu die quarto vel quinto erumpunt, progressu morbi totum corpus occupant, ut id quasi ignitum appareat. Is color in declinatione iterum, ut in principio in maculas mutatur; quæ tandem septimo vel nono die evanescunt; epidermide squammarum instar decidente. *Curatio* horum nihil singulare habet.

Morbilli Ignei.

[12] *Similia morbillis*) Alias *febris militaris* dicitur, *Purpura Epidemica maligna*: *Morbilli ignei*, *Febris* nostra *Purpurata*. Hæc quosvis adoritur, mares & fœminas, infantes & adultos, præsertim puerperas, quibus & malignior & funestior existit, forsan mensium retentorum occasione.

Acidum sui generis *malignum est ejus fomes.* Hoc enim ubi secretum & devictum fuerit, atque ad loca intercutanea propulsum, horum ardor, pruritus & desquammatio excitatur: *Remedia volatilia* & *myrrha* conveniunt. Subiode acutus, non raro præceps est affectus, qui dum maxime videtur blandus, etiam ex levissimo errore subito jugulat.

In *Cura eadem* quæ de malignis dicta sunt observanda. In specie *rob. sambuci* cum c. c. Item

℞. *aqu.scab. fumar.* āā. ℥iß. *essent. castor.* ʒj. *unicornu veri*, *ammon. diaphor.* āā. ʒß. *sal. volatil.* c. c. gr.xv. *syr.artem.* ʒiij.m. *pro aliquot dosibus.*

Item, præsertim si *diarrhœa*, talibus funesta, se sociaverit.

℞. *aqu.flor. sambuc. card. ben.* āā. ℥iß. *spir. theriac. simpl.* ʒiij. c. c. *usti*, *antim.diaph. bols arm.* gr.xii. *syr.flor. tunic.* ʒiij. *misce*

Liquor c. c. succinatus egregius est in hoc affectu, *Etmuller.*

Scarlatina Febris.

[12]. *Similia Morbillis exanthemata sunt*) Huc pertinet *Scarlatina Febris* quam describit *Sydenham observ. in Acut. p. m. 417.* Scarlatina febris, *ait*, licet nullo non tempore possit incidere, utplurimum tamen exeunte æstivo se prodit; quo quidem integras familias, Infantes vero præsertim infestat. Rigent horrentque sub initio, ut in aliis febribus; qui hac afficiuntur, neque vehementer admodum ægrotant, postea *cutis universa maculis parvis rubris interstinguitur*, crebrioribus certe & multo latioribus, magisque rubentibus, ac non perinde uniformibus ac sunt illæ quæ Morbillos constituunt: Ad duos tresve dies persistunt hæ maculæ, quibus demum evanescentibus, decedenteque subjecta cuticula, restant furfuraceæ quædam squammulæ, ad instar farinæ corpori inspersæ, quæ ad secundam aut tertiam vicem se promunt, caduntque vicissim.

Cum hic morbus nihil aliud mihi videatur, quam mediocris sanguinis effervescentia, à prægressæ æstatis calore, aut alio aliquo modo excitata, nihil quicquam molior quominus sanguis sibi despumando vacet, & materiæ peccanti, quæ satis prompte abjungitur, per cutis poros ablegandæ: Quamobrem tum hinc, & à Venæ sectione & ab Enematum usu mihi temperans (quibus remediorum formis facta revulsione particulas sanguini infestas cum eodem intimius permisceri, & motum naturæ magis congruum sufflaminari autumo; Tum ex altera parte ab exhibendis Cardiacis, quorum æstu impetuosius forte exagitabitur sanguis, quam pro pacata & leni illa separatione, in qua jam totus est (quid quod & vehementior febris hoc fomite posset accendi) satis habeo ut æger à carnibus in solidum abstineat, & à liquoribus spirituosis quibuscunque, tum ut neque usquam foras prodeat, neque ut perpetuo se lecto affigat; Cute jam penitus desquammata, cessantibus symptomatis, è re fore existimo ut purgetur æger leni aliquo medicamento, ætati & viribus accommodo.

Simplici hac, & naturali plane methodo, hoc morbi nomen (vix enim altius assurgit) sine molestia aut periculo quovis abigitur facillime: Cum è contra si plus *negotii ægris facessamus*, vel lectulis continenter incarcerando; vel cardiacis aliisque remediis supervacaneis, nimis docte, & (ut vulgo videtur) secundum artem supra modum ingestis, morbus statim intenditur, & æger non raro, nulla alia de causa quam amica Medici diligentia, ad plures migrat,

Febris Morbillosa.

Duobus primis mẽsibus quibus Morbilli se prodebãt, intercurrebat & *Febris* quædam *Morbillosa* hic illic sparsa, in qua ecthymata nonnulla per truncum corporis, collique præsertim, posteriora, atq; humeros erũpebãt; Ecthymata Morbillorum imitãtia, à quibus, in illo saltem discriminabantur, quod non universum corpus pariter

occuparent, quas diximus partibus contenta. Febris etiam (licet ejusdem plane generis) immanior erat, & ad dies XIV. nonnunquam etiam plures protrahebatur. Nec Venæ sectionem tulit hæc febris, nec Enemata, ab utrisque irritata: at methodo quæ Morbillis superius dicata est, lubens concessit. *Sydenham ibidem pag. m. 366.*

Crystalli.

13. *Crystalli*) Sic describit *Vidus Vidius*, Sunt qui præter duas species (variolas & morbillos) *Crystallos* adjiciant, sic enim appellant quasdam veluti vesiculas plenas aqua, instar crystalli splendentes, quibus cutis variis locis distinguitur, has nunc vulgo nominant *ravaglione*; in quas non ita incurrunt omnes homines sicut in variolas & morbillos, neque sub ipsis ita graviter affliguntur, quamobrem non videntur tanquam tertia species morbillis & variolis hæ species adnumerandæ: Pustularum hoc genus, pueris familiare, variolis simile est quoad magnitudinem & figuram, hæ vero albæ sunt, & veluti vesiculæ, seroso humore repletæ, quæ intra triduum disrumpuntur & exsiccantur, nullumque afferre solent periculum. Id Pustularum genus à nostris mulierculis vocatur *la Verolette*, Italis *Ravaglione. Riverius.*

14. *Tubercula*] Hæc leviter attingit *Piens lib. de Febr.* Vide *supra §. Et similibus Exanthematibus.*)

15. *Rubeola*) Ad morbillos ratione qualitatis referuntur quædam Maculæ rubræ cum calore, tussi aliisque Morbillorum symptomatis, quæ à Germanis ob ruborem *Rotelen* vocantur; & hæc species iterum differt à *Petechiis*, quod hæ nunquam sint sine febre, nec absque magno periculo, & in dorso circa collum, pectus & in brachiis apparent, Illæ vero minus periculosæ sunt, nec febrem semper adjunctam habent, & ubique erumpunt; Quosdam à capite ad pedes usque quasi rubris maculis pictos vidi.

Ad *Morbillos* pertinet aliud morbi genus, quod Erysipelatis instar prehendit. Vide inferius §. *Rossalia*) *Piens Tr. de Febr. p. m. 216.*

Rossalia.

16. *Rossalia*) *Philippus Ingrassias* lib. de Tum. p. n. tom. 1. dicit Neapolitanis vocari *Rossaniam* & *Rossaliam* affectum de quo *Hali Abbas lib. 8. Th. c. 14. Est species, inquit, aliqua qua vocatur Rubeola, quæ ex sanguine calido ac subtili, & non multum malo oritur; Et hæc species cum ad statum pervenerit, similis fit milii granis, aut paulo maior, & ejus color rubeus, nec aperiuntur pustulæ, sed insensibiliter discutiuntur & evanescunt.*

In hoc affectu maculæ rubræ & quasi ignitæ, sæpe exilibus tuberculis, instar milii seminis interspersæ, cum vix effatu digno tumore, per universum corpus, quasi parva quædam erysipelata, erumpunt in principio morbi, id est, 1. 2. 3. 4. die, In statu vero universum corpus rubrũ & quasi ignitum apparet, aliis magis, aliis minus, ac si universali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminuitur, & maculæ latæ, ut in principio, iterum apparent, quæ tandem 5. 6. 7. 8. vel 9. die evanescunt, epidermide squamularum adinstar decidente.

Malum hoc ut plurimum infantes & pueros, raro adultos infestat, &, sicut morbilli, plerumq; solam cutem cum epidermide occupat, ac facile curatur, imprimis si frigus externum ab ægris arceatur; Contingit tamen nonnunquam, etsi rarius, etiam internas partes ab eodem (sicut in variolis quoque accidit) obsideri, magno ægri periculo, Tunc febris intensa, calor maximus, & sitis ingens existit, ac sæpe pulmonum, faucium, aliorumque viscerum inflammationes, una cum difficili respiratione, summa anxietate, deliriis, hypochondriorum tensione, aliisve pravis symptomatis accidunt: Vide hac de re historiam apud *Sennertum lib. 4. de Febr. cap. 12. Diemerbroeck.*

16. *Rossalia*) Sic describit *Piens* p. m. 217. Ad morbillos pertinet & aliud morbi genus, quod Erysipelatis instar totum corpus quandoque prehendit, nonnunquam aliquam saltem partem. Si totum corpus, Maculæ sunt in principio parvæ, rubræ, æque ac parva erysipelata: In *statu* corpus rubicundum & quasi ignitum. In declinatione iterum in rubedinem, quæ tandem evanescit, universalem abeunt; epidermide squamarum instar ex corpore universo decedente. Si autem aliquam occupet partem, ut hypochondria, appellatur *Een omloop*, si caput saltem, *de Belroos.*

Sæpe hoc anno Ἐξανθήματα illa videre contigit, quæ vulgo medentium *Rossalia* appellantur, & ad morbillos referri solent; Infestant præsertim teneram ætatem, Ægri primum narcosi, mox febri continua, eaque vehementi tentantur; & plerique simul deliriis: adest inquietudo summa, & insignis oculorum pene lacrymantium hebetatio. Tertio die spargitur universa cutis Maculis latis, oppido rubentibus, quæ citra finem ejusdem diei in unam coeunt omnes, adeo ut corpus totum quasi *pulvere granorum chermes* videatur perfrictum, sola facie à rubore isto liberiori: Durat formidatus matribus color triduum, & bezoarticis interea largiter propinatis, quarto die declinare incipit, & calor præternaturalis imminui, cuticula sequentibus diebus in tenues veluti squamas fatiscente. *Olaus Borrichius.*

Vide infra artic. 3. de Febre Petechiali §. *Asperitudines quædam miliaceæ.*

17. *Epidermide squamarum instar*) Cuticula tanquam in veru assata perdit sequacem illum lentorem suum, & flectendi sese obedientiam, unde ad motum corporis varie primum disrupta hiat, hinc sensim excidit, alia succrescente: Alia vero causa imperare videtur serpentibus, ut novo vere exuvias deponant, Nempe alimentum, vel nullum, vel exiguum, hyberno tempore, efficit ut succus, qui in corpore restat, nutritius, ægre ad extimas partes gelu pene rigentes (ut est bestiola alioquin & media æstate ad tactum frigida) deferatur, unde epidermis tanquam vestis, alimento suo destituta ad vernos calores exuitur, & ceu alienum corpori involucrum rejicitur, Quin & Elephanticorum cutis in squamas degenerat, quia alimento convenienti fraudatur. *Olaus Borrichius.*

ARTICULUS III.

De Febre Petechiali.

FEbris 1. Petechialis est febris maligna à venenata materia procedens, in qua 2. maculæ quædam pulicum morsibus similes, variorum colorum, rubræ tamen imprimis in cute apparent.

Dicitur forte Galeno *Exanthemata sicca*, aliis *Pseudopestis*, seu *Semipestis*, aliis *Febris Petechialis*, *Pulicaris*, *Puncticularis*, *Peticularis* & *Lenticularis*, aliis denique *Lues Pannonica*, quod in ea primum

primum increbuisse dicatur. [3] Nota erat *Actuario*, *& Ibnisina*, & *Iacobo de Partibus*, qui ante ccc. & ultra annos vixit.

Signa satis exacte describi non possunt, quod raro iisdem symptomatibus invadat, provt malignæ solent, *Horror* initio morbi, qui sæpe commoto vel leviter corpore recurrit; *Calor* ptimis diebus mitis, sed quem gravia symptomata, vitales & animales actiones concutientia comitantur. In exterioribus, partibus toto morbi decursu mitis, dum interim interiora uruntur; *macula* quandoque initio 4. 7. & 9. die erumpunt, plerumque absque pruritu, extuberantia & exulceratione: interdum vehementer pruriunt, & cutim exulcerant, [4] quia præter malignitatem, salem quoque corrodentem flammulæ instar habent: quòd si ichor propter crassitiem sub cute hæret, bullæ ejusdem cum vespis & aliis insectis veneni excitantur. Maculæ apparent in dorso, brachiis, cruribus, pectore, locis nimirum per quos insigniores arteriæ & venæ transeunt, in facie rarò propter aëris appulsum, qui materiam facile repellit, nullum puncturæ vestigium in earum medio conspicitur, sic à [5] pulicum morsibus distinguuntur, qui etiam apposita lupinorum farina cum aceto aut oxymelite subactâ evanescunt. Superveniunt aliquando deglutirionis difficultas, singultus, vomitus, & alia: Eluctatis etiam ex morbo parvæ in singulis digitis vesicæ, quæ, cum cutis in pollice & indice pure suffusa setius incideretur, membranas & subjectos nervos ad ossa usque, paucarum horarum spacio penitus corruperunt.

[6] *Causa* est [7] humoris putridi venenata qualitate instructi pars tenuior, unde facilè evanescunt. [8] *Pellitur* à facultate expultrice, [9] rarò criticè, cùm in principio plerumque, absque notabili evacuatione, erumpant: semper ferè *symptomaticè*, & quo copiosius erumpunt, eo majorem pravæ materiæ copiam indicant. Est & contagium.

[1] *Febris Petechialis*) De Febre Purpurea agunt recentiores tanquam de morbo veteribus ignoto, & à Febre Pestilenti distincto, cum tamen Purpura sit tantum symptoma febris pestilentis, non autem ulla illius differentia vel species. *Primirosius.*

Peticularis etiam appellatur, à nonnullis *Purpurata*, In regno *Sinarum Sericam* nominant, à symptomate scilicet, sicut Singultuosa à singultu, & Syncopalis à syncope denominari solet. *Fortis Tr. de Febr.*

[2] *Macula quadam*) Solent etiam aliis affectibus maculæ quædam purpuris similes apparere, quæ tamen malignæ non sunt, nec in pestilenti apparent affectu, sed in lienosis, in diuturnis viscerum obstructionibus, in ictericis, in scorbuticis, in omnibus iis qui ex viscerum imbecillitate sanguinem generant aquosum, proclivesque sunt ad cachexiam; Fiunt autem in enchymomate à sanguinis tenuitate, qui ex minoribus venis elapsus in cute efflorescit. In illis siquidem sanguis tenuis & aquosus facile per nares effluit, aut exit è venis in habitum corporis, ubi livescit, nigrescit, & in alienum colorem permutatur, fiuntque à sanguine tenui & imbecillo jecore, ut in scorbuticis: Maculæ autem nostræ, pulicum morsibus similes, in febre tantum maligna & pestilenti, non in aliis se produnt. *Primirosius.*

[3] *Nota erat Actuario &c.*) Febres hæ antiquis ignotæ perhibentur, primumque à Fracastorio observatæ, quod tamen minus verisimile, siquidem *Hippocr.* in *Coacis* προσώπου κοκκίασμα nominat: *Aetius* ait in febribus malignis apparere maculas similes morsibus culicum, quæ tamen non exulcerantur: Unde quamvis antiqui febrium malignarum exquisitam non fecerint tractationem, symptomata tamen ignorasse non est credendum, sed sicut cætera morbi accidentia parum curasse, siquidem curationem non immutant, & nihil proprie indicant, ideoque nos supra inter febris pestilentis signa recensuimus, & sub nomine Exanthematum comprehendi commode possunt. Ἐξανθεῖ, *inquit Hippocrates*, ἐξάνθημα προσώπου κοκκίασμα, & ratio suffragatur, quamvis enim concedendum sit novos interdum morbos externæ causæ vi suscitari, Natura tamen, corporis nostri gubernatrix, quæ eadem perpetuo est, non solet novos affectare excernendi modos, unde cum semper familiaris fuerit excretio per corporis habitum in sudores, maculas & papulas, cur hæ in febribus malignis sicut in aliis morbis contingere non poterunt? Si enim excernendi modus causæ procatarcticæ vi cieretur, forsan novo morbo ingruente, novus quoque Naturæ impetus contingeret, qualis in aliis morbis non fuerat observatus; at humorum excretio Naturæ actio est: In lue Venerea, quam novum morbum esse omnes confitentur, Natura humorem malignum per buboues, aliaque cutis exanthemata, non minus quam benignum in aliis morbis evacuat: Non est igitur novum humores in cute efflorescere, eamque variis aspersis maculis inficere, cum ejusmodi excretiones sint Naturæ familiares, & satis frequenter in aliis morbis apparentes, in sugillatis, in vitiligne, in scorbuticis, cur insolens erit in malignis? Quod si fiunt tubercula, exanthemata, cur non maculæ? at nemo Exanthemata nova dixerit; idem de maculis sentiendum.

Ad quod ulterius probandum deferre possumus rationem illam qua *Coelius Aurelianus* docte & eleganter demonstrat hydrophobiam non posse esse morbum novum. Nostris temporibus omnes omnino febres pestilentes habent hoc symptoma, nec ulla est in qua ægri ferme omnes ejusmodi maculis non laborent: *Thucydides* in peste illa maxima quam describit, corpus ait fuisse rubrum, fuscum, minutis papulis scatens; febresque rubræ, quas *Hippocr.* 6. Epidem. recenset, quid aliud esse possunt quam febres hæ rubentibus maculis insignes, cum in alio febrium genere appareant? *Primirosius.*

[4] *Prater malignitatem salem*) Pethechiarum cum *maculis veluti inustis* meminit *Thom. Bartholinus.* Scriba *inquit*, ministri aulici Petechiis laborabat satis periculose, Illis medicamentis appropriatis expulsis, apparuere simul paulo supra anum maculæ duæ nigerrimæ, quasi cauterio inustæ essent, & eschara relicta, magnitudine nummi argentei grossi magni, & tamen evasit, Humores cauterisantes in illum locum expulsos fuisse necessum existimo, *Albertus magnus l. de Animi 7. c. 5.* ait, *Venenum aliud est calidum, aliud frigidum: Calidum quasi comburendo interficit, & ideò quasi adustum reddit locum morsus &c.* Quod ut verum, sic non mirum à venenis extrinsecus advenientibus id fieri, Sed ejusmodi humores cauterisantes etiam in corpore humano generari, vel ita corrumpi posse, ut in vim causticam abeant, miratu dignum mihi videtur. Interim tamen hoc à veritatis semita non alienum esse testis *Hippocr.* 1. Epid. s. 3. *agro* 9. vbi Critoni pustulæ nigræ ante obitum obortæ. *Mis. Sept. vol. 2. p. 206.*

5. *Sic à pulicum morsibus*) Pulicum morsus seu maculæ, in centro sui habent punctum rubertimum, morsus vestigium, quod deficit in Petechiis: Præterea apposita farina &c. *Zacutus Pr. adm. l. 3. obs. 14.*

A Lentigine quidem figura, magnitudine & febre distinguuntur, nam sunt cum febre, eaque maligna & pestilenti &c. *Primirosius.*

6. *Causa est*) Ab una eademque causa Febris & Petechiæ procedunt, sanguine nimirum in venis maxime putrefacto, cujus putredo insignis & excellens censenda est, adeo ut sanguis ipse propriam consistentiam & naturalem unitatem amiserit, & liquatus ad cutem facile ab irritata natura expelli potuerit, cui quoniam aliqua portio ejusdem, nec non biliosi humoris, noo adeo corrupta associatur, ideo peticulæ quoque, oon modo violaceæ, verum etiam rubræ io cute apparere, nec non eminentiæ quædam à bilioso humore producta, Exanthemata dictæ, Sicut si humor crassior fuisset, totumque corpus magis densum, Papulæ, eminentiæ scilicet majores, Varis similes, apparuissent, ut in Sileno. *Fortis.*

6. *Causa est*) Petechiales hæ febres fere primitus ex *corruptela* interna contentorum oriuntur, adeoque magis massam sanguineam, aliosque humores, quam spiritus virulentia sua afficiunt. Contagiosæ tamen admodum sunt, ipso tamen contagioso minus spirituoso, minusque activo existente, quasi latere aliquandiu queat, antequam se exserat. *Ettmuller. p. 363.*

7. *Humoris putridi venenata qualitate instructi pars tenuior*) Ortum habent illæ *maculæ* dubio procul à *Sanguine* quaquaversum è corde propulso, & *parte sui corrupta, & corrumpente*, in corporis soperficie hærente: mortificationi namque proximæ sunt *Nigræ*, ideoque pessimæ; his proximę sunt *Lividæ*, ac minime malæ *Rubicundæ*. Mortificatio autem omnis corrodens ac corrumpens, ortum habet ab *Acri*, vel *Acido*, vel *Salso lixivioso*; Acidum vero corrodens partes corrosas nunquam, quod sciam, nigredine inficit, sed potius albedine; quin partes vicinas colore satis eleganti solet ostentare. *Acre* autem *salsum lixivum*, ad nigredinem partem à se corrosam deducit, quæ partes vicinas plus minus simul inficit & inquinat; Unde jure merito *maculas* illas omnes in Peste erumpentes à *sale acri* deducimus.

Quin ex modo dictis patet cur *periculosa magis sint Nigra*, minus *Livida*, minime *Rubra*: Quo namque ulterius pergit Acre salsum in partis cujusvis, ac cutis præsertim, corruptione, eo ipsam reddit magis atram; Hoc inprimis apparet tum in *Cauteriis potentialibus* ex *sale lixivio fixo* constantis, tum in *vesicatoriorum* quorumvis ex *Sale volatili & Acri* constantium operatione, primum enim rubet inde cutis, deinde colorem lividum acquirit & tandem atrum.

Hoc unicum experimentom Practicum rite consideratum, satis esse potest veritatem quærenti. Nec obstat Acetum, multis vesicatoriis additum, Nam id inservit duntaxat ad sal volatile excitandum, & facta sic effervescentia in actum deducendum: longe namque citius & facilius vim suam exerit Sal Lixivus quam volatilis; solemus tamen sali fixo aliquid aquæ vel salivæ addere ad accelerandum ipsius opus.

Sal autem volatile, quippe magis compositum, difficilius & tardius ad operandum accedit, quocirca potentiori opus habet irritatore, adversario puta, Acido, cujus ratione effervescens vim suam exerit urentem & erodentem, quæ longo tempore latet in sua materia, canthatidibus puta, & similibus, nihil ab aëre etiam valde humido patientibus (quod de vulgari cauterio dici nequit, nec nisi ad acidi accessum latentem suam vim promentibus. Habent igitur salia volatilia omnia plura quæ ad sui mistionem & constitutionem concurrunt, quasi plantarum animaliúmve partes existant, perfectiorem adhuc solent habere mistionem; quæ omnia in sale fixo frustra requiras.

Quod modo de Vegetabilibus & Animalibus dixi, verum est quoque in quibusdam mineralibus, Arsenicis puta, & quibusdam ejus speciebus; quippe quod oon videtur tam acre primo aspectu, tactu vel gustu; intra corpus autem admistum, aut ulceribus inditum, quanta in ipso acrimonia lateat sensim ac paulatim testatur. Ex dictis ergo satis patere puto, Maculas in Peste, cæterisque malignis febribus erumpentes, *Salem volatilem acremq́ indicare*, ut & ab eodem Pestem ortum suum habere posse. *Sylvius Append. Tr. 2.*

8. *Pars tenuior &c. pellitur à facultate expultrice*) Authores Exanthematum materiam per venarum extremitates in cutem effundi putarunt, cum tamen venarum extremitates humores à partibus recipiant, nullos vero in eos effundant, cum etiam Exanthemata non à venis cutaneis prodeant, sed ab interioribus membranis sursum versus cutem ascendant; quod alii cum *Fernelio* animadvertentes nullam hujus materiæ viam describere ausi sunt. *Diemerbroeck l. de Peste cap. 14.*

De causis Exanthematum Pestilentialium minime coovenit inter Medicinæ scriptores, Verum Medici noo videntur hactenus Exanthematum Pestilentium naturam satis perspexisse, ac propterea alii errarunt in cognitione ipsius mali, Alii io cognitione viarum per quas Exanthemata progrediuntur.

Primi putatuot Exanthemata tantum esse maculas solius cutis, cum revera sint maculæ ab internis partibus ascendentes quæ in cute terminantur. *Secundi* crediderunt Exanthemata produci à sanguine, vel aliquibus ejus humoribus ebullientibus, inflammatis, putrescentibus, aliove modo corruptis, & ad cutem delatis, Cum illa tamen non prodeunt ex hoc fonte, sed è sola spirituum vitalium extinctione, seu corruptione sine putredine, & extravasione, ut mox docebimus. *Tertii* existimarunt causam Exanthematum per venarum extremitates expelli in fungosam cutis substantiam. Alii vero per Anatomiam melius edocti ab interioribus partibus illa foras ascendere animadverterunt, sed nullam viam describere ausi sunt; Sic *Fernelius lib. de Febr. cap. 18.* ita dicit, *Ut autem* (Exanthemata) *corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cæterasq́ partes solidas obsident, ex hisque primam ducunt originem.* De causa nihil aliud dicit quam quod producantur ex maligna aëris qualitate; de via & modo generationis tacet, cum tamen *cognita via*, per quam Exanthematum causa transit & expellitur, multum luminis ad cognitionem causæ proximæ dare potuisset.

Nos in textu docemus Exanthemata oriri (vide *infra cap. de Pestilentia §....*) ab arteriosi spirituosi sanguinis sine putredine corruptis seu extinctis particulis, per arteriarum minimarum extremitates exclusis seu expulsis.

Illa vera est Exanthematum *materia*, hæc vera *via* per quam excununtur; *Veram* materiam esse varia docent. 1. Quod insensibiliter, sicuti solent spiritus, transeat partes carnosas aliasque intermedias 2. Quod Exanthemata pestilentialia sint sine tumore 3. Quod persistant sine inflammatione, 4. Quod sint absque dolore, 5. Quod non lædant manifeste partes per quas transeunt & quibus inhærent, 6. Quod oon separentur instar carbunculi, nec suppurent instar ulceris. Quæ omnia, aut saltem aliqua, ex his necessario adesse deberent, si secundum aliorum opiniones producerentur ab alicujus humoris putredine, inflammatione vel ebullitione.

Veram *viam* esse docet Anatome, quæ primo osteodit Exanthemata non esse solius cutis maculas, sed illas ab interioribus partibus initio sumpto ad cutem ascendere, oec minus inhærere interioribus partibus quam cuti. Deinde demonstrat multo latiores arteriolas versus interiores membranas hinc quam versus cutem

(hoc

(hoc etiam observavit *Galenus lib. de dissect. ven. & arter.* cum qoo consentit *Fernelius*) atque hinc naturam lacessitam looge facilius corruptas spirituosas sanguinis arteriosi particulas effundere, & per latiores vias deponere versus interiores membranosas partes, quam per angustiores versus cutem, quæ tamen ob tenuitatem jam deficere incipientem, à vicinarum partium calore propelluntur, ac per incumbentium carnosarum partium calore propelluntur, ac per incumbentium carnosarum partium latiores poros ascendunt ad cutem, in qua sub cuticulæ densitate, & frigore externo incrassati subsistunt, dictasque maculas efficiunt; quæ semper longe periculosiores sunt quam carbunculi aut bubones, non ut causæ, sed ot signa; quia in his cor adeo validum est ut pernitiosum venenum versus externas partes depellere, & sanguinem à pestilenti corruptione præservare possit; In aliis vero adeo debile est, ot nec venenum foras expellere, nec sanguinis corruptionem avertere possit, quod brevi secuturæ mortis indicium est, unde fit quod ex sexcentis peste laborantibus vix unus evadit cui Exanthemata in cute apparent. *Idem.*

9. *Raro critice &c.*) Semper symptomatice erumpunt, nunqoam critice; quicquid *Altimarus* & *Salius* scripserint, nam in febribus, quæ synochi speciem habent, exeunt 3. 4. 9. die, quando omnia sunt cruda, sine ulla morbi solutione, nam neqoe morbum vacuant neque febrem tollunt, ideo quocunque morbi tempore eruperint humorum sævitiam, fervorem, ebullitionemque demonstrant, ac humoris malignitatem qua Natura cogitur excretionem hanc frustra tentare, unde etsi ne minima quidem humoris maligna pars his maculis vacuetur, propensionem tamen & conatum Naturæ, humores ad superficiem corporis pellentis indicant. Unde male plurimi, & ægri, melius sperare videntur quoties plures apparent, cum enim morbum nec solvant, nec minimam ejus partem adimant, humoris maligni majorem copiam arguunt, ideoque periculosiores censeri debent: Attamen ex paocitate macularum salus non portéditur, nam sæpe imbecillior Natura excretionem perficere noo potest: quod si robur virium adsit, paucitas hæc humoris quoque paucitatem arguit, nisi maculæ retrocesserint, qui casus lethalis esse solet, ob homoris venenati recursum in viscera & penetralia corporis. Nec obstat quod quidam dicunt critico die, & post signa coctionis posse erumpere, sicque esse criticas, oon enim quicquid die critica contingit est criticum, nam nihil paucum criticum est; liberalis enim & libera esse debet excretio quæ critica est; Signa aotem coctionis in hoc morbo sunt infida, urinæ solent esse sanis similes, vidique omnibus signis coctionis salotem portendentibus, ægros ex hac febre pereuntes: Igitur si signa coctionis appareant, æger melius habeat, febris cesset, symptomata remittantur, excretio aliqua succedat, satis bene sperandum; alias si cum signis coctionis remaneat febris, nec symptomata fiant leviora, coctio nihil boni significabit, quod tantum in febre pestilenti contingit, nam in aliis morbis qui urinas immutare possunt, signa coctionis, quocunque tempore appareant, nunquam sunt mala. *Plumrosius.*

[10] *Curatio* ejus *Dubia*, *si* sint [11] maculæ copiosæ, quia multum materiæ adesse significant: *si* paucæ, & signa naturæ debilis sunt præstò: *si* delitescant, quia intrò vergere indicium est: *si* [12] tarde erumpant; quia vel humorum crassitiem, vel cutis densitatem, significant: *si* sunt citrinæ, vel cineritiæ: [13] *si* sub initiis apparent, quia quæ in melius decernunt, non statim in principio apparere, quando omnia cruda, expelluntúrque tum simul bona. *Nullius spei*, *si* [14] plumbeæ, puniceæ, virides, [15] nigræ, quia [16] extreme corruptos humores significant: *si* eodem tempore versicolores, id est, rubræ, pallidæ, citrinæ, subvirides., lividæ, quia diversos humores indicant.

[17] *Peragitur* I. *Materia subductione*, quæ fit per [18] venæ sectionem, instituendam præmissis [19] alvum lenientibus, quibus aliquid camphoræ addi potest, ante quartum diem; ne, si seriùs, vires debilirentur. Inter Evacuantia censentur & *flores prunorum sylvestrium* sæpius in roro Majali infusi. *Manna* in brodio prunorum de prunellis seu Brignolensibus; *Pulpa tamarindorum*, cum syrupo rosar. solutivo & Elæosaccharo Citri, q. s. [20] Nec improbatur Vomitus, si ventriculus saburratus, per pennam oleo Scorpionis vel Emetico Cunradini intinctam; sed ne quid nimis.

II. *Ejusdem* per [21] Sudorifera, malignitati simul resistentia, *expulsione*, præmissis (si ita videtur) inunctionibus, quæ poros aperiunt. [22] Ex illis sunt [23] Lapis *Bezoar*, Emulsiones ex *seminibus napi, citri*, cum [24] aqua cardui benedicti & Syrupo citri. *Ossa, sanguis, cornu & cutis* Rhinocerotis, [25] radices *Contrajerva*, quæ quibusdam *manus Dei*, *Terram Silesiacam*, *Smaragd.* præparat. & gr. x. pondere darum. [26] Laudatur maximè *Syrupus de scordio* Mercurialis, cui adde *Electuarium* Therapeutices l. V. c. 2. descriptum: cum syrupo de rubo Idæo vel acetosella: nec non *aquam ex turionibus cornu cervi* apud Hartmannum, & *Essentiam totius citri* Camilli in Pharmacopœia Hostii, à dr. iij. ad unc. in aliquo syrupo.

[27] III *Virium roboratione*, per emulsiones [28] *corallor.* [29] *margaritar.* Confectionem *Alkermes*, &c. IV. [30] Interdum & ad exteriora per [31] Vesicatoria [32] *revulsione*, si externa frigent, dolores capitis, deliria, convulsiones, &c. urgent. [33] si alvi fluxus accessit, naturæ committendus, nisi nimis excedat.

Prognosis, Curatio.

[10] *Curatio ejus dubia*) Quoad *Prognosin*, Febris Petechialis, quo magis blanditur, eo magis nocet; Sæpe cum omnia pacata apparent, mors imminet, Sæpe mortui vicini præter expectationem evadunt, Aliàs periculosus valde est morbus, *Hæmorrhagia* parca suspecta; larga in incremento, die critico aut indicatorio, erumpens bona; post maculas vero jam efflorescentes perquam suspecta, *Excrementa alvi* nigra, fœtida, periculosa. Quoad *modum eventus*, qui morbum non negligunt, & statim sub initium utuntur remediis commodis, facile liberantur; nonnunquam XI. XII aut XIV. die: Qui vero curationem differunt, & aërem liberum non devitant, diutius decumbunt, sæpius succumbuot. Interim tamen, si omnia rite procedant, nec vires adeo

sint prostratæ, fere intra 14. dies, acutorum more cessant: Solvitur equidem interdum per crinicam hæmorrhagiam narium, vel sudationem, vel urinam, quod tamen raro apud nos contingit, quia successive apud nos per diaphoresin auctam evanescere solent. Interdum etiam metastasi producti morbi, sive materiæ coctæ, in quendam locum finitur; sic per apostema in testibus febrem petechialem terminari aliquoties *Rolfinkius* observavit. *Etmuller p.364.*

10. *Curatio dubia) Aliqua tamen spes salutis affulget*, si die critico præcedentibus coctionis signis exeant, rubicundæ, purpureæ, nec intro remeantes, si cardiacis natura roboretur, sudorque erumpat, quamvis non sint salutares. *Primirosius.*

11. *Si sint maculæ)* Maculæ copiosæ die 7°. 10. 11. 12. &c. prorumpentes, eæque latæ, rubræ, sive sanguineæ, inprimis præcedentibus aliquibus coctionis signis, bonæ sunt. E contra latæ, lividæ, cæruleæ, plus minus nigricantes, pessimæ, cum virium debilitate magnum periculum portendant, malignitatis mortificantis indices. Maculæ paucæ febre magis ingravescente, & urina cruda existente fere lethales: Maculæ quæ cito disparent, aut recurrunt periculosissimæ; Quo magis cum macularum eruptione coctionis signa apparent, eo melius. *Etmuller. ibid.*

11. *Si sint maculæ copiosæ)* At purpureæ cum plures sunt & majores, & coloris benignioris, & critice erumpunt, naturæ victoriam significant. *Riverius.*

12. *Si tarde erumpant)* Tempus quo erumpunt considerandum, aliæ statim in principio, aliæ procedente morbo erumpunt; raro tamen cum febre ipsa incipiunt, sæpius in progressu exeunt; non sunt enim febris pestilentis signum pathognomonicum, sed epigenomenon. Quæ citius prodeunt, magnam quidem humoris malignitatem, sed virium robur & materiæ tenuitatem arguunt: Contra quæ tardius erumpunt, aut, ut interdum fit post mortem, sine ingenti periculo esse non possunt, ob humorum malignorum crassitiem, cuius densitatem, viriumque imbecillitatem. *Primirosius.*

13. *Si sub initio apparent)* Hujusmodi maculæ aliquando critice, aliquando symptomatice apparent, Critice quidem, cum vel ex parte, vel totaliter superata putredine, pravaque correcta qualitate, natura corruptum humorem ab internis ab externa transmittit, eumque semper sequitur remissio morbi. Symptomatice vero, cum natura materiæ morbificæ quantitate, vel qualitate prava stimulata, ante illius concoctionem, & pravæ qualitatis correctionem, ad partes cutaneas materiæ portionem transmittit. Et hinc nullum subsequitur ægrorum levamen, sed potius facto inutili naturæ cum morbo certamine, devictæ magis quam vincentis naturæ indicium est. Apparere autem incipiunt 4. 5. 7. vel 9. vel alia indicatoria die, si ad bonum fuerit excretio; aliquando etiam aliis diebus, cum minus fida & utilis fuerit. *Riverius.*

14. *Si plumbea, punicea &c.)* Maculæ hæ in morbo salubri *intense rubent*, hinc pedetentim pallescunt, flavescunt, sicque evanescunt, & quo magis rubicundæ sunt, eo meliores sunt notæ: E contra quæ ex rubore livescunt, seu, ut alias loquuntur, plumbei sunt coloris, vel quæ nigrescunt, pessimæ sunt, ac quo magis tales, eo deterioris conditionis, Nempe quo major est virulentia malignitatis, indeque superficiei cutis major vel minor mortificatio, eo etiam color magis vel minus lividus ac nigricans esse solet, mortificatio hæc in extinctione sive destructione spiritus insiti consistit, quo vegeto rubent partes cutaneæ affectæ, deficiente eodem ad nigredinem vergunt, ut in gangræna ac sphacelo notum est, Unde & Petechiæ veluti inustæ escaram simul inducentes observatæ fuerunt. *Etmuller.*

15. *Nigra)* Meminit *Forestus Obs. 36. lib. 6.* Pestis Delphicæ, in qua lenticulæ nigræ, minutæ, & piperis instar nigri, adeo lethales erumpebant, ut ubicunque apparerent, non diu post mors subsequebatur; (ut sæpe observavit) mortem, iis apparentibus, sine errore semper prædicens.

16. *Extreme corruptos humores significant)* Corruptionis major vel minor intensio arguitur ab illarum colore; rubræ enim à solo sanguine etiam ebulliente provenire possunt, sicut flavæ ab eodem in bilem converso; Violaceæ à corrupto; & nigræ ab intensiori adhuc putredine proveniunt: Quam *corruptionem* nobis significare potest pulsus, si non modo parvus, verum etiam languidus fuerit, urinæ item non modo obscuræ, & crassæ, verum etiam turbidæ & omnino confusæ: *Sed* color *præsertim* plurimum facit ad sanguinis corruptionem dignoscendam. Unde *Critoni* secundo die pustulæ in pede apparuerunt, eodemque die obiit: *Sileno* autem quia papulæ octavo die rubentes apparuerunt, ad undecimum diem protractus fuit interitus. *Fortis.*

Curatio.

17. *Peragitur)* Ipsæ *Maculæ* non curabuntur priusquam propulso foras superatoque in totum veneno pestilenti, sudoriferorum ope, Putarem autem forinsecus cum commodo usurpari posse Fotus ex *vino* vel *aceto* cum *theriaca* & *camphora, myrrha* & simil. misto, & calide sæpius applicato, Inprimis quoties serpere atque augeri observantur, Qualibus Fotibus quoque feliciter uti soleo in Gangræna & Affectibus eo vergentibus: quale quid in maculis, liventibus præsertim, observamus. *Sylvius Append. Tr. 2.*

17. *Peragitur)* Cum symptoma curationem non postulet, sintque purpuræ febris pestilentis rum epidemicæ rum sporadicæ accidens, nihil peculiare indicant, sed domita febre, & evicta malignitate sponte evanescunt. *Primirosius.* Eædem indicationes quæ circa malignas in genere insinuatæ fuerunt, etiam hic variant, locum habent. *Etmuller.*

17. *Peragitur 1.)* Vires totius sunt congrua Victus ratione conservandæ, Sic *Aër*, sit quidem frigidus, adeo ut Patiens inspiret frigidum, sed tangat calidum. *Alimenta* sint refrigerantia, ut ptisana hordeacea, panatellæ, cum emulsione seminum melonum, ova recentia, instaurantia pullæ, cibusque parum & sæpe offeratur; humorum enim malignitatem demulcere solet, & spiritus frequentius instaurare, qui insigni sanguinis corruptione deficere solent; *Potus* sit aqua hordei succo citri alterata; nec *Vinum* concedatur nisi ob insignem humorum corruptelam atque malignitatem vires deficiant; tunc enim corruptioni resistere & vires reficere valet; Si autem tenues, oligophorum: *Fortis.*

Quoad Diætam, in æquali calore naturali conservandi sunt ægri, *Vinum* in primis moderato usu conducibile est his ægris. *Etmuller.*

Vini usum damnat *Galenus l. 1. ad Glaucon. c. 14.* in febribus præsertim ardentibus. Pro vino acriter pugnat validis rationibus *Helmontius de Febr. cap. 12. §. 7. P. Poterius l. 2. de Feb. cap. 28.* in febribus malignis, & ipso cótagio vini usum tutum indicat, præsertim oligophori. Invitis Medicis in *Petechiali* febre vino convaluit *Cæsar Crivellatus*, ut fatetur c. 22. de *usu vini in Ac.* Petechiali febre A. 1659. populariter in urbe nostra grassante; Eo devenerat servus D. N. ut nulla spe superstite de vita esset condemnatus, Ille qui mori se intelligebat supplex vini haustum expetiit ante fatalem horam, quod concessum largiori quam expetierat mensura: Post haustum vini Rhenani in sudorem solutus quievit, & judicata est cum salute febris, quanquam aliquoties ob diætæ vitium recidivam postea passus fit, innoxie tamen. Similia exempla plura apud nos memoriæ occurrunt. *Th. Bartholinus Cent. 6. hist. 7.*

Juvenis

Juvenis matrona febri maligna correpta, sub diem septimum papulis omnino cooperta &c. ab omnibus desperata, cum media nocte quidam viveretne exploraturus, manum ori admovit, quam cum moris levissime labus lamberet, ille strophium vino madens admovit, quod cum illa suxisset, ubi nil erat spei nil desperandum ratus, vitrum vini trium unciarum capax exhibuit, quo illa sumpto placide obdormit, nec multo post cum copioso sudore tota maderet levius habuit, tandemque præter spem convaluit. *H. ab Heers Observat. Med. 5. pag. 66.*

17. *Peragitur*) Quoad *remedia ipsa*, nihil peculiare quod non supra de Febribus Petechialibus in genere dictum fuerit monendum occurrit. Saltem in principio magis *sudoriferis*, præsertim *volatilibus*, in statu vero *fixioribus*, blande temperantibus & absorbentibus magis utendum, Hinc in *principio*

℞. *c. c. sine igne, antimon. diaphor. ā ā.* ℈j. *salis volat. c. c.* gr. xii. *m. f. Pulvis pro y. dos.* vel

℞. *aqu. Cordial. H. Saxonia* ℥j. *Tinct. Bezoart.* ℈ij. *ad* ʒj. *sp. c. c. essent. f.* ℈j. *syr. de scorZon.* ʒij. *misce.*

Aliquoties in principio & incremento proficuam expertus sum hanc Potionem,

℞. *aqu. flor. sambuc.* ℥ij. *vel* iij. *aceti sambuc.* ℥ß. *theriac.* ʒij. *antimon. diaph.* ℈j. *syrup. card. ben.* ʒij. m.

Aliquando septem in una domo Pestilentialibus febribus corripiebantur, in specie duæ ancillæ, his præscripsi, præmisso vomitorio

℞. *theriaces* ʒij. *antimon. diaph.* ʒß. *salis absinth.* ℈j. *cum s. q. syr. acetosit. citri f. Bolus pro y dos. ex cochleari aceti vini sumendus.*

Hinc copiosus manavit sodor. Una illarum actu patiebatur menses, quæ sine nocumento hunc bolum recepit. Hoc præmisso, postmodum creberrimo usu hujus *Electuarii*, die noctéque illud capiendo, sæpius repetendo, ac sudorem subinde expectando convaluerunt.

℞. *conserv. pulpa citri* ℥iß. *diascord. Fracast.* ℥ß. *antimon. diaph.* ʒiß. *cum s. q. succi citri fiat Electuar.*

Postmodum vero, in & prope statum convenienter usurpari potest, quod

℞. *aqu. fl. sambuc.* ℥ij. *cerasor.* ℥j. *spir. vini camph.* ʒiij. *c. c. sine igne* ℈ij. *bezoart. min.* ℈j. *sal. volat. succin* gr. ix. *succi flor. tunica* ℥ß. *ad* ʒvj. *m.* capiendo vel in iij. dozes, vel cochleatim. Item

℞. *aqu. scabios. menth ā ā.* ℥ß. *gelat. c. c. rec.* ℥j. *antim. diaph.* gr. xv. *syr. card. ben.* ℥ß. *m. pro* iij. *dozibus.*

Item loco Julepi nocturni

℞. *Decoct. rad. scorZon. cum c. c.* ℔j. *succi citr. rec.* ℔j. (℥j. *Diascord. Fracast.* ʒij. *antimon. diaph.* ʒj. *syr. card. ben.* ℥iß. *misc. capiendo pro libitu.*

Item cum plures simul ægrotant, pro remedio sæpius capiendo.

℞. *decoct. ligni Sassafras* ℔iß. *succi citri* ℥iij. *diascord. Fracast.* ʒiij. *antimon. diaph.* ʒiß. *bezoart. min.* ʒß. *syr. flor. tunic.* ℥iß. m.

In statu, dum summa urserit virium prostratio, sequens poterit usurpari Potio

℞. *aqu. scabios.* ʒiß. *cordial. H. Saxon.* ʒvi. *cinnam.* ʒj. *confect. alkermes* ʒj. *beZoart. Solar.* ℈j. *syr. rubid.* ℥ß. m. capiat pro libitu.

Quoad *Externa*, ubi stomachi urgeant *symptomata*, commode in malignis *Scutum stomachale* potest præscribi.

℞. *cerat. stomach. de ladano, Theriac. Androm. ā ā. q. s. Malaxata inducantur super alutam,* vel

℞. *gumm. Tacamah.* p. y. *cerat. stomach.* p. j. *lique facta subigantur largiter cum theriac. Androm. q. s. & applicentur.*

Sunt qui *Epithemata* fronti, præcordiis applicare solent, sed male, Quia enim de facili refrigerantur, & clausuræ pororũ occasionem suggerunt, ita petechiarum eruptionem impediunt, aut eas facilius retrocedere faciunt.

℞. *ol. scorpion. compos. Matth.* ʒj. *destill. melissa, rutæ citri, ā ā.* ℈ß. *misce pro Linimento scrobiculo cordis & pulsus applicando.*

Vel idem cum *oleo nuc. mosch expr. m. in forma Balsami.*

Veteres in usu habuerunt *Litum externum*, quando *Petechiales*, aut similes *excretiones cutanea* convenienter prodire nolunt, Instituerunt *frictiones* sive *Inunctionem externam cum nitro*

℞. *ol. amygd. amar.* ℥ij. *vini Rhenani* ʒvj. *aqu. chamam* ℥ß. *nitri* ʒij. *bulliant ad consumptionem aqua, & fiat transcolatio*, Colatura toti corpori affricanda, in specie dorso, ad evocandum virus malignum in febribus malignis & petechialibus, præsertim quando bene procedere non vult Sudor. *Ettmuller. p. 366.*

18. *Per vena sectionem*) An Exanthematis, seu maculis purpureis apparentibus sit secanda vena? maxime controvertitur, Nonnulli enim existimant piaculum esse Exanthematis apparentibus sanguinem vena secta demere, quod tunc temporis humores ferantur à centro ad circumferentiam, qui motus omnino adjuvandus est, non prohibendus, id quod contingit in V. S. per quam sanguis movetur à circumferentia ad centrum, si quidem facta partium interiorum inanitione, necessarium sit sanguinem in exterioribus partibus contentum ad interiores recurrere.

Attamen saniorum doctorum sententiis sancitum est, *Maculis purpureis apparentibus*, in morbi principio, & eis diebus quibus venæ sectio celebrari consuevit, si antea sanguis sufficienter detractus non fuerit, etiam tunc temporis quantitate moderata esse *detrahendum*, neque ullum unde imminere periculum; cum illa Exanthematum eruptio quæ fit in principio morbi critica non sit, sed tantum symptomatica, ex insigni sanguinis ebullitione & humorum malignorum & putrescentium fervore oriunda, atque adeo non possit impediri naturæ motus, qui nullus est tunc temporis.

Si enim corpore existente plethorico, cum lotio crasso ac rubro, Exanthematum apparentium ratione habita, sanguinem non detraxeris; vix natura tantam humorum copiam superare poterit, & periculum erit ne illi in partem aliquam interiorem irruant, in eaque perniciosam inflammationem generent. Sanguis tamen eo tempore cautius, & minori copia detrahendus est, non ut venæ admodum inaniantur, unde retractio humorum ab exterioribus ad interiora possit succedere, sed tantum ut nimia earum plenitudo tollatur, qua dempta venæ novum sanguinem non attrahant, sed in se concidunt, ac nonnihil laxantur & coarctantur, ut melius sanguinem in iis relictum continere ac tegere valeant. Sicque juvatur motus & repulsio naturæ ad superficiem corporis, Evacuata enim parte oneris qua premebatur, illud quod reliquum est facilius excutit & expellit.

Juxta leges sanguinis circulationis hujus eventus ratio reddi potest, quod existente plenitudine in vasis minus libere ille movetur, Ex Galeni enim placitis una ex obstructionum causis est humorum multitudo, qua dempta per vena sectionem, facilem postmodum illi cursum obtinent; levataque hinc oneris parte; quo premebatur natura, cæteros humores melius hac regit. Porro Petechiarum & Variolarum ac Morbillorum eadem videtur esse ratio, hos autem segnius erumpentibus, præsente plethora cum virium robore, etiam in pueris, usitatum est venam exsolvere, unde postmodum exanthemata felicius erumpunt.

Quod nobis in facienda medicina passim innotescit, dum saepe eadem die qua secatur vena in acutis febribus, imo paucis post V. S. horis, copiosos sudores, eosque criticos ac salutares erumpentes conspicimus, Imo vero quamvis valida satis esset natura, ut totum illum sanguinem redundantem regere sufficienter valeret, cum in corporibus plethoricis sanguis plerumque crassior esse soleat, & per hujusmodi ecthymata tenuissima tantum sanguinis portio exhalet, crassior in venis remanens magis ac magis computresceret, & longe periculosiorem morbum efficeret.

Consultissimum tamen existimo paulo post V. S. plures cucurbitulas admovere, ut motus humorum ad exteriora magis adjuvetur; Notandum autem diligenter est tempus quo Exanthemata apparere incipiunt, nempe in principio morbi, & ante 4. diem id fiat, quo tempore eruptio eorum critica esse non potest, & nullum levamen aegro ex ea emergit, sed potius symptomata ingravescunt, At si post 4. diem erumpunt, & magna copia, ut inde aeger melius habeat, ac symptomata remittant, satius est plures cucurbitulas cum scarificatione affigere, ut motus ille humorum ad exteriora promoveatur.

Intelligenda autem hic V. S. quae fit in brachio, quae confestim sanguinis multitudinem imminuit, nam aliquando sectio venarum inferiorum utilissima est, si vires debiliores fuerint, & V. S. in brachio ulterius ferre nequeant: Tum praecipue confert haec in mulieribus; Est enim, ait *Oribasius* lib. 7. cap. 10. mulieribus propria, & efficax, quippe quae excretionis naturalis motum imitetur, imo citra mensium vacuationem mulieribus utilis est, quia vasa utero vicina in illis multo sanguine abundant: Confert etiam si timetur humorum translatio ad cerebrum, familiaris in his affectibus, maxime si urinae albae & tenues appareant: Refert *Oribasius l. c.* se febre, pestilenti correptum, detractis per venas inferiores sanguinis ℔ij convaluisse, Et omnes qui eodem remedio usi essent, liberatos fuisse.

Easdem vires obtinet *apertio Haemorrhoidum* per hirudines, cum enim hoc modo sanguis paulatim educatur, minima consequitur virium exolutio: Ab intimis tamen visceribus, in quibus solet incendium adesse, & fomes mali, sanguis revellitur: melancholicis praecipue plurimum convenit, quia istius natura plerumque per has vias lotosum sanguinem educere consuevit. *Riverius.*

Venae sectionem experientia & ratione fretus omnino improbat *Primirosius*. Cum (*ait*) plurimas ejusmodi viderim, observavi omnes, etiam juvenes, plethoricosque, quibus aut meo, aut aliorum consilio, sanguis missus fuit, omnes ad unum interiisse. Idem observarunt quamplurimi, quorum authoritas experientiae innixa sufficere deberet: Phlebothomiam siquidem non maculae producentes, sed febris natura prohibet, quae hoc remedio non tollitur: Neque hic verum est Naturam oneris parte levatam alacrius excretionem perficere, id enim locum habet in morbis quos humorum copia generavit; at in hac febre venenum solum fatigat, & saepissime nulla putredo adest, ut vidimus in ejusmodi febribus sanguinem emissum rubentem, cito concrescentem, tanquam à victima, nullis ne minimae quidem corruptionis nota laborantem. Cum enim maculae propensionem Naturae indicent, si dempta hac humorum mole, qua laborare Natura dicitur, alacrior reddita, pro maculis pustulas in corpus universum, sicut in variolis & morbillis reponeret, verisimile foret eam prius obrutam humoribus excretionem perficere non potuisse; At sive instituatur V. S. sive omittatur, febres purpuratae, quantumvis synochae esse dicantur, nunquam emergunt in pustulas, sed solis maculis, inani & irrita vacuatione cutem inficiunt: Ideo sicuti capite de Pestilenti febre diximus, à missione sanguinis abstinebimus, nisi summa putredo simul venenatae qualitati adjungatur, ut in febre ardenti, synocho, non improbarem ob corruptionem humorum additam. *Primirosius* Venae sectio nullius usus est, cum febris ipsa minoris sit conditionis, magisque urgeat malignitas, Et lethalem etiam esse docet *Forestus* in scholiis observ. 36. lib. 6. *Etmuller.*

Diffidentes sententias conciliabis distinctione adhibita regionum in quibus vagatae sunt ejusmodi febres petechiales, cum singuli authores experientiam testem adducant; *Riverius*, Venae sectionis patronus, plurimis tamen adhibitis cautionibus, in Gallia Narbonensi, regione calida Medicinam fecit; *Primirosius* autem in Anglia, *Forestus* in Belgio, *Etmuller* in Germania, regionibus Borealibus, praxim medicam exercuerunt.

19. *Alvum lenientibus*) *Purgatio*, nisi in primo principio, fere nocet, cum alias ad diarrhoeam de facili proclives sint Petechiales. *Etmuller.* Apparentibus jam Petechiis, abstinendum est non solum à fortiter *laxantibus*, sed etiam *Clysmata* caute, nec nisi blanda, atque non nisi necessitate urgente injicienda; *Idem.*

20. *Nec improbatur Vomitus*) *Vomitoria* in Petechialibus prae aliis malignis maxime proficua sunt, cum mox à priori principio graves anxietates soleant prehendere aegros, quas curare, earum incrementum praecavere, & ita longe quietiores reddere possumus aegros, propinato mature vomitorio. *Etmuller.*

21. *Ejusdem per sudorifera expulsione, malignitati simul resistentia*) Alexiteriis utendum &, cardiacis, ad cutim, Naturae imitatione ducentibus, *Eo ducere oportet quo Natura vergit, per loca convenientia*, at convenientissima regio est cutis, ad quam transferatur materia perniciosa internas occupans partes. Sic quoque *Erysipelas ab interioribus ad exterior averti bonum est*, ex *Hippoc.* At materia maligna deterior est ea quae Erysipelas facit, imo cum sit venenosa, eamque Natura ab intimis visceribus ad cutim traducere conetur, omnino huic expulsioni opitulandum esse ratio suadet. *Primirosius.*

21. *Per sudorifera*) Juveni, febris Petechialis (in deliquia subinde exiens) nec sudoribus paruit, nec aliis fomentis, donec tandem à vesicatoriis stimulati humores viam sibi fecere per urinas, quas aeger die xi. profudit adeo copiosas ut verum diabetem formidarem, Et haec ipsa profusio ipsi salutaris fuit, Non est tamen tam fida alioquin crisis haec quam illa altera per sudores: quippe notati mihi plures in febribus malignis, quibus negatis sudoribus, fluxere effusae urinae, sine optato eventu, quod pestilens illud in malignis fermentum saepe adhaerescat tenacius sanguini ipsi, & lentia in eo humoribus, quam ut patiatur se in vias lotii amandari. *Olaus Borrichius.*

22. *Ex illis sunt*) *Ungula alices*, summopere in Epilepsia commendata, mirabiliorem virtutem possidet, ut saepius nos experti sumus, contra venena, & *febres malignas*, eo modo sumpta quo *lapide Bezoar* utimur, Sudorem facillime movet: Nos exhibuimus in minutissimas partes lima redactam, cum conserva de acredine citri ad septem granor. pondus; mirabilesque effectus in morbi malignitate superanda aegrotis peperit, *Dom. Panarolus Obs. 33. Pent. 3.*

23. *Lapis Bezoar*) *Qui plurimis suspectus*, In febre maligna hodie frequentissimus est lapid. bezoartici usus, cujus (ut libere loquar) nunquam evidentem ullum fructum conspexi, verum tamen usurpari facile concedo, quod ex iis sit quae si non juvent nec etiam obsunt, quaeque exerceri à Medico indulgebat *Hippocrates*, *Mercurialis Cons. 5. Tom. 3.*

Ut ingenue dicam, dum Venetiis praxim exercerem, maximam *lapidis Bezoartici* copiam consumpsi, nec

egregiam operam sensi, Scio plurimos, quibus exhibui, fuisse sanatos, sed non retuli in lapidem. Scriptores dicunt quod eo sumpto sudor copiosus excitetur, post quem statim sublevantor. Ego tamen non vidi sudorem erumpentem, vel si apparebat, erat sudor imperfectus; Itaque quantum ad me, abjeci omnem spem hujus lapidis in his febribus. *Herc. Saxonia l. de Febr. c. 38.*

24. *Aqua card. ben. & syr. citri*) Laudatur *Aqua* hæc composita limoniorum.

> ℞. *Limonior. n.* xxiv. *infunde per* viii. *dies in brodio limon. adde radic. scorzon*, ℥vi. *zedoar.* ℥iv. *h. scordij* m. iii. *aqu. scorzon. aceti vinosi* āā. ℔ij. *destillentur per* B. Franc. Osvu. Grembs *Arb. int. & ex. l. 1. cap. 7. p. 64.*

25. *Radices contrayerva*) *Lapis bezoart. solus ad* gr. v. vel vj. exhibetur cum *aqua ulmar. scorzon card ben.* &c. non solum ad malignam qualitatem oppugnandam, sed etiam ad diaphoresin adjuvandam, virtute siquidem pollere sudorifica creditur, quam tamen probati authores non pauci in dubium vocant, (vide inferius 6. *Lapidis bezoartici*) Major fides haberi debet radici illi quæ nostro seculo ex India allata est ab Hispanis, quam *Contrayervam* nominant, quod vocabulum herbam alexipharmacam significat, quoniam illius pulvis adversus venena præstantissimum est remedium, eaque per sudores aut insensibilem transpirationem evacuat, hancque plantam existimant commune esse alimentum quo animalia lapidem bezoarticum generantia vesci consueverunt; Rad. hujus *pulverata* ℈ß. *vel* ʒß. exhiberi potest cum aquis *card. ben.* aut aliis. *Riverius.*

26. *Laudatur maxime*) Quidam ex cholera morbo intra 24. horas cohibito, passus est hæmorrhagiam copiosissimam, comite siti ingenti & inquietudinibus cum æstu præcordiorum. Pulsus erat parvus & frequentissimus, facies hippocratica, habitus corporis maculis latis & lividis perspersus, unde summa morbi malignitas arguebatur, Præter remedia ordinaria, Julepos cardiacos cum *sale prunella*, datur hic pulvis.

> ℞. *Salis prunell.* ℥j. *camph.* ʒj. *m. f. Pulvis in 4. partes dividendus, quarum unam capiat tertia quaque hora,*

Noctu hunc pulverem sumpsit, & mane multo melius habuit, Jubeo iterari pulverem cum aliis remediis, & eadem die à præsentaneo vitæ periculo liberatus. *Riverius cent. 2. obs. 18.*

27. *Virium roboratione*) *Quarum causa vinum concedi posse experientia docuit.* Servus cujusdam Archiepiscopi febre petechiali laborans eo devenerat ut, nulla spe superstite, de vita esset conclamatum. Ille vero mortis candidatus, qui mori se intelligebat, misso ad Episcopum nuntio, supplex vini haustum expetit ante fatalem horam, quod illi illico concessum fuit largiore quam expetierat mensura. Post haustum vini Rhenani in sudorem solutus, quievit, & cum salute iudicata est febris: Similia exempla plura apud nos memoriæ occurrunt. *Th. Barthol. cent. 7. hist. 6.*

28. *Corallorum*) *Quorum efficax Tinctura* Cum extreme febre pestilenti decumberem, animique deliquia singulis momentis haberem &c. *sex guttulis tinctura coralli cum decoctione violar.* propinatis, extemplo & quasi miraculose fui liberatus. Sudorem & crisin (cujus nulla indicia præcesserant, movebat maculasque quamplurimas purpureas ad cutem pellebat, quibus sudore continuo deletis, brevi pristinam valetudinem recuperabam. *Anselmus Boetius l. de lap. & gemm. c. 154.*

29. *Corallor. margaritarum*) Novatores hodierni *gemmas, margaritas, corrallium*, & omnia cardiaca in universum ab usu Medico proscribere conantes, & febres omnes etiamnum malignas sola v.s. & apozematis simpliciter refrigerantibus curantes, hoc saltem experimento circa *corallia* & *margaritas* convincantur, quod illa in pulverem redacta, si in *aceto, succo limon.* aut *spiritu vitrioli*, aut *aqua forti* infundantur, omnem horum liquorum acrimoniam tollant; Unde videre est eadem medicamenta intus assumpta, humorum acrimoniam & malignam qualitatem demulcere, & ad moderatam qualitatem reducere: qui solutiones corallor. perlar. in succo limon. aut aceto destillato factas degustarunt, hoc probe norunt. *Riverius.*

30. *Interdum & ad exteriora*] Mulier xxx. annor. laborabat febre maligna à 2. diebus, cum dolore capitis, inquietudinibus fere continuis, siti intensa, maculis lividis circa pectus & dorsum, Ter intra biduum sanguinem eduxi, ad ℥viij singulis vicibus, Cum interna omnia remedia aversaretur, ad externa me contuli: v. morbi die cataplasma ex cochleis cum testis contusis, stupis superpositus, plantis pedum applicari feci; circa horam iij. pomeridianam. Inclinante autem die cœpit sentire ægra dolorem quendam molestum & gravem in utroque femore & tibia, qui ad mediam usque noctem duravit, ea sævitia ut de removendo cataplasmate perpetuo cogitaret: Media autem nocte sudor totum corpus invasit, tanto fœtore ut illum sustinere vix posset; mutato indusio, amota sunt cataplasmata, tetrum adeo odorem exhalantia ut adstantes omnes ferme inficeret. Mane ægram alacrem invenio, febre aliisque symptomatis valde imminutis, & brevi post omnem convaluit, *Joh. Martinus obs. 8. Sic memini cuidam febre maligna laboranti, ac summa virium debilitate, cum pepiones dissectis cordis regioni admoti detraherentur, fœtidissimos semper illos fuisse, quasi ante octiduum fuissent interfecti; Evasit æger.*

Raphanus, quia magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, utile est scobem ejus pedibus, sale & aceto prius mundatis, alligare. Idem etiam occiptio apponi potest, si vehemens capitis dolor adsit. *Joh. Crato consil. 16. lib. 3.* Fermentum acre, addito *semine sinapi vel eruca* pulver. minori fœtore idem & efficacius præstat.

31. *Per vesicatoria revulsione*] Si ulla est Febris in qua *Vesicatoria* conveniunt, est inprimis *Petechialis*, speciatim quando retrocesserint maculæ; raro enim aut nunquam denuo apparere solent, sed vel supervenientibus nervosi generis symptomatibus, nempe deliriis & convulsionibus, ægri intereunt, vel successive per auctam diaphoresin saltem morbus solvitur; ut ergo ancipiti tali in casu ægrum levemus; item si alias graviora nervosi generis symptomata immineant, ut ordinario in statu harum febrium assolet fieri, consultissimum est mature applicare *vesicatoria* in pedibus ac brachiis, prout plus minus urgent symptomata. *Ettmuller p. 365.*

32. *Per vesicatoria revulsione*] Potenter pravos ac venenatos ichores attrahunt & revellunt Vesicatoria variis partibus admota. Vulgo adhibentur posteriori parti cervicis; hinc enim & veneficam materiam eliciunt, & à capite derivant, comatosisque affectibus, qui non raro in febribus malignis solent contingere, percurandis inserviunt. Attamen ubi magna est malignitas totum corpus occupans, & sævissima symptomata urgent, unicum vesicatorium non sufficit, sed plura admovenda sunt, Soleo ego in magna morbi sævitia quinque locis admovere, cervici nimirum, utrique brachio, parte interiori inter cubitum & humerum, & utrique femori, parte etiam interiori inter inguina & genua cum felici successu. Summum hujus remedii usum ex Galeno elicere possumus qui *5. m. m. c. 12.* refert ex febre pestilenti omnes evasisse quibus exulcerationes in variis corporis partibus contigerant. Evacuata nimirum per ea ulcera materia morbifica; Cum tamen ex hujusmodi vesicatoriis stranguria sæpissime contingat. Quod symptoma præcaveri potest si Emplastro vesicatorio semina ameos pulveris

sata misceantur, quæ hac facultate donata sunt ut prohibeant ne cantharides nocumentum vesicæ inferant; opportunum etiam erit eo tempore Emulsiones exhibere, quibus urinæ acrimonia temperabitur. *Riverius.*

Vesicatoria ex *cantharidibus* &c. sunt egregia in Febribus malignis, conveniunt autem in principio status inprimis, dum vel graviora, præsertim capitis, & facultatis animalis imminent symptomata, aut urgent, ut cephalalgia nimia, delitia, convulsiones, item ubi soporosi imminent affectus. Ideoque ubi suspicio est, ne vel fermentum malignum magis spiritus animales, & genus nervosum afficiat; vel quacunque ex causa raptus sanguinis aliorumque contentorum ad caput fiat, Item ubi interiora uruntur, exteriora vero frigent, Item quando naturam aliquam excretionem moliri, erumpentibus hinc inde maculis, à doloris sensu in quapiam parte suspicio est; vel quando facta jam excretio, quacunque ex causa denuo retrocesserit, In talibus casibus optime cruribus, supra vel infra genu; vel brachiis prope carpos, aut prope axillas, tandem etiam circa *nucham*, sed hoc vix nisi in affectibus soporosis, aut ubi jam aliis in partibus applicata fuerint, vesicatoria applicantur, Sane talibus in casibus, tam in benignis quam malignis conducunt, idque eo magis in his, quorum parcior sudor aut diaphoresis in iisdem non raro observatur, Arbitror quod in miasmate maligno evocando, mediante spirituum ad locum dolentem concitato impetu, singulare quid obtineant; *Etmuller pag. 358.*

32. *Revulsione)* Inter revulsoria remedia merito etiam referuntur *frictiones* partium extremarum cum linteo asperiori, frequenter repetitæ, sed præcipue commendatur illa quæ fit in toto corpore cum Linimento *Aëtii.*

℞. *Olei amygd. d. & aqu. fontis ãã.℥iv. salis nitri ʒij. bulliant ad aquæ consumptionem, & manibus hoc oleo inunctis perfricetur calide totum corpus mane & sero, Aëtius* oleum *sabinum* præscripsit, sed quia calidius est merito à *Baptista Montano ol. amygd. d.* substituitur, Hoc Linimentum cutis poros aperit, ut natura commodius vapores venenatos ad eam transmittere valeat.

Inter Revulsoria remedia referri etiam potest *Cataplasma ex raphanu à Cratone* laudatum, *Raphanus*, inquit, quia magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, utile est scobem ejus pedibus, *sale & aceto* prius mundatis alligare, Sequens vero Cataplasma utilius erit

℞. *ras. raphani & bryon. utr. ãã. ℥ij. semin. nasturtii hort. ℥j granor. parad. ʒß. salis mar. ʒiii. mixta irrorentur aceto fortissimo, & excipiantur s. q. saponis liqiidi, f. Catapl. plantis pedum applicandum è stupis pexis calide hora somni.* Huic utiliter addi poterunt *fol. rutæ, vrticæ, salviæ, scordii, stercus columb. succus rut. & acetum.*

Cataplasma ex *cochleis contusis* similem habet efficaciam, & potenter attrahit ad inferiora humores & vapores noxios, quemadmodum illud *Galenus* maxime commendat ad aquas hydropicorum potenter attrahendas & discutiendas, *Riverius.*

Revulsione) Quæ etiam efficax per *Cucurbitulas* tum siccas tum scarificatas, *Siccas* quidem, quando simplex revulsio molienda est, *Scarificatas* vero, quando sanguinis redundantis copia penitus ablata non est per v. s. quam vires ulterius ferre nequiverunt; Siquidem multo minori virium jactura sanguis per cucurbitulas educitur, Et præterea venenati spiritus intus latitantes ad exteriora retrahuntur. Sed *de locis* quibus applicandæ non convenit inter authores, Alii enim, & inprimis Itali fere omnes, censent partibus inferioribus, cruribus & natibus tantum esse applicandas, ut materia venenata à corde ad distantissimas partes revellatur; In scapulis vero ac dorso non convenire, quia humores noxios attrahunt ab aliis partibus versus cor.

Alii contra his postremis partibus admotas maxime convenire existimant, ut humores & vapores venenati trahantur à centro ad circumferentiam, qui motus naturæ motui in hoc morbo maxime consentaneus est. Nos autem in omnibus prædictis locis cucurbitulas admovendas esse censemus; Opportunumque esse à partibus inferioribus incipere, ut portio quædam malignitatis ad remotiores partes retrahatur. Sed quia in partibus illis inferioribus admotæ venenatos humores ac vapores à corde & partibus illi vicinis sufficienter retrahere nequeunt, conducibile est partibus cordi vicinis, scapulis scil. ac dorso admovere. Hoc enim modo naturæ motus maxime juvatur, cum experientia doceat macularum eruptionem ad illas præcipue partes fieri, quæ frequenti cucurbitularum admotione plurimum juvatur. Ratio vero, cui priores sententiæ assertores innituntur, parvi est momenti, quia metuunt ne humores noxii ab aliis partibus ad cor retrahantur.

At id forsan haberet locum si in principio morbi, præsente totius plenitudine, adhiberentur; At post universalem evacuationem, v. s. sufficienter celebratam admotæ, nullum tale inferre valent periculum, Quod pleuritidis exemplo fit manifestissimum, in cujus principio si cucurbitula lateri dolenti admoveatur, attrahet sine dubio fluxionem magis ac magis ad partem dolentem, Sed cum post multas sanguinis missiones admoveri soleat, non solum nihil ab aliis partibus ad affectum trahit, sed illud quod parti impactum est ad exteriora potentissimè trahit, ut inde integra sæpe morbi solutio subsequatur; quamvis in hoc affectu tractio ad partem affectam magis metuenda sit, quia externa fere & cucurbitulæ vicina est, *Riverius.*

Interim dum corpus aliis remediis tractatur, Cucurbitas parvas, plures, aut plures adhibere oportet, Quæ si maxima fuerit imbecillitas & venenositas, citra scarificationem, aut cum levissima; Sin autem & sanguinis vitiosi aliquid superesse cognoverimus, cum scarificatione; In quo sane usu & indicatione consultissimum est eas scarificare quæ in dorso è regione cordis affiguntur. Quod sane inventum tanti sæpe esse momenti usus demonstravit, ut anxietatem, & pulsus inæqualitatem, ac alia sævissima accidentia ab eis protinus subsidere visum fuerit. Quamobrem donec veneni accidentia quodammodo mitescere ac supersedere visum sit, ab iis desistendum non est. *Lud. Mercatus de R. Pr. Usu lib. 1.*

Zacutus Obs. 3. lib. 5. Pr. Adm. plurimum commendat Cucurbitulas scarificatas prope inguina & axillas admotas, His enim vitiosus succus ad partes ignobiles & communia emunctoria attrahitur, ad quæ natura solet eum utiliter deponere.

33. *Si alvi fluxus)* Si maculis jam apparentibus supervenit forte alvi fluor, caute tractandus, & non adeo subito supprimendus, nisi copia excesserit, quod natura evacuationem sensilem moliatur, idque præsertim si affectus non tam ex *contagio* quam ex *interno contentorum spontaneo vitio ac corruptella* originem ducat; Ita tamen regatur ut macularum expulsio quantum possibile promoveatur, non vero ab isto alvi fluore cohibeatur. *Etmuller pag. 365.*

34. Diffe-

Differentiæ.

[54] *Differentiæ* à quantitate & colore sumuntur. I. Aliæ sunt *copiosæ*, aliæ *paucæ*, II.[55] Aliæ *minores*, aliæ *majores*, II. Aliæ[56] sunt *rubræ*, à sanguinis temperatioris putredine; aliæ *flavæ* vel *virides*, à bile; aliæ *punicea & nigra*, ab humore atro. Neucrantzius & *Symptomaticam* dari putat, in inflammationibus nempe perniciosis, quod in dubium non voco; Zacutus *non malignam*, ex Peredæ, Paschalis, & Ioannis de Colle sententia: habesque apud Marcellum Donatum, dari quandoque talia cum miti febre,[57] quandoque citra febrem stigmata.

De cætera notandum. I. Facere *Hippocratem Epidemior.* l. 2. sect. 3. *febrium æstivarum* mentionem, in quibus circa septimum, octavum & nonum diem τραχύσματα seu [58] *asperitudines* quædam miliaceæ, culicum morsibus ferè similes, nec ita pruritum excitantes, in summa cute subnascebantur, & ad judicationem usque perdurabant, quæ nec ulli masculorum erumpebant, nec ullam mulierem tollebant; quas Purpuratas non fuisse, sed potius à sanguinis fervore & naturæ robore ortas, ex descriptione colliges: Zacutus *febres Culiculares* vocat, papulasque illas aliquando esse rubeas, & ingentem pruritum excitare, hirudinumque ex mariscis suctu curatas, Admirand. Observar. l. 3. obs 14. scribit.

II. Sed[59] nec huc vel *exanthemata* ejusdem Hippocratis *Epidem.* l. 5. culicum morsibus similia in Euphranoris filio pertinere, quod æger à febre, quæ postero demum die invasit, liber fuerit: nec *Galeni, Methodi medendi* l. 5. c. 12. *pustula*, quas *Exanthemata* vocant, nigræ, quæ evasuris in peste toto corpore erumpebant; Ulcerosa plurimis, omnibus fere siccæ: Tum quia maculæ puncticulares pustulæ non sunt, tum quia evasuros non invadunt,

III. *Non multum ab illis abludere*, tum Efflorescentias illas, quas[60] *Fullonem phreneticum* apud *Hippocratem 4 Epid.* invaserant; tum[61] *Pherecidem* octavo die cum gravissimis symptomatis, apud eundem: solent namque anxiosis culicum puncturæ supervenire; tum efflorescentiæ parvæ *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. quæ nec satis citæ pro dignitate morborum invasionis erant, celeriterque rursus evanescebant, quia quæ de illis traduntur ad Petechias traduci possunt: Sed de his vide accuratissime agentem eruditissimum Medicum *Neucrantzium.*

[54] *Differentiæ*) Purpuræ epidemicæ Infantes solos fere aggredientis meminit *Simon. Schultzius*: Cum anno, *ait*, 1664. hyems mollis & pluviosa esset, grassabatur apud nos vere primo insequente Purpura epidemia, maligna, quæ per totam æstatem & autumnum usque in hyemem sæviebat, plurimosque infantes utriusque sexus & XII. annum attingentes (nam ultra hanc ætatem vix ascendebat) perimebat: Pleraque 2. die morbi, nonnulli etiam prima moriebantur, Illi solum evadebant qui nulla faucium inflammatione, vel tumore œdematoso infestabantur, Tum omnibus ab isto morbo liberatis, post copiosum sudorem (nonnullis etiam diarrhoea critica profuit) squamæ decidebant, rubore cutis evanescente &c. *Med. Sept. vol. 2. p. 206.*

[54] *Differentia à quantitate & colore sumuntur*) Sunt & aliæ differentiæ 1. quod partes rubore infectæ apparent, qui intra paucas horas sæpe evanescit, atque iterum revertitur, quasi per paroxysmos, dum febris suas patitur exacerbationes, in quibus sanguis ebulliens ad superficiem corporis exhalationes tenuiores emittit, à quibus nulla fit cutis elevatio, sed ea tantum rubro colore inficitur: Non raro tamen 2. ex hujusmodi ebullitionibus cutis in variis partibus elevatur cum quodam rubore, & tumores quosdam in cute efficit molles & laxos, qui intra paucas horas evanescunt, & vulgo Ebullitiones sanguinis nominantur. *Riverius.*

[55] *Aliæ minores aliæ majores*) Licet utplurimum hu[illegible] maculæ [illegible] culicum morsibus similes sint, majores [illegible] aliquando sese produnt, ut referant vibices, seu [illegible] is indi[illegible]tos, tumque deteriores sunt: Aliq[illegible] amplissimæ sunt & partes integras, magnamque [illegible] corpor[illegible] partem, brachia nimirum, crura vel dorsu[illegible] ant, Tumque partes rubore infectæ apparent. *R[illegible]ius.*

[56] *Aliæ [illegible] rubræ*) Purpureas has maculas nominamus, quia utplurimum colore purpureo infectæ sunt; Non raro tamen violaceæ, virides, lividæ aut nigræ apparent, & tunc longè deteriores sunt, majoremque malignitatem significant. *Riverius.*

[57] *Quandoque citra Febrem stigmata*) Apparent aliquando in aliis affectibus citra febrem pestilentem maculæ quædam prædictis consimiles, sed à diversissima causa prodeuntes, nempe à sanguinis tenuitate nimia, qui à calore, aut facultate expultrice agitatus extra capillares venas in cute efflorescit: Illę potissimum solent contingere in iis qui sanguinis fluxum patiuntur, ex eo quod ille factus fuerit tenuior & aquosior: Tum etiam in lienosis, ictericis, & diuturnas viscerum obstructiones patientibus, iisque omnibus (ut summatim dicam) qui propter viscerum debilitatem sanguinem generant aquosum & in cachexiam proclives sunt: In his enim sanguis tenuior factus, modo per nares, modo per aliam partem effluit, modo etiam è capillaribus exiens venis in partes cutaneas transmittitur, ubi retentus proprium amittit colorem, & vel lividus, vel niger, vel puniceus efficitur, variasque macularum differentias profert, quę tamen à maculis febrium pestilentium diversissimę sunt, & nihil aliud quam tenuitatem sanguinis aquosam atq; imbecillitatem jecoris præ se ferunt. *Riverius.*

[58] *Asperitudines quadam miliacea*) An huc pertinet Febris maligna cum Exanthematibus miliaribus, de qua *Carolus Rayger in Misc. Cur.* Puella 12. ann. sub initium veris, manus postquam consueto inquietios dormiisset, bis vel ter vomuit, accessit cordis compressio & spinę dorsi dolor, cũ insigni calore; In collo & pone aures, maculæ observatæ matri morbillorũ opinionem fecerunt, Tertiò morbi die rubor quidam instar Erysipelatis per totum corpus diffusus apparuit, cũ cutis quadam asperitate, oris siccitate, pulsu inæquali, delirio &c. Altero die reversus, totũ corpus non solum ita intense rubrũ, ac si panno rubro incolatũ esset, deprehendi, sed & collo usq; ad genua *parvis exanthematibus, grani milii* vix ęquantibus, plenũ

ichore quodam albo, pellucido, non tamen valde dolentibus repletum &c. Jussit continuare alexipharmacis & eapellentibus usq; in XII. diem; quo instat squamularum decidere, convalescente ægra; Pro Febre habui malignamiliari, simili illi febri quam puerperis ante aliquot annos exinosam descripsit Exc. *Gothof. Velschius* P.P. Lips. in peculiari Dissertatione, Nunquam ante à me illud Exanthematis genus visum; Ancilla ægræ adstans affirmavit se plane eodem morbo laborasse in juventute, & sumpto sæpius in die *pulvere* ex *fl. sulph. & nitro præpar.* restitutam fuisse. *Medic. Sept. volum. 2. p.* 206.

38. *Asperitudines quædam miliacea*) Una quædam abscessus species supervenit plurimis in æstivis illis febribus, circa 7. 8. & 9. diem, asperitates in cute milii granis similes, culicum morsibus maxime similes, non admodum pruriginosæ; Hæ, ut ex hac descriptione, & accidentibus constat, erant illæ quæ Hispanis novato nomine vocantur *Tabardillo*: Sunt maculæ quædam per cutem erumpentes in febribus ardentibus symptomatice, ob fervorem & malignam corruptionem succorum; Superioribus annis fuit malum hoc in Hispania frequens; Malum alioquin rarissimum, usque adeo ut tunc temporis videretur primum morbus cum nomine natus.

Tunc observavimus illis qui eo malo affliguntur fieri hæc quę narrat *Hippocr.* symptomata; nimium antequam erumpant maculæ anguntur plurimum & vigilant ęgri, succo qui interius secernitur, & cujus natura parat expulsionem, lædente viscera; postquam eruperunt, & dum erumpunt, delirant & comatosi fiunt; Nimirũ hoc malum non fit ex sanguine tenui admodum, ille enim non cohibetur cute, quia statim dissipatur, sed ex crassiusculo maligne putrescente, aut etiam cum crasso admistò, ex quo accidit ut non fuerint admodum pruriginosæ.

Cum tenui ergo effertur sanguis crassior in caput, faciuntque vapores putredine mala affecti delirium, Coma crassi.

Hæ maculæ colore plurimum differunt, indicatque colorum differentia tantam malignitatis morbi differentiam ut ex nigris vel lividis vix ullus evadat, ex rubris pauci admodum intereant; Tales fuerunt in ægris hujus tempestatis, quandoquidem tam pauci ex his mortui sunt, ut nullum *Hippocr.* viderit; *Vallesius comm. in cit. loc pag. m.* 142.

39. *Nec huc vel Exanthemata*) Inter affectus febribus pestilentibus supervenientes sunt Exanthemata, quæ à maculis purpureis differunt, ex eo quod *Maculæ* ad qualitates corporis mutatas ipsius cutis, cum nullo modo emineant, *Exanthemata* vero ad Tumorum genera referantur, ; Sunt enim varorum instar aliquando, alias vero minora, granis milii simillima: Aliquando rubra sunt à sanguine genita, aliquando alba, à pituita vel sero; flava à bile, punicea à bile exusta; livida vel nigra à maxima caustione vel mortificatione: Quædam symptomatice, quædam critice, quædam medio modo erumpunt; Alia exsiccantur simpliciter, alia suppurantur, alia exulcerantur. *Riverius.*

40. *Qua Fullonem phreniticum*) *Vallesius in comm.* existimat easdem esse Exanthemata quæ supra nominari dicit *Tabardillo* apud Hispanos, ubi curationem illorum proponit, disquirit an purgandum &c. *Vide p.* 874.

41. *Tum qua Pherecidem*) Pediculis affectum fuisse Pherecidem censere *Joh. Ram. Fortu*, & ex eo arguit Petechias *Hippocr.* fuisse cognitas.

Febris Erysipelatosa.

Nullam non corporis partem nullo non tempore incessit hic morbus, at præ reliquis faciem, exeunte præsertim æstate; quo tempore sæpe dum sub dio versatur, corripitur æger: Facies siquidem ex improviso in tumorem attollitur, qui subito exortus cum dolore ruboreque summis, denso minimarum pustularum ordine distinguitur; quæ aucta magis inflammatione in *vesiculas* subinde facessunt, hinc per frontem ipsumque caput latius serpit, oculis interim tumoris magnitudine plane obrutis (rusticis *syderatio* audit) neque multum profecto abludit omni quod adsuot *Pustula* ab iis symptomatis quæ inflicta ab apum vesparumque aculeis comitantur vulnera, Hoc se habet modo notissima Erysipelatis species ac vulgaris.

At vero quamcumque corporis partem hoc vitium obsederit, ut etiam quocunque anni tempore, rigor atque horror, nisi præcesserint (quod nonnunquam pridie, aut nudius tertius solet contingere) huic se inflammationi plurimum adjungunt, sitis insuper, anxietudo, ac reliqua febrium indicia: Procedente morbo, uti primum febris dolorem, tumorem atque alia peperit symptomata (quæ in dies ingravescentia nonnunquam in Gangræna terminantur) ita hæc invicem haud mediocrem ad febris augmentum conferunt operam; donec remediis idoneis utraque restinguantur.

Curatio, Hic ego materiam peccantem sanguini permixtam ritè evacuandam, ejusdemque sanguinis ebullitionem remediis illum contemperantibus sufflaminandam censeo: Eam deinque quæ jam partibus impacta est, materiam evocandam discutiendamque.

Hæc ut fiant, ubi primum accedo, satis largam sanguinis quantitatem è brachio extrahi præcipio, qui quisdem Pleuriticorum sanguinem fere semper æmulatur; Die sequente blandam illam Potionem catharticam, mihi in praxi familiarem exhibeo, & hora somni (si paulo frequentius dejecerit æger) haustum Paregoricum, e.g. *syrupum de meconio* in *aqua flor. paralys.* vel alium ejusmodi.

Peracta catharsi, partem affectam sequenti Decocto foveri jubeo.

℞. *radic. alth. & lilior. alb.* ãã. ℥i.
fol. malvæ, sambuc. ãã. *m.* ij.
flor meliloti, summit. hyper.
centaur. min. ãã. *m.* j.
sem. lini & fœnugr. ãã. ʒß.
coqu. in s.q. aqua ad ℔ iij.
coletur liquor & tempore usus adde singulis libris
Decocti spir. vini ℥ij.

Stuphæ è panno laneo levis texturæ hoc decocto immersæ ac expressæ calide admoveantur parti bis in die, quæ post Fotum quotidie illinatur sequenti mistura.

℞. *spirit. vin.* ℔ß.
theriac. Androm. ℥ij.
pulv. piper. longi caryoph. ãã. ʒij. *misce.*

Charta emporeutica hęc mixtura madida parti circumvolvatur.

Æger insuper ut Jusculis tantum hordeaceis, avenaceis, cum pomis assatis vescatur volo, Tum etiam cerevisia utatur tenuissima, Et per horas aliquot singulis diebus a lecto sibi temperet; Hac methodo tum febris, tum alia symptomata citissime utplurimum fugantur; Sin aliter, rursus venam seco, quod & tertium nonnunquam fieri debet, interposito semper die uno, si prava nempe adsit sanguinis diathesis, & Febris intensior.

Diebus à Venæ sectione liberis *Enemata è lacte* cum *syr. violac.* & Julapia refrigerantia ex *aquis nymph.* &c. qualibet hora diei usurpanda præscribo: Utplurimum vero unica V.S. & subsequens catharsis, si tempore adhibeatur, rem expediunt.

Alia species Febris Erysipelatodes.

Est & alia hujusce morbi species, licet rarius occurrens, Hæc quolibet anni tempore invadit, adque hac utplurimum *ασφάλτ*; Quod scilicet æger

vinorum

vinorum subtilium magis magisque attenuantium potatiooi paulo liberalius indulserit, aut liquoris similis spirituosi: Febriculam, quę agmen ducit, mox excipit Pustularum per universum fere corpus eruptio, quæ *urticarum* puncturas referunt, & nonnunquam in vesiculas attolluntur, mox recedentes tuberculorum more sub cute se condunt cum pruriru mordacissimo & vix tolerando.

Species hæc pari modo ac prior est amolienda, nisi quod hæc remedus ab extra applicandis minus egeat. *Sydenham Observ. in Acut. p. 447.*

ARTIC. IV.

De Morbo Hungarico.

[1] MOrbus Hungaricus [2] *est febris* [3] *continua, maligna & contagiosa, cum magno humorum circa ventriculum & primas vias apparatu, & insigni capitis dolore conjuncta.*

Vocari potest [4] *Castrensis & Militaris*, quod in castris exortus sit. [5] *Signa* ejus sunt cum malignarum febrium eadem: accedunt eis, dolor capitis ingens, ut & circa ventriculum ad locum sub mucronata cartilagine, durities & renitentia; delitia, quæ, materia ad aures secedente & surditatem excirante, solvuntur: [7] sæpissimè petechiæ & maculæ apparent &c.

[8] *Causa* est *vel* Humorum in vena cava putredo & corruptio: vel *Contagium.*

Curatio est [9] *Bonæ spei* [10] si materia [11] ad aures tendit: *si* [12] per alvum evacuatur. [13] *Peragitur* pro ratione Causarum, quas in differentiis vide: & [14] maximam tum febris, tum malignitatis rationem habet.

Dividitur ratione Causarum.

Alia est ab [15] *Humorum* in vena cava *corruptione*, [16] qui diætæ erroribus cumulantur, Aër namque Hungaricus noctu crassus, interdiu tenuis & fervidus: Milites vapores è terra exhalantes excipiunt: Victus eorum plerumque est pravus, & spontè ad putredinem tendens &c. *Cognoscitur*, ex victu antecedente, dolore ventriculi, [17] *Curatur* I. [18] *Humorum eductione* [19] tum per alvum, ubi [20] *agaricus* laudatur; tum per vomitum: tum [21] per venæ in [22] cubito vel talo sectionem, quæ primo vel secundo die instituenda: si aliquot dies præterlapsi, & vel alvus solvitur, vel vomitus supervenit, omittenda. II. [23]. *Malignitatis* per sudorifera moderata, aliquoties repetita, *dispulsione*, ubi & [24] *antimonium diaphoreticum*, & *Theriaca* in frigidis aquis dissoluta locum habet. III. [25] *Diæta* malignis febribus conveniente: [26] A vino qui non abstinent, intereunt.

Alia est à *Contagio*, in qua purgationibus & vomitibus omissis, soli malignitati resistendum.

[1] *Morbus Hungaricus*) Tribulis pestis est lues quæ dicitur Pannonica; hæc perinde ut illa in populum est debacchata truculentam mortalium stragem edidit: Expeditione enim necessaria contra *Solimannum Turcarum, Imperatorem* ab *Imperatore Cæsare Maximiliano* ij. *Austrio* anno 1566 suscepta, in Pannonia innotuit; eoque Ungarici vel Pannonici, à regione, veluti morbus Gallicus, quia in castris Gallorum, in Campania, ætate *Caroli* VIII. Francorum Regis deprehensus, illinc porro promulgatus: Sudor Britannicus ex Anglia (ubi primum anno Salutis 1486. conspectus dicitur, *Henrico* VII. rerum illius Insulæ potiente) vicina littora inficiens, Gallos, Belgas & Germanos ab anno 1525. usque ad 1530. vastavit, & hic morbus denominationem sortitus est; Castris ad Comaram cœpit; junctis ad Lautinum incrementa suscepit; exauctorato, & hinc inde dilapso milite sævissimus factus, tunc per seminaria distributum est contagium Germanis, Burgundis, Belgis, Italis, Boheinis &c. *Th. Jordanus cap. 19. de Pestis phænom.*

[2] *Est febris continua*) *Crato* ad Synochas putridas, *Langius* ad Causum refert, quippe summus est ardor: Alii ad Petecchialem, Cæterum hic, licet aliquando, non semper adsunt Petechiæ. *Joh. Andr. Schmitzius Med. Pr. p. m. 79.*

Synochos putrida biliosa erit statuenda, quam abunde attestari possunt *Pulsus* frequentes quidem, sed quodammodo molles, & in principio magni; *urinæ* rubræ & turbatæ, sed præterea *oculorum rubedo*, necnon *capitis dolor*, ac tandem, quia corpora plethorica corripere solet; quæ sanguinis missione opportune administrata, levantur & liberantur; Hæc tamen legitima Synochos non est, sed quodammodo biliosa, & ideo pulsus non adeo pleni, magni & molles in progressu observantur: *Dolor capitis* pungitivus potius adest quam gravativus, quinimo & biliosis tum vaporibus tum humoribus, caput calefacientibus, *deliria* quoque excitantur, *Sitis* molestior quam in legitima Synocho ægros molestat, & *Lassitudo*, quæ in synocho phlegmonosa esse consuevit, in hac tensiva, mixta nimirum ex phlegmonosa & ulcerosa se prodit, sicut à bilioso sanguine, per venas ad coronariam perveniente, ventriculi fit tensio dolorosa. *Joh. Ram. Fortis Tr. de Febr. cap. de Febre Hungarica.*

[2] *Est febris continua &c.*) *Febris militaris*, vel *morbus Hungaricus*, affectus est continuus, malignus & contagiosus, à magna & vehementi cordis irritatione, orta ex humorum singulariter corruptorum effervescentia p. n. seu nimium aucta circulatione, cum cephalalgia continua, dira cardialgia, aliisque gravissimis symptomatis affligens & functiones omnes destruens. *Giesvvein Hodegi pag. 419.*

[3] *Continua maligna & contagiosa*) Quoniam plures occidit, cito vires prosternit, pulsusque parvos ac languidos reddit, & nonnunquam per pustulas & papulas, aliosq; tumores decubitum facit, ideo maligna non solum, sed quodammodo Pestilentialis quoq;, sine Peste tamen; censenda erit. *J. Ram. Fortis Tr. de Febr.*

[4] *Vocari potest Castrensis & Militaris*) Empiric

quorum ingens eo confluxerat numerus, *Hertzbrenn* nominabant, vernacula lingua, quasi *Febrem ardentem cordis*, Cum enim extrinsecus non adeo acrem mordacemque perciperent calorem, intus latere incendii fomitem rati, tum quia locum denotabant, qui Germanis quoque cordis significatione (haud aliter ac *καρδία* Græcis os ventriculi significare passim inculcat *Galenus*) donatur: Ab atro vero vel puniceo linguæ colore, qui febribus ardentibus peculiaris, *Breun* (ut *Langius* deducit) Caussis illis dicitur, composito vocabulo Caussum cordis appellabant; Et quia in dissectione (cujus egregie gnari erant) aliquas pustulas, ab effervescentia sanguinis oriundas, in substantia cordis conspectas illis fuisse temerarii jactitabant, ob id locum primario affectum Cor esse mordicus asserebant: Vulgus *Kopffvvehe*, à capitis intenso dolore nominabant; Vicit tamen morbi Ungarici appellatio. *Jordanus.*

5. *Signa ejus sunt*) Febris hæc maligna admodum & gloriosa præ cæteris malignis, triga symptomatum acerbius affligentium insignita, nempe 1. gravi *cardialgia & anxietate*, hinc 2. *intolerabili cephalalgia*, indeque *gravissimis deliriis*, ac 3. *graviore Prunella*, quibus & *dolor* sive *lassitudo artuum osteocopos* & subinde *alvi fluor* se solent sociare. *Etmuller.*

6. *Signa ejus*) Morbi historiam, cum primum innotuit, hanc affert *Thomas Jordanus* lib. de *Pestis phænomenis*.

Circa tertiam, *inquit*, vel quartam à meridie horam invadebat, ejusque *ἐπισημασίας* cum levi *rigore*, aut potius frigore & horrore observabantur: Post horæ quadrantem *æstus* illum excepit, qui noctes & dies sequentes assidue eos detinebat, Conquerebantur inprimis de *Capitis dolore*, Deinde manu quoque admota ostendebant sub sterno regionem ad *cartilaginem mucronatam*, ubi orificiu ventriculi sedes vulgo statuitur: Ibi omnibus quędam *renitentia & durities* observabatur, cujus etiam attactum non ferebant: *Sitis* inexhausta primis statim diebus aderat; postridie, vel ad summum tertiò die *deliria* adveniebant, quæ sat diu perseverabant, *Exacerbationes* erant circa vespertam, & per noctem recrudescebat morbus; *lingua* erat arida, *labia* fissa, quibusdam *sanguinis* sputum supervenit; nonnullis materia per alvum evacuata salutaris *στάσις* accedebat; Plurimis, imo fere omnibus, materia à capite in aures secessionem faciebat, unde *surditates*, eoq; sequestrata materia salutis argumentum præbebat: *Parotides* frequentes erant, Pessima fuit crisis in quibus *Tubercula* in summo pedis oboriebantur, quæ scalpello aperta serpebant, donec negligentibus *sphacelus* crus occuparet; Salutem recuperabant alii 14. die, licet aliquibus etiam in xx. sit producta curatio: Omnes qui vini potu non abstinuerant, perierunt.

De signis vide supra *§. Est febris continua.*)

7. *Sæpissime Petechia*) Papulæ, sive *punctura, pulicum morsibus similis*, omnibus equidem fuerunt latiores aliis, minores aliis; universum corpus quibusdam, majore tamen ex parte regionem thoracis, & dorsum circa spinalem medullam occupantes, quamvis frequentes juxta scapulas & in brachiis apparetent, coloris saturi plerumque, nisi in morituris, quibus in lividum & atrum tendebant. *Jordanus.*

8. *Causa est*) *Rulandus & Jordanus* agnoscunt summam malignitatem, & summam cacochymiam, adque bene, Cacochymiam autem esse à pituita contendunt 1. quia phlegmagoga in principio prosunt, non vero V. S. 2. exacerbatur circa noctem 3. flante austro exacerbatur, & grassatur tempore pluvioso. 4. quod adest dolor ventriculi. 5. quod per sudorem & urinam terminatur. 6. quod ultra 7. vel 14. dies extendatur, 7. quod abscessu plerumque terminetur; *Sennertus* (ut & *Langius*) credit causam esse, ita tamen ut magna pituitæ copia adsit, non tamen ut causa. *J. Andr. Schmitzius.*

9. *Est bona spes*) Corruptio & intensive & extensive progressa, adeo massam sanguineam inficit, atque corrumpit, ut spirituum brevi temporis spatio instauratione prohibeat, sicque post quartam vires concidant, & eductio sanguinis prohibeatur.

Quod si vires alicui satis vegetæ fuerint, corrupti & venenati humores ab expultrice facultate ad ambitum corporis per sudorem expelluntur, eoque facilius si tenues fuerint: Quibus crassioribus, nec facultate adeo valida prædiris, abscessus fiunt, pustulis aut tumoribus aliis per varias corporis partes erumpentibus.

Jam autem observatum fuit febricitantes illos evadere quibus copiosi sudores, vel abscessus putridi supervenìunt; quod *Galenum* quoque non præterit, Sicut servari quoque possunt per Abscessus ad stranguriam: qui non per decubitum sed per effluxionem fieri dicunt: quibus urinæ copiosæ, crassæ, variæ, rubentes, veluti & purulentæ cum dolore fluunt. *Fortis.*

10. *Si materia ad aures tendit*) Observanda erit naturę propensio, ne obniramur ejusdem proclivitati: Licet enim plurimum in hisce febribus ad ambitum corporis vergat, quandoque tamen movet ad alvum, vel urinam, & frequentius ad aliquam partem abscessum facit, tuncque quo vergit eo ducere convenit. *Fortis.*

10. *Si materia ad aures tendit*) Pessima fuit crisis quibus Tuberculum in summo pedis oboriebatur, quo per vellicationem scalpendo obtrito & effiactu, malum serpendo radices agebat, donec lixis, calonibus, aut aniculis negligentioribus sphacelus, aut Arabum est hionenus ignis, crus occuparet; carbone quovis esthiomenus ignis, crus occuparet; carbone quovis esthiounde ceu siderati, sensu & motu amisso, maloque radices agente, utroque aliqui, alterutro cæteri crure privati sunt: crure tenus amputati sunt pedes plus decem in Ptocotrophio Viennensi; qui pari calculo in eo conveniebant, sese noctu frigus sensisse, cum æstu subsequente, mane vero, ubi surgendum fuerat, tuberculi cujusdam atri signa oborta; quod ubi unguibus vellicassent, malum inspiciendo auctum, & brevi ctus universum obsedisse, seque in has miserias conjecisse: Nemini tamen hoc contigit, nisi qui sub dio, ut in excubiis milites, aurigæ, noctu aëre frigido iter facientes, aut alioqui frigori sese exponentes, moram longiorem traxerant; unde incendium obortum, tuberculo enato, conquievisse affirmabant. *Jordanus.*

11. *Ad aures tendit*) Plurimis, & fere omnibus, materiæ ex capite in utramvis fere aurem secessionem fecerunt, unde Surditates plurimæ oboriebantur; eoque sequestrata materia salutis certissimum augurium præbebat; licet magna postea difficultate humores è loco angusto educerentur aut discuterentur: Evidens tamen salutionis morbi argumentum obtulit auditus impeditus: Parotides frequentes, facile tamen in pus abjerunt. *Jordanus.*

12. *Si per alvum evacuatur*) Nonnullis materiæ per alvum commotæ salubrem crisin attulerunt, ut *Hemecæero* 13. die magno impetu alvus turbata, excrementa integrum triduum fluentia, vacuata materia partim biliosa, partim pituitosa, putri & fœtida, ubi viribus subventum esset, & metu nimiæ virium dejectionis alvus modice adstringentibus forinsecus appositis retenta esset, salvus evasit. *Jordanus.*

13. *Peragitur*) Curatur 1. Humorum vitiosorum eductione (per V.S. in plethoricis, & ubi malignitas non ita magna) parce & mature instituta: *Clysteres* lenientes & refrigerantes, nec non *Vomitoria* lenia.

2. *Malignitati* per sudorifica moderata, præcipitantibus & alexipharmacis specificis juncta dispulsione.

3. *Alterantium & roborantium* diligenti adhibitione, *symptomatumque* mitigatione.

4. *Diæta* febribus malignis convenienus observatione, & reliquiarum febrilis materiæ ejectione. *Giessvvein Hodeg. p. 419.*

Medi-

Medicamenta eadem quæ in febribus malignis valent. *Idem* Statim tentanda curatio, naturam gravatam sublevando, veneficæ qualitati occurrendo, ulteriorem putredinem inhibendo, spiritus & vires conservando, febrilem calorem remittendo, atque symptomatibus occurrendo. *Fortis.*

14. *Maximam tum Febris*) Non negligenda caloris febrilis remissio, & humorum calidorum contemperatio, ubi enim urget effervescentia febrilis, *Celsus* in hisce febribus *frigidam* quoque potionem exhibebat, transacta tamen tertia die, & expectata humorum aliqua coctione: Nos vero libenter eandem omittimus ob virium imbecillitatem, ac caloris nativi labefactationem ob veneni præsentiam, qui facile obrueretur; quæ præterea prohibetur à ventriculi dolore non sine tumore, Quare utiliorem censemus usum aquarum stillatat. refrigerantium, de *succo acetos. endiv. cum syr. de acido citr. vel de succo limon.* aut *Julepo ros. vel violar.* sicut & *succos depuratos acetosa, endiv. in decocto borrag. hepat. melissa & ruta caprar.* pro secundo alterante præscribi poterunt. *Fortis.*

15. *Humorum &c. corruptione*) Tunc ulteriorem putredinem prohibentia, frigida & sicca, ut sunt *succus citri, limon.* in aliqua decoctione, nimirum *cichor.* acetosæ, *tormentilla, pimpin. card. s. melissa* opportuno tempore præbenda. *Fortis.*

16. *Humorum in vena cava corruptione, qui Diata erroribus* (A sanguinis corruptione in venis maximis, & cordi proximis provenire eam credimus, qui insignem & excellentem putredinem adipiscitur à multis cibis, iisque pinguibus & pravi succi; Est enim piscivora gens illa; & præterea melones, cucumeres ubertime comedunt, vinaque meraciora divites, aquam vero pauperes bibunt, æstate potius lutulentam, quia frigida est, quam Danubianam, quia calida; Ab his autem omnibus sanguinis quidem proventus, verum & ad putredinem idonei, eoq; facilius accedente aromatum, vini meracioris frequenti & copioso usu: adauctus enim & præternaturalis redditus calor, in humidum non naturaliter agens, illud ipsum corrumpere, atque intense putrefacere potest, corruptio autem optimi pessima, quæ non solum intensive, sed extensive quoque ultro progressa, adeo massam sanguineam inficit atque corrumpit, ut spirituum brevi temporis spatio instaurationem prohibeat. *Fortis.*

17. *Curatur*) Valent in specie *Vomitoria*, in morbi principio admodum necessaria: Hinc *Venarum raninarum sectio respectu prunella &c.* (*quid si secarentur Jugulares, aque deplentes caput & fauces?*) Remedia inter pro *Julepo* commode inservit *Decoctum c. c.* cum *succo citri*, pro *diaphoreticis spiritus theriacalis campher. diascord. Fracast. Pulvis rub. Pannon.* Quibus & *nitrum antimon.* præsertim in potu addi potest: *Faucibus* apprime convenit *aqua semperviv. maj.* v. g ℔j. cum *succi proprii* ℥ij. acuata, addita *salis armon.* ʒj. quæ misceantur pro Gargarismate. *Ettmuller.*

17. *Curatur* 1.) *Habenda etiam ratio faucium & lingua, ℞. sedi minor. q. v. contunde probe, ℞. ℔j adde sal. ammon. Digerantur in cella humida, & destilla per alembicum: Hac Aqua lingua sapius de die abluatur.* Experimentum certissimum hoc est. *Joh. Ernestus Burggrafius Tr. German. de morbo Hungar.*

17. *Curatur*) in Febre Hungarica misso sanguine pedibus applicetur *raphanus* comminutus, & sæpe is immutetur, Plurimum ex applicatione raphani adjumenti esse in multis observavi. *Joh. Crato. cons.* 25. Raphanus, quia magnam vim habet malignitatem attrahendi, utile est scobem ejus pedibus, prius sale & aceto mundatis, alligari, Idem etiam occipitio apponi potest si magnus *capitis dolor* adsit. *Crato cons.* 268.

18. *Humorum eductione tum per alvum*) Quidam misso sanguine, & apparente humorum turgentia, ad cor potissimum, purgans exhibent, ut *electuar. de succo ros.* vel *rosat. Mes.* cum *flore cassia*, sero copioso super-epoto; Verum hoc magna indiget præmeditatione, Ideo *Celsus l. 3. c. 7.* in hujusmodi febre curanda dicebat, *Non facile sanguinem mittere, non facile ducere alvum, non cruciare vigiliis, fame, aut nimia siti convenit.*

Quod si purgans præbendum videatur, id fiat die secundo, aut summum tertio, t. quoniam ultra secundum diem humores non amplius turgere solent; & præterea, quoniam progrediente putredine vires deficiunt, unde dicebat quidam, *Cui vita cara est, transacto tertio die à purgatione, omnino à sanguinis missione abstineat.* Leniens itaque juxta regulam offeratur, ex *flor. cassia, tartaro & pulvere scordii*, aut *granis mercurii dulcificati, cui superbibat serum.* Fortis.

Si ventriculi sit dolor, anxietas, æstus, nausea, humores prius vel per purganna, vel vomitoria tollendi; per *agar. fol. senna, diaphœn. rosat. Mesues*, &c. *J. And. Schmitzius.*

19. *Ubi agaricus laudatur*) Qui pituitam educit tenuem aquosam, serosam & viscidam totius corporis, & inprimis excrementa mesenterii tum capitis ac pulmonum. *Schroderus.* Pituitosa autem colluvies in hoc morbo præsertim accusatur, eaque circa ventriculum & mesenterium collecta: Venenis, præterea dicitur resistere Agaricus.

20. *Per vena in cubito vel talo sectionem*) Statim injecto clystere sanguinis missio facienda est, monet enim *Celsus l. 3. de re m. c.* 7. in hac febre, etiam cum aliqua temeritate remedia esse adhibenda, Statuitque optimum esse sanguinem mittere si vires constent; adest enim plenitudo in venis, & natura à sarcina exonerata facilius quod reliquum est ejicit & vincit; Parcior tamen debet esse sanguinis evacuatio ob veneni præsentiam, & habita virium futurarum ratione. *Fortis.*

Vacuatis humoribus, vel si non adfuerint, primo vel secundo die venæ sectio instituenda, etiamsi primo die maculæ appareant, si modo vires ferant; Omnes fere qui in principio venæ sectionem neglexerunt objerunt: Si vomitus vel alvi fluxus adsit, tutius omittitur. *Jean. Andr. Schmitzius, p. m.* 80 Si vero dies aliquot jam elapsi sint, cum principium ultra quartum vix extendatur viresque jam prostratæ, & malignitas totam massam invaserit, tutius est venæ sectioœm omittere. *Sennertus.*

Ex Fonte Chirurgico, transacta quarta die *Frictiones* asperæ convenire possunt, sicut & *Cucurbitula* siccæ, quinimo & scarificatæ, sanguine redundante & constantibus viribus; Appplicantur autem non solis infernis partibus, ut quibusdam consuetum, verum & dorso, cum non ad profunda, sed à profundis attrahant, Omittantur tamen si abscessus quispiam ad aliquam partem apparere inceperit. *Fortis.*

21. *In cubito vel talo*) Locus sit vena pedis, ut fiat à capite revulsio, *Galeni* exemplo *lib. de Scarif.* 10. qui in febre pestilenti per crurum scarificationes libram sanguinis sibi mitti iussit: Quod si vires non adeo constent ob ætatis conditionem, aut febris progressum, venæ sedales aperiantur: *Fortis.*

Si caput affligi in specie innotescat, ulterius ex eo quod circa frontem intensior æstus quam circa reliquas corporis partes sentiatur *Venarum raninarum* apertio subinde proficua existit, Ac sane in *morbo* dicto *Hungarico*, seu *febre Castrensi*, earum sectio, & ratione junctæ *prunella*, & ratione capitis pathematum, summe proficua existit.

Quarum loco & tali in symptomate imminente, aut gravius urgente cætera si respōdeant, venæ frontis sectio à quibusdam institui solet: Forsan ubi sub ægrypniis, aut cephalalgiis, item frontis æstuationibus periculū deliriī

iramineat, *hirudinum pone aure* applicatio non inutilis foret, cum alias in febribus ardentibus, etiam periculosissimis, obauditio superveniens bonum signum esse soleat, propterea quia ex decubitu aliquali fermenti febrilis, seu, ut loquuntur, mareriæ peccantis, ad glandulas parotides, cæteræ partes alleviantur. *Etmuller vo. 2. pag.* 321.

22. *Malignitatis &c. dispulsione*) Statim varia alexipharmaca veneficam qualitatem oppugnantia sunt in usum ducenda, ut

℞. *semin. napi. citri āā. ʒß.*
c.c. ossu de corde c. zedoar. āā. ʒß.
Misce, dosis ʒj.
in aqua cord. Saxon. & card. ben.

Robustioribus convenit *decoctum scordii, card. S. in aqu. acetos. & ruta caprar.* Fortis.

23. *Per Sudorifera*) Quarta transacta die Alexipharmaca diaphoretica usurpanda erunt, ut humores à centro ad circumferentiam facilius proiciantur; Sudoribus enim frequenter levari solent patientes: Ideo hujusmodi Pulvis, exigua licet febris remissione observata, exhibendus.

℞. *c.c. præpar.* ʒj.
lap. bezoar. orient. ℈j.
m. pro duabus dosibus in aqu. card. s. & scorzon.
addi quoque poterit *spir. sulphur. gutt. j.*

Conferre etiam potest *Extr. contrayerva ad ʒß. vel* ℈ij. additis *bezoar. orient. gr.* viij. cui superbibat patiens cyathum *aqu. scorzon. & card.* S. Fortis.

Cuidam primum de lassitudine omnium membrorum, & modico capitis dolore conquerenti, dein de cordis etiam dolore, siti cum intensissima haustum huncce hidroticum propinavimus.

℞. *aqu. flor. papav.* ℥j.
card. ben. acetos. āā. ℥ß.
dissolve conf. diascord. ℥j.
terra sigill. ℈j.
syr. de acetos. citr. ʒiiß.
spir. vitr. corr. ℈ß. *misce.*

Eo assumpto à sudore melius habuit. *Janus Conrad. Rhumelius, de lue Epid. observ. 1. p. 25.*

Ego in febribus malignis efficacissimum sæpe deprehendi mistuicam meam diaphoreticam.

℞. *aqua contra febres malignas ex succu d.n.* ℥vj.
aqu. bezoard. ℥ij.
cordial. ʒj. *conf. Orviet.* ʒij.
de hyacinth. ʒj.
aceti nostri theriac. ʒj.
m. Dosis ad ℥iij.
Joh. Dan. Mylius lib. 4. Epist. de morbo Hungar. Epist. 19.

Hoc solo Pulvere quidam quamplurimos periculosè laborantes sanavit.

℞. *sacch. cand. zinzib.* (*Zedoar.* præstat) *āā.* ʒij.
camphor. ʒj.
m. f. Pulvis, dosis ʒj.
cum aqu. scabios.

mox in initio ad sudandum. *Martinus Rulandus Tr. de lue Hungar. p. 112.*

24. *Antimonium Diaphoreticum*) Quod humores attenuando per poros expellit, acrimoniam acidam edulcorat, unde quoque sudores movet, inprimis si ejus vis aliquo alkali promoveatur. *Margravius*, vide præparationem in collectaneis *Chymicis Leydensibus Morley*. Ubi extat alia *Antimonii Diaphor.* præparatio, conveniens omnibus affectibus per sudores curandis ubi calida & spirituosa locum non habent, Ex *hepate antim. & nitro crystallino, Maetz. ibid. p. 125.*

24. *Ubi & Antimonium*) *Tartarus nitratus* in febribus putridis, Hungaricis & malignis, experimentum est; *Adr. à Mynsicht. Armam. pag.* 18.

25. *Diæta*) Vires sunt omni industria conservandæ, ita ut æger parum & sæpe nutriatur, non gravetur, & ideo paretur *instaurans pulla* addito *pulvere margar. præpar.* In usu sunt *ova* recentia in jure dissoluta, cui adjiciatur quandoque cochlear *aqua rosacea*, vel *succi citri*, vel omnia simul, *Ptisana hordeacea* diluta convenientissima est, Et pro *Potu* consueto *aqua stillatitia de succo acetosæ* cum *acido citri*, vel *limon.* vel cum Julapio, item *aqua secunda Saxonia*, vel *tinctura rosar.* cum *aqua acetosa* parata & *succo limon.* extracta. *Fortis.*

26. *Vino qui non abstinent*) Omnes qui vini potione non abstinuerunt, interiere, adeo ut summa spes salvationis in vini abstinentia collocata videretur, Neque ullus visus morbus qui tantam vini hauriendi voluntatem, desiderio inexplebili conjunctam, ac iste introduxisset, ita ut præcipites cum vino necem appetere prudentes & scientes viderentur. *Jordanus.*

Articulus V.

De Sudore Anglico, Febre maligna cum spasmo, Febre maligna cum Tussi & Catarrho.

1. S*udor Anglicus*, 2. *seu Febris Sudativa*, in Anglia tempore *Henrici* VII. cœpit, Et ægros cum summo capitis dolore, inquietudine, cordis pulsatione, perpetuis & copiosis sudoribus afficiebat.

Causa conjicitur in Aëris constitutionem humidam & venenatam, ac spiritibus & subtiliori humorum parti ac cordi inimicam; Accedente peculiari aliquo syderum ad hanc corruptionem influxu.

3. *Curabatur* meris sudoriferis, *aqua* nempe *acetosa, scabiosa*, terra sigillata &c. Sudor per XXIV. horas continuabatur, Somnus ante finitam sudationem non permittebatur, 4. nec ægri detegebantur, sed interim *succo citri, granatorum*, & aliis confortabantur.

1. *Sudor Anglicus*) Optime hunc morbum, ejusque ortum & remedia describit *Verulamius hist. regni Regis Henr.* VII. *p.* 18. memorat nempe 1. autumno anni 1484. versus finem Septembris grassari cœpisse in ipsa urbe Londini, tum in aliis Regni partibus, morbum quendam epidemium, tum temporis novum, cui ex natura & symptomatibus ejus *febris* sudorificæ nomen indiderant, 2. Morbum istum breves sortitum periodos, *tum specialem*, qui enim eodem correpti erant, si intra XXIV. horarum spatium non morerentur, securi fere & sine metu erant, *tum universalem* incepit enim circa XXI. Septembris, & cessavit sub finem Octobris sequentis.

Tusse

Tuisse morbum istum febris pestilentis genus quoddam, citra pustulas, maculas, aliaque exanthemata, maligno saltem vapore, seu aura ad cor advolante, spiritusque vitales petente & occupante, unde natura excitata fuit ad eundem per sudores emittendum & exhalandum. 4 Morbum hunc naturæ potius insidiatorem fuisse, eamque imparatam oppressisse, quam adversus remedia obstinatum si in tempore subventum foret: Etenim *aït*, si ægrotus inæquabili temperamento quoad vestes & focum esset detentus (transpirationi vacaret) tepidumque bibisset, & cordialia etiam temperata sumpsisset, unde naturæ ipsius opus nec calore irritaretur, nec frigore repelleretur, plerumque sanitas sequebatur, Verum innumeri homines ex eo subito occubuerunt antequam curationis modus & regimen ægri innotesceret.

2. *Sudor Anglicus, seu Febris sudativa*) In Britannia Insula, quæ nunc Anglia vocatur genus est Pestilentis febris, & contagiosæ, quæ ad Ephemeras referenda videtur, quod die una aut hominem perdit, aut liberat, est autem non contagiosa solum de uno in alium, sed & vagatur etiam de civitate in civitatem, non tantum per eam Insulam, in qua fere una videri solet, sed etiam ad vicinos Belgas deferri visa est; Quapropter & vitio aëris præsertim enasci censendum est; Cur autem in ea Insula præcipue oboriatur, universalis quidem causa est analogia ejus aëris, particularis vero in quo consistat ea analogia difficile certe est nosse, quanquam sunt qui dicant id è soli ratione contingere, quod maxime gypseum est, unde & Albion olim appellatam fuisse volunt.

Certis igitur constitutionibus humidis è solo illo accidit elevari, subtilissimos quidem, corruptos tamen, qui & subtilem etiam inferunt contagionem, vapores quorum analogia est vel ad spiritus, vel ad tenuem spumam quæ sanguini supernatat; Quæcunque autem causa sit, constat analogiam ejus contagionis esse ad subtile sanguinis, propter quod aut die una finitur ægritudo, aut æger.

Utplurimum autem finitur ægritudo per sudorem, unde & Febrem etiam Sudorem appellant incolæ: Nullis vero aliis adversus ipsam utuntur medicamentis quam expectatione sudoris, Nam quibus advenit omnes fere evadunt, quibus autem retinetur, maxima pars perit: quare cura omni & diligentia procurant ne impediatur sudor, quod vel facillime accidit, si tantum æger situm atque accubitum mutet; qua de causa jubent Medici ut æger interea die una situm non mutet; quam molestiam qui ferre possunt, mercedem laboris recipiunt, & evadunt; qui vero ferre non valent, sed se jactant, decubitum mutant, novum aërem aucupantur, impedito sudore suo, causa pereunt. *Fracastorius lib. 2. c. 5. de morb. contag.*

Orta hæc est Lues, cui Sudoris Anglici, vel τ̃ ... nomen ab ipsa symptomatis specie indiderunt, anno 1529. circa æstatem, post humidissimam aëris constitutionem, ut à Patre p.m. qui & eundem morbum passus est tum temporis, evasitque feliciter, sæpius audivi: Primum vero ex Britannicis locis terras maritimas Hollandiæ &c. pervagata, celerrime in Flandriam sparsa, uno die infanda sudoris eluvie hominum multa millia suffocabat. *Gemma Cosmocrit. l. 1. c. 8.*

3. *Curabatur meris Sudoriferis.*) Nos sub ipsis morbi initiis, cum non tam sudoris movendi, quam etiam veneni frangendi atque evocandi rationem habuimus, quæ utrumque efficiant commiscuimus; ne si ex occasione sudor interrumperetur, venenum, quod superest, de cætero ægrum offenderet; Verum si sponte manaret sudor; quod venenum tantum retunderet, feliciter exhibuimus; ut ex cyatho uno aquæ oxalidis, & dimidiato cyatho *aceti rosac.* egelidi, *terræ sigill.* ℈ij. *ramenti cornu unicornu, pulv. dictamni* āā. ℈j. *cinnam. galang. spic. n.* āā. ℈j. Aut *ex aceto cal. vel boli armen. vel terra sigill.* seorsim cum odoribus, His atque aliis usi sumus, sed pro ratione personarum *Joh. Cajus.*

Potio nunquam vana experta habet *Pulv. cordial.* ʒij. *ramenti c.c.* ʒj. *sem. Sancti, myrrhæ* āā. ʒß. ex *aceto* acerrimo ad ignem, protinus cum inguina tentantur bibitur: Sudore prorumpente undique virus elicitur; atque ita juxta ignem calefactis linteis membra fœdo sudore extergenda, mutandaque sudariola donec sudoris graveolentia inter fricationes subsistat: Miro præsidio, ut *Georgius Valla* Placentinus nobis affirmavit, à pestilentia tentatos liberat; nemineinque qui eam Potionem opportune jejunus biberit, ab hac violentia opprimi constat, manifesto ac vulgari experimento: *Alex. Benedictus.* Hac ipsa Antidoto *Euricius Cordus* octo ægros potionarat, ex quibus septem evaserunt, octavus qui serius sumpsit, obiit, Detinebantur vero omnes febre ephemera Britannica, de qua Antidoto contra dictam luem libellum edidit.

4. *Nec ægri detegebantur*) His aderat ea dementia ut sese lectis ac linteis insui paterentur, omni arte ac vi eliciendum sudorem arbitrati: heu nimis immemores illius *Hippocrat.* vocis, *Si talia purgentur qualia purgari oportet, confert ac facile ferunt, Sin minus, contra,* Imo interea dum alter alterum strangularet, qui præsentes aderant mutuo hortabantur ut se negligerent, urgente morbi ferocia, ne victi pretio aut precibus se ante tempus liberarent: Verum quando ad illos ordo pervenerat, ut sudandi tempus videretur, consuti similiter, & violenter operti clamitabant misere, obtestabantur Deum atque hominum fidem, sese dimitterent, sese suffocari injectis molibus, sese vitam in summis angustiis exhalare, Sed assidentes has querelas ex tabie proficisci, Medicorum opinione persuasi, urgebant continue usque ad 24. horas, id enim erat sudandi spatium præfinitum, ante cujus circuitum evasere quampaucissimi, tertia mortalium pars errore proprio atque insania misere strangulata, vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. *C. Gemma ibid.*

Ridiculum quiddam evenit apud nos, id ... quidam constanter retulerunt: Quidam cum ab hac febri correptus esset, statim regulas protritas contemnens, quantus erat in accensum furnum, unde panes cocti jam educti, fuerant se penetravit, Ibi cum totus sudoribus destillasset, emersit tandem languidiusculus, ut solent ab hac febri convalescentes. Porro qui deinde in eo furno excoctus est panis, nescio quid virulenti manducantibus communicavit.

Febris maligna cum Spasmo.

Febris maligna cum spasmo Anno 1596. in Germania exorta, variis symptomatibus cum spasmo ægros invadebat, Multi subito invadebantur; quidam Epilepsia, nonnulli Apoplexia corripiebantur; In quibusdam mentis delirium per aliquot dies durabat: Per contagium, quod se intra duos post annos exserebat serpebat &c.

Orta putatur à pestilentibus ichoribus, malignis vaporibus nervis infestis, Hi ex victu pravo ob annonæ caritatem contracti fuisse putantur.

In *Curatione* vitiosa & venenata materia tollebatur, & nervi debilitati confirmabantur, Vide de illa *Facultatis Medicæ* in Academia *Marpurgensi* scriptum, & *Sennertum de Febr. l. 4. c. 16.*

Febris maligna cum spasmo) Convulsiones febricitantibus interdum accidere passim advertere est, & exinde mortis aut periculi insigne prognosticum desumitur; Enim vero in febribus malignis; item aliquando in ordinariis male iudicatis, ptout vertigo, aut delirium, à materia morbifica à sanguine in cerebrum deposita 9:

riuntur, sic ab eadem in nervosum genus delapsa musculorum ac tendinum contracturæ & insultus, necnon membrorum ac artuum subitæ succussiones, ac interdum toto corpore rigores horrifici succedunt.

Cujusmodi symptomatum ratio in eo consistere videtur, quod liquor partium nervosarum irriguus particulis heterogeneis ac spirituum irritativis ubique scateat: propterea namque spiritus tum influi, tum insiti, ab æquabili suo effluxu & emanatione perturbati, in crebras explosiones & continuos quasi crepitus incitantur, non absimili ritu ac cum lampadis flamma oleo fæculento & salito imbuta, cum strepitu & sçintillatione exardescit: Cujusmodi tamen affectus σπασμώδεις, utplurimum accidunt circa febrium ἀκμὰς, cum materies morbifica, primo in sanguine congesta; illinc in cerebrum transfertur, eoque vel protinus trajecto, vel simul infecto, in systema nervosum profertur, proindeque pathemata convulsiva, cũ vel sine delirio accientur.

At vero prærer hujusmodi affectiones spasmodicas, febribus ἐπιγινομένας & secundario excitatas, observare est interdum in maligna aëris constitutione, etiam à contagii pestilentis afflatu, *liquorem nervosum* sanguine prius, aut ab eodem seorsim infici, & propterea delirium ac convulsiones intemperiem febrilem prævertere: Porro sæpius observavi *febres* quasdam *anomalas* increbuisse, in quibus sanguine vix ebullire, aut supra modum effervescere viso, primum in humore nervoso *febris lenta*, ac valde periculosæ initia jaciebantur, quæ sensim ad maturitatem evecta, affectus σπασμώδεις cum delirio, aut mania, aliisque spirituum deliquiis aut exorbitantiis inducebant: Ægri enim de calore aut siti minime conquesti, cito debiles & quasi enerves facti crebræ vertigini, necnon artuum tremoribus, ac velut exilitionibus, insuper musculorum ac tendinum subsultibus & contracturis, atque doloribus hinc inde vagis statim obnoxii fiebant: Hujusmodi ægritudo à quibusdam Medicis, si quidem in *solidis partibus* potius quam in *sanguine* consistere videtur, *Febris maligna hectica* appellatur, cum revera eadem in humore nervoso potissimum defixa, *Lues νευρώδης convulsiva* melius dicitur.

Apud *Greg. Horstium* mentio fit *morbi convulsivi & maligni*, qui olim *Hassiæ*, *Westphaliæ*, & in locis vicinis epidemicus fuerat: Illo correpti, sine febris æstu, aut immodica sanguinis effervescentia, dum circa negotia familiaria versarentur, sese vix modo ægrotare percipientes, circa manus aut pedes, ac interdum in utrisque *formicationis sensum*, cum *stupore*, huc illuc transcurrentem, habere solebant; dein mox digiti, simulque brachia & crura modo arcte contrahebantur, modo validissime, ac si obriguissent, extendebantur: Hujusmodi contractiones & extensiones se alternatim excipiebant, subinde loca mutabant, ut nunc in hac parte, dein statim in alia affectus resideret, sin (uti non raro contigit) morbus cerebrum una totum invaderet, convulsiones universales, & sæpe insultus epileptici ægros infestabant; Insuper laborantes per vices quasdam *delirio*, *mania*, ac interdum *lethargo* obnoxii fuerunt: Ægritudo hęc sine crisi; aut integra solutione diu perseverabat, & vix insolidum ita curari potuit quin *cerebri* & *partium nervosarum* diatheses malæ ac morbidæ per totam postea vitam duraverint.

Quoad *morbi* hujus & *symptomatum* rationes, satis obvium est eadem omnino à *succi nervosi* vitio ac insigni depravatione pendere; Iste *formicationis sensus*, ægritudinem plerumque inchoans, propterea ciebatur, quoniam liquor iste à miasmate maligno venenari, ac in mixtione solvi incipiens, statim spiritus animales in ipso scatentes opprimebat, & ab expansione solita & libera inhibebat, quare illi semiobruti, ac velut inter vepres ac retinacula obrepere coacti, quasi formicarum transcurrentium sensum excitabant: deinceps vero quoniam hoc morbo ingravescente *liquor nervosus* in crasi sua adhuc magis pervertebatur, quæ in illo congerebantur particulæ heterogeneæ, spiritibus accrescentes, eos huc illuc exagitari, & inordinate explodi fecerunt, propterea quidem ut in membris *contractiones distensionesque horrendæ*, ac in capite tumultus & inordinationes maximæ crearentur.

Quod autem in hac febre νευρώδει solutio, sive *crisis difficilis*, seu potius nulla contigit, ratio erat quia *succus nervosus*, utpote lentus & quasi mucilaginosus, proindeque in motu tardus, haud uti *sanguis* effervescentia eccritica defæcatur, nec hujusmodi *fermentationem* facile suscipit qua purum ab impuro secernitur: Ægritudinem simili prorsus typo insignitam, non raro apud nostrates excitatam & grassatam fuisse novi: Ante aliquot annos febris popularis *cerebro* & nervoso generi plurimum infesta fere per totam Angliam increbuit. *Willis.* Vide ejus descriptionem cap. 8. *l. de morbis convulsivis.*

Methodus Therapeutica Febrium cum Spasmo.

De hac inprimis annotetur Dies criticos, prout in synocha vulgari, haud observandos esse: etenim sanguis, quamprimum effervescere incipit materiæ morbificæ partem adhuc crudam, ac minime subactam, è complexu suo statim *capiti* aut thoraci suffundit; quapropter incassum esset expectare ut sanguis particulas heterogeneas in massa sua ad plenitudinem congeri sinat; deinde ut efflorescentia statis temporum intervallis oborta, easdem subtiliatas foras excernat; quinimo iste effervescens haud magno & aperto incendio gliscit, verum instar ignis cespitibus cooperti fumum sive halitum madidum potius quam flammam emittit, ita tamen ut exinde, propter *succum nervosum*, statim in crasi depravatum, & non raro, ob pulmones materia tabifica infarctos, symptomata aut *convulsiva* aut *phthisica* in toto morbi decursu præcipue urgerent.

Intentiones curativas, juxta varia morbi tempora, & symptomatum præcipue urgentium diversitates designare oportebit, Circa febris hujus initium *sanguinis missio* fere omnibus convenire videbatur, Hoc remedii genus sæpe in parvulis cum fructu expertus sum: quippe hoc modo cruoris massæ tacite ac cooperte effervescenti, fuliginesque suas in partes nobiliores obtrudenti, spiraculum quasi aliud aperitur, proindeque efflorescentiæ ejus impuræ à *Cerebro* & *Pulmonibus* avocantur; quanquam igitur hæc febris *mali moris* aliquatenus *maligna* audiat, attamen in quantum sanguis haud statim *coagulari*, sed *fundi* nimis, & serositates suas in partes nobiliores, nempe cerebrum & pulmones suggerere aptus fuerit, idcirco phlebotomia, modo initio morbi celebretur, fere nulli non convenit.

Propter eandem juvaminis rationem, *Medicamenta catharctica*, ac imprimis Vomitoria statim à morbi principio adhibentur; hæc enim non modo coctionis viscera evacuant, adeoque morbi fomitem primum, & quasi originalem subducunt, verum insuper à sanguine serositates emulgent, adeoque purgamenta ejus potius in stomachum & intestina, quam in caput aut pulmones suggeri faciunt: Porro ab *Emeticis*, in quantum *Glandulæ lymphæ ductuum* exceptrices, cum succussione magna vellicantur, succi nervosi superfluitates, ac cerebrum ejusque appendicem male afficiant, in viscera inferiora exprimuntur, etiam in hunc finem crebro *Enematum* usus alvus continuo soluta teneatur.

Interea tamen dum sanguis hujus morbi labe inquinatus, *cerebro* aut *præcordiis* malum minatur, haud tutum erit aut *diaphoreticis*, aut *diureticis*, aut etiam *catharticis* fortioribus quicquam moliri; hujusmodi enim pharma-

ca,

cà, quatenus sanguinem valde fundunt, & serositates ejus in exitus aperriores adigont, recrementa quævis à cruoris massa abscedere apta, *cerebro* aut *pulmonibus*, si quando debilioris sint constitutionis, facile obtrudont: Hinc in juvene sudore intempestive excitato aphonia supervenit: Novi enam in *morbida pulmonum diathesi sudorifica*, non secus ac chalybeata, tabem intulisse.

Itaque *phlebotomia*, & si opus fuerit, *Vomitione* aut *catharsi*, scilicet altera, aut utraque mox ab initio morbi celebratis, cæteræ intentiones erunt, sanguinis serositates morbificas, in *caput* & thoracem exundare aptas avocare, perque alias vacuationum vias leniter derivare & foras excernere, In hunc finem *vesicatoria* circa *nucham*, aut *parotidas*, juxta *alas* aut *inguina*, circa *femora*, aut *suras*, scil. modo in hac parte modo in ista applicari debeot, nimirum in ulcuscula hic illic excitata, & continoo manantia, serum particulis heterogeneis & morbidis imbutum, copiose profundant.

Caterum remedia serum in renes & vias urinarias blande ducentia sapissime cum fructu adhibentur, In hanc rem *Apozemata & Julapia diuretica* juxta formulas sequentes instituuntur.

℞. *rad. scorz. mer. charefol. gramin. eryng. condit.* āā ℥j.
pomum j. *incis. folior. pimpin. ulmar.* āā *m.* j.
passular. ℥j.
c. cervi usti. ʒij.
incisa & contusa coqu. igne claro in aq. font. ℔ v. *ad* iij.
partis consumpt. colatura claræ *ad. ie syr. acetosit. citri aut violar.* ℥ij.
salis prunella. ʒiß.
f. Apozema. dosis. ℥iv.
vel vj. *bis vel ter die.*

Vel colatura ista superaffundatur amygd. excort. n. 15. & 4. *sem. frigid. maj.* āā ʒj. *contusis f. a. f. Emulsio.*

℞. *aqu. dracont. cerasor. nigr.* āā ℥iv.
scord. compos. ℥ij.
theriacal. ℥iß.
syr. caryophyll. ℥ij.
spir. Vitriol. gtt. xij. *f. Julap.*

Sal prunella sapius in die ad ʒ j. *vel* ℈ij. *propinetur in tenui cerevisia vel sero lactis.*

Porro in hac febre medicamenta blanda *diaphoretica*, ejusmodi ioprimis quæ spiritus animales restaurant, eosque copula quavis heterogenea vindicant, egregii sunt usus, quare aut *margaritarum* pulvis, aut *spir. c. c.* vel *sanguin.* in modica dozi bis in die, scil. m. & v. exhibeantur.

Enemata quolibet fere die injiciantur, & si opportunum videatur *pharmacia* leniter solutiva semel aut bis in septimana repetatur. *Victus* nonnisi tenuis, qualis nimirum in aliis febribus assolet instituatur; carne aut brodio ejus penitus interdictis, solum *pusculis avenaceis* aut *hordeaceis* æges vescatur: *Potus* sit *cerevisia tenuis* aut *seri lactis*.

Quod si non obstante *ἀγωγῇ* quavis medica materies morbifica *cerebrum*, aut *Pulmones* vel simul utrumque occuparit, ita ut *functionis animalis deliquium & inordinatio*, aut etiam *tussis violenta* ingruerint, considerare oportebit quid in utrolibet morbi statu, in conditionem malam ad hunc modum evecto agendum fuerit, tonc autem *Indicationes curativa* respicere debent *stuporem*, aut *insaniam*, aut tussim; atque demum si morbo in declinatione posito hæc symptomata remittent, contra *Atrophiam*, velut ultimum hujus febris propugnaculum, remedia appropriata adhibeantur.

I. Itaque si materia morbifica, uti crebro assolet, *Cerebro* illata *stuporem* aut *affectus soporosos* intulerit, remedia ipsam alio deducentia, & quodammodo à capite derivantia insuper quæ spiritus animales exsuscitant, & copulam impuram exuunt, sedulo administrari debent: Quare in hoc casu externus *epispasticorum* usus plurimum augeatur, *spiritus c. c.* fere sexta quaque hora in dosi paulo majori exhibeatur, *Sanguis* adhuc amplius è *venis jugularibus*, *salvatella*, aut etiam ex *Venis sedalibus* hirudinum suctu detrahatur; Si affectus minime remittit, *capillitio deraso fotus emollientes capiti* sæpius applicentur: Porro *cucurbitula*, *emplastra & cataplasmata plantis pedum* admovenda, aliique administrationum modi, quales pro *stupore* curando vulgo indicantur, adhiberi debent, pariter si malæ, aut nulli hujus febris *crisi*, *phrenesi* aut *mania* supervenit, remedia in istis affectibus appropriata usurpentur.

II. Sin vero cum vel sine hujusmodi plaga *capiti* illata, etiam *Pulmones* morbi noxam luunt, ita ut ægri necdum febre immunes, cum *tussi molesta*, *sputo* copioso & crasso, non raro item discolori, in *tabem*, sive *phthisin* incidisse videantur, medicamenta in hujusmodi affectibus communiter indicata satis conveniunt, quare *decocta pectoralia*, *eclegmata*, *syrupi*, *aqua lactis & limacum destillata*, aliaque hujus farinæ remedia diligenter usurpari debent. *Willis.*

Febris Intermittens in Succo Nervoso præsertim radicata.

Hactenus *febrem continuam*, maxima ex parte *convulsivam*, atque ex succi nervosi non minus quam sanguinis vitio oriundam descripsimus; Insuper his subest *morbi*, *febris intermittentis* typum referentis, atq; in succo nervoso potissimum radicati exemplum proponere; cujusmodi affectus, si quidem oppido rari, atque ad pathologiam spasmodicam rite pertinentis, natura ex sequenti historia elucescet.

Mulier, tenera admodum, atque *cerebri & nervosi generis* constitutione imbecilliori prædita, proindeque *affectibus spasmodicis* valde obnoxia, postquam utero conceperat, circa quartum gravidationis mensem, à frigore suscepto *paroxysmis asthmaticis*, insuper crebris *spirituum deliquiis* gravissime affligebatur; Verum ab hujusmodi pathematis *remediorum sale volatili praditorum* usu intra binas septimanas convaluit; attamen deinceps post sesqui-mensem affectio insolita & plane admiranda hanc Dominam incessit.

Quodam mane, post somnum ea nocte minus tranquillum, evigilans toto corpore levem *rigorem*, tanquã urgente *Febris tertiana* paroxysmo patitur: Succedunt *crebra oscitationes & pandiculationes*, cum frequenti *vomendi* nixu, deinde *urina*, quæ modo fuit *citrina* cum laudabili *hypostasi*, *pallida & aquosa* evadit, & *crebra vice*, scil. quovis fere *hora minuto* excernitur; Porro circa *lumbos & hypochondria*, aliisque in *locis* dolores cum *spasmis levioribus* huc illuc transcurrentes excitantur: Cujusmodi symptomata, plane *spasmodica*, cum crebro *urina limpida mictu*, à mane fere ad vesperam persistuot, quo temporis spatio *lotii quantitas ingens*, nempe triplex ad minus supra liquorem assumptum redditur, interim nec calor intenditur, nec sitis urget, neque pulsus augetur: Vesperi affectus prædicti cessant, atque *urina* rursus *citrina* ac modica evadit, Tota insuper nocte somno moderato fruitur; deinde mane sequenti circa eandem horam redit *paroxysmus*, simili prorsus *symptomatum* apparatu stipatus, & quotidie eandem omnino tragœdiam peragit.

Hanc Dominam, postquam per xii. dies hoc ritu ægrotat, invisens, prædicti casus hujusmodi Ætiologiam instituo, nempe quod *morbus* iste in *nervoso genere* potissimum radicatus, ab *humoris partes nerveas irrigantis effervescentia* & fluore dependeat. Enim vero suspicari licet hunc *laticem* à *sanguine*, propter *catamenia* suppressa, degeneri facto, in cerebrum & nervosum genus diffusum, plus debito *acrem* ac *serosum*, proindeque partibus contineotibus incongruum evadere; quare & som-

no nocturno ad plenitudinem aggestus, eos propter expulsionem sui ubiq; in *corrugationes contractionesq;* irritat; hinc in toto corpore *rigores, pandiculationes, oscitatio* crebra & *dolores vagi* excitati: porro à *partibus solidis* hoc modo *contractus*, non tantum *liquor nervosus* sed etiã *nutritius* partibus solidis ubique appositus, nec dum vero assimilatus excutiuntur; ac dein uterque latex receptaculis suis exterminatus; & per *lymphaductus* aut *venas* exceptus massæ sanguineæ redditur; è cujus sinu, priusquam ab eo *tincturam lixivialem* recipiat, per renes denuo secretus *urinam limpidam & copiosam* constituit: quod autem affectus isti *periodos* adeo exactas observant; ratio est, quia *latex nervosus*, inæquali dimenso suppeditatus, statio quotidie tempore ad turgescentiæ plenitudinem assurgit, propterea item urina ante & post paroxysmum *concocta* & citrina apparet; quia tunc materia ejus tantum è *sanguinis sero* constat, postea durante *affectione spasmodica*, humor limpidus à *partibus nervosis & solidis* excussus & sanguinem cito trajiciens, lotii *quantitatem & colorem* alterat.

Huic Gravidæ *phlebotomiam*, ac insuper pulverem è *corallio, margaritis, eboro*, aliisque *cardiacis* compositum, in liquore appropriato ter in die sumendum præscripsi, mane & vesperi cepit *tinctura antimonii*, (cujus effectum in *nimio urinæ profluvio* singularem al. quoties expertus sum) guttas XII. Hujus usu intra breve tempus symptomata omnia remittebant. *Willis.*

Febris Maligna cum Catarrho & Tussi Epidemia.

Anno 1580. exorta est, sub Sirii ortum universam pæne pervagata est Europam.

Invadebat cum calore febrili, dolore capitis, quem excipiebat Tussis sica, dolor pectori & septi transversi, faucium asperitas, gravis anhelitus &c.

Orta creditur ab humida annorum præcedentium constitutione, & diutino Austri flatu.

Febris causa potuit esse materia catarrhalis, per venas diffusa, nisi forte febre morbo primario existente, natura partem humoris, à quo molestabatur, per hanc viam ejicere tentarit.

In *Curatione* respiciebatur ad humorem malignitatis fomitem, qui extrudebatur, ad malignitatem ipsam, cui Alexipharmacis resistebatur, & Humoris reliquiæ alterabantur, Ad *membrum affectum*, cui appropriatis subveniebatur.

Cum catarrho & tussi epidemia) Hæc constitutio describitur in observat. *Riverianis cent. 4. obs.* 10. Epidemius; *aut*, morbus grassatus est anno 1580. per æstatis maximam partem, post insectorum innumerabilem congeriem, unde non multo post Avenione, aliisque locis tãta pestilentia grassata est ut perpauci evaserint, Morbus multos quidem jugulabat, sed si primis diebus, & quam illico fieri poterat auxilia administrabantur, fere omnes erant superstites, Is cum febre & tussi invadebat, sequente dolore capitis & lumborum, Interim febris aliquot diebus intermittebat, postea vires recolligens gravius ægros affligebat, Interim quosdam nulla quiete fruı sinebat, sed amplius, urgente fervore ad interitum eos ducebat, phrenitide quidam furentes, quidam phthisi languentes interibant, nisi matura & cita medicatio afferretur, quæ fiebat exhibitis pectoralibus & lenibus purgationibus (præsertim S. m. clysteribus refrigerantibus injectis, admotis cucurbitulis, cardiacis datis, proba victus ratione &c.

Febris Catharrales Epidemica descriptio.

Febris maligna cum catarrho &c.) Novissimæ æstatis calorem immodicum hyeme insequente æque intensum gelu excepit; Ab Idibus Decembris fere ad æquinoctium vernum erat tellus nive obtecta & Borea jugiter sufflante cuncta sub dio polita constanter obrigescebant; Etiam postea ab initio veris fere ad calendas Junij eodem vento adhuc spirante tẽpestas erat brumæ quam veri similior, nisi quod forsan die uno aut altero præfervido intercalaretur; Circa finem Aprilis repente emicuit affectus, qui velut afflatu quodam à sideribus immissus quamplurimos una corripuit: *Symptoma pathognomonicum*, & quod primo ægros invasit, fuit *Tussis* molesta cum sputo copioso, nec non *catarrho* in palatum, gulam & nares decumbente: Erat & intemperies febrilis, quæ cum calore & siti, inappetentia, lassitudine spontanea, & dolore gravativo in dorso & artubus ut plus minus conjungebatur; quæ tamen febris in nunnullis erat remissior, ut foras obambularent, Interim de virium defectu & languore, cibi fastidio, tussi, & catarrho querentes, &c.

Ventum Borealem producendis catarrhis aptissimum esse præter *Hippocr.* testimonium experientia communis suffragatur; Cur autem non toto hyemis ac veris tractu catarrhi, saltem sporadice, increbuissent, sed tantum unius mensis spatio, & tunc cum febre conjunctus hic affectus epidemice grassaretur, causa videtur fuisse inæqualis (pro isto tempore) aëris intemperies, qui licet plerumque frigidior, tamen aliquando remittente Borea die uno aut altero præfervidus existebat, quare ab hac *περιφορᾷ* velut à frigore post incalescentiam suscepto, homines communiter incalescere poterant, Hujusmodi causa evidens forsan pro nonnullis afficiendis sufficeret, at vero pro excitando affectu ita derepente exorto, & communissime grassante, præter talem occasionem magna procatarxis, seu prædispositio requirebatur; namque supponi debet quod cuncti fere homines ad hunc morbum suscipiendum fuissent proclives, secus nulla causa evidens vim suam ita potenter in plurimos exerceret, quare verisimilius videtur quod ab anni intemperie, & maxima inordinatione hic morbus originem duxerit, & sicut febris intermittens autumnalis *præcedens* fuit productum immodici caloris præcedanei, ita hæc febris catarrhalis ab anni tractu succedente nimis impense frigido omnino dependebat: Enim vero sanguis ab æstate præfervida jam retorridus, & in febrem dictam proclivis, dein urgente autumno acetosior factus, & in febrem quartanam aptus; postea ob intẽsum brumæ frigus parum eventilatus, & à debita perspiratione prohibitus, dyscrasiam adhuc retinuit, eandemque pro data occasione luere in promptu habuit; quare cum medio vere sanguis (uti vegetabilium succus) vegetior factus, nec non efflorescere, & luxuriari incœptus, ob *πύκνωσιν* adhuc continuatam, inter circulandum angustaretur, in febriles effervescentias erat facile proclivis: Cumque latex serosus in cruore redundans, propter poros usque à frigore strictos extus evaporare nequiret, intus restagnans, & præcipue in pulmones (ubi *ἀναπνοὴ* externæ aliquid succedaneum peragitur) decumbens tussiculam crebram & molestam excitabat.

Hujus

Hujus itaque morbi origo & ratio formalis in duobus præcipue fundatur, quod nimirum una contigerit *sanguinis effervescentia solito major*, à tempestate verna inducta; simolque *μύωσις*, sive magna *pororum constrictio*, à tractu temporis præcedaneo nimis impense frigido excitata, ut propterea sanguini, in vasis efflorescenti haud liberum concederetur spatium; Res ita se habuit, ac si vinum, effervescere incœptum, vasis strictim occlusis imponeretur; namque hac ratione tum vasa, tum liquor disperdi periclitantur.

Quare, ut rei summam brevi contraham, quod hic morbus medio vere exortus, statim latissime grassatus quamplurimos occuparet, in causa fuit, haud maligni aëris afflatus, quo velut sideratione percussi ægri afficiebantur, verum quod hoc tempore sanguis à constitutione verna inspiratus, adeoque luxuriari & effervescere aptus, in motu coarctaretur, ac effluviis intus cohibitis, non satis eventilari potuerit: Quolibet anno, licet temperato, usitatum est vere & autumno morbos quosdam epidemice regnare, quoniam scil. hoc tempore sanguis redintegratus velut de novo efflorescit; ideoque febres intermittentes, ac interdum variolæ, hac tempestate increbescunt, quare nil mirum post anni constitutionem maxime inæqualem & à naturali distitam, cum hoc vere sanguis vegetius intra vasa ebulliens, ob *διαπνοὴν* impeditam libere circulari, & satis eventilari nequiret, si exinde magnæ inordinationes sequantur, & à communissima hac causa affectus valde epidemicus excitetur.

Quoad symptomata huic morbo adjuncta, Intemperies febrilis, quæque huic appenduntur, præcordiorum æstus, sitis, lassitudo spontanea, dolor in capite, lumbis aut artubus gravativus, à sanguine plus effervescente, nec tamen eventilato inducebantur, hinc in plerisque tenuioris cruoris parte excalefacta, ac reliquo cruore solummodo acto in confusionem, synochus simplex, sive plurium dierum inducebatur, atque hæc intra paucos dies plerumque cessabat, In nonnullis autem vitiosa sanguinis diathesi, aut malo corporis habitu præditis, hujusmodi febris, propter eandem causam exorta, cito in putridam valde periculosam, & non raro lethalem transit.

Tussis cum catarrho conjuncta, ab humore seroso, propter transpirationem præpeditam diu in sanguine coacervato, & dein effervescentia oborta, arteriolis intus dehiscentibus magis exundante originem traxit: cum enim pori constringuntur, serositates in sanguine superfluæ, exterius evaporari solitæ, propiori sanguinis lustratione in pulmones suffunduntur; quare à frigore suscepto, h. e. à transpiratione extus præpedita tussis utplurimum excitatur, atque in procatarxi ad hunc affectum seri in cruoris massa exundantia locum fere primum obtinuit: Namque à frigore diuturno, sanguinis assationem, seu bilis proventum impediente, atque laticis aquosi *διαπνοὴν* prohibente, necesse erat plurimum serosi humoris in sanguine coacervari: quare cum sanguis à vere efflorescens effervescentiam concepit, seri exundantia, ejusque in partes interiores suffusio, primo tussim, velut proprium hujus morbi symptoma, inferre solebat; ac in quibus sanguis, à seri mixtione dilutior factus tussi, & affectioni rheumaticæ fuit maxime obnoxius, ipsi ab intemperie febrili cum leviori plaga absolvebantur: Quod ad Therapejan attinet, quando hic morbus levius infligitur ejus cura ut plurimum naturæ relinquitur: Etenim hæc febris, cum sit tantum synochus simplex, intra paucos dies per diaphoresin judicari solet, quare à sudore copioso plerumque circa tertium diem, aut quartum, calor & sitis, lassitudo ac dolores gravativi sedantur; deinde Tussis diutius protracta postea paulatim remittitur, & demum ægri sensim convalescunt.

Si quando hic affectus radices altiores egerit, remediis idoneis, & exacta medendi methodo opus est; Febris ingravescens, juxta leges in Putrida observandas sanetur: Verum tamen cum hoc discrimine, ut quoniam transpiratio præpedita, & humoris serosi in pulmones suffusio præcipue in culpa sint, ideo diaphoretica, & remedia dicta thoracica crebrioris sint usus: hæc enim seri è vasis intus exundantiam cohibent, ipsumque, aut poros reserando foras convehunt, aut à cruoris sinu præcipitando per ductus urinarios amandant; Itaque methodus pro hoc morbo in pejus evecto respiciat tum *febrilem intemperiem*, cujus sanandæ gratia juxta intentiones in febre putrida adhibitas dirigatur; Tum *affectionem rheumaticam*, quæ tamen sit indicans secundarium; Et remedia non quælibet expectorantia, aut contra tussim usitata, sed ejusmodi tantum admittit quæ febrem minime incendunt; Auxilia quæ nunc crebra experientia in hoc morbo opem præcipuam contulisse vulgo perhibentur, sunt *Diaphoresis*, sive *procuratio sudoris*, & *sanguinis* missio, etenim vasis hoc aut illo modo depletis, tum immodica sanguinis effervescentia, tum seri exuberantia cohibentur. *Willis l. de Febr. c. 17.*

De Febribus Catarrhalibus.

Præ cæteris considerabiles sunt *Febres catarrhales*, quæ in principio & incremento catarrhorum, v. g. coryzæ, tussis raucedinis &c. subinde molestæ sunt, & ex *vitio lymphæ glandularum*, primario quidem *conglomeratarum*, secundario etiam *conglobatarum*, circa caput & pectus consitarum oriuntur; Dum nempe illa, quacunque ex causa (de quo ubi de catarrhis) *acidior* aut *salsior*, ac quasi *muriatica* facta, copiosius circa loca dicta effunditur, occasionem crebrius suggerente ambientis aëris inclementia, aut alio objecto extraneo partes illas irritante.

Talem catarrhalem Lymphæ motum comitatur *Febris ex alteratione sanguinis, lymphæ & irritatione spirituum influorum*, In qua febri; cum *capitis perturbatione*, & *dolore gravativo*, seu *gravedine*, *levi horrore*, facile quidem transiens, sed crebrius repetens, molestus est, quem appetente vespera insequitur *calor*, sive *ardor rodens*, sive acris & mordax magis quam magnus, succrescens fere usque ad medium noctis, à quo successive denuo remittit, durat tamen continuus lentus, seu obscurus calor, qui omni vespera intendi, & insigniter subinde exacerbari solet: *Pulsus* est continuo frequens & celer, vehementia & magnitudine moderatus, sub exacerbatione in dictis conditionibus, acutus (auctus) *Urinæ* excernuntur intensius tinctæ, sed uno alterove die elapso crassescere, hinc turbari, & copiosum sedimentum deponere solent: Durant ista symptomata sub coryza & tussi gravioribus, usque ad statum morbi, dum nempe lympha temperari & crassescere incipit, seu, ut vocant, materia catarrhalis cocta fuerit, & spissior mucus emungi & glutinosior pituita expectorari incipit, Acrimonia enim lymphæ si correcta est, cessat etiam febris.

Catarrhales hujusmodi *febres*, ac ipsi catarrhi interdum *epidemici* esse solent, ab aëris communis impressione natæ; Nunc, idque frequentius, *benignæ*, raro *malignæ*, & tunc subinde *acutæ*; quæ malignæ contagio suo lympham in specie inquinare videntur: Scilicet pertinere huc videtur morbus iste epidemicus, cuius mentionem facit *Riverius*, *De morbis infrequentibus* §. 9. Ac sane Lymphæ constitutio ac motus plus minus naturalis, præsertim glandularum conglobatarum, probe observandus venit pluribus in febribus tam intermittentibus quam continuis, cum diversa symptomata, *lancinationes artuum* in specie sub paroxysmis subinde urgentes, haud aliunde quam à Lymphæ vitio oriri videantur.

Catharales hæ *febres*, utut ex se omni periculo careant, ob insignem tamen molestiam, interdum & vehementiam, curam postulant; in qua tamen irritatio partium solidarum affectarum, indeque natus spirituum impetus, ac copiosior lymphæ effusio *Opiatis* sistenda 2. *lympha acrimonia corrigenda*, aut *salia volatilia alkalia*, aut *marina absorbentia*, & temperata, vulgo Incrassantia dicta. 3. *correcta evacuanda*, aut universaliter per *Diaphoretica* & *Diuretica*, aut particulariter per *nares & os*, atque hoc saltem in statu, cessante febre & cocta materia.

℞. *aqu. serpill. scabiof.* ãã. ℥j.
spir. sal. armon. anisat. ʒj.
syrupi papav. albi. ℥j.
vel laudani op. gr. ij.
misce capiatur cochlearim ante exacerbationem vespertinam, & in hac ipsa, & exciterur blandus sudor. Item
℞. *liquor. c. s. succinat.* ʒij.
essent. opii. ʒß.
m. dentur guttę 40. vel 50. aliquot horis ante exacerbationem, & iterum ingruente nocte.

Ubi *diuresis* magis intenditur.
℞. *liquor. terra fol. Vener.* ℥ß.
dosis gtt. 40. vel 50. bis in die.

Sufflaminata sic febri, & impetu spirituum ac lymphæ sedato, blanda purgatio institui poterit, V. g. ex *massa pilul. de ammon. Querc.* mass. *Pil. de succino Crat.* acuatis cum *mercur. dulci &c.* Quibus factis reliqua jam incrassata expectorantibus & similibus sunt evacuanda.

a *Anno 1580.*) Anno 1669. media æstate, Catarrhus epidemicus grassabatur cum tussi gravi, coryza, cephalalgia, doloribus dorsi & artuum, hæmorrhagia narium & diarrhœa, Curabatur optime per sudoriferum hocce.

℞. *sambuc. card. ben.* ãã. ʒvj.
spir. c. c. essentific. i. e. cum sale volatili proprio acuati. ʒvi.
salis volat. succini. ℈ß.
syr. papav. rhaad. ℥ß.
misce, capias una vice: vel hujus loco.
℞. *aqu. flor. acacia.* ℥j.
liqu. c. c. succinat. ʒß. *ad* ʒj.
diacod. Mont. ʒvj *ad* ℥j.
m. f. Dosis sudorifera.

b. *Invadebat cum*) Hujus affectus comes est *artuum debilitas* ac *lancinationes*, quibus curandis.
℞. *aqu. fœnic. flor. papav. rh. mentha.* ãã. ℥j.
asthmatic. Rudolph. ʒiij. *ad* ʒvj.
spir. lumbric. terr. per putrefact. ʒiß.
spec. cephalic. ʒß.
syr. flor. tunic. ℥ß. *vel* ʒvj.
misce pro aliquot dosibus aliquoties in die capiendis. *Etmuller.* p. 332.

Febris Epidemica Cerebro præsertim infesta, & Generi Nervoso.

A quo desiit Febris Catarrhalis (superius descripta) fere ad occasum Caniculæ fuit status salubris, & morbi popularis fere cujusque immunis, deinceps vero pauci, in villis primo ac vicis minoribus sparsim ægrotarunt, postea circa finem Augusti febris nova derepente exorta per totas regiones grassari cœpit. &c.

Circa prima hujus morbi initia fuit typus ejus vagus, & valde incertus, quippe in nonnullis aderat effervescentia continua, in aliis intermittens, Quamplurimis vero ægris, velut *symptoma* hoc tempore *pathognomonicum* accidit, in *cerebro & nervoso genere* se male habere, ut statim â febris hujusce primordiis de capite graviter affecto fere omnes quererentur; quippe alios cephalalgia immanis; alios gravitas auditus cum tinnitu aurium infestarunt; plerisque vero aut torpor, & somnolentia gravis, cum affectu vertiginoso; aut vigiliæ pertinaces cum delirio, & spirituum animalium distractionibus accidere solebant, Observavi in nonnullis quod 1. aut 2. morbi die maculæ latæ & rubicundæ, morbillis similes in toto corpore sensim erupûerint, quibus brevi postea evanidis, febris statim intensior, & præcipue affectiones capitis longe graviores evaserunt; Exinde quosdam torpor sensuum & somnolentiæ per plures dies incesserunt, Novi alios hinc in lethargum, alios in apoplexiam conjectos, quosdam in deliria & phrenitidem incidisse &c. Hoc plerisque, pene dixerim omnibus decumbentibus, commune est una cum hac febre affectibus cephalicis male plecti.

Cum hoc morbo quispiam afficitur *dolor in capite*, & non raro *in lumbis*, cum *siti, inappetentia, lassitudine spontanea* ac *calore*, licet minus intenso, ejus adventum produnt, Si in corpore juvenili accidat; circa initia paroxysmi frigore aut rigore carent, æstu tamen diuturno & acri sunt plurimũ molesti; ægri vomitu sæpe tentantur, usq; caput plerumq; immaniter dolet &c. Interim â cruore admodum effervescente phantasia perturbatur, ut sæpe delirium, vigiliæ &c. excitentur &c. Intrá 6. aut 7. periodos vires plurimum atteruntur, &c. Circa febris hujus *[illegible]* spirituum torpor & stupiditas, somnolentia, vertigo, aurium tinnitus, tremores & motus convulsivi, cum magna totius facultatis animalis oppressione sæpissime inducuntur &c. Qui frigidioris sunt temperamenti, aut provectioris ætatis homines, à primo statim febris insultu statim torpidi, & plerumq; vertiginosi evadunt, In paroxysmis licet calor sit minus acris, inquieti tamen & plurimum jactabundi degunt: sæpe incongrue fabulantur &c. Post aliquot paroxysmos, viribus summe dejectis, aut lecto affiguntur penitus, aut parumper interdiu suscitati vix stare, aut è loco in locum, pedetentim licet, incedere valent, interim languore, respiratione difficili, sensuum torpore, & totius nervosi generis imbecillitate magna laborant &c. *Pulsus* dum vires non admodum prostratæ sunt, plerumque robustus est & æqualis, postea cum ægri valde oblanguescunt, debilis, inęqualis. & sæpe intermittens existit: Cui etiam tendinum contracturæ, & motus convulsivi in carpis adjunguntur, Qui sensim debilitati versus mortem declinant, aliquo ante obitum spatio, plerumque sine loquela, aut adstantium agnitione, velut stupidi decumbunt; Raro accidit ut in hac febre ut quispiam moribundus, memoria & intellectu vegetis res familiæ suæ disponat, aut amicis valedicat, Quos vero è languore summo & statu fere deplorato evadere contingit, haud subita & manifesta diacrisi cito emergunt, verum diu vacillantes, torpidi ac enerves jacent, ut nonnisi post dubium & difficile certamen naturæ, tandem vix, ac ne vix quidem, morbo potior extiterit, & dein lenta ac diuturna convalescentia vires gradatim recuperet &c.

A febre hoc tempore epidemica (sive ea sit continua sive intermittens) correpti, protinus malas capitis affectiones patiuntur, scil. modo cephalalgia immani, modo spirituum animalium aut stupore, aut distractione nimia infestari solent, Hujus ratio est, quod *succus nervosus* æque ac sanguis, propter anni temperiem, à crasi debita, scil. natura dulci ac spirituosa, plurimum alteretur, ac modo hebes, ac fere vapidus, modo acris nimium & pungitivus evaserit: Præterea item cruoris massa huic malo valde contribuit, dum enim effervescit, effluvia vaporosa, quæ externus difflari oportuit, ob poros constrictos capitis membranis, ac cerebro suffunduntur, atque propter hujusmodi *[illegible]* fere omnibus impressam, sudor ægre, & nonnisi particulis, & sæpe interruptus in paroxysmis succedit &c.

Observare est quod hac febre affecti viribus suis, & solita corporis firmitate confestim decidant, ut post unũ vel alterum paroxysmum anhelosi, & valde imbecilles

vix

vix pedibus stare, aut absque sustentaculo ambulare valeant, cum usitatum sit febre intermittente communi correptos, in accessionum intervallis satis vegete & alacriter se habere: Discriminis ratio est, quoniam in hac febre cruoris massa, tum succi degeneris impura mixtione plus depravatur; tum præcipue quod eadem à crasi naturali plus justo pervertitur; & propterea quando extra paroxysmos minus ebullit, in cordis tamen sinubus haud rite & æqualiter fermentescit; quare cum à motu citatiori, aut corporis agitatione quavis sanguis in cordis sinus impetuosius urgetur, quoniam illic non totus statim accenditur, & foras exilit, stagnatione sua cordis oppressionem, & spirituum vitalium exolutiones magnas infert &c. *Willis cap. 7 l. de Febribus*, ubi hujus febris theoria, prognosis & therapeia fusius explicantur.

Articulus. VIII.

De Febribus Pestilentibus.

Febris Pestilens est febris [1] putrida [2] continua, ab humorum putridorum & corruptorum [3] deleteria & venenata qualitate, aliquando ex aëre & contagiosi seminarii vi concepta, profecta, majoribus quam in maligna [4] symptomatibus, bubonibus & carbunculis affligens, & maximam illorum quos invasit partem trucidans.

[1] *Putrida continua*) Nulla est intermissio, ut in febribus intermittentibus, in febre hac Pestilenti, ubi qualitas venenata ita prævalet, cujus ea sit ἀσφυξία ut sanguine in vena cava & arteria semel corruptis, statim cor destruatur. *Isaacus Roet. l. 2. aph. de Peste.* 14.

[2] *Continua*) Quæritur an sit maligna Intermittens? Negatur, Id enim repugnat & Rationi, & *Hippocrati*, *Febres enim quocunque modo intermiserint, periculum abesse significant*, Aph. 43. 4. utpote, *inquit Galenus*, quæ nec ex inflammatione, nec ex maligna putredine humorum originem habeant, Neutra enim harum, inquit ille, ad quietem pervenit febre vacantem; Nec refert quod alii respondent, Intermittentes non esse periculosas si fiant ex simplici humorum putredine, secus vero si fiant ex maligna: sed hallucinantur, periculum enim tollit, non humoris natura, sed intermissio, siquidem Tertiana intermittens secura, nec lethalis, non quia à simplici bilis putrefactione oritur, nam sic ardens lethalis non foret & periculosa, sed quia intermittit, & naturæ vincenti non resistit: Si igitur intermissio omne periculum mortisque periculum adimit, Pestilens, quæ omnium febrium periculosissima est, non potest Intermittens esse. 2. Pestilens febris est maxime acuta, at morbi acuti si febres habent, eæ sunt continuæ & inseparabiles. Non omnes acuti morbi sunt cum febre, uti Apoplexia, Tetanus, sed qui febres habent, eas habent continuas, Objiciat mihi *Herc Saxoniam*, Datur pestilẽs sine febre, multo magis pestilens intermittens, Negatur sequela, nam omnis morbus pernitiosus non est cum febre, sed si morbus sit intermittens non erit pernitiosus, *Pieus p. 156.*

[3] *Deleteria & venenata qualitate*) Morbi pestilentes adeo in tenebris grassantur, & ignotam ducunt originem, ut eorum causæ & essentia sine recursu ad occultas qualitates raro explicentur: Vnanimi omnium consensu horum vires & potentia in materia Venenata collocantur, quoniam à pestilenti affectu, non secus ac ab epoto veneno, vires subito prosterni, vitamque brevi profligatam cernimus: Ideoq; pro explicãda Pestilentiæ natura non abs re fuerit primum inquirere de *Veneno* in genere, & quo ritu corpora nostra afficiat, deinde ostendere quale Venenum in Peste & Morbis Contagiosis dispergatur.

Veneni nomen meretur quicquid in corpus nostrum impingens, emperiem & actiones cujusvis partis, aut totius, occulto modo & vehementer lædit, spiritus profligat, aut eorum motus pervertit, liquorum mixtiones solvit, coagulationes & corruptiones inducit, viscerum fermenta & functiones destruit, adeoque subito & latenter vitæ periculum adducit: Eorum qui hoc modo nobis insidiantur in rerum Natura subest ingens copia & proventus valde opimus: Sæpe intus in corpore nostro gignuntur, exterius ab omni plaga, è quovis terræ, aquæ & aëris tractu abunde suppeditantur: E distinctis Mineralium, Vegetabilium & Animalium familiis quotidie emergunt, adeoque alimentis medicinæque nostræ sese immiscent, ut cum Plinio queramur, *quod non sit fateri an rerum Natura largius mala an remedia genuerit.*

Sicut magna est Venenorum Varietas, ita quoad subjecta & medendi modos non minor est eorum diversitas, nam licet plurima Venenata tota substantia nobis perhibentur contraria, ut quosvis adoriantur, & sehalis instar ignis vi caustica velut in cineres redigant, tamen ex his nonnulla peculiari noxa stimulo donata plus uni parti, aut substantiæ nocent, quam alteri: Subjecta, quibus proxime & immediatius Veneni labes infligitur, duplicia assignamus, nimirum *Spiritus animales*, seu liquorem spirituosum, subtiliem, in cerebro & nervoso genere scatentem, Et *Sanguinem* in vasis & corde fluxilem; Quando objectum alteri tantum, aut simul utrisque improportionatum offertur, ut exinde liquorum, aut partium continentium crasis evertatur, quo functiones muniis vitæ & sensus obeundis necessariæ inhibeantur, idque latenter, ac velut ex improviso fiat, hujusmodi effectus Veneno adscribimus.

Corpora nervosa cum spiritu animali haud prorsus eodem modo à quibuslibet Venenis impetuntur; modo enim cum stupore, modo spasmis & motibus convulsivis, iisque diversi generis & moris tentantur: Morsus Tarantulæ choream infert, à Torpedine per tridentem, aut retium funiculos vis transmissa manum Piscatoris stupefacit: Pastinacæ sylvestris radices, aut Lolii semina comesta homines insanire faciunt; Opium, Mandragora, Hyoscyamus & similia somnum altum & aliquando lethalem accersunt: Hęc & pleraq; alia sine insigni sanguinis perturbatione, aut noxa cordi illata; facultati, seu spiritui animali vitius præcipue imprimunt.

Sunt etiam Toxica nonnulla, quæ massæ cruoris malignitatem suam potissimum insinuant; Quare à pharmacis quibusdam Ictericia flava, aut nigra, modo elephantiasis, affectus leprosi, aut intumescentiæ totius corporis producuntur: Vapores è cryptis subterraneis erumpentes, etiam à carbonibus recens accensis, non raro spiritus vitales suffocantes, una sanguinem congelant ac in motu sistunt quominus in corde vitæ flamma perennetur: Quanta cruoris massæ à miasmate λοιμώδει corruptio imperiatur, è maculis & exanthematis (quæ sunt velut sanguinis siderati stigmata, cuivis perspicuum est.

Si noxa alterutri, scil. *cordis* aut *cerebri regimini*, primo inflictu sit levior, sine magna alterius offensa plerumque absolvitur, quare motus convulsivi, stupor, lethargus, melancholia, affectiones paralyticæ, cum pulsu laudabili & sine immodica sanguinis effervescentia non raro incipiunt, & deinde si affectus non invalescat, sensim fatiscunt ac cessant; Alia prostant Venena quæ sæpe cruorem depravant, ejusq; mixtionem dissolvendo corrumpunt, interim ut functiones animales sartæ tectæ persistent.

Sin Veneni fermentum sit fortius, & altiores radices egerit, statim ab uno in alterius Provinciam virus dispergitur; cum enim partes nervosæ succo virulento turgescunt, portio veneni cum latice nervoso per vasa lymphatica in venas reduce, facile in cruoris sinum convehitur, ejusque massam lue qua tumet, inquinat.

Etiam à sanguine veneno graviter tacto succus, quo irrigantur nervi, brevi labem contrahit, hinc tabiosi febricitant, & febre pestilenti correpti sæpissime delirio aut phrenitide tentantur. Super his considerare oportet qualis sit alteratio, sive noxæ impressio quæ *Spiritui Animali*, aut *cerebro & appendici nervosæ*, qualis item quæ *sanguini* cum *corde* & vasis annexis à veneno infligitur: Licet hunc fiendi modum plane ostendere, ac velut digito monstrare, penes humani ingenii solertiam non sit, tamen ratiocinatione, & facta cum aliis affectibus comparatione, hujus notitiam aliqualem consequi poterimus.

Circa prius observamus, quod liquor ille subtilis, sive spiritus animales, quibus nervosa corpora inflantur, & quorum expansione sensus & motus reciprocas actiones edunt, à tensitate sua & æquabili expansione facile pervertuntur; Cum enim nervi sint mollis texturæ, & spiritus, qui in iis scatent, substantiæ admodum subtilis, objecta quævis fortia, aut vehementia ferre nequeunt; quare cum aliquid violentum, aut improportionatum ingruit, ab expansione & excursu suo sæpe in fugam & retrocessum, & non raro in motuum anomalias coguntur, quare subitæ animi passiones eos distrahunt, & in spasmos ac convulsiones adigunt: quando succus alibilis quo reparantur, nimis acris, acidus, aut austerus suppeditatur, modo paralyses, modo contracturas patiuntur; quod si objectum aliquod magis incongruum (quale venenatum statuimus) offertur, cujus particulæ tali sunt ferocia præditæ, aut ejusmodi configurationis, ut cum nervoso liquore impetuose effervescant, subtiliorem seu spirituosam ejus portionem huc illuc exagitent, aut prorsus abigant, atque reliquum liquorem aut vi stypticâ figant, aut ebullitione in motus inordinatos cogant; hinc cerebri & nervosarum partium malæ affectiones, scil. modo convulsio, tremor, rigor, modo stupor aut resolutiones, reliquaque gravioris notæ symptomata oriantur necesse est.

Quæ hoc ritu succum Nervosum veneno inficiunt, modo sunt crassiora, & solum quando in substantia valde corporea applicantur, noxam infligunt; modo sunt tenuia, & in vaporem aut halitum usque resoluta, è punctulo quodam veneni fermētum per totum nervosum genus suffundunt: Virus interdum rei noxiæ comestum primo in ventriculo tragœdiam inchoat, sæpius nudo contactu in superficie corporis miasma virulentum relinquit, quod facile & cito fermento suo spiritus per totum dispersos contaminat, Labes extremorum nervorum ubivis, sive intus sive extus inflicta facili eorundem ductu latius dispergitur, illico pluribus ejusdem rami surculis in mali consensum adductis: Non raro leviter rei venenatæ contactus, è digito, aut membri cujusvis extremitate statim cerebro susceptam communicat labem, indeque in totum corpus & membra distitissima retorquetur; Hujus ratio est, quod tum succi nervosi, tum miasmatis cujusdam venenati particulæ sint ita agiles, & motus expediti, ut alterutræ per totam alterius massam citissime, tanquam luminis radii per medium diaphanum trajiciant.

II. Quoties *Sanguis* è re venenata noxam contrahit, virus infixum est aut hebes, & minoris activitatis, nec in fera symptomata erumpit, donec à longo tempore, cum fermentatione tacita maturetur, & prius totam sanguinis massam infecerit, uti observare licet in quibusdam Venenis, quæ perhibentur ad distans, & nonnisi post aliquot menses aut annos occidere, Vel inspirata cruori toxica stimulo multo acutiori imbuuntur, ut ab eorum contagio labes contracta in fera symptomata è vestigio erumpat, indeque sequatur modo febrilis effervescentia, cum vomitu, siti & præcordiorum æstu, modo totius intumescentia, cutis discoloratio, sæpe exanthematum & Bubonum eruptio, non raro item repentina virium prostratio, ita ut subita mors sine tumultu & fere insensata obrepat: Ubi obiter notandum: quod si spiritus cruoris ab hoste lacessiti ipsum aggredi, & pro victoria decertare valeant, è conflictu hoc ebullitio febrilis in sanguine concitatur: Sin veneni particulæ viribus longe potiores, spiritus cruoris subito profligent, ac vitam extinguant, statim corrumpitur massa sanguinea, ut nec in vasis circulari, nec in corde rite accendi possit.

Si inquiratur adhuc quas mutationes in substantia, aut consistentia sua sanguis veneno infectus subeat, ut ideo vitæ sustentandæ minus idoneus reddatur? Respondeo in hunc modum, *Venena* quædam sanguinem fundunt, ejusque serositatem nimis præcipitant, ut sunt pharmaca, quæ vel purgatione deleteria, aut urinæ profluvio, aut totius intumescentia, aut discoloratione, vel pustularum eruptione plurimam serosi laticis secretionem faciunt, interea magna ebullitio cruoris massæ inducitur, qua spiritus vitales valde disperduntur, Salis & Sulphuris particulæ à coctione nimia exaltantur & sæpe assantur & ideo ictericia aut flava aut nigra inducatur.

Sunt alius generis *Venena* longe periculosiora, quæ *sanguinem coagulant*, ejusque mixtionem destruendo corrumpunt, scil. massæ sanguineæ primo *congelationem*, deinde *putredinem* inducunt; cum enim spiritus cruoris à Veneni contagio profligati dissipantur, liquoris mixtio æquabilis solvitur, quare particulæ crassiores se mutuo intricant, & (instar lactis ab infuso coagulo, aut spontanea acescentia) invicem coagulantur, hinc cruor in vasis grumescit, ut minus prompte in iis circuletur: hujus portiones coagulatæ, interius in cordis sinus delatæ illic stagnare aptæ sunt, adeoque crebras syncopas & lipothymias pariunt exterius advectæ, & inter circulandum in cute defixæ, modo uberius congestæ, per totum nigredinis suffusionem inducunt, modo parcius dispersæ maculas tantum, aut vibicum instar stigmata purpurea, cæteraque malignitatis phænomena efficiunt: Sanguinis autem coagulatio ipsum ad putredinem, seu corruptionem cito disponit, uti videre est in sanguine extravasato, qui cito nigrescere & putrere solet; Etenim Spiritu exhalato, in cruore residuæ Sulphuris, & Salis particulæ à se invicem discedere, & mixtionis vinculum dissolvere, unde putredo sequitur, incipiunt. *Willis lib. de Febr. c. 22.*

4. *Symptomatibus affligens*) Cum halitus seu vapor Pestilentialis quempiam invasit, atq; illud virus spiritus animales, aut cruoris, aut etiam simul utrosq; primo corripuit, à subtili & tenuiori horum substantia labes in materiā crassiorē cito derivatur, quippe totā sanguinis, aut succi nervosi massam, atq; humores excremētitios ubivis

scatentes

scatentes brevi fermentat, indeque in partes solidas deducitur, iisque malum infigit: Si hæc Lues *spiritus animales* prius occupet, statim cerebro nervosoque generi, ac imprimis ventriculo juxta communicatur, humorem in hisce discentem venenat illico; ejus mixtionem solvit, motum regularem pervertit, ipsumque teneriori partium continentium substantiæ omnino incongruum & infestum reddit: Inde mox spasmi & motus convulsivi, vomitus immanes, cardialgia, nec non delirium, phrenitis, aut vigiliæ pertinaces circa primum morbi insultum concitantur, interea labe nondum per cruorem dispersa ægri non febricitant, nec pulsu inordinato, aut syncope, aut stigmatum apparentia urgentur: quæ tamen symptomata, quamprimum sanguis inficitur postea emergunt.

Si quando *Spiritus cruoris* miasmate venenato, aut cum aëre inspirato, aut per poros attracto, primo occupantur, illico per totam sanguinis massam ejus fermentum dispergitur, hinc portione, infecto statim ab æquabili mixtione solvi, in parte secedere, & coagulari incipiunt; eædemque in cordis sinus delatæ, ibidem stagnare adeoque syncopen lipothymias, & non raro subitam mortem inducere, Externus etiam advectæ, atque circa cutim defixæ, bubones, ecthymata, & cætera venenositatis stigmata inferre solent, interim ut satis animo constent ægri, nec delirio, nec motibus convulsivis tentantur: Quod si à causa fortiori simul *utrisque partibus* noxa infligatur, cum magis horrendo symptomatum apparatu, ac præsertim syncope ac phrenitide una infestantibus morbi cursus peragetur. *Willis.*

Signa, [5] ex malignarum & pestis signis, secundum minus & majus desumenda sunt [6] nec ulla pathognomonica: quibus adde [8] *horrorem* frequentem & inordinatum sæpius in die recurrentem, quia maligni & mordaces halitus partes sensiles vellicant; *dolores*, qui aliquando uni parti affixi sunt, aliquando locum mutant, & modo caput, modo latera, dorsum, scapulas, ob eandem causam lancinant; α *Urinam* modo sanis similem, modo crudam, tenuem, turbidam, crassam, intensioris coloris &c. β *alvi fluxum*, qui nonnunquam levissimo clystere commovetur.

5. *Signa*) Pestilentem Febrim indicant symptomata, quæ gravissima omnia superveniunt, & leviora sunt quam in cæteris febribus, ut sunt vigiliæ, deliria, cataphoræ, memoriæ læsiones, convulsiones, tremores, fœtor anhelitus, syncope, jactatio, inquietatio, cardialgia, vomitus, inappetentia, sitis, respirandi difficultas, quæ febris parvitati non respondent: unde interiora uri & maligna qualitate infestari est conjectandum: Interdum *sitis* major est quam postulat calor, interdum quoque exigua, *lingua* tamen existente sicca, quod malignitatis evidentissimum signum est: *Excrementa* sunt valde fœtentia, quod maximum in levicula febre putredinis & venenositatis indicium; Sed maxime *Bubones* & *Carbunculi*, *Parotides*, *Maculæ*, aliæque excretiones ad ignobiles partes à Natura factæ, quæ omnes excretiones fiunt illius conatu materiam morbificam in habitum corporis expellentis; Contingit etiam ex *Hippocr.* alvi fluxus colliquativus, Fit & apositia, ob humores malignos ventriculi robur dissolventes, quæ quandoque omnino prostrata est, ita ut potius eligant mori quam ut cibum adsumant, qui autem sibi vim afferentes oblata alimenta sumpserunt, omnes ferme fuerunt superstites ex *Galeno. Primirosius.*

Nullum est pravum symptoma, nec ullum morborum exitialium genus quod cum hac febre interdum non conjungatur: symptomata sunt, Dolores capitis, vigiliæ, deliria, sopores, sitis, nausea & vomitus, appetitus dejectio, syncope, virium languor, singultus, inquietudines, alvi fluxus, sudores & similia, quæ aliis febrium generibus sunt communia. *Riverius.*

5. *Signa*) Signa Febris Pestilentis, alia *futurum* morbum indicant, alia *præsentem* demonstrant, alia *præteritum* commemorant: A primis Præservatio desumitur, à secundis *Curatio*, A Postremis *Præcautio* quædam in iis qui nondum febre pestilenti correpti sunt, Quæ *Futurum* prænuntiant, à tribus desumuntur, à *corporis dispositione*, à *præsentia causarum*, & à *quibusdam mediis dispositionibus*: Corpora ad febrem pestilentem disposita sunt quæ pravos congessere succos ex prava victus ratione, ex præpostero sex rerum non natur. usu: Vel quæ plethora onerata plurimum se ingurgitant, aut intempestive ac inordinate se replent; Præterea quidam cacochymiæ & plethoræ expertes ad hunc morbum concipiendum corpora disponunt, dum molestissimis pathematis animum excruciant, vel Veneri immodice indulgent.

Ab hisce enim duabus causis frequentius multo febris Pestilens produci consuevit; quandoquidem ab iis etiam in bonos humores corruptela inducitur facile; Animi enim passiones spiritus à propriis distrahunt operationibus, Venus nimia omnes virtutes labefactat: At distractis spiritibus, virtutibusque labefactatis, humores in alienam transeunt naturam, corruptelam quandam consequuti.

Demum, quibus membra principalia imbecillia, aut labe quadam affecta fuerint, sive ab ortu, sive à pravo victu, aut alia quapiam causa externa Qui calido & humido temperamento præditi sunt, Qui rariori aut densiori habitu corporis donati, omnes febri Pestilenti concipiendæ dispositi sunt; Siquidem *corpora Calida & Humida*, putredini obnoxia, *Rara*, omnibus injuriis patent *Densa* non libere transpirant.

Præsentia causarum, quæ Febrem Pestilentem producere possunt, eam *futuram* portendunt, Atque adeo præpostera tempestatum conditio, annonæ caritas, bella, & aliæ causæ quando apparent, hunc morbum imminere significant.

Mediæ dispositiones sunt, quando præsente corporis dispositione, & causis dictis, videmus in homine mœstitiam insolitam, mœrorem inexplicabilem, colorem faciei immutatum, ad oblata non bene se habere, insomniis pravis perturbari, lassitudine spontanea, siti, vigiliis, nausea infestari, facile erit cognoscere febrem pestilentem imminere: Hæc enim omnia indicant humores alienam naturam adipisci & corruptelam concipere, à qua febris Pestilens oriatur.

Præsentem Febrem declarantia signa exacte proponenda sunt, ideo omnes fontes percurrendi ex quibus morborum diagnosis elici potest: Illi à triplici symptomatum genere desumuntur, quia symptomata sunt effectus morborum, & causæ nonnisi per suos effectus commode significari possunt, Hinc alia signa ab actionibus læsis, alia ab excretis, alia à qualitatibus mutatis erunt desumenda, Quibus Fontibus quartus adjungendus, ab affectibus supervenientibus desumptus, Ad quorum rectam intelligentiam sequentia præmittenda sunt.

I. Sciendum eadem fere symptomata Febrem Pestilentem proprie dictam, tum malignam simpliciter significare, & utriusque signa per majus tantum & minus inter se differre, ita ut in Pestilenti sit major symptomatũ sævities, In maligna vero minor, Esse tamen nonnulla accidentia quæ magis propria sunt uniquam alteri.

2. Notandum est nullum dari harum Febrium signum vere pathognomonicum, quo scilicet posito Febris Pestilens necessario ponatur, & sublato auferatur, nedum Bubonem aut Carbunculum in vere Pestilenti, cum in multis, etiam vera Peste laborantibus non appareant; Et dentur bubones ac carbunculi malignitatis expertes: Neque maculas purpureas in febre maligna, quamvis illa à pluribus Medicis Purpurata nominetur, cum in multis ea laborantibus nusquam compareant, & interdum erumpere soleant in mulieribus mensium suppressionem patientibus; & in nonnullis pueris ob levem quandam sanguinis ebullitionem, nulla tamen apparente febre, quod nobis in utrisque non raro videre licuit, Attamen ex omnium signorum syndrome certa harum febrium diagnosis facile stabiliri potest.

3. Advertendum est omnia signa à nobis proponenda in omnibus ægris non reperiri, sed partem tantum eorum, quæ tamen sufficiat ad morbi speciem ad amussim constituendam; pro varia enim corporum dispositione, & morbi intensione & remissione, nunc hæc symptomata, nunc illa magis elucere solent.

Denique sciendum est Febris pestilentis & malignæ signa (quamvis in aliis etiam febribus reperiantur) fieri tamen quodammodo pathognomonica in hac febre duplici ratione, 1. quia in hisce febribus peculiarem quandam concoctionem præ se ferunt, quæ in aliis febribus non reperitur; Nam capitis dolor, nausea, vomitus, caloris modus, & cætera signa, dum pestilentibus febribus accidunt, peculiarem conditionem & malignam acquirunt, qua differunt à seipsis, dum in aliis febribus apparent. 2. Quia symptomata inter se non servant eam proportionem in his febribus quæ in vulgaribus reperitur, ita ut calor ad tactum mitis, pulsus non valde immutatus, exiguam febrem ostendant, cum iis tamen dolor capitis ingens, vigiliæ, & interdum deliria, aliaque symptomata febrem ardentem consequi solita plerumque conjungantur: His positis hæc sit signorum series.

1. *Pulsus*, qui variis modis immutatur, 2. *Cardialgia*, quam tanquam malignam damnat *Hippocr. 1. Progn.*

2. *Oris ventriculi dolor, cum præcordio distento, & capitis dolor, malignum.*

3. *Sitis* aliquando magna, quæ superat caloris febrilis copiam & modum; aliquando vero ejusdem carentia, cum intensa febre, & linguæ siccitate, utrumque enim malignitatis est indicium.

4. *Ingens ciborum inappetentia*, qua multi omnia alimentorum genera, non secus ac ingratissima medicamenta horrent: Causa sunt maligni vapores ventriculum afficientes.

5. *Nausea, vomitus*, ab eadem causa, in principio præcipue morbi evenientes: usque ita diversus, ut nonnulli assumptum alimentum statim evomant, alii statim quidem ab assumpto jusculo, at non jusculum ipsum, sed varios humores rejiciant: Alii quævis alimenta probe rejicientes aquam, julepos, emulsiones, omnem denique potulentam materiam assumptam statim emittant, superstite interim siti ingenti, cum linguæ siccitate & nigredine.

6. *Horror* frequens & inordinatus.

7. *Totius lassitudo* & gravitas, & veluti morborum confractio initio morbi apparens, ob prædictos vapores in totum corpus delatos.

8. *Capitis dolores, Vigiliæ & Deliria*, omnia ab eadē causa, vaporibus scil. acribus & venenatis, qui prout cerebri membranas impetunt, & dolorem capitis efficiunt; prout ipsam cerebri substantiam calefaciunt & exsiccant, si levis sit alteratio *Vigilias* tantum pariunt, si vero intensior, etiam *Deliria*, Ad hæc vero symptomata multum confert, præter calorem & siccitatem, venenata qualitas, siquidem in febribus vulgaribus talia symptomata non fiunt, nisi multo major sit intemperies, Dolor vero in hac febre hoc sibi peculiare vendicat; ut varius admodum sit, nec semper eundem locum affligens: Interdum enim sinciput tantum, alias occiput, frontem, aut supercilium lancinans dolor occupat: Interdum & alias partes, ut scapulas, latus, dorsum aliamve corporis partem, Interdum eidem parti continuo affixus, alias locum mutans; & nunc hanc nunc illam discrucians.

9. In nonnullis *sopores*, & comatosi affectus contingunt, in illis scilicet, qui habent cerebrum excrementitiis humoribus refertum; quæ quidem pituitosa excrementa à vaporibus calidis, ex partibus inferioribus elevatis, liquantur, & functiones cerebri impediunt.

10. *Urina* aliquando sanorum similis.

11. *Alvi fluxus biliosi.*

12. *Sudores* frequentes, parvi, minuti, & inutiles morbi principio prodeuntes.

13. *Lumbricorum* copia, principio potissimum, excerni consuevit; insignis enim putredo humores maxime disponit ut ex iis lumbrici generentur.

14. *Calor* ad tactum mitis est & blandus, ut vix febrite ægri videantur, unde *Galenus 9 simpl. cap. de Bolo Arm.* & *Avicenna Fen. 4. l. 1. cap. de Febre Pest.* docent Febres Pestiferas calorem mitem & placidum frequenter habere, Et ratio est, quia febres hujusmodi magis fiunt à maligna & venenata qualitate quam à vulgari intemperie vel putredine.

15. *Oculor. rubor* frequentissime apparet.

16. Denique *macula purpurea*, pulicum morsibus similes (de quibus vide caput de Febre Perechiali.)

Affectu vero Febribus Pestilentibus supervenientes præcipui sunt. *Exanthemata*, *Pustula oris* & *Ulcera, Carbunculi* & *Parotides*: *Exanthemata* quomodo à maculis differant, vide supra *§. Exanthemata*) *Pustulæ in ore* apparentes omnes enumeratas Exanthematum differentias nanciscuntur, & aliquando adeo malignę sunt ut cibum & potum ægri vix tolerent; In tenera ætate sæpe mortem afferunt; cum sibi ipsis vim ad ingerendum cibum non inferant infantes; Hæ Pustulæ plerumque in ulcera degenerant, quæ maximam ægris pariunt molestiam, motum linguæ & præcipue deglutitionem impedientia: Aliquando tamen immediate, & nullis Pustulis præcedentibus, generantur ulcera in ore, *Aphtha* Græcis dicta, quorum plures sunt differentiæ, *quas vide Capite de Oris affectibus.*

Carbunculi & *Bubones* in variis corporis partibus, sed præcipue circa corpora glandosa insilent accidere, quia expultrix facultas à maligna qualitate irritata, à partibus internioribus, præcipue nobilibus, ad exteriores perniciosam materiam expellit, unde à cerebro ad glandulas post aures; A corde ad axillas, A jecore ad inguina materia hæc transmittitur, unde Parotides & Bubones generantur: Quæ Tumorum genera in febre vere Pestilente potissimum apparent, præsertim Bubones, qui apud vulgus Pestis nomine donantur; At Carbunculi & Parotides etiam in febribus malignis erumpunt, sed quæ summum malignitatis gradum adeptæ sunt, & ad vere Pestilentium naturam proxime accedunt.

Signa Commemorativa potissimum usu veniunt quando vocantur Medici ad visitanda defunctorum cadavera, in illis temporibus in quibus vagantur morbi pestilentes, aut quædam est eorum suspicio, ut indicetur an ex iis morbis interitus acciderit: Quibus addi possunt signa quæ in morbi decursu apparuerunt, Eorum enim commemoratio certam demonstrationem efficiet. *Riverius.* Vide infra *cap. de Pestilentia signa* eorum qui ex peste interierunt. *§. Si in mortuis.*)

Ex

5. *Ex malignarum & Pestis signis,secundum magis & minus*) Signa in febre Pestilenti vix differunt à signis in Peste, nisi quod sint mitiora, minus perniciosa, & contagiosa quam in Pestilentia; Quo fortius venenum, eo major putredo, & exinde citius & magis vires debilitantur; Quo major putredo partium, eo majores partium dolores, major insequitur cephalalgia, majores vigiliæ, major stomachi affectio, inappetentia & sitis &c. Cum putrescunt sanguis & partes sanguineæ, necesse est partes internæ & externæ languescant; Stomacho affecto, putridisque fæcibus impleto, impossibile fere quin vomitus sequatur: Excrementa, imo & urina ægrorum valde mutata, putridum fœtorem habent, & ipsa materia putrida: Quo plura & graviora symptomata, eo majus est periculum, & contra. *Isaacus Rocc.l.2.de Peste apa. 17. ad 23.*

6. *Ex malignarum*) Pestilens Febris non dicenda est maligna, si verum est,ut *Galenus* ipse definit, malignos morbos dici qui periculum minantes spem salutis non adimunt; Febris vero Pestilens majus periculum nunquam minatur quam quod revera existit in ipsius natura, cum sit vere perniciosa, ut ex veneno tantum non fortissimo procedens. *Isaacus Roct. libr.2. aphor. de Peste 9.*

7. *Nec ulla pathognomonica*) Unicum datur symptoma febri pestilenti proprium & peculiare quod in reliquis febribus non contingit, *macula* nimirum *purpurea* in toto corpore, ac præcipue lumbis, pectore & dorso apparentes, ⁶ morsibus pulicum plerumque similes: quæ *Peticula*, seu *Petechia ab* Italis dicuntur, Et febres hoc comitate symptomate *Purpurata*, seu *Petechiales* appellantur; Neque enim in omnibus febribus Pestilentibus apparent hujusmodi maculæ,sed cum non apparent Febris Pestilentis indicium præbent certissimum. *Riverius.* Vide §.*signa*.

Sequentia symptomata enarrat de Diemerbroeck.

Inflationes corporis.

Fiunt ob angustiam cordis veneni malignitate oppressi, & virium debilitate, dum enim cor graviter angitur, artus debiles, tanquam aliquod cordi aliquid iuvamen & solanum allaturi, huc illuc jactantur, eodem modo sicut in dolore gravi alicujus partis, aliæ omnes partes se contrahunt, tanquam hoc modo levamen aliquod allaturæ: *Joubertus* hanc rationem reddit, *Plerique*, inquit, *magna est inquietudo, ob æstum,& pectoris,quæ premuntur angustiam, quod suscitati vapores minus diffari & discuti possint, magisque inclusus maneat calor, unde fit ut nusquam consistere valeant, huc atque illuc agitati, & in lecto se devertere impotentes velamenta abiciant.*

Verum non valet hæc ratio, quia *Joubertus* supponit pestilentis veneni operationem consistere in fervore seu æstu, vel saltem sine illo non peragi; quod minime verum,& vel ex nostro eo satis liquet, quia sæpe hujusmodi jactationes contingunt abique ullo interno ardoris signo, sed nusquam tamen sine cordis anxietate, quod indicium est cor à venenositate, non vero ab ardore angi.

Delirium.

Frequentissimum esse solet, in hac tamen nostra Peste rarius erat, *Thucydides* refert in Peste Attica deliria fuisse maxime communia, imo à deliriis memoriam multis abolitam, eosque tanta rerum oblivione captos ut restituti omnium immemores essent.

Lingua nigredo.

Quercetanus inter certiora pestis signa etiam *Linguæ nigredinem* memorat, eamque semper necessario subsequi ait,At in nostra Peste raram observavimus; fortassis quia illi Pesti, quam vidit, magnus ardor, huic vero nostri exiguus fervor adjunctus erat.

Sitis.

Frequenter Pestem comitatur, non tamen semper,& quamvis *Rondeletius* dicat esse symptoma à Peste inseparabile, nos tamen multos etiam absque siti Peste laborasse & extinctos fuisse vidimus.

Calor.

Calorem sæpe ad tactum mitem ac placidum esse observavit etiam *Avicenna*,Quod ipsum etiam asserit *Galenus 9.simpl.* Ratio est, quia morbus magis infestat maligna & venenata qualitate, quam excessu caloris aut frigoris,aut putredine.

Macula.

Omnes quidem maculæ (inquit Crato Tract. de Febre Petechiali) *quæcunque fuerint,febris Pestilentis sunt indices, sed non omnes Febris Pestilentis contagiosa, nam cum in progressu morbi scil.4.vel 9. die, rubro primum se produnt, Pestilentis spuria nota sunt; cum vero in initio morbi conspiciuntur, contagiosam febrem indicant, aut cum livida apparent vel nigra, quæ raro in vivis, in cadaveribus plerumque se offerunt, cum nempe vis contagii subito vitam opprimit.*

At *Cratonis* dictis in hac nostra Peste non respondit experientia, Nos enim 3.4.5. 6.imo 7. die prodeuntia rubra Exanthemata contagiosissimæ huis,ac plerumque mortis instantis certissimum indicium dedisse vidimus: nam in tota hac Peste vix xx. cum maculis rubris evaserunt,cum purpureis unum tantum, cum nigris aut violaceis nullum: evasisse novimus:Præterea etiam istas maculas lividas, imo & instar atramenti nigras, non solum in mortuis, sed in vivis quoque non raro observavimus,certa quidem mortis, indicia,sed cum quibus tamen nonnulli ægri aliquando per biduum triduumve adhuc supervivebant.

Hujusmodi maculæ, cujuscunque formæ vel coloris fuerint, semper vel pestem,vel saltem febrem valde malignam & pestilentem indicant, In nullo enim alio morbi genere reperiuntur,Nam scorbuticæ, & si quæ sunt aliæ,facile à perito Medico dignoscuntur.

Maculæ illæ fere semper sunt *rotundæ*, nam vidimus etiam maculas lividas & nigras oblongas, quasi calamo scriptorio insculptas, alias quoque majores, quasi flagellis inductas; nonnullas etiam maximas, totum aliquod membrum, vel magnam ejus partem occupantes; scribit *Palmarius l.de Peste cap. 24.* se multoties vidisse maculas quæ universum brachium, aut crus totum, aut faciem aut aliam maximam partem occupabant.

8. *Horrorem frequentem*) Horror frequens & inordinatus,sæpius in die contingens, ab halitibus acribus, mordacibus, & à natura alienis ad partes sensiles delatis excitatur, qui in aliis febribus putridis raro contingit, quia in ipsis halitus non eandem obtinent malignitatem; In febribus Tertianis intermittentibus malignitate præditis, ex horrore & frigore malignitatis signum interdum desumi potest; Contigit enim aliquando ut initio paroxysmi, accedente levi frigore,aut horrore, tanta caloris retrocessio accideret,ut caro prægelida esset, faciesque moribundi simillima appareret, pulsusque adeo exiguus ut omnino nullus videretur; subsequebatur postea calor, qui tamen postea in augmento, nec in statu ad tactum validus nec acer sentiebatur, imo caro vel tepido calore prædita, vel subfrigida usque ad declinationem perseverabat, Pulsus accenso calore magis apparebat, sed parvus,inæqualis, frequens & admodum debilis erat, multaque alia febrium pestilentium symptomata comitabantur, quæ satis confirmare poterant non solum continuas sed etiam dari febres Pestilentes. *Riverius.*

[9]. *Causa* est [10]. humorum putredo & corruptio cum venenosa & deleteria qualitate conjuncta, [11]. quæ vel ab aëris corruptione, vel à [12]. contagioso β. seminario intus recepto, [14]. cum calor nativus dum contra hostem pugnat, humores satis regere non potest, vel etiam [15]. ex prava victus ratione, ut pestilentia dicetur.

9. *Causa est humorum putredo*) Causæ mediatæ sunt plethora, cacochymia & obstructiones: *Plethoram* non ad vasa, sed ad vires intelligimus, quæ cum non ita à natura regatur, facile corruptionem & putredinem concipit. *Cacochymia* vero facile corrumpitur atque putrescit, *Obstructiones* omnium febrium genera producere aptæ natæ sunt, quatenus humores in loco calido & humido conclusi, si non libere transpirent facile putrescunt.

Causa interna mediata ab authoribus vulgo morbosus apparatus nominari solent: Et tanta est illius efficacia ut solus interdum febrem remissiorem pestilentem, quæ maligna simpliciter, aut purpurata vulgo nominatur, producere valeat, absque causæ externæ & communis interventu; Videmus enim sæpe in constitutione minime epidemica, & nullo morbo populariter grassante, quosdam ex prava humorum conditione febribus hisce correptos, quæ multis malignarum febrium symptomatis, etiam maculis purpureis stipatæ sunt.

Circa *obstructionem* eam quidem necessario concurrerete advertendum, tanquam causam præcipuam in febribus malignis, quæ fiunt à causis internis & sporadicæ sunt: Epidemicæ vero, quæ fiunt à causa communi, pestilenti scilicet aëris statu, vel per contagium generantur, non necessario talem habere causam; Ex sola enim aëris corrupti inspiratione, vel ex solo contagio concipitur Venenata qualitas, qua humores corporis à propria natura deflectentes, sponte in putredinem dilabuntur; Sicut enim fructus horarii, aliæque res facile putrescibiles, licet maxime persiciantur, à putredine tamen vindicari non possunt; sic etiam humores, cum qualitatem illam pernitiosam conceperunt, proclives in putredinem redduntur, ita ut etiamsi nulla sit præsens obstructio, in putredinem ac febrem necessario incidant: Attamen inducta hoc modo in humores putredine, cum illi à natura amplius non regantur, obstructiones plerumque generare solent, quibus febris intenditur, sicque in his febribus obstructio concurrit, quæ licet ab initio febris causa non fuerit, subsequitur tamen, & à causis labe pestilenti infectis fovetur. *Causa externa* sunt Res non naturales &c. *Riverius.*

10. *Causa est humorum putredo & corruptio cum venenosa*) Necesse est Putredinem, aut saltem corruptionem, in Febre Pestilenti adesse: mutatio enim primarum qualitatum non sufficit ad febrim generandam, ubi putredo venenosa requiritur. *Isaacus Roet. Tr. de Peste l.2. aph.13.*

10. *Humorum putredo & corruptio cum venenosa &c.*) Quando putrescunt quæ valde spirituosa sunt, veluti semina, putredo evadit venenosa & valde similis veneno pestifero; nam veneni vehementia in hoc consistit quod sit instructum spiritu potentissimo, sunt autem & semina valde spirituosa: hinc quando genitale semen, quod excerni debebat, retinetur, aut sanguis menstruus, hysterica sequitur passio, cum variis symptomatis, iis similibus quæ ex poto veneno oriuntur: Ejusmodi sunt vermiculi qui ex tali putredine generantur, quales sunt ij in quibus gangræna consistit; quam ob causam quoque symptomata morborum venenosorum propria eam comitantur. *Joh. Felde. Tr. de Peste.*

11. *Quæ vel ab aëris &c.*) Causæ remotæ malignarum & Pestilentium febrium sunt omnia illa quæ sanguineam massam, ratione vel quantitatis, vel qualitatis, vel motus, non tantum effervescere & ebullire faciunt, sed & quæ eam ipsam ita disponunt, ut in colliquamenta ichorosa, maligna & contagiosa mutetur. Eaque vel *intus* & in corpore generantur, vel *aliunde* communicantur: *In corpore* humores vitiosi præter fermentationem quandoque mota sui venenatas & malignas particulas contrahunt, uti in Scorbuto, affectibus uterinis contingit, dum sanguinea massa effervescens etiam particulis malignis inficitur, hinc vero, sanguis venenato miasmate infectus, inter deflagrandum, ratione particularum malignarum per partes colliquari ac dissolvi incipit; Aliunde communicatur per *Res non naturales* de quibus consule Auctores &c. *Piens P.2. pag.170.*

11. *Vel ab aëris corruptione*) Causa febris Pestilentis non magis quærenda est in aëre, cœlo, aut similibus quam in Peste: Idem venenum, etsi aliquomodo magis terrestre & obtusum est causa febris nostræ Pestilentis, quod causa fuit Febris. Circumstantiæ diversæ, interne in nobis, vel externe in aëre &c. quærendæ, venenum possunt obtundere, ita ut Pestem, sed febrim Pestilentem tantum generare valeat. *Isaacus Roët Tr. de Peste l. 2. aph.15. & 16.*

β. *Seminario intus recepto*) Quæri etiam potest an dentur causæ internæ pestis quæ in ipso homine generentur? Quidam statuunt in corpore humano generari posse, idque probant, 1. Experientia, quod nonnunquam laborantes morbis, quorum Pestis causa non est, iisdem, quibus intoxicati, symptomatibus corripiantur 2. authoritate *Galeni*, asserentis ex corruptione humorum, maxime in hystericis, venenum produci posse: Contra sentiunt alii, nullum venenum proprie dictum in corpore animalis generari posse, eo quod venenum habeat spiritum contrarium spiritibus vitalibus, & cum iis consistere nequeat, ut adeo hi veneni generationem omnibus modis impedituri sint.

Itaque quærendum quomodo materia venenosa, spiritibus vitalibus resistere non valentibus, in corporibus animalium generari possit: Nos dicimus, ut in terra contingit concoctionem aquæ marinæ, unde suum alimentum habet, non ita fieri posse quia nihil crudum & venenosum à Saturno & Marte Oceano immissum remaneat, ita etiam contingere circa animalia, ut venena quæ alimentis insunt coquere aut excernere nequeant, sed in se retineant tamdiu donec eo adaucta sint, ut vitales spiritus aggredi, & quod integrum corporibus inest, destruere valeant Homines ergo cum utantur alimentis vitam habentibus, nutritum plantis harumque fructibus, & animalibus, nullum autem horum sit quod non aliquid veneni in se habeat attractum ex iis quibus illa aluntur, sine veneno nunquam sunt: In corpore enim hominis, & cujuscunque animalis sic oritur venenosa putredo, dum spiritus ventriculi, & reliquorum viscerum concoctioni inservientium venenum, quod una cum alimentis receptum est, superare nequeunt, illudque tamdiu latet, donec adauctum spiritus vitales adgredi audeat: nam quando nondum satis adauctum est, infirmitates tantum quasdam concitat, sed ita ut iisdem facile medicamentis occurri possit. *Ioh. à Felde Tr. de Peste l.3. c.10.*

12. *Contagioso seminario intus recepto*) Causa hujus morbi contagiosa fuit, aut certe corpora humana nunquam inquinasset, præsertim cum ab externo intrasset; Non igitur mirari debemus morbū etiam ipsū contagiosum esse, Qualis causa talis effectus, Contagium est quod à corporum contactu producitur; Verum hic

requiritur

requiritur corpora communicantia esse morbosa, unde similis effectus, morbosus nempe, in corpora contacta derivatur.

Non quodlibet quod alteri affectionem suæ affectioni similem communicat, est idem contagiosum, nisi sit quoque corpus morbosum: Morbosum corpus est contagiosum, & ratione morbi & causæ morbificæ: *Causa* illa quæ corpus contagiosum reddit, vel ab externo corpori advenit, scil. à materia primaria venenosa, aut à *corpore aliquo pestilenti*, Vel *in corporibus nostris generatur*, non ab externa causa, sed interno corporis vitio; Primus ille modus, *à causis externis* scilicet, Pesti competit: Secundus vero, à *causis internis*, non competit, quia omne contagium pestem generans, à primo illo veneno necesse est prodeat; Quod ab extra provenit, non intus generatur.

Non credimus quod insignes Medici affirmant, *Materiam contagiosam corpori communicatam, tamdiu in corpore delitescere, ut aliud externum corpus inficiat, antequam morbum excitaverit*: Certe negamus si de contagio nostro venenoso loquantur, Penetrantissima est ejus natura, tota ignea & rapide venenosa, quæ statim, nisi impedita, cum inficit, interficit, & multo magis morbum producit, nisi statim medus fortioribus extrudatur: Concedimus in aliis morbis mitioribus, quibus abest venenum; contagium posse delitescere.

Non omne corpus morbosum est contagiosum, neque omne contagiosum uno modo: Aliqua enim contagiosa sunt nonnisi corporali contactu: Alia vero sicuti in Peste, si propius accedas, etiamsi non sit contactus inficiunt; imo quod mirum videtur, totum domicilium à pestilenti ægroto inficitur, quod non fit in aliis corporibus morbosis.

Non ideo à Peste liberum est corpus quod alteri Pestem communicarit, Non enim totam morbi substantiam, sed semina quædam, quasi evaporantia, communicat.

Miasmata, seu *spermata* hæc, sunt instar fermenti, quod massæ non fermentatæ immixtum, facit ut illa effervescat, Sunt enim ejusmodi naturæ cum venenoso spiritu, prima Pestis ipsius causa, scil. spiritualia: Est ipsa horum seminum natura, velociter sese insinuare, tenacissime inhærere, & igne suo propriò agitari.

Contagii nostri semina peculiarem in minima quoque mole corporis agendi vim habent, quam occulta qualitate exserunt; Qualitas per quam aguot, est supremus ignis veneno tincti gradus, unde sua volatilitas & contrarietas, cœlo humano inimicissima, unde fluit appetentia quædam naturalis grassandi in illud.

Ex ante dictis apparet contagium nostrum non à sola putredine generari, quod tamen nonnulli affirmant; Quamprimum enim contagii semina sunt hausta, homo inficitur; imo sæpe à veneno contagioso jugulatur, antequam ulla in corpore putredo excitari potest; Et eundem alios iterum inficere videmus: Non negamus corruptionem quandam adesse, sine qua non est mors, nec morbus: at corruptio omnis non est putredo. *Isaacus Roet. Aph. de Peste à 42. ad* 54. Vide alia de contagio cap. sequ. de Pestilentia.

13. *Cum calor nativus dum contra hostem*) Vel *Natura, cujus ille perhibetur instrumentum*: Naturæ nomine sæpius utor, illique varios effectus attribuo, perinde quasi rem aliquam singularem & seorsim existentem, sed per totam hanc mundi machinam, ubique diffusam, sub hoc titulo mihi repræsentarem, quæ ratione aliqua & consilio fœta corpora quævis regere ac moderaretur, quale quidpiam de *Mundi Anima* nonnulli Philosophorum cogitasse videntur: Verum ad me quod attinet, uti nec rerum, ita nec verborum novitatem affecto, adeoque antiquam quidem vocem, sed sensu (ni fallor) & sobrio, & à sanis omnibus non intellecto solum, verum etiam usitato usurpavi; Ego enim quoties *Naturam* nomino, toties *causarum naturalium complexum* quendam significari volo, quæ quidem causæ, brutæ licet, atque omni consilio destitutæ, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quæque operationes edunt; suosque effectus exequuntur, Nimirum supremum illud Numen, cujus vi producta sunt omnia, & à cujus nutu dependent, infinita sua sapientia sic disponit omnia, ut ad opera destinata se certo quodam ordine atque methodo accingant, neque frustra quicquam molita, neque nisi quod optimum est, atque too *Rerum fabricæ*, suisque privatis naturis maxime accommodum exequentia; periode atque automata non pro suo, sed artificis consilio moventur, *Sydenham Observ. in Acad. p. m.* 272.

14. *Ex prava victus ratione*) Causa aut interna aut externa est, sed ambæ hac virtute sunt prǽditæ ut quamsubito naturalem sanguini consistentiam & vires auferre possint: Sed de externa sciendum est, procul omni dubio verum esse cibum & potum, tam magnam & subitaneam mutationem corpori humano inferre non posse: Ast denuo pro certo constat sanguinem, prava diæta diutius instituta, paulatim adeo dissolvi, debilitari atque impurum reddi, ut parte jam aliqua malignam naturam assumente, homo absque ulla alia causa externa in morbum subitaneum incidat, imo & ipsam mortem obeat, Quod nobis non semel in variis ægris licuit observare, qui bubonibus perfectis, aliisque symptomatibus multo gravius laborabant, quam quidem ullus hoc tempore contagioso laborare potuit. *Paulus Barbette tract. de Peste.*

15. *Prava victus ratione*) Sive erroribus io sex rebus non naturalibus commissis; De *Aere* & *Alimentis* vide caput sequens de Pestilentia, quæ præcipuam vim obtinent ad Febrium malignarum generationem, Reliquæ vero quatuor, nimirum *Excreta* & *Retenta*, *Motus* & *Quies*, *Somnus* & *Vigilia*, & *Animi pathemata*, minoris sunt efficaciæ, & concurrunt tantum ut causæ adjuvantes; vel corpus disponentes ad malignam putredinem concipiendam.

Retentiones mensium in mulieribus, aut alterius vacuationis consuetæ in viris, ut *hæmorrhoidum*, & *hæmorrhagiæ*, & *alvi fluxus*, qui in nonnullis per intervalla solet contingere, si in constitutione epidemica accidant, morbum malignum solent producere: Illa enim quæ tanquam superflua, & naturam gravantia excernuntur, si intra corpus retineantur, facile concipiunt putredinem: Sic nimiæ *evacuationes*, aut sanguinis, aut aliorum humorum corpus maxime debilitant, efficiuntque ut calor nativus imbecillior factus, aëris viosi aut pestilentis inquinamenta facile recipiat.

Quod ad *Motum* & *Quietem* spectat, certum est nimium *Otium* efficere ut calor naovus eventilationem liberam minime recipiat, atque adeo humores putredinem concipiant: Sic nimia *Exercitatio* poros valde aperit & calorem dissolvit, unde fit ut corpus debilius redditum, & magis penetrabile, contagii semina facile recipiat.

Nimius etiam *Somnus* multum facit excrementorum proventum, & corpus replet humiditatibus quæ facillime putrescunt, quia à calore nativo satis commode non reguntur, tum quia ex iis multæ fiunt obstructiones, à quibus prohibita transpiratione tandem putredo suboritur.

Denique *Animi pathemata* corpus vehementer exagitare solent, humoresque conturbare, atque adeo ad Luem capessendam maxime disponunt, Atque inprimis *Timor* & *Tristitia*, quæ spiritus vitales introrsum revocatos quasi suffocant, unde cordis vires ita franguntur, ut minus veneno resistere, primisque morbi insultibus obsistere valeant: Imo vero humores commoti in vasis,

& vehementer conturbari, à naturali constitutione dejiciuntur, malignamque putredinem concipiunt; Adeo ut nonnulli existimaverint in obsidionibus & castris morbos pestilentes non tam ex prava victus ratione, & cadaverum fœtore, quam terrore, metu, anxietate, & mortis formidine provenire, quæ humores exagitet, eosque tumultuari ac fluctuare faciat. *Riverius.*

Urina ab urina sanorum) Urina aliquando urinæ sanorum similis est, quando scilicet humores plus peccant maligna qualitate quam putredine, & primis interdum diebus talis perseverat, postea fit crassa & perturbata: Interdum in statu concocta apparet, licet ad interitum ruant ægri; Interdum tenuis est & cruda, nullum continens sedimentum aut illud excrementi potius naturam referens quam veri sedimenti: Frequentius tamen crassa & turbida apparet, ac intensioris coloris, & crassum rubrum ac conturbatum, diffusumque habens sedimentum: Ac denique omnes pravæ urinarum dispositiones in hoc morbo possunt contingere, pro variis humorum putrescentium ac corruptorum alterationibus. *Riverius.*

Alvi fluxus) Alvi fluxus biliosi sæpe adsunt, qui vel per se oriuntur, vel à levi causa irritantur, vel levi clystere aut pharmaco, & postea contumaciter perseverant, multosque ad interitum perducunt, Sic refert *Hippocr. 3. Epid.* in pestilenti constitutione ibi descripta plurimos alvi fluxu & dysenteria fuisse sublatos: A maligna enim qualitate humores ferociores redditi naturam impense stimulant & irritant; ita ut eos per vias sibi obvias ejicere conetur, In illis autem excrementis ingens fœtor inesse solet, ex ingenti putrilagine humores occupante. *Riverius.*

Curatio est in *totum difficilis*, habendaque in ea, tum pestilentis veneni, tum putredinis & febris ratio. [16] *Alicujus est spei*, *si* pulsus æqualitatem etiam in febre maxima servat; [17] *si* ægri sternutant, modo pulmones non sint affecti: *si* surditas in statu obvenit, observavitque *Riverius* tales evasisse, quia cerebrum à partibus internis ad exteriores materiam noxiam propellit: *si* urinæ concoctæ cum laudabili enæoremate per multos dies apparent; quæ se de die in diem magis uniunt, & sensim ad fundum matulæ descendunt: *si* æger sudoribus in principio morbi corripitur. *Nimis dubia*, *si* pulsus inordinatus, inæqualis, contractus & à principio debilis, *si* [18] perpetuo delirant, quia in phrenitidem incidunt: *si* [19] membra subsiliunt, quia convulsionis metus indicatur: *si* [20] nihil in statu excernitur, sed signa in aliquo principalium membrorum deteriora apparent; quia vel morbum diutius duraturum, vel quia materia hactenus evinci non potuit, damnum aliquod allaturum, innuitur: *si* [21] urina copiosa, nec febris imminuitur, quia colliquationis index est: [22] *si* sudores copiosi, nec febris cessat, quia idem significatur.

Prognoses.

16. *Alicujus est spei*) Prognosis Febrium Pestilentium adeo incerta est ut nihil de earũ eventu possit certo constitui, donec manifesta victoriæ alterutrius partis, naturæ scilicet vel morbi indicia appareant; quod non solet contingere nisi circa finem status, aut principium declinationis, Ideo prudens Medicus differre ac suspendere judicium suum debet de morbi eventu in principio & augmento: Proponenda tamen sunt indicia præcipua, ex quibus magnam elicere poterimus conjecturam an morbus lethaliter an salutariter finiturus sit, quorum adminiculo quid sperandum aut metuendum sit poterimus prævidere, sine certa tamen fiducia, Nam experientia nos docuit plurimos cum perniciosissimis signis evasisse, alios vero cum salutaribus è medio sublatos.

Signa autem ex iisdem fontibus desumenda ex quibus diagnostica; 1. igitur *Pulsus* perpendendus, de quo §. *Si pulsus* 2. *Febris & caloris qualitas*, ubi prava & perniciosa qualitate vires admodum debilitantur, natura debilis facta concoctionem materiæ non aggreditur, humoremque qui morbum excitavit non attingit, unde non tentata coctione nec calor sequitur, febrisque vel nulla, vel minima est, Hujus rei exemplum habemus in Tumoribus externis, in quibus quamdiu pars fere obruta est à copia vel prava qualitate materiæ, nec dolores, nec febres fiunt; cum vero natura adversus materiam illam pugnare aggreditur, cumque in pus convertere tentat, febris tunc temporis plurimum intenditur: Sic in febribus malignis ægri interdum à febre immunes videntur, cum tamen in pejus & ad interitum vergant, ut videre est apud *Hippocr. 3. Epid. s. 1. agr. 2.* ubi *Hermocrates* à 20. die ad 24. febris expers visus est, cum tamen 26. obierit.

Motus tremuli manuum & linguæ funesti esse solent, & plurimum damnantur ab *Hippocr. 1, Prognost.* maximam enim arguunt virium imbecillitatem, & naturam ostendunt à morbo devictam.

Cardialgia frequentes, aut *singultus* minantur periculum, & ventriculum graviter à venenata qualitate affici significant.

Maxima *ciborum aversio* periculosissima est, significat enim ventriculum à maligna qualitate superatum ejusque intemperiem omnino eversam, ut laudabile alimentum sibi in statu naturali familiarissimum respuat & aversatur.

Sanguis per V. S. eductus si nullum præ se ferat vitium, sed purus & secundum naturam se habere videatur, periculosus, evidens enim signum est plus adesse venenosæ qualitatis quam putredinis; aut putredinem in venis cordi proximis latitare, quæ venæ sectione educi non possit.

Exanthemata in variis partibus apparentia majoris malignitatis soboles sunt quam maculæ purpureæ, atque adeo majus periculum portendunt.

Parotides in febribus malignis & purpuratis in augmento & statu lethales; Si vero vel tantillum inclinante morbo apparere incipiunt, & ad suppurationem veniant, salutares. *Riverius.*

17. *Si ægri sternutant*) Sternutamenta ex *Hippocr. in Progn.* in morbis etiam exitialibus (modo non sint affecti pulmones) spem salutis afferunt, At in febribus malignis, quantumvis sæva symptomata periculum portendant, securitatem pollicentur. *Riverius.*

18. *Perpetuo delirans*) Delirium in hac febre frequentissimum est, neque metuendum cum à somno compescitur, tum præcipue si cum copioso sudore evanescat, signum enim est materiam à cerebro ad corporis habitum revocari At perseverans perniciosum est, in veram enim phrenitidem degenerare significat. *Riverius.*

19. *Si membra subsiliunt*) Contractiones & subsultus membrorum in hac febre frequenter contingere soliti, convul-

convulsivi motus sunt, & admodum periculosi, idque magis si cum delirio conjungantur, maximam enim cerebri læsionem significant. *Riverius.*

[20] *Si nihil in statu excernitur) Galenus* ad aph. 21. 4. docet in pestilentibus morbis excreta pessima juvisse: addit id non principio apparere debere, sed morbo consistente; nam si initio appareant pravam corporis diathesin significant, aut insignem humorum corruptelam: Si morbo progresso, vi caloris & morbi fiunt, conatumque Naturæ designant, Et nos in malignis morbis & temporum constitutionibus vidimus excreationes fere ab initio morborum factas ad bonum apparuisse, Et ut ajunt optimi medendi magistri, Qualis sit excretio, & quovis tempore, juvat tamen; quod notari debet, ne temere de morbis judicium sententiamque feramus. *Jac. Thevari Not. ad Ballonii Eph. p.* 18.

[20] *Si nihil in statu excernatur)* Suppressio omnium evacuationum in principio & augmento morbi, in bonis habetur; Significat enim materię morbificę tantā nō esse malitiam ut naturam irritet ante debitum tempus, sed naturam adhuc vincere, & suo tempore excreturam, modo non adsit nota aliqua decubitus humorum ad caput, ventrem, aut aliquam ex præcipuis partibus: At in statu morbi nihil excerni, sed signa in aliquo principalium membrorum deteriora apparere, malum est; Indicio enim est, aut morbum diutius duraturum, aut dubiam admodum præstiturum salutis spem: materia siquidem quæ pluribus diebus evinci non potuit; aliquod gravius damnum in eodem membro adfert, ut phrenitidem, lethargum, aliaque post XI. vel XIV. diem orientia, quæ difficillime quibusvis adhibitis auxiliis expugnari valent. *Riverius.*

[21]. *Si urina)* Ex urinis in febre pestilenti nulla fere prognosis elicitur, aut admodum incerta, Non solum enim confusa, perturbata, tenuior, aut crassior urina, ut in aliis febribus mala est, sed etiam illa quæ urinis sanorum consimilis est; Imo multi coctionis signis manifeste in urinis apparentibus, iisque denuo recrudescentibus, è medio sublati sunt; Attamen urinæ concoctæ, & laudabile enæorema habentes, idque multis diebus perseverans, & de die in diem magis sese uniens, ac in matulæ fundum sensim descendens, certam salutem perpetuo pollicetur, etiam in febribus malignis ac pestilentibus: Fieri enim non potest ut facultas naturalis valida & robusta, quæ in hisce urinis elucescit, adversus malignam qualitatem non insurgat, eamque tandem superet; Ideo sæpe in febre maligna laborantibus, gravissimisque symptomatibus afflictis, & in maxima adstantium trepidatione, felicem eventum ex coctionis signis in urinis perseverantibus, summa fiducia prædiximus, *Urina pinguis & oleaginea*, nigra aut livescens; cum hypostasi nigra, aut livescente, certum exitium prænuntiat. *Riverius,*

[22] *Si sudores copiosi)* Sudores in hac febre, etiamsi cum requisitis accidant conditionibus, nedum in die decretorio, raro solent eam ex toto judicare: Imo interdum primo die ex sudore febris remittitur, deinceps vero symptomata augescunt alia, post multos sudores ęger succumbit: Sudores enim copiosi morbum non imminuentes, ex colliquatione totius corporis oriuntur: Neque ob id credendum est in hac febre nusquam prodesse criticos sudores, Nam quo minus venenositatis febris obtinuent, eo magis prodesse poterunt, ut in aliis febribus vulgaribus, Observatione enim compertum est longe esse utilius si frequentibus sudoribus æger à principio morbi corripiatur, dummodo ex sudore non se deterius habeat, Signum enim est naturam paulatim materiam attenuare & per sudorem excernere. *Riverius.*

[23] *Peragitur* I. [24] *Sudoriferis* non admodum calidis, [25] præsertim si plus malignitas quàm putredo urgent: Aquæ *destillata* sunt efficacissimæ, & sal volatile *cornu cervi*,

II. [26] *Venæ sectione*, antequam malignitas in totam massam sanguineam sit disseminata, cæteris quæ in generalibus præceptis continentur, partibus.

III. [27] *Purgatione primarum viarum*, præsertim per clysteres, si præsertim sit ab apparatu morboso, ita ut iterum Alexipharmaca subsequantur.

IV. [28] *Vesicatoriorum applicatione* ad crura, brachia, supra cubiti flexuram extra, prout locus (ad quem materia, quam revellet, & derivare cupimus, tuit, aut circa quam præcipuè hæret) monstrat.

Dividitur hæc febris trifariam.

I. [29]. Alia est *sine peste* [30] alia *cum peste*.

II. [31] Alia, in qua & *putredo & malignitas summa*. Tum vires vehementer dejiciuntur, & ratione putredinis varia symptomata, ut vigiliæ dolores capitis, sitis inexhausta &c. insequuntur.

Alia. in qua putredo est summa, & malignitas remissior, Tum vires minus dejiciuntur, magis frequens quam pro ratione caloris *pulsus*, quia magis tota venenositate, quam à ventilandi caloris necessitate exagitatur, deterius se habent quibus alvus solvitur; calor in exterioribus ad statum est putredini analogus, circa eum, si æger non evadet, exteriora tepescere, mox frigescere incipiunt.

Alia *in qua putredo* remissa, malignitas vehemens, [32] Tum febris est mitis, & cor valde læditur; forte quia putredo in venis cordi vicinis, alvi fluxus in principio securior est; Cum nec ægris, nec Medicis, periculosa videtur, jugulat.

[23] *Peragitur* I.) Curatio Febris Pestilentis in duas partes dividitur, Quarum una continet Præservationem illorum qui ea nondum correpti sunt, Altera curationem actu ægrotantium; *Præservatio* præcipue consistit in ablatione causarum, quæ corpora febri Pestilenti recipiendæ idonea efficiunt, eamque in iis generare possunt, Illæ sunt vel internæ vel externæ, *Interna* sunt corporis dispositio, plethora, cacochymia, & obstructiones.

Externa præcipue sunt *aër* vitiatus & *contagium* vagans; *Corpora* huic morbo *disposita* sunt, quæ à natura vel accidenti sunt præter modum humida,

debilia, laxa & rara; densa & compacta.

Humidiora corpora exsiccanda; quæ autem *Sicciora* sunt in eodem statu conservanda: Humidiora igitur victitare debent victum pleniorem, largioremque potum, & omnia alimenta humidiora, cujusmodi sunt inprimis fructus horæi, olera, pisces, lacticinia, *Aërem* austrinum, paluftrem, & præcipue nocturnum, otium, somnum longiorem, præsertim meridianum, balnea, & alia omnia quæ corpus humectare possunt.

Corpora debilia victu analeptico & roborantibus medicamentis instaurentur: *Rara & laxa* eadem quæ humida præcautione indigent; *Densa* vero & *compacta*, quia febri pestilenti recipiendæ omnium maxime disposita sunt, à plethora, cacochymia, & obstructionibus magis sedulo liberanda sunt: Quæ causæ cum in omnibus corporibus hanc febrem producere valeant, tanquam causæ internæ, earum remotioni perpetuo incumbendum.

Plethora debetur *vena sectio*, modo nihil contra indicet, ut tempus anni calidius aut frigidius, & Pestilens aëris status, in quo non est mittendus sanguis, nisi plethora ad vasa manifeste urgeat, vel consueta aliqua sanguinis evacuatio per menses, hæmorrhoidas, vel hæmorrhagiam narium suppressa fuerit, Exhausto enim sanguine facilius inspiratus aër pestilentem imprimet actionem, difficiliusque si morbus supervenerit, ab eodem patiens, ob vires aliquantulum imminutas evadet; Quemadmodum his qui post sectam venam venenum hauserunt facilius hoc penetrat, & illi difficilius liberantur: Tum etiam in metu veneni assumpti à venæ sectione abstinemus; Sic etiam *Galenus l.1. de diff. febr. c.4.* Ubi præservationem à febre pestilente proponit, purgationem quidem & obstructionum apertionem præscribit, nullam vero V.S. facit mentionem.

Cacochymia debetur *purgatio*, eaque humoribus peccantibus appropriata, præmissa præparatione si necessaria, Sed benigna tantum usurpanda medicamenta, dimissis iis quæ malignam & deleteriam qualitatem habent; quibus etiam admiscenda nonnulla bezoartica, & vim alexipharmacum habentia, Obstructiones cum fiant ab humorum mulitudine, crassitie & lentore; multitudo evacuantibus, crassities attenuantibus & lentor abstergentibus auferantur.

Ratione *causarum Externarum* præcautio instituenda est, primum *aëris* excessus corrigendo, calidiorem refrigerando, humidiorem exsiccando, accensis ignibus, tum in viis publicis, tum in privatis domibus, idque ex lignis odoratis, junipero, lauro, rorismarino &c. 2. omnes causas removendo quæ aërem inquinare possunt, 3. Inquinamenta in ipso aëre suscepta consumendo & dissipando, Quod fiet accensis ignibus, suffitibus, Tum etiam agitatione aëris vehementi, ad quam tormenta bellica explosa frequenter erunt efficacissima; Quod si *aër* valde perniciosam qualitatem induerit, omnium præservatorum præstantissimum est cœli mutatio: Illi tamen qui manere coguntur, vel inter ipsa inquinamenta, vel cum ægris versari, multis aliis cautionibus indigent. *Riverius.*

24. *Sudoriferis*) De his eorumque usu Vide caput sequens de Pestilentia.

25. *Præsertim si plus malignitas*) Diaphoretica & Sudorifica nonnisi in statu morbi aut declinatione exhibenda, Sed id intelligendum dum in febre maligna simpliciter & purpurata usurpantur, nam in vera Peste ab ipso morbi initio sunt usurpanda, Ut venenata qualitas, brevi hominem jugulatura, cito & potenter expugnetur, malignique vapores discutiantur, Imo vero in maligna simplici, si venenata qualitas putredini prævalere videatur, etiam à principio exhibenda sunt in minori dosi; ea eligendo quæ minori calefaciendi vi prædita sunt, & permiscendo Julepis, aliisque medicamentis refrigerantibus. *Riverius.*

26. *Vena sectione*) Audi quæ de V.S. in hoc casu ex *Victorio Faventino*, celeberrimo Practico, memoriæ causa annotavi, *In febre*, inquit, *Pestilentiali, si non apparuerint signa sanguinis abundantis, cave à phlebotomia sicut à Diabolo, Si vero ea apparuerint, cum robore virium, & ætate commoda, si tu non phlebotomabis, sanguis justi erit super te & filios tuos*. Joh. Wolfgangus *apud Greg.* Hurstium *l.7. Epist.10. ad obs.33.*

Non is sum qui inficior phlebotomiam in febre maligna & pestilentiali aliquando locum habere; Et re deplorata ob nimium mensium, vel lochiorum fluxum, revulsionis gratia consulto tentandam; Summo tamen sit piaculo illam in Peste vera & exquisita celebrare: Unicus tantum (uti memini) omnium quotquot, ægre evasit, qui dominante peste impera sanguinis detractionem subivit: *Nathanael Hodges de Peste sect.7.*

27. *Purgatione*) Adi caput sequens de Pestilentia.

28. *Vesicatoriorum applicationes*) Quid præstent in declinandis curandisque malignis morbis, imo vero Peste ipsa fonticuli ulcera, vesicatoria, jam inde ab ævo *Galeni* cognitum fuit aliquatenus, Sub climate nostro, ubi humores plerumque crassi & pituita segnes, aliquando præsens è vesicatorius solatium notamus, præsertim si ante septimum morbi diem applicentur internæ brachiorum crurumque faciei, secundum procursum venarum ampliorum; Est tamen cum totis mensibus frustra admoventur, imo toto quandoque annò nullum ab eis evidens auxilium: Ratio diversitatis ... petenda videtur; quoties particulæ illæ malignæ non admodum firmiter cohærent, & tenacem non amplectuntur humorem corporis, excluduntur facilius vesicatorio, & virus fugax cum sero prorumpente secedit.

Quando autem in viscida nidulantur materia, aut ipsa mutuo facierum lævore sibi arctius junguntur, eludunt fere vesicarum conatum: Sed qui internoscendum, in quales se malignitas armarit particulas temperamenti ratio inspecta non sufficit, enimvero animadverti vesicatoria nonnunquam segnissime pituitosis oppido fuisse salutaria; contra bile tumentibus nil attulisse levaminis, ut proinde hoc unum restet ex *Ovidiano* penu

Semper tibi pendeat hamus.

Admovenda scilicet opportune, præsertim ubi exemplis constiterit aliis eodem modo, & prope tempore, laborantibus fuisse utilia: quod si frustrentur expectationem, persistendum in alexipharmacis, quæ nihilo secius adhiberi solent. *Olaus Borrichius.*

28. *Vesicatoriorum applicatione*) Inter Chirurgica auxilia laudantur Vesicantia, quæ à partibus internis ad externas venenum trahunt: remedium fuit Veteribus familiare, nam *Oribasius l.8. coll. c. 19.* probat ad revulsionem veneni à partibus nobilibus ad ignobiles: *Jac. de Partibus* valde ea extollit brachis & cruribus apposita: hinc à plurimis probantur quia venenum à partibus internis ad externa, & à corde remotas potenter revellunt: sic docet *Galenus* fluxiones in caput & thoracem tendentes per acria esse retrahendas, sive cum febre fuerint, sive citra febrem: Præterea calorem febrilem ad exteriora revocant, cataphoras, deliria fluxusque sedant, ex sententia *Rufi* apud *Aëtium*: *Paulus* valde probat, *c.36. l.3. in iis quibus ardor interiora occupat, summa malesciunt, præcordia contrahuntur, venter colliquata dejicit, mens desipit, lingua est aspera, bicalefacientia postulant, ut calor per totum corpus distrahatur, aut si alio modo ab internis foras potenti elicere.*

Recentiores quidam repudiant 1. ob calorem, ob quem in calido affectu non conveniunt, sed præscribuntur

tur ob symptomata febri adjuncta non ob febrim; quin potius ad revulsionem & vacuationem humorum calidorum, quibus expurgatis interiora refrigerantur potius quam incalescunt.

2. Improbantur ob dolorem & molestiam quam pariunt; Sed dico non esse adeo dolorosa, sed etsi sint, ratione doloris attrahunt; quod si remedia dolorifica tollerentur, tolleretur & ars medendi.

3. Quia ulcera pariunt curatu difficilia & turpia: sed negatur hæc semper sequi, quin eadem sæpe prodesse, Natura expurgante quicquid noxium est & perniciosum in corpore.

4. Ajunt Naturæ motum remorari; Id quod negamus, cum potius in principio admota eos promoveant.

5. Humorum coctionem prohibere, Id quod negamus, nam evacuant ea quæ noxia sunt; nec talem in his expectare oportet coctionem qualis desideratur in reliquis humoribus: humor enim summe putridus concoqui nequit ex *Galeno*: Statim autem initio, ubi malignitas in morbis dignoscitur, sunt adhibenda, non autem, ut quidam faciunt, rebus desperatis, & in summa virium debilitate: Apponuntur autem cruribus paulo supra malleolum, & carpis manuum; quod si capitis urgeant symptomata, etiam pone aures. *Primirosius.*

Nunquam me fefellit Vesicatoriorum usus in morbis malignis, Nuper sæviente febre maligna in pago Blozemberg, applicari jusseram duo vesicatoria carpis manuum viri XXX. annorum, graviter decumbentis; Paulo post intumuere manus cum inflammatione & livore, sed evidenti cum levamine, & symptomatum febris malignæ remissione: Intra paucos dies cessarunt tumor, livor, inflammatio sponte, ægerque convaluit. *Joh. Jac. Waldschmid. Med. Sept. vol 2. p. 209.*

29. *Alia est sine Peste*) Febrem hanc, à Peste ipsa hoc modo distinguere solebam, Febricitantes de dolore conqueruntur capitis & stomachi, nonnunquam totius corporis, quandoque axillas, collum, locum post aures aut inguina occupante; Exterius ne minimam quidem protuberantiam aut tumorem p. n. etiamsi diligentissimè investigaveris, invenies: Sudorem si mediis idoneis provocaveris, omnis dolor recedit, & æger aliquando secundo, & aliquando tertio die integræ sanitati restituitur: & in externis partibus nihil conspicitur: Febris talis quo colore Pesti adnumerari queat, non video: At vero Bubone, Carbunculo, aut Petechiis exterius se exhibentibus Pestem perfectam esse nemo non dubitabit. *P. Barbette.*

An idem dictu, Pestis & Febris Pestilentialis? ℞. minime gentium, Pestis apud *Galenum* non est certum morbi genus, sed fiunt Pestes morbi illi omnes qui duo hæc habent, 1. ut sint à causa communi (triplex hæc est apud *Agricolam*) 2. multos quos invadant occidant; Itaq; febris quidem Pestilens est pestis, sed non sola: Quin, quod tu mireris, datur febris Pestilens sine Peste, Quamdiu enim solum primum requisitum habet (ut sit à causa communi) est sine Peste; Sed cum accedit alterum quoque (ut moriantur multi) jam est Pestis. *Pieus pag. 156.*

30. *Sine Peste, alia cum Peste*) Febres Pestilentes in multis differunt à Peste 1. Quod illæ procedant ab humorum gravi putredine, Hæc ab occulto venenato inquinamento ante putredinem, 2. Quod in illis dicta putredo generetur à putridis exhalationibus, vel pravis nutrimentis vel alio quopiam interno corporis vitio, In hac occulta venenositas, à præternaturali aëris inquinatione & contagio. 3. Quod Illæ non ante putredinem & inflammationem fiant, Hæc autem sine putredine invadat, 4. Quod illæ non sint tam communes ac perniciosæ quam Pestis, quia illarum causa in cujusvis privati subjecti humorum putredine consistit, Pestis vero in inquinamento aëris, elementi omnibus communis, 5. Quod illæ sæpius non sint contagiosæ, & si tales fuerint, earum tamen contagium nonnisi proxime adstantes inficere, nec ad instans longe dispergi, nec in fomite diu asservari possit: Pestis vero omnium contagiosorum morborum contagiosissima sit, cujus contagium ad distans etiam alios inficere, atque etiam in fomite aliquamdiu asservari queat. *Idem ibid.*

30. *Alia est sine Peste, alia cum Peste*) An Febris Pestilens dari potest sine Peste? ℞. posse dari, idque duobus modis 1. cum pestilens inquinamentum cœlitus immissum aërem incipit alterare, polluere, & ad venenositatem disponere, qui aër, cum incipit naturæ damnosus esse (nondum satis venenosus existens ut pestem producat) putredines malignas & venenosas in corporibus gignit, è quibus prodeunt febres illæ Pestilentes quæ Pestilentem constitutionem præcedunt, & pestilentes ac malignę vocantur, quia valde perniciosæ sunt, idemque cum peste habent principium, solo malignitatis & venenositatis gradu diversum, à quo mediante putredine oriuntur:

Cum à pravis exhalationibus, vel corruptis alimentis, aliove interno corporis vitio pessima humorum putredo inducitur, quæ perniciosa, venenosa & pestilens evadit, Tales sunt illæ Febres quas *Galenus 3, Epid. comm. 57. & alibi* Pestilentes sine Peste vocat: *Quercetanus in Alexic.* & *Riverius sect. 3. de Febrib.* c. 1. dicunt hujusmodi febres visas fuisse cum veræ Pestis indiciis, puta anthracibus & exanthematibus, & tamen à vera Peste longe diversas fuisse, quia non erant contagiosæ, Has Febres *Saxonia & Riverius*, appellant Pestilentes Sporedicas, Crato & Liddelius, Pestilentes privatas, alii Pestilentes spurias. *De Diemerbroeck. cap. 12.*

31. *Alia in qua & Putredo*) Sumuntur Febris Pestilentis differentiæ ab *intenso & remisso*, prout aliæ sunt majores aliæ minores; aliæ majoris vel minoris malignitatis participes: *majores* vel *minores* simpliciter dicuntur prout major vel minor est putredo, tum calor p. n. ex ea emergens intensior aut remissior est: *Maligniores* vero aut *benigniores* pro majore aut minore qualitatis venenatæ intensione: Hinc fit ut aliquando febris Pestilens habeat summam putredinem, & malignam qualitatem in summo positam, tunque sævissima esse consuevit, in eaque, ratione malignæ qualitatis, facultas vitalis maxime affligitur: ratione vero summæ putredinis cæteræ quoque facultates læduntur, sævaque subsequuntur symptomata &c. Tum hæc sæpe ægris, adstantibus, imo & Medicis imponit, nam evicta opportunis remediis putredine, ac signis futuræ salutis apparentibus, mors tamen interdum à non correcta maligna qualitate subsequitur. *Riverius.*

32. *Tum Febris est mitis*) Calor nec acris nec vehemens, sed mitis blandusque sentitur, partesque exteriores tepescere videntur, quamvis interno incendio maxime æstuent: sic refert *Thucidydes* in peste illa quam describit, interna viscera fuisse adeo serventia, ut quamvis externa teperent, nec vestimenta tamen nec lintea ægri ferre potuerint, quia interior æstus spiritus sanguinemque ad se retrahit: quod tamen signum non est inseparabile; interdum enim vehementissimus & maximus tum foris tum intus calor persentitur: Interdum externa quidem tepent, sed non primis diebus verum in morbi progressu: Febris ergo à principio videtur mitis, sed gravissimis stipata symptomatis, majoribus quam calor febrilis promittere videatur, [illegible], concepto scil. in præcordiis incendio urunitur & ardent, & sæpe fiunt phrenitici, quod maligni morbi signum est, *ut sæpè* observavimus, quando nec sanguinis fluxu liberari æger potest, multo minus si infra modum sanguinis fluat: Quamvis igitur nec calor, nec urina, nec pulsus, valde immutentur, symptomata tamen gravia sunt, ut do-

cent *Paulus* & *Aëtius*, quia venenosa qualitas, non putrefactio, ideo nec calor fatigat, vel ob humorum putrescentium crassitiem, unde non magnus calor foris, sed tantum eintus persentitur: Quod si simul humoris biliosi, tenuis & aeris putredo adtuerit, tunc magnus etiam, ut in aliis febribus, calor percipietur. *Primirosius.*

III. Alia[33] creditur esse[34] *Ephemera*,[35] alia *Humoralis*, alia[36] *Hectica*, Sed quia spiritus non tantum incalescunt sed etiam corrumpuntur; Quia cor non tantum intemperie afficitur, sed & in substantia vitiatur;[37] nullæ Pestilentes, vel Ephemeræ vel Hecticæ esse possunt; Attamen quia inter eas aliqua differentia apparet; & nunc ipsum cor, nunc spiritus, nunc humores magis afficiuntur, propter similitudinem cum aliis proprie dictis habent, ita appellari possunt.

33. *Alia creditur esse Ephemera*) Recte scripsit *Galenus* Pestilens & vulgare non esse certi morbi nomen, aut genus, sed omnibus ferme morbis posse convenire, nam præter tria morbi genera non datur aliud, Pestis autem est modus & conditio, aut quid extrinsecus accidens cuivis horum morborum, quorum non quidem naturam, sed modum & conditionem permutat, morbo manente eodem, quæ conditio adeo gravis est ut propriam rei naturam & nomen permutet & pestis nuncupetur: Ideo à plurimis constituuntur Febrium pestil. differentiæ tres, Ephemeræ, Hecticę, Putridę, prout calor vel cordis substantiam, vel humores, vel spiritus occuparit: De Ephemera Pestilente non agit *Galenus*. sed recentiores quidam eam fuisse in Anglia tradunt, in qua copiosis sudoribus levabantur ægri, quæ ideo *Sudor Anglicus* dicebatur, *de qua supra.*

Verum tamen nunquam crediderim dari Ephemeram Pestilentē, cum febris Ephemera sit sua natura levis & salutaris, ut quæ in subjecto dissipabili resideat, unde etiamsi spiritus putrescant (putrescere enim omnia possunt excepto igne) febrem tamen non generabunt perniciosam, sed quæ salutariter dissipatis illis spiritibus cessabit; nam casus virtutis, pulsus mutatio, lipothymia, si à solis spiritibus dependerent, dissipatis illis, ac novis regeneratis perfecta subsequeretur sanitas, ut in syncope contingit, quam non venenata materia infert.

Quoad Sudorem Anglicum, febris fuit putrida, ut ostendunt sudores copiosi, qui nunquam apparent in Ephemeris, quę tam maligna fuit ut natura ipsius vim ultra unam diem ferre non potuerit: quis enim audivit Ephemeras sudore copioso solvi solere: Non negandum tamen in vera peste, ex inspirato venenato aëre spiritus infici, unde mors & prompta & subita ingruit interdum sine febre, si enim subito spirituum motu syncope mortis æmula contingit, multo magis ubi veneno violati fuerint mors accidet &c. Sed solam Ephemeram generari intactis integrisque humoribus non est concedendum. *Primirosius.*

34. *Alia Humoralis*) Frequens est Pestilens putrida & humoralis, ex putrescentibus humoribus excitata, modo omnibus, ut in Synocho, modo uno aut altero, ut in reliquis febrium speciebus; Quidam volunt unicum tantum humorem putrefieri, ut *Rondeletius*, qui ait febrem pestilentem esse tertium genus ardentis febris à sanguine malancholico excitatæ: Esse ardentem probat sitis inexhausta, quæ assidue infestat, incendium magnum circa cor, splenem, ventriculum, pulmones, difficultas anhelandi, aliaq; quæ Causum sequuntur symptomata: Attam bilem infestare ostendunt mania, delirium cum studio, accedens proxime ad furorem, carbunculi, stigmata nigra, conjunctiones Planetarum in Saturno, bella, annonæ caritas, unde crassissimis uti alimentis necesse est, quæ sanguinem melancholicum gignunt.

At cum Pestis omnes, saltem plurimos invadat, diverso victu utentes, spargaturque ab una regione ad aliam, credendum non est omnes quos corripit sanguine atro abundare, nec omnis humor calore p.n. adustus fit melancholicus.

Alii omnes humores putrefieri volunt, sed male, sequeretur enim omnem pestilentem esse Synochon: Cum porro pestilens & malignum non sit determinati morbi nomen, sed omnibus convenire possit; cumque à Galeno statutum sit pestilentem sola putredinis excellentia à reliquis differre, omnibus humoribus poterit Pestilentia convenire.

Id demonstrant symptomata quæ pestem consequuntur adeo varia & diversa, vigiliæ, deliria, sitis, inquietudo, somni; sopores, lethargi, timores & alia infinita quæ diversorum humorum putredinem arguunt; quod præterea ex Naturæ excretionibus patet, nam per alvum, urinas, vomitum, modo unum, modo alterum, modo omnes humores excerni cernimus, à quibus verisimile est varias excitari febres: Eademque fuit *Hippocr.* sententia, qui in Epidemiis, in pestilenti constitutione omnia febrium genera recenset, tertianas, quartanas, longas &c. Cum igitur constitutum sit à nobis ex omnibus humoribus febrem hanc fieri, non tamen valet eorum opinio qui etiam intermittentem esse posse asseruerunt: quod repugnat *Hippocrati* & rationi, *Febres enim quocumque modo intermiserint periculum, abesse significant, aph.* 43. 4. utpote, inquit *Galenus*, quæ nec ex inflammatione, nec ex maligna humorum putredine ortum habeant, Neutra enim harum, *inquit ille*, ad quietem pervenit febre vacantem.

Objicitur intermittentes non esse periculosas si fiant ex simplici humorum putredine, secus vero si fiat ex maligna? ℞. periculum non tollit humoris natura, sed intermissio, si quidem tertiana intermittens secura est nec lethalis, non quia à simplici bilis putrefactione oritur, nam sic ardens lethalis non foret, & periculosa, sed quia intermittit, & naturæ vincenti non resistit: Si igitur intermissio omne periculum adimit, pestilens, quæ omnium febrium periculosissima est, non potest esse intermittens &c. Quamvis autem continuæ sint, referunt tamen ideam illarum febrium quæ sunt proprię humori putrescenti, sicque intelligi debet *Hippocr.* cum 3. *Epid.* s. 3. in pestilenti illa constitutione quam describit, ait febres adfuisse tertianas &c. quia repræsentabant speciem hujus vel illius febris. *Idem.*

Alia Hectica) Hecticam Pestilentem dari certissimum est apud *Galenum* quam 3. de *præs. ex puls.* cognosci ait, spiritus seu animæ fœtore: In ea dicunt recentiores & pulsus & urinam esse sanorum similia; At febris pestilens, ex *Galeni* doctrina, omnis est putrida, nulla hectica est putrida, ergo nulla hectica est pestilens &c. Plurima asserunt recentiores ex mente *Galeni*, at mihi piaculum non est asserere ipsum fuisse hallucinatum, nam impossibile est putredinem prius solidas corporis partes quam humores occupare, præsertim cum causa externa, scil. aër, cōtenta nō minus afficiat quā cōtinentia: Deni Hectica est morbus chronicus, pestis morbus acutissimus; nam si simplex hectica vix fieri potest incipiendo, ut loquuntur, sed aliis febribus succedit, quid de

de pestilenti sentiemus: Nec sufficit fœtor ad dignotionem hecticæ pestilentis, nam ille potius putredinem arguit Pulmonum per quos aër defertur, aut humorum quam ipsius substantiæ cordis: Quod si putredo quædam in corde inventa fuit, à qua interempta homo fuerit, non tamen febre pestil. laborabat necessario; indicio aliud quidpiam requiri ad pestilentię constitutionem præter putredinem, cum putrescere solida possint sine pestis ulla suspicione, ut si abscessus ulceraque in corde fuerint: Dein hectica pestilens vel non contagiosa est, tunc vix censenda est, vel contagiosa, atque est vel per fomitem, vel ad distans, sive immediato contactu, tunc humoralis dicenda, nam quod communicatur non qualitas sole est, sed substantia quædam, quæ nonnisi ab humore derivari potest & deduci. *Idem.*

34. *Ephemera*) Febres unius diei, ex incendio spirituum præter naturali oriuntur, Ergo Febres Pestilentes non sunt proprie Ephemeræ, eo quod à veneno externo putredinem causante prodeunt; Et ut ægri suo damno sentiunt, nisi impeditæ, sunt plurium dierum: In Ephemera spiritus, ut vocant, tantum p. n. incalescunt, In Pestilenti vero febre plane corrumpuntur. *Isaacus Roet l. 3. aph de Peste 10. & 11.*

35. *Alia Humoralis*) Febris Pestilentis differentiæ desumuntur vel à materia in qua venenata qualitas producitur, vel à loco in quo eadem continetur, Et ita sequuntur febrium Putridarum differentias, quæ ratione materiæ putrescentis dividuntur in Synochos tertianas, quartanas & quotidianas, prout materia putrescens est sanguis bilis, pituita vel melancholia, Ratione vero loci in quo humores putrescentes continentur, in continuas & Intermittentes dividuntur, prout dicti humores in venis vel extra venas stabulantur. *Riverius.*

36. *Alia Hectica*) Non possunt etiam hæc febres Pestilentes Hecticis annumerari, quia hæ gravia symptomata non habent, diu durant, totumque corpus sensim emaciatur, Pestilentes vero gravissima habent symptomata, & curriculum suum cito absolvunt: Præterea quia in his cordis substantia ita afficitur calida intemperie, in illis vero non sola illa intemperie, verum magis maligna venenositate; *Vallesius Contr. lib. 5. c. 2.* ait ipsam cordis substantiam, vel saltem illius succos, qui proprium ejus alimentum, & more roris per illud sparsi sunt, in istis hecticis à calida intemperie consumi. In hecticis vero pestilentibus mala putredine corrumpi: At si febres illæ Pestilentes, quas *Vallesius* hecticas nominat, oriantur ex putredine substantiæ ipsius cordis, non minus erunt Putridæ quam aliæ quæ ex putredine humorum oriuntur: Præterea, quomodo quæso ipsa substantiæ cordis poterit putrescere sola sine humoribus in ea contentis, aut succis magnam partem ejus constituentibus? Cordis enim substantia non constat ex solis particulis siccis, sed ex siccis cum humidis mixtis. Atque hinc est quod etiam *Galenus 1. de Diff. Febr.* dicit, *Postquam autem mentionem fecimus febrium Pestilentium, quæ omnes ex putredine fiunt &c.*

Cur ergo *Idem 3. de præsag. ex puls.* docet multas Pestilentium febrium esse hecticas statim à principio? ℞. *Galenum* illas pestilentes febres, quæ clementer procedunt, nec protinus ægros interimunt, Hecticas appellare, non quod tales sint, sed ratione lenti processus & clementiorum symptomatum tales esse videantur; eodem modo sicut lenta illa febris quæ in phthisi ab ulcere pulmonum oritur, à multis Hectica dicta, cum tamen revera sit Putrida, ab ulceris putredine orta.

Quod autem *Galenus* his lentas pestilentes non ad hecticarum sed ad Putridarum classem retulerit, patet ex loco ante citato, quo dicit omnes febres pestilentes oriri ex putredine: Id etiam est manifestum ex ejus verbis sequentibus, *Adsunt*, inquit, *necessario huic febri fœtor anhelitus, & calor in thorace &c.* Atqui fœtor est symptoma proprium putredinis, è qua si febris oriatur illa erit putrida: At qui acriter contendunt pestilentes illas hecticas dictas è Putridarum classe non esse, solvant hunc nodum, Quomodo possit dari febris à putredine quæ non sit putrida? *Idem ibid.*

37. *Nullæ pestilentes vel Ephemera*) Graviter disputatur inter Medicos ad quam Febrium classem Pestilentes referri debeant, Nos febribus Putridis eas annumerandas censemus, non vero Ephemeris, quia hæ generantur à solo incendio & effervescentia spirituum sine putredine, & xxiv. horarum spatio salubriter terminantur, Pestilentes autem oriuntur à maligna putredine, & cum exitio ægrorum plerumq; finiuntur, Nonnulli tamen Ephemeras Pestilentes in sola spirituum putredine consistere asseverant; Sed his regero, Si ex putredine fiant, aut in putredine consistant, non posse esse Diarias (utpote quibus nihil commune est aut putredine) verum necessariu esse Putridas, cum ex putredine non generetur alia quam Putrida febris: Addo de Putredine spirituum vitalium esse litem acerrimam inter Medicos, eamque adhuc sub iudice pendere. *De Diemerbroeck c. 12.*

ARTIC. IX.

De Pestilentia.

1. P*Estilentia est* 2. *morbus* 3. *cordis* 4. *venenosus* 5. *à materia* 6. *venenata & contagiosa genitus, omnes cordis affectiones* 7. *subito* 8. *& lethaliter* 9. *cum omnis generis symptomatum congerie lædens.*

1. *Pestilentia*) Magno huic morbo varia nomina attributa fuerunt, quibus crudelissimi Tyranni pernitiosissima vis & natura manifestissime indigitatur, 1. appellatur Græcis Λοιμὸς ἀπὸ τοῦ λοιμᾶν, i. e. à deficiendo, quia hominum defectum inducit: Vel ἀπὸ τοῦ λιμοῦ, i. e. à fame indigentia; Vel quia hominum penuriam, seu famem parit, Vel quia post famem, seu annonæ caritatem non raro sequi solet; unde tritum λοιμὸς μετὰ λιμόν. Pestis post famem: Etiam appellatur λοιμικὴ νόσος, & ὁ λοιμώδης διάθεσις. 2. dicitur Ὄλεθρος, ab ὄλλυμι, pessundo, quod plurimos pessundet. 3. Ἐπιδημία, popularis, vel vulgaris, quia maxime communis existit. 3. Νόσος κατ' ἐξοχὴν, tanquam morborum omnium maximus ac potentissimus. Ita etiam *Gallis* per excellentiam appellatur, *la maladie*, Italis *il morbo* 4. Νόσος Θεοῦ, *morbus Dei*, seu *Divinus*, non tantum quia occultum & incognitum quid in se continet, verum etiam quia justissima ira Dei mortalium delicta non raro punire solet immissione istius morbi. 7. Pestis à *depascendo* appellata, & *Isidorus* l. 4. c. 6. Pestilentiam quasi *Pastulentiam*, dictam fuisse refert, quia instar immanissimæ feræ humanum genus absumit & depascit, 7. *Lues* simpliciter per excellentiam, propterea quod magis & vehementius quam ulla alia Lues polluat. 8. *Contagium*, à

contingendo propterea quod contactu inficiat. *De Diemerbroeck l.1. de Peste cap.1.*

2. *Pestilentia est morbus cordis venenosus &c.*) Pestis est *morbus communissimus, peracutissimus, perniciosissimus & maxime contagiosus, ex maligno & occulto spirituum caloris-que nativo tota substantia infestissimo inquinamento ortus, à quo omnium viscerum, & inprimis cordis functiones læduntur.*

Quercetanus in Alex.c.1. definit, Quod sit *Morbus epide-mus.contagiosus, venenatus & perniciosus, qui omnes quidem in genere corporis spiritus, inprimis vero cor,* arcem vitæ, cum dependentibus *ab eo spiritibus aggreditur.*

Mindererus sic, Est *Lues venenata, summe lethalis & con-tagiosa, cor primario afficiens, febre, bubone, anthrace, aut ex-anthematis utplurimum comitata,*

Hermetici hoc modo, Pestis est *morbus astralis, igneus ac contagiosus, qui venenato suo vapore, ceu spiritu arsenicali & napellino corporis meatus subintrans, citissime omnium spiri-tuum principalia subjecta, cor, cerebrum & hepar occupat, eaque malignitate & acuitate sua inficit, corrumpit ac dissol-vit, & tandem sulphuris accensi adminiculo, sal sub axillis, alis & inguinibus coagulando, varia apostematum genera, ut sunt bubones ac carbunculi, protrudit.*

Hæc Hermeticorum definitio plurimas patitur obje-ctiones, in ea tamen pestilens venenum non male assi-milatur veneno arsenicali & napellino, ab affectuum si-militudine. *Vide Quercet.cap.6.*

J. Palmarius, A Sala, aliique multo, definiunt quod sit *Febris peracuta, contagiosa, maligna, & communiter grassans,* Quæ Definitio Pesti non plane convenit, cum Fe-bris proprie non sit de essentia Pestis, sed ab illa separa-bilis, ejusque symptoma.

Sic etiam plane non convenit Pesti definitio *Jac. Sylvii, Febris pestilens est incendium, quod præcedit aut conse-quitur illos Tumores, qui Pestis certissimi sunt characteres,* scil. carbunculos aut bubones: Nam prætterquam quod Fe-bris non sit de essentia Pestis, etiam isti Tumores non constituunt ejus essentiam, sed sunt ejus symptomata & signa separabilia, sine quibus etiam Pestis esse potest: Ad-de quod *Exanthemata* quoque Pestis characteres & signa sint separabilia, quæ tamen non sunt tumores sed tantū maculæ. *De Diemerbroeck ib.* Vide ib. Defin. explanationē.

Pestis *morbus est incomprehensibilis* (uti videtur) *ex va-pore spirituoso contagiosoque originem ducens, qui quam sub to sanguinis consistentiam, ut ita viribus & vita cor privetur, dis-solvere potest.* P. Barbette.

Willis sic describit, quod sit *Morbus epidemius, conta-giosus, humano generi summe infestus, ex miasmate venenato ab aëre primum suscepto, dein per contagium propagato, ortum ducens; qui occulte & latenter homines aggressus spirituum extinctiones, cruoris coagulationes, ipsius & partium solida-rum syderationes & necrosis infert, cumque apparentia exan thematum, bubonum aut anthracum, necnon aliorum sympto-matum horrendo apparatu in vita periculum adducit.*

Dissentiunt in veneni Pestiferi effectibus *Willis* & *Barbette*, quod hic sanguinis dissolutionem veneno ad-scribat, *ille* ejusdem coagulationem.

2. *Pestilentia est morbus*) *Morbi essentiam* quod spe-ctat, eam enucleate definire in me non suscipio: Nec fortassis hominibus cordatioribus rem minus importu-nam ille facere videbitur, qui à me postularit, quid haec aut illam ægritudinis speciem constituat; quam ego e-tiam facerem si ab illo idem de *Equo* v.g. inter animalia; vel de *betonica* inter stirpes vicissim sciscitaret; Nimirum certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto rerum omnium generationes Natura parens exequitur, quæque uspiam è causarum gremio in actum ac quasi in lucem educit; eorum essentias, quidditates, ac dif-ferentias constitutivas altissimis tenebris obvelat; Hinc unaquæque morborum, non minus quam animalium aut vegetabilium species affectiones sibi proprias, per-petuas, ac pariter univocas ab essentia sua promanan-tes sortita est: Neque interim magnopere urgebit ista Quæstio, Qui demum morborum medela administra-bitur, dum causæ ipsorum nos latent? Quandoquidem non causarum, sed methodi convenientis atq; experien-tiæ comprobatæ cognitione affectuum plurimorum cu-ratio absolvitur. *Sydenham Obs. in Acut. p.m.137.*

Incomprehensibilem esse dicit morbum *Barbette*, quia licet omnium sæculorum Pestilentias percurras diligen-ter, tam mutabilis semper fuerit, ut nullam omnino in-venias quæ adamussim cum alia conveniet: & hæc cau-sa est quare in curanda Peste præstiterit judicium bene exercitatum sequi quam aliorum Medicorum vestigiis insistere: Et quamvis se ipsam gravioribus symptoma-tibus satis manifestet, attamen ejus naturam haud fa-cile comprehendes. *Idem.*

2. *Est Morbus*) Quæritur *An Pestis sit certum morbi ge-nus*, sicut apoplexia pleuritis, phthisis &c.? *Massaria* & alii considerantes syndromen variorum morborum cū peste concurrentium: Et quod omnes diversorum tem-porum febres non eodem modo, nec similibus morbis ac symptomatibus comitatæ semper invaserint, & gras-satæ sint, judicarunt Pestem non esse certum morbi ge-nus, cujus opinionis videtur fuisse *Galenus*, qui 3. *Epid. comm.3.4.t.xx.* dicit, *Non est certum morbi nomen Vulgare,* vel *Pestilens, cæterum quicunque in uno loco multos simul in-vadit, vulgaris hic vocatur: qui si simul hoc habeat ut multos interimat, Pestis est*: Verum etsi multi morbi, plurimaque & multum diversa symptomata Pestem comitentur, ta-men illi morbi non sunt de essentia Pestis, sed illi resul-tant ex humorum putredine spirituumq; corruptione, quam pestis inducit, atque hinc non sunt nisi ejus sym-ptomata, quorum diversitas non procedit ex diversitate ipsius Pestis, aut veneni pestilentis, sed ex diversitate il-lius putredinis quam venenum pestilens humoribus & spiritibus inducit; Cujus putredinis & corruptionis va-rietas procedit ex diversitate constitutionis corporum hominum; hæc quippe aliter constituta sunt cum Pestis invadit tempore æstuoso ac fervido quam frigido; ali-ter tempore humido quam sicco, aliter post longam ma-gnamq; famem quam cum omnium rerum abundantia supperit, aliter post bella longasq; perpessas miserias & pravum victum quam in pace, & boni victus copia, ali-ter aëre magna putridorum vaporum infectione conta-minato, quā eo puro existente &c. Pro horum enim di-versitate gignuntur varii in corpore humores, iique à pe-stilenti veneno inquinati etiam variis modis putrescunt & corrumpuntur, atque hinc magna morborum & sym-ptomatum, cum Peste concurrentium, diversitas pro-cedit, quam multi male ipsius Pesti diversitati adscri-psere: Atq; sic liquet quod Pestis sit certum morbi ge-nus, & quod ex adjunctis morbis nullus quidpiam de ejus essentia constituat. *De Diemerbroeck cap.12.*

2. *Est Morbus*) Verum cum Pestis sit certū morbi genus & duo tantū morbi existant, scilicet Intemperies & pra-va Conformatio, quæritur Qualis morbus sit? Respon-dendum esse Intemperiem, non quidem manifestam, sed occultam, quam *Fernelius*, multiq; clarissimi Medici, ma-le ex intemperiei ordine excludunt, & morbum totius substantiæ appellant, ac peculiarem quandam morbi spe-ciem esse tradunt; haud secus ac si ille defectus Medici, quod occultum id satis clare percipere & explicare non possit, novam morbi speciem pariat; Ipsa autem Pestis nullo etiam modo prava conformatio dici potest, licet illa in bubonibus & anthracibus adsit, quoniam bubo-nes & anthraces non sunt ipsa Pestis, quoniam hi non sunt ipsa Pestis, sed ejus producta, quæ non magis perti-nent ad ipsius essentiam quam lingua arida ad essentiam febris ardentis, Quantum ad solutionem continui, il-lam pro peculiari morbi specie non agnoscimus, cum pertineat ad pravam conformationem, neque ad illam Pestis ullo modo referri possit. *Idem ibid.*

² *Morbus cordis*) Non ſane propria voce affirmant eſſe *morbum in corde ſedem* habentem: Si ita ſit, aut primo parti iſti adhæreret, tum omnes infecti morte ſubitanea comperentur, quod non videmus, Aut ſecundario venenum ſuum in cor tranſmittit, & ſic ab alia parte derivatur; quod ſi accidit, etiam aliam partem, ut ſedem petamus, cui primo morbus fuit infixus: In omni enim affectu, qui hominem interficit, ad poſtremum cor inficitur, alioquin non interficeret; Non ergo dicant Galeniſtæ, cor eſſe propriam omnium morborum fatalium ſedem, Nec ponderoſum eſſet argumentum, ſi addant, ſubitum eum eſſe virtutis vitalis lapſum, & præſentaneam virium debilitatem, Hoc enim accidit propter ſubtilem penetrantis veneni naturam, quod ſæpe dicto citius per totum corpus tranſit, ſubito in cor vitæ fontem ſe transferens, adeoque totum hominem proſternens, licet ab alia parte primum oriatur; Quod non mirum videtur ſi ſanguinis circulatio non ſit figmentum. *Iſaacus Roet Aph. de Peſte* vij.

³. *Cordis* In Peſte ſolet fere ſemper ab ipſo morbi principio cor vehementer impugnari, nam peſtilens venenum huic vitalitatis arci primario bellum indixiſſe videtur; hinc cordis ſymptomata, quæ ab ejus affectione procedunt, plerumque graviſſime affligunt; Dico *ſæpe*, nam interdum etiam *Cerebrum* à peſtilenti labe citius inficitur quam cor, quod inprimis per infectum aërem inſpiratione attractum contingere videtur. *De Diemerbroeck Tr. de Peſte c.13. annot.2. & 3.*

⁴. *Morbus cordis venenoſus*) Subjectum Peſtilentiæ, Peſtilentis Febris & Malignarum Cor eſt, vivifici nectaris & ſpirituum vitalium ſcaturigo, quod vitam largitur cæteris partibus, in quo, ceu theatro regio, habitat ignis ille naturæ; ad cujus tutelam conſpirat quicquid humorum & ſpirituum corpori adeſt, ut in ſubitaneo Panico timore videmus, qui contra ad ejus mandatum officioſi ſe pandunt, circumfluunt atque trajiciunt corpus, quocunque datur via, Hoc ſemper petitur à venenis, aliisque morbis venenorum æmulis, quod tota ſpecie naturæ noſtræ, adeoque vitæ principio adverſentur.

Cæterum, etſi venenoſum hoc *miaſma* cordi ſingulari *antipathia* adverſum ſit, illud tamen primum & per idiopathiam cordi ſemper inhærere à veritate alienum plane eſt: Quamvis enim febres Peſtilentes ab aëris inquinamentis recta ad cor delatis generentur; ille tamen inquinatus aër non ſemper ad cor defertur, cum & alio modo per cæcos corporis meatus, per contagium, atque rerum infectarum commercium ſeminaria morbi communicari poſſint: Interdum etiam Peſtilens ac maligna [illegible]bris communi alimentorum potuſque vitio naſcitur; aliquando ſolitaria eſt, quæ ſparſim invadit, nullo aëris vitio, ſua cuiq; victus ratione genita, quæ fomitem quidem, ſed alibi quam in corde ſæpius deliteſcentem habet.

Huc facit quod cum cor ad leves inſultus materiæ alicujus noxiæ palpitet, & teſte *Ariſtotele 1. de P. Anim. c. 4.* ſolum cor viſcerum atque omnium corporis partium nu[illegible] grave [illegible]mum (diu ſcilicet) pati poſſit, vita hominis ſtare non poſſet corde, ejuſve contentis, ſordida & extrema putredine infectis: Et quæ medicina conferre poſſ[illegible] [illegible]rde putrefacto? cum tamen in Peſte, maxime vero [illegible] hiſce febribus malignis, quoſdam ultra 4.7.11.14. [illegible]em vitam protrahere, Imo quoſdam ex ipſa Peſte, plure[illegible] autem ex febribus malignis eluctari conſtet: Illud [illegible] mirum videri poſſet, corde ejuſve contentis, ſumma [illegible] ſordida putredine corruptis, nulla ejus rei indicia [illegible] & [illegible]rum ſæpe non advertere propriam calamitatem. *Pieus l. de Febr. Tr.2. p.151.*

⁴. *Venenoſus* Q[illegible]re Malignitas differt à Peſtilitate: Res eo redit, inquit *Galenus 4. de Febr. 3. ut minor ſit in malignis pernicies quam in Peſtilentibus*, & addit, *pernicies gradu differunt, Non gradu veneni*, Hoc docet, ut obtinere poſſit malignum à peſtilente ſpecie (*non*) differre. Verum ego illi præſto ſecuritatem, & aſſero, quæ gradu differunt in arte noſtra, eadem differunt ſpecie; Et qui Pernicies differt à Veneno? Hoc adeo intelligitur ex ejuſdẽ verbis, ex quibus omnibus colligo, quod Peſtis ſupremus, qui humoribus accidere poteſt, gradus corruptionis eſt, quo nullus pejor & pernitioſior datur, ad quam per longas alterationes & fermentationes, quaſi per gradus perveniatur. *Idem pag.155.*

⁵. *Venenoſus a materia venenata*) Peſtilentia eſt morbus totaliter & ſpiritualiter venenoſus, à veneno terreſtri externo, igneo quodam ſemine agitato productus, Quocunq; tendit morbus hic, vel per totum corpus ſe diffundit, veneno latenti agitur, ut videre eſt in omnibus ſuis ſymptomatibus, quæ plane venenoſa, vel ſaltem ex veneno proximiori orta, quod ex parte vicina derivatur: Proprium eſt veneni, hunc morbum inducentis, ut & eorum quæ occulta qualitate agunt, maximam vim, etiã in minima mole contineant ad exercendas ſuas actiones: quod nonniſi ſemini, ſeu ſpiritui venenoſo competit: Exinde morbus inſtar cauſæ ipſius ſurſum, deorſum, undequaque diffunditur, ſubitaneo adeoque ſpirituali modo agitatus &c. Peſtis, pro cauſa ſua materiali, venenum habet exitiale, non aliquid ex ulla primarum, ut vocant, qualitatum, proveniens; & proprium eſt *Veneni* hunc morbum inducentis, ut & eorum quæ occulta qualitate agunt, maximam vim, etiam in minima mole contineant ad exercendas ſuas actiones: Quod nonniſi ſemini, ſeu ſpiritui venenoſo competit: Exinde morbus, inſtar cauſæ ipſius, ſurſum deorſum, undequaque diffunditur, ſubitaneo, ideoque ſpirituali modo agitatur. *Iſaacus Roet Aph. de Peſte 9.11.12. & 16.*

⁵. *A materia venenata*) Venenum Peſtis ſolo contagio propagandum & illatum, ſingula conjunctim poſſidet, *corroſivum* eſt, *fermentativum*, & *vaporoſum* (vide infra lib.6. tit.2. §. *De venenis*) Non in aëris corruptione, præterquam particulari, conſiſtit id ipſum; neque à priori æque, unde primitus emergat, cognitum eſt, à poſteriori vero, optime: Eſt nempe venenum hoc corporeum, ſeminale, calore nativo expanſivum, ſui multiplicativũ, humorum corruptivum, & principiorum vitalium deſtructivum; *Corroſivum* eſſe demonſtrant ſatis carbunculi, & puſtulæ quaſi ab ambuſtione factæ, dyſenteria, pleuritis, cardialgia, aliaque conjuncta; *Fermentativum*, febris, bubones, anxietate &c. *Vaporoſum*, deliria, ſopores, vertigo, ipſos ſanos quoque impetens eadem domo verſantes; Eminet tamen tanquam magis activa vis corroſiva, unde reliqua quaſi obſcurat, & eadem potiſſimum necat, ſi v.g. ventriculus fuerit carbunculo affectus, ſi mictus cruentus accedat, ſi hæmorrhagiæ.

Variat etiam effectus hic ratione recipientium ſubjectorum: Hinc clavis patet, quare tam ſubito internecionem inferat Peſtis. Quare nullum remedium ſpecificum & appropriatum, neque certum & infallibile, quod communiter deſiderant, detur; Quidque ſentiendum ſit de variis hypotheſibus de veneno peſtilenti, hodie agitari ſolitis· Pigrum id & lentum eſt, omniſque præcautio hinc fieri debet ne in actum deducatur, ne hauriatur, vel hauſtum mature profligetur indutum ſibi paret; cum pernicie certa corporis, omnia uno verbo ſic veluti panſa patent phænomena. *Wedelius A. M. m. p.316.*

⁶. *A materia venenata & contagioſa*) Peſtis in genere nil aliud eſt quam morbus maxime cõtagioſus & epidemicus, qui ortum duxit ex miaſmate venenato, ab aëre primum ſuſcepto. & hinc per contagiũ propagato. *Miaſma* iſtud ſumme *volatile eſt*, adeoq; admodum activũ, adeo utquaqueverſus diffuſum virolentiam ſuã exſerat; Unde à quibuſdã *ſpiritus peſtilentialis*, ab aliis *Aura venenata*, ab *Helmontio Gas ſracidũ*, in aëre dicitur, *Gas*, tanquã ſpiritus incorporalis, nullo ſenſu proprie cognoſcibile

ſimile exco iſti odori quo mediante canes heros ſuos cognoſcere ſolent, Summe *contagioſum* eſt *miaſma*, quod miris modis afficere poteſt, cum non tantum per immediatum contactum corporalem ſed per intermedias quaſcunque veſtes, nummos, literas hinc inde tranſmiſſas propagatum fuerit.

In ſpecie tamen aërem inquinando ad diſtans quaſi, multipliciter ſe propagat, cujus medio fermentum tale peſtilens inſpiratum mox ſpiritus vitalis partem quandam afficit, & cruorem plus minus inquinat, unde tam prompte vitæ periculum, hinc & ſpiritus terrore & metu aut pavore percuſſi tam facile contagium ſuſcipiunt; *Natura miaſmatis peſtilentialis* à nemine hactenus cognita, aut debite explicata fuit: Illuſtrarunt negotium hoc qui *arſenicalis natura* illud eſſe aſſerunt, in ſpecie *Kircherus*, qui ſuæ putredinali applicat. *Ettmuller*.

7. *Subito*) Morbi hebetiores à ſeminibus hebetioribus, i. e. magis terreſtribus promoventur, Acutiores à ſemine acutiori, i.e. magis ſpirituoſo & igneo, rapide excitantur, & in terminum ſuum, aut vitæ exitium furioſe jaculantur: Et quo acutiores, eo viciniores venenoſæ agitationi, quæ maxime ſpirituoſa, agilis, violenta, perniciosa, Et præcipue quod maxime inimica eſt naturæ curſui, qui inter Heberem, terreſtrem vel Saturninum motum, & Auctiorem, magis ſpirituoſum, ſeu motum Martialem, eſt intermedius: Ita, ut cœlum & terra in microcoſmo amice, quo fieri poſſit conjungantur, quæ in hoc morbo plerumque ſtatim diſſociantur: Cœlum in nobis Peſtiferam rapidamque veneni violentiam horret, fugiens quaſi per totum corpus, donec plane extrudatur, Sic tandem terra motore ſuo privata putrefacta & quaſi corrupta jacet. *Iſaacus Roet Aphor. de Peſte 13.*

8. *Subito & lethaliter*) Semina venenoſa intro ſumpta non raro ita perturbant cœlum humanum, i.e. ſpirituoſam hominis partem, & ſubito vincunt, ut totum noſtri exitium, materialiter & formaliter, abſque ullo alio externo adjutorio ſubinde conficiatur: Et huc fit propter ſubitaneam veneni invaſionem, & ſubitaneum terrorem intro conceptum, qui ſtatum non alterat, ſed fugat ſpiritus. *Idem aph. 34.*

8. *Subito & lethaliter*) Venenum Peſtilens, quod totius ſubſtantiæ diſſidio colori nativo infenſiſſimum exiſtit, cum ſit tenuiſſimum ac ſubtiliſſimum, ſimul ac corpus ingreditur, & præcipue cum per inſpirationem ejus penetralia ſubit, facillime labis, ac malignæ ſuæ venenoſitatis, notam imprimit ſanguini arterioſo, ejuſque ſubtiliſſimæ parti ſpiritui vitali, cum eoque ad cor procedens, ipſius vitalitatis aſylum fortiſſime impugnat, ut evicto ſummo illo munimento totius microcoſmicum regnum ſubito devaſtet. *De Diemerbroeck c. 12.*

Sed quænam eſt cauſa tam violentæ operationis? Peſtis ſeminaria interdum ſunt minus acuta & lentioris activitatis: interdum acutiſſima & tenuiſſima, atque hæc citiſſime ad cor perveniunt, & maximæ ac velociſſimæ activitatis ſunt; *Remb. Dodonæus pr. l. 1. cap 18.*

Qualem autem operationem hæc acutiſſima ſeminaria in corde faciant, deſcribit *Hercules Saxonia Prax. l. 11. c. 3. ſect. 2. his verbis*, Hinc fit in Peſte non raro homines integra valetudine fruentes, & ſanorum omnia munia obeuntes, momento temporis quaſi fulmine percuſſos, cadere & interire, quod in aliam cauſam quam ſpirituum vitalium à veneno inſpiratu accepto, corruptione referri non poſſe pro conſtanti habeo.

9. *Cum omnis generis ſymptomatum*) Eſt Peſtis, quando in morbis adeſt ſupremus malignitatis gradus, qui quoniam fere cum omnibus morbis conjungi, adeoque varia ſymptomata inferre poteſt, vix peculiarem quendam morbum conſtituit, ſed tantum conditionem morbi peſſimam deſignat, Conjungitur etiam Peſtis cum omnibus aliis morbis, unde diverſo tempore diverſæ Peſtes obſervatæ; Sic ab *Ægineta* prodita eſt *Colica peſtilens*: *Peripneumonia peſtilentialis* meminit *Fracaſtorius*; *Peſtem pleuriticam* deſcribit *Joh. Wierus*: Ab aliis *Phrenitides*, *Dyſenteria*, *Hepatitides peſtilentiales* obſervatæ &c. *Angina* peſtilentiales non ſunt raræ: *Mercurialis* meminit cujuſdam Peſtis, quæ *pedes*, *tibias & oſſa* ita infeſtabat, ut correpti intra triduum plurimum interirent, Nec ignota Peſtis illa quæ *Sudoris Anglici* nomine venit.

10. Morbus eſt I. [11] *Epidemius*, propter cauſam communem & propter contagium, de quo in generalibus.

II. [12] *Cum putredine conjunctus*, [13] *nec tamen ex ea ſola judicandus*, niſi velimus vel phthiſin, in qua ſæpe dimidium pulmonis corrumpitur, magis peſtilentem eſſe: vel ardentes febres majorem perniciem propter ingentem calorem inferre: vel alexipharmaca in peſte adhiberi non debere.

III. [14] *Non ſemper* [15] *cum febre affligens*, licet [16] fatendum ſit tandem eam accedere) ut apud *Thucydidem*, peſtilentiam Athenienſem deſcribentem, *Vallerıolam*, *Pareum*, *Foreſtum*, *Diemerbroekium* videre eſt.

IV. [17] *Venenoſus & pernicioſiſſimus*: tum quia omnes vitales facultates ſubito opprimit; nec male Chymici ejus veneno [18] venenum [19] napellinum & [20] arſenicale comparant: tum quia ingentem in humano genere ſtragem edit, de quo Hiſtorici conſulendi.

10. *Morbus eſt Epidemius*) Eſt enim ex genere morborum vulgarium, nam, ut docet *Galenus 3. Epid. ſect. 3 comm. 2.* Non eſt certi morbi nomen vulgare vel peſtilens, ſed quicunque uno in loco multos invaſerit, vulgaris eſt: qui ſi ſimul hoc habeat ut multos perimat, Peſtis eſt: Unde patet morbum hunc eſſe & vulgarem & pernitioſum, ſi quidem multos interimat: Si tamen in quapiam civitate peſte unus tantum laboret, non erit tamen negandum morbum illum eſſe Epidemium, etſi unus tantum eo correptus ſit; ſufficit enim, ut Epidemius morbus dicatur, ſi Natura ſua ſeſe multiplicare poſſit, ita ut vulgaris ſit actu primo, etiamſi actus ſecundus impedire poſſit: *Saxonia* vult quoque Peſtem morbum endemium eſſe, qualis eſt illa quæ Cairum & Bizantium quotannis exercere ſolet, ſed male, nam Endemii morbi ſunt illi qui perpetuo exercent & occupant aliquem locum, ob vernaculæ cauſæ præſentiam; Talis autem non eſt Peſtis, quæ ſcil. regiones illas perpetuo non infeſtat, nec cauſam habet aſſiduam & vernaculam, etſi frequenter repetat, quia urbes populoſæ ſunt, admodum calidæ, aut aliis ex cauſis, quæ Epidemii morbi naturam non tollunt. *Primiroſius.*

11. *Epidemius*) Non poſſumus non negare Endemiam dari Peſtilentiam, quod ſatis audacter nonnulli affirmant, Morbi enim Endemii regionem quam invadunt nullo non tempore comitantur: Peſtis vero & morbi Peſtilentiales certa loca, ubi, & quamdiu Deo viſum eſt, affligunt: Et obſervatum, non ſolum à nobis, de locis iiſdem, ubi familiarior eſt Peſtis, quod non ſemper graſſetur, at per intervalla; Nec omnino æqualiter ſævit, ſed inordinate pro varietate circumſtantiarum: Heu, quam miſerrimi qui ſub furore morbi hujus ſemper

grassantis

grassantis semper laborarent, cum satis miseri nos qui interdum sentimus. *Isaacus Roet Aph. de Peste.* v.

Constantinopoli Epidemiam esse Pestem referunt, sed ex incuria eorum qui Reipublicæ præsunt, didici à Viro fide digno qui toto septenno ibi moratus est, Dom. *Arland* Horologiopœo Genevensi: Ait is canes lui cuidam, & scabiei epidemiæ obnoxios esse, ob quam plurimi intereant; mortuos in vicis passim occurrere, ibique computrescere & dissolvi: Quin & cadavera hominum nonnunquam insepulta in vicis jacere; hinc ut mirum non sit si Pestis perenner cui perpetuus fomes subministretur.

12. *Cum putredine conjunctus*) Quomodo venena operationes suas noxias exerunt, controversum est, *Th. à Willis lib. de Ferment. & Febr. Cum halitus*, inquit, *seu vapor pestilentialis quempiam invasit, atque illud virus spiritus animales, aut cruorem, aut etiam simul utrosque primo corripuit, à subtili & tenuiori horum substantia labes in materiam crassiorem derivatur, quippe totam sanguinis, aut nervosi succi massam, atque humores excrementitios ubivis scatentes brevi fermentat &c.* Item in omnibus venenis attendi vult *Corn. ab Hogelande* pag. 222. Fermentationem.

Hæc autem Fermentatio, vel quasi fermentatio, comparative sumpta, si sit admittenda in hisce morbis malignis, ratione febris fermentativæ (Fermentationem humorum eorum Putredini plurimi substituunt è Recentioribus) Pesti conjunctæ, non autem ratione veneni, seu malignitatis alicujus miasmatis tantum statuenda venit.

Colliquatio igitur & solutio potius admittenda, non vero coagulatio, uti *Willis* & *Regius* arbitrantur, maxime enim differt Colliquatio à Coagulatione, Hinc illa media quibus febres malignas curari putant, ut *Theriac. Mithrid. sal. absinth. card. ben. &c.* non attenuant & incidunt, velut sibi *Regius* persuadet, sed excunint per sudorem, ac ita humores & particulas malignas ac colliquatas elidunt: Neque exemplum de Lacte hic quicquam valet, quia massa sanguinea nunquam coagulatur, aut concrescit in corpore vivo & vivis vasis, Oportet autem tunc mortuum fuisse animali, moventur enim particulæ sanguinis per continuam circulationem de loco in locum; quod coagulationi (uti rusticis notum est) contrariatur: Colliquationem vero & dissolutionem adesse ostendunt Exanthemata, Maculæ, Petechiæ, Ecthymata, Diarrhœa, Vomitiones, Cordis palpitationes &c. *Pitens pag.* 165.

12. *Cum Putredine conjunctus*) Quæstio hæc utrinque agitatur, *Galenus* ab aliis putridis Febrem Pestil. differre scribit tantum excellentia putredinis, quæ talis tantaque est ut veneni vires adquirat, Extremus enim rei cujusque gradus venenum est, sic quę sunt extreme calida & frigida venena sunt; pariter & extremus putredinis gradus, venenaque in corporibus nonnisi ex summa putredine generari voluit *Galenus*, quę putredo proprietates habet & effectus veneni, curaturque alexipharmacis: Alii non ex putredine, sed ex maligna & venenata qualitate, quæ totius proprietate substantiæ noceat, oriri existimant, ut *Fernelius*, venenumque non ex putredine, sed humorum corruptione generari, nec omnem corruptionem esse putredinem.

1. Pestilentia hyeme, æstate, sicco, pluvio, temperato, intemperato *cœlo* grassari solet, cum tamen illam magis æstuante aëre affligere deceret.

2. Putrida aëris constitutio, utut magna sit, plerumque sine pestilentia est.

3. Nulla putrida aut intemperata aëris constitutio potest in multas regiones vagari, at Pestis tam late interdum sævit ut pene universum terrarum orbem occupet.

4. *Si putredo causa foret, ad omnes animantes æque illa pertineret.*

5. Occultam adesse qualitatem probatur ex iis qui in peste absque febre intereunt, sine aliis putrefactionis notis.

6. Sæpe ex aura, quantitate quidem paucissima, sed qualitate valde noxia pestis exorta est.

7. Idem docet contagio per fomitem, in quo exigua materiæ morbificæ portio in panno contenta tam gravia inducit symptomata, nam si sola adesset putredo, non posset non putrescere fomes ipse, cum id quod à putrido tangitur putridum fiat.

8. Symptomata omnia venenum arguunt, statim corpus nigricans, lividum, fœtidum redditur, mors quoque subita.

9. Ingentem putredinem sequitur ingens calor, at febres pestilentes sæpe sunt cum exiguo calore, exigua pulsuum & respirationis differentia.

10. Ingens putredo nonnisi à maximis causis fieri potest, nam cum pestis cuilibet ætati, sexui, temperamento bellum indixerit, vix potest in hac corporum diversitate eadem fieri putredo, quæ eximia sit & excellens: Dicendum igitur in quo consistat differentia inter putredinem pestilentium & aliarum febrium, nam quamvis putredo interdum adsit, ut ostendunt ulcera, abscessus, bubones, fœtor, urinæ conturbatæ, ea tamen semper non adest, ut in febribus quæ nullam in pulsu & urinis mutationem obtinent: Ergo cum sæpe accidat ut ubi minora adsunt putredinis indicia, symptomata graviora contingant, ratio colligit præter putredinem adesse vim quandam occultam.

11. Pestis remediis arcanis, ut Theriaca &c. curatur, quod si arcanum est quod juvat, arcanum etiam erat quod nocebat: Nec ista tantum juvant siccando, cum plurima adsint exsiccantia quæ non juvant, ut pumex, os sepiæ &c.

Ex prædictis concludendum videtur Febris Pestilentis naturam non consistere in putredine, quamvis putredo adesse possit & soleat, nam putredo sæpe gravis non est, etsi morbus sit gravissimus & sævissima habeat symptomata, imo interdum sine ulla putredine mors subsequitur, quando causa externa tam subito potenterque agit, ut antequam humores putrefacere possit, interimat: quando autem putredo adest, ea tamen nonnisi quia veneno conjuncta est interimit; &c. Igitur si causam externam, scil. aërem spectemus, tantam in eo malignitatem interdum reperiri fatendum est, ut sine putredine humorum veneni instar interimat, quia spiritibus admistus, statim cordis vires labefactat: Sed si diutius agat in corpus, humores putrefacit.

Adesse autem putredinem ostendunt symptomata putridis communia, horrores, inquietudines, ciborum fastidium, capitis dolor, linguæ orisque siccitas, sitis, bubones, carbunculi &c. quæ putredinem & febrem arguunt: hæc autem putredo ideam febris constituit, ut synochos, vel ardens, alteriusvè generis; sed ut pestilens sit, venenata qualitas adsit necesse est, ut patet quia habet effectus veneni, solisque curatur alexipharmacis, universum corpus corrumpit & immutat sicut venenum, humoresque putrefacit, unde inferendum raras esse Pestes quæ non sint cum putredine. *Primerosius.*

Pestem ex Putredine oriri non existimo, quamvis Putredinem ex Peste oriri non negabo; Plane enim nescio an Putredo humorum, ut vocant, venenum tale volatile & pernitiosum, quale in peste agnoscendum, generare possit, Imo strenue oppugno: Necesse tamen videtur Putredinem in corpore Pestem jam illam consequi. *Isaacus Roet aph. de Peste* VIII.

Non primario oritur ex Putredine, nam Putredo est una ex illis causis quæ tantum secundario corpora

habeat, citissime à venenoso contagioso jugulari solet; cum contrarium observetur in illis quibus cor contingit robustius, quodque validius obniti possit contrariis qualitatibus, ac temporis usu assuetis, nam plures, si historicis fides adhibenda, per consuetudinem, venenum alias non transiens, familiare sibi fecere. Notum quod de Mithridate circumfertur, *Martialis* Epigramma.

Profecit poto *Mithridates* sæpe Veneno.
Toxica ne possent sæva nocere sibi &c.

Piens pag. 163. part. 2.

18. *Venenum Napellinum & Arsenicale &c.*) Ad exprimendam Pestis naturam solent Authores corpora quædam venenata eligere, & ab eorum nominibus elogia teterrimi istius morbi conficere (*ut Quercetanus*) quare in definitione Pestis virus Napellinum, Aconitale & Arsenicale vulgo recensentur; quorum tamen vis lethifera, cum in materia valde crassa consistat, & nonnisi corporeo contactu sese exserat, Luis pestilentialis essentiam non rite imitatur, hæc enim in miasmate vaporoso & spirituali fundatur, à qua effluvia quaquaversus diffusa se adeo potenter explicant, ut ex minimo seminario feracem mortis & exitii segetem cito propagent; Ob insignem ejus activitatem Veneni velut quædam quinta essentia hoc miasma dici meretur: hujus particulæ valde agiles & subtiles quævis penetrant corpora, & fermento suo inspirant; sive enim per aërem dispersæ, vel in fomite quopiam reconditæ, corpori humano, leviter licet, & quasi per transennam impegerint, ipsum facile subeunt, Spiritus tum animales, tum cruoris, cito inficiunt, & exinde labem venenosam in membra omnia brevi diffundunt. *Willis l. de Feb. c. 12.*

19. *Venenum Napellinum*) Non temerè Pestis Venenum potius qualitati euidam Napellum ac Aconitum, naturæ similitudine referenti, quam nudæ, exquisitæ licet aëris corruptioni tribuo: Dico autem (ne quis dicta mea in calumniam inducat, Venenum quod Analogiam cum *Napello & Aconito* habeat, non vero quod ipse Napellus aut Aconitum realiter ac immediate (quod esset absurdum) pestiferas omnes infectiones inducat: Hac siquidem ratione sequeretur, tum regiones & plagas his venenatis plantis carentes, tum iisdem quodammodo refertas; illas quidem nullas prorsus, has vero continuas pestilentias experiri, quod utrobique falsum.

Similitudo vero quam lues pestifera habet cum Napello præ reliquis videtur insignior, utpote quod, pestis instar, singulari quadam velocitate tam homines quam bestias necare solet: His adde quod dicta hæc venena minime qualitate agant manifesta, sed occulta, maligna, aut, ut uno verbo dicam, pestilentiali, utpote quæ non aliter quam per solos concipi effectus, ut & ipsius Pestis contagium potest: quod sola effectuum similitudine Pestis venenum Napellinum & Aconitale dicimus &c.

Sagax ac provida natura Malignitatem Napelli, quod Aconitali longe subtilius agit, & velocius, hieroglyphico veluti calamo ad vivum expressit, dum in floribus ejus cranij humani (potius galeæ) sive mortis figuram expressit. Ac licet integra planta subtili hoc veneno sit perfusa, radix tamen reliquas partes malignitate longe superat, quia vel exterioribus solum digitis leviter attrita, per eosdem, ob innumeras nervorum, venarum, & arteriarum propagines quodammodo eo desinentes, via facta ad cor, reliquaque nobilia viscera, momento quasi interimat; non aliter ac ubi pestiferi unius sudantem aliquandiu detinueris manum, quamprimum contagio te infectum senties.

Symptomata vero quæ *Napellus* à Peste symptomatibus vix latum unguem distantia profert, sententiam nostram confirmant; Eorum siquidem qui ejus venenum hausetunt fronte si conspicimus sudore gelido madentem, eorumque externum corporis habitum quodammodo glacialem, frigoribusque rigentem, intrinsecis partibus nobilioribus interim æstu conflagrantibus: Oculi quoque horribili circumvolutione adstantes terrent, facies livida, labia omni spoliata vigore, maxillæ detortæ, lingua sicca, nigra; pulsus interceptus, cor oppressum, omnes cerebri sensus turbati, concomitantibus lipothymiis ac deliriis frequentibus: Quæ Pesti pari prorsus ratione symptomata adesse solere quotidiana experientia confirmat, Vnde merito concludimus propter hanc effectuum analogia Pestis venenum Napellinum haud inepte vocari. *Quercetanus Pestis Alex. cap. 6. p. 130.*

20. *Et Arsenicale*) Arsenicale vero non minus vere à similitudine dici, luce patet, Sicuti enim corporeum ac septicum Arsenici mineralis Sal, cutem nostram contactu suo quam promptissime cauterisat, Sic & cauteria, quæ Pestis corporibus nostris sub forma anthracum, & pustularum inurere solet, salis ejus Arsenicalis corporalis ac septici, certi sunt indices. Observandum autem est, quod sulphur Arsenicale maligna sua subtilitate cordi præcipue ac spiritibus vitalibus bellum indicit &c. *Idem ibid. p. 132.*

Non hic est audiendus, *Th. à Willis lib. de Ferm. & Febr.* Venena Arsenicalia deridens, *Ad exprimendam*, inquit, *Pestis naturam, solent Auctores corpora quadam venenata eligere, & ab eorum nominibus elogia teterrimi istius morbi conficere, quare in definitione, Pestis Virus Napellinum, Aconitale & Arsenicale vulgo recensentur, quorum tamen vis lethifera cum in materia valde crassa consistat, & nonnisi corporeo contactu sese exserat, Luis pestilentialis essentiam non rite imitatur.*

Comparatio tamen inter *Arsenicales* particulas meo judicio optime peragitur; Nam uti particulæ arsenicales subito vitam cum morte mutare aptæ sunt; ita venenosæ particulæ pestilentiales; & uti arsenicales particulę contagiosæ sunt; ita & pestilentiales: Argentum vivum, in quo multæ sunt arsenicales particulæ, ita contaminat ut homo ab homine vitietur; Si massa sanguinis est vitiata, saliva certe hominis Lue Venerea (quæ crassam tamen habet materiam) laborantis eum morbum vulgat: Ac si ejus corpus unguento argenti vivi perunctum sit, saliva æque pestifera est, ac contagiosa atque ipsum argentum vivum. Saliva hominis, *inquit Jeremias Barthus*, Venereo morbo laborantis, ab usu turbith mineralis & emplastri Mercurialis, mures aliquot qui ipsam noctu linxerant in ipso hypocausto, ubi is decumbebat, interemptos observavi &c. *Piens p. 163.*

V. *Symptomata omnis generis inferens.* 21. Solet ei accidere.

1. 22. *Capitis vehemens tensio* cum dolore & calore vehementissimo conjuncta: sed & ejus *glabrities*, menti & ossium denudatio & decidentia; ut Hippocrates tradidit.
2. 23. *Oculorum rubor*, huncque Galenus pro certissimo pestilentiæ signo statuit, inprimis, si frigida abluti magis Inflammentur.
3. 24. *Contractio* membrorum.
4. 25. In quibusdam perpetuæ *vigiliæ* in aliis *sopor*.
5. 26. *Pulsus* quandoque per totum morbum sano similis.

6. 27. *Tussis*

6. [27] *Tussis sicca* quam omnibus pestilentialibus morbis adesse docet *Galenus*, sed refragante experientia.

7 [28]. *Vrina* multis optimi caloris & sedimenti sanorum similes, cum nempe venenata qualitas in solum cor & spiritus agit; multis igneæ, cum calor igneus nimis excandescit; aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, propter caloris nativi imbecillitatem & magnam humoris ebullitionem; nonnullis sanguineæ, quòd maxima malignitas venularum orificia aperiat: quibusdam una eademque die variæ modò malæ modo bonæ &c. quæ omnia partim à diversa corporum constitutione, partim ab ipsius pestilentialis constitutionis varietate proficiscuntur.

8. [29]. *Excrementa alvi* fœtidissima, confusa, turbida, liquida & oleaginosa, in quibus, modò glutinosa corpuscula, albi, crocei, & viridis coloris; modò quippiam ovo fœtido aqua diluto simile.

[22]. *Symptomata omnis generis inferent*) Symptomatum diversitatem nonnulli male opinati sunt dependere à veneni Pestilentis naturæ diversitate, quod tamen est semper unius ejusdemque naturæ, differens tamen in quantitatis vel qualitatis majore vel minore excessu, non in natura, cujus ratione modo plures & vehementiores, modo pauciores & leviores, effectus edit: Præterea illam symptomatum diversitatem parit partim diversa corporum dispositio, quæ causa est quod alia in biliosis alia in pituitosis, alia in euchymis, alia in cacochymis, alia in juvenili, alia in senili corpore producantur. Partim ipsius pestilentis constitutionis varietas, quæ prout conjuncta est cum putredine pravis exhalationibus, fervoribus vel frigiditatibus, humiditatibus vel siccitatibus, longe diversa symptomata suscitat; unde fit ut in una Peste non contingant eadem quæ in alia, nec in omnibus pestibus eadem lædantur subjecta: In una enim maxime corripiuntur mulieres, in alia viri, in alia pueri, in alia adulti, in alia sola bruta, in alia soli homines, prout scilicet modo horum, modo illorum corpora (ratione aëris, temperamentorum, alimentorum, animi motuum &c.) magis ad infectionem suscipiendam apta sunt, Non enim una Peste omnes peccatores simul castigare & extinguere, sed modo brutorum internecione nonnullos magno damno mulctare, sicque Dei sui, suorumque peccatorum (quorum nomine talia fiunt) memores facere; modo multos homines è medio tollendo, alios superstites ad timorem Domini & pœnitentiam adducere decrevit Altissimus.

Talia non considerantes multi Medici, putarunt hactenus ipsum Venenum pestilens esse diversum, idque interdum dipsadis, interdum viperæ, interdum cicutæ, interdum napelli, interdum arsenici, interdum alterius toxici naturam æmulari, Cum tamen operationum diversitas non à naturæ ipsius veneni diversitate, sed potius aliunde procedat. *De Diemerbroech. cap. 7. §. 13.*

[21]. *Symptomata omnis generis*) *Adjunge sequentia*, Manuū & pedum quandoque *Tremorem* Nonnunquam *convulsivos motus* manu ægri carpo admota; *Horrorem* frequentem de die accedentem: *Lassitudinem universam*, ita ut ægri continuo querantur membra exteriora sibi contundi: *Nauseam & Vomitum*, unde nec sensus appetentiæ, sed potius corrosio persentitur: Continuam orificii ventriculi valde nervosi vellicationem & corrosionem, *Cardialgiam* facientem. *Sitim*, quæ quandoque est, quandoque abest, prout inflammatio viscerum, vel æstus, vel particulæ calidæ & sulphureæ circulando sanguini magis minusve inhærent; cum vero dissolutio, ac particularum colliquatio major fit, unde acres, salsæ ac sulphureæ particulæ ex potentia in actum excitari nequeunt, ac virtutes earum magis magisque franguntur, ut molles fiant, *Sitis* parum aut nihil sentitur: Apparet etiam *Sudor* toto febris tractu, quandoque nonnisi in statu & vigore; hic autem index est colliquationis sanguineæ massæ: Ex *qualitate mutata* occurrit *Calor*, qui nonnunquam nec acris nec vehemens, sed mitis, blandusque sentitur, partesque exteriores tepescere videntur, mordax & acris apparet, si æstus vel inflammatio alicujus visceris adsit: *Maculæ* etiam animadvertuntur, eæque varii sunt coloris, aliquando purpurei, aliquando flavi & nigricantis; quarum postremæ omnium pessimæ: *Facies* à naturali ac vivido statu brevi multum mutata: Maxime in vera Peste *Bubones, Carbunculi, Parotides*, aliæque excretiones ad partes ignobiles à natura factæ apparent, quæ omnes apparent conatu naturæ particulas morbificas in habitum corporis expellentis. *Pions p. 172.*

[21]. *Symptomata omnis generis*) Præter febrem multa symptomata horrenda & gravia Pestem comitantur, quorum alia hæc, alia illa subjecta, pro veneni magnitudine, & cujusque naturæ ac temperamenti diversitate invadere solent: Hæc autem vel sunt morbi à Peste orti, vel mera symptomata, recrementorum vitia. Suntque vel Pestis magis propria, & cum aliis paucis morbis communia, ut bubo, anthrax & exanthemata; vel mitius propria, & cum pluribus aliis morbis communia. *De Diemerbroeck cap. 13. Ista adducit P. Barbette.*

Peste correptorum hæc *Signa* sunt, *Horrore* corripiuntur, mox *æstu* interno, Ingens hic sæpius *æstus*, *Siti* existente levi, Aliquando vero *Sitis* magna febri leviori juncta; Sed plerumque sive febris magna, sive parva adfuerit, *linguæ siccitas* & *urina* constitutio ea quæ est sanorum conspicitur: Aliquando ægri *somno* valde sunt dediti, aliquando *delirant*, aut gravi *capitis dolore* vexantur, & tum *oculi album ignei coloris* est, & *vigiliæ* admodum infestant, *Anxietas cordis* magna, *Pulsus parvus*, si non primo leviorique attactu (sic enim sæpius magnus) vehementiori saltem digitorum compressione persentitur; *Vires* modo in principio, & longe vehementius quam in ardentissima febri non maligna, destruuntur, nonnulli *diarrhoea* affliguntur, nullis medicamentorum viribus curabili: Quidam vexantur *hæmorrhagia* narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri: Alios *vomitus* molestat continuus, alios *nausea*, Sunt quibus *maculæ* rubicundæ aut purpureæ erumpunt; multi *Bubones* post aures, in collo, sub mento, in inguine, sub axillis habent; In aliquibus *Exanthemata* rubicunda, In quibusdam *vesiculæ* albicantes, in nonnullis *Carbunculi*, in aliis *Petechiæ* se produnt, Et tales Vesiculæ, *Bubones, Carbunculi* &c. ubi adsunt, Pestis certissimum signum evadunt; etiamsi nullius fuerint magnitudinis, præsertim si febri conjunguntur, aut eam insequantur. *P. Barbette.*

Sequentia enumerat *de Diemerbroeck*.

Jactationes corporis, terrores adsunt, convulsivi subsultus, & quasi leves membrorum contractiones, visus turbidus, aurium tinnitus, & in nonnullis sibilus; linguæ siccitas, rarius tamen nigredo; oris & sudoris graveolentia, hæmoptysis, tussicula sicca, inappetentia, oris ventriculi dolor, singultus, alvi dejectiones crudæ,

cent *Paulus* & *Aëtius*, quia venenosa qualitas, non putrefactio, ideo nec calor fatigat, vel ob humorum putrescentium crassitiem, unde non magnus calor foris, sed tantum eintus persentitur: Quod si simul humoris biliosi, tenuis & acris putredo adfuerit, tunc magnus etiam, ut in aliis febribus, calor percipictur. *Primirosius.*

III. Alia [33] creditur esse [34] *Ephemera*, [35] alia *Humoralis*, alia [36] *Hectica*, Sed quia spiritus non tantum incalescunt sed etiam corrumpuntur; Quia cor non tantum intemperie afficitur, sed & in substantia vitiatur; [37] nullæ Pestilentes, vel Ephemeræ vel Hecticæ esse possunt; Attamen quia inter eas aliqua differentia apparet; & nunc ipsum cor, nunc spiritus, nunc humores magis afficiuntur, propter similitudinem cum aliis proprie dictis habent, ita appellari possunt.

33. *Alia creditur esse Ephemera*) Recte scripsit *Galenus* Pestilens & vulgare non esse certi morbi nomen, aut genus, sed omnibus ferme morbis posse convenire, nam præter tria morbi genera non datur aliud, Pestis autem est modus & conditio, aut quid extrinsecus accidens cuivis horum morborum, quorum non quidem naturam, sed modum & conditionem permutat, morbo manente eodem, quæ conditio adeo gravis est ut propriam rei naturam & nomen permutet & pestis nuncupetur: Ideo à plurimis constituuntur Febrium pestil. differentiæ tres, Ephemeræ, Hecticæ, Putridæ, prout calor vel cordis substantiam, vel humores, vel spiritus occuparit: De Ephemera Pestilente non agit *Galenus*. sed recentiores quidam eam fuisse in Anglia tradunt, in qua copiosis sudoribus levabantur ægri, quæ ideo *Sudor Anglicus* dicebatur, *de qua supra.*

Verum tamen nunquam crediderim dari Ephemeram Pestilentē, cum febris Ephemera sit sua natura levis & salutaris, ut quæ in subjecto dissipali resideat, unde etiamsi spiritus putrescant (putrescere enim omnia possunt excepto igne) febrem tamen non generabunt perniciosam, sed quæ salutariter dissipatis illis spiritibus cessabit; nam casus virtutis, pulsus mutatio, lipothymia, si à solis spiritibus dependerent, dissipatis illis, ac novis regeneratis perfecta subsequeretur sanitas, ut in syncope contingit, quam non venenata materia infert.

Quoad Sudorem Anglicum, febris fuit putrida, ut ostendunt sudores copiosi, qui nunquam apparent in Ephemeris, quę tam maligna fuit ut natura ipsius vim ultra unam diem ferre non potuerit: quis enim audivit Ephemeras sudore copioso solvi solere: Non negandum tamen in vera peste, ex inspirato venenato aëre spiritus infici, unde mors & prompta & subita ingruit interdum sine febre, si enim subito spirituum motu syncope mortis æmula contingit, multo magis ubi veneno violati fuerint mors accidet &c. Sed solam Ephemeram generari intactis integrisque humoribus non est concedendum. *Primirosius.*

34. *Alia Humoralis*) Frequens est Pestilens putrida & humoralis, ex putrescentibus humoribus excitata, modo omnibus, ut in Synocho, modo uno aut altero, ut in reliquis febrium speciebus; Quidam volunt unicum tantum humorem putrefieri, ut *Rondeletius*, qui ait febrem pestilentem esse tertium genus ardentis febris à sanguine malancholico excitatæ: Esse ardentem probat sitis inexhausta, quæ assidue infestat, incendium magnum circa cor, splenem, ventriculum, pulmones, difficultas anhelandi, aliaq; quæ Causum sequuntur symptomata: Atram bilem infestare ostendunt mania, delirium cum studio, accedens proxime ad furorem, carbunculi, stigmata nigra, conjunctiones Planetarum in Saturno, bella, annonæ caritas, unde crassissimis uti alimentis necesse est, quæ sanguinem melancholicum gignunt.

At cum Pestis omnes, saltem plurimos invadat, diverso victu utentes, spargaturque ab una regione ad aliam, credendum non est omnes quos corripit sanguine atro abundare, nec omnis humor calore p.n. adustus sit melancholicus.

Alii omnes humores putrefieri volunt, sed male, sequeretur enim omnem pestilentem esse Synochon: Cum porro pestilens & malignum non sit determinati morbi nomen, sed omnibus convenire possit; cumque à Galeno statutum sit pestilentem sola putredinis excellentia à reliquis differre, omnibus humoribus poterit Pestilentia convenire.

Id demonstrant symptomata quæ pestem consequuntur adeo varia & diversa, vigiliæ, deliria, sitis, inquietudo, somni; sopores, lethargi, timores & alia infinita quæ diversorum humorum putredinem arguunt; quod præterea ex Naturæ excretionibus patet, nam per alvum, urinas, vomitum, modo unum, modo alterum, modo omnes humores excerni cernimus, à quibus verisimile est varias excitari febres: Eademque fuit *Hippocr.* sententia, qui in Epidemiis, in pestilenti constitutione omnia febrium genera recenset, tertianas, quartanas, longas &c. Cum igitur constitutum sit à nobis ex omnibus humoribus febrem hanc fieri, non tamen valet eorum opinio qui etiam intermittentem esse posse asseruerunt: quod repugnat *Hippocrati* & rationi, *Febres enim quocumque modo intermiserint periculum, abesse significant, aph.43. 4.* utpote, inquit *Galenus*, quæ nec ex inflammatione, nec ex maligna humorum putredine ortum habeant, Neutra enim harum, *inquit ille*, ad quietem pervenit febre vacantem.

Objicitur intermittentes non esse periculosas si fiant ex simplici humorum putredine, secus vero si fiat ex maligna? ℞. periculum non tollit humoris natura, sed intermissio, si quidem tertiana intermittens secura est nec lethalis, non quia à simplici bilis putrefactione oritur, nam sic ardens lethalis non foret, & periculosa, sed quia intermittit, & naturæ vincenti non resistit: Si igitur intermissio omne periculum adimit, pestilens, quæ omnium febrium periculosissima est, non potest esse intermittens &c. Quamvis autem continuæ sint, referunt tamen ideam illarum febrium quæ sunt propriæ humori putrescenti, sicque intelligi debet *Hippocr.* cum 3. *Epid.* s.3. in pestilenti illa constitutione quam describit, ait febres adfuisse tertianas &c. quia repræsentabant speciem hujus vel illius febris. *Idem.*

Alia Hectica) Hecticam Pestilentem dari certissimum est apud *Galenum* quam 3. de *præs.* ex *puls.* cognosci ait, spiritus seu animæ fœtore: In ea dicunt recentiores & pulsus & urinam esse sanorum similia; At febris pestilens, ex *Galeni* doctrina, omnis est putrida, nulla hectica est putrida, ergo nulla hectica est pestilens &c. Plurima afferunt recentiores ex mente *Galeni*, at mihi piaculum non est asserere ipsum fuisse hallucinatum, nam impossibile est putredinem prius solidas corporis partes quam humores occupare, præsertim cum causa externa, scil. aër, côtenta nō minus afficiat quā côtinentia: Dein Hectica est morbus chronicus, pestis morbus acutissimus; nam si simplex hectica vix fieri potest incipiendo, ut loquuntur, sed aliis febribus succedit, quid

de

de pestilenti sentiemus: Nec sufficit fœtor ad dignotionem hecticæ pestilentis, nam ille potius putredinem arguit Pulmonum per quos aër defertur, aut humorum quam ipsius substantiæ cordis: Quod si putredo quædam in corde inventa fuit, à qua interempta homo fuerit, non tamen febre pestil. laborabat necessario; indicio aliud quidpiam requiri ad pestilentię constitutionem præter putredinem, cum putrescere solida possint sine pestis ulla suspicione, ut si abscessus ulceraque in corde fuerint: Dein hectica pestilens vel non contagiosa est, tunc vix censenda est, vel contagiosa, atque est vel per fomitem, vel ad distans, sive immediato contactu, tunc humoralis dicenda, nam quod communicatur non qualitas sole est, sed substantia quædam, quæ nonnisi ab humore derivari potest & deduci. *Idem.*

34. *Ephemera*) Febres unius diei, ex incendio spirituum præter naturali oriuntur, Ergo Febres Pestilentes non sunt propriè Ephemeræ, eo quod à veneno externo putredinem causante prodeunt; Et ut ægri suo damno sentiunt, nisi impeditæ, sunt plurium dierum: In Ephemera spiritus, ut vocant, tantum p. n. incalescunt, In Pestilenti vero febre plane corrumpuntur. *Isaacus Roet l. 2. aph. de Peste 10. & 11.*

35. *Alia Humoralis*) Febris Pestilentis differentiæ desumuntur vel à materia in qua venenata qualitas producitur, vel à loco in quo eadem continetur, Et ita sequuntur febrium Putridarum differentias, quæ ratione materiæ putrescentis dividuntur in Synochos tertianas, quartanas & quotidianas, prout materia putrescens est sanguis bilis, pituita vel melancholia, Ratione vero loci in quo humores putrescentes continentur, in continuas & Intermittentes dividuntur, prout dicti humores in venis vel extra venas stabulantur. *Riverius.*

36. *Alia Hectica*) Non possunt etiam hæc febres Pestilentes Hecticis annumerari, quia hæ gravia symptomata non habent, diu durant, totumque corpus sensim emaciatur, Pestilentes vero gravissima habent symptomata, & curriculum suum cito absolvunt: Præterea quia in his cordis substantia ita afficitur calida intemperie, in illis vero non sola illa intemperie, verum magis maligna venenositate; *Vallesius Contr. lib. 5. c. 2.* ait ipsam cordis substantiam, vel saltem illos succos, qui proprium ejus alimentum, & more roris per illud sparsi sunt, in istis hecticis à calida intemperie consumi. In hecticis vero pestilentibus mala putredine corrumpi: At si febres illæ Pestilentes, quas *Vallesius* hecticas nominat, oriantur ex putredine substantiæ ipsius cordis, non minus erunt Putridæ quam aliæ quæ ex putredine humorum oriuntur: Præterea, quomodo quæso ipsa substantiæ cordis poterit putrescere sola sine humoribus in ea contentis, aut succis magnam partem ejus constituentibus? Cordis enim substantia non constat ex solis particulis siccis, sed ex siccis cum humidis mixtis. Atque hinc est quod etiam *Galenus 1. de Diff. Febr.* dicit, *Postquam autem mentionem fecimus febrium Pestilentium, quæ omnes ex putredine fiunt &c.*

Cur ergo *Idem 3. de præsag. ex puls.* docet multas Pestilentium febrium esse hecticas statim à principio? ♃. *Galenum* illas pestilentes febres, quæ clementer procedunt, nec protinus ægros interimunt, Hecticas appellare, non quod tales sint, sed ratione lenti processus & clementiorum symptomatum tales esse videantur; eodem modo sicut lenta illa febris quæ in phthisi ab ulcere pulmonum oritur; à multis Hectica dicta, cum tamen revera sit Putrida, ab ulceris putredine orta.

Quod autem *Galenus* has lentas pestilentes non ad hecticarum sed ad Putridarum classem retulerit, patet ex loco ante citato, quo dicit omnes febres pestilentes oriri ex putredine: Id etiam est manifestum ex ejus verbis sequentibus, *Adsunt*, inquit, *necessario huic febri fœtor anhelitus, & calor in thorace &c.* Atqui fœtor est symptoma proprium putredinis, è qua si febris oriatur illa erit putrida: At qui acriter contendunt pestilentes illas hecticas dictas è Putridarum classe non esse, solvant hunc nodum, Quomodo possit dari febris à putredine quæ non sit putrida? *Idem ibid.*

37. *Nullæ pestilentes vel Ephemeræ*) Graviter disputatur inter Medicos ad quam Febrium classem Pestilentes referri debeant, Nos febribus Putridis eas annumerandas censemus, non vero Ephemeris, quia hæ generantur à solo incendio & effervescentia spirituum sine putredine, & xxiv. horarum spatio salubriter terminantur, Pestilentes autem oriuntur à maligna putredine, & cum exitio ægrorum plerumq; finiuntur, Nonnulli tamen Ephemeras Pestilentes in sola spirituum putredine consistere asseverant; Sed his regero, Si ex putredine fiant, aut in putredine consistant, non posse esse Diarias (utpote quibus nihil commune est aut putredine) verum necessario esse Putridas, cum ex putredine non generetur alia quam Putrida febris: Addo de Putredine spirituum vitalium esse litem acerrimam inter Medicos, eamque adhuc sub judice pendere. *De Diemerbroeck c. 12.*

ARTIC. IX.

De Pestilentia.

1. P*Estilentia est* 2. *morbus* 3. *cordis* 4. *venenosus* 5. *à materia* 6. *venenata & contagiosa genitus, omnes cordis affectiones* 7. *subito* 8. *& lethaliter* 9. *cum omnis generis symptomatum congerie lædens.*

1. *Pestilentia*) Magno huic morbo varia nomina attributa fuerunt, quibus crudelissimi Tyranni perniciosissima vis & natura manifestissime indigitatur, 1. appellatur Græcis λοιμός ἀπὸ τοῦ λείπειν, i. e. à deficiendo, quia hominum defectum inducit: Vel ἀπὸ τοῦ λιμοῦ, i. e. à fame, indigentia; Vel quia hominum penuriam, seu famem parit, Vel quia post famem, seu annonæ caritatem non raro sequi solet; unde tritum λοιμὸς μετὰ λιμόν. Pestis post famem: Etiam appellatur λοιμικὴ νόσος, & ἡ λοιμώδης διάθεσις. 2. dicitur Ὄλεθρος, ab ὄλλυμι, pessundo, quod plurimos pessundet. 3. Ἐπιδημία, popularis, vel vulgaris, quia maxime communis existit. 3. Νόσος κατ' ἐξοχὴν, tanquam morborum omnium maximus ac potentissimus. Ita etiam *Gallis* per excellentiam appellatur, *la maladie*, Italis *il morbo* 4. Νόσος Θεοῦ, *morbus Dei*, seu *Divinus*, non tantum quia occultum & incognitum quid in se continet, verum etiam quia justissima ira Dei mortalium delicta non raro punire solet immissione istius morbi. 7. Pestis à *depascendo* appellata, & *Isidorus* l. 4. c. 6. Pestilentiam quasi *Pastulentiam*, dictam fuisse refert, quia instar immanissimæ feræ humanum genus absumit & depascit, 7. *Lues* simpliciter per excellentiam, propterea quod magis & vehementius quam ulla alia Lues polluat. 8. *Contagium*, à

contingendo propterea quod contactu inficiat. *De Diemerbroeck l.1. de Peste cap.1.*

2. *Pestilentia est morbus cordis venenosus &c.*) Pestis est *morbus communissimus, peracutissimus, perniciosissimus & maxime contagiosus, ex maligno & occulto spiritibus caloris que nativo tota substantia infestissimo inquinamento ortus, à quo omnium viscerum, & inprimis cordis functiones læduntur.*

Quercetanus in Alex. c. 1. definit, Quod sit *Morbus epidemius, contagiosus, venenatus & perniciosus, qui omnes quidem in genere corporis spiritus, inprimis vero cor*, arcem vitæ, cum dependentibus *ab eo spiritibus aggreditur.*

Mindererus sic, Est *Lues venenata, summe lethalis & contagiosa, cor primario afficiens, febre, bubone, anthrace, aut exanthematis utplurimum comitata,*

Hermetici hoc modo, Pestis est *morbus astralis, igneus ac contagiosus, qui venenato suo vapore, seu spiritu arsenicali & napellino corporis meatus subintrans, citissime omnium spirituum principalia subjecta, cor, cerebrum & hepar occupat, eaque malignitate & acuitate sua inficit, corrumpit ac dissolvit, & tandem sulphuris accensi adminiculo, sal sub auribus, alis & inguinibus coagulando, varia apostematum genera, ut sunt bubones ac carbunculi, protrudit.*

Hęc Hermeticorum definitio plurimas patitur objectiones, in ea tamen pestilens venenum non male assimilatur veneno arsenicali & napellino, ab affectuum similitudine. *Vide Quercet. cap. 6.*

J. Palmarius, A Sala, aliique multi, definiunt quod sit *Febris peracuta, contagiosa, maligna, & communiter grassans*, Quæ Definitio Pesti non plane convenit, cum Febris proprie non sit de essentia Pestis, sed ab illa separabilis, ejusque symptoma.

Sic etiam plane non convenit Pesti definitio *Jac. Sylvii, Febris pestilens est incendium, quod præcedit aut consequitur illos Tumores, qui Pestis certissimi sunt characteres*, scil. carbunculos aut bubones: Nam præterquam quod Febris non sit de essentia Pestis, etiam isti Tumores non constituunt ejus essentiam, sed sunt ejus symptomata & signa separabilia, sine quibus etiam Pestis esse potest: Adde quod *Exanthemata* quoque Pestis characteres & signa sint separabilia, quæ tamen non sunt tumores sed tantū maculæ. *De Diemerbroeck ib.* Vide ib. Defin. explanationē.

Pestis *morbus est incomprehensibilis* (uti videtur) *ex vapore spirituoso contagiosoque originem ducens, qui quam sub. to sanguinis consistentiam, ut ita viribus & vita cor privetur, dissolvere potest.* P. Barbette.

Willis sic describit, quod sit *Morbus epidemius, contagiosus, humano generi summe infestus, ex miasmate venenato ab aëre primum suscepto, dein per contagium propagato, ortum ducens; qui occulte & latenter homines aggressus spirituum extinctiones, cruoris coagulationes, ipsius & partium solidarum syderationes & necrosis infert, cumque apparentia exanthematum, bubonum aut anthracum, necnon aliorum symptomatum horrendo apparatu in vita periculum adducit.*

Dissentiunt in veneni Pestiferi effectibus *Willis* & *Barbetto*, quod hic sanguinis dissolutionem veneno adscribat; *ille* ejusdem coagulationem.

2. *Pestilentia est morbus*) *Morbi essentiam* quod spectat, eam enucleate definire in me non suscipio: Nec fortassis hominibus cordatioribus rem minus importunam ille facere videbitur, qui à me postularit, quid hanc aut illam ægritudinis speciem constituat; quam ego etiam facerem si ab illo idem de *Equo* v.g. inter animalia; vel de *betonica* inter stirpes vicissim sciscitaret; Nimirum certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto rerum omnium generationes Natura parens exequitur, quæque uspiam è causarum gremio in actum ac quasi in lucem educit; eorum essentias, quidditates, ac differentias constitutivas altissimis tenebris obvelat; Hinc unaquæque morborum, non minus quam animalium aut vegetabilium species affectiones sibi proprias, perpetuas, ac pariter univocas ab essentia sua promanantes sortita est: Neque interim magnopere urgebit ista Quæstio, Qui demum morborum medela administrabitur, dum causæ ipsorum nos latent? Quandoquidem non causarum, sed methodi convenientis atq; experientiæ comprobatę cognitione affectuum plurimorum curatio absolvitur. *Sydenham Obs. in Acut. p. m. 137.*

Incomprehensibilem esse dicit morbum *Barbette*, quia licet omnium sæculorum Pestilentias percurras diligenter, tam mutabilis semper fuerit, ut nullam omnino invenias quæ adamussim cum alia conveniet: & hęc causa est quare in curanda Peste præstiterit judicium bene exercitatum sequi quam aliorum Medicorum vestigiis insistere: Et quamvis se ipsam gravioribus symptomatibus satis manifestet, attamen ejus naturam haud facile comprehendes. *Idem.*

1. *Est Morbus*) Quæritur *An Pestis sit certum morbi genus*, sicut apoplexia pleuritis, phthisis &c.? *Massaria* & alii considerantes syndromen variorum morborum cū peste concurrentium: Et quod omnes diversorum temporum febres non eodem modo, nec similibus morbis ac symptomatibus comitatæ semper invaserint, & grassatæ sint, judicarunt Pestem non esse certum morbi genus, cujus opinionis videtur fuisse *Galenus*, qui 3. *Epid. comm.* 3. 4. t. xx. dicit, *Non est certum morbi nomen Vulgare*, vel *Pestilens, caeterum quicunque in uno loco multos simul invadit, vulgaris hic vocatur: qui si simul hoc habeat ut multos interimat, Pestis est*: Verum etsi multi morbi, plurimaque & multum diversa symptomata Pestem comitentur, tamen illi morbi non sunt de essentia Pestis, sed illi resultant ex humorum putredine spirituumq; corruptione, quam pestis inducit, atque hinc non sunt nisi ejus symptomata, quorum diversitas non procedit ex diversitate ipsius Pestis, aut veneni pestilentis, sed ex diversitate illius putredinis quam venenum pestilens humoribus & spiritibus inducit; Cujus putredinis & corruptionis varietas procedit ex diversitate constitutionis corporum hominum; hæc quippe aliter constituta sunt cum Pestis invadit tempore æstuoso ac fervido quam frigido, aliter tempore humido quam sicco, aliter post longam magnamq; famem quam cum omnium rerum abundantia suppetit, aliter post bella longaq; perpessas miserias & pravum victum quam in pace, & boni victus copia, aliter aëre magna putridorum vaporum infectione contaminato, quā eo puro existente &c. Pro horum enim diversitate gignuntur varii in corpore humores, iique à pestilenti veneno inquinati etiam variis modis putrescunt & corrumpuntur, atque hinc magna morborum & symptomatum, cum Peste concurrentium, diversitas procedit, quam multi male ipsius Pesti diversitati adscripsere: Atq; sic liquet quod Pestis sit certum morbi genus, & quod ex adjunctis morbis nullus quidpiam de ejus essentia constituat. *De Diemerbroeck cap. 12.*

2. *Est Morbus*) Verum cum Pestis sit certū morbi genus & duo tantū morbi existant, scilicet Intemperies & prava Conformatio, quæritur Qualis morbus sit? Respondendum esse Intemperiem, non quidem manifestam, sed occultam, quam *Fernelius*, multiq; clarissimi Medici, male ex intemperiei ordine excludunt, & morbum totius substantię appellant, ac peculiarem quandam morbi speciem esse tradunt; haud secus ac si ille defectus Medici, quod occultum id satis clare percipere & explicare non possit, novam morbi speciem pariat; Ipsa autem Pestis nullo etiam modo prava conformatio dici potest, licet illa in bubonibus & anthracibus adsit, quoniam bubones & anthraces non sunt ipsa Pestis, quoniam hi non sunt ipsa Pestis, sed ejus producta, quæ non magis pertinent ad ipsius essentiam quam lingua arida ad essentiam febris ardentis, Quantum ad solutionem continui, illam pro peculiari morbi specie non agnoscimus, cum pertineat ad pravam conformationem, neque ad illam Pestis ullo modo referri possit. *Idem ibid.*

3. *Morbus cordis*) Non sane propria voce affirmant esse *morbum in corde sedem* habentem: Si ita sit, aut primo parti isti adhæreret, tum omnes infecti morte subtranea comperenrur, quod non videmus; Aut secundario venenum suum in cor transmittit, & sic ab alia parte derivatur; quod si accidit, etiam aliam partem, ut sedem petamus, cui primo morbus fuit infixus: In omni enim affectu, qui hominem interficit, ad postremum cor inficitur, alioquin non interficeret; Non ergo dicant Galenistæ, cor esse propriam omnium morborum fatalium sedem, Nec ponderosum esset argumentum, si addant, subitum eum esse virtutis vitalis lapsum, & præsentaneam virium debilitatem, Hoc enim accidit propter subtilem penetrantis veneni naturam, quod sæpe dicto citius per totum corpus transit, subito in cor vitæ fontem se transferens, adeoque totum hominem prosternens, licet ab alia parte primum oriatur; Quod non mirum videtur si sanguinis circulatio non sit figmentum. *Isaacus Roet Aph. de Peste* vij.

3. *Cordis*) In Peste solet fere semper ab ipso morbi principio cor vehementer impugnari, nam pestilens venenum huic vitalitatis arci primario bellum indixisse videtur; hinc cordis symptomata, quæ ab ejus affectione procedunt, plerumque gravissime affligunt; Dico *sæpe*, nam interdum etiam *Cerebrum* à pestilenti labe citius inficitur quam cor, quod inprimis per infectum aërem inspiratione attractum contingere videtur. *De Diemerbroeck Tr. de Peste c.13. annot.2. & 3.*

4. *Morbus cordis venenosus*) Subjectum Pestilentiæ, Pestilentis Febris & Malignarum Cor est, vivifici nectaris & spirituum vitalium scaturigo, quod vitam largitur cæteris partibus, in quo, ceu theatro regio, habitat ignis ille naturæ; ad cujus tutelam conspirat quicquid humorum & spirituum corpori adest, ut in subitaneo Panico timore videmus, qui contra ad ejus mandatum officiosi se pandunt, circumfluunt atque trajiciunt corpus, quocunque datur via, Hoc semper petitur à venenis, aliisque morbis venenorum æmulis, quod tota specie naturæ nostræ, adeoque vitæ principio adversentur.

Cæterum, etsi venenosum hoc *miasma* cordi singulari *antipatheia* adversum sit, illud tamen primum & per idiopathiam cordi semper inhærere à veritate alienum plane est: Quamvis enim febres Pestilentes ab aëris inquinamentis recta ad cor delatis generentur; ille tamen inquinatus aër non semper ad cor defertur, cum & alio modo per cæcos corporis meatus, per contagium, atque rerum infectarum commercium seminaria morbi communicari possint: Interdum etiam Pestilens ac maligna febris communi alimentorum potusque vitio nascitur; aliquando solitaria est, quæ sparsim invadit, nullo aëris vitio, sua cuiq; victus ratione genita, quæ fomitem quidem, sed alibi quam in corde sæpius delitescentem haber.

Huc facit quod cum cor ad leves insultus materiæ alicujus noxiæ palpitet, & teste *Aristotele* 1. *de P. Anim. c.* 4. solum cor viscerum atque omnium corporis partium nullum grave vitium (diu scilicet) pati possit, vita hominis stare non posset corde, ejusve contentis, sordida & extrema putredine infectis: Et quæ medicina conferre posset corde putrefacto? cum tamen in Peste, maxime vero in hisce febribus malignis, quosdam ultra 4.7.11.14. 17. diem vitam protrahere, Imo quosdam ex ipsa Peste, plures autem ex febribus malignis eluctari constet: Illud enim mirum videri posset, corde ejusve contentis, summa ac sordida putredine corruptis, nulla ejus rei indicia esse, & ægrum sæpe non advertere propriam calamitatem. *Piens l. de Febr. Tr.2. p.151.*

4. *Venenosus*) Quare Malignitas differt à Pestilitate? Res eo redit, inquit *Galenus* 4. *de Febr.3. ut minor sit in malignis pernicies quam in Pestilentibus*, & addit, *perniciei gradu differunt, Non gradu veneni*, Hoc docet, ut obtinere possit malignum à pestilente specie (*non*) differre. Verum ego illi præsto securitatem, & assero, quæ gradu differunt in arte nostra, eadem differunt specie; Et qui Pernicies differt à Veneno? Hoc adeo intelligitur ex ejusdē verbis, ex quibus omnibus colligo, quod Pestis supremus, qui humoribus accidere potest, gradus corruptionis est, quo nullus pejor & pernitiosior datur, ad quam per longas alterationes & fermentationes, quasi per gradus perveniatur. *Idem pag.155.*

5. *Venenosus à materia venenata*) Pestilentia est morbus totaliter & spiritualiter venenosus, à veneno terrestri externo, igneo quodam semine agitato productus, Quocunq; tendit morbus hic, vel per totum corpus se diffundit, veneno latenti agitur, ut videre est in omnibus suis symptomatibus, quæ plane venenosa, vel saltem ex veneno proximiori orta, quod ex parte vicina derivatur: Proprium est veneni, hunc morbum inducentis, ut & eorum quæ occulta qualitate agunt, maximam vim, etiā in minima mole contineanr ad exercendas suas actiones: quod nonnisi semini, seu spiritui venenoso competit: Exinde morbus instar causæ ipsius sursum, deorsum, undequaque diffunditur, subitaneo adeoque spirituali modo agitatus &c. Pestis, pro causa sua materiali, venenum habet exitiale, non aliquid ex ulla primarum, ut vocant, qualitatum, proveniens; & proprium est *Veneni* hunc morbum inducentis, ut & eorum quæ occulta qualitate agunt, maximam vim, etiam in minima mole contineanr ad exercendas suas actiones: Quod nonnisi semini, seu spiritui venenoso competit: Exinde morbus, instar causæ ipsius, sursum deorsum, undequaque diffunditur, subitaneo, ideoque spirituali modo agitatur. *Isaacus Roet Aph. de Peste* 9.11.12. & 16.

5. *A materia venenata*) Venenum Pestis solo contagio propagandum & illatum, singula conjunctim possidet, *corrosivum* est, *fermentativum*, & *vaporosum* (vide infra lib.6. tit.2. §. *De venenis*) Non in aëris corruptione, præterquam particulari, consistit id ipsum; neque à priori æque, unde primitus emergat, cognitum est, à posteriori vero, optime: Est nempe venenum hoc corporeum, seminale, calore nativo expansivum, sui multiplicativū, humorum corruptivum, & principiorum vitalium destructivum; *Corrosivum* esse demonstrant satis carbunculi, & pustulæ quasi ab ambustione factę, dysenteria, pleuritis, cardialgia, aliaque conjuncta; *Fermentativum*, febris, bubones, anxietate &c. *Vaporosum*, delitia, sopores, vertigo, ipsos sanos quoque impetens eadem domo versantes; Eminet tamen tanquam magis activa vis corrosiva, unde reliqua quasi obscurat, & eadem potissimum necat, si v.g. ventriculus fuerit carbunculo affectus, si mictus cruentus accedat, si hæmorrhagiæ.

Variat etiam effectus hic ratione recipientium subjectorum: Hinc clavis patet, quare tam subito internecionem inferat Pestis, Quare nullum remedium specificum & appropriatum, neque certum & infallibile, quod communiter desiderant, detur; Quidque sentiendum sit de variis hypothesibus de veneno pestilenti, hodie agitari solitis: Pigrum, id & lentum est, omnisque præcautio hinc fieri debet ne in actum deducatur, ne hauriatur, vel haustum mature profligetur indum sibi paret; cum pernicie certa corporis, omnia uno verbo sic veluti pansa patent phænomena. *Wedelius A. M. m. p.316.*

6. *A materia venenata & contagiosa*) Pestis in genere nil aliud est quam morbus maxime cōtagiosus & epidemicus, qui ortum duxit ex miasmate veneriato, ab aëre primum suscepto & hinc per contagiū propagato. *Miasma* istud summe *volatile est*, adeoq; admodum activū, adeo utquaqueversus diffusum virolentiam suā exserat, Unde à quibusdā *spiritus pestilentialis*, ab aliis *Aura venenata*, ab *Helmontio Gas feriundū*, in aëre dicitur. *Gas*, tanquā spiritus incorporalis, nullo sensu proprie cognoscibile

simile cæco isti odori quo mediante canes heros suos cognoscere solent, Summe *contagiosum* est *miasma*, quod miris modis afficere potest, cum non tantum per immediatum contactum corporalem sed per intermedias quascunque vestes, nummos, literas hinc inde transmissas propagatum fuerit.

In specie tamen aërem inquinando ad distans quasi, multiplicitet se propagat, cujus medio fermentum tale pestilens inspiratum mox spiritus vitalis partem quandam afficit, & cruorem plus minus inquinat, unde tam prompte vitæ periculum, hinc & spiritus terrore & metu aut pavore perculsi tam facile contagium suscipiunt; *Natura miasmatis pestilentialis* à nemine hactenus cognita, aut debite explicata fuit: Illustrarunt negotium hoc qui *arsenicalis natura* illud esse asserunt, in specie *Kircherus*, qui suæ putredinali applicat. *Ettmuller.*

7. *Subito*) Morbi hebetiores à seminibus hebetioribus, i. e. magis terrestribus promuventur, Acutiores à semine acutiori, i.e. magis spirituoso & igneo, rapide excitantur, & in terminum suum, aut vitæ exitium furiose jaculantur: Et quo acutiores, eo viciniores venenosæ agitationi, quæ maxime spirituosa, agilis, violenta, perniciosa, Et præcipue quod maxime inimica est naturæ cursui, qui inter Heberem, terrestrem vel Saturninum motum, & Auctiorem, magis spirituosum, seu motum Martialem, est intermedius: Itaque cœlum & terra in microcosmo amice, quo fieri possit conjungantur, quæ in hoc morbo plerumque statim dissociantur: Cœlum in nobis Pestiferam rapidamque veneni virulentiam horret, fugiens quasi per totum corpus, donec plane extrudatur, Sic tandem terra motore suo privata putrefacta & quasi corrupta jacet. *Isaacus Roes Aphor. de Peste* 13.

8. *Subito & lethaliter*) Semina venenosa intro sumpta non raro ita perturbant cœlum humanum, i.e. spirituosam hominis partem, & subito vincunt, ut totum nostri exitium, materialiter & formaliter, absque ullo alio externo adjutorio subinde conficiatur: Et hoc fit propter subitaneam veneni invasionem, & subitaneum terrorem intro conceptum, qui statum non alterat, sed fugat spiritus. *Idem aph.* 34.

8. *Subito & lethaliter*) Venenum Pestilens, quod totius substantiæ dissidio colori nativo infensissimum existit, cum sit tenuissimum ac subtilissimum, simul ac corpus ingreditur, & præcipue cum per inspirationem ejus penetralia subit, facillime labis, ac malignæ suæ venenositatis, notam imprimit sanguini arterioso, ejusque subtilissimæ parti spiritui vitali, cumeoque ad cor procedens, ipsius vitalitatis asylum fortissime impugnat, ut evicto summo illo munimento totius microcosmicum regnum subito devastet. *De Diemerbroeck c.* 12.

Sed quænam est causa tam violentæ operationis? Pestis seminaria interdum sunt minus acuta & lentioris activitatis: interdum acutissima & tenuissima, atque hæc citissime ad cor perveniunt, & maximæ ac velocissimæ activitatis sunt; *Remb. Dodonæus pr. l. 1. cap.* 18.

Qualem autem operationem hæc acutissima seminaria in corde faciant, describit *Hercules Saxonia Prax. l.* 11. *c.* 3. *sect.* 2. *his verbis*, Hinc fit in Peste non raro homines integra valetudine fruentes, & sanorum omnia munia obeuntes, momento temporis quasi fulmine percussos, cadere & interire, quod in aliam causam quam spirituum vitalium à veneno inspiratu accepto, corruptione referri non posse pro constanti haberi.

9. *Cum omnis generis symptomatum*) Est Pestis, quando in morbis adest supremus malignitatis gradus, qui quoniam fere cum omnibus morbis conjungi, adeoque varia symptomata inferre potest, vix peculiarem quendam morbum constituit, sed tantum conditionem morbi pessimam designat, Conjungitur etiam Pestis cum omnibus aliis morbis, unde diverso tempore diversæ Pestes observatæ; Sic ab *Ægineta* prodita est *Colica pestilens*: *Peripneumonica pestilentialis* meminit *Fracastorius*; *Pestem pleuriticam* describit *Joh. Wierus*: Ab aliis *Phrenitides*, *Dysenteria*, *Hepatitides pestilentiales* observatæ &c. *Anginæ* pestilentiales non sunt raræ: *Mercurialis* meminit cujusdam Pestis, quæ *pedes*, *tibias & ossa* ita infestabat, ut correpti intra triduum plurimum interirent, Nec ignota Pestis illa quæ *Sudoris Anglici* nomine venit.

10. Morbus est I. 11. *Epidemius*, propter causam communem & propter contagium, de quo in generalibus.

II. 12. *Cum putredine conjunctus*, 13. *nec tamen ex ea sola judicandus*, nisi velimus vel phthisin, in qua sæpe dimidium pulmonis corrumpitur, magis pestilentem esse: vel ardentes febres majorem perniciem propter ingentem calorem inferre: vel alexipharmaca in peste adhiberi non debere.

III. 14. *Non semper* 15. *cum febre affligens* (licet 16. fatendum sit tandem eam accedere) ut apud *Thucydidem*, pestilentiam Atheniensem describentem, *Vallersolam*, *Pareum*, *Forestum*, *Dimerrockium* videre est.

IV. 17. *Venenosus & perniciosissimus*: tum quia omnes vitales facultates subito opprimit; nec male Chymici ejus veneno 18. venenum 19. napellinum & 20. arsenicale comparant: tum quia ingentem in humano genere stragem edit, de quo Historici consulendi.

10. *Morbus est Epidemius*) Est enim ex genere morborum vulgarium, nam, ut docet *Galenus 3. Epid. sect.* 3 *comm.* 2. Non est certi morbi nomen vulgare vel pestilens, sed quicunque uno in loco multos invaserit, vulgaris est: qui si simul hoc habeat ut multos perimat, Pestis est: Unde patet morbum hunc esse & vulgarem & perniciosum, si quidem multos interimat: Si tamen in quapiam civitate peste unus tantum laboret, non erit tamen negandum morbum illum esse Epidemium, etsi unus tantum eo correptus sit; sufficit enim, ut Epidemius morbus dicatur, si Natura sua sese multiplicare possit, ita ut vulgaris sit actu primo, etiamsi actus secundus impedire possit: *Saxonia* vult quoque Pestem morbum endemium esse, qualis est illa quæ Cairum & Bizantium quotannis exercere solet, sed male, nam Endemii morbi sunt illi qui perpetuo exercent & occupant aliquem locum, ob vernaculæ causæ præsentiam; Talis autem non est Pestis, quæ sub. regiones illas perpetuo non infestat, nec causam habet assiduam & vernaculam, etsi frequenter repetat, quia urbes populosæ sunt, admodum calidæ, aut aliis ex causis, quæ Epidemii morbi naturam non tollunt. *Primirosius.*

11. *Epidemius*) Non possumus non negare Endemiam dari Pestilentiam, quod satis audacter nonnulli affirmant, Morbi enim Endemii regionem quam invadunt nullo non tempore comitantur: Pestis vero & morbi Pestilentiales certa loca, ubi, & quamdiu Deo visum est, affligunt: Et observatur, non solum à nobis, de locis iisdem, ubi familiarior est Pestis, quod non semper grassetur, at per intervalla; Nec omnino æqualiter sævit, sed inordinate pro varietate circumstantiarum: Heu, quam miserrimi qui sub furore morbi hujus semper

grassantis

graſſantis ſemper laborarent, cum ſatis miſeri nos qui interdum ſentimus. *Iſaacus Roet Aph. de Peſte.* v.

Conſtantinopoli Epidemiam eſſe Peſtem referunt, ſed ex incuria eorum qui Reipublicæ præſunt, didici à Viro fide digno qui toto ſeptennio ibi moratus eſt, Dom. *Atland* Horologiopœo Genevenſi: Ait is canes lui cuidam, & ſcabiei epidemiæ obnoxios eſſe, ob quam plurimi intereant; mortuos in vicis paſſim occurrere, ibique computreſcere & diſſolvi: Quin & cadavera hominum nonnunquam inſepulta in vicis jacere; hinc ut mirum non ſit ſi Peſtis perennet cui perpetuus fomes ſubminiſtretur.

11. *Cum putredine conjunctus*) Quomodo venena operationes ſuas noxias exerunt. controverſum eſt, *Th. à Willis lib. de Ferment. & Febr. Cum halitus*, inquit, *ſeu vapor peſtilentialis quempiam invaſit, atque illud virus ſpiritus animales, aut cruoris, aut etiam ſimul utroſque primo corripuit, à ſubtili & tenuiori horum ſubſtantia labes in materiam craſſiorem derivatur, quippe totam ſanguinis, aut nervoſi ſucci maſſam, atque humores excrementitios ubivis ſcatentes brevi fermentat &c.* Item in omnibus venenis attendi vult *Corn. ab Hogelande* pag. 221. Fermentationem.

Hæc autem Fermentatio, vel quaſi fermentatio, comparative ſumpta. ſi ſit admittenda in hiſce morbis malignis, ratione febris fermentativæ (Fermentationem humorum eorum Putredini plurimi ſubſtituunt è Recentioribus) Peſti conjunctæ, non autem ratione veneni, ſeu malignitatis alicujus miaſmatis tantum ſtatuenda venit.

Colliquatio igitur & ſolutio potius admittenda, non vero coagulatio, uti *Willis & Regius* arbitrantur, maxime enim differt Colliquatio à Coagulatione, Hinc illa media quibus febres malignas curari putant, ut *Theriac. Mithrid. ſal. abſinth. card. ben. &c.* non attenuant & incidunt, velut ſibi *Regius* perſuadet, ſed excutiunt per ſudorem, ac ita humores & particulas malignas ac colliquatas elidunt: Neque exemplum de Lacte hic quicquam valet, quia maſſa ſanguinea nunquam coagulatur, aut concreſcit in corpore vivo & vivis vaſis, Oportet autem tunc mortuum fuiſſe animali, moventur enim particulæ ſanguinis per continuam circulationem de loco in locum; quod coagulationi (uti ruſticis notum eſt) contrariatur: Colliquationem vero & diſſolutionem adeſſe oſtendunt Exanthemata, Maculæ, Petechiæ, Ecthymata, Diarrhœa, Vomitiones, Cordis palpitationes &c. *Pitus pag.* 165.

12. *Cum Putredine conjunctus*) Quæſtio hæc utrinque agitatur, *Galenus* ab aliis putridis Febrem Peſtil. differre ſcribit tantum excellentia putredinis, quæ talis tantaque eſt ut veneni vires adquirat, Extremus enim rei cujuſque gradus venenum eſt, ſic quę ſunt extreme calida & frigida venena ſunt; pariter & extremus putredinis gradus, venenaque in corporibus nonniſi ex ſumma putredine generari voluit *Galenus*, quę putredo proprietates habet & effectus veneni, curaturque alexipharmacis: Alii non ex putredine, ſed ex maligna & venenata qualitate, quæ totius proprietate ſubſtantiæ noceat, oriri exiſtimant, ut *Fernelius*, venenumque non ex putredine, ſed humorum corruptione generari, nec omnem corruptionem eſſe putredinem.

1. Peſtilentia hyeme, æſtate, ſicco, pluvio, temperato, intemperato *cœlo* graſſari ſolet, cum tamen illam magis æſtuante aëre affligere deceret.

2. Putrida aëris conſtitutio, utut magna ſit, plerumque ſine peſtilentia eſt.

3. Nulla putrida aut intemperata aëris conſtitutio poteſt in multas regiones vagari, at Peſtis tam late interdum ſævit ut pene univerſum terrarum orbem occupet.

4. Si putredo cauſa foret, ad omnes animantes æque illa pertineret.

5. Occultam adeſſe qualitatem probatur ex iis qui in peſte abſque febre intereunt, ſine aliis putrefactionis notis.

6. Sæpe ex aura, quantitate quidem pauciſſima, ſed qualitate valde noxia peſtis exorta eſt,

7. Idem docet contagio per fomitem, in quo exigua materiæ morbificæ portio in panno contenta tam gravia inducit ſymptomata, nam ſi ſola adeſſet putredo, non poſſet non putreſcere fomes ipſe, cum id quod à putrido tangitur putridum fiat.

8. Symptomata omnia venenum arguunt, ſtatim corpus nigricans, lividum, fœtidum redditur, mors quoque ſubita.

9. Ingentem putredinem ſequitur ingens calor, at febres peſtilentes ſæpe ſunt cum exiguo calore, exigua pulſuum & reſpirationis differentia.

10. Ingens putredo nonniſi à maximis cauſis fieri poteſt, nam cum peſtis cuilibet ætati, ſexui, temperamento bellum indixerit, vix poteſt in hac corporum diverſitate eadem fieri putredo, quæ eximia ſit & excellens: Dicendum igitur in quo conſiſtat differentia inter putredinem peſtilentium & aliarum febrium, nam quamvis putredo interdum adſit, ut oſtendunt ulcera, abſceſſus, bubones, fœtor, urinæ conturbatæ, ea tamen ſemper non adeſt, ut in febribus quæ nullam in pulſu & urinis mutationem obtinent: Ergo cum ſæpe accidat ut ubi minora adſunt putredinis indicia, ſymptomata graviora contingant, ratio colligit præter putredinem adeſſe vim quandam occultam.

11. Peſtis remediis arcanis, ut Theriaca &c. curatur, quod ſi arcanum eſt quod juvat, arcanum etiam erat quod nocebat: Nec iſta tantum juvant ſiccando, cum plurima adſint exſiccantia quæ non juvant, ut pumex, os ſepiæ &c.

Ex prædictis concludendum videtur Febris Peſtilentis naturam non conſiſtere in putredine, quamvis putredo adeſſe poſſit & ſoleat, nam putredo ſæpe gravis non eſt, etſi morbus ſit graviſſimus & ſæviſſima habeat ſymptomata, imo interdum ſine ulla putredine mors ſubſequitur, quando cauſa externa tam ſubito potenterque agit, ut antequam humores putrefacere poſſit, interimat: quando autem putredo adeſt, ea tamen nonniſi quia veneno conjuncta eſt interimit; &c. Igitur ſi cauſam externam, ſcil. aërem ſpectemus, tantam in eo malignitatem interdum reperiri fatendum eſt, ut ſine putredine humorum veneni inſtar interimat, quia ſpiritibus admiſtus, ſtatim cordis vires labefactat: Sed ſi diutius agat in corpus, humores putrefacit.

Adeſſe autem putredinem oſtendunt ſymptomata putridis communia, horrores, inquietudines, ciborum faſtidium, capitis dolor, linguæ oriſque ſiccitas, ſitis, bubones; carbunculi &c. quæ putredinem & febrem arguunt: hæc autem putredo ideam febris conſtituit, ut ſynochos, vel ardens, alteriuſvè generis; ſed ut peſtilens ſit, venenata qualitas adſit neceſſe eſt, ut patet quia habet effectus veneni, ſoliſque curatur alexipharmacis, univerſum corpus corrumpit & immutat ſicut venenum, humoreſque putrefacit, unde inferendum raras eſſe Peſtes quæ non ſint cum putredine. *Primiroſius.*

Peſtem ex Putredine oriri non exiſtimo, quamvis Putredinem ex Peſte oriri non negabo; Plane enim neſcio an Putredo humorum, ut vocant, venenum tale volatile & pernitioſum, quale in peſte agnoſcendum, generare poſſit, Imo ſtrenue oppugno: Neceſſe tamen videtur Putredinem in corpore Peſtem jam illam conſequi. *Iſaacus Roet aph. de Peſte* VIII.

Non primario oritur ex Putredine, nam Putredo eſt una ex illis cauſis quæ tantum ſecundario corpora

ad Pestem disponunt; Hæc enim humores corrumpendo, & spiritus alterando ac inficiendo calorem nativũ ad sui coctionem & expulsionẽ necessariũ distrahit, & simul robur viscerum imminuit, naturæq; vires infringit & impotentiores reddit quã ut pestilenti veneno resistere queant; Hinc fit quod in constitutione pestilenti ad omnes morbos putridos, qui homines tunc invadunt, se Pestis facile adjungat, & raro tunc morbus putridus Peste incomitatus cernatur: quia dispositio eorum qui morbis putridis affliguntur mediante putredinis occasione apta redditur ad Pestem recipiendam. *De Diemerbroeck cap.11.*

12. *Cum putredine conjunctus, nec tamen ex ea sola judicandus)* *Fernelius* l.2.Abd.c.12. abunde docet *Pestilens venenum è nulla putredine oriri*, sed ex peculiari venenata qualitate, Si quis, *ait*, ex vobis contentiose asseverat putredinẽ causã esse Pestilentiæ, sed quę tamẽ non una semper sit & ejusmodi, verum nunc illi, *nunc alteri animantium generi perniciosa*, necesse est fateatur malignam hanc esse quæ huic illive præcipue adversetur: Id autem quid aliud est quam venenum, tota substantia non venenata qualitate infestum? Nemo enim explicare possit quis modus, aut quæ ratio sit ejus putredinis, quæ vel bobus, vel ovibus, vel hominibus solis sit infensa.

Id si nec dilucide exprimi, nec animo percipi potest, debet in eorum genere censeri, quæ cœca obscura & abdita nuncupamus, & tota substantia contraria sunt, totoque genere deleteria, quæ nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerunt: Itaque quicquid afferatur, omnis Pestilentiæ cœca & delitescens est causa, & aliunde quam ex primis qualitatibus, aut ex putredine profecta.

His ita dictis, mox subdit quod illa à cœlo defluat, paulo inferius sic pergit.

Cum Peste, *inquit*, correptus solo spiritus halitu, aut excrementorum exspiratione assidentes vel integre sanos labefactet, hique vestibus contagium longius portent, reserventque diutius, constat hanc non simplicem putredinem, sed multo immaniorem perniciem esse, quæ tenui eoque admodum repentino aëris inquinamento tenetur, hancque alio quovis veneno expeditiorem; Non enim si quis toxicum ebiberit, aut sit à scorpione demorsus, halitu alios inquinet.

Reliqua symptomata si diligenter expenderis, pulsum parvum & obscurum, animi defectionem, syncopen, Vomitionem assiduam, jactationem cum vigiliis, omniaque fere nullo sensu doloris, quis vestrum hæc non potius veneni quam caloris putridi sobolem dicat &c, *addit*; Si illarum febrium urinæ sanis sint simillimę, sici nequaquam potest ut in vasis mala putredo subsistat, quæ interitus sit causa, sed latet nonnihil gravius pestilentiusque putredine, quod nimirum cordi totius substantiæ repugnantia & dissidio adversum sit, & tanquam deleterium. *Vide plura loco citato.*

13. *Nec tamen ex ea sola judicandus)* Toto errat cœlo qui docet Pestilentiam non esse distinctum quid ab aliis morborum generibus, *viz.* à morbis intemperiei, malæ conformationis, & solutæ unitatis, *Mercatus l. 3. p. 1. cl. 1. art. 4. qu. 176.* Hi enim morbi à causis communibus oriuntur, Pestilentia vero à veneno tantum externo; quod ubicunque in humanis corporibus operatur, semper producit Pestem; Quod fit non ab intemperie aliqua in corpore (humoribus nec nimis calidis aut frigidis, nimis humidis, aut siccis existentibus, nec quantitate peccantibus) multo minus à mala conformatione ullius partis, aut solutione unitatis, sed tantum à veneno jam intus sumpto, & cœlum humanum directe destruente.

Exinde affirmant Pestem non esse peculiare morbi genus, sed ubicunque sit morbus vulgaris, perniciosus, & contagiosus, ibi Pestis, quasi sint plures Pestilentiæ, *Et supra addit*, Febres Pestilentes à Putridis distingui per solam Putredinem, quod negamus. *Isaacus Roet Aph. de Peste 3. & 4. l. 2.*

Athan. Kircherus, Pestis propriam essentiam statuit innumerabiles vermiculos insensibiles, atomorum instar per aërem vagantes, glutinosa viscositate præditos, qua facile rebus adhærescunt: Consentientem habet *Christ. Langium*, qui Pestem animatam esse statuit Præfatione ad *Kircheri* scrutinium Pestis; Quin & Variolas Morbillosque dictus *Langius in miscellan. curiosis* vermium sobolem esse *ait Kircherum sequutus.*

14. *Non semper cum febre)* Differunt Pestis & Febris Pestilens tanquam species à genere, quia Pestis dari potest sine Febre, ut docet *Hippocr. 3. Epid.* multis in locis, & *Galen.* in comm. Et *9. de S. M. F. cap. de terra Samia.* Ratio suffragatur, cum venenata qualitas non habeat necessario sibi adjũctam putredinẽ à qua febres exoriuntur, potest enim venenata qualitas produci in humoribus per integrã eorum substantiæ corruptionẽ, & novæ formæ introductionẽ, a qua dependet illa maligna qualitas: At certum est quoties nova forma introducitur priorem corrumpi, ad easque mutationes esse necessarias alterationes prævias, non autem putredinem, ideoque humores tantum corruptionem pati posse citra putredinem, quia tamen humores corporis nostri putredini maxime obnoxii sunt, raro tantam corruptionem pati possunt quin putredo etiam interveniat, Quapropter rariores sunt illæ Pestes quæ febrem non habent comitem; Ita multæ febres, quæ ab initio non sunt Pestilentes, si quapiam de causa intensior facta sit putredo, in malignas & pestilentes desinunt; Quod vero sæpe corruptio putredinem præcedat, colligitur ex iis qui per contagium peste afficiuntur, in quibus venenata qualitas prius communicatur, eaque corrumpuntur humores, hancque postmodum corruptionem putredo subsequitur: Unde fit ut peste affecti primis interdum diebus febre careant, quæ deinde apparere incipit cum putredo accenditur; Simile quoddam apparet in parte gangræna affecta, quæ prius corrumpitur, postea vero putrescit. *Riverius.*

14. *Non semper cum febre affligens)* Dubium est an Pestis sit febris, negant enim plurimi omnem pestem esse cum febre conjunctã, ut *Massaria.* P. *Salius* contra *Mercurialis*, *Cardanus* & alii, à peste febrem separari non posse contendunt, quod tamen repugnat Veteribus, præsertim *Galeno*, qui pestes sine febre esse posse scriptum reliquit: *Hippocr. 3. Epid.* symptomata pestifera quæ recenset, ait fuisse partim cum febre, partim sine febre: *Galenus* bolum Arm. commendat ad pestis curationem, eamque præbet cum vino si febris absit; Et ratio suffragatur, nam interdum à veneno jugulantur homines antequam humores putrefiant & accendantur, unde repentinæ mortes sine gravi symptomate contingunt, *Jac. de Partibus* se vidisse ait ægros sine febre qui statim interibant; Cum enim aër venenata & occulta qualitate operatur, non semper putredinem infert, sed hæ Pestes raræ sunt, sæpius autem cum febre contingunt, At vero si sepuca partes putrefacere possunt citra febrem, quidni & venenum pestilens? Distinguenda ergo Febris pestilens à Peste, quod hæc sit epidemica, vulgaris, contagiosa, Illa vero etsi non minus sit maligna & perniciosa, non tamen grassatur in obvios. *Primrosius. Ptens p. 153.*

Quædam Pestis omnino sine febre est, Hoc qui ignorat majori indiget experientia, & se non satis in bonorum auctorum scriptis versatum prodit; Non paucis adfui quibus, alias sanis, bene & dormientibus & comedentibus; Bubones erant in inguine, in collo, sub axillis & post aures, malignitatem suam in curatione magis manifestantes quam illi Bubones qui febrem intensissimam comitem habebant; Imo quidam jam

satis

satis admoniti, sed homines præfractæ mentis, summeque increduli, magno suo damno experti sunt hosce buboees ad interiora propulsos & imminutos, illico graviora symptomata excitasse, & multo periculosiora iis quam quæ media convenientia adhibentibus eveniebant, & hac de causa etiam facilius curabantur. *Paulus Barbette Tract. de Peste.* Febris nempe est motus naturæ irritatæ, dum ergo mox prosternitur spirituum exercitus, ut siderati quasi intereunt, & hinc primarium naturæ robur deficiat, absque febri, periculosissime tamen decumbent ægri, *Ettmüller.*

Medicorum mos est omnia sensu æstimare, quia itaque calor de essentia febris non est, & tamen omninm citissime sua tempora absolvit, & quandoque paucarum horarum spatio vel interimit, vel intermittit, vix in ea calor cognoscitur; bene optimeque tamen percipitur *cordis irritatio, proxima Febris causa.*

2. *Hippocratem & Galenum* liquet idem dixisse, hanc febrem quod ignis est, uti patet in Peste, sæpe enim contingit, raro vel æstum insignem, vel calorem mordacem sentiri, unde hac ratione concludi non posse febres non adesse: Nec hoc tantum in Peste contingit, sed & febribus Pestilentialibus, quæ haud raro sins ae caloris expertes suam tamen peragunt tragœdiam: hinc colligendum *Febris essentiam in calore non consistere*, sed potius in vehementi ac molesta cordis irritatione, à particulis acutis, & miasmate infectis orta.

Hac itaque irritatione destitutam esse Pestem non facile dictu est, licet ob citissimum suorum temporum decursum nonnunquam minus percipiatur: Idcirco non adeo sollicitus sum de quorundam solutione, dicentium, Medicos, qui Pestem cum febre continua conjunctam esse contendunt, ad sordidam suam praxin oportere accuratius attendere. 3. In Peste ob materiam malignam & colliquatam, motus ignis naturæ ita quandoque inhibetur ut pulsus vix sentiri possit, Unde contingit illis in morbis minus sensibilem esse irritationem. *Picus p. 154.*

15. *Cum febre*) Observatum hoc, scituque dignissimum est, morbi perniciem & malignitatem usque eo increscere interdum, ut & thorax totus, & intima præcordia, ipsaque adeo viscera, vehementer uri, repentinoque velut incendio flagrare videantur, ac nihilominus dissitæ externæ partes frigeant, atque ipsum etiam dorsum obrigeat, fiatque, quod ait Avicennas, febris foris quidem mitis, intus vero conturbans; Hanc idcirco omnium ex putredine pestilentium deterrimam atque perniciosissimam, coovenienti aptoque nomine. *λοιμώδη* pestilẽtem appellare liceat, ut in qua insitus calor, nobilissimi visceris affectu imminutus, in totum corpus diffundi nequeat; Attamen exiguus pusillusque is qui præcordia obsedit, acrimoniæ, fervoris, atque vehementiæ tantum acquirat, ut ritu cucurbitulæ calorem ab extremis usque partibus corporis universum ad sese revocet: Nec enim aliunde fit ut ægri sub hac febre inalgescentes frigidioresve contactu percipiantur. *Saracenus de Peste pag. 144.* Leipyriam febrem inflammationis internæ progeniem ut plurimum esse constat; at vero in Peste, ex sectione cadaverum ea lue denatorum, compertum est carbunculos intimas etiam corporis partes obsedisse, ventriculum præsertim.

16. *Fatendum sit tandem eam accedere*) Venenum Pestilens, quod tenuissimum ac subtilissimum, facillime venenositatis suæ malignæ notam imprimit sanguini arterioso, ejusque subtilissimæ parti, spiritui vitali, cum eoque ad cor procedens, ipsius vitalitatis asylum fortissime impugnat, ut evicto summo illo munimento totum microcosmicum regnum devastet: Hujus tyranni insultibus *natura* sese opponit, omnesque vires intendit, ut dirum hunc hostem reprimere, retardare, & quam longissime è penetralibus suis propellere & arcere possit.

Hæc pugna si cito peragatur, & cor vel à majore seu fortiore veneno statim suffocetur, vel illud statim foras expellat, antequam ulla humorum putredo generari possit, tunc fit Pestis sine febre, & sæpe etiam fiunt anthraces ac bubones sine febre, Si vero pugna hæc diutius perduraret, & calor nativus in certamine adversus pestilentem hostem occupatus debilitetur, ac in coctione & regimine humorum corporis imbecillior evadat, non possunt non humores cito putredinem concipere, è qua tunc febris exsurgit, quæ etiam maligna ac pestilens evadit, à pestilentis veneni infectione, ipsis quoque humoribus communicata: Tunc cor à duobus malignis hostibus impugnatur, nempe à pestilenti veneno, & à putredine febrili, Pestilentis tamen veneni invasio tempore & natura putredinem febremque antecedit, atque ita putredo & febris sunt & fiunt symptomata Pestis.

Illa vero febris vel citius vel tardius pestilentis veneni invasionem sequitur, & major vel minor, ac hujus vel illius typi, vel propter humorum putrescentium confusionem, absque typo est, prout pestis invadit hoc vel illo tempore & loco, & corpus hoc illove modo vel bene vel male temperatum &c.

Hinc statuimus Pestem de essentia Febris non esse, sed hanc ab illa differre; & sine illa esse posse; Pestis quidem multoties cum horrore invadit, sed non semper, neque etiam calorem intensum semper sequitur, nam ejusdem excessus haud raro in ægris toto morbi decursu animadvertitur: Quantum ad symptomata, vigilias, sitim &c. neque illa semper in peste apparent, neque semper sunt certa febris indicia. *De Diemerbroeck.* cap. 12. ubi fuse ventilatur hæc quæstio.

Pesti necessario febrem adesse non prius credam quam tu affirmatis bonis rationibus illud me docueris, An eos qui subito correpti concidunt in mediis compitis ac triviis, cum antea incolumes domo egressi essent, febre etiam affectos fuisse, tam subita, tam unprovisa, tam insensibili dicendum sit. *Andreas Dudithius Epist. Med. à Scholtzio collect. 52*

Fernelius 2. de Abd. c. 12. apertissime distinguit inter Pestem & febrem, Et licet Pestis cum febre invadat, tamen Pestem esse quid diversum à Febre statuit, idque eo manifestum esse quod desinente febre ægros postmodum sæpe extinguat sola Pestilentia.

Initio, *inquit*, calor vehemens, sitis, capitis dolor, vigiliæ, nausea, aliaque vehementia symptomata, exercebant; simul urinæ cernebantur rubicundæ, crassæ, turbidæ, atque coenosæ, omnia in septimum diem persistentia; Hoc vero ipso die urinæ puriores evadebant, coctione manifesta, quotidie in melius procedente; Cum ita se persanatum iri magna spe, Medicorum judicio, sibi pollicerentur, plerique non multo post peribant; Pulsus quippe hinc in dies sensim minuebatur & languescebat, totiusque corporis robore pedetentim dissoluto, intra 14. demum diem mortem oppetebant; In his ergo febribus putridis immista erat Pestilentia, & die septimo, evicta jam putredine, perseverans Pestilentia tacite ac furtim jugulabat.

17. *Venenosus & perniciosissimus &c.*) *Causa proxima* hujus Febris Pestilentialis est cordis irritatio à particulis venenosis, malignis & quasi arsenicalibus ac mercurialibus, ad febrem hanc malignam excitandam idoneis, quæ spiritus & sanguinem in colliquamenta ichorosa, acria, maligna & contagiosa mutant atque dissolvunt (uti minimæ particulæ Viperæ, Scorpii, Tarantulæ &c. venenosæ ex corpore eorum exspiratores, statim hominum spiritus ac humores, seu proportionatos seu disproportionatos, colliquant & dissolvunt, & per consequens mortem repentinam inducunt: Differunt vero hæ solutiones ac colliquationes, & ichorosæ & malignæ, tam ratione ipsius veneni quam ratione subjecti in quo fiunt, Nam si quis homo admodum imbecille se

habeat, citissime à venenoso contagioso jugulari solet; cum contrarium observetur in illis quibus cor contingit robustius, quodque validius obniti possit contrariis qualitatibus, ac temporis usu assueris, nam plures, si historicis fides adhibenda, per consuetudinem, venenum alias non transiens, familiare sibi fecere. Notum quod de Mithridate circumfertur, *Martialis* Epigramma.

Profecit poto *Mithridates* sæpe Veneno.
Toxica ne possent sæva nocere sibi &c.

Pieni pag. 163. part. 2.

18. *Venenum Napellinum & Arsenicale &c.*) Ad exprimendam Pestis naturam solent Authores corpora quædam venenata eligere, & ab eorum nominibus elogia teterrimi istius morbi conficere (*ut Quercetanus*) quare in definitione Pestis virus Napellinum, Aconitale & Arsenicale vulgo recensentur; quorum tamen vis lethifera, cum in materia valde crassa consistat, & nonnisi corporeo contactu sese exserat, Luis pestilentialis essentiam non rite imitatur, hæc enim in miasmate vaporoso & spirituali fundatur, à qua effluvia quaquaversus diffusa se adeo potenter explicant, ut ex minimo seminario feracem mortis & exitii segetem cito propagent; Ob insignem ejus activitatem Veneni velut quædam quinta essentia hoc miasma dici meretur: hujus particulæ valde agiles & subtiles quævis penetrant corpora, & fermento suo inspirant; sive enim per aërem dispersæ, vel in fomite quopiam reconditæ, corpori humano, leviter licet, & quasi per transennam impegerint, ipsum facile subeunt, Spiritus tum animales, tum cruoris, cito inficiunt, & exinde labem venenosam in membra omnia brevi diffundunt. *Willis l. de Feb. c. 12.*

19. *Venenum Napellinum*) Non temerè Pestis Venenum potius qualitati cuidam Napellum ac Aconitum, naturæ similitudine referenti, quam nudæ, exquisitæ licet aëris corruptioni tribuo: Dico autem (ne quis dicta mea in calumniam inducat, Venenum quod Analogiam cum *Napello & Aconito* habeat, non vero quod ipse Napellus aut Aconitum realiter ac immediate (quod esset absurdum) pestiferas omnes infectiones inducat: Hac siquidem ratione sequeretur, tum regiones & plagas his venenatis plantis carentes, tum iisdem quodammodo refertas; illas quidem nullas prorsus, has vero continuas pestilentias experiri, quod utrobique falsum.

Similitudo vero quam lues pestifera habet cum Napello præ reliquis videtur insignior, utpote quod, pestis instar, singulari quadam velocitate tam homines quam bestias necare solet: His adde quod dicta hæc venena minime qualitate agant manifesta, sed occulta, maligna, aut, ut uno verbo dicam, pestilentiali, utpote quæ non aliter quam per solos concipi effectus, ut & ipsius Pestis contagium potest: qua sola effectuum similitudine Pestis venenum Napellinum & Aconitale dicimus &c.

Sagax ac provida natura Malignitatem Napelli, quod Aconitali longe subtilius agit, & velocius, hieroglyphico veluti calamo ad vivum expressit, dum in floribus ejus cranij humani (potius galeæ) sive mortis figuram expressit. Ac licet integra planta subtili hoc veneno sit perfusa, radix tamen reliquas partes malignitate longe superat, quia vel exterioribus solum digitis leviter attrita, per eosdem, ob innumeras nervorum, venarum, & arteriarum propagines quodammodo eo desinentes, via facta ad cor, reliquaque nobilia viscera, momento quasi interimat; non aliter ac ubi pestiferi utrius sudantem aliquandiu detinueris manum, quamprimum contagio te infectum senties.

Symptomata vero quæ *Napellus* à Pestis symptomatibus vix latum unguem distantia profert, sententiam nostram confirmant; Eorum siquidem qui ejus venenum hauserunt fronté si conspicimus sudore gelido madentem, eorumque externum corporis habitum quodammodo glacialem, frigoribusque rigentem, intrinsecis partibus nobilioribus interim æstu conflagrantibus: Oculi quoque horribili circumvolutione adstantes terrent, facies livida, labia omni spoliata vigore, maxillæ detortæ, lingua sicca, nigra; pulsus interceptus, cor oppressum, omnes cerebri sensus turbati, conconvurantibus lipothymiis ac deliriis frequentibus: Quæ Pesti pari prorsus ratione symptomata adesse solere quotidiana experientia confirmat, Vnde merito concludimus propter hanc effectuum analogia Pestis venenum Napellinum haud inepte vocari. *Quercetanus Pestis Alex. cap. 6. p. 130.*

20. *Et Arsenicale*) Arsenicale vero non minus vere à similitudine dici, hinc patet, Sicuti enim corporeum ac septicum Arsenici mineralis Sal, cutem nostram contactu suo quam promptissime cauterisat, Sic & cauteria, quæ Pestis corporibus nostris sub forma anthracum, & pustularum inurere solet, salis ejus Arsenicalis corporalis ac septici, certi sunt indices. Observandum autem est, quod sulphur Arsenicale maligna sua subtilitate cordi præcipue ac spiritibus vitalibus bellum indicit &c. *Idem ibid. p. 132.*

Non hic est audiendus, *Th. à Willis lib. de Ferm. & Febr.* Venena Arsenicalia deridens, *Ad exprimendam*, inquit, *Pestis naturam, solent Auctores corpora quædam venenata eligere, & ab eorum nominibus elogia teterrimi istius morbi conficere, quare in definitione, Pestis Virus Napellinum, Aconitale & Arsenicale vulgo recensentur, quorum tamen vis lethifera cum in materia valde crassa consistat, & nonnisi corporeo contactu sese exserat, Luis pestilentialis essentiam non rite imitatur.*

Comparatiò tamen inter *Arsenicales* particulas meo judicio optime peragitur; Nam uti particulæ arsenicales subito vitam cum morte mutare aptæ sunt; ita venenosæ particulæ pestilentiales; & uti arsenicales particulę contagiosæ sunt; ita & pestilentiales: Argentum vivum, in quo multæ sunt arsenicales particulæ, ita contaminat ut homo ab homine vitietur; Si massa sanguinis est vitiata, saliva certe hominis Lue Venerea (quæ crassam tamen habet materiam) laborantis eum morbum vulgat: Ac si ejus corpus unguento argenti vivi perunctum sit, saliva æque pestifera est, ac contagiosa atque ipsum argentum vivum. Saliva hominis, *inquit Jeremias Barthius*, Venereo morbo laborantis, ab usu mercurii mineralis & emplastri Mercurialis, mures aliquot qui ipsam noctu linxerant in ipso hypocausto, ubi is decumbebat, interemptos observavi &c. *Pieni p. 163.*

V. *Symptomata omnis generis inferens.* [21]. Solet ei accidere.

1. [22]. *Capitis vehemens tensio* cum dolore & calore vehementissimo conjuncta: sed & ejus *glabrities*, menti & ossium denudatio & decidentia; ut Hippocrates tradidit.
2. [23]. *Oculorum rubor*, huncque Galenus pro certissimo pestilentiæ signo statuit, inprimis, si frigida abluti magis inflammentur.
3. [24]. *Contractio* membrorum.
4. [25]. In quibusdam perpetuæ *vigiliæ* in aliis *sopor*.
5. [26]. *Pulsus* quandoque per totum morbum sano similis.

6. [27]. *Tussis sicca* quam omnibus pestilentialibus morbis adesse docet *Galenus*, sed refragante experientia.

7 [28]. *Vrina* multis optimi caloris & sedimenti sanorum similes, cum nempe venenata qualitas in solum cor & spiritus agit; multis igneæ, cum calor igneus nimis excandescit; aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, propter caloris nativi imbecillitatem & magnam humoris ebullitionem; nonnullis sanguineæ, quòd maxima malignitas venularum orificia aperiat; quibusdam una eademque die variæ modò malæ modo bonæ &c. quæ omnia partim à diversa corporum constitutione, partim ab ipsius pestilentialis constitutionis varietate proficiscuntur.

8. [29]. *Excrementa alvi* fœtidissima, confusa, turbida, liquida & oleaginosa, in quibus, modò glutinosa corpuscula, albi, crocei, & viridis coloris; modò quippiam ovo fœtido aqua diluto simile.

[18]. *Symptomata omnis generis inferens*) Symptomatum diversitatem nonnulli male opinati sunt dependere à veneni Pestilentis naturæ diversitate, quod tamen est semper unius ejusdemque naturæ, differens tamen in quantitatis vel qualitatis majore vel minore excessu, non in natura, cujus ratione modo plures & vehementiores, modo pauciores & leviores, effectus edit: Præterea illam symptomatum diversitatem parit partim diversa corporum dispositio, quæ causa est quod alia in biliosis alia in pituitosis, alia in euchymis, alia in cacochymis, alia in juvenili, alia in senili corpore producantur. Partim ipsius pestilentis constitutionis varietas, quæ prout conjuncta est cum putredine pravis exhalationibus, fervoribus vel frigiditatibus, humiditatibus vel siccitatibus, longe diversa symptomata suscitat; unde fit ut in una Peste non contingant eadem quæ in alia, nec in omnibus pestibus eadem lædantur subjecta: In una enim maxime corripiuntur mulieres, in alia viri, in alia pueri, in alia adulti, in alia sola bruta, in alia soli homines, prout scilicet modo horum, modo illorum corpora (ratione aëris, temperamentorum, alimentorum, animi motuum &c.) magis ad infectionem suscipiendam apta sunt, Non enim una Peste omnes peccatores simul castigare & extinguere, sed modo brutorum internecione nonnullos magno damno mulctare, sicque Dei sui, suorumque peccatorum (quorum nomine talia fiunt) memores facere; modo multos homines è medio tollendo, alios superstites ad timorem Domini & pœnitentiam adducere decrevit Altissimus.

Talia non considerantes multi Medici, putarunt hactenus ipsum Venenum pestilens esse diversum, idque interdum dipsadis, interdum viperæ, interdum cicutæ, interdum napelli, interdum arsenici, interdum alterius toxici naturam æmulari, Cum tamen operationum diversitas non à naturæ ipsius veneni diversitate, sed potius aliunde procedat. *De Diemerbroeck. cap. 7. §. 13.*

[21]. *Symptomata omnis generis*) *Adjunge sequentia*, Manuū & pedum quandoque *Tremorem* Nonnunquam *convulsivos motus* manu ægri carpo admota; *Horrorem* frequentem de die accedentem: *Lassitudinem universam*, ita ut ægri continuo querantur membra exteriora sibi contundi: *Nauseam & Vomitum*, unde nec sensus appetentiæ, sed potius corrosio persentitur: Continuam orificii ventriculi valde nervosi vellicationem & corrosionem, *Cardialgiam* facientem. *Sitim*, quæ quandoque est, quandoque abest, prout inflammatio viscerum, vel æstus, vel particulæ calidæ & sulphureæ circulando sanguini magis minusve inhærent; cum vero dissolutio, ac particularum colliquatio major sit, unde acres, salsæ ac sulphureæ particulæ ex potentia in actum excitari nequeunt, ac virtutes earum magis magisque franguntur, ut molles fiant, *Sitis* parum aut nihil sentitur: Apparet etiam *Sudor* toto febris tractu, quandoque nonnisi in statu & vigore; hic autem index est colliquationis sanguineæ massæ: Ex *qualitate mutata* occurrit *Calor*, qui nonnunquam nec acris nec vehemens, sed mitis, blandusque sentitur, partesque exteriores tepescere videntur, mordax & acris apparet, si æstus vel inflammatio alicujus visceris adsit: *Maculæ* etiam animadvertuntur, eæque variis sunt coloris, aliquando purpurei, aliquando flavi & nigricantis; quarum postremæ omnium pessimæ: *Facies* à naturali ac vivido statu brevi multum mutata: Maxime in vera Peste *Bubones*, *Carbunculi*, *Parotides*, aliæque excretiones ad partes ignobiles à natura factæ apparent, quæ omnes apparent conatu naturæ particulas morbificas in habitum corporis expellentis. *Piens p. 172.*

[21]. *Symptomata omnis generis*) Præter febrem multa symptomata horrenda & gravia Pestem comitantur, quorum alia hæc, alia illa subjecta, pro veneni magnitudine, & cujusque naturæ ac temperamenti diversitate invadere solent: Hæc autem vel sunt morbi à Peste orti, vel mera symptomata, excrementorum vitia. Suntque vel Pestis magis propria, & cum aliis paucis morbis communia, ut bubo, anthrax & exanthemata; vel minus propria, & cum pluribus aliis morbis communia. *De Diemerbroeck cap. 13. Ista addiucit P. Barbette.*

Peste correptorum hæc *Signa* sunt, *Horrore* corripiuntur, mox *æstu* interno, Ingens hic sæpius *æstus*, *Siti* existente levi, Aliquando vero *Sitis* magna febri leviori juncta; Sed plerumque sive febris magna, sive parva adfuerit, *linguæ siccitas* & *urinæ* constitutio ea quæ est sanorum conspicitur: Aliquando ægri *somno* valde sunt dediti, aliquando *delirant*, aut gravi *capitis dolore* vexantur, & tum *oculi album ignei coloris* est, & *vigiliæ* admodum infestant, *Anxietas cordis* magna, *Pulsus parvus*, si non primo levioríque attactu (sic enim sæpius magnus) vehementiori saltem digitorum compressione persentitur; *Vires* modo in principio, & longe vehementius quam in ardentissima febri non maligna, destruuntur, nonnulli *diarrhoea* affliguntur, nullis medicamentorum viribus curabili: Quidam vexantur *hæmorrhagia* narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri: Alios *vomitus* molestat continuus, alios *nausea*, Sunt quibus *maculæ* rubicundæ aut purpureæ erumpunt; multi *Bubones* post aures, in collo, sub mento, in inguine, sub axillis habent; In aliquibus *Exanthemata* rubicunda, In quibusdam *vesiculæ* albicantes, in nonnullis *Carbunculi*, in aliis *Petechiæ* se produnt, Et tales Vesiculæ, *Bubones*, *Carbunculi* &c. ubi adsunt, Pestis certissimum signum evadunt; etiamsi nullius fuerint magnitudinis, præsertim si febri conjunguntur, aut eam insequantur. *P. Barbette.*

Sequentia enumerat *de Diemerbroeck*.

Jactationes corporis, terrores adsunt, convulsivi subsultus, & quasi leves membrorum contractiones, visus turbidus, aurium tinnitus, & in nonnullis sibilus; linguæ siccitas, rarius tamen nigredo; oris & sudoris graveolentia, hæmoptysis, tussicula sicca, inappetentia, oris ventriculi dolor, singultus, alvi dejectiones crudæ,

admodum fœtentes utplurimum turbidæ, ac interdum cum vermibus: Vrinæ multis optimi coloris & sedimenti, sanorum urinis similes, multis igneæ, aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, nonnullis etiam unica die variæ, nempe modo bonæ & laudabiles, modo turbidæ vel igneæ, aliquibus quoque sanguineæ. In aliis impotentia ad motum ab ipso morbi initio, in aliis vires robustæ usque ad mortem: Calor corporis in aliis acer & vehemens, in aliis tantum naturalis: Color vultus aliis pallidus, aliis erysipelaceus, plurimis sanorum colori non multum absimilis. *De Diemerbroeck.*

Sequentia tradit, cum aitiologia, Fr. Sylvius.

Symptomata in peste quavis observabilia, vel spectant *Functiones Naturales*, vel *Animales* læsas: Inter has primum locum assignare solemus *Externis sensibus*: In genere autem plus minus observantur in Peste minui ac debilitari *sensus externi*, unde non tantum lumen fere fugiunt *Oculi*, sed est quoque visus obscurior; *Aures surditate* aliquali afficiuntur, *Nares* non satis commode *olfaciunt*, Nec *Lingua sapores* rite *dignoscit*, nec *Tactus* integer permanet, quamvis ista sensuum externorum læsio non semper observetur ab ipsis ægris, sed à Medicis potius & adstantibus. Rarius quidem in totum *excæcantur ægri*, nec nisi urgente affectu gravissimo; Omnium autem Externorum diminutionem simul contingentem, nonnisi à *vitiosa spirituum animalium constitutione* deduci posse autumo, utpote causa unica ad singulorum functionem concurrente ac communi: In vitio autem sunt spiritus animales 1. si *pauciores* ad sensuum organa deferantur, 2. *Si eo ferantur inordinate* ac confuse 3. Si eo ferantur *impuriores*, atque cum aliis rebus confusi. In Peste aliquando *pauciores* tum in corpore existere, tum ad sensuum organa deferri animales spiritus non nego, id tamen continget inprimis post diuturnas vigilias & inquietudines perseverantes, aut summos dolores, sudoresque profusos, adeoque ubi omnia in deterius vergant; hanc proinde causam serius locum habere arbitror.

Sæpius autem puto *inordinate*, ac *confuse* ad sensuum organa deferri tunc spiritus animales, & inprimis ubi se hoc affectu affectos sentiunt, aut metuunt ægri; ob fere junctam in omnibus animi consternationem ac conturbationem ex imminente vitæ periculo, unde mente conturbata, non mirum spiritus quoque animales confuse ac inordinate ferri quaquaversum Hinc est quod licet in multis permaneat ad extremum vitæ finem motus animalis & voluntarius, non sit tamen idem firmus ac robustus.

Eosdem *spiritus animales impuriores* quoque existere arguit tam frequens in Peste *delirium*, & universi sanguinis corruptio, ab impuris spiritibus necessario ortum.

Nulla vero sanguinis corruptio spiritibus animalibus facilius & nocentius impuritatem conciliabit, quam illa quæ à *Sale volatili* producitur, quippe quod facillime & arctissime se spiritibus animalibus, utpote volatilibus, adjunget ipsosque vitiabit; Cum proinde à Sale volatili, & propter acrimoniam nimiam vitioso, deduci possit memorata sensuum externorum omnium debilitas in Peste ordinaria, & hactenus quoque à sale valde volatili & acri produci poterit Pestis.

Non tantum in operatione sua debilitantur in Peste sensus externi, verū non raro *molestia* insuper afficiuntur ac *Dolore*, Sic *Aures* quibusdam *tinniunt*, & *lumen absque molestia nequeunt ferre multi*, & *Ardore interno ac molesto*, cum *inquietudine conjuncto* queruntur plerique, inprimis molesti sunt nonnullis *Dolores capitis, cordis & lumborum*.

Tinnitus Aurium.

Hi *vapores, halitus*, aut *flatus* omnium consensu arguunt; Istorum autem omnium efficientem in corpore causam, præter *bilem* aliosve humores bili analogos, nemo unquam ostendet: Quo autem bilis acrior in corpore occurrit, eo plures, adeoque molestiores flatus halitusque excitari notum: Eadem bilis, cum sale volatili constet, nemo non videt Aurium tinnitum pro causa efficiente agnoscere salem volatilem & acrem.

Lumen Oculis molestum.

Cum lumen moderatum recreare soleat visum, quoties idem ipsi grave ac molestum existit, toties in oculo vitium existere oportet, ob quod minus ferre possit lumen etiam mediocre: Rursus, cum lumen primarium, & alia illustrans, procedat inprimis à radiis Solaribus, vel ignis vulgaris flamma, à quibus observamus res quasvis rarefieri, ac liquefieri aptas revera rarefieri & liquefieri, merito suspicamur tale quid in oculis quoque fieri à Lumine in ipsos admisso; Quod si (ut supra ostensum) spiritus animales ad oculos quoque delati à sale volatili ipsis admisto redditi sint in Peste obscuri, utique ad luminis accessum irritabitur comes ipsi acrimonia, quæ nova & magis sensili acrimonia tunc afficiet ipsos Oculos, quamobrem lucem fugient ægri, Hujus proinde molestiæ causa primaria, cum pendeat ab acrimonia Salis volatilis animalibus spiritibus admisti, hactenus quoq; Pestis origo non male deducetur ab eodem sale volatili, & acrimonia sua inprimis peccante.

Ardor interiora præsertim urgens.

Hoc idem tum probat, tum confirmat *ardor plerisque tunc gravis, & interiora præsertim urgens*, quippe quia nulla re in corpore humano secundum naturam existente commode potest deduci quam à Bile, acrimonia præsertim tunc p.n. peccante, vel alio humore ipsi affini, h.e. sale volatili & acri abundante.

Inquietudo.

Inquietudo in Peste tam multis tam molesta, vel pro ipso sensu molesto, vel pro continua ipsum consequente corporis agitatione & quassatione haberi potest; Sensus ille molestus, non tantum *Ardori molesto*, de quo jam dictum, debetur, sed nonnunquam aliis insuper *Lancinationibus* per universum corpus dispersis, & non tantum in *capite, lumbis, præcordiis* gravissime, at per totum corporis habitum satis graviter ægros vexantibus.

Lancinationes.

Quemadmodum autem *Ardoris sensum Bili acriori*, aut *sali volatili & acri* modo adscripsimus, ita *Lancinationum* sensum adscribimus *Acido* itidem *acriori*, cum prædicto *sale volatili*, in tenui præsertim intestino vitiose effervescenti, & halitus acres quaquaversum propellenti, unde lancinationes semper produci plurima sunt quę evincunt; Per accidens ergo peccat *Acidum* in Peste, corruptum scilicet à *Sale volatili acriore*, A quo cum primario deduxerimus omnia, quæ hactenus examinavimus, symptomata, ab eodem nunc, sed secundario deducimus quoque *Lancinationes* in multis satis molestas, ac proinde ipsam quoque Pestem.

Dolores Capitis, Orificii ventriculi, Lumborum.

Gravissimi vero, & inprimis molesti in Peste *Dolores*, nunc *caput*, nunc *superius ventriculi orificium*, nunc ipsam *Lumborum regionem* occupant.

Dolores capitis valde afficientes ortum habent dubio procul

procul ab *humorum acrimonia*, quæ cum vel *Acida*, vel *Salsa lixiva* duntaxat observetur, ab utraque ortum in Peste potest habere Dolor, A *Bile* quidem, aut quovis alio humore sale volatili & acri constante, primario, ab *Acido* vero secundario, utpote salso lixivo itidem vitiato, atque ad *caput* delato, halitus saltem Acres eo ascendentes promente. *Vitiatur* autem *Acidum*, inprimis in tenui intestino, Vnde non tantum *Capitis*, sed *Lumborum* quoque in prædicto intestino, atque *Cordis* dictus in *superiori ventriculi orificio* excitatur *dolor*, à præfatis humoribus ob acrimoniam bilis vitiose effervescentibus, atque nunc vaporis halitusve forma, nunc secundum totam sui substantiam eo tendentibus.

Vigiliæ, Somni profundi.

Vigilias producunt quæcunque sensuum externorum organa & sensoria moleste afficiunt, sicuti diximus non tantum Aurium tinnitum, corporisque universi inquietudinem, quin & ardorem molestos esse in Peste, at præsertim graves *capitis, cordis, lumborumque dolores*, ut & quandoque *nauseam* & *vomitum*, quorum omnium nomine urgent tunc quoque ægros *vigiliæ*: Quæ proinde ostensa est in superioribus horum affectuum causa, *Sal* puta *volatile & acre*, illud ipsum *Vigiliarum* quoque causa erit: Quod si à *Sale volatili* & *acri Vigilias*, ab eodem saltem *Soporem Pestilentialem* deduci non posse asseverabit non nemo; Verum præter rationem atque experientiam, cum revera *affectus soporosi*, præsertim cum aliquo calore conjuncti, ortum habeant à *Bile secundum partem sui oleosam* peccante, (*vide caput de Affectibus soporosis*) exemplo sint *opium amarum & pingue*, ut & *vini spiritus*, qui tanto est magis narcoticus quanto magis abundat parte oleosa; Adde quod non raro in morbis à Bile ortis, febribus puta satis ardentibus, sponte vapor ægros corripiat.

Delirium.

Perpetuus fere gravioris Pestis comes est *Delirium*, idque nunc levius, nunc gravius; Cum autem in præcedentibus retulerimus *sensus externos* omnes observari plus minus in sua *functione diminutos*, & non raro *Dolore affectos*, utique omnia objecta externa ipsis occurrentia, accurate ac distincte non percipientur, nec proinde Notiones primæ formabuntur, ex æquo ipsa repræsentantes, Ergo nec hactenus Notiones secundæ efficientur perfectæ, Hactenus ergo delirabit æger ob læsam *Imaginationem*: Rursus, non tantùm propter vitiosas Notiones primas & secundas, sed insuper propter *animum doloribus &* & molestiis attentum, minus solicite & attente objecta cætera considerabit ac perscrutabitur: *Ingenium*, hactenus peccans, minusque solidas eruet ac promet Rationes affectionum in ipsis existentium, quamobrem delirabit Peste correptus: Sed fieri quoque potest ut tunc *Memoria*, solito infidelior facta, perperam reponat fidei suæ credita, vel quædam saltem; inde & hujus culpa *delirabit* æger: Inprimis autem *delirabit* ipse si *mens* quoque undecunque tandem laboret præjudiciis; putet se præ reliquis sapere, uti sæpe id accidit, Aut vehementer *mortis sequuturæ terrore* sit correpta, quo nomine objectis cæteris minus attenta nonnisi corruptum de iis feret judicium, hoc est delirium. Sed delirabit quoq; Peste correptus, si *Bilis* in ipso fuerit reddita *volatilior* & acrior, ut si humor similis, *Sale* puta *volatili & acri* constans sese massæ sanguineæ insinuaverit, & non tantum ipsius consistentiam dissolverit, sed *parti ejus spirituosæ penitus se immiscuerit*, atque adeo ipsis *spiritibus animalibus* inde parandis adhærens, omnes ipsorum operationes vitiaverit.

Memoriæ læsio.

Non tam sensum internorum, quam sensuum externorum promum condum *Memoriam* ego arbitror; quippe cui singulorum opera committuntur ac concreduntur, ut eadem, quoties opus, quamprimum ac fideliter reponat; Hæc *memoria* non tantum vacillat in Peste affectis, sed in quibusdam observata est eo usque obliterata, ut ipsis non tantum aliorum, amicorumque, sed sui quoque notitia exciderit, dubio procul deletis in mente, si quæ unquam fuerint, ideis innatis æque ac adventitiis, dummodo ab innatis differant; De quo ego saltem nihil certi possum afferre, qui hactenus nullas in mea mente latentes potui quovis labore eruere, ideoque nec admittere aut credere Ideas innatas.

Metus in Peste.

Ad *Animi motus & pathemata* pergo, *Metum* puta & *Anxietatem solicitam*, cum hæc frequentius & gravius soleant Peste infectos afficere, ac plurimum ipsis nocere, hinc mortem videtur accersere mortis fuga; Qua mentis agitatione, ac perturbatione continua, vigilias produci, & spiritus animales non tantum consumi, sed in motu suo etiam turbari notissimum: Inprimis vero per sollicitas, & turbulentæ formidinis plenas vigilias *Bilem acui* & *acriorem* reddi itidem notum: Quod si hisce vigiliis Acrior reddatur Bilis, Sale volatili constans, nonne, si in tali sale acriori consistere possit venenum pestilens, hoc panico terrore perculsi homines magis disponentur ad suscipiendum venenum, & periculosius inde laborandum; Atque hoc ipso per experientiam confirmato, periculosius puta decumbere Ægros Pestem formidantes quam cæteros ipsam minus curantes, confirmatur quoque nostra sententia in Sale volatili acriori consistere venenum pestilens, quippe quod ostendimus in bile acri à quovis Metu sollicito.

Motus animalis læsiones, Tremor &c.

Corporis motus animalis & voluntarius dictus læditur in peste per corpus universum in *tremore*, *motu corporis* debili, & idcirco tremulo, quandoque in *motibus convulsivis* per totum corporis habitum observabilibus, rarius in *convulsione universali*, tum in determinatis partibus, ac præsertim in *lingua balbutie* aut certæ partis motu impedito: Vniversi corporis *Tremorem*, quoties ipsum moveri debet, observabilem, deducendum puto à *spirituum animalium defectu*; Eundem, etiam ubi quiescunt membra, urgentem, adscribendum existimo eorundem *spirituum motui* inordinato & turbato. In Peste ob dolores graves, vigilias pertinaces, continuam animi solicitudinem, *Exhauriri possunt ac deficere* ob rationes in superioribus productas: Possunt quoque in Peste in suo motu *conturbari animales spiritus* ob *mentem metu ac terrore* panico agitatam & turbatam: Cum autem inter prædictorum symptomatum causas naturales ostenderimus locum habere posse *Sal volatile*, hactenus ergo ab eodem deduci poterit *Tremor*, & ipsa adeo Pestis.

Motus Convulsivi.

Hi cum pendere soleant ab humoribus vel halitibus acribus nervos inordinate mordicantibus, & ad abundantiorem simul & inordinatum spirituum animalium affluxum irritantibus, Atque in Peste tam salis acrioris per se ac primario, quã spiritus acidi per accidens ac secũdario peccantis, humorũ puta acrium in rebus naturalibus hactenus notorum signa & effecta notabilia & certa

producta sint in superioribus, nihil obstat ab iisdem deduci in Peste *motus convulsivos*, atque confirmari eadem quæ superius proposita de Peste à *Volatili & Acri sale* primario ac per se orta: Rursus cum convolsio habeat ortum *ab iisdem spiritibus animalibus, sed continue & copiose in omnes aut certos musculos delatis*, & quidem ob irritationem continue urgentem, quoties illa in Peste observatur, vel Universalis vel, Particularis, toties statuendus humor Acris adhærens partium affectarum nervis: qualem humorem Acrem facile quis admittet *Salem volatilem & acrem pituita viscida admistum*, & hujus nomine pertinacius, uni vel pluribus partibus, ac præsertim in cerebro aut spinalis medullæ principio adhærentem.

Linguæ Balbuties.

Hæc idcirco magis observatur, quia Auditu etiam dignoscitur, etiam ubi cæteræ partes quiescunt, estque summi Animalium spirituum defectus aut conturbationis signum certum.

Vultus mæstus.

Inter symptomata Pestis recensetur quoque *Vultus mæstus*, una cum *oculis lacrymantibus*, quod signum non est parvi pendendum, quippe non tantum in Peste frequentissimum, verum insuper utplurimum luctuosum: Nullus autem mirabitur in Peste affectis *Vultum mæstum*, qui ad ea quæ supra dixi de rationali plerorumque metu Pestis minantis, & ob suum venenum, plerisque lethale ac contagiosum, Ægrorumque plerisque in locis desertionem formidabilis, *consternatione* autem ob Pestem jam urgentem ac præsentem, unde fieri nequit ut non sit idcirco vultus ipsis mœstus, licet consternationem suam tegere conentur aliqui, ut habeantur cæteris cordatiores; Potest igitur vultus mœstus consequi mentis consternationem ac metum mortis minitantis: Quæcunque proinde superius adduximus ad ostendendum augeri posse ex metu Pestis *Acrimoniam bilis & salis volatilis*, eadem hic servient ad vultum mœstum à sale volatili & acri deducendum. *Sylvius, Append. tr.2.*

Syncope.

In Peste non raro permanet motus animalis, quamvis debilis intermittensque, at tandem cum morte inopinato superveniente deficiens observatur Pulsus, *Non deficit* proinde Pulsus Peste infectorum ex spirituum animalium defectu, alias motus omnis animalis semel cessaret & aboleretur, sed ob vitium in sanguine ipso existens, aut quibusdam ejus partibus vitiosis dependens: Quod si Bilis Acrior tunc à veneno pestifero reddatur; aut idem venenum sale volatili & acri constans sanguini admisceatur, ubi ad cor accedet, non tantum potentius Acidum, quod in sanguine naturaliter repertur, aggredietur, sed id ipsum ita evertet, ut suam sanguini consistentiam tribuere non possit, quocirca ineptior erit sanguis ad sui rarefactionem, ineptior ad cordis ventriculorum dilatationem, quin minus ad sui contractionem irritabitur cor, unde & minus, & debilius, & rarius contracto corde, pulsus fiet arteriarum & minor & debilior, & subinde intermittens, tandemque deficiens, atque sic tanquam syncope peribit æger, inprimis ubi concurrent anxietates circa ventriculum excitatæ, halitusque graves quaquaversum propellentur, atque sudor simul erumpens, adventante morte reddetur frigidus, Ut enim ignis vitalis & blandus producatur continue in corde, opus est ut proportio servetur laudabilis inter *Amarum bilis & acidam lympha*, quo inde simul effervescentia igneas particulas ex se depromant, quæ partibus sanguinis butyrosis, sed sufficienter ab Acido admisto coagulatis & condensatis, sese insinuare possint, & in ipsis sustentari, non item ab iisdem fluidioribus obrui & suffocari: Obruitur autem ignis vitalis à sanguine minus consistente ac fluidiore, quoties ipsius acidum minuitur aut infringitur, & quidem à sale volatili & acriore facto, atque simul aucto: Potest igitur syncope ortum ducere à sale volatili & acri. *Sylvius Append. ad Pr. Tr.2.*

Sudor.

Aliquando *nullus*, aliquando *paucus*, aliquando *copiosus* sponte propellitur, & ipse quidem *varius*: *Nullus* in Peste sponte prodire videtur mihi sudor, ob *summam Veneni pestilentis acrimoniam*, non tam effervescentiam in tenui intestino, dextrove cordis ventriculo parientem, quam impedientem, & quidem *corrumpendo* ac *solvendo confestim sanguinis consistentiam naturalem*, ac sese *arctissime uniendo humori acido*, ubivis in corpore ipsi occurrenti, quod nullatenus factum oportuit; Nam, nec acidum purum & acre, nec salsum purum & acre, naturale est aut utile ulli animali, multo minus homini, sed blandum & cum aliis temperatum dilutumque.

Docui non semel *temperari & acidum & salsum lixivum*, tam *spiritu volatili* quam *oleo*, *Dilui utrumque aqua*, sicuti *salsum in specie temperatur aqua*, docente Chimia, arte vere naturali: Hæc ita temperata, & sibi confusa, excitant quidem aliquam, sed blandam & utilem homini effervescentiam, Eadem autem pura & intemperata potentem, acrem & homini noxiam, quippe quam ventris tormina, & anxietates, cordisque palpitationes &c. tam sæpe solent comitari aut excipere atque sic ægris ac Medicis manifestare, Quoties igitur ex vitiosa illa effervescentia vapores, halitus, flatus excitantur, toties *Sudor* quoque propelli potest, Quoties vero se mutuo infringunt ac concrescunt Acidum & Salsum, toties nullus Sudor observatur.

Ubi ergo *nullus in Peste gravi sponte prodit Sudor*, & inprimis arte quoque ac medicamentorum convenientium ope nullus propelli potest, arbitror non tantum *pestilens venenum esse valde acre*, verum offendere simul in corpore *tale acidum cum quo concrescat & concentretur arctissime*, atque ideo tales admodum raro evadere.

Ubi vero *erumpit quidem sponte sudor, sed paucus*, arbitror *minus acre tunc venenum* pestilens existere, aut saltem occurrere ipsum *tali Acido* cum quo *effervescens halitus aliquos excitet*, aut *calorem talem*, unde sudor is prodeat; Hoc ideo facilius, cæteris paribus, curari posse autumo.

Ubi vero sudor erumpit *sponte copiosus*, imo major, sanationis spes effulget, sive *venenum pestilens sit minus acre*, sive occurrat *Acido satis apto*, ut ex illorum confluxu ac effervescentia, una cum sudore effluat bona veneni pars: Quod si tunc opus illud laudabile, ac forsan criticum, promoveantur medicamentis, non tam sudorem potenter urgentibus quam veneni pestiferi acrimoniam noxiam temperantibus, ejusdemque volatilitatem figentibus, nec sui negligentiores sint Ægri, aut minus securi Medici, utique sanitas merito expectanda.

Dixi *dummodo non sint ægri sui negligentiores*, Observavi enim non semel tales ægros tum spontaneo tum artificiali sudore multum recreatos, Aëri externo cum extremo suo damno se mox exposuisse, ac fere semper in deterius paulo post ruisse, Addidi, *dum non nimis securi existant Medici*, postquam illis incumbit sollicitudo & cura ægrorum, quos nisi serio & sæpius moneant sui officii & imminentis periculi, suo certe non satisfecerunt muneri &c, Omnes proinde serio velim monitos

ne facile fidant Peſti, utut videatur aliquod ſymptoma levatum, aut ſublatum; Latet enim ſemper anguis in herba, incautos inopinato in dies tollens & necans.

Obſervatum in Peſte. Sudorem ſponte prodeuntem, *Fœtentem* eſſe, quod minime mirum, poſtquam hominis corruptionem parit venenum peſtilens, In corruptione autem omni fœtor notatur: Cum ſudore vero prodire ſolet fœtor, quia aliqua corrupti ſanguinis pars; eaque fluidior ſimul exſpirat, & foras tendit.

Sudor erumpit quandoque *frigidus*, qui ſicut ſemper, ſic & in Peſte habetur periculoſus, inprimis ubi ſimul exiſtit craſſus & viſcidus, Periculoſus habetur ſudor frigidus, quia talis nunquam prodit niſi in extremis anguſtiis, & anxietatibus, & morbis graviſſimis, unde niſi mox tali ſudore leventur ægri, brevi ſolent vitam cum morte commutare.

Quando vero ſpes aliqua reſtitutionis ſupereſt in ægris ſudorem frigidum ſudantibus, ſolet calidus ſudor ſubſequi frigidum, corpus ſaltem blande incaleſcere, Contra ſpes in anguſto eſt, ſi cum ſudore frigido augeatur totius corporis frigus, ſimulque minor ac debilior fiat Pulſus, nam id indicio eſt mortem eſſe præ foribus, extincto ſcil. quocunque modo igne vitali, cujus extinctionem comitatur vel ſequitur frigus: *Comitatur*, quando ab eadem cauſa procedit, *Sequitur*, quando propter auctum æſtum & vapores nimios ſuffocatur ignis prædictus, *Ex ſudore arte concitato* aliud deduci non poteſt, niſi quod ſignum bonum ſit aſſumptis ſudoriferis, ac corpore rite tecto Sudorem prodire ſatis copioſum, ſed imprimis levari ſymptomata ægrorum primaria, pulſumque redire ad ſtatum naturali proximum. *Sylvius Append. Tr. 2.*

Fœtens Exhalatio.

Exhalatio fœtens, non tantum cum ſudore per *corporis poros*, Sed nonnunquam per os nareſque, imo cum ipſa *Urina, alvique excrementis* prodire ſolet: Exiſtit iſta varia, poſtquam nunc minus nunc magis fœtet, eſtque aliquando pene cadaveroſa: Ortum vero habet omnis fœtor præternaturalis à rei cujuſvis corruptione: Nihil autem magis promovet vegetabilium & animalium corruptionem quam Sal volatile, ad fermentationes & putrefactiones accelerandas admodum efficax, & Aquæ operationem lentam mire adjuvans, uti notum eſt iis qui vel primoribus labiis attigerunt operationes Chimicas: Cum ergo nihil æque putredinem ac corruptionem fermentantem in homine promoveat ac Sal volatile, merito exhalationes in Peſte fœtentes, adeoque ipſam Peſtem hactenus ab illo Sale deducimus.

Poſſunt quidem Acida quoque corrumpere partes animalium, non autem ad putredinem aut fermentationem cum fœtore junctam deducere, cum ab Acido, cæteris paribus, non excitetur, ſed potius impediatur omnis fermentatio & putrefactio: Licet enim quædam præparentur per Acidum ad fermentationem, removendo emendandove impedimenta, viſciditatem puta fermentandorum, non fermentantur tamen ab Acido: *Idem Pr. Med. Append. Tr. 2.*

21. *Solet ei accidere*) Primaria ſymptomata hæc ſunt, *Capitis dolor, phrenitis, ſopor, vigilia, anxietas, debilitas, ſeu magna virium proſtratio, viſus turbulentus, cordis palpitatio, linguæ ſiccitas, vomitus, ſingultus, lumbrici, fluxus alvi, hæmorrhagia narium, menſtruorum profluvium, ſanguinis mictus, ſputum cruentum, dolores lateris, hepatis, renum, aliarumque partium.*

Omnia hæc ſymptomata à peſtilenti veneno, vel immediate vel mediante putredine inducuntur. Nam ſimul ac labes corpus ingreſſa eſt, ac vires ſuas exſerere incipit, tunc prout ſingula ejus viſcera diſpoſita invenerit, & has illaſve partes magis minuſve invaſerit, varios effectus edit.

Cor enim maligna hac pernicie impugnatum, antequam à tanto hoſte ſe expedire poſſit, angitur & comprimitur, ejuſque vitales ſpiritus, vel diſſipantur, vel, quod frequentius contingit, graviter concentrantur, Unde tunc neceſſario procedunt *ſumma anxietates, virium debilitates, & cordis palpitationes*; Inprimis ſi vel venenum violentius, vel cor debilius fuerit quam ut tam gravi inimico ſatis fortiter reſiſtere poſſit.

Cor autem hujus tyranni injuriis ſe fortiſſime opponens, ejoſdem ſpicula quantum poteſt, à ſe divertit, & magnam malignitatis venenatæ partem quaquaverſum ad alias partes, aliaque viſcera expellit & extrudit. Hinc ſæpe per arteriam aortam, ac inde per carotides arterias *Cerebro* haud parum communicatur; quod ſi excrementis vacuum offenderit, membranas ejus pungendo ac vellicando *Capitis dolores* excitat, quibus ſi magna ſpirituum animalium agitatio accedat, fit *Delirium*, Si membranarum inflammatio, fit *Phrenitis*: Si vero cerebrum ſeroſis vel pituitoſis humoribus repletum invenerit, ſpirituum animalium generationem imminuit, volatilitatem ac tenuitatem incraſſat, & *Sopores* facit. *Vigilias* inducit, ſi acri malignitate ſpiritus oinnis exagitet, nimiumque calorem cerebro inducat; quod roridi ſuaveſque vapores, ad ſomnum neceſſarii, conſumantur. *Oculi* vero *turbidi*, & flentium ac mœrentium oculis ſimiles apparent, ſimulque vivido colore ac ſplendore deſtituuntur, propter ſpirituum paucitatem, motumque inordinatum, & caloris nativi debilitatem. *Lingua ſicca* & aſpera redditur ab ardore interno, qui à maligna humorum putredine, veneni peſtilentis malignitate excitata, & hinc prodeunte febre inducitur.

Sæpe etiam ad alia viſcera venenatæ malignitatis pars propellitur, quæ ſi forte ab arteria aorta per ramos cœliacos ad arterias gaſtricas & gaſtro-epiploicas (quæ ventriculo inſeruntur) transferatur, in ventriculi tunicas, continua vellicatione anxietates inducit, & naturam ad id quod moleſtum eſt excludendum incitat, hinc *cardialgia, nauſea, & vomitus* procedunt: Si vero validum fuerit Venenum, & adeo tenaciter ventriculi tunicis adhæreat, ut avelli nequeat, facile in aliqua ejus parte *mortificationem*, ſeu *anthracem* excitat, quam moleſtiam natura irrito conatu expellere nititur, tuncque fit *Singultus*, aut *Vomitus* continuus lethalis: *Ventris lumbrici* generantur ab ingenti fœda putredine; Si autem inferioris ventris colluvies non ſolum per veneni peſtilentis admiſtionem putreſcat, verum etiam fortiter efferveſcat, ſeu fermentetur, naturam valde ſtimulat ad excretionem, hinc verſus inteſtina decumbens, ac defluens; producit *alvi fluxum*.

Hæmorrhagia narium, fluxus menſtruorum, & cruenta mictio fiunt, cum cor veneni peſtilentis aliquam partem una cum ſanguine per arterias ad nares, uterum, aut renes tanto impetu propellit, ut ruptis vel apertis vaſorum extremitatibus per illa loca effluat; *Sputum cruentum*, præterquam quod ob dictam cauſam frequenter contingat, non raro etiam oritur ab *anthracibus in pulmone* obortis, quam cauſam etiam *dolores lateris, hepatis*, aliarumve partium agnoſcunt.

Vomitus pertinaci ſolent etiam accidere ab *Anthracibus ventriculum* obſidentibus; quos vix ullus Medicorum antehac obſervavit, nec quiſquam illam *ſingultus ac vomitus pertinaci* cauſam ante nos animadvertiſſime videtur, præter *I. ab Helmont.* qui in tumulo Peſtis eorundem etiã meminit, Et *Criſtoph. de Cock Vunkerrvvick, Profeſſorem Sylvaducenſem*, qui *lib. de Peſte* ſcribit ſe illos Anthraces ventriculi ſuis oculis vidiſſe in cadavere juvenculæ cujuſdam peſte mortuæ, per Chirurgum *J. Van Drief* aperto, in quo invenit ventriculi tunicas omnino nigricantes, &

Mm

uno in loco quasi cauterio corrosas & perforatas: Idem ab hac experientia, haud inani conjectura, putat etiam simile quid in intestinis nonnunquam contingere posse.

Sic etiam *Palmarius de Febre Pestil. c. 24. dicit* Carbunculos, si thoracem, i.e. pulmonem occupent, sanguinis excretionem & spirandi difficultatem inducere, mortemque, in biduum aut triduum differre, idemque periculum esse si vel in jecore vel in liene excitentur. *De Diemerbroeck cap. 13.*

22. *Capitis vehemens tensio*) *Fallopius lib. de Tum. cap. de Bubone*, inter alia Pestis signa etiam recenset vehementem capitis dolorem *cum tensione* & calore vehementissimo conjunctum, Verum nos in peste Noviomagensi, præter capitis dolores solos, inprimis gravativos, nec ullam tensionem, nec vehementem calorem animadvertimus. *De Diemerbroeck.*

23. *Oculorum rubor*) Sunt qui inter alia Pestis signa, etiam statuunt *Oculorum ruborem*, Et *Galenus l. de præs. ex Puls.* hos non tantum accurate observari, verum etiam ægrotum oculos aqua frigida ablui vult; qua ablutione si magis magisque inflaminentur, illud pro certissimo & infallibili Pestis signo reputatur: Nos tamen in famosissima hac Peste rubores oculorum in paucissimis observare potuimus. *De Diemerbroeck.*

Qui frequentissime apparet, quia à vaporibus acribus sursum elatis cerebri meninges quandam velut inflammationem concipiunt, eamq; tunicæ adnatæ, quæ ab iis ducit originem, facile communicant. *Riverius.*

24. *Vigilia, in aliis sopor*) Sopor & Vigiliæ, uti *Hippocrates* multis in locis habet) adeo graves nonnunquam ægrum torquent; ut vel delirando, vel dormiendo è vivis discedant. *Piens.*

25. *In aliis Sopor*) Nonnulli existimant *Sopores* in peste induci ab humidis vaporibus à calore pestilenti in partibus inferioribus excitatis sursumque ad caput delatis, ac cerebri substantiam humectantibus: Sed cum tales sopores non multum distarent à Soporibus naturalibus, nec valde damnosi essent, alia eorum debet esse causa, scil. quod venenata qualitas cor & cerebrum simul impugnet ac debilitet; (nunquam enim in peste contingunt graves isti sopores corde non graviter afflicto, atque hinc fiat quod cor paucos spiritus vitales, eosque vitiosos generet, & debiliter ad cerebrum propellat (liquet hoc ex spiritu debili ac parvo) è quibus in cerebro, à venenata labe etiam debilitato, tam pauci generantur spiritus animales, qui propter paucitatem, (forte etiam quod vitiosi sint) non sufficiunt ad debitas actiones in organis sensuum perficiendas, unde tunc iis in actionibus deficientibus, ac quiescentibus, fit *altus Sopor. De Diemerbroeck c. 13.*

Pulsus.

26. *Pulsus*) Pulsus in ista Lue varie mutari solet, præsertim vero varius observatur, quod *inæqualis* existat, & quidem tum ratione *roboris*, tum *magnitudinis*, tum *frequentiæ*, Alias enim *robustus* sentitur, mox valde *debilis*, alias quoque *magnus*, mox valde *parvus*, alias *frequentior*, mox iterum *rarior*; quinimo subinde *intermitt.* ac tandem inopinato etiam *desinit*, quandoque cum syncope, sæpius cum ipsa infectos obruente morte.

Occurrit in Peste *Pulsus* alias magnus, alias parvus: *Magnus* permanet quamdiu potens existit in corpore *Acidum*, idemque sanguini admiscetur convenienter, ipsumque rite coagulatum idoneum servat ut valde rarescat. *Parvus* redditur, talisque durat, ubi *Acidi* vis fracta est à *sale volatili*, acriori & pestilenti; vel seorsim sanguini admisto, vel bili prius confuso, & illam volatilem magis & acriorem præstante.

Nihil enim impedit *Acidum* existere in corpore potens, idemque sanguinem valde coagulans (sive tale in ipso præ existat, sive tale copiose assumatur) atque hactenus permanere Pulsum magnum; & simul in eodem contineri venenum pestilens citius seriusve illud acidum, domans, aut bilem ita inficiens, sanguinemque ascendentem adeo corrumpens ac dissolvens, ut non raro inopinata mors succedat.

Illud vero accidit præsertim quando *inæqualis est in magnitudine Pulsus*, nunc Magnus, mox Parvus; Etenim magnus existit quoties sanguinis acidum prædominium habet in corde, Uti contra Parvus, quoties *Sal volatile acrius*, ibidem dominatur.

Hoc ubi aliquandiu permanet, mirum non est si tunc subito suffocetur ac necetur æger, quatenus solutus à sale volatili sanguis extinguit & opprimit vitalem ignem, tunc minus quoque potentem propter vitiosam, nec satis *acrem* factam utriusque sanguinis *effervescentiam*, & quidem ob viriatam utriusque *acidi & salsi* proportionem, sine qua mediocritas laudabilis constare nequit: *Magnus* ergo in Peste Pulsus, ab *acido* superstite, aut assumpto, *Parvus* contra *a veneno pestilenti volatili & acri*, sanguinis consistentiam minuente aut tollente.

Hinc est quoque quod sanguis Peste affectorum aliquando magis consistens observetur, sæpius dissolutus & sponte coagulari nescius.

Pulsus eorundem observatur aliquando satis *robustus*, & tandem valde *debilis*; quandoque, ac inprimis ubi omnia in pejus ruunt, *inæqualis*: *Robustus* permanet, quamdiu magnus continuat, ob causas dictas, *Debilior* fit, quamprimum minor redditur, viresq; acquirit eundo virus Pestilens: aut consternatio ipsorum mentem occupat & metus: Sequitur namq; *Pulsus debilitas*, tum 1. ejusdem parvitatem, tum 2. animi affectum quemvis cum metu aut consternatione conjunctum; tum 3. peculiarem spirituum animalium alterationem, universum corporis motum animalem debilitantem, ac tremorem comitem habentem, qualis in peste familiaris esse solet.

Inæqualis fit in robore Pulsus, ob causas prædictas simul in corpore existentes, atque alternatim vim suam exerentes; donec tandem aut superetur emendeturque in totum venenum Pestilens; aut idem quacunque tandem de causa dominium absolutum, idque aut manifeste, aut clanculum nanciscatur, ægrumque perimat.

Quisque enim attente curavit Peste infectos, potuit observare aliquando ipsos vel in totum, vel ex parte respuere medicamenta, vel non satis diligenter assumere, ac in eorundem usu perseverare, vel mox iterum evomere, atque sic frustra usurpare; vel sine fructu ac successu eadem capere, h.e. sine expectato sudore; vel nõ satis convenientia accipere; Vel noxiis quoq; nimium indulgere, vel quovis alio modo venenum promoveri, non autem corrigi: Vbi autem illorum unum vel plura eveniunt, non mirum non curari, at perire potius ægros.

Observatur etiam in Peste correptis *Pulsus* plerumque *frequentior* & subinde *inæqualis*: *Frequentia* ejus aucta inprimis adscribenda Veneni pestiferi *acrimoniæ*, Vnde mordicatum cor excitatur ad frequentiorem sui contractionem, etiam tunc ubi ab eadem causa & minor & debilior fit.

Inæqualitas vero in *Pulsus frequentia* tunc sæpe observata accersi ibi potest, ac debet, tum 1. *acrimoniæ* non semper æquali ad cor delatæ, ob sanguinem diversum ubicunque illi admistum, & quidem nunc in dextro cordis ventriculo, nunc in loco remotiore: Tum 2. assumptus medicamentis convenientibus, & acrimoniam illam, non omnem, nec ubique, sed alicubi & ex parte temperantibus; Tum 3. Animi affectibus variis subinde excitatis, & hactenus quoque Pulsum inæqualem facientibus.

Intermittens in Peste *Pulsus* debetur imprimis sanguini magis magisque corrupto, atque aliqua sui parte tunc in cor delato, ad sui rarefactionem inepto facto, & quidem à Sale volatili acriori, Vnde merito periculum inde summum præcognoscitur; donec tandem in longiori Pulsus intermissione, aut eadem sæpius repetente, mors adveniat & obruat ægrum. Atque ex prædictis de Pulsu

de Pulsu diverso in Peste observati solito, ejusque caussis puto patere à Sale valde volatili & simul acriori, non incommode deduci posse Pestem &c. *Sylvius Append. Tr. 2.* Videantur ad horum explicationem ea quæ adducenda sunt ex Eodem de Pulsuum p.o. constitutione, l. 3. de Cordis affectibus.

24. *Pulsus*) Pulsus quandoque parvi sunt, languidi, frequentes, si vires cordis fuerint admodum labefactatæ, aliquando majores & vehementiores, si putredo minor fuerit; in universum autem celeres sunt, frequentes, inordinati, inæquales, quia natura oppressa est & maxima urget refrigerandi necessitas, systole quoque celerior est diastole, ob copiam fuliginum: Interdum sanorum pulsibus similes sunt, De cujus symptomatis caussa occultum philosophatur *Galen.* 3. de *præsag.* ex *Puls.* c. 3. ad inæqualem cordis intemperiem referens, quando frigida est cordis substantia, contenta autem calida, vel viceversa, hincque calorem reddi quasi moderatum, naturali similem; quique propterea pulsus non immutet; qualis intemperies imaginaria est.

Conciliator id fieri voluit, quia Natura putredinis magnitudine & pravitate perterrita humorem morbificum non aggreditur, unde nec pulsum nec urinam immutat; At facultas corporis nostri agens est naturale, non voluntarium, quod agere solet quoties agendi caussa est, & adversus caussas morbificas pugnat quantum potest: Preterea oporteret signum hoc freqnēter apparere, cum id tamen raro videatur, Deinum putredo plurimum adesse solet, vixque ulla pestilens febris sine illa consistit, at à putredine Pulsus necessario immutantur; Veriorem caussam reddit idem *Galenus* 1. de c. *Puls.* cap. 8. ubi docet fieri Pulsus similes sanis, quia facultas debilis est & usus auctus, unde ex his duobus Pulsus fit velut moderatus.

Alii in sola hectica pestilenti signum hoc apparere volunt, at talis nulla datur. Verisimilius est contingere symptoma hoc quoties sola venenata qualitas, nulla aut exigua putredo fatigat, unde nec humores nec calor nativus quicquam patiuntur, unde neque pulsus, neq; urina immutantur. Ubi notandum hanc Pulsus moderationem contingere vel initio morbi, ob rationem dictam; & postea in progressu succedente putredine pulsus immutari: Vel in morbi progressu, etiam cum adjuncta putredine, ubi pulsus, qui ante inordinatus & inæqualis erat, fit naturali similis ob rationem à *Galeno* redditam, etiam non semper toto morbi decursu pulsus optimus apparet, sed interdum in principio, interdum in morbi progressu. *Primirosius.*

25. *Pulsus quandoque*) Varietatem Pulsus inducit naturæ ac veneni pugna, dum in se vicissim agunt, alter in alterius perniciem, Cum venenum cor ferit, fit aliqua humorum cordis fixatio, quam mox sequitur non sufficiens sanguinis dilatatio & propulsio, hinc magna procedit anxietas & pulsus obscurus, frequens & intercidens evadit; qui è contra fit plenior & firmior cum cordis robur in venenum insurgit, & humorum fixatio jam minuitur, sanguinisque dilatatio melius procedit: Interdum etiam Pulsus naturali plane similis est, quod *Mercurialis* dicit fieri, quia facultas motiva est debilis, & necessitas eventilationis magna, ita ut ex hisce duobus fiat motus quidam moderatus, exemplo illius qui debilis sit & hostes fugat;] Alii melius arbitrantur id fieri, quod aura venenata, non aucto incendio, nec frigendi modo, sed alia quadam deleteria facultate cor impugnat.

Utcunque se res habeat, ex solo Pulsu de Peste nihil certi judicator; sic etiam *Helmont* ingenue fatetur se ex Pulsu Peste non posse agnoscere; *Nunquam*, inquit, *potui ex pulsu vel urina, quantumvis destillata, Pestem novisse præsentem, Urina enim & Pulsus apud meam ruditatem nunquā detexerunt Pestem.* Scribit *Forestus* in Peste Delphica interdum per totum morbi decursum nonnullos probum Pulsum habuisse, & tamen mortuos fuisse: Quod ipsum quoque asserit *Galenus 3. de Præs. ex Puls. Diemerbroeck.*

25. *Pulsus*) Quia cor in hoc affectu potissimum afficitur (à maligna & venenata qualitate, ideo illius actio *Pulsus*) variis modis immutatur, pro temporum varietate ac diversa morbi conditione: Interdum enim in principio est ferè connaturalis & sanorum pulsui simillimus, ut docet *Galenus* 3. de Præsag. c. 4. In progressu tamen & morbi augmento frequens, parvus, debilis & inæqualis apparet: Frequentia tamen perpetuo major erit quam pro ratione caloris adaucti, quia cor lacessitum à maligna qualitate sese magis exagitat quam eventilandi caloris necessitas requirat. *Reverius.*

26. *Pulsus*) Qui sæpe celer, freqoens, & inæqualis: dixi sæpe, cum haud raro in febribus malignis pulsus appareant tardi ac intermittentes; præsertim si materia valde est disproportionata ac maligna, adeo ut suffocationis periculum immittat. *Piens.*

27. *Tussis*) A veneno pestifero sæpe inficiuntur Pulmones; substantia eorum levis mollisque, laxa, rara & spongiosa citius à veneno rapido penetratur & putrefit, Pulmonibus à veneno corruptis & venenatis, trachea arteria non difficulter corrumpitur, aëre scilicet iterum exspirato: Cum humores à veneno putrefacti sunt, pulmones vel trachea facile obstruuntur, unde generatur *asthma*, Et vidi Peste correptum etiam fieri asthmaticū.

Non raro Peripneumonia Pesti supervenit, symptoma pernitiosum propter respirationis defectum: Hoc fit ab incendio Pulmonibus à venenoso igne inducto.

Duo sunt vix separabilia Pestis symptomata, viz. Respiratio difficilis & magna, propter obstructionem & dolorem partium spirabilium vehementem. Aër expiratus est mali odoris, graviter fœtens, à pulmonibus putrefactis; vel stomachi putredine.

Consequitur dolor interdum costarum & thoracis, quasi adesset Pleuritis, propter viciniam hypochondriorum (Atqui venenum pestiferum, cum primum invadit corpus, in hypochondrio se figit) Pleuritis sæpe in Peste correptis contingit, cum vel venenum pleuram accendit, vel fit superaddita sanguinis; sive boni, mediocrem crassitudinem habentis, sive mali affluentia. *Isaacus van Roet Aph. de Peste p. 45. & 51.*) Atqui plerumque nominatorum affectuum comes est *Tussis.*

27. *Tussis sicca*) *Galenus 5. meth. c. 12. tussim siccam* omnibus fere pestilentialibus affectionibus adesse refert; Hoc dictum *Galeni* ab experientia confirmari tradit *Quercetanus in Alexicaco*, Nos tamen in hac Peste, licet Tussim siccam multoties, non tamen communiter, nec valde frequenter observavimus. *De Diemerbroeck.*

Urina.

28. *Urina*) Urina quoque varia esse solet pro humoris & partis affectæ diversitate, pro majori & minori cruditate, & putredine; nam redundante pituita urina alba est & crassa, aquosa; flava bile abundante crocea, flava; à sanguine vero rubicunda; cum cruditate erit tenuis, & si humorum effervescentia & adustio fuerit, turbata, lotio jumentorum similis, livida interdum, plumbea, & nigra, quandoque maxime fœtida, si insignis putredo adfuerit; quandoque oleaginea, *ἐλαιώδης* ex colliquatione.

Scribit *Gal. 2. Epid.* tenues & turbatas urinas habuisse eos qui febri pestifera laborabant, quæ cruditatem & caloris debilitatem ostēdunt; Contingit autem urinam, sicuti & Pulsum, nonnunquam esse sanorum similem, quod contingere tantum in pestilenti hectica quidam volunt, quia putredo solidas corporis partes occupat, non humores, unde non alteratur urina, quæ tantum ostendit vitium eorum qui in venis sunt humorum.

At à nobis ostensum ejusmodi hecticam pestilentem non dari, de qua *Galenus* hoc prognosticum scripsit, incurabilem illam esse, cum nulla Medicina inveniri possit

ad putredinem quæ cordis corpus occupavit, Vnde sequeretur febres illas, in quibus urina sanorum similis apparet, perpetuo esse lethales, quod tamen certo scimus experientiæ repugnare, cum plurimas ejusmodi sanaverimus.

Imo cum *Salio* judico febres has, in quibus urina sanorum similis apparet, inter omnes pestilentes esse curatu facillimas, quia sola viget maligna qualitas alexiteriis edomanda, nulla putredo infestat, quæ sola ægro periculum portendit, difficilioremque curationem reddit, ut ostendunt febres ardentes, quæ solæ periculosæ sunt, quamvis nulla adsit malignitas, nulla venenata qualitas: Imo in illis prava non adsunt symptomata, nec anguntur, nec cruciantur, nec sitiunt, nec dolent, nec alia habent putridarum accidentia. *Primerosius.*

Urina miras subit in Peste mutationes dum aliquando *nihil* vel *parum recedit ab urina sanorum*, aliquando vel *tenuis* & *cruda*, vel *crassa* & *turbata*, jumentorumque urinæ similis; aliquando, & ubi in primis omnia ruunt in pejus, *colorem* habet *plumbeum* vel *lividum*, aliquando *fœtorem* habet comitem, aliquando *nullum*, quin aliquando *olei colorem* & *consistentiam* imitatur: Tanta est à Practicis observata diversitas, adeo ut nihil forsan magis varians observetur in ægris, Vnde concludere licet nihil ad Pestem dignoscendam facere urinam, quamvis ad periculum auctum manifestandum nonnunquam inservire queat.

Cum vero urina secernatur à sanguine ad renes delato, & satis propinque à corde prodeunte, ita diversa ab eo separabitur urina, quod in sanis quoque fieri observamus, plurimum scil. aliquot ante & post cibum assumptum horis excretam urinam differre, & quidem ob mutata ea quæ una cum sanguine ad cor feruntur; chylo namque qualicunque illa debetur mutatio.

Quod si à chylo solo, & quidem rite constituto, sequatur notabilis in urina mutatio, certe non minum si à causa p.n. aut immediate, aut per mediam bilem, eamque vitiatam, sanguini communicata, & sanguinis effervescentia, hancque consequentes ejusdem in corde atque vasis alterationes mutationesque omnes vitientur, ipsaque adeo urina multis modis mutata secernitur excerniturque: Cum ergo non tantum cordis functiones, at ventriculi quoque, intestinorum, & aliæ, observentur modis variis, & nonnũquam sibi contrariis labefactari, quis non videt illa quoq; quæ in partibus illis parãtur, vitiari? & cum pleraq; in sanguinis massam effundãtur, effervescentiã, cæterasq; contingentes mutationes iade turbari, una cum Urina secernenda excernendaq; Observatur autem in Peste Pulsus nunc parvus, nunc magnus, nunc debilis, nunc robustus &c. Cujus diversitatis rationem, non ab una sed pluribus causis & humoribus in corpore existentibus, & ad cor delatis pendere ostendimus.

Ab iisdem igitur similiter deducenda erit Urina tantopere in Peste varians: Cum vero gravissima Pestis symptomata possint suum à Sale volatili & acri habere ortum, iisdem argumentis puto sequi urinam, pessimam præsertim, ab ipso posse deduci.

Quoties enim à veneno pestilenti Sal bilis Volatile acrius est factum, vel immediate tale Sal sanguini est confusum, continget in corde, non blanda & lenis, sed acris & omnia conturbans Effervescentia, quam consequetur partium sanguinis omnium non tantum confusio præternaturalis, per urinam turbatam, sed nonnunquam etiam corruptio lethalis, per urinam oleaginosam dictam, aut lividam se manifestans, Merito proinde à sale volatili, sed acriori, potest deduci urina quævis valde ac pessime mutata in Peste. *Sylvius Append. Tr. 2.*

[29]. *Excrementa alvi*) Ex Excretis & Retentis, haud raro *Alvi fluxus* & *Diarrhœa* in hisce febribus adest, vel sequitur, aliquando in principio, aliquando in statu & vigore apparent, Aliquando lumbrici & vermes excernuntur. *Piens.*

Vide supra §. *Fœtens exhalatio.*

VI. [30]. *Diversimode invadens*, seu [31]. *subjecta* seu *tempus* consideres. *Illa*, invadit nonnunquam simul & bruta: [32]. aliquando [33]. *εὐέκτας* & *εὐχύμους* citius, quam cacochymicos: quandoque solas virgines & prægnantes, quæ etiam abortire plærumque solent: aliquando juniores, viros potius quam fœminas, integras simul familias, & ex iis etiam [34]. illos qui alio migrarunt, ut *Diemerbrock* in peste Noviomagensi observavit: nonnunquam *senibus* in totum parcit. [35]. Quædam loca [36]. invadit sæpius, quædam rarius. Apud Romanos per secula aliquando afflixit: tum per septuagesimum, tandem per quinquagesimum annum. [37]. Constantinopoli est trima: [38]. in Ægypto variat, & in tertium annum plerumque durat, initio sumpto cum Sol Libram ingreditur: utplurimumque septennio recurrit, ut Princeps Radzivilius & alii referunt. *Hoc*, invadit & [39]. ferocior est plerumque circa novilunium plenilunium, ut quidam observaverunt, circa Lunæ decrescentis quadraturam, ut *Gemma*, Luna in eum locum cœli ingressa, quod singulis mensibus fit, inquo erat Saturnus vel Mars, cum nascereris, ut *Heurnius*.

[30]. *Diversimode invadens, seu subjecta consideres &c.*) Ad principium fiendi pertinet etiam dispositio objecti in quod venenum pestiferum operatur. Dependet autem hæc 1. à temperamenti varietate, cum in homine tum in veneno: Nam venenum pestiferum partim similitudine quadam, partim contrarietate qualitatum constare debet, quo objectum invadere & spiritus in eodem destruere queat, quod si hoc non contingat, difficulter admodum Pestis finem suum consequitur.

Hinc mirum non est hominem aliquem inter media cadaverum, quæ peste interierunt, agmina consistentem immunem evadere posse: Manifesta etiam nunc est causa, quare Pestis *mulieres* quandoque invadat, virili sexui parcat; Cum enim sexus fœmininus & masculinus differant temperamentis, continget Pestem in altero qualitatem aliquam suæ qualitati similem reperire, in altero non item: Esto venenum in excessu frigidum & siccum, non facile hoc aggredietur hominem temperamenti cal. & hum. magis vero eum qui temper. est frig. & hum. vel sicci & cal.

Hinc fit etiam quod soli *pueri*, solæque *virgines*, *senes* non item Peste inficiantur; Si enim excessus venenosus in humidis consistit, pueri & virgines humidæ constitutionis existentes facile à Peste destructionem patiuntur, quia in humido conveniunt, & frigiditas veneni caliditatem tantum destruendam habet: *Senes* vero in se non habent regulariter qualitatem excessive vel calidam vel humidam.

Pendet

Pendet 2. *Dispositio à moribus*, qui enim *meticulosus* est, & facile metu percellitur, ejus spiritus non prompti sunt ad resistendum veneno, sed fuga sibi consulentes in visceribus suis latitant: Contra vero *hilares*, nullumque sibi à peste imminere malum concipiunt, horum spiritus sunt agiles, & ad aggrediendum id quod contrarium esse sentiunt parati.

Dispositi sunt homines ad Pestem superandam vel non superandam, quatenus *Venenis assuefacti* sunt, uti enim venenosis bestiis comedendis quis assuefieri potest, si crebro, modice tamen his utatur, ita etiam aëris peste infecti haustu venenum quis paulatim spirituum suorum imperio subjicere potest, ut ab externo nihil amplius metuendum habeat.

Experimentum peti potest à sordidarum artium cultoribus; hi enim nihil incommodi à fœtidis rebus percipiunt, quas non assuefacti vix momento tolerare possunt: Idem patet ex iis qui in locis palustribus degunt, aërem salubrem & tenuem, tanquam perniciosum fugientes, nec tamen in locis assuetis quicquid molesti percipiunt.

Hinc, experientia teste, ii qui incolumes vixere in loco infecto, tunc demum peste fuere correpti postquam aëri salubri frui cœperunt: Ex quo velut signo colligi potest quiescere quandoque semen pestiferum si non irritetur, ut contingit homine in loco infecto commorante; irritatum autem (quod fit quando homo aëre puro vescitur) eo vehementius spiritus vitales invadere & destruere.

Non tamen existimandum est quenquam ita disponi posse ut nulla peste superari queat, cõstat enim eam tam gravem esse ut nullus spiritus vitalis, quacunq; tandem salubri bonitate instructus, eidem resistere possit. Proprie autem ad pestem dispositi sunt qui in corpore suo multum putredinis habent & corruptionem passi sunt, vel ob plethoram, vel ob cacochymiam: Omne enim venenum amat putredinem & in eadem quærit sustentaculum. *Joh. à Felde Tr. de Peste p.* 113.

31. *Seu subjecta*) Ea excipiendo contagio sunt magis obnoxia corpora quæ cum iis quos lues pestilens læserit habuerint ve, analogiam ac velut sympathiam habeat aliquam, ut familiæ, temperamenti, ætatis, sexus & humorũ, Nam & aliis non raro, talibus autem fere semper affinitatis ratione, contagii vim communicari summa consensione omnes asserunt &c. In summa, cum *Aphrodisæo, probl.* 88. *l.* 2. quemadmodum ædes antiquæ quæque, nec arte extructæ, nec bene materiatæ sunt, facilius vi impetuq; ventorum corruunt quam quæ novæ, firmis fundamentis nixæ recteque ædificatæ sunt; Sic etiam homines quibus ex facto vita imbecilla, ac proinde brevior futura est, & expeditius aëris vitio tentantur, & pestifera cœli conditione gravius afficiuntur, *Saracenus de Peste pag.* 82. *&* 83.

Seu subjecta) Multi negant illos qui à Peste semel evaserunt rursus Peste corripi posse, inter quos *Matthias Untzerus*, quos experientia refellit: Eques maxime temerarius, Peste cum magna febri correptus, bubonem in inguine & tres anthraces habuit, sanatus se ipsa peste nequiorem & fortiorem gloriatus est, Quinta post hebdomada rursus de novo Peste correptus est & ante diem sextum obiit. *Diemerbroeck. l.* 4. *hist.* 37.

32. *Aliquando εὐχύμους, citius quam cacochymos*) Ex hominum naturis excipiendæ pesti maxime omnium obnoxii sunt quorum corpora imbecilliora: Ejusmodi sunt quæ ex plethora aut cacochymia, aliave impuritate talia evaserunt, Atque adeo *Aristoteles Probl.* 7. *sect.* 1. recte scripsisse videtur eos præ cæteris Peste labefactari qui depravato sunt corporis habitu: Contraque *Aphrodisæus Probl.* 86. *lib.* 1. eum qui bono est corporis habitu, vix aut certe quam minimum offendi posse, Nixus hac ratione, quod firmo puroque corpori si quid morbi accidat, difficilis non sit ad naturalem statum reditus: Nec eo spectant hæc ut inficiari velim firma valetudine homines quosque vix, aut certe innocentius ægrotaturos opinio esset, aliis similiter peste quandoque tentari, sed de iis est nobis sermo quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ evenire consueverunt; Quibus ex rebus intelligi datur nemini mirum videri debere; si pestilenti tẽpestate quotquot fere grassantur morbi in ipsissimam pestem, ex facili quidem, sed dira tamen conversione mutentur, Etenim si qui firmissima sunt valetudine pestilẽtia corripi quandoque cernuntur, cur non ii quoque ea tentabuntur afficienturve, qui imbecilles jam ex morbo redditi ipsi malo cedere eique in sese tanquam viam aperire videantur. *Saracenus de Peste pag.* 80.

33. *Εὐχύμους.*) Temperamento calido humidoque, seu naturali seu ascititio, prædita, excrementitioque humore scatentia corpora, ut omnium putredinis morbis maxime obnoxia, ita & labi pestilenti sunt maxime opportunissima; Quæ contra habent corpora, pestem aut rarius, aut certe minorem experiri docet *Galenus.* 1. *de diff. febr.* Quo fit ut & senes minus sint obnoxii juvenibus, juvenes item minus quam ipsi pueri: *Saracenus de Peste pag.* 83.

34. *Illos qui alio migrarunt*) Ita *Joh. Utenhovius Peregrinat. Eccles. Angl.* c. 4. meminit sævissimæ Pestis Hafniæ, in Dania, à qua omnes advenæ, Angli, Belgæ, Germani immunes erant, quamvis etiam promiscue inter infectos in ædibus infectis versarentur. Contra *Cardanus l.* 8. *de var. Rer. c.* 40. meminit Pestis cujusdam Basileensis, in qua soli Helvetii, non Itali, non Galli, non Germani affecti sunt.

35. *Quædam loca invadit sæpius*) In præparantium ad Pestilentiam causarum externarum genere censentur *Locorum* situs ad Austrum, stagnantium, residum, aut alia ratione putrentium aquarum collectio. Loca item maritima, cœnosa, ventis salubribus defecta, conclusa, nec libere satis aëre perflata: Quæ enim hujusmodi positu sunt, seu civitates solæ, seu totæ regiones, facilius Pestem concipiunt, afficiunturque perniciosius, uti & loci cœlique vitiata natura, ceu retinente foventeque causa, diuturniorem eam experiuntur: Contra quæ tum puriore tum clementiore cœlo fruuntur, suntque situ salubriore, censentur malo minus opportunæ: Nec aliud in causa fuisse putandum, cur Locrorum & civitates Crotonis, *Plinii* testimonio *lib.* 2. *N.H. cap.* 96. à peste semper illæsæ fuerint: *Saracenus de Peste p.* 83. *&* 84.

In Dictione Neocomensi Helvetiorum pagus est, milliaris itinere Neocomo distans, inter montem Jurassum, & lacum positus, vocant *Cerriere*, Orientem spectans, Per eum decurrit amnis undas trahens nitidissimas, æstate quavis glacie frigidiores, hyeme fumum emittentes, sed bibentibus perniciosas: Ex annalibus Neocomensibus compertum pagum illum Pestem nunquam invasisse, idcirco Primates Neocomenses, pestilentiæ tempore eo confluunt; Aërisne puritati salubritas illa sit adscribenda, dubium, cum eodem fruantur Neocomenses, & utriq; tum hi, tum pagi incolæ Orientem spectent; adversum habeant occidentem solem; Boreas perflat hunc pagum, à quo immunes sunt Neocomenses (urbem intelligo) quem prohibet collis proximus: Hujus vices tenet ventus patrius ab occidente spirans, vocant *Joran*; æstate præsertim infestus, circa quartam vespertinam exurgens, frigidissimus, incautis noxius, quod corpora ab ambiente calido reserata facile subeat, sed & vineis impense noxius, quas ex parte, qua spirat, præaltis muris defendunt.

36. *Invadit sæpius, quædam rarius*) Hispania raro Peste affligitur, ex eo quod utatur picato vino, cum enim doliis careant, plerumque vina picatis coriis conservant: Odor picis suffumigiis plurimis Provinciis Peste contaminatis familiaris. *Van Helmont. Lib. de Peste.*

37. *Constantinopoli*) Illius gentis Pestem aliis omnibus sæviorem atrocioremque esse existimo, pro erronea Turcarum crudelitate, qua omnes pro certo habent singulis à Deo præconstitutum esse exitium exitusque qualitatem, ita ut in bello morituros nullo pacto à Peste interimi posse arbitrentur; Et solum Peste eos mori posse quibus quidem ab ipsa exitium præfixum sit; Qua vana credulitate omnem pestiferum morbum negligunt atque parvifaciunt, nihilque ab eo timent; pro certo credentes si vitam illis eo morbo finiendam destinatum sit, quin ab eo moriantur nullo pacto ipsos posse effugere, neque in bello, neque in mari, neque alio modo mortem sibi esse pertimescendam. Hinc nemo ipsorum fugam arripit, neque una cum Peste infectis versari timet, neque vestibus aliisque abstinet. *Pr. Alpinus Med. Ægypt.l.1.c.15.*

38. *In Ægypto varias*) Quemadmodum è terra perpetua effluvia contingunt, existimo itidem nonnunquam atomos quasdam venenatas efferri, quæ tamen perniciosos effectus non semper edunt; nam cum exigua earum sit quantitas, plurimisque aliis confundantur, pravas exuunt qualitates, alias magnitudines & figuras induentes dum ejuscemodi corpusculis implicantur, propter quæ motus earum intricatur; quamobrem omnino necesse est pravas suas dispositiones deponant, Atque hinc colligere est cur morbi contagiosi aliquando desinant, etiamsi causa eorum author non sit extincta: Id accidit è commixtione novarum atomorum è terra exsurgentium, quæ prioribus adhærentes illarum naturam immutant; quia videlicet ipsis conjunctæ, novas magnitudines novasque figuras subeunt.

Hinc colligere est, Cur Pestis quæ quotannis in Ægypto epidemia est, præsertim nova Memphi, desinit exundante Nilo, Tunc videlicet temporis fermentatio quam subit aqua illius fluvij, cui proculdubio adscribenda diffusionis extra ripas causa, in aërem emittit plurimas atomos, à quibus adipiscitur aliam dispositionem, immutatis qualitatibus earum quæ ipsum inquinaverant; Nec alia de causa suffitus instituuntur purificandi gratia aëris in quo morbi contagiosi vagantur. *Bertrandus Differt. de Acido & Alkali p.m.321.*

39. *Ferocior est plerumque circa novilunium*) Quemadmodum in hac Peste (Noviomagensi) circa novilunium & pleniluniium morbum valde exacerbatum fuisse observavimus, sic etiam *Joubertus* suo tempore in plena atque silente Luna id ipsum notavit. Hinc monet *Joh. Morellus l.de Febr. Purp. Ut unusquisque sibi caveat circa novilunium & plenilunium, quia,* inquit, *tunc fortiter venenum aëreum movetur.* Hoc quoque animadvertit. *J. Heurnius de Peste cap.*8. qui adhuc aliam observationem addit, *Cave tibi,* inquit, *circa novilunium & plenilunium, quia tunc aëreum venenum movetur violentius: Vis,* addit, *aliquid secretiorum in natura? Cave tibi cum singulis mensibus Luna venit in eum locum cœli in quo erat Saturnus cum nasceretur; Idem de Marte dictum puta, quod tamen vix millesimus observat.*

E contra *Gemma* scribit in Peste anni 1575. Lunæ decrescentis quadraturam fuisse efficaciorem. *Paræus l.de Peste* ait Lunam decrescentem peste correptis sæpe fatalem esse ad interitum, Et *D. Liddelius 3. de Febr.c.4. Luna decrescens,* inquit, *Peste laborantibus lethalis esse solet, plures enim Luna crescente quam decrescente restituuntur.* Quercetanus *l.1.Alex.c.7.* dicit senes & fœminas Peste laborantes frequentius Luna decrescente, plethoricos vero in plenilunio plerumque interire: Alii particulatim de quolibet subjecto annotarunt in nova Luna natis circa novilunium maximum pestiferæ infectionis periculum impendere, Et in plena Luna natis circa plenilunium; idque observavit *Goglenius de Peste Qu* 8.

De Lunæ in corpora sublunaria viribus opiniones examinare nolo, Inter has verior videtur illa, quæ statuit ad motum aquarum, humorum, succorum, &c. Lunam nihil facere, sed illa sponte Naturæ moveri eodem modo & tempore quo Luna; atque Lunam istius motus tantum signum esse, non vero causam efficientem. *De Diemerbroeck. capite v. l.de Peste Ann.* 1.

An vis Lunæ erga ægros aliqua sit disquirant alii; At non Medicis modo sed & mulierculis notum quosvis ægros Luna inclinante pejus habere; Si morbus lethalis sit futurus, eo potissimum tempore interire, Eos qui evadunt Luna crescente novas vires aperte resumere, Quin & Purgationes silente Luna datas vix, aut cum torminibus alvi purgare à quibusdam observatum, Hinc ut verum esse queat & in Novilunio pestiferum venenum magis sævire, Et eos qui declinante Luna peste tacti sunt circa id tempus interire, quia vires eo tempore magis titubant.

40. *Signa* sunt vel [41] *Imminentis*, [42] grassatio ejusdem in vicinis locis, prægressus eorum quæ aërem inficere possunt, [43] ut sunt tetri è [44] terra vapores, frugum infectio. [45] Effecta aëris ad corruptionem tendentis, ut sunt [46] fungorum nimia copia, plantarum marcor, insectorum multitudo, animalium exanimatio, panis aëri nocturno expositi mucor, carnis facilis putredo, [47] variolarum, petechiarum & morbillorum frequentia. His adde [48] pueros mortuorum sepulturam agentes, funera per nubes delata, sonos in aëre lugubres, magna [49] ranarum copia.
[50] Vel *Præsentis* [51] cujus suspicio est, si plurimi illorum qui corripiuntur, pereunt, si ab uno ægro in alium serpit, si vires subitò prosternuntur, si bubones & carbunculi infecto alicubi aëre apparent, [52] si in mortuis [53] maculæ conspiciuntur. Nec dubium est venenum pestilentiale [54] etiam in mortuis permanere, danturque hujus apud Diemerbrochium p.94. exempla.

50. *Signa Præsentis, cujus suspicio est*) Vix aliquod exacte certum pathognomonicum Pestis signum reperiri potest, quo posito Pestis necessario ponatur, sublato auferatur; Quia morbus hic multoties variat, neque eundem morem semper servat, unde quoque varia ejus ac intricata, & pleraque fallacia signa sunt, partim propter occultam malignitatem, primo efficientem, partim propter humorum corporumque varietatem, propterea unum, duo, vel tria signa nihil certi concludunt sola, sed ex multorum congerie certius judicium fieri potest. Quamvis enim Pestilens venenum suas habeat notas peculiares, quibus se prodit, nempe Bubones, Carbunculos & Exanthemata, quia tamen hæc nonnunquam in aliis morbis apparent; quia etiam in Peste semper non apparent, & morbus sæpe irruit in corpus variis humoribus ad putredinem paratis refertum, multa alia simul infert symptomata diversis aliis morbis communia, quæ magis propria Pestis signa obscurant, vel prodire impediunt, cognitionemque interturbant, ut pote quorum multa non immediate à malignitate, sed à putredine oriuntur, Quapropter non febris, non somnolentia, nō capitis dolor, aliudve simile ex prædictis symptomatib., per se Pestem designant, sed si his accedat magna virium prostratio, & pestilens sit cœli status, & morbus

epi-

epidemius periculosus grassetur, haud exigua de Peste conjectura ferri poterit, inprimis si aliquid ex prædictis signis (nempe bubo, anthrax, vel exanthemata) accesserit.

De quibus tamen peculiaribus signis, cum illa etiam aliis quibusdam morbis communia sint, non imprudenter judicandum, sed his Pestis characteribus apparentibus, ut certa morbi cognitio indagari possit, etiam præcedentia, concomitantia, & subsequentia symptomata consideranda, aliæq; circumstantiæ (ut aëris malignitas, pestis grassatio, contagii occasio &c.) animadvertendæ sunt: His tamen peculiaribus signis non apparentibus, statim inde Pestis absentia concludenda non est, nam sæpe vel æger moritur antequam illa erumpant, vel debilitata atque oppressa virtus nullam à centro ad peripheriam morbifici veneni expulsionem moliri potest. *De Diemerbroek c.7.*

41. *Signa sunt vel Imminentis*) Quoniam hic morbus sagittas suas abscondit, & ex improviso homines adortus eos repente interimit, ideo danda erit opera ut signis quibusdam, velut positis excubiis, clandestinum hunc hostem adventantem dignoscamus, licet à longinqua venientem prospicere non valeamus: Plurima occurrunt signa quæ Pestilentiam brevi adventuram denunciant, nimirum si annus temperamentum non servet, verum immodicos & valde intempestivos habeat caloris aut frigoris, siccitatis aut squaloris excessus: Si morbilli aut variolæ in magna copia passim grassantur; si phlegmones aut bubones febres regnantes comitantur.

Insuper solent Astrologi, ex siderum aspectibus, aut Cometarum apparentia Pestem imminentem prædicere, verum hoc potius inanis conjectura quam certa præscientia appellari debet, Ex fame præcedente certissimum Pestis secuturæ præsagium desumitur, ut in adagio sit μετὰ λιμόν. Etenim similis anni constitutio, quæ plerumque ob segetes sideratas annonæ caritatem advocat, apta est & pestem producere.

Etiam mala victus ratio, qua utuntur fame lici, quævis insalubria sine delectu comedentes, ad labem facilius suscipiendam eorum corpora disponit: Quin etiam Terræ motus, cryptæque & cavernæ dehiscente solo recens apertæ, ob malignæ & venenatæ auræ eruptiones non raro pestilentiis initia dedere.

Enimvero sicut magna opus est diligentia pestem imminentem velut è specula prospicere, ita non minoris erit solertiæ eandem recens exortam, & prima intentantem spicula animadvertere: Sæpe enim solicitii nimis etiam febres vulgares, si forsan in mortem desinant, pro hac lue perhorrescimus, ac interim nimis securi pestilentiam, ratione symptomatum febris communis æmulam contemnentes, pericula nostra nonnisi sero deprehendimus. *Willis.*

Signa imminentis Pestis petuntur vel ab iis quæ in summo *cælo*, vel quæ in *aëre*, vel quæ in *terra* comparent: Ad signa quæ offert Cœlum referunt quidam *Cometas*, de quibus tamen statuimus nihil constare, cum ex lumine rationis, tum ex lumine revelationis, quod pro signis imminentis Pestis haberi debeat: In Aëre quandoque apparent meteora, quæ à Deo nobis conspicienda præbeantur quo ad pœnitentiam adducamur, v.g. cum multitudo funerum conspicienda præbetur; Nos dicimus his signis non multum fidendum esse, cum Deus nuspiam in suo verbo quicquam de his revelaverit quod signa Pestis nobis esse debeant: Sed adscribimus harum imaginum structuras, Spiritibus qui in terra sunt, & cum evaporationibus venenosis in supremam aëris regionem ascendant, ibique illas efformant: Hominibus enim infensi, & ex horum malis imminentibus læti id faciunt (*Cacodæmon Princeps aëris dicitur*) Quemadmodum etiam observatum est frequentes spectrorum apparitiones, Lemurumque strepitus Pestem præcessisse.

In *Terra* futuræ Pestis signum esse censentur variæ noxiorum animalium, colore & figura differentium generationes: Indicant enim venenosam putredinem; utpote è qua generantur, è terra evaporare; Hinc communiter tradunt pestem utplurimum præcedere ingentem araneorum progeniem; hæ enim ex venenosa putredine, & vermiculis inde genitis alimenta sua petunt; generantur enim animalia ibi ubi habeat alimenta sua; Ejusdem quoque imminentis signum est bufonum, erucarum, muscarum &c. minus sueta copia.

Præbet etiam circa terram signum 1. nebularum crassarum & fœtidarum copiosior generatio, indicat enim in terra putridos esse vapores, effluvium mittentes in aërem, unde Pestis suam originem habet.

2. Pluviæ prodigiosæ, veluti ranarum, murium, lumbricorum: Hæ enim indicant jam multum putredinis, ex qua oriuntur ejusmodi animalia, in aëre esse.

Reperiuntur & in *Aquis* signa, veluti.

1. Fœtor, indicium putredinem è terra exhalare.

2. Excrementa spumosa, pustularum more aquis innatantia.

3 Fontium ex puritate in sordidam & lutulentam substantiam commutatio.

4. Piscium repentinus & numerosus interitus.

5. Rubetarum & ranarum insueta copia.

6. Si cancri latebras deserant; quæ omnia indicant Terram exhalare vapores putridos & venenosos, pesti originem præbentes, si in aëre reperiantur.

Referuntur & inter præsagia Pestis Morbillorum & Variolarum frequentia, pueros & adultos si invadant. 2. Febres continuæ, præsertim Petechiales. 3. Abortus frequentes ex levi occasione *Joh. à Felde p. 191.*

Aliquando Pestis sine præviis indiciis invadit, nonnunquam etiam signis evidentibus adventum suum prænuntiat, qualia sunt plurima, & fere continua nocturna fulgura, sine pluviis & tonitruis, cœlo non nubiloso existente &c. mulierum gravidarum abortus frequentes, morbi epidemii mali moris, ut variolæ &c. *Thomas Burnet. Thesauri Med. Pr. lib. 14.*

42. *Grassatio ejusdem in vicinis locis*) Hic quæritur, cum signa Pestis sint valde incerta, si forte morbus hic in urbe unam solum domum invaderet, & Peste nunquam apparente, & nullis carbunculis, bubonibus aut exanthematibus se manifestante, An & unde cognosci posset istius domus ægros peste infectos esse? Respondeo illud primo ingressu vix indicari posse, quamvis Reipublicæ plurimum intersit illud sciri, ut contagii propagatio declinari queat.

Ex syndrome tamen pravorum signorum, & aliis concurrentibus circumstantiis, morbum suspectum fieri debere; atque si primus æger sine magno ardore magna cum anxietate, viriumque prostratione, accedentibus magno vomitus delirio, somnolentia aut jactatione, aliisve similibus symptomatibus, primo vel secundo morbi die moriatur, & post eum secundus & tertius similiter cito extinguantur; aliique iis inservientes inficiantur, maxime verisimile est illum morbum esse pestem, licet nec anthraces, nec bubones, nec exanthemata appareant

Ita scribit *Joubertus* anno 1574. Pestem solas *Caroli Barges*, Judicis, ædes occupasse, eumque cum dimidia familia enecatum.

Ex his jam liquet quod differentia sit inter morbum epidemium & pestilentem; & quod epidemius, seu communis, non semper sit periculosus; Et quod pestilens non necessario semper sit communis: Imo quod ad hujus essentiam non pertineat, ut sit communis, sed hoc potius accidens quoddam sit, quod vel ejus communem

causam, vel ejus effectum, scilicet contagium sequitur. *De Diemerbroeck cap. 7.*

41. *Ut sunt tetri è terra vapores*) Quæ inferne atque ex terra petuntur pleraque tum signorum tum causarum rationem obtinent; quo in numero sunt insepulta cadavera, gravis ac teter odor ex retectis sepulchris, è sordibus stratis humi gravis aura, terræ motus crebri, semperque terrifici, nam & hi vaporum in aëre malignorum multi pluriumque in causa esse consueverunt.

Illis adde putrescentem in terræ visceribus materiam quamvis, quæ certè quidem haud obscure atque ex facili sese prodit indiciis hisce; Si fungorum, germinum herbarumque graveolentium est copia; Si quæ recens pullulare cœperant herbæ haud quaquam assurgunt, nec in justam altitudinem prosiliunt, sed exiles semperque minutulæ prius aut marcescunt, aut omnino putrescunt quam adolescant, tantum abest ut ad frugem unquam perveniant; Quod si harum nonnullæ forte maturescunt (quod tum rarum est & insolens) eæ tamen nec coloris nec odoris gratiam, nec saporis propriæque substantiæ suavitatem retinent, proprio nimirum & accommodato alimento defectæ. *Saracenus de Peste pag. 98.*

Quoties ex terræ facie graviores exhalationes aëre vitiato pestem invexerint, deterior quadrupedum conditio, ut quibus loci sediumque mutandarum potestas, (ut avibus) non sit: Hinc fit ut armenta, sues, pedum & quadrupedum genus omne (quoniam proniora terrisque propiora gerunt capita) fere omnium prima diri aëris status circa ipsam humum excipiant, tumque aut specierum aliquarum, aut plurium, interdum omnium magna clades antecedat. *Idem pag. 101.*

44. *Et aquis*) Nec minus ex *Aquis* indicia petuntur, Accersitæ autem jam illis putredinis indicia nulli nō conspicua: viror ipsius aquæ lurido colore perfusus, graveolentia, sapor ingratus ac fœdus etiam, in superficie pinguitudo telæ araneorum tenuisve membranæ speciem referens: His non minores indicandi vires obtinent ulvæ, musci, aliorumque id genus proventus, vermium, ranarum, bufonum, atque materiæ putris universa soboles.

Aqua item quam pro suæ naturæ ratione crassior minusque frigida, imo vero fere tepens. Ejusdem est præsagii ac forte valentioris ex aurium sensu petitum indicium, Aqua enim quæ putredinem experta est, non minus quam vina fugientia, ac præ putredine turbata, si elutrientur, instar olei aut ejus crassamenti materiæ cujusvis, exili nec strepente sono delabuntur. *Saracenus pag. 99.*

Corruptione in aërem ab *aquis* exhalante *putrentibus.* Bufonum copia visitur, Pisciculi aut ranæ extinctæ, vel exanimes aquis innatare, culices etiamnum velut supernatare conspiciuntur. *Idem p. 102.*

45. *Effecta aëris ad corruptionem tendentis*) In *Aëris* signis proximam, nec ita multo post venturam, pestem præsagiunt malefica ventorum exhalatio è gravi ac pestilente loco spirantium, & vaporum copia partim tenuium & occultorum, partim crassorum & aspectabilium, æstate nonnunquam, sæpius sub ipsum initium Autumni calentem adhuc aërem tanta caligine obtenebrantium, vix ut per medium ipsum solares radii penetrare possint; vix sit qui oculos attollere, nedum suspicere audeat, ex impuro ignavoque tepore corpora mollia & ad præstandum officium ineptiora reddantur.

Hujusmodi quoque vaporum indicio non obscuro sunt hæc circa Solem & Lunam nebulæ velut insperso pulvere densiores quæ luminibus adstruant: Circa Solem orientem vel occiduum spectrum varium, rubrum interdum, alias nigrum, aut luteum, Sol in ipso statim exortu pallens aut caligine circumfusus, denique aër universus crassus, densus, nubilus, turbidus ac etiamnū pulverulentus, minimeque pluvius aliquantisper perseverans, pluviam licet in dies horasve minari videatur.

Ad hæc cœli gravitas insolens, plantarum fuligine frondes veluti pulvere conspersæ: Atque hujus quidem eventus ratio non dubia & conspicua causa est; vaporum enim crassior ac terrena magis portio in plantarum folia præ gravitate delapsa, ac vi caloris siccior reddita, hæc ipsa humanis oculis pulvere undique oblita repræsentat.

Quin & [illegible] ignita crebraque in aëre [illegible] maxime autumni conspecta tempore, haud incertum futuræ calamitatis indicium faciunt; quia enim exhalatione ex inferioribus vi Astrorum attracta fiunt, evenit ut originis suæ non minimam significationem illa præ se ferant; Magnarum quoque calamitatum prænunciæ solent esse, adeoq; ipsius pestis faces ac stipulæ ardentes, stellæ cadentes earumque trajectiones, hiatus, ardores, & id genus alia aëri impressa, nonnisi noctu conspicua, quorum fere omnium materia ex terra suscitatus halitus est exhalatiovè: Ea vero maligna copiosaque cum fuerit, nec adeo penitus totaque igni consumi queat, suapte natura circumfusum aërem inquinat. *I. A. Saracenus de Peste pag. 95.*

46. *Ut sunt fungorum nimia copia &c.*) Sunt ex quibusdā rebus indicia multa certissima, Panis loco aërivè nocturno expositus mucescit, etsi ocyus alias, alias serius, Ova item & carnes fere quævis intra diei unius spatium corruptionem aliæ aliis majorem minoremvè experiuntur, Prægnantes ceu viribus defectæ, vel levissima ex occasione aboriuntur; Ædium parietes, velut impuro humore scaturientes illacrymant ac situm contrahunt: Humescunt denique tum lecti, tum & ipsa lintea: Splendori Solis eximio, crebra repentinaque mutatione turbidior aura succedit: Canes hac quam ulla alia constitutione facilius in rabiem aguntur, Ajunt & in omphacinde galla, quæ pertusa non fit, vermiculum aut araneum inveniri: Rosarum denique, ut & violarum denuo sub ipsum autumnum exorti flores aëris inquinati significationem præ se ferunt, sed hoc ipsum tamen levius & perpetuum non est; Ex ante dictis vero complura pauciorave crebro ac passim observata cum persistunt increscuntvè, tum in dubio non est ambientem venenata lue infectum esse, vulgo etiam persuasa sententia. *Saracenus lib. de Peste pag. 102.*

47. *Variolarum, Petechiarum & Morbillorum frequentia*) Aliquando tamen dum ista lues grassatur, aliorum est aliorum affectuum silentium, aut saltem infrequentia, Sic *Thucydides* de Peste Atheniensi verba faciens, Enim vero, *ait*, annus is omnium maxime, quod erat in confesso, aliarum ægritudinum immunis erat.

47. *Variolarum &c. frequentia*) Nec pueros modo, verum etiam adultos ac ætate florentes tum [illegible] tum etiam [illegible] affligunt, ut quæ, quemadmodum venenatæ materiæ non nihil in se habent, ita & pestilentiam antecedere, aut (quod rarum non est) comitari consueverunt: *Saracenus l. de Peste pag. 100.*

Ita Pestem quæ Genevam toto triennio (annis videlicet 1636. 37. 38.) quanquam mitius, Dei Gratia, afflixit, Variolæ præcesserunt, insigni strage memorandæ, nec adultis parcentes: Plures spatio trimestri, quo viguerunt, extincti sunt, quam toto illo triennio à lue Pestifera deleti.

48. *Pueros mortuorum sepulturam*) *Gallus Tridentinus Fascic. de Peste*, agens de Pestis prænuntiis, inter cætera etiam hujus præsagii meminit: *Mindererus l. de Peste c. 9.* de isto præsagio ista scribit, *Admiratione digna res est puerulos una ludentes, & vespillonum more scrobes ac sepulchra facientes, ac feretra deportantes, quasi genio id eos docente, venturam pestem hoc suo lusu prædixisse*: Ante Pestem Delphenensem illud præsagium etiā observavit *Forestus. Pueri*, inquit, antea

antea colludentes scrobes instar Sepulchrorum faciebant, & feretra in humeris, ut vespillones portabant, & quanquam hæc & similia ab aliis pro portentis, ab aliis pro nugis habebantur, tamen sævissima Pestis subsequuta est.

49. *Ranarum copia*) In Pestilentiæ indiciis locum habet exorta derepente, post æstivas pluvias ranarum in tergo coloris fere cinerei, ventre vero toto lutearum, quas à figura simili φρυνώδεις, aut etiam διοπετεῖς quasi cœlitus demissas nominant, nusquam non in viis passim subsultans numerosa multitudo. *Saracenus de Peste pag. 99.*

50. *Signa præsentis*) Præter signa quæ ἐνδεικτικῶς quadam *à priori* pestis adventuræ suspicionem incutiunt, dantur alia quorum ἐναργῶς ejus præsentiam in corpore ægro plane indicant: Ex his quædam Pesti cum febre putrida communia, quædam huic affectui sunt magis propria; Etenim Pestilentiæ impressio sanguinis effervescentiam sæpissime concitat, & febrem ita crebro conjunctam habet ut à nonnullis in definitione Pestis loco generis habeatur Febris, quare ob sanguinis ebullitionem & noxam visceribus illatam, statim incalescentia cum lassitudine spontanea, sitis; præcordiorum æstus, vomitus sæpe immanes, cardialgia, intestinorum tormina, linguæ scabrities aut nigredo, dolor capitis, vigiliæ, phrenitis, cordis palpitatio, syncope, & subita virium prostratio sequuntur.

Hujusmodi symptomatis licet febres vulgares sæpe stipentur, tamen si eodem tempore in vicinia Pestis increbescat, & ejusdem metus animis hominum insederit; hinc major hujus mali suspicio incutitur; potissimum vero quia regnante pestilentia cæteri quivis morbi propriam relinquunt indolem & in ipsam migrant: quare si affectibus modo citatis accedat ejus ægritudinis in plures communicatio, & funerum frequentia, ut prorsus valde lethalis usque per contagium latius serpat; Et si præterea Bubones, Carbunculi, Exanthemata, aut alia Luis pestiferæ stigmata appareant, res extra dubium ponitur, & non minori fiducia hinc pestilentiam denuntiamus quam cum ædes per tabulata erumpente igne flagrantes cernimus, incendium proclamamus, *Willis.*

51. *Vel præsentis*) Primus insultus *rigorem* ac *horrorem*, quemadmodum & febrium intermittentium accessiones, fere perpetuum habet comitem; Mox *vomitus* enormes, *dolor circa cordis regionem* (ac si torculari premeretur) *Febris ardens* usitata symptomatum syndrome stipata: indesinenter ægros divexant, donec aut mors ipsa, aut benigna *Bubonis* vel *Parotidis* eruptio, quæ materiam morbificam foras ablegat, eos à luctuosissimo discrimine liberet.

Rarius quidem accidit, ut citra ullam febris præsentionem ingruat, ac homines de improviso è medio tollat, *maculis purpureis*, præsentanei interitus nuntiis, etiam dum in foro versantur, erumpentibus: Quæ *repentina exanimatio* (quod animadversione dignum) nisi in Pestis admodum funestæ exordio vix contingit, remittente ac refracta jam lue; aut in quibus *jam* nun existit popularis, nunquam observata est; Fit etiam nonnunquam ut *Tumores* prorúpant, nec febre nec graviore aliquo symptomate prægresso; quanquam suspicor rigorem aut horrorem leviusculum ac minus perceptibilem semper præcessisse; Quibus autem hoc obtingit, iis integrum est per publicas plateas pro libitu obambulare, ac communia vitæ munia, sanorum more, spreta omni regiminis cura, obire. *Sydenham obs. Ac. p. m. 136.*

51. *Cujus suspicio est*) Utut malignitas pestilentialis pluribus diversis affectibus se associare valeat, proprie tamen sic dicta, & peculiaris morbi species est Pestis ista quam *Bubones* aut *Carbunculi*, subinde & *Petechiæ*, insequantur, Adeo ut per Pestem in genere nil aliud intelligatur quam *Morbus maxime contagiosus & epidemicus, qui ortum ducit ex miasmate venenato, ab aëre primum suscepto, & hinc per contagium propagato, qui occulte & latenter homines aggressus, in summum vitæ periculum conjicit; & fere Bubones, Carbunculos, nonnunquam & Petechias secum comites trahit.* *Etmuller.*

52. *Cujus suspicio est*) Multi curiosi sunt in explicandis indiciis *Pestem futuram* præsignificantibus, quæ omnia tamen sunt vana, interim paucæ conjecturæ non omnino sunt inanes, uti sunt multa aut varia insecta, bufonum copia &c. *Præsentis pestis* indicia pariter sunt nulla; Ubi tamen morbi acutiores ac periculosiores cum bubonibus ac carbunculis aut petechiis grassari incipiunt, de peste amplius dubitare nemo potest; Ipsum vero ægrum Peste correptum ostendit *nausea sine causa manifesta*; id quod contagii suscepti indicium est.

Item certum signum, quod nunquam nos fallet, dicit *Lindanus*; est si ægri sentiant in locis Bubonis i. e. in inguinibus, sub axillis, vel parotidibus, *particulam* plures vel pauciores, vel etiam unam quasi candente acu factam, certi estote de Peste; Quando igitur tale quid in Bubonibus fit, statim oportet evocare, quia illa Punctio est conatus naturæ, volentis deponere huc venenum, Hæc confirmantur ulterius si præcesserit metus vel terror, & conjungatur capitis dolor insignior, vel similis præternaturalis subitanea corporis alteratio. *Etmuller.*

52. *Si in mortuis*) In cadaveribus aliquando apparent maculæ, interdum vero vibices, ac si flagellis percussi fuissent; hæc enim sunt venenati morbi indicia; quandoquidem in his qui ex assumpto veneno perempti sunt eadem signa solent apparere: Illæ autem maculæ pestilentem morbum magis significant si livido aut nigro colore infectæ sunt; Idem etiam testantur Exanthemata (*de quibus supra §. 47. de febre pestil. §. Nec hoc vel Exanthemata*) præsertim si pravo colore infecta sunt; Tum etiam multo magis bubones, parotides & carbunculi. *Riverius.*

53. *Si in mortuis maculæ*) Notandum maculas has interdum toto morbi decursu non apparere, sed extincto homine post mortem pullulare: Apparent autem vel instar vibicum, vel instar morsus pulicum, vel tanquam magni livores; idem contingit in iis qui veneno extincti sunt, tum etiam quandoque instrangulatis, quod facile cognoscetur si causas signaque præcedentia Medicus intueatur.

In strangulatis semper sũt nigri coloris, in Peste mortuis certum non habent colorẽ, sed possunt esse varii; Causa autem eruptionis harum macularum est, quia extincto calore nativo; calor internus, quicunque tandem sit, sive naturalis sive p. n. exteriora petit, & simul humores, sanguinisque ichores, cum à facultate naturali non amplius regantur, ad externa ducuntur, & ob cutis densitatem in ea firmantur, eamque inficiunt.

Quidam à facultate expulsiva, aliquandiu post mortem remanente, id fieri crediderunt, at extincto cadavere omnes vires extinguuntur, quod si expultrix remanet, quidni retentrix? Et si vivente adhuc animali non potuit expultrix hos humores secernere, quomodo poterit in extincto expellere? alias vires erunt in mortuis quam in vivis validiores: fit igitur expulsio hæc quia humores à Natura non reguntur, unde ex omnibus partibus effluunt, per aures, nares, os, anum, quæcunque illis in cavitatibus continebantur.

In strangulatis autem maculæ illæ & nigrores non eadem ratione apparent, sed quia humores spiritusque interclusi quantum fieri potest agitantur diffunduntur-que, ut necessario vasa quædam, non interna, lacerentur, & disrumpantur, ex quibus sicut in ecchymomate, è capillaribus venis sanguis in cutim effluit, illicque refrigeratus livores maculasque illas generat.

Unde colligo adversus *Rondeletium*, periculosum esse

contactum cadaverum peste mortuorum, ob motum humorum pernitiosorum ab internis ad externa, una cum calore evaporantium. *Primirosius.*

53. *Venenum Pestilentiale etiam in mortuis*) *Rondeletius* scribit corpora mortuorum nullum amplius venenum conjunctum habere, mortuoque animali perire omne veoenum, idque probat ab experientia, dicens se aliquando multis spectantibus absque ullo damno corpus peste extioctum in theatro Anatomico dissecuisse; Hanc opiniooem probant *Fracastorius Jordanus*, *Greg. Horstius.*

Contra *Zacutus*, & alii, multo majus cootagium metuendum esse à cadavere peste extincto, quam à curpore vivo peste infecto: idque *Joubertus l. de Peste c.3.* dicit fieri, quia extincto calore nativo (qui alioqui in viventibus veneni ferociam reprimere solet) universum corpus à veneno occupatur, quod tunc non tantum multo ferocius, quam antea, domioatur, verum etiam ab insequeote putredine multum augetur & exasperatur.

Hanc sententiam confirmare videtur historia *Diodori Siculi*, qui lib. 14. refert ob multitudinem cadaverum insepultorum Pestem Atheniensem multa incrementa sumpsisse: *Zacutus 3. Pr. Adm.* obs. 42. refert se vidisse plures corpus peste emortuum ex agro ubi jacebat per funes super tabulas deportantes, qui omnes diei spaoo peste correpti obierunt.

Nos ad contruversiæ decisionem dicimus Cadaveris tempus distinguendum esse in tres partes. 1. Cum cadaver peste extioctum primis horis adhuc calet, 2. Cum cadaver tamdiu mortuum fuit ut plane refrigeratum sit. 3. Cum cadaver tam diu extinctum jacuit, ut jam putredinem contrahere incipiat.

In primo tempore cadaver magis contagiosum est quam corpus vivens Peste infectum, 1. Quia venenum pestilens in illo cadavere adhuc ferociter dominatur, ut docent Buboοes & Exanthemata, quæ oonnullis dum moriuntur, aliis statim post mortem erumpuot. 2. quia veoeni violentia à calore nativo amplius non coercetur. 3. quia halitus illi qui è morboso viveote corpore prodeunt, cum tenues sint, & à magno calore propulsi, eodemque comitari, facile dispelluntur, nec aliis multum adhærent, atque minorem malignitatem sibi conjunctam habent: Contra vero halitus qui è cadavere adhuc calente exeunt, ab exiguo calore propulsi non attenuaotur, nec satis discutiuntur sed prope cadaver hærent, magnamque simul junctam malignitatem in se continent, & propter deficientem calorem incrassati, ac viscositate quadam prædiò, facillime aliis corporibus adhærent eaque inficiunt: Eodem modo hic processus fit sicut in lampade ardeote, cujus vapores quousque à luculenta flamma dispelluntur & attenuantur, minus molesti sunt; at extincta flamma illi vapores magno calore privantur, &. exudat ab ellychnio adhuc calente crassus, tetricus, ac viscosus vapor omnibus facile adhærens, maximeque infensus.

In secundo tempore, cadaver multo minus contagiosum est quam corpus morbosum vivens, quia ob frigiditatem & extinctionem caloris nativi pori sunt adstricti & occlusi, humores & spiritus amplius non agitantur, nullæ vel paucissimæ fiuot exspirationes, & veneni intus latitantis actio (quæ à calore & motu antea excitabatur) languida ac torpida reddita est.

In tertio tempore cadaver rursus multo magis contagiosum evadit quam morbus morbosum vivens, quia tunc, quod antea languidum latebat veneoum, vi caloris externi noo solummodo in actum rursus promovetur: verum etiam ab insequente putredine multum exasperatur: Hinc fit quod in locis, ubi peste mortuorum cadavera diu insepulta manent & putrescunt, Pestis brevi tempore multum increscat, ut patet ex *Diodori Siculi* citata historia. *De Diemerbroeck. Lib. 2. de Peste c. 3.*

54. *Etiam in mortuis permanere*) *Rondeletius* affirmat mortuo animali perire omne venenum; & nihil vel parum exspirationis cadavera de se emittere; At sane venenum igneum nostrum, cum agendi vim à se ipso, non à corpore accipit, non perit homine vel mortuo; quod noo à corpore depeodet; Ergo licet parum vel nihil exspuent cadavera, quod dubito, pori tamen non ita constricti, nec nares, nec fauces, nec alia evacuationis loca, quin erumpat venenum, alioquin per carnem, per omnia, vi sua naóva viam faceret: *Th. Jordanus* & alii corpora viventia looge contagiosiora esse quam cadavera statuunt.

Contagium vero, licet respectu ægrorum fieret inter similia, & sic cadavera non ita inficiant corpora, Attamen respectu contagii seminum venenosorum, nunquam fit nisi inter contraria: Nihil enim corpori humano magis cuntrarium quam semina illa, quæ supremi venenosi gradus existunt; Ergo venenum illud semper idem tam in viventibus quam mortuis, ex cadavere erumpens, corpora viventia potest inficere æque ac ex corpore vivente.

Major est infectio à cadaveribus quam vivis corporibus; In vivente, dum vivit, venenum, à cœlo humano resistente quantum potest, heberatur, quod non fit in mortuo; potius, cœlo fugato, venenum viget, & quasi triomphans totum corpus jam occopat, venenosas suas atoınos modo insultatorio emittens ad inficienda quæque adstantia. *Isaacus Roet. Aph. de Peste 57, & 58.*

55. *Causa* pestilentiæ, post Deum qui peccatis nostris irritatus, eam mediatè vel immediatè immittit, [56] est *materia venenosa &* [57] *natura humana infensissima*, eaque ex [58] magis recepto sensu quintuplex.

I. [59] *Aër*, non in quantum purè [60] elementaris, sed [61] in quantum varios vapores & exhalationes continet, de quo *nota.*

1. Eum non tantum vitio suo ad corruptionem succotum in corpore humano concurrete, sed etiam [62] seminaria pestis continere, quæ per eum ita hinc & inde disperguntur, ut tamen [63] non totam necessario inficiant.

2. Interdum cum [64] ad pestilentiam [65] per primarum qualitatum mutationem, ut quando annus ita austrinus est, prout ab Hippocrate 3. Epidemiorum describitur, præparari: [66] interdum sine mutatione insigni ita corrumpi, ut tota substantia nobis adversetur. Hinc fit, ut ne calidissimis quidem æstatibus pestilentia sæpe grassetur, & multoties bene temperato cœlo invadat; [67] sæpe hyemis initio exoriatur, : media vero æstate vel principio autumni solvatur.

3. *Corrumpi* ab exhalationibus vel sibi continuò permistis, & accedente [68] cœli & syderum influxu alteratis, inprimis quando Saturnus triplicitatis igneæ signa, Arietis, Capricorni & Sagittarii transit: [69] vel ex cavernis terræ elatis, & arsenicali, antimoniali: vel mercuriali veneno infe-

infectis ; vel ex ejusdem hiatibus [70] post terræ motum vel absque eo ἀθρόως erumpentibus; [71] notaq; hic arca Babylonica apud Capitolinum, puteus Campanus apud Guainerium : vel [72] ex aquis putrescentibus & fœtidis, cadaveribus interfectis nec sepultis,& locustis mortuis eyomitis.

II. [73] *Victus pravus*, quali [74] tempore famis,frugibus aliquam noxam cœlitus passis,& in obsidionibus vesci solent homines: faciliusque se tum vitium in humoribus exerit si aliqua ex aëre occasio accesserit, de quo ut & de aëre vide Kircherum.

III. [75] *Veneficia*, tam necromanticorum virorum, per pulveres & unguenta inficientium, cujus rei aliquot exempla; quam sagarum mortuarum in sepulchro non revulso à cervice capite recumbentium, cujus rationem non facile dederis,si verum est.

IV. [76] *Imaginatio* & [77] *terror*, quæ dum humores in corpore agitant,seminarium pestilentiale,quod aliquando [78] satis diu latere potest, excitant,& illiud altè cordi infigunt.

V. [79] *Contagium* de quo l.VI. Medicinæ pract. generalis egimus.

Et hæc quidem ita docentur,sed cum certò prodatur [80] liberos à pestilentia Sinenses,& in Æthiopia ad fluvii Nigri oram incolas, quibus tamen sæpè pernitiosi syderum aspectus illucescunt, sæpè conjunctionis Saturni, Iovis & Martis in signo Leonis,illius & hujus in Virginis contingunt : cum sæpè graves annonæ & fames, prout in Ægypto & vicinis regionibus tempore Iosephi grassatæ sint, nulla insequente pestilentia : cum in dubium vocari possit conclusum [82] aërem putrescere : cum haud pauci [83] post terræ motum hiatus pestem non induxerint : cum eadem temperatis aeris constitutionibus grassari possit : cum paludosa & fœtida loca incolentes ea non semper infestenrur, &c. [84] non mirum Diemerbrochium, causas istas [85] inter adjutrices reponere, quod humores alterando putredinem inducant, atque ita corpus ad suscipiendam pestem præparent, & [86] θεῖόν τι in pestilentia per aëris inquinamentum inferri solita statuere.

[55] *Causa Pestilentiæ post Deum 1. Aër &c.*) Quoad ortum Pestis attinet, quando in regione, aut terræ tractu primo exoritur, ejus duplex assignatur causa, scil. *primaria*, seu *metaphysica*, item *secundaria* sive *natu alu*, huic subordinata ; Hunc morbum, ubicunque grassaretur, pro castigandis hominum sceleribus primitus à Deo immissum ipsi agnoverunt Ethnici, ideoque pro extirpatione ejus precibus & piamentis,æque ac medicamentis insistebatur.

Quod vero ad causam Naturalem spectat, variæ feruntur sententiæ, Pestilentiam recens exortam volunt nonnulli tantum à Cœlo & siderum influentiis derivari; contra alii solummodo ab interna humorum corporis nostri putredine suscitari statuunt; Causam istius affectus illi nimis procul, atque hi nimio propius deducere nituntur : Nos media incedimus via, & quod Ratio suadet, & quod Anthores quamplurimi asserunt, primum & præcipuum hujus veneni seminarium in aëre collocamus; quippe rationi consonum videtur,ut ab eodem fonte quo vitæ communis pabulum, etiam necis haud minus diffusa initia petantur : Eadem nobis respirandi aëris, ac piscibus in aqua degendi incumbit necessitas; quare sicut piscium catervatim morientium aquis veneno infectis lues adscribitur, ita homines sine causa manifesta, è clade epidemica occumbentes nil præter aëris communiter inspirati labem interimere poterit.

Constat enim vero Aër, quem pro vita ducenda necessario inspiramus, halituum & vaporum congerie,qui perpetim è terra exspirantur, quibus Salium & Sulphuris exhalationes commistæ corpusculorum [illegible] hic densam quasi nebulam constituunt : horum motus & perniciosissimus,& irrequietus,figuræ sunt multiplices & plurimum diversæ, quare alia continuo aliis occursant, & juxta varias eorum configurationes cum his cohærent & mutuo combinantur, ab istis abiguntur & aufugiunt; hinc sympathiæ & antipathiæ cujusque rationes potissimum dependent.

A diversis hujusmodi atomorum agitationibus prope terræ superficiem hic aut iste tractus aëris diversas alterationes subit, quibus corpora imprimis viventia variè afficiuntur ; quippe motus intestinus particularum cujusvis animalis, à motu & temperie particularum aëris plurimum depender, hæ siquidem istas perpetim exagitant, consopitas exsuscitant, avolantium dispendia reparant, nitrositate sua flammam vitalem exagitant, eique pabulum nitro sulphureum suspeditant, continuis accessuum & recessuum vicibus accensam eventilant & fuligines auferunt ; Quamdiu pro motu & configuratione in utrisque apta contemperatio intercedit,vita & sanitate integris animalia fruuntur.

Sin vero corpuscula Aëri innatantia sint ejusmodi figuræ & potentię,ut spiritibus animaliū insitis plane adversentur,horum à cæteris quibus colligantur elementis mixtiones solvunt, & motus pervertunt:hinc rerum crases perduntur, vita profligatur,eaque vix dum extincta corpora putredinem subeunt; hinc arborum aut segetum culmi sideratione percussi derepente emarcescunt; hinc inter pecora lues sæpenumero grassatur,quæ simul totos interficit greges: Propter hujusmodi causam pestilentiæ semina se primo exserunt,& humano generi internecionem intentant.

Nam sicuti venenata corpuscula in terræ visceribus, aut ejus superficie concreta mixta arsenicalia aut aconitalia producunt,ita hęc in vaporem usque resoluta,& in aëre agglomerata, auras pernitiosas creant, è quibus morbi maligni & pestilentiales oriuntur. Inquinamentum, quod hoc modo Aërem contaminat, *Diemerbroechius*, solertissimus hujus morbi explorator, contendit solummodo (velut [illegible]) ab irata Dei dextra immediate demitti: Verum hoc esse absque necessitatis prætextu multiplicare(ne dicam entia,sed) miracula, & in qualibet peste novæ substantiæ creationem asserere ; cum interim materiæ venenatæ in hanc rem satis idoneæ copiam in terræ visceribus delitescere mineralium ac vegetabilium virulenta producta,quæ quotidie emergunt, nobisque (uti pestis) tota natura adversa plane testentur; Etenim corpuscula, quæ materia terrestri obvoluta, mista venenata in telluris gremio constituunt,eadem in vaporem resoluta non minus noxia futura sunt,& afflatum pestiferum aëri cui adversantur imprimunt.

Quare pace tanti Viri dixerim, non improbabile videri, quod quæ alicui auræ tractui, pestilentiæ seminarium primo affigunt, sint salium ac sulphurum efferatorum, ac è terræ visceribus (divino instigante nutu) exspiratorum venenata effluvia, quæ modo ex speluncis & cavernis prius diu inclusa sensim exhalantur modo ob terræ motus aut hiatus confertim erumpunt; cujusmodi item à militum castris squalore immundis, è cadaveribus insepultis; vel à locis cœno stagnanti & fœtido obsitis passim exspirantur; corpuscula vero hoc modo exhalata longa putredine mious [illegible] & [illegible] adsciscunt, ut propterea sint aliis quibuscunque incongrua & heterogenea, adeoque in aërem suscepta ipsum (velut liquoris massam) fermentent, ac à natura salubri & benigna in perniciosam & tetram pervertant. *Willis cap.12.*

55. *Causa Pestilentiæ*) Causa morbi pestilentis existunt quoque Vermiculi ex putredine generati; non tamen ex quavis putredine, sed ex ea quæ ortum ab evaporatione venenosa habet: Deprehendimus enim Vermiculos quamplurimos ex excrementis animalium natos, qui venenosi non sunt, multo minus causa pestilentiæ existunt: Quod autem dentur ejusmodi vermiculi, qui Pestis causa sunt, microscopia hactenus nos docuerunt. *Job. à Fel de Tract. de Peste l.2.c.9.*

Pestis cujus causa sunt Vermiculi ex putredine genera non potest latitare, sed sese statim exserit: hi namq; victum, liiantes cor petunt inedendo carnē corrumpentes, & sic hominem enecantes: Hæc est causa quare hæc pestis non aliter quam in panno, lana & similibus propagari possit, nam quando extra corpus sunt Vermiculi, ejusmodi habitacula quærunt, intra iisdem subsistunt donec moveantur, & agitentur, fitque interdum ut per aliquot annos in iisdem latitent, ibidem sese multiplicantes, & ex putredine aëris vitam tolerantes. *Idem c.3. lib.3.*

Mediantibus iis quæ in cibum non cedunt, qualia sunt lintea, panni, tapetes, pelles, coria &c. transfertur potissimum ea pestis quæ in Vermiculis consistit.

Id testatur historia quam ex Helmontio refert *Kirkherus*, de quodam qui literas ex urbe infecta exaratas vix dum aperuit, in digitis velut puncturas quasdam acicularum sensit, deinde totis tremere artubus cepit, & paucos post dies extinctus est; Id quod indicat Pestem illam constitisse in vermiculis poros manuum subeuntibus & rodere cœptantibus, unde puncturæ illæ: Ratio est, quia Vermium fœtura ipsa se ipsam movet eo quo fert appetitus, & est præterea tenacissima, singulis quibus insidet adhærens: Vnde fit ut intimiora corporis, & cor statum invadat, atque rodendo carnem ejus corrumpat. *Idem c.ult. l.3.*

56. *Est materia venenosa & natura humana infensissima*) Pestilens inquinamentum, quia venenum est, hactenus occultum & incognitum fuit, nec ab ullo Medico perfecte describi potuit, quia Venenorum plerorumque natura occulta est; Illud autem *inquinamentum esse venenum* ex eo liquet, quia habet veneni effectus (qui sunt corpus citissime malo modo afficere & mutare, corrumpere, mortificare, nigrum, lividum & diffluens reddere, maculis conspergere &c.) & illam veneni proprietatem quod curetur alexipharmacis: Hinc *Galenus comm. in lib. de Nat. Hum.* dicit illud nocere substantiæ proprietate; & *lib. de theriac. ad Pisonem* clare nominat Venenum, *Oribasius, Aëtius*, illud exitiosum ac venenosum appellant; Plurimi Neotericum subscribunt.

Hermetici, ab effectuum aliqua similitudine, hoc inquinamentum assimilarunt *Veneno napellino, arsenicali, dipsadis*, aliisque similibus, ut saltem ejus naturam aliqua comparatione nonnihil illustrarent.

Nonnulli ut *Altomarus, Massaria* &c. dicunt inquinamentum istud non esse occultum, sed manifestum, ortum scil. ex *insigni putredine*, quam statuunt tam in aëre quam in humoribus, vel sponte naturæ, vel ab Astrorum influentiis talem fieri posse, ut inde inquinamentum pestilens produci queat; At errant qui occultum inquinamentum manifestare volunt per aliud æque vel magis occultum, nempe per insignem vel excellentem putredinem, i. e. occultum vel ignotum putredinis gradum, cujus nec formam, nec modum, nec processum, nec locum ullo calami acumine depingere noverunt: quæ qualiscunque putredo etiam ipsamet ab isto inquinamento primitus inducitur.

Similiter hodie nonnulli Philosophi nimis animose promittunt se hanc obscuritatem claram reddituros, & explicaturos per *minimas particulas, aculeatas, uncinatas, striatas, pungentes*, aliove, nescio quo modo dispositas, cum interim plus cæteris sapere volunt, nil nisi inania verba, & meras tenebras offundant; alioque novo quidem, sed nun minus obscuro termino, remq; magis implicent quam extricent, nec istarum particularum generationem, conjunctionem, causam, congressus & motus, operationes &c describere queant, ut nec qualis sit illarum, & qualium commistio, aut commistionis causa ac differentia, cum soli boves, qualis cum solæ oves, qualis cum soli homines peste infestantur: Quæ omnia cum isti Philosophi per suas minimas particulas minime explicare possint, coguntur, una cum cæteris, ad obscuritatis asylum, scil. occultam veneni pestilentis naturam rursus confugere.

Ad quod asylum etiam redeundum erit *Athanasio Kirchero*, qui novo ingenioso commento, totam pestilentis veneni occultatem minimis bestiolis dilaniandam ac devorandam objecerunt; Hanc quippe obscuritatem novo lumine illustraturi, dicunt, *Venenum pestilens esse congeriem minimorum animalculorum* invisibilium per aërem volitantium, quæ corpora humana per inspirationem, aut poros subeuntia, eorum partes corrodunt ac corrumpunt, ex usque ad alia corpora evolitantia, seu ad alia quocunque modo delata, & quasi contagio propagata, etiam illa inficiunt, corrodunt, & corrumpunt, sicut priora è quibus exiverunt.

Ab horum vero injuriis maxime vendicari, & liberari illos qui luculentis exstinctis ignibus eorum alas pedesque (forsan etiam rostra & dentes) exurunt, ut ulterius volitare & corrodere nequeant, vel per suffumigia aut alexipharmaca penitus illa suffocent & extinguant: Atque sic illi & alii similia somnia fingunt; cum interim animalculorum istorum nec generationem, nec generationis causam & modum, nec eorum constitutionem aut formam, imo denique nec unum ex illis vel demonstrare, vel certis rationibus probare valeant. *De Diemerbroeck cap.8.*

56. *Est materia venenosa*) Ut affectus hujus tam noxii & acuti naturam & essentiam assequamur, Notandum qua ratione affectus in ipso reperiatur *Sanguis.*

Sanguis, quemadmodum in cæteris febribus malignis, sic etiam in Pestilentibus, & ipsa Peste, observatur plerumque solito fluidior, *& minus consistens ac grumescens.*

Cum vero sanguis naturaliter concrescat & grumescat, quæritur unde sit illa in sanguine coagulatio & concretio, Unde proinde *Ille coagulationis defectus*, vel sublatio?

Statuimus autem *coagulationem sanguinis pendere ab Acido succo, ipsi ex glandulis accedente*; Evincitur enim infusione aceti vel aquæ, cum vitrioli, sulphuris aliove spiritu acido mistæ in venam bruti adhuc viventis, unde mox potenter coagulabitur sanguis, ac si ad cor usque liquor infusus pertingat, morietur subito Animal, modo plane contrario illi quo idem extinguitur à Peste.

A Glandulis succum acidum accedere sanguini evincunt

evincunt & lympha, & ſuccus pancreaticus artificioſe collecti, & Acidi toties jam deprehenſi, atque viis manifeſtis ad ſanguinem in cor deſcendentem delati.

Cum autem ratum habeamus Sanguinis coagulationem naturalem pendere ab Acido, ex ſanguine in *Glandulis Conglobatis & Conglomeratis* ſecreto, iterumque ad deſcendentem ſanguinem translato, iſta non veremur affirmare, *Coagulationis* ejuſdem *impedimentum & defectum* acceptum ferendum *ſali valde volatili*, & inprimis *Acriori*, Aſſerti veritas evincitur quovis *ſale volatili* aquæ diluto, & iisdem per ſiphonem in venam immiſſo, à quo animadvertetur ſanguinis coagulatio impediri, imo tolli.

Cum proinde hactenus poſt multiplicia experimenta, Solum ſal volatile nobis innotuerit, quod vim habeat ſanguinis coagulationem tollendi, ac impediendi, Obſerveturque in Peſte, omnibuſque febribus malignis ſanguis naturali fluidior & minus coagulatus, imo coagulabilis, plane opinamur *Venenum peſtilens conſiſtere in ſale valde volatili*, eoque *acri*; A quo commodiſſime poſſunt deduci omnia *ſymptomata* in Peſte occurrentia; ſed & *cura Peſtis* plane quadrare videtur cum eodem ſale volatili.

Id quod oſtenturi ſumus, facto initio ab *Appetitu ciborum diminuto aut proſtrato*, *Potus* vero *aucto & moleſto*, ſicuti *fames* ab *acido augetur ac reſtituitur*, ita eadem à *ſale volatili*, ac præſertim *acri*, *tolli ſolet ac diminui*, Id quod cuivis notum.

De ſale volatili vero res non eſt æque plana, quoniam idem ignotum eſt pleriſque, nec in uſu frequenti fuit hactenus: Notum tamen eſt *corallia*, *oculos cancri*, *cretam* & ſimilia, Acidum non minus infringentia quam ſal volatile, *obtuerare famem*, Illud autem fieri quatenus acidum infringunt *notum peritis*: Quod ſi famem minuant vel tollant iſta quatenus Acidum infringunt, annon cætera omnia idem Acidum infringentia, ipſumque adeo ſal volatile, id ipſum quoque facient, famemque minuent.

Adde quod experientia confirmet, Salia volatilia Famem minuere, id quod efficacius ſi Acre fuerit ſal efficiet, hujus quippe acrimonia pendet à ſale lixivo minus temperato, vel iterum acrimoniam novam ſortito.

Augetur in Peſte *ſitis & potus deſiderium*, illam autem à quibuſvis ſalſis, ac præſertim à ſale lixivo, tum fixo tum volatili acri excitari cuivis notum.

Nauſea adeſt, quæ confirmat ſalis volatilis præſentiam, Notum enim per experientiam à nullo humore frequentius nauſeam vomitumque concitari quam à Bili, quam & ſale, & quidem volatili, abundare plurima probant.

In Peſte autem correptis moleſta nauſea, vel bilem, vel ſimilem ipſi humorem peccare arguit; Sive jam dicas ipſam Bilem vitiari à veneno peſtilenti; ſive malis venenum peſtilens conſtare ſale volatili & acri, utrovis modo mecum facies.

Nam ſi à Veneno peſtilenti acrimoniam & volatilitatem nanciſcatur Bilis, utique ejuſdem naturæ ipſum eſſe patet: *Vomitus* quæ nauſeæ eadem eſt ratio, ſiquidem gradibus tantum differunt.

Anxietates & anguſtias circa præcordia & ſuperius orificium ventriculi, à *volatili ſale*, ac inprimis *acri* produci poſſe, Arſenicum præpoſtere aut perperam uſurpatum documento eſt, Id autem volatile eſſe nullus ignorat, ſublimari namque poteſt non ita difficulter.

Adde quod multi rerum naturalium per Chimiam periti, *Venenum peſtilens*, propter naturæ & operationum ſimilitudinem *arſenicale* vocant; quæ appellatio ab Artis admirabilis gnaris profecta mihi anſam dedit nominis hujus rationem inveſtigandi, & tandem appellationem magis claram & manifeſtam inveniendi ſub nomine *ſalis volatilis*.

Ab *acri acido* quoque tormina & cruciatus producuntur vehementiſſimi, à *Salſo* vero *acri*, & *volatili* præſertim *Anxietates* potius ſolent excitari; quales in Peſte quoque obſervantur frequentiſſime.

Alvi fluxus, ſæpe moleſtus & gravis, imo ſæpenumero lethalis, confirmat quoque ſalem volatilem tunc peccantem; cum alvi fluxus plerique Bili & ſimilibus humoribus debeantur, ipſius ſaltem corruptelam præviam ſequantur; quamvis enim & ab *acido* aliquando excitetur alvi fluxus, non excitatur tamen ab ipſo prius quam Bilem corruperit, & ipſam in æruginoſam vel atram putam.

Sicuti autem non ſemper obſervatur in Peſte *alvi fluxus*, ſed fere ubi conclamatum eſt, ita majorem arguit tunc ſalis volatilis acrimoniam & acrioris copiam, ideoque periculum majus; *In Leipothymia* (Ventriculi non minus quam cordis affectu) primum orificium ventriculi ſuperius afficitur, mox & *Pulſus* immutatus, atque parvus debiliſque factus, ſentitur, Senſus enim revera animi deliquii in ſuperiore orificio ventriculi ſentitur ab ægris; eſtque talis ſenſus iſte ac ſi obſervaretur anima corpus derelictura &c.

Si quis vero totum *animi deliquii* progreſſum, ac ſubſequentem ipſius ſolutionem, ſpontaneam vel artificioſam, ut & ipſius cauſas manifeſtas conſideraverit, reperiet ipſum ſi non ſemper, utplurimum ſaltem *ortum habere ab halitibus, flatibus & vaporibus, è tenui inteſtino aſſurgentibus, aut ab aſſumptis quandoque in ventriculo productis, atque prædictum ipſius orificium ſuperius afficientibus; quin aliqua ſui parte per vaſa lactea & ductum thoracicum & cor pergentibus, atque in ipſo ſanguinis efferveſcentiam naturalem conturbantibus, una cum varie quoque ſic mutato pulſu.*

Quoties autem ægri ſponte vel arte excludere poſſunt flatus, halitus, vapores iſtos moleſtos, levamen ſentiunt in iſto affectu: Sin aliquid aſſumunt quod ad tales flatus, halitus, vapores producendos vel materiam ſubminiſtrat, vel cauſæ efficientis rationem habere, aut latentes excitare poteſt, toties idem malum vel producitur, vel gravius redditur.

Materia iſtorum flatuum, halituum & vaporum, licet quodammodo differat, Efficiens tamen ipſorum cauſa eadem obſervatur, *Bilis* eaque *acrior*, & quicquid de *ſale volatili* participat eſtque *aromaticum*, A quo quamvis diſcutiantur quoque flatus, halitus & vapores jam producti, ab eodem tamen producuntur quoque iidem, ubi occurrit materia in eoſdem abire apta &c.

Inter *Peſtis ſigna & ſymptomata* recenſetur quoque *Sanguis ſolito fluidior* minuſque concreſcens, qualem in pleriſque malignis febribus obſervari notant Practici.

Non ignoro ſanguinem omnem fluidiorem, nec concreſcentem, non ſemper obſervari in Peſte, cæteriſque febribus malignis, ſed aliquando etiam concreſcentem tunc temporis educi; Sed illud accidet quamdiu Pulſus permanet ſatis magnus; quamprimum vero idem minor redditur, & talis permanet, non dubito aſſeverare ipſum ſanguinem tum quoque futurum fluidiorem, ſuamque tunc amiſiſſe conſiſtentiam.

Et quamvis in tali caſu nunquam curaverim aperiri venam, ut extracto tunc ſanguine confirmare poſſem opinionem meam, quoniam id contra meam conſcientiam tunc facerem, non puto tamen alios indem occurrere, qui auſint aſſerere inſtitutam tunc à ſe V. S. eductumque ſanguinem laudabilis conſiſtentiæ.

Nn

Quamvis ergo non negem posse in pestis initio educi sanguinem concrescentem, nego tamen illum talem prodire ubi Pulsus ex magno factus est parvus, ex robusto debilis, ex æquali intermittens, ac dominium accepit venenum.

Cum proinde, consentientibus plerisque sanguis per venenum pestilens plus minus amittat suam consistentiam, naturalem, Quæritur unde illa pendeat? Quid illam tollere valeat? ♃. illam contingere sanguinis ab *Acido*, Tolli eodem aut deficiente aut debilitato, Nihil autem æque *Acidum* debilitat ac infringit quam *Sal*, & quidem *acre*, cui si *volatilitas* accedat, idem potentius, ac celerius efficiet: Potest igitur sanguinis consistentia minui & tolli à sale valde volatili & acri, Potest proinde ab eodem hactenus produci Pestis &c.

Omnia quoque symptomata in Peste observabilia Salem lixivum eundemque *acrem & volatilem* tunc peccare confirmant vel probant.

Illud idem ex medicamentis, tum ad Pestis *Præcautionem*, tum ad ejusdem *Curationem* cum maximo successu usurpari solitis patere ostendemus; Quisquis vero ex iis certi aliquid volet elicere ac proponere, necesse habebit *simplicia* duntaxat, vel saltem minime composita considerare &c. *Franc. Sylvius Prax. App. Tr. 2.* Symptomatum aliorum enumerationem & curandi rationem ex his fundamentis vide in sequ.

57. *Natura humana infensissima*) Pestilens hoc venenum igneo semine impraegnatur, quod supremum ignis gradum possidet, unde tam volatile, rapidum, & fervens, imo venenosum, Si quis cogitat Pestem hanc à frigido veneno ortum ducere, sane fallitur; Videmus ignea illa symptomata, rabiem, febres, vigilias &c. quæ ignei potius sunt quam frigidi veneni effectus. *Isbrandus Roët. Aph. de Peste 35. & 36.*

58. *Ex magis recepto sensu quintuplex*) Interest non parum utrum è *sublimi* Pestis proficiscatur, an ex *terra aliisque inferioribus locis*: Illa enim fere universa solet esse, & vel orbem totum, vel hujus non minimam partem invadere; Hæc vero arctioribus contenta limitibus, aut vicum aut civitatem unam pervagata longius non excurrit: Nec id mirum, superna siquidem causa inferiore tanto potentior nunquam non existit, quanto quid influxit validius eo solet esse quod influxum recipit: Rursum & illa prior, tam qui in re lauta sunt, quam qui in tenui ex æquo corripiuntur, periculi sorte plane ad omnes æquabili: Posteriori magis obnoxia inopia atque paupertas; quia inopis plebeculæ vires tenues sunt adeo & infirmæ, ut potestas non sit è locis gravibus ac peste obsessis in salubres ac ab omni periculo tutos migrandi, atque adeo in omnis generis sordibus fœdaque spurcitie jaceat, cibisque ac potibus idoneis, omnique munditia defecta vitam misere transigat: Atque iisdem ex causis (infernis inquam) hic Genevæ pestem, & à sanis mentibus creditum & verissimum est.

Declaravit id triennio (quo non perpetuo quidem, sed ex intervallis grassata est Pestilentia) servitiorum ac reliquæ plebeculæ victus corruptela situque afflictæ, clades & interitus, eorumque maxime qui sordidissimarum civitatis partium erant accolæ: Lautiorum vero (ut quorum conditio ab iisdem injuriis in tuto foret) quam paucissimi sublati, vixque ulli, nisi qui forte ex consuetudine, congressu atque colloquio cum inquinatis contagium contraxere: Quod si quis diabolici veneficii nonnihil admistum fuisse contendat, non repugnavero &c. *Saracenus l. de Peste p. 104.* Vide §. *Venefica* inferius.

59. *Primo Aer*) Diæta respicit sex Res non naturales, inter quas majoris momenti sunt Aër & Animi passiones, quoad cætera sufficit Hippocr. præceptum, scil. *Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria*, Aër pestilens vel evitetur migrando in alium locum, vel castigetur sulphureis rite accensis, vel inter respirandum curetur per suffumigia, & odorata prope nares crebro gestata. *Willis.*

59. *Aer*) Cum Pestis sit morbus communissimus, ejus causam *Aeri*, qui omnium maxime communis existit, & cujus usu nemo carere potest, inesse plane necessarium est, Hujus talem dat rationem *Galenus*, *Aer*, inquit, *cum natura sit volatilis, ac totaliter spiritualis, corpora porosa, aerea & spirituosa, sive bona, sive mala, salubria vel insalubria fuerint, pari subtilitate permeat ac facilitate.*

Veræ Pestis causas *Hippocrates* etiam *lib. de N. H. tx. 8. & 9.* in solo aëre statuit, *morbi, ait, fiunt partim à vivendi ratione, partim à spiritu cujus attractione vivimus, utrosque hoc modo discernes, Ubi multi homines uno morbo corripiuntur eadem tempestate, in id referenda causa est quod fit communissimum, quoque maxime utuntur universi, h. e. quod spiritu attrahimus: Tunc enim victum cujusque nostrum nequaquam in causa esse manifeste constat, cum morbus omnes juxta attingit, tam juvenes quam senes, tam fœminas quam viros, tam vinum quam aquam bibentes, tam qui mazam quam qui panem comedunt; Ergo non fuerit victus ratio in causa, cum homines quocunque victu utentes in eundem incidunt morbum.*

Igitur corruptio venenata quæ Pestem infert, in *Aëre* quærenda est, quo nemo carere potest, & qui vel purus, vel quocunque modo infectus, etiam invitis hauriendus est, Male nonnulli etiam in Alimentorum pravis qualitatibus primam Pestis causam quæsiverunt, cum inde pravi quidem & epidemii, ac multoties etiam contagiosi morbi excitati fuerint, sed nunquam Pestis inde orta sit, nam alimenta prava sunt tantum causæ adjuvantes, quæ corpora ita disponunt ut à corrupto aëre facile infici possint, & ipsa etiam alimenta pestilenti tempore haud parvam pravitatem à corrupto aëre plerumque consequuntur; Ita ut quocunque modo rem inspiciamus, prima Pestis causa in Aëre lateat.

Contrarius tamen videtur *Galenus l. 1. de Diff. Febr. c. 3.* Et *lib. de cib. b. & m. succ.*, ubi dicit *Pestiferos morbos etiam oriri ex prava victus ratione*, Et commen. *lib. de Nat. Hum. tr. 4.* scribit, Non recte statuere *Hippocr.* morbos communes fieri solum ab Aëre, quandoquidem etiam prava victus ratio, nec non Vapores elati ex aquis putridis & speluncis, morbos communes facere possint.

Ad contrarietatis solutionem dicimus *Hippocratem* recte primariam Pestis causam in solo aëre statuisse, neque huic doctrinæ adversari *Galenum*, cum ex mala victus ratione, putridis vaporibus, & pravis exhalationibus morbos communes & pestiferos generari scribit, nam *Galenus* ibi non loquitur de vera Peste, sed de morbis epidemiis pestiferis, qui à Peste longissime differunt, in causa, vehementia, velocitate, contagio & curatione, Interim tamen Pestiferi appellantur, quia putridæ cujusdam venenositatis participes, & nonnihil contagiosi sunt, multosque occidunt, & virium dejectione, summa anxietate, deliriis, aliisque symptomatis proxime ad Pestem accedunt.

Sciendum præterea *Hippocr.* per morbum communem interdum intelligere veram Pestem, cujus causam soli aëri primario inesse statuit; interdum alios morbos epidemicos: quibus tunc etiam alias causas, humores & spiritus, vel immediate vel mediate aërem inficientes, adscribit, *Galenus autem* citatis locis intelligi potest de posterioribus epidemiis, non de vera Peste. *De Diemerbroeck cap. 8.*

60. *Sed in quantum varios vapores & exhalationes*) Aëris inquinamentum, de quo agimus, multo hactenus nihil aliud esse putarunt quam halitus venenatos, & putridas exspirationes aëri admistas, quas arsenica, aut napelli similitu-

similitudinem habere scribit. *Untzerus lib. 1. de Peste cap. 9.*

Carolus de la Font Dissertat. de Peste. illis solius Arsenici naturam adscribit, easque ex mineris arsenicalibus suscitari, & sic per aërem longe lateque dispergi, suscitari per fervorem Solis, terræ motus, ignes subterraneos &c. Non considerans fervores Solis singulis æstatibus contingere, atque nonnullis annis admodum urentes esse, cum tamen Pestis rara sit; quin & multas sæpe æstates ferventissimas sine ulla Peste transire: Non animadvertens sæpe crudelissimas Pestes suscitatas fuisse post diuturnas pluvias; atque etiam frigidissimis temporibus; quibus certe tales arsenicales spiritus ex mineris illis suscitari nequeunt; Non observans quoque ignes subterraneos in Sicilia & aliis locis perpetuos esse, Pestem tamen illis ipsis in locis rarissimam esse, Et terræ motus plerumque sine ulla Peste observatos fuisse.

Denique à tali arsenicali veneno bruta non magis immunia esse deberent quam homines; atque hinc omnia animalia in aëre viventia æqualiter ab eo infici & lædi debere, cum tamen plerumque solos homines infestet, *plerumque* dixi, quia sunt etiam Pestes quæ solas pecudes etiam invadunt. *De Diemerbroeck cap. 8.*

61. *Aër in quantum varios vapores &c.*) Corrumpitur sanguis ab aëre inspirato, quoties à ventis exhalationibusque quibusvis undecunque venientibus, ipsique admistis multum inquinatur, & noxam suam delato per pulmones sanguini communicat, unde noxa eadem, vel paulatim massam totam, vel majorem minoremvè ipsius partem inficiens diversimode nunc quaquaversum dispergitur; nunc uni potissimum parti adhæret, atque in eadem malignitatis suæ vim manifestat. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 25.*

61. *Aër in quantum varios vapores continet*) Aëris jam infecti signa ex quatuor experimentis colligit *Kircherus.*

1. Panem siligineum ex clibano calentem supra domus tectum aëri expone tota nocte, si postridie mucidus sit, dic aërem infectum esse, vel si eundem canibus aut gallinis objicias, nec attingant, aut si post devoratum moriantur, mucor enim oritur ab aëre ad putredinem vergente.

2. Tempore matutino rorem prope terram è graminibus collige, panem illum macera, si gallinæ, vel canes aut non degustent, aut à degustato male habeant, dic aërem esse infectum.

3. In domus parte excelsiori colloca vas aquam continens, cui admistum sit vitriolum, ferrumque candens in ea restingue, si huic aquæ ibi per unum alterumvè diem relictæ cuticula quædam pertenuis superficiei innascatur, signum est aëris infectionis: nam vitriolum evaporationes terrestres attrahit, præsertim si sit in aqua ferri fæcibus firmatum, quo namque tinctum est ad illud attrahendum propendet: Cujus rei experimentum nobis suggerit Pulvis sympatheticus.

4. Si superioribus domus conceptaculis omnia præter modum humectata reperiantur, carnes quoque & alia cibaria mucorem vermibus scatentem conceperint, signum est aërem putredine inquinatum.

Hic adjungenda signa Pestis in aëre deficientis, 1. Si morbi sporadici, qui desierant, repullulare incipiant; fundamentum est, quod pestis, quandiu in aëre dominatur, trahat ad se cæteras omnes malignitates quæ in aëre sunt, quo fit ut cæteri morbi, singulis anni partibus inficientes corpora humana cessent, & horum vice Pestis vigeat.

2. Solet Pestis plerumque oriri quod venenum in mineralibus latitans in aërem sublime feratur, & cum eodem uniatur, quamobrem tempore pestis parum veneni in fodinis metallicis reperitur: Sin iterum veneni copia dictis in locis se prodat, signum est pestem aërem reliquisse, & in terram se recepisse.

3. Nimius æstus, intensumque frigus, pesti finem imponunt, nam frigore evaporationes venenosæ contrahuntur, ac terræ iterum redduntur, à nimio æstu dissipantur, & in altum elevantur, adeo ut amplius animalium corpora in terræ superficie petere nequeant.

62. *Sed etiam seminaria Pestis continere*) Aëris dispositionem, quantumvis λοιμώδη Pesti suscitandæ per se imparem esse, vehementer suspicor, quin Pestilentiæ morbum alicubi semper superstitem, aut per fomitem, aut per pestiferi alicujus appulsum è locis infectis in alios deferri; ibidemque nonnisi accedente simul idonea aëris diathesi popularem fieri: Alias enim non assequor qui fiat ut in eodem cœli tractu, dum unum aliquod oppidum Peste gravissime affligitur, aliud non longe dissitum omnem commercii necessitudinem cum loco contagioso caute inhibendo prorsus immune se præstiterit: quemadmodum non ante multos annos Pesti per universam fere Italiam immaniter grassanti, *Magni Ducis* cura atque prudentia aditum in Hetruriæ fines penitus interclusit, *Sydenham obs. in Act. p. m. 35.*

63. *Ut tamen non totum necessario inficiant*) Cum nemo viventium Aëre carere possit, sed eodem illo elemento omnes necessario frui debeant, mirum videtur illo jam maligna ac pestilenti labe infecto, quare non omnes homines & animantes, qui eodem illo fruuntur, ista venenata pernities æqualiter offendat; Cur aër ille inquinatus, cum omnium sit sanitati vitæque adversus, inspiratus non omnes male afficiat? Ad hujus dubii solutionem dicimus.

1. Aërem per omnes suas partes æquali malignitatis gradu infectum non esse.

2. Infectionem omni tempore, & ubique locorum æque magnam non esse, sed suos gradus habere; nonnullis enim in locis & temporibus minimam, in aliis majorem, in aliis maximam existere, & prout homines hunc illumve aërem, hoc illovè loco & tempore ingrediuntur ac inspirant, ita illos pro ista diversitate, vel vehementius vel levius, vel plane non infici.

3. Ad pestilentem infectionem non minus requiri causam recipientem quam efficientem; quæ non ex qualitatum primarum intemperie, sed ex totius substantiæ occulta quadam & inexplicabili dispositione resultat; quæ dispositio in aliis talis est ut à pestilenti veneno statim afficiantur, in aliis talis ut difficulter ab eo lædantur; in aliis talis ut eidem sine ulla vi resistere possint. *De Diemerbroeck c. 11.*

64. *Per primarum qualitatum mutationem*) Inæqualitas tempestatum in aëre; cum scil. est tempestas interdum calida, statim frigida, interdum sicca, & confestim humiditas consequitur, Pestem promovet, non efficit: Non nescio hanc alterationis humorum in corpore causam esse posse, non ideo Pestem generat, quæ non solum est alteratio, sed venenosa alteratio, quæ nunquam est effectus tempestatis inæqualis. *Isaacus Roët Aph. de Peste 40.*

65. *Ad Pestilentiam per primarum qualitatum mutationem*) An à tempestatũ certis constitutionibus procedit Pestis? Asserere videtur *Hippocrates*, qui *Aph. sect. 3.* plurimos morbos inde deducit, & speciatim 3 *Epid. 13.* annuum austrinum & humidum sævissimam pestem generasse scribit, confirmat *lib. de A. A. & loc.* austrinas cœli constitutiones esse morborum Pestilentium causas: Sequitur *Galenus*, qui per τὰ θεῖα nihil aliud intellexit quam aëris constitutiones, Et *2. de diff. Febr. c. 4.* scribit Pestilentes morbos oriri necessarium esse cum aëris temperatura ad caliditatem & humiditatem conversa fuerit: Confirmat *Aristoteles, Avenzoar, Rhases, Livius, Virgilius*, qui refert in Creta ob calidam & siccam constitutionem Pestem contigisse.

Concedimus quidem Austrinas & humidas constitutiones multas putredines inducere, siccas vero & calidas spiritus incendere, sanguinem & humores inflammare, bilem augere & exacuere, ac utrasque multos & graves morbos, imo etiam malignos & Pestilentes producere, sed veram Pestem generare negamus.

i. Quia Pestilentis causæ ratio non consistit in caliditate, siccitate aut humiditate, vel ex his procedente putredine: sed potius in peculiari aliqua venenositate, manifestis qualitatibus & putredine longe diversa.

ij. Quia si constitutiones calidæ & humidæ vel siccæ Pestes inducerent, facerent id semper, nam ejusdem causæ foret idem effectus; at sæpe animadversum constitutiones austrinas calidas, humidas vel siccas etiam diuturnas, nullam Pestem, imo sæpe nullos morbos Pestiferos excitasse.

iij. Si à prædictis constitutionibus oriretur Pestis, Ergo contrariæ, nempe Aquiloniæ, frigidæ & siccæ, vel humidæ eandem extinguerent; at contra *T. Livius Decade 1. lib. 5.* Pestilentem constitutionem ab ingenti frigore ortam describit, *& Galenus de lib propr. cap. 2.* scribit furiosissimam Pestem Aquileiam invasisse media hyeme, & ingentem hominum stragem fecisse: Plurimi Medici testantur animadversum esse Pestilentes constitutiones hyeme atque æstate, sicco atque pluvioso cœlo, bene temperato ac inæquali, nulla præcedente anni temporum mutatione insigni accidisse.

iv. Quia si jam dictæ constitutiones pestilentiæ seminaria generarent, nulla Pestis posset esse generalis, nam quæ calidas regiones invaderet, frigidas illæsas relinqueret; quæ locis humidis familiaris, siccis ignota esset: Verum contra non semel Pestes generales sævisse notum est, cum tamen aëris nulla manifesta alteratio aut putrefactio fuerit animadversa, qualem Pestem anno 1340. contigisse scribunt *Guido de Cauliaco & Matthias Villanus,* quæ totum terrarum orbem peragravit, & à nulla temporum anni tempestate mitigata fuit: sed per integros annos summa cum sævitie perdutavit.

Ad *Hippocratem, Galenum* & alios quod attinet, Dicimus constitutiones Austrinas, calidas & siccas vel humidas, posse esse causas Pestis secundarias, quatenus corpora ad Pestem facile suscipiendã disponũt, non primarias, atq; de primariis prędictos authores fuisse loquutos de non secundariis: Hinc rectè *Fernel. 2. Abd. c. 12.* Pestilentia, *inquit,* gravior evadit in regione putridis exspirationibus infecta, quam in sicca atque pura; rursumque gravior æstate quam hyeme, & austrina tempestate quam aquilonia; & inæquali intemperatoque cœlo quam æquali & temperato: In summa gravior est Pestilentia quæ epidemiis & endemiis constitutionibus permiscetur, quam quæ pura solaque consistit: Ergo graves terrenæ, inferioresque exspirationes Pestilentiam solæ non inferunt, ad illam tamen non parum præparant & excitant. *De Diemerbroeck c. 8.*

66. *Interdum sine mutatione insigni*) Superne, atq; è cœlo, non aliunde hominum cervicibus imminere pestilentiã credimus non temporum, tempestatumvè mutatione, nec manifesta qualitate, sed solo deprehendas eventu; Fit enim haud raro grassetur ut Pestis, aëre interim siccissimo serenissimoque; Quæ res indicio est cœlum sola siderum permistione, absque manifesta causa malum id instare mortalibus: Tum porro ex avium genere grandiores raro, aviculæ fere semper partim mortuæ humi stratæ jacent, partim nidos, ova deserunt, idque ea causa, ut & quamprimæ omnium experiuntur, impressam aëri perniciem declinent, & inposterum vitæ saluique suæ consulant, Ejusdem periculi cavendi gratia in montium jugis ac locis editioribus, alias vitam præ cæteris degere solitæ animantes in valles, campos, & si qua præterea sunt humiliora loca commigrant. *Saracenus p. 101.*

67. *Sæpe hyemis mino*) Malignitatem febrium hyberno frigore non mitigari experti sumus pluribus jam annis; Enim vero hoc plerumque evadunt pertinaciores quo sæpius urget gelu, imo & spargunt magis virus suum in domesticos, & nono plerumque die perimunt, Sed quamprimum circa veris initia remittit frigus, sensim remittit etiam violentia febrium, & regi se patitur malignitas, quæ ante ægerrime frænum admisit: An clausum visceribus malum, cum obstructis exitum nonnisi difficulter inveniat, per antiperistasin infestat severius? Quod si laxes meatus sudoriferis, & suos hic manes patiuntur ægri, antequam pleno sudore madeant, Et sæpe, dictum factum, stragulis à manu tantillum remotis pori iterum clauduntur, intusque cohibitus hostis novas resumit vires priusquam ægri persuaderi queant ut ad iteratos sudores se accommodent, Quid enim facient medentes, [& ægris ipsis, & ægrorum amicis, sępe non permittentibus repeti quę salutaria sunt, obtentu virium dejectarum &c. *Olaus Borrichius.*

68. *Cœli & siderum influxu alteratu*) Causa naturalis omnium prima est vis Astrorum, quæ suis spiritibus inferiorum spiritus vel excitant, vel eos, ne operari possint supprimunt; Nam omnis operatio terrena à Planetis & Sole regitur, tribuunt enim spiritus Solis & Planetarum terrestribus, non modo vim operandi, sed & qualiter operari debeant eosdem disponunt.

Nec obstat Planetis eodem modo dispositis ac dispositi fuerunt tempore alicujus Pestis, quæ olim contigit, eandem pestem non semper denuo induci; Item pestem plerumque uni vel alteri regioni inhærere, cum tamen Planetarum operationes sint universales, in totum terrarum orbem se extendentes: Nam quælibet causa efficiens operatur in suum objectum pro ratione receptivitatis, quæ pendet ab ejusdem dispositione & potentia passiva. Ponamus, quod tradunt Astrologi, Pestem oriri ex conjunctione Saturni & Martis, & quidẽ ideo quod extrahant venenosas evaporationes, in excessu tam calidas quam frigidas è terra, sane non semper nec ubique conjunctio ista poterit causa pestis existere; qua enim in parte terræ nullæ sunt venenosæ & putridæ evaporationes, ibi Saturnus & Mars conjuncti nihil ex terra in aërem extrahere possunt, ut inficiatur, ut vero dicamus quomodo Astra sint causa Pestis, sumimus quod Astrologi longa experientia didicerant, causas efficientes Pestis esse Saturnum & Martem, si in aërea vel ignea triplicitate existant, & Luna cum iis sit in aspectu maligno, maxime vero si conjungantur in Cancro, quod tamen aqueum signum est.

Dubitari autem potest, an hi Planetæ virus suum in aërem, aquam & terram immittant, An vero venenosas & putridas evaporationes è terra tantum extrahant? Prius quidam affirmant, qui statuunt Martem & Saturnum habere aliquid in se venenosum sibi additum, quod per luminosos radios, velut vehicula quædam terrestris mundi partibus, circumfusisque elementis communicent: At hoc posito nulla pestis videtur esse endemia, sed omnis epidemia per totum terrarum orbem sese extendens.

Respondetur malignos hosce Planetas radiorum suorum effluviis primo aërem inquinare, hunc inquinatum semen pestis receptum aquæ communicare, aquam illud per poros terræ disseminare, disseminatam sese jungere putridis quisquiliis, & ibidem putridam pestis naturam induere, Et hanc esse causam quare certis tantum locis, & non ubique terrarum pestis regnet: Non enim pestis ubivis terrarum materiam aptam ad generandam pestem reperire.

Ex hoc etiam principio demonstrari posse dicunt quare Pestis multas habeat differentias, prout scil. semen pestiferum jungatur halitibus diversis, v. g. mercurialibus,

mercurialibus, salinis, antimonialibus, vel sulphureis ac bituminosis; Catenam istam causarum *Kirkherus* his versiculis comprehensam exhibuit *lib. de Peste.*

Aëra movent aurum, movet aura salumque solumque
His homo vivit, & hu planta tenella cibu.
Sana bonos faciunt succos, male sana putrentes
Hunc putris in liquidum Pestis origo venit.

Contra quis existimare posset Planetas Saturnum & Martem potius ex terra trahendo venenosas evaporationes causam existere Pestis quam cœlitus immittendo semen, ut enim Sol attrahendo vapores causa existit pluviarum, sic Saturnus & Mars attrahendo vapores venenosos & putridos terræ, evaporationum pestilentialium circa terram causa esse videntur, *J. à Felde cap. 4. lib. 3. de Peste.* Vide inferius contrariam sententiam.

68. *Accedente Cœli & siderum*) Fernelius lib. 2. de Abditis cap. 12. *apertissime & bene docet anni tempestates, regionumque constitutiones esse Pestis causas remotas, non Pestem inferentes, sed præparationem ad Pestem facientes.*

Pestilentia, *inquit*, gravior evadit in regione putridis exspirationibus infecta, quam in sicca atque pura, rursumque gravior æstate quam hyeme, & austrina tempestate quam Aquilonia, & inæquali intemperatoque cœlo quam æquali & temperato: In summa gravior est pestilentia quæ epidemiis & endemiis constitutionibus permiscetur, quam quæ pura solaque consistit: Ergo graves terrenæ inferioresque exspirationes pestilentiam solæ non inferunt, ad illam tamen non parum præparant & excitant.

69. *Vel ex cavernis terræ*) Non aliam agnoscimus causam, nisi unicam externam, scil. semen venenosum terrestre, efficienti suo igne impregnatum; Ex visceribus terræ oritur materia hæc venenata, & inde per aërem in omnia circumjacentia diffunditur, seminibus scil. hinc inde diffusis, atomorum instar, cujus singula, si Deus permiserit, regiones totas prosternat, nempe propagatione.

Semina hæc venenosa in cavitatibus terræ gignuntur, scil. ex vaporibus illis crassioribus ibi contentis; qui à Sole maxime emoti non maturantur: E domicilio suo, naturali impetu coacta, erumpit materia venenosa, vel per terræ motum, aut per rimas terræ à nimia siccitate, ob indigentiam pluviæ, apertas: Gravissimæ Pestes post terræ motus incidere; Etiam cœlum siccum jam Pestem nostram anteibat, Clausis cœli cataractis terram hiantem vidimus exercitum suum venenosum emittere; quasi terra voluit malefacere quibus benefacere noluit cœlum.

Objectiones, scio, facile moveri possint, sed æque facile refutari, Pluvia enim, quæ peste jam grassanti accidit, non valet venenum abluere, quod in humanis corporibus, vestibus, domibus &c. se ipsum quasi fortificavit, ad inficienda adhuc plura, Donec vel medicamentis, vel hominum indigentia, vel aliis, quibus Deus uti vult, incognitis saltem circumstantiis profligetur; Rimas terræ hiantis claudat pluvia, non tamen venenum exinde jam abruptum iterum terræ alligare possit, nec sua natura in totum destruere. *Isaacus Roet Aphor. de Peste* 23. 24. 25. 26. & 27.

70. *Post terræ motum*) Testatur experientia Terræ motus subsequutam esse Pestem, causa est quod terræ motus, ut in Physicis docemur, oriantur à sulphure & nitro accensis, terram attollentibus, & frangentibus: Cum vero nitrum & sulphur habeant vim expellendi venena, non mirum est in terræ motu excitari arsenicales vapores, ut ascendant in altum & aërem inficiant, qui quieti in terra latitassent, nisi sulphure & nitro, quæ & terræ motuum sunt principia, commoti & impulsi in altum fuissent: hoc modo fieri putamus ut terræ motus quandoque causa Pestis existant. *J. à Felde Tr. de Peste p.* 103.

71. *Nota hic arca Babylonica*) *Capitolinus* in *Lucio Vero*, & *Ammianus Marcellinus Hist.* 73. referunt in Seleucia furiosissimam Pestem natam, & inde Parthis, Græcis, Italis, ac toti orbi communicatam fuisse, ubi in templo Apollinis ex arca quadam miræ vetustatis (in quam milites forte inciderant, aperta, spiritus contagiosus ac pestilens exiisset, qui adeo horribilem excitavit pestem, qua tertia hominum pars prostrata fuit.

72. *Aquis putrescentibus &c.*) Generatur Putredo vel in Aëre, vel in Aqua, vel in Terra, quando enim aër in specubus terræ longo tempore conclusus & immotus stetit, computrescit, postea que de se halitus emittit, qui Pestis causæ esse videntur: Sed de hoc merito dubitatur, An etiam Putredo simplex causa Pestis existitere queat? An vero præter halitus putridos requirantur evaporationes venenatæ spiritibus vitalibus contrariæ, eosque destruentes? Et quidem putredinem simplicem non esse causam Pestis plerique statuunt, ratio est, quod hoc posito omnes cloacę pestem generaturæ sint, igitur putredini junctam requiri evaporationem venenosam è corde terræ profectam.

Huic sententiæ obstare videtur quod in locis, quæ stagnorum paludumque cœnoso ac putrido luto abundant, Sole calorem suum immittente, generentur putridi vapores, morbi pestiferi seminaria, Item, quod commisso prælio, & cadaveribus hominum insepultis jacentibus, aut sic terræ mandatis ut vapores putridi facile in aërem exire possint, plerumque Pestis generetur. Item, quod animalia per contagium enecata, si nec sat cito, nec sat profunde terræ immersa sint, reperiantur causa pestis extitisse.

Sed adversus hanc opinionem regeri potest, evaporationes venenosas terra comprehensas putridos vapores appetere, tanquam quiddam sui simile, & ideo subito his misceri, ut ita hæc experimenta neminem firmum reddere possint in sententia statuente solum putredinem quandoque Pestis productivam esse, Est ergo Putredo causa Pestis eatenus quatenus appetitur ab evaporationibus venenosis, & resoluta in vapores easdem in aëre circumfert. *Joh. à Felde Tract. de Peste, p.* 104.

73. *Victus pravus*) Secundum post *Aërem* locum obtinent Alimenta, quandoquidem ex prava victus ratione contrahitur morbosus apparatus, qui est causa sine qua non, & officiens interna febrium Malignarum & Pestilentium, unde & *Galenus l. de cibis boni & mali succi, & 1. de diff. Febr. c. 3.* ex pravis aut corruptis alimentis morbos pestiferos exoriri demonstratum est; Illa autem Alimenta prava dici consueverunt, & horum morborum causæ multis nominibus.

Primo quidem, quando *Fructus* terræ & arborum ex prava anni constitutione, puta humidiori vel sicciori, vel ex nebulis corruptis, à venenosis putridisque locis emissis; vel aliqua tempestate, aut maligno syderum influxu corrupti pravos succos ingesti producunt.

Secundo, quando magna adest annonæ caritas & penuria, unde vulgare illud ὁ λοιμὸς μετὰ λιμόν. *Pestis post famem*, Tunc enim inops plebecula oleribus pravisque alimentis sese implere cogitur, unde prava exoritur cacochymia; Et quod multo deterius est, quando penuriæ copia succedit illico, Sepè enim tunc multis cibis subito se ingurgitant, qui à languente partium calore recte concoqui nequeunt, & inde malignam contrahunt putredinem.

Tertiò, quando alimenta, quæ natura sua bona sunt, aliqua ratione putredinem quandam, aut

aut pravam qualitatem acquirent; Talia sunt *triticum, hordeum, legumina* & aliæ fruges, quæ vel diutius asservatæ, vel male expositæ in loco humidiori, aut aliter malè affectæ, rubiginem, aut qualitatem quandam putredinosam acquisierunt, Tales sunt carnes diutius asservatæ, aut male olentes, vel quæ non manu hominis sed vi morbi extinctæ sunt.

Narrat *Julius obsequens* in Insula Lupata, cum mare ab Aetnæ montis ignibus ex terræ motu magna vi evomitis incaluisset, piscesque concoxisset, iisque ad litus rejectis eum incolæ avidius vescerentur, gravem pestilentiam fuisse subsequutam: Neque minor est in Potu efficacia, quando vina putrida & corrupta sumuntur, vel aqua bibitur ex putridis & cœnosis lacubus, aut alio quovis modo infectis: Historiarum fide proditum est numerosus exercitus ex hujusmodi aquarum usu popularibus morbis fuisse devastatos, *Riverius.*

73. *Victus pravus*) Cum *Altomaro* & *Hor. Augenio* sentimus *Victum pravum Pestem communem generare non posse*; Varii inde conflantur morbi, sed non venenosi, Corruptio ciborum non generat venenum, sed humorum putredinem; Consulunt historias qui contrarium urgent, sed frustra; Concedimus fuisse Pestes quibus antecessit usus ciborum corruptorum, Non tamen consequitur cibos illos corruptos fuisse Pestis causam, sed potius venenum è terra erumpens, quod non verisimile tantum, sed non negandum: Corruptos autem victus extra corpus vermes tantum generat, putridos non venenatos, Ergo nec intra corpus venenum producit, sine quo non est Pestis. *Isaac. Roet Aph. de Peste* 37.

Contrarium adstruit *P. Barbette*, Pro certo constat, *ait*, sanguinem, prava diæta diutius instituta, paulatim adeo dissolvi, debilitari atque impurum reddi, ut parte jam aliqua malignam naturam assumente, homo absque ulla alia causa externa in morbum incidat subitaneum, imo & ipsam mortem obeat; Quod nobis, *addit*, non semel in variis ægris, temporibus minime contagiosis observare licuit, qui bubonibus perfectis aliisque symptomatibus multo gravius laborabant, quam quidem ullus hoc tempore contagioso laborare potuit.

74. *Tempore Famis*) Non omnis Fames, sed illam tantum Famem sequitur Pestis, quæ fames & ipsa à Pestilentiæ causa originem sumit (dum ab ea causa primo fruges terræ corrumpuntur, postea Pestis inducitur) sicut putredo, è qua febres Pestilentes, ita ut fames illa non sit causa Pestis, sed ipsamet eandem cum Peste causam habeat; Nam putredines humorum è corruptis alimentis genitas non producere Pestilens venenum, liquet ex iis qui diu vel annonæ, vel opum defectu valde corruptis alimentis usi, & tamen Peste correpti non fuerunt: Liquet etiam ex eo, quod non omnem Famem sequatur Pestis quod alioquin necessario contingere deberet.

Objicies in urbibus longa obsidione clausis utplurimum post famem invadere Pestem; quæ fames & pestis non possunt adscribi supernæ alicui causæ, quia tunc non uni tantum urbi, sed pluribus etiam locis illa Pestis commonis foret; Respondeo, Post hujusmodi famem diu obsessi loci, à vitiosis & corruptis alimentis, hincque generatis pravis succis ac humoribus, generari febres pestilentiales privatas sine Peste, quæ etiam perniciosæ sunt ob putredinis magnitudinem, ac corporum à longa fame emaciatorum debilitatem; & communes sunt non tam à contagio, quam communi vitioso victu, & quia se contagio ad distans non diffundunt, hinc extra obsessa mœnia non conspiciuntur: At impropriè tales febres Pestilentes Pestes appellantur, quod vel ex eo patet quod soluta obsidione; & victu copioso allato, rursus brevi tempore cesset; cum alioqui vera Pestis nulla victus copia vel bonitate extinguatur.

Cum *Liddelio* ergo *l. 3. de Febr.* dicimus ex pravis alimentis per se Pestem non oriri; sed febres pestilentes privatas: Ex accidente vero, quia corpora ad pestem suscipiendam disponunt, causas pestis secundarias dici posse. *De Diemerbroeck cap.* 8.

73. *Veneficia tam &c.*) Pestis contagium non modo mediantibus aëre & aquis, vestimentis, linteis &c. pestiferorum attrectatione inquinatis contrahitur, verum à detestandis quorundam hominum, quos Veneficos vocamus, ingeniis artibusque Diabolicis, quarum medio certa quædam in unguenti formam contemperare venena, eademque portarum cornibus affricare consueverunt, ita ut qui eas vel leviter attingerit, subtili hoc veneno statim per cutis poros, & arteriarum (*venarum potius*) extremitates, vehiculo diastoles, quæ vectoris vicem subit, ad cor usque penetrante, Peste statim corripiatur, cui vix ullum humana industria adhiberi potest remedium.

Ipse quoque in Sabaudia, & quibusdam Helvetiæ locis, qui undique editissimis montibus circumvallantur, degens, ac inter alios Medicos in cognitione simplicium probe versatos evocatus, ad dijudicationē quarundam herbarum, quibus loca illa scatent, non tantum à Veneficis, ad homines ac bestias necandas, verum etiam ad Pestem tum generandam, tum ad ejus contagium evitandum adhibitarum, confessionem horum veneficorum Judicibus factam, cum aliis meis Collegis veram animadverti: Hac illi confessione se à Diabolo edoctos fatebantur, ut expressos Napelli & Aconiti, probeque permixtos invicem succos aliis quibusdam venenis perniciosissimis admiscerent, hisque secundum artem uterentur: Antidoti vero loco præstantissima quę habemus Alexipharmaca, ab eodem Dæmone se accepisse omnes summa cum admiratione audivimus.

In hac porro indubia magis ac magis confirmatus sum sententia, me non temere Pestis venenum potius quabitan cuidam *Napellum* ac *Aconitum* (quod à nullo fermè veneficorum hæc oblita sint) naturæ similitudine referenti, quam nudæ, exquisitæ licet, actis corruptioni tribuisse. *Quercetanus in Pestis alexicaco cap. 6. p. m.* 126.

75. *Veneficia*) Cujusmodi fuit quæ contigit Mediolani anno 1630. Ejusmodi autem Pestis non videtur à Diabolo produci posse, nisi adhibitis causis naturalibus, dum scil. venena producta à Natura colligit in unum locum, aëremque inficit, vel per alium fomitem in homines inducit: In Necromantica ista arte tradenda prolixus est *Theophrastus* Tract. de Pestilitate. *Joh. à Felde c. 3. l. 2.*

75. *Veneficia*) Si quis Diabolici Veneficii nonnihil, imo etiam plurimum admistum fuisse contendat, nihil equidem repugnavero; maxime cum in ipso veneficio deprehensarum maleficarum mulierum complurium confessiones plurimæ, partim voluntariæ, partim extortæ vi, tum alias, tum vel hoc ipso anno 1571. Genevæ id ita palam fecerint, ut Pestem eam utplurimum artificiosam, atque humana planeque diabolica fraude potius quam intemperie cœli conceptam fuisse vix quisquam amplius dubitare possit: Nam si cui genus id maleficii novum ac inauditum videatur, Romanorum annalium memoriam replicet, comperiet is apud *Livium Dec. 1. l. 8.* M. Cl. Marcello, & C. Valerio Coss. indicatam patefactamque diuturnæ pestis publicæ causam complurium matronarum deprehenso veneficio, ex quibus ad 170. damnatæ, plurimæ statim epotis medicaminibus suamet ipsæ fraude perierunt. *Saracenus p.* 104.

76. *Imaginatio & terror*) Melancholici, aliique natura timidiores, quia grassante pestilentia audito nonnunquam parentum, amicorum, aut etiam promiscuæ multitudinis interitu, pestilentes morbos *perterriti ac tremebundi* promptius *imaginantur*, altiusque animo

animo concipiunt, iis illi ipsi ex facili aprehenduntur: Tanta vis est tam vehementium imaginum, altiusque animis humanis insidentium cogitationum, ut plerumq; corpora ipsa immutent, Inque ea sui notam cum pernicie non obscura imprimant; At contra tutiores à Peste qui ab omni metu securi, & ab alia quacunque animi perturbatione vacui vitam hanc degunt: Eam ob causam animi securitas, si unquam alias, maximè grassante peste merito expetitur, tanquam arcendo morbo non inutilis ac plane necessaria. *Saracenus de Peste p.* 8.

76. *Imaginatio & Terror* Quomodo hinc maligni & pestilentes morbi oriantur, vide supra Tit.7.cap.1. de morbis malignis in genere §. *Virium à principio insignis.*)

76. *Imaginatio*) Quod maximè mirandum in hoc morbo, multi Imaginatione Pestem contrahunt, Quod evenit ob conceptus vim; non ideo quod sit conceptus; sed conceptus excitatus tam à veneno jam invadente, quam à visu pestilentis objecti; Id quod vapores etiam melancholici faciunt, cogitationes atras in cerebro formant. *Isaacus Roet Aph.* 38

76. *Imaginatio*) Quæritur an sola Imaginatione pestis contrahi possit: Nonnulli videntes magnam imaginationis facultatis vim esse, existimant sola hac pestem in corpore humano generari posse. At statuendum videtur quò in hominibus pestis mediante imaginatione generetur, esse necesse præexistere evaporationem vel putredinem venenosam, cui succurrat imaginatio, ut excitato metu, viscera eo melius invadere possit metu excitato, qui causa existat ut spiritus vitales singuli sua viscera petant, in iisque lateant, nec ad resistendum venenosis spiritibus se muniant: quo facto datur occasio his spiritibus eo liberius operandi: Non ergo imaginatio sola causa pestis est, sed facit ut quæ causæ pestis existunt liberius & sine resistentia operari, & hoc pacto destructionem spirituum vitalium obtinere queant. *J. à Felde Tr. de Peste l.3.c.*10.

77. *Et Terror*) Inprimis legendus *Helmont*, in eo præsertim artificiosus quod eleganter demonstret modum quo ex animi affectibus subinde pestes propagantur; Nam inter causas quæ corpus disponunt ad pestis fomitem promptius suscipiendum vix potentior est Imaginatione, & hinc natis affectibus, horrore, metu, pavore, Exempla vide in *Deusingio* Dissert. de Peste, *Hoceslettero* Dec.7.cons.7.

78. *Satis diu latere potest, excitant*) Concedere non possumus Pestilentiæ semina aliquandiu in corpore delitescere posse; Hoc fieret si non essent venenosa, imo supremo gradu venenosa, Sed talia cum sint; non delitescunt, sed statim corrumpunt; Ergo nec concedimus *Imaginationem semina aliqua delitescentia excitare, & hoc modo Pestem excitare*, quia talia non sunt.

Est proculdubio in pestilenti constitutione dispositio aliqua præordinata in corporibus humanis, non quod dispositione hujusmodi opus est, ut sine qua Pestis non esset, Nec est dispositio hæc sufficiens, quæ Imaginatione excitata, sine veneno pestilenti morbum hunc generare posset, cum dispositio ista non sit venenosa. *Isaacus Roet Aph. de Peste* 39. *&* 40. Vide supra §. 76. *Imaginatio.*)

78. *Di[illegible] latere potest*) Non credimus quod insignes Medici affirmant, Materiam nempe contagiosam, cordi commu[illegible]tam, tamdiu delitescere ut aliud externum corpus [illegible]ficiat, antequam morbum excitaverit: Certe negamus si de contagio nostro venenoso loquantur; Penetrantissima est ejus natura; tota ignea & rapide venenosa; quæ l[illegible]tum, nisi impedita, cum inficit, interficit; Et multo magis morbum producit, nisi statim remediis fort[illegible]ibus extrudatur; .Concedimus in aliis morbis mitioribus quibus abest venenum, contagium posse delitescere; *Isaacus Roet Aph. de Peste* 47.

79. *Contagium*) Contagium tribus modis fit, aut per *contactum*, aut per *fomitem*, aut per *aërem* intermedium: Per *contactum* fit in Vvis, pomis, quæ vicina putrefaciunt, si ipsa prius putruerint; Sic partibus gangræna affectis serpit contagium ad cor usque, quia simile sibi simile generat; pars putrida corrumpit calorem partis alterius sibi analogæ, sicque & ipsa corrumpitur; Per *Fomitem* fit, cum particulæ vaporosæ, vel particulæ morbificæ, seu atomorum effluvia in quapiam re ita continentur & servantur, ut postea alium suo contactu inficere possint. *Fomes* vero id dicitur quod particulas vaporosas illas excipit, & retinet, Contagium per *intermedium* fit, cum ad distans usque propagatur, quando particulæ vaporosæ, miasmate infectæ, quæ ab infecto corpore expirant, per aërem medium delatę, adstantes inspiratione aut insensili inspiratu inficiunt; quæ particulæ subtiles & vaporosæ si copiosæ fuerint, longe lateque propagantur, & disseminantur, Sic pestis sæpe ex una regione in aliam defertur, *Pieus p.* 162.

79. *Contagium*) Restat dicendum de *propagatione* Pestis per *Contagium*, quatenus velut ex traduce ab aliis subinde alios derivetur: Per *Contagium* intelligimus vim istam, sive actionem, qua affectus quispiam residens in uno corpore, sui similem excitat in alio: Cum vero hoc accidat vel *immediate*, per contactum, ut si aliquis in eodem lecto cum altero Peste correpto accumbens eundem morbum contrahat; vel *mediate* & ad distans, ut si ab una domo in alias remotas labem transferri contigerit, aut etiam si quempiam post aliquot dies, aut menses, forsan annos, vestem aut supellectilem è domo infecta petitam contrectantem statim pestis adoriatur; ideo ut Contagii natura, & diversi ejus modi plene innotescant, expendamus 1. quid sit illud quod ab infecto corpore dimanat. 2. quomodo se habeat per transitus sui medium. 3. quo ritu affectum sui similem in alio corpore progignat.

1. Quod ab unoquoque corpore, fixioris licet naturæ, atomorum effluvia constanter avolant, & excurrunt, quæ circumcirca velut nebulam, seu halonem constituunt, & instar lanuginis in pomo Persico quasi vestium, adeo receptum est inter saniores Philosophos ut nihil magis; Quo vero plus activis aliquid constat particulis, eo corpuscula insignioris virtutis & energię à se dimittit; hinc quæ ab Electricis decedunt effluvia, valent alia corpuscula loco dimovere; à sulphureis emanationes procedunt quæ totam viciniam odoribus replent.

Cum itaq; venenum pestilentiale, in minima licet mole sit maximę efficaciæ & operationis, hinc ubicunque defigitur, à corporibus ipso imbutis emanationes quædam procedant necesse est, quæ ejusdem veneni & malignitatis indolem referunt, & quaquaversus pro activitatis suæ sphæra diffundant; Quum vero hæc corpuscula, quæ pestilentiæ contagium retinent, quum ab uno manarunt corpore, non statim excipiuntur ab alio, inquiramus quomodo se habeant respectu *transitus sui per medium.*

Vbi statim occurrit eorum ab aliis plerisque discrimen, siquidem effluvia quæ passim evaporant, corporis à quo dimanant indolem non diu retinent, quin aut tenues evanescunt in auras, aut aliis corporibus impacta iisdem assimilantur; quæ vero à miasmate pestilentiali decedunt particulæ, non facile ab aëre aut ab alio corpore absorbentur, adeo ut prorsus dispereant; verum inter varias atomorum confusiones, & aliorum corporum allisiones sese illibatas servant; Etenim hoc virus, indomitum fere, & ab aliis insuperabile, usque idem perstat, & minima licet constet atomorum congerie, non statim evanescit, quin fermento suo proxima imbuit corpuscula, adeoque sibi novas adsciscit copias, & vires acquirit eundo, unde in fomite quovis diu delitescit,

atque post longum tempus, cum idoneo subjecto impegerit, sese exserit, & veneni sui labem alteri impertiens, Pestilentiæ morbum prius explodi visum de novo resuscitat, & ex minimo licet seminario lethale virus longe lateq́ue spargit.

Etenim Pestis adeo certissima prodit Contagii sub signa, ut nonnulli Authores contendant eam solummodu hac ratione inter mortales superesse, & nuspiam de novo ortam esse, quin è fomite tantum conservari, & ab una regione subinde in aliam deferri: Referunt historiæ hujus semina in veste aut stragulis per plures annos sopita jacuisse, ab iisdem postea commotis emicuisse, & Pestilentiæ morbum de novo succrescentem cum ingenti hominum strage concitasse,

Cum ratione fomitis Pestis hoc modo ad distans propagatur, quæ in miasmate supersunt venenata corpuscula, commota statim exsiliunt, & virus suum quaquaversus velut irradiatione quadam explicant: Si qua humano corpori impingunt, Spiritus statim prehendunt, eorumque vehiculo intus convehuntur, atque dein facili negotio sanguinem & homines quoscunque in vasis confluos fermento suo inficiunt, iisque brevi coagulationes & putredinem inducunt: atque ad hunc modum per subtilissima effluvia fit morbi pestilentialis velut transmigratio quædam, non succus ac cum surculus arbore quadam abscissus, atque ad tempus sepositus, & postea alteri trunco insertus, ex minima licet gemmula valet arborem ejusdem speciei & naturæ producere, *Willis c.12.*

80. *Liberos à pestilentia Simenses*) Pagus est in Principatu Neocomensi, vocant *Serriere*, uno ab urbe Neocomo, milliari dissitus, quem perlabitur fons, gelidissimam aquam æstate præbens, præ frigore potantes omnes prupemodum necantem, plurima molendina versantem, Observatum autem, etsi pestilentia & urbem vicinam & circumsita oppida vastaverit, immunem tamen ab ea perstitisse pagum, adeo ut divites urbis incolæ grassante contagio eo confugiant.

81. *Perniciosi syderum aspectus*) Alta voce pronuntiamus, Cœlum à labe nostra immune & innocuum; Non exinde materialiter producitur Venenum hoc Pestilentiale: Malignæ Saturni, Jovis aut Martis influentiæ nihil veneni generare possunt, etsi signis inhumanis ponantur, Non enim procedit influxus hic malignus proprie & stricte à stellante natura ipsa contraria, quasi hoc current, sed à certo suo cursu; à Deo ordinato; Et plane nescio quomodo producant Stellæ quod in seipsis non habent; Venenum in illis non latet; ergo nec ex illis procedit; Sin lateat, & protrudatur, nihilominus quotidie semina ista venenosa à radiis Solaribus dispellantur, Vel à Sole ipso, Stellis proximiori, ita ut vim grassandi amittant: At hujusmodi argumentis opus non est, Scripturæ nobis evincunt, Astra tantum in signa creari, non ut causæ efficientes sint, sed instrumenta ad significandam Dei voluntatem. *Isaacus Roës aphor. de Peste* 17. & 18.

82. *Aërem putrescere*) Multi ipsius substantiæ aëris putredinem accusant, firmantque ratione, quia illa quæ calida & humida temperie sunt prædita, prompte putredinem concipiunt, atqui talis est Aër, Ergo, Hinc *Zoar* cap.4. dicit aërem calidum & humidum promptissimum esse ad putredinem. Et *Avenzoar cap.3. Theisir, Tr.3.* ponit duo genera Putredinis Aëris, Vnum ex vaporibus, alterum in propria substantia.

At argumentum nullo solido fundamento innititur, quia nullus manifestarum qualitatum excessus ipsas Elementorum substantias putrefacere potest, nam putrefactio solis rebus mistis competit, utpote perquam fit misti dissolutio, & elementorum vel à se invicem omnimoda separatio, vel quædam levis dissolutio, alia que nova mistio, E.g. in cadavere putrescente nullum elementum putrescit in sua substantia, sed exacta Elementorum mistio dissolvitur, & singula vel omnino separantur, vel rursus alio novo modo simul miscentur, atque tunc generantur vermes, muscæ, apes &c. Talis autem substantiarum separatio in ipsa *Aëris* substantia, quæ simplex est, fieri nequit, nam in quas quæso partes dissolveretur? non in aqueas, igneas, terreas, quia nihil horum ipsi inest? non in minimas alienas particulas, quia singulæ minimæ particulæ aëris sunt aër, Ergo in aëris substantiam non cadit ulla putrefactio; Hinc *Aristoteles* ait Aërem nec corrumpi nec putrescere.

Nec valet effugium, Aërem modo sumi pro puro Elemento, modo pro Elemento una cum aliis rebus ipsi immistis; atque hoc posteriore modo illum in substantia putrescere posse? Nam 1. Externa illa, quæ ipsi permista sunt non sunt de substantia aëris 2. cum loquimur de Aëris substantia; tunc semper Aër tanquam purum elementum sumitur, quod dicimus nunquam putrescere posse.

Cum vero loquimur simpliciter de Aëre, tunc interdum sumitur pro puro Elemento, interdum pro Elemento cum suis contentis; Priore modo non putrescit; si posteriore modo sumitur, tunc substantia Aëris etiam non putrescit; sed tantum pravi vapores, aliaque heterogenea ipsi admista, & quasi unita, ab eo secessum faciunt, qui in rebus mistis Putredo appellatur, quæ tamen putredo ipsam Aëris substantiam minime corrumpit. Concludimus ergo Aëris substantiam non putrescere, nec putrescendo Pestis causam esse posse, sed illam causam esse à putredine longe diversam, nempe substantiæ aëris corruptionem sine putredine, cœlitus demissam, quæ corruptio qualis sit, nemo describere potest. *De Diemerbroeck. c.8.*

83. *Post terræ motum hiatus Pestem non induxerint*) Vide supra §.69 *Vel ex cavernis terræ.*)

84. *Non mirum Diemerbroekium &c.*) Expensam hujus sententiam vide supra §. *Causa Pestilentiæ post Deum* & §.55.

85. *Inter adjutrices reponere*) Causas illas, quas communiter agnoscunt, internas, immediatas, & mediatas, pro causis non habemus, tantum pro circumstantiis forsan promoventibus: *Corruptio illa humorum putrefactorum* per se considerata, tantum generat, aut generare potest Febrem putridam, quia veneno caret: At si venenum hoc externum spirituosum etiam superveniat, aptius invenit subjectum, in quo citius ad perfectam putredinem exeat, & febrim illam comitantem si possible adaugeat.

Nec *Plethora* magis potest quam antea docuimus, scil. aliquam febrim producere: At confiteor, cum semel imprægnata veneno, latius non extendit seipsam, sed extenditur, nempe à veneno illo pestilenti, quod tamen non plethoræ sed veneni effectus: *Obstructiones* corporis excrementa retinentes, periculosa symptomata inducunt, sed non æque periculosa ac si essent ex veneno conflata. *Isaacus Roës Aph. de Peste.* 19.20.21. & 22.

85. *Causas istas inter &c.*) *Sydenham* causam statuit in Inflammatione quadam sanguinis, Si quidem, ait, morbi omnes similares ortum ducunt à qualitatum vel primarum vel secundarum vitio (quod solum in hac rerum caligine nobis licet) prope est ut credam *Pestem peculiarem ac sui generis Febrem* esse, quæ à particularum sanguinis spirituosiorum inflammatione originem ducit, utpote cujus naturæ subtilissimæ, præ tenuitate sua, maxime proportionatæ ac adæquatæ videntur; Quod si subtilitate qua maxima pollet (ut in principio & statu constitutionis epidemicæ videre est) subito, ac quasi ex improviso calorem nativum dissipat, & ægrum è medio tollit, cadavêribus interim hujus morbi teroicia tam subito extinctorum, maculis purpureis undiquaque

quaque conspersis atque fœdatis: Nempe fibris cruoris, præ intestini conflictus violentia dissilientibus, & compage ipsius prorsus dissoluta.

Atque hæc tragœdia præ hujus quasi flammæ subtilitate eximia, etiam sine aliqua sanguinis febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis prætensione cietur; Secus quam ut plurimum accidit, ubi causa morbifica minus subtilis existit, & quasi obtusiori telo vitam impetit: Discriminis modus pinguiori exemplo sic adumbretur, Si acus, vel quid aliud cuspide graciliori præditum, pulvinari supponatur, ac vi adigatur, illud æque ac obtusiore instrumento, similiter adacto, in sublime non attollitur; sed perforatur; Verum ejusmodi subitanea extinctio raro occurrit, nec nisi circa initium Pestis, vel incrementum.

Etenim, ut in aliis febribus, plerumque rigor atque horror primum invadit, quem calor mox excipit, & tantisper exeurrit donec particulæ cruoris inflammatæ provido naturæ ductu ad emunctoria amandentur, ac ibidem ad instar phlegmonum communium in pus vertantur.

Jam si inflammatio adhue remissior existat, *Febres*, quas *Pestilentes* vulgo appellant, producere solet; ut in fine Pestilentis constitutionis sæpenumero accidit, ac forsitan etiam uno alterove post anno, donec ista Febrium species prorsus disparcat.

Certe, me judice, in inflammatione ista, quam Latini *Ignem Sacrum* appellant, quandam Pestis imaginem non obscuram intueri licet, Est enim morbus hic apud saniores Medicos Febris continua à sanguinis parte tenuiori corrupta ac inflaminata originem ducens, qua ut natura se liberet, eam in corporis partem aliquam externam expellit, in qua tumor, aut macula rubra, lata dispersa, quam *Rosam* appellant, oritur.

Solvitur autem ista febris, postquam uno aut altero die ægrum afflixit, critice per hunc tumorem, & proinde aliquando in glandulis, sub alis, vel in inguinibus dolor, ut etiam in Peste, fieri consuevit, Et fere invadit hoc malum, ut Pestilentia, cum horrore, & insequente calore febrili, ita ut qui ipsum ante non sunt passi, existiment hic pestifera se corripi, donec tandem in crure, aut alio loco sese affectus prodat.

Quibus accedit quod maligni aliquid huic morbo inesse nonnulli Auctores suspicantur; ac proinde curationem in sudoriferorum atque alexipharmacorum usu constituunt: Hæc equidem flamma, ubi Ebullitionem commoverit, cujus ope particulæ sanguinis leviuscule ustulatæ, ac quasi syderatæ brevi spatio foras ablegantur, sponte sua, nec ulteriorem noxam molita extinguitur.

Verum tamen *Ignis* noster isto Sacro longe *divinior est*, ut qui summa qua pollet substantiæ tenuitate intimiores corporis recessus ad instar fulgerri permeare aptus natus sit, spiritibus cruoris derepente profligatis, ipsiusque compage nonnunquam citius dissoluta quam natura præcipiti malo oppressa, Ebullitionem febrilem (solennem nempe machinam, qua quicquid sanguini molestum est suis è finibus amovere satagit) concitare valeat.

Quod si quis mihi hic litem paret de eo quod hunc morbum ab Inflammatione oriri existimem, is attendat non modo Febris præsentiam, sed & complura alia huic sententiæ suffragari, nempe sanguinis detracti colorem, qui pleuriticorum, ac rheumatismo laborantium sanguinem plane æmulatur adustum Anthracum faciem, pyrotici actualis impressioni non absimilem, nec non Bubones ipsos, qui inflammationem æque solenniter excipiunt, ac eandem alii cujuscunque generis tumores consequi solent; uti & inflammationes pleræque omnes in abscessum terminantur,

Quin & anni tempestas; qua epidemica Pestis ut plurimum exoritur, ad hanc rem symbolum suum conferre videtur, Eodem enim tempore, nimirum quod intervernum æstivumq; medium est, Pleuritides, Anginæ, aliæque inflammati sanguinis affectiones populariter ingruere consueverunt, quemadmodum etiam nunquam frequentiores mihi visæ sunt quam per aliquot septimanas, quæ nuperæ Pestis Londinensis exortum antecesserunt.

Nec vero nullius est momenti illum ipsum annum, tot millium strage funestum, alioquin mitissimum ac saluberrimum extitisse; omnesque qui à peste immunes perstiterunt, nunquam meliori valetudine usos fuisse: quin & eos qui ab eadem convaluissent, cachexiæ, aliisque affectibus, à residua priorum morborum labe provenire solitis, non magis obnoxios deinceps vixisse; Quibus & accedit, quod & quantæcunque latitudinis apostemata & carbunculi, postquam inflammatæ particulæ una cum sanie decessissent, Chirurgicis auxiliis, iisque non admodum conquisitis, facile sanata fuerint.

Verum quærat hic aliquis, *Si Pestis in inflammatione* quadam consistat, qui fit ut medicamenta calidioris census, qualia sunt *alexipharmaca*, prope omnia, ad hujus affectus therapiam & prophylaxin tanto cum fructu usurpentur, Respondeo illa duntaxat per accidens auxilium præstare, nempe diaphoreseos quam suscitant, beneficio, quo particulæ sanguinis inflammatæ difflantur atque exterminantur: Quod si forte exhibita sudores commovere non valeant (ut persæpe accidit) mox sanguinis incendium, ab additio calore magis efferatum, eorum noxam palam proclamat.

Prophylaxin non sum nescius ad hanc etiam Antidotorum usum calidorum passim deprædicari, at quo emolumento adhue probandum restat; Imo vinum liberius ingurgitatum, aliaque fortiora præservativa, statis horis dietim assumpta, complures, qui alias salvi intactique verisimiliter permansissent, in hunc effectum conjecerunt. *Sydenham Obs. in Acut. p. m. 137. & sequ.*

8°. Θεῖόν τι) Quid illud sit quod Hippocrates per τὸ θεῖον intellexerit, dubitatur, *Galenus* existimat ipsum nihil aliud intellexisse quam aëris constitutiones, *Fernelius 2 de Abd. cap.* 12. dicit esse abditam quandam & occultam qualitatem à certis Astrorum conjunctionibus productam; *Angenius, Massaria, Alumarus*, & alii, intelligunt excellentem putredinem vel summum quendam putredinis gradum, Medici Astrologi intelligunt certas malignas siderum influentias.

Sed nulla harum opinionum ipsius *Hippocratis* mentem tangit vel explicat, Nam si *Hippocr.* per τὸ θεῖον intellexisset aëris constitutiones, quare non omnes aeris constitutiones divinas, & morbos inde productus, Divinos appellavit? Si abditam & occultam qualitatem, quare non omnes hujusmodi occultas qualitates (quales multis venenis, magnetis aliisque rebus insunt) Divinitatis titulo donavit? Si magnam & excellentem putredinem, quare non omnes insignes putredines, quales in febribus petechalibus aliisque putridis malignis, in variolis, dysenteriis epidemiis contagiosis, multisque aliis morbis deprehenduntur, etiam divinas esse dixit? Si malignas siderum influentias, quare benignos siderum influxus ab iisdem sideribus manantes Divinos non appellavit.

Quapropter nos arbitramur *Hippocratem* per τὸ θεῖον intellexisse causam quandam morbificam, præter naturæ ordinem & potentiam, à Diis è sublimi immissam, vel in & ex aëre de novo suscitatam ab ipsis; cujus essentia nec in certa Elementorum mistione, nec in manifestarum qualitatum intemperie, nec in magna aliqua putredine consistit, sed in novo quodam veneno, præternaturaliter à Diis in hoc sublunari mundo suscitato.

Sic etiam ex *Fernelii* sententia *lib. 2. de Abd. c. 12.* caus

Pestis est aëris quoddam inquinamentum, cœlitus dimissum, hominum naturæ penitus insensum & prorsus inimicum, ab intemperie & putredine longe diversum, sed usque adeo occultum, & à sensibus alienum ut ejus natura nos prorsus lateat, inopinanterque feriat, nec unquam nisi effectis & eventis deprehendatur. *De Diemerbroeck.cap.*8.

86. Θεῖόν τι) Pestis alia est naturalis, alia supernaturalis, supernaturalis est vel immediate à manu Omnipotentis Dei, vel mediate mandato & permissione Divina ab Angelo percutiente à Sathana infligitur, & hęc omnes naturæ terminos longe excedit; Ac hujusmodi plaga fuit pestilentia, & primogenitorum mors in Ægypto, & quæ Davidis temporibus à Deo inflicta Angeli ministerio, qua 70. hominum millia tridui spatio extincta sunt: Estque species hæc nonnisi solis precibus ad Deum iratum fusis; per alia auxilia incurabilis: Vnde vel ab ipso *Hippocr.* τὸ θεῖον, quasi morbus divinus appellatur: Imo si tales sanare volueris, verendum ne magis Divinum numen ad iram provoces, uti arbitratur *Palladius Sophista in 6.Epid. sect.5.comm.*17.

Pestis *naturalis* est quæ ab ente aliquo naturæ creatæ procedit: Et hæc distinctio tenenda contra eos qui Pestem semper supernaturaliter ab Omnipotentis manu fieri contendunt. *Piens p.*157.

Prognoses in Peste. Ex Willisio.

De *Prognosi* in textu silentium, quod forte Pestis, (*aut Willis*) ob perniciem ægris & secreto & celeriter intentatam, prognostico vix locum aut tempus cedat; cumque ob occultos nocendi modos hic morbus nihil non suspectum in se contineat, tamen observatione constat in hujus decursu nonnulla apparere signa è quibus salutem aut mortem augurari solemus: Res plena timoris est, si lues cito in epidemiam transierit; & violentos fecerit insultus; si hæmorrhagia, aut sudor tantum exiguus in morbi principio succedant; Si Urina sit crassa; & turbulenta; Pulsus inæqualis & debilis; si convulsio aut phrenesis statim sequantur; Si vomitus aut dejectiones sint lividæ, nigræ aut summe fœtentes; si Exanthemata prius rubra postea livorem contrahant: Si Carbunculi sint plures, si Bubones prius extumescentes dispareant; Si vires subito dejiciantur, facies sit horrida aut livescat, si cum livore extremorum adsit viscerum æstus, præsertim si in corpore valde cacochymico, aut tempestate insalubri hæc aut eorum pleraque eveniant.

E contra bono esse animo jubentur ægri, si pestilentiæ status sit levior & minus exitialis; Si in corpore sano & robusto cum animi fortitudine morbus contingat; Si remedia tempestive adhibeantur priusquam morbus occuparit totam sanguinis massam. Item si cum virium constantia, pulsus robore & æqualitate Bubonum suppuratione, & larga puris profusione, cumque symptomatum horrendorum absentia morbi decursus peragatur: Interim quanquam omnia bona hic sperare liceat, tamen securos esse non conceditur, quia nonnunquam cum laudabili signorum apparentia, dum vitæ struuntur insidiæ, & tanquam ab hostere conciliato gravissima patimur, qui ferocientis manus evasisse videbamur.

Prognoses ex P. Barbete.

Pestis hæc Prognostica signa *Paulus Barbette Tract. de Peste*, Pestis naturam habet fallacissimam, & dum maxime abblanditur maxime nocet, Bubo minoris est periculi Carbunculo, hic vero Petechiis, quæ rarissime solent esse salutares: *Bubo* post aures, in collo, aut sub axillis periculi plus habet eo qui in inguine exoritur; *Carbunculi* in digitis manuum pedumve, à corde remotissimi videntur, verum quod tendines plurimi nervique ibi existant, multo periculosiores iis qui in partibus carnosis occurrunt.

Buboni accedens Carbunculus, lethale signum est.

Bubo aut Carbunculus, si febrem antecesserint, minus periculum est quam si sequantur tardeque se ostendant.

Bubonis inflammatio gravior Chirurgo alterationem inferre minime debet, sed circulus ejus lividus secundo die mortem instare plerumque indicat.

Bubo si ad interiora redeat, extremo in periculo versatur æger, nisi malignum humorem ad loca alia Natura ablegaverit: Sic non semel observavimus, ad interiora subito recurrente materia Bubonem in inguine causante, gangrænam pedis in latere affecto subortam fuisse, plurimosque sic evasisse.

Si vesicatorium præter solitum suum morem vesicam non excitet, ægri amicis indicato ipsum vix mortem evasurum.

Vesicatorio, vel Cauterio actuali si 12. aut 14 horarum spatio Carbunculi augmentum non impediatur, mortem instare certissimum est, imo tum etiam si nihil humiditatis inde effluat; Verum si vesicula, aut separatio (quæ magna præstat) & pus debito modo se ostendant, æger salvabitur.

Carbunculus cauda quadam præditus valde periculosus est, idem albescens, sine magna febris imminutione, curationis *spem* adimit.

Bubones in collo, vel post aures, si faucium dolorem moveant, & deglutitionem sine magna inflammatione impediant, æger post 12. aut 15. horas superstes non manebit; quod verum scimus.

Somnus profundior, Delirium, Vigiliæ nocturnæ, Oculorum inflammatio, anxietas Cordis, Tremor membrorum, & Convulsiones, periculum indicant, sed omnem curationis spem non adimunt.

Febris magna sine anxietate cordis periculosa adeo non est quam febris minor cui constrictio cordis adest.

Lingua quo sicca magis eo majus periculum.

Sudorifera satis idonea si sudorem haud moveant, ægri plerumque intereunt.

Sanguinis fluxus aliis contagiosis temporibus Medicis valde fuit suspectus, sed qui hoc tempore hæmorrhagia narium, vel mensium fluxu laborant, ferme omnes salvantur. Mictionem cruentam hoc tempore non observavi; Sed qui Dysenteria laborant subita morte intereunt.

Admodum rarum est, attamen verum, oculum, nasum, ventriculum, imo & intestina ipsa Carbunculis, absque ulla curationis spe affici posse: Vesicam urinariam, quoad cervicem, Carbunculo obsessam fuisse credo in quodam qui per horas xxx. Ischuria laboraverat, & mictione purulenta accedente liberatus fuit.

Prognoses. Ex Diemerbrockio. cap. xv.

Acutorum morborum, inquit Hippocrates, *incerta admodum ac fallaces sunt prædictiones*: Hoc dictum si ullo in morbo certe in Peste verissimum esse experimur, in qua signa ambigua sunt & incerta, cumque singulis fere horis ac momentis mutentur, prædictiones admodum obscuras & lubricas faciunt, ita ut Practici etiam exercitatissimi sæpe in morbi hujus Prognosi graviter delusi fuerint, quia hic sacro involucro multa teguntur, & fallax ille inimicus dum sæpe arridet, occultas insidias struit; Attamen signa Prognostica quæ in Peste hac Noviomagensi certiora fuisse observavimus, hic describemus.

1, Criticæ

I. Criticæ mutationes qualeſcunque, diebus decretoriis incidentes nihil certi promittebant, Omnes enim fallaces erant, & cum his etiam optimis æque multi moriebantur quam evadebant, At ſexta diei criſes ſemper certo lethales erant.

Fallacia criſium inde procedebat, quod Peſtilens venenum nulla naturæ coctione mitigari, neque etiam per vias humorum purificationi dicatas ſatis commode evacuari poſſet: Hæc cauſa fuit quod *alvi fluxus criticus*, nec non *uteri*, vel *narium hæmorrhagia*, nunquam laudabiles eſſent, nam rariſſime ſponte ceſſabant, ſed medica arte ſemper ſiſti debebant; & multoties ſiſti non poterant, propterea quod natura per has inventas jamque apertas vias totum venenum expellere nitebatur; atque hinccum plurimi boni humores effluerent, & malignitas corpori ac cordi altius inhærens hoc modo multum imminui non poſſet, vires brevi deficiebant, citiuſque ad mortem quam totalem veneni expulſionem perveniebant ægri.

Etiam copioſi ſpontanei *ſudores*, à quibus maximum levamen expectabatur, valde incerti erant, Imo etſi morbum aliquando feliciter ſolverent, multoties tamen in principio aliquam remiſſionem adferre videbantur, poſtquam longe gravius recrudeſcebat malum: Cauſa erat, partim quod natura inceptum per hanc viam expulſionis opus, vel ob ægrorum externos errores, vel ob ſummam debilitatem, plerumque abſolvere non poſſet, ſed in medio opere impediretur, vel deficeret: partim quod illi ſudores multoties ſymptomatici eſſent.

Periculoſæ autem ſunt, inſidæ, imo lethales ſextæ diei criſes, quare Medici hunc diem vocant Tyrannum; Speciatim de Peſte hanc obſervationem ſcribit *Braſſacola comm. ad aph.* 24. 2. *Nos*, inquit, *ſexcenties, anno* 1528, *experientia vidimus in epidemio morbo, omnes ſera die ſexta obiiſſe &c.*

II. Quicunque circa novilunium aut plenilunium Peſte corripiebantur, ij maxime de vita periclitabantur.

III. Peſtis quæ invadebat poſt ingentem iram, vel terrorem, vel venerem fortiorem, multo gravius periculum minabatur quam quæ abſque his præcurſoribus corripiebat.

IV. Magna virium proſtratio in morbi principio, ut & crebra animi deliquia ac cordis palpitationes, periculoſa, imo plerumque lethalia ſigna erant.

V. *Pulſus* Sanorum Pulſui fere ſimilis, fallax & periculoſus, Intermittens vero ſemper lethalis erat: *Galenus* ait Pulſum intermittentem in juvenibus ſemper eſſe lethalem, & ſe plurimos ſenes ac pueros cum tali pulſu ſervatos vidiſſe, Juvenem vero nullum. *Riverius* tamen teſtatur ſe in febribus malignis obſervaſſe juvenes non paucos, qui pulſum intermittentem per multos dies habuiſſent, evaſiſſe: Idem teſtatur. *Wierus libello obſerv* Contra teſtor me neminem qui evaſerit vidiſſe.

VI. *Sopores* à principio morbi grave periculum indicabant indicio enim erant præter Cor etiam Cerebrum graviter impugnari & labefactari.

VII. *Sternutationes* crebræ mortis præcones erant. *Riverius* de *Febre Peſtil.* dicit ſe obſervaſſe, licet alia ſæva ſymptomata periculum portenderent, ſternutamenta tamen ſpem ſalutis attuliſſe, Contra *Cardanus* 5. *aph. Hipp.* meminit Peſtilentiæ, in qua cum brevi ſpatio ſæpius ſternutaſſent ægri, ſtatim mortui concidebant, Ratio erat, quia ſternutamenta producebantur à venenata labe cerebri membranis tenaciter affixa; ſicut ſingultus in ventriculo à veneno ventriculi tunicis ſimiliter adhærente eaſque vellicante: *Riverii* autem experientia eſt in febribus malignis, in quibus ſternutationes à pravorum & acrium humorum aut vaporum vellicatione excitatæ, naturæ & facultatis animalis robur denotant, validamque moleſti humoris vellicantis excuſſionem.

VIII. *Motus tremuli manuum & linguæ* funeſti erant; maximam quippe arguebant cerebri læſionem, ſpirituum animalium paucitatem, & nervorum ac virium imbecillitatem, oſtenduntque naturam à morbo jam evinci; Ab *Hippocr.* damnantur 1. *Progn.*

IX. *Delirium* ſemper grave periculum; at *convulſivis partium motibus*, & nervorum levibus contractionibus, membrorumque quaſi ſubſultibus conjunctum, etiam mortem prædicebat. *Illud* gravem cerebri afflictionem, *Hi* principii nervorum peſſimam læſionem indicabant.

X. *Dolor in gutture*, qui ſine ullo tumore, ſine aphthis oriſve ſiccitate, aliave aliqua manifeſta cauſa adeſſet, ut & *raucedo*, imminens exitium certo prænuntiabant. Hoc mortis inſtantis præſagium adeo certum & infallibile erat, ut nullum evaſiſſe viderim, ſæpeque ægri ambulantes ac loquentes moriebantur: Simile quid obſervat *Hippocr.* in acutis 1. *Progn. In acutis morbis faucium ſine tumore dolores, & puſilli & ſtrangulantes, pernicioſi.*

XI. *Narium hæmorrhagia* die decretorio incidens, valde pericloſa, non decretorio, lethalis erat.

XII. *Lingua* in principio morbi *nigreſcens*, malum, ſed humida & naturalis coloris apparens, bonum erat indicium.

XIII. *Anhelitus* valde fœtens, quaſi carnium putreſcentium fœtorem olens, plurimis infelix ſignum erat. Sic *Fracaſtorius de morbi contagioſ. lib.* 2. *Quorum anhelitus præter ſolitum immodice fœtet, omnes moriuntur.*

XIV. *Pleuritides* quæ durante hac Peſtilente conſtitutione invadebant, ſemper lethales erant, ſive præcederent, ſive ſtatim ſequerentur Peſtis invaſionem; Nam poſtremæ hæ generabantur à *Carbunculo in membrana pleura* & muſculis meſopleuriis excitato, quod malum in interiore thorace erat prorſus inſanabile; Quę vero ante Peſtem invadebant, illis ſtatim adiungebatur Peſtis, ac proinde lethales evadebant, partim quia acutum morbum alteri acuto adjungi exitioſum, partim ob contraria indicantia & medendi difficultatem, cum V. S. pleuritidi conveniens, ratione Peſtis maxime lethalis ſit.

XV. Tuſſicula, ſpirandi difficultas, ſputum cruentum, dolor punctorius in pectore, hepate, liene, renibus, utero, aut veſica, hæc omnia calamitoſa erant; Quia generabantur à carbunculis in viſceribus internis excitatis. Inter cætera ſputum cruentum magis commune erat, & ſemper præceps exitium prænuntiavit; Idem obſervatum à *Guidone de Cauliaco & V. de Taranta.*

XVI. Singultum ſemper mors cito ſequebatur, Illum morbis acutis ſupervenientem lethalem eſſe pronuntiat *Hippocr.* probat experientia: Cauſas vide inferius §. *Peſtilentiæ junguntur Bubo, carbunculus.*)

XVII. Vomitus erat moleſtiſſimus, multoſque ad mortem uſque comitabatur, Multis etiam tempeſtivo alexipharmacorum ſubſidio feliciter ſiſtebatur. *Cauſas vide ibidem.*

XVIII. *Suppreſſionem alvi* in tota hac peſte nulli ægro noxiam fuiſſe obſervavimus: Indicabat, *partim* tantum naturæ robur quod venenum peſtilens fortiter à centro ad peripheriam moveret; *partim* tam exiguam veneni quantitatem, vel debilem qualitatem, quæ humores confundere, colliquare, & per convenientes vias expellere non poſſet: Præterea etiam laudabilem corporis conſtitutionem, ad graves humorum putredines minime procliuem ſignificabat.

XIX. *Alvi fluxus* ſummum minabatur periculum, & cum hoc vix centeſimus æger evadebat: Nunquam hic ſponte ſubſiſtebat, imo etiam medicamentis ſumma diligentia adhibitis rarius ſiſti poterat: Sic quoque refert *Hippocr.* 3. *Epid.* in Peſtilenti illa conſtitutione plurimos alvi fluxu & dyſenteria fuiſſe ſublatos: Sic & *Galenus*

scribit in peste illa longissima quæ ipsius ætate sævit, omnes prope periisse: Vide *Hildanum cent.4.obs.22.* Quare minime audiendi illi, qui in Pestis curatione minus exercitati, contra experientiam dicunt Fluxum alvi in Peste, si die critico incidat, laudabilem esse, nec medicamentis opus sisti debere, Ignorantes in Peste hunc fluxum semper esse symptomaticum, nunquam criticum aut salutarem.

XX. *Cruentæ dejectiones* mortem antecedebant: Causam repete ex § 1.

XXI. Vrinæ turbidæ malæ quidem erant, cum his tamen quidam evadebant: Id quod ab *Hippocr.* quoque 3. *Epid.* observatum, inquit enim *Vrina turbida multa, mala*, Non dicit lethales, sed malas & periculosas, utpote cum quibus multi, non omnes moriantur.

XXII. Cum urinis sanorum similibus multi, præter expectationem, subito moriebantur, idque non raro sine gravibus, ut videbatur, symptomatis.

XXIII. Vrinæ pingues, oleaginosæ, nigricantes, livescentes, vel hypostasin lividam nigramve deponentes, fere semper exitiosæ erant.

XXIV. Qui per urinarias vias sanguinem excernebant, sive solum, sive urinæ permistum, illi omnes brevi moriebantur.

XXV. Menstruorum fluxus Pesti superveniens, etiam critico die erumpens, valde periculosus & plurimis exitiosus erat; die vero non critico certissime occidebat.

XXVI. Mulieri gravidæ, puerperæ, vel abortienti, si Peste corriperetur (quod plerisq; contingebat) magnum periculum imminebat, & tales plerumque moriebantur: *Gravidæ*, quia magnam humorum impurorum copiam coacervabant; *Parturientes* vero & *Abortientes*, quod magnam mutationem & alterationem subibant, ac summopere debilitabantur, Pesti non tantum maxime obnoxiæ erant, sed eidem etiam minime resistere poterant; quare plurimæ moriebantur, juxta *Hippocr.3. aph.31. mulierem gravidam morbo acuto corripi, lethale.*

XXVII. Si *Fonticuli*, quos ad præservationem multi habebant, in morbi principio exarescerent, certæ mortis indicium erat.

XXVIII. *Tumores in emunctoriis* laudabiles erant, & quo citius prodibant, tanto meliores; Cito prodeuntes indicabant robur naturæ, quæ magna vi insurgebat adversus venenum pestilens, idque foras propellebat.

XXIX. Si Tumores illi sine febre, vel ante febrem prodirent, citæ sanationis & salutis magnam spem dabant, contra vero si post febrem, inprimis majorem prodirent: Ante febrem prodeuntes indicium erant à victrice natura venenum citius foras expelli quam humorum putredo intus generari possit; Eamque, si forte sequeretur, & febrem produceret, levem & non valde periculosam futuram; *Post* graviorem vero febrem emergentes, significabant cor dupliciter impugnari, & à veneno & à gravi humorum putredine, atque tam ab illius virulento furore, quam ab hujus infesto ardore vehementer affligi, & his duobus magnis hostibus resistere vix posse; quare multi tales Tumores funestos esse scripserunt; verum nos illos potius valde periculosos esse dicimus: nam etsi cum illis plurimi in nostra peste mortui fuerunt, multos tamen cum iisdem evasisse scimus.

XXX. Si tamen prædicti Tumores, inprimis qui in faucibus & pone aures protuberabant, spatio xii. vel xx. horarum valde increscerent, & molles essent instar tumoris flatulenti, sive cum, sive absque inflammatione, semper lethales erant: Et quamvis ægri cum talibus tumoribus se aliquamdiu non admodum male habere viderentur, omnes tamen moriebantur. Hoc infelix prognosticum de Tumoribus subito in magnam molem excrescentibus, in hac Peste fuit infallibile & certissimum: Id quoque observatum à *Paræo lib.21. capite* 30.

XXXI. Contra; si isti tumores in principio duri essent, instar tendinis duri, rigidi & oblongi, atque paulatim increscerent, cum tolerabili dolore, bonum erat, præcipue si accrescendo duritiem illam aliquandiu servarent.

XXXII. At si duri isti Bubones circulum quendam diversi coloris, instar iridis haberent, malum erat indicium ac perniciem prænuntiabat, ut si rubicundi, lividi aut nigri fierent: Qui circulus maximi veneni index est, quod non tantum tumorem, verum etiam mortificationem parti infert, & ad vicinas partes ulterius proserpit.

XXXIII. Tumores in emunctoriis manente febre subito evanescentes, ut plurimum mortem prænuntiabant, Ratio est, quod subsidentia Bubonis, aut Carbunculi, quæ fit manente febre & morbi vehementia, significat veneni pestilentis ad partes principes recursum, & cordis robur devictum, quod jam à maligna pernicie nimis obrutum incipit succumbere, neque amplius intestinum hostem è suis penetralibus expellere potest.

XXXIV. Si illi Tumores cito ad suppurationem pervenirent, imminutum periculum significabant, Si vero cessante febre paulatim sine ulla suppuratione evanescerent, nihil quoque metuendum erat: Nam Tumores post febrem evanescentes, venenum vel edomitum, vel penitus extinctum ac evictum, vel foras ejectum & dissipatum indicabant.

XXXV. Si in Emunctoriis loco Tumorum emergerent Carbunculi, gravissimum periculum indicabatur; Rationem repete ex §.32 Idem annotat *Joh. Morellus*, qui *l.de Febr. Pest.c.5.* scribit se observasse illos quibus circa fauces effloruit carbo, cita morte fuisse peremptos. Periculosum quoque esse carbunculum qui fit in inguine.

XXXVI. Anthraces vel à morbi principio, vel paulo post in locis carnosis apparentes, erant laudabiles: At si in pedum vel manuum digitis prodirent, pessimi ominis erant, ut & illi qui supra spinam dorsi conspiciebantur. Docent Medici Carbunculos quo longius à corde erumpunt, eo minus esse periculosos: Nos tamen è contra in hac Peste experientia edocti, frequentissime observavimus Carbunculos in manuum vel pedum digitis, præcipue in extremis eorum articulis emergentes, semper mali ominis fuisse; & cum hujusmodi carbunculis paucissimos evasisse; nam licet sæpe ægri cum illis adhuc per sex septemve dies supervixerent, tandem moriebantur, In talibus Carbunculis etiam periculum aliquod animadvertisse videtur *Actuarius*, qui m.m. lib.2. cap. 12. *Qui carbunculi carni tantum insident, brevi spatio circumscribuntur: qui vero in membranis aut nervis nascuntur longo tempore durant, & subjecta loca in affectionis consensum protrahunt, adeo ut inflammatio, quæ erysipelatis naturam sapit, in iis excitetur*, Quod & confirmat *Ægineta* lib. 4. capite 26.

XXXVII. Si Carbunculi tardius prodirent, malum. Si valde multi erumperent, pessimum erat. *Galenus 3. Epid. comm.12.* Pestilentem carbunculum vocat perniciosissimum, quia nihil salutiferi secum fert, & pestilentis veneni index est: Ergo quanto major carbunculorum est numerus, eo plus & fortius venenum intus latere, & gravius periculum impendere significatur: Neque audiendi qui scribunt Carbunculos quo plures sunt laudatiores, eo magis salutem promittere: majores illi sunt in Peste theorici quam practici;

Illi

ubi solum robur expultricis intuentur, de causæ summæ magnitudine parum solliciti, quæ tamen illud magnum robur facile dejicere potest.

XXXVIII. Carbunculi si intra duos tresve dies circulo rubeo comprehenderentur, citius & facilius sanabantur: Si vero instar sphaceli quotidie latius proserperent, magnamque latitudinem acquirerent, difficilis curationis erant, imo sæpe pessimi ominis, præcipue si supra dorsi spinam, vel in parte aliqua nervosa subsisterent. Carbunculos latæ magnitudinis metuendos ac periculosos esse docet ratio, nam instar sphaceli mortificationem in vicinas partes magis magisque extendunt, ita ut neque nervis, neque majoribus vasis, aliisve profundioribus partibus parcant.

XXXIX. Carbunculus in principio subsidens, recurrens, ac fere disparens, vel postea manente febre exarescens, calamitatem prædicebat.

XL. Maculæ purpureæ, nigræ, virescentes, violaceæ, quocunque tempore apparentes, semper lethales erant, Cum rubris nonnulli evadebant, etsi paucissimi. Multi quidem magni nominis Medici has maculas, quocunque tempore prodeuntes, & præcipue die decretorio apparentes, scribunt esse salutiferas, inde seducti, vel quod earum causam & originem non satis cognoverint, & ipsum venenum pestilens per has maculas evacuari putaverint; vel quod sola inani speculatione ducti, gravi stylo multa de Peste scribunt, cum nihil de ea viderint: Quantumvis enim eorum rationes hujusmodi criticam evacuationem probare videantur, necesse tamen est ut experientiæ, contrarium docenti, hac in parte cedant; Nos semper observabimus Exanthematum eruptionem symptomaticam, nunquam vero criticam esse, & semper naturam succumbentem indicare, multorum quoque spirituum vitalium internecionem, nunquam naturæ victoriam significare, Neque aliter se res habere potest, nam in laudabili crisi expellitur materia morbifica, vel tota, vel ex parte, hic vero illa intus remanet, ejicitur istius materiæ productum, nempe arteriosi sanguinis ab illa extracti & corrupti pars (sicut interdum in hydrope dejicitur serosæ saburratæ pars, manente interim hepatis obstructione, aliave hydropis causa) Ad hæc, post laudabilem crisin sequitur levamen & sanatio, hic vero majus gravamen, & plerumque mors: Quapropter simul ac in hac Peste Exanthematum eruptionem animadvertebamus, omnem vi spem abjiciebamus &c.

Neque Exanthematum multitudo (quam multi tanquam salutarem laudandam censent) neque paucitas, majorem vel minorem sanationis spem dabat; nam plures majorem quidem veneni violentiam & quantitatem, majusque spirituum vitalium damnum indicabant, causam vero morbi nihil imminuebant, æque cum paucis & parvis, quam cum innumeris majoribus, per totum corpus erumpentibus moriebantur ægri, atque in tota hac truculentissima Peste, unum solum cum Exanthematibus purpureis copiosis evasisse vidimus.

Prognoses.

Ex Etmullero.

In Prognosi cautus sit Medicus, utut minus possit in *Peste* errare quam in febribus malignis, quia sæpissime *infecti* moriuntur, De *Scabie* saltem observandum quod *Pestis* tempore sit salutaris, teste *Foresto l.1. obs.14.* qui etiam *lue* Venerea infectos, sed ulcerosos, raro Peste affici asserit; Alias enim Pestem libenter lui se adsociare asserit *Hodges* de Peste Londinensi.

Salutarem promittit *eventum*, Si *Bubones* atque Tumores cito erumpant, & symptomata tunc remittant: *Bubonaria pestis* est omnium mitissima, & securissima, *Petechialis* pessima, media est *Pestis* cum *anthracibus*.

Bubones plures ac boni coloris sint salutares, & contra *Carbunculi* quo plures, eo periculosior.

Si per *sudores* largiores materia discutitur, bonum signum, Si vero frigidus sit sudor, vel etiam extrema frigida, in specie nares, malum est.

Narium stillicidium lethale: *Tumores delitescentes* periculum portendunt: Eminentibus Exanthematibus vel Bubonibus superveniens *singultus*, signum lethale.

Delirium cum oculis igneis & lingua sicca pravum signum est.

Si super Bubonem crumpat *Anthrax*, est lethale.

Anthraces in digitis erumpentes periculosi, propter multos concurrentes tendines.

Si ante febrim erumpant Tumores, minus est periculosum quam si post febrim demum appareant.

Si *Tumores* aliquantisper sunt inflammati, non est adeo periculosum; verum ubi eos circundat *circulus lividus* periculosum.

Cantharides applicatæ, ubi non excitant vesicas, audacter pronuntiandum ægrum vix evasurum.

Si post *vesicatorium* applicatum & apertum, vel cauterium actuale, intra XII. vel XXIV. horas anthracis progressus ad vicina non potest inhiberi, æger interibit: Idque etiam fit quando post *cauterium* sive actuale sive potentiale applicatum, locus aridus permanet, Sin vero applicato cauterio erumpat vesicula, quo major eo melior, & postmodum materia laudabilis in illa generatur, æger erit extra periculum.

Anthrax cum *vibice*, communiter flavo, aut rubeo, est admodum periculosus: Quod si vibex albescat citra febris decrementum, pauca salutis spes superest.

Si *Bubones* in collo, aut prope aures, inducant *dolores gutturis*, & *deglutitio* citra insignem internam inflammationem impediatur, patiens vix ultra XII, aut XV. horas supervivet.

Febris insignis citra anxietates cordis minus periculosa est, quam *anxietates cordis* citra insignem febrem.

Interdum fit ut *Anthraces* oriantur in *oculis*, *manibus*, *stomacho* &c. citra spem convalescentiæ.

Item si oriantur anthraces in *vesica urinaria*, ægri cum summis torminibus intereunt.

Quidam tanquam certum habent Prognosticon, *Projiciunt lac mulieris* masculum lactantis in *urinam peste affecti*, unde si cadat in fundum ante 6. vel 7. dies ægrum interire, sin minus, dicunt eundem supervivere, Fides sit penes experientiam. *Etmuller.*

Ex *Nath.* Hodges.

Matrona totæ familiæ superstes, integra adhuc valetudine, pectoris regionem lustravit, quam maculis fatalibus obsitam prospiciens, nihil minus quam huius invasionem ex hisce indiciis hariolata, brevi examinata erat, nullo alio symptomate morbum vel mortem præmonstrante. *De Peste sect.5.*

Iuvenis habitu eusarco; & valenti corpore, postquam ex improviso stigmatis pestiferis multum detexerat, id genus fucata & ementitia conjiciens signa, quod bellissime valeret, quem tamen intra trihorium succubiturum verissime Medicus indicavit.

Puella XV. annorum admodum extenuata cum

nihil alimenti per ſpatium 14. dierum ſumpſerat, habebatur pro deplorata, eam ſemimortuam Lues invaſit; De Tumoribus huc illic dolorificis conquerebatur, Bubones autem emerſuri (quantum conjectura aſſequor) ob ſucci defectum minime ſuppurati erant, ſed ob copioſiſſimam tranſpirationem ſubſidentes evanuerunt; Intra duas ſeptimanas præter opinionem omnium, in integrum reſtituebatur, tabe in dies diſcedente.

Virgo XVII. ann. à teneris tam ſcrophuloſa, ut ſtrumæ multiplices & obſtinatæ nullo remediorum genere tolli potuerint; hæc tandem Peſte afficiebatur, tumoribuſque ſtrumoſis ſupervenere Parotides, quibus ſuppuratis, & pus affatim effundentibus, tam à lue quam à morbo contumaciſſimo liberabatur ægra.

Quidam Podagrici, aliiſque affectibus inveteratis vexati, auſpicata hac aſſociatione reſtituti erant; Revera omnes fere Luem perpeſſi, curatione v.a.e. adminiſtrata rectius poſtea valuere: Plane ut non modo venenum aliquando, ſed ipſa Peſtis vim obtinuerit medicamenti.

[1]. Medicatio in *Præſervatione*, *Curatione* & *ſymptomatum Correctione* conſiſtit.

[2]. Quoad *Præſervationem*, danda opera 1. [3]. ut *cauſa quæ Peſtem inducunt amoveantur*, Ergo

[4]. 1. *Aër* corrigatur; per [5]. ſuffumigia, ter per diem ex *thuris* & *baccar. junip.* ãã. *part.* æqualibus, [6]. *Pulvere tormentario* [7]. *aceto* aſperſo, & in pilulas magnas formato, inſtituta; (ex [8]. *ſtirace ladano*, *benzoino* & ſimilibus [9]. noxia quibuſdam comperta) per pavimenti *roſis*, *aceto*, *floribus*, *nymph.* & aliis aſperſionem: [10]. Per venti Auſtralis excluſionem, quia obſervatum eſt Peſtem augere: [11]. Borealis vero & Orientalis per feneſtras admiſſionem; Narium [12]. *aceto* & *Oleo ſcorpionum* inunctionem; [13]. Cornuum & antiquorum coriorum uſturam, & [14]. ignis ex lignis [15]. fraxini, juniperini & quercini excitationem.

2. [16]. *Cibus* aſſumatur, euchymus, facilis digeſtionis, [17]. conſuetus; in quibus [18]. carnes porcinæ, [19]. haleces muria conditi, recentes vel veteres, legumina, allium, cæpe, [20]. mel, ſaccharum, non cenſentur: Potus verò ſit temperatus, defæcatus; & [21]. vina inter noxia.

3. *Pernitioſa* comperta, ad radios ſolis, lunæ, vel [22]. ſupra fœnum cubare aut obdormire; [23]. Corpus ita exercere, [24]. ut incaleſcat & delaſſetur: [25]. Venere vel nimium abuti, quia vires exſolvit, [26]. vel nimium abſtinere, quod Cornarius notavit: [27]. terreri quoque nimium & [28]. metuere.

[1]. *Medicatio conſiſtit*) Circa plurimarum ægritudinum curationes potiſſimum opus Naturæ committitur, cujus neceſſitati obſtetricatur ἰατρικὴ atque Medici officium & ſcientia præcipue in his verſantur ut idoneas huic laboranti ſuppetias ferendi occaſiones præſtoletur.

Verum peſtis hoc peculiare habet quod ejus curatio minime ſit Naturæ relinquenda, quin omnimodi conſeptis ab arte remediis occurrendum: Nec de magis opportuno & quaſi molliore tempore ſolliciti ſimus, verum citiſſime comparentur medicamenta, atque nullis non horis, & non tantum non minutis iis inſiſtamus: Quia tamen regnante Peſtilentia non minori opus eſt cura, ut contagium procul arceatur quam ut Lues impreſſa ſanetur, ideo Medico duplex incumbit penſum, nimirum ut maligni hujus morbi prophylaxi æque ac curationi proſpiciat. *Villa.*

Illud inquirendum an methodo & per indicationes curari febris Peſtilens debeat: Quidam ſolis Alexiteriis contenti ſunt, quæ omni tempore, omni ætati, exhibent ſine methodo, ſola innixi experientia: Præſtantiſſimorum tamen Medicorum exemplo non omnis reſpuenda methodus, Non unam habent Febres Peſtil. curandi Indicationem, ſed geminam triplicemve, nam ratione Febris indicant refrigerationem, quæ quamvis evicta putredine deleatur, non eſt tamen negligenda: Putredo quoque indicat alterationem & evacuationem; at quia venenata ſimul putredo eſt, Alexiteriis eſt utendum: Ubi notandum, ſi ſola venenata qualitas fatiget, ac putredinis adſint indicia, ut in plurimis obſervare eſt, ſolis alexiteriis eſſe utendum; ſed ſi una putredo affuerit, alterantia & evacuantia in uſum eſſe revocanda: Solet autem putredo familiaris eſſe febribus malignis, vix ulla eſt quæ illam non habeat comitem, etſi illius natura in illa putredine non conſiſtit. *Primiroſius.*

Vide ſupra Caput de Febre Peſtilenti §. *Purgatione.*)

[2]. *Quoad præſervationem*) Præſervatio in duobus præcipue conſiſtit, nempe in remotione cauſæ agentis, & in præmunitione corporum adverſus illam cauſam: His Indicationibus maxime tribus modis ſatisfit, Spirituali, Politico, & Naturali; atque hinc triplex reſultat Prophylaxis, Theologica, Politica, & Medica.

Cum Peſtis ſit morbus à Summo Deo ad mortalium punitionem cœlitus immiſſus, difficulter ejuſdem advenientis invaſio averti vel impediri, & invadentis pernities graviter reprimi poteſt; quia in Divinis morbis humana auxilia plerumque ſilent, imo nihil proſunt, niſi per Divini favoris radios ad optatum actum promoveantur: Quapropter in hoc Naturæ defectu altiora remedia ab ipſo remediorum Creatore quærenda ſunt &c. devotis precibus, jejuniis ac eleemoſynis juſtiſſimam ejus iram placandu.

Prophylaxis *Politica* conſiſtit in officio magiſtratuum, quorum munus eſt publica authoritate impedire ne peſtilens contagium intra urbes recipiatur, & curare ut vel cœlitus immiſſum, vel aliunde cum fomite allatum, non multum diſſeminetur, ſed citiſſime extinguatur.

Prophylaxis Medica dividitur in Diæteticam, Chirurgicam & Pharmaceuticam; explicandam minutius: Verum hic de uno maximo Præſervativo paucis dicendum, nempe de *Fuga*, cum timore Domini copulata, quam tanquam præſtantiſsimum ac certiſsimum prophylacticum commendant plerique Medici & multi Theologi Fugiendum autem in mali principio, cum Peſtis primo Urbem aliumve locum invadere incipit, Et in longe remotas à loco peſtilenti terras ſalubres demigrandum atque inde tardiſsime remigrandum, juxta verſiculos.

Hæc tria tabificam tollunt adverbia Peſtem
Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Brevius

Ocyus hinc Hito longe, tardeque redito.

Nos ditioribus, quibus res familiaris permittebat, fugam maxime commendavimus; quorum conditio loci mutationem non patiebatur, his alios ſe præſervandi modos præſcripſimus. *De Diemerbroeck l. 2. c. 3. &* 4.

[2]. *Quoad Præſervationem*) Cautiones Prophlacticæ vel reſpiciunt Rempublicam, & ad Magiſtratũ pertinent, vel privatas perſonas, quibus docetur quid ſingulis hominibus

hominibus quando Pestis timetur sit agendum: Cura publica tempore Pestis præcipue in his consistit, ut Cultus divinus rite observetur, ut omnes putredinis fomites rescindantur, sordes, sterquilinia & fœtida quævis è plateis removeantur, & contagii quævis occasio diligentissime evitetur; commercia cum locis infectis prohibeantur, & ut victus ratio salubris à civibus constanter observetur: In quam rem fructuum aliorumque insalubrium usus interdicatur.

Pauperes, quibus haud suppetit alimentorum copia aut delectus, sumptibus publicis nutriantur; Si pestilentia etiamnum grassari incœperit, venenata vis aëris, quantum fieri potest corrigatur, quod sulphureorum crebra accensione optime procurabitur; Infecti à sanis separentur; ab eorum cadaveribus aut suppellectile recedatur; denique Medici & Ministri in sanorum usus & ægrotantium necessitates habiles & idonei comparentur,

Ratio Prophylaxeos privatæ his tribus concluditur, scil. Diæta, Pharmacia & Chirurgia, *W. Ru.*

Præservativum ordinarium est Fuga, cum conditionibus; *Cito fuge, longe recede; tarde redi.* Alias cum Pestis afflictio in duobus consistat. 1. In *causa averruncatione.* 2. In *subjecti ad resistendum roboratione*, ne contagium malignum suscipiat, i. e. ut loquitur *Helmont* dicens Xenexton tollere appropriationem mumialem, extra quam nullum fit contagium, Nempe spiritus corroborandus ne perterrefiat, In contagio vero mumialis dispositio delenda, & hinc sanguis certo quasi balsamo condiendus, ut symbolizatio mumialis hoc ipso minuatur: Scilicet non adeo promiscue in quosvis grassatur Pestis, quin certas familias, certum sexum, certam ætatem, certos homines saltem affligat gravius: Deinde *Jejunos* facile affligit Pestis, quod de Febribus quoque observandum, Item in metallarius fossoribus} & qui *in antimonio* & *mercurio* occupati sunt. *Etmuller.*

3. *Ut causa quæ Pestem inducunt amoveantur*) Certum est Deum sibi reservasse soli remedium contra Pestem, multa usu tot annorum didici, sed nulli rei præterquam Divinæ benignitati commendare salutem meam in tali periculo possum, Quare de expertis remediis nō libenter scribo, *Pueris* nihil utilius quam bolus *Armena* cum pauxillo *tormentillæ* & *cortic. citr.* in pulv. redactis, qui aspergatur cibo, pultibus & potui; Quoties exeundum est domo, particulam *cort. citri* in ore gestare profuerit: Quisquis ex poculo suo bibat, cum non alio: Famulis aliquot *baccæ juniperi* in *aceto* maceratæ dentur; ut eas masticent; Odorent etiam *acetum* cui *camphora* & *ruta* sit injecta.

℞. *Cortic. citri, Santal. ligni aloës. āā.* ʒß.
stir. calam. ladani. āā. ʒj.
gall. mosch. alipta mosch. āā. ℈ß.
ambr. gr. iij. *m. & cum mucilag. tragac. f. Orbiculi redolentes* manibus gestandi.

Quam minimum in minimum prodeat, & cum exeundum est *cort. citri*, vel *angelic. in aceto* præp. in ore gestet; Licet vera Pestis antidotus soli Deo nota sit, ideoque Divinum auxilium præcipue implorandum, ad præservationem tamen in primis utile puto *Electu. de Nucibus* (vide & inferius §. *Mithridatium*) de quo sumat mane vel cum in publicum prodit, ad magnitudinem castaneæ. *Joh. Crato consil. 20. lib. 1.*

Ad evacuationem putridorum & excrementitiorum morum sufficiant Pilulæ sequ. ad ʒj. semel in septimana; Vide inferius §. 11. *corpus lenissime*) & §. *Pilulæ Rufi.*)

Antequam domo quis egrediatur sub sinistra mammilla hoc ungu. illinendum.

℞. *theriac. opt.* ʒiij.
croci, camph. āā. gr. xv.
cum f. q. succi limon. & aceti rosac. f. Linim. Idem consil. 46. l. 7.

4. 1. *Aër corrigatur per suffumigia*) *Avenzoar* inter alia commendat adversus Pestem *Odorem urinæ hirci* à proprietate, Et ego cum pro *Cæsaris Maximiliani* valetudine *Viennam* ivissem, & quadam die pranderem apud Reverend. Hungariæ Cancellarium, vidi in ejus ædibus servari magnum hircum. Causam cum quæsivissem, responsum est id fieri pro Peste: Sed magis laudo ut odores grati quærantur; Author est lib. 1. *Herodianus Commodum* Imperatorem, quo tempore magna Peste Roma affligebatur, Medicorum consilio *Laurentum*, ubi sylvæ complures è *lauro* visebantur, Secessisse, Valere enim plurimum ad evitandam aëris contagionem, tum odores laurorum, tum ipsarum amœnitatem umbrarum, Addit in ipsa quoque urbe, de Medicorum sententia, plerosque unguentis suavissimis nares atque aures opplevisse. Suffituque & odoramentis usos esse, quod meatus sensuum odoribus illis occupati, non admittant aërem tabificum, vel admissum majore vi longe superent. *H. Mercurialis l. de Peste capite 22.*

4. *Primo Aër corrigatur &c.*) Aërem seminariorum Pestis esse receptaculum, & tempore Pestis semper venenata qualitate infectum esse ostendimus, Quicunque enim Peste inficiuntur, sive id contingat per respirationem; sive per perspirationem, sive per fomitem corporumque infectorum contrectationem aliorumque exhalationem, ac transitum ab uno ad alium, omnes eos Peste contaminari Aëre mediante necesse est: Quare inter omnes causas quibus Natura nostra conservatur, *In Curatione præservativa omnium maxime & diligentissime habenda ratio est Aëris*, ut nimirum quam fieri possibile est, eum vitemus infectum &c. corporibus nostris excludamus: aut tantum ut prius correctum, & probe purgatum purificatumque admittamus & hauriamus.

Ad evitandum autem Aërem contagiosum, omnium Medicorum consensu & rationis approbatione nullum præsentius remedium est tempestivo discessu è loco infecto in salubriorem. Verum cum non omnibus liceat suæ saluti fuga consulere, & sine nota impietatis vocationem suam deserere, ex infecto loco in salubriorem discedere, summa cura adnotandum est ut & publicus communisque Aër, & domesticus subinde alterentur, corrigatur, purificetur; & Pestis seminaria in ea extinguantur.

Ad Publici aëris Purificationem necessario requiritur boni ac pii magistratus authoritas & officium, ut nimirum præcidat omnes occasiones putrefactionis & infectionis publicæ aëris, omnibus subditis munditiei studium si injunxerit, & curaverit ex publicis plateis ac cisternis omne cœnum, sordes & spurcitiem, in quibus maxime hæret & delitescit tinctura Pestis, extra urbem removeri ac deportari, Si stabula porcina (quorum virulentus fœtor ipsa pestilentia perniciosior) est publicis plateis demoliantur: Si laniis ac tonsoribus severe interdicatur ne mactatorum animalium, aut venæ sectione detractum cruorem venenatum; & Salsamentariis ne suos putridos garoes, & putrefactorum piscium salsugines fœtentes ante ædes suas profundant: Si curaverit ut publica Balnea, in quæ promiscue & bene valentes & infecti simul ingrediuntur, haberi permittantur; Si caveat ne peregrini ex infectis locis intra civitatem hospitio excipiantur; aut contagio infectæ merces importentur: Si ædes ex quibus plura funera elata sunt ad minimum ad duos menses studiose occludantur, & inhabitantibus injungatur ut interim purificationi ædium & aëris contagiosi per fumigationes & flammam studeant; Si corpora mortuorum peste non intra mœnia, sed ante portas urbis sepeliantur, & in terram altius defodiantur.

Cum autem nulla re citius commodiusque infectus publicus aër purificari, & seminaria pestis in eo extingui possint quam flamma aut fumo, procurare debet Magistratus ut vesperi post occasum Solis, & mane ante ortum, per compita & plateas publicas fumi suffitusque ex congerie fruticum Juniperi, & flamma luculenta ex doliis picatis incensis excitetur: ea nimirum ratione, flammæ fumique beneficio, olim Hippocr. pestilentem luem ex Æthiopia in Græciam delatam citissime extinxit, & Athenas à contagione liberavit; Non dissimili quoque modo Patrum nostrorum memoria civitas Tornacensis à peste, fumo ex bellicis tormentis sive globulis, pulvere nitrato explosis, ante solis exortum & post occasum excitato brevi liberata est.

Aër autem *privatus* ac domesticus corrigendus quoque ac purificandus, Nihil autem magis alterat quamlibet ejus constitutionem, quam Gelu, sive excellens ac constringens frigus, Ignis sive flamma, & fumi sive vapores odorati; Ut igitur de aëre publico est dictum, ita omnium primo ex aëre domestico & privatis domiciliis removenda erunt omnia putrescentia, & cœnum, & sordes quæ aërem corrumpere & suo vapore inficere queant, summaque cura munditiei est studendum, Cum autem, ut dictum, flamma ignisque luculentus aërem exsiccando purificet, & pestis seminaria extinguat, ut Atheniensium testatur historia, qui monitu ab *Hippocr.* sylvam integram prope urbem incenderunt, & à lue pestilenti statim sint liberati.

Plurimum itaque ad præservationem, & aëris infectionem confert, ubi & facere licuerit, in ædibus & conclavibus cubiculisque perennis ignis focus ignisque luculentus, ex lignis solidis, ut sunt robur, juniperinus, picea, fagus & fraxinus (quæ tantam habet antipathiam cum venenis ut nec serpentes, nec virulenta animantia ejus umbram ferre possint) incendatur ac foveatur, cavendum autem ne putrida ligna in ignem conjiciantur, quibus nihil est pestilentius.

Ad domestici quoque aëris purificationem confert ventos (qui non sunt aliud quam commotiones aëris) australes, pluviosos, & à regione infecta flantes; item nebulas vespertinas & matutinas, occlusis fenestris & januis excludere, & flantem Aquilonem, si serenus est, in perflanda conclavia fenestris patefactis admittere: Arcendi quoque à domo peste infecti, aut qui cum infecto colloquium habuere: sæpe enim contingit ut per colloquium tertiæ personæ, mediæ inter infectum & non infectum, aliquis vel ex halitu vel fomite inficiatur, pro analogia seminariorum pestis ad diversa corpora.

Potest & idem seminarium per feles & canes propagari, etsi animalibus non fuerit noxia contagio; Id quoque in aëris domestici commutatione observandum, qui diutius aliquo in loco sine noxa commorati sunt, iis minime consultum esse ut subito deinde locum mutent, & se in salubriorem aërem conferant; Si enim seminaria pestis ij ante conceperint domi, nec eis fuere noxia, ubi in alienum aërem pervenerint, citius ac acrius incendentur; Sicuti etiam manifestum est ex salubriore aëre in infectum temere se ingerentes, citius corripi & interire quam qui contagioso aëri sunt assuefacti: Quia vero non omnibus nec ubique semper datur copia luculenti ignis & flammæ, tum ex usu erit quotidie mane ac vesperi fumis odoratis, & suffitibus domesticum aërem lustrare & purificare surculis baccisque juniperi, ramis floribusque absinthii & lavendulæ, rutæ, menthæ, spicæ celticæ, basilicon. majoran. melissæ, rad. angelicæ, accensis, vel in cacabum impositis: præstantiora iis sunt myrrha, thus & succinum in ignitos carbones injecta, Opulentiores aërem purificent suffitibus pretiosioribus, quibus & spiritus vitales ac animales suavi odore recreantur, Ex iis præstantissimus est hic Pulvis.

℞. *Benzoi, styrac. calam.* āā. ℥j.
caryophyll. flor. lavendula. āā. ℥ß.
granor. junip. ℥v.
succini albi. ℥iij.
rosar. rub. flor. mentha, āā. ℥j.
conscindantur crassiuscule ac contundantur, misceantur, fiat Pulvis grossus cujus tanta quantitas quæ tribus digitis comprehendi possit ignitis carbonibus imponatur, cujus fumum vestes excipiant, indusia, cubicula.

Si suppellectilia, stragulæ, vestes & quæcunque alia corpora porosa sequenti odoratissimo liquore conspergantur, ab omni labe ac contagione pestilentiæ præservantur.

℞. *Spec. diambr,* ℥iß.
caryophyllor. nuc. mosch. cinnam. āā. ʒj.
camphor. gr. iv.
Benzoi, styrac. calam. āā. ℥j.
moschi. gr. vi.
Crassiuscule contusa in cucurbitam vitream reponantur, eidemque affundantur Olei angel. ℈j.
ol. ex gr. Junip. gtt. vi.
aqu. rosar. ℔iß.
aqua lavend. ℔j.
aqua junip. vel vini Rhenani. ℥iv.
aqu. mentha odor. ℥iij.
aceti rosac. ℥ij.
misce & probe obturata Balneo mariæ imponantur, per triduum macerentur, orificio vitri probe obturato, dein bulliant & ad usum serventur.

Eodem liquore in publicum progressurus manus, nares, regionem cordis & arterias carpi inungat, Excindit omnem aëris venenatam qualitatem, Præstantissimus est si spongiola exceptus, & in sphærulam pluribus foraminibus perviam naribus subinde admoveatur.

Prodituri autem in publicum (etsi satius esset in domicilio & domestico aëre nondum infecto se continere, & ab omni conversatione & congregatione hominum abstinere) ita se gerere debent; antequam è lecto surgant, omnes artus leniter vola manuum confricent; deinde, si fieri possit, universam cutim, aut saltem emunctoria & cordis regionem confricent guttis aliquot prædicti liquoris; aut masticent allium, vel *rad. angelicæ*, & inungat saliva, aut *aqua rosar.* cui pauxillum *vini* sit admixtum, & in qua *rad. tormentillæ* & *caryoph.* & nonnihil theriacæ Androm. Domo non exeant nisi hora una post occasum Solis: Aqua in qua per noctem sint macerata vel cortices malor. aurantior. vel flores lavendulæ, vel majorana, vel ruta, manus & faciem abluant, dentes perpurgent, os, aqua cui acetum vini vel rosac admixtum abluant; Naribus momentum *Olei nuc. mosch.* illinant. *Fr. Joel.*

Aërem medicari solemus per Suffitus, ubi inprimis excellunt *sulphurea, oleosa*, & acida, *Sulphur* accensum insigniter aërem corrigit, si adjungas *nitrum*; hinc *pulvis pyrius* accensus est unum ex optimis corrigentibus, cui & alia sulphurea addi possunt, *succinum, thus* &c. unde & tormentorum bellicorum crebriores explosiones conveniunt, Præterea *vitriolum, nitrum*, horumque spiritus lateribus calefactis affusi conveniunt; Hinc *acetum nitratum Sale*, lateri candenti affusum domos & vestimenta purificat; Vel *aceto rutaceo* aliquid *nitri* addatur, omnibus *camphora* addatur, Troch. efficaces & suaves, carbonibus injiciendi.

℞. *Nitri* ℔j. *sulph.* ℥iij.
benz. styr. c. āā. *q. s. simul liquentur.*

Non inepte quidam lac calefactum præcipiunt reponi

reponi in conclavi suspecto, sic fieri ut infectio lacti se insinuet, adeo ut crusta viridiuscula supernatans appareat. *Emmuller.*

⁴· *Aër corrigatur*) Hoc Pestis tempore animadvertimus fœtorem illum qui excitabatur ab aqua saponata, in qua sordida linteamina lavabantur, vel lota erant, & ægris & sanis maxime noxium fuisse, illud enim notatu dignum sæpissime observavimus, nempe illis ædibus, in quibus nulla adhuc Pestis erat, si linteamina sordida, aqua & sapone nostrate illic lavarentur, eo ipso die, vel interdum postridie, duos tresve simul Peste correptos fuisse; ipsique ægri testabantur fœtorem aquæ saponatæ illis primam & maximam alterationem intulisse: Quin imo interdum familias integras post sordidorum linteaminum lotionem Peste infectas fuisse vidimus, idq; maxime in ædibus angustioribus, in quarum omnia cubicula dictæ calentis aquæ fœtidus vapor facile penetrabat.

Quemadmodum autem saponis fœtor sanis nocebat, ita quoq; ægris multum oberat, idque sæpe animadvertimus in delicatioribus, aliisq; qui sordida linteamina fastidirent, cum enim post sudores indusia, vel alia linteamina renovarent, & cum mundis mutarent (licet iis optime calefactis) semper quatuor aut sex horis post multo pejus se habebant, anxietates, vomitum, febres majores, capitis dolores &c. incurrebant, eaq; omnia à saponis fœtore, quem lota, quamvis optime sicca, plus minus retinent: Non autem hæc mala producebantur à rigore (ut quispiam existimare posset) in hac linteaminum mutatione, corpus facillime subeunte; quia si ægris inducerentur talia indusia, quæ ab alio quopiam sano homine prius per tres quatuorvè dies gestata fuerant, quorum saponis fœtor jam à sani corporis calore discussus erat, tunc illa nullum nocumentum inferebant, quod alioqui per illud ipsum frigus tunc fieri debuisset.

Hanc ob causam ego in meis ægris mutationem linteorum aut indusiorum ante diem vij. vel in aliquibus ante xij. non desiderabam, atq; tunc adhuc semisordida, vel ab aliis sanis per aliquot dies gestata ipsis indui curabam &c. *De Diemerbroeck c.3. lib.5.*

⁴· *Aër corrigatur &c.*) Ex præparantium causarum genere sunt hæ quas accelerantes merito dixeris, in *Aëre* rara tenuique substantiæ positæ; Qui enim Aër pestilentiæ seminibus est undique circumfusus, si tenuior rariorvè fuerit, promptius in obvia sibi corpora irrumpit, evenitque ut dum in ea sibi facit aditum, pesti ipsi viam quasi secet atque præmuniat; Ex quo intelligitur eos errare, decipi, suoque tandem fine frustrari, qui urgente peste ducti, ejus arcendæ inani spe frequentes quidem, sed parum utilius; momenti ignes excitant, cum interim aërem ab ejusmodi igniculis puriorem reddi verum non sit, duntaxat autem extenuari sit longe verissimum.

Illi nostræ sententiæ consentaneum est *Avicenna illud lib.1.4.de temp.varies* rariorem ejusmodi aërem, & in corpora pervehi expeditius penitiusque, & veloces graves syderum aspirationes exsorbere, aliisque id genus inquinamentis celerius inquinari: Id autem sic agunt igniculorum istorum fautores, quasi Divini senis imitentur exemplum, sed minus rectè, *Hippocr.* enim ipsum si quis roget quid spectarit, dum sylvæ etiam tuto suo jussu conflagrarent, nihil aliud, scio, sibi propositum fuisse respondent, quam ut Pestem non abigeret, quæ Athenis nulla erat, sed ab Æthiopia arceret imminentem, non nescius fore ut luculentis ignibus tamque longe lateque patentibus deflagrationibus non modo tenuitas accerseretur aëri, sed & quibus undique circumfundebatur, pestilentiæ semina penitus tutaque dissiparentur, discuterentur.

Præter illam Aëris tenuitatem, calorem etiam ipsum ad concipienda contagii semina paratiorem aërem efficere viderunt majores nostri; nominatim vero *Zoar.cap. 4.* quo loco ait aërem calidum alio quovis promptiorem esse ad suscipiendam putredinem; & revera calore fere adjutari causarum abditarum effecta vel illud indicat, quod succinum nonnisi affrictu, aut ratione alia calefactum, validius sibi paleas & aceres applicat *Jo. Ant. Saracenus de Peste p.87.*

⁴· *Aër corrigatur*) Domus ab *Aranearum telis*, aliisque sordibus quotidie curiosissime expurgari curavimus: Nonnulli quidem satis stulte credunt Araneas, quæ telas suas in mediis ædibus expandunt, omnem aëris venenositatem ad se trahere, eumque à contagionis inquinamentis emundare ac liberare, Horum opinioni video calculum adscribere *Matthiam Untzerum libro 1 de Peste.*

Illud tamen *scio* Pestilens venenosum contagium se multoties insinuare in telis aranearum, atque in illo fomite sæpe diu latere, ac postea inde casu excussum sæpe alios inficere; cujus rei experientia notissima est, quam exemplo confirmat *Forestus l.6. Obs.22.* Si araneis inesset illa vis consumendi venenum pestilens, profecto illud maxime consumere deberent dum telis eorum inhæret, quod cum usus doceat ipsas non posse, talis quoque vis ipsis minime adscribenda est.

Deinde ut noxius Aër excludi, & purior ac salubrior intra ædes admitti posset, jussimus fenestras (scil. postquam Sol exortus vapores prope terram hærentes discussisset) quæ orientem, & inprimis illas quæ Aquilonem versus spectabant; per horam unam aut alteram aperiri, dummodo non foret tempus nebulosum; reliquas vero quæ Austrum, vel occasum, vel propinquas cloacas respiciebant, semper clausas teneri.

Æstate, in maximo aëris fervore, loco ignis, cubicula *aceto* conspersimus, & interdum *pampinos, folia salicis, rosas, folia & flo. nymph. aceto vel oxycrato* immersa, dispersimus per pavimenta, *Aëre*, vero *non admodum* calido existente, sæpe herbas calidiores per pavimenta dispergi curavimus, *melissam, hyssopum* &c.

Nonnunquam etiam solo *aceto* acerrimo ignitis lapidibus infuso magnum fumum, seu vaporem excitavimus, De quo tamen illud notavimus ab omnibus ferri non potuisse, quia multorum pulmonibus noxius existit, & asperam arteriam per inspirationem admodum exasperat; tussiculam excitans aridam; Pauperrimum vulgus in eundem finem cornua bestiarum & detritos calceos, aliave antiqua coria comburebat.

Nonnulli ditiores hircum, quem alioqui apud equos stabulo includunt, in cœnaculis & cubiculis alebant; qui hunc fœtorem ab experientia aëris pestilentis contagium impedire & extinguere asserebant. Illud experimentum testatur *Mercurialis* se vidisse apud Hungariæ Cancellarium. Idem referunt *Jordanus, Pareus, Palmarius* qui *lib.1.de Febre Pestil.*cap.25 *inquit*, Sunt qui pro singulari præcautione in cubiculo, ubi cibum capiunt, & cubant, hircum alant, qui gravi suo halitu, tetroque nidore de se perfuso, omnia impleat, omnemque vim aëris maleficam vel repellat vel dissipet; atque extinguat; quorum minime rejicienda videtur opinio, nam adversus hoc contagium optimum esse creditur suffimentum, gravis enim & olidus vapor, alium qui fœtidus est, diversi tamen generis, oppugnat & arcet quam longissime. *De Diemerbroeck l.2.c.5.*

⁵· *Suffimigia*) Præ cæteris præstantissimum emendandi aëris remedium experientia docuit hoc.

℞. *flor. sulph. benzoes, myrrha, caryophyll.* ana q.s. f. *Pulvis, quem cum substantia baccar. juniperi, per ebullitionem extracta subactum in Trochiscos formabis,* iisque carbonibus injectis fumum excitabis,

omnibus aëris quisquilius dispellendis oppido aptum, purgandoque aëri si quid aliud optimum.

Alterum aëri emendando remedium, quo nihil pestiferi halitus virulentiam citius consumit, est *Acetum*, Peste quadam Romæ dominante, tale quoddam confectum est; & quotquot illo usi fuerunt, ii nullum, etsi cum peste correptis intra ædes una commorarentur, Peste infectum fuisse fassi sunt: Componitur ex speciebus domesticis obviis, ut sunt *Acetum* fortissimum, *ruta, pimpinella, betonica, nuces juglandes, allium, bacca juniperi, camphora* parum, vel *spodii cervini*, quod per infusionem in aceto XL. horarum spatio digeratur ad Solem, vel in hypocausto, tunc coletur & reponatur, Cujus mane jejuno stomacho assumatur cochlear unum, Et habebis pro eo die antidotum certissimum & securissimum: Hoc Acetum etiam odore naribus, temporibus, pulsibus illitum mirum in modum conducit. *Athanasius Kircherus Scrut. Pestis sect. 3. c. 8.*

•. *Pulvere tormentario*) Qui vim præcipuam à *sulphure* obtinet; Quantas autem in malignis obtineat, Vide caput de Febr. malignis in genere § *Curatio per alexipharmaca & sudorif.*) ex *Etmullero*.

7. *Aceto*) *Rhazes lib 4. de Remed. cap.* 25. jubet domum quotidie irrorare *aceto* cum aqua mixto, quia acetum veneno & putredini potentissime resistit, hinc plurimi Medici illius irrorationem ad Pestem maximi faciunt; Quantum autem valeat Acetum ad Pestilentis aëris correctionem, abunde satis compertum habent nautæ qui Indos petunt; multoties enim Pestis eos vehemens invadit dum longius à terris absunt, quam cum ob necessariarum rerum inopiam compescere nequeunt, solo multoties aceto, si ejus copiam habeant, profligare solent; quod non tantum ægris ad sanationem, sed & ad præservationem exhibent, sed eodem etiam totas naves interiores quotidie diligenter abluunt & emundant, hocque pacto brevi tempore intestinum hostem expellunt; Hinc etiam *Laddelius* jubet ædes illas, in quibus ægri peste extincti sunt, primo scopis bene emundare, postea aceto acerrimo cum aqua mixto abluere.

Medici Antwerpienses in Consilio ad Pestem dato, in *aceto* jubent coquere *rutam, sclaream, salviam, rosmar. lavendulam, rad. irid gentianæ, zedoar. & baccar junip.* idque sic coctum infundi in lapides ignitos; huncque fumum seu vaporem, januis & fenestris bene clausis, ad minimum sex horis intus detinere antequam cubiculum aperiatur: Eodem vapore vestes perfumare jubent. *De Diemerbroeck. l. 2. c. 5.*

7. *Aceto*) Acetum maximæ virtutis est adversus plurima venena, idemque etiam omnes Medici jam à multis seculis experientia comperti sunt fortiter resistere Pestilenti malignitati, nec quempiam fere Practicum invenias qui ejus alexipharmacam vim non agnoscat; *Rhazes lib. de Peste cap. 5. Acetum* tanti facit, ut illud omnibus cibis & potibus, multisque medicamentis admiscere, eodemque etiam domus conspergere, & aërem corrigere jusserit: Nos in hac Peste vidimus multos pauperes, qui quotidie mane *aceti vini* cochleare unum aut alterum bibebant, melius fuisse præservatos quam multos alios qui pretiosissimis antidotis utebantur.

Notandum tamen ab Aceti usu arcendos esse tussiculosos, asthmaticos, calculosos, aliisque pectoris, renum aut vesicæ morbis infestatos: *Idem cap. 10.*

8. *Ex styrace, ladano, benzoino & similibus*) Nos suaveolentia fugientes, alia nonnihil insuavia & graveolentia, non quidem multa & varia, sed pauca fere omnibus præscripsimus, inprimis sequentia.

℞. *thur. baccar. juniper āā part. æqu.*
Imponantur igni ad Suffumigium.

Hoc licet vile & commune esset, plurima tamen alia Suffumigia viribus longe superabit.

℞. *thuris, granor. junip. succini albi. āā ℥ß.*
myrrhæ, benzoini, mastich. styrac. calam. āā. ʒij.
caryophyll. ʒiß.
misce. f. Pulvis, quo cum mucilag. tragac. concinnentur pastilli, prunis candentibus imponendi.

Sæpe solum *sulphur* igni imponi & accendi curavi, utpote cujus fumus, seu halitus, putredini maxime resistit, & omnes aëris corruptiones optime ac potissime corrigit.

℞. *sulphur. thuris, baccar. junip. picis naval. āā. ℥ß.*
m. f. Pastilli.

℞. *thuris. ℥ß.*
sulphur. ℥j.
myrrhæ. ʒiij.
picis nav. benzoini, styrac. succini, āā. ʒiß.
caryophyll. ℈j.
f. Pulvis cui adde olei junip. ℈ij.
cum mucilag. tragac. q. s. f. Pastilli.

Averroes 9. Collect. cap. ult. laudat pro Suffumigio *Costum, styracem & galbanum*, nec non *terebinthinam*, eo quod proprietate quadam Pesti resistat, *Rhazes* domum suffumigare jubet cum *costo, thure, myrrha, styrace, bunch. santalo & camphora*, Atque ita hi Auctores fumis grati odoris insuavia quædam admiscent, ne sola suavia noceant: In eum finem nonnulli etiam laudant *Suffitus ex asa fœtida, sagapeno, galbano*, & similibus: *Arn. Weickardus Tr. Pract. c. 1. cornu arietis* accensum magni facit; Istud à *Greg. Horstio* laudatur, quod etiam *Sennertus l. 4. de Febr. c. 5.* ab experientia commendat.

℞. *baccar junip. m. iv. rad. helen. cortic. exter. betulæ, cornu hirci castrati raspati, sabinæ āā. m. ij fol. quercus, myrrhæ. āā. ℥j.* m. f. Pulvis pro suffitu.

Præscribit idem pro pauperibus sequens,

℞. *baccar. junip. m. ij. cortic. baccar. lauri m. j. thuris. ℔ß.*
fol. absinth. rutæ, quercus āā. m. ij.
scobis ligni junip. m. iv. succini. ℥j. f. Pulvis.

Commodum est, *inquit idem*, *calcem vivam* in conclavi aqua perfundere, atque ex eo vix aliquid efficacius. Idem quoque probant *Quercetanus & Fallopius*, & *Franc. Ranchinus l. de Purific. rerum infect.* qui scribit *Calcem* aquæ affusione in cubiculis accensam & extinctam, acerrimo suo fumo admodum penetrante subtiliora, eaque latentia contagia seminaria dissipare & absumere: Denique, *addit*, longa experientia confirmatum esse, si parietes calce illinantur, eaque meatus lapidum occludantur, perire & penitus extingui Pestilentiæ fomites.

Succinum suffitum aërem optime corrigere, & venenum pestilens occulta quadam proprietate extinguere ab experientia testantur *Cardanus l. 5. subtil. Ans. Boot l. 2. de lapid. c. 60. Georg. Agric. l. 4. Fossil. Libavius singul. lib. 15. c. 27. & 28.*

De *sulphure* in suffumigiis, notandum ejus vaporem, seu fumum, cerebro & pectori admodum gravem & molestum existere, atque præcipue tussiculosis, anhelosis, aliisve thoracis vitiis detentis valde noxium esse, ac proinde, cum in cœnaculo, aut cubiculis accenditur, eo tempore hominibus per horam unam vel alteram ex iis recedendum esse. Interim ad corrigendas aëris infectiones tam præclaras vires obtinet, ut vix aliud quidpiam cum eo comparari possit. Vnde etiam Veteres *Sulphuris* suffumigatione ad aërem alterandum, purificandum, & à putridis, contagiosisque ac venenatis malignantibus expurgandum usos fuisse patet ex *Homero Odyss. 22. Arn. Weickardus Th. Pr. lib. 3. cap. 1.* non sine ratione *sulphuris* suffitum imprimis commendat ad purgationem cubiculorum in quibus pestiferi extincti sunt.

Nonnulli *sulphur* nimis fœtens & calidum esse censent; at quantum ad *fœtorem* attinet sciendum

tem-

tempore Pestis non nimis indulgendum esse naso, neque ullam esse habendam rationem gratiæ, sed magnam utilitatis medicamentorum, nam venenum pestilens vehemens & malignum est, quod non magis per solum gratum odorem *benzoini* &c. quam rabies leonis per resistentiam agni.

Quantum ad *calorem*, dicimus oleosas sulphuris partes quidem esse calidas, sed eas, dum accenditur, temperari ac refringi per spiritus seu vapores acidos, qui ustione ab eo separantur, atque in aëre oleosis particulis immiscentur: Hos enim acidos vapores non esse calidos docet *aqua* (vulgo male appellatur oleum) *sulphuris*, quæ ex sententia Medicorum refrigerandi vim obtinet, putredinem, omnemque corruptionem ac venenatam corruptionem tollit & corrigit, febrilem calorem extinguit, etiam aquas vitiosas & putridas, nec non vina turbida clarificando purificat.

Sic etiam vapor ille effumans in accensione *sulphuris*, aërem purificat, omnemq; ejus corruptionem & noxam abigit, quam ob causam ejus usus in Peste merito magnifaciendus est: Neque etiam ob flammæ calorem usus ejus extimescendus, cum ipsa quoque flamma sit optimum aëris purificatorium, & fœtidus illis odor minus arrideat: dum accenditur aliquantisper secedendum est.

Paracelsus cum *sulphure* parat tale suffumigium.

℞. *sulphur.* ℔ j.
myrrha ℥ iv.
thuris ℥ viij.
g. sagapen. ʒ j (℥ j.)
asa foetid. ℥ j.
baccar. lauri. ℔ ij.
succini flavi ℔ ß.

F. Pulvis. *De Diemerbroeck l. 2. cap. 5.*

9. *Noxia quibusdam comperta*) Quocunque anni tempore suffumigia per totas ædes, mane & vesperi, & sæpe etiam meridie instituimus, In quibus illud notatu dignum animadvertimus, quod suffitus boni seu suavis odoris (qualia ex *styrace*, *ladano*, *benzoino*, *caryophyllis* &c. conficiuntur) non tantum parum profuerint, sed plurimis maxime noxii extiterint; præterquam enim quod caput tentarent, inprimis aëre calidiore existente; etiam illi qui his gratis assuefacti erant odoribus, si forte malum quendam fœtorem alicubi persensissent, multo magis ab eo exterrebantur, & gravius afficiebantur, quam alii qui suavibus odoribus se non assueverant.

Imo multi arbitrantur Suaveolentia sola efficere, ut pestiferi halitus ab homine citius ac facilius recipiantur quam depellantur; quorum opinioni non male favent ratio ac experientia, *Illa*, quia cum grati odores à mente percipiuntur, cerebrum, ut diutius fruatur ista amœnitate, poros suos undiquaque dilatat, sicque suaveolentium fragrantes halitus longe copiosiores, sed simul etiam longe plures halitus venenatos suscipit & admittit. Adde quod ad suaveolentium occursum longe fortior & frequentior fiat inspiratio, atque ita simul cum aëre copiosa pestilentia miasmata, aëri inhærentia, cum magno hominis periculo, introducuntur ad pulmones & cor: *Hæc*, quia in hac Peste, à nobis observatum est his odoribus assuetos, citius & magis fuisse affectos quam alios. *De Diemerbroeck cap. 5. l. 2.*

Illud hoc loco nullo pacto prætereundum est, quod miror à paucis animadverti, ut cum in suffimentis, tum in aliis omnibus remediis adhibendis, quæ odoramenta suscipiunt, talis adhibeatur modus & temperatio ut perpetuo vitentur illa quæ summe odorata, acuta, & calida sunt; etenim præterquam quod hæc sæpenumero totum corpus excalefaciunt inflammantque, etiam peculiari quadam vi capitis dolorem & gravitatem inducere consueverunt &c. Communi quadam consuetudine plerique omnes uti solent suffitu ex *ladano*, *cinnamomo*, *myrrha*, *caryophyllis*, & aliis id genus medicamentis calidioribus, quæ suapte natura evaporationem capiti infestam excitare, & persæpe cor ac universum corpus inflammare solent; quamobrem hæc magis officere quam prodesse valent. *Alex. Massaria lib. 2. de Peste.*

10. *Australis exclusionem*) Quia calidus humidus, adeoque putredinis parens: Attamen ex observatione Parentis mei b. m. *Andreæ Boneti*, Medici celeberrimi, qui Genevæ, per annos sexaginta Medicinam fecit, quotquot domus vigente pestilentia gravissima, quæ civium plusquam dimidiam partem anno 1616. abstulit, Austro obversæ erant Aquiloni adversæ, à peste immunes fuere, nisi per contagium communicaretur; Id quod & accidisse in aliis pestilentiis asseruit, quę & causa fuit quod ædes ea in urbis parte sibi comparaverit, ut salubritate aëris frueretur.

10. *Venti Australis exclusionem*) Observatum semper fuit Ventos Austrinos Pestem maxime augere, quod etiam testatur *Plinius* l. 7. c. 50. Refert Plutarchus *Empedoclem* Agrigentinam regionem à sterilitate & pestilētia liberasse obstructis montis faucibus per quas Auster in campos decidebat: Scribit *Varro 1. de R. R. 4.* se Corcyranis Insulam à gravissima Peste liberasse obstructis iis fenestris quæ Austrum spectabant, & apertis iis quæ ad Aquilonem vergebant. *De Diemerbroeck lib. 2. cap. 5.*

11. *Borealis vero & orientalis*) *Hippocr. l. de morbo sacr.* dicit Aquilonem omnium ventorum saluberrimum esse, Eundemque aërem compingere, turbatum ac nebulosum excernere, illustriorem facere; Hinc *Aristot. 7. Polit. c. 11.* tradit urbes Auroram versus spectantes, & ventos ab oriente spectantes, salubriores esse, proximum ab his salubritatis gradum obtinere urbes quæ in Aquilonem vergunt; Aquilo aëris impuritates, putredines, ac corruptiones impedit, expurgat, & extinguit, ac simul etiam corpora ad Pestem suscipiendam minus disposita reddit.

Attamen nonnunquam observatum est Pestem flante Borea magis incanduisse, quod de Peste Cabilonensi testatur *Joh. Morellus de febre Purp. cap. 3.* (*id quod & in Peste Genevensi annis 1635. 36. & 37. observatum, quæ cum per aliquot hebdomadas extincta crederetur, quod interim nulli ea afficerentur, statim ac flabat Aquilo, denuo enicabat Pestis, excitatis videlicet ab eo seminariis latentibus*) Sed cum illud rarius contingat, & Septentrionales regiones rarius Peste infestentur, atque inplurimum Aquilonem Pestis progressus multum sistere ac imminuere jam à multis ævis animadversum sit, omnibus modis studendum est ut hic Ventus, tanquam reliquis salubrior, intra ædes admitti possit.

Verum hic notandum id quod monet *Hellerus l. de Peste*, cum Aquilonem sudoriferum, Austrum vero noxium esse dicimus, illud solummodo intelligi debere in Europâ &c. nam in Africa, & aliis Zonis ultra torridam sitis, Auster salutaris est, Aquilo vero damnosus existit, quodque nobis Aquilo, illud iis Auster operatur. *Idem ibid.*

12. *Narium Aceto*) Vide inferius §. *Externa sunt, Admotio Aceti.*

13. *Cornuum & antiquorum coriorum*) Inveniuntur nonnulli qui putridos & corruptos fœtores cadaverum animalium, aliarumque rerum similium putrescentium pro amuleto esse credunt, eodem modo sicut aliquando unum venenum alterius veneni vim infringit: Atque ea ratione ducti suadent feles, canes, aliaque inutilia animalia trucidare, & in vias publicas projicere ut ibi putrescant, & aërem teterrimis fœtoribus impleant; quo modo olim Medicum quendam à peste Scytham liberasse tradunt: Suadent etiam quotidie

cloacarum aut latrinarum nidorem olfacere: Hoc modo dicunt naturam citra vitæ periculum adversus pestilentis aëris malignitatem ita confirmari, ut postea eandem plane negligat: Opinionem confirmant exemplis Vespillonum, qui ægris continue inservientes pestilenti malignitati assuescunt: præterea exemplis cerdonum, coriariorum, eorumque qui cloacas & latrinas expurgant, quos malignis fœtoribus assuefactos rarius Peste infestari tradunt.

Verum non sunt audiendi hujus fœtidæ opinionis patroni, cum putridos fœtores semper febres pestilentes inducere, & corpora ad pestilentem malignitatem facile suscipiendam disponere, ac per consequens Pestem multum semper augere experientia doceat, multorum testimonio: Ad probationem nihil confert exemplum Scythiæ, ut potè quod pro falso & incredibili habendum est, cum plane non constet quo tempore, & quo Medico Pestis tali modo fugata fuerit.

Neque exemplum Vespillorum probat, nam in principio pestilentis constitutionis etiam plurimi vespillones moriuntur, nec quicquam illis prodest fœtorum consuetudo: Illi vero superstites soli manent, omnesque pestilentes halitus innoxie ferunt, quorum occulta temperamenti proprietas veneno pestilenti resistit, atque hi postea tuti omnibus pestiferis inserviunt: Hinc fit quod in Pestis principio plurimi vespillones moriantur, quia vix alii supersunt quam illi qui occultam dispositionis proprietatem Pesti contrariam habent.

Sic quoque cerdones, coriarii &c. à Peste non magis immunes sunt quam alii, imo ea gravius plerumque afficiuntur: refert enim *Palmarius* cum Pestis in . . dit eam urbis Parisiorum partem in qua sordidi illi mechanici habitant, illam nusquam gravius sævire, Itaque explodendum est fœtidum illud pro putidis putridisque fœtoribus allatum patrocinium, Gravibus & insuavibus, potius quam suaveolentibus odoribus se assuefacere etiam nos laudamus, sed minime putridis ac corruptis. *De Diemerbroeck l. 2. c. 3.*

13. *Cornuum & antiquorum coriorum*) *Lemnius* aliique multi suffitus ex *cornibus & detritu* corii combustis valde laudant, Ex *cornibus* aliisque fœtidis hujusmodi suffumigium præscribit *Franc. Ranchinus*.

℞. *Cornu hirci raspati* ℥iij.
limat. c. c. ℥iij.
rad. angelicæ ℔j. *valerianæ āā.* ℥j.
baccar. lauri, juniper. āā. ℔ß.
thuris, resinæ ℔iv.
sulph. ℥iv. *f. Pulvis.*

14. *Ignis ex lignis*) *Hippocrates* ab Athenarum urbe Pestem quæ ex Æthiopia in Græciam pervasit, incensis sylvis, & lignis odoriferis depulit, Siccus enim aër, sive constitutione cœli sicca, sive arte siccior redditur, admodum progressioni hujus mali adversatur; Aër ergo non modo omni excrementorum publicorum amotione, verum etiam igne & fumo publicè privatimque omni studio purgandus: hoc rectè quibusdam fieri videtur si ex tormentis bellicis majoribus pulvis sulphureus incensus vespertinis ac matutinis horis emittatur, esseque rationi consentaneum apparet, neque experimento caret: Privatim vero suffitus ex *ligno & baccis juniperi rosmar. lauri fol, & absinth.* fieri possunt: Si cum ægro nobis est negotium, facem ex tæda, vel lychno cereo, cum resina facto, ut uberior sit flamma præferre utile est. *Joh. Crato cons. 28 lib. 5.*

15. *Fraxini, Juniperini*) Lignum juniperinum ad venenatas aëris corruptiones emendandas multum valere propterea credibile est, quia illud accensum, ut & illius baccæ, suo halitu, seu fumo, & odore, è tota vicinia serpentes fugare dicitur; Nec minus illud de *fraxineo ligno* credi potest, nam arboris *Fraxini*, teste *Plinio*, contra venenata tam præclara vis est, ut illius ne matutinas quidem occidentesque umbras, licet sint longissimæ, serpentes attingere audeant, sed longe inde diffugiant (*apricantes tamen in fraxini umbra, horis meridianis non semel mihi videre licuit, adeo ut dubium mihi quoque sit Paræi experimentum, qui ait serpentem si circulus conficiatur cujus una pars ignis sit, altera frondibus fraxini clausa, in medio collocatum, potius* in ignem quam in fraxinum fugere.

16. *Cibus assumatur*) Malum est urgente Peste jejuno stomacho, mane exire in publicum, quia ventriculus vacuus non habens quod concoquat, parum vel nihil chyli ad cor transmittit, hinc cor etiam debilius pulsans, cum non fortiter propellat à centro ad peripheriam, facile sibi assumit aëris inquinamenta per inspirationem assumpta, & corpori in ambitu adhærentia; Contra vero cum ventriculi aliorumque viscerum coctiones liberaliter procedunt, tunc à centro ad partes externas humores alimentarii, spiritus & vapores transmittuntur: Quapropter *Jentaculum mane ante exitum assumptum, etiam pro insigni præservativo contra Pestem habendum* est, inprimis ex frusto panis butyro pinguius inuncto, vel solo, vel caseo ovillo viridi ei imposito, & poculo cerevisiæ melioris superbibito: nam butyrum adversus Pestem valere creditur, & caseum viridem (qui à stercore ovillo viriditatem habet) alexipharmacam vim habere, & malignas corporis putredines à centro ad peripheriam propellere notissimum est.

Vitanda ideo *Fames*, quia spiritus resolvit, vires dejicit, corpora languida, cor usque meatus inanes reddit, & ea præparat ut pestilentem labem facilius suscipiant, eique minus resistant, *Sitis* autem humores incendit, eosque acriores reddit, præcipue in biliosis, adde quod etiam haud parvum languorem inducat.

Sed magnæ Repletiones vitandæ quæ meatus obstruunt, & corpus cruditatibus replent, atque ad morbos disponunt, Inanitiones vero illud debilitant, atque ita utræque per accidens illud ad Pestem præparant.

Ridendi porro illi Medici, qui in Pestilenti constitutione Diætam exquisitam præscribere volentes, omnes carnes assari scrupulosissimè præcipiunt, ut hoc pacto earum humiditas consumatur; haud secus ac si elixorum succi pejores forent illa humiditate quæ cum condimentis affunditur, & pejores potu qui post siccos cibos necessario superbibitur: Videntur nescire cum cibis elixis longe commodius varias herbas, fructus, aliasque res malignæ corruptioni ac putredini resistentes, visceraque corroborantes, & ad feliciores coctiones præparantes coqui posse, quam cum assatis: ac proinde nihil esse quod elixatorum usum magis quam assatorum damnent.

Non minus etiam ridendi illi qui carnes bubulas & cervinas damnant propter nimiam siccitatem: Nec non carnes agninas, ovillas, & vitulinas, propter nimiam humiditatem, quasi vero illarum siccitas, vel harum humiditas ad pestilentis veneni generationem vel inductionem aliquid faciat, & nulla etiam arte corrigi possit. *De Diemerbroeck.*

16. *Cibus assumatur*) Sine cibo potuque salubritas corporis diu consistere non potest: horum abusu non tantum corrupti & putrefacti humores generantur, qui Pestis sunt receptacula: verum etiam cum cibo ac potu tanquam fomitibus sæpe pestilens contagio devoratur & hauritur, Studendum itaque ut quilibet tempore pestis vescatur alimentis concoctu facilibus, & purum sanguinem generantibus, & ex quibus puri fiant Spiritus: Vitentur studiose omnia quæ facile putrescunt in ventriculo, vel difficulter concoquuntur, Vitanda quoque sunt alimenta in infectis ædibus pendentia, præsertim recentia, similiter & fructus atque olera in infecto aëre generata aut exposita.

In genere autem esculentorum ac poculentorum, ea

quæ

quæ consuetudine sunt recepta, etsi paulo sint deteriora, non tamen subito sunt mutanda. 2.aph.50. cum nulla repentina mutatio careat noxa: Etsi autem frugalis temperantia omni tempore, & maxime Pestilenti, merito laudanda est, tum in hac parte consuetudini est aliquid tribuendum propter dictam causam.

Cavendum tamen sedulo ne corpus nostrum tempore pestis graverur crapula, ebrietate & ingluvie, nevè corpus varietate multo vè cibo tefarciatur: Simili ratione caveatur ne inedia ac fame diuturna Natura nostra frangatur: Cibi vero ex carnibus & piscibus, tempore potissimum autumnali, concoquantur & condiantur omphacio sive immaturis uvis, quæ peculiari sua proprietate omni venenatæ qualitati ac putrefactioni adversantur, Condiantur & croco & cinnamomo, quæ spiritus vitales reficiunt & viscera corroborant; Alia aromata calefacientia vitare est melius: Potus sit Cerevisia clara & defæcata, aut vinum optimum moderate sumptum.

Circa ciborum præparationem, id quoque observatu utile est, Aquam in qua alimenta elixamus, nisi sit scaturiens, semper prius esse decoquendam & despumandam; Domestica enim aqua, & præsertim stagnans, facillime seminaria pestis ex ambiente aëre concipit: Condimenta mensæ utilia sunt *limones*, *capparis*, *acetum*, *radicula*, *sinapi*, & *vinum* cum *sacchare* & zinzib. temperatum: Quæ & qualia debeant esse in genere alimenta, docet cujusque vitæ conditio ac consuetudo. *Fr. Joel.*

Cibi omnes *aceto. succo limon.* & citriorum condiendi, Potui quoque citriorum cortices imponendi; Et cum *cibo* sequens *Pulvis* in *aceto* vel *vino* dissolutus usurpandus.

℞. *marg alb. præpar.* ʒj.
corall. r. præp bols Arm. or. āā. ʒj.
cinnam. el. ℈iij.
sacch. q. s. f. Pulvis.

17. *Consuetum*) Omnis repentina mutatio periculosa; quapropter à *consueta victus ratione* subito discedere, præcipue in constitutione pestilenti, maxime periculosum foret, Neque etiam ratio ad illud faciendum urget, Nam summus Deus omnes res alimentares eo fine creavit, ut ad nutritionem & conservationem hominis inservirent; easque variis modis inter mortales distribuit, ut alii his alii illis, pro regionum & cujusque fortunæ varietate uterentur: utque illi qui crassis & crudioribus alimentis vescuntur, æque bene nutrirentur quam alii levioribus & tenuioribus assueti.

Quod ipsum quoque docet experientia, cum in utroque æque bonus sanguis reperiatur, neque ordinarie melior sit in iis qui panem triticeum album, ciboque delicatos comedunt, & vinum bibunt, quam in aliis qui panem secalinum, castanearum vel fabarum, & carnes suillas, aliasque crassis edere, atque aquam bibere consueti sunt: Hinc *Hippocr. lib. de Nat. Hum.* dicit, *Si quis cito Diætam permutet, periculum est etiam à permutatione aliquid in corpore novatum iri; quapropter victu soluto quidem utendum* (in peste) *ubi hominem nihil lædere videtur.* Paulo ante dicit, *Homines eo tempore* (scil. Pestis) *commonefaciendi sunt ut Diætas non commutent, quia morbi causa non existunt, sed ut corpus habeant quam minimæ molis.* Diemerbroeck.

18. *Carnes porcina*) Hæ in pestilenti constitutione maxime damnosæ sunt, quod in Pestis Noviomagensis principio ipsa experientia adeo fecit notum omnibus, ut earundem usum postea quilibet fugeret; Utpote post quarum comestionem multos statim Peste infectos fuisse observaverunt. *Diemerbroeck.*

19. *Haleces muria conditi*) De halecibus illud notatu dignum in eadem Peste observavimus, nempe cum mense Junio & Julio haleces novæ (ut appellant) muria conditæ adveherentur, & incolæ illas passim crudas, pro more comederent, Pestem eo tempore multum accrevisse, multosque, qui illas comederent intra xx. horas contagio infectos fuisse: quibus exemplis alii prudentiores redditi, postea halecum usum intermiserunt.

Contrarius est *Palmarius 2. de Feb. Pest. c. 18.* his verbis, *Certissimo experimento constare tradunt, cum primum halecis salo condita copia, à piscatoribus in maritimas civitates defertur, Pestem brevi tempore evanescere, ignorata causa, propterea quod omnibus salsis id minime concessum sit.*

Ut contrariæ observationes concilientur, dicendum 1. dubitari posse de veritate superioris hujus observationis, utpote quam *Palmarius* solummodo scribit ex aliorum relatione 2. Posito illud verum esse, varietates tamen locorum seu regionum, nec non tempestatum, sæpius in causa esse ut quod in una Peste prodest in victu, in alia noceat: quod uni regioni damnosum, illud alteri salutiferum existat; quapropter *Cardan. l. 2 de Subt.* non sine ratione inquit, tot ferme esse modos Pestis quot tempora: Non quod venenum pestilens sit diversæ naturæ, sed quod diversimode operetur, pro diverso corporum apparatu. *Diemerbroeck.*

20. *Mel, saccharum*) Omnia dulcia facile bilescunt, inflammationem concipiunt & corrumpuntur, præcipue in adolescentibus, juvenibus, aut calidiore natura præditis: Nos in hac Peste dulcia maxime nocuisse, & in corporibus præcipue calidioribus, citissime in bilem mutata ac corrupta animadvertimus: inprimis mel & mellita omnia, quoniam mellis damnosissimus erat usus; Illud enim hoc tempore assumptum in ventriculis sanorum, non minus quam ægrorum statim corrumpebatur, bilescebat, ac malignam qualitatem suscipiebat, Vomitum quoque, diarrhœam, summas anxietates, febrem &c. inducebat.

Quare minime probandum *Quercetani* consilium, & aliorum, qui jubent ut Apozemata sudorifera ad Pestem in hydromelite coquantur, aliæ vero confectiones loco sacchari cum melle conficiantur; Notandum etiam si condita, conservæ, vel qualiacunque fuerint medicamenta, quibus ad Pestis tam præservationem quam curationem utuntur; possent sine melle, saccharo, vel alia dulcedine confici, quod longe utiliora forent, cum dulcia hic nocant. *Diemerbroeck.*

21. *Vina inter noxia*) *Rhases* in potu Vinum omnino prohibet, quia humores calefacit, adurit, in caput exhalat; At sic etiam *Theriaca*, & alia Antidota, rejici deberent; ideo alii rectius vinum concedunt, quia cardiacum, spiritus instaurat & roborat adversus causæ externæ efficaciam, nec exurit, nec inflammat nisi immodice sumptum. *Praumrosius*) Caveantur vina fortia, dulcia crassa. *Joh. Crato. cons 17 lib. 3.*

21. *Vina inter noxia*) Quamvis nonnulli Medici *Vinum* tempore Pestis omnino prohibeant, nos tamen ejusdem moderatum usum laudandum existimamus, inprimis hyeme, & in naturis frigidioribus, ut & vino assuetis: Nam vinū putredinem aufert & impedit: præterea alexipharmacam vim habet, ac venenis insigniter resistit, testibus *Dioscor.* & *Plinio lib. 33. c. 2.* quo loco hic scribit Vinum in Peste magnam auxiliandi vim habere: Ad hæc partes principes roborat, vires confortat, easque conservat, &, quod omnium maxime in Pestilenti constitutione requiritur, animum exhilarat; tristitiam, metum, terroremque fugat, qui affectus maxime noxii sunt: Si nimius ejus calor metuatur, inprimis æstate, *Rhazes* illud multa frigida temperare, *Celsus* modo aquam, modo vinum bibere præcipit; Nos aliquantum *succo ribesiorum fructuum*, *merorum*, *berberis*, aut *cerasorum marcllorum*, vel *pomi citri*, aut *aurantiorum*, cum tantillo *sacch. & aqu. rosac.* admiscemus, vel *pomum citrum* in taleolos dissectum imponimus, atque ita omnem nimi

caloris suspicionem amputantes, *Plutarchus* in *Cæsare* scribit hujus exercitum horrenda hac lue correptum, in eadem abigenda vini vires egregie persuasisse; quippe milites eodem largius hausto, tanti hostis acutissima spicula ita retuderunt, ut Pestis brevi tempore plane disparuerit. *Diemerbroeck.*

22. *Vel supra fœnum*) Supra fœnum cubare ac dormire sæpissime comperti sumus multis valde exitiosum fuisse, inprimis si fœnum recens foret, Hinc primo capitis dolores ac febres, &c tandem brevi post ipsam quoque pestem accessisse observavimus. *Diemerbroeck.*

23. *Corpus ita exercere ne incalescat &c.*) Moderata sint exercitia, imo secundum quosdam optimum nullis uti, sed domi se continere; quia exercitio augetur calor, sicque spiritus multo plus inspirare oporter, quod vetant *Hippocr.& Avic.* Attamen ea mihi maxime videntur convenire, si fiant in cœlo bene puro, difflato & ad Aquilonem spectante, non autem in loco concluso, vaporoso, declivi, & infecto: sique fiant non statim à cibo, sed aote cibum, nā ejusmodi exercitia nativum calorem roborant corpusque ab excrementis evacuant: *Rhazes* in quadam peste refert omnes ferme interiisse præter venatores, tum quia in aëre libero vivebant, tum quia exercitiis corpus confirmabant. *Promirosius.*

23. *Corpus ita exercere*) *Celsus* in pestilenti constitutione inprimis vitare jubet defatigationes seu lassitudines, scilicet quia spiritus incendunt ac dissipant, poros externos aperiunt, copus debilitant, humores acriores ac biliosiores reddunt, &, quod omnium pessimum est, crebriores majoresque respirationes efficiunt, atque ita multi aëris impuri & inquinati inspiratiooe cordis facultatem maxime lædunt. *Diemerbroeck.*

24. *Ut incalescat & delassetur*) Durante Peste Noviosmagensi sæpius observavimus statim post graves exercitationes, & magnas defatigationes, multos Peste correptos fuisse: Cujus rei eventus tandem adeo innotuit omnibus, ut multi etiam vulgares à gravioribus laboribus abstinerent, quin & rustici tempore messis fœni sirum fœnum metere & colligere nollent, edocti tristibus aliorum exemplis, quos graviter laborantes statim post Peste correpti fuerunt. *Idem.*

25. *Venere vel nimium abuti*) Vide infra §. *minus apta reddantur.*

26. *Vel nimium abstinere*) Sicut nimius Veneris usus corpora exsiccando & calefaciendo ad Pestem disponit, ita quoque ejusdem nimiam abstinentiam illud ipsum facere nonnulli credunt; ioter quos est *Cornarius* qui *lib. de Peste c. c.13.* inquit, *Ego certe affirmare possum in una Urbe, in diversis ædibus, & fœminas nuptas, & viduas, & puellas, omnes ad unam peste correptas & absumptas esse, cum mares magna ex parte fuga sibi consuluissent: nec adhuc scio an alia quam à viris abstinentia mortis illarum causa fuisse putari debeat.* Idem sentit. *Al. Massaria.*

27. *Terreri nimium & metuere*) Quoad *animi passiones*, Metus & Tristitia, pestilentia grassante, velut altera pestis sunt, his enim venenati contagii semina, quæ in superficie corporis velut in extrema vorticis ora collocantur, cum impetu quodam intus rapiuntur & cordi traduntur; quare hilaris esse & confidentis animi exquisitissime præstat Antidoto: Plures cognovi qui (& verbis *Helmontii* dicere solebant) vino & confidentia fortificando Archeum; nec alus præterea Alexipharmacis, usi inter infectos sine contagii noxa versabantur: Et è contra quidam terrore perculsi, cum procul ab omni contagio degerent, Pestilentiæ semina velut ab Astris derivata imbiberunt. *Willis.*

28. *Metuere*) Animus præsens & imperterritus minime omnium afficitur, & audaciores minus à Peste inficiuntur, Ac correpti minus periclitantur, quod exempla multorum vespillonum, aliorumque qui quaslibet ædes audacter frequentantes sæpius docent; Contraria autem timidis evenire experientia certissimum facit, & utrorumque multa exempla in hac Peste vidimus; Causa dependet à spirituum motu, quo in illis constans & fortis procedit, sine ulla cordis alteratione aut læsione: In his vero maxime inordinatus fit, cum maxima cordis alteratione & debilitatione, cujus debilitatis ratione cor Pestilens venenum minus à se dispellere valens, ab eo occupatur. *Diemerbroeck.*

[28] III. *Ut* [29] *corpora* [30] *ad suscipiendam pestem* [31] *minus apta reddantur*: [32] quod fiet.

1. [33] *Si* corpus levissimè [34] lenientibus & putredini resistentibus, [35] quales sunt pilulæ Ruffi, *de tribus* dictæ scrup. j. pondere exhibitæ, semel vel bis in septimana *evacuetur*; Cavendo [36] simul ne alvus nimis sit fluida;

2. [36] *Si à vena sectione*: cucurbitulis, scarificationibus, nisi summa necessitas urgeat, abstineatur.

3. [37] *Si Cauteria* brachiis, vel potius cruribus applicantur, ut humores transitus suos habeant [38] Præservatos ita multos à Mercuriali, Hildano, & aliis, observatum: sed nec facilè attactos, qui vel ulcera antiqua in cruribus habebant, vel iis in corpore scatebant, Pareus & Galenus testantur.

29. *Ut corpora ad suscipiendam*) Præservatio instituitur, vel per medicationem *Aeris*, vel per medicationem *corporis*, Medicamenta *corporis medicationi* inservientia sunt vel *externa* vel *interna*; Interna sunt *Acida*, de quibus vide infra *Aceta bezoartica*) hinc *sulphurea*, de quibus vide §. *Flor. sulph. vitriolat.*) Ettmuller.

29. *Ut corpora ad suscipiendam pestem minus apta reddantur*) Prophylaxis Pharmaceutica in duplicem fertur scopum 1. ut assiduus materiæ excrementitiæ proventus leni purgatiooe (quoties opus sit) tollatur 2. ut Alexipharmacis quotidie sumptis spiritus & corpus nostrum contra veneni incursum muniantur. *Willis.*

29. *Corpora ad suscipiendam pestem*) Prosunt masticatoria ad præservandum corpus à contagio putrilaginis cujuscunque, ipsius pestilentis vel maligni: Talia masticare par est Medicum, ut & serum alteret & aërem quem haurit, & ventriculum quem primario accusat in peste *Helmontius* & alii. *Wedelius.*

29. *Corpora ad suscipiendam Pestem minus apta*) Malignam auræ Pestilentis tincturam corpora quædam facilius, alia non ita prompte suscipiunt; Quibus ex mala victus ratione ingens subest cacochymia; quique ob plethoram habeot sanguinem sulphure concremabili refertum; his venenatæ auræ levior afflatus virus pestilentiale infigit, præsertim si metus & tristitia accedant, quæ levissima contagii spicula velut Ἐμπυραῖς quadam intus convehunt, & ad cor deducunt: Econtra qui viscera habent munda, & sanguinis massam bene temperatam, quique animo forti & intrepido prædita sunt, luem hanc non ita facile recipiunt, & aliquando receptam denuo exterminant. *Willis.*

30. *Ad suscipiendam Pestem minus apta*) Durante hac Peste mirabantur multi, quomodo fieri posset ut ego, qui quaslibet ædes infectas, & omnes ægros indiscriminatim

natim invisebam, à tanta malignitatis & contagii violentia non læderet, ac proinde meum vivendi ordinem plurimi considerabant, quem hic describam.

Omnes *animi* vehementes *motus*, quantum poteram inhibebam ac fugiebam, Intrepidus plane vivebam, nec pericula, nec mortem, nec aliud quidpiam timens; mihi eodem redibat ædesvè infectas an non infectas adirem; nec terrori, nec iræ, nec mœrori locum concedebam; si forte me ipsum aliquomodo contristatum perciperem (quod tristi illo tempore interdum fieri non erat alienum) tunc tribus quatuorvè vini haustibus assumptis cor exhilarabam, atque ita citissime omnem melancholicum luctum fugabam; In *Victu* utebar cibis euchymis, abstinendo studiosissime ab iis quos aliis noxios fuisse animadverteram, quales erant carnes porcinæ & haleces: Semel aut bis in septimana cubitum iturus, deglutiebam unam aut alteram Pilulam ex antipestilentialibus nostris.

Potus mihi erat cerevisia ordinaria, ut & vinum tenue album, quo interdum usque ad hilaritatem, nunquam ad ebrietatem utebar: Mane inter horam 4. & 5. ægros invisurus, nihil omnino assumere poteram (quod tamen ipsemet valde improbabam) nec cibi nec potus, nec medicamenti, sed ad omnia nauseabam, ac proinde piis precibus præmissis, me meamque sanitatem Deo O. M. commendabam, & solummodo aliquot grana *cardamomi* masticando jejunus primos ægros invisebam, usque ad horam vj. Tunc vel *theriacæ*, vel *diascordii* pauxillum, vel *corticum aurant. condit.* vel utplurimum *rad. helenii cond.* tria quatuorve frustula assumebam; Post horam vij. frustum *panis* cum *butyro & caseo ovillo* viridi jentabam,(superbibendo haustum *cerevisiæ*: Inter 8. & 9. sæpe quidem non tamen quotidie, data occasione, haustum *vini absinth.* bibebam; Circa 10. si per otium licetet, fistulam unam, *tabaci* exsugebam, Statim post prandium duas tresve fistulas, nec pauciores post cœnam, sæpe etiam intermediis horis post meridiem hic illic, ubi occasio dabatur, adhuc duas tresve fistulas sumebam.

Si vero ab ægrorum fœtore me vel tantillum alteratum sentirem, statim postpositis omnibus negotiis, quantumvis necessariis, qualicunque hora diei foret, duarum triumvè *Tabaci* fistularum fumum suctione trahebam, Nam, ut verum fatear, *Tabacum* pro primario præservativo in peste semper habui, Neque aliud melius pro ordinario usu hactenus inventum esse existimo, Dummodo illud sit melioris notæ, et maturioribus foliis in funes coactum. *Ibi. de Diemerbroeck De Peste lib. 2. c. 12.* Vide infra §. *Ex illis sunt simplicia*) ex *Sylvio*.)

31. *Minus apta redduntur*) Non insolens illud est, corpora molliora rarioraque, seu natura, seu ex thermarum balneorumque usu crebriore, celerius aliis naturis pestilentia corripi, quod venenata tum materia, tum qualitas pluribus ac patentioribus viis per arterias (*venas*) in præcipuum viscus totumque habitum subeat, nec difficile penetret: In eodem fere discrimine versantur, qui quod iniquinamentum illi undique per arterias totumque habitum admittunt, crebra inspiratione etiam attrahere, nedum admittere coguntur: In hoc genere sunt quibus est ex morbo, aut exercitio vehementiore, aut immoderato intempestivoque coitu, aut alia quavis occasione, crebrior inspiratio, omnino necessaria; nam & talis utero gerentibus ideo accidit, quod tum sibi, tum etiam fœtui spirare cogantur. Tam crebra vero & frequens inspiratio, ut à caloris exuperantia fere causam habet, ita & incalescentis cordis est non obscurum indicium, Ex quo evenire intelligitur, ut dum refrigerii pabulive desiderio aërem ad sese cor trahere nititur, simul venenatum eum aëri inspersum ex necessitate attrahat, & ad sese rapiat. *Saraceni de Peste pag. 82.*

31. *Quod fiet si corpus*) Graviter nobis errare videntur illi qui Venæ sectionibus & Purgationibus identidem reiteratis immunitatem à Peste audacter pollicentur, cum his artibus solummodo corpora ab intrinseca putredine vendicent, non autem à Peste, quæ pura pariter atque impura corpora æqualiter invadit, eo tantum facto discrimine, quod impura citius quam pura, levi aliqua de causa, febres aliosve morbos putridos non pestilentes concipiant, qui morbi spirituum & humorum concordiam interrumpendo, corpora ad Pestem citius suscipiendam disponunt; Præterea quod Pestis in corporibus cacochymicis graviores putredines aliaque peiora symptomata inducat quam in puris: Denique quod puris corporibus metuenda sit Pestis ab occulta dispositionis aptitudine quam in se habent, & præterea ab illa aptitudine quam, mediante alio aliquo invadente morbo habere, seu nancisci possunt.

Quapropter in Præservatione optimum quidem est, sive victu, sive medicamentis, corpora pura conservare, sed in illa puritate à purificantibus medicamentis verum, tutam certamque Pestis prophylaxin conservare nec ratio, nec experientia patitur; Adde quod tempore pestilenti illa corporum puritas non sine maximo periculo, per venæ sectiones & medicamenta purgantia, imprimis cathartica, sæpius repetita acquiritur. *De Diemerbroeck l. 2. c. 9.*

33. *Si corpus levissime*) In constitutione Pestilenti corpus non multum purgandum esse docet *C. Celsus* l. 1. c. 10. *Neque movenda est*, inquit, *alvus, atque etiam si per se mota fuerit, comprimenda est*, Quia tali tempore humores valde proclives sunt ad fluxum, & si moveantur, facillime dannosissimum alvi fluxum inducunt. *Idem.*

33. *Levissime lenientibus*) Fortiter purgantia, cum veneno pestilenti non resistant, neque ejus introitum in corpus prohibeant, neque illud ingressum foras proturbent, prorsus fugiendas; nam adde quod prædictæ vires catharticis non insunt, & pleraque nonnihil maligni participant, etiam pestilentem perniciem, quæ forte circa ambitum corporis innoxie adhuc hæret, ad præcordia citissime, maximo cum damno advocant & protrahunt: Adde quod multa etiam frugi materiam cum inutili eripiant, spiritus dissipent ac conturbent, vires dejiciant, & corporis harmoniam dissolvant. *Idem.*

33. *Si corpus levissime*) Videmus alias puros magis à Peste tolli, alias magis impuros; ideo ad præcautionem pestis *Galenus* jubebat præpurgari corpora, & siccari, quare id quoniam si ad æstus pestilentis contagionem accedat & magna humorum eluvies, omnia deteriora futura sint; Cum enim non adest illa colluvies humorum unum nobis vincendum est tantum, nempe exspiratio tetra & pestilens, sed si corpus impurum est quoque, impressio in eos fit, unde magna symptomatum fœtura surgit. *Ballonius consil. 2. l. 2. p. 187.*

33. *Si corpus levissime &c.*) Si leni purgatione assiduus materiæ excrementitiæ, seu humorum proventus, tollatur, pabulum & fomes, quæ putredinem à veneno inductam adaugent, detrahuntur. *Willis.*

33. *Si corpus levissime*) Purgantia ad Præservationem sint *rara, parca & cauta*; *Rara*, ne sæpius instituantur, *Parca*, quæ non in magna dozi, *Cauta*, ne sint vehemenna, ubi est opus laxatione, *Haustulus Barbetti.*

℞. *rhei el.* ℈ß.
fol. senn. mundat. ʒij.
crem. tart. ℈ij.
rad. scorzon. ʒß.
sem anis. ʒß.
coqu. in aq. card. ben. Colat. ℥iij.
adde syr. de cichor. cum rhab. ʒvj.
spirit salis parum, conf. alkerm. ℈j.

F. Haustulus. *Etmuller.*

34. *Levissime lenientibus & putredini resistentibus*) Non quælibet mitia Purgantia conveniunt in Peste, sed illa præcipue quæ putredini fortiter resistunt, viscera roborant, eaque ab internis obstructionibus liberant, ac simul etiam proprietate quadam venenatæ pestilenti malignitati resistunt; Tale medicamentum est *aloe*, præcipue *lota cum succo rosar*. Tales sunt tot seculorum experientiis probatæ *Pilula Ruffi* &c. *Diemerbroeck*.

34. *Quales sunt Pilula*) His usus est *F. Platerus*.

℞. *aloes, rhei, ãã.* ʒij.
agar. myrrh. ãã. ʒj.
rad. gentiana, zedoar. ãã. ℈j. *croci* ℈ß.
pulver. & cum syr. rosac. solut. cum sena
F. massa Pilular. *Obs. l. 2. p. 399.*

35. *Pilula Rufi*) Alias dictæ Pestilentiales & de Tribus, etsi *Rufus* non Pilulas sed Potionem describat, amarissimam & ingratissimam, qualem ægri nostri vix bibere possent; Haud novi *inquit Rufus*, qui hoc post pestem non superaverit, Constant *aloë, myrha & croco*; *Rufus* loco croci addit *Ammoniacum*. Primirosius.

35. *Rufi*) Sic nominatæ ab Auctore *Rufo*, ab ingredientium vero numero *Pilula de tribus*, A communi usu, *Pilula communes*, quas ipsemet *Rufus* Ephesius, in Peste accommodatissimas fuisse comperit, hancque earum descriptionem posteris reliquit.

℞. *Aloes, ammon. thymiamatis, ãã. p.* ij.
myrrha part. j.
misceantur cum vino odorato.

Illam compositionem Arabes sequenti modo immutarunt, & meliorem reddiderunt, quos hac in parte plerique hodierni sequuntur.

℞. *aloes part.* iij.
myrrh. p. ij.
croci p. j. *cum vino odorato fiat massa.*

Nos quoque illa hoc modo composita massa utimur, quamvis istam compositionem varii adhuc variis modis immutaverint, addendo vel *ammoniacum*, vel *mastichen*, vel *cinnamomum* &c. pro singulorum diversis intentionibus: Tales sunt etiam Pilulæ nostræ antipestilentiales, quarum in hac Peste maximas virtutes ipsa experientia satis demonstravit.

℞. *radic. petasit. carlina, dictamni, angelica, helenii ãã.* ℥ß.
gentiana ʒiß.
rhabarb. opt. ℥j.
agar. albiss. ℥ß.
herb. scordii, centaur. min. ruta ãã. ℥ß.
card. ben. ʒvi.
flor. stœch. ʒiß.
sem. citr. aurant. zedoar. ãã. ʒj.
Ex his omnibus fiat Pulvis grossus, qui maceretur per octiduum vel triduum in vini albi ℔ij. *vel* ℔iij.
deinde coquatur per hora quadrantem, fiatque colatura cum forti expressione in torculari, qua colatura coletur rursus per chartam emporeticam seu bibulam rariorem, In hac colatura tunc dissolve aloes opt. ℥iij. ß.
myrrha clara in guttis ʒiiiß.

In scutella porcellana fiat evaporatio humiditatis, usque dum *massa Pilularis fieri possit, è qua formentur Pilula.*

Tales sunt etiam Pilulæ *Alberti Ducis Bavaria a Quercetano*, in sua Pharmacopœa descriptæ:

℞. *croci, myrrha, camphora, cornu cervi, spodi, ãã.* ʒj.
ligni aloes, been candidi. ãã. ʒß.
terra sigill. ʒij.
flor. sulph. ʒj.
cortic. & semin. citri, caryophyll. ãã. ℈j.
ambra, sive succini flavi ℈j.
fragment. hyacinth. smaragd. granat. bene præpar. ãã. ℈ß.
agar. elect. rhabarb. opt. ãã. ʒß.
aloes è vesica ad pondus omnium, cum syrupo aut succo limon. f. massa Pilul. dosis ʒß.

paulo ante cibum.

Tales sunt etiam Pilulæ Antipestilentiales *Cratonis*.

℞. *aloes rosat.* ℥j.
myrrha, croci ãã. ℥ß.
agar. trochisc. ʒij.
rhabarb. el. ʒj.
boli Arm. ℈ij.
ligni aloes, dictamni albi, margar. præpar. ℈j.
Cum succo limon. formentur Pilula parva, Dosis ʒj.
singulis septimanis.

Sunt qui has Pilulas laudant.

℞. *myrrha, camph. croci ãã.* ʒj.
rad. ange gentianæ, vincetoxic. flor. sulph. ãã. ℈ij.
cortic. ac semin citri, zinzib. albi, xyloal. ãã. ℈j.
agar. elect. rhabarb. opt. ãã. ʒij.
diagr. ʒj. *aloes* ℥ß.
ol. stillat. angel. ℈j.
syr. de scordio f. F. massa Pilularis.

Multis etiam bis terve in septimana *vini aloetici nostri* haustum matutino tempore dabamus, tali modo conficiendum.

℞. *radic. angelica, helenii, petasit. dictamni, cortic. aurantior. ãã.* ʒj.
aloes lucida ℈viß.
herb. card. ben. m. ß.
centaur. min. p. ij.
absinth p. j.
confundantur minutim. & ex his concinnetur, Puppa suspendenda in vini albi tenuis Rhenani vel Gallici ℔vj.

In quo vino puppa illa remaneat usque dum totum epotum fuerit, Hujus vini ℥iv. assumptæ, alvum semel bis, vel ter elementer subducunt, Ab illo tamen ex aliis medicamentis amaris abstinebamus in iis quos hæmorrhoides affligebant, & in mulieribus gravidis, quibus potius *rhabarb. & agar.* usum commendabamus. Paucissimis aliis medicamentis purgantibus ad præservationem utebamur est, *ait*, tam parvum *aloes* pondus tantæ vini quantitati purgatoriã aliquam vim conferre posse, attamen millies comperi, si aliquantum *card. ben. centaur. min. & absinth. cum aloes* ʒij. *aut* ʒiß. indatur *vini* ℔viij. istius vini unicum haustum non minus purgare quam si *aloes* in substantia ʒj. assumatur, Causam adscribendam arbitramur leptomeriæ substantiæ vini qua *aloes* purgativa qualitas facillime ad viscera penetrat. *Diemerbroeck*.

36. *Si 2. Vena sectione*) Multi præclarissimi Medici ad præservationem magnis laudibus illam extollunt, præcipue in plethoricis, ac verisimilibus rationibus opinionem confirmant; Verum omne V.S. patrocinium evertitur ab experientia; nam in hac peste Noviomagensi semper observavimus V.S. etiam in optime sanis & plethoricis institutas, fuisse damnosissimus.

Nobiscum sentit *Jacobus Sylvius lib. de Peste*, *Phlebotomia*, inquit, ad *Pestem nullo modo conferre videtur, quia exhausto sanguine perspirabile fit corpus, externisque injuriis magis pervium redditur, quia etiam vires fiunt debiliores detracto sanguine, qui vita pabulum & thesaurus est.*

Sic quoque *Liddelius & Riverius* tempore pestilentiæ à V.S. etiam in plethoricis abstinuere, & nonnisi magna aliqua necessitate urgente, ut plenitudine ad vasã, vel aliqua sanguinis evacuatione solita suppressa, devenire jubent; Ratio est, quia exhausto sanguine, & viribus imminutis, cor malignam auram à se minus potenter expellit, minusque potenter eam evincit & extinguit, atque hinc ab inspirato maligno aëre pestilens qualitas facilius & gravius imprimitur. *Diemerbroeck*.

36. *Vena sectione*) Ubi adest plethora cum magna sanguinis turgescentia; aut quibus longa consuetudine

dine sanguis solemniter mitti solebat, iis venam secari convenit: quo enim sanguis minus effervescit, & sine tumultu in vasis circulatur, eo tardius lue pestifera contaminatur. *Willis.*

[16] *Venæ sectione*) Habita semper virium ratione, in Peste tuto possumus detrahere sanguinem ratione caloris maligni & pestilentis, cujus proprium est ut & urat, & corrumpat, & liquefaciat corpus, urat quidem, quia calor pestilens in carnibus & membranis quasi sensum carbonis urentis infert, & calorem naturalem depascitur & extinguit; Corrumpat, inficit enim & nescio quam vim humoribus imprimit, ut ecthymata, carbones & pustulæ appareant, & ex humore miti efferum & malignum reddat; liquefaciat, Id experientia didicimus his temporibus, in quibus sævit in vulgus febris purpurata, nam qui evaserunt, ferè omnes tabuerunt, liquefacto toto corpore & profluvio alvi spontaneo, quasi minime sentientibus ægris: denique quemcumque humorem attingerat calor iste malignus & pestilens, is omnis excretus est, & non desiit febris donec corpus quasi exhaustum, aridum & squallidum redditum fuerit, sicque remansit solus corporis [illegible], sola [illegible]: Hippocr. duo observat. 3. Epid. in ea immani & communi peste quæ sequuta est constitutionem humidam calidam, ventis carentem & umbrosam, i. e. nebulosam, Prius, quod ea putredo fuit alia i. e. non vulgaris & solita sed insolens, & symptomatum insolentium procreatrix: posterius, quod multi Tabidi tenuere: Galenus ad distillationem à capite refert; ego verò ad colliquationem corporis, partim ob calorem pestilentem, partim ob collectionem pravi humoris in pulmone, sicut & in cæteris partibus, unde in febribus pestilentibus, ob humorum fusionem, facultatum læsionem, & humorum pravam qualitatem, item ob caloris naturalis affectionem est [illegible] & [illegible] totius corporis, lentitudo & gravitas, eo modo quo in carbunculo partis observamus, nam quæ pars affecta est carbunculo, ea præter sensum caloris quasi prunæ adurentis, gravis est & plumbea, id quod notandum; Sic in pestilenti febre, in morbillis, & cæteris id genus morbis, qui se affinitate quadam attingunt, est dolor [illegible], & sensus quasi ponderis & gravitatis, ut corpus neutram in partem flecti possit: vulgus autem Medicorum corporis gravitatem istam ad humorum redundantiam refert, cum id potius malignitati sit adscribendum: Hæc cum ita sint, videndum qua ratione prohiberi possit ne iste calor pestilens increscat, & ita corrumpat, urat, tabefaciat liquando, & liquet tabefaciendo & denique multorum & graviorum symptomatum fœtura tandem ad internecionem ducat ægrum, id fiet subtrahendo materiam, tanquam pabulum, & statim febrem ipsam jugulando, sic phlebotomia primo quoque tempore facta id operæ pretium afferre potest: prohibendus enim est calor omni arte, nam brevi tempore multum propagatur & inungescit; accedit quod fiunt excretiones sanguinis [illegible], per os, urinas, per acrimoniam & malignam qualitatem in sanguine, ut materia, fundatam, quæ à parvo incipiens in totam massam prorogata & propagata est. *Ballonius Epid. l. 1. p. 49.*

[17] *Si cauteria*) Ex observatione *de Diemerbroeck*, in peste *Noviomagensi* semper lethale signum erat si Fonticuli exsiccarentur, Nec ullus *ait*, quod sciu, evasit in quo exsiccat– hæc visa est.

[37] *Si Cauteria brachiis*) Fonticuli à cauteriis excitati adeo omnium pene suffragiis præservationis gratia contra pestem usurpantur, ut eorum usus vulgo receptissimus existat, his enim constanti [illegible] assiduum superfluæ & excrementitiæ materiæ proventum eluttiant; & si qua intus admista sunt pestilentiæ miasmata, hac veluti porta aperta foras ejiciunt. *Willis.*

Pyroticis & setaceis maximam vim tribuunt, à quibus excitati fonticuli serosum humorem eliciunt, qui ob tenuitatem pestilenti veneno excipiendo magis est appositus: quæ tamen recens inusta sunt non videntur magni momenti, cum exiguum quiddam & à peculiari parte evocent, sed si diutius gestata fuerint, cum per ea corpus universum exoneretur, plurimum videntur collatura, præsertim si plura fuerint, non secus ac manantia à longo tempore ulcera, per quæ assueta Natura quæ noxia sunt vel inutilia deponit.

Cui vero parti applicari debeant, ambigitur, mihi vero apposite applicari videntur tibiis, quod insita gravitate eo major humorum copia devergat, & à principibus partibus plurimum recedat: Sed cum glandulæ ob lentiorem humorem retinendo contagio magis sint habiles, appositis circa eas cauteriis sunt exonerandæ, adhibito tamen delectu, modo inguini, modo axillis, interdum etiã ad parotides admoveantur, si quæ ipsarum magis humore turgeant: Cum tamen nos frequenter lateat cuinam ex ipsis noxa magis immineat, deligendus est cauterio vel setaceo locus qui excipiendis ex corpore universo humoribus magis opportunus: Nec veterinarios id latet, qui jumentorum lui medentur, per transfixa boum palearia ellebori fibras ducentes, quibus virus ab universo corpore evocatur: Unde sunt qui non absimile quid moliti sunt in hominum morbis, scrotum ignita acu perforantes; quo astu Monachus quidam apud Lugdunenses sævientem luem vitasse perhibetur.

Quod quidem si recte peragatur, maxime ex usu futurum existimo, quod ob summam Testium cum universo corpore, sed partibus potissimum principibus connexionem, & ob situm decliviorem, ex ipsis citius & copiosius superfluus humor ebciatur.

Immitti autem in vulnus helleborum, aut acrius quiddam, non adprobo, gangrænæ metu, sed aliquod è cardiacis quibus insit attrahendi vis. *Lyonnet de Peste cap. 53.* Fonticuli corpori inusti sunt unum ex optimis præservativis, per experientiam confirmati: Hinc *Lindanus* optimo consilio ad præservationem ordinari asserit; Avunculus meus, *dicit*, vixit in *Marocco*, ubi suo tempore intra v. septimanas 85000. perierunt: Ille suasit Indæo Medico ut inureret fonticulos, unde illi omnes fuerunt liberati, immunes præter unum qui noluit sibi inuri: Ipse expertus sum, *pergit*, remedium egregium esse in fonticulis, & qui ignari accedunt ad infectos, statim sentiunt punctiones in Fonticulis: *Ettmuller.* Vide *Hildan.* c. 4. obs. 83. *Riverium* in *obs. comm. Horstium* in obs. *Acta Med. Hafn. vol. 4. pag.* 152. Hochstett. Dec. 7. c. 1. & 31. *Hodges* de Peste p. 241. &c.

[38] *Præservatos ita multos à Mercurialis*) Commendari Cauteria ad præservandum à Peste invenio apud *Nicolaum Florentinum*, sed dicam quod ego vidi experientia: Possum testari me innumeros Peste extinctos vidisse, nec unquam vidisse quenquam qui haberet Cauterium, præter unum tantum, Atq; ille erat Sacerdos: Interrogavi etiam hac de re multos Medicos, qui testati sunt neminem se vidisse mortuum: quod quidem argumentum esse potest hoc genus auxilii magnopere conducere, & summa cum ratione, quãdoquidẽ per Cauteria, tanquam per cloacas, continuo ichores pravi & putredini obnoxii educuntur. *H. Mercurialis l. de Peste c. 23.*

I, [39] *Si antidotis* [40] tam *internis* quam *externis* unusquisque se muniat.
Ex [41] *illis* sunt *simplicia* [42] *semen hederæ* pulverizatum & drachmæ j. pondere in aqua Card. benedicti exhibitum; Extractum juniperi, lapis bezoar [43] inprimis verò *tabacum* [44] per fistulam ore

assumptum, [45] *radices helenii* [46] acriores, masticatæ vel conditæ, *sorbi*, *spongia* pulverizata, *millefolium totum cum floribus* in aceto decoctum & assumptum; & Sal *vitium* & *millefolii*.

39. *Si Antidotus &c.*) Alexipharmaca quotidie sumpta sub duplici ratione contra pestis contagium videntur juvare, Tum quod sanguinis massa, & viscera horum particulis referta, necnon spiritus iisdem prius occupati, venenati miasmatis consortia non facile admittunt: Tum quod sanguis leni harum orgasmo citatus, à coagulatione vindicatur. *Willis.*

Porro Antidota omnia debent esse talia, quæ tota sua substantia, sive forma substantiali adversentur pestilenti veneno, & simul spiritus vitales & animales reficere, atque humores à putredine præservare, & interna viscera principalia corroborare queant. In his autem usurpandis habendus est delectus pro diversitate temperamentorum corporis, aliis enim alia magis conveniunt & salubriora sunt: Cavendum deinde diligenter ne talia remedia, quæ suis primis qualitatibus excessit, congenitam corporis temperiem destruant, neve impensius vel calefaciant, vel refrigerent, exsiccentve, tum enim non levem Naturæ noxam inferunt, magisque destruunt quam præservant. *Franc. Joel.*

40. *Antidotis tam internis quam externis*) Remediorum Pestilentis veneni, & seminariorum ejus in aëre hærentium; quæ Græcis Antidota dicuntur, tria sunt genera, Alia ore manduntur, ac tenentur tantum: Alia manibus gestantur, Alia intra corpus assumuntur: Quæ in ore masticantur ac retinentur, magis comprobata sunt ex Simplicibus, Rad. *Angelicæ, Zedoar. Dauci Cret. Nasturt. Pimpinell. Cord. pat.* quę si per noctem in aceto vini macerentur, præstantiores fient; His præstantius habetur nobile *scordium*, sive recens, sive ore masticatum, deinde *grana juniperi bacca lauri*, & *sem. citri*, Ex Compositis præstantissimi hi Pastilli, ore retinendi.

℞. *spec. diamosch. d. Diambr.* āā. ʒj.
zedoar. angel. dauci Cret. āā. ʒij.
caryoph. styrac. calam. āā. ℈ij. *sacch. candi* ℥ij.
cum q. s. Theriacæ Andr. divissime conterantur,

fiat massa duriuscula, ex qua exigui Pastilli, in umbra exsiccandi, unum sub lingua tenendo necessitatis tempore donec resolvatur: Excludunt seminaria Pestis & aërem purificant per inspirationem attractum, & cerebrum spiritusque animales mire corroborant: Possunt quoque dentes & gingivæ inungi *Theriaca Andr.* aut *Antidoto de scordio*, de qua infra.

Quæ odorandi gratia manibus gestari solent exquisitiora hæc sunt, simplicia, *mala aranta cydonia, absinth. ruta, majoran. mentha*, *Rad. angel. valerian.* camph. castor. & *storax. calam.* Ex compositis, rutæ vit. cum pulvere caryoph. contusa & pauco aceto conspersa ac in syndone colligata; Vel Aqua spongiola excepta, & in sphærulam inclusa.

℞. *aqu. rosar. Lavendula*, aceti rosſ. āā. cochl. vj. commisce in vitro quibus parum *pulv. caryoph.* admisceri potest aut camphoræ: *Vide supra liquorem pretiosum circa finem.*

Gestetur & sphærula, quam *Pomum* Ambræ vocant.

℞. *Ladani rec. & odor.* ʒij.
rosar. rubr. santali citr. āā. ʒj.
styrac. calam. benzoin. āā. ℈ij.
cinnam. odoratissim. macis, ligni aloës, garyoph. āā. ℈j. *myrrha* ℈ß.

pulverata in præcalido mortario & pistillo tundantur, subinde admiscendo mucilag. ex aqu. rosar. & tragac. macerat. f. massa &c. *Fr. Joel.*

41. *Ex illis sunt*) Certissimo experimento didici infundere supra *ambram optimam vinum malvaticum*, diligenter obturare, & mane aliquot guttas cum pane sumere, esse remedium excellentissimum præservativum in Peste. *Joh. Crato Cons. 30 l. 4.* In gratiam vulgarium illud subjiciam, infectis utiliter dari *Tanaceti* decoctum.

℞. *flor. tanaceti q. s. bulliant in aqua & aceti aquis partibus, optime bonum subinde haustum ebibat*: *Camphora* adjecta idem efficacius reddit. *Idem cons. 46. l. 7.*

41. *Ex illis sunt simplicia*) Probatissima hæc sunt, Pulvis *Terra Lemnia*, *Boli Armena*, si hæc vera & non adulterata haberi possunt; *Cornu cervi*, qui in Autumno captus est, *ramenta*, *pulv. nobilis scordii*, *pulv. card. ben. pulvis tormentil. pulv. sem. mali citrii, pulv. corall. ppti*, & *sal absinth. vel scordii*, quod ex lixivio è cineribus eorum in vino maceratis coquitur: laudatissimum quoque est *Sal urina* (quod ex urina hominis coquitur: Hæc eadem valent & in curatione: Assumuntur autem pro ætatis ratione & temperamenti, Pulveres quidem pondere ʒß. aut ʒj. salia pondere ʒß, aut ℈j. cum haustulo *vini*, aut *aquæ scordii*, vel *rosar. acetove rosaceo.* Fr. Joel.

Præsbyter Vesuntinus; *Ydelens*, sæpius Peste infectis inserviens, in suo libello de Peste mire, propria inductus experientia, ad præservationem laudat urinam propriam, mane, jejuno adhuc stomacho, semper post 5. aut 6. diem ad cyathum unum epotam, cujus nauseosi remedii vices supplere posset balsamum urinæ, à Chymicis tanquam remedium ἀνώδυνον descriptum. *Fel. Platerus Pr. T. 2. c. 2. p. 166.*

Pauperioribus *radices angelica* masticandas, vel *pulverem cardui bened.* ejusdemve decoctum assumendum, Delicatioribus vero *cortices aurantiorum*, vel *citri* conditos comedendos, vel aliquot guttas *olei juniperi*, cum pauxillo *vini bibendas*, vel ipsum *rob. Juniperinum*, ad nucis moschatæ quantitatem edendum dedimus: Pluribus simplicibus (*præter Tabacum & radices enula*) usi non fuimus, cum hæc pauca nobis viderentur sufficere, & inutilia esse reliquis. *Diemerbroeck.*

Myrrha in ore retenta, & paulatim deglutita, valde laudabilis existimatur ad præservationem, cujus tamen usus, ob ingratitudinem, delicatulis, pueris, mulieribus, aliisque qui palatum magis quam sanitatem curant, displicet. *Idem.*

Fallopius de Bubone Pestil. c. 13. refert illos qui tunc temporis inserviebant Peste correptis, nulla alia re præservasse sua corpora quam usu *zinziberis & zedoar.* ea ore masticando: mane masticabant *zinziber*, postea bibebant *vinum malvaticum*, & tota die habebant *zedoariam* in ore mandendo.

Diotus cons. de Peste c. 10. refert nonnullos hujusmodi homines se nulla alia re defendisse à Peste quam *nuce juglande*, quam ad ignem parum adurebant, priusquam comederent.

Inter simplicia vegetabilia supereminent radices *asari Virginiani*, sive *serpentaria Virginiana*. dosis earum in alkool reductarum, à gr. iv. vel vj. ad ℈ij. ex vehiculo idoneo.

Proxime locum tenent rad. *contrayerva*, è quibus etiam lapis celebris conficitur: dozis rad. ℈j. ad ʒj. ex aqua *angelica*. *Nath. Hodges.*

41. *Ex illis sunt simplicia*) Quotquot simplicium farraginem in unum congerunt, confusum judicium, confusamque rerũ cognitionẽ habeant necessum est, quia plurima confundunt, quando uno vel paucis, & inprimis simplicibus medicamẽtis pręstari potest quod intenditur; Ego ante novennium, cum quotidie plures visitarem Ægros Peste infectos, præcautionis loco aliud non sumpsi medicamentum quam *vulgaris Aceti vini cochleare unum*, mica panis exceptum, & quidem mane, antequam inviserem ægros: Id genus remedii usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam percepi toto

illo

illo tempore ab infectione noxam; Postquam vero sublato sensim hoc malo desiissem ab illo aceto diutius assumendo, sensi postmodum, ac fere semper, aliquem capitis dolorem mihi contingere quoties infectam ingrediebar domum, licet id ignorarem, nec tamen mihi metuerem: Novi equidem paucos potuisse meo exemplo Acetum per aliquot hebdomadas usurpare, dum aliqui ob peculiarem sui constitutionem, melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perseverare in ejus usu.

Solent alii *vini Rhenani*, aut *cerevisiæ* veteris, adeoque subacescentis haustum mane assumptum commendare: Novi non deesse qui *vini spiritum*, aut *simplicem* aut *theriacalem* laudent, Sed novi quoque multis ipsum fuisse noxium, quod de Acidis dici non potest, saltem ratione ipsius Pestis.

Laudantur quoque *Elixir proprietatis, Spir. salis, vitrioli, sulphuris, ex pauca cerevisia, vel vino* assumendi: Laudantur, *Fructus acidi, mala citria, aurant. Granata, Ribesia* &c. Confortat quoque *Aceti spongia excepti odor*, sive fuerit *Acetum simplex*, sive aliquo *aromate, plantave* aromatica imbutum, adeo ut si quis omnia in Pestis præcautione efficacissima contulerit, comperiat pleraque *Acida* esse, aut *cum Acidis* parata: Unde patere puto Acidum non tantum desiderari contra Pestis venenum, sed idipsum in primis impeti ab eodem ac impugnari.

Quibus vero Acida meraca esse solent gravia & importuna, eadem temperari possunt *vini spiritu*: Sic *salis spiritus* ejus ope ita temperatur, ut omnis pene ipsius aciditas temperetur, si sæpius cum eodem cohobetur, nec tamen definit conducere in Peste: Interest proinde ut in hoc casu ita cujusque temperamento aut constitutioni peculiari accommodentur medicamenta, unde nihil noxæ ipsis accidat, plurimum auxilii. *Sylvius Append. tr. 2.*

In *Millefolii* herba integra cum floribus, latet arcanum secretissimum contra Pestem, qua sola vespillones in pestibus se tueri consueverunt. *Cl. Deodatus Panth. l. 3. c. 27.* ubi plurima alia arcana.

Præ cæteris quæ præservare possunt à peste, ex experientia confirmatis, est *vitriolum*, fortioribus dari potest ad ℈j. cum *melle dissolutum & aqua*, Debilibus datur præparatum cum *aqua rosar.* & pluries lavatur, saltem quatuor vicibus, & ita exhibetur cum *vino & melle ad dr. ß. Rod. à Fonseca Tom. 1. consl. 47.*

In *millefolii herba* integra cum foliis latet secretissimum arcanum contra Pestem, qua sola Vespillones in maximus Pestilus se tueri consueverunt.

Sic *Decoctum millefolii* omni mane cum aceto sumptum ad ℥iij. mire juvat; Eodem Decocto suffumigantur manus, vestes & alia indumenta, magno juvamento.

Decoctum à Peste correpto quotidie haustum, statim venenum ad emunctoria pellit: *Aceto acerrimo calendulato, vel rosac.* vel *rutaceo*, cui *millefolii flores* incoxerint, spongia imbuitur & maximi secreti loco naribus admovetur. *Phil. Grulingius Florileg. part 4. c. 7.*

42. *Semen hederæ &c.*) *Pulvis baccar. hederæ*, plenam maturitatem adeptarum, larga dosi exhibitus, arcanum est contra Pestem, R. *Boyleus De utilitate Philosoph. Experim. in Med.*

43. *Inprimis vero Tabacum*) *Tabacum* pro insigni præservativo remedio semper habui, ejusque fumum in ipso conceptæ luis principio mihi aliquoties insigniter profuisse comperi, Referunt etiam quondam *Londini* ab horribili peste illic sæviente omnes illas domus immunes fuisse in quibus Tabacum vendebatur: Verum *Noviomagi* illa felicitas omnibus *Tabaci* mercatoribus non contigit, nam aliquos ex iis Peste correptos fuisse novimus: In ædibus tamen primarii *Tabaci* mercatoris, qui numerosam liberorum, famulorum & ancillarum familiam aluit, neminem, quod sciu, Pestis invasit, præter unam ancillam, quæ & ipsa brevi convaluit; Ad Peste afflictum invisendum vocatus, simul ac cubiculum ejus intrarem, statim pessimum excrementorum (alvi enim fluxo laborabat) fœtorem naribus percepi, à quo graviter affectus fui: Post brevissimam visitationem domo rursus egressus, illico me vertigine, nausea, & cordis anxietate correptum sensi, ita ut pestilens contagium me concepisse non dubitarem; quare postpositis omnibus negotiis, statim me domum contuli, atque *Tabaci* optimi quinque sexve fistulas sumi fuctione exhausi, Cujus usu omnia prædicta symptomata ita penitus evanuerunt, ut ne minimum quidem mali sentirem amplius; Tunc rursus foras prodire, & reliquos ægros invisere volens, *theriac.* ℈ß. præsumpsi, atque ita deinceps optime valui: Illud ipsum durante hac Peste mihi ter quaterve accidit, ut statim simulac me aliquam contagionis labem concepisse arbitrarer; eodem modo ad copiosiorem Tabaci usum confugiens, liberatus fuerim. *Isbr. de Diemerbroeck. l. 4. de Peste histor. 17.* Vide supra *§. Ad suscipiendam Pestem minus apta.*)

43. *Inprimis vero Tabacum*) Pestem à Veneno oriri unanimiter sentiunt omnes Medici, cui veneno magna plerumque & maligna putredo adiungitur; Tabacum autem peculiari specifica qualitate venenis (ut testantur *Manardus*, *Dodonæus*, & alii, omni putredini ac corruptioni resistit, detergit, attenuat, siccat, dolores sedat, & valide discutit: Quæ ejus facultates oculis conspicuæ sunt, si applicetur antiquis putridis ulceribus, vel carbunculis, vel tumoribus externis, vel partibus scabiosis, Eadem etiam manifeste apparent si ad affectus externos Tabacum foris applicetur; nam ejus folia capiti imposita cephalalgiæ medentur & dolores sedant (nempe discutiendo vapores & humores acres, pravos superfluos; arthriticos quoq; dolores applicata mitigant &c. Dictæ autem facultates ad præservationem à peste plurimum conducunt, neque propterea quod occultæ non sunt pro malis haberi debent, præstat enim cognitis qualitatibus certius huic morbo resistere quam occultis per incertum fluctuare.

Quærat aliquis, Anne quoque *fumus* per tubulum ore assumptus, & inde rursus emissus, eadem illa in corporibus nostris operetur?

Respondeo, quantum ad affectus internos, fumum tali modo haustum adhuc melius operari 1. enim discutit in cerebro quoscumq; vapores noxios, humoresq; excrementitios ac superfluos educit, 2. odor & qualitas Tabaci, cum parte vaporum, qui cum inspiratione anhelitus os transeuntis necessario pulmonibus & pectori communicatur, impedit ne aliqua in pectore generetur corruptio, nam detergendo, attenuando, & discutiendo pulmones à saburra, & malis vaporibus, excrementitiisque humoribus liberat, & sanguini per pulmonem ad sinistrum cordis sinum transeunti qualitatem suam præservativam imprimit: Deniq; eodem quoq; modo operatur in ventriculo, aliisque visceribus, quibus hæ Tabaci vires communicantur, per potum qui superbibitur, qui fumos & vapores ioti ori inhærentes abluit & deorsum transfert; ut & per salivam, quæ hoc fumo imbuta identidem deglutitur, atque ad inferiores partes descendit, quas abstergit, in iisque omnem corruptionem, putredinem & obstructionem impedit.

His adhuc duo alia Tabaci commoda à Pestilenti constitutione accedunt 1. Quod illi qui Tabacum sumpserunt, ob adhærentem continuum ejus odorem, vix ullos alios noxios fœtores percipere possunt, à quibus alioqui homines valde exterreri solent: 2. Quod odor cum qualitate Tabaci ori inhærens, in transitu ita corrigat aërem inspiratum, ut interiora viscera nullo damno afficere queat. *Idem lib. 2, c. 16.*

44. *Per fistulam ore assumptum*) Hoc est illius *fumum*, nam in substantia, decoctione vel infusione sumptum, non est æque conveniens, cum tali modo datum corpus

nimium conturbet, Verum circa hujus *fumi usum* quatuor notanda occurrunt, 1. Quod non alio quam optimo *Tabaco* sit utendum, ex foliis satis maturis & minime putridis contortum 2. Quod illi qui nimis siccos habent Pulmones eundem ferre nequeant, cum eosdem adhuc magis exsiccet. 3. Quod eo utentibus abstinendum sit à spiritu vini &c. nam hæc simul non conveniunt, sed viscera debilitant 4. Quod in hujus usu modus sit servandus. *Idem.*

45. *Radices helenii*) Radicum *Helenii* qualitates duplices sunt, occultæ & manifestæ; ratione *illarum* alexipharmacam vim habent, & secundum *Dioscoridem*, *Plinium*, aliosque, omni veneno contrariæ sunt, ac venenatorum morsus sanant, imo & Pesti quoque fortiter resistunt, ut testantur *Crato*, *Augenius*, & plures alii: Ratione *harum*, calefaciunt, putredines tollunt, easque fieri impediunt, vermes, aliaque è putredine genita animantia è corpore expellunt; urinas movent, coctiones augent, crassos humores incidunt & attenuant; pectus expurgant: Ita ut non sine ratione primarus antidotis annumerari debeant.

Memini *D. Schrevelium*, in praxi Medica versatissimum, nobis quondam narrasse se in magna illa Peste quæ anno 1624. Hagam Comitis afflixit, *helenii radic.* conditis tam in se ipso, quam in aliis omnium maxime ad præservationem usum fuisse; atque ex illarum usu se plus commodi percepisse quam ex aliis antidotis omnibus: Loco *Helenii Droetus de Peste c.9.* commendat edendam radicem *petasitidis* derasam, & per noctem in vino albo, vel vino absynthite maceratam: *Hollerius succum thapsi barbati* cum vino expressum magnifacit. *Diemerbroeck.*

46. *Acriores*) Illas radices acriores eligebamus, non tam ad palatum & saporis gratiam quam ad majorem utilitatem conditas: nam ad gustum delicatulorum præparatæ, optima earum vis longa maceratione & coctione sic extrahitur & dissipatur, ut tandem vix alium quam sacchari saporem retineant: Harum autem conditarum non unum frustulum, ut vulgo solent, sed duo, tria quatuorve matutino tempore sumere suasimus. *Idem.*

47. *Compositas* sunt [48]. *Theriaca* Andromachi, aliquando cum succo citri permista, [49]. *Mithridatium*, *diascordium* Fracastorii, [50]. *Electuarium* [51]. quo se venefici quidam præmuniebant, ex radicum *Imperat. Carlinæ, gentianæ, dictamni albi, dictamni Cretici, baccarum lauri*, ana part. æqual. subtiliter pulverizatis & cum melle despumato permistis, pararum, [52]. *Vinum absynthites* [53]. aliis antidotis infectum, [54]. *Cerevisia medicata*, [55]. *Elixir proprietatis* [56]. saccharum *Candi alb.* pulverizatum & [57]. spiritu salis [58]. dulcorato ad formam [59]. *Electuario* impraegnatum [60]. Hartmanni, dosi drach. j. quæ omnia matutinis horis assumenda sunt.

Hisce adde 1. [61]. *Pulverem* [62]. *serpentinum*, quem si parare vulneris, necesse est ut serpenti viventi linguam extrahas, hanc cum corde & hepate filo transfixam in bullientem aquam tantillum immergas, postea additis novem dorsi in umbra aut propè ignem placidè siccaris vertebris pulverizes. Capitur, quantum cultri cuspis admittit.

2. [63]. *Antidotum Rudiphranam* ex [64]. *Elect. juniperi* unc. j. *terra sigillata* obtunc. ʃ. *Conf. Alkermes* unc j. ʃ. [65] *lapid bezoar. gryseo* gr. xv. [66]. *flor. sulfuris vitriolat.* ne sublimatorum, ut [67]. effectia [68]. vitrioli benè impraegnantur [69]. unc. iʃ. cum *Syrupo Citri* vel *fumatica*, compositam, & drach. j. dosi exhibitam.

3. *Diascordium VVoyselli*: quod recipiebat *diascordii Fracastorii* unc. iv. pulver. *radic. yeria*, *anthora*, vel in defectu ejus ycrvæ unc. j. *myrrga* elect. *Macis* acero præpar. ana dr. i. [70]. *boli Armeni* præpar. unc. j. Extr. *scordii* dr. iij. Extr. *tormentillæ* dt. ij. Extr. vel *bona*, *Cardub.* ana dr. ij. [71]. sal. *scordii* scrup. iv. [72]. salis Carduiben. verbenæ ana scrup. ij. ol. è *semin. Citri* expressi dr. ij. *Camphora* scrup. iv. Cum syrupo de *succo scordii* & pro qualibet unc. I. *Elixir proprietatis* scrup. semis.

47. *Composita sunt*) In hunc finem variis modis & formis possunt concinnari medicamenta, tum singulis grata, tum simul corpori adversus Pestilens venenum muniendo apta: Si cui *Conditi* forma placeat, paretur ex *conserva ros. pallid. flor. calendul. rosmar. caryophyll. borrag. bugl. viol.* &c. *spir. acidum* addendo ad gratam aciditatem, detur nucis juglandis quantitas, plus minus juxta ætatem, Si *syrupi* placent, da ex *succo berber. ribesior*, *citri*, *granat. arantior. acetosa*, *omphacio* & similibus, aut per se aut ex liquore accepto ad ℥ß.

Prædicti *succi* sine sacch. possunt usurpari ex *jusculo*, *cerevisia*, *vino* &c. *Tabella* fiant ex prædictis succis, ut & *acidis spiritib.* cum *sacchato*.

Valet etiam *Tartarum crudum*, *ejus cremor*, *sal tartari vitriolat.* itidem ex *jusculo*, *vino*, *julepo* &c.

Uno verbo, præ cæteris omnibus ad Pestis præcautionem conducunt *Acida*, modo cujusvis naturæ maxime accommodato assumpta; Hæc cùm verissima esse docuerit hactenus Experientia, hinc confirmatur mea sententia *impugnari a Veneno Pestilenti Acidum nostrum*, cui postquam nihil magis observatur contrarium quam sal lixivium, merito in sale lixivo illud venenum consistere judicatur: Quoniam vero velox est idem venenum, & valde efficax, idcirco idem in sale Volatili & acri consistere judicavi. *Fr. Sylvius Append. Tr.2.*

Usitatis adjungi possunt plurima ex *Antimonio* parata *sudorifera*. *Antimonium* puta *diaphor. BeZoarticum miner.* tam *simplex* quam *Solare*, *Lunare* &c. *Sulphur. auratum diaphor. Flores Antimon. fixi.* Idem ibid.

47. *Composita sunt*) Composita nobiliora, quæ partim in myropoliis parata servantur, partim à *nobis experientia comprobata*, & *hactenus in secretis habita*, hæc sunt, *Pilulæ Pestilentiales*, quarum dr. j. semel ad minimum per septimanam deglutitæ humores à putredine tuentur, ventriculum & hepar roborant, spiritus vitales reficiunt, alvique obstructionem prohibent, Egregie quoque præservat semel vel bis in septimana dr. j. confect. *Mithrid.* in haustulo *aqua scordii* resoluta & exhibita, *confectio quoque liberantis* in rotulas confecta, Nobilissimum est antidorum, si ejus Rotulæ duæ aut tres jejuno ventriculo devorentur, quæ, quia suaves, infantibus & gravidis dari possunt; Cor & spiritus vitales roborant, & singularem habent antipathiam contra seminarium pestis.

Pueris, gravidis, infantibusque, quia non ferunt valida, exhiberi possunt Rotulæ ex albissimo saccharo

in aqu. scord. ℔ß. cui admixta sint *Pulv.corall.r.* ʒij. & olei Angel. ℈j. Valet & *Elect. Angelic.* nostrum avellanæ quantitate datum, cum haustulo aquæ card. benbd. eo die tutum reddit à Peste.

℞. *rad.Angel.odor.* ℥ß.
rad.cardopat. dauci cret.dictam.alb.ãã. ʒij.
Zedoar.myrrh. ãã. ʒiß.
fol.card.ben. ʒij.
fol.ruta, veron. ãã. ʒj.
c.c. usti præpar. ʒiij.
camph. ℈j.

omnibus tenuissime pulverisatis admisceantur conf. *Mithridat.opt.* ℥ij. *syr.è succo card.ben.* q.s.f.s. a. Elect. Nobilissimi quoque sunt Morsuli nostri, si unus mane comedatur.

℞. *spec.liber.* ℥j.
pulv.scord. ʒß.
zedoar. ʒij.
c.c. usti & cum succo scord. præpar. corall rub.præpar. ãã. ʒiß.
semin.citr.excortic & incis. ʒij.
sacch.alb. in aq.card.ben.resol. ℔j.
quibus inter commiscendum admisce olei Angel. ℈j. *ol. cinnam.gutt.v.Ex iis fiant Morsuli rhomboides pondantes* ʒij.

Efficacissima quoque est *Aqua vitæ* contra Pestem, quæ & contagium arcet, & spiritus vitales, omniaque viscera corroborat.

• ℞. *zedoar.angel.pimpin. ãã.* ʒij.
valerian. ostrutii ãã. ʒj.
dauci Cret. ʒiß. *croci* ʒß.
scordii,veron.card.ben.ãã. m.ß.
rosar. rub. p. j.

radices contundantur, herbæ minutim incidantur, admisce sacch. c.pulver. in vitrum angusti orificii imponantur, iisq; affundantur ℔v. aq.junip.& simul per octiduum macerentur in loco tepido probe obturato, vase Deinde vitrum in Balneum Mariæ imponatur, & simul per semihoram ebullire sinatur, ac per se refrigerata colentur, & in vitrea cucurbita probe clausa conserventur; In liquorem imposito prius nodulo ex syndone rub.cui illigatæ sint *spec.diambr.diamosc. d. elect.liber.ãã.* ʒj.*caryoph.cinnam.* ãã ʒiiß. Ejus Aquæ vitæ cochleare unum ebibitum mane contra Pestem, eo die immunem reddit à pestilenti contagio.

Hæc quidem enumerata Antidota & præservare & ab infectione liberare possunt, si justa mensura & tempestive adhibeantur; Quorum in præservatione non semper uno, sed alternatim hodie illo, cras altero uti decet, ne videlicet per unum continuum usum, id in Naturæ familiaritatem tanquam alimentum convertatur · Sed prædicta omnia virtute & efficacia superat Theriaca &c. *Fr.Joel.*

Duo Electuaria quibus me bis in Pestilentia, beneficio Dei, conservavi, alternis diebus de iis sumens ad castaneæ magnitudinem.

℞. *succi cydonior.* ℥iij.
conf.borrag.rosar. ãã. ℥iiß.
mithrid. opt. ℥ß.
margar.dissol. ʒj.
hyacinth. spec.elect. de gemmis, liber. corall. dissolut. ãã. ℈iv.
Extr.card.ben.scabios. veron.scordii ãã. ʒij.*misce.*

℞. *macer.* ℥j.
incisatur in aceto fortiss. vini opt. vel, quod melius est, *limon.succo.per 24. hor. siccetur rursum* & minimum incidatur; huic adde *ther.opt.* ℥ß.
conserv.borrag. ℥ij.
cortic.citr.cond. ℥j.
*sem.citr.excortic.card.ben rec.ãã.*ʒiß.*spec. liber.*ʒj.

extr.xyloal. ʒß.

Joh. Crato *cons.*28. *l.*5.

47. *Composita sunt*) Acetum Bezoart. egregium.

℞. *rad.filic.maj. petasit. angel. torment. enul. camp. ãã.* ℥j.
pulv. serpent.myrrh.rub.c.c.raspati ãã. ℥j.
flor.calendul.summ. ãã.p. ij.
semin. acetos.citr. card.ben.ãã.℥ß.
*croci drach.*j.
terræ sigill ther.Ven.ãã. ℥iß.
aceti opt.℔iv. *m. insolentur.*

Efficies Acetum quo nihil præstantius, da cochl.j.mane, Illo die tutum te reddet à Peste. *Agricola in Poppium Tr. de Aceto p.*733.

Nostrates Peste grassante solo Aceto calendulæ se muniverunt & incolumes evaserunt. *Th. Bartholinus cent.*4.*hist.*5.

℞. *rad.torment petasit.pimpinell.angel.fol.scordii,baccar.junip. ãã.* ℥ß.

infunde in spiritu sambuci, & per aliquot dies macerata colentur pro *spiritu antiloimotko*, cujus vires tum in curatione, tum in præservatione non satis laudari poterunt. *Mart. Blokvvitzius Anat. Sambuci lib.* 3. *cap.* 17.

Quidam multos curavit applicatione frustuli *monocerotis cornu*, ejusque infusione in aqua communi pro Potu ordinario, hancque præcautionis gratia propinabat; Qui tali aqua utebantur Peste non inficiebantur. *P. Borellus cent.*1.*obs.*22.

Nihil utilius est Pueris quam *bolus Armena* cum pauxillo *tormentillæ & cortic. citr. pulver.* qui inspergatur cibo. *Crato consil.*269.

Medicamentum plane regium est sequens *Aqua*, & valde commendatur.

• ℞. *spir.vini malvat.octies destill. mens.* 8. adde *rad. torment.serpentar. ãã.* ℥j.
angel. zedoar. ãã. ℥ß.
*cortic.citr.cinnam. ãã. drach.*j.

stent per triduum in vitro clauso, locoque calido, tum abjectis istis, expressis prius & colatis rursus, hoc Elixir vitro infundatur, & linteolo inclusa hæc imponantur.

℞. *spermat.ceti rec. ambr.rhabarb.opt.ãã. drach.* ij.
moschi ʒß.

vas optime claudatur, serva, Ejus gutta una æstate cum *sacchara* ad præservationem sumitur, Infectis datur Hyeme gutta una & cum mica panis deglutitur. *Idem cons.*275.

Certissimo experimento didici infundere super *ambram* optimum *vinum malvaticum* destillatum in vitrum, & diligenter obturare, & mane cum vino aliquot guttas sumere, esse excellentissimum remedium præservativum. *Idem cons.*343.

Elixir Alliatum magni præservativi locum habet.

℞. *Allior.expurgat. n.* xx. *contundantur*, alembico indantur, affunde *spir.vini rectificati ad 2.digitorum eminentiam*, destilla in Balneo per cohobia, semper nova allia adjiciendo, In ultima destillatione adde *camphora in petia ligata, collo alembici appensa* ʒj. destilla ut prius. *Claud. Deodatus Panth.Hygiast.l.*3.*c.*27.

Præstantissimum remedium est, quod & præservat & curat Peste affectos.

℞. *vitrioli albi* (pulverisatum prius infunditur in aqua, post exsiccatur, & hoc ter vel quater, addendo aliquid *camphora*) *Dictamni albi, rad.Torment. ãã. drach.*ij. *f.Pulvis, Dosis drach.* j. *cum aqua plantag. rosar. vel acetosa, Rod.a Fonseca Tom.*2.*cons.*1.

Valde profuit hic *Pulvis* meus.

℞. *rad.dictamni, torment. boli Arm. præpar.terra sigill. ãã. drach.*iij.

rad. gentian. petasit. tunicar. ãã. ʒij.
santal. rubr. ℥j.
ras. ebor. cortic. citr. corall. rubr. ossis de c. c. rad. zedoar. ãã. ʒß.
margar. præpar. been utriusque ãã. ʒij.
succini, unicorn. ãã. ℈ß.
fol. auri & argenti ãã. *n.* iij.
F. Pulvis Dosis in Præservatione ad ℥j.
in curatione ad ℈iv. *Petr. Forestus obs.* 16. *l.* 8.

Tinctura in Peste expertissima nostra.

℞. *Pulv. troch. de viper. recent parati* ʒiij.
spina viper. ʒß.
rob. juniper. ℥j.
croci ℈iv.
affunde spir. vini alkalisati ℔ij.
spir. urin. ℔j.

stent in digestione & colentur, Colatura servetur,
hujus guttę aliquot in vino, vel alio vehiculo, cōtra ve-
nena præservat, In majore quantitate materiam mali-
gnam per sudorem discutit: Hac Tinctura plures serva-
ti sunt. *Joh. Ferdin. Hertodius C. o. ol. p.* 241.

Oleum Pestilentiale Hemsii, quod fit ex *Ol. succini rectif.*
citri & camphor. cujus dozis à gtt. vi. ad ℈ß. in febr. pe-
stilentibus mira præstat. *Frid. Hofmannus. p.* 150.

In malignis *Tinctura Bezoartica D. Michaelis* omni-
bus palmam præcipit. *Idem p.* 380.

48. *Theriaca Andromachi*) Omnia præscripta reme-
dia virtute & admiranda efficacia superat cœlestis illa
confectio, miseris mortalibus divinitus tradita, quam
ab ejus inventore Theriacam Andromachi vocant, si
ejus ʒi. bis in septimana cum vino aut scordii aqua as-
sumatur, *Galenus* inter pestem & Theriacam vetustam
ponit similitudinem; inquiens Pestem quidem draco-
nem esse, cum corpore aëreo suum virus & venenum
contra homines spirantem, Theriacam autem purga-
torium esse quoddam, venenum subinde expurgans &
Draconem domans.

Cur autem ego *Theriacam* inter Antidota præservan-
tia non posuerim, nec ea quenquam ut intra corpus pro
præservatione utatur velim, ratio hæc est, quam veram
esse longa observatione & experientia didici.

Quicunque efficacissimis Antidotis, qualis est The-
riaca, in præservatione utuntur, ad ea Natura assuescit,
eique tanquam familiare redditur remedium; ac cre-
bra consuetudine efficacia diminuitur, ideo illos dein-
ceps si peste affici contingat, venenum Pestis iisdem
remediis, quibus ante usi fuere, discutere & propellere
minime posse, sed Naturam à virulentia pestis vinci &
succumbere necessum est: Quare præstantissima reme-
dia, quæ omnium maxime præservant, reservari de-
bent, & inter Alexipharmaca (quæ vincunt venenum)
retinenda; donec necessitas eis uti compellat; Et hæc
est ratio cur Theriaca ad præcautionem neminem uti
velim ac suadeam, nisi forsan quis ejus fabæ quantita-
tem ore tenere velit, ubi cum infecto ei conversandum
sit. *Fr. Joel.*

Rationem affert *S. Sanctorius meth. vitand. Err.* l. c. quia
indicationes sumuntur à præsentia indicantis; si ergo
hoc non sit præsens, scil. venenum pestiferum, cum ale-
xipharmacum generosum careat objecto in quod agat,
vim Naturæ inferat necesse est.

48. *Theriacam &c. Mithridatium*) *Paræus* ad præserva-
tionē *Theriacam* & *Mithridatium* cæteris cardiacis omni-
bus proponit, sumendo calidis tempestatibus ad *the-
riaca* ʒß. *conserva rosar.* vel *buglossa*, vel *violar.* ℥j. *boli Arm.*
ʒiij. misceantur.

49. *Mithridatium*) Antidotum contra pestem, quam-
vis vulgarem, attamen saluberrimam tibi mitto, quæ
etiam pueris ad fabæ magnitudinem, vel paulo amplius
tuto exhiberi potest, estque illa quam in sanctuariis
Mithridatis Cn. Pompejus invenit: Ego ut in meliorem
formam compositio redigatur, accipio pondera æqua-
lia tum rutæ, tum ficuum ac iuglandium, & jubeo prius
unum quodque simplex per se fortiter pistillo ligneo in
mortario lapideo contundi, alioqui durior fit mixtura,
non ollis, sed inepta propter ficuum resistentiam, ut
experti sumus: mox unumquodq; per se contusum ite-
rum fortiter cum pistillo in mortario commisceo, super
infundendo *syr. de acetos. citri q. s.* donec compositio de-
licatior meliorque ac mollior fiat, adjectis deinde in
fine aliquot granis salis etiam tritis, Hæc mixtura, li-
cet simplicissima ac paratu facillima, saluberrima tamen
existit: Experientia enim didici tam in me ipso, quam
in omni mea familia, hoc tempore mistis, egregie ad
pestis præcautionem valere; qua antidoto, tum ego,
ac mei singulis diebus usi sumus: Ego omni mane è
lecto surgens, cum multos infectos inviserem, ante-
quam domo exirem ad parvæ nucis magnitudinem ex
hac sequenti confectione sumebam.

℞. *Confect. nostra supradicta de nucibus* ℥iß.
theriac. antiqua & mithridat. ãã. ʒij.
boli Armen. veri, terra sigill vera ãã. ℈iß.
cum syr. de limon. & hyeme cum syr. de cortic. citri q. s.
fiat mixtura.

Aliquando addebam aliquid *aqu. theriac. Gendenis*, Et
iis dabam ad præcautionem in quorum ædibus aliqui
peste obiissent ad ʒj. hyeme cum *vino*, in vere cum *aqua
scabiosa, card. ben.* Æstate cum *aqua acetosa.* vel post
sumptam antidotum has aquas bibendo. *Forestus obs.* 16.
lib. 6.

50. *Electuarium*) *Pompejus* devicto magno Rege *Mithri-
date*, dicitur in Sanctuarios ejus invenisse hoc Electua-
rium, propria *Mithridatis* manu descriptum, quod ille
Rex confecerat *ex duabus nucibus siccis, ficubus totidem, &
ruta foliis xx. simul tritis, addito salis grano*, Qui hoc jejunus
sumeret, nullum venenum ei nociturum illa die, nec
Pestem incurrere posse, Hoc medicamentum *Serenus*,
Medicus Poëta, his versibus cecinit.

Bis denum rutæ folium, salis & breve granum.
Juglandesque duas, totidem que cum corpore ficus.
Hæc oriente die pauco conspersa Lyæo.
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Nos ut in meliorem formam compositio redigere-
tur, *Forestum* imitati, potius singula seorsim contudi-
mus, ac postea miscuimus cum *syrupo limonum*, quanti-
tate sufficiente.

Nonnulli Medici huic Composito adhuc varia alia
admiscent, ut *bolum Armenum, crocum, myrrham, c. c. ga-
langam, dictamnum, baccas lauri* &c. atque ita quasi par-
vam theriacam componunt.

Electuarium Dia-Nucum, olim à D. *Stapedio* pro sua fa-
milia parari solitum.

℞. *granor. Junip.* ℥vj.
caricar. pingu. n. xij.
nucleorum nuc. juglandium ℥xiv.
conserv. borrag. bugloss. ãã. ℥iv.
theriaca veter. mithridat. ãã. ℥ij.
radic. torment. gentiana pimpinella, angelica, zedoar. ãã. ℥j.
syr. limon. q. s. m. f. Electuarium.

Electuarium Dia-Nucum *Untzeri.*

℞. *nucum jugland. excortic. n.* vj.
ficus pingues n. iv. *folior. ruta* ʒiß.
scordii ʒij.
radic. angelica, tormentill. dictamni, Zedoar. ãã. ʒß.
theriac. Androm. ʒß.
myrrha ℈ß.
conserva rosar. aut acetosa ℥j.
salis absynthii ʒj.
*Ex his contusis, & optime mixtis, cum syr. card. ben. q. s.
f. s. a.*

f.s.a. Electuar. Dosis magnitudo juglandis.

Electuarium Dianucum Arnoldi Weickardi.

℞. *nucleor. nucum jugland. excortic.* ℥iij.
caricar. pingu. n. xx. radic. *tormentill. pimpinell. zedoar. angelic.* ãã. ℥iij.
gentian. ℥ij.
baccar. lauri excortic. ℥ß.
junip. ℥ij.
Cortic. citri, galanga, macis in aceto praepar. ãã. ℥iß.
summit. absynth. ruta, card. ben. ãã. m. j.
cornu cervi usti, boli Armen. terra sigill. ãã. ℥j.
myrrha el. ℥j.
Croci. ℈ij.
conserv. flor. borrag. violar. ãã. ℥j.
mellis vel sacch. clarific. ℔iv.
f.s.a. Electuar. Dosis magnitudo castanea vel avellana.

Jacobus Sylvius lib. de Peste aliud longe simplicius ex *nucibus* describit, quippe dicit omnes *Monspessulanos Opiatam conficere ex ficu integra per medium secta, dimidia nuce veteri in mediam ficum impesita, & 5. aut 6. fol. ruta,* idque eos totum tempore pestilenti singulis matutinis devorare, alios quidem crudum, alios ustulatum cuspide cultelli super ignitos carbones.

Electuarium Dianucum Franc. Ioelis descriptum Tomo 5. lib. 1. sect. 3.

℞. *ficuum pingu.* ℥iiij.
nucleor. jugland. à pellicula purgat. ℥ß.
ruta viridis. ℥j.
scord. cardui bened. ãã. ℥ij.
aceti pauxillum, f.s.a. Electuarium.

Iohannis Cratonis duo Electuaria, quibus se bis in Pestilentia præservatum fuisse refert, alternis diebus ad magnitudinem castaneæ sumendo.

℞. *succi cydonior.* ℥iij.
conserv. borrag. rosar. ãã. ℥iiß.
mithrid. opt. ℥j.
margarit. dissolut. ℥j.
hyacynthor. spec. electuar. de gemm. l iberant, coralli dissol. ãã. ℈iiij.
Extracti *cardui bened. veronica scabios. scord.* ãã. ℥ij.
Misce f. Electuar.

Æstate dicit se plus *conserva rosar. & succi cydon.* & interdum aliquid *conserva nymph.* adjecisse.

Alterum *Cratonis* Electuarium.

℞. *Maceris* ℥j.
maceretur horis 24. in aceto vini fortissimo, vel succo limonum, deinde siccetur, & minutim incidatur, addendo *theriaca opt.* ℥j.
conserva borrag. ℥ij.
cortic. citri condit. ℥j.
sem. citri excortic. card. bened. ãã. ℥iß.
species. liberant. ʒj.
Xylo aloes. ʒß.
m. f. Electuarium.

Electuarium à *Foresto* laudatum.

℞. *Conserva fol. acetos.* ℥iiij.
succi acetos. condensati. ℥ß.
succi ruta condensati. ʒj.
pulv. scordii. ʒß.
theriac. ʒij.
semin. citri mundat. ʒiij.
syr. de limon. q. s. f. Electuar. Dosis. ʒij. vel ʒiij.

Idem scribit seipsum hoc sequente Electuario uti solere, mane jejuno ventriculo.

℞. *Confect. Mithridatica de nucibus* ℥ij.
theriaca antiq. Mithridatii Damocratis ãã. ʒij.
boli Armen. vera, terra sigill. ãã. ℈iß.
syr. de limon. q. s. f. Electuar.

Vntzeri Electuarium quod sæpius expertum dicit.

℞. *theriac. antiqua, conserv. rosar.* ãã. ℥j.
mithridat. ℥ß.
Electuar. de ovo. ʒij.
flor. sulph ʒj.
camphor. ʒß.
radic. *angelic. zedoaria, gentiana.* ãã. ʒß.
pimpinell. dictamni, tormentill. ãã. ℈j.
fol. *ruta, scordii.* ãã. ℈ß.
myrrha. ℈j.
croci, gr. xii. *Ossis de corde cervi, cinnam.* ãã ʒj.
corall. rub. praepar. succini, boli Arm. ãã. ʒj.
spec. diamarg. frig. diatrium santal. ãã. ʒß.
syrups de acetositate citri q. s. Misce f. Electuar.

51. *Electuarium quo se venifici*) *Schenckius in observ.* refert ex *Antonio Maria Parolino*, Medico Ferrariensi, duo remedia quibus Venefici quidam, qui contagio alios inficiebant, se præmuniebant, ne veneficia illis ipsis nocerent, Vnum fuit *Electuar.* in textu memoratum, Alterum fuit hoc Vnguentum.

℞. *Olei Terebinth. Petrolei, de Jasmino, Lauri, pinguedin. taxi.* ãã. ℥v.
cera nova, olei comm. ãã. ℥iij.
Bulliant per horæ quadrantem, postea adjungantur *absynthii, chamadr. salvia, ruta, anethi.* ãã. *man. j. coquantur in B. & fiat Vnguentum,* quo inungantur tempora, arteriæ manuum & cordis regio.

52. *Vinum absynthites*) Matutino tempore, præcipue aëre frigidiore existente, in vino assuetis, approbavimus haustum *Vini absynthit.* communis, nostratibus familiaris, quod cum puppa ex *cardui ben. absinth. & centaur. min,* ãã part æqu. adjectis *baccis junip.* confecta, & *in vino tenui*, seu *acidulo* suspensa parari solet, Nonnullis sequens præscripsimus.

℞. *rad. helen. siccat.* ℥j.
rad. angel. dictamni, ostrutii, cortic. aurant. & citri sicc. ãã. ℥j. *rad. gentiana.* ʒj.
herbar. *card. ben.* ℥ß.
centaur. min. absynth. ãã. ʒij.
incidantur, conquassentur &c.

Vinum absynthites cum cruditates absumat, superfluos & biliosos humores abstergat, coctiones adjuvet, obstructiones tollat, urinas moveat, & putredini resistat, ad Præservationem non parum convenit; Imo præter alexipharmacam vim, ipsum quoque absynthium adversus venenum pestilens magnopere valere scribunt *Tabernamontanus* & alii.

Sed moderatus illius debet esse usus; nam observavimus nonnullos, qui illud aliquandiu copiosius biberant, omnino appetitum prostravisse, & viribus tandem dejectis adeo debiles evasisse, ut non sine difficultate ad pristinum statum reduci potuerint; *Diemerbroeck.*

Vinum Medicatum *Mindereri*, quo usus tanquam primario Pestis præservativo; *Lib. de Peste c.20.*

℞. *absynth. vulgar. man. j. ß.*
scordii, cardui ben. ãã. m. j.
dictamni Cretan. ß.
Cortic. citri. ℥ß.
rad. pimpinella. ℥iß.

Incidantur grosso modo, & cum syndone fiat puppa, in vino suspendenda, de quo bibatur haustus post jentaculum.

Vinum Medicatum præſervans *Medicorum Dordracenſium*, præſeriptum in Peſte anni 1656.

℞. *ſummit. abſynth. man.* iij.
fol. ſcordii man. ij.
rad. enula caman. ℥iv.
cortic. & ſemin. citri. ā ā. ℥j.
ſem. carvi. ʒiß.
Injiciantur in vaſculum continens vini albi. ℔xxx. vel xxxv.

Vinum Medicatum Præſervans, præſcriptum à Collegio *Medicorum Vltrajectinorum* in Peſte anni 1655.

℞. *radic. angelica, helenii, petaſit. zedoar.* ā ā. ℥j.
ſelsor. cardui ben. abſynth. meliſſa, ruta, ſcordii. ā ā. ʒij.
granor. junip. ℥j.
cortic. citri. ʒß.
fiat Sacculus, ſuſpendendus in vini albi. ℔xij.

Vinum *Alecicum* D.D. *de Diemerbroech.* Vide ſupra §. *Pilula Rufi.*

53. *Vinum Abſynthites alius antidotis*) Præſertim jejuno ſtomacho ſumptum, Nam jejunus ne eſto, ſed ſemper antequam domo exeas aliquot *buccellas panis* & hauſtum dicti vini bonum, vel alias medicati aſſumas: Ita quidem ut prius accendas *campheram* magnitudine piſi, quam leviter accenſam immitte hauſtui vini, ut ſupernatando comburatur. Sin extinguatur, denuo accende & perge donec conſumpta ſit; *Eſt vinum* egregium in Peſte præſervativum, acidum generoſum, ex eo ſaltem quod animoſos reddat homines: Poteſt etiam fieri *vinum medicatum* ex infuſione vegetabilium alexipharmacorum, nunquam *myrrham* & camphoram omittendo, & tale Vinum poteſt crebrius hauriri. *Emuller.*

Pro præſervatione hoc *Vino* ego uſus ſum.

℞. *fol. abſinth. m.* iß.
ſcord. card. ben. ā ā. m. j.
dictamn. Cret. m. ß.
cortic. citr. ʒß.
rad. pimpin. ℥iß.
Incid. groſſe mode, m. f. Nodulus qui immergatur Vino, de quo potenir hauſtus unus poſt ſumptum jentaculum, *R. Minderenus libr. de Peſtil. c.* 15. & 20.

54. *Cerevißia medicata*) Multis *Cerevißiam* quandam *medicatam* præſcripſimus, de qua bis terve de die hauſtum bibebant, vel eadem, ſi vellent pro potu ordinario utebantur, eamque ſummis laudibus ubique extollebant, eo quod non eſſet valde ingrati ſaporis, & ſi quid in corpore latebat malignitatis, illud ad cutem propelleret.

℞. *radic. petaſitid. dictamni.* ā ā. ℥j.
cortic. aurant. ſiccor. radic. eſtrut. angelica ā ā. ʒiij. ß.
herb. abſynth. ʒiß.
centaur. min. ℥j.
cardui ben. ʒiv.
concidantur minutim, & *in ſeccule ſetaceo fiat puppa,* ſuſpendenda in integro vaſe (menſuræ noſtraris) *cerevißia mediocris.*

Maxime proficuus fuit iſtius cerevißiæ medicatæ uſus: Vidimus hoc tempore multos quibus, cum per aliquot dies illa cerevißia uſi fuiſſent, Puſtulæ aliis plures, aliis pauciores, aliis in multa copia in cute per totum corpus eruperunt, quibus ſanatis poſtea optime valuerunt, neque plures puſtulæ amplius eruperunt, quamvis ejuſdem cerevißiæ uſum continuarent.

Imo vidimus aliquos in quibus (adjuvante forſan maligna aëris conſtitutione) variolas producit. *Diemerbroeck.*

Cerevißia Medicata Medicorum Antuerpienſium præſcripta in Peſte anni 1624.

℞. *Corticum aurantiorum ſiccor. lib.* ß.
herbarum cardui ben.
ſcabioſa.
ſcordii. ā ā. *m.* j.
abſynth. man. ß.

Minutim conſciſſa indantur ſacculo ſuſpenſo in vaſe cerevißiæ melioris notæ.

55. *Elixir*) *Elixir Alliatum* magni præſervativi locum habet, quod ſic ſit.

℞. *allior. expurgat. n. xx. contundantur, alembico in dantur, affunde ſpir. vini rectificati ad 4. digitorum eminentiam deſtilla in Balneo per cohobia, ſemper nova alia addendo In ultima deſtillatione adde camphora in petia ligata, collo alembici appenſa* ℥j.
deſtilla ut prius. *Claudius Deodatus Panthei Hygiaſt. l.* 3. *c.* 27.

55. *Elixir*) *Proprietatis*) *Elixir proprietatis Peſtilentiale.*

℞. *croci Angl. optimi.* ʒß. *extrahe tincturam cum aqua uſmar. ſcabioſ. card vel meliſſa ſ. q. additis ſpir. ſulph. aliquot guttis ad leviuſculam aciditatem: Liquor per chartam* agatur, In colatura ad lentum Balnei calorem diſſolve *aloës pellucida è veſica.* ℥iv. per ſetaceum linteum haud ita rarum trajiciatur liquor, Deinde fiat condenſatio ad eundem calorem, acquiſita pilul. molliuſcularum conſiſtentia; adde *myrrha puriſſima.* ʒvij. *flor. vel magiſterii pracip. benZoin.* ℥i. j. *ſalis c. c.* ʒij. *cum ſyr. ſambuc. q. ſ. f.* maſſa unde Pilulæ formentur, dozis ad ℈ij. *Nath. Hodges Sect.* 8. *l. de Peſte.*

Elixiris deſcriptionem pollicetur inſcriptio, cum tamen Pilulæ emergant; Cujus formam conciliaturus eris, ſi trajectum liquorem decantaveris, relictæ materiæ affuderis *ſpiritum vini*, & ulterius extraxeris, decantariſque, Tandem quæ reſtant fæces deſtillationi ſubmiſeris, diſtillatumque prioribus addideris.

57. *Saccharum C. album &c.*) Inſigne præſervativum paratur ex *ſacchare cande* & *ſpir. ſalis dulc.* hoc modo.

℞. *Sacch. C. albi pulv.* ℥iv.
imbibe cum ſpir. ſalis dulcis, ad formam Elect. Cujus dozis omnibus diebus mane jejuno ventriculo. ʒj. Omnem putredinem abarcet & ventriculum cum viſceribus reliquis in optima conſervat diſpoſitione. *J. Hartmann.*

58. *Salis*) *Salem* eſſe antidotum præſtantiſſimum, tam ad præſervationem quam ad curationem ſcribit *Argenius lib.* 9. *Epiſt. Joubertus T.* 1. 13. Refert *Joh. Willichius* in *Halilogia*, incolas Miletæ Inſulæ quotidie ad præſervationem à Peſte parum Salis uſurpare ſolere, dicentes hoc eſſe efficaciſſimum remedium removendi à ſe peſtiferum contagium: *Fidejuſtus Reineccerus lib.* 6. *Theſ. Chymicar.* aſſerit *Sal commune* in aqua hauſtum præſervare à lue peſtifera; *Brudus Luſitanus lib.* 3. *de vict. rat. in Feb.* 1. 19. pluribus docet ſal eſſe efficaciſſimum præſervativum ac curativum in Peſte: *Vincentius* in *Spec. Alchymia* etiam in noſtra Peſte multc. 18. *Sale* trito cum aceto utitur. Sic etiam in noſtra Peſte multi eorum qui aceto utebantur, pauca grana ſalis ei injiciebant.

Chymici *ſpiritum ſalis* in frequenti habent uſus, eo ejuſq; aliquot guttas cum hauſtu alicujus liquoris exlubeant matutino tempore; vel illum dulcificatum cum ſaccharo miſcent, *Diemerbroech. c.* 10.

59. *Spiritu ſalis dulcorato*) Sic dulcis redditur, *Spiritus ſalis cum ſpiritu vini* æquali parte miſcetur, & ſimul ter quaterve diſtillantur, atque ita uniuntur inſeparabiliter, & dulceſcunt, Eodem modo dulcis redditur *ſpiritus nitri, vitrioli &c.*

60. *Electuarii Hartmanni*) Hoc omnem putredinem arcet

arcet & viscera in optima conservat constitutione. *Diemerbroeck.*

61. *Pulverem)* *Alexis Pedemontanus* scribit hunc Pulverem in maxima quadam Angliæ Peste ab omnibus Medicis probatum esse, Et omnes qui de eo quotidie mane aliquantum sumebant præservatos fuisse.

℞. *aloës hepatica, cinnam. electi, myrrha electa.* ãã. ʒij.
caryophyll. macis, ligni aloes, masliches, bols Arm. ãã. ℥j. *Pulverisentur subtilissime.*

Pulvis à *Dodonao summe probatus l. 1. Prax. c. 18.*

℞. *radic. tormentill. carlina, zedoar. angel.* ãã. ʒß.
herba scord. ʒiij.
baccar. laur. junip. ãã. ʒij.
cinnam. macis, croci, semin. acetosa ãã. ʒj.
f. Pulvis, cui per minimas guttulas *instillandum aliquid aceti, Servetur ad usum.*

Pulvis quem *Untzerus* in gravissimis Pestibus annis 1607. 1610. valde salutarem compertum fuisse ait.

℞. *flor. sulphur. ter sublimat.* ʒiiß.
cornu cervi prapar. ʒiß.
boli Armen. prapar. Terra Lemnia vera ãã ℈ij.
myrrha el. ʒj.
croci ℈j.
sacchari fini ad lubitum, f. Pulvis, dosis ij. aut iij. cuspides cultri mane jejuno stomacho.

Pulvis *Gregorii Horstii*, quem extollit consilio de Peste, *probatus* anno 1611.

℞. *radic. dictamni. pimpinell. angelic. torment.* ãã ℥j.
zedoar. cortic citri, cornu cervi usti prapar. ãã. ʒvj.
semin. *ruta, cardui ben.* ãã. ʒij.
myrrha ℥j.
terra sigill. ℥j.
salis absynth. ʒij.
Misce f. Pulvis Bezoarticus, Dozis à ℈ij. ad ℈iv.

Pulvis quem *Cornelius Gemma De curatione Bubonis Pestil.* scribit pro summo secreto à Rege Hispaniæ haberi.

℞. *Myrrha selecta, masliches, boli Armen. terra sigill. ligni aloës, caryophyll. macis, croci* ãã. *p. aqu. f. Pulvis Dozas quotidie* ʒß. *vel q. v.*

Crato hunc Pulverem hoc modo immutat.

℞. *Myrrha, ligni aloës, terra sigill bols Arm.* ãã. ʒß.
macis aceto prapar. croci ãã. ʒij.
f. Pulvis.

62. *Pulverem serpentinum)* Medici Monspelienses utuntur in febre maligna & pestilenti, tanquam alexipharmaco utilissimo, nulla calefaciendi vi prædito, *Trochiscis Viperinis* qui ad confectionem Theriacæ vulgo concinnari solent, eosque exhibent à ℈j. ad ʒß. cum aquis cardiacis. Melior tamen foret caro Viperina exsiccata, nulla venenata qualitate prædita, sed potius vi alexipharmaca potenti, quæ in decoctione multum imminuitur; ad trochiscos enim parandos in aqua decoquitur, Ideo præstantiores effectus ex corde & hepate Viperino sola exsiccatione præparatis. *Riverius.*

62. *Pulverem serpentinum)* Medici Monspelienses & multi Itali in Peste, tanquam utilissimo alexipharmaco, utuntur *Trochiscis Viperinis*, quos ad confectionem theriacæ parare solent, dant à ʒß. ad ℥j. cum aquis cordialibus. Nos in hac nostra Peste iisdem aliquoties usi sumus, sed absque magno fructu, forte quia non satis recentes habemus, aut quia non tantopere valent adversus venenum Pestilens.

Loco horum Trochiscorum, apud Germanos primo excogitatos, in usum venit *Pulvis serpentum*, ex *Colubrorum carne* lota & exsiccata confectus, quem adversus venenum pestilens multum valere prædicant *Cunradus Cunradi, Angelus Baldus, Crollius, Quercetanus & alii.*

Rationes quibus *Serpentini pulveris* fundamentum nititur hæ sunt, 1. quod *Galen.* dicat *6. Epid. 6. t. 5. Vinum Viperinum* multum valere adversus venena 2. quod idem *2. simpl.* referat duos leprosos vino Viperino fuisse sanatos, 3. Quod *Troch. de Viperis* adversus omnia venena valere jam ab *Andromachi* tempore pro indubitato habitum fuerit, qui eapropter theriacæ compositionem ingrediuntur.

Ex altera parte multi celeberrimi Medici carnes serpentinas & viperinas adversus venena nihil prodesse credunt; Si meam opinionem quis roget, Ego utrosque errare dicam, *Illos* quod prædictas rationes & Galenicas authoritates nimis longe extendunt, *Hos*, quod easdem nimis temere in totum rejiciant, Nam carnes viperinas & serpentinas adversus aliqua venena eximiam antidotalem vim obtinere notum est.

Verum qui hanc ad omnia venena extendere volet, longissime errabit; nam multa inveniuntur adversus quæ carnes viperinæ vel serpentinæ non magis prosunt quam saccharum adversus arsenicum: Venena enim quadruplicia fere sunt, 1. *Vegetabilia*, 2. *Mineralia*, 3. *Humoralia*, quæ insunt animalibus viventibus, vel sanis, vel ægris, & in *illos* ex certa quadam naturali humorum dispositione resultant, qualia sunt venena *scorpionum, bufonum, araneorum* &c. In *his* vero ex certa quadam humorum in corpore corruptione præternaturali generantur, ut sunt *Venenum rabidum, venereum, epilepticum*, & illud à quo *Variola* multæque malignæ febres generantur. 4. *Aerea*, è quibus generatur Pestis, quorum naturam & essentiam nemo hactenus bene novit.

Adversus multa ex tribus prioribus venenis carnes serpentum multum valere certum est, sed non tamen adversus omnia; nam rabidum, venereum, aut epilepticum venenum per illas extinctum & expulsum fuisse, dictosve morbos sanatos fuisse, nondum compertum est; Verum adversus quartum Venenum, nempe *aereum*, illas specifice prodesse, nulla certa experientia hactenus demonstravit; imo contra multoties compertum est illas adversus pestilens venenum nihil omnino profuisse; Sic testatur *Untzerus* anno 1610. quo gravissima Pestis grassabatur, maximam eorum partem qui hoc pulvere usi fuerunt, interiisse; Videatur etiam *Libavius Tom. 2. syntagm. Alch. c. 14.* &c. *Diemerbroeck. cap. 5. lib. 3.*

63. *Antidotum)* Quidam admodum extollunt Antidotum, quod in *Sudore Anglico* plurimum præservasse dicitur.

℞. *menth. crispa. absynth. chelidon. maj. ruta*, omnium recent. ãã. m. j.
ex his exprimatur succus, cui adde, *radic. gentiana, angelica, tormentilla, helenii, leviter contusar.* ãã. ℥ß.
vini albi ℔ß.
digerantur in vitro bene clauso horis 24. postea admisceatur spiritus vini ℔ß.
& stent simul per 3. vel 4. dies, postea simul exprimantur, Expressio in vitro clauso servetur Dozis ad præservationem coch. j. singulis matutinis, Ad curationem cochlearia iij. cum provocatione sudoris.

Ex 64. *Electuario Imperii)* Quidam commendant sequens, præservativum & curativum remedium,

Vinum Medicatum præſervans *Medicorum Dordracenſium*, præſcriptum in Peſte anni 1656.

℞. *ſummit. abſynth. man.* iij.
fol. ſcordii man. ij.
rad. enulæ caman. ℥iv.
cortic. & ſemin. citri. āā. ʒj.
ſem. carvi. ℥iß.
Injiciantur in vaſculum continens vini albi. ℔xxx. vel xxxv.

Vinum Medicatum Præſervans, præſcriptum à Collegio *Medicorum Vltrajectinorum* in Peſte anni 1655.

℞. *radic. angelicæ, helenii, petaſit. zedoar.* āā. ℥j.
folior. cardui ben. abſynth. meliſſæ, rutæ, ſcordii. āā. ℥ij.
granor. junip. ʒj.
cortic. citri. ℥ß.
fiat Sacculus, ſuſpendendus in vini albi. ℔xij.

Vinum *Aloëticum* D.D. *de Diemerbroech.* Vide ſupra §. *Pilulæ Rufi.*

53. *Vinum Abſynthites aliis antidotis*) Præſertim jejuno ſtomacho ſumptum, Nam jejunus ne eſto, ſed ſemper antequam domo exeas aliquot *buccellas panis* & hauſtum dicti vini bonum, vel alias medicati aſſumas: Ita quidem ut prius accendas *camphoram* magnitudine piſi, quam leviter accenſam immitte hauſtui vini, ut ſupernatando comburatur. Sin extinguatur, denuo accende & perge donec conſumpta ſit; *Eſt vinum* egregium in Peſte præſervativum, acidum generoſum, ex eo ſaltem quod animoſos reddat homines: Poteſt etiam fieri *vinum medicatum* ex infuſione vegetabilium alexipharmacorum, nunquam *myrrham* & camphoram omittendo, & tale Vinum poteſt crebrius hauriri. *Etmuller.*

Pro præſervatione hoc *Vino* ego uſus ſum.

℞. *fol. abſinth. m.* iß.
ſcord. card. ben. āā. m. j.
dictamn. Cret. m. ß.
cortic. citr. ℥ß.
rad. pimpin. ʒiß.
Incid. groſſo modo, m. f. Nodulus qui immergatur Vino, de quo potetur hauſtus unus poſt ſumptum jentaculum, *R. Mindererus libr. de Peſtil. c.* 15. *&* 20.

54. *Cereviſia medicata*) Multis *Cereviſiam* quandam *medicatam* præſcripſimus, de qua bis terve de die hauſtum bibebant, vel eadem, ſi vellent pro potu ordinario utebantur, eamque ſummis laudibus ubique extollebant, eo quod non eſſet valde ingrati ſaporis, & ſi quid in corpore latebat malignitatis, illud ad cutem propelleret.

℞. *radic. petaſitid. dictamni.* āā. ℥j.
cortic. aurant. ſiccor. radic. oſtrut. angelicæ āā. ℥iij. ß.
herb. abſynth. ℥iß.
centaur. min. ℥j.
cardui ben. ℥iv.
concidantur minutim, & in ſacculo ſetaceo fiat pupa, ſuſpendenda in integro vaſe (menſuræ noſtratis) *cereviſiæ mediocris.*

Maxime proficuus fuit iſtius cereviſiæ medicatæ uſus: Vidimus hoc tempore multos quibus, cum per aliquot dies illa cereviſia uſi fuiſſent, Puſtulæ aliis plures, aliis pauciores, aliis in multa copia in cute per totum corpus eruperunt, quibus ſanatis poſtea optime valuerunt, neque plures puſtulæ amplius eruperunt, quamvis ejuſdem cereviſiæ uſum continuarent.

Imo vidimus aliquos in quibus (adjuvante forſan maligna aëris conſtitutione) variolas producit. *Diemerbroeck.*

Cereviſia Medicata Medicorum Antuerpienſium præſcripta in Peſte anni 1624.

℞. *Corticum aurantiorum ſiccor. lib.* ß.
herbarum cardui ben.
ſcabioſæ.
ſcordii. āā. m. j.
abſynth. man. ß.

Minutim conſciſſa indantur ſacculo ſuſpenſo in vaſe cereviſiæ melioris notæ.

55. *Elixir*) *Elixir Alliatum* magni præſervativi locum habet, quod ſic fit.

℞. *allior. expurgat. n.* xx. *contundantur, alembico indantur, affunde ſpir. vini rectiſicati ad* 4. *digitorum eminentiam deſtilla in Balneo per cohobia, ſemper nova alia addendo In ultima deſtillatione adde camphoræ in petia ligata, collo alembici appenſa* ʒj.
deſtilla ut prius. *Claudius Deodatus Panthei Hygiaſt. l.* 3. *c.* 27.

55. *Elixir*) *Proprietatis*) *Elixir proprietatis Peſtilentiale.*

℞. *croci Angl. optimi.* ℥ß. *extrahe tincturam cum aqua ulmar. ſcabioſ. card vel meliſſæ ſ. q. additis ſpir. ſulph. aliquot guttis ad leviuſculam aciditatem: Liquor per chartam* agatur, In colatura ad lentum Balnei calorem diſſolve *aloës pellucidæ è veſica.* ℥iv. per ſetaceum linteum haud ita rarum trajiciatur liquor, Deinde fiat condenſatio ad eundem calorem, acquiſita pilul. molliuſcularum conſiſtentia; adde *myrrhæ puriſſimæ.* ʒvij. *flor. vel magiſterii præcip. benzoin.* ℥i j. *ſalis c. c.* ℥ij. *cum ſyr. ſambuc. q. ſ. f.* maſſa unde Pilulæ formentur, dozis ad ℈ij. *Nath. Hodges Sect* 8. *l. de Peſte.*

Elixiris deſcriptionem pollicetur inſcriptio, cum tamen Pilulæ emergant; Cujus formam conciliaturus eris, ſi trajectum liquorem decantaveris, relictæ materiæ affuderis *ſpiritum vini*, & ulterius extraxeris, decantariſque, Tandem quæ reſtant fæces deſtillationi ſubmiſeris, diſtillatumque prioribus addideris.

57. *Saccharum C. album &c.*) Inſigne præſervativum paratur ex *ſaccharo cando* & *ſpir. ſalis dulc.* hoc modo.

℞. *Sacch. C. albi pulv.* ℥iv.
imbibe cum ſpir. ſalis dulcis, ad formam Elect. Cujus dozis omnibus diebus mane jejuno ventriculo. ʒj. Omnem putredinem abarcet & ventriculum cum viſceribus reliquis in optima conſervat diſpoſitione. *J. Hartmann.*

58. *Salis*) *Salem* eſſe antidotum præſtantiſſimum, tam ad præſervationem quam ad curationem ſcribit *Augenius lib.* 9. *Epiſt. Jenbertus Tr.* 13. Refert *Joh. Willichius* in *Halilogia*, incolas Miletæ Inſulæ quotidie ad præſervationem à Peſte parum Salis uſurpare ſolere, dicentes hoc eſſe efficaciſſimum remedium removendi à ſe peſtiferum contagium: *Fidejuſtus Reineccerus lib.* 6. *Theſ. Chymicar.* aſſerit *Sal commune* in aqua hauſtum præſervare à lue peſtifera; *Brudus Luſitanus lib.* 3. *de vict. rat. in Feb. c.* 19. pluribus docet ſal eſſe efficaciſſimum præſervativum ac curativum in Peſte: *Vincentius* in *Spec. Alchymiæ* etiam in noſtra Peſte multe. 18. *Sale* trito cum aceto utitur. Sic etiam in noſtra Peſte multi eorum qui aceto utebantur, pauca grana ſalis ei injiciebant.

Chymici *ſpiritum ſalis* in frequenti habent uſu, eo ejuſq; aliquot guttas cum hauſtu alicujus liquoris exhibent maturino tempore; vel illum dulcificatum cum ſaccharo miſcent, *Diemerbroech. c.* 10.

59. *Spiritu ſalis dulcorato*) Sic dulcis redditur, *Spiritus ſalis cum ſpiritus vini* æquali parte miſcetur, & ſimul ter quaterve diſtillantur, atque ita uniuntur inſeparabiliter, & dulceſcunt, Eodem modo dulcis redditur *ſpiritus nitri, vitrioli &c.*

60. *Electuarii Hartmanni*) Hoc omnem putredinem arcet

arcet & viscera in optima conservat constitutione. *Diemerbroeck.*

61. *Pulverem*) *Alexis Pedemontanus* scribit hunc Pulverem in maxima quadam Angliæ Peste ab omnibus Medicis probatum esse, Et omnes qui de eo quoudie mane aliquantum sumebant præservatos fuisse.

℞. *aloës hepaticæ, cinnam. electi, myrrhæ electæ. ãã. ℨij. caryophyll. macis, ligni aloe s, mastiches, boli Arm. ãã ℥j. Pulverisentur subtilissime.*

Pulvis à *Dodonæo summe probatus l. 1. Prax. c. 18.*

℞. *radic. tormentill. carlinæ, zedoar. angel. ãã. ℥ß.*
herbæ scord. ℨiij.
baccar. laurı. junip. ãã. ℨij.
cinnam. macis, croci, semin. acetosæ ãã. ℨj.
f. Pulvis, cui per minimas guttulas *instillandum aliquid aceti, Servetur ad usum.*

Pulvis quem *Vnizerus* in gravissimis Pestibus annis 1607. 1610. valde salutarem compertum fuisse ait.

℞. *flor. sulphur. ter sublimat. ℨiiß.*
cornu cervi præpar. ℨiß.
boli Armen. præpar. Terræ Lemniæ veræ ãã ℈ij.
myrrhæ el. ℨj.
croci ℈j.
sacchari fini ad lubitum, f. Pulvis, dosis ij. aut iij. cuspides cultri mane jejuno stomacho.

Pulvis *Gregorii Horstii*, quem extollit consilio de Peste, *probatus* anno 1611.

℞. *radic. dictamni. pimpinell. angelic. torment. ãã ℥j.*
zedoar. cortic. citri, cornu cervi usti præpar. ãã. ℨvj.
semin. *rutæ, cardui ben. ãã. ℨij.*
myrrhæ ℥j.
terræ sigill. ℥j.
salis absynth. ℨij.
Misce f. Pulvis Bezoarticus, Dosis à ℈ij. ad ℈iv.

Pulvis quem *Cornelius Gemma De curatione Bubonis Pestil.* scribit pro summo secreto à Rege Hispaniæ haberi.

℞. *Myrrhæ selectæ, mastiches, boli Armen. terræ sigill. ligni aloës, caryophyll. macis, croci ãã. p. æqu. f. Pulvis Dosis quotidie ℨß. vel q. v.*

Crato hunc Pulverem hoc modo immutat.

℞. *Myrrhæ, ligni aloës, terræ sigill. boli Arm. ãã. ℥ß.*
macis aceto præpar. croci ãã. ℨij.
f. Pulvis.

62. *Pulverem serpentinum*) Medici Monspelienses utuntur in febre maligna & pestilenti, tanquam alexipharmaco utilissimo, nulla calefaciendi vi prædito, *Trochiscis Viperinis* qui ad confectionem Theriacæ vulgo concinnari solent, eosque exhibent à ℈j. ad ℨß. cum aquis cardiacis. Melior tamen foret caro Viperina exsiccata, nulla venenata qualitate prædita, sed potius vi alexipharmaca potenti, quæ in decoctione multum imminuitur; ad trochiscos enim parandos in aqua decoquitur, Ideo præstantiores effectus ex corde & hepate Viperino sola exsiccatione præparatis. *Riverius.*

62. *Pulverem serpentinum*) Medici Monspelienses & multi Itali in Peste, tanquam utilissimo alexipharmaco, utuntur *Trochiscis Viperinis*, quos ad confectionem theriacæ parare solent, dant à ℨß. ad ℥j. cum aquis cordialibus. Nos in hac nostra Peste iisdem aliquoties usi sumus, sed absque magno fructu, forte quia non satis recentes habemus, aut quia non tantopere valent adversus venenum Pestilens.

Loco horum Trochiscorum, apud Germanos primo excogitatos, in usum venit *Pulvis serpentum*, ex *Colubrorum carne* lota & exsiccata confectus, quem adversus venenum pestilens multum valere prædicant *Conradus Conradi, Angelus Baldus, Crollius, Quercetanus & alii.*

Rationes quibus *Serpentini pulveris* fundamentum nititur hæ sunt, 1. quod *Galen.* dicat *6. Epid. 6. t. 5. Vinum Viperinum* multum valere adversus venena 2. quod idem *2. simpl.* referat duos leprosos vino Viperino fuisse sanatos, 3. Quod *Troch. de Viperis* adversus omnia venena valere jam ab *Andromachi* tempore pro indubitato habitum fuerit, qui eapropter theriacæ compositionem ingrediuntur.

Ex altera parte multi celeberrimi Medici carnes serpentinas & viperinas adversus venena nihil prodesse credunt; Si meam opinionem quis roget, Ego utrosque errare dicam, *Illos* quod prædictas rationes & Galenicas authoritates nimis longe extendunt, *Hos*, quod easdem nimis temere in totum rejiciant, Nam carnes viperinas & serpentinas adversus aliqua venena eximiam antidotalem vim obtinere notum est.

Verum qui hanc ad omnia venena extendere volet, longissime errabit; nam multa inveniuntur adversus quæ carnes viperinæ vel serpentinæ non magis prosunt quam saccharum adversus arsenicum: Venena enim quadruplicia fere sunt, 1. *Vegetabilia*, 2. *Mineralia*, 3. *Humoralia*, quæ insunt animalibus viventibus, vel sanis, vel ægris, & in *illos* ex certa quadam naturali humorum dispositione resultant, qualia sunt venena *scorpionum, bufonum, araneorum* &c. In *his* vero ex certa quadam humorum in corpore corruptione præternaturali generantur, ut sunt *Venenum rabidum, venereum, epilepticum*, & illud à quo *Variolæ* multæque malignæ febres generantur. 4. *Aerea*, è quibus generatur Pestis, quorum naturam & essentiam nemo hactenus bene novit.

Adversus multa ex tribus prioribus venenis carnes serpentum multum valere certum est, sed non tamen adversus omnia; nam rabidum, venereum, aut epilepticum venenum per illas extinctum & expulsum fuisse, dictosve morbos sanatos fuisse, nondum compertum est; Verum adversus quartum Venenum, nempe *aereum*, illas specifice prodesse, nulla certa experientia hactenus demonstravit; imo contra multoties compertum est illas adversus pestilens venenum nihil omnino profuisse; Sic testatur *Unzerus* anno 1610. quo gravissima Pestis grassabatur, maximam eorum partem qui hoc pulvere usi fuerunt, interiisse; Videatur etiam *Libavius Tom. 2. syntagm. Alch. c. 14.* &c. *Diemerbroeck. cap. 5. lib. 3.*

63. *Antidotum*) Quidam admodum extollunt Antidotum, quod in *Sudore Anglico* plurimum præservasse dicitur.

℞. *menth. crispæ, absynth. chelidon. maj. rutæ*, omnium recent. ãã. m. j.
ex his exprimatur succus, cui adde, *radic. gentianæ, angelicæ, tormentillæ, helenii, leviter contusar. ãã. ℥ß.*
vini albi ℔ß.
digerantur in vitro bene clauso horis 24. postea admisceatur spiritus vini ℔ß.
& stent simul per 3. vel 4. dies, postea simul exprimantur, Expressio in vitro clauso servetur Dosis ad præservationem coch. j. singulis matutinis, Ad curationem cochlearia iij. cum provocatione sudoris.

Ex 64. *Electuario Iuniperi*) Quidam commendant sequens, præservativum & curativum remedium,

℞. *rob. junip.* ℥iij.
Elect. de ove, mithrid. ãã. ℥iß.
theriac. ℥ij.
flor. sulph. ℥iij.
myrrha ℥iij.
camph. ℈ij.
Croci ori. ʒß.
succi citri. ℥iß.
vel q. s. ad consistentiam Elect. de quo ad præservationem sumitur quantitas castaneæ; Pro cura vero ℈iv. vel ʒiß.
in aq. card. ben. & acetosa ãã. ℥j.
m. hauriantur una vice.

[65.] *Lapid. Bezoar gryssei*) *Lapidem Bezoarticum* adversus Pestem valere plurimum prædicant multi; Contra plurimi alii viri doctissimi, ab experientia edocti, scribunt hunc ad Pestis curationem aut parum aut nihil conferre: Quorum omnium discrepantes opiniones collegit *Casparus Bauhinus lib. de lap. Bezoar. capite 34. & 37.*

Nos arbitramur priores in eo esse deceptos, quod cum viderent verum *lapidem Bezoarticum* adversus multa venena prodesse, inde conclusérint illum necessario non minorem vim alexipharmacam adversus omnia venena, nec non adversus Pestilens Venenum habere, Quam conclusionem magnopere vacillare docet experientia, cum adversus arsenicum, mercurium sublimatum & præcipitatum nihil conducere experti simus.

Credimus illum forte prodesse posse adversus venena scorpionum, bufonum, aranearum viperarum, & similia, ut & adversus illa venena quæ ex interna humorum corruptione in corporibus nostris generantur, Nam aliquoties comperti sumus illum prodesse in febribus malignis & pestilentialibus sine Peste, variolis, morbillis, aliisque similibus morbis, quorum venenata qualitas resultat ex interna humorum corruptione; Sed adversus venenum Pestilens, quod aëreum est, nec intus genitum, sed forinsecus corpus ingreditur, hunc lapidem aut parum aut nihil prodesse in praxi semper observavimus, Neque etiam in hac nostra Peste, ex *lapidis Bezoartici orientalis*, optimi & electissimi, usu ullum notabile commodum unquam percipere potuimus.

Vtque de ejus viribus certius nobis constaret, aliquoties ægris ditioribus dicti lapidis pulverisati ʒß. nonnunquam etiam drachmam integram exhibuimus, sed absque ullo fructu, movebat aliquo modo exiguum duntaxat sudorem, at nunquam subsequebatur expectatum levamen: Quapropter nos eo postea rarius usi sumus, idque solummodo aut in iis, qui sibi non satisfieri putabant si aliis medicamentis hic lapis non adjungeretur, aut in iis qui alia medicamenta assumere non poterant: Nam etsi veneni pestilentis virulentiam infringere ac coërcere non possit, tamen aliquomodo prodesse experti sumus, ratione malignæ corruptionis humorum à veneno pestilenti inductæ.

Pessime autem sibi illos consuluisse observavimus, qui in principio morbi, antequam humores multum corrumperentur, salutem suam huic soli lapidi concrediderunt; nam ipsa experientia sæpissime edoctus sum illum in tali casu nihil prodesse; Et cum jactura temporis in Peste magnum periculum minetur, sæpe factum fuisse vidimus, ut dum ab exhibito hoc lapide levamen frustra expectaretur, morbus interea radices egerit, nec postea expelli potuerit. *Diemerbroeck.*

[66.] *Florum sulphuris*) Sulphur ad veneno pestilentis extinctionem plurimum facere scio, ac proinde *ejus flores* maxime commendant *Severinus in Idea cap. 15. Ronsaus Epist. med. 28. Crollius in Basil. Chym.* his verbis commendat, *Flores sulphuris summum sunt curativum & præservativum in Peste, resistunt enim impressioni & præservanto putredine, Cum extracto enula campana ad miraculum operantur.* Idem *Auctor* ex *floribus sulphuris* conficit suum *Elixir pestilentiale*, à plurimis Medicis miro encomio celebratum.

[67.] *Florum sulph. vitriolat. &c.*) Post *Acida* (*in præservatione præsertim*) sunt *sulphurea*, tam *mineralia* quam *vegetabilia*, balsamica vi corpus defendentia: Hinc *sulphur* ipsum (aut ejus *flores*) cum *myrrha* mistum & usurpatum convenit; hinc etiam omnis *Potus sulphurandus*: Juxta *sulphur*, est *myrrha, succinum, camphora* &c. *Camphora* tamen cæteris palmam præripit: Hinc & *Elixir propr.* cum *spir. sulph.* plus minus acidularum, egregie convenit. Vel

℞. *flor. sulph.* ʒiij.
myrrh. ʒij.
aloës ʒj.
croci, camph. ãã ʒß.
F. *Pulv.* ex quo varia fieri possunt remedia, cum addito *facch.* q. s. fiat *Bolus præservativus*: Cum s. q. *conserva pulpa citri* potest fieri *Elect.* præservativum, &c. Hisce etiam *Opium* addendum venit, quod spiritus figendo & animi pathemata nonnihil coercendo, inter præservantia non ultimum meretur locum: Hinc & *Theriaca, mithrid. Diascord. Frac.* Opio divites compositiones cum *aceto* præservationis gratia usurpari possunt. *Etmuller p. 394.*

Ad *Curationem*, ex regno minerali excellunt *Sulphurea*, tam ex sulphure communi quam in specie ex *antimonio* rite parata, Præter ea quæ *Kerkherus* & *Helmontius* habent, *Petrus a Castro* testis est in Peste Romana felici admodum successu exhibitas fuisse *sulphuris* tenuissime triti ʒij. cum unciis aliquot *aceti* fortissimi, quibus simul adderent *Camphoram*, Vnde & *Potus* quilibet in Peste *sulphurandi* sunt. *Idem p. 400.*

Cognita sunt mihi, ac jam dudum perspecta *sulphuris* ac *vitrioli* in peste pellenda remedia, quæ in diræ hujus luis emollitione supremam laudem merentur, Cum nulla sit putredo cujus vires horum spiritus, non frangant, nulla infectio quam illi non superent; nulla humorum depravatio quæ per illos non corrigatur; sane (ut liberrime loquar) si mihi vitriolatorum medicamentorum usus interdiceretur, vel inhiberetur, Ego ad Pestis curationem nunquam, vel saltem inermis accederem, *Raimundus Mindererus l. de Pestil. c. 15. & 20.*

[68.] *Essentia vitrioli*) Inveniuntur nonnulli, inter quos primarius est *Joh. Sylvaticus l. controv. Med. 48.* qui *Oleum* (proprie aqua est) *Vitrioli* in curatione pestis tanquam summe damnosum rejiciendum esse existimant, 1. quia gustum acriter ferit, & acerrimum est, quod adurentem facultatem indicat, 2 Quia *Dioscor. & Galenus* Vitriolum septicam facultatem habere, vomitum movere dicunt.

Verum sciendum dictos viros loqui de ipso Vitriolo, non autem de ipsius oleo, ipsis ignuto, quod differt à vitriolo, ut candidum à nigro; nam refrigerat, malignitati resistit, exsiccat, putredines tollit & sudores movet: quæ omnia in Pestis curatione maxime necessaria & proficua esse nemo non novit; Hos effectus non nostra solummodo experientia, sed plurimorum quoque Medicorum doctissimorum à longo tempore probavit.

Quantum ad acrimoniam hujus Olei, sciendum Medicos illud solum nunquam exhibere sed julepis, syrupis, conditis, aliisque medicamentis admiscere, quibus acrimonia illa satis castigatur, ejusque erodens vis infringitur, adeo ut nihil prorsus nocere queat: quam acrimoniam, qui in adurente qualitate consistere tradunt, non longe aberrant à via, modo bene distinguant inter hanc qualitatem, quæ ab acribus & acidis salis particulis procedit; & aliam manifestiorem magisque

sensibi-

sensibilem adurentem facultatem à sulphure procedentem, qualis est in febribus ardentibus: magna enim inter has est differentia & contrarietas, nam si salsarum particularum acida qualitas prævaleat supra sulphuream, tunc hanc extinguit, atque hinc illa medicamenta, in quibus acidarum salsarum particularum prædominium prævalet, dicuntur refrigerare, ut *oleum vitrioli* & *sulphuris*, *acetum*, *succus citri* &c. non quod calore prædita non sint, sed quod talem specificum habeant calorem, qui manifestum & acute sensibilem calorem sulphureum extinguere valet. *Diemerbroeck. cap. 5. lib. 3.*

Nulla est putredo cujus vires non frangant (*oleum vitr. & sulphur.*) nulla infectio quam non superent, nulla humorum depravatio quæ non per ista superetur: Sane, ut liberrime loquar, si mihi vitriolatorum medicamentorum usus vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad pestis curationem nunquam, vel saltem inermis accederem. *Mindererus lib. de Peste c. 15.*

69. *Vitrioli*) Si *chalcanthum* in *aqua rosar.* dissolvatur, & rursus iteratis tribus vel quatuor vicibus cogatur, deturque oboli pondere obsesso à Peste, vomitum concitabit qui contagionem ac morbum solvet, *Anton. Mizaldus*, Non modo *chalcanthum* ipsum potui quidam exhibent in Pestilentia, sed etiam ejus *Oleum*, nullo sane incommodo sed magno juvamento: *Matthiolus.*

Vtilis est *Vitrioli liquor* febrientibus & in Peste cum *aqua acetosæ*, *addita* ʒß. *spec. diamarg. frig.* & paulo ante 6. vel 7. guttas ex *vino albo* vel malvasia sumendas præcepit. *Conradus Gesnerus.*

Præ cæteris quæ præservare possunt à Peste, ex Experientia confirmatis, est *Vitriolum*; in fortioribus; dari potest ad ℈j. cum melle dissolutum & aqua, in debilibus præparatur cum *aqua rosar.* & pluries lavatur, saltem 4. vicibus, & ita exhibetur cum *vino* aut *melle* ad ʒß. *Rod. à Fonseca Tom. 1. consil. 49.*

Præstantissimum remedium est, quod & præservat. & maxime curat omnes Peste affectos.

℞. *Vitrioli albi* (tritum prius infunditur in aqua, post exsiccatur, & hoc ter vel quater fiat addendo aliquid *camphoræ*) *dictamni albi, rad. tormentill.* āā. ʒij. *f. Pulv. dosis* ʒj. *cum aqua plantag.* vel *rosar.* vel *acetosæ.* *Idem consil. 27.*

70. *Boli Armeni*) Vt singulare antidotum describitur à *Galeno l. 9. de S. M. F. cap.* de *Terra Samia*, In magna hac Peste, *inquit*, cujus eadem facies fuit atque ejus quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sunt: At quibus non profuit, omnes interiere, scil. cum nec alio quovis medicamento juvarentur, Vnde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino albo, consistentia tenui, modice diluto, si aut plane febre careat æger, aut ea leviter teneatur, Sin gravius febriat, admodum aqueo.

Fernelius 2. de Abd. cap. 12. aut *Bolum Armenam*, ut & *Terram Lemniam*, non exsiccando, sed totius substantiæ proprietate in venenum pestilens vires habere docet.

71. *Salis scordii*) *Sal absinthii* etiam probatur in Peste ut & Sal Juniperinus. *Joh. Kentmannus.*

72. *Salis scordii &c. Salis card. ben. &c.* Nos promiscue usi sumus salibus *cardui ben. scordii absinth. & rutæ*, nec viribus à se invicem multum differre comperti sumus, quamvis alii hunc, alii illum salem laudent: Ita *salem rutæ* magni facit J. Palmarius, *Salem artemisiæ* Paræus, Conradus, *Salem fraxini* Droëtus &c. Omnes autem Medici unanimiter extollunt *salem cardui ben. Salis absinthii* mirum encomium scribunt *Mylius* & alii. *Droëtus de Peste cap. 12.* *salem absynth. & scabiosæ* in curatione primas partes tenere scribit, ut qui non solum minima quantitate exhibitus copiosissimum sudorem concitet, verum etiam huic malignitati potentissime resistat.

Refert idem Chirurgum quendam ægris pestiferis solere dare x. vel xi. grana *Salis fraxini* cum *aqua card. ben.* vel *scabiosæ*, atque ita copiosissimo sudore provocato plurimos curasse. *Diemerbroeck lib. 2. c. 11.*

73. *Externa sunt.* 1. 74. Admotio aceti vel pilarum naribus: 75. Inunctio regionis cordis oleo nucis moschatæ, angelicæ, ruthæ, corticum citri, mithridatio, vel theriaca 2. 76. Succini rubri frequens temporibus, carpis, malleolis & dextræ mammæ ad pulsum affricatio.

3. 77. *Amuleto* seu *Zenexto*, 78. quæ si ex venenis & venenatis, 79. ut bufone pulverizato, 80. arsenico crystallino & aliis concinnantur, 81. periculo aliquando non vacant, ut exempla apud Diemerbrockium l. II. c. 10. n. 4. testantur: 82. Si ex naturalibus, ut 83. sapphiro saturato colore cœruleo; hyacintho, & 84. succino, quæ laudatissima, 85. de collo suspensis, 86. rejici non possunt.

73. *Externa sunt*) Medicamenta externa quibus corpora adversus Venenum Pestilens præmuniuntur, duplicia sunt; Alia quæ foris appensa sola occulta qualitate prodesse creduntur, & Medicis *Amuleta* vocantur; alia quæ occulta quidem qualitate veneno pestilenti resistunt, sed simul etiam manifesta qualitate corroborant principalia viscera, aërem corpus ingredientem emendant ac purificant, putredines arcent, omnesque corruptiones impediunt, *Priora* sunt vel venenata, seu venena per se, vel non venenata.

Nos venenata, tanquam summe noxia, plane rejecimus: Non venenata, vel sunt superstitiosa & fictitia, vel naturalia: Illa tanquam deliramenta & meras fallacias, non minus quam venenata amuleta in totum repudiamus; neque hæc quoque magni fecimus, quia *succinum*, *ebur*, & similia gestata, parum aut nihil prodesse animadvertimus, & quæ forsan prodesse poterant, eorum nobis deerat copia, qualia sunt lapis *hyacinthus*, *smaragdus* &c. Posteriora multa variaque sunt, Nos tamẽ paucioribus tantum usisumus quibus cor & cerebrum roborari, & aëris circumstantis ac corpora subeuntis impuritates corrigi possent. *Diemerbroeck.*

74. *Admotio aceti vel pilarum*) Calidis temporibus multis corticem citri, extracta per parvum foramen medulla, cavum, aut pomum eburneum vel argenteum cavum, ac multis foraminibus undequaque pertusum, cui parva spongia *aceto theriacali* madefacta erat imposita, naribus objiciendum dedimus; quam spongiam interdum quoque imbuimus hac mistura.

℞. *aceti theriacalis*, *vini Rhenani odoriferi*, *aquæ rosarum* āā. ℥ß.
camphoræ ℈j. *vel* ℈iß. *misce.*

Cum eadem mistura nonnulli ditiores manus & faciem lavabant; Pauperibus solius aceti odorem commendavimus.

Tempore hyberno, vel subfrigido, multis *succini*, vel *rutæ oleum* distillatum, vel theriacæ pauxillum naribus illinendum dedimus.

Curiosioribus interdum tale ungu. præscripsimus, quo nares, tempora, regionem cordis & pulsus mane inungebant.

℞. *Theriaca Androm.* ʒj.
camph. gr.ix.
ol. nuc. mosch. expr. ol. scorpion. axungia serpent, āā. ℈ij.
olei succini, ol. rutac. distillat. āā. ℈ß.
ol. cinnam. caryophyll. āā. gtt. j.
ol. cortic. citri gtt. v.
misceantur. Idem.

74. *Admotio aceti*) *Vallesius* Tr. de Epid. cap. 19. jubet spongiam vel linteum aceto intinctum sæpius naribus admovere: Probat & *Jacobus Horstius.*

Maxime improbavimus Epithemata humida, ex simplicibus in aqua vel vino decoctis, vel ex aquis stillatitiis mistis confecta, & cordis regioni imposita. *De Diemerbroeck.*

Inter externa convenit spongia *aceto* imprægnata, naribus subinde admovenda, omnibus *Pomambris* præferenda; Vel ad imitationem *Zvvelferi* Pharm. R. p. 137. fiat pyxis tornatilis perforata, *spongia aceto* etiam replenda, naribus admovenda, quibus *camphora*, *myrrha* addi possunt; In ore masticetur *radix zedoaria*, vel *zanzib.* in *aceto* nonnihil macerata; sic refert *Fallopius* nebulones, qui inserviebant Peste correptis, corpora sua præservasse *zinzib.* & *zedoar.* usu, ea masticabant ante z.z. postea ebibebant haustum vini generosi, & tota die masticabant *Zedoariam: Myrrha* item frequenter masticanda; aut fiant *Troch. ex myrrha & camphora* cum mucilag. *g. tragac.* qui in ore continuo volvantur; quod si quis præterea tempora, carpos, & præter alia præcordia *Oleo* aut balsamo illinire velit.

℞. *ol. destill. junip.* ʒij.
citri, succin. āā. ʒj.
camph. gtt. xxiv.
m. & dicto modo usurpetur.
Etmuller p 395.

Summum hoc arcanum est, *Nitrum in aceto rosar. & succo sedi minor.* maceratum, pulsibus appositum ardorem & calorem mitigat *Joh. Hayne Tr. de morb. Astral. c.* 11. & 12.

75. *Inunctio*) Ex scorpionibus solet parari oleum compositum, & apud omnes Chimicos celebratur, vulgo *Oleum Clementis* vocatur, quod in veneno assumpto, & in pestilentibus affectibus admirabiles edit affectus, semimortuos reviviscere faciens, Quod Oleum in casu isto summopere commendo, si eo solo loci arteriarum exteriores & cordis regio inungatur, *Pet. Salius Diversus Tr. de Feb. Pestilent.* In usu multo est Oleum scorpionum, *Matthioli* dictum, eundem in finem.

75. *Inunctio*) *Duncanus Liddelius l. 3. de Febr.* cap. 3. tale Linimentum naribus, temporibus, carpis & regioni cordis illinendum præscribit.

℞. *Ol. nucis mosch. expr.* ʒij.
ol. semin. angelic. semin. rutæ, cortic. citr. āā. gtt. v.
Olei cinnam. gtt. j.
caryophyll. gtt. ij.
theriac. ʒj.
moschi, ambr. āā. gr. ij.
Misce f. Balsamum.

Georgii Magiri Vnguentum, quod commendat ad eandem intentionem libello Germanico de Peste.

℞. *ol. nuc. mosch. expr.* ʒiß.
majoran. distill. gtt. vj.
myrrha, succin. āā. gtt. iij.
theriac. ℈j.
extr. ligni aloës. ℈ß.
moschi, ambra āā gr. iv.

Verum hæc suaveolentia nobis displicent ob causas supra allatas: Melius hoc sequens.

Arnoldi Weickardi Linimentum, Thes. Pr. l. 3. c. 1.

℞. *Mithridatii vel theriaca* ʒj.
pulver. santal. citr. ʒß.
Zedoar. ℈ij.
castor. ℈j.
ol. nuc. mosch. distill. ʒj.
de cortic. citri ʒß. *M.*

Mindereri Oleum Scorpionum.

℞. *Olei antiquiss.* ℔v.
scorpion. vivos n. 120. *aceti fortiss.* ℥iv.
bulliant simul donec scorpiones crepent, in colaturam deinde conjice *zedoar. gentianæ, dictamni* āā. ℥j. *theriac. mithridat.* āā. ℥iß.
spicar. allii n. iij. *cera nova modicum.* Bulliant lento igne vase clauso, per diem naturalem: Oleum expressum umbilico, arteriis, dorso, cordi & loco Buboni vicino inungatur.

Multi tanquam præstantissimum præservativum extollunt operosum illud antidotale *Oleum Matthioli*, quod in *præfatione lib. Dioscor.* describit, & adversus omnia lethalissima venena (exceptis erodentibus) ab experientia commendat; si nempe pulsibus temporum, manuum ac pedum, ut & regioni cordis illinatur, singulis tribus horis repetita illitione.

Alii maximi faciunt *Oleum Ludovici de Leonibus*, summi Practici Bononiæ, cujus hanc descriptionem acceptis mille Ducatis aureis Vngaricæ Regi dedit.

Oleum Ludovici de Leonibus.

℞. *Olei terebinth. laurini, abietis,* āā. ℔ß.
gummi elem. ℥iß.
hederæ ℥iß.
thuris ℥ij.
opopan. ℥j.
resinæ pini, picis naval. āā. ℥ß.
mastiches, myrrha, ladani, sagap. castor. āā. ʒiiß.
galangæ, cinnamomi caryophyll. nuc. mosch. cubebar. Zedoar. āā. ℥j.
Terantur terenda, in vase vitreo ponantur, stent per mensem in putrefactione, postea lento igne distillentur.

Hoc Oleo non solum cor præservationis gratia, inungi præcipit, sed si aliquod Pestis signum appareat, ad curationem etiam pulsus temporum, brachiorum ac pedum.

Oleum Brassavolæ, quod mire quidam extollunt.

℞. *Ol. antiquiss.* ℔v.
terebinth. opt. ʒß.
euphorb. castor. āā. ʒj.
lumbric. terr. m. j. bulliant in olla plena aqua per vi. horas, deinde exprimantur, Oleo colato ferventi injiciantur, *Scorpiones vivi n.* 180. *vipera femella integra n* ij. Bulliant in vase duplici per horas vij. postea insolentur sub canicula in vase vitreo obturato per x. vel plures dies, deinde addantur, *zedoar. tormentillæ gentianæ, dictamni albi, aristol. rot. rhabarb.* āā. ℥j.
flor. althææ, hyperici, ebuli, rosmar. āā. m. j.
theriacæ mitridat. āā. ʒß.
Tritis terendis misceantur omnia, & in clauso vase vitreo in fimo equino recondantur per tres menses, deinde fiat colatura, ad usum servanda.

Dicunt hoc oleo pectori & pulsibus temporum & brachiorũ pedum inuncto. quendam capite damnatum, cui venenum exhibitum erat, servatum fuisse: qualem experientiam de suo Oleo etiam sumptam fuisse refert Matthiolus.

Monta-

Montagnanæ Oleum, ipsi commendatissimum.

℞. *ol.antiquiss.* ℔j.
*scorpiones n.*100.frigantur in sartagine,postea *exprime & cola, colaturæ adde rhabarb.* ℥j.
insoletur in vase vitreo per dies xv.

Hoc præsidium, *inquit*, arteriis temporum, & carpi,& circa cor illitum omnem luem pestiferam à corde eximit.

Hæc aliaque similia externa,tuto adhibere & in usum vocare licet, valeant quantum possunt, sed iis tamen non nimis confidendum arbitror,cum eorum vires non satis certæ & notæ sint. *Diemerbroeck.*

⁰· *Succini rubri*) Frustum *Succini* lucidum, prius per 7. Planetarios pulsus confricti (sunt hi in gutture, carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum) & collo periapti vice appensum humanũ magnetem præcellunt, impediunt, adeoque diræ luis amuleta certissima. *Helmont.* In *Phys. inaud. p. m.* 601. Vide inferius §. *Amuleto seu Xenexto.*

77· *Amuleto seu Xenexto*) Retulit mihi Chirurgus senior, se in multis pestilentibus constitutionibus fuisse, & sua manu infectos plurimos tractasse, semper tamen à contagione immunem permansisse, qui secum gestaverit *radicem plantag.maj.* sacculo inclusam, & cum filo regioni cordis adaptatam; Ut res celaretur *pulverem lavendulæ* admiscuisse, & hinc inde distribuisse; quicquid sit, Sæpe etiam parvis gratia rebus inest. *Petrus Monavius Epist.* 31. *l.*2. *Epist.& cons.Cratonis.*

Chirurgus Hispanus, Xenodochii infectorum Præfectus in obsidione Ostendana, ostendit mihi frustum *succini* rubentis,quod sibi toto triennio dixit fuisse Xenextorr, cujus arcanum erat, quod scilicet ad septem pulsus principales fuisset confrictum usque ad calorem, Nimirum utrinque tempora,ad carpos,malleolos,& ad sinistram mammam: Ego vidi illum semper præservatum,cæteris coadjutoribus è medio sublatis: vidi etiam frequenter venenatorum vulnerum, dissoluto in *spir.vini succino* facta,sanationes alioqui desperatas;Nil stomacho, intestinis, nervis, imo & cerebro gratius est *succino in spir.vini* resoluto. *Helmontius Tract.de Peste.*

77· *Amuleto seu Xenexto*) Amuleta collo suspensa, vel carpis gestata, adversus pestilentiam vim mirabilem habere creduntur: Ex his præstantissima à quibusdam habentur, quæ ex *Arsenico, Hydrargyro, pulvere Bufonum*, aliisque venenatis constant, Eadem in hoc casu prodesse, præter Medicorum observationes hæc ratio nonnihil suadere videtur: Effluvia, seu corpuscula atmoidea, è corporibus modo his emergentia, modo super illis residentia, per totam aëris regionem circumvolitare superius innuitur: hæc cum diversimode sint figurata, eorum alia cum aliis optime cohærent; Sin vero in quædam alius formæ impingant,eadem oppugnant,& evertunt: Hinc pestilentiæ miasmatis particulæ, quæ spiritibus nostris adversantur, cum istis veneni corpusculis juxtapositi optime conveniunt, iisque prompte affiguntur:Quare hoc faciunt Amuleta è veneno conflata; scilicet pestilentiæ semina nobis occursantia, propter similitudinem partium in se excipiunt: etiam à corpore nostro eadem in amplexus suos alliciendo, infectos quodammodo à malignitate liberant. *Willis.*

78· *Quæ si ex venenis & venenatis*) Amuleta venenata plurima sunt; è quibus alii hæc, alii illa summis laudibus ad cœlum usque extollunt; Nonnulli *araneum magnum* vivum includunt duobus corticibus nucis juglandis, & de collo suspendunt: Alii *Bufonem* exsiccatum vel combustum,in sacculo ligatum:Alii corticẽ nucis avellanæ replent *argento vivo*,cera obstruunt,& cum filo sericeo rubro kermesino è collo propendent: Alii penna scriptoria eundem includunt, Plurimi laminam ex *arsenico crystallino* nudam supra cordis regionem gestare jubent.

Alii magnifaciunt placentulas ex *arsenici crystallini part.ij. rubei p.j. cum albumine ovi* &c. confectas & tenui serico investitas; Quibus placentulis in servandis sanis multi Medici Itali nihil illustrius à Deo immortali hominibus concessum esse tradunt; Imo testari non erubescit *Monavius*, Medicus Cæsareus, neminem Peste fuisse affectum qui illas gestaverit, Cum tamen nos in hac Peste innumeros; qui illas curiosissime gestabant, contagionis labe infectos & mortuos fuisse, novetimus &c.

Pudet hic doctorum virorum somnia in medium proferre,qui omnia venena & venenata tempore pestilenti fugere jubentes, ipsimet omnium pessima venena circumferre jubent ad præservationem,haud secus ac si ex deleteriis venenis,cordi caloriq; nativo infensissimis,aliquid boni sperandum sit,aut magnetica qualitas iis insit,qua illa venena ad se trahant,nec suas malignas qualitates corporibus communicent. *Diemerbroeck.*

79. *Ut Bufone*)Nota vim *Bufonum*, & quantum hi valeant,& præservative,ceu amuleta,nempe accipitur *Bufo* per caput perforatus & ita appensus, vel ad imitationem *Helmontii* de *Tumul.Pest.* fiant Trocli.ex ipsis *Bufonibus*, eorumque vermiculis rejectis in patella cerea, & ita appendantur, Alii ex *ossibus Bufonum*, vel etiam *Bufonibus integris*, icthyocolla exceptis, ad collum gestandum amuletum parant, veneni attractivum & præservativum. *Etmuller p.*395.

Egregii sunt *Bufones*, dum præter *usum externum*, *Sal volatile Bufonum* potens est & diaphoreticum & diureticum, Quidam recipiunt *Bufones vivos*, quos in spiritu vini submergunt, & ita suffocant, & ita spiritum vini alexipharmacum requirunt; Bufones ita maceratos per retortam destillant, spiritum & sal volatile egregii usus præparant: Quibus hi labores tædiosi sunt, Bufones ab interioribus repurgatos exsiccant, pulverisant, & cum hepate proprio similiter exsiccato in forma Pulveris à ʒß. ad ʒj. propinanr pro remedio antiloimico. *Idem pag.*:99.

80 *Arsenico crystallino*) Hujus loco accipiatur *magnes arsenicalis Ang.Salæ*, egregium amuletum.

℞. ʒij. *vel* ʒiij. *Ejus, & cum s.q. benzoes f. Trochiscus sindone rubro obducendus, circa cordis regionem appendendus.* Vel

℞. *Mercur.per fumum Saturni coagulati*,& ita Amuleti instar appendatur. *Etmuller.*

81. *Periculo aliquando non vacant*) *Utiliter tamen usurpata fuisse asseris* Hildanus, Amuleta, *ait*, ex *arsenico,pulvere bufonum*, aliisque confecta, & tempore pestis collo appensa, maximam ad præservationem vim habere non est quod dubites,Chirurgus longe celeberrimus,*Cosmus Sbotanus*, magni semper ea solebat facere; maximamque ac longam eorum se habere experientiam non raro mihi affirmavit; Ego quoque postea non raro cum successu iis usus sum. *Hildanus cent.*2.*obs.*34.

81. *Periculo aliquando non vacant*) Nihil boni ab his Amuletis expectari potest, sed multa mala metuenda sunt, Nam *hydrargyrum* non convenit, quia frigidum existens, poros condensando fuliginum putridarum exhalationem prohibet; quibus in corde accensis febris excitatur,ipsumque cor debilitatur, atque sic minus resistit futuro imminentique veneno.

Ab *Araneis* magnum periculum impendere docet illud quod de araneis in Vasconia refert *Scaliger Exerc.* 180:qui calcati per calceorum soleas transmittunt venenum: quanto facilius ergo per crepaturam nucis illud cordi propinquo communicabunt? *Nic. Florentinus Serm.* 4. *Tr.*4.*c.*25. refert à fumo aranei combusti quendam *Leobardum* Florentiæ pene occisum fuisse: ibidemque

Florentiæ cœnobium Monachorum veneno infectum esse; quod araneus niger in ollam decidisset.

Bufones quoque suspectos & metuendos esse ob magnam virulentiam liquet ex historiis variorum: *Anton. Mizaldus Memor. centur. 1. aphor. 1.* & *Paræus de Venenis capite 14.* referunt exempla eorum qui gustatis tantum herbis à Bufone contactis extincti sunt &c. *Diemerbroeck.*

Vera tibi narro, N. ex gestatione *arsenicalis sacculi*, adeo debilitatum, & in pectore exulceratum fuisse, ut cum magna indignatione sacculum abjecerit. *Crato Epist. 68. ad Monavium.*

Massaria lib. 2. de Peste refert quendam Iurisconsultum tempore Pestis *sacculum ex arsenico* gestantem, cum aliquando concitatiori motu incaluisset circa cordis regionem, incidisse in febrem vehementem ac periculosissimam, à qua cum magna difficultate servatus fuit.

[82.] *Si ex naturalibus*) Verosimile est ex idiomatis Arabici ignorantia errorem dimanasse, & cum forte medicus aliquis Arabs cõmendavit *Saculum Darseni*, (*Darseni* Arabibus *Cinnamomum* significat) imperitũ aliquem linguæ, postmodum pro *Sacculo Darseni*, accepit sacculum *d'Arsenico*, eundemque errorem porro aliis inepta commendatione commendavit. *Deusingius l. de Peste p. 344.*

[83.] *Ut Sapphiro &c.*) *Avicenna*, *Mardella*, *Marsilius* probant *Smaragdum* de collo suspensum, ut nudum pectus contingat. *Dodonæus* jubet gestare lapides pretiosos, sed inprimis *hiacinthum* experientiæ sibi notum esse testatur: quem etiam laudant *Lonicerus, Gerardus Bergensis, Bootius*, *Fragosus*, *Helmont* in *tumulo Pestis*, summopere commendant *Sapphyrum* saturato colore prægnantem, sed tamen Sapphirum præfert hyacintho, quia in Sacerdotis pectorali olim *Sapphirus* non vero hyacinthus fuisse legitur.

[84.] *Succino*) *Helmont. in Tum. Pestis* summis laudibus extollit Succinum præservationis gratia gestatum, atque illud multum prodesse rationibus & experientia docet: Plurimum idem laudat *Bernardus Croneburgius lib. de Peste.*

[85.] *De collo suspensis*) Amuleta pro præservatione magni quoque fiunt, ut *avellana Perforata* eo usque ut nucleus possit eximi, repleta *argento* vivo, obturataque *& collo suspensa*, quod mire juvare à *Marsilio Ficino* exemplis adductis probatur; quam aliqui appensam, ita ut cordis regionem attingat, esse volunt. *F. Platerus Pr. Tom. 2. c. 2. p. 171.*

[86.] *Rejici non possunt*) Amuleta naturalia, quamvis plurima exiguas vires emittant, vel saltem non tantas habeant quantas varii illis adscribunt, quia tamen ratio docet illas aliquo modo prodesse, nec unquam nocere posse, præter naturales suas quas habent vires, eatenus quoque utilia sunt quod multis animositatem, metumque ac terrorem, in pestilenti constitutione maxime noxium auferant, Quale hoc modo concinnavimus.

℞. *rad. angel.* ʒij.
ostrutii, zedoar. helenij. ā ā. ʒj.
paoniæ maris ʒiß.
succini flavi ʒiiß.
folior. lauri ʒj.
subtiliter pulverisata misceantur cum mucagine tragac. in aqua rosar, extracta, fiatque massa, è qua formentur Pastilli magnitudine Daleri Imperialis, qui exsiccati de collo suspendantur.

Arnoldi VVeickardi Amuletum.

℞. *radic. angelicæ, zedoar. helenii, dictamni*, ā ā ʒß.
castorei. ʒj.
camphoræ ℈j.
croci ℈ß.
thuris ℥j. *theriacæ Andromac.* ʒiß.
olei succini gtt. iv.
junip. gtt. ij.
Cum mucilag. tragacant. in aceto rutaceo facta, fiat massa, seu Placentula serico includenda & de collo suspendenda.

Gregorius Horstius l. 2. pag. 2. obs. 28. & *Joh. Capellanus, Regis Francisci Medicus*, Cons. de Peste, sequens componunt, quod tamen ob suaveolentiam, quam noxiam esse dixi, minus nobis probatur.

℞. *Benzoini, storac. calam.* ā ā. ℥iß.
ladani bene olent. ℥iiij.
cortic. citri ʒij. ℈ij.
santal. citr. majorana, rosmar. ā ā. ℈iv.
olei cinnam. gtt. xvj.
macis gtt. xxiv.
Cum mucilag. tragacant. f. massa, è qua Pastilli formentur. ʒiij.
Diemerbroeck.

1. *Curatio* [2.] absolvitur 1. *Venæ* [3.] *sectione* secundum quosdam, quæ [4.] administranda [5.] post assumptum alexipharmacum, si tanti sit plethora ut febris putrida metuatur; In quocunque latere, si dolor non adest, [6.] nisi carbunculus ingentem dolorem & inflammationem causetur, & quidem intra 12. vel 24. horas.

Secundum [7.] quosdam nulla, quod [8.] pernitiosa in Peste judicetur, tum quia spiritus & humores exagitando ad recipiendum venenum disponit: Tum quia dum à peripheria ad centrum trahit, operationes naturales à centro ad peripheriam tendentes pervertit; Tum quia observatum est, plerosque, si non omnes, quibus vena etiam propter alios morbos secta, periisse.

[9.] Substituunt ergo venæ sectioni [10.] *Cauteria* rotunda, seu emunctoriis, quod in Peste Noviomagensi bene cessit, seu vel brachiis, tribus digitis supra carpum, vel interiori crurum supra malleolum parti applicata.

[1.] *Curatio*) Pestis certam medendi formam præscribere haud facile est, propterea quod divini hujus morbi naturam humani ingenii acumen non satis perspiciat: hæcque causa est quod in Pestis curatione semper plurimum hallucinari fuerint omnes Medici, dubii causarum, dubii remediorum: Hinc etiam nec à majoribus nostris, viris sagacissimis, nec à Neotericis, quantumvis in arte Medica versatis, hactenus ullum certum antipestilentiale remedium, ullum proprium venenatæ hujus pernitiei alexiterium fuit inventum, semper ad cardiaca, quæ cor tuentur ac roborant, ut & ad communia venenorum alexipharmaca concursum est; *Diemerbroeck. l. 3. c. 1.*

[2.] *Curatio absolvitur 1.*) Primarius scopus in Curatione Pestis à Veneno desumi debet, quod ab ipso initio totam curationem ad se trahit: Huic scopo, seu Indicationi, inprimis satisfit per Antidota sudorifera, quibus venenum Pestilens ab ipso morbi principio impugnandum, refrænandum, infringendum & foras expellendum

Venæ sectiones autem, Purgationes; aliaque hujusmodi præsidia postponenda sunt; quia putredini, obstructioni, humorumque vitiis potius medentur, quam Pesti; quæ nonnisi in deleteria qualitate consistit, ita ut talibus remediis locus esse non possit nisi post evictum venenum, *Idem c. 5. l. 3.*

Curatio

Curatio ex Diemerbroeck.

Curatio absolvitur 1.) Ad communia venenorum alexipharmaca primo concurrimus, additis simul etiam aliis generalibus addi consuetis & necessariis: Post imploratam igitur Divinam opem, Pestis curationem depromimus è triplici medico fonte, Diæta, Chirurgia, Pharmacia.

Diæta Pestifera lue infectorum.

Quamvis in Curatione Pestis, in qua magnum periculum est in mora, *Pharmacia* necessario *Diætam* antecedere debeat; Nos tamen hanc illi præponimus ut vulgarem ordinem servemus.

In cubiculis, in quibus decumbebant ægri, jussimus nitorem servari, & *aërem* emendari: *Somnum* ante promotos sudores in totum prohibuimus, & postea tantum moderatum, vel breviorem laudavimus; *Motus magnos animi & corporis* fugere jussimus; *Alvi excretiones* non promovimus medicamentis ante morbi declinationem.

Quantum ad reliquam Victus partem, quæ in *Assumptis* consistit, etsi Pestis utplurimum febrem comitem habeat, quæ febris ratione caloris & siccitatis Diætam humectantem (secundum communem Medicorum opinionem) requirere solet, attamen simpliciter humectans Diæta nobis in hac Peste non admodum conveni re videbatur, quia non tam caloris febrilis quam pestiferæ malignitatis ratio habenda erat: hæc enim ab ipso morbi principio totam curationem ad se trahebat, eaque neglecta præsens periculum imminebat; Quapropter nos omnibus Cibis & Potibus etiam talia admiscuimus, quæ simul cor tueri ac roborare, & venenatæ malignitati resistere possent, quamvis illa etiam modice exsiccarent, dummodo vel leniter refrigerarent, vel saltem in calore non nimis excellerent, atque hoc modo cibariis etiam alexipharmacam vim aliquam indidimus.

Prohibitis primo Piscibus, omnibusque aliis salsis, acribus, multum calidis, & facile corruptibilibus ac mali nutrimenti cibis, præscripsimus cibos euchymos & facilis digestionis utplurimum liquidos (assatis enim & siccioribus difficulter vescuntur ægri) *ex jusculis caponum, pullorum, gallinarum, perdicum, carnis agnina, vervecina* aut *vitulina*, quæ cum *acetosa, pimpinella, borragine, melissa, radic. petroselini, fructu ribesior. rubrorum, cerasis morellis.* pomis citriis, *aurantiis, cydonior*, aliisque similibus cocta erant.

In *Condimentis* etiam laudavimus *succum citri*, *acetum vini simplex*, aut *rosac. sambucin. calendulatum*, omnibusque cibis aliquid acidi admiscuimus, ut dejectus ciborum appetitus magis excitari, & putredo melius coerceri posset.

Cibos quidem paulo *copiosiores* quam in aliis acutissimis morbis fieri solet obtulimus, ut vires servari possent. Verumtamen primis duobus tribusve diebus ad eosdem assumendos non valde impulimus, & ægros his diebus post cibos assumptos se multo pejus habuisse observavimus, eo quod natura, quæ in principio, ad sudores impellenda erat, ciborum coctione impedita, à necessario sudandi opere avocabatur. Sequentibus autem diebus corde sudoriferorum alexicacorum usu aliquantum allevato, ægris, etiam nolentibus (nempe ter vel quater de die) parum cibi liquidi dedimus, ut vires labascentes reficerentur.

Si vero ægrorum debilitas ciborum assumptionem impediret, talia præparavimus quæ exigua quantitate multum nutrire possent; Interdum carnem vitulinam, aut vervecinam, vel capum, aut gallinam carnosam, in veru assatam contundi, ac in torculari fortiter exprimi curavimus, cui succo expresso aliquantum *succi citri* recentis, una cum alicujus *pulveris cardiaci* & antidotalis boni saporis tantillo admiscuimus, ejusque aliquoties de die cochleare unum aut alterum exhibuimus: In eum usum multoties *Gelatinam* hac fere forma confecimus.

℞. *Gallinam*, vel *caponem juvenem, bene mundatum, aceto sambucino vel rosac. lotum, conscindatur cum ossibus in minutissimas partes, imponatur canthero lapideo vitreato, angustioris orificii, addendo carnis vitulina musculosa conscissa.* ℔j.
(*perdicem subinde addidimus, passeres, alaudas &c.*)
pomum citri in particulas cum cortice conscissum, conserva rosar. rub. ℥ij.
cinnamomi el. ʒij. *vel* iij.
vini Rhenani ℥v. *vel* vj.
his immissis cantharus exactissime firmo operculo obturetur, & coquatur in Balneo vj. *vel* vij. *horas, deinde totum effundatur super massam mundam, ex eoque omnis succus fortiter exprimatur; frige facto omnis pinguedo auferatur, & fiat Gelatina.*

Hujus Gelatinæ aliquoties de die dabam pauca cochlearia ad ignem liquefacta, vel sola; vel cum pauxillo alterius jusculi tenuis & succo citri; Hujusmodi autem cibis neque *theriacam*, neque aliud quid gustui ingratum admiscuimus, ne hoc modo à cibis ægri absterrerentur.

Sitim magnam diu perferre omnino prohibuimus, plerisque pro *Potu* dedimus *cerevisiam tenuem* (hæc enim est instar *decocti hordei* fermentati) vel admistis aliquot *olei sulph.* aut *vitrioli guttulis*: Aliis *decoctum hordei simplex* cum *succo citri ad* gratum saporem: aliis *julepos refrigerantes* ac malignitati resistentes, ex *aquis stillat. acetosæ, card. ben. scabiosa. cichor. borrag.* cum *succo citri & syr. granat. acidor.* vel de *acetos. citri*, vel *rob. ribes. rubr.* oleo *sulph. aut vitr.* paratos: Aliis *aquam fontanam* purissimam, vel cum pauco succi citro è concessimus; Si magnus ardor non adesset, ægris delicatiusculis, valde debilibus, & vino assuetis, etiam *vinum* album tenue, cum aqua fontana aut succo citri dilutum, modica quantitate concessimus: *Sitim nimiam* fallere jussimus cum frusto *pomi citri* in ore detento, aut masticato, vel cum *pulpa tamarindor.* pauxillo, vel cum *foliis sedi major.* quæ detracta exteriore pellicula, & aquæ frigidæ immacerata linguæ imponebantur.

Si *lingua* valde *sicca* & arida esset, os sæpissime lavare jussimus cum sola aqua fontana, quæ hoc in casu multum proderat: Nonnulli addebant acetum, sed minus bene, quod hoc per se exsiccet & linguam aridiorem faciat, ac paulo post lotionem sitim majorem excitet. Alii *sero lactis acido* os colluebant. *Diemerbroeck. capit.1. ob.3.*

Carnium usum peste laborantibus *Avenzoar* prohibet; quod intelligendum est de ipsa earundem substantia, quam nonnisi robustis, idque non ante morbi declinationem, tuto dari posse, ipsa ventriculi concoctrix facultas debilitata satis docet, Iusculis autem & succis carnium libere uti licet. *Idem.*

De *Aqua Potu* litigant Medici, An Peste correptis pro Potu concedi possit, *Fracastorius* indicat in febre Pestilenti aquam non convenire, nisi eadem ardens sit & biliosa: *Nic. Florentinus Saxonia*, *Montanus*, Mindererus, etiam damnant, quia humectando putredinem auget; *Forestus* omnino lethalem esse dicit *l. 6. obs.* 23. probat exemplo pagi prope *Roterdamum*, in quo omnes pestiferi, qui ob ingentem pestilentem calorem aquam bibissent, intra duos dies mortui sunt.

Contra *Rhazes l. de Peste 7.* frigidam ægris pestiferis porrigit, *Nam frigida*, inquit, *si paulatim absorbeatur sudorem educit, & adjuvat foras extrudere superflua ad corporis superficiem.* Laudant & alii, *Avicenna*, *Paulus* &c. imo *Mercurialis* dicit se expertum esse hanc multum contulisse.

Ad hujus controversiæ decisionem dicimus, Aquæ optimæ usum tuto concedi posse, dummodo non peccetur in nimia quantitate: Dico, *aqua optima*, id est, claræ, insipidæ, nullo malo sapore vel calore infectæ, qualis est aqua fontana ex arenaceis vel saxosis montibus erumpens, ut & putealis illa quæ ex simili fundo ascendit: Aquæ vero stagnantes & puteales illæ, quæ è lutosis ac cœnosis puteis emergunt, cum facile, inprimis tempore Pestis putrescant, & malignitatem aliquam suscipiant, atque in se contineant, maxime damnosæ sunt; ut & fluviatiles, in quas tempore Pestis omnium urbium, in littoribus fluminum sitarum, infecta inquinamenta effluunt & projiciuntur.

Dico etiam, *Dummodo non peccetur in nimia quantitate*, nam nimia copia, etiam optimæ aquæ noxam infert: Quare rejiciendum consilium eorum qui frigidam ad satietatem usque bibere jubent, qui modus, sicuti in aliis quibusdam ardentibus utilis, ita in pestilentibus damnosissimus.

De *Vini usu*, an conveniat Peste correptis? disputatur, Multi ob virium dejectionem, syncopen, spirituum oppressionem &c. concedi debere judicant, quia vinum vires corroborat, spiritus reficit, malignitati, putredini, ac corruptioni resistit, sudorumque promotionem adjuvat: Contra alii ob febrem, ejusque ardorem, & inflammationes internas fugiendum arbitrantur.

Ad solutionem dicimus, ob magnam debilitatem, vel syncopen, Vini usum permitti posse; modo æger non sit valde biliosus, & febris non sit vehementer ardens, neque adsit sopor vel capitis dolor, aut ullum delirii signum, vel alicujus visceris inflammatio: dummodo etiam æger sit vino assuetus, neque sit puer (nam in his vino curare non satis tutum, *inquit Celsus*) dummodo etiam morbus non sit in principio, sed circa statum: Extra hos casus vinum tenue, dilutum, subacidulum & aquosum, concedi potest, nam vires citissime reficit, viscera corroborat, & malignitati resistit.

Dicto etiam favet Experientia, nam nos multoties etiam vinum in hac Peste tali modo exhibuimus tutissime, non tantum sine damno, verum etiam cum insigni emolumento: Hoc ipsum quoque expertus *Mindererus l. de Peste cap.* 19. Exhibere etiam jubet in Pestis curatione versatissimus *Julius Palmarius l. de Peste cap.* 16. Potus esto, *inquit*, vinum album vel gilvum, odorum, bene defæcatum, beneque maturum; hoc enim languidioris naturæ vires, disjectosque spiritus mire recreat atque reparat, & optimum pestilentis veneni antidotum existit: Simplici peste perculsis nunquam denegandum, sed diluatur aqua fontana, quæ cum *rasura cornu cervi* ferbuerit, diluendum autem pro consuetudine, si simplex Pestis nec siti nec ardore insigni fatigat; At si febri putridæ implicita est, urgentque calor, dolor & sitis, vel regio torrida, vel natura ægri biliosa, vel oligophorum seligendum, liberaliusque diluendum atque temperandum, vel in totum vino interdicendum est.

Riverius lib. de Febr. sect. 3. cap. 1. dicit se Peste laborantibus vinum felici cum successu sæpissime exhibuisse: *Zacutus Prax. adm. l. 1. obs.* 12. solo vini usu restituit mulierem maligna febre laborantem, etiam fatalem terminum expectantem. *De Diemerbroeck.*

2. *Curatio absolvitur*) Curationis totius cardo in eo vertitur, ut miasma venenosum ab extra susceptum intra corpus, potenti Sudorifero foras educatur: Fundamentum suggerit natura, quæ curatura Pestem, deponit venenum, & ab hoc materiam vitiatam, veneni tamen associam simul corrumpentem in Bubones & Carbunculos, & ita Pestem curat, adeoque peste afflicti confugiant ad Sudorifera alexipharmaca, quibus ob penetrantiam summam semper addenda Camphora. *Ettmuller.*

2. *Curatio absolvitur*) Circa plurimarum ægritudinum curationes potissimum opus naturæ committitur, cujus necessitati obstetricatur ἰατρικὴ atque Medici officium & scientia in his præcipue versantur ut idoneas huic laboranti suppetias ferendi occasiones præstoletur; Verum Pestis hoc peculiare habet quod ejus curatio minime sit naturæ committenda, quin omni modo conscriptis ab arte remediis occurrendum; nec de magis opportuno, & quasi molliore tempore soliciti simus, verum citissime comparentur remedia, atque nullis non horis, & tantum non minutis iis insistamus: *Willis cap.* 13. *l. de Febr.*

Curatio ex Sydenham.

Primus locus Indicationibus curativis debetur, quæ eo in universum dirigendæ sunt, aut *ut Naturæ ductum in exterminando morbo accurate sequentes, eidem subsidiariam porrigamus manum*, aut ut *methodo, qua naturam in intestino hoc hoste debellando uti solet, minime fidentes, diversam* ac tutiorem ex nostro penu & artificio, vice illius substituamus; Nisi forte hoc aliquis regerat rem etiam satis feliciter per pestifera alexiteria geri posse.

Verum annon auxilium quod præstant hujusmodi medicamenta potius manifestæ ipsorum qualitati, qua sudores affatim proliciendo simul materiæ morbificæ exitum aperiant, quam occultæ cuidam indoli, qua natura ad pestilentis malignitatis labem delendam donata fuerint, referri debeat, magnam atque ancipitem habet disceptationem, Nec de hisce tantummodo, sed & de aliorum morborum alexiteriis dubitare fas est, utrum evacuationem aliquam solicitando, potius quam vi quadam specifica ægris non succurrant; Qui enim v.g. in lue venerea, vel *Mercurium*, vel *salsaparillam*, veneno in isto morbo reperta alexipharmaca objiciat, adducenda sunt ei curationum exempla, in quibus ille sine sputo aut secessu; hæc vero sine sudoris suscitatione sanitatem aliquando restituerit; quod ego ei credo difficile admodum futurum; Mihi autem est verisimile, peculiare Pestis remedium, propriumque ipsius perniciei alexiterium, adhuc in naturæ sinu abditum delitescere, nec eandem nisi ratione quadam mechanica tolli posse.

Quocirca, ut intentionem priorem, quæ eo spectat ut Naturæ in materiæ morbificæ exterminatione suo more & modo auxilium suppeditetur, Advertendum venit quod in vera Peste Natura, dum neque sponte aberrat, neque vi aliqua transversim agitur, per abscessum aliquem in emunctoriis erumpentem, unde materiæ exitus patescit, negotium suum exequitur; Atque in febre, quam Pestilentem nuncupamus, mediante diaphoresi per universam corporis superficiem idem efficitur.

Unde colligere est pro diversa, quam natura in utroque morbo præmonstrat, via ac ordine, etiam diversam medendi rationem institui debere, Nimirum si quis materiam veræ Pestis ope sudoris amoliri satagat, is diversa à natura via insistit, utpote quæ id per apostemata moliatur. Contra vero, qui alias quam per sudores febris Pestilentis materiam eliminare tentat, is cursum instituit cum naturæ ductu ac φύσει nequaquam convenientem.

Cæterum in Peste vera, quonam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificæ materiæ ejectio, i.e. apostematum eruptio promoveri possit, nondum constat, nisi quis forte victum corroborantem, atque cardiaca ad illud conferre posse existimet, quæ tamen multum dubitarem ne ægrum, jam jam plus æquo calescentem, in majorem æstum conjiciant, Certe sudores in hoc casu frustra esse compertissimum habeo: quanquam haud inficior, post magnos sudores, ad iij. vel iv. horarum spatium productos, ac deinde abruptos, tumorem

se in

se in conspectum dare; quem ego à sudore proficisci minime arbitror; utpote quo urgente nullum appareat eruptionis indicium, finito quidem velut per accidens consequatur, nimirum cum jam aliquam sarcinæ partem, quæ naturam plus satis gravabat, sudores abstulerint, ac corpus à cardiacis ad diaphoresin suscitandam propinatis vehementius incaluerat.

Verum quam fallax & infida sit hæc *peccantis materiæ, per Apostemata a sudoribus foras avocata*, exterminatio, testtur funestos eorum exitus qui hoc modo tractati fuerunt, è quibus vix tertius quisque medicationis ac morbi periculum evasit; E contra multi, quibus laudabili ritu tumores eruperunt, etiam dum negotiis suis intenti versarentur, nec ullius sive naturalis sive animalis facultatis læsione percepta sanitatem brevi recuperarunt; nisi qui malo suo fato in medicastrum aliquem incidentes, ejus monitu, etiam bene valentes, ad sudandum in cubilibus compositi, ab eo ipso tempore deterius se habere inceperint, ac demum ingravescente ægritudine inauspicati consilii pœnas morte luerunt.

Verum lubricam atque aleæ plenam in se esse *hujusmodi morbi per Tumores judicationem*, ex eo manifestum est, quod interdum Bubo, qui laudabiliter, ac cum symptomatum remissione protuberavit, postea ex improviso disparеat, ejusque loco Maculæ purpureæ, certissimi mortis indices, succedant: Cujus retrocessionis causa magnis illis sudoribus, ad eruptionem promovendam destinatis, jure tribuenda videtur, ut qui bonam materiæ partem, quæ tumoris molem infercire ac sustentare debuerat, aliovеrsum per ambitum corporis distrahendo ac dissipando in auras dissflaverint: Hinc constat cæteris affectibus certam amolendæ causæ morbificæ rationem, huic autem nonnisi lubricam & versatilem adjunctam esse; Atque hinc fortasse non minus commode quam à malignitate eximia perniciei causa atque origo peti possit: Nam & in Arthritide, aliisque morbis, qui exiguam habent malignitatis suspicionem, materiæ morbificæ recursus non minori certitudine fatum accersit, Hinc consequitur, Medicum, qui in aliorum morborum medicatione naturæ ductum ac propensionem pressim ac passibus æquis sequi tenetur, hic ejusdem auspicus renuntiare debere.

Quare cum minime securum sit in exterminando hoc morbo naturæ vestigiis insistere, dispiciendum venit qua arte *secundæ intentioni* satisfiat, nempe aliam, atque à naturali diversam hujus morbi solutionem aggrediendi; Hoc dupliciter fieri posse existimo, scil. vel per *Sanguinis missionem*, vel per *Sudores*: Priorem quod attinet, non sum nescius sacram apud plerosque audire in hoc morbo V.S. verum vulgi præjudicia parum miratus, *Sanguinis missionem*, eamq; largam, repetitisque vicibus celebratam adprobo (vide infra §. *Venæ sectione secundum quosdam*.

Hujus autem Praxeos utilitatem, etsi non mente tantum ac judicio assequor, verum etiam re ipsa atque editis experimentis dudum exploravi, tamen *Pestilentis fermenti per diaphoresin dissipatio*, *præ ejusdem* per *V.S evacuatione* mihi multis nominibus arridet, ut pote quæ nec ægrorum vires æque prosternat, nec Medicum infamiæ periculo objiciat; atqui & hæc difficultatibus suis non vacat (vide infra §. *Post assumptum alexipharmacum*) Cum ergo frequentior obstaculorum occursus mihi molestiam facesseret, mecum magna cogitandi solicitudine agitavi, ecquis demum reperiri possit medendi modus, qui morbum non minus efficaciter abigeret, nec hominum offensionem æque incurreret; Et tandem in hanc methodum incidi, quam nunquam non proficuam ac omnibus numeris absolutam deinceps expertus sum.

Primo siquidem Tumor nondum protuberaret, sanguinem, pro ægri viribus ac temperamento, moderate detraxi, quo facto diaphoresis, cujus alias solicitatio in nonnullis corporibus non modo summam habebat difficultatem, verum etiam majoris incendii, proindeque ecthymatum purpureorum periculum minitabatur, facilis erat atque expedita: Atque hanc sanguinis jacturam, quæ utut exigua alias gravissimum incommodum attulisset, diaphoreseos immediate insequentis beneficium abunde compensavit; Post venæ sectionem (quam in lecto celebrandam curavi) cum jam omnia ad sudores proliciendos in promptu essent, ne minima interposita mora stragulis ægrum obrui, ac laciniam laneam sincipiti alligari jussi; quæ quidem capitis obtectio ad sudorem ciendum plus proficit quam quis facile crediderit: Deinde si vomitus non adessent, hidrotica exhibui.

℞. *ther. Andr.* ʒß.
El. de ovo ℈j.
pulv. e chelis cancr. comp. gr. xij.
cocchinell. gr.ß. *croc. gr.* iv.
cum s.q. succi chermes f. Bolus 6. quaque hora sumendus, superbibendo cochl.6.seq. Julapii.

℞. *aqu. card.ben. & scord.comp. āā.* ℥iij.
aqu. theriac. stillat. ℥ij.
syr. caryoph. ℥j.
m.f. Julep.

Quod si vomitio interpellaret, ut in Peste ac febrib. pestilentialibus sæpissime accidit, sudoriferum tantisper propinare distuli, donec solo tegumentorum pondere (nisi quod linteaminis pars subinde ad colligendos halitus vultui superinduceretur) sudor promanare inciperet, Nam (quod observatu dignum) cum materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis sese exporrigunt, illico alvi profluvium & vomitiones, ab iisdem introrsum reflexis, ac in ventriculū & intestina decumbentibus provenientes, ultro sedantur; adeo ut quantacunque stomachi subversio præcessent, assumpta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant; Inceptam jam diaphoresin haustibus *cathegala salviæ* alteratæ, vel *cerevisia* cui macis aliquantum incoxerit, subinde repetitis, ad naturalis diei spatium continuari præcepi, abstersione omni religiose interdicta, imo nec intra xxiv. horas à sudoribus finitis indusium utcunque madidum ac immundum mutari permitto. Id quod summa cautela observari velim: Quod si sudatio angustioris temporis limite circumscribatur, recrudescit illico symptomatum sævitia, atque ægri salus, quam prolixior diaphoresis extra aleam constituisset, in acie novaculę relinquitur: Et profecto *Diemerbroeckium*, aliosque nequeo satis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoresin interpolandum adduci, ut scil. ægrotum viribus consulatur, t. enim ægrum sudore diffluentem viribus melius quam antea constare, nemini in hujus morbi medicatione vel tantillum versato non potest esse animadversum; Quod me in hac re usus atq; experientia docuit edocebo, Multi, me authore, in 24. horar. diaphoresin conjecti, tantum abest ut se exinde debiliores factos quererentur, quin potius quantum supervacanei humoris sudando decessisset, tantundem novi roboris sibi accrevisse profiterentur; Circa autem horas aliquot posteriores sæpe non sine stupore observavi erumpere sudorem quendam, priore illo, quem vis medicaminum expresserat, magis naturalem, genuinum, copiosum, quique plus multo levaminis afferret, plane ac si vere criticus foret; ac totius morbi eradicativus.

Porro in summo sudoris vigore, jusculis ac sorbilibus corroborativis ægrum reficere, quid secum trahat incommodi non video, ideoque ad nihilum recidit illa objectio de virium ad longos sudores

perferendos impotentia: Si qua igitur defectio sub finem imminere videatur, jusculi ex pullo tantillum, vitellum ovi, vel his similia sorberi permitto: quæ cum cardiacis, & haustibus ad sudorem continuandum ex more destinatis, virium labefactationi abunde succurrunt.

Hujus praxeos utilitatem palam proclamat, quod quamdiu æger sudore diffluit, bene se habere judicetur, neque minus ex adstantium judicio res tota in vado esse videatur. Atqui quamprimum corpus arescere incipit, ac sudor abrumpitur; omnia in pejus ruant, morbo quasi postliminio redeunte.

Post horas à finito sudore xxiv. moneo ut frigus caute vitetur, indusium sponte in corpore arescere permittatur, Potulenta omnia calidiuscule hauriantur, & *zythogala salvia* alteratæ usus etiamnum continuetur: In sequenti luce commune catharticum exhibeo; atque hac medendi ratione anno à peste proximo complurimis febre Pestilentiali correptis sanitatem restitui, adeo ut ne unus quidem ex eo morbo mihi desideratus sit, postquam eandem exercere inceperam.

Verum ubi *Tumor jam enatus fuerit*, venam aperire, etiam in corpore ad sudandum quantumvis inhabili, hactenus non sustinui, veritus ne materia morbifica in depleta vasa conferum remeanre subitaneus ægri interitus destinatam diaphoresin anteverteret: Nihilominus satis fortasse tuto administrari poterit S. M. modo confertim ab ea peracta, ac nulla mora interjecta, eliciantur sudores, qui ad spatium superius requisitum protrusi, omnem tumoris molem paulatim absumere ac dissipare valeant, idque longe minore salutis periculo quam si legitima apostematis maturatio, quæ in præcipiti affectu admodum incerta ac fallax existit, serius expectaretur. *Sydenham obs. in Acut. p. m. 144. & sequ.*

Curatio ex *Willisio*.

2. *Curatio absolvitur*) Curationis doctrina est vel *generalis*, & complectitur remedia, quæ in hunc finem ex Diæta, Chirurgia & Pharmacia desumuntur: vel *specialis*, quæ tradit usum & cautiones circa ista remedia exhibenda, & quo ritu symptomatis varie emergentibus occurrendum sit.

Diæta Sex rerum non naturalium usum comprehendit, præcipua tamen cura, & curationes medicæ circa Victum adhibentur: Hujus primariæ indicationes non simul & eodem tempore consistunt, sed pro re nata vicissim, & juxta Naturæ exigentiam suppleri debent; Respectu malignitatis, & virium dejectarum, alimenta quæ spiritus valde refocillant, & uberiorem nutricatum præstant, desiderantur, respectu *intemperies febrilis*. victus tenuior, refrigerans & sanguinem attemperans requiri videtur: Medicus utrique prospiciat, sed contra malignitatem potius quam febrim remedia intendat. *Willis.*

Cum regnante Pestilentia quispiam hujus morbi contagio afficitur, Dei omnipotentis auxilio precibus impetrato illico ad remedia confugiendum est: Si in corpus minime perpurgatum, ac in vomitus proclive pestis inciderit, statim vomitorium sumatur, cujus operatione finita diaphoreticis confestim adhibitis sudor provocetur: Idem pro virium tolerantia continuetur, postea sæpius repetatur: Insuper Alexipharmacis quovis fere momento utendum, donec Exanthematum, Anthracum, aut Bubonum eruptione venenum prorsus totum foras eliminetur; Interea tamen symptomatis maxime urgentibus remedia respectiva & propria opponantur; præcipue autem pro Bubonum & Anthracum curatione auxilia idonea ex Chirurgia petantur, Totius negotii cardo intentionibus hisce duabus innititur, ut virus pestiferum omnimodo ab intus foras expellatur, ac dein expulsi recursus æqua diligentia præcaveatur. *Willis.*

Curatio ex *Fr. Ioele*.

Statim ubi aliquod ex paulo enumeratis signis, & qualia in præsenti peste sunt, capitis dolor, somnolentia inusitata, frigus febrile, nausea, tensiones præcordiorum, tormina ventris & bubones, seu glandularum tumores in emunctoriis, ex his inquam, signis, si unum aut plura compareant, nullo modo sunt parvifacienda, aut procrastinanda, & contagioni induciæ concedendæ, sed statim ac celeriter in ipsa infectionis hora, aut paulo post, etiam media nocte, antequam vis pestilentis contagii, & fraudulentus vitæ hostis cor occupet, & spiritus vitales prosternat, vitæ dimicanti quovis modo auxilia sunt ferenda.

Methodus autem liberativa curationis consistit 1. In Celeri excrementorum ventriculi & intestinorum (si necessitas requirit, sæpe autem non exigit) evacuatione. 2. In venæ sectione, quæ & ipsa non in omnium corporibus admitti debet, aut potest: 3. in Alexipharmacorum, i.e. remediorum venenum pestiferum vincentium, & per sudorem propellentium exhibitione; 4. In cordis & spirituum vitalium corroboratione. *Fr. Ioel. Tomo 2. sect. 3.*

Curatio Sylviana.

2. *Curatio absolvitur*) Quemadmodum ex symptomatum omnium Pestem comitari solitorum examine, atque remediorum ipsius Præcautioni inservientium, lethalis plerisque Veneni naturam in Sale Volatili & Acri consistentem deduximus, idem ex ejus curatione confirmatum iri putamus.

Vt autem *methodica* & *rationalis* instituatur Pestis curatio, considerandæ non tantum Functiones quæ primario ac potissimum in Peste labefactantur, verum *partes* quoque tam *continentes* quam *contenta* quæ præ aliis omnibus tunc afficiuntur.

Functiones in Peste potissimum labefactatæ sunt *Vitales* dictæ, & inter has quæ *Sanguinis mutationem in corde contingentem* spectant, & à quibus vita proxime pendet: Inter *contenta* igitur, vel *sanguis universus*, vel *quædam ad sanguinis massam producendam concurrentia*, vel *utraque* male sunt in Peste affecta.

Inter *partes continentes solidasque*, observamus tum *Glandulas Conglobatas*, à Bubonibus, tum *Externam cutem cum partibus adjacentibus*, à Carbunculis & Maculis corripi corrumpi.

Sanguinem plurimum immutari ostendimus, quando ipsius consistentiam sæpe amitti ac *solito fluidiorem* fieri ostendimus, Cum autem ab *Acido succo sanguinis consistentiam omnem* accedere evicisse me putem, merito *Acidum sanguinis admistum, admiscendumve*, præ cæteris contentis omnibus plurimum in Peste pati & corrumpi conclusimus. Cum amplius à nullo tam potenter *infringi, adeoque corrumpi Acidum* ostenderimus quam *a Sale lixivo*, merito ab ipso venenum Pestilens deduximus.

Denique cum veneni pestilentis operationem velocem ac acerrimam expenderemus, *Sal* illud *lixivum* & *volatile* & valde *acre* pronunciavimus.

Cumque inter omnes in corpore nostro hactenus observatos humores *Bilis sola* deprehensa sit participare de *Sale volatili*, existimamus secundum rationem judicasse non raro *ipsam vitiari a veneno Pestilenti, reddique solito acriorem magisque volatilem*, Adeo ut *venenum pestilens Bili*, tanquam humori sibi maxime homogeneo, se jungat illamque vitiet, In *Acidum* vero,
tanquam

tanquam humorem sibi maxime *heterogeneum atque oppositum* vim suam exserat, ipsumque proinde infringat & corrumpat, *Venenum* Pestilens dico, quia quantum saltem plerique, ac reliquis nulla in re cedentes Medici statuunt, *haud in humano corpore generatur, sed forinsecus ipsi accedit, atque aliis quoque postmodum per contagium communicatur.*

Indicationes proinde in Pestis curatione observandæ, petendæ sunt i. *ab ipso veneno forinsecus in corpus immisso*, atque tum Bilem inficiente, tum succum Acidum corrumpente ac infringente, tum sanguinem ipsum colliquante; tum partes solidas uti dictum, per Bubones, Anthraces ac Petechias destruente, ij. *Ab ipsa Bile*, à pristina sua integritate degenerante atque Pestilentis veneni naturam induente: iij. Ab *Acido* in nostro corpore *succo*, & fracto & corrupto: iv. Ab ipso *sanguine* liquato & consistentiaa sua destituto: v. A *Glandulis conglobatis*, Bubones patientibus. vj. A *partibus quibusvis* Anthracum virulentia correptis corruptisque. vij. Ab universa corporis superficie, multifariis *Petechiis* & *Maculis* inquinata, & quandoque simul corrupta.

i. Ipsum *venenum Pestilens*, quatenus præter naturæ leges in humanum corpus admittitur, *reciprocam sui ex eodem expulsionem indicat.*

Idem quatenus *omnia in corpore occurrentia inquinat*, & à statu laudabili in noxium mutat, sui *alterationem & correctionem indicat.*

ij. *Bilis*, quatenus à Veneno Pestilenti Volatilior redditur & acrior, sui *fixationem* & contemperationem indicat.

iij. *Succus corporis Acidus*, quatenus à Veneno pestilenti Acrimonia ejus Acida infringitur & corrumpitur, ejusdem *Aciditatis reparationem* & restitutionem indicat.

iv. *Sanguis*, quatenus à Veneno Pestilenti consistentiam suam amisit, ejusdem *redintegrationem* indicat.

v. vi. & vij. *Bubonum*, *Anthracum*, & *Petechiarum* peculiares Indicationes suis locis tradentur, quo nunc præmissorum Indicantium Indicata proponamus.

1. Cum venenum Pestilens frequentissime per corporis poros penetret ad Interiora, commodissime per eos expelletur, adeoque per *Sudorifera*.

Idem cum aliquando una cum Aëre forsan inspiretur, atque salivam tunc simul alteret ac corrumpat, quæ continue deglutita in ventriculum nauseam excitet, non incommode tunc *Vomitorio*, ex parte saltem, iterum è corpore propelletur, ubi autem pars ejus vomitione ejecta, reliqua cum aëre ad Pulmones, mox & sanguinem transiens, prædictis Diaphoreticis commodissime cum sudore denuo extrudetur foras.

Idem venenũ, quatenus qualitate sua noxia quævis in corpore occurrentia vitiat & in pejus mutat, & quidem qualitate sua *salsa volatili* & acri, *medicamento* potenter *figente*, atque *acrimoniam demulcente* corrigatur.

Quoniam vero figendi demulcendique vim nil æque habet ac *Sulphur*, sed *fixum*, idcirco illa vis merito expectatur à quovis sulphure simili, h. e. fixo & figente, metallico puta vel minerali.

ij. *Bilis volatilior & acrior* à Pestilenti veneno reddita, iisdem quibus & illud, medicamentis figetur denuo, ac temperabitur.

iij. *Succus* Acidus à pestilenti veneno fractus & corruptus, reparabitur usurpatione acidorum uniuscujusque constitutioni singulari convenientium.

iv. *Sanguis* consistentiam suam perditam recuperabit assumptione Acidorum, non confertim, at per vices, atque parva semper quantitate usurpatorum.

Postquam vero tam multæ sunt in Peste curanda *Indicationes*, prudentis Medici erit illam *Remediorum materiam* seligere, & in usum revocare, quæ quamplurimis satisfaciat indicationibus, quo una sæpe fidelia dealbentur plures parietes, atque minime compositis medicamentis curentur Peste infecti &c. Videndum proinde quibus soleant plerique, aut saltem practici Peste correptos curare medicamentis: Inter *Sudorifera* laudantur &c. (vide *§. Sudoriferorum & Alexipharmacorum*) & *§. Ex simplicibus*) supra etiam commendavimus *Vomitoria* (vide supra §. *Sunt qui Vomitiones*)

Venenum autem Pestilens cum non tantum absolute abesse, ac proinde expelli debeat à corpore, ac insuper ratione suæ *volatilitatis* & *Acrimonia lixiva* sui *alterationem* ac correctionem, h. e. *fixationem* ac *contemperationem* indicet, non sine causa soliciti sumus de materia remedii indicati, atque *salem* inprimis *volatilem figentis, Acrem* autem contemperantis.

Cum autem inter *Vegetabilia* vix ulla talia noverim quæ id præstare possint, ut nec inter *Animalia*, cogimur ad *mineralia* tanquam ad sacram anchoram recurrere &c. Inter mineralia vero *Nitrum* plurimum potest ad *Volatilium salium* fixationem, ut tyronibus notum; Nam arsenicum, auripigmentum, antimonium & similia volatili sale constantia figi beneficio *Nitri* tum *crudi*, tum in *spiritum Acidum* prius *transmutati* constat; Potest idcirco idem in Peste usurpari bono cum successu: Præstantissimum autem, atque altioris indaginis est *Sulphur minerale*, idque prius *arte fixatum*, cujus in figendo sale volatili efficaciam pauci observarunt, Illud ego omnibus & singulis commendo, & ut ex quocumque demum subjecto parare discant optimum, sedulo consulo.

Habebunt enim tunc non tantum in Peste, ac in plurimis aliis morbis gravissimis, medicamentum excellentissimum; & cui tuto quivis queat fidere.

Nec tantum figendo Sali volatili, sed eidem quoque *Acriori* temperando conducit quodvis *Sulphur minerale*, sed *fixum*, ut & *Nitrum*, Præter quæ plures occurrunt inter Animalium Vegetabiliumque partes temperando Sali acriori aptæ.

Faciunt autem id istæ omnes, tum ratione sui *spiritus volatilis*, tum ratione sui *olei*, tum denique ratione sui *spiritus Acidi*, quia ratione abundantis *olei* faciunt idem *salia volatilia*, sed *oleosa*.

Inter Vegetabilium partes primas facile tenent *Semina* & *Fructus* magis *aromatici*, ac ideo medicamentosi potius quam alimentosi, *Baccæ* puta: Inter succos ex variis plantarum partibus prodeuntes, primum locum occupat *Opium*, tum amarum, tum pingue, & quicquid opii naturam æmulatur, Ex hisce autem in genere sic dictis infinitæ mox se produnt medicamentorum tam simplicium quam compositorum species, *Spiritus* puta *vini*, ac præsertim *Aromatici*; *Olea* aromatica & *simplicia*, ex illo vel illo Aromate, aut semine, Et *composita* ex pluribus parata.

Spiritus Acidos hic laudo, tum magis puros, tum per spiritum vini magis temperatos & blandiores, utroque nomine utiles; Ex *Animalibus* quæ parantur in hunc finem medicamenta, præcipua sunt *Salia volatilia oleosa*, vel potius eorundem *olea*, *destillatione ex cornubus*, *ossibus*, atque *Ungulis* elicita, quæ omnia effectum hic habent mirabilem.

Quibus modo dixi *Salem volatilem acremque* figi ac temperari, iisdem *figetur temperabiturque Bilis naturalis volatilior*, & acrior, ut non sit opus eadem repetere.

Succus Acidus in corpore nostro iners factus, *reparandus* Acidis tum ex vegetabilium, tum ex mineralium inprimis familia repetendis, Neque mihi aliquod succurrit *Acidum* ex *Animalium partibus usu* parabile, nisi forsan *Lac* sponte ac inprimis *arte acescens*, ipsiusque *serum acidiusculum*.

Plures autem sunt *Plantarum partes, folia* puta *fructusve*, ex quibus *acidus succus* exprimi potest, facile saltem

acescens, Ex *mineralibus* copiosum succum Acidum primum *Salia* quævis, *Vulgare* tam *Fossile* quam *Marinum*, *Gemmeum*, *Nitrum*, *Alumen*, *Vitriolum* &c.

Hæc autem acida cum multifaria sint, atque nonnulla *Austeritatis* & Acerbitatis alicujus sint participia, prudentia opus erit, tum illa rite distinguere, tum singula pro re nata perite seligere: Sunt inprimis quædam Acida puriora & Acriora, quædam cum spiritu volatili temperata, tum à natura, tum ab arte: Sic Acetum habet admistum sibi naturaliter spiritum volatilem, quem arte solemus spiritui salis & aliis admiscere.

Cum ab *Acido suam consistentiam*, nostro saltem judicio, accipiat *sanguis*, quæ modo de Acidis protuli, huc quoque faciunt.

Quod si quis omnia quæ supra docuimus de varia supra memoratorum in Peste curanda *Indicatorum* materia Medica inter se conferat, non ita difficulter observabit admodum paucis posse primariam Pestis curam institui medicamentis satis simplicibus, *Vomitoriis* puta, sed *Antimonialibus* præsertim, *Sudoriferis* multifariis. ac itidem *Antimonialibus* præsertim, *Salem ac Bilem nimis acrem figentibus*, inter quę haud postrema sunt *Antimonialia*, Bilemque *acriorem temperantibus*, inter quæ plura quoque sunt *Antimonialia*; *Acidum*, & in sanguine & alibi *deficiens reparantibus*, quæ non sunt in Antimonio, Adeo ut ex uno, & forsan solo *Antimonio*, parari possint medicamenta omnibus ac singulis Pestis Indicationibus satisfacientia.

Salia volatilia oleosa, & sudori movendo, simulque *veneno pestilenti foras propellendo*, *& Sali bilique nimis acri* temperandæ conducent: *Acida* & inprimis ex *Nitro* paratus spiritus *Salis* & *Bilis* volatilitate nimia & *Acrimonia* peccanti corrigendæ, ut & restituendæ *sanguinis consistentia*, *Acidoque in corpore inertiori* reparando servient.

Adeo ut quis ad summum triplicibus medicamentis opus habere videatur ad Pestis curam internam perficiendam, Et 1. quidem *Vomitoriis*, quoties ipsis concedi potest aut debet locus, 2. *Sudoriferis*, sed sale volatili, oleoso inprimis constantibus, veneni nempe *acrimoniam* simul *temperantibus*. 3. *Acidis*, è quibus præferendus *Nitri spiritus* cum simul *frigendi vi* sit præditus, sed *Aquis* convenientibus diluenda sunt pleraque, ne noceant.

Quinimo aliquando simul conjungi possunt *Vomitoria sudorificis*, & *sudorifera Acidis*, vel saltem in medio sudore mixturæ subacidæ cochleatim exhiberi.

Dico *conjungi* posse nonnunquam *Vomitoria sudoriferis*, Nam nil nocet illa simul assumi & simul operari, postquam non sunt motus sibi contrarii, sed diversi, Per Vomitum & Sudorem, Nam imperite intestinorum fistula, una enim *Ventriculo ac Oesophago*, habetur pro humano corporis centro, *Cutis* autem *pori* pro ejus circumferentia.

Si quod enim haberi posset ipsius centrum, id omnino dicendum foret Cor, à quo sanguis ad partes singulas defertur, uti Partes singulæ pro ejusdem circumferentia, cum ab ipsis referatur sanguis ad cor, idque secundum sanguinis motum circularem; Quod si corporis humani Centrum statuatur Cor, non minus Intestinorum fistula, in ac per quam se exonerant Fellis folliculus & Pancreas; atque ipsum Os, In quod ac per quod se exonerant Glandulæ salivares, atque ipsus aliquando Ventriculus cum Intestinis tenuibus, pro ejus circumferentia habenda quam *externa Cutis*, per quam sudor expellitur, atque *vesica urinaria*, per quam urina excernitur.

Hoc non tantum probabile, ac verosimile, arguit Ratio, sed verum probat experientia, quæ tum aliis, tum me quoque non semel confirmavit cum optimo successu, & magno ægrorum commodo, expelli eodem tempore ac medicamento humores in corpore peccantes, tum per vomitum, tum per secessum, tum per sudores ac urinas.

Quod in non paucis affectibus utile docuit experientia certa, solidæ rationi consentiens.

Adde quod arte, saltem chymica, parari possunt, ex *Antimonio* præsertim, medicamenta, quæ pro re nata, & humorum peccantium natura, nunc tantum per vomitum, nunc tantum per secessum, nunc tantum per sudores aut urinas, nunc simul per plures vias, nunc per nullas prædictos humores expellant, verum illos duntaxat emendent ac corrigant.

Unique testari possum id à me non semel observatum, unum idemque ex Antimonio paratum medicamentum, ac eidem ægro in eodem affectu à me exhibitum, omnia dicta effecta ordine produxisse, & quidem vomitum, deinde alvum ipsi movisse, postea sudorem, ac tandem, nil amplius expellendo, in dies robur ægro conciliasse.

Talia tamen exhiberi non debent, nisi putetur Evacuatio varia utilis ægro futura, viresque constent; quibus præsentibus tunc intrepide poterunt exhiberi medicamenta illa polychresta ex *Antimonio* parabilia; Ne tamen usurpentur tunc medicamenta nimis volatilia, sed ad mediocrem saltem fixitatem deducta.

In Pestis ergo curatione tuto potest, mox in ejus initio, urgente nausea, & constantibus adhuc viribus, exhiberi *vomitorium* ex *Antimonio* paratum, sed quod simul vim habeat *sudorem movendi*, *Antimonium* puta *diaphoreticum* dictum, sed *haud nimis fixatum*.

Vel potest cum quovis alio *vomitorio antimoniali conjungi aliud sudorificum*, aut ex eodem *antimonio*, aut alia materia paratum.

Hoc assumpto medicamento Æger se componat in lecto ad sudorem promovendum, tegendo se mediocriter.

Post horæ dimidium, si nec sudor, nec vomitus, vel alvi dejectio sequatur, assumat jusculum, vel cerevisiam, vel vinum calens, idque subinde repetatur, donec alterutra observetur evacuatio, eaque satis sufficiens.

Quod si post horam unam vel alteram neutra consequatur, nil obstat novum ægro exhiberi medicamentum; quin &, urgentibus angustiis, tertium: Illud enim observandum, nisi ab assumpto sæpius medicamento, vel sudorifero vel vomitorio, sequatur vel sudor vel vomitus, alvique dejectio, aut tollatur saltim minuaturve cordis anxietas, plurimum periclitari ægrum, signum enim est venenum Pestilens, aut copiosum, aut valde volatile, aut valde acre existere in corpore, quocirca spes est in angusto.

Quod si contra sursum vel deorsum fiat excretio, sudor saltem copiosus profluat, cordis anxietas & nausea minuatur, atque Pulsus major & robustior reddatur, bene sperandum de cura felici.

Hæc autem ut festinetur ac promoveatur, non tantum post finitum sudorem, sed ipso adhuc durante, *mixtura cardiaca*, ex *Acidis* pręsertim constantes, cochleatim sunt ac per intervalla brevia Ægro exhibendæ, quo restituatur Acidum in ipsis fractum, sanguinique sua conservetur restituaturque consistentia, sine qua diu superesse in vita hominu nulli datum.

Quamdiu vero aliquod Pestis adhuc urgentis signum in Ægro remanet, tamdiu in medicamentis salem volatilem figentibus, Acremque attemperantibus. & Acidum restituentibus pergendum, ne venenum neglectum, ac sibi relictum, novas vires acquirat. & inopinato ægrum nimis securum opprimat & è medio tollat: Hac certe ratione ac methodo felicissime ægros multos curavi, at illa neglecta plures pereuntes vidi.

Illud tamen fateor me hactenus à *Vomitoriis abstinuisse*,

cum

cum olim quam nunc minus mihi probarentur: Hoc autem anno paucis præſui Peſte correptis; nullis autem quibus illa putarem futura utilia; niſi enim mox in principio exhibeantur nauſeabundis, ac ſatis robuſtis, nec dum capere poſſum qui ulli conducere queant: Adde quod quotquot ex notis Medicis eadem cum felici ſucceſſu ſe uſurpaſſe narrarunt, ſe illa mox in principio uſurpaſſe retulerint, atque ſic ſuo experimento meam ſententiam confirmarunt. *Sylvius Append. Tr.2.*

† *Venæ ſectione*) Quæ raro & admodum caute in hoc morbo celebrari debet, quia ſanguine nimis exhauſto, & vaſis concidentibus, diaphoreſis non adeo facile procuratur. *Willis.*

† *Venæ ſectione ſecundum quoſdam*) Non ſum neſcius ſacram apud pleroſque audiri in hoc morbo venæ ſectionem, verum vulgi præjudicia parum moratus, rationum in hac quæſtione momenta expendam; Ac primum quidem Medicorum qui graſſante nupera lue in urbe perſtiterunt, fidem appello; Num quis eorum phlebotomiam larga manu celebraram, ac repetitis vicibus, nec non tumore adhuc nullo protuberante celebratam, Peſte laborantibus funeſtam eſſe animadverterat; Pateam quidem, vel tumore jam conſpicuo, ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe, neutiquam mirandum eſt, Siquidem cum mediocris tantum quantitas cruoris admittitur hinc Naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio è manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi ratio ſubſtituitur; Apparente autem jam Tumore celebrata V.S. cum à peripheria ad centrum trahat, motui naturæ, qui fit à centro ad circumferentiam, inducit motum plane adverſantem.

Nihilominus vix quicquam frequentius factitatum videas, quam phlebotomiæ, perverſo hoc ritu adminiſtratæ, noxam à contrariæ ſententiæ patronis univerſim ac in genere adverſus ſanguinis in hoc morbo detractionem validiſſimi argumenti loco torqueri, uti in *Diemerbrœckio*, aliiſque obſervationum ſcriptoribus paſſim videre eſt: Me quod attinet, eorum ratiocinationi aſſentiri non poſſum, donec intellexero quid quæſtioni ſuperius propoſitæ reſpondeant, Sane V.S. in Peſte convenire complures iique graviſſimi ſcriptores jampridem ſcripſerunt, quorum præcipui ſunt *L. Mercatus, Joh. Coſtæus, Nicolaus Maſſa, Septalius, Trincavellius, Foreſtus, Mercurialis, Altomajus, Paſchalius, Andernacus, Pereda, Zacutus, Fonſeca,* aliique, Verum qui totum curationis negotium in copioſa, qualem nos poſtulamus, ſanguinis detractione collocaverit, unus, quod ſciam, *Leon. Botallus*, quem, ne ſolus in hac palæſtra verſari videar: Lector accipiet ſuis ipſius verbis de hac re diſſerentem (cap.7. de Cur. per V.S.)

Ego ut uno verbo dicam; nullam Peſtem eſſe puto cui hac non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modo opportune, & quantitate convenienti uſurpata ſit, tatiu eam aliquando inutilem inventam fuiſſe, propterea quod aut tardius, aut parcius quam opus eſſet, aut quod utroque modo circa eam expendam peccatum ſit &c. *At in tanta timiditate, & parca detractione, qui fieri poteſt ut quis recte poſſit judicare quantum ea in peſtilenti morbo prodeſſe valeat, aut obeſſe? Non enim morbus, pro cujus curatione requirebatur detractio librarum quatuor ſanguinis in quo una tantum detrahitur, ſi hominem interficiat ideo interficit quia ſanguis eſt miſſus, ſed quia non juſto modo miſſus eſt, nec forte etiam opportune; Verum nebulones nequiſſimi & ignaviſſimi in id ſemper culpam convertunt ſanguinis, non quod nocuit, ſed quod per uſum à curatis recuperari exoptant: Aut ſi id nequitia non faciant, ignorantia tamen prava diſpoſitionis effecium, utraque certe perniecioſa, ſed illa magis*, quæ omnia experientia confirmaturus, paulo inferius ſic pergit, *His obſervatis, nemo tamen capax priorum his morbis recuperare S. M. poteſt, ſed mirifice, & tanquam divinum auxilium commendare, extollere, & confidenter uſurpare, quod ipſe profecto ab annis xv. facio, Ideo in morbis peſtilentibus, in obſidione Rupellarum, & montibus Hannonia abhinc quadrienuium, & Pariſiis, toto hoc biennio, & Cameraci anno proxime, in omnibus meis agrotis (qui innumeri fuere) nullum præſentius ac ſalutarius reperi ipſa larga & tempeſtiva S.M.*) Deinde ad curationum exempla deſcendit quæ prætereo, Libet tamen rei in hac Britannia ante aliquot annos geſtæ, oppido raram, ac à propoſito noſtro non alienam, huc loci apponere hiſtoriam.

Cum multis in locis Peſtis graſſaretur, ac forte in Caſtrum *Dunſtar*, in agro *Sommertonenſi*, aliunde invecta, aliquot Præſidiariis, cum macularum effloreſcentia derepente exanimatis, complures alios corripuiſſet, Chirurgus quidam, qui à longis peregrinationibus redux tunc temporis ſtipendia inter alios faciebat, à præſidii Præfecto enixe rogat ut ſibi liceret commilitonibus ſuis truculento morbo correptis pro viribus ſuccurrere, quo annuente, ſingulis ægris, ſtatim à *primo morbi inſultu*, atque *nullo adhuc tumore conſpicuo*, ſanguinem ingenti copia detraxit donec pedibus deficere inciperent, nam ſtantibus ac ſub dio vena pertuſa eſt, nec aderant vaſcula quæ cruoris in terram effluentis menſuram definirent, Hoc facto eos in tuguriola ſua dimiſit ad decumbendum; Et quanquam à V.S. nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex quamplurimis iis quos hoc modo tractaſſet (mirum dictu) ne unus deſideratus eſt &c. *Sydenham obſ. in Acut. p. m. 150. & ſequ.*

Foreſtus ſcribit in *Peſte Delphenſi* V.S. profuiſſe ſi intra xij. vel xx. horas celebrata fuiſſet, alias noxiam fuiſſe: Nos vero in hac Peſte *Noviomagenſi* omnes venæ ſectiones, etiam in ipſo morbi principio factas, valde noxias fuiſſe in plurimis ægris obſervavimus. *De Diemerbroeck De Peſte lib.4. hiſt.34.*

† *Quæ adminiſtranda poſt*) Sic Foreſtus, Illico Peſte correptis ſunt remedia adhibenda, morbi enim malignitas nullas dat inducias; fruſtra fere omnia auxilia adhibentur, ſi malum diem naturalem fuerit prætergreſſum, id quod experientia pro compertiſſimo habuimus; Ubi igitur vires, plethora ac ætas conſentirent, ſi malum jam primo invaſiſſet; neque ſeptem vel octo horas prætetiiſſet; V.S. adhibebam; quibus vero malum xij horas, vel diem naturalem pertranſiiſſet, nullo modo ſectionem venæ adhibebam, experientia enim vidimus quibus poſt xij. horas vel diem naturalem V.S. fieret, quod commoterentur; Ante 6. vel 8. horas S.V. tempeſtive adhibita, melius curabantur; Si ætas non admitteret V.S. cucurbitulas cum ſcarificatione ſatis profunda, collo, homoplatis, lumbis, natibus, cruribus, ſemper loco proxime affecto applicare jubebam; Quæ etiam in Peſtilentibus febribus à quibuſdam magis laudantur, Poſt ſectionem venæ illico dabam Pulverem meum contra Peſtem (vide §. *Pulvis*) ad ſudandum, Quo remedio aliquando in ipſo initio tumor peſtilens, ſi non eſſet magnus, deliteſcebat, veneno per ſudorem foras expulſo, Ita ut aliis remediis topicis ad Tumores opus non fuerit: Quod ſi Pulverem vomitu rejicerent, ſine mora, abluto ore cum aqua & aceto, alium ingerebam, idque aliquando bis aut ter donec retinerent; qui enim retinebant, facilius evadebant; qui autem rejiciebant vitæ periculum ſubibant: Interea ſemper vires corroborabam cum cōditis, delectuar. putredini reſiſtentibus, cordialibus nequaquam neglectis: Non *purgabam* ante tertium diem, & hoc rarius, ſed in quarto frequentius, idque medicamentis levioribus. *P. Foreſtus obſ.17. l. 6.* Vide exempla proſperi ſucceſſus hujus meth. obſ.19.

† *Quæ adminiſtranda poſt aſſumptum alexipharmacum*) *Sydenham* contra præmittit venæ ſectionem, hinc ad alexipharmaca tranſit, Vide ſuperius §. *Curatio abſolvitur.*

5. *Quæ administranda post assumptum alexipharmacum*; Sic etiam *Platerus lib. 3. prax.* unice commendat ut curatio incipiatur ab antidotis sudoriferis; Horum remediorum usus, *inquit*, statim à prima invasione esse debet, ut, si fieri possit, antequam qualitas illa venenata cor pessundet, quod statim facit nisi propellatur (vel sponte à natura, vel adjuta adhibitis expulsivis) una cum spiritu & calore ad exteriora propellatur, illiusque malignitas antidotis bis infringatur, Itaque quo citius hæc exhibentur, eo rectius hoc fiet, cum in ipso præcipuus curationis cardo versetur; & nisi intra xxiv. horarum spatium, vel citius (cum etiam sæpe brevi hoc tempore pestis juguler) exhibeantur; Quæ postea fiunt ad veram curationem parvi sunt momenti, neglectaque hac occasione; nisi natura sponte id faciat, frustra postea laboramus: Sed & altero die eadem postea repetuntur medicamenta; quin & in progressu morbi, viribus constantibus, si natura rursum eo vergat, repeti possunt.

5. *Assumptum Alexipharmacum*) Pestilentis fermenti per diaphoresin dissipatio, præ ejusdẽ per venæ sectionẽ evacuatione multos mihi nominibus arridet; utpote quæ nec ægrorum vires æque prosternat, nec Medicum infamiæ periculo objiciat: Atqui & hæc difficultatibus suis non vacat; Primo enim multis, ac præsertim calidioribus temperamenti juvenibus, sudores ægrius proliciuntur; Cujusmodi ægrotos, quò hidroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoresin cooriere satagas, eo in manifestioris Phrenitidis periculum adduces, aut, quod tristioris adhuc ominis est, vana spe aliquantisper lactatus, tandem pro sudoribus *Exanthemata pestilentia* elicies; Cum enim præcipua hujus mali labes in spirituosiori massæ sanguineæ parte resideat, unde crassiorum partium exagitatio nonnihil languidior quam in aliis inflammationibus plerumque existat, tenuior illa portio novi caloris accessione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras, ultra texturæ modum distensas prorsus frangit ac comminuit; A qua fibrarum sanguinearum dissolutione macularum pestilentialium causam petendam esse censeo: quippe non secus ac vibices à plaga fortiore in partem aliquam corporis musculosam inflicta, primo intensius rubicundæ in cute efflorescunt, ac brevi post tempore livorem quendam aut nigredinem induunt.

Deinde vero in corporibus, quæ satis prompte in sudorem solvuntur, si diaphoresis justo præmaturius (nempe tota materia morbosa nondum penitus dissipata) abrumpatur, Bubonum, qui laudabiliter quidem sub finem sudoris prodire inceperant, postea deterior evadit conditio: Nam subducta quæ eos in molem attollere deberet materiæ parte, aut de facili intro remeant, aut saltem ad legitimos abscessus nunquam perducuntur, quemadmodum etiam in Variolis accidere solet, quoties ægri per primos dies impensius sudarunt) recepto autem denuo intra muros hoste ferali, in sanguine commotio excitatur, cujus opera, eo quo superius innuimus modo, sæpe ecthymata imminentis lethi indicia foras propelluntur. *Sydenham obs. in Acut. p.* 356. & 157.

6. *Nisi carbunculus ingentem dolorem & inflammationem causetur*) Habita semper virium ratione in Peste tuto possumus sanguinem detrahere, ratione caloris maligni & Pestilentis, cujus proprium est ut urat, corrumpat, & corpus liquefaciat; *Urat* quidem, quia calor pestilens in carnibus & membranis quasi sensum carbonis urentis infert, & calorem naturalem depascitur & extinguit; *Corrumpit* & inficit, & nescio quam vim humoribus imprimit, ut *Ecthymata, Carbones & Pustula* appareant, & ex humore miti efferum & malignum reddat, liquefaciat.

Id experientia didicimus his temporibus, in quibus sævit in vulgus febris Purpurata, Nam qui evaserunt, fere omnes tabuerunt, liquefacto toto corpore, & profluvio alvi spontaneo, quasi minime sentientibus ægris; Denique quemcumque humorem attigerat calor iste malignus & pestilens, iis omnis excretus est; & non desiit febris donec corpus quasi exhaustum, aridum & squallidum redditum fuerit sicque remansit sola corporis ὑπογραφή.

Hippocrates l. 3. Epid. duo observat in ea immani & communi Peste, quæ sequuta est constitutionem humidam calidam, ventis carentem, & umbrosam, i. e. nebulosam s. quod ea putredo fuit *alia*, i.e. non vulgaris & solita, sed insolens, & symptomatum insolentium procreatrix, ij. Quod multi tabidi interiere, à colliquatione videlicet corporis ob calorem pestilentem, partim ob collectionem pravi humoris in pulmone, sicut & in cæteris partibus: Unde in febribus Pestilentibus, ob humorum fusionem, facultatum læsionem, & humorum pravorum qualitatem, item ob caloris naturalis affectionem, est νωθρότης & totius corporis, ἀκινησία, lentitudo, gravitas, eo modo quo in Carbunculo partis observamus: Nam quæ pars affecta est Carbunculo pestilenti ea, præter sensum caloris quasi prunæ adurentis, gravis est & plumbea, id quod notandum est; Sic in Pestilenti febre, in morbillis, & cæteris id genus morbis qui se affinitate quadam attingunt, est dolor ἐπίπονος & sensus quasi ponderis & gravitatis, ut neutram in partem flecti quasi possit corpus; Vulgus autem Medicorum corporis gravitatem istam ad humorum abundantiam refert, cum id potius ad malignitatem sit referendum.

Hæc cum ita sint, videndum qua ratione prohiberi possit ne iste calor Pestilens increscat, & ita corrumpat, urat, tabefaciat liquando, & liquet tabefaciendo, & denique multorum & graviorum symptomatum fœtura tandem ad internecionem ducat ægrum; Id fiet subtrahendo materiem tanquam pabulum, & statim febrem ipsam jugulando, sic *Phlebotomia* primo quoque tempore facta id operæ pretium afferre potest; prohibendus enim est iste calor omni arte, nam brevi tempore multum propagatur & inaugetur: Sic si puellis detrahatur sanguis initio in suspicione morbillorum & variolarum, impedietur augmentum febris, cujus calor maleficus est & tabificus: & sic fusis liquatisque carnibus, non ita intumescit corpus, nec fœda scabie maculabitur & inquinabitur; Imo, dum eruperunt, potest etiam detrahi sanguis, quod nos beato quodam successu fecimus & consequuti sumus: Sic enim una sanguinis detractione plus educimus sanguinis quam natura foras possit propellere: Interea successu temporis & febris augetur, & corpus quasi in putre serum resolvitur; Accedit quod in Morbillis & Variolis, imo in Peste, fiunt excretiones sanguinis αἱμοῤῥαγίαι Excretiones per os, per urinas, per acrimoniam & malignam qualitatem in sanguine vi materiæ fundatam, quæ à parvo incipiens, in totam massam propagata & prorogata est: Sic subducendo materiam ut pabulum, minuemus morbum, & faciemus quod morbus ipse facit, & natura ipsa, sed coacta; Nam profusiones urinarum immensæ prodeunt, & alvi profluvia, eo utraque progredientia, donec totum fere corpus tabescat, relinquaturque, ut ante dictum, sola corporis superficies & descriptio: Nec desinit natura eas excretiones moliri, licet sæpe symptomaticas (sed quia prosunt ab effectu commendantur) procurare ac promovere, quamdiu humor aliquis restiterit: Remanent partes solidæ, in quarum vi natura ipsa residet, ad reliquias naufragii, vel tanquam ultimæ naufragii tabulæ.

Ergo habita semper virium ratione, in morbillis, variolis, imo & in Peste, possumus tuto detrahere sanguinem, Quod nos docuit longa experientia in populari-

bus

bus morbis, in quibus Exanthemata apparuerunt, sæpius iterata venæ sectio, & profusio alvi, imo olida proluvies, tum arte, tum natura, tum vi morbi procurata, multos Orco eripuit. *Ballonius lib. 1. Epid. & Ephem. p. 49. 50. & 51.*

7. *Secundum quosdam nulla*) Magna est inter Medicos dissensio, *Utrum Peste infectis corporibus prosit V.S. aut non?* Maxima eorum pars non modo utilem sed & necessariam sanguinis extractionem esse judicat; Excell. vero nostræ ætatis Medici, *Montanus, Fernelius & Fracastorius*, non modo inutilem sed & perniciosam esse asseverant, 1. quia per vehementem putridorum humorum agitationem magis augetur putrefactio & perniciosi excitantur halitus, à V. S. autem fit ejusmodi agitatio: 2. Pestilentiæ seminaria extrinsecus in corpus trahuntur, & in venis arteriisque extremis initio morbi hærent tantum, Venæ sectione autem, ob commotionem sanguinis universi introrsum ad principalia corporis membra trahuntur, & universæ sanguinis massæ miscentur: Ergo præstat sanguinem non commoveri; Sicuti enim si poculo aquæ salis aut fellis quidpiam adjiciatur, donec aqua quiescit minus salsa aut amara percipitur; Si autem aqua agitetur, tota salsa & amara redditur, Idem contingere ajunt in S. M. cum seminariis pestis; & addunt experientia compertum, maximam partem infectorum quibus secta est vena periisse: Verum etsi hæc argumenta plurimum ponderis apud me habeant, tamen V.S. ut non in omnibus moliendam esse profiteor, non tamen omnino è curatione pestis tollendam judico hisce regulis observatis 1.

1. Omnis tinctura contagii analogiam habet aut ad Spiritus aut ad putridos humores; Quæ ad Spiritus, citius infectos interficit, ut plurimum sine tumoribus, carbunculis & bubonibus perdit; Iis quidem frustra, & non sine noxa adhibetur V.S. Quæ ad Humores tardius interimit, & cum tumoribus carbunculisque erumpentibus interficit, In ea concedi potest V.S. si cætera consentiant.

ij. In V. S. semper habenda est ratio virium, ætatis & constitutionis temperamentique corporum: Quibuscunque enim infectis robur virium adest, & ætas non prohibet, & illi corpus habent plethoricum, i. e. robustum, carnosum, rubrum & pilosum, & venas sanguine distentas, iis maxima cum utilitate audacter vena incidenda erit: E contra in quibus corporibus unicus tantum humor prædominatur vitiatus, si vires & ætas ferant, præstat illis redundantem humorem ac vitiosum benigno pharmaco subducere quam per V. S. sanguineam massam agitare.

iij. Peste infectis, quibus aut menses fluunt, aut hæmorrhoides, aut sanguis è naribus uberius erumpit, iis non est vena secanda.

iv. Quibuscumque infectis vires, ætas & constitutio corporis V. S. concedit, iis statim initio, & ipsa hora invasionis, aut paulo post, intra horas quatuor, priusquam indormiat æger, vena incidenda erit: Nam ubi differatur & procrastinetur V. S. ægritudoque aliud morbi genus esse putetur quam Pestis, & interim seminaria pestis per spiritus & universam massam sanguineam diffundantur (quod utplurimum intra 24. horarum spatium fieri contingit) tum non tantum frustranea, verum etiam noxia est V. S.

v. Quibuscunque Peste infectis ætas, vires & corporis constitutio venæ sectionem desiderant, & vel tumor, vel bubo, vel anthrax prodit, si prope aures hæreat, aut circa collum, cephalica; si sub axillis mediana; aut hepatica, semper ejusdem lateris incidi debet.

vi. Periculosa est V. S. nauseantibus, & qui per V.S. in lipothymiam incidere solent: Difficilis quoque iis qui non sunt assueti. *Franc. Joel.*

Satius est in Peste plane abstinere à *Venæ sectione* quam eadem vires labefactare, Plura incommoda venæ sectionis insequuta eam prohibent, idque eo magis ubi cum Peste alvus fluere cœpit, vel ubi Bubones ac *carbunculi* aut *petechiæ* se manifestent; Unde caute legendus, nec facile apud nos imitandus *Septalius* in *Animadv.* dum quibusdam in casibus, apparentibus jam Bubonibus & anthracibus, *venæ sectionem* instituit, ut taceam paradoxon, vid. venæ sectionis necessitatem quam in peste persuadere conatur *Sydenham* observ. lib. 139. *Etmuller.*

Litem dirimit P. Barbette distinctione adhibita Regionum, *Venæ sectio ait*, Peste laborantibus admodum noxia est, iis itidem qui à Peste præservari volunt, Venenum sæpius ad dies aliquot, septimanas, menses, in corpore latet, extra vasa, antequam per usum sanguinem commoventium sese manifestet, Si V.S. id ad cor trahas, tuum est inquirere annon sanguinis, spirituum, viriumque imminutio, te auctore, causa sit cur cor suffocetur, hostemque fugare hoc valeat; Medici quidam fide digni, & exercitatissimi, *in locis calidis* V.S. caute, & in initio institutam mediorum antipestilentialium præcipuum semper fuisse referunt; Sed qui in hisce frigidis regionibus eos imitabantur, facile ab eadem abstinebant; Imo Medici nostrates de V. S. prorsus nunc silent.

8. *Quod perniciosa in Peste judicetur*) *Diemerbroeck c. 3. lib. 3.* durante peste Noviomagensi Venæ sectionem damnosissimam fuisse se animadvertissime ait, ac proin venam nullis se secuisse nec sanis nec ægris, imo vix quidem in aliis morbis qui venæ sectionem exigere videbantur; Illud se observasse ait, si Peste correptis vena secaretur, illos ad unum omnes certo & cito obiisse; Si aliis morbis laborantibus, his statim post venæ sectionem se adjunxisse Pestem: si sanis, plurimos eorum, qui illud tentaverant, brevi post Peste correptos fuisse: *Scarificationibus, Cucurbitulis* & Hirudinibus, loco V. S. etiam usum se non esse.

9. *Substituunt venæ sectioni*) Loco V. S. quidam *hirudines* probant hæmorrhoidibus appositas, quæ pravum fæculentumque sanguinem attrahunt; quæ evacuatio præterquam quod per excretioni dicata loca evacuat, fit præterea sine magna spirituum resolutione, cum guttatim & per angustas venas sanguis profluat, & ab intimis partibus revellat, in quibus solet morbi fomes latitare.

Eadem ratione prosunt *Cucurbitulæ scarificatæ*, quas ideo V.S. quidem præferunt, quia ex hac interior sanguis magis vacuatur, spiritus magis exhauriuntur, venenum in corpus universum diffunditur: Cucurbitulis contra retrahitur magis venenum ad corporis ambitum & superficiem, motusque Naturæ juvatur; Sed principio febris non debent apponi, quia ex 13. *meth.* non conveniunt in plethoricis ante vacuationem & purgationem; sicut neque in phlegmone, sive cerebri membranas, sive alias partes occupet, Non sunt scapulis apponendæ, ut quidam faciunt, quia cor nimis calefacerent, humores ab universo corpore ad ipsum attraherent, unde scribit Avicenna tremorem cordis generare, nisi, ut docet *Antyllus*, ferventibus internis visceribus frigeant exteriora, ut in febribus lipyriis: tunc valde conveniunt; Applicandæ igitur sunt potius partibus inferioribus, ut natibus & cruribus, nam spiritus non dissipant, & multum à corde revellunt. *Primirosius.*

9. *Substituunt ergo venæ sectioni*) *Oribasius lib. 1. Collect. c. 20.* refert *Galenum*, cum vehemens Pestis Asiam prehendisset, ipsumque attigisset, secunda morbi die, remissione febris facta, crus scarificasse, duasque fere sanguinis libras detraxisse, hocque modo periculum evitasse, Quam historiam ipse *Galenus* describit l. de *Cucurb. Scarif. c. 10.* ubi subjungit, quod plerique etiam alii hoc

præsidio usi, superstites remanserint, Hinc multi illud auxilium adeo præstans esse scripserunt, ut plerique Peste infecti cum eo feliciter evaserint, sicut annotant *Claudinus l. de Ingr. 2. c. 6. Septalius de Peste lib. 5. cap. 19. Fracastorius, Massaria, & alii* qui de causa præstantiæ hujus auxilii disserunt: *Ægyptii & Turcæ* solent etiam Peste correptis crura panno aspero fricare, & aqua calida fovere, deinde illa infra genu vincire, & ab inferiore parte incipiendo longiusculas incisiones xxx. vel xl. facere, atque ita duas tresve sanguinis libras extrahere, Cujus curationis historiam describit *Mannus lib. de Malleorum scarif.* eamque se Memphi in Ægypto vidisse refert.

Quicquid sit, nos propter rationes (vide §. *Vena sectione secundum quosdam*) dictas, in hac nostra Peste tales scarificationes prorsus improbavimus, atque hinc, ut à me relictæ, sic à nullo alio durante hac constitutione easdem feliciter institutas fuisse novimus; Quantum ad prædictorum virorum experientiam, credimus illam duntaxat intelligendam esse de Febribus Pestilentibus, aliisque Pestilentialibus sine Peste, in quibus revera multum prodesse possunt, minime autem in vera Peste.

Eustachius Rudius art. Med. l. 3. c. 30. valde commendat *hirudines* penitioribus narium partibus admotas, ut & *Cucurbitulas scarificatas* dorso potissimum è regione cordis applicatas: Verum quia etiam hæc media valde infida esse, plurimisque citissimam mortem intulisse experientia in hac nostra Peste millies docuit, penitus à nobis rejicienda fuerunt; plurimos enim talibus sanguinis evacuationibus ab aliis duobus Medicis occisos fuisse novimus. *Diemerbroeck l. 3. t. 3.*

9. *Substituunt ergo venæ sectioni &c.*) Præsidia hæc sunt Cucurbitulæ, Scarificationes, Pyrotica, Phœnigni, Vesicatoria.

Cucurbitulæ, cum plurimum possint ad evocandos è subjectis partibus vapores, maximi erunt momenti ad inhærens cuipiam parti pestilens virus discutiendum, & ad sopitum internum spiritum evocandum: ideoque frequens earum usus erit peste affectis, si quo loco vel exanthemata vel carbunculus, aut bubo virus inesse demonstrarint; vel partis gravitas aut dolor ea mox effutura portendant, affigantur: Si vero externum nullum vitium appareat, per varias corporis partes sunt disseminandæ: qua ratione utuntur corniculis qui thermas inhabitant, sed potissimum competunt adenibus, ad quas præsertim vicinæ nobilis partis læsio noxam amandandam demonstrat, ut si delirium cerebri læsionem indicet, parotidibus, Si syncope aut virium imbecillitas premat, sub axillis: Ubi vero coctricis læsio jecoris infirmitatem arguit, inguinibus apponentur, Nec tantum partibus ea labe affectis affigendæ, sed etiam vicinis, ut dispersum hac ratione virus infirmetur, & longius à vitæ principiis retrahatur, quod fiet commode si in extremo sublatæ ab affecta parte Cucurbitulæ, mox altera applicetur, & alia deinceps pari modo, ad quatuor aut quinque, hac adhibita observatione, ut à propinquioribus morbo partibus inchoantes in remotioribus desinamus, & extremæ pyroticum, phœnigmum aut vesicatorium admoveamus quo virus effluere possit, nec recurrat.

Scarificatione uti conveniet ubi ad extima derivatus humor ob crassitiem, aut cutis densitatem, non potest per insensibilem transpirationem educi: Ejus usus erit frequens post admotas cucurbitulas: Interdum etiam non præmissis cucurbitulis, in variis corporibus partibus exercetur, ut per vulneris aperturam diutius effluens sanies nonnihil virulentæ materiæ educat; quam evocari per quamlibet corporis partem nonnulli existimant, si mox scarificatæ parti contusi ellebori modicum immittatur, qualiter Hippiatri ad jumentorum morbos utuntur consiligine: Mihi vero non quælibet pars ad hujusmodi remedium videtur indifferens, sed utilius deligetur quæ buboni aut anthraci vicinior est, ut si Bubone affectæ fuerint parotides propinquior auris perforetur; In axillis existente tumore, brachium, & inguine affecto, coxa: Sed si decumbentis in partem quampiam veneni non appareant indicia, coxæ, aut tibiæ, ob decliviorem situm sunt scarificandæ, tum etiam ut noxa longius à vitæ principiis avocetur; vel scrotum setaceo trajiciatur.

Pyrotica, sive Cauteria, duplicis sunt generis, unum quod *Actuale* dicitur, ignis videlicet, aut ignitum corpus, quale est ferrum aut aliud metallum candens, vel lignum quoddam solidum, ut buxus vel fungus juglandis, aut lignea chorda in extremo accensa; *Potentiale* vocatur quod urendi quidem vim habet, licet actu ignem non præferat; Ac prioris quidem generis deligenda, vigente morbo, utpote securiora & celerioris operationis, quodque ex alio magis evocent, & nativum spiritum excitent.

Postrema rejicienda censeo, quod veneni naturam sapiant per quam parti, cui apponuntur, necrosin & gangrænam frequenter immittant, & vim in extimo tantum corpore nec ultra cutem exserant: quanquam in formidolosis, etsi non tanta securitate, uti liceat; Erit autem eorum usus qualis cucurbitulis & scarificationibus assignatus fuit, ut per immissum ab ipsis vulnus è variis corporis partibus pestilens virus evocetur.

Alius educendæ virulentæ materiæ modus est si *Phœnigmi*, aut *Vesicatoria*, admoveantur; ut per excitatas ab ipsis bullulas virus una cum ichoribus eliciatur: Usus erit si, priusquam noxia vis ad extima corporis vergat, vesicatoria vi præditum quidpiam plantæ pedis, volæ manus, aut extremis digitis admoveatur, eo enim virus omne derivari frequenti experimento constat. Quidam eapropter utuntur chelidonio tuso & calefacto, plantæ pedis admoto: Cavendum tamen ab iis quæ deleteriam vim obtinent, nisi aliorum penuria: frequenter enim ab eorum usu inflammatio, quæ ægre curatur, interdum etiam sphacelus, nulla ratione curabilis, exurgit; Est autem applicandorum duplex modus, unus si per fistulam immittantur, ut caustici modo fistulam excitent; tum partes vicinæ optime muniendæ, ne urendi vis longius serpat; *alius* si penicillo inspergantur, ad excitandas variis in locis bullulas, brassicæ vel betæ foliis obtegendas, ad virus evocandum. *Lyonnet de Peste c. 56.*

10. *Cauteria*) *Inter Chirurgica præsidia reponuntur* Vesicantia, De quibus disputant viri Clarissimi, Utrum in Peste laborantibus sint adhibenda, Quod me attinet, facillime iis qui sæpe Vesicatoriis utuntur assentior, uti etiam *Hippocr.* & *Galeni* testimonio probatur *3. in 5. Epid. t. 25. & lib. de cib. bon. & m. succi, c. 1. & 5. m. m. c. 22. &c. Epid. in casu Herophontis*, 3. Item *Galenus narrat l. 5. meth. c. 12.* Omnes hac febri evasisse quibus exulcerationes variis in corporis partibus factæ fuerint, evacuata sc. per ea ulcuscula materia morbifica; Qua de re *H. Saxonia* quoq; disputat *l. de Phœnigmis*, & *Lelius à Fonte pag. 912.* Nos tamen hunc modum non sumus sequuti, sed vesicatoria emunctoriis ex *cantharid.* cum *euphorbio* & *fermento* acri, *sem. sinap.* &c. parata applicavimus. *Piens pag. 180.*

Subpedanea.

Præter remedia vesicantia, haud perditi operis erit Emplastra applicare Subpedanea, Ego usus sum Empl. sequenti, quod constabat ex *massa Empl. de beton. comp.* adjecto frequenter duplo *euphorbii*, *pulvere croci & theriaca Londinensi*, Emplastrum hoc plus commodi ægris præstitit

præstitit, quam Cataplasmata, quæ tamen nonnullis magis placuere: Verum hæc & reliqua ejusdem ordinis remedia non eo consilio applicabantur, quasi virtute attractiva seminarium pestilens allicerent; quin potius benefica apud saniores habita erant, eo quod in plantis pedum, ubi eximia vasorum omnifariorum conglomeratio, calore fovere valent partes extremas, liquores reddunt magis fluxiles & fermentabiles, calorem nativum fere morientem & extinctum exsuscitant, atque hinc corpus universum ob consensum amicissimum, vivificis delibutum influentiis: *Epicarpia* etiam iisdem de causis non omittenda. *Nath. Hodges ibid.*

Vesicantia.

tt. *Canteria*) *Fonticuli* potius in præservatione valent, *Vesicatoria* autem melius in curatione conducunt, quæ in peste affectis fausto cum successu applicantur, paribus scil. in casibus ac circumstantiis atque in malignis febribus, Admoveri possunt partibus variis, vertebris colli, versus humerum aut carpum, cruribus & suris internis, quinimo & Bubonibus subinde applicantur cum fructu: Talia enim vasa cujuscunque generis calefacientia, liquores reddentia magis obsequaces & fluxiles, naturæ segnitiem exstimulando, & una cum serosa colluvie & noxiis humoribus per ulcerum portas miasmata pestifera educentia sunt: ut taceam à partibus nobilioribus revulsionem atque è vicinis derivationem: Sed ut celeriter operentur acerrima sint hæc ipsa, Sequens massa in ultima Peste Londinensi fuit experta.

℞. *picis navalis* ℥v.
galbani ℥j.
ceræ ℥iß.
simul liquatis, & ab igne remotis addatur Pulvis canthar præp. ℥j.
fermenti vet. sem. ameos āā. ʒiij.
euphorb. ʒj.
cum aceto scill. q. s. incorporentur assidue agitando, quousque cogatur in Empl. massam.

Pars autem ad ruborem prius sovenda, quo vis Emplastri eo potentius se exerat: Excitata ulcera diu aperta relinquantur, *Empl. de meliloto pulvere canthar.* insperso locum iterum atque iterum sauciando: Inflammationibus doloriferis opportune succurrendum *foliis brassicæ* ulceribus superimpositis; Existimo tamen in Peste, morbisque malignis, hujusmodi epispasticis semper de *magnete arsenicali* aliquantulum esse addendum: utut autem multum prosint ista, non tamen indiscriminatim omnibus admoveantur, Nempe ubi urget urinæ ardor, ejusque incontinentia, sphincteris vesicæ inflammatio vel ulceratio, ubi mictus cruentus, si mulier in utero habeat, vel si instet fluxus menstruus, nec applicanda in nimia virium prostratione. *Etmuller.* ex *lib. de* Peste Sect 7. *Nathan. Hodges.* Hoc memoriale, scilicet Bubonibus, vel Carbunculis ad suppurationem vergentibus summa cum cautela Vesicantia esse administranda, ne forsan evocatione, deprædatione, vel nimia liquoris colliquatione, & tantum non fusione, è quo pus conflici solet, cætera medendi conamina, & naturæ studia se liberandi, in irritum cadant. *Nat. Hodges l. c.*

n. *Canteria rotunda, seu emunctoriis*) *Celeritas auxilii hic desideratur, qua præsens est in Vesicatoriis*, Tempore pestilentiæ quidam se peste correptum cum existimaret, propter subitam capitis gravitatem & dolorem, vomitumque variegatum, statim cantharides com fermento & aceto pone aures applicuit, & aliis emunctoriis, ac in lecto decubuit; Post 24. horas erupit Parotis, ex qua continuo fluxit humor quidam acer & serosius, sicut & per alia emonctoria, unde morbus mitius gravis & salutaris extitit, ac post aliquot dies evasit; licet assiduo cum pestiferis ageret illisque inserviret: Ejusdem uxor eodem modo libera evasit. *Simeon Jacoz. observ.* 19.

ij. [1] *Purgatione*, post [2] sumptum alexipharmacum, si [3] cacochymia metum febris injicit, vel si pestilentia ab interna humorum corruptione orta est; Sed [4] *Diemerbrochius* observavit, [5] lenissimos etiam ante septimum diem clysteres incurabilem alvi fluxum intulisse, cujus & alibi exempla, [6] nec vel septiduanam alvi suppressionem nocuisse; Ideo ß nonnisi post septimum diem; unam [7] & alteram Ruffi pilulam obtulit; [8] alia purgantia nonnisi post vigesimum.

[9] Sunt qui *vomitiones* vehementer laudant, easque etiam vel [10] stercore cum propria urina hausto fœdè excitant: [11] vel muria [12] encrasicholorum piscium, qui *Anchoës* vocantur, ut in communicatis *Riverio* à *Formio* observ. 37. & 38. videre est.

1. ij. *Purgatione*) Pharmaca circa Pestis curationem sunt vel Evacuantia vel Alexiteria: priorum intentio est ut Latex serosus in sanguine, & humores excrementitii, qui scatent in visceribus, foras deturbentur, & una cum iis plurimæ venenati miasmatis particulæ ubivis in corpore dispersæ: Hæc autem præstant tum Vomitoria & Purgantia, quorum usus est rarior, & tantum in morbi principio; tum Diaphoretica; minus autem his vomitoria & purgantia universaliter evacuant, & materiam malignam sæpe concentrando intus deducunt, & visceribus affigunt; Hæc autem medicamina, sive catharsi, sive diaphoresi operantur, ejusmodi sint oportet quæ particulas habent miasmati venenato, potius quam sanguini aut spiritibus nostris congeneres: Tale enim pharmacũ varios corporis nostri anfractus, cum viribus integris & illibatis pertransit, & ob utriusque similitudinem virulentam morbi materiam certius prehendit, illamque mutua partium adhæsione qua Natura irritata ducit, secum foras rapit: quare medicamenta, sive cathartica sive sudorifica, præ cæteris commeodantur quæ Mercurio, Antimonio, Auro, Sulphure, Vitriolo, Arsenico & similibus parantur, quæ cum à calore nostro minime subigantur, aut superentur, contra virus luis pestilentialis optima evadunt remedia: hæc enim non modo superflua potenter evacuant, sed cum particulas valde fortes & indomitas exerant, & quaquaversus in corpore explicent, veneni fermenta hinc inde gliscentia dissipant, & à maturatione impediunt: Et cum ipsa remedia à Natura insuperabilia necesse habeant per patentes corporis exitus amandari; quicquid extraneum & hostile occurrit una foras educunt. *Willis.*

Non omnia Peste infecta corpora necesse habent vel ventriculi vel alvi evacuatione, sed ea tantum quæ ventriculum habent cruda colluvie refertum, aut paulo ante infectionem cibo potuque repletum, aut quæ tensiones punctionesque circa præcordia sentiunt: His ante V. S. si ea necessaria videbitur, aut ante alexiteriorum sudorificorum assumptionem ventriculis colluvies statim initio morbi per vomitum evacuanda erit: Vomitus autem facile excitabitur, præsertim iis qui sunt apti ad vomendum, assumpto haustulo aquæ tepidæ, qui vero difficilius vomunt, assumpto haustulo, liquoris acetosi *ex granis juniperi cum pelvi per descensum destillati*, & immisso in fauces digito.

Quibus vero pestilenti contagione infectis alvus sit adstricta, & triduo aut amplius nihil per alvum egesserunt, aut qui torminibus ventris affliguntur, statim in pestis invasione, antequam vel sanguinem detrahant, aut sudorifico utantur, alvum lenire oportet aut glande medicata, ex *melle, sale pulver. pulv. colocynth. parata*, aut ex sapone Veneto instar calami formato, & oleo inuncto; aut, quod salubrius est, clystere ex jure carnis, in quo incoctę sint *malve, mercur. flor. chamom. & anethi* cujus ℔. admistæ sint *cassia* ℥ij. ol. chamem. ℥iij. cum salis ʒj. Ab aliis vero violentioribus, pharmacis evacuantibus, omnino abstinendum est, nisi forsan processu temporis, aut corruptæ bilis copia purgationem desideret, quæ aut ʒx. *cassia, aut* ℥ij. *syrup. rosar. solut.* evacuari potest, Pituitosa autem colluvies expurgari debet *infuso agarici*; Qui autem nec ventriculi evacuatione, nec alvi emollitione, nec sanguinis missione egent, iis statim in initio alexipharmacum sudorificum est propinandum. *Fr. Joel.*

Purgationes alterum Argum. requirunt, nam sicuti in maligno hoc morbo nequaquam locum habent, ita in benignis aliquando necessariæ sunt: Verum hoc recte distinguere cujusvis non est: Demum experimur Peste grassante non esse licitum tam fortia aut acria medicamenta exhibere quam non grassante: nam & corpus tam vehementia non fert, & facillime etiam Dysenteriam excitant. *P. Barbette.*

[1] *Purgatione*) Qui Purgationem consulunt, his rationibus utuntur, *1. Hippocr. 4 aph.* 10. Purgante uti jubet in valde acutis si turget materia, quia tardare malum, Atqui Pestis est morbus acutus, in quo materia turget, 2. Quia venenum pestilens, cum nullam coctionem recipiat, citissime est exterminandum. 3. Vomitus biliosi, capitis dolores, cardialgiæ, inquietudines &c. purgationē insinuant. 4. Experientia comprobat illa utilia fuisse.

Nos tamen illam non convenire his rationibus contendimus, 1. Quia venenum Pestilens, cum nullam coctionem recipiat, statim quidem exturbandum est, sed per vias lege naturæ commodas, ad quas natura feliciter vergere animadvertitur; atqui ab omni ævo animadversum ipsam naturam semper feliciter moliri veneni pestilentis expulsionem à centro ad peripheriam, per sudores, tumores & anthraces, & ex hoc motu salutaria signa desumi, sicut lethalia ex omni contrario naturæ motu, qui fit à peripheria ad centrum: Ergo, cum Purgantia perverso inuiu moveant, per vias lege naturæ incommodas, plane non conveniunt.

2. Quia Purgantia cacochymiam quidem corrigunt, & corruptos putridosque humores (à quibus Pestilentiæ causa non dependet) expellunt, sed ipsum venenum Pestilens cordi ac spiritibus inhærens educere nequeunt; quia nullum purgans (inquit *Crato*) pestilens seminarium ejicit, quod tamen primo & citissime extirpare est necesse, antequam ipsius vitalitatis fontem extinguat.

3. Cathartica humores & spiritus imminuunt, exagitant, confundunt, & corporis vires dissolvunt, quas hic conservare maxime necessarium est,

4. Plurima cathartica, præterquam quod venenis non resistunt, malefica qualitate ac venenata prædita sunt.

5. Maligni & putridi humores ipsimet naturam per se maxime stimulant; qui si aliquo modo agitentur, & ad intestina trahantur, cum furore eo decumbunt, & validissimas ac perniciosas evacuationes faciunt.

6. Experientia hactenus docuit fere omnes ægros Peste laborantes, qui purgantia sumpserunt, subsequente utplurimum lethali diarrhœa, vel exitiali virium prostratione fuisse extinctos, quod etiam *Paraus* & *Joh. Mosellus* in praxi se observasse testantur, Ipse *Hippocr 3 Epid. t. 3.* de gravissima Pestilenti constitutione agens, inquit *Purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant subito multi peribant, multis malum producebatur*, Attestantur innumeri Auctores, *Saracenus, Palmarius, Cardanus, Crat* &c.

[2] *Post sumptum alexipharmacum &c.*) *Purgatio* in febre mala igitur simpliciter dicta quandoque locum habere potest, nunquam vero in Pestilentiali, licet *Averroes, Aetius, Avenzoar, Oribasius, Avicenna, Ægineta*, aliiq; plures Pestis curationem à Purgante auspicati sint: In hisce tamen regionibus non succedit, neque argumenta plurimorum hic quicquam probant ex *Hipp. 4. aph.* 10. *Medicamento purgante utendum*, inquit, *in valde acutis, in quibus materia turget*; 2. *Pestilens venenum, cum nullam accipiat coctionem, citissime est exturbandum*, uti docet Galenus 4 de san. tu. c. 1. 3. *Vomitus biliosi, capitis dolores, cardialgia, aliaq; symptomata Purgationem indicant, ac eam necessariam esse demonstrant.*

Respondeo, In principio quantum fieri potest à Purgantibus abstinendum 1. quia humores maligni & colliquati à purgante nimium exagitantur, qui alias quietiores erant, unde labem malignam latius diffundunt, & naturam acriter stimulant, perniciosos alvi fluxus inducunt.

2. Venenum pestilens, cum nullam coctionem recipiat, statim quidem, juxta *Hippocr.* exturbandum est, sed illa exturbatio, docente *Hippocrate*, fieri debet per vias commodas, ad quas naturam feliciter vergere animadvertitur; Atqui ab omni ævo observatum est ipsam naturam feliciter fuisse conatam venenum pestilens à centru ad circumferentiam per sudores, bubones, tumores & anthraces expellere; & ex hoc morbo semper salutaria sumenda sunt signa, atq; lethalia ex motu contrario; à circumferentia scilicet ad centrum, cum purgationes tali motu agant, plane non conveniunt.

3. Experientia hactenus docuit, præsertim in regionibus Septentrionalibus, omnes fere ægros pestiferos, qui purgante fuere usi, vel diarrhœa, vel virium prostratione, vel alio aliquo casu fuisse extinctos, quod mecum consentiunt plurimi authores, In febri simpliciter maligna, saltem *Clystere* leniente quanto ocyus fieri potest alvus subducatur.

Hinc itaque primarius scopus in curatione Pestilentis febris, à *veneno* & *miasmate* desumptus, per *antidota sudorifera* efficiendus est, quorum minimæ particulæ nec sint naturæ valde congeneres, nec pro alimento cedant; nec ita diversę ut excretionem (quæ obstructioni humorumque vitiis potius medetur quam pesti) stimulent: eadem intus sumpta, quoad minima refracta, cruorem & succos in vasis ac visceribus confluns, corpusculis suis velut novo fermento inspirant, eosdem leniter movendo, & in æquabili mixtione servando, à colliquatione & corruptione vindicant. *Pism p.* 180.

[3] *Si cacochymia metum febris injiciat*) Quæri posset, si in corpore cacochymo magnam humorum putredinem Pesti adjunctam esse animadverteretur, an tunc non liceret in principio curationis per cathartica humorum putridorum copiam, sicq; ipsam putredinē imminuere? Minimè, quia in corporibus cacochymis peste correptis longe gravior & periculosior metuendus est alvi fluxus quā in cacochymis: Præterea quia curatio incipienda est ab eo quod magis urget, & majus periculum minatur, nempe à Veneno, (neglecta tantisper humorum putredine quæ interim per alexipharmaca, ratione venefici adhibita, simul egregie coercetur) eiq; citissime resistendum, antequam radices agens vitæ fundamenta subvertat; Illo autem expugnato hoste, reliqua minoris periculi mala (qualia sunt cacochymia, calor in sanguine & spiritibus accensus, humorum putredo &c. si naturæ solius vi non evanescunt, artis subsidio commodius evincentur. *Diemerbroeck.*

[4] *Sed Diemerbrochius observavit*) *Mercurialis*, & alii magni Medici, ex decreto *Avicenna* Pestis curationem à purgatione incipiendam esse statuunt, Verum

minime

minime recipiendum est illud consilium, cum Ratio & Experientia contrarium doceant, *Ratio*, quia salutaris naturæ motus hoc pacto interturbatur, ac vires maxime dejiciuntur, *Experientia*, quæ hactenus docuit omnes ægros pestiferos, qui purgantia sumpserunt, subsequente utplurimum lethali diarrhœa, vel exitiali virium prostratione, fuisse extinctos. *Ibr. de Diemerbroeck hist.13 l.4.* Ubi exemplum affert Nobilis Angli. cui à percepto insigni fœtore nausea & capitis dolor suborta sunt, postridie adhuc nauseabundus dolorem cum dura tensione in parotide post aurem sensit, Ab assumptis quatuor Pilulis ex massa Pil Rufi, magnus & lethalis alvi fluxus, nullis remediis cohibendus accidit, Si parva (addit) *Pilul. Ruffi* quantitas naturæ motum adeo interturbavit ut ad veneni expulsionem per commodas vias reduci non potuerit; quæ non mala à purgantibus fortioribus metuenda sunt?

5. *Lenissimas, etiam ante septimum*) Peste jam laborantibus Purgans ante diem 14. febre reliquisque symptomatibus remittentibus, exhibere nunquam ausus sum, Sunt qui Carbunculi suppuratione durante, aut Bubone necdum curato, eo utuntur, sed eorum exemplum, quæcumque etiam commisceantur Antipestilentialia, ne imiteris: Enim vero, quid si æger ad aliquot dies alvi constipatione molestetur, cum anxietate cordis, & ex purgatione solamen expectat? Anxietatis causa alvi adstrictio non est, sed venenum ipsum; itaque sudorifera exhibere perge, Cor roborato, & de alvi suppressione non multum sis sollicitus. *P. Barbette.*

Unam & alteram Ruffi pilulam) Si molliorem alvum reddere placeat, Suppositorium usurpetur, nam Clysteris usus adeo tutus non est, multis hoc tempore nocuit, aliis parum profuit, malignitati interim nullo modo occurrens, Sin neglecta hac admonitione, experientia rationibusque confirmata, Clysterem injicere placeat, à scammoniatis abstineas quæso, præsertim in mulieribus aut Virginibus menstruis laborantibus. *P. Barbette.*

6. *Nec vel sesquiduanam alvi suppressionem*) Alvi adstrictionem non modo non nocere, sed primis diebus prodesse sæpius observavimus, Ratio erat, quia hoc pacto unitæ, nec aliorsum distractæ naturæ vires, validiores erant, & in pestilens venenum alacrius insurgebant. *Diemerbroeck.*

Quamdiu Xenodochio curandis ægris præfui, eos quibus per initia alvus adstricta esset, etiamsi nullo alio remedio uterentur præterquam *Mithridano*, magna ex parte convaluisse deprehendi, contra vero quibus sponte vel arte alvus proflueret, omnes fere occubuisse. *Julius Palmarius l. de Febre Pest. c.23.*

7. *Nonnisi post 7. diem*) Quamvis rationes & validæ & plures afferantur, non exhibendum pharmacum solutivum in bubone pestilenti, tamen quia necessarium est ut experimento multum adscribamus, præcipue in morbis periculosis, & in his in quibus ars exerceri non potest, ideo in istis necessarium est ut experimentis fidamus; quare ego incipiam ab experimentis aliorum, postea mea adducam: Habemus multos qui felici successu testantur usos fuisse pharmacis, *Jac. Carpensem* magnæ authoritatis Chirurgum, qui in universa Europa peste sæviente à 27. ad 31. annum, sanavit omnes quos tractavit, scio exhibuisse solutivum in principio & augmento robustissimum, dummodo morbus non fuisset in declinatione: *Gentilis 4. canon.* Fen. in quo loquens de Purgantibus exhibitis in Peste, dicit quod suis temporibus Medici utebantur scammoniatis & validissimis satis felici cum successu, & plures sanati sunt.

Avenzoar l.3. Teisir. Tr.3.c.4. exhibet medicamentum solvens, *euphorbium* continens satis copiosum, quo nihil validius ad calefaciendum & siccandum: calidum enim & siccum in 4. gr. satis intenso; Addo his proprium experimentum: Exhibui xxx. vicibus pharmacum in proxime superiori peste 55. anni, & paucissimos vidi obiisse, maxima pars bonum exitum habuit; dummodo bonam qualitatem humorum duxerit medicamentum: nam si parva aut nulla educta fuerit quantitas, malus successit finis. *Gabr. Fallopius.*

8. *Alia Purgantia*) Ad evacuationem corporum Peste infectorum alii alia commendant; alii clementioribus, alii fortissimis catharticis utendum suadent; *Saxonia Pilulas Rufi & serum caprinum* cum *syrupo ros. solut.* laudat; quo syrupo solo mavult uti *Fracastorius*; Alii *syrupum fumaria*, alii *Pomor. solut.* commendant, Alii *rhabarb. sennam, agar.* &c. magnifaciunt, multi etiam in Peste alvum, si sponte non dejiciat, lenire jubent clystere emolliente, suppositorio; *decocto prunor. cum manna, infus. fol. sennæ & rhabarb.* aliisque similibus, verum licet omnia hæc levia tantum esse videantur, attamen in hac nostra Peste ante diem vij. exhibita præsens periculum inferebant.

Quapropter non possumus non mirari, quod multi celeberrimi Medici his lenioribus, & tamen periculosis, non contenti, ad longe fortiora cathartica confugiant, idque, ut ajunt, secundum regulam, *Ad extremos morbos extrema sunt adhibenda remedia*, Haud secus ac si conveniret in extremis morbis causam morbificam violentis medicamentis agitare per vias lege naturæ incommodas, per quas expelli nequit, Sic legimus *Fallopium* gloriari se fortibus purgantibus in ægris peste correptis feliciter usum fuisse, & inter cætera cum *Avenzoare*, maxime extollere calidissimum illud medicamentum, *euphorbium*; dicere etiam *Jacobum Carpensem*, maximi nominis Chirurgum innumeros tali modo sanasse, Etiam *Capivaccius* ad helleborum, necnon *euphorbium*, *scammonium, colocynthidem* confugit, Paracelsistæ exhibent suum *turbith minerale*.

Nos vero experientia plus satis edocti, existimamus nefas esse ullum violentum catharticum, qualecunque fuerit, Peste correptis exhibere; Imo ipsa quoque *Lenientia* nonnisi maxima aliqua urgente necessitate exhibenda esse; idque summa cum prudentia, Nam in hac Peste fere omnes periisse vidimus, quibus ante diem septimum alvus, vel sponte, vel arte commota fuit.

Quantum ad Authoritates dicimus illa fortia Purgantia, in febribus malignis petechialibus, aliisque morbis Pestilentialibus, (quia prædictis viris forte sub nomine Pestis describuntur) interdum fortassis prodesse posse, minime autem in vera Peste; Et si forte aliquibus robustis naturis non infeliciter cesserit catharticorum operatio, tamen inde, tanquam ab experientia, concludi non posse cathartica semper ad curationem Pestis maxime conducere & necessaria esse. *Diemerbroeck.*

9. *Sunt qui vomitiones*) Quod ad *Vomitionem* attinet, crapula præcedente, in ventriculo saburra noxiorum humorum congesta, urgente nausea, ore etiam amaricante, consentiente thoracis & cervicis conformatione, in morbi infantia, prodesse queunt *Emetica*, Inter quæ illa eminere videntur quę ventriculum abunde nimis farcinatum citra catharsin subvertant, e.g. *Elect. diaf. Fernelii, syr. scabios. compos. oxymel scillit. sal* præsertim *vitrioli, Antimonii* præparationes non æque arrident.

Qui de meo consilio *serum, cerevisiam, fol. cardui, scordii, ulmar. petasit* &c. incoctis, addito *oxymel. simpl.* nullo licet emetico prævio, affluenter hausere, levamen inde & emolumentum illico experiebantur: Sin vero vomitio urgeat symptomatica, omnino exulent remedia emetica, (Agyrtarum more, qui theorematum Medicinalium ignari symptomata promovent) quæ vires ob irrita conamina prosternere possent, & mineram morbi etiam aliunde in ventriculum allicerent, illamque inibi figunt: unde mox Vomitionis impetus

immaniter procellosi, nullo quidem artificio compescendi. *Nathanael Hodges l de Peste sect.7.*

9. *Sunt qui vomitiones*) Mulier cum filiam suam primogenitam annor. xij. Peste correptam existimaret, ex aspectu horrido, febre, calore, dolore capitis & nausea, statim pennam oleo illitam in filiæ fauces, immisit &, excitato vomitu, serosam primo materiam, deinde flavam, ac tandem porraceam & viridem veluti herbam semicoctam in copia eduxit; postea lecto imposuit, jusculum præbuit, ac quieti commisit, Post aliquot horas puella surrexit hilaris, nec amplius ullo symptomate pestifero correpta fuit, licet cum pestiferis sæpe versaretur: Post aliquot dies, fratres ejusdem duo, natu minores & sororcula iisdem, imo gravioribus symptomatis correpti sunt, quos mater etiam excitato vomitu, & simili humorum sarcina deposita, à mortis confinio liberavit: *Simeon Jacos obs.19.*

9. *Sunt qui vomitiones*) In principio morbi, ubi venenum est adhuc in primis viis, quod testatur nausea, commodissime adhibentur *Vomitoria*, addendo ea quæ vim habent alexipharmacam; Sane Purgatio nulli, Vomitio pluribus salutaris, dicit *Lindanus*: Et ubi jam mox in principio incipiant apparere Bubones & Anthraces, necessitas vero ulterius suadeat ut propinetur vomitorium, tunc ne conatus naturæ, per tales tumores expellentis venenum impediatur, consultum est buboni & anthraci expulsivum remedium applicare, ne dum propinatur vomitorium tumor recedat. *Ettmuller.*

Quidam cui demandata fuerat cura tertiæ partis Urbis Peste afflictæ, omnes fere curavit vomitorio ex ℈ij. *cujuslibet vitrioli, mellis* ℥ij. *& aqu.comm.* ℥vj. quod exhibebat statim ac apparebant aliqua signa morbi imminentis vel præsentis, ita ut vix decem aut duodecim obierint in suis partibus, cum in reliquis partibus pauci evaderent. *Obs.99.cent.4.apud Riverium.*

Stibium porrigit *Matthiolus*, at Emeticorum usu cum viderim plurimos interemptos, ab iis censeo abstinendum: nam humores venenatos non tantum retrahunt in interiora, sed etiam in partem nobilem, valde sensibilem, per arterias nervosque cordi consentientem, unde convulsionis, delirii, syncopes, mortisque periculum impendet, unde si Natura in morbi principio hanc viam affectet, erit vomitus ille symptomaticus, perniciosus, ideoque cohibendus. *Primirosius.*

Præter communia remedia magno cum successu in principio *Syrupus Emeticus* exhibeatur, quem describit *Angelus Sala libello suo de Peste*, vocatque *Oxysaccharum vomitivum* contra Pestem, cujus descriptio talis est.

℞. *vitri antimon. hyacinth. more Matthioli ppt.* & subtiliter *pulver.* ℥j.
cinnam. el. zedoar. ligni aloës resinosi opt. sem. angel. āā. ʒij.
croci Anglici opt. ℈ß.
aceti rosac. ℥viij.
omnia hæc vase capaci infundantur, optime claudantur ut nihil expiret, & digerantur in MB. *per 24. hor.*

Post balneo refrigerato *coletur diligentissime; vel per chartam bibulam filtretur, ut fiat pellucidum, postea tantum sacch.* cum *aqua rosac. solvatur quantum est pondus prædicti liquoris, coque sacchar. ad consistentiam confectionis manus Chr. & postea calidum adhuc pedetentim cum dicto liquore permisce,* & servetur ad usum, longo enim tempore conservatur; Dosis est à ʒij. ad ʒvj. imo ad ℥j. in adultis dari posse observavimus.

Primis viis hoc modo per tolerabilem vomitionem purificatis citius alia medicamenta malignitatem per sudorem expellentia retinentur; Medicamentum est tutissimum, cujus beneficio plerique convaluerunt, qui primus statim diebus eodem cacochymiam circa primas vias evacuarunt, superaddito postea diaphoreticorum usu &c. *Oxysaccharum* etiam *Sala* ipsis infantibus minime noxium est, modo cum prudentia Medici præbeatur. *Greg.Horstius obs.30.l.7.*

9. *Sunt qui vomitiones*) Cum venenum Pestilens aliquando inspiratione allectum aliqua sui parte, cum saliva deglutiri possit, atque mox nauseam & vomitum aliquando pariat, sui ideo per vomitum è corpore exturbationem hactenus indicat; *Indicans* autem illius materia cum ex variis peti queat, Ego cæteris *vomitoriis* omnibus præfero *Antimonialia*, quocunque demum modo parata, Attendendo inprimis ut rite præparentur ac prudenter usurpentur. *Sylvius Append.Tr.2.*

Paratur ex *Antimonio Vitrum*, & quidem modis variis, adeoque colore vario, Præfertur tamen merito quod per se, atque sine ulla additione alterius rei calcinatione, hinc & fusione obtinetur: Illud optimum est tum Vomitorium, tum Purgans per alvum, omnes humores peccantes feliciter evacuans: usurpari potest in substantia, si ejus in pollinem triti gr.j.ij. vel plura, pro ægri ætate, affectu, robore, vitæ genere aut consuetudine exhibeantur.

Tutius tamen infunditur per noctem in liquore conveniente, vino multifario, cerevisia, aqua stillat. hydromelite, aceto, oxymelite, oxysacch. &c. unde vomitorium paratur convenientissimum, efficacissimum, reliquis longe præstantius &c. *Idem Meth. Med. l. 2. c. 10.* Vide præterea de Vomitoriorum in Peste usu superius, *Curatio absolvitur*) ex Eodem.

Vomitoria præsertim ex *Stibio*, improbat *de Diemerbroeck l 3.c.4.* 1 quod ipsum stibium venenata qualitate præditum sit, 2. quod in hoc morbo motu naturæ contrario moveat; 3. quod vires ægrorum maxime dejiciat, 4. quod pestilentem labem cordi spiritibusque impressam exagitet & non educat, 5. quod innumeris medicorum observationibus constet ejusdem usu plurimos Peste laborantes occisos fuisse paucos evasisse. Gravius errare censens qui *Mercurialia* medicamenta exhibent.

10. *Vel stercore cum propria urina*) Cum Pestis sævissima grassaretur Monspelii anno 1630. maritus, uxor & soror illius peste correpti, stercus proprium cum propria urina dissolutum, & linteo colatum hauserunt, unde gravissimus vomitus, & alvi fluxus obortus est, & omnes à peste immunes evaserunt: Aliis tamen vomitoriis multos à Peste liberari constat. *Sam. Formius l.c.*

11. *Muria*) *Novesia ad Rhenum* Jurisconsultum cognovi, qui me præsente retulit se maximo cum fructu domesticis suis, amicis, *muriam* in peste sæpissime exhibuisse, accipiebat muriam carnis porcinæ, in lebete coquebat, probe despumabat, ac omni impuritate expurgabat, Post in vas fictile infundebat, ibi relinquens donec refrixisset, tum in ampullis bene conclusis eam conservabat, & nonnisi post annum exhibebat, quamprimum autem aliquis peste correptus esset haustum propinabat, & ut in lecto sudaret, ab omnique alio potu per aliquot horas abstineret injunxit, Retulit hoc genus remedii in nonnullis per sudores, in aliis per vomitum, in reliquis per alvum aut vomitum & alvum simul, tam affatim evacuare, ut major pars eorum qui illud sumpserint sanitati restituti fuerint &c. In robustioribus corporibus remedium hoc forsan non omnino rejiciendum arbitror, quandoquidem ratione salis putredinis humorum summopere adversari nullum est dubium, reserat prætera obstructiones viscerum, noxiosque humores nunc per alvum, nunc per sudores, nunc per urinas educit. *Fabritius Hild cent.34 obs.2.*

12. *Muria encrasicholorum*) In Peste sævissima duo ægri peste correpti à me consilium expetunt; Ego in memoriam revocans me legisse apud Pareum muriam encrasicholorum piscium nonnullos à peste liberasse,

consilium

consilium dedi ut eandem sumerent: Unus munæ scutellam sumpsit solam, alter cum urina permixtam, & uterque liberatus est, oborta vacuatione vehementi per vomitum & secessum. *Idem ibidem.*

III. [13] *Sudoriferorum* [14] *& alexipharmacorum exhibitione* [15] Laudantur ex Simplicibus [16] *Unicornu* [17] Hercynium. [18] *Sanguis* [19] Rhinocerotis gutt. v. in aqua acetosæ. Ejusdem corii frustulum, aquæ incoctum, in qua aurum candens extingui debet; [20] *succus* medullæ fructus Brasiliensis *Muracujao Hasu* dicti. *Coccus* Moluccensis in scobem redactus gran. v. pondere ex aqua rosacea aut acetosæ. *Galega* seu rutæ capráriæ succus unc. iij. pondere &c. [21] Ex compositis Syrupus, *Melissophylli* Fernelii, ex succo *Galegæ* Septalii. [22] Aqua theriacalis [23] Diemerbrochii prima & secunda pag. 163. [24] Aceta [25] bezoartica, Matthioli inprimis, Rob *Sambuci* cum aceto Theriacali, [26] Elixir *pestilentiale* Crollii, [27] *Diascordium* [28] Fracastorii dr. ij. in gravidis & pueris præsertim, [29] Pulvis *ex* [30] *smaragdi præpar.* [31] *Lapidis Bezoar*: ana gr. viij. *Hyacinthi* præpar. gr. iij. Vide Sennertum de Febribus, circa finem, Helmontius [32] nescio quid de [33] bufonum *a* cadavere, vomitu terræ, insectorum, muscarum & vermium habet; exque illis zenexton, ut ille putat præstantissimum concinnat.

In [34] horum *usu observandum*, [35] Theriacalia [36] frigidioribus paulo temperanda, [37] Theriacam, Mithridatium & alia fortiora gravidis & pueris non danda, A [38] *Camphoratis* [39] ventriculo & capite infirmis abstinendum, [40] Intra xxiv. horas ter medicamentum præbendum, In principio *medicamenta*, ne natura assuescat [41] sæpissimè *mutanda*, [42] Aquas, [43] Spiritus, & quæ facilè penetrant [44] maximè offerenda, [45] A [46] somno, [47] donec bis sudaverit, abstinendum: Inter *sudandum* [47] ægrum [48] succo citri, [49] aquis Cardui benedicti &c. reficiendum, [50] Finito sudore, frigidum aërem vitandum, [51] cibo ægrum [52] refocillandum.

[13] *Sudoriferorum & Alexipharmacorum exhibitione*) Statim initio Pestilentis morbi, paucis aut pluribus signis infectionis apparentibus, post peractam evacuationem ventriculi & alvi, & sanguinis detractionem, si eas necessitas efflagitet, nec ætas & temperamentum impediat, aut eis, si non sit opus, prætermissis, remedia Alexipharmaca intra corpus sunt adhibenda, quæ sua antipathia, specificaque proprietate Venenatam Pestis tincturam per sudorem propellere, & seminaria pestis extinguere valeant, & quæ primis suis qualitatibus corporis temperamentum non destruant: Nulla enim est via in corpore humano per quam contagionis seminaria commodius expelli queant quam per poros cutis, quod analogiam habet cum spiritibus.

Quanquam & putridi humores per sudorem purificantur, *Sunt autem Alexipharmaca fere infinita & varia à Medicis enumerata, quorum pleraque non tantum sunt inepta & fallacia verumetiam sæpe noxia; plurimis enim libellis de Peste hujusmodi inserta sunt remedia, cum præservantia tum liberantia, quorum nemo ferme experientiam facit, sed aut proprio ingenii discursu excogitavit, aut unus ex alio recepit, & suo scripto inseruit: Ista omnia nos consulto omisimus, ea tamen fidelissime tradituri quæ per plures pestes usu, observatione & experientia comprobavimus.*

Omnia remedia pro Præservatione proposita, commode & in curatione liberativa, certa tamen mensura & modo possunt usurpari, quorum alia simplicia, alia composita existunt: Ex Simplicibus præstantissima sunt, Si ʒj. pulv. vel *nobilis scordii*, vel rad. *petasit.* vel *salsepar.* aut fol. *card. bened.* tepide propinetur: Est & insignis vis in expellendis seminariis pestiferis (si in initio invasionis ebibantur) ℥iij. *succi calend.* aut tantundem succi *scabiosæ*, quorum tamen succorum nullum ego periculum feci: Iis tamen, authoritate *Galeni*, excellentiora sunt ʒj. *pulv. boli Armen.* aut *Terra Lemnia*, si genuina & non multum adulterata ad nos deferretur, cum haustu *aquæ scordii* vel *card. bened.* vel aceti *vini* assumpta: Est autem *Unicornu Hercinium*, meo judicio, species mineræ quæ ante paucos annos è montibus Suderorum in Hercinia sylva effodi cœpit, similis ossibus grandium animalium: *Et* incolæ fabulantur in Diluvio montes ipsos una cum Unicornibus, & aliis grandioribus animalibus, ibidem esse conglomeratos & induratos: Ejus vires in sudore expellendo tantæ sunt veneni extinguendis, ut experientia propria didici, ac ullius alterius rei: *Corallia* quoque & *Margarita*, in succo limonum aut aceto resoluta, præterquam quod pestilenti contagioni plurimum reluctantur, cor, hepar & ventriculum mirifice roborant: Dosis autem eorum in robustis est ʒß in imbecillioribus ℈j. Hæc si haberi nequeunt, præstantissimum est *cornu Cervi*, apices præsertim, respondent enim unicornu in duplo sumpti, tempestive dati, cujus abrasus pulvis, & tenuissime contritus, per sudorem venenum efficacissime expellit: *Ustum* vero seminaria pestis exsiccando extinguit: Inter his *Sal scordii*, & *sal urinæ humanæ*, si eorum ʒß. exhibeantur, cum *haustu aquæ scordii*, aut *aquæ card. bened.*

Porro *Compositorum* omnium nobilissima & maxime veneranda est *Theriaca Andromachi*, quæ sua divina quadam antipathia, & compositionis suæ cœlesti harmonia, venenatis omnibus & Pestilentiæ tincturis mirifice adversatur, ejusque vestigia delet; Intellige autem debite ab eruditis Pharmacopolis in corona plurium Medicorum præparatam, non quam Italiæ &c. urbes mittunt.

Reliqua pretiosa, auro gemmisque splendentia, & ad ostentationem confecta Alexipharmaca, nec rationi consentanea, nec experientia comprobata, ut vane, stulta & sæpe venenata prorsus rejicimus: Ego vero ea tantum adnotabo *Alexipharmaca* composita, & eadem quidem perpauca, quæ jam *septuagenarius* per plures pestes observavi, & expertus sum salutaria, & vere Alexipharmaca, quibusque semper felici successu usus sum enumerabo, quorum primum erit. *Pulvis aureus Joelii.*

℞. *Scordii* ℥j.
cardui ben. ʒß.
veronica ʒiij.
rad. petasitidis, salsa par. ana ʒß.
cornu cervi usti cum succo scordii præparati ʒv.
corall. r. prap. ʒiij.
Tenuissime pulverisata commisceantur, & ad usum serventur.

Dosis hujus nostri Pulveris est ʒij. robustioribus, mediocris constitutionis ʒiß. Imbecillioribus, mulierculis, & virginibus ʒj. Infantibus, puerulis ℈j. aut paulo plus: Exhibetur ex *aqua scordii* aut *card. ben.* aut aceti medicati: Ex hoc Aureo meo Pulvere, & *Theriaca Andromachi*, valde salutares haustulos sudorificos pro infectis à præsenti contagione ita parare soleo, nec aliis utor remediis.

Robustis ℞. *Pulv. aurei Joëlis* ʒij.
Theriac. Andr. ʒiß.
aut vice versa, Theriaca Androm ʒij.
pulv. ʒj. commisce cum *aqua scordii aut aceto* medicato, fiat Haustus.

In mediocri corporis constitutione constantibus viribus.

℞. *Ther. Androm. Pulv. aurei* ãã. ʒiß.
cum præscriptorum liquor. uno fiat Haustus.

Imbecillioribus, pueris ac puellis.

℞, *Theriaca Androm. pulv. aurei* ãã. ʒj.
cum uno liquor. præscript. misce fiat Haustus.

Infantibus bimulis & infra, accipi potest singulorum ℈j. plus aut minus, pro annorum numero & virium robore, cum iisdem liquoribus.

Hisce præscriptis Alexipharmacis & sudorificis haustulis, quicunque in præsenti peste tempestive, antequam Pestilens venenum spiritus vitales & humores tinxit, usi sunt, omnes (soli Deo gloria) iterum sanitati restituti sunt, ne uno quidem mortuo.

Alterum meum *Alexipharmacum*, paulo efficacius priori, ob celerem penetrationem, ejusdem est farinæ, cui nomen in Myropolio indidi *Electuar. de Scordio Ioelis*, cujus compositio sic habet.

℞. *Pulv. scordii, card. ben.* ãã. ℥ß.
veron. ʒij.
rad. Petasit. ʒvj.
zarzapar. ℥ß.
cornu cervi rasi & in tenuissimum pulv. redacti ʒv.
Unicornu Hercin. paulo ante descripti ʒiij.
croci ʒj.
corall. r. prap. ʒiß.
omnibus tenuissime pulverisatis & commistis, admisce Theriaca Androm. ℥iv.
& diu multumque in mortario contundantur, admiscendo si necessitas exigit q. s. syrupi e succo citri acidi, ad consequendam formam duriusculæ massæ, qualis est recens massa Pilularum, cui massæ circa finem contusionis admisco olei vitr. ʒiij.
olei Angelica ℈ii.
f. massa, & in denso fictili, aut vase argenteo conservetur: Dosis pro robustis est ʒj.
Pueris ʒß. *Infantibus* ℈j.
cum haustu aqua scordii aut card. ben. aut Aceto medicato.

Pauperiores, & qui præscripta remedia præsto habere nequeunt, ut qui vel in villis, aut in itinere contagio prehenduntur, ij recipiant herbas virides, paucas aut plures, quas habere possunt, *scordii, card. ben. ruta, calendula* aut *rad. tormentilla*, aut petasitidis, quæ contundantur aceto consperfa, & succus exprimatur ad mensuram ℥iv. aut unius mediocris haustuli, & tepidum ebibatur pro sudorifica Potione.

℞. *Pulv. baccar. lauri & baccar. hedera arb.* ãã. ʒj.
cum haustu aceti bibantur.

Habita tamen ponderis ratione ad ætatem & vires. *Franc. Joel.*

14. *Sudoriferorum & alexipharmacorum exhibitione*) Diaphoretica nullo non tempore, quoad vires sufferre valent, à Peste indicantur, hæc enim plenius & à toto simul corpore, quam vomitoria & purgantia, evacuant: quin & sanguinem exagitando à coagulatione vindicant; Et eum à centro ad circumferentiam movent, fermenta venenata, necnon humorum & sanguinis corruptelas procul à corde arcent, & hostem extra castra propellunt. *Willis.*

Quoad Pharmaca Alexiteria, quæ absque sensibili evacuatione hujus morbi veneno resistere perhibentur, sunt ea hujusmodi utplurimum, quorum particulæ Naturæ nec sunt valde congeneres, ut pro alimentis cadant, nec ita diversæ ut excretionem stimulent: Eadem intus sumpta, & quoad minima refracta, cruorem & succos in vasis & visceribus confluos corpusculis suis velut novo fermento inspirant; eosdem leniter movendo, & in æquabili mixtione servando, à coagulatione & putredine vindicant; veneni particulas agglomerari cœptas eadem blanda agitatione ab invicem dissipant, & à maturitate impediunt: denique sanguinem & spiritus præoccupando, eos à characteris pestilentis impressionibus tuentur. *Idem.*

16. *Laudantur ex simplicibus*) Ex his remedia quædam simplicia commendantur, ut sunt *ruta, scordium* &c. tamen longe potissima æstimantur quæ sunt compositiora, quare Theriaca, Mithridatium, & Diascordium, quorum aliqua quinquaginta ut minus simplicibus constant, medicamina adeo omnibus numeris completa habentur, ut piaculum habeatur in eorum confectionibus, vel plantam unicam, aut ipsius drachmam omittere; Ratio forte est quod plurima simul posita massam exhibent, cujus diversimodæ particulæ longa digestione exaltatæ majorem in sanguine & humoribus nostris fermentationem cient. *Willis.*

15. *Alexipharmacorum*) Notandum hactenus verum pestis antidotum esse ignotum, ex sententia *Cratonis, Mercurialis* & aliorum, unde non mirum si veri remedii ignoratione tot pereant.

Quoad remedia, *generale* alexipharmacum pro Peste nondum inventum, est, nisi *camphoram*, aut *Bufones*, quis velit substituere, quæ tamen non videntur sufficere, cum deprehensum fuerit diversis temporibus diversa etiam remedia peculiares obtinuisse vires: Quod si specialia Pestis, ac appropriata remedia nondum inventa fuerint, generalibus istis in febribus malignis usitatis erit utendum; Quibus pro symptomatum varietate & alia subinde admiscenda; Vehicula talium remediorum utplurimum sunt *aqua destillata, aceto sambuc. rutac.* aut *theriacali* imprægnatæ.

Remedia inter ipsa excellit *Camphora*; *Bacca hedera arborea* ad ʒj. in *vino*, vel *aqua card. bened.* assumptæ sæpius in peste tanquam proficuum admodum remedium fuerunt observatæ: Quibus etiam vix cadere videntur *bacca Juniperi*, adeo ut ejus robore non immerito *Theriaca Germanorum* vocari possit.

De *Allio* ejusque capitibus, contusis cum *aceto vel vino*, assumptis in peste sudoriferis, res alias nota est.

Stercus humanum, non ultimum est inter Alexipharmaca, Observatum fuit quod *stercus* proprium, cum *urina propria* haustum, per vomitum, alvum & sudorem curaverit: Et certum est *stercus humanum Buboni pestilentiali* applicatum, optime curare Bubones pestilentiales. *Emmuller.* Medelæ cardo, ex omnium quotquot Auctorum, & Practicantium placito & consensu, in hoc præcipue vertitur, Nimirum in citissima veneni Pestilentialis expulsione, quam mire & unice præstare valent Alexipharmaca, Fæcibus itaque prius ablegatis ab ea correpti tanquam ad sacrum asylum confugiant.

Inter Simplicia vegetabilia supereminent *radices Asari Virginiani*, sive *serpentaria Virginiana*: Dosis rad. in alcool reductarum à gr. iv. vel vj. ad ℈ij. ex vehiculo idoneo, Secundum jure merito locum merentur radic. *Contrayerva*, è quibus etiam lapis oppido celebris conficitur, dosis harum rad. subtiliss. pulverisatarum à ℈j. ad ʒj. *ex aq. angel. scord. calend.* vel *vino* &c.

A me

A me autem gratitudo exigit ut pauca de *Zinzibere* subnectam, Cujus pulverem, atque condituram, multoties cum faustis ægrotorum rebus exhibuimus, nempe hunc ad provocandam diaphoresin; atque illam ad vim contagii pestilentis præcavendam. Ad nos misit Trochiscos ex *Anglia Americana* vir dignissimus *è carne anguis cauda crepitante*, confectos, à quibus commodi & levaminis plus ægris quam à nostris domesticis obtigit, *Nathanael Hodges l. de Peste sect. 7.*

Inter magis simplicia commendantur ab omnibus *Terra pingues*, aut *Sigillatæ*, *Bolus Armena*, *Terra Lemnia*, *Silesiaca*, *Turcica* &c.

Inter Vegetabilia Radices *Petasitidis*, *Contrayerva*, *Angelica*, *Torment.* *Zedoar.* Folia *card. ben. scord. centaur. min. Scabiosa*, Ligna *Guaiaci*, *Juniperi*, *Quercus*, *Buxi*, *Sass.fras*, Baccæ *Junip. sambuc. Ebuli*, & ex his paratum *Rob.*

Ex Animalibus petita sunt *lap. Bezoar. Porcinus* & similes, ut & omnia *cornua*, *ossa*, *ungues*, sive *ungula*, Inprimis *Salia volat.* & *olea* ex iisdem elicita, & ad sudores movendos efficacissima. *Sylvius App. Tr. 2.*

Mirabilis est *ossiculorum* proprietas quæ in *cervorum corde* reperiuntur, In officinis tanquam præstantissimum antidotum contra venenum & febres pestilentes hęc ossa conservantur, & cum felici successu in dies Medici ad hęc valere experiuntur, ut & ad præservandum à bestiarum venenosis morsibus & ictibus: Multi osbubulum substituunt in languentium perniciem & Medicorum infamiam. *Alex. Benedictus.*

Valde prodest lapillus ille qui ex India Orient. advehitur, *Pedro Porco* dictus, Qui eum in ordinario potu parum temporis detinent, multum præstabunt, Nam valde sudorem expellit & cor reficit, Lapis hic, ni fallor, in vesica fellea porcina generatur, insigni enim amarore præditus est, durus equidem, sed quavis vice aliquid substantiæ amittit, quod etiam color indicare videtur. *Barbette Tr. de Peste.*

Tribus *à genista* sede pedibus, uno mense, & post calendas Junij, *Rapum* quoddam invenitur, unius cubiti altitudinis, locis saxosis & arenosis; Si contundatur, & succus expressus, qui vino limpido similis est, totius anni spatio in vitro recondatur lagena, generosi contra Pestem remedii munus obtinet, *Joh. Jonstonus Thaum. at. nat. class 5. c. 22.*

Lysimachia insigne contra Pestem remedium est. *Idem.*

Magni faciunt *chamadrin* Hetrusci, quod) ut affirmant ij qui rem hanc experimento comprobarunt) in acetario jejunis comesta, Pestilentiam arcet, non minus quam scordium. *Matthiolus.* Querculæ odorem non omittas. *Marsilius Ficinus de Epid. agens.*

Veronica vino macerata, ac destillata, remedium est efficacissimum ad quasvis pestilentiales febres, binis unciis cum medica *theriaca* potum; quo facto stragulis probe se operire & quiescere oportet, Tum enim per sudores venenum expelletur, & à corde arcebitur. Ad eadem valet herba in vino decocta. *Hieron. Tragus.*

Veronicam quidam summis laudibus efferunt ad pestiferas febres. *Matthiolus.* Pulvis Veronicæ ex vino vel cerevisia potus certissimum alexipharmacum est. *Brunsvvicensis.*

Aquæ uncia mane pota, itidem odorata, commodissimum præservativum est; Prodest etiam caput & manus ea abluere. *Idem.* Hujus usum recentiores unice commendant in febribus Pestilentialibus. *Leonardus Fuchsius.*

Plantaginis vim egregiam plerique sunt experti in Lue pestifera, In qua sæpe tam insigne de hoc simplex specimen [illegible] rbuit, quibuscunque administraretur modis, quam [illegible] non aliud ullum. *J. Ammon. Agricola*, De rad. Plan[illegible] *n.rvens in Epist. Cratonis.*

Nux [illegible] officinarum, qua utimur ad interficiendos canes) metella est Arabum) hæc exhiberi solet in Peste, Retulere mihi hoc plurimi Nobil Germani; fide digni, qui Buboniim cicatrices indicabant; Propinant autem hanc cum ovo contritam; Hoc scio quod non interficit homines, licet canes enecet; Et ego sum expertus: Pisis, tantum mentem perturbavit, & bis dedi *Gabriel. Fallopius.*

In *millefolii* herba integra cum foliis latet secretissimum arcanum contra Pestem, qua sola vespillones in maximis Pestibus se tueri consueverunt. Sic *Decoctum millefolii* omni mane cum aceto sumptum ad ℥ij. mirre juvat; Eodem Decocto suffumigantur manus, vestes & alia integumenta magno juvamento; Decoctum à Peste correpto, quotidie haustum, statim venenum ad emunctoria pellit: *Aceto* acerrimo *calendulato*, *rosac.* vel *rutaceo*, cui *millefolii* flores incoxerint, spongia imbuitur, & maximi secreti loco naribus admovetur, *Phil. Grulingius Florileg. Chym. Part. 4. c. 7.*

16. *Unicornu*) De Vnicornu adhuc magna incertitudo est, ac propterea nos hujus usum è praxi penitus ejiciendum arbitramur, cum hoc ipsum animal, quod cornu illud in fronte habere tradunt, nulli unquam mortalium visum aut notum fuerit: Nos incertitudinem hujus cornu ante aliquot annos comperti sumus Vltrajecti, ubi in templo S. Mariæ duo vera, ut ab omnibus putata sunt, Monocerotis cornua, tres quatuorve pedes longa, à multis annis, instar magni thesauri asservata fuerunt; Casu hujusmodi simile pulchrum ponderosum & longum cornu venale oblatum &c. Aliquamdiu post accessit, me adstante, Nauta mercator marinus, qui illud cornu videns, nobis pro certissimo affirmavit in freto Davidis ingentes quosdam Pisces esse, tali cornu in fronte armatos: Eodem circiter tempore alius nauta Enchusanus, ex eodem freto veniens, mihi ipsi quoque tale cornu venale obtulit, Hujus aliquantum rasuræ abrasi, & tribus catellis prius venena diversa; deinde hanc rasuram exhibui, sed nihil valuit adversus venena: Ex quibus liquet incerta esse quæ de monocerote animali quadrupede, ejusque cornu & viribus traduntur &c. *Diemerbroeck.* Vide *Mercurialem Tomo 1. cons. 94. & Tom. 2 consult. 93 Paræum l. 20. cap. 39. Smetium miscell. l. 8.* & alios de hujus cornu inefficacia.

17. *Unicornu Hercynium*) Quidam multos curavit applicatione frustuli *cornu monocerotis*, ejusque infusione in aqua communi, pro Potu ordinario, hancque præcautionis gratia propinabat, qui enim tali aqua utebantur, Peste non inficiebantur. *Petr. Borellus centur. 1. Obs. 21.*

18. *Sanguis*) *Sanguis Taxonis* à quibusdam commendatur: Sanguis *Taxonis* cum sale cornibus animalium, instillatus, à Peste & mortalitate servat, ait *Brunfelsius.* Aliqui liquore vi ignis extracto ex *sanguine Melis* adversus Pestem utuntur. *Hieron. Brunsvvicensis.*

Recentiores quidam *liquorem stillatitium è sanguine Taxi* adversus pestilentiam commendant; Sunt qui adversus eandem luem hoc medicamentum præscribant (ut in MS. quodam libro reperi) *Sanguis taxi recens*, *terra Arm. crocus*, *tormentilla*, Sicca teruntur, reponuntur, usus tempore sumitur inde ad magnitudinem fabæ, cum quarta parte denarii aurei, in tenuissimam scobem lima redacti. *Conradus Gesnerus.*

19. *Rhinocerotis*) *Animal est magnitudine tauri pusillum cornu in dorso gerens; commendatum ad venena, contagia & affectus sudore opus habentibus.* Schrodetus.

Recentiores quidam liquorem stillat. *è Sanguine Taxi* adversus Pestilentiam commendant; Sunt qui adversus eandem luem hoc medicamentum præscribant, *Sanguis taxi recens*, *terra*, *armena*, *crocus*, *tormentilla* sicca reponuntur teranturque, usus tempore sumitur magnitudo fabæ, cum quarta parte denarii aurei in tenuissimam

ſcobem lima redacti: Præcipitur autem etiam *flammulam*, herbam, juxta vel ſub bubonem illigari: *Conradus Geſnerus*: Aliqui liquore vi ignis extracto ex *Sanguine Milis* adverſus Peſtem utuntur. *Hieron. Brunſvvicenſis.*

20. *Succus*) Narrant, qui experta produnt, ſi quis initio Peſtilentis febris calendulæ ſucci ℥ij. vel iij. biberit, & veſtibus operiatur, liberum reddi ab ea labe. *Symphorianus Campegius Pr. Jatrica l.5.c.10.*

21. *Ex compoſitis*) Hujus generis præ manibus ſit maſſa ſequens, unde ex tempore Boli conficiantur.

℞. *Elect. de Ovo mineralis* ℥j.
theriac. Androm. ℥ß.
pulv. ſerpent. Virginiana ʒv.
cochinell. ʒiij.
croci pulv. ʒß.
cum ſyr. e ſucco meliſſoph. vel citri, coagmentetur maſſa, doſis ad ℨj.
addendo ſalis cardui, abſynth. vel ſcord. ℈j.
plus minus pro ſymptomatum vehementia.

Electuarii de Ovo Mineralis præparatio, *Th. de Mayerne.*

℞. *Ovum vulgariter ut in Pharmacopœa Londinenſi prap de quo ſume, & ſem. ſinapios vel eruca ãã* ℥j.
antid. Saxonic. ℥ß.
lap. prunellæ ℨv.
antimon. diaphor. fixiſſimi & croci metallor. ſimul uſtor. ʒiij.
pulv. ſcordii, ruta, zedoar. ãã. ʒiiß.
theriac. Ven. vet. ℥iv.
Philonii Turneri ℈vij. gr. ij.
m. & cum ſpiritus theriac. ʒiij.
& mellis deſpum. q.ſ.f. Elect. molle Doſis ad ℈iv. *vel* ℨij
Ad vires hujus præſidii promovendas adjiciantur *corda & jecinora Viperarum v.a.o. prep.* NB. In hac ſimiliter, ut & in cæteris antidotis, diuturna fermentatio perquam neceſſaria, ut ſe invicem penetrent, & intimius aſſocientur, ut ſimplicia.

Sin alvus nimium fuerit cita & lubrica, commodiſſime exhibetur *lapis contrayerva*, qui ſic conficiendus.

Lapidis Contrayervæ præparatio.

℞. *Pulv. rad. contrayerva rec.* ℥j.
ſerpentar. Virgin. ʒiiß.
extr. rad. angelic. tormentill ãã. ʒij.
pulv. c.c. philoſ. calcinati chelar. cancror. prap. pulv. corall. rubr. ãã ʒiß.
antim. diaph. vel potius diaphor. Jovis ʒiij.
cochian. ʒß.
croci ℈j.
(aliqui addunt *lapid. bezoar. orient.* ℈ij.)
ambr. gr. ℈ß.
cum gelatina ſpol. ſerpent. vel c. c. finganiur globuli ſ. a. exſiccandi, Doſis ad ℈ij vel ʒj.
cum vehiculo idoneo.

Huc ſpectat *Orvietano*, cujus confectio hæc Antidorus Orvietana.

℞. *card. ben. totius, eupat. maj. & min. ãã.* ℥ß.
ſcord. ariſtoloch. rot. ãã. ʒv.
viperina h. e. *echii, gentiana, bacar. junip. biſtorta ãã.* ℥j.
baccar. lauri, torment. dictamn. albi ãã. ℥ß.
carlina, angel. ãã. ʒiß.
rhabarb. imperat. ſcorzon. Hiſpan. valeriana ãã. ℥ß.
morſus diaboli, calam. arom. ãã ℥iv.
theriac. Androm. opt. ℥iij.
corda & jecora xij. *viperar.*
terantur terenda ſubtiliſſime, & cum ſ.q. mellis deſpum. ſ. Electuar. per tres menſes fermentandum, Doſis ad ʒj.
Nath. Hodges de Peſte ſect.7.

Contra febrem malignam & Peſtem, *Liquor cornu Cervi* diaphoretico confortativus ſic fit.

℞ *Spir. ſalis rectificati, raſur. c. c. ãã. q.ſ. ſolve & digere per dies aliquot, Et tunc diſtilla lento igne,* & habebis remedium nobiliſſimum, Doſis à gutt. ij. ad ℈ß.
plus minus. *Joh. Andreas Graba Elaphogr. ſect. 3. c.* 12. Ex *Tract. Germ. de Febre maligna.*

Oleum cornuum tenellorum è cervis, & calvaria, loco lapidis bezoar. præſentaneum eſt remedium in malignis, *Andr. Libavius. Pr. Alchym. c.26.*

Sal volatile ſanguinis cervini inſignem vim habet diaphoreticam in febribus ardentibus, malignis & peſtilentibus, *Sal viperarum fixum & volatile præſtat*, *Gu. Rolfinkius ord. & meth. ſp. l.11. c.9.*

Bezoardicum cervinum.

℞. *c.c. ſeu pulv. ex typhis cervinis parat.* ℔j.
ſalis Viperin. vel theriac. ℔ß.
olei cortic. citri, ruta ãã ʒij.
m. ſ. Pulvis bezoarticus præſtantiſſimus, Doſis à ℈j ad ʒß. vel ʒj.
in vehiculo convenienti. *Joh. Zvvelferus Anim. in Pharm. Auguſt. p.m. 464.*

Celebratur Antidotum non idoneum Canonici cujuſdam Lotharingi, qui contra Peſtis ſævitiam eo uſuram haud vulgarem fecit apud Principes, Id ſic habet.

℞. *ſpec. lætit. Galeni, terra ſigill. ãã.* ʒj.
boli Arm. prap. ℥ß.
ther. Androm.
conſerv. roſar. borrag. bugl. ãã ℥j.
ſyr. roſar. q.ſ.f. Electuarium *Joh. Wierus.*

Hic *Pulvis* magno ſucceſſu uſurpatus fuit in Peſte.

℞ *ſacchar. c.* ʒiij. *zz.* ʒij.
camph. ʒj.
m. dosis ℈j.
in *aqua & aceto* in quo *tanacetum* coctum ſit, maxime non calido tempore.

Efficaciam hujus *Electuarii* poſſem veriſſimis teſtimoniis oſtendere, Paratur etiam cum *Camphora.*

℞. *ſcordii* ʒiij.
torment. dictamn. albi, Zedoar. gentian. angel. caryophyllate. ãã. ʒj.
croci, camphora ãã. ℈ij.
m. f. Pulvis, aſpergatur aqua card. in qua diſſolve theriac. ʒij.
cum ſyrupo de ſucco card. & ſcord. ſ. Elect. dozis ʒj. vel plus *in aq. cardui.*
Joh. Crato Tr. de Feb. Peſt. Curat. p.580. & 583.

Ab omnibus mirifice commendatur *Elect. de Nucibus*, eſtque revera magni æſtimandum. *Idem p.134.*

Si contumax malum, & nihil parens remediis apparebit, ego non aliud majus remedium excogitare ſcio quam hoc quod habet.

℞. *ſucci luyulæ* ℥ij.
ſucci citri ℥j.
Diaſcordii noſtri ʒj.
ſpec. cordial. è gemmis ℈ij.
aceti ℥ß.
omnia bene miſceto, & *totum haurito.*

Quod ſi nihil juvabit, ſcito morbum eſſe majorem quam humana remedia. *Hieron. Fracaſtorius.*

22. *Aqua theriacalis*) In febre maligna miranda vidi experimenta *aqua Theriacalis Bauderonii*, etiam in deploratis, & quibus Maculæ purpureæ aut Variolæ retroceſſerunt. *Obſerv 98. cent. 4. apud Riverium.*

22. *Aqua Theriacalis*) Hæc ipſi præferenda videtur, cum

cum enim tenuiſſima & valde ſpirituoſa ſit, facilius citiuſque penetrat, totumque corpus pervadit ac ſudores elicit, Quia vero plures habentur illius deſcriptiones, varia earum doſis eſſe debet, prout ex magis vel minus calidis compoſita eſt.

Aqua Theriacalis Bauderoni præſtantiſſima eſt, ut pote valde temperata, Non enim alium recipit liquorem quam *acetum* & ſuccum limonum, à quibus calida ingredientia valde temperantur, Ideoque ab ℥ß. ad ℥j. exhiberi poteſt in aquis vel decoctis ſudorificis; Quamvis tamen præ cæteris, quæ à variis authoribus proponuntur, hæc minus calefaciens exiſtat, Nos tamen aliam excogitavimus paratu facillimam, quæ majori refrigerandi vi prædita non minus febrem quam malignam qualitatem oppugnet, ſicque toto morbi decurſu, & in quocunque illius tempore, uſurpari valeat, Talis eſt quæ.

℞. *limones recentes & ſucculentos n. 12. cortices & ſemina eximantur, ſuccus exprimatur, eique adde cortices prædictos & ſemina, ſucci ſcordii* ℔iij.
ſucci acetoſæ, rutæ capræ. ſcabioſ. & card. bened. ãã. ℔j.
raſ. corn. cervi ℥iv.
theriac. vet. ℥vj.
cortices limon. in tenues laminas dividantur, ſemina contundantur, & herbæ quæ minus habent ſucci, inter contundendum ſucco limon. irrorentur, omniaque deſtillentur in B M. Hujus aquæ detur ℥j. per ſe vel cum aliis liquoribus permixtæ. *Riverius.*

22. *Aqua Theriacalis &c.* Extat optima deſcriptio in Antidotario Londinenſi & in Pharmacopœa *Quercetani*; Hic addenda eſt Aqua, *Mariæ* dicta, *Mouffeti.*

℞. *Aquæ cæleſtis* ℔j.
moſchi ambr. ãã. gr. xviij.
croci gr. xv.
ſtent in infuſ. per dies xiv.
tunc adde ſyr. ſequ.

℞. *ſacch.* ℔j.
Vini canar. ℥vj.
aqu. roſ. ℥iij. *miſce.* Prædictis ſi addatur theriaca, fiet Aqua theriacalis, cujus tam variæ ſunt deſcriptiones: Sequens mihi eſt familiaris.

℞. *Rutæ m. j. dictamni Cret. card.* ãã. m. iß.
angel. zedoar. cortic. citr. vir. vel ſicci ãã ʒij.
flor. tunic. roſar. ãã. p. j.
cinnam. caryophyll. ãã. ʒj.
fol. meliſſ. m. j. flor. calend. anth. ãã. p. j.
ſem. aniſ. nuc. moſch. ãã. ʒß.
theriaca Andr. mithrid. ãã. ℥ij.
ligni aloes ʒj.
vini Hiſpan. ℔vj.
infund. per dies 3. vel 4. deſtillentur lento igne per B. M. Iterari poteſt bis terve affundendo aquam fæcibus. Vel

℞. *Theriac. opt.* ℥j
myrrh. ʒij. *croci* ℈j.
aq. vitæ ℥viij.
diſtillentur; doſis ad ℥ß.
cum ſp. vitr. guttis aliquot & ſyr. lim. ℥j.
Sed Infuſiones aquis diſtillatis ſunt longe efficaciores. quæ ex prædictis ſolum infuſis componi poſſunt, vel ſequentibus.

℞. *Aqua vitæ* ℥x.
theriac. ℥ß *myrrhæ, croci* ãã. ʒj.
zz. p pet. ãã. ʒß miſce.
Fit inſigne diaphoreticum ex *Paracelſo* deſumptum, quod imitatus eſt *Quercetanus.*

℞. *Ther.* ℥iß. *myrrha* ℥ß.
croci ʒij. *Spir. Vini* ℥vj.
m. diſtillentur. Sed Infuſio multo præſtantior eſt.

℞. *Theriac. Androm. Elect. de ovo* ãã. ℥j.
camph. ʒij.
zz. albi, caryoph. ãã. ʒj.
aq. vitæ ℥vj.
ſyr. de ſucco limon. vel citri ℥iij.
ſacch. c. ℥j. *croci* ℈ß.
pulv. diamarg. fr. de gemm. ãã. ℈j.
f. Infuſio in Balneo, cujus doſis ad ℥j.

Sequens fuit à me experientia comprobata.

℞. *Succi limon. calend.* ãã. ℥ij.
aqu. card. ben. ℥iij.
ſp. vini ℔ß.
theriac. ℥iß. *myrrha* ℥j.
rad. tuſſilag. ℥j.
ſperm. ceti, terræ Sileſ. ãã. ℥ß.
rad. Aſclep. ℥ß.
dictamn. pimpin. valerian. angel. ãã. ʒij.
camph. ʒj. *ſacch. c.* ℥ß.
ſtent ſimul bene obturato vaſe ad Solem vel in loco cal. per octiduum; doſis cochl. unum vel alterum, Sudores abunde movet, Tunc cibi nihil ſumatur per horas iv.

Infuſio Theriacæ ſolius in vini ſpir. ſufficere poteſt, quia Theriaca omnia ferme habet ſimplicia quæ ad hunc uſum adhibentur. *Primroſius.*

Aqua Theriacalis noſtra, quæ tantopere profuit in Peſte.

℞. *rad. tormentill. lappæ maj. pimpinell. ſucciſæ, valerian. maj.* ãã. ℥iv.
rad. imperat. angel. dictamni, gentian. ſerpent. ãã. ℥j.
capar. mundat. à cort. nuc. virid. ſcabioſ. verbenæ, calend. cum flor. rutæ, acetoſ. card. b. ãã. m. ij.
camph. ʒiß.
aqu. vitæ ℥j.
vini albi gen. menſ. iß.
ſeu ℔vj. *aceti roſ.* ℥ij.
mithridat. ℥j.
diſtillentur, doſis maxima ℥ij.
F. Platerus *obſ. 1. 2. & 340.*

23. *Aqua Theriacalis Diemerbrochii prima & ſecunda*) In principio hujus Peſtilentis conſtitutionis hanc *Aquam theriacalem*, ſeu *Sudorificam*, nobis inſtar magni ſecreti communicatam, in uſu habuimus.

℞. *rutæ virid. meliſſæ,* ãã. ℔ß.
abſynth. ſicci conſciſſi, ac nonnihil contuſi. cardui bened. ſicci ãã. ℔ij.
aqu. comm. q. ſ.

Macerentur & ſtent in infuſione prope ignem per x. vel xii. dies quotidie baculo ligneo bis terve agitando, poſtea deſtillentur: Ex fæcibus autem combuſtis una cum menſtruo reſiduo priùs exſiccatis, extrahatur ſal, cujus Salis defectu, poteſt ſimile ſal compoſitum fieri, ex *ſale abſinth. meliſſæ, cardui, rutæ* ãã. part. aqu. ſimul miſtis.

Vſus illius aquæ talis erat.

℞. *aquæ prædictæ* ℥ij.
ſalis dicti ʒß.
Olei vitrioli gtt. xi. *aut* xv.
miſce fiat Hauſtus.

Haud contemnendas quidem hujus Aquæ virtutes in principio comperti ſumus, ſed interim morbo magis magiſque ingraveſcente cum illa nimis nobis debilis videretur, aliam fortiorem ad uſus noſtros parari curavimus, qua deinde ſemper cum feliciſſimo & admirabili ſucceſſu uſi ſumus, Compoſitionis hæc erat forma.

℞. *radic. oſtrutii, petaſit. angelicæ, carlinæ, valerianæ.* ãã. ℥iß.
enulæ campan. cortic. aurantiorum ſiccat. ãã. ℥iij.
herbar. ſcordii, abſinth. ãã. ℥ij.
cardui bened. ℥iij.
flor. roſar. rubr. ℥ß.
ſtœchad. ʒiij.

baccar. juniper. ℥iiß.
granor. cardamom. min. ʒv.
cinnam. el. ℥j.
Hæc omnia sumantur sicca, conscindantur simul, & grosso modo contundantur, iisque affundantur in cantharo lapideo *vini albi Rhenani*, vel *Gallici tenuis*. ℔xxij.
aquæ rosar. ℔ij.

Vase bene obturato stent in infusione decem diebus, tum addantur hæ herbæ virides & recentes, conscissæ & aliquantulum conquassatæ.

Foliorum rutæ man. vi. *tanaceti mann.* iv. *rosmarini, pimpinellæ ãã. m.* iß.

Maneant simul in Infusione adhuc per viij. vel x. dies, quotidie baculo commovendo, postea affunde.

succi citri ℔ß.

Stent adhuc per tres quatuorve dies, postea super ignem leviter ebulliant & colentur, ac in torculari fortissime exprimantur, Colatura expressa destilletur in B. M. aut Arenæ, per alembicum vitreum.

Illud quod post destillationem in fundo cucurbitæ remanet, adjecta aqua *card. ben.* attenuandum, & per chartam emporeticam raram colandum est; quæ colatura lento igne exsiccanda est ad *extracti* consistentiam; quod usui servandum: Hoc *Extractum magistrale* vocavimus; Ex fæcibus & herbis combustis interdum quoque *Sal* extrahi curavimus.

Hac nostra *Aqua theriacali* interdum sola, sed utplurimum aliis medicamentis admista utebamur: In usu quoque habuimus *Acetum theriacale nostrum* (*vide supra descriptionem ubi de Præservatione*) Ex his autem pro necessitatis diversitate variis formis medicamenta concinnavimus: Vt autem quibus circiter modis *Antidotalia Sudorifera* à nobis præscripta fuerint sciri possit, hic aliquot Formulas subjiciemus.

℞. *Extracti magistr.* salis absinth. ãã. ℈j.
Diascord. Fracast. ʒj.
aquæ nostræ theriac. ℥ij.
olei vitrioli gtt. x. aut xii. *Misce fiat Haustus.*

℞. *Salis rutæ* ℈iß.
extracti angelic. ℈j.
aquæ theriac. ℥ij.
succi citri ℥ß. *Misce fiat Haustus.*

℞. *Extracti card. ben. rutæ salis cardui* ãã. ℈ß.
Salis scordii ℈iß.
theriacæ Androm. Diascord. Fracast. ãã. ℈ß.
aquæ Theriacalis, aceti beZoart. ãã ℥j.
Misce fiat Haustus.

℞. *Theriacæ Androm.* ℈iv.
aquæ theriac. ℥iß.
aceti bezoart. ℥j.
Misce f. Haustus.

℞. *terræ sigill.* ℈ij.
trochisc. de viper. ℈iß.
aceti bezoart. aquæ theriac. ãã. ℥ij.
Misce pro haustu.

℞. *Boli Armenæ veræ, corall. rub. præpar. cornu cervi usti.* ãã. ℈j.
Diascord. Fracast. ʒj.
aquæ theriac. ℥ij. Misce pro Haustu.

℞. *Salis cardui ben.* ℈iß.
aquæ theriac. ℥ij.
succi citri ℥ß. Misce.

℞. *Theriacæ, Mithrid.* ãã. ℈ij.
salis scord. ℈j.
aquæ theriac. ℥iß.
aceti bezoart. ℥ß.
f. Haustus.

℞. *Oculor. Cancr. præparat.* ℈ij.
salis absinth. ℈j.
theriacæ diascord. ãã. ℈ij.
aquæ theriac. aceti calendulati fortis ãã. ℥j.
Misce fiat Haustus.

℞. *rutæ virid. rec. m.* j.
contunde in mortario, affundendo *aceti beZoart.* vel *calendulati* ℥ij.
fiat fortis expressio, colaturæ addantur *Salis absinth.* ℈j. *vel* ℈iß.
theriacæ aut *diascordii* ʒj. *vel* ℈iv.
Misce f. Haustus.

℞. *radic. petasit angelic. heleni* ãã. ʒj.
herb. rutæ, cardui bened. ãã. *m.* ß.
vini albi q. s. coqu. secundum artem, *Hujus colaturæ recipe* ℥ij. *vel* iij.
salis, scordii vel card. ℈j.
theriac. ℈ij.
Fiat Haustus.

℞. *radic. dictamni, petasit. ostrutii, angelicæ* ãã. ʒij.
herbar. scordii, cardui ben. rutæ ãã. *m.* ß.
coquantur aliquandiu in *aceti & vini partibus æqual.* Colatura expressa detur pro Haustu.

℞. *stercor. ovilli recent.* ʒiij.
rasuræ rad. raphani sylv. ʒiß.
aquæ theriac. ℥ij.
aceti calendul. ℥. Misce
Sic mixta stent per aliquot horas, postea fiat per linteum expressio & colatura: Expressus ille liquor detur pro Haustu, admiscendo *theriacæ* ʒj.

℞. *salis commun.* ʒj.
aceti vini fortis ℥ij. *vel* iij.
fiat Haustus pro pauperibus.

℞. *Capam aliquantum excavatam, cui impone theriacæ* Andromach. ℈iv.
& cooperculo suo tectam, ac charta bibula aceto madida involutam, sub cineribus calidis assato, Postea succus in prelo fortiter exprimatur, cui adde *aceti simpl.* vel *bezoart.* ℥j.
Detur pro Haustu.

℞. *Theriacæ* ʒj.
aceti vini fortis vel beZoart. ℥ij.
olei juniperi ℈ß. *vel* ℈j. Misce pro Haustu.

Illis qui Potiones assumere non poterant, Bolos vel Pulveres dedimus.

℞. *Theriacæ, diascord.* ãã. ℈iß.
salis scordii ℈ß.
olei vitrioli gtt. v. misce fiat *Bolus.* Cui interdum addebantur aliquot grana *lapidis bezoartici orient.* Interdum ℈j. *confect. de hyacintho, sine moscho* &c.

℞. *Pulveris Liberantis* ℈j. *vel* ℈iß.
lapid. bezoart. ori. ℈ß.
camphoræ grana ij. *vel* iij.
fiat Pulvis.

℞. *florum sulphur. terræ sigill. coralli rub. præpar. pulver. liber. lapid. bezoart. orient.* ãã. ℈ß.
croci gr. iij.
Fiat Pulvis.

ApoZemata, quæ ad curationem præscribebamus, hujusmodi erant.

℞. *radic. petasitid. eryngii, vincetox. helenii, carlinæ, cortic. aurant. siccor.* ãã. ℥ß.
radic. torment. angel. ãã. ʒij.
herb. cardui ben. scordii ãã. *m.* iß.
boragin. rutæ, scabios. ãã. *man.* ß.
pomum citri in frusta dissectum n. j. semin. 4. *frigid. major.* ãã. ℥iß.
cicer. rub. ℥j.
aquæ commun. q. s. coqu. s. a. ad ℔ij.
Addantur colaturæ *syrupi limon. de scordio* ãã. ℥iß
Misce fiat Apozema.
Dosis ℥ij. ℥iij. ℥iv. bis, ter, quaterve de die.

Condita

Condita & Electuaria quoque variis formis paravimus.

℞. *Pulver. liberant.* ʒiß.
margarit. præpar. oculor. cancri, lapid. bezoart. Orient. āā. ℈j.
confect. de hyacintho ℈iß.
conserv. rosar. rubr. borrag. calendulæ āā. ℥ß.
olei cortic. citr. gtt. vij.
syrupi limon. q. s. Misce fiat Electuarium.

℞. *Pulver. bezoartici Renodæi* ʒj.
Diascord. Fracastor. ʒij.
radic. helenii condit. Elect. juniper. āā. ℥ß.
Olei juniper. ℈j.
syrupi de scordio q. s. Misce fiat Electuarium.

℞. *Theriaca Androm.* ʒij.
diascord. Fracastor. cortic. aurantior condit. radic. helenii condita āā. ʒiij.
olei juniper. ʒß.
syrupi acetos. citri q. s. fiat Conditum.

℞. *Mithridat. Damocr. diascord. Fracastor.* āā. ʒij.
Electuar. de Nucibus Iuniper. āā. ʒiij.
pulver. bezoart. ʒj. *syrupi helen. q. s.* Fiat Electuarium. *Diemerbroeck.*

24. *Aceta*) Multis pauperioribus in ipso morbi principio exhibui solius *Aceti* ℥iij. *vel iv. cum salis marini p. j.* Et optime sæpius profuit, Interdum etiam *Theriaces* ʒj. admiscui; Sed notandum non omnibus promiscue Acetum esse exhibendum; Ab ejusdem usu arcendi sunt illi qui in pectore aliquod vitium habent, ut sunt tussiculosi, asthmatici & similes, qui ab *aceto* pessime afficiuntur. *De Diemerbroeck lib. 4. hist. 42.*

24. *Aceta*) Præstantissimas *Aceti*, aliorumque multorum Acidorum, ut *olei vitrioli, sulphuris, aluminis, succi &c.* vires tam ad præservationem quam ad curationem in Peste, hactenus sola docuit experientia, Verum hoc nostro seculo, quo quælibet abstrusa eruuntur, etiam hujus rei causa aliqua perceptibilis inveniri coepta est.

Solent Acida, modice sanguini admista, laudabilem ejus consistentiam in justa mediocritate conservare, & prohibere quo minus à sale volatili (quod tempore Pestis admodum acre & copiosissimum aëri immiscetur) cum aëre identidem per inspirationem introducto, nimis tenuis fluidusque fiat; quæ ejus vitia in pestiferis causa sunt, quod, præter alia gravissima symptomata, nonnunquam perniciosæ hæmorrhagiæ contingant, quæ raro sisti possunt, & ægros non raro ad exitium deducunt.

Eum in finem, utut scilicet sanguinis consistentia in justa mediocritate conservetur, etiam in nostro corpore acidi humores generantur, tam in liene quam in pancreate, qui leviter coagulando aliqualem crassitiem in sanguine conservant, eumque refrigeratum nonnihil coagulari faciunt. Verum si illi subacidi humores peccent in quantitate, aut qualicunque prava qualitate, tunc sanguinem aut nimis multum, aut nimis parum coagulando, à justa consistentia dejiciunt, variorumque morborum causæ fiunt.

Hæc vera esse docuerunt ingeniosa quædam hodiernorum Medicorum experimenta, Quippe si *sal volatile* sanguini admisceatur, sanguis fluidus permanet, & refrigeratus non coagulatur, Si vero *acetum*, vel aliquod aliud acidum affundatur, mox coagulatur, & quo magis excellit acidi adjecti aciditas, tanto major fit coagulatio.

Præterea Acida, præter coagulandi vim, etiam effervescentiam aliquam in sanguine & humoribus excitant, qua serosi attenuati humores, una cum salsis volatilibus particulis, sudoris forma per poros foras propelluntur: Sic fit quod in Peste, in qua saliæ illæ volatiles particulæ valde acres & malignæ sunt, multum discutiantur, & sanguis ab istius noxii salis volatilis admixtione multum liberatus, rursus nonnihil incrassetur, & ad pristinam constitutionem redeat.

Quemadmodum Acida intus assumpta, ita etiam foris naribus admota & odorata, sanguinem aliquomodo leviter coagulando in justa consistentia conservant, atque etiam salis acris volatilis, cum aëre inspirati, volatilitatem compescunt.

Alexander Massarias lib. de Peste 2. scribit in crudelissima Peste sui temporis, loco aceti multos mirum in modum celebrasse *acetosam*, atque illius maxime succum expressum, sive per se, sive cum aliis medicamentis sumtum; ita ut in maxima illa Peste huic uni medicamento salutem referrent, acceptam. *Gordonius de Febr. part. 1. c. 10.* omnia acida idque non sine ratione laudat; cum insignis aciditas, cuicunque subjecto insit, in præservatione & curatione Pestis admodum excellens sit, Omnia acetosa, *inquit*, competunt, sicut est *lac acetosum, herba acetosa, & mala granata acida & succus* uvæ acerbæ, & aciditas citri & limonum, & citranguli & acetum. *De Diemerbroeck.*

24. *Aceta*) *Acetum* in Pestis curatione plurimum valere multoties observavimus: Imo varios novimus qui Peste correpti bonum haustum *aceti* fortissimi, cum *pauxillo salis communis*, in ipso principio bibentes, illico in copiosissimum sudorem profusi, atque ab imminente periculo citissime liberati sunt.

Forestus lib. 6. obs. 19. in schol. scribit Nosocomii Chirurgum tunc temporis *theriacam cum aceto sambucino*, pro liberante & sudorifero medicamento, pestiferis omnibus ex æquo statim dedisse, Neque id male, quia *acetum*, inquit *Lev. Lemnius 2. occult. c. 36.* Venenis resistit, ac pestilentis morbi contagia repellit, dissipat vitiosum aërem &, si quid in corpus haustum est, humores inficei ac putrescere prohibet: *Diemerbroeck.* Vide plura supra de Aceto, ubi de Præservatione. Familiari in usu fuit *Sylvio de le Boe* ad prophylaxin, quo ipsemet utebatur,

25. *Aceta bezoartica*) *Schroderus* in sua *Pharmac.* extollit *Acetum Bezoarticum D. D. de Spina*: *Paulus Barbette* sequentis descriptionem adducit, quo se feliciter usum fuisse scribit; Eundem etiam alii laudant qui pestiferis inservierunt.

℞. *rad. angel. zedoar.* āā. ℥j.
folior. rutæ, meliss. scabiosæ flor. calendul. āā. ℥ij.
Nucum jugland. immatur. incisar ℔ij.
pomor. citri recent. concisor. ℔j.
contundantur omnia simul, tunc affunde aceti vini optimi, ad tres quartas partes. Fiat in cucurbita vitrea digestio per noctem; deinde destillentur lento igne usque ad siccitatem, sine ustione.

25. *Aceta Bezoartica*) Vt Aceti alexipharmaca vis, (vide supra §. *Aceto*) potentior fiat, Medici varia simplicia, antidotali vi prædita, in illo quandoque macerare solent, quod tunc appellare solent *Acetum bezoarticum* seu *theriacale*, Cujus variæ extant compositiones apud authores: Nos nostram compositionem, quam in hac Peste admodum efficacem esse usu comperti sumus, adducimus.

℞. *radic. angelicæ, carlinæ, petasitid. helenii, dictamni* āā. ℥ß
zedoar. ʒij.
herbar. cardui ben. scordii. āā. ʒvj.
centaur. min. rutæ. āā. ℥ß.
flor. stoech. ʒij. *semin. cardui ben. citri* āā. ʒj.
baccar. junip. ʒiij.
f. Pulvis grossus, cui affunde aceti fortissimi ℔v vel vj. Stent simul in loco radiis Solaribus exposito per xiv. pluresve dies, postea colentur cum forti expressione: Eidem Aceto si velis eundem ad,

duc Pulverem de novo infundere poteris; tuncque erit efficacius. *De Diemerbroeck.*

25. *Aceta Bezoartica*) *Acida volatilia* ab omnibus commendantur, in specie *Acetum*, per aromata alexipharmaca, præsertim per *diaphoretica* infusa, medicatum, sub nomine *Aceti theriacalis*, quod sive cum, sive sine *theriaca* paratum fuerit, egregium est *præservativum*: De talibus mane cochlear unum vel alterum jejuno stomacho, vel post Jusculum assumatur, *Præservationis gratia*: Imo *Acetum baccis junip. myrrha*, *zedoar. card. ben.* infusis instar mille aliarum sufficiat compositionum; Aut simpliciter *Theriaca* cum s. q. aceti dissoluta, hinc filtrata, dat acetum præservativum sufficiens; quibus semper tempore usus s. q. *spir. vini camphorati* addenda est, cum *camphora* aceto solubilis haud sit. Vel *theriaca* q. v. assumatur in vehiculo *aceti*, addita *myrrha* & *camphora* pro præservatione. *Ettmuller pagina* 392.

Romana Peste dominante *Acetum Bezoart.* confectum fuit, & quotquot illo usi fuerunt, ij nullum, etsi cum peste infectis intra eadem ædium gurgustia una commorarentur, peste infestatum fuisse, fassi sunt: componitur autem ex speciebus domesticis obviis, uti sunt *acetum* exquisitissimum, *ruta, pimpinella, betonica, nuces juglandes, allium. bacca juniperi*, Quibus addatur, si suppetat, paululum *camphora*, si non, *spodii cervini*, quæ per infusionem in aceto 40. horar. spatio digerantur ad Solem, vel intra hypocaustum; deinde percolatum reponitur ad usum, cujus matutino tempore, stomacho jejuno, assumatur tantum quantum cochlear tenere potest, & habebis antidotum certissimum pro eo die & securissimum: Nec te terreat saporis ingrati acrimonia, sciasque tanto esse hujusmodi antidota Pesti magis contraria quanto ingratioris fuerint saporis, cum omnia dicta ingredientia, nescio qua antipathia occulta Pesti, cæterisque venenosis aëris infectionibus contrarientur, neque solum ad intra susceptione conferant, sed & odore naribus, temporibus, pulsuum locis illita, mirum in modum conferunt. *Kirkerus de Peste pagin.* 176.

Anno 1638, Stetini Pomeranorum, ut & Stralesandi, maxime vero in castris exercitus Suecici ad Tribbæseam, Pestis contagium vehementissime grassabatur, Tentata multa & varia remediorum genera; nihil tamen æque prodesse visum est ac *acetum theriacale*, mox inter initia cum tantillo *Diascordii* vel *Theriaca* ad eliciendos sudores exhibitum: plurimi namque solo hujus *aceti* usu, Deo juvante, restituti sunt: Sic anno 1643. grassante inter præsidiarios Suecicos Colbergæ febri maligna & pestilente, hoc unico remedio tanta cohors servata est gregariorum, convalescentibus fere omnibus quotquot eodem aceto tempestive utebantur, exceptis paucissimis, quibus serius oblatum fuerat, Descriptio *aceti theriacalis* hæc est.

℞. *conf. Orviet.* ℥ij.
Diascord. Fracast. ℥iß.
Ther. Androm. ℥j.
rad. angel. contrayerva, enul. pimpin. torment. scorzon. dictamni albi, petasit. ā ā. ℥vj.
fol. scord. rutæ, millefol. ā ā. *m.* j.
flor. calend. tunicar. ā ā. *m.* ß.
cortic. frax. citri ā ā. ℥ß.
bac. junip. ā ā. ℥iiß.
macer. zedoar. ā ā. ʒiij.
camph. ℈ij. *croci orient.* ℈j.
myrrh. puræ & el. ℥ß.
aceti ex succo rubi idæi q. s. mista stent in infusione loco calido bene tecta, donec extrahatur Tinctura, cujus colatura ad usum servetur. *Timæus l. 8. observ. cas. 32. p. 393.*

Ego sane ante novennium, cum quotidie plures visitarem ægros Peste infectos, præcautionis loco aliud non sumpsi medicamentum quam vulgaris aceti vini cochlear unum mica panis exceptum, & quidem mane antequam inviserem ægros.

Id remedii genus usurpavi per octo menses continuos, nec unquam minimam toto illo tempore ab infectione noxam sensi; Postquam vero sublato hoc malo desiissem ab hoc aceto diutius assumendo, sensi postmodum, ac fere semper, capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licet id ignorarem, nec mihi metuerem.

Novi equidem paucos meo exemplo potuisse acetum per aliquot hebdomadas ferre, dum aliqui ob peculiarem sui constitutionem, melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perseverare in ejus usu. Solent alii *vini Rhenani*, aut *cerevisiæ veteris* adeoque *subacescentis* haustum mane sumptum commendare: Novi non deesse qui *vini spiritum*, aut *simplicem* aut *theriacalem* laudant, sed novi id ipsum multis fuisse noxium; quod de *Acidis* dici non potest, saltem ratione ipsius Pestis: Laudatur quoque *Elixir propriet.* ut & *spir. sulph. vitrioli*, *salis* ex pauca *cerevisia* vel vino assumendus.

Laudantur etiam *fructus acidi, mala citria, aurea, granata*, ribesia &c. confortat quoque *aceti spongia excepti odor*, si fuerit *acetum* simplex, aut aliquo aromate, plantave aromatica impraegnatum: Adeo ut si quis omnia in Pestis præcautione efficacissima contulerit, comperiet pleraque acida esse, aut cum acidis parata.

Vnde patere puto, Acidum non tantum desiderari contra Pestis venenum, sed ipsum inprimis ab eodem impeti, ac impugnari: Quibus vero acida meraca esse solent molesta & gravia, iisdem temperari possunt vini spiritu: Sic *salis spiritus* ejus ope ita temperatur, ut omnis pene ipsius aciditas, obliteretur, si sæpius cum eodem cohobetur &c. *Franc. Sylvius Tract. de Peste.*

Novi quos solum *acetum rosaceum* ore sumptum, carpoque illitum à Peste præservavit; In eadem lue *Acetum bezoart.* Omne tulit punctum: Alii nostrates grassante contagio *aceto calendulæ* solo se munierunt & incolumes evaserunt. *Thom. Bartholinus centur. 4. histor. 13.*

26. *Elixir Pestilentiale*) Huic affinis est *Tinctura* sequens.

℞. *Pulv. trochisc. de vipera rec. parat.* ℥iij.
spinæ viper. ℥ß.
rob. juniper. ℥j.
croci ℈iv.
affunde spir. vini alkool. Jati ℔ij.
spir. urinæ ℔j.
stent in digestione ut colentur. Colatura servetur: Hujus guttæ aliquot in vino, vel alio vehiculo, cor à veneno tuetur; In majori quantitate materiam malignam per sudorem discutit, & contra omnis generis venena, & morbos malignos arcanum est; Hac Tinctura plures conservati sunt; *Joh. Ferdin. Hertod, Crocolog. c. 21.*

In febribus malignis *Tinctura Bezoartica* D. *Michaëlis* omnibus præripit palmam. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. capit. 11.*

Oleum pestilentiale *Heinisii*, quod fit ex *olei succini rectificati, citri & camphor. cujus dosis à gutt.* v. *ad* ℈ß. in febribus pestilentibus mira præstat. *Idem ibid.*

27. *Diascordium*) mirabilem observamus *Scordii* esse virtutem contra febres malignas, ut & *galega*, si quis enim hujus folia ire acetariis aut carnium jure semel in die sumpserit, à febre hac tutus & incolumis servabitur: Idem *Galeni* testimonio, *Scordium* efficere probatum est, siquidem ex veterum quorundam monumentis adversus putredinem *Scordium* singulare esse remedium

Inc[?]um traditur, ut 1. de Antid.cap.12. legimus, nam cum interemptorum cadavera in prœlio multos dies insepulta mansissent, quæcunque super scordium forte fortuna ceciderant, multo minus aliis computruerunt, ea præsertim particula quæ scordium attigerat, *Annibal Camillus.*

28. *Diascordium Fracastorii*) Magna hæc veterum remedia (*Theriacam & Mithridatum*) consequitur Electuarium illud *Fracastorii* quo confidenter me semper usum fuisse profiteor, Etenim præter insignem quam in hoc malo pellendo vim obtinet, corpus nullo vehemente calore, ut theriaca vel mithridatium perurit, Unde & puerulis, gravidis & puerperis, tutum, securum ac salutare medicamentum existit, putredinem corrigens, venenum pessundans, sudores absque magna humorum agitatione proliciens; gravia symptomata, cephalæas præsertim urgentes sedans:& multo nobis usu compertum, cui plurimum tribuendum censemus non immerito. *Mindererus de Peste cap.*15..

Nos in hac nostra Peste eodem *Diascordio Fracastorii* feliciter semper usi sumus. Compositio autem inter alia recipit *Opii* drachmam unam & semis: Video ab aliis male augeri *Opii* quantitatem ad ℨij. vel ℨiij. imo à nonnullis ad ℨiv. vel ℨvi. atque ita bonum medicamentum per *Opium* adjunctum fit nimis soporiferum & noxium, imo maxime periculosum, *Fracastorius* illud summopere commendat, atque etiam fere jam desperatis hoc modo exhibet.

℞ *Succi acetosellæ* ℥ij.
succi citri ℥j.
diascordii ℨj.
species. cordial. è gemmis ℈ij.
aceti ℥j. m. f. Haustus, *Diemerbroeck.*

Habetur & *Diascordium Cornelii Gemmæ*: *Diascordium Fracastorii* correxit, aut immutavit, *Sylvius de le Boë.*

29. *Pulvis*) Pulvis quo usus est *Forestus* in Peste Delphica.

℞. *rad. dictamni, tormentillæ, boli Arm. veri præpar.* (præparatur lotione cum aq. scab.) *terræ sigill. veræ* ana ℨvj.
rad. gentian. petasit. beton. ana ℨij.
santal. ℨj.
ras. ebor. cort. citr. corall. r. ossis de c. c. rad. Zedoar. ana ℨß.
marg. purissim. been. utr. ana ℈ij.
fragm. 5. lap. pretios. ana ℈j.
succini, rament. unic. veri ana ℈ß.
fol. *auri & argent.* ana *n.* iij. *m. F. Pulv. tenuiss.*

Ad *præcautionem* dabam ℈ij. usque ad ℨj. modo cum *vino* diluto, modo cum *aq. exalid.* vel *scab. aut card. ben.* aliquando adjiciens *syr. de limon.* vel *acetos. citri.* In Peste ad curationem dabam ℨj. vel ℈iv. plus aut minus cum iisdem aquis & syrupis; at frequentius tantum dedi ℨj. idque calide ut sudor provocaretur, Interea imperabam ne dormirent, saltem per 4. horas ab haustu medicamento; Pauperibus dabam Pulverem *rad. petasit.* cum multo juvamine, Prædicto Pulvere usi sumus in peste Delphica, tam ad præcautionem quam curationem, in multorum salutem, Et quanquam hunc Pulverem pro maximo secreto habeamus, nefas tamen esse duximus ejus descriptionem nobis solis retinere. *P. Forestus. sch. ad obs. n6. lib 6.*

Non tacebo maximum & præstantissimum remedium, quod & præservat, & maxime curat omnes peste affectos de quo multi scripserunt & experientia comprobarunt tale.

℞. *Vitrioli albi præpar.* (i.e. *pulver. & ter insusi in aqua rosar. toties que ad solem exsiccati add. aliquid camphora*) *dictamni albi, rad. torment.* ana ℨij.
m. f. Pulvis tenuiss. Detur ad ℨj.
cum ℥ij.
aqu. rosar. vel plantag. vel acetosa, mane & vesperi. *Rod. à Fonseca cons.* 10. *Tom.* 2.

Pulvis sequens Hispaniarum Regis secretum esse dicitur.

℞. *Myrrhæ sel. mastichis. boli arm. terræ sigill. ligni aloes, caryophyll. maceris, croci,* ana *p. aqu. F. Pulvis, capiat singul. matut.* Platerus *Prax. Tom.* 2. *c.* 2. *pagina* 166.

Hoc insigniter, ac vi quasi momentanea semel admirabunde profuisse vidi.

℞. *smaragdi prap. lap. bezoart. or.* ana *gr.* vij.
hyacinth. prap. gr. iij.
m. f. Pulvis.

Porrectus fuit à me ex liquore convenienti mulieri febre Pestilenti correptæ, omnia alia remedia aversanti: Quo assumpto, abactis sævorum symptomatum seditionibus, & in salutem converso morbo evasit. *Raimundus Mindererus lib. de Pestil. cap.* 15. & 20.

29. *Pulvis ex &c.*) Ex simplicibus facile est varias parare Formulas E.g.

℞. *Theriaces Androm.* ℨj.
bezoart. min. ℨß.
camph. gr. vj.
aceti beZoart. q. s. f. Bolus pro una vice, expectando sudorem. Vel

℞. *antimon. diaphor. flor. sulph.* ana *dr.* ß.
sal. volat. viper. ℈j.
camph. gr. viij. *vel x.*
m. divide in ij. *partes æquales* pro *Pulvere* sudorifero. Vel

℞. *aqu. card. ben.* ℥j.
liqu. c. c. succin. dr. j. *ad* iß.
camph. gr. v.
syr. de scordio ℥ß.
m pro Haustu.

D. *Michael* cum successu usurpavit sequens Electuar.

℞. *spec. nostrar. alexipharm.* ℥iß.
pulv. Saxon. ℨiiß.
theriac. opt. mithrid. El. de ovo ana ℥j.
flor. sulph. dr. vj.
camph. dr. iiß.
ol. pestilent. Crollii dr. iß.
destill. succini, citri ana ℈j.
syr. de scordio q. s. f. Elect.

Hoc ipso multi milites ab eo conservati fuerunt. *Ettmuller.*

Mindererus Pulv. sequentem prædicat.

℞. *sacch. candi* ℨiij.
rx. albi ℨij.
camph. ℨij.
misce f. Pulv. dosis ℨj.
cum liquore idoneo: Hunc Pulverem calidiorem censeo ratione *Zinzib.* ad cujus imitationem sequentem composui, quo usus sum felici successu.

℞. *beZoart. min. dr.* iij.
salis prun. dr. ij.
camph. dr. j.
dosis dr. j.
cum *aqua card. ben.* aut liquore idoneo. *Riverius.*

29. *Pulvis ex &c.*) Innumeri Pulveres à Medicis describuntur, & singuli suo modo illos componunt.

Pulvis Foresti lib.6. obs.16. in scholio.

℞. *radic. dictamni, tormentillæ boli Arm. in aqua scabios. lota, terra sigill.* āā. ℥vj.
rad. gentianæ, petasit. betonicæ āā. ʒij.
santal. rub. ʒj.
rasur. ebor. cortic. citr. corall. rubri, ossis de corde cervi, radic. zedoar. āā. ʒß.
margarit. purissimarum, been utriusque āā. ℈ij.
fragmentorum v. lapid. pretiosor. āā. ℈j.
succin. ramentor. unicornu veri āā. ℈ß.
fol. auri, argent. āā. n. iij. Fiat Pulvis tenuissimus.

Dozis ad præservationem à ℈ij. ad ʒj. Ad curationem à ʒj. ad ℈iv. vel v. cum liquore idoneo.

Nos hoc Pulvere, *ait Forestus*, felicissime usi sumus in hac Peste, tam ad præcautionem quam ad curationem, Nefas esse duximus illius descriptionem retinere.

Pulvis celebratus à *Moibano*, *Cratone*, *Gesnero*, & aliis quem Saxoniæ Elector à rustico acceperat.

℞. *radic. valerianæ, hirundinar. urticar. minor.* āā. ℥j.
polypodii querc. angelicæ sat. sylv. āā. ℥ij.
althææ ℥j.
cortic. radic. laureolæ ℥iß.

Radices hæ effodiendæ sunt inter Augusti diem xiv, *& septembris* viij. *Incisæ imponantur ollæ vitreatæ, affundendo aceti tantum ne duobus digitis excedat: bulliant ad lentum ignem; deinde radic. siccatis ac pulverisatis, adde acinos herbæ Paridis n. 26. fiat Pulvis.*

Pulvis quo *Platerus* se usum esse scribit in Peste anni 1593.

℞. *Boli Armen. præpar.* ℥ß.
corall. rub. ʒij. *succini* ʒiß.
rasur. ebor. & cornu cervi āā. ʒß.
rad. torment. ʒiß.
dictamni, carlinæ, pimpinell. angelicæ, imperat. myrrhidis āā. ʒj.
cortic. limon. caryophyll. zedoar. āā. ʒß.
cinnam. ʒiiß. *semin. acetos.* ʒiß.
semin. cardui ben. angelicæ. ocymi, coriand. āā. ℥ß.
medullæ semin. citri ℈ß. *croci* ℈ß.
rosar. rubr. fol. verbenæ, rutæ, cardui ben. scord. āā. ℥ß.
galangæ ʒj.
spec. diarrhag. ʒj. *f. Pulvis.*

Si *camphora* ℈j. vel ʒß. vel ʒj. addatur tunc vis ejus erit efficacior, sed minus conveniet pueris & gravidis.

Pulvis *Cornelii Gemmæ*, quem pro summo secreto habet, & à Rege Hispaniæ haberi scribit.

℞. *Myrræ elect. mastich. boli Armen. terræ sigill. ligni aloës, caryophyllor. macis, croci.* āā. *part. aqu. f. Pulvis.*

Pulvis *Matthiæ Untzeri*, quem admodum extollit.

℞. *angelic. pimpinell. gentianæ, zedoar* āā. ʒiß.
enulæ, petasit. carlinæ aristoloch. rot. āā. ℥j.
herb. cardui ben. veron. verbenæ. scordii, melissæ āā. *p. j. rutæ, myrrhæ* āā. ʒß.
semin. citri, cardui bened. aurant. nuc. mosch. cinnam. caryoph āā. ℈j.
f. Pulvis subtilis.

Alius Pulvis ejusdem *Untzeri*, quem magnifacit.

℞. *baccar. junip.* ℥ß.
lauri, radic. angel. āā. ℈ij.
serpentariæ, gentianæ, tormentillæ, āā. ℈j.
folior. *scordii; rutæ,* āā. ʒj.
semin. acetosæ, cardui ben. citri, rutæ āā. ʒß.
rasuræ ebor. corall. rubr. præpar. terræ sigill. ossis de c. c. succini præpar. āā. ℈j.
myrrhæ optimæ, flor. sulphur. āā. ʒß.
Fiat omnium Pulvis subtilis.

30. *Ex smaragdi*) Ex fragmentis pretiosorum lapidum, præter *confect. de hyacintho*, varia alia antidota concinnantur, quorum tamen vires multi irrident, alii easdem suspiciunt, Inter alios lapides *Avenzoar* excellentem vim tribuit *Smaragdo*, adversus morbos venenatos. *Mindererus* l. de *Peste* c. 15. narrat se mulieri febre Pestilenti correptæ, quæ omnia remedia aversabatur, pulverem sequentem exhibuisse, quem sine odore vel sapore transglutire poterat, eoque assumpto, abactis sævissimorum symptomatum seditionibus evasisse.

℞. *smaragdi præpar. lapid. bezoart. orient.* āā. gr. vij.
hyacinthi gr. iij. fiat Pulvis.

Assentitur *Zacutus Prax. Adm.* l. 3. *obs.* 87. & alii nonnulli. *Hyacinthum* extollit *Crato Succinum Georg. Agricola.*

Ex his aliisque pretiosis lapidibus, Chymici multa præparant *magisteria*, *Essentias*, *Liquores*, *Olea* &c. *Erastus Disputat.* 4. contra *Paracelsum* multis argumentis probat lapides pretiosos nullam cardiacam vim habere, præsertim quod medicamenta quæ debent agere in corpus debeant actuari & dissolvi, lapides autem illi non dissolvantur, sed eodem pondere, & tales quales assumpti sunt rursus excernantur, Verum argumentationem hanc nullius momenti esse, præter gravissimorum Medicorum experientiam, etiam multorum lapidum, non occultæ modo, sed manifestissimę operationes docent, Nam *lapis aetites* femori alligatus partum promovet sicuti innumeri testantur; *Magnes* trahit ferrum, *vitrum antimonii*, absque substantiæ, ponderis, viriumque imminutione vires suas exercet; Ergo quorundam hominum vanitas non debet derogare fidem & authoritatem iis lapidibus, quos experientia à longo tempore demonstravit antidotalibus facultatibus esse præditos. *Diemerbroeck.*

30. *Pulvis ex Smaragdi*) Ex fragmentis pretiosis Pulveres concinnari possunt, quorum tamen vires multi irrident, alii eas suspiciunt, unde ab Arabum temporibus usque ad nostram ætatem variæ compositiones officinales ex iis paratæ inveniuntur; Verum in morbis venenatis smaragdum insignem vim habere prædicarunt nonnulli, *Avenzoar*, qui 2. *Teisir. tract.* 1. cap. 5. refert se ex veneno laborantem hoc solo remedio fuisse liberatum: *Mindererus* l. de *Pestil.* c. 15. narrat se mulieri febre pestilenti correptæ, omnia respuenti, Pulv. dedisse ex ℞. *Smaragdi* &c. (Vide in textu *Pulvis ex Smar.*) quo assumpto, abactis sævorum symptomatum seditionibus, in salutem protinus conversum fuisse morbum. *Zacutus obs.* 87. *l.* 3. *Pr. admi.* refert Nobilem Lusitanum diuturno alvi fluxu ex veneno assumpto laborantem, in tabem deductum, à quo affectu nullo abstergentium, adstringentium & alexipharmacorum usu liberari poterat, solo smaragdi usu liberatum fuisse, cujus pulverem sumebat in *conserva cydonior.* alternis diebus ad gr. xii. & cum quinquies assumpsisset à fluxu immune evasisse. *Riverius*

31. *Lapidis Bezoar*) Valde laudatur à *Rhaze* & à *Matthiolo*, sed recentiores plurimi nullam insignem illius effectum se percepisse asserunt, forsan quia verus lapis rarus est, promiscue tum orientales tum occidentales usurpantur, suntque alii ex Indiis allati, omnino veris similes, qui tamen nullam vim habent; multi factitii sunt; quicquid sit nullum unquam hujusce lapidis salutarem effectum videre mihi contigit, ut propterea mihi videatur in posterum ex antidotorum albo expungendus. Si tamen quis illi cõfidat, ut cõceptæ opinioni

satis-

ſatisfaciat, eo utatur à granis tribus ad xii.cum aqua cardiaca, ſcorzoneræ, flor.citri, card. ben. Sed temere non eſt illi fidendum, raro ſiquidem verus reperitur. *Primeroſius.*

Quid de lapidis bezoartici uſu in peſte cenſeam ſcire cupis? Scio quoſdam non uſque adeo magni facere medicamentum hoc præſertim in Peſte, Ego tamen illud, non ſolum in hoc morbo, verum etiam in variolis, morbillis, febribus malignis, imo & in contumaciſſima Quartana præſtantiſſimum eſſe, cum in memetipſo, tum in ægris meis non raro ſum expertus. *Fabritius Hild.cent 6 obſ.29.*

32. *Neſcio quid de Bufonum cadavere*) Hibernus *Butlerus* me conſcio Londini aliquot millia Peſte curavit; Iuſſit *Bufonem* magnum menſe Junio poſt meridiem captum, tibus ſuſpenderem prope focum, illique ſubtenderem patinam è cera flava, Tandem à triduo ſuſpenſionis Bufo evomuit terram, & aliquot inſectas ambulantes, nimirum muſcas nitentibus alis, ſubviridi colore quaſi deauratus, mox autem à vomitu Bufo obiit, nec ante triduum evomuit, licet pronus penderet; Dixit autem mihi quod ſat remedii haberem curandis 40. millibus peſte correptorum, promiſitque ſe mihi oſtenſurum rei cardinem, ſed repente in exilium proſcriptus abiit; Saltem ego has ſordes, vomitu rejectas, itemque exſiccatum Bufonis cadaver, ſeparatim in pulverem tundi juſſi, & cum tragacantho trochiſcos formavi; quibus feliciter uſus ſum tam ad præcautionem Peſtis, quam ejuſdem ſanationem: Dein Julio menſe, decreſcente Luna, veteres Bufones cepi, quorum oculi ſcatebant albis vermibus, nigriſque capitibus prominentibus, adeo ut uterque oculus totus in vermes transformatus eſſet, forte 50. numero in ſingulo oculorum foramine; Vermes erant denſe compacti, quorum capita foris eminebant, & quoties aliquis egredi conaretur, ſtatim Bufo appoſita manu egreſſum vetabat; Hos Bufones ad vomendum coactos, ut dixi, per ſuſpenſionem, reperi dare excellentiſſimum Xenexton, Vermes enim in patinam ceream deciduos, ſimulque cum eo quod per vomitum rejecit, in parvulos trochiſcos redegi, addito cadavere Bufonis & patina cerea; Geſtati autem Trochiſci ad mammam ſiniſtram, arcebant contagium, & loco inſecto alligati, ſtatim virus extrahebant, Erantque Trochiſci promptiores ac validiores, ſi in uſum aliquoties recidiſſent quam recentiores. *Helmontius lib.de Peſte.*

4. *Bufonum cadavere*) Memini me haud infrequenter in Germania ruſticos quoſdam obſervaſſe, qui quotquot in campis Bufones deprehenderent, eos mox ſtipitibus infixos Solis æſtu torrefacerent, pellemque ſervarent; Cum itaque facti rationem inſtantius urgerem, dixerunt ſe pelles Bufonum exſiccatas in tempus Peſtes conſervare, Hoc enim unicum iis domeſticum contra Peſtis virulentiam remedium ſupereſſe; ſiquidem ulceri peſtifero applicatis pellibus bufoniis, ſtatim ſe extraneo veneno à morte liberatos, *Athanaſius Kircherus lib. de Peſte.*

33. *Bufonum*) Ex *Bufonis* combuſti cineribus ſal cum *aqua card.ben.* vel *ulmar.* paratur, Dozis ʒß.*cum aq.card. ben.* ad peſtem per ſudorem, quem potentiſſime movet, omnem eliminandam prodeſt: *Joh. Petr. Faber Panchym. l. c.8. ſect. 2.* Bezoarticum animale ex *Bufone* paratum, ſummum eſt in Peſte & curativum, Sumitur *Bufo* recens & vivus, & eum nitro calcinatur æquali in pondere, præſervativum, & Pulvis hinc reſultans dicitur *Bezoardicum antidotum animale ex Bufone*: Idem *univerſ. ſup.libro 3. capte 1.*

Accipio *Bufones terreſtres*, eoſque aëri ſuſpenſus & exſiccatos, & poſtea in tegulam calidam collocatos, ut exſiccentur, Eos in pulverem redigo, ante tamen mortarium & piſtillum oleo Scorpionum inungo, ne pulvis nares feriat & cerebrum venenoſa qualitate feriat; Hujus *Pulveris accipio* ℥j. *fermenti* acris ℥iij. *theriac. opt.* ℥iß. *fol.rutæ vir.m.j.* Hæc omnia cum melle diligenter miſceo, & Buboni applico bis vel ter in die: Emplaſtrum hoc mire Venenum ex corpore ad ſe rapit: Idem facit integer Bufo exſiccatus Bubonibus applicatus. *Gul. Fabritius Hildanus. Cent. Epiſt.96.*

Pro providentia & curatione Peſtis ex contagio; Tumoribus & Bubonibus peſtiferis præ cæteris hoc laudatur,

℞. *ranam & bufonem exſiccatos reduc. in pulverem, huic*
adde gum. opopan. thur. ãã. ℥ij.
galbani ℥j. *ſerapini* ℥iv:
bdellii ℥iij.
affunde aceti roſac. q.ſ.coqu. & liqueſcant gummata,
adde camph. ol.ſulph. ãã. ℥j.
coqu.in ſartagine in formam pulmenti, & calidum applicetur Apoſtemati, iterando ſingulis ſex horis. Roder.à Fonſeca *conſ.47.Tom.1.*

34. *In horum uſu obſervandum*) Obſervetur I. Alexipharmacum repetendum ſæpius &c.

Quod ſi ſomno nimis infeſtetur, ſubinde ſpongia aut linteum *aceto vini* vel *roſaceo* nonnihil *camphorato* imbutũ naribus admovendũ, ut ejus odore ſomnus arceatur.

II. Ægrum ſudantem à ſomno debere arceri, Somnus enim impedit convenientem veneni per ſudorem expulſionem.

III. Dum ſudat æger, *ſumatur panis* parvus a furno calens, detrahatur cruſta inferior, excavetur circa medietatem aliquantulum; cavitas theriaces ʒij. repleatur; ac ita umbilico imponatur; Venenum enim à pane, ut vocant, extrahitur, quod alii faciunt ſi æger abhorreat à remediis peſte correptus, Accipiatur *panis ſecalinus* adhuc calidus, in cruſta inferiori fiat foramen quantitate imperialis, infundatur *ſpir.vini camphoratus* & ita dictus panis imponatur abdomini ut foramen reſpondeat umbilico, Sic æger incipiet ſudare, venenum vero pani ſe inſinuabit, qui propterea defodiendus eſt.

IV. Ubi adeſt *agrypnia*, aut ex hac *delirium* immineat, aut adſit nimia inquietudo, tunc ſubinde neceſſarium videtur *ſudoriferis* de *laudano opiato* addere aliquid, præſertim initio, ut ſymptomata coerceantur, & poſt ſudorem abſterſum blandus ſopor ſequatur, ſcil. leviter nonnihil abſtergendus eſt æger ne frigidior aër liberum offendat: Abſtergatur vero linteis probe calefactis, *ſulphure, ſuccino, thure & myrrha* ſuffumigatis.

V. Peſtis interdum conjuncta eſt cum *febre ardente*, hæc ſi adſit, & inſignis efferveſcentia totam agitaverit maſſam ſanguineam, minus commode *Mithridatium* aut *Theriaca* conceditur, eaque nonniſi *acidis* temperata propinatur, *Diaſcord.Fracaſt.* tutius tunc uſurpatur, quando *fixa antimonialia* & *ſalia lixivialia* uſurpantur; alias periculum eſt ne dum veneno reſiſtimus febrim nimis intendamus: Si vero cum Peſte *febris mitis* aut *nulla* adſit, convenientius illa theriacalia aromatica uſurpantur, ut debita ſanguini & corpori æſtuatio reſtituatur, & hujus medio expulſio promoveatur.

VI. *Acida* nunquam omittenda, quin eadem temperata nunc ſudoriferis addenda, nunc in ſudoris declinatione & poſt ſudorem propinanda, cum ægrum reficiant, & ſimul malignitati reſiſtant: His tamen ſemper aliquid ſudoriferi addendum, ut corpus, ſi non in perpetuo ſudore, ſaltem in perpetua diaphoreſi aucta plus minus conſervetur. *Ettmuller.*

34. *In horum uſu obſervandum*) In medicamentis ſemper eſt habenda ratio morbi, ſexus, ætatis, virium, regionis, & temporum, *Morbi*, ut alexipharmacis certioribus & potentioribus certiſſimum ſubſidium cordi afferatur; nempe calidioribus in ſubjectis pituitoſis, frigidioribus vero in bilioſis, & iis quibus febris atrox morbo conjũcta eſt, vel ſaltem frigidioribus cum calidis mixtis. *Sexus*, ut non

eadem dentur mulieri quæ viro ; inprimis quæ moschum, ambram, vel zibethum redolent; *Ætatis*, ut infantibus & pueris debiliora, minusque calida & ingrata quam adultis exhibeantur, *Virium*, ut nimiis sudoribus ægrorum vires non totaliter prosternantur; atque ægris debilibus talia alexipharmaca dentur quæ simul vires roborent: *Regionis*, ut longe calidiora & fortiora antidota & sudorifera præscribantur in frigida quam in calida, & sic de cæteris. *Temporum* ut in fervore æstatis, & quocunque tempore æstuoso, minus calida, hyeme vero ac frigidis tempestatibus, minus frigida offerantur. *Diemerbroeck.*

34. *Observandum*) Multi Medici tempore Pestis cubiculum lucidum & bene perflatum requirunt, cujus fenestræ Septentrionem vel Orientem spectent, quas paulo post Solis exortum, & ante ejusdem occasum aperiri jubent; ut perflatione aëris liberioris ac purioris cubiculi nidores expurgentur; Verum sicut ejusmodi cubiculum maxime laudandum est in præservatione sanorũ, ita minime probandum in curatione ægrorum (iis exceptis quorum pessimi halitus, & plurimorum excrementorum fœtores, aëris perflationem necessario exigunt) utpote in qua, præcipue duobus vel tribus primis diebus, cubicula clausa & tepida servare præstat, nam hac ratione corporis spiracula laxa & patentia servantur, atque ita malignæ perniciei per sudores & insensibilem transpirationem commodior exitus datur. *Diemerbroeck. c.6 l.3.*

34. *In horum usu observandum*) Cum *Heurnio* ingenue fateor quod in Peste nihil pestilentius mutis remediis. *Gregor. Horstius.*

34. *In horum usu observandum*) Cautiones in hidroticorum administratione vide supra §. *Curatio absolvitur.*)

35. *Theriacalia*) *Bezoartici miner.* efficaciam non tantum in febribus malignis, sed etiam in ipsa Peste præsentissimam observavimus, cujus ℈ß. ad summum, ita malignitatem pestiferam expugnasse recordamur, ut anthraces & bubones postea natura protinus superaverit. *Greg. Horstius T.2. lib 7. obs 30.*

Quoriescunque res in angustum adducta, ad mineralia confugiendum, quæ vi & armis hostem pestilentem foras projicere perhibentur, Inter quæ agmen ducunt *Bezoarticum minerale, sulphur auratum*, atque *aurum vita*, &c. *Nathanael Hodges l. Peste sect.7.*

35. *Theriacalia*) Chymici *Bezoartica* sua *mineralia* valde prædicant, quod sudorifica, aut saltem diaphoretica sint, nullam tamen calefaciendi vim habeant; idque probare contendunt ex insipido eorum sapore, ratione cujus etiam delicatioribus quibusvis ægris, & ingrata medicamenta respuentibus, facile possunt exhiberi: Laudant præterea quam vocant, *mixturam spiritalem*, vel *simplicem*, ex *aqua theriacali camphorata, spiritu tartari, & vitrioli* compositum, ejusque Ʒj. Julepis aut Potionibus alexipharmacis admiscent. *Riverius.*

36. *Theriacalia frigidioribus*) Medicamentorum diaphoreticorum varii sunt gradus, Alia enim calidiora, ut *angelica, zadoaria, dictamnum, theriaca, mithridatium, aqua theriacalis*, Quæ quidem nunquam exhiberi debent quando febrilis ardor maxime urget, sed tantum eo plurimũ remisso, & malignitatis signis valde prævalentibus: Alia vero minori caliditate prædita sunt, ut *scabiosa, carduus bened. ulmaria, scordium*, quæ tutius etiam vigente febre administrari possunt, Et hæc in usu practico maxime distinguenda sunt. *Riverius.*

In maxima virium ruina calida roborantia tantopere metuenda non sunt, ut febris augmentum metuentes ægrum ab imminenti mortis discrimine liberare nolimus: quandoquidem urgentis perpetuo major ratio habenda est, & refectis aliquantulum viribus, quod roborantia calida plus æquo inflammarent, refrigerantibus validis, ut *sale prunella*, & *spiritu vitrioli* in Julepis & Potu ordinario permixtis postmodum contemperari potest: Hæc methodus à prudenti Medico observata, non solum in roborantium, sed etiam alexipharmacorum & sudorificorum calidiorum exhibitione feliciter succedit. *Idem.*

37. *Theriacam*) Asserimus cum *Platere & Walæo* Theriacam sine opio confectam sudorem non movere, duplici ex fundamento, tum quod Opium sudoriferum esse quotidiana testetur experientia; minima nempe quantitate, uti datur, assumpta, ægros in sudorem blandum & copiosum diffluere; Si ergo Opium movet potenter sudorem ad gr. j. v.g. merito eandem vim exercet in theriaca id ipsum, siquidem hujus Ʒj. circiter gr. j. opii recipit, hoc vero ablato necessum est theriacam destitui virtute tam insigni sudorifera; Tum experientia, de qua illud vulgatum unam experientiam plus valere quã centum rationes: Hinc *Walæus* m.m.p.65. *Expertus sum*, ait; *hæc duo Electuaria*, (theriacam & mithridatium) *absque opio præparata, sudorem prorsus non movisse.*

Hinc Opiata inter Bezoardica reponi possunt, licet incomplete & cum aliis, quatenus insigne hoc habent beneficium, quod 1. in centro ligant fermentum febrile; Idque 2. ad exteriora profligare juvant, & sudorem una promovent, 3. Coagulum simul avertunt, 4 spirituum profligationem prohibent. 5. sanguinis & seri vincula quam accuratissime defendunt, modo provide in usum vocentur. *Wedelius.*

37. *Theriacam, mithridatium*) Deprehensa est mihi sola *Theriaca* in Pestilenti constitutione languentibus posse succurrere, cum nullum aliud præsidium tam magno malo ac ipsa resistere valeat &c. Theriacam tanquam ignem purificantem esse comperi: illos quidem qui adhuc sani illam præbiberunt, non permittere ut pestilentia prorsus capiantur; Illos autem qui jam ægrotassent sanare posse, tum aëris inspirati malignitatem immutando, tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo. *Galenus lib. de Ther. ad Pisonem c.16.*

Inter antidota plerique omnes primas facile tribuunt *Theriaca Andromachi & Mithridatii*, quæ duo medicamenta usque adeo præstant, & alia superant, ut sola præsenti usui satisfacere posse videantur; cum præter hæc nullum forte aliud remedium invenire liceat quod vehementissimo huic malo obsistere possit; quandoquidem illa, si quid aliud, pestilentem omnem fomitem & dispositionẽ, instar ignis mirandum in modum absumunt & extinguunt. *Alexander Massaria lib.2 de Peste.*

Quidam celeberrimi ac divini hujus medicamenti usum frivolis quibusdam argumentis è praxi medica exterminare nituntur, incusantes nescio quæ incommoda, & inprimis magnum ejus calorem; quasi vero ille admistis frigidis non posset attemperari, & sic tutius non foret calido medicamento malignitatem extinguere quam solo frigido calorem edomando, malignitatem relinquere, ejusque continuo ac citissimo, maximeque damnoso incremento nullis mediis obviam ire? Præstat bene inventis ac probatis uti quam novatum compositionum vires cum plurimorum periculo inquirere, idque in hoc pernitiosissimo morbo, in quo medicamenti periculum sine periculo facere non licet, quia *exitiales morbi*, inquit Galenus, *ne levissimum quidem errorem ferunt*, addo ego, quod neque temporis jacturam patiuntur &c. *Diemerbroeck.*

Inter recentiorum Antidota tria sunt maximi nominis, nempe *Electuarium de Ovo Maximiliani Imperatoris*, à *Quercetano* descriptum in *Alexic. c.5. ij. Theriaca Germanorum Monavii*, in Epistolis *Cratonis*, Et *Antidotus Mattholi*, de qua miranda tradit hic, *Præfat. lib. 6. in Dioscoridem.*

37. *Theriacam*) Quæ hac forma potest exhiberi.

℞, aquar. ulmar. card. ben. āā. ℥ij,

succi

succi limon. ℥ß.
theriac. vet. ʒß.℈ij. *vel* ʒj.
prout major vel minor calefaciendi metus est;
Misce f. Potio, sumenda tepide, corpus tegendo paulo plus solito.

Si magna sit vehementia symptomatum, recens *theriaca* magis conveniet, propter vires opii adhuc in ea vigentes, quarum ratione vehementia symptomatum temperabitur & humorum effervescentia coercebitur; Imo vero interdum, quando usus theriacæ non videtur idoneus, præcipue in morbi principio vel augmento, *laudanum opiat.* ad gr. ij. exhibitum, & alexipharmacis permixtum, multum prodest, Illius enim virtute narcotica & congelante ferventes spiritus, cordi infestissimi, figuntur quasi, & materia morbifica (quæ dum est in fluxu perniciosissima est) sistitur ac pene immota manet, Vnde contingit ut natura, à malignis humoribus & spiritibus non lacessita, recollectis viribus, alexipharmacorum virtutem facilius sibi applicet. *Riverius.*

37. *Theriacam*) Notandum quod docet *Gesnerus* l. 2. *Epistol.* Theriacam recentem veteri esse præstantiorem; efficacius veneni & pesti adversari; quod credo esse verissimum, quicquid dicat *Galenus* in contrarium, nisi hoc *opii* non ad caliditatem medicamenti refrænandam, sed ad sudores movendos à veteribus omnibus antidotis miscebatur, *Opium* siquidem & narcotica frigida esse sensibus adversatur. *Primirosius.*

37. *Theriacam, Mithridat. gravidis & pueris*) *Galenus* l. de *Ther.* ad *Pisonem*, c. 17. non censet temere illam pueris exhibendam, nec æstivo tempore, sed temperandam refrigerantibus, quamvis ostendat experientia felicissimo cum successu & illam & ejusmodi remedia laborantibus pueris præberi. *Primirosius.*

38. *A camphoratis*) Ex præcepto *Minderer*i, qui *Camphoram* maxime commendat in morbis pestilentibus, & tempestive datam plus prodesse asserit quam vel pretiosa quævis medicamenta bezoartica.

38. *Camphoratis* Ejus encomium describit *Mindererus lib. de Peste cap. 15. his verbis*, Nostris laudibus insigniter merito celebranda venit *Camphora*, non mirabile modo, sed & forte & efficax Pestis alexiterium; siquidem hæc assumpta, interno nostro calore mox ignita, & in corporis quasi meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosque tetro miasmate pollutos ac inspiratos, & circum præcordia hærentes exurit, & sicco plane igneoque calore pervadens, partim dissipat, ac expellit, partim combustione absumit, partim vero corrigit & emendat: proinde *Camphoram* inter fortissima Pestis alexiteria meritò reposuerim.

Crato lib. de Peste, & in Epist. Medic. *Goglenius* in *Loimographia*, *Camphoram* in curatione Pestis super omnia remedia extollunt.

38. *Camphoratis*) Inter alexipharmaca excellit *camphora*, unde & *Heurnius* oleo suo Pestilentiali, ex *oleo destillato succini, citri & camphora* composito ad guttas x. vel xv pro circumstantiarum varietate propinato, multa in Peste Veronensi præstitit; Hinc *Mindererus de Peste* inquit, Meo judicio *Camphora* plus virium in Peste obtinet quam vel pretiosa quælibet medicamenta: Sunt qui

℞. *camphor.* ℥j.
album. ovi ℥vj.
destillant per retortam, liquorem cum spiritu vini ebibunt pro alexipharmaco pestilentiali: Hinc & *spiritus vini camphoratus*, aut *spiritus vini theriacalis camphoratus* tam egregius est in his morbis: Vnde à nonnullis hæc duo remedia ab *Wirtzaro* de Peste præscripta extolluntur.

℞. *aqu. vitæ vel theriac.* ʒvj. *vel* ℥j.
croci ad quantitatem ciceris, camphora ʒß.
misce.

Infecto adulto detur totum, juniori dimidium, & superbibere poterit parum *aqua card. ben.* ad sudorem proliciendum, Vel alterum.

℞. *Theriac. Androm.* ℈ij. *vel* ʒj.
flor. sulph. ℈j.
camph. gr. xv. misce.
detur totum infecto, expectando sudorem; *Ettmuller.* De camphoratis remediis vide plura in Curatione.

38. *Camphoratis*) *Mindererus lib. de Peste c. 15.* sequentem *Pulverem Camphoratum* (quem etiam *Platerus* Prax. Tr. 2. describit) summis laudibus extollit.

Pulvis Camphoratus Mindereri.

℞. *facch. candi* ℥iij.
Zinzib. albi ℥ij.
camphora ʒj. f. Pulvis
Dozis ʒj.
com liquore conveniente.

Hunc maxime commendat in morbis Pestilentibus, si modo magni capitis & ventriculi dolores non adsint; Eumque plus prodesse asserit quam pretiosissima quævis medicamenta bezoartica; Eundem extollit Follinus in *Amuleto lib. 2. cap. 9.* Propter *Zinziberis* caliditatem sequenti modo emendat *Riverius*, quo se feliciter usum refert.

℞. *bezoart. miner.* ʒiij.
Salis prunell. ℥ij.
camphora ʒß. f. Pulvis.
Dozis ʒj cum *aqua cardui*, aliave conveniente.

Electuarium Camphoratum Cratonis.

℞. *scordii* ℥iij.
tormentillæ, dictamni albi, zedoar. gentianæ, angelicæ, caryophyllatæ ãã. ʒj.
croci, camphoræ. ãã. ℈ij.

Subtilissime pulverisata conspergantur *aqua cardui bened.* in qua dissolutæ fuerint *theriacæ* ℥ij. & cum *syrupo de succo cardui* fiat Electuarium, Id tanquam valde præclarum commendant posteri.

Pulvis Camphoratus Ejusdem.

℞. *radicis tormentillæ* ℥iij.
dictamni albi ℥ij.
ossis de corde cervi, santal. rubri ãã. ʒj.
camphora ℈ij.
misce Fiat Pulvis.

Dosis ʒj. cum liquore conveniente, A pluribus laudatur.

Electuarium Camphoratum Gemmæ.

℞. *Camphora part.* j.
Zinzib. albi p. ij.
facch. rosac. part. iv.
vini q. s. permisceantur sedulo, & fiat Electuarium.

Dosis ʒj. & coopertus æger componatur ad sudorem: Id experientia Patris, ac sua ipsius se efficacissimum vidisse asserit.

Electuarium Camphoratum generosius.

℞. *Camphora, dictamni Cretensis, scordii, radic. angelicæ, zedoar. cinnamomi. Zinzib.* ãã. ʒj.
nucis myristicæ ℈ij.
boli Armenæ ʒß.
semin. rutæ, macis, croci ℈j.
moschi gr. vij.
facch. albi, vini odorati ãã *q. s.* fiat instar Opiatæ.

Joh. Poppius camphoram in aceto dissolvit, & hujus

cochleare unum exhibet contra æstum à pestilenti veneno excitatum.

Aqua Pestilentialis camphorata Ioh. Hartmanni, quam in Peste anni 1611. plurimis insigniter posuisse refert.

℞. *Spiritus vini optimi* ℔j.
camphora selecta (*tempore æstivo* ℥vij. *&* ℈j. *hyberno vero* ℥x. *&* ℈ij.)
misceantur, incisa prius camphora, & statim solvetur sine igne, appende in nodulo *croci orient.* ℈j. hinc spiritus vini fiet aurei coloris: Aqua servetur in vitro capaci, nec pleno, sed quinta vel sexta parte vacuo.

Spiritus theriacalis camphoratus Matthiæ Vntzeri.

℞. *theriaca ant.* ℥v.
myrrha rub. ℥iiß. *croci or.* ℥ß.
spir. vini opt. ℥x.
inditis omnibus cucurbitæ vitreæ, impositoque alembico cæco, in cujus rostro prius sint positæ *camphora* ʒij.
stent in infusione per octiduum in loco calido, deinde fiat in B. M. destillatio, igne lentissimo, & sic habebis *spiritum theriacalem* subtilissimum.

Hunc dicit solum ʒiß. vel ʒij. pondere, cum cochleari *aqua card. ben.* exhibitum, sudorem ad miraculum prolicere, Idque se anno 1610. in Peste Hallensi non uno experimento compertum habere.

Mistura antipestilentialis ejusdem Vntzeri.

℞. *prædicti spiritus theriac. camphor.* ℥v.
spir. tartari optime rectif. super colcothar. vitrioli ℥iij.
spir. vitrioli opt. ʒiß.

Confusa invicem misceantur. Dosis in adultioribus ʒj. ad ℈iv. cum *aqua scordii* vel *cardui*, In Junioribus ʒß. ad ℈ij. plus minusve pro ætatis ratione.

Misturam hanc scribit superare, & longo spatio post se relinquere omnes alias aquas theriacales, seu pestilentiales, cæteraque quævis antidota, quocunque etiam nomine appellanda veniant &c.

38. *A Camphoratis*) Celebratissimus, & in Xenodochiis multa laude conspicuus est hic Pulvis Doct. *Hesso* adscriptus.

℞. *sacch. c.* ℥iij.
zz. albi ʒij.
camphora ʒj.
m. F. Pulvis, *dosis* ʒj. *ex liquore convenienti*: Ego pro *Zinzibero Zedoariam* substituerem: Sane *Camphora* mirabile est & efficax alexiterium Pestis, Et meo quidem judicio plus (tempestive data) virium obtinet quam vel pretiosa quælibet medicamenta bezoartica: Attamen in magnis *ventriculi* & *capitis doloribus* hac caute utendum; *Raimundus Minderetus lib. de Pestil. cap. 15. & 20.* In curatione plurimum potest *Camphora* cum *theriaca* vel *mithridatio*: Sed ne fortissimo quidem homini ultra tria grana *camphora* dentur, *Ioh. Crato consil. 23. l. 4.*

39. *A camphoratis ventriculo & capite &c.*) *Sennertus lib. 4. de Febr. capit. 6.* monet in *camphora ac camphoratis* exhibendis naturarum constitutionem esse considerandam, Iis enim qui infirmo sunt ventriculo, aut capite, vel qui alias camphoram aversantur, non convenire, sed alia potius medicamenta esse præscribenda, cum in maxima pharmacorum copia uni medicamento non adstringamur, imo sæpe utile sit mutare medicamenta, Addo ego camphorata medicamenta, aut odoramenta etiam non admodum convenire viris sanis ad præservationem, cum hoc in variis expertus sim, quod Camphora Venerem potenter extinguat, ab eoque incommodo, per camphoratorum medicamentorum usum contracto, varii mihi liberandi fuerint, Verum in ægris, in quibus ad periculosissimi morbi depulsionem quidvis moliendum est; illa indicatio omnino consideranda non est, sed ea prætervisa libere ad camphorata medicamenta procedendum. *Diemerbroeck.*

40. *Inter* XXIV. *horas ter medicamentum præbendum &c.*) Quemadmodum diximus de evacuatione Ventriculi & alvi, atque de sanguinis detractione, ea statim initio morbi, sive infectionis, antequam pestilens virus & spiritus & humores tinxit, eisdemque se in totum miscuit, molienda esse, ita & de Alexipharmacis assumendis statuimus, nim. ea statim initio morbi, ubi unum aut plura signa infectionis comparuerint, & intra quatuor horas, & antequam somno opprimatur æger, assumenda esse, nisi sanguinis missione sit opus; duabus enim post s. m. horis à medicamentis quiescere oportet, Nam si opportunum tempus in infectione prætereatur, & leviora pestis signa contemnantur, aut ad aliud morbi genus referantur, veluti vulgus facere solet, & ita argumentari, *Nullus adest Tumor, aut Bubo, aut Carbunculus, Ergo non adest Pestis, sed est febricula aut capitis dolor*, At certe tempore pestis omnis morbus, etiam ipsa ulcera suspecta nobis esse debent.

Si quis enim signa lethalia expectat, nempe halitum ægri fœtentem, vomitiones & alvi dejectiones nigricantes, vel bubonum anthracumque eruptiones, quæ mox evanescant, aut postliminio erumpant, iis & evacuatio frustranea est, & sanguinis missio noxia, & alexipharmaca assumpta parum efficere poterunt, quia venenum jam vicit Naturam, & mors triumphare videtur: Ex recitatis itaque sudorificis haustulus unus, isque tepidus ebibatur, & æger in lecto decumbens, probe obtectus vestibus, ad sudandum se componat, & per duas, aut ad minimum ad sesquihoram, sudet strenue, sudoremque subinde calidis linteolis sub ipsis stragulis abstergat; caveatque ne frigidi aëris appulsus, aut stragularum remotione, sudoris effusio impediatur intraque viscera expellatur.

Arceatur quoque æger sudans ne inter sudandum dormiat, & si somno vehementius infestetur, subinde spongiola aut linteolum *aceto* vel *vini* vel *rosar.* imbutum Naribus odorandum admoveatur, Sudore ita probe effuso, denuo mundis linteolis per totum corpus abstergatur, & novo indusio vestiatur, & in lectum novis linteaminibus adornatum deponatur, mundis cervicalibus suppositis, & si dormituriat æger, prius buccellam vino maceratam, saccharo & cinnamomo conspersam, corroborationis virium gratia præbeatur, & sic per unam vel alteram horam quiescere ac dormire permittatur; Qui ubi evigilaverit, tandem & remediis & alimentis spiritus vitales corroborentur. *Fr. Joel.*

Alexipharmacum repetendum sæpius; nec metuenda nimia virium prostratio, cum fere melius habeant dum sudant ægri: Interea remittente sudore analepticis acidis spirituosis & similibus refocillentur; etiamsi quoque bubo & anthrax sit magnus cum levamine, & utut petechiæ sint copiosæ, sudorifera tamen sunt continuanda ne fiat recidiva: Interim in sudore eliciendo texturæ ægri raræ vel densæ, virium infirmarum vel vali-

validarum, malignitatis majoris vel minoris sedulo habenda ratio. *Etmuller.*

41. *Sæpissime mutanda*) Medicus febrium malignarum curationi incûbens varia in promptu habere debet alexipharmaca, eaque per vices immutare, ne natura uni & eidem assidue usurpato nimium assuescat, illiusque vires contemnat; Adde quod non una & eadem semper est veneni natura, sed pro varietate corporum admodum diversa, ita ut quod uni profuerit alteri non conferat: Ideo postquam per aliquod tempus uno usus fuerit alexipharmaco, ad aliud & aliud transire erit utilissimum. *Riverius.*

41. *Sæpissime mutanda*) Qui infectus est, ne ulli remedio soli fidat, sed singulis, sex horis mutet. *Joh. Crato consil.23.l.4.*

42. *Aquæ*) Hoc in loco medicamentum plane regium, quod in pervetusto libro scriptum, ac valde commendatum reperi, vereque commendari posse puto, recensebo.

℞. *vini malvatici mens.* viij.
destillentur suavi igne per cineres octies, huic spiritui vini injiciantur rad. tormentill. serpentar. āā. ℥j.
angel. Zedoar. āā. ℥ß.
cortic. citr. cinnam. opt. āā. ʒj.
stent ita per biduum vel triduum in vase, bene clauso, locoque calido: deinde abjectis illis, prius expressis, *idque per linteolum triplex fusis, infundatur hic spiritus vini vitro, in quo imponantur hæc linteolo subtili ligata.*

℞. *sperm. ceti recentiss. ambr. el. rhei opt.* āā. *dr.ij.*
*moschi puri dr.*ß.

vas optime claudatur, & divinum medicamentum usui servetur, Ejus autem gutta una æstivo tempore cum *sacch. ros.* ad præservationem sumitur, Hyeme vero gutta una cum mica panis deglutitur.

Hæc etiam *Aqua* in *Præservatione* & *Curatione* Uratislaviæ & multis aliis locis profuit.

℞. *Carlinæ, zedoar. gentian. angel. tormentill. boleti cervini* āā. ℥ij.
trium santal. ℥j.
camphor. ℈j.
moschi ℈j.
theriac. opt. mithridat. præstant. āā. ℥iij.
affunde spir. vini ℔. iij.
Ubi per mensem integrum in loco calido, vitro bene clauso steterint, colentur per triplicem pannum lineum, Et in alio vitro optime clauso aqua ista usui servetur.

Hæc præstantissima Aqua, etsi ad Præservationem cum aliis commista, ut cum *aqua card. bened. scab. scordii,* sumi potest, tamen in curatione magis est illius usus: Hyberno tempore guttæ duæ vel tres sumi possunt: Pro curatione nihil esse efficacius duabus istis Aquis hactenus propositis, certissima mihi experientia edoctus persuadeo: prima aqua datur ad ℥j. cum aq. *card. scab.* vel *scordii,* addito pulvere sequ. ad ʒj.

℞. *c. c. unicorn.* āā. ℈j.
*terr. sigill. dr.*ß.
margar. splendid. smaragdi ignem sustinentis āā. ℈ß.
camph. gr. vij.
lapid. bezoart. gr. v.

Altera Aqua datur infectis à ℥iß. ad ℥iij. cum iisdem Aquis. *Joh. Crato consil.28 lib.5.*

Inter approbata pharmaca, quibus debellandi facultas à Deo concessa est, primas tenet Aqua illa *Theriacalis* clariss. D. *Stapedio* inventore, cujus tam *in præservatione* quam in *curatione* tanta vis est, ut nobilia quantumvis medicamenta multum superet, ac longo post se intervallo relinquat, Hæc est

℞. *Theriac. Androm. mithrid. Damocr.* āā. ℥vj.
pulv. Elect. de Bolo, apud Joubertum, *bezoart.* apud Nicolaum, āā. ℥ij.
aqua vitæ per balneum bis distillata, vini malvat. aceti rutac. āā. ℔j.
succi rad. pimpin. limon āā. ℥vj.
simul in balneo torido destillentur lento igne, stillatitio huic liquori in phiala conservato, immisce Ther. vet. ℥vj.
maneantque sic simul omnia ut in fundo theriaca quiescat.

Hæc Aqua quo vetustior eo melior existet; datur adultis ℥j. & ut ab ejus assumptione sudent præcipitur, iteraturque die sequenti, & tertio, quousque Bubo, aut Carbunculus eruperit; Aut is ipse maturior factus, vel apertus, sese expurgaverit, Junioribus dimidia dozis suffecerit: Quandoquidem vero hæc Aqua, ob magnam Theriaces quantitatem satis pretiosa est, ideo ejus Author aliam hac viliorem adstruxit.

℞. *Conditi pro familia Stapediana* ℔ij:
aqu. vitæ semel in Balneo extracta, vini malvat. aceti rutac. succor. rad. pimpin. limon. āā ℔j.
E balneo liquor evocetur, cui permisceantur *theriac. vet.* ℥iv.
resideatque per quietem in fundo Theriaca.

Datur paulo majore pondere si corpora robusta sint, alioquin æqualis usus fuerit

Conditi pro familia Stapediana descriptio.

℞. *granor. juniper.* ℥vj.
caricar. pingu. n. xij.
nucleor. nuc. jugland. ℥viij.
conserv. flor. borrag. bugl. āā. ℥ij.
theriac. vet. mithridat. opt. āā. ℥ij.
rad. torment. gentian. pimpinell. angelic. Zedoar. āā. ℥j.
cum syr. de limon. f. Conditum.

Ex *radic. bardanæ & vincetoxici*, una cum *cortic. fraxini*, liquor sudori eliciendo percommodus destillatione provocatur, quem *Aquam Bardanæ compositam* nominare consuevimus, medicamentum sane insigne, quo Clinici ac *Medici Genevenses* summa cum utilitate usi sunt, seseque ejus assumptione à pestilentis morbi insultibus tutos reddidere.

℞. *rad. bardanæ rec. vincetox. rec.*
cortic. median. fraxini āā. ℔ j.
minutim incisa infundantur horis xxiv. *in vini albi odoriferi & aceti rutac.* āā ℔v.
postea destillentur in MB. *addendo post destillationem liquori in excipulum transfuso olei sulphur. acidi rectific. q.s. pro manifesto acore, adjiciendoque in singulas libras camphoræ in nodulo ligata* ℈ß.

Raim. Minderetus lib. de Pestil. cap.15. & 20.

43. *Spiritus*) Inter quos eminet *spiritus cornu cervi* rite paratus, ac sale volatili probe acuatus, ad dr.j exhibitus; Egregius est in curanda peste, crebra experientia in Peste Londinensi confirmatur. *Etmuller.* Juvenem summa spirandi difficultas tenebat, arteriæ vibratio cessare videbatur, omnia ultimum spiritum languentis in labiis supremis enuntiabant, Exhibui *spir. c. c.* dr.j. cum ℥iij. *aqu. scordii* compos. morbo pertinaciter hærente: Post trihorium iteravi potionem, addendo *spir.* dr. j. & admota etiam erant vesicatoria: Semihora vix elapsa calor viguit, æger ab orco revocatus fuit: Tandem cum exitus in facili erat, ulcerum, in suris à vesicantibus excitatorum, decoloratione, necnon sensus abolitione, sphacelationem imminentem minitante, partibus affectis profunde incisis & scarificatis &c. hausto etiam bis de die medio memorato, res iterum in integro &c. *Hodges de Peste p.*184.

Spiritus Theriacalis.

℞. *rad. asari Virgin.* ℥ß.

contrayerv. ℥j.
tormentill. scorzon. petasit. āā. ℥j.
sem. card. calend. angel. citri āā. ʒiij.
præparatis affunde spir. vini, acet. opt. āā. ℔ß.
dissolve theriac. Ven. ℔ß.
adde croci Angl. ʒi *MS.* j.
indantur organo vitreo, & post octiduanam super cineres digestionem destilla, In rostro alembici suspendendo caphura ʒiij.

Dosis ad cochl. v. vel vj. *Idem ibid.*

Oleum Diaphoreticum.

℞. *salis absinth. vel scordii, sive rutæ* ℥ij.
flor. sulphur. ter quaterve sublimat. ℥j.
ol. junip. ℔j. *invicem misce,*

Per biduum calore mediocri bene occlusa relinque; dein per retortam distilla, digerendo per biduum, *addendo salis absinth.* ʒß. Dosis ad cochl j. vel ij. ex *aquis angel. vel scordii* saccharata ad olei v. a. c. commixtionem. *Idem ibid.*

43. *Spiritus*) ℞. *Torment. Petasitid. Pimpin. Angel fol. scordii, baccar. Junip. ana* ʒß. *infunde in spir. sambuci,*

Per dies aliquot macerata colentur pro *spir. Antiloimico*, cujus vires in curatione & præservatione non satis laudari poterunt. *Martinus Blockvvitzius Anat. sambuc. sect. 3. c. 19.*

44. *Maxime offerenda*) Cavendo à *Potibus spirituosis*, in specie *aqua & spiritibus theriacalibus, apoplectica* &c. Item ipsis *compositionibus theriacalibus*, quæ non adeo sunt convenientes, quia ad phlogoses disponunt, Unde superveniente Peste, vel graves inducunt febres, & in his gravia deliria, Aut igitur parum usurpanda, aut intermistis acidis temperanda. *Ettmuller.*

45. *A somno*) Accidit ut Peste correpti communiter in principio somno profundo indulgeant, quod malignitas ad cor retrahitur, ipsique infecti in summo vitæ discrimine versantur; quo tempore *ruta & acetum* naribus adhibeantur omniq; ingenio somnus excutiatur. *J. Horstius obs. 28. l. 7. observ. Gregorii Horstii.*

45. *A somno donec*) Interea dum sudores prima & secunda vice promoventur, somnus admodum noxius est, *Palmarius* quidem permittit quidem ut assumpto sudorifero ægri per duas horas dormiant, Verum ego in praxi hoc millies animadverti, si ægri ante peractum secundum sudorem dormirent, vires per somnum non modo non conservatas aut refectas fuisse, sed ægros semper adeo debilitatos & torpidos evigilasse, ut collapsæ vires vix unquam ulla arte restitui potuerint, & eorum, qui somno citius indulserunt, paucissimi servati fuerint: Videbatur per facultatis animalis quietem, spirituumque animalium minorem motum, cerebrum una cum corde fatiscere, sicque venenum pestilens minus impugnari ac discuti; quod ea de causa tempore somni virosum halitum magis magisque per corpus dilatans, tantum incrementum sumebat, adeoque reliqua viscera debilitabat, ut ægri evigilantes, viribus omnino prostratis, brevi succumberent. *Diemerbroeck.*

46. *Donec bis sudaverit*) Si à primo sudore non levetur æger, propterea statim non desistendum est, neque etiam cunctandum, sed rursus ad antidota confugiendum, eaque sæpius & majore quantitate exhibenda sunt, usque dum inde levamen percipiatur: Hoc ipsum *de theriaca & mithridatio* agens *Galenus l. 1. De Antid.* asserit, his verbis.

Mithridatica antidotus, item theriaca, non eam viribus habent post venena accepta quam ante sumpta habuissent; nam potior antidotus qua potius semel hausta tantum a morte quempiam præstitisset, ea venenum subsequuta, nisi ad quadruplum quintuplumque aucta, non juvabit, neque id semel tantum, sed bis singulis diebus hausta fuerit. Idem.

47. *Æger succo citri &c. reficiendus, Cibo refocillandus*) Cum Peste infectus cor & spiritus vitales omnium maxime periclitentur, velut milites in acie constituti, ne à continua pugna cum veneno Pestis succumbant, illis & remediis & alimentis convenientibus subinde succurrendum & opitulandum; Duplicia autem sunt corroborantia, Interna & Externa, In internis duo perpendenda, 1. ut eis semper admisceantur quæ seminariorum reliquias extinguere queant, 2. consideretur ægri temperies, calida sit vel frigida; quæ si calida sit, & calidos æstus circa præcordia sentit, crebrasque calidas exhalationes per universum diffundi corpus percipit, utatur sequ. Electuario.

℞. *Conserv. rof. borrag. bugl. pyror. moscat. condit. & minutim concisorum* āā. ℥j.
adde pulv. tenuiss. corall. r. boli Arm. veri āā. ʒj.
spec. diamarg. frig. ʒij.
sem. card. ben. acetos. āā. ʒß.
margar. præpar. vel in succo limon. vel aceto rof. solut. ℈ij.
syr. acetos. citr. q. s. f. Elect. capiat quantitatem semijuglandis crebro diu noctuque.

Aut sæpicule devoret *Rotulas* ij. *manus Ch. perlat. aut Diamargar. frig* Foris autem cordis regioni & manuum carpo subinde applicetur sequens Epithema, duplicatis linteolis exceptum.

℞. *aqu. rosar.* ℥vj.
nymph. violar borrag. āā ℥ß.
aceti rosat. ℥j.
spec. triasant. pulv. sem. acetos. āā. ʒij.

Vel conficiatur sacculus quadratus regioni cordis adaptatus ex sindone in quo sequentia insuantur.

℞. *rosar. purpur. m.* ij.
flor. nymph. citr. m. i.
pulv. santal. rub. ʒij.
spec. cordial. frig diamarg fr. āā. ʒj.
sem. acetos ʒß.
contusa misceantur, ac cum Epith. præscripto irrigentur & admoveantur.

In frigida vero constitutione corporum, ut pituitosa, & utplurimum fœminarum, quæ nullas sentiunt febrium reliquias, nec calidas evaporationes, sed ponus ventriculi cruditatibus laborant, iis sequentia exhibeantur & applicentur.

℞. *cortic. citr. cond. Arant. cond.* āā. ℥j.
conserv. rorismar. borrag. melissæ āā. ℥ß.
pulv sem. citri excortic. & tenuiss. concis. ʒij.
pulv. cinnam el. ℥j.
caryoph. ℈j.
corall. r. margar. āā. ʒß.
spec. aromat. rof. ℈j.
adde ol. cinnam. gtt iv. *ol. vitr.* ℈ß.
cum q. s. syr. citri cond. Fiat. Elect. cujus sæpe detur ægro avellanæ quantitas: Aut bis in die coch. j. aqu. cinnam.

Foris autem imponatur sequens Epithema.

℞. *Aqu. meliss. borrag. bugl.* āā. ℥ij.
vini malvat. vel canar. & aq. rorismar. āā. ℥j.
succi citr. mali ℥ß.
aqu. cinnam. ʒiß.
spec. diambr. ℥j. *misce f. Epithema.*

quod linteolis exceptum cordis regioni & carpis manuum applicetur: Hoc ipso liquore & nares confricentur, aut hoc irrigetur sequens sacculus.

℞. *Melissæ m.* j.
rorismar. basil. āā. *m.* ß.
Pulv. caryoph. cinn. m āā. ʒß.
cort. citr. ʒ. iß.
sp. diambr. dr. j.
misce, & syndoni consuantur fiat Sacculus.

Plurimum

Plurimum quoque corroborat, in calidis corporibus & æſtuantibus præcordiis ſi orificium ventriculi bis in die ante alimenti aſſumptionem ſequ. Linim. inungatur.

> ℞. *Ol. roſ. nymph. cyton.* ãã. ℥ij.
> *ceræ alb. q. ſ. redigantur in linim. formam, ac tandem eluantur ter cum aqu. roſac. ac poſtremo cum ſucco citri vel aceto roſac. cui deinde admiſce tenuiſſ. pulv. corall. r. præp.* ʒj. *f. linim.*

In frigidis vero corporibus ventriculi orificium inungatur aut *oleo è nuc. moſch.* cui parum *ol. caryoph.* ſit adjectum, aut ſequenti Linimento.

> ℞ *Ol. maſtich. nard. menth.* ãã ℥ij.
> *ceræ q. ſ. f. linim. quod eluatur aut cum aq. junip. aut aqua cinnam. ac deinde admiſce tenuiſſ. pulv. maſtich. caryophill. & corall. r.* ãã. ʒj. *f. ung.*

Etſi præſcriptis remediis ſpiritus vitales, cor ac reliqua viſcera plurimum corroborari certum eſt, tamen nihil magis univerſam Naturam & omnia viſcera corroborat quam *Alimenta* convenientia aſſumpta, ſed quia utplurimum appetentia proſternitur in Peſte, præſertim in puerulis & fœmellis, iis pro alimento ſubinde offerenda eſt *Aqua ſtillat. caponum*, cum cujus carne, & conſervæ & ſpecies paulo ante enumeratæ commode deſtillari poſſunt.

Reliqua infectorum alimenta, cum pro cujuſque conditione ac fortuna liceat, debent eſſe optimi ſucci & facilis concoctionis: Cum autem alii acidis, alii dulcibus magis delectentur, ad palati cujuslibet palatum debent præparari: In genere autem convenientiſſima ſunt infectorum alimenta *cremor hordei, avenæ*, aut cum ſaccharo paſſuliſque dulcoratus, aut aceto vel omphacio conditus: Præſtant enim acida dulcibus ad veneni extinctionem.

Omphacia autem cum alimentis cocta, ſua quadam proprietate ſpecifica extinguunt reliquias ſeminariorum peſtis, & ventriculi corroborationem appetentiamque excitant: Ideoque commodiſſime cum omnibus ferculis concoqui poſſunt: Item conferunt infectis quoque ova recentia ſorbilia, in quorum luteo commode *corall. rubri pulvis margarit.* & *macis* immiſceri poſſunt.

Conferunt & juſcula ex ovis & cereviſia; item juſcula pullorum, & eorum caro contuſa; item juſcula carnium bubolarum cum omphac. aut aceto condita: Oryza quoque in jure gallinæ aut carnis bovillæ coctæ: item pruna Hungar. acida, lac amygdal. ex carnibus pullorum, perdicum & avicularum montan. cum aceto aut omphacio & pauco croco condit.

Ex Piſcibus laudabiles ſunt ſoleæ, lucii & percæ aculeatæ, conferunt quoque poma pyraque aſſata, aut in pulmentum cocta, Potus infectorum convenientiſſimus eſt cereviſia clara & palato grata; Verum ſi calor febrilis in infecto nondum eſt ſedatus, *Aqua hordei cum cinnam. cocta*, quæ fervens per *conſervam. Roſar. Borrag. & Nymph.* percolata eſt & refrigerata. *Fr. Joel.*

48. *Succo citri*) Adverſus venena *pomis citreis* maxima alexipharma vis ineſt, quod *Athenæus* confirmat hiſtoria cujuſdam hominis in Ægypto, qui morte damnatus aſpidum ſerpentum tyrannidem experturus erat: huic, cum ad ſupplicium duceretur, mulier commiſeratione ducta, citrea poma ad refectionem & ſitim compeſcendam obtulit, quibus reus comeſtis nihil à lethalibus virulentarum beſtiarum ictibus noxæ perſenſit, Præter Athenæum omnes etiam Medici unanimiter *citreorum* vim atteſtantur & extollunt; eaque in Peſte plurimum prodeſſe ab experientia docent: *Virgilius* hanc ſic exprimit 2. Georgicorum.

> *Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem*
> *Felicis mali, quo non præſentius ullum*
> *Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ*
> *auxilium venit, ac membris agit atra venena,*

Omnes autem *mali citrei* partes antidotalem vim obtinent, nempe ſuccus, ſemen & cortex; inprimis autem exterior corticis flavedo; ideoque nos tota Poma in taleolos diſſecta cibis incoquimus, & potibus ordinariis immiſcemus, ut iis alexipharmaca vis à tota citri ſubſtantia, aciditas & refrigeratio à ſucco, fragrantia à cortice concilietur, *Diemerbroeck.*

Oleum corticum citri antidotum eſſe *Fungorum*, qui ſtrangulando enecant, ait *Sanctorius* in methodo vitandorum errorum.

49. *Succo citri, aqua card. ben.*) *Duncanus Liddelius*, 3. *de Febr. c. 6.* duas Potiones gratiſſimas præſcribit, quarum prior hæc eſt.

> ℞. *limaturæ cornu cervi* ℥ß.
> *ſantali citri, cortic. citri, cinnam. electi,* ãã. ʒj.
> *aquæ puræ fontanæ* ℔. ij.
> *coquantur lento igne ad tertiæ partis conſumptionem,* colaturæ admiſce *ſucci limonum* ℥iß.
> *ſacch. albi* ℥iß.

leviter bulliant & fiat Potio clara.

Poſterior ſic ſe habet.

> ℞. *aquæ hordei* ℔iij.
> *aceti vini optimi, ſucci acidi citri* ãã. ℥iß.
> *ſacchari* ℥ ij. *Fiat. ſ. a. Julep.*

Cujus aciditas pro voluntate ægri augeri vel imminui poteſt.

50. *Finito ſudore &c. cibo æger refocillandus*) Cum in Peſte ſpiritus vitales admodum corrumpantur & diſſipentur, poſt uſum ſudoriferorum (quæ omnibus poſthabitis in principio morbi aliquoties ſunt exhibenda) liberaliore, euchymo & cardiaco victu ægri recreandi ſunt: Sic quoque *Avicenna & Rhazes* cibis affatim nutrientibus, acidis omnibus, ne concidat appetentia, peſte correptos reficere, imo invitos ad cibum capiendum cogere jubent: Etiam ſcribit *Avicenna* ſuo tempore à peſte tantum evaſiſſe illos qui viriliter edebant & bibebant, quod ipſum à ſe quoque obſervatum ſcribit *Hippocr. 3. Epid.* Refert quoque *Galenus in comm.* in conſtitutione quadam maligna eos duntaxat evaſiſſe qui multum cibi ſumpſerant.

Verum obſtare videtur *Hippocr. 1. aph. 9.* qui in Acutis victum tenuem inſtituere jubet; Dico *eundem ibidem*, expreſſis verbis jubere ut conſideretur an ne æger cum tali victu uſque ad vigorem morbi pervenire poſſit, quod ſi virium lapſus ante ſtatum futurus animadvertatur, vel metuatur, quod in Peſte cittiſſime fieri ſolet, ut tunc copioſiore alimento reſtaurentur: Hinc *Julius Palmarius l. de Peſte c. 16.* etiam ſuadet ægros paulo copioſiore alimento alere. *Diemerbroeck.*

51. *Cibo æger refocillandus*) Toto curationis decurſu, Et in quibuslibet febribus malignis, virium ratio maxime eſt habenda, quæ venenata qualitate valde dejiciuntur, Eæque fulcientur *Juſculis* convenientibus, ex decocto caponum paratis, quibus urgente neceſſitate jura carnium ſtillatitia addi poterunt, ac præcipue *aqua caponum* per deſcenſum in Mar. Balneo parata, ut hodie vulgo fit. *Confectio de hyacintho* in juſculis vires recreat & malignam qualitatem oppugnat: In iiſdem Juſculis *gelatina cornu cervi* utramque etiam indicationem implet. *Riverius.*

52. *Refocillandus*) Labentibus omnino viribus ad *confectionem alkermes* licet confugere, modo febrilis calor non vehementer urgeat: *Vinum* omnium cardiacorum potentiſſimum eſt, cujus ſolus odor vires admodum recreat; & multo magis *fruſtum panis aſſatum in vino odoro & aqua roſarum* maceratum & naribus oblatum: Tum etiam *conf. alkermes & de hyacintho* potionibus alexipharmacis admiſceri ſolent, vel in maxima virium debilitate

Potiones mere cardiacæ fieri possunt.
℞. *aqu. napha, rosar.* ãã. ℥iß.
conf. alkerm. ʒj.
syr. de pomis ℥j.
ſucci limon. ʒiij. *f. Pot.*
Si febris non sit intensa *aqua cinnam.* à ʒj. ad ʒiij. addi poterit, & interdum *ambra gr. ad gr. vel* vij.
Riverius.

Pestilentiæ junguntur [53]. *Bubo*, [54]. *Carbunculus*, [55]. *Febris ardens*, [56]. *Bubo* [57]. *securior* est, si major & eminentior, si statim in initio, & in inguinibus erupit, *Periculosior*, si lividus & niger, si sub cute delitescit, si circa collum, vel sub alis tertio vel quarto die erupit. [58]. *Periculosissimus*, si virium debilitate manente [59]. evanuit.

Delitescens [60]. foras eliciendus est, aut [61]. cucurbitulæ affixione, aut catapl. ex rad. Raphani & scrophulariæ [62]. major. cum pauco salis & aceto.

Eminens ad ignobiliores partes detrahendus est à collo ad volam manus, ab inguinibus ad plantam pedis. Inservit hic [63]. *Cataplasma* ex radic. *scrophul. glandul. major.* unc. ij. Radic. *Raphani* unc. 1. contusis, & admistis fermenti acerrimi unc. ij. cum aceto vini coctis, formatum, & aut volæ aut plantæ pedis ejusdem lateris impositum, & ter aut quater per noctem renovatum.

[65]. *Fixus* 1. Cucurbitula cum magna flamma, [64]. absque ulla cutis incisione, sæpius attrahatur.

2. Avulsa cucurbitula [65]. *Cataplasmate* [66]. maturante & [67]. attrahente, ex radicibus *scrophul. sale, sapone nigro, fermento* acri, in aceto coctis, tegatur.

3. Post horas sex, cucurbitula iterum affigatur, & cutis scalpello convulneretur.

4. *Cataplasma* maturans & attrahens, vel ex *capa magna* excavata, Theriaca repleta, & in cineribus ad mollitiem decocta, vel ex *corticibus med. sambuci* cum flore lactis coctis & cum fermento mistis, iterum per noctem imponatur, & sæpè renovetur.

5. [69]. Tumor altero die in inferiori parte vel [70]. incidatur, vel rumpatur, sanies exprimatur; & [71]. mundificativum emplastrum ex *Terebinth.* aqua *scordii* elota, cum melle rosaceo apponatur.

53. *Pestilentiæ junguntur Bubo, Carbunculus &c.*) Venenum Pestilens, cum sit aëreum & subtile, corpus humanum subiens, ob substantiæ tenuitatem plerumque in pulmones adducitur, facillime ac citissime venenatam qualitatem inprimit sanguini arterioso, à dextro cordis ventriculo in Pulmones impulso, qui ista labe infectus ad sinistrum cordis ventriculum descendens, vitalitatis arcem impugnare ac labefactare incipit; Huic cor se statim opponens fortiter cum eo colluctatur omnesque vires intendit ut hostem quam citissime expellere & longissime à se ablegare possit.

Hoc venenum, si paucum ac debile, & solummodo tenui seroso vehiculo junctum fuerit, interdum vel solius naturæ vi, vel medicamentorum tempestivo subsidio, brevi temporis spatio cum sudoribus per poros cutis expellitur & dissipatur antequam sanguinis massæ aliqua pars ab ejus contagio corrumpatur, atque tunc unica forti sudatione ita restituuntur tales infecti ut nullum mali vestigium relinquatur.

Si vero venenum fortius, & ipsius cordis penetralia ingressum fuerit, eique firmius inhæserit, tunc ab ejus infesta qualitate stimulatum viscus, istius veneni quam maximam potest partem longissime à sese, qua data commodiore via, dispellit, eamque interdum cum impetu, una cum seroso lymphatico vehiculo, ad axillarum glandulas (quæ vulgo dicuntur esse cordis emunctoria) deponit, antequam ab ejus contubernio aliqua sanguinis arteriosi pars in arteriis majoribus notabiliter corrumpatur; quæ in iis insigni acrimonia salsas lymphatici influentis liquoris particulas, cum effervescentia quadam figendo (sicuti aquæ tartari particulæ salsæ affusione pauxilli olei vitrioli, illico cum effervescentia quadam figuntur, & coagulantur) insignem dolorem, & propter impeditum earum profluxum, conspicuum Tumorem faciunt, quem *Bubonem* appellant Medici.

Reliquam veneni partem Cor quaquaversum à se dispellere, & quam celerrime potest è suis & arteriarum limitibus ad alias partes exturbare nititur, antequam ab istius infensi hospitis contubernio, & ipsum, & ipsius proximum nutrimentum, vitæque fulcrum, sanguis spiritusque vitales corrumpantur & extinguantur: Hanc fortem expulsionem etiam molitur per arteriam aortam, in quam sæpe magna hujus pernitiosi veneni pars deposita, una cum arterioso sanguine cui immiscetur, sursum ad cerebrum ascendit per arterias carotides, in eoque varia symptomata excitat.

Ab hujus veneni malignitate gravatum cerebrum cum suis membranis, illius quam maximam partem ad glandulas in faucibus, & pone aures deponit, quæ in iis salivalis liquoris fixationem cum effervescentia inducens, tumorem dolorosum facit, ut sub axillis fieri dictum: Sæpe etiam cor magnam istius veneni partem per ejusdem aortæ arteriæ ramos descendentes ad inguinum glandulas propellit, quæ & ibi *Bubones* excitat.

Si vero venenum illud acerrimum sit, & à corde per arterias aliquas, una cum sanguinis parte cui inhæret, ad cutem propellatur, in eaque nonnihil subsistat, quocunque loco substiterit, caustica & deleteria sua vi particulam, quam occupat, adurit instar cauterii potentialis, & mox unam pluresve vesiculas (quales per ambustionem etiam oriri solent) in ea excitat, sicque illam enecando *Carbunculum* facit, Quia autem venenum illud cum sanguinis, cui inhæret parte, à corde huc illuc, qua data porta, propellitur, hinc fit quod non semper in uno, sed multoties in diversis corporis partibus *Carbunculi* excitentur: Si vero non ad cutem, sed ad aliqua viscera hæc veneni propulsio fiat, tunc in iis Carbunculi oboriuntur, gravium symptomatum causæ, & ægris lethales, quales interdum in membrana pleura, ventriculo, intestinis, pulmonibus, renibus, generari docet usus.

Notandum tamen Carbunculos non semper hanc internam causam habere, sed interdum etiam, licet rarius, à fomite aut contagio extrinsecus in cutem incidere, eoque mediante nonnihil viscoso vehiculo adhærente excitari, atque tales sæpe curriculum suum absolvere sine ulla notabili cordis læsione; præcipue in talibus

hominibus

hominibus, quibus cor validum est: Fiunt igitur Bubones & Carbunculi à veneno pestilenti quod Cor ex sese per arteriarum capacitates ad alias partes expellit.

In quo expulsionis opere si cor, vel ob summum veneni acumen, ejusve firmiorem inhæsionem, vel ob propriam debilitatem, aliudve impedimentum diutius occupetur, neque satis cito & fortiter sese expedire possit, facile multæ spirituum vitalium (i.e. subtilissimæ sanguinis arteriosi particulæ) ante veneni ex arteriis egressum, sine putredine corrumpuntur, & quasi extinguuntur, atque tales cum reliquo nutritio sanguine ad frigidiores partes, nempe membranas, tendines, ligamenta & periostea delatæ, ob earum subfrigidam constitutionem, mox in iis paulo crassiores evadunt, summamque mobilitatem deponentes, ex illis partibus pyramidali forma, à latiori basi paulatim versus cutem in acumen ascendunt (instar fumi lampadis recens extinctæ) musculorum aliarumque intermediarum partium substantiam porosam, ob aliqualem superstitem tenuitatem, insensibiliter transeuntes, usque dum ad cutem perveniant, in qua ob externum frigus nonnihil condensatæ, & à cuticulæ densitate retentæ, magis constipantur, & *Maculas* illas constituunt, quas *Exanthemata* appellamus.

Quæ maculæ majores vel minores, & hujus vel illius coloris sunt, pro ut magis minusve corrupti sunt illi spiritus arteriosi, & majore vel minore quantitate, partium calore magis minusve sursum, seu versus cutem feruntur: Plerumque autem sunt coloris obscure purpurei, & exacte rotundæ, granum piperis majusculum vel etiam parvum, in circuitu magnitudine referentes: Aliæ formæ aliique colores non tam communes & frequentes sunt, quamvis interdum etiam inveniantur.

Tamdiu autem per alias intermedias partes corrupti illi spiritus arteriosi versus cutem, ascendunt quousque a partium calore propellantur, quo deficiente, mox in partibus quasi coagulati subsistunt, suique coloris maculas in illis relinquunt; quæ in cadaveribus pestif... rum dissectione non minus intus quam foris inveniuntur, & plerumque ab aliqua membrana, ligamento aut periosteo, latiore basi in acumen versus cutem assurgere comperiuntur: Interim quia partibus, quibus inhærent, nullam molestiam aut corruptionem inferunt, videtur Venenum quod dictos spiritus corrupit in iis esse extinctum & emortuum, eæque sine veneno esse. *De Diemerbroeck c.14.*

54. *Bubo, Carbunculus*) Quia *Bubonum, Anthracum* meminimus, eorum causas & modos fiendi perstringamus, quia sunt Febris Pestilentis symptomata, & Pestis, sicut & Exanthemata, Ecthymata & Pustulæ malignæ: Super his in communi asserimus quod sint omnia sanguinis & succi nervosi veneno pestifero tactorum, & per partes in circuitu coagulatorum, & putredine varie affectorum producta, siquidem spiritus in utroque liquore, præsertim in sanguine residui, non cinus malignæ luis afflatu profligantur, quo liquori residuo, non secus ac lacti acescenti, aut succo acido perfuso, coagulatio inducitur, quare portiones ejus veneno gravius tactæ cito grumescant, & instar sanguinis extravasati cum nigredine corruptionem patiantur; unde statim in vasis & corde sanguinis reliqui motum præpediunt, ipsumque ratione fermenti sui plus coagulant: quicquid vero coagulatione in grumos concrevit, ni statim foras ejicitur, cruoris circuitum inhibendo brevi mortem accersit, atque ex ius ad ambitum corporis protrusum inter angustos vasorum anfractus in motu sistitur, & vel spiritu prorsus destitutum, velut sideratione percussum, πορφύρα sua vibices & stigmata nigra, aut purpurea producit, aut propter Sal & Sulphure fermento pestilentiali exaltata, & novas res affectantia, in tumores varii generis concrescit.

Carbunculus, sive *Anthrax*, est tumor igneus cum pustulis circum se acerrimis & ardentissimis, doloreque acuto ægros infestans, qui variis in locis indiscriminatim emergens minime suppuratur, verum latius in ambitum serpens carnem exurit, ejusque corruptæ tandem lobos excutit, & ulcus cavum velut escharotico inustum relinquit. Anthracum generatio videtur ad hunc modum fieri, cum in sanguinem sua natura retorridum miasmata venenata impingunt, portiones ejus congelatæ in superficie corporis defiguntur, ibidemque loci, quia sanguinis motus paulum impeditur, tumor primo exiguus inducitur, qui postea, fermento maligno se statim latius explicante, sensim adauctus in viciniam serpit: suppuratio minime succedit, quoniam materia extravasata, & stagnans haud leni calore coquitur, & digeritur, verum ob particulas sulphuris efferati, una cum sale evecto, in tumoribus hisce congestas, & propter stagnationem à mixtione statim exsolutas adustio excitatur; velut si cauterium esset parti affixum, carnium velut eschara obducta excisarum frusta & lobi decidunt, quia venenum corrosivum musculis impactum, non tantum superficie tenus, verum ipsos transversim per totam substantiam corrodit; quare priusquam tota absumatur caro, membranis quibus involvuntur excisis, frustum aliquod à reliquo velut abscissum decidit: Carbunculus sæpe unus sæpe plures oriuntur, interdum solitarii sunt, aliquando Bubonem habent comitem.

Bubo Pestilens in locis tantum adenosis prosilit, in cujus molem non tantum sanguis à veneno congelatus, & per arterias advectus, verum & succus nervosus illic congestus & in venas regerendus redit; Quoniam hic Tumor ex succis minus retorridis, & in parte frigidiore contingit, ideo suppurationis particeps est; Et enim materia sensim congesta cum (spiritu vitali ob stagnationem deciduo) sanguinis formam amiserit, à particulis salis & sulphuris exaltatis, & in tumore cohibitis, diuturna concoctione in pus convertitur.

Quod vero in Adenibus tantum hi tumores contingunt, ratio est, non quod destinatione quadam Naturæ morbi fomes ad has partes defertur, sed cum miasmatis virulenti particulæ ubique passim in cruore & succo nervoso scatent, illic promptius, velut in communi foco, aggeruntur, ubi & sanguis ad arteriolarum extrema delatus difficulter & non ita prompte suscipitur ac refertur à venis, & una succus alibilis à nervis in venas referendus deponitur; horum utrumque circa Adenes fieri experientia, & oculatis Anatomicorum observationibus liquido constat: quare cum in his partibus utrique humores contagii pestilentis seminibus efferti simul convenerint, propter virulentiam ab utrisque hic depositam malignitatis velut nidus conflatur.

Exanthemata, Ecthymata, Maculæ purpureæ, respectu venenositatis ejusdem sunt cum tumoribus modo descriptis farinæ: Verum in his virulentiæ productæ in minori consistunt mole, cum majori tamen periculo; ob veneni semina magis dispersa: Cruoris coagulati portiones exiliores in cute defixæ phænomena hæc minora constituunt; quare ex his nonnulla in papulas aucta suppurantur, alia ob sanguinis corrupti necrosin quandam, sive siderationem, in vibices & maculas purpureas concrescunt. *Willis lib. de Febr. c.13.*

55. *Febris ardens*) Inter symptomata quæ Pestem comitantur, communissimum est Febris maligna Pestilens, quæ utplurimum gravis & periculosa existit: Hanc nos durante hac constitutione, eodem fere modo sicut ipsam Pestem tractavimus, & sudorifera atque antidota ad illius curationem maxime profuisse observabimus, dummodo abstineremus à calidioribus, vel si iisdem uti placeret, alia frigida, ut acetum, succum citri &c.

admisceremus, *Purgationes* autem & *venæ sectiones* ad hujus febris curationem maxime noxias fuisse animadvertimus, imo paucissimos, qui vel alterutram, vel utramque administrassent, evasisse, sed fere omnes, superveniente magno alvi profluvio, & cordis summa anxietate, viriumque extrema defectione, extinctos fuisse notavimus.

Febris hæc, quia malignam humorum putredinem, à veneno pestilenti inductam sequebatur, duos curationis scopos exigebat 1. Veneni pestilentis (à quo maligna illa putredo oriebatur) extinctionem, 2. Ipsius putredinis sublationem: Utriq; autem scopo satisfiebat per antidota & sudorifera, utpote quæ veneno pestilenti simul, & omni putredini potenter resistebant.

Præter antidota superius memorata, speciatim ad hanc febrem scribit *Prosper Alpinus* Ægyptiis familiariter in usu esse hunc Pulverem.

℞. *scordii, chamædryos femin. citri*
aristolochiæ longa, zedoariæ.
dictamni Cretici, cornu cervi usti.
boli Armeni, terræ sigill. rosar.
spicæ, margarit. præparat. āā. ℈ij.
camphoræ ʒß.
coralli rubri ℈j.
sacchari candi ℥ij. Fiat, Pulvis.
Dozis ʒj. cum *theriaca Andromachi* ℈ij. *in aqua cardui ben. q. s.*
sumatur, Et sudor omni curatu provocandus.

Diemerbroeck. c. 7. l. 3.

Bubo.

56. *Bubo*) Inter primaria Pestis signa externa referuntur ab omnibus *Bubones, Tumores in Glandulis* oborti, non quidem quibusvis, non Conglomeratis, sed *Conglobatis*; quamvis enim in pluribus corporis partibus sibi adsrent hæ binæ Glandularum species, afficitur tamen sæpe numero alterutra, in sua integritate permanente altera.

Ita *scrophula*, earundem Glandularum conglobatarum affectus, non tantum in collo, verum in ipso mesenterio, Glandulas conglobatas, tum seorsim existentes, tum glandulis salivaribus & Pancreatis conglomeratis adnatas occupant, illæsis hisce: Sic in Peste conglobatas Artuum Glandulas, in Collo, ad Aures, sub Axillis, in Inguinibus, & alibi quoque, ubi aliquæ tales observantur, obsident Bubones, integris conglomeratis, h. e. simili tumore haud correptis: Non putamus tamen, licet non tumeant in Peste Glandulæ conglomeratæ, in sua integritate tunc permanere Functionem in ipsis perfici solitam, quinimo cum in hoc gravissimo, & maxime lethali affectu, sanguinis massa mire afficiatur & corrumpatur, nullus dubito ex consequenti quoque lædi Functiones omnes à sanguine quacunque demum ratione pendentes, atque materiam suam præsertim accipientes.

Quæritur proinde, Quænam sit Glandularum conglomeratarum & conglobatarum differentia, propter quam ab eodem sanguine, ad utrasque affluente, afficiantur ita conglobatæ ut in Tumorem, Bubonem dictum, abeant, sine tumore manentibus conglomeratis? Cum enim affectio illa diversa non possit peti à sanguine eodem ad utrasque Glandulas delato, merito ejus ratio petitur è diversitate Glandularum sanguinem eundem admittentium.

Si quis proinde inter se conferat & comparet Glandulas prædictas, observabit, *Conglobatarum substantiam esse molliorem, teneriorem*, at Conglomeratarum, Salivalium & Pancreatis, substantiam solidiorem ac duriorem.

An ergo, quærit aliquis, propter substantiæ teneritudinem ac mollitiem, adhæret facilius omne acre per conglobatas delatum, difficilius per conglomeratas propassulum? An potentius contenta sua qualicunque expellunt Conglomeratæ, debilius Conglobatæ? Ego facile assentior, quippe qui hanc sufficientem, satisfque manifestam puto causam istius moræ ac Tumoris insequentis.

Cum igitur mollis & tenera sit Glandularum Conglobatarum substantia, quid mirum si facile illis adhæreat, & minus ab iisdem expellatur quicquid acre est in sanguine, aut quovis alio modo vitiosum, & inde diversi oboriantur tam sæpe in ipsis Tumores? Omnino igitur existimamus idcirco præ aliis omnibus Glandulas conglobatas in Peste quoque in Bubones abire, ob substantiam suam molliorem ac teneriorem.

Cum vero aliis quoque Tumoribus sive Bubonibus afficiantur hæ Glandulæ, quæritur in quo differant isti? Triplicium Bubonum fit mentio apud Medicos *Pestilentialium, Venereorum*, & *non Malignorum* dictorum, quibus verbis ab invicem distinguuntur ratione affectuum comitum, vel malignorum, vel non malignorum, dum maligni censentur & Lues Venerea & Pestis: Bubones ergo Pestilentes numerantur inter malignos, quoniam symptomata conjuncta habent non tantum gravia, sed utplurimum mortem, inopinato etiam ægros è medio tollentia.

Bubonum vero omnium causa cum sit *sanguis ob suam acrimoniam, vel viscediditatem, vel aliud vitium, in conglobatis glandulis hærens, atque illas in tumorem attollens*, accedentibus pro *vitii diversitate symptomatibus diversis*, considerandа Peste affectorum cætera symptomata, quo vitium sanguinis determinetur.

Ubi notandum *difficilius ad sui maturationem deduci Bubones Pestilentes quam alios, & dolorem ardoremque molestiorem habere* utplurimum comitem: *Ex ardore autem Bilem, biliosumve humorem*, h. e, *sale volatili constantem*, merito judicamus.

Quinimo in Peste quam alias magis in culpa esse hunc salem volatilem facile agnoscet quisquis modum quo fit inflammatio consideraverit, quæ fit quoties sanguis vel in extremis vasis obstructis stagnat, vel ex iisdem quacunque de caussa apertis effusus, aut in partium vicinarum substantia, aut in cavitate aliqua colligitur, & parte ejus maxime spirituosa secedente, reliq; acidæ salsæque actiones factæ in sese agunt vitiose, & ita quidem ut se multuo alterent, imo usum animali debitum si spectes corrumpant, quinimo in pus nunc laudabile, h. e. animali minime noxium, æquale puta, album & blandum, nunc vitiosum & animali noxium, inæquale puta, cinereum, acre, fœtidum, mutent.

Illud enim notandum, si aliquandiu in vasis suis stagnaverit, velè vasis suis effusus fuerit sanguis, eum talem tunc mutationem subire, ut corpori amplius nequeat esse utilis; quapropter artificii medici tunc est illum è corpore educere, ita tamen ut sine ipsius noxa notabili, vel saltem quantum fieri potest, cum minima id contingat.

Quo circa & humoris peccantis correctio arte promovetur, & partes affectæ juvantur; & facilis exitus paratur, & eductio humoris conveniens instituitur, & partium læsarum instauratio præstatur; Si proinde, in non maligna dicta inflammatione, Acidum sanguinis tandem ejus superat ejus amarum, nonne dicemus probabiliter, in *maligna idem desiderari*, & *minus potens esse* tunc Acidum, h. e. in *malignis pestilentibusque Bubonibus sanguinem abundare magis quam decebat Bile, habere saltem acriorem, aut humorem similem, sale puta volatili, & acri constantem, minus autem acidi continere.*

Quod est id ipsum quod intendimus, demonstrare scil. è Peste, omnibusque ipsius symptomatibus, rite consideratis,

consideratis, deduci, aut confirmari salem volatilem, sed Acriorem, tunc peccantem, adeoque venenum Pestilens in tali sale consistere. *Sylvius Append. Tr. 2.*

56. *Bubo*) Veteres *Bubonum* causam judicarunt esse pituitosam sanguinis partem veneno infectam (haud secus ac si venenum illud sanguinis massæ admixtum, ejus peculiarem aliquem humorem, & quidem talem, qui ipsi, ratione frigoris & crassitiei maxime contrarius est, primo & seorsim inficeret &c.

Sed hic explicandum, Qua ratione à veneno pestilenti, quod est tenuissimæ & minimæ quantitatis, Glandulæ intumescere possint, &, Quare ab ejus virulentia non enecentur, sicut pars carbunculo correpta: Cum venenum pestilens ad dictas Glandulas expellitur, statim permiscetur lymphaticis, vel salivalibus illis humoribus, quibus Glandulæ illæ semper scatent; Hi humores cum valde humidi sint, atque etiam nonnihil renaces, glutinosi ac subfrigidi existant, ineptum sunt subjectum in quod venenum pestilens suam septicam vim imprimere queat, fere atque stercora in intestinis.

Ac proinde illos maligna sua acrimonia solummodo ebullit, ac ceu fermentat, sicut sal & acetum panis massam fermentant, ejusque minimas partes à se invicem distendunt, Vel sicut citri succus oculis cancri pulverisatis affusus eosdem ebullire facit, qua effervescentia salsæ in iis particulæ tandem coagulantur: Ab hac fermentatione dum effervescunt illi humores fit aliquis calor immodicus in parte, & quia valde extenduntur, fit à distensione illa tumor, à tumore illo acris dolor, partim ob minimarum particularum substantiæ soliditates à se invicem divulsionem, partim ob erosionem à salsis jam coagulatis particulis liquoris contenti inditam: Ad dolentem autem partem undequaque è vicinia plures tales humores ex consuetudine affluunt, qui & ipsi paulatim effervescentiam similem concipientes, tumorem & dolorem adaugent: Natura ut ab hac molestia se expediat, illorum humorum coctioni incumbit, eosque in pus mutatos foras expellit.

Hinc jam liquet quare dictæ glandulæ à veneni virulentia non enecentur, sicut in carbunculo pars carnosa enecatur? quia scilicet venenum statim immiscetur tali seroso humori, qui ob substantiæ contrarietatem veneni violentiam retardare ac multum infringere potest, contra quam fit in carbunculis, in quibus venenum ingreditur ipsam solidam alicujus partis substantiam, quam caloris nativi extractione devastat & humores nutritios corrumpit, neque ab ullius rei contraria qualitate impeditur in sua operatione: Accidit tamen interdum, sed rarissime, ipsam Glandulam, propter venenum ei inhærens emori, atque tunc in Bubonum locum emergunt Carbunculi, quod fit cum in glandulis paucus est ille humor serosus, multumq; salsedinis habet: atq; etiam cū venenum in pessimæ qualitatis summo gradu, magnaq; quantitate in illas irruit, ita ut glandulæ adversus tam violentum tyranni impetum à suo præsidio defendi nequeant.

Quæritur rursus, *Quomodo Bubones interdum absque suppuratione, in aliis cum salute, in aliis cum exitio, subsidant & evanescant?*

Cum venenum pestilens vel debile, vel paucum in glandulas expellitur, & illæ multo lymphatico salivali humore abundant, fit aliquando ut in prima fermentatione illud vel insensibiliter exspiret & dissipetur, vel ejus vires omnino infringantur, aut extinguantur (multa enim sunt quæ pestilentis veneni virulentiam extinguunt, ut liquet in antidotis) antequam magna intemperies partem occupaverit; atq; tunc salsæ humoris contenti à veneno coagulatæ particulæ paulatim rursus dissolvuntur, & fluidæ evadunt, sicque tumores sponte evanescunt in salutem ægri.

Interdum vero cum venenum copiosius in corde & arteriis continetur (quæ copia ex symptomatum vehementia ac multitudine innotescit) natura ab illo nimis gravata valde debilitatur, & cum totum non possit, saltem illius aliquam partem ad glandulas propellit, cumque in reliquis expellendis laborans, arteriarum poros seu fines aliquos identidē circa glandulas reserat, ac frustraneo debiliq; conatu intestinum hostem illac ejicere nititur, tunc facile contingit ut paucum illud venenum non satis efficax sit quod validam effervescentiam in glandularum humoribus faciat; atq; hinc in fluido subjecto fluidum manens cum reliquo sanguine circuletur, & ad cor redeat, ejusq; afflictionem cum ægri exitio augeat, sicque interim Bubonum tumor evanescat.

Sed *Quam ob causam nonnunquam serius prodeunt, vel ad salutem vel ad exitium ægri?*

Quod serius Bubones emergant duplex causa est, Una quando cor obruitur, vel à nimia veneni copia, vel à malignissima ejus qualitate, à qua tantopere intricatur & debilitatur, ut hostem suum nonnisi tardius expellere possit, atque tunc Bubones & Carbunculi serius excitantur, idque cum summo vitæ periculo, quia venenum grave vix tantas moras in corpore trahere potest absque maximo spirituum sanguinisque arteriosi nocumento.

Altera causa est, cum cor debile impugnatur à debili veneno, cum quo diu conflictatur, antequam ab eo se expediat, hostemq; suum ejicere possit: Atque in tali casu sæpe Bubones & Carbunculi, etiam serius prodeuntes, salutares sunt, & morbum brevi finiunt; quia illud debile venenum, ob suam parvam potentiam, in diuturniore illa mora non potest magnum nocumentum inferre sanguini spiritibusque vitalibus, per quos illud à continuo cordis motu sine magno damno agitatur, donec tandem excutiatur; Tandem quæritur, *Ubi post sanationem maneat eorum causa, venenum?*

Dicimus venenum Pestilens, Bubonum causam, dum humores in glandulis contenti fermentantur, aut in pus coquuntur, sæpe ibidem extingui, sæpe etiam insensibiliter exspirare, atque tunc pus ex illis apostematibus effluens non esse contagiosum: Fieri quoque multoties ut venenum ob cutis densitatem, aliudve impedimentum exspirare nequeat, & ob summam malignitatem non extinguatur, atque tunc rupto apostemate, illud una cum pure effundi, idque pus tunc contagiosum esse. *De Diemerbroeck cap. 14.*

57. *Bubo securior est*) Bubones & carbunculi maximam testantur malignitatem, & maximum periculum minantur cum eas febres comitari soleant quarum peculiaris character in eo constitutus est ut ex iis plures intereant quam serventur. *Anthraces & Bubones* quo longius à corde consistunt, citius increscunt, & ad maturitatem perveniunt, eo minus periculosi sunt: Attamen si derepente, & cum pravis symptomatis tumores augeantur, malum est; *Carbunculi* valde magni, fœdi coloris, cum ulcere depascente, aut qui in gangrænā mutantur, lethales sunt; Quemadmodum etiam ij qui cordi vicini sunt, aut guttur occupant; Experientia observatum est carbunculos plures paucioribus esse securiores. *Riverius.*

Explorandum inprimis an Bubo *mobilis* vel *stabilis*? an *durus* vel *mollis*, & tactui cedens? an *depressus* vel *in mucronem elevatus*, an *parvus magnusve*, an *cōtractus* vel *patulus* latiusq; serpens? an cum *cruciatu & punctione*, vel *indolens*? an denique cum *inflammatione*, vel sine illa? Varietasque hæc varium exigit medendi modum. *Nath. Hogdes.*

58. *Periculosissimus*) Si vesicatorium præter solitum suum morem vesicam non exciter, Ægri amicis indicato ipsum vix mortem evasurum.

Bubones in collo, vel post aures, si faucium dolorem moveant, & deglutitionem absque magna inflammatione impediant, æger post XII. aut XV. horas superstes non manebit. *Barbette.*

59. *Evanuit*) Bubo si ad interiora recedat, extremo in periculo versatur æger; nisi malignum humo-

rem ad loca alia natura ablegaverit; Sic non ſemel obſervavi ad interiora ſubito recurrente materia, Bubonem in inguine cauſante, gangrænam pedis in latere affecto obortam fuiſſe, plurimoſque ſic evaſiſſe. *Barbette.* Vide §. *Delitescens foras.*

60. *Delitescens foras eliciendus*) Contra Bubones Anthraces, atque Ulcera maligna ab iis producta, Cataplasmata, Fotus, Emplaſtra, Illitus, & pleraque alia exterius applicanda è Chirurgia petuntur, quibus venenata quædam, prout veneni Electrica admiſceri à quibuſdam præſcribuntur, quare *præparata Arſenici*, ſcil. *Oleum & Balſamum ejus* in hoc caſu, prout egregii uſus & efficaciæ, à plurimis commendantur. *Willis.*

Omnium maxime laudo flammulam *Jovis* appoſitam, quia maxime attrahit, & veſicas excitat, per quas venenum expurgatur. *Hier. Fabritius ab Aquapend. l. 1. de Tum. c. 17.*

60. *Foras eliciendus*) Ideoque repellentia & *Opiata*, ad ſedandam doloris veſaniam, & inflammationem tollendam, cenſenda omnino perniciosiſſima: *Videl.* venenum peſtilens tergiverſari, & ſe intus recipere cogentia, quin & partibus ab eorum uſu plus nimis refrigeratis impendere ſphacelationem quis ignorat? *Nat. Hodges.*

60. *Delitescens foras eliciendus*) Sequenti modo à me tractari ſolet, Primo ſtatim tempore Veſicatorium applico, etiamſi tumor adhuc non ſit inſignis magnitudinis, *Cucurbitulis* neglectis; Veſicæ poſt horas 7. 8. aut plures diſſectæ, *Empl. Magneticum Arſenicale*, imponi curo, Hujus ſane virtus tanta eſt in hoc caſu ut nobilius eo nullum mihi innotuerit, quod cuivis adlubenti patebit, Deſcriptio ejus habetur apud *Agricolam & Hartmannum.*

Emplaſtrum illud hiſce viribus præditum reperi, ut cuti duriori impoſitum ne minimam quidem Eſcharam producat, Interim malignos humores tam egregie extrahens, ut Bubo juglandi ſimilis intra 4. aut 6. dierum ſpatium prorſus tollatur, Verum hoc non ſemper tam cito ſuccedit, & hæc cauſa eſt quare neceſſitas id humores ſubito evacuandos ſæpenumero veſicam prius excitari deſideret, Imo in corporibus robuſtioribus nequaquam eſcharam producit, niſi veſicatorii ope cuticula non ſolum, ſed etiam cutis quædam particula corroſa prins fuerit; At vero in corporibus teneriotibus cruſtam nullo veſicatorio præmiſſo per ſe excitare poteſt.

Cruſta hæc vera veneni extracti ſedes eſt, quare mediocriter craſſa reperitur, cute ſuperficialiter tantum corroſa, quod profecto conſideratione eſt digniſſimum; Nam hæc, uti exiſtimo, ratio eſt, cur multo citius ſeparetur quam aliæ cruſtæ arte excitatæ, Horis enim 24. aut 36. effluxit, ſolius ſpatulæ auxilio, nulla præcedente ſcarificatione, abſque ullo, aut ſaltem non inſigni dolore, auferri poteſt, ſi Emplaſtro tuo Antipeſtilentiali, quncunque etiam utaris, *ungu. Baſilici* aut *Theriaca* aliquid addideris, Separationem alias Eſcharæ egregie promovet hoc Ungu.

℞. *mell. virg. axung. anatis* āā. ℥j.
fulig. camini ʒvj.
Terebint. Argent. ℥j.
vit. ovor. n. ij. ther. ʒiij.
olei ſcorpion. q. ſ. miſce.

Qnod ſi tumor, cruſta prima ablata, non ſufficienter ſit imminutus, *Empl. Arſenicali magnetico* ſecundam & tertiam excitabis, & deinde uti antea procedes: *Ulcus* tandem *conſolidato Empl. de minio, Albo cocto, Diapomphol.* vel alio medicamento ſiccante atque cicatriſante; Sed ne nimium ad *Cicatrizationem* feſtinato, ne humor venenoſus, & in corpore adhuc hærens, novum morbum & tandem mortem producat.

Emplaſtro magnetico deficiente ſequens, veſicatorio præmiſſo, adhiberi poteſt, Cujus etiam virtus ſingularis *Scrophulas dolentes* tollendi non uno in corpore innotuit, Vires, quibus eximiis præditum eſt, effecerint quod vocatum fuerit,

Emplaſtrum Divinum.

℞. *Galbani* ℥j.
ammon. ℥ij.
opopan. ℥iij.
cera. fl. ʒxx.
ol. oliv. ʒxxiv.
lithargyr. aur. ʒxvij.
olibano ℥ij.
myrrh. thur. āā. ʒx.
vir. æris, ariſtol. long. maſtich. āā. ℥j.
bdellii, lap. magn. āā. ℥ij. *m. f. ſ. a. Empl.*

Bubone, vel nimium protuberante, vel tendini adhærente, Veſicatorium debile nimis eſt, & Cauterium Actuale non magnopere neceſſarium exiſtimo, Potentiale itaque applicetur: Si dolor vehemens urgeat, & ubi aliqua ſpes dolorem abſque cauterio ſedandi affulgeat, ſequenti cataplaſmate utor.

℞. *fol. ſcord. rutæ, cicutar.* āā. *m. j.*
flor. chamom. aneth. āā. *p. j.*
ſumm. abſynth. p. ij.
mica panis ſimilag. ℥ij.
coqu. ex lacte vaccino, adde croci ov. ʒß.
vit. ovor. n. vij. ther. ʒiij. *m.*

Emplaſtro de *Ranis cum mercurio* qui utuntur, aſini ſunt in hac arte impudentiſſimi, audaciſſimique, nam venenum ad interiora propellunt, & ægrum in ſummum periculum conjiciunt, ut nos ſcriptores & experientia manifeſte docent, *P. Barbette.*

Accipio *Bufones terreſtres*, eos aëri ſuſpenſos & exſiccatos poſtea in tegulam calidam collocatos ut exſiccentur, eos in pulverem reducito, ante tamen mortarium & piſtillum oleo ſcorpionum inungo, ne pulvis nares feriat, & cerebrum venenoſa qualitate offendat: *Hujus Pulveris* ℞. ℥j. *fermenti acris* ℥iij. *theriac. opt.* ℥j. *fol. rutæ virid. m. j. Hæc omnia cum melle diligenter miſceo*, Buboni applico bis vel ter in die: Emplaſtrum hoc mire venenum ad ſe rapit, Idem facit *Bufo integer* exſiccatus applicatus. *Fabritius Hildanus Epiſt. 96.*

Omnium maxime laudat *flammulam Jovis* appoſitam, quia admodum trahit, & veſicas excitat, per quas venenum extrahitur. *Hieron. Fabritius ab Aqua. Chir. l. 1. c. 17.*

Tumoribus & Bubonibus peſtiferis præ cæteris Empl. hoc laudatur.

℞. *ranam & bufonem exſiccates, reduc. in pulverem adde gu opopan. thur.* āā. ℈i.j
galbani ℥j.
ſagap. ℥iij.
bdellii ʒiij.
affunde aceti roſ. q. ſ. coqu. & liqueſcant gummata, adde camph. ol. ſulph. āā. ℥j. ℥j.

coque in ſartagine in formam pulmenti, calidum applica tumori, ſingulis horis iterando. *Rod. à Fonſeca T. 1. conſ. 47.*

61. *Aut Cucurbitula*) Veſicatorium applico Cucurbitulis neglectis, ideo quod dolorem febremque cauſent, bonos æque ac malos humores alliciant, totumque ſanguinem magis adhuc alterent. *P. Barbette.*

62. *Cataplaſmata*) Cataplaſmatum licet uſum commune omnium ſuffragium egregie beneficum fore perſuaſerit, calorem nempe naturalem languentem & prope extinctum mire excitantium, partes circumquaq; vicinas humectantium, cutim inſuper dilatantium, humores deniq; acres contemperantium & demulcentium, quoniam vero ab iterata horum renovatione plurimum detrimenti

detrimenti ægris accidisse observavi, sequens *Ceratum* illorum vice substituere placuit.

℞. *Empl. Oxycroces* ℥iij.
galbani vel gummi caranna, ãã. ℥j.
picis navalis ℥ij.
eliquatis simul cum oleo chamamel. & lilior. v. a. c.
fiat massa pro Emplastro.

Ausus sum asserere Emplastra hæc plus millies Chirurgicæ manus vicem supplevisse, quæ spatio triduano aut sæpius immutabantur. *Nathanael Hodges l. de Peste sect. 7.*

63. *Fixus i. cucurbitula &c.*) In Pestilentiali Bubone ita eas administravi Patri meo anno 1655. Peste tunc temporis laboranti, Capiebam tres Cucurbitulas vitreas, quarum unam supra Bubonem affigendam curabam, & sensim ad genu (nam in inguine Bubonem habebat) deprimendam; attendens vero ne in protrudendo ab hac vel illa parte laxetur, & inclusus aër ita evanescat: Cum igitur prope genu prima venerit, manebat ibi tamdiu fixa, quam Buboni iterum applicaveram alteram, quam paulo post (uti primam) depressurus ad priorem: Priori vero amota, Tertia buboni affigenda, ac iterum deprimenda, hinc Bubo evanuit. *Piens p. ig.* 180.

64. *Absque ulla cutis incisione*) Minus commode, ob dolorem, & quod utiles juxta ac inutiles succos alliciant, quare merito à *Diemerbroekio*, *Barbette* & aliis rejiciuntur, vel saltem causticis & vesicatoriis postponuntur. *Wedelius Am. m. m. p. 85.*

65. *Cataplasmate maturante & attrahente*) Ea quæ applicantur pro attrahendo veneno, & maturando simul plus minusve tumore, sunt varia.

Quidam recipiunt *cepas coctas*, easque contusas cum *sinapi albo* pulverisato mistas applicant Bubonibus, ceu potens attractivum; loco sinapi, ubi præsertim dolor intensius urget, *theriaca* dicto modo cum cepis applicetur, pro eductione veneni & maturatione abscessus.

Bufones exsiccati, in vino macerati dum mollescant, Buboni impositi, potenter malignitatem attrahunt; vel Pulvis *Bufonis exsiccati* cum *aqua scorzoner.* in forma cataplasmatis imponitur Buboni.

Reliquis fere *Empl. magneticum arsenicale Ang. Sala* præfertur.

Alii præmisso, vel omisso, vesicatorio.

℞. *herb. parid. m. ij.*

(hæc enim sola applicata suppurare & maturare Bubonem dicitur.)

Alii *fermentum* recipiunt, ex quo cum *scrophularia*, additis & *baccis herba Par.* catapl. faciunt, & imponunt.

℞. *rad. lilior. alb. alth.* ãã. ℥ij.
ficuum ping. n. ij. vel iij.
coqu. cum s. q. olei lil. albor. ad consistentiam Catapl.
adde fulig. splendentis ℥j.
sapon. Ven. ʒvj.
ol. ranar. ʒij.

m. pro Cataplasmate. *Etmuller.*

Horum loco (magnetici Salæ &c.) *Michael* in Peste pro curandis *Bubonibus* & *Anthracibus* hoc usurpavit Emplastrum.

℞. *Empl. diachyli cum gummi* ℥iv.
pulv. fol. uvæ inversa sive *Parid.* ℥j.
magnet. arsen. ℥ß.
cum oleo scorp. & aran. Mindereri *f. Empl.*

Hæc ipsa Emplastra magnetica in cute tenuiori & textura rariore optime sufficiunt; & malignitatem extrahunt, ut eadem sub forma crustæ vel escharæ super Bubonem hæreat; Sed in cute duriori, aut in Bubone profundius latente, aut non satis prominente, applicandum prius venit *Vesicatorium*, quod post 7. vel 8. horas facta eschara aperiendum, & hinc dictum Empl. apponendum, donec malignitas sufficienter extracta & crusta remota fuerit. *Etmuller*. De vesicatorii admotione vide *§. Vesicantia*) ex *Nath. Hodges.*

66. *Cataplasma maturans*) Admodum rara est Bubonis suppuratio, verum hanc ubi natura intenderit, illi qui artem de limine salutarunt media ad hanc promovendam necessaria passim invenient, Imo Abscessum in tempore lanceola, non ruptorio aperient, & ulcus lente curabunt *F. Barbette.*

67. *Maturans & attrahans*) In Bubone curando tria externa sunt applicanda. 1. *Attractiva*, 2. *Maturativa*, 3. *Mundificativa & Consolidativa*; Utut enim sunt qui *discussioni Bubonum* operam dare volunt, minus tamen consultum hoc arbitror, nisi simul sudor provocetur, Siquidem & Bubones sponte recurrentes vesicatoriis extrinsecus admotis, spiritibus vero interne propinatis denuo proliciendi erant: Equidem sunt qui Bubones crudos mox esse aperiendos & incidendos suadent, quod tamen minus commode videretur, quin potius saltem aliqualis ejus maturatio expectanda, plus minus perfecta, pro circumstantiarum varietate, nisi Bubo sit vel lividus vel niger, ita ut gangrænam minetur, nulla expectata maturatione, protinus etiam crudus aperiendus est. *Etmuller.*

68. *Et attrahente*) Probe attendendum ne *acetum* Bubonibus applicetur, teste *Hildano*: Sic pariter nec *Opiata* propter dolorem, nec *Saturnina* propter ardorem applicanda veniunt, ne venenum pestilens vel interiora repetere cogatur, vel talium ab usu partis sphacelus introducatur. *Etmuller,*

Emplastro de *Ranis cum Mercurio* qui utuntur Asini sunt in hac arte impudentissimi, audacissimique, nam venenum ad interiora propellunt; & ægrum in summum periculum conjiciunt, uti nos scriptores & experientia manifeste docent. *Barbette*. Exinde mortem observavit *Schenckius* in suis observat.

69. *Tumor altero die*) Remediis dictis mitigatus nonnihil Bubo, *aperiendus* venit, quia periculum est, si perfecta supputatio expectetur, & sponte tumor rumpatur; & propter dolorem ac ardorem, subinde atroces, spiritus dissipentur, vires prosternantur, ac sanies pestilens retrorsum regurgitet, unde vel scalpello aperiendus est, vel cauterio potentiali applicato exitus materiæ patefaciendus. *Etmuller.*

70. *Incidatur vel rumpatur, sanies exprimatur, & mundificativum*) Quocunque modo disruptis vel incisis Bubonibus, ad ulcus abluendum & detergendum, *Lixivium paretur è cineribus scordii, beton. bugula, fœniculi* &c. dissolvendo q. s. *theriac. Londin.* Mixtura autem sequens huic muneri accommodatissima, constans è *rad. aristol. rot. myrrha, aloë & croco, infusis & solutis in spir. vini q. s.* colaturæ addendo tantillum *olei terebinth.* Porro ad promovendam digestionem, & putrefactionem inhibendam, Cataplasma sequens conficiatur.

℞. *mell. ros.* ℥j.
terebinth. cum vitello ovi soluta ℥ß.
theriacæ Londin. ʒiij.
far. tritic. ℥ijß.
cum olei hyper. & sambuc. ãã. *q. s. coqu. in catapl. consistentiam.*

Nota bene; Detergentia neutiquam usurpanda nisi ulcus sit sordidum. 2. Ulcus, non prius claudendum quam ab omni sorde prius expurgatum fuerit, & cuncta prorsum cessaverint symptomata. 3. Multiplici observatione mihi consistit ulcera hæc veneno devicto & extincto, citius multo & tutius sanata fuisse quam cætera à causis aliis quibuscunque oriunda.

In curationis interim administratione bene cautus sit Chirurgus, ne tumor callum labiis obducat, haud levi negotio extirpandum, Ulceris probe mundati foveæ hiantes sarcoticis repleantur juxta methodum vulgarem.

Nota *Parotides* simili ritu ac *Bubones* tractandas. *Nath. Hodges.*

[71.] *Et mundificativum Empl.*) Aperto Bubone, vel sponte, vel scalpellu, usurpetur *Balsamus sulph. anisatus*, vel *terebinth.* mistus cum *ungu. basilicon.* & theriaca, imponendo *Empl. diapompholyg.* donec mundificetur & consolidetur ulcus, observando ut istud quamdiu possibile apertum servetur. *Ettmuller.*

[72.] De *Carbunculo* & *Febri*, quam etiam [73.] quædam symptomata excipiunt, vide suis in locis, de Peste *Petrum Salium Diversum*, *Ioelem*, Tom. 5. sect. 3. *Septalium* peculiari tractatu, Diemerbrochium, [74.] Kircherum, Helmontium, & *Valerium Martini*. Et tantum de Febribus.

[72.] *De Carbunculo*) Anthrax Græcis, Solent Carbunculi in quavis corporis parte excitari, non certis partibus, quemadmodum Bubones adstringi: Solent iidem utplurimum Pustulæ modo se manifestare, & quidem nunc albicantis, nunc flavescentis, nunc lividioris, nunc nigricantis, quamvis semper ad nigredinem tandem abeant: Solet iisdem insignis ardor adesse, adeo ut pars affecta uri puterur ac rodi.

Nec diu Pustulæ speciem servant Anthraces, quin mox Tumorem duriorem, in universa sui circumferentia ostentant; sicut in sui medio & centro in ulcus excedens aperiuntur; quinimo sæpenumero quaquaversum ambulat, & vicinas partes mire depascit. unde nonnunquam oculos inde excidisse notum est, sed & post curationem subinde contingentem fœdæ ac prægrandes cicatrices remanent, propter carnis multæ deperditionem: Caro autem omnis Anthracibus correpta corruptionem Gangrænæ similem patitur; ad internecionem namque, integramque mortificationem deducitur.

Enimvero cum in *Anthracibus Ardor Corrodens* observetur, ab *Acri* illos produci arguo, ergo vel ab *Acido*, vel à *Salso lixivo*, postquam tertium Acre nondum innotuit: Ab Acido lancinationes quidem ac rosiones produci, non item Ardorem; A Salso Lixivo Ardorem quidem rodentem produci testantur Cauteria Potentialia cuti applicata.

Ab eodem in Pestilentibus Anthracibus Ardorem urentem ac rodentem produci confirmat *Butyrum Antimonii*, ipsorum progressum ac quaquaversum serpentem vim sistens.

Est autem in *Antimonii butyro Acidum Acre*, Salem lixivum infringens ac temperans: Acidum illud ipsi inesse evincit aqua ipsi affusa, & spiritum vitriol Philosophicum dictum in se alliciens: Cum proinde hæc omnia Salem Lixivum Acrem, Anthraces Pestilentes producentem arguant, hactenus Pestem quoque ipsam inde ortum habere posse patet.

Carbunculi curabuntur sistendo serpentem partium vicinarum *mortificationem*, *separando partem mortificatam*, *consolidando & mundificando ulcus relictum*: Nihil hactenus novi quod potentius, certius, citiusque serpentem carbunculorum mortificationem sistat, quam *Butyrum antimonii*, si circum circa illinatur parti affectæ; Ad miraculum enim tunc sistitur partium omnium corruptio, serpens ac omnia depascens.

Huic proximum censeo *Magnetem arsenicalem*, ex partibus æqualibus *Arsenici*, *Antimonii* & *Sulphuris* paratum, & Emplastris convenientibus immistum, Cujus ope ad sui separationem disponitur pars corrupta.

Quod idem quoque præstat *Butyrum Antimonii*, cum non tantum sistat veneni Pestilentis progressum, at insuper partes ab ipso corruptas separet à sanis.

Partes à Carbunculo Pestilenti separatas mundificat efficacissime *Sulphuris Balsamus*, una cum *Unguento tetrapharmaco*, & *Basiliconis* vocato mistus, & ulceri applicatus, *Mundificatum ulcus* consolidat tum idem *Balsamus*, tum alia Emplastra vulgo nota. *Sylvius Append. ad Prax. Tract. 2.*

[72.] *De Carbunculo*) Quoad *Carbunculos* & *Anthraces*, cognoscuntur facile, si cum colore purpureo & puniceo emergant, & circumcirca circulus rubicundus, qui melior, aut lividus, qui deterior, se repræsentet; Carbunculus talis facile serpit, & gangrænæ instar vicinas partes inficit, donec tandem pars mortificata excidat; Interdum saltim pustula alba apparet, materiam quasi coctam continens, quæ aperta aut compressa sicca ac profunda in partibus carnosis radicata apparet, Interdum pustulę plures, quasi hydatides emergunt, sub quibus durities inflammatoria apparet &c.

Carbunculus talis quicunque nil aliud est quam incipiens partis mortificatio, unde in cura, 1. mortificationis vicinas partes inficientis progressus inhibendus. 2. Substantia mortificata separanda 3. Ulcus relictum mortificandum.

Notandum autem in genere, quod dum ardor summus est, abstinendum sit ab aliis oleis & pinguibus, quia quandoque sphacelismi periculum inducunt.

Quidam expiscaturi *Utrum curabilis vel lethalis sit Carbunculus*, Emplastrum ex molli galbano imponunt, quod si anthraci tenacissime adhæreat, ut nonnisi cum crusta avelli queat, salutis spem esse asserunt; Si ei non adhæreat, incurabilem atque lethalem.

Pro primo igitur scopo, *Sapphiro* in cute ducatur circulus circum Carbunculum, præcavet enim non tantum ut ulterius non serpat, sed etiam vis veneni tota extinguatur: Ita hoc non tantum affirmat *Hartmannus in Pr. Chymiatr.* ubi de Peste, Item *Helmontius Tr. de magn. vuln. curat.* sed videatur etiam *Marcus Marci in Phil. vet. rest.* ubi de *magnet. sapphiri*. Hinc applicetur ruptorium ex *oleo lini & chamom. cum croco*, Vel loco talium *butyro antim.* extremitates anthracum attingantur; Sive circumdetur circulus: hoc enim non solum progressum mortificationis inhibet, sed etiam totum excidere facit.

Talibus factis, vel mitiori in malo, sine his applicandum est *Empl. magneticum Ang. Sala*, utpote quo non datur melius, Vel *Empl. de Fuligine*, cujus descriptio videatur in *Horstii observ.*

Alii non inepte mox applicant *Cauterium actuale*, utpote in parte plus minus mortificata minus dolorificum; hoc facto Escharam, ruptorio successive separant &c. His factis, ubi exciderit Carbunculus, & substantia suppurata probe educta fuerit, idem *ungu. Basil.* cum *Empl. tetraph.* & *theriaca* usurpandum, *Balsamo* vero *sulph. anisato* ulcus probe est mundificandum. *Ettmuller.*

Curatio exigit ut quamprimum suppuratio promoveatur, exitiosaque mali propagatio inhibeatur: Ad hoc præstandum medium nullum inveni *Cauterio actuali*, quod

quod etiam Chirurgis plurimis valde arridet: Sed quibusdam hæc operatio nimium crudelis videtur, & ex perversa misericordia ejus vim sentientes magis quam ipsi ægri, cauterium potentiale aut vesicatorium eligunt; Quo utroque etiam utor, quoties aut fortia satis videntur, aut medio alio uti non licet: Cui nullum horum trium mediorum placet, is *Emplastro magnetico Arsenicali* utatur, quod hoc in casu summopere conducit. *P. Barbette.*

72. *De Carbunculo*) Vesicatorio, vel cauterio actuali, si 12. vel 24. horarum spatio *Carbunculi* augmentum non impediatur, mortem instare certissimum est; imo tum etiam si nihil humiditatis inde effluat; Verum si vesicula, aut separatio (quæ magna præstat) & pus debito modo se ostendant, æger salvabitur, *Carbunculus* cauda quadam præditus valde periculosus: Ast idem albescens, sine magna febris imminutione, curationis spem adimit. *Barbette.*

In Peste Noviomagensi, Si in Emunctoriis loco tumorum emergerent Carbunculi, gravissimum periculum indicabatur; Si carbunculi tardius prodirent, malum: Si valde multi erumperent, pessimum erat.

Carbunculi si intra duos tresve dies circulo rubeo comprehenderentur, citius & facilius sanabantur: Si vero instar sphaceli quotidie latius proserperent, magnamque latitudinem acquirerent, difficilis curationis erant, imo sæpe pessimi ominis, præcipue si supra dorsi spinam, vel in parte aliqua nervosa subsisterent.

Carbunculus in principio subsidens, recurrens ac fere disparens, vel postea manente febre exarescens, calamitatem prædicebat. *De Diemerbroeck.*

72. *De Carbunculo*) Diversa admodum specie, sed aliquando valde fallibili se prodit; Facillime *cognoscitur* quoties Pustula prominente atropurpurea, & in ambitu inflammata invadit; Sed sæpenumero non vides nisi *Pustulam* albam atque planam, quæ pus bonæ notæ continere videtur, Eam si comprimas valde sicca & dura est, imo profundissime subjectam carnem consumit: *Vesicula* quandoque sola, limpido humore repleta adest: hæc si ante horam 24. non aperiatur nigredinem acquirit, dissectaque guttas ij. aut tres sanguinis atri exhibet; Nonnunquam *Hydatides* variæ exiguæ & albæ se offerunt: His si subjecta sit durities cum inflammatione & febre, malignitatem adesse nullus dubito, Nec causam video cur non cum Medicis Chirurgisve hodiernis Carbunculis eas annumerem, cum haud longiore tempore ad hominem jugulandum indigeant quam purpureæ; Imo eodem modo ac illæ tractari debent, si exoptatum finem desideres. *Barbette.*

72. *De Carbunculo*) Ancillæ peste correptæ cum duobus Anthracibus incipientibus, cum ab haustu sudorifero optime bis sudasset, Anthrax qui in medio ossis sterni erat se extendit ad latitudinem semidaleri Imperialis, tunc nostram *Pulticulam* ad *Carbunculos* illi imponere, & ter de die renovare jussi, quæ ita se habet.

℞. *rad. consolid. maj. sicca, fol. scord. sicc.* ā ā. ʒij.
rad. alth. sicca, far. sem. lini cribr. pollinis far. tritici ā ā. ℥ß.
f. Pulvis subtilis, cui affunde aqua q. s.
coqu. aliquantulum ut mucilagines solvantur, & compositio ad pulticulæ crassioris formam *deveniat, cui adde mellis, terebinth. ungu. Apost.* ā ā. ℥iij.
picis liquid. vngu. basil. ā ā. ʒij.
vitell. ovi j. *croci or.* ℈j. *m.*
Interdum addebantur *theriacæ* ʒij.

Hanc Pulticulam, ob eximiam utilitatem, in frequenti usu habuimus, & ex multis tentatis nihil invenimus cum quo Carbunculorum separatio & curatio citius ac melius perageretur; Super linteum pinguiuscule extendebatur, & imponebatur, Anthraces tandem à vicinis partibus separati sunt: Quibus extractis, *ungu. mundificat. de apio*, cum *ungu. Apostol.* mistum ter quaterve impositum fuit, Deinde cum *ungu. aureo* cavitatibus carne repletis; & emplastris ad cicatrizationem perductis ægra convaluit. *Isbrandus Diemerbroeck l. 4. de Peste hist. 1. c. 3.*

73. *Quam etiam quædam symptomata*) Pesti assident plurima symptomata, superius enumerata, peculiarem *curam* desiderantia.

i. *Cibi appetitus prostratus*, qui restituetur *Acidis* quovis modo assumptis & inprimis *Salis spiritu dulci*, ut & *Elixirio propriet.* aut cum potu ordinario, aut cum mixturis cardiacis: Ubi notandum, cum paucis utplurimum diebus vim suam deleteriam exercere soleat venenum Pestilens, non esse operæ pretium ut mox initio de Appetitu restituendo sit valde Medicus sollicitus; siquidem superato per Acida quoque veneno, idem sponte sensim redit: Quod si tamen segnius revertatur, prædictis sæpius usurpatis reparabitur citius.

ij. *Sitis*, aucta & multis valde molesta, minuetur itidem *Acidis* potui ordinario additis, *spir. salis, vitrioli, nitri, sulph. aceti stillat. lapide prun.* & simil. Quibus non tantum sitis aucta minuetur, sed insuper Pestis ipsius symptomata primaria corrigentur.

iij. *Nausea*, sæpenumero valde gravis, compescetur iisdem *Acidis*, sed *Austeris* magis, & quandoque *Opiatis*, *Theriaca, Diascord. laud. op. &c.* Inter Acida austera commendantur *fructus* & *syr. berber. granat. acid. miva & carô cydonior.* &c.

iv. *Vomitus* iisdem quibus Nausea compescetur, sed potentioribus, diutius saltem usurpatis.

v. *Cordis anxietates*, Nauseam vomitumque aut præcedentes, aut comitantes, aut consequentes, curabuntur modo dictis medicamentis, sed additis simul spirituosis, *Aqua vitæ aromatica* multiplici, quo veneni Pestilentis acrimonia simul demulceatur.

vi. *Alvi fluxus*, tam multis lethalis compescetur medicamentis *austeris* & adstringentibus, *Terra sigill* quavis, *Bolo Arm. Theriaca, diascord.* &c. sæpius minore quantitate usurpatis.

vij. *Aphtha*, si concurrunt, *Gargarismos* desiderant ex *semperv. maj. plantag. & sem.* Linctus & *syr. violac. de portulac. jujub.* additis gtt. aliquot *spir. salis.*

viij. *Leipothymia* curabitur inprimis *Acidis*, sed temperatioribus, bilem acriorem, halituum causam efficientem, compescentibus, *spir. salis dulc.* &c. in potu exhibitis; additis semper spirituosis & aromaticis blandis, sive oleosis, ad ipsorum halituum contemperationem ac discussionem necessariis.

ix. Ad *Pulsus parvi, debilis, frequentis, inæqualis* correctionem, convenient omnia sanguini, & humoribus ejus vitiatis corrigendis proposita superius, vide §. *Curatio absolvitur.*

x. *Cordis Palpitationem* tollent omnia Humores halitusque acres corrigentia aut temperantia, *Acida*, sed blanda, ut & *olea aromat. spir. sal. vel nitr. cum spir. vini dulcis factus, sal volatile* quodvis, sed oleosum.

xi. *Syncopen* curabunt *Acida cum spir. vini arom.* juncta, quo & deficiens fractumve Acidum reparetur, & salis volatilis acrimonia, infringatur, temperetur que.

xij. *Sanguis fluidior factus* recuperabit amissam consistentiam Acidis per vices assumptis.

xiij. *Urina* incerta & varia corrigetur usurpatione medicamentorum diversitatis cujusvis causas emendantium, inprimis salem volatilem acriorem contemperantium fixantiumque.

xiv. *Sudor parcius prodiens* promovebitur *Sudoriferis* per vices assumptis, *copiosus* vero, nec tamen levans, *Acidis* temperatioribus per intervalla usurpatis, una

cum *spirituosis aromaticis*, Fœtens *conf. alk*, aliisque odoratis, *Frigidus*, aromaticis spirituosis cum spir. sal. dulcis mixtis.

xv. *Exhalatio fœtens*, etiam sine sudore, ex ore naribus, & aliunde prodiens, emendabitur medicamentis saporis odorisque grati exhibitis: *Suffitibus* gratis excitatis ex aromatibus, plantis aromaticis cum aceto mistis.

xvi. *Sensus externi debilitati*, redintegrabuntur post dejectum foras venenum, *spirituosis aromaticis*, animales spiritus reparantibus ac depurantibus, & ad motum ordinarium reducentibus.

xvii. *Dolores ac molestia* tam frequentes sopientur inprimis *Opiatis* & *Anodynis*, externis, internis; additis quæ vitiosos humores corrigunt & expellunt, Primas tenet *Opium*, hinc *Theriaca, Mithridat. Diascord. Philon. Rom. Req.Nicol.syr.papav.albi, Diascord. Fracast.* Emulsiones ex *hordeo, amygd.d.sem.papav.alb. 4.frig.maj.* &c. Huc refer *sulph.vitr.anodyn.* vel *narcot.* dictum, & similia ex *miner.* & *metallis* parata: Adde ungu. *Martiatum* & *Alth.simpl.compos.* &c. quibus *Opium* addi potest, *ol lilior. alb. amygd.d. aneth. chamamel.* &c.

xviii. *Molestus ardor*, minuetur frequenti usu *acidorum*, sed temperatiorum & gratiorum, quæ potentius feliciusque agent si simul sudor blande moveatur.

xix. *Inquietudo* minuetur & tolletur *opiatis* & *sudoriferis*.

xx. *Lancinationes* molestæ *salem volatilem oleosum* desiderant.

xxi. *Capitis dolor* internis & externis *Opiatis* cedet, Epithem. ex *aqua beton.aut rosac. Aceto sambuc.calend.* & *opio* paratum.

xxii. *Lumborum dolor* cedet inprimis *Acido blando* & *laud.opiato*, cum *aquis aromat.* & *spir.* cochleatim per vices dato.

xxiii. *Cardialgia*, nauseæ toties copulata, iisdem levabitur.

xxiv. *Vigilias* eadem minnent quæ Dolores ac Inquietudinem, illarum præcipuam causam tollunt leniuntve *Anodyna* vel *Narcotica*, prudenter ac per vices usurpata.

xxv. *Somnum gravem*, vigiliis periculosiorem, frangent omnia sensus externos potenter moventia; inprimis *acria acida* naribus admota, vel assumpta, Cum præterea vi polleant oppugnandi venenum pestilens, & reparandi defectum Acidi: Sin à Bilis parte oleosa ille producatur, conducet *Acidum acre*, quo & oleosum penetrare & idem corrigere possit: Idcirco forsan optimum *opii* correctorium ac menstruum est *Acetum stillatitium*, ne, si non distillatum usurpatur, nimium infringat vim ejusdem.

xxvi. *Delirium*, cum sequatur vel sensum Externum errantem, vel imaginationem, ingeniumve vitiose agentia, vel Animi affectus graves, Animamque potenter turbantes, curabitur emendando vitia enumerata, Inprimis dolores ac molestias sensuum externorum corrigendo; *Imaginationis* vero & *ratiocinationis Defectus* solidis rationibus diligenter inculcandis reparando; *Animi* denique Affectus quosvis, ac præsertim *Panicum terrorem* componendo, vide §. xxviij. sequ.

xxvii. *Memoria* quovis modo laboranti non video aliter posse succurri quam conferendo inter se illa quæ supersunt, Et inde deducendo atque concludendo, imo restituendo quæ perierunt: Ubi autem in totum exciderunt omnia, ab ovo erit rerum omnium amissarum idea reparanda, & gradatim aliquid conservandum, quod postmodum serviat.

xxviii. *Metus & sollicitudo anxia*, Ægros mire torquens tolletur, minuetur saltem, considerando omnia pendere à Dei nutu, Ejus misericordiæ sese committendo &c.

xxix. *Corporis Tremor universalis* curabitur exhibitis *Spirituosis*, sed *aromaticis*, quo non tantum *spirituum animalium* defectus reparetur, sed insuper ipsis admista acrimonia temperetur, sicque motus eorundem turbatus ac inordinatus sensim corrigatur, ac redintegretur.

xxx. *Motus convulsivi*, toties in Peste molesti, & ab acribus halitibus salinis, nervorum principia inordinate mordicantibus orti, Curabuntur medicamentis Acrimoniam illam temperantibus, & *spirituosis* & *aromaticis*, & *anodynis narcoticisve* cum cautela exhibitis.

xxxi. *Convulsio* ipsa, vel universalis, vel particularis, ab humore bilioso, vel alias pestilenti valde acri & pituitæ immisto, & nervorum principiis valde adhærente orta, Curabitur medicamentis *aromaticis* præsertim, utrique puta humori conjuncto emendando aptis; quæ potentius agent si sudor simul promovebitur, & *Acida* blanda conjuncta sint; quippe quæ utrique humori similiter conducent.

xxxii. *Lingua Balbutiens*, Tremoris particularis species, præter universalia omni Tremori convenientia medicamenta, citius curabitur si *olea aromatica* grata & potentia, ore detenta, diutius hæreant circa Linguæ radicem, atque hac quoque ratione ipsius noxam potentius emendent.

xxxiii. *Vultus mæstus & oculi lacrymabundi*, inter notabilia Pestis signa enumerata (quamvis peculiarem curam non videantur desiderare) emendabuntur sublatis ejus causis & curata Peste. *Sylvius Append.Tr.2.*

73. *Quam etiam quædam symptomata*) Quæ sui curam postulant, In his sunt.

Æstus.

Æstum mitigant, in specie *Nitrata*, v.g. pro usu interno *Nitrum Antimoniatum*, in potu ordinario dissolutum, ad mens. semis ℥j Aut etiam.

℞. *nitri antimon.* ℈j.
antim.diaphor. ℈ß.
m. pro ij. dosibus. Item.
Arcan.duplic. Item *spir. nitri dulcis* &c.
Externe dissolvatur *Nitrum in succo semperv. major.* & *aceto rosac.*

quibus intinguntur lintea & applicentur Pulsibus, Item fronti & temporibus.

Sed observandum non semper opus esse refrænare calorem nisi ubi modum nimis excesserit: In febribus cum excretione cutanea conjunctis, calor haud facile inflammandus erit, ne motus excretorius impediatur. *Ettmuller.*

Vigiliæ.

Vigiliæ me nunquam sollicitum reddunt, quando primis tribus diebus continuæ adfuerint, *Opio* vis est sudorifica, *Theriac. Diascord. Mithrid.* &c. magna ex parte constituit, quæ etiam, me judice, virtute ea sudorem movendi haud pollerent si eo destituerentur, quo jam gaudent, (*vide Walæum in m.m.*) Imo alexipharmacis ipsis ab Auctoribus annumeratur, cujus singularis vis in omni maligna febre, Et certe haud crediderim Medicamentum ullum reperiri quod tam subito tantum levamen ægro afferre possit quam *Opium*, & de cujus etiam operatione certiora prædicere queant, quicunque frequenter & circumspecte eo utuntur, quam de Opii, Parce nihilominus eo hoc tempore, præter consuetudinem, sum usus, quia somnus primis duobus aut tribus diebus valde est suspectus: At vero ubi ad dies 6. aut 7. Vigiliæ tentaverint, cum virium consumptione, valde profuit sequens, singulo quadrante *horæ*, cochlearis quantitate assumptum, usq; dum in somnum inciderit æger,

æger, Somnus eo producitur placidus & sudor largus.

℞. *aq. prophyl. nostra* ℥iß.
Borrag. ℥j.
cinnam. ʒiij.
conf. hyacinth. ℥j,
Sacch. perlat. dr. iij.
laud. Op. gr. ij. m.

Dicto modo *Opio* uti poteris, Nec est quod hic vel audax nimis in corporibus cacochymicis, debilitatis & ventriculo impuro præditis idem usurpet, Vel meticulosior justo nullo in casu id exhibere contendat, vires enim ejus tibi ignotas esse evidentissime hoc modo declarat. *P. Barbette.*

Vigilias in Peste non valde metuendas esse docuit experientia, nam molestæ quidem erant, sed earum ratione neminem se pejus habuisse observare potuimus: Ac proinde diligenter cavendum esse arbitrati sumus, ne secundum præscriptum *Rondeletii*, *Plateri*, *Angeli Sala*, *Minderern*, aliorumque, Opiatis, aliisque per os exhibitis medicamentis sudoriferis, quanquam levioribus, somnus provocaretur, cum id tuto in hoc fieri non posse morbo tano una cum experientia doceret. *Diemerbroeck. l.3.c.8.*

Capitis dolor.

Sæpius primo die imminuitur, altero tolerabilis est, tertio solo sudoriferorum usu prorsus sublatus est; Ad *laudanum opiatum* antequam deveniam, capitis dolorem sequentibus mediis tollere studeo, Apponatur cervici *hedera terrestris* contusa plantis pedum & volis manuum, hoc aut simile.

℞. *fol. ruta m.* iß.
fermenti acris ℥j
fimi columb. ℥j.
sal. comm. ℥ß.
aceti sambuc. q.s.m.f. Catapl. plantis pedum & volis manuum applicandum. Vel

℞. *Boli Arm. terra sigill. creta vulg. alba ãã.* ℥ß.
aceti calend. q.s.m. applica ut pracedens.

Fronti quoque applicavi quandoque *caryophyll. pulverem spiritu vini* madefactum: Acetum enim nocere censeo, similiter & Emulsiones. *Barbette de Peste p.185.*

Paucissima Capiti Topica applicuimus, eo quod quorumcumque usus in venenato hoc morbo non omnino tutus esset, Interdum quæ adhibuimus aliquantum, sæpe nihil proderant, sæpius nocebant; Omnino evitavimus *oxycoratum, oxyrrhod.* &c. utpote quæ venenatos vapores membranis cerebri firmius affigebant; Actu calida vel tepida vapores in cerebro suscitabant, sed eos non satis discutiebant; Narcotica cerebri vires stupefaciendo debilitabant, ita ut quæcunque topica vix absque periculo adhiberentur. *Diemerbroeck capite 8. lib.3.*

Sopor profundus.

Interdum profundior somnus febricitantes quasi stupidos reddit, Cui resistunt *acet. rosac.* sambuc. sicut etiam *succus ruta aceto* mistus, *item* Castor. aceto intinctum &c. naribus admota, *Vesicatoria* cervici, carpis aut malleolis plicata sunt optima. Vel.

℞. *ibus. baccar. lauri, pip. n. ãã.* ℥ß.
subigantur cum album, ovor. imponatur fronti q.s. & somnolentiam arcebit. *Etmuller.*

Hic sudoriferorum præcipua, *Theriacam, Mithrid. Diascord.* &c. rejicit, quod bona *Opii* portio eorum compositionem ingreditur; & hinc somnum tollere non valent, Præstant sequentia vapores capitis, cordisque æstum & anxietatem repellere apta.

℞. *Sal. ruta, scord. prunell. ãã.* ℈ß.
Tart. vitr. gr. viij.
aqu. prophyl. nostr. ℥j.
meliss. q.s. syr. beton. ℥j.
m.f. Haustus.

Provocetur eo sudor, adstantiumque cura sit ut 1. & 2. die somnus arceatur, modo vires permiserint. *Barbette.*

Hæmorrhagia.

Barbette l. de Peste obs. hist. 2. In quodam peste, & cum hac insuper *hæmorrhagia* die v. vel vj. laborante, non ausus est sudorifera continuare, sed cor confortare, sanguinem incrassare, sicque sanguinem retardare, Hujus gratia ordinavit sequens, de quo sæpius cochlearia duo haurire jussit.

℞. *aqu. rosac. plantag. ãã.* ℥iij.
cinnam. ʒvj.
sangu. drac. corall. r. ppt. ãã. ℈j.
conf. hyacinth. ʒj.
spir. sal. gtt. viij.
syr. berber. ℥iß.

Ex hujus usu hæmorrhagia fuit sedata, sanitas & mens redierunt.

Sitis.

Sitis, perquam molestum symptoma, sedatur convenientissime per *nitrata* & per acidula; Nitrata inter excellit *Nitrum antimoniatum*, in potu quovis dissolutum; quo etiam facit *serum lactis* depuratum, inprimis *succo citri* acidulatum: *Acidula* inter, tam vegetabilia quam mineralia, excellit Julepus ex *aqua comm.* acidulata cum *spiritu salis* & *syr. citri.* Sudorem simul movens; Ex vegetabilibus acidis vulgo notis, *Tamarind. pulpa* aut decoctum conveniens est, ubi alvus simul aperienda venit. *Etmuller.*

Vomitus, Singultus, Cardialgia.

Carbunculis ventriculum atque intestina affici posse, quidam ex cadaveribus apertis docuerunt; Quod si hi *vomitus singultusve* causa non fuerint, mixturæ seq. cochl. j. cujusvis horæ medio frigide assumptum facile tolluntur.

℞. *aqu. mentha prophyl. nostr. ãã.* ℥iß.
cinnam. ℥ß.
conf. hyacinth. ʒj.
salis corall. ℈j.
syr. myrth. ℥ß.
Julep. rosac. ℥ß. m.

Hujus usu vomitus plerumque cessat, inprimis si Oleum sequens ventriculo aliquoties de die applicetur.

℞. *Ol. n.m. expr.* ʒiß.
mac. dest. ʒß.
absinth. ℥j. Misce.

Abstineat interim à potu copioso, & quamprimum vomitus est sedatus, sudoriferum præscribere soleo. *Barbette.*

Sal absinth. ad ℥j. *datum* valde prodest in vomitu & nausea febrium, Item *conserva mentha*, *Extr. tormentilla* est egregium. *Etmuller ex Barbette Tract. de Peste.*

Si *Singultus* morbo adjungeretur, multa huic remedia adhibere necesse non erat, nam tales ægri omnes cito moriebantur, Neque ullum singultientem medicamentis, etiam plurimis diligentissime adhibitis, servari potuisse vidimus, Ratio erat, quia causa ejus tolli non poterat. *Diemerbroeck.*

Ab obsesso videlicet Anthrace ventriculo.

Alvi Fluxus, Tormina Abdominis.

Curat in specie *Diascord. Fracast.* à ʒj. ad ʒij. propinatum, Item *Essentia theriac.* ad gtt. xxx. vel xl. Item *Extr. theriacale* ad gr. iij. vel iv. *Anodyna* autem & *Opiata* sunt

optima, quibus addantur & absorbentia, nempe *c.c. ustum, bolus arm. terra sigill. crystall. prapar.* cum *conserva ros.* antiqua propinata, Item *Extr. tormentilla*, ac similia *Cydoniata* quæque sunt usitatissima. *Etmuller.*

Instantis plerumque mortis nuntius est, Non raro tamen, ubi nec solus sanguis excernebatur, nec materia sanguinea, sequentia profuisse expertus sum, Abstineat Æger & Medicus ab omnibus acidis salsisque, magni alias in Peste usus, ut & à potu liberaliore, Sitim vexantem si tolerare nequeat; sumat æger mixturæ hujus cochl. 1. 2. 3.

℞. *rad. torment.* ℥j.
fl. ros. r. p. j. ras. c. c. ʒß.
sem. acetosa myrtill. āā. ʒj.
coqu. ex aqu. ferrata, colat. ℥ix.
adde confect. hyacinth. ʒj.
syr. myrtin. ℥j. *m.*

Sola *theriaca* multis quoque profuit, si singulis quatuor horis particula ejus assumatur, usque dum ʒj. absumpta sit, sequens etiam cochleatim exhibitum.

℞. *Diascord. Frac.* ʒij. *carabes* ℈ß.
corall. r. prap. sangu. dracon. āā. ℈j.
margar. prapar. ℈ß.
aqu. fœnic. ℥j.
plantag. rosar. āā. ℥ß.
syr. de symph. Fern. ℥j. *m.*

Enemata adstringentia, exsiccantia atque emollientia, valde hic necessaria sunt, imo quovis sæpius die bis terve iniicienda.

℞. *rad. consol. maj.* ℥j.
bistorta torment. āā. ʒiij.
fol. querc. m. ß.
flor. balaust. ros. r. āā. *p. j. sem. anis.* ʒiij.
coqu. ex lacte vaccino ustulato, in colat. ℥viij.
dissolve tereb. Ven. ʒij.
vitell. ovi n. j troch. alb. Rh. ℥j.
mell. mercur. ℥ß.
ros. col. ℥ß.

Faex vini albi, ac magis *rubri*, abdomini calide illita insigniter profuit, linteo quadruplicato super imposito. Alias Linim. & Emplastr. sequens usurpari potest.

℞. *Ol. mastich. nuc. mosch. expr.* āā. ʒj.
aneth. absinth. myrtill. āā. ʒij.
theriac. vet. ʒiij. m.

℞. *boli Arm. thur. mastich. sangu. drac.* āā. ʒij.
mumia ʒiij. *pulv. gallar.* ʒiß.
sem. dauci, levist. anisi, myrtill. āā. ℈j.
ol. nucista expressi ʒiij.
terebinth. Ven. q. s. f. Empl. Barbette.

Lingua siccitas.

Si ardor internus magnam *lingua siccitatem & nigredinem* induceret, in principio hujus Pestis os variis collutionibus ablui curavimus, Sed temporis progressu animadvertimus *solam aquam simplicem* in hoc casu plus profuisse quam omnes alias collutiones, cui nonnulli *acetum* adiiciebant; quod etsi linguæ gratius esse videretur, illud tamen incommodi ab eo sequebatur, quod statim post ablutionem longe major sitis ac linguæ siccitas succederet.

Si *lingua obduceretur nigra crusta*, quæ sæpius loquelam & deglutitionem impediebat, tunc multoties de die butyri recentis insulsi, in aqua *simplici* vel *rosacea* loti, frustulum magnitudinis fabæ, solum aut *sacchara* involutum, in ore dedimus, quo plerumque brevi tempore separata crusta à lingua secedebat, & loquela citissime restituebatur.

Mindererus loco *butyri* simplicis sumit *butyri rec. aqua rosac. loti* ℥ij. *salis prunella* ʒß. eaque mista in aqua frigida servari jubet; Alii *lac dulce* calens gargarisare jubent, quod dolorem lenit, inflammationem temperat, linguam & fauces humectat, & venenum attrahere putatur, Alii præferunt usum *seri lactis*, Alii lac ebutyratum, Alii ejusdem serum commendant. *Diemerbroeck.*

Anxietas, Virium debilitas, Vomitus.

In hac Peste summa *Idebilitas & Anxietas* Sudoriferorum medicamentorum assumptionem, & enormis *Vomitus* eorundem retentionem sæpe omnino impediebat, ita ut vix cochleare unum medicamenti necessarii paulo ingratioris exhiberi & retineri posset; His malis præcipue duobus tribusve remediis obviam ivimus, quæ ad *Anxietatem, Virium debilitatem*, & *Vomitum* miraculose profuerunt, Primum erat hæc mixtura, de qua sæpius de die cochleare unum dedimus.

℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥iß.
diascord. Fracastor. ʒiij. vel iv.
aqua nostra theriac. ℥iv.
succi limon. recent. aqua cinnamomi, āā. ℥iß.
misceantur simul & stent per horam unam aut alteram, dein per linteum colentur, Adde colatura confect. de hyacintho sine moscho ʒj. *misce.*

Secundum erat hoc *Linimentum.*

℞. *Olei nuc. mosch. expressi, olei scorpion.* vel *Laurini, theriac. Androm.* āā. ʒj.
olei junip. ℈ß. *succini* ℈j.
caryoph. vel cinnam gtt. iij. Misce.

Hujus Linimenti parum in cochleari tepefactum scrobiculo cordis, locisque circumvicinis ad latitudinem palmæ manus inungebatur, bis terve de die superponendo hanc pastam ad ignem calefactam.

℞. *radic. calami aromat. nuc. mosch.* āā. dr. j.
caryophyll. benzoini āā. dr. j.
fol. mentha dr. ij.
subtiliter pulverisatis adde mica panis secalini ℥iij. vel iv. *aceti rosac. q. s.*

Fiat Pasta molliuscula, quæ in linteo extenditur, atque ita ad ignem calefaciat, & ventriculi regioni imponatur

Interdum etiam talem Nodulum naribus objecimus.

℞. *cortic. citri* dr. iij,
cinnam. caryophyll. granorum cardam minor. āā. dr. j.
macis ℈ij.
contundantur aliquantum & fiat Nodulus sequenti liquori immergendus.

℞. *aqua rosar. vini Rhenani generosi, aceti sambuc.* vel *aqua cinnam.* āā. ℥j. *misce.*

Talis Nodulus deficientes spiritus insigniter recreabat, Præter hæc nullo alio Topico in hoc casu usi sumus, cum his solis vomitum & anxietatem utplurimum brevissimo tempore sedari animadverteremus: Sedatoq; vomitu sudoriferum dedimus.

Celsus, *Rondeletus*, multique alii, Vomitum in Peste judicant non esse coërcendum, sed potius vomitoriis exhibitis continuandum, & naturam hoc modo adjuvandam, ut noxiam malignitatem citius & facilius excludat, juxta *aphor.* 1. 21. *Quo natura vergit eo ducere oportet*, Verum hic aphor. non convenit huic loco, nisi altera ejus pars addatur, nempe, *Si vergat per vias lege natura commodas*, Atqui evacuatio quæ fit in Peste per vomitum non fit per vias lege naturæ commodas, Ergo &c. Probatur minor, quia evacuationes per commodas vias fiunt cum levamine, sed Uomitus in Peste fit sine levamine, imo utplurimum in ægrorum perniciem: Ad hæc natura ipsa docet alio ducendum esse, nempe à centro ad peripheriam: eumque motum fieri cum levamine docet experientia, Exemplo sunt Sudores, Bubones & Anthraces.

Dicendum ergo vomitum vomitoriis optime sedari & curari posse, cum producitur ab humorum putredine,

dine, vel acrimonia, vel copia, In Peste autem Vomitoria non prodesse, sed noxia esse, quia ille vomitus non oritur à talibus causis, sed potius à venenata pernicie naturæ robur dissolvente, & non in ventriculi cavitate contenta, sed cordi firmissime affixa; quod Cor ob viciniam ventriculum etiam in consensum trahens & inficiens vomitum inducit; Cum vero per hunc vomitum, quantumvis evacuatis excrementitiis humoribus, illa maligna pernities à corde detrahi nequeat, ex tali vomitu non modo nullum levamen, sed magna virium dejectio sequi, & quo magis ille urget, tanto magis impendere periculum necessario debet; *Diemerbroeck c. 9. lib. 3.*

Sopor profundus.

Sopor in principio Pestis maxime damnosus & mali ominis erat, inprimis si eidem se committerent ægri ante Antidoti exhibitionem; nam ea ratione pestilens venenum firmius cordi infigebatur, & sopore obruti cerebri vires fatiscebant.

Contingebat autem, quia cerebrum à malignis vaporibus debilitatum tum paucos generabat spiritus animales, qui non sufficiebant ad actiones animales peragendas; atque hinc ab istorum defectu, in organis, actionibus animalibus dicatis, quies contingebat, qui erat Sopor; Adhæc debilitatum cerebrum se multo debilius movebat, sicque per consequens etiam spiritus multo minus agitabat & propellebat, hincque dictorum organorum actiones etiam lente & graviter procedebant.

Quapropter nos, ut spiritus animales melius agitarentur ac moverentur, sopores omni modo impedivimus, ne per admissam quietem tandem omnino immobiles sisterentur spiritus.

Ad soporem impediendum multi varia præscribunt *Topica*; alii *acetum solum*, alii *acetum camphoratum*, naribus odorandum obiiciunt, alii in eodem *angelicam, zedoariam, baccas lauri, betonicam, rosmarin. rutam, castoreum*, & similia coquunt, tuncque illud naribus admovent, eodemque etiam tempora fricant: *Paracelsus lib. de Peste ad Sterz.*, hoc commendat.

℞. *betonicæ, majoranæ, salviæ, rosar. sylvestr. florum sambuc. ãã. man. j. vini aceti rosac. ãã. part. æqu. coquantur aliquantum, post herbæ exprimantur, calide capiti imponantur.*

Hoc remedio, dicit *Paracelsus*, somnum lethiferum mitescere & naturalem fieri, dummodo sæpius iteretur, & herbæ frigefactæ eidem liquori calido immersæ identidem rursus calefiant; Alii brachia & crura panno laneo fortiter fricare, & *aceto rosaceo camphorato* humectare: Item sternutatoria cum pauxillo *castorii* naribus inflare jubent; Alii *linimenta ex oleis stillat. succini, rutæ, majoranæ*, rosmar. & similibus conficiunt.

Verum tantus hic labor non admodum necessarius, saltem ad curationem soporis non primarius videtur, nam sublata causa soporis, nempe vaporibus malignis ad cerebrum ascendentibus, tollitur effectus; illa autem per sola Topica auferri nequit, Uno modo optime aufertur, nempe per antidota sudorifera exhibita, quæ malignitatem non tantum coërcent, sed noxios vapores etiam à nobilioribus visceribus optime divertunt, atque per cutis spiracula expellunt & discutiunt. Quapropter his præcipue toties & tandiu utendum est, quousque hunc ascensum malignorum vaporum ad cerebrum cessare effectus demonstrabit, Si interim prædicta quoque Topica adhibere quis velit, non male id fiet, dummodo ab iis solis sanatio non expectetur. *Diemerbroeck libr. 3. cap. 8.*

Hæmorrhagia Narium, Menstruorum fluxus, Hæmoptysis.

Hæmorrhagiæ qualescunque in hac nostra Peste admodum periculosæ & necessario quam citissime sistendæ erant, In Narium hæmorrhagia statim *Topica* refrigerantia & adstringentia fronti & cervici applicavimus, Petias crassas pulveribus & aquis adstringentibus imbutas in nares immisimus; Ægros, quantum fieri poterat, erectos posuimus, Extremas partes fricavimus & ligavimus, scapulis, dorso & pedibus cucurbitulas siccas imposuimus; His tamen omnibus non obstantibus sæpe sanguinis fluxus sisti non poterat; atque tunc in desperata re ad desperatum auxilium interdum concurrebatur, nempe ad venæ sectionem, per quam tamen neminem servatum vidimus.

In nimiis & intempestivis *menstruorum profluviis*, statim ad antidota adstringentia, *bolum armenam*, terram *sigillatam corall. rubr, cornu cervi ustum* &c. concurrendum erat, quibus fluxus ille sæpe sistebatur, inprimis si ab aliquo fluxus principio talia adhiberentur.

Ad *sputa cruenta* medicamentis opus non erat, nam hæc ægros brevi occidebant, nec ulla remedia huic malo inveniri poterant, cum quo unum solum in tota hac peste servatum novimus.

Multi Medici existimant Hæmorrhagias Pesti supervenientes esse criticas, ideo non esse cohibendas, sed potius promovendas, Sed errant, nam bona crisis fit vi naturæ & in salutem ægri: easque in hac Peste adeo perniciosas fuisse observavimus, ut si in principio non statim sisterentur postea nullis mediis sisti possent: Ratio erat, quia dum natura debilis per hanc perversam viam venenum pestilens, cordi & spiritibus vitalibus maxime inhærens, frustraneo conatu deponere conabamur, boni & laudabilis sanguinis tamen quantitatem expellebat, ut simul virium, vitæ & morbi finem faceret.

Medici quidem quidam Galli scribunt anno 1560. febres Pestilentes, fluente è naribus sanguine copiosissimo, eoque fere florido, magna ex parte fuisse judicatas; Et ex his quibus ad lipothymiam usque sanguis profluebat, paucos evasisse, & quibus ad revulsionem vena in brachio secta fuit; Eos vero qui totum negotium naturæ committerent, & alimentis ac cardiacis prostratas vires resarciebant, omnes fere sanatos fuisse, quamvis vehementes & graves viderentur animi defectiones: Dicimus hanc observationem non esse nostræ contrariam, nam hæ Febres Pestilentes proculdubio ortæ fuerunt à venenata qualitate, ex humorum insigni putredine vel corruptione resultante, non autem à veneno aëreo forinsecus corpus intrante, à quo vera Pestis inducitur, quod venenum nulla sanguinis evacuatione educi posse docuimus: Illam autem venenatam qualitatem, quæ ex gravi humorum corruptione resultat, tam arte per V. S. quam naturæ vi, per hæmorrhagias criticas expelli, imminui, detrahi, & extingui posse, præter rationem docet etiam experientia, Nam V. S. in Febribus pestilentialibus primarium remedium, & verum alexipharmacum esse scribunt Medici.

Ad Hæmorrhagias, sive *narium*, sive *menstruorum* sistendas maxime commendatur *lapis Hæmatites*, quem in manibus detentum, donec incalescat, sæpissime periculosissimas hæmorrhagias stitisse referunt, Nos tamen nullum optatum successum inde videre potuimus, forte propterea quod verum lapidem habere non potuerimus, *Christ de Cock Van Kerck* l. de Peste dicit *Bufone* nullum dari excellentius remedium quod hæmorrhagiam citius compescat: utitur *Pulvere Bufonis exsiccati* quem naribus indit; Alii Bufonem exsiccatum, & syndone involutum manibus detinent donec incalescat.

Sputa cruenta, quamvis in multis visa fuerint, tamen valde communia non erant: Sicut illa tempore Mart. anno 1348. maxime communia fuisse, ac diris furiis toti quinque annis peragrantia, ingentem mortalium stragem dedisse scribit *Fracastorius* in *Syphilide* lib. 1. *Diemerbroeck lib. 3. c. 10.*

Alvi Fluxus.

Alvi fluxus ægris Peste correptis superveniens semper ingens periculum minabatur, Ac proinde non expectandum (quod tamen multi opinantur) neque solis amygdalatis (quæ in hoc casu semper maxime noxia fuisse observavimus) *dolores* sedandos, sed statim, si ægri ullo modo quicquam assumere possent, fluxum medicamentis sedandum esse, præter rationem etiam docuit usus.

Quem in finem usi sumus sudoriferis adstringentibus aliquoties repetitis, Nec non pulveribus antidotalibus & conditis quoque adstringentibus; ac malignitati resistentibus; Ac talibus medicamentis interdum in principio sistebatur ille fluxus, cum alioqui transgresso principio nullis remediis sisti posset, sed ægros secundo flumine ad æternitatis habitacula deferret, Natura enim totam malignitatem qua data porta expellere nitebatur, hinc bonis æque ac putridis humoribus, fermentatione effervescentibus, sicque effluentibus, maligna interim labe cordi aliisque visceribus firmius infixa manente, vires ad extremam debilitatem brevi concidebant, unde quoque tandem ipsa retentrix facultas adeo sui impotens evadebat, ut naturæ impellenti resistere nequiens, nihil amplius retineret; imo laxatis vasorum interiorum extremis osculis, etiam sanguinem per alvum & urinam effluere sineret; quem fluxum brevi mors sequebatur. Neque ullus in tota hac Peste evasit, cui sanguis per has vias effluxit.

Quæ autem de *Vomitu* mota fuit quæstio, eadem etiam hic movetur, nempe *Quo natura vergit, eo ducere oportet, per loca lege naturæ commoda*, Ergo evacuatio quæ fit per intestina, cum fiat per loca commoda, & natura eo vergat, non erit sistenda aut impedienda, sed potius adjuvanda & magis promovenda.

Præter solutionem super hoc dubio datam, dicimus prædicto aph. opponi *sect. 4. aph. 2. Talia educenda è corpo qualia sponte prodeuntia utilia, quæ vero contrario modo prodeunt cohibenda*: Nam in curatione ægrorum præter cætera semper est habenda ratio morbi & causæ morbi, Ex qua observatione facile liquebit non omnem spontaneam evacuationem per intestina omnibus morbis esse convenientem, nec per eam semper talia evacuari qualia decet evacuari (nempe primariam morbi causam) Istam quoque viam in multis morbis (variolis, morbillis, Peste) commodam non esse lege naturæ; sed ipsam naturam, vel nimis debilitatam, vel à materiæ morbificæ copia nimis gravatam, vel à materiæ venenositate, aliave prava qualitate, acriter stimulatam, interdum in perversum motum impelli, & per inconvenientes vias evacuare humores quos non convenit evacuari, idque magis in ægri exitium quam morbi exilium.

Vt autem certo cognosci possit anne in morbis excernantur qualia decet, per vias lege naturæ commodas, jubet *Hippocr. 1. aphor. 2.* non copia & numero metiri excretiones, sed prout conferunt, & ægri ferunt ex facili, In Peste autem excretiones per alvum difficulter ferunt ægri cum summa, citissima & periculosissima dejectione, Ergo non evacuantur qualia decet, neque fit ista evacuatio per loca lege naturæ commoda, Quod ipsum *Hippocr. 4. aphor. 47.* agens de alvi & urinarum excretionibus, apertissime explicat, inquiens, *Si vero nihil quod allevationem affert per ea loca excludatur, calamitosum*, Contra quæ per sudores, anthraces, & bubones contingunt evacuationes, illæ fiunt cum salute ægrorum, & facile feruntur, ergo evacuantur qualia decet, per vias commodas.

Concludimus igitur in Peste non esse indulgendum alvi fluxui (quicquid dicant qui lupum in stabulo non esse concludendum clamitant) sed eidem quam citissime resistendum, & naturam impellendam esse ad debitas excretiones, per vias in tali morbo convenientes, quales viæ sunt illæ quæ ducunt à centro ad peripheriam: Neque credendum est tali modo lupum in stabulo concludi, sed eundem, qui antea perversa via exitum quærens stabuli parietes perfodiebat, hoc modo per rectam partem citissime expelli.

In Peste *Alvi fluxus* per sudorifera & anodota adstringentia est cohibendus, Non enim quælibet Sudorifera & adstringentia hic conveniunt, sed talia quæ speciatim pestilenti venenositati resistunt, eamque aliorsum per commodas vias à centro ad peripheriam educunt; Sic *Riverius* scribit se observasse in Febribus Pestilentibus alvi fluxus perniciosos, cum quibus ægri ad interitum ruere videbantur, potentioribus diaphoreticis, magna dozi exhibitis, quasi in momento cohibitos fuisse, fugato scil. veneno, quod intestina aliaque viscera vellicando fluxum illum symptomaticum efficiebat, *A. Pareus, l. 1. cap. 40.* ad hos fluxus unice commendat sequens remedium, à *Capellano* Medico Regio traditum.

℞. *Bol. Armen. terra sigill. lapid. hæmat. ãã. ʒj.*
picis nav. ʒß.
corall. rub. margar. præpar. c. c. usti & loti in aqua plantag. ãã. ℈j.
sacchari rosac. ℥j.
fiat Pulvis.

Hujus Pulveris exhibet ægro cochleare unum ante cibum, vel cum *vitello ovi*.

Eust. Rudius in hujus fluxus curatione plurimum extollit *Scordium, Art. med. l. 3. cap. 30.* una cum *sacchari ros.* aut conserva cetosæ exhibitum dicit insigniter putredinem restringere, & succorum venenatæ qualitati potenter resistere.

Angelus Sala lib. de Peste, reliquis non conferentibus, tale *Enema* parare jubet.

℞. *Caput ovillum recens & crudum, secetur in ij. partes, & abscissa lingua coquatur cum cerebro in aqua q. s. donec caro ab ossibus separetur, coletur brodium*, cui mox infunde *summit. hyperici man.* ij. *vel* iij. *rad. tormentill. grosso modo contusar. ℥j.*
ponantur ad cineres calidos per iij. *aut* iv. *horas; post fiat colatura*, quæ sine rebus addios in forma clysteris ægro *injiciatur, mane vesperique*.

Hujus Clysteris, *inquit*, effectus invenies mirabiles, quia liquor iste superat alia omnia, quoad fluxiones desperatas.

Illud sæpissime observavimus, si alvi pestilens fluxus in ipso principio non sisteretur, postea plane incurabilem in omnibus fuisse, & quidem si principium sine contrariorum medicamentorum assumptione transierat, illos omnes cito obiisse. *Diemerbroeck.*

Lumbrici.

Lumbrici, qui in multis Pestiferis apparebant, maximæq; putredinis adjunctæ indicium erant, curationem particularem non expetebant, nam pleraque omnia antidota, aliaque medicamenta diaphoretica & putredini resistentia, quibus ratione veneni pestilentis utebamur, etiam lumbricos, statim enecabant & expellebant, eorumque generationem impediebant; Interdum tamen speciatim pulverem aliquem ad vermes exhibui, inprimis si animadverterem lumbricos copiosos in intestinis adesse. In quem finem hujus pulveris ℈ij. vel ʒj. cum aqua conveniente exhibui.

℞. *c. c. usti, corallin. præpar. semin. zedoar. flaved. cortic. citri ãã. ʒj.*
f. Pulvis. *Diemerbroeck.*

73. Etiam *quædam symptomata*) Inter quæ est *menstruorum fluxus*, de quo notanda quæ habet *Diemerbroeck.*

In Peste *Noviomagensi*, inquit, menstruorum fluxus

criticus

criticus (qui alioquin salutaris esse solet) periculosus erat; nam multoties observavimus, si in ipso principio antidotis adstringentibus) statim ad ea confugiendum erat) paulatim non cohiberetur, quod postea utplurimum nullis remediis coërceri posset, sed ægros dejectis viribus citissime occideret; Mulier xxx. ann. Peste correpta carbunculum habuit in latere dextro supra costas spurias: aderat etiam febris cum maxima anxietate; sumpsit varia sudorifera & antidota, in quibus non obstantibus morbis in eodem statu continuavit usque ad diem quartum, tuncque menstruorum fluxus copiosior accessit, extra ordinarium periodi tempus; hinc tale sudoriferum exhibui.

℞. *corall. rub. præp. terræ sigill. c. c. usti ãã.* ℈j.
diascord. ʒj.
aqu. theriac. aceti vini rubri ãã. ℥j. m. *pro Haustu.*

Jussi etiam ut sæpius comederet de hoc Condito.

℞. *spec. triu̅m sant.* ℈ij.
troch. de terra sigill. ℈iß.
flor. sulph. ℈j.
conserv. anthos. ʒiij.
conserv. rosar. rubr. ʒv.
diascord. dr. iß.
syr. granat. acid. q. s. f. Elect.

His duobus medicamentis fluxus ille paulatim rursus imminutus est; sed tamen ante diem v. non omnino substitit; Ægra evasit. *Isbr. de Diemerbroeck. lib. 4. de Peste histor.* 13.

74. *Kircherum*) Ex cujus sententia Pestis venenum consistit in *animato seminio*, Aër repletus est vermiculis, tunc temporis plurimis, qui illati & hausti massam sanguineam destruant, & phænomena omnia producant; At ut concedamus repertos esse in cadaveribus peste defunctorum vermes copiosos in ventriculo, unde retur vim omnem bezoardicam adscribendam uni soli huic causæ, quod vermibus & verminosæ putredini adversentur: Nec negandum sit posse animata seminia & in aëre & in corpore reperiri, imo in quibusdam reperta esse actu: Posse item à vermibus symptomata enormia excitari, quin ipsa bezoardica esse simul anthelmintica; Exinde tamen concludere non licet, quod vult, Pestem & febres malignas unice ab animata putredine esse oriundas; Neque enim 1. phænomena comitantia tam diversi generis ex hac hypothesi possunt derivari, non Bubones v. g. non Carbunculi, præcipua pestis signacula: Vis corrosiva, fermentativa, vaporosa gravior est quam ut possit per verminosam putredinem explicari firmiter; 2. quia illa ipsa animata putredo non tam producens est quam productum; ubi enim putredo, ibi facile vermes generantur, adeoque posito illos dari, & reperiri in his subjectis, quod tamen universaliter verum non est, potior tamen ratio habenda erit cacochymiæ tanquam causæ, quam ejusdem effectus, *Wedelius Am. m. m.* 321.

Finis Libri Primi.

THESAVRI MEDICO-PRACTICI

SIVE

SYNTAGMATIS NOSOCOMICES SPECIALIS

JOHANNIS JONSTONI

Explicati, & Commentariis ex variis Authoribus depromptis Illustrati.

LIBER SECVNDVS.

DE I. MORBIS CAPITIS.

TITVLVS I.

De Morbis Cerebri.

CAPVT PRIMVM,

De Intemperie Cerebri Sine Materia.

HACTENVS erant Morbi universales: sequuntur *Particulares*; & hi vel *non venenati*, vel *venenati*, vel *cujuscunque ætatis & sexus*, vel *virorum*, *mulierum*, aut *puerorum*, Ad illos, *Capitis*, *Medii* & *Infimi ventris* morbi pertinent. Morbi Capitis sunt vel *Cerebri*, vel *Oculorum*, vel *Aurium*, vel *Narium*, vel *Linguæ*, vel *Labiorum*, vel *Faciei*, vel *Oris*, vel *Dentium*, vel *Gingivarum*, vel *Maxillarum*, vel *Gurgullionis*, vel *Tonsillarum*.

2. Morbi Cerebri sunt, 3. *Intemperies*, *Meatuum angustia*, *Commotio*, *Inflammatio*, *Hydrocephalus*, *Contusio*, *vulnera & fractura*.

4. *Intemperies* 5. vel est *sine materia*, vel *cum materia*.

Intemperies cerebri sine materia, est ejusdem à sua temperie per causas externas declinatio.

Signa & *causas* in Differentiis vide.

6. *Curatio* absolvitur *Alteratione* & *Purgatione*, ne, si corpus sit vel plethoricum vel cacochymicum, plus attrahat vaporis.

1. *De morbis capitis*) Affectus Capitis sic dividit *Fr. Joel*, morbi & affectus Capitis aut sunt in *Meningibus*, Cephalæa, Hemicrania; aut in *substantia cerebri*, ac ratiocinationem lædunt, ut Phrenitis, Melancholica insania, Mania, Memoriæ læsio, Soporosi affectus, Aut in *cavitatibus cerebri*, & sensum ac motum lædunt, ut Vertigo, Epilepsia, Apoplexia, Paralysis, Convulsio, Tremor, Incubus, Catarrhus: Aut in *Integumentis*, & *partibus cutaneis*, ut Alopecia, Ophiasis, Capillorum defluvium, Phthriasis, Achores, Vulnus cranii.

2. *Morbis capitis*) Humanorum morborum radix Caput est, ex eoque maximæ ægrotationes adveniunt, cum enim toti corpori incumbat, eorum omnium quæ ingeruntur reliquias, & tenues humores non secus ac cucurbitulam attrahere contingit. *Hippocrates Epist. ad Demetrium Regem.*

Nescio qui fiat ut morborum Cerebri & notitia & curatio difficillima sit: Notitia quidem, quoniam multi Convulsi sunt, Pavoribus consternati, Phrenitide, Apoplexia, Epil. sublati, Lethargicis affectibus oppressi,

Side-

Sideratique in quibus nullum fere vestigium mali, aperto cranio, inventum est, nec sanguis, nec aqua nec ichor, quanquam Medici qui historiam morbi vidissent, & terrifica symptomata observassent, certo affirmarent, sibique persuaderent, se aut inter membranas, aut in cavitatibus, aut alia in parte, aut abscessum, aut sanguinis, aut aquæ copiam deprehensuros: ut tanto cautiorem prudentioremque Medicum esse oporteat, & in investigandis rerum causis diligentiorem, quanto res sunt abditiores: Adeo est obscura morborum Capitalium ratio & evolutio difficilis: Curatio quoque non minore difficultate est involuta, quoniam nec Topica vires suas integras in Cerebrū exserunt; nec assumpta innocue à capite causam mali amoliri possunt, præsertim si ea penitius Cerebro hæret, & si ipsum κατ' ἰδιοπάθειαν laboret: si enim Sympathia, non tantis difficultatibus res implicatur. *Idem Bellonius Hist. 2 l. 2. & cons. 71 l. 1.*

2. *Morbi Cerebri sunt*) Cerebrum passiones plures, & inter se admodum diversæ, juxta partium ipsius discrimina, infestant: Morbus siquidem *membranas* aliquando tenet; nec raro *Vasa* obsidet, quandoque & *substantiam glandulosam*, seu parenchyma afficit, vel etiam *Medullam*, & hanc rursus circa *nervorum scaturigines*, aut penes *ventriculos* & *cavitates*, vel *eminentias*, in quas medullam cerebri ad actiones & usus conformari diximus.

Hinc symptomatum myriades, cum usus & actionum læsarum, & excretorum retentorumque p.n. leges, ac denique morborum omni, tum in Intemperie, tum in Conformatione, & vitiata partium Continuitate, quos dicta symptomata, pro dignitate partis, quæ læditur, & actionum præstantia, magni semper facienda sequuntur.

Et quidem *membranas* sæpe, præsertim *Duram*, Inflammatio invadit &c. (De morbis conformationis vide infra cap. 5. *Est ejusdem vel membranarum* & cap. 2. §. *Serosa cerebri intemperies*) Solutiones quinimo continui, ut *Vulnera*; & quæ causam internam semper agnoscunt, *Ulcera*, duram membranam non raro divexant, & dire afficiunt, dolet enim pars sensu exquisitissimo prædita, subjectamque membranam in consortium passionis trahit; hæc vero sensum tristitiæ partibus plerisque cerebri, aliquando etiam omnibus impertit, unde labes gravior cerebri, & actionum prope omnium corruptio, aut defectus.

Intemperies quoque omnium generum, cum & sine materia Dura membrana patitur; *Abscessu* quoque rapi & sphacelismo membranam eandem corripi impossibile non est.

Parenchyma autem Cerebri morbos cujuscunque generis patitur, eosque partibus reliqui corporis communes, quibus per nervos conjungitur, unde ægritudinum gravissimarum atque lethalium fons & radix: Primum enim à propria *temperie*, & modis pluribus, non raro deflectit; nunquam vero sine labe spiritus influentis à corde, qui male dispositi visceris spatiola præterfluens, aliter quam par sit pro actionum integrarum functione mutatur, & aut nihil omnino alteratur, & neque contemperatur, si calida fuerit intemperies cerebri; imo acrius accenditur & æstuat; quo casu depravationes in sensu fiunt, ac proinde perturbationes in motu animali, seu voluntario, quales in deliriis cum furore & assiduis vigiliis observamus: Vel contra plus æquo spiritus refrigerantur & torpent, si substantia cerebri morbo frigido laboret &c. Intemperie autem cum materia laborans substantia cerebri, morbo premitur duplici, Organico videlicet & Similari: Male itaque tunc molis suæ incrementa, viscus magnitudinis determinatæ tolerat; gravius quidem cum adauctæ quantitati qualitatis præcellentia adjungitur.

Quod autem Inflammationes ex se cerebrum & in propria substantia admittat, Erysipelata quoque, Scirrhos & oedemata, ostendit *Hippocr.* 3. *de morbis*, quos morbos compositos, vitia figuræ atque meatum necessario iterum componunt; quomodocunque enim repleatur cerebri substantia, vias atque meatus obcæcari contingit, per quos sanguis & spiritus natura in penitiora visceris, & in caudicem ipsum medullarem feruntur, à quo nervosum genus scaturit; quare illis interceptis Sensus omnes oblædi; Motum etiam sensitivum; ut ita dicam, & voluntarium vitiari necesse est: quas quidem læsiones labes functionum naturalium sponte sequitur, perit enim in partibus sensus, aut saltem fatiscit, & cum eo appetitus etiam alimenti; hinc nutritio depravatur vel tollitur.

Abscessus etiam parenchyma cerebri admittit, quamvis diu non toleret, cū 3. die aut 5. patiens extinguatur; Fiunt autem *Abscessus* tum penes corticem, tum in subjecta expansione medullari, quæ abscessu gravata protinus hominem perdit, dum ictus velut sidere corruit; *Vide Hippocr. l. 3. de morb.* Sed & *ulcera* cerebri parenchyma aliquando affligunt.

Elongata quoque *medulla* morbis innumeris opportuna; Illam quippe afficiunt intemperies quælibet, *Tumores* pariter & *Meatuum* vitia, *Continuus passiones* non minus quam reliquas partes cerebri: Impedimenta quin etiam viarum, sive canalium, cum ex pondere partium circumstantium, aut eminentium, tum exsiccatis iisdem, inopia humorum unlium; tum etiam ex obstructione à materia crassa, infuera medullæ, unde symptomata pariter in sensu, & admodum diversa sequuntur, Viæ namque plures, diversæ genere, varie affectæ, diversos etiam affectus pariunt.

Collecta igitur copiosius in *ventriculo*, aut ibidem diutius conclusa copia seipsam aliquando inculcat, ac prohibet quominus per infundibulum libere defluat in Glandem pituitariam, tunc enim ventriculi graves lympha influentem denuo non admittunt, quæ propterea in substantia cerebri p. n. stagnans, mole sua gravis evadit, & cerebro, ex se humido, flacciditatem inducit naturæ molestam.

Hæc insuper vasis onerosa, & partibus, iter naturale spiritibus intercipit; qui ex arteriis in substantiam visceris transfusi, per meatus ejusdem libere transcurrere debent; hinc in sensus operibus imminutiones, subinde etiam detrimenta motus, & aliquando abolitiones, succedunt, sanationis ideo difficilioris, quod occulta semper causa affectionis individua comes est. Quod si Lymphæ, utcunque utili succo, excrementitium quidpiam commisceatur, sive ex malitia sanguinis, sive ex cerebri morbo, dictum phlegma à substantia spirituali debilius secernentis, rima illa, ducens ad infundibulum, facilius adhuc obstruitur, non dispari damno cerebralis substantiæ, & spirituum per ipsam commeantium, qui fœda excrementis spatia permeantes, puritatis pristinæ multum amittunt.

Ventriculorum latera quoque, sive parietes, Tumoribus corripi difficile non est, aut impossibile, probante casum experientia: Corripitur etiam morbo simili *Glans Pinealis*, quæ cofacilius *inflammatur* quod arteriolis perfunditur innumeris; unde ostium quoque posterius Ventriculi, *Anus* videlicet, obstruitur, hinc descensus lymphæ intercipitur, & prohibetur in spatium commune, & quidem angustissimum, ad Infundibulum vergens.

Quinimo irritati parietes, & partes quæ in ventriculis continentur, ab antra acri, vel quadam aliaratione molesta, sive à partibus in iisdem contentis eleventur, sive ab inferius per arterias primum assurgat, & subinde per cerebri spatia in penitiora se

insinuet, concuti consueverunt; Ita, nec aliter, *Epilepsia* fit, qua homo sensu illico privatur perturbato spirituum motu; aut quomodocunque impedito, qui per rimas cerebri, & occultos meatus, in nervorum radices contendunt: subinde convulsiva agitatio corporis, illi omnino similis quæ in morientibus observatur, ad amussim respondens motus p.n. in principiis nervorum, sensu enim præditi ventriculorum parietes, ea quæ officiunt protinus sentiunt, & extrudere conantur, quibus musculorum fibræ consentientes, corrugantur & concutiuntur. *Molinetti Dissert. Anat. Pathol. c. 23.*

3. *Intemperies*) Δυσκρασία, ἢ ἀκρασία (sæpe enim apud *Hippocratem* idem significant, *teste Foesio*, significant declinationes temperamentorum inæqualium à primo illo, quod ἴσον, μέσον, æquale & medium dicitur; *Hofmannus Inst. l. 3. c. 11.*

3. *Intemperies*) Intemperies est inordinata proportio particularum sanguinem & humores constituentium ad se invicem: Ergo intemperies non cadit in partes solidas; sed hæ intemperatæ dicuntur, cum particulas alias vasa sanguifera in illas deponunt, quam solebant, quæque in illis obstructiones faciunt: *Anonymus Prax. Med. Reformata p. 104.*

4. *Intemperies vel est sine materia vel cum materia*) *Intemperies semper materia consorte gaudet*) Sententiam hanc ex turba separare, & rationibus ad stabiliendam eam paratissimis assignare volo.

Omnium quidem Medicorum ductu & auspiciis contrarium hactenus dictum fuit, quorum tamen collegio nomen meum tam nude associare nolo: Notissima autem in schola pathologica divisionis est fama, quod *Intemperies alia sit sine materia*, & *cum materia* rursus *alia* statuitur, Sane si ad subtilitatis trutinam hoc distinguendi studium examinemus, supervacaneum & minus solidum, minusque accuratum illud existere manifeste palpabimus: Quid enim, quæso, est *intemperies sine materia*? forsan umbra sine corpore, accidens sine substantia, & subjecto, cui necessario alias id inhærere Dialecticorum leges dictitant: Patet ergo inevitabiliter, ut temperamentum quodvis, ita etiam intemperiem quamlibet, esse cum materia, cui tanquam patriæ & subjecto suo inseparabili connexu inesse debet.

Objicit *Plempius*, per materiam non intelligi subjectum, seu materiam in qua, debere, quia sic omnis intemperies esset cum materia, & tanquam accidens subjectum suum inhabitaret; Sed per materiam accipiendus est humor, qui causa sit efficiens, & qualitatem excedentem fovens: hinc Intemperiem sine materia definit ille, quod sit *Intemperies quæ citra humoris influxum vel congestionem functiones offendit*, Exempla quoque intemperierum sine materia ipse proponit, quibus tamen parum vigoris attribuo.

Existimo nempe penitus non interesse sive affluat humor, sive ab initio statim præsens, sive etiam leviter saltim, sive vehementer alteratus, sive parcus seu copiosus ac superfluus ille sit, modo parti intemperiem conciliare atque efficere valeat; Qua ipsa ratione in propatulo confestim est, intemperiem calidam, ab æstuante æstivo sole inductam, non esse nudam, sed omnino materialem, quoniam nisi primitus ab hoc *Phœbi* fervore, corporis ejusque partium humores & sanguis incalescant, partes ac viscera nunquam hac intemperie afficientur; Et sic quoque de reliquis sentiendum esse doceo.

Imo inanitatem immaterialis illius intemperiei ejus assertores satis evidenter produnt, dum eam haud diu persistere, sed in materialem citissime degenerare, adeoque fugacissimam & quasi momentaneam esse, h. e. inchoando finiri (vel, ut ego interpretor, vix imaginatione concipi posse) arguunt; Sed planius ubique loqui potius, & suspecte sonantia verba ab omni sincere informandi intentione sequestrare conducet; Tu modo cæterum, *mi Lector*, doctrinam de spiritibus influentibus, atque circulatione sanguinis mente revolvere, & mecum videbis laboriosam vanitatem: Est igitur *Intemperies sine materia*, & *sine omni humore*, non entium germana soror, estque volubilium nugarum egregie particeps, & vanitatum vanissima vanitas. *Christ. Langius Miscellan. C. 11. §. 2.*

Omnis ex indebita intemperie morbus fovetur à quadam materia, ac proinde male illum aliqui distinguunt in *Intemperiem cum materia & sine materia*: Alius tamen fovetur à materia in corpore genita, ut humida cerebri intemperies, quatenus fovetur à pluscula pituita in stomacho & intestinis: alius fovetur à materia aliqua in corpore non genita, sed mere extrinsecus adveniente, ut intemperies calida cerebri mere à radiis Solaribus, seu materia subtili ultro illi intrusa. *Zypaeus Fundam. Medic. p. 241.*

4. *Intemperies vel est sine materia*) Adeoque producta à qualitatibus immaterialibus: Sed non est quod ad *qualitates* intentionales confugiamus, cum hodie constet nullam ex his contingere absque subjecto (à quo qualitates cunctæ, nonnisi sola ratione & respective ad quinmplicem sensuum nostrorum differentiam differunt) materialium particularum emanatione; Cum vel ipsi Peripatetici concedant necesse est accidens, adeoque & qualitatem, citra subjectum non posse subsistere.

Recte *Scaliger Exerc. 9. de subtil.* dicit Carnem in veru non assari & tangi ab illo igne quem videmus, sed ab ejus particulis di continuatis magis quæ non videntur: Hinc patet subtilia, & sensum nostrum effugientia, non statim pro immaterialibus esse habenda: Sensu Medico, Intemperies immaterialis dici potest, quia citra manifestam vacuationem, solis alterantibus cedit: Sed & excretionem aliquam moliri eadem existimandum: In intemperie frigida affectæ particulæ calorifica admota particulas frigorificas illi impressas excutiunt & superant: Frigefacientia applicata easdem eliciunt & ad superficiem evocant: In septentrionalibus Provinciis ut è carnibus, quas rigore brumali induratas diu asservant, gelu ante coquendum eliciant, eas in frigidam immergunt: Idem in vivis corporibus factitari quidem ajunt, quæ frigore intolerabili correpta, & morti proxima, ab imminente membrorum necrosi ea ratione in integrum restituuntur. Iuvant in Intemperie calida applicata refrigerantia, quatenus ἀπόῤῥοιαι, sive corpuscula frigorifica, validiora iis quæ intemperiem calidam produxerunt, intromittunt, à quibus hæc superantur.

5. *Vel est sine materia*) Duplices sunt Intemperies, Aliæ enim illarum ad τὸ ὑγιεινὸν pertinent, quatenus sanitatis quædam latitudo est: Aliæ ad τὸ θεραπευτικὸν, Sub illo sunt, & curat illas ὁ ὑγιεινὸς quamdiu homo est ὀρθοστάδην recta cervice. Sub hoc sunt, & tractat illas ὁ θεραπευτικὸς cum homo sit clinicus.

Hic quæstio incidit, Debetne tum ὁ θεραπευτικὸς curare malum à fundamento, ut sic dicam? Non, inquit *Galenus*, Restituat ægrum in locum illum in quo fuit ante morbum, quo facto corrigat intemperiem quæ superest, si opus sit: Hæ Intemperies quatenus dicuntur nudæ: Tribus verbis, Quatenus opponuntur iis quæ sunt cum *Affluxu substantiæ*, & Tumores p. n. vocantur. Quare si, pro more sæculi hujus, definitionem postules harum intemperierum non possum spem aliis facere quam illius quæ fit per remotionem oppositæ intemperiei. Quare dico, Quicquid intemperatum non est *Inflammatio*, non *Erysipelas*, non *Scirrhus*, non *Oedema*, est Intemperies nuda; Verum enimvero ne cui, φορτικὸς, imperiosus esse videar, afferam inde exemplum *Melancholiæ* morbi,

morbi, qui procul omni dubio eſt *Intemperies nuda*, De hoc agens *Galenus 3. Loc. aff. 7.* affici in eo ait *Cerebrum* ut eſt pars ſimilaris: Ibidem mox cauſatur *Galenus* craſſos humores, qui in cerebro abundent: Si parum hoc eſt, accipe quæ de eodem ſcribit idem *Galenus 2. de Cauſ. ſympt. 5.* Fieri aut ex nudis qualitatibus, aut diſperſo per cerebrum roris modo humore aliquo intemperato: Hunc humorem cap. 7. ſequ. ait eſſe frigidum. *Caſpar Hofmannus. Inſt. Med. l. 3. ſect. 1. c. 11.*

[6] *Curatio abſolvitur alteratione & purgatione*) Quomodo appellatio *nuda intemperiei*, vel *ſine materia* illis convenit, cum in his quoque venam ſecemus, *purgemus*, omni ingenio humores alteremus, alteratos vacuemus? Non refert, ita vetus ſapientia voluit à qua cur diſcedamus rationes non habemus. *Hofmannus ib.*

[7] *Dividitur* in quatuor ſpecies.

I. Alia eſt *Calida*, quando ad nimium calorem cerebrum deflectit.

[8] *Cognoſcitur* ex capitis æſtu, faciei rubore, pulſu temporum, agitatione intra cranium, ſomno vel nullo vel brevi imaginationis mutabilitate, cauſis antegreſſis.

[9] *Oritur* à cauſis externis calidis, aëre, cibo aromatico, potu vini generoſioris nimio, perturbationibus animi, vigiliis, balneis, &c.

Curatur I. *Alteratione*, per medicamenta refrigerantia [10] tam interna, [11] quam externa; [12] Illaque non valida, in pueris præſertim & mulieribus; vim adſtringendi mediocrem habentia, ne humores vel attrahantur vel fundantur, non frequenter adhibita, ne ſtuporem inducant, cum diſſolventibus in declinatione mixta.

Præcipua ſunt, Folia *lactuca, portulaca*, Flores [13] *Roſarum, Nymphæa, Papaveris albi & Erratici. Lign. ſantalin.* & quæ ex iis parantur, ut fomenta, [14] quæ penetrantibus ob tenuitatem ſubſtantiæ, ut aceto, corriguntur, fronti, temporibus, ſuturis applicantur, [15] ubi incaluerint mutantur; nec craſſis, nec multiplicibus linteis involvuntur, [16] Embrochæ, quæ, quia ab altiore loco decidunt, potentius agunt, [17] lotiones pedum, *Oxyrrhodina*, quibus ferè ſolis Galenus uſus eſt. *Odoramenta* quæ per nares facile perveniunt, quia brevis ductus, [18] Laudantur Fol. *ſempervivi, vitis, ſalicis.* Flor. ſupra dicti, *ſambuci.* Radix. [19] *Rhodia.* Cataplaſma *ex fol. ſalicis & capreolis vitis.*

II. *Evacuatione*, ut averſio fiat, ſeu per *venæſectionem* aut cucurbitas in corpore plethorico; ſeu per purgationem in corpore cacochymico.

III. [20] *Diæta*, in qua 1. hordeata laudantur. 2. ut vapores poſt cibum intercipiantur, laxantia prima menſa, ſecunda adſtringentia adhibenda. 3. vitanda omnia quæ ſpiritus agitant & calefaciunt.

[7] *Dividitur in quatuor ſpecies*) Melius *Laz. Riverius, cap. 1. lib. 1. Prax.* & ad uſum Practicum accommodatius, Simplices, *inquit*, intemperies raro inveniuntur, tum etiam immateriales, nec niſi à cauſis procatarcticis producuntur, & vel ſponte vel leviſſimis remediis evaneſcunt, Materiales vero omnes capitis affectus producunt: Illarum vero tractationi ideo ſedulo incumbendum eſt, quod tamen ſeorſim pauciſſimi authores præſtiterunt, propterea quod in expoſitione affectuum, qui ab illis intemperiebus producuntur, earum etiam explicatio ſufficienter proponitur: Nos itaque eorum veſtigiis inhærentes, Calidæ cerebri intemperiei, tum etiam humidæ & ſiccæ, theoriam ad affectuum qui ab iis producuntur tractationes remittimus, Sed quia maximus capitis affectuum numerus à frigida & pituitoſa cerebri intemperie dependet, operæ pretium cenſuimus illius theoriam ſeorſim proponere, ut poſtmodum illius curatio ſit veluti baſis curationum omnium quæ dictis affectibus erunt adſcribendæ, & remedia, quæ eorum cauſæ debebuntur, ex hoc capite depromi valeant.

[8] *Cognoſcitur*) *Galenus Art. parva P. 2. cap. 14.* novem ſigna recenſet ſimplicis intemperaturæ cerebri, calidæ, ſed intra ſanitatis latitudinem. 1. ait eſſe quod omnia quæ ſunt circa caput rubicunda ſint magis. 2. quod quæ circa caput calida magis. 3. Venæ in oculis magis ſenſui patent. 4. capilli in his quamprimum ſunt in lucem editi, in capite generantur. 5. Si plurimus ſit receſſus in caliditate, iidem capilli ſint nigri, robuſti, criſpi 6. progrediente ætate calvitium oritur, 7. pauca habent excrementa in ore, naribus, oculis, auribus, 8. à nimio cibo vel potu facile replentur, 9. ſomni ſunt breves.

[8] *Cognoſcitur*) Præterea vigiliæ fatigant, recreantur à frigidis.

[9] *Oritur à cauſis externis calidis*) Plerumque hoc genus mali externam agnoſcit cauſam ut cuncta confertim irruentia, ut inſolatu à vehementi, quem Græci dicunt *ἐγκαυσιν* impreſſum vel ab immoderatis exercitiis à cibo, vel flammæ vicinitate; tegumentis capitis plurimis, ardentiorum remediorum admotione, vel à gravi odore, interdum ab ira; Et intus confertim irruens cauſa hujus mali parens eſſe ſolet, ut plenior uſus aromatum, quæ calidis opplent vaporibus caput, ita cibus flatulentus calidus, *Heurnius. c. 10. l. de m. cap.*

[10] *Tam interna*) *Simplicia & compoſita*; *Simplicia*, folia *lactuc. portulac. plantag. ſolani*, (ſtuporem ſæpe infert) *acetoſa endiv. nymph. hyoſcyami, roſar. myrti.*

Flores, *roſar. violar. nymph. papav. alb. rubr.*

Fructus, *Cucurb. cucum. mala citr. bacca myrtil.*

Semina *4. frig. maj. & min. hordei.*

Radices, *mandrag. endiv.*

Ligna *Santala*, Gummi, *Camphora* quæ per accidens refrigerat.

Compoſita, Aquæ deſtillatæ, *roſar. violar. lactuc. portul. nymph. ſolani, cucurb. papav. alb. & rhoe.*

Succi, *citri, acetum, ſimpl. & roſac. ſuccus roſar. granat. opium.*

Syrupi *roſar. violar. nymph. papav. a. & r. diarrhod. è roſis ſiccis, iulep. roſar. viol.*

Conſerva roſar. alb. & rub. violar. nymph. citri, acetoſ. lactuca bugloſſ. prunell. lactuc. Hiſpan.

Electuar. *diaſcord. f. & c. requies N. Philon. Rom. & Perſic. laud. Op. theriaca vet. diapap. diaoliban. opiat. triph. magna.*

Species *de gemmis frig. diamarg. frig. diacorall. diatr. ſant. diatrag. frig.* Trochiſci, Pilulæ, *de cynogloſſa, narcotica Plateri, Nitrum præpar. Schonbornius mann. m. m.*

11. *Quam externa*) *Simplicia* sunt Folia &c. Internis etiam uti licet externe (adde folia *sempervivi*, *salicis*, *vitis*, *umbil. ven. myrti*, *cucurb. lentis palustr. mandragor.*

Flores papav. a. & rubri nymph. alba & lut. rosar. hyoscyami albi, *sambuc. Semina psyllii*, *lactuc. portulac. papav. hyoscy.* Radices, *mandragora & ejusdem cortex*, *rhodia*, quæ in dolore capitis multum prodest, *Camphora*, Lac *recens muliebre* &c.

Composita, Aquæ destill. *semperv. solani, plantag. melon. cucurb. lactuca, hyoscyami*, *nymph. sambuc. rosar. papav. utr. fueti, fol. salic. vitis, rosar. nymph. semperv. plantag. cucurb. solani*, *betul. arbor. acetum rosat.*

Epithemata ex *aqu. rosar. ol. rosar. cum albumine ovi. mucilag. sem. psyllii* præcipue cum *aceto parata*.

Olea, *violar. rosar. nymph myrtin. cydonior. cucurb. ex sem. papav.* quod tutius adhibetur quam *succus papav. semin. lactuca*, ex *flor. salicis* pro inunctione narium & temporum, *hyoscyam mandrag. ranar.*

Vnguenta rosat. *Mesue, refrig. Galeni, album camphor. popul. rec. alabastrinum.*

Emplastra & catapl. *Santalinum*, *Hali*, vel fiat Empl. ex *fol. psyllii contusis & oleo rosar.* cum pauco *aceto*, vel catapl. ex *fol. salic. & capr. vitis* cum *pauco aceto*.

Odoramenta, *troch. de camphora.* ex *santalis*, *placenta rosac. Scbonboi osin.*

12. *Illaque non valida*) Dogmaticæ cautiones ubique sociæ curationi accedant, nam non satis intemperiem frigidis tolli, sed probe iis utendum, ne lædant, Hoc partis natura docet; ex hac enim quantum sit refrigerandum, & quomodo discemus: Cerebrum immanitatem frigidorum non leviter fert, sed tamen quod partes capitis interdum denso ossis obice rectæ sint, vi quadam pervadente opus erit; Caloris autem concepti magnitudo vim ac copiam remedii aperiet, & situs partis hic monstrat evanidam vim remediorum sæpe alluere partes dolentes; Observabile etiam illud, esse quædam corpora quæ incursum frigidorum remediorum non leviter ferunt, ut senum, puerorum, & mulierum mollium & candidarum, & hi qui catarrhis obnoxii vivunt. His junge anni tempus & regionem. *Heurnius.*

12. *Illaque non valida*) Qua *copia frigida* capiti erunt admovenda, & *adstringentia*, quale est *acetum*? Dicimus consideranda esse *causam doloris, dolorem* ipsum (*vix enim intemperie calida caput affici potest citra dolorem*) & ei annexa, ut vigiliæ & delirii metus; Si enim à *sanguine* fuerit dolor multum *aceti* erit miscendum, parcius cum *pituita* molesta est, parcissime si *bilis* fatiget, nimium enim siccat; at minima sit ejus copia si *melancholia* bellum naturæ movet; Quo dolor acerbior fuerit, eo parcius *aceto* erit utendum, ob ejus acrimoniam dolori infestam, & vigiliis contumacibus inimicum est acetum.

Capitis quin etiam *natura* est lustranda, in temperie structura & situ, Caput quod temperiem insignem nactum fuit, uberrimam copiam medicamentorum repellentium perfert; frigidius fuerit, non ita; minime calidius quod vigiliæ exhauriant; nec caput siccum aceti usu gaudet; ut humidum uberiorem copiam perfert: Quare assero in admovendis capiti remediis cerebri temperiem unice esse perpendendam, quod tale est ut nec valide æstu incandescentia, nec admodum frigida ferat; ut enim frigore materia illi concepta exprimitur, ita & calore in fluxum laxatur: *Structura* si laxiore caput fuerit, minori copia aceto utemur, quod vehiculo non egeat penetrabili: Si densior fuerit, copiosius: Situs si fuerit dolor ad peripheriam, ab aceto cavendum, ut si pericranium doleat; A suturis quoque cavendum, nam frons & tempora validiora ferunt. *Heurnius.*

12. *Illaque non valida*) Notandum quæ foris admoventur satis valida esse debere cerebrum enim recessit ad imas cranii & meningum partes, quare esse debent leptomeria insignia, quæ tamen non nimium calfaciant, nec constringant, nam calida suo fervore materiam morbificam fundunt, ac in fluorem liquefaciunt, ut Sol; at frigida exprimunt, ut Aquilo, qui premendo hyeme fluxionis author est; Accedit quod nimis stringentia perspirationem cerebri intercludunt; quare modestissima capiti adscribi debent remedia, ut quod nec æstu flagrantia, nec frigore stricto rigentia æquo ferat filo. *Heurnius met. ad Pr. libro 2. capite 7.*

13. *Rosarum*) In calida intemperie sine materia foris adhibeatur *oleum rosarum*, quo diu Medici fuere usi ante Galeni tempora, *Trallianus* momentum *aceti* affundit quo magis penetret; Adsit illa cautio, ut ad olei fere ℥iij. aceti ʒß. affundatur, alioqui somnos excutit. ita xv. vel xx. diebus uti licuerit. Ita & *oleum cydonior.* (*Melinum* veteribus dictum) in usum vocabitur cum pauco *aceto*: *Ungu. rosato*, lubenter utimur in capitis ardore, cum non ita effluat ut oleum, *succus portulacæ* illi misceri potest. *Heurnius.*

14. *Quæ penetrantibus*) Quæ foris capiti admoventur sint leptomeria prædita, nec adstringant vehementer, fronti, temporibus, usque ad suturam coronalem & naribus hæc commode admoventur, ut *ungu. populneum* vel *rosat* sæpius enim aceto lotum, vel *muccago psyllii* extracta *in aqua rosata*, cum *ol. rosat.* vel *unguine rosat.* & *aceto*; addere interdum licet *succum solani*, ubi ardentior æstus & ætas, *vel ol. rosat.* ℥j. *aceti albi* ℥ß. agitetur diu & linteis albis excipiatur, vel bombace; sed sit potius quarta pars *aceti*, nam insigni siccitate vigilias movet; *Ol. violat.* & *cucurb.* cum *rasura cucurb.* hæc etiam naribus induntur; *Lac muliebre* immulctum, inquit *Alsaharavius*: Fiant etiam embrochæ ex *violis, rosis, nenuph. pampinis fol. salic.* & tandem adde *melilot. malvam*, coque ex *aqua* ℔ij. dum tertia pars consumatur. *Heurnius.*

15. *Ubi in calore intus mutantur*) Cum materia morbifica fuerit calida, actu frigidis remediis utemur, sin frigida fuerit, actu tepidis, In molli corpore eorum usus sit tepidus, ita & declinante morbo calido. *Heurnius.*

16. *Embrocha*) *quæ quia ab altiore &c.*) Stillicidia intelligit, antiquis familiaria, hinc Poëta.

> *Qui caput & stomachum supponere fontibus audent*
> *Clusinis.*

Alias Embrochæ ad Fotus referuntur, ἐμβρέχω enim significat madefacio.

17. *Lotiones pedum*) Pedum cum capite summus est consensus, non solum per nervorum communionem, sed & præsertim ob sanguinis circulationem, qui in pedibus per lavacra alteratus, ac ad cerebrum dehinc translatus, affectionis suæ cerebrum facit participes.

18. *Laudantur*) Quia capiti benefica, sed & plurima occurrunt illi nociva, ideoque vituperanda & fugienda: Inter quæ folia *peucedani*, *mandragora*, *cicuta*, *squinanthi*, *apii*, *salvia*, quæ quanquam caput & nervos roboret, caute tamen in usum ducendum, quia à bufonibus sæpe inquinatur; Idem de *fœniculo* dicendum, cujus umbellæ & semina à vermibus emundanda: Flores, *croci*, *hederæ cacumina*.

Ex fructibus, *dactyli*, qui capitis dolorem inferunt, *oliva, castanea, avellana. nuces juglandes*, *bacca junip. glandes quernæ*, *ervum* quod etiam articulos resolvit. *Tubera*, quorum creber esus epilepsiam & apoplexiam inducit. *Fructus horarii*, quibus nihil vaporosius, teste *Avicenna* (vel potius nimium serum gignunt) *fructus arbuti & lentisci*.

Ex radicibus, *mandragora*, *caparum*, *bulbosa*, *apii*, hinc monet I. C. *Baricellus* nutrices ut ab eo abstineant, ne lactentes

lactentes Epileptici fiant.

Ex gummatibus, *thus* immodice sumptum, *styrax*, quæ copiose sumpta somnos turbulentos facit, *myrrha*, Ab animalibus, *Epar hirci*, *lac in potu*, *Columba* ex *Montano*, quia harum esus multam bilem generat, *Nidor cornuum capræ*, *cervi*, *hirci*.

Ex *succis*, *absynth. succus*, *cerevisia multo lupulo condita*, *spiritus vini*, *vinum forte*, *acetum*.

Nocent vapores *musti*, *vini*, *cerevisiæ*, *recentium*, *fornacum novarum*, *linteorum humidorum*, *fumus lychni extincti*, *fumus carbonum*, *calcis*, *vapores mercur. sulph. vivi*, Omnia odorata valida, in plethoricis præsertim: *Opium* & Opiata, Venenata medicamenta capiti externe applicata, quibus in achoribus sanandis quidam temere utuntur, Nocent *psilothra* pleraque, quibus mulierculæ frontem depilant: ut & *cosmetica ex mercurio*.

Ex sex rebus non naturalibus, nocent *Cibi* ac *Potus vaporosi*, *ebrietas* ac *repletio ciborum*, *exercitatio* vehemens à pastu *vocis intensio*, *somnus meridianus*, & statim à cibo, somnus pedibus calciatis; *alvus constipata*, *Radii Lunares*, minus *Solares*, *Aër* extreme frigidus aut calidus, *Venti* Australes; Venus nimia, gravia animi pathemata.

Schonbornius.

[19]. *Radix Rhodia*) Sic dicta ab odore & sapore quibus æmulatur flores rosarum; naturæ censetur temperatæ, cephalica est, unde ea utimur cum *aqua rosar.* in dolore capitis ex apricatione contracto. *Frid. Hofmannus Pharm. p. 531.*

[20]. *Diæta in qua*) Vitent inprimis *aërem* calidum & Solem, *Somnus* concilietur, respondeat quotidie *alvus*, ut multorum à prunorum, aut lactucæ aut spinachiæ usu; vel *rosf. syr. laxat.* *Animus* in otio sit; germinibus frigidis humi fusis ac projectis, & sylanis aquarum recentetur cubilis *aër*; utatur lactucis, endiviis, hordeo, agresta, piscibus, aurantiis pomis, & pomis coctis, borragine, absit *vinum*; acetosa confert; acetariis adiice aliquot passulas; ptisana cum succo aurantiorum, ova tremula cum omphacio, carnes pullorum coctæ cum dictis herbis; abstineat à lacte & dactylis: Potus sit tenuis cerevisia, vel aquæ libræ incoque uncias tres sacchari, & cum cinnamomi ℨj. coletur per filtrum, cui remisceri poterit *syrup. acetosus*; vel sit vinum aquosum. Exhibeantur alimenta quibus non longa masticatione opus est; *Heurnius l. c.*

II. Alia est *Frigida*, quando ad nimiam frigiditatem cerebrum deflectit.

[21]. *Cognoscitur* ex oculorum tumore, faciei pallore, capitis gravitate, ad somnum propensione, [22]. torpore & pigritia.

Oritur ab externis vel frigidis vel [23]. frigus inducentibus, nimia sanguinis evacuatione, lacrymarum profusione: afficiturque maxime pars capitis posterior.

Curatur I. *Evacuatione*, si corpus est cacochymicum.

II. *Alteratione*, per externa & [24]. interna calefacientia, illaque post cibum sumta. [25]. Præcipua sunt, Radix [26]. *pæoniæ* luna decrescente collecta, *Aristolochia rotunda*, *Castoreum*. Flores *stœchadis*, *primulæ veris*, *tiliæ*, *tunicis*, *liliorum convallium*, *rorismarini*, *betonicæ*, *majoranæ*. Aquæ *cerasorum nigror*, *hirundinum*, *Theriacalis*. Essentia *Rutæ*, *Rorismarini*, *Succini*. Condit. *Nucis Indicæ*, *Moschatæ Theriaca*, Mithridatium, *Confectio Anacardina*, *Alkermes*. Olea destillata, ut *Guajacilignis*, *sassafras*, in aquis vel morsellis.

[27]. Extra prosunt Folia *rutæ*, *serpilli*, *verbenæ rectæ* [28]. Balsama, *Lavendulæ*, *Rorismarini*, *Succini*, *Caryophyllorum*, *Nucis moschatæ*, &c. [29]. Nota verò 1. Omnia liquidiora actu calida adhibenda. 2. [30]. Calidiora, [31]. ventriculo vacuo, [32]. ne vapores sursum ad caput alliciantur. 3. Thermas & aquas destillatas si hæ spiritibus acuantur, efficacius agere. 4. [33]. Syrupum de stœchade præsente catarrho, adstringentibus castigandum. III. [34]. *Diæta* ad calidum vergente, [35]. ubi Suffumigia locum habent.

Est vel *Recens*, quæ facilius expugnatur, & minus calida exigit: vel *Diuturna*, [36]. quæ calidioribus oppugnanda, & quidem post totius evacuationem.

[21]. *Cognoscitur ex oculorum &c.*) Cerebri frigidi, h. e. minus calidi quam est temperatum, hæc proponit signa *Galenus in Arte Parva*. 1. dū plura excrementa apparent in propriis meatibus. 2. sunt capilli recti, 3. iidem sunt rufi. 4. stabiles, 5. tarde nascuntur, 6. tenues, in puerulis male nutriti, 7. à frigidis offenduntur, 8. levi de causa patiuntur destillationes & gravedines, 9. Si tetigeris partes ad caput nunquam calidæ apparent; 10. facies non est rubicunda, 11. venæ oculorum visum effugiunt. 12. somnolentia.

[21]. *Cognoscitur ex oculorum*) Nec in facie, nec in capite elucent caloris notæ, quin potius pallore defœdatur, læduntur rerum frigidarum usu, recreantur à calidis; tactu friget facies mollicula &c. *Heurnius*.

[22]. *Torpore & pigritia*) Causas deducit *Dan. Duncanus Tr. de motu Anim. c. 19. p. 310.* ex sanguinis crassitie & impuritate, quapropter obtusi sunt sensus, Duabus de causis id contingit, *inquit*, 1. quia in cerebro minor spirituum copia gignitur, hinc minor undulatio, ac præ eorum inopia concidunt meatus; Altera ratio est, quod crassiores sanguinis partes, in cerebrum irrepentes, ejus meatus facile obstruunt, si vi quadam impulsæ fuerint: quapropter melancholici, & valetudinarii, hebetioribus sensibus donati sunt; Quibus contra sanguis purus est, sale volatili & spiritibus turgens, acuto sensuum vigore pollent, contrariis de causis; Cum porro præter optimam constitutionem nativam, nihil æque conducat ad probi sanguinis generationem quam alimenta probi succi, animadvertere est eos qui tali victu utuntur, & sobrio, sensuum acumine magis vigere iis qui improba diæta fruuntur, aut in excessu delinquunt, nisi alia quæpiam causa obstiterit, Eadem etiam de causa juvenibus quam senibus majus inest sensuum robur: Porro sensuum inertia in senibus, non modo sanguinis vitio adscribenda est, ac spirituum inopiæ, sed præterea meatuum concidentiæ, ac substantiæ cerebri nimiæ soliditati, quæ expansioni illorum tantopere officit, ut undulationibus vix locus concedatur: Sed præterea excrementa crassiora, quæ cerebri meatus in illis obstruunt, maxime frequens causa sunt istius debilitatis. *Daniel Duncanus Tr. de motu Anim. capite 19.*

[23]. *Frigus inducentibus*) Frigoris causa materialis instar Nili

fontium obſcura latet; Imo de iſtiuſmodi materiæ exiſtentia ambigitur, Et motus calorifici tantum privationem eſſe quibuſdam perſuaſum eſt, In quam ſententiam ipſe *recta* irem, ſi animantium membris à frigore intenſo afflictis *ἀναισθησία* tantum induceretur, at præter dolorem admodum acutum, phlyctenæ etiam graves, ad ſphacelum aut carcinomata vergentes, excitari à frigore vehementiore, tanquam à cauterio actuali, aut medicamento cauſtico vidimus: Adeo ut frigus perinde atque ignis, ſine vocis catachreſi, urere dicatur; quod quemadmodum à mera motus ceſſatione, ſine materiæ frigorificæ acceſſu, fieri poſſit non eſt intelligibile.

Frigoris primatus tribus è quatuor Peripati elementis antiquitus attributus ſuit; *Plutarchus*, & alii *Terram*, Ariſtoteles *Aquam*, Stoici *Aërem* primum frigidum ſtatuerunt; Neotericorum alia eſt ſententia, cui favit *Gaſſendus*, Hi ſtatuunt corpuſcula nitro, aërea frigoris, in omnibus ſubjectis, & congelationis, cauſas eſſe, *Boylæus* ventos egelidos, aëriſque vim frigorificam ab exhalationibus ſalium diverſæ indolis, tam Nitri quam aliorum, aut forſan materiæ alicujus anonymæ, qualis aliquando reperitur, etiam Chimicis ignota, aut eorum congreſſu poſſe oriri ſuſpicatur: Primæ ex his ſententiis refragatur experientia, liquet enim *Terram* niſi cortice tenus ab ambiente frigore non affici: Quotquot in ejus viſcera deſcendunt, interiores terræ regiones, in locis aut tempore frigidis, plus ſatis calefacere, & quanto profundius itur, tanto majorem calorem ſentiunt.

Aquam quidem ſuapte natura frigidam eſſe concedi poteſt; partes enim ejus in ſtatu naturali ſunt minus agitatæ quam humores qui tactus ſenſoria in nobis perluunt, Sed ejus particulæ flexiles, & admodum lentæ penetrationi frigorificæ minus idoneæ ſunt; Vnde in craſſo & nebuloſo Aëre frigus minus urit: Aër autem, cui hac in re plurimi primas deferunt, illius qualitatis maxime *ἀδεκτος* videtur, quippe quæ terra vel aqua condita illæſa conſervantur, ſi eadem *Aëri* ſub dio exponas, ſere graviter à frigore corrumpuntur, *Aërem* igitur non primum aut ſummum frigidum appelles: De his mea hæc ſit conjectura, Inter partes à quibus Atmoſphæra conſtituitur, *Nitrum volatile* locum habere ſtatuimus; cujus corpuſcula, quam maxime ſubtilia, radiorum Solarium impulſu terræ illiduntur; Vnde repercuſſi cum ſulphureis particulis, eadem actione incitatis congreſſa, motum in aëre calorificum efficiunt, imo igneum, ſi radiis ſpeculo cauſtico collectis idonea ſubſit materia.

Ab iiſdem etiam *Nitri* corpuſculis, at alio modo diſpoſitis, qualitatem è regione contrariam induci opinamur, Veriſimile enim videtur iſta corpuſcula, priuſquam repercuſſa in gyrum agantur, & ſulphureis aporrhœis ſint congreſſa, motu recto delata acuminatum, inſtar ſpiculorum poros corporum ſubire; inde eſt quod in montibus editis, etiam æſtate, aut ſub zona calida, ea eſt frigoris inclementia, ut nives ibi perpetuo accumulentur; Et idem uſu venit ubicunque illa corpuſcula radiis Solis obliquius incidentibus remiſſe agitantur, nam ceſſant perinde ac pueriles turbines, qui ſcuticæ verberibus nimis languide in gyrum acti, à motu circulari ceſſant. & exinde quævis ſubjecta cuſpide infeſta petunt. Nec aliam ob cauſam graviſſima illa aëris ſævitia, & non habitabile frigus in plagis Arcticis, & antarcticis à Solis via diſſitis, perpetuo regnat. *Mundus* *βιοχρηστολογίας* *pag.* 13.

24. *Et interna calefacientia*) Sumant mane ſemunciam *conſerva*) *ſalvia, beton. vel anthos*, his miſceri poterit *diambra* ʒß. *dianth. diamuſc. cinnam*, vel *maſtich* ℈ß. vel res cephalicæ ut *betonica, roſmar. ſtoechas*, *aqua vita* immittantur, da guttulas ex *vino & aqua beton.* Ita *mithridat.* *aurea alexandr. arom. roſat. diagalanga*, *diacymin. diacor Heurnius.*

25. *Pracipua ſunt*) Simplicia interna.

Folia *primul. ver. euphrag. beton. roriſmar.* (in tremore ac paralyſi, memoria juvanda) *majorana, ruta, ſalv. hyſſopi, puleg. mentha, origani, calamint. mont. ſatureja ſclar. chamæpit. thymi, ſerpilli, centaur. min* (quod nervos juvat) *ocymi. paſtin. ſylv. myrti* (ad catarrhos) *fœnic. abrot. lauri, ariſtol. utr. verbena, caryophyll. chamom. Rom. ſtach. utr. balſamita.*

Flores, *anthos, lavend. ſalv. lilior. conv. ſtacch. Arab.* (quæ omnes cerebri partes corroborat, potu ſotu ; in omnibus ejus affectibus) *beton. paon. tunica, ver. ſolarea, primul. tilia, majoran. chamom. Rom. melilot, centaur. min.*

Fructus, *bacca juniper. anacardia*,) ſed caute) *grana chermes.*

Semin. *paon. aniſ. fœnic. carvi, ſiler. mont. cymin. aquileg. baſilic. majoran. coriand. pr. amomi, paſtin. ſylv. anethi, ruta.*

Aromata, *Cubeba, cardam. macis, nux moſch. caryoph. cinnam. calamus aromat. carpobalſ. ſolium.*

Ligna *Viſci qu.*) in epilepſia, convulſionibus, tremore) *corylini. junip. fraxini, xyloal. xylobalſ.* & cortic. *aurantiorum.*

Radices *paonia*, (ad epilepſiam, pavores) *fœnic. caryophyll. beben. angel. valeriana, ariſtol.* (in epilepſia ab utero) *galange, imperat. ſalſap. dictamni albi, cyperi, ſquilla, doronicum, Rhodia.*

Gummi, *thus* (ad oblivionem) *cum citro datum*, *maſtich. ſtyrax. calam.*

Marina, *ambra, ſuccin.* nervos ac caput juvans.

Ab animalibus, *moſchus, zibeth, caſtoreum* (efficaciſſimum) *cranium hum. a. c. lapis carpion. ſupra oculos poſitus*, cerebrum roborat à proprietate, *ungula aloes.*

Compoſita, Aquæ deſtillatæ, Spiritus, *Ceraſor. nigr. ſalvia, majorana, beton. paon. meliſſa, lavend. roriſmar. ſpica, ruta, fœnic. primul. ver. lilior. convallia, tunica, verben. origani, ſtach. Arab. ſerpill. calaminth. junip. infuſ. junip. & lavendul. cinnam. hirundin. viſci qu. Epilept. Apoplect. Sennertis* c. & ſ. *caſtor. lavend. comp.* ejuſdem, *cephalica dua ejuſdem*, *Sophorism Dorncrell. Cephalica Langii*, *Quercet. Elixir vita Matthioli. Aqua Anhalt. chamep. carbunc. theriacalis*, contra vertiginem, *nuc. moſch. cum ſpir. vini deſtill.*

Olea deſtillata, *roriſmar. majoran. ſalvia, fœnic. aniſi, ruta, carvi, cymini junip. ſuccini, ſpica, ſerpilli, lilior. convall. meliſſa, lavendula.*

Tincturæ, *Elix. propr. ſuccini, ligni ſaſſafr. junip. paon. corall. rubr.*

Extracta, *rad. paon. ligni aloës, cephal. Quercet. rad. angel. caſtor, ſalv. cubebar.*

Eſſentiæ, *junip. ruta, acori, paon. ſuccini, roriſmar. meliſſa, facula paonia.*

Decocta ex *ſimplicibus, guajaco, ſaſſafras china, rad. tormens.* &c.

Vina medicata & *cerevifia*, *meliſſatum*, *ſalviatum, roriſmar. beton. ſtachad. Arabica, melicratum Quercet. mulſum & hydromel cephal.*

Succi liquidi, inſpiſſati, *Vinum malvat. opobalſamum, rol. juniperi, mel anthoſat. anacard.*

Syrupi, *de ſtach. ſ. &c. ex ſucco beton. ruta, paon. meliſſa, flor. prim. ver, de calamintha.*

Conſervæ, *betonica, ſalv. anthos, flor. centaur. min. lavendula, meliſſa, calendul. majorana, flor. tilia, primula veris lilior. conv. paon. ruta, tunic. chamap. ſtach. euphrag.*

Condita, *nuci moſch. nuc. Ind. galanga, zinzib. calam. arom. cortic. citri, aurant. nuc. jugl.*

Electuaria. *Cephalic. Langii*, *confectio anacard.* quæ caute exhibenda, *aurea Alexandr. theriaca*, quæ ad omnium ſenſuum interiorum recuperationem, & proprie ad memo-

ad memoriam plurimum valet: *Mithr. diacor. diacastor. Conf. alkerm.* quæ spiritus animales ac cerebrum mire juvat.

Confectiones solidæ, *Cubebar. caryophyll. sem. anisi, fænic. coriand. præp. cymin. carvi, sinap. seseleos, cardam. cinnam. macis tragaa grossa.*

Species ac Pulveres, *Diambra, diamosch. dulc. dianisi, diapaon. dianthos, plerosarchont. aromat. ros. Gabr. caryophyllati, diaxyloaloes, diagalang. diacast. diamargar. calid. laetific. Rhaz. Pulvis capit. Langii, Quercet. Epilept. Nevii, Marchionis (Guttetta Monspeliensium)* His adde c.c. *ustum, philosoph. ppeum, magisterium & sal ejusdem, Cinnabaris cum magisterio corall. perlar. ac cranii hum. Cinnabaris nativam & antimonii.*

Rotullæ & morsuli, ex enumeratis speciebus, conditis, conservis &c. quibus etiam *olea stillat.* & *extracta* addi possunt, Item, *dianisi, de succino, saccbar. anthosatum, paon. lavendulæ, beton. majoran. troch. de gallia mosc. alipta moschata vera. Schonbornius Man. Med. Pr. p. 5.*

26. *Luna decrescente collecta*) Observandum quod quemadmodum optima revera simplicia in effectu non semper convenire possunt, ita nec mirum sit *Paonia radicem* interdum in Epilepsia &c. fallere, utut alias radix illa rite collecta, & de collo suspensa Epilepsiā curaverit; & vidimus in Anglia quendam hujus usu à desperata vertigine liberatum fuisse: Cæterum hæc sunt collectionis illius appropriata tempora, nempe mense Iulio, cum Sol ingreditur Leonem, h.e. 12.13. vel 14. ejusdem die, & quidem decrescente Luna, cum Luna accrescens capitis affectibus inimica sit, eosque exasperare soleat.

Deinde colligenda est *Paonia mas* (quæ instar juglandis conspicitur, & respectu thyrsi quoque differt à *Paonia* fœmina) cum Sol est in signo arietis, h. e. mense Martio adulto, decrescente Luna: Neque enim superstitio subest huic collectioni, cum noverimus & lignum quoddam de collo suspensum, & certo tempore collectum, abigere Erysipelas: *Etmuller comm. Lud pagina* 235.

27. *Extra prosunt*) Per Errhina fieri potest roboratio: In aulis solenne est non paucis talibus uti frequentius; Licebit & Medico s.a. talia præcipere ut caput levetur, & tum præservandi usu tum curandi ordinare eadem: Roborant & levant caput oneratum & debile à causa positiva, si grave est; si spiritus non sui juris, non agiles sed irretiti & in somnum & lassitudinem proni: Roborant per accidens, evacuatione humoris excrementitii serosi facta: robotant per se, vi cephalica subtili prædita. *Wedelius.*

27. *Extra prosunt*) Folia *rutæ & serpilli* in doloribus, deliriis, mentis perturbationibus, vigiliis: *Verbena recta*, quæ perfecte caput roborat, *centaur. min. lauri, nicotian. asari, absynth. spica, calaminth. ocymi. chamap. nuc. jugl. origani.*

Flores *chamam. vulg. & Rom. melilot. sambuci, centaur.*

Semina, *nigella, cymini, ruta, majorana, paon. carvi. anethi.*

Radices, *paon. doronici, imperat. asari, cyperi, angelic. ireos, rhodia*, ad dolores capitis.

Gummi, *junip. hedera. olibanum, mastiche, tacamahaca, benzo, ladanum, styrax. calam. euphorb.* Marina *succinum, ambra.*

Ab animalibus, *aselli, castor. Zibeth. moschus, adeps ursi, leporis.*

Composita, Olea, præter *destillata, rutac. nardinum, serpilli costinum, sambuc. irinum*, de *castoreo, de euphorb. de lateribus, Laurinum, magni Ducis Hetrur.* velut miracula faciens; *destillatum gajaci, ligni sassafras*, quod admirabile. de *pulegio, spica chamam. lilior. convall. cheirin. angelica.*

Balsama, *Arabicum, de Peru & Tolu, lavendula, ruta, rorism. maioran. nuc. mosch. macis apoplect. Crollii, succini, caryophyll. succini compos. in Instit. Sennerti salvia, melissa*, Item *pomaqubr. ambra in oleo aurantior. dissoluta.*

Masticatoria, *ex cubebis, cardamomo, nuce mosch. cinnam. mastiche, sinapi, pyrethro.*

Vnguenta, *martiatum, Aragonis.*

Emplastra de *betonica, euphorb. melilot. cerat. cephal.* de *janua, gratia Dei.*

Sacculi & pilei, ex cephalicis calidis, *& vino*, vel *spiritu vini* tepefacto intincti & auribus applicati, Item paratur ex *semine n. gella*, vel *cymini* torrefacto; syncipiti admotus.

Auribus etiam immissa, vel applicata, cerebrum calefacere possunt, ut *oleum ruta. castor. costin. moschus.*

Epithemata, Fomenta, *Acetum lilior. convall.* cum *malvatico factum*, lotiones pedum ex simplicibus enumeratis.

Lotiones capitis Ex simplicibus enumeratis coctis, Pulveres etiam post lotionem capitis recte asperguntur. Item aquæ destillatæ ac spiritus. *Schonbornius.*

27. *Extra prosunt*) Intemperies frigida castigetur alterando calorificis: Fiant ex *serpillo, majorana, lauro, calendula, chamamelin, aneth. caryoph. rosmar. origano, ruta, betonica. lilius* & tandem *euphorbio*, Fiant *fotus ex salvia, hyssopo, iberide, prasio, stoech. calamint.* & cæteris jam dictis: herbarum man j. accipiat *aqua vel lixivii* ℔xiij. quin ex iisdem sacculi finguntur; Cum jucunde hic medendum sit, fiant fotus ex *spongia expressa, decocto fol. lauri & chamamelorum*, immersa, Aut coque *lauri* folia *ex oleo anethino*, vel *chamamel. Nonus*, antiquus Medicus ἀποπαλύφυλλοι.e. *pāpinos* coquit ex *melicrato*, In levi dolore *oleū lilin.* sufficit, vel *junip.* nam ultimum est *euphorbii*: Iam chemica arte Balsama eliquantur, ex aromatis, gummis & seminibus, cum aqua vitæ: Tandem ad robur illinat frontem, sinciput & totam faciem *oleo nucis myristica.* & etiam nares & aures. *Heurnius*, vide infra §. *Nota vero.*)

28. *Balsama lavendula &c.*) Nec enim, si frigus materiæ expers fuerit, admovenda erunt quæ ingratum odorem spirant, quale est *oleum laurin. & lilinum*, sed potius fiant *Fotus* ex *spongia* imbuta decocti *chamamelor*, vel *fol. lauri, serpilli*, vel *hyssopi. calaminth. ruta, iberid. prasiu*, vel *oleo chamamel.* incoquantur folia lauri. *Heurnius.*

29. *Nota vero*) Animadvertendum qua tecmarsi modoque his utemur, qui copia & quando, Ea tecmarsi, ut leptomeria valeant, & perennent vegeta, qualia sunt olea, nam ossa pervadunt: Tepide hæc admoveantur, imo eo fervore quem ferunt, sincipiti & naribus admove hæc: Copia ea dentur quam suadent intemperiei vehementia, temperies corporis ejusque habitus, anni tempus, ætas: Semper cautio adsit ne in capitis rebus utamur ingrati odoris medicamentis, quale oleum laurinum: Si valida fuerit nuda hæc intemperies, miscebis *olei* paries xii. cum una *euphorbii* & tribus *cera*, Accipe *olei chamam* ℥iß. *euphorbii* ʒj. *cera* ℥iij. *olei caryophyll.* parum, ut suavem odorem effundat remedium.

Insignis ille pragmaticus *Rhases*, dum animadverteret hanc intemperiem contumaciorem esse, excogitavit trochiscos *ex euphorbio, castoreo, pipere, sinapi, hyssopo, styrace; ruta*, hæc in pollinem comminuta vino generoso excipiebat, ac trochiscorum in formam medicamentum redactum reponebat: In usum dum vocabat à fotu caput siccabat, & ejus ʒj. temixtam *oleo caryophyll.* suturæ coronali imponebat, & fronti & temporibus, quin auribus & quid immittebat: *Aretaus, Rhasis* & *Avicenna*, ad phœnigmos & sinapismos tandem surgunt; *Aretaus* ad *euphorbiū & pyrethrū*, dum inquit, tumefaciant, & varis similia tubercula excitent, Quid igitur mirum si hoc ævo dolores oppugnari non expugnentur, cum ad robusta illa ægre assurgant Medici? *Heurnius.*

29. *Nota vero*) Est & hoc notandum, Spiritus per cephalica interna & externa numquam nimis efferandos: Efferantur & turbantur cumprimis calidis nimis & oleosis, quæ miasmata sua spirituosa ipsis jungendo caput feriunt: Hinc omnia nimis vaporosa caute adhibenda, etiam in Cucuphis, alias vertiginem & turbulentiam inductura, quod & de ipsis Opiatis valet: Sic species aromaticæ tum per se, tum

in rotulis vel morsulis adhibitæ parcius administrandæ; inde enim quasi idem accidit, minori gradu, quod ab assumpto largius vino, cerevisia, imprimis loliacea, ut gravetur caput & doleat, facta nimia evaporatione & halituositate, ipsa motitatio naturalis spirituum & humorum impeditur; Hinc & *camphorata*, quibus caput debilius est, & spiritus teneriores & laxioris compagis, nocentia sunt, præsertim fœminis: Suavia vero, & balsamica externa, *ut balsamum apoplecticum*, blande cerebrum & spiritus demulcent & afficiunt; Serum etiam spirituum vehiculum & frænum, nunquam nimis exhauriendum, unde necessario deliria & vigiliæ insequuntur. *Wedelius Amœn. m. m. p.* 125.

Notandum & spiritus nunquam per Cephalica nimis ligandos, ligant nempe eosdem tum dicta vaporosa nimis, obnubilando eosdem, unde stupidi redduntur ad instar ebriorum, tum figentia quoque Opiata: Hinc & adstringentia fortiora sola non sunt adhibenda, continuante præsertim usu. *Idem p.* 126.

Observandum etiam pro affectibus capitis curandis Lympham quoque nec nimis coocentrandam, nec nimis fundendam; Funditur facile per calida & balnea, absumitur per jam dicta; quando enim larga adest humoris serosis quantita, illa per talismodi calidioras poros magis inundat, unde noxa præsto est. *Idem.*

Nota quoque ob fusionem seri nimiam, tum saliva quævis alia, tum nitrosa & acida ita propinanda ne caput vel spiritus inde detrimentum capiant. *Idem.*

30. *Calidiora*) An in affectibus capitis evocantibus ex alto & medicamentis validis est utendum? Affectus multi sunt, itaque distinctione est opus, inter cætera notandus locus Celsi qui de Phthiriasi loquens ita scripsit, *Medicamenta intus lenia esse debent, ne quid acrioris pituita concitent*: Huc pertinet quod animadverterunt quidam Chirurgi, nimirum in vulneribus, offensionibus capitis medicamentorum usum non valde utilem esse, nam augentur dolores, symptomata excitantur, inflammationes provocantur; agitatur enim humor non evocatur. *Ballonius Epidem lib.* 2. *p* 268.

Quæ capiti admoventur, illi blanda quadam vi placere debent, vel membranas, nervos, aut spiritus, animales recreare. *Heurnius libro 2. methodi ad praxin capite 7.* Alias quæ foris admoventur satis valida esse debent, & leptomeria insignia, quæ tamen non nimium calefaciant. *Idem Prax. l.* 2. *c.* 7.

31. *Ventriculo vacuo*) Ne quis frustra se torqueat, existimando cum multis, ratione minus quam more motis, *Medicamenta omnia ventriculo tantum cibo vacuo esse assumi*, cum contrarium in multis deprehenderim, verum præsertim quoad *alterantia & corrigentia* humores: Observavi enim millies alterantia, sed blanda (quibus solidis velim uti Medicos sæpe cum majore ægrorum commodo) *Usurpari paulo ante, aut post assumpta alimenta, quin una cum ipsis*, quam tempore alio, Nec huic Experientiæ contraria est ratio, sic enim medicamenti vis se blande admiscet ac insinuat, non tantum salivæ in ventriculo, sed confluentium humorum ternario, in tenui intestino, quin sanguini quoque universo ac cæteris humoribus omnibus in dextro cordis ventriculo, & cunctis arteriis venisque, quo ipso citius, facilius, feliciusque absolvitur quæsita ipsius, aut ipsorum emendatio & correctio. *Sylvius Pr. c.* 34. *§.* 103.

32. *Ne vapores sursum ad caput*) De externis remediis intelligit *Schonbornius*, Nota, *art Man. p.* 12. liquida actu calida debent admoveri, & dum ventriculus vacuus est, alias vapores ad caput allicerentur.

33. *Syrupum de stæchade*) Tum simplex tum compositus, epilepsiæ, paralysi, spasmo, tremori ac omnibus cerebri ac nervorum frigidis affectibus utilis est: Si vero fluxus catarrhi obstat, adstringentia addenda sunt: *Schonbornius man. p.* 5. *Stæchas Arabica* calfacit 2. siccat 2. abstergit, attenuat, aperit, At *citrina* suspecta esse non debet, si quidem juxta *Schrøderum*, catarrhos exsiccat, mensesq; nimis fluentes siccando sistit: Alias, inquit *Wedelius de S. M. F. p.* 83. nec humectantia, nec liquanoia calida nimis in catarrhis, & ubi cerebrum humoribus nimis repletum est locum habent, Hinc in catarrhis lotiones capitis, imo & balnea locum plane non habent, & visi sunt qui inde odoratum plane amiserunt, Sic qui calidis, *v. g. oleo succini*, tum interne tum externe utuntur, in catarrhis, materiam liquando, & in vasa præcipitando, sæpe febrim excitant & alia mala graviora.

34. *Diæta ad calidum*) *Aër* sit calidus absit fumus, adsit lux, nam in somnum ruit æger, mosci panxillum manibus indatur, Nocet immoderatior *somnus*, sit solito brevior; *labor* & *media* conferunt, *odoribus* rigetur cubile; *carne* utatur gallinarum, condiantur cuncta alimenta *cinnamomo zinzib. mulsa* cum *salvia*, *pipero*, *mel anthos.* optimum: *Vinum* tenue & *cerevisia* perfundantur vi *salvia*, *rorismar.* vel ℞. *aqua* ℔viij. *hic immitte fol. salviæ & rorisin. cum pauco hyssopo vel alia cephalica*; *junge quid com: mellis* ℥viij. coq; ad despumationem, sed nota in usu hujus hydromelitis ne homines sint μεγαλόσπλαγχνοι h. e. turgido hepate & liene prædiri ab infarctu: Insignis Medicus *Arculanus* nil melius in hoc malo existimavit *aqua vitæ*: *lactis* & *piscium* usum vitent. *Heurnius.*

35. *Suffumigia*) Ex *Trochiscis pro suffumigio, pulvere catarrh. gallia mosch vera, alipta mosch. vera, troch. de succino.*

36. *Quæ calidioribus oppugnanda*) In valida intemperie frigida; utitur *Galenus euphorbio* cum cera & oleo non adstringente, accipit *euphorbii* ℨj. *ceræ* ℨiij *olei* ℔j. q. d. sint *olei part.* xij. *ceræ* iij & *euphorb.* ij ut ℞ *euphorb.* ℨj. *ceræ* ℨij. *ol. comm. aneth. vel chamæmel. vel nard* ℥iß. Vel fiant Fomenta *ex herb. m.* iij. *aqu.* ℔. xl. bulliant ad 4. partis consumptionem.

Rhazes contumaciorem videns hanc intemperiem, conficiebat trochiscos *ex pulvere Euphorb. castor. piper. sinapi, hyssopi stirac. rutæ, marrubii*, commiscebat hæc in pulverem subtilissimum; aromatico vino excipiebat, & in usum reponebat; A fotu siccato capite accipe *horum trochisc.* ℨj. cum *oleo caryophill.* vel *de spica*, suturæ coronali impone, prius fricato capite ut pervia sit vis remedii, frons & tempora illinuntur, ac auribus quid indit *Rhazes*: Tam pertinax hoc vitium est ut *Aretæus, Rhasis, Avicenna* ad sinapismos, dropaces & phrenigmos tandem fugiant; Nil itaque mirum si hoc ævo dolores non expugnentur, cum levioribus oppugnentur, nec ad robusta illa facile transferant curationem Medici. *Heurnius.*

III. Alia [37]. est *Humida*, quando cerebrum ad nimiam humiditatem deflectit.

[38]. *Cognoscitur* ex narium & oculorum humiditate, catarrhis qui insequuntur, propensione ad somnum.

Oritur ab externis causis non naturalibus, humiditatem inferentibus; ut sunt, pluvia, [39]. Lunæ radii &c.

Curatur 1, *Alteratione* per moderatè siccantia frigidis mixta, β non multum odorata, Internè per

per 40. decoctum inprimis 41. *China*, 42. *Guajaci*, cui aliquid carnis vitulinæ ad temperandam siccitatem injiciendum.

Externè 43. Embrochas ex thermis sulfureis & bituminosis; sacculos ex *milio*, *sale tosto*, *melanthio* &c. *Cataplasma* ex contusa cochlearum carne, & momento thuris ac myrrhæ.

II. *Diæta* conformi illi, quæ decocto Guajaci utentibus præscribitur.

37. *Alia est humida*) Humiditas similiter ut siccitas, est passiva qualitas, quæ nuda per se nullum excitat dolorem, sed adjuncta caliditati vel frigiditati sæpe dolorem infert: Humiditas autem hoc loco non intelligenda de redundantia vitiosorum humorum in cerebro, de quibus paulo post dicemus, sed de ea quæ ab externis causis in cerebro excitatur: Humidius autem redditur cerebrum aut ab aëre humido, aut abhumectantium alimentorum ac medicamentorum usu, aut ex assidua lotione capitis cum aqua calida. *Fr. Joel.*

38. *Cognoscitur ex narium*) Cerebri plus quam par sit humidioris hæc signa sunt ex *Galeno* in A. P. 1. In iis capilli sunt plani, 2. nequaquam calvi fiunt, 3. in iis somni sunt turbulenti ob excrementorum copiam, 4. multitudo excrementorum, 5. somni multi, 6. profundi.

39. *Lunæ radiis*) Lunæ proprium est in hæc inferiora humiditatem immittere, quare exitiosum est sub ejus radiis diu dormire, quippe dormientes observatum est ægre excitari atque proximos insanis fieri. *Ant. le Grand Comp.* &c.

A. *Non multum odorata*) Nimis enim odorata caput gravant, præcipue ubi à vaporibus caput affectum dolet, unde *styrax*, *crocus*, *myrrha* etiam ipsa, & coriandrum non præparatum, cerebrum feriunt, & consequenter omnia nimis vaporosa, & sulphure peregrino pollentia spiritus turbant; & poros quidem claudunt, attamen caute adhibenda: Quo & spectat umbra nucis juglandis, taxi &c. *Wedelius de S.M.F. p.83.*

40. *Decoctum Chinæ, Guajaci*) Juvant vi diaphoretica & sudorifera, *China*, e. g. ℥j. *in aq. simpl.* ℔j. ad medietatem decoquitur donec saporem acrem acquirat, & hoc decocto uti possumus ad ℥ aliquot pro scopo sudorifera, hinc in *sero lactis* cocta senibus catarrhosis est admodum proficua *Ligni Guajaci* decoctum, cum *ligno sassafras* convenit catarrhosis: quidam in Odontalgia non sine fructu utuntur. *Etmuller.*

41. *China*) *Vera China* (quæ & ex Peru & Hispania nova habetur) nigra, textura constat admodum acri, & volatili aromatica satis penetrante; *Radix* autem *nodosa*, quæ ad nos adfertur, est tantum sylvestris, non hortensis, ideo magis temperata. *Idem.*

42. *Guajaci*) Quod in mundificanda massa sanguinea non infimum locum habet: Crasis ejus consistit in sale volatili, & sapor quasi vitriolatus est: Vis sudorifera residet in decocto, habet enim saporem amaricantem; omnino nauseabundum, aromatico tamen affinem, constat ex principiis salino sulphureo oleosis, quæ in recessu habent acre alkalinum, & acidum volatile: Paucis, vis ejus consistit in parte resinosa, quæ constat sale alkalino, & acido volatili. *Idem.*

43. *Externe embrochas &c.*) In Topicorum administratione pro affectibus capitis curandis, cavendum ne lympha aut nimis absumatur concentreturque, aut nimis fundatur; metus enim ne cerebri temperies pessundetur; Funditur facile per calida & balnea, absumitur per jam dicta; Quando enim larga adest humoris serosi quantitas, illa per talis modi calidiora poros magis inundat, unde noxa præsto est. *Wedelius Aut. m. m. pag. 125.*

IV. Alia est *Sicca*, quando cerebrum ad nimiam siccitatem excedit.

44. *Cognoscitur* ex oculorum cavitate, somni carentia, faciei squallore, sensuum acredine, causarum antecessu. 45. *Oritur* ab externis, præcipuè nimiis corporis evacuationibus, vigiliis, inedia, tristitia, nimiis studiis, Venere.

46. *Curatur* 1. 47. *Humectantibus* 48. internis, ut emulsione *seminum frigid. major. flor. violarum* 49. Externis, *spuma seri lactis*.

II. 50. *Diæta* humidiore, ut sunt juscula carnium pinguia, ova sorbilia, balneum aquæ dulcis. *Sal* vitetur & aromata, Somnus sit longior, præmissa emulsione somnifera.

V. Alia est 51. *Composita*, cujus ratio ex simplicibus connexis cognosci potest, ita ut non necesse sit plura de illa dicere.

44. *Cognoscitur ex oculorum*) Cerebri justo siccioris *Gal.* hæc signa tradit Art. par. c. 16. 1. Excrementorum paucitatem 2. sensuum perspicacitatem. 3. promptitudinem ad vigiliam, 4. capillos robustos. 5. celerrime nascentes, 6. crispos potius quam rectos. 7. citum calvitium.

44. *Cognoscitur ex oculorum &c.*) *Adde excrementorum cerebri absentiam aut paucitatem*: Sicca enim cerebri intemperies omnem catarrhi materiam absumit; Ejusmodi cerebrum *Hippocrati l. de morbo sac.* dicitur [Greek] austerum, i. e minime molle nec diffluens: Ideoque in *aphor. 14. sect. 3.* ubi habetur, si Autumnus Aquilonius & siccus fuerit in hominibus temperie siccis nasci [Greek], doctissimi interpretes pro [Greek] legunt [Greek], ita ut mens sit *Hippocratis* febres succendi tum acutas tum chronicas: Qui enim per aëris squalores, intemperaturis siccis, morbus humidissimus, qualis [Greek] est, oriri potest? Hæcque correctio petitur ab ipso *Hippocrate*, qui *lib. de A. A. & L.* dum inter effectus siccæ aëris constitutionis, in corporibus biliosis, refert febres & acutas & longas, nulla facta coryzæ mentione: *Celsus* quoque citatum aphor. Latine reddens, omissa gravedine, febrium meminit partim acutarum partim chronicarum. *Menjotius Diss. path. p. m. 198.*

45. *Oritur ab externis*) Siccitas arefactione ac squalore interdum continuatas partes violat, ut ab aëre sicco, pharmacis aridis, fame, exercitiis: Attamen raro evenit ab hac causa, sed cum evenit longe contumacior est quam calor aut frigus, sed tamen non æque ferox ac calida vel sicca ab intemperie, ut demonstravit *Galenus* de *sympt.* c. l. 1. c. 5. non enim subito fit hæc intemperies sine calore aut socio frigore: Causam habere potest alvum citatiorem, Vigiliæ etiam & solicita anxiaque curis

meus auctor mali esse poterit. *Heurnius.*

45. *Oritur ab externis*) Frigida intemperies interdum capiti molesta est, dum exprimendo continuum laxat; Ita hybernis frigoribus vitra ac testacea violari stricto frigore animadvertimus: potissimum invadit ab ambiente frigore, ut à procellosa hyeme. *Idem.*

45. *Oritur*) Siccitas passiva est magis quam activa qualitas, & perpetuo oboritur aut ex caliditate, aut frigiditate, hinc per se nullum efficit dolorem; ex *Gal. l. 5. c. 5. de causis sympt.* Causæ itaque proximæ siccitatis effectrices sunt aut caliditas aut frigiditas. *Franc. Joel.*

46. *Curatur 1. humectantibus*) Si causam habeat *alvum citatiorem*, hanc sistemus cibo, potu, & remediis iisdem quibus sopitur diarrhoea, Si *à vigiliis & curis animi* fuerit, his opitulabuntur quæ Divum gratissimum munus, somnum, evocant, & quæ in lætitiam mentem effundunt: Si ab inedia, resarciatur injuria succi plenis alimentis: Si immodesta *Venus* reficiat corpus plenioris succi alimentis, profligeturque Venus, Capiti *admovebimus oleum* maturum, *amygdal. violac cucurbit. ex semine & lini*, vel *lilinum*, aut *nymph.* hæc etiam naribus instillentur: sed Fotu altius vis subit, & aperit illinendo poros: Fove *ex decocto malva* imbuta spongia, vel ex *decocto lini, alth. fænugr.* vel *lacte mul.* aut aliorum animalium, *lacti* misce *decoctum malva*, Decoquitur *malva* dum evanuerit media aquæ pars; dein *medulla vituli*, vel *ungu. rof.* illinatur, vel *butyro rec. insulso.*

℞. *ol. amygd. viola. nymph. cucurb. pingued. vituli, gallina, butyri rec. insulsi ā ā.* ℥ij.

m. f. Litus. Heurnius.

Commodissime uti poteft & lotione pedum aquæ tepidæ, in qua decocta sunt *malva*, *violaria & chamamelum*, Nota tamen curationem siccitatis cerebri variandam esse pro ratione caliditatis aut frigiditatis cui siccitas est adjuncta. *Fr. Joel.*

47. *Humectantibus internis*) Si intus quid assumere velit ad squaloris correctionem, usus erit *syr. violat. rosatus, nymph. de papav. conserva violar. borrag. nymph. bugl.* Heurnius.

48. *Humectantibus internis*) Ex simplicibus, Folia *borrag. bugloss. lactuca, malva.*

Flores *viol. borrag. bugloss. nymph.*

Fructus, *Poma dulcia & acida, amygd. dulces, dactyli, pinei, pistacia.*

Semina *papav. albi, lactuca, malva, 4. frig. majora.*

Ab animalibus, *lac, butyr. recens sine sale, pinguedo gallina, cerebra animalium.*

Ex *compositis*, Aqua destill. *violar. borrag. bugl. nymph. papav. albi, lactuca.*

Decocta ex *plantis refrigerantibus ac humectantibus.*

Emulsiones *amygd. d. papav. albi, lactuca, 4. frigid. major.* cum aquis convenientibus paratæ.

Syrupi *violar. papaver. borrag. bugl. nymph.* Julepus *rof. violar.*

Conservæ *violar. borrag. bugl. nymph.*

Condita *caulium, lactuca, lactuca Hispan. condita, rad. satyrii.*

Electuaria *ex conservis, conditis ac speciebus* cum syrupis [illegible].

Species *diamarg. frigidi, diatrig. frig. diarrhoos simpl.* Schonbornius.

Ex animalibus, *Juscula pulli, carnis vitulina, gelatina c. c.*

49. *Externis*) Ex simplicibus folia *lactuca, malva, alth. violaria borrag. buglossa.*

Semina *cydonior. fænugr. malva, lini.*

Ab animalibus, *medulla crurum vituli, spuma ex fero lactis, omentum agninum, vel vervecinum in oleo chamom.* vel *sambuci* coctum & capiti impositum, *pulmo arietis* calens, *catulus dissectus, omentum vervecis.*

Lotiones & irrigationes *cum decoctis humectantium herbarum* vel *lacte dulci.*

Epithemata, *ex succo* vel *decocto alth. malva, borrag. ex emulsione sem. papav. lactuca*, ex *lacte & aquis humectantibus cephalicis.*

Olea *Sesaminum, olivar. maturar. violar. nymph. amygd. dulc.*

Odoramenta, ex *flor. violar. rosar. nymph.*

Auribus instillentur *Oleum violar. rosar. nymph. sesamin. amygd. dulc.* quibus caute utendum quia tympanum laxant. *Schonbornius.*

50. *Diæta humidiore*) Aër sit madidior, humidis indulgeant, pullis, ovis, jusculis, vitulinæ, vino oligophoro, somnus sit plenior, in otio degant; Cuncta quæ siccare possunt fugiat, in assumendis, admovendis, agendis, egerendis; Balnea humida proderunt, animi passiones profligentur. *Heurnius.*

51. *Alia est composita, cujus ratio &c.*) *Calida & sicca* intemperie cerebri donati, ait *Galenus in A. P.* superfluitatibus carent, & sensibus vigent, & plurimum vigilant, & cito calvi fiunt, & prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento, Capillos vero habent nigros & crispos, & tangentibus caput calidi sentiuntur, & sunt rubicundi usque ad ætatem consistentiæ.

Si vero *humiditas* adjungatur *caliditati*, parum utriusq; qualitatibus superantibus mediocritatem, color bonus, & quæ circa oculos calidiora, venæ magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti subflavi, & non facile calvi fiunt; Implentur vero atque aggravantur eorum capita à calidis: At si humectantur, protinus multo magis excrementorum habent multitudinem: Et si plurimum *caliditas* atque *humiditas creverit*, his caput est ægritudinibus obnoxium, atq; excrementis abundans, & quod facile à calefacientibus & humectantibus offendatur: Auster vero semper iis adversatur, atque optime in Aquilone se habent, non tamen diu vigilare possunt; & cum se ad somnum converterint, simul gravi somno tentantur, & vigilant, & somnia habent imaginationibus plena, visus iis turbulenti neque satis sensibus vigent.

Quod si plurimum *in caliditate* cerebrum à *mediocritate recesserit*, paululum autem humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia quidem superabunt, cum quibus levia quædam humiditatis signa conjungentur, veluti si longe quidem humidius, paululum vero calidius, vehementia quidem erunt, ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis; *Communis vero hac ratio in omnibus compositis intemperaturis existit.*

Cerebri vero *frigida & sicca* intemperaturæ frigidum, & minime coloratum sui ratione, caput reddunt; venis carentes habent oculos & à causis frigidis facile læduntur, Quare & inæquali sanitate fruuntur, quoniam nonnunquam levissima habent capita, & excrementorum moderatos effluxus, Nonnunquam vero & gravedinibus, & distillationibus minima ex causa capiuntur.

Humida vero & *frigida cerebri temperatura* faciunt homines gravi somno tentari, & ad somnum facile converti, sensibus quoque minime vigentes, atque excrementis redundantes: & qui caput frigiditati ac repletioni habent obnoxium, ac distilationibus & gravedinibus facile tentantur, neque tamen hi calvi fiunt.

CAP.

Cap. II.

De Intemperie cerebri cum materia.

[1] *Intemperies cerebri cum materia est ejusdem à sua temperie per causas externas & internas,* [2] *humores nempe & flatus inducta declinatio.*

Signa sunt, causarum internarum prægressus, morbi ad phases Lunæ mutatio.

Causa sunt Internæ, Humores nempe & Flatus, qui vel ab imbecillitate cerebri, vel à partium inferiorum repletione veniunt.

Curatio peragitur, I. *Evacuatione* tum *generali*, ubi habenda ratio *pilularum*, quæ ratione ingredientium efficacissimæ, & [3] manè offerti debent, totius corporis, quod purgandum, absentiæ & præsentiæ febris, ne incocta attingantur: Clysterum revellentium, qui non omittendi: tum *Speciali*, ubi locum habent

1. [4] *Errhina*, maximè exsiccantia, [5] modo oculi & [6] nates non laborent.
2. *Sternutatoria*, si præsertim caput vaporibus repletum est, & crassos mucos fovet.
3. [7] *Apophlegmatizantia*, si pulmo est ab ulcere liber, nec succi adeo tenues.
4. *Cauteria*, *setacea* [8] *Topica &c.*

II. [9] *Intemperies* correctione.

[1] *Est ejusdem à sua temperie*) Morbi qui partibus solidis ratione materiæ tribuuntur, dicuntur alias morbi Intemperiei, à posteriori, seu effectu sensibiliori desumpta denominatione, Num uti sub partium prima generatione à spiritu insitu particulæ materiales secundum minima specifico modo contexuntur, ex qua diversi sensiles modi in mollitie, duritie, tenacitate, colore, consistentia &c. oriuntur, In quibus Temperamentum elementale consistit, quibus à sanguine & spiritu, tam insito quam influo Temperamentum vitale dictum, seu certus Caloris vitalis gradus superinducitur; quæ ipsa per nutritionem, tanquam continuatum Generationis actum conservantur jugiter, Ita quando per vitiatam postmodum nutritionem textura ista materialis partis plus minus vitiatur, etiam qualitates istas sensiles plus minus mutari necesse est, & sic pars morbosa reddita cognoscitur, atque à posteriori *Morbi Intemperiei* dicuntur, qui potius *Morbi materia partis*, ex læsa ejus nutritione nati, dicendi forent, Et quidem primario *Morbi Intemperiei vitalis* attendendi sunt, cum hac vitiata necessario etiam *Morbi Intemperiei Elementalis* adsunt. *Etmuller Fund. Med. Nov. p. 19.*

[2] *Humores nempe*) Essentiales morborum differentiæ triplices sunt 1. Morbi spirituum, seu Imperium facientium, 2. Morbi contentorum humorum 3 Morbi partium continuentium solidarum, Secunda classis est *Morborum* viz. in *humoribus contentorum*, primario quidem *sanguinis*, hinc & *chyli*, *Lymphæ*, *Bilis &c.* Morbosi hi fiunt & à constitutione naturali, pro conservatione corporis requisita degenerant 1. in *Quanto*, dum deficiút, aut excedunt, 2. In *Quali* seu substanti *peccant contenta liquida*, quando in genere qualiscunque humor corporis à crasi debita defecerit, indeque proprietates acquirit functioni debitæ, ad corporis conservationem requisitę, ineptas: Inest sane cuivis homini peculiaris, tam in sanguine quam in cæteris contentis crasis, ex generationis primordiis exsurgens, unde qualitates earum tam sensiles, seu manifestæ, quam non sensiles seu occultæ in unoquoque individuo variant, Quamdiu ergo talem harmoniam, ac debitam crasin retinent corporis fluida, tamdiu viget valetque corpus totum, simul vero atque deficiat, vel degeneret, adeoque vitiata fuerit, *Cacochymia* exsurgit, seu contentorum fluidorum in substantia sua qualitatibus vitium.

Hanc Cacochymiam contentorum sequitur immediate vitiatus motus intestinus, seu fermentativus, adeoque productum morbosum, cacochymiam insequens, sunt vitia læsarum fermentationum in humoribus, sicque morbi contentorum in *Quali* peccantium; erunt vel in *innata crasi* vel in *fermentatione vitiata*: sive hæc fermentatio consideretur *absolute*, prout in ipso humore simpliciter consideretur, vel *respective*, prout eadem ex quorundam commixtione exsurgit, ut fermentatio chyli à bile & succo pancreatico.

Crasis naturalis, seu *seminalis*, *formaliter* in tepida uniuscujusque humoris temperatura, Materialiter in minutissimarum particularum concinna mixtura & textura consistit: Cujus texturæ nucleum quasi constituunt, *Acidum* & *Alkali*, cum inter texto pingui, vitiata ergo & morbosa Crasis in vitiata ista temperatura, veniente ex læsa textura & mixtura debita, seu materiali particularum minutarum, speciatim *Acidi* & *Alkali* consistit.

Adeoque *Cacochymia* in genere consistit in vitiosa crasi, seu textura seminali contentorum præternaturaliter vitiata, consequenter respectivæ istę proprietates, quæ qualitates dicuntur, Sunt enim in genere ex minimorum syncrisi, diacrisi, & metastasi omnes corporis nostri partes materialiter immediate coalescunt, & etiam immutantur, vi effectivs seminalis spiritus, & in specie etiam contenta corporis secundum minimorum istam texturam, ratione Syncriseos, Diacriseos & Metastaseos; diversas mutationes subeunt, quæ à rebus vel naturalibus, vel non naturalibus, vel præternaturalibus, in specie digestionibus vitians dependent.

Jam vero ut minima inter ista ingredientia Acidum & Urinosum vere primatum ducunt, ita & eadem hic loci attendenda sunt; uti vero ubique *Acidum* informat *Alkali*, & illud *Agentis*, hic *Patientis* rationem obtinet, ita in quibusvis fere morbis tam generandis quam corrigendis, ad Acidum inprimis respiciendum venit; Naturaliter omnia in corpore sunt temperata, seu salsa, oleosa, ex continua & proportionata minimorum miscela, qua læsa Intemperatutæ emergunt, indices vitiatæ craseos, seu *Cacochymia contentorum*.

Altera classis morborum secundaria in *contentis*, ex *Cacochymia* illa natorum, sunt vitia *Fermentationis læsa*, præsertim in massa sanguinea, unde variæ Caloris, frigoris &c. vicissitudines fere dependent; Considerari autem possunt Fermentationes humorum, vel *absolute*,

quando v.g. ipse chylus, aut sanguis &c. præternaturali motu intestino agitantur; Vel *respective* dum duo, vel plures humores misti præternaturalem impetum fermentativum concipiunt, v.g. quando in intestinus chylus, bilis & succus pancreaticus vitiose effervescunt, aut quando lympha sanguini infusa præternaturalem fermentationem cient, & sic porro &c. *Ettmuller Fund. Med. N.p.14. & sequ.* ubi pluribus istam Fermentationem, ejusque causas persequitur.

3. *Mane offerri debent*) Quæritur an proxime ante cibum, an longe à cibo *Pilulæ* sumi debeant, Nam quidam proxime ante cibum dari nolunt, nec proxime post, quia contrarii motus fierent medicamenti & partium, quos natura non sustineret, & quod cibi quædam fieret corruptela, Et quod, ut ostendit Anatome, nulla sit via perquam cum halitu sive vapore cibi ingesti vis medicamenti ad caput feratur, Alii tuto posse dari putant, quod cum non sint valde efficaces (*Pilulæ ante cibum dictæ*) vehiculo aliquo egent ut longe vis earum feratur, veluti cibi vapore & halitu; via autem commoda est per gulam & meatum in palato apertum ad nares & cerebrum, ut apparet post ebibitum vinum meracum, Nec aliter ex ventriculo ad caput vapor ascendit, quam à cerebro in ventriculum humor descendit, Tum hiera non est ventriculo inimica, nec cibus corrumpit, Denique docet experientia felici successu *Pilulas ex aloë* ante cibum & cum cibo devorari: Alia vero ratio est virulentiorum Pilularum: Ergo leviorum usus proxime post cibum esse potest, & ante somnum, quæ vero sunt efficaciores à somno potius matutino tempore dandæ *Enchirid. Med. Pract.* Quomodo agunt Purgantia vide inter cæteros *Willisium & Pechlinum*.

4. *Errhina, Sternutatoria*) Sal stimulat, liquat, fundit, & in motum ciet serum; Idem magis pansum magis stimulat, obtusum & implicatum minus agit & refracte; Illud enim sui juris est, hoc principio destructivo, humido, retusum & dilutum: Si ullibi id valet, merito attendendum est in *ptarmicis & errhinis*, Non agunt salia nisi soluta, soluta vero in minori liquore ut magis concentrata, ita fortius & efficacius agunt, & contra vis dispersa debilior est unita; Valet idipsum tum ab extra, quando studio vel inviti experimur id ipsum ab admissis effluviis consimilibus aptis; tum ab intra quoque, quando serum, salium vehiculum, eadem narium membranæ advehit, ut ibi expandens stimulum effectum hunc exserat, ut in catarrhis: Ex his ipsis paulo fusius allatis facile patet quænam sint *Errhina*, quæ *Sternutatoria*, seu quæ naribus debentur conjunctim Topica.

Hinc 1. quæcunque vim Elasticam seri promovent (vide cap.3. Tit.vj. §. *Sternutatio est flatuosorum &c.*) & §. *Flatuosorum spirituum, acriumque vaporum*) & consequenter aëris conclusi & remorantis eruptionem, sunt & dicuntur *Ptarmica*; Promovent & inferunt vim elasticam hanc, experimento vel aëris sudi magis subtilissima effluvia mercurialia, siquidem toto die id experimur, quando ex conclavi occluso prodimus in sudum.

Novimus Virum Rever. qui tempore verno & æstivo florentibus rosis, vel vitibus, nunquam poterat exire, & cum reliquis communi vitali aura frui refectona, quin statim in infinitas sternutationes rueret.

Promovent & cient eandem omnia acria, sicca, particulis salinis fœta, tum volatilibus tum fixis sibi relictis, & particulis sulphureis remixtis, nominatim triplicia, Cephalica, Purgantia & Acria, & quidem fecciora, ut evaporatio eo magis penetret & penitius afficiat; Cephalica sunt ptarmica, præcipue quod caput simul roborent, ut *flor. lil. convall. major. spec. de majoran.* [*Mins. diatabac. Mins. ambra, moschus*, quo pertinent etiam *ol. majoran.* ipsum & similia, pulveribus refracte addita, item *spec. diambr. diamosch.* aliquando *castor. nigella, pulv. sternut. Rulandi &c.* Ex Purgantibus instar omnium est *helleborus albus*; tacemus *gialapam, colocynth.* & alia, Non omnia enim sternutationem excitantia sunt vel dicuntur talia revera, sed ut noxia potius cavenda, quod excessiva acrimonia vellicant plusquam par est: Tertiò enim loco quoque quævis acria id præstant, speciatim vero ex vegetabilibus *ptarmica, tabacum*, & *piper* omne, inprimis vero *euphorbium*, ex mineralibus *vitriolica*, ptarmicorum apex, inprimis *vitriolum album*, quod & ptarmicum est & errhinum eximium, Ex his vero alia sunt usitata, alia inusitata; alia ut sciantur & caveantur, alia ut applicentur & prosint.

2. Quæcunque serum liquant & fundunt & papillis glandolis narium, citra vim elastiçam seri, aëris & spirituum animalium, sunt & dicuntur Errhina: licet enim vi vocis hæc dicantur omnia naribus indita, nisi tamen recepto specialius illa dicuntur quæ non sternutationem excitant, sed citra eandem operationem suam præstant; adeoq; Ptarmica actionem exerunt magis completam, illa fortius, hæc temissius, unde ut Purgantia minori dosi data fiunt Lenientia, ita & Errhina & Ptarmica eadem esse possunt, modo dosi discriminentur,

Liquant ergo & fundunt Errhina non minus ac illa, sed retusa & correcta quasi: Retunduntur particulæ acriores salinæ, inprimis aqueis, aqua enim explosioni contraria, siccitas obstetricans, Unde quæ in sicca forma erant Ptarmica, humida porrecta fiunt errhina, *majorana, vitr. alb. sal. & flor. sal. ammon. mercur. sublim. colcoth. vitr.* subtilibus etiam atomis sternutationem excitant, imo ob violentiam posteriora dicta ne in usum quidem cedunt; sin solvantur in aqua, vel alio liquore, non item, & liquant tamen egregie.

Atque hinc Errhina lustrare possumus familiaria magis & egregia, tale est *aq. majoran.* summe deprædicanda in variis affectibus: Tale est *succus anagall. flore purpureo, succus majoran. & beton.* ut *aqua anagall succus rad. nicotian.* Vapor *raphan. rustic. Spir. sal. armon.* inprimis vinosus, qui & penetrantior est & efficacior, Errhinum nunquam satis deprædicandum in epilepsia, lipothymia, apoplexia, affectibus soporosis, hystericis & simil. quin etiam in anxietatibus summis à doloribus consurgentibus, Fieri ex tempore Errhinum tale potest quando *sal ammon.* in lixivium quodcunque injicitur, mox enim unnositatem pandit, Adhibetur *spir. sal. ammon.* ad odorandum solum.

Retunduntur etiam particulæ acriores aliis formis mollioribus, quibus irretiuntur quasi & inviscantur, adeoque mitius agunt, quod exemplo *elaterii, mell. ros.* insignis abstersorii, & linim. errhinotum ex *flor. lil. conv.* cum *ol. nicot. irino*, addendo *ol. major. gtt. j. vel ij.* Retunduntur si non immediate applicentur, ut particulas acutas infigere membranosis partibus possint, sed odore tenus salum, Facit huc si grossiores paulo pulveres recipiantur,

Retunduntur denique si minori saltem dosi activitatem moderemur, eamque miscela quoq; temperemus vel ipsis etiam corrigentibus debitis, ne attractio fiat penitior?

Narrat *Schottus in Phys. cur.* circumforaneum quendam, qui in Palæstina diu versatus erat, habuisse Pulverem, cujus portiuncula, quantum apice cultelli sustentatur, naribus imposita, & sine attractione retenta, proliciut è naribus ac faucibus catarrhos ac fœtidos humores tanta copia, sine ulla tamen violentia, ut qui curam patiebatur sentiret notabiliter dictos humores è capite extrahi, atq; ad nares & fauces confluere: multis curam adhibuit, semper cum emolumento; Sed nulli rad. nomen aperire voluit, Describit talem Pulv. ex *euphorbio Rolfincius, ex euph. p. j. rad. flor. p. ij.* vocent alii *Apophlegmatismum euphorbiu*, hic ex tiarium & palati membrana spongiosa & glandulosa elicit copiosam pituitam mucosam; ut fluxus faciliretur, ligneo bacillo inserto dentibus, teneatur apertum, Si excedatur in dosi sternutatio

nutatio cietur vehementior. *Wedelius Am. m. m. p.450.*

5. *Modo oculi*) Concurrunt, licet secundario patiuntur organa sensuum, si non agunt: Animadvertit id *Abr. Schopfius l. de legitima utendi ratione præs. med. f.15. p.94.* ubi male intellecto 2. *aph.*21. quosdam impingere docet: *Quæ educere oportet* (per varia excretioni dicata loca) *quo maxime vergunt* (& aptius educi queunt) *eo* (per emetica, purgantia, diaphoretica, emunctoria capitis) *ducenda* (evacuanda esse) *per loca convenientia* (ita ut & sequax eo sit materia, & locus excipiendo educendoque aptus) Nequaquam, *ait*, semper est imitanda natura, ut dum symptomatice per oculos & aures movet: Seu non conveniunt debilibus oculis, vel auribus, in ophthalmiis, auditus difficultate *sternutatoria*, sunt enim, *addit*, hæ partes sensu tactus exquisito donatæ, ob id acribus medicamentis, quibus vacuationes à capite movere necesse est, vehementer irritantur, dolor & calor excitatur impensius, quod intendimus non consequimur.

6. *Et Nares non laborent*) Partibus afflictis non est addenda afflictio: Effertur hoc ipsû alio canone, non esse evacuandum per loca affecta, quæ nempe sustinere id onus excretionis oportet: Ut itaq; prosunt speciatim Errhina, si robur adsit partium concurrentium, si domestico vitio, ulceribus, excrescentia, fœtore, hæmorrhagia aliisque laborent nares, sic ptarmica minus habent locum, si nares facile stillent sanguinem, nam & sternutatio hæmorrhagias præcedit, acriore titillante sanguine appellente; Non si pulmones sputo cruento, vel phthisi, costæve fractura laborent; imo nec in asthmate: Hinc *Coac. pr. c.3. f.174.* Sternutatione in morbis circa pulmonem & antecessisse & succedere malum; Non si abdomen robore concussorio non polleat, ut in hernia quacunque. *Wedelius Am. m. m. p.457.*

7. *Apophlegmatizantia*) Dicuntur quod phlegma, seu serum in coagulũ abituriens, depleant, *Salivantia*, quod per ptyalismum, seu sialismum, affluxum salivæ majorem solito adeoque exspuendum cieant. *Wedelius.*

8. *Topica*) Eruditi quidam Physici vel rejiciunt vel contemnunt *Externa* pleraque *remedia*, maxime *Pericarpia*, *Amuleta* & *Appensa*; tum quod corpori exterius tantum tacto nullam medicarum particularum copiam suggererep ossint; Tum quod cum externa tantum sint, internis partibus morbis laborantibus prodesse nequeant, iis præsertim morbisqui partes corporis ab externis, iisve quibus remedia applicantur, magis dissitas afficiunt.

Quod ad priorem objectionis partem spectat, animadvertendum quantam particularum, naribus perceptibilium copiam, ac diu quidem, exigua *ambra griseæ* portio emittat, aut etiam *camphora*, quæ sæpius exterius admovetur, Consideremus multitudinem magneticorum corpusculorum per multos continue annos agminatim è vegeto *magnete* erumpentium, ut fieri omnino existimemus posse ut sicca etiam solidaque corpora eam effluviorum copiam subministrent, qua magna prorsus in humani corporis fabrica perficiuntur, Videmus odore *moschi*, aut *felis odoratæ*, non paucos in paroxysmos subito conjici, qui *castores*, aut *asa fœtida*, ac multo magis *salis* c.c. aut *ammoniaci* odoribus, statim sibi restituuntur.

Quod alteram objectionem attinet, *cutis porositas*, à præcipuis Recentiorum Medicorum admissa, satis superq; ostendit fieri omnino posse, ut subtilia variorum corporum effluvia in corpus per cutis poros penetrent; Cumque semel vel minora in vascula sese insinuent, facile conceperimus, qui hinc in majora, adeoq; in sanguinis massam penetrent; cujus circulatione ad omnes corporis partes facillime devehi possint; atque adeo ad ipsam morbi sedem: Ac forte etiam virtus eorum corpusculorum, quæ non per ipsam portam, sed per ipsum clavis, ut ita loquar, foramen subintrant, eo major fuerit quod statim massæ sanguineæ associentur; dum in stomacho aliisque partibus non digeruntur: qua digestione virtutes medicamentorum, per os assumptorum, antequam sanguini commixta fuerint, sæpe comminuuntur. *Rob. Boyleus Tract. de Spec. rem.* &c.

9. *Intemperiei correctione*) Per *Alterantia*, Notandum sæpe promiscue nominari *Alterantia & confortantia*, licet illa magis Intemperiem, hæc actionem & εὐτονίαν visceris respiciant, alias θερμά 2. Notandum Cephalicorum medicamentorum nomen magis competere calidis, minus frigidis. Indicant ergo Cephalica medicamenta primariò *Temperies alterata*; secundario verò etiam conformatio, ut in hydrocephalo, apoplexia, paralysi &c. & ipsa etiam soluta unitas, nam & in his temperiem vitiari certum est, unde ἀναλογία hæc paulo latius sumitur. De Cephalicis vide infra *§. Per Cephalica*)

Dividitur trifariam.

I. Alia est per essentiam, 10. quando materia in cerebro generatur.

Cognoscitur ex eo quod nativa propensio ad tale malum fuerit, nullum in partibus aliis vitium; Quod symptomata affectum excipientia adsint, quod continua, nisi forte materia per intervalla in capite generetur, affligant: Quod causæ caput afficientes præcesserint.

Oritur tum à cerebri malè concoquentis vitio, tum ab excrementorum propter expultricis vel meatuum læsionem, retentione.

Curatio non variat ab illa de qua superius dictum, & de qua inferius dicetur.

Vel est *sine febre*, & tum, quovis temporis purgare licet: vel *cum febre*, & tum concoctio expectanda.

10. *Quando materia in cerebro generatur*) Nascitur interdum in cerebro materia ex œconomia naturali cerebri labefactata, ab intemperie frigida, quę fœcunda est in pituitam viscidam & crassam, multis flatibus perfusam, quæ tendendo continuum divellit, quin & substantiæ suę modo; cum enim sit crassissima, ita ut evaporare non possit, in vitio est, & qualitate frigida hæc materia crimen agnoscit. *Heurnius c. de cephalg.*

10. *Quando materia in cerebro generatur*) Causis præternaturalibus aliæ naturales adjiciuntur, quarum gratia cerebrum est ὑδρηρόν.

1. Cerebri nutricatus ab affini ac pituitoso sanguine.

2. Allabentis alimenti copia ob grandem alendi cerebri molem, & perennem atque liberalem spirituum animalium elaborationem, unde excrementorum, præsertimque serosorum fætura pullulat, cum serum sit ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum alimenti: quare provida natura cerebrum fabricavit ἑπτάρροον, septemfluum, ut de Nilo fertur, h.e. septem dedit ὀχετούς, sive ostia, quibus se exoneret, ambos oculos geminas aures, duas nares & os; quæ tamen emissaria, & quasi gutturnia cerebrum precario possidet, cum istæ partes nobilioribus usibus per se destinatæ sint.

3. Motus cerebri continuus, quo madores undequa-

que ſorbet, ac eorum aſſiduis hauſtibus inebriatus.

4. Ejus figura ex amplo in anguſtum deſinens; nam apud *Hippocr. l. de vet Medic. Partes cava ex amplitudine in arctum coacta humiditatem è reliquo corpore ad ſe maxime allicere poſſunt &c. Tales ſunt caput & uterus* &c. Denique editiſſimus capitis ſitus, ejuſq; cavitas atq; rotunditas [illegible], ex *Hippocr. libr. de Aden.* nam halitus [illegible] ad cerebrum, utpote corporis cacumen, ſupremumque limitem aſcendentes, ejus cavitatibus, cum apertis tum latentibus (eſt enim cerebri machina rara ac [illegible]) excipiuntur & quidem ubertim propter membri rotunditatem, corporum namque [illegible] rotundum eſt capaciſſimum, quocirca magna Glandula cerebrum dicitur *Hippocrati*, humiditates exugens ac ebibens, nec inepte capitello ſtillatitio, vel tecto fumoſæ domui ſuperiacenti comparari ſolet: Imo rectus corporis [illegible] non modo confert aſcendenti materiæ, ſed ejuſdem quoque favet deſcenſui, dum anathymiaſes prius leves, tunc cerebri algore in humorem coactę gravitatem acquiſierunt, ita ut haud mirum ſit homini [illegible] ambulanti, quam brutis prunis deſtillationem eſſe frequentiorem. *Menjotus Diſſert. p. m.* 202.

Alia eſt [11] *per conſenſum*, [12] quando [13] materia aliunde per venas, arterias, nervos, aut ſpinalem medullam [14] ad caput tranſmittitur, *Cognoſcitur* ex partium aliatum vitio, quod affectum huno præceſſit: ex intermiſſione & remiſſione, nec non aliis de quibus in generalibus morborum differentiis egimus.

Nota tamen 1. continuum eſſe poſſe affectum, ſi materia extra cerebrum genita continuo affluit.

2. Capitis affectum cum partis alterius intendi & remitti, quando ex eadem parte ad plures materia emittitur.

3. Non ſtatim affectu partis, quæ cerebrum in conſenſum trahit, remittente vel levato, materiam in capite evaneſcere, ut in intermittente febre obſervari poteſt.

Oritur etiam ab iiſdem cauſis, de quibus ibidem: Humores vel irrigant & perfundunt cerebrum aut membranas, vel ex vaſis in inania cerebri ſpatia elapſi, in tumorem attollunt.

In *Curatione* 1. à parte mittente *incipiendum*, ſed [15] ſi ſit criſis, nihil adhibendum, niſi vehementer materia ad caput moveatur.

II. *Revellendum* Venæ ſectione in brachiis vel cruribus [16] cucurbitulis, clyſteribus, frictione, cauteriis.

III. [17] *Repellendum* per oxyrrhodina, [18] niſi vel febris vel catarrhus, vel nimiæ vigiliæ, vel cranii, cerebri membranarum, propter vulnus detectio adſit.

IV. *Intercipiendum.*

Differentia hujus [19] pro varietate partium à quibus materia mittitur, ſunt variæ.

1. A *toto*, ut in febribus: & tum magis revulſioni & evacuationi, quàm repulſioni ſtudendum.

2. A *Ventriculo*, vel cibo crudo, corrupto, vel alia materia pleno, & tum ea etiam per nervos ſexti paris communicatur, *Liene*, & tum, æger magis à cibo infeſtatur, *Epate*, & tum dextra pars maximè afficitur, *Renibus*, *Vtero*, & tum vertex maximè tangitur, *Diaphragmate*, *Externis partibus*, Tum ex partium mittentium affectibus cognoſcitur, & Curatio ex illis ſumenda eſt.

[11] *Per conſenſum*) Mirabilem conſenſum habet cerebrum & partes connexæ cum viſceribus abdominis, in ſpecie ventriculo, ita ut ob id origines morborum ſubinde confundantur, v. g. ex læſo cerebro Vomitus, Ex imminente vomitu Vertigo &c. Hæc ipſa *Helmontium* admodum turbarunt, hinc obſervata ejus practica, & res facti, in *Tract. Duumviratus, jus duumviratus, ſedes animæ, demens idea, ignota actio regiminis*, ſunt optima, ſed theoriæ & reflexiones ſpeculativæ nil valent: conſenſus notiſſimus eſt, ut monitum, Sic ex læſo capite vomitus, ex imaginatione ſubverſio ſtomachi, ex ſtomacho vigiliæ, vertigo &c. Imaginationis læſio in picantibus, in melancholicis, hypochondriacis, Item motus convulſivi: partium externarum ex affecto abdomine, v. g. in hyſtericis, Unde etiam remedia adhuc quædam in ſtomacho facultatem animalem afficiunt v. g. hyoſcyami ſemen, opium &c. *Etmuller Pr. T. 2. c. 6 p. 244.*

[12] *Per conſenſum*) Poſt longum abuſum tandem apud eruditiores ludibrio ſunt *conſenſus & diſſenſus* nomina, Nihil enim aliud fere ſunt quam infame ignorantiæ aſylum &c. Partem autem parti compati, aut conſentire, ſi latiorem ſpectemus vocum ſignificationem, nihil aliud eſt quam ambas partes ſimul affici.

Uſu tamen recepto apud Medicos *ſympathia* nomine intelligimus non ſolum duas aut plures partes ſimul affici, ſed etiam affectionem unius ab alterius partis affectione pendere, quocunque modo pars agat in partem, aut alterius culpa altera patiatur undecunque &c. *Sympathia*, ſeu *affectuum communicationis*, cauſæ quatuor vulgo aſſignantur, 1. generis ſimilitudo, 2. operis ſeu officii ſocietas, 3. vaſorum communio, & 4. vicinitas.

Vaſorum communionem hic perpendamus; Non eſt difficile intelligere quantam vim habeat ad ſympathiam inducendam vaſorum communitas ac ſtructura; Cum enim per vaſa communia vitiati humores ab hac parte in illam transferantur, in ea ſimiles aut diſſimiles affectus excitant, pro varia partis naturæ aut diſpoſitione ad patiendum hoc aut illo modo: Cum communitate vaſorum ſtructuram eorundem connecto, quia in pleriſq; communitas ſine ſtructura tali non ſufficit ad ſympathiam inducendam, ſaltem talem.

Verum ratio compatiendi per vaſa multiplici inſignis eſt & difficilis varietate; quapropter in ea examinanda diligentia adhibenda eſt &c. Recte dixit *Hippocrates l. de Alim. Conſentientia omnia, juxta totius quidem corporis compagem omnia juxta partem vero partes in unaquaque parte ad opus*, Et *Galenus* ad iſtum locum docet omnes partes in unius operis miniſterium conſpirare; ad actiones animales obeundas conſentire ob quas factæ ſunt; *Particula*, inquit; ad *actionem organi*, *corporis omnes partes ad unum opus*, *h. e. ad vivendum conſentiunt &c.* Cum illa

partium

partium omnium corporis conspiratio atque consensio è vasis præcipue dependeat, operæ pretium est breviter attingere, quæ & qualia ea sunt, quibus dicata sunt ministerus, & qua ratione his perfungantur.

Vasa per universum corpus dispersa duo sunt, *Alterum* meros continet spiritus, laticem scil. tenuissimum ac defæcatissimum, è sanguinis massa secretum, Hoc *genus nervosum* communiter appellatur; Sub altero genere complector *vasa sanguinea, venas & arterias*; quo refero *Ductus chyliferos & lymphaticos.*

Ad tertium genus pertinent quicunque ductus è vasis sanguineis liquorem aliquem egerunt, choledochus, pancreaticus &c. His vasorum generibus potissimum tota corporis animalium perfectiorum œconomia perficitur &c. Ex ista corporis humani œconomia facile est intelligere qua ratione, cum pars aliqua afficitur, ejus labes propter vasorum communionem alteri communicatur. Si enim vel pars corrumpatur, vel quacunque de causa pravus humor in ipsa gignatur, vel sensim è cacochymo sanguine secretus cumuletur, is postquam putruerit, & concepto fervore fuerit attenuatus, in venas migrabit cum refluo sanguine, ac si in ipso hæreat totam massam inquinabit; aut si in alia parte sensim facto decubitu colligatur, eandem male afficiet alterando, rodendo, putrefaciendo, aut alio quovis modo labefactando.

Porro, ut materia morbifica ab hac parte in illam potius quam in aliam transferatur, non sufficit vasorum communitas, sed specialis requiritur *structura*: Hujus causa plus crassioris sanguinis ad lienem & Intestina defertur quam ad caput, servata molis proportione, Ad eandem structuram spectat conformatio meatuum insensilium, arteriarum & aliorum canalium: Ea efficitur ut succus acidus v.g. in pancreatis ductus defluat potius quam in aliam partem; Sic eo *partium dispositionem*, ut pravos humores excipiant, & ab iisdem afficiantur; ea enim est generalis ratio compatiendi: Generatim quoscunq; humores eæ partes facilius excipiunt, quarũ rarior est & laxior fibrarum contextus, Eæ vero facilius patiuntur quarum tenerior est ac mollior substantia.

Ut vero pars aliqua ab hoc humore magis quam ab alio, etiam deteriore vulgo habito labefactetur, efficit specialis convenientia: Sic observamus eam aquam stygiam quæ aurum dissolvit, illæsum relinquere argentum, & vicissim 1. Præterea ad eam sympathiam inducendam, quę fit per vasorũ communitatem, nõ parũ duę alię sympathię causę concurrũt, situs scilicet & connexio, quibus quę compatitur pars, magis disponitur ad humores recipiendos & retinendos, quia vel est in declivi posita, vel distrahitur, vel comprimitur &c. Vasis annumero tum interstitia ipsorum vasorum & reliquarum corporis partium, tum fibrarum, quarum textura partes constituuntur: cavitas enim quæcunq; ex partium variarum connexione emerserit, pro vase est habenda, quoque gracilior fuerit eo erit aptior ad humores, saltem tenuiores, & ipsi applicabiles secundum ipsius ductum deferendos, etiam contra eam quam natura indidit inclinationem, ut solet aqua, quantumvis gravitas renitatur, per inconspicuos filtri meatus ascendere.

Ex hac vasorum omnis generis per universum corpus diffusione patet quam recte olim *Hippocr.* pronuntiaverit *totum corpus conspirabile esse & confluxile*, cum illorum ope e qualibet parte in quamlibet aliam fieri possit humorum traductio: Intelligitur etiam qua ratione, docente eodem *Hippocr.*, *Partes dextra dextris, sinistra sinistris magis consentiant*, Accuratius enim intuenti manifestũ est musculos, eorumq; fibras, ac utrorumq; interstitia magis secundum longitudinem quam secundũ latitudinẽ corporis porrigi, ac per ea superne deorsũ, aut inferne sursũ humores facilius fluere quam in transversum feruntur.

Sunt itaq; *quatuor sympathiæ causæ*, evidentissimis rationibus stabilitę, *Vicinia* scilicet, *Connexio*, *Situs* & *Vasorum communitas*, quibus omne sympathiæ genus clare & perspicue potest explicari, ut si quando partem compati contigerit, non sit amplius Medico inquirendum; multo minus agendum circa officii societatem, aut generis similitudinem. *Franc. Baylo Dissertatione 9. De consensu variarum corporis partium cum utero.* Vide plura ibidem.

12. *Per consensum, quando materia aliunde*) Morbi vel per *Essentiam*, vel *per Consensum* afficere dicuntur; *Per consensum* una pars ab altera affici; seu morbosa reddi dicitur, quando una parte aliquid præternaturale sentiente, alia etiam sentit, atque idem aut diversum quid patitur, unde *sympathia* etiam dici consuevit.

Fundamentum hujus consensus consistit in connexione partium nervosarum, seu *continua* eædem sint, qua ratione in imminente Vomitu tremor labii inferioris contingit, quia integra membrana in stomacho, gula & oris cavo, ipsisque labiis continua est, Seu *contigua*, qua ratione qui stranguria laborant sæpius etiam ad alvum exonerandam stimulantur; Seu per *nervorum tantum intermedios funiculos conjuncta*, qua ratione dolores renum ex calculo comitantur tormina ventris, vomitus, dysuriæ &c. ob nervulos ex plexu mesenterii communi ad has partes derivatos.

Isto ergo reali nervo è plexu viciniore ex dolore in cõvulsivas irritationes irritato, reliqui ex eodem plexu similes convulsiones patiuntur; sunt enim nervosæ partes, quæ proprie consentire dicuntur, quoniam earum structura est talis, ut instar chordarum, vel membranarum tensarum, spiritibus animalibus imbutarum, hinc inde sint contextę: Unde tali chorda & membrana in altera extremitate compulsa, vel illisa, tam ex continuitate tensionis, & hinc vibrationis, quam rapidissima spiritus animalis in parte impulsa agitatione & motione, secundum talis partis nervosæ continuitatem aut contiguitatem, omnis iste connexus & contextus similiter movetur: Hinc punctis cerebri membranis subinde totum corpus paroxysmo epileptico convellitur, Et irritata intima narium membrana thorax convellitur, unde sternutatio, ob nervorum ad membranam hanc tendentium cum nervis intercostalibus connexionem.

13. *Quando materia aliunde per venas*, Sunt illi veri partium consensus, quod si vero fiat ut per sanguinis circulationem excrementa vitiosa ex una parte in aliã transferantur, & ita posterior afficiatur, non potest, ut prior, consensus appellari, sed est *metastasis materiæ morbificæ*, morbus per *ἀποσκευασμὸν*, non per *συμπάθειαν*.

Quædam aliæ alterationes huc etiam pertinent, in corpore obviæ, ac consensus vulgo vocatæ, cum vel ex alterata tota massa sanguinea, vel ex imaginatione, indeque vario spirituum motu, vel alia ratione dependeant; Pertinent huc v.g. consensus, sic vocatus, testium cum pulmone & aspera arteria, nam & tussis Pulmonum in tumorem Testium non raro mutatur, Et ex Testium virilitate inspirata sub primis pubertatis annis alteratur arteria trachea, dum vocem graviorem & magis sonoram reddit: Epithema ex *succo sempervivi major.* cum *aceto & vitriolo* testibus applicatum fortissimam etiam *Tussim* cito dissipat; Simile Epithema hepati admotum hæmorrhagiam narium sistit: Pedis plantæ refrigeratæ, ambulando super lapideum pavimentum, aut alvum laxat, aut ventris tormina inferunt, quibusdam caput dolere faciunt. *Etmuller Fundam. Med. nover. p. 26.*

14. *Ad caput transmittatur*) Male à quibusdam etiam humores *motu locali*, etiam consequenter *loco peccare* dicuntur, dum nempe contenta corporis fluida, tam naturaliter quam præter naturaliter constituta, naturalis motus leges vel excessu vel defectu transgrediuntur, & inde aliena ad loca moventur, in quibus vel subsistunt, vel per quæ penitus extra corpus effunduntur.

Sed si recte rem hanc consideremus, non tam vitia morbosa, quam producta morbosa hæc contentorum in *Motu & Loco* erunt, cum semper vel *Spiritus moventis*

præternaturaliter excedentem aut deficientem impetum, aut vel *marum*, per quas moveri debent, impedimenta & vitia, vel propriam ad motum ineptitudinem à innata *ægies* & textura materiali dependentem, & ita semper præcedentes defectus morbosos insequi soleant, v. g. odontalgiam insequitur tumor maxillæ, ob stagnationem sanguinis aut lymphæ, propter pororum angustiam, à fibrarum contractura occasione doloris facta: Moventur vitiose contenta in Diarrhoeis & Dysenteriis, sed præcedente tam ipsorum contentorum alteratione præternaturali, quam intestinorum & spirituum vellicatione à causa morbosa; Hæmorrhagię fiunt nimiæ, vel spiritus nimis moventis, vel vasorum nunc relaxatorum, nunc exulceratorum vitio, habent enim se humores quicunque in motu locali saltem passive, alienaque vi agitantur, unde etiam nonnisi alieno ex vitio, vel propriæ morbosæ constitutionis, prævia occasione, motu aut loco peccare possunt. *Etmuller.*

[15] *Sed si sit crisis*) Si fuerit non fixus dolor, sed fugax ab imminente crisi, nullo modo erit reprimendus, nam naturę ductu jamjam hæmorrhagiam in procinctu esse denotat, quam si retruseris mortem afferres; Notabimus facile criticum esse, si in diem criticum per febres incurrerit, & si pepasmi signa per febres præcesserint, ut urinæ coctio. *Heurnius.*

[16] *Cucurbitulæ*) Quæ attrahunt ob rarefactionem conclusi aëris, quod vulgo vi vacui nominamus; si quidem vi flammæ exhausto aëre, partes humidę alliciuntur non sine quadam vi, siquidem perpetuo sibi succedunt aër & aqua, utraq; calori obsequia: Hinc Siccæ imprimis advocant & dissipant, dorso, brachiis, vel pedibus appositæ; humidæ advocando evocant. *Wedelius Am. m. m. p. 85.*

[17] *Repellendam per Oxyrrhodina*) Si aliunde affluat materia morbifica in caput, erit repellenda succis frigidis crassis, nam frigidum crassum maxime refrigerat, ut calidum tenue valentissime calfacit, sed tamen leptomeria prædita his misceri debent; laudatur *ol. rosat.* recens eo anno confectum; id valide adstringit, ac strenue refrigerat: Quod si molliora fuerint corpora, lenius agendum erit; *oleoque* chamæmelino erit utendum, quod ex oleis & floribus immaturis confectum fuit: Omnibus miscendum est acetum, nisi vigiliæ urgeant; alioqui reponimus ejus loco *succum acetosæ*, *rad. quinque fol.* aut *arantiorum acidorum & limonum*, sed sint hi fructus maturi, ut penetrent succi. *Heurnius.*

[18] *Nisi febris; vel catarrhus, nimia vigilia &c.*) Accurate cuncta in capitis negotiis transigenda, minimam enim noxam facillime sentit; quare si evenerit ut alii affectus sese misceant doloribus capitis, obstructio, febris, catarrhus, religiosius agendum erit: Quod si obstructio sese jungat, ab usu adstringentium remediorum (quæ sons adlubentur) erit abstinendum, nam geminarent infarctus: hinc est quod veteres ad somnum provocandum præscripsere *serpillum, crocum, pulegium*, & anethum, nam expugnant vigiliarum causam, Obstructionem, ut rhabarbarum evacuat bilem & refrigerat, ita *vinum anethinum* somniferum est. *Heurnius.*

[19] *Pro varietate partium à quibus materia mittitur*) Tunc non tam est affectus per consensum, quam diadosis materiæ morbificæ: Vide supra §. 12. *Quando materia aliunde.*)

II. Alia est à [20] *Flatu* vel Vapore, quæ [21] *Cognoscitur* ex sensu tensionis, sine gravitate, dolore, propter membranarum distentionem, venarum in collo intumescentiam, prægressu causarum, sibilo aurium, pulsatione arteriarum, vertigine.

[23] *Oritur* ab iisdem, de quibus in generalibus dictum est; quibus accedunt ex specialibus, odoramenta, res fœtidæ, vapores metallici, fumus carbonum, candelarum &c.

[24] *Curatur* in genere [25] *materia* flatulentæ *subtractione*, & [26] flatuum *revulsione*, *interceptione* & [27] *discussione*, diversimode pro ratione specierum.

Dividitur bifariam.

1. Alia est à *Causis externis*, ut [28] *vaporibus* metallicis, quæ *Zedoaria* pellitur.

Carbonum fumo, cui aër libet, aqua cum theriaca, sternutatoria debentur.

[29] *Vento* vel frigido vel calidiore [30] cui opposita inserviunt.

Alia ab *Internis*, seu calidioribus, seu frigidioribus.

Et hæc, 1. vel est à [31] *flatibus sanguineis*: & *tum*, intemperies & dolor est mitior: ad somnum propensio, sanguis mitti debet.

2. Vel *pituitosis*, & *tum* gravitas capitis major & diuturnior, dolor obtusus, major ad somnum propensio: Materia debet phlegmagogis educi; [32] vapor fomentis vel odoramentis ex carminantibus, ut florib. chamæmeli, verbasci, ruta &c. discuti.

3. Vel *biliosis*, & *tum* dolor propter mordacitatem pungens, sed qui non diu durat, materia tollenda cholagogis, vapor refrigerantibus & oxyrrhodinis [33] sedandus.

4. Vel *melancholicis*, quæ raro accidit, quod melancholia propter terrestreitatem suam minus ad evaporandum sit apta.

II. Alia est *per essentiam*, & [34] tum præcessit capitis gravitas, partium inferiorum affectus absunt, Discutientibus internis & odore cephalicor. curandum.

[35] Alia *per consensum*, & tum venæ in collo tenduntur, [36] Urinæ in superficie bullis repletæ sunt, flatus aut per partem anteriorem, cum thoracis tensione & arteriarum in profundo pulsatione; vel per posteriorem, cum venarum & arteriarum ejusdem partis tensione adscendunt, [37] *Oriuntur* ab aliis partibus quæ submittunt.

In *Curatione* [38] ratio habenda *Revulsionis* [39] per clysteres paulo fortiores, *Repulsionis* per Oxyrrhodina, externe, Per conservam rosarum &c. interne, [40] *Evacuationis* per purgantia carminativis castigata, Vitandus somnus statim post cibum.

[20] *A Flatu*) Flatus φῦσα, item πνεῦμα, flatus seu spiritus, in genere significat congeriem halituum, vel vaporũ velut quadam membrana inclusorum; Specialiter vero à Medicis accipitur de ejusmodi congerie halituum in corpore humano genita, præsertim in ventriculo, intestinis, hypochondriis, utero, vesica &c. *Bruno Lexic. p. 583.*

[21] *Vapore*) Vapor ἀτμός, ἀτμὶς, ἀτμὸς, proprie dicitur humor in aurã resolutus, humor extenuatus, qualis per spiracula cutis naturaliter quotidie exhalat: Nec differt descriptio *Libavii* dicentis, *Vapor est aër rudior, proxime ex aqua resoluta* factus: Si præternaturaliter se habuerint, fiunt quoque fuliginosi, fumosi vapores,

quorum

quarum meminit *Galenus* l. 3. m.m. c.5. Contra vapores crassos, ceu causas morborum hystericorum & convulsivorum acerbius scripsit *Helmont.* negans se unquam vidisse tales dari vapores crassos, & esse contradictionem in adjecto: In Chymicis tamen dari quoque vaporem unctuosum, qua naturalem, qua artificialem, qui nihil aliud est quam *primum Ens mercuriale*, quod incipit consistere in argento vivo, aut ex ipso extrahitur per sublimationem artificiosam: Alias non negandum in nonnullis Veteres hallucinatos esse in accusandis vaporibus & eorum viis, quod tales è ventriculo ascendant, & capitis dolorem excitent, uti recte notat *Willis. Idem p.1165.*

22. *Cognoscitur*) Scite notandum an sanó vel ægro, sensim vel subito evenerit dolor; Cur sano ἀϑρόως oboriatur dolor, sæpe, ut asserit *Galenus 6. aph.51.* ad flatus hæc tædia pertinebunt. *Heurnius.*

22. *Qua cognoscitur ex sensu*) Membranam distendunt *flatus*, & molem adaugent, subinde villos separant, & ab invicem distrahunt, quærentes spatium; dolorem propterea dilacerantem, sed inconstantem & invalescentem per vices inferunt. *Molinetti.*

22. *Cognoscitur ex sensu*) Flatus sive in cerebri meatibus solus oberret, quod ex motione doloris de loco in locum, & distensione citra gravitatem ac pulsum intelligitur, Sive pituitosi humoris illum foventis copia subsit, sicque cum distensione adsit conjuncta gravitas & distensionis sensus, Aut demum ex subditis corporis partibus in caput is influat, haud parum confert ad rectam curationis methodum. *Th.Fienus Phys.c.12.*

23. *Oritur ab iisdem*) Flatus vel in ipso capite generantur, dum in cruditatem abducitur id; quod non difficile eventu est, cum ventorum incursibus expositum id, & foraminibus pertusum aditum injuriæ præbeat, ac pituiroso excremento uberrime rigata pars sæpe coctionis bonitate spolietur. *Heurnius.*

23. *Oritur ab iisdem*) Flatus, qui intra ventriculum & intestinorum cavitates plusquam in alia totius corporis parte quavis aggeri solent, ad hunc modum produci videntur, Dum alimenta in visceribus subacta, & digesta, à fermentis & calore ipsorum dissolvuntur; effluvia quamplurima decedunt, quæ si spatium liberum & apertum obtinerent in auras migratura evanescerent; verum ea membrana conclusa, & simul aggesta, vaporum congeriem quasi ventum constituunt, qui intestina sæpe inflat ac distendit, & qua data via ruens secum excretiones promovet, conclusus vero tormina, & non raro ventris inflationem creat; Flatus in visceribus ab alimentorum dissolutione emergentes, simili ritu gignuntur ac cum margaritæ, corallia, aut alia concreta matratio imposita à suis menstruis dissolvuntur, à solutionibus enim factis vapores quamplurimi dimanant, qui si strictius coerceantur vas continens diffindi aut dissilire cogunt; pariter ab alimenti intra primas vias, sive dissolutione sive coctione, aut fermentatione, effluvia copiosa decedunt, quæ simul aggesta, ac intra membranas conclusa, Flatum efficiunt.

Cujus insuper proventui uberiori causæ quædam aliæ contribuunt, Hoc etenim præstat succorum non rite miscibilium colluctatio & effervescentia, Quippe dum humores adventitii, aut ingesta heterogenea, ac inprimis medicamenta, cum aliis intestinorum contentis fermentescunt, à mutua particularum refractione quamplurima corpuscula decidentia in vaporem aggeruntur: Porro ab ipso sanguine ebulliente cum halitus copiosi ubique decedunt, eorum pars quædam ex arteriis in viscerum cavitates erumpens flatuum aggeriem ibi productam auget. *Willis Pharm.rat. Part. 3.c.* 1. Vide pura l.c.

De eorum generatione vide inferius §.25.*materia flatulenta subtractione.*)

24. *Curatur in genere*) Indicatio hic erit medica, ut tensio, discussis flatibus laxetur, & provisione habita totius, studium adsit ut fundat sese capitis adstrictio: Hæc ea encheiresi qua pituita excluditur tractanda, & tandem flatus excutientibus displodendus is erit, & caput roborandum: Si aliunde affluit, avertatur, ejusque proventus impediatur. *Heurnius.*

Vapores seu Halitus, excessivos peregrinos & extraneos, quatenus halituosior sanguis, seu sulphure peregrino infectus, non aliter ac videmus in ebriis, turbulentos reddit spiritus, corrigunt tum blanda aromatica & roborantia, qualia vulgo appellantur Evaporationes ad caput elevandas prohibentia & discutientia, *coriandrum*, *pulveres* peprici, quæ [illegible] præstant, & ventriculum roborant: Tum *acida*, quæ humores sulphureos, biliosos, obtundunt in ebrietate. *Wedelius de S. M.F.p.80.*

Præparetur focus unde erigit se flatus, expurgetur eo modo quo pituita & melancholia; ut etiam quæ de masticatoriis, gargarismis & errhinis dicta huc pertinent, *Sinapi* hic utilissimum est, *mastix* cum *cera* & *sinapi* masticetur poterit aspergi *piper*.

In frigidis flatibus *opiatorum* nullus usus commodus, nisi dolorum sævitia eum evocet; quæ reliquis invicta vires prosternit; tunc *castoreum* jungatur his. *Heurnius* cap. de cephalalg.

24. *Curatur in genere*) Tribus remediorum generibus veniunt curandi ex flatibus orti affectus, nempe Victus ratione attenuante, calefaciente modice, & exsiccante, Deinde medicamentis Obstructiones aperientibus; Crassam viscosamque materiam incidentibus & purgantibus, Demum potissima ratio consistit in flatibus quam citissime; antequam vires doloris vehementia infringantur, discutiendis.

Discutiuntur autem tenuium partium medicamentis; quæ si doloris particeps sit affectus, eam habeant facultatem ut dolorem mitigare, caloris imbecillitatem roborare, fuliginosum spiritum extenuare, & partium densitatem recludere possint: Pro affectarum autem partium differentia varietate, curationis materia mutatur, tum facultas intenditur aut remittitur.

Porro ut variis in locis suam ille tyrannidem exercet, sic etiam in partibus capitis eadem contingit; Flatus enim vaporosus, eoque adhuc magis viscidus, crassusve humor eum fovens, angustiis meatuum capitis adeo vehementer impingitur, ut multo quandoque tempore ad curationem hujus ac vertiginis opus sit.

Primum itaque flatus, sive in cerebri meatibus solus oberret, sive pituitosi humoris illum foventis copia subsit, aut demum ex subditis corporis partibus in caput is influat, ab iisdem plerumque curationis initium auspicandum existimo, partim equidem ex capite in totum corpus revellendo, partim affecto loco remedia adhibendo. *Th.Fienus.*

25. *Materia flatulenta subtractione*) Quamvis flatus omnes non excludantur semper è corpore, sed non raro permaneant in ipso aliquandiu, donec sponte atque quovis modo *discutiantur* ac *dissipentur* aliterve *dispareant*; hæcque flatuum qualiscunque Dissipatio non sit eorum *Excretio*, licet tamen hac de re aliquid notare.

Flatus ubivis existentes ad sui Excretionem juvant, quæcunque impedimenta tollunt, propter quæ firmius partibus hærent, *Tenacitatem* puta & *Glutinositatem pituita*, ex qua iidem sunt producti, quæ vulgo *Carminantium* nomine veniunt, & *Aromatica* sunt, abundantque *oleo aromatico*, quod copiosum ex ipsis distillatione elici potest.

Existimo autem *discuti* vere *Flatus*, quatenus ipsorum materia multum tenax inciditur & rumpitur, unde subsidit materia pituitosa, in flatus distracta

& diſtenta conciditque & coit in exiguum pituitæ globulum: Videtur namque modo haud plane diverſo illi quo pueri ſolent ex ſapone aqua ſoluto, per ſtraminis tubulum excitare bullas: *Bilis* juncta *pituita glutinoſa* iſtam rarefaciendo diſtrahere in flatus, qui ulteriore rarefactione tandem ſponte rumpuntur; dum mox Pituita prius ita diſtracta & rarefacta concidit, reditque ad priſtinam ſui naturam & conſiſtentiam, ceſſante tunc bilis actione propter defectum materiæ in quam ſic agat; niſi alii pituitæ parti ſe inſinuet, eamque ſimiliter in flatum diſtrahat & rareſaciat.

Quicquid autem aſſumptum, vel forinſecus applicatum, ſine flatuum excretione ipſos diſſipat; ita ut deſinant angere aut diſtendere partes prius male affectas, videtur id hactenus hoc perficere, quatenus aut promovet Bilis actionem in Pituitæ rarefactione, adeo ut citius tunc crepet ipſa, deſinatque flatum conſtituere; aut eandem Pituitam in flatus diſtractam incidit, viamque evadendæ Bili concluſæ parat, unde mox concidat & coeat iterum prius diſtracta Pituita.

Nec tantum ſic Diſcutiuntur aut Diſſipantur in corpore Flatus, verum eidem ad exitum excretionemque arte nonnunquam juvantur, Eadem *carminantia*, ſicut non raro ſine ulla ipſorum excretione flatus diſſipant in corpore, ita eoſdem ad ſui exitum Excluſionemque juvant ſi quavis forma deglutiantur, unde videas mox Externi tunc flatus, alias ſegnius eoſdem prodire.

Hæc autem videntur mihi efficere, quatenus Flatuum materiam tenaciorem, hactenuſque ventriculo aut inteſtinis arctius adhærentem inde liberant, & ad exitum aptiorem faciunt &c.

Si *in vaſis ſanguinis* concludatur flatus, ſicut non ſemel ipſum obſervavi poſt mortem in cadaverum diſſectione, ex apertis vaſis erumpentem, atque omnes ipſum obſervare poſſunt in multis febricitantibus, non tantum (poſtquam inteſtina, hinc & abdomen diſtenderat) anxietatem atque difficultatem in reſpiratione patientem, verum ſine notabili calore (ne quis huic hoc adſcribat) venas ubique multum diſtendentem, ſi inquam exiſtat in vaſis ſanguineis (*è quibus erumpit ad caput*) exhibenda erunt *flatus diſcutientia*, ſed maxime ſpirituoſa, & ſudoriferis (*ac cephalicis*) juncta, quo tum reſolvatur, tum diſcutiatur ac diſſipetur. *Sylvius Meth. Med. lib. 2 cap. 21.*

[26] *Flatuum revulſione*) Revocamus *catharticis* per os ſumptis, vel acribus *Enematis*; Enemata hoc ſimilive modo fiant.

℞. *malvæ, mercur. caul. rubr. calaminth. ãã. m. ß.*
flor. chamom. furfur. ãã. p...
f. decoctio in q. ſ. aquæ ad med. part. conſumpt. in colat. ℔ ß
diſſolve El. cathol. ſacch. r. ãã. ℥ i ß.
ſpec. hieræ ſimpl. ʒ ij.
ol. aneth. ℥ iij.
ſalis modicum, m. f. Enema,

Injiciatur ante paſtum, non tepide quidem, tepida enim inflant, ſed calide, idque ſenſim, ſine vi & impetu, ne flatus magis ſurſum magna torminibus compellat.

Optimum profecto hoc medicamentum, quod ſine ulla moleſtia inteſtinorum obſtructiones reſolvit, dum ſtercora evacuat, flatuſque in caput irruentes revellit.

Hoc ejecto alter ex carminativis adminiſtrabitur.

℞. *rad. alth.* ℥ ij.
malvæ, calaminth. rutæ pulegii ſalviæ ãã. m. j.
flor. chamom. ſtœchad. anthos, ãã. p. j.
ſem. aniſi, rutæ agr. cubebar. ãã. ʒ iij.
pulpæ colocynth. ʒ j.
fiat decoctio ſ. a. In colat. ℔ j.
diſſolve Elect. de dactylis. ℥ j.
hieræ Logad. ʒ j.
ſacch. r. ℥ i ß.
ol. rutac. ℥ iij.
ſalis gemm. ʒ j.
m. f. Clyſter.

Potentiſſime materias ſurſum vergentes capitique impactas retrahit, flatus diſcutit, cum fæcibus educit.

Verum ſi Enema duplicuerit, aut hæmorrhoides cœcæ &c. admiſſionem impediant, leniter alvo laxata pharmaco, communia excrementa educente, ſi caput multis craſſiſque humoribus obſeſſum videbitur, Potiones extenuantes & incidentes, ex decocto *hyſſopi, pulegii, calamint. ſalviæ, flor ſtœch. & roriſm.* cum *ſyr. de ſtœch. mell. anthoſ. &c.* concinnari poterunt.

Præparatis humoribus, flatibuſque diſcuſſis & attenuatis, Purgabitur ſequentibus Pilulis.

℞. *maſſ. Pilul. aurearum* ʒ j. *troch. albandæ gr.* iij.
m. cum ſyr. de ſtœch. f. Pilul. v.

deaurandæ, ſumat circa mediam noctem. *Th. Fienus.*

[27] *Diſcuſſione*) *Etiam per localia medicamenta*, Hinc maxime ex uſu fore judico, ſi poſt inſtitutas tum præparationes, tum purgationes habeatur capitis ratio, quod optime fiet per *cucurbitulas cæcas*, ſi nulla ſit repleno; vel cum *ſcarificatione*, ſi hæc adſit, ſcapulis adfixas: Hic vulgus habet remedium quoddam, vile ſatis, non ſine ratione tamen inventum, & cum felici ſucceſſu ſæpius comprobatum, *Rapum* ſub cinere coquitur, à quo cocto aufertur ea pars ſecundum rotunditatem cui herba ipſa implantata erat, & calidiſſime pro tolerantia ægri poſt aures applicatur; qua tepeſcente, altera ut prius calens ſubſtituitur; reiteraturque hæc actio donec flatus dolorque diſcuſſus eſt; ſolet enim brevi tempore id fieri, valet & in dolore dentium remedium. *Thomas Fienus Phyſiogr. c. 12.*

[28] *Vaporibus metallicis &c. carbonum fumo*) Animantium vitæ ſæpe non minus noxii quam exhalationes ſunt *fumi*, aliæve aporrhœæ, quæ à mineralibus & aliis concretis igni fuſis, vel crematis cieri poſſunt; Ab *arſenico, ſandaracha, cobalto*, & aliis id genus mineralibus malignis igni tortis aura maligna vitæque inimica expectanda eſt: vis eorum in farina quadam volatili conſiſtit, qua privata pro deleteriis remedia fiunt.

A metallis item igni fuſis, excitantur halitus non admodum benigni, præcipue à plumbo, qui cerebro & nervoſo generi infeſti artuum tremores & paralyſin, & interdum alios morbos fuſoribus inducunt; Imo ea eſt Saturninæ anathymiaſeos vis, ut agiles Mercurii partes firme valeat ligare: Hydrargyros enim ſupra plumbum fuſum aliquandiu ſuſpenſus in ſubſtantiam ſolidam argenti ſimilem ejus vi cogitur; Mercurius vero Auriſabris &c. vaporem adeo exitialem exhalat, ut *Fernelio* ejus uſum in luis venereæ curatione improbandi inde præcipuam dederit occaſionem: Nec à metallis tantum fuſis, ſed ab eiſdem in principiis ſolutis, & in terra adhuc latentibus oriuntur aporrhœæ, quæ vitalem aërem graviter inquinant.

In rerum deflagratione partes materiæ combuſtæ conſtituentes, præter ſal fixum & terram, ſublimatæ late in aëre ſpatiantur, niſi quæ uſtrinæ parietibus, aut alibi impingentes, in fuliginem concreſcunt; Fumi nonnunquam malignitate corpuſculorum quæ una oriuntur, nocent, Sed qui à materia, quantumvis benigna fiunt, animalia in eis diu detenta ſuffocare valent; Fumus plerumque concreti naturam ſequitur, non tamen eundem ſemper malignitatis gradum obtinet, quod particulæ ſolutæ non eandem vim habent quam unitæ habuerint.

Carbones factitii in conclavi arcte clauſo aſſidentes ſtupore quodam improviſo correptos ſæpe halitu extinxerunt

extinxerunt; Quippe isti carbones primum igniri, & subito suffocatione extincti, multum sulphuris narcotici in se retinent, quod ab igne denuo liberatum, locum opplens auram vitalem adeo inficit, ut nec cerebrum, nec pulmones sua munia exequantur; Idem fere à *fossilibus* metuendum; quod Batavi in *nova zembla* experti sunt, qui in hybernaculo ad ignem è carbonibus fossilibus accensum sedentes suffocati periissent, nisi aërem subito admisissent; *Mundius comm. de Aëre vitali &c. p.m.* 62.

29. *Vento vel frigido*) Huc pertinet Cerebri & Nervorum, consensus ad extra eum motu *Lunæ*, us in affectibus illorũ & partium nervosarum notissimum; Vnde tales secundum *Lunæ stationes* mutabiles, nonnisi partibus nerveis contingunt & proprie *Ephemerides* ægrotorum dicuntur. *Etmuller.*

30. *Cùi opposita inserviunt*) *Si à vento* indoluit caput, is maxime viam invenit per nares & aures: Si naribus conceptus sit, his impone *oleum chamæmel. aneth.* cum pauco *oleo rosat.* maturo; vel cum *ungu. rosato*, maxime si calidus is fuerit ventus.

Si per *aures* invasit, hæc tunc illis immittantur; & caput rigetur *oleo chamæmelino*, vel *lilior. albor.* Ita calido etiam à vento oborto malo, ab adstringentibus temperat se *Avicennas*: Dum vero à frigore dolent, *castoreum*, *moschum*, *ambram* naribus indebat, Nos guttulas oleorum leptomeria præditorum aspergimus pomata, ut *oleo cumini, fœnic. lauri, anisi, caryophyll. flor. caryophyll.* &c. *Heurnius.*

31. *Flatibus sanguineis*) Ab ipso sanguine ebulliente, cum halitus copiosi ubique decedunt, eorum pars quædam ex arteriis in viscerum cavitates erumpens, flatuum aggeriem ibi productam auget: *Willis.* Atque hi soli vapores intra caput videntur admittendi (forsan & pituitosi, siquidem caput *Hippocrati* metropolis pituitæ dicitur) cum bilis & melancholia extra vasa in capite non reperiantur; adeo ut ex massa solum sanguinea, intra vasa coercita, deducenda videatur flatuum origo.

Vide supra §. 25. *Materia flatulenta suberaltione*)

32. *Vapor fomentis vel &c.*) Cum in capite enascitur flatus quia à frigore id potissimum fit, sint leptomera remedia, calida, & odorata, *ut ambra, moschus, oleum sem. cumini, salvia*; Hæc non solum suturæ coronali illini, verum etiam naribus & auribus immitti debent, ut etiam *castoreum* coctum *oleo aneth.* vel *chamæmelor.* Sed primo *amygdala amara* cum *oleo aneth.* & *aceto* contundantur, & linteolo fronti inducantur, dein adde *serpillum*. Et *euphorbium ex oleo rutæ* suturæ coronali cum *aqua vitæ* imponitur: Et primum fove caput *spongia* mersa *decocto chamæmelor. meliloti, aneth. floech. salv. majoran. serpilli, beton. rorismar. spondylii*, quod etiam cum *castoreo* in *oleo aneth.* coquitur.

Si ab humidis abhorret æger, utatur fotu ex *milio* & chamæmelis, ut.

℞. *milii, flor. chamæm.* ana *m.* 6.
fiat Sacculus intersutus ut decet: Iungi poterit *calamus, galanga*, origanum. *Heurnius.*

33. *Sedandus*) Si *à bile*, vel acerrimis vaporibus, enatus fuerit dolor acerbissimus, qui ferendo illæsa vita non sit ad *narcotica* veniemus: Alioqui ex humoris morbifici qualitate retundentia capiti applicabimus. *Heurnius.*

34. *Tum processit capitis*) A capite esse elucebit ex symbolis quæ peculiarem ejus œconomiam exprimunt, sed plerumque vitio aliarum partium evenit, statis quasi periodis recurrit, obstructo & adstricto sæpe capite nascitur.

Vide inferius §. *Alia per consensum.*)

35. *Alia per consensum, & tum &c.*) Accurate perpendendum num idiopathia laboret caput, an sympathia; nam assiduus nonnunquam dolor ex syntimoria & contagione aliarum partium evenit, cum vapida assiduo materia ab aliis emittitur partibus: Et vicissim recrudescit spatiis quibusdam dolor, violata in capite uniones nam fracta œconomia capitis, flatus inde surgere solent quibusdam ex intervallis, Quare hic nodus hic solvatur.

Si fuerit per idiopathiam, fere habet conjunctum tunc dolorem cervicis, malo communicato rachitidi, Si contagione alterius obnascatur dolor, primo in querela fuit alia, præter caput, pars, cui supernatus fuit capitis dolor: Præterea ille dolor qui extra caput est, longe acerbior erit cephalalgia, & una eo insurgente hæc increscit; Cum itaque conceptum capite malum ab alterius partis morbo fovetur, vel causam suæ generationis in alia parte habet, ejus injuria arcenda. *Heurnius.*

36. *Urina in superficie bullis &c.*) *Ioh. Rhenanus* l. de urinis hæc prodit, *Si in urina tota atomi apparuerint, in toto hominis corpore rheuma esse demonstrant, Sin vero in Superiori urina tantum fuerint superiores corporis partes rheumatizatas judicat, at in media urina medium corpus, in inferiori autem inferiores corporis regiones rheumate affectas declarat:* Vrina capitis aut cerebri morbos non prænuntiat: Nec ille circulus ejusmodi morborum significatus habebit, judice *Felice Plattero*, Circulum, *inquit*, qui in urinæ summitatis ambitu apparet, à quo Medici Ourofcopi capitis affectus præsagiunt, nihil aliud quam umbram esse ab urinalis circumferentia in urina relucentem assero, quod & aqua limpidissima in eo contenta eandem umbram efficiat: Cæterum quod in aliis urinis latior, in aliis contractior, in aliis quoque coloratior diversimode circulus appareat, id quoque non ratione affectus in corpore, sed prout urinæ superficies vel capaciorem vel angustiorem urinalis sedem, quæ in medio ampla, supra infraque angusta, habet, attingit, accidit, cum angustior locus umbram majorem, latiorem, proin circulum, è contra vero amplior minorem efficiat: Quæ umbra ut in vase & humore lucidis, minus fusca, sic in obscuris hisce, vel alio modo coloratis, magis vel nigricans vel alio colore resplendens apparens circulos non eodem modo colorato, profert.

37. *Oritur ab aliis partibus quæ submittunt*) Hic caute notandum quæ partes in quas prompte se exonerent, quod usu & partium ex consociatione innotescet: Caput in consociationem maxime rapi solet ab hepate, liene, utero, ventriculo.

Si à *ventre*, dolor, *inquit Rhazes* placatur à cibo illico, & inedia exacerbatur, diluta nondum bile: Hi à cibo si teneantur aliquantulum, illa mora maxime morosi evadunt; totus his habitus plerumque biliosus est; Alii quibus à pituita grave evadit caput, nauseabundi sunt, à cibo dolent, omnia signa phlegma monstrant. Et solent ab hepate potius biliosi; & à ventriculo pituitosi succi provenire.

Fit autem sæpius hæc afflictio ob nervum sextæ conjugationis, & tunc mordetur à bile, ac nausea affligitur os ventriculi: Et interdum ob continuationem, quæ ventriculo est cum cerebro id fit, sine ullo materiæ refluxu.

Interdum fumi per œsophagum irrepunt in caput, trajicientes se per organum odoratus: Interdum etiam ab externia efferuntur, ob arterias in cerebrum.

Nulli autem parti jungitur caput majori consensu quam *Ventriculo*, ob nervum illum, *Et utero*, ob spinalem medullam cui validis medicamentis nectitur; quare sine materiæ effusione hæ solæ partes in sympathiam abripiunt caput, cum acrimonia vellicantur, aut copia tenduntur. Si ab *utero*, per spinam occiput afficitur, & menses his sistuntur, vel immoderatius effunduntur. Si ab *hepate* vel à *splene*, illa in vitio sunt, ac ibi primum querela fuit. Si materia in *ventriculi parte superiore* fuerit, quod à bile fere fit, & cardialgia aderit, nausea,

amarot, oculorum marmarygæ, &c. *Heurnius.*

38. *In curatione ratio*) Specifica cephalica capiti, non tam per consensum aliorum viscerum affecto quam domestico malo detento conveniunt; alias enim malum non cedet, sed exasperabitur magis: Conveniunt quidem & per consensum patienti, sed non ut principale remedium. *Wedelius Am m m.p* 128.

38. *In curatione ratio habenda Revulsionis &c.*) Utiliter capiti Topica admoventur, dum inferiora purgantur, ut non tam facile admittat vapores vel succos, Si *bilis vel pituita ventriculo* concepta purgetur, ac ventriculus roboretur, famem vitet, Si ab *hepate* ejus intemperies flectatur, nam, ut ait *Galenus 3. de loc. aff.* qui hepar habent calidum & sanguinem tenuem, repletur his facile caput; Et *obstructio* si adsit aperiatur, & evacuetur ut decet: Idem de *Liene* dico, ut autem in utero transigendum, ubi de mulierum morbis, dicetur. *Heurnius.*

39. *Per clysteres*) Sin ab intestinis biliosum irrepat in caput excrementum, fiat *Enema ex malva*, *violariaque & hordei* decocto, vel si languent intestina, ex *jure pulli* cum *oleo violato*, *saccharo rubro* & pauco *sale*. *Heurnius.*

40. *Evacuationis*) Quænam *vena*, dum à sympathia dolor est, *secanda*? Si, authore *Avicenna*, hic vena aperienda, tunc si utrinque urgeat malum, ut & pars unde doloris focus, & caput æque excrucient, medianam solvemus venam, quæ & caput, & jecur, & thoracem, & lienem evacuat; Sin ad caput maxime opera obvertenda sit, solvatur cephalica; Quod si pars quæ in caput effundit eluviem præcipuam evocet curam, & si supra renes posita sit, axillaris interior scindatur, Ut si *Jecur* fuerit, dextri vena; si *Lien* sinistri pertundatur nam, *Uterus* malleoli vel pedis venam postulat.

Cruribus non incommode hic cauteria inuruntur, nam revellent & una educent materiam. *Heurnius.* Hic venarum delectus, admissa sanguinis circulatione, inutilis est: De loco solum, an in superioribus vel inferioribus partibus instituenda sit venæ sectio, An in dextris vel sinistris, dubium moveri debet.

III. [41.] Alia est ab *Humoribus*, & [42.] hæc est vel *Sanguinea*, *Biliosa*, *Pituitosa*, vel *Serosa*, *Melancholica*, & *Atrabilaria*.

I. [43.] *Sanguinea cerebri intemperies*, [44.] à sanguine seu tenui, [45.] seu crassiore procedit.

[46.] *Cognoscitur*; nisi à causa externa proveniat, ex tensione & gravitate, flante præsertim Austro, oculorum rubedine, calore mitiore, partis anterioris ab hora nona noctis ad tertiam diei dolore.

[47.] *Oritur* à plethora & ejus causis. Deducitur in actum ab affectibus nimiis, largo generosioris vini potu, exercitatione nimia, odoribus acutis, inprimis si id laxius & debilius, & aliis quæ calorem vel dolorem capiti inferunt. *Curatio* instituenda citò, ne inflammatio vel alius affectus oboriatur.

[48.] *Peragitur* I. Sanguinis (qui influit) diversione, per venæ cephalicæ, vel pedum, si menses vel hæmorrhoides, suppressi sectionem.

[49.] Arteriotomia [50.] (propter αἱμορραγίαν) non tentanda quæ evacuat & revellit. [51.] Cucurbitular. lumbis, scapulis & cervici impositionem. Lenem evacuationem.

[52.] Repulsionem, per repellentia potestate frigida hyeme, actu æstate, si æger juvenis, nisi catarrhus adsit, & per frictiones institutam.

II. *Sanguinis qui influxit* [53.] *eductione sensibili*, [54.] per nares millefolio attritas, per [55.] venæ in frontem excurrentis, si posterior pars afficitur, sectionem.

[56.] *Discussione.* [57.] *Diata* conveniente.

Est vel à *sanguine tenui*, qui aut per se eò ruit, aut attrahitur: vel à *crasso*, & tum hic & ibi sanguis eodem die mittendus.

II. Biliosa *cerebri intemperies à* [59.] [60.] *bile exsuperante procedit*, *Cognoscitur*, ex dolore dextræ inprimis partis acri & pungente, calore fervido, actionum cerebri depravatione, aurium excrementis flavioribus & multis, oris amaritudine.

[61.] *Oritur* à causis bilem generantibus.

Dividitur in illam, quæ est per *essentiam*, in qua Curatio administratur.

[62.] *Venæ sectione*, si bilis sanguini permiscetur, dextri brachii, post levem clysterem, nulla præmissa præparatione, si febris abest.

II. [63.] *Præparatione* si opus, & febris adest, [64.] per refrigerantia & humectantia cephalica, etiam [65.] extra applicata [66.] eo fortiora, quo bilis validior.

III. [67.] *Purgatione* per aloëtica & alia cerebro specialia, tam universali per cholagoga phlegmagogis permista, in bolis potius & haustu, quam pilulis exhibita.

IV. Reliquiarum *absumtione*: ubi Camphora propter vigilias vitetur.

V. *Digestione*, per digerentia medicamenta, vitando propter vigilias camphoram.

VI. *Diata* opposita.

Et illam, *quæ per consensum*; in qua procedendum, ut in superioribus expositum est.

42. *Alia est ab humoribus, & hæc est vel sanguinea, biliosa &c.*) Accurate explicanda *Galenicorum de triplici Cacochymia*, Biliosa, Pituitosa, & Melancholica *sententia*: Nimirum consideranda veniunt in corpore duo primaria contenta fluida, *Sanguis* & *Chylus*, & in his particulæ istæ activæ. *Acidum* & *Alkali*, ceu duo instrumenta Naturæ mechanicæ, cum communi omnium vehiculo *Sero*, seu *latice aquoso*.

Sic enim uti ex Sanguine *Plethora* derivatur, ita ex chylo *Pituita*, & ex chylo vitiato *Cacochymia Pituitosa*; Ex acido volatili, oleoso suo compari, alkali volatili plus minus saturato, *Bilis*, Ex hoc plus minus vitiato *Cacochymia biliosa*, Ex acido fixo, seu terreis particulis plus minus sociato *Melancholia*, & ex hoc vitiato *Cacochymia* melan-

melancholica, explicanda venit.

Sic enim veterum experimentis, & quoad rem facti veris assertis, utut in explicandi modo erroneis, sua constabit veritas, & etiam Chymicorum, præsertim modernorum, cum Galenicis concinnior poterit institui conciliatio, & Practicæ demum Observationes & Experimenta utriusque sectæ probabilibus rationibus & firmiori theoria illustrari, Siquidem Humores Galenicorum quibusdam non inepte audiunt; *Vehicula Chymicorum principiorum.*

Nempe *Biliosa Cacochymia Galenicorum*, seu *Amarum Hippocratis intemperatum*, seu Acidum volatile oleosum, alkali volatili plus minus saturatum, secundum nostram hypothesin (ex quibus tanquam primatus elementis *Bilis naturalis*, ceu corporis balsamum coalescit) peccabit vel in *Quanto*, dum abundat aut deficit; Vel in *Quali*, dum aut nimis acre, aut minus acre existit; *Nimis* acre redditur, particulis salinis, præsertim acidis abundantibus, aut magis turgescentibus, oleosis volatilioribus junctis, hinc enim subtilior; adeoque etiam mobilior redditur Bilis, ad instar nempe oleorum aromaticorum destillatorum, ex vegetabilibus; *Minus acre* redditur ex particularum salinarum volatilium defectu & oleositate minus volatili, seu quasi aquosiore abundante, unde inertior etiam, & minus activa bilis generabitur, ad instar oleorum expressorum ex vegetabilibus.

Quæ vel augent, vel alterant hunc Saporem, & inde productam Bilem, sunt inprimis *Aër* calidus subtilis, tenuis, item *alimenta* acria, aromatica, amara; *Potus* vini generosi, corporis *exercitium* crebrius, *Ira*, *amor*, vigilia &c. Omnia enim hæc aut copiosiorem, aut acriorem, aut volatiliorem bilem amaram, & sal volatile oleosum in corpore reddunt, simulque in corpore Acidum imminuunt, plus minus destruunt; Sicuti quæ contrario modo se habent sal urinosum sanguinis, & bilem corporis imminuere, hebetare, & plus minus inertem reddere solent.

Acidum Hippocraticum, *Cacochymia melancholica*, Veterum Galenicorum, seu Acidum fixius; ex nostra hypothesi, peccat vel *Quanto*, nimia copia, aut nimia Aciditate, vel *Quali* Sapore peregrino, vel acore quodam alieno, V.g. vitriolico, vel aluminoso austero, vel alio quodam sapore singulari, non semper à priori commode explicabili, dum aliud Acidum peccat in Scorbuto, aliud in Lue Venerea, aliud in Dysenteria &c. Et à quo Acido in sanguine coagulationes ejus, & grumescentiæ, fermentationes nunc imminutæ, nunc depravatæ: Ab eodem Lympham inquinante dolores partium modo fixi, modo vagi. Item Exulcerationes partium, Coagulationes humorum in Scirrhos, qui ex effervescentia facile abeunt in Cancrum; Ab eodem Acido succum pancreaticum inquinante Tormina intestinorum varia, excoriationes: Ab eodem in stomacho. Fames canina, pica, asitia &c. proficisci solent, & in genere omnia ea quæ de melancholia & atrabile asseruere veteres, mutatis mutandis, optime applicari possunt cum ipsa melancholia, A Veteribus, speciatim ab *Hippocrate*, Acidus succus appellari solent.

Causæ quæ augent vel alterant hoc *Acidum* in universo corpore, sunt *Aër* frigidus & hybernus, quæcunque *Assumpta* vel manifeste vel occulte acida; qualia occulte acida sunt *mel*, saccharum, carnes fumo exsiccatæ, ut & omnia assumpta in stomacho cruditate acida affecto, aut ante digestionem absolutam è stomacho dilapsa tritus adhuc acescentia; item *Exercitium* deficiens, *Pavor*, *Mœror*, *Cura*, *Ætas* ingravescens.

Pituitosa denique *Cacochymia* Galenicorum seu immediata chyli errata, *insipidi vel dulcis* Hippocraticorum, consistunt in Fermenti stomachalis vitio, vel debilitati, vel acidi nimis fixi, non rite alimenta digerentis, unde in liquamen vel pastam plus minus viscidam, crassam ac tenacem, sæpe ex debitæ volatilisationis defectu, acidam abeunt; Unde non tantummodo cumulatur exinde præternaturaliter crusta intestinorum & stomachi pituitosa, sed etiam id quod sanguini infunditur ineptum est ut ipsi assimiletur, aut partes solidas nutriat, unde obruuntur quasi principia massæ sanguineæ activa, hæcque crassescit, spissescit, & minime fermentatur, tardeque circulatur; quin & viscidior iste chylus, dum in poris partium circa vasa capillaria subsistit; viscera instar spongiarum imprægnat, & proprio acido coagulatus in scirrhos abit; quæ mala eo sunt pejora quo acidior simul massa ista chylosa existit, Unde contumaces & chronici quamplurimi, in specie Cachectici, oriuntur affectus.

Ad hanc labem disponunt stomachi fermentum debilitatum; vel vitiose acidum fixum, *Cibi*, vel copiosiores ingesti, vel crassi, viscidi, dari, pisces, pinguia &c. *Quies* & *somnus*; vitaque sedentaria, *Cura*; *mœror* &c. *Ettmuller Fund. Med. Nov. p. 15.*

42. *Et hæc est vel sanguinea*) De Temperamentis vulgo multa dicuntur, sed pauca bene explicantur: Fiunt autem Temperamenta nostrorum corporum ex varia quatuor modo dictorum succorum mistione & redundantia: Si chylus ex alimentis humidis & frigidis, quibus parum subtilis spiritus inest, sit confectus, vel etiam crudior è ventriculo dimissus, aut defectu convenientis fermenti non satis dissolutus; tunc ex eo generatur succus sanguineus Pituitosus & crudus, qui licet sæpius circuletur & dilatetur; à corde tamen ad sufficientem maturitatem ac spirituositatem exaltari nequit; atque hinc (si modo ex dictis erroribus talis chylus diu multumq; generetur) ejus copia succrescit & contra fit inopia reliquorum succorum, scilicet sanguinis puri, succi biliosi, & melancholici, utpote qui ex isto principio commode generari non possunt: Et quia tunc corpus totum tali sanguine, in quo crudior pituitosus succus præ reliquis prævalet, nutritur, hinc partes constitutionem humidiorem ac frigidiorem consequuntur, fitque totius corporis *Temperamentum Pituitosum.*

Si vero chylus sit bene coctus, temperatus, & ex alimentis temperatis confectus, vel viscerum bona concoctione temperatus factus, tunc fit ex eo succi puri temperati redundantia, hincque *Temperamentum* totius *Sanguineum.*

At si fuerit confectus ex alimentis valde calidis & acribus, vel ob viscerum calorem acriter fermentatis, tunc paucis circulationibus transit in succum valde calidum & spirituosum, à cujus in sanguine prædominio fit *Temperamentum Biliosum.*

Si denique confectus sit ex alimentis crassis, terrestribus, multoque sale crudo & fixo redundantibus, iisque non satis bene coctis ac dissolutis, tunc per circulationes, factasque in corde dilatationes pauci spiritus ex eo educuntur, manetque succus crassus & parum spirituosus, ex cujus redundantia procedit *Temperamentum* quod vocant *Melancholicum.*

Porro magnus excessus cujuslibet temperamenti Intemperies appellatur, generatque consimiles, frigidos, calidos &c. affectus. *De Diemerbroek Anat. lib. 2. c. 12.*

43. *Sanguinea cerebri intemperies*) Huc referantur quæ de Cephalalgia à sanguine, bile &c. adducuntur, nam *ἀκοπία* manifesta subest.

44. *Sanguine &c.*) De quatuor humoribus, ex quibus sanguis constare traditur, Medici passim multa loquuntur, sed quale, aut quid sint vix quisquam explicat.

Pituita est sanguinis illa pars quæ ex chylo recenter confecta (sive plus sive minus sulphuris aut salis in se contineat eodem reddit,) nec multoties circulata & in corde dilatata, sed crudior ac minus spirituosa est,

Sanguis purissimus, est illa pars massæ sanguineæ, quæ plunes circulata, & in corde dilatata, ad mediocrem spirituositatem pervenit.

Bilis est illa pars quæ per frequentiores circulationes & dilatationes ad majorem tenuitatem exaltata est, maximeque spirituosa ac fervida evasit.

Melancholia est illa pars è qua per plurimas circulationes, & in corde factas attenuationes, spirituosæ particulæ magna ex parte eductæ sunt, atque hinc frigidior, crassior, & magis terrestris remansit.

Quia autem propter humorum spirituumque continuam consumptionem; restauratio deperditorum per assumpta alimenta identidem est facienda, hinc necessario quatuor isti humores semper in sanguine existunt, iisque ex iis constat.

Ex alimentis enim coctis, ac sufficienter præparatis, & primo in corde dilatatis, suppeditatur identidem *succus pituitosus* (sic crudior sanguinis pars vulgo appellatur) qui paulatim pluribus circulationibus, ac dilatationibus magis excoctus & exaltatus, transit in *sanguinem purum* maximeque temperatum: Hic ulterius supra justam sanguinis temperiem procedens, transit in *succum biliosum*, hic vero amissis ac dissipatis particulis subtilioribus, in *melancholicum*.

Atque sic quatuor illi succi (qui omnes ex sulphureis & salsis particulis constant (nec à se mutuo differunt nisi majore vel minore coctione & spirituositate) simul misti, & sic quadam perpetuatione qualitatum excessus inter sese infringentes constituunt quo usque vita durat, totam sanguinis massam, mediante sero cohærentem, seu unitam & fluidam; Quod tamen serum, ejusque inprimis aquosior pars, nutriendis partibus non assimilatur, sed sanguinis particulas nutrientes ad partes nutriendas devehit, ab iisque jam appositis & assimilatis per calorem discutitur & evacuatur.

Eodem fere modo hæc res procedit sicut in metallorum depuratione, nam aurum purum, in tenuissimas lamellas redactum, Mercurio admiscetur, ut eo mediante vasis deaurandis apponi ac firmiter adhærere possit, quod sine Mercurio impetrari nequit: Postea vero facta illa affrictione, & forti appositione, admoto igne Mercurius ille resolvitur ac discutitur, nec ejus quicquam in vase remanet, atq; tunc eo discusso aurum vasi firmissime affixum, & vas plane deauratum conspicitur: atque sic aurum, quod solum & per se vasi uniri ac firmiter apponi non potuisset, mediante Mercurio isti adhæret, & ipse Mercurius, ut postmodum inutilis, separatur calore ignis: Talis etiam in corporibus vivis est Mercurius, sanguinem ad partes deferens, iisque apponens, est Serum. *De Diemerbroeck Anat. lib. 2. c. 12.*

44. *Sanguine*) Ut Sanguini Omnipræsentiam, sic & eidem Omnipotentiam in corpore assignat *Mauritius Hofmannus Prudentia Med. Disput. 2. & 3.* Idem In *synopsi Inst. Med. ex sanguinis Natura*, Disput. 2. & sequ. *Sanitatem* deducit, quam ait esse, Dispositionem corporis ex sanguine integro, actiones familiares ac reliqua accidentia juvantem.

Causam Sanitatis statuit sanguinem, nativam temperiem, decentem conformationem, & continuam unitatem producentem; *Accidentia Sanitatis* (ait) sunt actionum perfectio, inutilia excernendi, & utilia retinendi consuetudo, ac habitus qualitas amica, à sanguine profici scientia &c.

Morbum, Disput. 6. ait esse Dispositionem corporis ex sanguine & spiritu vitioso, actiones familiares & reliqua accidentia lædentem.

Causam Statuit sanguinem vitiosum, intemperiem p. n. indecentem conformationem, & unitatis solutionem promoventem &c. *Disput.* vij. Partes uti secundum naturam à sanguine naturali, sic etiam p. n. à sanguine p. n. affici, ceu corpora communi sanguine viventia & perennantia, Affici autem præcipue Sanguinis calore vel excedente vel deficiente; Intemperiesque illa p. n. ex sanguine continuatur, cujus virtute actuali organica partium essentia aut continuitas destruitur, Dum scil. sanguis per intemperiem suam naturali dispositioni & continuitati adversatur, Hinc quotiescunque omnibus inimicus redditur, omnes afficiuntur; uti accidit in morbis universalibus. Omnium enim temperamentum naturale evertitur per ipsum, Attamen non omnes eadem vehementia aut, affliguntur, Quia non omnibus eadem conformatio; Neque æqualis sanguinis transeuntis communio: &c.

Disp. VIII. Partes quod adversas premantur valetudine, actionibusque incommodæ sint, sanguini debent vitioso: Qui alienus factus, quasi to micus, partium nativam temperiem, decentiam conformationis & continuitatem destruit, dum ad ipsas dispensatus in omnes poros se insinuat; Vitiosus autem fit quando vel associatarum humiditatum cerebri & ventriculi portiones vitiosæ non dimittuntur, sed dimittendæ retinentur, culpa viscerum excretioni famulantium: Vel quando associatarum humiditatum utiles portiones non retinentur, sed retinendæ dimittuntur, culpa vasorum receptioni paratorum, &c.

Disputat XIX. Quæcunque valetudinem per sanguinem juvare vel destruere possunt, rerum naturalium naturam & partes sibi vendicant, Eapropter etiam Medicamenta, seu præsidia Pharmaceutica talia habentur, Sanguinem enim similem & dissimilem reddere valent, adeoque ἀλλοιοῦν & θεραπεύειν inserviunt; sed potentius quam alimenta, quæ fere tantum patiuntur, dum massæ assimilantur. Medicamenta vero operantur, flammamque præcipue afficiunt, seu variant, Unde à rebus non natur. simpliciter necessariis recte distinguuntur, Affinia tamen ipsis sunt, & eadem facilitate alimentosa fiunt qua alimenta medicamentosa redduntur: Calorem enim animans substantia medicamentosa, pro multitudine materiæ terrestris vel aquosæ diffusa vel collecta, segnius vel efficacius operatur. Simulatque scil. pabuli sanguinei locum subit, flammaque multa vitali accenditur. Hoc dum fit, actuari dicitur, licet per istam actuationem flamma præcipue afficiatur seu varietur: Naturaliter enim conditiones pabuli subsequitur, sanguisq; tunc medicamentosus habetur. Hinc quæ tenuium partium, sive spirituosa aut coagulantia, potentiora habentur, Sicut vero calefacientia assumpta subministrando pabulum, sanguinisque effervescentiam juvando flammam multiplicant, & multiplicando flammam calefaciunt, & calefaciendo conflagrationem minantur, Ita frigefacientia denegando pabulum inflammabile, sanguinisque effervescentiam compescendo, flammam cohibent, Et cohibendo refrigerant, ac refrigerando extinctionem moliuntur: Attamen extrema calefacientia per sanguinis collectionem; Refrigerantia vero per ejusdem exclusionem partibus succurrunt &c.

45. *Sanguine seu tenui seu crassiores* Inter corporis humani contenta, merito primum locum tribuimus *Sanguini*, à quo immediate vita pendet, partiumque cæterarum omnium reparatio; Cujus *vitia* & *indicationes* considerando secundum *Qualitates* sensiles tum *proprias* tum *communes*.

Inter *Proprias* 1. est *color*, qui secundum naturam parte sui superiore, postquam eductus concrevit, est *rutilus*, parte autem *inferiore nigricans*; Sicuti *serum* ejus *subflavum*. Hic *color*, si mutatus occurrat, indicat sanguinem male affectum, nam in *superficie* si *albicet*, crustamque similem habeat, *Pituitam*, & quidem *glutinosam* abundare in sanguine significat, adeoque ipsam *incidendam*, & amplius *corrigendam*, quinimo etiam minuendam.

Quoties universus *sanguinis color Ater* observatur, toties in ipso *Acidum* exuperare significat, à quo *Nigredinem* accipit; quapropter *Acidum* in corpore nostro,

hinc & in ipso sanguine *Minuendum & Infringendum*, indicat; Contra *color* sanguinis magis *rubicundus* significat *Bilem* in ipso abundare, ipsamque *minuendam* ipsiusque vim *frangendam* indicat.

Quoad *Odorem*, sanguis secundum naturam, quantum ego novi, est *inodorus*, qui *fœtens* si observetur, *corruptionem* ipsius significat, ipsamque *corrigendam*, Vbi ad causæ corrumpentis diversitatem attendendum.

Quoad *Saporem*, sanguis secundum naturam gustatur *subdulcis*, & ipsius *serum insipidum*, Quoties *sanguinis*, ac præsertim *seri* ipsius *sapor mutatur*, toties, ac frequentius quidem *Salsus*, aliquando *Acidus* vel *Austerus*, aliquando Amarus deprehenditur.

Salsus sanguinis, ac præsertim *Seri sapor*, significat *nimis purum* in corpore existere *Salem lixivum*, Adeoque cum *spiritu acido* confluentem parere *Liquorem Salso Muriatico sapore* notabilem, corporique noxium, eum talis sapor, sed blandior, in sola urina sit ferendus, non item in sanguinis sero; aut inde productis Lympha, succo Pancreatico, aut Saliva: *Sapor* autem ille *Salsus muriaticus* indicat sui *Temperationem ac correctionem*.

Vbi autem *Acidus* vel *Austerus* est *sanguis*, & imprimis ejus *serum*, significatur *Acidum & austerum* redundare in corpore, indicaturque ipsius *correctio* tum *diminutio*: Quemadmodum vero Sanguis in vasis suis contentus semper *fluidus* existit ac *fluens* secundum naturam, ita p.n. ibi coagulari potest, ac concrescens aliquam consistentiam, hinc *duritiem* nancisci, quæ significat exuperare in eo *Acidum* & inprimis *Austerum*, à quibus *sanguinis coagulationem* pendere notum, indicatque usurpanda quæ *Acidum* & *Austerum corrigant* & Infringant, quin aliquando Minuant.

Denique *Sanguis* s.n. *mediocriter calidus* observatur, qui aliquando p.n. *nimis calidus*, aut *minus calidus* reperitur, Significat *Calentior causas caloris auctis dominium habere in corpore*, sicut *minus calens causas contrarias dominari*, inde à *calentiore* indicatur *Contemperatio* & quandoq; *Diminutio causarum calorem in sanguine augentium sicut à minus calente temperatio & diminutio causarum calorem in corpore impedientium*. Quapropter opus est ut causæ veræ atque adæquatæ tum *caloris naturalis*, tum *caloris p.n. in sanguine auctis vel diminutis*, notæ sint, Utique non tantum *calor*, quem sentimus, multum diversus occurrit & observari potest, verum ipsius quoque causæ notantur diversæ, singularumque agendi modus existit valde diversus.

Inter *Qualitates sensiles communes sanguinis* occurrit I. *Copia sive Quantitas*, eaque nunc p.n. *diminuta*, nunc *aucta*, *Diminuta indicat sui augmentum*; *Aucta Diminutionem*.

II. *Motus*, & quidē *Continuus* ac *Circularis*, qui vel in totū, vel ex parte *augeri*, vel *minui*, vel etiam *aboleri* à potest: *Auctus p.n. Diminutionē sui* indicat, *Diminutus sui Augmentum*, Inprimis *Abolitus sanguinis universalis motus* indicat sui *restitutionem*, & quidem festinatam, cum alias brevi sequatur mors; Tantum autem vitæ periculum non sequitur *Abolitum* in aliquo *vase sanguinis motum*, quamvis si aliquandiu perduret, corrumpatur in totum.

III. *Loco* etiam *peccare* solet *Sanguis*, quoties quacunque de causa, ex apertis quomodocunque vasis *effunditur idem in partium vicinarum substantiam vel cavitatem*. Locus enim naturalis sanguinis sunt, cordis auriculæ, ac Ventriculi, Arteriæ, Venæ, cum *Anastomosibus intermediis*, Extra quos canales ac cavitates quoties reperitur sanguis, extra locum suum existere dicendus, ac *loco peccare*.

IV. *Tempore* potest peccare sanguis, tum ratione *Moræ*, tum ratione *Motus*, & quidem *uteri* respectu in fœminis.

V. *Fluiditas sanguinis* potest mutari, atque functionibus obeundis obesse; hanc enim quoties amisit, Consistitque idem *coagulatus ac grumescens*, toties indicat sui *solutionem* talem, cujus ratione fiat denuo *Fluidus*; Franc. *Sylvius meth. med. l.2.c.6.* Quæ omnia sanguinis vitia, cerebri intemperiem alterare possunt, non sola ejus *tenuitas aut crassities*.

44. *Cognoscitur, nisi à causa &c.*) Si à *plethora* querela fuerit; cum ea continuum lacerando ingenti tensione caput fatigat, *sanguine* anadrome à toto corpore; vel ejus genio hepate, incumbente confertim, jam tunc caput tendi ac comprimi cum gravitate & rubore videtur, & nondum phlegmonen, sed phlegmonoden affectum conciat, impletis cunctis venulis ac tensis, unde Ephemera, abrepto à calore in consensum corde.

Quod si acrior fuerit sanguis, ab acri tensione, ut sic dicam, phlegmonodes dolor, & quasi lassitudo incumbit, Toto corpore notæ effundunt se luxuriantis sanguinis, modo in vigilias, modo in somnos præcipites ruunt, vi caloris ac madoris: Oculi rubent, venæ frontis turgent, frons dolet, mitis tactui se offert calor, major hic gravitas quam à bile, rubor, pulsus, *Heurnius cap. de cephalalgia*.

Oritur à Plethora) Quando massa sanguinea, prout eadem per vasa rapitur, copiosior fuerit, *Plethora* dicitur, eaque duplex statuitur; Vel ad *vasa*, vel ad *Vires*.

Plethora ad *Vires* est impossibilis, cum ipse corporis vitalis vigor in sanguine & spiritibus fundatus sit, unde nisi ipsas vires viribus vitalibus graves esse dicere velimus, etiam *plethoram quoad vires* asserere non poterimus: Nam alia longe est ratio habitus athletici Veterum Luctatorum, qui saltem [illegible] & musculosus, adeoque robore artuum insigni notabilis fuit, nonnisi uberiori sanguinis spirituosi copia in vasis uberiore sanguineo nutrimento sustentatus, Sicut obesorum abundans pinguedo, nutrimenti chylosi circa membranas uberius congesti, & blando acido coagulati congeriem sequitur, nam Athletici sanguine oleoso, chylo butyroso abundant.

Videretur quidem etiam *Plethora ad vasa* absurda; si velimus considerare chyli distributi, respectu copiosarum alvi fæcum paucitatem, cum necessaria continuataque uberrima insensibili transpiratione, quam *Sanctorius* adeo copiosam observavit; Sed intemperantia, otiosa Medicorum nutrix, cum stomacho robusto ex alimentis copiosis & [illegible] largiorem laudabilemque chylum, indeque oriundum sanguinem suppeditans, cum vita otiosa minus insensibiliter difflante, necessario sanguinis abundantia, intra vasa, citra ejus vel stagnationem, vel evacuationem vix coërcibili, fomitem continuum subministrat, Vnde & hæc Plethora, præter tanta inediæ, laboris, vel exercitu frequentioris aut fortioris, auxilia subitaneam venæ sectionis opem innuit, quæ sola huic soli scopo repente & sufficienter satisfacit.

Hujusmodi sanguinis *Plethora ad vasa* est vel *Vera*, vel *Apparens*, De illa modo dictum fuit, *Hæc* est quando sanguis febrili effervescentia, vel alio simili modo turgescens, instar vini generosi enormiter ebullientis, vasa distendit, & frequenti, celeri ac magno pulsu rapide movetur, unde non raro, aut inflammationes ex ejus stagnatione, aut hæmorrhagiæ ex vasorum ab ejus impetu apertione succedunt.

Revocanda huc venit Menstrua Mulierum turgescentia & fermentatio sanguinis, qua ex partem istius, Lunare quoddam tributum solvendo, expurgant per genitalia, quod si non contingat, sæpe per alia loca ejus fit eruptio.

In sanguinis turgescentia febrili, aliave simili, non statim imitanda est effrenis Gallorum & Italorū licentia. copiosissime & frequentissime sanguinem per V.S. de-

trahendo, sed potius effervescentias compescentibus, fermenta vitiosa corrigentibus, & debitis diaphoreticis, sanguineam massam ventilantibus insistendum.

Plethora ad vires vera supra fuit rejecta, interdum tamen etiam *Plethora ad vires* apparens adesse videtur, quando nempe venæ sectionibus & cucurbitulis scarificatis, vel aliis sanguinis detractionibus assueti, tempore eo quo istæ solitæ celebrabantur dejectiones, tantam vasorum distensionem, lassitudinem membrorum, pulsus mutationem percipiunt. cum succedentibus, interdum partium tumoribus vel hæmorrhagiis, vel aliis diversis symptomatibus.

In his certe per se sæpe non adest plethora, sed consuetudine natura fuit immutata, & illa in hujus successit locum: Hinc videmus quod mulieres quoque Venæ sectioni præter menstruationes adsuetæ, illis recte licet fluentibus, statuto tamen tempore V. S. admittere cogantur, ut præveniant aliud malum ex ejus omissione futurum, Determinato nempe sanguinis Quanto per V. S. natura adsueta, alias per se indeterminata, ceu noxium omne quod superfluum est reponit; In his casibus loco venæ sectionum periodicarum, vel parcior victus, vel exercitium frequentius aut vehementius, vel sudor largior arte provocatus, abunde satisfacere potest. *Etmuller Fundam. Med. p. 9.*

48. *Peragitur*) Indicationes curativæ erunt sanguinis effusio, ac ejus æstus temperamentum: Qui itaque capiti jam importatus fuit, erit evacuandus, Si autem nondum influxit, sed in ea agitatione jam si volvatur, hic vel jamjam influit, qui repressione arceri debet; vel jam fluxurus est ac cursum suum in caput flexurus, qui bifaria se facie offert, Vel enim is jam genitus est, & huic revulsio debetur, ut ad longe inde positas partes abeat, & ut una firmetur caput, ne adeo se fluxibus incumbentibus offerat, Qui autem nondum natus est, prohibeatur ne gignatur, gignitur enim vel hepatis potissimum arbitrio, *Heurnius.*

49. *Arteriotomia &c. non tentanda*) Multi Medici adeo abhorrent Arteriotomiam, ut nec de eâ aliquid audire; multo minus eam celebrare velint; Ego possum testari quod intra unius anni spatium plus decies tundi curavi arteriam temporalem felici cum successu in phrenitide, vertigine, capitis dolore contumaci, melancholia hypochondriaca. *Joh. Dolæus Med. Sept. vol. 1. p. 60.*

In *Principe* à *Rupe surionensi* Arteriotomiam expertus sum, ut & ni permultis; huic atroci Hemicrania divexato, D. *Capellarius*, Regius primarius Medicus, ac denique *Lud. Duretus* Medicinam faciebant, sed nihil quicquam opis adferebant.

Vocatus ego dixi unicam salutis spem restare si ipsi arteria in temporibus phlebotomo divideretur, quâ parte dolor sæviret; mihi verisimile fieri doloris ejus causam non venis sed arteriis concludi, quo in casu nullum arteriotomia præclarius esset remedium Veteribus proditum, cujus ego in meipso periculum fecissem, Meum istud consilium cum Medici probassent, ad opus è vestigio me accingo, arteriamque in tempore dolente seligo, quæ & tumentior esset & vehementius cæteris pulsaret, Hanc ego unica incisione, quemadmodum in phlebotomia fieri solet, aperio, Sanguinisque magno cum impetu & saltu prosilientis plusquam duo vascula elicio: quievit statim dolor, neque unquam recruduit: *Ambr. Paræus.*

50. *Propter ἀνεύρυσμα*) Plurimis suspecta est *Arteriotomia*, quod prorumpentem inde sanguinem sistere, quodque cicatricem obducere sit operosum; propter arteriæ densitatem, duritatem, & pulsationis pernicitatem; quod denique cicatrix obducta aneurismatis periculum inferat, ideoque satius esse putant cutem primo dividere, deinde à circumstantibus omnibus particulis divellere, inde utrinque arteriam vincire, denique dividere; Sed hæc opinio est hominum omnia tuta timentium.

Ego enim multiplici experientia didici non esse periculosam arteriæ, quæ scalpello fit, quemadmodum in phlebotomia fieri solet, apertionem, consolidationem vero paulo quam venæ tardiorem esse, tandem tamen fieri: Sanguinis vero fluxum nullum unquam supervenire modo deligatio apte facta sit, hæreatque totum quatriduum, appositis ut decet plagulis: *Idem.*

51. *Cucurbitularum*) Cucurbitulæ scarificatæ hic prodesse nequeunt, quia hisce nonnisi parum sanguinis, eundemque purum è corpore eliciunt, crassum vero relinquunt. *Pr. Med. Reform. p. 11.*

52. *Repulsionem per repellentia*) Evacuato jam toto corpore, à capite retundatur incumbens sanguis; id fiat remediis frigidis & crassis, ut *succo uvæ immaturæ, semperviri. polygoni, endiviæ. Heurnius.*

53. *Eductione sensibili*) Facilis evacuationi via est, & facilius si tenuem meningem non ita invaserit, Ni evacuetur metus erit phrenitidis, aphoniæ, anginæ; Tensio itaque educto sanguine tollatur, nam una venarum infarctus & pororum densatio abolebitur, unde flatus & vapores exspirabunt; Vena quamprimum solvatur, id enim materiæ copia flagitat, ne se effundat in periculum, Itaque etiam futuri magni morbi metus ad venæ pertusionem nos hortabitur; Respondeant tamen his conatibus ægri robur & ætas; quæ si patrocinentur, plena manu erit educendus sanguis; Et, ut ait *Arabs*, Venosum secure phlebotoma, i. e. qui latas, tumidas, tensasque venas habet. *Heurnius.*

54. *Per nares*) Quarum venas etiam recludit *Aretæus.*

55. *Vena in frontem excurrentis*) Huc spectat aphor. 5. 68. *Parte posteriore capitis dolenti, in frontem recta excurrens vena incisa prodest*, Quod subinde verum est quando vena isthæc satis magna est, ita ut sanguis crassior copia sufficienti evacuari possit; & tunc eadem est causa quæ in aliis venæ sectionibus; sed vulgariter nimis parva est; & præterea ejus sectio valde incommodat ægris, quia vinculum collo circumjectum nimis coarctari debet: Revulsionis gratia institui nequit, quia ista vena nihil in cerebrum affert, sed contra sanguinem à cerebro refluum revehit ad cor. *Praxis Med. Reform. pagina 9.*

56. *Discussione*) Dum malum augetur ac intenditur, tamdiu influit materia, dum vero eodem filo ducitur dolor, per plures horas, tum remittit fluxio, & in vigore est morbus, tunc mitigantia nulce repellentibus, *ut mucilagines.*

℞. *sem. lin. alth. fœnigr. flor. chamæm. melilot. āā.* p. j. fove eo caput; Tandem *pulmones ovis*, vel *gallinam*, &c. capiti imponimus, & tunc mitescente malo, *chamæmelino*, & cum *serpillo* tandem, Horum usus sit evacuato jam toto. *Heurnius.*

57. *Diæta conveniente*) Victus remediis respondeat, & qualis in biliosis, ut puls hordeacea, pisces, portulaca, acetosa & endivia, spinachia, succus aurantiorum, limonum, poma, pyra; absint oleosa, ut amygdalæ, pinei, avellanæ, aromata. *Potus* sit ex aquæ libra coctæ, sacchari ℥iij. *Heurnius.*

58. *Sanguine tenui*) Dum flagrat ab æstu sanguis, ichor ejus calidior bilescit, qui iisdem evacuandus quibus excludetur bilis, iisdemque præparandus. *Heurnius.*

59. *Biliosa Pituitosa &c.*) Notandum est *Bilem, Pituitam, Melancholiam* duplicia statui, Alimentarem & Excrementitiam; Illam secundum naturam, prout sunt pars sanguinis; hanc p. n, quatenus ex statu suo abeunt; Unde & temperamenta denominantur à naturali illorum humorum prædominio in sanguine: In Pathologicis vero hi ipsi humores potissimum, sed excrementitii & præter-

naturales redditi, pro causis morborum accusantur.

Hoc quidem generalissime receptum, sed tamen in ... e sensus testatur quidem diversitatem & heterogeneitatem sanguinis, seu quod ex pluribus massa sanguinea ... verum distincti hi in massa sanguinea humores nullo modo demonstrari possunt, sed ad duo ... genera omnia referri debent, *rubrum* scil. ... sanguinem, & *album*, serum seu lympham, licet hæc ... quæ sola suis vasis continetur & re-...

II. ... quæ in statu naturali nil invenimus quam hæc duo, ... non negamus in præternaturali alia quoque simul ... haberi; sed à statu præternaturali ad statum secundum ... non valet consequentia, iij. Nomina ... possunt, modo in re conveniamus, & hæc ipsa nomina modum dicunt status & latitudinis ipsius sanguinis, non quod revera in sanguine diversæ quatuor partes exteñt, sed ut hoc modo excessus sanguinis respectu sui exhibeantur invicem.

Et revera videntur Veteres hypothesin talem saltem concepisse primitus, ex diverso effectu, temperamentorum nimirum varietate, pro diversitate enim humorum, varia oriuntur temperamenta; unde hodie doctrinæ gratia dicimus, sanguinem biliosum, pituitosum, melancholicum, & temperamentum quoque consimile, ut denotemus quinam hodie sit status mutatus à se invicem, iv. Omnem vero rem ex *Seri* & *Sanguinis* statu, proportione & symmetria vel ametria explicari posse certum est; Æternæ nempe veritatis est, *Calorem omnem à Sanguine*, *Humorem omnem nativum à Sero mutuandum*, Hujus itaque Defectus siccitatem, Excessus humiditatem infert.

Si ergo quæratur, Quid nam sit *Temperamentum sanguineum*? merito, & rectius, dicimus id fieri & utiri quando serum & sanguis, seu particulæ oleosæ, balsamicæ & humidæ, quantitate & qualitate se invicem probe temperant, Tunc enim temperamentum fit calidum & humidum, omnium optimum, utpote principiis vitalibus convenientissimum quamdiu temperate & bene se habet, intra terminos moderationis permaneus: hoc firmum, perfectum, sanum, longævum est; Simulac enim & illud excedit, humiditate præcipue, facilis via est ad putredinem & accensionem febrilem: *Cholericum*, seu calidum & siccum dicimus, quando particulæ sulphureæ sunt intensæ, Serosæ vero & blandæ roscidæ deficiunt; hæ quippe temperant calorem.

Pituitosum exsurgit, quando particulæ sulphureæ sub serosarum sunt dominio, adeoque serosæ excedunt, & hoc ipso oleosas sulphureas, quas superant, obtusiores quasi reddunt, unde remissior calor, seu respective frigus oritur. Quando vero *serum* à blanda sua dulcedine in qualitate, majori gradu, remittit, ut minus se temperent, tiam copia ejus & in melancholia abundant, & ad acorem vel consimilem aliam fixitatem vergit, ut obtusæ fiant magis sulphureæ, fit frigidum & siccum, seu *melancholicum*, siccum potentia, frigidum respective. Possunt tamen & in *Bilioso temperamento* partes sulphureæ salibus acribus acetosis magis acui, unde fiunt *Atrabilarii* vulgo dicti. *Wedelius Physiol. Med. sect.* 2. c. 11.

oo. *A Bile exuperante*) Inter *proprias Bilis qualitates sensiles* occurrit I. *Color*, qui s. n. est duplici nomine, *croceus*, collecta quidem Croci ad instar *rubere* videtur, at diluta *flavere*: Hic colur p. n. mutatus observatur quoties *colore viridi multifariè*, vel aliquando *cæruleo atrove* donatur.

Quoniam vero experientia longa & multiplici edoctus sum, omnem illam in colure Bilis mutationem penderet à *Succo Pancreatico acrimonia acida, sed multifaria peccante*, ipsique adiuisto, nemo non videt significare illum colorem quovis modo mutatum, non primarium sed secundarium, notatoque Succo debitum vitium in Bilè; atque indicare ipsius *correctionem*, est *per correctum eundem succum*.

Cum igitur Bilis adserto illo Colore diversu naturali *Acrior* existat, & quidem acrimonia non propria & Salina lixiva, sed adventitia & aliena, Acida nempe, gradibus tamen pro coloris mutatione variante, Indicatur simul corrigentis species, tale nimirum quod *Acidum corrigere, frangere* ac *temperare* aptum est.

Notum namque *Bilem Æruginosam* & *intense Viridem*, manifeste odore ac torminibus Aciditatis suæ vitiosæ signa præbere, sicut *Bilis Atra* id adhuc manifestius evincit, facta in vase *cupreo*, ipsave terra effervescentia notabili, & plane simili ei quam aquæ fortes cum iisdem excitare solent.

II. In *Bile* considerandus *Odor*, Non memini autem alium in Bile observari Odorem vitiosum, præter *Acidum*, qui namque Odor ructuum Olidus aliquando culpatur, is non dicitur esse Bili, quamvis corruptæ aut corrumpenti adscribatur Bili, quæ & tunc quoque ad Æruginosæ naturam vergit, talisque observatur si pura evomatur, Eadem autem *Bilis Acidum redolens*, sicut signum est humoris Pancreatici & melancholici acidioris admisti, ita ejusdem *Correctionem* indicat.

III. Quoad *Saporem*, notum est *Bilem amaram* esse s. n. quæ præter naturam fit aliquando *Sapore vitriolato*, sed cum amarore notabili conjuncto, qui paucus in vitriolo; hic *sapor bilis vitriolatus* significat multum *acidum* illi admistum, ideoque ejusdem *contemperationem* ac *correctionem* indicat: *Bilis* autem *minus amara* indicat *defectum amaroris*, & ejus *augmentum* cupit.

V. *Bilis* quoties *p. n. consistentiam* acquirit notabilem, quinimo *induratur* in *calculos*, vel *crustam calculosam*, toties *Duritie* peccat, suique *solutionem* ac *dissolutionem* indicat.

VI. Quoad *Bilis qualitates sensiles communes*, occurrit ejus *Copia*, quæ *aucta* indicat sui *Minutionem*, sicut *Diminutio Augmentum*.

VII. Peccat etiam subinde *Bilis motu*, quoties ipsa sursum fertur ad *ventriculum*, aut *impetuose ac copiose propellitur ad Intestina* in cholera morbo & alvi fluxu bilioso; aut maximam partem *ruit ad sanguinem* in Ictero, & plerisque forsan febribus continuis ac intermittentibus.

Bilis ad ventriculum p. n. semper assurgens, *sui depulsionem per* intestina indicat; Et quia illud fere semper debetur; ipsius *volatilitati auctæ*, aut *vehementi cum succo pancreatico* effervescentiæ, sui *fixationem*, atque *Effervescentiæ nimiæ mitigationem* ac *compressionem*.

Bilis autem ad *tenue intestinum*, impetuose ac copiose *mota*, *motus hujus cohibitionem*, *mitigationem* ac *sedationem* indicat: Et quoniam illa fieri videtur propter spiritum Acidum volatilem, fructuumvè præcocium succum fermentationi aptum, Bili tum in sua vesicula, tum in ductibus bilarus admistum, & ibidem vitiosam effervescentiam producentem, *Indicat istius spiritus Acidi & Volatilis contemperationem ac fixationem*, & hinc & p. n. *Effervescentiæ Correctionem ac Sedationem*.

Bilis vero ad *sanguinis massam* nimium deducta, *indicat sui ad tenue intestinum deductionem ac eductionem*: Et quoniam fere id evenit propter bilarii ductus intestinalis obstructionem, aut singularem bilis volatilisationem, Indicat simul *Obstructionis solutionem*, aut *bilis blandam fixationem*. VIII. *Loco* quoque peccare potest *Bilis*, quando in folliculo suo nimia colligitur, nisi quis malit tunc eam *mora* peccare, an

topia, vel in *ventriculum assurgit ibique haret*, vel alibi pura hæret, quod nunquam f. n. cum *Locus bilis naturalis* sit folliculus ejus tantum, & ejus ductus bilares triplices, Cysticus, Hepaticus & Intestinalis: Nam licet ad Tenue intestinum defeatur Bilis, non debet tamen ibi manere pura, quin continuo pituitæ intestinali, succoque pancreatico affluenti, ut & alimentis, quoties fermentata propelluntur per intestina admisceri, atque utilitatem multiplicem corpori afferre: Bilis hæc in suo folliculo nimium *collecta*, vel *subsistens*, ideoque *loco peccans*, *indicat sui remotionem* è dicto folliculo ad intestina; Moram nectens in sua vesicula mutationem quoque ulteriorem, mutua partium suarum in se invicem actione, adipiscitur; & ejus quoque nomine noxia fit homini, eaque ratione Correctionem indicat; Et si corrigi nequeat, *omnimodam expulsionem*. Eadem *Bilis quoties* in *ventriculum assurgit*, toties inde est *removenda*. Quoties eadem pura hæret in tenui intestino, toties inde quoque est removenda; sursum, si eo vergat; deorsum, si nullum motum sursum testetur. *Fr. Sylvius m.m.cap.7.lib.1.* Hinc constat non *copia* solum bilem peccare, sed aliis vitiis laborare, quibus singulis sua debetur correctio.

61. *Oritur à causis bilem*) Vide supra §. 41. *Alia est ab humoribus, & hac est vel sanguinea, biliosa &c.*)

62. *Vena sectione si bilis permisceatur*) Venæ sectio, si fieri potest, purgationi est præmittenda, 1. quia melius est educere sanguinem fæculentum quam purgatum, & sæpe ægri alvus tunc sua sponte movetur; 2. sanguis imminutus medicamentis melius poterit alterari & purgari, & sæpius totus eodem transire, inde fit ut particularum mixtio melius & citius perficiatur. *Pr. Med.Reform.p.11.*

63. *Præparatione si opus*) Expedita prima corporis regione ab alvina fœditate, materia biliosa, modo efferata non turgeat, ad exclusionem paretur, quo sine vi, naturæ expellenti, & pharmaco trahenti cedat: Hoc dicere volebat *Rhazes*, cum inquit, *initio purga*, intelligit antequam ad Topica veniatur, non quod velit non esse præparandum; Existimo tamen ego hanc materiam fere semper turgere; & si præparatione aliqua opus sit, non tam hic coctionem, ut in contumaci humore fieri solet, expectandam esse: *Galenus* dolores oculorum se uno die curasse affirmat; Si itaque præparandum, id fiat succis ac liquoribus qui una & Capiti student & cum materia biliosa pugnant.

Julapum rosat. & violat. & harum *serapia*, syrup. ex *acetositate citrior.mal.& arant.granator.acidor.syr.de succo acetos.de agresta.* Hi syrupi, cum odorati sint, in caput efferuntur, *Cichoracea* etiam hic locus est.

Quod si *vigilia* molestæ esse cæperint, potius utemur *Syrupo de nymphaa, de papav. & lactuca*, quamvis alioqui non æque præparationi & coctioni humoris studeant.

Miscemus syrupos ac diluimus decoctis, quæ fiunt ex eisdem ex quibus serapia, ut ex *acetosa*, *cichorio*, *endivia*, flor.*cichor.semin.frigidis*, radic.*gramin. capillaribus, foncho, hepatica, lattuca, portulaca, nymphaa, flor.papav. errat.flor.violar borrag.* Remiscemus interdum aliquid *aqua rosac.* quo ad caput efferantur; maxime si æger eo recreetur sapore, nam novi qui abominantur rosas.

Si *acida* velit æger, miscemus *syrupum Citreorum* cum pauco *aceto destillato*, vel olei *vitrioli* guttis quibusdam, ut inde levissime acescat, Nam acetosa opitulantur optime dum bilis urit, teste *Hippocrate* 3. *Acut.*30. Acetum biliosis prodest, etenim amara resolvuntur & pituitescunt, ita ut dilutiora reddantur veluti ab aceto subacta, & in majorem molem fusa. *Heurnius cap.de Cephalalgia.*

64. *Per refrigerantia & humectantia*) Corrigunt hoc *amarum*, seu *biliosam cacochymiam*, 1. Omnia manifeste *Acida*, acrimoniam volatilem infringentia, præcipitantia, ut sunt *acetum, succus citri, berberor. spiritus mineral.acidi* specie *nitri*.

2. *Nitrum* ipsum, & omnia cum & ex *nitro* parata medica.

3. *Sulphurea mineralia cum nitro* fixata, sigentia volatilem orgasmum, & hebetando pinguedine sua, una cum recondito occulto Acido, ejus acrimoniam volatilem, ut sunt remedia *antimonialia* fixa, v.g. *antimonium diaphor. bezoart. miner.* item *sulphura* alia *mineralia fixiora*.

Posterius ejus vitium, defectum ejus vel inertiam; corrigunt omnia acria, plus minus oleosa, augendo acrimoniam salinam, & volatilisando oleum, aut salia volatilia oleosa, Omnia aromatica & aromata, *absynthium, gentiana*, mentha: qua ratione *absynthium* hydropicis, *chelidonium majus* ictericis &c. cur... solent. *Ettmüller.*

65. *Etiam extra applicata*) Expedito toto corpore à materiæ bil... copia, ad remedia Topica veniemus, Quia autem hæc materia à toto corpore vel aliunde confluebat, opus fuit repressione, succis frigidis ac crassis, nam crassum frigidum potentissime reprimit, ut tenue calidum validissime calfacit, Sed monuit *Galenus* ut leptomeria pervadentia his commisceamus, ut *oleum rosat. omphac.* recens cum pauco *aceto*: In tenellulis ... *mamiel. ex oleo & flor. immaturis*, & violac. Durioribus *psyllii mucago*, *aqua rosata*, *solani*, *plantag. equiset*, *sol. brassica*, *Ungu.rosat.* mite & euporiston est, *Ungu. alabastr. rhodosi.agma* cum *succo moror.* nondum maturorum.

Sed eunctis his quid *aceti* aspergendum ut eo auxiliante pervadant. Sed id vigil as provocat, quare dum hæ sangant, succedaneum habeas *acetosa succum*, aut *limonum*, vel *aurantiorum*; sed matura sint poma, quo se penitius traducant succi. *Heurnius cap.de cephal.*

66. *Eo fortius*: *1. quo bilis valid...*) Remedia verum in usum traduxisse summæ artis est, h. c. ut decenti copia, modo, tempore & parti apte afferantur: *Hinc*, si adfuerit *obstructio*, absit adstrictoriorum usus, ne illa increscat, : sed citra adstrictionem reprimatur influens materia, Nec in *cruico fluxu*, hæmorrhagiæ prænuntio, reprimendum; Nec æque per *febres* stringendum, exardescit enim bilis à vi stringente: Et si *catarrhus* acris accesserit, his minime mio utemur, metu ne feriat calumitate pulmones, unde phthoe; Parcissime aceto hic utemur, ubi à bile profectum malum, maxime cum acetum acrius est, valide enim siccat, Et quo acerbior fuerit dolor, eo parcius aceto i dulgebimus, tendit enim & acrimonia fatigat. *Idem ibid.*

Aqua rosat. cum *Oleo rosat.* vel *papaver.* fovetur caput frigido: Hispani milites pauperes, qui in nosocomio febri implicati jacebant, dolore capitis af...ti, linteamentum *aqua frigida* & *aceto* tinctum fronti imponebant. *Forestus obs. 10.l.7.*

67. *Purgatione*) Si materia in ventriculi parte superiore fuerit, quod à bile fere fit, tum *vomat*, maxime si æger vomit ex facili, quales sunt illi qui amplo sunt pectore; Sumat *jus pingue carnium* ad ℔j, Sin pituitosa fuerit materia, adde *oxymelitis*, & *succi raphani*, vel *cortitis arboris nucis* ää. ℥j.&c (His præstantior est *syrupus emeticus Sala ad* ℥.j. *vel* ʒß simplex vel remixtus *oxysacch. simpl. vel oxymelitis S.*)

Quod si excrementa biliosa inferiorem ventriculi partem & intestina prima occupavere, solve... *syrupi rosat. lax.* ℥ij. *vel* ℥iij in *decocto* end.*via, tamarind.myrobalan*, vel *cassiam* dabimus cum pulpa *tamarind. Heurnium.*

ill Pi-

III. [68] *Pituitosa* cerebri intemperies proficiscitur ab [69] humore pituitoso. [70] *Cognoscitur*, ex signis in intemperie cerebri frigida allatis. Somnus est profundus vel multus, nisi soluta pituita catarrhus excitetur & tussis. Dolor magis in occipite, à tertia hora noctis ad nonam affligens. Faciei pallor, nisi diuturnitate, à sanguinis parte eò delata, rubedine suffundatur.

[71] *Oritur* [72] à causis pituitam generantibus, cerebro præsertim frigido, epate calido & humido, qui sanguinem vaporosum eò mittit.

[73] *Curatio* non est facilis, hyberno præsertim tempore; & facile morbus ipse in apoplexiam & paralysin abit.

Perficitur I. *Alteratione* post [76] primarum viarum evacuationem, per [77] Cephalica [78] calida & sicca, primo benigniora, mox fortiora, illaque sæpius repetita, ubi [79] decocto *chinæ, Guajaci, Sassafras* agi potest.

II. [80] *Purgatione* [81] alterationi interposita; [82] ubi pilulæ *aureæ & cochiæ*, vel illarum [83] *extractum* locum habent.

III. [84] *Evacuatione* particulari per [85] errhina, [86] masticatoria, gargarismos, collutiones oris, &c.

IV. [87] *Topicorum applicatione*, inter quæ fomenta, [88] embrochæ, [89] sacculi, quibus insensibiliter materia evacuatur, locum habent.

V. [90] *Cauterii* ad suturam coronalem, vel setacei in cervice, si morbus cedere non vult, *appositione*.

VI. [91] *Corroboratione* per appropriata cephalica. VII. [92] *Diæta* causæ & morbo opposita.

Dividitur in eam, quæ est à *Pituita crassa*, ubi præparationes locum habent; nec venæ sectio bene adhibetur: & eam, quæ à *pituita tenui & fluida* oritur, quæ Catarrhum excitat, & in qua ptarmica & errhina fortiora vitanda sunt.

[68] *Pituitosa cerebri intemperies*) Frigida cerebri intemperies composita, aut cum materia conjuncta, utplurimum Pituitosa est, quia cerebrum est metropolis pituitæ, & frigiditas diu durans sibi accersit humiditatem: Et si enim interdum humori melancholico copulata sit, raro tamen ille humor in cerebro gignitur, quemadmodum pituita, sed in hypochondriis utplurimum cumulatur, & ad cerebrum transmittitur. *L. Riverius Pr. lib.* 1. *cap.* 1.

[69] *Ab humore pituitoso*) Inter partes corporis fluidas refertur *Pituita*, ex *Saliva* exurgens, ut & *Mucus* è naribus prodiens; Peccatis humor I. *Colore*, qui naturaliter est *Aqueus* ad *album* vergens: hic non facile mutatur nisi quando magis redditur *glutinosa pituita*, vel aliud ei admiscetur: *Glutinosior* reddita *saliva*, vel *pituita*, videtur magis *albicans*, & quoniam sequitur auctam sui *tenacitatem*, *indicat sui attenuationem* ac *incisionem*, Si ab *aliis additis*, e.g. *Bile*, mutetur salivæ aut pituitæ color, *indicabit* ejusdem *restitutionem* per *additi remotionem*.

II. *Saliva* atque *Pituita* f. n. est *inodora*. hinc quoties alterutri aliquis odor, toties vitium ipsam contraxisse certum, quod ipsa indicat corrigendum, & quidem secundum Odoris diversitatem diversimode.

III. *Sapor* salivæ atque Pituitæ f. n. nullus, at p. n. observatur utraque nunc *Salsa*, nunc *acida*, nunc *austera*, *amara*, *dulcis*, & quidem dulcedine fastidiosa, Hi *Sapores omnes* cum sint p. n. & gustum lædant, *indicant sui correctionem*, quatenus vero Pituitam comitantur, & hactenus functiones, quibus illa ministrat, indem lædunt, *indicant* sui correctionem.

IV. Saliva & Pituita Duritiem p. n. acquirunt, quoties magis magisque incrassantur, unde videas non *tantum mucum in naribus induratum*, sed eundem, aut *pituitam salivatam*, in aspera arteria, in lapillos, vel gluten quasi compactum induratumque.

Hoc ubi contingit, sui indicat *Emollitionem* aut *Solutionem*.

V. Quoad *calorem & frigus*, Saliva, & Pituita f. n. observatur *temperata* sive *tepida*; p. n. vero reperitur aliquando *actu frigida*, non tantum in naribus existens, & retrorsum ad nares retracta, verum in tenui quoque intestino cumulata, & manifestum ægris sensum frigoris pariens: hoc ubi fit, ea indicat sui *calefactionem*.

VI. Occurrit *copia*, quæ ubi minor est, indicat sui *augmentum*; Si *redundat*, indicat sui *diminutionem*, partim *subtrahendo ipsi materiam*, partim eandem è corpore ex parte *educendo* per *hydragoga* & *phlegmagoga*.

VII. Saliva *motu* peccat, quoties aut *glutinosior* segnius, aut *fluidior & aquosior* ocyus fluit, Et ibi quidem *motum facilitandum indicat* per *glutinositatis suæ incisionem ac emendationem*, Hic *eundem tardandum per substantiæ suæ inspissationem*.

VIII. *Loco* peccare potest *Saliva* si copiosa in asperam arteriam deferatur, hoc si fiat *sui loco illo remotionem*, sive expectorationem indicat.

IX. Cum *saliva & mucus* continuo f. n. producantur, ac moveantur, *Tempore* peccabunt si aliquando fluere desinant, unde oris ac linguæ, nariumque ariditas molesta produci solet; Id quoties contingit *Motus sui restitutionem* indicant, per masticatoria, sternutatoria, & alia benignius humorum istorum effluxum, & aliquando affluxum promoventia, sive obstructiones aliquæ in Glandulosis eorum ductibus existant, sive humores illi glutinosiores producantur; sive aliter ipsorum effluxus impediatur, Nam secundum ipsius causarum diversitatem, remediis diversis tunc indicatis utendum *Fr. Sylvius m. m. l.* 1. *c.* 9.

[70] *Cognoscitur ex signis*) Signa desumuntur tum ex causis infra proponendis, quarum præsentia intemperiei hujus magnam conjecturam faciet, tum præcipue ab effectibus, qui à suis fontibus eruendi, actionibus & passionibus, excrementis & habitu corporis: *Actiones* Animales sunt mens torpida & hebes, infelix memoria, ad somnum propensio, qui longior & profundior, Insomnia aquarum & rerum albarum; Sensuum omnium inertia, motus tarditas, sed in eo duratio, quia spiritus crassiores minus dissolvuntur.

Passiones sunt morbi frigidi, ut paralysis, lethargus, & alii, quibus si antea æger obnoxius fuerit, eum hac intemperie laborare censendum est: Id ipsum confirmabit si æger cœlo sereno, & calida ac sicca aëris constitutione melius habeat, frigida vero & humida, pejus: *Excrementa* pituitosa per os & nares frequenter & copiose rejecta manifesta sunt illius intemperiei indicia; *Ex habitu corporis*, si totus frigidus sit & humidus, cerebrum proculdubio, omnium corporis partium frigidissimum & humidissimum, tale futurum est; *Cutis* ad tactum frigida & humida, mollis, lævis & alba: totus corporis habitus mollis & obesus, non autem carnosus, & venarum angustia frigidæ intemperiei signa sunt: *Signa specialia* in capite considerantur, Faciei pallor, venarum in oculis carentia, capilli molles, lenes ac tenues ab initio, tarde orientes, deinde rufi ac minime crispi; tota vita sine calvitio; à frigore externo caput facile læditur, calefacientibus juvatur. *Riverius Pr. lib. 1. capit 1.*

71. *Oritur &c.*) Causæ sunt *Alimenta* frig. & hum. quæ facile in pituitam abeunt; tum etiam dum concoquuntur, ventriculum & hepar refrigerando, faciunt ut multam pituitam producant, quæ postea magna copia ad caput transfertur; *Nimia alimentorum*, non solum frigidorum, sed etiam laudabilium quantitas, quæ calorem nativum obruit & cruditates gignit. *Cibi sumpti* statim à somno, vel ante, aut prioribus nondum concoctis, ex iis enim cruditates plurimæ fiunt, materiam pituitosam cerebro suppeditantes. *Omissa* consuetudo pituitam excludendi per vomitum, secessum, per purgantia, diuretica &c. *Ortus* ex parentibus frigida cerebri intemperie laborantibus *Ætas senilis*, ob caloris inopiam; *puerilis* ob ingluviem, *Regio* frigida & humida, stagnis, majoribus fluminibus vicina, Boreæ, nivibus, imbribus exposita; *Somni* longi & profundi, præsertim à cibo: *Vita* otiosa, fine curis, studio, mœrore; aut cum his valde excedentibus, quia calorem nativum valde dissipando, præcipue in cerebro, illud refrigerant: *Hepar calidum & hum. &c. Riverius.*

72. *A causis pituitam generantibus*) Vide § 41. *Alia est ab humoribus, & hæc est vel sanguinea*)

73. *Curatio non est facilis &c.*) Hæc Intemperies curatu difficilis est, & sæpe gravissimos capitis affectus producit: Quæ à longo tempore contracta est difficilius curatur, & quæ à nativitate, nunquam, tum etiam quæ est hæreditaria, quæ in corpore senili reperitur; Si per longum tempus illud obsederit: Tempus hybernum huic curationi idoneum non est, æstate vero melius curatio succedit. *Riverius.*

74. *Perficitur* &c.) Indicationibus satisfaciendum triplici instrumento, Diætetico, Chirurgico & Pharmaceutico.

Diæta calefaciens & exsiccans instituenda, *Aër* purus sit, ad calidum & siccum vergens, qui tamen in caliditate non multum excedat, humores enim in capite contentos fundere ac liquare posset, sicque catarrhos aliosque affectus producere, quod sæpe contingit his qui sub Solis radiis morantur vel caput ad ignem calefaciunt, In siccitate vero non potest nimium excedere: Cubiculum in quo æger degere consuevit non angustum sit, sed pervium & perflatum, siccioribus ventis expositum, temporibus nebulosis, frigidis alterari interdum poterit Aër herbis calidis ac odoratis pavimento stratis; vel iisdem in ignem conjectis, aut lignis siccioribus, ut juniperino; Ignis sit luculentus, qui aërem cubiculi sufficienter siccet; Suffitus excitari, in admodum graves sint, siccando absumendoque humiditatem non parum conferunt, cavendo tamen à nimiis, qui quosvis homines offendunt, & humores fundendo graves catarrhos excitant: Parentis etiam constitutio advertatur, quorundam enim capita ita facile replentur, & à suffitibus alterantur, ut quilibet odor capitis dolorem inducat: Suffitus temperatus fiet ex *Succino* puriore, cujus tenuia ramenta carbonibus injiciенda; Minus gravis est, & optime siccat roboratque cerebrum Suffitus ex *Gummi Animæ* compositus.

℞. *Ligni Aloës & Benzoini ää.* ℥ij.
Storac. calam. ℥ß.
thuris & sandar. ää. ℥ij.
gumm. anim. & caryoph. ää. ʒß.
f. *Pulvis crassior.*

Vitetur *Aër Austrinus* & pluviosus, ut & nocturnus, ac imprimis radiu Lunarea, cerebro admodum infensi: *Aër* valde *frigidus* & Aquilonaris, præcipue cum subito ad eum ab austrino facta mutatio est; is enim cerebrum humidis excrementis refertum non minus quam manus comprehensam madentem spongiam comprimit, & in partes subjectas deprimit.

Secundo *Alimentorum* ratio maxima habenda est, cum, ex Hippocr. l. de Nat. Hom. morbi fiant partim à Victu partim à Spiritu, cujus attractione vivimus, *Cibi* sint boni succi, facilis coctionis, nec frigidi, nec excrementitii: In usu sint carnes vervecinæ, hœdinæ, vitulinæ: Præcellunt pulli columbini, gallinacei, capones, gallinæ, perdices, turdi, aves montanæ, ovorum recent. vitelli: *Carnes* magis assæ quam elixæ probantur: Vitentur duræ & concoctu difficiles, ut bovinæ, porcinæ, cervinæ, leporinæ, anserum, anatum, avium aquatilium: Huc referuntur capita, intestina, extrema & interanea animalium.

Piscium usus sit rarus, iique eligantur qui carnem habent solidam & friabilem, in rivis rapide fluentibus, aut juxta saxa viventes; in vino præcipue decocti, addendo acetum, butyrum & *aromata*, quorum usus etiam in aliis cibis concedendus est, nisi calida hepatis intemperies contraindicet; præcipua sunt nux moschata, caryophylli, cinnamomum.

Herbarum refrigerantium & humectantium nullus sit usus vel rarissimus; æstivo tamen tempore earum quæ mediocriter refrigerando siccare aliquantulum, & membris robur addere; massæque sanguinis, quo minus evaporet, firmitudinem qualemcumque donare valent, mediocris usus potest concedi; E g. endivia, acetosa cichorium, coctæ non crudæ usurpandæ, Conveniunt *radices* petroselini, dauci, pastinacæ, *folia* menthæ, hyssopi, nasturtii.

Vitanda quæ facile caput tentant ac replent; quorum duplex genus, unum eorum quæ acrimonia sua humores fundunt, ut cæpe, allium, sinapi, eruca, raphanus; alterum eorum quæ crassis vaporibus caput replent; ut lac, lacticinia omnia, *legumina*; minus tamen nocent cicera rubra, aperiendi & abstergendi vi prædita.

Fructus omnes recentes, præsertim fugaces, multa aquea humiditate præditi, ut frequens cruditatum materia, vitandi.

In *Bellariis* fructus sicciores usurpari poterunt, passulæ, amygdalæ, nuclei pinei, dactyli & similes; parcior tamen sit usus, quia majori ex parte difficulter concoquuntur: Pyra cocta saccharo contecta, vel *condituтa* corticis citri, limonis, arantii, in fine mensæ usurpari poterunt.

Sed multo utilius erit *Pulveris Digestivi* cochlear unum sumere post pastum, cujus vapor atomaticus,

ticus, & cerebro amicus cum alimentorum vaporibus sursum elevatur, sicque cerebrum roborat & exsiccat; Paretur ex coriandro, fœniculo, anisi, cinnam. nuce moschata cum dupla quantitate sacch. rosat.

Panis ex optima farina tritici conflatus sit, bene coctus & fermentatus, cui aliquid salis & anisi addi poterit; in majori intemperie Biscoctus erit utilior.

Potus sit vinum tenue ac oligophorum, quod caput vaporibus non replet, & aqua multa dilutum; Tum etiam valde confert per horam ante pastum vinum aquæ miscere, ut illius vapores infringantur, nec non coriandri tantillum in aqua decoquere; quo vis roborandi cerebrum & ventriculum ipsi conciliabitur.

In graviori affectu, si vinum etiam cum prædictis cautionibus usurpatum suspectum esse videatur, illius loco Hydromel tenue subrogari poterit.

Hoc autem in omni cibatione semper observandum, ut cibi moderata quantitate sumantur, & cœna sit levior prandio, Sobrietas, ut in omnium morborum curatione & præcautione magni momenti est, sic præcipue in omnibus Capitis affectibus maxime commendatur, à plurimo enim ingesto alimento caput vaporibus & humoribus repletur, Et contra ab ejusdem penuria plurimum inanitur.

Tertio *corporis Exercitatio* moderata esse debet, & singulis diebus, quantum fieri poterit, continuari, Otium enim, & corporis quies nimia, calorem innatum debilitat ac torpidum reddit, ita ut coctiones suas non rite peragat, & corpus excrementis repleat: Contra vero motus & exercitatio calorem nativum suscitat, concoctiones juvat, excrementa discutit, spiritus purificat & exhilarat; Debet autem fieri ante singulos pastus, & utilius est à pastu per aliquot horas quiescere, aut saltem non valde concitato motu corpus movere.

Quarto *in somno* & *vigilia* modus adhibendus est; ut enim somno mediocri reficiuntur vires, ita longiore torpescit corpus, refrigeratur & oneratur excrementitiis humoribus, præcipue vero cerebrum: Somnus itaque longior non sit; Si in alterutro peccandum, præstat in vigilia immodica quam in superfluo somno: Nec statim à cœna illi indulgendum, sed saltem duabus horis interjectis, in quibus levis deambulatio prodest: Capite altiore, & in alterutrum latus dormiendum, Supinus decubitus improbatur.

Quinto, omnium corporis partium *Excrementa* suis temporibus sunt evacuanda, cerebri potissimum, atque adeo quotidie mane screando è palato, mungendo è naribus, pectinando & linteo aspero, vel spongia caput confricando, è suturis cerebri superfluitates evocandæ, *Alvus* Mollis & libera servanda est, & si sponte non obediat, glande vel enemate sollicitanda; vel etiam interdum levia medicamenta purgantia per os exhibenda; non solum enim alvi excrementa istis auxiliis evocantur, sed etiam paulatim & successive revellitur aliquid à capite, aut saltem derivatur quod eo tanquam ad partem imbecilliorem amandabatur.

Denique *Animi affectuum* maxima habenda ratio est, utpote à quibus corpus nostrum mirum in modum alteratur, & de sede sua dejicitur: maxime autem cavenda *tristitia* & *ira*, illa calorem nativum imminuit, & spiritus côterit, unde concoctiones infeliciter obeuntur, & multus fit excrementorum proventus: Ira vero magnam *sanguinis* ebullitionem & spirituum agitationem afficit, unde humores liquantur & commoventur; & si quæ pituitosa excrementa in cerebro fuerint, affatim in partes debiles præcipitantur, gravissimosque parere consueverunt affectus.

Quoad *Chirurgicum* fontem, *Sanguinis evacuatio* ratione pituitæ consentanea non est, Si tamen in corpore reliquo sanguis abundare videatur, hepar sit calidius, ætas florens aut consistens, eum detrahere convenit; Sic enim vaporum ad caput evaporatio impeditur, & superfluum alimentum demitur, ut Natura postea quicquid crudum & pituitosum in sanguine est facilius concoquat, tum Purgantia tutius postea usurpari valeant. At vero nisi plethora vehementer urgeat, melius erit venæ sectioni præmittere phlegmagogum. *Laz. Riverius Pr. lib. 1. capite 1.*

75. *Alteratione*) Corrigunt Pituitam 1. Alterantia & Liquefacientia, Salina temperata, ut *cremor tartari, tartarus vitriolatus, sal armoniac.*

2. Resolventia, gummosa, ut *sagapenum, mastix, myrrha.* in specie *gummi ammoniac.*

3. Aromatica, seu salina volatilia, plus minus oleosa, vulgo Aperientia dicta, V.g. *fœnic. angelica, absinth. rosmar. spiritus tartari* &c. *Etmuller.*

75. *Alteratione*) E.g. ℞. *rad. cyperi, ireos Flor. angelica, zedoar. enula camp. ãã.* ℥j. *fol. beton majoran. melissa*, puleg. orig. calam. ãã m. j. summit. thymi & salv. ãã. m. ß. *semin. anis. sesel. & fœnic. ãã.* ʒiij. *liquir. ras. passular. mundat. ãã.* ℥j *flor. stach. anth. salv. lavend. ãã. P. j. coqu. ad quart. v. In colat. dissolve sacch. albi* ℥iv. *f. ApoZ. clarific. & aromatiz.* ʒij. *cinnam. el. pro iv. dos. matut. Riverius.* Vel

℞. *rad. ireos, acori veri enul. camp. ãã.* ℥ß.
pyreth. (quod memoriam valde juvat) *galanga, zinzib. ãã.* ʒij.
h. beton. majoran. thymi, ãã. ℥ß.
melissa ʒij.
flor. lavend. vel spica, salv. stœch. ãã. ʒij.
anethoi ʒiij.
rad. liquir. ʒvj.
sem. anis. fœnic. ãã. ʒiß.
carvi ʒj.
f. Decoctio in aqua & vino, In colat. ℔iß.
dissolve mellis vel sacch. q. s. aromatizetur cinnam. & nuc. mosch. pro iv. vel v. dos. matut.
Platerus.

Vinum per infusionem horum fieri poterit, sine sacch. & melle, si dulcia respuat; aut absinthiu substituto, quod plurimis gratum. In Syrupis idem fieri poterit.

76. *Primarum viarum evacuationem*) Communia excrementa primum eluenda sunt sequenti Clysmate, vel simili.

℞. *herb. malv. althaa cum toto, parietar. beta, mercur. beton. salvia, hyssopi, ãã. m. j.*
flor. chamom. melilot. sambuc. lavendula, ãã. p. j.
furfur. p. j.
sem. fœnic. carvi, ãã ℥iij.
f. decoctio, dissolve succi mercur. ℥j.
mellis ℥iß.
ol. rutac. ℥ij.
bened. lax. vel Hiera alicujus fortis ℥ß.
salis ʒj.
f. Clyster.

77. *Per cephalica*) Utut quidam negare sustineant *Specifica*, quæ nempe huic vel illi parti, aut visceri specatim occurrant, illud omne tamen intelligendum est de occulta, cæca & irrationali determinatione, qua Cephalica, Pectoralia, &c. dicuntur, modo absurdo, & revera occulto habere sympathiam, magnetismum, ut intactis reliquis huic uni, soli & semper prospiciant, de quibus Helmontius ait, nô dici posse remedio, Vade tu ad talem

venam, vel ad istum locum; Nam altero genuino sensu revera dantur Specifica, quæ non solum generatim sanguinem & serum, tanquam elementa & succos substantificos vitales microcosmi alterant, nec indicantibus & indicationibus generalibus, sed specificis, ut indicata specifica, specifico dono prædita, satisfaciunt, verum & ita eosdem disponunt, ut in partes has illas affectas redundare specialis usus queat, determinando easdem ut sic agant: Alias enim notum est Specifica Cephalica esse quoque cordialia, stomachica, uterina &c.

Solenne hinc nomen est *Tonicorum*, quæ tonum hujus vel illius partis, in tempene, conformatione, poris, ita roborant, ut actioni destinatæ præesse melius queant: Vtut enim unus idemque omnibus illabatur sanguis, ille tamen ad certas actiones hic illic Specificatur ex fermento sua archeo loci particulari. Cumque magis velificetur his operis calor, diversis modis specificatus, uno vero esset, ut in actionibus suis retardetur, hinc etiam alterandi calidum pro ejusdem intensione diversa sunt præsidia specifica, pro remissione præstanda magis communia; id quod etiam valet ratione diversorum regnorum.

Communiter alias dividuntur *Alterantia* in *calida & frigida*, prout vel roborant, exsuscitant & instaurant Archeum, hac vel illa parte residentem; vel temperant peregrinam accessionem, unde vel gradus augetur, vel deprimitur plane.

Divisio specialior est in *Volatilia, Fixa, & Media*, Volatilia vocandu (quod universim & de aliis valet) quæcunque à posteriori in motum cient, rarefaciunt & promovent Archeum, seu calidum innatum partium: A priori, quæ vel volatilia sunt, *sulphurea & oleosa*, seu sale volatili oleoso fœto; Vel volatilia *urinosa*, vel volatilia *acida* Summatim quæcunque sale volatili, vel sibi relicto, vel *aliis remixto* gaudent.

77. *Cephalica*) Cephalicorum nomine κατ᾽ ἐξοχὴν veniunt *Volatilia sulphurea*, & *balsamica spirituosa aromatica*, V. g. *rad. galanga, zedoar. iris flor.* H. *betonica, lavendula, majorana, melissa, marum, chamædr. chamæp. origan. ocymum, puleg. rosmar. polium mont. ruta, salvia, serpillum, spica nardi*, Flores *anthos, spica, liliot. convall. prim. ver. stœch. arab. tilia*, Aromata omnia; speciatim vero *Cubeba*, Ex animalibus *Castoreum*, Ex semin. *semen. coriand.* Ex gummatibus, *succinum, ladanum*, ex lignis, *sassafras, xyloaloe*, Et ex his paratæ conservæ, essentiæ, aquæ, spiritus, elixir Cephalicum, *vita Matthioli, aqua apoplect. Anhaltina, spiritus succini*, Ex compositis, *species dianthos, diambr. diamosch. dulc. M. P. de ladano, de succino Crat.*

Exemplum Elixirii Cephalici sit hoc.

℞. *rad. paon. mar.* ℥j.
galanga, valerian. doronic. fol. rorismar. mari veri, salvia ā ā. ℥ß.
flor. anthos, lavend. lilios. conv. pæon. stœch. arab. beton. ā ā. ʒiß.
cubebar. succin. ā ā. ʒvj.
visci cojlini, ligni aloes, ladani ā ā. ʒiij.
costi veri, anacard. ā ā. ʒj.
conc. extrah. spiritus vitriol. cephal.

Volatilia urinosa sunt salina, in quibus sal volatile magis explicitum & sibi relictum, *spiritus salis ammoniaci nativi* genuinus & artificialis, *spiritus ruta, & lilior. convall. volatilis*, nostro more paratus per putrefactionem; *spir. cranii humani c. c. viperar. horumque Salia volatilia. tinctura Luna* & sim.

Volatilia Acida præbent *spiritus vitrioli cephalicus Hecrii, Sennerti* aliorumque.

Hæc ipsa, quæ hinc suo modo ad *fixa* etiam applicabimus, respiciunt vel *spiritus animales*, & horum vehiculum *Lympham*, vel *membranas & nervos*, vel *poros*, juxta quorum divisionem etiam optime pathologia morborum cerebri, seu capitis, dividitur & intelligi potest.

Adeoque 1. roborant *Spiritus animales*, sicubi torpeant vel debiliores fuerint, ut in senibus & aliis fœnerant iisdem liberum meatum & motum restituunt, in tremore, vertigine, incubo, sensus & motus impotentia proficua.

2. Discutiunt, demulcent & suaviter afficiunt *membranas & meninges fibrasque nerveas*, variis modis vellicatas: hinc ex dictis quoque plantis ipsis resinosæ magis sunt nervinæ, exemplo *chamæpit. rorismar. lavendula* &c. unde & optima sunt in vulneribus capitis pro fotu cum vino.

3. *Dissipant serum excedens*, & *corrigunt exhalando & divertendo* cum diaphoreticis maritata, ne *nimis* concipiat, coaguletur, vappescat, sed blandam suavemque dulcedinem sartam tectam obtineat: Hinc & 4. sua *v* *ἀντιπαθείᾳ* lympham mactant & ligant, ne vel vitiose moveatur, ut in vertigine, vel spiritibus minus fœta illigabilis magis fit, ut in vigiliis senum, restitutis una & roboratis spiritibus? 5. *Poros cerebri & nervorum occlusos dilatant*, ne subsideant, concidant, & spiritibus ac lymphæ continuo movendis viam intercipiant, quo nomine urinosa, & quibusdam casibus etiam acida, imo & quædam sulphurea volatilia, exemplo *castoree*, sunt laudatissima: Singula nempe hæc valent præcipue in affectibus Soporosis, Vrinosa vero adhuc latius.

Faciunt idipsum tum subtilissima sua & penetrantissima vi, qua pervadunt omnia, unde & odoratu solo laudatissima sunt, & interius propinata, tum acidum figens præcipitando & annihilando, quod in aphonia, apoplexia, paralysi valet, *fixis* enim & *acerosis humoribus unice contrastantur urinosa*, paralyseos hinc specifica: Scorsim vero Acida, quatenus sulphur obstruens & ligans excutiunt; domant & destruunt in affectibus, ut dixi, soporosis.

Per ratio est *castorei & nigella*, quæ sulphure volatili & minus resolubili gaudent, unde iis in casibus optima sunt, Imo nominatim *Castoreum* & quæ ad instar hujus omnibus hisce vel plerisque satisfaciunt, illa κατ᾽ ἐξοχὴν & omnium optima sunt cephalica, polychresta revera in omnibus quasi dictis casibus, ut de *Cinnabari* id quoque deduci potest.

Fixa Cephalica dicimus, quæ excessum humorum & spirituum temperant, motum refrænant figuntque: Fixa V. g *terrea, viscum quernum, cranium human. ungula alcis, magister. perlar. corall.* Fixa *Acida*, *tinctura rosar. violar. paon. acetum, lilior. convall. ruta, spir. vitrioli, clyssus antimon.* &c. Fixa *nitrosa*, ut *nitrum antimon.* Fixa *aquea*, ut *aqua cerasor. nigr. sambuc. solan. sedi maj. decoctum anagall. serum capr. emulsiones soporifera* & alia, Adeoque specialius hæc ipsa (1.) spirituum ferociam & motum continuum ligant ac domant efferænes eorum in sensuum & motus organa tumultus, non solum in febribus, per consensum affecto cerebro, verum & aliis, quando dephlegmati quasi & intemperati exorbitant, ut in deliriis, doloribus, morbis spasmodicis, ipsisque adeo uterinis. (2.) *Invertunt, saturant, præcipitant*, & acrimoniam absorbent & resolvunt, ut tum terrea alia, tum præ omnibus *Cinnabarina, Cinnabaris nativa*, granulata & sublimata, *cinnabaris antimonii* ut & *mercurius diaphoreticus*.

Duo hæc præstant eximia, ratione sulphuris temperati & fixi, puriores, placant rodentes humores & sunt paregorica; ita ut acrimoniam salinam humorum, sanguinis, lymphæ, & spirituum, membranas & genus nervosum irritantem demulceant: Ratione particularum mercurialium fluxiles reddunt humores & *moras* prohibent, unde & liberantur partes delicatæ membranosæ peregrinis hosticis humoribus, & hi ipsi destru-

destruuntur ut minus nocere queant, sed ad frugem redeant: Ratione totius mixturæ suæ humores biliosos, acidos, ponticos, acres invertunt. (3.) *Restaurant & corrigunt seri defectum*, capiti semper exitiosum, unaque conjunctam acrimoniam, imprimis diluentia largiori modo exhibita. (4.) Sulphur resolubile in actum deducunt, & *poros claudunt* aquea & sulphurea, ἀνωχετικῶς humectantia, unde nisi hæc jungantur, vel ipsa probe attendantur, ipsa quoque opiata ad somnum producendum inepta sunt.

Notandum vero hæc ipsa quidem in utrisque classibus commode recenseri, ad exhauriendam latitudinem virtutis cephalicorum: ipsa tamen cum primis temperantia fixa inter se sociari & mutuas præstare operas ad unum eundemque scopum impetrandum: Unde etiam *Media* inter hæc sunt, tum simplicia & composita temperata, qualia esse possunt *paeonia, doronicum, betonica*; tum quæ vel mixta ex fixis & volatilibus, ut elixiria cephalica, acidulæ; vel diverso respectu agendi, v. g. dissipandi, præcipitandi, huic vel illi affectui succurrunt, in quibus ad causam merito respiciendum est.

Externa Cephalica vel communia sunt, vel propria, Specifica enim & hoc pacto capitalia sunt, licet retracte virtutem magis exerant præ internis: Roborantia balsamorum, cucupharum, unguentorum, lixiviorum specie adhibentur, Egregia v. g. est *essentia flor. spicæ* bregmati applicata, pro roboranda memoria: Prosunt Epithemata refrigerantia *ex aquis solani, sedi majoris, verbenæ, pulegii, anethi, sambuci &c.* cum *nitro antimoniato*, *theriaca Androm. vel diascordio Frac.* item cum aceto in hæmorrhagia narium, fronti, quin & bregmati applicanda. *Wedelius Am. m. m. p.* 120.

Notandum Vegetabilia magis specifica, mineralia magis universalia Cephalica constituunt; facta scil. ad se invicem relatione, Nota quidem est assertio communis, Solem cordi, Lunam cerebro &c. specifice dicati, hæc ipsa tamen cum grano salis sunt accipienda; & nihilominus respectu vegetabilium magis universalia sunt, quatenus alterandi sanguinem & serum viribus magis communibus gaudent, & fixiora sunt; Ex mineralibus antimoniata & mercurialia catholica magis sunt purgantia & diaphoretica, speciatim *Cinnabaris nativa & antimonii* (quicquid nonnulli in contrarium objiciant, qui pro veneno eam reputant, est specificum Cephalicum, sed magis universale quam ullum aliud, quatenus respectu suorum elementorum liquores vitales egregie corrigit, unde & Panacææ *Anhaldinæ* basin constituit. *Idem p.* 128.

78. *Per cephalica calida & sicca*) Cum gignitur materia in capite, sint remedia ita comparata ut intemperiem abigant, maxime autem à frigore gignitur, Sint igitur *calida odorata*, qualis maxime est *ambra & moschus*, hæc suturæ coronali, auribus ac naribus erunt inferenda, ut recreetur spiritus animalis, & si qui flatus adsint à frigore dissipentur; hoc efficit & *oleum seminis salviæ*, & ejus decoctum. *Heurnius.*

79. *Decocto Chinæ, Guajaci &c.*) Quia malum hoc sæpe pertinax est, & generosis etiam remediis semper non cedit, ad potentiora præsidia confugere necesse est, ac primum corpore purgato *Diæta sudorifica* instituenda est, quæ cerebrum & totum corpus calefacit & exsiccat, crudos humores concoquit, crassos attenuat, viscidos incidit, lentos abstergit, & quicquid aquosum est per urinam educit ac per sudores aut insensibilem transpirationem discutit: Ad quæ omnia multum etiam facit tenuior illa victus ratio adjungi solita.

Illa autem Diæta coomponi poterit, vel ex decocto *Guajaci* solitus, vel addendo lignum *sassafras*; aut radicem *salsæ parillæ*, aut etiam specifica cephalica pro varia corporum dispositione & temperamento; quorum respectu longiorem aut breviorem illius usum imperabit, v. g. ad xx. xxx. dierum spatium, e. g.

℞. *Rasuræ ligni Guajaci & rad. salsæ par.* āā. ℥ij.
infundantur per xxiv. *horas in* ℔iv. *aqu. fontis supra cineres calidos, Bulliant lento igne, & sine fumo ad mediæ partis consumptionem, colentur per manicam Hippocr.*

colatura servetur in vase vitreo, de qua capiat ℔ß. calide mane, corpus tegendo plus solito, ut excitentur sudores

℞. *rad. salsæ par.* ℥iij.
infundantur per horas xij. *in* ℔xij. *aquæ fontis, bulliant ad quartæ partis consumptionem, colentur, addendo coriandri & liquir. vel sacch. & cinnamomi q. s. ad saporis gratiam,*

fiat Bochetum, quo utatur pro potu ordinario toto Diætæ tempore, utendo interea pane biscocto & anisato, carnibus assis & non elixis, amygd. torrefactis, passulis, nucleis pineis, prunis cum saccharo coctis, & similibus.

In usu Decocti hidrotici hoc perpetuo observandum, ut semel in septimana purgans aliquod medicamentum propinetur, omissa ea die potione sudorifica; cum per sudores tenuior humorum portio tantum educatur, manente crassiore, per alvum expurganda; Præterea quia utplurimum in usu diætæ alvus adstringitur, tertio aut quarto quoque die clyster quoque injiciendus est. *Riverius.*

80. *Purgatione interposita*) Quia hujusmodi intemperies contumacissima est, novumque pituitæ proventum; etiam post universales & particulares vacuationes solet efficere, usualia etiam remedia præscribenda sunt quibus per intervalla humor educatur, & cerebro melior illa dispositio, quæ prædictis remediis acquisita est, diutius conservetur: In hunc finem: Syrupus magistr. componi poterit ex materia Apozematis supra propositi, addendo *fol. sennæ mundat.* ℥vj. *semin. carth. contus. & polypod. querc. rec.* ℥iij. *agar. rec. trochisc. turbit. hermodact.* āā. ℥ix. quo utetur bis aut ter in mense ad ℥ij. vel iij. cum decocto beton. & majoranæ: Vel Pilulis usualibus utatur.

℞. *Aloes opt.* ℥ß.
turbith gumm. hermodactyl. & agar. rec. trochisc. āā. ℨij.
diagr. ℨj.
zinzib. & caryoph. āā. ℈ß.
croci & salis gemmei āā. *gr.* vij.
Pulverentur omnia & perfundantur succo majoranæ, ac denuo exsiccentur in umbra, Postea excipiantur oxymel. scyllit. & fiat massa Pilul. dosis ℨß. *vel* ℈ij.

semel in septimana duabus horis ante prandium. *Riverius.*

81. *Alteratione interposita*) Hac facta, & corroborato cerebro, uti post purgationem fieri debet; si caput adhuc excrementitium sit, repeti hæc possunt statim vel tempore idoneo, aut per intervalla. *Platerus.*

82. *Ubi Pilulæ*) ℞. *Pilular. coch.* ℈ij.
castorei (peculiariter confert) ℈ß.
cum vino odorato f. Pilulæ. Platerus.

Pilulæ quoque usuales phlegmagogæ usurpari poterunt. *Riverius.*

83. *Evacuatione particulari*) Ad particularem capitis evacuationem utiliter adhibentur *Vesicatoria* posteriori parti cervicis in formam Emplastri, quale est quod Monspelienses Pharmacopolæ habent.

℞. *Galbani, Ammon.* āā. ℥v.
pulv. Canthar. ℔iß.
sinapi, piper. āā. ℔ß.
vitr. æris pyreth. āā. ℥iiß.
Euphorb. ℥iß.
ceræ ℔iß.
picis, resinæ, terebinth. āā. *quart.* iij.

Olei parum, F. massa; Extendatur ℥j. super alutam. *Riverius.*

84. *Evacuatione particulari per errhina, masticatoria* &c,) Quæcunque serum proximius in faucibus in motum cient, sunt apophlegmatisantia, Duplici modo conveniunt ad eliciendum humorem hæc ipsa, 1. cum masticatione, 2. citra masticationem; sola simplici detentione, qui secundus quasi gradus est si cætera consentiant, quoque.

Illa possunt dici proprie dicta *masticatoria*, quia masticatione absolvuntur; hæc improprie dicta, seu apophlegmatismi, quacunque forma adhibita, sicca, liquida & media: Sic *myrrha, costus verus, cort. citri, zedoar.* aliaque huc possunt referri, seu *διορμίας*, seu præservationis gratia si alia forma quam sola masticatione, quo nomine ad primam classem spectant, in usum veniant.

Et enim illa quoque citant salivationem, sed quasi incomplete, ut deglutiatur & alteretur, Sic *fol. Indum* eodem refert *Roda. Castro.*

Imo diversa medicamenta alia huc spectant; quæ pro applicatione & præparatione alia atque alia ad primam illam & secundam pertinent, v.g. *rad. irid. pyreth.* in dolonbus dentium maxime laudata, *zinzib. cyper. acor. veri, sem. staphis. cubeba, cardamom. piper omne, eruca, sinapi, salvia, rosmar. thym. satur.* piperit. & inprimis *nicotiana* &c. Ex iisdem etiam parari possunt cum melle aliisque modis globuli masticatorii, qualis est *apophlegmatismus Laurembergii* ex *nicot. rec. rad. pyreth. mastiche & zinzib.* Ex liquidis spirituosis est *lignum S. aqua apoplect. Tinctura catechu, spir. salis armon.* aquosis nitrosa varii generis: Ex mollibus *confect. anacard. theriaca*, & alia in aphonia cum successu usurpanda.

Priora solo quasi motu, vel præcipue saltem, partes continentes ad salivam fundendam solicitant: altera hæc partes contentas magis in motum cient, non neglectis etiam illis: Masticatoria motu & calore, apophlegmatismi calore potentiali, & salina virtute fluxiliores reddendo humores salivales, cogunt ut è dilatatis poris glandularum miliarium in faucibus exudent citatius, adeoque hæc ipsa magis sunt acuta, salina, incisoria & fundentia, inprimis sulphurea volatilitate conspicua, quæ ob partium tenuitatem & agilitatem liquatum serum alliciunt, & ea diverticulis proximioribus glandulosis evocant. *Wedelius A. m. m p. 462.*

84. *Evacuatione particulari per Errhina &c.*) In usu horum remediorum hoc observandum, eam Evacuationem quæ per Palatum fit esse commodiorem, illa enim à natura cerebri expurgationi simpliciter destinata est; at Nasus odoratus & respirationis gratia factus est, eoque Natura abutitur si humores in cerebro majori copia redundantes per hanc viam expurgat: præterea per palatum via securior est, neque ea excretione cerebrum tantopere concutitur sicut illa quæ fit per nares; Attamen Errhina humores potentius educunt, quia non solum medicamenti qualitas aut vapor, ut in apophlegmatismis, sed & ipsa ejus substantia cerebrum stimulat: Notandum etiam Errhinorum usum esse suspectum dum oculi sunt affecti, vel nares ulceribus affectæ, vel æger in hæmorrhagiam facile incidit, aut etiam vertiginem, quam sternutatoria imprimis excitare valent, cerebrum vehementius concutiendo: Errhina liquida in nares ex vola manus attrahuntur, vel supino corpore naribus infunduntur, ore tamen prius aqua repleto, ne liquor per palatum in os influat, quanquam quod sic influit etiam humores efficacitèr per fauces educit: Apophlegmatismi caute usurpandi in iis qui fluxioni ad pectus & tabi sunt obnoxii. *Riverius.*

84. *Evacuatione particulari per errhina*) Hæc uti in affectibus serosis unice prosunt, ita in reliquis nocent; Hinc peccant qui continuo pulveres errhinos naribus attrahunt; Sicciores tamen sunt nonnulli, & adsuetudine magis solidatæ membranæ, unde minus læduntur vel afficiuntur, neque enim sternutant inde: Quem in finem ut hauriri possint tales pulveres inculpate, & cum successu, sine noxa, hodie mitiores & suaves talismodi in quibusdam officinis servantur pulveres, qui non tam movent sternutationem quam confortant, majoris appararus; imo vel ex solo *schœnantho* g. m. pulverisato idipsum parare licet, una alteraque gutta ol. rosar. medicato. *Wedelius.*

85. *Per Errhina*) ℞. *fol. majoran. salv. & beton. ā ā. m. j. terantur in mortario marmoreo, sensim affundendo aqua beton. & vini albi ā ā.* ℥iij.
exprimatur succus; Erit acrius si rad. ireos ʒß. adjiciatur.

Usus hodie invaluit folia Nicot. sicca & digitis contrita in nares immittere, vel pulverem eorum naribus attrahere, sic paratu facile Errhinum habetur. *Riverius.*

Folia Betonicæ sicca, convoluta, naribus indita, idem præstant.

Sternutatoria sic parari poterant.

℞. *fol. majorana, salv & rorismar. siccat.* ā ā. ʒß.
rad pyreth. & hellebor. albi ā ā. ℈j.
moschi gr. iij.
m. f. Pulvis, qui pennæ tubulo in nares insuffletur, Vel

℞. *Rad. z. z. & ireos Flor.* ā ā. ℈j.
castor. ℈ß.
euphorb. gr. vj. *misce.*

Præstantissimum fit ex *hellebore nigro, cum parte aq. sacch. candi*, in subtilissimum Pulverem redacto, quod etiam ad catarrhi curationem plurimum confert. *Riverius.*

86. *Masticatoria*) Dicuntur ab adhibendi modo; quando ingesta masticantur prompte affluit, ceu primum & antecedens menstruum, saliva, miscenda cum cibis & deglutienda, sin opus sit non pro usu alimentario, sed medicamentoso, masticatione uti, quæ idipsum præstant audiunt Masticatoria. *Wedelius.*

86. *Masticatoria*) Quæcunque in motum cient glandulas miliares faucium, exprimunt salivam; seu in os citatius colligunt, ut *exspui* vel deglutiri possit, sunt uno verbo Masticatoria: Faciunt huc quæcunque agitant linguam, subditi *globuli* quicunque, *è crystallo* inprimis, quale instrumentum *est Sanctorii* pro siti sedanda, aqua prius humectarum; Faciunt huc *sem. coriand.* aliaque rotunda ac orbicularia, ad agitationem & motum quippe præ cæteris aptiora, inprimis vero præ omnibus *mastiche*, masticatotiorum apex, cum enim vel sola masticatione quasi continuo serum eliquetur, his ipsis masticatoriis calore & motu fluxiliores è glandulis redduntur humores salivares, porique glandularum miliarium utroque modo redduntur magis patuli & dilatati, unde humor amplius colligitur: mastiche hoc pacto tota albescit, tota obsecundat contusioni per dentium molam factæ, optima pro sero educendo, optima pro corrigendo, aromatica sulphurea roborante virtute. *Wedelius A. m. m. p. 461.*

86. *Masticatoria, Gargarismos*) Masticatorium ita parari poterit.

℞. *rad. pyrethri* ʒij.
sem. sinapi & staphis. ā ā. ʒj.
excipiantur cera alba & formentur globuli, quorum unus masticetur prono capite mane, continuo spuendo.

In vulgari usu habetur radix *Ireos Flor.* quæ in levioribus affectibus potest sufficere: mitior est *mastiche* sola, quæ humorem attrahit ad os citra illius calefactionem, quod reliqua non præstant.

Gargarismus. ℞. *sem. staphisagr.* ℥ß
semin. sinapi ʒiij.

rad. pyret. ʒij,
coq. in hydromel. ad ℥iv.
dissolve oxymel. scyllit. ℥ij.

87. *Topicorum applicatione, inter quæ &c.*) Emplastrum caput roborans.

℞. *Succini pellucidi, thuris, mastiches,* ãã. ʒiß.
galbani, opopan. ãã. ℈j.
visci querc. ʒij.
semin. paon. mar. ʒß.
ol. nuc. mosch. q. s.
misce Fiat Emplastri massa, quæ extendatur super alutam in formam ovalem, & applicetur sincipiti raso.

Emplastrum caput roborans Monspeliensium.

℞. *Storacis, benzoini, ladani,* ãã. ℥iv.
rad. paon. ireos Flor. visci quermastiches ãã. ℥j.
styrac. liqu. q. s.
Fiat Empl. massa.

Si magis attrahens & resolvens, i.e. Epispasticum habere cupias.

℞. *Massæ Empl. de mucilagin.* ℥ij.
radic. Ireos Flor. hermodactyl. pyreth. sem. staphisagria. cubebar. stercor. columb. & sem. sinapi ãã. ℥j.
nucis mosch. caryophyll. cinnam. piper. long. & nig. ãã. ℈ß.
styrac. liqu. q. s. Fiat massa &c.

Admoventur & *Pulveres* & *Cucuphæ*, quibus cerebrum roboratur, ejusque calor intenditur, ac humorum reliquiæ discutiuntur.

℞. *Pulv. ireos Flor.* ℔ß.
storac. & benzoini, ãã. ℥ij.

F. Pulvis tenuissimus capiti inspergendus in lecti introitu, mane pectine decutiendus: Hic odore gratissimus, cerebrum roborat & capillos valde exsiccat; Efficacia intendetur addendo *caryoph.* aut *nucem mosch.* & *cinnam.*

℞. *flor. stæch. anthos, rosar. rubr.* ãã. *pug. ß.*
beton sicca ℈ij.
sem. coriand. ligni Rhod. thuris, mastich. nuc. mosch. ireos Flor. ãã. ℈j.
benzoin & vernicis, macis & caryoph. ãã. ℈ß.

Fiat Pulvis excipiendus rasura scarlatæ, vel cotone mosch. & cum pauco serico rubro fiat Cucupha interpuncta, pileo assuenda, vel in formam calanticæ gestanda.

Pertinent huc & *suffumigia*, quæ caput egregie exsiccant.

℞. *ligni aloes, thuris, mastiches, succini pellucidi, santal. citr. rosar. rubr. & folior. beton. siccor. ana* ℥j.
cinnam. macis, caryophill. storac. calam. ãã. ℈j

Fiat Pulvis crassior qui aspergatur super prunas, fumum mane hauriendo jejuno stomacho, ore & naribus apertis, capite linteo circumvoluto, ne fumus tam facile exhalet, eoque utatur bis aut ter in septimana; Vel si à suffumigio dolor capitis excitetur, suffumigentur solum integumenta capitis.

Paratu facilior est sequens Pulvis.

℞. *Thuris, mastich. stirac. calam. benzoini & sandar.* ãã. ʒß.
macis & caryophyll. ãã. ʒij.

F. Pulvis. Riverius.

88. *Embrocha*) Ad cerebrum exsiccandum & roborandum efficacissimæ sunt Aquæ theriacales, sulphureæ, nitrosæ ac bituminosæ, quales sunt *Belilucanæ*, Ex quibus fiunt embrocationes, seu irrigationes capitis per aliquot dies, præmissis vacuationibus universalibus, quarum usu gravissimos capitis affectus discuti quotidiana docet experientia. *Riverius.*

89. *Sacculi*) Sacculi sequentes capiti admoveri poterunt, præsertim per usum Diætæ,

℞. *Semin. anisi, fœnic. & baccar. lauri contusar.* ãã. ℥iv. *milii* ℔j.
salis comm. ℔ß.
torrefiant omnia in sartagine, sensim affundendo vini generosi q. s.

Iis impleantur duo sacculi, qui applicentur sincipiti raso calide vicissim. *Riverius.*

90. *Cauterii ad suturam*) Riverius utilissimum ait causticum inurere posteriori parti cervicis, ut materia quæ in cerebro sensim colligitur per hanc etiam viam sensim evacuatur.

91. *Corroboratione per appropriata &c.*) Post purgationem ut cerebrum roboretur & alteretur, & purgantium noxa corrigatur, capiat æger bolum sequentem.

℞. *Theriac. vel.* ʒj.
conserv. anthos & rosar. ãã. ℈ij.
cum sacch. fiat Bolus, mane sumendus duabus horis ante pastum, superhausto vini diluti momento.

℞. *conserv. rad. acori, aut zinzib. & cortic. citri conditi* ãã. ℥j.
conserv. flor. salv. & rorisf. an. ʒvj.
nuc. mosch. condita ʒß.
myrobol. condit. n. j.
Theriac. vet. & conf. Alkermes ãã. ʒiij.
pulver. Elect. Diambr. & diamosch. dulcis ãã. ʒj.
cum syr. condit. cortic. citri fiat Opiata.

de qua sumat magnitudinem castaneæ mane duabus horis ante pastum, superbibendo parum vini generosi mediocriter diluti.

Potentius roborabit Balsamum sequens, cujus guttæ iij. vel iv. per intervalla sumi poterunt cum vino vel jusculo.

℞. *Ol. nuc. mosch.* ʒiij.
ol. majorana, anthos, & carabes ãã. ʒß.
moschi, ambr. gr. ãã. ℈j. *cum s. q.*
olei cranii hum. reducantur ad Balsami consistentiam.

Hoc possunt etiam inungi nares interiores hora somni, ad cerebrum efficaciter roborandum.

Aliud Balsamum paratu facilius.

℞. *olei è flor. Arant.* ʒiij.
ceræ albæ ʒj.
liquentur lenissimo calore, adde olei succini puriss. ʒß.
olei destillat. salv. & rorism. ãã. gutt. xv.
olei spicæ gutt. v. *F. Balsamum.* Riverius.

Utilissime etiam Aquæ Thermales in Potu ad roborandum cerebrum, qui cerebro maxime compatitur. *Idem.*

IV. 93. *Serosa* cerebri intemperies, à 94. sero exsuperante provenit.

Cognoscitur causarum prægressu, 95. dolore cum tensione gravi, nec acri nec purgante, symptomatum vagantium intermissione & remissione frequenti, sudoribus copiosis, urina pauca &c.

Derivatur ad caput, seu sensim cum ipso sanguine, arterioso præsertim, & spiritibus; seu confertim, ob causas externas validiores, potum vini nimium, iram, exercitationes &c. Eo delatus cumulatur, quia nec in nutrimentum absumi, 97. nec recurrere, nec vel, propter caloris debilitatem insensibiliter transpirare, vel propter cranii densitatem sensibiliter exsudare potest,

Curatur 1. [98] *Humoris serosi à cerebro evacuatione* [99] nullis præparantibus præmissis, Ea peragitur 1. [100] *Purgatione* humoris per hydragoga.

2. *Venæ sectione*, si febricula & fervor adest, quæ serum in caput movet, & si evacuatio consueta suppressa est.

3. [102] *Sudoriferorum* non calidorum, ut [103] *antimonii diaphoretici*, bezoardici *Lunaris*, *fumariæ* &c. exhibitione.

4. [104] *Diureticorum*, quæ lieni quoque prosunt, *propinatione*.

II. [105] *Intemperiei correctione* [106] per pulverem ossium humanorum, lotiones exsiccantes &c.

III. [107] *Diæta*, de qua vide Practicos.*

[93] *Serosa cerebri intemperies*) Præter sanguifiem *Serositates* plerumque copiosæ membranam in tumorem elevant, in ejusdem substantiam se insinuantes; aut exteriora, diutius tamen obsidentes, quod in hydrope dicta cerebri palam contingit: Sive enim intra cranium & duram meningem aquæ colligantur, sive intra duram potius & piam, humore alluente, membranam imbibi atque turgere oportet, ob id torpido incremento affici. *Molinetti Differt. c. 23. p. 109.*

[93] *Serosa Cerebri intemperies, à sero exsuperante*) *Marcellus Malpighius*, usum quem adscribit cerebro, ab eo qui hactenus ei attributus est, longe differentem; Vult enim dimidiam, aut saltem tertiam sanguinis alicujus animalis partem ad cerebrum deferri; neque tamen ibi consumi; Igitur subtilius sanguinis serum per medium exterioris partis percolari, & in cerebri fibras postea ingressum inde in nervos deduci; Hinc esse dicit cur caput sæpe aqua plenum reperiatur, quando cerebrum quodam vulnere læsum, aut alio morbo sit afflictum.

[93] *Serosa cerebri intemperies*) Modernorum quidam statuunt *Cacochymiam Serosam*, nempe communis excrementi & alimenti vehiculi, laticis scilicet aquosi, Hic ergo sive deficiat, unde vitiatur cæterorum fluidorum consistentia: sive nimis abundet, unde cætera fluida nimium fluorem obtinebunt, varii affectus inde oriuntur; Inprimis autem læditur corpus si vitioso sapore inquinetur, & acrimonia vel salsa, vel, quod pejus, simulque frequentius est, acida imprægnetur, exinde enim quamplurimi affectus urinarii, &, ex inquinata lympha glandularum, affectus catarrhales oriuntur, Nam omnes morbi, quos ex serosa colluvie oriri voluerunt *Piso*, *Schneiderus &c.* optime ex glandulis, ibique vitiata lympha deduci possunt. *Etmuller Fund. Med. nov. pag. 17.*

[94] *A sero exsuperante*) Videlicet *Lympha*, undique per vasa Lymphatica versus venam jugularem, axillaremve sinistram continuo mota & propulsa, & descendenti sanguini ad cor admista.

Hæc Lympha quoad *colorem* observatur *Aquea*, i. e. limpida, & coloris omnis expers, nisi quod ex *hepate prodeat subflava*, & nonnunquam prope Ductus sui in notatas venas insertionem observetur *subrutila* & quasi *subcruenta*.

2. Lymphæ *Sapor* observatus est non semel ad *levem aciditatem inclinans*, quod ex aliis quoque ipsius probatur effectibus, doloribus puta lancinantibus, quoties illa ex ruptis suis vasis effusa notatur, ut & ex remediis has ipsius noxas curantibus; *Mutari* potest hic *Lymphæ Sapor*, quando fit vel *Salsus muriaticus*, vel *acidior*, vel *austerus*, vel *dulcis*.

Quoties autem notatis modis *vitiatur Lymphæ Sapor*, toties læditur haud dubie Functio cui ipsa est dicata, quocirca indicabit eadem mutatio ipsius *Emendationem*, atque in statum naturalem deductionem aut reductionem.

iij. Quoad *calorem* aut *frigus*, quamvis omnes humores actu caleant in sanis, non videtur absurdum aliquos simul *frigere in ægris*, ac præsertim *Lympham*, ubi se habet p. n. Quoties proinde *frigida est Lympha*, h. e. quoties frigoris sensum producit in homine, toties indicat eadem sui *contemperationem*, ne amplius frigus pariat.

iv. Potest *Lympha* peccare *copia*, vel *aucta*, vel *diminuta*, sicque ipsius lædi actio; atque tunc indicat sui *Diminutionem* per hydragoga, vel hidrotica diureticave, Aut contra sui *Augmentum* per assumpta sub-acida.

v. Si quandoque sistatur in suo *motu* Lympha, quod fit præsertim in *obstructione* in uno vel pluribus ejus vasis p. n. existente, unde Actio ejus læditur, *Indicabit sui motus restitutionem*, partim tollendo impedimentum, Obstructionem; partim restituendo urgendoque ejus motionem, corporis motu, aut sudoris provocatione qualicunque, sic enim contenta omnia & fluida in homine aptissime ad motum naturalem deducuntur.

vj *Loca* Lymphæ naturalia sunt ejus vasa Lymphatica inde dicta, unde si unquam ex suis vasis ruptis effundatur ipsa in loca vicina, sitque *adeo extra suum locum*, inde erit eadem *removenda* per sudorifera aliave discutientia.

vij. Non putem facile Lympham posse in vasis suis amittere suam *Fluiditatem*, hoc tamen si forsan fiat, *Indicatur tunc ejusdem solutio*, atque ad fluiditatem pristinam reductio. *Sylvius Meth. Med. l. 1. c. 10.*

[95] *Dolore cum tensione*) Erodens dolor à serositatibus provenit, si non multæ spatia membranę minima repleant; Sensus enim gravitatis necessario consequitur copiosas, & acres minus, minusque tenues, aut magis extra positas. *Molinetti. in Differt.*

[96] *Derivatur ad caput*) Nam revera serum in capite non generatur, sed sensim in eo ob densitatem cranii colligitur: propagato videlicet sero ad caput per arterias potissimum, id quod intelligere est potissimum ex febricula, quam pulsus sitisque indicant, agitationem seri & fervorem in arteriis consequente ex alvi segnitie per seri in caput raptum. *C. apiso.*

[97] *Nec in nutrimentum absumi*) Aliter sentiunt non pauci è Neotericis, *Barbatus Tr. de sanguine & ejus Sero* p. 10. Didici, ait, ex ore *Golzadii*, in Antenoreo Palladio publice profitentis, Serum sanguinis non esse simplex alimenti vehiculum, ut opinabatur antiquitas, sed & ipsum nutrire, lento enim admotum igni concrescit, certissimum alimenti signum; cujus rei facto centies experimento, vidi semper serum ipsum, non modo leviter incrassari, sed agglutinari fierique membraneum, hincque illico conjectari sero sanguinis spermatica ali membra.

Videatur etiam publicata à *Bentio* Apologia pro circulatione sanguinis de duplici corporis alimento, *Glissonii & Warthoni* sententia: *Wedelius Physiol. Med. pag. 73.* Serum, *inquit*, & sanguis nutriunt, Natura vero impendit magis serum ad augmentum corporis, quando vero jam robur suum magis acquisivit, circa annos pubertatis, tunc id ipsum sensim ad productionem seminis impendit,

impendit, unde proportionaliter minuitur seri quantitas in sanguine, tantum retinens sibi quantum sufficit &c.

98. *Humoris serosi à cerebro vacuatione*) Hæc particularis seri purgatio omnino necessaria est, cū collectio ejus & proventus à causis necessariis & inevitabilibus importetur, nimirum necessarius omnino est & continens seri ex toto corpore in caput juxta atque sanguinis affluxus; pariter ejusdem è vasis exudatio, decursusque sequens, è capite toto in partes subditas, denique effervescentia ejusdem à mora in capite: Quia igitur harum causarum providentia à nobis haberi nequit, æquum est ut synathrismus seri in capite, plurimis symptomatibus excitandis par, continente & sensim facta seri evacuatione, quæ spontaneo ejus motui respondeat, omni arte arceatur, quæ vacuatio partim *sensibilis* esse potest, sive usu medicamentorum convenientium, sive manuum opera, ut per cauteria, vesicatoria, phœnigmos, sinapismos, & ejusmodi quæ ex alto aquam eliciunt; Partim *insensilis*, usu medicamentorum calidorum, sive exsiccantium, quæ assumi possunt aut exterius admoveri &c. *Car. Piso.*

99. *Nullis præparantibus præmissis*) Si quidem serum ex se satis fluidum est & sequax, atque lentoris omnis omnino expers, nulla haud dubie præparatione indigere videtur; si præsertim æger sobrius sit: In quibus tamen ventriculus & intestina, ob diætæ errores, scatent pituita, inutilis non fuerit *hydromelitis* per aliquot dies usus, in quo *melissa*, *hyssopus* vel *absynthium* incoxerint. *C. Piso.*

100. *Purgatione*) Quanquam si viæ naturæ, in repurgando sero familiaris, in genere habeatur ratio, purgatio per cutem aut renes, dejectioni quę per alvum fit videtur præferenda; nam ex instituto naturæ serum perfunctum munere vehiculi alimenti communis & elixationis ejusdem, partim ex utroque viscere per renes in vesicam distillat, & è corpore tandem excernitur, partim per cutem sub vaporis vel madoris sudorisve forma excluditur, tamen in quibus natura purgatio per alvum est familiaris & frequens, eam consuetudinem interrumpere religioni esse debet, Ergo singulis saltem interluniis ex usu erit Purgatio, ex hydragogis ea eligendo quæ purgando sero experientia utilia esse confirmavit, qualia sunt *agaricus*, *semen ebuli*, *carthami*, *mechoaca* &c.

Atqui quoniam per hyemem non solum redundat serum, quia cohibetur, sed introrsum vi ambientis quoq; pellitur, inde seri evacuatio, per alvum ab hydragogis concitata, hyberno tempore maxime est opportuna. *C. Piso.*

101. *Venæ sectione*) Quæri potest conveniat necne? Si corpus plethora laborat, non potest non prodesse, tum quia una cum sanguine pauco plurimum seri evacuatur, tum quia potissimum sanguinis fervor compescitur, cujus vi serosa in capite portio ebullit despumatque in caput: Tum & illa locum habet ordinariis naturæ vacuationibus subsistentibus, menstruo scilicet fluxu, & hæmorrhoidali, vel etiam ante usum balnei calidi, & diætæ sudoriferæ. *C. Piso.*

102. *Sudoriferorum*) Seri per cutem vacuandi ratio cum sit naturæ instituto valde congrua, maximam anni partem [illegible] potest; nam si hyemem excipias, ea vacuandi ratio quam in victus ratione indicavimus (vide inferius §[illegible]. *Diæta*) & quietis, in lecto atque stragulorū beneficio [illegible] potest, haud dubie fere toto anno promoveri potest; Sed quæ per sudorifica perficitur, & longè majores vires habet, ea verno tempore, autumnoque toto, imo ineunte æstate etiam usurpari potest, Apertis igitur poris à præmisso balneo, depositaque magna parte plenitudinis serosæ per universalia, sequentia certe decocta sudorifica facilius subibunt abdita quæque corporis, & reliquias seri discutient. *Piso.*

103. *Ut Antimonii diaphoretici*) Quod exhibetur in omnibus affectibus per sudores curandis, ubi calida & spirituosa usum non habent: Dosis à ℈ß. ad ℈j. Notandum autem quod si antimonium diutius aëri libero expositum fuerit, de novo sale quodam acri & volatili impregnatur, cujus ratione quandoque vomitus & secessus concitat; Hoc ut præcavens, singulis trimestribus *Antimonium* tuum crucibulo committito, & igni exponito quousque crucibulum candeat, in quo statu retine per quadrantem horæ: Ita per ignem expelluntur sales acres & volatiles quos ex aëre hauserat antimonium. *Maets collect. chym. Leyd. p. 25.*

104. *Diureticorum, qua lieni quoque prosunt*) Seri vacuatio naturæ congruenter per renes instituitur, ideoque omni tempore feliciter institui potest, quod naturam semper adjuvantem habeat: Commodum certe alterationi quoque, seu attemperationi viscerum, lienisque præsertim & sanguinis, quæ per medicamenta vulgo dicta alterantia fit, misceri potest, cum hæc quoque omni tempore sit perficienda; Itaque ex diureticis omnino eligenda quæcunque *Lieni amica* sunt, ejusque calidam intemperiem temperare possunt, v. g. *rad. cappar. cortex med. fraxini, sambuci, rad. eryngii* & *pæoniæ*, folia *melissæ, cardui*, *capill. ven. bugl. borrag. beton. agrimon. summitates cuscutæ, agrimoniæ, sem. dauci, pæon. angel. cortex mali citrii* &c. quæ quoque probantur in hystericis affectibus: Ex his vel decoctio, vel opiatæ, vel tabellæ, pro gustu ægrotantium possunt concinnari. *C. Piso.*

105. *Intemperiei correctione*) Addit *C. Piso* viscerum, ac præsertim lienis (*quem præcipuum seri fontem statuit*) reductionem ad mediocrem temperaturam; h. e. correctionem caloris, serum omne affatim, & magis quam par est, elixato jam alimento externo, attrahentis & exsugentis: hanc enim, *ait p. m. 199.* ob causam unicam, crediderim serum plurimum abundare in corporibus calidis & siccis ac æstuosis: cujus indicium alvus semper dura iis familiaris, ab immoderata seri omnis è ventriculo & intestinis exuctione.

106. *Per Pulverem ossium humanorum*) Pulveres *è gemmis*, sicut & *perdicis stercus, pavonis*, & *cranii humani*, quia ebibunt absorbentque superfluam in corpore humiditatem, non improbantur à me. *C. Piso.*

107. *Diæta*) Ratio victus inprimis sicca esse debet, & ad frigus potius inclinare quam calorem: Siccam intelligo, non quæ in alimentis qualitatem siccam desideret, ut sunt carnes salitæ, & terrestris maxime generis, ut sunt *bubula*, venaticæ, & maxime legumina omnis generis &c. sed siccam penes substantiæ modum, scil. tum eam quæ parco potu, parcoque usu rerum liquidarum contenta sit, tum quæ plus humidi solidioris & nutritii quam aquosi sufficiat substituatque, quo in genere sunt carnes adultiorum animalium, tum vero aves montanæ &c. A fructibus potissimum horariis, præsertim pyris & pomis abstinendum, vel saltem parcissime utendum, quia hæc serosam plurimum augent & flatussam colluviem: Passulæ & ficus gratissimam vicem omnium & saluberrimam gerent.

Sed magnum ad corporis incolumitatem retinendam momentum in ejusdem exercitatione positum est, Vere namque ab *Hippocrate* positum est 1. de *Diæta*, *Necesse est quisquis cibo potuque utitur, eum ægrotare, si victui convenientem non adjungat corporis exercitationem*, Per eam namque serosa omnis in toto & capite colluvies, vel sensibiliter evacuatur sub sudoris forma; vel certe atteritur sine sensu, si præsertim pertinax est & quotidiana.

Neque negligenda vestitus ratio, quæ maxime institui debet ad raritatem texturæ servandam, cujus scil. beneficio sensim sine sensu colluvies serosa vacuari potest, atque ejus collectio impediri; Ergo benedicto q

corpore semper incedendum, vestes pelliceas, calidas quippe & leves induendo; de nocte culcitris plumeis subtus superque stratis indormiendo, præsertim hyeme, ita enim calefacto corporis habitu, porisque ejus apertis, aut sudor erumpet, aut certe vapor omnis aqueus tenues in auras facesset, præsertim sub secundum somnum: Qua de causa quieti in lecto tempus aliquod dare non erit religioni, saltem verno tempore & autumnali, opportuniore scilicet sudoribus movendis temporis constitutione rum existente: Quos sudores etiam aliquatenus promovebunt, certe insensilem transpirationem universi corporis, *Frictiones* eæque longæ & quotidianæ.

Quod spectat *capitis vestitum*, à pannis coccineis obstruendum, quibus quippe adstringendi poros curis vis inest, ideoque insalubritas; Bibula potius charta & crassa substituatur iis, & quotidie nova insternatur. *C. Piso. p. m.* 201.

V. [1] *Melancholica* cerebri intemperies, [2] quæ à melancholia præternaturali fit.

Cognoscitur ex deliriis cum timore & mœstitia, dolore sinistræ præcipue partis, ab hora nona diei ad tertiam noctis, somniis & visis turbulentis, repentina interdum motus amissione, in qua ægri malis apertis fixo obtutu res aspiciunt.

Oritur [3] à causis melancholiam procreantibus, *Curatio* est facilis ab initio.

Peragitur I. Humoris *melancholici*, purgatis primis viis, [4] repetita *præparatione*, [5] per calefacientia & humectantia, inter quæ [6] Syrupus *de pomis* præstat.

II. Ejusdem, per [7] potiones purgantes, primo lenes, post fortiores, ([8] *lapis lazuli* laudatur) additis humectantibus, evacuatione; quam evacuatio per Errhina & alia insequi debet.

III. *Cerebri* per [9] *Confect. Alkermes* & [10] alia [11] *roboratione*.

IV. *Diæta*, in qua acetum, quod melancholiam fermentat, vitandum.

Dividitur in illam, quæ est [12] *per essentiam*, in [13] qua & cephalicæ sinistri brachii sectio copiosa, si niger sit sanguis, paucissima, si purus, habet locum: & illam quæ vel à [14] *mensium* vel *hæmorrhoidum* suppressione oritur; in qua revulsio, & venæ in talo sectio, locum habet.

[1] *Melancholica cerebri intemperies*) Quæ frigida & sicca censetur; at frigiditas non diu durat quin sibi accersat humiditatem, & quamvis interdum humori melancholico copulata sit, raro tamen ille humor in cerebro gignitur, quemadmodum pituita, sed in hypochondriis utplurimum cumulatur, & ad cerebrum transmittitur, in eoque gravissima producit symptomata. *Riverius Pr. l. 1. c. 1.*

[2] *Quæ à melancholia præternaturali*) Melancholiam, seu atrum & nigricantem humorem, prout à nonnullis, vel veteribus ipsis, vel male intelligentibus eosdem, asseritur, in corpore, inprimis vero liene, naturaliter non dari constat, Nullum enim ejus rei vestigium, uti nec ullam melancholiam in corpore statui debere vel posse, quam humorem serosum fixiorem, acidiorem, deturpatum statuimus. *Wedelius Physiol. Med. sect. 3. c. 20.*

Melancholia humor est crassior, frigidus, & siccus, niger & acerbus; Refertissimi sunt de hoc humore veterum libri, quos hodie haud pauci sequuntur, qui in viscerum obstructionibus gravioribus, lienis inprimis, mesenterii, aliarumque partium glandulosarum tumoribus durioribus, præter humores fæculentos, melancholicos, nihil quicquam accusant; Equidem humorem ejusmodi, qualem modo è veterum nonnullorum mente descripsimus, *alimentarium*, in corpore nostro monstrare res difficultatis plena.

Obstructiones & Tumores scirrhosos naturam redolere terrestrem, & materiæ tartareæ fæculentæ sæpius esse [illegible], non imus inficias, Juxta tamen putamus, coagulum hæc potius, partiumque salinarum fixarum & terrestrium redundantiam ac restitantiam arguere, quæ ipsæ cæteris cruoris partibus crassiores existentes, postque concoctionem subsidentes, melancholiæ veterum forte respondere possunt, siquidem & illæ, propter spiritus & sulphuris inopiam, salis contra & terræ copiam, acerbe deprehenduntur: Sunt qui non incongrue melancholiæ veterum excrementitiæ substituunt *succum Pancreaticum*, de quo videatur accuratissime differens *Regnerus de Graaf. Joh. Jacob. Harderus Prodr. Physiolog. c. 3.*

Succum Pancreaticum, sive *melancholicum* examinabimus 1. quoad ejus *Saporem*, qui secundum naturam mihi hactenus creditus est *Subacidus*, i. e. ad Aciditatem gratam vergens &c. multifarie illum posse vitiari effecta quotidie apparent in Praxi, ex qua potissimum possunt peti ejus quovis modo affecti argumenta & signa, Argumenta, inquam, nobis exhibet praxis Medica, tum ex *Humorum vomitu, aut per alvum extreorum odore*, atque ibi *sapore* quoque tum *ex symptomatibus multifariis* ex humoribus ad tenue intestinum confluentibus ortis tum ex *remediis* multifariis affectus inde ortos curantibus, ed humores peccantes corrigentibus & vacuantibus.

Cum enim constet ad tenue Intestinum nihil ex cæteris corporis partibus confluere præter dictum succum Pancreaticum, Bilem ac Pituitam, ex Saliva & muco forsan oriundam: Constet quoque Bilem amaram existere, ac semper talem gustari; Saliva vero & succus nullum saporem habeant notabilem, nec nisi raro illum sponte habeant mutatum; quin illis hactenus minime mutatis contingant tamen vomitus humorum magis ac minus acidorum, ut & salsorum muriaticorum, vel acido salsorum, vel austerorum, ut & ex amaro & eis notatis mistorum, utique non male concludimus *Sapores hos vinosos & diversos adscribendos succo Pancreatico* variis modis mutato & vitiato.

Quoties igitur ex vomitu excreti humoris Sapore, aut symptomate ægros torquente, concluditur succus Pancreaticus naturali *Acidior* & *Acrior*, toties indicat sui *correctionem*, *Aciditatisque auctæ diminutionem*.

Quoties idem succus censetur *minus Acidus*, vel etiam *insipidus*, toties idem *Indicat sua aciditatis* augmentum vel liberationem, prout aut deficere potest in corpore Acidum, vel nimium frangi, aut concentrari.

Quoties idem succus existit *salsus muriaticus*, & hactenus ex parte fractus, qualis familiaris esse videtur Scorbuticis, & plerisque forsan paludosa loca incolentibus, toties idem *Indicat sua salsuginis muriaticæ correctionem*.

Quoties idem observatur *acido salsus*, h. e. in quo manifesta sunt aciditatis excedentis, & salsedinis muriaticæ indicia,

Indicia, toties utriusque qualitatis peccantis *correctionem ac emendationem indicat.*

Si quis miretur me utramque hanc in succo pancreatico qualitatem, *Acidam & Salso-muriaticam* simul peccantem culpare, rogo ipsum si quando laboraverit *coryza*, in qua humor valde acer effluens è naribus vicinam faciei cutim multum rodat, ut illum humorem gustet, observabit namque ipsum esse tum salsum muriaticum, tum acidum & quidem manifeste.

Quoties idem humor deprehenditur *Austerus* & *Acerbus*, toties idem *indicat* hujus suæ *austeritatis correctionem* ac *emendationem.*

Idem *succus* ij. nonnunquam peccat vel *copia nimia*, tunc indicat *sui diminutionem*, partim per ipsum educentia, partim per abstinentiam eorum quæ ipsum fovere solent; Vel *deficiente*, quæ *augmentum indicat*, per usum eorum quæ ipsum frequentiorem abundantioremve reddunt.

iij. Peccat Succus Pancreaticus *Motu*, quando is existit *Lentior*, aut ea parte saltem in totum *subsistens*, aut etiam *assurgit sursum* ad ventriculum, *Lentior motus* vel *Glutinositatis* auctæ, vel *Acrimoniæ* magnæ debitus, indicat sui *Promotionem*, tum glutinositatis emendatione, tum Acrimoniæ correctione: *Sublatus* ex parte ipsius motus, propter ductuum quorundam obstructionem, *Indicat sui restitutionem per obstructionis sublationem*; *Perversus* succi hujus *motus ad ventriculum*, *indicat sui ad intestinum reductionem*; per medicamenta ipsum deorsum deducentia.

iv. *Loco* peccat succus Pancreaticus, quando *in ventriculo* reperitur, *è quo removendus.*

v. *Fluiditas ejus mutata* propter glutinositatem magnam ipsi accedentem, indicat *Fluiditatis suæ restitutionem* ac reparationem. *Franc. Sylvius m.m. lib.1.c.8.*

3 *A causis melancholiam procreantibus*) Vide *supra* §. *Alia est ab humoribus & hac est vel sanguinea, biliosa &c.*)

4 *Repetita præparatione per calefacientia & humectantia*) Recreatur humidis in primo ordine, quæ in secundum gradum excurrunt; ut *cichoracea, viola, rosa, nymphæa, lactuca, semina frigida, ptisana, borrago, bugloss. lac & aphrogala, poma dulacida, passula, pruna, farina hordei ex lacte: Seminis malvæ* ʒij. inquit *Aretæus* interdum potatæ, *aqua lactucæ & succus malvæ* ad ℥vj. potus.

Conservæ *fol. lactucæ, satyrionis, violar. nymph. rosar.*

Huc pertinent *somnifera*, ut *lactuca* à cœna comesta, lac *amygdal.* cum *semin. frigid emulsione, & papav. ex aqua lactucæ, Syr. papav.* cum pauco *Philon. & aqua lactucæ, Infusa* in quibus coxere *capita papav. sem. lactucæ & semina frigida, viola, nymphæa, Requies Nic.* ʒj. remisce cum *aqua lactucæ & nymph.* āā. ℥j

Melancholia extra venas effusa in caput si admodum frigida fuerit, utemur *melissa, satureia, euphragia, sampsucho, betonica, verbena, meliloto, fumaria, scordio, caryophyllata, semine anisi, flor. sambuci, nuce myristica, angelica, cinnamom. caryoph. epithym. & ejus syrupo: Dianthos, pleres archon, manus Christi, diacyminum, aromat. rosat. diamargar. frig. diagalanga* cum conservis humidis, ut *violar. borrag.*

O *cynum caryophyll. flores cordial. rosata novella*, & fere cuncta ejusmodi quæ sine insigni fervore mœstitiam adimunt: Cuncta quæ absque fervore insigni lætitiam afflant, *syr. cortic. citrior. melissa*, quæ odore recreat spiritus, ac styptica quadam vi robur visceribus afflat, ac leptomena pervadit ad nobiles partes: *Thymus* haustus pondere ʒij cum *oxymel.* &c.

Apozemati bibant atoma ex *nuce myristica*, vel guttulæ aliquæ *olei nuc.* myristicæ misceantur.

℞. *rad. borrag. bugl.* āā. ℥iß.
flor. flach. bugl. card. b. epith. āā. m. j.
sem. anis. ʒß. *hordei m.* ℥j.
passul. mund. ℥iß.
coq. in decenti copia aqu. bugl. & beton. ad ℔j.
In fine cocturæ adde parum *vini*, in quo macerata sit *nux mosch.* colat. adde *syr. de flach. & de epith.* āā. ℥iß. F. Apozema. *Heurnius Meth. ad Pr. l. 2. p. m. 171.*

5 *Præparatione per calefacientia*) *Acidum* in genere (*melancholicum succum*) corrigunt 1. Omnia urinosa, seu alkalia tam fixa, ut *sal card. bened. absinth.* quam volatilia, *spiritus salis Armoniaci*, cochleariæ &c.

2. Omnia concreta terrea & metallica, istud absorbentia, aut potius invertentia, ut *Martialia, Saturnina, corallia* &c.

3. Sicut etiam partes animalium duræ, osseæ, Item marina, acidum peccans pariter corrigere solent, ut *lapilli cancrorum, ebur.* &c.

4. Oleosa & pinguia, quæ obtundunt, & quasi inviscant aculeos acidi, sive sint expressa, sive, quod est melius, destillata, *Spiritus vini, oleum caryophyll. macis*, quo & *castorina*, & *camphorata* pertinent. *Ettmuller.*

6 *Syrupus de pomis præstat*) Cor imbecillum roborat, syncopen & cordis palpitationem juvat, ac omnibus cordis affectibus ab atra bile succurrit. Ventriculum firmat, sitim sedat, febribusque biliosis auxiliatur, cor & facultates ejus omnes sopitas excitat, ac lætitiam inducit. *Zwelfer. Pharm. p. m. 69.*

7 *Potiones purgantes*) Valet *Decoctum rad. fænic. petrosel. cappar. et liquir. cortic. tamarisci, epithymi, fumar. scolop. flor. borrag. bugl. violar. uvar. pass. prun. Damasc. polypod. senna myrobal. emblic. Indor.* addita *diasenna, cassia.*

Dilutum *fol. Sennæ* atq; *epithymi* mirifice conducunt.

Conf. *Hamech, Hiera Diacolocynth. Logadii.*

Dia*senna Nic. Pilula Inda, de lap. lazuli.*

Lapis Arm. cyaneus polypod. epith. senna, myrobal. cheb. Ind. ellebor. niger.

Elleborismus Matthioli.

A lenioribus auspicandum, purgandumq; rarius, cum plus æquo exsiccare calefacereq; possint purgantia, Eritque per intervalla vacuanda materia, ut natura relevetur, idq; duobus aut tribus diebus postquam æger sanguinem miserit: Semper autem Medicinis solutivis humectantia permiscebuntur, & quæ corroborare possunt partes principes & spiritus. *Gu. Bruele Pr. p. m. 28.*

8 *Lapis lazuli*) Viribus convenit cum lapide *Armenio*, sed imbecillius eas exercet, Purgandi facultate præditus est, præcipue contra melancholicos omnes affectus, quartanam, apoplexiam, morbum comitialem, splenis vitia, aliosq; complicatos à melancholico succo originem ducentes: Dosis ℈j. in polline subtilissimo. *Schroderus.*

9 *Per confectionem alkermes*) Quæ cor ac vitales vires valde roborat, ob id syncopen & cordis palpitationes pellit, *Cerebro* quoq; ac animali facultati languidæ eximie succurrit; nec non ab apoplexia præservat: Datur melancholicis, mœstis, tædio & squalore confectis, sponte illacrymantibus, meticulosis ac tristibus lætitiam namque tum hilaritatem parit, atq; animum gaudio reficit. *Pharmac. August. Cl. 14.*

10 *Roboratione*) Notandum sæpe promiscue nominari *Alterantia & confortantia*, licet illa magis temperiem, hæc actionem & [illegible] visceris respiciant, alia [illegible] dicans ergo *cephalica* medicamenta primario *temperiei alterata*, secundario etiam conformatio, ut in hydrocephalo, apoplexia, paralysi &c & ipsa etiam *soluta unitas*, nam & in his temperiem vitiari certum est, unde [illegible] hæc paulo latius sumitur.

Cum vero non sufficiat credere Cephalica, aliave similia medicamenta esse quæ occulta proprietate cerebrum respiciunt, seu ea proprietate similitudinis cum calore nativo Cerebri conveniant, altius eorum agendi vis repetenda.

Cephalica itaque vel respiciunt 1. *membranas ac nervos*, eorumque irritationem ac tensionem. &c.

Vel 2. respiciunt *humores*, inprimis *lympham ac serum*, unaque spiritus ac vapores seu halitus tenues &c.

Vel 3. *spiritus*, qui *deficientes* postulant *restaurantia balsamica volatilia*, oleosa, in specie *ambram, aquas apoplecticas* &c.

Enormes vero *excedentes*, æstuantesque, & efferatos temperant humectantia serumque restituentia,, rarefactionem inhibentia, *acidas*, evaporationem promoventia, *nitrosa*, ligantia, *opiata*.

Vel 4. *vapores*, seu *halitus*. quos *excessivos*, *peregrinos*, quatenus halituosior sanguis, seu sulphure peregrino infectus, ut in ebriis, turbulentos reddit spiritus, corrigunt tum blanda aromatica & roborantia, qualia vulgo appellantur, evaporationes ad caput elevandas prohibentia, & discutientia, *coriandrum*, *pulveres peptici*, quæ ὀχολωεῖν præstant, tum *acida*, quæ humores sulphureos biliosos obtundunt, ut in ebrietate.

Deficientes eosdem, seu ἀναθυμιάσεις vapores roscidos (quod tamen omne sero qualitatibus hisce imbuto rectius attribuitur) restituunt tum *humectantia*, tum *halituosum sanguinem generantia*, *blanda aromatica*, unde, experientia teste, vigiliis senū non tam sola opiata, non refrigerantia sed suavia evaporantia, sulphure oleoso pollentia conveniunt, uti sunt *species diambra*, *diamoschi*, *vinum ipsum*, quo novimus quosdam feliciter usos, ut nempe & serum sibi constet, & sulphure resolubili polleat.

Vel 5. respiciunt Cephalica *cerebri ipsius* poros (vide infra caput de Angustia cerebri.)

Quoad materiam horum ipsam, hisce applicandam regulis, cum in genere vel ad instaurandum calidum innatum cerebri, vel temperandum faciant, edisseremus eam sub *volatilium*, *fixorum*, & *mediorum* titulo.

Volatilia cephalica sunt 1. *sulphure oleoso*, *aromatico*, *suavi pollentia*, uno verbo balsamica; herbæ & radices *angelicæ*, *caryophyllata*, *fol. rorismar. majoran. salv. ruta lignum sassafras* &c. Horum *spiritus*, *olea*, *salia volatilia oleosa*; suntque hæc simul paregorica, & membranas irritatas demulcent, ac spiritus deficientes restituunt, halitus vero corrigunt, poros dilatant.

2. *Urinosa volatilia*, *spir. salis armon.* laudatissimus, *spiritus urinæ*.

3. Acida *volatilia*, *spir. vitrioli cephalicus*, *fixatus*, *aqua apoplect. mul.*

Fixa sunt, vel *terrea*, *perla*, *corallia*, *cinnabaris*, Ex compositis, *Pulvis epilept. March.* vel *acida*, vel *nitrosa*, vel *aquea diluentia*, Et hæc usum habent ad absorbendos & diluendos humores acres irritantes membranas, spiritus efferatos ligandos, sopiendos & demulcendos, potisque, quatenus acorem absorbent, libertatem conciliandam.

Media ex his mixta sunt varia.

Externa sunt, vel *humectantia*, & serum restituentia, ut in *melancholia*, ubi v. g. *decoctum fol. lactuca* in usu est, vel partium tenuium penetrantia, vel refrigerantia & repellentia, vel discutientia, & evacuantia, ut sternutatoria &c. *Wedelius de fun. Fac. p.* 80.

[11] *Diæta*) Sint succi plena *alimenta*, caro vitulina, nam ea madet; *Venus* hic profligetur; Accipiat mane tria *ova sorbilia* cum *sacch. croco. thymo*, *epithymo*, *cinnamomo*, hæc in pulverem redacta injiciantur; Id agat per plurimos dies, & *jusculа* bibat, in quibus ocymum *caryophyll. flor. cordial. vinum salviatum*, *rosmarites*, *borraginatum*, & cætera talia, radix *scorzonera*, vel succus potius: *Aër* sit lucidus & humidus in reliquis temperatus, id fit per vaporem decocti *malva* & *violar.* sint *odores* grati, sed blandi. *Heurnius*.

[12] *Per essentiam &c.*) Materia melancholica alia est spuria, alia legitima; *Spuria* tantum est melancholica ratione *nigredinis*, & generatur à causa refrigerante, quia, inquit *Galenus c. 2. lib. 3. de c. sympt.* partes luminosæ & diaphanæ exprimuntur, ut sanguis magis reddatur opacus; Hæc autem causa refrigerans si pertineat ad caput, fit *Melancholia per essentiam*; ad quam respiciens *cap. 7. lib 3. de loc. aff.* ait Melancholiam per essentiam fieri è solicitudinibus, è mœstitia, cum vigiliis; nam ex his caput refrigerari potest, Si autem frigiditas spectet ad partes infra caput, tunc fit melancholia per consensum à toto, repleto sanguine nigricante.

Materia melancholica *exquisita* secundum *Galenum c. 9. lib. 3 de lib. aff.* producitur vitio vel *alimenti* vel *Agentis*, *Alimenti*, ut si quis alatur *carnibus suillis*, *pane farfaraceo* &c. *Agentis*, dum calor est intensus, ut dissipatis partibus tenuioribus materia reddatur crassa & nigra, unde *Galenus* loc. cit. ait melancholiam per morbos febriles generari.

Porro hic calor intensus viget vel in capite, vel in partibus infra caput; Si in capite fit melancholia *per essentiam*, nam *c. 7. lib. 3. de lib. aff.* caput ante affectum melancholicum si detineatur calida aliqua dispositione, ut inflammatione, phrenitide &c. generat materiam frigidam & siccam; à qua postea ipsum quoque caput frigidum & siccum evadit: Caput igitur ante morbum fuit calidum, sequente morbo fit frigidum.

Si calor vigeat infra caput, potest esse *Hepar*, quod si generet melancholiam copiosam, hæc toti per venas impertitur, unde fit melancholia per consensum à toto &c. Quoad reliquas partes abdominis, ea concurrunt suo calore, qua intensus est redditus propter obstructionem & angustiam, unde hæ partes inflammatione velut affici videntur. *Capivaccius pr. l. 1. c.* 10.

[13] *In qua & cephalica*) Venæ medianæ sectio fiat ab initio si universum corpus sanguine abundet melancholico, secundum virium abundantiā tolerantiam: Si mediana non appareat, commode malleoli talive venam secabimus, in quibus menstrua suppressa sunt, aut ubi hæmorrhoides suppressæ: Si cerebri fiat vitio, nec tam necessaria erit V. S. nisi forte aliis non curetur, tunc enim cephalica secabitur, quo facto si adhuc perlistat malum, etiam vena frontis aperietur. *Bruele*.

[14] *Mensium vel hæmorrhoidum*) Causæ detinentes secundum *Galenum cap. 10. lib. 2. ad Glauc.* pertinent ad melancholiam per consensum à toto, quatenus vi harum causarum in venis totius corporis colligitur materiā melancholica: Unde causa interna potest esse *Lienis* vitium, ut vel non attrahat excrementum melancholicum, vel non suscipiat, vel non expellat: Non attrahit si sit frigidius; non suscipit si afficiatur tumore vel angustia; Non expellit ob frigiditatem, ob angustiam, & præsertim in mulieribus generantibus sanguinem melancholicum, Causæ externæ sunt causæ adstringentes: Huc facit *consueta vacuatio suppressa ut hæmorrhoidum*, *uteri*. *Capivaccius*.

VI. [15] *Atrabilaris* cerebri intemperies oritur [16] ab atra bile, *Cognoscitur* ex vigiliis & delirio &c.

Oritur à causis melancholicum succum suppeditantibus, eundemque exurentibus; viscerum fervor hic plurimum potest.

[17] *Curatio*

Curatio [17] est difficilis, quia nimium à cerebri temperie recedit, in senibus inprimis, non ità in juvenibus & media ætate.

Perficitur I. *Repetita* per refrigerantia & humectantia, [18] evacuatione primarum viarum, præmissa [19] *præparatione*: Compositum *Cachunde*, de quo videndus in Historia Zacutus Lusitanus, hic locum habet.

II. *Repetita* atræ bilis per medicamenta melanagoga humidis permista, item [20] particulariter cerebrum purgantia, [21] *Evacuatione*.

III. Per [22] *Topica* & balnea aquæ dulcis *digestione*, Si non cedit, serum lactis cum antimelancholicis humectantibus propinetur.

Dividitur, I. In illam quæ est [23] *per Essentiam*, ubi cephalicæ vel basilicæ communis sectio locum habet; Et illam, quæ à *mensium* vel *hæmorrhoidum* suppressione; de qua superius.

II. In illam, quæ est à [24] *sanguine* adusto, in qua ægri ad risum sunt proclives, [25] Venæ sectione curatur, quæ à [26] *bile flava*, in qua delirium ferinum & iracundia viget, & eam quæ ab [27] *humore melancholico*, in qua mœstitia & taciturnitas, vel hac rupta, loquacitas dominatur &c.

15. *Atrabilaria cerebri intemperies*) Huc refert caput de Melancholia à bile adusta, & caput de Insania seu Mania.

16. *Ab atra bile, cognoscitur*) Omnium acerrima Insania venit à retorrida bile flava, quæ jam in atturem commigrat; hæc immanibus ausis omnia plena, jactatio, vociferatio, omnia truculenta & temeraria. *Heurnius*.

17. *Curatio est difficilis*) *Galenus 6. aph.* 21. asserit *maniam inde enatam* periculi plenam esse, sed non affirmat omnino lethalem: *Abenzoar* author est hos diem obire cum ad aquæ fugam devenerint: Animadvertendum, quod cum ultro, hoc est in crisis vacuitate, & medicamentosa absque molitione furor placatur, nec anni clementia sedetur, infida hæc pax erit; Nonnullos siquidem, qui penitus morbo defuncti videbantur, aut vernans tempus, cum fabæ florent, aut susque deque inita vitæ ratio, vel ira aliquo eventu proritata, denuo in furorem provocavit: Et ij qui hoc morbo olim tacti fuere facile in eundem reciduot:| Promti etiam in maniam sunt qui facile in cachinnos se solventes præpropere in iram ruunt, attamen quæ cum risu evenit minus periculi gerit.

Si fuerit ex *idiopathia cerebri*, quæ inveteravit curationis est expers, nam per sympathiam antiquata curatur.

Crisin suam interdum habet, scribit enim summus Præceptor 7. *aph.* 5. *A furore dysenteria aut hydrops, aut ecstasis, bonum*, Nimium quod diadosi fiant illa priora, ultima autem crisi, Quod si crisis non fiat, pharmaco opus erit.

Varix etiam bonis ægri rebus supervenit: Est autem *Varix*, hiatus apertæ in coxendicibus & tibiis venæ, à sanguine melancholescente, quem natura in partes repellit ignobiliores; qui humor furorem committebat; cum vero maxime cum crassus fuerit & melancholescens varices affert, & mentem laxat; hoc modo *Schenckius* narrat vicinum suum ahenarium è valida insania evasisse.

Hæmorrhoidum effusio salutariter etiam his evenit: ita si alvus liberius etiam feratur nigris, aut si atra vomat æger, Quin sufi *menses* effundere morbum solent. *Heurnius*.

18. *Evacuatione primarum viarum*) Ut prima liberetur alvus sumat *cassiam cum tamarindorum pulpa*, vel *diacatholicum*, vel molli utantur clysmate. *Heurnius*.

Primas vero in hoc affectu tenet *Cassia catholicum* Neque enim, ut plerisque visum est, *cassia* ideo alvum solvit quia mollis est & lubrica, sed quia peculiari dote purgatoria pollet, quautramque bilem & pituitam crassam, non ex intestinis tantum & primis venis, sed etiam à toto infimo ventre, copiosam detrahit; maxime ubi peculiaris ejus præparatio antecessit: Ea ergo atrabilarios frequenter uti expedit, vel sola, vel *rhabarbaro* mixta, melancholicis enim omnibus commodissima est, quia viscera humectat, & refrigerat, & atræ bilis ferociam ac ferinam qualitatem demulcet: Quod si non satis efficaciter purget, utilissime infusum purgatorium, comparatum ex *foliis sennæ* superbibatur. *Enchirid. Med. Pr. p.* 233.

19. *Præparatione*) Præparabimus ad exclusionem ferocem morbi materiam, si ferocia ægrorum id admiserit, Temperetur itaque fervor sanguinis refrigerando & humectandu ejus acrimoniam: Utemur *decocto hordei, capillor. ven. summ. malvæ*, Ita vel *aquis farfara, melon & cucurbitar. buglossi, acetosa, fumar, lupulorum*, quid immacerantes *melissa, scolopendi violar. nymph. rosarum, endiv. cichor. tamarisci*: *Decocti misceantur passulæ, pruna, tamarindos, sem frigida*, His mox junge *syr. endiviæ, fumar, borrag. violar. nymph. epithymi*, Optimus est *syrupus de pomis R. Sabor, vel syr. de succo cucurb* Dantur etiam bene syrupi cum *sero capillo*: Non opus est cuncta conjiciamur simul, ut male hodie fit, sed 3. vel 4. res suffecerit coxisse, aut si tenuioris sint substantiæ, infudisse ac macerasse, mox libræ liquoris addidisse syrupi alicujus ℥iij.

Remedia præparantia scripsi, sed ad usum ducantur ut suadet causa morbi; nam si uredine fuerit bilis torrida, maxime utemur ex his jam præscripos quę fervorem extinguunt & madefaciunt, qualis est *nymphæa syrupus*, cum aqua cucurbitæ & *solani*: Sin putrescat *melancholia*, ea quæ putredinem castigant locum habebant, ut *melissa*: si biliosa, detur *aqua boraginis* cum *syrupo boraginis*, Ita ubique prudenter transigendum.

Si hac prudentia mitescat efferus succus, placidius pharmaco cedet, & edomitus mentem fatigare desinet, cerebri temperie redintegrata. *Heurnius*.

20. *Particulariter cerebrum*) *Avicenna* pertundit *venam linguæ*; non tamen id agit ad totius exhaustionem, sed capitis, nec in qualibet mania, sed in ea in qua in vitio est sanguinis copia quæ cerebrum obsidet: Si itaq; caput plethoram non habeat; à lingua abstinebimus: Ita *narium venas* stimulabimus, & frontis secabimus, & hirudines capiti admovebimus; hæ enim quæ foris est materiam exhauriunt, ut vena ibi secta quæ intus sunt elicit, *Avicenna* authore. *Heurnius*.

20. *Particulariter cerebrum purgantia*) Cum provisio habita est totius corporis, pergemus ad ea quæ caput evacuant, *Trallianus* capiti tepidam admovet dum æger in Balneo est, Quin & per *os* & *nares* materia proliciatur, & id magnis pharmacis: *Aëtius helleborum* cum *lacte*, & *elaterium* naribus imponebat, nam ferox materia citra cunctationem deponenda est.

Laudandum est & *cauterium* adhuc urens, suturæ coronali immissum, ubi cum sagittali committitur, Osse denudato de eo particula dematur, nec ante menstruum spatium sese locus consociet ab enata carne. *Idem.*

21. *Evacuatione*) Post unius aut alterius præparantis potus usum, purga, quo fermentum inquinans sanguinem exigatur: si fit ab *usta bile* propinetur *confectio Hamech* cum *sero caprillo*, in quo ebulliat *epithymum*, *senna*, *myrobal. cum flor. buglossi*; vel exhibe *Elect. de psyllio*, *triapheram Persicam.*

In *biliosa* autem *materia*, utemur *cassia*, *manna & rhabarb. tamarind. myrobal.* in decoctis &c. omnibus his confert *diacatholic. Elect. lenit. fumar. lupuli. myrobal.*

Si fit à *putrida melancholia*, immacera *sero lactis fol. sena epith. & myrobal.* colat. adde *syr. rosf. lax. vel violar.* Sin bilescat una materia, infundes *rhabarb.* & diluto addes quid *Elect.* de *succo rosar.* Ita etiam si ab *assata* fuerit *melancholia*, junges *flor. buglossi*, *violarumque syr.* vel de *pomis.*

Cælius Aurelianus in contumaci malo (contumax enim ex melancholia usta) utitur *helleboro albo*, & sæpe, quin & *Q. Horatianus* præcipit ut sæpius, *Vomant*, qui & *helleborum* admittit, Nos felicissime utimur cotidie nostro *præparato helleboro albo.*

Si non facile vomant, utemur *extracto hellebori nigri*, cui quid addi potest *Elect. rosar. & dacrydii* si ab usta bile insaniant, vel quid *Hamech*, si à retorrida melancholia: Ita Regis Archivorum *Præti* filiæ, quæ se boves esse credebant, à *Melampode* curatæ fuere: Quare antiquissimus est hujus remedii usus: Fugito ergo nova remedia, quæ turbant & non vacuant quod decet.

Modeste tamen quantum licet, & sæpius purgare præstat, Itaque non confestim purga, ne fiat laboris plena purgatio, sed sensim si licet, Et sint, quantum res admittit, benigna purgantia: Quin semper adjice humectantia & lenientia, præstant hic siccis humida: Ultimo id cura ut roborantia quædam *purgantibus* semper accedant, *Heurnius.*

21. *Evacuatione*) Licebit & per *urinalia remedia* tandem evacuare; accipiemus Emulsionem *semin. melon.* factam ex *aqua hordei*, in qua coxere *semen & radix fænic. & rad. vitis alba* ʒiß.

Et *sudorifica* hic locum habent, nam *Balneum suavis aqua* mire celebratur à *Galeno*, nam ab apertis poris materiam exhaurit morbificam. *Idem.*

22. *Per Topica*) Foris impositis remediis auxiliandum, à vena secta, cucurbitis, hirudinibus; Si *flava bilis* author morbi fuerit, ea reprimatur, admove *oleum rosf. omphac.*

℞. *caphura* ʒj.
liquescat in vino ut lactescat, his conquassa album. ovor. cum aqu. rosar. cochl. ij.
& aceti rosf. capiti cum stuppa imponantur.

Si causam ducat à retorrida bile, unaque, ut fit, vigiliæ premant, granum *opii*, & aliquid *mandragora*, liquescant in *oleo violat. & nymph.* cum pauco *succo de citreis.*

Laudarem etiam cordi admoveri frigidum unguentum, ubi usta bilis ferocit, nam ita irasci ac furore incandescere sine flammeo cordis calore, ejusve sanguine, vix posse existimo, Si itaque in vitali specu habitat officina iræ, procellæ ibi jam motæ componantur; Quare Epithemate recte tractarentur.

℞. *acqu. rosar. nymph. bugloss. aceti rosac.* āā. ℥iij.
his immacera folia melissa, colatura adde *spec. diarrhod. abb.* ʒß.
caphura, croci āā. gr. iij.
(*nitrum* & *sacch. saturni* commode addi possunt) tepide regioni cordis admove.

Hepar etiam recreatur epithemate ex *aqua endivia* ℔ß. *rad. rhodo flagmatis* ℥ij. *omnium santal.* ʒj. *caphura* gr. iij. *aceti* ℥ß.

Viriles globuli linteolo infundantur *rosacea* madenti, vel *solani*, aut *nymphaa*, cum *aceto.*

Melancholia autem si morbum pepererit, ab adstringentibus est abstinendum ob succi crassitiem: admovebitur *ol. rosat. completum*, vel *violat.* si ardor adsit major, utemur *oleo de sem. lactuca*, vel de *flor. cucurbita*, *nymph. & papav.* si vigiliæ urgent, hæc satis humectant.

Cautio adsit ut à valido algore abstineamus, & author est *Avicenna* magis hic humectandum esse quam refrigerandum, nam dicit, madorem levius fert cerebrum quam algorem, cumque valida opus est refrigeratione, remiscebitis *flores chamameli*, inquit idem; non utendum igitur mere frigidis.

Resolventia mox succedant; sint ea initio, cum usus eorum primum initur moderata, ne allectent materiam meabilem adhuc: mulgeatur super caput *lac*, inquit *Mesue*, misce *ol. chamom.* cum *ol. florum cucurb.* ita una humectabis: ita *ol. amygdal. violat.* cum *lilino.*

Omentum tepidum agni commendat *Alsaravius*, commode fovetur caput *decocto malvar. fænugr. sem. lini, psyll. hordei, violar. cucurb. fol. salicis, nymph. chamam. melilot. senna*, pauca adjecta *stachade*: vel *vervecis caput* & pedes cum dictis semin. cocta.

Si *vigiliæ* urgent, adjiciemus *semin. lactuc. & papav.* ʒij. *vel* iij. A Fotu illinatur caput *oleo amygd. dulci, ranino*, vel *oesypo* cum *lacte mul. adipe anserino* vel *gallinaceo*, inde secti *catelli* capiti calide imponantur: His non iuvantibus ad *sinapi Aetius* surgit. *Heurnius.*

23. *Per essentiam*) Per idiopathiam nascitur ex intemperie ardenti cerebro inusta ab æstivo sole, vel à pharmacis calidavi flagrantibus, capiti admotis, aut ex aromatum liberaliori usu, & vini generosi. *Heurnius.*

24. *Sanguine adusto in qua*) Quod si ex æstuosi sanguinis copia pullularit malum, suaviter insanient, & risu diffluent, læta exporrectaque fronte cantillant, ac rubicundo vultu saltant, non musica quædam harmonia aures illorum ferit, hi eminentes habent venas ac lusibundos oculos. *Heurnius.*

25. *Venæ sectione curatur*) Sanguinis à copia ortum si traxerit, secabis venam, quare hic examina vultum, & num habitus corporis sanguinis copiam indigitet, turgeant ne venæ, victusne plenior fuerit: hi enim periodis quibusdam, & non perpetuo delirant; Illico à Medici, his mediam pertundite venam dextri brachii, vel eam saltem quæ thorosior turget, Infligatur foramen latum, nam ater sanguis à crassamento restagnat, Et si niger fuerit elabens sanguis, exhauri ad pondus 5. vel 6. unciarum (*quin ad* ℔j *& ultra*) sin ille subtilior exilierit, non ultra tres fere uncias protrahatur eductio.

Quod si ubertate sanguinis non superfluat corpus, temperandum à V. S. nam petulantior evadit bilis excusso sanguinis fræno, hic enim potius incendium restinguatur; Attamen hæc cautio adsit, si fluat à vena secta limpidus tenuisque sanguis, sistatur, Si *hamorrhoides* solennes, aut *menses* substiterint, malleolum juxta secetur vena, *Heurnius.*

26. *A bile flava in qua*) Si sit à flava bile, non retorrida, adest jactatio, somni expertes fiunt, & studium quoddam aderit citra immanitatem, cogitabundi sunt & diligentes, nam mobilis bilis, multi ex hac mania laborant; opinionum varietate fluctuant ex fugacibus imaginculis in mente, unde varius sermo à turgente succo: Vigiles sunt. *Heurnius cap. de Mania.*

27. *Humore melancholico, in qua*) Si melancholia putredine contaminata fuerit, nec tamen assata, iracundi erumpunt in furorem cum fletu & tacitur-

taciturnitate: A praeffata autem melancholia si sobolescat, in iram excandescent, & taciti homines invadunt immani ferocia, & cum loqui cœperint, non desinunt; Hi sunt maligni, nec tamen æque ac à bile procellosi. Hæmorrhoides vel menses suppressi sæpe hoc malum pepetere. *Heurnius.*

Cap. III.

De Meatuum cerebri angustia.

[1] M*Eatuum Cerebri* [2] *angustia est, quando illi à causis suis vel obstruuntur, vel comprimuntur.*

Meatus isti sunt, 1. [3] *pori cerebri* [4] quod fungosum est [5] intra quos generantur, continentur, & moventur spiritus. 2. *ventriculi* quatuor, [6] excrementis cerebri vacuandis parati, & ideo in infundibulum desinentes, 3. [7] *venæ & arteriæ,* [8] ὀχετοὶ, quæ à tenui meninge susceptæ per cerebri substantiam disperguntur; 4. *nervorum* paria quadraginta, 5. [9] *suturæ cranii,* sagittalis, coronalis, & lambdoidis.

Signa ex actionum cerebri imminutione vel abolitione sumuntur; propter spirituum animalium, qui ad eas necessarii, interceptionem.

Causæ sunt, vel [10] *Obstructio* ab humoribus pituitosis, sanguine extra vasa effuso, vaporibus crassis.

Vel *Compressio*, seu à cranio, propter vim illatam, vel sanguine vasa distendente; unde illa φλεγμονώδη ἀλγήματα afficiuntur, seu [11] in substantiam propter copiam, tenuitatem, vel acredinem illapso, Pituitoso humore basin cerebri occludente, Tumore duro.

Curatio [12] dilatatione seu reseratione perficitur, & prout se differentiæ habent, variat.

Differentiæ sumuntur ab ipsa angustia & causis.

I. Ab *angustia* est vel *Minor*, & levior, qualis à vaporibus: Et *tum*, sensus duntaxat gravantur; somnus vel minor stupor infestat, nec curatio est tam operosa, paribus cæteris; vel *Major*, & tum plerumque motus etiam cum sensu aboletur, ut fit in sopore, caro & cæteris:

II. A *Causis.* Nam

I. Alia [13] est ab *obstructione*, quam inferunt.

I. [14] *Externa*, fumus carbonum, cerevisiæ, musti &c. crassitie sua suffocantes: Et *tum* ægri libero aëri exponendi: vapores aqua vitæ cum theriaca instillata discutiendi: vomitus vel sternutatio excitanda; per clysteres, frictiones &c. revellendum.

II, *Interna.*

[15] *Vapores* confertim & copiosè irruentes: qui 1. *vel à victu pleniore* & vaporoso procedunt, & sæpè aut stuporem, si simul sunt narcotici, aut levem apoplexiam, quæ sola concussione excutitur inferunt: & tum talis victus præcessit, supersedendumque ei erit.

1. Vel *ab humoribus & excrementis vaporosis*, qui [16] in Inferioribus stabulantur: Et *tum*, alii adfectus adsunt; Materia *evacuari* debet, ut revellatur.

2. [17] *Vermes* qui in cerebro nascuntur, [18] seu rubri, seu erucarum instar lanuginosi, aliquando curculionum, granorum pini forma; nascuntur nonnunquam ad nasi radicem, quandoque inter meninges, quandoque copiosi, aliquando pauci: De quibus notari potest, vel irrepere posse, vel ibidem ex [19] corrupta & semine instructa materia nasci: [20] difficulter quidem cognosci; posse tamen à diuturno, vehementi, lancinante dolore, inprimis cum caput movetur, συχνοῦ duci: [21] *Necari* & exturbari debere, errhinis & sternutatoriis, quibus addenda appropriata, ut est succus raphani, foliorum persicorum, aloë, tabaci succus & fumus, vapor lactis, Emplastrum ex aloës & pulver. lumbricor. ana drach. ij. fellis taurini dr. I. olei absynthii & ceræ q. s. quod vehementer laudatur,

3. [22] *Calculi,* [23] quos ibi nasci Gulielmus Fabricius Hildanus observavit, & [24] quos difficillime ex dolore fixo, gravitate absque excrementis &c. assequi possis.

4. [25] *Humores* & quidem.

I. *Sanguis*, extra vasa sua ex percussione, lapsu &c. effusus [26] ut anfractus ejus, nulla inflammatione oborta, obstruat: Et *tum*, plethora plerumque adest, facies rubet, sanguis per os & nares plerumque erumpit, & nisi hoc fiat, putredine concepta inflammationem accersit, *Evacuandum & revellendum* per venæ sectionem & cucurbitulas: secta frontis vel linguæ vena derivandum.

II. *Pituita crassa* vel basin cerebri comprimens, vel exortum nervorum obstruens, & sic spiritus animales intercipiens: Et *tum*, causæ pituitam generantes, capitis gravitas, oculorum

obtenebratio, pituitæ per nares vel fauces suppressa evacuatio præcessere, nisi tempestivè curetur, paralysin &c. infert.

Curatio prout in intemperie pituitosa instituenda.

II. Alia est [27]· *à compressione*, quam inferunt.

I. *Cranium* propter vim illatam compressum: Et *tum*, præsentes & æger consulendi; digitis fovea deprehenditur; infantes inprimis propter cranii mollitiem infensos habet; pro majore vel minore compressione periculum est majus vel minus: In infantibus sufficit derasis capillis ceratum aliquod adhibere, ut *Emplastrum de gummi*, vel *Centaurio*; vel quod componitur ex *resina pini, terebinth. gummi elemi, oleo rosaceo, ammoniaco, farina volatili* &c.

II. [28]· *Sanguis*, qui 1. *Aut* [29]· vasa ita distendit ut meatus comprimantur, [30]· quod in φλεγμονώ-δεσι ὀξυδίοις accidit: Et *tum* plethoræ signa aderunt, & superius allatis remediis erit agendum. [31]· *Aut* ad basin cerebri propter violentiam, vel vacuationis suetæ interceptionem, effusus, eandem premit: Et *tum*, nisi per aures, nares, os &c. effundatur, inflammationem & hanc sequentes affectus inducit, nisi fortè tempestivè differtur, *Repellendum*, & quod influxit *discutiendum*.

III. *Humor crassus*, de quo præter jam dicta hoc solum succurrit, 1. Inferre angustiam posse [32]· cerebrum laxando, quod postea basin comprimit. 2. Nisi per emunctoria tempestivè evacuetur, vel paralysin, si ad spinalem medullam deferatur; vel suffocationem, si in thoracem excutiatur, inducere posse.

IV. *Tumor durus*, qui vix vivo ægro cognoscitur, nec est curabilis.

III. *Alia* [34]· *à suturarum defectu* [35]· quæ corrigi non potest.

1. *Meatuum cerebri angustia*) *Cerebrum præter morbos Intemperiei Organicis etiam obnoxium est, & Soluta unitatis*, Cum enim nulla materia sit sine Extensione, seu quantitate, cujus varia secundum triplicem dimensionem, modificatio partis conformationem constituit, quæ Organica dicitur, quatenus ab hac materia habet, ut instar Instrumenti, seu Organi, usui certo inservire queat, Ex læsione talis conformationis Morbi organici oriuntur.

Considerari autem potest pars ita Organisata, vel absolute, vel respective, quatenus refertur ad suum totum: Pars Organica *absolute* considerata, triplici modo in conformatione morbosa redditur, secundum tres nempe dimensionum differentias, aut enim *vitiatur longitudo*, secundum lineam rectam aut curvam, unde Ratione lineæ rectæ pars longior vel brevior: Ratione lineæ curvæ, pars vitiose figurata redditur: Aut *vitiatur latitudo*, unde pars vel crassior vel tenuior; Vel *vitiatur Profunditas*, quæ vel *solida*, vel *plus minus porosa*, unde *Cavitatum & Meatuum* morbi, ad quos inprimis *Obstructiones* pertinent,

Quod si vero *pars organisata consideretur respectu totius*, ad cujus integritatem requiritur, corporis, Oriuntur morbi Compositionis dicti, quando nempe cohæsio mutua, & consequenter debitus partium ad se invicem situs tollitur, unde sunt hi morbi vel in vitiato situ, vel in vitiata unione. *Etmuller Fund. Med. Nov. p.19.*

2. *Angustia*) Contingit aliquando eosdem nimis esse dilatatos & hiantes, ut in vigiliis nimiis, ferocia, deliriis, phrenitide, aliisque intemperaturis: Tum eos claudunt tum *Serum* in substantia augentia, tum blandum sulphur resolubile sanguini fœnerantia. *Wedelius.*

3. *Pori cerebri*) Qui vel nimium *Occlusi & obstructi*, vel nimis *hiantes & dilatati*: Aperiunt poros cerebri medicamenta volatilia; Nimis diductos quæ claudant Vide supra cap. 2. §. *Per appropriata cephalica*)

4. *Quod fungosum est*) Cerebrum substantiam habet peculiarem, albam, humidam, mollem, instar pinguium liquescentem potius quam diffluentem, etsi vere pinguis non sit; *Cartesius lib. de Hom.* multis probabilibus conjecturis inculcat hanc substantiam necessario totam esse fibrosam, ex millenis filamentis compositam, quæ filamenta *Willisius* canaliculos aut strias appellat.

Quod *Cartesius* mentis oculis perspexit, hoc *Malpighius* Epistola ad *Fracassatum* autopsia demonstravit, quippe scribit se in cerebro bovis, aliorumque pecudum, tum crudo tum elixato, sæpius microscopio observasse, quod tota alba cerebri portio evidenter divisa sit in fibrulas depresse rotundas, hasque in piscium cerebris adeo manifeste conspici, ut si adverso lumine observentur, eburneum pectinem, vel organum Ecclesiæ musicum repræsentent: Has fibrulas extremis capitibus dicit immergi in corticem (i. e. exteriorem cineream cerebri partem, quasi ex eo materiam alimentariam desumpturas) per quem copiosissima vasa sanguinea ramificantur.

Addit denique, *Ab arteriis sanguineum succum, vel quid simile delatum, hac corticis carne, veluti filtro, separari, simulque in implantatas fibras, velut in radicem propagari, non est absonum rationi* (hoc nititur confirmare sequenti experimento) *cum interrupto*, inquit, *naturæ ordine, ex morbosa aliqua constitutione arbitrantem* (subintrantem) *copiosam hujus seri collectionem in ventriculis, cerebri substantia, & sub ipsis meningibus observemus.*

Ut hoc probet, varias adducit ægrorum historias quibus talis seri copia in capite fuit collecta: *Fracassatus* in responsione scribit se hæc eadem observasse in cerebro canis, dicitque Cerebrum ac medullam esse veluti filis, mutuo ac omnifarie connexis, grandem spongiam: Præterea judicat cum *Malpighio* albicantem medullarem spongiam aliquid mutuari ex dicto cortice, in quem utpote fibrulæ ejus medullares inseruntur, vel terminantur, atque hinc ex eo aliquid assumere videntur.

Verosimile est in eo sanguinis (qui cum per innumera circumfusa vascula illi undequaque infunditur) tenuissimas *salsas* particulas à reliquis separari, & sic præparari, ut à fibrulis, tanquam invisibilibus tubulis, assumi, in iisque in spiritus animales mutari possint: *Fracassatus* istas particulas tenues, quas ego *Salsas* nomino (appellat *Serum*) *concrescibile*, & *succum nerveum*, quem in cortice separari, & sic in fibrulas infundi ait. *De Diemerbroeck Anat. l. 3. c. 5.* Vide *Bartholinum Anat. 4. renovata l. 3. c. 3.*

5. *Intra quos generantur, continentur & moventur spiritus animales*) In cerebro ac cerebello secerni à reliqua sanguinis massa spiritum volatilem (Animalem dictum) osten-

ostensum Disput. Med. 4. §. 28. *sequ.* Hæc *secretio*, *Generatio* dicta læditur, quando nulla, vel parcior, 2. quando copiosior, 3. cum male affecti spiritus: Si *nulla* sit, mors præ foribus est, deficiente cordis, thoracis &c. Motu; *Pancior* est, sanguinis aut cerebri cerebellive culpa; *Sanguinis*, si is parum, spiritus volatilis in se contineat, alimentorum similium vitio, 2. Cerebri, Cerebellive, quæ quo modo & ratione sint affecta ad spirituum animalium secretionem rite absolvendam, distincte assequeremur, non ita difficulter forsan determinare possemus quo vitio laborent, cum illorum culpa læditur ac minuitur illa secretio.

Vtique *patulam*, & satis patulam desideramus extimã *cerebri cerebelliq; substantiam*, quo per ipsam penetret, colaturque quasi sanguinis pars maxime spirituosa desiderari qui concesserit, Eandem solito cõpactiorem percolationi laudatæ ineptam futuram concessurus est. Hanc causam videtur confirmare frigus aëris, aquæ &c. caput vehementer afficiens, à quo non tantum gravedo sed parcior quoque animalium spirituum productio sequi solet: Sicut autem in *gravedine* glandulas Cerebri observamus affici & cogi à frigore haud semper magno, ita in animalium spirituum secretione diminuta, existimem ipsum cerebrum ac cerebellum affici male à frigore valde intenso, substantiam ipsius mollem compingente, ac secundum ejus porosos ductus ipsam cogente ac coarctante: Sicut vero frigus externum spirituum secretionem impedit, ita videtur internum, sicut in febrium intermittentium initiis, secretionem spirituum animalium impedire, unde ad omnes functiones Animales obeundas plerumque inepti sunt febrili frigore correpti.

Quod ego arbitror fieri à frigus parientibus halitibus unà cum sanguine ad caput delatis, & partim sanguinem quidem austeritate sua cessioni partium spirituosiorum ineptum reddentibus, partim cerebri substantiam externam compingentibus, porosve ipsius sinuosos angustantibus, sicque parti sanguinis magis spirituosæ transitum ex parte saltem denegantibus.

Quamvis autem non negem Frigore externo intenso affici quoque male ipsum sanguinem ad cerebrum tendentem, quin coagulari eundem aliquando tunc in suis vasis, non sequetur in tali sanguinis coagulatione spirituum animalium secretio diminuta duntaxat, quin maxime sanguinis motus impeditus, mox & inflammatio, & quicquid talem in sanguine inflammationem solet comitari valde grave: quod tamen in animalium spirituum secre-tione à frigore impedita non impeditur semper: Unde patet non semper modo eodem affici à frigore caput, atque cerebrum, aut sanguinem in capite repertum. *Fr. Sylvius Pr. l.* 1 *c.* 41.

6. *Excrementis cerebri vacuandis*) Usus ventriculorum cerebri est esse Excrementorum conceptacula, quod apparet 1. ex structura, nam foramen abit à cavitatibus ad glandulam pituitariam. 2. superficies eorum semper aqueo humore oblinitur. 3. sæpe toti repleti pituita reperiuntur, & aquea humiditate, sive ex vaporibus collecta, sive ex glandulis choroideis & lymphaticis. Spirituum generandorum non esse officinam patet, quia 1. excrementa recipiunt, 2. cum nervis nullum alunt commercium 3. spiritus confecti cum excrementis diffluerent per patula foramina, 4. in amplis cavitatibus dissiparentur, vel evaporarent. 5. materiam non habent spirituum, nisi aërem attractum. *Bartholinus Anat. lib.* 3. *capit.* 6.

7. *Vena & arteria*) Vasa per cerebrum disseminantur varia, Nam si ejus substantiam comprimas guttulæ sangoineæ copiosæ exudant, ideo plurimas venas & arterias capillares ibi disseminari cum *Galeno* statuimus quas etiam non raro oculis usurpavimus; Quod fiet præsertim, notante *Franc. Sylvio*, ubi flaccidum est cerebrum & friabile, quod tum spõte à vasis secedere in sectione notavit, & maxime si vasa ob ætatem aliamve causam quamcunque fuerint solidiora, Ejusdem *Sylvii* experimento, inflata per tubulum arteria carotide, immissoque sanguine, innumerabilibus punctis cruentis substantia dissecta infecta apparebit.

Venæ autem quæ per cerebri substantiam feruntur sunt 1. Rami quinque venarum jugularium, quorum aliqui crassæ meningis subeunt sinum, aliqui per meninges & cerebri substantiã sparguntur: Verum illi, ex observatione *Walæi*, non alii sunt quam duo ramuli exigui, qui utrinque abeunt in substantiam cerebri, ex duræ matris cavitatibus, quibus continuantur: *Arteriæ* quatuor sunt ex Carotidibus & Cervicalibus, quarum hæ ad cerebellum, illæ ad cerebrum disseminantur, supra *infraque*. *Bartholinus Anat. Renov. libro* 3. *capite* 3.

8. 'Ὀχέτοι) *Elices, fulci aquarii, ὀχὸς fistula, conductus*, vertit *Budæus*: Præter venas & arterias alios agnoscunt ductus Anatomici: Nam Lymphatica vasa *Stenonio* visa sunt, vel vascula lymphaticis quam simillima, in parte glandulosa plexus choroidis: *Malphigius* cerebrum habet pro filtro quo serum exsugitur, & per fibras mittitur ad nervos venasque: Certe si fibræ *Cerebri Cartesiani* cavæ sunt, infiniti ex his lymphæ ductus suppetunt, totumque cerebrum & lymphaticis compositum, quia lympham ex spiritu animali quamplures deducunt. *Idem.*

Maxima vasorum lymphaticorum adest abundantia, tum in anticamera quasi cerebri, circa nares, palatum, labia, buccas, parotides, oculos, Tum in ipsa cerebri substantia; An vero terminari hic eadem arbitrabimus, neque admitti intimius; An hoc loco munere suo revehendi superfluam lympham ad cor cessabunt? An ubi quam maxime abundat, & revectione opus est, denegare hos ductus audebimus? An abundare posse negabimus lympham in cerebro, quod tum in affectibus soporosis, tum hydrocephalo, quin aliis plurimis evidentissime apparet: *Wedelius Physiologia Med. sect.* 3. *cap.* 24.

9. *Sutura Cranii*) Quarum usus est 1. ad liberam fuliginum transpirationem, Hinc *Hippocrates* pronuntiat illos homines esse sanioris capitis qui plurimas suturas habent; Et qui capita habent absque suturis cephalia infestantur; Et *Galenus* ex nimis firma ligatura, arctatis suturis, cohibitisque excrementis tantam vidit obortam inflammationem ut oculi ex orbita exciderint 2. ut iis dura mater suspendatur & alligetur, ne interiores cerebri partes comprimantur: 3. Vt eadem dura mater emittat ibi fibras pro pericranio & perinstin constituendis. 4. ut vasa alia intro, alia foras excidant, pro partium nutritione & vita &c. *Bartholinus Anat. Libello* 4. *c.* 5.

Vel obstructio ab humoribus pituitosis) Ex *Malpighii* sententia, Corticis cerebri hac carne, veluti filtro, separatur serum ex arteriis meningum, & per fibrulas cerebri inde in elongatos nervos derivatur; Residuum autem Sinubus recollectum appensis venis iterum ad præcordia refluit; Hoc serum pluries in cerebro & medulla oblongata rectificatum, induere forsan censet nobiliorem naturam, spiritibus vel continendis vel gignendis idoneam: Si vero, vel propria crassitie, vel excrementorum affluentia, sit impar minimis fibrillarum meatibus subeundis, ex stagnante in cerebro Epilepsia & Apoplexia excitatur.

11. Φλεγμονώδη διάθεσι) Vnde apoplexia inducitur; Vide infra capot de Apoplexia. §. *A phlegmonode diathesi.*)

12. *Dilatatione seu reseratione*) Per *Cephalica* illa quæ poros nimis occlusos & obstructos aperiunt: Talia sunt medicamenta *volatilia*, inprimis *urinosa*, Sicubi ob humorum copiam, vel subsidentiam, vel compressionem,

aliasque causas depressi & occlusi hæreant, nec liberum spiritibus commeatum concedant amplius; Ut præcipue in paralysi, apoplexia, aphonia, catarrhis crassis, Ubi poros nervorum aperientia unice prosunt; Item somno immodico, lethargo &c. V.g. *spiritus salis armoniaci*, quo cum *spir. lil. convall.* mixto aliquot curavimus paralyticos: *Wedelius* de S.M.F.l.1.cap.1.sect.3.

Curatio dilatatione) Vide supra capit.2. §. *Cephalica*)

13. *Externa, fumus carbonum*) Ab ejusmodi caussis impuri redduntur spiritus animales, ut ab Aëre impuro nebuloso, variisve plantarum graveolentium, Cadaverum, Mineralium accensorum, vel alias vi ignis actorum, & de sulphuris natura participantium exhalationibus inquinato: Tum ab Alimentis noxiis & corruptis, tempore nimirum arctioris annonæ, obsidionum, navigationum &c. Ab animi variis ac sæpe contrariis affectibus simul & potenter agitato, unde ex humoribus variis male affectis excitantur necessario halitus in abdomine diversi, mox que transferuntur inde ad cor, hinc & ipsum cerebrum, spiritus animales infecturi. *Fr. Sylvius lib. c.*

14. *Fumus carbonum, cerevisiæ, musti*) Quæstio est de his quomodo interimant; An Gas, sive fumi exhalantes afficiant immediate *Pulmones*, & *sanguinem* per eos circulatum, an vero afficiant *caput* ac *cerebrum spiritusque animales* ibidem habitantes? Res est difficilis; necesse est considerentur symptomata, Ante omnia *anxietatem circa præcordia*, quandoque *respirationis difficultatem*, & hinc *vertiginem caducam* seu tenebriosam experiuntur: & hinc statim *vox, sensus & motus* intercipiuntur, hinc absque *pulsu*, aut saltem vix *sensili*, toti *frigidi*, quasi *syncope* correpti jacent, utplurimum cum *spuma circa os*, ubi nonnihil ad se redeunt plerumque *vomitu* exercentur, & mucosa multa sponte, vel arte, ex naribus, ore & ventriculo rejiciunt.

Revera ex una parte Suffocationis subitaneæ, ex impedito sanguinis tam fermentativo quam circulatorio *motu* videtur species, Ex altera tamen parte revera *Apoplexiam*, & quidem *positivam*, prout *Helmontius eam in Tr. de Leth.* distinguit refert, symptomatum concursus, cum apoplecticorum instar & jaceant, atque in vitam revocandi sint ægri.

Probabilior tamen videtur sententia revera *suffocari Tales* ægros, & ex alteratione subitanea sanguinis per pulmones circulati, hinc spirituum vitalium inchoata extinctione, & continuati radii cum spiritibus animalibus interruptione, omnia ista mala oriri videantur. Id quod hoc ipsum confirmat, est quod in tali aëre quilibet statim ignis extinguatur: Jam vero ex experimentis *Major. VV. Tract. de spir. nitri aereo* & *Boylei in sua machina*, constat parilem aëris ad ignem & vitam animalium esse necessitatem; & ut aëris alteratio & defectus subito ignem extinguit, ita etiam vitam tollit, Quod cum fiat ob aëris vitium, revera ob respirationem plus minus vitiatam tales ægros lædi apparet.

Percipiunt tales ægri *angustiā præcordiorum*, quasi suffocatoriam mox in principio, non quasi aër crassus nimis pulmones impleat, aut ex crassitie respirationi ineptus sit, sed mox videntur suffocari ægri, quoniam ex hostili præsentia aëris vitiati inspirati, pulmones & thorax se stringunt, ac minus pro admittendo aëre se dilatare volunt, hinc mox sub tali aëris inspiratu pectoris angustia, vitiato postmodum sanguinis fermentativo motu, ac superveniente spirituum vitalium subita eclypsi, adeo *syncope*, etiam spirituum animalium deficientia in motu, indeque *vertigo, sensus & motus* abolitio, propter interruptum summe necessarium spirituum radiosum nexum. Pari ratione atque suspensis, eo ipsoque constringuntur carotides, mox eadem superveniunt symptomata, propter interceptam spirituum continuitatem.

Interim tamen adhuc dubium restat, quomodo hic *Gas* inspiratus sanguinem atque spiritus in pulmonibus alteret? Sane motum fermentativum sanguinis instar motus ignei mox extinguere spiritus vitales figere manifestum est.

Sed qua vi hoc præstent, quæritur? nam sanguinis coagulatio quam alii hic incusant, minus satisfacit: *Gas* carbonum equidem videtur acidum, cum in carbonibus sit sulphur simile minerali, beneficio lixivii eliciendum (vel alkali fixo) qui dum in combustione resolvitur, non dubito sic spiritum acidum eructare à quo sanguis queat alterari.

Minus planares est de *Gas liquorum fermentescentium*, in quibus id quod exhalat revera est de sulphure volatili, Dubium tamen est an magis vim obtineat sanguinem coagulandi, an vero spiritus quasi inebriandi & figendi adeo ut modus operandi talium *gas sylvestrium*, utut præsentaneus, sit adhuc tamen obscurus. *Ettmuller Pr. P.1.p.174.*

15. *Vapores confertim & copiose irruentes*) Vias patentes ostendant necesse est qui hunc ascensum statuunt, per quas, tanquam per tubum, nulla remora obvia, *confertim* & copiose in cerebrum irruant, & quasi involent, Vulgo duplices statuuntur, occultæ & manifestæ: Illas dicunt cæca esse spiracula, vaporibus commeatum præbentia, si quidem ex *Hippocrate σύμπνουν* est corpus totum. At nemo dixerit per hæc *confertim & copiose vapores irruere posse*, flexuosa enim via, occultique meatus, celerem transitum concedere nequeunt, utut inferne impellens vis adsit; *Manifestas* vias dicunt esse venas & arterias: At neque per has vapores viam vi sibi ad supera facere posse credendum, stante sanguinis ἀνόδῳ, Non per venas, quippe quæ reducem è capite sanguinem revehunt, adeo ut si vapores per illas sursum tendant, adverso motu sanguinem & vapores ferri dicendum sit; aut si sic, saltem illorum ad superna impetum retundi sit necesse à descendente sanguine; Neque per arterias, quas sanguis arteriosus occupat, hinc ut vix verisimile sit his & illis spatium concedi: Adde quod admissi intra arterias vapores, sanguinis motui, qui illis pro vehiculo est, obtemperare debeant; potius quam à tergo impellenti vi; neque enim spontaneo motu ferri illos quis dixerit: Demum focus, & lebes mineram continens è qua ebulliente assurgunt, manifestus faciendus est: Fermentatio quidem humorum, & hinc vaporum exsuscitatio admittenda sed præcipua est massæ sanguineæ, quæ nonnunquam effervescit in vasis, turgescit, rarefit, in vapores solvitur; hæc autem in cerebro præsertim manifesta fit, quia illorum discussio ibi quam aliis in locis difficilior: Aliorum humorum fermentatio, quæ certis in locis peragitur, vix ad cerebrum pertingit, nisi quatenus minera portio, fermentationem excitans, massa sanguineæ remiscetur, eamque in similem fermentationem abripit.

16. *Qui in inferioribus stabulantur*) Si quis curandus sit Apoplecticus vel Paralyticus, solitus sum felicissimo cū successu adhibere, Externus quidem Vnguentum nervinum ad dorsum, Linimentum & Unguentum ad articulos; Internus vero V. g. *spiritum salis armoniaci & liliorconvallium*, *Elixir cephalicum volatile*, & simul *Martialia*, Vnde pulverem ordinavi ex *croco martis aperitivo*, *cinnabaris nativa*, *radice ari*, *lapid. cancrorum cum oleo cinnam. vel ligni sassafras*; qui pulvis probatissimus est, etiam in melancholia hypochondriaca, in vertigine, & aliis affectibus capitis & imi ventris, unde merito *Pulvis cachecticus cinnabarinus* audit.

Specifica enim aperientia unicuique visceri seligenda, Notandum quippe commode dividi posse eadem in universalia & specialia; Illa vocando quæcunque in motum

rum cient, vel dispellant humores Hæc quæ specialiter citra universalem illam actionem, alterando, & pacatius id præstant & exequuntur, ita ut universalium velut vicem subeant, & omnibus communia sint laudata, seorsim vero partium obstructiones specificis expediendæ; Regula hæc in praxi est nobilissima, *Aperientia universalia cum particularibus non confundenda*, utraque vero sibi invicem quasi subordinanda, ita ut nec universalibus utamur solis citra specifica, nec his sine illis; Fundamentum hujus rei esse potest, quod in infimo ventre omnium morborum, si non prima materia, perpetuus tamen magis fomes quærendus est. *Wedelius Jm.m.m. p. 74.*

17. *Vermes, qui in cerebro nascuntur*) Et causam esse doloris capitis docet *Avicenna*, l. 3. Tr. 2. c. 3. sed non scribit se hoc vidisse, sed ex relatione *Rhasis* t. *contin.* 10. qui & ipse hoc se expertum profitetur; *Trincavellius* l. 9. c. 1. scribit se in Nobili quodam Veneto, antiquo capitis dolore laborante, naribus ejectum vermem cum pedibus, muco & cruore obsitum vidisse, quo ejecto omnem subito evanuisse dolorem. *Hollerius de morb. int. sch. ad cap.* 4. ait se vidisse mulierem ejicientem vermem ex naribus.

18. *Seu rubri, seu erucarum instar &c.*) Nuper maleferiata quædam vermes quatuor, præcedente atrocissima cephalalgia, per nares excrevit, albicantes, oblongos minimeque hirsutos. Ex ovo verminoso intra calvariæ capacitatem eos pupullulasse, sunt qui affirment, sunt qui negant. *Ex Epist. Joh. Jac. Harderi ad Lucam Scrockium Fil. d. 24. Febr. 1682.*

Utrum Vermes illi intra calvariæ cavitatem ex ovo pullularint, disceptationi potest esse obnoxium: Mirum si intra calvariam hæserint quod non potius molliorem cerebri substantiam arroserint; Forte in spongioso osse ethmoideo delituerunt &c. Ex *Responsione L. Scrockii.*

De generatione Insectorum eleganter Clar. *Redi*, Ego quidem sic existimo, supposito quod negari utique nequit, Lumbricos ex Ovo in terra generari necessarium esse; In eorundem in corpore nostro proventu, Ova pro primordio accusare, Neque enim ex quacunque putrilagine alia illos prodire posse autumno nisi ovum verminosum ibi fuerit &c. *J. Jac. Harderus ad Scrockium.*

De generatione insectorum Tecum sentio, fieri eandem ex Ovo, cum vero ad Clar. *Redi* provocare libuerit, eandem contrariari potius autumo; Ille licet prima fronte eandem generationem ex Ovo à matre excluso tantum derivare videatur, postea tamen de gallarum, baccarum fagi &c. vermibus agit; generationem istam in arboribus perpetua naturæ lege, non casu fieri, neque à fortuito supervenientium muscarum gravidarum semine vel ovulis statuit, eo quod nullus fructuum illorum sit qui species proprias & determinatas vermium non habeat, nunquam utpote variante natura: Ita pariter cerasum omnem alere proprium vermem, alium nuces, pruna, idem observavit. Ut taceam quod vermes in capite cervorum, verveecum &c. tantum non omnium inveniendo, ab invicem admodum dissimiles, alios in vervecibus. In ejusdem tamen generis animalibus unius formæ inveniri deprehenderis.

Unde forsan concludere liceret esse in ipsa corporum substantia quasdam partes glutinosas, quæ arcana naturæ dispositione à reliquis secedentes uniantur, & colliquescant, calorem concipiant, inque ejusmodi corpus motu præditum animentur &c.

Ut jam non adducam quæ de occasione casei verminantis profert, ubi vermium istorum ortum non à semine muscarum & culicum, foliis herbarum, vaccis in cibum venientium imposito esse posse contendit, cum ista parum roboris habeant; Memini etiam *Domin. de Marchetis* in publica lectione Patavii, cum de ulceribus verminosis ageret, omnium insectorum generationem non ex ovo fieri contra *Redum*, probare voluisse, cum exemplo ascaridum & vermiculorum aceti, cum quod vulnera & ulcera etiam in hyeme dentur verminosa: quamvis enim quod vulnera & ulcera, nec non ascarides concernit, haud urgeant, dubio utpote haud carens, aceti tamen vermiculi quomodo ex ovo in acetum deposito generentur, non video. *Scrockius ad Harderum.*

Mihi elegantem *Redi* de Vermium quorumcunque generatione librum evolventi, nullibi animadversum fuit de Ovo, generationis omnis primordio, ipsum dubitare, id quod multis in locis clare demonstrat, in quibus ovorum distinctissime meminit, carnesque & herbas, aut alias res, aliud officium non præstare quam nidum commodum insectis præbere contendit; Fateor equidem ipsum pag. 236. palinodiam quandam canere, & quod natura ovum verminosum, quod intra gallas delitescere solet, formet asserere, rejecta plane muscarum cura vel luxurie: Verum enim vero huc nondum recurrendum fuisse videtur, cum si non ab extrinseco ovulum istiusmodi communicari possit, saltem absurdum non sit cum ipso succo nutritio per vasa plantarum illud deferri posse, Multa dicere videbor, & satis audacter, experimentis tantisper destitutus, sr non ratiocinus; siquidem vermiculi in vasis & visceribus progeniti ovula ibi existentis necessario includant: Hæc autem qui nisi per vascula angusti oris deferri potuerint, tute facile concipies, neque enim ad partes glutinosas, quas arcana naturæ diathesi peculiariter uniri, erudite fingis, sic devenire licet, generationis negotium probe intuenti; cum difficile & obscurum omnino sit dicere quidnam sit illud quod ex partibus hujusmodi glutinosis partes vermium varii generis compingere queat in corpore humano; quin ego facile monstrarim ægros glutinosissimis humoris abundantes, nec tamen vermiculorum istorum parentes.

Quod sententiam meam verisimilem magis reddit, sunt *cerasorum, nucum, prunorum vermes*, quibus fructus ista laborare poterunt, sed non omnes; huic sane ut vel ovulum deponatur extrinsecus sæpius vulnera ope à parente infligi soliti, vel ab intrinseco culpa deriverur, necesse est: Pariter certe obscura ast *ovi intra g. llas* à natura formatio, ac ejus in terræ finibus depositio, hanc enim ni penitus inficiari velis, aut impossibilem statuere, mihi saltem nondum constat quid impedire queat quominus continuato materiæ alimentariæ motu per minutiores venas in alias sensim recipiatur, & ad usque altiora arborum fastigia deferatur; E contra nondum capere possum quomodo arterias venasque, quæ cum formationi ovi & vermiculi inserviant, tam eidem nutrimentum præbeant, præterquam enim quod natura ordinem ubique elegantissimum observat, qui illa in arboribus tanquam femellis, sed anima, uti communiter loquuntur, sensitiva destitutis, animalculum sentiens progignere posuit, sicque maris vices sustinere, alii mecum hærebunt: physice loquor, qui novi Naturam cancellos sibi à Deo præscriptos observare: In aliorum animantium Ovariis (nisi in primorum, tempore creationis jam extitisse dicenda sint) Ovula ex materiæ nobilis adventu accrescere, & ad maturitatem sensim deduci, adjuvante ipsissima ovarii structura, nemo dubitabit, cui vel tantisper datum est Anatomes secreta rimari: hæc tamen ipsa animali simili, ni à mare fœcundentur, producendo nunquam inservient, Uti vel ova subventanea gallinarum istud edocent; unde ergo in arboribus vis ista, ovulum non modo progignendi, sed & fœcundandi, è quo prodeat vermiculus citra maris vel femellæ opem? Multa, fateor, Natura efficit quæ nos latent, nihilominus ut ejusmodi partes ipsi unice tribuam, nondum à me impetro, cum præter vermium primordia, alia

forte etiam mediantibus fibris filisque ceu vasis convenientissimis inibi formare potis esset: Vide quæ de his habet *Malpighius Part.2. Plant. An.sect.de Gall.p.22.* lucem fœnerantia.

De Caseo & *Lacticiniis verminantibus* se explicuisse videtur *Aretinus* pag. 189. ubi rimas caseos ducere ostendit, in quibus à muscis ova generentur: Neque præter rem esse puto si lacti, aliisque, à muscis circumvolitantibus ova affricari dicamus: quod ipsum quidem author ille primum fuit suspicatus, sed quia forte vidit conciliari isthoc cum antecedentibus non posse, siquidem ex multa conquassatione ovula centies disrumpi deberent, illi tantum inniti noluit, adque dictas aperturas confugere satius duxit.

Ego vero illud improbandum non esse arbitror casei verminationem ex ovulis in lacte à muscis vel culicibus depositis, quandoque deducere.

Utque propius ad offam accedam, sententia *Gassendi* non sufficienter à D. *Redi* rejecta videtur, asserentis muscas & animalia volantia foliis herbarum & arborũ impressisse sua semina, seu Ovula, quæ deinde à vaccis, capris &c. absumpta, lacti, pariter & caseo illam facultatẽ tribuerent ut producere successu temporis vermes possent; Relicto enim hoc posteriori, contritio herbarum, quæ in vaccis aliisque uno saltem dentium agmine fit; confectio insuper, coctio & expressio in ventriculo peragi solitæ & intestinis, seminibus hisce virtutem suam semper destruere potis non sunt, siquidem Ovula minuta, mẽbranis suis obvallata, ac in ventriculis muco munita, heic vel in intestinis integra facile hærere, vel etiam massæ chylosæ liquidæ immixta cum hac ulterius devehi queant, quorum hoc superius jam aliquomodo probavi; illud autem vermes, in robustissimorum etiam corporibus geniti, ex ovulis, pastis, quas comederunt, immixtis, sufficienter testatum faciunt, unicuique, aut ex ipso corpore seminium verminosum accersendum erit.

Infeliciter quoque argumentatur dum ex Lucii ovorum comestione vel Gallinarum, mulierem lac Luciis, totidem impregnatũ progenitutã vehementer adstruit, supposita enim generatione ex Ovo, certum est ubi ovum verminosum corpori fuerit ingestum, & inillo integrum substiterit, vermem proditurum: Neque inficiabitur quispiam ubi Lucii ovula cruda fuerint hausta, si incolumitatem perinde servarint, horum proventum prorsus impossibilem esse, cum ranarum & bufonum in ventribus nonnullorum generatio hujus fidem efficaciter rguat; Ubi vero eadem cocta fuerint, quis quæso virtutem ipsorum sospitem manere affirmare ausit?

E quibus facile patescit, ut reor, quid de vervecinis, aliisque in capite horum animalium generari consuetis; statuendum sit, scilicet non ex muco quopiam sed ex ovulo convenienti, illuc per vias idoneas deposito progigni: Illud mage mirum quod ex muscarum ovulis vermes, & ex istorum muscæ prodeant. *J. Jac. Harderus Scrockio.*

De Insectorum generatione plenarium assensum dare nullus dubito; Sed circa materiam istam unicum id adhuc moneo, non satis scilicet capere me posse quomodo notiores illos vermiculos casei à muscarum ovulis, vel lacti communicatis, vel in ipsius casei rimas depositis generari liceat dicere? hi scilicet necessario tandem iterum hac ratione in muscas abire deberent, cum omne animal perpetua naturæ lege nonnisi aliud sibi simile generet, vermes autem istos in muscas iterum mutari, ego hactenus observare non potui? quid de minimis illis vermiculis, sive insectis hexapodis pellucidis, minime alatis, sentis, quæ in exteriori crusta caseorum, in pulverem sensim fatiscente, microscopii ope observamus, quorum transmutationem in muscam aliquam nunquam videre potui?

Mirum etiam videtur quod *acetum, cervi, verveces, varia planta*, nonnisi certas ac determinatas vermium species intra se alant, Ex quo inferri posset non à fortuito communicatis ovulis ortum sumere, cum alias diversæ speciei vermes in uno tali corpore inveniri quandoque deberent; secus ac fieri certi sumus; ut qui in *aceto* v. g. nonnisi tenuissimos illos anguillares vermiculos deprehendimus; Imo, cum eos nonnisi in aceto hospitari, aut supervivere constet, ubinam parentes eorum subsistere, & quomodo ovula sua liquori, in acetum longa demum mora abeunti, communicare potuisse dicemus? Quæ sane dubium reddere videntur illam generalem de generatione ista ex ovo doctrinam &c. *L. Scrockius Hardero.*

Generatio ex Ovo si in perfectioribus animantibus plurimorum calculo rejicitur, quid mirum si dubia fiat in minutissimis animalculis, quæ ex limo aut materia putri, generatione æquivoca produci Veterum talis authoritas, Ast ea ipsa ex Ovo produci jam apud utrumque nostrum in confesso est, egoque in cochlearum ex ovis elegantissimis generatione, quæ veteribus vel obscurissima fuit pariter experior; Ipse αὐτομάτης modus, quem Antiqui excogitarunt, dissidium quod cum Recentioribus illis intercedit, facile tollit.

Quem enim ob finem alium ad limum vel materiam putrem confugerunt, nisi ut doctæ suæ ignorantiæ asylum quærerent? quod tamen ineptum esse aliorum hodie detexit sagacitas; nempe quia in limo, arena, aliisque locis paludosis vel putribus, insecta varia pullulare observarunt, quorum fœturam vel parentes prius non viderant, imo forte nec genitales partes, in istis causam materialem, concurrente Solis efficacissimo calore, latere existimarunt, non cogitantes perinde ut aërem animalcula plura circumvolitant, & frequenter in ipso pro fœtibus excludendis, si ita loqui fas fit, nidificant, sic in modo dictis, limo, arena, aliisve, ovula, vel visus aciem primo subterfugientia recondi potuisse: quod cochleis familiare esse comperi, quæ Ovulorum agmen herbarum foliis involvunt, muco munitæ, aut etiam sub terræ umbra deponunt.

Scrupuli autem qui T. Exc. in isthoc negotio adhuc obversantur, usque adeo difficiles non videntur, Etenim nec in omnibus plãtis unius saltem obversantur, si Nob. *Redi* & experientiam audimus: Et si quæ certas ac determinatas vermium species intra se alunt, inde maxime provenire dixero, quod diversæ speciei muscæ uni alterive fructui magis sunt infestæ, hincque ovum verminosum ibi libentius deponunt.

Neque absurdum est ex verme, qui modo ex *Ovo* muscæ prodiit, muscam iterum prodire, uti quidem cum ratio suadet, tum experientia ita sæpius laudati viri probant.

Perpende bombycis generationem à *Malpighio* conscriptam, & mutationes omnes quibus ille obnoxius est expende, Considera quæ in *historia Insectorum Swammerdamius* detexit, & patebit singulas illas transformationes inde contingere, quod temporis tractu membra magis extenduntur; inque verme, qui ex muscæ ovulo prodiit, hujus formam vel configurationem partium aliquatenus jam delituisse, quæ tamen nonnisi cum temporis mora protruduntur. *J. Jacobus Harder. Lud. Scroeckio.*

19. *Ex corrupta & semine instructa*) Vide superius §. 18. *Seu rubri seu erucarum.*)

20. *Difficulter quidem cognosci*) Signa sunt Vertigo, delirium, vigiliæ, pruritus nasi, quandoque convulsio atque extremorum refrigeratio. *Saxonia.*

21. *Necari & exturbari*) Expurgari poterunt decoctionibus in nares attractis, quæ recipiant *dictamnum album*, *scordium*, *calamenth. absynth. mar.* Et suturæ coronali poterunt quoque *Cerata* vel *Linimenta* imponi ex

tu ex *aloë*, *myrrha* & *croca* mixtis cum felle *taurino* & *aceto acerrimo*. Saxonia.

[22.] *Calculi, quos ibi nasci*) Nam profecto si in capite continetur ipsa materia viscida,& crassa, quæ etiam ad renes & vesicam decumbit; Si calor viget in ea parte, quæ est ratio cur non possit materia exsiccata in lapidem converti? *Saxonia*.

[23.] *Quos ibi nasci*,) præter *Hildanum*,*& alios*, calculi in capite hominis, dum viveret, robustissimi ad taleis partem dextram reperti, mole quidem parvi, ut qui pisum non æquaret,sed silicem duritie & candore æmulantis; depressioris ubi adhærebat; rotundioris versus cerebrum,meminit *Gunth.Christoph.Schelhammerus* in M.Cur. German. Vide *Medic.Septentr.Tom.1.p.60*.

[24] *Et quos difficillime*) Lapidis signa valde obscura sunt,sic tamen poterunt comprehendi, Si dolor sit fixus, non acutus, sine febre, cum capitis gravitate, cum sopore, imo vero cum detentione principum facultatum, quæ carum æmulatur, seu coma soporiferum. *Saxonia Pral. Pract.c.1.p.n.*

[25.] *Humores, & quidem*) Adi caput de Cephalalgia.

[26.] *Ut ansi aestus ejus nulla inflammatione oborta*) Scilicet si circa ejus fuit reassumptio in venas; alias sanguis effusus statim concrescit, putrescit, inflammationem inducit.

[27.] *Alia à compressione*) De hac angustiæ causa adi Chirurgiam Vol.uj.

[28.] *Sanguis qui 1.aut vasa &c.*) Unde *gravissimi cerebri affectus oriuntur*, *præsertim Apoplexia*, *ab impedito spirituum libero motu & excursu*. Per se immobile quidem est Cerebrum,sed per accidens continue muvetur, non animali sed naturali systoles & diastoles motu,sequitur que exactissime motum arteriarum, quippe arterioso fervidoque sanguine è corde per arterias in substantiam ejus impulso mox dilatatur, eodemque sanguine in eadem substantia statim refrigerato, mox conciditur, & sic in se contentos spiritus ulterius ad nervos comprimendo propellit; Si jam aliqua de causa, ut *obstructione*, *compressione*, &c. angustentur arteriæ per quas sanguis in cerebrum propellitur & fluit, tieque liber sanguinis per arterias impulsi accessus ad cerebrum imminuatur aut præcludatur, tunc parum materiæ ad spirituum generationem suppeditatur,atq; etiam cerebri motus admodum exiguus fit, & hinc non solum paucorum spirituum generatio, sed eorundem etiam debilis in nervos propulsio &c. *De Diemerbroeck Anat. l.3.c.5.pag.556*.

[29.] *Vasa ista distendit*) Huc pertinet *Polyporum* tum in *vasis cerebri*, tum alibi generatio, de quibus *Johan.Nic. Pechlinus*.

Deliberare sæpe mecum ipse cœpi, qualis esset sanguinis stagnatis in majoribus vasis conditio,nam non in capillaribus tantum, sed in grandioribus quoque tubulis stagnare, neque cum stagnat puria statim æmulari naturam adverteram. In juvenibus olim animalibus, vix dum consolidato umbilico, reperi umbilicales arterias, quæ in Iliacas,aut Aortæ extremitatem desinunt(utrumque enim haud infrequens) in densam validum,candidumque ligamentum cum tempore abire, omni cavitate obliterata.

Hoc cum inter prima experimenta à rure quodam viscoso tunicarum parietali, aliquando etiam à sudore capillarum lymphatico & gelatinoso oriri crederem, victus ceruore experimento ostendi ipsum illum sanguinem Polypi instar coagulatum, exuta tandem rubedine, viscosas membranceasque, aut, si mavis reticulatas lamellas, alias ex aliis lateri arteriarum circum applicatas,& sua totius substantia, nescio qua fermentativa,immutata cavum opplere, Neque ex illo dubitare potui quin plurimis in partibus coagulum obtingeret sanguinis, sine ulla puris aut putredinis necessitate, & esse hoc fatum sanguinis vasculorumque tubulatorum, qui in arterias venasque velut medii intercipiuntur, utriusque naturæ participes,ut in *Cerebro Uteroque* contingit, omnino mihi persuaserim; Vel eo quod frequenti experientia coagulum ejusmodi suo etiam jure, nec invito *Kerkringio*, Polypum vocandum mistis sive cerebri, sive uteri tubulis nidulari sit compertum.

Ego autem in muliere (solet autem hic sexus magis huic coagulo obnoxius esse) ex cephalæa multorum annorum, eaque atrocissima & invicta pereunte, notavi sinus cerebri nigro,mucilaginoso tenacique glutine obsideri, sparsis per laterales famos fibris, Polypi instar, quem proinde extraximus integrum, figuræ colorisque ratione corallino frutici haud dissimilem.

Crediderim autem non statim initio occupari cavitates illas, sed collectis cum tempore grumulis, fibrisque compluribus, dum pars adhuc fluidior impune oberrat, tandem sic uno omnia glutine compingi, ut nec fluidæ parti transitus sit relictus,& obstructis in totum tubulis mors obrepat.

Verum isti dolores insequiore sexu tam ingentes, & persæpe stati, utrum oriantur ab aëris fermentive peregrini adflatu, acrimoniam aut expansionem solito majorem in coagulum membranasque inferentis, sagacioribus arbitrandum relinquo; *Pechlinus Med.Sept.vol.2.p.60*.

[30.] Quod in φλεγμονὴν ἀλγῆ) Quæ via est ad phlegmonen si sanguis vasis in substantiam excidit, unde differunt tanquam dispositio & habitus, Affectus est quem *Hippocrates l.1 de Morbis* vocat ..., *supervomitum venarum*, cum vasa cerebri sanguine turgida & distenta ... quasi quadam laborant; Impedita nempe est sanguinis in cerebro circulatio, nec sinus cerebri & venæ ab arteriis trãsmissum ut decet revehũt,in quibus moram trahit, incalescit & ... illam φλεγμονὴν inducit, Cujus dispositionis ratione *febrem Capitalem* quidam constituunt, quæ scilicet focum habeat in cerebro. Sic *Hippocrates*, *ait Si in febre ardente aurium sonitus cum caligine, proveniatque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant*, Hunc locum explicat *Galenus* de febre ardente cujus focus est in cerebro, propter collectam in eo bilem (*seu sanguinem biliosum in vasis hærentem*, *nec præterfluentem*) quæ inflammationem (*dispositionem inflammatoriam intellige*, *alias vera foret phrenitis si ex illis in substantiam excideret*, *aut cerebri inflammatio*) Eaque febris distinguitur ab ea quæ fit non coacervata in cerebro materia, sed in venis inferioribus residet,à qua flatuosa expiratio suscitatur delirium excitans, nam cujus febris ardentis materia in cerebro mansionem habet, ea continuam habet desipientiam, & symptomata non sunt ita fugacia: Sed & idem sanguis citra delirium potest alia symptomata inducere, videlicet cephalalgiam, cephalæam & alia, ut si per membranas cerebri liberum excursum non haberet &c.

[31.] *Aut ad basin cerebri*) Memorabile hujus casus exemplum extat apud *Fernelium l.2 de Abd.c.15*. Cum aliquando vidissem,*inquit*, Virum viribus integrum sinistri oculi ictu vehementiore repente attonitum corruisse, moxque sensu & motu privatum cum spiritu difficili ac stertore, & cum aliis fortis apoplexiæ indiciis, eumque nec venæ sectione nec alia ratione potuisse servari, qui XII. horis interiret, mortis causam investigatione dignam putavi, Discisso apertoque Capite,neque meningum, neque substantiæ cerebri quicquam confractum divulsumve, sed duntaxat interiores oculi venas contusionis vi diruptas, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura in *cerebri basin* procubuerat,qui concretus arterias eas constringebat quæ retiformem contextum efficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ choeiden plexum efficiunt.

[12.] *Cerebrum laxando quod postea basin comprimit*) Pituita (quo nomine cerebri excrementa aquea, frigida & humida, comprehendimus) intra calvariam immoderatius congesta, nisi per vias destinatas effluat, sed supprimatur; tunc si cerebri substantiam largo humore perfundat & refrigeret, Carum efficit; Vel si eandem longo impulsu adeo irriget, ut magna illa cerebri moles mollior laxiorque facta subito diffluat & subsidat, nervorumque principium in basi calvariæ à cerebro prodiens premat, & spiritui animali transitum præcludat, Apoplexiam gravem parit. *Platerus.*

[13.] *Tumor durus*) Tumor p.n. durus, pondere suo potius quam intemperie afficiens, stuporem sensim cum tumore genitum, sed diuturnum facit; qui ægre, nisi post mortem aperta calvaria, deprehenditur, qualis in Nobili *Bonecurtio*, qui aliquot annis velut attonitus stupebat, inventus fuit (*Vide infra art. 2. de* comate somnolento § *Super gravis*) Glandula nimirum magna, dura, supra callosum corpus genita, cum humoris copia, qui cerebrum irrigans soporem stupori copulatum efficiebat; cujus causa ictus, quo in vertice percussus fuerat, licet diu antequam in morbum tunc incideret, id factum fuerit, esse potuit. *Platerus Pr. l. 1. c. 2.*

[31.] *Tumor durus*) Tumor in cerebro, si stuporem inducat, vel uti putarunt, Lethargum, quia ægre vivente homine cognosci potest, vix illi alia cura quam quæ frigidis humoribus debetur, accommodatur; cum frigidum humorem hunc, qui id efficere possit, esse oporteat; calidus enim phrenitidem potius induceret: Diuturnus autem tunc erit stupor & mortalis, cum tumor abditus hic in cerebro emolliri nequeat nec resolvi.

[34.] *Suturarum defectu*) Caput ἄῤῥαφον dicitur, id externis injuriis valde reluctatur, at ab internis patitur, vapores enim & fumi cranii densitate coërciti, neque qua exspirent viam nacti, meninges distendunt, vellicant, hinc dolores capitis, catarrhi, aliique affectus quos halitus retenti, vel in humores soluti inducere valent, subinde exoriuntur.

[35.] *Qua corrigi non potest*) Ἀῤῥαφίᾳ futurarum hiantium potest supplere causticum sincipiti admotum, in suturæ coronalis & lambdoideæ concursu: aperitur enim sic via fumis in caput continuo involantibus, quod præsidium in gravibus capitis affectibus, mania, epilepsia opem nonnunquam tulit.

Cap. IV.

De Commotione Cerebri.

1. *Commotio Cerebri est* [2.] *ejusdem de loco naturali propter externas & violentas causas dimotio.*

[3.] *Subjectum* est Cerebrum, præsertim secundùm superiores partes.

[4.] *Signa* sunt, [5.] ægrorum consternatio, ut quasi muti & apertis duntaxat oculis immoti evadant.

Causa est [6.] ictus vel casus validior, bombardarum vel fulgurum fragor, quæ vel spiritus tantum conturbant, vel etiam cranii fracturam causantur.

[7.] *Curatio* absolvitur, I. [8.] *Sanguinis & revulsione*, per venæsectionem, ne affluat, *& repulsione*, [9.] vitatis siccis & adstringentibus, ne pori obstruantur, & transpiratio intercipiatur. II. [10.] *Sanguinis*, si quis effusus, *evacuatione*, per sectionem venæ, [11.] tum puppis, quæ supra lambdoidem est; tum illius, quæ sub lingua. III. *Discussione*, primo cum repulsione conjuncta, post sola per calefacientia & humectantia.

Dividitur dupliciter.

I. [12.] *Alia* est *Levior*, in qua tantum virtus animalis in cerebro retrahitur, absque vasorum ruptione, & ideo à functionibus suis feriatur. Et [13.] in hac, sopor nec ita profundus incidit vel vertigo corripit; [14.] ægri non loquuntur, redeuntque ad se levi aliquando præcedente delirio. *Fit* & à valida consternatione, narcotico quodam vapore cooperante; aliquando cum epilepticis paroxysmis, cujus exemplum mihi paucos ante annos in Heroë quodam occurrit.

Alia est *Gravior*, in qua etiam [15.] cerebri partes à suo naturali situ dimoventur, spiritus non tam retrahuntur quam conturbantur, meatusque concutiuntur.

Fit hoc, vel *sine vasorum ruptura*. Et *tum*, [16.] ægri redduntur fatui, nec ullo modo restitui possunt: vel [17.] *cum ruptura*, quod senibus facilius accidit, in quorum capite minor est cerebri motus, & [18.] spacium inter cerebrum & cranium majus. Et *tum* [19.] ἀφωνία, vel potius ἔκπληξις accidit, [20.] sanguis per os & nares aliquando effunditur; [21.] vomitus, ventriculo consentiente infestat; [22.] materia putrescente [23.] oritur febris, delirium, cerebri sphacelus &c. & [24.] detrusa ad nervos materià, colli relaxatio, tumores, cœcitas & alia symptomata ingruunt. Benedictus [25.] *Emplastrum* commendat, quod paratur ex [26.] *gummi hederæ* unc. iii. *resinæ pini* unc. ß. *ceræ* unc. iii. *olei rosacei* unc. iiß. *ammoniaci* unc. ij. *terebinth.* unc. iij. *succi corymborum hederæ* unc. iij. *farinæ fabarum*, q.s.

II. Alia fit [27.] *Syncipite percusso*, & quidem facilius, ut in Nerei filia apud Hippocratem Epidem. v. videre est. *Alia*, aliqua alia corporis parte, occipite inprimis.

[1.] *Commotio cerebri*) Alias *Concussio cerebri*, De hac Hippocr. aph. 587. *Quibus ab externa aliqua causa valde concussum fuerit cerebrum, hos protinus mutos fieri necesse est*, Eadem sententia legitur explicatius in *Coacis*, *Quibus concussum fuerit cerebrum, vel ex plaga doluerit, aut aliquo casu, his illico vox deficit, neque audiunt, fereque intereunt.* Paria leguntur 1. *de Morbis.* Eodem verbo (σείω, *quatio, concutio*, *unde* σεισμός) utitur de cerebro *Aristophanes*

in

in Nubibus, ubi *Strepsiades ad Amiciam Danistam*, Τὸν ἐγκέφαλον [illegible], *Tu mihi videris emoto esse cerebro*, sicut & nostra dicimus lingua de stupido & stolido, *Je crois que tu as le cerveau ébranlé*.

Sensus autem illius aphorismi est, Cerebrum concussione quandoque vehementer conturbari, commoveri & elaxari ad violenti ictus aut casus impetum, ut inde sequatur ἀπόπληξις & ἀφωνία, interdum mors.

Idem etiam accidit quando medulla spinæ dorsi fortiter concutitur, maxime circa principium, notante *Gulielmo libr. aphor. Hippocrat. Chirurg.* singularis enim est sympathia inter cerebrum & illius medullam, unde passionum identitas, *Dietericus Jatrei p.* 1117.

². *Ejusdem de loco naturali*) Fictitium hunc esse affectum censet *Hofmannus*, Vide in fine §. *Syncipite percusso.*)

². *Ejusdem de loco naturali*) Morbi compositionis oriuntur quando cohæsio mutua, & consequenter debitus partium ad se invicem situs tollitur, Unde sunt hi morbi vel in vitiato Situ, vel vitiata unione (*quorum utrumque violatur in commotione cerebri*) Dictæ partes quocunque modo conformatæ, necessarium ad se invicem nexum, seu Unionem & Cohæsionem etiam requirunt, unde etiam debitum ad se invicem situm ex connexione ista acquirunt, Quod si igitur violetur iste nexus, oriuntur morbi *Compositionis*, quando nempe cohæsio mutua, & consequenter debitus partium ad se invicem situs tollitur, *Ettmuller Fundam. Med. Nov. p.* 20.

². *Ejusdem de loco naturali*) Situs cerebri mutari videtur in *Commotione* ejus, qua subsidere deprehenditur, ex casu, ictu, sono immoderato, qualis bombardarum, trepanis sitatione &c. causata. *Blasius Med. spec. p.* 325.

³. *Subjectum est cerebrum præsertim*) Vide inferius §. 55. Cerebri *partes à suo naturali statu.*

⁴. *Signa sunt*) Dignoscitur præter causas dictas, ex soporis, loquelæ, visus, auditus, mutuisque abolitione, delirio, quandoque sanguinis per os & nares effusione, & ophthalmia, imo & fere vomitu, tandem & febre continua, vomitionibus, *Blasius ib.*

⁵. *Ægrorum consternatio, ut quasi muti*) Horum ratio est, quoniam ex Concussione cerebri sive hoc contigerit ex ingenti percussione, sive ex casu ab alto, Cerebrum in propria cavitate calvariæ hinc inde, & ad utramque partem ad os colliditur, in qua collisione evenit ut vis animalis in sese in talibus dispositionibus à motu periculoso molestata, spiritibus omnibus sd invicem confusis, & inde ejus cunctis vel exinanitis vel sublatis facultatibus quiescat: In tali autem facultatis animalis quiete; omnia ejus munia intercidunt; quare necessario sequitur ut patiens nec videat, nec audiat, nec loquatur, omnibusque aliis functionibus careat. *P. Salius Diversus comm. in 1.20 l. 1. Hippocrat. de Morbis.*

⁶. *Ictus vel casus validior*) De Concussione cerebri notandum, non per hanc omnem Capitis percussionem aut illisionem quamcunque intelligendam esse; nam sæpe percutitur aut illiditur, aut ex casu ab alto ad lapidem &c. ipsum caput alliditur, nulla facta cerebri concussione, Quia fieri potest vel cum gravis non fuerit ictus, vel gravi existente ictu, vacuus locus intra calvam non detur, Concussio enim ista non calvæ, sed ipsius cerebri, dum intra calvam hinc inde alliditur; est affectio quæ gravis admodum ac semper periculosa, in nonnullis autem omnino lethalis existit, Talis autem non omnis percussio, aut illisio capitis est, Nam sæpe etiam graviter aut percutitur, aut alliditur nullo malo subsequente symptomate, cum tunc temporis nulla fiat cerebri concussio.

Verum non solum hoc quandoque contingit, ut nullum insigne inde contingat malum, sed etiam ut cum salute ægrorum eveniat; Hinc vidi nonnullos epilepticos & nonnullos vertiginosos, ex capitis insigni percussione à propriis morbis liberatos fuisse, cum ex ea vasibus apertis notabilis facta fuerit hæmorrhagia, non tantum per nares, verum etiam per os & per aures, & in aliquibus per oculos: Hinc enim sublevato cerebro facile potuere ægri à propriis morbis liberari, non tantum ob evacuationem factam; verum etiam, quia ex percussione facta fuit quædam cerebri ad explodenda noxia irritatio & excitatio. Consimilis habetur historia apud *Hippocrat. l. 5. Epid. hist. 23.* de *Eunclo* puero &c. *Salius comm. in Hipp. l. de morb. 1. p.* 38.

⁷. *Curatio absolvitur*) Venator ex arbore in congelatam terram lapsus mox evomuit, & sanguinem per nares, aures, & palatum rejecit; loquelam amisit, fuitque ad se fere diem sine sensu & motu, quasi apoplecticus, febricitans vehementer: Vocatus crines abrasi, Caput *oleo rosaceo & myrtillorum* inunxi, Venam brachii secui, Clysteres acres injeci, aliaque quamplurima remedia adhibui, Tandem divino favore stupentibus spectatoribus convaluit. *Hildanus cent. 1. obs. 17. c. 2.* Gravissimæ commotionis cerebri curatæ, *Idem cent. 5. Observat.* 10. exemplum affert.

⁷. *Curatio absolvitur*) Curatio præcipue sanguinis accessum per venæ sectionem, cucurbitulas, leniterque repellentia inhibet, hinc enim qui extra vasa prolapsus *sensibiliter* aperto cranio; vel insensibiliter per Discutientia auferre studet *Blasius.*

⁸. *Sanguinis & revulsione*) In hoc casu, quia rupti sub cranio alicujus vasis metus est, statim detrahere sanguinem cephalica secta expedit: Detrahetur autem liberaliter pro ægri viribus, tum præsentis morbi ratione, tum ejus qui imminet; & metu graviore terret. *Vigierius Chir. l. 2. c.* 7.

⁹. *Vitatis siccis & adstringentibus*) Deraso pilo Catapl. *ex farinis, oleo rosac. & oxymel.* & similibus repellentibus frigidis & humidis toti cranio erit imponendum, & sæpius renovandum, Sicca vero & validius adstringentia vitanda sunt, qualia sunt *ungu. de bolo* & similia, obstruunt enim vehementius, fuliginemque transitu & exitu, tum per suturas tum per cæca spiracula cranii prohibent, quare non modo non inflammationem arcent, sed absentem accersunt, aut præsentem augent. *Vigierius Chirur. l. 2. c.* 7.

¹⁰. *Sanguinis, si quis effusus, vacuatione*) Periculosiora penes me sunt cranii vulnera, in quibus integra dura *Meninge*, cerebrum læsum est; vel ubi sub dura membrana læsa vena vel arteria (quod levi de causa contingit) sanguinem effudit; quam cum membrana simul sit vulnerata; Si quidem horum plures atque illorum vidi curatos: Nam membrana dura cerebri, ob suam densitatem atque crassitiem, nec sanguinem emissum, nec pus sub ea genitum emittere potest.

Hac de causa, nisi reprehensionem & calumnias metuerem, in gravibus ac periculosis capitis vulneribus, ubi vel contusionis cerebri, vel perrupti vasis sub membrana manifesta haberem signa, auderem hanc duram cerebri membranam perscindere, Etenim, ut in omnium, sic in horum vulnerum curatione præcipuum est perficere ut vulnera optime expurgentur, Nam omne quod tangitur à putrido putrescit. *Cortes in observ. Anat. & Chirurg.*

¹¹. *Tum puppis &c.*) Quæ supra lambdoidem suturam sita est, propter eam quæ illi est cum venis communionem, aperire utile est, obturatis ore & naribus, spiritum magna contentione elidendo; Sic enim intumescunt membranæ, sanguisque inter ipsas & cranium collectus extunditur, & paucos post diebus venis frontis aperiri potest; arteriæ temporum, & venæ sub lingua,

utut apertis ductibus conjuncta materia foras ejici possit. *Vigerius.*

12. *Alia est levior &c. Alia est Gravior*) Quoniam in prædicta Cerebri concussione, dum ad unum latus colliditur, ab altero latere cerebrum distrahitur, duorum alterum hinc sequi necesse est, Nam ex hac distractione, vel quædam partes circa cerebrum, & ab eo exortæ, aut circa membranas abrumpuntur, Vel ipsum cerebrum avelli, aut aliquando ejus partem convelli aut distrahi contingit.

In *primo casu* restituuntur ægrotantes, quoniam non patiente ipso cerebro, spiritus & facultates omnes recuperantur; In *secundo* autem nequaquam, quoniam patitur cerebrum continui solutionem in propria substantia; propria ejusdem substantia hinc inde distracta, ex quo spiritus evanescunt & extinguuntur; quapropter necessario pereunt, licet hoc non statim nec subito fiat, Nonnullos enim ego vidi per plures dies sine loquela, sine voce, & sine ulla functione animali, ac si apoplectici cecidissent perdurasse: Vbi autem non cerebrum, sed partes vel circa cerebrum, vel circa membranas ex concussione patiuntur, restituuntur ægri, recuperatis facultatibus, & regeneratis spiritibus. *Salius ib.*

13. *Et in hac*) Restituti paulo post, ob affectionem internam in dictis partibus causatam dolent, Cui affectioni, & dolori, nisi succurratur statim, subsequitur inflammatio, qua accedente lethalis fit casus, qui non esse lethalis potest si Medicus per convenientia dolori & affectioni admota præsidia inflammationem præcaverit: Dolor autem à concussione non statim præsentitur, quia tunc viribus & facultatibus cunctis destitutus est patiens, quibus recuperatis postea dolet. *Salius ibid.*

14. *Ægri non loquuntur redeuntque ad se*). Puer trium annorum ab altissima domo cecidit in caput, adeo ut totum compressum videretur: Proponebatur à quibusdam incisio sed non est facta, ob debilitatem, XIV. diebus mansit puer mutus, ac deinde recipiens loquelam, tandem sanus factus est per modum resolutionis, absque incisione & trepano: *Forestus lib. 6. Obs. 42. Chirurg.*

15. *Cerebri partes à suo naturali situ*) *Malpighius* demonstravit Epist ad *Fracassatum*, Cerebri substantiam totam esse fibrosam, ex millenis filamentis compositam: Verisimile est à concussione cerebri fibrulas has vim pati, divelli, distrahi, abrumpi, quo plures aut pauciores eo graviorem aut mitiorem esse affectum: Per dicta filamenta censet deferri spiritus animales, quæ si vim passa fuerint, hinc negatu libero commeatu, facultatum animalium interceptionem aut abolitionem accidere necesse est. Vide §. 12. *Alia est levior &c. Alia gravior.*) §.

16. *Ægri redduntur fatui*) Alii memoria capti, Sic narrat *Vigerius* de Duce quodam Vrbini, Eum ex equo in marmor durissimum capite prono decidisse, jacuisse mortuo similem, sanguinem, naribus, ore & auribus erupisse, caput faciemque totam intumuisse, colore livido suffusam, mutum XX: dies totos mansisse, nullo cibo sumpto nisi gelatina eliquata & pullorum caponumque jusculis; convaluisse tamen, quanquam memoria captum, & balbum in reliquum vitæ tempus.

17. *Vel cum ruptura*) Quidam cum baculo crasso ad sinistram capitis partem supra aurem percussus, non existimabatur insigniter læsus, Nam cutis integra nullam læsionis notam ostendebat, osse interim petroso, quod subest fisso, ac secundum latitudinem magnam rimam habente: Hinc mox supervenit *sopor*, non tam profundus tamen, quin interpellatus excitari facile potuerit; Excitatus vero facile iterum oculis conclusis in soporem relapsus est, donec tandem post dies XIV. gravem soporem, à quo excitari non potuit, mors sequeretur; Capite aperto reperta est durior cerebri membrana, sub osse petroso, sanguine omnino suffusa, purulento etiam circa cerebrum humore consistente.

Concussum autem huic fuisse cerebrum satis apparuit, quanquam & hoc ex ipsa ossis petrosi insigni rima satis manifestum, Neque enim tam violentus ictus absabsque cerebri concussione fieri potuit: Cur autem non statim *mutus* factus fuit, juxta *Hippocr. aph. 60. sect. 7.* Sed hic Aphor. non de quavis cerebri concussione, sed de violentissima tantum, veluti cum cerebrum concuti contingit (ut *Galenus* interpretatur) propter casum aliquem totius corporis violentum ex loco altiore; Jacent enim tunc eodemquo apoplectici modo, absque sensu pariter atque motu: Quando vero minus violenta est concussio, non statim muti redduntur, sed tardius & aliquot post dies demum, velut percusso huic contigit, tum & illi de quo *Hippocrates 5. Epidem.* Qui lapide *ait*, in capite à Macedone percussus est, corruit; Tertia die voce defectus erat, anxietas, febris tenuis &c. 4. die mortuus est, *Dodonæus obs. M. d. c. 1.*

18. Et *spatium inter cerebrum & cranium*) Dicta cerebri avulsio, vel partium ab eo, aut à membranis exorientium distractio, potissimum fit in his in quibus plurimum vacui est intra calvam, eam cerebro in totum non implente; Talis autem status solet fere in omnibus hominibus esse tempore coitus Lunæ, cum cerebrum sicut conchylia, sequatur augmentum & decretum Lunæ; Speciatim autem omni tempore in senibus esse consuevit; cum ætatis decursu in eis cerebrum marcescat, & imminuatur, unde nec calvam in his attingere potest. *Salius.*

19. Et tum *ἀφωνία*) Hæc symptomata ex *Hippocrate* 7. die, aut ad summum 14. accidere solent; Observavit tamen *Alvares Nonnius Annot. ad cap. 3. Arcæi de curandis Vulneribus.* Antverpiæ quodam anno quamplurimos citra calvariæ læsionem, ex cerebri seu meningum concussione (effluente è venis sanguine, obiisse. Illis qui sic affecti erant solita symptomata non incurrentibus, bene se habentibus, non febrientibus, non vomentibus, XVII. autem die aut XX. & quod magis est mirandum, XXV. hæc sese ostendentibus, mortuis omnibus.

19. Et tum *ἀφωνία*) Cur aliquando non statim sudat, vide supra § 17. *Vel cum ruptura.*)

20. *Sanguis per os & nares*) Cuidam cui caput concussum fuerat *magnam aquæ copiam* per nares stillasse ad aliquot mensuras, quo fluxu cessante per oculos stillicidium cepisse; quo pariter sedato per aures aquam sibi viam elegisse, tandemque satis ita evacuato capite convaluisse ægrum narrat *Bartholinus Med. Septentr. vol. 1. p. 58.* Colliquationi cerebri fluxum hunc aquosum non esse adscribendum curatio indicat, & sani sensus testantur, Vel igitur cerebri ventriculi sero abundantes se exonerarunt casu excitati; vel lympharica vasa in glandulis cerebri rupta profluvium serosum concitarunt, quibus alias hydrocephalus potest imputari. *Idem ibid.*

21. *Vomitus ventriculo consentiente*) Vidimus non paucos à capitis vulneribus, quæ solam carnem occupabant, non vulnerato pericranio, minime vero perforata aut discissa calvaria, febrem pati & bilem vomere, facta ab ictu aut casu cerebri & totius corporis concussione. *Christ. à Vega comm. ad aph. 50. sect. 6.*

22. *Materia putrescente oritur &c.*) Nisi natura validioribus viribus fulta sanguinem in pus versum expurato excludat, Nam *capite dolenti pus, vel aqua, vel sanguis, effluens per nares, et aut aures morbum solvit,* Aph.

Aph. 10. l. 6. *Galenus*, *Rhases* & *Avicenna* affirmant Naturam sanie in cerebro genita sese per nares & aures exonerare: Multos ego ipse observavi quibus talia contigissent. *Vigerius*.

22. *Materia putrescente*) Concussionem & percussionem capitis violentam putrefactionem cerebri insequutam fuisse docet exemplo *Suetonius* in *Caligula* historia, *Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum non prius occidit quam offensus putrefacti cerebri odore.* Tragici casus ... habuimos in *Henrico* 2. *Galliæ* Rege, ex concussione hastæ, unde aphonie, teste *Thuano l. 22. 1019. Dietericus Iatrei p. 1118.*

23. *Materia putrescente oritur febris, delirium, cerebri sphacelus &c.*) Cuidam vulnus illatum in superiore capitis sinistra parte, cum instrumento retuso, sed nonnulli ponderis, quod existimabatur periculi exors, utpote osse cranii illæso, idcirco negligentius curatur; supervenit Sopor, decubitus supinus fuit, pulsus parvus, creberrimus, mens nonnihil læsa; Ingravescente malo universum dextrum latus resolutum, cum tamen in sinistra capitis parte vulnus esset, inde perniciosus sopor, mors: Cranio sublato reperta est dura meninx parte sinistra livens, sub hac cerebri substantia, quæ apparebat, sphacelo correpta; cranio undequaque integro.

Apparet huic concussum fuisse cerebrum: Nam dextræ partis resolutio vulneris occasione non videtur accidisse, sed aliam ac majorem causam habuisse, ipsa videlicet cerebri ab usu per instrumentorum gravioris ponderis concussionem, reliqua symptomata vulneri supervenisse potuerunt; Complures referri possent qui ex levi capitis vulnere, pericranio tantum vulnerato obierunt, qui se aëri frigido exposuerunt; supervenit autem istis insolitum stupor, ac tandem profundus ac noxius sopor, nonnullis etiam febris, deinde mors, sed resolutionem alicujus partis præterquam in hoc non memini me observasse. Quamobrem non vulnus modo, sed cerebri concussio morti occasionem præbuisse videtur. *Dodonæus observ. c. 2.*

24. *Et detrusa ad nervos materia*) *Aliquando robusta natura materiam noxiam extra pellit*, Adolescens ludibundus ex fune pendens perpendicularis in altum sublatus, in caput super silicem pronus devolutus ἄφωνος factus, sensibus omnibus & mente captus est, mox igitur febre & delirio aliisque horrendis symptomatis supervenientibus, cum minime terebratus fuisset, quod nulla in cranio fracturæ species appareret, die 7. oborto ingenti sudore cum frequenti sternutatione, cujus impetu magna illi materiarum vis & puris per nares, os & aures effluxit, sequuta est symptomatum omnium levatio atque sanitatis restitutio. *Ambr. Pareus Op. l. 9. c. 22.*

Puerum gravissima cerebri concussione laborantem curavi: Variis remediis capiti adhibitis exortus est tandem tumor insignis sub aure, quo inciso maxima puris & sanguinis coagulati copia effluxit, atque sic puer convaluit. *Hildanus cent. 1. obs. 13. Exempl. 3.*

25. *Emplastrum commendat*) *Vigerius* ceratum suum, *de Vigo* dictum, commendat, cujus virtutem expertum ait in *Duce Urbini* (de quo supra §. 16. *Ægri redduntur fatui*) Hujus hæc est descriptio.

℞. *furfuris bene triturati.* ℥iij.
far. lentium. ℥ij.
rosar. myrtill. fol. & granor. ejus. ana. ℥j.
calami aromat. ℥iß.
chamom. melilot. ana. man. ß.
nuc. cupress. n. vj. ol. rosar. & chamel. ana. ℥iij.
ceræ albæ ℥iiß.
thuris, mastich. ana. ʒiij.
myrrhæ ℥ij.
In pulverem quæ redigi debent redactis, & liquefactis oleis cum cera, omnia misce simul, & fiat mixtura media inter Empl. & ceratum.

Vis illi inest discutiendi, mediocriter desiccandi, & humores qui sub cranio sunt evocandi, ac vi aromatica cerebrum roborandi. *Vigerius Chir. l. 2. c. 7.*

26. *Hederæ*) Si experimentis credimus, *hederæ folia* cerebrum continentis membranæ dolorem sedant, si mollia imponantur cum aceti exiguo & *rosaceo* trita & decocta, addito etiam *rosaceo*, Unde posteriores ex *hederæ lacryma* Cerotum componunt. *Al. Benedictus l. 1. Pr. c. 5.*

27. *Sincipite percusso, ut in Neret filia*) Libet mihi inquirere in dogma illud recens quod ait ... *Hippocr.* 7. *aphor.* 58. concussionem causari morbum in situ, quem illi vocant *commotionem cerebri*. Ego plane accedo ad *Vallesium*, qui 5. *Epid.* vult palpum illum amatorium filiæ *Neret* datum in sinciput, causatum esse primum dolorem, deinde affluxum sanguinis ex dolore, unde inflammatio, Cum enim tenella hæc virgo sinciput haberet adeo tenue & papyraceum, ut ad solum contactum doleret, factum quod *Hippocr.* dicit; Hinc erudiri possunt *Holl. & Heurnius*, falsum esse commentum, quod ... exponit de vehementi seu valida plaga; Imo etiam levissima manus potest membranam illam, qua mediante os frontis jungitur cum utroque sincipitis rumpere, qua, inquam, pulsus duræ matris percipitur in junioribus, ad annum aliquando octavum, aut plures. *Hofmannus Inst. l. 3. c. 58.*

Concussum tamen & compressum fuisse cerebrum aperte innuit *Vallesius* comm. in illam histor. p. m. 518. qua compressione attingente nervos opticos contigerit visus privatio, hinc sequuta inflammatio &c.

Cap. V.

De Inflammatione Cerebri.

1. *Inflammatio cerebri est* [2] *ejusdem* [3] *vel membranarum id investientium* [4] *tumor, à sanguine è vasis in spacia vel membrum effuso & putrescente exortus, cum febre acuta &* [5] *perpetuo delirio conjunctus.*

6. *Signa* sunt, [7] febris acuta & continua, quæ de tertio in tertium exacerbatur, quod bilis semper præsto; [8] delirium perpetuum, quod sensim & paulatim incipit; pulsus tardus, celer: faciei calor, rubor, squalor, membranis calore adurente exsiccatis; totius corporis inordinati motus &c.

9. *Causa* est sanguis [10] è vasis elapsus, & [11] ibidem intercepta transpiratione putrescens. *Effunditur*, vel propter copiam suam: vel propter tenuitatem & acredinem [12] adjuvantibus illis quæ aut sanguinem ad caput deferunt, aut eundem violenter commovent, ut sunt, aëris fervor, dolor, [13] percussio, vulnus, ira, vigiliæ diuturniores, vini generosi potus, [14] motus humorum in febribus, &c.

Curationis [15]. spes ferè *nulla*, si convulsio supervenit, [16]. si urina alba & pellucida est, quia bilis ad caput rapitur, si præsente jam delirio stridor dentium, ob musculorum in temporibus & maxillis convulsionem advenit [17]. si ad suppurationem tendit, [18]. quia pus intra cranium & membranam evacuari non potest. [19]. *Aliqua*, si [20]. die critico [21]. copiosus sanguis ex naribus fluit, si sudor multus & calidus à capite, si per alvum magna bilis copia post morbi vigorem evacuatur, *Parva*, si plures functiones læduntur, si lingua contremiscit, si rigor, albis per alvum excretis infestat, si nigra stilla, eaque sincera, ex naribus accidit, quia ab exustione valida est, si festucas colligunt.

[22]. *Perficitur* I. *Sanguinis*, qui influit 1. *Revulsione*, seu per sectionem Cephalicæ, aut si magna adsit copia, Medianæ primum quacumque diei hora administratam, quia nullæ à morbo induciæ; sed non ad animi deliquium quia vires prostratæ sunt: seu per cucurbitulas cum scarificatione profunda, ad partes inferiores & superiores; [23]. seu per alia revulsionum genera, [24]. vesicatoria nempe, scapulis & brachiis apposita, [25]. Clysteres humectantes & refrigerantes. 2. [26]. *Repulsione*, nisi materia ad capitis cutem vergat, per [27]. repellentia; vel tepida, [28]. acero levi temperata, capiti raso apposita, si calor vel internus non adest; [29]. vel frigida, si hoc est. 3. *Interceptione* per fascias aqua rosarum & aceto madidas collo circumjectas.

4. [30]. *Leni purgatione.*

II. [31]. *Sanguinis*, qui influxit *Evacuatione*, [32]. per apertionem venarum capitis, narium, sub lingua, ita ut sanguis copiose emittatur, & applicationem hirudinum post aures, [33]. cucurbitulæ ad sinciput. [34]. *Discussione*, per medicamenta ex discutientibus confecta, Vnguentum Alabastrinum, [35]. pullos columbinos dissectos, [36]. pulmones agnorum calentes suturæ coronali impositos.

III. *Diæta*, in qua jejunium vitetur, &c.

1. *Inflammatio Cerebri*) Inflammationis nomine verus tumor intelligendus, qui vulgo systrophica inflammatio nominatur, ex sanguine extravasato & in partis substantiam effuso oriunda: Ille autem sanguis calidus atque biliosus est, & in cerebri membranis, ipsaque cerebri substantia Erysipelas exquisitum, vel Erysipelas phlegmonodes, vel phlegmonem erysipelatodem inducit. *Riverius.*

1. *Inflammatio cerebri*) Inflammantur partes superioris ventris, membranæ nempe cerebri, & forsan, utut rarius, ipsum cerebrum; Nam cerebrum ipsum si inflammari contingat, brevi ad corruptionem, & hinc ad mortificationem tendit, Ideoque multi dubitant an inflammatio cerebri vera cotingat; Vel si contingat, an sub curam Medici cadat, De membranis cerebri extra dubium est, cum copiosis arteriis sint respersæ, simulque perquam sensiles sint, in quibus si contingat sanguinis motum impediri, sequitur inflammatio, quæ membranarum cerebri vel solitaria, vel cum parte quadam cerebri sociata inflammatio, modernis Medicis vocatur Phrenitis. *Etmuller. part. 2. p. 126.*

2. *Est ejusdem, vel membranarum ejus*) Constans pene est sententia Phrenitin proprie dictam esse affectum cerebri per essentiam, esse inquam *Inflammationem cerebri*, præcipue meningum ejus, Sicuti enim Pleuritidi nihil decedit quominus sit inflammatio Pleuræ siquidem Pulmoni communicetur, Ita Phrenitidi nihil derogat si ad cerebrum serpat: Rursus, ut Peripneumonia est peculiaris affectus, ita cerebri quoq; inflammatio, quamvis peculiare nomen sortita nondum sit. Hæc explicare oportet, Quemadmodum de Pleuritide contendunt quidam non esse Pleuræ sed Pulmonis inflammationem, ita non desunt qui Phrenitida negent esse meningum, sed substantiæ ipsius cerebri inflammationem. Ad hujus rei confirmationem *Vallesius comm. in 5. Epid. 49.* affert experientiam suam, *In vulneribus capitis, vulnerata, & ita inflammata dura matre in per partes eximeretur, non supervenisse tamen delirium*, quare concludit, *Phrenitida non fieri nisi penitissima partes cerebri inflammentur. Hofmannus Instit. l. 3. c. 52.*

Phrenitis quid proprie significat, vide infra c. de Delirio.

2. *Est ejusdem vel membranarum*) Et quidem membranas sæpe, præsertim Duram Inflammatio invadit, multiplex profecto pro ratione Partium, Situs & Causæ, Vel enim Inflammatio Sinus occupat, atque tunc dolor suboritur, cum sensu pulsus admodum molesto; Vel præter Sinus Membrana tumorem patitur, quo casu dolor quoque cruciat, sed diversus, cui scil. sensus *distensionis* conjungitur, vel *gravitatis*, vel *utriusque*, pro diversitate humoris à quo inflammatio; si enim partes in sanguine acriores, vel subtiliores, biliosæ videl. & sulphureæ, aut etiam salinæ præcelluerint, dolor lacerans, vel pungens, aut vellicans evadit; Si autem crassæ magis & aqueæ, aut etiam terreæ, dolor potius gravans fit, Quemadmodum ab humoris præcellentia multiplici *pungens* simul & *distendens* dolor fieri consuevit: Atque hic locus observandus occurrit *Hippocr. 3. de Off. Med. t. ult.* ubi curationem Suturatum capitis, ex inflammatione membranarum subjectarum dehiscentium proponit; de qua morbi specie vide *Hildanum cent. 2. obs. 7. & cent. 1. obs. 1. item Arnoldum Buotium* qui de hoc affectu agit *tract. de Aff. Omissis Molinetti, Differt. c. 22.*

3. *Membranarum cerebri*) Inflammatione & Abscessu *membranam* Duram corripi impossibile non est, Cæterum neque Pia morborum insultibus vacat, quamvis eum Tumores præ summa sui tenuitate respuat, & Abscessus ab Authoribus descriptos, interpretari semper expediat de puris collectione potius inter Piam & Duram, aut inter illam & extimam cerebri superficiem, re enim vera tunica tenuissima perfusa semel, aut imbuta humore alieno, multo celerius dirumpitur, quã ut illo intra se concluso in Tumorem excrescere possit, Nihilominus tamen morbos plerosque alios suscipit, maxime vero *obstructiones* & meatuum impedimenta, per quos sanguis naturali cursu properat in substantiam cerebri, nutritium succum inferens, & spirituum quo oblongata medulla, & nervi ab illa scaturientes replentur, atque etiam vivunt; Quarum utilitatum altera absque defectu substantiæ cerebri, tabeque ipsius irreparabili auferri nequit: Altera vero sine functionum animalium jactura non intertumpitur; quippe vel oblædi omnes, si noxa gravis & universalis fuerit; vel aliquas saltem vitiari, si levis extiterit, & partium quarundam tantum, necesse est. *Molinetti.*

4. *Est tumor à sanguine*) Hic exsiliunt quidam, quasi inflammari possit Derebrum, Factum puerile, Nam qui vel viruli-

vel vitulinum, vel ovillum cerebrum, etiam in mensa, viderunt, nosse possunt quam multa vasa per substantiam illius disparantur: Hæc vero in homine tanto sunt conspectiora quo majus est cerebrum. *Hofmannus Instit. l. 3. c. 54.*

5. *Perpetuo delirio*) Quia causam in cerebro fixam habet; remissio si quæ fiat, ita ut cum illo *Dealcis* hortum inhabitante apud *Hippocr.* resipiscere videatur, tunc malum non est in ἀκμῇ, aut in declinatione; Et sic intelliges *Galenum*, quando 5. *de loc. c. 4. Phrenitidis propria*, inquit, *& præcipua nota est, ne quidem in febrium declinatione delirium quiescere*, Non plane quiescit, aut desinit, sed mitius agit, *Strausius.*

6. *Signa sunt*) Inflammationem hanc *calor, rubor, dolor & pulsus* immediate insequuntur, Dolor ex parte affecta vehementissimus est, quoniam impense dolent, cum certum sit nullam capitis partem esse sensibiliorem dura matre; hinc exquisitissimi dolores necesse est adsint, cum ob stagnantem sanguinem sequatur membranæ distensio, quam necessario sequitur dolor acerbissimus *lacerativus*: Hinc videmus veros Phreniticos (ut plurimum hodie confunditur *Phrenitis* cum delirio in febre ardente) *avellere capillos* præ nimio dolore, & immenso quasi furore *caput immaniter concutere.*

Propter acerbissimum hunc dolorem malum est adeo acutum, ut tertia die sit lethale, cum propter sensibilissimum dolorem spiritus dissipentur, facileque partis inflammatæ sequatur gangræna, & inde necrosis: Præterea ægri hi mox *delirant*, adeo ut neque calorem neque dolorem sufficienter exprimere possint propter intensam incalescentiam spirituum animalium, eorumque inordinatum & impetuosum motum; Unde talibus insigniter delirantibus superveniunt tandem gravissima symptomata, in specie *convulsiones*, idque præcipue quando malum in gangrænam desinit; Præterea *pulsatio* in capite est vehementissima, de qua in primo principio conqueruntur ægri: Quanta sit talis pulsatio, & inde *dolor pulsatorius capitis*, potest colligi si attente aspiciamus collum, apparebit quod vehementissime pulset carotis. Ex quo colligi potest quantum impetum & qualem pulsationem sanguis in loco inflammationis sub cranio inferat; *Ettmuller p. 126. Tom. 2.*

7. *Febris*) Quæ conjungitur, quia corruptio & inflammatio diu in cerebro concludi nequit, quin in sanguinem residuum effundatur, eundemque & cor ipsum accendat, febrimque symptomaticam suscitet: *Symptomaticam* dico, neque enim de istiusmodi febre dicere, aut suspicari, possumus, eam tanta esse in perfectione ut hinc dependeat cerebri vel membranarum inflammatio, Febris enim quæ in talibus affectibus p. n. reperitur, potest quidem existere in homine antequam pars quædam inflammetur, verum existentia ejus nonnisi dispositiva, & in *fieri*, neutiquam in *facto* est. Hinc etiamsi non inflammaretur quædam pars, tunc omnino ista febris non potest ex numero illarum quarum natura est ad ἀκμὴν non pervenire, *Strausius.*

8. *Perpetuum delirium*) An Cerebri & membranarum inflammationis delirium semper sit comes, vide *Caput de Phrenitide* inferius.

9. *Causa est sanguis*) Isque biliosus, cui etiam bilis excrementitia ut plurimum admixta est, & pro variis illius gradibus; majori scil. vel minori fervore, aut adustione graviorem aut leviorem inducit Phrenitidem; sic bilis pallida omnium mitissimam; adusta vero ferinam: Ut vero fiat inflammatio cerebri & membranarum, oportet sanguinem illum biliosum extravasari, & in dictarum partium substantiam effundi, quod duobus præcipue fit modis, vel cerebro *primario* affecto, cum immediate à causa aliqua externa incalescit, ut radiis solaribus, meri potu, ira & simil. ut sanguis in vasis cerebri commotus extra vasa feratur; quod etiam à Vulnere, percussione & contusione capitis fieri potest: vel *Secundario*, in febribus ardentibus & malignis, quando humoris morbifici portio ad cerebrum detruditur; fit enim plerumque in hujusmodi febribus, ut Natura à causæ morbificæ malitia perturbata, illius portionem ad viscus aliquod deponat, unde videmus pleuritides, peripneumonias, anginas, hepatitides illis febribus supervenire. *Riverius.*

10. *Causa est sanguis è vasis elapsus*) Quid si vero, *dicat quis*, plures in quorum dissecto cerebro meninges, & quandoque exterior cerebri ambitus, tumore phlegmonode obsessæ fuerunt repertæ, non tam *phrenitide* quam *torpore* & soporosis affecti morbis interierunt? Video utique difficultatem quam nobis *Willis* ostendit, nec dum tamen negare ausim id quod innumeræ attestantur historiæ Medicæ, *delirasse* scilicet homines, atq; *febricitasse ex meningum* & cerebri inflammatione. Notanter *Galenus l. 1. Epid.* ait, *Visi sunt phrenitici facti lethargici, & obiisse*: Præterquam igitur, quod inter Phrenitidem *veram* & *spuriam* probe distinguendum, fieri insuper potuit, ut pituita bili permista delirium mitigarit, aut soporosus supervenerit affectus; aut consistens ἐν ἀκμῇ inflammatio, delirium ibi ἀναφώδες potius quam θηριώδες effecerint. Neque enim phrenitici semper manifeste delirant, aut, ut *Galenus* loquitur, κεκραγότες & πηδῶντες, exclamant & exiliunt sed sua habent apparentis quasi remissionis intervalla, ita ut interdum (dum præsertim temporis progressu virtus eorum languere incipit) vix desipere percipiantur, ac velut sopore detenti jaceant; Ipse *Willis* quoties cerebri cortex à sanguine vel sero occupatur, soporosos potius affectus succedere fatetur. *Strausius.*

11. *E vasis elapsus & ibidem &c.*) *Causa mediata proximior sanguinea est massa*, Hæc enim per sanguiductus membranarum & medullas cerebri allata, regressum tamen per venas naturalem haud inveniens, in substantiam diffusa consistit, obque moram accenditur, Neque vero ipsa tantum hoc patitur, quam etiam partes vicinæ; & qui sanguini insunt spiritus; quæ omnia supra modum calefacta, & agitata, deliria postmodum febresque excitant: Unde in vera Phrenitide præcedere vasorum ἀναστόμωσιν debere patet. *Strausius.*

12. *Adjuvantibus illis*) Causas proximas mediatas remotiores promovere posse ostendunt 1. *Res naturales*, ubi 1. *Temperamentum* cerebri *calidum & siccum* plurimum ponderis habet, 2. *Ætas*, dum prædicti temperamenti conditiones promovet, II. *Res non naturales Aër æstuans*, πολυποσία, hæmorrhoidum retentio, Ardens amore puellæ juvenis repulsam passus, in *Misc. Cur.* Animi mœror, III. *Res præter nat. vermis* cerebri membranas perforans hujus affectus causa extitit, ex *Paracelso l. 2. de morb. verm.* Febris primaria; Capitis vulnera, Contusiones &c. *Strausius.*

13. *Percussio, vulnus*) Quatenus πυρετὸν illam arteriis per se imputandam excitant, Ex accidente quoq; venas rumpendo, vel discindendo, in talem ægritudinem commutant; Uti miles ex accepta in prælio navali cranii contusione phreniticus factus est, à *Sylvio* in Nosocomio dissectus. *Strausius.*

14. *Motus humorum in febribus &c.*) Causæ internæ sunt raræ, nisi forsan præcedens sanguinis excretio quædam suppressa, aut alius, inflammationis metastasis veræ phrenitidi occasionem suggerat, Qua ratione in puerpera, propter suppressa lochia, Phrenitidem observavit *Horstius l. 2. obs. 25.* Item ex retentione hæmorrhoidum c. l. observ. 26. Sic peripneumonias aut pleuritides per metastasin subinde in phrenitidem veram ut plurimum lethalem mutari, exempla subministrat *Schenkius l. 1. Obs. Ettmuller p. 127.*

15. *Spes fere nulla*) Inflammatio cerebri, ejusque membranarum, est affectus utplurimum lethalis, qui tertia die hominem jugulare potest, ad summum die 7. Nam & *Alpinus de Med. Ægypt. c.* 13. refert se vidisse in *Ægypto* phreniticos 3. vel 4. diebus mortuos: In Inflammationibus cerebri dejectiones alvi albicantes, & urinæ cruentæ, albæ & pallidæ pessimæ sunt; ut plurimum enim ægri intereunt; quod confirmat *Hippocrat. aph* 4. 72. In inflammatione Cerebri, quibus, ut loquitur *Hippocr.* tremulæ aut obscuræ sunt desipientiæ, sunt periculosiores quam quibus sunt desipientiæ tumultuosæ, i. e. interdum phrenitici apparent quasi dormiant utut nil minus faciant, quin variis hinc inde insomniis conturbentur, adeo ut quæsitis inepte respondeant; Tales phrenetici, cum talibus variis insomniis, & obscura desipientia, periculosiores sunt iis qui fiunt cum vociferationibus, artuum contorsionibus & similibus. *Etmuller.*

16. *Si urina alba & pellucida*) τὰ οὖρα διαφανέα καὶ λευκὰ, 4 *aph.* 72. *Galen.* albas fieri ait ob bilis ad caput raptum. *Helmontius* rubedinem urinarum ad salia refert: Salia in sero & sudoribus omnino locum habent: Bilem autem cur omnino excludamus ratio nulla. *Rolfinkius Epitom.* p. 13. Albæ sunt ob & bilis alium ad caput μετεωρισμόν. *Idem.*

17. *Si ad suppurationem tendit*) Tunc affectus utplurimum lethalis, ut docet *Hippocr. Aph.* 51. 7. *Quibus cerebrum sphacelatum est in tribus diebus pereunt, si vero hos evaserint, sani fiunt, Galenus* in comm. docet per sphacelum hic non esse intelligendum factam & completam partis corruptionem, quia hæc sanationem non admittit, sed quæ est in fieri, imminetque ob inflammationis magnitudinem. *Riverius.*

18. *Quia pus intra cranium &c.*) Nonnunquam tamen suppuratione per abscessum, Constantibus adhuc viribus solvit, pure per os & nares à natura expurgato observatum est, Vide *Horstium Tom.* 3. *p.* 178. *Forestum l.* 10. *obs.* 3. *in Schol.*

19. *Aliqua*) Ad salutem properat hæmorrhagia narium, resolutione, suppuratione, καὶ μεταστάσει, in alios morbos, peripneumoniam, phthisin, κώφωμα ἢ κύφωμα, surditatem aut gibbositatem. 7. *Epid* n. 8. Rectius legitur, κώφωμα, surditas enim sæpe comitatur. *Rolfinkius.*

20. *Aliqua si die critico*) In iis qui convalescunt, quod rarissime contingit, nulla est præteritorum memoria, ægri enim nec morbi nec alterius ad rei morbum pertinentis meminerunt. *Riverius.*

21. *Die critico copiosus sanguis*) Sicut substillatio ex naribus semper mala, 1. *Prorrh. comm.* 1. *t.* 1. indicat enim materiam in cerebro collectam exitum moliri, sed naturam oneri succumbere, τὰ μικρὰ γὰρ ἐπιφαινόμενα ὀλέθρια, pauca superapparentia funesta, *Galenus* in *comm. Rolfinkius.*

22. *Perficitur*) Revulsioni, Repulsioni, &c. incumbendum, sed & interim quæ totum corpus, & præcipuas partes *Refrigerant*, tum interna, tum externa, in usum revocanda sunt: Interius Iulepi, Emulsiones, Electuaria.

℞. *aqu. lactuc. portul. rosar. papav. r. ana.* ℥iij.
syr. viol. granat. ana. ℥iß.
sal. prun. ʒiij. *f. Jul*[illegible]*ro* iij. *dozibus* bis aut ter in die sumendis. Vel

℞. *fol. lactuc. portul. plantag. ana m.* ij.
fl. nymph. & viol. ana p. j. *coq. in aq. hordei ad* ℔j.
In colat. dissolve syr. viol. ℥iij.
sal. prunell. ʒiij. f. Iulep. pro 3. dozib.

Julepis perpetuo præter *salem prunell.* optimum erit *spir. sulphur. aut vitrioli* admiscere; his enim bilis fervor optime temperatur.

Parari potest Electu. *ex semin. papav. a.* in mortario marmoreo contuso, & cum sacch. permisto, quod *Diacordium album* potest nominari; contundantur cum aqua rosacea; Humores calidos & acres temperat, somnumque conciliat.

Exterius admoventur Epithemata refrigerantia *Cordis & Hepatis*: Hujus & lumborum regio inungatur sequenti Linimento.

℞. *Ungu. rosac.* ℥iß. *Cerati santal.* ℥j.
succi lact. & olei rosac. ana. ℥ß. m.

Pectus etiam Oleis relaxantibus, *violaceo* inungatur. *Testes* linteis oxycrato madidis obvolvantur; vel, quod præstantius, aqua rosar. cum tantillo aceti usurpetur. *Pedum Lotiones* ex decocto refrigerante actu calido commendantur; nam calore humido eas partes relaxat, & humorum motum ad inferiora promovet: frigiditas vero illius potentialis per nervos toti corpori, & cerebro imprimis communicatur; somnusque conciliatur (*Pediluviorum virtus in affectibus capitis ex circulatione sanguinis repetenda: qui enim jam pedes occupat, intra breve temporis spatium ad cor, hinc cerebrum transfertur*) Aqua pura ad *Lotiones pedum* sufficere potest, & si in ea subfrigida pedes ægri mergantur per tres aut quatuor horas, eum à delirio liberat, ac somnum conciliat: Similem effectum præstat *Sedum maj.* contusum instar cataplasmatis & plantis pedum admotum: tum etiam Cucurbita contusa, & eodem modo apposita.

Odoramenta etiam naribus frequenter admota cerebrum refrigerant.

℞. *flor. violar. nymph. ana p.* j. *ros. p.* ij.
Santal. citr. ℈j.
ligentur in Nodulo raro, qui *aqua rosar.* aspersus naribus offeratur Vel *Santal. citr. & flor. ros. nymph. ana.* ʒj.
camph. ℈ß.

includantur in vase angusti orificii cum aqua rosar. & supra ignem ebulliant, Vapor naribus excipiatur. *Riverius.*

23. *Seu per alia revulsionum genera*) Caustica tibiis admota humorum revulsionem ad inferiora plurimum adjuvant. *Riverius.*

24. *Vesicatoria*; Ego feliciter usus sum Vesicantibus, Adhibui eorum duo post aures, unum in fine. *Saxonia Pr. Med. c.* 4.

25. *Clysteres humectantes & refrigerantes*) Hujusmodi clysteribus ne misceantur olea, quia facile inflammantur.

℞. *rad. alth.* ℥j.
folior. malv. violar. lactuc. parietar. beta ana. m. j.
flor. nymph. & anethi ana. p. j.
prunor. par. vj.
Coq. in aqua hord. in colat. ℔j.
dissolve cass. rec. diaprun. simpl. ana. ʒvj. Riverius.

Vide cap. de Phrenitide §. *Unicum remedium.*

26. *Repulsione*) Statim post V. S. ad *Repellentia* veniendum, quæ humorum ascensum impediunt caputque refrigerant; In hunc finem Oxyrrhodina usurpantur, quæ ex aceto rosaceo & aceto ab antiquis componebantur, Recentiores vero aquas stillatitias & succos herbarum adjiciunt, & magis vel minus refrigerantia ac repellentia fiunt, prout magis vel minus fluxio & inflammatio urget, cui rei diligenter attendendum, ideo plures formulas damus, ut casibus peculiaribus adcommodentur.

℞. *Olei rosac.* ℥iij.
aceti ros. ℥j.
aqu. rosar. & plantag. ana. ℥ij.
admove sincipiti raso & temporibus cum pannis duplicatis. Vel

℞. *aq. rosar.* ℥iv.
aceti rosac. ℥ß. *ol. rosac.* ℥ij.
alb. ovor. n. ij. m.

℞. *Succi lactuca, portul. solani, umbil. vener. ana.* ℥ij.
ol. rosac.

ol.rosac. ℥ij.
aceti rosac. ℥j. *m. s.*

Lac mulieris *quæ puellam peperit cum succo lactucæ & oleo rosac.* subactum, instar oxyrrhod. admotum, mire delirium sedat.

Ut vero ista medicamenta non facile diffluant sicq; oculos & faciem, aliasque partes inquinent, corona ex panno lineo, vel lana convoluta anteriori capitis parti imponatur, ut caput circundet, parte anteriore, in media fronte, ex lateribus, supra aures, in parte posteriore; versus occiput, & in medio coronæ remedia applicentur. *Riverius.*

27. *Per repellentia, vel tepida*) Circa hujusmodi refrigerantia observandum ut caute & cum iudicio usurpentur; cum cerebrum suapte natura frigidum sit, & membrum princeps, ac metus sit, ne diuturniori horum remediorum usu æger in contrarium affectum, comatosum scil. perducatur, præsertim si senex fuerit aut admodum debilis: Ac licet nunc longiori, nunc breviori tempore eorum usus continuandus sit, tamen circiter ad dies tres potest definiri, Ista vero remedia, juxta *Galenum* 2. de compos. med. hyeme actu calida, vel tepida, æstate frigida applicanda sunt: In sene tamen, aut debili, melius est nunquam actu frigida admovere. *Idem.*

27. *Per repellentia*) Repellentia externo usui dicata sunt, & quidem illi quando effreni impetu alicubi irruit sanguis, pro modulo cujuscumq; partis, & vel fibras mẽbranaceas tendit, adeoque dolorem vel tumorem parit, vel exitum affectat; Illapsum igitur particularem impetuosum avertunt, vel leviter impactum in alveos suos redire faciunt sanguinem, seu parti ipsi debeantur, seu vicinis, ubi defensiva & intercipientia audiunt; Quæ ut magis pateant, supponendum est in affluxu & effluxu ejusmodi sanguinis circulum non bene habere, sed ad specialem hunc vel illum locum, vel spinam vel ἀλόγισον ipsam redundare, unde sanguis & serum ἀθρόως καὶ λάβρως irruit; Calorem & fluxilitatem ipsius humoris fluentis, sanguinis vel seri, illapsum hunc promovere; partium debilitatem seu nativam, seu acquisitam incitare, poris magis dilatatis, vel obstructis quoque nonnunquam; hinc ut calor dilatat poros sanguinis & fibrarum, rarefacit, & amplius spatium concedit, ita frigus concentrat & constipat: hinc quæcumque extrinsecus congelant quasi sanguinem, & poros coarctant, glandulas subcutaneas constringunt, fibrasque corrugant & firmant, proprie dicta sunt repellentia, seri scilicet & sanguinis recursum promoventia; vel saltem illapsum particularem impetuosum abarcentia. *Wedelius Am.m.m.p.* 81.

28. *Aceto levi temperata*) Quædam repellentia solius frigiditatis, velut principalis qualitatis, ratione repellunt, inprimis sæpius repetita & renovata, ut eo major fiat pororum coarctatio, Quædam præter repellendi facultatem etiam adstringendi vi pollent, ratione acidæ terreæ substantiæ; Optima autem omnium sunt Acida, quæ cum frigiditate partium tenuitate simul pollent: hinc & externo ambitu, seu contactu repellunt; & odoratu in sudoribus & lipothymiis, coagulando spiritus, laxatis fibris seu frenis effusos, quorsum & aër frigidus spectat. *Idem ib.*

29. *Vel frigida, si hic est*) Observo in fervidissima phrenitide licere uti *cucurbitarum* carne tusa, & nive refrigerata capiti abraso apposita, qua præter spem phreniticus fuit liberatus, *Fabr. Bartolettus meth. in Dyspn.* l. 5. c. 2.

Rusticus quidam alium curavit tantum Cucurbitæ taleolis, quas frigide capiti ton imponebat, sæpe renovando. *Petrus Borellus obs.* 71. *cent.* 4.

30. 4. *Lenis Purgatione*) Purgatio in Phrenitide primaria, quæ scil. alteri morbo non succedit, nullo modo convenit, In ea vero quæ febri continuæ supervenit, aliquando confert: Si nimirum magna sit cacochymia, & phrenitis incipiens, tunc enim materia est errabunda, & pro turgente habetur, atque adeo, ex consilio *Hippocr.* aph. 22. 1. per initia statim evacuanda est: Purgatio autem debet institui ex decocto refrigerante cum purgantibus benignioribus, ut *Senna, Rhabarb. Cassia, Tamarindis, catholic. & syr. rosac.* Riverius.

31. *Sanguinis qui influxit evacuatione*) Celebratis sufficienter materiæ fluentis evacuationibus, & interceptionibus, ad materiæ fluxæ eductionem veniendum est; Ac primum *Vena frontis* aperienda, si manifesta sit & secari possit, falcia collum non adstringendo, ut vulgo fit, sic enim sanguis sursum impellitur.

Utilissime etiam aperientur *Venæ Narium*, & si ullo modo morbus est sanabilis, hoc præcipue curabitur, satisque copiose sanguis per eas emittendus, idque satis mature, & statim post universales vacuationes: Aperiuntur dictæ venæ nares interius seris aliisque asperis frequenter pungendo ac lancinando; *Zacutus* usus est penna, ad radicem instar stellæ effigiata; Vel adhibitis post aures, naribus, fronti, podici, hirudinibus sanguis exsugendus. *Riverius.*

32. *Per apertionem venarum capitis* &c.) Inter cuncta præsidia primas tenet Jugularium venarum apertio, sic enim sanguis in cerebrum per arterias illati, ac in sinubus cerebri quapiam de causa cohibiti, descensus recto tramite promovetur, Sed & ab initio morbi possunt aperiri, cum remedii universalis, ob amplitudinem vasorum, vices teneant, licet satius sit primo venas pedum aperuisse revulsionis gratia.

33. *Cucurbitula ad sinciput*) Si nihil commodi consequatur Medicus ex Resolventibus medicamentis, docet *Mercatus* summo Capiti cucurbitulam affigere, ut per suturas aliquid exspiret, evoceturque ad cutem; ac si rubor compareat ac tumor, subter cucurbitulam scarificare; quo auxilio asserit Medicum consequi posse quod reliquis omnibus non valuerit, maxime si mox adhibeatur lavacrum aquæ dulcis, in quo aliquid ex discutientibus coctum sit, quod remedium *à Zacuto* confirmatur.

Quidam majori audacia *Vesicatorium* sincipiti admovent, sed magna indiget præmeditatione. *Riverius.*

34. *Discussione per medicamenta*) Capiti applicentur Resolventia simul cum repellentibus, ea proportione ut primo parum addatur de resolventibus; quo vero morbus magis ad declinationem vergit, eorum quantitas augeatur, ut tandem sola resolventia usurpentur; In hunc finem valet oleum *chamæm.* vel *aneth. cum rosac.* permixtum: Sed primas tenent *animalia recens mactata* capiti admota, vel eorum partes: calore enim naturali partem roborant, humorem discutiunt, illiusque acrimoniam temperant. *Riverius.*

Cum delirium in summo est, remedium singulare & probatum existit ex *carnibus & sanguine animalium* tepentibus adhuc, capitis vertici applicitis paratum: quę tanquam assa ex summo capitis æstu cum deponuntur, vaporem aliquem emittere videntur, & sola fere iuvisse sæpius observavi: Quod an *discutiendo*; id faciat, vel *impetum* sanguinis sistendo, hic disputare nolo; hoc scio mirabiliter hęc sanguinem è vulnere fluentem sistere. *Platerus.*

35. *Pullos columbinos*) Puerpera juvencula non bene post partum purgata in grave delirium subito incidit, cum febre acuta, Phrenitidem veram esse statim iudicavi &c. præmissis præmittendis *gallinam* per medium dissectam tepentem & cruentam capitis vertici imponi jussi, quo facto vapor copiosus & crassus, ita ut conspici posset, mox ab ea sede evaporabat, & cum gallina removeretur, tosta esse videbatur, quod mire profuit

nam sequenti die ad se redire cœpit &c. *Obs. lib. 1. pag. 90.*

Sub Phrenitidis finem *gallos exenteratos* applicabis capiti, valent enim ad digerendum, at cum humores adhuc moventur, ac sursum rapiuntur, nocent plurimum. *Ballonius l. 1. Epid. p. 5.*

[36.] *Pulmones*) Singulari experientia comprobatum est remedium, *Pulmo agni* aut arietis recens, calidus adhuc, capiti prius derafo applicetur. *Franc. Joel.*

[37.] iij. *Diæta*) Pro Potu utatur æger *Decocto hordei*, vel *rad. acetosæ*, cum *syr. granator. berber. aut limon.* vel

℞. *aqu. fontis* ℔ij.
fol. acetos. & papav. r. ãã. m. ß.
flor. borrag. nymph. violar. ãã. P. ß.
spir. vitr. ʒj.
santal. r. limat. ℈ij.

fient in infusione per aliquot horas frigide, colentur per chartam emporet. adde sacch. albi q. s. *Riverius.*

Vivendi ratio non tam virium conservandarum causa quam ut *alterando* nonnihil juvet instituenda: Aër ad frigidum inclinet: At an in *tenebris* vel *luce*, ut minus delirent, dubium, cum illis falsa spectra tam in luce quam in tenebris appareant? Satius tamen illos loco paulo obscuriore contineri.

Cibus refrigerans & humectans, sicut febricitantibus convenit, *herbis* & aliis frigidis conditus, ut *lactuca*, *endivia* & simil.

Omphacio, aceto, succisque aliis frigidis; Et cum delirantes quid faciunt nesciant, cibumque sæpe non solum, sed & alia abominabilia devorent, non est mos ipsis gerendus, sed cum *tenuis victus* esse debeat, subtrahendus, *ex hordeo, prunis*, aliisque levioribus cibandi.

Potus, dum sæviunt, sit *aqua* per se, vel coctione præparata, cui syrupos *præparationis* & *alterationis* causa permiscemus.

Vigiliæ, ob summum cerebri calorem illis communes & noxiæ sunt, quæ & in genere, iisdem remediis morbo resistentibus, cum refrigerent, & humectent, præsertim externis, quibus *soporifera* eo nomine adduntur, corriguntur, Et privatim illorum causa medicamenta soporifera cordialibus permistis exhibentur.

Motus inordinati, ob depravatam imaginationem, illos adeo exagitant ut è lecto surgere omni vi, & se induere, & nisi coerceantur, effugere conentur; unde sæpe impotentes mentis ex alto cadunt, mortemque sibi inferunt; Quæ inquietudo *Soporiferis* exhibitis, cum animo quiescente, corpus quoque quiescere necesse sit, castigatur; Atque ut cohibeantur, quod cum rabies illos robustos faciat, vinculis interdum constringuntur; quæ tamen nonnunquam, cum eo nomine irascantur, magisque ferociant, relaxare, illisque aliquid concedere, cautione tamen magna adhibita ne se ipsos aut alios lædant, oportet. *Platerus.*

Dividitur trifariam.

I. Alia est *membranarum cerebri* sanguine ex vasis eis insertis elapso, [38.] cui præcedentia maximè conveniunt.

II. [39.] Alia *cerebri ipsius*, [40.] quando sanguis confertim [41.] in ejus substantiam & poros effunditur: [42.] In hac [43.] primò dolor caput occupat, & per occiput ad collum & universam nucham penetrat; ægri non delirant, sed [44.] sensus externos & internos amittunt; parum aut nihil loquuntur: Et intro quidem [45.] se vehementer movent, sed *a* morbo procedente languescunt, & dormitare quasi videntur.

9. Affectus [46.] transit [47.] vel in [48.] sphacelum. [49.] è quo quidem tertio die moriuntur: vel in apoplexiam quod paucos ante dies Generoso cuidam in Silesia viro accidit.

III. Alia *est utriusque simul*, in qua ægri quieti quasi jacent, neque loquuntur, neque figuram decubitus permutant: aliqui palpebras aliquando aperiunt, aliqui non: delirium tremulum, obscurum, & contrectabile, periculosius est quam tumultuosum, phrenitide hectica concepta.

II. Alia *febrem antecedit*, in qua febre absente purgare licet; majore præsertim cacochymia præsente: Cucurbitulæ summo vertici sunt apponendæ, scarificatione subsequente.

[50.] Alia *febrim sequitur*, missa in febribus continuis vel malignis aliqua materiæ parte ad caput, in qua etiam lenioribus purgari potest, si materia turgeat: [51.] summaque febris ratio habenda: Solet aliquando & peripneumoniam sequi, malis ægri rebus: Siquidem materiæ ab ignobiliore ad nobiliorem partem, ob morbi magnitudinem, & virium imbecillitatem significat.

III. Alia est *à sanguine puro, vel cum seroso & pituitoso misto*; In qua delirium est mitius, & minus periculum; sanguinis plus detrahendum: Alia [52.] *à bilioso magis*, in qua delirium gravius, & si aduratur, gravissimum, Purgari leniter potest, si minor Cacochymia, validius, si major, Rhabarbarum cum tamarindis valet.

IV. Alia est *in Fieri*, cujus signum, [53.] vel circularis spuma in urina, ex flatulento spiritu humorem sursum tollente exorta; vel urina, quæ cum antehac esset valdè tincta & turbida, clarior & minus colorata evadit,

Alia est *in facto esse*.

V. Alia est *simplex*, quam ordinaria symptomata sequuntur, Alia [54.] *pluribus aliis comitata*, ut sunt.

I. *Convulsio*, qua qui corripiuntur, evadere non possunt, Galen. XII. Method. Med. cap. 8.

II. *Rigor*, qui si cruda adhuc biliosa in corpore materia corripit, nervosum genus affici indicat.

III. *Linguæ*

III. *Linguæ tremor*, propter facultatis animalis ex immoderata cerebri caliditate & siccitate imbecillitatem.

IV. [41] *Respiratio magna & rara*, quia spiritum ducere obliviscuntur, & raritas in febrili calore magnitudine suppletur.

V. *Vrinæ suppressio*, quia sensibus interioribus affectis, neque pondus, neque acrimonia urinæ sentitur.

VI. *Lacrymarum acrium ex oculo altero fluxus*, ob humorum ab immodico calore dissolutionem &c. quæ in Curatione vide.

38. *Cum præcedentia maxime conveniunt*) Censent nonnulli si *cerebrum* potissimum affligatur, *pulsum* deprehendi *undosum*, & propensionem in somnum adesse; Sin vero *meninges inflammata* magis laborent, *pulsum* cum quadam convulsione *durum* observari, *doloremque capitis punctorium* ægros excruciare; At quid phrenitici, *dices*; sentient dolorem cum mens laboret? Cephalagiam hanc inter signa Phrenitidis imminentis recenset *Saxonia Prel. Pract. p.* 19. quæ ubi jam adest, *inquit*, non amplius de dolore capitis, aut *alterius partis*, neque etiam *linguæ ariditate* conqueruntur. *Straussius.*

39. *Alia cerebri ipsius*) De Cerebri inflammatione loquuti etiam sunt *Paulus. Aëtius & Oribasius ex Philumeno*, quos etiam æmulatus est *Avicenna* in morbi hujus explicatione, sed eorum casus non est huic quem nos explicamus consimilis, quoniam Isti asseruut in hac cerebrum inflammatum ita intumescere ut suturæ capitis disparentur; quod dictum nedum verificatur in casu nostro; Sed nec apud me est possibile, cum suturæ ex gravi ictu non ita facile dissolvi & disparari possint, nedum quod imaginari queat ex tumore interno hoc accidere posse; nisi forsan hoc in puerulis admittatur, in quibus suturarum ligamenta mollissima existunt, cartilaginosaque corpora nondum ossea sunt facta: Præterea addunt subsequi nauseam multam in illis, bilisque vomitum supervenire, quorum neutrum in casu nostro reperitur, nisi forsan hoc ante factam inflammationem acciderit, ut semel in uno vidi, qui in primo morbi insultu copiosissime evomuit, statimque facta inflammatione, & sensus exteriores & interiores amittens, ab omni evacuatione quievit. *Salius Diversus.*

40. *Quando sanguis confertim*) Ab *Hippocrate* annotata 1. *De morbis*, Est *Substantia cerebri suppuratio vel corruptio*, quæ gangræna vel Syderatio etiam vocatur, *Causa* immediata est substantiæ cerebri inflammatio, qua tota propemodum occupatur: magna autem illa in parte mollissima & humidissima brevi sphacelum accersit: Inflammationis causa est sanguis supercalefactus, vel admodum biliosus in cerebri corpus & partes ejus internas affatim irruens: Causæ procatarcticæ sunt, quæcunque sanguinem calidum copiosum in toto corpore cumulare, & ad caput transferre valent, ut exercitatio vehemens, insolatus, capitis ad ignem calfactio, Ira &c. sed frequentius hunc affectum inducere solent vulnera capitis gravia & concussiones: Ab hac tamen causa oriundus abscessus, vel sphacelus, à prædicto diversus aliquomodo est, quia ex contusione factus abscessus, tot cerebri partes ut plurimum non occupat, sed uni præcipue adhæret, unde leviora symptomata ab initio esse solent, & affectus ad plures dies propagatur. *Riverius.*

41. *In ejus substantiam*) Hæc affectio nonnisi cerebri substantiæ accidit, idque non in superficie, irrigationis instar, ut sæpe phrenitis etiam efficitur, sed in penitioribus & abditis ejus partibus & ventriculis. *Mercatus de Int. morb. cur. lib.* 1. *c.* 11. *ex Salio.*

42. *In hac*) Prædicta signa observantes habebimus ea per quæ distinguitur hic affectus à cæteris, qui huic similes existentes cerebrum occupant: Ab *Epilepsia* differt, quoniam licet in utrisque deperdantur sensus interiores & exteriores, & in utrisque adsit motus, tamen in Epilepsia est motus convulsivus, in hoc autem est voluntarius: Præterea in Epilepsia spuma ex ore procedere consuevit, quæ nunquam in hoc affectu videtur; cui etiam febris acuta necessario connectitur, quod non est in Epilepsia: Ab *Apoplexia* distinguitur, quoniam in hac tollitur motus & sensus, at in isto soli sensus desunt, non motus: Præterea apoplexiæ necessario non adjungitur febris, imo raro in ea. & salubriter aliquando apparere solet; at in hoc febris acuta admodum de necessitate connectitur, A *Phrenitide* autem distat, quoniam in Phrenitide est delirium, & non deperduntur sensus; quorum neutrum est in hoc affectu: Videtur quidem consimilis Phrenitidi hic morbus ratione affectionis, & ratione loci affecti, quoniam in utrisque est inflammatio, & in utrisque inflammatur cerebrum, tamen maxime differunt ratione partis & loci affecti, quoniam in phrenitide potius est inflammatio in membranis quam in cerebro ipso, & præcipue in tenui, à qua communicatur & ipsi cerebro inflammatio, potissimumque parti ejus exteriori & contingenti membranam; at in ista internas cerebri partes, ejusque ventriculos & propriam substantiam inflammatio occupat; quare gravior est hic affectus quam ille &c. *Salius.*

43. *In hac primo dolor*) Cum invadit hic affectus, apprehendit patientem ingens capitis dolor, qui per occiput collo & universæ spinæ communicatur, à quo statim deperduntur sensus tum externi, tum interni, solusque remanet motus, qui adeo nonnunquam in his ægris validus est, ut vix quandoque loco contineri valeant; quamprimum enim correpti sunt hoc morbo, deperdito unoquoque sensu exiliunt ægri, quemcunque inordinatum motum tentantes, modo cruribus & pedibus, modo toto corpore se agitantes, præcipue autem manibus partes superiores, licet non semper, sæpius tamen invadunt; easque toto conatu distrahere conantur, ut interdum ego viderim mulieres, hoc morbo detentas, omnes crines dilaniasse, & totam faciem unguibus propriis dilacerasse, sicuti etiam & viros; hac eadem ægritudine deprehensos, totam fere barbam sibi evellentes idem fecisse prospexerim. *P. Salius De Aff. Part. c.* 1. His addatur quod facies in hujus morbi principio satis rubet & fere tumet, Oculi autem præcipue rubent, & in his venæ sanguine plenæ apparere solent, constantesque ac fixi prominent. *Idem.*

44. *Sensus internos & externos amittunt*) Horum omnium causa est inflammatio substantiam corpusq; ipsum cerebri occupans, cujus ratione ita deperduntur virtutes rectrices (cum cerebrum per propriam & innatam temperiem munia sua exequatur) ut nec dignoscere affectum ipsum, nec cætera queant; Unde licet in parte nervosa spiritus animales non sint intercepti, tamen quia his mens ægrotat & deprehensa est, nec dolorem nec quid molestum ad extra persentiunt; Interius tamen cum supra modum affligantur, adsitque incendium maximum, irritata natura est in causa illius motus involuntarii, qui non potest tolli non obstructis vel occlusis nervis ipsis. *Salius.*

45. *Se vehementer movent*) Si liquor arteriosus, & spiritus animalis extraordinario æstu perciti maxim sinum,

masculi subeant, tunc explosiones validissimæ contingunt, ac fibrarum, explosiones ejusmodi admittentium, extraordinaria tensio: Ideoque *Phrenitici*, & cuncti *Maniaci*, quorum spiritus flammæ instar incandescunt, motus admodum violentos edunt, majorique virium robore quam per sanitatem pollent: Non secus enim accidit in Phreneticorum spiritibus (quorum destillatio, in corpore non absimilis ei contingit quæ fit in alembico) ac in *spiritu terebinthina*, si nimium urgeatur illius destillatio, adeo ut sicuti hic flammam facillime concipit statim ac illa instituitur, si præsertim *flores sulphuris terebinthina* additi fuerint: Indem Phrenetici spiritus, qui ad cerebrum tanquam ad summum alembicum feruntur, immodico febris æstu propulsi, in flammam omnino erumpunt, si præsertim sanguis sulphure ignis rapaci turgeat. *Dn. Duncanus Expl. mech. Act. anim. cap 9.*

a. *Morbo procedente*) Procedente morbo languescit corpus, admotumque impotens redditur: hi semper sine voce manent, nec ullum vestigium sensus retinent, cum nec (si etiam fortiter pungantur) respondere aut annuere posse videantur; Accedente hoc morbo una invadit acutissima & intensissima febris, quæ eundem semper concomitatur affectum: cum tanta tamen febre nec si potum offeras quid gustare tentant, imo nihil nec cibi nec potus unquam admittunt. *Salius ib.*

46. *Affectus transit vel*) Aliquando contingit vires ita fortes esse ut morbum superare possint, quod ubi contigerit nulla erit in ægro memoria præteritorum, Non recordatur enim nec morbi, nec alterius rei ad morbum ipsum pertinentis, Tantum hoc vidi in nonnullis qui salvati fuere, quod confuse meminerunt, se valde anxios & angustiatos fuisse, magnumque incendium persecisse, non tamen distincte quid enarrare potuerunt. *Salius.*

47. *Vel in sphacelum*) Latini siderationem vocant, Est autem quando materia, inflammationis parens, à calore partis mutationem aliquam, sed non integram subit, tunc enim, quia assimilari nequit substantiæ partis, qui finis utique est naturalis cujuscunque mutationis, in pus convertitur; corpus inutile naturæ, & qua mole sua, & pondere; qua particularum exedentium consortio, summe periculosum. *Molinetus.*

47. *Sphacelum*) Antiqui inflammationem membranarum cerebri, aut ipsius cerebri, vocarunt *sphacelismum*, seu *sphacelum* quod patet ex *aphor.* 50. *sect.* 7. supra adducto, ubi per *siderationem* seu *sphacelum*, intelligit inflammationem ejus, Tanta confusio vocabulorum ab *Hippocr.* tempore orta fuit; Male igitur *mortificatio partis totius sphacelus* dicitur, dum antiqui talem mortificationem vocarunt necrosin, quæ, dum est in fieri vocatur gangræna, quod vocabulum adhuc in tali sensu in usu habemus; *Sphacelus* enim proprio & genuino veterum sensu est *inflammatio cerebri ejusque membranarum*, quod hodierno abusu necrosin veterum denotat: Phrenitis vero proprie est inflammatio diaphragmatis, sed verba valent ut nummi. *Ettmuller Tom.* 2. *p. m.* 126.

47. *Transit vel in sphacelum*) Hæ inflammationes magnæ existentes partem frigidam cum occupant, materiæque peccanti improportionatam sæpe evenire solet ut partem ipsam patientem fere corrumpant & ad gangrænam deducant, Quapropter dicebat *Hippocr.* 7. aph. 50. casum hunc ab aliis non animadversum considerans; *Quibus cerebrum sphacelatum est in tribus diebus pereunt, si vero hos evaserint, sani fiunt*, per *sphacelum* autem hic, ut monet *Galenus* in comm. intelligit, non factam & completam partis corruptionem; quoniam hæc sanationem non admittit, sed quæ est in fieri, imminetque ob inflammationis magnitudinem. *Salius.*

48. *Ex quo quidam septimo die*) Qui hoc patiuntur velociter pereunt, tum quia morbus est gravissimus, tum quia pars maxime principalis admodum læsa est; Quod si tamen contingat ægrum tribus primis diebus supervivere, & ad diem quartum pervenire, possumus sperare & morbum declinaturum, & vires ita fortes esse, ut morbum superare possint. *Salius.*

49. *Alia febrem sequitur*) Febris primaria, quoties vel ob atrociorem cephalalgiam, vel turbatam crisin, materia peccans ad caput rapitur, ansam huic malo præbere potest; Sic apud *Rhodium cent.* 1. *obs.* 41. in crisi febris continuæ per alvum facta solo vini haustu lethalem sibi phrenitidem quidam acceleravit. *Straussius.*

50. *Summa febris ratio habenda*) Præsertim per *Alterantia*, tum febris comitis causa, tum ob intemperiem calidam capitis, Potus præcipue forma, cum valde sitiant, nam medicamentosa non libenter assumunt, quibus & humorem biliosum, si quis adsit, ante purgationem præparare oportet; In *Jusculis acetosa, lactuca, bugl.* incoquuntur, & horum aqua illis permiscetur; uti & *succus citri & acetum rosac. Aqua*, quam bibit, *syrup. de ribes, granat. de limon. vinum granator.* vel alios succos acidos permiscebimus: Vel *Julepos* per vices quantitate decenti per se exhibebis, vel potui adjicies. *Platerus.*

51. *A biliosa magis*) Felicius scopum Recentiores attingunt Dogmatico Hermetici, quando *biliosam* sanguinis ἀλέῃσιν expositam, non tantum excedentes ibi *particulas sulphureas*, sed etiam magis asperas, *salinas* pota, non raro permistas; seu bilem *acriorem volatilioremque*, vel *similem humorem sale volatili & acri* constantem statuunt; cum experientia constet homines biliosos & melancholicos præ aliis in ejusmodi furores inclinare. *Straussius.*

52. *Alia à biliosa magis*) *Paulus*, *Aëtius*, *Avicennas* & alii meminerunt *Erysipelatis cerebri*, cujus signa ponunt Dolorem totius capitis, & videri ægrotantibus flammam in ipso cerebro habere, quæ duo jure quidem consequuntur ad Erysipelas: Sed cum postea omnem sensum & cognitionem hic tollant, non possunt esse signa præsentis morbi, *inflammationes cerebri.* Salius.

53. *Vel circularis spuma*) Corona nihil aliud est quam linea per umbram depicta, quæ urinæ superficiem in circumferentia vasi urinario adhærentem cingit: Hujus causam qui in humore aliquo determinato quærunt, ejus naturam non satis videntur considerasse, nam etiam in quocunque aliquo liquore, si pellucido vitro infusus fuerit, circulum apparere oculis apparet, Oritur ergo *corona* materialiter quidem à partium dissimilitudine, aut humorum exagitatione, vel etiam tinctura evidentiore: Formaliter vero à reflexione luminis & radiorum, quatenus viol. lumen in superficie liquoris aliter refringitur & recipitur quam in medio: De *dissimilitudine partium* est apud *Fernelium*, qui coronam propterea aliquando non animadverti docet, quod æqualis & ubique sui similis existat: De *humorum agitatione* quoque patet, quoniam in hac flatus excitantur, qui in urina intercelusi coronam turgescere faciunt; Sed & *tinctura* evidentior addenda est, nam si urina parum tincta sit, circulus etiam vix apparet; Refractio autem radiorum in superficie in causa est, ut multa de substantia & colore in Circulo oculis subjiciantur, quæ in reliquo liquore cerni non possunt, unde etiam præ reliquo liquore significandi vim habet.

Significationem autem habet duplicem, generalem & specialem, *Generalis* est, quod si corona meliorem quam reliqua urina colorem exhibet, vires ægri humoribus superiores esse significat, adeoque salutem prænontiat, contraria contrarium, *Specialis* vero, quod fere qualis in vasis majoribus sit sanguis monstrat, Nam secundum *Fernelium*, corona tenuis & alba aquosi sanguinis nota est, crassa & alba pituitosi, Rufa vel citrina, temperati, Crocea, bile flava conspersi, Flammea, biliosi

&

& tosti, livida vel nigra melancholici; atque ita morborum inde oriundorum indicium præbent Qui autem hæc ad capitis usque vitia extendunt, ita ut pro quadruplici humorum sede, videlicet sanguinis in fronte, flavæ bilis in dextro tempore, pituitæ in occipitio, atræ bilis in sinistro tempore, Coronam quæ prædominantis humoris est index, insimul harum partium dolorem & affectus signare velint, de iis *Terentianum* illud potest usurpari; *Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant*, hypothesi enim nituntur pæne ridicula.

Bullæ vel separatim in urinæ superficie consistunt, vel etiam aliæ aliis connexæ sunt, cum & connexæ sunt invicem & aliæ aliis insident, *Spumam* efficiunt. Generantur autem bullæ ex materia lenta & crassa, Ita pueri solent lixivio admiscere saponem, ut eum calano ampullas efficiant, quod enim lentum est multum extendi potest & in magnum spatium, oleum autem quod saponi immistum est, absumpta jam parte tenuiore maxime cohæret. Causa est calor imbecillior, quatenus hanc materiam non potest incidere neque satis attenuare: Hinc Bullæ morbum frigidum significant, eumque longiorem si diu permaneant, materiæ enim majorem tenacitatem indicant, ob quam non facile dissolvuntur & concidunt.

Significant autem Defluxum materiæ ad pulmones, aliquando morbum renum, quandoque *capitis affectionem*, hanc quidem, *quia cum in superficie generentur, significant materiam spiritu depulsam ad sublimiorem partem*, inquit *Actuarius 2. de caus. Ur. c. 4.* Et hæ vel in *corona* consistunt, vel in *medio*, In *corona*, nunc integra serie dispositæ, & tunc cephalalgiam indicant, nunc medietatem saltem occupantes, & tunc hemicraniam, Nunc connexæ, & sese mutuo attingentes, & majorem affectionem significant, nunc separatæ, & minorem; quibus adde colorem, nam si aureæ sint & citrinæ, dolor erit acrior, mitior si albæ & pallidæ: Parvæ plerumque sunt & exiguæ, & tunc materiam valde lentam significant, quæ non multum extendi possit præ lentore; nisi illud etiam propterea fiat, quod quia longius veniunt nonnihil extenuantur in transitu tam longo per venas &c. *Matthæus Martini Anat. urinæ c. 11.*

54. *Pluribus aliis comitata*) Ut est *vomitus* biliosus, æruginosus, & virulentus, qui semper pessimi est ominis, *Hippocr. 3. Epid. Ægro 4.* ita ut quibus accidit, eorum nullum evadere & celerrime mori testetur *Galenus 2. in 1. Epid. tr. 54.* Terminatur quandoque, præsertim si mitior fuerit, minusque exquisita, ad alios morbos *ἐν μεθόδῳ διαδοχὴν* dictam, Sic phrenitidem excipit peripneumonia, quem transitum *Hippocr. 1. de morbis* observavit; Uxorem suam ex Phrenitide suppurata in phthisin incidisse *Saxonia* refert. *Straussius.*

55. *Respiratio*) Rara & magna, authore *Galeno 4. de cau. Puls. 14. tarda*, quia læsa est facultas animalis quæ movet thoracem, ob quam læsionem obliviscitur eum movere, *magna* est quando facultas vitalis excitata & coacta excitat animalem, quæ post tarditatem magnitudine compensat. *Rolfinkius.*

56. *Urinæ suppressio*) Hanc quando nec admonitio, nec ostensio matulę submovere valet, juvabit *ungu. alth. oleum scorpion.* ita candela cerea caute urethræ immittenda: caute tamen hic procedendum est, cum hæc retentio sępe crisin per diuresin sudorem indicet, ex *Hipp. 6. Epid. 1. 22.* Ideoq; non est procuranda, sed potius naturę bene agenti committenda, ne natura turbata per intempestiva diuretica æger ad interitum ruat; Alias hujusmodi indolis sunt diuretica interna, ut simul aperiant, incidant & tartarum moveant: Videatur *Frid. Hofmannus m. m. lib. 1. c. 12. Straussius.*

De Cerebri Motu nimio.

Causa varia hic obtinet, quarum prima *spiritus vitalis inordinatus influxus*, propter abundantiam, tenuitatem, motum indecentem, ut in ira, &c. 2. *Sanguinis tenuioris per arterias affluxus*, unde turbatio spirituum animalium & vertigo, 3. *Irritatio cerebri membranarumque ejus à causa externa pungente*, ut ensis, odores rerum fœtidarum &c. *contundente, frangente*, vel etiam ab *interna pungente, humore*, scil. seu sanguine maligno, putrido, salso, bilioso &c. aut *vapore* simili, sive in cerebro ipso producantur, sive, quod fere fit, ex inferioribus partibus ad cerebrum deferantur. *Ger. Blasius Ther. spec. p. 428.*

Cap. VI.

De Hydrocephalo.

1. H*ydrocephalus est tumor capitis, à serosi humoris, in aliqua membrorum caput constituentium parte* 2. *collectione exortus*.

3. *Signis* opus non est: Nam ipso visu malum cognoscitur: Corripit magis infantes quam adultos.

4. *Causa* est humor aqueus, serosus, interdum fæculentus, imo & cruentus.

Curatio 5. est *dubia*, tum quia pars nobilis: tum quia subjecta tenera: tum quia apoplexia vel lethargus facilè ingruere possunt.

Perficitur 1. 6. *Aquæ eductione*, illaque 1. 7. *Universali* per hydragoga, sudores, urinam, 8. Diureticum ex tartaro rubro, hirundinaria, colcotare. vino ardente per alembicum destillatum Poterii Cent. 1. observ. 2. prodest.

2. *Particulari*, 9. illaque *sensibili*, primò per 10. sinapismos & vesicatoria, mox per sectionem quæ in loco declivi & aqua scatente, ita ut musculi temporales vitentur, & aqua paulatim educatur, administrata: 11. *insensibili* per exsiccantia & discutientia, Inter quæ thermæ sulfureæ, & aquæ sale, sulfure & alumine conditæ laudantur, 12. Formius apud Riverium sola fascia Guidonis in formam cucuphæ concinnata curabat. 11. 13. *Cerebri* ad suam temperiem per calida cephalica *reductione*, Hildanus incurabilem facit; nec facilè sectionem tentandam, cum aqua in ventriculis stabuletur, nec educi nisi incisis membranis possit.

Dividitur pro ratione subjectorum & causarum.

I. *Ratione subjectorum*, 1. [14] Alius est *Infantum*, quos etiam magis corripit: [15] quod vel fit *in utero*, seu propter imaginationem matris; seu propter nutrimentum serosum, ex nimio aut aquæ aut fructuum usu provenlens; Vel *extra uterum*, dum in partu caput incautè comprimitur.

Alius [16] est *Adultorum*, in quo suturæ capitis propter ligamenta ferè ossea disparari solent.

II. Alius est *totius capitis*.

Alius *dimidiati*, de quo apud *Tulpium* observ. l. 1. c. 25.

Alius *alicujus capitis partis*, ut anterioris, de quo apud *Epiphanium Ferdinandum* historia 21.

II. *Ratione causæ*.

I. [17] Alius est *Aquosus*, Alius *Cruentus*, ob sanguinis ex orificils vasorum elapsum, vel ob tenuitatem, vel ob ipsorum vasorum contusionem; Et *tum* dolet & rubet initio tumor, mox concolor & sine dolore evadit: Sanguis primò incidendus & attenuandus; mox discutiendus est: Valet spongia ex posca æstate, ex vino hyeme.

II. [18] Alius est *ab aqua inter cutem & cranium hærente*: Et *tum*, tumor est mollis, ad candelam & solem pellucidus, doloris expers, qui tactui cedit & iterum assurgit, compressus fluctus digitis objicit, Facilius medicamentis cedit, [19] & sectione unica per medium transversa tolli potest.

Alius, *ab eadem inter cranium & pericranium hærente*: In quo dolor propter membranæ distentionem affligit, & tumor est durior: [20] Sectio adhiberi debet bina.

Alius [21] *ab eodem inter cranium & meninges collecta*; Et *tum* tumor non est ita mollis, dolor major, frons extra ferè projicitur; cerebrum amissa interdum forma globosa formam convexi fornicis Induit, de quo *l. 1. obs. 24.* Tulpius Suturæ dilatantur, & cranium quod infantibus molle, distenditur, ut cum cerebro membranæ instar evadat: Solent etiam ægri intentis oculis videre, & *frequentius lacrymari*: Malum est, ut dixi, incurabile.

1. *Hydrocephalus est Tumor*) Hydrocephalus est Tumor præternaturalis in infantibus potissimum contingens: Appello Tumorem p. n. quia magnitudo immensa etsi naturalis vitiatas operationes faciat, attamen non est ita morbosa appellanda ut auxilio Medico indigeat, quandoquidem cum sit naturalis fieri nequaquam potest ut corrigatur: Dico *Capitis in universum*, quia fit hujusmodi Tumor in tota capitis amplitudine: Scio & *Avicennam* & *Aëtium* prodidisse hunc Tumorem fieri quandoque in peculiari capitis parte, sed plerumque tamen fit in toto capite: Est ergo Tumor hic morbus in magnitudine aucta, à quo læduntur operationes tum naturales tum etiam animales: Et quia omnis magnitudo aucta fit, vel propter solidorum incrementum, vel propter humoris alicujus additionem, vel propter flatus; hic tumor non fit propter incrementum partium solidarum, sed tum propter humores additos, tum maxime propter flatus: Si fiat propter *humores*, dicitur à Græcis communi nomine ὑδροκέφαλος, *Hippocrates 2. de morbis* vocat *Hydropem cerebri*, Sed si flatus colligantur fit morbus qui dicitur à Paulo ἐμφύσημα τῆς κεφαλῆς. Nos dicere possumus capitis Inflationem. *Mercurialis de Morb. Puer. l. 1. c. 4.*

2. *Collectione exortus*) Colligitur hæc aqua in capite duplici modo. 1. Per vapores, 2. Per exitum è venis, quem consuevit *Hippocr.* sæpe dicere *Vomitum venarum*; Fit enim ut quotiescunque venæ vel propter repletionem, vel propter compressionem, vel ob aliquam aliam rationem aperiuntur, ut inquam exeat ille humor qui magis lubricus est, qualis est aqueus: *Mercurialis de Morb. puer. l. 1. c. 4.*

3. *Signis opus non est*) Nam conditiones & circumstantiæ tumoris facile rem innuunt; *Visui* quidem *ac Tactui* patet, sed si adsit flatulentia, caput leviter pulsatum instar tympani resonat, Si vero digito prematur Tumor, hic aut non recedit, aut si nonnihil recedat, ad pristinum illico redit statum: Sin vero humor sit *collectus*, & quidem *extra cranium*, caput quasi splendescens observatur; nullum si percutiatur edit sonum, digito prementi facile cedit, & non statim ad pristinum revertitur statũ; Quod si *inter cranium & cerebrum* cõtineatur, tumor attactu non adeo mollis est, nisi valida fiat compressio, & frons quasi exporrecta est, intentis oculis vident, qui humidi & lacrymantes conservantur, ac concurrit fere insignis sensuum hebetudo; Quibus absentibus circumstantiis, tumente nihilominus insigniter capite, suspicio est in *cerebri ventriculis* radices egisse Hydrocephalum. *Ettmuller.*

Signa Hydrocephali *sub cute existentis*, sunt quod illico puero ex utero erumpente in parte aliqua capitis tumor concolor prominet, nisi fit à *contusione*, tunc enim rubor & dolor simul aderunt: Tumore autem existente, seu materia ejus contenta inter cranium & pericranium, tumor facile cedit & recedit, non tamen tam facile cedit, nec sine omni dolore est si fuerit intra membranam & cranium: At inter os & membranam cranii collectione morante, non nisi valida compressione cedit, oculi sunt clausi & lacrymantes, cum continuo vagitu pueri, & quodam stupore ac languore: Humore autem sub calvaria, seu sub membrana pia matre detento, oculi prominent, rubei & dolorifici, Voluntque quidam etiam quasdam notas delirii observari posse, *Cardilucius in Hartmannum c. 187. p. 943.*

4. *Causa est humor aqueus*) Materia collecta fere est *Lympha*, adeoque & hic fere ad *Lymphaductus* respiciendum est, ut vole *Pauli in Anat. Anatomia Bilsiana p. 85.* Et confirmat, *Hertodus* in *Crocologia p. 282.* de Puero Hydrocephalo mortuo, in quo vasa lymphatica cerebri partim turgida partim rupta visa. *Ettmuller.*

4. *Causa est humor*) Interdum præter solas aquas observantur simul flatus collecti, hydrocephali tumorem augentes. *Ettmuller.*

5. *Curatio est dubia*) Nam omni tempore expertissimis Medicis insignem creavit molestiam: Aqua in ventriculis cerebri, aut intra cerebrum & meninges contenta periculum summum affert: Minus intra meningem crassam & tenuem, aut intra meningem crassam & cranium collecta (duram enim matrem phlebo-

tomo

mo dissecare licet si ad eam pervenire concedatur; Longe adhuc minus extra cranium detenta. *P. Barbette Chir. cap.* vj.

6. *Aqua eductione 1. universali*) Quæ evacuant, vel *sensibiliter*, per quasvis vias & modos exhauriunt, vel *insensibiliter exhauriunt* & discutiunt: *Evacuantia*, pro robore subjecti sunt determinanda præsertim in *infantibus*, in quibus *Mercurius dulcis cum syr. rosar. sol.* propinatus convenit, sicut *adultis* eadem quæ in Ascite in usu sunt, conveniunt v.g. *elaterium, succus rad. ireos rec.* &c. *Clysmata* quoque tam infantibus quam adultis egregie prosunt: Sic D. *Michael* famulum mercatoris curavit clysmatibus, Laboraverat autem antea hydrope in partibus inferioribus, quo soluto tumor quasi ad caput raptus fuit, ita ut non tantum cutim valde distenderet, sed & oculos ex cavernulis foras protruderet; quin & organa aliorum sensuum læderet, & idem bruti ad instar in lecto jaceret: *Clysmate* autem ex herbis *soldanella, gratiola, fol. ebuli, asari, flor. sambuci, genistæ. persic. cortic. inter. sambuci, frangulæ, rad. ireos nostr. esulæ & pulpa colocynth. in urina* coctis parato, eoque applicato, factis insuper aliis faciendis, sanitati fuit restitutus. *Emmuller.*

7. *Illaque 1. universali*) Purgantia, Sudorifera, Diuretica, raro in hoc casu aliquid conferunt, majus emolumentum afferunt Cauteria, Vesicatoria, Fonticuli, Setacea &c. *Barbette.*

8. *Diureticum ex tartaro rubro*) *Tinctura Tartari* infantibus commode propinatur pro stimulanda urina: *Poterius cent. 1. c. 2. destillatum Paracelsi antihydropicum* commendat.

9. *Illaque sensibili*) Hydrocephalus in capite vix *topicis* adhibitis curatur, cum materia ob crassam capitis cutim difficulter digeratur; tentatis tamen prius efficacissimis in oedemate & hydrope expositis, si non succedat, per sectionem aut ustionem cura facile perficitur; eoque tutius cum hæc citra periculum hæmorrhagiæ majoris, aut doloris in hisce sedibus stupidioribus fieri possint; unde satius hoc pacto rem aggredi quam multis aliis adhibitis ægrum diutius molestare. *Platerus.*

10. *Per Sinapismos*) Sic dicti à materia, ἀπὸ τῆς σινάπεως, à semine sinapi, quod primarium illius est ingrediens; alias ab effectu φοινιγμὸς, ἀπὸ τοῦ φοινίσσειν, quod rubefacere significat, suo enim ardore humores attrahunt, cutimque rubore inficiunt, sed non exedunt tamen; hinc color ruber phœniceus audit, qualis hic ab attracto sanguine visitur: Et hic usus *Sinapismorum* apud veteres frequentissimus erat, hodierno autem seculo fere exolevit; saltim eo modo; Utebantur illi, quod ex *Paulo, Oribasio, Aetio*, & *Myrepso* patet, sinapismis in diuturnis maxime affectibus, tum capitis inprimis, uti *cephalæa, hemicrania, epilepsia, vertigine, mania, affectibus soporosis*, ubi capiti applicabantur: Tum in *affectibus pectoris, asthmate, tussi antiqua*, ubi thoracem sinapisabant; Hinc & in infimi ventris, *stomachi, intestinorum, renum* & *lumborum affectibus, dolore ischiadico, & arthritide* quavis, *paralysi*, & aliis: Fugiebant vero eosdem tum alias, tum in ulceribus partium internarum, pulmonum, jecoris, tum externarum, quod ulcera à sinapi acrimonia exacerbarentur; item in partibus excarnibus & cartilagineis, ut naribus, auribus &c. *Wedelius Am. m. m. p. 85.*

11. *Insensibilis per exsiccantia*) In capite infantis utendum diaphoreticis, quæ humiditatem absumant & adstringant, quæ roborent, proinde *calamenth. origanum, pulegium, serpillum, salviam, betonicm, sabinaam, chamæmel. melilotum, flor. stæch. anthos, aneth. nuces cupressi, rosas, furfur. in lixivio ex cineribus sarmentorum confecto & vino austero coquito*, & eo decocto caput irrigato: Ea certè Embrocha mihi est familiaris & usitata, quæ vim habet exsiccandi & confirmandi caput: Postea sequ. liniment.

℞. *Pulv. absynth. chamæmel. melilot.* ā ā. ℥ij.
butyri recol. chamæmel. vel aneth. ā ā. ℥iv.
ceræ parum misce. Vel

℞. *mellis* ℔ß.
origani m. iß.
salis comm. ℥ß.
m. f. Catapl. Vel

℞ *Ol. chamæmel. vel aneth.* ℥iv.
sulph. ℥j.
m. f. linimentum, Cataplasma ex cochleis (vide infra) mirum in modum resolvit, *Chalmeteus Ench. Chir. c. 18.*

Sulphur tritum, lana sicca exceptum & capiti impositum, maxime prodest ad exsiccationem. *Mercurialis Pr. l. 1. c. 2.*

Mulieres *fermentum* cum *aqua pulegii* probe mixtum & malaxatum nuchæ aliquoties imponunt, raro sine præsentaneo auxilio *Joh. Strobelbergerus manud. ad cur. morb. Puer. c. 21.*

Præstantissimum hoc est linimentum.

℞. *Ol. rosar. myrt. in. chamæmel.* ā ā. ℥ß.
spicæ ʒj.
anethi ʒjß. *vini gener.* ℥vij.
furfuris ʒj. *flor. chamæm. melilot. aneth. stæch. scoenanth.* ā ā. *p. j.*
nuc. cupr. n. ij.
crasso modo contusa misce & coque ad consumpt. vini, colat. adde Croci ℈j.
ceræ albæ q. s.
parum ebulliant. Fiat linimentum.

Puerum 7. annor. sola *olei hyper.* continua inunctione, addito *pulvere myrtillor.* curavimus: Alius eodem modo convaluit: In hoc casu expertum hoc quoque habetur.

℞. *mellis* ℔ß.
salis ℥ß.
pulv. origani ℥iij.
m. & tepide locus inungatur, *Forestus l. 3. obs. 6.*

Puerum 15. dies natum hoc malo correptum intra tres dies hoc medicamento curavi.

℞. *Pulv. absynth. chamæm. & melilot.* ā ā. ℥ij.
butyr. rec. olei chamæmel. ā ā. ℥iij.
ceræ parum, ad ignem fiat unguentum, *Amatus cent. 1. cur. 60.*

Aqua pendens in pueris commendat *spiritum vini* primæ destillationis cum parte quarta *aquæ scabiosæ* cum spongia impositum: Monet autem hic spongiam novam esse recipiendam; & arcte fascia capiti alligandam, ac ne refrigeretur, calido linteo superposito moderate esse calefaciendam.

Exsiccant & Thermæ sulphureæ ubi earum est copia, si spongia in iis madefiat, & capiti imponatur, In defectu vero coquantur in aqua *sal, sulphur.* & *alumen*, & eodem modo applicentur.

Avicenna adhibet *cochleas*, quas coquit in decocto *artemisiæ, stæch. calamint.* vel *ebuli*; easque ita coctas contundit, & calide capiti raso applicat: *Expertum.*

℞. *limaciarum cum testis n. xxxvj.*
pistentur & reducantur ad formam Emplastri, & ponatur supra caput, & dimittatur quousq. per se cadat, Resolvit mirabiliter, *Leonellus Faventinus*, probant *Paræus, Primirosius.*

Insensibilis per exsiccantia) Medicamentis absumentibus aquosum humorem, simulque etiam affectam partem roborantibus utendum, E. g.

℞. *rosar. r. furfur. melilot.* ā ā. *m. j. flor. anthos, chamæmel. salv. beton. stæch.* ā ā. *p. j. bulliant in aq. f. q. addita vini austeri quarta parte*, Eo decocto modice calente infantis caput singulis saltem octo horis irrigetur, 5. vel 7. diebus continuis, Dein

℞. *Ol. chamæmel. aneth.* ā ā. ʒj.

pulv. absynth. rosar. rub. ãã. ℥vj.
sulph. exacte pulv. ℥ij. *cera q. s. f. linim.*
quo ter in die caput infantis illinatur, & lana succida obtegatur, interposito interdum sequ. Cataplasmate.

℞ *mellis* ℔ß.
origani m. j. *salis* ℥ß.
cum modico *vini austeri & croci gr.* iv. *vel* v. F. Cataplasma capiti applicandum. *Zecchius consult.* 64.

Unguentis si addatur parum *ol. destill. succini*, vel *balsami sulph. terebinth. aut juniper.* erit discussivum eo potentius. *Avicennas* jam olim commendavit *cochleas in decocto* cephalico *stoech. arab. calaminth.* &c. contusas & capiti applicatas, quæ alias in scroti tumore mirabiles sunt: Insigniter quoque conducit *fotus ex lixivio calcis vivæ*, quo feliciter in puerorum Hydrocephalo usus fuit *Aquapendens*, Alii *decoctum calcis vivæ, sulph. & vitrioli* recipiunt, quo percolato caput fovent ut disparear tumor.

Denique *essentia rorismar. salvia, hyper.* pro externo litu crebrius repetendo, ad discutiendas aquas, à quibusdam adhibemus. *Etmuller.*

12. *Formis apud Riverium*) infans, *inquit*, recenter in lucem editus, hydrocephalo laborabat totum caput occupante, cum magna suturarum dilatatione, Ego sine ullo medicamento, aut alio remedio, hunc affectum curavi sola fascia *Guidonis* in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obvoluebatur, duabus extremitatibus in globulos obvolutis; quondie dicta fascia renovabatur, & intra 15. aut 20. dies tumor prorsus evanuit.

13. *Cerebri ad suam temperiem*) Caput est confirmandum, ne materia repullulet; Id vero fiet medicamentis siccantibus, calfacientibus in forma *Pomi odorati*

℞. *castor. & rutæ*, ãã. *pars. aqu. moschi gr. aliquot. cum succo sampsuch. f. Pomum*, *naribus Pueri sæpe admovendum*, Potes eam in rem uti *cypero, galanga*, *nuc. mosch. caryoph. benzoin* & *simil.* Vel caput infantis *vino austero & oleo communi* illinatur. *Chalmeteus.*

13. *Cerebri ad suam temperiem* } *Essentia salvia* gtt. iij. vel iv. in jusculo pulli propinatæ conferunt valde ad evacuationem. *P. Joh. Faber univ. Sap. l.* 3. *c.* 8.

14. *Alius est infantum*) Frequens inprimis malum est infantibus Hydrocephalus, propter ossium capitis facilem dehiscentiam & eorum obsequentiam, rarius adultis. *Etmuller.*

15. *Quod vel fit in utero*) Quoad remotas causas, infantes inprimis ad hydrocephalum disponentes, inter alia est situs infantis in utero, dum forsan nimis inclinato capite aliquandiu sit situatus, hydrocephalum ex impedito lymphæ reditu contrahit, Qui infantes Hydrocephalo laborant in utero matris, necessario partum difficilem reddunt: Alias & Imaginatio matris signando fœtum Hydrocephalum potest inducere, Vide *Fabritium Hild. cent.* 5. *obs.* 3. *Marcell. Donatum H. m. l.* 2. *c.* 1.

16. *Alius est adultorum*) Rarius observatur Hydrocephalus in *adultis*, in quibus propter ossium cranii firmiorem compagem suturæ discedere nequeunt, adeo ut potius alios morbos aquæ in cerebro collectæ inferant, Non tamen sunt nulli. *Etmuller*, Exempla vide in Anatome Practica nostra.

17. *Alius est aquosus &c.*) Quæritur quænam proprie sit materia è qua fit Tumor hic aquosus? *Author lib. Defin. Medic.* dicit ὑδροκέφαλον fieri vel ab *aqua*, vel à *sanguine faculento*; *Aëtius* l 6. c. 1. scribit hunc Tumorem fieri vel ab *aqua pura*; vel *crassa*, vel *cruenta*, *Celsus* solus aquæ in hujus morbi generatione meminisse videtur, *Avicennas* & ex aqua & ex aliis humoribus: Ego existimo ex ea materia fieri hydropem cerebri ex qua etiam fit hydrops ventris: Etenim hæc ægritudo nomen adepta est ob similitudinem quam habet cum hydrope; Jam vero hydrops fit quidem ab aqua, sed interdum crassiore, nam *vidi in Patavino quodam aquam ejectam è corpore hydropico, quæ non minus gravis erat quam plumbum*, Interdum etiam ab aqua tenuiore, interdum cruenta, quapropter materia hujus mali est semper materia aquosa; Quod cum videret *Avicennas* dixit fieri ab humiditatibus aquosis, non ab aqua simpliciter, licet etiam dixerit fieri ab aliis humoribus: Sed intelligenda est ejus sententia de Ichoribus, seu de parte aquosa ipsorum humorum, non de ipsis humoribus: *Auctorem* autem *l. Def. Med.* censemus fefellisse, quia si naturam hujus mali spectemus: fieri vix potest ut in tam tenera ætate adeo fæculentus & crassus sanguis exeat è venis, qui faciat hunc tumorem &c. *Mercurialis ib.*

18. *Alius est ab aqua inter cutem &c.*) Quæstio est de loco in quo proprie hæc materia colligatur, *Paulus* & *Avicennas* in hoc convenisse videntur, Aquam colligi in hoc morbo tribus in locis 1. intra cutem & membranam cingentem cranium 2. inter membranam & cranium 3. inter cranium & membranas vestientes cerebrum, *Aëtius* addit alium locum, viz. inter cutem & musculos temporales. *Mercurialis.*

19. *Et sectione*) Plerumque ad *incisionem*, aut periculosam *ustionem* impellimur, quæ tamen media quosdam in vita conservarunt: Placet Chirurgis nonnullis *Cauterio actuali* cutem capitis adurere, quinque, sex pluribusve locis, non simul & semel, sed repetitis vicibus, ne vires nimium consumantur, quotidie locum eum eligendo quem aquosus humor commodiorem indicat, Alii malunt phlebotomo cutem &c. aperire, loco suturæ sagittali vicino: Mediorum horum quodnam præstet absolute declarari non potest; *Cauterium actuale* magnifacio ubi *aqua* intra cutem & cranium residet; At si eadem sub cranio intra meninges hæserit, operatio sine phlebotomo quomodo absolvi queat non video; Quodcunque eorum eligas, aquam omnem simul educas cave, facile enim ipso operationis tempore interiret æger, aut saltem valde debilitaretur; Imo nunquam in fine curationis aqua omnis auferenda, ne partes debilitatæ etiam calore eo, quem aqua possidet destitutæ, corrumpantur, quin potius, quod relinquitur, internis externisve dissipantibus consumendum; Et hoc in omni Tumore aquoso, paracentesi curando est observandum. *P. Barbette.*

20. *Sectio adhiberi debet bina*) Chirurgia minus tuta mihi videtur, Ea tamen si utendum fuerit, fiant incisiones pro materiæ seu aquæ quantitate: Alii à parte posteriori per diametron ad anteriorem incisionem ducunt; Alii scindendo formam efficiunt triangularem, Alii formam crucis; Utut sit, aqua tamen sensim ac paulatim effluat ne infantis vires dejiciantur, nam simul atque ea aqua effluit, spiritus quoque dissolvuntur, in quibus virtus consistit: Medicamenta caustica mihi non probantur ob cerebri viciniam, cerebri inquam adeo tenelli. *Chalmeteus.*

21. *Inter cranium & meninges collecta*) Gravissima est quæstio, Quomodo fieri possit ut aqua colligatur intra cranium, ita ut caput tumidum reddere possit, nam intra cranium & membranam vestientem cerebrum non videtur id spatii esse, ut possit aqua eo in loco contineri & tumorem parere; Præterea os adest, quod nequaquam tumorem patitur, imo humores videntur hæc loca coërcere, & quasi in carcere continere; Tertio scimus peculiare esse illis aquosis humoribus, ut relictis locis planis delabantur ad cava; cum ergo in cerebro cavitates sint magnæ, & etiam ventriculi, multo æquius videtur esse ut humores intra cranium præcipitentur, & apoplexiam inducant, priusquam fiat hydrocephalus. 5. Hic morbus tentare solet pueros nuperrime natos, ita ut dixerint nonnulli hanc ægritudinem concipi in utero, in quo nutritur fœtus per venas umbilicales,

umbilicales, adeo ut videatur aqua colligi potius in ventre quam in capite.

Sed dubium non est Aquam colligi posse in ipso cerebro, teste ipso *Hippocr 2 de morb.* & nulla ratio prohibet quin fieri possit, Nam cum 1. dicitur hanc aquam non colligi, quia non adsit spatium inter membranas & cranium, verum quidem est, sed verum etiam est aquam sibi spatium parare, viz. comprimendo substantiam ipsius cerebri & ipsas membranas: Quod 2. dicitur os cranii obstare quo minus tumor fieri possit, Respondeo illud in infantibus usque adeo tenerum esse ut ceræ instar possit in quamlibet dimensionem dilatari, præsertum circa commissuras 3. Dico verum quidem esse quod aqua quæ colligitur in cerebro quandoque præcipitatur in ipsius cavitates, non tamen negandum esse quin etiam possit colligi, ita ut non penetret in ipsius ventriculos, si quidem fieri potest ut membranæ illæ sua densitate cohibeant aquam ne in cerebrum penetret; Tandem dico hujusmodi aquam colligi potius in utero quam extra uterum, & potius in capite quam aliis in partibus 4. de causis 1 est situs capitis intra uterum, quod inclinatum est ad hujus os, quo fit ut cum proprium sit aquæ petere semper deorsum, facile fiat ut à toto corpore fluat in caput tanquam in infernam partem. ij. causa est larga & copiosa humiditas cerebri, qua fit ut nequaquam absurdum videatur in capite maxime pleno aquosis humoribus colligi etiam posse aquam & fieri tumorem; Humidissima vero esse infantium capita patet, quia statim ac in lucem editi sunt, caput nequaquam continere possunt, iij. causa est multitudo & copia vaporum, ubi enim est calor & humiditas copiosa, ut in infantibus, verisimile est plurimos vapores fieri, qui ad caput sublati in vapores vertuntur: iv. est capitis vasorum amplitudo, & consequenter potentissima vis attractoria, Scribit enim *Hippocr. 4 de morb.* à natura superpositum esse caput ventri tanquam cucurbitulam, & ob id attrahere humores aquosos & pituitosos à ventriculo, & ab omnibus partibus inferius. *Mercurialis.*

Cap. VII.

De Contusione Capitis.

Contusio capitis est ejusdem, extrinsecoplerumque integro apparente, à re gravi, dura & obtusa collisio.

Signa quæ præcessere, dabunt: Sanguis ex venis effunditur, & tumor mollis, lividus, absque magno dolore excitatur.

Causa est in definitione expressa: Cute plerumque integra, exiguæ venæ sub cute aperiuntur.

Curatio ita Instituenda, ut I. [1] *Humorum affluxus prohibeatur*, [2] idque per venæ sectionem, si contusio major est [3] per repellentium & adstringentium primo statim die admotionem: per ejusdem arctam ligaturam in loco unde fluxio desinere debet: per *vini austeri*, in quo *myrtus*, *betonica*, flores *chamameli* decocta [4] secunda die adhibitionem, admotionem, quæ sæpius ne incalescant removenda: Capillis abrasis, ol. rosac. locus inungendus, Per doloris mitigationem.

II. *Sanguis, qui sub cutem effusus est* [5] *evacuetur* [6] insensibiliter, applicato [7] Emplastro de *betonica*, Ceroto *Vigonis*, de *Minio*, de *matrisilva*, de *gratia Dei*.

III. *Suppuratio*, si impediri non potest, juvetur *Triapharmaco*, quod componitur ex olei dulcis parte una, aquæ communis partibus duabus, farinæ tritic. q. s. quibus ovi vitellum addatur.

IV. *Materia* in pus conversa, sectione in loco decliviore facta, *extrahenda*.

V. Dolor statim ab initio leniendus.

[8] *Dividitur* tripliciter.

I. [9] Alia est *cum cutis vulnere*, de qua sequenti capite agetur, Alia [10] *sine eo*, de quo hoc loco dictum est.

II. Alia, In qua *musculi temporales* contunduntur, *Tum* delirium, paralysis, convulsio & mors inde sequitur, sectio in loco propinquo instituenda est, ut musculi caput moventes vitentur.

Alia, In qua *contusi non sunt*.

III Alia est *Adultorum*, de qua præcedentia accipi debent, Alia [11] *Puerorum*, in qua 1. Abraso vel forcipe detonso capite, linteum ovi albumine, aceto, & rosaceo madidum, imponendum, & deligatione facta, integro die naturali, linteum extrinsecum iisdem madefaciendum. 2. [12] Sequenti die Cataplasma *benedictum* apponendum, & usque ad diem nonum continuandum. 3. Post undecimum, Emplastrum *diapalma* Galeni, quod tertio quoque die immutandum. 4. Post vigesimum Emplastrum *barbarum*. 5. Si ex partu fit, *Diaphœnicinum* ex rosaceo confectum discutit.

[1] *Humorum affluxus prohibeatur*) Si in adultis contusio fiat, facienda est diversio per *phlebotomiam & evacuationem*, si iis opus habeat æger, potissimum in magnis contusionibus, Et ad eandem intentionem possunt fieri *Frictiones*, & *Ventosæ* poterunt applicari. *Forestus.*

[2] *Humorum affluxus prohibeatur*) Is affectus ex ictu vel casu, cum vel sine vulnere, oboritur ab affectione quæ non discrepat ab inflammatione ex humorum affluxu, sicut inquit *Galenus*, [illegible]

Si sit ergo sine vulnere, vel cum vulnere, etiam, si ætas id & virtus ægri ferat, & concedant aliæ circumstantiæ, fiat initium curationis semper à *venæ sectione*, qua, qui affluit ad locum affectum sanguis, revellatur & evacuetur: Provocetur & *alvus*, revulsionis & evacuationis causa, propter eos humores qui extra venas continentur, vel in cerebro, vel in reliquo corpore, & ratione dolorum atque inflammationis sursum rapiuntur, & tanto quidem fortiore clystere, si venam incidere non sit tutum. *Caspar Peucerus Pract. c. 1.*

3. *Per repellentium & adstringentium*) Præmissa V. S. & alvi dejectione per clysterem, accedendum est ad usum eorum quæ consueverunt applicari inflammationibus, quorum alia conveniunt incipientibus, alia augescentibus, alia constitutis in statu, in declinationibus alia, supercrescentibus alia, Cum autem in contusione semper aliquid sanguinis exprimatur ex venis, vel compressu venarum adigatur ad extremitates, in quibus protinus vel concrescit & inflammatur, vel etiam corrumpitur ac putrescit, statim adhibeantur initio non ea tantum, quæ materiam ad locum affectum affluentem repercutiant, sed simul etiam quæ expressam jam, aut in venis infarctam digerant ac discutiant, Conveniet autem hoc Empl.

℞. *Chamom. melilot. furfur. ãã. m. j.*
far. fabar. lupinor. hordei ãã. ℥ij.
myrtill. nuc. cupressi, aut gallarum ori. n. xv.
Pistanda pistentur & cum sapa ac lixivio fervente donec rocant in formam cerati, cui in fine, *si putrefactio absit, misceatur olei chamam myrtini ãã. ℥j. iterum ferveant.* Peucerus.

4. *Secunda die adhibitionem* Potest à principio applicari *ol. ros.* vel *chamæmel.* vel ambo simul, infusis in eo tribus vel quatuor peciis, unam super aliam capiti applicando, vel lana succida oleis iisdem imbuta: Deinde quarto die transacto, & dolore sedato, Emplastrum vel cerotum resolutivum ad finem curationis apponi potest. *Forestus.*

5. *Per doloris sedationem*) Olea mutanda bis terve in die, secundum necessitatem, nam præsente forti dolore requiritur frequens mutatio, & cum iisdem potest fieri etiam embrocatio, ut facilius penetrent olea: Quod si *dolor excedat*, necesse est ut doloris causa consideretur, ut commodius tollatur, & illi succurratur, nam si materia in loco aggregata & conjuncta dolorem multitudine sua inferat, præstat tunc emollientibus & anodynis uti, ut decoctione *alth. sem. lini, fœnugr.* cum hujus fotu uti, & ex reliquis cataplasma conficere, adjecto *oleo chamom.* vel *aneth.* aut *pinguedine gallinæ, ol. amygd. dulc.* &c. Dum hæc fiunt non oportet omittere universalia.

Hic sciendum quod dolor aliquando evenit à bile, & tunc in principio valde frigida, ut *oleum rosac.* cum *succo sempervivi*, vel *solani, lactucæ, nymph. portulac. psyllii, polygoni, sarmentorum vitis*, maxime in ætate juvenili, macilenta & biliosa complexione, & in æstate conducunt. *Forestus.*

6. *Evacuatur insensibiliter*) Talis contusio mirabili successu curatur *pellibus recens mactatorum animalium*, præsertim vero *canis* vel muris: illæ enim dum adhuc calent, loco contuso adhibitæ, & per xx. aut plures horas relictæ humorem egregie discutiunt; Contusio sub prima pelle si in totum non resolvitur, ipsi altera est admovenda: Cum autem non cujusvis sit canem excoriare, & mures difficulter capiantur, Ego semper elegi pellem agninam, quæ omnibus horis potest adquiri, & reliquis parem digerendi facultatem habet: Hoc unico & expertissimo (nunquam enim me fefellit) remedio, præter multos pueros & adultos, curavi puellam cui quarto ætatis anno, ob casum ab alto magnus supra bregma tumor exortus est, quem Medicus quidam novacula aperuisset, nisi adjunctus ipsi dissuasisset ex *Hippocr. sect. 8. aph. 7.* quo docet implicite nullum affectum requirere Chirurgum, nisi prius medicamenta incassum fuerint adhibita: Cum igitur symptomata sectionem urgentia abfuissent, nullumq; adhuc remedium externe appositum, Medicus, omissa sectione, meum consilium sequutus, tumori pellem agninam apposuit, ejusq; miram efficaciam expertus est: *Scultetus Armam. Tab. 24. §. 14.*

Experisto remedio discussum vidi insignem tumorem frontis, quem sibi excitaverat juvenis maniacus, disco stanneo iteratis ictibus illam percutiens, Urgebat Chirurgus sectionem, alter, prius resolvens aliquod tentari jussit, admotoque pane furfuraceo, cum alia ad manus non essent, in villa ab urbe dissita) aqua subacto, intra biduum tumorem, qui recens erat, feliciter discussit.

Emplastrum hoc per me expertum in contusione capitis sine fractura cranii.

℞. *hordei. calaminth. origani ãã. m. j.*
chamæmel. asari majoran. folii, stœch. fol. lauri absinth: ãã. m j. ß.
cum aq. & ol. rosar. & chamam. f. Empl. quod admirabiliter resolvit & exsiccat. *Jac. Berengarius Tr. de Fract. Cranii.*

Emplastrum hoc, quod est *Alex. Benedicti* mirabiliter concussos curat; ac etiam ubi cum concussione vulnus est & fractura cranii adhibetur.

℞. *Gummi hederæ ℥iij.*
resinæ purgatæ ℥ß. ceræ ℥iiß.
olei rosac. ℥iij. ammon. ℥j.
terebinth. ℥iij.
succi corymbor. hederæ ℥iij.
farinæ fabar. q. s.
F. Cerotum. *Brendelius cons. Med. 1. Forestus l. 9. obs. 35.*

Sedato dolore, à debilioribus incipiendo materia est resolvenda e g.

℞. *oesyp. hum. ℥iij.*
ol. chamam. ℥ij.
pulv. absinth. beton. ãã. q. s. F. Emplastrum.

Id si non juvat, fiat aliud fortius.

℞. *terebinth. ℥iij.*
oesypi hum. ℥ij.
beton. matrisilvæ ãã. ℥ß.
cymin. ℥ j. misce.

Terebinth. sola cum *cymino* est mirabilis vel eadem cum pari quantitate *ceræ & cymino*, præstans est. *Vel*

℞. *pulver. salv. majoranæ, stœch. Arab. calam. aromat. rosar. rubr. absinth. ãã. part. aqu. cum vino cocto & pauco melle*, modicoque *terebinth.* F. Emplastrum. *Forestus.*

7. *Emplastro de Betonica*) Quod sic paratur, estque valde conveniens.

℞. *terebinth. resinæ pini, ceræ novæ ãã ℥iv.*
pulv. beton. ℥ ß. mastich. thuris ãã. ℥ß.
mumiæ ℥iij. fiat massa s. a.

8. *Dividitur*) Alia etiam est cum fractione cranii, seu vulnere.

Si sanguinis copia sit effusa inter cranium & membranas, Quod scitur ex effusione sanguinis per nares, aures, capitis gravitate, stupore, sopore.

Si os sit depressum, & cerebrum premat, quod digitis exploratur.

Si cranii particulæ meninges pungant, quod cognoscitur si dum æger nasum emungit puncturam sentiat; vel delirium adsit, cranium est aperiendum vel elevandum. *Schwenckfeldius Enchir. p. m. 88.*

Si horum nihil adsit, præmissa V. S. & cholagogis, curatur *empl. è gummi hederæ*, Sic *Forestus* quendam solo *oleo hyperici* curavit, *Vidus Vidius, Lanfrancus* sæpius & tutius medicamentis, quam trepano curari ajunt. *Idem.*

⁹· *Alia est cum cutis vulnere*) Cui caput contusum erat cum ruptura cutis, huic statim sanguinem ex cephalica detrahere jussimus, ne inflammatio aut dolor oborirentur; Chirurgus vero apposuit in primo apparatu *albumen ovicum stuppa*, Deinde imposuit turundas in dilatationem disruptionis cutis; ne sanies retineretur, ipsasque intinxas cum *oleo rosac. omphac.* eoque totum caput inunxit; postea *rosaceum* purum imposuit, deinde ad detersionem *mel.rosac.* cum *oleo hyperic.* Dedimus autem post quartum, lenem purgationem cum *cassia*, dissoluta cum *aqua betonica*; Et cum vulnus videbatur securum ab apostemate, Chirurgus lavabat cum *vino mellito*, & ad incarnationem apposuit *ungu. Basilic.* post ad consolidationem appositum est *ceratum* de betonica. *Forestus obs. 44. l. 6.*

¹⁰· *Alia sine eo*) Aliquando sine cutis vulnere os cranii aperitur, cujus casus exemplum habet *Forestus* lib. 6. observ. 42. *Observ. Chirurg.* Puer ex altissimo gradu cubiculi excidit, ita ut os cranii apertum esset, & sentiretur motio cerebri, non erat tamen ruptio in cute contusa: *Curationis processum vide in Chirurgia.*

¹¹· *Alia puerorum, in qua*) Puer simplicem contusionem capitis habebat ex casu, quæ licet levis esset, & sine cutis disruptione, pili abrasi sunt statim, eos humectando cum oleo rosaceo & vino (*abrasio major fit loco affecto*)

Deinde inunxit Chirurgus *oleo rosac.* & adhibuit cum stuppa *vitellum ovi*, tum albumen conquassatum cum *oleo rosaceo*, In secundo apparatu adjunximus aliquid *cymini* ad emplastri formam calide actu applicando, prius inuncto loco cum *oleo rosac.* tepide :| Quarto ex *melle cocto* cum *cumino* emplastrum appositum est, atque ita continuatum ad finem curationis, Et puer bene habuit. *Idem observ. 43.*

Puer ex gradu altissimo cecidit, ut os cranii apertum esset, Accitus Chirurgus primo inunxit totum caput *oleo rosac. calido*, & desuper aspersit *pulverem myrtillorum*; & super pulverem posuit pannum lineum simplicem, intinctum dicto oleo calido, deinde super hæc omnia compressam, ut vocant, quadruplicem calefactam, & sic omni die fiebat apparatus, & continuabatur continuo per xv. dies, sed timuit mortem ob infantis debilitatem, tandem tamen sine ullis aliis remediis cœpit convalescere, Igitur postquam totum caput exsiccatum videbatur, præcepit matri ut imponeret *tortellam rosaceam vino albo* aspersam, calidam, ad resolutionem & roborationem, sic infans factus est sanus. *Forestus obs. Chir. l. 6. obs. 42.*

¹²· *Sequenti die Cataplasma*) Mira hujus Emplastri vis est, & intra 12. dies ossa contusa & depressa tollit, nullumque in infantibus & pueris efficacius ad eam rem esse potest.

℞. *sorditiei alvearis apum, vel ceræ novæ sordidæ & mellis comm.* ℥j.
lapid. hæmat. pulver. ℥ß.
pumicis, cumini, absinth. furfur. comm. ana ℥ij.
m. ad ignem f. Empl. quod loco depresso imponito. *Franc. Arcæus.*

Illud pro indubitato experimento valere observavimus in tumoribus ex casu, offensione, vel percussione in pueris, si *oleo anisi* tumores inungantur, vel infantibus in fronte obortis, subsidunt & curantur. *Forestus lib. 9. obs. 31.*

Ego *ungu. alabastrino* in omnibus contusionibus capitis, & demum doloribus utor, quod adeo efficax est ut omnes dolores in contusione sanet. *Idem cons. 33.*

Membra conquassata, *geranium & serpillum in vino* maceratum potatur, nec non & impositum, plurimum juvamini attulisse experientia probat. *Sam. Hafenrefferus Nosod. c. 4*

CAP. VIII.

De Vulneribus [1] Capitis.

ARTICULUS I.

De [2] Vulnere Cutis & Pericranii.

Vulnera capitis in triplici sunt differentia: Vel enim *solam cutem*, & pericranium, *cranio intacto*, attingunt, vel *cranium intactis membranis*, vel etiam *membranas*.

Vulnus cutis illæso cranio est, quando scilicet solum cutis, panniculus carnosus, musculi, vel etiam pericranium vulneratur.

Signa quod attinet, vulnus vel obtutu patet, vel specillo indagari potest.

³· *Causa*, quia evidens est, non est quod de ea multa dicamus.

Curatio ⁴· pro ratione Differentiarum variat.

Dividetur in ⁵· Vulnus *cum contusione*, & *sine contusione*.

In *Vulnere cum contusione* externarum partium, ad quam pure exorto ulcus latum & profundum paulo post exoritur.

1. Removenda quæ in vulnus incidere.
2. Temperies partis, sine qua nullum vulnus curatur, restituenda, per venæ sectionem, purgationem, & victum tenuem.
3. ⁶ Humectandum & emolliendum ita ut partis calor naturalis à contusione, aëre externo, medicamentis debilitatus simul foveatur.
4. ⁷· In principio *oleo rosarum maturo* ⁸· cum vitello ovi in mollioribus corporibus, ⁹· in durioribus resina laricea agendum, ¹⁰· *Terebinthina* omnibus vulneribus, partium nervosarum præsertim, commoda est.
5. Vulnus postquam pus apparuit, quod septimo die fieri solet, melle rosato, terrebinthina &c. abstergendum.

6. [11]. *Sarcotica* & [12]. *epulotica*, inter quæ Emplastrum diapalma optimum, adhibenda, Solet aliquando & cranium simul contundi, & collecta paulo sanie, subrubris primù punctis, mox lividis aspergi, tandem nigrescere, Abradendum tum os donec sanguis exsudet.

7. Si fiat à morsu feræ, labia vulneris scarificanda, sanies sanguisugis extrahenda, Ulcus medicamentis, Inprimis aqua vitæ & carduibenedicti cum theriaca, mithridatio, & unguento Ægyptiaco permista abluendum.

Vulnus sine contusione est duplex.

I. *Aliud quando sola cutis læditur*; Et *tum*, Vulnus propter rotunditatem capitis non adeò longum est, [13]. *Curatio* eadem cum illa quæ in cutaneis vulneribus: Tollenda dyscrasia partis calida & dolorifica per fluxus aversionem; Unguenti *de alabastro* & olei rosacei inunctionem; labiorum vulneris deligationem; vel si hæc non sufficiens, cruentam vel siccam suturam, inprimis si cutis pars maxima à cranio avellitur: digestivi ex resinæ terebinth. dr. vi. & vitello ovi uno parati impositionem &c.

II. *Aliud quando vulnus* [14]. *ad pericranium penetrat*: Et *tum* vulnus est longum.

In *Curatione* ita procedendum, ut 1. *Labia vulneris per* [15]. *deligationem &* [16]. *suturam conjungantur*, quæ tamen tam propter ipsum pericranium, quod intimè cranio adhæret, & per suturas membranis internis connectitur; tum propter cranii derasionem non facilè admittenda.

II. [17]. *Pericranii summa ratio habeatur*; Ideo, 1. dolor, inflammatio, febris, convulsio universalibus præcavenda, 2. pericranium cum vulnus non satis patet, vel cranii læsi suspicio adest, sed non in pueris, incidendum, 3. Cranio denudato & raso, quod fit ut materia idonea carni generandæ suppeditetur, nec tamen facilè faciendum, non unguenta imponenda, sed medicamenta actu & potentia sicca, cum linamentis siccis, & temperamento ossis simillimis applicanda. Plura vide apud Practicos.

1. *Capitis*) Sunt hæ capitis partes, *cutis carnosa cum pericranio, Cranium, seu calva, Membrana duæ cerebrum involventes, & ipsa cerebri substantia*, quibus partibus capitis vulneratis singulis peculiaris debetur curatio. *Fr. Joel. Chir. p.255.*

2. *Vulnere cutis & pericranii*) Partium continentium capitis aliæ sunt membranosæ, aliæ osseæ: Continentium prima occurrit *cutis Pilosa*, quæ etiam suam habet *epidermida*, Cuti subjecta est *membrana carnosa*, sequitur *Pericranium*, membrana immediate succingēs calvariam osseam, Præter pericranium ab ossibus deraditur *periosteon*, ut in aliis ossibus, propterea pericranium non est calvariæ periosteon &c. *Riolanus Encheir. lib.4.c.1.*

Inter externa capitis integumenta primo sese offert *cuticula*, hinc *cutis*, quæ in parte capillata insignem habet crassitiem, Cuti substernitur *pinguedo*, hanc sequitur *panniculus carnosus* hunc *musculi varii*, His subjicitur *Pericranium*, Ad has exteriores membranas sanguis vitalis defertur per ramum externum arteriarum carotidum, & à nutritione residuus per venas exiles remittitur ad jugulares externas. *De Diemerbroeck Anat.l. 3.c.3.*

Causa, quia evidens) Caput vulneratur ut cætera membra, à re pungente, incidente vel contundente, alias leviter juxta capillatam cutem contunditur sine vulnere; alias vulneratur sine contusione; alias complicatis affectionibus una contunditur & vulneratur. *Vigierius lib.1.c.16.*

Vulneratur caput variis modis, variisque armorum generibus, feriendo cæsim aut punctim, aciè armorum, aut contundendo verberandoque armis obtusis, aut decidendo gravi lapsu ex loco sublimi, incidendo in gravia & dura corpora. *Fr. Joel. p.m.255.*

4. *Curatio pro ratione Differentiarum variat*) Scire oportet caput variis modis vulnerari, *cum incisione*, & quandoque *cum contusione*, & utraque hæc sæpe *absque vulnere & fractura cranii* fiunt, & modo *cum fractura* ejusdem; Et seu incisio, seu contusio, quæ cum fractura est, quædam est *penetrans*, quædam *non penetrans*, modo *parva*, modo *magna*, alias *pura* alias *cum accidentibus*, cum dolores, apostemate & panniculorum læsione.

Atque hæ quidem divisiones *communes* in capitis vulneribus existunt; *Propria* autem sunt hæ, nempe *vulnera cum incisione, cranii penetrantia*, quædam *sine substantia deperditione*, alia cum ea; Utraque istorum modo *plana & æqualia*, quædam *aspera* & squamosa, modo *in summitate capitis*, modo in *lateribus*, Jam vulnus quoque fit *cum contusione & fractura cranii penetrans*, modo *parvum sine compressione, aut compunctione sit supra membranam*, aliud *magnum cum compressione*: Ex his propriis differentiis vulnerum capitis indicationes curativæ sumuntur, ut ex *Paulo l.6. de Fract. cranii* constat. *Forestus.*

4. *Curatio pro ratione Differentiarum variat*) Principio ac primo statim intuitu in capite vulnerato duo sunt consideranda, Primum, in qua regione capitis vulnus sit inflictum, in *Syncipite*, *Occipitio*, vel in *Temporibus*, Vulnera namque in Syncipite & Temporibus inflicta, etiamsi sint exigua & leniora, plerumque periculosiora sunt quam in Occipite aut Vertice vulnera etiam majuscula.

In *Temporibus* quidem perniciosa sunt vulnera propter debilitatem tenuitatemque & raritatem ossium, ac musculorum debilitatem, per quos venæ & arteriæ soporales sanguinem & spiritum vitalem cerebro deferentes perrepant & in cerebrum provehuntur, quibus læsis læditur ipsa vita, & citissime extinguitur animal.

In *syncipite* periculosa sunt vulnera ob ossis calvæ tenuitatem, suturæ coronalis raritatem, & propter thalamos anteriores cerebri, spirituum domicilium. *Fr. Joel p.255.*

5. *Cum contusione*) Ad capitis percussiones, tumores, sive casu sive aliter evenerint (citra vulnus.)

℞. *salis commun.* ℥j.
mellis non despum, cumini ana. ℥iv.
terebinth. ℥ij. *misce.*

omnia ad ignem, fiatque ungu. quo si quis utatur calido, perfecte sanabitur. *Alexis Pedem.*

6. *Humectandum & emolliendum*) In vulnere super pericranio infundito *oleum ovor.* quod faciat ad sedationem dolorum, ut docet *Abinzoar*, quod nos quoque experti sumus, & bene successit. *Mar. Sanctus Barolitanus.*

7. *In principio oleo rosarum*) Valet primum licinia, quam Græci μοτὸν vocant, innecta in modicum *aqua rosar.* in qua albumen ovi cum vitelli agitatione sit dissolutum, imponatur in vulnus, & desuper ponatur præcedens Emplastrum (vide cap. præcedens §. *Per repellentium*

tum & adstringentium) Sequenti die in idem vulnus licinia indatur immersa in hoc abstersivum.

℞. *terebinth.clariss.* ℥j.
syr.rosar. ʒvj.
aqu plantag. ℥ij.
vitell. ovor. n. j.
bulliant usque ad aquæ consumptionem, deinde addatur farina hordei q. s.
croci parum, & fiat linimentum quod inditur vulneri: Fotis vero superimponatur ungu.mixtum ex *Ægyptiaco & Apost. āā. q. s.* Peucerus.

7. *In principio oleo rosar. puro*) Convenit valde in ejusmodi contusione *album ovi* conquassatum, facit enim ad sanguinis restrictionem, & inhibet ne fiat affluxus humorum aut inflammatio: In secundo autem apparatu ad alia localia transeunt, factis prius diversionibus & evacuationibus si opus est, quia *Localia triplici de causa applicantur*, 1. ad dolorem sedandum, 2. ad confortandum membrum 3. ad digerendum; & omnes istæ intentiones reperiuntur in *oleo rosato omphac.* aromatico & recenti, teste *Galeno* 2. K. T. c. 2. & tale oleum administratur purum, infundendo in eo pecias, & turundas, & totum caput inungendo per totum tempus augmenti apostematis. *Forestus.*

8. *Cum vitello ovi*) Quidam à principio, post sanguinis restrictionem, utuntur in istis vulneribus *oleo rosato & vitello ovi*, & in forma unguenti applicant, quod ego tamen non laudo, quia *ovum* facile putrescit, & quantum possibile est debemus in vulneribus capitis putredinem declinare, & prohibere ne putrefiant panniculi: Potent tamen convenire cum *ovo* in digerendo, illinendo tantum labia vulneris, & in aliis vulneribus ac contusionibus exterioribus, sine cranii detectione, quamvis plus commendatur *oleum rosac.* purum. *Idem.*

9. *Terebinthina*) Veram nos non habemus, In Italia nulla colligitur, In Gallia paucissima, Nostra Terebinthina est resina ex larice collecta: falsificatur autem quæ ex inferiore Italia fertur Venetias. *Peucerus Prax. cap.* 1.

10. *In duritoribus resina laricea*) Sunt qui utuntur *terebinthina* mixta cum *vitello ovi* à principio, qui modus similiter non est bonus, quia in *terebinthina* est aliquid nitrosi & apertivi, nec fit repercussio ab ea, quæ est necessaria in omnibus vulneribus capitis, Et quamvis aliquibus hæc bene succedant, hoc fortuito evenit, quia etiam errore ducti interdum sanant. *Idem.*

11. *Sarcotica & epulotica*) Post impeditam inflammationem, & præstitam mundificationem, Vulnus obducatur cicatrice, quod fiet si eluatur hoc Decocto.

℞. *vini nigri, aqu. ciner.plantag. āā. q.s.*
rosar rubr myrtillor.balaust.alum.rocha.

F. Decoctum quo vulnus abluatur. *Peucerus.*

11. *Sarcotica*) Cum prædicta vulnera sunt secura ab apostemate, carne repleantur, ea lavando cum vino mellito, & applicentur unguenta carnem generantia, scilicet *ungu.Basilic.vel citrinum usuale*, vel *unguent. de matrisylva*, & pulveres carnem generantes, utpote ex *sanguine drac.myrrha, aloë, farina orobi, sarcocolla, thure, myrtillis* & similibus. *Forestus.*

12. *Epulotica*) Post generationem carnis debitam administrentur medicinæ cicatrisativæ, *sicut unguent. de minio. de lithargyro, de tuthia, de cerusa*, simul cocta ad formam cerati.

Magister meus loco illorum utebatur aliquo cerato ex prædictis, ut de *betonica*, vel *bismalva*, vel aliquo alio, & dimittit ea (facta tamen sigillatione) per octo dies supra locum læsum, ut magis induretur & ingrossetur caro callosa.

Sed quia interdum caro crescit superflua, tunc removemus illam cum *ungu. Apostolor.* vel cum *alumine usto*, quod longe melius est, nam *alumen ustum* leniter aspersum carnem superfluam exsiccat & cicatrisat. *Forestus.*

13. *Curatio eadem cum illa*) Vulnera simplicia facile curantur si non sint nisi superficiaria & parva, sine perditione substantiæ, imponendo eis (abrasis primo circumcirca pilis) glutinantibus ex albo ovi, *bolo Armena, & aloë*, altero die *Empl. de betonica*, vel *de gratia Dei*, *Frambesarius Can. & consult.* §.14.

14. *Ad pericranium penetrat*) Si Pericranium incisione læsum fuerit absque contusione ulla, & longe à commissura, id vulneris minus est periculosum, curatuque facilius: Sin punctione aut contusione, aut utraq; oblæsum fuerit, majora symptomata invehit, tumor sæpe in toto capite oritur, unde necessario dilatandum vulnus & pericranium ut virulentus humor, qui inter os & pericranium genitus est, extrahatur: At si pericranium in sutura sit læsum quacunque ratione fuerit, periculosior tunc est læsio, quod facilius cum cerebro communicetur; Si vero fibræ per quas utraq; membrana (h.e. pericranium & dura mater) colligitur atque conjungitur, rumpantur aut putrefiant, eo majus est periculum. *Vigerius.*

15. *Per deligationem & suturam*) Si grandiora sint cæsimque facta, non quidem in vertice sed lateribus capitis, coadunantur labia vulneris, & juncta retinentur per *suturam*, quia constat ea ligatura glutinante redimiri non posse, tam ob rotunditatem capitis quam ratione cerebri in eo contenti, Quod si aliquid de substantia deperditum sit, restauretur per sarcotica, adque cicatricem perducantur per epulotica. *Frambesarius.*

16. *Suturam*) Quod Sutura sit utilis in talibus vulneribus capitis magnis, intellige . . . o quod facit permanere partes distantes in idem conjunctas: deinde prohibet & aëris alterationem, quæ valde nocet; & ideo probat *Galenus* 3. *Art.Parv. & lib.m.m.*

17. *Quod externe cranio adhæret*) Pericranio substernitur Periosteum, quod est membrana tenuissima & nervosa, acuti sensus, cujus beneficio cranium sentit, sicut etiam alia ossa, exceptis dentibus: Hoc sicut cranio firmiter connectitur, ita etiam pericranio tam exacte jungitur, ut simul unam membranam constituere videantur: Verum artificiosa separatio diversas membranas esse docet. *De Diemerbroeck.*

18. *Pericranii summa habeatur ratio*) Pericranium est membrana tenuis, mollis, densa, firma & sensu exquisito prædita, propter nervos ad occiput per eam & tempora dispersos: Hoc totum cranium cingit, & suturis serratis firmiter jungitur, nervosis fibris per ossium commissuras ad duram usque meningem demissis cum eaque unitis, unde magnus utriusque membranæ consensus oritur, & pericranium à meninge oriri vulgo creditur: *Spigelius & Highmorus* hunc ortum negant, & solummodo utriusque connexionem per nerveas fibrillas agnoscunt, *Lindanus Physiol. c.8.§.5.* videtur pericranii ortum deducere velle à tendinibus musculorum frontis, temporum & occipitis circum cranium expansis. *De Diemerbroeck Anat.l.3.c.3.*

Vulnus capitis cum deperditione carnis & cutis.

Si vulnus capitis fiat cum deperditione carnis & cutis, sine læsione cranii, præmissis universalibus, & restricto sanguine, dolore sedato, administratur Medicina lenis mundificativa, sicut est *oleum rosac. & mel rosaceum* simul, minuendo assidue oleum usque quo veniatur ad *mel rosac.* purum: Facta mundificatione ponatur Unguentum generans carnem, ut est *ungu. de matri sylva, Basilicon maj. & min.* Vel istud egregie conferet.

℞. *myrrham, sangu. dracon. thus, Orobi far. & similia,* Misce, *cum terebinth, cera, Oleo rosat. myrtino, f. Unguentum.*

Et cum est proximum consolidationi, sive cicatrisationi, adhibeantur cicatrizantia. *Forestus.*

ARTICVLVS II.

De Vulnere Cranii, seu Fractura.

Vulnus seu fractura cranii, est continui in cranio solutio à vi exteriore facta, membranas Cerebri non attingens.

[1]. *Signa* sumuntur, *tum* ex symptomatum insequentium syndrome, ut bilis vomitu, sanguinis per nares & aures fluxu, casu, stridore fracti ossis &c. *tum* ex conditione ictus, ubi percutiens, capitis ictum recipientis conditio, Instrumenti dispositio spectanda sunt, tum ex specillo, nec nimis acuto, nec nimis crasso, [2]. atramento, rasione, &c.

Causa sunt evidentes, continuum in cranio solventes.

[3]. *Curatio* [4]. est *Nulla*, si post septimum febris obvenit, quia putredinis in cerebro est indicium, si vulnus aridum, siccum, putulentum, nigrum evadit.

[5]. *Dubia*, si ægri vires statim deficiunt, ipse senex, quia calor illius debilior, & sanguis serosus, si caput destillationibus & erysipelatibus obnoxium, si symptomata, quæ statim obvenere quarto vel septimo die permanent & augentur.

Operosa, si obvenit æstate, propter inflammationis imminentis metum, si humida regione, quod ab humidis facile offendatur cerebrum, si plenilunio, propter humorum abundantiam, si cerebro vulnus vicinum, [6]. si in syncipite & bregmate, quia cerebrum hic vicinius magis arcuatur, saniei commodus effluxus non datur, si in temporibus, quia musculi temporales arteriis, venis, & nervis abundant, & maxillæ inferioris motus læditur, si in suturis, tum quia cranium ibi imbecille, tum quia dura mater fibris ibi annectitur, si accidit cum contusione, quia ista multa illaque occulta mala infert.

[7]. De *illius institutione* [8]. hæc observanda. 1. Quia in corporibus plethoricis, quæ levia etiam sunt vulnera, ob humiditatem Symptomata attrahunt, evacuandum; ita ut mitioribus fortiora addantur, & illis quæ bilem & serum purgant, *evacuetur*: Venæ sectio etiam instituatur, & Clysteres applicentur.

2. Bilem & serosos humores alterantia, motumque calidorum humorum ad caput impedientia summè prosunt.

3. [9]. Si cutis sit vulnerata, & non satis pateat, latius aperienda, donec fissura tota in conspectum veniat. Tum verò pericranii sectio tentanda, [10]. cum suspicio est læsi cranii. Commodissima est illa, quæ transversis lineis figura crucis fit.

4. [11]. Musculi temporales, [12]. propter nervositatem vitandi; suturæ propter fibrarum transitum. 5. In Vulnere frontis cavendum, ne sectio fiat per transversum; Nam si musculus qui palpebram attollit, ita secetur, palpebra decidit, sectio itaque à parte inferiore sursum versus facienda &c.

[13]. *Differentia* fracturæ cranii sunt quinque.

I, [14]. *Fissura*, à gravi & contundente telo in osse duriore, eaque *conspicua* & magna, aliquando tanta, ut per hiatum educi possit quicquid inhæret extimæ cerebri membranæ [15]. *Inconspicua*, capillaris & *angusta*, quæ periculosa, quod nec cerebrum se debitè exonerare possit; nec convenienter auxilia adhiberi. [16]. Modiolus fissuræ imponi debet & os exscindi, sic expellet à se noxia cerebrum, quod si in minore quantitate, compressis naribus spiritus sursum adigatur. Excrementum albicans ac spumeum inter optimas adventantis sanitatis notas; brevis, longa, recta, curva, laminæ externæ, internæ, utriusque &c.

II. [17]. *Contusio* seu collisio, cujus duæ species. *Una*, cum cranium solum in seipsum cedit ac subsidet. *Altera*, cum cranium solum deprimitur, & foveam in osse molli acquirit.

III. [18]. *Depressio*, cum os finditur, & retrocedit.

IV. [19]. *Sedes*, cum à telo acuto cranium læditur, ita ut aciei teli impressi vestigium conspicuum sit. Huc pertinet *Dedolatio*.

V. [20]. *Contrafissura* seu ξυμφοεία, quæ tres habet modos.

1. *Cum* locus fissus & percussus sunt in uno eodemque osse.

2. *Cum* ejusdem ossis percussa tabula externa, eaque integra manente, interior dehiscit.

3. *Cum* os percussum ab osse fisso sutura disterminatum est. De quibus vide Practicos, inprimis *Iacobi Berengari Carpensis* aureum *de fractura cranii* libellum, Lugduni nuper editum.

[1] *Signa sumuntur tum ex &c.*) Signa sumuntur à septem rebus à *Guidone* per ordinem positis.

1. A consideratione causæ frangentis, ut quia cecidit ab alto, vel quia percussus fuit cum re forti.

2. A consideratione quantitatis & vehementia læsionis: Vel quia magna contusio aut ingens vulnus.

3. A qualitate loci, & sæpe ducit manum ad locum ipse æger, & cum digitis, & probis (ut vocant) percipitur tenuitas in cute & separatio ab osse.

4. Ab accidentibus quæ circa horam concurrunt, ut apoplexia, vertigo, vocis destructio vel ablatio, vomitus, & similia.

5. A soni consideratione, quia rauce sonat, dum ejus caput percutitur cum virga, Imo ego sæpius animadverti, admota aure vulneratum tanquam ex olla confracta loquutum fuisse.

6. A dentium stridore, strident enim dum percutitur filum, quod tenent dentibus, & dum conantur frangere nodum paleæ, aut rem duriorem, læduntur.

7. Ex encausto, aut linimento mastiches super fissuram posito, quia nigrinem in fissura relinquunt, & siccitatem in linimento supra locum fissuræ, & hoc signum certum esse volunt. *Forestus, Lib. 6. Observat. 42. in Sch.*

Dignosci potest calvæ fractura ex cohibitione spiritus inflationéque buccæ, obstructo ore & naribus: Ex illo enim conatu & vehementi inflatione, in loco affecto extenduntur venæ & arteriæ, & è vulnere excutitur vel saniosa vel cruenta sanies. *Fr. Joel.*

Fractam esse calvam si nigrescat, aut nimium albescat, ostendit. *Idem.*

[2] *Signa sumuntur tum ex &c.*) Sunt quatuor Fracturæ conditiones quibus ita decipi Chirurgus potest, ut fracto revera cranio fracturam tamen nullam subesse putet, *prima*, quando ipsum sic deprimitur ut illico in suum locum & nativam æqualitatem redeat, 2. Cum fissura subest capillaris, 3. Cum os intro colliditur, externa interim superficie illibata, quod quidem nosci queat, 4. cum altera parte os ictum est & altera fissum. *Vigicrius l. 2. Chir. c. 16.*

[2] *Atramento*) Si Rima in vulnere, propter exilitatem visu deprehendi nequeat, atramentum scriptorium calvæ apparenti, illinatur, ac post paucas horas rursum abstergatur, tum enim in rima ipsa atramenti vestigium relinquitur. *Fr. Joel.*

[3] *Curatio*) Curatio fracturarum calvæ consistit in Manuum industria operatione, Victus ratione, & Concoquentium vulneratiorum remediorum applicatione.

Sicuti in omni capitis vulnere, ita in cranii fractura *Victus ratio*, ac potissimum in *cibo* ac *potu*, primis XIV. diebus parca & tenuis esse debet, & talia administranda quæ crassum sanguinem & parcum generant, In primis autem *vinum* & *ova sorbilia* omnino probibenda nerunt; Conveniunt autem *panis lotus*, *oryza*, *Caro hinnulorum*, *capreolorum*, In *potu aqua hordei*, Atque post assumptum cibum ventriculus semper est claudendus pyris *assis conditis*, aut *conserva rosar.*

Aer omnis moderate temperatus in cal. & frig. debet esse.

Alvus semper lenis esto, & obstructa clystere emolliatur.

Si corpus sit plethoricum, & vires ferant, post diea XIV. incisa vena cephalica sanguis est detrahendus: Si *cacochymia*, benigno remedio, ut est *infusio rhabarb.* & *myrobal. syr. rosar.* aut *manna* evacuetur.

Invictus ratione singulari diligentia est adnitendum Chirurgo ne in primis septem diebus graviora incidant symptomata, maxime vero inflammatio, febris & convulsio: Abstineat ergo æger à vini potione, à durioribus alimentis, & multa masticatione indigentibus & ab oscitatione.

Tertius curationis confracta calva scopus est in remediorum vulnerariorum Fracturæ convenientium applicatione: Ejus generis sunt *Pulveres*, *Balsama vulneraria*, *Unguenta* & *Emplastra*, Pauca hic, exquisitiora & magis salutaria adducemus.

Cum autem Fracturæ calvæ detersionem impuritatum requirant, sequentes *Pulveres* tenuissimi fracturis inspersi probe abstergunt, viz. pulvis *aristol. rot. rad. peucedani, far. ervi & lupinor.* quæ singulatim sive mixta inspergi poterunt; Deinceps impleatur Vulnus cranii *balsamo vulnerario*, & superimponatur *Empl. Barbarum Galeni*, aut Empl. de *gummi Elemi*, quod sic fiat.

℞. *G. Elemi, Opopan.* āā. ℥iß.
bdellii, ʒij.
resina pini ℥ß.
cera & ol. rosat. āā. ℔ß *tereb.* ℥ij. *thur. mastich.* āā. ʒij.
f. artificiosum Emplastr. quo omnia Fracturarum genera conglutinari possunt, Aut imponatur sequens *Emplastrum ex rorismarino.*

℞. *Ol. rosar.* ℔ß.
ol. mastich. hyperic. āā. ℥ij.
pingued. porcin. vitulin. āā. ℥ij.
liquefiant simul: adde fol. rosmar. betonic. plantag. cum rad. matri silv. pimpinell. pilosell. veron. omnium virid. āā. *m.* ß.
rad. consol. maj ʒij.
quibus probe contusis & subactis adde vini Rhen. rub. ℔ j.

macerentur simul in olla vitreata in Sole, aut in tepido loco per ochiduum; deinde leni igne continuo agitando suaviter coquantur ad vini evaporationem, fortiter expressa percolentur.

Colatæ pinguedini admisce tenuissimum pulverem *mastiches, g. elemi, resina pini.* āā. ℥j. *lithargy.* ℥ij. *mumi pictoris.* ℥j Iterum simul coquantur lenissimo igne donec fuscum acquirant colorem, continue agitando; postremo refrigescentibus adde *terebint.* ℥iv. *cera dissoluta q. s.* f. Empl. artificiosum, quod mirabilis est efficaciæ & in Calvæ & omnibus vulneribus capitis *Franc. Joel Chir. p. 260.* Vide §. *De illius institutione.*

[4] *Curatio est nulla &c. Dubia &c.*) Fractura cranii apud omnes periculosa habetur, sed & cerebri incisio, membranarumque ejus corruptio ac læsio, lethalis secundum *Hippocratem*, nisi fuerit parva, ut exponit *Galenus*, Quare & hæc mala in iis reputantur, ut febris acuta, tremor, spasmus, alienatio, syncope, vocis abscissio, oculorum egressus, eminentia, tenebrositas, rubedo, strabismus, talia periculi plena sunt, & lethalia, potissimum si adhæreant, & non remittantur, ut *Avicennas 3. de Plagis & capitis incisionibus* inquit. Et in vulneribus pervenientibus ad panniculum cerebri accidit laxitas in latere vulneris, & spasmus in opposito, & ideo, inquit *Gul. de Saliceto*, *Si vulnus sit in dextra, paralysis fit in sinistra, & è converso.*

Ex *Rogerii* mente, in fractura capitis pericula & symptomata mala expectantur usque ad centum dies, Secundum Iurisperitos & Iudices, ad XLVI quia talia est ultimus terminus acutorum, Et secundum quatuor famosos Magistros, ad XV. qui terminus communis est acutarum ægritudinum.

Præterea denigratio duræ matris, quæ non mundificatur cum melle, *Paulo* authore, mortem significat.

Fractura quoque cranii in plenilunio, teste *Rogerio*, magis verenda.

Sed & in solidatione cranii apparitio carnis rubeæ, bonum, Et in vulneribus capitis tumor parvus & saniei optima concoctio bonum: Magnus autem tumor, præcipue si cito delitescat sine ratione manifesta, malum. *Forestus.*

Aliquando ſequitur abſceſſus in jecore & meſenterio.

Ex capitis ictu obmuteſcentia & deſipientia malum. *Hippocr. 7. aph. 14.*

5. *Dubia*) Judicium vulnerum capitis difficile ac dubium eſt, ſæpiſſime enim ſua ſymptomata non proferunt niſi lente & obſcure, Exiguaque vulnera interdum magnis ac manifeſtis difficiliora & periculoſiora ſunt; Externa etiam quæ altius non penetrant, æque dubia ſunt atque interna ac penetrantia.

Ut autem his de rebus recte judicemus, eorumque eventus certo prædicamus, conſiderandum eſt, An cerebrum læſum ſit ejuſmodi vulnere quo cranium trajiciatur, aut altius, partis quæ ab illo pendeat & extra cranium ſit ſocietate, Si vulnus penetret, vulnuſque ſit ad materiam excrementaque evacuanda idoneum, periculum inde non tantum eſt ac ſi exiguum eſſet ac reſtrictum, quod videlicet materiam & excrementa contineret. *Vigerius.*

6. *Si in ſyncipite & bregmate*) *Realdus Columbus libr. 1. Anat.* ait vulnera ſincipitis fere ſemper eſſe lethalia, nulla allata aſſerti cauſa aut diſtinctione; At vero uno vel altero exemplo oſtenſurus ſum rem non eſſe perpetuæ veritatis.

Virgo annorum 14. ex alto in pavimentum decidua inſignem in ſyncipite tumorem contraxit; maxima aderat contuſio & collectio ſanguinis coagulati ſub cute; quapropter inciſio à me facta eſt ad pericranium uſque; primis diebus prodiit ſanguis concretus, poſtmodum pus plurimum; graviſſimus fuit morbus, à quo tamen Dei gratia, & remediorum congruorum uſu emerſit.

Mulier fuſte ferrea ſuper bregma dextrum percuſſa fuit, unde ſemi exanimis concidit; inſigne erat vulnus, at ſine fractura cranii: tanta adfuit commotio cerebri, ut poſtero etiam die aphona eſſet, ſenſuumq; omnium expers, ſanguinem per os, nares & aures effundens: Revera graviſſima ſubſequuta fuere accidentia, nihilominus convaluit, & bimeſtri poſt gemellos peperit.

Sincipitis autem vulnera plurimis de cauſis periculoſiſſima ſunt, 1. quia cranium inibi tenuiſſimum eſt, ideoque ab ictu aut caſu frangi facile, monente *Hippocrate lib. 1. de vuln. Capitis*, confirmatque experientia: 2. quia venæ & arteriæ, quæ ad cerebri membranas tendunt, in temporibus inſignes ſunt, cranio adeo affixæ ut illarum veſtigia illic inſculpta ſint, quapropter ictu aut caſu facillime abrumpuntur, unde in cavum ſanguis facillime illabitur, *Hildanus obſ. 9. cent. 5.*

7. *De illius inſtitutione*) De Curatione enim multi inter ſe diſcrepent judicium ipſius curationis difficile reddunt, nam *Galenus, Paulus, Avicenna, Albucaſis, Rogerius, Brunus & Gul. de Saliceto*, indifferenter in omnibus fracturis Capitis procedunt *diſcooperiendo, trepanando*, & *oſſa* cum inſtrumentis ferreis *extrahendo.*

Alii, ut *Anſelmus de Janua*, & aliqui *Patavini*, & fere omnes *Galli & Angli*, procedunt *incarnando & conſolidando* cum ſuis emplaſtris & potionibus, vino optimo & ligatura.

Alii, ut *Theodoricus, Lanfrancus, Henricus*, mediam quaſi ſequuntur viam, Nam & *Theodoricus* cum potione & vino cum ſtuppis procedit; *Henricus* ſolo emplaſtro ſine potione; Et ambo antiquas fracturas, poſtquam tranſierint quatuor vel quinque dies, *trepanant & elevant*, ut antiqui faciebant.

At *Lanfrancus* in omnibus procedit incarnando cum linamentis intinctis in ij. *part. ol. roſat. & una mellis*; & ſupra imponit mundificativum ex *farina hordei, melle*, aut *cera & reſina* cum pulvere capitali, exceptis duobus caſibus, in quibus procedit aperiendo, trepanando, & oſſa elevando, *Primus* eſt quando os premit, *Secundus* quando pungit, quando abhorrent inſtrumenta vulnerati, ob pericula quæ ſubſequi poſſunt, propter alterationem quam facit aër, & dolorem quem facit operatio & apoſtema quod utrumque infert.

At nova illa experimenta ſuſpecta habet *Guido*, Fuerunt autem tres ſectæ diverſo modo curantes læſionem Cranii.

Una fuit ſatis antiqua, quamvis empirica, intra Hebræos vigens, teſte *Nicolo*, qui fracturam cranii, cujuſcunque modi, & cum læſione panniculorum, & cerebri, ſive cum vulnere, ſive cum contuſione, ſive alio modo factam, curant ſolis pigmentis & potionibus, quæ digerere, mundificare, reſolvere, exſiccare & conſumere materiam & non ſolum in capite, ſed & in membris ſpiritualibus, fiſtulis & aliis malignis ulceribus: Et dicunt Hebræi hunc modum ab eorum ſapientibus eſſe inventum: Interim tamen ſi vulnera aut ulcera indigeant ſutura ſeu ligatura, ſuantur & ligentur, & extranea, ſi inhæreant, amoveantur, & ora vulnerum, ſi opus eſt, teneantur aperta, tum Potiones adminiſtrentur, & folium caulis apponatur: Hæc autem in ſupradictis experta eſt per Præceptorem ipſius *Nicoli.*

℞. *folior. & rad. rub. tinct. rad. ariſtol. long & rot. rad. plantag. fol. & rad. conſol. maj. ac min. fol. & rad. caryophyll. rad. centaur. maj. ā ā. m. ij.*
rad. althae, ſummit. rubi, lapath. acut. tanaceti, millefol. piloſell. pimpin. ſumm. cannab. caul. rubr. fragar. ā ā. m. j.
thuris albi ℥ij.
ſarcocoll. ℥j.
vini albi bocalia xv.

Ponantur omnia in vaſe terreo vitreato cujus pars media remaneat vacua, & tegatur ut non exſpiret, & bulliat per tres horas lento igne, colaturæ adde *mellis* ℔vj. deinde bulliant uſque ad quartæ partis conſumptionem, doſis ℥iv. omni mane & ſero: Eadem potione balneandum vulnus, & imponendum folium *caulis*: Reliqua vide apud *Nicolum.*

Secunda ſecta etiam Empirica eſt, quæ eadem curat jam dicta cum Emplaſtris, crinibus prius abraſis quale hoc eſt Emplaſtrum *Anſelmi de Janua*, oſſa fracta conſolidans, & ſanguinem ſive ſaniem extrahens.

℞. *terebinth.* ℥vj.
cera ℥iij.
liquefacta in aceto per diem; deinde ab aceto ſeparatam pone in lacte muliebri vel vaccino, ſcil. ℔ß.
bulliant lento igne per mediam horam, adde ſucci beton. ℥iij.
pulv. herba tunica parum, modo adſit, *fiat Unguentum.*

Aliud quo quidam utebatur.

℞. *Gummi elemi* ℥ij.
reſina. ℥iij.
cera ℥vj.
ol. roſat. ℥ß.
ammon. ʒij.
terebinth. ℈iij.
ſucci beton. ℥v. *f. Ungu.*

Aliud quod dicitur *Emplaſtr. Bovinum*, quo utebantur communiter Chirurgi Florentini, & à P. *de Argelata* vocatur Ungu. de *Matriſilva.*

℞. *terebint. cera ā ā.* ℥iiij.
ol. roſ. ℥ij.
matriſylv. pulver. ℥iv.
bulliant omnia in vino optimo f. ſ. a. Ungu.

Valet & *Empl. de Centaurea* apud *Argelatam* cap. *de Cranii fractura*, eſtque *Guidonis* expertum.

Sed & hoc *Empl. de Betonica* ejuſdem, à Præceptore meo expertum.

℞. *Succi beton. ſucci plantag. apii, colator. ā ā.* ℔j.
reſina, cera nova ā ā. ℥iij.
terebinth. ℔j. ſ. Emplaſtrum.

Tertia ſecta erat Rationalis, eorum qui cum oſſis amotio-

amotione, incisione & elevatione curabant; Hujus opinionis fuere *Galenus*, ut supra diximus. *6. m.* m.c.*6.* & alr. *Avicenna* de *Fract. crani* & alii, Ita & *Guido*, dicens, *Ego videns hanc discordiam authorum cum juvenis essem, dubitabam Sed postea ad opera accedens, nova ista inter se discrepantia suspecta habui*, scriptum enim est 1. de *Alim. Injustum præ aliis uni credere sine detractione &c, teste* Haly Abbate, *tutius est uti novis experimentis* Hinc ipse nec à *Galeno* nec ab *Hippocrate* discedere voluit.

Qui igitur in omnibus solis pigmentis, aut emplastris curant, sæpius à vero (ut & *Nicolus* sentit) aberrant, multoque magis & hoc tempore quidam, qui novum adhuc alium modum, ab Hispanis nautis observatum, deinde à quibusdam Januensibus in Italia expertum, imitantur, cum aquis & pulveribus in modum distillationis (quam ipsi Elixir appellant) omnibus vulneribus capitis medentes, quem modum doctissimi quique Medici abhorrent.

Sed hic advertendum, quod possint esse casus aliqui, in quibus Emplastra sola sufficere possunt ad perfectam curationem sine ulla ossis amotione, aut elevatione, & tales sunt in quibus hæc omnia concurrunt, nempe ut æger sit boni habitus ac euchymus, in quanto & in quali (ita enim loquuntur) deinde ut orificium vulneris in cute & carne sit bene amplum, & fractura similiter ampla; Deinde ut os ipsum non sit attritum, nec pungens, nec comprimens panniculos; nec ipse panniculus sit contusus, attritus, Et ut virtus expulsiva sit fortis, & medicamenta quæ exterius applicantur, sint mundificantia, attrahentia, exficcantia & dolorem sedantia. Sed quia hæc omnia raro concurrunt, præstat sectam rationalem eligere. *Forestus lib. 6. obs. 42. in schol.*

8. *Hæc observanda*) Ne in curatione cujuslibet differentiæ communia resumamus, præstat his adjungere novem præcepta, quæ *Guidoni* admodum necessaria in vulnere capitis sunt.

Primum est, quod vulnus capitis, maxime cum ossis fractura multas sibi proprias differentias habeat præter aliorum membrorum vulnera, cum ob propinquitatem & subtilitatem medullæ cerebralis, tum etiam ob ejus formam sphæricam, non potest uniri, neque servari cum ligatura, ut alia membra.

Secundum In vulneribus Capitis, præcipue effatu dignis, Oportet servare intentiones communes de venæ sectione, purgatione, solutione ventris cum glandibus, clysteris, victus ratione, quæ tenuis esse debet, de extractione infixorum, de accidentium correctione & præservatione, &c.

Tertium est, quod ante omnia abradendi sunt crines, humectando caput cum aqua & oleo, ut *Gulielmus* annotavit, præcavendo tamen ne pilus, aqua & oleum vulnus subintrent, quia consolidationem impedirent; Et in principio materia tum dolor refrænentur, supra & infra vulnus ponendo *ovi albumen*, & post principium cætera persequemur. Ad detergendum, mundificandum, incarnandum, ea quæ utilia videbuntur adhibeantur, & loca circumstantia inungantur semper *ungu. de bolo*, aut *ol. rosac.* ut dolor & intemperies, si quæ sit inhibeantur, & inflammatio prohibeatur.

Quartum est, ut caveant sibi à frigore, quia ex *Hippocrate*, hoc nervis inimicum est, ossibus & medullis; Hinc *Gulielmus* consulebat ut tempore hyemis vulnera tractentur apud accensos ignes, fenestris occlusis, candela accensa, & ut post deligaturam caput coopeiatur cucupha ex pelle arietina.

Quintum, quod si in iis est facta sanies, fiat apparatus semel in hyeme; bis in æstate, & dum fit remutatio, seu apparatus, fiat mundificatio cum xylo, pannis mollibus &c. idque suaviter, & quam fieri potest diligentissime sine dolore fiat.

Sextum, ut super turundas, sive linamenta, frustu spongiæ mollioris apponatur, ut per ipsū sugatur & extrahatur sanies, & recipiatur, ne ad cerebrum descendat.

Septimum, Ligatura conveniens adaptetur, ut quando vulnus incarnare volumus ligatura duorum capitum fiat, quæ saltem est semi incarnativa, & fit si fascia plus quam unius brachii longitudinem impleat, & lata sit quatuor digitos, & volvatur tota, exceptis duobus palmis, cum quibus incipiatur secundum frontis longitudinem, trahendo versus autem oppositam vulneris, & aliam partem circumvolutam versus aurem, vulneris tamen aurem cooperiendo, sed ducendo eam usque ad caput alterius fasciæ, & ibi juxta aurem circumvolvatur, stringēdo, & caput palmorum ducatur superius versus caput, reducendo ipsum per partem posteriorem capitis versus caput palmorum, ducatur versus inferius; caput volutum ducatur superius versus caput, reducendo ipsum per partem posteriorem capitis versus caput palmorum, & iterum ut primo eam cum illa circumvolvendo & reducendo super caput, Et toties illud fiat donec totum sit coopertum & bene ligatum, deinde ligant *Bononienses* duo capita sub mento, *Parisienses* eā iuunt in medio frontis.

Si autem iis sit utendum ut medicamenta tantum retineantur, faciemus ligaturam multorum capitum, in hunc modum, Sumatur pannus lineus satis magnus, longitudine trium palmorum, & latitudine duorum, & incidatur in quolibet latere ad latitudinem trium digitorum, ut tantum remaneat palmus unus in medio, & tunc unum de illis capitibus cum alio stringendo secundum capitis circuitum ligetur retro à parte posteriori; aliud vero cum altero transeundo per collum, ligetur à parte anteriori sub mēto: Vide libellum *Galeni de Fasciis.*

Octavum, ad cautionem facit, ut si aliqua squama ossi remansit, cum vino administretur audacter (*si non fuerit febris*) pulvis capitalis ex *pimpinella, betonica, caryophyllata, valeriana, osmunda, pilosellam* ad cæterorum pondus adiiciendo.

Nonum est ut situetur & decumbat vulneratus in principio supra partem qua minus gravabitur; postea vero cum fiat colluvies ac sanies supra locum vulneratum, ut sanies melius possit excolari. *Forestus ibid.*

9. *Si cutis sit vulnerata &c.*) Curatio Fracturarum calvæ pro Fracturarum specie varianda erit; Consistit autem omnis fracturæ cranii curatio in Manuum industria operatione, Victus Ratione & Concoquentium vulnerariorum remediorum applicatione.

Manuales operationes circa Fracturas ossium præcipuæ sunt, Cutis cum pericranio circa fracturas apertio, & dilatatio, Ossis confracti abrasio, apertio & dilatatio. *Fr. Joel.*

10. *Cum suspicio est læsi cranii*) In dissectione Calvæ hæc sunt observanda, Si ossis calvæ particula in totum est amputata, frustra tentatur ejus agglutinatio, Itaque si particula ossis est amissa, vel discissa, sine læsione meningum, calvæ cavitas diligenter expurgata impositis sarcoticis remediis nova carne repleatur, & cute obducatur tegaturque; Sunt tamen qui loco amissæ calvæ, vel laminulam auream, vel in plebeis hominibus testam cucurbitæ aridæ configurant & adaptant, vulnerique imponūnt, eamque processu temporis carnosa cute obducunt & consolidant.

Verum si Calva dissecta una cum cute capiti adhuc adhæreat, nondumque sit aut emortua aut corrupta, id quod ex ossis candore aut nigredine deprehendi potest, tum absterso vulnere dissectum os iterum artificiose coaptetur, cutisque quantum fieri queat consuatur; ac convenientibus remediis conglutinetur, deligetur & consolidetur.

Porro ubi Fractura Cranii species sit *Rima* aut *comminutionis contusionisque*, & ea sub cute, vel ipso vulnere, vel in adversa aliqua parte calvæ delitescat; Aut si vulnus angustius sit quam ut rima aut commi-

nutio ossis conspici contrectarique possit, statim vulnus ipsum aut novacula, aut scalpello aperiendum dilatandumque, aut cutis ipsa, sub qua fractura latitat, iisdem instrumentis incidenda, & ab osse læso liberanda venit: & ita detectum os, si deprehendatur visu esse vel corruptum vel emortuum, protinus omne illud, aut penitus auferendum, aut usque ad sanam partem, quousque rubedo aut sanguinolentia in eodem osse appareat, abradendum erit, & ita abrasum os balsamis vulnerariis obliniendum, & sarcoticis remediis carne cuteque contegendum erit.

Verum talis operatio Chirurgica, incisio videlicet & apertio cutis, & ossis corrupti aut emortui abrasio, nec in temporibus instituenda (ob rationes adductas) nec in suturarum fracturis institui debet.

Nunc quæ circa *emortui* aut *corrupti* ossis calvæ apertionem sint observanda brevissime declarabimus; Duobus modis os calvæ confractum, corruptum aut emortuum auferri debet, *Derasione* & *Excisione*; Derasione auferendum est, ubi os contractum est aut corruptum, quod ex nigritie; aut ubi emortuum, corruptum, aut arefactum aut arefactum est; quod ex albedine deprehenditur, Ita & in Rima os abrasione, si rima totam calvam non penetravit, est auferendum. *Excisione* vero, sive apertione calvæ, utimur in aliis speciebus fracturæ?

In Derasione autem ossis ita procedendum erit, Si os calvæ confractum est, aut si rima fracturæ non totam calvam penetret, primum circa Fracturam, cutis pro quantitate ossis corrupti, aut rimæ longitudine, incidatur ac dilatetur, & in margine vulneris carnosa cutis undique linamentis muniatur, ne attactu instrumenti rasorii dolor excitetur; deinde calvæ particula auferenda, intra vulnus ab omni colluvie abstergatur, *& oleo rosaceo* inungatur, quo & rasorium instrumentum illiniatur, *Scalpium* id dicitur, Hoc instrumento os emortuum & corruptum ac rimosum, modo rima usque ad meninges non penetret, artificiose abradatur, eo usque donec subjecta ossis pars sanguinea aut rubicunda appareat, aut donec rima disparear.

Sed quia rima capillaris sæpe visum effugit, utrum ea altius penetret, attramento scriptorio per noctem ossi illinito, ac postea spongia absterso, facile deprehendi potest.

Abrasa hac ratione omni corrupta aut arefacta particula, calvæ reliqua pars florida balsamo vulnerario compleatur, & emplastrum vulnerarium conveniens imponatur, vulnus contegatur & deligetur.

In Fractura calvæ sæpe necessitas cogit calvam ipsam detegere, aperire, & ossis particulam excindere aut demere; Verum cum omnis calvæ apertio periculosa sit, & lethalia utplurimum inferat symptomata, non temere in omni fractura calva est detegenda, sed in hisce tantum quinque casibus.

Calva quibus in casibus aperienda.

I. Vbi per rimam usque ad menynges penetrantem sanguis aut sanies confluxit, quæ nullis remediis foris capiti applicatis elici aut dissipari queat; Tum enim aperienda est calva, & sanies omnis extergenda, ne menynges inflammentur, & febres, furorem ac mortem inferant, tentandum tamen est antequam fiat apertio calvæ, utrum elicientibus remediis, aut discutientibus, Sanguis saniosus sub calva collectus propelli queat, id quod nonnunquam fieri potest.

Cum anno 1567. quidam ab adolescente furioso baculo in caput esset percussus, concidit attonitus sine sensu & ratione; & cum per triduum jacuisset, capiti imposui sacculos ex foliis *betonicæ, serpilli, majoranæ* & *flor. chamom.* confectos, in *vino* diluto coctos, quos cum sæpius reiterassem, grumi sanguinis saniosi sub calva collecti, à tepore sacculorum resoluti sunt, & magna copia sanguinis ex naribus profluxit, & paulo post corroborantibus remediis sanitati est restitutus.

II. Necessario aperienda est calva ubi particulæ confractorum ossium menyngibus incumbunt, eosque pungunt, quæ nisi tempestive eximantur, etiam inferunt mortem.

III. In Calvæ depressione, si os depressum menyngibus incumbat, easque deprimat, statim aperta calva pars depressa sublevanda erit, alias apoplexiam, soporem & mortem infert.

IV. Aperienda est calva ubi armorum fragmenta ossi inhærent; penetrantiæ calvam, & menynges pungentia, ob causas dictas.

V. In comminutione, contritioneve calvæ, ubi non possunt particulæ coaptari, comminuta ossa necessario eximenda, Etsi enim non omnes comminutiones ossis calvæ lethales sint, tamen perniciosa utplurimum inferunt symptomata nisi eximantur. *Franc. Joel. Chir. pagin.* 256.

[11]. *Musculi temporales propter nervositatem vitandi*) *Petrus Parvius comm. in Hippocrat. lib. de cap. vulneribus*, agens de Sectione cutis & pericranii in Temporibus, *Sectio*, inquit, *fit in cute, ut os appareat*; at ibi inter cutem & os siti sunt musculi temporum, quos incidere periculosissimum est, imo lethale: Sed an id perpetuo verum? Nequaquam, vidi enim Tempus dextrum adeo contritum in puero à pistrino anemio, ut aliquot fragmenta ossium extracta fuerint per vulnus, nec tamen sinistri quid accidit toto curationis tempore: Nec semel secta vidi tempora à Chirurgis; nullo discrimine, sed ducta novacula secundum rectitudinem fibrarum musculi; quæ in tendinem omnes desinunt, *Fabritius Hildanus obs. 9. cent.* 5.

[12]. *Propter nervositatem) Nec non ob vasorum illic distributorum numerum & magnitudinem, unde hæmorrhagia metus imminet, vix coercibilis*:) Vasa ad membranas cerebri tendentia in Temporibus maxima sunt, Cranio adeo adhærentia ut eorum vestigia in illo insculpta appareant, quapropter ab ictu inflicto facillime disrumpuntur; Periculosa porro sunt Temporum vulnera ob musculum crotaphitam, qui pericranio involutus (à dura matre oriundo, eapropter acuto sensu donatum est) plurimisque nervis præditus si plaga illi accidat, brevi succedit inflammatio, aut gravia alia accidentia; Sin transversum incisus fuerit, aut gravis alia inciderit læsio, succedit spasmus cynicus, id quod ante annum in puero observavi &c. *Hildanus ibid.*

Nec vero ex sectione temporalis musculi hoc solum manet periculum, sed & aliud, quod is musculus in mandendo & loquendo perpetuo in motu est, quo fit ut semel sectus vix unquam unionem admittat, adde quod sub ipsa petrosorum ossium commissura latet. *Vigerius.*

[13]. *Differentiæ Fracturæ Cranii sunt quinque*) Sic enumerat *Vigierius capit. 16. libr. 2. Chir.* Fracturarum calvariæ species ad quinque reducuntur, quæ à Græcis dicuntur ῥωγμὴ, ἐκκοπὴ, ἐσπίεσμα, ἐγγείσωμα, & ἀπήχημα.

ῥωγμὴ est quum os fissum est ac divisum satis profunde, quanquam tamen vulneratio parum admodum extrinsecus appareat.

Ἐκκοπὴ etiam Fissura in cranii osse facta per incisionem, sed cum certa rupturæ & fracturæ significatione, quæ interdum partis oblęsæ frustum abripit, & ad membranam usque pervadit, *Sedes* alias dicitur. Ἐσπίεσμα est calvariæ fractura est Calvariæ fractura in multas variasque partes, quarum nonnullæ ita profunde desident ut &

ut & membranas & cerebrum comprimant atque urgeant.

Εγγίσωμα ictus est qui os directe deprimit ad membranas usque, quas etiam comprimit & offendit, cerebrumque sæpe conturbat & obtundit.

Καμάρωσις est cranii depressi divisio, formam testudinis efficiens, sine ulla fragmenti separatione, quæ itidem membranas premit.

Est etiam *Θλάσις*, quæ depressio; (in pueris dicitur contusio ossis sine fractura; qualis est e.g. ictus plumbo incussus tantum sine ulla ruptura aut fissura; Est autem illius species duplex, altera quæ ossis crassitiem ad duram usque membranam propellit; altera prima tantum cranii tabula usque ad diploen: evenire potest sine vulnere & cutis ruptura; quo etiam modo aliquæ fracturæ species fieri possunt; Hæc autem intacta absque periculo relinqui potest, si os fractum non esse exploratum cognitumque habuerimus.

Restat illa Fracturæ species quæ Contrafissura dicitur, Gallis *contrecoup &c.*

14. *Fissura*) Alias *Rima*, est calvæ tenuis & obblonga perruptio, quanquam instar pili exilis, nonnunquam paulo latior, similis fracturis seu scissuris vitrorum, ollarum & testarum: Fit autem *Rima*, ex violenta contusione, & ubi arma obtusa, ut sunt saxa & fustes cum capiti valde impelluntur & incutiuntur: *Rima* contingit sæpe calvæ, etiam non vulnerata cute. *Fr. Joel. Chir. pag.* 256.

15. *Inconspicua*,) Rima & Comminutio sensus sæpe effugiunt, nisi in detecta cute; ideo prudenti & ratiocinatione & conjectura artificiali dignosci debent; & dissectione vulneris, & visu & specillo explorari possunt. Fit tamen sæpe ut utraque in amplioribus vulneribus, si magna sint, visu tactuque dignosci queant, sed ubi sub cute illæsa delitescunt, nec visu deprehensi possunt, nec tactu, artificiosa conjectura agnoscenda sunt. *Idem.* Vide supra § *Signa.*

16. *Medsolus Fissura*) Cranii quædam sunt loca quibus terebram admovere non licet, inprimis ossi ita fracto ut omnino aut magna parte à cranio ictus violentia divisum sit; ne terebræ appressæ pondere & innixu in membranas deprimatur.

2. fractis suturis.

3. Frontis illi regioni quæ paulum supra supercilia est; nam eo loci, sub ipsius ossis prima lamina, cavitas ampla existit, humoris cujusdam albi & lenti, simulque spirituosæ cujusdam & albæ substantiæ differta, Animadvertat Chirurgus illam cavitatem, ne putet ossis effractionem depressionemque esse quæ terebram efflagitet.

4. Imis cranii seu capitis partibus, ne aperto terebra cranio cerebri substantia medullosa suo pondere delabatur, 5. Puerorum sincipitis ossibus, oi quibus nondum justa adsit soliditas ad ferendam terebræ impressionem.

6. Temporibus, propter temporalem musculum &c. *Vigerius.*

17. *Contusio seu Collisio, cujus duæ species*) Alia est cum Cranium solum in seipsum cedit ac subsidet. Alia ubi calva in plures paucioresve partes, ex violenta impulsione armorum obtusorum confringitur, & comminuitur, ut videmus obi ovum fortuito è manibus in mensam probabitur, ejusque testa in minutas partes confringitur; Vocatur & *Comminutio: Fr. Joel.*

18. *Depressio*) Est ubi duæ partes calvæ, sive id contingat in osse integro, sive suturis, ab invicem separantur, quarum altera sursum, altera deorsum removetur, Contingit talis depressio ex violenta concussione, aut casu aliquo in corpus durum, *Fr. Joel.*

Hæc, ut & *Comminutio*, ex loci inæqualitate, & aliis signis deprehenduntur, *Idem.*

18. *Depressio, cum os finditur & retrocedit*) Depressio calvæ est fractura, ubi calvæ pars introrsum versus cerebrum protruditur, quod dupliciter fit, cum fractura calvæ in adultis, & sine fractura in puerulis, qui calvam & mollem & flexilem habent; quæ edepressio similis est contusioni & cavitatibus quæ fieri solent in stanneis vasis: Hanc calvæ depressionem recentiores Chirurgi *Plicaturam cranii* vocant.

Depressionis exemplum mihi oblatum fuit, Adolescens in caput inciderat, & calvæ sinistram partem oblique introrsum depresserat, ita ut infra superius os calvæ scriptorium calamum inserere possem; Ego statim jussi parari terebellum ferreum, satis firmum, & ossi impresso usque ad meditullium ossis perforando infigi, cum eoque os depressum valida attractione sursum trahi, emundato prius ex vulnere omni impuritate; quod meum consilium feliciter cessit, Restituta enim depressa calva, adhibitis remediis convenientibus, bene convaluit.

Verum alia ratione sunt sublevanda *ossa quæ sine fractura & vulnere* cutis in puerorum capitibus sunt impressa, Nimirum adhibitis externis remediis valide attrahentibus, inflammationemque & suppurationem prohibentibus; Quo in casu utilissimum erit locum impressum quotidie bis terve sequenti Decocto fovere.

℞. *strobilor. cupressi contus. n.x. myrtillor.* ℥j. *rosar. rub. absynt. āā. m* ß. *cumini, calam aromat. āā* ʒij. *beton. matrisilva, rosmar. āā m.j* *lum.* ʒiij. *vini rubr.* ℔iij. *lixivii acris* ℥iß. *coq ad* ℔ ij. *cola*, spongia exceptus liquor moderate calidus calvæ depressæ imponatur atque foveatur.

Tandem exsiccato capite inungatur depressus locus *oleo rosar. mastich. & absinth.* simul mistis: Postea post quartum diem imponatur depresso loco sequens Empl. quod potenter protrahit omnem calvæ depressionem.

℞. *mastiches* ℥j. *gum. elemi* ʒx. *colophon resina pini āā.* ʒv. *ammon.* ʒ j. *succi beton. succi consol. maj. āā.* ℥j. *succi apii palustr.* ℥ß. *vini rubri* ℔ß. resolvantur & simul bulliant, continue agitando donec succi & vinum evaporent, colentur & admisce *terebinth.* ℥j. *cera alba q.s. f. Empl.* quod extensum per alutam calvæ depressæ imponatur, *Fr. Joel Chirurg. pagin.* 259.

19. *Sedes, cum à telo acuto*) Ἕδρα apud *Hippocratem l. de vulner.* cap. est Fracturæ species in osse ejusmodi ut in eo teli vestigium remaneat, atque appareat qua telum impactum fuit; quem quidem affectum à telo acuto fieri necesse est; Author *Galeno comm.* 2. *εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν*, Idem vero scribit in *lib. de caus. morb.* eo nomine peculiariter designari solutam in ossibus capitis continuitatem, ab aliquo acuto occurrente, atque abscindente, vocarique etiam *ἐγκοπὴν* & *διακοπήν*. *Gorræus Defin. Med. p. m.* 124.

20. *Contrafissura*) Rima contingit non in loco percusso, sed vel in opposito, vel in aliquo alio, quæ quia delitescit eo est periculosior; Id quod usu quoque evenit non tantum in calva verum etiam in vitro, olla, testa & campana, ex violenta concussione, ut opposita pars frangatur, & rimam acquirat.

Eo in casu pili capitis abradantur, & sequens Emplastrum capiti instar mitræ imponatur.

℞. *cera thuris, ladani, āā.* ℥ij.
terebinth. far. fabar. aceti āā. ℥ij. *f. Empl.*

Id linteolo extendatur, Capiti per noctem imponatur; altero die studiose observetur in Emplastro qua in parte absumptum, aut à linteo delapsum sit eo enim in loco fracturam subesse ostendit. *Fr. Joel.*

ARTICVLVS III.

De Cranii Fractura cum Meningum læsione.

C*Ranii fractura cum meningum læsione* est *duplex*. Nam, Vel *Dura meninx* saltem simul læditur: [1] *Tum* sanguis copiosè effluit, cum plurima vasa per eam disseminentur, & dolor in parte membranosa valde urgeat, [2] In *Curatione*, non neglectis quæ vulnus cranii spectant, sanguis est sistendus. Dolor oleo rosarum tepido leniendus, [3] si purulenta evadere incipit, melle rosato detergenda, si huic non cedit, ad fortiora, ut Vnguentum Ægyptiacum accedendum &c.

Vel *Pia mater*, seu tenuis membrana, simul afficitur. Tum sanguinis profluvium & [4] inflammatio metuenda est Curationem vide apud Aquapendentem Chirurg. l.2.c.20.

[1] *Tum sanguis*) Signa incisionis panniculorum ab his quatuor potissimum sumuntur.

1. A dolore, quia statim ab initio sequitur scotomia, & vertigo, & similia.

2. A colore faciei & oculorum, quia facies rubet, & pustulæ exsiccantur, Oculi quoque rubent, eminent & obscurantur.

3. Ab exeuntibus, quia sanguis exit per nares, aures & palatum.

4. A læsione virtutum, quia ratio cum difficultate movetur, loquela turbatur, angustiatur, & totus prostratus & stupidus fit, febricitat, riget, male dormit, nihil appetit, nauseam & vomitum expetitur, nec alvum exonerat aut urinam bene emittit. *Forestus, l.6.obs.42.in sch.*

Si ex capitis ictu meninges vulnus acceperint, atrocissimus dolor inest, qui & mansu adductisque maxillis & spiritus contentione exacuitur, protinus vomitio consequitur, identidem ac subinde recurrens, sanguis intro effusus nonnunquam vel è naribus, vel ex auribus, vel ex oculis promanat; Sensus interdum quasi attoniti obtunduntur, nervique distenduntur, nec multo post febris atque mox delirium exoritur, præsertim quum inflammatio occupaverit. *Vigerius.*

[2] *In curatione*) Hæ duæ membranæ detectæ à Calva, nondum tamen vulneratæ, tribus periculosis symptomatibus obnoxiæ sunt, *corruptionis*, sive *denigrationis*, *inflammationis* & *Apostematis*, proinde nudæ ab hisce malis summa diligentia præservari debent remediis lenientibus simulque exsiccantibus & nonnihil detergentibus, Commode itaque illiniri debent *oleo rosar.* cum *ungu. Isidis* mixto, quod à *Galeno* describitur, & quod *Fallopius* magnopere commendat.

Aut illiniatur Linamentum ex tenuissimo pulvere *ervi*, *thuris*, & *rad. bryon.* cum *oleo rosac.* diu multumque contritis confectum, cui mundificationis causa admisceri potest momentum *mellis rosac.*

Excellentissimum quoque remedium membranis cerebri denudatis est *oleum terebinth. aquosum* & prima destillatione arte chimica productum, quod cum *oleo rosac.* commisceri potest: lenit enim & mitigat, & simul exsiccat egregie.

Supra hæc tepida linamenta, aut mundissima linteola imponenda sunt, & applicandum *Empl. Isidis*, aut de *vernice* nostrum.

At vero si detecta cerebri membrana, vel ex contusione, vel ex frigiditate ambientis aëris, jam *corrumpi* & *nigrescere* incipiunt, imponatur per noctem *oxymel* linamentis exceptum, ac tandem mollissimo linteolo madefacto ac tepido abstergatur, & *sanguis columba* tepidus instilletur, linamentoque exceptus imponatur.

Atque si per triduum non remittat nigredo, *oxymeliti* admisce *olei terebinth.* aliquot guttas, & membranis imponatur: Vbi vero ab his non alteratur rubedo, rumpitur membrana, & mortem affert.

Inflammatio vero *Menyngibus*, id quod ex turgidis & rubentibus venulis per membranas sparsis, adeoque per intumescentiam membranulæ duræ, & pulsus ejus intermissione, dignosci potest, Id si contingat statim, & quamprimum *inflammatio* extinguenda erit, instillato *oleo rosac.* cum *succo lent. palust.* aut *sempervir.* misto, aut *ungu. popul.* cum linamentis imposito.

Vbi autem Suppurationis & Apostematis signa apparuerint, statim, & antequam purulentia tenuem Menyngem erodat, dura illa supputata membrana scalpello est aperienda, & ab omni purulentia abstergenda lenissimis linamentis, eisque imponenda ea quæ de nigredine & corruptione ejus diximus.

Vulnerata siquidem dura menynge, integra autem & salva menynge tenui, potissimum si absunt symptomata periculosa, spes non parva est relicta salutis; Verum ubi utraque menynx vulnerata est, & ex earum vulnere sanguis aut sanies in cerebrum destillet, aut profluat, cerebrumque comprimat, certissimum exitium infert; Et tamen nec ita omnis spes Chirurgo est abjicienda, & vulneratus pro deplorato relinquendus, sed cum periculi protestatione & prædictione sequentia præsidia tentanda erunt, si forte lethalia symptomata, amoliri, vel saltem mitigari, & membranulæ vulneratæ ipsi substantiæ cerebri adnasci, vel cuti vulneris conglutinari possit.

Primum itaque, quia membranæ cerebri venarum, & arteriarum surculis sunt refertæ, ex quarum vulneratione sanguis statim effluit, & in cerebrum prolabitur, ibidemq; in grumos concrescit, cerebrum comprimit, & citam mortem infert, ideo statim sine mora *Sanguinis fluxio est cohibenda*, & *grumi*, si qui cerebri substantiæ incumbunt, mollissimis linteolis detergendi & eximendi erunt, Denique ipsis vulneratis menyngibus sequens Linimentum mollissimum linamentis exceptum imponi debet.

℞. *Colophon.* ℈j. *myrrh. aloës, mastich.* ā ā. ℈ß. *sarcocoll. croci* ā ā. ℈j. *tenuissime pulverisata cum f.q. olei rosac. per durissimum lapidem palitum diu multumque conterantur*, & fiat mollissimum Linimentum, quo indito vulneri, imponatur *Empl. Isidis*, aut aliquod aliud ex vulnerariis; Eidemque arcendæ inflammationis causa imponatur *albumen ovor.* cum pauca *aqua rosar.* concussum. *Franc. Jod Chir. p. 261.*

[3] *Si purulenta evadere*) *Ol. quod è vitellis ovor.* diu in sartagine frixis elicitur, cerebri contusas membranas, putrilagine affectas, mirum in modum à partibus sanis segregat, ut nos compluries magno cum honore periculum fecimus. *Matthiolus.*

[4] *Et inflammatio metuenda*) Signa inflammationis vel apostematis supervenientis sumuntur.

1 A Tumore, quia inflantur membranæ seu panniculi, & eminent extra vulnus, & rubent, & non moventur.

2. Ab oculis, quia rubeant & inflammantur, & è capite egredi videntur, motitantur, & obliquantur ac contorquentur.

3. A calore, quia febricitant & inquiete se habent.

4. A viribus, quia alienatio subsequitur, convulsio, febris, phrenitis. *Forestus ibid.*

Signa

Sygna quod materia descendat; lædat, & gravet & panniculos & cerebrum, sunt prædicta signa inermis panniculorum, venientia paulatim post principium. *Idem.*

Plura vide in parte Chirurgica hujus Operis, quo hæc pertinent.

Cap. IX.

De Symptomatibus Cerebri.

1. SYmptomata Cerebri infestant *vel* ¹ sensum Tactus, *vel* sensum Communem, *vel* Imaginationem, *vel* Imaginationem & Ratiocinationem simul, *vel* plures sensus Internos, *vel* Motum Animalem, *vel* sensus Internos, Externos, Motum & Ratiocinationem, seu plures animalis facultatis actiones simul; *vel* excretionem & Retentionem. Ad primum pertinet *Dolor Capitis.*

¹ *Symptomata Cerebri infestant vel sensum &c.*) Causa generalis omnium symptomatum cephalicorum unde sit deducenda ostendit *Etmuller Praxeos Tom. 2. capite 5. p. m. 242.* Sanguis, *ait*, defertur ad cerebrum ac cerebellum, ubi ab eodem separatus spiritus vitalis, abit in spiritum sic dictum animalem, à quo & *sentiendi* habemus potestatem, & *movendi habilitatem*, activitatem; cum *ratiocinationis* sublimiori actione, in qua, ut spiritus animalis vere, & solius animæ, nempe rationalis, tanquam principaliori agenti, instrumentalis inservit; ita pro ejus spiritus varia constitutione, non tantum in latitudine sanitatis diversitas operationum animalium in singulis individuis observatur multiplex, sed etiam in constitutione morbosa variæ in *sensu & motu*, quin & *intellectus* operationibus læsiones oriuntur.

Naturalis spirituum animalium diversitas ex varia crasi & mistura massæ sanguineæ, & hinc diversa Cerebri constitutione dependet, *Prout* enim *diversa est massa sanguinea*, diversi etiam emergunt spiritus tam vitales, quam animales; Quoad *cerebrum*, variat ejus constitutio, tam secundum *compositionem*, seu texturam naturalem, quam conformationem mechanicam.

Quoad *compositionem* naturalem, præter constitutionem seminalem, sub generationis primordiis natam, multum varietas ejus dependet à sanguine & spiritu influo, variata hoc enim ejus nutritione & naturali textura, plures aliæ proprietates, qualitates dictæ, & inde emergens *temperatura* in caliditate & humiditate, siccitate & mollitie &c. variant, Sicut *in ipsa conformatione mechanica*, ratione *pororum*, *meatuum* & *ductuum* diversitas deprehenditur, quæ omnia & spirituum animalem, ejusdem constitutionem, generationem, distributionem, & motum variant; Hinc ista in actionibus animalibus insignis differentia cholericorum, melancholicorum &c. ex quibus ingeniorum diversitas deducenda.; Ergo spiritus insiti animales plus minus vitiose geniti, & p. m. alterati, una cum organorum corporeorum tam cerebri quam aliorum varia constitutione, *quasvis læsiones in sensu & motu* inducunt.

Generantur spiritus animales vitiose 1. quando *deficiunt*, unde hebetudo sensuum, imbecillitas corporis, defectus in motu apparent, ut videre est in senibus, aut qui gravi ex morbo convalescunt: *Deficiunt spiritus*, vel *propter sui consumptionem*, labore, Venere, studiis, quibus omnibus nimis agitari in cerebro adeo subtilisantur, ut promptissime dissipales existant: Vel propter *deficientem sanguinis spiritnascentiam*, in constitutione præsertim ejus cacochymico-cachectica, vel propter *læsionem cerebri*, concussionem, meatuum obstructionem &c. in quibus casibus *pori ac meatus cerebri*, aut *subsidentes*, aut *compressi*, aut omnino aboliri, & sanguinis debitum circulum, ac spirituum animalium ex eo separationem impediunt: 2. Vitium est quando *abundant*, & hinc impetum quendam extraordinarium actionibus animalibus conciliant, V. g. in iis qui alimenta laudabiliora usurpant, potui vini generosi moderate indulgent, qui hilariores & agiliores fiunt. Vitium minus curandum, quando sponte, vel per medium (*medium*) vel motum corporis aut animæ cessat.

Denique 3. *vitiose generantur spiritus animales*, quando *depravantur* iidem in sua crasi, unde motus eorundem variæ exorbitantiæ & anomaliæ, unde craseos vitiatæ ratione, vel *stupidi*, vel *torpidi*, vel *copiose & inordinate mobiles*, minus subtiles, plus minus acres & intempetati, gignuntur; Vitia pro specialium hinc dependentium affectuum ratione diversimode curabilia.

Antequam in specie affectus facultatis animalis consideremus, notandum 1. *Systema nervosum cerebri*, *cerebelli*, medullæ spinalis & partium annexarum similium, nonnisi ex *fibris* nunc *delicatissimis*, nunc minus delicatis, sed paulo *firmioribus* constare, quæ ratione suæ texturæ in naturali statu *tensa* quidem sunt, sed simul continuum quasi nixum, aut impetum, aut *Vim*, quasi *elasticam* obtinent ad *motum*, quævis, modo impetu interno spirituum animalium roboretur, motum animalem quemvis, tam spontaneum quam naturalem infert; Si vero *impulsu externo commoveantur*, sensum externum facit, ita ut spirituum diverse constitutorum motus diversi, & fibrarum nervearum diversa textura & constitutio, totam facultatem animalem, & totam sic dictam animam sensitivam absolvant. 2. Notandum *Spiritus animales*, *seu materiam admodum subtilem*, *conditiones etiam subire materiales*, & seu sulphureæ, seu salsæ, seu lucidæ, seu alius sint naturæ & conditionis, tameo pro varietate constitutionis variare etiam eorum attributa, & consequenter nunc plus minus proprietates amicas vel hostiles nervis totique eorum systemati existere.

². *Vel sensum Tactus*) Ad quem *Dolor* pertinet, *Stupor*, & *varia sensus Tactus depravationes.*

De Dolore in genere.

Nihil tam contra naturam est quam Dolor nihil tam Naturæ gratum quam dolores placari: Morbi cum doloribus conjuncti tortores sunt & carnifices, duplo magis crudeles & sæviores reliquis: indolorifici facile

omnes feruntur, neque sentiuntur nisi ex actione læsa, Sin dolorum faces accendantur, duplex quasi est morbus, ipsa partium læsio, & læsionis hujus sensatio tristis, Vt illius *Natura* innotescat.

Supponimus (1.) *In omni Dolore sensum Tactus esse expressum & activum, ubi id fieri non debebat*, Reliqui sensus respective magis possunt dici activi, sive celeritatem agendi, sive subtilitatem, sive inprimis objecta respiciamus, quæ passive se magis habent, ut paries albus videatur, vox audiatur, odor exhalans, sapor percipiatur, Tactus autem est magis passivus, quod immediatum & corporeum, vel quasi talem contactum patiatur, sentiat qualitates tactiles, calidum, frigidum, passive magis, objecta & res tactiles alias iisdem magis passive, ut refugiat statim archeus ingrata; Passivitas hæc non minus ac ipse sensus universalis est in omnibus & singulis partibus: Hinc reliqui magis ad extra, Tactus ad extra & ad intra se habet, ut diiudicare utrumque posset, & extranea & intra corpus: Est hinc Tactus inter externos quasi sensus communis, reliquis omnibus adstans; passive se gerens tum in proprio subjecto tum in reliquis omnibus, qua talibus: Quando ergo exprimitur & activus fit, locis indebitis dolor ille est [illegible] vel saltim molestus sensus, si *Pruritum* una concludere velimus: Hinc præ reliquis etiam tactus intra seipsum fit, cum oculus alia magis quam seipsum, non minus ac reliqui percipiat, si forsan tinnitum aurium excepero, quando aures intra seipsas sonant.

(2.) In omni Dolore dari aliquod peregrinum objectum quod sensum tactus exprimat, & activum ex passivo reddat; Corpus ipsum est, ut ita loquamur, vel esse debet in se ἀπαθὴς, nihil in se sentit, ut extra se quæ sint, sentire unice posit; Quandocunque itaque sensus tactus exprimitur, oportet ut aliquod sit movens, ingens, quod illud præstet.

(3.) Dolorem vel esse extrinsecus illatum, vel intrinsecus; hujus vero genuinam rationem mechanicam ab externo esse regulandam; Cum ergo sensibus notum sit omnem dolorem externum produci ab *inæquali & acuto*, inprimis fortius moto nullum vero ab æquali rotundo, quadrato, plano, lævi, molli, qua tali, id ipsum etiam omnino putandum est de interno, Similium enim eadem perpetuo est ratio: Hinc ut tinnitus aurium ratio non alia reddi potest quam ex ipsius auditus ordinarii consideratione, requiri utrobivis sonum, & hunc percipiens subjectum, ita & hoc loco se res habet.

(4.) Dolorificum omne, licet parti peregrinum, sine dubio consistere in humido ipsi destinato, vel inhærente: Partes solidæ sensum sustinent, nominatim membraneæ, nerveæque, spirituosæ illas vigorant, humidæ vigorant & nutriunt; Hinc membranas tendi & vellicari, spiritus irritari, & vitiose moveri dicimus, humores vero objecti vicem sustinent: Licet enim nonnunquam & solidæ partes dolorem in corpore excitare soleant, ut à vulneribus ossium ipsæ particulæ acutæ fissi ossis membranis infixæ, V. g. costa fracta, ordinarie tamen magis humido id tribuendum est unice: Quin æmulentur Solida illa ex assumptis, ut acus, vel ex ossibus externa dolorifica pungentia, Hinc

(5.) In omni Dolore objectum esse improportionatum, seu qualitate, & figura, seu motu, quamdiu scilicet humidum est in partibus æquabile, sibi relictum, vitiosis moleculis non imbutum, & ut unda vicidam trudit, tamdiu dolor abest omnis, & contra.

(6.) Humidum in specie, Serum, Salsum esse vehiculum, tum acidorum, tum alkalium, tum mediorum; singula vero acutis, rigidis, inæqualibus particulis gaudere: Hæc ipsa, quamdiu servant societatis & proportionis leges non explicant vel exserunt; dominium vero nacta eadem promptissime dolores pariunt & excludunt.

(7.) In omni dolore esse quasi spinam infixam, & circulum sanguinis impeditum: Spina infixa est, quatenus spicula Salina inæqualibus suis rigidis particulis infiguntur partibus membranosis, unde inæqualis necessario fit sanguinis transumptio, facta vero has impeditur circulus; Vnde per mechanicam spinæ infixæ, doloris optime illustratur ratio; Facto enim hoc, v.g. in digito, statim adest pulsatio, tumor & dolor, nisi promptus eximatur iterum, unde circulatio sanguinis impedita signatur.

(8.) Dolorem omnem ab Acido non fieri: Hoc enim solum, quod contendit *Helmontius*, non exhaurit vel constituit, objectum improportionatum, inæquale & dolorificum, sed acutum potius τὸ ὀξὺ & acidum & acetum notans, quod ipsa dicta mechanica est longe verissimum.

(9.) In omni Dolore archeum esse irritatum, Irritatus est ob inæqualitatem, cum ipse omnia in plano & placido exoptet, irritatus, ob impeditum circulum, unde jugum ejusdem excutiunt exorbitantes humores: Irritatus ob denegatam quietis & vigiliarum vicissitudinem; irritatus adeo sæpe, ut motus convulsivos, pavores, lipothymias producat, unde omnes dolores graviores convulsionum sunt æmuli, ipsasque prompte efficiunt.

(10.) Pro diversitate agentis acuti, & patientis membranosi, diversos quoque oboriri dolores: Quo magis membranea & nervis vegeta est pars, eo majores dolores & cruciatus sustinet: Quo rigidæ magis & pungitivæ acutæ particulæ, & inæquales; eo dolor est major, & contra: Vnde diversi gradus & differentiæ dolorum numerantur.

(11.) In omni Dolore concurrere per dicta, & pungentem spinam, & punctam partem, & sentientem seu irritatum archeum, causa vero accessionali ablata, hunc ipsum prompte quiescere: Frustra sane fuerit, vel doloris hoc exemplo, roborare archeum non ablata causa morbifica; vel auferre hanc ipsam non simul considerato archeo, qui tamen est morborum Medicus genuinus & immediatus, uti ejusdem minister Medicus, mediatus.

Curatio.

In genere hinc ulterius jam inferre licebit 1. *Tria* esse Dolorum adæquata remedia, non plura nec pauciora, quæ *Paregorica*, *Anodyna & Narcotica* audiunt, licet unum suppleat alterum, nec opus sit illa semper conjungi: Sumuntur nempe singula vel latius, unde quodlibet illorum dolorum sedativum est: Inprimis Anodynorum vox generaliorum præ reliquis esse consuevit, reliquis quoque competens, vel strictius pro distincto, quem respiciunt, effectu: Ex quo patet quare *Galenus 5. simpl. capite* 19. duplicis generis statuat anodyna, aliud revera tale, aliud tantum nomine, sive apparenter tale: Vere & proprie *Anodyna* dolorem ipsum respiciunt ejusque causam, ut Paregorica & Anodyna nomine tantum & apparenter Narcotica dicta; Respiciunt hoc scilicet singula concurrentia, Paregorica spinam pungentem, præcipue serosam & Salinam; Anodyna punctam partem, sensilem, membraneam

& nervosam, Narcotica sentientem, seu irritatum archeum.

(2.) Quæcunque singulis his sunt adæquata, una & sola esse anodyna, seu dolorum remedia, Faciunt vero id uno verbo *principaliter sulphurea*, singulis apta, opposita irritantibus salinis particulis, unice apta demulcendis partibus; apta placando archeo, licet usu & mistionis modulo differentia, adæquate aquea.

(3.) Anodyna esse vel interna vel externa; Interna magis archeum, Externa magis partem punctam, vel humores respiciunt.

Ex his porro fluunt quænam & quomodo id præstent, in specie, nempe.

(4. *Quæcunque demulcent & placant partes punctas sunt anodyna*, seu dolorum remedia, Demulcent fibras, plus justo tensas & contortas, *Emollientia*, dolorem ipsum, seu tensionem & vellicationem respicientia, ut remittatur hæc strictura; mitigetur hæc punctio: Emollientia fibras ipsas, velut tensas, & tendendo quasi convulsas: Emollientia poros, ut evacuent & digerant, ut rarefaciant, attenuent, concoquant & æquabile reddant, quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, lentorum, crassorum multorumque, tenuibus spiramentis infarctorum, aut etiam vaporosi crassi frigidique spiritus, exitum commodum non habentis, est inclusum, hinc nihil adstrictionis habere debent, etiamsi pars quædam, aut affectus, ut in dysenteria, id exposcant: ratio est, quoniam adstringentia poros claudunt, inclusam vero materiam retinent, ex quo dolor augetur: Hinc *tepida*, calida & humida, sunt dolorum *άκμαν* tensioni maxime debita, & fibras insigniter laxantia: hinc mucilaginosa calida sunt anodyna, uti *Lac* emulctum recens super partes podagricas dolentes.

Atque hinc regula nostra laudatissima est, *Narcotica*, externo usu esse emollientia, seu emolliendo dolores sistere, ob sulphur mucilaginosum, Sic huc pertinent *rad. Rhodia*, herb. *solani*, *hyoscyam*, *nicotianæ*, *scrophularia*, *linaria*, *cicuta*, *petrosel. herbæ 5. emoll. in balneis & fotibus*, herba & flor. *chamom. simpl. & Rom. verbascum*, quoad totum, *flor. papav. rh. & sambuc: sem. anisi papav. hyosciami, lini, nucl. persic. cortic. mandrag. vitelli ovor.* Sic ex pinguibus *ol. hyoscyam. lini, ovor. lumbric. persic. expressum* ad dolorem capitis & aurium, sic *ungu. dialth.* anodynum, sic *Empl. de hyoscyamo*, *de melilot*, *de cicuta*, huc pertinent, & emolliunt, & dolores sistunt: Par est ratio lumbric. terr. qui ob mucilag. Sale volatili intertextam sunt anodyni, in arthriticis, & exterius in doloribus nervosarum partium, ischiade &c.

Hæc ipsa pro re nata etiam hinc fiunt & sunt Suppurantia, quatenus fovendo & demulcendo partem, calore suo blando & corporis familiari laxant, reserant meatus, atque emolliendo suppurationem, siquidem illuc tendat materia, promovent.

(5.) Quæcunque dissipant subsistentes humores, & corrigunt salina pungentia; sunt anodyna paregorica, Dicuntur hæc communiter respicere causam dolorum, & recte, Licet enim & Emollientia modis dictis secundario humoribus simul corrigendis prospiciant, & hæc omnia sint symbolica & affinia, seorsim tamen pro diversitate agentis p. n. & partium, & hæc locum habent; Dissipant humorem rodentem partibus jam illapsum, acrem, acidum, vellicantem; *digerentia*, *laxantia* & *carni nativa*, V.g. rad. *zedoar. galangæ*, in doloribus colicis, uteri, ventriculi, si *chamomill. Rom.* (tacemus *melissam*, & aromaticas alias propriis partibus dicatas) *summit. aneth. crocus*, *oculi pop. sem. 4. carmin. bacca laur. junip.* sale volat. oleoso fœta, seu sulphure subtili digerente; Facit hoc ipsum sal, furfures, unde sacculum paregoricum, polychrestum, ad dolores pleuriticos, colicos, nephriticos, & alios conficere suasimus sæpe ex *chamom. sem. lini* conquass. *furfure tritic. sem. carvi* & sale, quæ nullibi non prostant: Sic oleum paregoricum polychrestum ex *Oleo hyoscyami*, *anisi*, *carvi*, *succini juniperi*, *ligni Rhod.* &c. eidem fini inservit, præcipue si utriusque accedat calor, calor enim rarefacit, calor digerit & dissipat, est anodynus, unde & opercula illarum, lapides serpentinos, huic usui aptatos in figura, calefactos, & toto die dolentibus partibus adhibemus; etiam vulgo sæpe ex sola avena ad colicam, ex milio ad dolores dentium, ut dissipemus; contemperant nempe hæc efficientes causas, & partes, humores & flatus mitiores reddunt, ac per insensibilem transpirationem discutiunt quicquid horum in parte continetur & molestat; faciunt id tenuitate substantiæ, unde se poris insinuant, unaque secundario etiam archeo sunt amica, & parti ipsi benignitate sua grata; Hinc *Galenus* l. c. scribit anodyna aliquando & dolorem lenire, & affectui ipsi prodesse, adeoque facultatem habere duplicem, anodynam & sanantem, interdum dolorem tantummodo mitigare, affectum vero nihil juvare, q. d. illa genuina, & κατ' ἐξοχὴν esse anodyna quæ singula tria requisita exhauriunt, Sic & *ol. Scorpion.* dissipat.

Dissipant & demulcent *nervina* & *narcotica*, exterius adhibita, Ex gummatibus *tacamahaca* in doloribus *catarhalibus*, *caranna*, *mastiche*, *succinum*, *g. juniper. &c.* in emplastris vel suffitu, proficua dolorum remedia: Sic olea jam dicta, & alia destillata ex templo sæpe dissipando juvant: Ex ungu. hoc facit *Populneum*, *Alabastrinum*: Inprimis vero spirituosa utrumque insigniter expediunt, summi usus in doloribus ubi discussione re peragi potest, V.g. in catarrhalibus defluxionibus, doloribus colli, scapularum, brachii, imo extremis seu artubus in genere, in arthritide probatissima; Sic solum vinum calidum in doloribus à contusione optimum est, vel cum sacculis dissipantibus applicatum: Sic spir. vini s. & camphoratus dissipat; Sic *spir. formic.* acida sulphureavi non satis deprædicandum est nervinum, ut & cum ea commiscendi, & seorsim commendandi spiritus urinosi, Sic *theriaca*, *Mithridat.* requies Nicol. *Philon. Rom.* exterius quoque nonnunquam applicantur, ut in dolore capitis, dysenteria, & alias, sicubi, ut diximus, discutiendum fuerit.

Dissipant *resolventia gummatosa salina & Mercurialia*, exemplo sit resolventis gummatosi *Empl. diaphor: Myns.* geminum, imo ipsum quoque *magneticum*, Empl. *de baccis* lauri, & inprimis probatissimum *Empl. de ranis Vigonis cum Mercur.* probatissimum inquam in materia dissipabili, resolubili, vel dissolvenda serosa, non solum in doloribus & tumoribus Venereis, capitis & artuum, sed & aliis serosis scorbuticis, profundioribus partium carnosarum & aliarum, unde plures dolores feliciter dissipavimus *Empl. diaphoretico*, remixto cum *empl. de ranis* cum *Mercurio*, cum vel sine *Magnetico*, Mercurius enim dissipat, & in fluorem summe citat serum in coagulum ambiens, unde etiam nervinus est: Dissipant etiam *Salina*, exemplò cum *salis comm.* tum *nitri* quoque, quod hinc anodynum audit, à præparatione antimonii diaphoretici residuum, forma humida potissimum, licet etiam ad repellentia referri possit.

(6.) Quæcunque archeum obtundunt, sopiunt, ligant & placant, sunt anodyna, speciatim *Narco-*

tica dicta, Obtundunt actu frigida, Repellentia dicta, tum respectu humorum vellicantium, ne irruant; tum respectu inprimis quoque spirituum & archei, ut obtundatur simul acumen sensus: Narcotica scilicet externa eadem sunt quæ repellentia. V.g. epithemata ex aquis refrigerantibus, *solani, aneth. rosar. hypnotica Dornerellii, nitro, theriaca, requie Nic. &c.*

Obtundunt, & hoc sensu Narcotica sunt tum aquea tum acida, Sic pruritu testium insigni laborans curatus est solo elemento aquæ frigidæ; Sic legitur jam olim *Plinio teste*, curata podagra immersis pedibus in acetum, quod æger maluerit sensu carere quam dolere. Obtundunt Vincula Constrictiva, quæ influxum spirituum inhibent, unde ligaturis hisce utimur cum pars abscindenda est, etiam hoc fine.

Sopiunt & ligant *quæ somnum* inducunt; Dolores individuum & perpetuum secum habent comitem Vigilias, quia objectum perpetuum quasi etiam contristat & fatigat spiritus, ut lassentur quidem, non tamen quiescant, quin quietem aufert: Atque hinc hanc classem anodynorum, seu narcotica dicta, cum Galeno plurimo nomine saltem & apparenter anodyna esse volunt, dicta à duplici actione, quod tum inducto stupore partis sensum obtundant, torpidioremque reddant, unde Stupefacientia Latinis audiunt, tum quod epota somnum concilient.

Refert hæc passim *Galenus* inter Anodyna, sed ut vulgo vocant, per dicta, talium palliative agentia, quæ stupefaciendo efficiant, quo minus pars urgentem dolore causam percipiat: Nomine vero, & dicto palliativo modo, solum talia, quia temperiem habeant summe adversam iis quæ revera sunt anodyna; Omnia siquidem corpus refrigerare, & sensum eo usque stupefacere, ut si paulo liberalius sumantur, mortem adferant.

Sicut dolore durante & exacerbato somnus aufertur, ita somno inducto dolores cessent, vel quasi, oportet, Quod enim non sentitur, quod remittit in tantum, ut pausam concedat aliquam, illud sedatum esse intelligitur (Patet enim ex dictis duplicia esse Narcotica, 1. Stupefacientia, quæ ab extra, 2. soporifera, quæ ab intra ligant & sopiunt sensum, Cum ergo seorsim post doloris rationem de somniferis sit dicendum, pauca quoque huc facientia supponemus, *quæ Vide capite de Vigiliis p. n.*

Prosunt *Anodyna* proprie κατ' ἐξοχὴν dolorum remedia magis; in quibuscunque dolorum generibus, inprimis urgentibus & auctioribus, oculorum, aurium, dentium, renum, uteri, intestinorum, capitis, articulorum, idque morbo quasi, ejusque causa, evacuanda vel alteranda, tantisper neglecta, quatenus symptomatis urgentis titulum subeunt, præ aliis vires prosternunt, vigilias excitant, fluxiones creant, aliorumque hinc symptomatum causa evadunt, unde merito urgentiori succurritur, adæquate in vigiliis: *Narcotica* vero principaliter somno citando, seu vigiliis, adæquate doloribus placandis, sensui quippe communi, & hinc reliquis torporem inferunt.

Brevibus vero modo de applicandorum *Anodynorum externorum* modo agamus.

Variant Anodyna topica pro diversitate 1. partis affectæ, 2. pungentis spinæ, seu vellicantium humorum.

Affectæ partis ratione, Quo pars dolens est tenerior, eo blandius tractanda, semper servato ejusdem tono: Sic dolenti ventriculo absurdum fuerit vel frigida vel emollientia applicare, ipse enim calidis & adstringentibus gaudet: Inconveniens mammis, partibus spongiosis, mollibus & laxis, frigida vel adstringentia, sicubi turgeant, apponere; Noxium inflammationi eadem adhibere, V. g. erysipelati, quod tunc pori constringantur magis; vel ubi suppurationi eadem proxima est, quæ emollientibus promovenda.

Materia dolorifica intuitu, notandum est, aliam esse 1. *dissipabilem*, ad extra præcipue, hinc & ad intra, quam & remeabilem vocant, aliam *traductilem*, aliam *siccam*, 2. aliam *tenuem*, aliam *viscidam*, *acidamque*; aliam *vaporosam*, *flatulentam*, aliam *humoralem*, *serosam*, aliam *solidam*, ut plures differentias non laudemus.

Hinc vi methodi medendi, à contrariis & qualitate & quantitate desumptæ, Prout materia doloris magis vel minus est dissipabilis, præcipue ad extra, hinc & ad intra, tenuis, vaporosa, serosa, modo conveniunt *digerentia*, calida & sicca, ut sacculi, exemplo doloris colici, arthritici, pleuritidis flatulentæ, cardialgiæ, odontalgiæ, doloris nephritici; Modo *oleosa spirituosa*, ut in pleuritide, calculo, colica, cardialgia, tum per se tum cum dictis sacculis; modo *unctuosa & emplastica*, ubi laxandum, ubi suppurandum; modo *balsamica & mercurialia* ipsa, ubi resolvendum & dissipandum; modo *terrea*, temperata, vel sibi relicta, vel siccis balsamicis leviter medicata, ubi alterandum & dissipandum, ut in erysipelate; modo *humida calida*, oleosa & spirituosa, ut *lac calidum*, epithema seu fotus humidus è spirituosis in podagra, vinum calidum in contusione &c. modo *frigida* ipsa, ubi repellendum, idque tuto licet, ut inprimis capitis, ossium vallo munito.

Quæ nisi distinguantur in externorum horum usu maxime peccari potest, sive solis illis utamur citra discutientia, resolventia, sudorifera interna, sive improvide, ut ex materia remeabili fiat fixa, ex hospite incola, ex podagra simplici, nodosa &c. Summarim, & hic perpetua inter agens & patiens debet esse proportio, ut prosit Medicus, non noceat.

De *Narcoticis* vero, quæ loco cautelæ & illustrationis melioris dici possent, complectemur exemplo *Opii*, hinc nota 1. *Opium est anodynorum apex*, Anodynum est, cumprimis internum, cui tuto fidere possis: Sunt quidem & interna paregorica, ut chamomilla specifice prodest in Cardialgia, ut carminativa in colica, ut radix *galanga & zedoar.* in dolore post partum, ut spirituosa, aliaque; illa tamen militant sub Opio, & cum hoc maritata demum felicius agunt, ut *essentia carminativa* cum anodyna præsentaneum est cardialgiæ & colicæ remedium; sine illa minus pollet; Sunt anodyna mineralia, unde *Cinnabaris* est quasi panacea dolorum, ob vim nervinam insignem & dissipantem, fundentem, cedit vero *Opio*: Prodest v. g. optime arthriticis specificum cephalicum hoc; adde opiatum, præsentius juvabis: Unde in arthriticis uti solemus *bezoardico Martiali cum cinnabari* & laudano opiato, cum successu; Imo in arthritide vaga scorbutica vidimus successum ab *essentia* opii liquidi, circa noctem usurpata, felicissimum; sive alternis diebus, sive uno alteroque ex ordine sumpta; Maxime etiam dilaudant Chimici sulphur vitrioli anodynum, illud vero infidum est medicamentum, seu liquidum secundum *Salam* veneris, seu solidum, neque enim tam pansum, tam nervis amicum, & ventriculo est, ut *cinnabarina & opium*: Peccatur hinc in excessu & defectu, aliis ad cœlum usque extollentibus Opium, aliis ad barathrum detrudentibus.

2. *Opium*

2. *Opium anodynum est genuinum, non palliativum, non temporarium solum*; Palliativa medicamenta proprie dicuntur, quæ non tam tollunt affectum quam interpolant, quæ non tam restituunt quam restitutionem fingunt, quę tegunt ipsum malū & non auferunt: Sic oculus vitreus est palliativa cura cæcitatis, Pes ligneus est palliativa cura pedis ablati, par ratio est auris, manus; aut si fuco inficiatur facies, est palliativa cura deformitatis; A qua extrinseca propria denominatione palliativë etiam curare dicuntur quæ ad tempus juvant, vel juvare videntur citra ablationem radicis, vel causæ morbificæ ex toto; Id vero solemniter quasi objicitur opiatis, ut hinc Medicus qui prima accessione ad ægrum, propinando circa noctem *syrup. papav.* noctem quietam præstitit, palliative dicendus sit curasse: Verum utut negari non possit, non ablata causa non posse tolli morbum, non unus tamen auferendæ causæ morbificæ est modus; neque ablatio causæ in evacuando vel alterando per alia solum consistit, adeoque præsidia *narcotica* & alterantia, imo omnia sibi invicem sunt succenturianda.

Hinc distinctione opus est, & regula triplici sequente 1. Ubicunque materia peccans quantitate majori repetitur quam ut subigi & vinci possit, ibi opiata stant post principia, & præmissis præmittendis universalibus dictis vulgo. v. g. purgatione, sudoriferis demum danda, vel saltem tunc data felicius operantur 2. Ubicunque vero adest dolorum, aliorumque symptomatum similium urgentia, opiata etiam, citra alia præmissa, locum inveniunt, 3. Utrobique enim opiata causam morbificam aggrediuntur, non illa sola intacta, agunt, & consequenter non palliative, nisi secundum quid, idque *agimus*, secundum *m. m.* leges.

Exempla dabimus sequentia, laboret quis febri tertiana vel quartana, cui Medicus velit mederi solo pulvere febrifugo; vel, quod ipsum quoque visum est non semel, febrim abegisse, vel solum, vel cum aliis, opiato laudano, non datis emeticis, purgantibus, alterantibus bilem, acidumque fermentificum: Huic si febris emanserit, redibit tamen, seu recidivabit, adeoque erit palliativa cura, secundum quid, per fallaciam nempe methodi: Illa vero observata, curabitur optime: Pulveres itaque ejusmodi febrifugi, aliaque ante paroxysmum data tollunt febrim, & hinc dicuntur febrifuga, etiamsi præmissa illa optime fuerint adhibita, neque tamen hanc palliativam curam dicit, quin potius paroxysmo ablato ipsa febris ablata & curata recte putatur: In Dysenteria observavimus, dato laudano Opiato, doloribus sopitis, somno inducto, cessasse alvi fluxum, rediisse tamen mane altero; interim vero acrimoniam domari, morbum in centro quasi, ut loquitur *Paracelsus*, detineri, archeum furiosum, irritatumque, & spiritus sopitos motum ac impetum humorum coerceri ac figi, quæ singula genuinam curationem esse per anodyna monstrant; Alias enim nullum dolorum, vel aliorum morborum esset remedium genuinum, v. g. non epilepticum, quod paroxysmi recurrant, à specifico cephalico dato; non nephriticum, quod non simul & semel tollantur morbi, Valet enim & hoc loco illud quod athletis olim acclamari solebat, *Repete*: Opium autem anodynum est & narcoticum, Non solum dolores sedat, sed & somnum inducit, & vice versa, Ex quo ipso patet anodyna & narcotica certo respectu convenire inter se & nō differre; Differunt subjecto speciali, conveniūt generali, spiritibus placandis, utraq; debita, Differunt *usu*, anodyna latius patent, interna & externa existentia, narcotica principaliter interna, adæquate externa: Vidimus sæpe ab assumptis anodynis opiatis dolores sopitos, v.g. in dysenteria, nullo insequente somno; Ut contra ea somnus aliquando succedit, repetente post somnum dolore &c. *Wedelius Am. m. m. p. 425. & sequ.*

De Stupore.

Sensus Tactus primum læditur quando *abolentur*, diciturque Stupor, *ναρκή*, non ea ratione sicut mentis functiones abolentur, Stuporem quoque dicimus, vel *Stupiditatem mentis*, vel cum ex *affectu animi immoderato*, eos stupere dicimus; Sed hic *stupor* proprie appellatur, cum pars adeo sensu Tactus, quo prædita erat, privata est ut non amplius objectæ rei qualitates sentiat, idque vel *omnino non*, ac si mortua esset, vel alias *diminute* admodum, ac si, ut vulgo dicitur, obdormivisset.

Stupor alius *generalis* est, corporis multis partibus simul eveniens, qui frequentius, *motu* simul *cum sensu* abolito accidit in paralysi, in qua pars resoluta vel omnino, vel ex parte saltem stupet: Interdum antequam motus aboletur *Stupor* prius invadit, paralysimque præcedit, in eamque tandem desinit; Rarius *stupor* ille *generalis solitarius* invenitur, qualem tamen, in quo corpus undique stupebat, ex vinolentia accidisse, se vidisse testatur *Fernelius*.

Particularis Stupor certis duntaxat corporis partibus evenit, non tantum paralysi particulari affectis, sed & *non resolutis partibus*, interdum in *manibus pedibus facile*, uti mihi post epidemium morbum in *coxæ parte* stupor jam multis annis relictus est, id nonnunquam solet contingere: Forteque intrinsecus in *vesica & podice*, non tantum quando resolvuntur, sed & cum sensu saltem tactus abolito stimulum amittunt, nec ad excretionem, ut eam recte obeant, solicitantur, id evenire, causaque quare aliqui ad dejectionem & mictionem adeo tardi sint esse potest; Sed & in *partibus sensu tactus præditis*, *quæ* motu voluntatis minime moventur proin nec resolvi possunt, *ut cute, membranis, internis visceribus, ventriculo, intestinis*, solitarius hic stupor, ut alus quæ moventur, potest accidere.

In *Nervo* omnis fere *Stuporis veri Causa* latet, Quæ in *omni nervo* esse potest, cum omnis nervus sensu tactus præditus sit, & eundem parti cui inseritur, cum influxu spiritus animalis propriæque substantiæ communicatione communicet; Quo ita affecto, ut illa communicatio intercepta, vel omnino vel ex parte impedita sit, si hoc fiat in nervo qui in musculum insertus, simul cum sensu tactus illi motum confert, & *resolutionem*, & *stuporem* simul accidere necesse est: quod quando in generali, pluribusque partibus communicato nervo affecto fit, generaliorem quoque læsionem multis musculis, necdum solum illis, sed & cuti, & membranis, cum à musculorum nervis, ad has quoque partes propagines delatæ, illis sensum Tactus conferant, communem sequi oportet: Si vero in *privato aliquo nervo*, ad *unam* tantum *partem* delato accidit. eam tunc saltem lædi necesse est.

Sed & ex *ejusdem nervi*, sive *generalis* sive *particularis* existat, enarrato affectu accidere potest ut *motus* langueat, vel cesset, remanente nihilominus *sensu Tactus* vel *integro*, vel *obtuso* saltem, cum ad motum edendum major vis spirituum quam ad sensum requiratur.

Fieri tamen quoque potest ut & nervo affecto *Stupor* tantum remanente motu in parte fiat, si nimirum nervus *sensorius* solum, h.e. qui non in musculos, sed cutem aut membranam, aut alia viscera immobilia tantum desinit, afficiatur, Quales insignes cutaneos nervos, in nervorum magnorum divisionibus duntaxat cutem membranasque implicare, atque ad partes naturales deductos, nervos sextæ & septimæ conjugationis, multis illis quæ non moventur partibus sensum tactus saltem communicant; aliosque nervos sensorios à nervis motoriis musculis insertis, ad illas quoque quæ non moventur partes ferri in Anatome ostendimus: Quibus sensoriis nervis, vel etiam motoriis, sed extra musculum ductis, læsis, partem tunc duntaxat eam quibus inse-

funtur, vel omnino, vel ex parte, prout læsio magna est, *stupere* contingit: quorum tamen omnium causa eadem quæ resolutionis, diversa sede tantum differens esse potest.

In *instrumento sensus Tactus*, *cute* scilicet & *membranis*, *causam Stuporis* esse posse, cum illarum substantia ex nervo dilatato conflata sit, verisimile videtur; non quando calore nativo extincto penitus hæ partes per gangrænam emoriuntur, sed cum tantum stupent, adeo ut vel nihil vel obtuse hæc sensus instrumenta sentiant; quod aliquando accidisse in *cute totius corporis ex vinolentia* scripsit *Fernelius*, in quo casu si *vinum* sua *narcosi* id non fecit, quia generalem stuporem excitavit, certe vis illius narcotica tantum in cutis sensu abolendo se manifestavit; quod tamen quin & cerebri & nervorum quoque vis obtundatur simul à vino aliisve narcoticis fieri vix potest; idcirco post solutam ebrietatem, forte ob frigiditatem aëris externam, in quo attoniti sæpe ebrii jacent, huic quoque ebrio, cute sic obstupefacta, accidere potuit; cum frigus extrinsecus diu perceptum talem stuporem in cutis aliqua sede, quæ frigus hoc sustinuit, forte aliquando excitare possit, vix enim alias à causa interna hoc potest evenire: Quomodo vero *Elephantiacorum* cutem insensilem & stupidam, adeo ut puncta quoque non sentiat, ab interna aliqua causa & morbo cutis reddi, hactenus creditum sit, qua ratione id verum in *Elephantiasi* videbitur.

Sed neque ab *externo narcotico cuti applicato*, eam *stupidam*, aut *indolentem* reddi posse, licet ut certi aliquid cognoscerem, massam *opii* emollitam parti podagricæ dolenti, sed sine fructu applicatam nunquam deprehendere potui, Quod autem hoc ex contactu *Torpedinis* fieri posse, non solum manu apprehensæ, sed & si remo piscatoris tangatur, manum illius obstupescere pro vero scribunt, ego cum tale quid *Monspessuli*, ubi Torpedines tractant & comedunt, nihil observarim, pro vero affirmare non audeo; Quapropter rarum hunc affectum esse, & qui vix accidere possit ut cutis sola, membro cui obducitur, non simul ob nervi affectum stupente: insensibilis fiat dicimus, Nisi forte quando ob impedimentum, quod cuticula crassior & callosior quam ut sensum verum alicujus rei exacte percipere possit, occasio præbetur causam *Stuporis* illius, qui tamen vere *stupor* minime est, dicere velimus.

Membranis quoque intrinsecus affectis, nervis non simul læsis, vix *stupor*, illarum tantum causa potest accidere.

Stuporis Curatio, cum alia secum & graviora symptomata conjuncta habeat, quæ ab eadem causa proficiscuntur, in illis potius explicabitur, ut si fiat *nervorum vitio*, uti omnem Stuporem illorum causa accidere dicimus, & resolutio quoque adsit, eadem utrisque cura debetur; vel licet *Paralysis* nondum adsit, quia tamen is ab eadem causa proficiscitur, unde Stuporem diminutam vel imperfectam paralysin vocant, eadem opera illius cura describitur.

Cujus *curationis* summa est, ut si ab *humore* fiat, *evacuetur*, Si à *sanguine*, hujus *detractione, revellendo & derivando*, si à *pituita*, vel *aliis excrementitiis humoribus, purgantibus* generalibus & particularibus *expurgando*: Si ab *aliqua causa externa*, *illam* ante omnia *removendo*, *Alterantibus* item *nervosum genus reficiendo & roborando*.

Dein ut *spiritum animalem ad partem stupentem*, quæ eo destituitur, alliciamus, atque *attrahamus*, actu & potentia id agentibus, de quibus in *Atrophia & Paralysi*.

Frictione partis stupentis, manu adhibitis quoque pannis calidis; *Cucurbitularum* applicatione cum multa flamma, *Picatione* sæpius iterata, *Dolorem inferentibus* spiritus allicimus, Valent *Sinapismi rubificantes* parti admoti, *Illitiones* oleis calidis, eo præsertim in quo *semen urticæ* coxerit; item *thymus*, *ruta*, & alia nervis appropriata, ut & *unguenta* in *Atrophia* convenientia: *Fotus* & *Balnea*, ex *aqua calida*, tepidiore primum, mox calidiore, *vinum* & *lixivium* interdum addendo, sæpeque in eo *thymum, rutam, salviam, chamomillam, seminaque calida*, decoquimus; *cataplasma* ex *stercore columbino*, *auferino*, *additis baccis lauri*, item *oleis* & *axungiis* calidis herbisque probatur; *Calcatio* racemorum si pedes stupeant; aut *immersio* in *acervum vinaceorum* recentium fervantium membri stupidi, aut in *mustum*, pro singularibus in stupore avertendo remediis habentur.

Quæ quoque Topica, si à nimia refrigeratione cutis, subjectorumque nervorum stupor fieret; universo corpori adhibita prodesse possent.

Quod si depravatus vel diminutus sensus Tactus in *Fornicatione* dicta, *aut sensu auræ illius* vel aquæ oriatur, cum & hic stupor aliquis sit, eadem ratione curabitur. *Platerus.*

De Stupore iterum.

Rarissimus est affectus ut pereunte sensu remaneat motus, & tunc male quoque ad Paralyses refertur, cum tamen ἀναισθησία sit, seu *insensibilitas*, aliis *Stupor* dicta; Sunt qui hoc negant, Practicorum tamen experientia aliud docet, *Boyle de usu Philosoph. exper. p. 2. pag. 73.* refert historiam de virgine in cujus toto corpore sensus tactus fuit abolitus; ipsa quoad externas functiones omnes sana; suasu Medici per repetitum actum Venereum curata: Curiosissimum est exemplum perfectæ ἀναισθησίας in toto corpore cum ἀναισθησία & aphonia, quę per sectam venam sub lingua curata, *Misc. Cur. Ann. 3. p. 454.* Quomodo negotium hoc fiat adhuc incertum est, In cura tamen præter *decoctum ligni sassafr.* & quęlibet ejus præparata; ceu appropriata, laudantur à *Brunnero cons. 28. p. 162. Elixir galbaneti* cum *oleo junip.* sicut *elixir. flor. hyper.* cum fructu usus est *Hillerus curat. 83.* Et stuporem cruris usu externo *spir. vini rectificatiss.* curavit *Tachenius Hippocr. chym. pag. 147. Ettmüller. Part. 2. pag. 318.*

De Insensibilitate aut Sensu Obtuso.

Huc refer *Insensibilitatem*, aut obtusum sensum eorum quæ organum Tactus feriunt; Si nervorum extremum, cutim attingens, obstructum fuerit, impressio objectorum exteriorum pertingere nequit ipsos spiritus, ac proinde sensus Tactus, qui consistit in perceptione Animæ hujusmodi impressionis, proculdubio perit; symptoma hoc Elephanticis admodum frequens est, sanguis quippe illorum admodum crassus, versus habitum corporis impellit tantummodo densissimos fumos, qui cum per ἄδηλον διαπνοήν effugere nequeant, cuti infiguntur, in qua, obstruendo omnes meatulos nervorum, prohibent ne objecta illorum spiritus commoveant, ac corruptionem inducunt illi succo quem continent infinitæ glandulæ cuti subjacentes, quæ sunt medium per quod impressiones objectorum Tactus pervadunt ad spiritus usque nervorum.

Ἀναισθησία hæc citra Elephantiasin & Paralysin accidit, membris *intenso frigore* affectis, quia tunc cunctæ partes exteriores, adeo constrictæ sunt aut obstructæ à frigoris moleculis terra-edricis, ut motus objectorum nequeat amplius spiritibus nervorum cuti substratorum communicari: Adde quod summa cōstrictio harum partium exinde expulit spiritus sensationi necessarios.

Ideo nemini mirum esse debet si *cicatrix* sensu Tactus orbata sit, Summa enim illius durities sufficiens testimonium præbet paucos aut nullos superstites esse poros quando perfecta est, ideoque motum objectorum intercipi, nec nervum attingere posse ut hinc commoveantur spiritus.

Qua-

Quapropter illis qui diutius corpora dura tractant, insensibilitas manuum inducitur, quia manuum volæ nimium indurantur, ac pori adeo constringuntur à mutua partium compressione, ut nihil conniteere valeat spiritus nervorum cuti subditorum, obstante calli densitate, præ qua objectorum impressio præpeditur: Tandem si cui admirationi fuerit insensibilitas Elephantis, mirari desinet, si cutis illius duritiem animadverterit; ea enim solum de causa insensibilis est, quod cum pori illi admodum sint constricti, ideo vehementiæ solum objecti cedere valent; id quippe quod sensationem acerrimam inferret, admotum cuti alterius animalis, ne leviter quidem ipsam commovet; Cum porro symptoma hoc Elephanti ac Leprosis commune sit, Græci Lepræ Elephantiasis nomen indiderunt.

Si quidem cutis crassities sensum Tactus obtundit, necesse est ab ejusdem tenuitate sensationem induci plane adversam, acutissimam scilicet & exquisitam; quamobrem mulieres & pueri, quibus quam viris cutis tenuior est, sensibilius afficiuntur, Et partes majori cutis tenuitate donatæ exquisitiori sensu pollent, ideoque titillationi magis obnoxiæ; nihil enim aliud est *Titillatio* quam paulo acrior sensatio, *γλυκύπικρος*, doloris & voluptatis æque particeps: Interea planta pedum, quam investit cutis admodum densa, titillationi admodum injucundæ obnoxia est, ad levissimum etiam scalptum; Sed præterquam quod pars hæc admodum nervea est, ac proinde valde sensilis, statuere licet illam eo magis ab hac impressione concuti quo magis insueta est: hinc aquæ gutta in asperam arteriam deerrans, irritationem vehementem admodum inducit, cum magnus aquæ haustus ne minimum quidem ventriculo incommodum inducat; Ex opposito ventriculus ne minimum quidem aëris admittit, cujus Pulmo insignem copiam singulis momentis admittit, citra molestiam.

Cuncta memorata accidentia eandem explicationem subire queunt juxta sententiam Celeberrimi Domini *Malpighii*, qui statuit quasdam glandulas, aut flocculos quosdam cuti substratos, præcipuum esse Tactus organum; Addere tamen illi licuisset ultimam hanc Insensibilitatis causam, crassitiem videlicet succi qui ad has glandulas defertur, quique obstruens poros ineidoneos illos reddit admissioni concussiones factæ ab objectis. *Dan. Duncanus Tract. de motu Anim. c. 19.*

De aliis Depravationibus Sensus Tactus.

Dolore Stupido, Formicationis sensu, Stupore digitorum, Suscepto frigore; Sensu falso frigoris & caloris.

Ad depravatum sensum Tactus, referendus is qui in semi-stupente membro accidit, & nihilominus molestiam hanc sentiente, (unde *stupidum dolorem Archigenes* non adeo inconcinne, ut à *Galeno* redarguitur 1. *de loc. aff. c. 1.* vocavit) ad *diminutum* saltem *sensum Tactus* referre, vel compositum ea hisce affectum statuere possumus.

Talis est sensus ille qui ex contactu rei alicujus, illud non recte, sed in se ipsa pars aliud quid sentit, ut cum *discursum* aliquem veluti *formicarum* per partem fieri sentiunt, unde *Formicationem* hunc affectum recentiores appellaverunt, *Nervi* cujuscunque, tam *sensorii* quam *motorii* causa, depravatus ille *sensus, Formicationis* dictus, cum molestia in partibus evenire potest, Tunc nimirum quando spiritus animalis aliquandiu retentus in stupente vel resoluto membro, rursum vi quadam & impetu, sublato impedimento ad illud recurrit; Tunc enim circa extremitatem membri maxime, ut digitos, quo spiritus primo impetu usque perfertur, vel alibi quoque quo pervadit, pruritus & punctionis hinc inde sensus, spiritu undique membrum velut pungente & titillante molestat, tamdiu donec sufficienter eo affluxit pars ad pristinum sensum tactus absolutum redeat; Quod & nonnunquam *valide percusso* aut *icto nervo sensorio*, Uti eo qui in *cubiti gibbo circumflexus* ad *annularem & minimum digitum* excurrit, quo violenter casu impulso, duo hi digiti *formicationis illum sensum* aliquandiu, donec nervus compressus ab ictu rursum dilatetur, spiritusque sufficienter transmittatur patiuntur, quod & in aliis locis in nervis cutaneis potest accidere.

Huc referendus sensus *ille summi doloris* qui *refrigeratis* ad *stuporem usque digitis*, & *repente iterum calefactis* ad radices usque unguium pertingens, propter præcedentem stuporem adscribi debere videtur; quia tamen hic dolor summus & perseverans, ob repentinam mutationem & alterationem accidit, ad *dolores* relegandus.

Est & alter *sensus*, quando *aëre* vel *aqua*, ac si summe frigida, vel *aremtia & calida* essent, membrum cum tangitur affici & perfundi depravate sentiunt; Nam *nervo frigido humore* affluente imbuto, sensum *auræ illius*, *vel aquæ frigidæ* (sicuti similem *auram frigidam è dente cavo* defluxione frigida molestato, ex re lingua capérimur) membra quæ afficiuntur percipiunt: Quæ etiam *calida*, vel *aura* vel *aqua*, à spiritus calidi copia & impetu, qui nervum impeditum transire non potest, illic copiose collecto, suo calore talem sensum præbens, simili modo, uti de frigida dictum, membrum quod afficit, molestat; Quod uti in omnibus nervis *resolutionem* quoque vel *stuporem* afferentibus evenire potest, sic & illis qui à vj. & vij. conjugatione partibus vitalibus & naturalibus motum & sensum præbent si accidat, circa ventriculum & œsophagum occurrentem ardorem producit: quorum causas vide in *paralysi*, cum hosce affectus vel præcedat vel sequatur. *Platerus.*

ARTICULUS VNICUS.

CAP. X.

De Cephalalgia seu Dolore Capitis.

1\. *Cephalalgia* [2] *est tactus in* [3] *partibus capitis membranosis à solutione continui facta,* [4] *molestia & corruptio.*

Subjectum est caput [5] secundum partes membranosas, cute, pericranio, nervis, membranis vestitis; [6] ipsa substantia cerebri non exclusis.

[7] *Signis* opus non est: ex relatione patientis cognoscitur.

[8] *Causa est,* [9] quicquid quoquo modo [10] violentam [11] unitatis solutionem infert [12] sive id

tioni facem quasi prætulisse videntur, ut jam inventis sua eo facilius adjecerint.

Sic etiam quæ, *Cortesio* authore, hodie luci reddita, ut nova conspicimus, magna ex parte in *Hippocr. lib. de vet. Med.* leguntur; estque, teste *Plinio*, ratio subolitatis à *Platone* descendens, *corpuscula rerum lævibus, scabra, angulosa, rotunda magis & minus ad aliorum naturam accedentibus, ideo non omnibus eadem amara aut dulcia esse.*

Porro, *de dolore capitis per consensum* si sermo fuerit, jam pridem sane de sympathico Duumviratus in caput jure *Hippocr. in lib. de loc.* est loquutus, Neque scholis Veterum *actionem* regiminis prorsus ignotam fuisse, *sanguinis spirituumque vitia*, & tumefacientes massam sanguineam ἀναζέσεις, rursque *ventriculi errores* & obstructiones viscerum satis manifestant.

Et licet forte & *vaporibus*, tanquam causis, multa phænomena paulo indulgentius Antiquos adscripsisse non male monuerit *Helmontius*, spasmumque potius alicujus nervi in extremitate inceptum (qui versus originem ejus sursum prorepat, ac dein, cranio superato, quatenus aut ipsi ἐγκεφάλῳ aut etiam meningibus, alteri aut utrique communicatur, convulsiones vel dolores creat, quandoque existere doceat *Willis*, tamen non omnis propterea hæc doctrina est eliminanda, sed potius rectius, quam vulgus solet, explicanda; neque enim immateriale prorsus, cum canalibus, nervis, fibris &c. sine omni medio quod perficiatur, commercium erit excogitandum, siquidem sine sanguine vel spiritu nutum viscerum potestativum non exerceri certum est &c. *Straussius.*

10. *Quicquid violentam unitatis solutionem*) Causa doloris proxima non est intemperies, sed continui solutio, ut habet *Massarias*, qui dicit dolorem dupliciter considerari posse, 1. ut à propriis fit causis, ut quæ pungunt, divellunt, rodunt, 2. ut ex magna & violenta alteratione, ac potissimum calida aut frigida: Si tamen Medice volumus considerare, etiam intemperies possit dici causa doloris, scil. calida & frigida; *Pungunt humores* omnis generis, tum alimentarii, tum excrementitii; & *Vapores*, si per eos tenuior pars humoris intelligatur, *Divellunt* humores omnis generis sua copia, sed semper fere serosus, vel flavus, omnis generis, sed fere pituitosus, ut frequenter in hydropicis fit; *Rodunt* vermes (*vide Anat. Pract. l. 1. sect. 1.*) *Secant calculi.*

Humores illi continuum dissolventes, vel intra vel extra caput generantur, In capite vel *obstructione*, vel *intemperie*, vel *soluta unitate*, *Obstructio* fit, quia tum sanguis circulari non potest, ac proinde materia illuc affluens colligitur, ut videmus si pileus capiti admodum fuerit impactus, statim cephalalgiam oriri, eo quod ob compressionem carotidum externarum sanguis circulari non potest, quia via occlusa ibi restagnat.

Ab *intemperie*, quia sanguis ad partem affluens ob partis intemperiem non mutatur, degeneratque, & in partis nutrimentum non cedit, ac proinde qualitatem aliquam ibi nactus continuitatem solvit, vel divellendo vel pungendo: *Ob solutam unitatem*, quia sanguis qui per eas circulari solet, distillat ubi ad partis marginem provenit, unde ex collecta materia tumor oritur. *Waleus Med. Pract. p. 129.*

11. *Unitatis solutionem*) Solutio continui dicitur, non autem soluta unitas, quod hujus ratio in ἤδη, sive facto esse; istius vero in γενέσει, in fieri consistat; Hoc fieri cum fit ἀθρόως καὶ βιαίως, confertim & cum impetu, jam demum dictæ solutionis naturam exprimit; simulque nos ad omne istud tangibile deducit objectum, quod improportione sua corpora continentia, ἀσυμμέτρως, violenter subeundo, fibrarum poros, harumque interstitia divellit, sicque hospitantes inibi spiritus in multifarias (quas per Archei indignationem innuere videtur *Helmontius*) ἀταξίας abripit. *Straussius.*

Dolor capitis à Discessione Suturarum.

11. *Violentam unitatis solutionem*) Huc pertinet Duræ meningis divulsio à Discessione suturarum cranii, de qua *Arnoldus Bootius de Aff. Om. c. 4.* Frequens est, *inquit*, in Hibernia ut capitis ossa à se discedant, præcipue in coronali sutura, sed & quandoque in sagittali, idque à cœca & interna causa, absque ulla externa occasione aut violenta; cui malo promiscue obnoxii sunt viri æque ac mulieres: nec teneri modo ac delicati, sed duri quoque ac robusti, ipsique adeo agrestes: comitatur hanc discessionem *magnus capitis dolor* à lancinatione duræ meningis, quæ cranio plurimis fibris in plerisque corporibus alligata, ad istud ossium divortium distenditur, atque in diversa divellitur; Hunc dolorem non est tollere vel placere ullis aliis remediis præterquam ossium illorum ad naturalem situm reductione, quæ & sponte evenire solet, sed utplurimum nonnisi aliquot diebus prius elapsis: Itaque præstat non expectare naturæ conatum, sed arte eam prævertere, præsertim cum interdum in aliquot septimanas ea cesset, notosque habeam qui mensem integrum sic excruciati, postea tamen coacti fuerant opem meam implorare quam magno suo malo tamdiu neglexerant.

Unicum autem hic est in manibus præsidium, quibus apprehensum utrinque caput à fronte & summo occipitio, si coronalis suturæ compages laxata est, in lateribus vero, si in sagittali est vitium, sensim ac blandius primo adduci, posteaque validius stringi debet donec in unum ossa coierint; quo facto ne statim secedat rursus mantili aliquo validisve fasciis caput arctissime ligandum, iteratisque sæpius in orbem spiris fideliter coercendum est, atque ita in duos tresve dies relinquendum; quo toto temporis spatio quiescere debet æger, atque ab omni corporis exercitio capitisque motu abstinere.

Meminit quidem hujus suturarum dehiscentiæ *Sennertus* Prax. l. 1. p. 1. c. 21. Item & *Jac. Fontanus* Pract. l. 1. c. 3. sed cum totum ista de re sermonem claudat *Sennertus* istis verbis, *Rariora hæc esse & incurabilia*, clarum est alterius esse generis Discessionem ab ipso memoratam. *A. Bootius.*

In hac suturarum discessione convenit, præmissa capitis ligatura, & derasis capillis, *Ceratum ex pelle arietina cum gummi elemi*, & pauco *cerate de betonica* loco affecto applicandum: *Ettmuller*, vide rationem curandi hanc doloris speciem *D. Michaelis* inferius *§. Contegi potest.*)

12. *Sive id faciat occulte*) Qualitas cerebri membranis proprietate aliqua inimica, dolorem in illis, & per consequens capitis, vel sola hac vi *occulta*, vel accedente simul manifesta qualitate, interdum parit: Sicuti ex narcoticorum usu hæc excitata, postquam assumpta sunt, non solum cerebrum afficit, sed & dolorem capitis, quem cum sensus rursum ad se redeunt demum persentiunt, postea aliquamdiu perseverantem relinquit, ut in ebriis à nimia vini ingurgitatione; non tantum à calore illius, & vapore, sed hanc quoque ob ejus vim videmus accidere, sicut & à *Cerevisia* simili modo aliquo contingit, cum illa non minus propter lupulos vim aliquam narcoticam habeat, qua eos muscas interficere animadvertimus, & post usum *Opiatorum medicamentorum* capitis dolorẽ facile subsequi sæpe observavimus: Quod & ab aliis non narcotica, sed alias cerebro infesta vi contingit, ut *croco*, *apii semine* & similibus, non solum copiose assumptis sed & olfactu perceptis.

A *malignis* aliis *vaporibus*, vel *vaporibus* caput infestantibus, uti aliæ ipsius functionum læsiones, sic & capitis dolores suboriri possunt, sicuti in melancholicis, similibusque cerebri affectibus accidit: In *contagiosis morbis*,

vis

vis quædam perniciosa illud quoque potest efficere, qualis ea est quæ in *Lue venerea*, non tantum extrinsecus periostia & pericranium afficiendo, dolorem in exterioribus capitis sedibus aliisque locis parit, sed & interiores cerebri meninges molestando dolorem ad interiora etiam usque pertingentem inducit.

Quod & *pestilens* aut *venenata qualitas* in *peste correptis*, aut *veneno* alio infectis, eadem ratione si non solum cordi, sed & cerebro adversa sit potest efficere, ut videlicet capitis dolor illis morbis aliquando non solum ob febrilem calorem (unde quoque hic capitis dolor si putredo maxime malignis hisce febribus copuletur, oritur) sed & ob hanc vim perniciosam, vel ob utramque excitetur. *Platerus*.

Prognosis.

[13.] *Spei*) Cephalalgia si in genere consideretur, raro est lethalis, nisi gravioribus juncta fuerit symptomatibus: Propter partis tamen affectæ tum dignitatem & συμπάθειαν tum ipsius doloris acerbitatem, plurima capiti mala minitantem neutiquam contemni debet: præsertim si pertinax diuturnitas, qua, teste *Sylvatico cent. 1. consl. 25. & 30.* ad 18. imo & 20. annos se extendisse observata est, vel intolerabilis cruciatus vehementia una accesserint: Et quanquam dolores chronici, extra morbos acutos minus periculosi videri possunt, constat tamen & Cephalæa caput maxime debilitari, & si ἀγρυπνία concurrat, non raro ad affectus melancholicos ita laborantem disponi.

Dolor capitis συμπτωματικῶς plus equidem spei salutaris pollicetur, sed quandoque fit ἰδιοπαθικῶς, spemque illam valde dubiam reddit, dum præsertim non tam per metastasim criticam, boni ominis collectionem, quam potius per μετάστασιν symptomaticam causa in capite coacervata resedit.

Causæ externæ si vehementes fuerint horrendam symptomatum συνδρομήν accelerant, ita ut apoplexia, paralysis, epilepsia, surditas, cæcitas, tam certo immineant, ac si jam præstu forent, prout quotidiana experientia confirmat.

Inter *causas internas*, & quidem *Humorales*, *Bilis*, & *Seri* præsertim abundantia & ἀκρασία, præterquam quod gravissime affligant, Apoplexiæ certi quandoque sunt prodromi, vel si dolor cerebri claustra invadere nequeat, atroces in abdomine cruciatus concitare solent; exemplum vide apud *Willisium path. cerebri c. 2. de illustri Domina*: quin & lethalem inferunt cephalalgiam. vide *Riverium* Cent. 1 obs. 69 70

Neque minus periculi, præter mali longitudinem, incurabilis plerumque, calculi & vermes in cerebro geniti minitantur: Quo etiam *vasorum* tum *rupturas* tum *indurationes*, *ulceraque* & *abscessus* referre licebit, quanquam interdum naturæ beneficio peccans materia propellatur, sicque solvatur morbus, juxta *aph. 10. sect. 6.* Quorum παροξυσμοὶ pleraque magis vel minus periculosa evadunt, quoties διάθεσις hæreditaria, Suturarum defectus, aliaque conformationis vitia, vel conjuncti graviores morbi symbolum aut conferunt, aut denegant. *Straussius*.

[14.] *Bonæ spei*) Dolor capitis externus perpetuo minus periculosus & curatu facilior interno. *Riverius*.

Si quis integra prius fretus valetudine, ob causam evidentem fortiorem, uti vini potum, exercitia vehementiora &c. in cephalalgiam nonnihil atrocem, & aliquandiu protractam inciderit; in quantum procatarxis morbida nondum firma jacitur, pronuntiamus talem affectum satis tutum ac minime pervicacem fore. *Willis*.

[15.] *Pus &c. effluit*) Si humores illi qui sursum ad caput feruntur, salis spiritu copioso turgeant, adhærent aliquando meningibus ipsius cerebri, & partibus aliis interioribus ipsius capitis, in hisque coagulatur ipse salis spiritus, & deficcatur & sua innata facultate corrodit partes; & inflammat, & sic ulcera interna producit; Itaque cum aliquem invenimus qui conquerit de dolore fixo & permanenti alicujus partis capitis, cum pondere, & cum *purulento muco*, aut cum excremento auris purulento & fœtido, & copioso, & sanioso; tunc suspicandum est de ulcere interno capitis *J. Petrus Faber Chir. Spagyrica sect. 3. c. 5.* Vide ibid. curationem.

[16.] *Ambigua*) Si dispositio morbi inveterata fuerit, ita ut à multis annis paroxysmi sæpe sponte sua, ac insuper à levi quavis occasione repetant, hunc etsi non periculose admodum ægrotare, attamen non facile curatum iri prædicimus: Porro therapeusin adhuc difficiliorem fore si affectiones hypochondriacæ, aut hystericæ sæpius molestæ cephalalgiam crebra vice excitare solent; vel si luis venereæ inveteratæ miasma in parte affecta fuerit radicatum.

Quod si dolor capitis non solum radicatus sed fere continuus fuerit, ut jure suspicemur eum à tumore phlegmonode, scirrhoso, erysipelate, abscessu, aut vermibus oriri, curationis spes exigua aut nulla superest, præsertim quia laborantes magna remedia, ut salivationem, aut cranii apertionem recusant, quæ si forsan omnino uspiam aliquo cum fructu usurpata sint, prius tamen hæc utplurimum ægris tædio esse solent, quam molestia aut expectatione aliquid dignum efficiunt. *Willis*.

[17.] *Si urina alba*) In vehementissimo capitis dolore, cum febre acuta, Si urinæ conspiciantur crudæ, seu albæ & claræ, pessimum est signum, deliria, convulsiones, & tandem mortem portendunt. *Etmuller*.

[18.] *Quia bilis sursum fertur*) Translationis materiæ morbificæ ad cerebrum signum etiam est, & futuri in eo abscessus in iis quibus ex morbo partium inferiorum convalescentibus, dolor capitis vehemens supervenit, nec præcedit excretio manifesta, ut & in gravidis capitis dolores soporosi cum gravitate fientes mali. 1. *Prorrhet.* quia significant humorum transfluxum ad cerebrum, qui cum multi & copiosi sint in gravida, ob purgationis menstruæ defectum, hunc gravius malum metuendum. *Riverius*.

[18.] *Quia bilis*) Urinæ crassæ hic non sunt pessimum signum, nam indicant quod pori renum adhuc sint satis aperti ad crassam materiam transmittendam; E contrario, si urina clara mingitur, arguit renum poros nimis angustos ad illas particulas transmittendas; sed quod potius ab iis obstruantur; quæ particulæ igitur in corpore remanentes, per circulationem rursus ad caput allatæ dolorem iterum augent; *Pr. Med. Reform. c. 2. pag. 18.*

[19.] *Vomuntur*) Vomitus instantis, signa ostendit aphori Quicunque in febre non lethali dixerit sibi caput dolere, aut præ oculis obscurum quid apparere, si cardiogmus accesserit, biliosos vomitus expectandus erit, præsertim si rigor intra præcordia supervenerit. *Etmuller*.

[20.] *Nullius ferè*) Dolor capitis fortis, *subito desinens* in morbo acuto, non sequente allevatione per crisin, est lethalis, quoniam subinde signum est gangrænæ, aut omnimodæ sensus in membranis cerebri deficientiæ: Si *dolor capitis circa frontem & tempora* sit continuus & admodum vehemens, cum febre acuta, apparente die quarto signo pernicioso, septima fere die mors ingruit; *Quibus* ex morbo partium inferiorum convalescentibus dolor capitis supervenerit, si non præcedat excretio manifesta, in cerebro futurus est abscessus. *Aph 32. 4.* morbi materia ab inferioribus ad superiora conversa. *Etmuller*.

Curatio.

[21.] *Peragitur*) Cephalalgiæ methodus therapeutica plures *indicationes*, easque varii generis, juxta multiplices hujus morbi species, causas & differentias

comprehendit, *Dolor capitis accidentalis*, remota causa evidenti, & consequentiis ejus, utplurimum sponte cessat, vel saltem phlebotomia, quiete & sudore tollitur.

Dolor *Habitualis* pro diversitate causarum, scil. tum *procatarctica*, tum *conjuncta*, etiam diversimodas medendi intentiones suggerit, quarum hæ præcipuæ; In omni Cephalalgia *habituali*, sive *continua*, sive intermittens fuerit, duo præcipui sunt curationis scopi, ad quos cæteræ quæque intentiones therapeuticæ collimare debent, & quibus contra utramque procatarxeos morbidæ causam providetur; 1. Imprimis nempe, ut morbi fomes omnis præscindatur, operam dare oportet tum ut materies ad capitis loca affecta, aut male affecta affluens, vel subinde affluere apta, vel supprimatur, vel illinc alio avocetur; tum insuper ut spasmi aliis in locis excitati, indeque in caput propagari soliti præcaveantur.

Deinde 2. quo morbus ipse, sive causa ejus conjuncta (si fieri possit) eradicetur, Enitendum erit ut capitis loca in cephalalgias prædisposita (sive debilia tantum, sive in conformatione læsa) dum à crebris materiæ infestæ incursibus muniuntur, statum suum pristinum & vigorem recuperent.

Cujusmodi indicatio licet raro unquam subito aut integre perficitur, quandoque tamen cura diligenti & longa, labes morbida, utut fixa & radicata, sensim atteritur: Quod spectat ad priorem medendi scopum, cujus & prior & potior ratio haberi debet, dictam materiem, sive *humores*, qui circa partes capitis ad cephalalgiam prædispositas congeri, morbique insultus excitari solent, esse aut *Sanguinem*, aut *Serum* ejus, aut *succum Nutritium*, vel *Nervosum*, Insuper cum his singulis *Vapores & effluvia*, nec non *Recrementa*, modo *biliosa*, modo *atrabilaria*, modo *acida*; salsa, sulphurea, aliaque varii generis, è visceribus modo his, modo illis, in sanguinem suscepta, commeatu ejus in sanguinem transferri ostensum: Contra horum omnium impetus & incursus munimenta ἰατρικὰ instituantur. *Willis.*

22. *Doloris mitigatione, vel per*) Capiti extrinsecus quæ adhibentur, *alterationis* præcipue nomine, remedia in tres classes, nimirum *refrigerantia*, *anodyna*, & *calefacientia* rediguntur, *Refrigerantia*, si à causa calida cephalalgia fiat, usurpantur, eaq; adstringentia in principio, quãdo copiæ sanguinis adest vel metuitur, mox etiam *humectantia*, ad calorem restinguendum: Illis permiscenda *Anodyna*, quæ vel calore moderato, nec nimis sicco demulcent partem, vel somnum aut stuporem inducendo, ut minus sentiatur dolor efficiunt, cum admodum urget, etiam in principio, ne illius causa defluxio magis concitetur, capiti rarius sola, frequentius frigidis jam dictis permixta apponuntur; *Calefacientia*, & quæ simul siccando humores vaporesve tenuiores discutiunt, in declinatione etiam calidarum cephalalgiarum, ut quod residuum remansit, tollatur, prorsusve debilitata firmetur, locum habent, primumque prædictis permixta, mox sola usurpantur: Quibus omnibus vel ex alio caput perfunditur, aut abluitur, aut stupæ, panni, spongiæ, in illis madefactæ, fronti & temporibus applicantur, vel hæ partes istis inunguntur, aut hæc alio modo in sacculis, cucuphis madidis, aut siccis applicantur. *Platerus.*

23. *Vel per Anodyna*) Quod alias attinet *Topica* in genere contra Cephalalgias usitata, eminet inprimis *Verbena*; sunt qui *flor. papav. rhœados* non minorem quam *Verbenæ* laudem tribuunt, Et sane aliquando Cephalalgiam pertinacem nocturnam, *flor papav. rh.* leviter contusis, fronti & temporibus applicatis curavi: Sequitur *Betonica* anodyna & contra capitis dolorem egregia.

℞. *betonic.* coque in vino, appone capiti per noctem, in dolore capitis ex apostemate, vel ubi virtute anodyna opus est, discussione & resolutione.

℞. *beton. m. j. absynth. m. ß. cubebar. ℨj. vini alb. q. s. coque* decoctum Epithematis instar capiti applicetur.

Rad. Rhodia experimentum est *P. à Castro* in capitis dolore pertinacissimo, *Radicem rec.* pistillo lapideo contritam irrorat *aqua verben. & flor. sambuc. ãã.* Instar catapl. fronti applicat; loco hujus decoctum *radicis Rh.* fronti & temporibus applicatum conducit.

Horum defectu valet Pulvis *rad. zedoar.*

℞. *aqu. verbenæ, flor. sambuc. beton. ãã. ℥j. pulv. zedoar. ℨß. m. s.* Applica fronti, imo & nucæ, Sed hoc saltem in causa frigida. *Etmuller.*

Rhod. rad. valet ad cap. dolores à quacunque causa provenientes si recens confracta, & ros. aqua perfusa in calido affectu: aut si frigidus, cum *amaraci* aqua fronti temporibusque illinatur: P. A. *Matthiolus.*

Empl. ex *furfure cum sapa & momento salis levi ebullitione confectum* non habet compar in sedando dolore. Aliud.

℞. *ol. omphac.* ℔ß.
lut. ovor. vj. *rosac.* ℥iij.
coq. supra cineres pauci caloris aliquamdiu post adde
far. hordei, amyl. ãã. ℥iij.
croci ℨij. *f. Empl.*
Erit magis anodynum *si addas sapæ* ℥iv.
butyr. r. ℥iß. *bdellii moll. & subalb.* ℨij.
recoque lento igne ad sapæ consumptionem.

Cataplasma ex *mica panis soluta in lacte, vel incocta cum ℈ß. croci, ovor. vitell.* iij. *rosac.* ℥iß. anodynum est. *Hier. Montuus.*

Anethum capiti adhibitum quocunque modo discutit, dolorem sedat, & somnum conciliat. *Platerus.*

23. *Per anodyna*) Epithema præstans ad omnem capitis dolorem.

℞. *Cumini man.* j. *salis m. ß. f. Pulvis*; adde *ovor. alb.* aut *ova duo recent. musce*, extende super pellam, temporibus applica, spatio 2. horar. aut citius tollit: Probatum in mulieris dolore intolerabili. *Maroldus Pract. pag.* 2.

23. *Ex cancris*) Inter externa anodyna in dolore calido, D. *Michaelis* crebra experientia commendatur *succus cancr. fluviat.* si misceatur cum *succo verbenæ*, & linteolis imbutis applicetur capiti & temporibus: Prodest etiam in dolore capitis maligno & morbo Hungarico. *Sach. Gammarol. l. 2. s. 2. c. 3.*

24. *Succo Verbenæ*) Inter specifica doloris capitis, à quacunque causa oriatur, principem locum obtinet *verbena*, cujus aqua destillata & capiti admovetur, & intus assumitur ad ℥iv. cum *spiritus salis* gtt. iij. Imo ipsa *verbena* viridis de collo suspensa duos ægros sanavit apud *Forestum* cum multa remedia frustra usurpata essent. *Riverius.*

Verbena contusa, & in forma cataplasmatis ex linteis duplicatis fronti & temporibus admota, amuleti instar pertinacissimam sistit cephalalgiam, ut expertus est *Forestus l. 9. obs. 52.* Non æque ubique succedit. *Etmuller.*

25. *Aqua Verbenæ*) Hanc fronti temporibusque illitam capitis dolores sedare experientia compertum ajunt, *Hier. Tragus.* Quod ex veteribus in usum medicum revocatum constat, siquidem *Galenus* 1. K. T. de antiquo capitis dolore scribens ait, *Omnium porro longe maxime discutit, & perfecte corroborat* verbenaca recta, *maxime viridis, imo & arida cum radic. & simul cum serpillo oleo incocta: Conjicienda etiam ad ea crocodiliadis maxime juxta aquas nascentis radix: Quin & ipsam per se verbenacam, si oleo incoxeris, caputque inde rigaveris, omni capitis dolori antiquo, ex frigiditate aut ex crassis humoribus oborto medeberis.*

In omni dolore capitis, tanquam anodynum appropriatum, *aqua verbenæ* destillata commendatur, ad ℥iv cum gtt. iv. *spir. vitrioli.*

Juvat

Juvat etiam *verben a rota contusa* & capiti imposita. *Joh, Hartmannus in Pr Chim.*

25. *Unguento alabastrino*) Ad capitis dolores unguentum in unaquaque materia valens, & est expertissimum, cum quo inungitur pulsus temporum & frons tota; Valet id omni capitis dolore, sive per essentiam, sive per consensum, sive cum febre, sive sine febre, sive per se dolor sit, sive per accidens causa ipsius febris, & in omni tempore paroxysmi, excepto principio, *Bened. Victorius*, Vide ejus descriptionem in Pharmacop. August. &c.

Ubi dolor capitis tantum ægrum infestaret, ut absque dubio timeremus de corruptione operationis alicujus virtutis membri.

℞ *de prædicto ungu.* ℥ß.
opii gr. iij. inunge. cum prædicto ungu. pulsus temporum.

Et si alicui alteri parti capitis adsuerit dolor, eidem unguentum applicabis. *Idem.*

In specie valet in cephalalgia febrium; Pro circumstantiarum ratione de *oleo papav. hyoscyami*, aut *camphora.* addi potest. *Ettmuller.*

Quod admirandæ est efficaciæ, *Joh. Andr. Schmitzius pr.m. p.m.56.*

26. *Per Narcotica*) ℞. *ol. violar. rosac. ãã.* ℥j.
opii (sed non in pueris mulieribus & mollioribus) ℈ß.
m. & illine digito nares interiores: Remedium hoc in dolore acerrimo est præstantissimum: Mitius erit si addas *lactis mulier.* ℥j.
vel ol. rosac. ℥ß.
nuc. mosch. ut caput roboret, gr. vj.

Rondeletius.

26. *Per Narcotica*) In inveteratis doloribus cataplasma hoc *Kyperi* semper voto respondet.

℞. *croci, opii ãã. p. aq. v g. ad* ʒj.
contunde, mistis addo vitell. ovor. n. vij.
cum spir. vini f. Cataplasma.
Hertodius Crocologia cap.7.

26. *Vel per narcotica*) Ubi causæ vehementia extra ordinariam urget & exposcit opem, ad Anodyna & Narcotica, quorum efficacia sensus stupor inducatur, veluti ad sacram anchoram confugiendum; Sic uxori N. cum gravissimo capitis dolore periodico ab hora 9. vespertina ad 9. matutinam singulis diebus affligente laboraret, variis antea frustra adhibitis, tandem *Pilula de cynogloss. Favonerus* profuerunt; Laudandus igitur omnino Laudani usus, dummodo cautelæ adhibeantur necessariæ. *Stranssius.*

27. *Vel per Narcotica*) Stupefacientia sensum in summo capitis dolore, præsertim si vigiliæ quoque adsint, exhibere necessitas quandoque cogit, atque maxime *in* causa calida: Tuncque *syr. de papav.* vel alia narcotica leviora, ut *pulverem diapapav. exhibemus*: In aliis vero causis Narcotica non facile dantur, præsertim cum postquam suas vires exercuerunt, capitis dolores post se relinquere soleant, nisi forte illa sic contemperata sint ut minus noceant, sicuti *theriacam* eo nomine, *mithridatium*, tutius, vel *diacordium*, *requiem v. Nicol.* minima tamen quantitate damus; quod *& vinum generosum* largius sumptum ob narcoticam vim præstare potest. *Platerus.*

Papaveris, *mandragora*, *hyoscyami folia* recentia per se capiti admota stupefaciendo dolorem compescunt, & validius, si prius contundantur id faciunt: Aliqui stupis cannabinis folia *hyoscyami* prius convoluta sub cineribus coquunt, & emplastri forma adhibent, quæ tamen *Rondeletius* maniam excitare scribit. *Idem.*

27. *Vel per Narcotica*) Præmissis præmittendis, *Opiata* subinde etiam intermiscenda veniunt, Sed in horum usu cauti simus, quia subinde accidit ut in gravioribus doloribus parva dosis *Opii* aliquoties repetita nihil adjuvet, unde postmodum fortiora usurpata dosi subito lethargicus fere oriatur somnus, ita ut vix denuo possint excitari ægri: Nam utut *Opiata* sistant dolorem, quia tamen fontem, seu causam relinquunt, eamque magis fixam reddunt, rem fere in deterius collabi faciunt: *Anodyna* igitur & Narcotica adhibeantur primum in parva dosi, successive ascendendo ad majorem dozin, idque saltem appropriatis additis. *Ettmuller.*

27. *Quæ fronti duntaxat*) Suturis non admovenda esse Narcotica monent Practici, metu soporosi affectus.

27. *Narcotica*) Narcotica externa nonnisi urgente gravius dolore locum habent, idque magis in *accidentalibus* quam *habitualibus*, tutius vero in iis quæ per *consensum* quam per *essentiam*, convenientius etiam si complicentur dolores cum morbis acutis quam cum chronicis; sicuti & ipsi dolores tales si chronici fuerint, aut cephaleæ, aut clavi, minus hujusmodi curati, leviter saltem palliari solent: Potius, præmissis internis Chirurgicis remediis, hi posteriores tractandi sunt; aut iisdem *Emplastra* appropriata, v. g. de *Tacamahaca* cum *Balsamo Peruviano* succurrendum. *Ettmuller.*

27. *Per narcotica*) Capitis dolorem veterem & intolerabilem protinus tollit & in perpetuum remediat *Torpedo viva* imposita loco affecto, donec desinat dolor & obstupescat ea pars, tunc removeatur, cum primum senserit. *Scribonius Largus l. de Comp. c.1.*

Cæteris irritis ad *laudanum op.* recurrendum. *Joh. Hartmannus Pr. Chim.*

Quædam vi Narcotica plus minus pollent, v.g.

℞. *Nucl. Persic.* ℥ß.
sem. papav. albi ʒj.
cum f. q. aqua verbena f. Emulsio.

Epithematis forma subinde fronti & temporibus applicanda, Loco *aqua* valet *decoctum betonica* aut *rad. Rhodia.*

Inprimis *semen hyoscyami* potens est remedium.

℞. *sem. hyoscy.* ℥j.
aceti ros. ℥v.

M. in phiala bene obturata, ponantur in MB. per 5. vel 6. horas, ita tamen ut ne bulliat, Post accipe fasciam ex linteo subtiliss. qua ligetur caput infirmi, atque cum spongia hoc aceto madida humectetur fascia, & tenuetur dolor. *Item*

℞. *Ol. papav. è sem. expr.* ℥j.
nucl. Persic. ʒiß.
hyoscyam. anth. ãã. ℥j.
cum f. q. cera, vel nuc. mosch. expr. f. Linim. temporibus applicandum.

Item quod familiari in usu fuit D. *Michael*

℞. *Extr. verbena* ʒj.
ol. hoscyami expr. ℈ß.

F. Linim. *Ettmuller.*

28. *Causarum remotione*) Cum causæ sint variæ, pro earum varietate causa varianda; Consideretur ante omnia an per *essentiam* an per *consensum* fuerit: *Hac* affecta parte primaria restituta facile curatur, Illa vero difficulter; Utrinque semper præmittenda sunt, *Evacuantia*, *Vomitoria*, in illa quæ fit per *consensum* sunt tutiora; in ista vero quæ fit *per essentiam* nonnisi cautissime adhibeantur; *Purgantia* in hac conveniunt, quæ inter speciatim eminet *Mercurius dulcis* rite paratus: Alias semper observandum ut in quibusvis cephalalgiis alvus semper sit laxior & aperta, cum hæc obstructa dolorem exasperet; aperta vero dolorem soleat subinde allevare. *Ettmuller.*

[28.] *Causarum remotione*) Agricola cruciabatur sævissimo capitis dolore

℞. *aqu.ben.aqu.font.* āā. ℥j.

commixtas ebibit, ore atque alvo purgatus convaluit in dies,

Sequenti die cephalicam fecui; Epithema ex *cancris vivis contusis cum aceto rosac.* capiti admovebatur, statim ab initio curationis, quod plurimum proficiebat. *Mart. Rulandus cent. j cur. 73.*

In doloribus capitis quibuscunque inprimis usus *aquæ ben.* ventriculo jejuno, stata dozi exhibitæ multum prodest, Purgatio fiat per *Diasennam laxat.* & *mercurium dulcem.* *Joh. Hartmann. in pr. Chimiatr.*

[29.] *Partis roboratione*) In dolore diuturno plus præstat caput frequentius roborare quam pertinaciter vacuationibus insistere: Ideo conferunt pulveres & cucuphæ in frigidæ intemperiei cerebri curatione proposita, magis tamen probantur Pulveres, quia virtus pilei non ita cerebro communicatur, & ex sorditie ejusdem dolor excitari potest: Præterea fieri potest inunctio ex *oleo amygdal.* in quo *serpillum, lauri fol. mastiche, ficca, mentha, majorana, thymus, pulegium, nux mosch. caryophylli, & cinnam. aut horum nonnulla* ebullierint; addendo dum fit ebullitio *vini rubri* parum, Vel sequens *Oleum* arte chymica paratum componi poterit

℞. *Terebinth.* ℔j.
mastich. nuc. mosch. cinnam. āā. ʒß.
caryoph. zedoar. galanga, ladani āā. ℥iß.
succi ebuli & cucum. agr. āā. ʒj.
olei chamom. & lilior. āā. ℔ß.
vini rubr. ℔iß.
serpilli vir. m. j.

Pulveranda pulverentur, & conjiciantur in retortam vitream, Extrahatur oleum, quo derasum caput illinatur. *Riverius.*

α *Sunt qui &c.*) *Phlegma aluminis*, cum *phlegmate vitrioli* mixtum, si crusta panis intinges, & capiti dolenti imponatur, miraberis effectum. *Joh. Agricola comm. in Poppium.*

Sunt qui plumbum liquatum &c.) Id ceu secretum à nonnullis laudatur, quod incantamento quasi quodam dolores cephalicos demulcet. *Rolfinckius Epit. l. 1. c. 1.*

β *Capiti superpositum*) Mulier implacabili capitis dolore tentata, reliquis nihil juvantibus, adhibitior e galli exenterati miraculo convaluit. *Ballonius l. 1. Eph. pag. 45.*

[30.] *Dolorem à quacunque causa*) Ab ipso etiam curationis initio specifica remedia usurpari poterunt, quale est hoc Epithema, ℞. *pulv. zedoar.* ʒj. *aqu. beton. verben. sambuc.* āā. ʒj. *misce*, applica calide parti dolenti cum pannis scarlatinis. *Riverius.*

Ubi opus est discussione, hujus medio doloris sedatione, Item resolutione causæ cephalalgiam inferentis, In cephalalgia à causa frigida, ut vocant, optimi sunt sacculi ex *milio* & *sale comm.*

℞. *milii leniter tosti part.* iv.
salis comm. tosti part. ij.
ex his fiant sacculi suffumigandi, & ita applicandi, Vel

℞. *milii tosti m.* ij.
salis comm. parum tosti m. j.
h. betonica flor. chamom. āā. *m.* ß.
pulv. rad. Rhod. ℥ß.
F. sacculi interpassati calide capiti applicandi:

Conveniunt inprimis in dolore capitis senum. *Etmuller.*

[30.] *Dolorem à quacunque*) *Spiritus vitrioli philosophicus striatus*, ut & *verbena essentia*, specifica proprietate prosunt, *Gn. Rolfinkius Epit. l. 1. c. 1.*

Inter alia feliciter compescuit dolorem hoc *Pulmentum.*

℞. *fol verbasci rec. m.* j.
contunde in mortario, adde fermenti acris ℥ij.
ol. rof. q. f. misce. Timeus lib. 1. cons. 4.

Pro externo remedio laudo unum, experientia comprobatum.

℞. *serpill. verbena, rosar.* āā. ʒij.

decoque in oleo comm. in vase duplici, caput inunge ante & retro, Consilium etiam do, ut ægræ caput ungatur *spuma decocti primi ligni s.* *J. B. Montanus cons. 80.*

Radix plantag. collo suspensa dolori capitis à proprietate medetur. *J. Hartmannus Pr. Chim.*

[31.] *Juglandis*) Singulare ex ipsa *juglande* remedium in Anglia detectum est; primo vere, antequam folia in nuce juglande erumpant, terram circa radicem fodiunt, & ex radicibus incisis manantem liquorem extrahunt, cujus aliquot guttulas propinant cum magno successu. Th. *Bartholinus Hist. 97. cent. 3.*

Diæta,

Legitima victus ratio cum morbificis causis opposita esse debet, facile prudentia medica quæ in rem præsentem facient reperiet; Hinc præter *Aëris* commoditatem, vel natura vel arte procurandam, eligendus erit cibus εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, uti est cremor ptisanæ, juscula carnium, convenientibus herbis cephalicis alterata: carnes elixæ, *succo arantior. berber. limon.* conditæ, Hinc vitanda alimenta quæ caput vaporibus replere solent, *Lac* quoque dolore capitis laborantibus nocet, *aph. 64. 5.* Malum etiam *jejunium*, inutilesque tum omnibus, tum præcipue μεγαλαλγοῦσι, post cibum contentio cogitationes animi, *Celsus l. 1. c. 5.* Supinus nocet *decubitus*, si quidem sanguinis & seri à capite ad inferas partes effluxum prohibet, adeoque colluvies serosæ in capite colligendæ non sine præsente periculo occasionem præbet, V. *Lowerer. de corde c. 3.* *Alvus* servetur lubrica, vitentur præsertim acerba, *iracundia*, quæ, teste *Coo. 6 Epid. f. 5. tr. 2.* calorem & humorem ad caput trahit; imo in omnibus animi affectibus conveniens naturæ moderatio observetur. *Strausius.*

[1.] *Differentia* Cephalalgiæ sunt variæ.

1. Alia est *symptomatica* de qua hoc agimus.

Alia [2.] *Critica*, quæ non ab initio, sed circa tempus criseos affligere incipit: *Tum* spiratio repente fit difficilior, retractis hypochondriis: Venæ tument, & arteriæ in temporibus pulsant, genæ rubescunt, spontaneæ lacrymæ fluunt, æger manibus nares scalpit, & hæmorrhagia plerumque insequitur.

ij. [3.] Alia est *Externa*, [4.] quæ pericranium obsidet; In superficie percipitur, ad radices palpebrarum pertingit; capillorumque manusque pressu exacerbatur,

[5.] Alia *Interna*, quæ ad tactum mitescit, præsertim si fit sine distensione, & [6.] ad radices usque oculorum pertingit.

iij. Alia est à [7.] *causis Externis*, nempe 1. [8.] *Ebrietate*, quam [9.] cerevisia [10.] cui chamæpeuce incocta est facile causare potest, [11.] tum *vomitu* [12.] *materia in* ventriculo fluctuans

fluctuans ejicienda. [9] Folia vel *brassicæ* in aqua calida, madefacta, vel *Ruta* cum aceto rosaceo contrita, applicanda, Spiritu vini caput irrorandum, [14] pedes sale & aceto fricandi.

2. [16] *Contusione*, percussione, vulnere, ubi curatio ex suis locis petenda est,

3. [16] *Calore* Solis, quam aliquando inflammatio insequi solet, balnei, ventorum australium, Tum [17] caput refrigerantibus agendum.

4. [18] *Alienorum usu*, ut sunt dactyli, avellanæ, castaneæ, nuces juglandes, rubera, semen cannabis, coriandri non præparati, thus, styrax, myrrha nimium sumta &c.

[1] *Differentiæ sunt variæ*) Nempe dolor est aut *levis* aut *vehemens*, *acutus* vel *hebes*, *brevis*, aut *diuturnus*, *continuus* aut *intermittens*, Etiam pro ratione *causæ conjunctæ*, quæ est vel *sanguis*, vel *excreta* quædam ejus, nempe aut *serum*, aut *succus nutritius*: aut *vapores* sive *flatus*; aut *liquor nervosus*, aut *hujus* cum *liquore* sanguineo congressus & lucta, unde *Cephalalgia* dicitur aut *sanguinea*, & ea vel *simplex*, vel insuper *serosa*, *vaporosa*, aliàve *excrementitia*, aut *spasmodes*, ab humore fibras nerveas irrigante, easque in corrugationes dolorificas irritante. *Willis.*

[2] *Alia critica*) De dolore capitis in Febribus critico & symptomaticæ, vide lib. 1. de Febrib. p. 100.

[3] *Alia est externa*) Quæ rarior & mitior est, quia scil. partes supra cranium nec tam sensiles quam meninges interiores existunt, nec tam uberi sanguinis affluxu irrigantur; ut à subito ac vehementi incursu ejus supra modum distendi aut inflammari facile possint. *Willis.* De Cephalæa externa vide infra §. 50. *Totum cerebrum, caput*)

[3] *Alia est externa*) Huc refer cephalalgiam quæ fit quando humor quidam lentus & viscidus, vitio digestionis propriæ genitus, intra suturas cranii se insinuat, easque sensim cum intensissimo capitis dolore disgregat, Vide *Arn. Boot de aff. omissis*, *Hildanum cent. 1. obs. 1. Pisonem obs. 2.*

[3] *Alia est externa*) Est quædam species doloris exterioris in capite occurrentis, qui alios dolores à defluxione in articulorum & carneas sedes factos præire eosque præsagire solet; In quo capiti grave aliquid & molestum incumbere videtur, dolorque extrinsecus, ac si cutis à subjecta sede avulsa esset, sentitur, tactuque, & præsertim capillorum commotione augetur; Extuberantiaque quædam nonnunquam mollis ac œdematosa, lata & dispersa, externam hanc sedem, præsertim circa occiput & cervicis posteriorem sedem occupat; Aliàque interdum accidentia, quæ in capitis gravedine intra calvariam oborta eveniunt, præsertim si & illa ut sæpe fit, externam hanc gravedinem comitetur, hic quoque se repræsentant.

Congestus humor in habitu corporis, excrementitius, accedente interdum & pravitate quadam à nutrimenti quo partes aluntur cruditate, vel etiam vitiosiore portione; vel ob assimilationis imbecillitatem, aut pravitatem sensim coacervatus, dolorem qui circa exangues sedes, juxta ossa, periostia & membranas præcipue versantur, ubi excrementa hæc, in locis minus fusice calidis, &, ut vocant, frigidioribus, facilius accumulantur, tardiusque dissipantur, quandoque gignit: Idque frequentius in *capite*, *sede* intra *calvariam* & *cutem* illi obductam, occurrente, ob venarum illic copiam, quarum causa excrementa facile ibi colliguntur, & quia ob cutem crassam difficulter expirant, accumulantur, quæ postea *Cephalæam* eam producunt quæ circa exteriorem saltem hanc illius sedem occurrit.

[illegible] & in aliis quoque locis circa dictas sedes, ossaque nuda, [illegible] ibi materia sensim congesta fieri potest, doloresque ejusmodi paulatim nasci, illis aliquo pacto illis qui [illegible] lue venerea fiunt, ob causæ locique aliquam similitudinem non absimiles: unde & hi, sicut illi, extuberantias alias, nodosque, periostio ab ejusmodi excrementis excito, luxuriante tunc partis nutrimento, atque in callos concreto proferunt.

Verum & à congestis ejusmodi excrementis extra calvariam, dolor ille externus, qui defluxiones & arthritides præcedere & denunciare solet; itidem, uti in cephalæa externa de causis, qui tamen in cephalæa, hærente illic materia diutius, in hoc vero defluente definit, & in deteriorem commutatur. *Platerus.*

[5] *Alia est Externa*) Præter capitis dolorem internum, observatur etiam Externus, quando nempe membranæ cranii, in specie pericranium, tunc panniculus carnosus, musculi, ipsaq; adeo cutis in contusionibus, aut similibus læsionibus externis, Item ex materia super cranium collecta in lue Venerea ea acerbe dolere solent. *Ettmuller.*

[4] *Quæ pericranium obsidet*) Dolor extra cranium ubi affligit, rarior quidem & mitior existit, eo quod partes supra cranium, nec tam sensiles sint, neq; tam uberi sanguinis affluxu irrigentur, interim compressione cutis augetur dolor circa pericranii substantiam hærens, estq; quasi *frangitivus*. Quod si vero inter pericranium & cranium fuerit, tactu pariter exacerbatur, & quendam *dilacerantem* sensum (divellitur enim à cranio) exprimit. *Strausius.*

[4] *Externa, quæ pericranium*) Datur & *Cephalæa Externa*, cum circa capitis osseam sedem capillosam dolor quidam se offert, diuturnus & perseverans, Externas sedes occupans, ac circa ossa versari videtur, contactuque exacerbatur; Ab *interna cephalæa* exortum quandoque sumens, vel cum ea se offerens, doloremque capitis intus forisq; se exerentem efficiens, vel etiam per se tantum in exterioribus affligens, Nunc in utroq; nunc dextro, nunc sinistro, uti hemicrania, latere; nunc clavi instar unum locum velut perterebrans, *Clavusque* dicitur; aliquando *Nodos in fronte* protrudens, cum *capitis dolore*, in lue venerea explicando, magnam habens similitudinem, Et nonnunquam etiam in aliis ossium sedibus, uti illa lues, dolore & nodis se patefaciens. *Platerus.*

[5] *Alia interna*) Altera cephalalgiæ species *intra cranium* & crebrior & multo immanior existit, quia scil. membranæ cerebrum investientes sunt admodum sensiles, iisque sanguis aditu multiplici, & per plures ac longe majores arterias suffunditur. *Willis.*

[6] *Ad radices usque oculorum.*) In meningibus cerebri dolorem hunc fieri posse, quod sensu tactus præditæ sunt, documento est: Quæ cum geminæ sint, *crassa* & *tenuis*, illæque arcte inter se conjunctæ, vasisque cohærentes, dolorem (ab utralibet primum incipiat) fere communicant, ita ut ægre quænam ex illis potissimum afficiatur liceat discernere, nisi ex eo conjecturam aliquam capiamus, quod cum affectus in exteriore crassa membrana potissimum residet, ad exteriora capitis dolor quoque, propter pericranium illi connexum, aliquomodo pertineat; Si vero interior tenuis tunica magis afficiatur, profundior tunc, cerebroque velut immersus esse videtur; In utraque tamen affectæ dolor ad oculorum radices, cum oculi globus à cerebri membranis tunicas accipiat, potest pertingere. *Platerus.*

6. *Et ad radices*) Dolor capitis *internus* in meningibus locum habet, profundus ille est, & ad radices oculorum pertingit, *Externus* vero, in *pericranio* situs, pilorum radices inverti non sinit, & ad capitis compressionem exacerbatur: Hæc est *Galeni* doctrina 3. *de loc. c. 1. & 2. nat. v. c. 3.* ubi diserte asserit dolorem capitis internum hoc peculiari signo distingui ab externo, quod in illo dolor ad radices oculorum pertingat, in hoc vero minime, & rationem reddit, quia radices oculorum à cerebri meningibus prodeunt, unde fit ut dolor eo usque facile propagetur.

Contra *Fernelius Path. l. 5. c. 1.* asserit externos dolores ad radices oculorum pertingere, quod pericranium, cui insident, oculorum cavum pertingat: huic respondet *Rondeletius* 1. m. m. c. 5. ad dolorem pericranii oculi earum non dolere, licet eo usque illud pertingat, quia pericranii dolor à frigore ut plurimum oritur, quia pars frigida à simili facillime patitur qualitate; Illud autem frigus ad oculi cavum non potest pervenire, quia à calore oculorum, spiritibus & sanguine conservatur: Si vero interdum ab æstu, aut simili causa, dolor capitis externus excitetur, tunc cutem capitis tantum affici affirmat, non autem pericranium, in profundiori loco situm: Verum *Rondeletius* non omnem tollit difficultatem, licet enim omnia concederentur, tamen si dolor excitetur ab aliquo tumore intra pericranium collecto, aut ab alia causa continuum solvente, nulla ratio erit cur dolor ad oculi cavum non feratur: Dicamus ad *Galeni* defensionem hoc signum ab eo fuisse propositum 1. quia membrana, quæ à pericranio ad oculi cavum fertur, est hebenoris sensus, atque ita non compatitur dolori pericranii, nisi admodum obtuse; Tunicæ vero oculi, quæ prodeunt à meningibus, sunt exquisitissimi sensus, atque adeo insigniter dolent, deinde membrana illa, quæ à pericranio oritur, non ita intrinsece & profunde attingit oculum versus nervum opticum, sicut tunicæ quæ à meningibus prodeunt, unde fit ut dolor ille externus non possit sese extendere ad fundamenta oculorum, ut loquitur Galenus. *Riverius.*

6. *Radices usque oculorum*) A vellicatione & dolore meningum oculus dolere potest, oculus quippe suas habet tunicas à meningibus, quæ ubi vellicantur, necessario etiam oculorum membranæ vellicari debent, & dolere, Etiam dolent ab affecto cerebro, quia nervi optici sunt cerebrum in ea parte prolongatum.

7. *Causis externis*) Sic noxius *Aër*, tum nimis *calidus*, radiisque solaribus expositus (vide *Forestum l. 9. obs. 1.*) tum nimis *frigidus* (*Forestus l. 9. obs. 6.*) Quidam quoties & quamdiu ventus ex septentrionali mundi plaga flat, immanem passus est cephalalgiam (*vol. 3. Act. Hafn. p. 108.*

ij. *Odores & Suffitus*, de quibus *aph. 28. 5. Fuligines carbonum, calcis &c.*

iij. *Cibi potusque* qualitatum activarum excessu peccantes &c. *Cerevisiam* in iis qui vino assueti sunt accusat *Thiermayr. 1. Cons. pag. 8.* ex nimio *Tabaci* usu quidam in sincipite dolorem, cum ardore conjunctum sibi concilivit.

iv. *Vehementius corporis exercitium* studioso, debilioris que cerebri, apud *Forestum* l. 9. obs. 4. insignes dolores capitis intulit; quales etiam inordinata *animi pathemata*, præsertim *ira*, excitare solent, Nec silentio involvendæ *Mercuriales* unctiones *ἀκρίτως* institutæ &c. *Strausfius.*

7. *Alia est à causis externis*) Huc referendæ remotiores, *Evidentes dicta*, quæ antecedentes & conjunctas exsuscitant, inque actus seu afficiendi rationes dolorificas cient; quæ varii sunt generis, & diversimodæ operationis, Quæcunque nimirum res 1. aut materiam morbificam aliunde in partem affectam transferre, aut 2. illam in ea prius hospitantem commovere apta sunt, 3. aut denique fibris ipsis, in spasmos dolorificos prædispositis affectionem istam è longinquo, & aliarum partium consensu imprimunt, ad hunc censum pertinent.

Quoad prius, *Sanguis*, ejusque inquilini humores, nempe serosus, nutritius, nec non recrementa biliosa, acida, ac alias vitiosa, variis de causis commoveri, inque capitis membranas transferri apta sunt; multa quæ exterius accidunt, vid. aëris ac anni mutationes magnæ aut subitæ, æstus, frigoris aut madoris excessus, lautus victus, vini potus, balneum, venus immodica, passiones violentæ, quin & plures aliæ *ἀτοπίαι* satis notæ, & quibusque cephalalgicis evitandæ, illud passim efficiunt; Porro humores isti interdum sponte turgescunt, & sine causa externa, aut alias evidenti, commoti se in caput proripiunt, quo ubi advenerint, fibrisque prius indispositis jam insederint, licet causæ conjunctæ partem constituunt, ipsi tamen cum primum in motu sive fluore sunt, causæ evidentis rationem subeunt.

Sic & *Serosa colluvies*, à sanguine fluorem passo exundans, in meninges & pericranium irruit, inque ipsis cephalalgias valde molestas parit, Subita pororum à frigore aut madore constipatio talem affectum in plerisque huic morbo obnoxiis fere constanter producit, vini acidi ac tenuis, pomacei, cerevisiæ, propter acorem fermentescere aptæ potus, quatenus sanguinem fundunt, & serositates ejus præcipitant, Cephalalgicis tanquam venena prohibentur; Denique quicquid fere podagricis, idem etiam & his ob similem in utrisque seri turgentis, ad partem affectam, ubi cum humore nerveo sæpe effervescit, fluxionem obesse solet. *Willis.*

8. *Ebrietate*) Vide supra §. ix. *Sive id faciat occulte.*)

9. *Quam Cerevisia*) In Ambaro (quod à vulgo *Ambra grysea* vocatur) illud mirabile judicatur, quod ab aliquo antequam vinum hauriat, odoratum, instar ebrii evadat, cum vino autem propinatum confestim notabilem inducere ebrietatem, multis experimentis est comprobatum. *Simeon Sethi.*

10. *Cerevisia cum chamæpence*) Eundem effectum edit panis in quo lolium fuerit, qui stuporem quendam ac veluti temulentiam esitantibus parit cum somno in expugnabili: Id *Galenus* asserit *lib. 1. de alim. fac.* Lolii nocumento *acetum* præsentaneum esse remedium perhibetur.

11. *Tum Vomitus*) Per *vomitum* expurgatio, si per consensum ventriculi à vaporibus inde suscitatis, uti ab *Ebrietate* dolor capitis si fiat, cum causam subito evacuet, convenientissima erit: quæ & si mature, antequam vapor exurgat, & caput repleter fiat, ut citius desinat facit; Ob quam causam, nisi sponte à natura concitetur, actuvè irritando fauces succedat, propinatis quoque vomitoriis illum provocabimus, & in aliis capitis affectibus à consensu quoque simili factis, ut vertigine: Cæterum in aliis causis, cum per idiopathiam præsertim dolor capitis fit, non temere dum caput vehementer dolet proritandus, cum per validum illum, qui vomendo fit, conatu, sanguine, spiritibus, humoribusque ad caput impulsis, capiteque concusso dolor exacerbetur; nisi hoc extra paroxysmum in quibusdam, ad excrementorum proventum impediendum concedatur. *Platerus.*

12. *In ventriculo*) Convenit *piper* vel integrum, vel in partes divisum deglutiendum, quia absumit cruditates in ventriculo: Item caput leviter irrorandum, testes vero in aquam frigidam aceto mistam immergantur. *Ettmuller. alibi.*

13. *Folia vel brassica*) Notissima est antipathia quæ inter hederam & vinum à natura insita est, si enim ex hederæ trunco cratera componitur, in qua vinum dilutum

tum

tum fuerit impositum, vinum confestim effluens funditur, aqua vero intus retinebitur, adeo vini impatiens hedera existimatur. *Ant. le Grand comp. Nat.*

13. *Folia vel brassica &c.*) Cephalalgiam à crapula sedantia vide §. 90. *sunt qui*)

14. *Pedes sale &c.*) Pediluvia etiam non prætereunda, quippe quorum usus, uti in febribus, ita aliis quoque in morbis, præsertim capitis dolorem inferentibus, multum sæpe levaminis afferunt; sic vidua, cujus in *miscell. Ann. 2. obs. 247.* fit mentio, à cephalalgia, quæ stata hora eam afflixerat, & universalibus atque anodynis variis illuserat, usu pediluvio bis vel ter repetito, tandem liberata convaluit. *Straussius.*

15. *Contusione, Percussione, Vulnere*) Aliquando ob læsionum externarum occasionem, licet curatarum, diuturnæ Cephalalgiæ & Hemicraniæ remanent, In specie quando cranium ipsum insignius lædunt, aut quando *Fissuram* quandam in interiori cranii lamina relinquunt, per quam succus nutritius ejus alteratus, hinc acrior factus, successive destillat in tunicas, & ita dolorem infert; aut quando aliqualis sanguinis circa membranas fit extravasatio; quibus occasionibus pertinacissimæ inferuntur Cephalalgiæ: Huc pertinet notabilis observatio apud *Schenckium l. 1. p. 51.* ubi gravi pondere in caput suscepto & congestato, laminæ cranii internæ particulæ diffractæ, tredecennalem dolorem capitis crearunt, quibus per nares excretis convaluit. *Etmuller.* Vide *Forestum* l. 9. obs. 39.

16. *Curatio*) Si dolor capitis sit à causa externa, *Ictu* aut *casu* ab alto, optimum est *Ceratum Alex. Benedicti*, qui hoc ipso curavit senem ex trabis percussione dolentem.

℞. *G. hedera* ℥iij.
resina purgat. ℥ß. *cera* ℥iij.
ol. rosac. ʒiiß
g. ammon. ℥ij.
terebinth. ℥iij.
fucci corymb. hedera fat. fabar. q. s. F. Empl.

Ad dolores ex percussione *Ungu. Alabast.* etiam proficuum observatum fuit. *Etmuller. Forestus lib. 9. obs. 5. sch.*

17. *Caput refrigerantibus*) In dolore à Solis ardore toti fronti infundi curavimus *oleum rosac.* præ aliis præstantissimum si ex crudo *oleo & rosis* tantum sine frondibus confectum fuerit; longe etiam melius si salis sit omnino expers. *Forestus.*

18. *Alienorum usu*) Cerebro infestorum elenchum vide supra pag 512. §. 18.

Alia [19] ab *Internis*, nempe.

1. *Intemperie absque materia*, quæ si *Calida*, dolor est vehemens, & caput calet: Vena secanda, vel cucurbitulæ scarificatæ homoplaris applicandæ; Unguentum [20] sambucinum Salæ singulare: si [21] *Frigida*, dolor est diuturnior, caput friget [22] Conveniunt Rotulæ ex Diamoscho dulci, & [23] sacculus ex calefacientibus [24] Cephalicis: *si Sicca*, dolor est moderatus, lentus, præcessere causæ exsiccantes.

2. [25] *Intemperie* [26] *cum materia*, quæ vel est [27] *à sanguine*; [28] tum dolor mitior est, syncipur potissimum occupat, & ante cibum increbrescit [29] *Curatio* ex suis locis petatur. Vel

[30] *A bile*; Tum ß dolor est pungens, erodens, dexteram syncipitis partem plerumque occupat.

[31] In *Curatione* prosunt [32] Epithemata ex *laudano Opiato* cum aqua rosarum, [33] Vesicatoria ad collum locata, Aquæ rosatum cum Camphora ß olfactlo, Capiris ex *Agarici decocto* cum floribus chamæmeli lotio, Auriculatum scarificatio &c. Vel à *Pituita*, [34] Tum dolor [35] in dextra potius occipitis parte affligit, [36] Valent *Oxymel squillit.* aqua flor. *sambuci, puleg. rorismar.* cum crystallis nitri, [37] *Nuclei persicorum*, cum aqua verbenæ contusi: Oleum *Nucis moschat.* expressum, Balsamus *Apoplecticus*, *succini*, [38] sacculus *Hartmanni*, Aqua salita ex butyro salito: stercus columbinum tritum cum oleo persicor. fronti illitum.

Vel [39] à *Melancholia*; [40] Tum vigiliæ urgent, dolor est in sinistra occipitis parte: Curatio ex suo loco petatur.

3. [41] A *Flatu*. [42] Tum dolor est vagabundus, tensivus, statis sæpe diei horis recurrens.

Discutitur, [43] si tempora & sutura coronalis, [44] cum *allio* contuso & aceto vini aut urina Infantis commixto, inungantur & confricentur.

19. *Alia ab internis*) Omnis dolor oritur ab obstructione; *Punctorius* à sale: *Lancinans* ab acido, *gravans* à pituita insipida; *distendens* à flatibus; *pulsans*, à particulis (circa arteriam obstructionem facientibus, eamque nonnihil comprimentibus) supra arteriam extravasatis. *Anonymus. Prax. reform. c. 1.*

20. *Ungu. Sambucinum*) In calida causa plurimum juvat, si *lumbrici terr. cum aceto rosac. conterantur* & parti dolenti linantur. *Fr. Joel. oper. T. 3. par. 25.*

℞. *Persicar. n. ij. aqua solani, sedi maj. & portul. q. s. camphor.* ʒß *coque invicem*, refrigescat, & de eo bibat, omnes dolores abigit à causa calida.

Residuum exprime, calefac, impone capiti ubi dolur est, tunc remove, In fimum infode ut putrescat, nam quamprimum incipit putrescere, dolor funditus peribit; Hoc sæpissime probavi &c. *Jos. Schmid. Spec. Chirurg. p. 309.*

℞. *Malva alth. branca urs. volub. albi, sem. lini, fænigr. ãã.* ℥ij. *terta coque in aqua coleo ad consumpt. aqua, cola* per pannum, *Ad* ℔ß. *adde axungia liquefacta, cera ãã.* ℥iij. *iterum coque*, *f. ungu.* quod capitis, frontis &c. dolores mirabiliter tollit. *Arn. Willano vanus Breviar. l. 1. c. 3.* ab ipso commendatum in dolore cap. calido.

Inunctio capitis à me multoties in maximo calore & dolore experta.

℞. *ol. violat. rosar. ãã.* ℥j. *aceti* ℥ß.
camphor. ʒij. *m. f. Oxyrrh.* pro fronte & temporibus. *Leon. Faventinus.*

21. *Frigida Pituita*) *Frigida intemperies*, nam in membranosis nervosisque partibus corporis hinc inde non solum constringendo & mordicando, sed & adversa sua hisce partibus exquisite sentientibus qualitate, ita & in capite dolorem excitare potest: Quod à *pituitosis cerebri excrementis* non cerebrum (inde enim sopor vel

faciat occulte, sive manifeste: sive sit *externum* quid, ut ervum; lactis potus, glandes palmarum &quercuum, semen viticis, olivæ nigræ, odor rei gravis &c. sive *internum*, de quo differentiæ consulantur.

Curatio est [21]. *Bona* [14]. *spei*; si quarto die bona signa apparent: si [15]. pus, vel aqua per nares, aures, vel oculos effluit.

[16]. *Ambigua*, si febris acuta adest, & [17]. urina alba, [18]. quia bilis sursum fertur, & inflammatio metuenda est: si æruginosa [19]. vomuntur, & cum surditate vigilatur, quia ob collectam bilem vehementer & cito insaniunt: si Catoche, cum intercepta alvo, ferociente intuitu, facieque impense rubente detinentur, quia opisthotono corripiuntur: si simul sonitus aurium sine febre, vertigo, surditas, & manuum torpor accidit, quia Apoplectici vel Epileptici evadunt.

[20]. *Nullius* ferè, si vehemens cum fuerit, subito delirescat, non sequente alleviatione per crisin: si extrema frigescant, quia calore retracto phlegmone excitari potest: si cum febre acuta fit, & quarto die signum aliquod perniciosum apparuerit: si sanus eo repentè corripiatur, statim obmutescat & stertat, nec febri valida corripiatur.

[21]. *Peragitur* 1. [22]. *Doloris mitigatione*, vel per Anodyna, ex [23]. *cancris fluviatilibus* cum aceto rosaceo vel succo verbenæ contusis, [24]. aqua *Verbenæ*, radice ipsius contusa & imposita [25]. *unguento alabastrino*, quæ suturis & temporibus applicari debent: vel [26]. per *Narcotica*, [27]. quæ fronti duntaxat apponi possunt: α Sunt qui β plumbum liquatum, scutellæ ligneæ aqua semiplenæ infusum & capiti superpositum acutos dolores sedare credunt.

II. [28]. *Causarum remotione*, & [29] *partis roboratione*, de quibus in Differentia videbitur: *Petrus à Castro* [30]. dolorem a quacunque causa tolli posse putat, cortice medio trunci [31]. juglandis cum sale contuso, & ea quantitate qua medius cortex nucis impleatur, temporibus applicato, qui per nares educit.

1. *Cephalalgia*) Nomen obtinet à symptomate & parte affecta, quod sit ἄλγος τῆς κεφαλῆς, monente *Galeno l. 2. m.m. cap. 2.* notaque in genere quemlibet capitis dolorem, stricte eum præsertim qui non diuturnus sed recens existit.

2. *Cephalalgia est tactus &c.*) Vel sic definiri potest, *Sensatio tristis partium capitis sensu tactus præditarum, à solutione continui, confertim & cum impetu agente dependens*, Ubi *sensatio tristis* formalis ratio est, cui dum talis accidit *molestia*, jam læsionem innuit, symptomatisque induit naturam &c. *Straussius Gal. Med. Part. 1. Gymn. 1.*

3. *Partibus Capitis*) Capitis dolor dicitur non quidem quod caput integrum caput doleat, sed ista tantum capitis medietas suprema quæ ossibus cranii circumscribitur, nam reliquæ partes in capite dolentes peculiaribus fere appellantur nominibus. *Etmull. r.*

4. *Molestia & corruptio*) Quandocunque dolor ubivis circa partes capitis nerveas excitatur, ejus *ratio formalis* in eo consistit, quod spiritus animales ab invicem distracti, & fugati, corpora continentia, una convelli & corrugari faciunt, adeoque sensionem molestam cient: Quod vero spiritus ita distrahit, ut inde sensio molesta oriatur, est aliquid *improportionatum* in ipsos *spiritus*, aut in *corpora* eos *continentia* irruens, quod fibrarum poros & interstitia subiens, eas ab invicem divellit, simulque spiritus ibidem hospitantes in *ἀμηχανίας* adigit. *Willis.*

5. *Secundum partes membranosas*) Cum dolor omnis *sit actio læsa*, sive sensio molesta, à fibrarum nervearum spasmo, sive corrugatione dependens, *Cephalalgiæ subjectum* erunt *capitis partes* maxime *nervosæ*, h. e. *ipsi nervi*, nec non *fibræ & membranæ*, quales illud plures & maxime sensiles, tum supra, tum infra cranium dispositas obtinet: Sunt autem ejusmodi partes quæ dolore afficiuntur imprimis *duæ meninges*, earumque varii processus, *nervorum tunicæ, pericranium*, aliaque periostia, *musculi, panniculus carnosus*, ac ipsa denique cutis. *Willis.*

In ista regione capitis, quæ ossibus cranii circumscribitur, solum sunt *membranæ*, ex *fibris nerveis sensibilibus contextæ*, & ab istis natæ *nervorum tunicæ*, uti & istæ membranæ, quæ varias cerebri cavitates & anfractus investiunt, quæ cruciantur in dolore, Et hæ tam *internæ* quam *externæ*, Internæ v. g. dura & tenuis meninx: *illa* duplici constat tunica, quam vasa sanguifera multis anfractibus oberrant; Si igitur dilatentur à sanguine, necessario dilatatur tunica, & divellitur ejus duplicatura, unde necessario insequitur dolor capitis; Hinc internus capitis dolor in membranis fere semper *Tensivus*, & hinc *Pulsatorius* esse solet. *Etmuller.*

6. *Ipsa substantia cerebri*) In cerebri substantia, cum insensilis esse credatur, dolorem fieri minime posse docent; Verum cum cerebri illas portiones quibus tenuis meninx proxime adnascitur, quæ nervos sensorios promit, sensu adeo penitus destitui minime credamus, eas quoque per se, vel potius meningum causa per consensum affectas, non tamen eo usque ut mente læsa stupeant potius quam sentiant, dolori etiam occasionem præbere cum meningibus existimamus: Et in *gravedine capitis*, quam vocant, circa frontem & posteriora capitis ponderis illum sensum, ob cerebrum ea sede, qua nervos & dorsalem medullam promit molestatum, ægros sentire putamus. *Platerus.*

7. *Signis opus non est*) *Sed* causas accurate distinguere arduum est, subinde impossibile; Et quidem *per consensum* esse fere ex eo suspicamur quando causa nulla caput lædens præcesserit; aut ubi nulla insignior aut pertinacior functionum animalium læsio simul juncta fuerit; Dolor minus est constans, sed utplurimum interruptus, E contra adsunt symptomata functionis in quadam parte inferiori læsæ; ita quidem ut prout pars ipsa plus minus affici sentiatur, etiam caput simul plus minus patiatur.

Per Essentiam vero affligere dolorem, fere ejus continuitas, aut determinata periodicatio, aut nimia intensio, qualis per consensum excitari nequeat, fere persuadent, præsertim si causæ antecedentes respondeant, cum ex talibus altius radicata in capite fere colligenda sit: Quæ vero sit causa hujus doloris per essentiam, difficile est cognitu, nam *Vermes, Calculi, Mucus* alicubi coacervatus, determinata non habent indicia, *Abscessus* quoque *hypostatici* difficiles sunt cognitu, utut quantum possibile eorum indicia [illegible] hat *Bootius.*

A *Lympha* plus minus acri otiri monstrat gravamen

capitis,

capitis, somnolentia, frigus, ætas senilis. *Etmuller.*

Signa *causarum* examinaturi, non est ut de *Externis*, utpote *evidentibus*, multum soliciti simus, *Internas*, & primo *humorales*, tum *Ægri temperamentum*, tum *αἰσθῆσιν* singulorum humorum indicia manifestabunt.

Sic *sanguis dolorem gravativum*, cum rubore, calore, & distendente vasa plenitudine conjunctum excitat; ægrumque ad somnum reddit propensum; quibus judiciis vita insuper, victusque plenioris ratio, & consuetæ alias vacuationis suppressio calculum adjiciunt.

Bilem peccantem *dolor mordax* cum calore acri prodit, quove faciei color magis est citrinus, plus ponderis artificiosæ addit conjecturæ, quam concurrentes insuper vigiliæ, delirium, iracundia, oris amaritudo, nariumque pruritus, in juvene, & ægro præsertim bilioso confirmant.

Pituita ubi capiti turbas movet, conqueri solet præditus pallida facie æger de *dolore* multum *gravativo*, quem somnus satis profundus, & quædam sensuum hebetudo atque segnities comitantur; frequens insuper materia aquea, aut muci crassioris evacuatio vel adest vel adfuit, & nunc præter solitum supprimitur, quibus ipsum ægri temperamentum, vitæ genus, annique tempestas plerumque consentiunt.

Melancholia virium ex *dolore* quadantenus etiam *gravativo*, cum livido plumbeoque faciei colore colligitur; idque eo certius si mordaces curæ tristesque imaginationes *ἀχρόνως* simul inducentes concurrant, & ipsimet ægri constitutio, vitæ studia aliaque id genus symbolum conferant.

Serum ubi peccat, contumacem non minus ac insignem doloris acerbitatem, cum sensu modo *φλογώσεως*, modo frigoris cujusdam, pro diversa seri *δυσκρασίᾳ* ægri sentiunt, non sine crebrioris recidivæ metu, quem colluvies serosa, tanquam plurimarum totius corporis humani afflictionum frequentissima causa, capiti pariter ac reliquis visceribus inducit.

Causam vaporosam & Flatus dolor extensivus absque gravitate indicat, idque eo certius si molestia hæc valde mobilis sit, facileque accesserit atque recesserit.

Calculum fixum & terebrantem potius quam acutum infert dolorem; qui si nullis cedat remediis, & febris adsit, gravitas vero cum stopore caput occupet, principesque in hoc sufflaminentur facultates, eo magis factam super causæ hujus præsentiam conjecturam confirmat.

Vermes vero quandoque atrocissimus capitis cruciatus, cum vertigine, oris fœtore, reique viventis & quasi perforantis sensu conjunctus detegit: sæpe tamen hæ causæ ita in obscuro latent, ut nonnisi post mortem aperto cranio in apricum producantur. Id quod etiam de *ossiculis* in cerebro natis, variisque conformationis internæ vitiis notandum venit.

Ipsos tandem quod attinet *Viscerum morbos*, quoties cephalalgiæ causæ existunt, propriis suis atque domesticis signis, instar soricis se produnt &c. *Strausius pag.* 10.

8. *Causa est quicquid*) Affectus meningea cerebri, illiusve portiones sensiles, nervorumque initium occupans, qui causa efficiens est doloris cap. Est vel manifestus, *Intemp. calida* partes enarratas accendens, vel *frigida*, convellens, aut *solutio continui*, *vellicans*, *distendens*, aut gravius lædens; Vel est *occulta qualitas*, hisce partibus adversa easque molestans, *Adjuvans* vero *causa*, partium harum ad patiendum dispositio. *Platerus.*

9. *Quicquid quoquomodo*) In violento hoc atque disproportionato objecto Tangibili Causas cephalalgiæ *mediatas* pro animo res contemplaturis, variæ hypotheses sese offerunt; *Hippocrates*, & præsertim *Galenus*, sub schemate *Humorum* omnem cephalalgiæ *αἰτιολογίαν* proposuisse non paucis hactenus sunt visi, eo quod omnis generis *δυσκρασίαν*, juxta *primarum* duntaxat *Qualitatum* excessus, mediante illa *Sanguinis, Bilis, Pituita & Melancholia* quadriga in apricum deducere laborant; *Vapores* insuper ita tueantur, ut corpus omnis generis *ἀτμῶν* sensim in caput (veluti tectum fumosæ domui superpositum) hocque eos retro dimittere perhibeant.

Hinc Recentiorum quidam censentes doctrinam circa corticem potius, & cassas substantiæ qualitates quam nucleum occupari, vel, ad mentem *Paracelsi*, ad *accidentalem sanguinis digestionem*, modo *ad tartari in ventriculo resolutionem*, modo ad *oppilationem* se conferunt, & per illa pyrotechnicæ analyseos producta & *sulphur* & *mercurium* (quibus ceu activis, *Aqua & Terra*, velut *passiva*, adjici solent) vel cum *Tachenio*, per *Acidum* & *Alkali* explicare evidentius laborant: vel cum *Helmontio*, ad *ignotam regiminis actionem*, *Stomachique ac Lienis duumviratum*. vel cum *Sylvio*, ad *bilis*, *pituita salivalis* & *succi pancreatici triumviratum*, vel cum *Harveo* ad *sanguinis circulationem*, vel cum *Cartesio* ad *particularum motum & figuram*, vel cum aliis ad alia *παράδοξα* confugiunt.

Censemus Nos, si quis inter Veteres & Recentiores hic occurrit dissensus frequentius hunc in *verbis* quam in rebus existere, Et veterum sane *doctrinam de Humoribus* quod attinet, eo minus illam censemus ejiciendam esse, quod ipsemet *Hippocr. lib. de Vet. Med.* illorum Medicinam à plebejorũ imposturis hoc præcipue discrimine argumento, quod plebei circa *calidum, frig. hum. &c.* hæreant, cum interim Antiquorum Medicina in horum potius causis aut removendis aut corrigendis primario occupetur, hincque ad *δυνάμεις ἰσχυρὰς*, potentias materiales, in *Humorum* quasi *minerís* absconditas, nos deducat, ibidemque *dulce, amarum*, *acre*, *salsum* &c. sive in homine existant (*en causam antecedentem*) sive edantur & bibantur; (en causas procatarcticas) aut quomodocunque formata adhibeantur (en causas externas) potissimum considerare jubeat; ac propterea terminis in *concreto* facultates exprimentibus plerumque usus fuerit,

Sic etiam quæ *Galenus* de IV. Humoribus docuit, neutiquam tam absurda, ut quibusdam videntur, existunt, modo benignius explicentur, quanquam Veteribus œconomiam corporis, ipsamque *sanguinis* rationem nondum per omnia exacte perspectam fuisse ultro largimur: Interim quod præsertim *Galenus* paulo frequentius abstractive expresserit illas facultates, non alia de causa factum esse credendum est, quam quod hoc è philosophicis principiis tritum præsupposuerit *Accidentia* nobis esse notiora; haud tamen propterea ivit inficias, quod *accidentia in se & abstracta*, nullam habeant efficaciam, sed perfectionem suam à subjecto recipiant.

Obtinebunt itaque *plethora & cacochymia* antiquam adhuc sedem, præsertim cum in utraque *objectum* istud *tangibile improportionatum* suas in cephalalgia manifeste exserat vires, atque mediante sanguinis *ἐπιφορᾷ*. *Hippocrati* forsan non prorsus ignota, tristem illam accelerare sensationem facile possit, Quo pertinet etiam illa [illegible] *lib. de Flat.*

Illa sensatio tanto erit acerbior quo magis dictæ valebunt potentiæ; quas quidem si quis, quoad *Tactus* sensum, in particulis *salinis* eminere censuerit, veteribus non adversabitur, quippe qui sicut in *massa sanguinea* diversę naturæ corpuscula agnoverunt, ita quoque salsæ & serosæ humiditatis frequentissime meminerunt: Hinc *Tachenius in clavi Med. Hippocr.* c. 1. se *Acidum* & *Alkali* ex Hippocr. *igne & aqua* elicuisse non obscure fatetur, Hinc alii Chimiatri, quamvis Chimicam *Hippocratis* Medicinam præcipue deprædicent, & tueantur, tamen cum hujus interprete *Galeno*, *Bilis, Pituita*, *Seri &c.* subinde mentionem facere haud dubitant, Multa insuper de *fermentationis & putredinis* natura apud *Platonem in Timæo* occurrunt, quæ ulteriori Recentiorum investiga-

tioni faculam quasi prætulisse videntur, ut jam inventis sua eo facilius adjecerint.

Sic etiam quæ, *Cornelio* authore, hodie luci reddita, ut nova conspicimus, magna ex parte in *Hippocr. lib. de vet. Med.* leguntur; estque, teste *Plinio*, ratio subtilitatis à *Platone* descendens, *corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis magis & minus ad aliorum naturam accedentibus, ideo non omnibus eadem amara aut dulcia esse.*

Porro, *de dolore capitis per consensum* si sermo fuerit, jam pridem sane de sympathico Duumviratus in caput jure *Hippocr. in lib. de loc.* est loquutus, Neque scholis Veterum *actionem* regiminis prorsus ignotam fuisse, *sanguinis spirituumque vitia*, & tumefacientes massam sanguineam [illegible], rumque *ventriculi errores* & obstructiones viscerum satis manifestant.

Et licet forte & *vaporibus*, tanquam causis, multa phænomena paulo indulgentius Antiquos adscripsisse non male monuerit *Helmontius*, spasmumque potius alicujus nervi in extremitate inceptum (qui versus originem ejus sursum proreptat, ac dein, cranio superato, quatenus aut ipsi [illegible] aut etiam meningibus, alteri aut utrique communicatur, convulsiones vel dolores creat, quandoque existere doceat *Willis*, tamen non omnis propterea hæc doctrina est eliminanda, sed potius rectius, quam vulgus solet, explicanda; neque enim immateriale prorsus, cum canalibus, nervis, fibris &c. sine omni medio quod perficiatur, commercium erit excogitandum, siquidem sine sanguine vel spiritu nutum viscerum potestativum non exerceri certum est &c. *Stransius.*

10. *Quicquid violentam unitatis solutionem*) Causa doloris proxima non est intemperies, sed continui solutio, ut habet *Massarias*, qui dicit dolorem dupliciter considerari posse, 1. ut à propriis fit causis, ut quæ pungunt, divellunt, rodunt, 2. ut ex magna & violenta alteratione, ac potissimum calida aut frigida: Si tamen Medice volumus considerare, etiam intemperies possit dici causa doloris, scil. calida & frigida; *Pungunt humores* omnis generis, tum alimentarii, tum excrementitii; & *Vapores*, si per eos tenuior pars humoris intelligatur, *Divellunt* humores omnis generis sua copia, sed semper fere serosus, vel flavus, omnis generis, sed fere pituitosus, ut frequenter in hydropicis fit; *Rodunt* vermes (*vide Anat. Pract. l. 1. sect. 1.*) *Secant calculi.*

Humores illi continuum dissolventes, vel intra vel extra caput generantur, In capite vel *obstructione*, vel *intemperie*, vel *soluta unitate*, *Obstructio* fit, quia tum sanguis circulari non potest, ac proinde materia illuc affluens colligitur, ut videmus si pileus capiti admodum fuerit impactus, statim cephalalgiam oriri, eo quod ob compressionem carotidum externarum sanguis circulari non potest, quia via occlusa ibi restagnat.

Ab *intemperie*, quia sanguis ad partem affluens ob partis intemperiem non mutatur, degeneratque, & in partis nutrimentum non cedit, ac proinde qualitatem al. quam ibi nactus continuitatem solvit, vel divellendo vel pungendo: *Ob solutam unitatem*, quia sanguis qui per eas circulari solet, distillat ubi ad partis marginem provenit, unde ex collecta materia tumor oritur. *Walæus Med. Pract. p. 129.*

11. *Unitatis solutionem*) Solutio continui dicitur, non autem soluta unitas, quod hujus ratio in [illegible], sive facto esse; istius vero in [illegible] in fieri consistat; Hoc fieri cum fit [illegible], confertim & cum impetu, jam demum dictæ solutionis naturam exprimit; simulque nos ad omne istud tangibile deducit objectum, quod improportione sua corporea continentia, [illegible], violenter subeundo, fibrarum poros, harumque interstitia divellit, sicque hospitantes inibi spiritus in multifarias (quas per Archei indignationem innuere videtur *Helmontius*) [illegible] abripit. *Stransius.*

Dolor capitis à Discessione Suturarum.

11. *Violentam unitatis solutionem*) Huc pertinet Duræ meningis divulsio à Discessione suturarum cranii, de qua *Arnoldus Bootius de Aff. Om. c. 4.* Frequens est, *inquit*, in Hibernia ut capitis ossa à se discedant, præcipue in coronali sutura, sed & quandoque in sagittali, idque à cœca & interna causa, absque ulla externa occasione aut violenta; cui malo promiscue obnoxii sunt viri æque ac mulieres: nec teneri modo ac delicati, sed duri quoque ac robusti, ipsique adeo agrestes: comitatur hanc discessionem *magnus capitis dolor* à lancinatione duræ meningis, quæ cranio plurimis fibris in plerisque corporibus alligata, ad istud ossium divortium distenditur, atque in diversa divellitur; Hunc dolorem non est tollere vel placere ullis aliis remediis præterquam ossium illorum ad naturalem situm reductione, quæ & sponte evenire solet, sed ut plurimum nonnisi aliquot diebus prius elapsis: Itaque præstat non expectare naturæ conatum, sed arte eam prævertere, præsertim cum interdum in aliquot septimanas ea cesset, notosque habeam qui mensem integrum sic excruciati, postea tamen coacti fuerant opem meam implorare quam magno suo malo tamdiu neglexerant.

Unicum autem hic est in manibus præsidium, quibus apprehensum utrinque caput à fronte & summo occipitio, si coronalis suturæ compages laxata est, in lateribus vero, si in sagittali est vitium, sensim ac blandius primo adduci, posteaque validius stringi debet donec in unum ossa coierint; quo facto ne statim secedat rursus mantili aliquo validisve fasciis caput arctissime ligandum, iteratisque sæpius in orbem spiris fideliter coercendum est, atque ita in duos tresve dies relinquendum; quo toto temporis spatio quiescere debet æger, atque ab omni corporis exercitio capitisque motu abstinere.

Meminit quidem hujus suturarum dehiscentiæ *Sennertus* Prax. l. 1. p. 1. c. 21. Item & *Jac. Fontanus* Pract. l. 1. c. 3. sed cum totum ista de re sermonem claudat *Sennertus* istis verbis, *Rariora hæc esse & incurabilia*, clarum est alterius esse generis Discessionem ab ipso memoratam. *A. Bootius.*

In hac suturarum discessione convenit, præmissa capitis ligatura, & derasis capillis, *Ceratum ex pelle arietina cum gummi elemi*, & pauco *cerato de betonica* loco affecto applicandum: *Emmuller*, vide rationem curandi hanc doloris speciem *D. Michaelis* inferius §. *Contegi potest.*)

12. *Sive id faciat occulte*) Qualitas cerebri membranis proprietate aliqua inimica, dolorem in illis, & per consequens capitis, vel sola hac vi *occulta*, vel accedente simul manifesta qualitate, interdum parit: Sicuti ex narcoticorum usu hæc excitata, postquam assumpta sunt, non solum cerebrum afficit, sed & dolorem capitis, quem cum sensus rursum ad se redeunt demum persentiunt, postea aliquamdiu perseverantem relinquit, ut in ebriis à nimia vini ingurgitatione; non tantum à calore illius, & vapore, sed hanc quoque ob ejus vim videmus accidere, sicut & à *Cerevisia* simili modo aliquo contingit, cum illa non minus propter lupulos vim aliquam narcoticam habeat, qua eos muscas interficere animadvertimus, & post usum *Opiatorum medicamentorum* capitis dolorē facile subsequi sæpe observavimus: Quod & ab aliis non narcotica, sed alias cerebro infesta vi contingit, ut *croco*, *apii semine* & similibus, non solum copiose assumptis sed & olfactu perceptis.

A *malignis* aliis *vaporibus*, vel *vaporibus* caput infestantibus, ut aliæ ipsius functionum læsiones, sic & capitis dolores suboriri possunt, sicuti in melancholicis, similibusque cerebri affectibus accidit: In *contagiosis morbis*,

vis quædam perniciosa illud quoque potest efficere, qualis ea est quæ in *Lue venerea*, non tantum extrinsecus periostia & pericranium afficiendo, dolorem in exterioribus capitis sedibus aliisque locis parit, sed & interiores cerebri meninges molestando dolorem ad interiora etiam usque pertingentem inducit.

Quod & *pestilens* aut *venenata qualitas* in *peste correptis*, aut *veneno* alio infectis, eadem ratione si non solum cordi, sed & cerebro adversa sit potest efficere, ut videlicet capitis dolor illis morbis aliquando non solum ob febrilem calorem (unde quoque hic capitis dolor si putredo maxime malignis hisce febribus copuletur, oritur) sed & ob hanc vim perniciosam, vel ob utramque excitetur. *Platerus.*

Prognosis.

13. *Spei*) Cephalalgia si in genere consideretur, raro est lethalis, nisi gravioribus juncta fuerit symptomatibus: Propter partis tamen affectæ tum dignitatem & ἀνώδυνον [illegible] tum ipsius doloris acerbitatem, plurima capiti mala minitantem neutiquam contemni debet: præsertim si pertinax diuturnitas, qua, teste *Sylvatico cent. 1. consil. 25. & 30.* ad 18. imo & 20. annos se extendisse observata est, vel intolerabilis cruciatus vehementia una accesserint: Et quanquam dolores chronici, extra morbos acutos minus periculosi videri possunt, constat tamen & Cephalæa caput maxime debilitari, & si ἀγρυπνία concurrat, non raro ad affectus melancholicos ita laborantem disponi.

Dolor capitis συμπαθῶς plus equidem spei salutaris pollicetur, sed quandoque fit ἰδιοπαθῶς, spemque illam valde dubiam reddit, dum præsertim non tam per metastasim criticam, boni ominis collectionem, quam potius per διάθεσιν symptomaticam causa in capite coacervata resedit.

Causæ externæ si vehementes fuerint horrendam symptomatum συνδρομὴν accelerant, ita ut apoplexia, paralysis, epilepsia, surditas, cæcitas, tam certo immineant, ac si jam præsto forent, prout quotidiana experientia confirmat.

Inter *causas internas*, & quidem *Humorales*, *Bilis*, & *Seri* præsertim abundantia & ἀκρασία, præterquam quod gravissime affligant, Apoplexiæ certi quandoque sunt prodromi, vel si dolor cerebri claustra invadere nequeat, atroces in abdomine cruciatus concitare solent; exemplum vide apud *Willisium path. cerebri c. 2. de illustri Domina*: quin & lethalem inferunt cephalalgiam. vide *Riverium* Cent. 1 obs. 69 70.

Neque minus periculi, præter mali longitudinem, incurabilis plerumque, calculi & vermes in cerebro geniti minitantur: Quo etiam *vasorum* tum *rupturas* tum *indurationes*, *ulceraque* & *abscessus* referre licebit, quanquam interdum naturæ beneficio peccans materia propellatur, sicque solvatur morbus, juxta *aph. 10. sect. 6.* Quorum φαινόμενα pleraque magis vel minus periculosa evadunt, quoties διάθεσις hæreditaria, Suturarum defectus, aliaque conformationis vitia, vel conjuncti graviores morbi symbolum aut conferunt, aut denegant. *Straussius.*

14. *Bona spes*) Dolor capitis externus perpetuo minus periculosus & curatu facilior interno. *Riverius.*

Si quis integra prius fretus valetudine, ob causam evidentem fortiorem, uti vini potum, exercitia vehementiora &c. in cephalalgiam nonnihil atrocem, & aliquandiu protractam inciderit; in quantum procatarxis morbida nondum firma jacitur, pronuntiamus talem affectum satis tutum ac minime pervicacem fore. *Willis.*

15. *Pus &c. effluit*) Si humores illi qui sursum ad caput feruntur, salis spiritu copioso turgeant, adhærent aliquando meningibus ipsius cerebri, & partibus aliis interioribus ipsius capitis, in hisque coagulatur ipse salis spiritus, & deficcatur & sua innata facultate corrodit partes; & inflammat, & sic ulcera interna producit; Itaque cum aliquem invenimus qui conqueritur de dolore fixo & permanenti alicujus partis capitis, cum pondere, & cum *purulento muco*, aut cum excremento auris purulento & fœtido, & copioso, & sanioso; tunc suspicandum est de ulcere interno capitis *J. Petrus Faber Chir. Spagirica sect. 3. c. 5.* Vide ibid. curationem.

16. *Ambigua*) Si dispositio νοσώδης inveterata fuerit, ita ut à multis annis paroxysmi sæpe sponte sua, ac insuper à levi quavis occasione repetant, hunc etsi non periculose admodum ægrotare, attamen non facile curatum iri prædicimus: Porro therapeusin adhuc difficiliorem fore si affectiones hypochondriacæ, aut hystericæ sæpius molestæ cephalalgiam crebra vice excitare solent; vel si luis venereæ inveteratæ miasma in parte affecta fuerit radicatum.

Quod si dolor capitis non solum radicatus sed fere continuus fuerit, ut jure suspicemur eum à tumore phlegmonode, scirrhoso, erysipelate, abscessu, aut vermibus oriri, curationis spes exigua aut nulla superest, præsertim quia laborantes magna remedia, ut salivationem, aut cranii apertionem recusant, quæ si forsan omnino uspiam aliquo cum fructu usurpata sint, prius tamen hæc utplurimum ægris tædio esse solent, quam molestia aut expectatione aliquid dignum efficiunt. *Willis.*

17. *Si urina alba*) In vehementissimo capitis dolore, cum febre acuta, Si urinæ conspiciantur crudæ, seu albæ & claræ, pessimum est signum, deliria, convulsiones, & tandem mortem portendunt. *Etmuller.*

18. *Quia bilis sursum fertur*) Translationis materiæ morbificæ ad cerebrum signum etiam est, & futuri in eo abscessus in iis quibus ex morbo partium inferiorum convalescentibus, dolor capitis vehemens supervenit, nec præcedit excretio manifesta, ut & in gravidis capitis dolores soporosi cum gravitate fientes mali. 1. *Prorrhet.* quia significant humorum transfluxum ad cerebrum, qui cum multi & copiosi sint in gravida, ob purgationis menstruæ defectum, hinc gravius malum metuendum. *Riverius.*

18. *Quia bilis*) Urinæ crassæ hic non sunt pessimum signum, nam indicant quod pori renum adhuc sint satis aperti ad crassam materiam transmittendam; E contrario, si urina clara mingitur, arguit renum poros nimis angustos ad illas particulas transmittendas; sed quod potius ab iis obstruantur; quæ particulæ igitur in corpore remanentes, per circulationem rursus ad caput allatæ dolorem iterum augent; *Pr. Med. Reform. c. 2. pag. 18.*

19. *Vomunt*) Vomitus instantis, signa ostendit aphor.: Quicunque in febre non lethali dixerit sibi caput dolere, aut præ oculis obscurum quid apparere, si cardiogmus accesserit, biliosus vomitus expectandus erit, præsertim si rigor intra præcordia supervenerit. *Etmuller.*

20. *Nullus ferè*) Dolor capitis fortis, *subito desinens* in morbo acuto, non sequente allevatione per crisin, est lethalis, quoniam subinde signum est gangrænæ, aut omnimodæ sensus in membranis cerebri deficientiæ: *Si dolor capitis circa frontem & tempora* sit continuus & admodum vehemens, cum febre acuta, apparente die quarto signo pernitioso, septima fere die mors ingruit; *Quibus* ex morbo partium inferiorum convalescentibus dolor capitis supervenerit, si non præcedat excretio manifesta, in cerebro futurus est abscessus. *Aph 32. 4.* morbi materia ab inferioribus ad superiora conversa. *Etmuller.*

Curatio.

21. *Peragitur*) Cephalalgiæ methodus therapeutica plures *indicationes*, easque varii generis, juxta multiplices hujus morbi species, causas & differentias

comprehendit, *Dolor capitis accidentalis*, remota causa evidenti, & consequentiis ejus, utplurimum sponte cessat, vel saltem phlebotomia, quiete & sudore tollitur.

Dolor *Habitualis* pro diversitate causarum, scil. tum *procatarctica*, tùm *conjuncta*, etiam diversimodas medendi intentiones suggerit, quarum hæ præcipuæ; In omni Cephalalgia *habituali*, sive *continua*, sive intermittens fuerit, duo præcipui sunt curationis scopi, ad quos cæteræ quæque intentiones therapeuticæ collimare debent, & quibus contra utramque procatarxeos morbidæ causam providetur; 1. Imprimis nempe, ut morbi fomes omnis præscindatur, operam dare oportet tum ut materies ad capitis loca affecta, aut male affecta affluens, vel subinde affluere apta, vel supprimatur, vel illinc alio avocetur; tum insuper ut spasmi aliis in locis excitati, indeque in caput propagari soliti præcaveantur.

Deinde 2. quo morbus ipse, sive causa ejus conjuncta (si fieri possit) eradicetur, Enitendum erit ut capitis loca in cephalalgias prædisposita (sive debilia tantum, sive in conformatione læsa) dum à crebris materiæ infestæ incursibus muniuntur, statim suum pristinum & vigorem recuperent.

Cujusmodi indicatio licet raro unquam subito aut integre perficitur, quandoque tamen cura diligenti & longa, labes morbida, utut fixa & radicata, sensim atteritur: Quod spectat ad priorem medendi scopum, cujus & prior & potior ratio haberi debet, dictam materiem, sive *humores*, qui circa partes capitis ad cephalalgiam prædispositas congeri, morbique insultus excitari solent, esse aut *Sanguinem*, aut *Serum* ejus, aut *succum Nutritium*, vel *Nervosum*, Insuper cum his singulis *Vapores* & *effluvia*, nec non *Recrementa*, modo *biliosa*, modo *atrabilaria*, modo *acida*; salsa, sulphurea, aliaque varii generis, è visceribus modo his, modo illis, in sanguinem suscepta, commeatu ejus in sanguinem transferri ostensum: Contra horum omnium impetus & incursus munimenta ἰατρικὰ instituantur. *Willis.*

22. *Doloris mitigatione, vel per*) Capiti extrinsecus quæ adhibentur, *alterationis* præcipue nomine, remedia in tres classes, nimirum *refrigerantia*, *anodyna*, & *calefacientia* rediguntur, *Refrigerantia*, si à causa calida cephalalgia fiat, usurpantur, eaq; adstringentia in principio, quãdo copie sanguinis adest vel metuitur, mox etiam *humectantia*, ad calorem restinguendum: Illis permiscenda *Anodyna*, quæ vel calore moderato, nec nimis sicco demulcent partem, vel somnum aut stuporem inducendo, ut minus sentiatur dolor efficiunt, cum admodum urget, etiam in principio, ne illius causa defluxio magis concitetur, capiti rarius sola, frequentius frigidis jam dictis permixta apponuntur; *Calefacientia*, & quæ simul siccando humores vaporesve tenuiores discutiunt, in declinatione etiam calidarum cephalalgiarum, ut quod residuum remansit, tollatur, prorsusve debilitata firmetur, locum habent, primumque prędictis permixta, mox sola usurpantur: Quibus omnibus vel ex alto caput perfunditur, aut abluitur, aut stupæ, panni, spongiæ, in illis madefactæ, fronti & temporibus applicantur, vel hæ partes istis inunguntur, aut hæc alio modo in sacculis, cucuphis madidis, aut siccis applicantur. *Platerus.*

23. *Vel per Anodyna*) Quod alias attinet *Topica* in genere contra Cephalalgias usitata, eminet inprimis *Verbena*; sunt qui *flor. papav. rhœados* non minorem quam *Verbenæ* laudem tribuunt, Et sane aliquando Cephalalgiam pertinacem nocturnam, *flor. papav. rh.* leviter contusis, fronti & temporibus applicatis curavi: Sequitur *Betonica* anodyna & contra capitis dolorem egregia.

℞. *betonic.* coque in vino, appone capiti per noctem, in dolore capitis ex apostemate, vel ubi virtute anodyna opus est, discussione & resolutione.

℞. *beton. m. j. absynth. m. ß. cubebar.* ʒj. *vini alb. q. s. coque* decoctum Epithematis instar capiti applicetur.

Rad. Rhodia experimentum est *P. à Castro* in capitis dolore pertinacissimo, *Radicem rec.* pistillo lapideo contritam irrorat *aqua verben. & flor. sambuc. ãã.* Instar catapl. fronti applicat; loco hujus decoctum *radicis Rh.* fronti & temporibus applicatum conducit.

Horum defectu valet Pulvis *rad. zedoar.*

℞. *aqu. verbena, flor. sambuc. beton. ãã.* ℥j. *pulv. zedoar.* ʒß. *m. s.* Applica fronti, imo & nucæ, Sed hoc saltem in causa frigida. *Etmuller.*

Rhod. rad. valet ad cap. dolores à quacunque causa provenientes si recens confracta, & ros. aqua perfusa in calido affectu: aut si frigidus, cum *amaraci* aqua fronti temporibusque illinatur: P. A. *Matthiolus.*

Empl. ex *furfure cum sapa & momento salis levi ebullitione confectum* non habet compar in sedando dolore, Aliud.

℞. *ol. omphac.* ℔ß.
lut. ovor. vj. *rosac.* ℥iij.
coq. supra cineres pauci caloris aliquamdiu post adde
far. hordei, amyl. ãã. ℥iij.
croci ℈ij. *f. Empl.*
Erit magis anodynum *si adda sapæ* ℥iv.
butyr. r. ℥ß. *bdellii moll. & subalb.* ʒij.
recoque lento igne ad sapæ consumptionem.

Cataplasma ex *mica panis soluta in lacte*, *vel incocta cum* ʒß. *croci*, *ovor. vitell.* iij. *rosac.* ℥iß. anodynum est. *Hier. Montuus.*

Anethum capiti adhibitum quocunque modo discutit, dolorem sedat, & somnum conciliat. *Platerus.*

23. *Per anodyna*) Epithema præstans ad omnem capitis dolorem.

℞. *Cumini man.* j. *salis m. ß. f. Pulvis*; adde *ovor. alb.* aut *ova duo recent. misce*, extende super petiam, temporibus applica, spatio 2. horar. aut citius tollit: Probatum in mulieris dolore intolerabili. *Maroldus Pract. pag. 2.*

23. *Ex cancris*) Inter externa anodyna in dolore calido, D. *Michaelis* crebra experientia commendatur *succus cancr. fluviat.* si misceatur cum *succo verbenæ*, & linteolis imbutis applicetur capiti & temporibus: Prodest etiam in dolore capitis maligno & morbo Hungarico. *Sach. Gammarol. l. 2. s. 2. c. 3.*

24. *Succo Verbenæ*) Inter specifica doloris capitis, à quacunque causa oriatur, principem locum obtinet *verbena*, cujus aqua destillata & capiti admovetur, & intus assumitur ad ℥iv. cum *spiritus salis* gtt. iij. Imo ipsa *verbena* viridis de collo suspensa duos ægros sanavit apud *Forestum* cum multa remedia frustra usurpata essent. *Riverius.*

Verbena contusa, & in forma cataplasmatis ex linteis duplicatis fronti & temporibus admota, amuleti instar pertinacissimam sistit cephalalgiam, ut expertus est *Forestus l. 9. obs. 52.* Non æque ubique succedit. *Etmuller.*

25. *Aqua Verbenæ*) Hanc fronti temporibusque illitam capitis dolores sedare experientia compertum ajunt, *Hier. Tragus.* Quod ex veteribus in usum medicum revocatam constat, siquidem *Galenus* 1. K. T. de antiquo capitis dolore scribens ait, *Omnium porro longe maxime discutit, & perfecte corroborat* verbenaca recta, *maxime viridis, imo & arida cum radic. & simul cum serpillo oleo incocta: Conjicienda etiam ad ea crocodiliadis maxime juxta aquas nascentis radix: Quin & ipsam per se verbenacam, si oleo incoxeris, caputque inde rigaveris, omni capitis dolori antiquo, ex frigiditate aut ex crassis humoribus oborto medeberis.*

In omni dolore capitis, tanquam anodynum appropriatum, *aqua verbenæ* destillata commendatur, ad ℥iv cum gtt. iv. *spir. vitrioli.*

Juvat

Juvat etiam *verbena tota contusa* & capiti imposita. *Joh. Hartmannus in Pr. Chim.*

25. *Unguento alabastrino*) Ad capitis dolores unguentum in unaquaque materia valens, & est expertissimum, cum quo inungitur pulsus temporum & frons tota; Valet id omni capitis dolore, sive per essentiam, sive per consensum, sive cum febre, sive sine febre, sive per se dolor sit, sive per accidens causa ipsius febris, & in omni tempore paroxysmi, excepto principio, *Bened. Victorius*, Vide ejus descriptionem in Pharmacop. August. &c.

Ubi dolor capitis tantum ægrum infestaret, ut absque dubio timeremus de corruptione operationis alicujus virtutis membri.

℞ *de prædicti ungu.* ℥ß.
opii gr. iij. *inunge. cum prædicto ungu. pulsus temporum.*

Et si alicui alteri parti capitis adfuerit dolor, eidem unguentum applicabis. *Idem.*

In specie valet in cephalalgia febrium; Pro circumstantiarum ratione de *oleo papav. hyoscyami*, aut *camphora*, addi potest. *Ettmuller.*

Quod admirandæ est efficaciæ, *Joh. Andr. Schmitzius pr. m. p. m. 56.*

26. *Per Narcotica*) ℞. *ol. violar. rosac.* ãã. ℥j.
opii (*sed non in pueris mulieribus & mollioribus*) ℈ß.
m. & illine digito nares interiores: Remedium hoc in dolore acerrimo est præstantissimum: Mitius erit si addas *lactis mulier.* ℥j.
vel ol. rosac. ℥ß.
nuc. mosch. ut caput roboret, gr. vj.

Rondeletius.

26. *Per Narcotica*) In inveteratis doloribus cataplasma hoc *Kyperi* semper voto respondet.

℞. *croci, opii ãã. p. aq. v g. ad* ℨj.
contunde, mistis adde vitell. ovor. n. vij.
cum spir. vini f. Cataplasma.
Hertodus Crocologia cap. 7.

26. *Vel per narcotica*) Ubi causæ vehementia extra ordinariam urget & exposcit opem, ad Anodyna & Narcotica, quorum efficacia sensus stupor inducatur, veluti ad sacram anchoram confugiendum; Sic uxori N. cum gravissimo capitis dolore periodico ab hora 9. vespertina ad 9. matutinam singulis diebus affligente laboraret, variis antea frustra adhibitis, tandem *Pilulæ de cynoglossa Faventini* profuerunt; Laudandus igitur omnino Laudani usus, dummodo cautelæ adhibeantur necessariæ. *Straussius.*

27. *Vel per Narcotica*) Stupefacientia sensum in summo capitis dolore, præsertim si vigiliæ quoque adsint, exhibere necessitas quandoque cogit, idque maxime in causa calida: Tuncque *syr. de papav.* vel alia narcotica leviora, ut *pulverem diapapav. exhibemus*: In aliis vero causis Narcotica non facile dantur, præsertim cum postquam suas vires exercuerunt, capitis dolores post se relinquere soleant, nisi forte illa sic contemperata sint ut minus noceant, sicuti *theriacam* eo nomine, *mithridatium*, tutius, vel *diascordium*, *requiemve Nicol.* minima tamen quantitate damus; quod *& vinum generosum* largius sumptum ob narcoticam vim præstare potest. *Platerus,*

Papaveris, *mandragora*, *hyoscyami folia* recentia per se capiti admota stupefaciendo dolorem compescunt, & validius, si prius contundantur id faciunt: Aliqui stupis cannabinis folia *hyoscyami* prius convoluta sub cineribus coquunt, & emplastri forma adhibent, quæ tamen *Rondeletius* maniam excitare scribit. *Idem.*

27. *Vel per Narcotica*) Præmissis præmittendis, *Opiata* subinde etiam intermiscenda veniunt, Sed in horum usu cauti simus, quia subinde accidit ut in gravioribus doloribus parva dosis *Opii* aliquoties repetita nihil adjuvet, unde postmodum fortiora usurpata dosi subito lethargicus ser-oriatur somnus, ita ut vix denuo possint excitari ægri: Nam utut *Opiata* sistant dolorem; quia tamen fontem, seu causam relinquunt, eamque magis fixam reddunt, rem fere in deterius collabi faciunt: *Anodyna* igitur & Narcotica adhibeantur primum in parva dosi, successive ascendendo ad majorem dozin, idque saltem appropriatis additis. *Ettmuller.*

27. *Quæ frontis duntaxat*) Suturis non admovenda esse Narcotica monent Practici, metu soporosi affectus

27. *Narcotica*) Narcotica externa nonnisi urgente gravius dolore locum habent, idque magis in *accidentalibus* quam *habitualibus*, tutius vero in iis quæ per *consensum* quam per *essentiam*, convenientius etiam si complicentur dolores cum morbis acutis quam cum chronicis; sicuti & ipsi dolores tales si chronici fuerint, aut cephaleæ, aut clavi, minus hujusmodi curari, leviter saltem palliari solent: Potius, præmissis internis Chirurgicis remediis, hi posteriores tractandi sunt; aut iisdem *Emplastra* appropriata, v. g. de *Tacamahaca* cum *Balsamo Peruviano* succurrendum. *Ettmuller.*

27. *Per narcotica*) Capitis dolorem veterem & intolerabilem protinus tollit & in perpetuum remediat *Torpedo viva* imposita loco affecto, donec desinat dolor & obstupescat ea pars, tunc removeatur, cum primum senserit. *Scribonius Largus l. de Comp. c. 1.*

Cæteris irritis ad *laudanum op.* recurrendum. *Joh. Hartmannus Pr. Chim.*

Quædam vi Narcotica plus minus pollent, v. g.

℞. *Nucl. Persic.* ℥ß.
sem. papav. albi ℨj.
cum s. q. aqua verbena f. Emulsio.

Epithematis forma subinde fronti & temporibus applicanda, Loco *aqua* valet *decoctum betonica* aut *rad. Rhodia.*

Inprimis *semen hyoscyami* potens est remedium.

℞. *sem. hyoscy.* ℥j.
aceti ros. ℥v.

M. in phiala bene obturata, ponantur in MB. per 5. vel 6. horas, ita tamen ut ne bulliat, Post accipe fasciam ex linteo subtili, qua ligetur caput infirmi, atque cum spongia hoc aceto madida humectetur fascia, & remittet dolor. *Item*

℞. *Ol. papav. è sem. expr.* ℥j.
nucl. Persic. ℨß.
hyoscam. anith. ãã. ℨj.
cum s. q. cera, vel nuc. mosch. expr. f. Linim. temporibus applicandum.

Item quod familiari in usu fuit D. *Michael*

℞. *Extr. verbena* ℨj.
ol. hyoscyami expr. ℈ß.

F. Linim. *Ettmuller.*

28. *Causarum remotione*) Cum causæ sint variæ, pro earum varietate causa varianda; Consideretur ante omnia an per *essentiam* an per *consensum* fuerit: *Hac* affecta parte primaria restituta facile curatur, Illa vero difficulter; Utrinque semper præmittenda sunt, *Evacuantia*, *Vomitoria*, in illa quæ fit per *consensum* sunt tutiora; in ista vero quæ fit *per essentiam* nonnisi cautissime adhibeantur; *Purgantia* in hac conveniunt, quæ inter speciatim eminet *Mercurius dulcis* rite paratus: Alias semper observandum ut in quibusvis cephalalgiis alvus semper sit laxior & aperta, cum hæc obstructa dolorem exasperet; aperta vero dolorem soleat subinde allevare. *Ettmuller.*

28. *Causarum remotione*) Agricola cruciabatur sævissimo capitis dolore

℞. *aqu.ben.aqu.font.* ãã. ℥j.

commixtas ebibit, ore atque alvo purgatus convaluit in dies,

Sequenti die cephalicam secui; Epithema ex *cancris vivis contusis cum aceto rosac.* capiti admovebatur, statim ab initio curationis, quod plurimum proficiebat. *M. vel Rulandus cent.j cur.73.*

In doloribus capitis quibuscunque inprimis usus *aquæ ben.* ventriculo jejuno, stata dozi exhibitæ multum prodest, Purgatio fiat per *Diasennam laxat.* & *mercurium dulcem.* *Joh. Hartmann. in pr. Chimiatr.*

29. *Partis roboratione*) In dolore diuturno plus præstat caput frequentius roborare quam pertinaciter vacuationibus insistere: Ideo conferunt pulveres & eucuphæ in frigidæ intemperiei cerebri curatione proposita, magis tamen probantur Pulveres, quia virtus pilei non ita cerebro communicatur, & ex sordirie ejusdem dolor excitari potest: Præterea fieri potest inunctio ex *oleo amygdal.* in quo *serpillum, laurs fol. masliche, ficca, mentha. majorana, thymus, pulegium, nux mosch. caryophylli, & cin nam. aut horum nonnulla* ebullierint; addendo dum fit ebullitio *vini rubri* parum, Vel sequens *Oleum* arte chymica paratum componi poterit

℞. *Terebinth.* ℔j.
mastich. nuc. mosch. cinnam. ãã. ʒß.
caryoph. zedoar. galanga, ladani ãã. ℥iß.
succi ebuli & cucum. agr. ãã. ʒj.
olei chamom. & lilior. ãã. ℔ß.
vini rubr. ℔iß.
serpilli vir. m. j.

Pulveranda pulverentur, & conjiciantur in retortam vitream, Extrahatur oleum, quo derasum caput illinatur. *Riverius.*

α *Sunt qui &c.*) *Phlegma aluminis*, cum *phlegmate vitrioli* mixtum, si crusta panis intinges, & capiti dolenti imponatur, miraberis effectum. *Joh. Agricola comm. in Poppium.*

Sunt qui plumbum liquatum &c.) Id ceu secretum à nonnullis laudatur, quod incantamento quasi quodam dolores cephalicos demulcet. *Rolfinckius Epit. l.1.c.1.*

β *Capiti superpositum*) Mulier implacabili capitis dolore tentata, reliquis nihil juvantibus, adhibitio re galli exenterati miraculo convaluit. *Ballonius l. 1. Eph. pag.45.*

30. *Dolorem à quacunque causa*) Ab ipso etiam curationis initio specifica remedia usurpari poterunt, quale est hoc Epithema, ℞. *pulv. zedoar.* ʒj. *aqu. beton. verben. sambuc.* ãã. ʒj. *misce*, applica calide parti dolenti cum pannis scarlatinis. *Riverius.*

Ubi opus est discussione, hujus medio doloris sedatione, Item resolutione causæ cephalalgiam inferentis, In cephalalgia à causa frigida, ut vocant, optimi sunt sacculi ex *milio* & *sale comm.*

℞. *milii leniter tosti part.* iv.
salis comm. tosti part. ij.
ex his fiant sacculi suffumigandi, & ita applicandi,
Vel

℞. *milii tosti m.* ij.
salis comm. parum tosti m. j.
h. betonica flor. chamom. ãã. *m.* ß.
pulv. rad. Rhod. ℥ß.
F. sacculi interpassati calide capiti applicandi:

Conveniunt inprimis in dolore capitis senum. *Ettmuller.*

30. *Dolorem à quacunque*) *Spiritus vitrioli philosophicus stratus*, ut & *verbenæ essentia*, specifica proprietate prosunt, *Gu. Rolfinkius Epit. l.1.c.1.*

Inter alia feliciter compescuit dolorem hoc *Pulmentum.*

℞. *fol. verbasci rec. m.* j.
contunde in mortario, adde fermenti acris ℥ij.
ol. rosa. q. s. misce. *Timeus lib.1. cons.4.*

Pro externo remedio laudo unum, experientia comprobatum.

℞. *serpill. verbenæ, rosar.* ãã. ʒij.

decoque in oleo comm. in vase duplici, caput inunge ante & retro, Consilium etiam do, ut ægræ caput ungatur *spuma decocti primi ligni s.* *J. B. Montanus cons.80.*

Radix plantag. collo suspensa dolori capitis à proprietate medetur. *J. Hartmannus Pr. Chim.*

31. *Juglandis*) Singulare ex ipsa *juglande* remedium in Anglia detectum est; primo vere, antequam folia in nuce juglande erumpant, terram circa radicem fodiunt, & ex radicibus incisis manantem liquorem extrahunt, cujus aliquot guttulas propinant cum magno successu. Th. *Bartholinus Hist.97. cent.3.*

Diæta,

Legitima victus ratio cum morbificis causis opposita esse debet, facile prudentia medica quæ in rem præsentem facient reperiet; Hinc præter *Aëris* commoditatem, vel natura vel arte procurandam, eligendus erit cibus εὔχυμος καὶ εὐπεπτος, uti est cremor ptisanæ, juscula carnium, convenientibus herbis cephalicis alterata: carnes elixæ, *succo aurantior. berber. limon.* conditæ, Hinc vitanda alimenta quæ caput vaporibus replere solent, *Lac* quoque dolore capitis laborantibus nocet, *aph.64.5.* Malum etiam *jejunium*, inutilesque tum omnibus, tum præcipue μεγαλοκεφάλοις, post cibum contentio cogitationes animi, *Celsus l.1 c.5.* Supinus nocet *decubitus*, si quidem sanguinis & seri à capite ad inferas partes effluxum prohibet, adeoque colluviei serosæ in capite colligendæ non sine præsente periculo occasionem præbet, V. *Lower tr. de corde c.3.* *Alvus* servetur lubrica, vitentur præsertim acerba, *iracundia*, quæ, teste *Coo.6. Epid. s.5. tr.2.* calorem & humorem ad caput trahit; imo in omnibus animi affectibus conveniens naturæ moderatio observetur. *Strausius.*

1. *Differentia* Cephalalgiæ sunt variæ.

1. Alia est *symptomatica* de qua hoc agimus.

Alia 2. *Critica*, quæ non ab initio, sed circa tempus criseos affligere incipit: *Tum* spiratio repente fit difficilior, retractis hypochondriis: Venæ tument, & arteriæ in temporibus pulsant, genæ rubescunt, spontaneæ lacrymæ fluunt, æger manibus nares scalpit, & hæmorrhagia plerumque insequitur.

ij. 3. Alia est *Externa*, 4. quæ pericranium obsidet; in superficie percipitur, ad radices palpebrarum pertingit; capillorumque manusque pressu exacerbatur,

5. Alia *Interna*, quæ ad tactum mitescit, præsertim si fit sine distensione, & 6. ad radices usque oculorum pertingit.

iij. Alia est à 7. *causis Externis*, nempe 1. 8. *Ebrietate*, quam 9. cerevisia 10. cui chamæpeuce incocta est facile causare potest, 11. cum *vomitu* 12. *materia in* ventriculo fluctuans

fluctuans ejicienda. [13] Folia vel *brassicæ* in aqua calida, madefacta, vel *Ruta* cum aceto rosaceo contrita, applicanda, Spiritu vini caput irrorandum, [14] pedes sale & aceto fricandi.

2. [15] *Contusione*, percussione, vulnere, ubi curatio ex suis locis petenda est,

3. [16] *Calore* Solis, quam aliquando inflammatio insequi solet, balnei, ventorum australium, Tum [17] caput refrigerantibus agendum.

4. [18] *Alienorum usu*, ut sunt dactyli, avellanæ, castaneæ, nuces juglandes, tubera, semen cannabis, coriandri non præparati, thus, styrax, myrrha nimium sumta &c.

1. *Differentiæ sunt variæ*) Nempe dolor est aut *levis* aut *vehemens*, *acutus* vel *hebes*, *brevis*, aut *diuturnus*, *continuus* aut *intermittens*, Etiam pro ratione *causæ conjunctæ*, quæ est vel *sanguis*, vel *exuviæ* quædam ejus, nempe aut *serum*, aut *succus nutritius*: aut *vapores* sive *flatus*; aut *liquor nervosus*, aut *hujus* cum *liquore* sanguineo congressus & lucta, unde *Cephalalgia* dicitur aut *sanguinea*, & ea vel *simplex*, vel insuper *serosa*, *vaporosa*, aliâve *excrementitia*, aut *spasmodes*, ab humore fibras nerveas irrigante, easque in corrugationes dolorificas irritante. *Willis*.

2. *Alia critica*) De dolore capitis in Febribus critico & symptomaticæ, vide lib. 1. de Febrib. p. 100.

3. *Alia est externa*) Quæ rarior & mitior est, quia scil. partes supra cranium nec tam sensiles quam meninges interiores existunt, nec tam uberi sanguinis affluxu irrigantur; ut à subito ac vehementi incursu ejus supra modum distendi aut inflammari facile possint. *Willis*. De Cephalæa externa vide infra §. 50. *Totum cerebrum, caput*)

3. *Alia est externa*) Huc refer cephalalgiam quæ fit quando humor quidam lentus & viscidus, vitio digestionis propriæ genitus, intra suturas cranii se insinuat, easque sensim cum intensissimo capitis dolore disgregat, Vide *Arn. Boot de aff. omissis*, *Hildanum cent.* 1. *obs.* 1. *Pisonem. obs.* 2.

3. *Alia est externa*) Est quædam species doloris externi in capite occurrentis, qui alius dolores à defluxione in articulorum & carneas sedes factos præire eosque præsagire solet; In quo capiti grave aliquid & molestum incumbere videtur, dolorque extrinsecus, ac si cutis à subjecta sede avulsa esset, sentitur, tactuque, & præsertim capillorum commotione augetur; Exuberantiaque quædam nonnonquam mollis ac œdematosa, laxa & dispersa, externam hanc sedem, præsertim circa occiput & cervicis posteriorem sedem occupat; Aliâque interdum accidentia, quæ in capitis gravedine intra calvariam oborta eveniunt, præsertim si & illa ut sæpe fit, externam hanc gravedinem comitetur, hic quoque se repræsentant.

Congestus humor in habitu corporis, excrementitius, accedente interdum & pravitate quadam à nutrimenti quo partes aluntur cruditate, vel etiam vitiosiore portione; vel ob assimilationis imbecillitatem, aut pravitatem sensim coacervatus, dolorem qui circa exangues sedes, juxta ossa, periostia & membranas præcipue versantur, ubi excrementa hæc, in locis minus hisce calidis, &, ut vocant, frigidioribus, facilius accumulantur, tardiusque dissipantur, quandoque gignit: Idque frequentius in *capite*, *sede* intra *calvariam* & *cutem* illi obductam, occurrente, ob venarum illic copiam, quarum causa excrementa facile ibi colliguntur & quia ob cutem crassam difficulter expirant, accumulantur, quæ postea *Cephalæam* eam producunt quæ circa exteriorem saltem hanc illius sedem occurrit.

[illegible] & in aliis quoque locis circa dictas sedes, ossaque nuda, [illegible] ibi materia sensim congesta fieri potest, dolorese que ejusmodi paulatim nati, illis aliquo pacto illis qui [illegible] ut venerea fiunt, ob causæ locique aliquam similitudinem non absimiles: unde & hi, sicut illi, extuberantias alias nodosque, periostio ab ejusmodi excrementis excito, luxuriante tunc partis nutrimento, atque in callos concreto protrudunt.

Verum & a congestis ejusmodi excrementis extra calvariam, dolor ille externus, qui defluxiones & arthritides præcedere & denuo vocare solet, iisdem, uti in cephalæa externa de causis, qui tamen in cephalæa, hærente illic materia diutius, in hoc vero defluente desinit, & in deteriorem commutatur. *Platerus*.

3. *Alia est Externa*) Præter capitis dolorem internum, observatur etiam Externus, quando nempe membranæ cranii, in specie pericranium, hinc panniculus carnosus, musculi, ipsaq; adeo cutis in contusionibus, aut similibus læsionibus externis, Item ex materia super cranium collecta in lue Venerea ea acerbe dolere solent. *Ettmuller*.

4. *Quæ pericranium obsidet*) Dolor extra cranium ubi affligit, rarior quidem & mitior existit, eo quod partes supra cranium, nec tam sensiles sint, neq; tam uberi sanguinis affluxu irrigentur, interim compressione cutis augetur dolor circa pericranii substantiam hærens, estq; quasi *frangitivus*. Quod si vero inter pericranium & cranium fuerit, tactu pariter exacerbatur, & quendam *dilacerationis* sensum (divellitur enim à cranio) exprimit. *Strausius*.

4. *Externa, quæ pericranium*) Datur & *Cephalæa Externa*, cum circa capitis osseam sedem capillosam dolor quidam se offert, diuturnus & perseverans, Externas sedes occupans, ac circa ossa versari videtur, contactuque exacerbatur; Ab *interna cephalæa* exortum quandoque sumens, vel cum ea se offerens, doloremque capitis intus forisq; se exerentem efficiens, vel etiam per se tantum in exterioribus affligens, Nunc in utroq; nunc dextro, nûc sinistro, uti hemicrania, latere; nunc clavi infixi instar unum locum velut perterebrans, *Clavusque* dicitur; aliquando *Nodos in fronte* protrudens, cum *capitis dolore*, in lue venerea explicando, magnam habens similitudinem, Et nonnunquam etiam in aliis ossium sedibus, uti illa lues, dolore & nodis se patefaciens. *Platerus*.

5. *Alia interna*) Altera cephalalgiæ species *intra cranium* & crebrior & multo immanior existit, quia scil. membranæ cerebrum investientes sunt admodum sensiles, iisque sanguis aditu multiplici, & per plures ac longe majores arterias suffunditur. *Willis*.

6. *Ad radices usque oculorum*.) In meningibus cerebri dolorem hunc fieri posse, quod sensu tactus præditæ sunt, documento est: Quæ cum geminæ sint, *crassa* & *tenuis*, illæque arcte inter se conjunctæ, vasisque cohærentes, dolorem (ab utralibet primum incipiat) mero communicant, ita ut ægre quænam ex illis potissimum afficiatur liceat discernere, nisi ex eo conjecturam aliquam capiamus, quod cum affectus in exteriore crassa membrana potissimum resideat, ad exteriora capitis dolor quoque, propter pericranium illi connexum, aliquomodo pertineat, Si vero interior tenuis tunica magis afficiatur, profundior tunc, cerebroque velut immersus esse videtur; In utraque tamen affecta dolor ad oculorum radices, cum oculi globus a cerebri membranis tunicas accipiat, potest pertingere. *Platerus*.

6. *Et ad radices*) Dolor capitis *internus* in meningibus locum habet, profundus ille est, & ad radices oculorum pertingit, *Externus* vero, in *pericranio* situs, pilorum radices inverti non finit, & ad capitis compressionem exacerbatur: Hæc est *Galeni* doctrina 3. *de loc. c. 1. & 2. nat. v. c. 3.* ubi diserte asserit dolorem capitis internum hoc peculiari signo distingui ab externo, quod in illo dolor ad radices oculorum pertingat, in hoc vero minime, & rationem reddit, quia radices oculorum à cerebri meningibus prodeunt, unde fit ut dolor eo usque facile propagetur.

Contra *Fernelius Path. l. 5. c. 1.* asserit externos dolores ad radices oculorum pertingere, quod pericranium, cui insident, oculorum cavum pertingat: huic respondet *Rondeletius* 1. m. m. c. 5. ad dolorem pericranii oculi earum non dolere, licet eo usque illud pertingat, quia pericranii dolor à frigore ut plurimum oritur, quia pars frigida à simili facillime patitur qualitate; Illud autem frigus ad oculi cavum non potest pervenire, quia à calore oculorum, spiritibus & sanguine conservatur: Si vero interdum ab æstu, aut simili causa, dolor capitis externus excitetur, tunc cutem capitis tantum affici affirmat, non autem pericranium, in profundiori loco situm: Verum *Rondeletius* non omnem tollit difficultatem, licet enim omnia concederentur, tamen si dolor excitetur ab aliquo tumore intra pericranium collecto, aut ab alia causa continuum solvente, nulla ratio erit cur dolor ad oculi cavum non feratur: Dicamus ad *Galeni* defensionem hoc signum ab eo fuisse propositum 1. quia membrana, quæ à pericranio ad oculi cavum fertur, est hebetioris sensus, atque ita non comparitur dolori pericranii, nisi admodum obtuse; Tunicæ vero oculi, quæ prodeunt à meningibus, sunt exquisitissimi sensus, atque adeo insigniter dolent, deinde membrana illa, quæ à pericranio oritur, non ita intrinsece & profunde attingit oculum versus nervum opticum, sicut tunicæ quæ à meningibus prodeunt, unde fit ut dolor ille externus non possit sese extendere ad fundamenta oculorum, ut loquitur Galenus. *Riverius.*

6. *Radices usque oculorum*) A vellicatione & dolore meningum oculus dolere potest, oculus quippe suas habet tunicas à meningibus, quæ ubi vellicantur, necessario etiam oculorum membranæ vellicari debent, & dolere, Etiam dolent ab affecto cerebro, quia nervi optici sunt cerebrum in ea parte prolongatum.

7. *Causis externis*) Sic noxius *Aër*, tum nimis *calidus*, radiisque solaribus expositus (vide *Forestum l. 9. obs. 1.*) tum nimis *frigidus* (*Forestus l. 9. obs. 6.*) Quidam quoties & quamdiu ventus ex septentrionali mundi plaga flat, immanem passus est cephalalgiam (*vol. 3. Act. Hafn. p. 108.*

ij. *Odores & Suffitus*, de quibus *aph. 28. 5. Fuligines carbonum, calcis &c.*

iij. *Cibi potusque* qualitatum activarum excessu peccantes &c. *Cerevisiam* in iisqui vino assueti sunt accusat *Thiermayr. 1. Cons. pag. 8.* ex nimio *Tabaci* usu quidam in sincipite dolorem, cum ardore conjunctum sibi concilivit.

iv. *Vehementius corporis exercitium* studioso, debiliorisque cerebri, apud *Forestum* l. 9. obs. 4. insignes dolores capitis intulit; quales etiam inordinata *animi pathemata*, præsertim *ira*, excitare solent, Nec silentio involvendæ *Mercuriales* unctiones *ἀγύρτων* institutæ &c. *Stranssius.*

7. *Alia est à causis externis*) Huc referendæ remotiores, *Evidentes dicta*, quæ antecedentes & conjunctas exsuscitant, inque actus seu afficiendi rationes dolorificas cient; quæ varii sunt generis, & diversimodæ operationis, Quæcunque nimirum res 1. aut materiam morbificam aliunde in partem affectam transferre, aut 2. illam ne à prius hospitantem commovere apta sunt, 3. aut denique fibris ipsis, in spasmos dolorificos prædispositis affectionem istam è longinquo, & aliatum partium consensu imprimunt, ad hunc censum pertinent.

Quoad prius, *Sanguis*, ejusque inquilini humores, nempe serosus, nutritius, nec non recrementa biliosa, acida, ac alias vitiosa, variis de causis commoveri, inque capitis membranas transferri apta sunt; multa quæ exterius accidunt, vid. aëris ac anni mutationes magnæ aut subitæ, æstus, frigoris aut madoris excessus, lautus victus, vini potus, balneum, venus immodica, passiones violentæ, quin & plures aliæ *ἰδιοσυγκρισίαι* satis notæ, & quibusque cephalalgicis evitandæ, illud passim efficiunt; Porro humores isti interdum sponte turgescunt, & sine causa externa, aut alias evidenti, commoti se in caput proripiunt, quo ubi advenerint, fibrisque prius indispositis jam insederint, licet causæ conjunctæ partem constituunt, ipsi tamen cum primum in motu sive fluore sunt, causæ evidentis rationem subeunt.

Sic & *Serosa colluvies*, à sanguine fluorem passo exundans, in meninges & pericranium irruit, inque ipsis cephalalgias valde molestas parit, Subita pororum à frigore aut madore constipatio talem affectum in plerisque huic morbo obnoxiis fere constanter producit, vini acidi ac tenuis, pomacei, cerevisiæ, propter acorem fermentescere aptæ potus, quatenus sanguinem fundunt, & serositates ejus præcipitant, Cephalalgicis tanquam venena prohibentur; Denique quicquid fere podagricis, idem etiam & his ob similem in utrisque seri turgentis, ad partem affectam, ubi cum humore nerveo sæpe effervescit, fluxionem obesse solet. *Willis.*

8. *Ebrietate*) Vide supra §. 12. *Sive id faciat oculis.*)

9. *Quam Cerevisia*) In Ambaro (quod à vulgo *Ambra grysea* vocatur) illud mirabile judicatur, quod ab aliquo antequam vinum hauriat, odoratum, instar ebrii evadat, cum vino autem propinatum confestim notabilem inducere ebrietatem, multis experimentis est comprobatum. *Simeon Sethi.*

10. *Cerevisia cui chamæpence*) Eundem effectum edit panis in quo lolium fuerit, qui stuporem quendam ac veluti temulentiam esitantibus parit cum somno inexpugnabili: Id *Galenus* asseruit *lib. 1. de alim. fac.* Lolii nocumento *acetum* præsentaneum esse remedium perhibetur.

11. *Tum Vomitus*) Per *vomitum* expurgatio, si per consensum ventriculi à vaporibus inde suscitatis, uti ab *Ebrietate* dolor capitis si fiat, cum causam subito evacuet, convenientissima erit: quæ & si mature, antequam vapor exorgat, & caput tentet fiat, ut citius desinat facit; Ob quam causam, nisi sponte à natura concitetur, actu-vè irritando fauces succedat, propinatis quoque vomitoriis illum provocabimus, & in aliis capitis affectibus à consensu quoque similis factis, ut vertigine: Cæterum in aliis causis, cum per idiopathiam præsertim dolor capitis fit, non temere dum caput vehementer dolet proritandus, cum per validum illum, qui vomendo fit, conatu, sanguine, spiritibus, humoribusque ad caput impulsis, capiteque concusso dolor exacerbetur; nisi hoc extra paroxysmum in quibusdam, ad excrementorum proventum impediendum concedatur. *Platerus.*

12. *In ventriculo*) Convenit *piper* vel integrum, vel in partes divisum deglutiendum, quia absumit cruditates in ventriculo: Item caput leviter irrorandum, restes vero in aquam frigidam aceto mistam immergantur. *Ettmuller. alibi.*

13. *Folia vel brassica*) Notissima est antipathia quæ inter hederam & vinum à natura insita est, si enim ex hederæ trunco cratera componitur, in qua vinum dilutum

rum fuerit impositum, vinum confestim effluens funditur, aqua vero intus retinebitur, adeo vini impatiens hedera existimatur. *Ant. le Grand comp. Nat.*

[13] *Folia vel brassica &c.*) Cephalalgiam à crapula sedantia vide §. 90. *fame qui*)

[14] *Pedes sale &c.*) Pediluvia etiam non prætereunda, quippe quorum usus, uti in febribus, ita aliis quoque in morbis, præsertim capitis dolorem inferentibus, multum sæpe levaminis afferunt; sic vidua, cujus in *miscell. Ann. 2. obs. 247.* fit mentio, à cephalalgia, quæ stata hora eam afflixerat, & universalibus atque anodynis variis illuserat, usu pediluvio bis vel ter repetito, tandem liberata convaluit. *Straussius.*

[15] *Contusione, Percussione, Vulnere*) Aliquando ob læsionum externarum occasionem, licet curatarum, diuturnæ Cephalalgiæ & Hemicraniæ remanent, In specie quando cranium ipsum insignius lædunt, aut quando *Fissuram* quandam in interiori cranii lamina relinquunt, per quam succus nutritius ejus alteratus, hinc acrior factus, successive destillat in tunicas, & ita dolorem infert; aut quando aliqualis sanguinis circa membranas fit extravasatio; quibus occasionibus pertinacissimæ inferuntur Cephalalgiæ: Huc pertinet notabilis observatio apud *Schenckium l. 1. p. 51.* ubi gravi pondere in caput suscepto & congestato, laminæ cranii internæ particulæ diffractæ, tredecennalem dolorem capitis crearunt, quibus per nares excretis convaluit. *Etmuller.* Vide *Forestum* l. 9. obs. 39.

[16] *Curatio*) Si dolor capitis sit à causa externa, *Ictu* aut *casu* ab alto, optimum est *Ceratum Alex. Benedicti*, qui hoc ipso curavit senem ex trabis percussione dolentem.

℞. *G. hedera* ℥iij.
resina purgat. ℥ß. *cera* ℥iij.
ol. rosac. ℥iiß
ga. ammon. ℥ij.
terebinth. ℥iij.
succi corymb. hedera far. fabar. q. s. F. Empl.

Ad dolores ex percussione *Ungu. Alabast.* etiam proficuum observatum fuit. *Etmuller. Forestus lib. 9. obs. 5. sch.*

[17] *Caput refrigerantibus*) In dolore à Solis ardore toti fronti infundi curavimus *oleum rosac.* præ aliis præstantissimum si ex crudo *oleo & rosis* tantum sine frondibus confectum fuerit; longe etiam melius si salis sit omnino expers. *Forestus.*

[18] *Alienorum usu*) Cerebro infestorum elenchum vide supra pag. 518. §. 18.

Alia [19] ab *Internis*, nempe.

1. *Intemperie absque materia*, quæ si *Calida*, dolor est vehemens, & caput calet: Vena secanda, vel cucurbitulæ scarificatæ homoplatis applicandæ; Unguentum [20] sambucinum Salæ singulare: si [21] *Frigida*, dolor est diuturnior, caput friget [22] Conveniunt Rotulæ ex Diamoscho dulci, & [23] sacculus ex calefacientibus [24] Cephalicis: *si Sicca*, dolor est moderatus, lentus, præcessere causæ exsiccantes.

2. [25] *Intemperie* [26] *cum materia*, quæ vel est [27] *à sanguine*; [28] tum dolor mitior est, syncipur potissimum occupat, & ante cibum increbrescit [29] *Curatio* ex suis locis petatur. Vel

[30] *A bile*; Tum ß dolor est pungens, erodens, dexteram syncipitis partem plerumque occupat.

[31] In *Curatione* prosunt [32] Epithemata ex *laudano Opiato* cum aqua rosarum, [33] Vesicatoria ad collum locata, Aquæ rosarum cum Camphora ß olfactio, Capitis ex *Agarici decocto* cum floribus chamæmeli lotio, Auricularum scarificatio &c. Vel à *Pituita*, [34] Tum dolor [35] in dextra potius occipitis parte affligit, [36] Valent *Oxymel squillit.* aqua flor. *sambuci, puleg. rorismar.* cum crystallis nitri, [37] *Nuclei persicorum*, cum aqua verbenæ contusi: Oleum *Nucis moschat.* expressum, Balsamus *Apoplecticus, succini*, [38] sacculus *Hartmanni*, Aqua salita ex butyro salito: stercus columbinum tritum cum oleo persicor. fronti illitum.

Vel [39] à *Melancholia*; [40] Tum vigiliæ urgent, dolor est in sinistra occipitis parte: Curatio ex suo loco petatur.

3. [41] A *Flatu*. [42] Tum dolor est vagabundus, tensivus, statis sæpe diei horis recurrens.

Discutitur, [43] si tempora & sutura coronalis, [44] cum *allio* contuso & aceto vini aut urina infantis commixto, inungantur & confricentur.

[19] *Alia ab internis*) Omnis dolor oritur ab obstructione; *Punctorius* à sale: *Lancinans* ab acido, *gravans* à pituita insipida; *distendens* à flatibus; *pulsans*, à particulis (circa arteriam obstructionem facientibus, eamque nonnihil comprimentibus) supra arteriam extravasatis. *Anonymus. Prax. reform. c. 1.*

[20] *Ungu. Sambucinum*) In calida causa plurimum juvat, si *lumbrici terr. cum aceto rosac. conterantur* & parti dolenti linantur. *Fr. Joel. oper. T. 3. par. 25.*

℞. *Persicar. n. 13. aqua solani, sedi maj. & portul. q. s. camphor.* ʒß *coque invicem*, refrigescat, & de eo bibat, omnes dolores abigit à causa calida.

Residuum exprime, calefac, impone capiti ubi dolor est, tunc remove, In fimum infode ut putrescat, nam quamprimum incipit putrescere, dolor funditus peribit; Hoc sæpissime probavi &c. *Jos. Schmid. Spec. Chirurg. p. 309.*

℞. *Malva alth. branca urs. volub. albi, sem. lini, fænigr. āā.* ʒij. *torta coque in aqua coleo ad consumpt. aqua, cola* per pannum, *Ad* ℔ß. *adde axungia liquefacta, cera āā.* ℥iij. *iterum coque, f. ungu.* quod capitis, frontis &c. dolores mirabiliter tollit. *Arn. Willano vanus Breviar. l. 1. c. 3.* ab ipso commendatum in dolore cap. calido.

Inunctio capitis à me multoties in maximo calore & dolore experta.

℞. *ol. violar. rosar. āā.* ℥j. *aceti* ℥ß.
camphor. ʒij. *m. f. Oxyrrh.* pro fronte & temporibus. *Leon. Faventinus.*

[21] *Frigida Pituita*) *Frigida intemperies*, uti in membranosis nervosisque partibus corporis hinc inde non solum constringendo & mordicando, sed & adversa sua hisce partibus exquisite sentientibus qualitate, ita & in capite dolorem excitare potest: Quod à *pituitosis cerebri excrementis* non cerebrum (inde enim sopor vel

stupor sequeretur) sed membranæ potius refrigerativus accidere potest, ut in *coryza* actu frigida quandoque è naribus effluere, usque fluentibus dolorem capitis remittere aut cessare videmus: Sed & ab actuali externa aliqua frigiditate, vel quia adstringit, aut alioquin inimica est, dolor oboritur; ab *aëre* scilicet, ventoque inprimis, aliisque foris capiti adhibitis frigidis, à quibus dolores capitis si ad interiora capitis usque frigus penetret, sæpe procedunt; Quin & leve *frigus externum*, illis quorum caput doloribus facile potest affici, & quibus consuetum est illud tectum servare, si diutius aperto sint capite, dolorem infert, ob eamque causam illud tam studiose muniunt, vel ut tectum sit pilos nutriunt; quos hi qui à calore facile offenduntur, detondent, & si prolixiores gestent capitis potius dolorem se percipere fatentur; quod in senibus quoque, calvis præsertim, qui dies noctesque capite nudo esse gestiunt, evenire observavimus; Ex *accidenti* etiam frigus externum, calorem ad interiora propellendo (maxime si à frigore passo, in calidum locum se subito quis conferat) caput calefaciendo potius quam refrigerando, capitis dolorem affert. *Platerus.*

21. *Si frigida*) Si Dolor fit *ex subita & vehementi sensus tactus alteratione*, ut se habet Definitio, quæ motum supponit, quomodo à Frigore deducenda causa Doloris, cujus particulæ quiete fruuntur? Respondet *Dom. Duncanus Tract. Mech. de motu Anim. p. m. 264.* Ut manifestum fiat, *inquit*, impressionem objectorum à solo motu pendere, quem excitant in spiritu animali, percurrenda sunt cuncta sensuum immediata objecta, atque indagandum quomodo organa afficiant, Quis concipiat, quomodo *lumen, aut globuli materiæ æthereæ retinam* afficiunt, nisi hujus commotionem admittat: Quis concipiat quomodo particulæ sulphureæ & subtiles, è corpore odorabili emissæ primum par nervorum afficiunt, nisi commotionem spirituum in illo contentorum concesserit? An salia alimentorum filamenta linguæ nervea vellicare queunt quin eadem commoveant? An aëris vibrationes, quæ soni essentiam constituunt, auris tympanum concutere valent, & nervum cochlea inclusum, citra spirituum agitationem? Tandem corpus, ea solum de causa calidum quia hujus particulæ motu cientur, an particulis corporis nostri admoveri potest nisi simul & semel harum nervi & spiritus in motum adducantur? Si quis obiiciat *corpora frigida*, quorum particulæ quiete fruuntur, non minus sensum ferire quam calida? Respondemus, etiamsi consistat in quiete pleraturmque particularum, corpora tamen frigida pollere plurimis particulis motu donatis, sicuti videre est in liquoribus frigidis, quorum fluiditas pendet solummodo à mobilitate particularum illorum.

Adde quod objectum organo admoveri nequit citra motum; & sensatio inducta à corpore frigido consistit in motu directo particularum istius corporis; calor contra inducitur à motu circulari cujusque partis circa proprium centrum: Qui objiciunt frigoris impressionem molestiorem futuram & graviorem; Ii procuIdubio ignorant corpora frigida utplurimum infinitis salibus acutis horrida esse, quasi totidem spinis & aculeis prædita, à quibus acriter vellicatis nervis, non potest non acutus excitari sensus: Quin & venti frigidi magis quã calidis vehementem sensationem imprimunt; quia videlicet salibus istiusmodi plurimis scatent, quos, ut sic dicã, vibrant in corpora nostra quasi totidem sagittas exiguas, aut aciculas admodum penetrabiles, unde Poëta

Penetrabile frigus adurit.

22. *Conveniunt Rotulæ &c.*) Interne quæ magis conveniunt sunt fere *Succinata* quælibet, in specie ejus *sal volatile*: hinc *diaphoretica antimonialia*, Item *volatilia* tam *urinosa* quam ex *vitriolo* parata: His *Jovialia*, vel etiam *Essentia Lunæ* genuina merito accenseri potest, Quibus & *opiata*, Item *camphorata* subinde permisceri possunt; Nam *camphora in cephalalgia calida* nu[illegible] est, si unum alterumve ejus granum interne usurpetur; [illegible] ut externe *spiritus vini camphor.* aut *ol. camphoræ* applicetur. *Ettmuller.*

23. *Et Sacculus*) ℞. duas vel tres tegulas candefactas, affunde vinum optimum, & patie[n]s fumum recipiat per os capite cooperto, quod bis vel pluries inter diem & noctem fiat, Hoc pacto multos curavi. *Arn. Villanovanus Brev. l. 1. c. 2.*

Mirifice prodest foramini auris partis dolentis, tres guttulas tepidas *ol. de euphorbio* instillare in causa frigida. *Franc. Joel. oper. T. 3. p. 25.*

24. *Cephalicus*) *Specifica* vulgo dicta laudantur ab his culpantur ab illis, prioribus tamen subscribere non dubitamus; quando, ut monet *Hippocr. l. de Arte*, morborum omnium unus idemque modus sit, locus tamen ipse differentiam facit: Hæc quæcunque etiam virtute polleant, tamen absque methodo, h. e. absque solida indicantis & indicati cognitione, plerumque minuit præsentia famam; etiamsi quis ad specificum cephalicum, *succinum, camphoram*, aliaque id genus confugerit; Methodo autem ceu decet observata, aliquando etiam *sacch. rosac.* bilis fervorem temperando expectationi satisfaciet (*Rhodius cent. 1. obs. 71.*) vel *aqua frigida* fronti aspersa insultus hostiles repellet, Vel ceratum ventriculo impositum commotas inde turbas compescet.

Ut igitur hunc ad scopum accuratius collineare liceat inter *Cephalica volatilia*, Fixa & Media distinguendum esse, Recentiores non modo, verum etiam Antiqui, diversa quamvis exponendi ratione monuerunt, ad quod ipsa humorum in massa sanguinea peccantium indoles digitum quasi intendit; Ita quoties vel *membranæ irritatæ* demulceri, vel *spiritus deficientes* restitui, vel *halitus* corrigi, vel *pori* dilatari desiderant, *Volatilia* (quæ quod sulphure oleoso, eoque suavi & aromatico gaudeant, etiam *Balsamica* dicuntur) insignem præstant usum; quo nomine *radices & herbæ angelicæ, caryophyllatæ* folia, *majorana, rorismar. pulegii, ruta, salvia &c.* plurimum sese commendant; Sin *humores acres* absorbendi & diluendi, vel spiritus efferati mitigandi ligandique fuerint, *fixa* potius, v. g. ex simplicibus *corallia, lapides, cancr. perla, cinnab.* &c. ex compositis celebre illud *cephalicum specific. D. Michaelis Pulv. Epilept. Marchionis.* aliaque terrestris naturæ eligenda veniunt; Patet hinc cur seri ferocientis impetum tam feliciter infringant Emulsiones *ex semin. frig. major. papav. albi*, cum *aqua hypnotica Dornerelli*, vel *Minsichti*, item *spir. terræ sigill.* & supradictis absorbentibus paratæ: Cur bilis fervorem tam cito mitiget *seri lactis caprilli* usus. *Stransius.*

24. *Cephalicis*) Non anxie quærendum est in morbis internis, quoties remediorum externorum vis ad partem affectam, tanquam profundius sitam, pervenire non potest, quænam pars proprie sit affecta; quia medicamenta interna indifferenter feruntur per totum corpus; observata solum hac differentia, quod medicamenta crassis particulis donata potiori sua parte descendant per aortæ truncum descendentem, subtilia vero ad superiora ascendant; quapropter utrum dolor capitis in vertice sit, utrum in occipite, nil ad medicamenta interna facit. *Anonymus pr. Refor. c. 1.*

25. *Intemperie cum materia*) Frequentius dolore caput fatigare solent materiæ morbificæ quæ capite conceptæ sunt; hæ enim auctores plerumque sunt solutæ [illegible] ont nuitatis unde per molesta & acerba percep[illegible] [illegible] pathia obruata fuerit, fugaxve fu[illegible] a perturbatione critica, sive fixa firmiter *vivo*, ut loquitur *Hippocr.* [illegible] inducens, indigenam generationem agnos[illegible] seu symptomaticum transitum, aut perennem progressum sanguinis bile perfusi, qui inde exitum non habens, pendere,

dere, laceratione, & stimulis caput multum affligit: Materiæ hæ morbificæ ergo vel cerebro sunt indigenæ, h.e. inteo connatæ; vel vi in eo retinentur, vel aliunde sunt apportatæ, quæ translatione, vel progressu temperamentum & complexionem valide pervertunt, continuitatem lacerando, idque cum aliarum partium, tum maxime meningis duræ. *Heurnius cap.* 10. *de morb. cap.*

16. *Cum materia*) Quam gignit vel fovet obstructio; hinc cum ichores & vapores non exhauriantur, continuum violant: Ita incalescente interdum capite uritur sanguis eo conceptus, autore *Galeno* 2. *Prorrh.* 14. cum florida, *inquit*, facies apparuerit, æger autem fuerit valde tristis, in cerebro videtur concepta valida affectio calida, quæ sanguinem adurit in atram bilem) Quod autem atra bilis gignatur ex sanguine usto patet ex *Hipp. l. de A. A. & L.* quo loco causam materialem atræ bilis tantum agnoscit sanguinem crassam, bilem æruginosam & vitellinam; Ex hac obstructione capitis plurima nascuntur tædia; imo si elabantur interdum ad subditas partes, omnia calamitate quadam fœdant, Ita videmus in vaccis quod postquam jam adoleverint cornua, densaque reddita fuerit calva, cum minus via sit miasmatibus & effluviis vaporum capite conceptorum, congelatus in succum humor (vapor) in dentes effusus eos arrodit; ita in hominibus, vel si præcipitetur in pulmones, eos in tabem exedit: Quin si ille ferocior jam succus ab obstructo capite retineatur, annon dolorificus erit.

Variæ autem partes in capite obstrui poterunt, interdum suturæ, venæ, vel arteriæ, aut intestinæ cerebri partes, Imo, inquit *Arculanus*, vermes circa stricturam narium; prope carunculas mammillares gigni; Cum itaque vi detinetur in cerebro materia, auctor gravis mali esse poterit: Retinetur autem, vel quia obstruuntur, vel arctantur capitis partes: Fit autem obstructio tribus modis, copia, materiæ crassitie, & facultatis infirmitate: Nota vi coercitæ ab infarctu materiæ erit, quod non pedetentim ac lente sed repente invadit, & si solemnia capitis excrementa non ejiciantur. *Heurnius cap. de cephalalg.*

17. *Vel est à sanguine*) Sanguis sua sponte, & propter intestinos particularum ejus motus & colluctationes subinde effervescens, capiti molestias impertit, nec tantum in febrium paroxysmis, ast insuper sine causa evidenti, aut morbi suspicione turgescentiæ ejus crebræ ac vagæ existunt, quas in aliis vix perceptibiles Cephalalgiæ obnoxii satis advertunt ac luunt, nec solum è proprio penu sanguis capiti noxam immittit, sed eam aliunde suscipiens illuc defert: sæpenumero cruor è stomacho, liene, mesenterio, hepate, utero, aliisve partibus aut visceribus materiam incongruam aut sibi, aut nervoso generi infestam suscipit, quam brevi postea ut extrudat effervescens, membranis capitis suffundit, ideo cephalalgiam vulgo dictam sympathicam, scil. per consensum ab aliis partibus excitatam producit; ejusmodi affectus ab aliis partibus ad caput transmissio etiam alio interdum modo contingit.

Porro ob sanguinis transitum in aliis locis præpeditum capitis membranæ plectuntur; quibus enim viscera imi aut medii ventris, præsertim si hepar & pulmones obstructione laborant, ita ut sanguis ibidem vix trajici possit, plenior ejus torrens in alias partes, ac præcipue versus ἀκέφαλον dirigitur, ita ut propter hanc causam non tantum cephalalgias, sed affectiones soporosas & interdum lethales successisse novimus. *Willis.*

Aliquando obstructio adest in capite, ob quam sanguis circulari non potest, ac proinde materia affluens illic colligitur, ut videmus si nobis ambulantibus pileus capiti admodum impactus fuerit statim cephalalgiam oriri, eo quod compressionem carotidum externarum sanguis circulari non potest, quia via occlusa ibi restagnat. *Walæus Med. Pract. p.* 130.

27. *A sanguine*) Sanguis dum aut *nimia copia* abundans, aut à *suppressa solenni evacuatione* coacervatus, aut *turgescentia* aliqua agitatus vascula meningum distendens, cephalalgiam eamque frequentem inducit: Sic ex *turgescente & ebulliente sanguine in febribus* tam frequentes cephalalgiæ; hinc in nimio æstu canicularium, aut diuturniore sub *Sole mora*, ex sanguine magis dissoluto facilius turgescente, & impetuosius vasa meningum distendente cephalalgia oritur: Item quod *ex exercitio*, quovis *fortiori* subinde excitetur: Hinc est quod post crapulam, ea *nimio vini & cerevisiæ potu*, præter cruditates relictas sanguinis turgidus, postero die cephalalgiam inferat, cum artuum fere lassitudine nisi sudore præveniatur; Pariter *refrigeratio capitis*, ea impedità transpiratione cephalalgiam infert, dum retenta effluvia transpirabilia sanguinis turgescentiæ in vasis capitis occasionem suggerunt: Ut taceam ipsa salina transpiranda, partibusque membranosis infixa dolores inferre; Pariter sanguinis occasione, quælibet *suppressa consuetæ evacuationes* ejus ad cephalalgiam disponunt; *Hæmorrhagia narium* suppressæ contumacissimas habituales cephalalgias inferunt.

Ea *mensibus* item *obstructis* idem evenit, Quibusdam uno alterove die antequam menses prodeant, turgescente jam nonnihil sanguine, Cephalalgiæ superveniunt: Facere huc videntur *Odores fortiores*, Cephalalgiam non raro inferentes; ut ambræ & moschi: Non rarum est rosarum odore iis, qui tenuioris sunt in nervoso systemate texturæ, Ceph. inferri, quasi particulæ hujusmodi odoriferi acrimonia sua vellicent membranam narium superiorem, & ad hanc derivata à dura matre filamenta nervea; quibus una vellicatis, & dura mater simul tendi, hinc sanguinis circulus quasi remorari, & dolor hic pulsatorius & tensivus capitis supervenire solet; Quo etiam *Gas carbonum incensorum*, item *rerum fermentescentium* pertinet, suo aspiratu pertinaces cephalalgias interdum inducens. *Straussius*

27. *A sanguine*) Sanguis spirituosus & copiosus, cum in cerebri amplis & multis sinibus seu ductibus contineatur, nimia copia illos adimplens *distendendo*, vel calidior factus *accendendo*, (*nondum* tamen omnino *inflammando*, unde delirium potius sequeretur) cephalalgiæ, seu *foda sanguinea* dictæ perfrequens causa existit; Cujus plures differentias, prout sanguis qui exuperat vel incaluit, vel tenuis vel crassus, aut crudus (ut volunt) existit, statuunt, & cephalalgias *biliosas*, *melancholicas*, *pituitosas* nominant: Coacervatur autem ille sanguis in capite, vel ob plethoram in corpore redundantem, vel alioquin eo attractus, aut impulsus, ardore Solis, balnei, hypocausti, vel clamore, tussi, ictu, casu, motuve nimio corporis, aut animi affectu vehementiori, calidior quam par e[illegible] ab iisdem causis quibusdam fieri potest: Inprimis vero in morbis calidis, quorum symptoma cephalalgia hæc existit, & potissimum in febribus, in quibus sanguis cum spiritibus, uti in majoribus venis, sic & in hoc loco accenduntur; sicuti & in plerisque febribus capitis dolor tum hanc ob causam, tum ob evaporationes, tum quia in omnibus febribus, uti omnes corporis partes, sic & cerebrum calidius redditur, molestus est. *Platerus.*

Quomodo sanguis ad cephalalgiæ productionem concurrat, vide §. *Dolor contumax, diuturnus*)

28. *Tum dolor mitior est*) Ejus præterea indicium sunt temperamentum sanguineum, æstus & ruboris in capite circa faciem suffusio; item pulsus altus & vibrans, cum venis à cruore distentis. *Willis*, Vide supra §. *Signis opus non est.*)

29. *Curatio ex suis locis petatur*) Si jacta circa meno-

branas capitis ad dolores procatarxi, *sanguis*, ut pote calidior & turgescere aptus in capitis membranas subinde confertim irruet, eumque non facile pertranseat, vasa supra modum distendens fibrasque nerveas divellens morbi hujus paroxysmos excitabit, pronnus danda erit opera, tum ut sanguis sedatior factus, non adeo prompte in turgescentias agatur, tum etiam ne incitatus, ac ebulliens, majori *jorῆ* in caput quam in alias partes feratur, nec itidem propter meningum sinus nimis impletos stagnare cogatur; Quapropter si paroxysmus diutius infestabit, *phlebotomia* in brachio, aut vena jugulari celebretur: Extra paroxysmos interdum expedit sanguinem è venis sedalibus per hirudines detrahi, nempe hac ratione ut sanguis forte ebulliens deorsum versus locum istum, quo sæpe sponte tendit, sollicitetur, *Oxyrrhodina*, aut alia *Epithemata* capiti adhibeantur; insuper *Julapia*, *Emulsiones*, aut *Decocta*, quæ sanguinis fervorem aut æstum compescant, propinentur; Alvus *Enematum* usu refrigeretur & lubrica servetur.

Porro in *Prophylaxin serum lactis*, aut *acidularum* usus est tempestivus, *hydropofia* etiam, *victus* tenuis & refrigerans juvant; vini, aromatum, balnei, veneris, motus animi, aut corporis violenti, quinimo calidorum omnium fuga instituatur; Dein ad *sanguinem figendum*, ejusque effervescentias præcavendas, *aqua* distillatæ, herbarum expressiones, aut decocta, electuaria, pulveres; ac præcipue *crystallum minerale* crebro sint in usu. *Willis.*

Jugularis rami minores cutim capitis perreptantes in *temporibus*; vel in *fronte* potius, maxime si pars posterior capitis doleat, aperiuntur; In quo tamen faciendo, cum ut venæ se patefaciant, colli constrictione opus sit, eaque sanguis ad cerebrum pellatur, tutius erit si *vena sub lingua* tundantur, cum venæ jugularis interiora subeuntis sint propagines: Vel alii illius rami *ad nares* dispersi quoquomodo, ut sanguinem profundant irritentur, admotis sangui-sugis nasi extremo, aut post aures, vel supra colli externas jugulares venas adhibeantur.

Arteriotomiam in contumaci dolore & perseverante, cum pulsationis & caloris sensu sæpe juvisse multi testantur, præsertim si vertigo adsit, quæ in temporibus, fronte, aut post aures fiat: Sectio per *Cucurbitulas* fit, quæ cum sugendo sanguinem à parte affecta trahant, & si *scarificatio* accedat, simul evacuent, in causis in quibus phlebotomia convenit, idem quod illa præstabunt, & proin illius loco, vel post illam factam, ut illius actionem juvent usurpantur: Quæ *colli lateribus*, *summo humero*, *scapulis*, *brachiis*, *coxis*, *imis*, & *natibus* quoque eo nomine adhibentur, sensim à superioribus versus inferiora, cucurbitularum applicatione procedendo, repetendoque eodem, vel etiam sequentibus diebus, adhibita simul postmodum scarificatione, si validius à parte trahere velimus.

Privatim *scarificatio in manu*, inter *pollicem & indicem*, in capitis dolore, uti & *vertigine* laudatur; vel si in *carpi regione* fiat, Sunt & qui in *auriculis scarificationem* factam probant: *Platerus.*

30. *A Bile*) Bilis excrementitia, si qualis in capite à sero segregata in aures mera & pura expurgatur, talis ad meninges cerebrumque effunderetur, dolorem quoque sine dubio pungentem efficeret, sed vix sine sero diluta eo pervenit, nec tunc semper (cum ictericis caput, nisi alia accedat causa, minime doleat) dolorem parit. *Platerus.*

Tum dolor est pungens) Vide *§. Signis opus non est*)

31. *In curatione prosunt*) Causa calida dolorem capitis primarium & essentialem efficiens, est *sanguis* aut *Bilis*: Eadem utrique conveniunt remedia, sed magis minusve potentia pro majori vel minori causæ efficacia: 1. ergo à V.S. incipiendum præmisso clystere, major tamen sanguinis copia educenda cum dolor est à sanguine quam cum à bile: 2. cholagogum medic. exhibendum est; non solum cum bilis causæ principalis rationem obtinet sed & cum sanguis luxuriat, cujus portio tenuior facile in bilem vertitur: Si unica vacuatione materia peccans sufficienter educta non videatur, repetenda purgatio per debita intervalla 3. admoveantur repellentia & oxyrrhodina; Post animalia recens mactata, aut eorum partes, ad materiæ morbificæ reliquias dissolvendas & dolorem demulcendum: In *dolore capitis* qui per febres continuas affligit, *Pulmo vervecinus* calens admotus dolorem potenter demulcet, Valet cataplasma ex *cucurbita contusa*, vel *sempervivo majore* plantis pedum admotum; *Apertio saphenæ* capitis dolorem in febribus sæpe in momento fugat.

Interim revulsiones per *cucurbitulas*, siccas vel scarificatas, & *frictiones extremorum* administrandæ, Toto morbi decursu, si alvus non sit fluida, clysteres emollientes, refrigerantes & leniter purgantes alternis diebus injiciendi; Fiat *derivatio*, post generales evacuationes & revulsiones, *secta vena frontis*, aut eidem admotis *hirudinibus*, & *vesicatoriis* cervici applicitis: Urgente dolore ad *narcotica* veniendum, externa & interna, ut in phrenitidis curatione. *Riverius.*

Valent & *ablutiones extremitatum* à genu & cubito factæ deorsum, quæ non tantum à capite divertunt, sed & somnum simul conciliant, dolorem mitigant & in cephalalgia calida insuper refrigerant; quæ ex *foliis salic. lactuca, violar. vitis albæ, nenuph. cum flor.* additis *malva, chamom. flor.* & capitalibus interdum, *beton. calaminthæ, abrotano*, nonnunquam & *narcoticis, cap. papav.* decoctis in aqua, addita interdum portione *vini* vel *lixivii*, parantur.

Ablutio faciei aqua rosa cum pauco *aceto* similiter prodest: *Platerus.* Juvant ejusmodi *ablutiones*, quatenus earum vis sanguinem afficit, v. g. in pedibus, qui refrigeratus &c circulatione delatus in cerebrum alterationem, sibi illic inductam eo transfert; Imo idem hinc in pedes à capite devolutus, si mora aliqua in lavacro trahatur, eandem alterationem suscipit,

32. *Prosunt Epithemata*) Inter selecta, & quæ dolores capitis à causa calida auferunt remedia, *Torpedo* piscis est, ait enim *Celsus*, quem sequitur *Scribonius Largus*, hujus piscis capiti affricatū adeo tales dolores removere ut in posterum redire nequeant; Causa omnium Torpedinis qualitas est, ipsa enim viva in mari, & procul & a longinquo, vel si hasta virgave attingatur, torporem piscatoris membris inducere dicitur, ut *Paulus* l. 23. prodidit, Idcirco, ex *Matthiolo* mirum non est hujusmodi affectus quodam stupore feliciter sola confricatione sanari.

Experientia compertum est capitis dolores tolli linteolis in *aqua* seu *succo plantag.* madefactis, seu impositis. *H. Tragus.*

Remedium in dolore capitis à *bile* præsentissimum.

℞. *ol. rosac. violac. ãã.* ℥j. *opii.* ℈ß.
Misce, & illine nares interiores. *Rondeletius meth. l. 1. c. 5.*

Nob. mulier solo usu *sacch. ros.* veteris à diuturno multorum annorum capitis dolore, oborto *ex bile*, tandem liberata fuit, mitigata ejus acrimonia, & repressa exhalatione cerebro infesta; quandoquidem rosa refrigerat & adstringit. *Rhodius cent. 1. obs. 71.*

33. *Vesicatoria*) *Ben. Silvaticus* invalescentem diu capitis dolorem nec ullis cedentem remediis, Vesicantibus interiori coxarum parti admotis feliciter superavit. *Rhodius cent. 1. obs. 72.*

Imo in omni dolore capitis, à quacunque causa fiat, si aliis remediis non cesserit, & doloris atrocitas ad extrema confugere cogat, *Vesicatorium* toti capiti admotum,

rum, de raso capillitio curationem posse absolvere ait *Riverius*. Vide §. *Causticum potentiale*.

33. Olfactio) *Naribus* quoque alterationis causa quædam adhibentur, inter quæ *odores* non nimium caput ferientes, sed illud mulcentes prodesse quoque possunt; Ut si frequenter *campheram* in *aceto* & in *aqua rosac.* dissolutam olfaciat, vel hoc modo.

℞. *Camphora* ʒß. *ol. styracis* ʒiß. (quod *Dioscor.* probat) misce *diligenter*, *adde parum ladani*, f. *Globulus* naribus offerendus; Vel sic.

℞. *flor. ros. rubr. violar. ãã.* ʒj *flor. aneth. chamom. nobil. ãã.* ʒß. *semin. coriandr. præpar.* ʒj. *sem. lactuc.* ʒß. *santal. omn. ãã.* ℈j. *camph.* ℈ß. *f. Pulvis, quem in sacculo ligatum, aquaque rosac. & aceto madefactum naribus admove.*

Vel *suffitum* hujus *decocti*, dum calet, interdum naribus hauriat, qui dolorem sedat, & simul discutit.

℞. *fol. salic. solani, lactuc. rec. ãã. m.j. flor rosar. violar. nenuphar. anethi, melilot. ãã p.j. semin. lactuc* ℈j. *sem. papav. sat.* ʒj. *sem. ocimi* ʒß. *coquatur, adde aqu. rosac. & acetum rosac.*

Aut in nares *aquam rosac.* cum pauco aceti instar *errhinus* attrahat. Aut sequenti eas inungat.

℞. *Ol. nenuph.* ℥j. *opii, camph. ãã.* gr. vj. *m. ut fiat instar Linimenti*, quod & stuporem inducendo dolorem levat.

Idem *Auribus* instillatum valde proderit, uti & alia olea vel linimenta refrigerantia, anodyna, calefacientia, cum discutiendum erit, ut si *ol. aneth.* addito tantillo croci auribus indatur. *Platerus.*

34. Vel à Pituita) *Pituitosa & Serosa cerebri excrementa*, copiosius congesta retentaque, non tam copia sua quam frigiditate interdum, vel acrimonia, quam ex corruptione aut salsedine adipiscuntur; accedente interdum quoque calore, quem simul concipiunt, dolorem capitis, nunc circa occiput, prout humor ille anteriorem posterioremve cavitatem implet, ponderis instar gravantem, distendentem quoq; & vellicantem simul interdum efficiunt, Qualis dolor nunc *brevior*, præsertim si non subsistant hæc excrementa; nunc *diuturnus*, si aliquandiu perseverent, o[illegible]rrit: Interdum vero capitis alios affectus, ut vertigine[illegible] quandam, & inprimis defluxiones quasdam præcedere & comitari solet: Quem ab ejusmodi humoribus excrementitiis prodiisse redundantis ipsorum copiæ indicia manifestant, humorque ille aqueus, tenuis, acris & calidus in *coryza* dicta, cum capitis hoc dolore conjuncta, ex oculis naribusque exstillans, quænam & qualis illius causa fuerit, & qualis in aliis etiam esse possit, satis demonstrat: Quorum & immensam copiam, non solum è naribus, sed & ex auribus aliquando effluxisse, capitisque diuturnum dolorem solvisse vidimus. *Platerus.*

35. Tum dolor in dextra) Vide §. *Signis opus non est.*)

36. Valens) Mirum in modum discutit & firmat caput *Verbena recta* virens, ut & arida cum radicibus, una cum *serpillo* in oleo decocta, cum quibus radix quoque conjicienda: *Crocolidis* herba præcipue quæ prope aquas nascitur, Ac si *verbenam rectam* cum *oleo* decoques, & caput madefeceris, omnem diuturnum capitis dolorem sanabis qui à *frigiditate* crassisque humoribus fit.

Maxime etiam conferunt *Onisci* sub hydriis degentes si in oleo decoquantur. *Ætius Tetr. 2. sect. 2. capite 48*

Optimum linimentum calefactorium est quod habet *euphorbii* ℥j. *cera* ʒiij. *ol. dulc.* ℔j. hoc parti & musculis temporalibus ad frigidos affectus utilissime illinitur, ac plerumque semel tantum illitum ante balneum liberat à dolore *Idem c. 49.*

Naturali quadam potentia *euphorbium* ad hemicranicos valet, sic adhibitum, Tero ipsum cum *aceto*, & si dextrum tempus dolet illinito sinistrum; si vero hoc, illinito dextrum, & mox sanat. *Idem.*

Stoechados herbam coctam cum aquâ, aut aqua mulsa, in omni capitis dolore velut maximum remedium exhibeto; Aut *rumicem sylv. & gallas* simul tritas temporibus ac fronti illinito, & statim curabis. *Idem capite 50.*

Quidam in contumaci dolore *piperis pulverem* cum ovi albumine subactum temporibus applicavit, sæpiusque repetiit, unde immunis à doloribus vixit. *Th. Bartolinus cent, 5. obs. 48.*

Hoc *Errhinum* plurimum juvat.

℞. *anagall. fl. cyaneo sicci* ʒj. *rad. betæ siccæ* ʒß. *hydromel.* ʒiij. tepens naribus infundirur bis quaternis diebus. *Al. Benedictus l. 1. c. 2. 3. 4.* &c.

In dolore ab *intemperie frigida* mirabile *est oleum sassafras destill. Capivaccius Pr. l. 1. c. 9.*

Mirifice conducit sequens *sacculus* capiti tepidus applicatus.

℞. *rutæ, majoranæ, serpilli, betonæ ãã. m. iß. baccar. lauri, cumini, ppti, carvi ãã* ʒj. *amygd. amar.* ʒß. concisa consuantur in sacculum oblongum, qui expressus à liquore tepide capiti admoveatur. *Fr. Joel. op. T. 3. p. 25.*

Aëtius nullum præsentius remedium in Hemicrania esse scribit, quam *stercus bubulum* aut *ovinum, cum thure ãã. mixtum, & cum aceto in Empl. formam redactum*, calide admotum parti.

Debet animadverti experimentum quod *Paulus* apponit, à muliere quadam repertum, ut ait, quo multos his affectibus male habitos curabat; *Radicem agrestis cucumer. & absynth. una incoquens hydr aleo* donec liquescerent, Iis utebatur, primum *hydraleo* partem fovebat, postea ex his Emplastrum conficiebat, aut frontem, & caput derasum totum, aut dimidium illinens: Est autem methodo compositum, quia simplicia illa duo, tum partis robur augere possunt, tum quod in ea collectum est discutere: Hydræleum vero accipit coctutæ materiam, ne oleum solum frixuram sentiat & nidore offendat. *Leon. Jacchinus: Hollerio probatum.*

Vere id tibi suadeo cum exoptatissima consolatione, & maxima ope; Unguentum ad sanandum dolorem capitis expertum.

℞. *hyssopi m. j. rutæ m.* ij. *absinth. m.* iij. *ebuli* m. v. *hoc perbelle contunde, & percola per pannum novum, fortem*, Tandem.

℞. *Olei comm.* ℥j. *adip. anseris* ℥iiiß. *adipis gallinæ* ℥ij. *cum butyro majali simul omnia coque* & fac. ungu. quo utaris in balneo, *Valentinus Polidamus.*

Punicæ folia diligenter contrita; aut eorum *succus rosaceo* permixtus potenter inveteratos capitis dolores mulcet, fronti frequenter illita. *Matthiolus.*

℞. *succi rutæ agr. succi asphod. ãã.* ℥iij. *piper. sinap. staph. sagr. calaminth. Zinzib ãã.* ʒviij. *croci* ʒij. *misce f. Pastilli* (*Cum opus dissolvatur ex illis unus in aceto acerrimo, & locus illinatur & stringatur, cum pila.* Est multum efficax, & ejus usus est cum cætera non contulerint) *Et cum libra olei &* ℔ß. *vini, & cera* ℥iij. bulliant omnia ad vini consumptionem, colentur, f. Unguentum, quod est mirabile. *Dom. Leo Art. Med. l. 1. f. 1. c. 7. 8. &*

Optimum Ungu. calefaciens est id quod *recipit*

℞. *Euphorb.* ℥j. *cera* ℥iij.
olei alicujus tenuium partium ℔j.

Hoc unguento media pars frontis cum temporis musculo inungenda est: hoc enim ad frigidas affectiones est accommodatissimum, utpote quod semel in balneo illitum dolorem omnem sæpe abstulerit. *Oribasius de fac. aff. cur. l. 4. c. 1.*

Empl. Vigonis cum mercurio. ℥ij. extensum super alutam, in modum pileoli raso capiti admotum, & continuo gestarunt, aliis omnibus frustra tentatis, expertus

sum singulare, Etiam ubi nulla suspicio luis Venereæ, *Joh. Riolanus* Pr. Part. l. 3. p. m. 102. Vide *Enchir. m. Pr. cap. de cephalaa.*

Thermæ sulphureæ ac bituminosa in dolore capitis frigido efficacissimæ tum balneo tum lotione capitis. *Riverius Pr. l. 1. c. 16.*

In doloribus ab humore frigido prodest plurimum, sequens Vngu. quod præstantissimum, fit ex *oleo rutaceo & laurino; addendo parum cera & vitrioli, Rom. usti, croci ãã.* ℈j. *Rondeletius Prax. c. 5.*

Hoc in veritate affirmo, quod *stercore columbino in oleo ex nucleis Persic. contuso* & emplastrato, innumeros ab inveterato capitis dolore liberavi. *Joh. David Rulandus, Pharmac. nova p. 154.*

℞. *Euphorb. part. j. castor. tantundem, aqua excepta auri extra partem dolentem imponito, & statim in balneum ire, & lavare consueto more præcipio.* Hoc generosum auxilium est, & cum fiducia eo utor in crassis & viscosis humuribus capitis: *Trallianus l. 1. c. 12.*

℞. *folia salv. sicca, ruta virid. ãã.* ℥ij. *baccar. lauri, cumin. ãã.* ℔j. *verbena* ℥vj. *cera* ℔j. *ol. vet.* ℔iß. *F. ungu.*

Valet ad Hemicraniam, dolorem cervicis, & omnium membrorum, Expertum. *Arn. Villanovanus Brev. lib. 1. cap. 8.*

Valent) Quoad *Dolorem capitis fixum,* seu Cephalalgiam materiâ viscida, glutinosa ac acria enata, atq; ut vocant *Cephalalgiam frigidam*, Item in *Cephalalgia* senum, cura per *ligna Sudorifera* convenit, inprimis *Balsamum succini* Vertici illitum: Præ cæteris præstantissimum est *Empl. Vigonis de Ranis cum Mercurio* câpiti raso impositum, quo ipso cephalalgias antiquas desperatas curavi. *Platerus*, Vide in observ. Item *Empl. hujus part. j.* potest, addi *Empl. de Beton. & ungu. de Alabastro pars semis.* Et sic horrendam cephalalgiam mirabiliter curavit. Ipse aliquando in vetula octogenaria, quæ jam ab aliquot annis gravissima occipitis laboraverat Cephalalgia, felici successu hoc *Emplastrum*, *malaxatum cum oleo succini usurpavi.*

In genere, ubi suspicio est materiæ crassæ & viscidæ, non habetur melius hoc Empl. remedium, propter *Mercurium*, qui attenuat, resolvit, & fluxilem facit materiem istam, quæcunque etiam sit; Hinc in *Discessione futurarum*: Feliciter etiamidem adhibuit *D. Muh.* in casu supra allegato; ubi præmissis præmittendis, & injectis subinde clysmatibus domesticis, in quibus de seqq. aliquot uncias solvi jussit.

℞. *Elect. hier. cum Agar.* ℥iv. *de baccis lauri* ℥ij. *pulv. helleb. nigri* ʒiß. *fellis tauri inspiss.* ℥iij. *misce, Cujus* ℥ij. *addo Clysmati, sæpius repetendo.*

Capiti vero applicuit hoc Emplastrum.

℞. *Empl. de ranis cum Mercurio, cerati de Beton. ãã.* ℥iß. *Empl. pro bregmate usitati* ℥vj. *Misce cum ungu. Alabastr. inducatur aluta & applicetur Capiti forma Empl.* Etmuller.

36. *Valent*) Vtilis est Syrupus Magistralis in hunc modum compositus.

℞. *Rasur. ligni guajaci, & rad. china in taleolas divisa ãã.* ℥iß. *infundantur per horas xij. in lib. iv. aqua, bulliant ad media partis consumptionem, addendo sub finem folior. verbena m. j flor. stœchad. & majoran. ãã. p. j. In colat. dissolve sacch. albi* ℔ß. *Coqu. in syrupum, & antequam sit perfecte coctus, in eum conjice in nodulo Senna mundata* ℥iij. *agar. rec. trochisc.* ℥ij. *rhabarb. opt.* ℥iij. *Capiat* ℥ij. *vel* iij. semel in hebdomada. *Riverius.*

Ad *Stibium* confugit *Mercatus*, idque cum elogio commendat.

37. *Nuclei Persicorum*) *Amygdala* etiam *amara* delibratæ, tritæ cum *aceto & oleo*, irrigationis modo adhibitæ, aut ceran modo fronti impositæ in principiu mali valde conferunt. *Altimarus lib. 1. Pr. c. 10.*

37. *Nuclei Persicorum &c.*) Hi cum *aqua betonica* vel *verbena* contusi & applicati mirabiliter juvant in capitis dolore à causa frigida. *Phil. Grulingius Pr. l. 1. Part. 1. caput. 1.*

38. *Sacculus Hartmanni*) Fiat cum *succino albo* pulverato crassiuscule, qui interpassetur, & in *essentia Piperis* madefactus capiti applicetur suturæ coronali,

℞. *Piper. longi* ℥iij. pulvera crassiuscule, extrahe cum *spiritu vini* & serva: Signa *Essentia Piperis.*

39. *Vel à melancholia*) Fictitia hæc causa est, si per *melancholiam* cum antiquis Intelligas humorem nigrum & acidum ex massa sanguinea in lienc secretum; nullibi enim videtur ille humor in corpore sequestratus: Neque Lien hoc munere fungitur, cui deest locus secreto humori excipiendo dicatus, sicuti vesicula fellea, jecori appensa bilem exceptura: Nullam vero melancholiam in corpore statui debere vel posse quam hun[illegible] ... serosum fixiorem acidiorem, deturpatem oste[illegible] *Wedelius Physiol. Medica sect. 2. c. 11.* tunc enim obtusi[illegible] p[illegible] bus sulphureis sanguinis, evadit frigidum & siccum [illegible] melancholicum, siccum potentia, frigidum [illegible]: Quis sit hic humor erudite ostendit, pro more [illegible] *Joh. Jacobus Harderus Prodromo Physiol. p. 53.*

Equidem humorem ejusmodi, qualem è Veterum nonnullorum mente descripsimus, in corpusculo nostro monstrare res difficultatis plena: Obstructiones & tumores scirrhosos naturam redolere terrestrem, & materiæ tartareæ fæculentæ sæpius esse [illegible] non imus inficias; juxta tamen putamus coagulum hæc potius, partiumque salinarum fixarum & terrestrium redundantiam ac restitantiam agnoscere, quæ ipsæ cæteris cruoris partibus crassiores existentes, postque coctionem subsidentes, melancholiæ Veterum forte respondere possunt, siquidem & illæ propter spiritus & sulphuris inopiam, salis contra & terræ copiam, acerbæ deprehenduntur; Sunt qui non incongrue melancholiæ Veterum excrementitiæ substituunt succum Pancreaticum.

40. *Tum vigilia urgent*) Dantur remedia dolores mitigantia, quæ vigilias potius quam somnum inferunt, exemplo herbæ *Thée*, quæ in doloribus capitis egregium experimentum est, (sine febre quidem) si decoctum ejusdem ex ʒij. pro vice per 23. dies continuos calidissime, vel post pastum quoque hauriatur; Dissipat nempe sulphur gravativum [illegible] unde & ob vigilias quas infert abusu, infame quasi nonnullis est *Wedelius.*

Non abusu solum, sed vel brevissimo usu vigilias pertinaces inducere in memetipso expertus sum; qui cum sopore opprimeter, cum tussi aliisque accidentibus, ab unico haustu decocti pug. j herbæ *Thée*, somno deinceps carui per mensem integrum, adeo ut ad vigilias perpetuas damnatum me crederem: Quanta autem illius sit efficacia in superanda cephalalgia, comperi anno *1683.* Mense Septembri: in Concionatore, qui vespertinis horis in Ecclesia dicturus erat; non autem matutina, meditationi intentus, validissimo corripitur capitis dolore: A me præsentaneum auxilium nactus est ab haustu decocti ʒj. herbæ *Thée* ipsi præscripti, nam illico fugatus est dolor, adeo ut officio satisfacere potuerit. Vide §. *Signis opus non est*)

41. *A flatu*) Cum omnibus fere corporis partibus, etiam remotissimis, pedibus nempe (vide *Tulpium l. 1. c. 33.*) caput consensum habet, quem Recentiores non tam *vaporum* ascensui quam spasmo è longiquo incipienti adscribendum censent; Vapores non excludendi, si quidem iis quoque in crapula per œsophagum ad

caput, aliorumque in viscerum vitiis per venas ad cor, & per arterias ex corde ad caput aditum patere; Vel auram quandam musculorum interstitia perrepere posse non est ut dubitemus *Stransßius p.15.*

[41] *A Flatu*) Cum Flatus sentimus, putamus eos recentes in nobis genitos fuisse quod falsum est, nam totum corpus nostrum vaporibus, seu ventis plenissimum semper est, ut manifestum est in animalibus vivis dissectis; in quibus ubique vapores inveniuntur; Cum mingimus, urina recens in matula fumat, & multos vapores de se spargit, qui non in matula demum generantur, sed antea in corpore extiterunt, quia in corpore major adest calor.

Hi vapores non sentiuntur si pori & foris intro, & intus foras spectantes bene sunt constituti, ita ut omnia transpirare possint, sed quamprimum hi pori obstruuntur, statim vapores ibi hærentes sensum flatuum nobis exhibent, hinc evenit ut Flatus isti non prius curentur quam ubi obstructio ablata sit; imo etsi innumeri venti catinunantibus fuerint evocati, non tamen curantur nisi obstructio reserata sit. *Prax. Med. Refor. c.2.*

[42] *Tum dolor est vagabundus*) Vide §. *Signis opus non est.*)

[43] *Si tempora & sutura coronalis*) Hoc vulgi remedium sæpe cum successu felici probatum est, *Rapum* sub cineribus coquitur, à quo cocto aufertur ea pars secundum rotunditatem cui herba ipsa implantata erat, & calidissime pro tolerantia ægri post aures applicatur; qua tepescente altera calens substituitur, iteraturque donec flatus discussus, & dolor ablatus est, In *Dentium dolore* à flatibus eodem modo usurpatum convenit. *Joh. Fierus Physigr. cap.14.*

[44] *Cum alio contuso*) Experientia comprobatum esse id remedium; quo dolor & tumor capitis statim discussus est, ait *Franc. Joel Op. T.3.p.25.*

IV. Alia est [45] *Cephalalgia speciatim dicta*, quæ nihil aliud est quam [46] *dolor recens, levis, & sine magna imbecillitate, facillimeque solubilis*, ab externis plerumque causis obortus, [47] sæpissime cum febre.

[45] *Alia est Cephalalgia speciatim dicta*) *Dolor nunc universum caput occupat*, totam nempe ab ossibus cranii circumscriptum tractum, tunc in genere *Cephalalgia* audit; qualis est iste dolor qui post crapulam, sub aëris mutationibus, & in febribus continuis affligit, nec adeo diu durat quin subinde facilius transeat. Si talis Cephalalgia sit diuturna & contumax, mutato nomine *Cephalæa*, ob causam ut plurimum fixam in ipso capite, in certo ejus loco radicatam: Quod si dimidium tantum caput, ratione suturæ sagittalis doleat, ita ut altera medietas sit indolens, est *Hemicrania*, ut plurimum diuturna & valde contumax, Quod si unica tantummodo pars Capitis, inter sagittalem ac temporalem afficiatur, dicitur *Ovum*, à magnitudine nempe loci dolentis: Quod si dolor sit in uno parvo loco contumax, & fixus, quasi clavus ibidem esset infixus, dicitur *Clavus*, differens ab Ovo saltem ratione magnitudinis partis dolentis, Sicut *clavus* etiam fere continuus, eodem modo affligens esse solet, Cum Ovum subinde intendi & remitti observetur. *Etmuller.*

[46] *Dolor recens, levis &c.*) *Willis* Dolorem capitis in *Accidentalem*, sive *occasionalem*, dividit, & *Habitualem*, Prior iste sine *procatarxi*, aut dispositione prævia, à *causa evidenti solitaria* excitari solet, uti à vini potu, in solatione, exercitio vehementi &c. De Cephalalgia *Habituali*, Vide §. 48. *& sequ.*

[46] *Recens, levis, & sine magna imbecillitate*) *Cephalalgia per essentiam* est vel *Accidentalis*, vel *Habitualis*, e. g. Caput vulnere graviore læsum per essentiam quidem, sed tamen sine causæ internæ fomite *accidentali* modo dolet; Quod si vero post vulnus curatum remanear vel atonia partis læsæ, vel ex nutritione deficiente subinde recrementa quædam generentur, quibus occasionibus sæpius redeat Cephalalgia, talis habitualis erit. *Etmuller.*

[47] *Sæpissime cum febre*) In febrium paroxysmis *Cephalalgia* quibusvis fere hominibus contingit, quatenus nempe *Sanguis* plus solito incitatus, ac immodice ebulliens, membranas, quas pertransit, valde inflat ac distendit; quinimo *serum & vapores* ab eo tunc effervente copiosius emissa, & in membranas irruentia, fibras nerveas vellicant & irritant. *Willis.*

[47] *Cum febre*) Cuidam dolorem capitis insignem habenti in febre continua, sub pedibus *fermentum cum sale & sapone caulibus* supra inductum apposuimus, dolore inde cessante; quod & in aliis plurimis experti sumus. *Forestus l.7.obs.16.*

V. Alia [48] *Cephalæa*, seu dolor [49] contumax, diuturnus, paroxysmis maximis, sed [50] levibus de causis excitatus, totum cerebrum, caput, vel certè maximam ejus partem, [51] potissimum membranas infestans: In qua sæpe paroxysmi singulis horis infestant.

I. Fit nonnunquam ab [52] *humore seroso* in cerebrum & ventriculos effuso, epilepsiam quandoque excitante. Totum caput præmissis præmittendis, capillitio deraso, vesicatorio instar cucuphæ contegi potest, & ita quædam liberata, [54] Solvitur & aqua per nares delabente.

II. Nonnunquam à [55] *suppressis mensibus*, in qua [56] secta est arteria temporalis; vulnus occlusum emplastro de mastiche, sanguine draconis, balaustiis & allis.

III. Nonnunquam [57] *à lue venerea* [58] male curata, [59] vel propter virulentiæ reliquias, vel [60] Mercurium in parte congregatum, vel cariem ossis, quæ autumno & pluvioso tempore plærumque exasperatur. Et ibi quidem decocto sudorifero agendum est: hunc detegit globulus aureus auri inditus: [61] ista trepanum exigit.

IV. Nonnunquam à [64] *vermibus*; [65] *pure*, & quidem cum convulsione, quæ hisce excretis desinit. [66] Adhibita in ea [67] *vena* frontis vel *canthi* in oculo (extabit hæc, si collum leviter, axillas valide fascia constringas) sectio: [68] *hirudines* temporibus applicatæ: [69] *fonticulus* [70] in manu dextra summa, partis, qua dolet caput, inter pollicem & indicem in parte externa

(monticulum Mercurii aversum Chiromantici vocant) ob carpi viciniam, ubi ramus Cephalicæ excurrit: 71. revulsio per *saphenæ* sectionem: 72. Causticum potentiale super 73. arteriam temporalem positum &c.

48. *Cephalæa*) *Willis* appellat Dolorem capitis *Habitualem*, quemadmodum *Cephalalgiam Accidentalem* sive *Occasionalem*.

49. *Dolor contumax, diuturnus*) Dolor capitis *Habitualis* procatarxin aliquam alicubi affixam habet, propter quam vel constanter, vel crebro molestus est, ita ut quandoque licet intermittat, sæpe tamen sponte redeat, ac insuper à levi quavis occasione irritetur: Huic autem, sive *continuus* sive *intermittens* fuerit, neque semper, neque tantum pro *causa conjuncta*, *Sanguinis* aut *Seri* suffusiones, aut evaporationes nimias habet (quamvis sæpe hæ adsunt, ubi tamen *causa evidentis* potius quam conjunctæ loco sunt) verum insuper *partis affectæ*, aut affici solitæ, semper mala *procatarxis*, seu præ dispositio quædam affigitur, ob quam & causæ prædictæ, item præterea *liquoris nervosi* inordinationes, ejusque cum *sero sanguineo*, vel succo nutritio congressus & effervescentiæ, dolorum paroxysmos cient.

Procatarxis Cephalalgica, licet multiplex & diversimoda fuerit, ita ut singulæ ejus species vix enumerari possint, attamen ad eam constituendam hæc duo, nempe aut alterum, aut simul utrumque, præcipue ac fere semper conducunt, nempe 1. *partis affectæ* mala aut debilis constitutio, 2. deinde propterea facilior & promptior *materiæ morbificæ* in illa congestio.

Quoad prius, capitis partes doloribus obnoxiæ, sunt *fibræ nerveæ* ad membranas, tendines, musculosas carnes, aliaque corpora sensibilia pertinentes; quarum apparatus morbidus in earum *mala conformatione*, aut debilitate consistit.

Ex his priorem quandoque *innatam* & *hæreditariam* esse inde constat, quia morbus à parentibus sæpe ad liberos traducitur, idque ea potissimum ratione fieri videtur, quod capitis integumenta debito crassiora aut constrictiora facta, nec humores nec vapores facile trajiciunt, quare ab his cohibitis, illisque in motu præpeditis, & aggestis, meninges, pericranium, aliæque partes sensiles, aut infarctæ nimis, aut inflatæ, aut vellicatæ, dolores accipiunt: Cui accedit quod interdum ob cerebri intemperiem originalem humores, aut vapores circa partes ipsum concamerantes, varia congeruntur.

2. At vero longe sæpius accidit *malæ conformationis* vitia; quibus hæ vel istæ partes capitis ad Cephalalgiam disponuntur, de novo contrahi, idque vario productiones genere; quippe nonnunquam à *frigore*, ob flatum borealem, nives aut pluvias suscepto, in aliqua capitis regione cutis pori, quin & ipsæ fibræ nerveæ ita constipantur, aut alias pervertuntur, debilitanturve, ut nec aëris externi occursum, nec sanguinis vel humorum agitationes quasvis patiantur, quin Cephalalgia statim oriatur.

Nec minus raro propter *inordinationes* in *sex rebus non naturalibus* prædispositio Cephalalgica induci solet, Enim vero *sanguis* ob quamlibet causam supra modum incitatus, aut ebullitione sua nimia, aut seri vel vaporum insinuatione, partibus quibusdam nerveis *continui solutionem*, aut aliusmodi noxam imprimit, propterea ut *Cephalalgia* mox præsens, ac in posterum *diathesis* eam à levi quavis occasione suscepturа excitetur.

Cæterum à *passione vehementi*, à *crapula*, *ebrietate*, insuper à *capitis ictu*, vulnere aut contusione, dispositio Cephalalgica non facile delebilis crebro inducitur, proinde ut humores aut proprii, aut excrementitii, in iis congesti, & stagnantes, postea aut per se commoti, aut cum aliis succis influis effervescentes, inflationes aut vellicationes dolorificas cieant: Quinimo *phlegmonas*, *abscessus*, *tubercula*, *tumores scirrhosos*, *meningis* cum cranio *adnascentias*, aliosque malæ conformationis morbos in cerebri membranis excitatos novi, à quibus imprimis per longum tempus cephalalgiæ frequentes ac immanes, ac demum affectus soporosi ac lethales inducebantur, Morbi causa nonnisi post mortem per anatomiam detecta, Et quidem suspicari fas sit Capitis dolores inveteratos & pertinaces, cum invitis omnibus remediis frequentius redeunt, & in dies sæviores evadunt, à tali causa invincibili pendere.

Nec tantum *mala Conformatio* & *Unitas soluta*, sed etiam mera interdum *Debilitas*, sive enervatio, quasdam capitis partes Cephalalgiæ obnoxias reddit, Cum enim fibræ alicubi ita infirmantur, ut nec proprium humorem ipsæ tegere, nec alienis incursibus resistere valeant, pars sic disposita à levi quavis occasione, in *corrugationes dolorificas* agitur; *fibrarum* hujusmodi *debilitates* nonnunquam externa accidentia, uti frigoris & caloris excessus, quandoque item errata in victu, prout crapula, ebrietas, & imprimis somni meridiani, insuper ingentes catarrhi, & seri acris decubitus longiores inferre solent.

Hæc de Cephalalgiæ *procatarxi primaria*, quæ & fixa & radicata est: Altera ejus ratio secundaria, & *mobilis*, consistit in *materia morbifica* circa partem prædispositam prompta ac facili *congestione*, à qua dolorum paroxysmi ac insultus dependent; materies autem cum multiplex fuerit, multifariam congeri, & dolores diversis afficiendi modis excitare solet, Illa vel est *sanguis* vel *serum* ejus, vel *succus nutritius*, vel liquor nervosus; Unusquisque horum varie dispositus, aut fæculentiis imbutus, circa loca capitis prædisposita, modo ante paroxysmum sensim aggeritur, modo hoc ingruente affatim deponitur; Cæterum modo humor unicus plenitudine, ac sua acrimonia, fibras sensiles distendit, aut irritat; modo plures simul congressi mutua effervescentia fibras divellunt, adeoque spasmos dolorificos cient; Singulas harum species cum signis & fiendi modis, breviter notabimus: Cum itaque pars Capitis, uti imprimis meningis aut pericranii regio quædam propter malam conformationem, aut debilitatem, ad Cephalalgiam prædisponitur, morbi insultus, sive paroxysmi, propter varios humorum sequentium, scilicet modo hujus modo istius, modo plurium simul incursus & congressus excitari solent.

I. Interdum ipse *Sanguis* in motum rapidiorem incitatus, ac in caput ebulliens, circa loca prædisposita inter transeundum angustatur, aut sistitur proindeque uberius mox ibidem aggestus, vasa distendit, membranas valde inflat, fibrasque nerveas ab invicem divellit, illisque adeo corrugationes dolorificas inducit: Ob hanc rationem Cephalalgiæ obnoxii occasiones omnes à quibus *sanguis* supra modum effervescit, uti vini potum, exercitium, balneum evitare coguntur.

II. *Serum* in massa sanguinea copiosius aggestum, sæpe aut sponte sua ob meram plenitudinem, aut à causa evidenti commotum, subito fluorem concipit, & proin-

& proinde statim è cruore exundans, non semper, aut tantum in Pulmones, at sæpenumero in caput irruit, inque membranas aut musculos ejus suffusum, circa partes ad cephalalgiam prædispositas copiosius aggeritur, ibidemque inflationes & corrugationes dolorificas inducit: Porro *serum*, prout *recrementa sulphurea*, aut *salina*, *acria*, *acida*, *biliosa*, aut *melancholica*, aut alius generis infesta, secum vehit, eaque fibris nerveis affigit, *dolorem acutum*, aut *hebetem*, *brevem*, aut *longiorem* efficit: Cephalalgiæ propter hujusmodi procatarxin oriundæ, tempore hyberno, cœlo humido, & vento austrino gravius infestant: Insuper hunc affectum aliarum faciei, oris, aut laryngis partium catarrhi sæpe comitantur.

iij. *Succus Nutritius*, sive recens *chymus* è sanguine ad partes solidas delatus; iisque adponendus, liquidem ille quibusdam capitis partibus male dispositis improportionatus fuerit, Cephalalgiæ *paroxysmos periodicos* excitare solet: Namque hujus penus, juxta fibras quasdam nerveas depositus, si quidem assimilari nequit, post aliquantam moram eas aggravare incipit, & demum in corrugationes, propter molesti expulsionem irritat; Cephalalgia à tali causa procedens, post totidem à pastu horas quotidie repetere, & pari temporis spatio perdurare, quinimo prout victus ratio quoad quantitatem, qualitatem, & assumendi tempora alterantur, etiam dolorum paroxysmi variari solent, sicut in multis observavi.

iv. *Liquor Nervosus*, inordinatione sua, cum sæpe in aliis partibus, ita non raro in capite dolorum causa existit, nam iste aut à crasi degener, aut imbutus fæculentiis, fibras nerveas non ita libere trajicit, quin stagnare, in iisdemque ad plenitudinem irritativam congeri aptus est, idque præsertim intra fibras prius *debiles*, aut male conformatas (quales interdum sunt capitis membranæ) quippe in his prædispositis, liquor irriguus in motu præpeditus, ad plenitudinem aggravativam, aut irritativam facile assurgit, proinde ut fibræ adeo impletæ, instar stomachi nimis saginati, propter contenta sua excernenda spasmos & corrugationes dolorificas ineant, nec ab iis cessent, donec sarcina liberentur: quæ tamen postea rursus, modo citius modo tardius coacervata, alios subinde, ac alios dolorum paroxysmos infert: *Cephalalgia* talem ob causam oriunda, sine notabili sanguinis turgescentia, & sæpenumero absque erroribus in victu lente ac velut sua sponte oritur: quandoque tamen propter inordinationes in non naturalibus, aliaque accidentia citius accersitur, sæpius horis matutinis, & post largiores somnos, cum fibræ nerveæ humorem istum largius imbibunt, obtingere solet.

In prædictis *Cephalalgiis* materies morbifica humore utplurimum unico sive singulari constat, proindeque dolores paroxysmi paulo mitiores sunt, & non raro citius pertranseunt: Subest vero altera hujus *morbi causa*, cum *duo humores* (instar salinorum diversi generis) simul congressi, mutuo effervescunt, adeoque à particularum dissimilium luctu fibræ plurimum vellicantur, inque dolores valde acutos & lancinantes aguntur, iisque non raro diutius infestantur: In hoc casu pugil unus semper erit *liquor nervosus*, alter vero aut *latex serosus*, aut *succus nutritius*, *Sanguinem*, quia fibrarum ductus tantum alluit, ac non intima subit, eximimus; *liquor* autem *nerveus*, ob vitia modo citata, interdum per se fibras continentes vellicat, inque spasmos dolorificos ciet; Quod si huic ita prædisposito, ac intra fibras plenius aggesto, humor alter sive *nutritius*, sive *serosus* (nam uterque reus esse solet) minus congener existens, copiose suffunditur, particulæ statim omnes exsuscitatæ inter se colluctantur, adeoque mutua effervescentia fibras insigniter distendunt & vellicant, hinc ut ab iisdem diu & valde corrugatis, dolores acerrimi & diu permanentes inducantur; Utrum hic aut iste *liquor nerveo* occurrens, in Cephalalgia accersenda potior fuerit, ex propria utriusque per se peccantis anomalia supra descriptis facile innotescet. Quo ritu & quas ob causas remotiores, *humores*, nempe aut *serosus* aut *nutritius* delinquunt, quoties *nerveo* infra fibras contento occurrentes dolorum paroxysmos cient, infra declarabitur; Interim præcipua *Liquoris nervei* culpa Cephalalgias crebriores, & habituales produci satis constare arbitror, quoniam hic, & fibris ipsis quæ corrugantur, & spiritibus qui in distractiones dolorificas aguntur, maxime intimus est, tum etiam quia de dolore capitis nonnunquam sine ulla sanguinis, aut seri, vel succi nutritii inordinatione aut tumultu oriuntur, atque his quantumvis depletis, aut sedatis, Cephalalgiæ pertinaciter sæpe durant.

De *Liquore* autem *nerveo*, cum Cephalalgiæ causa est, observamus culpam ejus modo universalem & modo privatam esse, nam interdum iste labem suam à parte affecta acquirere potest, quatenus nempe intra fibras conformatione læsas subsistere aut stagnare coactus, adeo pervertitur, ut demum infestus istas, vel per se, vel cum alio humore fermentescens, in corrugationes dolorificas irritet: quandoque tamen, ac præsertim in Cephalalgiis gravioribus, existimare fas est totam *liquoris* nervei massam in vitio esse; nervosas autem capitis partes præ aliis quibusvis in toto corpore noxam ejus luere, quia nimirum hæ primæ *liquoris nervei* scaturigini propiores existunt, atque etiam sunt maxime sensiles: quapropter *liquor nerveus*, si quando vitiosus fuerit, intra menigas, aliasque capitis membranas plusquam alibi in cæteris corporis partibus, vel sponte turgescens, vel ab altero humore ei suffuso effervescens, dolorificus evadit; Rem ita habere constat, quoniam *Cephalæa* diuturna ac gravis, non tam remediis capiti adhibitis, aut appropriatis, quam iis quæ *succi nervei*, atque massæ sanguineæ crases restituunt, qualia sunt chalybeata, antiscorbutica, curari solet: quod certe arguit quicquid *liquor nerveus* in toto corpore peccat, id capitis partes potissimum plecti. *Willis.*

49. *Contumax*, *diuturnus*) Ex congesto, aut retento aut genito vitioso plus minus *acri excremento*, circa membranosa capitis loca, subinde variæ Cephalalgiæ oriuntur, quales fere in *Clavo* & *Ovo* observari solent, Unde *dolor* nunc quasi *osteocopos*, utplurimum simul rodens & pungens observari solet, dum materia quædam viscida, plus minus actis, vulgo dicta tartarea, sanguis congrumatus sub cranio quovis in loco congestus istos dolores infert: Ex tali causa etiam Hemicrania oriri potest, non tamen omnis, cum in hac subinde sanguinis plus minus impeditus motus, in uno alterove vasorum ramulo medietatis capitis fere peccare soleat; Ac sane quælibet *contumacior habitualis cephalæa* ac *hemicrania*, vix nisi in *viscido* ac *acri excremento*, vel deposito vel genito in capite, oriri solet, unde fit interdum ut talis humor lentus & viscidus sese insinuet intra suturas cranii, quas sensim à se invicem discedere facit cum intensissimo dolore: *Etmuller.* Vide de hac doloris specie à *suturarum discessione* quædam exempla in Anat. nostra Practica.

49. *Contumax*, *diuturnus*) Cephalalgia tum *accidentalis*, tum *habitualis* (Vide supra §. *Recens*, *levis*,

6. *Et ad radices*) Dolor capitis *internus* in meningibus locum habet, profundus ille est, & ad radices oculorum pertingit, *Externus* vero, in *pericranio* situs, pilorum radices inverti non sinit, & ad capitis compressionem exacerbatur: Hæc est *Galeni* doctrina 3. *de loc. c. 1. & 2. nat. v. c. 3.* ubi diserte asserit dolorem capitis internum hoc peculiari signo distingui ab externo, quod in illo dolor ad radices oculorum pertingat, in hoc vero minime, & rationem reddit, quia radices oculorum à cerebri meningibus prodeunt, unde fit ut dolor eo usque facile propagetur.

Contra *Fernelius Path. l. 5. c. 1.* asserit externos dolores ad radices oculorum pertingere, quod pericranium, cui insident, oculorum cavum pertingat: huic respondet *Rondeletius* 1. m. m. c. 5. ad dolorem pericranii oculi cavum non dolere, licet eo usque illud pertingat, quia pericranii dolor à frigore ut plurimum oritur, quia pars frigida à simili facillime patitur qualitate; Illud autem frigus ad oculi cavum non potest pervenire, quia à calore oculorum, spiritibus & sanguine conservatur; Si vero interdum ab æstu, aut simili causa, dolor capitis externus excitetur, tunc cutem capitis tantum affici affirmat, non autem pericranium, in profundiori loco situm: Verum *Rondeletius* non omnem tollit difficultatem, licet enim omnia concederentur, tamen si dolor excitetur ab aliquo tumore intra pericranium collecto, aut ab alia causa continuum solvente, nulla ratio erit cur dolor ad oculi cavum non feratur: Dicamus ad *Galeni* defensionem hoc signum ab eo fuisse propositum 1. quia membrana, quæ à pericranio ad oculi cavum fertur, est hebenoris sensus, atque ita non compatitur dolori pericranii, nisi admodum obtuse; Tunicæ vero oculi, quæ prodeunt à meningibus, sunt exquisitissimi sensus, atque adeo insigniter dolent, deinde membrana illa, quæ à pericranio oritur, non ita intrinsece & profunde attingit oculum versus nervum opticum, sicut tunicæ quæ à meningibus prodeunt, unde fit ut dolor ille externus non possit sese extendere ad fundamenta oculorum, ut loquitur Galenus. *Riverius.*

6. *Radices usque oculorum*) A vellicatione & dolore meningum oculus dolere potest, oculus quippe suas habet tunicas à meningibus, quæ ubi vellicantur, necessario etiam oculorum membranæ vellicari debent, & dolere, Etiam dolent ab affecto cerebro, quia nervi optici sunt cerebrum in ea parte prolongatum.

7. *Causis externis*) Sic noxius *Aër*, tum nimis *calidus*, radiisque solaribus expositus (vide *Forestum l. 9. obs. 1.*) tum nimis *frigidus* (*Forestus l. 9. obs. 6.*) Quidam quoties & quamdiu ventus ex septentrionali mundi plaga flat, immanem passus est cephalalgiam (*vol. 3. Act. Hafn. p. 108.*

ij. *Odores & Suffitus*, de quibus *aph. 28. 5. Fuligines carbonum, calcis &c.*

iij. *Cibi potusque* qualitatum activarum excessu peccantes &c. *Cerevisiam* in iis qui vino assueti sunt accusat *Thurmayr. 1. Cons. pag. 8.* ex nimio *Tabaci* usu quidam in sincipite dolorem, cum ardore conjunctum sibi conciliavit.

iv. *Vehementius corporis exercitium* studioso, debilioris que cerebri, apud *Forestum* l. 9. obs. 4. insignes dolores capitis intulit; quales etiam inordinata *animi pathemata*, præsertim *ira*, excitare solent, Nec silentio involvendæ *Mercuriales* unctiones ἀκαίρως institutæ &c. *Straussius.*

7. *Alia est à causis externis*) Huc referendæ remotiores, *Evidentes dictæ*, quæ antecedentes & conjunctas exsuscitant, inque actus seu afficiendi rationes dolorificas cient; quæ varii sunt generis, & diversimodæ operationis, Quæcunque nimirum res 1. aut materiam morbificam aliunde in partem affectam transferre, aut 2. illam ibi prius hospitantem commovere apta sunt, 3. aut denique fibris ipsis, in spasmos dolorificos prædispositis affectionem istam è longinquo, & aliarum partium consensu imprimunt, ad hunc censum pertinent.

Quoad prius, *Sanguis*, ejusque inquilini humores, nempe serosus, nutritius, nec non recrementa biliosa, acida, ac alias vitiosa, variis de causis commoveri, inque capitis membranas transferri apta sunt; multa quæ exterius accidunt, vid. aëris ac anni mutationes magnæ aut subitæ, æstus, frigoris aut madoris excessus, lautus victus, vini potus, balneum, venus immodica, passiones violentæ, quin & plures aliæ ἀνωμαλίαι satis notæ, & quibusque cephalalgicis evitandæ, illud passim efficiunt; Porro humores isti interdum sponte turgescunt, & sine causa externa, aut alias evidenti, commoti se in caput proripiunt, quo ubi advenerint, fibrisque prius indispositis jam insederint, licet causæ conjunctæ partem constituunt, ipsi tamen cum primum in motu sive fluore sunt, causæ evidentis rationem subeunt.

Sic & *Serosa colluvies*, à sanguine fluorem passo exundans, in meninges & pericranium irruit, inque ipsis cephalalgias valde molestas parit, Subita pororum à frigore aut madore constipatio talem affectum in plerisque huic morbo obnoxiis fere constanter producit, vini acidi ac tenuis, pomacei, cerevisiæ, propter acorem fermentescere aptæ potus, quatenus sanguinem fundunt, & serositates ejus præcipitant, Cephalalgicis tanquam venena prohibentur; De inque quicquid fere podagricis, idem etiam & his ob similem in utrisque seri turgentis, ad partem affectam, ubi cum humore nerveo sæpe effervescit, fluxionem obesse solet. *Willis.*

8. *Ebrietate*) Vide supra §. 12. *Sive id faciat occulte.*)

9. *Quam Cerevisia*) In Ambaro (quod à vulgo *Ambra grysea* vocatur) illud mirabile judicatur, quod ab aliquo antequam vinum hauriat, odoratum, instar ebrii evadat, cum vino autem propinatum confestim notabilem inducere ebrietatem, multis experimentis est comprobatum. *Simeon Sethi.*

10. *Cerevisia cum chamæpence*) Eundem effectum edit panis in quo lolium fuerit, qui stuporem quendam ac veluti temulentiam esitantibus parit cum somno inexpugnabili: Id *Galenus* asserit *lib. 1. de alim. fac.* Lolii nocumento *acetum* præsentaneum esse remedium perhibetur.

11. *Tum Vomitus*) Per *vomitum* expurgatio, si per consensum ventriculi è vaporibus inde suscitatis, uti ab *Ebrietate* dolor capitis si fiat, cum causam subito evacuet, convenientissima erit: quæ & si mature, antequam vapor exurgat, & caput tentet fiat, ut citius desinat facit; Ob quam causam, nisi sponte à natura concitetur, actuvè irritando fauces succedat, propinatis quoque vomitoriis illum provocabimus, & in aliis capitis affectibus à consensu quoque similis factis, ut vertigine: Cæterum in aliis causis, cum per idiopathiam præsertim dolor capitis fit, non temere dum caput vehementer dolet protitandus, cum per validum illum, qui vomendo fit, conatu, sanguine, spiritibus, humoribusque ad caput impulsis, capiteque concusso dolor exacerbetur; nisi hoc extra paroxysmum in quibusdam, ad excrementorum proventum impediendum concedatur. *Platerus.*

12. *In ventriculo*) Convenit *piper* vel integrum, vel in partes divisum degluttiendum, quia absumit cruditates in ventriculo: Item caput leviter irrorandum, testes vero in aquam frigidam aceto mistam immergantur. *Etmuller. alibi.*

13. *Folia vel brassica*) Notissima est antipathia quæ inter hederam & vinum à natura insita est, si enim ex hederæ trunco cratera componitur, in qua vinum dilutum

tura fuerit impositum, vinum confestim effluens funditur, aqua vero intus retinebitur, adeo vini impatiens hedera existimatur. *Ant. le Grand comp. Nat.*

13. *Folia vel brassica &c.*) Cephalalgiam à crapula sedantia vide §. 90. *sunt qui*)

14. *Pedes sale &c.*) Pediluvia etiam non prætereunda, quippe quorum usus, uti in febribus, ita aliis quoque in morbis, præsertim capitis dolorem inferentibus, multum sæpe levaminis afferunt; sic vidua, cujus in *miscell. Ann. 2. obs. 247.* fit mentio, à cephalalgia, quæ stata hora eam afflixerat, & universalibus atque anodynis variis illuserat, usu pediluvio bis vel ter repetito, tandem liberata convaluit. *Straussius.*

15. *Contusione, Percussione, Vulnere*) Aliquando ob læsionum externarum occasionem, licet curatarum, diuturnæ Cephalalgiæ & Hemicraniæ remanent, In specie quando cranium ipsum insignius lædunt, aut quando *Fissuram* quandam in interiori cranii lamina relinquunt, per quam succus nutritius ejus alteratus, hinc acrior factus, successive destillat in tunicas, & ita dolorem infert; aut quando aliqualis sanguinis circa membranas fit extravasatio; quibus occasionibus pertinacissimæ inferuntur Cephalalgiæ: Huc pertinet notabilis observatio apud *Schenckium l. 1. p. 51.* ubi gravi pondere in caput suscepto & congestato, laminæ cranii internæ particulæ diffractæ, tredecennalem dolorem capitis crearunt, quibus per nares excretis convaluit. *Etmuller.* Vide *Forestum* l. 9. obs. 39.

16. *Curatio*) Si dolor capitis sit à causa externa, *Ictu* aut *casu* ab alto, optimum est *Ceratum Alex Benedicti*, qui hoc ipso curavit senem ex trabis percussione dolentem.

℞. *G. hedera* ℥iij.
resina purgat. ℥ß. *cera* ℥iij.
ol. rosac. ʒiiß
ga. ammon. ℥ij.
terebinth. ℥iij.
succi corymb. hedera far. fabar. q. s. F. Empl.

Ad dolores ex percussione *Ungu. Alabast.* etiam proficuum observatum fuit. *Etmuller. Forestus lib. 9. obs. 5. sch.*

17. *Caput refrigerantibus*) In dolore à Solis ardore toti fronti infundi curavimus *oleum rosac.* præ aliis præstantissimum si ex crudo *oleo & rosis* tantum sine frondibus confectum fuerit; longe etiam melius si salis sit omnino expers. *Forestus.*

18. *Alienorum usu*) Cerebro infestorum elenchum vide supra pag. 512. §. 18.

Alia [19] ab *Internis*, nempe.

1. *Intemperie absque materia*, quæ si *Calida*, dolor est vehemens, & caput calet: Vena secanda, vel cucurbitulæ scarificatæ homoplatis applicandæ; Unguentum [20] sambucinum Salæ singulare: si [21] *Frigida*, dolor est diuturnior, caput friget [22] Conveniunt Rotulæ ex Diamoscho dulci, & [23] sacculus ex calefacientibus [24] Cephalicis: *si Sicca*, dolor est moderatus, lentus, præcessere causæ exsiccantes.

2. [25] *Intemperie* [26] *cum materia*, quæ vel est [27] *à sanguine*; [28] tum dolor mitior est, sinciput potissimum occupat, & ante cibum increbrescit [29] *Curatio* ex suis locis petatur. Vel

[30] *A bile*; Tum β dolor est pungens, erodens, dexteram syncipitis partem plerumque occupat.

[31] In *Curatione* prosunt [32] Epithemata ex *laudano Opiato* cum aqua rosarum, [33] Vesicatoria ad collum locata, Aquæ rosarum cum Camphora β olfactio, Capitis ex *Agarici decocto* cum floribus chamæmeli lotio, Auricularum scarificatio &c. Vel à *Pituita*, [34] Tum dolor [35] in dextra potius occipitis parte affligit, [36] Valent *Oxymel squillit.* aqua flor. *sambuci, puleg. rorismar.* cum crystallis nitri, [37] *Nuclei persicorum*, cum aqua verbenæ contusi: Oleum *Nucis moschat.* expressum, Balsamus *Apoplecticus*, *succini*, [38] sacculus *Hartmanni*, Aqua salita ex butyro salito: stercus columbinum tritum cum oleo persicor. fronti illitum.

Vel [39] à *Melancholia*; [40] Tum vigiliæ urgent, dolor est in sinistra occipitis parte: Curatio ex suo loco petatur.

3. [41] A *Flatu.* [42] Tum dolor est vagabundus, tensivus, statis sæpe diei horis recurrens.

Discutitur, [43] si tempora & sutura coronalis, [44] cum *allio* contuso & aceto vini aut urina infantis commixto, inungantur & confricentur.

19. *Alia ab internis*) Omnis dolor oritur ab obstructione; *Punctorius* à sale: *Lancinans* ab acido, *gravans* à pituita insipida; *distendens* à flatibus; *pulsans*, à particulis (circa arteriam obstructionem facientibus, eamque nonnihil comprimentibus) supra arteriam extravasatis. *Anonymus. Prax. reform. c. 1.*

20. *Ungu. Sambucinum*) In calida causa plurimum juvat, si *lumbrici terr. cum aceto rosac. conterantur* & parti dolenti illinantur. *Fr. Joel. oper. T. 3. par 25.*

℞. *Persicar. n. 17. aqua solani, sedi maj. & portul. q. s. camphor.* ʒß *coque invicem*, refrigescat, & de eo bibat, omnes dolores abigit à causa calida.

Residuum exprime, calefac, impone capiti ubi dolor est, tunc remove, In fimum infode ut putrescat, nam quamprimum incipit putrescere, dolor funditus peribit; Hoc sæpissime probavi &c. *Jos. Schmid. Spec. Chirurg. p. 309.*

℞. *Malva alth. branca urs. volub. albi, sem. lini, fænigr. āā.* ℥ij. *torta coque in aqua coleo ad consumpt. aqua*, cola per pannum, *Ad* ℔ß. *addo axungia liquefacta, cera āā.* ℥iij. *iterum coque*, *f. ungu.* quod capitis, frontis &c. dolores mirabiliter tollit. *Arn. Willano vanus Breviar. l. 1. c. 3.* ab ipso commendatum in dolore cap. calido.

Inunctio capitis à me multoties in maximo calore & dolore experta.

℞. *ol. violar. rosar. āā.* ℥j. *aceti* ℥ß.
camphor. ʒij. *m. f. Oxyrrh.* pro fronte & temporibus. *Leon. Faventinus.*

21. *Frigida Pituita*) *Frigida intemperies*, uti in membranosis nervosisque partibus corporis hinc inde non solum constringendo & mordicando, sed & adversa sua hisce partibus exquisite sentientibus qualitate, ita & in capite dolorem excitare potest: Quod à *pituitosis cerebri excrementis* non cerebrum (inde enim sopor vel

stupor sequeretur) sed membranæ potius refrigerativus accidere potest, ut in *coryza* actu frigida quandoque è naribus effluere, usque fluentibus dolorem capitis remittere aut cessare videmus: Sed & ab actuali externa aliqua frigiditate, vel quia adstringit, aut alioquin inimica est, dolor oboritur; ab *aere* scilicet, ventoque inprimis, aliisque fotis capiti adhibitis frigidis, à quibus dolores capitis si ad interiora capitis, usque frigus penetret, sæpe procedunt; Quin & leve *frigus externum*, illis quorum caput doloribus facile potest affici, & quibus consuetum est illud tectum servare, si diutius aperto sint capite, dolorem infert, ob eamque causam illud tam studiose muniunt, vel ut tectum sit pilos nutriunt; quos hi qui à calore facile offenduntur, detondent, & si prolixiores gestent capitis potius dolorem se percipere fatentur; quod in senibus quoque, calvis præsertim, qui dies noctesque capite nudo esse gestiunt, evenire observavimus; Ex *accidenti* etiam frigus externum, calorem ad interiora propellendo (maxime si à frigore passo, in calidum locum se subito quis conferat) caput calefaciendo potius quam refrigerando, capitis dolorem affert. *Platerus.*

21. *Si frigida*) Si Dolor fit *ex subita & vehementi sensus tactus alteratione*, ut se habet Definitio, quæ motum supponit, quomodo à Frigore deducenda causa Doloris, cujus particulæ quiete fruuntur? Respondet *Dom. Duncanus Tract. Mech. de motu Anim. p. m.* 264. Ut manifestum fiat, *inquit*, impressionem objectorum à solo motu pendere, quem excitant in spiritu animali, percurrenda sunt cuncta sensuum immediata objecta, atque indagandum quomodo organa afficiant, Quis concipiat, quomodo *lumen, aut globuli materiæ ætheræ retinam* afficiunt, nisi hujus commotionem admittat? Quis concipiat quomodo particulæ sulphureæ & subtiles, è corpore odorabili emissæ primum par nervorum afficiunt, nisi commotionem spirituum in illo contentorum concesserit? An salia alimentorum filamenta linguæ nervea vellicare queunt quin eadem commoveant? An aëris vibrationes, quæ soni essentiam constituunt, auris tympanum concutere valent, & nervum cochlea inclusum, citra spirituum agitationem? Tandem corpus, ea solum de causa calidum quia hujus particulæ motu cientur, an particulis corporis nostri admoveri potest nisi simul & semel harum nervi & spiritus in motum [illegible]ducantur? Si quis obiiciat *corpora frigida*, quorum particulæ quiete fruuntur, non minus sensum ferire quam calida? Respondemus, etiamsi consistit in quiete plerarumque particularum, corpora tamen frigida pollere plurimis particulis motu donatis, sicuti videre est in liquoribus frigidis, quorum fluiditas pendet solummodo à mobilitate particularum illorum.

Adde quod objectum organo admoveri nequit citra motum; & sensatio inducta a corpore frigido consistit in motu directo particularum istius corporis; calor contra inducitur à motu circulari cujusque partis circa proprium centrum: Qui objiciunt frigoris impressionem molestiorem futuram & graviorem; [illegible] proculdubio ignorant corpora frigida utplurimum infinitis salibus acutis horrida esse, quasi totidem spinis & aculeis prædita, à quibus acriter vellicatis nervis, non potest non acutus excitari sensus: Quin & venti frigidi magis quã calidis vehementem sensationem imprimunt; quia videlicet salibus istiusmodi plurimis scatent, quæ, ut sic dicã, vibrant in corpora nostra quasi totidem sagittas exiguas, aut acicul[as] admodum penetrabiles, unde Poëta

Penetrabile frigus adurit.

22. *Conveniunt Rotula &c.* Interne quæ magis conveniunt sunt fere *Succinata* quælibet, in specie ejus *sal volatile*: hinc *diaphoretica antimonialia*, Item *volatilia* tam *urinosa* quam ex *vitriolo* parata: His *Jovialia*, vel etiam *Essentia Lunæ* genuina merito accenseri potest, Quibus & *opiata*, Item *camphorata* subinde permisceri possunt; Nam *camphora in cephalalgia calida* mira [illegible] st, si unum alterumve ejus granum interne usurpetur; Aut externe *spiritus vini camphor.* aut *ol. camphorâ* applicetur. *Etmuller.*

23. *Et Sacculus*). ℞. duas vel tres tegulas candefactas, affunde vinum optimum, & patiens fumum recipiat per os capite cooperto, quod bis [illegible] lunes inter diem & noctem fiat, Hoc pacto multos curavi. *Arn. Villanovanus Brev. l. 1. c. 2.*

Mitifice prodest foramini auris part[i]s dolentis, tres guttulas tepidas *ol. de euphorbio* instillare in causa frigida. *Franc. Joel. oper. T. 3. p. 25.*

24. *Cephalicis*) *Specifica* vulgo dicta laudantur ab his culpantur ab illis, prioribus tamen subscribere non dubitamus; quando, ut monet *Hippocr. l. de Arte*, morborum omnium unus idemque modus sit, locus tamen ipse differentiam facit: Hæc quæcunque etiam virtute polleant, tamen absque methodo, h. e. absque solida indicantis & indicati cognitione, plerumque minuit præsentia famam; etiamsi quis ad specificum cephalicum, *succinum, camphoram*, aliaque id genus confugerit; Methodo autem ceu decet observata, aliquando etiam *sacch. rosac.* bilis fervorem temperando expectationi satisfaciet (*Rhodius cent. 1. obs. 71.*) vel *aqua frigida* fronti aspersa insultus hostiles repellet, Vel ceratum ventriculo impositum commotas, inde turbas compescet.

Ut igitur hunc ad scopum accuratius collineare liceat inter *Cephalica volatilia*, Fixa & Media distinguendum esse, Recentiores non modo, verum etiam Antiqui, diversa quamvis exponendi ratione monuerunt, ad quod ipsa humorum in massa sanguinea peccantium indoles digitum quasi intendit; Ita quoties vel *membranæ irritata* demulceri, vel *spiritus deficientes* restitui, vel *halitus* corrigi, vel *pori* dilatari desiderant, *Volatilia* (quæ quod sulphure oleoso, eoque suavi & aromatico gaudeant, etiam *Balsamica* dicuntur) insignem præstant usum; quo nomine *radices & herba angelica, caryophyllata* folia, *majorana, rorismar. pulegii, ruta, salvia &c.* plurimum sese commendant; Sin *humores acres* a[b]sorbendi & diluendi, vel spiritus efferati mitigandi ligandique fuerint, *fixa* potius, v. g. ex simplicibus *corallia, lapides, cancr. perla, cinnab.* &c. ex compositis celebre illud *cephalicum specific. D. Michaelis Pulv. Epilept. Marchionis.* aliaque terrestris naturæ eligenda veniunt; Patet hinc cur ieti ferocientis impetum tam feliciter infringant Emulsiones *ex semin. frig. major. papav. albi*, cum *aqua hypnotica Dornevelli*, vel *Minsichti*, item *spir. terræ sigill.* & supradictis absorbentibus paratæ: Cur bilis fervorem tam cito mitiget *seri lactis caprilli* usus. *Stransius.*

24. *Cephalicis*) Non anxie quærendum est in morbis internis, quoties remediorum externorum vis ad partem affectam, tanquam profundius sitam, pervenire non potest, quænam pars propric sit affecta; quia medicamenta interna indifferenter feruntur per totum corpus; observata solum hac differentia, quod medicamenta crassis particulis donata potiori sua parte descendant per aortæ truncum descendentem, subtilia vero ad superiora ascendant; quapropter utrum dolor capitis in vertice sit, utrum in occipite, nil ad medicamenta interna facit. *Anonymus pr. Refor. c. 1.*

25. *Intemperie cum materia*) Frequentius dolore caput fatigare solent materiæ morbificæ quæ capite conceptæ sunt; hæ enim auctores plerumqu[e] [illegible] solutæ continuitatis unde per molesta & acerba perce[illegible] pathia obnata fuerit, fugaxve fo[illegible] à perturbatione critica, sive fixa firmiter [illegible], ut loquitur *H[illegible]* inducens, indigenam generationem agnosc[illegible] symptomaticum transitum, aut perennem pr[illegible] sanguinis bile perfusi, qui inde exitum non habens, pendere,

dere, laceratione, & stimulis caput multum affligit: Materiæ hæ morbificæ ergo vel cerebro sunt indigenæ, h.e. in eo connatæ; vel vi in eo retinentur, vel aliunde sunt apportatæ, quæ translatione, vel progressu temperamentum & complexionem valide pervertunt, continuitatem lacerando, idque cum aliarum partium, tum maxime meningis duræ. *Heurnius cap. 10. de morb. cap.*

26. *Cum materia*) Quam gignit vel fovet obstructio; hinc cum ichores & vapores non exhauriantur, continuum violant: Ita incalescente interdum capite uritur sanguis ab conceptus, autore *Galeno 2. Prorrh. 14.* cum florida, *inquit*, facies apparuerit, æger autem fuerit valde tristis, in cerebro videtur concepta valida affectio calida, quæ sanguinem adurit in atram bilem) Quod autem atra bilis gignatur ex sanguine usto patet ex *Hipp. l. de A. A. & L.* quo loco causam materialem atræ bilis tantum agnoscit sanguinem crassum, bilem æruginosam & vitellinam; Ex hac obstructione capitis plurima nascuntur tædia; imo si elabantur interdum ad subditas partes, omnia calamitate quadam fœdant, Ita videmus in vaccis quod postquam jam adoleverint cornua, densaque reddita fuerit calva, cum minus via sit miasmatibus & effluviis vaporum capite conceptorum, congelatus in succum humor (vapor) in dentes effusus eos arrodit; ita in hominibus, vel si præcipitetur in pulmones, eos in tabem exedit: Quin si ille ferocior jam succus ab obstructo capite retineatur, annon dolorificus erit.

Variæ autem partes in capite obstrui poterunt, interdum suturæ, venæ, vel arteriæ, aut intestinæ cerebri partes, Imo, inquit *Arculanus*, vermes circa stricturam narium, prope carunculas mammillares gigni; Cum itaque vi detinetur in cerebro materia, auctor gravis mali esse poterit: Retinetur autem, vel quia obstruuntur, vel arctantur capitis partes: Fit autem obstructio tribus modis, copia, materiæ crassitie, & facultatis infirmitate: Nota vi coercitæ ab infarctu materiæ erit, quod non pedetentim ac lente sed repente invadit, & si solemnia capitis excrementa non ejiciantur. *Heurnius cap. de cephalalg.*

27. *Vel est à sanguine*) Sanguis sua sponte, & propter intestinos particularum ejus motus & colluctationes subinde effervescens, capiti molestias impertit, nec tantum in febrium paroxysmis, ast insuper sine causa evidenti, aut morbi suspicione turgescentiæ ejus crebræ ac vagæ existunt, quas in aliis vix perceptibiles Cephalalgiæ obnoxii satis advertunt ac luunt, nec solum è proprio penu sanguis capiti noxam immittit, sed eam aliunde suscipiens illuc defert: sæpenumero cruor è stomacho, liene, mesenterio, hepate, utero, aliisve partibus aut visceribus materiam incongruam aut sibi, aut nervoso generi infestam suscipit, quam brevi postea ut extrudat effervescens, membranis capitis suffundit, ideo cephalalgiam vulgo dictam sympathicam, scil. per consensum ab aliis partibus excitatam producit; cujusmodi affectus ab aliis partibus ad caput transmissio etiam alio interdum modo contingit.

Porro ob sanguinis transitum in aliis locis præpeditum capitis membranæ plectuntur; quibus enim viscera imi aut medii ventris, præsertim si hepar & pulmones obstructione laborant, ita ut sanguis ibidem vix trajici possit, plenior ejus torrens in alias partes, ac præcipue versus ἐγκέφαλον dirigitur, ita ut propter hanc causam non tantum cephalalgias, sed affectiones soporosas & interdum lethales successisse novimus. *Willis.*

Aliquando obstructio adest in capite, ob quam sanguis circulari non potest, ac proinde materia affluens illic colligitur, ut videmus si nobis ambulantibus pileus capiti admodum impactus fuerit statim cephalalgiam oriri; eo quod compressionem carotidum externarum sanguis circolari non potest, quia via occlusa ibi restagnat. *Walæus Med. Pract. p. 130.*

27. *A sanguine*) Sanguis dum aut *nimia copia* abundans, aut à *suppressa solenni evacuatione* coacervatus, aut *turgescentia* aliqua agitatus vascula meningum distendens, cephalalgiam eamque frequentem inducit; Sic ex *turgescente & ebulliente sanguine in febribus* tam frequentes cephalalgiæ; hinc in nimio æstu canicularium, aut diuturniore sub *Sole mora*, ex sanguine magis dissoluto facilius turgescente, & impetuosius vasa meningum distendente cephalalgia oritur: Item quod *ex exercitio*, quovis *fortiori* subinde excitetur: Hinc est quod post crapulam, ex *nimio vini & cerevisiæ potu*, præter cruditates relictas sanguinis turgidus, postero die cephalalgiam inferat, cum artuum fere lassitudine nisi sudore præveniatur; Pariter *refrigeratio capitis*, ex impedita transpiratione cephalalgiam infert, dum retenta effluvia transpirabilia sanguinis turgescentiæ in vasis capitis occasionem suggerunt: Ut taceam ipsa salina transpiranda, partibusque membranosis infixa dolores inferre; Pariter sanguinis occasione, quælibet *suppressæ consuetæ evacuationes* ejus ad cephalalgiam disponunt; *Hæmorrhagia narium* suppressæ contumacissimas habituales cephalalgias inferunt.

Ex *mensibus* item *obstructis* idem evenit, Quibusdam uno alterove die antequam menses prodeant, turgescente jam nonnihil sanguine, Cephalalgiæ superveniunt: Facere huc videntur *Odores fortiores*, Cephalalgiam non raro inferentes; ut ambræ & moschi: Non rarum est rosarum odore iis, qui tenuioris sunt in nervoso systemate texturæ, Ceph. inferri, quasi particulæ hujusmodi odoriferi acrimonia sua vellicent membranam narium superiorem, & ad hanc derivata à dura matre filamenta nervea; quibus una vellicatis, & dura mater simul tendi, hinc sanguinis circulus quasi remorari, & dolor hic pulsatorius & tensivus capitis supervenire solet; Quo etiam *Gas carbonum incensorum*, item *rerum fermentescentium* pertinet, suo aspiratu pertinaces cephalalgias interdum inducens. *Stranssius*

27. *A sanguine*) Sanguis spirituosos & copiosus, cum in cerebri amplis & multis sinibus seu ductibus contineatur, nimia copia illos adimplens *distendendo*, vel calidior factus *accendendo*, (*nondum* tamen omnino *inflammando*, unde delirium potius sequeretur) cephalalgiæ, seu *foda sanguinea* dictæ perfrequens causa existit; Cujus plures differentias, prout sanguis qui exuperat vel incaluit, vel tenuis vel crassus, aut crudus (ut volunt) existit, statuunt, & cephalalgias *biliosas*, *melancholicas*, *pituitosas* nominant: Coacervatur autem ille sanguis in capite, vel ob plethoram in corpore redundantem, vel alioquin eo attractus, aut impulsus, ardore Solis, balnei, hypocausti, vel clamore, tussi, ictu, casu, motuve nimio corporis, aut animi affectu vehementiori, calidior quam par est ob iisdem causis quibusdam fieri potest: Inprimis vero in morbis calidis, quorum symptoma cephalalgia hæc existit, & potissimum in febribus, in quibus sanguis cum spiritibus, uti in majoribus venis, sic & in hoc loco accenduntur; sicuti & in plerisque febribus capitis dolor tum hanc ob causam, tum ob evaporationes, tum quia in omnibus febribus, uti omnes corporis partes, sic & cerebrum calidius redditur, molestus est. *Platerus.*

Quomodo sanguis ad cephalalgiæ productionem concurrat, vide §. *Dolor contumax, diuturnus*)

28. *Tum dolor mitior est*) Ejus præterea indicium sunt temperamentum sanguineum, æstus & ruboris in capite circa faciem suffusio; item pulsus altus & vibrans, cum venis à cruore distentis. *Willis*, Vide supra §. *Signis opus non est.*)

29. *Curatio ex suis locis petatur*) Si jacta circa memo-

branas capitis ad dolores procatarxi, *sanguis*, ut pote calidior & turgescere aptus in capitis membranas subinde confertim irruet, eumque non facile pertranseat, vasa supra modum distendens fibrasque nerveas divellens morbi hujus paroxysmos excitabit, protinus danda erit opera, tum ut sanguis sedatior factus, non adeo prompte in turgescentias agatur, tum etiam ne incitatus, ac ebulliens, majori ῥοπῇ in caput quam in alias partes feratur, nec itidem propter meningum sinus nimis impletos stagnare cogatur; Quapropter si paroxysmus diutius infestabit, *phlebotomia* in brachio, aut vena jugulari celebretur: Extra paroxysmos interdum expedit sanguinem è venis sedalibus per hirudines detrahi, nempe hac ratione ut sanguis forte ebulliens deorsum versus locum istum, quo sæpe sponte tendit, sollicitetur, *Oxyrrhodina*, aut alia *Epithemata* capiti adhibeantur; insuper *Julapia, Emulsiones*, aut *Decocta*, quæ sanguinis fervorem aut æstum compescant, propinentur; Alvus *Enematum* usu refrigeretur & lubrica servetur.

Porro in *Prophylaxin serum lactis*, aut *acidularum* usus est tempestivus, *hydropolia* etiam, *victus* tenuis & refrigerans juvant; vini, aromatum, balnei, veneris, motus animi, aut corporis violenti, quinimo calidorum omnium fuga instituatur; Dein ad *sanguinem figendum*, ejusque effervescentias præcavendas, *aquæ* distillatæ, herbarum expressiones, aut decocta, electuaria, pulveres; ac præcipue *crystallum minerale* crebro sint in usu. *Willis.*

Jugularis rami minores cutim capitis perreptantes in *temporibus*; vel in *fronte* potius, maxime si pars posterior capitis doleat, aperiuntur; In quo tamen faciendo, cum ut venæ se patefaciant, colli constrictione opus sit, eaque sanguis ad cerebrum pellatur, tutius erit si *venæ sub lingua* tundantur, cum venæ jugularis interiora subeuntis sint propagines: Vel alii illius rami *ad nares* dispersi quoquomodo ut sanguinem profundant irritentur, admotis sangui-sugis nasi extremo, aut post aures, vel supra colli externas jugulares venas adhibeantur.

Arteriotomiam in contumaci dolore & perseverante, cum pulsationis & caloris sensu sæpe juvisse multi testatur, præsertim si vertigo adsit, quæ in temporibus, fronte, aut post aures fiat: Sectio per *Cucurbitulas* fit, quæ cum sugendo sanguinem à parte affecta trahant, & si *scarificatio* accedat, simul evacuent, in casibus in quibus phlebotomia convenit, idem quod illa præstabunt, & proin illius loco, vel post illam factam, ut illius actionem juvent usurpantur: Quæ *colli lateribus*, *summo humero*, *scapulis*, *brachiis*, *coxis*, *sinu*, & *natibus* quoque eo nomine adhibentur, sensim à superioribus versus inferiora, cucurbitularum applicatione procedendo, repetendoque eodem, vel etiam sequentibus diebus, adhibita simul postmodum scarificatione, si validius à parte trahere velimus.

Privatim *scarificatio in manu*, inter *pollicem* & *indicem*, in capitis dolore, uti & *vertigine* laudatur; vel si in *carpi regione* fiat, Sunt & qui in *auriculis scarificationem* factam probant: *Platerus.*

30. *A Bile*) Bilis excrementitia, si qualis in capite à seru segregata in aures mera & pura expurgatur, talis ad meninges cerebrumque effunderetur, dolorem quoque sine dubio pungentem efficeret, sed vix sine sero diluta eo pervenit, nec tunc semper (cum ictericis caput, nisi alia accedat causa, minime doleat) dolorem patit. *Platerus.*

Tum dolor est pungens) Vide §. *Signum opus non est*)

31. *In curatione prosunt*) Causa calida dolorem capitis primarium & essentialem efficiens, est *sanguis* aut *Bilis*: Eadem utrique conveniunt remedia, sed magis minusve potentia pro majori vel minori causæ efficacia: 1. ergo à V.S. incipiendum præmisso clystere, major tamen sanguinis copia educenda cum dolor est à sanguine quam cum à bile: 2. cholagogum medic. exhibendum est; non solum cum bilis causæ principalis rationem obtinet sed & cum sanguis luxuriat, cujus portio tenuior facile in bilem vertitur: Si unica vacuatione materia peccans sufficienter educta non videatur, repetenda purgatio per debita intervalla 3. admoveantur repellentia & oxyrrhodina; Post animalia recens mactata, aut eorum partes, ad materiæ morbificæ reliquias dissolvendas & dolorem demulcendum: In *dolore capitis* qui per febres continuas affligit, *Pulmo vervecinus* calens admotus dolorem potenter demulcet, Valet cataplasma ex *cucurbita contusa*, vel *sempervivo majore* plantis pedum admotum; *Apertio saphenæ* capitis dolorem in febribus sæpe in momento fugat.

Interim revulsiones per *cucurbitulas*, siccas vel scarificatas, & *frictiones extremorum* administrandæ, Toto morbi decursu, si alvus non sit fluida, clysteres emollientes, refrigerantes & leniter purgantes alternis diebus injiciendi; Fiat *derivatio*, post generales evacuationes & revulsiones, *secta vena frontis*, aut eidem admotis *hirudinibus*, & *vesicatoriis* cervici applicitis: Urgente dolore ad *narcotica* veniendum, externa & interna, ut in phrenitidis curatione. *Riverius.*

Valent & *ablutiones extremitatum* à genu & cubito factæ deorsum, quæ non tantum à capite divertunt, sed & somnum simul conciliant, dolorem mitigant & in cephalalgia calida insuper refrigerant; quæ ex *foliis salic. lactuca, violar. vitis albæ, nenuph. cum flor.* additis *malva, chamom. flor.* & capitalibus interdum, *beton. calaminth. e, abrotano*, nonnunquam & *narcoticis, cap. papav.* decoctis in aqua, addita interdum portione *vini* vel *lixivii*, parantur.

Ablutio faciei aqua rosæ cum pauco *aceto* similiter prodest: *Platerus.* Juvant ejusmodi *ablutiones*, quatenus earum vis sanguinem afficit, v. g. in pedibus, qui refrigeratus & circulatione delatus in cerebrum alterationem, sibi illic inductam eu transfert; Imo idem hinc in pedes à capite devolutus, si mora aliqua in lavacro trahatur, eandem alterationem suscipit,

32. *Prosunt Epithemata*) Inter selecta, & quæ dolores capitis à causa calida auferunt remedia, *Torpedo* piscis est, ait enim *Celsus*, quem sequitur *Scribonius Largus*, hujus piscis capiti affricatũ adeo tales dolores removere ut in posterum redire nequeant; Causa omnium Torpedinis qualitas est, ipsa enim viva in mari, & procul & a longinquo, vel si hasta virgave attingatur, torporem piscaturis membris inducere dicitur, ut *Paulus* l. 23. prodidit, Idcirco, ex *Matthiolo* mirum non est hujusmodi affectus quodam stupore feliciter sola confricatione sanari.

Experientia compertum est capitis dolores tolli linteolis in *aqua* seu *succo plantag.* madefactis, seu impositis. *H. Tragus.*

Remedium in dolore capitis à *bile* præsentissimum.

℞. *ol. rosac. violac.* ãã. ℥j. *opii.* ʒß.
Misce, & illine nares interiores. *Rondeletius meth. l. 1. c. 5.*

Nob. mulier solo usu *sacch. ros.* veteris à diuturno multorum annorum capitis dolore, oborto *ex bile*, tandem liberata fuit, mitigata ejus acrimonia, & repressa exhalatione cerebro infesta; quandoquidem rosa refrigerat & adstringit. *Rhodius cent. 1. obs. 71.*

33. *Vesicatoria*) *Ben. Silvaticus* invalescentem diu capitis dolorem nec ullis cedentem remediis, Vesicantibus interiori coxarum parti admotis feliciter superavit. *Rhodius cent. 1. obs. 72.*

Imo in omni dolore capitis, à quacunque causa fiat, si aliis remediis non cesserit, & doloris atrocitas ad extrema confugere cogat, *Vesicatorium* toti capiti admotum,

rum, de raso capillitio curationem posse absolvere ait *Riverius*. Vide §. *Causticum potentiale*.

β. Olfactu) *Naribus* quoque alterationis causa quædam adhibeotur, inter quæ *odores* non nimium caput ferientes, sed illud mulcentes prodesse quoque possunt; Ut si frequenter *camphoram* in *aceto* & in *aqua rosac.* dissolutam olfaciat, vel hoc modo.

℞. *Camphoræ* ʒß. *ol. styracis* ℥iß. (quod *Dioscor.* probat) misce *diligenter*, *adde parum ladani*, f. *Globulus* naribus offerendus, Vel sic.

℞. *flor. rosar. rubr. violar.* ãã. ʒj *flor. aneth. chamom. nobil.* ãã. ʒß. *semin. coriandr. præpar.* ʒj. *sem. lactuc.* ʒß. *santal. omn.* ãã. ℈j. *camph.* ℈ß. *f. Pulvis*, *quem in sacculo ligatum, aquaque rosac. & aceto madefactum naribus admove.*

Vel *suffitum* bujus *decocti*, dum calet, interdum naribus hauriat, qui dolorem sedat, & simul discutit.

℞. *fol. salic. solani, lactuc. rec.* ãã. *m.* j. *flor rosar. violar. nenuphar. anethi, melilot.* ãã *p.* j. *semin. lactuc* ʒij. *sem. papav. sat.* ʒj. *sem. ocimi* ʒiß. *coqu. colat. adde aqu. rosac. & acetum rosac.*

Aut in nares *aquam rosac.* cum pauco aceti instar *errhini* attrahat. Aut sequenti eas inungat.

℞. *Ol. nenuph.* ℥j. *opii, camph.* ãã. gr. vj. *m. ut fiat instar Linimenti*, quod & stuporem inducendo dolorem levat.

Idem *Auribus* instillatum valde proderit, uti & alia olea vel linimenta refrigerantia, anodyna, calefacienna, cum discutiendum erit, ut si *ol. aneth.* addito tantillo croci auribus indatur. *Platerus*.

34. Vel à Pituita) *Pituitosa* & *Serosa cerebri excrementa*, copiosius congesta retentaque, non tam copia sua quam frigiditate interdum, vel acrimonia, quam ex corruptione aut salsedine adipiscuntur; accedente interdum quoque calore, quem simul concipiunt, dolorem capitis, nunc circa occiput, prout humor ille anteriorem posterioréve cavitatem implet, ponderis instar gravantem, distendentem quoq; & vellicantem simul interdum efficiunt, Qualis dolor nunc *brevior*, præsertim si non subsistant hæc excremeota; nunc *diuturnus*, si aliquandiu perseverent, o[illegible]nt: Interdum vero capitis alios affectus, ut vertigine[illegible] quandam, & inprimis defluxiones quasdam præcedere & comitari solet: Quem ab ejusmodi humoribus excrementitiis prodiisse redundantis ipsorum copiæ iodicia manifestant, humorque ille aqueus, tenuis, acris & calidus io *coryza* dicta, cum capitis hoc dolore conjuncta, ex oculis naribusque extillans, quænam & qualis illius causa fuerit, & qualis io aliis etiam esse possit, satis demonstrat: Quorum & immensam copiam, non solum è naribus, sed & ex auribus aliquando effluxisse, capitisque diuturnum dolorem solvisse vidimus. *Platerus*.

35. Tum dolor in dextra) Vide §. *Signis opus non est*.)

36. Valens) Mirum in modum discotit & firmat caput *Verbena recta* virens, ut & arida cum radicibus, una cum *serpillo* in oleo decocta, cum quibus radix quoque conjicienda: *Crocodilus* herba præcipue quæ prope aquas nascitur, Ac si *verbenam rectam* cum *oleo* decoques, & caput madefeceris, omoem diuturnum capitis dolorem sanabis qui à *frigiditate* crassisque humoribus fit.

Maxime etiam conferunt *Onisci* sub hydriis degentes si in oleo decoquantur. *Ætius Tetr. 2. sect. 2. capite 48*

Optimum linimentum calefactorium est quod habet *euphorbii* ʒj. *ceræ* ℥iij. *ol. dulc.* ℔j. hoc parti & musculis temporalibus ad frigidos affectus utilissime illinitur, ac plerumque semel tantum illitum ante balneum liberat à dolore *Idem c. 49*.

Natorali quadam potentia *euphorbium* ad hemicranicos valet, sic adhibitum, Tero ipsum cum *aceto*, & si dextrum tempus dolet illinito sinistrum; si vero hoc, illinito dextrum, & mox sanat. *Idem*.

Stoechados herbam coctam cum aquâ, aut aqua mulsa, in omni capitis dolore velut maximum remedium exhibeto; Aut *rumicem sylv. & gallas* simul tritas temporibus ac frooti illinito, & statim curabis. *Idem capite 50.*

Quidam in cootumaci dolore *piperis pulverem* cum ovi albumine subactum temporibus applicavit, sæpiusque repetiit, unde immunis à doloribus vixit. *Th. Bartolinus cent. 5. obs. 48.*

Hoc *Errhinum* plurimum juvat.

℞. *anagall. fl. cyaneo sicc.* ʒj. *rad. betæ siccæ* ʒß. *hydromel.* ℥iij. tepeos naribus infunditur bis quaternis diebus. *Al. Benedictus l. 1. c. 2. 3. 4. &c.*

Io dolore ab *intemperie frigida* mirabile *est oleum sassafras destill. Capivaccius Pr. l. 1. c. 9.*

Mirifice conducit sequens *sacculus* capiti tepidus applicatus.

℞. *rutæ, majoranæ, serpilli, beton.* ãã. *m.* iß. *baccar. lauri, cumini, ppis, carvi* ãã ʒj. *amygd. amar.* ʒß. concisa consuaotur in sacculum oblongum, qui expressus à liquore tepide capiti admoveatur. *Fr. Joel. op. T. 3. p. 25.*

Aëtius nullum præsentius remedium in Hemicrania esse scribit, quam *stercus bubulum* aut *hirmum. cum thure* ãã. *mixtum, & cum aceto in Empl. formam redactum*, calide admotum parti.

Debet animadverti experimeotum quod *Paulus* apponit, à muliere quadam repertum, ut ait, quo multos his affectibus male habitos curabat; *Radicem agrestis cucumer. & absynth. una incoquens hydraleo* donec liquescerent, Ita utebatur, primum *hydraleo* partem fovebat, postea ex his Emplastrum conficiebat, aut frontem, & caput derasum totum, aut dimidium illinens: Est autem methodo compositum, quia simplicia illa duo, tum partis robur augere possunt, tum quod in ea collectum est discutere: Hydræleum vero accipit coctuæ materiam, ne oleum solum frixuram sentiat & nidore offendat. *Leon. Jacchinus: Hollerio probatum.*

Vere id tibi suadeo cum exoptatissima consolatione, & maxima ope; Vngueotum ad sanandum dolorem capitis expertum.

℞. *hyssopi m.* j. *rutæ m.* ij. *absinth. m.* iij. *ebuli* m. v. *hoc perbello contunde, & percola per pannum novum, fortem*, Tandem.

℞. *Olei comm.* ℥j. *adip. anseris* ℥iiiß. *adipis gallinæ* ℥ij. *cum butyro majali simul omnia coque* & fac. ungu. quo utaris in balneo, *Valentinus Polidamus.*

Punicæ folia diligenter contrita, aut eorum *succus rosaceo* permixtus potenter iovereratos capitis dolores mulcet, fronti frequenter illita. *Matthiolus.*

℞. *succi rutæ agr. succi asphod.* ãã. ℥iij. *piper. sinap. staph. sagr. calaminth. Zinzib* ãã. ʒviij. *croci* ʒiij. *misce f. Pastills* (*Cum opus dissolvatur ex illis unus in aceto acerrimo, & locus illinatur & stringatur, cum pila.* Est multum efficax, & ejus usus est cum cætera non contulerint) *Et cum libra olei &* ℔ß. *vini, & ceræ* ℥iij. bulliant omnia ad vini coosumptionem, colentur, f. Vnguentum, quod est mirabile. *Dom. Leo Art. Med. l. 1. f. 1. c. 7. 8. &*

Optimum Vngu. calefaciens est id quod *recipit*

℞. *Euphorb.* ℥j. *ceræ* ℥iij.
olei alicujus tenuium partium ℔j.

Hoc unguento media pars frontis cum temporis musculo inongenda est: hoc enim ad frigidas affectiones est accommodatissimum, utpote quod semel io balneo illitum dolorem omnem sæpe abstulerit. *Oribasius de loc. aff. cur. l. 4. c. 1.*

Empl. Vigonis cum mercurio. ℥ij. extensum super alutam, in modum pileoli raso capiti admotum, & continuo gestatum, aliis omnibus frustra tentatis, expertus

ſum ſingulare, Etiam ubi nulla ſuſpicio luis Venereæ, *Joh. Riolanus* Pr. Part. l. 1. p. m. 102. Vide *Enohtr. m. Pr. cap. de cephalaea.*

Thermæ ſulphureæ ac bitumineſa in dolore capitis frigido efficaciſſimæ tum balneo tum lotione capitis. *Riverius Pr. l. 1. c. 16.*

In doloribus ab humore frigido prodeſt plurimum, ſequens Vngu. quod præſtantiſſimum, fit ex *oleo rutaceo & laurino; addendo parum ceræ & vitrioli, Rom. uſti, croci āā. ℈j. Rondeletius Prax. c. 5.*

Hoc in veritate affirmo, quod *ſtercore columbino in oleo ex nucleis Perſic. contuſo* & emplaſtrato, innumeros ab inveterato capitis dolore liberavi. *Joh. David Rulandus, Pharmac. nova p. 154.*

℞. *Euphorb. part. j. caſtor. tantundem, aqua excepta auri extra partem dolentem imponito, & ſtatim in balneum ire, & lavare; conſueto more præcipio.* Hoc generoſum auxilium eſt, & cum fiducia eo utor in craſſis & viſcoſis humoribus capitis: *Trallianus l. 1. c. 12.*

℞. *folia ſalv. ſicca, rutæ virid. āā. ℥ij. baccar. lauri, cumin. āā. ℔j. verbenæ ℥vj. ceræ ℔j. ol. vet. ℔iß. F. ungu.*

Valet ad Hemicraniam, dolorem cervicis, & omnium membrorum, Expertum. *Arn. Villanoverus Brev. lib. 1. cap 8.*

Valent) Quoad *Dolorem capitis fixum*, ſeu Cephalalgiam materiâ viſcida, glutinoſa ac acria enata, atq; ut vocant *Cephalalgiam frigidam*, Item in *Cephalalgia* ſenum, cura per *ligna Sudorifera* convenit, inprimis *Balſamum ſucci ni* Vernici illitum: Præ cæteris præſtantiſſimum eſt *Empl. Vigonis de Ranis cum Mercurio* capiti raſo impoſitum, quo ipſo cephalalgias antiquas deſperatas curavit. *Placerus*, Vide in obſerv. Item *Empl. hujus part. j.* poteſt, addi *Empl. de Beton. & ungu. de Alabaſtro pars ſemis.* Et ſic horrendam cephalalgiam mirabiliter curavit. Ipſe aliquando in vetula octogenaria, quæ jam ab aliquot annis graviſſima occipitis laboraverat Cephalalgia, felici ſucceſſu hoc *Emplaſtrum, malaxatum cum oleo ſuccini uſurpavi.*

In genere, ubi ſuſpicio eſt materiæ craſſæ & viſcidæ, non habetur melius hoc Empl. remedium, propter *Mercurium*, qui attenuat, reſolvit, & fluxilem facit materiem iſtam, quæcunque etiam ſit; Hinc in *Diſceſſione futurorum*: Feliciter etiamidem adhibuit *D. Mub.* in caſu ſupra allegato; ubi præmiſſis præmittendis, & injectis ſubinde clyſmatibus domeſticis, in quibus de ſeqq. aliquot uncias ſolvi juſſit.

℞. *Elect. hier. cum Agar. ℥iv. de baccis lauri ℥ij. pulv. helleb. nigri ʒiß. fellis tauri inſpiſſ. ℥iij. miſce, Cujus ℥ij. addo Clyſmati, ſæpius repetendo.*

Capiti vero applicuit hoc Emplaſtrum.

℞. *Empl. de ranis cum Mercurio, cerati de Beton. āā. ℥iß. Empl. pro bregmate uſitati ℥vj. Miſce cum ungu. Alabaſtr. inducatur aluta & applicetur Capiti forma Empl.* Etmuller.

36. *Valens*) Vtilis eſt Syrupus Magiſtralis in hunc modum compoſitus.

℞. *Raſur. ligni guajaci, & rad. chinæ in taleolas diviſa āā. ℥iß. infundantur per horas xij. in lib. iv. aquæ; bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem folior. verbenæ m. j flor. ſtoechad. & majoran. āā. p. j. In colat. diſſolve ſacch. albi ℔ß. Coqu. in ſyrupum,* & *antequam ſit perfecte coctus, in eum conjice in nodulo Sennæ mundatæ ℥iij. agar. rec. trochiſc. ℥ij. rhabarb. opt. ℥iij. Capiat ℥ij. vel iij.* ſemel in hebdomada. *Riverius.*

Ad *Stibium* confugit *Mercatus*, idque cum elogio commendat.

37. *Nuclei Perſicorum*) *Amygdalæ* etiam *amaræ* delibratæ, tritæ cum *aceto & oleo*, irrigationis modo adhibitæ, aut cerati modo fronti impoſitæ in principio mali valde conferunt. *Altomarus lib. 1. Pr. c. 10.*

37. *Nuclei Perſicorum &c.*) Hi cum *aqua betonica* vel *verbenæ* contuſi & applicati mirabiliter juvant in capitis dolore â cauſa frigida. *Phil. Grulingius Pr. l. 1. Part. 1. caput. 1.*

38. *Sacculus Hartmanni*) Fiat cum *ſuccino albo* pulverato craſſiuſcule, qui interpaſſetur, & in *eſſentia Piperis* madefactus capiti applicetur ſuturæ coronali,

℞. *Piper. longi ℥iij.* pulvera craſſiuſcule, extrahe cum *ſpiritu vini* & ſerva: Signa *Eſſentia Piperis.*

39. *Vel à melancholia*) Fictitia hæc cauſa eſt, ſi per *melancholiam* cum antiquis intelligas humorem nigrum & acidum ex maſſa ſanguinea in liene ſecretum; nullibi enim videtur ille humor in corpore ſequeſtratus: Neque Lien hoc munere fungitur, cui deeſt locus ſecreto humori excipiendo dicatus, ſicuti veſſicula fellea, jecori appenſa bilem excepturа: Nullam vero melancholiam in corpore ſtatui debere vel poſſe quam hum[illegible] ſeroſum fixiorem acidiorem, deturpatum oſtendit *Wedelius Phyſiol. Medica ſect. 2. c. 11.* tunc enim obtuſis [illegible]bus ſulphureis ſanguinis, evadit frigidum & ſiccum [illegible] melancholicum, ſiccum potentia, frigidum reſp[illegible] Quis ſit hic humor erudite oſtendit, pro more C[illegible] *Joh. Jacobus Harderus Prodromi Phyſiol. p. 53.*

Equidem humorem ejuſmodi, qualem è Veterum nonnullorum mente deſcripſimus, in corpuſculo noſtro monſtrare res difficultatis plena: Obſtructiones & tumores ſcirrhoſos naturam redolere terreſtrem, & materiæ tartareæ fæculentæ ſæpius eſſe [illegible] non unus inficias; juxta tamen putamus coagulum hæc potius, partiumque ſalinarum fixarum & terreſtrium redundantiam ac reſtitantiam agnoſcere, quæ ipſæ cæteris cruoris partibus craſſiores exiſtentes, poſtque coctionem ſubſidentes, melancholiæ Veterum forte reſpondere poſſunt, ſiquidem & illæ propter ſpiritus & ſulphuris inopiam, ſalis contra & terræ copiam, acerbæ deprehenduntur; Sunt qui non incongrue melancholiæ Veterum excrementitiæ ſubſtituunt ſuccum Pancreaticum.

40. *Tum vigiliæ urgent*) Dantur remedia dolores mitigantia, quæ vigilias potius quam ſomnum inferunt, exemplo herbæ *Thée*, quæ in doloribus capitis egregium experimentum eſt, (ſine febre quidem) ſi decoctum ejuſdem ex ʒij. pro vice per 23. dies continuos calidiſſime, vel poſt paſtum quoque hauriatur; Diſſipat nempe ſulphur gravativum [illegible] unde & ob vigilias quas infert abuſu, infame quaſi nonnullis eſt. *Wedelius.*

Non abuſu ſolum, ſed vel breviſſimo uſu vigilias pertinaces inducere in memetipſo expertus ſum; qui cum ſopore opprimerer, cum tuſſi aliiſque accidentibus, ab unico hauſtu decocti pug. j herbæ *Thée*, ſomno deinceps carui per menſem integrum, adeo ut ad vigilias perpetuas damnatum me crederem: Quanta autem illius ſit efficacia in ſuperanda cephalalgia, comperi anno *1683*. Menſe Septembri in Concionatore, qui veſpertinis horis in Eccleſia dicturus erat; non autem matutina, meditationi intentus, validiſſimo corripitur capitis dolore: A me præſentaneum auxilium nactus eſt ab hauſtu decocti ʒj. herbæ *Thée* ipſi præſcripti, nam illico fugatus eſt dolor, adeo ut officio ſatisfacere potuerit. Vide §. *Signis opus non eſt*)

41. *A flatu*) Cum omnibus fere corporis partibus, etiam remotiſſimis, pedibus nempe (vide *Tulpium l. 1. c. 33.*) caput conſenſum habet, quem Recentiores non tam *vaporum* aſcenſui quam ſpaſmo è longinquo incipienti adſcribendum cenſent; Vapores non excludendi, ſi quidem iis quoque in crapula per œſophagum ad

capur,

caput, aliorumque in viscerum vitiis per venas ad cor, & per arterias ex corde ad caput aditum patere; Vel auram quandam musculorum interstitia perrepere posse non est ut dubitemus *Stransius p.15.*

41. *A Flatu*) Cum Flatus sentimus, putamus eos recentes in nobis genitos fuisse quod falsum est, nam totum corpus nostrum vaporibus, seu ventis plenissimum semper est, ut manifestum est in animalibus vivis dissectis; in quibus ubique vapores inveniuntur; Cum mingimus, urina recens in matula fumat, & multos vapores de se spargit, qui non in matula demum generantur, sed antea in corpore extiterunt, quia in corpore major adest calor.

Hi vapores non sentiuntur si pori & foris intro, & intus foras spectantes bene sunt constituti, ita ut omnia transpirare possint, sed quamprimum hi pori obstruuntur, statim vapores ibi hærentes sensum flatuum nobis exhibent, hinc evenit ut Flatus isti non prius curentur quam ubi obstructio ablata sit; imo etsi innumeri venti carminantibus fuerint evocati, non tamen curantur nisi obstructio reserata sit. *Prax. Med. Refor. c. 2.*

42. *Tum dolor est vagabundus*) Vide §. *Signis opus non est.*)

43. *Si tempora & sutura coronalis*) Hoc vulgi remedium sæpe cum successu felici probatum est, *Rapum* sub cineribus coquitur, à quo cocto aufertur ea pars secundum rotunditatem cui herba ipsa implantata erat, & calidissime pro tolerantia ægri post aures applicatur; qua repescente altera calens substituitur, iteraturque donec flatus discussus, & dolor ablatus est, In *Dentium dolore* à flatibus eodem modo usurpatum convenit. *Joh. Fierus Physigr. cap. 14.*

44. *Cum albo contuso*) Experientia comprobatum esse id remedium; quo dolor & tumor capitis flatum discussus est, ait *Franc. Joel Op. T. 3. p. 25.*

IV. Alia est [45] *Cephalalgia speciatim dicta*, quæ nihil aliud est quam [46] *dolor recens, levis, & sine magna imbecillitate, facillimeque solubilis*, ab externis plerumque causis obortus, [47] sæpissime cum febre.

45. *Alia est Cephalalgia speciatim dicta*) *Dolor nunc universum caput occupat*, totam nempe ab ossibus cranii circumscriptum tractum, tunc in genere *Cephalalgia* audit; qualis est iste dolor qui post crapulam, sub aëris mutationibus, & in febribus continuis affligit, nec adeo diu durat quin subinde facilius transeat. Si talis Cephalalgia sit diuturna & contumax, mutato nomine *Cephalæa*, ob causam utplurimum fixam in ipso capite, in certo ejus loco radicatam: Quod si dimidium tantum caput, ratione suturæ sagittalis doleat, ita ut altera medietas sit indolens, est *Hemicrania*, ut plurimum diuturna & valde contumax, Quod si unica tantummodo pars Capitis, inter sagitalem ac temporalem afficiatur, dicitur *Ovum*, à magnitudine nempe loci dolentis: Quod si dolor sit in uno parvo loco contumax, & fixus, quasi clavus ibidem esset infixus, dicitur *Clavus*, differens ab Ovo saltem ratione magnitudinis partis dolentis, Sicut *clavus* etiam fere continuus, eodem modo affligens esse solet, Cum Ovum subinde intendi & remitti observetur. *Ettmuller.*

46. *Dolor recens, levis &c.*) *Willis* Dolorem capitis in *Accidentalem*, sive *occasionalem*, dividit, & *Habitualem*, Prior iste sine *procatarxi*, aut dispositione prævia, à *causa evidenti solitaria* excitari solet, uti à vini potu, in solatione, exercitio vehementi &c. De Cephalalgia *Habituali*, Vide §. 48. & *sequ.*

46. *Recens, levis, & sine magna imbecillitate*) *Cephalalgia per essentiam* est vel *Accidentalis*, vel *Habitualis*, e. g. Caput vulnere graviore læsum per essentiam quidem, sed tamen sine causæ internæ fomite *accidentali* modo dolet; Quod si vero post vulnus curatum remaneat vel atonia partis læsæ, vel ex nutritione deficiente subinde recrementa quædam generentur, quibus occasionibus sæpius redeat Cephalalgia, talis habitualis erit. *Ettmuller.*

47. *Sæpissime cum febre*) In febrium paroxysmis *Cephalalgia* quibusvis fere hominibus contingit, quatenus nempe *Sanguis* plus solito incitatus, ac immodice ebulliens, membranas, quas pertransit, valde inflat ac distendit; quinimo *serum* & *vapores* ab eo tunc effervente copiosius emissa, & in membranas irruentia, fibras nerveas vellicant & irritant. *Willis.*

47. *Cum febre*) Cuidam dolorem capitis insignem habenti in febre continua, sub pedibus *fermentum cum sale & sapone caulibus* supra inductum apposuimus, dolore inde cessante; quod & in aliis plurimis experti sumus. *Forestus l. 7. obs. 16.*

V. Alia [48] *Cephalæa*, seu dolor [49] contumax, diuturnus, paroxysmis maximis, sed [50] levibus de causis excitatus, totum cerebrum, caput, vel certè maximam ejus partem, [51] potissimum membranas infestans: In qua sæpe paroxysmi singulis horis infestant.

I. Fit nonnunquam ab [52] *humore seroso* in cerebrum & ventriculos effuso, epilepsiam quandoque excitante. Totum caput præmissis præmittendis, capillitio deraso, vesicatorio instar cucuphæ contegi potest, & ita quædam liberata, [54] Solvitur & aqua per nares delabente.

II. Nonnunquam à [55] *suppressis mensibus*, in qua [56] secta est arteria temporalis; vulnus occlusum emplastro de mastiche, sanguine draconis, balaustiis & aliis.

III. Nonnunquam [57] *à lue venerea* [58] male curata, [59] vel propter virulentiæ reliquias, vel [60] Mercurium in parte congregatum, vel cariem ossis, quæ autumno & pluvioso tempore plærumque exasperatur. Et ibi quidem decocto sudorifero agendum est: hunc detegit globulus aureus auri inditus: [61] ista trepanum exigit.

IV. Nonnunquam à [64] *vermibus*; [65] *pure*, & quidem cum convulsione, quæ hisce excretis desinit. [66] Adhibita in ea [67] *vena* frontis vel *canthi* in oculo (extabit hæc, si collum leviter, axillas valide fascia constringas) sectio: [68] *hirudines* temporibus applicatæ: [69] *fonticulus* [70] in manu dextra summa, partis, qua dolet caput, inter pollicem & indicem in parte externa

& proinde statim è cruore exundans, non semper, aut tantum in Pulmones, at sæpenumero in caput irruit, inque membranas aut musculos ejus suffusum, circa partes ad cephalalgiam prædispositas copiosius aggeritur, ibidemque inflationes & corrugationes dolorificas inducit: Porro *serum*, prout *recrementa sulphurea*, aut *salina*, *acria*, *acida*, *biliosa*, aut *melancholica*, aut alius generis infesta, secum vehit, easque fibris nerveis affigit, *dolorem acutum*, aut *hebetem*, *brevem*, aut *longiorem* efficit: Cephalalgiæ propter hujusmodi procatarxin oriundæ, tempore hyberno, cœlo humido, & vento austrino gravius infestant: Insuper hunc affectum aliarum faciei, oris, aut laryngis partium catarrhi sæpe comitantur.

iij. *Succus Nutritius*, sive recens *chymus* è sanguine ad partes solidas delatus; iisque adponendus, siquidem ille quibusdam capitis partibus male dispositis improportionatus fuerit, Cephalalgiæ *paroxysmos periodicos* excitare solet: Namque hujus penus, juxta fibras quasdam nerveas depositus, si quidem assimilari nequit, post aliquantam moram eas aggravare incipit, & demum in corrugationes, propter molesti expulsionem irritat; Cephalalgia à tali causa procedens, post totidem à pastu horas quotidie repetere, & pari temporis spatio perdurare, quinimo prout victus ratio quoad quantitatem, qualitatem, & assumendi tempora alterantur, etiam dolorum paroxysmi variari solent, sicut in multis observavi.

iv. *Liquor Nervosus*, inordinatione sua, cum sæpe in aliis partibus, ita non raro in capite dolorum causa existit, nam iste aut à crasi degener, aut imbutus fæculentiis, fibras nerveas non ita libere trajicit, quin stagnare, in iisdemque ad plenitudinem irritativam congeri aptus est, idque præsertim intra fibras prius *debiles*, aut male conformatas (quales interdum sunt capitis membranæ) quippe in his prædispositis, liquor irriguus in motu præpeditus, ad plenitudinem aggravativam, aut irritativam facile assurgit, proinde ut fibræ adeo impletæ, instar stomachi nimis saginati, propter contenta sua excernenda spasmos & corrugationes dolorificas ineant, nec ab iis cessent, donec sarcina liberentur: quæ tamen postea rursus, modo citius modo tardius coacervata, alios subinde, ac alios dolorum paroxysmos infert: *Cephalalgia* talem ob causam oriunda, sine notabili sanguinis turgescentia, & sæpenumero absque erroribus in victu lente ac velut sua sponte oritur: quandoque tamen propter inordinationes in non naturalibus, aliaque accidentia citius accersitur, sæpius horis maturinis, & post largiores somnos, cum fibræ nerveæ humorem istum largius imbibunt, obtingere solet.

In prædictis *Cephalalgiis* materies morbifica humore utplurimum unico sive singulari constat, proindeque dolores paroxysmi paulo mitiores sunt, & non raro citius pertranseunt: Subest vero altera hujus *morbi causa*, cum *duo humores* (instar salinorum diversi generis) simul congressi, mutuo effervescunt, adeoque à particularum dissimilium luctu fibræ plurimum vellicantur, inque dolores valde acutos & lancinantes aguntur, usque non raro diutius infestantur: In hoc casu pugil unus semper erit *liquor nervosus*, alter vero aut *latex serosus*, aut *succus nutritius*, *Sanguinem*, quia fibrarum ductus tantum alluit, ac non intima subit, eximimus; *liquor* autem *nerveus*, ob vitia modo citata, interdum per se fibras continentes vellicat, inque spasmos dolorificos ciet; Quod si huic ita prædisposito, ac intra fibras plenius aggesto, humor alter sive *nutritius*, sive *serosus* (nam uterque reus esse solet) minus congener existens, copiose suffunditur, particulæ statim omnes exsuscitatæ inter se colluctantur; adeoque mutua effervescentia fibras insigniter distendunt & vellicant, hinc ut ab iisdem diu & valde corrugatis, dolores acerrimi & diu permanentes inducantur; Verum hic aut iste *liquor nerveo* occurrens, in Cephalalgia accersenda potior fuerit, ex propria utriusque per se peccantis anomalia supra descriptis facile innotescet. Quo ritu & quas ob causas remotiores, *humores*, nempe aut *serosus* aut *nutritius* delinquunt, quoties *nerveo* infra fibras contento occurrentes dolorum paroxysmos cient, infra declarabitur; Interim præcipua *Liquoris nervei* culpa Cephalalgias crebriores, & habituales produci satis constare arbitror, quoniam hic, & fibris ipsis quæ corrugantur, & spiritibus qui in distractiones dolorificas aguntur, maxime intimus est, tum etiam quia de dolore capitis nonnunquam sine ulla sanguinis, aut seri, vel succi nutritii inordinatione aut tumultu oriuntur, atque his quantumvis depletis, aut sedatis, Cephalalgiæ pertinaciter sæpe durant.

De *Liquore* autem *nerveo*, cum Cephalalgiæ causa est, observamus culpam ejus modo universalem & modo privatam esse, nam interdum iste labem suam à parte affecta acquirere potest, quatenus nempe intra fibras conformatione læsas subsistere aut stagnare coactus, adeo pervertitur, ut demum infestus istas, vel per se, vel cum alio humore fermentescens, in corrugationes dolorificas irritet: quandoque tamen, ac præsertim in Cephalalgiis gravioribus, existimare fas est totam *liquoris* nervei massam in vitio esse; nervosas autem capitis partes præ aliis quibusvis in toto corpore noxam ejus luere, quia nimirum hæ primæ *liquoris nervei* scatutigini propiores existunt, atque etiam sunt maxime sensiles: quapropter *liquor nerveus*, si quando vitiosus fuerit, intra menigas, aliasque capitis membranas plusquam alibi in cæteris corporis partibus, vel sponte turgescens, vel ab altero humore ei suffuso effervescens, dolorificus evadit; Rem ita habere constat, quoniam *Cephalæa* diuturna ac gravia, non tam remediis capiti adhibitis, aut appropriatis, quam iis quæ *succi nervei*, atque massæ sanguineæ crases restituunt, qualia sunt chalybeata, antiscorbutica, curari solet: quod certe arguit quicquid *liquor nerveus* in toto corpore peccat, id capitis partes potissimum plecti. *Willis.*

49. *Contumax, diuturnus*) Ex congesto, aut retento aut genito vitioso plus minus *acri excrementi*, circa membranosa capitis loca, subinde variæ Cephalalgiæ oriuntur, quales fere in *Clavo* & *Ovo* observari solent, Unde *dolor* nunc quasi *osteocopos*, utplurimum simul rodens & pungens observari solet, dum materia quædam viscida, plus minus acris, vulgo dicta tartarea, sanguis congrumatus sub cranio quovis in loco congestus istos dolores infert: Ex tali causa etiam Hemicrania oriri potest, non tamen omnis, cum in hac subinde sanguinis plus minus impeditus motus, in uno alterove vasorum ramulo medietatis capitis fere peccare soleat; Ac sane quælibet *contumacior habitualis cephalæa ac hemicrania*, vix nisi in *viscido* ac *acri excremento*, vel deposito vel genito in capite, oriri solet, unde fit interdum ut talis humor lentus & viscidus sese insinuet intra suturas cranii, quas sensim à se invicem discedere facit cum intensissimo dolore: *Ettmuller.* Vide de hac doloris specie à *suturarum discessione* quædam exempla in Anat. nostra Practica.

49. *Contumax, diuturnus*) Cephalalgia tum *accidentalis*, tum *habitualis* (Vide supra §. *Recens*, *levis*

& sine magna imbecillitate) vel est à *Sanguine* ejusque motu vitiato; vel à *lympha* in glandulis cephalicis vitiose secreta, aut male distributa; quo vel *horum duorum fluidorum* medio ad caput nunc transmissa, nunc in eo plus minus retenta excrementa varia; vel à proprio digestionis privatæ vitio & errore genita vitiosa, & in specie viscidior mucus, abscessus, vermes, lapilli &c. pertinent: Ac sane in *habitualibus* hujusmodi cephalalgiis semper fere observatur simul partis affectæ *debilis constitutio*, & hinc facilior materiæ morbificæ occasionalis vel receptio vel regeneratio. *Emmuller*.

49. *Contumax, diuturnus, paroxysmis*) Cephalalgia *habitualis* continua est aut Intermittens, Cæterum hujus *periodi* modo ad certum tempus determinantur, modo vagæ ac incertæ existunt: Interdum accidit quempiam dolore capitis *continuo* per plures scilicet dies aut menses protogato, atque parum aut nihil, nisi cum somnus urget, intermittente affligi; quo in casu supponimus non modo causam *procatarcticam*, sed & conjunctam alicubi fixam & constantem adesse; Præterquam enim quod partes affectæ, aut quæ subinde affici solent sint debiles, & liquor earum irriguus, utpote depravatus stagnare, aut cum aliis humoribus effervescere aptus fuerit, insuper in illis quædam *solutio continui*, nempe *inflammatio*, *erysipelas abscessus*, *tumor scirrhosus*, aut alius cujusdam generis non raro excitatur, circa quem dum humores diversimode concurrunt, & aggeruntur, propter fibras nerveas continuo vellicatas, dolores fere perpetui oriuntur: Hujusmodi *Cephalalgia*, non raro in *affectus soporosos* & tandem lethales terminantur, nam cum plurium ab hisce affectibus defunctorum capita aperuerim, signa sive vestigia, prædictas ejusmodi causas morbificas declarantia apparebant.

Cephalalgia Habitualis plerumque *Intermittens* est, cujus accessiones cum certæ ac periodicæ fuerint, sæpissime intra nychthimeri spatium redire solent: Casus quorundam rariores audivi & novi, qui diebus alternis, imo qui semel in hebdomada, aut mense, affectus istius paroxysmos exacte repetentes pertulerunt: Usitatum est Cephalalgiæ profligari visæ, circa *æquinoctia*, aut *solstitia*, accessiones recrudescere, quia scilicet his temporibus sanguis ac humores turgescentias solito majores concipiunt, & proinde cum liquore partium capitis nervearum irriguo effervescere magis apti, solitos dolorum insultus redintegrant: Verum tamen, cum circa has anni *tempora* Cephalalgiæ repetunt, haud unica longiore accessione diu prorogantur, sed plerumque periodos subordinatas nactæ, nychthemeri cujusvis spatio statim quibusdam horis infestare solent.

Cum itaque *Cephalalgia periodica* accessiones quotidianas plerumque habet, harum, uti *febrium intermittentium*, rationes à materiæ morbificæ stato tempore ad plenitudinem assurgescentis, & tunc effervescentis vitio peti debet: Enim vero supponere licet, alicubi circa capitis membranas, fibras nerveas male dispositas, liquorem proprium pervertere, aut non bene trajicere, quare cum succus nutritius, iisdem etiam partibus à sanguine appositus, non statim assimilatur; nec cum altero humore bene convenit, demum ab utrisque simul aggestis, & discrepantibus, mutua effervescentia, proindeque fibrarum vellicatio dolorifica excitatur; Quod autem dolorum paroxysmi non eadem semper à pastu distantia, sed in aliquibus citius, in aliis tardius, atque modo ante somnum, modo post eum oriuntur, in causa est partim quod alimentorum coctionis & distributionis munera, modo tardius modo citius obeuntur, & partim quoniam in his liquor nerveus, inque aliis succus nutritius plus peccat, quare prout hujus plenitudo citius, ac illius tardius continget, ita paroxysmi tempora variantur.

Cum *Cephalalgia Intermittentis* paroxysmi sunt vagi ac incerti, nec morbi *procatarxis* magna est aut constans, nec *causa evidens* assidua existit, quare cum utraque causa sæpe deest, & non raro altera desideratur, morbi insultus non ad certa alligantur tempora; quin isti in quibusdam sunt velut fortuiti & accidentales, in aliis, quibus prædispositio ad hunc effectum paulo firmius radicatur, dolores capitis frequentius molestant, & propter varias occasiones passim excitantur, imo & ob quasdam certissime expectari solent. *Willis*.

50. *Totum cerebrum*) Dolor universalis totum caput, aut maximam ejus partem occupat, eo quod *sanguis*, aut *serum* hujus abundans, per omnes simul arterias, tum carotidas tum vertebrales, in meninges transferuntur: *Particularis* vero Hemicrania, modo in latere, modo in sincipite, modo in occipite producitur, eo quod sanguis aut serum, per hæc vel illa duntaxat modo dicta vasa, aut symbola, aut opposita in membranas irrumpunt. *Strausius*.

10. *Totum cerebrum, caput, vel certe &c.*) In quantum *sanguis*, aut *serum ejus*, modo per omnes simul arterias, tum carotidas, tum vertebrales, modo seorsim per has, aut illas, aut symbolas, aut oppositas noxam in meningas transferunt, hinc fit quod dolor interior aut *universalis* fit, caput totum, aut maximam ejus partem infestans, aut *particularis*, qui regioni cuidam privatæ limitatus, *hemicraniam* modo in *latere*, modo in *syncipite*, aut in *occipite* producit, *Willis*.

δ. *Diuturnus*) Ad causas *mediatas remotiores*, in classe rerum naturalium, *Galenus* præter calidum & humidum cerebrum, quod *libro de Arte capite 9.* facile repleri scribit, ejus quoque *ἀναισθησίας*, seu sensus exuperantia, *libro 3. laur. aff.* capite 9. meminit, quam *Platerus* dispositionem patibilem appellat, vix tamen qualis sit explicare se posse fatetur, *Willisius* vero fibrarum capitis nervearum affectum esse, atque *Cephalalgia*, ut vocat, *habituali*, non raro occasionem præbere monstrat, Neque vitiosa capitis figura (qua præditi in genere *φοξοὶ* apellantur *Coo. libro 6. Epid. sect. 1. tx. 3.* parvi esse momenti solet; Quantum insuper noxæ adducant capita sine suturis, etiamsi injuriis externis validius resistant, luvenis de quo *Columbus l. 1. Anat. cap. 5.* ostendit &c. *Strausius*.

δ. *Sed levibus de causis*) Dispositio, seu constitutio capitis, si talis sit quæ facile dolorem patiatur, occasionem ut sæpe levique ex causa capitis dolor oboriatur, præbet, nec minima Cephalææ & Hemicraniæ causa existit: Quam dispositionem patibilem appellare, sed vix qualis sit explicare possumus, Nisi quod sit vel *sensibilitas nimia*, aut alias præter naturalis, ob quam cito & facile patitur; vel ab insitis causis, à parentibus hæreditario modo in liberos derivata, & profecta; Aut ex cõsuetudine prava, in illis qui sæpe dolores capitis passi sunt contracta; Vel alias imbecillitas quædam capitix, non ea, in qua functiones capitis debilitantur potius quam dolor infertur, sed quæ ut caput ob hanc debilitatem facilius patiatur efficit, quales post morbos capitis graves, luem veneream aliosve sæpe relinquitur; aut ob congeriem continuam excrementorum capitis tale vitium illi imprimitur. *Platerus*.

51. *Potissimum membranas infestans*) *Liquor Nerveus intra meningem* aliarumque capitis partium fibras aggestus, modo incongruitate propria, quatenus acris aut alias degener fibris improportionatus

tus evadit, modo quatenus cum alio humore, scilicet nutritio aut seroso illuc affluente effervescit, partes continentes vellicat, inque spasmos aut distensiones dolorificas irritat. *Humor nerveus*, quando ita est morbificus, vel in tota massa peccans capiti præ disposito maximam affligit noxam, vel ipse ex se insons, intra fibras affectas pervertitur, ac ita secundario morbificus evadit; Cujus tunc curatio à partium continentium restitutione dependet, nempe si *fibrarum* debilitates, aut conformationes læsæ emendentur, humor eas irrigans statim culpa vacabit.

Interea si *humor nerveus* in tota massa degener majorem capiti ad dolorem præparato noxam impertit, ejusmodi medicamenta & methodus adhibeantur, quibus iste ad debitam crasin redactus, fibras istas blande trajiciens parum aut minime irritet: In quem finem nec *purgantia fortiora*, nec *S. m. larga*, aut crebra conveniunt, utpote quæ sanguinem & humores exagitant, viresque atterunt, proindeq; succo nerveo peccanti majorem acrimoniam œstrumque inducunt: Attamen *blanda solutiva*, & parca *sanguinis* detractio, interdum ex usu erunt, quo viscera detergeantur & massa sanguinea nonnihil expurgetur, & medicamentis aliis successuris melius via struatur.

Pharmaca autem quę *liquorem nerveũ*, capitis *membranis* eo molestari solitis, magis amicum & benignum reddunt, ejusmodi sunt quæ *Cephalica* vulgo perhibentur, quorum scil. particulæ satis activæ, simulque tenues & subtiles, *sanguinem* absque turgescentia aut tumultu trajiciunt, dein *liquori nerveo* se insinuantes; eum blande actuant, ductusque nerveos adeo explicari faciunt, proinde ut spiritibus animales corpora quæque tum sensilia tum motiva liberius irradient; eaque sine deliquiis, spasmis, aut distensionibus anomalis inspirent.

Hujusmodi remedia etsi non semper efficacia existant, attamen Cephalalgias quasdam haud multum inveteratas sæpe tollunt, inque aliis, utut pertinacibus, non raro juvant; Porro eadem quæ ad *capitis dolores*; etiam ad *cerebri & nervosi* generis pathemata, & vice versa, quæ in his etiam contra illos bono cum fructu præscribuntur, eorundem scilicet virtus intra ἐγκέφαλον explicata, contra Apoplexiam, Paralysin, Lethargum, aliosque morbos affines, etiam intra fibras motrices, contra motus convulsivos & spasmos juvant; insuper intra *fibras sensiles* vires suas exerentia sæpe doloribus succurrunt.

Horum medicamentorum campi sunt amplissimi, ita ut illorum copia aut inopiam aut medendi methodo confusionem pepererit, cum inter tot diversimoda remedia simul congesta, sæpe latent quæ maxime ex usu forent: Itaque in hoc casu, facta totius provisione, & subinde adhibitis, tum per diætam, tum medicinam, quæ sanguinis turgescentias inhibeant, aut mox sedent, medicamenta dicta Cephalica, sive quæ succi nervei inordinationes tollant, sedulo assumenda præscribantur E.g.

℞. *Conserva flor. beton. caryophyll.* ãã ℥iij,
pulv. rad. paon. mar. ʒß.
dictamni Cr. ʒj.
ligni aloës santal. citr. ãã ʒj.
corall. r. ppti, margar. eboris, ãã ʒiß.
salis verbena ʒiß.
syr. è flor. pæn. q. s. f. Opiata, capiat q. nuc. castaneæ, superbibendo Iulapii seq. ℥iij.

℞. *aqu. cerasor. nigr. jugland. simpl. verbena* ãã ℥iv,
flor. paralys. ℥iij.
Pæn. comp. ℥ij. *sacch.* ℥vj.

℞. *Tinctur. Corallor.* ℥j.
sumantur gtt. xv. ad xx.

bis in die in haustulo Iulapii vel aquæ distill.

Qui *temperamenti* sunt *frigidioris*, aut phlegmatici, sumant bis in die dozin aut *tinctura Antimonii*, aut *spiritus Armoniaci cum succino vel corallius* impiægnati; vel *spir. c. c.* aut fuliginis in decocto appropriato: *millepedum* usus hic omitti aut postponi non debet, utpote quorum *succus expressus*, *aqua distillata*, etiam *pulvis*, opem egregiam præstant.

At vero *curationis Cephalalgica* nodus adhuc extricatu difficillimus restat, Quomodo nimirum *causa morbi* hujus *conjuncta* & fixa, in *fibrarum debilitate*, aut *conformatione læsa* consistens, sanari aut tolli poterit: Hæc autem licet interdum incurabilis fuerit, uti cum *tumor scirrhosus*, aut *callosus*, aliusve antiquus & fixus *meningas* occupavit, attamen cum hujus *diagnosis* sit incerta, & morbi procatarxis, utut immanis visa, nonnunquam therapia diuturna superatur; ideirco in omni *cephalalgia*, donec patiens remedia admittet, ne tædeat Medicum quæ maxime idonea videntur præscribere.

Itaque imprimis sedulo enitendum erit ut morbi fomite præscisso, & intercepto, paroxysmorum accessiones crebræ inhibeantur, ita namque fibræ dispositæ, quamdiu non male afficiuntur, interdum sola Natura medente sanitatem recuperant: *Artis Medicæ* auxilia, in hoc casu indicata, à *Chirurgia* potius quam Pharmacia petuntur, Nam quicquid ore assumitur, per longas ambages circumiens, virtutem omnem impendit priusquam ad *capitis membranas* pervenitur, Inter *Chirurgica* primo *Topica* occurrunt, & ex iis *Emplastra* commodissimi sunt usus, & maximum sæpe commodum præstant: Hæc non impense calida sint, quæ humores ad locum affectum plus attrahant, sed modice discutientia & corroborantia.

Præscribere soleo *Empl. de minio*, vel *diasaponis*, cum subdupla proportione *Empl. Paracelsi*, parti dolenti rasæ applicandum & aliquandiu gestandum; Quod autem antiqui *phænigmos* & *sinapismos* frequenter adhibuerint, & hodierna in praxi est contra atrociores Cephalalgias *Vesicatoria* toti modo *occipiti* modo Ancipiti applicare, si quando à *calidioribus* hisce topicis levamen successit, propterea fuit quoniam per administrationes istas *seri acrioris* copia ingens à parte affecta excerneretur.

Linimenta ex *oleis & unguentis*, crebro licet *usurpata*, minus efficiunt, in quantum ea, ut opinor, *fibrarum tonos*, si altius penetrarint, magis laxant, proinde ut materiæ morbificæ incursibus facilius pateant; insuper cutis poros inferciunt quo minus effluvia evaporent: Ob eandem fere rationem *Fotus calidi* è decoctis aromaticis, aliisve cephalicis parati officiunt sæpius quam prosint, in quantum humores versus partes affectas attrahunt, simulque poros & meatus aperiunt quo promptius admittantur; Propterea item est quod *Capitis Balneatio*, sive *embrocatio* per antliam intra *thermas* calidas cephalalgicis non meliori cum successu adhibentur, Cum è contra multis utile fuit tempora, frontem & sinciput quovis mane & vesperi frigida perfundere; imo totum caput omni aurora per antliam aqua frigida embrocare, aut saltem intra vas profundum, aut puteum immergere. *Willis.*

st. *Ab humore seroso*) *Cum massa sanguinea sero* abundat, nonnunquam mera plenitudine ad illud excernendum excitatur, quare fluorem seu velut deliquium quoddam, quo nempe tenue & aquosum à spissiori & cruento secernatur concipit; Dein siquidem cruor dilutior factus inter turgescendum celerius & copiosius

trajicitur per arterias, quam reduci possit per venas, fere quicquid serosum est juxta vasorum intercapedines amandatur, inque partes modo has, modo illas suffusum, prout in quibusdam locis tumores, aut catarrhum, ita in capitis membranas decumbens, dolorum paroxysmos ciet.

Porro non tantum merum, simplexque *serum sanguinis*, in capitis membranas exundans dolorum paroxysmos ciet, ast interdum humores alii se adjungunt; hujusque ductu ad partem affectam admissi morbi tragœdiam adaugent; Sæpe accidit *humorem tenuem* & aquosum à *vasis lymphaticis*, glandulis, forsan & partium solidarum meatibus & poris (quibus aggerebatur) subito effluere, inque sanguinem venosum suffundi, unde statim cordis sinus trajiciens, & sanguini arterioso confusus, ab eo denuo statim secernitur, & qua data via rejicitur, idcirco partim per renes amandatus, urinæ limpidæ & copiosissimæ profluvium facit; quandoque etiam partim in cerebrum, aut nervorum origines redundans, affectus soporosos aut convulsivos producit: Quinimo interdum pars quædam ejusmodi humoris limpidi in *capitis membranas* cum sero correpta Cephalalgiæ atrociores paroxysmos ciet; Enim vero in plurimis observavi urinam limpidam, & valde copiosam morbi hujus paroxysmum aut præcedere, aut comitari.

Cæterum opinari fas sit alius modi aliarum partium recrementa, scil. *bilem ab hepate, feculentias atrabilarias à liene*, & forsan humores incongruos à *stomacho, pancreate, renibus*, &c. à sanguinis sero absorberi, eique penitus incoqui, quibus dum inficitur, effervescentias multo promptius concipit, proindeque in vasa cephalica impetuosius irruens, cumque liquore nerveo ibidem fermentescens spasmos & vellicationes dolorificas valde molestas parit.

Serosa hæc *colluvies*, sive *simplex*, sive complicata fuerit, adhuc amplius capiti infesta est, si quando solennis ejus evacuatio per debitas & assuetas vias præpeditur, scil. si vel poris præpeditis transpiratio inhibetur, vel ob renes male affectos diuresis haud satis copiose peragitur, utrumque defectum cephalalgici graviter luunt. *Willis.*

52. *Ab humore seroso*) *Serum*, item *Lympha*, aut *vitiata* ipsa, aut *stagnando* in quodam loco, & præsertim peregrino sapore inquinata, & graves dolores hemicranicos inferunt, eosque fere si acrimonia fuerint prædita, *lacerantes & laniantes*; Si vero minus acria, *gravativos* & cum sensuum torpore: Pertinent huc inprimis contumaces & subinde vix tolerabiles *Scorbuticorum* Cephalææ, ex acri scorbutico sale, sub seri aut lymphæ vitiosæ vehiculo membranas capitis affligente, Confirmat hanc cephalalgiam & iste capitis dolor qui in *corycæis* incipientes fere obvius est, ex sero quidem & lymphæ successiva collectione gravativus, sed simul interdum quoque tensivus. Sic cephalalgiam lethalem à copia serosi humoris notat *Riverius* cent. 1. observat. 37. *Ettmuller.*

52. *Ab humore seroso*) Hemicraniam sæpe numero accidere ob *serum* vel in capite antè stagnans acquiescens, sed per ambientis commotionem, sive ab obscuro quodam Lunæ sydérumque influxu, sive à reciprocantibus ventis illatum, sive aliter fermentatum, vel à raptu quodam in caput delatum & fervescens, adeoque cerebri membranas violenter distendens divellensque, *statuit Carol. Piso l. de Morb. à sero p.* 62. 63. & sequ.

Demonstrat à *sero* oboriri 1. quia adest dolor non acer ac pungens sed gravitate obtundens.

2. Quia vomitum aquæ semper, etsi utplurimum sinceræ puræque, lentæ tamen, & albumen ovi quasi congelati referentis, solutio doloris semper ex voto consequitur. Hæc aqua Hemicranicis evomi solita plurima est specie quæ à medicamentis validis & hydragogis tracta vomitu rejici passim consuevit, quam omnes ab uno fluere capite non è venis autumant. Etenim ratio dissuadet aquam ex se gravem è venis meseraicis gastricisque sursum ascendere in ventriculum, vasis illis superiorem posse: unde nunquam visum est serosam totius habitus colluviem per ventriculum deposuisse vomituque redditam fuisse, sed per intestina in diarrhœa aquosa; cum contra nihil frequentius quam particularem capitis pleonexiam in ventriculum deponi: Proinde in vomitu ex hoc affectu orto à *Pisone* ex meningum cerebri contractio animadversa est (*sed tractu in consensum meningibus cerebri à membranis ventriculi vellicatis*) ut manifeste cranium à seipso divelli, suturaque coronalis aperiri ipsi propemodum videretur, non sine dolore atrocissimo (*Aliam vero ætiologiam instituisset Vir eruditissimus si circulatio sanguinis ipsi innotuisset, vasa lymphatica, ductusque Salivares.*)

III. Quia somnus, sive sopor, quacunque hora diei hemicranicis sensim obrepens, dulcis ac demulcens, necnon ἀνώδυνος est, Ex quatuor enim humoribus in massa sanguinea contentis, in vasis capitis bilis quidem vigilias infert sua acrimonia & siccitate; reliqui tres humores una cum excremento cerebri mucoso præ insigni crassitie haud facile possunt resolvi: Itaque in meatus sensuum appulsi, non levem aut brevem somnum, qualis hemicraniam comitatur, sed contumacem & verum soporem, certe ἀνωδύνους adferunt: Serum autem sanguinis vehiculum, cum natura sua mulcebre sit ac frigidum & hum. tum præ tenuitate facile resolubile, proinde somnum primi generis natum est excitare, & eum qui sit alioquin doloris præstantissimum remedium.

IV. Quoniam, experientia teste, Hemicrania epilepsiam, gravissimosque capitis affectus soporosos præcurrere solet: hujusmodi autem affectus (ut demonstrat) serosam in capite colluviem continentem habent causam.

V. Quia induciæ existunt cum hemicrania, imo opax alia, quoties vere & æstate universum corpus quotidianis & matutinis sudoribus sponte manantibus diffluit.

VI. Quia convulsivos abdominis & hypochondriorum dolores, qui hemicraniam comitantur, capitis dolor semper prævertit (*ætiologiam quære hujus eventus apud Willisium in plexu scil. mesenterii &c.*) *Bernardus Langwedelius Pisonis Enucl. p.* 19.

52. *Ab humore seroso*) Quomodo serum cephalalgiam inducat vide §. *Dolor contumax, diuturnus.*)

80. *Totum caput præmissis præmittendis*) Si quando *colluvies serosa* è cruore exundans Cephalalgias crebras inducit (cujus indicia sunt catarrhi circa alias partes, scil. nares, os aut tracheam simul infesti) tunc abstinentia & quiete simul imperatis, alvoque per clysterem inanita, *fers fluxio* sedari, & ea materies capitis membranis suffusa evaporare sinantur; quæ si non sponte & brevi succedant, in constitutione calidiori *phlebotomia* sæpe convenit, quatenus nempe vasa sanguine depleta, serum extravasatum resorbent: *Vesicatoria* cervici, aut juxta aures applicata, egregij sunt usus: Dein post ventrem ab [illegible] subductum, fluxio *anodynis* aut *opiatis* mitioris usu sedetur, illaque sedata, leve *catharticum*, dein medicamenta quæ per urinas vel sudores, vel simul per utrosque movent, adeoque serositates superfluas blande evacuant, exhiberi convenit. E.g.

℞. *Pilul. de Succino* ʒ ſ. *resinæ Jalap* gr. iiij. *Balsami Peruv. q. s.* fiant Pilul. iv. sumat iij. hora somni, & mane sequenti, si priores non satis operabuntur.

℞. *Scammon. sulph.* ℈ß. *cerusæ Antimon.* gr. xv. *crem. Tart.* gr. viij. f. Pulvis, sumat in cochleari panatellæ, mane primo.

℞. *Sulph.*

℞. *sulph. antimon. gr.* iv.
cremor. tart. gr. vj.
simul terant. r, & cum q. s. conserva violar.

F. Bolus sumendus primo mane cum regimine.

℞. *rad. Rusci, Bardanæ, chærefol. caryophyll. ãã.* ℥ß.
℥j. *eryng. condit.* ℥jß. *Iridis Flor.* ʒiij.
galangæ min. ʒjß. *semin. bardan.* ʒiij.
folior. siccat. beton. salviæ, verbenæ, veronicæ ãã m. ß.
passular. exacinat. ℥ij.
coq. in aqua fontis ℔iv. *ad* iij. *partis consumptionem; dein adde vini albi* ℔ß.

colatura edulcoretur *cum syr. v. rad.* ℥ij. capiat ℥vj calide bis aut ter in die procul à pastu.

Quod si cum *sero exundante* particulæ insuper *salina, acida, biliosa*, aut alias infestæ, aut omnino è *massa sanguinea*, aut hac mediante è *visceribus* susceptæ in *capitis membranis* corripiantur, ibidemque defixæ dolores magis acutos, & diuturnos pariant, Tunc S.M. parcam, quin & blandam catharsin aliquoties iterari, *Epithemata anodyna* & demulcentia locis affectis applicari; non raro item hypnotica mitiora crebra vice exhiberi conveniet; item *Apozemata*, nec non herbarum succi & expressiones, quæ *bilis* fervorem temperant, ipsamque per *sedem & urinas* blande educant, egregii sunt usus: Interim vero medicamenta acriora aut fortiora, sive *catharsin*, sive *diuresin*, aut diaphoresin ea moliuntur, quatenus sanguinem & humores fundunt nimis & exagitant, sedulo vitentur: Frequenter observavi in dolore capitis acuto & pertinaci laborantibus, serum sanguine emisso innatans flavedine, seu excrementis biliosis eidem intectis tinctum fuisse; Etiam in hoc casu s. m. parcam & crebram, deinde *serum lactis* aut *acidulas*, copiose epotas insigniter & præ aliis remediis juvasse. *Willis.*

52. *Totum caput præmissis*) Per cutem capitis evacuationes particulares (nam & sudor, sed generatim per hanc viam universum corpus evacuat) vi eorum quæ capiti applicantur factæ, & quibus insignes evacuationes efficiuntur, ideoque reliquias tantum applicatæ, quæ discutiunt, in pertinacibus & diuturnis cephalæis, hemicrania, ut excrementa à cerebri membranis avocent, illisque viam interdum aperiant, tanquam extrema remedia in extremis hisce morbis usurpantur: qualia sunt validissima metasyncritica, quæ ex alto humores attrahunt attractosque absumunt, *lixivia, unguenta*, Quod & *cucurbitula capitis affixa* præstant, Vel hisce validiora, partem nonnihil accendendo, *rubificantia dicta*, Vel etiam adurentia *vesicatoria*, Aut crustam facientia *cauteria*, actu potentiave illud agentia, quæ sedi capitis elatiori, aut etiam humiliori, in cervicis posteriore sede applicantur. *Platerus.*

53. *Solvitur & aqua*) Per *nares & os* quæ caput purgant, *Caput* purgia dicta, ori & naribus indita, in *Cephalalgiis & cephalæis*, in quibus *pituitosi & serosi* in capite redundant humores probantur; eoque magis si illorum effluxus per hæc loca prius consuetus fuerit, nuncque substiterit: Sed & in *biliosis & melancholicis* ejusmodi doloribus, uti vocant, locum interdum habent: Quibus tamen post alias saltem evacuationes utimur, illisque tunc successive caput purgamus: Quæ *sternutamenta* ex illis movent, dolorem capitis gravem nonnunquam irritant: Si vero à *vaporibus* caput tentatum doleat, eum mox levant, cum & sponte ebriis eo nomine supervenire soleat & dolorem tollere. *Platerus.*

54. *Solvitur aqua per nares delabente*) *Wedelius Am. m. m. p.* 455. ait se vidisse juvenem levatum doloribus capitis intensissimis, & à fascino ortis putatis, Errhino *ex sale ammoniaco* in narium (quodvis) injecto, mox cum urinositatem pandere ait.

55. *Suppressis mensibus*) Vide superius *A* §. *sanguine*)

56. *Secta est arteria temporalis*) Celebre est remedium pro curandis Cephalæis *Arteriotomia*: Hanc à veteribus in magno pretio habitam è modernis nonnulli adhibent, ejusque usum valde prædicant; Attamen quoad observationi nostræ consistit, ἐνάργεια isti successus ita decantatus sæpissime defuit: Nec mirum hoc, quoniam ratio ista, cui veteres innixi sanguinem arteriosum à venoso diversum & magis efferum culpabant, proindeque emittendum consulebant, non omnino tenet: Nec quidem alia ratio subest, quamobrem sanguis ab arteria potius quam à vena juxta locum dolentem detractus levamen conferat, sed potius è contra majus auxilium à venæ sectione expectare licet, quia arteria incisa nihil à parte affecta excipit detrahitque, vena autem secta loco sanguinis effusi è tota vicinia haurit, & sæpe cruorem aliosque humores, prope morbi nidum congestos & stagnantes resorbet & circulationi reddit.

Utcumque ne ab Antiquorum praxi nimis recedamus, Arteriotomiæ nihil tribuentes, eam aliquando, forsan licet non immediate & causaliter, sed tantum consequentia & per accidens juvare concedimus; in quantum arteriæ abscissæ fines coalescunt; ita ut sanguini transitus hac via in posterum præcludatur; hinc cum paulo minor sanguinis penus versus locum per arterias provehatur, & par usque per venas auferatur, proinde interdum accidat materiæ morbificæ fomitem minus, ejusque mineram paulatim absumi; ob hanc rationem administratio ista in *Ophthalmicis* non raro succedit: Porro praxi non huic absimili veterinarii ad curandos in equorum tibiis tumores [illegible], utuntur, nempe arteriam, qua materies ad partem affectam confluit, excipiunt & ligant, interim quæ impacta fuit partim evaporat, partim à vena resorbetur: Eandem fere methodum ab Harveo pro curandis in corpore humano *tumoribus strumosis ac scirrhosis*, non sine successu tentatam audivi. *Willis.*

Paræus l. 16. c. 4. hemicraniam desperatam hac operatione curatam refert, nullumque in ea periculum esse testatur; Aperitur arteria ut vena, & sanguinis impetu ac saltu prosilientis ℥vj. detrahendæ: mox appositis plagulis deligatio facienda, & per quatriduum detinenda: Eandem commendat *Botallus* in vetustis capitis doloribus, & quasi miraculo conferre dicit: Nos sic atrocissimam cephalg. curavimus, nullum est in apertione periculum, vulneri Empl. admovendum ex *thure, mastiche, bolo armena & pilis leporinis* albumine ovi subactis, dein fascia admovenda qualis in vulneribus capitis. *Riverius.*

Arteriotomia nobile est præsidium in contumacioribus malis, speciatim hemicraniis; Et jam olim *Gesnerus l.* 3. *Epist.* 96. dolorem hemicranium quotannis redeuntem, secta arteria in tempore affecto curavit: Auxilium est facile, quo copiose sanguis emitti potest: Et refert *Lindanus* sibi perquam usitatam esse arteriam temporalem in Hemicrania inveterata, emittendo in eodem latere ℥xx. ad xxx. Non est periculosum, neque difficile remedium, neque metuendum Aneurisma, Nam si tantum *terra vitrioli dulcis* cum *terra sigillata* mista, vel solitaria, vel cum *ovi album*, subacta applicentur firmiter, intra triduum arteria coalescit. *Ettmuller.*

Non minori efficacia & securitate operatur Jugularium venarum sectio, quæ compendiose sanguinem in cerebri sinubus morantem educit, & citissime, imo citius quam in brachio coalescit, cujus singulares effectus in gravibus cerebri affectibus, à sanguine inductis, observare mihi licuit.

Arteriotomiæ in pertinacibus capitis doloribus utilitatem plurima exempla confirmant: Eximios illos effectus non raro vidimus; nominatim ante aliquot annos in Nobiliss. Consule nostrate, *Domino de Normandie* qui per plures septimanas Hemicranicum dolorem cong

tintum nullis remediis cedentem, perpessus nullo alio remedio quam arteriæ apertione levamen percepit: Et ante aliquot menses in locuplete rustico Sabaudo illam, me præcipiente, instituit peritus Chirurgus Mag. *Seboutum*, præsentaneo solatio: Exempla hæc afferre placuit ut satisfaciam Excell. L. S. qui in P. Med. nuper edita, *cap.10.de Cephalalgia*, me ab hujusmodi præsidio alienum censet, colligens ex loco à me adducto in *Anat. Pract.* pag.8. ex *Ballonio*, qui illi remedio infensus prima fronte videtur: At si totus locus legatur apparebit illum non Arteriotomiam impugnare, sed id solum ostendere non temere ad ejusmodi præsidium recurrendum esse; quod inconsulto usurpatum noxium potius quam utile sit.

57. *Lue Venerea*) Quæ capitis dolores horrendos & implacabiles, in specie nocturnos infert: Acor nempe malignus nutrimentum chylosum cranii ita corrumpit ut assimilari nequeat, quin in materiam viscidam & acrem corrosivam sensim degeneret, quæ coacervata supra vel sub cranio, *Tumores* illos infert qui etiam in aliis ossibus reperiuntur, & *Gummata Gallica* vocantur, à qua & arroditur postmodum cranium, unde *Caries cranii*, Ex affectis vero simul membranis implacabilis capitis dolor. *Etmuller.*

57. *A lue Venerea*) Cum cuidam lue Venerea laboranti tanti adessent capitis dolores ut nullis internis remediis cederent, tandem Empl.de *ranis Vigonis cum Mercurio* temporibus applicabam, ubi miraculi instar dolor ille penitus intra horam dimidiam cessit & nunquam rediit. *Th. Bartholino Hist. 97.cent.3.*

Id *Vigonis Empl.* quod *Ol.croci* ingreditur, præter nodos Gallicos, ad capitis dolorem efficacissimum commendat D. *Michael*, nec Mercurius ingrediens metuendus cum peccantes humiditates extrahat, ut sæpe probavit. *Joh.Ferd.Hertodius Crocol.c.7.*

58. *Male curata, vel propter &c.*) Pertinent huc Inunctiones Mercuriales pro ejus cura minus recte institutæ, post quas subinde pertinacissimi dolores remanent, Idque partim ex relicto, non satis salivando evacuato, partim ex ipsa Mercurii malignitate partes nerveas afficiente. *Emuller.*

59. *Vel propter virulentia reliquias*) Exemplum vide apud *Riverium cent.2 observ.91.*

60. *Vel Mercurium in parte congregatum*) Exemplum habet *Poterius cent.iij. observ.cap.6.* Mercurium autem in parte collectum esse internosci poterit si globulus ex folus auri confectus in narem sinistram profunde immittatur; & post aliquam moram in parte albicans extrahatur signum erit adesse Mercurium, qui paulatim extrahetur, si lamina aurea tenuis supra partem dolentem continuo gestetur; & globulus aureus solidior frequenter in narem immittatur: *Riverius observ. 91. cent. 1.*

60. *Vel Mercurium in parte congregatum*) In doloribus capitis à Lue venerea ortis nullus dubito quin malo huic nodo malus iste cuneus, *salivatio* scil. adhiberi debeat, verum illud remedii genus in *cephalalgiis* propter alias causas oriundis experti, messem sementi laboriosæ parem non retulerunt: quidam pro sananda atroci ac diuturna cephalalgia ter *salivationem* copiosam subivit, sed deinceps per plures annos, usque in hunc diem, morbi sensim adaucti gravissimæ tyrannidi succubuit; R. N. cum ad curandam antiquam cephalæam inunctio mercurialis capiti dolenti adhiberetur, salivatio inde concitata morbo non sanato cœcitatem intulit. *Willis*: Vide plura de mercurii usu ad ptyalismum excitandum lib.vi.Tit.2.c.1 & *Indicem Med.pract.* p. 86.§. 35. Item p.887. Tit. *Salivatio.*

61. *Cariem ossis*) Quodam diuturna Cephalalgia mire cruciabatur; inopinato ille biduo dolore cum succubuisset, aperto cranio cerebri membrana glutinoso humore oblita quibusdam locis vix avelli potuit, osse passim carie corrupto, qualem in aliis cadaveribus deprehendi: Videlicet infestati venerea lue sævis admodum capitis doloribus ab acri ac venenoso humore nonnunquam excarnificantur, *Rhodius cent.1.obs.74.*

61. *Cariem ossis*) *Videlicet Cranii*, Sed & mala hujus conformatio quandoque perseverantium capitis dolorum causa esse potest, nempe *Suturarum* plerarumque, sagittalis inprimis, occlusio talis, aut absentia, ut vaporum & fuliginosorum excrementorum nulla transpiratio fieri possit: Quod & à *calvaria in vertice* & versus sinciput præternaturali petrosæ (qualem non semel tactu, sed & sectione facta deprehendi) constitutione fieri potest. *Platerus.*

62. *Decocto sudorifero*) Per *sudores* factæ evacuationes, non solum hic conducunt, sed & si quia cerebrum aqueis excrementis multis abundat, dolores fiant, plurimum, prius tamen generali prægressa purgatione competunt, cum ab intimis excrementa evocent; Unde in *diuturnis cephalæis* instituuntur, & in *Lue venerea* uti eam sanare, sic & symptoma illius grave solent tollere, ob quam causam Decocta sudatoria exhibentur, & observata simul parca cibandi ratione per dies aliquot vel septimanas quoque: Verum in causa calida, & quamdiu caput æstuat, cum nonnisi calore vehementi adhibito sudores proliciantur, quippe qui dolorem tunc augerent, convenire minime possunt. *Platerus.*

62. *Decocto sudorifico*) Quidam diuturno & pertinaci capitis dolore torquebatur, qui nec sudationibus ter institutis, nec inunctionibus mercurialibus totidem quicquam remisit, B *Silvatici* consilio stillicidiis tandem aquæ calentis sulfureæ ad 14.diem malum omnino devictum. *Rhodius cent.1.obs.75.*

62. *Decocto sudorifico*) Pro constitutione frigidiori & phlegmatica præditis, paretur *Decoctum ex ligni Gajaci, sassafras, salsapar.* cum additione ingredientium *cephalicorum* f. Apozema cujus sumat ℥vj. vel viij.bis vel ter in die calide: Egenis, & sæpe bono cum fructu, ditioribus præscribere soleo Decoctum folior, siccat. modo *salvia*, modo *beton. verbena* aut *rorismar.* in aqua fontis factum, Et dein tinctura pulveris baccar. coffee imprægnatum, bis in die ad ℥vj, vel viij. calide ebibendum. *Willis.*

Ad cephalalgiæ à *causa frigida* curationem, 1. materia pituitosa evacuanda est convenienti præparatione adhibita: Deinde *intemperies cerebri frigida* corrigenda, ac reliquiæ humoris discutiendæ. *Riverius.*

In malo contumaciori, præmissis præmitt. *Diæta* sudorifera est optima, præsertim si malum per essentiam fuerit, Attenuat enim, dissolvit, & mediante sanguinis circulo removet ex capite causam materialem viscidiorem ac fixiorem, idque magis quando ex seri aut lymphæ vitiis malum ortum fuerit: Vide *Forestum l.9.obs.50. Amatum cent.4.curat.95.* Sicuti *Poterius cent.3. c.6.* dolorem capitis continuum, ab hydrargyri usu concitatum, decocto cephalico cum *China* & *oleo sulph.* curavit. *Etmuller.*

63. *Trepanum exigit*) A multis pro cephalalgia pertinaci prædicata est hæc operatio, sed à nemine, quod sciam, adhuc tentata; nempe *calvaria* juxta locum dolentem cum trypano apertio: Profecto mihi non constat quid certi ex *calvaria*, ubi dolet, aperta, expectare licebit, Si abscessus ibi latet, hæc unica esset curationis via, verum iste affectus soporosos, aut convulsivos lethales potius quam cephalalgiam excitare solet: Si *phlegmon*, aut *pustula*, vel *erysipelas* diploen occuparit, nescio an tumores ibi aëri expositi facilius evaporent; vel utrum remedia iisdem nudis applicata aliquid efficiant necne, Quod si dolores propter meningas *tuberculis*, aut *tumore scirrhoso*, vel *calloso* obsessos oriuntur, *apertionem cranii* parum aut nihil profuturam sentio. *Willis.*

63. *Ista*

63. *Ista trepanum exigit*) Juvencula ultra annum dolore capitis velut perforante ac fixo cruciabatur: Medicus, quod erat, suspicatus aliquid membranis incumbere, cranium terebra perforandum censuit: Ipso aperto puris fœtidi guttula vix, æquans milii granum excidit, neque ex eo dolor unquam molestus fuit. *Rhodius cent. 1. obs. 69.*

Nobilis N. acerrima plurimorum annorum cephalæa ab ictu conflictatus, quina cranii perforatione, quafrefrigeratis densatisque membranis caput obtusioris sensus factum est, plane convaluit.

Quod in plerisque, si forte humor in diploe, aut membrana cerebri dura esset, sibi successisse fatetur *Duretus in Hollerium l. 1. c. 2.* Hinc *Hollerius* obs. singul. 1. In pertinaci & assiduo capitis cruciatu optime ferrum laudat. *Idem obs. 70.*

63. *Ista Trepanum exigit*) Sæpe enim ab acribus humoribus & virulentis corroditur cranium, eique caries inducitur, cute integra remanente; Et licet caries non appareat, *Trepanum* tamen sæpe confert, educendo materiam virulentam supra meninges cerebri collectam. *Riverius cent. 2. obs. 91.*

Dolorem capitis hujus medio curatum vidit *Rhodius cent. 1. obs. 69. & 70.* In specie refert *Amatus Lus. cent. 1. cur. 2.* capitis dolorem intensissimum à Lue venerea jam curata ortum, & incurabilem, trepano aperto cranio curatum. *Emmuller.*

Qua ratione detegendus sit locus affectus ostendit *Duretus* Annot. ad cap. 2. lib. 1. *Hollerii* de morb. int.

Quidam, *ait*, cum annum egisset in summa doloris capitis acerbitate me ad se vocavit, Ibi cum diffuso per totum caput dolore certo dignoscere non possem in quonam loco stabularetur humor morbificus, ut conjectura id investigarem, deraso capillatio toti capiti curavi admoveri cataplasma; quo post aliquod tempus amoto, id in una parte magis desiccatum apparuit, unde facile deprehendi in ea capitis parte latitare causam dolorificam, quam pars cataplasmatis magis exsiccata contegerat, tum terebra caput perforari præcepi, sed postquam ad diploen usque, excisa superiore cranii lamina, perventum est, magna statim humoris, colore atq; consistentia mellei, copia foras erupit, indeque dolor quievit, & sanus homo ad hanc usque diem luce fruitur: Erat autem abscessus ille intra utrumque os calvariæ consistens, vera μελικηρίς quæ à melle nomen habet.

64. *Nonnunquam à Vermibus*) Beniventis cum multi ignoto morbo decederent è vita, Medici tandem hoc morbo quendam mortuum inciderunt, & in cerebro vermem rubeum brevem invenerunt, quem cum multis medicamentis vermes occidendi vim habentibus interficere nequivissent, frusta raphani incisa in vino malvatico ebullierunt, quo vermis occisus est, atque hoc eodem remedio deinde simili morbo quasi epidemico affecti omnes curabantur: *Forestus ex lib. Cornelii Romani.*

64. *A Vermibus*) Si *cephalalgia fit à vermibus*, pro cura observari potest curiosa historia quam refert *Hildesheim Spicil. 1. aff. capit. 45.* Nempe cum æger præmissis universalibus, & copiosis per alvum rejectis vermibus, nihilominus in gravi capitis dolore persisteret, ipse vero non vulgarem suspicionem haberet Vermium, syncipiti applicavit.

℞. *Pulv. aloës, lumbric.* ana ℥ij.
fella tauri ℥j.
ol. absynth. & ceræ q. s. extendatur super alutam,

Pro faciendo fumo hunc Pulverem ordinavit,

℞. *Pulv. centaur. min. marrub. beton.* ana ℥ij.
zedoar. ℥ß. *angel.* ℥j.
succini ℥j. *antimon. crudi* ℥j.
mumiæ ℥ß. *bolo Arm.* ℥j.
aristol. rot. ℥j. *absinth.* ℥ij. *m. f. Pulvis pro fumo.*

Cum hoc emplastro usus esset, & fumum ter quaterve admisisset, tandem xxxiij. oblongi vermes lanuginosi, vivi, instar erucarum per fauces & nares prodierunt, quos ipse digito eduxit apprehensos; Continuavit medicamenta, & tantos cruciatus postea non sensit, sed tamen non omnes è motos dicebat, cum adhuc in sincipite laterent aliqui: Post aliquot menses prodierunt adhuc duo, non tamen ita magni ac priores. *Hildesheim.*

Vermibus expellendis interdum profuere *sternutatoria*, notante *Verzascha cent. 1. obs. 6.* ut & cæpæ per medium discissæ, sub cineribus assæ, aurique admotæ, *Misc. cur. anno 9. obs. 50.* vel suffitus ex *centaur. min. marrubio, zedoar. angelica, antimon. crudo, mumio, bolo Arm. &c.* naribus & ore hiante excipiendus. *Stranssius.*

Quidam diuturna cephalalgia mirè cruciabatur, *Pilulis Cocciis* irritata alvo, quum tæniam dejecisset, dolor aliquantum remisit. *Rhodius cent. 1. obs. 74.*

64. *Nonnunquam à vermibus, pure &c.*) Quin & ex *calculo*, ex tartaro intra cranium lapidescente & acutissime angulato. Vide *Isaac. Cattier. ad Borelli obs. 15.* Cephalalgiam ex *calculis aureum* circa os petrosum notat *Bartholinus* in *Act. Hafn. vol. 1. p. 81.* Adde arteriarum calculosa quasi facie externus incrustatarum durities; Vide, *Misc. cur. anni 1. obs. 68. 69. & 127.*

De Abscessibus in cerebro.

65. *Pure*) *Quod abscessuum plerumque progenies est; Abscessuum autem in cerebro genitorum, doloris capitis auctorum, multi meminere, Singulares duos affert Arnoldus Bootius Tr. de Affect. omissis c. 1. & 2. quorum primum vocat.* Hipocranium *alterum* Vomicam Hypocraniam: Priorem sic describit.

In vacuo illo spatio, quod inter cranium ac duram cerebri meningem intercedit, inflammatus aliquando sanguis, suppuratusque, in abscessum convertitur, Cujus Abscessus duo animadverti genera, ut sedibus, ita subjecto, seu materia & causis multum inter se differentia. Prior istarum suppurationum fit in canalibus seu sulcis duræ meningis cum anteriori seu superiori, qui ipsum cerebri corpus, amplo altoque hiatu à sese dehiscens, sub ductu suturæ sagittalis notabili interstitio ad usque callosum corpus, in duas partes separat: Tum posteriori, quo in occipitis regione cerebrum à cerebro disterminatur: In horum ductuum, seu canalium alterutro, interdum vero utroque simul, sanguis restagnans si plus justo calescat, atque inflammetur; tandem in pus abit, atque abscessum constituit.

Inflammationis istius occasionem ibi, uti in aliis corporis partibus, variæ causæ præbere possunt.

Fit hæc inflammatio quando sanguis iste multa salsæ pituitæ admistione infectus, ac plusquam par est calefactus, amittit eodem tempore beneficium ventilationis per compages suturarum, aliosque cranii & circumjectorum corporum meatus isti officio destinatos, per vehementem subiti frigoris incursationem densatos obstructosque, Largiori autem talis pituitæ in istam partem adfluxui atque acervationi, obnoxii sunt qui per aliquot annos caperit periodicam coryzam, seu catarrhale per nares profluvium, postea solenni hoc evacuationis genere privati sunt, eoque diu caruerunt; unde fit ut serosi ac pituitosi humores statis temporibus pro solito in caput delati, nec consueto olim itinere foras protrusi; alias sibi vias moliantur, ac postremo in prædictos duræ meningis canales regurgitantes, atque permixti sanguini, quem vel invenerunt ibi, vel secum detulerunt, effervescere cum faciant, ac majori quam antea ventilatione indigere, ut mirum non sit si defraudatus eadem tempestate, ob capitis perstrictionem

transpirationis beneficio, exæstuet penitus ac inflammametur & inflammationem, ut fieri solet, suppuratio subsequatur: Fit autem ista fere inflammatio, ac suppuratio, non simul ac universim, sed sensim ac per partes unde aliquanto ægrius initio cognoscitur.

Cerebri functiones, ac Mentis sensuumque actiones, hoc morbo nequaquam vitiantur aut interpellantur, Somnus duntaxat corrumpitur, ac perpetuæ fere vigiliæ infestant, ob doloris assiduitatem, qui non quidem dirus immanisque, admodum tamen molestus & cruciabilis, ac semper fere sui similis, noctu atque interdiu pari ferme tenore ægrum divexat; unde tandem febricula quoque, quæ primis diebus nulla, accersitur, appetitusque prosternitur: Capitis à principio magna adest gravitas, ac si grandi aliquo pondere premeretur, & calor major quam reliquo corpore quibus omnibus signis peritus ac sagax Medicus haud difficilem hujus mali conjecturam capere potest, idque à reliquis capitis affectibus ac doloribus discriminare.

Omnem vero illi dubitationem eripiet præcipuum hoc ac pathegnomicum signum, quod uti in Empyemate, pro decubitus ratione pus modo ab intersepiente pectoris membrana, seu mediastino ad costas, modo ab his ad illum provolvitur, ita hic quoque materia vitiosa, pro situ vario corporis, huc atque illuc impellitur, vel à fronte ad occiput, aut contra, si in canali illo sub Sutura sagittali subsistit, vel ab uno occipitis latere ad alterum, si ibi stabulatur; vel utroque modo, si ambos canales occupavit.

Medicus si tempori satis advocetur, omnibus modis id operam dare debet, ut ne ad suppurationem deveniatur, Itaque sanguinem ex alterutrius brachii cephalica detrahet copiose, idque repetet semel atque iterum, si vires ferant justis temporis spatiis interpositis: Cucurbitulas grandes lateribus cervicis ac scapulis apponet cum magna flamma, Siccas primum, dein Scarificatas, Purgabit plus semel blandius primum, deinde valentius: Ubi autem corpora non fuerint ferendo vehementibus, tota purgatio peragi poterit decocto concinnato ex *betonica, salvia, majorana, rosmar. floec.b. senna, e-mici sem. agar: turpet. jalappa*, cujus bini ternive haustus in diem exhibeantur per tres quatuorve dies continuos: Interea non negligenda quoque *Topica*, abrasis prius capillis; ubi summa cautione opus est ne nudatum crinibus caput novi frigoris incursione amplius lædatur, atque ita malo, cui remedium quæritur, vires addantur.

In Topicis hic habendus delectus, ut & devitentur refrigerantia insigniter ac repellentia, ne magis etiam impediatur transpiratio, ac materia impingatur; Et valenter discutientia, ne calore immodico attrahant plus in locum laborantem quam discutiendo inde evacuent; Bene faciet *decoctum serpilli, verbena*, hederæ, *betonicæ, semine papav. albi cum oxyrrhod. & camphora* momento, admovendem tepidum in pannis, lanis succidis, aut spongiis, post longam sed clementem capitis frictionem; ungendi à fotu *oleo rosac.* ac chamom. paribus portionibus inter se permistis.

Quod si ægrius ad ægrum accesserit Medicus, aut omnibus rite administratis nihil profecerit, nec suppurationem impedire potuerit, sciat de cætero totum negotium naturæ committendum, adhibita tantum diligentia ne quid ab ægro fiat unde in opere suo inturbetur; id quod solicite si observerut, solet ipsa toto negotio rite defungi, ægrumque tandem in integrum restituere; quippe puri jam percocto viam sponte quærens, idque per nares fere expellens, sensim isthac evacuat ita ut tandem nihil ejus reliquum fiat; quod certum quidem ad salutem iter, tædii tamen ac molestiæ plenissimum est, cum in multos dies, interdum vero complures septimanas soleat extrudi: cujus temporis maximam partem pleraque aut omnia symptomata perdurant, cum nulla aut exigua remissione.

Quod si hac via se exonerare, aut omnino non tentaverit natura, aut ægri errore aliquo impedita fuerit quo minus id peragerct, in summo discrimine res versatur, neque aliud remedium superest, quam ut perforato in idonea regione cranio, frustuloque ejus exemto, exitus materiæ pateriat: quæ curationis ratio, si cum viro forti, atque corporis bene constituti res sit, æque certa est & tuta ac prior illa sponte naturæ instituta, multoque breviori tempore patratur; Sin vero hanc quoque curationem, aut ægri pusillanimitas renuerit, aut Medici prudentia ob ejus imbecillitatem aliasve causas non attentandam censuerit, omnino pernicies præ foribus est: quippe vel sola doloris; vigiliarum, aliorumq; malorum symptomatum assiduitas ægrũ tandem conficiet, & si hoc non foret, tamen aliunde etiam exitium imminet; quum fieri non possit quin purulenta ista materia, intra cranium penitus conclusa, procedente tempore subjectas membranas ipsamque cerebri substantiam labefactari, & novo atrociorique morbo ad priorem adjuncto, miserum ægrum jugulet.

Ex hac observatione discere licet Inflammationem atque Suppurationem, neque in Tumorum genere necessario collocandas esse, uti ab omnibus vulgo fit Medicis, nec accidere semper parti alicui corporis, multo minus solis carnibus, aut partibus carnosis, sicuti acriter ac verbose à multis disputatur: quum clare hic appareat eas in ipso per se sanguine, vel sincero, vel aliis humoribus remixto interdum consistere; Cranium enim & meninx in hoc casu, non pro parte affecta sed pro loco simpliciter continente haberi debent; quod ipsum quoque locum habet in omni vomicarum genere, ad quarum classem pertinet Abscessus species proxime sequens.

In *Riverii* observationibus P. *Pachequus* loquitur de tribus capitis abscessibus, qui omnes, si quis recte circumstantias consideret, videntur inter cracranium ac duram meningem constitisse: Quare autem Abscessus hypocranii, à capitis contusione aut allisione facti, fere lethales sint, ut in omnibus illis tribus apparuit; quo etiam referendum videtur quod idem Medicus obs. 18. scribit, *Quotquot vidi ex casu per aures saniosam materiam reddere, omnes de medio sublati sunt*, quum abscessus isti, ab internis causis orti, de quibus proprie egimus hoc capite, haud raro salutariter terminentur, ejus rei haud difficilis est peritis conjectura. *Arnoldus Bootius de Aff. omis. capite 1.*

De Vomica Hypocrania.

Est aliud inter Cranium ac Membranam Abscessus genus, in diviexiori capitis parte, ad alterutrum latus, secus ossa petrosa oriri suetum, non ex sanguine cum aliensis humoribus affatim permixto, ut illud modo explicatum, sed ex mero simplicique, quale in venis continetur, idque inter cystin propriam, cujusmodi abscessus peculiari nomine Vomicæ appellantur.

Origo illi ab externa violentia validoque capitis ictu aut illisione, unde rupta aliqua ex venulis cranium, vel meningem perreptantibus, aut hanc illi alligantibus, sanguinem in intermedium spatium profundit, cui solers natura confestim tenuia quædam ex ipso fila deproperans, ac undiq; retis instar circumtendens, usque alia super alia superinserens, ac obliquis quoque transversisque fibris omnia inter se firmiter atque arcte ligans, eodem artificio quo membranæ in utero semi-

femini genitali statim à conceptu circumdantur, parvo temporis spatio detexit firmum densumque folliculum, intra quem conclusus cruor paulatim à statu suo demutatur atque in pus excoquitur. Hic Abscessus seu folliculus, pure plenus, semper una in sede stabili permanens, cum neque evagandi spatium detur, ut emissis quoq; quibusdam filamentis, vicinæ meningi alligetur, efficit in eo latere, in quo consistit, ingentem cujusdam ponderis sensum ac molestissimum dolorem, à compressione ac distensione meningis, cui è latere incubans eam longius à cranio divellit, atq; ut sibi locum faciat, ad interiora impellit obnixam, inq; antiquum naturalem statum redire annitentem.

Hujus mali, si omnia attente examinemus, cognitio haud quaquam difficilis est, curatio vero ne quicquam à Medico spectetur, siquidem cranii perterebrationem, quæ solaei succurrere posset, nullo modo hic moliri licet, ob ossis petrosi naturam contumaciorem isti perforationi variis de causis, cuivis Anatomes perito, sponte obviis, penitus ineptam: Quod si ulterius in osse sincipitis eandem institueris, frustra ægrum excruciabis, siquidem distantia, ac situs incommoditas, præpedient ne ullus inde ad extrahendum abscessum fructus capi queat. Medico tamen necessarius scitu hic est casus, ut si quando ei se obtulerit, possit existimationem suam tueri, noscensque haud suæ opis rem esse, abstineat vana nihilque profutura curatione ægrum torquere, cui tamen hoc in rebus mœstis solamen superest, quod sicuti pestem in capite circum gestat, humanis præsidiis omnino insanabilem, ita forte casu improviso, ubi Deo visum fuerit, aliquando ab eo liberabitur, id quod civi Londinensi evenisse scio.

Hic quum ad vj. vel vij. annos hac ærumna laborasset, quodam die dum in publicu deambularet, illisa est in aurem ejusdem lateris, in quo molestos illos ac diuturnos cruciatus perpetiebatur, grandis pila sive follis, qualibus per hyemem ac gelu Londini in plateis ludere infantes consueverunt: Felix hic ictus impetu suo, ac Capitis concussione rupit Vomicæ cystin, unde prosiliens affatim pus viam vi sibi fecit in auris meatum, per quem copiose ac subito foras prosiliens, momento ægrum omni cruciatu liberavit, atque pristinæ sanitati, tot jam per annos in omne deinceps ævum desperatæ inopinanter restituit, & vixit postea incolumis valensque, nullis prioris mali vestigiis relictis, quanquam cysti intus relicta, sive ea post excussum omne pus penitus exarefacta, & levissima effecta desiit meningi molesta esse, sive ipsi sensim agglutinata, tanquam congeneris substantiæ in unum cum ipsa corpus coaluit, sive alio quopiam modo obliterata est. *Idem ibidem capite* 2.

De Vomica Cerebri.

Sicuti inter cranium ac duram meningem nasci vomicam demonstravimus, ita quandoque inter duas meninges, duram ac tenuem, idem fit, interdum vero intra ipsam quoque cerebri substantiam Hujus rei luctuosum mihi exemplum intra hunc annum usurpavi in *Elia Sermus* Vltrajectino &c. Hic in prœlio duo periculosissima in capite vulnera accepit, solo galero caput tectus: Vulnus utrumque erat in sinistra capitis parte, unum in fronte, gladio cæsim adactum, medio fere inter partem capillatam ac superciliorum spatio, secundum oculi ductum, ad trium quatuorve digitorum transversorum longitudinem; Alterum in aversa capitis parte, in declivitate ossis Bregmatis, haud multo supra confinium suturæ lambdoidis, globulo plumbeo illatum; non in directum emisso, nec introrsus adacto, sed qui inflexum leviter in dexteram, caput destrinxerat, in transitu: Domum delatus, à Chirurgis ita tractatus est ac si cute tenus duntaxat sauciatus fuisset, quum utrique vulneri subesset ingens cranii fractura, diligentiore paululum specilli attrectatu facile dignoscenda. Hoc in frontis quidem vulnere, quod penitus consolidarunt, nunquam ab iis deprehensum, haud prius patuit quam dissecto post mortem capite: In altera autem plaga, quom illa jam pene ad cicatricem perducta absque ulla evidente causa recruduisset; de majore diligentia adhibenda moniti, atque à Medico Cichestria excito, adjuti, eam tandem repererunt, rescissoque tunc vulnere & ampliato, ad latus fracturæ trepano magnum cranii frustum exemerunt, concretumque ac semicorruptum sanguinem, qui membranæ incubabat, abstulerunt, quum ipsa nihil inde vitii contraxisset, prorsusque recte se haberet; Ex eo tempore cum & frontis vulnus pene integre consolidatum esset, & alterum hoc ab omnibus pravis symptomatibus liberum vix progrederetur, cœpit melius se habere æger, viresque sensim recipere, & lucem, alloquium, corporis motum melius in dies recuperare, Sed quum cunctis signis defunctus jam omni periculo, certoque passu ad sanitatem redire videretur, præter expectatum extinctus est, exacta quarta septimana ex quo vulnera illa acceperat. Dura meninx, quæ terebrato cranio subjacebat, & aliquanto longius circumcirca repentino sphacelo corrupta, nigricabat penitus, cum omni antea tempore, & pauci, adhuc ante mortem horis, colorem, omnemque constitutionem naturalem integra retinuisset; Apertum caput, exhibuit illam ossis frontis structuram, seu fissuram de qua dictum, quæ licet profunda, atq; ad internam superficiem penetrans, & digitos aliquot transversim longa, toto illo quatuor septimanarum spatio nunquam ullo pravo symptomate molesta fuerat, aut vicini vulneris consolidationem præpediverat; Quum autem ablata in orbem superiore cranii parte ad aures, detractaque dura meninge eximendo cerebro attenti essemus profluxit subito per dextram autem magna sanguinis vis, non minus unciis octo aut decem, à naturali statu penitus demutati, non crassi aut grumosi, sed liquidioris, ac summe atri; Attentius indaganti, unde is prodiisset, deprehensum est *vomicam* in contigua cerebri parte, intraque ipsam ejus substantiam latuisse, cujus tunica à Chirurgo dirupta fuerat, dum manum inter residuam cranii portionem ac cerebri corpus adigens digitos longius introrsum atque ad latus impellit. Toto tempore quod vulneribus supervixerat æger, conquestus fuerat de ingenti ac valde cruciabili dolore in isto capitis latere, non fixo una semper in sede, sed qui vicissim modo in fronte, paulo supra supercilium, modo in occipitio affligeret; Hunc judicare licet ab ista vomica prodiisse, quæ tenui meningi intus proxima, & fibris etiam alligata, non poterat ei non summe molesta esse: Apparet autem Vomicam istam habuisse originem ex sanguine effuso è vena dirupta ex repercussu ictus, quo diversum occipitis latus à globulo plumbeo læsum fuerat, cujusmodi repercussiones in capitis ictibus ac vulneribus satis esse familiares notum est. Quod vero sanguis eo modo, quem diximus, corruptus, non in pus excoctus fuerat, ejus rei causa adscribenda est caloris in capite debilitati, quem valde fuisse infractum ipsis primum vulneribus, jacturæque sanguinis ex iis profusi, deinde cranii terebrationi, ac cruciatibus istam curationem comitantibus, manifestum est. *Idem ibid. cap* 3.

15. *Pure*) Nonnunquam progenie ulceris in cerebro, Vide infra. caput de *Ulceribus capitis internis*.

De Cerebri Abscessu à Vulnere vel Contusione Capitis.

Frequentius hunc affectum, ut & Cerebri sphacelum, inducere solent vulnera capitis gravia & contusiones, Ab hac tamen causa oriundus abscessus, à prædicto diversus aliquo modo est, Quia ex contusione factus abscessus tot Cerebri partes utplurimum non occupat, sed uni præcipue adhæret; Unde symptomata leviora, saltem ab initio esse solent & affectus ad plures dies prorogatur.

Abscessus ex vulnere, aut contusione genitus his dignoscitur, Ab accepta contusione torpor quidam & mœstitia apparet, animalibus spiritibus è materia extravasata labefactari incipientibus: Morbo invalescente febricula exoritur, materia putrescere incipiente: His capitis dolor succedit & somnolentia: Mox aucta putredine, omnia symptomata ingravescunt, febris intensior evadit, Aeger profundiori somno emergens subito vociferatur, & surgit è lecto, statimque iterum decumbit, Frequenter manum ad caput adducit: Ex his plerique ante obitum purulentam materiam & virescentem ore aut naribus rejiciunt. *Riverius.*

De Ulceribus internis Capitis.

Cerebrum & Caput hominis, cum sit pars suprema partium omnium, & figuræ rotundæ, suscipit in se omnes vapores qui sursum feruntur: hi autem sunt tenuissimæ Mercurii vitæ partes, aquosæ & humidæ, quæ dum spiritu salis denudantur omni, nunquam cerebrum caputque offendunt; at sine noxa, per emunctoria communia foras pelluntur à facultate expultrice: Si vero detineatur, porique majores & minores impleantur illo aquoso humore, apoplexia tentatur caput, & similibus morbis frigidis & aquosis.

Si vero humores illi qui sursum feruntur ad caput, salis spiritu copioso turgeant, adhærent aliquando meningibus ipsius cerebri, & partibus ipsius interioribus, in hisque coagulatur ipse spiritus salis, & desiccatur, & sua innata facultate corrodit partes, & inflammat, & sic ulcera interna producit.

Itaque cum aliquem invenimus qui conqueritur *de dolore fixo* & permanente alicujus partis capitis, cum pondere, & cum purulento muco, aut cum excremento auris purulento, & fœtido, & copioso, & sanioso, tunc temporis suspicandum est de *ulcere interno capitis*, quod hac methodo curare poteris.

Inprimis observata ægri ætate, viribus temperamento, regione & tempore, mittes sanguinem ex cephalica lateris dolentis ad sufficientem quantitatem, & deinde purgabis *pulvere Catholico Antimonii* supra descripto (*c. 13. lib. 2. chir. spagyr. pag 45.*) & ter aut quater repetenda est purgatio, interpositis duobus aut tribus diebus ab una purgatione ad alteram.

Purgato corpore, per xv. dies sumenda hæc Potio Vulnerea, summo mane, jejuno ventriculo, superdormiendo si fieri possit.

℞. *succi limon.* aut *malor. aurantiorum recentis* ℥j.
aquæ cinnam. ℥ß. *b Alsam sanguin. human.* aut *carnis humana*, aut *antimonii* ℥j. *Olei sacch.* ℥ß.
m. f. Potio.

Interim donec curetur affectus, cibandus æger cibis euchymis & facilis digestionis, Vinum aqua temperatum potandum, & parce admodum cibandum est ne vapores copiosi sursum ad caput ferantur, somnusque omni arte conciliandus & quies summa.

Aqua stillat. radic. aristoloch. rot. plurimum confert, qua & potest vinum dilui; *Tinctura* etiam *aristoloch. rot.* naribus & auribus inspirata, & instillata, aut per vapores assumpta plurimum confert; Pars etiam quæ dolet maxime pilis denudanda est; & balsamus prædictus perungenda, ut per poros cranii vaporatim aliquid ejus medicamenti subtilissimi ad ulcus penetrare possit.

Quod si post dies xv. non cesset affectus, permanentibus in vigore suo symptomatis, deveniendum ad aperturam cranii, beneficio trepani: aperiendum autem in parte ipsius doloris, suturas evitando, Aperto cranio, *balsamo Antimonii* aut *balsamo carnis humana*, aut *sanguinis*, aut similibus compositis balsamis perungenda linteamina delicata & tenuia, & vulneri, seu cranii aperturæ superponenda, bis quotidie mutando, observato regimine præscripto, donec curatum sit ulcus omni ex parte. *Petrus Ioh Faber Chirurg. Spagyr. sect. 3. c. 5.*

66. *Adhibita in ea, Videlicet Cephalæa.* Chirurgica præsidia, præsertim circa humorum motum corrigendum occupata, multi sunt usus in Cephalalgiis, qualia sunt *V. S. brachii, Arteriotomia temporum, Incisiones Venæ frontis* &c. Quin & ad pertinaces & graviores cephalalgias *Vesicatoria, Setacea*, imo ipsum *Trepanum* sunt optima: *Illa*, ubi in vasis sanguiferis vitium hæserit; *Hæc* ubi ex seri vitio malum oriatur, Sed necesse est ut prius rite *præmissa sint universalia*, alias metuendum esset ne parili ratione atq; *Cucurbitulæ* non præmissis universalibus, in capitis dolore sint valde noxiæ, vide *Hildanum cent. 5. obs. 69.* etiam alia præsidia Chirurgica malum augerent. *Ettmuller.*

67. *Vena frontis*) Quidam cum circa meridiem Soli se nimium exposuisset, correptus est paroxysmis febris tertianæ duplicis satis levibus, comite capitis dolore intenso; Secta vena bis, purgans datum; dolor capitis continuus factus est post quartam accessionem *Venam frontis* aperiendam consului, è qua sanguinis ℥vij. sunt eductæ, postero die mane doloris fuit expers. *Riverius cent. 2. obs. 21.*

67. *Adhibita in ea vena frontis &c.*) A *Zacuto Prax. adm. l. 1. obs. 9.* ubi notandum bis illam secuisse, quia scil. prima apertio satis non profuit: à Practicis in usu non est jam eam vacuationem repetere.

68. *Hirudines temporalibus*) Fidissimo experimento à me comprobatum est in ipsis temporibus x vel xij. hirudines circulariter imponere; sic enim extracto sanguine crasso & multo, ægri à sævo cruciatu levantur, & est securius arteriotomia auxilium. *I. Hennius de Hirud. usu c. 8.*

68. *Hirudines temporibus applicata*) Notandum *Zacutum* non esse contentum duas vel tres admovere, ut vulgo solet fieri, sed x. aut xij. circulariter temporibus affigere, unde maxima sequitur sanguinis attractio, quæ totam materiam morbificam exhaurire potest. *Vide Pr. ejus admir. l. 1. obs 8.*

68. *Hirudines temporibus*) Loco *Arteriotomia* interdum possunt adhiberi *Hirudines*, utrinque ad Tempora, Item pone aures, item ad nucham fieri potest applicatio. Mulier diuturna cephalalgia sæpius recurrente jam per plures annos afflicta, ita ut levi de occasione, vel ex capitis ab aëre inclementiore refrigeratione, vel ejusdem prope focum nimia exæstuatione, vel ex instante mensium fluxu eandem recurrentem pateretur, Dolor erat *per essentiam*, utut enim sub dolore graviore vomitum pateretur, idque cum dolorum levamine aliquali, tamen hoic ventriculus, ob sui cum capite consensum subvertebatur: Causam remotam noverat nullam, nisi quod sibi puellæ hæmorrhagia narium familiarior fuisset, qua suppressa cephalalgia supervenerat; Hirudines (quia frontis venam incidi non permittebat) binas utrinque temporibus applicui, & copiosius sanguinem evacuare permisi, bono cum successu. *Ettmuller* Fausti hujusmodi eventus crebro occurrunt apud nos, quia familiaris magis est sanguinis missio.

69. *Fonticulus*) Setacei cervici infixi efficaciam ostendit *Fabritius Hildanus Observ. cent. 4.* Quidam dolore capitis tam acerbo cruciabatur ut gressus & passus; etiam exutis pedibus ambulantium, ferre non posset:

Tandem

Tandem multis frustra adhibitis setaceum applicui, tanto successu ut in dies manifestam doloris levationem persenserit.

69. *Fonticulus*) Auxilium Chirurgicum pro Cephalalgia, præsertim immani ac inveterata decantatum, solet esse Fontanellarum in variis corporis partibus *ustio*, aut incisio; Extra dubium est has in *brachiis* aut *cruribus* excitatas, & minus incommodas esse, & nonnihil emolumenti afferre; In quantum scil. morbi fomitem ex parte subtrahunt, & longe à loco affecto avocant. Porro Fontanella in *nucha*, atque *setaceum* in *cervice*, etiam in *auricula*, vel prope eam, item clavus ex radicibus *helleborastri* auriculæ perforatæ infixus, in quantum serositates multas evacuant, aliasque versus emunctoria, scilicet glandulas, invitant, sæpe cum emolumento adhibentur. At vero plurimus sermo, & major expectatio est de *Cauteriis loco* dolenti, aut prope cum affixis, ita ut fontanellæ amplæ supra capitis *verticem*, aut juxta *suturarum commissuras* excitentur.

Si praxeos hujus fructum à successu metimur, parum & raro commodus, sæpius vero infaustus apparebit: quippe nullum ego per ejusmodi cauteria sanatum atque multos cephalalgicos inde deterius habuisse novi, Et quidem ratio hoc plane dictat, nam ubicunque *fontanella* inuritur, illuc humor serosus è tota massa sanguinea, & per consequens è toto corpore affluit, ac uberius sæpe aggeritur quam ut per emissarium illud constanter exeat, quapropter circa fontanellas phlegmones, pustulæ, variique tumores passim oriuntur. Quid igitur minus suspicari possumus quam quod cauteria juxta locum capitis dolentem applicata, ibi materiam morbificam plus congeri faciant? *Willis.*

69. *Fonticulus in manu*) Propositus à *Zacuto libro 1. Prax. admir. Observ. 7.* qui aliis experimentis comprobatus est, & rebellem capitis dolorem curavit. *Riverius.*

Cauterium *sutura coronali* admotum dolorem capitis contumacem aliquando radicitus abstulisse ait *Idem.*

69. *Fonticulus*) Possumus uti ad cephalæam & hemicraniam *Capitello descriptionis de Vigo*, Nam aperit cutim sine magno dolore, & est magnum secretum Chirurgorum, Et certe laudabile est dolorem quoad fieri potest evitare. Fit autem ex *auripigmento*, sandaracha, arsenico & pauco opio. *Rondeletius*

70. *Inter pollicem & indicem*) In Hemicrania pertinaci *Adrianus Spigelius* in semetipso, aliisque exploratum habuit remedium, venæ quæ illac excurrit incisionem. *Rhodius cent. 1. obs. 76.*

70. *Inter pollicem & indicem*) Hæc præsens observatum fuit Hemicraniæ remedium, Videatur *Rhodius Centur. 1. Observ. 76.* Quod confirmare potest sententiam *Riverii*, qui ad Cephalalgias contumaces *Fonticulum* inter indicem & pollicem manus excitatum commendat in praxi; Si quidem alias diuturnis in doloribus *fonticuli* aut in brachio aut in nucha excitati sunt optimum remedium. *Ettmuller.*

Forte eadem ratione juvant quod extremi illi artus (manus & pedes) emunctoria totius corporis habeantur. Revera ibi difflatio major quam aliis in partibus, ob concursum arteriarum & venarum, unde & Salvatellæ apertio adeo utilis, siquidem sanguis arteriosi adhuc naturam redolens educitur: Fonticulus vero ibi excitatur (scilicet inter indicem & pollicem) quia ea pars manus maxime est carnea; Scarificationem ibi loci eam in rem plurimi commendant, quam & aliquando cephalalgiæ causa institutam vidi.

71. *Saphenæ sectionem*) Puella xv. annos nata, catamenia nunquam passa, circa æstatis finem corripitur diuturno eoque acutissimo capitis dolore, seu cephalæa, ad oculorum radices protensa, continua, sed circa vesperam incandescente, sine febre. Irritis omnibus, tandem sola *saphenæ sectione*, & panis è fumo calentis optimo vini spiritu inebriati ad partem affectam applicatione, paucarum horarum spatio vindicata est: Hinc patet quam optima revulsio à capite per saphenæ sectionem obtineatur, *Frider. Lossius lib. 1. obs. 4.*

Illustriss. N. capitis dolore gravissimo, cum febre hemitritæo detinebatur; post iv. v. s. in brachiis intra horam sublevatus est S. m. ex malleolo dextro; Videant hic tyrones efficaciam revulsionis à capite per saphenæ apertionem. *Riverius centuria 3. observ. 40.*

Nobilis dolore capitis immani per totius consensum tentabatur, aperta dextra saphena sublatum ea capitis parte dolorem deprehendit; Idemque post altera parte ad votum successit, Sed cum ingenti artuum convulsione, qua intra horam cessante capitis dolor nunquam rediit. *Rhodius cent. 1. obs. 73.*

72. *Causticum*) Candenti ferro parte dextra vel sinistra usque ad os impresso, contumaces capitis dolores à causa frigida curatos tradit *Salius Diversus Not. in Altimar. c. 10.*

72. *Causticum potentiale*) Quidam implacabili dolore particulæ capitis laborabat; à nullis remediis levabatur; Jussi cauterium potentiale admoveri. Curatus fuit citra aspectabilis mali aliquam effusionem; indicibili quadam qualitate, vel aura, sine dubio, fatigatus is fuerat ea in parte. *Joh. Heurnius comment. in aph. 34. sect. 4.*

72. *Causticum potentiale*) Diuturnis in doloribus *Fonticuli* aut in brachio, aut in nucha, excitati sunt optimum remedium Quinimo interdum *Vesicatoria* toti capiti raso graviori in malo interdum conducunt. Vide *Riverius in cent. 1. obs. 37.* quæ alias saltem vel pone aures, vel prope nucham applicari solent: Sic *Tulpius cent. 1. obs. 37.* dolorem capitis periodicum per vesicatoria occipiti admota curavit. *Hildanus cent. 4. obs. 6.* dolorẽ capitis vagum, extra cranium, contumacem, & alteram tantum capitis partem occupantem *Setaceo* curavit; Cujus tædiosissimi auxilii loco *Fonticulus* infra nucham excitandus venit. Apud Veteres subinde excurrit mentio *Fonticuli in capite, in concursu suturæ coronalis & sagittalis* facti, ad graviora capitis & nervosi generis pathemata usurpari qui jam fere in desuetudinem abiit; Cujus tamen medio Cephalalgia inveterata scorbutica curata refertur in M. C. Anni 3. p. 178. Denique *Caustico potentiali* dolorem capitis periodicum in vertice, præcise ad ciceris quantitatem se extendente, sine ullo signo sensibus obvio, curavit *Poterius lib. 3 c. 3.* pauca purulenta materia è loco affecto prodeunte. *Ettmuller.*

73. *Super arteriam temporalem*) Mulier annosa acerrimo dolore conflictata sanitatem hunc in modum consequuta est, In *Temporibus*, ubi firmiter hospitabatur dolor, causticum argenteum apponi curavimus; Eschara sublata, & ulcere pus copiose fundente dolor evacuit, Tanti doloris causam non pus, sed filamenta quædam prætenuia & dura esse comprobavimus, quæ si caustico haud lacerentur, forcipibus & volsellis eximantur, secus dolor qui latet consolidato ulcere recrudescit. *Poterius Centur. iij. curat. 8.*

73. *Arteriam temporalem*) Pulsantibus arteriis dolor solum est in exterioribus, quod Medico diligenter est observandum. *Rhodius cent. 1. obs. 76.*

[74] *Hemicrania*,[75] quæ dimidiam capitis partem afficit, & [76] à partibus inferioribus [77] per consensum oritur. Est [78] vel syncipitis, quæ plærúmq; à ventriculo; [79] vel verticis, quæ ab utero; [80] vel occipitis, quæ à mesenterio: vel dextræ vel sinistræ partis. [81] Dolor est aliquando diuturnus maciem inferens; [82] aliquando pulsans; quandoque quater in anno recurrens, quandoque [83] in tempore fixus, [84] Gordonio *clavus*.

[85] In ea quæ est *à ventriculo*, [86] prosunt ad evacuationem [87] *pillulæ Fernelii*, ex *aloës opt. unc. ß. pulv. elect. de gemmis, diatrion santal. rosar. rubrarum ana gr. vi.* Cum *Syrupo de absinth. & violar. n. xxx.* formatæ, & x. hora ante cœnam degluticæ. [88] Capiti apponi potest Epithema [89] ex *radic. cucumer. agrest.* viridi cum verbena & absinthio pontico, in hydræleo decocta. [90] Sunt qui *Carduum benedictum* potum vel appositum [91] miraculose operari dicunt.

VI. Est & dolor capitis [92] *periodicus* statis horis recurrens, in quo cucurbitulæ scarificatæ, vel vesicatoria occipiti admota vehementer prosunt;

Est & [93] *Epidemius*, cui *diascordium Fracastorii* convenit.

74. *Hemicrania*) Ἡμικρανία alias & ἑτεροκρανία, est species doloris capitis circa dimidiam ejus partem, aliquando dextram, aliquando sinistram, modo in latere, modo in syncipite, modo in vertice, modo in occipite; quæ varietas haud dubie dependet à mala quadam prædispositione partis affectæ, de qua legatur *Willis* &c. Hinc ἡμικρανικὰ φάρμακα vocantur medicamenta Topica, curandis Hemicraniis convenientia. *Bruno Lexici p. 657.*

75. *Quæ dimidiam capitis partem*) Hemicrania per circuitum solet exacerbari, notante *Galeno, l. 1. K. T. cap. 3.* id quod experientia quoq; confirmat; hæretq; illa uno in latere, sed non semper in una parte illius lateris; quin potius modo ad posteriora & aures, modo ad anteriora vagatur; & calvariæ terminos egressa in maxillis, in labiis, reliquaq; facie se exerit; ita tamé stricte in uno maner latere, ut Medicum & adstantes in admirationem rapiat. Vide *Hildanum cent. 4. obs. 8. Straussius.*

76. *A partibus inferioribus per consensum oritur*) Usitarū est ab *hypochondriis*, nec non è regione *stomachi, mesenterii, uteri*, imò interdum à membris aut *partibus exterioribus* quendam quasi formicationis sensum in caput prorepere, ibidemq; mox dolorem aliquandiu postea duraturum excitare. Hujusmodi affectio, quæ non raro Vertiginis, etiam Epilepsiæ aut Apoplexiæ procemium esse solet, *Vaporum ascensus* vulgo creditur, cum revera sit tantum spasmus in nervi cujusdam extremitate susceptus, qui versus originem ejus sensim prorepens, & demum cranio superato, quatenus aut ipsi ἐγκεφάλῳ, aut etiam meningibus, scil. aut alteri aut utrique communicatur, convulsiones aut dolores ciet; Quæ tamen pathemata formicationem istam aliunde traditam, modo velut *signum*, & quandoq; velut *causam* consequuntur.

Rationem alibi fuse explicavimus, ostenso nimirum quod cum materia morbifica nervorum origines, aut partes iis proximas in capite occupaverit, spasmus sæpenumero ab eorundem nervorum extremitatibus incipiens, illinc sursum traditus versus loca primario affecta quasi perreptando ascenderet; quare non tantum vertigini, sed & cephalææ vomitio sæpe supervenit. Attamen præterea irritatio in *viscere* quopiam, aut membro dissito Cephalalgiæ interdum occasio & quadantenus causa est, nempe cum materies morbifica usque ad turgescentiæ plenitudinem jam jam in capitis parte affecta aggeritur, fibrarum continentium levi tantum vellicatione opus est ut materies ista concita morbi paroxysmum inferat, ad quam accendam non raro sufficit quod visceris cujuspiam dissiti, puta *ventriculi, lienis*, aut *uteri*, cui scil. cum capite intimus intercedit consensus, fibræ nerveæ vellicentur, nam proinde statim molestia per nervos communicata, fibræ capitis quædam membranaceæ male dispositæ, & materia morbifica onustæ, stringi & corrugari incipiunt, cumque adeo morbi minera commovetur, à particulis ejus commotis fibræ in corrugationes graves ac diuturnas urgentur.

Cephalalgiæ ad hunc modum à visceribus exoriri visæ, & vulgo *sympathica* dictæ, *Vaporibus* adscribi solent; videl. supponendo humoris noxii mineram in viscere quodam delitescere, è qua commota, dum effluvia in caput ascendunt ibidemque fibras nerveas acriter percellunt, vellicantque dolores excitantur: quam doctrinam olim redarguimus, Interim vero disquiramus annon alius etiam modus præter communicationem per nervos spasmodicam, capitis dolores propter causam morbificam, in *stomacho, liene aliisque locis* hospitantem oriantur.

Super his opinari fas sit, materiam sæpe degenerem in partibus remotis congeri, quæ sanguinis commeatu, sive trajectu, capiti noxam inferat. Usitatum est humores corruptos, scil. modo acres, modo acidos, aut austeros in *ventriculo*, bilem in *hepate*, fæculentias atrabilarias circa *lienem*, quin & aliusmodi degenerem materiam circa *mesenterium, uterum*, aut alias partes congeri, à quibus demum ad turgescentiæ plenitudinem aggestis, miasma fermentativum sanguini infigitur, à quo iste velut oestro imbutus impetuose effervescit, & partim turgescentia sua, partim in membranas capitis (quod incongruum est) transferendo, dolorum paroxysmos atroces ciet. Quoad *Ventriculum*, rem ita nonnunquam habere quidam morbo isti obnoxii plane experiuntur: Quippe horum nonnulli post *bilem* in *stomacho* fluctuantem, alii que post insignem illic *acorem*, & *famem caninam*, cephalalgiæ paroxysmum certissime expectant; Cujus ratio ex parte videtur esse, quod ista ventriculi contenta à sanguine absorpta ipsum effervefaciunt, & turgescentiam cephalalgicam in eodem concitant: insuper ab ejusmodi materia acri, vitriolica; aut alias infesta, intra *stomachum* aggesta aut commota, spasmus, sive corrugatio molesta fibris nervorumq; extremitatibus illic insertis imprimitur, qui mox eorundem nervorū paris octavi & intercostalis ductu in caput cōtinuatus, membranis fibrisq; nerveis in corrugationes dolorificas prædispositis communicatur.

Propter eandem inter *stomachum & caput* communicationem reciprocam, *nausea* & *vomitus* cephalalgiæ non raro superveniunt, scilicet membranis à materia morbifica (non secus ac à plaga aut vulnere illato assolet) in corrugationes dolorificas incitatis, noxamque nervorum ductu, ad ventriculum ex se insontem, transferentibus, vomendi nixus interdum inanis uritur, nihilo quod rejiciatur intra ventriculum superstite, quandóque tamen ab immani viscerum inter vomendum succussione, humor felleus, aut pancreaticus, nempe alter tantum, aut utrique simul in duodenum explosi, & vomitu rejecti, pro materia cephalalgica perperam habentur.

Dolores *capitis Lieni*, haud minus quam ventriculo imputari solent, & quidem passim observare est in *hypochondriacis*, isti etiam morbo obnoxiis, cum in sinistro

in ſiniſtro latere, dolor, inflatio, borborygmus, aut alia quævis, velut *Lienis affecti* perturbatio contingit, cephalalgiam quaſi exinde ſuſcitatam mox crebro ſuccedere; hinc etiam vox populi eſt à *Liene* perturbato emiſſos *vapores* capitis dolorem ciere. Verum enim vero, ut concedamus *Cephalalgiam Lienis* culpa interdum oriri, rejecta tamen iſta per vapores ætiologia, hujus cauſa imputari debet, aut *malo fermento à liene* in ſanguinem tranſmiſſo, aut ſpaſmo illinc capiti per nervos communicato: quippe in Liene male affecto humor atrabilarius, inque naturam modo vitriolicam, modo acrem, modo acidam, vel alias infeſtam degener, ſæpenumero aggeritur qui ſponte ob plenitudinem, aut occaſionaliter ob perturbationem quandam excuſſus, & ſanguini confuſus, ei fermentationem imprimit, qua liquor ejus capitis membranis irruens, per ſe, aut cum liquore nervoſo effervescens, vellicationes doloríficas ciet: Porro haud minus probabile eſt, quod interdum ſpaſmus in fibris nerveis, quæ circa lienem quamplurimæ diſponuntur, excitatus, illinc per nervorum paris vagi ac intercoſtalis ductus, ad ἐγκέφαλον continuatus, parem membranis ad id diſpoſitis affectionem imprimat. Idem judicium eſto de Cephalalgia ab hepate, meſenterio, utero &c. ſuſcitata. *Willis.*

77. *Per conſenſum oritur*) Idiopathicus dolor ſtabilis eſt & permanens, nec aliarum partium ſequitur affectus, *Sympathicus* vero ab alterius partis affectu dependet, ita ut dum affectus ille ſuſcipit incrementum, dolor capitis intendatur, dum vero remittitur conquieſcat, Ille autem ſympathicus dolor fit vel ex conſenſu totius corporis, ut in febribus; vel determinatæ partis, puta ventriculi, hepatis, lienis, vel uteri. Quænam vero ſit illa pars quæ dolorem capiti communicat, ex cujuſque partis affectæ propriis indiciis facile innoteſcet *Riverius.*

Veteres Hemicraniæ cauſam ad frigidum humorem media capitis parte collectum referunt, & ad eum reſolvendum, calefaciendum & attrahendum multa remedia præſcribunt, Verum in dignotione cauſæ Hemicraniæ erratur: Hemicrania enim fit à ſubjectarum partium evaporatione, quoties acres & biliosi humores in hepate aut venis collecti acres vapores per venas & arterias ad interiores partes capitis effundunt, qui membranis compunctis hemicraniam excitant &c. *Author Enchir. Med. Pract. Fernelium* ſequutus, qui Hemicraniam præcordiorum ſubditarumque partium ſympathia fieri cenſet.

77. *Per conſenſum*) *Vapores*, ſubtiliores præſertim, cum caput in eminentiſſima corporis ſede poſitum facile ſuſcipiat, illud calefaciendo, vel vellicando doloribus capitis per conſenſum factis & appellatis, ſæpe occaſionem præbent. Quod *extrinſecus* à vehementer odoratis exhalatores, naribuſque affatim excepti, & in caput delati, interdum faciunt; unde tamen ut conſuetus potius prius capitis dolor redeat, vel recrudeſcat, quam quod, niſi aliud accedat, novus inde ſuboriatur accidit. Quod & ab aſſumptis vapore ſuo caput ferientibus eodem modo evenit: A quibus etiam novi capitis dolores, ſi id vaporibus admodum impleant, excitari poſſunt; veluti *à vino* immoderatius hauſto in ebriis fit, a quo vapores tenuiſſimi elevati, ſua tenuitate cerebrum *accendendo & vellicando*, potius quam *diſtendendo*, accedente interim adverſa cerebro & nervis vi, dolorem capitis pariunt; qui plerumque ceſſante ſomno & ſtupore, à *narcotica* vini vi excitatus, remanenteque diutius illi impreſſa caliditate, ſe exerit, & aliquandiu adhuc, donec ſternutatione fere vapores hi excutiantur, perſeverat.

Ab *humoribus calidis, bilioſis, putridis, in venis*, ut in febribus, collectis, vapores capiti demandati, in eo dolores capitis, pleriſque febribus conſuetos excitant, qui & extra febres è præcordiis ſurſum elati, *hemicraniæ* paroxyſmos inducunt; bilisque in ventriculum effuſa evaporans, uti ſuffuſiones, vertigines, ſic & capitis dolorem per conſenſum afficit. *Platerus.* Vide §. 76. *Willisii* ſententiam de cauſis ejuſmodi dolorum.

77. *Per conſenſum*) An dolor ſit per conſenſum, rês non adeo cognitu facilis eſt; quamvis enim quidam dolorem capitis *eſſentialem* ab æquali continuitate ſatis colligi poſſe putent, non pauci tamen cum *Capivaccio* negant, ſi quidem etiam dolor ſympathicus eſſe continuus, & qui per protopathiam eſſe dicitur, certis tantum intervallis affligere poteſt. Notanter hinc *Saxonia*; *ſi dolor fuerit eſſentialis*, inquit, *tunc vel eſt continuus, vel ſaltem dum intermittit ex levi cauſa quacunque revertitur*, Neque hoc tantum ſymptoma, ſed plurima alia, in ſenſuum & motus organis occurrentia ægrum affligunt, Per conſenſum qui excruciat dolor, non ſolummodo intervalla horarum, ſed etiam dierum & menſium habet, in quibus caput tam omni alia labe quam ipſo dolore vacat: ſublato enim dolore nihil ſupereſt mali, Aderunt porro ſigna & *partis & cauſæ* conſentientis, *Strauſſius.*

77. *Per conſenſum*) Eſt & idiopathica, cum cauſa morbifica ab uno tantum latere exiſtit; quæ fit quando una carotidum tantum eſt obſtructa, vel una materiam fundit, vel ab uno latere continuitas ſolvitur, *VValæus Med. Pract. p. 130*

77. *Per conſenſum oritur*) Notiſſima eſt *cephalalgia per conſenſum ventriculi*, non ſecus ac ex *hepate, liene, utero*: Cephalalgiæ hujuſmodi per conſenſum partium aliarum, abſque ullis vaporis, halitus aut humoris tranſmiſſione, oriuntur ex ſola communicatione membranarum cum aliis partibus membranoſis, intercedente ſimul certo nervorum conjugio; Nam ſicuti ex contuſione, vel vulneratione membranarum cerebri concitatur vomitus, ſolo conſenſu, Et ſicuti ex jejunio in hypochondriacis concitatur vertigo in cerebro, interdum etiam Cephalalgia ſolo conſenſu, ita etiam ſolo conſenſu ventriculi, ac aliarum partium, capitis dolor intenſus excitari poteſt; Quo facit obſervatio *Foreſti lib. 8. obſ. 16.* de juvene bilioſo, qui cum jejunus ambularet dolore capitis tentabatur, aſſumpto vero cibo idem remittebat: Ac ſane fit non alio modo quam per ſpaſmos alibi inceptos, & nervorum ac membranarum ductu in caput uſque continuatos. Sic enim per conſenſum dolores oriuntur; Unde etiam talis dolor per conſenſum ſaltem *tenſivus*; & hinc *pulſatorius* obſervatur. Sunt nempe membranæ quæcunque totius corporis continuatæ & connexæ membranis cerebrum involventibus, adeoque facile una pars alteram per conſenſum ex ſpaſmo afficere poteſt, ſi quidem & ex *Renibus* cephalalgiæ per conſenſum obſervatæ ſunt; Sicuti inteſtinorum vermes ſubinde contumaces Cephalalgias inducunt. *Etmuller.*

77. *Per conſenſum*) Dolores & morbos non opus eſt ut anxie dividamus in ſympathicos & idiopathicos; quia in omnibus partibus reperiũtur arteriæ, quæ in diverſas partes eandem materiam effundant; & iſtarum partium functiones lædant, Ideo non ſequitur unam partem alterius morbi cauſam eſſe. *Anonymus pr. med. ſeſ. c. 1.*

78. *Vel ſincipitis, qua plerumque à ventriculo*) Rarum eſt quod & Hemicraniæ per conſenſum ventriculi obſervatæ fuerint à *Borello cent. 2. obſ. 1* *Etmuller.*

In meipſo Hemicraniam per conſenſum ventriculi crebro experior, ſicubi languet in officio ventriculus, à *ὡραίοις* ingeſtis, fructibus præſertim horæis quibus impenſe delector, Protinus frontem obſidet dolor, illa regione circumſcriptus, peracta cõcoctione evaneſcens: quanquam ſæpe moleſtiam aut gravitatem in ipſo ventriculo vix percipiam, adeo ut de origine doloris eſſem dubius niſi ructus & inappetentia illius laborantis fidem facerent.

79. *Vel verticis, quæ ab utero &c.*) Si consensus ab hepate fiat, *dextra capitis pars* potissimum laborat, Sin ex *liene* resultet, *sinistra* infestatur. *Renes* vero *occiput* incommodant. Quæ tamen indicia ὡς τὸ πολὺ sic habere cogitabis, siquidem τὸ πάθος in iis quæ per vias communes transferuntur non semper æqualis ponderis est; ut proinde ipsæ viscerum actiones læsæ diligenter examinandæ potius veniant; Id quod etiam de *Utero* notandum; etsi enim *Hippocr. 6. Epid. sect. 1. tr. 1. & 2.* illo causam mali suggerente dolere *sinciput* sentit, constat tamen experientia in mulieribus ex utero laborantibus varias affligi capitis partes solere, prout uteri affectio vel anterior vel posterior fuerit; Hinc *Occipitis* dolor cum *frigoris*, ceu glaciei impositæ sensu (quo de frequenter fœminæ conqueri solent) conjunctus, *Cephalalgiæ hystericæ* indicium non adeo fallax existit. *Straussius.*

80. *Vel Occipitis, quæ à mesenterio*) Fit interdum ut solum Occiput doleat, idque frequentius in mulieribus, in quibus iste dolor fere conjunctus est cum sensu frigoris istius loci, quasi glacies intra calvariam esset recondita; Talis dolor inprimis fit per consensum uteri; Et sane utplurimum ex *utero* oriri observatur, utut connexionis ratio haud æque nota sit. *Etmuller.*

81. *Vel sinistræ partis*) Hemicraniæ per consensum causa subinde est dens cariosus. Matrona diuturno & acerbissimo dolore in sinistra parte capitis, cœlo præsertim frigido & humido existente vexabatur. Ante annos quatuor vehementissimo dentium dolore sinistræ maxillæ laboraverat, qui sensim desierat, remanente dolore capitis ejusdem lateris, Ex his cognovi hemicraniam ex corruptorum dentium radicibus ortum traxisse; Quibus extractis desiit Hemicrania. *Hildanus cent. 2. Obs. 10.*

Anno 1684. dens carie affectus immanem *cruciatum* simul cum sinistræ partis capitis dolore mihi inferebat, nullis remediis cedentem. Exiguum foramen in dente apparebat, cui stylum ignitum admoveri curabam, conservare eo pacto studens. Chirurgus digitis apprehensum, (num vacillaret exploraturus) extrahit. Protinus ab utroque dolore omnino liber fui, præ cujus vehementia multas noctes insomnes duxeram; Cavitati vix exiguæ acicnlæ caput indi poterat, sed vitium nervum attigerat, quamquam superficiaria esset caries.

82. *Aliquando pulsans*) Dolor *Pungitivus* ab acri & biliosо humore, vel vapore membranas feriente excitatur. *Gravativus* à copioso humore, crasso, frigido, pituita scil. vel melancholia, partes solidas comprimente. *Tensivus* à flatibus, aut humoribus mitioribus intra membranas sese insinuantibus, easque distendentibus: Pulsatorius à tenui biliosoque sanguine, vel spiritu redundante, quo turgentes ac distentæ arteriæ vehementius pulsant, membranasque concutiunt, sicque partes vicinas concutiendo sensum pulsationis in iis efficiunt, docente *Galeno* 2. de locis c. 3. *Riverius.* Utplurimum fit ab obstructione arteriæ ea in parte ubi dolor molestus est, cum sanguis objectum obicem perrumpere conatur, ac libero per vasa circuitu frui.

83. *In tempore fixus, Gordonio Clavus*) Clavus vocatur ille capitis dolor qui instar clavi cujusdam infixi in uno capitis loco hæret, qualem in supercilio notavit *Hugo cons. 5.* & quidam *Mantua* Princeps apud *Poterium cent. 3. c. 3.* expertus est, *Straussius.*

In tempore fixum observavi in rustico quodam Sabaudo, prædiuit: *Francisco Magnine* aderat simul insignis arteriæ pulsatio, qua aperta dolor desiit; sed altero anno (1686.) recurrens, cum simili arteriæ pulsatione, quæ varicis instar & vitis pampini flexuosa; Arteriotomia iterum feliciter instituta cum aliis præsidiis (agit is anuum 76. vegetus adhuc) Iniq; ergo mihi imputat quasi hanc operationem improbem, Vir Excellent. *L. S.* quia in *Anat. Pract.* locum ex *Ballonio* adduxi, quo abusum illius improbat &c.

Causam vero Cephalgiæ istius quæ Principem Mantuæ, cum jam per horas v. vel vi. afflixisset post xv. aut xx. dies iterum invaserat, materiæ cuidam pertenui & subtilissimæ in capite coërcitæ nec aliunde delatæ, adscribendam censet *Poterius.*

84. *Gordonio Clavus*) Clavus oritur ob easdem causas ac Hemicrania, sed potissimum ob humorem concretum & extravasatum in aliqua parte. *Walæus pract. p. 130.*

84. *Gordonio Clavus*) Vide supra §. *contumax, diuturnus*) & §. *Alia est cephalalgia speciatim dicta.*)

85. *In ea quæ est &c.*) Si visceris alicujus, puta *stomachi, hepatis, lienis*, uteri, aut cujuspiam alterius vitio, (propter mali fermenti transmissionem) capitis partes luunt, tunc in curatione morbi, una cum remediis *cephalalgicis splanchnica* adhibeantur; hinc cephalalgicis quibusdam, *stomacho* etiam peccante, *Elixir proprietatis, Elixir vitrioli, Mynsichti, Tinctura sacra, Vitriolum Martis, Pulvis Ari compositus*, aliaque pro stomachicis vulgo habita, non raro prosunt. Aliis quorum capita *Lienis* mala participant, *chalybeata* sæpe juvamen præstant. Mulieres quædam Cephalalgicæ interdum à remediis *hystericis* levamen sentiunt. Pariter cum aliarum partium vitia Cephalalgiæ contribuunt, indicatis primariis coindicata ab illis partibus desumpta adjungantur. *VVillis.*

y. Prosunt ad evacuationem Pilulæ) Conferent etiam plurimum sequentes, in Italia olim magno in pretio habitæ, *Eustachii Rudii.* ℞. *colocynth.* ℥vi. *agar. trochisc. diagr. elleb. n. turbith.* ana ℥ß. *aloes* ℥j. *spec. diarrh. abb.* ʒß. contundantur Purgantia, & ponantur in vase vitreo cum spiritu vini, ut octo digitos emineat, & digerantur per 8. dies in loco calido, postea adjiciatur *Pulvis diarrh.* Et infundantur adhuc per iv. dies, mox colentur omnia, & fortiter exprimantur, ac liquor expressus distilletur in Balneo, donec in fundo alembici extractum redeat ad eam crassitiem quæ Pilulis efformandis idonea sit, dosis ad ℈j. *Riverius.*

Inter Evacuantia conveniunt *Pilulæ Mastichinæ*, quæ in Cephalalgia per consensum stomachi sunt optimæ

℞. *Massæ Pil. mastich.* ℈j. *Extr. helleb. n. extr. castor.* ana gr. v. *trochisc. albandal. gr. 1. cum s. q. Elix. Propr. f. Pilulæ.*

Quod si *mercurius dulcis* sit adhibendus

℞. *Extr. panchym. Crollii* gr. xv. *Mercur. d.* ℈j. *Extr. troch. albandal.* gr. 16. *cum s. q. essentiæ croci* f. Pilulæ. *Etmuller.*

86. *In ea quæ est à ventriculo*) Varium viscerū consensum quem caput subinde luere cogitur, quod attinet *Ventriculi stomachantis* symbolum discernes ex siti, nausea, appetitu dejecto, prava concoctione, singultu frequenti, eructatione ac vomitu, quamvis hoc etiam capiti per essentiam affecto supervenire soleat. Vide *Borellum cent. 2. observ. 5. Straussius.*

Hemicrania ab affecto ventriculo (si improportionatum objectum illi offeratur) nonnunquam tentor, paucissimis ex enumeratis symptomatis supervenientibus, solis scil. ructibus, iisque paucis. Illius vero in concoctione laborantis certissimum indicium habeo si frons dolore occupetur, adeo ut gravari ventriculum ex unico hoc signo certus fiam, Ab ingestis præsertim liberalius pomis dolor ille protinus ingruit, adeo ut etiamsi ventriculi ægre concoquentis nulla indicia deprehendam, supervenientes tamen frontis illi dolori, post horam unam vel alteram, salivatio, ructus, inappetentia, certum me faciunt aliunde causam non esse deducendam; Indicat & sanatio, quæ jejunio perficitur.

87. *Pilula Fernelij*) *Fernelius* affirmat se dictarum Pilularum tantam vim experiendo cognovisse, ut nullam cephalalgiam vel hemicraniam offenderit quam non curant.

87. *Pilula Fernelii*) Illis affines sunt sequentes, *In succo brassicæ trium unciarum pondere* aloes ℥i. infundito, & Sole exsiccato; rursum in tantundem succi commisceto, & Soli expositum exsiccato: Binas ex eo Pilulas dabis dormituris post duas horas, dolorem capitis sedant plus quam sit verisimile. *Schenckius in exper.*

88. *Capiti apponi potest*) Multo experimento *Democritus* Hemicraniam *lapidis gagatis* sola ad collum appensione tolli comprobavit; scribit enim hujusmodi lapidem gestatum semper magis ponderare quam antequam appendatur, quasi in eo quædam attrahendi in sese humorem à quo dolor in parte cranii suscitatur, proprietas reperiatur. *Mercurialis.*

88. *Apponi potest Epithema*) Hoc maximi fecimus, è *floribus sulphuris* in sindulo ligatis, & in *vino albo* quoad albescat coctis paratum, gravissimos enim dolores sedat subito. *Claudius Deodatus Panth. l. 3. c. 21.*

89. *Ex radic. cucum. agrestis &c.*) Mulier quædam sequ. Epithemate in Hemicraniis utebatur, quo incharuit.

℞. *rad. cucum. sylv. viridem, minutim conscinde, cum absynth. hydraleo incoque dum tabescat, de hydraleo calente mediocriter partem affectam irrora, radicem vero & absynthium admove.* Hoc solo remedio Hemicranicos cum & sine febre curabat. *Forestus.*

89. *Ex Radice cucum. agrestis*) In Hemicrania singulariter laudatur *radix cucum. agr.* seu *asinini* cum &c. Vel ex eadem radice additis emollientibus f. Cataplasma. In specie pro solvenda hemicrania per abscessum ac suppurationem, vel fiat tale Decoctum.

℞. *rad. cucum. as.* ℥j. *fol. absinth. m. ß. flor. violar. p. s.* applica loco dolente in hemicrania.

Fit hoc ad imitationem veteris Medici *Pauli*, qui in hemicraniis recipiebat *rad. cucum. sylv. virid.* minutim concisam, & *absinth.* hæc incoquebat *hydraleo* ad putrilaginem usque; cum *hydraleo* calente mediocriter partem dolentem inungebat hinc *rad. & absinth.* desuper applicabat. Hujus loco *rad. bryon.* recipi potest, si nempe hujus ʒj. cum *fol. absinth. m. ij.* coqu. in aqua cui spongia nova subinde immergatur & calide loco dolenti applicetur, & postmodum *ungu. alabastr.* Sane *Forestus*, *Gabelchoverus*, *Fonseca* & alii Practici multum commendant *rad. cucum. asin.* ad hemicraniam; sunt qui in specie hoc commendant

℞. *Euphorb.* ℥j. *ceræ* ℥iij. *olei dulciss.* ℔j.
hoc dimidium frontis, & musculi temporales commode inungi possunt. *Ettmuller.*

Sunt qui carduum benedictum) Laudatur à nonnullis peculiariter in Cephalæa, Clavo dicta, *Schroderus.*

90. *Sunt qui*) Et ea quæ vapores reprimunt exhibenda, Inprimis cavendum ab illis quæ odore vehementi, aut vapore dolorem capitis promovent, ut vino sinapi & simil. quæ tamen in certa causa, pituitosa viz. in capitis dolore quoque juvare possunt. Sic *vinum*, quia caput demulcet, nonnunquam juvat, propriam noxam interdum corrigendo; unde ebrios non prius levamen sentire videmus donec denuo vinum bibant, & præsertim simul cibum capientes, sic vapores reprimunt. Quo nomine & *lac potum*, etsi cum corrumpitur dolores capitis pariat hoc modo eosdem nonnihil mitigare potest. *Platerus.*

91. *Miraculose*) Huc refert *Amuleta*, quæ proprietate juvare creduntur, *Verbena* seu instar capiti imposita: *Hedera* in ebriis, quæ & ebrietatem impedit, *Senecta anguium* capiti circumdata: *Lapis ophites* gestatus. *Platerus.*

92. *Periodicus statis horis*) Doloris periodici meridiani meminit *Schenckius lib. 1. obs. p. 48.* Viduam in *Misc. Cur. anni 2. obs. 247.* singulis horis cephalalgia tanta cum atrocitate invasit ut etiam suturæ capitis quasi lacererentur. Quendam apud *Tulpium l. 1. c. 17.* acerbissimus capitis dolor sub æstatis initium, statis quoque horis infestabat. Harum *periodorum rationem* valde obscuram nonnisi ex sanguinis & lymphæ per circulationem ea hora ad certum locum recursu divinandum esse censet *Bartholinus obs. 51. anni 1 misc. p. 149.*

92. *Periodicus*) Periodici singulis pleniluniis recurrentis, meminit *Frid. Losius lib. 1. obs. 3.* Quanti sit, *ait*, in curandis morbis chronicis & Saturninis victus, in primis cœlis solique mutatio, ipse possum testari, qui per plures annos in juventute mea menstruatim, circa Solis & Lunæ oppositionem, à meridie gravissima Hemicraniä in capitis parte dextra apprehensus, exacerbatione ad viij circiter horas sese extendente, vomitu tandem & somno hunc excipiente, eram liberatus. Remedia cum nihil profecerent, tandem Patria à Cæsarianis occupata, cum aliis in diversa terrarum rejectus, ab hoc immani dolore planè sum vindicatus &c.

92. *Dolor capitis periodicus*) Ejusmodi doloris, secundum Lunæ phases & certas ejus periodos observantis meminit *Schenckius cap. 47. & 48. observ.* secundum Solis motum diurnum molesti.

92. *Periodicus statis horis recurrens*) Cujus caussam *succo Nutritio*, è sanguine ad partes solidas delato, adscribit *Willis*, In cruoris, ait, sinu prout *serum*, ita & *succus nutritius*, hoc est recens *chymus*, ex alimentis confectus hospitatur, ac una circulatus, ejusdem quasi fluminis decursu illorum exorbitantiis obsequi cogitur; Quaré cum sanguis mox à pastu impetuose aut inordinate ad caput proripitur, succus etiam nutritius semicoctus, aut depravatus, fibris illic membranaceis affigitur, vellicationes dolorificæ succedunt; hinc enim est quod à pleno ventre exercitium, balneum, passiones violentæ, lectio, aut seria animi intentio Cephalalgicis officiunt. Interdum *succus nutritius*, *sanguini* non statim aut facile miscetur, quin huic recens illatus mox turgescentiam excitat, adeo ut multi constanter à pastu intenso vultus rubore, non raro item cephalalgia afficiantur. Hoc vulgo, sed perperam obstructioni hepatis imputatur, cum revera à dyscrasia sanguinis, chymi recentis mixturam ægre ferentis procedit. *Willis.*

Interdum *Succus nutritius Cephalalgia periodica* causa existit, in quantum scil. iste sanguini suffusus, & non rite assimilatus, ob particulas discordes, ei turgescentiam infert, proinde ut cruor in caput ebulliens, exuvias suas in meningas, aut illarum partes quasdam prædispositas ingerat, fibrasque adeo in spasmos dolorificos irritet: Propter hanc causam novi plures, post *variolas, morbillos*, aliasque *febres* aut ægritudines, quibus sanguinis massa vitiari solet, *Cephalalgia* quotidianæ obnoxios fuisse, videlicet totidem à pastu horis, modo citius, modo tardius, primo ruboris in capite suffusio, dein capitis plenitudo & dolor eos infestabant; insuper à vini potu aut alimentis turgidis comestis gravius plectebantur. Morbi accessio ab assumptis magis aut minus distare solet, prout chymus, aut paulo post primum in cruorem ingressum, aut post aliquantulam in eo moram turgescere incipit.

Hic affectus periculo vacat, & plerumque satis facile curatur. Post totius provisionem, leni *catharsi*, & interdum *phlebotomia* institutis, remedia quæ sanguinis crasin restituunt, cujusmodi sunt imprimis *antiscorbutica* & chalybeata maxime proficiunt.

℞. *Conserva fumar. tanaceti, lujulæ āā.* ℥ii. *pulv. ari comp.* ʒiij. *eboris, ocul. cancr. corall. ppti āā* ʒj *pulv. santal. citr. ligni aloes āā.* ʒß. *vitr. mart.* ʒj. *salis absynth.* ʒiß. *syr. v. radic. q. s. fiat Elect.* capiat mane & hora v. pomerid. qu. nucis

castaneæ, superbibendo liqu. sequ. ℥iij.

℞. *Aqu. fol. ari, verbena, sambuci, āā.* ℥vi. *aqu. limacum, lumbric. magistr. āā.* ℥ij. *sacch.* ℥j. *misce.*

Hæc medicamenta varia contra sanguinis dyscrasiam scorbuticam usurpari solita accenseri, & bono cum successu exhiberi possunt; nam cephalalgiæ quæ in scorbuto ita familiares existunt, sæpenumero à sanguinis, humorem nutritium pervertentis, & recrementa sua capitis membranis inferentis vitio procedunt: quare remedia affectui illi convenientia hic locum habebit, *Willis.*

Dolor Capitis periodicus) Causas & curationem vide §.49. *Commmax, diurnus.*)

[93] *Epidemicus, cui diascordium*) Relatum mihi grassante peste in cephalalgia cum vigiliis ac deliriis, nullum præsentius remedium ad vapores illos venenatos discutiendos, soporemque conciliandum, post universalia, expertum esse quam *flores sambuci* capiti circumdatos. *Martinus Blockvvitzius Anat. Sambuc. c. 3.*

ARTICULUS I.

Cap. XI.

De Vigiliis nimiis.

1. Symptomata [2] sensum communem infestantia sunt, *Vigilia* & *Coma somnolentum.*

[3] *Vigilia* [4] *præter naturam sunt* [5] *sensus communis & externorum, præter modum exercitium,* [6] *propter continuum spirituum in organa influxum exortum.*

Signis opus non est. Relatio ægri sufficiet.

[7] *Causa* in definitione expressa est. *Spiritus* autem *influunt* quia sopiri non possunt, seu propter Externa, [8] objecta nempe, lucem nimiam, [9] curas, cogitationes; seu Interna, [10] intemperiem cerebri calidam, [11] dolorem &c.

[12] *Curatio* est *difficilis*: *si* [13] inciderint in [14] juvenes & minus assuetos: [15] *si* delirium, vel convulsionem vel tussim inferant: [16] *si* diu durent, *si* á causis internis oriantur.

[1] *Symptomata Sensum communem*) Quo pertinent *Insomnia* & *Somnambulatio*, de quibus inferius.

[2] *Sensum communem*) Ego *ex 1 de caus. sympt.* 8. persuasus sum cerebrum esse sensum illum communem, *C. Hofmannus Inst. med. l. 2. c. 151. §. 14.*

[3] *Vigilia*) Græcis affectus dicitur χόρξεις & ἰχόρξεις minime omnium ἰχόρμε. quod enim fugit *Foesium* cum vitium librarium esset antiquissimum, *Gal.* in glossis monere debui: Dicitur affectus etiam ἀγρυπνία, & qui ita afficitur ἄγρυπνος, hujus etymon ἄγρυπνος, quasi ἄυπνος, impositis duabus literis γ. ξ. Accepto quidem, sed quæro, unde sunt duæ illæ literæ, An sunt ἀπὸ τοῦ γρυ, ut sit quasi ἄγρυπνος, qui habet ἰδὲ γρῦ τοῦ ὕπνου. ne gri quidem somni? γρῦ autem porci grunnitus est, quo nihil vilius? *C. Hofmannus Inst. Med. lib. 3. c. 35*

[4] *Vigilia præter naturam*) Vigiliæ nimiæ & præternaturales sunt quando omnino non dormiunt per aliquot dies, menses, Vel *non sufficienter*, & terminum vii. vel viii. horarum, vel plurium pro naturarum consuetudine: Hæ sive *morborum* sunt *symptomata*, sive extra hos contingant, noxam tandem inferunt, cum spiritus propter nimium illorum usum & exagitationem accendant, unde humores quoque, calidos præsertim, accendi contingit, & eosdem tandem absumi, hincque corporis functionum aliquarum imbecillitatem tandem sequi necesse est, uti etiam animalibus spiritibus consumptis sensuum internorum defectum aliquem, & per consequens externorum quoque, visionis inprimis, cum ad illam edendam tanta spirituum copia opus sit. Dein & consecutione quadam vitalium quoque spirituum dissipatione facta languor totius sequitur: Et naturalibus simul offensis, naturales læduntur actiones, concoctio in primis. *Platerus.*

[5] *Sensus communis & externorum*) Hinc *Platerus pr. l. 1. c. 4.* mentis defatigationem appellamus, *ait*, cum *sensus interni* plus vel longius quam conveniat exercentur; vel non tempore ipsis præscripto per *somnum*, qui animi quies est, aut *non sufficienter* quiescunt, Uti fit *cum non dormiunt*, in *Vigiliis nimiis*, vel *cum dormiunt*, sed inquiete per *Insomnia graviora.*

[6] *Propter continuum spirituum*) Vigiliæ præternaturales producere solent omnia quæ spiritus animales agitare possunt vehementius, qualia sunt 1. Dolores corporis graves, omniaque objecta sensus potentius afficientia, 2. Animæ sollicitudines & anxietates angentes. 3 Omnia ipsos animales spiritus per se inquietos & irrequietos præstantia, Acria præsertim, non partes sensibiles, adeoque sensum afficientia, atque per dolores somnum tollentia, & vigilias efficientia, verum in ipsos animales Spiritus agentia immediate, ipsosque in motione & agitatione continua servantia.

1. Constat dolores graves, & quicquid illos producit somnum interrumpere, Dolores autem producunt omnia objecta externa, & quidem sensuum propria, vehementius ipsa sensoria afficientia, unde lux magna dolore visum afficit, Sonus vehemens Auditum, Odor gravis Olfactum, Sapor ingratus Gustum, Calor vel Frigus adurens caloris sensum, Durities pungens vel tundens Tactum. Objecta vero sensuum communia nullum dolorem pariunt.

2. Animi sollicitudines & anxietates interrumpere & impedire somnum cuivis notum, & molestas excitare vigilias, quatenus per ipsas in continuo motu servantur animales spiritus, quod vel inde patet, quod in sollicitudine quavis videamur nobis observare mentis agitationem & discursum continuum in cerebro, plane similem illi quem corpus patitur discurrendo per omnia domus cubicula aut urbis vias, absque quiete: Assuefacti autem continuata sollicitudine ad agitationem animales spiritus, in eadem facile perseverant, ac difficilius ad quietem reduci queunt; licet summo nisu id tentet anima ad extremum agitata & anxia, quæ sollicitudo permanens in anima angit & turbat.

Sed nec ubi dolores corporis, nec sollicitudines animæ urgent ut paulo ante urserunt, negabit quis facile ab ipsorum spirituum animalium agitatione sola produci posse vigilias. Inter omnia autem in sensus occurrentia, tum naturalia, tum artificialia, nihil reperitur quod animales spiritus, utpote volatiles, inquietos reddere possit præter *Salem volatilem* acriorem: Constituitur

quitur autem *Sal volatile*, ex sale & volatili spiritu, cui quoties eum oleo immiscetur plus ignis; acre redditur, adeo ut primaria ejus acrimonia pendeat ab igne, cui proinde itidem accepta referenda est primario irrequieta spirituum animalium agitatio. *Sylvius Pr. lib. 2. cap. 28.*

6. *Propter continuum spirituum &c.*) Vigiliæ naturalis, cui somni intercalantur, causa in his duobus, scilicet in altero, aut simul utrique consistit, nempe 1°. quod *Spiritus animales* satis refecti, & liquoris nervei compedibus soluti, se vegete exerunt, & quaquaversus, ac præsertim à cerebri meditullio in peripheriam ejus expanduntur: Dein 2. illi quamvis ubique, ac præsertim in cerebri ambitu exteriori, tunc à succi nervei incursibus libero, spatia aperta obtineant: ne tamen hæc spirituum expansio (quæ Vigilia est) uspiam ad nimias illorum jacturas diutius, quam par est, protrahatur, & spiritus subinde defessi flaccescunt ac velut sponte decumbunt, ac una liquor nerveus in cerebri corticem suffusus eorum meatus infercit ac occludit.

Hinc sequitur Vigilias p. n. sive immodicas, à duobus hisce, nempe altero aut simul utroque pendere, aut enim illi nimis efferi, ac velut œstro perciti, haud sponte succumbunt; aut liquor nerveus cerebri exterioris poros non ita implet & obturat, proinde ut spiritus illinc introrsum ad requiem cogantur.

Utriusque horum typi observandi passim occurrunt, Et 1°. advertere licet spiritus animales interdum efferos, ac ita elasticos, aut aliàs enormes factos, non modo non sedari & quiescere, sed intra propriam emanationis suæ sphæram vix contineri posse, quapropter in vigiliis continue expansi cerebrum ita implent, ac tensum servant, ut succus nerveus, præ foribus licet copiose aggestus, minime admittatur, quod, ut ipse ingrediatur, spiritus à cerebri cortice introrsum revocantur, si statim illic coerciti, vel intra cerebri meditullium tumultuantes, phantasmata mille & sæpe horrenda concitant, quibus somnus arcetur, aut illinc ulterius *combo* suam in genus nervosum dirigentes, magnas ibidem inordinationes cient quæ somnum, mox irrepentem, & instare visum, continue abigunt & abrumpunt.

Quoad *prius* horum, sæpius observavi quosdam Vigiliis affectos, qui somnum, licet optato ingruentem, capere verebantur, quamprimum enim dormituri oculos clauderent, denuo statim exilientes confusa phantasmatum multitudine sese mox adigi ad insaniam clamitabant, proinde ut necesse habuerint somno abstinere.

2. Spiritus dum efferatiores facti, propter somnum ab ambitu cerebri versus interiora revocantur, quandoque in genus nervosum *agmina* suas convertunt, & tunc, aut in *nervos præcordiis* aut *visceribus* destinatos tumultuarie irruentes, in partibus respectivis inordinationes cient (hinc taliter affectis, quoties clausis oculis somnos invitant, aut cordis tremores, subsultus & convulsiones, cum spirituum deliquiis, & respiratione impedita, aut viscerum inflationes & intumescentiæ, præfocationibus sensus, aliaque symptomata, pro hystericis vulgo habita succedunt.)

Vel 2. spiritus ab excubiis vocati, & in genus nervosum conversi, quandoque in spinalem medullam, nervosque exinde in membra quæque exteriora protensos impetus suos transferunt; quamobrem nonnullis, dum lecto commissi somno indulgent, mox in brachiis & cruribus tendinum subsultus & spasmi, tantæq; membrorum inquietudines & jactationes succedunt, ut laborantes haud plusquam equuleo torti dormire possint.

Hujusmodi affectus somnifugi, sive intra cerebri meditullium, sive intra genus nervosum, aut internus aut externus concitati, omnino à spirituum animalium mala constitutione pendere videntur, nam qui mites, clari & lucidi corpora continentia blande actuare, & influentia benigna irradiare debebant, acres & efferi, ac tanquam effluvia ab aquis stygiis emissa, coerceri inhabiles, ea nimis distendunt, voluntatis imperio reg, & à somno sedari recusant, quinimo in loco cohibiti, mox in aliis tumultuantur. Talis spirituum animalium constitutio, à *sanguinis* gignentis, & *succi nervei* eam foventis & augentis dyscrasiis acidis, & sæpe quasi vitriolicis procedit. *Willis.* Vide inferius §. 34. *Differentia à causis sumitur.*)

7. *Causa*) Spiritus animales in naturali subtilitate moti ordinarie, ut objectorum omnium sensilium, mediantibus fibris nerveis in organis sensuum prompte recipiunt impressiones, & sic sensuum passiones sustinent, ita prompte varios motus obeunt, quo in statu Animal *Vigilare* dicitur cujus privatio est Somnus; Agrypniæ ergo omnis causa proxima est *motus spirituum animalium* aut *nimius*, aut saltem *continuus* in *organa* machinæ corporeæ vel *interna* vel *externa*, cujus influxus, ut vocant, seu motus ratione, promte sensilium objectorum impressiones recipiunt, & postmodum pro ratione motionis in organo impressæ, similiter ipsi in cerebro commoti varias animæ rationali discursuum occasiones subministrãt, vbi in sensibus externis nil percipitur, animal dormit; adeoq; saltem ratione externorum sensuum, & hinc consequenter sensus, communis vigiliæ vel somni oriuntur. *Etmuller Pr. Part. 1. p. 245.*

8. *Objecta nempe*) Si quãdo Objectũ sensile fortius organon quoddam tã intra quam extra corpus afficit necessario moventur spiritus, quæ motiones secundum nervi ductum ad cerebrũ usq; continuatæ cæteros spiritus similiter movent: Hinc videmus quod *clamor* fortior, *dolor* quicunque tam externus v. g. capitis, quã internus, v. g. nephriticus, aut iliacus, item tusses, vigilias inducunt, Quin & dyspnoea vigilias infert, ob sensibilem illam molestiam quam in pulmonibus & circa cor excitat. Objectum tale afficiens, sæpius in primis viis quærendum: Sane in omnibus agrypniis pertinacioribus, vel vitium est in spiritibus animalibus & cerebro, vel *per consensum* est, ex vitio primarum viarum digestionisque plus minus vitiatæ ratione & undecunque præternaturalis, quæ oritur vel ex assumptis vitiosis, vel male digestis, vel vitiose alteratis, vel perverse distributis, quæ irritando partes sensiles in illis locis, etiam nobis non sentientibus agrypnias inferunt, v. g. qui *largius cœnant* insomnes noctes ducunt; quibus *alvus clausa* est nimis, somnum interruptum habent.

Agrypnia infantium, item *pavores in somno*, ex primis viis, præsertim circa stomachum radicem habent; Ad hunc primarum causarum fontem pertinet etiam ipsa *Anima rationalis*, in curis vel meditationibus occupata; Cum enim hac utatur, ceu instrumento, motu spirituum animalium, necessario graves curæ, aut meditationes, Vigilias nimias inferunt. Quo faciunt ex parte *pertinacissima melancholicorum agrypnia*, quas interdum ad aliquot septimanas patiuntur, cum in his Anima rationalis tantum non in continua objecti melancholici consideratione versetur. *Etmuller.* Vide *inferius* §. 34. *Differentia à causis.*)

9. *Curas, cogitationes*) Consuetudo sæpe facit homines certa noctis hora excitari diuque vigilare; Sicuti naturam assuetam sua tempora observare, in excretionibus quoque, aliisque illius operationibus notum est: quod senibus in vigiliis familiare admodum est, qui licet ad somnum proclives sint, citoque se lecto dent, tamen vel circa mediam noctem citius aut tardius excitati, dormire amplius nequeunt, hocque illis postea consuetum fieri solet, accedente interim *cura & cogitatione*, quibus dum varia scrutantur & disponunt, magis expergefiunt. *Platerus.*

10. *Intemperiem cerebri*) Cerebrum in vigiliis quando

afficiatur. Vide infra §.34. *Differentia à causis sumitur.*)

[11] *Dolores*) *Externi* sensus admodum à propriis objectis commoti internos quoque movent & quiescere non sinunt; vel si quiescant, tamen commovent & impellunt; *Tactus* in primis, dolore & molestia affectos vigilare facit, quo nonnunquam in morbis qui dolore excruciant, vigiliis simul infestantur: qui cardialgia, stomacho nimis pleno laborant, inquiete dormiunt: Sitientes admodum sitis causa vigilant: qui dyspnoea anguntur dormire nequeunt &c. *Platerus.*

Prognosis.

[12] *Curatio est difficilis*) Ut si molestias doloresq; certis partibus afferunt, idq; quia spiritus non tantum, sed & humores ipsorum contagio accenduntur; Unde spiritibus sanguineque per vigilias nimias in capite primum incalescentibus, dolor capitis, oculorum rubedo, lacrymisque calidis eo affluentibus, pruritus, ut oculos perfricare sæpe cogantur, vigilantibus accidunt; Et si hæc diutius perseverent, sanguinisque massa inflammetur, febres fiunt diariæ; Et si in aliis febribus symptoma hoc urgeat, calore adaucto, febrium invalescunt symptomata: Bilis quoque in biliosis hac ratione effervescens per vigilias nimias, & in ventriculum effusa ebulliens, ventriculi tosiones aliaque illius accidentia, & per illius consensum, capitis dolorem vertiginemque parit. *Platerus.* Vide supra §. 4 *Vigilia præter naturam.*)

[13] *Si inciderint in juvenes*) Vigiliæ in ætate consistente aut muliebri, plus nocent quam in ætate juvenili, aut sexu virili. *Etmuller.*

[14] *In Juvenes*) Nam senibus frequens symptoma est Vigilia, idque partim *cerebri*, partim *digestionis primæ vitio*, Nempe *cerebri pori*, nutritione in senibus nonnihil naturaliter deficiente, nimis aperti ac patuli, liberrimum spiritibus commeatum undique continuo permittunt; quorum placida quidem sed continuata motione somnus deficit. Quoad *digestionis primæ vitium*, non saltim circa primas vias insensiles molestiæ spiritus turbant, dum minus commode ea procedit, sed etiam deficientis chyli nutritivi causa cerebrum partesque nerveæ aridiores ac sicciores fere redduntur. *Etmuller.*

[15] *Si delirium vel convulsionem*) Hinc *Hippocr. sect. 7. aph. 18.* A vigiliis convulsio aut delirium malum. Id quod in febribus acutis præsertim contingit.

[16] *Si diu durent*) Non semper morbosæ sunt Vigiliæ, Novi *inquit Willis* quosdam febris aut doloris satis immunes, stomacho valentes, ad negotia satis expeditos, lecto commissos haud plus somni quam Hesperidum draco cepisse: Hujusmodi vigilum nonnulli, somno licet destituti, eo vix carere videntur, nam proinde spiritus nec torpidi nec defessi, vel exhausti apparent; Verum alii vigilias ægre ferentes, exinde cito languidi & inappetentes fiunt. *Willis.*

In morbis chronicis, speciatim ab affectibus melancholicis, interdum satis diu citra noxam continuantur: Sic observatæ sunt eædem xxv. dierum. *Schenckius* in *observat.* refert vigilias 14. mensium. Sed utut minus malæ sint in chronicis quam in acutis, tamen quo diuturniores, eo magis tandem symptomata mala post se trahunt ac nonnunquam in fatuitatem terminantur, Sic *Panarolus obs. 4.* Pentec. 8. refert puerum biennem sex menses insomnem postea fatuum redditum. *Etmuller.*

[17] *Consistit I.* [18] In *Causarum* vigilias inferentium *remotione*. II. In *somni* seu [19] per cephalica [20] refrigerantia extra applicata [21] vel intus data seu [22] per [23] Narcotica *conciliatione*. Excellunt, pinguedo *lucii piscis* temporibus illita, Vinum *Hypnoticum* Mynsichti, Soporiferum *Saxoniæ*, Liquor ex *vermiculis spongiarum cynosbati*, postquam maturuerint expressus, [24] *Opium* croco, magisterio corallorum & Spiritu vitrioli correctum (secretum ejus, per fermentationem cum succo cydoniorum & menstruam cum alcohole spiritus vini circulationem parandi modum, vide in Bartholini Cent. III. epist. 45.) pulmentum ex *semine papaver.* cum *ol. hyoscyami*, & lacte muliebri, pulsibus applicatum *Pediluvium* Hartmannitum.

[25] His addentur I. Ex *Internis*, [26] *Succus* arantiorum dulcis cum Syrupo violarum. [27] *Syrupus* ex succo fructuum, puta acinis qui grana referunt *solani*, dimidii cochlearis pondere exhibitus. *Pillul* ex *styracoe* in spiritu vini immissæ & post imprægnationem, filtrationem, evaporationem paratæ. *Pillula* ex succi *hypocistidis* coagulati dr. II. *hepat. ranar. viridium* dr. iij. pulpæ *semin. scorzoneræ* scr. 1. [27] *sulphuris anodyni vitrioli* unc. ß. in mortario contusis cum syrupo flor. tunicæ formatæ, dosis gr. 1. Sulfuris autem anodyni parandi modum cum spiritu terebinthinæ docebit te Bartholinus Cent. IV. epist. 53. *Fel leporis Martii* juvenis exsiccatum & in cerevisia exhibitum; quo Chirurgi membrum aliquod amputaturi uti solent.

II, [29] Ex *Externis.* [30] Spuma *seri* agitati vel cocti dum bullit, raso capiti inuncta. *Lac suillum* temporibus illitum, *Medulla cervi* recens pari modo applicata. *Spongia* succo *mandragoræ, lactucæ, hyoscyami, nenupharis, solani* imbuta, & linteo tecta in æstu caniculari suspensa, quæ [31] naribus admoveri debet; amoveri, si somnus diuturnior: Quod si nec sic evigilaverint, adhiberi poterit alia [32] spongia in *serpilli* decocto macerata, cum *majorana, apio* & *semine fœniculi aceto* incoctis. Prevotius ex Guainerio immergit spongiam succis hyoscyami, mandragoræ, mororum immaturorum, lactucæ, hederæ arboreæ, ana unc. 1. in quibus Opii unc. ß. dissoluta, eam ad Solem per xv. dies exsiccat, & ad usum aquæ tepidæ immergit naribusque admovet. [33] *Laudatur* & *aqua Langii* stillatitia ex uncia opii & capitibus duobus allii parata &c.

[17] *Consistit*) In cura, causarum remotarum seu antecedentium inprimis habenda est ratio, ideoque vel 1. *objectum* partes sensiles plus minus irritans removendum, Aut 2, *Spirituum animalium impetus*, blandis anodynis, aut bene correctis narcoticis corrigendi: aut 3. temperatis nutritivis *cerebro* ipsisque spiritibus prospiciendum. *Etmuller.*

[18] *Consistit I. in causarum &c.*) Cura consideranda triplex,

triplex, 1. Si dolores aliqui urgeant, ii sedandi, tollendo vel demulcendo causam, & emendando sensorium male affectum.

2. Si Animæ sollicitudines urserint prius, & ab illis remanserit spirituum animalium, ipsiusque adeo mentis agitatio, tentanda agitationis sedatio, tum pacantibus animalium spirituum agitationem, tum ad tranquillitatem deducentibus ipsam animam.

3. Si ab humore salso volatili & acri, corrigenda illa acrimonia oleosis emulsionibus, hordeatis, semin. *4. frig. major. papav.* quandoque *amygdalar.* vel, quod præstat omnibus, *Sulphure pacativo vitrioli*, neutiquam narcotico; *Sylvius l. 2. pr. l. 2. c. 28.* Idem c. 26. De hoc *Sulphure anodyno vitrioli*, §. 32. Videtur *inquit*, Opii vis Narcotica in animales spiritus extendi, *Vitrioli* autem anodyni vis pacativa in Bilem effervescentem: Quærant, *addit*, interim omnes Anodynum illud Vitrioli, & pro arcano summo habeant, mirabilia namque præstat in variis affectibus difficillimis curandis. *Sylvius de le Boë.*

Quoniam Pervigilia diu tolerari non possunt, idcirco quæ præsens levamen conferunt imprimis adhiberi debent; in hunc finem quæ spiritus demulcent, eorumque inordinationes blande leniunt, uti anodyna vulgo dicta, scil. *aqua distill. decocta, syrup. & conserva è floribus nymphææ, paralys. malva, violar. sacca, fol. lactuca, portulac. salicis*, necnon *emulsiones* aut *expressiones* succulentæ conveniunt. *Willis.*

Si ex *spirituum nimia copia* vigilare cogantur, causæ quæ illos exagitant primum avertendæ erunt, ut si *luce nimia* aut *strepitu* somnus impediatur, aut inquietius dormiant, tenebris inductis & quiete hæc erunt declinanda: Si *animi* affectus id faciant, corrigantur, eaque quæ lætitiam afferre possunt, & soporem simul concilliant, *ut vinum*, exhibenda; Si *in rem aliquam nimia* intentio somnum impediat, meditatione alterius rei à priore animo avocato, somnus conciliatur facilius, sicuti noctu vigilantes, si precibus ad Deum admodum intenti sint, obliti aliarum curarum, citius obdormire observamus. Si molestia quædam insomnes faciat, *ut Sitis*, tunc ea quæ eam excitant, *salsa*, omittenda, Si ex *repletione* inquietius dormiant, cœna sobria hoc vitium emendare solet, præsertim si non statim à sumpto cibo dormiant; Si *dyspnoea* propter decubitum contracta ita angat ut dormire nequeant, erecti sic collocandi ut liberius spirare, & corpus nihilominus quiescere possit. Si *dolor gravis* in morbo aliquo somnum impediat, isque alia ratione mitigari non possit, soporiferis conciliabimus, *Platerus.* Vide infra caput de *Insomniis*, ex eodem, ubi nonnulla huc pertinentia.

18. *Causarum vigilias inferentium.*) Quoad Somnum inducentia, pauca quædam huc facientia supponimus (1.) In somno cessare spirituum energiam ad extra, versus objecta; quod si fiat, necessario etiam influxus citatior in partem dolentem inhibetur, saltem in tantum, nam ex parte influere patet ex eo quoque quod podagrici, vel doloribus aliis afflicti, si indormiant patiantur pavores & concussiones, indicio archeum succuti & tristari.

(2.) Somnum habitare in humido; vigilias in sicco, unde quo major copia seri in sanguine, corpore, & cerebro, eo facilior somnus, quo minor, eo magis vigilæ [illegible]t.

([illegible]) Ad somnum concurrere necessario duo, ligans & ligatum; Ligati sunt spiritus, ut cessent naturaliter, & cessatione quidem oppositiva, agere: Ligans est serum, ipsorum vehiculum, cui implicantur & obvolvuntur quasi, ut poros dispandere, & influere in sensuum organa cessent.

(4.) Somni causam esse geminam, positivam, vaporosam, quæ obstruere secundum naturam poros cerebri queat, Et privativam, spirituum respectivam fatigationem, debilitatem & defectum, ut stationes suas deserere & retrocedere cogantur, secumque habitare, postquam per vigilias, per labores, magna quantitate & nisu movendo vasæ corpori insumserunt.

(5.) Somni principia esse eadem quæ nutritionis, aquam & sulphur, Hinc polita nutritione somnus etiam irrepit, & contra, absq; Cerere & Baccho friget somnus: hinc post pastum invitamur ad somnum, & maxime delinquunt qui accedente tempore vespertino spirituum lassitudine, eos nihilominus ad labores pristinos lucubrando adigunt.

Ex his facile patet quænam & qualia somnum cicant, & somnum citando dolorum fiant sedativa, seu conjunctim utrumque præstent, humectantia scil. & vaporosa blanda, adæquate etiam anodyna, in vertentia, unde tres fluunt conclusiones.

1. Quæcunque ὑγραντικῶς humectant, & serum deficiens supplent, somnum cient, & consequenter etiam dolores sedant; Humectant potus largior, unde in febribus absurdum est expectare somnum & abstinere à potu. Humectant aquæ distillatæ in potionibus & emulsionibus, ut *aqua flor. sambuc. pap. rhoead. acacia* & refrigerantes, aliæ, & nomine hoc compositæ, *aqua hypnotica Dorncrellii, qua* [illegible] adquirunt majorem, imo unicam *è seminibus frigidis 4. mai. paon. p. ipav. albi, lactuca, amygd. d.* additis pro re nata alterantibus appropriatis. Hinc optime humectans refrigerium, dolentium est desiderium, & emulsiones laudatæ blande demulcent & sopiunt dolores capitis, arthriticos aliosque. Nimirum optime se gerunt eo casu humectantia, quod non solum somnum per se inducant, sed & per se dolores sedent, quatenus diluunt & contemperant acrimoniam salinam rodentem & vellicantem, unde itidem obtunduntur spicula.

2. Quæcunq; sulphure pollent vaporoso, blandoq; resolubili, somnum cient, & consequenter dolores sedant; veut enim id præstent omnia inebriantia dicta, & ipsa quoque noxia, quod somnum cieant quasi [illegible], profundum, & stupefaciant consequenter, illa ipsa tamen demonstrant agendi hunc modum suis exemplis ac illustrant;

Somnifera hinc vaporosa Distinguentur in alimentosa; venenosa & medicamentosa, *Alimentosa* sunt vinum (vigiliis, non item doloribus aptum, unde *Cos* testimonio in dolore capitis; adde quibusvis aliis pungitivis, podagricis, pleuriticis &c. non dandum) cerevisia, spiritus vini, quæ hinc in vigilacibus, imo & sanis ordinarie insignem conferunt operam ad ciendum somnum in oculos, *Venenosa*, in hyoscyamo, *cicuta*, *mandragora* &c. hærent imo per accidens talia etiam evadunt & alimētosa & medicamentosa; Quis enim nescit ab ebrietate somnum lethalem aliquādo inductum? quis *Opium* non hoc nomine accusat, quod necare incaute datum possit? *Medicamentosa* sunt tum interna confortantia, tum ligantia.

Confortando ligant *species diambra & diamosch.* quæ in vigiliis senum egregiam operam ferunt, quatenus & roborant spiritus, & vaporositatem addunt debitam vappescenti & minus implicanti ac liganti sero, *Ligantia* sunt *Crocus*, & præ aliis *papaveracea*, & ex his orta *Opiata*: Hinc promiscue hæc & anodyna & narcotica audiunt, etiam in compositis, & ex iisdem præparatis. Sunt enim talia *extr. croci, extr. opii s. & c.* sub titulo *laudani opiati; essent. seu tinctura anodyna*, seu *laudanum liquidum* vario modo paratū, *magist. anodyn pulvis anodyn. confert. trochisci narcot. Plateri, theriaca, mitrid. el. diascord. requies Nicol. Philon. Rom.* exterius fere magis usitatæ opiatæ, item *Pilula de Cynogl.* quæ pro basi habent opium. *Wedelius A. m. m. 434.*

18. *In causarum vigilias &c.*) Ex dictis patet quod

Universalia vulgo dicta, nempe *Venæ sectiones* aut *purgationes* &c. per se nihil conferant, utut per accidens auferendo causam occasionalem prodesse possint; Sic enim refert *Deodat. valetud. p. 25.* vigilias pertinaces aliis irritis per catharticum melanagogum curatas. *Etmuller.*

19. *Per cephalica refrigerantia &c. seu per narcotica*) Aliter agendum *in senum vigiliis*, quibus nō tam anodyna quam confortantia plus minus *aromatica*, digestionem primam promoventia conveniunt, adeoq; remedia sic dicta *calida*, potus *vini dulcis*, *aqua vitæ & aromata*, *essentia absynth.* in specie *vinum dulce* senibus convenit, It. remedia *ambrata & mosch.* ut *species diamosch. diambr. ambra.* 2. Sic pariter agrypniæ in affectibus sic dictis frigidis, v. g. in *catarrhis*, per usum *piper. albi*. Item, per *Elect.* ex *aromatib.* & calidis optime sopiuntur, 3. Alii in vigiliis nimiis à *cruditate ventriculi spir. vini* usum post cœnam commendant, 4. Sic agrypniis cum *virium exhaustione* spirituumq; absumptione analeptica talia *ex vino dulci* sunt optima, aut si propinanda *papaverina*, eadem *aromaticis* Sociandа sunt; quem morem Veteres in *Philoniorum* compositione observarunt. Jurisconsultus ex diuturno studio 4. menses sine somno fuit, ita ut jam putaretur fatuus, nullis præsidiis proficientibus *Philonii Persici* ℥j. cum *malvatico* exhibita bis vel ter ad somnum rediit, authore *Zacuto l. 1. med. princ. hist. 13.* Sic mulieri Patavinæ insomni per 15. dies, tandem pane cum *vino malvatico* cum uteretur, somnus conciliatus fuit, authore *Schenckio. obs. lib. 1. Etmuller.*

20. *Refrigerantia extra applicata*) Usitatæ sunt *lotiones manuum* & pedum ex *fol. lactuc. nymph. solani, vitis flor. chamom. cap. papav. &c.* quorum decocto laventur, ac linteis involutæ sponte exsiccentur: Possunt & eodem foveri tempora.

℞ *fol. vitis, salic. nymph. flor. chamom. āā. m. 1. cap. papav. cum semin. contus. n. xv. coqu. in s. q. aqua simpl. Etmuller.*

21. *Vel intus data*] Remedia ad pervigilia sunt fere sic vulgo dicta *refrigerantia & humectantia*, hinc *temperata*, blande nutritia, tandem *papaverina*; *Lactuca* ejusque esus, *nymph. papav. rubr. portulaca*, & plura inde parata remedia, In specie 4. *femin. frig. maj.* (*adde & minora*) & ex iisdem nunc solitariis, nunc cum *sem. papav. facta* emulsiones, temperant namq; acrimoniam humorum, blande nutriunt & successivè somnum inferunt. E.g.

℞. *amygd. d.* ℥ii. *sem. 4. fr. maj. āā.* ℨj. *papav. alb.* ℥ii. *cum s. q. aqua nymph. f. Emulsio.*

Cui postmodum pro affectuum ratione & alia appropriata addi possunt. *Decoctum hordei cum papav. & liquir.* commendatur à *Laudano*: Sicuti *hordeatorum* temperatum usum proficuum usum expertus est *Borellus cent. 4. Obs. 89. Etmuller.*

22. *Seu per Narcotica conciliatione*) De Opiatorum usu in Agrypnia observandum quod iis nec semper, nec in omnibus utendum sit, Est enim quando Vigiliæ sunt instantis criseos signum, ubi fere omittenda *Opiata*, nec naturæ labor impediendus. Est etiam ubi *Senes* diutius vigiliis torquentur, ubi potius *confortantia* conducunt; Est etiam ubi vigiliæ sunt in angustia pectoris, in dyspnoea, in hydrope, ubi opiata vix tute usurpantur, Metus enim est ne somno fortiori suffocentur ægri: est etiam ubi vires exhaustæ sunt, spiritusq; deficiunt, ubi quoq; minus *opiata* conveniunt; Et si quando usurpanda sunt, usurpentur eadem in quantitate parva, partitis vicibus, adeoque repetito crebrius in parva dosi eorum usu. *Etmuller.*

23. *Narcotica*) Desperata re soleo in *aqua lactucæ*, aut tepida, dissolvere *Philonii* ℨß. aut *opii* gr. iii. aut iv. Quo remedio vigilia languidos se restituisse author est *Galenus de Ther. ad Pis.* Ego sane duas mulieres, & puerum ab orco revocavi *Philonii* potione, quo tempore vigiliis, & deliriis premebantur maximis, adeo ut adeuntes impeterent audacter. *Ferdinandus Mena.*

24. *Per Narcotica conciliatione*) Sed potissimum indicante Narcoticorum, ad contraindicans est attendendum: Polychrestum est *Opium*, & dolorum, fluxionum & vigiliarum panacæa; seri irrequieti in singulis & causæ horum frenum, non tamen crudo modo & promiscue, citra illum seri statum qui refrenari debet, Laboret vigiliis asthmaticus, anxietate insigni correptus simul, absit opium: Phthisicus expectoratione minus succedente, inquietus sit & vigilans, absit Opium; Hydropicus vigilet & indigeat sopore, sessorum remedio, absit Opium, integra puta dosi. Contra-indicans scil. est humorum crassities, contra-indicans in aliis virium defectio, contra indicans humorum copia, restagnatio, improportio, ut alia taceamus; quibus non observatis non erit proportionatum remedium opium, sed noxium potius, moriuntur ægri quibus vita per aliquot dies prorogari potuisset: Utque tria illa sunt indicantia *Opii*, vigiliæ, fluxiones, dolores, tres furiæ microcosmi, ita regulam ex praxi construximus maxime notabilem; Ubicunq; dolores & fluxiones urgent, audacter porrigi potest Opium; in terminis debitis puta, In *vigiliis* non item, sed maxima cum cautione; Exemplo sint solæ febres, Febre laborans ardente corripiatur simul tussi, diarrhoea, dysenteria ipsa, hæmorrhagia, exhibeatur cum reliquis bezoarticis, cordialibus Opium, salutaris erit vitæ anchora; *Vigiliis* crucietur, proderit itidem sed restricte magis. *Wedelius A. m. m. p. 444.*

24. *Opium*) Papaverina imprimis utilia sunt, exque his paratum *Opium* quod Vigilias compescit; Ad quæ etiam quoad narcoticam vim referenda *hyoscyamus, mandragora, stramonium*, & hujus species *datura Indorum* dicta: Hisce *crocus*, & suo modo absinthium addenda sunt. *Etmuller.*

25. *Pediluvium*) Mirum dictu quantopere Pediluvium ex *flor. nymph. alb. rec. salic. & lactucæ fol. cum flor. chamom. m. s.* paratum in maniacis & aliis morbis somnum conciliat. *Simon. Pauli Qu. Bot. p. 101.*

26. *Ex internis*) *Pulvis hic* mirifice confert, non solum ad somnum inducendum, sed & vires restaurandas, somnia horribilia arcet & sudorem inhibet.

℞. *smaragdi, hyacinthi, margar. corall. rub. boli Armen. scobis eboris āā. q. s. m. Crato Epist. 5. lib. 6.*

In multis feliciter usus sum hoc Electuario

℞. *Conserv. violar. nymph. āā.* ℨj *diascord. requies Nic. āā.* ℥iii. *spec. diarrh. Abb.* ℈ii. *semin. 4. frigid. maj. papav. albi āā.* ℈i. *sem. lactuc. scariol. coriand. ppt. āā.* ℈ß. *croci gr. vi. cum syr. papav. q. s. f. Elect. Fr. Hildesheim spicil. 4. p. 104.*

Quidam nullis aliis juvantibus *Philonii Pers.* ℨß. cum vino malvatico data ad somnum rediit. *Zacutus Pr. Hist. lib. 1. obs. 13.*

27. *Syrupus*) Sequens mihi est instar omnium,

℞. *capit. papav. albi rec. & contus.* ℥x. *flor. nymph.* ℥iij. *flor. papav. errat.* ℥iß. *flor. violar. p. ij. fol. lactuc. semperv. portulac. āā. m. ij. semin. lattuc. portulac. āā.* ℥ij. *opii gr. vj. aquæ* ℔v. *coqu. lento igne dum capita contabuerint, tunc cætera adde & fac ch.* f. Syrupus. *Primirosius. Ench. med. p. 50.*

28. *Sulphuris anodyni vitrioli*) Quod maxime dilaudant Chimici, at vero infidum est medicamentum, seu liquidum, secundum Salam, venenum, seu solidum, neque enim tam pansum, tam nervis amicum, ac ventriculo est, ac cinnabarina & opium. *Wedelius A. m. m. p. 441.*

29. *Ex externis*) Inunctiones ex *medulla crurum vituli rec.* temporibus aliquoties tempore somnuiliata, expertisto remedio; It. *Ol. nymph. aneth. papav. alb. unc. mosch. express. ungu. popul. balsamus hypnot. Minsicht.*

℞. *Ol. papav. expr.* ℥i. *nuc. mosch. expr.* ℨß. *misce.* vel

℞. *ung. pop.* ℥ii. *opii cum spir. vini extr. gr. 4. ad 8. misce, illinatur temporibus.*

Emulsio

Emulſio ex nucl.perſic.& ſemin.papav.albi cum aqu.nymph. vel lacte muliebri parata, fronti ac temporibus cum linteis multiplicatis applicata convenit. *Cerumen ex auribus aſini* potens dicitur Narcoticum, ſed periculoſum, De hoc cerumine quantitate piſi temporibus illitum probatum dicitur remedium, ſed obſervandum ne augeatur doʒis, alias profundiſſimum ſomnum inducet. *Tarundam* ex grano uno atque altero *laudani opiati* naribus efficaciſſime inditam ait *Timæus in caſib. pag. 94. Rulandus* ſequenti utitur Epirhemate

℞. *aqu.roſar.* ℥viii. *opii dr.* j. *croci* ℈ii. *miſce.*

Hoc lintea imbuta tepide temporibus admota ſunt optima. *Etmuller.*

29. *Ex externis*) Ego in uſu Balnei aquæ dulcis in vigiliis nimiis multum confido; ſit autem ex aqua dulci, cui incoquantur *flores anthemidos, melilot.violar.meliſſa* (cujus vires egregiæ ſunt in hoc affectu) partibus tribus. Hoc Balneum æger ante prandium ingrediatur; mirum eſt quod ex hoc remedio contingere ſolet ægris commodum; Ego ſane ex externis nullum præſtantius inveni. *Hor. Augenius Epiſtol.l.5 Ep.7.*

30. *Spuma ſeri agitati*) Laudat *Coglenius Experim.p. 288. ſpumam lactis* quæ ſupernatat cum coquitur, itidem capiti illitam.

31. *Naribus admoveri*) *Olei nuc.moſch.* gtt. iii. cum taxunda linea alteri narium inditæ, additis *laudani noſtri op.* gr. iii. vel vi. mirifice inducit ſomnium. *B. Penotus Tr.ſp.Recept. p. 27.*

32. *Spongiam*) *Spongiam cynosbati* in vino vel cereviſia infuſam laudat *Frid. Hofmannus m. m. lib. 2. cap. 19.*

33. *Aqua Langij*) Sequentem præſtantiſſimam eſſe ait *Frider. Hildesheim Spicel. p. m. 104.* dummodo ejus abuſus non ſit in ſanis.

℞. *ſucci papav. albi & nigr. hyoſcyami, portulac. lactuca, nymph. violar. ana. dr. j. ſemin. papav. alb. & n. hyoſcyam. portul. lactuc. rad. mandrag. ana. dr. ij. pulv. fiat infuſio in aqu.* ℔ß. *tunc miſceatur cum ſucco, Sient in Balneo*, vel *Sole*, vel *deſtillentur lento igne. Doſis à* ʒj. *ad dr.* ß. *non ultra.*

Vide apud *Zwelferum* in *Pharm. R. p. 206. Aquam hypnoticam*, cujus vires ſunt in omnibus vigiliis diuturnis, in omnibus doloribus, & morbis ardentibus, excepta Peſte & morbis malignis. Doſis ad dr.ß.

33. *Laudatur & aqua Langis*) Ab *Horatio Angenio Epiſt. lib.5. Epiſt.7.* tanquam ſummum ſecretum probata.

34. *Differentia* à Cauſis ſumitur.

35. Aliæ ſunt à *Cauſis externis*, nempe 1. 36. Affectibus animi, 37. timore, mœrore, curis, 38. conſuetudine. Tum iſta removenda, & quia intemperiem capitis cauſari ſolent, humorum proventui occurrendum. 2. Objectis ſenſuum externorum, quæ rejicienda. Laudatur inunctio narium per *Oleum nenupharinum*, & eſus lactucæ.

Aliæ ſunt ab *Internis*, nempe 1. 39. α *Intemperie calida & ſicca*, ſeu cum febre, ſeu ſine febre, β. quæ ſpiritus agitat, & vapores diſſipat. Curari ex ſuo loco debet.

2. 40. *Vaporibus calidis*, 41. acribus, ſalſis, qui membranas cerebri vellicando ſpiritus turbant. Hi, *vel* ab apoſtemate capitis aliquo elevantur, *vel* ex toto, 42. *vel* ex partibus; *vel* ſine febre, *vel* 43. cum febre. Signa & Curatio ex ſuis capitibus peti debent, quæ vapores demulcent, poſt cœnam exhibenda ſunt,

3. 44. *Vaporum ſpiritus ſopientium defectu, ſeu* quod non generentur, ut in inedia, cruditate. *Tum* in curatione 45. ratio diætæ habenda eſt: *ſeu* quod diſſipentur, ut in intemperie calida. *Tum* ejuſdem ratio eſt habenda.

4. *Dolore*, in quo cum ſenſus communis ſimul afficiatur, eo commoto, omnes reliqui commoventur. *Curatio* ad ipſius mitigationem convertenda. Huc pertinet *Tuſſis*, *Alvi fluxus* &c. quæ ſomnum homini eripiunt.

34. *Differentia à cauſis ſumitur*) Cauſa perpetui, aut nimii ſpirituum influxus eſt 1. objectum ſenſile fortius, organon quoddam tam *intra* quam *extra* corpus afficiens, adeoque tum per modum ſymptomatis ſaltem ſe habent vigiliæ 2. Eſt *ipſum vitium morboſum* aut *ſpirituum animalium*, aut *cerebri*: Illorum vitium eſt quando quavis ex cauſa mobiliores & quaſi magis elaſtici redduntur iidem. *Cerebri vitium*, cujus occaſione iſti in continuo motu conſervantur, eſt aut *pororum ejus nimia apertio* atque hiatus, ex aliquali ejus ariditate ſeu ſiccitate, commodique nutrimenti defectu; *aut* irritatio quædam ipſarum fibrarum cerebri, aut membranarum ejus, propter nutrimentum acrius aut ſalſius, *aut* propter ſerum acrius undecumque cerebro communicatum.

De *ſpirituum animalium* vitio, Vide inferius §.β.*Quæ ſpiritus agitat*) Quod *cerebri* vitia attinet, hic ejuſdem *nutrimentum* imprimis conſideranda venit, hinc *Inedia* pervigiliũ inducit. Nempe alimentis inprimis temperatis roridis humectatur cerebrum, & blande irroratur, ipſiq; adeo ſpiritus quaſi aquoſiores facti placidiore motu ſomnum inferunt, ſed ſub *inedia*, cerebro minus humectato, ſed magis poroſo facto, ipſiq; ſpiritus ſubtiliores redditi vigilias inducunt, Faciunt huc *alimenta acriora* aſſumpta, tam aromata, ut piperata, cinnamomo &c. quam alia, ut allium, cepæ, eruca, &c. à talibus enim irritatum quodammodo cerebrum, ac genus nervoſum alteratum. vigilias inducit: Hinc Venus nimia, tabaci abuſus &c. pervigilium inducunt, *Etmuller.*

35. *Aliæ eſt à cauſis externis*) Cum à terrore vano & panico conturbati ſunt ſpiritus animales, quamdiu ſibi adhuc conſtat mens, danda eſt opera ut averruncetur rationum momentis iſte pavor, & tam multis lethalis; atque ſomnus mox exulans quibuſvis auxiliis, adeoque ipſis narcoticis quamptimum reducatur; niſi hoc fiat ocyſſime, medicina ſero parabitur, *Fr. Sylvius Pr.l.1.c.41.*

36. *Affectibus animi*) Vide §.*Objectis ſenſuum*) & §.α.*Quæ ſpiritus agitat.*)

37. *Timore, mœrore, curis*) Pathematis melancholicis familiaribus, Melancholici autem præ aliis moleſtiſſima patiuntur Pervigilia, multiplici ex fonte; Nam præter phantaſmatis melancholici continuatã ſpeculationem, eorum maſſa ſanguinis acrior, &, vitio digeſtionis primæ, acidior eſſe videtur, unde ſpiritus & ipſi minus volatiles, acriores & fixiores, & qui motum impreſſum ſemel in cerebro retinent generantur, ſed etiam fibræ medullares cerebri, nutrimento minus temperato ſuſtentatæ, frigidiores minuſque fluxiles reddunt, unde à pertinaci ſpirituum per eoſdem poros motu, præter alia pathemata continuæ oriuntur vigiliæ *Etmuller.*

38. *Conſuetudine*) Conſuetudo ſæpe facit homines certa noctis hora excitari, diuq; vigilare, quod ſenibus familiare admodum eſt, qui licet ad ſummum proclives ſint, citoque ſe lecto dent, tamen circa medium noctis

excitati dormire amplius nequeunt, hocque illis postea consuetum fieri solet: Consuetudo autem cum sit tanquam altera natura, non facile nisi contraria consuetudine mutatur, Quare qui certa noctis hora excitari solent, tardius dormitum se conferant, vel aliomodo consuetudinem hanc immutent, & à profundis cogitationibus somni tẽpore, quoad fieri potest abstineant. *Platerus.*

39. *Intemperie calida & sicca &c.*) Huc pertinet altera. Pervigilii species, cujus causa aliqua ex parte, si non maxima, consistit in pororum, sive meatuum in cerebri cortice fere continua apertione, sive nimia delitescentia, prætérquam enim quod spiritus animales acres, & nonnihil efferi, sponte sua succumbere & quieti indulgere recusant; insuper iis nulla repagula, aut juga è liquore nerveo cerebri poros subeunte imponuntur; quin liberi, omniq; sarcina immunes, illi etiam intra cerebri exteriora spatia ubique vacua expanduntur; quare ob hác causam pervigiles nullum torporem, aut sincipios gravitatem, nullum somni appulsum aut desiderium sentiunt. Novi quosdam ad hunc modum affectos, qui cum plures noctes continuas prorsus insomnes degissent, usque tamen alacres & impigri, stomacho valentes, & ad negotia expediti somno nondum caruisse videbantur. Hujus causa proculdubio est sanguis retorridus & atrabilarius, qui cerebro exteriori succum nerveum, non mitem & benignum, sed assatum nimis, & particulis adustis refertum suppeditat, qui proinde nec intra poros cerebri diutius manere, nec spiritus animales blande complecti & continere aptus sit; Porro ipsi spiritus ex eo procreati, ex natura sua nimis elastici & irrequieti evadunt, propterea ut nec facile sedentur, nec in soporem sua sponte proclives existant, cæterum fixiores illi haud prompte avolant, nec cito defatigati flaccescunt, quin longo tempore sine magna refectione perdurant ac vegeti perstant. Pro symptomate isto, quoties gravius urgebit, immediate tollendo, annotamus *Opiata* minus prodesse, nam dosi satis larga exhibita raro somnum inducunt, atqui affectos magis languidos & imbecillos reddunt; Sæpe melius succedit si cubitum ituri potum quendam mollem & benignum, uti imprimis allam nostram, claram & mitem, vel lac cerevisiatum cum floribus paralyseos incoctis aut emulsionem ex seminibus melonum & amygdalis in quantitate magna, nempe ad ℔ij. vel iij. assumunt. *Willis.*

40. *Vaporibus calidis, acribus*) Si spiritus irrequieti blanditiis compesci nequeunt, in sedationem vinculis & verberibus quasi inflictis eos cogere oportet, eorum copia diminui, simulque spatia in quibus liberi sine tumultu expanduntur dilatari, & ab aliorum humorum, scil. sanguinis ac seri infarctibus expediri debent: In quos fines *vena sectio* interdum convenit, *vesicatoria* fere semper locum habent; Insuper *diascordium* & *laudanum*, si bene conveniunt, crebro assumantur: atque interea dum opiata ad inducias à morbi violentia præbent, hujus causa sedulo aliorum remediorum usu quantum fieri potest eradicetur, quapropter quæ sanguinis & succi nervei acorem tollunt, eosque dulcedini restituunt, de die in diem horis medicis exhibeantur: in quo censu *pulveres testacei*, *apozemata & aqua distillata alterantes* ex *antiscorbuticis* temperatis, *chalybis præparata* mitiora, *spir. oc. fuliginis*, & præ cæteris fere omnibus tincturæ antimonii habentur. *Willis.*

α. *Intemperie calida qua spiritus agitat &c.*) Agitatiores, nimiúmque moti spiritus animales componentur, & ad motum naturalem reducentur emendando & removendo Res non naturales, motui nimio ansam præbentes, mutato Aëre æstuante in frigidum; minuendo *Alimentorum spirituosorum* usum, substituendo illis quæ pituitam præbent parum tenacem; indulgendo quieti, somnum excitando per anodyna, quin & narcotica, Animum exuendo curis: spiritus autem nimium agitatos componit Musica. *Fr. Sylvius lib. 4. cap. 41.*

β. *Qua spiritus agitat*) Vitium spirituum animalium varium eosdem ad concitatiores & pertinaciores disponit motus. Pertinet huc *totus cerebri fervor* & incalescentia in febribus ardentibus &c. cujus occasione velocius iidem moti necessario inducunt vigilias; unde in *æstate*, *ætate virili* & *cholericis*, promptiores sunt agrypniæ, somníque minus profundi: In specie *miasma malignum*, aut spiritus animales irritando, aut cerebrum ejusve membranas præternaturali sensu afficiendo, pertinaces vigilias inducit in febribus malignis, quas propter consensum deliria insequuntur. Pertinent huc *animi affectus*, ut *Amor*, Ira, Metus &c. in quibus ob inordinatos motus nimis coacti spiritus haud facile cessant quin agrypnias inducant. *Ettmuller.*

41. *Acribus, Salsis*) *Ut in senibus, quorum vigiliis peculiaris cura debetur*, de quibus *Joh. Langius Epist. 26. lib. 1.* Quum somnus accidat, *ait*, ex venarum cerebri, à frigidis & humidis, cibi, potus aut pharmaci vaporibus repletione, circa mirabilem arteriarum plexum, panniculos cerebri aut temporum venas facta; ac præcipue ex spirituum circa cor & sensuum organa infrigidatione oriatur, tum omnes sensus torpent &c. Unde Medici rebus frigidis & humidis, *lactuca*, *papav.* & tepido dulcis aquæ lavacro, pedum capitisque fomentatione somnum conciliant. Hinc quum totum senile corpus humidis superfluitatibus abundet, senes ideo juvenibus natura calidioribus esse somnolentiores contendunt; nam quæ calorifica sunt vigilias parere affirmant, quale est vetus vinum *ἄυπνον*, quo cum Grammatici œconomus sese ingurgitasset, reliquum vitæ tempus insomnis transegit.

Atqui hi toto errant cœlo. 1. Quod senilis corporis constitutio, in qua uterque calor humidum radicale depavit, non est naturaliter humida, sed sicca, id quod corporis atrophiæ, rugæ &c. nervorum quoque durities indicat; 2. Quod senum sanguis & cerebrum, non dulci phlegmate, sed salsis humoribus scateat, quod scabies sicca, cutis prurigo, peculiares senum morbi attestantur, Salsi nempe & serosi humores in senibus non tantum ob cutis densitatem coacervantur, sed etiam ob diuturnam concoctionem humorum, quæ teste *Galeno*, non modo sanguinis serum, sed jura quoque carnium & leguminum quanto diutius coquuntur salsiora reddit &c,

Ex his liquet salsos humores ex terreno humore à solis æstu & nostri caloris diuturna coctione genitos, esse siccos & calorificos, ac somni naturalis impedimenta; Quum vero his senum corpus, ac præcipue caput refertum sit, senes esse juvenibus somnolentiores nullus rei Medicæ consultus affirmabit, sed illud fateri cogetur phlegma salsum in senibus, velut acetum sua acredine, somnum turbare, sic ne id tibi accidat vino aquæ momenti diluto, ac lactucæ ex acetariis usu, & dulcis eoque temperato lavacro tibi mederi poteris.

42. *Vel ex partibus*) Vide supra §. *Objecta nempe.*)

43. *Seu cum febre*) Vide proxime §. *Qua spiritus animales agitat.*)

44. *Vaporum spiritus sopientium defectu*) In Opiatorum exhibitione unice spectanda actuatio; Non actuantur, non operantur, non prosunt Opiata nisi menstruo universali corporis, sero, præsente & disposito. Frustra est maniacos curare opiatis quandiu serũ non restitutum est sufficienti quãtitate, Frustra *Vigilus* à siccitate sons, ut à doloribus, à fluxionibus talibus optime; hinc optime dãtur eo casu cũ humectantibus alimentosis & medicamentosis, ut emulsionibus. Hinc optime etiã prosunt forma liquida hausta sæpius præ solida; ubi hæc fuerit intentio; fortius enim operatur opium pilulari forma, sed

liquida

liquida actuatur felicius, non neglecto ubivis indicante primario; Quod si hæc actuatio & modus agendi non attendatur, tantum abest ut somnum in oculos vocet opium ut arceat potius longius. *Wedelius Am. m. m. pag. 445.*

45. *Ratio Diætæ*) *Avicennas* maxime probat librorum lectionem ad *somnum arcendum*, At aliis tantum abest, ut somnum prohibeat quin potius eum inducit: Respondet *Gentilis* id fieri ex diversa audientium legentiumve temperie, quidam enim pituitosis in cerebro scatent humoribus, qui si legendo agitentur ac moveantur, ex commotione spirituum meatus cerebri occludunt, unde somnus: Si vero humores fuerint calidi tenuesq;, motu illo spirituum agitati vigilias reddunt deteriores.

ARTICULUS II.

CAP. XII.

1. *De Comate Somnolento, seu Cataphora.*

2. COma 3. *somnolentum est* 4. *sopor* 5. *gravis, quod sensus communis torpens, nec spiritus animales ad sensus diffundi sinat, nec ab iis accepta objecta agnoscat & dijudicet, exortus.*

6. *Signa* ex eo sumuntur, quod æger demissa ferè inferiore maxilla & hiante ore dormit, excitatus oculos aperit, respondet, sed mox iterum in somnum delabitur: Sic à caro, apoplexia & uteri suffocatione distinguitur.

7. *Causa* est 8. quicquid spirituum animalium ad sensus organa influxum prohibet, eosque ad actiones animales ineptiores reddit.

Curatio est *dubia*, 9. *si* virium imbecillitatem magnam, seu ex 10. morbo aliquo acutissimo, seu ex gravi à cerebri affectione sequitur: *si* in continuis febribus accidit: *si* à causa maligna proficiscitur; 11. *Nulla ferè, si* à morbis calidis & siccis oritur, quia ita insignem in cerebro refrigerationem esse necesse est: *si* malum ita ingravescit, ut sensus, motus, & respiratio ipsa tollatur; 12. In quibus consistat, in Differentiis videndum est.

1. *Comate somnolento, seu Cataphora*) Est affectio veternosa, gravis in soporem delatio, *Galenus 3. Prorrh. t. 1.* qua ægris sopori gravi quid simile, fiuntque tum omnis sensus, tum vocis expertes *1. de dieb. crit 4.* Nihil differt à *Comate*, licet *Galenus* voluerit. *Bruno in Lexico med. p. 145.*

2. *Coma Somnolentum*) Distinguendus ante omnia est *Somnus præternaturalis nimius* ab *Impotentia vigilandi*, dum ægri ex nimia virium prostratione, ab operationum animalium imbecillitate oculos apertos tenere & membra movere nequeunt, sed instar dormientium jacent, utut revera vigilent, nec perfectum somnum capiant; quod patet ex eo quod accessu personæ cujusdam inconsuetæ, aut ad ejus loquelam oculos aperiant, sed mox collabi iterum sinant, & quod interrogati præ imbecillitate respondere vix possint: Talibus *restauratio & confortatio* conveniunt: Distinguendus porro est nimius *somnus p.n. à somno nimio non naturali*, post lassitudines aut labores oborto, qualem somnum trium dierum & noctium ob prægressam lassitudinē vide in *Platero l. 1. obs. p. 5. Salmuth cent, 3. obs. 66.* Quo etiā facit quando post sanguinis excretiones, alvi profluvia, dolores magnos, animi pathemata graviora aliquandiu continuata, adeoque in genere in omni spirituum, præsertim subito exhaustorum defectu somnus non naturalis imminet; Observandum quoque quod immines *leipothymia sub specie somnolentiæ*, sive propensionis in somnum, interdum imponat, ex spirituum animalium defectu oriunda, v. g. *hystericæ* in graviori paroxysmo subinde admodum somnolentę sunt, quibus tamen leipothymiæ imminent: *Mulieres* quædam *post partum* debiliores somnolentæ fiunt, sed revera lipithymiæ imminent: Post largiores venæ sectiones, aliasque sanguinis effusiones somnolentia observatur, sed quæ revera lipothymiam minatur. *Etmuller.*

3. *Coma somnolentum*) Somnolentia præternaturalis nunc comitem habet vigiliam, nunc somnum, & utrobique semper fere delirium; Priorem speciem vocant *Coma vigil*, posteriorem *Coma simpliciter*; vel Coma somnolentum; quidam Cataphoram nominant. quidam pro tertia specie jungunt Lethargum, Est & altera Soporis species in qua nulla ratione à somno excitari possunt ægri, Carus dicta: Quidam his accensent Apoplexiam. *Sylvius.*

Riverius Prax. l. 1. c. 1. Somni præternat. quatuor præcipuas statuit differentias, Coma, Lethargum, Carum & Apoplexiam, quæ cum utplurimum ab iisdem causis oriantur, eandem curationem postulent, ideoque unico capite concludit.

3. *Somnolentum*) Lethargo affines sunt affectus alii soporosi, eorum tamen nonnulli ipso minores, uti *Somnolentia continua* & *Coma*, unicus major est, uti *Carus*: *Somnolentiam continuam* pleriq; authores non morbum, sed malam habitudinem, seu *diathesin* soporosam appellant, nam affecti quoad reliqua satis valent, bene edunt ac bibunt, foras obambulant, res domesticas mediocriter curant, attamen inter loquendum, aut ambulandum, aut edendum, etiam ore cibis impleto subinde nutant, & ni ab aliis suscitantur, mox somno obruuntur, atque ad hunc modum non solum dies aliquot aut menses, sed per plures annos prout de *Epimenide* fertur, somnum fere continuum dormiunt, quapropter affectum hunc, à quo plusquam vitæ dimidio fraudamur, revera morbum esse, & curationem mereri censemus.

Cerebri Somnolentiæ sedes, prout Lethargi, in cerebro exteriori collocāda est, verū hoc discrimine quod hujus affectus causa materialis, sive conjuncta, etsi semper & præ foribus urgeat, minus alte quam solet in Lethargo penetrat, quin fere tantum cerebri superficiem, sive anfractuum substantias mere corticales afficiat, medullis inclusis fere intactis, quo respectu non tantum à Lethargo, sed etiam à Comate discrepat, quippe in affectu quē describimus, somnus licet continue premat, tamen facile abrumpitur, tum præterea plenius expergecti res multas recordantur; & cū amicis colloquuntur, mox denuo in soporem proclives, unde constat morbi causam in exteriori tantum cerebri limbo hærere, nec penitius, prout in aliis soporosis affectibus, compagem ejus subire.

Enim vero suspicari licet, quod dum sanguis cerebri oram rivulis densissimis ubique perluens, ei laticem subtilem, pro spirituum materia ubique

instillat, cum illo saepe lymphae copia affluens, ac una corticem subingrediens, ibidemque manens, ipsam valde impleat, ac instar anasarcae in habitu corporis intumefaciat; Pars autem haec corticalis ad hunc modum tumefacta & velut hydropica, anfractus medullares, ubique substratos ita comprimit, ut spirituum expansione ob cerebri exterioris poros nonnihil constrictos impedita, *somnolentia* inducatur: cui accedit, quod sanguis, propter cerebri corticem, ab aqua quasi intercute tumefactum, per totam viciniam minus expeditè circuletur, adeoque vasa & sinus implere, in iisque stagnare aptus sit, ex quo fit ut exterior cerebri limbus adhuc magis comprimatur, proindeque spatia pro spirituum emanatione requisita etiam magis coarctentur.

Revera hoc in causae partem adsciscí inde liquet, quoniam hujusmodi somnolentis, propter sanguinem in capite haud libere circulatum, & propterea stagnare aptum, facies cum livore, sive attedine quadam rubescere solet; porro dum stagnum hoc, sive illuviem, in cerebri cortice aggestam, liquor subtilis, qui pro spirituum materia est, pertransiens, in medullas substratas pergit, probabile est cum illo particulas quasdam extraneas, sive narcoticas, minutissimas una obrepere, quae spiritibus mox accrescentes, eos torpidos, & sponte in desidiam pronos reddunt.

Hic affectus, prout in multis observavi, non admodum periculosus est, nam aut (quod saepe fit) integre sanatur, aut saltem per plures annos, sine caro aut apoplexia (quae timeri solet) perdurans, non statim lethalis aut terribilis evadit; Affectus hujus solutio non raro ex morbi sede mutata contingit, nempe cerebro clarescente, materia morbifica ad cerebellum transfertur, cui insidens cordis tremores, asthma, spirituum deliquia aliaque symptomata molesta, pro hypochondriacis vulgo habita producit.

Methodus therapeutica has potissimum intentiones suggerit, nempe ut post totius provisionem *phlebotomia*, ubi convenit, & *catharsi* factam, ea remedia sedulo adhibeantur quibus sanguis & cerebrum ab illuvie aquosa liberentur; atque hoc (quo minus in posterum superfluitates serosas excipiat & retineat) corroboretur: Propter hos fines, semel aut bis in septimana exhibeantur *Pilula de succino*, aut *cochia* cum *resina Jalapae*: aliis temporibus hora somni, & primo mane, quotidie sumatur dosis *Electuarii Cephalici*, aut spiritus vel *tinctura salis Armoniaci*, *succini*, *fuliginis*, cum *Jalapio cephalico*? Hora 8. matutina, & v. vespertina bibatur haustus *Coffee*, liquori, è quo parabitur, prius incoquendo *folia salviae*, aut rorismar. donec tincturam viridiusculam acquirat: Pro potu ordinario bibatur Decoctum *ligni sancti*, additis circa finem *foliis salviae*, *betonicae* aliisque cephalicis: Porro expediet duas *fontanellas* amplas inter homoplataa excitari; *Vesicatoria* insuper circa cervicem crebro adhiberi, Capillitio abscisso *cucupha* ex cephalicis aromaticis sub pileo gestetur; Vas *sale urinae*, aut *spiritu salis armoniaci* impletum subinde naribus admoveatur, Caeterum exacta victus ratione instituta, ministrorum sit, qui aegro praesto sunt, non tantum subinde excitare dormitantem, sed quotidie statis aliquot horis vigilem detinere. *Willis.*

4. *Sopor*) *Somni essentia* in eo consistit, quod *Anima* corporea se paululum subducens, & irradiationis suae sphaeram contrahens, imprimis extimum cerebri ambitum, sive corticem ejus, & dein exteriora quaeque sensus & motus organa, spirituum emanatione destituat, & quasi fores occludat, proinde ut illi refectionis gratia intra revocati succumbant & quieti indulgeant: Interim cerebri exterioris pori, & meatus, à spirituum excursibus immunes & vacui, liquori nerveo, è sanguine pro novis spirituum copiis exstillato aditum praebent:

In *somno naturali* & assueto, binae hae concausae, tanquam ex Naturae pacto quodam mutuo conspirant & simul contingunt; scil. eodem tempore spiritus recedunt, & humor nerveus subintrat; In *somno* autem *non naturali*, sive extraordinario causa interdum *haec*, & quandoque *illa* potior est; nam vel spiritus defessi, aut avocati, se prius subtrahunt, & humori nerveo prae foribus aggesto introitum praebent, vel humor nerveus uberior loca ista adpellens, & quasi vi viam faciens, spiritus repellit, eorumque meatus subiens quasi inundat: *Willis* Vide plura *Pr. de Anima Brutor.* c.16.p.t.

5. *Sopor gravis*) Huc referendus *Sopor sagarum*, in quo se per aërem ferri, suaviter vesutiare, choreas ducere, & cum Daemone congredi putant, & vigilantes in eodem errore permanent. *Platerus Pr. l. 1. c. 2.* Vidimus & alium in Batone quodam, qui longo tempore attonitus & somnolentus nihil secundum rationem agebat, cibum nec petebat, nec nisi per vim intrusum capiebat, nec lectum nisi coactus accedebat, sed ad mensam tota die brachio innixus, oculisque elatis veluti dormiens sedebat, nec nisi interrogatus, saepiusque admonitus quicquam, sed tunc quoque quae ad rem minime pertinebant respondebat. *Idem ibid.*

6. *Signa ex eo sumuntur*) Somnolentiae morbosae species est *Coma somnolentum* sive *cataphora*, cui praeter somnolentiam molestam comes adest somnus profundus, & quidem cum delirio junctus: Differt proinde à somnolentia morbosa solitaria haec Cataphora, quod 1. profundior sit somnus quam in somnolentia solitaria. 2. à somno excitati aegri delirent, & delirium verbis & opere testentur, 3 mox in somnum relabantur, secus ac in somnolentia solitaria, qui tunc aliquandiu vigilare possunt, Accidit vero aliquando ut comitem habeat Coma febrem, tunc à Lethargo distinguitur, quod in hoc simul sit laesa memoria, & urgeat rerum plerarumque oblivio, non item in Comate: Duae proinde occurrunt Comatis somnolenti species, una quae sine febre affligit, altera quae comitem habet febrem; quae species sunt distinguendae cum ad curam rite instituendam faciant. *Franc. Sylvius lib. 2. cap. 27.*

Coma Somnolentum sic depingit Willis c. 4. p. 2. l. de *Anim Brut*; Huic obnoxii sopore gravi plerumque opprimuntur, cui fere semper indulgentes, ore biante, & maxilla inferiori demissa mortuis similiores quam vivis jacent: à vellicatione fortiori, aut punctione suscitati circumspiciunt, adstantes alloquuntur & interrogatis respondent, attamen mox iterum dormientes sese à somno ita placide irrepente inhiberi aut interturbari moleste ferunt: Ad hunc modum indispositi per plures dies, imo interdum & menses), sine febre comitata, vel consectaria, aut respiratione laesa, atque facile expergiscibiles, & non multum obliviosi (quibus à lethargicis differunt) somnolenti persistant; interim ab aliis, affectu modo descripto laborantibus, non minus discrepant, quatenus comatosi lecto, aut cathedrae plerumque affixi, non uti superiores foras obambulant, aut res domesticas curant; interrogatis quibusdam brevioribus apposite respondent, attamen colloquia miscere, aut de rebus agendis deliberare nequeunt. Nota Delirium adjungere *Sylvium* inter symptomata, quod *Willis* praetermittit.)

Riverius, qui affectus soporosos ad quatuor capita reducit, usui Practico se accommodans, haec signa adducit, quod in *Comate* seu *Cataphora* est quidem somnus profundus sed à quo aeger excitatur, & oculos aperit & respondet, moxque iterum profunde dormit: In *Lethargo* est somnus Comati similis sed cum febre & delirio: In *Caro* aeger febre caret, ut in Comate, sed in eo somnus est profundior, ita ut aeger excitatus oculos vix aperiat & non respondeat, sicuti in praedictis,

attamen

attamen vellicatus sentiat, & integra manet respiratio: In *Apoplexia* somnus est profundissimus, & omnimoda sensus & motus privatio, excepta respiratione, atque ita ægri neque oculos aperiunt, neque respondent, neque sentiunt, & respirationem habent difficilem.

At *signa causarum* hæc affert, A *pituitosis humoribus*, produci testantur habitus pituitosus, ætas senilis aut puerilis, regio & tempestas frigida, & humida, consuetæ per os & nares pituitosæ excretionis suppressio: quod æger ante invasionem capitis gravitate, oculorum obtenebratione, & totius corporis segnitie affectus fuerit, quodque non raro in ipso morbo pituita per os & nares effluat, aut in gulam defluens ab ægro frequenter deglutiatur, A *sanguine* vero significat plethorica dispositio, rubor faciei & capitis dolor affectum præcedens: *Tumor* in cerebro vix ullis indiciis internosci potest.

Sympathicum affectum, & à vaporibus ad cerebrum elevatis oriundum ostendont 1. absentia signorum quæ idiopathicum indicant: 2. signa indicantia peculiarem affectum partium à quibus vapores transmittuntur: Sic à *ventriculo* vapores elevati testantur *crapula* præcedens, ructus acidi aut nidorosi, aliaque crudorum humorum in ventriculo aliisque partibus ventris inferiora redundantium indicia, Si à *Lumbricis*, propria eorum signa apparebunt.

7. *Causa est quicquid &c.*) Cum inter somni morbosi causas primarium locum, ad experientiæ quotidianæ testimonium, assignaverimus Virtuti rerum Narcoticæ; eademque experientia testetur Narcotica quævis, si majori copia sumantur, non tantum somnum inducere, sed simul delirium, adeo ut quotquot in somnum inciderunt gravem ab assumptis narcoticis, simul delirare, plus minus pro narcotici copia & vi majore vel minore observentur: ut itaque opus non sit aliunde Comatis somnolenti causam deducere quam à vi narcotica vel assumptorum, vel humorum in corpore depravatorum & vim narcoticam acquirentium. *Sylvius.*

8. *Quicquid spirituum animalium ad sensus organa &c.*) Cum agilitas requiratur in spiritibus animalibus ad functiones obeundas, quoties iidem minus agiles ac mobiles efficiuntur, toties læduntur eorum functiones: Segnius autem procedunt tunc per animales spiritus perfici solitæ functiones, eæque sensim ad quietem deduci videntur, hoc est, somnum, aut, si morbosus extitat, Soporem. *Sylvius c.26.l.2.§.34.*

Docuimus alias 1. spirituum animalium qualemcumque consumptionem invitare ad somnum; 2. Voluptatem animique tranquillitatem, 3. Aëris humiditatem quamvis, naturalem vel artificialem movere ad somnum; 4. frigus externum, uti & Narcotica: Ex quibus patere videtur, vel spirituum animalium consumptionem & defectum, vel eorundem torporem & minorem mobilitatem, cogere nos ad eundem. *Idem c.26.§.6.*

9. *Si virium imbecillitatem magnam*) Hinc affectus comatosi in senibus utplurimum lethales esse consueverunt, cum enim ob caloris nativi inopiam, debilem habeant facultatem concoctricem & expultricem, fit ut materiam morbificam superare & expellere nequeant, eam imprimis quæ in cerebro redundat, si quidem cerebrum, cum sit pars corporis frigidissima, adventante senio caloris imminutionem & tandem extinctionem citius quam reliquæ pati consuevit. *Riverius.*

10. *Morbo aliquo acutissimo*) Vel enim caloris nativi extinctionem significat, vel malignam aliquam & venenatam qualitatem, quæ in febribus malignis cerebrum solet plerumque impetere. *Idem.*

11. *Est nulla*) Soporoso affectui à causa frigida oriundo phrenitidem succedere bonum, quandoquidem à calore intensiore, Phrenitidem efficiente, materia pituitosa affectum soporosum producens concoquitur. *Riverius.*

12. *In quibus consistat*) Quoad Curam, Affectus soporosi vel à *causa Externa* vel *Interna* originem ducunt: Si ab *interna*, habenda est ratio an *per se & primario* morbum constituant, v. g. *lethargum*, An vero alii morbis in statu demum aut declinatione superveniens; *Si per se* morbum constituant, attendendum an vis narcotica, an vero colluvies recrementosa, in specie serosa, eos inducat; Quod si vero *aliis morbis superveniant*, & metastaseos materiæ morbificæ suspicio subsit, vel si *per se ex colluvie recrementosa* originem duxerint, *Vomitoria & Purgatio*, Item *venæ sectio* aversoria & derivatoria, item *sternutatoria & vesicatoria* sunt optima, quibus tandem *acria & volatilia*, spirituum torporem excutientia subjungantur: Sic vero ex *vi narcotica* plus minus maligna originem ducant affectus soporosi, post *vomitum*, vel præmissum vel omissum, *acria volatilia*, sensuum organa fortius vellicantia, & spirituum torporem ac immobilitatem corrigentia, vel in specie *acria, acida, volatilia*, virulentiæ narcoticæ speciatim contraria: Hinc olim & Comati vigili malignatum, Item Comati soporoso *Vesicatoria & cataplasmata* pedibus applicata sunt optima. *Emuller.*

13. *Dividitur* pro ratione causarum.

I. Aliud est [14] ab *Humiditate* vel *Frigiditate cerebri*, *Tum* [15] materia in capite [16] evacuanda & [17] discutienda; In illa, Irrigatione capitis *acerrimo aceto* cum rosis & *floribus chamæmeli* permixto, in hac, cum oleo anethino calidè inuncto: In utraque [18] Apophlegmatismis, Errhinis [19] Sternutatoriis agendum.

Aliud à [20] *Vaporibus narcoticis*, [21] Spiritibus animalibus torporem inducentibus, qui [22] *vel* sunt a nimio potu, *Tum* [23] eo adhuc [24] in ventriculo hærente, vomitus excitandus.

Vel [25] cum febribus plurumque conjunguntur: [26] *Tum* 1. [27] Vapores [28] seu per [29] venæ in cruribus sectionem, seu per [30] clysteres, frictiones, [31] cucurbitulas &c. revellendi. 2. Iidem per Oxyrrhodina actu calida, suturæ coronali applicata, quibus liberalius acetum admisceatur, repellendi; vel quod melius, ruta, castoreo, [32] aceto &c. discutiendi: 3. Ne ea quæ somno depellendo exhibentur febrem augeant cavendum.

Vel sine ipsis affligunt, Tum à ventriculo, utero, cujus singulare exemplum apud Riverium Cent II. observ. 26. vide, vel aliqua parte inferiore elevantur: Iisdem, quibus antecedentes, remediis tolluntur: [33] Narcoticorum vim infringunt, *Ruta* cum *aceto*, balsamum *rutæ*, *castoreum*, *nigella*, suffitus *sulphuris* &c.

[34] Diætam vide apud Practicos.

22. *Dividitur pro ratione Caussarum &c.*) Duplex *comatis somnolenti* assignari potest causa, *Externa* una, Narcoticum quodvis quantitate nimia assumptum, *Interna* altera, Humor, in corpore existens & corruptus, narcoticamque vim induens: Cum autem extra sanguinem per arterias & venas fluentem, duo primarii observentur in omni corpore humores, *Bilis* & *Pituita*, Et Bilis quidem in folliculo suo, Pituita vero quadantenus in ventriculo, sed maximam partem in intestinis imprimis tenuibus, in horum alterutrum, vel utrumque introduci videtur vis narcotica, Et ut in Bile constituatur urget Opium ipsum impense amarum, & hactenus Bili affine; ac spiritus vini, acrior præsertim, sale volatili & pingui abundans, & hactenus quoque Bili affinis.

Ut vero in *Pituita* constituatur aut quæratur vis narcotica, suadere videtur constitutio somnolentorum pituitosa, & Aëris constitutio humida homines ad somnum inclinans, Cum ergo utrumque humorem tunc peccare suadeant argumenta dicta, malim utrumque ita considerari, ut à pituitoso quidem propensionem ad somnum petendam putem;. A Bilioso vero vehementiorem Narcosin, sive soporem atque delirium; Adeo ut, me judice, levior ad somnum propensio pendere possit à pituita, non item sopor gravis & delirio junctus, quem a Bile vitiata pendere arbitror, Est enim Bili suum oleum & sulphur, quod narcoticū fieri quid vetat, Est etiam Bili suum sal lixiviosum & quidem volatile, quod in spiritu vini indem esse nemo negabit; & in opio esse, indicat amaritudo ejusdem: Sed omissa indagine in quonam consistat virtutis Narcoticæ natura, probabiliter arbitramur à *Vi narcotica humori bilioso introducta (concurrente simul biliosi humoris redundantia) produci Coma somnolentum.*

Ergo si narcoticam vim suscipiente Bile, ipsa quoque Pituita vitietur, nonne ita vitiari poterit ut in corpore redundet, nimium sanguini confundatur, & in corporis etiam superficie æque ac in capite restagnet? Sed nec video quid obstet vim narcoticam sedem suam habere in Bile posse, ac proinde ipsi curam adhibendam primario, non purgando quidem, sed alterando ipsam, & emendando dispositionem illam vitiosam, soporem cum delirio causantem. *Sylvius l. 1. Pr. cap. 27.*

Riverius Pr. l. 1. c. 2. Soporosorum affectuum caussas ponit i. *Humorem pituitosum* vel *Aquosum* (primam & potissimam causam) in cerebro præternaturaliter contentum, qui si in minori copia cumulatur, & cerebri substantiam irrigans ac refrigerans ejusque meatus insensiles obturans, *Coma* generare solet: Si vero in eadem copia collectus putredinem concipiat, sive in tumore collectus sit, sive per totam substantiam dispersus *Lethargum* producit: Cum vero majori copia collectus est, sine putredine, & totus propemodum substantiæ cerebri imbibitus *Carum* efficit: Si denique copia adhuc majori affluens non solum cerebri substantiam, sed etiam cerebri ventriculos oppleat, aut saltem cerebri mole concidente comprimat & angustet, nec non principium nervorum in basi calvariæ à cerebro prodiens premat, & spiritui animali transitum præcludat, *Apoplexiam* facit.

ij. *Sanguinem* in cerebro redundantem qui, cum nimia copia in illius vasis contentus crudior, serosior ac frigidior fuerit, spiritus animales condensat, & motui ineptos efficit, tum copia cerebrum gravando liberum eorum commeatum impedit, ac pro majori vel minori copia, majori vel minori frigiditate graviorem aut leviorem affectum producit. sicque tum Coma, tum Carus, tum Apoplexia ab hac causa potest generari.

A *sanguine* etiam extravasato, & cerebri Ventriculos opplente vel comprimente, unde fiat præsertim Apoplexia: Solam etiam *Cranii fracturam* cerebrum comprimendo stuporem ac comatosum affectum producere posse ait. iij. *Tumorem in cerebro* genitum; Vide exemplum apud *Platerum*.

iv. *Vapores* immodicos ad cerebrum delatos comatosi affectus sympathici causas ponit, qui si copiosi & halituosi sint, spiritus animales aggravant, & velut caligine suffundunt, sicut nubes Solis radios obtenebrant, Si vero crudiores fuerint, cerebrum adeo humectant, ut languidum ad actiones obeundas fiat: Sic ebrii sopore profundissimo à vaporum ex vino & crudis alimentis elevatorum copia detinentur, Sic pueri lumbricis laborantes comatosis affectibus corripiuntur, à crassis & copiosis vaporibus, ex crudorum & pituitosorum humorum copia elevatis: Sic in febribus nonnullis intermittentibus Sopor inexpugnabilis accessionis initio contingit, ob crudorum & putrescentium in venis humorum, præsertim mesaraicis contentorum copia, qui à calore febrilis paroxysmi attenuati multos vapores ad caput transmittunt, talemque soporem inducunt. V. medicamenta Narcotica, quæ vis in quibusdam animalibus reperitur, ut Torpedine, Aspide, ex cujus morsu lethalem soporem Cleopatræ inductum refert *Plutarchus*.

23. *Dividitur pro ratione caussarum*) Cum morbosa somnolentia non sequitur vitium aliquod in Diæta, aut dolores graves spiritus animales exhaurientes, verum causam internam, patere puto deducendam ipsam, vel ab humiditate aliqua aquea & pituitosa, inclinante, vel potius ab humore frigido & narcotico, cogente hominem ad somnum: Et revera si quis tales consideret præter naturam somnolentos, comperiet ipsos multa humiditate pituitosa scatentes & gravatos; non sine aliqua virtutis narcoticæ admistæ suspicione. *Franc. Sylvius.*

Causa proculdubio ejusdem generis est ac in aliis Soporosis affectibus, sed medii gradus inter Somnolentiam continuam & Lethargum ac Carum; Enimvero suspicari fas sit in hoc affectu materiam morbificam paulo amplius quam in somnolentia continua cerebrum penetrare, nempe anfractuum, sive gyrorum cortices, una cum minoribus medullæ inclusæ rivulis invadere; attamen ad majores medullarum sinus, corpori calloso intimos, & in lethargo occupari solitos minime pertingere.

Coma interdum, 1. & per se incipiens, sicut Lethargus, vel ab *illuvie serosa* è sanguine in cerebri corticem suffusa vel à *narcosi* spiritibus illic degentibus inflicta procedit; & tunc affectio hæc quanto minor est lethargo, tanto minus eo periculosa censetur: Verum frequentius hic morbus aliis chronicis vel acutis, nempe cephalalgiæ, convulsionibus, & frequentissime febribus male judicatis, præsertim in pueris, senibus, & pituitosis supervenit: Olim in febre epidemica *κακοήθει*, uti quosdam lethargicos, ita multos comatosos fuisse observavimus, è quibus plurimi materia morbifica è capite in pectus translata convalescebant. *Willis.*

24. Ab *humiditate vel frigiditate cerebri*) Sicuti Somnus naturalis dependet ex imminuto spirituum in organa externa influxu, ex aliquali eorundem torpore, dum minus volatiles, minusque subtiles, sed potius phlegmatici, minus prompti sunt ad obeundas functiones animales per solitas expansiones & excursiones, Ita pariter in quovis p. n. somno nimio torpor spirituum animalium, ceu *proxima causa* considerandus venit: Remotam hujus torporis suggerunt ea quæ naturaliter somnolentiam & nimium somnum inferre valent, Nempe aut *nimia aquositas*, aut *pituitositas massæ sanguineæ*, & in specie hinc cerebri, indeque *phlegmatica spirituum animalium constitutio*, vel ea quæ specialiter spirituum animalium imperum sistere, adeoque *Narcosi* seu stupore afficere valent.

Quoad *aquositatem & inundationem cerebri*, indeque natum torporem spirituum animalium, facile fieri potest, ut ratione glandularum copiosarum, tam cerebrum corticis forma ambientium, quam hinc inde in cerebro reperiendarum, serosus latex, aut lympha, motu in suo impedita, cerebrum nunc hoc nunc illo modo inundet; Vel etiam ex massa sanguinea, mediante colluvie serosa, variis recrementis onusta, in cerebrum destillet, qua ratione loco criseos lethargum subnatum, per decubitum materiæ morbosæ in cerebro observat *Willis*, qui ipse in lethargicis quoque alia loca sero inundata observavit.

A tali causa non tantummodo spiritus animales torpidiores, ac quasi phlegmatici redduntur, sed etiam porulis cerebri hinc inde refertis debita spirituum expansio, & hinc in nervos radiatio admodum impeditur, unde pathemata soporosa lethargica: Hinc est quod ex hydrocephalo subinde observatus fuerit lethargus, teste *Hildano cent.7.obs.20.* Item *Severinus de Absceß.* ex Hydrocephalo Lethargum observavit, Nempe ob id naturaliter infantes in somnum magis inclinant, ob cerebrum propter cerebrum humidius, non secus ac ii qui constitutionis sunt phlegmaticæ natura magis somnolenti sunt; Sicut in catarrhis capitis & cerebri lympha copiosius congesta, ante sui excretionem nimis humectando cerebrum, extraordinariam quandam in somnum propensionem provocat, Facit huc quod Coma somnolentum, à crebriore capitis lotione procuratum referatur in *M.C. Ann.3. p.* 549. Hinc est quod suppressio urinæ à calculo renum subinde insignem soporem solent inferre. *Etmuller. Part.2. Pr.p.* 252.

15. *Materia in capite evacuand. & discutienda*) In Comate primario methodus therapeutica similes, ac fere easdem ac in Lethargo medendi indicationes suggerit: Quoad materiam morbificam, danda erit opera tum ut novus in cerebrum affluxus præcaveatur, tum ut quæ jam jam impacta est discuti aut evelli poterit; Porro spiritus animales exsuscitari, iisque torpor omnis, sive narcosis debet excuti: Ad hunc finem *catharsin*, *sectionem venæ*; *cucurbitulas*, *vesicatoria*, *topica revellentia* & *discutientia* applicare, medicamenta *cephalica*, imprimis *sale volatili* prædita propinare, aliosque administrationum modos adhibere oportet. *Willis.*

16. *Tum materia in capite evacuanda*) Quomodo pituita emendanda sit, aut vacuanda, sæpius dictum, Ea autem vel aquea observatur, vel, quod sæpius accidit, plus minus viscida; *Aquea* per sudorifera consumitur expelliturvè satis commode, usurpando radices Chinæ, salsæ par. petasit. bardanæ, contrayervæ &c. Ligna, Guajacum, Sassafras, Juniperinum Buxinum &c. Baccas Juniperi, harum Rob, ut & sambuci baccis & simil. Potest etiam solo vini spiritu excitari sudor, qui aqueam pituitam potenter absumit; Eandem vacuant hydragoga, imprimis radices Jalapæ, Mechoac. & similia: Pituita viscidior corrigitur commodissime per gummata Aminon. Galban. Sagapen. Opopanax, in pilulas redacta: Eandem corrigit Sal quodvis lixiviosum, vel spiritus acidus quivis, vel mixtura ex utroque parata, qualis est Sal Tartari vitriolatum, quibus si spiritus aliquis volatilis, vini pura, addatur, blandior observatur eorum operatio & facilior curatio: Expurgationi inservient Agaricus, Turbith gummosum, Hermodact. colocynth. Mercurius quovis modo præparatus, & sublimatus dulcis. *Sylvius.*

17. *Evacuanda & discutienda*) Cum hujusmodi affectus præcipites sint & periculi pleni, sedulam Medici diligentiam postulant, & in talibus casibus remedia festinanter acceleranda sunt, 1. Ergo Medicus ad ægrum soporosum vocatus, confestim illum à gravi somno excitare conabitur, omnibus sensibus objecta vehementiora offerendo, Atque adeo oculi radiis solaribus & luci splendidæ objiciendi: Aures clamoribus strepitu & sonitu concutiendæ; & imprimis æger proprio nomine magna voce sæpe appellandus: Naribus acria, ut ruta, castoreum, acetum (*præsertim spiritus salis Ammoniaci*) obiicienda; In os & palatum itidem acria injicienda, Tactus frictionibus, vellicationibus, pilorum evulsionibus, ligaturis, digitorum complicationibus &c. irritandus. *Riverius.*

Vide supra §.3. *Somnolentum*) ex *Willisio.*

18. *Apophlegmatismis, Errhinis, Sternutatoriis*) Quod si nec sic resuscitari videatur æger, præm. præmit. ad *vesicatoria*, itê ad *sternutatoria* accedendum, Ad illa quidem pro *scopo aversorio*; ad hæc pro *scopo excitatorio* ac simul *evacuatorio*, sed nonnisi istis prius præmissis v.g.

℞. *Pulv. canthar.* ℈j.
euphorb. gr. xij. *castor.* gr. xv.
fermenti acerrimi ℥ß. m. pro Vesicatorio.

Nam acria ac dolentia in talibus ægris omnino requiruntur; Applicari nunc possunt vertici, nunc syncipiti, pro scopo derivatorio, nunc cruribus, pro scopo revulsorio, *Sternutatoria* per pennam insufflanda sunt naribus.

℞. *pulv. Nicot. lilior. conv.* āā. ʒj.
rad. hell. alb. ℈j. *ol. destill. major gutt.* iv.
castor. gr. xij. *vel* xv. *m.*

Sternutatorium *Timæi* in affectibus soporosis expertum.

℞. *helleb. alb. castor. piper. alb.* āā. ℈j.
ol. destill. rutæ, majoran. salv. āā. gtt. ij. *misce*

Hisce etiam *salia volatilia* v.g. *spir. volat. sal. armon. aut spir. sal. armon.* cum *calce viva* paratus commode permiscentur, cum fortiter penetrent, cæteris addita, vellicando. *Etmuller.*

19. *Sternutatoriis*) Non tamen violenta hæc concitatio, priusquam jam parum materia evacuata sit, erit tentanda, ne humor cerebrum adhuc replens concussus illud opprimat; aut in nervorum principium subito delapsus convulsionem aut resolutionem pariat: quod in apoplecticis, cum non aliter sanentur nisi paralysis subsequatur, haud metuitur. *Platerus.*

19. *Vaporibus narcoticis*) Vis narcotica, non frigiditate, uti hactenus creditum est, sed proprietate ea qua sensus consopit, per assumpta ejusmodi medicamenta, corpus subeuntia (licet odore quoque aliquid efficere possint, admota autem vix adeo operantur ut stuporem inducant) soporem non naturalem si leviora sint, sed veluti artificialem conciliant; Quod si fortioribus exhibitis potentius agat, adeo stupidos reddit, ut apoplecticorum instar sine sensu & motu jaceant, & nisi ad se redeant, sublata respiratione suffocentur: sicuti à *papaveris succis* aliisq; sæpe evenire comperimus: sed & ex *vini* immoderato usu, non propter evaporationem, uti putarunt, sed ob narcoticam illius vim sopor immodicus & stupor quoque, qui non minus eos attonitos reddit ac si opium sumpsissent, imo etiam interficit: Sicut id & ex spiritu vini accidit, eoque potentius cum vis ipsius sit in angustum coacta & collecta. *Platerus pr.l.1.c.2.*

20. *A vaporibus narcoticis*) Vulgi opinio est quod è chylo, aut humoribus intra coctionis viscera æstuantibus *fumi*, seu *vapores* eleventur qui cerebrum ob nubilent, ad eoq; torporem inducant; Verum hæc sententia, à quo sanguinis circulatio, ejusq; in cerebrum uberior suffusio innotuere, facile concidit: idque potius quia transitus à *stomacho* in *caput* per tot viscera & claustra ossea, velut obices pro fumis immittendis, omnino impervius videtur: Proculdubio multo maxima pars humoris, quo cerebrum irrigatur, ejusq; spiritus incolæ durante somno obruuntur, per arterias invehitur & à sanguinis massa immediatè instillatur. *Willis Tr. de An. Brut. c* 16.

20. *Vaporibus narcoticis*) Vapores soli, nisi occulta adsit vis, stuporem vix pariunt, licet aliqui *apoplexiam*

inde fieri posse scribant, quæ sola corporis agitatione concussioneque discussis vaporibus sanetur: Soporem vero frequenter causant, in quo partis *mandantis*, *ventriculi* scil. *uteri*, intestinorum & venosi generis, ut febribus, & *recipientis*, capitis nimirum, ratio habenda. *Platerus*.

21. *Spiritibus animalibus torporem inducentibus*) Torpidi & ad motum ineptiores spiritus animales excitabuntur, & à vi narcotica ipsis admista liberabuntur per salia volatilia, sed acriora, medicamentaque omnia mordacitate aromatica prædita, piper, caryophillos, castoreum, allium, raphanum rusticanum, sinapi, cochleariam, erysimum &c. sæpius, minore quantitate usurpata E.g.

℞. *aqu. cochlear. erysimi*, ãã. ℥j.
tinctur. castor. ʒj. *ol. caryoph.* gtt. ij.
syr. cochlear. ʒvj.

Hujus Mysturæ da cochleare unum sæpius: Vel fiat Apozema.

℞. *rad. galangæ* ℥ij. *raph. rustic.* ℥ij.
fol. erysimi m. ij. *caryophill.* ʒß.

fiat decoctio in vase clauso ex aquæ & vini ãã. q. s. Dosis cochlearia v. aut vi. aliquoties in die, sudorem proliciendo.

Horum medicamentorum ope non tantum spiritus animales liberabuntur à suo torpore, verum ipsa vis narcotica, vel in tempore tractu temporis genita, vel forinsecus admissa, corrigetur & tandem superabitur, A Sopore excitabuntur ægri objectis externis potentibus, sensus externos acriter moventibus, Lux magna oculis objiciatur; Sonus fortis excitetur, Odorata acria naribus admoveantur, *spiritus salis armon. c. c. & similes*, Atomata acria vel salia ori indantur, cutis pannis asperis confricetur, Igni aërisque æstui exponatur corpus, cum externo frigore excitari torporem sit notum. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 41.*

22. *Qui vel sunt*) Si ex vaporibus venenatis inspiratione Gas, liquorum fermentescentium, & inconcinno Narcoticorum usu oriatur Carus, Vomitus mature instituendus, & hinc *acida castersina* usurpanda erunt.

℞. *aqu. menthæ, rutæ, aceti rutac.* ãã. ℥j.
essent. castor. ʒvj. *syr. menthæ* ℥iß. m. *capiatur crebro*. Etmuller.

23. *Vel sunt à nimio Potu*) Si ex *Ebrietate* oriatur affectus soporosus, præmisso *vomitorio*, interne convenit *spiritus salis armon.* fronti vero ac temporibus applicandum Epithema ex *succo sempervivi maj. aceto* & *nitre* testibus admovendum ac subinde removendum *Etmuller*.

24. *Tum ex adhuc in ventriculo*) Ventriculi causa si accidat sopor, à cibo & potu, somni illa inclinatio, quæ à prandio & cœna multos divexare solet, in consuetis & quibusdã naturis potius corpus defatigatum reficiendo prodest quam obest: Quod si vero caput gravet Sopor cibi & potus assumpti vaporosi nimium causa, aut copia profundus fiat, *vomitus* juvabit, repetitus, si prima vice non profuerit, Et ventriculi evacuatio per Pilulas utilis erit. Si vero ab humoribus vapores elevati carú inducãt, evacuandi erunt, & ventriculus roborandus. *Platerus*.

24. *In ventriculo hærente*) Quanquam vapores à stomacho elevatos suporé accersere negamus (vide supra §. 20. *Vaporibus narcoticis*) attamen propter quasdam ventriculi affectus somnolentiam induci manifestum est; in quantum scil. *opiata* assumpta non raro protinus, & priusquam virtus, aut particulæ quævis earum *sanguinis* commeatu *cerebrum* attingunt, operari incipiunt.

Hoc etiam constat quoniam à cibis, & crassioribus, & dyspeptis, qui diutius in stomacho commorantur, ipsumque aggravant, somnolenti evadimus; Quorum ratio videtur esse quod cũ *anima corporea*, sive princeps ejus portio, immediatum somni subjectum fuerit, cumq; illa subeat, quatenus ab expansione cohibita, & quasi vela contrahens, ut se coeat, & undequaque versus cerebri meditullium subsideat, adventum talem *anima*, aut primariæ ejus partis *subsidentiam in cerebro* licet peractam, sæpe ob causam in cerebro latentem excitari, quippe hujus cum illo *sympathia* maxima intercedit, seu potius spiritus animales, ventriculum incolentes, quamvis à *cerebello* oriundi, *cum anima appetente*, sive *cognoscente* (quæ cerebri incola est) adeo intime conspirant, ut ipsam quaqua flectere, exaltare aut deprimere valeant: *Alimenti* necessarii, aut delicati *appetitus*, eam ab alio quovis proposito, aut desiderio abripiunt: *Gravidarum esuritie* frustrata, fœtus abortionem aut monstrositatem infert; vini generosi haustus primo libamine, priusquam liquor in sanguinem efferri poterit, animam collabescentem erigit ac mire recreat; Pariter è contra *Opiata*, si quidem spiritus animales stomacho insitos stupefaciunt, aut mortificant, protinus animæ cognoscenti torporem, & nonnunquam toti ejus *hypostasi*, tum *flammea* tum *lucida* extinctionem inferunt: Propter eandem rationem alimenta dyspepta, quatenus spiritus ventriculi hospites figunt & aggravant, alios in cerebro præsides aliquandiu hebetes aut torpidos reddunt. *Willis*.

25. *Vel cum febribus plerumque*) *Fusius deducit Platerus, è quo hæc desumpta*, Si à venoso genere in febribus *vapor* elevatus Soporem febris comitem efficiat, febris quoq; in curatione illius habenda est ratio; quæ si mox in *Lethargo* dicto incipiat, cum sit periculosus admodum, & senes plerumque interficiat, eoque nomine ad se potius quam ad *febrem* curam trahat, sic erit instituenda, ut cum calida remedia illi quoque ut in alio Caro competant, ratione febris comitis ita temperentur, ne corpus prius accensum nimium inflammantis periculum, quod ratione cari jam prius adest, aucta febre conduplicent: Cujus causa etiam V.S. quæ in *caro simplici* vix conceditur, hic propter *febrem comitem*, in plethoricis tamen admittitur, In reliquis febribus; si *Caros* in declinatione superveniat, quia jam febris cessavit, tota cura ad symptoma hoc grave avertendum dirigemus: In *intermittentibus febribus*, in principiis paroxysmorum invadens sopor, cum non adeo sit periculosus, curam privatam aliam quam quæ febri convenit non requirit nisi quod capitis ratio habenda.

25. *Vel cum febribus plerumque conjunguntur*) Comatis, cujus febris comes est, generatio disquirenda; Cum autem vel continuas vel Intermittentes febres comites habeat noma, observandum ipsum in intermittentibus quidem durante paroxysmo durare, In continuis autem continuum esse: Cum autem non tantum in febribus Pituitosis vocatis, sed etiam Biliosis & ardentibus quandoque observetur Coma, non parum certe opinio de vi narcotica bili insidente firmatur.

Et sane si quis in febrium generationem inquirat diligentius, comperiet vel à Bile vehementius agitata; vel ab eadem cum liquore acido effervescente, hinc sanguini communicata, vel saltem ab assumptis admissisve in corpus, & similem sanguini alterationem, qualis ex prædictis variis Bilis affectionibus ortum ducere solet producentibus febres omnes excitari.

Cum porro febris celeriorem sanguinis rarefactionem sequatur, quam faciunt omnia quæ ipsum reddant magis inflammabilem, certum est à sola Bile id expectandum: hæc enim prout varie est affecta & disposita, sic etiam sanguinem magis vel minus aptum reddit accensioni & inflammationi in corde suscipiendæ: Adeo ut febrium omnium causam à Bile deducendam arbitrer, A Bile utiquam, nunc in sanguinem per ductus bilarios hepaticos immediate effusa, & febres continuas pariente: nunc per ductum cysticum ad intestina prius eructata, atque ibidem cum pituita multifaria effervescentiam excitante, atque sic Febribus Intermittentibus ortum præbente, Huic Bili febriparæ si accedat vis Narcotica, quid mirum si præter febrem

febrem observetur Sopor gravis, cum delirio conjunctus, adeoque coma somnolentum? Differet proinde in eo duntaxat Febris Comate somnolento comitata ab alterutra febre sine ipso affligente, quod Bili, febrem excitanti adest vel abest vis *narcotica*: *Sylvius. capite* 27. *libra* 2.

26. *Tum primo Vapores &c.*) Monendum hic plane aliam esse debere curationem Febris cum Comate contingentis, ab ea cujus hoc comes non est: Cum in priore medicamenta vim narcoticam emendantia, adeoque acria sint simul adhibenda; à quibus abstinere licet in curatione Febris à comate immunis: Observandum autem inter medicamenta vim narcoticam superantia, occurrere quædam quæ extra soporem conducunt febri, qualia sunt acida omnia acriora: Inter spiritus autem acidos præ cæteris conducet *Oleum sulphuris* per campanam paratus, utpote cæteris acrius, & odore solo recreans somnumque excitans: proxime accedit *spiritus Nitri*, hinc *spiritus vitrioli philosophicus*: valent & *spiritus salis & vitrioli* volatiles, *Idem ibid.*

26. *Tum Vapores*) In venis mesaraicis, tanquam humorum, ob viciniam intestinorum, levi de causa putrescentium, receptaculo capacissimo, & multorum morborum fomite, omnium periculosissimo, febrium intermittentium materia putrescens calore attenuata, copioseque sursum, in prima præsertim invasione, ad caput delata, soporis hoc symptoma in Tertianis & Quartanis nonnullis in principio accessionis dum frigus adhuc urget, nec dum corpus penitus incaluit, accidens & interdum ad solutionem usque paroxysmi perseverans parit: Sed & in febribus continuis cerebrum dolore præcedente diuturno & gravi labefactatum, in vigore, vel post ipsum, *caro* subsequente percussum, ægrum in summum discrimen adducere sæpe observavi: Quod in principus continuarum febrium si accidat, & mox propter nimiam evaporationem princeps hæc pars, Cerebrum, aliquo pacto præsertim dispositum ad Carum ita labefactetur, ut Sopor gravis sequatur, *Lethargus* ia erit, qui cum febre continua copulatus erit, & mox cum illa invadit; ab alio caro, qui in declinatione febrium accidit, periculoso quoque; ooo aliter, nisi quod statim cum febre incipiat, differens. *Platerus.*

26. *Tum vapores*) Quoad vim Narcoticam, ex *causis internis enatam*, spiritus figentem, hanc inexpugnabilis ista *dormiendi necessitas*, & junctum *delirium*, effectus *Opiatorum* simillimi confirmant: *Acre alcosum* certo modo afficiens non immerito ceu subjectum hujus virtutis suspicatur *Sylvius l.2. Prax.* Sed non necesse est ut præcise ad caput feratur; Sufficit interdum si etiam in *primis viis hæreat*, ad instar herbarum, gas veri inspirati, aut opii assumpti, vim narcoticam exercentium: Nam & *vermis in hypochondriis* contentum delitescens caput tentare solet: Facere huc videtur quod in *Peste* quidam admodum *somnolenti* evadant; Facit huc *Borellus obs.96. cent.1.* de quodam qui sæpe lethargum patiebatur *ab aura* venenata ex pollice emissa, per causticum actuale pollici admotum curatum; Apud *River.cent.1 observ.26.* exemplum est Soporis gravis excitati ob vapores uterinos in *passione hysterica*; Huc forte pertinet Lethargus à *lumbricis* oriundus, de quo *Hildan.cent.1.curat.35.* Idem *cent.1. observ.84.* Cataphoram notat ex lumbricis. *Ettmuller.*

26. *Tum vapores*) Hinc dubium *An etiam in corpore necessario humores ita præter naturam alterari queant, ut vim anodynam, & plus minus narcoticam acquirere queant.* Et affirmatur, Sicuti enim ex *musto* per fermentationem, sicut ex ligno & carbonibus per combustionem, tale generatur *gas narcoticum*, quod antea in se non habebant, ita simili ratione nil obstare videtur quin humores diversimode alterati similem vim acquirant, Hinc *Helmont* venenum inebriativum Soporosos affectus producere ait: Et talem vim anodynam etiam subinde in affectibus soporosis, præsertim lethargo, similiter agnoscit. *Willis de An. Brut.p.2.c.3.*

25. *Vel cum febribus plerumque*) Coma tum Somnolentum tum Vigil raro observantur sine febre; quin dicit *Wedelius de Opio p.46.* rarissimos esse affectus soporosos in quibus non simul calor p.n. percipiatur: hinc Coma ut plurimum est symptoma febris, si quidem in *intermittentibus*, præsertim chronicis, non quidem in principio, sed statu & declinatione paroxysmi, ægri profunde dormiunt, quin & in *Continuis* subinde Comata observata fuere, speciatim in febribus maliguis *Coma vigil* observatur, in quo delirium vehementius subinde convulsiones imminentes præsagit. *Ettmuller.*

26. *Tum 1. Vapores*) Cerebri, quod Vapores qui soporem procreant recipit, occasione, ea quæ illorum ascensum prohibere possunt administrabuntur; Exhibitis illis quæ illos in parte suscitatos velut deprimunt & retundunt, Quod fiet in febribus si alterantia quæ ipsorum evaporationem reprimunt exhibeantur, Dein Vapores jam ad cerebrum delatos *revellentibus*, atque eosdem *derivantibus*, à parte affecta retrahemus; præsertim si Lethargus ille gravis cum febre invadat, non alia ratione quam in simplici caro iisdem quæ pituitam à capite revellunt, eoque hic magis cum vapores simul caput magis petant, idcirco & in Lethargo Venę sectione, Scarificatione, Cucurbitulis, Clysteribus, aliisque hoc est moliendum, Quod & cum Carus febrem sequitur, locum habebit. *Platerus.* Nota, ex ejus mente Lethargum nnn per essentiam oboriri, sed sympathicum esse affectum.

26. *Tum 1. Vapores seu per &c.*) Nullum vidimus affectum Soporosum, vere talem cui non adfuerit simul calor p. n. En exemplum, Villici filia Autumni tempore per unam & alteram septimanam prius torpore, lassitudine, & somnolentia correpta, hinc & aliquali diarrhœa, horruit, hinc calore continuo laborabat, cum perpetuo somno, ut ægerrime excitari solum pro cibo vel potu assumendo potuerit, idque per integros fere x. dies duravit: Obviam ivimus febri alterantibus & cordialibus, mixtis acidiusculis.

Nil vero magis sopori debellando profuit, quam *spir. salis volatilis*, cum *aqua lilior. convall. spirituosa* rite administratus interne, *Externè* inunximus oares, tempora & præcordia *Oleo succini & camphora* cum *pinguedine castorei*, Et in sacculo appendimus *castoreum*, *camphor.* & *nigellam*, Sic præter omnem spem evasit. *Wedelius Tr. de Opio p.m.*46. Nonnunquam febris comes ipsa remedio est, Soporosumque affectum excutit, nedum est extinguenda.

Filiam habeo jam oubilem, & proba utentem valetudine, quam non semel à quarto ad octavum annum comate correptam vidi cum febre, sed miti: Nonnisi ad alimentum assumendum & excrementa excludenda excitari poterat; Urgebat uxor remediorum administrationem: Febrem ipsam præsidio esse dixi, quæ mitissima, & ut vocant, lactea, Revera materiam soporiferam & proprium fomitem, humorem videlicet pituitosum illa absumpsit, Virium tenori & febris conditioni semper attentus eram; Illis constantibus, hac autem non ingravescente, medelam aliunde petere neglexi; Intra octiduum plerumque sanitatem recuperabat, accedente victu tenui, sub finem tamen purgationem instituebam; Victus erat panis cum melle; quod illi in delitiis.

26. *Tum primo Vapores &c.*) Si quemadmodum in graviore somnolentia fieri solet, vis Narcotica plus minus peccanti pituitæ videatur admista, tunc illius imprimis habenda ratio, Medicamenta autem vel duntaxat exsi-

tant ægros, vel ipsam humorum vim narcoticam simul emendant: Excitant ægros omnia acida volatilia & acri odore prædita, *Acetum* puta forte, *Sulphuris* accensi odor; *Castoreum*, *Ruta*, *Nigellæ semen*, *Raphanus rustic.* *Cepa*, *Scylla*, *Sinapi*, & alia acri odore donata imprimis aceto acri madefacta & naribus admota., Emendant vim Narcoticam eadem commode assumpta, ut & olea stillatitia, præsertim ex plantis cephalicis parata, *Salvia*, *rorismar. lavendulæ*, *majorana*, *cinnamomo*, *caryoph. ruta*, *succino* & simil. Dentur ad gutt. j. ij. iij. pro re nata, & acrimonia majore vel minore, Possunt autem ex prædictis simplicibus elici Tincturæ, tam cum vini spiritu, quam commodius cum acero, & quidem vulgari, non stillatitio, cum longe acrius sit acetum non destillatum quam idem destillatum, remanet namque in fundo pars aceti acrior cum sale ejusdem fixiore, unde etiam ab aceti destillatione remanentes in fundo fæces sunt acerrimæ & nares valde ferientes. *Sylvius.*

27. *Vapores seu per venæ &c.* Si hic morbus affectibus aliis superveniens, *ut febribus male inducatis*, cuipiam corpore jam plurimum attrito, sanguine vitiato, aut valde depauperato acciderit, de *Sanguinis missione & Purgatione* serio ante deliberare, quin etiam ab iisdem utplurimum abstinere oportet: Quandoque tamen ut morbi causa conjuncta, sive materies cerebro impacta in motum concitetur, è *fronte* aut *temporibus* per hirudines, aut è scapulis per *cucurbitulas scarificatas*, sanguinem in modica quantitate detrahere expediat: *Vesicatoria* hic imprimis locum habent; non modo cervici aut capiti, sed cruribus & brachiis, aliisque corporis partibus vicissim applicanda: Porro *spiritus c.c. fuliginis*, aut *salis armoniaci*, *succion*, *cranio humano*, *correallio*, aliisque cephalicis imprægnato, cum Julapio, alioque liquore appropriato exhibeantur. *Willis.*

a Discutiendi) Multis experimentis confirmatum reperio *Saturejam cum floribus* vino incoctam, & calentem occipiti admotam, lethargicos, difficili ac pertinaci somno oppressos, veluti raptos excitare & revocare; ut autem felicior sit exitus, hujus decocti guttæ aliquot infirmi auribus instillandæ sunt. *Hanischius.*

a Discutiendi) Id quod efficaciter præstat Potus quidam *coffee* dictus (olim apud Arabas, & modo Turcis usitatum, cum à nostratibus aut medice, aut otiose bibitur, somnolentia protinus abacta, Vigiliam insolitam, ac facultatis animalis exercitium tam indefessum producere; ut à liquore isto, debita quantitate epoto, qui sera nocte, aut statim à compotatione aut pastu uberiori incumbere necesse habent, usque per vigiles facti, ardua quævis animi pensa sine torpore perficiant; Cujusmodi certe affectus causa est, quod potus iste particulas adustas; (quibus, sensu, tum gustus tum olfactus judice scatet) mox sanguini, ac dein succo nerveo insinuat, quæ proinde agilitate & inquietudine sua, & cerebri poros usque apertos detinent, atq; spiritibus copula quavis alia & narcosi exutis, œstra quædam ac stimulos, à quibus ad munia sua diutius exequenda excitantur, addunt. *Willis.*

Per venæ sectionem) An conveniat in affectibus soporosis, vide cap. de Apoplexia.

28. *Venæ in cruribus sectionem*) Venæ sectio vel saltim pro *scopo aversorio*, aut derivatorio locum habet; In casu nempe quo à colluvie recrementorum, mediante sanguine & sero cerebrum inundante malum ortum fuerit: Tali in casu *venarum jugularium apertionem* suadet *Willis. Etmuller.*

29. *Cucurbitulas &c.*) Si nec vacuantia, nec venæ sectio sufficiant, altero die *Cucurbitulæ scarificatæ*, intra scapulas, aut *Hirudines* prope aures applicari possunt. *Etmuller.*

30. *Clysteres*) Illosque acres E. g.

℞ *h. absynth, centaur. min. fol. rut. a. ãã. m. j. rad. pyreth.* ℥vj. *pulpæ colocynth. in petia ligatæ* ʒj. *coqu. in s. q. aq. comm. colat.* ℥ix. *adde Elect. vitræ. cum agar.* ℥j. *fellis taur. inspiss.* ʒj. *vitell. ov. n.* j. *M. ijce.* Etmuller.

31. *Oxyrrhodina*) Extrinsecus ea quæ vapores reprimunt in omnibus speciebus per consensum factis, præsertim in febribus & lethargo quoque in principio capiti erunt applicanda, E.g.

℞. *aqu. rosac.* ℥iv. *ol. rosac.* ℥j. ms. applica capiti, vel eo caput inungatur.

In progressu sic para si morbus perseveret.

℞. *aceti rosf.* ℥ij. *ol. rosf.* ℥j. *ol. chamæm.* ℥ß. *oxym. syll.* ℥iß. secundum. *Rondeletium*) *fiat oxyrrhodinum. Platerus.*

32. *Aceto &c. discutiendi*) Expertum, commune omnibus Carhaphoris est aceti acerrimi perfusio supra laminam ferream ignitam, quæ multos fumos excitat, qui in naribus attracti cerebrum exsiccant somnumque expellunt, Efficacius erit si addatur *semen nigellæ* vel *rutæ*, aut castoreum, quæ fumos absumunt & materiam humidam in ventriculis cerebri contentam. *Rondeletius.*

33. *Narcoticorum vim infringunt*) Si quis omnia *medicamenta Narc. sin expugnantia* per Chymiam, stupendam illam naturaliũ mutationum omnium repagula reserantem artem, examinaverit, comperiet in omnibus & singulis abundare Salem volatilem, eumque acriorem; Salem, inquam, & volatilem, & quidem acriorem in omnibus medicamentis *soporem excutientibus*, Quæ autem sale volatili, sed blandiore sunt prædita, parum aut nihil in hoc affectu superando præstant; Salis autem volatilis lenitas pendet à spiritu volatili, uti acrimonia ab igne per adjunctum ipsi oleum communicato.

Dicimus enim Acrimoniam omnem, in rebus naturalibus observabilem, pendere aut simpliciter ab igne solo, aut à sale per ignem alterato, vel in salem lixiviosum, vel in spiritum acidum, Sale volatili abundare Acetum patet, quod non ex vappa, & vino cui spiritus vini volatilis periit, verum ex eodem vino spiritu adhuc pleno fiat, unde quo generosius vinum, eo acrius dabit acetum.

Paratur autem Acetum ex vino, cum ejus sal dominatum accipit, & spiritum volatilem sibi mancipat, & adunit, ita tamen ut à conjuncto ipsi spiritu volatili sal ipsum fiat quodammodo volatile: Plantas autem omnes acriores & aromaticas sale volatili abundare, vel ex ipsarum decocto in aqua pura facto, & post expressionem ad tertiæ partis remanentiam evaporato apparet, hoc enim frigori expositum plurimum salis exhibet; volatilis aut essentialis dicti, constat autem sal volatile etiam spiritu vitali & oleo pauco: Ex quibus arguo sale volatili abundare omnia morbosum somnum corrigentia remedia: *Fr. Sylvius* l. 1. Pr. c. 26.

34. *Narcoticorum vim* (Si ex abusu Narcoticorum inductus sit somnus nimius, optimum remedium est *castoreum* præsertim cum aceto imprægnatum, V.g. ex *Opio* seu *croco*, aut similibus natus Sopor Caroticus *aceto* curatur: Famulus materialistæ cum aliquando ℈j. crudi *Opii* pro reconciliando somno recepisset, binas noctes & dies continuo dormivit: Tertia die vocatus Medicus recipere jubet *Acetum squill.* in quo *extr. castorei* dissolutum, qua mistura frontem ac tempora, pulsus manuum, plantas pedum, ac inprimis genitalia irroranda & sedulo fricanda jussit, sicque successive ex mortis faucibus ereptus fuit. *Etmuller.*

35. *Narcoticorum vim infringunt*) Ea quæ Narcoticorum vim possunt infringere calida esse hactenus creditum fuit, quæ frigiditatem eorum sic retundendo prosint, & proin calidissima, qualia sunt, *succus caparum, allii, piper, castoreum, euphorb.* exhibetur: Nos vero qui Narcotica calida esse novimus, hæc si quid juvant quia sopitam

sopitam facultatem, caloremque nativum excitant potius, quam quod *Narcoticorum vires infringant*, prodesse putamus: *Theriacam* vero, quam pleriq; in hoc casu probant, propter *Opium* quod recipit, quo circa & narcoticorum vires potius auget quam inhibet, minime concedimus: Vnde neque *vinum fortissimum*, longe minus *spiritus illius*, eo nomine exhibemus, cum & hęc narcotica sint: unde recte *Dioscorides cicutam*, si cum vino detur, citius interficere scribit. *Platerus.*

34. *Diætam vide &c.*) Diæta in Soporosorum affectuum principio tenuissima est imperanda, quia morbi sunt acutissimi, ideo solis jusculis ægri nutriendi sunt per dilucida intervalla usurpatis: In declinatione vero & in curatione prophylactica eadem diæta convenit quæ in frigida cerebri intemperie. *Riverius.*

De symptomatibus Imaginationis) Cum Imaginationis munus sit primas & secundas formare notiones; Illæ quidem sunt rerum sensibilium, secundum qualitates sensiles, tum proprias, communes tum externis sensibus exceptarum, & quidem quatenus exceptæ sunt, simulacra.

Hæ vero novæ ex circumstantiis, secundum quas inter se aut convenire aut differre comperiuntur plures Primæ inter se collatæ Notiones per solam solius mentis operationem productæ: Læditur secundum primas Notiones: Imaginatio, 1. cum vel aliquid omittitur vel præteritur quod in rebus existit.

2. Vel aliquid illis affingitur quod in rebus ipsis non occurrit, & quidem ratione qualitatum sensilium, vel propriarum vel communium, Omittitur aliqua circumstantia in rebus existens, cum illæ non examinantur *omni ex parte*, aut non *accurate*, aut *non distincte*, at ex parte duntaxat, vel perfunctorie, vel confuse.

Ex parte duntaxat considerantur objecta sensibus externis, unde undique ab ipsa examinari nequeunt: *Perfunctorie* considerantur objecta remotiora nimiumque agitata aut subtiliora: Confuse, objecta tum valde agitata, tum partes multum intricatas habentia, minuive quam decet illustrata.

Aliquid *affingitur Notionibus Primis* quod rebus ipsis absunt, cum aliquid ex præjudicio ipsis tribuitur, præter aut ultra sensus externi testimonium.

Læditur secundum *Notiones secundas Imaginatio*, cum vitiosæ sunt Primæ, & quoties non exacte conferuntur ac expenduntur qua parte inter se conveniunt aut differunt eædem Notiones primæ, unde minus accuratas & ipsis rebus convenientes fingi oportet secundas.

Cum Imaginatio, sive Notionum & primarum & secundarum formatio sit merum mentis opus, mirum ne sit si ejus vitia non curentur corporeis; at ab intellectualibus & ratione sana petitis auxiliis.

Corrigetur ergo Imaginationis circa primas Notiones vitium primum, instituendo exactam omnium qualitatum sensilium, & propriarum & communium observationem, mox & considerando idem objectum ex omni parte, expendendoque singulas illius partes, partiumque particulas, & in singulis omnes, singulasque qualitatum propriarum & communium diversitates.

Corrigetur *secundum* Phantasiæ vitium, nihil concedendo aut tribuendo rei quod revera sensu externo in ipsa non fuit deprehensum: Corrigetur 1. Imaginationis vitium circa Notiones secundas, è primarum vitio pendens, id ut dictum emendando: Secundum vitium corrigetur instituendo accuratam singularum qualitatum prædictarum, in variis objectis observatarum, cum sui similibus comparationem, mox & convenientiæ & discrepantiæ æquum judicium.

Quo dicta sint clariora libet Qualitates sensibiles, proprias & communes enumerare, *Visui* ergo proprii sunt colores, una cum luce, seu lumine ac pelluciditate: & oppositis tenebris ac opacitate: *Auditui* soni, *Olfactui* odores, *Gustui* sapores, *Tactui* durities cum mollitie; *Caloris sensui*, calor & frigus multiplex.

Pluribus sensibus *communes Qualitates* sunt 1. Numerus 2. Contiguitas vel Distantia, 3. Locus vel situs; 4. Motus & Quies. 5. Tempus existentiæ, mutationumque durationem determinans 6. magnitudo sive Moles. 7. Continuitas sive connexio, 8. consistentia & fluiditas. 9. Rigiditas & flexilitas. 10. Soliditas & cavernositas. 11. Figura multifaria. 12. Liquiditas & Glutinositas. 13. Flatulentia, quo vapores, fumi, halitus &c. referendi. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 34.*

ARTICVLVS VNICVS.

De Symptomatibus Imaginationis.

CAP. XIII.

De Vertigine.

SYmptoma Imaginationis, quod & sensum communem interdum lædit, est [1] *Vertigo*, [2] quæ nihil aliud est *quam* [3] *falsa conversionis & circumgyrationis imaginatio, ab inordinato &* [4] *circulari spiritus animalis in cerebri parte anteriore, motu exorta.*

[5] *Subjectum est* [6] cerebrum [7] secundum anteriorem partem, quatenus est pars organica, spiritus animales continet, & quibusdam meatibus, in quibus illi moventur, præditum est.

Signis opus non est. [8] Alijs omnia in gyrum circumagi videntur; aliis & [9] visus obscuratur, nonnullis [10] sibilus in auribus percipitur &c.

[1] *Vertigo*) Vertigo à Vertendo dicta est, cum omnia circumagi, & omnia nos ambientia corpora in circuitu rotari videntur. Naturaliter hoc imitamur clausis oculis celeriter corpus circumagitando; Sic enim facta quiete apertis oculis omnia circumagi videntur; Non naturaliter hoc fit in Ebriosis, quibus pariter omnia videntur in gyrum circumagi. *Emmuller.*

Vertigo à vertendo vel vortice, Græci haud absimilem ob rationem Δῖνος ἀπὸ τῶν δινῶν vocant si simplex fuerit, legiturque hoc vocabulum apud *Hippocr. l. de cap. vulner.* Vbi vero conjunguntur tenebræ, σκοτοδίνους καὶ ἰλίγγους, teste *Galeno 4. de vict. acut. 9. 42.* appellare

solent; unde ἰλιγγιᾷν, vertigine corripi, *Eustachio* idem ac δῖνος, instrumentum quo ligna tornantur, audit. *Straussius Pal. Med. p. 1. Gymn. 5.*

2. *Vertigo nihil aliud est quam &c.) Ad hunc modum describimus, quod sit*, Affectio in qua objecta visibilia circumrotari videntur, sentiuntque affecti perturbationem, seu confusionem spirituum animalium in cerebro, ut in nervos non rite influant: quare visivæ facultatis, & loco motivæ sæpe aliqualis vacillatio, ut laborantes corruant, & non raro à tenebris obfuscentur. *Willis.*

Sic definit. *Straussius cum Rolfinkio.*

Imaginationem pravam apparentis circumrotationis capitis & objectorum, modo simplicem, modo tenebricosam & caducam, ab inordinato spirituum animalium in cerebro motu dependentem.

3. *Falsa conversionis*) Obiici potest non esse læsam imaginationem, quia si hoc esset Vertiginosi putarent objecta vere in gyrum verti, sicut phrenitici & melancholici vere putant illud esse quod imaginantur, Respondemus in vertigine rationem manere integram, quæ cognoscit imaginationis errorem; In phrenitide vero & melancholia rationem cum imaginatione affici. *Riverius, Willis.*

4. *Circulari spiritus animalis in cerebri*) Quoad rotationis istam apparentiam, vulgo existimant rotationem spirituum animalium in cerebro esse causam istius apparentiæ, quod tamen falsum est, *In oculis enim fit ista rotatio*, sive motus iste inordinatus qui vertiginem adfert, Nam visui res gyrari apparent, In organo igitur visionis erit vitium, cum in cerebro non videamus: Nemo sane concipere poterit quomodo spiritus in cerebro agitatus apparere res faciat rotari extra oculum, *Vertigo* scilicet *fit in organo videndi*, non in vidente ipso, uti neque in objecto viso, Organon tale est oculus; Porro quando oculis videntur observari *nebula*, *flocci*, *musca*, *&c.* res hæ videntur esse in aëre, cum tamen revera sint in oculo.

Quod si dicere velis Visionem formaliter fieri in sensu communi, non in oculo, unde gyrati spiritus in medulla cerebri circa principia nervorum, ubi fit sensus communis, Vertiginem inferunt. ℞. distinguendo inter *circumgyrationem ipsam*, & *ipsius motus apparentiam*, ejusque à nobis *perceptionem*, hanc concedo fieri in sensu communi, non vero *actualem circumgyrationem*, quæ causa est talis vertiginis: Sed præter Oculos simul & alii sensus afficiuntur, inprimis in secundo & tertio Vertiginis gradu, nam similiter & *tinnitus*, aut *raucus* interdum *sonus* in auribus percipitur; & licet apprehendant ægri adminicula nonnulla, quibus se fulciant, sæpius tamen minus firmiter eadem comprehendere valent, ita ut tandem concidant.

Causa igitur *Vertiginis* ex dictis patet, Est scilicet *motus inordinatus spirituum animalium in oculo* concamerato agitatorum hinc necessario motu rotundo in gyrum moventur, Verum non in solo Oculo, sed in reliquis etiam sensuum organis, præsertim auribus, fit inordinata agitatio, unde in iisdem *tinnitus*; in partibus vero externis minus firma objectorum apprehensio: Iam vero sicuti visus naturalis fit per contactum radiorum visualium ad tunicam retinam, Sicut contactus aëris interni moti ad tunicam cochleæ nerveam, auditum excitat, ita & spirituum circumgyrata & inordinata motio, & in retinam tunicam illisio, ibidemque falsa impulsio objectorum externorum circumgyrationem apparere facit, quatenus nempe similis in tunica retina motus, qualis fit quando objecta externa, quæ revera in gyrum moventur, motum talem in tunica retina excitant, sicuti appulsus spirituum ad tunicam cochleæ sonitus istam speciem apparere facit; Et hinc est quod etiam in *vertiginosis*, item *epilepticis*, *hystericis*, ebriis &c. tam varii *colores* subinde, imo & *splendores* interdum ante oculos versari videntur; quia scil. in dictis affectibus ab inordinato motu spirituum in fibris retinæ tunicæ, talis motus fit in tunica retina qualis alias fit à radiis visualibus ab objectis luteis vel cæruleis aut splendentibus in oculum illabentibus, & tunicam retinam determinato motu ferientibus: Imo si nimis inordinatus, & tantum non interruptus spirituum istorum fit motus, præsertim ad oculum, in tantum visus exinde perturbatur, ut etiam *obscuratio oculi & caliginis apparentia* superveniat. *Etmuller.* Ad Depravatam visionem etiam refert Vertiginem *Platerus.*

5. *Subjectum est Cerebrum*) Subjectum immediatum proculdubio sunt *spiritus animales*, quos unusquisque hoc affectu laborans valde perturbatos susque deque oberrare persentit: Subjectum vero mediatum illæ Cerebri partes sunt in quibus Imaginatio & Sensus communis resident; & unde in genus nervosum proxima via ducit: Hæ sunt *corpora callosa striata*, Enim vero spiritus animales, intra loca hæc medullosa, quasi in campum amplissimum, aut viridarium amœnum quaquaversum expandi & ex spatiari amant, quare sicut lucis radii medullarum poros omnes & meatus densissimos jubare pleno & irretorto trajiciunt, hinc dum una serie è corporis callosioris extimis (nempe è corporibus striatis & cerebri gyris) versus meditullium ejus blande scaturiunt, imaginationes & phantasias jucundas repræsentant, dumque alia serie, & forsan per alios meatus illi è corporis meditullio in cerebri gyros emanant notionum tesseras pro *memoria* illuc transferunt; atque dum exinde in *corpora striata*, & nervorum origines tendunt, partes omnes motrices actuant, & iis, quoties occasio fuerit, motuum jucundorum instinctus deferunt.

In Vertigine autem æquabiles istæ *spirituum*, velut *radiorum lucis*, emanationes variis in locis intercipi, & diversimode perverti videntur: quippe Spirituum manipuli quidam obscurantur, alii alio inflectuntur, huc, illuc in gyros & vortices aguntur, & non raro in transversum rapiuntur: quapropter in cerebro, ob spiritus ita perturbatos, phantasmata confusa, sensibilium species vagæ, & inconstantes aut circumactiones repræsentantur; dein quatenus *irradiatio* in *nervosum* genus minuitur, aut inhibetur, *scotomia*, & functionis motivæ deliquia ac vacillationes sequuntur. *Willis.*

6. *Cerebrum*) Subjectum vertiginis ἐπὶ ἀκλητικοῖ caput esse innuit *Galenus 3. aph. 23.* Hinc ὁ ἴλιγγος *Hesychio* ὁ τῆς κεφαλῆς σκοτωμὸς dicitur: Sed & cerebrum pro parte affecta haberi à plerisque constat, Vtrumque recte modo quis *illud* esse *subjectum remotum*, *hoc* vero *proximum* dixerit, in meditullio hinc cerebri cardinē vertiginis verti dicimus: Vbi quidem sententiæ illorum qui cerebrum in vertigine, ut partem quidem *similarem*, h. e. *temperamento gaudentem*, sed tamen certo modo *conformatam*, ductibusque seu meatibus præditam, pati statuunt, subscribere non dubitamus, Quo ipso quæ de porosa cerebri substantia *Cartesiani* afferunt adeo non improbamus, ut potius meatus, præprimis minores, poros nempe medullaris substantiæ, maximi hic ponderis esse ultro largiamur. Neque *Willisio spiritus animales* pro *subjecto* agnoscenti omnimode adversamur. *Straussius.*

7. *Cerebrum secundum anteriorem partem*) Quoad morbi hujus sedem, illa modo *anterius*, ac, uti videtur, in corpore calloso contingens, fere tantum in *sincipite* spirituum tumultus & vacillationes, atque notionum & sensionum actus vagos, inconstantes & sæpe confusos habet; Quandoque autem materies morbifica *posterius*, circa corpora striata decumbens, scotomiam & functionis motivæ deliquia ciet, ut sæpe oculi obscurentur, & gressus vacillent, *Willis.*

8. *Aliis*

8. *Aliis omnia in gyrum circumagi &c.*) Ratione graduum triplex est, 1. Quando corpus tantum & exteriora circumagi videntur, denuo evanescente *φαινομένῳ* estque *Vertigo simplex* ij. Gradus est, quando oculi velut affusa caligine obscurantur, itaut visus tandem crebro pereat, aut etiam varii colores, flavi, cærulei, virides, ante oculos versari videntur, insequente tali caligine, & vocatur *Scotomia*, seu Vertigo tenebricosa, iij. Hæc oculorum caligo, cum tantum invalescit ut æger protinus concidat, nisi proximis prehensis adminiculis se fulciat, *Vertigo caduca* apellatur.

Si nimis inordinatus spirituum istorum fit motus, *visus* accidit *obscuratio* &c. ulterius si ex spirituum istorum inordinato motu ad musculos fit continuatio, nunc ex eorum, hinc inde quasi abruptorum, defectu, *cessans objectorum apprehensio & casus*, nunc ex inordinato influxu leves *convulsiones* superveniunt; Adeoque non solum spiritus visorius immediate in oculis perturbati videntur in vertiginis affectu, quia totum spirituum animalium systema impetuosius in cerebro concitari in graviori vertigine videtur, itaut & reliquorum sensuum organa simul afficiantur; Qui affectus vero, quia inprimis in oculo est notabilis, beneficio *gyri*, ob id à *principaliori* fit *denominatio*, & *vertigo* appellatur, cum posteriores duo gradus ad lipothymias, vitio spirituum animalium accedant. *Etmuller.*

9. *Visus obscuratur*) Caliginis talis sensus fit ex defectu objecti lucidi aut colorati in oculo, vel ejus nulla perceptione, nam utroque in casu tenebras & caliginem nobis imaginamur; Quod si igitur in perturbato nimis spirituum animalium motu abrumpatur eorundem ordinata & radiosa series, & in specie in oculis iidem deficere incipiant, in iisdem deficiens visus exinde perturbatur, ut etiam *obscuratio* oculi, & *caliginis apparentia* superveniat. *Etmuller.*

10. *Nonnullis sibilus in auribus*) Vide §. *Circulari spiritum animalis in cerebri.*)

11. *Causa* est [12.] quicquid [13.] vel vapores ex se suppeditat, ut [14.] *radicula, allium, sinapi, vinum &c.* vel humores fundere & agitare solet, quo & purgatio spectat.

11. *Causa est quicquid vel vapores &c.*) Causa Vertiginis proxima & generalis, ad quasvis earum *differentias* se extendens, est inordinatus, confusus, & plus minus subinde hinc inde interruptus spirituum animalium in cerebri medulla, præsertim circa nervorum origines, motus, & in partes externas influxus, unde omnia cætera dependent symptomata, Sed quæstio jam est de *causa Remota*, unde iste spirituum inordinatus motus in cerebro, & hinc in organis sensuum oriatur.

Quoad *hanc*, observandum *Vertiginem* nunc *esse symptoma saltem membrorum aliorum*, v. g. quando supervenit passioni hystericæ, vel ventriculo affecto, Nunc *per se morbum constituere*, quando v. g. ex *vitio cerebri* qualicunque oritur: *Prioris* ratione *per Consensum*, Posterioris *per Essentiam* esse dicitur: Sed verum ut fatear, rarissima est *Vertigo per Essentiam* quandoquidem quotidiana Praxis, & Practicorum observationes monstrant, *Vertiginem ferè omnem esse ex vitio partium inferiorum*, utut diutius affligens & sæpe recurrens cerebri texturam quoque per motus spirituum p.n. alterari valeat, ut deinde ex vitio cerebri proximo affligere videatur, Adeoque si est *per essentiam vertigo*, erit talis à *causa externa* afficiente caput & cerebrum, *raro à causa interna*: Si non est à causa externa, vel alium morbum capitis insequitur, vel vertigini per consensum ille per essentiam supervenit. *Etmuller.*

12. *Quicquid Vapores*) A qua intemperie hi Vapores? A qua flatus omnes, ergo à frigida, Atqui tu alibi causam calidam nominasti? Revera nihil interest, Calidam qui dicit respicit ad efficientem, cum à frigore posterrvo flatus non fiant; Frigidam qui assumit, materiam considerat. C. *Hofmannus Inst. l.3.c.38.*

12. *Causa est quicquid vel vapores &c.*) A quo impellente, aut vias obstruente *spiritus* intra *cerebrum* aut deviare, aut tumultuari coguntur? Probabile videtur tales eorum inordinationes à *duplici causa* pendere, 1. quod particulæ quædam efferæ, & extraneæ, cerebrum una cum succo nerveo altius ingressæ spiritibus adhærent, eosque in motus enormes agunt: hoc autem à vini, aut aquarum ardentium potu immodico, Nicotianæ fumo inassueto, vegetabilium quorundam esu, ab inunctione mercuriali, quibusvis accidere, cum experientia vulgari constet, in quantum scil. corpuscula quædam heterogenea, & spiritibus infesta eos usque in cerebri meditullium assequuntur, & corripiunt, quidnie sanguine, alique humoribus plurimum vitiatis, ejusmodi particulæ morbificæ & vertiginosæ suggeri, inque cerebri conclave penitius insinuari possunt?

Dein 2. suspicari licet quandoque *illuviem serosam*, una cum *succo nerveo* sensim irrepere, & cum altius demum penetraverint, purissimas has medullas contaminare, ejusque porus valde infercire, proinde ut spiritus animales, non luce clara & plena, sed debili & multis quasi umbellulis interspersis tracta irradient: *In Vertigine habituali*, ac inveterata, *causam conjunctam* utraque hæc complecti, indicio non levi à juvantibus, & lædentibus desumpto, constare videtur; nam in plurimis observavi affectionem istam ob duo *πρόφασιν* genera in pejus aut melius alteratam fuisse; nam quæcunque intus sumpta particulas turgidas, & plus nimis efferri & effervescere aptas, progignunt, ut *vina, aqua ardentes, alimenta piperata & flatulenta*, vertiginosos fere semper afficiunt.

Nec minus nocumenti propter occasiones quibus cerebrum impletur, & plus justo infercitur, uti sunt *crapulæ somni meridiani*, aut matutini protractiores, ventus austrinus, aër nebulosus & crassus, habitatio humilis & paludosa percipiunt; E contra autem iidem à victu tenui & leviori, etiam à sudo cœlo, atque solo aperto & perflato utplurimum adjuvantur; Si in causam procatarcticam inquiramus, ob quem scil. *apparatum*, sive *prædispositionem morbidam* gemina hæc spiritibus cerebri meditullium incolentibus labes inferri solet; hic in culpa deprehendemus esse tum *Cerebrum* ipsum *cum liquore irriguo*, tum *sanguinem* cum *humoribus inquilinis*.

Hujus sæpissime vitium est, quod à recta crasi in intemperiem acrem, acidam, aut alias vitiosam degener, succum vitiosum pervertat, ac insuper in sinu suo serum, & fæculentias varii generis congerat, quas præsto est in caput suffundere, Plures autem sunt causæ evidentes, scil. mala victus ratio, & errata in non naturalibus; item scorbutus, febris diuturna, aut maligna, aliique morbi prægressi, propter quas sanguis, adeo cacochymicus & *ἰχωρώδης* nocuus evadit: *De cerebri culpa* vide §. 1. *A meatuum cerebri*) *Willis.*

13. *Vel vapores ex se suppeditat*) Hinc Ebrietas ad Vertiginem disponit, unde Ebriosi omnes Vertiginosi sunt, In paroxysmo quidem *per essentiam*, vitio spirituum animalium ab alimento nondum rite assimilato, ut & spiritu vinoso inordinate vel confuse agitatorum: Extra paroxysmum vero Ebrietatis vertiginem saltem per consensum ventriculi patiuntur: Porro *flatulenti cibi, cepa, allia, rapa, raphani* & similia *oleracea*, etiamnum in ventriculo vertiginosos nonnullos reddunt,

nempe ad vertiginem jam dispositos. *Etmuller.*

14. *Ut radicula, allium &c.*) Fit vel per essentiam, vel per consensum, præcipue ventriculi, Memini Clar. DD. N, non potuisse immunem esse ab hoc affectu, accurantibus licet duobus magnis Medicis, nisi abdicatis Pomis, quæ ille post pastus avide ingurgitabat. *C. Hofmannus Inst. Med. l 3. c. 38.*

15. *Curatio* est *dubiæ spes, si* senibus accidit: quia cerebrum debile habent, 16. *si* diu durat 17. quia epilepsiæ vel apoplexiæ est prænuncia, *si* in ea caput vel corpus circumagi videtur.

18. *Peragitur* I. 19. *Discussione*, tum 20. foramina narium oleo *majorana*, *nucis moschata* inungantur; vel iisdem 21. aqua rosarum cum aceto admoveatur: 22. Tempora & carpi manuum aqua aceto rosaceo cum gutta *ol cinnamomi* mixta, inungantur, vel succo betæ nigræ illinantur: Palatum theriaca inungatur.

II. 23. *Venæ sectione*, si nimis est fortis.

III. *Revulsione*, si ab inferioribus partibus procedit.

IV. 24. *Diæta*, in qua cibi vaporosi, 25. cerevisia multo lupulo condita, & alia vitanda: 26. Ad præservationem *semen carvi* in vino maceratum, siccatum & quotidie sub horam decubitus sumtum laudatur: nec non 27. sanguis rupicapratum haustus, qui venatoribus familiaris: Sunt & qui ex testis ovorum in aceto dissolutis, cochleis nigris in pulverem redactis, spermate bufonum, ungulis equinis à fabro excisis, in lacte capræ nigræ maceratis, & radicib. Angelicæ 28. amuletum componunt.

Prognoses & Curatio.

15. *Curatio est dubia spei &c.*) Vertigo *symptomatica*, aut *accidentalis*, imo quæcunque fere alia, dum adhuc *recens*, periculi utplurimum expers, & sæpe curatu facilis est: *Habitualis* vero, ac fere *continua*, etsi discrimen ingens, aut brevi imminens, raro minatur, quæ tamen Therapiam non nisi diuturnam & valde difficilem admittat, sæpissime & laborantem & medicum ita fatigat, ut priusquam morbus sanari poterit, alteruter alteri tædio fuerit.

Vertigo *primaria*, *anterius consita*, quæ vix omnino *σκοτόδινος* vos aut caduca est, magis tuta & sanabilis, non raro in cephalæam commutatur quandoque item hæmorrhagia narium, aut fluxu hæmorrhoidali sponte solvitur; sæpe etiam medicina tollitur: Affectio vertiginosa *posterius orta*, & spirituum in nervos irradiationes intercipiens, longe periculosior, non raro in Apoplexiam vel Paralysin, aut in morbos convulsivos transit. *Willis.*

Vertigo à calidis humoribus oriunda citius solvitur quam quæ à frigidis, quia humores calidi facilius dissolvuntur. *Riverius.*

Vertigo gravior & diuturnior, inprimis citra manifestam causam externam inchoans, in junioribus *epilepsiam*, in senibus *apoplexiam* certissime prænuntiat: Sane in senibus raro fallit: Unde etiam in senibus periculosior longe ac curatu difficilior quam in junioribus; Pro varietate *Graduum* quoque plus minus periculosa est eadem: Unde Vertigo caduca omnium est pessima. *Etmuller.*

Hypochondriorum scorbuticæ dispositioni quæ debetur Vertigo chronicum malum evadit, & creberrime redit; Quæ *crisin* antecedit hac superveniente tollitur: Quin & *capitis* aliquando *dolor* Vertigini extitit quasi remedium, teste *Avicenna*; quod etiam expertus est ille Advocatus apud *Lalium à Fonte conf. 6. 48.* laboranti enim tenebricosa vertigine, postquam capitis partis anterioris dolor successit, hoc dissoluto symptoma corruit. *Straussius.*

16. *Si diu durat*) Ut quæ repletionem cerebri ab aqueo, seroso & pituitoso humore prodit, fluctuationem & flatus efficiente, quæ repletio cum ægre auferri possit, in carum & apoplexiam interdum desinit, quarum prænuntia est. *Platerus.*

17. *Quia epilepsia vel apoplexia est prænuntia*) Vertigo *caduca* dicta, quia ceu proximus gradus est ad Epilepsiam, cum interdum leves convulsiones, & deinde epileptica affectio subinde huic ultimo gradui superveniat, propterea *parva Epilepsia* quibusdam practicis dicitur: Nam vix est insultus Epilepticus, à quacunque oriatur causa, quem non antecedat aut comitetur proxime vertigo gravior, sicut alias graves spirituum eclipses, & deliquia insigniora, & antecedere & comitari solet Vertigo, v. g. leipothymiam, dolores ingentes, graviores paroxysmos hystericos. *Etmuller.*

18. *Peragitur* 1.) Curatio Vertiginis cum Epilepsiæ curatione multum convenit, cum ab iisdem propemodum causis uterque affectus oriatur; Attamen cum Vertigo sit levior affectus, non tanto indiget remediorum apparatu. *Riverius.*

Vertigo accidentalis, aut alia quævis *recens* phlebotomia, aut levi catharsi aliquoties iterata plerumque sanatur, at ut certius morbus extirpari possit, remedia insuper *cephalica* sedulo administrentur; Pro curatione *Vertiginis Habitualis*, & *inveterata factæ*, similis fere methodus ac contra plerosque alios morbos cephalicos institui debet, quę *tres* has præcipuas *medendi intentiones* suggerit.

Nempe 1. enitendum erit ut morbi fomite omnino præscisso cerebrum à materiæ morbificæ novis affluxibus immune perstet, in quem finem recta victus ratione imperata, interdum *phlebotomia*, & sæpissime blanda ex intervallis catharsis convenient; Eligatur aër siccus & perflatus, vitentur somni ac studia immodica & intempestiva; abstineatur omnino à poculis matutinis, aut vespertinis; Loco prioris haustus *Tea*, vel Coffée cum foliis salviæ incoctis exhibeantur; Fontanella in crure aut brachio excitetur, Et nonnunquam vasa hæmorrhoidalia per hirudines aperiantur; Affectus semper quoque diluculo surgens quoq; mane tempora & sinciput aqua frigida perluat, & cum panno aspero fricet.

ij. Intentio Therapeutica erit, Vertiginis causas procatarcticas tollere, quamobrem opera navetur, tum ut *sanguinis dyscrasia* cacochymica auferatur, tum ut cerebri constitutio debilis & laxa nimis emendetur; Prioris gratia, remedia potenter *alterantia*, prout *antiscorbutica* temperata, *chalybeata*, & nonnunquam *acidula*, aut *serum lactis* conveniunt; Quibus semper, ob posterius indicatum, medicamenta *cephalica*, nempe è *corallus*, *succino*, *cranio humano*, *rad. pæonia maris*, & similibus parata addantur.

iij. *Intentio*, quæ & proprie *Curatoria* est, morbi hujus *causam* conjunctam auferre satagit, quæ tamen procatarcticis remotis utplurimum sponte cessat, nam si materiæ cujusque extraneæ aditus in cerebrum præscindatur,

ditur, nihil restabit quin spiritus puri putique, ac intra corpus callosum spatia libera & aperta nacti, inde quaqua versus emanent: utcunque propter hunc medendi scopum, una cum prioribus prosequendum, *medicamenta* insuper *sale volatili prædita*, quorum particulæ valde subtiles & activæ spiritus animales recreant, intercalare oportet: cujusmodi imprimis sunt *spiritus c. c. fuliginis, salis Armoniaci, cum succino, et cruore humano* &c. *impregnatus: Tinctura Corallii, Succini, Antimonii, Elixir Paracelsi* &c. *Willis.*

18. *Peragitur*) In Cura duo tempora consideranda, 1. *Extra paroxysmum*, ut *præservatio* instituatur, 2. In *Paroxysmo*, ut rite *curatio* perficiatur, *Præservatio* respicit Fomitem morbosum, Et cum malum frequentissimum sit per *consensum stomachi*, vel primarum viarum, ob id *vomitorias* & hinc *remedia stomachica* primatum obtinent, quibus subjunguntur *specifica*. In *Curatione* vel *vomitus*, vel *opiata*, vel *antepileptica*, tam interna quam externa sunt optima: Pro his scopis rite obtinendis observandum Vertiginem dici quibusdam Epilepsiam parvam, & hanc subinde illam insequi: Hinc vertiginem tollunt in specie ea quæ Epilepsiæ succurrunt, & contra. *Ettmuller.*

19. 1. *Discussione &c.*) In paroxysmo curationis gratia (etsi Vertiginis invasio, utut immanior visa, pleromque vacat periculo, & sponte sæpius facile pertransit, quoniam vero laborantes se moribundos veriti, auxilia medica expetunt) si pulsus indicat, *Enemate* præmisso, *phlebotomia* instituatur, dein *vesicatorio* cervici applicato, *graveolentia, ut Castoreum, spiritus*, aut *sal volatile c.c. urinæ, aut salis Ammon.* naribus subinde admoveantur; Insuper spiritus isti bis aut ter in die cum *Julapii cephalici* dosi convenienti exhibeantur, Hora somni sumatur Bolus ex *mithridatio* cum *pulvere castorei*: sumat die sequenti, si affectio nondum evanuerit, lene *catharticum*, vel si laborans ad vomendum erit proclivis, *Emeticum*, quo vix aliud præstantius remedium est, capiatur.

℞. *Pilul. de succino gr. XXV. resinæ Julapæ gr. vj.*
Tart. vitriol. gr. vij. Balsami Peruv. q. s. f. Pilulæ iv.

sumendæ hora somni, vel primo mane;

℞. *sulph. antimon. gr. v. crem. Tart. ℈ß. Castor. gr. ij. f. Pulvis.*

capiatur cum regimine, expectando vomitionem. *Willis.*

In paroxysmo Vertiginis crebriore, dum ægri corruunt, & ad tempus jacent, præ cæteris conveniunt *Vomitoria*, quæ optime exsuscitant; aut horum loco acres *clysteres*, usitati alias in Apoplexia & Epilepsia; Hinc infundunt *appropriata spirituosa, aquam majoran. fulv. ceras. nigr. lilior. conv. sp. vitr. volat.* aut *cephal.* vel adduntur *spir. & olea volat succ. s. c. &c.* item *castor.* in substantia vel *essentia*, præsertim in mulieribus commode adhibetur. *Ettmuller.*

20. *Foramina narium*) *Galbanum* olfactum *Dioscor.* vertiginosorum accessionem tollere scribit.

21. *Aqua rosat. cum aceto*) Capiti admovenda quæ vapores repellant, *Oxyrrhodina*, si necessitas admodum urgeat; Et si perseveret, addendo validius adstringentia, *ut succum plantag.*

Et successive *Cucupha* talis gestari debet.

℞. *Cyperi, acori veri, cortic. citr.* ana ℥j.
sem. coriand. ʒj. *myrtill.* ʒj.
flor. rosar. anthos ana ʒß. *caryoph.* ʒß. *f. Pulvis pro cucupha.* Platerus.

22. *Tempora*) *Semen urticæ* contusum, & cum *aceto* mistum fronti sæpius applica. *Frider. Hofmannus m. m. pag.* 280.

Tempora) Marcellus habet remedium quod ego expertus sum, Accipitri *missi*, teritur, cum aceto maceratur; sic maceratum apponitur instar catapl. *temporibus* & post aures: habet vim insignem dissipandi vapores vertiginis authores *Mercurialis Pract. l. 1. c. 11.*

Quidam tradunt cito emendari si *beta nigra succo* tempora illinantur. *Eustach. Rudius Pr. l. 1. c. 14.*

23. *Vena sectione*) Quæ per se vix convenit: Interdum tamen ubi sanguis est copiosus, cum vita sedentaria, aut qui facile ebulliat ac turgescat; qui idem videtur cum flatuoso quibusdam dicto, aut quando à sanguine plus nimis fovetur malum, convenit sanguinis missio. *Ettmuller.*

In curatione Vertiginis interdum ad causam antecedentem, quæ continuitate quadam conjunctam fovet, respiciendum est, qua ratione præter alia remedia Venæsectio quoque præscribitur ab Aëtio, sive principium fuerit affectionis, sive tempus jam progressum fuerit, dum modo vires ferant nihilque reluctetur, Tum potissimum ubi materia sanguinea & calida fumosis exhalationibus Vertiginem excitantibus præbet occasionem.

Exemplum habui nuper in quodam constitutionis alias calidæ & siccæ, sed capitis debilioris, qui per dies aliquot gravi Vertigine laborans, ob sanguinem vaporosum ac fumosum, præmissa lenitiva purgatione, frustra multis cephalicis adhibitis appropriatis, tandem unica brachii V. S. tentata protinus à symptomate continuo affligente liberatus fuit, *Greg. Horstius Probl. Dec. 1 Quæst. 3.*

Si solennis evacuatio tardat, malum vero increscit, ut in sudorum & sanguinis suppressione, è vena cubiti sanguis emittatur; non autem hoc ages ubi à frigore malum profertur, sed ubi plethora adest, acerbo in malo, & ætate firma secetur vena, *inquit Aëtius* &c. *Heurnius* De Arteriotomia vide infra §. *Materia vapores suppeditantis evacuatione*)

24. *Diæta*) In Vivendi ratione moderata omnia sint, *Cibus simplex*, non nimius; *Vinum* parce vel dilutum bibunt; *motus* corporis nimius vitetur, & inprimis *capitis* nimia agitatio aut inclinatio, *Intuitus rerum rotantium*, vel admodum splendentium vitetur, A *nimia animi per studia & vigilias* agitatione abstineant. *Platerus.*

Ideo valet Pulvis digestivus, quia ventriculi imbecillitas ad hujus morbi generationem sæpe concurrit. *Riverius.*

Diæta *Aërem* puriorem commendat, & *cibos* minime flatulentos, sed boni succi & facilis coctionis, *Cerevisia* fortis, & probe lupulata, æque ac vinum generosum calidis nocet, ὀλιγοφόρος concedi potest: *Jejunium* non bene ferentibus, jentaculum est remedii vice, sicq; cessat Vertigo, & approbat *Helmont l. Pylorus rector, tr. 23. Stomachi* vitia corrigunt *pilulæ aloeticæ*, coctionem juvant *Pulveres peptici, cydonia, panis tostus*, in fine pastus si usurpantur, *Lactis* olus capiti debili noxius est: *Tabacophili* legant *Sim. Pauli* comm. de hoc argumento Paucis, Vertiginosis commendamus *aph. 4. sect. 2.* ubi *Hippocr.* Nec satietatem, nec famem, neque aliud quicquam quod naturæ modum excesserit, bonum esse verissime pronuntiat. *Strausius.*

25. *Cerevisia multo lupulo &c.*) Vertiginosi bibant pro Potu ordinario Allam tenuem cum *foliis visci pomor*, loco flor. lupuli incoctis, & in doliolo quatuor congiorum capaci suspendatur sacculus, cui indatur *stercoris pavonis lib. ß. & caryoph. contus.* ℥iij. Willis.

26. *Ad præservationem*) Vide §. *Ex appropriatis*)

27. *Sanguis rupicaprarum*) Audio venatores quosdam ex recenti vulnere scaturientem *rupicaprarum* sanguinem sorbere tanquam insigne vertiginis remedium. *Conradus Gesnerus.*

28. *Amuletum*) Pertrapti loco gestanda *corallia rubra, crystalli, granat. succin. alb.* è collo suspensa; Vel *pocula* ex illis conficiantur vel ea potui immergantur. *Frid. Hofmannus m. m. p.* 281.

Differentia ſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt à [29] *cauſis evidentibus* [30] ſpiritus agitantibus, ut ſunt, [31] avena in Scotia inebrians, quę homines ceſpitare facit donec obdormierint, [32] diuturna totius corporis circumgyratio, [33] adſpectus rerum circulariter motarum, proſpectus ex loco altiſſimo in profundum; Sic enim ſpiritus ex adſpectu rei inſuetæ & meticuloſæ [34] diffunduntur & retrahuntur.

Cognoſcitur ex relatione ægri.

[35] *Curatur* quiete & ſomno, ſi planè non ceſſat, frictionibus: Si *à fame* eſt, mica panis in ſucco *granatorum*, vel vino auſtero intincta exhiberi debet.

II. Alia eſt à *meatuum* [36] *cerebri anguſtia*, per quos quidem Spiritus animales moventur, ſed [37] quia impediti ſunt, retrocedrunt.

Oritur ea *vel* [38] ab obſtructione partiali, quam ſi vapores craſſi inferunt, citò ſolvitur: ſi humores ſeroſi & pituitoſi, diu durat, fluctuationis ſenſus adeſt.

In Curatione [39] ratio cauſæ haberi debet; *Vel* ex cerebri compreſſione, & cranii fractura, quæ ſuis locis videantur: *Vel* ex [40] arteriarum ab exortu & ingreſſu in calvariam univerſo per cerebrum ductu coaleſcentia, de qua vivente homine vix aliquid certi ſtatui poteſt.

III. Alia eſt *à* [41] *vapore ſpirituoſo* [42] in Cerebro genito, [43] qui inordinato motu in venas & arterias effuſus, ſpiritus animales ita agitat, ut circulariter in ſe convertantur, & phantaſiæ falſam hanc rerum ſpeciem exhibeant.

Cognoſcitur ex vehementi capitis dolore & gravitate, aurium diuturno tinnitu, ſenſuum externorum quadam læſione. [44] Malum eſt frequens, ex levi occaſione corripit, & diu durat.

Oritur à cauſis flatus generantibus, conſueta præſertim evacuatione ſuppreſſa.

[45] *Curatur vel* in paroxyſmo, de quo ſuperius: *vel* extra paroxyſmum.

1. [46] *Materiæ* vapores ſuppeditantis [47] *evacuatione*, tam univerſali; quam particulari. ab [48] Errhinis quidam metuunt.

2. [49] Ejuſdem *Revulſione, Derivatione*, & *Diſcuſſione*, per [50] veſicatoria, [51] cauteria, [52] frictiones, [53] lotiones capitis.

3. *Cerebri roboratione* [54] per externa [55] & interna: [56] Ex *appropriatis* laudantur [57] *ſtercus pavonis* drach. j. pondere in vino maceratum, colatum, & ebibitum, vel potius ejus exſiccati in vino albo infuſum, quod colatum à novilunio ad plenilunium exhiberi debet, Extract. *ſcorzoneræ*, [58] Radices *Doronici* comeſtæ, *Auricula urſi*, [59] pinguedo *damarum* & *colubrorum* [60] temporibus illita, [61] Pulvis *bombycum exſiccatorum* vertici inſperſus, qui etiam à vertigine præſervat; Valent quoque [62] Spiritus *roriſmarini*, oleum *ſuccini*, tinctura ejuſdem & *guajaci*, ſal *pulmonis vulpis*, & *cryſtallorum*, [63] *Theriaca Hippocratis*, Pulvis ex [64] *cinnabar. miner. vera unc. ſ. margarit. præpar. corall. rubr. præp. ana ſc. ij. croci ſcr. j. Foliis auri n. x.* factus, & in aqua liliorum convall. doſi ſcr. j. exhibitus; Pulvis ex [65] *Cubebar.* unc. j. & *ſacchari albi* unc. iſ. paratus, qui obturatis naribus aſſumi debet ſcrup. j. vel drach. ſ. pondere. Electuarium *Saxoniæ*.

Dividitur in eam, quæ eſt [66] *à ſanguine fervido*. *Tum* rubedo faciei, & pulſatio arteriarum adeſt.

In [67] *Curatione* [68] habenda ratio venæ ſectionis, baſilicæ primò, ſi plethora adeſt, cephalicæ ſtatim, ſi in capite duntaxat abundat, non eſt educendum confertim, ſed pluribus per intervalla detractionibus [69] Arteriotomia non facilè tentanda.

[70] In eam, [71] *quæ eſt ab humore pituitoſo*, *Tum* locus de [72] intemperie pituitoſa conſulendus, [72] Evacuatio præmiſſo clyſtere optimè per extract. [73] *Pillular. cochiar.* à ſcr. ſ. ad iſ. expediri poterit. [74] Lixivium & Balſamum vide apud Agricol. p. 1. p. 38.

IV. [75] Alia eſt [76] à *vapore ſpirituoſo* [77] ex aliis partibus elevato. *Cognoſcitur* quod nulla ſenſuum læſio præceſſit, malum per vices affligit, partis affectæ ſigna adſunt.

[78] *Oritur*, aut [79] *à ventriculo* ſeu picrocholo, ſeu pituitoſo, [80] ſeu ob imbecillitatem cibos corrumpente.

Tum [81] *curatio* ad ventriculum obvertenda [82] Locum hic habent *granum thuris* unum atque alterum poſt cibum ſumptum, Confectio *fœniculi*, *coriandri*, ſaccharum *prunellæ*, *roſatum*: Electu. ex *conſerva roſar. rubr. antiq. diacydon. ſimpl. ſpir. vitriol.* & *ſyr. menthæ*. Reliqua vide de morbis ventriculi.

Aut ab [83] *hepate, liene*, [84] *utero, toto*, ut in febribus fieri ſolet, [85] Tum affectarum partium & ſymptomatum ratio habeatur.

---

[29] *A cauſis evidentibus*) Non ex motu corporis ſaltem, ſed & *animo perſeverante*, vel *vehementi commotione*, ſpiritus ſæpe & valide in cogitationibus profundis & aſſiduis, aliiſque animi pathematibus, uti & vigiliis, exagitatis accidit, ut ſic aſſueti ex levi cauſa aliqua interna commoti, in vertiginem incidant; Sicuti ſtudiis vehementius invigilantibus, cum ſunt jejuni, vertigines nonnunquam moleſtias exhibere obſervamus. *Platerus.*

[29] *A Cauſis evidentibus ſpiritus agitantibus*) Vertiginem hominibus quibuſvis, utut ſanæ conſtitutionis fuerint, occaſiones externæ inferre valent, in quantum ſpiritus

spiritus animales extra statas series, & ordines suos perturbari, tum intra cerebri meatus huc illuc fluctuatim & inordinate moventur, tum solitæ irradiationis suæ in nervosum genus quædam quasi fila interrumpunt; Enimvero hæc duo fere semper reciproca se mutuo excipiunt, & ab invicem dependent, nempe *Spirituum intra cerebri meditullium perturbatio, eorumque effluxus in nervosum genus impeditus*, quacunque de causa alteruter effectus infertur, mox alter subsequitur; *Corporis circumgyratio, Vectio in curru aut navi*, nec non *Ebrietas* & inassuetus Nicotianæ fumus, spiritus in cerebro inordinate fluctuare aut titubare cogunt, qui proinde statim à debito in nervos affluxu inhibentur; ut affecti vix stare aut progredi valeant: Pariter è contra *intuitus ab alto, pontium transitus, languor*, aut *syncope ingruens*, spiritus à solita in nervosum genus emanatione revocant; qui proinde intra cerebrum tumultuantes, aut inordinatius commoti *Scotomiam*, aut objectorum circum-rotationem inducunt. *Willis.*

30. *Spiritus agitantibus*) Quemadmodum ab externis causis Vertigo ob spirituum impulsum nimium accidit; ita & *per se spiritus in arteriis cerebri* potissimum fervidiores copiosioresque collecti, quia tunc inquieti sunt, facileque per se; vel etiam levi accedente occasione agitantur, Vertiginem causant; Quæ diu multumque, & facili ex causa, vel sola, vel comite quoque capitis dolore divexat; quibus & arteriæ vehementer in capite & auribus, cum illarum tinnitu, interdum & reliquo sæpe corpore pulsant; & vix dum, nisi illarum apertione sanantur: Hoc autem *per se* sanguine adeo excalefacto & attenuato in arteriis potest accidere, vel vaporis tenuioris permixtione. *Platerus.*

31. *Avena inebrians*) Observare est quod Ebrietati Vertigo, velut symptoma pathognomonicum supervenit; quodque in assuetis, *vini* aut *cerevisiæ fortioris* potus, vel moderatus, item *Nicotianæ fumus* ore exceptus istam affectionem facile inducunt; quorum ratio est, quod scil. liquore aut vapore ita exhibitis, particulæ quædam efferæ ac indomitæ sanguinis, vel succi nervosi commeatu, cerebro inferuntur; quæ spiritibus animalibus siquidem incongruæ ac improportionatæ sunt, occursantes, eos huc illuc à solitis ituum & redituum tractibus abigunt, adeoque in vortices ac gyros agunt. *Willis.*

31. *Avena in Scotia inebrians*) Eadem *Lolio* facultas & pani ex impuro tritico, cui id uberius remixtum est, In toto pene Sabaudiæ tractu *infelix Lolium & steriles dominantur Avenæ*; In arvis humidioribus crescit, imo si sementem fecerint agricolæ autumno imbrifero, triticum maxima ex parte in illud degenerat; Sed & idem terræ non nimis humidæ commissum in triticum rediisse compertum est, & Panem ex hoc confectum non secus vertiginem & soporem induxisse quam qui ex lolio paratur: Sed nec plane hoc inutile est, nam præterquam quod Gallinaceo generi in alimentum venit, ex illo molito, & pisto, fit pasta, saginandis caponibus & gallis Indicis aptissima; præ cæteris cerealibus idonea, quod à pastu in soporem, à matutinis horis ad vesperam durabilem deducantur, qui pinguedini congerendæ confert; Operarii qui panem ex tritico Lolio conspurcato esitant, protinus vertigine tentantur, mox in soporem gravem delabuntur, nonnisi xij. horis exactis excutiendum, superstite in diem sequentem καρηβαρίᾳ hinc avaritiæ pœnas luunt qui ejusmodi panem impurum messorbus, aut trituratoribus præbent, qui enim operi à pastu accingere se deberent, corpore detenti tota die jacent ignavi.

32. *Diuturna totius corporis circum gyratio*) Quando homines aliquandiu circumgyrantur, tum in motu isto omnia circumrotari videntur; tum etiam à circumgyratione cessantibus, phantasma illud persistit, proinde ut affecti sæpe in terram corruant; porro licet oculos claudant, usque tamen quasi vortices, aut tanquam molendini circumactiones in cerebro persentiant: Horum ratio est, non quod deceptio visus Oculis primo inducitur (*quæ Plateri fuit sententia*) & postea ad quoddam tempus continuatur; quippe affectus iste à corporis circulatione producitur, sive oculis intuemur, sive nictamus; At vero hujus apparitionis causa omnino dependet à fluxili spirituum substantia: quippe spiritus intra cerebrum scatentes non secus se habent ac aqua, aut densa vaporum congeries phialæ inclusa, quæ una cum vase continente circumagitur, & facto semel vortice, etiam vase quiescente, motum istum aliquandiu continuare persistit.

Pari etiam modo, quando hominis corpus circumgyratur, spiritus cerebri incolæ ab ista capitis, tanquam vasis continentis circumductione, in motus tornatiles ac velut spirales aguntur, cumque propterea solito influxu & directo jubare nervos irradiare nequeant; hinc una cum visibilium rotatione sæpe scotomia & pedum vacillatio inducuntur, hemisphærium visibile rotari videtur, quia spiritus speciem excipientes circulariter moventur; quare siquidem sensibilis *impressio* recipitur *per modum recipientis*, prout spiritus ita objecta in orbem moveri videbuntur. *Willis.*

Diuturna corporis circumgyratio vertiginem ciet, quia spiritus cerebri motum sequuntur, sicuti observamus pelvim in gyrum commotam liquori in ea contenro similem motum conciliare *Daniel. Duncanus.*

33. *Aspectus rerum circulariter motarum, prospectus ex loco*) Intuitus ab alto, & pontium transitus, vertiginem excitant, in quantum ab objectis inassueris; nec non à corporis situ, aut incessu periculoso, imaginationi terror injicitur, unde ipsa valde sollicita quo pacto spiritus in nervorum corpora rite ordinet, ac firmius dirigat, eos in cerebri meditullium revocat, adeoque à solito affluxu & irradiatione pervertit; dumque eorum aciem melius instruere & certius dirigere satagit, cura nimia in confusionem quandam ac motum irregularem adigit, quapropter ebrii ac audaces, quia de spirituum animalium aurigatione minime soliciti sunt, nihil quicquam tale patiuntur.

Navigatio, aut *Vectio in curru*, pari ratione ac corporis circumrotatio, affectionem vertiginosam infert, quia scilicet spiritus valde fluxiles nimis agitati, tanquam aqua in vitro concussa inordinate huc illuc transiliunt; Porro eadem prorsus ratio est cur plerique in navi aut curru vecti, etiam *Vomitioni immani* obnoxii fiunt; quia nempe spiritus motu nimio, & fluctuatione nimia in ἀτάξίας rapti, nervorum paris vagi capitella inordinate incurrunt, ideoque spasmos & motus convulsivos in visceribus cient. *Willis.*

33. *Aspectus rerum circulariter motarum*) Vix res quæpiam circulariter commota oculis objicitur, quin Vertigo sequatur; objectum enim commotum motus sui imaginem imprimit lumini caput ambienti, hoc autem versus oculos reflexum, hac modificatione donatum, proculdubio eandem spiritibus percussis imprimit. *Idem.*

34. *Diffunduntur & retrahuntur*) Ob terrorem enim subito retrahuntur spiritus ad fornicem cerebri, ubi adeo reflectuntur, ut cum neque progredi neque retrogredi possint, cogantur motu circulari cieri. *Idem.*

35. *Curatur quiete & somno*) Methodus Therapeutica ad *Vertiginem symptomaticam* haud proprie spectat: Tantum opus erit indicatis primariis remedia quædam cephalica, ad cerebri nubila discutienda, & spirituum inordinationes sedandas adjungi, seu potius, ut ad captum vulgi (quod interdum qua invissimulate oportet)

loquantur, medicamenta quædam contra vapores adjiciantur. *Willis.*

34. *Alia est à meatuum &c.*) Notandum Vertiginem quandoque symptoma esse ab affectu quodam alio, modo intra cerebrum, modo extra ipsum consito, dependens: Interdum vero hanc per se morbum esse, qui intra cerebri meditullium excitatus molestus admodum & sæpe terribilis, etiam curatu difficilis existit: Quoad prius, plerique morbi cephalici, scil. dolor acutus, lethargus, epilepsia, carus, apoplexia, cum multis aliis Vertiginem sæpe adjunctam habent, in quantum scil. *æquabilis spirituum expansio in cerebro*, eorumque exinde in nervosum genus irradiatio, à variis ejusmodi causis morbificis facile interturbantur. *Willis.*

35. *Meatuum Cerebri*) Inter causas mediatas remotiores recensendum *temperamentum capitis*, tum *calidum*, tum *humidum*, quorum illud humores peculiariter attenuando, & in vapores resolvendo; *hoc* vero humores cumulando, & vapores crassos & quasi caliginosos producendo symbolum confert; Qui enim in arteriis spiritus habent fervidiores, levi de causa vertiginem patiuntur; *Humiditas* cerebri *flexibilitatem* (quæ in corpus siccum non tam facile cadit) & conversionis promptitudinem magnopere juvat: Pertinet huc etiam *modus substantiæ cerebri & Spirituum*, cum debitam deserit συμμετρίαν: Cerebrum enim si quoad *porulos* sese non recte habuerit, eo facilius vapores recipit: hincque spiritus luciditatis suæ incommoda passi turbantur: Sicque vel levissimus occipitii contactus Vertignis esse auctor potest, uti ille apud *Fernelium* l.5.c.3. expertus fuit, idque tanto validius fieri observatur quo *habitus* corporis est *densior*, vel etiam suturarum capitis defectus concurrit. *Strausius.*

36. *A meatuum cerebri*) Cerebri crimen est, quod temperies ejus humida & debilis, compages laxa & minus firma, cum poris debito apertioribus, & nimis dehiscentibus existunt; proinde ut particulæ quævis heterogeneæ & elasticæ, simulque recrementa serosa, aut alias morbida, è sanguine in caput suffusa, in cerebrum una cum succo nerveo facile admittantur; Et propter meatus ejus magis patentes, usque in meditullia, scil. corpora callosa & striata, sine obice decumbant: Hujusmodi cerebri nimis laxi & dissoluti habitudo, quibusdam innata & originalis existit: porro, qui teneræ sunt constitutionis, scil. viri ac fœminæ delicati, pathici & molles, quorum spiritus nihil fortius sufferre valent, diathesin vertiginosam facile contrahunt, seu potius succrescentem habent, quatenus nimirum *cerebri spiritus* cum alieni incursibus resistere nequeunt, materiæ cuivis appellenti aditum præbent: Cæterum aliis, licet robustis, victus inordinatus, vita sedentaria, frequens crapula, item somni ac studia intempestiva, insuper scorbutus, inveterata cachexia, febres diuturnæ, & morbi alii cephalici pravam hujusmodi cerebri dispositionem non raro accersunt. *Willis.*

Vertigines per essentiam fiunt ex *vitio cerebri* quocunque tam *conformationis*, quam *digestionis propria*, & hujus occasione genitis in eo excrementis plus minus vitiosi: Nam, quod *prius* attinet, *concussio cerebri, contusiones capitis*, casus ab alto fortior, ob quoscunque *poros cerebri & canales ejusdem immutatos*, fibrarum ordinationem plus minus immutare, spirituum ordinarium motum turbare & ita vertiginem inferre valent; idque eo magis si talibus occasionibus externis internæ digestionis errota accesserint: Adeoque, quoad *Posterius, à recrementis* nempe *retentis*, Vertigines & alia mala oriuntur, Sic *Zacutus l.7. Pr. Adm. obs.12.* observat paroxysmũ vertiginis per abscessum materiæ purulentæ ex aure aliquoties fluentis tum · Sic *Wepferus de Apopl. p.67. & 70.* observavit Vertiginem in juvene, in cujus capite, sinistra parte vesica aqua limpida repleta inventa fuit: Sic *Schenckius in obser.* Vertiginem miram refert, ingentis purulentæ materiæ per dentium alveolos & os excretione curatam. *Ettmuller.*

37. *Quia impediti sunt, retrocedunt*) Nonnulla symptomata, ut ἀπόπληξία, accidunt, quia nervi in suo extremo, quo eutem attingunt obturantur; At Coma, Carus & Vertigo generantur quando nervi quoad extremum interius obstruuntur, h.e. in ipso cerebro, aut paulo inferius: Si enim quando spiritus determinati fuere ad motum vehementem ab intro foras, obicem aliquem obvium habuerint, hinc reflectuntur, & ad cerebrum eodem impetu reversi, impingunt in fornicem, quæ cum ab ulteriori progressu eos prohibeat, iterum deviare cogit & motum circularem illis conciliat, tunc temporis omnia objecta circumagi videntur, quia hæc circumgyratio forsan est modificatio quam accipiunt spiritus ab objectis quæ in gyrum moventur.

Porro cum liquor spirituosus subjectum sit omnium modificationum à sensibus provenientium; & cuncta eum participent modificationis illius generalis, aut motus illius generalis, Animæ nostræ repræsentant omnia objecta quasi illo modo moverentur: Idem symptoma oritur si quæpiam materia extranea excitet in spiritibus cerebri insolitas rarefactiones, quæ sunt veluti tempestates excitatæ in microcosmo, nam admodum verisimile est tempestates quæ in majori mundo suscitantur, tonitrua & fulgura, accidere tantum ab explosione nitri, quo aër fœcundus est, & sulphuris è terra elati forma vaporis aut exhalationis; Undecunq; sit, exigua hæc spirituum animalium tempestas eos in gyrum impellit, quia impetus quo illos ciet, non concedit illis sufficiens spatium temporis quo se in nervos insinuent, sed cum in varia obstacula impingant, ideo motus illorum directus in circularem commutatur, sicuti observare est à turbine in locum se insinuante ubi plurima impedimenta ipsius motui occurrunt, excitari utplurimum tempestates.

Sensus & motus tunc temporis desinunt, aut saltem admodum debiliter perficiuntur, circumgyratio enim spirituum dictorum in nervos influxum prohibet: hinc observare licet in paroxysmo vertiginoso, eos qui huic affectui obnoxii sunt, sensuũ omnium functione destitui; cum vero major spirituum copia requiratur ad visum, quam quemvis alium sensum, eapropter præprimis læsionem percipit, oculorum enim caligo vertiginis primus est prodromus: Eadem de causa motus ante sensum imbecillis fit, hinc accessione correpti in terram utplurimum cadunt, nisi sustentati fuerint; quia musculi tibiarum, spirituum penuria, officio fungi nequeunt, *Dan. Duncanus Tr. de mot. Anim. p.324.*

38. *Vel ab obstructione partiali*) *Hofmannus* l. c. agnoscit quoque Obstructionem. Quemadmodum, *inquit*, vapor crassus in convulsionibus spiritum naturalem mentiens, principio nervorum se insinuat, facitque deinde in musculis κλόνον illum quem videmus: ita Vertiginosis vapor non dissimilis occludit principium nervorum ne possint spiritus ingredi: quod ipsum cum sine obstructione fieri non possit, jam non dubito de illa, ut olim, Imo oppono illam agitationi & perturbationi spirituum quam alii prætendunt.

39. *Ratio causa haberi debet*) In Vertigine à cerebri obstructione medicamentum hoc est efficacissimum.

℞. *agar. trochisc. staph. agr. ana* ʒij. *mis*ʒ ʒj. *pyrethri* ℈j. *cera flava* ℥j. *sacch. parum*
m. f. Pasta pro masticatione. *Herc. Saxonia Panthei l. 1. c.3.*

40. *Vel ex arteriarum ab exortu*) Aliam causam, à spiritibus procedentem, in arteriis & vasis capitis sectione in quodam, qui multis annis vertigine laborans, nec ambulare, nec è lecto amplius surgere, quin corrueret, poterat, deprehendimus, Vas venosum nimirum cerebri, omnesque illius arterias ab exortu & ingressu ipsarum in calvariam, universo per cerebrum ductu, coalitas induratasque; glandulisque parvis duris toto processu distinctas; A qua ipsarum obstructione

spiritus

ſpiritus impediti retentione in cerebro, ex levi motu corporis circumducti incurabilem vertiginem peperemnt. *Platerus.*

41. *A vapore ſpirituoſo*) Cauſæ mediatæ proximioris vicem quid ſuſtineat non æque inter antiquos convenire videtur: πνεῦμα φυσῶδες, ſpiritum vaporoſum, vel in cerebro genitum, vel aliunde transmiſſum agnoſcit *Galenus 4. de v. Ac.* & per carotides aſcendere ad rete mirabile, 5. l. aff. 8. judicat: *Galenum* ſequuntur plurimi, qui cauſas in vaporoſos, halituoſos, atque ſpirituoſos *fumos*, potius quam craſſos & pituitoſos humores reiecere: *Hippocrates 2. de morbus ſ. 4. tex. 27. vertigo fit*, *ait*, *quum acervatus ad faciem acceſſerit ſanguis*, *Avicenna* divortium facere non dubitavit; Diſſenſum utriuſque partis conciliare laborat *Mercurialis l. 1. Prælect. c. 11.*

Recentiores plerique τὸ πνεῦμα ἀτμῶδες non improbant; (vide *Sylvium* l. 1. c. 41. §. 22.) licet diverſimode mentem ſuam explicent, *Paracelſus* de cauſis pauca tradit, forte quod ad genus caduci pertinere eam velit, hoc interim diſcrimen ponens, quod nebuloſæ illæ exhalationes, quæ vertiginem inducunt, minus acrimoniæ & malignitatis quam radices Epilepticæ obtineant.

Reliquis Chymicis eadem non eſt ſententia, dum alii cum *Quercetano* vapores & halitus ex reſinoſis, tartareis & ſulphureis in ventriculo, aliove viſcere contentis humoribus; aut ex unctuoſiori magiſque ſulphurea ſanguinis ſubſtantia promanare dicunt; Alii cum *Scheunemanno, Med. Reform. p. 73.* ad principium *Mercuriale* confugiunt, Alii *Salinum* admittunt.

Helmontius Vertiginem oriri inquit ab inferis, citra vaporem & fumum, & per ſolum actionis regimen caput auſcultare ſtomacho docet; Alibi vertiginis ortum *Veneno inebriativo*, quale eſt in Tabaco adſcribit, & alibi cauſam hujus affectus eſſe *Virus Totani* dicit.

Carteſiani quid ſentiant oſtendit *Joh. le Grand part. 8. Inſt. Phil. art. 22. §. 12. Vertigo, ait, eſt affectio qua omnia circumſtantia in orbem agi videntur, quam qui patiuntur, quandam cerebri laſſitudinem ſentiunt; quoniam humores & ſanguis ita agitantur, ut nervorum radices afficiantur, ſic una pars aliam premendo omnia viſibilia corpora circumagi videantur: Fit autem illa compreſſio à ſanguinis pravitate, qui cum facile percolari nequeat, in plexum ſentientem agens, capitis dolorem, oris amarorem, tinnitum aurium, inappedentiam generat.*

Nos à Veteribus accuſatum τὸ πνεῦμα, ſeu *vaporoſam materiam*, ita contemplandam dicimus, ut ſimul alter oculus quoque in humores rejiciatur, neque id invita fieri antiquitate remur; quandoquidem & *Hippocr.* & *Galenus* humorum quoque mentionem faciunt, Et quæ aliter ſalva veritate poſſent, cum vapores ab humoribus gigni quoq; conſtet; Hinc τὸ αἷμα τῶν ἀτμῶν passim apud iſtos inculcari deprehendes, quoties ſcil. venæ & arteriæ per [illegible] acres halitus ſanguinem purum, bilioſum &c. ſupervomuerint; Neque ſeroſam capitis pleonexiam ignoraſſe videtur *Cous 3. Coac. cap. 1. & 2.* Patet itaque quamvis πνεῦμα iſtud φυσῶδες primo quaſi loco ponendum videatur, humores tamen propterea minime excludi debere.

Quod ſi inſuper *huic humorum doctrinæ* lucem quis fœnerari ex *Hermeticis* voluerit *principiis*, facile ſubſcribemus, dummodo res rite explicetur, cum præſertim Paracelſiſtæ non adeo multum à Galeniſtis diſcrepent, utpote qui omnes Vertiginum cauſas ad *halituoſos, vaporoſos*, atque ſpirituoſos fumos referunt.

Prout Vertigo itaque vel *ſimplex* fuerit, vel aliis *conjuncta* cum ſymptomatis, plus minuſque huic vel illi principio valoris adſcribendum fore quis non videt? Unde in pura vertigine *ſulphuream* ſanguinis ſubſtantiam, halituſque hujus unctuoſos præ aliis accuſabimus: Sin dolor capitis, aliæque id genus moleſtiæ una adfuerint, quis *ſali* omnes præcludet halitus? cum præſertim ipſa hæc principia non eſſe plane ſimplicia experientia conſtet. &c. *Strauſſius.*

42. *In cerebro genito*) *Vertigo per eſſentiam* ſubinde ſupervenit iſti per conſenſum; Si enim repetit ſæpius talis per conſenſum Vertigo, fit tandem ut alterata cerebri textura, à crebrioribus iſtis & inordinatis ſpirituum animalium excurſionibus, levi data occaſione ſpiritus in inordinatos tales motus erumpant: Quod ſi *per eſſentiam à ſeipſo incipiat Vertigo*, originem ducit 1. quando *aliquid heterogenei ſpiritibus animalibus permiſtum*, eorum motum turbat, ut v. g. patet in paroxyſmo *ebrietatis*, item ſub *potu fumi tabaci* in non aſſuetis, 2. Quando *in cerebri medullam* p. n. quid immiſſum fuerit cum ſanguine aut ſero influentibus; hinc enim *ſuppreſſioni ſanguinis* conſuetæ ſubinde vertigines ſuperveniunt; Hinc ex *nimia Venere* Vertiginem cum aphonia & intolerabili capitis dolore notat *Ballonius*, abſumptis nempe ſpirituum animalium copiis, & exhauſto plus minus cerebro, facile quid vertiginoſi cum ſanguine inſtillari potuit, Pertinere huc videtur hiſtoria *Fracaſtorii l. 2. conſ. 3.* de Vertigine tenebricoſa ſine ulla intermiſſione in Chirurgo, qui crebro lue Gallica infectos curaverat, unde à virulentia venerea, generi nervoſo ac cerebro infecta, ipſi communicata malum ortum traxiſſe apparet; *Etmuller.*

43. *Qui inordinato motu in venas*) Pertinet huc ipſius maſſæ ſanguineæ conſtitutio præternaturalis cerebrum afficiens, & hinc ſpirituum motum turbans: Hinc plures in Vertigine maſſam ſanguineam *halituoſam*, aut nonnihil *vaporoſam* accuſant, cujus ad cerebrum delati occaſione ſpiritus inordinate agitati Vertiginem inducant; Adeo ut *Lindanus* omnem Vertiginis rationem ex tali ſanguine halituoſo deducat, Hinc in tali vertigine quæ vitio ſanguinis fit, Venæ ſectio interdum optime conducit. *Etmuller.*

44. *Malum eſt frequens, ex levi occaſione corripit*) Vertigo primaria, modo levior eſt & minus alte radicata, inſultibus tantum à cauſa evidenti excitatis moleſta eſt: proinde ut ſæpe affecti ſatis recte valeant, verum ob errores in victu, aut alia accidentia vertiginoſi fiunt: Interdum vero affectioni huic habituali factæ, fere nullo non tempore obnoxii reperiuntur. *Willis.*

45. *Curatur vel in paroxyſmo*) Cum ab internis cauſis pendet animalium ſpirituum generatio, halituum flatuumque productio & aſcenſus impediri debent; aut iidem ſuffocandi, diſcutiendi: *Productio* impeditur per medicamenta Humores acrimonia & glutinoſitate peccantes corrigentia & minuentia, *Aſcenſus* impeditur imprimis per anodyna & narcotica; *Suffocabuntur* aſſumptione liberali apozematum ex aromaticis blandioribus, & gratioribus paratorum: *Diſcutientur* per Olea, præſertim ex ſeminibus carminantibus diſtillatione prolectis, & Tincturas cum ſpiritu vini rectificato, ex quibuſvis plantarum aromaticarum partibus per ſolam infuſionem, aut adjunctam diſtillationem: *Fr. Sylvius l. 1. c. 41.*

46. *Materia vapores ſuppeditantis evacuatione*) Quo pertinet Arteriotomia circa aures facta, quam commendat *Paulus l. 3. c. 12. & lib. 6. c. 4.* quando videlicet calidiores exhalationes mediantibus arteriis confertim ad cerebrum elevantur, Illius mentionem quoque facit *Galenus* 3. de *l. aff. c. 8.* ubi nonnullos ab arteriarum ſectione præſidium petiiſſe dicit, Addit tamen, Non omnes hujus beneficio fuiſſe curatos propterea quod præter arterias iſtas externas internæ ex ipſius cerebri baſi per retiformem plexum aſcendentes in cauſa eſſe poſſint. *lib. 6. de t. val. c. 9* Sunt capita, *inquit*, quæ propter arteriarum temperamentum in Vertigines & capitis dolores incidunt, in quibus arterias incidere ſolemus, *Galenum* ſequuntur *Paulus* & alii Græcorum.

47. *Evacuatione tam univerſali*) *Per Purgationem*, Quoad Purgantia, *Maſſa Pilul. de ſuccino Crat.* cum ſtimulo *Extr. colocynth. It. Pilul. maſtich.* præ cæteris conveniunt in Vertigine per conſenſum ſtomachi: Item *Extr. helleb. ni*

n. cum *Mercurio dulci*, uti egregium est Purgans Epilepticorum, ita etiam Vertiginosis prodest: Cæteris in malo inveterato per consensum conducunt *Pilulæ usuales*, omnibus novi & pleniluniis instantibus vesperi capiendæ, paratæ ex *aloë*, *gummi ammon. myrrha* &c. ut emundæ serventur primæ viæ, ac fomes ex abdomine emanet. *Etmuller.*

47. *Evacuatione tam universali*) Si in capite à sanguine impuro talis evaporatio exurgat illuvies illa expurganda est; Biliosis, acribus, impuris humoribus, à quibus vapores potius hi, qui subtiles sunt, elevantur, educendis, ea potius quam pituitæ expurgandæ accommodantes: *Platerus*, Vide infra §. *Tum affectarum partium*)

47. *Evacuatione tam universali*) Præmissis venæ sectione & purgatione, mihi placet per xxx. dies *zarzæ & ligni decoctum* cum *cichoraceis* paratum sumat. *Mercurialis Consult.* 3.

48. *Ab Errhinis quidam metuunt*) A sternutatoriis abstinendum est, utpote quæ genus nervosum nimis commovent, indeque facile spirituum inordinatos motus provocant, adeo ut periculum sit ne ad Epilepsiam magis disponantur ægri: Ut taceam sternutationes oculis minus esse convenientes, sed potius nocivas. *Etmuller.*

49. *Ejusdem revulsione, derivatione, discussione &c.*) *Cucurbitula* tum siccæ tum scarificatæ, *Frictiones* partium extremarum, & *Apertio hæmorrhoidum* celebrentur revulsionis gratia: *Vesicatoria* & *Cauteria* ad derivationem applicentur: *Cauterium* sincipiti admotum maxime laudatur à *Zacuto* l. 1. *Prax. adm. obs.* 38. in tenebricosa vertigine. *Riverius.*

Scarificationes loco V.S. & post illam, ad *derivationem* faciendam, *in colli lateribus, scapulis, adhibitis cucurbitulis facta*, etsi causa sit in capite, vel aliunde per vapores sursum feratur, prosunt: Peculiareque remedium *scarificatio in carpi regione*, vel *manus ea sede externa quæ est inter pollicem & indicem* censetur, Quæ & in *extremitatibus*, si inde aura ascendere sentiatur, eo loco unde primum exsurgere cognoscitur, facta utilis est. *Platerus.*

50. *Vesicatoria, cauteria*) *Cauterium* in perseverante malo, vel *vesicatorium*, quod plus humores fundit, diversionis majoris causa in medio *capitis convexi*, vel post aures applicandum, sive actuale, sive potentiale existat: Nonnunquam & in pedibus, aliisque locis, si vapor inde elevari sentiatur, *Platerus.*

50. *Vesicatoria, cauteria &c.*) Peculiare remedium *Scarificatio* in *carpi* regione, vel manus ea sede externa quæ est inter pollicem & indicem censetur. *Platerus T.* 1. *cap.* 7.

51. *Cauteria*) Arteriotomiæ loco Cauterium rectius, sive actuale sive potentiale, circa futuram coronalem commendatur, *Gr. Horstius Probl.* 3. *Dec.* 1. Fonticuli in senibus & subjectis cacochymico serosis, uti præservative ab Apoplexia, ita curative in Vertigine sunt proficui, brachio inusti. *Etmuller.*

52. *Frictiones*) Post quas, ut quod in capite collectum est discutiatur, caput panno novo (non calefacto ut aliqui facere solent) ne vaporum ad caput fiat attractio) fricetur, Frictiones autem à collo per spinam ad inferiora, sensim ad extremitates veniendo, easque fricando, fieri debent; sic enim vapores spiritusque revocantur. *Platerus.*

Frictiones partium extremarum maxime laudantur, Omnibus autem modis fugienda est *frictio capitis* supra caput, nisi præcesserint evacuationes universales, vel per clysteres, vel per pilulas & frictiones aliarum partium; Fient ergo hoc modo, primum fricetur collum & brachia fortiter, & spina dorsi, tandem femora & crura seu tibiæ, ultimo fricetur caput, Tunc enim non est periculum de attractione vaporum vel fumorum ad caput, cum jam sit facta diversio ad partes longinquas. *Rondeletius.*

53. *Lotiones capitis*) Cum *summitatibus majoranæ in lixivio calido* infusis sæpius lavandum caput. *Frid. Hofmannus.*

54. *Per externa*) Quæ vertici capitis, temporibus & naribus inungenda, *Balsamus succini, apoplecticus, majorana, rorismar. ruta. caryophyllor. salvia*, Oleum *fœniculi, carvi, anisi, rosmar. caryophyllorum.* Sebisius *Manu. p.* 269.

55. *Et interna*) Prosunt ex proprietate quæ fiunt ex *stercore pavonis* (ut si siccetur & pulverisetur) & *ex araneis*, item *semen carvi*, Vel

℞. *falsor. beton. salvia minor.* āā. *q. v.*

macerentur per noctem in vino, utatur quotidie hoc potu, Nam est experientia compertus. *Mullerus Mirac. Ch. p.* 82.

Confectiones saccharatæ siccæ post cibum etiam sumuntur, *ex semin. coriandr. fœnic. anisi, carvi, cymini & cubebis sacchare obductis cortic. citr. & sim*

Nudum *semen fœnic.* vel *carvi*, vel *grana juniperi*, mane devorata in vertigine & visus imbecillitate prosunt.

Electuaria mane sumenda usualia probantur, *Theriaca, Mithridat. Asyncrit.* si antiquissima sint.

Sequens *confectio* efficacissima est.

℞. *rad. paon. visci. qu.* āā. ℨj.
fol. euphr. ℥iij. *majoran. anthos* āā. ℨij.
origani ℨj. *semin. fœnic.* ℨij.
anisi, carvi āā. ℨj.
cymin. siler. mont. ocymi, paon. āā. ℨß.
cubeb. ar. macer. caryophyll. cinnam. āā. ℨß,
corall. ℈ij. *margar.* ℈ß.
cran. hum. ℨj. *ebor.* ℥ß.
f. Pulvis, excipiendus melle anthos. vel cum succo rutæ cocto, sumat mane instar nuc. mosch.

Aquæ stillat. commendantur, quæ per se, vel post alia sumi possunt, ut *aqua cinnamomi*, *Salia, Essentia*, & *Olea* enarratorum Chymici magni faciunt. *Platerus.*

Nil præstantius creditur hoc Pulvere.

℞. *cinnab. miner. vera* ℨß.
coralli rub. ℈j. *fol. auri n. xv. m. s.*
dosis gr. x. ad xvi.
cum aqua lil. conv. J. C. Claudinus Emp. Rat. lib. 3. *sect.* 1. *tr.* 1. *c.* 14.

Cubeba confectio mire vertiginosis confert. *Crato consil.* 44. 47.

Præ cæteris *Oleum buxi* sicut in epilepsia, sic & in vertigine primum censetur remedium intus & extra, quotidie inungendo temporum arterias, post aures, pulsus in carpo, & plantas pedum, Intus vero sic.

℞. *Conserv. anthos* ℥iij. *ol. buxi, nuc. mosch. menthæ* āā. ℨß *cum syrupo cort. citri f. Elect. Dosis mane* ℨß.

Imo si per os gtt. 8. vel 9 *olei de buxo cum aqu. paon.* ℥iij. exhibeantur, non sentiet hoc præstantius auxilium. *Rodericus à Fonseca Tom.* 1. *consil.* 16.

Exhibita in Vertigine (*& visus imbecillitate*) à *pituita* genitis, utrique eadem competunt, quæ appropriata capiti oculis esse debent, illaque calefacere & roborare, proventumque pituitæ, concoctionem primam & tertiam juvando impedire, atque *Vapores* inprimis, qui caput gravando paroxysmum promovent (*visionique nocent*) reprimere, eosque uti & flatus discutere, Quæ variis formis & modis usurpantur, In *Pane* quædam exhibita prosunt, ut si *semina fœniculi, carvi & macis*, dum subigitur, illi permisceantur; vel si *Zinzib. caryoph.* contusa, affusa *aqua vitæ*, ea ratione illi addantur, quod *Paracelsus* valde probabat; Sed & reliqui *cibi* his condiri possunt; Vel *Pulvis* pro cibo talis parari.

℞. *sem. anisi, fœnic.* āā. ℨij.
carvi, macer. āā. ℨj.
cinnam. ℨiij.
sacch. ℥ij.

F. Pulvis *Oryzæ*, vel aliis edulis inspergendus, Sed talis parari poterit cum cibis, vel ovo sorbili sumendus.

℞. *salis*

℞. *Salis* ℥j. *nuc. mosch. mac. sem. carvi, fol. euphr. majoran. āā.* ʒß. *m.*

Pulveres alii efficacissimi fiunt, mane exhibendi, per se, vel cum aqua aliqua singulari, ut *euphrasia cum vino* permixtæ (cum aquæ solæ exhibitæ ventriculo non adeo sint gratæ & commodæ) quorum *hic singularis* sæpe feliciter usurpatus fuit.

℞. *Macer.* ʒij. *cinnam.* ʒj. *fol. euphr.* ℥j. *sacch. ad pond. omn. deatur.* ʒij.

Alter si Vertigo epilepsiam minetur perutilis.

℞. *Cor. hirund. cranii hom. āā.* ʒij. *Viper.* ʒß. *sem. fænic.* ʒij. *carvi.* ʒj. *paon. macer. āā.* ʒß. *cubebar.* ℈j. *fol. euphr. majoran. āā.* ℈ij. *sacch. rof. ad pondus omn. f. Pulvis.* Ex his tabulæ fieri possunt.

Post pastum usurpantur *Pulveres*, ad *vapores* præsertim arcendos & concoctionem bonam instituendam: Aliqui *sena* ℈ij. pulveribus illis addunt, & sic validius vapores reprimi existimant: Alii ex *rhabarb.* ad potentius adhuc vapores reprimendos sic parant.

℞. *Rhab.* ʒij. *schoen. orig. āā.* ʒj. *sacch. rof. tab.* ℥ij. *cum syr. de mentha f. mistura*, detur cochl. j. hora una ante prandium. *Mastich. gr.* ij. *vel* iij. ante somnum deglutita vapores retundunt.

5°. *Ex appropriatis laudantur.*) Usurpanda ea quæ proprietate specifica Vertiginem curare æstimantur, qualia sunt ea quæ pro Epilepsiæ curatione fuerunt proposita, nimirum Aquæ antepilept. Balsamum pro inunctione narium, temporum & verticis capitis, *Oleum succini*, *pulvis* ex cinnabari &c. Conserva *flor. calendulæ* à nonnullis tanquam specificum maxime commendatur. *Riverius.*

℞. *Conserv. flor. paon. mar.* ℥vj. *pulv. rad. ejus* ℥j. *semin. paon. pulver.* ʒij. *succini, corall. margar. pulver. āā.* ʒiß. *salis corall.* ʒj. *syr. è corall. q. s. f.* Electuar.

℞. *Folior. visci arbor. rec. m.* vj. *rad. paon. maris, angel. āā.* ℔iß. *stercor. Pavonis albiss.* ℔ij. *cardamomi contusi* ℥j. *castor.* ʒiij. *omnibus minutim concisis, & simul mixtis, affunde aut vini albi aut seri lactis ex eo parati* ℔viij. destillentur, Liquor totus misceatur.

℞. *Pulv. rad. paon. mar.* ℥ß. *corall. r. ppti, spec. diambra āā.* ℥iß. *pulv. flor. pæonia m. recens contusorum & in Sole exsiccatorum* ʒj. *f. Pulvis; cui adde sacch. albiss. in aqua pæonia sol. & ad tabulatum cocti* ℥x. f. s. a. Tabellæ pond. ʒß. comedat j. vel ij. sæpius in die.

Quia non omnia omnibus conveniunt, quin Medicus medicamenta diversa experiri debet, ideo quasdam alias formulas subjiciemus.

℞. *Syr. nostri de chalybe.* ℥vj. sumat cochlear mane, & hora vespert. cum *aqua destillata* superius tradita aut *alterius cephalica* ℥iij. Vel sumat *Tinctura chalybis guttas* xv. ad xx. cum haustu ejusdem aquæ bis in die. Hæc multis insigne levamen contulisse novi. Interdum *spir. fuliginis*, c. c. aut *salis armon.* cum *succino, corallio, aut cranio hom.* impregnati vel *T inct. succini, antimon.* aut *corallii*: doses eodem ritu quotidie exhibeantur.

℞ *Pulv. rad. Pæn. m.* ʒiß. *sem. pæn. corall. prap. succini albiss. āā.* ʒiij. *margar. prap. pulv. flor. pæn. m. recens contus. & in Sole exsiccator. āā.* ʒij. *sacch. cand.* ℥j. Fiat Pulvis, da ʒj. bis in die cum haustu *Tea vel Coffee*, aut *decocto salvia vel rorismar.*

Pauperibus præscribatur Pulvis è *fol. visci pomor.* in Sole exsiccati ad ʒj. bis in die. *Willis.*

In *habituali* seu inveterato malo, undecunque nato, requiruntur præterea *Specifica appropriata*, qualia sunt *paonia, cubeba, semen sinapi, cinn ab. vel nativa* vel *antimon.* *Succinata* quælibet, præsertim *ol. destill.* & hujus loco *oleum petra album* V oum ex primariis *stercus pavonis*, quibus addi solent *doronicum*, *charefol. salvia, rosmarin.* buxus, & in genere quælibet cætera cephalica, & epileptica, *Hepate rupicaprarum* Vertiginem curatam refert *Velschius Hecatost.* 2. p. 36.

Dubium tamen annon additum *Elæosacch. citri* paris cum hepate fuerit virtutis. *Salvia* decoctum in aqua vel vino, tam interno usu quam externo, si eo abluatur caput, & applicetur fronti ac temporibus laudatur à *Deckero* in Praxi, *Buxus*, in specie *ejus oleum*, uti in epilepsia, etiam in vertigine intus & extus singulare habetur remedium; Extra quidem, inungendo *oleo* quotidie temporum arterias, post aures, pulsus in manibus ac pedibus, Interne.

℞. *conserv. fl. anthos* ʒiij. *ol. buxi, nuc. mosch. menth. āā.* ʒiß. *cum s. q. syr. cortic. citri f. Electuar. dosis* ʒß. Imo si guttæ 8. vel 10. in *aqua paon.* aliquot unciis exhibeantur, præstantissimum habetur remedium. *Semen sinapi* crudum jejuno stomacho comestum: Expertum etiam est cum *caricis pinguibus & semin. sinapi paratum Electuar.* quod pro usu præservativo vertiginis est egregium.

Salia volatilia & *oleosa* nobilia sunt interne & externe: hinc interne *Elæosacch. sal. volat. succini*, Extra *ol. destill. succini*, vertici illitum est egregium: *Olei succini* loco *Petroleum album* potest usurpari; Memini me aliquando juveni studioso hypochondriaco, crebra vertigine, seu jejunus seu pastus esset, affecto, pr. præm. & etiam aliis adhibitis convenientibus, frustra tamen omnibus, consuluisse ut in fine singuli pastus 6. 7. ad 8. guttas in ultimo haustu caperet, eoque leviter præcordia inungeret, id quod optime profuit: Sic alii juveni, præmisso vomitu dedi.

℞. *cons. menth.* ℥j. *flor. anthos* ʒvj. *petrol. albi* ʒiß. *sal. volat. succini* gr. xv. *cum s. q. syr. menth. f. Electuar: de quo mane capiat castanea dosin*; Bono cum successu accepit.

Aliis nil juvantibus sacra anchora erit *laudan. Opiat.* inprimis appropriatis, præsertim *succinatis* mistum, quod quoscunque spirituum animalium inordinatos motus compescit, eosque sigento sedat. *Ettmuller.*

Appensum *crystallum* plurimum valere censent, atque ex poculo inde parato ejusdem utilitatis gratia bibitur, vel poculis crystallum immergunt. *Platerus.*

Certissimum remedium, Collige *nymphaam albam* in ipso puncto quando Sol in Cancro ingreditur, & exsicca eam in aëre septentrionali, Et si quis vertigine corripitur, eam modo aspiciat, & vertigo evanescet in momento. *Joh. Agricola Chir. parva p.* 91.

Ego per *sulphur vitrioli* ab hoc malo sanus factus sum, *Helmont. In Phys. tit. Jus duum vir.* p. 24.

Electuar præsentaneum fit ex *cerebro passerum & vitulis Idem.*

Ciconiarum integrarum essentia, quæ fit per digestionem cum *spiritu vini*, postea destillatur, & demum sale eorum volatili impregnatur. *Idem ibid.* Dosis ad grt. iij. cum vel sine sudore.

Funambulus quidam pro singulari arcano habuit, *pulverem simii*, qui pretio & precibus vix ab eo extorqueri poterat: *Idem.*

Papaver candidum prodest iis qui vertigine laborant, experientia hoc testante. *Hieron. Tragus.* Vi narcotica prodest, unde & opium & *laudanum opiatum* quidam usurpant, Vide §. *In curatione*) ex Strausio.

Herba charefol, semen, cum cibis assumpta, Essentia in jusculo, vel aquæ appropriatæ. *Fr. Hofmannus m. m. pagina* 28.

Cubeba saccharo obductæ in cibo. *Idem.*

Essentia flor. anthos. Idem.

Semen carvi, cum vino destillatum, *Crato & Oberndorf.*

Carpobalsami ʒj. *cum aqua charef* dissoluta. *M. Hofmannus.*

Conserva flor. calendulæ à nonnullis tanquam specificum maxime commendatur. *Riverius Pr. libr. 1. capite 9.*

57. *Stercus Pavonis*) In Pavone insigne latet specificum, cujus non tantum *carnem* comestam admodum laudant, sed in specie *Stercus* nobile est specificum: Usurpari potest vel forma *Pulveris*, ad imitationem *Willis*, Sicuti aliquando viro cuidam insigniter vertiginoso p. p. præscripsi.

℞. *stercor. pavon.* ℥ij. *rad. paon. mar.* ℥j. *pulv. caryoph.* ʒiij. capiatur de his quotidie bis larga dozis mane jejuno stomacho & bihorio ante cœnam, usurpavit cum successu, Omni vespera, sub lecti introitum, accepit simul *spir. Salis armon. anis.* gutt. 30. vel 40. pro dozi. It. in forma *Electuar.*

℞. *stercor. pavon.* in sartagine leniter exsicc. ut possit pulverari, misce cum conserva *rorismar. & majoran. q. s.* de quo quotidie bis capiatur, quo feliciter usus est Lindanus in praxi.

Vel in *forma liquida*, qua ratione *Petrus à Castro* remedium admirandæ virtutis ad præservationem esse dicit ʒj. *sterc. pavonis*, maceretur per noctem in *vino albo*, omnia postmodum per linteum trajecta exhibeantur, continuando à novilunio ad plenilunium usque: An præcise requiratur distinctio sexus, ita ut *stercus masculi* pro *maribus*, *famella* pro fœminis sit capiendum, in medio relinquo. *Etmuller*, vide *Hartmannum Fr. Hofmannum* & alios.

58. *Radices Doronici*) *Doronicum* Singulariter à quibusdam laudatur, sed vereor ne ex præconcepta magis opinione, quam rei veritate fiat: Putant enim Rupicapras Alpinas ejus usu reddi aptas ut citra vertiginem montes adscendant, quod ipsum tamen naturæ proprium & consuetudinis videtur beneficium: Funambuli quoque ejus usu contra Vertiginem se munire dicuntur, quod tamen pariter dubium. *Etmuller.*

59. Pinguedo *Damarum colubrorum.*) *Pinguedo ciconiar. damarum, serpentum*, temporibus illita à signatura commendari videtur, cum illa animalia loca invia adeuntia non fiant vertiginosa.

60. *Temporibus illita*) *Balsam. Peruv.* vel *apoplect.* vertici, temporibus, naribus, applicantur, V. g.

℞. *aqu. salv.* ℥iij. *menth.* ℥j. *spir. lil. conv.* ʒiij. *sal. armon.* vel *liquor. c. c. succinati* ʒiß. *laud. op.* gr. ij. vel iij. *syr. fœn.* ʒiij. *ad* vj. m. In mulieribus loco *spir. lil. convall. essentia castor.* addatur, detur cochleatim. *Etmuller.*

61. *Pulvis bombycum*) Miro modo caput roborat Pulvis ex verme faciente sericum, exsiccato & pulverisato, qui postea sparsus per universum caput mirabili efficacia id roborat & firmat. *Mercatus.*

62. *Spiritus rorismarini*) Aliquando essentiam compositam ex solo *charefol.* & *roremar.* proficuam in vertigine per consensum expertus sum; *Rorismar. essentia* commendatur à *Ferdinando* in contumacissima vertigine; in specie si exasperetur malum in frigore hyberno: id quod senibus fere familiare. *Etmuller.*

63. *Theriaca Hippocratis*) Electuarii sequentis, quod quidam *Hippocratis Theriacen* vocant, usu non semel similes, & eo graviores morbos curavi.

℞. *succi absynth. succi marrub. succi flach. mastich. rhei, chamedr. chamep.* āā. ʒiij. *hyssopi* ʒj. *agar. boni ad pondus omnium*, pulverisentur omnia subtilissime, excipiantur melle cocto, Detur mane à ʒij. ad vj. in *decocto stæchados. Solenander consil. 2. sectio 1.*

64. *Cinnabaris miner. vera*) Cinnabaris tam nativa quam factitia, egregia est, seu per se, seu cum aliis, V. g.

℞. *sterc. pavon. pulver.* ℥iij. *cinnab. nat.* ʒij. *cubebar. galangæ* āā. ʒß. *m. f. Pulvis*, Pro cujus vehiculo.

℞. *aqu. charefol.* ℥iij. *liquor. c. c. succinat.* ʒj. *Misce*, capiat aliquot cochlearia. *Etmuller.*

65. *Cubebarum*) Masticatæ stomacho jejuno, aut etiam vino infusæ, sicque bibitæ, multum conveniunt. *Etmuller.*

66. A *sanguine fervido*) In capite ipso horum affectuum causa nonnunquam existit; in quo non tantum *sanguis spirituosus* fervidior copiosiorque collectus id facere potest, sed & ab humoribus illic contentis consimiles vapores suscitati, spiritibusque permixti hæc accidentia gignere possunt: Quod à sanguine potius vasorum & sinuum cerebri, illique permistis humoribus oriri quam à pituita credimus. *Platerus.*

67. In *Curatione*) Quid de *Opiatis* censendum? Observatis *Tralliani* conditionibus *lib. 5. cap. 4.* si scilicet vapores calidi à corde, ventriculo, hepate &c. surgunt caputque petant, unum alterumve *laudani opiati granum*, *in vini generosi* haustu, sub initium invasionis propinatum, sacra erit anchora. *Strausius.*

68. *Habenda ratio Venæ sectionis*) Sanguinis detractio per brachii humerariæ venæ sectionem, in plethoricis, non tantum si alicubi in sanguine fomes mali lateat, sed & si in capite sanguis vel copiosus, vel spirituosus redundet, causamque præbeat competit; Nam cum in cerebri sinibus sanguis tam arteriarum, quam venarum confundatur, etiam vena aperta spirituosus sanguis exhauriri potest: in quo, si malum totum fere lateat, præcipuus curationis scopus in phlebotomia existit, Ob eamque causam etiam *Jugulares* in collo aperire jubent: Imo spirituoso sanguine Vertiginem causante eam curari non posse nisi *arteria post aures* aperiantur plerique docent: In *fronte* quoque, in vertigine ab hac causa orta, vena aperiri posset; & in *pede*, si inde vapores ascendant: Et si *menses suppressi* essent, *saphena*, præsertim si circa *uteri venas* causa vapores sursum demandans lateat: Quo nomine & *hæmorrhoides*, si in mesaraicis mali fomes contineatur, utilissime provocantur. *Platerus.*

68. *Habenda ratio venæ sectionis*) Hic præsentissimum se merito commendat [illegible] V. S. quoties vel plethora urget, vel humorum [illegible] corrigenda venit; [illegible], ex hæmorrhoide aut suppressa, aut parumper fluente, quæ [illegible], 3. *Coac. tr.* 97. ubi quidem modo in brachio, modo in pede venam esse secandam ipsa indicantium natura docebit. *Strausius.*

69. *Arteriotomia*) Experientia comprobatum est, post varia diu tentata remedia, hoc auxilii genus tandem juvisse; quod tamen nonnisi omnibus tentatis prius, & cum certi de causa sumus, eamque ex spirituoso illo sanguine profectam esse, ex pulsu arteriarum continuo cognoscimus, summa tamen adhibita diligentia, cum vulnus ægre coalescat, denudata primum arteria, ut postea ligari possit, fieri debet. *Platerus.*

Præstans est, comprobata experimento *Rolfincii* arteriotomia, in temporum arteriis instituenda, quoties vaporosus calidusque spiritus per arterias in caput ascendens paroxysmum tum vehementiorem tum diuturniorem reddit. *Strausius.* Vide §. 46.

70. *Quæ est ab humore pituitoso*) Repletionem cerebri ab humore *aqueo*, tam *seroso* quam *pituitoso* factam Vertiginem illam causare quæ *apoplexiam* aut *carum* præcedere &, minari solet, certum est; Quæ frequens & diuturna, & nisi præcaveatur, in hosce morbos terminari cum vitæ summo discrimine solet; Verum hoc refrige-

laudo

rando & humectando cerebrum non facit, cum hæc spirituum agitatio, quæ in Vertigine fit, sic potius impediretur quam promoveretur; Sed fit hoc cum cerebri anfractus, spatiaque adimplens, maxime copia calvariam replendo, & flatuum copiam simul gignendo, qui ex aqueis humoribus sæpius quam vapores gignuntur) in ea fluctuat; Tunc enim sicuti in cordis involucro, aqua redundans cum agitatur palpitationem cordis facit; ita & hic cerebrum undique opplens, cum caput movetur, agitatus humor, & capitis motum sequutus, talem sensum capiti præbet; Quod ex ipsorum relatione qui de tali fluctuatione conqueruntur satis patet, & aperta calvaria hanc humoris immensam copiam sæpenumero invenimus; In eoque, cui arterias quoque occallusse vidimus, tantam illius copiam deprehendimus, ut aperto cranio undatim defluxerit; quæ & una cum arteriarum illa obstructione, geminam causam vertiginis proferens, eam tam diuturnam & incurabilem effecerat; in qua humor ille diuturnitate cerebrum irrigans *carum*, quo & extinctus est, pepererat; *Cognoscitur* autem hanc vertiginis causam esse, non solum ex fluctuationis illo sensu, sed & aliis pituitæ redundantis indiciis; Ad quæ proclives somnolenti simul & stupidiores evadunt, & in hosce affectus, nisi occurratur, tandem incidunt. *Platerus.*

71. *De intemperie pituitosa*) Vide supra §. *Et interna.*)

72. *Evacuatio præmissa*) *Particularis* per os & nares, tanquam viam pituitæ expurgandæ destinatam, eam à cerebro, postquam corpus purgatum fuerit, derivare oportet; quæ expurgatio eo convenientior erit quod statim ab ipsa sede affecta, ad quam via hæc recta pertingit expurgat cerebri excrementa illic collecta: Fitq; hoc caput purgiis, seu apophlegmatismis dictis, in forma errhini, masticatorii, aut gargarismatis, mane dum jejuni sunt usurpatis. *Platerus.* Vide formulas Cap. de Intemp. cerebri frigida.

Per *sanguinis detractionem* Vena secta pituitam è capite exturbare non possumus, nisi in cerebro pituitosus sit, sicque eum educendo excrementis hisce pituitosis gignendis materiam aliquomodo hac ratione subtrahamus: Quod tamen nonnisi in plethoricis, & quibus consuetum hoc fuit, sanguisque impurior apparet, nisi alius affectus comes, ut dolor capitis id suadeat, faciendum: Sed & quæ per scarificationes fit sanguinis in aliam partem revulsio non alia ratione proderit, nisi quatenus adhibita per cucurbitulas attractione, serosi humores simul quoque evacuantur. *Idem.*

72. *Evacuatio*) Hoc *vinum* cuidam sani ita profuit, ut postea nunquam amplius de Vertigine admodum conquereretur.

℞. *Sennæ* ℥ij. *turbith.* ℥ß. *agar.* ʒiij. *z.z.* ʒj *piper.* ʒß. *sem. coriand.* ʒj. *absinth.* ʒij. *summit. centaur. min. maj.* āā. ʒj. infundantur in mensura una vini, bibat diebus aliquot, Vixit diu postea incolumis. *Platerus obs. l. 1. p. 100.*

73. *Pilularum*) Sequentes ex intervallis frequentibus usurpentur, quippe quæ efficacissimę ad effectum hunc demendum, simulque ad caput & omnes sensus confirmandum.

℞. *agar. elect.* ʒij. *colocynth.* ʒiß. *myrobal. chebul.* ʒj. *semin. majoran. rutæ, paon.* āā. ℈j *z.inz. asari, piper.* āā. ℈j. *nucis mosch. cubebar. caryophyll. xyloal. mastich. cardam. spica n.* āā. ʒß. *helleb.* ℈ij. *salis gemm. nitri* āā *gr. v. aloes hepat. pondus duplum, f. Pilul. cum Benedicta*, quarum ʒj. bis terque in mense, vel ℈j. tertio quoque die exhibetur. *Zecchius cons. 96.*

74. *Lixivium*) Capiti remedia, ut humores excrementitii, qui conjuncta morbo vel antecedens causa existunt, alterentur, discutiantur, atque avocentur, & pars ipsa simul roboretur applicantur, Idque variis modis; *Lotiones capitis* aliquando factæ sic conveniunt, quæ valde appropriatæ humorem absumunt.

℞. *rad. ireos, lauri, vel cyperi* āā. ℥j. *fol. sampsuc. rutæ, salv. fœnic. summit. & rorismar. verbenæ, chelidon. euphras. beton. ivæ* āā. *m. j. flor. chamom. lavend. stæch.* āā. *p. j. baccar. lauri, juniperi,* āā. *p. j. sem. fœnic.* ℥ß. *rutæ.* ʒj. *senæ* ℥j. *agar.* ʒiij. *f. decoctio in* Lixivio, *facto ex cineribus juniperi. lauri, addendo vini albi quartam partem.*

Idem, sed successive, præstat *Pileolus*, noctu præsertim gestatus, qui & jucundum odorem præstat.

℞. *rad. ireos, angel.* āā. ʒij. *acori veri, cyperi,* āā. ʒj. *fol. major. rosmar. flor. rosar. avend.* āā. ʒß. *nuc. mosch caryophyl.* āā. ʒj. *sem. coriand. ppti* ʒ ß, *nigellæ* ʒß. *f. Pulvis pro Cucupha.*

Suffitus idem efficiunt, quorum vis caput subit & melius siccat, quibus conclavia potius & cucuphæ suffumigari quam nares convenit, nam vertiginem sic moverent. Ex *granis juniperi* parati, visioni quoque appropriantur. Communione quadam cum capite *Pedum lotiones* interdum factæ plurimum ab eo excrementa divertunt caputque roborant; quæ ex iisdem quibus caput ablui debere diximus, vel aliis quoque lixiviis calidis, odoratis, inprimis cephalicis prius incoctis, parari possunt: Validius serosos humores & excrementa cerebri evocant *Vesicatoria & Cauteria, capitis elatiori sedi*, vel *post aures*, aut in *cervice* applicata: *Punctura* in cute cervicis facta & seta transmissa, idem præstat. *Platerus.*

75. *Vapore spirituoso ex aliis partibus*) Partes quarum consensu fit Vertigo, est inprimis *Ventriculus*: Ordinario vero hoc evenit *Hypochondriacis*, & iuvenibus diligenter *literis incumbentibus*, item *Senibus*, Pertinent huc hystericæ mulieres, quæ admodum Vertiginosæ sunt; imo utplurimum præcedentibus scotomiis, *Suffocatio* dicta *Uterina* inchoata, aut in eadem durante paroxysmo hysterico Vertigine gravi subinde corripiuntur; Nempe mali hypochondriaci quædam species est hæc suffocatio; *Vermes intestinorum* graves inferunt Vertigines, sicuti etiam epilepticas convulsiones; Adeoque *Vertigo per consensum* utplurimum est ex vitio *stomachi*, Præterea ex *Liene*, *Renibus*, aliisque partibus nervis insignioribus ditatis per consensum itidem oriri potest Vertigo, Sic etiam *Calculus Renum*, ex pelvi in ureteres commotus, in quibusdam inferre solet scotomias. *Ettmuller.*

76. *A vapore spirituoso ex aliis partibus*) Causa harum evaporationum, unde & Vertigo & Imaginatio & Scotoma proveniunt, in diversis corporis partibus potest consistere, cum alias ab inferioribus sursum elati vapores capiti demandentur, frequentiusque à Ventriculo prodeant; Iidem à venis mesaraicis progressi, in quibus biliosi succi frequenter redundare solent, uti ab eodem loco elevatis, & per venas & arterias sursum delatis vaporibus febres intermittentes, hypochondriacæ melancholiæ, per intervalla hominem invadere solent, sic & jam dicta symptomata excitant; idque maxime contingit quando vapores illi subtiles sunt, & tales ut hæc potius accidentia quam mentis perturbationes, quas à malignitate potius illius proficisci credimus, inducant; Qui & proin nunc *vertigines* solas, vel prout comparati sunt, *imagines* aut *scotomata* simul cum illis, vel sine illis procreant: Quam veriorem maluimus afferre quam cruditates, à quibus flatus potius quam vapores ejusmodi generantur, prætendere. *Platerus.*

77. *Ex aliis partibus &c.*) Vertigo interdum propter affectus alios longe extra cerebrum consitis produci solet, idque duobus potissimum modis, Nam. 1. usitatum est Scotomiam oriri ob *sanguinis affluxum* à cerebro derepente *avocatum*, uti in *syncope*, ejusque appro-

ximatione, *inedia* magna, improbo *labore*, *hæmorrhagia* immensa, longis *jejuniis*, violentis *tristitia* aut *metus* passionibus, imo ob alias occasiones, si quando sanguinis motus in corde deficit, aut vacillat, ita ut affecti in leipothymiam proclives sint, statim quia liquoris vitalis tributum subducitur, etiam spiritus animales in cerebro deficientes, irradiationem suam in nervosum genus subtrahunt; quippe cum eorum scaturigo præscinditur, qui superstites sunt, ab emanatione sua resilientes, confuse in cerebro oberrant: & affectus vertiginosos, ac non raro deliros cient. ij. Spirituum animalium, à viscere quodam aut membro externo, inordinatus in cerebrum recursus non raro Vertiginem infert, in quantum scil. spiritus à parte affecta, longa per nervorum ductus serie perturbati, demum alios cerebri meditullium incolentes perturbant, inque pares *μελάγχολος* adigunt: Propter hanc causam est quod *humores acres*, ventriculi fibras vellicantes, quod materies sæpe infesta & irritativa in liene, pancreate, aut intestinis commota, leves in cerebro scotomias parit: Novi à dolore acuto, ulcere & sphacelo in pede, aut brachio consitis, spirituum in cerebro quasi titubationes & vacillationes crebras ac breves inductas fuisse: Dum concepta spirituum inordinatio, à loco affecto per nervus in cerebrum transfertur, *formicatio*, seu auræ frigidæ ascensus persentiri videtur.

Quare hujus effectus causa *vaporibus* inde ad caput elevatis vulgo adscribitur, quem errorem alibi satis redarguimus: Porro quod multis cum jejunaverint, aut prandii horam diutius protelarint, oculi obfuscari, & caput rotari soleat, & deinde mox à levi comestione nubila illa evanescunt, id non (uti populi vox est) ita contingit in quantum à vacuo stomacho flatus & vapores ad caput ascendunt, quos ingesta alimenta mox supprimunt, sed quoniam ventriculi fibræ & filamenta nervosa, succo nutritio, quo irrigari amant, destituta, corrugari & spasmos leviores inire solent; cujusmodi spasmi, & spirituum inordinationes, siquidem per ductus nervosos in cerebrum continuantur, *affectionem vertiginosam* producunt, quæ quamprimum stomachi fibræ corrugationes suas remittunt, sponte cessat: Propter hanc rationem novi quosdam à vomitorio exhibito, & ventriculi tunicas lacessente vertigine immani correptos; quinimo à cibis dyspeptis, aut ventriculo ingratis, affectum illum nonnunquam oriri suspicor. *Willis.*

77. *Ex aliis partibus*) Aliquando ex *pedibus*, aut alia corporis sede auræ instar ascendens vapor vertiginem procreat, Tunc *Lotio illarum* partium, uti & in aliis causis si fiat, plurimum divertit.

℞. *fol. salv. rorismar. spica celt. iva, hyper. flor. chamomilla, rosar. lavend. ãã. q. s. decoquantur in vino & xirio.*

℞. *Ol. lauri, lumbric. cheir. ãã.* ℥j. *aqua vita* ℥ß. *salis parum, coqu. pro Inunctione*, quæ sequi debet Linimentum. *Platerus.*

78. *Oritur*) Quomodo fit *Vertigo per consensum*: Vulgo ad vapores & exhalationes, effumationes ac halitus, ex inferioribus partibus elevatos in cerebrum confugiunt: Sed *impossibilis est horum vaporum transitus*, viis omnibus sufficienter munitis, Vnde inprimis *Helmont*, & *Schneiderus l. 3. de Catarr.* hujusmodi exhalationes sufficienter discusserunt: Consideremus *Calculum*, qui motu suo, in vel extra pelvim, ad vertiginem disponit, Item *Vomituri* *entes*, qui cum labii tremore Vertiginosi quid patiuntur; Nec est quod obiciatur sensibilis *aura frigida*, quam tales percipiunt, ascensus, Nam in his casibus saltem est spirituum versus cerebrum radiativorum recursus inordinatus, & quasi resilitionis impetus, qui reliquas earum copias in cerebro impetuosius commovens, eosdem in motus inordinatos & confusos cogit; sicque *Vertiginem* infert.

Dum vero spirituum iste recursus & resilitio, plus minus vehemens, ab objecto inadæquato partem sensibilem nerveam vehementius afficiente nata contingit, & ad cerebrum usque defertur, *formicatio* talis, seu velut *aura frigida adscensus* persentiri videtur, Utut hoc non in omnibus æque contingat, e. g. ex *graviore in quodam loco dolore* vertiginosi quidam redduntur, objecti dolorifici occasione spiritibus ad partem dolentem commotis, & aliquid spasmodici plus minus efficientibus, fortioris vero ab objecto doloroso impressionis ratione repulsi, iidem & quasi resilientes Vertiginis pathemata inferunt; Sic *Bartholinus Cent. 6. hist. 75.* narrat *Vertiginem etiam ex pede*, adscendente hinc quasi vapore, qui ex supra dicta ratione pariter fieri videtur, nempe aliquid quasi spasmodici antecedit occasione objecti irritantis, sed impetuosius inde resilientibus spiritibus, vaporis imaginarius ascensus, tandem vertigo accedit. *Ettmuller.*

79. *Oritur, aut à Ventriculo*) Cum Vertiginosi non raro sponte vomant, hinc opinio apud plurimos invaluit morbi hujus causam fere semper in Stomacho latere; verumtamen hoc secus habere, & ob spiritus in cerebro perturbatos vomitionem crebro succedere credimus; Quod autem Emetica in hoc morbo juvant, ratio est, quoniam hoc pharmaciæ genere & maxima humorum à cerebro fiat revulsio, & spiritus in eo tumultuantes quamprimum coerceantur: Quando ventriculi & viscerum juxta consitorum membranæ & fibræ vellicantur, in eas partes varii humores, scil. nerveus, serosus, lymphicus, pancreaticus & biliosus attrahuntur, adeoque emulgentur, ut *Ἐμμέτως* eorum affluxibus immunis perstet, quin & plurimos jamjam ipsi impactos excutiat: Dein quoad spiritus animales, inter eos stomachi, aliosque cerebri incolas, maxima semper sunt commercia, ac intimus consensus intercedit: proinde nimirum ut ventriculi ab assumptis affectio grata vel ingrata, spirituum in cerebro degentium ovationes aut dejectiones inferat: Opiatæ, dum adhuc in ventriculo morantur, soporem accersunt; Pariter in vertigine, aliisque morbis cephalicis, quo spiritus cerebri suique deque aberrantes, & enormiter agitati reprimantur, ac in ordines redeant, non parum conducet si consocii ipsorum, sive affines, intra ventriculum à pharmaco irritante consternantur: quippe dum in horum subsidia plurimi à cerebro evocantur, alii superstites inordinationes suas remittentes, munia pristina resument: Proculdubio ob hanc præcipue rationem est quod *Emetica* in *affectibus maniacis* opem sæpe egregiam conferunt, usq; adeo ut Empirici quidã iis fere solis utantur. *Willis.*

7 [illegible]. *Aut à ventriculo*) Cum in eo biliosus præsertim humor calidam, subtilem evaporationem proferens, eamque non tantum ad nares usque (uti à cæpis, raphanis, sinapi exsurgens vapor nares tantum vellicare moxque iterum dissipari solet) sed in caput ipsum emittens, nunc vertiginem, nunc imagines, quæ plerumque naturalis bilis imitatæ interdum flavent, alii virent aut nigricant causat; Et cum bilis in ventriculo, dum jejunus adhuc est, magis ferociat effervescatque, vaporesque tunc non impediti liberius sursum ferantur, accidit ut picrocholis dum jejuni adhuc sunt, accidentia dicta molesta sint; & quod ex cibi assumptione, quia bilis vehementia retunditur, vaporesque reprimuntur, mitescant, denuoque cessent; quod & sponte discussis in capite vaporibus, eoque citius quo subtiliores sunt, evenit, donec novis evaporationibus factis hæc mala redeant: Cognoscitur autem ex oris amaritudine rosioneque oris ventriculi, quod *Cor* vocant, aliisque hujus humoris indiciis, à bile hoc profectum esse, quæ & nonnunquam capitis dolorem simul cum vertigine eadem opera affert, *Platerus*,

79. *Aut à Ventriculo*) Partes quarum consensu fit Vertigo, est inprimis Ventriculus, cujus varia peccata, inprimis vitiosus sui generis *acor volatilis*, orificium superius affligens Vertiginem infert; Et hujus manifestum indicium est quod tales jejunii ferre nequeant, quin sæpius fiant Vertiginosi, tamdiu quamdiu vacuus est stomachus; Subito vero atque unam atque alteram panis buccellam comederint, malum cessat; Unde etiam matutinis horis tantillum comedendo Vertiginem sæpius præcavent. *Etmuller.* Vide supra §. *Vapore spirituoso ex aliis partibus.*)

81. *Curatio ad Ventriculum obvertenda.*) Per *vomitoria* præsertim, quæ sæpius prodesse, præter Auctorum testimonia, etiam ex observatione vulgari satis constat: Itaque methodo circa phlebotomiam & catharsin, juxta patientis constitutionem & vires celebrandas, & ex intervallo repetendas, instituta, insuper ut *Vomitorium*, si nihil contra indicat, semel in mense assumatur consulere soleo; In quem finem imbecillioribus post stomachum cibis lubricis saginatum, dentur *vinum & oxymel Scyllit.* ad ℥ij. vel iij. postea *liquor possetticus* cum *foliis cardui* incoctis, in magna copia ebibatur, & vomitu mox, aut spontaneo, aut provocato reddatur: Aliis Emeticum ex *sale vitrioli*, aut *sulphure antimonii*, vel ex infusione croci metallorum exhibeatur. *Willis.*

In Vertigine per consensum Vomitoria esse optima, ipsa præeunte natura, exempla fidem faciunt, præsertim in malo contumaciori per consensum, vix sine vomitu curabili. *Etmuller.*

81. *Seu ob imbecillitatem tibos*) Hinc *Senes* sæpissime Vertigine corripiuntur *vitio stomachi*, concurrentibus tamen simul spiritibus animalibus debilioribus, & vitiata simul cerebri textura, ita ut levi occasione paroxysmo Vertiginis corripiantur. *Etmuller.*

82. *Locum hic habent*) Curato paroxysmo, & instituta totius corporis purgatione, de *provisione* opera danda, ne redeat paroxysmus, adeoque inprimis prospiciendum ventriculo, Hinc V.g.

℞. *galanga* ʒß. *cubebar.* ʒii. *sach.* ʒiß. *m. f. Tragea, de qua accipe* ʒij.

inspergatur pani bis cocto vino generoso intincto, & ita comedatur una alterave hora ante cœnam aut prandium.

Vel ad imitationem *Lindani* usurpetur Pulvis.

℞. *granor. paeon. coriandri, nuc. mosch. visci qu. cubebar. galang.* āā. ʒij. *piper. long. zinzib. torment. rorismar.* āā. ʒj. *m. f. Pulv. de quo sumatur m. & v.* ʒß. sive cum sive sine sacchero.

Elixir menth. cum *spir. mastiches* ab omnibus usurpata, fuit proficua. *Etmuller.*

82. *Locum hic habent*) Vapores semper reprimendi erunt qui caput petunt, loco interim considerato unde hi exsurgunt; Si enim hoc fiat à ventriculo & venis meseraicis, Electuarium sequens convenit, post prandium & cœnam exhibendum, interdum & mane ad castaneæ quantitatem.

℞. *Conserv. rosar.* ℥ij. *major.* ℥ß. *flor. paeon.* ℥ß. *condit. cydonior.* ʒj. *cortic. citr.* ℥ß. *myrobal. cond. n.* 1. *rob. de ribes* (in biliosis) ℥ß. *pulv. diacydon. sine spec.* ʒj. *semin. coriandr. prap.* ʒj. *semic. rad. paeon.* āā. ʒß. *corall.* ʒj. *mastich.* ℈ß. *cum syr. conserv. cort. citr. f. Elect.*

Vel utatur hoc Pulvere post pastum, cujus dosis cochl. 1.

℞. *sem. coriand. sacch. semicooperti* ℥j. *sem. anis. simili modo condit.* ℥ß. *pulv. diacydon. sine spec.* ʒj. *diarrh. abbat. santal. rub. Cortic. citr. sicci* āā. ʒß. *fol. major. eufras.* āā. ℈j. *mastich.* ℈ß. *sacch. rosf. tab.* ℥ij. *f. Pulvis.*

Ad Vapores impediendos præstantissimum quoque est remedium, si jejunis, ut fieri solet, paroxysmus eveniat, *cibum exhibere*, quo sumpto statim mitescit vel cessat Vertigo, Eoque solo aliqui, jejunium vitantes, restituti sunt; *Somnus*, quia vapores discutit, plurimum in hisce casibus juvat.

Extrinsecus ventriculi regioni Emplastra, Cerata, si inde vapores & à *Venis mesaraicis* prodeant, ad eos impediendos adhibentur; quæ noctu gestant, veluti *Empl. de mastiche*, vel aliud pro ventriculo paratum, malaxatum oleo adstringente, Aut *Ceratum Galeni* pro ventriculo: Si circa *uteri regionem* hi vapores exsurgant, eadem *Empl. de mastiche*, vel *pro matrice* illius sedi apponantur, & aliquandiu gestentur, nisi mensium retentio prohibeat, quibus fluentibus omittuntur. *Platerus.*

83. *Liene, utero &c.*) Ex reliqua aliqua corporis sede per venas & arterias vapores ejusmodi à sanguine tenuiore elevati Vertiginem causare possunt, Veluti ex ea quæ circa *uterum* est, sicuti *retentis menstruis* hoc quoque symptoma, uti & alia, hac ratione sæpe eveniunt; Et à *pedis* aliqua sede, aut *alterius membri* prodiens *vapor*, auræque alicujus instar sursum elatus, uti Epilepsiæ, sic & *vertiginis* causam fuisse observavimus, unde & vertigines aliquando Epilepsiam præcedunt, eamque mox sequuturam præsagiunt, cum à similibus vaporibus cerebrum vellicantibus Epilepsiæ quoque fieri possint. *Platerus.*

84. *Utero*) *Fonseca l. 2. Consult.* 30. refert mulierem quæ cœpit per intervalla pati hebetudinem quandam repentinam circa oculos, cum quadam ventris perturbatione, quo tempore corpus non poterat regere quin caderet; Tempore accessionis dicit se sentire *fumum* quendam ex partibus ventris sursum ascendentem, parum tamen durare hoc symptoma: Prona est ad vomitum, ita ut quotidie fere evomat pituitosa & biliosa: Affectus est quem *Vertiginem per consensum uteri* vocant, cum tamen circa hypochondria minera, materia & occasio sensibilis delitescat; id quod vomitus persuadet; qua commota, & partibus nerveis istorum locorum alteratis, supra explicato modo (vide § 75. 76. *vapore spirituoso ex aliis partibus*) fumi adscensum repræsentat, donec Vertigo superveniat. *Etmuller.* Vide §. 82. *Locum hic habent.*)

85. *Tum affectarum partium*) Si in *Ventriculo*, aut *venis mesaraicis* biliosa materia (humores enim qui ibi continentur, vel circa *uterum* aut in *habitu corporis*, imo & ipso nonnunquam capite, à quibus vapores exurgunt, biliosos potius, sanguineos, impurosque quam pituitosos esse statuimus) *Vomitus* plurimum juvabit, in *imaginibus, stomatibus* & vertiginibus inde progressis: Qui levioribus primum, mox quoque fortioribus, si in *venis mesaraicis* materia lateat, etiam repetitis vicibus, si ferre possint, concitandus erit: *Purgantia*, si in iisdem primis viis materia vapores demandans, aut *alibi etiam in corporis alia sede* consistat, in omnibus illis speciebus erit usurpanda. *Platerus.*

85. *Tum affectarum partium*) Efficacissimum remedium est in V. per consensum, si *Abrotanum* tritum in vini potione tepidum bibatur, Vel cum oxymelite non acri accipiatur, teste *Marcello, Altimarus Pr. cap.* 27. *Eustach. Rudius Pr. l.* 1. *c.* 14.

In Vertigine per consensum à causa calida præstantissimum est hoc.

℞. herb. *fumar. m j. epith. dr. viij. myrobal. citr. dr.* ij. *pulp. tamarind. dr.* j. *herb. endiv. cichor. portul.* āā *m.* j. *passular. dr.* vj. *bulliant in aq. f. q. express. adde succi cydon. granat. agr.* āā. ℥iij. *pulpa prun. Damasc. qua ante bullierunt in pradicto decocto, extract. nucleis per setaceum* ℔j *bulliant simul ad mediocrem consistentiam, tunc adde flor. cassia rec.* ℥vj. *pulpo tamarindor.* ℥uj. *spec. diatrag. triasant.* āā. *dr.* ʒß. *sacch. q. s. Misce f. Elect. dosis* ℥ß. *ad* ʒ. vj. singulis vel alternis diebus ante cœnam. *Herc. Saxonia Pantb. Med. l.* 1. *c.*

Cap. XIV.

De Symptomatibus Imaginationis & Ratiocinationis læsæ.

1. Symptomata Imaginationem & Ratiocinationem lædentia sunt,[2] *Memoriæ læsio, Delirium, Phrenitis, Melancholia, Mania, & Rabies, seu Hydrophobia.*

De Memoriæ læsione.

Memoriæ læsio est ejusdem à causis siccitatem cerebri cum moderato calore conjunctam ad memoriam necessariam lædentibus, & sic Spiritus animales vel nimis torpidos, vel nimis mobiles reddentibus, imminutio vel abolitio.

Signis opus non est. Actiones ægri Symptoma detegunt.

[3] *Causa* cerebri temperiem [4] ad Memoriam necessariam lædentes, vel *calorem nativum obtundunt*, seu *externè*, ut Venenata, Narcotica, cervici vel collo applicata; [5] seu *Internè*, ut [6] Intemperies frigida, humida, quæ aut ob ætatem pueros & [7] senes afficit; aut ob cibum & potum frigidiorem & humidiorem, aërem crassiorem, morbos, & alias (de quibus in Intemperie frigida actum) causas, alios.

Vel *eundem dissolvunt*, ut sunt *Externè*, philtra, vigiliæ, nimiæ cogitationes, medicamenta calida. *Internè*, morbi calidi, cerebri abscessus, bilis abundantia, &c. Vel *eundem exaltant*, ut sunt [8] Intemperies calida & sicca, quæ inordinatum spirituum animalium motum causatur. [9] Vel [10] *spirituum animalium motum impediunt*, ut sunt Conformatio capitis & cerebri minor, Crassities ejusdem; &c.

[11] *Curatio* causas suas respicit, & ex supra dictis sumi potest. [12] *Appropriata* memoriæ seu conservandæ seu restaurandæ putantur, [13] *Tinctura Lunæ* in aqua Liliorum convall. sumta. [14] *Pulvis Trithemii*, de quo in Miraculis Mulleri, dictus, [15] *Confectio Anacardina* dr. s. pondere, cautè exhibita, nisi [16] intemperies calida & sicca impediat.

[17] Intemperiei frigidæ, humidæ resistunt, Aqua *magnanimitatis* Cunradi. *Lilium convall. Melissa*, [18] *Thus* scrup. s pondere cum vino sumtum, *nux moschata*, &c de quibus consulantur Practici.

[1] *Symptomata imaginationem & ratiocinationem*) Tres dantur facultates principes, τὸ ἡγεμονικὸν τὸ φανταστικὸν καὶ τὸ μνημονικόν. Supremum est *Mentis* tribunal, unde illi exisse è potestate dicuntur, inquit *Cicero* 4 *Tuscul.* qui non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum est: *Imaginatio* tanquam judex ἰνδάλματος sedet, hujusmodi judicia in summa rationis curia retractantur; *Memoria* est velut libellio, vel tabularius, cui acta consignantur: *Mens*, quam animæ suggestum vocat *Tertullianus* ac *Philo*, quasi animam animæ esse dicit penitus obrutescit in *Amentia*, hebescit in *Fatuitate*, corrumpitur in *Delirio*. *Menjotius.*

[1] *Symptomata Imaginationem & Ratiocinationem lædentia*) In morbis quibusdam cephalicis functiones animales per se, & quatenus corporeæ sunt, sine respectu ad Animam rationalem inhiberi aut perverti solent; In quibusdam ex illis, scil. Vertigine & Paralysi *Intellectus* plerumque clarus & vegetus constat, atque in cæteris, tanquam oculus in obscuro loco positus, species aut plane nullas, aut paucas tantum φαιὰς rudiori objectas intuetur, in errorem vero magnum; aut furorem, non facile rapitur: cujusmodi symptomata, propter alia τὸ ἐγκεφάλου ejusque spirituum incolarum affectiones passim inducuntur; Nam si quando *Imaginatio* ita perturbatur, aut pervertitur, ut species & notiones à sensu vel memoria oblatas, aut perperam concipiat, aut male componat, vel dividat, propterea statum Intellectus conceptus & noemata tantum deformia, ab invicem distracta, & valde confusa speculatur, aut effingit, quæ quidem illi à cerebro male affecto, velut πολυμορφωσία à speculo variegato & distorto repræsentantur. *Willis.*

[2] *Sunt Memoriæ læsio, Delirium &c.*) Cum plures sint modi quibus Imaginatio, & per consequens Mens & Voluntas, aliæque superiores Animæ potentiæ, perverti aut depravari solent, illæ omnes communi *Desipientiæ* vocabulo insigniuntur: Hæc autem affectio distinguitur in *breviorem*, quæ *Delirium*; ac *longiorem*, seu continuam, quæ aut febri conjuncta est, & dicitur *Phrenitis*, Vel sine febre contingit, eique aut Rabies, aut *Tristitia*, aut *Stupiditas*, jungitur, proindeque in *Maniam, Melancholiam*, & μώρωσιν dividitur. *Idem.*

[3] *Memoriæ læsio.*) Memoria videtur mihi sensuum Internorum operum, Notionum primarum & secundarum, ut & ratiocinationum, sive causarum inventarum per ingenium, atque decisionum sive decretorum à Judicio factorum promus condus: Memoriæ namque munus est 1. omnia prædictorum sensuum opera admittere vel excipere 2. eadem conservare, 3. tandem illa ipsa ubi opus reponere.

Ut ergo laudatur Memoria 1. quæ sibi concredita facile admittit, 2. eadem firmiter retinet, 3. eadem fideliter ac prompte reponit; Ita culpanda 1. quæ difficulter aut minime admittit concredita. 2. quæ haud diu conservat admissa, sed eadem mox aut paulo post amittit, 3. quæ infideliter aut quocunq; modo mutilata, vel segnius, & cum difficultate reponit admissa & conservata.

Difficulter aut minime admittit Sensuum internorum opera, ob mentem cogitationum multitudine pressam & oppressam, adeo singulis mandandis minus aptam; Non satis firmiter retinentur, quin citiusque tardiusque excidunt concredita, ob Animam oscitanter raciusve illa recolentem, adeoque negligentem.

Infideliter, ac quibusdam suis circumstantiis mutilatæ

latæ

læsa reponuntur mentis opera memoriæ concredita, tum ob eadem negligentius ac festinanter tantum à mente observata, tum ob eadem secundum aliquas duntaxat circumstantias subinde recusata.

Segnius ac cum difficultate reponit concredita, ob neglectas fere loci, temporis, personarum & similium circumstantias, sine quibus arduum est ipsarum rerum satis meminisse. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 17.*

3. *Causa cerebri intemperiem*) Quæ vulgo de Memoriæ læsę atque Oblivionis causis à cerebri humiditate aut siccitate petitis dicuntur non mihi satisfaciunt: Neque enim, puto, soli corpori, sed Animæ præsertim inesse Memoriam, quamvis non negem, dum in corpore degit anima, ob corporeos morbos multum variare Memoriæ affectiones, magis tamen ad Animæ affectus: Interim non nego, sicut ad excellentem humoris pituitosi in corpore humano copiam, sensus omnes interni & externi non parum læduntur, ita & memoriam tunc plurimum affici, & quidem quatenus spiritus animales tunc existunt minus puri & mobiles minusque ad animales functiones peragendas apti: etsi & tunc simul noxium censeam cerebrum humidius, quippe producendis parandisve spiritibus animalibus ineptius. *Fr. Sylvius Pr. libr. 2. capit. 17.*

4. *Ad memoriam necessariam lædentes*) A *parentibus* hæreditariam hanc sibi nonnulli contraxerunt & hauserunt imbecillitatem, per causas insitas, unde sæpe fit ut sicuti ingeniosi & industrii sibi similes, ita ignavi torpidos gignant, Quod hisce signis, quia à teneris tales sunt, parentesque tales habuerunt facile colligitur: *Ætatis* causa aliis hoc accidit, unde senes obliviosi fere fiunt, interdum & hebetes, ob caloris nativi defectum, nisi hoc ab intemperie aliqua cerebri accidat: *Concussio* vel *ictus capitis*, post se imbecillitatem aliquam relinquens cerebro, id quoque potest efficere.

Sanguinis quoque *nimia profusio* à quacunque corporis parte, vel alia nimia vacuatio spiritus exhauriens: quo nomine & *Venus* nimia sensus plurimum, memoriam præsertim labefactat; *Morbus diuturnus* calorem nativum destruens, capitis præsertim, uti post *carum*, item post *melan. boliam*, post *convulsiones* obliviosos homines admodum factos vidimus: Vel *Malignus*, aut à veneno aliquo prodiens, quale forte illud fuit quod à *Circe* sociis Ulissis exhibitum memoriam illis rerum omnium præteritarum ademit, quod & *Philtra* amatoria nonnunquam effecerunt, & *Narcoticorum* usus sinister potest efficere, Ob *vulnus in oculi sede* profunde adactum adeo memoriam fuisse in quodam deperditam quidam scribit, ut de novo elementa literarum cogeretur addiscere, cum prius & Græce & Latine doctus fuisset. *Platerus Pr. l. 1. c. 1.*

Imminuta aut *abolita* Memoriæ, *Depravari* enim nequit, *causam proximam & universalem* determinare est impossibile, cum à priori lateat nos ipsius memoriæ actus. Observandum saltem læsiones ejus sequi læsiones capitis? Unde ad causas remotiores maxime respiciendum, quæ nos ad feliciorem praxin quasi manu deducere poterunt. *Remota* igitur causæ sunt vel *fortuita*, V. g. casus ab alto, Contusio cranii, *Non fortuita*, sunt *res* vel non naturales, vel præternat. *Illic* inprimis assumpta, excreta, pathemata, *Hic* morbi varii, inprimis acuti, considerandi, Memoriam abolentes; Item diuturniores epilepsiæ & melancholiæ, *Etmuller Part. 2. pag.* 7.

5. *Seu interne, ut intemperies frigida*) Si in memoria quovis modo læsa observatur simul aliquod in corpore existens vitium, illud ante omnia erit corrigendum. Sublato autem corporeo vitio, si quod tunc concurrat, emendanda sunt enumerata Animæ errata, & assuefacienda sensim ipsa attentiori, eidemque sæpius iterandæ operum suorum considerationi atque propositioni. *Platerus.*

6. *Intemperies frigida humida*) Temperamentum cerebri à naturali immutatum, nondum tamen cerebri graviores morbos patiens, sensuum internorum ignaviam quoque facit; idque maxime cum *humidius* quam naturaliter esse debet existit, quam præcipuam *memoriæ diminutæ* causam Medici statuunt, idque quod in cerebro humidiore; & proin molliore minus diu rerum impressæ imagines maneant: Nos vero, quia sic languidius ad operationes edendas sit illud fieri credimus: Hujus autem humiditatis causa aliquando à morbo aliquo cerebri prægressa, frigido & humido dependet, à quo licet majori ex parte sublato, hæc tamen humida illi impressa remanet constitutio: quod & à causis externis, aëre & medicamentis fieri potest; Cognoscitur autem hic defectus ab humiditate proficisci, quod & tunc *somnolenti* sunt, aliisque humidioris cerebri indiciis. *Platerus.*

7. *Senes*) Cum mentis functiones remissius exercentur tunc calore nativo otio torpente, nec in actum deducto segnius procedunt; Quod & contraria ratione, si nimirum *nimium animus studiis, cogitationibus, vigiliis, curis exagitetur*, potest accidere, unde tamen Memoria primum fere læditur, senescentibus potissimum, judicio nihilominus acri adhuc perseverante; Quod ipsis non tantum ob imbecillitatem, quam etiam hoc pacto accidere ex eo eleganter colligi potest, quod animus illorum qui toto vitæ spatio tot rerum species imagines & concepta suscepit, illis adeo obruitur ut novas quas haurit, ac si nullus amplius illis esset locus, diutius retinere nequeat, unde & evenit quod senes ea quæ juvenes apprehenderunt firmiter ad extremum usque retinent: quæ vero jam senio confecti tractant & cogitant facile quidem concipiunt, recteque & acute dijudicant sed illorum mox iterum obliviscuntur: Consimili modo aliquo pacto quo videmus senes plerosque res procul dissitas rectius quam propinquas cernere atque dijudicare. *Platerus.*

8. *Intemperies calida & Sicca*) Siccior cerebri constitutio, quod res ægre apprehendant, causa statuitur, idque quod in sicco corpore difficilius res imprimantur: Verum & *oblivionis siccitatem* hanc causam esse posse plerique docent, & *Memoriæ imminutæ à siccitate* curationem explicant, quando post febres ardentes, post vigilias nimias & studia memoriæ læsio fit, quod nos ex imbecillitate potius inde contracta accidere censemus. *Platerus.*

9. *Sicca*) In sicca cerebri constitutione, unde memoriam minui dicunt, si impurum fuerit corpus purgetur, cum in puris corporibus rectius adhibita medicamenta operentur; Humectetur cibis euchymis & succulentis: A siccantibus omnibus & immodicis evacuationibus, Venere inprimis, qua nihil nocentius, abstineat; Electuario hoc per vices utatur.

℞. *conserv. flor. vel rad. cichor. borrag. bugloss. violar. capill. ven. & beton. āā. ℥ß. spec. diatrag. fr. triasant. āā. ʒß. cum syr. violar. f. Elect. capiat instar castaneæ.*

Vel Tabulis ejusmodi utantur.

℞. *flor. bugl. borrag. violar. āā. ℈j. fol. major. ʒß. thur. masc. ʒj. cranii hom. usti ʒß. sacch. dissol. in aq. violar. & ros. ℥ij. f. Tabula.*

Topica) Capiti in melancholia dicta applicabuntur; Inprimis lotio hæc capitis & pedum quoq; utilis, quæ.

℞. *decoct. cap. & pedum vervec. q. s. addendo herb.* borrag. *bugl. violar. cum flor. si haberi possunt, flor. rosar. beton.* (nam calida frigidis permiscenda cum humectandum, ut in melancholia) *āā. m. j. decoquantur.*

Utile & sequens.

℞. *rad. alth.* ℔ß. *h. beton. majoran.* ãã. *m.* j. *flor. violar. rosar. chamom. meliloe. lavend.* ãã. *p.* j. *coqu. in lacte pro ablutione capitis.*

Inunctio quoque talis laudatur, præsertim post ablutionem.

℞. *ol. amygd. d. rosac.* ãã. ℥j. *pingu. anat.* ℥ß. *album. ovi n.* 1. *lactis* ℥ß. *agitentur pro illitione.* Platerus.

10. *Spirituum animalium motum*) Si animus diversis studiis distrahatur, pluribusque rebus simul obruatur, *à spirituum animalium motu confuso & inordinato*, fit ut non tantum pluribus intentus minor sit ad singula sensus, sed & ut dum se hæc invicem confundunt, atque unum ab alio impeditur & obfuscatur (sicuti duobus doloribus unum locum occupantibus, vehementior alterum obscurare solet) memoria illius quod debilius est mox quoque evanescat. *Platerus.*

Prognosis & Curatio.

Incurabilis est sensuum internorum defectus, si ab imbecillitate contracta à parentibus, vel ætatis ratione, aut insigni aliqua cerebri læsione accidat, aut à conformatione perversa cerebri nascatur: Ægre quoque impressa illa cerebro præternaturalis constitutio, sive humida, sive sicca sit, emendatur, cui tamen potissimum corrigendæ suas curationes Medici in Memoria sananda accommodant.

Nos quomodo ea vitia saltem corrigi, si non penitus tolli possint, per operandi modos docebimus; *Exercitium*, cum omnes functiones ignavas acuat, & velut in actum deducat, hic quoque in animi operationibus juvare poterit, si ex remissiore illorum usu, & velut torpore hebetescant; In *imbecillitate* quoque, licet illa vix emendari queat, cum calor nativus exercitio restauretur, & consuetudo sit altera natura, aliquid saltem præstare poterit *mentis exercitatio.*

Sed & in humidiore illius intemperie, cum mentis hæc agitatio excrementa absumat, proderit: Hoc fiet exercendo sæpe has animi functiones, iis maxime quæ cum voluptate fiunt (cum nihil invita fiat Minerva) easque vel omnes simul, vel privatim *Ingenium*, quod alias otio torpet, si addiscant loqui literas, artes, linguas, quibus apprehensio acuitur: *Judicium* si res discernant judicentque, scrupulosa præsertim, idque frequenter, uti videmus multos legum ignaros sibi usu naturalem comparasse legum scientiam prudentiamque: *Memoriam* acuent memoriter studendo retinendoque, aliarumque rerum artes memoriæ mandando; In quo hoc singulare observatur; quod quæ ante somnum post cœnam vesperi concipiuntur, matutino tempore melius impressa manent; *Quies* quoque animi functionum, eas nimio usu & vigiliis defatigatas, eandemque sic debilitatas reficit: quod fit si à nimio studio res cognoscendi tractandive, animique affectibus immodicis sibi temperent: si decenti tempore & quantum necesse est dormiant, cum somnus sit animi quies, & per illum ejus actiones internæ sentiendi tantisper quiescant, nisi quatenus per insomnia nonnihil se aliquomodo exerunt. *Evacuationes* quod attinet, si à cerebri humidiore constitutione ignavia oriatur, adsitque excrementorum cerebri proventus; illa successive evacuanda erunt, sicuti in cerebri morbis à pituitosis & serosis humoribus natis fieri solet. *Platerus.*

Memoriæ subitanea læsio absque causa externa, Apoplexiæ prodromus, Quæ ex *philtris*, difficillime curabilis, & facile in maniam degenerat, Quæ à *morbis acutis*, *malignis*, aut veneno oritur Memoriæ læsio, & inde nata stupiditas, fere incurabilis est. *Emmüller.*

11. *Curatio causas suas*) In cura *causarum remotarum* activitas pensitanda: Hinc *cerebri & spirituum animalium constitutio* consideranda, Et si *fervidi* sunt *attemperandi*, Sin vero *nimis torpidi* aromaticis excitandi, Remedia quod attinet, in genere omnia *Cephalica* dicta, spirituosa & aromatica laudantur, V. g. *rosmarin. melissa*, *ocymum*, *lil. convall. stœchas Arab.* aliquot *cubebæ* jejuno stomacho comestæ prosunt, in Juvenibus tamen caute adhibeantur, Porro *Castoreum*, *succinum*, it. species *dianthos*, *diamosch. d. Aqua sophor. Dornerelli*, *Aqua cephal. Mynsichti*, Qu. *Essentia Matthioli*, *spir. terebinth. &c.* Externe, *Oleum Myrrhæ* per deliquium temporibus illitum, *Spir. vini* in quo *piper* infusum, quo in memoria læsa ob abundantiam frigidorum succorum non nemo feliciter usus est. *Emmüller.*

Essentia ambræ, *Aqua sophor. Dornerelli*, & *Mynsichti*. *Aqua magnanimitatis* ex *formicis* præparata.

Præmissis universalibus omni mane, nucha & occiput fortiter fricetur cum *aqua hederæ arboreæ* ter distillata, idque calide, Postea longo tempore ter in septimana mane sumat *myrobalanum* unum conditum *chebulum*.

Hisce remediis quidam tandem cum admiratione memoriam recepit. *Forestus lib. 2. obs. 32.*

Post convenientem cerebelli expurgationem, memoriam vehementer corroborare & amissam restaurare Chimici non sine rationibus afferunt; si quis singulis septimanis bis aut ter ℈ß. *olei vitrioli rectific.* cum *haustu vini generosi* jejuno ventriculo ebibat, crassus enim spiritus discutit & clarificat, lentos humores in cerebello attenuat, ipsumque cerebrum ad convenientem temperiem reducit.

Restituit etiam amissam memoriam *Aqua vitæ* nostra quæ sic conficitur.

℞. *aqu. stillat. junip.* ℔iiij. *flor. lil. convall.* m. ij. *flor. salviæ m.* j. macerentur in sole diebus XIV. dein exprimantur ac colentur, colato liquori rursus indantur *rorismar. lavend.* ãã. ℥ij. *species diamosch. d. diambr.* ãã. ʒij. *sacch. cand. in aqua lavend. sol.* ℔j.

quibus simul mixtis macerentur per mensem, ac tandem destillentur in balneo arenæ: Hujus aquæ cochl. j. per hebdomadam sumptum illustrat spiritus animales & mirifice corroborat memoriam; præservat ab apoplexia & epilepsia, & hisce malis correptos brevi sanitati restituit, si eam vel intra corpus assumant, vel ea foris affectæ partes inungantur: memoriam etiam corroborat si ea sæpius occiput inungatur. *Fr. Joel. Pr. lib. 1. sect. 2. §. 8.*

Experimento probatum est *lignum aloes* odorum, & suffitum, & naribus odoratum, mira vi facere ad roborandum cerebrum, *Accipe hujus pulverem cum caryophyllis & cornu cervi, misce cum oleo nigellæ*, Mire confert cerebro. *Joh. Heurnius.*

Expertum in forma Pulveris.

℞. *thuris* ℥j. *cyperi*, *piperis*, *croci*, *myrrhæ* ãã. ʒij. terantur subtiliter & per cribrum ducto, fiat Pulvis, de quo omni mane dum surgit, detur ℥j. vel sero in ingressu lecti. *Gul. Grataroius.*

Pilula experta.

℞. *thuris masc. myrrhæ el. ana.* ãã. ʒß. *rapatis* (?) *....* ʒij. *accrorum* ℈ij. *spec. hieræ Logad.* ʒij. *castor. colocynth.* ãã. ʒß. *cum terebinth. f. Pilulæ.*

Detur una hora somni. *Ant. Fumanellus.*

℞. *thuris albi* ʒj. *piper. longi vel albi* ℈j. *f. Pulvis*, qui, mane totus pro una datione bibitur per plures aurores cum *aqua mellis* ℥iij. *vel decocti cinnam. modici & caryophyll.* Expertum *Gul. Grataroius.*

Remedia pro conservanda memoria expertissima tria proponit 1. *Gargarismum*. 2. *Vinum medicatum*. 3. *Ungu.* *Zacutus Pr. hist. l. 1. c. 9.*

℞. Ad-

℞. *cyperi, croci, myrrha, thuris, piper. albi. ãã. ℈j. m. f. Pulvis* dozis à ʒß. ad ʒj. *Eust. Rudius Pr. l. 1. capite 6.*

Vide apud *Casp. Peucerum* Tract. de Memoria *Aquas* duas pretiosissimas, quas ex aulis Principum se accepisse dicit: Exscripta habetur apud *Sennertum Pr. libr. 1. part. 2. c. 5.*

Laudem meretur sequens *Aqua*, præstantissima ad Memoriam restaurandam.

℞. *aqu. beton. bugl.* flor. tiliæ *ãã. ℔j. flor. anthos, rosar. buglossi ãã. m. ß. spec. conf. alkerm.* ℥j.

Infunde flores parum contusos in aqua prædicta; insolentur per mensem, tunc distilla: Dosis omni mane cochl. ij. Eademq; unge nucham & tempora. *Gu. Rolfink.*

Si aliquis sanus existens memoriam habet imminutam, *Vino* utatur *rorismarinato.*

Quidam hoc exhibent ad memoriam.

℞. *pulv. acori, piperis longi ãã.* ʒj. *cum melle crudo,* inunctis prius manibus butyro, fiant *Pilula*, exhibendæ ad ʒß. per dies aliquot, *Rod. à Fonseca T. 2. consl. 93.*

Bened. Faventinus syrup. suum de aromatibus commendat quem ita describit.

℞. *fol. & flor. sampsuchi, thymi, pulegii, serpilli, menthæ, calament. hort. cimar. rorismar. salvia, beton. ãã. m. ij. coq. in q. s. ad consumptionem tertia partis; colatura infunde cinnamomi, nuc. mosch. macis, spica nardi, folii, zinzib. ãã.* ℈j. *ambra, moschi ãã. gr. ij. bulliant ad 4. part.* consumptionem, & cum sacch. q. s. f. *s. syrupus, cujus* ℥ß. *cum aqua flor. citri* ℥iij. *misceantur pro una doza, & sic per v. vel vj. dies.*

Laudatur hoc *Electuar. Mesue* tanquam expertum & utile.

℞. *Mellis anacard. thuris, rad. cyperi, acori ãã.* ℥j. *piper. rot. & longi ãã.* ℥ß. *myrobal. chebul. Indar. ãã.* ℥j. *mellis q. s. f. elect. dozis à* ʒj. *ad* ʒij.

Vid. a Vidius Aquam describit quam mirifice memoriam confortare & ingenium acuere ait, exhibet ad ʒij.

℞. *spir. vini opt.* ℔v. *aqu. bugloss. melissa, beton. stach. flor. lil. convall. ãã.* ℔ß. *flor. antho, rof. rubr. bugl. major. ãã. m. j. spec. diaplir. diacast. ãã.* ʒiij. *confect. anacard.* ℥j.

Infundantur prius flores post species, stent in digestione per mensem, post destillentur.

12. *Appropriata memoria)* Probatur *zinzib.* conditum in syrup. vel siccum, uti præparari solet. mane sumptum. *Acori item veri, i. e. calami aromat.* conditura. *Pyrethri* item radix, dum recens est, condita, zinzib. instar comesta. magni fit, cujus decoctum contra oblivionem *Paracelsus* probat.

Amuleta, si non viribus, saltem apprehensione juvant; ut *lingua upupa* suspensa oblivionem tollere creditur, *Rhazes*: *Amethystus lapis* gestatus sensus omnes acuit, ut quidam scribit, sicuti & *Lapidem berillum* gestatum bonum facere intellectum. *Platerus.*

Castanea quæ ex India adferuntur, & formam renis habent, ita ut videantur esse quædam *species anacardi*, maxime laudantur si coctæ in flamma candelæ sumantur.

Fructus ligni vulgo vocati *Prosilg*, multum etiam ad memoriam juvandam commendatur. *Rondeletius.*

Gallina cerebrum ingenium & memoriam acuit, adeo ut aliquos qui delirare cœperant resipiscere fecerit. *G. Grataroli.*

Semen Horminii, seu *Sclarea* domesticæ, fertur ad recuperandam memoriam mirabile si in pulvere sumatur cum cibo aut potu, Item, *eboris limatura* conducit oblivioni, si parum de ea in vino modico sumitur mane. *Idem.*

Tinctura hyperici valde secreta est. *A. Minsicht. Arm. p. 56.*

Fel Gruis misce cum *ol. Sambuci*, aliquid cum penna naribus immitte aliquoties in die, mirabiliter valet. *Arn. Villanovanus.*

Egregia est *essentia spica*, bregmati applicata, pro roboranda memoria. *Wedelius Am. m. m. p. 124.*

13. *Tinctura Luna)* Argentum dicitur Chymicis *Luna*, vel cerebrum, eo quod in Macrocosmo Lunæ in microcosmo cerebrosympathicum sit, Capitis enim corroborans specificum perhibetur, spiritusq; animales confortare, unde & in omnibus capitis affectibus peculiaris efficaciæ censetur. *Schroderus Pharm. l. 3. c. 19.*

14. *Pulvis Trithemii)* Cujus hac est descriptio apud *Mullerum.*

℞. *calami aromat. gentiana, cumin. siler. mont. anisi, carvi, ameos, sem. petrosel. spic. n. Ind. ãã.* ℥ß. *corall. r. margar. non perforat.* ℥v. *zinzib. albi. chamæpit. fol. senna Alex. tartari calcin. ãã.* ℥v. *macis, cubebar. caryophyll ãã.* ℥vij. *f. Pulvis, dozis* ʒj.

Apud Hœferum Herc. Med. l. 7. c. 6. probabilior extat descriptio.

℞. *Macis, cubebar. caryoph ãã.* ʒvj. *fol. senn. el. chamæpit. zz. albi, crystalli tart. ãã.* ℥v. *rad. calam. aromat. gentiana, sem. cumin. siler. mont anisi, petrosel. spic. ind. spica n. ãã.* ℥ß *magist. corall. perlar. ãã.* ʒij. *f. omnium Pulvis dozis.* ʒj.

hunc accipiat primo mense mane & vesperi ante cibum horis tribus, in vino vel brodio; 2°. mense tantum mane. 3°. mense mane ter in septimana; quarto mense bis in septimana, & sic deinceps per aliquot menses.

Hic singularis ad Memoriam conservandam prædicatur, qui.

℞. *thuris masc. seu oliban.* ℈ß.

f. Pulvis capiat per se vel cum vino, aut aqua convenienti frequenter. Si *piper* addatur tam *rotundum* quam *longum*, laudatissimum erit remedium hoc modo paratum.

℞. *thuris masculi* ℥xv. *piper.* ℥v. *f. Pulvis, detur omni* mane ʒj. per dies XL. *Platerus.*

15. *Confectio Anacardina)* Quæ ad memoriam reparandam præcipue inventa fuit, præsertim si sine *castoreo*, ob ingratiam, paretur, uti docet *Gordonius*, cuos ʒß. vel ʒj. aut plus etiam cum aqua aliqua convenienti, ut *fænic. apii*, secundum *Gordonium* exhibetur. *Platerus.*

Miro modo prodesse experimento plusquam centies probavi, post corporis purgationem, præbere in potu *Confectionis anacardina* ʒj. tribus aut alternis diebus; hanc vero in *aqua stillatitia fænic.* aut *stacad.* diluere præcipio. *Christ. à Vega.*

a. Caute exhibita) Locus *Hofmanni est l. 2. M. O. capit. 62. sect. 2. pagin. 387.* ubi *confectionem Anacardinam* vocat confectionem *Stultorum*: Et cum communiter apud studiosos hoc problema & postulatum agitetur, in genere hoc loco sciendum est Memoriam habitare in sicco, & dari quædam medicamenta quæ serum nimium, oblivionis parentem, absumant, & temperiem aliam inducant, Verum facilis lapsus est, facilis error, ut ultra sphæram naturæ id fiat, præcipue in juvenibus; Siquidem succedente ætate jam dum siccitas succedit; ut taceam *Ideo* [illegible] tali præsente, sine periculo nimis alterari posse cerebrum: Uti enim rotulæ in horologio, si nimis subtiles, & quasi molles teneriores que factę sunt & delicatæ, facile exorbitare & aliquid detrimenti accipere possunt; ita docet experientia quod præcocia ingenia raro seu nunquam fuerint durabilia; quod doctissimi etiam homines in senectute ultima, vel omnia quæ sciverant sint obliti, ut *Fr. Barbarus, Georgius Trapezuntius*, aliique, ut *Messala Corvini &* aliorum non mentionem faciamus, propria tandem nominis

jacturam è memoria passorum: quod rarum quoddam sit contingens si excellens memoria cum magna prudentia exactoque judicio sit conjuncta: Imo cum memoriæ subsidia sint plurima, longe magis de acuendo judicio quam de memoria, quæ in excellentissimis sæpe viris minus prompta est: Vide *Huartum* in scrutinio ingen. *Wedelius Amoen. m. m. p.* 126.

[16]. *Intemperies calida & sicca impediat*) Notandum hac & similibus utendum esse in oblivione morbosa exquisita exacte; quæ fit ab intemperie frigida, conjuncta cum humiditate, vel etiam cum pituita, non enim probatur si sit conjuncta siccitas, vel materia melancholica. *Capivaccius Pr. l. 1. c. 12.*

Si nimium corpus accendat, sic parabitur

℞. *conf. Anacard.* ʒj. *conserv. majoran. rosmar. ãã.* ℥ß. capiat semel vel bis in hebdomada ʒj. pro vice. *Platerus.*

[17]. *Intemperiei frigidæ humida resistunt*) Alterantia quod concernit, omnia ea quæ caput roborant, illiusque calorem innatum excitant, intus forisque administrata, juvare possunt; inter quę eaq; potentia agunt, calidissima in hac humida cerebri constitutione esse debent, cum ea adeo impressa, & temperamentum cerebri adeo mutatum, ægre reducatur, validioraque eo nomine requirant. & ut sic quoque illorum operatio melius ad cerebrum possit pertingere, nec possint assumpta procul dissitam hanc partem, aut admota ob capitis crassitiem nimium cerebrum inflammare: Reliqua usu inventa proprietate quadam memoriam instaurare creduntur. *Platerus.*

[17]. *Intemperiei frig. & hum. resistunt*) Composita ex enarratis, & aliis capiti convenientibus & appropriatis memoriæ labefactitæ, ut *myrobal. rad. cyperi, cran. human. & sim.* ad cerebri corroborationem sic fiunt.

℞. *conf. anacard.* ʒj. *thur.* ℈ij.
piper. zinzib. ãã. ʒß.
facch. dissol. in aq. cinnam. & majoran. ℥xij.
f. Tabula, detur una quolibet mane vel alternatim.

Aliæ efficacissimæ parabuntur hoc modo

℞. *thur. masc.* ʒiij. *piper. za. ãã.* ʒß. *cinnam.* ℈ij. *corall.* ℈j. *ras. cran. hum.* ℈ij. *corn. cervi, ebor. ãã.* ʒß. *ad. lo facch.* ℥vj. *vel duplum, f. Pulvis*, vel *dissoluto facchare in aqua maj ran. f. Tabula*: vel *imminuatur facchari quantitas & cum infusione g. tragac. in aq. rof. f. Formula.*

Possunt & Electuar. ad eundem usum parari ex capitalibus.

℞. *Conditur. ar. zinzib. accor. veri, pyreth. ãã.* ʒß. *myrobal. chebul. emblic. ãã. n.* ij. *majoran. anthos, lavendula*, vel *stœchad. salvia ãã.* ℥iij. *conserv. rosar. bugloss. ãã.* ʒiij. *rad. cyperi, galang. caryophyll. ãã.* ʒß. *piper.* ℈ij. *cubebar.* ℈j. *olibani* ʒiß. *pulv. diambr. diamosc. ãã.* ß. (*moschum* vel *ambram* addere possumus) *cranii humani*, si voles ʒiij. *mellis anacard. q. s. f. Electuar. capiat à* ʒiß. *ad* ʒij. cubiturus.

Theriacam & mithridatium commendant quoque, quæ nos propter *opium*, quod omnes sensus stupidos vel languidiores facit, etsi vetus sit compositio, malumus omittere; cum alia non desint, & nullus dolor hic aut necessitas requirat, nec humoris adsit malignitas: Si ingratus uti necesse est, satius erit in forma pilularum.

℞ *thuris* ʒij. *piper. zinzib. cubebar. ãã.* ʒi.
castor. ʒß. *mosci, ambræ ãã. gr.* vj. *cum confectione vel melle anacardi f. Pilula, da n.* ij. *per multos dies in ingressu lecti.*

Vinum ad hoc conveniens, sic fiet

℞. *rad. acori veri, galanga ãã.* ʒß. *zinzib.* ʒß. *h. majoran. salv. flor. lavend. stœchad. anthos, rosar. ãã.* ʒiij. *piper. caryoph. cubebar. ãã.* ʒß.

infundantur conquassata in vino; Bibat interdum mane cum sumit jusculum haustulum, *Platerus.*

Masticatoria ex *tabaco* & *mastiche* in ore detinenda sunt, *Frid. Hofmannus.*

Quinta essentia *ambræ*, *moschi*, *zibetti* sensus omnes, memoriam inprimis roborat. *P. Joh. Faber Myroth. l. 1. c.* 26. ubi præparatio.

[18]. *Thus*) Thus albissimum in pollinem attritum, & cum vino, si hyems fuerit, vel aqua decoctionis passularum si æstas, epotum in Lunæ augmento, oriente Sole, necnon meridie & occasu marum in modum memoriam augere fertur. *Ex Rhasi.*

Topica remedia.

Externa remedia similia usurpari possunt quæ calorem excitent & humiditates absumant, *Fricare* mane caput pectine, & pannis ordinarie post somnum. *Lixivio* nonnunquam caput ablnere, sed mox iterum siccare, pannis calidis thure suffumigatis, cum *thus*, ut dictum, peculiari vi memoriam juvet: Lixivium autem tale erit.

℞. *agar.* ʒij. *h. salvia, beton. majoran. spica celt. puleg. lauri flor. rorismar. spic. lavend. rosar. rub. chamom. ãã. p. j. bacc. lauri, junip. ãã.* ℥ß. *piper.* ʒj. *conquassentur & coqu. in lixivio tonsoris facto cum aqua extinctionis ferri.*

Inungitur non modo posterior cerebri regio in memoria læsa, sed & tota capitis superficies, ut

℞. *ol. sem. sinapi per expressionem, ungatur*, vel efficacius.

℞. *Olei de been. sambuc. ãã.* ℥j.
sem. sinapi, piper longi, ãã. dr. ß.
euphorb. castor. ãã. ℈j.
cera parum f. Linim.

Sunt qui *confect. anacard.* dissoluta in *spiritu vini* caput inungant: *Cucupha* & *pileoli* ex roborantibus caput noctu & interdiu quoque gestantur. *Platerus.*

Fel Perdicum temporibus quotidie inunctum juvat & promovet memoriæ usum, *Ulisses Aldrovandus.*

Secretum ad confortandam memoriam.

℞. *essentia ambra* ℈j.
spir. cerebri hum. ℥j. *ol. castor.* ℥iij.
rorismar. major. lavend. ruta ãã. ℈j. *thuris, myrrha ãã.* ℈i. *ol. jasmini* ℈ij.

mista stent in calore lento, adde *ol. nuc. mosch. express. q. s. ad* justam consistentiam, Hoc m. & v. cervix calide inungatur per mensem. *Joh. Agricola.*

Mirabilis est pro *fomento* capitis, *aqua vitæ Distillata* cum *rorismar. melissa, & sambuco.* J. Cæsar Claudinus

℞. *pingued. ursin. quam habet in spatula dextra*, eam repone *in vesica Ursi & cum ejus urina, & simul stent* 8. *diebus, tunc extrahe, & accipe succum hormini*, seu *sclarea domestica, eufrasia, verbena, buglossi. valeriana, aloes ãã. q. s. m. cum prædicta pinguedine, super ignem agita fiat unguento spissum*, Hoc unge frontem & tempora fricando parum, & abdita recordabunt. *Gul. Gratarolus Tr. de memor. conserv.*

Pro restauranda peculiariter & mirabiliter confortanda memoria, præsentaneum remedium est Ungu. ex secretis meis, quo felicissimo cum successu usus sum.

℞ *Olei costini, junip. ãã.* ℥j.
nardini ℥ß. *castor.* ℥ß. *spica dr.* iij.
cinnam. pulv. balsam. popl. n. d. ãã. dr. j.
caryoph. macis flor. anth. lavend. stœch. Arab. spicæ Indic. celtic. ãã. dr. j. *castor. dr.* j. *vini malvat. dr.* iij. *aqu. rof* ℥iij. *coqu. omnia ad humiditatis consumptionem, post colētur & exprimantur, ac de spec. diambr.*

diambr. diam. āā. ʒß. moschi opt. in aqu. rosar. solut. ℈ß. m. f. Vngu. illinatur post capitis lotionem. *Hildesheim Spic. p. 313.*

Pro arcano venditant quidam capitis Lotionem ex *aq. rof.* & *vinea āā.* ℥ij *perv. spir. rof.* ℥ß. *ceras* ℥j. *ol. rof.* ℥vj. *quibus si ol. rosar.* vel *ligni Rhod.* addantur efficacior fiet. I. C. *Rosenbergius Rhod. l. p. 326.*

Laudatur Inunctio cum *theriaca* vel *conf. Anacard*, vel *Mithrid.* quæ si dissolvantur cum aqua vitæ fiet præstantissimum Medicamentum. *Rondeletius.*

Celebre ad Memoriam Vnguentum hoc est.

℞. *rad. rutæ, bugl. valerian. āā.* ʒß. *castor. lingu. avis āā. dr.* j. F. *Pulvis*, adde *succi euphras. valerian. āā. dr* j. *adip. ursin. q. s. f.* ungu. liquidum, quo unge occiput, seu nucham. *Stocherus.*

Sunt qui hanc Aquam miris laudibus extollunt.

℞. *cubebar. cardam. croci, conf. an acord. āā.* ʒß. *affunde spir. vini malvat.* stent per 10. dies; hinc effundatur & filtretur, quo tempora & occiput illinantur.

Oleum etiam *theris destill.* ut & *myrrha*, *temporibus* & occipiti illitum, valde efficacia sunt.

Laudatur & *fel perdicis* arterus temporum semel in mense illitum. *Idem.*

Summopere conducit illitus *ex Oleo sinapi*, *laurino*, *costino*, *piper. castor. euphorb.* quæ actu calida super suturam coronalem adhibentur, quibus & occiput derasum inungi potest Quæ & utiliter admodum quotidie bis irrorantur ex *aqua vitæ* tenuissima, in qua aliquot *grana piper. longi* contusa, una cum *caryoph. nuc. mosch.* & *flor. stach.* parum contusa jacuerint, Quod remedium summa cum utilitate ad hoc malum propulsandum valet. *Vidus Vidius.*

Diæta.

Extreme senes medicamentis curandi non sunt sed sola Diæta, *Aër* igitur sit luminosus, justo nec frigidior nec calidior: *Cibus* sit mediocris & attenuans, quia vitium est diuturnum, & si materia adest ea est crassa: *Vinum* sit tenui, album, non admodum vetus, Reliqua ad vivendi rationem pertinentia sint moderata: Prodest in hoc malo spes, interdum & ira, quia facultas animalis excitatur; nam per iram vitalis spiritus effervescit, qui postea petens caput huic refrigerato prodesse potest: *Capivaccius Pr. l. 1. c. 12.*

In cibis multa grata pro condimentis usurpari possunt, uti aromata, *piper*, *Zinziber*, pro infarctu *majorana. Salvia* & sim. *Sinapi* item *bellariorum* cum *melle*, uti mensis adhiberi solet, vel *idem saccharo obductum* cum proprietate hoc semen memoriam acuat: In *vino* quoque herbæ similes infundi possunt & macerari. *Platerus.*

Cap. XV.

De Delirio.

1. D*Elirium est phantasiæ &* [2] *ratiocinationis depravatio, à phantasmatis absurdi & inconvenientis oblatione exorta.*

[3] *Signa* [4] *incipientis*, in taciturno garrulitas, & vice versa, in miti, ferocia, sermo obscœnus, [5] oculorum mobilitas, quod cum cerebro, arteriis, venis & nervis socientur, pulsus in hypochondriis cum perturbatione.

[6] *Præsentis*, sermones & actiones insuetæ & inconcinnæ.

[7] *Causa* est phantasma absurdum, vitio spiritus animalis tam fixi quam mobilis, qui purus, lucidus, temperatus & [8] ordinatè mobilis esse debet, exortum, si enim ab istis requisitis desciscat, phantasmatibus, [9] circa quæ ratio occupatur, vitium communicatur, & ea intellectui non ita ut debent, offeruntur.

[10] inter externa, [11] *Coriandrum* recens cum inconstanti sopore mentem turbat: nec non *fabarum* flores iis qui [12] qui ad maniam proni.

[13] *Curatio* pro ratione Differentiarum variat.

[1] *Delirium*) Vocabulum illud speciali modo sumptum, idem est quod παραφροσύνη, & denotat ejusmodi functionis animalis læsionem, qualis in paroxysmis febrium, ebrietate, & quandoque in passionibus dictis hystericis exorta, & quandoque in passionibus dictis hystericis exorta, homines ut ad breve tempus absurda cogitent, loquantur, aut agant (scil. horum aliqua aut simul omnia) inducit. *Willis.*

[2] *Ratiocinationis depravatio*) Gravissima occurrit difficultas, *Quo pacto Ratio violari queat?* Impium esset opinari delirii causas migrare in mentem, hancque corporeis telis atque ictibus esse vulnerabilem, quippe quæ longissime posita sit extra sphæram activitatis causarum naturalium, omniumque affectionum secura existat, præterquam ἀϊδίως, unde officium quidem animæ tollitur, sed non vis, tanto minus substantia.

Cujusmodi sunt vasa, inquit Hippocr. 1. de Diæta, *per quæ excurrit anima, & ut sunt affecta quibus accedit, cum illa etiam, quibus permiscetur, sic homines aliter atque aliter sentiunt, ideoque possunt ista per diætam transponi; naturam enim inaspectabilem transformare potis non est*, Ac paulo ante dixerat, *Anima semper similis est in majore & in minore; non enim alteratur, neque per naturam neque per necessitatem.* Hæc divini Senis verba, quanquam aurea, & uncialibus literis digna, nodum tamen non solvunt, Nam cum virtus ὀργανικὴ mediis corporalibus organis functiones suas non exequatur, ut Medici à Physicis probatum accipiunt, dubium relinquitur, quomodo malorum corporis particeps fieri possit.

Credendum ergo Rationem per se, ac instrumenti sui invaletudine, utpote quod nullum sit, more cæterarum facultatum non laborare, sed accidentario tantum & ob errorem externum, id est objecti, scil. phantasmatis culpa, quod etsi materiale sit, nec spirituali ac inorganicæ potentiæ accommodatum, intellectui tamē est pro exemplari, ita ut ad præsentis phantasmatis similitudinem intellectus agens fabricet speciem intelligibilem atque immaterialem, cujus interventu intellectus patiens, seu passibilis, intelligendi actum elicit: Igitur quemadmodum viciati archetypi effigies imperfectas esse necesse est, ita si idola phantastica distorta atque incondita fuerint, tales etiam erunt

imagines dianœticæ, sicque mentem ipsam errare continget: Proindeque nonnisi per sympathiam sensuum, ceu exploratorum, testiumque infidelium, Ratio offendit, ac eclypsim patitur, non vere, sed κατὰ φαντασίαν, instar Solis deficientis non Lunæ: Sicuti Duces sapientissimi multa temere aggrediuntur falso nec opportune moniti, ita Mens à Phantasia hallucinante seducitur; excipit enim quod offertur, at offeruntur vitiosa. *Meniotius.*

3. *Signa*) E quadruplici fonte hauriuntur, primo ex dissimilitudine morum, qui à natura longe abeuntes desipientiam minantur; ab ea vero plurimum desciscentes, ægrum mentis valetudine non teneri commonstrant, ut quis sui amans nunc se negligat; si liberorum reique familiaris alias solicitus, curas ponat domesticas; si solito magis vel mœreat, vel lætetur, si ex miti fiat ferox, juxta illud *Hippocr. in Coacu, Moderati hominis audax responsio malum*, Nam ut arrogantis ac protervi blanda responsio cataphoram intentat, sic compositi ac modesti dura ac immodesta responsa sunt φρενιτικά, Impudica quoque loquacitas in homine pudibundo desipientiam indicat, ut in Thasia muliere, *Æg.* 11. *s.* 3, *l.* 3. *Epid.* item in illo adolescente quem scribit 4 Epid. πάνυ ἀσελγῶς, i. e. impudentissimo modo delirasse: Ac in genere, *si quis ea faciat quorum est insolens, ut si appellat animum ad insueta, aut contra, pravum ac delirio proximum*: Actionum enim non consuetarum novitas, aut solitarum sine causa omissio, labascentis mentis argumentum est, Mores autem duplices sunt, *Insiti*, quos *Plato* ὁρμὰς appellat, & *Instituti*; Illi quia temperiem necessario sequuntur, sunt mutabiliores, hi, quoniam per Philosophiam acquiruntur, non pendent per se à temperie, sed apud animum habitant; & ut ardua est eorum comparatio, sic difficillima depulsio; ideoque plus potest morum adscititiorum quam ingenitorum innovatio ad diagnosin delirii.

Secundo Delirium petitur, ab ἀναισθησίᾳ laborum: nam quemadmodum externati fictitiis sensibilibus circumveniuntur, sic ad vera objecta obstupescunt; propter peregrinantis mentis inconsiderantiam, hinc *Hippocrat.* 6. aph. 6. *Qui parte aliqua corporis dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat*, Notandumque non dici ab *Hipp.* quibus mens ægrotat dolorem non sentire, eo quod dolor adeo sævus esse possit, ac morbus mentis ita levis, ut dolor necessario percipiatur.

Tertio desipientia detegitur rerum propinque dictarum & factarum repentina & extraordinaria oblivione, per quam æger eadem verba sæpius repetit, inchoatamque orationem narrando pertexere non recordatur., dummodo istæ memoriæ labefactatio accidentaria sit, ob intercurrentium phantasmatum turbam atque colluvionem à volucribus nimium atque efferatis spirituum animalium motibus sensum avocantibus, secus ἀμνημοσύνη collapso memoriæ domicilio, ac per se adveniens, delirii index non est, cum multis memoria intercidit absque ulla desipientiæ suspicione: *Denique* omnis actio arbitraria, quæ citra causam evidentem vel deficit, vel exuperat, vel indecenter fit, delirii notis annumeratur, ut pertinax silentium, potissimum in homine loquaci λογοδιάῤῥοια, maxime in taciturno; oblatorum repudiatio, præsertim dum ægri labra mordent poculorum atque cochlearia si quis cibum velit immittere, verendorum denudatio; item involare in assidentes, aut etiam crudelius quid attentare; sine ratione surgere, aut lectum immutare velle; Ita apud *Hippocrat.* 1. *Prorrh.* frequens screatus sine necessitate delirium designat, sicut & crepitus in homine urbano & ἀστεϊσμὸν colente, coram iis quorum reverentiam habere debet, nisi forsan intestinum dolore contractum flatus involuntarie exprimat; si quis etiam per morbum nares infodiat, non à consuetudine, aut à salsa destillatione in nares, non quod vermiculosus sit, aut vibrissis longioribus titilletur, nec propter imminentem hæmorrhagiam, hac inquam, si excludas, delirium portenditur: *Lingua* quoque seu dum exercitur, seu dum loquelæ gratia movetur, contrescens, si modo tremor iste nec peculiari linguæ morbo fiat, nec ab oppressione aut exolutione virtutis motoriæ nascatur, vesaniam denuntiat, γλῶσσαι τρομώδεες. σημεῖον ἐκ ἰδ ἐμφρονος γνώμης, 1. *Prorrh.* tales enim linguæ vel à mente male sana reguntur, vel ob immodicum calorem irrequietæ sunt, ac cerebri fervorem desipientiæ parentum connotent; Idem dicendum de ἀπρεπεῖ κατακλίσει, inhonesto decubitu, ubi æger non propter convulsionem, sed voluntarie atque ex composito supinus jacet, crura habens, ut ait *Hippocrat.* 1. *progn.* contracta valde ac implexa.

Similiter apud *eundem ib. In ventrem cubare eum qui dum sanus esset non ita dormire consueverat, aut delirium, aut dolorem circa ventrem significat.* Huc refertur manuum gesticulatio quam φορὰν χειρῶν & χεῖρας περιφερομένας, In *Progn.* qualis est linteorum & operimentorum indecora nec necessaria collectio, aut ubi æger cæcorum more suspensa manu ac cum palpo aliquid vestigat, ψηλαφώδης φλέγμονος dicitur, aut inani opera muscas venatur, de pariete stipulas legit, tomentum & flocculos à stragulis detrahit, quod πρὸς τοῖς χερσὶ, κροκυδολογεῖν, τρίχολογεῖν, & καρφολογεῖν, appellat *Hippocr. Galenus* καρφολογεῖν & κροκυδίζειν, *Plinius fimbriarum curam & stragula vestis plicaturas nominat*, ab adustis videlicet fuliginibus, muscarum, festucularum, florum pilorumve figuram referentibus, quæ inter κερατοειδῆ tunicam & crystallinum humorem contentæ imaginatricem jam nugacem (in *Dealcu uxore*, Ægr. 15. s. 3. l. 3. Epid. quæ palpabat, vellebat, scalpebat, pilos vellebat) deludebant, ita ut quæ intus essent foras versari dijudicaret; secus ac in mera suffusione quæ error solius est ὀφθαλμοῦ, minime vero τῆς φαντασίας. *Menjotius.*

4. *Incipientis*) Quia è præfatis Hippocr. (Vide §. *Signa*) quædam videntur imminentes tantum signare desipientias, animadvertendum est superbas, V.g. mansueti hominis responsiones, & oculos truces ac immotos, vel etiam incontinenter jactatos, ita testari incipientis delirii præsentiam, ut futurum ejus incrementum simul præsagiant, ad quod, ut pote periculosius præcipue respexit citatis locis *Hippocrat.* Nam, docente *Galeno* 2. *Prorrh.* 9. Signa pathognomonica affectus alicujus nascentis, prognostica sunt ejusdem adulti & justam ætatem nacti.

Huc refert *Hippocr.* observationem *l. de Insomn.* nempe *Si quis somniet astra à persequentibus insugam verti, eaque fuga cita sit, insaniæ periculum, nisi impedire præcaveatur.* Visio enim ejusmodi insomnii æstuosum cerebrum, indicat. *Menjotius.*

5. *Oculorum mobilitas*) Delirium insuper edicunt Oculorum motus nec convulsione, nec tremore, sed voluntatis imperio depravati; nam quemadmodum datur ἐκλαμψις εὐφρονώδης, aspectus bene compositus, liquidum tranquillumque animum arguens, sic ἐμμανὲς θράσος est φρενιτικόν, truculentus fixusque contuitus delirium prænuntiat, ut etiam oculorum ῥίψις, inconstans volubilitas, per quam circumspiciunt ægri, & varios quoquoversum cient conspectus; *Si oculi*, inquit *Hippocrat.* 1. Prorrh. *crebros habeant projectus, insaniæ spes est*, Nam cum proximi sint cerebro, ac venis, arteriis, nervis, membranisque cum eo sociati sint primi inter sensus ipsi laboranti συμπάσχουσι: *quæ communia sunt & vicina*, ajebat Cous *l. de Humor* primum & maxime *vitiantur*: Unde oculi apposite cognominantur mentis specula; *Oculos enim*, inquit Cicero l. 3 de Orat. *natura nobis, ut equo & leoni, setas caudam,*

tandem, aures ad motus animorum declarandos dedit. Menjotius.

4\. *Sermones & actiones*) Mente captorum tres sunt classes. Alii enim sola cogitatione delirant, qui silent quidem, sed longam ridicularum cogitationum telam ordiuntur; Alii verbo desipiunt, sic ab Hippocr. *s.2. lib.2. Epid.* οἱ [illegible] dicuntur qui inter loquendum sermones ferunt à veritate, ratione vel proposito dissentaneos, vocanturque alibi [illegible]: Alii denique opere etiam insaniunt, qui cogitata dictaque sua factis insuetis vel indecoris explent, horumque nonnulli adhibent artes, summamque speciem sanitatis præbent in captandis majorum operum occasionibus, sed exitu deprehenduntur. *Menjotius.*

6\. *Causa est*) Delirium excitatur, in quantum spiritus animales aut nimis irritati, aut in confusionem acti, huc illuc intra globosam cerebri compagem (ubi phantasia & memoria sedes habent) [illegible] & tumultuose feruntur; ita namque dum variæ *imaginationis* & *memoriæ* species simul excitatæ invicem confunduntur, phantasmata tantum absurda & incongrua animæ rationali objiciuntur, & proinde tum *intellectus*, tum *voluntariis* actus solummodo inordinate eliciuntur: Ob spiritus animales intra *cerebri mediculium*, sive *corpus callosum* irregulariter commotos, ut animæ rationali conceptus incongrui, & noemata confusa objiciantur, pariter contingit ac cum à diuturna corporis circumgyratione visibilium species inferuntur *sensui communi*, unde omnia circumagi, modo in altum elevari, modo in profundum deprimi videntur, ut nihil stabile & consistens in debito situ ac positione conspiciatur.

In *cerebro* recte disposito, spirituum animalium motus, certis quasi numeris, & modis, velut in tripudio peragitur; dum spiritus quidam in his tractibus suscitantur, alii in istis quiescunt, deinde hi illis in motu succenturiantur, & singuli cujusque facultatis actus, quasi totidem in fluvio aquarum undulationes distinctę fiunt; Verum in *Delirio* spiritus, simul omnes exiliunt, & sibi invicem tumultuose occursantes, aut se varie proripientes, velut choreas bacchantium agunt.

Porro quemadmodum hi intra cerebri compagem, tali oestro perciti, cogitationes multiplices, & valde perturbatas cient; ita dum extra hujus confinia in originem nervosam feruntur, loquelam incongruam, corporis & membrorum gestus absurdos, & non raro motus convulsivos producunt: Siquidem vero talis spirituum orgasmus (secus ac in phrenesi aut mania) statim defervescit, à tumultu istorum peracto, nulli tractus devii in cerebro caduntur, Delirium cito pertransit, & affecti mox iterum animo constant, sine relictis Desipientiæ vestigiis. *Willis.*

7\. *Vitio spiritus animalis*) Duplex est Imaginationis instrumentum, unum immediatum, primarium & animatum, nempe cerebri substantia; alterum mediatum, secundarium & inanimatum, Spiritus scil. Animalis, qui non modo ut medium internum, sed etiam ut organum Principibus potentiis famulatur; Præcipua igitur Delirii causa est Cerebri morbus, non quidem organicus (hic enim fatuitatis & dementiæ potius quam delirii author est) sed similaris vel communis, ac frequentius calida intemperies: quemadmodum enim frigus, quia [illegible], spiritusque inactuosos reddens lædit actionem per modum quietis atque cessationis, sic calor, quia [illegible], spiritusque plus justo exagitans affert offensam in motu & mutatione consistentem: Quare Hippocr. *l. de morbo sacr.* mentionem faciens desipientiæ à pituita genitæ, per quam ægri nec vociferantur, nec tumultuantur, non intelligit pituitam naturalem, frigidam atque humidam, hæc siquidem ignava est, nec corrumpit, verum minuit aufertve cerebri actiones, sed præternaturalem & putridam, ut in lethargo, quæ calore & acrimonia deliria movet, licet multo humaniora atque pacatiora quam bilis propter istarum qualitatum remissionem: At causa Delirii minus principalis est spirituum animalium vel inordinata motio, vel impuritas, ut in melancholicis, quorum spiritus pigriores quidem sunt, sed fæculentiores, vel utrumque simul.

Spiritus animales indebito *ac varie reflexo motu impulsi*, species, quarum sunt ὀχηματά, & quasi bajuli, secum abripiunt, unde phantasmata vel absurda, vel absurdo modo & confusim imaginationi obversantur; neque enim solum deceptio est circa motum & situm objectorum, ut in vertigine, in qua circulantes una cum spiritibus imagines suam seriem singulę retinent, sed in deliriis, propter irregularem spirituum cursum, tanta fit imaginum ἀταξία ut quæ naturaliter disjuncta sunt conjungantur, quæ conjuncta disjungantur, unde nihil mirum si [illegible], monstra difformia menti occurrunt, idem nimirum spiritibus contingat ac aquæ, in quam si plures dimittuntur lapilli, circulorum orbes sese consulcant & confundunt.

Conspurcantur animales spiritus humorum vaporumve extraneorum commixtione, unde vel imagines hebetantur, vel quædam etiam penitus velantur, seu ex toto, seu ex parte, ita ut objecta mutila & deformia concipiantur ab interiore sensu, aut etiam res se ipsis majores ut in aëre nebuloso appareant, imaginibus quodammodo divulsis, ac velut extensis à crassitie medii.

Concludamus ergo maximam esse mente motorum paritatem cum somniantibus, in quorum cerebro rerum imagines juxta turbulentam vaporum motionem tumultuarie oberrantes, ac eorundem vaporum densitate obnubilatæ visa formant prodigiosa: nec immerito deliria vigilantium somnia, somnia vero dormientium deliria nuncupari: Prædictæ porro cerebri ac spirituum noxæ non singulæ & seorsim, sed unitæ conjunctim desipientiam progignunt, Nam si cerebro incolumi spiritus animales duntaxat, in vitio fuerint, imaginationis actio non per se, & propter læsam facultatem, sed propter errorem objecti externum obledditur, unde ratio inde depravata, [illegible], non assentit neque coopinatur, ut in vertigine fieri dicebamus: Pariter cerebro afflicto mens non percellitur quamdiu spiritus animales inviolati permanserint; unde fit ut frequentissime à vulneribus capitis, aliisque gravissimis cerebri morbis absit delirium, quod spiritus animales sine [illegible], ac ex adverso à tantillo vapore spiritibus inquinatis, vel supra modum agitatis, simulque cerebro quamvis exiliter alterato mens sæpenumero subvertatur. *Menjotius.*

Causa in genere Delirii consistit in *spiritu animali*, hujus nimirum substantia & motu plus minus alteratis & vitiatis *Mens* enim, seu *Anima rationalis*, utpote immaterialis & immutabilis, eadem semper manet, & à nulla causa materiali lædi potest: In spiritu latet vitium, idque varium unde varia oriuntur deliria. *Ettmuller.*

8\. *Tam fixi quam mobilis*) Duplex autem est in cerebro spiritus, unus insitus, fixus & animatus ad cerebri integritatem pertinens, alter influens, vagus & inanimatus, utpote corpori contiguus, non continuus, qui proprie animalis dicitur; hic a genuina conditione recedens [illegible] parit deliria: Ille vero à naturali integritate declinans, puta impurior ac intemperatior redditus, desipientias promovet [illegible], quales plerumque sunt melancholicæ: Spiritus influus afficitur salvo insito, sed spiritus insitus labem suam influenti illico communicat, quod ejus creator situsque [illegible]. *Menjotius.*

9\. *Ordinata mobilis esse debet*) Si inquiratur unde hic furor brevis spiritubus cerebri incolis imprimitur, ut

excussis animi habenis, ita in cæco somnio sui susque deque habeant? Dicimus eos duplici ratione hujusmodi inordinationem concipere; nempe oestrum hoc aut è *sanguine*, cerebri compagem perluente, iis immediate confertur: Aut spiritus quidam animales exterius intra nervosum genus degentes *ἀταξίαν* quandam primo ineunt; dein eadem cerebro per nerveos ductus communicata, spiritus ibidem hospitantes pariter afficiens, in delirium ciet; Utriusque horum variæ sunt species quarum præcipuas attingemus: *Willis.*

9. *Circa quæ ratio occupatur*) Cum Mentis actio triplex sit, apprehensio, compositio, & discursus, non raro intellectus in simplici objectorum apprehensione, atque etiam in eorum compositione ludificatur, discursu alias intemerato, sicut quotidiano melancholicorum & speciatim *Theophili* illius, de quo *Galenus l. de symp. diff.* 3. qui tubicines in cubiculo se videre, & die noctéque audire imaginabatur, sed apte ratiocinabatur, illos ejiciendos esse. *Monjotius.*

10. *Interna, Externa*) *Huc referenda animi pathemata* gravia nam *commotio vehemens* vel *perseverans*, ab *affectu* aliquo *illum* exorta, mentis alienationis species est, illam adeo ut multa à ratione aliena vel agat vel cogitet depravans: sicuti est fatuum illud *Gaudium* nimium, quo elati pueriliter multa & insolita dicunt & gestiendo obeunt, ut ridendo præ gaudio, ut inquit Comicus, lacrymentur; Item *Furor* ille brevis quo *Ira* perciti jurant, & præcipites nulla pericula, ut se ulcisci queant, metuentes feruntur; Dein & ex *Mærore* ac *Terrore concepta melancholia*, quæ sæpe in veram & perseverantem degenerare solet: Huc & phantasia pertinax eorum qui *Amore gravi* premuntur (Vide inferius §. *Erotica.*)

Agitatio autem *spirituum nimia cerebri*, vel *confusio*, non tantum affectionem levem aut brevem, quæ & statim cessat, sed impressum & permanentem aliquandiu affectum inducens *commotionis animi* causa existit, in illis maxime qui dispositi sunt, vel ob pusillanimitatem, aut rationis imbecillitatem, affectibus non possunt resistere: Id autem facit *commotio* quæ *subita*, cum *impetu* quodam fit, uti per *gaudium*, *iram*, *terrorem*, vel quæ *vehemens & diuturna* in *mærore* solet accidere; vel quæ *diuturna & depravata* in *stultitia simulata* accidit.

Gaudium magnum, ob consequutam rem aliquam, præsertim si inopinato accidit, idque fere *imbecillioribus*, ut senibus & fœminis, *stultam* illam cum fatuo gaudio animi perturbationis speciem gignit, spiritibus cum sanguine adeo profusis, ut non tantum rubore suffundatur facies, sed & ex oculis exstillent lacrymæ, omniaque membra excalefacta inquieta sint: *Ira*, *Excandescentia*, ob offensam, furibundam illam animi commotionem speciem excitat: spiritibus & sanguine vehementer accensis, & studio vindictæ profusis, mox tamen ob animi dolorem rursum recurrentibus, unde adeo rubent ab initio, mox pallent ac flavescunt; Quod & calidioribus & biliosis naturis facilius accidit, atque iis qui ex vino prius incaluerunt & dementati sunt, hinc pluribus tunc causis concurrentibus velut insaniunt: *De Terroris vel Metus gravis effectibus* vide caput de melancholia §. *Externis ut Timore*)

Stultitia simulata, & diu *continuata*, spiritus indesinenter depravatè exagitans, facit ut per consuetudinem hanc, naturam immutantem, *moriones*, qui gulæ & lucri causa, apud magnates quibus stultorum conversatio jucunda est, stultitiam quæstus causa exercent, à teneris cum se huic accommodaverint & assueverint, in ea habitum eum acquirant, qui cum postea deleri amplius minime possit, *vere Stulti* permaneut.

Inprimis vero ex *appetitu* seu *concupiscentia* *rei* alicujus *honestæ* vel *inhonestæ*, diversi animi affectus prodeunt; Ut cum studio *scientiæ* vel *artis alicujus* immodico homines nimium intenti, *phantasiam* quandam sibi concilient: Et quos *ambitio*, *manisque* vexat *gloria*, ac qui *philautia* capti, stulta multa & ludicra jactabundi dicunt & faciunt; quæ eleganter in milite gloriοso, sub persona *Thrasonis* & *Pyrgopolinicis* ostendunt Comici &c.

Ab *affectu* autem *animi vehementi*, vel *diuturno*, *concepta Mentis perturbatio*, *vel commotio*, interdum sponte cessat, aliquando difficulter cedit, sæpe nunquam potest corrigi, *Gaudium* enim *profusum* facile evanescit: *Ira* quoque *furor brevis* est, in illis præsertim qui quidem mox excandescunt & rubent: sed subito iterum remittunt; quos & tunc fere se iratos fuisse pœnitere solet.

Tristitia ex dolore animi, cum tempore cessat, cum nullus sit dolor, *ut inquit Cicero*, quem non longinquitas temporis aut mutet aut minuat, *Invidia* concepta ægre deletur.

Ambitio in quibusdam, & *Avaritia*, in senescentibus præsertim, animis impressa, vix dum eradicari possunt.

Quæ omnia tamen non adeo homines dementant sicut *Amor*; in quo et si levis ab initio *mentis alienatio* tantum esse videatur, si tamen altius radices agat, adeo eam perturbat ut ad veram insaniam & desperationem adigat; A *Terrore* melancholia vera & perseverans profecta, præ cæteris omnibus est pertinax & curatu difficilis, ad multos annos hominem sæpe excrucians, consumens, & desperabundos tandem reddens: Sed & ex *consuetudine contractam stultitiam* corrigere amplius non licet.

Curatio tamen non negligenda; si perseveret malum, & offensa adsit, vel periculum: quod fiet i. *Causæ ablatione*, & occasiones auferendo à quibus hæc prodeunt, si illa adhuc præsentia affectum foveant vel augeant. ij. *Consolando*, *admonendo*, *persuadendo*, sæpe affectus animi mitigantur vel arcentur, iij. Inprimis vero *affectus animi hunc affectibus*, qui afficit, contrarios movere, & sic in contrariam passionem deducere, cum ad moderationem, sicuti contraria contrariis curari solent, rursum adigant, magnum in quibusdam animi pathematibus adjumentum affert, sicque ea quæ alias cedere nollent, tolluntur.

iij. Quod præsertim Medici operationem attinet, in *subitaneis & vehementibus animi passionibus*, *spirituum & humorum commotionem*, qui in quibusdam affectibus à *centro ad superficiem*, in aliis *contra moventur*, diligenter observare oportet, eosque contrario motu ad sedem ipsis destinatam reducere; *Evocamus* autem eos qui cor veluti *opprimunt* in *Terrore*, *mærore*, *frictionibus & exercitiis* jucundis ac *balneo*: Et vicissim, eos qui *Ira*, *Gaudio* effusi sunt, non tantum *contrario animi affectu*, uti dictum, sed & *aquæ frigidæ perfusione*, & *venæ sectione*, quæ tamen non in ipso *furore* sed paulo post fieri debent, ad interiora rursum repellimus.

In *perseverantibus* autem, jamque *immutantibus animi pathematis*, pro constitutione corporis, & humorum redundantia, *plethora* vel *cacochymia*, *evacuationes* vel *alterationes* tum ad *curationem*, tum ad *præservationem* si ad hos illosve affectus dispositi sint, instituemus: Et si *melancholia vera*, vel *mania* inde sequantur, earum curatio suscipienda. *Platerus.*

10. *Inter externa*) Externas causas quod attinet, Ex *regno vegetabili* sunt omnia *Narcotica*, quæ juxta vim suam narcoticam & stupefactivam, virtutem etiam obtinent ita determinandi spiritus animales ut diversi conceptus in mente formentur, variaque inde deliria sequantur; Sic aliis somnia terribilia, aliis; ut Turcis, suavia conciliat *Opium*: Sic *hyoscyamus* ridiculum infert delirium, de quo *Borellus cent. 4. obs. 45.* Præter Vegetabilia

bilia etiam *Animalia*, inprimis rabida, certa & determinata deliria inferunt; Sic in *rabie à cane rabido* demorsi in delirium incidunt, sub quo se in canes abiisse æstimant; Notus quoque est *Tarantismus*, cum à Tarantulis demorsi earundem gestus imitantur: Nota est rabies *Felina*, ubi à *felibus* rabidis demorsi unguibus se dilacerant: Quo similiter *rabies lupina & suilla* pertinent, ubi homines similiter tale Delirium incurrunt: Huc quoque *Philtra* referuntur. *Ettmuller.*

11. *Coriandrum recens*) Seminum sacchаro incrustatorum magnus apud nos usus est in adjuvanda concoctione ventriculi; Habent enim aliquid adstrictionis, ob quam etiam usurpantur in hæmoptysi & ventris fluxibus: Tum autem torrefactum fere damus, quemadmodum cum lumbricorum necandorum causa: Monendi vero sunt nimis audaces ne frequentius utantur, & sine præparatione, utut enim semina minimum habent humidi illius excrementitii, habent tamen aliquid, *viridia* inprimis: hoc indicat fœtor, si non in Hispania, certe in Italia & apud nos: Et *Asclepiades* 2. *Antid.* 7. manifeste annumerat Venenis coriandrum viride, at Hispani, authore *Amato*, frequentissime illo utuntur, & pro cordiali habent, Verum, ut experientia docuit *Monachos in Antid. Mesuei* (ii sunt *Angelus Palea & Barthol. de Urbe Vecchia*) propter hunc usum Hispanorum plurimos esse fatuos, ob quorum curam tam frequentia sunt hospitalia. *Hofmannus de Med. Off. c. 70 p. m.* 193.

12. *Mentem turbat*) Delirium ab occulta ac venenata qualitate infertur, sic Antoniani milites (*Plutarch in vita Antonii*) per loca squalentia è Parthia redeuntes, ac propter commeatus penuriam insolita gustare coacti, herbam attigerunt, quæ lethiferam concinnavit insaniam, sic ut vescentes omnium rerum memoria atque notitia orbarentur, ipsisque unus labor incumberet lapidem movere omnem ac versare, quasi rem magni momenti molirentur; Plenus campus fuit humi inclinatorum, saxaque eruentium ac transportantium, moxque bilem convomentes moriebantur, cui malo solum vinum fuit ἀντιπαθές. *Menjotius*

13. *Iis qui ad maniam proni*) Causæ efficienti adjicitur causæ suscipientis dispositio, eaque duplex, generalis & specialis; Nam in genere cerebrum etsi temperie dominarum algidiore, promptè tamen incalescit ob infirmitatem mollitiei junctam, tenerrima enim non minus intra quam extra corpus & gelantur facile & uruntur; In specie vero desipientia frequentius appetit juvenes, biliosos, iracundos, studiosos, caput natura vel casu invalidum habentes, cura, exercitio, ac præsertim inedia, vexatos, jureque his consulit *Hippocr.* l. 1. *de Diæta*, ut pleni potius quam jejuni gerant negotia; mixto enim familiari alimento stabilior redditur anima quam dum cibi indiga est: Leves etiam ac turbulenti homines vel parvis occasionibus, firmi vero & constantes nonnisi magnis de causis delirі sunt, ex *Galeno hist. alt. sect.* 3. *l.* 3. *Epid.* Quamobrem quærens in Problem. *Aristot.* cur in locis calidis homines sapientiores sint quam in frigidis? Respondet illos esse prudentiores ob frigidas magis interiores mentis sedes: Docet quoque *Hippocr.* l. 1. de Diæta τὴν ἀσαρκίην ad prudentiam conferre, quod ad carnis ἀνάθεσιν, καὶ φαλακρωσιν (an potius legendum ἄνευ τῆς) φλεγμονῆς accedere necesse sit: Eademque ratione carnium esum inter desipientiæ causas recenset. *Menjotius.*

14. *Curatio pro ratione differentiarum variat*) Hæc affectio quoties satis tuta videtur, curationem non exigit, nam paroxysmus cito ac facile pertransit: Attamen quia nonnulli, quibus cerebrum imbecillius & laxum est, atque spiritus animales nimis dissipabiles in fugam & confusionem apti sunt, à levi quavis occasione perturbati, statim delire agere aut loqui solent: idcirco his medicina opus est, non helleboro tamen, sed remediis cephalicis quæ cerebrum corroborent, & contra materiæ morbificæ incursus muniant: Item quæ spiritus animales sufficient, eosque fixiores & ad resistendum fortiores reddant: *Willis.*

15. *Dividitur* Delirium in 16. *primarium & sympatheticum.*

I. *Primarium est*, quando cerebrum per se afficitur, & est vel *cum febre*, de quo sequenti capite: vel *sine febre*, continens sub se, *tum* παραφροσύνην & λῆρον ab imbecillitate facultatis principis; 17. ob immoderatum sanguinis profluvium, vel diuturnas vigilias exortam: *tum* 18. Stultitiam, in qua facultates principes, non solum imminutæ, sed & depravatæ sunt.

15. *Dividitur Delirium*) Delirium vel est *innatum*, vel *adventitium*; Illud fit ob infausta τὰ σπέρματα τῆς φύσεως, naturæ novercantis primigenia: duplexque est, aut à parentibus in prolem devolutum; neque enim ut in foro civili, sic in foro naturæ jus liberis conceditur paternam hæreditatem respuendi, Aut non hæreditarium, etsi congenitum, ab accidentario seminis vitio: Sic notat in Probl. *Aphrodiseus* 1. 8. à prudentibus patribus filios ignavos progigni, quod illi ob animum rebus seriis deditum ac distractum languidiorem emittant genituram, hinc illud tritum, Heroum filii, noxæ, ac Hippocratis liberi, tanquam παῖδες καὶ τέκνα βλάβη, stulti ac stupidi antiquitus audiebant: *Adventitium* delirium oritur à causis seu externis seu internis.

Causæ externæ, sunt πολυπραγμοσύνη, meditationes crebræ & attentæ, æstus Solis, quo cerebrum una cum spiritibus suis incalescit: ictus capitis, concutiens cerebri machinam, spiritusque animales perturbans, ossis διαρρήξις, si in vacuum, hoc est spatium cranio & meningibus interpositum penetraverit; item inanitio, vel à Venere immodica, vel a vigiliis, vel ab immodico sanguinis profluvio, quo refert nec illud *Hippocr.* 1. *prorrh. Prædebilitatorum deliria pessima sunt*, quod à causa perniciosa oriantur, videlicet extrema spirituum animalium indigentia: At vero nos à facultate languida functionem continuo imminui, at nunquam erroneam evadere arbitramur, quotidie enim actiones cujuslibet generis infirmissimæ, & tamen nullatenus depravatæ conspiciuntur; Itaque spiritus animales si perpauci fuerint in vacuo ac inani cerebri spatio amplius quam decet, commoveri, sicque desipientiam adducere credimus, ut in decrepitis senibus, ac iis qui morti finitimi sunt. *Menjotius.*

16. *Dividitur Delirium*) Adhæc, Deliria sunt, vel μετὰ γέλωτος, cum risu, vel μετὰ σπουδῆς cum studio, qualia artificum, tanquam apud se essent de arte sua differentium: Illa à sanguine excalefacto; hæc à bile oriuntur, suntque in meditullio posita desipientiarum festivarum atque ferocium, ab atra bile originem ducentium, per quas ægri notos ignotosque temerarie adoriuntur: Sanguis autem est γελωτοποιός, geminam risus causam, gaudium scil. & admirationem accersendo, Gaudium quod attinet, à splendore sanguinis excalefacti spiritus redduntur lucidiores, unde instante hæmorrhagia δοκοῦσιν αὐγαὶ καὶ μαρμαρυγαὶ, scintillarum micæ ac ignei circuli oculis offeruntur, auctoque spirituum fulgore conciliatur hilaritas; Nam si lux externa spiritibus animalibus ὁμογενὴς atque consocialis nos lætificat, &

publica oblectamenta accensis facibus, ac compitalibus ignibus celebrari solent, quanto efficacius lux interna animum recreabit, sicuti è contrario (saltem si credimus Galeno) non solum externæ sed multo magis internæ spirituum animalium tenebræ in melancholicis irrationalem mœrorem imprimunt, quo pacto splen tidere facit, nempe ex eventu, sanguinem faciendo illimem: Admiratio vero ignorantiam sequitur, nam ut ait *Thomas*, *Desiderium sciendi ortum ex visione effectus, & ignorantia causa est admirationis*, Ac licet objectū delirii in se novum non sit, neque insuetum, à mente tamen depravata velut insolens apprehenditur; Nec est quod quis objiciat risum igitur fore omnes delirii asseclam, nam admiratio non est adæquata risus causa, sed lætitia insuper requiritur, quæ in nulla reperitur desipientia præter sanguinem.

Præterea si objecta mentis spectemus, ut illa sunt innumera, sic infinitæ exsurgunt deliriorum differentiæ quæ circa res non naturales, puta aërem, cibum, potum, retenta & excreta versantur, ut quando ægri ardenter febricitantes magna & rara utuntur respiratione, citra [illegible] sunt [illegible], in causa sitisfera prægrandi sunt [illegible], atque excrementa alvi aut vesicæ vel retinent diutius, vel indecore extrudunt; Hæ porro respirationis, famis, sitis, excretionum, cæterarumque operationum animalium prætermissiones ad [illegible] falso reduci consueverunt, cum vix imaginatrix illis actionibus det opera, non interveniente memoria, hæc enim circa res præteritas, priusque cognitas, minime vero circa præsentes occupatur, ac idcirco quibus memoria citra desipientiam proflua est, ii memorata symptomata haud patiuntur: Galenus ergo delirantes tardius respirare, urinamque emittere scribens, quia oblivione tenentur, nomen oblivionis non sumit pro privatione actus memoriæ, sed [illegible] & juxta politicum dicendi modum, communeque, ut ajunt, forum pro inconsiderentia, phantasiæ, quæ præsentia objecta non animadvertens sui muneris oblivisci, h. e. eo non fungi dicitur; hancque esse *Galeni* mentem, liquet ex lib. 2. de *Dyspnœa* &c. ubi magnam raramque delirantium spirationem non obliviosæ, sed velut obliviosæ actionis effectum esse docet, *Etenim, ait, immoderatam facere spiritus attractionem, rursusque immoderatam quietem. ejus est qui neque quando desinere actionem oporteat, novit, neque quando rursus inciperet sed in utrisque mensuram egreditur*, [illegible], *propter ignorantiam ejus quod conveniens est fieri*. Ita lib. 1. *de Dysp. c. 11.* actionum arbitrariarum omissionem ad [illegible] retulerat; Nec Græcis modo, sed Latinis etiam atque Gallis recordari pro cogitare accipitur, Apud *Curtium l. 3. c. 5. Alexandri* milites moribundum Regem *sui immemores* querebantur, i. e. ad res suas non attenti: Quinimo oblivionis nomen ad facultatum quoque naturalium ignaviam transfertur; nam ventriculum, dum propter coquendi desuetudinem ex longa inedia contractam cibos ingestos non nutrificat, sui officii oblitum communiter dicimus, quo sensu à *Galeno 6. aph. 1.* scriptum est oxyregmiam lienteriæ supervenientem [illegible] naturam suorum operum reminisci, *Menjotus*.

[16] *Dividitur in primarium*) Delirium ab interioribus causis natum vel est cum febre, vel sine febre: illud si fuerit Sympathicum, Paraphrosyne dicitur; si Idiopathicum, Phrenitis: Delirium vero sine febre, aut est melancholicum, cum timore & tristitia, aut Maniacum, cum audacia & furore. *Menjotus*.

[17] *Ob immoderatam sanguinis &c.*) Advertimus *Delirium* à spirituum animalium inopia & dissipatione magna nonnunquam excitari: quippe illorum species abruptæ, & ab invicem distractæ, non secus ac tumultuarie conglobatæ notiones confusas & incongruas suggerunt: Hinc observare est quibusdam à magnis *hæmorrhagiis*, aut longis *vigiliis*, & diuturna inedia delirasse: Propter hanc rationem plures moribundi delire & incongrue loqui solent. *Willis*.

[18] *Tum stultitiam &c.*) Vide Appendicem *De Stupiditate sive morosi*.

II. [19] *Sympatheticum*, [20] quando causa [21] ab aliis partibus communicatur.

Dispescitur in illud, quod est *sine febre*, & sub se complectitur [22] *temulentiam* [23] seu à vino, cerevisia, spiritibus inducta; seu [24] à cannabi, lolio [25] hyoscyamo, corulis de Levanthe, corticibus mandragoræ, opio &c.

[26] *Præservant* [27] comæ absinthii & [28] rutæ stomacho jejuno comestæ, [29] brassica; buccella panis haustui supercomesta.

[30] *Curant* [31] Vomitus, [32] Acidorum usus. [33] Scrobi mixtura [34] è succo sempervivi, aceto acri & nitro involucro, in ebriis inprimis; sed dolor capitis non tollitur &c.

Et in illud, quod est *cum febre*, quod vel in febribus acutis accidit: [36] *Tum* febris præsto est, Si in principio absque signis coctionis adveniat phrenitidem inducit, [37] somno demulcetur, si cum coctione & aliis signis accedat, [38] decretorium est.

[39] *Curatur* 1. *Revulsione* per venarum in pedibus apertionem, & alia.

2. *Ferveris* sanguinei in capite temperatione per Topica.

3. *Hypnoticorum* applicatione.

4. *Materia* quæ caput occupavit, tum *evacuatione*, vena vel frontis vel linguæ secta 3. tum *Discussione*, per applicationem columbar. dissectar. decocti chamæmel. ad caput &c.

Vel *in inflammatione* partium, [41] Diaphragmatis inprimis: [42] *Tum* respiratio est inæqualis, hypochondria sursum & intro revelluntur, [43] delirium cum tussi & dolore lateris junctum est.

Curatio ad partem affectam obverti debet.

[19] *Sympatheticum*) Huc referri potest illa *Delirii* species in qua sanguine insonte spiritus animales, alicubi in genere nervoso scatentes primo [illegible] subeunt, dein eadem affectu per ductus nerveus ad cerebrum perreptans, spiritus medullæ ejus incolas in Delirium ciet: Hoc satis obvium est in *passionibus* quæ dicuntur *hysterica*, nempe post ventris intumescentiam, & cordis oppressionem, demum modo [illegible], modo fabulationem absurdam, cum fletu & risu succedere, Pariter in colica atroci observavi interdum immanes circa viscera aut lumbos cruciatus, mox in Delirium cessisse, deinde paulo postea hoc cessante tormina rediisse;

duisse: Novi puellam quæ ab assumpto emetico, donec operaretur, constanter delirare solebat: hoc etiam facit, quod sæpius adverto, à *Gangræna* in membro quodam externo incipiente delirium acciere, & hoc pro signo lethali habendum, *Willis*.

19. *Sympatheticum*) *Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes, & hercle hominis partibus ab hominis partibus plurima sunt mala*, inquit *Plinius In Proœm. l. 7.* Sed cerebro præsertim, etsi membro principi, partes subditæ consueverunt insultare, ut patet ex plurimis morbis cerebri sympatheticis: *Menjotius*.

20. *Quando causa ab aliis partibus*) Inter plurimos cerebri morbos sympatheticos vix ullus frequentior occurrit quam *παραφροσύνη*: Hæc à recentioribus, inaudito apud antiquos vocabulo, *paraphrenitis* & *paraphrenesis* appellatur, quas voces alii ad delirium diaphragmaticum, veræ phrenitidis æmulum restringunt. *Menjotius*.

21. *Ab aliis partibus communicatur*) Paraphrosyne aliquando accipitur universim pro quacunque desipientia, stricte vero & proprie est delirium sympathicum, à ferventissima præcordiorum, totiusve corporis ad cerebrum exspiratione progenitum, Ab ejusmodi namque habitu cerebri corpus, simulque spiritus ejus animales præter naturam exardescunt: unde mens in falsa quædam ac ficta traducitur, quodque diligenter notandum est, æstuosus vapor non solum suo calore spiritus varie impellendo, sed potissimum dum in cerebro volutatur, spiritus quibus commixtus est, secum rapiendo, horumque puritatem inquinando, delirium procreat; A mero enim calore paraphrosynem oboriri posse credibile non est, cum sæpe per febrem tepidiorem sacra rationis prophanentur, flagrantior vero febris, in qua cerebrum magis incandescit, nullo stipata fit delirio, quod nempe in illa nocuis exhalationibus caput petatur, in hac non item. *Menjotius*.

22. *Ab aliis partibus*) Anathymiases *λογισμοῦ* ad rationis arcem obrepunt, vel ab intestinis verminantibus aut ileosis, vel ab impuro utero, vel ab inflammatis partibus internis; ut pulmone, jecore, diaphragmate; vel in febrium intermittentium paroxysmis ab earum foco, vel à toto corpore, ut in augmento ac vigore, ac interdum etiam in principio febrium continuarum: Docebat quondam *Plato in Timæo*, septum transversum cerebro visceribusque naturalibus, quibus anima brutalis tanquam ad præsepe vincta est, fuisse interpositum, ne rationis domicilium ab iis violaretur, sed istud debet intelligi, de statu hominis naturali non morboso, *Menjotius*.

23. *Temulentiam*) Temulentia, vel Ebrietas, à vino aliisque quibusdam procedens, nec dum eo usque progressa ut *stuporem* vel *soporem* causet, sed hilaritate qua vinum moderate sumptum cor hominis lætificat, terminos prætergressa dementans, pro naturarum diversitate diversos Temulentiæ & Ebrietatis effectus prodit, Cum ex ebriis alii *stultis* potius, profuso & immodico gaudio similes sint, fatuitatem risu & cachinnis; item garriendo, cantando, ridendo, osculando, amando patefaciunt, Alii vero *insanorum* more potius, clamore, ira, verberibus, morsu exprimant; Alii *melancholicorum* instar tristentur, lacrymas profundant, de religione multa & de morte loquantur; Quam illorum desipientiam plerumque sopor vel stupor excipiens, eousque compescit donec excitati rursum ad se redeant, immemores sæpe prægressæ dementiæ; capitisque dolore & gravitate aliquandiu postea divexati, desipientiæ pœnas lu[illegible]. *Platerus*.

24. *Temulentiam seu à vino &c.*) Ebrietas aut altum soporem, aut *Delirium* infert, in quantum massa sanguinea spirituosas vini particulas (à quibus effervescit) in cerebri poros & meatus insinuat, à quibus spiritus in iis hospitantes, aut plane obruuntur, aut in motus inordinatos & confusos aguntur; Quippe indomita vini, aut cerevisiæ uberius epotæ corpuscula cerebri cujusvis, utut firmi & sani, claustra reserant, atque altius in ductus medullares penetrantia, & rationis & imaginationis actus perturbant, & plane avertunt. *Willis*.

24. *Seu à cannabis, solio*) Toxica quædam & venena intus sumpta, ac (uti nonnulli asserunt) exterius admota Delirium cito accersunt, ob effluvia, seu particulas venenosas cerebro obtrusas; Hoc de solano furioso, mandragora, & plantis quibusdam aliis vulgo fertur; De radicibus *pastinacæ* sylvestres notissima habetur: Narravit mihi N. se cujusdam ædes intrasse, ubi mater familias, filiæ, & ancillæ omnes (una excepta) simul deliræ factæ, incongrua & absurda loquentes & saltantes per domum discurrebant: Cum illas plane lymphaticas suspicaretur didicit ex puella sana, totum illud à comestione radicum pastinacæ, quas ipsa tantum non gustaverat, contigisse: Id quod etiam eventus comprobavit, nam postquam delassatæ somno indulserunt, omnes demum sobriæ evigilabant. *Willis*.

Sic *Antonianos* milites (referente *Plutarcho* in *Antonio*) per loca squallentia è Parthia redeuntes, ac propter commeatus penuriam insolita gustare coacti, herbam attigerunt quæ lethiferam concinnavit insaniam, sic ut vescentes omnium rerum memoria atque notitia penitus orbarentur, ipsisque unus labor incumberet lapidem movere omnem ac versare, quasi rem magni momenti molirentur: Plenus campus fuit humi inclinatorum saxaque eruentium ac transportantium, moxque bilem convomentes moriebantur: Cui malo solum vinum fuit *ἀλεξιφάρμακον*. *Menjotius Dissert. de Paraphr.*

25. *Hyosciamo*) Admota quædam capiti idem præstare posse quod interius assumpta testatur *Rondeletius*; exemplum afferens illius qui, cum ut somnum conciliaret *hyosciami folia* capiti applicuisset ad insaniam redactus est.

26. *Præservant*) *Lac* si jejunus bibat, ea die tutus erit, *Pulmones animalium comestos* assos ebrietatem arcere docet *Plinius*: Alii *ovis Pulmonem* nominatim devorant; *Hirundinum combustarum pulverem* sumptum in æternum non sinere inebriari quidam scripsit.

Pulvis eam tardans

℞. *semin. caulium*. ʒj. *coriand*. ʒß. *campb. gr.* ij.
f. Pulvis.

cochlear unum cum vino austero exhibeatur: Magis compositus

℞. *sem. caulium* ℥j. *plantag, portulac. berberis* ãã. ℥ß.
coriand. præpar. ℥ij. *flor. rosar. rubr. nenuph. santal. rubr.* ãã. ℥ß. *mastich succin.* ãã. ℈j. *spod.* ℈j.
salis ℈ß. *campb. gr.* vj. *f. Pulvis cujus detur cochleare* j. *vel* ij. *cum vino granat. vel alio styptico, aut aqua frigida, Aut cum sacch. f. Tabella.*

℞. *conserv. rosar. rob. rib. & berber.* ãã. ℥ß.
amygd. amar. excortic. contusar. n. xij.
sem. caulium ℥j. *rosar. rub.* ʒj.
syr. de agresta q. s. fiat Elect. ante potum dandum.

℞. *succi caul. albor. granat. acid. ribes* ãã. ℥ij.
aceti ℥j. *bulliant simul. fiat Syrupus* ad usum.

Minus inebriantur, qui nonnisi ventriculo bene cibis repleto tardissime bibunt; citius vero qui jejuni, vel statim in principio mensæ potum vini accelerant. *Amygdala amara* v. *vel* vj. ante pastum comestæ. *Platerus*, Idem efficiunt nuclei Persicorum.

Vinum in quo *piscis mullus* fuit extinctus vini tædium facit: *Sic Spumam* quæ *circa testiculos asini & equi* invenitur, dum fanguntur, homini potatori in vino exhibueris, per mensem postea vinum abhorrebit. *Dominicus Leo*.

Ad abhorrendum vinum auxilium singulare ex

vinum in quod anguilla suffocata est, ut sæpe expertus sum, Et magis si vini ℔ij. *sanguinis anguillæ* ℥ij. addantur. *Zacutus.*

Præstantissimum est ad præcavendam Ebrietatem præscribere *olei* ℥ij. *Nicolaus Piso.*

Hirundinum combustarum pulverem non sinere inebriari quidam scripsit. *Platerus.*

Pulvis Ebrietatem tardans

℞. *semin. caulium* ʒj. *coriandri* ʒß. *campb. gr.* ij. Dosis cochlear in vino austero. *Idem.*

Acetum cum aqua dilutum bibitum, vel per se bona quantitate sumptum, Ebrietatis est antidotus, Quo insignis quidem potator, jam longo tempore in dies ebrius se, ne inde labem contrahat, præmunire solet. *Idem.*

Si *olei rosar. communis* ℥ij. sumpseris, ab ebrietate toto die liber eris. *Joh. Car. Rosenbergius Rhod. p. 337.*

Secreti summi loco hic Pulvis habetur,

℞. *Pulv. rosar. rubr.* ℈ß. *hirund. combust.* ℈ij. *semin. brassicæ. portul.* ãã. ℈ß. *mastich. gr.* iv. *sacch. rosati* tabulati ℈ij. pro una vice. *Rosenbergius.*

27. *Coma absinthii*) Cujus tamen vino helluones potius sequenti die post crapulam, ut stomachum bile offensum corrigant, cum ut illam contemperent se potu implent, utuntur. *Platerus.*

28. *Et Ruta*) *Ruta*, quod *pocula tuta*, ut carmen sonat, faciat in hunc usum laudatur; quod ego quia à veneno præservat potius dici existumo. *Platerus.*

29. *Brassica*) Cujus folia grandia in aqua frigida infusa & apposita capiti Ebrietati mire adversantur. *Jac. Fontanus Pr. l. 2. c. 8.*

30. *Curant*) Ebrietatis certum amuletum est si post crapulam *olei nucis* ʒj. deglutiat patiens, *Zacutus Lusit.*

Acetum cum *aqua* dilutum, bibitum vel per se bona quantitate sumptum, Ebrietatis est antidotus. *Platerus.*

Ad Ebrietatem jam præsentem superandam nihil utilius est *somno*, ut & *centaurii tenuioris decocto*, aut c. c. aut *verbenæ semine* ex aqua epoto. *Vidus Vidius.*

In *capite mortuo vitrioli* laudatissimum medicamentum est medulla, Ego cũ terra vitrioli dulci acidulas Bacch. (*acetum rosarum*) adhibere soleo, & sic cephalicum externum conficio, quod cerebrum crapula turbatum; itemque in febribus malignis calorem & dolorem capitis lenire toties totiesque expertus sum. *Christ. Langius Misc. Cur. tit. 7.*

31. *Curant Vomitus, Acidorum usus &c.*) Spiritus animales per Ebrietatem, aliamvè in febribus accidentem Temulenti delirii speciem, restituuntur in integrum cessante sponte Ebrietate ac temulentia morbosa, eademque ante suppressa vel ablata; In hunc finem conducit potius *aqua pura*, ut & *acidularum*, quin & *decoctum lactucæ, rosarumque rubrarum tinctura* cum spiritu vitrioli parata; *brassica caudex*: Observavi præterea salem volatilem plurimum in hoc casu conferre, ipsumque castoreum quovis modo usurpatum: Singula vero peculiari ratione juvant. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 7.*

32. *Acidorum usus*) Quæ vini efficaciam refringunt, ut & narcoticorum; danda ea in fine mensæ; quo citius eo melius, atque affatim: Qualia sunt sequentia, Puls *ex lacte & farina hordei cum aceto*; *Lac acetosum* uti concrescere solet, *Poma acida* comesta, *Punica acida*, illorumque *succus*, *cydonia*, *caulium capita condita*, & *rapa* donec acescant, uti nostri parare solent, valde juvant; *Acetum cum aqua dilutum* bibitum, vel per se bona quantitate sumptum *Ebrietatis est antidotus*, quo insignis quidam potator se præmunire solet; Præter hæc *lactuca*, *mentha*, *absinthium*, *myrthi baccæ* comestæ, vel succi ipsorum assumpti ebrietatem arcent; *Croci flor. stillatitia aqua*: Odor *camphora* & *santalorum*: Quæ omnia non tantum in ea *temulentia* quæ à vino contracta est, sed & in ea quæ à similibus inebriantibus proficiscitur sine dubio proderunt; unde etiam Narcotica acidis emendantur, Et in *Solano furioso* sumpto *acetum* remedium est. *Platerus.*

33. *Scroti mixtura &c.*) Extrinsecus *hedera* coronæ instar capiti apposita, vel *succus* capiti admotus ebrietatem arcet: *Lapis amethystus* gestatus, Oxyrrhodina capiti applicata. Testes aceto. *oxycrato* madescant.

34. *Mixtura e succo sempervivi*) Quo solo remedio *H. ab Heers* legatum, è scamno delapsum, majoribus invitatum poculis, ebrietatem discussit, ab eoque quinquaginta thaleris ideo donatus.

35. *Quod vel in Febribus acutis accidit*) In Febrium Intermittentium paroxysmis, & Continuarum ἀκμῇ, sanguis immodico incendio effervescens, interdum mero ebullitionis suæ impetu Delirium concitat: in quantum scil. iste plurimum turgescens, dum exiles arteriarum propagines, per cerebri exteriorem ambitum ubique diffusas pertransit, eas valde inflat & distendit: proindeque cerebri substantiam comprimens spiritus varie impellit, & quasi in turbas valde confusas cogit: Porro è sanguine, cum spumosa rarefactione ita turgescente, caloris effluvia, cumque his particulæ heterogeneæ, cerebri poros & meatus subeuntia, spiritus exagitant, & huc illuc tumultuarie corripiunt: Nec tantum sanguis particulas febriles & turgidas & indomitas, sed interdum malignas, & quasi venenosas, regimini animali suggerens, cum vel sine febre delirium ciet; Sic in peste, variolis, febribus malignis (etiamsi calor moderate habeat) materies maligna ad cerebrum translata, quatenus spirituum copias dissipat (potius quam quod eos in tumultum adigit) notiones abruptas, incohærentes, & tandem distractas parit. *Willis.*

Prognosis.

10. *Tum febris præsto est &c.*) Paraphrosyne plus sæpe terroris præbet quam periculi, ac præcipue nugatoria dementia, atque jocularis seria tutior est apud *Hippocr.* 6. aph. 53. illa enim à causa magis benevola, sanguine scilicet, hæc à deteriore humore, nempe bile flava soboleſcit: sic Pleuritides sanguineæ à *Galeno p. ult. s. 3. 6. Epid.* æstimantur; Sed quid ad *Silenum Ægr. 2. 3. 1. Epid.*) qui cum risu desipiens x. die interiit? placet doctissimis interpretibus hunc risum non verum fuisse ex animi motu concitatum, sed vel impotentiam quandam continendi septum transversum, propter hujus partiumque vicinarum calorem (sicut calefacto per titillationem diaphragmate risum provocari traditum est ab *Arist. 1. de p. an. 10.* (Vel potius ob convulsivam irritationem ipsius septi à bilis ipsum pungentis acrimonia, haud secus ac eo vulnerato mediantibus nervis c. 4. & 5. vertebræ, quos habet cum labiis communes, risus inspontaneus, & quidem lethalis supervenit: Nos vero existimamus hunc *Silenus* risum fuisse προαιρετικὸν, nec à convulsione, sed ab animi delirantis arbitrio profectum, ut satis patet ex cantu comite, neque tamen aphorismi authoritatem inde elevari, quia *Hippocr.* non absolute commendavit ludicrarum desipientiarum securitatem, verum comparate ad eos quæ fiunt cum solicitudine: Deinde non toto morbi decursu, sed tertio solum die in ejusmodi risum erupit *Silenus*: Denique, etsi deliria jocosa ex se vacarent omni prorsus discrimine, aliis nihilominus funestis symptomatis conjungi possunt, qualia apparuere in *Sileno.*

Deliria circa res necessaria pessima sunt, apud *Hippocr.* in Coacis; potissimum circa aërem, cibum & potum: Nam talia deliria & signa sunt & causæ, *Signa* mentis multum divagantis, *Causæ* vero cur ægri eorum egestate

resolvantur,

resolvantur, sine quibus vita retineri non potest.

Obscura deliria vatera periculosiora sunt, ubi nempe ægri oratione quidem cohærente loquuntur, sed gestu, oculis, aut aliis sensibus aberrant, & quæ non sunt audire se, odorari; vel aliis sensibus se percipere affirmant.

Pessimum est transitus ἐκ συμπαθῶς εἰς τὸ φρενιτικὸν affectus sympathoci, in idiopathicum.

Delirium somno sedari utile est. aph. 2. propter edomitam à refluo calore delirii materiam, vel eandem mitigatam ab anathymasi somnifera; quod si materia maligńior fuerit quam ut evinci queat, somnus cerebrum implendo delirium auget.

Nonnulli e delirantibus subito resipiscentes, imo multo solertiores quam antea facti, postquam graves de humanis divinisque rebus habuerunt sermones, statim animam efflant.

Nam ex una parte remisso febrili calore, turbata compescitur spectrorum phantasticorum motio, hinc delirium desinit, ex altera vero moribundis nativus calor apponit conatus, hinc summa micat judicii claritas, sic lucerna extinctioni proxima flammas congeminat, & quotidie observantur ægri qui ubi sese recollegerunt ac restituti videntur, mox è vivis egredi. *Menjotus.*

Pro *signo lethali* in vulnere aut ulcere, vel gangræna in membro quodam externo incipiente *Delirium* passim habetur, quia denotat spiritus animales in parte affecta internecioni datos: Nec meliorem *Prognosin* symptoma istud in diu invaletudinariis, ac pene attritis supervenieus exhibet, In *febrium intermittentium* paroxysmis fere semper tutum est; In *continuis* vero dubii, & nonnihil suspecti est eventus; In *malignis* sæpius malum ominatur: In *morbis convulsivis* primi delirii insultus utplurimum periculo vacant, attamen ejus frequens accessio diathesin in Carum, Apoplexiam aut Paralysin non raro parit. *Willis.*

Delirii Prognosis ex ejus speciebus eruenda est, Sufficiat generale *Hippocr.* 2. aph. 33. theorema, *In omni morbo mente valere bonum*, Nam quo plures facultates offenduntur, eo res ægri pejore sunt loco: Adde quod mentis impotes Medicorum mandatis minus obsequantur. *Menjotus.*

37. *Somno demulcetur*) Fidissimo experimento comperimus multis ex Delirio vigilantibus profuisse inunctionem ex frigido *oleo violaceo*, superposito oxyrrhodino, *Lud. Mercatus Tom.3. Pr.l.1.c.11.*

38. *Decretorium est*) Deliria observantur quandoque esse critica, nam Hippocr. p. 12. *sect.* 6. 6. *Epid.* ita statuente, *Non modo laterum dolores sed etiam febres delirantibus cessant*; Sic Meton (*Æg. 7. sect. 3. t. Epidem.*) ex morbo acuto judicatus, per quem à delirio immunis fuerat, sine febre per aliquot dies deinde desipuit: Quanquam enim juxta consuetas naturæ leges salutaria humorum transmissio fieri debeat è particulis nobilioribus atque validioribus ad ignobiliores & debiliores, tamen sicut in bonum universi gravia interdum ascendunt & levia descendunt, ita quandoque legitimus ordinariæ ἀξίωσις, modus in hominis commodum à natura corporis nostri gubernatrice invertitur, *Morbi*, inquiebat *Hippocr.* 2. *de nat. h. t. à robustis membris ad imbecillima transmigrantes*, ægre discutiuntur; qui vero ex infirmioribus ad valentiora permeant superantur facilius, quod affluentes humores partium robore excluduntur, vel, ut mavult *Galenus* comm. in loc. cit. concoquendo & digerendo absumantur; quare, non per sarcasmum (veluti simul & semel homo de medio tolleretur, juxta vulgatam loquendi formulam qua ægrum dicimus à malis omnibus liberatum ubi fato cedit) non inquam, per ironiam sed vere edictum istud à Medico Legislatore sancitum est 6. aph. 16. *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium solvit*: tremores enim indicant materiam febrificam per nervos ad cerebrum evehi, delirique adventus salutaris esse, ac causæ mederi potest, *Menjotus.*

39. *Curatur 1. Revulsione*) Delirium febribus *continuis & malignis* superveniens peculiarem medendi rationem postulat; namque imprimis indicat materiam morbificam versus caput periculose translatam exinde quoquomodo revelli debere; In quem finem *vesicatoria* cervici, *Emplastra* aut *cataplasmata*, aut *animalium carnes*, aut *viscera calentia* pedibus admoventur: Intus *cephalica* temperata, uti pulveres *è corallis & margaritis*, aqua *cerasorum nigrorum*, *flor. paralys. papaveris*, aliaque spiritus resocillantia ac demulcentia propinantur. *Willis.*

40. *Fervoris sanguinei*) Spiritus animales nimium agitatos, & objecta externa, ipsumque ægrum, vertigine correpta repræsentantes, ad tranquillitatem reducunt *anodyna*, & potentius *narcotica*, minore quantitate ac per intervella assumpta, E. g.

℞. *Aqu. flor. tiliæ* ℥iiß.
antiparalyt. aut antepilept. cujusvis ℥j.
laud. op. grana iij. *syr. stach.* ℥j. *m.*

detur cochlear unum donec corrigatur Vertigo. *Franc. Sylvius pr. l. 1. c. 7.*

41. *Diaphragmatis imprimis*) Vide inferius caput *de Phrenitide* & l. 3. de ejusdem Tumoribus.

42. *Tum respiratio est inæqualis &c.*) Paraphrenitis ex septi inflammatione orta parvam habet *respirationem & frequentem*; Parvam, quod diaphragma inflammatione obsessum non potest facile extendi & dilatari, frequens vero ob necessitatem, ut frequentia parvitas compensetur, *Vox* est acuta, quia respirationis organum est impeditum: In vera vero phrenitide gravis, ægrique admodum vociferantur: *Hypochondria* sursum sunt revulsa, juxta *Hippocrat.* in Coacis, quia septum inferiori parte tegitur membrana à peritonæo mutuata; atque ita dum inflammatur peritonæum retrahit, & cum peritonæo hypochondria. *Riverius.*

43. *Delirium cum tussi*) Et aliquando cum Risu, cujus causas vide l. v. Tit. 12. cap. 2. artic. 2. §. *fuere qui continuo risu*) ubi expenditur prognosticum *Hippocr.* an Deliria cum risu sint cæteris tutiora.

APPENDIX.

De Stupiditate, sive Morosi. ex *VVillisio.*

Stupiditas sive *μώρωσις*, etsi potissimum ad *Animam Rationalem* spectat, atque *Intellectus & Judicii defectus* significat, non improprie tamen inter morbos capitis, seu τῆς ἐγκεφάλου recensetur, in quantum scilicet ista Animæ superioris eclipsis ab *imaginatione & memoria* læsis procedit, ipsiusque cerebri vitiis dependet.

Animam rationalem, in *sensitiva* sive *corporea* subsistere, ejusque sedem quasi principem *imaginationem* esse, porro ab *hac*, & *memoria* rerum omnium, quas *mens* speculatur, aut notiones ipsas, aut earum occasiones suppeditari ostensum est; Quapropter si quando has functiones corporeas deficere aut inhiberi contingit, proinde *Intellectus* acies, quasi oculis ejus obvelatis, hebetari plurimum, aut penitus offuscari solet, Itaque ut *Stultitia & Stupiditatis* pathologia rite tradatur, imprimis inquirere oportebit qua ratione, & quibus causis *Imaginatio & Memoria* sæpe deficiunt, vel præpediuntur.

Super his ut methodicè procedatur, huc referri debent, quæ de *Animæ corporeæ functionibus* earumque *subjectis*, & *instrumentis* suprà disseruimus, *Imaginationis* sedem *corpora callosa*, sive *cerebri meditullium*, atque *memoriæ cerebri corticales medullulas*; porrò utriusq; *organa immediata*, esse *spiritus animales*, fusè declaravimus: Quamobrem quod *potentiis* istis (quæ functionis cujusque alterius, scilicet tum *rationalis* tum *sensitivæ*, primi aut præcipui *Elateres* sunt) præpeditis, *mentis imbecillitas* & *hebetudo*, *tarditas ingenii*, *stupiditas*, ac ipsa demum *amentia* sæpenumero oriuntur, in culpa sunt, aut *cerebrum ipsum*, aut *spiritus animales*, aut *utraque simul*, atque *prius* modo *hi*, modo *illud*.

Primò quoad *spiritus animales* cujusmodi illi ex propria & genuina indole esse debent, & quales ob diathesin præternaturalem in *Phrenitide*, *Melancholia*, & *Mania* existunt, satis fusè declaravimus: Verùm insuper (quod suprà innuimus) suspicari licet, *spiritus* istos interdum particulis activis ferè destitutos, quasi *vappidos*, & effœtos fieri; nempe cùm *particulæ spirituosæ* præpollere, atq; sibimet *salinas volatilisatas* consciscere deberent; in *stupiditate* tum hæ utræque tùm *sulphureæ* nimis depressæ, *aquosis* vel *terrestribus* immerguntur penè, ac obruuntur: Enimvero *Fatui* non tam *rudi crassaque Minerva* quàm *Anima* præditi esse videntur; eorumque *spiritus animales*, potius quam *præcordia* ex luto effingi: Plures sunt *occasiones*, sive *causæ evidentes*, quibus *spiritus animales* texturam adeò levidensem acquirunt; quarum præcipuas mox attingemus.

Secundò Attamen haud frequenter evenit, *stupiditatem* mera *spirituum*, aut ipsius *animæ corporeæ* culpa solitaria excitari; quin sæpius *cerebrum* ipsum potius, aut prius in culpa esse reperitur: Quippe cum plura sint requisita, quibus *hoc* peridoneum functionis animalis subjectum sive machina constituatur, si forte eorum quodlibet aut deficiat, aut depravetur, facilè sequitur taliter affectos ingenio minus pollere.

Primò vulgaris observatio est, *indolem* ac *ingenium* nonnihil à *capitis*, & consequenter à *cerebri ejus magnitudine*, & *figura*, *pendere*; nam quoad *molem* ejus, in Adagio est, *cerebrum parvum*, aut *nimium stoliditatem* arguere: Et quāvis hoc non semper, attamen crebro sic evenit: Cujus ratio est, quoniam in *parvo cerebro* pauciores tantum spiritus gignuntur, exercenturque; *grandius* autem, textura plerumque viliori constans, mentis acumini minus accommodum existit.

Secundò Cerebri figura genuina & optima, *globosa* esse debet, sc. in eum finem, ut spiritus æquabili effluxu à meditullio ejus quaquaversus in ambitum diffundantur, & illinc æqualibus ubiq; reflexionum angulis retorqueantur: Veruntamen qui *capite depresso*, vel nimis *acuminato*, aut aliàs improportionato insigniuntur, ut plurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur; ejusmodi namque *Cerebra*, tanquam *specula distorta*, rerum species non rectè colligunt, nec *Animæ rationali* eas verè objiciunt.

Tertiò Substantia Cerebri sit bene *temperata*, & laudabilis texturæ; nec tantùm quoad caloris, & frigoris, siccitatis & humiditatis qualitates; verùm systasis ejus, *sale volatili* & *spiritu* copiosis cum modica reliquorum proportione constans, sit *tenuis* & *aërea*: ut *spiritus* facilè totum trajiciant, & sibi tractus procudant; simulque mediocriter *firma* & *compacta*, ut tractus & meatus excusi permaneant, nec statim à partium nimis mollium subsidentia deleantur: In *stupidis* verò suspicari licet, modo in *cerebro* qualitatis cujusdam manifestæ, uti imprimis humiditatis, aut frigiditatis excessum, propter quam rationem *pueri* & *senes* sensuum hebetudine sæpius affici solent; modo *texturam* nimis crassam, & terrestrem esse, proinde ut spiritus non facilè ipsum irradient, aut sibi tractus procudant; nempe haud plusquam lucis radii, corpus opacum penetrare possint: Hujusmodi *levidensi cerebri textura rusticorum* & *agrestium nati*, quasi ex pejore luto formati, crebrò obnoxii sunt; hinc in quibusdam familiis multas retrò progenies recolendo, vix unum sagacem aut sapientem reperire datur: In quibusdam locis cœli ac aëris influentia, incolas ad stupiditatem inclinare perhibetur; ita in *Bœotia nasci* in Adagio idem est ac *fatuum esse*.

Quartò præter hæc *cerebri vitia*, quæ ut plurimum *originalia* & connata sunt, nonnunquam *mala* ejus secundum poros, & meatus *conformatio*, propter inordinationes quasdam *acquisita*, in causa est quod functio animalis minus ritè excolitur: Nam primò quod attinet ad *cerebri meatus* & *poros minores* (quos ipsi spiritus per totam ejus compagem ubique procudunt, inque iis pro functionum animalium exercitiis perpetuò scatent) nonnunquam accidit hos aut *deficere*, aut *perverti*, proindeque *mentis hebetudinem* aut *morosin* accersi: Spatiola hæc *deficiunt*, in quantum cerebri consistentia, aut obdurata, aut fluida nimis, ea debito modo procudi, aut permanere non sinit: Cæterum *meatus* illos *perverti* suspicamur, vel quatenus nimis *laxi*, vel *constricti* sunt, vel quatenus eorum *conformatio inæqualis* est: *Pori* nimis *stricti* materiam pro spirituum copiis haud satis uberem admittunt; suprà modum *laxi*, una cum materia ista, particulas heterogeneas, & regimini animali infestas excipiunt: *Inæqualiter conformati* videntur, siquidem patentiores sunt in una parte cerebri, & angustiores in alia: Propter hanc causam putamus esse, quod nonnulli res satis *rectè sentiunt*, sed *malè* semper *judicant*; quippe notiones eorum, & conceptus, velut *species visibiles medium diversimodum* pertranseuntes, distorti evadunt: Porro fortasse ob hanc rationem contingit, quosdam *imaginatione* & *phantasia* satis pollere, ac in *memoria* plurimum deficere, & alios è contra.

Tertiò interdum accidit *utrasque has moria causas conjunctas* simul concurrere, nempe quod tum *spiritus animales* hebetes ac torpidi, tum *cerebrum malè conformatum* fuerit, Et revera quæcunque pars prior in culpa est, brevi alteram pariter ream facit: Quippe cum *spiritus* obtusi ac inertes cerebrum haud liberè trajiciunt, *pori* & *meatus* in eo vel non satis procuduntur, vel denuò coalescunt; atque *spiritus*, si ob malam *cerebri* structuram satis expandi nequeunt, ipsi tandem segnes & otio obtorpescentes diathesin vitiosam acquirunt.

Hæc de *Moroseos causis conjunctis*: quod ad *procatarcticas* & *evidentes* spectat, plures sunt *προφάσεις* & *occasiones* propter quas prædictæ labes *cerebro*, aut *spiritibus*, vel simul *utrisque* inferri solent.

Primò enim *stupiditas* (prout modo observavimus) interdum *originalis* sive *connata* est; & sic vel *hæreditaria*, uti cùm stulti progignunt stultos; cujus ratio satis patet, iisdem nempe particulis effœtis, ad constituenda *organa Animalia* in *filio*, quæ fuerant in *patre*, confluentibus: Vel *stupiditas congenita* quasi *accidentalis* est, nempe frequenter accidit sapientes, & summè ingeniosos, insulsos ac bardos progignere: quod ob hanc causam ita interdum fieri putamus, quatenus parentes literarum studiis, immo & lectioni aut meditationi nimiis dediti, spiritus animales Cerebri hospites in tantum impendunt, ut pro supplementis eorum, generosissimæ sanguinis particulæ usque ad *ἐγκέφαλον* accersantur, paucioribus tantum, & tenuioribus ad *corpora spermatica* descendere permissis: Quando *Anima rationalis* de fœtu suo (qui intellectus opera sunt) edendo maximè solicita est, tunc *Anima corporea* (spiritibus in alterius obsequia vocatis) aut minus aut imbecillius prolifica evadit.

Præter hanc rationem insuper alia nimis frequens occurrit, quare *hominum* æquè ac *brutorum* indoles primigenia

genia à *parentibus* ad *liberos* non sæpius propagatur: Nam cum *Equos* generosi, aut *Galli* pullos tam certo *patrissare* prævidimus, ut proinde statim magno pretio veneant, & horum virtutes, siquidem victu inordinato, & præter-naturali non abrumpuntur, longa serie ad seros nepotes descendunt, hoc sæpe aliter in *homine* contingit, nempe quod *parentes* intemperantia & luxuria, & malis motibus corpora sua ita infirmant enervantque, propterea ut natos non nisi languidos aut valetudinarios gignant. Hinc ut plurimum qui parentibus senio fractis, aut nondum ætate maturis, aut ebriis, aut mollibus, aut effœminatis nascuntur, ingenio magno & liberali carent; Nec minus facultatis animalis detrimentum iis accidit, quorum satores *malis cerebri affectionibus*, uti *Paralysi*, *Epilepsi*, *Caro*, *spasmis* & similibus obnoxii fuerunt, ita ut ex parentibus nasci, quibus *mens sana in corpore sano est*, patrimonio amplissimo longè præstet.

Secundo Plures sunt *causæ evidentes*, quibus *stupiditas* nonnullis originaliter sanis induci solet: Quidam prius solertes & ingeniosi, mera ætatis declinatione, sine magnis in victu erratis, sensim hebetiores, ac demum insulsi evadunt; quatenus minuitur *sanguis* & *liquor nerveus* (quorum dyscrasias *spiritus animales* subsequuntur) tanquam vina quædam, aliique liquores fermentati, post fermentationem perfectam à vigore decedunt, & paulatim quasi in vappam degenerant: Enimvero observare est, quorundam ingenia, juxta ætatum suarum periodos, varia incrementa & decrementa suscipere: Novi plures in *pueritia* sagaces admodum, & summè dociles, ut literatura & discursu suo quosvis in admirationem raperent, qui postea Adolescentes obtusi & hebetes evaserunt: quique prius erant forma pulcherrimi, postea nihil venusti aut decori in aspectu referebant: Pariter è contra non raro evenit, multos primo indociles, literaturæ prorsus ineptos, ac vultus inconcinni videri, qui ubi ex ephebis excesserunt, eximia mentis acie, & formæ nitore pollent: *Prioris* ratio est, quod *ingenium præcox* instar *fructus horarii* haud diu in eodem statu permanet, quin citò declinans brevi emarcescit: Quippe in omni mixtione & concretione ritè facta requiri videtur, ut progressus *à cruditate* ad *maturitatem* leniè & paulatim fiat, hoc est, elementa activa imprimis haud cæteris emineant, & supra modum præpolleant, quin iis obvoluta paulatim emergant ac sese exerant; secus enim ab initio liberaliùs, & soluta facilè avolabunt, subjectum suum effœtum ferè ac vappidum relinquentia; Quapropter de *pueris*, qui primis annis paulò hebetiores videntur, spes erit eos postea, cum cerebri temperies (evaporata humiditate superflua) maturatur, satis ingeniosos fore.

Tertio interdum magna *capitis plaga* aut *contusio*, præsertim quæ casu præcipiti ab alto contingit, facultatis [illegible] is noxam & debilitatem infert: Novi quosdam egregiè literatos, atque summi acuminis ac judicii homines, qui fortuitis hujusmodi casibus superstites, postea hebetes & crassioris ingenii fuerunt: Vulgo dicitur [illegible] affectorum *cerebra subversa esse*; & quidem vehemens cerebri concussio, affluxos spirituum tractus & orbitas valdè pervertit, & non raro comprimit, aut occludit, proinde ut *memoriæ* & *imaginationis* actus in posterum ægrè, aut perpetam obeant; adeo ut nonnulli à plaga fortiori capiti inflicta *bardi* prorsus & amentes evaserint.

Quarto Frequens *ebrietas* & *crapula*, præsertim si poculis indormiant somno vinoque sepulti, quorundam ingenia plurimum labefactant, & rationis usum infirmant, quatenus nempe hoc modo pori & meatus cerebri [illegible] untur nimis, iisque corpuscula heterogenea & [illegible] animali valde inimica introducuntur: Ob similem [illegible] rationem frequens *opiatorum* usus quibusdam mentis aciem valde perstrinxit.

Quinto Violentæ ac *subitæ passiones*, quales imprimis sunt improvisus atque immanis *terror*, aut tristitia vehemens, nonnullis vecordiam intulere; proinde ut sensa animi verbis exprimere, aut actiones vitæ familiares vix obire potuerint: Quod certè accidit, in quantum *spiritus cerebrum* incolentes, propter talem occasionem plurimùm dissipati, & ab invicem distracti, priora motuum suorum vestigia postea repetere nequiunt: pariter ac milites à subito ac violento hostis incursu fugati, ordines & stationes suas haud facilè recuperant.

Sextò Observare est, quosdam homines propter *morbos cerebri* inveteratiores etiam *Morosin* contraxisse: In *Epilepsia* gravi, & diuturna hoc frequenter accidit, in quantum hic affectus *cerebri medullam* occupās, poros & meatus omnes, ob spiritos ibidem crebro & vehementer explosos, pervertit, & fæculentiis infercit adeò impletq; ut spirituum tractibus occlusis *sensuum motuumq;* internorum actus inhibeantur, Novi puellam primo indolis acutæ ac vividi ingenii, quæ postquam *morbo comitiali* diu laborasset, *morionem* evasit: Porrò *stupiditatem Paralysin* comitari, aut præcedere in pluribus notavi, (prout supra innuimus capite de *Paralysi*, nempe eadem materies quæ in *corpore striato resolutionem*, in *calloso* aggesta, si non *Apoplexiam*, aut *Carum*, sæpe *morosin* accersit.

Morbi hujus *differentiæ* plures occurrunt, & primò inter *stultitiam* & *stupiditatē* vulgo distingui solet, quod in *priore* affecti, res simplices satis dextrè & celeriter apprehendunt, ipque memoria firmè retinent; attamen ob *judicii* defectum, notiones malè componunt aut dividunt, & longè pejus aliud ex alio inferunt; Porro ineptiendo, & pleraq; sinistrè aut ridiculè agēdo, & loquendo risum adstantibus movent: E contra *stupidi*, propter *imaginationis* ac *memoriæ*, æquè ac *judicii* defectus, nec bene, nec celeriter apprehendunt nec bene arguunt; insuper non, uti priores, nugando & gesticulando, sed bardè ac insulsè; & velut more asinino se gerunt; proindeque horum *simplicitas miserabilior*, quia adeò *morbum vultu incessuque fatentur*: In *stultitia*, videtur quod *spiritus animales* aliquantum agiles, sed minus firmi, atque tractus breviores tantum, & obliquiores nacti, non æquabili, & constanti irradiatione cerebrum trajiciunt; sed *desultoriè*, modo huc, modo illuc excurrentes, functionum animalium actus aut perfunctorios tantum, aut ridiculos obeunt: Verum in *stupiditate*, spiritus ex propria indole hebetes ac obtusi, inque cerebro crassiori ac minus pervio scatentes, pro regiminis Animalis muniis ritè peragendis sese exerere nequeunt.

Stupiditatis (cujus *Pathologiam* hic præcipuè tradimus) *plures sunt gradus*; quidā nempe quoad *res omnes*, alii quoad *aliquas* tantum capiendas inidonei habentur: Nonnulli ad *literaturam*, & *scientias liberales* addiscēdas prorsus inepti, ad *artes mechanicas* satis habiles existunt: Alii utrarumq; harum licet incapaces, *Agriculturam* tamen & *res rusticas* facilè comprehendunt: Alii, ad negotia ferè omnia inhabiles solummodo quæ ad *victum* & *communem vivendi usum* spectant edoceri possunt: Alii, merè blenni, vix quicquam omnino intelligunt, aut scienter agunt.

Ad *Prognosin* quod attinet, *stupiditas* ab ortu contracta, sive *hæreditaria*, sive ob causas ignotas accidens, si ad pubertatem usque persistit, ferè nunquam sanatur: quandoque tamen evenit *pueulos* primò *hebetes*, ac ferè insensiles, ob maturatas postea tum *cerebri* tum *spirituum crases*, satis *ingeniosos* & *dociles* fieri.

Morbus à *causa evidente solitaria*, uti capitis noxa, aut passione violenta excitatus, qui etiam *Epilepsiæ* inveteratæ superveniens, si aliquamdiu perseverat, postea incurabilis est.

Quæ *Lethargo*, aliisque morbis soporosis succedens, à memoriæ læsione imprimis dependet, nonnunquam affectibus istis curatis, sponte evanescit: Si quando igitur in his casibus *stupiditatis* curatio instituitur, eadem ferè medendi methodus & remedia, quæ pro *Lethargi*

Indicatione præservatoria præscripsimus, hic conveniant: quorum scil. præcipuæ *intentiones* erunt, ut *Spiritus Animales* torpore quovis & narcosi immunes intra *cerebrum translucidum* poros & meatus procudant, inque iis rite expandantur.

Interdum *febris* quosdam stultos & stupidos sanavit, & acutiores reddidit: Refert *Huartus* quendam *Corduba* in Aula Regia *fatuum*, cum *febre maligna* afficeretur, in medio morbi ad tantum judicii & discretionis acumen pervenisse, ut universam Aulam in admirationem raperet, & toto vitæ, quod reliquum habuit, tempore prudentissimum perstitisse: Novimus & nos quendam obtusi & planè *Bæotici* ingenii, qui in febre delirans, dicteria acutissima, & plurimo sale condita celerrimè promebat: Porrò suprà narravimus, *senem Generosum* memoriæ, & proinde discursus usum amisisse, qui ab intemperie febrili postea accedente juvamen maximum recepit; quorum ratio videtur esse, quod æstus febrilis caliginem cerebro obductam quandoque rarefaciat & dispellat.

Quod itaque spectat ad *morbi hujus Therapeiam*, *Stupiditas*, sive innata, sive acquisita (si non plane *amentia*, sive *stoliditas*, eruditionis omnis incapax, fuerit) quamvis minimè curari, sæpe tamen emendari solet; Quapropter danda erit tum *Medici*, tum *Præceptoris* opera, quo taliter affectis ingenium nonnihil expoliatur: illique, ad *rationis* saltem aliquantulæ usum perducti, à *Brutorum classe* eximantur.

In hunc finem quoniam *Bardi*, aut hebetiores, communes rerum notiones, haud promptius quàm puerili prima vocis elementa discunt, idcirco à magistro assiduo, & maximè sedulo in omnibus instituendi, eædemque res iterum, iterumque inculcandæ sunt; Hac enim ratione, spiritus, etiamsi segnes & torpidi, à perpetuo exercitio aliquatenus acuentur; illique perpetim incitati, in cerebro utut rudi & crassiori, tractus sive ductus quosdam, licet imperfectiores, pro expansione sua tandem procudent: Hæc quo felicius, & facilius succedant, etiam *remedia Medica*, quæ *sanguinem*, ac *liquorem nerveum*, una & *spiritus animales* purificent, ac volatilisent, necnon quæ *cerebrum* clarificent, & quasi diaphanum reddant, exhiberi debent.

Ad *sanguinem depurandum lenis purgatio* interdum, & *sanguinis missio* in parva quantitate, si vires ferant, crebra vice celebrentur; propterea item, ac insuper ad fæculentias à *Cerebro* derivandas, *fontanella* conveniunt in *brachio*, vel in *crure*, vel simul in utrisque: *Obesis*, & *capite humidiore* præditis expedit nonnunquam binas juxta homoplatas incidi; Putto huc facit, quod nonnulli *trepanationem* (quo nempe cerebrum liberius transpiret, & evaporet) laudibus immensis prædicant: Victus sit levis & attenuans, habitatio in cœlo liberiore, & sicco, somnus moderatus.

Postquam hæc aliquamdiu ordinariè, & solenni ritu adhibita sunt, si adhuc *lævam parte mammillæ nil salit Arcadico juveni*, frustra erit ulteriori *pharmacia* operam ac oleum impendere; sin verò ab illorum usu emolumenti signa, aut spes aliqua apparebunt, interdum ex re fore videtur, *remedia alterantia* horis medicis quotidie per longum tempus sumenda adjicere: Horum *formula*, ex *pharmaceutica* nostra ad tollendas affectuum plerorumque cephalicorum procatarxes superius tradita, desumi possunt: porrò insuper, quæ hunc casum peculiariter respiciunt, *recepta* quædam *magistralia* hic addere visum est.

℞. *Spiritus armoniaci succinati* ℥vj. *dentur gut. 15. ad 20. vesperi & primo manè in aq. destill. sequentis coch. iij. superbibendo ejusdem coch. 7.*

℞. *Foliorum Visci pomorum recentium M. vj. Salviæ minoris, Roris marini, Saturejæ, Serpilli, Calaminthæ, Pulegii, Majoranæ, Erucæ majoris, an M. iv.*
Rad. Angelicæ, Imperatoriæ an. ℥. vj.
Zedoariæ, Galangæ minoris, Calami Aromat. Cort. Winterani, an. ℥ij. *Caryophyllorum, nucis moschat. Maceris, Cinnamomi, Zinziberis an.* ℥j. *Cubebarum, Cardamomi, granorum Paradisi an.* ʒvj.
omnibus minutim conscissis & contusis affundo vini canarini optimi l. 12. digerantur frigide & clauso vase per tres dies, dein destillentur s. a. liquor totus misceatur, edulcorandus sacharo inter utendum, dosis ℥ij. *vel iij.*

Post usum *spiritus Armoniaci* per 15. vel 20. dies, alia medicamenta circiter idem temporis spatium vices suas habeant, cujusmodi sunt sp. *fuliginis, C. C. cranii humani, Tinctura Coralli, Antimonii, Castorei, Succini, Elixir vitæ Quercetani, Elixir Proprietatis, Spiritus Lavendulæ &c.*

Vel ℞. *Conserv. Florum Lilior. convall.* ℥vj.
Rad. Acori veri condit. ʒvj. *Zinziberis in India condit. nucis moschat. condit. an.* ℥ß.
Specierum Diambr. ʒij. *Ligni Aloes, sant. Citrin. rad. Zedoariæ select. Cubebarum, piperis Jamaicensis an.* ʒiß. *Coralli præpar.* ʒij. *Syrup. conditura Zinziberis q. s. f. Electuarium Dosis,* ʒij. *mane & vesperi superbibendo Aq. destill.* ℥iij.

Quibus cerebrum nimia humiditate scatet, omni manè propinetur *haustus coffee*, cum *foliis salviæ prius incoctis*; Quibus spiritus animales effœti nimis ac inopes sunt, *potus Chocolatæ*, qualis supra describitur, utilis videtur: Pro potu ordinario paretur *Alla*, aut *Cerevisia* tenuis, & doliolo iij. vel iv. congiorum capaci, post fermentationem imponatur sacculus sequens.

℞. *Foliorum salviæ acutæ siccat. m. iv. Cubebarum* ℥j. *Caryophyll. Nucis moschat. incis. & contus. misce f. a.*

Applicationes externæ hic locum habent; cujusmodi sunt *Cucupha*, sive *pilea*, *Emplastra*, & *Linimenta*, atque modo hæc, modo illa, vel ista adhibeantur.

℞. *Florum Liliorum convall. anthos stœchados an. m. j. spicæ celticæ* ʒij. *Rad. Cyperi, Galangæ minoris, Iridis florent. an.* ʒiij.
Labdani, Benzoin. Balsami Tolutani. succini an. ʒij.
Nucis moschat. Caryophyll. Macis, Cinnamomi. an. ʒiß. *f. omnium pul. subtilis pileo cum bombace interpassatum insuendus.*

℞. *Emplastri floris unguent. dicti* ℥ij.
Tachamahacæ, Carannæ, Balsam. Tolutani, an. ʒ iij.
pul. succini, myrrhæ, an. ʒij.
Caryophyll. Nucis Moschat. Maceris an ʒj.
simul liquefacta conficiantur in massam, è qua formetur Emplastrum, super alutam extendendum, & capite raso applicandum.

℞. *Olei Palmeti* ℥ß. *Capivi* ʒiij.
Balsami Peruviani ʒj.
Olei Nucis Mosch. per expressionem ʒij.
Olei succini ʒß. *f. linimentum pro capite.*

Possim hic multa alia medicamenta, & administrationum modos adjicere; verum in casu ferè desperato, ubi sæpissime remedia nulla prodesse solent, & curatio nunquam perficitur, hæc sufficiant. *Willis.*

Cap. XVI.

De Phrenitide.

I. P*Hrenitis est*[2] *delirium*[3] *perpetuum & continuum,*[4] *ab inflammatione membranorum*[7] *cerebri exortum,*[6] *cum febre continua affligens.*

7. *Signa* sunt, delirium perpetuum, febris continua, vigiliæ perpetuæ[8] respiratio parva & frequens.

9. *Causa* est[10] inflammatio membranarum cerebri, de qua hoc libro superius egimus.

1. *Phrenitis*) φρὴν, ἡ, Græcis mens est, quamvis utplurimum in plurali dicant φρένες, Hinc φρενῖτις, φρενιτικῶς, (unde φρενιτίζω καὶ φρενιτιάω) in lata quidem significatione est quodvis delirium; in propria autem & stricta, *Delirium perpetuum cum febre acuta*, 1. *Prorrh*. 1. Quo loco notandum venit, cum delirium non est perpetuum, ut in febribus quibusdam, Paraphrenitim dici, aut παραφροσύνην, & qui ita affecti sunt, παράφρονας dicuntur, παραληρεῖν, παραφρονεῖν, παρανοεῖν &c. *Hofmannus Instit. l.3.c.52.*

Nomen habet Phrenitis, apud Græcos ἀπὸ τῆς φρενὸς, quod in ea ἡ φρὴν νοσεῖ, quam vocem Latini, ob linguę penuriam civitate sua donarunt: Perperam vero id ipsum fieri, & antiquos inflammationem meningum, aut ipsius cerebri vocasse *sphacelismum* aut *sphacelum* ostendit *Etmuller* Pr.p.2.p. 126. (vide supra cap. de Delirio §. *Diaphragmatis inflammatio*) In genere omnem sapientiæ ægritudinem denotare suevit, sive sit cum, sive sine febre. *Laur. Straussius Pal.Med.Gymn.1.Part.1.*

1. *Phrenitis est Delirium perpetuum &c.*) Sic definit *Straussius l. c.* cum *Rolfinkio*, Est desipientia continua cum febri acuta, proveniens ab accensione spirituum animalium cerebri & meningum, introducta à tumore calido earundem.

2. *Delirium est*) Sic describitur *Menjotio*, Delirium in genere definiri potest *Notabilis mentis depravatio, imaginationis errore prognata*, Dicitur *Notabilis depravatio*, mens enim extra rationis semitam paulisper abducta non dicitur delirare, cum homines citra desipientiam multa sæpe aut præpostere ac imprudenter vel præstent vel loquantur, quomodo Musici, Poetæ? Pictores, non desipientes sed phantastici vulgo vocitantur, quasi in confinio delirii & sapientiæ positi: tantumque differunt à delirantibus quantum homines boni ac simplices a fatuis discrepant: Additur, *imaginationis errore prognata*, ut distinguatur ab æstibus procellosis appetitus sensitivi, rationem demergentibus.

3. *Perpetuum & continuum*) Addunt vulgo jugem esse phreniticorum desipientiam, etsi modo increscat, modo decrescat, pro majore aut minore phreniticæ bilis exacerbatione, at παραφροσύνη per intervalla intra rationis septa reverti, quod in febris laxatione, si quæ evaporatio conscendat sursum, ea & parcior sit & mitior quam ut mentem transversam agere valeat; At signum istud sublestæ est fidei, quia febris continua tam intensa succendi potest, ut in suis quoque remissionibus halitum χολώδεις ἀτμοὺς ad caput evehat, Deinde quia si febris eodem currat tenore, ut synochus ὁμότονος, ac multo magis si vires eundo acquirat, ut ἐπακμαστικὸς, perennem excitari παραφροσύνην non impossibile est: Usu tamem quotidiano compertum est non paucos febricitantes plurium dierum ac interdum septimanarum spatio sympathica desipientia detineri, *Menjotius*.

3. *Est Delirium perpetuum & continuum*) Phrenitidis ratio formalis in eo consistere videtur quod spiritus animales, imprimis in toto cerebro plurimum irritati, in motus inordinatos, & valde confusos, simulque impetuosos adigantur, proinde ut functionis cujusque animalis actus depraventur & varie pervertantur, rerum ideæ simul plurimæ, è memoria suscitatæ, veteres cum novis, aliæque aliis male conjunctæ, aut divisæ mire confundantur, phantasmata multiplicia & pene innumera, eaque tantum incongrua, imaginatio suggerat, sensibilium species distortas, duplicatas aut incohærentes, sensorium commune repræsentet; hinc ut mens, & voluntas conceptus; & passiones nonnisi ridiculas & impertinentes eliciant, atque corporis actiones fere tantum irregulares edi faciant: Porro non tantum in cerebro, sed & in cerebello, & ubique in nervoso genere spiritus, velut œstro perciti tumultuantur; quare Phrenitici non solum delire loquuntur, sed inæqualiter respirant, vociferantur, pugnis cædunt, manus & pedes jactant, quin & membra quæque viribus intensis, cumque impetu validissimo exerunt, revera ut tota videatur Anima in toto corpore furiosa excandescere & debacchari, seu potius velut incendio correpta inflammari, Et quidem *Phrenitis* nullo modo aptius definiri potest quam quod sit *totius Animæ sensitivæ, sive spirituum animalium quoad totam eorum hypostasin, phlogosis sive inflammatio.*

4. *Ab inflammatione membranarum*) Certe verisimilius Phrenitidem à spirituum phlogosi potius quã à meningũ, aut Cerebri inflãmatione, quæ Cephalæam aut Lethargum certius quam furorem inserrent excitari: Incendium illud à spiritibus cerebri incolis semper incipiens, & exinde in reliquas animæ sensitivæ partes emigrans à sanguine, igne febrili prius æstuante; tum materiam primo incentivam, tum constans incendii pabulum accipere videtur, Enimvero probabile est sanguinem febriliter ardescentem, particulas interdum sulphureas una cum spirituosis cerebro offundere, quæ semiaccensæ, & quodammodo efflagrantes, si una cum alteris penetrarint, exinde mox omnes ductus medullares, & nervos subeuntes, spiritibus ubique adhærent, eosque adeo inflammatos, summe efferos & implacabiles reddunt, Et quidem ita fieri haud nostra tantum aut nova prorsus opinio est, verum *Hippocratis* præcipuus sectator *Pr. Martianus* idem expressis fere verbis statuit comm. in *lib. de morb.3.v.99.* ubi dicit Hippocr. vocare *Phrenitim, delirium cum febre, quod continuum est, & à firma & stabili affectione dependet, videl. ab inflammatione earum partium quæ Naturæ instituto & rationi & menti inserviunt; Ita enim spiritus animales, quorum vitio deliria fiunt, non simplici qualitate, quatenus incalescunt, sed etiam secundum substantiam alterantur*; Hic manifesto distinguit inter calorem & flammam, atque istum ratione *qualitatis*, & hanc respectu *substantiæ* alterationem esse statuens, *Phrenitidis* causam *spirituum inflammationi* plane adscribit; Eodem loco plura habet ad rem nostram facientia, nempe quod Phreneseos causa continens fuerit, non meningum sed spirituum inflammatio, quorum substantia siquidem *alteratur*, h. e. ignea facta est,

delirium adeo continuum excitatur.

Spirituum à sanguine in cerebro *productionem* distillationi chymicæ comparavi; de qua observare est, si liquor spirituo-sulphureus igne nimis intenso urgeatur, eum inter exstillandum quandoque ignem concipere, ac efflagrantem cum flamma aperta in alembicum ascendere: hoc de oleo terebinthinæ per se, aut cum floribus sulphuris rebullire quibusdam magno suo damno satis innotuit: Pariter opinari licet sanguinem intensius ardescentem etiam spiritibus de se exstillatis non raro incendium communicare; scil. particulas quasdam semiadustas cerebri poris insinuare, quæ in spirituum ductus omnes, tum ibidem, tum in appendice ejus irruentes, spiritus ubique accendunt, atque in motus pernicissimos, ac velut fulguratos cogunt. *Willis*.

5. *Cerebri*) Subjectum Phrenitidis juxta Veteres est Cerebrum, Τῶν γὰρ φρενιτίδων μάλιστα καὶ τοιάδε, verbis *Auct. lib. de morb. S.* estque actionum ἡγεμονικῶν, quæ in cerebro peraguntur αἰσθήσεως καὶ διανοίας, authore *Gal. 3. Epid.* id quod etiam plerique modernorum fere agnoscunt: Sic *Willisius* sedem phantasiæ atque memoriæ intra *globosam cerebri compagem* constituit, imo vero turbas istas non tantum in *cerebro*, sed etjam *cerebello*, & ubique in genere nervoso cieri docet.

Interea quoties cerebrum, non tam *denominationis*, quam *inhæsionis*, adeoque pars primario affecta determinanda venit, in diversas utrobique abiri solet partes.

Antiqui enim *cerebrum* cum suis *membranis*, præcipue *pia matre*, non exclusis quidem *spiritibus animalibus* adducunt; Recentiores vero non pauci cum *Willisio*, nonnisi *spirituum* modo dictorum *hypostasin* pro subjecto principali habendam esse propterea urgent; quod in dissectis quibusdam phreniticis nullæ in cerebro vel meningibus phlegmones notæ fuerint deprehensæ, sed potius illius *ventriculi*, aliæve partes *humore* quodam *aqueo & spirituoso*, imo etiam *cæruleo*, teste *Heurnio de morb. Pector. Conero, Neretio. in observ.* &c. statuerunt.

Verum cum plures etiam in contrarium observationes ex *Rhodio*, *Nic. Fontano*, *P. Parvio* aliisque allegati queant, nondum profecto discedere à sententiis Veterum audemus, sed ponius in vera quidem Phrenitide cerebrum & meninges, modo conjunctim, modo disjunctim semper à calido tumore affici, cerebrum vero, licet ob vicinitatem maxime incalescat, rarius tamen ejuscemodi tumorem pati censemus &c. *Straussius*.

6. *Cum febre continua*) Quod febribus non omnibus nec tantum maxime ardentibus Phrenitis supervenit, contingit quod cerebri claustra in tantum obserata esse debent, ut non tantum nihil extraneum iis suffundatur, sed nec sanguinis, utut summe flagrantis, & circum circa consitæ flamma intensior ea perrumpere valeat, quare nonnullis febre causo affectis, etsi cruor totius ardescit, torrentur viscera, æstuant medullæ, lingua & fauces velut à carbone vivo assantur, usque tamen cerebro firmiter occluso functiones animales sartæ tectæ perstant: Verum è contra aliis quibus cerebrum debilius, & nimis laxum est, atque sanguis plus debito sulphureus, non tantum à febre ardente sed interdum à mitiori visà Phrenitici evadunt: *Willis*.

6. *Cum febre continua affligens*) Tum Phrenitis, tum Paraphrenitis, quæ diaphragmatis inflammatio statuitur, uti & Pleuritis febrem habent comitem, quæ statuitur quasi tantum esset symptomatica, ab eadem causa conjuncta, sc. partis cujuspiam phlegmone exoriri perhibetur, Verum enim vero *Phrenesim* potius febri succedere, &c. quia sanguis effervescens recrementa sua adusta capiti transfert produci, *Hippocrate* olim, & nunc quisquam vel è plebe observat: In quantum scil. febricitantis urina, à turbida & crassa in tenuem & aquosam mutata, Phrenesim imminentem indicat; Cujus idcirco affectus causa exinde colligitur esse, *materiæ febrilis* in cerebrum metastasis *Willis*.

7. *Signa sunt Delirium &c.*) Imminentem indicantia sunt vigiliæ, somni turbulenti, sermo immodicus, urina primum crassa, mox tenuis & diaphana, calor capitis: Hæc enim indicant materiam calidam ad caput ferri: Oculi immutantur, quia læso cerebro spiritu animali destituuntur, Dolor circa occiput persentitur, quia venæ jugulares ad eam partem feruntur, & sanguinem biliosum refundunt, (*quia arteriis vertebralibus, sanguinem in caput invehentibus, una cum carotidibus illac iter est.*)

Præsentem Phrenitidem indicant *Delirium* assiduum, quia cerebrum indesinenter afficitur; *Vigiliæ* turbulentę, ab intemperie calida cerebri productæ; *Respiratio* magna & rara; quia Phrenitici respirare obliviscuntur; cum enim per oblivionem, aut maximam mentis occupationem ab infinitis phantasmatis, quæ in imaginatione delira repræsentantur, & spiritus animales avocant, rara fiat respiratio, magnitudine raritas compensatur (*Vide de læsa respirat. in phrenitide §. 8.*)

Sitis est nulla, aut exigua, quamvis præsentes sint causæ intensæ, quia mens ægrotat, & quia animales spiritus ob læsum cerebrum non mittunt radios sufficientes ad os ventriculi superius, ad quod sitis pertinet. *Pulsus* est parvus, quia cor compatitur, durus, ob membranam inflammatam; celer & frequens, ob magnam necessitatem ac nonnihil undosus, quia cerebrum affligitur: *Febris* continua, quia inflammatio cerebri necessario febrem accersit (*vel quia Phrenitis solarum continuarum est progenies*) *Lingua* aspera, & admodum nigra vel citrina, ob humores biliosos illius humiditatem absorbentes.

Hectica Phrenitis ex eo dignoscitur, juxta *Hippocr.* præceptum 1. Prorrh. t. 33. quod in ea delirium sit mite & obscurum, ægri non loquantur, & quieti maneant, atque dormire videantur, (vide §. 2.

Phrenitis vera à *Paraphrenitide* distinguitur ex eo quod affectus qui hanc producit multo citius manifestatur quam delirium, & eo ingravescente vel mitescente delirium intenditur vel minuitur, imo per vices intermittit, & non est continuum.

Causarum signa ex humoris in toto corpore prædominiu tum etiam ex modo delirii mutuati poterunt: Pallida enim bilis bilem efficit mitiorem, flava ferociorem, adusta ferocissimam; Sanguis vero biliosus omnium mitissimam, & cum risu conjunctam. *Riverius*.

Differt Paraphrosyne à Phrenitide, quod illa sympathica sit, hæc idiopathica; illa nunquam ἐσφοδρῶς infestet (nulla etenim datur exhalatio satis mordax ut ferinum ciear delirium) hæc ferociter sæviat, propter humoris biliosi feritatem: Illa derepente ingruat ac solvatur, hæc paulatim generetur, ac pellatur; Illa denique crebro nec ita perniciose aggrediatur, hæc rarissima existat atque exitialis: Addunt vulgo jugem esse phreniticorum desipientiam &c. *Monjonius*, vide supra *Perpetuum & continuum.*)

8. *Respiratio parva & frequens*) Delirantes sui negligentes sunt, nec eorum voluntas ante se erigit ad functionem quam acrior sensio excitata fuerit in phantasia per incrementum necessitatis, unde nonnisi impendente suffocationis metu respirant; hujusque respirationis raritas magnitudine compensatur, natura intermissionis dispendium resarciente, quod enim intenta alibi mens opus respirationis rarius exequatur, irati monstrant, & mœrentes & idiotæ ad spectacula suspensi, & amantes, quorum spiritus gemebundus

bundus est: Notandum autem non omni delirant *πνεῦμα* inesse *μέγα καὶ διὰ πολλοῦ*, *καθ' ὑπόθεσιν*, nimirum si magna fuerit ex spatiantis mentis *μετεωρίη*, visque movens robusta fuerit cum obedientia organorum spirabilium; potest namque tam parva esse mentis paulisper læsæ digressio, ut respiratio indelibata maneat; Potest quoque alia affectio delirio complicari, quæ ipso potentior sit ad pervertendum respirandi ordinem, ut virium jactura, & angustia dolorve in membris spiritalibus: his namque de causis cum pectus sufficienter distendi non possit, crebritas adjungitur, quæ magnitudinis defectum suppleat: Itaque vigente solo delirio spiritus magnus est atque rarus: urgente solo dolore partium thoracicarum, parva & frequens est respiratio, delirio & affectu dolorifico simul coeuntibus, spiratio inæqualis redditur, nunc magna & rara, nunc parva & frequens, pro alterutrius causæ dominio: quamobrem in libris Epidemicis multi ægri desipuisse leguntur, qui tamen spiritum magnum & ex longis intervallis non duxerunt. *Mercatus*. An delirantium respiratio ad obliviosam actionem referenda sit, vide supra caput de Delirio §. *Dividitur Delirium*.)

9. *Causa est*) Causæ *remotiores procatarctica* sunt *ætas juvenilis*, *aër æstivus*, usus *potuum generosorum*, in specie vini, quæ nos promptos reddunt ad Phrenitidem, uti fere hoc videmus in ebriosis: *Suppressa* itidem *sanguinis evacuationes* malum hoc inferunt. Sic ex lochiis puerperæ non rite curatis Phrenitidem obortam refert *Horstius l. 2. Observat. 25. & 26.* ubi & idem malum ex *suppressione hæmorrhoidum* notat. Hinc *animi pathemata*, inprimis *ira* pertinent, item *febres* inprimis malignæ, quæ plerunque ejusmodi deliria conjuncta habent. *Emmuller*.

Causa Evidentes aut *remotiores* sunt quæcunque res intemperiem febrilem excitare solent, ut crapula, ebrietas, corporis aut animi perturbatio vehementior, evacuationes solennes suppressæ, cum multis aliis; aut *proxima*, uti *febris*, ejusque *appendicula* & *adjuncta*, nempe si ea pestilens, maligna, aut mali moris erit; Si propter crapulam à cibis aut potu maxime incongruis oriatur, vel passionibus violentis, amoris, odii, invidiæ, indignationis aut tristitiæ, aut studiis immodicis succedet: Hujusmodi enim *πυρετοί* & sanguinem & spiritus animales febriliter æstuantes ad affectionem phreniticam valde propensos reddunt. *Willis*.

10. *Causa est inflammatio meningum*) *Phrenitidis & Paraphrenitidis* causas conjunctas non semper à *Meningum* & septis transversi inflammatione procedere facile erit ostendere: In dissectionibus Anatomicis sæpius vidi *meningas*, imo nonnunquam & *cerebri exteriorem* ambitum tumore phlegmonode obsessas, atqui laborantes minime *phrenesi*, verum è contra torpore affecti, à caro aliisque morbis soporosis interibant: Et quidem rem ita habere ratio plane dictitat; nam meninges inflammatæ, eoque magis tumidæ, Cerebrum valde compriment, & circa ejus ambitum spirituum ductus & vias occludent; proinde ut *vigilia* & *memoria* functionibus impeditis *Lethargus* (uti de facto liquet) necessario sequatur.

Attamen longe secus in Phrenesi, cerebri meatus & pori omnes pro spirituum excursibus ample nimis patere videntur; in quorum scil. ex ultimis, simulque omnibus *Memoria* thecis species reconditæ suscitantur, quæ sibimet invicem aliisque à phantasia & sensorio communi tumultuarie suggestis occursantes notiones adeo multiplices & maxime confusas pariunt: Tantum abest animæ sensitivæ intra *ἐγκέφαλον* expansionem (quam certe meningum inflammatio efficeret) angustari, ut potius supra modum dilatari, & cerebri poris omnibus reseratis, ultra solitum ambitum efferri videatur: Eveniat forsan à diuturna istius morbi mora sanguinem intra meningum vasa copiosius aggestum, ibidemque stagnantem, demum in iis phlegmonen parere, sed tunc propterea suspicamur (quoniam ita crebro assolet) Phrenitida in Carum, aut Lethargum transire, à quibus nimirum crebro emoriuntur Phrenitici.

Nec minus rejicimus *Diaphragmatis inflammationem*, quam Paraphrenitidis causam *Galen.* olim, hunc reliqui Medici assignarunt: Observationes Anatomicæ hujus oppositum plane evincunt, Puellæ leipothymia subita interemptæ cadaver dissecantes, in carnosa Diaphragmatis parte abscessum magnum, cum cysti sanie & vesiculis aquosis impleta reperimus, nec tamen unquam illa delirio aut phrenitide tentari solebat: Viri Illustris à pleuritide spuria & diuturna defuncti cum anatomen faceremus, manifesto liquebat abscessum magnum in pleura & musculis intercostalibus suppuratum, ac internos disruptum puris copiam in cavitatem thoracis profudisse, quod diaphragma substratum corroserat, qui in tota ægritudine nec delirans nec phreniticus fuit: Quare hunc affectum vix unquam à tali causa produci arbitror.

Verum opinio isthæc inde nata videtur quod sæpè in vera Phrenitide, cum desipientia continua Diaphragmatis motus impediri aut perverti solet; uti colligere est ex respiratione inæquali & difficili, scilicet modo anhela, & quasi suspensa, modo crebra & celeriter repetita; cum inspiratione interdum duplicata; cujusmodi symptomata, simulque mentis alienatio, dicuntur à septo inflammato, & ideo convulso procedere; quamobrem antiquiores diaphragma *φρένας* appellabant: Verum his non opus fuerat, si considerassent septi actionem omnem à spirituum animalium è cerebello effluxu pendere, & ideo esse necesse, si materia phrenitica cerebrum invaderet, quædam pars ejus una in Cerebellum irrueret, ut præter desipientiam, insuper septi, ex se licet insontis, motus alteretur. *Willis*.

10. *Inflammatio*) Scil. *Spirituum*, quam *morbi rationem formalem* esse statuimus: atq; *causam conjunctam* particulas sulphureas à sanguine in cerebri claustra suffusas, ibidemq; spiritus continenter accendentes: *Causas* autē *Procatarcticas* partem in *sanguine*, partim in *cerebro* & incolis ejus inveniemus: *Sanguinis* prævis diathesis ad Phrenesim disponens modo simplex modo duplicata existit; Prior est cōstitutio ejus *calida* & *acris*, sive *biliosa*, nempe quod plurimas in se particulas sulphureas contineat, quæ plus debito in febre accensæ, sanguinem magis efflagrare, atque incendium suum cerebro insinuare aptæ sunt: Dispositio hæc quando potens & summe actuata fuerit, morbum istum per se non raro producet.

Plerumque vero subest *altera sanguinis diathesis*, quæ priorem istam adjuvat, & magis efficacem reddit, nēpe quod præter *particulas sulphureas* & *inflammabiles*, adsint aliæ asperæ & penetrativæ, quæ videlicet subeunt & aperiunt, adeoq; priores facilius introducunt: Hoc *corpuscula salina*, *sulphureis conjuncta* quodammodo efficiunt; hinc biliosi & melancholici febricitantes in furores sunt maxime proclives: Attamen longe potius particulæ heterogeneæ cum sanguini insunt, à febre commotæ cerebri ostia aperiunt, & inflammabiles quasque intromittunt: quapropter variolis & febribus malignis, ac pestilentibus Phrenesis crebro supervenit. *Willis*.

10. *Cerebri*) Alter qui *cerebri* est apparatus ad Phrenesin, partim in istius temperie & conformatione, partimque in spirituum incolarum indole consistit.

Quoad prius, *Cerebro calido & sicco* præditi in *Phrenesin* maxime proclives reperiuntur, non quod ea constitutio inflammationi sive phlegmoni magis obnoxia sit (nam ad hanc minus apta est) sed quoniam in tali cerebro, secus ac in calido & humido, vel frigido & sicco, pori & meatus apertiores sint, & nimis dehiscentes materiæ incentivæ à febre suggestæ aditum præ-

rent; Quæ insuper multo facilius admittentur si spiritus admodum fugaces & pathetici, levi quavis occasione in tristitiæ, timoris, iræ aut odii passiones apti fuerint: proinde ut materiæ extraneæ incursibus minus obsistant, ipsique incendium promtius concipiant. *Willis.*

Prognosis.

Deliria nunc sunt *seria*, nunc *ridicula*; *Illi* nunc cum furore, & quasi jurgiis proferunt omnia, & quasi præmeditate delirant: *Hic* variis absurda & incondita cum quadam hilaritate, & interdum cum risu adferunt, quæ differentia probe attendenda ob effatum *Hippocr.* quando dicit quod *deliria ridicula* sunt tutiora & minus mala quam deliria seria & cum jurgiis juncta; Sic *Paraphrenitis* adeo periculosa non est quam Phrenitis; Si *vires* sunt *languida* in vera Phrenitide, utplurimum moriuntur ægri; *Phrenitis si mutatur in lethargum* lethale: Si *Phreniticis convulsiones*, singultus, stridor dentium, aut aphonia superveniant, & inscia fæcum & urinæ dejectio adsit, lethalis est. *Etmuller.*

Prognostica in hoc morbo semper dubia sunt, & cum mali eventus suspicione: Nam Phrenesis ex se (*ut inquit Trallianus*, πάνυ ἐστὶν ἐπικίνδυνον καὶ χαλεπώτατον), dein si febri pestilenti malignæ, aut quæ mali moris est, superveniat, exitum nonnisi funestum expectare licebit: Si *Phrenitis* corpori sano, *εὐσάρκῳ*, temperamento sanguineo, ac in ætate juvenili contigerit, salutis spes major est quam si æger annosior, macilentus, biliosus, & passionibus violentis obnoxius fuerit.

Si Phrenesis crebra vice remittens lucida intervalla habet, melius est quam si furor sit indiscontinuus: Sin ægri interdum melius habere visi post somnos moderatos furiosi semper vigilant, indicium est morbum pertinacem, & proinde periculosum fore: in quantum scil. novus incentivæ penus cerebro suggeritur, quod quidem in somno longe uberius quam in vigilia fieri solet.

Phrenitis aut brevi tempore in salutem aut mortem cum febre terminatur, aut diu protracta, & post febrem superstes, demum vel sanatur, vel in alios morbos, nempe aut Lethargum, aut Maniam, aut Melancholiam transit.

Si febris crisin laudabilem per sudorem aut urinam copiosam, integre solvetur, plerumque etiam Phrenitis prorsus cessabit: Sin febris minime judicata materiem usque morbificam τῷ ἐγκεφάλῳ ingerer, adeo ut præter functiones animales depravatas, vitales fatiscere incipiant (quod ex pulsu & respiratione in pejus mutatis liquebit) si urina sit pallida, si crebra sanguinis è nare stillicidia, si vomitus & convulsiones evenient, mortem in propinquo esse Medicus concludat.

Interdum febris, etsi non semel & integre judicatur, postea tamen sensim ac lente transiens, *Phrenesin*, sive desipientiam superstitem relinquit; quæ si nondum mora sua spirituum in cerebro tractus priores obliteravit, deinceps, aut sponte paulatim desinit, aut remediorum ope sanatur,

Quod si ob Phrenesin diutius protractam meninges, aut cerebri cortex, à sanguine aut sero ibidem aggesto & stagnante demum tumore phlegmonode, aut illuvie serosa occupatur, lethargus aut morbi soporosi succedunt, quorum curatio sæpe difficilis aut nulla est à longa Phrenesi, Aut spiritus animales, (eorum incendio licet cessante) indolem vitiosam contrahunt, Aut cerebri meatus & pori pervertuntur, & desipientia non raro perpetua (morbo priori in maniam aut melancholiam, aut μωρίαν transeunte non raro succedit; Quare vulgo dicitur Phreniticis non cito curatis, cerebrum fractum esse, proinde ut semper insaniant aut delirent. *Willis.*

Prognosis utplurimum lethalis est, pauci enim evadunt, quod pars nobilis gravissimo affectu tentetur. Maximam tamen solutionis spem præbent delirium cum risu, omniumque symptomatum vehementia mitior: *Lethalem* ostendunt lingua & manus tremulæ; stridor dentium, convulsio, rigor initio morbi apparens, & quando ægri floccos & farcinas colligunt & festucas carpunt: Ad Prognosin lethalem etiam pertinent *stilla sanguinis* nigri è naribus, albæ dejectiones, urinæ albæ & pellucidæ; quæ omnia indicant magnam cerebri oppressionem, vel bilis à toto corpore in partem affectam translationem. *Riverius.*

Differentia.

Quandoquidem hic morbus *ab Anima* potius & immediatius quam ab humoribus aut partibus solidis affectis dependet, *species* & *differentia* ejus nec variæ nec multiplices erunt: Respectu *magnitudinis*, *Phrenesis intensa* aut *mediocris*, item *continua* vel *intermittens* est, juxta quod spiritus animales plus aut minus inflammantur: atque incendii sui pabulum à sanguine continenter vel per vices accipiunt: 2°. Prout incendium vel à *Cerebro* tantum, vel ab hoc simul & *cerebello* incipit, vulgo in *Phrenitidem* & *Paraphrenitidem* distinguitur, quod tantundem est ac functiones animales spontaneas fere tantum & potissimum, aut una cum his etiam vitales lædi: Cæterum hic morbus, quoad febris, cui opponitur, naturam & mores, *Malignus*, aut malignitatis expers, etiam pro ratione temperamenti ægri Phrenitis in *sanguineam*, *biliosam pituitosam* aut *melancholicam* distinguitur, atque hoc non impropie; namque spiritus animales, juxta varias ipsorum indoles, diversimode ab hoc morbo excandescere solent. *Willis.*

Phrenitidis species duæ sunt præcipuæ, *vera* nempe & *legitima*, ab inflammatione cerebri & meningum; Alia non vera & spuria, quæ *Paraphrenitis* appellatur: *Vera* alia est *in dispositione*, quæ frequentissima est, alia vero in *habitu*, quæ hectica nominatur, in qua biliosi humores altius in cerebro figuntur, & plures illius partes occupant, ac tincturæ instar adhærent. *Paraphrenitis* fit dum calida intemperies cerebro communicatur, vel à toto corpore, ut in febribus ardentibus contingit, vel ex cujusdam partis inflammatione, ut ventriculi; septi &c. *Riverius. Quid de hac differentia sentiendum sit* vide §. 10. *Causa est inflammatio meningum.*)

[11]. *Curatio* ad morbum, vigilias, & urinæ suppressionem obvertenda est. *In illo* [12]. *Venæsectio* [13]. est unicum remedium: sed & [14]. penna ad radicem instar stellæ effigiata, [15]. Intra nares immissa, ac fortiter circumducta, copiosum aliquando eduxit sanguinem: Plura cap. de Inflammatione cerebri videri possunt.

[16]. Propter *istas* [17]. hypnotica repellentibus admisceri, vel seorsim adhiberi debent. *Laudani opiati* gr. iij. in liquore convenienti, cautè adhibita, ne phrenitis in veternum abeat, laudantur. *Hæc* vel spontè, vel quod ægri [18]. reddere negligunt, accidere solet, & [19]. fomentis emollientibus tollitur.

[20]. Habent in isto morbo usum, [21]. *Luna potabilis* Hartmanni gutt. vi. pondere, pharmacum

pham-

raſticum Bartoleti, cujus doſis drach. j. ad ij. & Spiritus terræ ſigillatæ. De phrenitico ſanatô vide obſervationes Riverio communicatas p. 91.

11. *Curatio ad morbum*) In Phrenitidis curatione reſpicere oportet unæ *febrem & furorem ſanguinis*; Incendium febrile, ſive effervescentia immodica, quæ plerumque alterius effectus cauſa antecedens eſt, imprimis compeſci & ſedari, ſimulque ſpiritus animales mulceri, & excandeſcentia quavis immani liberari debent; Si Phrenitis circa febris initium aut medium contingit, eadem fere remedia, & medendi methodus in utrumque finem conducunt: ſin vero *ille* affectus *huic*, dum in ſtatu aut [illegible] eſt, ſuperveniat, ſanandi rationes ſæpe mutuo repugnant; Et ſumma cautione opus eſt, ne dum uni morbo occurrimus, alterum augeamus. In hoc caſu indicatio vitalis circa vires vitales conſervandas primum locum obtinet; atque ſanguinis miſſio aut purgatio non temere & copioſe celebrentur. *Willis.*

In cura 1. *Effervescentia ſanguinis febrilis compeſcenda*, eundem evacuando, & ejus ſtagnationem, indeque natam inflammationem in Phrenitide vera reſolvendo: 2. *Spirituum turbatus motus ſigentibus* nonnihil, tam internis quam externis eſt ſiſtendus, adeoque cum delirium ſit ſymptoma ſaltem, principali morbo, nempe febri, curato, delirium ſponte ceſſat. *Emmuller.*

12. *Venæ ſectio*) cum Febris & Phreneſis ferè [illegible] ſunt, Phlebotomia raro aut nunquam omittenda, ſtatim adhibeatur, & ſi vires ferant, poſtea aliquoties iteretur; Nihil enim æque ac hoc remedium ſanguinis flammam immodicam deprimit ac diminuit, nihilque incendium ejus à regimine animali magis avertit aut revocat: quapropter ſi res exigat, vena modo in brachio, aut manu, modo in crure aut pede, modo in cervice vel fronte aperiatur; quandoque forſan expediat arteriam temporalem pertundi; quin etiam ex aliis locis per hirudines nonnunquam aut cucurbitulas ſanguinem detrahi: Hoc enim potiſſimum auxilium, juxta *Galenum* [illegible] plurimas in Phreneſi indicationes explere ſolet. *Willis.*

In omni V. S. quæ præſente delirio fit, obſervandum ut foramen non amplum fiat; Sic enim vulnus cito coaleſcit, quod etiam accurate obligandum, ne ab ægro diſſolvatur, Tum ad promtiorem coalitum utile erit Empl ex aloë, albumine ovi & pilis leporinis paratum applicare.

Poſt V. S. provocetur Somnus; nam ſi à ſanguine evacuato procedant vigiliæ, de novo accenſis humoribus æger ferocior evadit. Conciliatur vero ſomnus inferius proponendis. *Riverius.*

Laxantia alvum.

Clyſmata ſi non admittant, per vim ſunt injicienda; & ut retineant podex panno premendus, nam plurimum ſtimulando revellunt, & calorem corporis alterando, & excrementa bilioſa excernendo emendant, quo nomine & *delirii* & febris comitis cauſa in utraque phrenitidis ſpecie conveniunt, eaque ſæpe repeti debent. *Platerus.*

Laxantia, & nonnihil ſtimulantia, in conſtipatis præſertim, alvum leniendo exhiberi poſſunt, præſertim ſi clyſmata aut non admittant aut non retineant. Sed à *catharticis*, quæ corpus accendunt, cavendum; in quo Empirici, nihil aliud quam purgare ſcientes, graviter ſæpe delinquunt *Idem.*

13. *V. S eſt unicum remedium*) Scil. princeps, nam ad præcavendos materiæ febrilis è viſceribus in caput raptus, *Enemata* præcipui erunt uſus; quibus, ſi opus fuerit, alvus continue lubrica ſervetur. *Vomitoria & cathartica*, niſi tantum lenitiva, rarius dentur, *Cataplaſmata ex ruta, chamam. verbena, rad. bryon. flor. papav. errat.* cum *ſapone* totis pedibus admoveantur, vel eorum loco *columba* & pulli dum calent diſciſſi applicentur. Interim Julapia, Apozemata &c. à quibus tum ſanguinis æſtus, tum ſpirituum excandeſcentia ſedetur, pro re nata præſcribi debent. *Willis.*

14. *Penna ad radicem inſtar ſtellæ*) Cuidam Phrenitide magna laboranti cū ob ferociſſimos corporis motus nulla revellentia poſſent adminiſtrari auxilia, quidam ſuavi cantu eum demulcens, pennam ad radicem multum fiſſam, & in ſtellæ effigiem paratam intra nares ex improviſo intromiſit & fortiter circumduxit, quo facto tanta ex nare dextra ſecuta eſt hæmorrhagia, ut æger ſubſequente ſudore & alvi fluxu ad ſe redierit. *Zacutus Pr. adm. l. 1. c. 13.*

15. *Intra nares*) Etiam eo tempore quo venam generalem aliquam incidere prohibemur, *particularem*, per quam non tanta ſanguinis fit profuſio, etſi in ſtatu ſit, metu ne falſa in veram phrenitidem commutetur, impulſi, interdum incidere oportet, Sic *Narium venas* ſetis vel aliis aſperis pungendo fricandoque, aperimus (*quod & ſanguiſugis adhibitis fieri poteſt, cautione adhibita ne ſurſum irrepant, nares in ſuper iis comprimendo donec* adhæſerit ſanguiſuga & ſugere animadvertamus) Sed imprimis *vena* ſub *lingua* aperta plurimum ſæpe in delirio juvat; Quo nomine & *frontis venam*, ſi manifeſta ſit, neque ſtringendo collum faſcia, quo ſanguis nimium impellitur ſurſum, eam dilatare cogamus ſcindere, cum neceſſitas ſumma urget, convenit; Vel adhibitis *poſt aures fronti, naribus podici ſanguiſugis.*

Scarificatio, admotis ſimul *cucurbitulis* ad revulſionem prodeſt, & cum ſecare venam non licet in Paraphrenitide, tunc quoque illius loco adhibebitur; *revulſionis* cauſa in ſcapulis, humeris, brachiis, quam ego *derivationis vice in colli lateribus circa jugulares* (*quæ & commode aperiuntur, ac ſingulari cum fructu, quod ſanguinem è cerebro reducem proxime evacuent; Imo intra paucarum horarum ſpatium extinctam phrenitidem jugulari aperta vidi in puero anno 1683.*) cum ſucceſſu facere ſoleo: Alii etiam in aurium pinnis factam probant. *Platerus.*

16. *Propter iſtas Hypnotica*) In hoc morbo ſæpe neceſſaria, fortiora tamen haud ſtatim ab initio conveniunt, nec crebro in uſu ſint, quia ſomnus Opiatis inductus, plus materiam morbificam cerebro ingerit, eamque illic penitius infigit. ℞ *Aqu. flor. paralyſ.* ℥ iij. *ſyr. de melonio* ℥ ß. *margarit.* ℈ j. f. Hauſtus ſumendus ſera nocte. ℞. *ſemin. papav. a.* ʒ ii. *ſacch. c.* ʒ iß. *ſimul contuſis affunde aqu. papav. a.* ℥ vß. f. expreſſio ſumenda eodem modo,

Narcotica, quæ ex mere frigidis conſtant, caute exhibeantur, quia nonnullis, quorum ſtomachi fibras valde teneras & ſenſibiles habent, minus conveniunt; Sæpius obſervavi hujuſmodi *Hypnotica* magnam in ventriculo oppreſſionem excitaſſe, dein ſtatim inflationem ejus, & paulo poſtea ſpirituum in cerebro, imo in toto corpore diſtractiones & inordinationes inſequutas fuiſſe, proinde ut non tantum ſomni fruſtratio, ſed maxima inquietudo cieretur.

℞ *Laudani liquidi, cum ſale tartari, aut ſucco cidonior. parati.* Doſis in convenienti liquore propinetur;

Quæ *ſomnum* invitant, etiam *epithemata* temporibus, fronti & ſyncipiti ſæpe cum fructu adhibentur, cujusmodi ſunt oxyrrhodinum, Embrocatio ex *aqua vel lacte*, Linimenta ex *oleo nuc. moſch. per expreſſ. & ungu. popul.* cui interdum *opii* gr. v. vel vi. adjiciantur; aut placenta

rosac. vel *flor. papav. cum aceto*, & nuce mosch &c Porro in hunc finem, potius quam ad tollendam meningis inflammationem, *agni aut vervecis pulmones calentes*, item *columbæ* vel *pulli* discissi opem non raro egregiam præstant: In hunc usum *sedum majus contusum* & cum *lacte mulieb.* mixtum, & syncipiti raso applicatum mire laudatur, Item *Penoti* Epithema *ex moschi* gr.12. *camphoræ* ℈ß. & *aqu. rosac.* tinctura santal. rub. impraegn. ℥xx. à nonnullis commendatur. *Willis.*

Somno conciliando non parum conferunt Repellentia medicamenta, Oxyrrhod. forma, sed præsertim si ante admotionem Caput oleo violac. frigido irrigetur, quod in Vigiliis maxime proficuum est: tum etiam Convulsionibus ex hoc morbo oriundis: Sequens efficacius.

℞. *Capit. papav. albi cum semin. num.* vi. *flor. nymph. p.* ij. *contundantur & cum aq. rosar. & lactuc. q. s.* fiat instar Catapl. fronti linteis inclusi admovendi.

Nota in medicamentis somnum conciliantibus Acetum non esse permiscendum (*Vice illius, penetrationis gratia, succo citri utitur* Fortis) nisi in quantitate paucissima, quia vigilias excitat: *Sedum majus* contusum & *cum lacte muliebri* mixtum, sincipiti admotum, mire sedat Phrenit. & somnum conciliat: Sed statim ac dormire cœpit æger, detrahendum, ne in Coma præcipitetur.

Cucurbitæ ramenta recentis idem præstant, & minori periculo. *Riverius.*

17. *Hypnotica*) Singulare soporiferum est hoc externum, paucis notum, In *spongiis cynosbati*, cum jam maturuerunt, inveniuntur vermes, quorum magno numero inter duos lapides compresso, exibit liquor quidam, quo inunge tempora, & somnum inducet; Hic in cujuscunque Phrenitidis initio prodest. *Fabr. Bartoletus meth. in Dysp. l.5.c.2.*

Sedum majus contusum, & cum *lacte muli.* mixtum sincipiti admotum, mire sedat phrenitidem & somnum conciliat; sed statim ac dormire cœperit æger detrahe, ne in coma præcipitetur. *Frid. Hofmannus m. m. lib.1. capit.* 19.

Præsidium optimum hoc est.

℞. *rad mandragoræ, hyoscyam. semin. lactuc. portulac. coriandr. vir. ana* ℥ij *opii* ℈j. *Philon. Pers.* ℥ij. *bulliant omnia in vini albi* ℔iij.

ad consumpt. iij. *partis*, cola, cum æger dormire cupit sæpe naribus odorem suscipiat, nares intro illinat; decocto hoc tota facies abluatur, plantæ pedum & volæ manuum laventur; si parum *aceti vini* addideris erit præstantius: *Zacutus Pr. H. T.1. obs.5.*

℞. *Mosch.* gr. xij *camph.* gr. xx. *aqu. rosar. cum tinctura santal. impragnata* ℥xv.

M. capite deraso madefiant lintea duplicia in hoc liquore, & tepide applica; resiccata iterum imbibe lintea, & per 24. horas continua applicationem, & somno conciliato, cerebroque confirmato, ægrum mire convalescentem percipies. *Bern. Penotus in spec. recept. pagina* 60.

17. *Hypnotica*) In affectibus deliris Opiata sæpe cum fructu adhibentur: ratio est, quod dum spiritus intra cerebrum nimis incitati, ac velut oestro perciti, meatuum suorum vias solitas & tritas facile transiliunt, tunc medicina narcotica, juxta cerebri oram appulsa, afflatus eos tanquam canes venaticos ex spatiari aptos, reprimit, & è motu omni paululum sistit, ut sæpius, cum denuo moveantur, tractus suos priores repetant, & functiones pristinas rite obeant. *Willis Pharm. rat. s.* 1. *capite* 1.

18. *Reddere negligunt*) Vrinæ suppressio illis peculiare symptoma est, cum adeo intenti in suas imaginationes urinæ stimulum non sentiant, proin eam reddere non curent, Ex cujus retentione vesica nimium impleta distentaque postea magna difficultate lotium reddit; Quibus nos illos admonendo mature, matulamque ostendendo & remediis externis admotis medebimur, de quibus in urina retenta agendum. *Platerus.*

19. *Fomentis emollientibus tollitur*) Vesica officii immemor crebro sollicitari, aut etiam irritari debet; quare ægri monendi, & matula oblata rogandi sunt ut urinam reddant; cui si non obtemperant, regio pubis decocto parietariæ, flor. sambuc. & semin. apij & dauci cum spongia foueatur, Et post totum oleo scorpionum & ungu. dialth. illinatur: In longa urinæ suppressione candelam ceream urethræ immittere oportet.

Urina in hoc morbo utplurimum supprimitur, unde partes distenduntur ac tandem inflammationem concipiunt, quæ vel sola ægro interitum afferre potest: Manu comprimendo urina propellenda, aut elicienda penem contrectando. *Riverius.*

20. *Habent in isto morbo usum*) Præmissa V. S. eadem fere remedia conveniunt quæ in curatione *febrium acutarum* adhibentur: V.g. *bezoartica, sulphurea, antimonialia, succi vegetabilium acidi, granat ribium, berberum, serum lactis, & ex eo parati julepi, spir acidi minerales*, in specie *nitrum* & *spir. nitri dulc.* item *camphora* in. & externe, sic porro *mixtura simplex, tinctur. bezoart. nitrum antimoniat.* Quibus addatur tanquam singulare specificum *herba* & *flores anagall. flore phœniceo*, usu externo & interno, *Item opiata* & *Emulsiones papaver.*

Vel in Phrenitide maligna.

℞. *cinnabar. antimon.* gr. xij. *bezoart. lunar.* gr. vj. *laud. op. camph. ana* gr. j. *m. D. in duplo in Decocto anagallidis.*

20. *Habent in isto morbo usum*), *Corallium nigrum*, quod antipallas sive antipathes dicitur, in Phrenitide corrigenda & sananda miram habere facultatem existimatur: Hoc nigerrimi coloris est, & ob raritatem in magno pretio tenetur; & contra hujusmodi affectum tanquam præstantissimum remedium usurpatur. *Encelius de Gemmis l.3.*

20. *Habent in hoc morbo usum*) Non tantum capiti, sed etiam cordi, hepati, aliisque partibus. *Epithemata* solent adhiberi, *Sacculus* ex syndone cum speciebus cardiacis interpassatim cum bombyce insutus, atque aqua destillata vel aceto rosac. irrigatus *præcordiis* applicetur, Item lintea aceto rosac. madida imponantur *Testibus*: *Pedes* decocto folior. *salicis, lactucæ*, imprimis papav. albi balneentur: Hujusmodi Topica infrigidantia & demulcentia, tantum circa *morbi principium* usurpentur: In *statu* vero iis *resolventia* & *emollientia*, uti sunt flores *chamom. meliloti, sambuci*, &c. item *fol. malvæ, atriplicis, majoranæ, hyssopi* & similia adjiciantur: In morbi *declinatione resolventia* tantum, atque ea parcius adhibeantur.

Habent & usum *Cardiaca*, *Virium* enim maxima ratio haberi debet, namque his nimium labefactatis curationis spes omnis concidit: Vires autem cito solent atteri propter magnas vigilias, animi & corporis agitationes perpetuas, victum tenuem, & phlebotomiam quandoque sæpius requisitam, Quare sedulo cavendum ne dum catharsi, aut crebriore sanguinis missione, morbum eradicare facessimus, functionem vitalem subito debilitemus; Si hæc vacillare incipiat, neglecta Phrenesi, & victu magis euchymo concesso, Cardiacis præcipue utendum erit.

℞. *Tinct. corall* ℥ß. dentur gtt xx. bis vel ter in die cum dosi Julapii cephalici aut cardiaci.

Vel detur *solutio Coralliorum lutescens* cum *succo aurantii* facta ad coch. j. sæpius in die,

℞. *Rob. vel conserv. rubi Idæi, oxyacant. ana* ℥j. *margar.*

præpar.

præpar. magist. corall. ãã. ʒj. *conf. hyacinth.* ℥ij. *syr. de succo Kermes q. s. f. Confectio*: sumat quantitatem nucis mosch. ter vel quater in die, superbibendo Julapii sequ. ℥iij.

℞. *aqu. flor. nymph. rosar. rubr. ful. ulmar. ãã.* ℥iij. *syr. è corall.* ℥ij. *Aq. cordial. Saxon.* ʒj. Misce. *Willis.*

Aqua hirund. cum castoreo & aceto valido destillatæ, super novem dies mane potatur, præcipue laudatur. *Jul. Cæsar Claudinus* Emp. *rat. l.* 3. De Phrenit. ex inflamm. diaphragmatis. Vide l. 2.

[11] *Luna potabilis*) Vide præparationem, præteream quam habet *Hartmannus*, in comm. *Cardiluci.*

Topica remedia.

Inter *Externa* commendantur *Cataplasmata* ex *portulaca* & *rosis* capiti circumliganda, *Sedum maj.* contusum & instar cataplasmatis cum *aceto* plantis pedum & testibus admovendum, Item *succus cancror. fluv.* ad imitationem *Rulandi*, qui & sequens Epithema maxime commendat.

℞. *aqu. rosar.* ℥x. *Opii* ʒj. *croci* ℈ß. *m.* tepidè fronti admove. Vel

℞. *sem. ranar.* ℥vj. *succi cancr. fluv.* ℥iij. *opii aceto correcti* ʒß. *ad* ℈ij. *camph. croci ãã.* gr. vi. vel vii. *m. f. Epith.*

Veteribus frequenti in uso fuit *animalia viva*, *anates* aut *columbas* per medium dissectas, & ita calidas capiti raso applicare; quod remedium *Lindanus* dicit esse inæstimabile ad curandos phreniticos: Sed si dolor cesset & delirium, sunt removenda, cum post horam fœtor horrendus inde oriatur. *Etmuller.*

Cap. XVII.

De Melancholia.

1. M*Elancholia* [2] *est* [3] *delirium à phantasmate melancholico exortum*, [4] *qua detentus uni cogitationi* [5] *&* [6] *absque furore &* [7] *febre cum* [8] *tristitia & metu inhæret.*

[9] *Signa* sunt [10] tristitia & metus absque causa evidenti: [11] taciturnitas, vel sermo incongruus, de [12] una re præsertim.

Causa est [13] phantasma melancholicum, quod procedit à [14] spirituum animalium vitio, [15] qui cum lucidi, tenues, subtiles & mobiles esse debeant, obscuri, opaci, [16] tenebricosi & fixi redduntur, [17] Unde omnia objecta admodum vitiosæ dispositionis spirituum speciebus imprimuntur.

[18] Hanc dispositionem acquirunt vel [19] *vitio cerebri* à nitore suo deflectentis, & talis spiritus generantis, vel [20] *materia ex qua fiunt*, sanguinis nempe & spiritus vitalis; Vel [21] *materia impura & melancholica*, quæ sanguini & spiritibus permiscetur, sive ea sit [22] humor sive vapor.

[5] *Melancholia*) Nominatur ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, ab atra bile oempe hunc morbum excitante, authore *Galeno* 2. *m. M.* capite 2. Morbus atræ bilis *Celso libr.* 2. c. 1. Late sumitur pro quolibet delirio, etiam maniaco, 6 *aphor.* 21. etiam illa imaginatione qua timori & mœrori non conjungitur: Stricte vero notat illam affectionem cui conjuncta timor & mœror. *Rolfinkius Epit. c.* 17.

[2] *Melancholia est delirium &c.*) Vel sic definias cum *Rolfinckio*, Est delirium, seu depravatio imaginationis sine febre & furore, cum timore & mœstitia, dependens à phantasmate tenebricoso, & obtenebratione spirituum animalium.

[3] *Est delirium*) Quod genus est in Definitione, & *formæ* locum obtinet, quo ipso distinguitur hic affectus hic à melancholia, quæ potius prudentiam importat, simulq; innuitur affectum hunc esse symptoma facultatis animalis principis, non abolitę nec imminutę, sed depravatæ: Depravatur autem non sola imaginatio, sed ratiocinatio simul Hoc probatur ex *Galeno* 3 *loc aff. c.* 7. exemplo eorum qui sibi violentas manus attulerunt, in quibus rationem esse læsam nemo potest dubitare, cum alias lapsum phantasiæ corrigeret, Non læduntur autem eodem modo, sed Imaginatio læditur *per se*, ratione organi, Ratio autem per accidens, ratione objecti; Memoria autem raro læditur, adeo ut ob eius integritatem, & probe ratiocinentur, & versuti admodum sint, *Rolfinckius.*

[3] *Delirium*) Vocant Delirium sine febre &c at *Hippocr.* solius timoris & moestitiæ meminit, cum signa recenset, *Timor & mœstitia*, inquit, *si longo tempore perseverant, illud est melancholicum*, ubi delirium omittit, & recte, non semper enim delirant, Et certe non est necessarium ut timorem & mœstitiam delirium sequatur, aut ut hæc sequatur delirium: Familiare est videre mulieres adeo propter peccata sua mœstas tristesque, quæ tamen non delirant, etsi adeo interdum anguntur animo, ut mortem sibi, nisi præcaveantur, inferant, ex vehementiori sola apprehensione objecti ejusmodi terrifici: Ad id non semper est necessarius humor melancholicus, sufficit sola intemperies, & senes sunt meticulosi propter ejusmodi temperiem; Aliud est esse meticulosum, aliud delirare, potest delirium esse sine metu, hoc vero sine delirio, *Primirosius De vulgi Error. lib.* 2. *c.* 25.

[4] *Qua detentus uni cogitationi*) Extant varia & multiformia Imaginationis depravatæ genera, de quibus in communi observandum, quod affecti vel circa omnes, aut saltem plurimas res delirant, ut fere de nullo subjecto judicium rite ferant; Vel isti solummodo in uno aut altero particulari casu perperam imaginantur, verum de plerisque aliis ooriooes suas haud prorsus incongruas instituunt. Etiamsi *melancholia universalis* affectio delira symptomata multiplicia contineat, attamen illa in his tribus potissimum consistunt, 1. quod affecti io cogitando fere cootinuo occupantur, ut eorum phantasia vix unquam otiosa & quieta fuerit. 2. ioter cogitandum res pauciores quam antea solebant animo comprehendunt, ut sæpe dies & noctes idem objectum animo voluterit, de rebus aliis, quæ interdum longe majoris momenti sunt, nihil solliciti. 3. Objectorum sive conceptuum ideæ sæpe deformes, & velut sub larva apparent; semper autem in majore specie repræsentantur, ita ut res quælibet exigua magna iis difficillima videatur. *Willis.*

[4] *Qua detentus uni cogitationi inhæret*) Melancholia hæc specialis dicitur, cum ægri rem quandam particularem, aut rerum genus aliquod respiciunt, de quo fere incessanter cogitant, & propter Animæ potentias & affectus omnes huic uni continue impensos, soliciti usque ac tristes degunt, insuper notiones absurdas & incongruas, non modo circa illud objectum, sed etiam

de plerisque aliis accidentibus & subjectis habent: In affectu hoc Anima corporea à propria specie deflectens, novam quandam assumit, atque vel *Animæ rationalis*, vel *corporis*, vel sibi metipsi non conformis, metamorphosin quandam subit: *Willis.*

5. *Absque furore*) Eo quod volatile in sanguine, & balsamicæ particulæ depressæ langueant. *Strausius.*

5. *Absque furore & febre, cum mæstitia &c.*) Melancholici omnes in eo conveniunt quod sint [illegible] φαινόμενοι, φοβοῦντες καὶ δυσθυμοῦντες. [illegible]. Omnibus, *inquit Galenus 2. de causis sympt. c. 7.* melancholicis commune, Timor & mæstitia, Idem confirmat *Hippocr. 6. aph. 23.*

5. *Cum tristitia & metu*) Vulgo definitur *Desipientia sine febre aut furore, cũ metu & tristitia conjuncta*, unde sequitur illam & cerebri & *cordis* affectionem complicatam esse: Nam quod melancholici *delirant*, à cerebri & spirituum animalium in eo degentium vitio ac inordinatione procedit: Quod autem valde *tristes* & meticulosi evadunt, hoc *cordis* passioni merito attribuitur. *Willis.*

6. *Absque febre*) Id intelligendum est ex propria natura, & per se; nam ex accidenti febris cum illa copulari potestq; nihil enim impedit quin febris continua, vel intermittens, in melancholia laborante contingat, sed illa febris non erit de essentia melancholiæ, Sicuti in phrenitide febris est de essentia illius. *Riverius.*

Abest febris ordinarie, ob frigidam & siccam, seu acetosam & salinam humorum dispositionem; Interim non est impossibile ut febris melancholiam aliquando vel antecedat, vel consequatur, aut etiam comitetur, si prona in febrem cacochymia sanguinem defœdet, teste *Foresto lib. 10. obs. 7. in schol.* tuncque propter irregulare sanguinis incendium periculosius decumbunt; monente *Willisio. Strausius.*

7. *Tristitia*) Non tamen necesse est ut semper adsit *mœror*, nam aliquando consequitur lætitia, Sic *Parmenisco 5. Epid.* prius incidebat tristitia, & discedendi è vita cupiditas, aliquando autem lætitia: At *Aretæus*, postquã species delirii melancholici quatuor *l. 1. Acdiut. c. 6.* recensuisset, *Quidam enim aut venenum ne sibi detur suspicantur, aut hominum consuetudinem perosi aufugiunt; aut ad superstitiosam religionem convertuntur aut lucem hanc vitamque odio prosequuntur*, Subjungit, Si quid interdum ex animi mœrore laxamenti habeant, exhilaratio voluptasque plurimis advenit.

8. *Cum tristitia & metu*) Timent & contristantur Melancholici sine causa manifesta, tum ob spirituum vitalium, juxta & animalium ζοφερὸν, unde tenebricosum phantasma fovetur, tum etiam ob retardatam hinc, contracto cordis vitio, sanguinis [illegible], ob quam plerumque etiam palpitationem cordis patiuntur. Est autem inter affectum *imminentem* & *confirmatum*, *variosque* melancholiæ *gradus*, aliasque id genus circumstantias probe distinguendum, cum non semper omnes melancholici æque metuant & contristentur; sic difficultates quas *Saxonia* circa hæc signa movet, haud difficili negotio solvere licebit. *Strausius.*

9. *Signa sunt &c.*) *Hippocr. l. 2. Epid. sect. 6. t. 3.* ait Balbos, celeri lingua præditos, esse melancholicos; unde desumpsit *Avicenna* fen. 1. l. 3. tr. 2. c. 18. Balbi, *inquit*, sunt plurimum dispositi ad melancholiam: Vbi notandum duplices esse Balbos, alios pituitosos, ob mollitiem & debilitatem musculorũ linguæ, qui literam R. pronunciare nequeunt; Alios melancholicos, qui ex mentis impetu omnia verbo expedire conantur, adeo ut ex præcipitatione lingua sese implicet, eandemque syllabam sæpius repetant antequam verbum integrum pronunrient, iique *Trauli* dicuntur. *Ballonius.*

9. *Signa sunt*) Adde his crebra *Suspiria*, quæ inducuntur ab inspiratione & exspiratione extraordinaria; Si quando à mœrore fixiores redditi sunt spiritus, cujuspiam objecti contemplationi addicti, non sufficienti copia illi influunt in musculos pectoris, diaphragma, ac fibras Pulmonum carneas, adeo ut respiratio ad spatium aliquod temporis cohibeatur; interea Pulmones à coercitis fuliginibus incalescunt, quæ irritatione facta spiritus ad ubetiorem influxum determinant, quasi ad resarciendam temporis jacturam, validam expirationem excitando: *Dan. Duncanus Tr. de Motu Anim. c. 12.*

9. *Signa sunt tristitia & metus*) Dubitare licet, quomodo *Timor & Mœstitia* dicantur esse de essentia melancholiæ, cum in multis melancholicis gaudium & lætitia maxime vigere videantur? Alii enim continuo rident, alii canunt, alii se ditissimos, alii se Reges esse putant; Respondemus varios esse melancholiæ gradus, & varias humoris melancholici cum aliis humoribus permistiones indeque maximam deliriorum varietatem emergere, ita ut qui multum sanguinis, aut pituitæ cum humore melancholico permixtum habent, gaudio & lætitia affici possint, sed ille affectus tunc temporis non est vera & legitima melancholia, sed potius ad fatuitatem accedit. *Riverius.*

9. *Signa sunt*) Melancholicos sic depingit *Aretæus.*

Quieti, tristes, abjecti, *torpentesque* sunt, absq; ratione & causa, propterea in *iram* proni, male animati, *vigilant*, ex *somno* tumultuose excitantur; ingenti *pavore* trepidant; cum morbus augetur, & *somnia* vere sunt terribilia, & evidentia; ad mutandam sententiam faciles sunt, turpes, parci, non munifici, sed non multo post simplices, prodigi, multa largientes, non virtute animi, sed morbi varietate: Quod si malum exasperatur, homines *oderunt*, ab iis fugiunt, de manibus conqueruntur, *Vitæ* maledicentes *mortem expetunt*, in morem bestiarum vitam degunt; *Color* corporis fœdus; voraces & extenuati, quia somnus in iis neque cibo neque potu membra confortat, sed vigilia exterius movet & dissipat, *Alvus* arida est nihil dejiciens nisi sicca, rotunda, atro quodam biliosoque circumfusa, *Vrina* pauca, acris: *Flatus* est in præcordiis, Pulsus parvi, frigori similes, invalidi, crebri.

10. *Tristitia, metus, taciturnitas &c.*) Melancholici fiunt tenebriones ac lucifugæ, tristesque apparent, de omnibus suspiciosi, hominum consuetudinem oderunt, solitudinibus gaudent, ceu *Bellerophontes ab Homero* describitur.

> *Qui miser in campis mærens errabat Aleis.*
> *Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*

Montanus Anal. morb. c. 19.

Ob tres sequentes causas facile metus & tristitia superveniunt, quibus etiam dignoscitur, aut mente magis anguntur, aut magis tacent quam solent. 2. Omne quod illis offertur graviter ponderant, & quæ levia sunt æstimant gravia. 3. valde sunt suspicaces, & omnia in pejorem partem interpretantur. *Walæus in Med. Pract. p. 135.*

10. *Signa sunt tristitia & metus &c.*) Duplici signo melancholiæ syllogistico alia plura assident, *Primo*, quemadmodum τὸ [illegible] ἐν δόξαις, opinionum mutabilitas, convenit biliosis propter igneam spirituum agilitatem, sic τὸ μόνιμον, sententiæ stabilitas propria est melancholicis, ob eorundem spirituum [illegible]; Tamque indomita est ipsorum [illegible] atque pervicacia, ut interdum citra [illegible] nequaquam possint ad cibarum compelli, ac escæ neglectu conficiantur.

Secundo melancholici, etsi floreant memoria ex eventu tamen immemores esse possunt, ob rerum phantasiæ objectarum [illegible].

Tertio ob torridæ muliebrisque anathymiasis egestatem, cerebri siccitatem, ac negotiosas cogitationes, æger animi infelix, instar Phœnissæ Virgilianæ.

> *non unquam*
> *solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem accipit.*

Quod

quod si quando sensus soporentur, æger insomniosus insomnis cernit, ut cum Philosopho Madaurensi loquar, *nocturna occursacula, bustorum formidamina, sepulchrorum terriculamenta*, à quo somnio terrifico & inquieto vires debilitantur potius quam refocillantur.

Quarto ægri tenebriones quandoque lucem aversantur, utpote nocti animæ principatum offuodenti adversam: quandoque vero prosequuntur, ad spirituum tenebricosorum illustrationem.

Quinto è præcordiis crebra ducuntur suspiria. *Menjotius.*

1. *Tristitia & metus*) Cor frigescit à succo melancholico temperie sua algido, è quo etiam, utpote crasso & terreo, nequit ubertima elici spirituum vitalium copia; Jam vero natura sui solicita spiritus, quorum ipsa indiga est, non laxat, nec sinit expandi, unde pro fortitudine & hilaritate metus ac tristitia consequuntur; Sicut vice versa vinum melancholiæ ἀντίπαθον, quoniam calidum spiritibusque amicissimum, cor hominis exhilarat, facitque homines, authore *Aristotele 30. Probl. 1.* [illegible] *Idem Diss. de Melanch.*

Melancholicorum pusillanimitati nonnihil etiam conducit serosa ipsorum plenitudo vim animosam molliens, sanguis enim [illegible], teste *Hippocr. 6.* Epid. s. 2. t. 29. *Pavidos facit atque pervigiles, seu bonus, seu malus fuerit. Idem.*

11. *Taciturnitas vel sermo incongruus*) *Aretæus* 1. Diut. 5. melancholicos depingens ait, Quum in aliquid impetu rapti sunt, postea facile eos pœnitet, mutabiles sunt, turpes, de minimis quibusque soliciti, avari, sed non ita multo post simplices, prodigi, multa largientes, non virtute animi sed morbi varietate.

12. *De una re præsertim*) Melancholia alia est *completa*, quæ phrenesim omnem ex animo expectorat: alia incompleta, quæ mentis veluti summam intactam relinquens, hujus duntaxat partem complet amentia, ita ut homines sano sint ad omnia ingenio, præterquam ad aliquod unum; Nam observare licet nonnullos melancholicos, etsi de rebus omnibus belle ac utiliter ratiocinentur, uni tamen imaginationi chymericæ, sensuumque testimonio convictæ, inflexibili obstinatione adhærescere, adeo ut prodigio simile sit quod haud insaniam reliqua prudentia; aut hanc illa non perdat; Eoque sensu melancholia vulgo definitur. *Rationis in una aliqua re lapsus, constante in aliis judicio*, & ab Aretæo. *Angor animi in una cogitatione hærens ac defixus. Menjotius.*

13. *Phantasma melancholicum &c. a spirituum animalium vitio &c. qui obscuri, tenebricosi*) *Causam immediatam statuimus tenebricosum phantasma, spirituumque animalium* obte[...]brationem, *Galenus 2. de Causis sympt. cap. ultim.* expressis id ostendit verbis, quando *Ex atra bile*, inquit, *cum principium rationalis animæ occupavit, Timor mœrorque ac mortis expectatio si proveniant*, nihil mirum, siquidem *& eorum quæ extra corpus sunt, nihil quod nos æque ac tenebræ terrere videmus &c.* Et tertio locor. affect. 7. *Ut externæ tenebræ, ait, omnibus fere timorem inducunt, nisi vel audaces, vel docti fuerint. Sic atra bilis color mentis sedem tenebris similem reddens, timorem efficit.*

Et quanquam *Averroes* eos qui tenebricosam aut cerebri aut humoris, aut spirituum dispositionem proximam melancholici delirii, & conjuncti cum hoc timoris & mœroris causam constituunt irrideat, & Melancholiam à mala complexionis frigidæ & siccæ peculiaris specie p[...]cedere doceat: Alii cum adverterent Spi[...]males per s[...] nulla vel imaginandi, vel entiendi [...]el r[...]di vi pollere, proximæ causæ culpam in [...]ce in Animam [...] omnium actionum radicem transferant, Nihilominus perfuasum habentes universalem cujusque delirii causam, in præternaturali quadam spirituum animalium dispositione, qua mediante phantasmata aliter ac revera sunt Intellectui repræsentantur, Medico immediate quærendam esse, nil obstare censemus quæ de Anima ejusque potestatibus, ut & spiritibus sentiendi vi destitutis in medium afferuntur, cum abunde constet ipsum quoque Intellectum omnes sensus vegetus spiritus habentes consequi, utut præ his omnibus maximopere emineat, Sunt enim spiritus quasi apparitores & ministri Intellectus, adeo ut nihil esse in Intellectu, quod non prius fuerit in sensu recepta à Philosophis fere omnibus sua sententia. *Straussius.*

14. *A Spirituum animalium vitio*) In quantum isti irregulari modo se habentes, in anomaliis suis aliquandiu aut semper persistunt, cumque huic illorum affectioni non paralysis, apoplexia, vertigo aut convulsio adjunguntur, quæ cerebri obstructiones arguunt, inferre licebit, quod spiritus animales nequa ab alieno impetum faciente in tal[es] inordinationes aguntur, neque potissimum ob cerebri poros & meatus obstructos [illegible] suas; concipiunt; sed potius in hoc casu propriæ indolis vitio prædicta symptomata ægris accersunt. *Willis.*

14. *A spirituum animalium vitio*) Quod metus & mœstitia adsit, videtur esse ob spiritus obfuscatos & nigriores factos, qui ut in bona constitutione luciditatem, scil. splendorem, imo & gaudium afferunt, ita hi contrarium faciant: Primo in melancholia mutantur species à spiritibus præter nat. qualitate affectis, per fuligines ex arteriis in cerebrum propulsas, ob quas magis species obscurantur, vel nigriores redduntur, vel magis aguntur ob motum fuliginum. 2. Melancholia fit, non ob specierum mutationem, sed magnam impressionem; quæ fit duplici modo, vel quia sæpius cogitata, vel quia cum aliquo affectu apprehensa; Et hic affectus suasione potest curari, quia in his vitiosa corporis constitutio non adest, unde de cæteris bene loquuntur: Secunda ratio est in *Receptione*, quia spiritus regi non possunt; non ob cerebri debilitatem, ut in delirio simplici, sed nimiam eorum agitationem, quæ fit duplici modo, vel quia agiliores redduntur à fuliginibus iis motum largientibus; vel quia tales sua natura existunt; Spiritus autem crassiores redduntur, cum sanguis non bene coquitur, fermentatur aut rarefit; Nec tantum sufficit ut sanguis sit crassus, sed & dissolutus esse debet ut tenuia à crassis facile segregentur. *Welsch Med. Pract. c.* 137.

15. *Qui cum lucidi, tenues &c.*) Ejusmodi explicatio non incongrua videtur, siquidem ostendimus (*Tract. de Accensione sanguinis*) spiritus animales à sanguine accenso emanantes se quodammodo tanquam lucis radios à flamma profectos habere, atque satis constat lucem diversimode se habere & illustrare, juxta quod ab incendio corporum vario ritu effl[a]grantium, scil. spiritus vini, sulphuris mineralis, nitri, aliorumque procedit, Pariter & spiritus animales, in quantum à sanguine crasin modo hanc modo illam aliamve nacto, aut subtiles & clari, aut hebetes, crassi & quasi fuliginosi exsillantur, functionum animalium organa varie trajiciunt & irradiant, earumque proinde actus diversimode pervertunt: Verum insuper, cum spiritus animales, non uti corpuscula lucis prorsus liberi & [so]luti existunt, sed mutuo cohærere & ne animæ continuitas abrumpatur, quodam latice contineri debent, idcirco ipsi una cum vehiculo cui inhærent, liquoribus quibusdam Chymicis, è mixtis naturalibus per distillationem elicitis, satis apte comparantur; Quæ quidem analogia in explicandis affectibus latis satis commodissima videtur, prout ex sequentibus patebit.

1. Liquores Spagiricè distillati, juxta quod elementa activa variis modis in iis combinantur diversi generis existunt; horum præstantissimus omnium consensu perhibetur esse, in quo *spiritus salis* unitus, eum volatilisat, invicemque ab eo acuitur, & aliquatenus staruminatur; hujusmodi concipiuntur *magnum Elixer*, & *liquor Alkaest*, & revera quodammodo sunt *spiritus sanguinis*; *C. Cerv fuliginis*, & similium valde subtiles, volatiles & penetrantes, nec tamen inflammabiles, aut cito dissipari apti; Et quidem *spiritus* animales diathesi sana & legitima potiti, quadantenus se habere videntur tanquam *liquor spirituosus sale volatili* refertus, qui à *sanguine* destillatur, præterquam quod huic insignis acrimonia & empyreuma ab igne inferantur, quæ à liquore cerebri & nervorum irriguo omnino absunt.

2. Alii liquores chymici sunt nimis *sulphurei* & *ardentes*, *uti spiritus vini & terebinthina*, quæ cum spiritu & sulphure una combinatis constant, facile inflammantur, & sua sponte ab aliis secedunt, & huc illuc qua data via se proripiunt, cujusmodi indolis spiritus animales in *phrenitide* quadantenus participare ostendimus.

3. Liquores sive spiritus quidam ab opere chymico producuntur, in quibus sal fixus ad fluorem evectus dominio potitur, cujusmodi sunt qui ex aceto, lignis ponderosis, & quibusdam mineralibus igne mitiori exstillantur; quorum particulæ sunt valde mobiles & irrequietæ, sed brevioris activitatis, ita ut effluvia ab iis haud longe emanent & si in Balneo distillentur nihil præter phlegma insipidum in alembicum eliciatur, Et quidem spiritus animales hujusmodi *indolem acetosam*, cum salis fluidi dominio, in *affectibus melancholicis habere suspicamur*, *prout ostendemus*.

4. Stagmata quædam Spagyricè prolicita quandoque sunt acerrima, in quibus nempe *salis-fluidi*, una & *sulphuris arsenicalis* particulæ indomitæ simul combinatæ exaltantur, ut sunt aquæ stygiæ ex nitro, vitriolo, antimonio, arsenico, viridi æris & similibus existillatæ; quæ omnes naturæ sunt efferæ, valde penetrativæ & irrefragabilis, ita ut effluvia earum motu perpetuo agitentur, quidvis penetrent; etiam longe lateque diffundantur, atque hujusmodi liquores spirituum animalium diathesin in *mania* acquisitam satis apte referunt.

In præsentia vero ut *Melancholiæ* rationem formalem & *causam* tradamus, Opinari fas sit liquorem è sanguine cerebro instillatum (qui τοῦ ἐγκεφάλου, ejusque appendicis nervosi poros & meatus omnes implens ac irrigans, Spirituum animalium & vehiculum & vinculum est) à natura mitis, benigna & subtili, in *acetosam* & *corrosivam* (cujusmodi sunt liquores ex aceto, buxo, & vitriolo proliciti) degenerasse, atque spiritus animales, qui è cerebri meditullio tum in globosam ejus substantiam, tum in systema nervosum irradiantes, sensuum & motuum tum interiorum tum exteriorum functiones omnes producunt, pariter habere ac effluvia è liquoribus istis chymicis acetosis secedentia, De quibus observare est hæc tria, Vid. 1. illa esse in perpetuo motu. 2. haud longe emanare; 3. non tantum viis apertis ferri, sed porositates novas in corporibus vicinis procedere, iisque se insinuare; Ex hujusmodi conditionum circa *spiritus animales* analogia evenit, quod *Melancholici* sint semper *cogitabundi*, quod res pauciores omnino comprehendant; quod de iis notiones suas perperam instituant; Hæc explicatius perpendamus.

Itaque 4°. advertimus effluvia, è liquoribus acetosis stillatitia; *esse perpetuo in motu* Nam *spiritus vitrioli*, *aceti radicati* aut salis marini continue evaporant, Cujus ratio est, quoniam istæ salis fluidi particulæ fere cum nullis aliis cohærent, quia ubicunque sistuntur, mox subjecta sua derelinquere aptæ, consortia nova ambire videntur; Hinc quidam mobile perpetuum nulla ratione melius effingendum censent, quam si acidi mineralium spiritus phiolæ hermeticè obsignatæ occludantur, ita namque vapores, sive effluvia circulatione continua vitri latera percepturabunt; Pariter opinari licet à *sanguine* interdum *Sale fixo*, vel *particulis vitriolicis*, aut alias heterogeneis referto, *liquorem nerveum acetosum*, pro spirituum animalium materia & vehiculo in cerebrum instillari, proindeque illos intra τοῦ ἐγκεφάλου meditullia admissos, propter functionum animalium ictus, poros & meatus omnes non ocyus trajicere & irradiare, sed tanquam ἀτμίδας acidiusculas, lente, sed incessanter huc illuc perreptare, & velut formicationis motu quodam irrequieto per totam viciniam se paulatim diffundere: Hinc cogitationum æstus perpetuus ciëtur, quibus sine intermissione cerebrum occupari solet, adeo ut melancholici phantasiam dies noctesque continue perturbatam habeant, in quantum scil. eorum spiritus animales ex materia indesinenter mobili constant; Hinc item, oculis intortis, aut fixis, oblique aut torvum intuentur, aliasque facultates & sensitivas & locomotivas inadvertenter exercent, in quantum spiritus motus assiduitate attriti, & distracti, systema nervosum non bene actuant, aut irradiant.

2. *E spiritu acetoso*, arte Chymica parato, licet effluvia continue decedunt, tamen ista *non longe pergunt*, quin prope liquoris superficiem densissime agglomerata, corporibus tantum vicinis impinguntur, procul consita minime attingentia: Hinc *spiritus vitrioli*, salis, vel aceti, è cucurbita in alembicum altiorem, nisi calore valde intenso urgentur, haudquaquam ascendunt; at phiala humiliori inclusi, epistomium perforant & corrodunt: Pariter habet circa *atrabilariorum symptomata*, nam in quantum spiritus animales, in naturam acidam degeneres, haud totam cerebri compagem, uti prius, irradiant, & cito permeant, ast in meditullio scaturientes impetu suo in poros & meatus tantum propinquiores feruntur, ideo cogitationes inde concitæ, utut perennes, tamen res pauciores comprehendunt: cumque ita plures spirituum copiæ finibus angustioribus coercentur, objectum quodlibet exiguum, & minoris momenti iis prægrande, & curæ insignis videtur; pari certe ratione & modo ac cum per vitrum microscopii species visibiles trajectæ oculo inferuntur; nam quatenus ejusdem rei plures radii concentrantur, ejus magnitudo in immensum augeri videtur; ita cum species quælibet intentionalis, spirituum una plurium confluxu in cerebro formatur, ista solito major & gravior Animæ apparet: Hujus veritatem unusquisque nonnunquam in seipso experitur, cum enim à victu crassiori & melancholico, aut propter tristitiæ passionem cogitabundi evadimus (cujus affectus causa est quod spiritus animales emanationi liberiori impares existunt) tunc de minimis quibusvis, tanquam exinde salus nostra, aut fortuna in æternum periclitaretur, valde solliciti & timidi sumus; Hinc etiam, quia spiritus animales, licet fere semper in motu, usque tamen intra eos breves cancellos limitantur, *Melancholici* sæpe rem eandem cogitando, & in animo revolvendo, diutissime persistunt.

3. Restat adhuc alia spirituum animalium cum illis è *vitriolo*, aliusque salinis exstillatis similitudo, nimirum quod sicut effluvia, è spiritibus ejus-

ejusmodi destillatis dimissa, haud tam spatiis apertis & tractibus prius excusis evaporant, quam poros & meatus sibi novos in corpore objecto producunt, adeo ut suberem vasis continentis foramini impositum facile perforent & friabilem reddant; quod minime accidit à spiritu vini ad eundem modum phiala incluso; Ita quidem in melancholicis usu venire solet, nam in quantum spiritus animales particulis salinis velut aculeati, dum è cerebri meditullio scaturiunt, haud priores tractus & expansionis suæ orbitas observant, verum spatiola sibi nova & insolita intra globosam cerebri substantiam densissime excavant, hinc cogitationes haud quales olim habuerunt, sed novæ, incongruæ & plerumque absurdæ animo objiciuntur.

Enim vero quod Phantasia circa rerum conceptus prævaricatur, & propterea quod judicii & rationis actus perperam efformantur, unice in causa est quod spiritus animales redituum in cerebro viis, huc illuc in obliquum & transversum lati, itinera omnino devia & inassueta affectant, quod equidem illis agere ex *diathesi acetosa*, qua laborant, proprium est, in quantum scilicet istiusmodi liquorum effluvia haud directa & libera emanatione velut lucis radii se expandunt, verum motu flexuoso, & velut formicante quaquaversus in viciniam perreptant. *Willis.*

16. *Tenebricosi*) Spiritus enim animales proximum facultatis instrumentum sunt, dum limpidi, splendidi, ætherei sunt, animæ munia laudabiliter administrant; Contaminati autem, & impuris aspersi fumis, phantasiæ idola commaculant, deturpant, animoque sæpius ea, quæ nuspiam sunt, offerunt. *Rolfincius.*

17. *Vnde omnia objecta admodum vitiosa*) Causa proxima est tenebricosum phantasma, menti præsentatum, Cumque spiritus animales sint vectores specierum phantasticarum, hæ necessario tenebrescunt ob caliginosam illorum [illegible], ab humoris atri commixtione, ita ut anima in spiritibus tanquam in aqua limpida, aut terso mundoque speculo haud amplius rerum imagines sinceriter ac liquido contueatur, sicuti enim juxta *Heraclitea* scholæ pronuntiatum, *Splendor siccus animus sapientissimus*, ita opacitas rationem reddit mœstitia ac more [illegible] insipientem, [illegible], ob caliginem terretur & timet &c. Ignoscant hic *Galeni* manes si repudiato alieno tenebrarum externarum exemplo, alias perquiramus causas cur humor ater metum tristitiamque præter rationem accersat.

Optime notavit *Aristoteles* 2. *de part. Anim: sapientiora esse animalia ob sanguinis*, & consequenter spirituum, *tenuitatem atque munditiem* quorum neutrum reperitur in terreno &c. Cur autem res graves & amaræ imaginationi objiciantur, in causa est humor melancholicus, partim sua frigiditate, partim sua nigredine, adeo ut neutra istarum qualitatum seorsim sufficiat promovendo affectui melancholico, sed utriusque oportet [illegible], ac indiscreta connexio, alioquin pituita, reddit quidem minerales spiritus algidos ac desides, unde veternus atque supinitas (nam ut à calore [illegible], sic à frigore [illegible]) sed cum albida sit, respondeatque pellucido aquatili elemento ipsos neutiquam obtenebrat, nec idcirco quatit animum irrationali metu; At vicissim maniaci, nihil obstante atrabilarii succi tenebrosa nigritie, temerarii sunt ac audacissimis audaciores, quod humor efferus suo calore facultatem acrius instimulet ad audendum, quam sua nigritie ipsam ad timendum impellat: Tristitiæ autem ratio non eadem est, quippe quæ maniacos pariter ac melancholicos delimet, ac exedat; utpote assecla [illegible] nigrescentium spirituum animalium, utralibet caloris frigorisve qualitas excelluerit.

Sed quare humoris melancholici nigredo evertit spirituum fulgorem, quandoquidem color non est qualitas activa, ac lumini nihil positivum contrariatur, sed ei opponuntur tenebræ; Nec magis videtur bilis atra suo nigrore delirium melancholicum quam bilis flava sua flavedine Phrenitidem movere?

Respondeo nigritiei nomine non colorem sed opacitatem intelligi, alias enim lege contrariorum pituitæ albedo nos lætificaret, cum tamen non pituitosi, sed sanguinei, ob sanguinis præsertim excalefacti claritatem, lascivi sint, id est, ludibundi ac faceti cavillatores: Succus atrabilarius terræ, corporum omnium opacissimæ, analogus, spirituum animalium *luminosum clarorem*, ut *Plauti* verbis utar, non quidem lucem ipsorum vernaculam interstringendo, sed propria densitate efficiendo quominus insitum ei jubar emicare queat, haud secus ac atra fuligo, dum flammæ cui commista est coruscationem remoratur, lumen ejus non corrumpit sed occultat. *Meniottus Dissert. de melancholia.*

18. *Hanc dispositionem acquirunt vel vitio &c.*) Priusquam ad morbi hujus species & differentias procedamus, explicare oportet à cujusmodi *causis* tum *procatarcticis* tum *evidentioribus* exoriri & foveri solet, & primo undenam *utraque pars Animæ*, scilicet tum *animalis* tum *vitalis*, diatheses suas morbidas acquirit: Ex his *priorem acetosam*, spiritus vitrioli aut aceti æmulam, atque istam *salino sulphuream*, sive atrabilariam esse; porro sicut utramque alterutram fovere, ita & primo gignere statuimus: nam interdum melancholica à *spiritibus animalibus* perturbatis, & in confusionem quandam actis incipiens, & aliquandiu persistens, sanguini diathesin atrabilariam accersit: quandoque item *sanguis* dyscrasiam istam primo contrahens, *spirituum* indolem pervertit: Melancholiam à *regimine animali* sæpenumero ordiri unusquisque è plebe satis advertit, quatenus nimirum *spiritus animales* à passionibus animi violentis inordinationes concipiunt, in quibus cum diu persistunt, totam *animam*, imo & *corpus*, à debita crasi & *constitutione* deflectunt, Ita imprimis *amor perditus*, *tristitia vehemens*, *terrores panici*, *invidia*, *pudor*, *cura*, & studia *immodica*, hunc affectum crebro excitare solent, Propter hujusmodi enim [illegible] spiritus animales extra solitas expansionum orbitas depulsi, & ob passionis assiduitatem in errore suo permanentes, demum in tractus devios incidunt, quos postea observantes, in priores ac debitos ægre reducuntur: Dein siquidem propterea cordis motus & vigoratio minuuntur, ideo *sanguis* à debita crasi & [illegible] desciscit, atque fixior & *salino sulphureus* exinde factus, *spiritus animales* nonnisi in *acorem* degeneres suppeditat, adeoque *sanguis* à posteriori depravatus, diathesi melancholicæ à spiritibus inceptæ fomitem tribuit: Nec minus crebro accidit melancholiæ semina primo in *sanguine* jacta, demum spiritibus labem istam impertire: Propter hanc rationem nonnulli *hæreditario jure* isti morbo obnoxii fiunt: Cæterum *victus inordinatus*, exercitii diu assueti intermissio, evacuationes solennes, uti sanguinis menstrualis, aut hæmorrhoidalis, item seminis aut ichoris serosi subito suppressæ, pluresque aliæ occasiones *sanguinem* facile inquinant ac atrabilarium reddunt, cujus dein pravam diathesin necesse erit spiritibus communicari. *Willis.*

19. *Vel vitio cerebri*) De subjecto, non causæ morbificæ, sed Delirii ipsiusmet melancholici, celebris extat locus apud *Hippocr. 6. Epid. Si infirmitas in corpus repat*, i.e. in-

terprete *Galeno*, si compositionem corporis cerebri destruat, ventres ejus imperfecte obstruendo *Epileptici*, *Si vero ad mentem vergat*, h.e. cerebri temperiem evertat, *Melancholici* evadunt, Nam, juxta doctrinam *Galeni*, Cerebrum in Epilepsia læditur ut membrum organicum, in Melancholia autem afficitur ut membrum similare.

Verumtamen quoniam Epilepsia non à dimidiata ventriculorum cerebri angustia, sed ab ἰδιοτρόπῳ partium cerebri nervosarum suscitatur, satius est *Hippocratis* textum sic interpretari: Si atrabilarius humor in corpus feratur, hoc est corpoream aggrediatur movendi facultatem, videlicet cerebri puppim, è qua nervi omnes scaturiunt, sua aciditate vellicando, Epilepsiam pariet, Si vero mentem obsideat, i.e. cerebri substantiam, principum facultatum habitaculum obnubilet, melancholiam concitabit. Hucq; eos vocavit ipsiusmet *Galeni* authoritas, 3. *Prorrh.* 3. cerebrum distinguentis à nervorum principio, Nec non *Hipp.* 6. *aph.* 69. iure dictatorio decernentis viscerum tumores repente disparentes, Si in posticam cerebri partem commeent, cōvulsiones, Si in anticā, Insanias anticam progignere; Hinc alternæ comitialis & melancholici morbi conversiones, prout humor intra cerebrum, mutato situ nunc, pungit nervorum exordium, nunc violat rationis tribunal: ac 6. *Epid.* s. 3. Thasia mulier δυσάνιος i.e. levissima de causa αἰτίαν concipiens, delirio & convulsionibus vicissim tentabatur; Proindeque melancholicum delirium, rectius morbus sacer diceretur quam Epilepsia, quod sanctissimum mentis templum polluat. *Menjotius.*

20. *Vel materiæ ex qua fiunt*) Causa pravæ hujus spirituum dispositionis est humor melancholicus, qui crassitie, opacitate & colore nigro præditus spiritus animales inficit & tenebricosos reddit: Et cum humor melancholicus frigida & sicca intemperie donatus sit, ad figendos & densandos spiritus maxime conducit, quæ quidem densatio & fixatio spirituum ad mœrorem & tristitiam necessaria est: Si enim humor tenuis sit & calidus, qualis est atra bilis, à qua Mania producitur, furorem potius & audaciam excitat: Ergo causa proxima melancholiæ est opacitas & tenebrositas spirituum animalium, conditio vero necessaria, & sine qua non, est frigida & sicca intemperies.

Si quis vero instet in melancholia hypochondriaca, ex *Galeno* 3. *de locis* cap. 7. esse inflammationem in hypochondriis, atque adeo calidam intemperiem prævalere, Respondeo illam inflammationem (seu potius phlogosin) hypochondriorum fieri ex eo quod sanguis melancholicus in liene & vasis meseraicis diutius retentus ob obstructiones incalescit, unde multi vapores elevantur ad cerebrum, qui licet calidi sint, vincuntur tamen à frigiditate cerebri, & facile ad temperiem humori melancholico propriam, nempe frigidam & siccam reducuntur: Si vero tantus sit illorum vaporum calor ut cerebri temperiem invertat, & in calidam & siccam permutet, tunc mania, non melancholia generatur. Ita ut mania & melancholia in eo præsertim differant, quod in illa est calida & sicca intemperies, in hac verò frigida & sicca. *Riverius.*

20. *Vel materiæ ex qua fiunt*) Quoad *causam proximam* duo consideranda veniunt, 1. *Habitus corporis melancholicus*, tam naturalis quam præternat. & morbosus 2. superadditum delirium, cujus ratio potissimum in spiritibus animalibus, eorundemque natura & motu vitiatis investiganda venit: Causa remota vero, & *fomes morbosus est in sanguine*, nam prout variat massæ sanguineæ crasis naturalis, ita etiam hominum mores subinde variant, Et hoc est quod jam olim dixit *Galenus*, *Quod mores animi sequantur temperamentum corporis*: Unde tota die experimur quosdam natura esse lætos, quosdam tristes &c. Hi vero qui p.n. sunt melancholici, & indè *deliri*, utplurimum sunt *hypochondriaci*, sicut malum hypochondriacum sæpissime tale delirium post se trahit; quod *Melancholia hypochondriaca* audit: Faciunt huc *hæmorrhoides suppressæ* & *menses deficientes*, quæ sæpe tale delirium afferunt melancholicum, quod *Melancholiam ex utero* vocant. *Etmuller.*

21. *Materia impura & melancholica*) Exsibilant nonnulli *humorem melancholicum*, seu nigricantem, qui *tenebricosi phantasmatis* & spirituum obtenebratorum causa est, ad quem, duce Veterum de Humoribus doctrina deducimur, frustra autem in Liene quærendum quidam prævident, Ecquid enim ex *Hippocr.* & *Galeni* monimentis præter *Humorum* & *Vaporum*, à debili calore suscitatorum, fabulas? Sed bona verba bonæ causæ: Quam enim utilis non modo, verum etiam necessaria in foro medico sit hæc Antiquorum doctrina agnoscunt viri in re Medica versatissimi, continent quippe *humores* sinu suo, unde temperies, conformatio unitasque corporis eruantur: Hinc sanguinea massa, quoties particulis justo *siccioribus* ac *frigidioribus* (sub quibus δυνάμεις ἀΰλους comprehensas volumus) abundat, quidni tam vitalibus quam animalibus spiritibus, à quibus alioquin omnem illa nancisci vigorem fuerit, ἀχλυώδη tenebris similem induxerit, sive jam in cerebro, propria hujus culpa humor dictus melancholicus generetur, aut accumuletur, sive aliunde, vel à toto vel à parte aliqua advehatur? Venas & arterias, aliosque ductus præsto videmus, ut non opus sit in avia delabi.

Neque vero est ut quis nos melancholico, seu humori isti nigricanti, prout is quidem à nonnullis asseritur, adeo putet immersos ut *humorem serosum, fixiorem, acidiorem*, ac *deturbatum*, quem Recentiores potius substituendum judicant, cernere neutiquam possimus, qui sanguinis late accepti partem crassiorem, una cum vehiculo suo copioso (quod commune toti *Serum* dicitur) sumptam nihilominus adhuc locum reperire posse arbitramur. Quo etiam ipse *Hipp.* respicere videtur, quando 4. *de morb.* humorem melancholicum vel ὕδωρ vel ὕδρωπα insignivit, Interim non ignorantes quam difficile sit certi quidpiam hic pronuntiare, hactenus à nobis prolata ita quidem amplectimur ut cum *Brunone* per *melancholiam* p.n. *Humorem Pancreaticum* diversimode corruptum intelligamus, meliora si quis proferat, paratos nos ad suffragium ingenue fateamur &c. *Straussius.*

22. *Humor sive vapor*) Non semper ab humore melancholico, ejusve vaporibus, fieri melancholiam plurima ostendunt; vidimus enim *1* hoc symptomate vexatos sæpe non habere istius humoris prædominantis signa, imo cujuslibet temperiei homines sic affici interdum posse, ex sola intemperie aut cerebri, aut spirituum, *Matthæus Ferrariensis comm. in* IX. *Rhasis* hujus authoritate vult cogitationes fortes & longas ad ducere ad hanc passionem, non immutando realiter complexionem, & homines fieri tristes quandò non possunt consequi effectum rerum de quibus cogitant; Videmus quam sæpe irrito conatu ejusmodi melancholicos torqueant Medici purgationibus variisque aliis remediis, qui statim postea curati sunt mutata solum imaginatione, Quidam qui sine capite se esse persuaserat, imposito capiti pileo plumbeo sanatus fuit: Mulier serpentem se devorasse putabat, Medicus vomitum provocat, in id quod rejectum fuit serpētem imposuit, statim discussa est tristitia omnis: Alia mulier ex longa mariti absentia melācholia correpta, eo præter spē reverso gaudio affecta, omni metu liberata est, absq; ulla curatione ad naturalem statum redit, ut narrat *Trallianus*: Variæ occurrunt ejusmodi historiæ, Unde patet non esse semper ejusmodi imaginosos remediis vexandos, quæ corpori noxam, menti nullum afferunt solatium. Non enim semper in humoribus, sed in sola intem-

intemperie, aut etiam spiritibus causa latitat, quibus vel sopitis, vel alio procul à corde & cerebro ablegatis affectus cessat, tristitiæ succedit gaudium: nihil enim ejusmodi subitis motibus obedire potest præter spiritus: intemperies tam cito abire, aut humor tam contumax evacuari, naturæque suæ pernitiem amittere nequit, maximeq; in malo per longas temporis moras confirmato: *Rhazes 1.contin.* inquit, *Dico, aliquando existit melancholia humoribus existentibus bonis, & non indiget habens hanc dispositionem aliqua medicina, & hoc est quando aliquando aliquis cum aviditate cogitat de aliquo facto. & mutata sola phantasia, verbis vel alio ingenio curantur.* Fatetur etiam *Avicenna* fieri posse ab intemperie sine materia; Præterea addendum quod sæpe Dæmon his affectibus addit se comitem, cui frustra medicinam quis adhibeat, qua ratione Veteres in hoc humore (potius morbum dicere) adesse θεῖόν τι existimarunt. *Primrosius de Vulg. Err. lib. 2. c. 25.*

[22] *Sive ea sit humor sive vapor*) Quæritur sitne ab humore vel à vapore? Distinguo, quæ per essentiam est, ab humore est, quæ per consensum à vapore, Et hæc est duplex melancholia *3. loc. aff. 7.* quarum quæ per essentiam est, in capite est, quæ per consensum, ex toto corpore, in iis qui habitu sunt melancholici, altera est ab hypochondriis. *C. Hofmannus Inst. m. l. 3. c. 36.*

1. CVratio est facilis si recens, sic enim solo victu & humectatione corporis ac capitis interdum curatur; Si [2]. corpus augmentum sumit, quia id sanguinem meliorem reddi & temperari indicio est: Si imaginatio saltem læditur; Si cum risu aliquo est. [3]. *Difficilis* [4]. si inveterata, si cum studio, quia ab humore maligno proficiscitur; Si cum imaginatione ratiocinatio læditur. *Nulla* si hæreditaria.

[5]. *Processum curationis* Vide de Intemperie cerebri melancholica (c. 2. p. 544.) & Infra In Differentiis. [6]. Nota tamen i. [7]. Diætæ hic magnam rationem habendam. [8]. Somnum, ne in maniam abeat, urgendum.

[9]. *Acetum* nonnisi ut vapores sicci à cerebro avocentur, adhibendum.

[10]. Aquæ dulcis balneum non negligendum.

2. [11]. Ægrum ad contrariam imaginationem ducendum.

3. *Purgantia* circa horam quartam vespertinam exhibenda: medicamentis tamen interdum ad certum tempus abstinendum.

[12]. Laudantur hic succus *pomorum* redolentium, *Theriaca* cum uno vel altero grano anthoræ, *Confectio Alkermes, Tinctura & Extractum Lazuli, Elixir proprietatis, Lapis Bezoar, Cachunde* medicamentum Indicum; cujus descriptionem vide apud Zacutum Historiæ Medic. l. 1. p. 310.

[13]. Terminatur, vel *ad salutem*, [14]. per materiæ dissipationem, ad ignobiliores partes decubitum, hæmorrhoidum fluxum, varicum vel scabiei efflorescentiam.

Ad mortem, per virium resolutionem, propter inædiam & vigilias, per [15]. epilepticam convulsionem, maniam, cœcitatem, materia eo verno inprimis tempore detrusa &c.

[1]. *Curatio*) Hæc ut feliciter succedat singularis Medici prudentia requiritur, Docet enim experientia non remedia tantum varie immutanda, sed & *preces* & *ingeniosas deceptione*, imo etiam *pœnas* in subsidium vocandas esse, etiamsi hæc auxiliorum genera sæpenumero diu in vanum adhibeantur: Quicquid sit, oppugnandæ causæ sunt ut sanguini conveniens *regimen* & nativa indoles, tumque spiritibus suus splendor & natura volatilis tempestive restituantur. *Straussius.*

[1]. *Curatio*) In cura Delirii melancholici duo attendenda *1. habitus Melancholicus corporis & spirituum animalium, 2. ipsum delirium.* Ratione *prioris*, curandi ut hypochondriaci; Ratione *posterioris*, spiritus animales à perverso motu revocandi, vel medicamentis, vel rationibus, *Medicamentis*; per *anodyna mineralia*, item *Opiata, camphorata* &c. *Rationibus*, vel *assentiendo* per stratagemata, vel *contrariando* per persuasiones. *Etmuller.*

[2]. *Si corpus augmentum sumit*) Ideoque melancholici sunt pinguefaciendi, alioquin ex eorú humores feriunt magis, dulcedo enim alimenti temperat, & suaviores mitioresque reddit humores: Contra, quia perpetuo conqueruntur, molestumque rei cujuspiam sensum habent, putant extenuatione, purgatione sibi opus nonnihil posse afferri, at contra fit, nec enim tam quantitas humoris molesta esse solet, imo bene habent illi cum *[illegible]* comparant, dummodo *[illegible]* non impediat difflatum fuliginum, quæ etiamnum in talibus visceribus generantur, *Ballonius consil. 64 lib. 3.*

[3]. *Curatio difficilis*) Prognosin quod attinet, lethalem quidem melancholiam sua natura non esse, tum indoles morbi, tum experientiæ fides, adstipulante *Coo 1. de morb.* s. 3. confirmant, Nullam tamen delirationem tutam esse recte monet *Galenus 6. aph. 53*, sive enim mentis aberrationem consideres, sive causæ, quæ fixa est, pertinaciam, næ? utramque ad melius reperies valde refractariam: Idque tanto magis si melancholia fuerit *essentialis*, causarumq; pondus capiti firmiter inhæserit; Vnde non raro ad sepulchrum usque quos invasit comitatur, præsertim si non à causa solitaria, seu passione vehementis sed post longam procatarxin supervenerit: Diutius autem protracta non raro in *[illegible]*, aliquando etiam in *Maniam*, aut alios morbos transit: Sic melancholicos magna ex parte fieri epilepticos notat *Galenus* l. 3. loc. aff. cap. 7. Prudenter hinc *Hippocr.* 1. de morbis, addit, *nisi quid aliud acciderit*, q. d. melancholiæ posse jungi alia mala quæ ipsam faciant lethalem: Quo pertinet quod nonnulli ægri sese animam agere putantes, metus & imaginatione sint mortui, alii vero præ nimia anxietate & metu, vitæque tædio, violentas sibi manus intulerint. *Straussius.*

A *sanguine* petrusto quæ est, tutior, à *sincera bile* periculosior: In *fœminis* pravior est, Auctore *Coo lib.* de Virg. M. *Muliebris natura animi magis est dejecta.* Ad salutem terminatur *Varicibus* aut hæmorrhoidibus *apparentibus 6. aph. 21.* Dysenteria etiam salutaris, *7. aphor. 5. Rolfincius.*

Si penitus totum corpus occupaverit, sensus, mentem, sanguinem, bilem, nervos etiam corripuerit, & ipsa insanabilis efficitur, & aliorum morborum corpori sobolem inserit, furoris, nervorum distensionis resolutionisque Quæ si à melancholia proveniunt, sanationem unque accipere nequeunt. *Aretæus l. 1. de cur. Diut. caput. 5.*

[3]. *Curatio difficilis*) De curatione spes minor, aut nulla est, si affecti contumaces admodum & refractarii medicamenta omnia, & tractationis methodum quamvis respuerint: Porro vix quicquam melius ab illis expectetur qui morbis fere tantum imaginariis

decumbentes, remedia quævis sumunt, sibique plura subinde & diversimoda exhiberi poscunt: Primi autem difficilis semper & longa, ita maxime intricata, & perplexa esse solet curatio, utpote quæ respectu causarum cujusque generis, evidentium, procatarcticarum & conjunctarum; etiam ratione symptomatum quotidie emergentium, diversimode institui & subinde variari solet: Nec tantum remedia & medendi methodum sæpius mutare, sed iis monita, deceptiones, illecebras, preces & pœnas varias interserere oportet. *Willis.*

Curationem procrastinare non decet. *Trallianus*: Sed maturanda negotia sunt, ac celeritas adhibenda: Exiguis enim medicamentis morbus non obsequitur: Si magnis autem non vincitur, sed resistit, tunc firma sede melancholia nititur. *Aretæus.*

3. *Difficilis si*) In fœminis rarior est melancholia, sed pertinacior, in specie in iis quibus menstrua deficiunt; Interitus imminet si resolvuntur *vires*, si cibum & potum respuunt; si nihil dormiunt. *Etmuller.*

4. *Difficilis & inveterata*) Diuturnitas illa cum ægrotantis tum ipsiusmet affectionis culpa provenit, Melácholicus enim sapientiæ ægritudine immorigerus est, Medico, morbique longævitate pertæsus ad nova ac empirica remedia imprudenter confugit, habita insuper diæta: Morbus etiam per se est *χρόνιος*, ob naturam humoris, ut docet *Hippocr. l. de nat. humana*, glutinosissimi, qui diuturnissimas figit stationes, nec occupatis sedibus facile convellitur, mollis enim ac delicatæ medicinæ aspernatur poppysmata, *ἀγεννῶς* vero præsidiorum flagris insolescit; Quod si medicus adulterio medicaminum humorem efferari animadvertens *καιρὸν ἀνέμενων* agat in hac scena, totumque curationis negotium naturæ committat, morbus interim altiores vixque unquam præcidendas radices emittit, quare non injuria affectio ista Medicorum opprobrium, ac eorundem flagellum, rota & crux indigitatur.

Quod si melancholicus morbus *ἀρχόμενος συνίστασθαι* cum incœperat formari, tamen *αὐξάνεται*, repugnat, quanto ægrius profligabitur *συνεστηκὼς ἀναγκαίως καὶ ἐνισταμένως*, ubi penitus insedit ac inveteravit in cerebro, adeo ut hujus intemperies haud amplius fiens sit, sed facta, nec spiritus ei implantatus jam alteratus sit, sed pene abalienatus, deficiatq; internum agens, scil. natura, quę *morborum medicatrix* est: Quomodo etiam ingenita melancholia nunquam eximitur, quod primævum ac radicale temperamentum nulla furca possit expelli, quin statim recurrat. *Menjotus.*

5. *Processum vide de intemperie &c.*) *Tit.* 1. *c.* 2. Methodus Therapeutica ad melancholiá sanandam accommodata plures alias *indicationes* suggerit, quarum præcipuæ, & ad quas cæteræ melius revocantur, sunt tres istæ vulgo celebres, scil. *Curatoria*, quæ morbum immediate ejusque *causam conjunctam* spectat, *Præservatoria*, quæ *causas procatarcticas* & *evidentes* respicit, atque *Vitalis*, quæ circa vires conservandas occupatur. *Willis,*

6. *Nota tamen*) Circa remedia notandum *Vomitoria* & *Martialia* primatum ducere: *Illa* excellunt si in debita dozi dentur, nempe auctiori, Sic *Tartar. emet.* cujus grana duo vel iij. alias dantur, hic sæpe ad gr. vj. propinandus: Post hæc sunt *purgantia per inferiora*, quæ inter *antimonialia* pariter excellunt; & *helleborus niger*. Etmuller.

6. *Nota tamen &c.*) Nota etiam in curatione Naturæ quietem condonandam, nam plerique hoc morbo infestati, quo tempore curabantur nihil profecisse visos esse, & sibi dimissos convaluisse; quia recte prius tractati postea vires adversus morbum acceperunt. *Montanus.*

6. *Nota*) Sæpius reiteretur venæ sectio, pro tostis & exustis humoribus alterandis: Ad somnum promovendum exterius *compositum spermiola* cum *aqua rosar.* dissolutum applicetur fronti temporibusque, linteis humectatis in eo, Sed simul etiam interius *laudani Opiati* ad gr. iv. vel v. præscriberem, Quid præstent hæc remedia post universalia, pluribus exemplis confirmarem &c. *Greg. Horstius l.* 2. *obs.* 18.

Operam det ut quotidie beneficium ventris habeat, id si non fieret, quarta pars unciæ bonæ *terebinthinæ* erit assumenda; hujus usus ad multa futurus utilis est, utatur sæpissime *sacch. ros.* maxime matutino tempore ad ℥ß. Item singulis septimanis bis sumat ʒß. *rhei*, idque vel masticet atque deglutiat, vel in pulverem redigat, & cum uvis *passis* aut sacch. ros. accipiat. *Joh. B. Montanus cons.* 24.

6. *Nota*) Notandum *ad extrema remedia nonnunquam devenendum*, ut *Trepanationem*, siquidem casu fortuito multi sic curati sunt, fracta calvaria, quod mihi non videtur omnino rejiciendum: Visa est mulier melancholica & maniaca nostro tempore, cui ob casum apertum est cranium, unde effluxit aqua, & curata est ab insania, quare si pari ratione trepanetur, vapores atri, & si quid est aliud præter naturam in cerebro, vacuatur.

Cauteria etiam *posita supra suturam coronalem* multum laudantur, sed oportet diutius remanere, ut os capitis ustionem sentiat. *Rondeletius pr. l.* 1. *c.* 41.

Juvenis xxx. ann. melancholia detinebatur pertinacissima, cranio diligenter aperto à *J. Casserio*, etiamsi nulla esset partis membranæ incumbentis suspicio, cerebro tamen eventilato ad sanitatem rediit. *Joh. Rhodius Cent.* 1. *obs.* 43.

7. *Diæta*) Assumantur alimenta large nutrientia, nam bene edunt melancholici, Si non appetant, malum signum est; *Lacticinia* dentur, nisi quid obstet; Vinum pavores pellit, & ægrus erigit, non tamen in nimia dozi, ne inebriet. *Etmuller.*

7. *Diæta hic magnam*) Diæteticus fons ad causas dirigendus est: *Aër* sit lucidus, *cibus εὔχυμος καὶ εὔχυλος*, *vini* moderatior usus nequaquam interdicendus, *Alvus* quotidie respondeat, segnior prunis laxativis stimuletur, *Affectus animi* musica demulceantur, *Straussius.*

Zeno difficilis erat & iracundus, inter amicos interrogatus cur in convivio hilaresceret, & *lupini*, respondit, *quum sint amari aqua perfusi dulcescunt*: Ideo vini usus non omnino interdicendus: *Vinum chalybeatum* ex usu est, De *Aceto* male ominatus *Senex* 3. *de v. Acut.* nigra ab eo, *inquit*, fermentantur, & in sublime attolluntur, & multiplicantur, nempe nigra educit acetum: *Nos* tamen meliora ab acidis succis, *aceto*, *succo citri*, condimenti loco admistis speramus, *Venus* amatum suum *Adonim* in lactuca sepeliat, nisi ex amore in hunc affectum æger inciderit. *Rolfincius.*

Bibat *vinum* dilutum cum *aqua helenii*: *helenium* miram habet proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum; quod multi pro secreto habent, Ideo *conservatllius* & *aqua destillata* plurimum valent, *Rondeletius c.* 9. *l.* 1. *Prax.*

Abstineat à leguminibus oleribus, *rapas* tamen bene coctas & conditas *caryoph.* comedere poterit. Non misceat multos cibos, sed duobus ferculis, elixa videl. carne & assa contentus sit: Ante cibum interdum *pruna* vel *passulas* sumat, quæ prius in vino, vel aqua sacch. maceratæ intumuerint; Nimium non ingerat, maxime in cœna, quam parcissimam esse convenit; Nutrimento utatur neque imbecilli omnino & tenui, neque crasso & fumoso &c. Post sumptum cibum accipiat cochl. 1. *pulv. peptici*: A cibo exercitia, quæ cibum præcedere debent, cavenda; *Frictiones* matutinæ universi corporis cum *oleo amygdal.* dulci &c. *Crato cons.* 107. *l.* 6.

8. *Somnum, ne in maniam*) Pro somno conciliando hoc exhibeo *Narcoticum Nepenthes Quercetani*, illudque plurimes expertus sum in his morbis sine periculo, & cum cum magno progressu, Dosis gr. j. vel ij. cum *sacch. ros.* post cœnam *Rod. à Fonseca Tom.* 5. *cons.* 12.

Nullum præstantius remedium *Hypnotico nectare*

nostro,

nostro. N. Abr. Prambosiarius conf. lib. 2. tit. 3. consil. 1. ubi praeparatio.

9. *Acetum nonnisi &c.*) Sunt quoque qui negant conferre vinum album lienosis & melancholicis, quod id subigat instar fermenti succum melancholicum illic restagnantem: An illud verum? contra substantiae tenuitate urinas & sudores movet. *Ballonius Epid. p. 10.*

9. *Acetum nonnisi ut vapores*) *Galeno* placet ut aceti acidissimi cochlear unum post cœnam sorbeant, quum dormitum vadunt, & eo interdum inter comedendum opsonia intingat, Reclamat *Massaria*, quod acetum aretum bilem parrat.

10. *Aqua dulcis balneum*) In æstate Balneum aquæ dulcis, quatenus sordes cutis poris impactas abstergat, & διαπνοὴν insensibilem promovet, quibusdam valde prodest. *Willis.* Iuvat & humectatione viscerum, refrigeratione æstus interni, humorum crassorum fusione, meatuum & vasorum reseratione.

11. 2. *Ægrum ad contrariam imaginationem ducendum*) Ratio spirituum habenda (*quæ prima indicatio est*) *fixiores aut dejectos*, nec non tergiversari aut deviare aptos in tantum erigere, volatilisare, & corroborare, ut postea liberius expansi totum cerebrum pro imaginationis, judicii, aliarumque principum facultatum actibus pleno et irretorio jubare irradient; atque præcordia ita vegete actuent, & fortiter vibrare faciant, ut sanguis ubertim accensus, exinde sine remora aut restagnatione in totum corpus projiciatur: Itaque pro medela spirituum imprimis procuretur ut *Anima ab omni Pathemate molesto* & coercivo, videlicet à *vesano amore, zelotypia, mœrore, commiseratione, odio, timore* & similibus abducatur, atque ad alacritatem aut lætitiam componatur: *confabulatio hilaris, aut jocosa, cantus, musica, pictura, saltatio, venatus, piscatio*, aliaque exercitia jucunda adhibeantur: Quos deliciæ, aut ludicra non juvant (quibusdam enim melancholicis ea semper ingrata) illi ad negotia leviora ineunda suscitentur, *studia mathematica*, aut *chymica*, etiam peregrinatio interdum valde prosunt: porro in solo nativo habitationum loca mutare non raro expedit: Quibus domi semper manere incumbit, monendi sunt ut res œconomicas curent, & familias suas gubernent: ædificia, hortos, pomaria, agros rite ordinent, accolent: Nam mens curis, aut officiis necessariis occupata, cogitationes inanes aut vesanas facilius deponit ac tandem deserit; *Melancholici* rarius *soli* relinquantur, nam si quando phantasmatis & speculationibus suis aëreis indulgere & diutius immorari sinuntur, Anima intus subsidet, & à corpore desciscens, & metamorphosin quandam subiens, speciem novam, & non raro à moribus humanis alienam induit: Quare affecti, amicorum aut familiarium colloquiis fere semper interturbari debent, nempe ut spiritus animales extrorsum vocati à diverticulis suis in tractus priores & assuetos solicitentur: Sin vero ægri illusionibus phantasticis seducti, de seipsis prodigiosa quædam imaginantur, & firmiter credunt, mens ab istis per inventa artificiosa abducenda est, cujusmodi therapejas plurimi casus & exempla in libris prostant, quin & sagax medicus pro re nata similia instituat. *Willis.*

12. *Laudantur hic*) Tinctura Lunæ ad melancholiam egregie prodest, Dedi melancholico per xiv. dies hanc.

℞. *Tinctur. Lunæ gr.* viij. *Essent. perlar. gr.* v.
tinct. corall. gr. vj. *spir. c. c. gtt.* iij.
ambra, moschi ana. gr. iij.

misce, Summa est medicina in melancholia, *Agricola comm. in Poppium, Tr. de Arg. p. 113.*

Oleum margaritarum paratum cum liquore *camphora* ad guttas aliquot datum, simile non habet in melancholiæ ex corde palpitante: *Fabr. Bartoletus Meth. in Dysp. l. 5. c. 4.*

Tinctura, seu *magist. croci* tristitiam & melancholiam mire expellit: *Joh. Th. de Bry Introd. in vital. Philos. Tr. 2. c. 5.*

Hoc admirabile si bibatur; *vinum* cum parte modica *succi borragin.* vel *buglossa depurato R. à Fonseca Tom. 2. cons. 70.*

Essentia flor. hyperici admiranda vis est ad melancholiam & depravatam imaginationem; ut ipse in aliquot ægris sum expertus, quæ ita datur:

℞. *Aqu. flor. hyper.* ℔j. *in ea* dissolve ℥ij. essentiæ hujus, *sacch.* ℥iß. edulcoranda, Cola, Da mane & vesperi 2. 3. vel 4. cochl. quotidie mane & vasperi. *Ang. Sala Myroth. p. 795.*

Antimelancholica specifica interna,

Hypericum, Tinctura flor. borrag. buglossa cum spir. vitr. philos. striato: Mandragora succus duabus vicibus potus. *Petraeus in Nosol. Harmon. p. 64.*

Essentia Croci cum aqua vitæ extracta.

Extractum alkermes factum cum *succo pomor. redolentium, Essentia fumar. Tinctura lap. lazuli, corallor. smaragdi, Elix. propriet. cum succo* Senoerti, *Lapis Bezoar orient. verus.* Riverius: *Succus expressus fumar.* recens cum *sero lactis* oblatus, *Essentia martis. cum succo pomor: Bordorff. Ambr. gr.* solius gr. v. vel vj. quotidie cum vino; è *Tinctura Bezoart.* in ipso paroxysmo etiam utilis. *Frid. Hofmannus m. m. p. 290.*

13. *Terminatur vel ad salutem &c.*) Melancholiæ *prognosis*, etsi quoad *salutem* aut *mortem* plerumque tuta est; ratione tamen *eventus* plurimum incerta est: quippe nonnulli brevi convalescunt, alii non nisi longo tempore, alii nunquam sanantur: *Affectio* hæc à causa evidenti solitaria, ut passione vehementi subito excitata, longe tutior est quam post diuturnam procatarxin sensim invadens; nam ista, si *causa evidens* statim amoveatur, sæpe sponte cessat, aut facili negotio curatur; verum in hac siquidem & *sanguinis* massa, & tota spirituum animalium aggeries à debita crasi desciverunt, atque non raro *cerebri conformatio* quoad spirituum tractus alteratur, therapeja difficulter admodum, & nonnisi longo tempore succedit: Melancholia diutius *protracta*, non raro in *μώρωσιν*, quandoque item in *maniam* transit, porro nonnunquam *affectus convulsivos*, aut *paralysin*, aut *apoplexiam*, imo aliquando mortem violentam accersit. *Willis.*

Chronicus est iste morbus & contumacissimus si semel altas in corpore radices egerit; humor enim melancholicus, præcipue qui per adustionem genitus est, & ad atræ bilis naturam accedit, vim remediorum eludit, mitiora contemnit, & ad fortiora efferatur: Unde flagellum & opprobrium Medicorum dicitur: Incipientem tamen melanch. *Galenus* l. 3. de loc. 7. solo aquæ dulcis balneo frequenter se curasse dicit: Hæmorrhoides aut Varices critice supervenientes curationem interdum afferunt; Sed & symptomatice interdum contingunt & per epigenesin, à multiplicata materia morbifica, indeque ad plures partes diffusa: Solvitur interdum per fluxum hæmorrhoidum, aut per scabiem cutaneosve affectus. *Riverius.*

14. *Per materiæ dissipationem*) Ut Quartana febris (*6. Epid. 6. 7.*) luculento suo igne edaci, in terrestri densaque materia tanquam in carbonibus accenso, magnos morbos, ac præcipue comitialem consumit & quasi devorat, sic libertatis vindex existit in melancholia: Humor enim atrabilarius, prout nervorum origines mentisve larem adiit, ita vel epilepsiæ, vel melancholiæ effector mohtorque est; affectiones autem iisdem auspiciis natas, eodem etiam fato par est denasci; quapropter non jocose, sed serio, febris biduo medio intervallata argutæ orationis lepore interdum collau-

data fuit, quando ipsa quoque ejus ... languentibus est beneficentissima. *Menjotus*.

15. *Per epilepticam convulsionem, maniam, cæcitatem*) *Morborum melancholicorum periculosi decubitus, vel apoplexiam corporis, vel convulsionem, vel maniam, vel cæcitatem denuntiant*, 6.aph.56. Ubi notandum *apoplexiam* quidem, *convulsiones* atque *cæcitatem* proxime oriri posse ab humore melancholico, etsi sæpe sæpius à seroso, quo melancholici restagnant, At melancholiam exire in *furorem*, per caleniationem, non per decubitum & quasi explantationem humoris, quod hi duo affectus non subjecto, sed qualitatibus maturæ distinguantur.

15. *Epilepticam convulsionem*) Rarum esse quod delirium melancholicum convulsiones superveniant ait *Etmuller*.

[16] *Dividitur* in aliquot species.

I. [17] Alia est [18] *cerebri* [19] quando Cerebrum in modo substantiæ à naturali luciditate, & puritate discedit.

[20] *Cognoscitur* ex eo, quod delirium est perpetuum & vehemens, melancholiæ in capite abundantis signa adsunt, sanguis si emittatur, nec est crassus nec ater.

[21] *Oritur Externè*, à forti imaginatione, [22] metu, & gravibus aliis animi affectibus.

Internè, [23] ab humore melancholico in capite cumulato; seu ob intemperiem cerebri frigidam acquisitam, [24] seu ob melancholicam constitutionem, quæ ex affectibus agnoscitur; seu ob materiam frigidam & siccam, post morbos calidos, calore remittente & partibus tenuioribus resolutis, in cerebro relictam.

[25] *Curatur* 1. Materiæ peccantis *alteratione & præparatione*, per fumariam, aquam vel syrupum pomor. redolent, & tartar. vitriol.

2. [26] Ejusdem *evacuatione*, per *extract. hellebori*, [27] viis inferioribus apertis, Errhina, Sternutatoria.

3. [28] Somni inductione per hypnotica.

4. [29] Capitis roboratione, per *Tincturam Chrysolithi*, & alia appropriata, ut sunt lapides *lazuli* & quinque preciosi. Amuleta sunt, *Corallum*, & *smaragdus*.

16. *Dividitur in aliquot species*) Quod plerique Medici Melancholiam ab *humore atrabilario* alicubi primario & per se genito exoriri statuunt, & pro genesi ejus loca singularia, nempe *cerebrum, lienem, uterum & totum habitum* corporis assignant, non facile hæc omnia concedimus, præterquam enim quod nullæ talis humoris mineræ, nisi forsan in *liene*, uspiam consitæ apparent, insuper *ipse sanguis* est qui intemperiem atrabilariam, aut quamvis aliam per se primo concipit, dein recrementa ejusdem indolis in propriis emunctoriis, aut receptaculis deponit: Nec enim *flava bilis* in vesica fellea, aut *atra*, sic dicta, in *Liene* reconderetur, nisi prius massa sanguinea humores istos progigneret: Si quando hi, aut alii excrementitii alicubi depositi, à cruore excipiantur, hujus *effervescentiam*, sed non statim aut facile *intemperiem* ejus producunt. *Willis*.

16. *Dividitur in aliquot species*) Morbi hujus differentiæ hæ statui possunt 1. respectu primi ejus *subjecti*, quod scil. modo est *Anima* modo *Corpus*, seu potius sanguis, Dicatur *Melancholia* aut *Animalis* aut *Humoralis*: Rursus illa, juxta quod variis potentiis imprimitur, nempe aut *voluntati rationali*, aut *appetitui sensitivo, concupiscibili*, aut *irascibili primo* imprimitur; etiam prout circa res diversimodas, nempe aut *sacras*, aut *magicas*, aut humanas, quarum census ingens & pene infinitus est, versatur, in species plurimas dividitur, quarum præcipuæ in curam medicam venire solitæ, sunt *Melancholia religiosa*, *amorosa*, & *zelotypa*.

ij. Ratione *Ægri temperiei*, juxta quod sanguinis atrabilarii facti particulæ, modo *sulphureæ*, modo *salinæ*, aut *terrestres spirituosis* depressis plus aut minus exhalantur, melancholiæ *delirium*, vel *tristitia*, furor vel *stupiditas* magis aut minus varie adjungantur.

iij. Prout *causa conjuncta*, aut fortior, tum spirituum hypostasi, tum massæ sanguineæ simul utrisque viriatis gravior tum levior, & minus alte defixa est, morbus vel *continuus* est vel *intermittens*, adeo ut affecti interdum per plures dies aut menses, imo interdum annos satis rite valeant, propter magnas tamen ... in recidivas apti.

iv. Respectu *Imaginationis* læsæ melancholicorum typi multiplices, imo fere innumeri occurrunt, quorum tamen præcipua differentia est, quod nonnulli in omnibus, & aliqui in una tantum re delirant. *Willis*.

Inprimis notanda est differentia Delirii melancholici quando aliud est *fixum*, aliud *vagum*, Heic in plerisque fere actionibus aberrant, à recta ratione, & varia atque delira loquuntur; *Illic* circa unum & determinatum versantur objectum, circa quod varia sibi phantasmata fingunt, aut *concupiscendo*, aut *aversando*, Fit tamen sæpe ut quod primum vagum erat delirium, paulo post, quando objectum aliquod excellentius aut gravius in sensus incurrit, & mentem fortius afficit, fixum evadat & determinatum, *Etmuller*.

16. *Dividitur in aliquot species*) Melancholia aut est idiopathica aut sympathica, *Idiopathica* non per intervalla ac spiramenta temporum, sed indesinenter affligit, etsi incrementis atque laxamentis sit discriminata, fitque ab humore intra cerebri limites coercito; Hæc iterum duplex existit, una deterior, quæ causam habet indigenam, seu in ipsomet cerebro oriundam; altera mitior, ab humore, vel materia quidem alienigena, verum quæ civitate, ut ita dicam, donatur, seu quæ in cerebrum ita transmigravit, ut suis nitatur radicibus, seorsumque ac independenter à loco è quo fuit profecta, cerebri provinciam jam incolat, sic phrenitis morbus est essentialis, etsi biliosus sanguis, è quo progignitor, non in cerebro, sed in jecore ortum habuerit.

Sympathica fit à materia unde unde etiam sit, in cerebrum incursante, nimirum vel ab *universo corpore*, in cujus vasis ferme totus sanguis factus est melancholicus, hinc cum cerebrum communis detrimenti consors patitur melancholiam quæ perennitate idiopathicam æmulatur, vel à *Parte* determinata, scil. aut ab *hypochondriis* humore melancholico fœtis, Aut ab *utero* male repurgato, unde melancholia dicitur, aut hypochondriaca,

chondriaca, sive præcordialis; aut hysterica, quæ non continuo fatigant, sed quadam rationis velut [illegible] per intervalla feriantur, ac vapore piceo, qui longis flexuosisque voluminibus sursum threpebat, repente discusso, cerebroque enitente, quasi per incantamentum nonnunquam evanescunt; Nam quemadmodum non æque semper fœtent sterquilinia, sed cum agitantur moventurque putridiorem emittant exhalationem, sic jugis non est ad cerebrum evaporatio, ac duntaxat ubi ater succus in foro suo [illegible], fermentatur, attollitur, munisque partibus adaugetur.

Sympathica autem hæc melancholia vel est *planetica*, errantibus reverticulis recrudescens, vel typica, cujus paroxysmi solida nimium fide recurrunt,

Melancholia per consensum ab extremitatibus.

" Observavit præterea Clarissimus Medicus *Augenius*,
" sicut Melancholici fiunt Epileptici, & è contrario, ita
" quoque melancholiam, perinde ac Epilepsiam, ali-
" quando oriri per consensum manuum atque pedum, à
" quibus aura quædam frigidior, accessionis initio, per
" continuatas partes ad cerebrum efferri percipitur, cu-
" jus impetus ,incipiens injecto arctiore vinculo cohi-
" beri potest.

Melancholia ex consensu Diaphragmatis.

Denique ut datur *Phrenitis Diaphragmatica, ita quoque Hippocr. l. 2. de morbis meminit Melancholia ex consensu diaphragmatis, humoris melancholici congestione tumentis, in qua præter signa melancholia communia, alia sunt quibus à melancholia hypochondriaca aut hysterica distinguitur, nempe delirii continuitas, alia vero quibus ab idiopathica sejungitur, scil. quod septum transversum foras intumescat, tactu doleat, spirandi urgeat difficultas, ac viscera velut spinarum aculeis lancinentur, ob partis affecta* [illegible], *humorisque feritatem, qua ratione Canceri, præsertim si comprimantur, punctilos ciens dolores, De hac melancholia phrenitica, Galeno ignota, verisimile est loquutum fuisse* Hippocratem libello de morb. *virginum, ubi docet a sanguine, supple melancholico, ad septum transversum pra multitudine resiliente, mærores, anxietates, desperationes, timiditates, cæteraque melancholicorum accidentia in virginibus excitari.*

Secundo melancholia dirimitur, in *Puram* sive *Legitimam*, & *Impuram* sive *Illegitimam*, *Legitima* fit ab humore melancholico frigido sicco, atque impermixto, Ac sicuti febres sinceræ perquam raro in praxi occurrunt, ita paucissima visuntur deliria simpliciter melancholica, eo quod majoris æque ac majoris mundi elementa, humores videlicet, sæpe sæpius impura esse soleant.

Illegitima melancholia uritur, vel ab humoris melancholici aliquanta ustione, bilisve confluvio, unde audacia quædam timori, & loquacitas silentio intermiscetur; vel à mixtura sanguinis cachinnum moerori copulantis, vel à miscellanea omni genorum succorum confusione, varia dozi simul subactorum, à quibus multi juga exurgunt deliria

haud eadem est vesania cunctis.

Sed præcipue animadvertenda est *melancholia sanguinea*, crebram afferens visus fletusque alternationem; haud secus ac in [illegible], seu comate vigili, biliosis pituitosisque humoribus intra cerebrum commixtis ac colluctantibus vigiliæ & somni brevibus sese excipiunt intervallis: Sic *Parmeniscum* E. *Epid.* 83. animi desponsu & mori cupiditas, rursusque animi securitas, afficiebant. *Melancholia* autem *hysterica ob* [illegible], seu cunctantia menstrua, præ cæteris ludicra esse consnevit, ægræ enim [illegible], è lacrymis amarissimis mox in risum profusum erumpunt.

Tertiò melancholia alia est *Completa*, quæ phrenesin omnem ex animo expectorat, alia *Incompleta*, quæ mentis veluti summam intactam relinquit, hujus duntaxat, partem complet amentia, ita ut homines sano sint ad omnia ingenio, præterquam ad aliquod unum. *Mensonius.*

17. *Alia est cerebri &c. Alia cordis*) *Subjectum* Melancholiæ; siquidem ratio & phantasia simul & semper, diversimode tamen, hoc in affectu læduntur, extra Cerebrum quærendum non est, quod actionum harum [illegible] est; Sed quem tu nobis, dicat quis, mœrorem timoremque in melancholicis observandum inculcas, quæ Cordis potius quam Cerebri pathemata esse omnes fatentur? Sit ita, modo concesseris melancholicos, qui tam timent, tamque sunt mœsti, sine causa manifesta id facere, h. e. *delirare*; Non igitur exclusum plane Cor velim, quippe quod nonnunquam concomitanter, nonnunquam vero, quoties scil. causarum sedes est; antecedenter affligitur, unde complicatam cerebri & cordis affectionem dicit quoque *Willis*; sed tamen huc quominus recte *cerebrum* semper *principale* atque *proprium* esse subjectum dicatur, neutiquam prohibebit, quando metus iste mœrorque, nisi delirium accesserit, melancholiam nullatenus constituent; Quanquam enim animi pathemata vigeant in corde, excitantur tamen à phantasmatibus in cerebro hærentibus, uti loquitur *Sen. Silvaticus cent. 1. conf.* 56. Strausslius.

18. *Alia est Cerebri*) Quod Melancholiæ origo interdũ *capitis* adscribitur, atq; *cerebri* intemperies ab his, calida ab illisque frigida accusatur, potius statuendum arbitror affectionem istam quandocunque à *Cerebro*, Animaque ipsum incolenti primo incipere: quod etiam *Hippocr. 6. Epidem. s. 8. t.* 68. plene asseruit, namque *epilepticos & melancholicos* simul aut successive factos; quoad morborum rationes formales distinguens, [illegible], Ita in *Melancholia animam* distincte; & quasi seorsim a corpore sive cerebro affici statuit. *Willis.*

19. *Quando cerebrum in modo substantia*) Delirii melancholici initia, etsi potissimum & non raro, fere tantum à spirituum *indole vitiosa* proveniunt, postea tamen sæpe in causæ partem adsciscitur ipsius cerebri *conformatio*, nempe quatenus *sanguinis* atrabilarii recrementa perpetim suffusa, substantiam ejus magis crassam & opacam reddunt, atque functionum animalium tractibus, sive orbitis primariis pene deletis, novi obliquiores & devii producuntur, in tantum ut spiritus, etiam si meliores suppeditantur, haud facile cerebrum irradiant, aut statim ductus priores recuperant. *Willis.*

19. *Quando cerebrum in modo substantia*) Cerebrum causa est, & quidem potissima hujus morbi, non modo dum extra justitialis, ut ajunt, temperiei lineam ad frigidioris siccriorisque intemperiei immoderationem longe abripitur; hæc namque simplicem afferret fatuitatem, sed præcipue si vitietur in *substantia modo*, contaminata nempe naturali ejus limpiditate, Natura enim, inquit *Aphrodiseus 2. Probl. 67. cerebrum pellucidum purumque exstruxit*, & quanquam ejus corpus in mortuis ex absentia nativi caloris penitus densum sit & terrestre, (sicut cicindelæ aut Muscæ Americanæ lucem ponunt cum vita) illud tamen in viventibus aliquam diaphaneitatem participat, ut cursibus & quasi stadiodromis lucidis spiritibus facile pervium sit; hujusque

diaphaneitatis corruptio delirii melancholici essentiam præsertim constituit; quo pacto à *Galeno* scriptum est *c. 12. art. p.* animi solertiam subtilis, tarditatem intellectus crassæ cerebri substantiæ indicem esse.

Igitur immaterialis cerebri intemperatura frigida atque sicca nequaquam sufficit gignendæ melancholiæ, ut vult *Avicenna*, sed necessario requiritur præsentia atri humoris qua perturbetur cerebri *κρᾶσις*, ac spiritus animales è cœlestibus ac radiantibus redduntur *ἐρεβώδεις* atque illumini. *Menjotius.*

20. *Cognoscitur ex eo quod*) Signa sunt habitus totius corporis melancholicus, vel *naturalis*, qui ex colore nigro, hirsutie, macilentia, aliisque dignoscitur; vel *adscititius*, ex curis, laboribus, vigiliis, victu crasso & similibus contractus. *Riverius.*

20. *Cognoscitur ex eo quod*) Et ex vitiosa cerebri constitutione, aut morbis calidis prægressis, quibus sanguis in venis illius contentus exustus & torrefactus est, tandemque in humorem melancholicum conversus: Somni breves & interrupti, insomnia turbulenta, vertigines, aurium tinnitus, & symptomatum in reliquo corpore, ac præsertim ventre inferiori carentia. *Idem.*

21. *A forti imaginatione &c.*) Morbi causa evidens si qua notabilis præcesserit, inquiratur: Et si fieri possit, vel statim removeatur, vel remotio ejus quodammodo simuletur: Porro animi affectus exinde vehementes concitati aut sedentur, aut per alios oppositos subjugentur; Quare perdito amori succenturientur indignatio & odium: Tristitiæ opponantur voluptatis blanditiæ, musicæ; Inanis gloriæ appetitus, aut etiam terror panicus: Pariter quoad cæteras passiones aut compescendas aut eludendas procedatur. *Willis.*

21. *Oritur externe &c.*) Melancholia, juxta *Avicennam* non fit à Dæmonio, sed ab atra bile, ex qua spiritus permutatur ad naturam melancholicam: sunt tamen qui credunt quod efficitur à re non corporali, ut *Alzaravius* & à *Gradi*, quia nonnulli melancholici docte loquuntur de scientiis, quas sani ignorant: Et hujus eventus *Guainerius* causam reddere molitur. *Montanus.*

21. *Oritur externe, à forti imaginatione &c.*) Hinc quidam non cerebrum, aut cor, sed ipsam Animam quoad vim imaginandi & ratiocinandi, principale ac primarium melancholiæ subjectum denominandum censent; Neque deesse putant stringentes satis rationes, cum interdum cerebro non solum sed toto etiam corpore illæso, ex solis *animi passionibus* triste hoc delirium nasci videatur; Adde quod cerebrum in melancholia non secundum *corpus*, sed secundum *mentem* affici, ipsius doctrina sit *Hippocr.* 6. Epid. 8. 24 At non est ut moremur has remoras, qui quam *intima mentis & corporis* sit *sympathia* cognitum habemus, Melancholiam sane, quæ cum corpore penitus incolumi consistere, nedum tandiu durare valeat, nondum videre licuit; *Mentem* vero *Hippocr.* quod concernit, temperamentum cerebri hac innui significatione testatur *Galenus* 3. *loc. aff.* 5. Utroq; enim modo affici, atque tam *substantiæ spirituumque ἀνωμαλίαν*, quam organorum *ἀμετρίαν* luere, sive per idiopathiam, sive per deuteropathiam illud eveniat, manifestum est; *Straussius.*

21. *A forti imaginatione, metu, & gravibus animi &c.* Vide supra §. 22. *Humor sive vapor.*)

22. *A forti imaginatione, metu, & gravibus aliis animi affectibus*) Hujusmodi melancholia *specialis*, multis modis & varia occasione producitur, utpote quam passiones vehementes, votum, timor, ira, voluptas, imo cætera quæque *appetitus* tum *concupiscibilis* tum *irascibilis pathemata* diutius continuata, ad summum evecta, excitare solent: Duo autem sunt *αἰτιῶν* genera, à quibus *melancholia specialis* præcipue & frequentissime exoritur, videl. 1. si quando mali *præsentis*, vel *imminentis* (sive illud verum sive imaginarium fuerit) pressura gravior animo incumbit: Vel 2. si boni prius obtenti privatio, vel optati desperatio eveniunt, In casibus hisce oppositis *anima corporea* vel extrorsum allectata, curam omnem domesticam sui ipsius, aut corporis, aut animæ rationalis omittit: vel *introrsum* compulsa, & rationis & functionis tum vitalis tum animalis munia derelinquit, aut pervertit. *Willis.*

23. *Ab humore Melancholico, in capite cumulato*) Undecunque morbus primam traxerit originem, duo perpetuo observanda, 1. ut totum corpus ab humore melancholico, omnique aliorum humorum illuvie liberetur: Rarissime enim contingit ut unica pars hoc humore obsideatur.

2. Ut ad hypochondria curatio præcipua semper dirigatur; quandoquidem in hepate & Liene prima humoris melancholici generatio, & in iisdem partibus, totaque hypochondriaca regione illius collectio fieri consuevit; ideo curatio pro affectionis hypochondriacæ ad reliquarum melancholiæ specierum curationem sufficere poterit: vix enim hypochondria ab illius humoris redundantia, & nova ejusdem humoris liberari possunt generatione, quin totum corpus (ac proinde caput) consequenter ab eodem immune fiat. *Riverius.*

24. *Seu ob melancholicam constitutionem quæ ex affectibus agnoscitur*) *Γνωρίσματα* naturalis intemperiei melancholicæ, quæ ad morbosam utplurimum ducit, hæc sunt, nempe *capillamentum* nigrum ac fuliginis siccitate crispum; crassiores pili tota cute passim fruticantes, *Oculi* parvi orbitisque suis demersi cum obtutu stato ac defixo, supercilia densa, nec minus atra quam si *ἐστιμμιζόμενα*, hoc est stibio fuliginata, *Corpus macrum*, durum ac lignosum cum venis torosis, non copia sanguinis, sed flatuum abundantia, Color cutis luridus existit, plumbeus aut niger, ac interdum roseus, frugi sanguine ab extimis membris ad alimoniam prolectato, dum cœnosus in venis superest, qui venæ sectione satis detegitur, ita ut elegans color externus efflorescens pugnet cum succo præside: hinc *Hippocr.* 2 *prorrh.* 2. 4. *faciei color bonus & tristitia, malum*, & *Aretæus* 1. *Acut.* 6. observavit *τὴν μελαγχολικῶν ἀνωμαλίαν*, melancholici præterea *χειλῶνες* sunt, vel labeones, sanguine fœculento ad bibula labia transmisso, flatulenti salivatores, serosi, ideoque multum urinæ ac sudoris profundentes, voraces, sitis experies; non *ἀκρόπιστοι*, vulgo *étourdis*, ut biliosi subinde effundentes quæ in mentem buccamque veniunt, sed *ἐμβραδυντές* cessatores, vulgo *retenus*, humore terreno spiritus suffrænante & quasi involucres reddente, ob quam imaginationem cunctabundam sunt *ἀγχίνοι*, inventores; Item inexorabiles & animo veluti callentes, intractabiles, jurgiosi, ad odium propensi; *Vivunt inculte & horride, ait Cicero pro Quint. natura sunt tristi & recondita, non ad solatium, non in campo, non in conviviis versantur*, De iisdem, *Aristot.* l. 7. Eth. c. ult. *Natura melancholici semper egent curatione, etenim corpus assidue mordetur, propter temperiem, ac in vehementi appetitione continuo versantur quapropter incontinentes fiunt atque vitiosi*: Demum vivacissimi sunt, quod acidus humor humidi pinguis ac primigenii consumptionem retardet, sicut acetum oleosis admixtum horum figit inflammabilitatem. *Menjotius.*

25. *Curatur* 1. *Materia &c.*) Etsi melancholia recens interdum mera *animi* & spirituum animalium disciplina & institutione curatur, in diuturna tamen aut inveterata, ubi *spiritus indolem acetosam*, & *sanguis* dyscrasiam atrabilariam contraxerunt, atque *cerebri* quoad *poros & meatus ejus conformatio* læditur, *Indicationes* aliæ

aliæ *Præservatoriæ* dictæ, pro tollendis morbi causis pro catarcticis requiruntur: Super hac re intentiones Medicæ erunt, inprimis sanguinem ad crasin meliorem & genuinam, nempe *spirituosalinam* reducere, dein *cerebrum* vigorare, ejusque poris reseratis clarum & diaphanum reddere, simulque *spiritus animales* corroborare ac in effluxum vegetum excitare: *Willis.*

Methodus & indicatio curandi talis erit, ut materiam illam è venis evacuemus, Et à partibus nobilioribus ab ipsa læsis, cerebro inprimis & corde divertamus: Nam qua ratione alios quoque morbos à maligna quapiam materia genitos multis evacuationibus interdum sanari experientia patet, ita & in *melancholia* ac *mania*, à maligna hac materia prodeuntibus maximis & frequentibus evacuationibus Empiricos multos sanasse à reliquis Medicis, qui his uti metuebant relictos sæpe vidimus, nosque ipsi felici cum successu multoties experti sumus: Quod variis formis modisq; fieri potest, ut per *sanguinis* è corpore *extractiones*, vel ad alia loca derivationem; per *Alvum* factas purgationes & per *vomitiones*: Dein *alterantibus* seu *immutantibus* illam intemperiem, in sanguine fere totius corporis & præcipuis visceribus; Exhibitis medicamentis, *externisque* præsidiis *capitis*, *cordis*, *hepatis*, *lienis* &c. adhibitis: Actuali quoque operatione per castrationem, appensis *amuletis*, viribus prospiciendo idonea *diæta*, *symptomatum* quorundam supervenientium rationem habendo. *Platerus.*

[26]. *Ejusdem evacuatione*) Quando melancholia accidit homini cujus succi boni sunt, non competit Catharticum, ut dicit *Rhases.*

[26]. *Ejusdem evacuatione*) Vomitoria (sicut in plerisque morbis cephalicis febre vacuis) peculiari modo in affectibus quibusve insanis juvare solent; Hujus ratio partim in eo consistit, quod ventriculi viscosa saburra, quæ animum valde aggravat, expurgata, spiritus proinde liberiores sese vegetius & alacrius expandunt: Porro, in quantum vomitio vicina humorum receptacula, nempe cystim felleam, pancreatis ductum & mesenterii glandulas comprimit & evacuat, ne contenta illorum in caput transferantur, procurat.

℞. *Oxymel. scyll.* ℥iß. *vini scyllit.* ℥j.
syr. de pero ℥ij.

F. Vomitorium; Si minime vel segnius operabitur, *liquore posset ico cum folus card. bened.* incoctis copiosè ebibito vomitio irritetur.

℞. *decocti cortic. med. sambuci.* ℥iß.
salis vitrioli ℈j. *ad* ℈ij.
oxym. simpl. ℥iij.

misce, sumat eodem modo *Willis.*

Non sunt improbanda Vomitoria, licet enim *Hippocr.* 4. *aph.* 9. crebrius per inferiora purgandos dicat melancholicos, tempestivis tamen vomitoriis aditum non interclusit, utpote quibus ipsemet usus est, uti curationes ejus in Epid. testantur. *Strausius.*

[27]. *Viis inferioribus apertis, cirbina &c.*) Imo cauterium calidum vel frigidum in vertice adhibitum utilissimum esse adstruit *Garnerius* post Veteres & *Salicetum.*

[28]. *Somni inductione per hypnotica*) Quia melancholici somnum ægre capessunt, atque longis aut crebris vigiliis deterius habent, idcirco *anodyna*, & interdum *hypnotica* blandiora, sera nocte (quando opus fuerit) sumantur: In hunc finem *Decoctum flor. paralys. aut fol. lactucæ, vel aqu. papav. rh. aut syr. ejusdem, Emulsiones ex sem. papav. a. syr. de meconio*, aliaque benigna tantum & spiritus demulcentia prosunt. *Willis.*

[29]. *Capitis roboratione*) ℞. *margar. præpar.* ℥ij.
crysolithi præpar. ℥j. *commisceantur, cum julepo ros. adde aqu. borrag. è flor. in vitreo vase destillata* ℥iv. *syr. de borrag.* ℥ij. *aqua cinnam.* ℥ß.

M. sumat de hoc singulis diebus tria cochlearia, maxime dum malum molestat. *Joh. Crato cons.* 34. *lib.* 7.

II. Alia est *Totius* [30]. quando [31]. sanguis melancholicus [32]. in toto redundat, & inde ad cerebrum mittitur.

Cognoscitur ex eo, quod delirium quidem est continuum, sed cum certis exacerbationibus & remissionibus; quod melancholiæ in corpore abundantis signa adsint, & causæ præcesserc.

Oritur à suis causis, de quibus in differentiis agetur.

Curatur 1. [33]. *Venæ sectione* sæpius instituta, sed quia paucissimi sunt in melancholicis spiritus, *non copiosa*; [34]. vel in sinistro brachio, vel in talo, Crurum venæ si amplæ hirudinibus aperiri possunt.

2. [35]. *Humoris præparatione*, per Syrupum *pomorum redolent. fumaria*, cum cremore Tartari, & Tartaro vitriolato, confectionem *Alkermes*, [36]. serum *lactis* [37]. cum succo cichorii & fumariæ.

3. *Ejusdem* [38]. *evacuatione* [39]. leni, sæpius repetita [40]. spiritus ac principes partes roborantibus, nec non humectantibus castigata; sed & fortiore, si sanguis est nimis crassus, nisi jam corpus nimis contabuerit; hanc [41]. *balnea* humectantia additis emollientibus excipere debent.

4. [42]. Potu *acidularum*, & *Thermarum* usu.

5. *Capitis* per interna & [43]. externa *roboratione*, inter quæ *embrocha* inprimis laudantur.

6. [44]. *Diæta*, in qua à leguminibus abstinere debet.

Dividitur pro ratione causarum.

1. [45]. Alia est à [46]. *causis externis*, [47]. ut timore, vigiliis, curis, quæ humidum radicale exsiccant, & sanguinem in toto corpore mutare possunt, & humorem melancholicum detinent: [48]. Tum, venæ sectio minimè locum habere creditur.

Alia ab *internis*, nempe vel hæreditaria constitutione, quam ne temere tangas; vel hepatis & lienis seu [49]. frigida & sicca, [50]. seu calida & sicca dispositione; in qua, [51]. causa exurente cessante, calor definit, & crassiores partes, quæ frigidæ & siccæ, relinquuntur: Tum aut est *cum sanguine*, unde delirium cum risu: aut *cum pituita*, unde pigrities, oblivio; aut cum *bile flava*, unde ira &c.

In *curatione* causarum quoque ratio est habenda.

30. *Alia est totius*) Quod alia melancholiæ species ab *Hypochondriaca* & ab aliis distincta, simul in toto corpore progigni perhibetur, nihil aliud est quam totius *sanguinis massam*, propter errata in sex rebus non naturalibus, & ob plures alias occasiones à recta indole degenerent, *dyscrasiam atrabilariam* (h.e. ubi *spiritu depresso particulæ salinæ*, una & *sulphureæ*, cum aliquot etiam *terrenis* evehuntur) acquirere, cum sanguinis diathesis melancholica plurimum affinis sit isti sulphureo-salinę, quam sæpe in scorbuti genere quodam præpollere ostendimus: *Willis.*

31. *Sanguis melancholicus*) Sanguis tribus modis redditur melancholicus, videlicet aut à fęce sua nõ examurcatur, aut nimiopere refrigeratus, aut adustus, Eaque ati on e excrementum melancholicum autumnali tempestate, ac virili ætate prædominans ad eximium pręvię æstatis & adolescentiæ fervorem refertur, quo calidioribus ac fluxidioribus humoris partibus; in auras subductis & vanescentibus, cæteræ frigidæ ac terrenæ supersunt; secus enim superstite empyreumate, ut in cinere & aceto, atra bilis pro humore melancholico generabitur, Hincque crebra fit melancholiæ & maniæ invicem μεταβολή, quod terrestris humor sua crassitie instar ferri sit παλίμβολος, ad extremas frigidi calidique differentias versatilis.

Secundo facilis est ἀλλοίωσις sanguineæ constitutionis in melancholicam, nam *quibus pingue, bilis flava colligitur, quibus sanguis, atra, 6. Epid. 6.3.* & apud *Aretæum* non modo natura mœsti, sed hilares quoque pronitatem habent ad maniam; Ac ut taceamus inflammationes, intempestivo diaphoreticorum usu scirrhescere; constat ardentes febres, si venæ sectio scrupulose prætermittatur, sanguine superassato in melãcholicos morbos non raro degenerare, notatque *Hippocr. 1. Epid. 2. 79.* ægros in febribus ardentibus multum delirasse cum timoribus & mœstitudinibus: Ita quoque in viduis mulieribus, maritatis sterilibus, ac virginibus adultis suppressus sanguis, nec libere fluens aut refluens, naturam trahit melancholicæ, maximeque lochia, ob novimestrem cunctationem fiunt melancholica; sic mulier in Cyzico, 3. *Epidem.* geminatam fœminei sexus enixa stirpem laboriose, nec purgamentis satis expedita, facta est σιγῶσα σύνθρονη, καὶ οὐ πείθομένη, taciturna inamœno vultu, propositorum retinentissima.

Tertiò hanc calamitatem invehit solitarum hæmorrhoidum ἐποχὴ, item lien seu imbecillus, seu præclusus, sanguinem haud belle defæcans: Hicque attendendum an periodicarum hæmorrhoidum, ut & menstruorum occultatio, causa sit melancholici affectus, huncque anteeat, an potius ejusdem sit symptoma, ipsumque consectetur; Succo namque melancholico per universum corpus late dominante, pertinaces sæpe numero suboriuntur obstructiones, hæmorrhoidale ac menstruale profluvium sistentes, unde melancholia, quę prægressa fuerat, in posterum fovetur, imo quoque exasperatur.

Quarto Phrenitidem quandoque excipit melancholia, per adustionem sanguinis bilisve flavæ in cerebro, vel potius quatenus à bile in cerebro accensa, ut ab oleo in lucernis, obscœna nigraque fuligo assurgit, quæ cerebrum, etiam fugata phrenitide, imbutum tinctumque permanet. *Meniotius.*

32. *Sanguis melancholicus in toto*) Hæc affectio geminam habet sedem, unam humoris morbifici, alteram ipsius morbi: Illa multiplex est, nam sicuti nidus continuarum febrium sunt vasa majora quæ inter alas & inguina porriguntur; materia autem febrium intermittentium degit in prima corporis regione, Ita succus melancholicus in trunco stabulans, seu venæ cavæ seu aortæ, affectum arcessit perennem; idem vero extra vasa majora consistens melancholiæ paroxysmis distinctæ parens est, Ac iterum sicut bile in vasis cordi proximis computrescente febris causodes accenditur,

qua fundit ardorem longe, longeque favillam,

ita quoque intensiora sunt delitia melancholica quorum causa delitescit in cerebri sinubus, Denique habituales desipientiæ, in quibus cerebri ἕξις si fas sit dicere, melancholescit, respondent febribus hecticis, quarum calor non jam usu cor tenet, sed quasi mancipio. *Menjotius.*

32. *Quando sanguis melancholicus in toto*) Melancholia non tantum *cerebri* & *spirituum* in eo degentium, sed insuper *præcordiorum* & *sanguinis* ibidem accersiti, & exinde in totum corpus projecti affectus est, & quemadmodum illic delirium, ita hic *timorem* & *mœstitiam* producit; quo tamen ritu videndum; In *mœstitia* imprimis *animæ pars flammea*, seu *vitalis*, quoad ambitum suum coërcetur, dein consequenter *pars animalis*, sive *lucida*, sphæram suam contrahit, ac minus vigoratur: In *timore* autem utraque subito reprimitur, & quasi nutare, atque intra minima spatia se continere cogitur: In utraque passione sanguis non vegete, & cum pleno incendio circulatur & efflagrat, verum circa præcordia aggeri & restagnare aptus, ibi gravamen aut deliquium ciet, ac interim caput & membra, ejus uberiori affluxu destituta elanguescunt.

Quod autem istæ causæ in melancholicis habituales fiunt, causa est partim in *sanguine*, & partim in *cordis* actione animali; Enimvero *Sanguis* ob particulas salinas exaltatas minus inflammabilis existit, unde nec in pulmonibus satis accenditur, neque intra *cordis* & *vasorum* ductus flamma satis clara ac uberi ardescit, sed quasi ad venti cujusvis flatum reprimi & quasi exsufflari apta sit: Hinc cum flamma vitalis tam tenuis & languida sit ut ad motum omnem nutet ac trepidet, nihil mirum est si *Atrabilarius* velut animo subsidente & semiobruto *tristis* semper & *meticulosus* evadat.

Propter salinam hujusmodi *sanguinis* dyscrasiam melancholici rarius febri laborant, ea tamen correpti propter irregulare sanguinis incendium periculosius decumbunt: Nec minus vitio *Cordis* accidit *Melancholicos* ob *sanguinis* cursum retardatum, aut subinde revocatum, *moestos* & meticulosos fieri, nam siquidem iste *musculus*, spirituum nonnisi imbecillium & enormium influxu actuatur, contractiones suas haud valide satis, & constantes, quibus sanguis sine remora aut resilitione in totum corpus propellatur, obire potest, Ita *sanguis* & *spiritus animales* labe reciproca se mutuo afficiunt, & alterutris invicem noxam inferunt: *Sanguis atrabilarius*, h. e. è particulis *salinis*, unà cum *sulphureis* evectis constans, *spiritus animales* indole acetosa præditos, uti ostensum est, progignit: *Spiritus* hi functionis vitalis munia perperam obeuntes, talem sanguinis dyscrasiam augeri faciunt. *Willis.*

32. *Sanguis melancholicus in toto*) Non tantum melancholici vocantur qui atram excernunt bilem, sed qui in solidis jam membris talem structuram retinent *ut placet Aëtio.*

33. 1. *Vena sectione*) Sanguinis missio in omni fere melancholia locum habet, & nonnunquam sæpius iteranda est; namque sanguine adusto & effoeta per vices subtracto, in locum ejus spirituosior repullulat, De *quantitate, loco*, & modis remedii hujus celebrandi variæ feruntur Authorum sententiæ; attamen *sanguinis motu* & *affectionibus* rite perpensis sufficiat 1. quantitate ejus medicam è brachio, & postea, si opus fuerit, minorem, aut inde, aut à venis sedalibus hirudinum suctu detrahere: Quomodo *venæ salvatellæ* apertio levamen (prout dicitur) adeo insigne conferat, me nescire fateor: Si melancholicus firmiter

firmiter persuasus sit hanc venæ sectionem præ quibusque aliis profuturam, forte juvabit. Vasorum hæmorrhoidalium frequens apertio naturam ad evacuationem istam postea moliendam invitat, quæ sponte succedens (dicente Hippocr.) non raro morbum hunc solvit. *Willis.*

Nihil magis in actionibus medicis vereri oportet in melancholicis plus minus quam plus par est sanguinem detrahere, monente *Mercato lib. 1. cap. 17.* Sicuti igitur hujus administrationem antecedens quædam consuetæ evacuationis suppressio indicat & urget, ita quoque quantitatem S. M. determinabunt, vires potius quam venæ, hæ enim aliquando non tam ob sanguinis quam flatuum copiam turgent. *Stransfius.*

Num sanguinem detrahere expediat, deliberatione indiget in melancholicis, ex eo enim humore, vitiatis succis imbuto morbus oritur. *Aretaus.*

34. *Vel in brachio sinistro vel in talo*) In redundantia sanguinis melancholici sanguinem mittere utile est, Si sanguis fluens melancholicus non apparet, statim supprimendus est, quoniam succi melancholici malitia à sanguinis bonitate corrigitur. *Galenus* ex vena cubiti media sanguinem atrabilarium vacuare jubet; Arabes contra ex humeraria, Sed melior *Saliceti* opinio qui, si mitti sanguis debet, ferienda, *inquit*, est saphena, quia atrabilarius sanguis crassus gravisque est, eoque facile descendit; hinc est quod varices melancholiam solvunt. *Montanus Anasceves morb.*

In melancholia *essentiali* sectionem *vena frontis* summopere laudat *Sylvaticus, cent. 1. cons. 56. Uterus* ubi ex suppressione mensium laborat, *Saphena* incidatur, *Hamorrhoides caca* si triste conferant symbolum, lato successu exonerabit non missura curem nisi plena cruoris hirudo. *Rolfincius.*

35. *Humoris praparatione per &c.*) Præparamus cum *nitro*. *spiritu nitri*; Si calor adsit, *in infusione chalybis*; Si frigus, in *aqua cinnamomi*, *vinis* & similibus. *Walaus med. Pract. p. 137.* Postremo hoc in casu commendari debet *Spiritus nitri dulcis.*

36. *Serum lactis cum &c.*) Serum si ventriculo congruat, per plures dies copiose epotum, pari ratione ac Acidulæ, videlicet sanguinis atrabilarii particulas salsas & sulphureas eluendo, sæpe cum fructu adhibetur. Serum lactis cum Epithymo infuso, aut incocto, à nonnullis egregie laudatur. *Willis.*

Sero lactis, in ventriculo debili, substitui possunt *Juscula ex decocto pulli, cum rad. polypod. charefol. fœnic. rusci, fol. ceterach, lingua cerv. scolop. &c.* sumendo haustum horis matutinis & vespertinis, dissolvendo *vini solis martis à gr. vi. ad x. salis absinth. crem. tart.* āā. ℈i.

· *Cum succo cichorii & fumaria*) Herbarum succi & expressiones, ad tollendam sanguinis dyscrasiam, nonnunquam egregie conferunt, ℞. *folior. borrag. nasturtii aqu. ana. m. vi. pomor. curtip. n°. ij. pulpam. ij. aurant. sacch. albiss.* ℥i. *omnibus simul contusis affunde pomaces opt.* ℔ ij. ß. f. Expressio fortis, servetur in vitro, dozis ℥iv. bis vel ter in die. *Willis.*

38. *Ejusdem evacuatione leni sapius repetita*) Catharsis, in quantum morbi fomitem à primis viis subducit, atque aliorum remediorum impedimenta subtrahit, ab initio [illegible] brari & intervallis repeti debet. Quod autem nonnulli ad morbum citius eradicandum *helleboro*, aut *elaterio* præcipue utendum esse censent, & *Hippocratem* [illegible] ea, si successus spectamus, non ita passim convenire, quod ægris plurimum sæpe officere deprehendemus.

Enim[illegible] o *fortiora purgantia* morbi causam, nempe *sanguinis dyscrasiam*, minime tollunt sed augent potius: Insuper spiritus animales prius dejectos amplius debilitant, & prosternunt. Helleborus autem ita crebro ab *Hippocrate* præscribitur, quoniam ejus sæculo vix alia cathartica innotuere, saltem in frequenti usu non fuerunt. Jam vero longe præstat lenioribus & mitioribus humorum receptacula blande emulgere, atque viscera tantum, & primas vias sine sanguinis & spirituum magnis commotionibus abstergere.

℞. *radis. polypod. qu.* ℥iß. *epith.* ʒiij. *senna* ℥ß. *tamarind.* ʒvj. *semin. coriand.* ʒiij. *santal. citr.* ʒii. *coq. in aq. fontis* ℥xiv. *ad* ℥x. *addendo agar. dr. ij. rhabarb. dr.* ʒiß. *colat. clarific. adde syr. de pomis purg.* ℥ij *capiat* ℥vi. *repetendo intra 3. vel 4. dies.*

℞. *Senna opt. dr. iij. epith. rhabarb.* āā. *dr. iß. santal. citr. dr. ß. sem. coriand.* ℈ij. *salis absynth.* ʒß. *specia cels.* ℈j. infundantur clause per *noctem in vini alb. & aq. pomor.* āā. ℥iv. *colat. clarific.* ℥v. *adde syr. de Epith. dr. vi. aq. mirab. dr. ij. m. f.* pōō. In corporibus *demonomiis* addatur *fibr. helleb. n. in aceto maceratarum dr. j. vel ij.*

℞. *Pilul. Tartar. Quercet. vel de succino Crat. dr. ß. resin. jalapa vel scammonii* gr. vi. *vel* vii. *Tart. vitriol.* ℈ß. *Ammon. soluti in aqua mirab. q. s. fiant Pil. n°.* iv. sumat hora somni, & nisi operabuntur prius in mane sequ.

℞. *Calomelanos extr. helleb. nigr.* āā. ℈j. *resin. Jalapa* gr. vi. *ammon. soluti q. s. f. Pil.* iv. sumendæ cum regimine. *Pulvis Haly dictus à Valesco de Taranta, Pereda* aliisque, valde commendatur; Et quidem in corporibus rusticis aut robustis catharticum hoc satis idoneum videtur.

℞. *Epith.* ℥ß. *agar. lapid. lazuli*, āā. *dr.* iii. *scammon. dr.* 1. *caryoph. n°.* xxx. *f. Pulvis, dosis dr. ß. ad dr. j.*

℞. *Senna opt.* ℥ii. *rad. Polypod. qu.* ℥ii. *Epith.* ℥iß *santal. citr.* ℥ß. *Tamarind* ℥i. *sem. coriand. dr.* vi. *coq. in aqua Barnettensis* ℔ iv. ad medietatem, coletur, & balnei calore evaporetur ad syrupi consistentiam, addendo *circa finem manna depurata*, *sacch. albiss.* ℥iv. f. Syrupus, dozis cochl. ii. aut iii. *in aqu. distil.* convenientis ℥iii. vel in quolibet alio liquore. Vel

℞. *ejusdem liquoris* ad consistentiam mellis evaporati ℥vi. *cassia rec.* ℥iv. *pulpa uvar. corinth.* ℥ii. *cremor. tart. salis absinth.* āā. ʒiß. *pulv. Diasenna dr.* ii. santal. *citr. pulver. dr.* iii. m. f. Electuar. Dozis dr. iii. ad ℥ß. *Willis.*

· *Leni, sapius repetita*) Etsi sciam omnes fere practicos consulere fortissima & validissima Purgantia, tamen a *Mesue* persuasus, idem facere debile medicamentum repetitum, & minore periculo quod forte semel & confertim facit; Sane cur mihi aliud persuaderi patiar veras causas non video: nihil dico quot & quos similiter affectos curaverim, licet hoc verè possem, sed nunquam me *lapide lazuli*. vel *scammoniatis* usum esse vere affirmare possum, *Sennam* tutam esse scio &c. *Crato lib. 2. cons. 16.*

Scio *Pulverem Haly* à multis commendari, verum dictum *Mesues*, statuentis esse gradum sapientiæ ad medicinas fortes non devenire nisi ubi debiles non contulerint, mihi in animo est, Utatur qui volet. *Idem ibid.*

39. *Ejusdem evacuatione per &c.*) Illustr. cuidam Anglo melancholia laboranti dedi Pulverem illum benedictum à *Michaele Paschalio* & *Pereda* descriptum, qui quia plurimos juvit, multi Authores alienæ gloriæ cupidi illum suæ inventionis esse volunt.

℞. *scammon. epith.* ℥ß. *lap. lazuli prap. agar. troch.* āā. *dr.* ii. *scamon. dr.* ii. (*forte* ℈ii.) *caryoph. num.* xx. *M. F. Pulvis* pro v. dozibus. *Henr. ab Heer. obs. 27.*

Hunc ipsum *Pulverem* sibi adsumunt *Paschalius & Pereda*, *quem valde laudat Valescus de Taranta*, & alii, vocatque *Pulverem Haly*, quem hisce verbis commen-

dat, *Eſt Medicina coronata, quæ ſecretiſſima teneatur, ut intellectus humanus deperditus hoc medicamento inſtauretur.*

Nota autem compoſitionem *ſcammonii* ʒj tantum, non ʒij ingredi. Vide *Sennertum Pr. l.1. p. 2. cap.11.* qui monet vix ſatis commodum eſſe uſum hujus Pulveris niſi corpus antea bene humectatum ſit, cum valde ſiccandi vim habeat.

Senam tutam eſſe ſcio, ea ad hunc modum crebro, vel ſingulis ſaltem ſeptimanis ſemel utatur.

℞. *paſſular. min.* ℥vi. *flor. borrag. violar. meliſſæ āā. p. j. galangæ inciſæ* ʒvi. (*forte* ʒß.) *fol. ſennæ* ℥vj. *f.* decoctio & infuſio per noctem, mane rurſus ebulliant & fortiter exprimantur, In *expreſſione* ℥iiij, *diſſolve ſyr. roſar. ſolut. de pomis, mannæ Alex.* āā. ʒß. *m. f. Potio.*

Syrupi de Pomis hæc eſt deſcriptio.

℞. *fol. ſcolop. puleg. meliſſæ, chamæd.* āā. *m. j. flor. borrag. ſtœch. ceterach. ſumm. thymi* āā. *m. ß. fol. ſennæ el. epith.* āā. ℥j. *cort. helleb. n.* ℥ß. *ſucci pomor.* ℔iß. *ſucci agrimon. fumar.* āā. ℔ß. *fiat horum infuſio & decoctio, colat. adde ſacch. q. ſ. aromatizetur cum caryoph. Crato conſ. 103. l. 6.*

℞. *ſeri caprilli* ℥iv. *fol. ſennæ* ℥i. *cinnam.* ℈j. *infunde per noctem, mane facta ebullitione exhibe ſerum.*

Hoc eſt medicamentum præſtantiſſimum, quia non ſolum alvum movet, ſed etiam attemperat jecoris calorem, præſertim ſi ſerum in majori copia bibatur. *Rod. à Fonſeca Tom. 2. conſ. 82.*

40. *Spiritus ac principes partes roborantibus*) Cathárticis nec continue nec nimis frequenter utendum erit, quin ſufficiat ea intra 6. aut 7. dies exhibere, atque aliis temporibus, alvus ſi adſtricta fuerit, per Enemata ſubducatur. Quod ſpectat ad alia medicamenta quæ non ſunt evacuantia, etſi in iis veteres minimum, nos maximum curationis negotium ponimus, Enimvero illi (quibus etiam moderni plures conſentiunt) ad melancholiam ſanandam nihil amplius agendum ſtatuebant quam humorem atrabilarium expurgare, quapropter catharſin præcipui momenti facientes, hujus tantum gratia pharmaciam reliquam, ob id *præparatoriam* dictam, inſtituebant; in eum nempe ſcopum collineantes ut quamprimum per medicamenta alterantia humor ad conſiſtentiam idoneam redactus, viæque pro excretione ejus ſatis apertæ fuerint, dein iſte per cathartica foras educatur; Cujuſmodi hypotheſis tum rationi tum experientiæ medicæ minus congrua videtur, quatenus nempe melancholici à crebra purgatione, utut methodice inſtituta, noxam potius quam levamen recipiunt; Itaque nos morbi hujus cauſam in *ſanguinis & ſpirituum dyſcraſiis*, atque in *viſcerum & cerebri debilitate*, aut mala conformatione ponentes, *Alterantia & corroborantia* pro remediis primi cenſus habemus, atque horum gratia tantum cathartica nonnunquam intercalamus; Purgatione igitur propter impedimenta amovenda rite & ex debitis intervallis præſcripta, quoad reliqua juxta hujuſmodi formulas procedatur.

℞. *Conſerv. flor. tunicæ, borrag.* āā. ℥iiß. *corticis myrobal. condit.* ℥vi. *corall. ppt. margarit.* āā. ʒiß. *eboris, ocul. cancr.* āā. ʒij. *conf. de hyacint.* ʒij. *ſyr. è corall. vel papav. rhœad. q. ſ. f.* Elect. dozis ʒii. m. & v. Superbibendo Julapii ſequ. vel aq. diſtill. ℥iii.

℞. *Aqu. flor. paralyſis ceraſ. nigr.* āā. ℥vj. *meliſſ.* ℥iv. *aq. D. Stephani.* ℥ij *ſacch.* ℥vi. miſce.

℞. *fol. meliſſ. borrag. bugl. fumar. naſturt. aqu. beccabungæ*, āā. m. iv. *flor. tunicæ, calendulæ, borrag. paralyſ.* āā. *m.* iij. *cortices exter.* vi. *aurant. & iv. limon. Inciſis & contuſis omnibus affunde ſeri lactis cum pomaceo facti* ℔ viii. diſtill. organis commun. liquor totus commiſceatur.

℞. *Pulv. margar. eboris coralli præp.* āā. ʒij. *ſpec. lætif. diarrh. abb.* āā. ʒj. *olei è cortic. citri* ℈ß. *ſacch. albiſſimi ſoluti & ad tabulati conſiſtentiam cocti, in q. ſ. aquæ meliſſæ* ℥vi. *f. ſ. a.* Tabellæ ponderis ʒj. capiat ij vel iij mane hora 9. & 5. pomerid. ſuperbibendo hauſtum aquæ diſtill. aut *Teæ decoctum.*

℞. *rad. chærefol. polypod.* āā. ℥iß. *folior. linguæ cerv. aſplenii, ceter. chamæd.* āā. *m j. tamariſci, m. ß. cortic. ejuſdem* ℥ß, *paſſular. exacin.* ℥ij. *Pomum j. inciſum, inciſa & contuſa coquantur in aqu. fontis* ℔ iv. *ad 3. partis conſumptionem; circa finem adde fol. naſturtij aqu. m. j. f. colatura clarificandæ, ſumantur* ℥vi. *bis vel ter in die, edulcoretur cum ſyr. de fumaria.* Willis.

41. *Balnea humectantia*) A *Gualthero Bruele* Pr. pag. 23. commendata, ſi *in aqua dulci folia malvæ, violar. roſar. nymph. capita vervecum,* ſem. *lini, fœnugr. fol. bugloſſ. chamæm. melil.* coquantur.

42. *Potu Acidularum*) Aquæ Acidulæ ferratæ pro ſanandis melancholicis maximum ſæpe commodum præſtare ſolent, quatenus nimirum copioſæ epotæ ſanguinis tincturam *ſalino ſulphuream* eluunt, ejuſque mala fermenta deſtruunt. Porro illæ viſcerum ſordes abſtergent, obſtructiones reſerant, &, quod inſignis emolumenti eſt, adſtrictione ſua tum viſcera debilia, aut laxa nimis, corroborant, tum vaſorum in cerebrum dehiſcentium ora occludunt, quo minus in ipſum una cum ſucco nerveo materiæ extraneæ aditus pateſcat. Atque ob hanc rationem, nempe viſcera corroborando, & ductus εἰς ἐγκέφαλον obſerando, *Vitriolica ferri* præparata etiam in *vertigine*, utiliter exhiberi ſolent. *Willis.*

43. *Externa roboratione*) Externa inter *Crocus* eminet, in nodulo appenſus, Eſt optimus ad triſtitiam & angorem melancholicum, melius tamen eſt ut *croco* addatur *camphora*, quæ eſt optima, & in forma *Epithematis* quoque, E. g.

℞. *aqu. flor. ſambuc. hyperici*, āā. ℥iß. *camph.* gr. vi. *m. f. Epith.* applica fronti & temporibus, bene confert. *Etmuller.*

44. 6. *Diæta*) Melancholiam recentem victus ratio humida & boni ſucci ſanat, nam confirmata ægre admodum ſanatur: 1. *Decumbant* & verſentur in loco lucido, rebus odoratis conſperſo, ſitq; *Victus ratio* humectans & temperata potius quam calida. Confert uſus *Lactis* continuus, & *carnes pullorum*, gallinarum & turturum mirabili proprietate juvant. Caro pulli accipitris & noctuæ cum ſucco majoranæ coctæ ſanant melancholiam, & cordis palpitationem, ſi credimus *Moſi.* Carnes vervecis eſſe utiliſſimas ajunt *Ali* & Azaravius: Carnem vulpinam commendat *Rhazes.* Quantitas aſſumendorum moderata ſit; & vitare oportet ne nimio potu cibus in ventriculo fluctuet. Abſinthii decoctum laudat *Galenus* ad flatus & ventris concoctionem. *Montuus.*

Nihil magis prodeſt quam cavere ab animi affectibus & intentione animi. *Walæus.*

45. *Alia eſt à cauſis externis*) Quidam ob vomitum acrius concitantia viſi ſunt melancholia capi. Huc pertinent cibi melancholici & veneni hauſtus. *Montuus Anaſc. morb. c. 19.*

46. *Cauſis externis*) *Cauſa externa humoris melancholici ortui & congeſtioni anſam præbentes ſunt Autumnæ tempeſtas,* ob ψῦξιν ſucci melancholici hujuſque difflationem impeditam, Nam *atra bilis autumno & pluriima eſt & fortiſſima, lib. de Nat. hom.*

Vernum tempus maxime fabis florentibus, propter ejuſdem humoris atrabilarii κίνησιν, à novo ac clemente

ſolis

solis tepores, alias enim ver cal. & hum. affectionibus melancholicis per se medetur ex *Hipp.l.de nat.h.* Morbi autumnales vere solvuntur,& è converso.

Alimenta dyspepta, ac generis durioris,puta omnium itriorum species, ut lagana, rhyemata, Panis aut azymus, aut vetustate siccior, aut è tritico paratus quod ustrigine adustum sit; Caro suilla,præsertim porci collaviaris, aprugna, cervina &c. Inter Neptuni pecora, sicuti ait *Plinius*, ea quæ cetacea sunt, Ex leguminibus lentes &c. Inedia, vigiliæ immodicæ, exercitia indefessa, *κὶ μελαμβίων* solitudo, Veneris abstinentia, quatenus visceribus à suppressa genitura incalescentibus, sanguis impendio crematur, ac genium melancholicum ex facili induit. Sed inter evidentes causas primariam tenent Animi *pathemata*. *Menjotius.*

47. *Externis, ut timore*) *Terror*, vel *metus gravis*, maxime ex improviso accidens, non tantum animum percellit, sed & si adeo animo imprimatur, totumque corpus & spiritus commoveat, immutet & confundat, in dispositis maxime, ut ex eo vel nunquam vel difficulter possit eximi, *Melancholiam* veram eamque *gravissimam*, deterioremque fere quam illa quæ ab interna causa evenit, sæpenumero inducit, impressione adeo facta in spiritibus, humoribus, & cerebro ipso, ut ægre, nisi tota massa sanguinis exhauriatur, possit eximi. Estque illa *Melancholiæ species*, in qua horrendis atque impiis tentationibus divexantur; qua specie alia frequentius non mihi fuit obiata, tam mulieres quam viros exercens, nec ipsis etiam junioribus parcens. Hæc autem vel à *visione aliqua horrenda*, vel per insomnia, vel revera apparente; Vel ex *imaginatione* tantum & metu alicujus periculi; Vel ex *timore æterni supplicij* ob grave peccatum commissum.

Tristitia, vel *Mæror vehemens* diutius *perseverans*, *animi perturbationem melancholicam* quoque gignit, quæ etiam in *veram*, si altius radices agat, spiritusque perturbet, & corporis temperamentum immutet, degenerare potest; vel *Phantasiam* quandam nunc *stultam*, nunc *insanam*, & *desperationem* nonnunquam inducit; Proficiscitur autem hæc *animi mæstitia*, ex *dolore* seu luctu, ob rem aliquam amissam frequentius, ut jacturam pecuniæ, honorum, liberorum,parentum, amicorum; Vel ex *pudore* & *verecundia*, quibus generosi præsertim animi, ob commissum errorem adeo perturbantur, ut ad desperationem aliquos adactos inde esse, sicuti *Homero*, quod piscatoribus ænigma solvere nequiverit, accidisse scribunt constet, *Invidia* quoque quandoque hominem adeo affligit, & Cor, ut ajunt, erodit, ut & hi melancholici penitus fiant; *Platerus.*

β. Sanguinem in toto corpore mutare possunt) Biliosum & sanguineum corpus Melancholicum fit ubi non habuerit effluxum; *Epid. 6.* Non ut suppressio effluvii vaporosi & benigni inducit plethoram, sic acris suppressio non solum melancholiam sed febrem etiam committit. Hujusmodi effluvium acre in his consistit, qui sunt malis humoribus pleni. *Montuus.*

48. *Tum vena sectio minime*) Si ab animi gravi affectu, ut *mærore*, *timore*, auctus sit in corpore humor melancholicus, sola sufficient *alterantia*, licet utile sit nonnunquam mox, ubi animus agitatus fuit vehementer, *sanguinem mittere*; Dubitatur vero qua ratione tunc conveniat V.S. quæ indicatur 1. à plethora; 2. à sanguinis æstu magno. 3. ab ejusdem motu cessante. 4. ab eodem ad hanc aut illam partem nimium ruente,aut è vasis suis alicubi effluente.

Existimamus autem id fieri, quatenus in vehementi Animi affectu sistitur plus minus sanguinis motus, turbatur saltem non tantum illius effervescentia, sed eadem non raro augetur, aut minuitur, *augetur* fere ab *ira*, minuitur vero à *tristitia* aut *pavore*; *Sistitur* plus minus in quovis animi affectu vehementi ac inexpectato sanguinis motus, quoniam sistitur, mox turbatur spirituum animalium *motus animalis*, hoc est Animæ motus compositos sistens, qui Animæ motus quoniam in tali affectu sunt inordinati, non mirum *si animales spiritus, sicut anima ipsa, primum quiescant, mox inordinate moveantur*, unde non tantum cordis contractio primum minus absolvitur, mox turbata observatur, verum *cæteri canales omnes, vasaque itidem minus*, hinc *inordinate contrahantur*, *contentique in eis liquores similiter propelluntur*, quin animales spiritus ipsi quaquaversum ferri desinunt, mox confuse ac inordinate eo feruntur, unde non tantum *liquorum* quorumvis *motus*, verum præparatio quoque alteratur & turbatur; quapropter alibi docuimus *Bilem*, succum Pancreaticum, Lympham, & cæteros corporeos liquores fieri ad vehementem animi motum acriores, ideoque in peragendis suis muneribus ineptiores, quin nocentes.

Quoniam vero metus est ne cessante diutius sanguinis motu, sanguinis partes variè in dextro cordis ventriculo hærentes nocentius in se agant,& subinde suffocationē ac mortem subinde alias noxas & affectus graves pariant, utile est aperta in tempore vena sanguinem à corde alio derivare, motumque illi conciliando, noxium illud quaquaversum dispergere: Maximum enim malum est si prope cor, vitæ fontem,quod in sanguine corruptum est diutius hæreat, unde in vitæ discrimen adducuntur omnes quibus hoc accidit: facilius autem illo periculo liberantur aperta vena, & remoto in tempore à vitæ fonte memorato sanguine, quod necessario evenit, quatenus in educti locum pergit omnis prope cor prius subsistens. Atque hac potissimum ratione putamus conducere sanguinis eductionem festinanter institutam post animi affectum gravem, & quidem graviter afficientem. *Fr. Sylvius Pr. m.l.3.c.10. § 06. & sequ.*

Venæ sectionem autem locum non habere statuit *Cl. Ionston.* in affectus inducti progressu, eoque jam firmato, & postquam, *ut ait*, humidum radicale exsiccatum.

49. *Seu frigida sicca*) Inter causas internas remotiores sunt 1. frigida sicca intemperatura,succi melancholici fœcunda; si nempe *positiva* fuerit, ex præsentia frigiditatis atque siccitatis: secus enim privativa intemperies frigida ac sicca, ab inopia calidi nativi, uberrimum facit, non melancholici sed pituitosi excrementi proventum, ut in senibus, apud quos propter coctionum ἀπεψίαν, superfluæ pituitæ redundantia ad succum & substantialem partium intemperiem non quadrat.

Dicamus præterea in naturis melancholicis ob siccitatem frigiditate antecellentem, plurimum terrenæ materiæ congeri, nec tamen aquosos humores deesse, donec frigiditate siccitatem superante hydropiasis tandem superveniat. *Menjotius.*

50. *Frigida & sicca*, *seu calida & sicca dispositione*) Causa antecedens *crasis atrabilaria*, si animi mores corporis temperamentum sequantur, juxta illud *Damasceni*, Temperatura corporis animi affectibus semper cohæret. Aetas 25. annorum usque ad 45. ex omnibus ætatibus maxime atra bile detinetur. Si hepar sit calidum & siccum, consistente ætate atra bilis plurima, Rubicundi & qui fulvi sunt repente in crasin melancholicam deveniunt. Vis cogitandi læsa est his qui nimis magna aut parva capita habent. *Montuus.*

50. *Seu calida & sicca dispositione*) Corpora calida sicca exusto retostoq; sanguine prædita proclivia sunt in melancholiam, unde Æthiopes melancholici existunt.

Et apud *Hippocr. 2. Epid. 8. 5. Balbus, calvus, qui inter loquendum hæsitat, & hirsutum, morbis admodum melancholicis conflictantur Menjotius.*

[51] *Causa exurente cessante*) Vide supra §. 32. *Sanguis melancholicus in toto.*

iij. [52] Alia est *Cordis*, quando Spiritus vitales ob intemperiem frigidam siccam, frigidi sicci & impuriores gignuntur.

Curatio non differt à superiore.

iv. Alia est [53] *Hypochondriaca*, quando humor melancholicus, interdum frigidus & serosus, α interdum in venæ portæ ramis β adustus, in hypochondriis colligitur, & per vapores atros emissos, spiritus animales inquinat.

[54] *Cognoscitur* ex eo, [55] quod per intervalla accedat; & in accessu interdum subitò & ex improviso incurrat, interdum, & sæpissimè, primò ructus & ventriculi tensivum dolorem; mox anxietatem, difficilem respirationem, cordis palpitationem, linguæ immobilitatem; tandem oculorum caliginem, aurium tinnitum, brachii alterutrius vel utriusque stuporem inducat.

Oritur à vapore fœculento, qui ex [56] humore melancholico [57] ex lienis, [58] epatis & ventriculi ἀπεψίᾳ in hypochondriis collectus, versus superiora tendens, & in membra irruens, symptomata illa infert, & in cerebrum, seu per orificium ventriculi, seu per venæ cavæ ramos emissus, spiritus obfuscat. [59] *Curationem* in affectione hypochōdriaca vide. [60] Proderit [61] Decoctum aperitivum cum *cremore Tartari & oxymel helleborato Woisselij*, adjectis aliquot guttis *Spiritus salis*.

[52] *Alia est Cordis*) Gravissima est disputatio, An revera sit sedes ejus in Cerebro? Ego sequutus communem errorem huc colloco, sed enim, cum affectuum omnium sedes sit in corde; Cur timor & mœstitia alibi sit? *Jacchinus* in ix. *Rasis* ait Non fieri nisi in consensum rapro corde, ego inverto, Morbum quidem stabulari in corde; è quo mœstitia & timor, symptoma autem, imaginationem hanc vel illam, fieri in cerebro, Ergo, quatenus ἡ πάθησις *Aristotelis* est in corde, eatenus timent & mœrent; quatenus imaginationem exercet cor in cerebro, eatenus putat hic se mortuum esse, vitrum & nescio quid. Ergone dicis Cor oportet hic curare? oportet, hujus enim intemperies frigida & sicca est. *C. Hofmannus Inst. Med. lib. 3. c. 36.* Vide §. 20. *Vel materia ex qua fiunt.*)

[53] *Alia est Hypochondriaca*) Hanc speciem *Phantasticam* seu Melancholicam vocat *M. Martini de morb. mes. p. 350.* eamque sic describit.

Ultima affectionis Hypochondriacæ species, ob miram symptomatum faciem constare videtur ex aliarum specierum complexu, sedemque suam in venis mesaraicis, non Omentum solum, ac Mesenterium, sed & alia viscera naturalia perreptantibus obtinet, & quidem illis majore ex parte in locis ubi plures ac majores venæ Portæ rami Lienem versus ac ventriculum, in sinistro latere congregantur; Quanquam non diffitendum dextrum hypochondrium, & cumprimis dorsi sedem ab hujus materiæ appulsu raro esse immunem, unde modo ab hepate nonnunquam in sinistro latere, humore nimirum inter ventriculum & lienem in venis subsistente, excandescentiæ & cruciatuum viam orditur.

Materiam tamen dictis in locis stabulantem, seu verius sanguinem melancholicum, ex quo evaporatio exsurgens mentem obnubilat, diversimode dispositam, ac plane heterogeneam esse eventus arguit, In venis nempe majoribus, cordi & hepati vicinis, coercita, calorem & acrimoniam exsuscitat, quæ tamen portione sui crassiore in imum demersa, & ad crura devoluta, calore plane destituitur, notas frigiditatis evidentes obtinet, Idque propter defectum sanguinis benignioris, quem, ex decreto *Avicennæ*, atrabilarii succi præsentia nunadmittit. *Matt. Martinus.*

[53] *Alia est hypochondriaca*) Vide supra §. 20. *Vel materia ex qua fiunt.*)

[53] *Alia est Hypochondriaca*) Melancholia dicitur malum, quia tandem succedit timor & tristitia, *6. aph. 23.* ut in melancholia simpliciter dicta, de qua supra: Dico *Tandem*, ut absolvam me à novatoribus quibusdam, qui distinctionem parant inter affectionem hypochondriacam & melancholiam hypochondriacam; Huic jungo rationem etiam unam, morbum hunc nomen suum habere ab ἀκμῇ sua: ut autem absinthium non minus est absinthium cum tria habet folia, quam cum floret & semen habet; ita melancholia hæc tuetur nomen suum etiam cum in principio universali est, quod non dierū numero sed mensium metimur. *G. Hofmannus.*

α. *Interdum in venæ portæ ramis*) Causæ detinentes sunt lien, venæ tam mesenterii quam hæmorrhoidales, vasa spermatica, uterus, & aliæ ventris inferioris cavitates, in quas vel intemperies, aut morbus organicus, seu obstructio, vel utrumque cadere potest. Quorum ratione non semel visi sunt hipochondriaci, quibus istæ corporis partes, ac sinistrum cumprimis hypochondrium, multo nigro succo, tanquam atro jure, oppletæ atque distentæ fuere; aut quibus haud absimilis amor susque deque, sine tamen periculo, fuit erectus, *Matth. Martini de morb. mesent. p. 137.*

β. *Adustus in hypochondriis colligitur*) Id quod & *Fernelius consil. 44.* asseverat, ubi bilem retorridam, sensim multoque tempore, circum præcordia cumulatam, neque per alvum aut vomitionem tempestive expurgatam, hoc malum concitasse scribit. Aut quibus, ex mente *Hollerij in sch. cap. 17.* Sanguis coercitus, & conclusus, superassatus, vel alia ratione vitiatus, in atrum succum degenerat, atque hinc inde in partes ventris diffusus, magnum intestinorum æstum, cum vaporum insigni proventu exsuscitat.

[54] *Cognoscitur ex eo quod*) Adest æstus in hypochondriis, sine siti, sputatio frequens, ructus acidi, flatus per superiora vel inferiora frequenter emissi; ventris rugitus, compressio interdum diaphragmatis, nausea, appetitus interdum insatiabilis, tumor aliquando & renitentia in hypochondriis. *Riverius.*

[55] *Quod per intervalla*) Vide supra §. *Dividitur in aliquot species*) ex Menjotio.

[56] *Humore melancholico ex Lienis*) Quid conferat Lien ad Animi mores sive nativos, sive adscititios, ostendit *Veltbusius de Lienis usu*, Ille in hoc viscere fermentum, quo sanguinis particulæ segniores ad activitatis statum perducuntur contineri, (uti summe probabile) constituit: quippe animadvertens quod in *pueris* aliisq; temperamento sanguineo, & habitu corporis obesiori prædítis, uti mores & animi indoles ad otium, molliriem & hebetudinem inclinarent, ita Lien semper coloris rubicundi, ex sanguine, uti hepar, florido refertus fuerit: hinc concludit, in his Lienem, uti partes genitales ante pubertatem, aut in elumbis, minus officio suo fungi: E contra vero, quandoquidem in viris

circa

circa mediam ætatem, præcipue in istis qui sunt vultus severi & corporis gracilioris, uo solertiæ, sagacitatis, constantiæ ac fortitudinis indicia se produnt; Ita Lien coloris lividi, & sanguine velut cœnoso imbutus reperiatur, hinc insuper arguit sanguinem in Liene, velut conditorio, diutius asservatum, plane in fermentum abire quo reliqua ejus massa subinde inspirata subtilisetur magis, ac spiritus acutiores in regimine tum vitali tum animali progignat; Supponit enim, corpora nostra naturaliter humiditate nimia scatere, qua quidem partium & viscerum plerorumq; functiones plurimum hebetantur, at vero Lienem massæ sanguinis communicare partes solidas, constantes, firmas nec facile dissipabiles, atque illas detergere hanc humiditatem, simulque aliquatenus à sanguine & spiritibus illam mollitiem auferre, quæ in tenella ætate præpollet, eo ferme modo quo Boreas, aut ventus Orientalis, siccitate & robore suarum partium aërem ventilans, & inome penetrans, aëri & corporibus nostris robur aspirat.

57. *Ex liene, hepate & ventriculi ἀντιπραξία*) Observantur in hoc affectu dyscrasiæ, sive contrariæ intemperies, quæ hunc longum & difficilem reddunt; Phlogosis, seu incendium magnum in liene, in mesenterio; aliquando in pyloro, perfrigeraoo vero in stomacho, *Joh. Schmitzius univ. Med. comp. p. m.* 304. At quomodo contrariæ hæ intemperies simul consistere queant vix cooipere licet, siquidem communi hæ partes fruantur alimento, scil. sanguine in arteria cœliaca contento, qui intemperiem suam omnibus ex ęquo partibus illic coercitis communicat; Ventriculi intemperies frigida arguitur ex coctionis tarditate, pituitæ & flatuum uberi proventu, gravitatis sensu & aliis vioatæ concoctionis indiciis, at dubium est an hæc frigiditatis sint soboles? At certum est quacumque demum intemperie afficiatur ventriculus, hunc chylificationis opus male obire, & chylum in humorem viscidum pituitæ similem facessere, non minus à calida intemperie quam à frigida; Flatus utriusque intemperiei esse progeniem, si subsit materia in illos abire apta, cujusmodi est glutinosa & viscida ex chylo corrupto resultans, & humor melancholicus, illorum parens: Adde his ventriculi concoctionem hic depravari, non imminui, at actionis cujuspiam depravatio calori potius quam frigiditati adscribenda.

57. *Lienis, Hepatis &c.*) Melancholiam quandoque à *Liene* male affecto, aut primario excitari, aut plurimum foveri, proindeque peculiari vocabulo hypochondriacam appellari, & communis est, & nostra fert sententia; Attamen *sanguis prior* in culpa, fæculentias atrabilarias ab initio in se gignens, in *Liene* deponit, quas postea in mali fermenti naturam exaltatas denuo excipiens, ab earum inquinamento in *crasi* sua magis vitiatur. *Willis.* Vide illius Tract. de morbis convulf.

58. *Hepatis & ventriculi ἀντιπραξία*) Intemperies Stomachi frigida, & Hepatis calida, in Scholis quamplurimorum morborum focus & origo habetur, Sed quoad *universalem intemperiem*, est revera talis intemperies inæqualis Non Ens, quia viscerum temperies æqualis omnino dependet à sanguine & spiritu vitali influo, quæ æqualiter per sua vasa, iustitia distributiva in partes effusus & circumdatus ipsis debitam largitur temperiem, unde eodem æstuante in causo, & totum corpus calet; eodem vero defervescente in senibus, totum corpus similiter tepet.

Quoad *particularem intemperiem*, equidem debilior una pars est altera, ratione spiritus insio, pro cujus ratione etiam intemperies vitalis à sanguine & spiritu influo in parte ista plus minus recipitur, unde etiam functionum defectus, subinde etiam earundem aberrationes contingunt, sed formalis in operationibus aut proprietatibus contrarietas, sive viscerum antipraxię, & intemperiei inæqualitas, neutiquam observabilis est.

Inæqualis autem ista putata intemperies, *Stomachi* nempe *frigida*, & *Epatis calida*, revera nihil aliud est quam depravatio fermenti stomachici, qua istud nimis acidum, nec satis volatile existit; cum muco vel materia viscida in stomacho & intestinis stabulante junctû: Tales namque ægri conqueruntur, 1. de Ructibus acidis; 2. laborant apepsia, 3. acida eos lædunt, 4. quæ evomunt cum levamine vel per artem, vel per naturam sunt acida, aquosa & viscida 5. medicamenta quæ hæc mala curant, sunt quæ vel acidum absorbent, ut *Martialia* & *Saturnina*; Vel quæ idem corrigunt & immutant, ut salia tam fixa quam volatilia, & ex vegetabilibus *amara*, v.g. *sal absynthii spiritus armoniaci*, aromata.

Nam licet talia dicantur habere vim calefaciendi stomachum, hoc tamen falsum est, nam operantur tantum per salsum volatile & acre, quod nec calidum nec frigidum io se, sed tantum per appropriationem in nostris partibus ab iis exsuscitatur: Nam sanguis per sua vasa æqualiter circulatur & viscera omnino partibus debitam sle dictam intemperiem largitur, distribuitur ergo tam in stomachum quam hepar, & noo impeditur eodem modo, proportionaliter tam calefaciet ventriculum quam hepar, unde viscera hæc in proportionata consistent temperie. *Etmuller Fund. Med. Nov. pag.* 21.

59. *Curationem*) Quominus in veram perseverantemque Melancholiam malum convertatur, & vaporum istorum contagione sanguis in universo inficiatur, hisce intentionibus opera sedulo impendenda erit, quas in cura *morbi difficilis* nobis *Hippocr. 3. de morb. tr.* 77. suppeditat.

Primo namque *pro humorum melancholicorum excisione Veratrum bibendum jubet*; Medelam vero idcirco ab usu subsidii vomitum cientis orditur, eo quod sic affecti validissima sustinere possunt medicamenta, idque ob crassorum & viscidorum humorum colluviem, quos humor melancholicus, corruptis viscerum coctionibus, largissimos producit; & quibus interiora pene omnia supra vulgarem modû obruuntur: Quia tamen insignis est particeps malignitatis veratrum, eaptopter ex ejusdem *Authoris* placito *4. aph. 3.* corpora ante purgationem prius cibo humectanda, & quiete reficienda sunt.

ij. *Caput purgandum ac roborandum suadet Hippocrates*, Vomitu præmisso; Ex præscripto *Aëtii l. 2. serm. 2. c. 3.* capiti; non solum communis detrimenti ratione debilitato, sed qui ob cognationem cum orificio ventriculi (itidem graviter in hoc affectu oblæso) per duos insignes nervos, qui à supernis ad ipsum deferuntur, facilè in consensum ducitur, suppetiæ sunt ferendæ.

Præstari id commode potest Enematibus & Venæ sectione, necnon aliis externis quæ ad vaporum discussionem sunt idonea: Enemata autem per intervalla injici possunt, cumprimis autem calore multo indigeno præsente, haud tamen acres nimium & mordaces, sed ad humorum peccantium præparationem saltem comparaó esse debent.

Venæ sectionis, quam *Hippocr.* hic in loco, ceu sæpius inculentam præterit, hi statuendi sunt termini, ut sanguine atrabilario in toto exuberante; ob summum virium languorem & spirituum inopiam repudietur: Sin vero pars quædam, suscepto aliunde ex humoris cujusdam affluxu fomento, temperaturam mutaverit; aut saltem in capite alteratio oborta fuerit, utique venæ apertionem, pro causæ antecedentis demolitione, probari in confesso est, adeo ut, malo perseverante, à frontis venis multi non abstinuerint.

iii. *Post capitis evacuationem Pharmacum deorsum purgans exhibendum* præcipit *Hippocrates*. Purgationis autem metas humoris conditio definit, Hanc autem ex delicti

forte, seu humoris & vaporis qualitate commodissime licet æstimare. Danda tamen ubivis est opera ne calidioribus aperientibus & corrigentibus effervescat qui redundat succus, & in furorem agatur laborans, aut terrestrior crassiorque efficiatur, ac proinde vacuationi aut attemperationi ineptior.

iv. Deinde *Lactis Asinini potus*, ubi minus obmurmurare intestina cognoveris, eximie confert, vel *lactis caprini* serum, aut quæ huic viribus respondent; additis quandoque lacti succis recentibus *folior. endiv. hortensis, buglossi utr. cichor. vel absinth.* quod *Aëtius* eximie commendat, maxime ubi pituitæ salsæ, aut choleræ fuerit ubertas.

v. *Cibis utendum paucissimis & alvum subducentibus, non acribus, salsis, pinguibus, ac dulcibus demandat*, hinc cibi omnes sint euchymi, flatuum expertes, humidi, molles, alvum subducentes, etiamsi ventriculi cruditas illos dissuadere videatur, non acres, salsi, pingues, qui calore suo excedente atram bilem præassatam exacuere, materiam hac ratione adaugere ac graviora symptomata concitare possunt. *Fernelius consf.45.* Quin potius omne studium ad augmentum corpori conciliandum in corporibus exilibus & attenuatis conferendum, & siccitas, ceu potior hujus morbi causa, ex consilio *Rhasis* corrigenda.

Sic *vini* usus plane interdicendus, nisi vel *citri* aut *pomorum succis* dilutum exhibere animus sit. *Aqua* vero ubivis aliquid incoquendum quod humorum malitiam infringere queat, ceu *buglossum* utrumque, *acetosam, endiviam*, aut *hydromel passulatum*, Vini saporem egregie referens exhibendum.

vj. *Calida non lavandum, neque vinum bibendum, sed aqua majori parte utendum, quieti indulgendum, nec exercitiis aut deambulationibus vacandum docet, Hac enim si neglexerit, morbus in habitum transit, & commoritur.* Cum nobiliorum viscerum in hoc malo insignis adsit offensa ac debilitas, spirituumque animalium summa advertatur penuria, magna ex parte graviores morbi præcesserint, ac periculum immineat, ne præter rationem liquatus humor in partem principem decumbat, aut inflammationis periculum minetur.

Idcirco *Balneo* in hoc casu minime interdicendum, sed caput assidue tepida, incoctis prius refrigerantibus, & moderate calidis lavandum, maxime tamen post vel ante evacuationem, ut noxius humor ad eductionem possit esse paratior.

Sic vero nihil horum sit pertimescendum, sæpius in *Balneo* lactis dulcis, in quo herbæ conferentes prius ebullierunt, lavasse, cumprimis in præcordiorum & venæ dorsalis æstu, præsentaneam afferre solet opem. Operæ quoque pretium fuerit post Insessum, Unguenta ex *Balsamo Indo, Santalino*, & similibus spinam preunxisse.

Nonnunquam & *Lotio capitis* ex *aqua & vini* æquis portionibus usurpanda, cui *asarum, hypericum, ruta, lauri fol. betonica*, addita portione *semin. hyosciami & papav. albi, cum hellebori nigri* momento sunt infusa, Id quod etiam per *Ducias* haud minori emolumento peragi solet.

Quieti etiam supra modum indulgendum, Naturales *excretiones* promovendæ, somnus imperandus, corpus exercitio parum fatigandum, hypochondria *aceto* medicato imbuta spongia sovenda, iis denique Emplastrum pro divertendis à capite & corde flatibus, prævia unctione, inducendum; Cruditates anxie devitandæ, Principes partes roborandæ, ac ventriculo tandem, hepati & lieni prospiciendum, ita ut confortans specificum unicuique visceri tribuatur.

Omnis denique labes & malignitas in sanguine eluenda, id quod apposite licet exequi usu quotidiano *Salis theriacalis, Extracti mithridatii, confect.* vel *Essentia viperina*, Quercetani &c. *M. Martini de morb. mesent. p. 350.*

60. *Proderit*) Inter remedia *Alterantia* sunt *Martialia, Saturnina, Lunaria, Corallata, Tartarea*, & omnia ex his composita, V. g. *Extractum Martis* cum *succo pomor. Tinctura Martis Zwelferi, Tinctura Martis solaris.* Hinc excellunt *Saturnus* & ex eo paratum *sacch. Saturni* frequenter usurpatum, dosis ℈j. Vel ejus loco *crystall. min. Saturni* cum *spir. nitri* parati, *Luna*, & specialiter ejus *tinctura* sunt appropriata, vel *magister Lunæ*, Item *aqua Lunæ*, quando in *aqua cephalica* extinguitur, Huc pertinet *Lapis lazuli*, qui est naturæ lunaris. Hisce addantur *corallia rubra*, non saltem quod acidum destruant, sed & quod sulphur eorum contra tristitiam appropriatum sit, Unde *Tinctura corallorum* in his affectibus est egregia: *Tartarea volatilia* his jungantur, ut enim diuretica, & acidi destructiva, melancholicos juvant, talia sunt *spiritus Tartari, sal volatile* & alia; His *arcanum duplicatum* non cedit & mihi frequenti in usu.

His, ceu primariis, ex *regno Vegetabili*, temperata addantur, v. g. *fumaria, borrago, buglossum, anagallis, crocus*, optima est *Camphora* & *eius essentia*, Pertinet huc *Tinctura hyperici Mynsichti*, optima ad deliria melancholia. *Essentia* ejus summa cordis lætitia, ut à *Paracelso* vocatur, cum simul habeat vim somniferam. Hinc & Lindanus commendat *syr. borrag. cum croco.* Ex his variæ præscriptiones fieri possunt, E. g.

℞. *Arcani dupl. gr. xv. sacch. saturni* ℈ß. *camph. gr. iij. Misce*, repetatur aliquoties, in specie vesperi, tempore somni, nam *camphora* melancholicos ad somnum disponit, *Vel*

℞. *sacch. Sat.* gr. vi. *laud. op.* gr. ii. *ol. camph. q. s. F. s. a. Pilula, vesperi sub introitu lecti capienda*, Vel

℞. *aquar. borrag.* ℥ß. *arcani duplic.* ℈j. *magist. corallor. cum succo citri* ℈ß. *camph.* gr. iij. *syr. borrag. detur una vice*, Vel

℞. *Extr. martis cum succo pomor.* ʒß. *camph.* gr. iij. *m. F. Bolus. Etmuller.*

Omnium fortium pharmacorum usum dissuadeo, scio probari *Hieram. Logadii*, qua usum fuisse *Ptolomeum* Regem ad omnia vitia melancholica audimus, verum sæpe audacia ista infeliciter cedit. Usum syrupi de *Pomis cum helleboro* non improbo.

Imo maxime suadeo, Aperientia in hoc malo & obstructiones tollentia maximum quoque auxilium ferunt, Inter ea primum locum ego tribuo radici *centaur. mai.* quam vulgus *Rhaponticum* vocat, *Succus sanguineus è recenti radice* exprimitur, cum *sacch.* in formam syrupi redigitur, ac de eo, singulis diebus mane sumuntur cochlearia duo vel tria; Bibat etiam aliquando ante cœnam haustum vini in quo radix *centaurii mai.* minutim incisa per xxiv. horas maduerit. *Crato consf. 107. l. 6.*

Usitatis medicamentis non proficientibus, ad medicamentum ex *chalybe* confugiendum erit, quale est medicamentum nostrum chalybeatum, sæpius felici cum successu usurpatum.

℞. *conserva ros.* ℥ß. *limat. chalyb. præpar. pulv.* ℈ij. *spec. diarrhod. alb.* ℈j. *caryoph.* gr. iij. *m. & cum syr. byzant. f. Bolus* capiat v. horis ante prandium xx. saltem diebus continuis. *Job Zecchius consf. 81.*

Pilulæ sequentes multis in hoc casu admodum profuerunt.

℞. *aloës* ʒiß. *rhei. agar.* ā̄ā. ʒj. *z. z. mastich. gentian.* ā̄ā. ℈j. *g. ammon. in aceto dissol.* ʒß. *summ. absinth. & cent. min.* ā̄ā. ℈i. *limat. chalyb.* ʒß. *tereb. q. s. f. massa Pil.* capiat ʒß. pro vice *Platerus Obs. lib. 1. p. 65. & 69.*

Ad obstructiones sensim aperiendas, & humorem melancholicum sensim expurgandum, laudat *Forsseca* Pilul. sequ. quas *Diatart.* appellat.

℞. *senn. mund. & pulv. salis tart.* ā̄ā ʒj. *cinnam. pulv.* ℈ß. *cum syr. de limon. f. massa, cujus* capiat Pil. iij. ponderis ʒj. per horam ante cœnam.

Non

Non minus efficaciter *Senna* infundi poterit cum *Sale tartari & gutt. aliquot spir. vitrioli* in liquore idoneo.

Testantur aliqui *Decocto absynth.* aut *vino absynth.* per xxx. aut xl. dies usurpato melancholiam hypoch. fuisse curatam.

Succus buglossi ad humorem atrabilarium contemperandum efficacissimus est ad ℥ii. *cum facch.* ʒij. vel cum vini optimi æquali portione per x. aut xii. dies. *Riverius Prax. l. 12. c. 2.*

[61] *Proderit Decoctum Aperitivum*) Singularis etiam sunt efficaciæ Chalybeata.

℞. *Limaturæ ferri* ℥j. *ponatur in vitro cum succi arant.* ℥ij. *stet per diem subinde agitando*, dein *affunde aqua pomor. & vini albi ãã.* ℔j. *vel pomacei tenuioris & mitis* ℔ iij. da his in die ℥iij. per se vel cum alio medicamento solido.

℞. *Vitrioli martis, crem. tart. ocul. cancri ãã.* ʒj. *m. f. Pulvis dividatur in ix. partes, Sumatur pars una omni mane in haustu aquæ distillatæ, vel decocti aut jusculi appropria.*

℞. *Syrupi de chalybe* ℥iv. *sumatur cochl. j.* bis in die in veliculo idoneo. *Willis.*

v. Alia est [62] *Vterina* quæ [63] cognoscitur [64] ex eo quod de sinistri lateris dolore, & [65] manifesto in dorso circa diaphragma pulsu ægræ conquerantur.

[66] Oritur etiam à vapore, seu ex mensium obstructione [67] seu ex seminis putredine exorto:

[68] Curationem vide suo loco.

[62] *Alia est Uterina*) Quod morbi hujus origo ab *Utero* deducitur, non putandum est humorem atrabiliarium ibi primo generari, sed melancholiæ occasionem inde procedere, vel quoniam ob menstrua suppressa totus sanguis inquinatus & degener factus, postea in dyscrasiam atrabilariam prolabitur; Vel quatenus propter Veneris stimulos, non sine magna animæ corporeæ reluctatione cohibitos, *spiritus animales* diu coerciti & restricti, demum fixiores & melancholici evadunt. *Willis*) vide §. 20. *Vel materia ex qua fiunt.*)

[63] *Quæ cognoscitur ex eo*) Inter species hypochondriacæ melancholiæ recenseri potest ea quæ ab utero promanat, ita ut cum hypochondriaca sæpissime conjungatur, nec ab ea distingui possit, Conqueruntur enim mulieres quæ ea laborant de variis abdominis doloribus, præsertim sinistri lateris ubi lien situs est, & interdum dolor usque ad sinistram mammam porrigitur, cumque uterus non sit sedes melancholici humoris, vix hunc affectum procreat quin aliud viscus primum labefactant.

Hanc autem differentiam inter communem virorum & mulierum melancholiam constituunt *Mercatus* & *Rod. a Castro*, 1. quod illa à communi causa proficiscitur, hæc vero à causa fœminis peculiari, vitio scil. sanguinis menstrui, tetrum vaporem in cerebrum exhalante.

2. Quod illa continua est, hæc vero paroxysmos habet, & per intervalla tantum affligit, unde non semper mœrent & lugent, sed interdum rident & valde hilares esse videntur, blando interdum sanguinis vapore sese melancholico humori admiscente.

3. Quod illa merum solum habeat & tristitiam, hæc vero alia symptomata adnexa habet, ut fletum, risum, anxietatem, desperationem, dolorem sinistri lateris, mammam interdum occupantes. Verum quis non videt hæc esse etiam virorum melancholiæ communia, quæ etiam habet intervalla, & aliarum partium symptomata, ita ut nisi hystericum aliqood aliud pathos melancholiæ huic adjungatur, vix possint *ab invicem distingui*. *Primerosius de m. m. l. 3. c. 8.*

[64] *Quæ cognoscitur ex eo.*) Fœminæ anxiæ sunt, mœstæ, timidæ, cogitabundæ, taciturnæ, interdum flent, & postea subito in risum solvuntur, delirant & garriunt, somnia habent terribilia, somnosque turbulentos, *Arteriæ in dorso* & circa lienem pulsant, sinistrum latus circa cor dolet, ob vapores ex arteriis in membranas intercostales effusos, Cor palpitat, interdumque etiam suffocatio succedit, menses vel lochia supprimuntur, Et hæc symptomata sedato vapore & dissipato quiescunt, mulierque ad se redit, donec motu corporis vel animi, aut alia de causa iterum agitetur, sicque symptomata hæc redeant.

Sunt autem varii hujus affectus gradus, nam quædam levior est, in qua tantum adsunt suspiria, gemitus fletus, risusque immodici; Sic refert *Lyebautius* se vidisse puellam annos xv. natam, quæ absque causa manifesta assidue plorabat & gemebat, ob menstruorum retentionem, sicut ostendit curatio. Aliasve duas se vidisse recenset, quæ postquam diutissime absqoe causa flevissent, per horam postea risum continere non poterant. Alia *gravior* est, in qua adsunt delusa, maniæ, furores, desperationes, quales erant *Virgines Milesiæ*, quæ sese suspenderunt, & *Lugdunenses mulieres* quæ sese in fluvium præcipitarunt. *Idem.*

[65] *Manifesto in dorso*) De hoc affectu fuse Mercatus loquutus est, Pulsatione scil. vehementi arteriarum in dorso; quod symptoma familiare est hypochondriacæ melancholiæ: ideo recte scripsit *Hippocrates Præcordiorum venas pulsantes* delirium portendere, sive in hypochondriis ipsis, præsertim in latere sinistro, sive in dorso pulsatio sentiatur, perinde est; quamvis enim arteriæ sint diversæ, causa tamen utrobique eadem est, scil. sanguis fervidor ex utero in arterias sese insinuans, qui eas vehementius impellit: Morbus sane diuturnus, & non admodum ratione sui periculosus, quamvis solutu difficilis sit, ob causæ malum foventis pertinaciam. Interdum etiam, ut advertit *Fernelius*, fit arteriarum aneurisma, quod in internis partibus incurabile est; In hoc malo mulieres pulsum hunc sentiant, calidæ fiunt, & tandem, sed longo tempore, vitiatis visceribus contabescunt, & signa adsunt hypochondriaca, propterea; curatio eadem est quæ melancholiæ ex utero. *Primirosius l. 3. c. 10.*

[66] *Oritur*) Virgines, viduas, & steriles fœminas magis affligit, quæ vel viro non utuntur, vel suppressa habent menstrua, quoniam, ut docet *Hippocr. l. de morb. virg.* mulier est animi magis abjecti, Itaque virginibus viro maturis, cum sanguis in uterum confluit, nec vacuari potest, resilit in cor & diaphragma, unde cor fit fatuum, ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium apprehendit: Viduas autem illa ob mœrorem animi, & intermissum Veneris usum contingere solet.

Hujus melancholiæ causa est sanguinis menstrui suppressio, qui tandem in melancholicum excrementum facessit, iis maxime quibus ex nativa constitutione temperamentum ad hujusmodi humorem generandum proclive est. Inde teter vapor in cerebrum & cor invadens anxietates parit, spiritus obscurat, inde timor & mœstitia, & si sanguis ille calidior reddatur. Maniæ fiunt, & delira valde gravia, quædam cum risu, quædam valde seria, & ejusmodi vapore discusso, symptomata hæc evanescunt, donec agitato iterum ejusmodi humore redintegrentur. Nec tantum vapor cerebrum & cor afficit, verum etiam ipse humor melancholicus, ex uteri venis & arteriis in cor, splenem mesenterium, & viscera hypochondriis contenta regur-

gitat; & sua quoque substantia hos affectus parit, unde ex sanguinis copia & vaporibus comprimitur diaphragma, sicque fiunt suspiria. *Primirosius.*

67. *Seu ex seminis putredine*) Tum ad Eroticam referenda, de qua mox.

68. *Curationem*) Ad curationem *Victus ratio* instituatur *humectans, attenuans* & incidens, ac parum nutriens, ut sunt Juscula ex gallina cum *rad. fœniculi, petrosel. ciceribus & croco, lac amygd. ova recentia, poma cocta, pruna* &c. & alia cap. de melancholia dicta, vitentur omnes *tristitia* occasiones, sed animus omni arte distrahatur.

In reliquis remediis eadem est cum hypochondriacis ratio, *sanguis vacuandus* è talo si mensium instet profluvium, alias ex vena cubiti, *Hæmorrhoides* quoque provocare erit utile, Humor melancholicus erit præparandus humectantibus & tenuantibus, deinde sæpius purgandus, sed benignioribus, tum quia humor contumax est, tum quia mulieres validiora non ferunt; tum quia fortia purgantia corpus nimium exsiccant, Sensim tamen ad fortiora est progrediendum.

Post purgationem ad ea veniendum quæ cor & cerebrum roborant; *Utero* prospiciendum per ea quæ capite de epilepsia & strangulatione ab utero proponuntur; A cerebro vapores revellendi per *frictiones, ligaturas, & lavacra extremorum.* Sed *somni* provocatio maximum hoc in malo remedium, humectat enim & vires reficit, Sed maxime prosunt *Balnea aqua dulcis*, quibus solis, & victu humectante, *Galenus* se melancholicos curasse ait. *Primirosius.*

Sin ab utero proveniat, convenit *spiritus secundinæ* cum *aqua theriacali, magist. cranii human., Ess. melissæ, vincetox. Ossa de corde cervi vera. Frider. Hofmannus m. m. p. 201.*

VI. Alia est [69] *Erotica*, ab Amore profecta, quæ [70] vel ex *philtris* contrahitur, & curanda.

1. [72] *Vomitoria*, ex *radice asari*, cum *bezoarticis, aqua bened. Rulandi.*

2. [73] *Sudorifera*, ut *aqua theriacalis*, *pulvis viperinus*, *radix. contrayerva ad* ʒj. *diaphoret. in acutis.*

[74] *Appropriatum* est [75] *pulvis secundinæ*, & *Pulvis* [76] *calculi humani*, cum *succo* vel *aqua* [77] *nasturtii aquatici.* Magnum à philtro persanatum morbum vide apud *Heer obs.* 13.

3. Quidam contra Philtra *sanguinem ranunculi sylvestris* vehementer commendant.

Vel ex *Veneris appetitu*, & *seminis abundantia*, Tum Venerem sopientibus, & semen extinguentibus agendum: Vide de ea *Ferrandum* in peculiari tractatu.

69. *Alia est Erotica*) Mentis alienationis species est in iis qui *Amore gravi* premuntur, ex corrupto judicio & imaginatione nata, adeo homines immutans ut, sicut ille ait, non eundem esse noscas, quæ non tantum viros, sed & mulieres, juvenes & senes dementat; Hæc *mentis conturbatio, composita quadam ex omnibus reliquis animi passionibus est affectio*, cum nunc gaudii, nunc tristitiæ, nunc iræ in ea effectus eluceant, nihilque sit amantibus inconstantius, qui ut amore perfrui queant, adeo cogitabundi sunt ut & necessaria corporis, cibum capere, dormire &c. negligant, qui omissis gravibus & seriis negotiis, vel segniter ea tractantes, mundiriei, musicæ, aliisque quibus amicæ placere possint, potius operam dant; Et cum se aliquid in amore obtinere posse sibi persuadent, in gaudium profusum erumpentes, stulta multa & obscœna sæpe loquuntur & peragunt; ac pudore soluto turpia interdum perpetrant facinora, periculisque grandibus se exponere non verentur: vel si de mutuo amore & voluntate desperant, lugentes mœrentesque continuo se ipsos affligunt, & consolationes nullo modo admittunt, consilia utilia respuunt, doloremque lacrymarum profusione, suspiriis frequentibus, pallore (palleat enim omnis amans) & cordis dolore, quo se angi plerumque conqueruntur, exprimunt. Quorum & pulsus, prout animus illorum vel erigitur vel deprimitur, instabilis, & ex amicæ intuitu vel recordatione concitatus & commotus (quo signo amorem deprehendit *Erasistratus*) vel desperatione, languidus & sedatus existit. Quibus accidentibus oppressi tandem in morbos graves incidunt, mortemque sibiipsis accersunt, vel sæpe desperabundi manus violentas inferunt.

Illi autem amori nunc forma elegans, nunc mores amabiles, prout cuique suum pulchrum videtur, cœco plerumque judicio; nunc sympathia quædam & morum conformitas principium, ocasionem & fomentum præbent.

Qui *Amore gravi* premuntur, si in *odium personæ quam amant* adigi queant, certissime liberantur; quo nonnunquam si inhonesta & turpia de ipsa audiant, quæ vel excogitantur vel vera sunt; sed amantes cœci non vident, adduci possunt; Præsertim vero in generosis animis, si se ab amasia contemni putent, & repulsam pati (nihil enim amorem æque ac reciprocus amor fovet, nihilque charius Antiphila) mox indignatio sequitur, quæ perseverans, nisi falsa aliqua, & vi expressa, extinguatur lacrymula, odium parit. Huc & *animi vehemens in aliam rem intentio* refertur, quæ priorem conceptum solet restinguere, vel saltem imminuere, unde Poëta,

Otia si tollas periere cupidinis arcus.

Et si in binos vel plures, licet eosdem affectus divisa sit apprehensio, fit ut partita vel dispersa, minus quam unita sit fortis, nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus*; Vide & *Ovidius* inter remedia amoris Binas quoque unum amicas habere posuit.

Præcipuum vero remedium est *Amoris objectum & stimulum mox & procul dubio* removere: quod vulgus hoc proverbio, *Ab oculis, a corde*, innuit. Et quod in peste juvare fieri solet, *cito, longe, tarde*, hic quoque potissima curationis est regula. *Platerus.*

Ερωτομανία.

De *Amoris potentia, dominio amplissimo*, & *gestis heroicis* (è quibus nempe tum vitæ humanæ, tum Theatri Dramata præcipuè constant) ut nihil hîc dicamus, vulgaris & communissima observatio est, quod si quispiam fœminæ aspectu & conversatione captus, eam interius deperire & concupere cœperit, atque pro devotissimo suo affectu nil præter repudia & contemptum sortietur; ni ratione valde firma suffulciatur ille, aut affectibus aliis velut in transversum raptus avocetur, magnum est periculum ne in *melancholiam amorosam*, sive *ἐρωτομανίαν* incidat; quo *Pathemate* si forsan afficietur, illico à seipso velut in statuam animatam transformari videtur; nil præter *Amasiam* suam meditatur, aut loquitur, in illius gratiam & vitæ, & fortunæ maxima quævis discrimina subire ambit, interim rei domesticæ, aut publicæ, immo propriæ salutis curam non modò negligit, quin voti sui expes factus, sæpe manus

violentas

violentas sibimetipsi injicit: sin vitam agere & superesse contentus sit, deinceps *animo* una & *corpore* emarcescens, ferè hominem exuit; nam *recta rationis* usu deperdito, victum, & somnum, aliaque naturæ munia necessaria omittens, totus in suspiria, & gemitus, inque lugubrem corporis habitum ac gestum cumpunitur.

In hujus Affectus *rationem* si inquiratur, facile occurrit, quod *Anima hominis corporea* affectibus violentis obnoxia, cum in objectum sibi charissimum, scil. fœminam amatam tota effertur, illamque assequi & complecti nequit, nihilo præterea delectatur, aut acquiescit, quin *Anima rationali* inmorigera obsurdescit prorsus, & dictata ejus non audit, sed *imaginationi* notiones tantùm tragicas ingerendo, *intellectus* aciem obfuscat. Porrò quatenus *præcordia* (spirituum affluxu uberiori iis denegato) quoad motus suos fatiscunt, *sanguis in cordis* sinubus aggestus, & stagnare aptus, gravamen & oppressionem magnam, proindeque suspiria & gemitus ciet; interim facies, & membra exteriora propter sanguinis & spirituum affluentias subtractas pallent, & oblanguescunt: hinc nostro Idiomate, *desperanter amantibus cor fractum esse* dicitur, in quantum scil. hic *musculus* spiritu animali haud vegetè satis actuatus, tardè & debiliter vibratur, *sanguinemque* non amplius cum vigore in partes omnes projicit. Profectò in *Amore Anima corporea* objecti sui gratissimi Ideam intimè complectens, eidem mox conjungi, & penitus uniri satagit; versus hanc affectuum radices, quibus arctissimè complicatur, emittens, inde potissimum, & vitam & vegetationem haurire videtur, adeo *corpore* neglecto, cum in rem amatam se totum inclinat, si fortè ab hac unione abrupta divortium patietur, velut planta solo maximè congeneri exempta, quatenus pabulum sibi idoneum non excipit amplius, aut assimilat, citò in marcorem redigitur: hinc *spiritus animales* munia assueta, & solitos expansionum tractus derelinquentes, nec *cerebrum* nec *præcordia* nec *appendicem nervosum* debito modo actuant, aut irradiant: quapropter haud tantùm in præsens inconcinna & *delira mentis dispositio* cum lugubri corporis habitu excitantur, verùm exinde *sanguine vitiato*, & *spiritibus* indolem acetosam nactis, *melancholia habitualis* introducitur.

Zelotypia.

Qualem functionis animalis inordinationem *Amor vesanus* circa objecti sui *aquisitionem*, talem ferè aut parem *Zelotypia* circa ejusdem *acquisiti retentionem* accersit, adeò semper (viz. in *fruitione* æquè ac *cupidine*,) *res est sollicita plena timoris amor*. *Anima* ista de præda sua charissima si minus secura fuerit, statim excandescens, propriæ serenitati caliginem, ac nubila suffundit: dein postea *tinctura bilaria* infecta, objectum quodvis quasi *flavo colore* imbutum excipit: Enimvero velut *stomachi fermentum* acore nimio præditum ingesta quævis in suam indolem pervertit, ità *Zelotypia* affectus semel exortus, accidentia quævis, & circumstantias in veneni sui pabulum commutat; cumque in hoc pathemate *Anima sensitiva*, velut incurvata, corpori suo non conformis evadit, ideo functionum, scilicet tum *animalis*, *vitalis & vegetativa* œconomia depravata, *Zelotypus* delirat ac emarcescit.

Superstitio, Salutis æternæ desperatio.

Superstitio, ac *Æterna salutis desperatio*, *Anima sensitiva sanguini*, & *corpori* similes ferè *melancholia* affectus ac *Amor* & *Zelotypia* imprimere solent, sed afficiendi modo nonnihil diverso: nam in *istis* objectum, cujus acquisitio, aut amissio periclitatur, prorsus *immateriale* est, ejusque Affectio ab *Anima rationali* imprimis concepta alteri corporeæ imprimitur: in cujus prosequutione si hæc facilè obtemperat, tunc nulla *mentis humana* perturbatio exoritur, sin refragrante (prout sæpe assolet) *Anima corporea*, rationalis usque monitis, & minus instabit, statim illa excandescens sanguinem & spiritus inordinate commovet, *Bona*, & oblectamenta *corporea spiritualibus*, ab *intellectu* objectis, opponit, inque suas partes *hominem* pertrahere satagit; cumque adeò inter *duas animas* velitatio continua habetur, atque modò *voluntas* superior, modò *appetitus* sensitivus prævalet, tandem *conscientia forum* à *mente* erigitur, ubi singuli quique actus scrupulosè examinantur. Propter hæc crebriora *Animarum* dissidia *spiritus animales*, utpote nimis, & ferè perpetuò exerciti, sæpe huc illuc in contraria jussi, & quasi distracti, tandem à vigore, ac indole sua nonnihil desciscunt, & demum fixiores & melancholici facti, quatenus à solita expansione detinentur, tractus devios & inassuetos in cerebro procudunt, & sic *delirium* cum *timore* & *tristitia* immensis inducunt: In ejusmodi affectibus *Anima corporea*, quasi violenter abrepta, tum à corpore dissidet, atque juxta *Idea impressa* characterem modificata, speciem novam aut *Angelicam*, aut *diabolicam* assumere assolet; interim *intellectus*, quatenus *imaginatio* notiones tantùm inconcinnas & monstrosas ei suggerit, à *recta rationis* usu omnino pervertitur.

Simili huic afficiendi ritu, contingit melancholicos quosdam, aut quoad *fortunas*, aut *corpora* sua *metamorphoses* imaginarias subire, viz. dum unus se *Principem*, alter *mendicum* imaginatur, & agit; alius se *corpus vitreum* habere, atque alius se canem aut *lupum*, aliúdve *monstrum* esse credit; postquam enim *Anima corporea* melancholia diuturna affecta, mente *occæcata*, tum à *seipsa*, tum à *corpore* penitus descivit, *speciem* illa aut conditionem *novam* affectat, & quantum in se est, revera assumit.

De Philtris.

70. *Quia vel ex Philtris*) Philtra tamen distinguenda sunt ab *Amore insano*, si quidem *amor insanus* est species quædam *melancholia* contractæ occasione nimii amoris.

Philtris) Per *Philtra* intelligimus medium quo unius subjecti ad alterum inclinatio quædam excitatur, ita quidem ut ex præsentia talium subjectorum facultas animalis, in specie quoad affectus animi se optime habeat, sicut talium personarum absentia est plus mentis molesta aut gravioribus anxietatibus obnoxia. Unde *Philtra* possunt usurpari inter *mares & fœminas*, inter *homines* & *bruta* &c. ut sic mutuus amor concilietur.

Philtra talia vel *vera* sunt vel *notha*.

Notha sunt, seu *falsa*, quæ à Vetulis seu mulieribus propinantur, sed hæc sunt vel *vana* & *frustranea*, vel sunt *Magica* & p. n. *Vana & frustranea* ex variis subjectis parari solent; Mulieres fere frequentissime usurpant *suum sanguinem menstruum*, quem nunc *solitarium*, nunc cum *sanguine leporino* mixtum propinant: Alii singulare quid spondent ex *umbilico infantum* decidente aut *secundinas* adhibent: Alii *testiculos animalium salacium*, eosq; sudore probe impregnant, sed hæc omnia sunt vana & frustranea, quibus nil obtinetur, nisi quod interdum tales, quos postulant ut ament, in pessima mala incurrant; V. g. *maniam*, *stupiditatem*. In specie stupendum exemplum recenset ab *Heers obs.3*.

Quod attinet *Vera Philtra*, quæstio est An dentur? Sunt qui negant, sed male, *veritatem* (nempe quod dentur, beneficio quorum inclinatio determinata hujus personæ in aliam possit conciliari) confirmat experientia, ubique enim prostant exempla quibus coactus amor possit fieri, Ipse curavi quendam qui à fœmina accepit dimidium pomum citrium 4. hora pomeridiana, ex quo esu postmodum quotidie hac hora tam perdito flagrabat amore ut plane anxius curreret donec hanc fœminam accederet. Dicis, hoc fit per *Magiam* & sunt artificia Diaboli? ℞. posito subesse ludibrium *Dæmonis*, saltem Dæmon non potest agere supra naturam, & consequenter secundum vires ja

natura fundatas. Notum id quoque est in *canibus*, dum quidam panes gestant sub axillis ut probe madore madeant, & hos panes cani propinant &c. Notum est quod Helmont. de *magica vulu. cur.* habuit plantam, quam in manu tenuit, & canis pedem apprehendit, unde canis eum sequutus est.

Nihil dico de *cura transplantatoria*, quæ fit cum *persicaria* & similibus. Sufficit quod prostent exempla actionum in distantem & determinatam personam, tam in melius quam in pejus: Notum quoque est de amore naturali consanguineorum; videatur *Bartholin. cent. 5. obs. 29.* ubi vir quidam quoties pareret uxor, tormina ventris patitur. Quæ ostendunt firmum amorem subjectorum inter sese etiam remediis naturalibus conciliatum: ut nihil addam de *idiosyncrasia*, ubi quidam etiam felem invisam maxime horrent & anguntur.

Causa proxima, scilicet qua mediante dentur *philtra determinata* ad certam aliquam personam, optime docetur ab *Helmontio Tr. de mag. vulu. cu.* §. 17. ubi nempe, ut supradictum, plantam tenet in manu, & postmodum apprebendit catellum qui eum sequutus est relicto proprio hero; Dicit igitur vim *Philtrorum* consistere in *mumiali confermentatione*, mediante qua ad certum subjectum trahatur alterius affectio; Per *mumiam*, stylo *Helmontiano*, intelligitur spiritus insitus, in specie in cadaveribus, in quibus influi spiritus evanuerunt, relicto saltem insito, *Secundario* tamen in vivis & influi nomine spiritus talis venire solet, qui & ipse sufficit transplantationi tali instituendæ in medio quodã tertio, quod vocatur *Magnes*, puta ut spiritus, mediante magnetismo translatus in alterum subjectum uniatur spiritui ejus mo vitali, ex qua unione sequatur mutuus amor; Nempe ex hoc fonte derivandæ sunt omnes *actiones magneticæ* sympathiæ *transplantationes*, & similia, quæ partim in theoria, partim & in praxi multum habent in recessu; *Philtra* hæc vera, cum propter honestas causas instituantur, & qua talia nullum nocumentum inferant, non curat Medicus, sed saltem consideranda sunt *notha*.

Quæritur, *an possit cognosci Philtrum* tale *nothum* propinatum? Certa *signa* non prostant sed saltem artificiosis conjecturis partim ab ægro, partim à Medico cognoscuntur, primatum obtinet quod tales ægri ex assumpto quocunque *Philtro*, se male habere circa stomachum dicant, Item, si propinatum sit à muliere & similibus, Speciatim, quibus propinata sunt *Philtra* conqueri solent de *pessimo stomachi habitu*, & hinc *perturbatione sensuum internorum* pessimus iste *stomachi habitus* subinde est adeo contumax, ut aliquot annos durare soleat, & semper eo pejus malum quo diutius durat à philtris inductum: Hisce superveniunt *mentis perturbationes*, & *deliria* patiuntur vel *maniam*, mirum est quod interdum *impetus amatorius* isque morbosus, ex philtris concitatur, observetur periodicus. Refert *Agricola comm. in Poppium*, de amore per philtrum inducto, cujus paroxysmus singulis plenilunis repetebat & per 6. dies continuabat, intermedio tempore ægro satis bene se habente.

Quoad *prognosin*, ut variant subjecta, quæ pro mediis amatoriis in philtris assumuntur, ita pariant nocumenta ab iis inducta; frequentissime tamen post Philtra falsa supervenire solent delirium melancholicum, interdum mania, interdum amentia, quæ tandem ad lentam mortem terminari solent. *Etmuller.*

71. *Etiam danda*) In cura laborandum est Medico ut æstimatis omnibus circumstantiis & perpensis minimis conjecturis, inveniatur causa, qua mediante *Philtra falsa* fuerunt inducta. Inquiratur igitur an Philtra instituta sint per *magica media*, an vero *materialia*, Nam si *suspicio sit magicis mediis Philtrum fuisse inductum* talis affectus curandus venit præmissis *Vomitoriis* illis quibus alias *morbi ab incantatione* solent curari, etiam interdum repetitis.

Inter ea excellit *viscus corylinus* legitimo tempore collectus, tam solus interne assumptus, quam cum *adipe canina*, *ursina*, & *caponum paratum linimentum* seu *Unguentum*, Videatur *Henr. ab Heers*, item *Carrichterum in herb. Ed. 8.* Juxta hunc *viscum valeriana minor*, seu *Phu medium Dioscor.* flor, *hyperici* & *aquileg.* *Corallia* quoque usurpari solent interne & externe in forma *amuleti*; Facit huc *Empl. fat. Mynsichti*, item *Elect. metall. composit.* ex omnibus metallis certo tempore confectum. Amuleti forma convenit *Electrum immaturum Paracelsi*, etiam ab *Helmontio* commendatum, sed incertum est quid sit.

Quod attinet *Philtra* quæ per *media naturalia*, utut frustranea inducuntur, optimum est ut præmissis *Vomitu* & *sudoriferis* usurpentur *appropriata* contra *philtra* usitata, eaque vel *generalia*, vel additis simul *remediis maniacis*.

Post Philtra subinde varia insecta generari solent in talibus ægris, Sic ipse observavi aliquando à tali tres longos vermes excretos fuisse: *Schenckius* varia animalia viva observavit vomitu excreta ab assumptis philtris: Præmissis ergo *vomitoriis* & *sudoriferis*, v. g. *mixtura simpl.* ad *appropriata* accedendum est: *Etmuller.*

Prodest hic decoctum *hellebori nig.* cum *aquis cordialibus* & aliis humorem morbificum respicientibus, satis felici successu datum. *Crato.*

Præmissis Vomitorio, sudoriferis, appropriatis per aliquot dies exhibet Elect. sequens *Hartmannus.*

> ℞. *Succi melissæ, hyperici ana* ℥ij. *rad. vincetox.* ℥ß. *lap. bonii & ferrum trahentis* ʒij. *mellis dispum. q. s. f. Elect.* Dosis ad ʒj. ad ʒjß. Detur jejuno quotidie ventriculo, donec remittat malum; Potest simul à meridie exhiberi *tincturæ corall.* à gr. vi. ad 10.

Illis qui ex sumpto philtro atrophia laborant, *Lac equinum* auxilium est præstantissimum, addito pauxillo *sacchari*. *Hartmannus.*

72. *Vomitoria ex radice*) Vomitoria inprimis sint *antimonialia*, eaque valida & magna dosi usurpata, ut *infusum vitri antimonii ad* ℥ß. Sic D. D *Langius* curavit juvenem per *Mercurium vitæ ex butyro antimonii. cum Luna & Sole* paratum Sic eidem Juveni data sunt de *Mercurio vitæ* gr. v quibus cum copiose evacuatus fuisset, postmodum data sunt *theriaca cum pulv. serpent.* ʒß. in *aqua theriacali* vel *aqua card. ben.* unde copioso sudore restitutus fuit. Ad talia videtur pertinere *Urina equina* recens hausta; Videatur *Salmuth cent. 3. observ. 71.* *Etmuller* commendat *Aurum vitæ Johan. Ernestus*, Valet, *inquit*, contra Pestem, omnia venena ut & *Philtra* à mulieribus exhibita, ex quibus homo ad mortem solet extabescere, & ad coitum omnino impotens redditur. *Ejus descriptionem* vide in Appendice ad *Pract. Chymiatr. Hartman. p. m. 77.*

73. *Sudorifera*) Epomphalium sequens præcedere jubet *Hartmannus Pr. Chym. p. m. 32.*

> ℞. *Pulv. colocynth.* ʒij. *scamm.* ʒj. *rad. Imperat.* ʒiß. *sal. gemm. hellebor. utr. ana* ʒj. *cortic. cydon.* ℥ß. *Pulveratis omnibus crassiuscule adde ol. sambuci & cent. q. s. ana. f. Empl.* Extendatur particula super alutam; & ventriculo applicetur, & nonnisi per horam dimidiam ibidem relinquatur, postea provocetur sudor.

71. *Sudorifera*) Ut *spiritus theriacal. camphoratus*, *Extract. theriac. hyper. baccar. herb. Parid. ad* ʒj. convenit etiam *theriaca* cum *pulvere card. ben. in aqua card. ben.* Etmuller.

74. *Appropriatum est*) *Essentia mumia hum. Essentia viper. serpentum*, & quæcunque remedia ex homine & *serpentibus* parata. Præmissis universalibus, hæc maxime commendantur, In specie si Philtrum factum fuerit ex *sanguine menstruo*, appropriatum remedium sunt *Margarita*, ut observavit *Borellus cent. 1. observ. 83. Etmuller.*

Terra sigillata (sigillata) in potu data contra philtra præstantissimum est medicamentum. *Conr. Kunrath med. dest. p. 419.*

℞. *succi melissæ, hyper. ãã. ℥ii. rad. vincetox. ℥ß. lap. magnetis ferrum trahentis ʒij. mell. despum. f. electuar. dosis est à ʒi. ad ʒiß.* Detur jejuno quotidie ventriculo, donec remittat malum. Potest simul à meridie exhiberi aliquid *tinctur. corall.* à gtt. 6. ad 10. *Hartmanus pr. chym. cap. 7.* Hoc Elect. prædicavit D. D. *Michael*, inquit *Etmuller.*

Facit hac *Pulvis secundinæ* præpar cum *aqua theriac.* Puellæ philtra sua, inquit *Petr. Borellus cent. 1. obs. 65.* componunt ex suo menstruo & leporino sanguine: Hujus remedium est *Margarita præpar. Pulvis calculi hum.* cum *succo nasturtii aquat. Frid. Hofmannus.*

7. *Pulvis secundinæ*) *Secundina humana* contra *Philtra* à quamplurimis commendantur, Usurpantur nempe vel in forma *pulveris* vel *spiritus*: Recipitur secundina humana, & detracta membrana & vasis majoribus, eadem in MB. in cucurbita mediante alembico destillatur, & prodit sic *forma*, & remanentia in pulverem potest redigi; dosis est à ʒi ad ʒij. Sed observetur quod hic *pulvis* non sit diuturnus, sed in eo copiosi vermiculi soleant generari, qua mobum quotannis novus generetur. melius igitur est si ex *secundina putrefacta* distilletur spiritus urinosus volatilis qui à ʒi ad ij. expectando sudorem est egregius. Speciatim conveniat si sanguis menstruus adhibitus est loco *Philtri*, *Etmuller.*

76. *Pulvis calculi humani*) In forma pulveris ad ʒj. in *aqu. card. ben.* Etmuller.

77. *Nasturtii aquatici*) Experientia probatum est *Nasturtium* magnam vim contra philtra habere. *Crato Epist. Med.* Etmuller.

Prognosis.

Morbus hic curatu difficilis est, eoque magis quo gravior est, nam periculum est ne in maniam degeneret, aut mulieres desperabundæ vel laqueo vel submersione vitam finiant, Alias natura sua lethalis non est. *Primirosius.*

vi. 76. Alia *est Errabunda*, quæ Februario mense plerumque infestare solet; Ægri 79. ulceribus in cruribus scatent, & ne per horam quidem loco quiescere possunt.

78. *Alia est errabunda*) Melancholia habet duas species famosas, una dicitur Cutubut, & nomen sumsit à quadam specie Araneæ quæ movetur super aqua diversis motibus, sine ordine. Alia autem dicitur *Ilisci* sive *Heros*; *Cutubut* autem est species melancholiæ præsertim eveniens in Februario, non expectans usque ad ver, propter subtilitatem humoris melancholici.

Generatur enim à melancholia genita per adustionem choleræ, aut melancholiæ, in qua forte caliditas adurens non multum remansit.

Et præterea fit cum motu plurimo, tamen non est cum rixa, imo cum timore; hæc enim diligit fugere ab hominibus vivis, & appropinquare mortuis & sepulchris, cum malitia furoris repente advenientis ei. Et est ejus processio nocturna, & occultatio diurna; Et totum istud facit diligendo solitudinem, & longationem ab hominibus; Et cum hoc non quiescit in uno loco plus una hora, imo non cessat discurrere, & ambulare incessione diversa, ignorans quo vadit, cavendo sibi ab hominibus, quique tamen non cavet sibi, ab eis parum discernens istud quod videt & fit ei præsens. Et citrinus est color faciei, & lingua sicut sitientis; Et super crura ipsius sunt ulcera quæ non consolidantur, quorum causa est corruptio materiæ melancholicæ effusę ad crura, & multitudo motus pedum, quare materiæ ad ipsa descendunt: & præcipue quia occurrit pedibus ejus aliquid offendens, aut canes interdum mordent eum, quare fiunt in eis ulcera quæ difficulter consolidantur & propter motum, & quia sunt cancrosa; Et oculi ejus sunt sicci, debiles, submersi, non lacrymantes propter siccitatem cerebri & oculorum. Causa autem suæ variæ incessionis sine ordine, nunc ad unam, nunc ad aliam differentiam, sicut facit ista aranea quæ dicitur *Cutubut*, est, quia fugiens est ab omni individuo apparente ei, ipsum timens, nam ipse propter paucitatem suæ conservationis, & defectum rectificationis consilii sui, incipit in una parte moveri, & obvians alii individuo iterum fugit ad partem aliam.

Cura Cutubuth, exigit illas sex intentiones curativas dictas in curatione melancholiæ per essentiam in cerebro, verum appropriata aliqua huic dispositioni; 1. ut multum dormiat, & totum regimen notabiliter declinet ad humiditatem, & aliqualiter ad frigiditatem, cum pendeat à melancholia genita per adustionem choleræ aut melancholiæ. 2. ut fiat cauterium in sincipite, seu in commissura coronali. 3. ut fiat phlebotomia fere ad sincopen, de qua non parvum est dubium, quando Author (*Rhasis*) in nulla specie melancholiæ aut maniæ præceperit tantam phlebotomiam, cum tamen in melancholia sanguinea competat copiosior phlebotomia. Præterea multa excretio sanguinis, qui melancholiæ opponitur, videtur esse causa augmenti melancholiæ. Sed ego credo intentionem Authoris fuisse hanc melancholiam esse conjunctam multitudini humorum & sanguinis, Cujus signum, quia accidit in principio veris, scil. in februario, & ob istam causam, tantam præcipit phlebotomiam ad evacuandum multitudinem. Et ex hoc facile potest patere solutio ad duas instantias adductas in contrarium. 4. est ut verberetur, cum hic sit multum inobediens. *Johannes Arculanus Pract. c. 18.*

79. *Ægri ulceribus in cruribus*) Ideo Fonticuli in melancholia, facti in artubus, supplent vicem abscessuum, quibus natura sponte excitatis sæpe graves morbos tollit, vel mitigat, corporaque juxta *Hippocratem 2. aph. 9. ἄεργα* redduntur. *Stransius.*

adeoque inter furoris & audaciæ conceptionem cordi, & nativitatem cerebro debitam distinguendum esse arbitramur: Interim *Cor* quoque, licet πρώτη δῆλου rationem hic non impleat, compati tamen coafficique ex dictis facile colligitur. *Laur. Straussius.*

9. *Diuturna frigoris hyberni patientia*) Cum *insigni virium robore*, ob salino-sulphuream sanguinis dispositionem, quæ dum spiritus efficit fixariores, *Robur maniacorum*, prædominante præsertim exulanti Rationis appetitu, non solum mire auget, sed etiam efficit ut varia simul frigoris, æstus, jejuniique incommoda, absque noxa sensibili tolerent. *L. Straussius.* Vide § 10.

10. *Signa sunt ferocia*) Maniaci, non ut melancholici, tristes ac timidi sunt, verum *audaces* ac plurimum confidentes, adeo ut pericula fere nulla effugiant, & res quasque difficillimas aggrediantur, Ratio est, quia spiritus animales efferi admodum & incitati tum imaginationem fortificant, ut nullum objectum ei solito majus aut immanius videatur: tum præcordia cum vigore actuant, proinde ut sanguinem nervose ac celeriter ejiciant, inque ultimas corporis oras vegete propellant: In hoc affectu Anima ultra corporis ambitum efferri & quasi exilire satagit, adeoque quaquaversus enitens contra quosvis externorum incursus sese intrepidam gerit.

Insani etiam usque ad prodigium *validi* ac *robusti* sunt, adeo ut vincula & catenas disrumpant, fores aut mœnia effringant, unus plures ipsum coërcere nisos facile debellet: Cujus *rei* causa est, quod in sanguine ac succo nerveo maniacorum particulæ quasi nitro-sulphureæ, aut alias acerrimæ, ac velut stygiæ continentur, unde spiritus animales vi elastica, sive explosiva stupenda, & longe supra naturalem immani pollent: Observare etiam est Insanos fere nunquam delassati, nam licet debacchando, aut eluctando plures dies & noctes validissime membra sua exerceant, ac interea jejuni ac insomnes degant, vix omnino elanguescunt, nec viribus exolutis ab agonibus desistunt; Quod proculdubio ita fit, in quantum spiritus animales, etsi valde mobiles, & elastici, attamen non volatiles sunt ac facile dissipabiles, quin ob particulas salinas, à volatilitate in fluorem depressas, cum sulphureis combinatas, firmi & fixiores evadunt, & propterea in activitate sua diutissime perdurant; pariter ac observamus de aqua forti, quæ licet in vase aperto contenta effluvia quamplurima perpetim emittat, usque tamen substantiam suam illibatam fere atque vim corrosivam retinet, secus ac spiritus vini, aut sanguinis, quorum virtus cito exspirat: Ob eandem fere rationem Maniaci, quantumvis tolerant aut affliguntur, minime læduntur, sed frigus & æstum, vigilias, jejunia, verbera, & vulnera absque noxa sensibili perferunt; quia nimirum spiritus robusti & fixati, neque tergiversantur, neque avolant.

Porro sanguis, dyscrasiam nitro-sulphuream nactus, cujusque alius subitæ mutationis incapax est, quare licet transpiratio insensibilis inhibeatur, aliæque vacuationes solennes supprimantur, aut succi nutritii supplementa denegentur, nec catarrhus, nec febris, nec atrophia aut cacochymia maniæ facile superveniunt, Nam in hoc affectu, quamvis sanguinis particulæ valde turgescant, attamen ob salis copiam incendium febrile minime concipiunt: Sicut etiam aqua fortis, etsi plurimum effervescat, & alia subjecta adurat, ipsa tamen non omnino inflammatur, quin potius incendio resistit. *Willis.*

10. *Signa sunt*) Huc refer quæ Imminentem vel futuram designant, Sic 1. consideranda est *nativa dispositio*, quæ scil. ad biliosam seu atrabilariam dispositionem accedit: Sic apud *Hippocr.* 2. *Epid.* 5. *Cui vena in cubito pulsat.* (i.e. arteria) *furibundus est & ad iracundiam praceps, cui vero sensim movetur, torpens & stupidus*: Non autem simplicem intelligit pulsationem, sed vehementem. 2. *Sexus*, nam viri frequentius quam mulieres furore exagitantur: Id quod de affectu primigenio intelligendum, Ex utero enim mulieres quædam in furorem aguntur: 3 *Aetas*, junioribus enim frequentius contingit quam pueris & senibus. 4. *Anni tempus*, sæpe enim verno tempore mania contingit, sæpius æstate, sæpissime autumno; Ex *Hippocr.* & *Galeno aph.* 20.21.22. *sect.* 3. Vere humores in aliis temporibus geniti, & per hyemem asservati, ac quiescentes exagitantur, morbosque analogos pariunt: Æstate multa bilis, non solum flava, sed etiam atra in dispositis gignitur, quæ Maniam efficit eodem tempore; vel ad autumnum usque majori copia cumulata morbum tunc temporis producit.

Hæc signa remotiora sunt, & in genere tantum Dispositionem ad hunc morbum significant, Proxime vero Imminentem affectum ostendunt, Dolor capitis assiduus, vigiliæ contumaces, somni levissimi atque brevissimi, Insomnia turbulenta, curæ & solicitudines molestæ, terrores ex levi causa, præceps & frequens iracundia, vel nulla occasione; splendores oculis obversantes, aurium sonitus, proclivitas ad Venerem insueta, pollutio nocturna frequentior; risus præter assuetudinem & rationem, loquacitas insueta & fere assidua; interdum taciturnitas meditabunda: Posteriora hæc incipientem Maniam significant.

Factam vero & Præsentem Maniam ostendunt Delirium sine febre, cum furore & audacia: Varia tamen sunt hujusmodi Deliria in variis ægris, tum etiam in iisdem diversis temporibus, pro majori vel minori causæ vehementia: alii enim feroci iracundia rapiuntur, & obvios quosque invadunt, proprias vestes præscindunt, & sibi interdum violentas manus inferunt, sibique vitam eripere conantur: Alii vero mitiores & pacatiores nullam adstantibus vim inferunt, sed tantum varios sermones & ridiculos proferunt; interdum canunt & rident, & variis deliramentis afficiuntur, ac symptomata patiuntur iis aliquomodo similia quæ in melancholia & stultitia solent contingere.

Ex illa autem varietate symptomatum causarum varietas dignoscitur: Risus enim immodicus, hilaritas & cavillatio materiam peccantem multo sanguine dilui significant: Iracundia vero, inquietudo, clamor, percussio, pallidus & flavescens faciei color, Bilem flavam in vitio esse ostendunt, Insania vero admodum furiosa, ut obvios impetant, & aliquando interficiant, à flava bile exusta, quæ atra bilis dicitur, originem ducit: Si vero atra bilis (nam non ex flava bile, sed à melancholia exusta & prassata generatur) ægri truculento vultu prædici sunt, manent interdum in diuturno silentio, quod nonnunquam in sermonem importunum erumpit, immites sunt, pertinaces, ingenti mœrore interdum ac luctibus afficiuntur. *Riverius.*

11. *Quia putredo abest*) Abest *febris*, quod licet sanguinis particulæ valde turgeant, harum tamen igneitas expers est inflammationis: Vel juxta *Hermeticorum* explicationem, *salis copia sulphuri permixta* incendium febrile præpediat; quæ forte etiam in febribus intermittentibus ἀπυρεξίας intervalla producit. *L. Straussius.*

12. *Sic à Phrenitide distinguitur*) Mania febre caret saltem ratione propriæ essentiæ; nihil enim impedit quin febris complicari queat, sed ab alia causa oriunda, non autem ab ea quæ Maniam producit, *Riverius.*

13. *Vigiliæ nimiæ*) Contumax agrypnia ob defectum seri in sanguine, & continuas spirituum agitationes

in multos sæpe annos durat; Vigiliæ interdum adeo pertinaces sunt, *inquit Fernel. l. 5. de morb. part. & sympt. c. 2.* ut mente captus quidam menses XIV. insomnes duxerit.

14. *Causa est) Paracelsus c. 2. de morbis Amentium*, Maniam ex tribus primis principiis oriri vult: Et l. 10. *de cap. advers.* §. 3. Maniam, phrenesin & Insaniæ species ex *oppilatione sua partu* oriri contendit, per *calidum vel frigidum resolutum* aut coagulatum, Et l. 1. *de vir. membr. c. 3. spir. vitæ* quo pertingere nequit ibi morbus gignitur, si nempe oppilatur, ibi gignitur putrefactio & exulceratio, moritur enim in illo loco: Et c. 2. *de morb.* Maniam in duas species dividit, unam quæ proficiscitur ex *destillatione*, quando in capite manet vapor; alteram quæ provenit ex *sublimatione*, quando in capite coagulatur; Ibidem memorat non posse satis intelligi quænam Maniæ minera atque fomes sit originalis, verum causam putat in quacunque corporis parte latentem esse *Mercurium in calcem reverberatum & in aquam fortissimam solutum*, qui spiritui vitæ permiscetur illumque inflammat, Tantam vero inquit esse hujus aquæ fortis subtilitatem, ut in fundo non commoretur, sed ad summa fastigia tendat, quamprimum autem ad cerebrum pervenerit, Insaniam inde produci: Ex *Petræi Nosologia.*

Hinc fundamentum suæ opinionis traxisse videtur. *Willis* cujus vide sententiam §. *cum audacia & ferocia.*)

Helmontius omnem amentiam oriri ab efflorescentibus ideis conceptualibus peregrinis autumat, quæ effervescunt, non secus ac stigma cerasi, aliquæ nævi materni, quotannis virent vel rubent cum arborum fruticibus, sic & ideæ maniacæ ex perturbationibus ortæ habent in spiritu præcordiorum sua incentiva repetitionum periodorumque intervalla: In *amentiis hypochondriacis* esse venenum quoddam vel furiosum vel cum joco delirans.

Cartesius hanc animæ passionem in motu spirituum animalium fervidorum irregulari consistere ait, quia anima tamdiu manet tranquilla quamdiu motus in corpore fiunt placidi & sine tumultu; quæ tranquillitas animi consistit in blanda sanguinis fermentatione; quamdiu enim illa durat spiritus in cerebro retinentur in æquilibrio, quamprimum vero sanguini tali impetuosus impetitur motus à fermento aliquo sylvestri in sanguine latente, spiritus animales ita cum impetu in cerebro moventur ut non auscultent animæ imperio: Remote *Sanguis crassus*, fermentabilis tamen (fortissimum enim supponit in massa sanguinea maniacorum fermentum) & à quacunque causa occasionali impetuosus motus culpatur: Attamen à causa aliqua externa, passiones in anima excitante fermentum quoddam, ex irregularibus constans particulis, cum impetu versus cerebrum sæpissime abripitur, & arteriolarum poros plexus choroidei plus solito aperit; dein ab harum particularum heterogenearum affluxu spirituum animalium placidus motus aufertur, quos spiritus ita accensos per totum cerebrũ, magis tamen circa *glandulam pinealem* vagari supponit, qui fulminis instar in cerebrum & musculos influentes glandulam mentis imperio plane subducunt, quæ ab effrænibus illis spiritibus elusa, omnique in corpus imperio defraudata, attentionum suarum habenas amplius dirigere nequit, unde tot incompositi gestus, rixæ, pugnæ &c.

Hoc in affectu, *inquit Joh. Dolæus*, Microcosmitor (Archeus) est quasi incendiarius qui spiritus animales hominis incendit, qui ita accensi percurrunt omnes fossulas cerebri, & quascunque ideas, inprimis illas quæ de audacia, furore, incendiis, rixis &c. ante hoc conceptæ fuere efformant, cum impetu quoque ruunt in omnes corporis partes, quas vehementer irradiant, unde Maniaci fiunt valde robusti, & quodcunque frigus aliaque incommoda ferre possunt.

Inter *causas remotas* tanquam spiritibus suis accensis pabulum ministrantes, censet vir Excell. esse sanguinem multis particulis fixis & irregularibus constantem, cui si fermentum aliquod *acidum volatile* accedat, facile Microcosmetor ignescit: Spiritus, *addit*, in cerebro in æquilibrio consistere debent, statim autem ac a sanguine tali, vel à fermento aliquo sylvestri, & bilioso sulphureo in sanguine latente impetuosius ipsis motus incutitur, tũ accensio Microcosmetus & spirituum animaliũ accedit.

Causa proxima formalis consistit in *spiritibus animalibus* quoad crasin suam vitiatis: *Causa vero proxima materialis & remota* quærenda in *Massa sanguinea acida*, vitio *viscerum inferiorum*, inprimis *stomachi*, talis reddita, unde cum melancholia in fundamento convenit *Spiritus animales* quod attinet, hi degenerant à nativa & sulphurea volatili crasi cum ex sanguinis dyscrasia acida generentur quidem subtiles satis & agiles, sed *acres, salini* & quasi *sulphureo, acidi*, indeque nimis mobiles, & in motibus suis ordinariis minus coercibiles, hinc semper irrequieti & insomnes sunt. *Ettmuller Part. 2. p. 384.*

15. *Causa est spirituum fervor, cui occultam &c.*) Primario isthæc Maniæ symptomata, è spiritibus animalibus indole Aquæ stygiæ æmula præditis aptissime deduci ex sequentibus patebit 1. enim *Aqua stygia* particulæ summe agiles & irrequietæ, in motu perpetuo existunt; hinc ut effluvia ab iis decedentia nares continue feriant, atque liquor è vase effusus corporibus aliis quibusque occurrens valde effervescat, eorumq; poros & meatus penetret, cujus ratio est, quod particulæ salinæ, sulphureis conjunctæ, se invicem exagitant, cumque nullis aliis generis cohærent.

Pariter opinari licet spiritus animales, è sanguine uberiori, & quasi nitro sulphureo exstillatos, insigni mobilitate sive inquietudine præditos esse; qui proinde è cerebri meditullio quaquaversus, tum in ambitum ejus, tum in systema nervosum expansis indeque perpetim reflexi, phantasmata efferata, & fere nunquam interrupta, atque functionis tum sensitivæ, tum locomotivæ inordinationes maximas & perpetuas producunt.

Secundò, effluvia è spiritibus nitrosis, sive stygiis exhalantia, haud tantum spatiis apertis evaporant, quin valde penetrantia, in quovis fere subjecto poros & meatus per quos erumpere possunt, ubique novos procudunt: imo corpora pleraque hujusmodi spiritus continentia, aut vasis foramini imposita, ab ipsis ita perforantur ut friabilia statim reddantur ac in partes minutas decidua.

Pariter opinamur in *affectibus maniacis* spiritus animales ex indole sua morbida valde mobiles fieri, & ut plurimum exacui, ita ut priores ituum & redituum tractus relinquant; ac in cerebro spatiola, sive ambulacra ubique nova & plane devia sibi excavent, in quibus dum caturiunt notiones insuetas & valde absurdas proponunt, unde necesse ut affecti plerumque incongrua, & tantum incomposita imaginentur, loquantur & agant, præterita præsentibus aut futuris, & contraria vel opposita simul confundentes.

Tertiò observare est vaporosa corpuscula à mineralium *spiritibus nitro-sulphureis* decedentia non (uti habitus à liquoribus acetosis emanantes) tantum in vicinia subsistere, sed longissime & quaquaversus in ambitum remotum diffundi: Sæpius vidi, cum spiritus Nitri butyro Antimonii commisceretur, totamq; cameram fumo atrato, è liquoribus istis stygiis ascendente, impletum, cum aquæ fortis aut spiritus nitri ex alembico vel lento calore evocatur, vapor acerrimus inde diffusus, procul adstantium & nares, & pulmones percellit, quod certe contingit ob salis fluidi & sulphuris efferati conjugium, quorum scil. utrinque corpuscula se mutuo inciant, proindeque simul combinata longius provehuntur: Pari equidem modo circa

spiritus

spiritus animales in *Maniacis* habere videtur, qui si quidem ejusdem ac Aquæ stygiæ indolis fuerint, idcirco tum cerebri compagem, tum appendicem citissime trajicientes, affectos non tantum furiosos sed etiam Dæmonicos efficiunt; adeo ut metu & languore quoque immunes quodvis audacter aggrediantur, ferro & flammæ sese intrepidos objiciant, etiam ob prodigiosas spirituum eorundem exertiones robore immani polleant, vincula & catenas sæpe disrumpant, atque viros fortissimos iis obstantes & coercere nitentes simul plures debellent.

Spirituum animalium cum Aqua stygia, seu spiritu Nitrosulphureo comparatio clare indicat, quæ sit *Maniæ conjuncta causa*, sive *immediata*, quæ nimirum consistere videtur non tam *in bile adusta*, aut humore aut vapore tetro & acri in cerebrum derepente suffuso, atque spiritus incolas in œstrum & orgasmos incitante (talis enim *vapor* vel *humor* vel sponte exhalaret, aut remediorum ope cito difflari posset, proindeque dementia inde concitata æque cito & facile uti furor aut delirium à Pastinacæ sylvestris usu producta transiret) quin potius habitualiter insanos seu maniacos ita fieri, in quantum ipsi spiritus animales ab indole miti & benigna, æque ac subtili & satis agili, nempe *spirituo salina*, in aliam acerrimam nempe, *salis fluidi, ac sulphuris arsenicalis* participem degenerant. *Willis.*

[16]. *Ex symptomatum mortalitate & diuturnitate*) Materia hunc affectum producens in venis & arteriis continetur, vel tonus corporis, vel cerebro propioribus, vel ipsis cerebri vasis, & ex locorum varietate varia symptomata, eaque graviora vel leviora emergunt; Si materia peccans est in omnibus venis aut cerebro vicinis, Insania fit perpetua & indesinens: Si vero in parte tantum aliqua concludatur, tunc temporis quasdam habet intermissiones, & per intervalla recurrit. *Riverius.*

[17]. *Curatio* [18]. est *difficilis*, quia affectus est diuturnus, tum ratione causæ, quæ pertinacissima; & fermenti se instar habet; [19]. tum ratione ægrorum, qui non obediunt.

Bona spei, si menses & hæmorrhoides fluunt, *si* alvus laxa, *si* mitiora symptomata, *si* copiosa ex naribus, varicibus, utero, hæmorrhagia, *si* sudores adsunt, *si* in taciturnam desipientiam mutatur.

[20]. *Peragitur*, I. [21]. *Diæta* opposita, in qua vinum cavendum, somnus provocandus, ægri Musicâ demulcendi, decoctum anagallidis flore purpureo bibendum.

2. [22]. *Causarum fervorem inducentium remotione*, de qua in Differentiis.

3. *Symptomatum*, [23]. vigiliarum præsertim, *mitigatione*; Quidam, [24]. cum nihil remedia proficerent, castratione [24]. ex maniaco melancholicus evasit, ut in communicatis apud Rivet. pag. 77. videre est.

[17]. *Curatio*) In cura opera detur ut *furor mitigetur* & tractabiles reddantur insani, id quod fit 1. per vomitoria, iteratas venæ sectiones, somnifera & appropriata; quibus si paroxysmus est sedatus, curandi sunt ut melancholici. *Etmuller.*

[18]. *Curatio est difficilis*) Prognosis juxta ipsius mali naturam & causarum rationem instituta, Maniam quidem per se lethalem non esse, valde tamen *chronicam & curatu difficillimam* pronuntiat: Hinc artificialis πρόγνωσις facile prædictiones accurata moderabitur lance: Sic e. g. Mania, quæ altas egit radices, per virium tandem dissolutionem, ex ἀτροφία, aut malinosa ἀσιτία contractam, ad interitum terminatur, nisi manus forte violenter (custode remoto) adhibitæ Manes anticipent; Salutaris interdum existit in alium morbum quæ contingit permutatio. *aph. 5. sect. 7. L. Stransfius.*

[18]. *Curatio est difficilis*) Quoad Prognosin Mania, siquidem affecti nec febre, nec aliis præterea morbis obnoxii sunt, neque ab externis accidentibus facile læduntur, ex se non est morbus lethalis, curatu tamen valde difficilis existit, quia magna in sanguine & spiritibus alteratio facienda est, atque ægri medendi methodo cuivis obnituntur, & Medicis & sibimet ipsis inimici.

Si Mania *inveterata* aut *hæreditaria* fuerit, aut morsu canis rabidi infertur, ægre, aut vix omnino integre sanatur:

Quæ propter *occasionem* quandam, sive à causa evidenti solitaria excitatur, aut febri succedit; Item cui psora, exanthemata, hæmorrhoides aut varices superveniunt, facilius curatur, Qui huic morbo per intervalla obnoxii sunt, circa solstitium æstivum, aut cum Syrius ardet, maxime periclitantur, etiam juxta magnas aëris mutationes, uti cum longa frigora aut squalores in cœli constitutiones oppositas alterantur. *Willis*

Facilius curatur Mania quæ cum risu & mitioribus symptomatis copulata est, quam quæ cum studio ac furore: Brevi futuram morbi curationem ostendunt quæcumque evacuationes ex motu Naturæ contingentes; per sudores, alvi fluxum, hæmorrhagiam narium &c. hinc *Hippocr.* aph. 21. 6. Si Insanis varices aut hæmorrhoides contigerint, morbi solutio fit; Dysenteria, aut hydrops aut febris Tertiana, vel Quartana Maniæ superveniens eam tollit: Fit enim metastasis humorum à cerebro ad partes inferiores, in quibus novum morbum producunt, *Riverius.*

[19]. *Ægrorum qui non obediunt*) Imo nonnunquam sanos se fingunt, monente *Celso l. 3. c. 18.* Cum credendum non sit, *inquit*, si vinctus aliquis dum levari à vinculis cupit, sanum jam se fingat, quamvis imprudenter & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est &c.

[20]. *Peragitur*) Methodus Therapeutica circa Maniam continuam adhibenda tres primarias Indicationes vulgo celebres suggerit, 1. *Curatoriam*, quæ morbum ipsum respiciens *Spirituum animalium furores* & exorbitantias corrigere aut sedare nititur: ij. *Præservatoriam*, quæ in morbi causas collimata, *succi nervei* & sanguinis dyscrasias acres & nitrosulphureas, necnon spirituum diathesin quasi stygiam tollere aut emendare satagit. iij. *Vitalem*, quæ talem victus & analepseos rationem dirigit, ut functio tum nutritiva, tum vitalis, qualis solum in morbo isto par est peragi ac sustentari possint: *Prima Indicatio*, scil. *Curatoria* (*Disciplinam*, scil. minas, vincula, aut verbera æque ac medicinam requirit: Proinde Insaniens in ædibus in hanc rem accommodatis collocatus, tum à Medico, tum à ministris prudentibus ita tractetur, ut quodammodo semper, nempe aut monitis, increpatione, aut pœnis subinde inflictis, in officio suo atque gestu & motibus idoneis contineri possit, Et quidem pro sanandis Maniacis nihil efficax magis, aut necessarium est quam ut illi quosdam quasi tortores usque formident ac revereantur: Hac enim ratione *Anima corporea* quadantenus depressa, & coërcita fastum & efferationem suam remittere cogitur; & proinde postea sensim mitescit ac in

ordinem redigitur, quare Furiosi nonnunquam citius per supplicia & cruciatus in gurgustio quam pharmacia aut medicamentis curantur. *Willis.*

Ad hujus morbi *Curationem* materia peccans evacuanda, revellenda & repellenda est; calida intemperies corrigenda, cerebrum aliæque partes principes roborandæ. *Riverius.*

20. *Peragitur* 1. *Diata*) Indicatio Vitalis instituit quomodo maniaci circa regimen, diætam & somnum tractari debent: In hoc morbo secus ac plerisque aliis *analepsi* non opus est, quippe nec vires resumptivis restaurari, nec spiritus cardiacis refici debent, quin utrisque è contra nimis efferis, quasi flammæ supra modum gliscenti, suppressio, sive velut extinctio quædam adhibenda est: Itaque *victus* sit tenuis & minus delicatus, vestitus asperior, decubitus durus, tractatio severa ac rigida; *Somnus* vero, quia valde necessarius, si prorsus defuerit, anodynis interdum exhibitis accersiri debet, in quem finem hypnotica conveniunt, capite de melancholia proposita. *Willis.*

21. *Diata opposita*) Vivendi ratio sic instituatur ut & humores laudati gignantur, & maligna aliorum intemperies, corporisq; prava constitutio emendentur & contemperentur, viresq; reficiantur, quod sic præstabitur, *Aër locusque* temperata & pura conveniunt: Sed & horum mutatio, præsertim si illis loca quædam suspecta vel adversa sint, aut occasionem aliquam tristitiæ præbeant, plurimum conferent, qua sola diuturni alioquin & graves morbi sæpenumero sanantur.

Cibus alimentosus ex sua natura humiditate temperatus prodest, qui euchymus, concoctu facilis humidiorque esse debet; qualis est caro tam animalium quam piscium, eaque juvenis, recens, simpliciter elixa vel assa; Inter quam *accipitris* & *noctuæ pullorum caro* comesta proprietate valere; uti è contra *caprina*, *ferina*, *leporina*, nocere creduntur.

Lac, *caseus* recens, *butyrum* in consuetis, *oleum commune* & *amygdal.* concedi possunt: *Ova*, nisi facile corrumpantur, ut in biliosis ventriculis conveniunt: *Panis* ex farina pura, non vitiis frugum inquinata, unde *lolii* causa multi in stuporem vel *insaniam* lapsi sunt: Ex *cerealibus leguminibus*, *hordeum* & *pisorum* genera, ita cocta ut facile digeri possint nec inflent, conceduntur, *lentes* & *fabæ*, quia melancholicum succum gignere creduntur, improbantur; Ex *Fructibus Poma*, omnibus modis tanquam appropriata conveniunt, reliquique fugaces, & qui suspensi vel exsiccati asservantur, ut *pruna*, *uvæ passæ*, *cerasa* & similia, Et ex durioribus *nuces recentes* & *amygdalæ*: Ex *oleribus*, temperata, ut *spinachia*, *lactuca*, *endivia*, *beta*, imprimis *buglossum utrumque*, ut appropriata extolluntur: Sola *brassica*, quod melancholiam procreare existimetur, damnata; quam tamen ego ex gustu judicans recte præparatam, bonum sanguinem præ cæteris plantis cum tenera sit & suavis, potius efficere censerem.

Potus inprimis habenda est ratio, Et consuetudini aliquid concedendum in illis qui *aquam* vel *vinum* bibunt; cum *vinum* debilius, vel si forte sit dilutum moderate sumptum nocere minime possit, sed cum exhilaret potius prosit; quod tamen si tristiores, vel serosiores ipsius usu fieri videamus, magis adhuc erit diluendum, vel omnino subtrahendum, Idem de *cerevisia* judicium esto: Sed & *seri* potus, quia laxat, in hisce affectibus admodum commendatur, ut & *Lac amygdalinum*, quod adeo caput, uti putarunt, tentare minime potest.

Somnus non tam quia humectat, ut volunt, sed quia corpus mentemque reficit, valde commendatur; Et proin si minus invitet, exhibitis soporiferis, vel externis admotis erit conciliandus: *Motus inordinati* in maniacis iisdem *soporiferis* compescendi erunt; Atque *jurgiis*, *verberibus*, *vinculis*, *custodiis*, *carceribus* erunt coercendi, nam & hoc ad curationem eorum, quos virgis & flagellis empirici cædunt facere experientia docet, *Excretiones naturales* ut decenter fiant curandum, Et si ob retentionem seminis turgente materia sæviant moniales, aut virgines, si nubant sanantur; *Animi affectus* inprimis, præsertim cum à nulla causa manifesta prodeunt, illi *argumentis* sunt eximendi. *Platerus.*

22. *Causarum fervorem inducentium*) *Paracelsus* ad duas causas respiciendum vult *l. de morb. ament. c. 2.* ut *materia peccans refrigeretur & coaguletur*: Inter quæ recenset *narcotica* & *anodyna* præsertim suum *laudanum opiatum*, *quintam essentiam mandragoræ*, *papav. hyoscyami*, Specifice commendat *quintam essentiam* vel *spiritum Saturni*, *Martis* & *Mercurii*, *solutionem crystalli*, *Extr. camphoræ*, *auri*, *verumque aurum potabile*, *liquores Lunæ*, *saphyri & musci l. 2. de vir. membr. c. 4.* Ibidem maximæ arcanas *Gillæ* deprædicat vires, quod vult destillandum in vino vitæ, & circulandum tamdiu donec fundum non attingat, exhibendum in malvatico: quod plures ex Paracelsistis dicunt esse *Nitrum* distillatum cum spiritu vini alkolisato & rectificato, quod postea circulari volunt, donec omnino fiat volatile: Alii medicamen ex *Vitriolo* putant, quod aliàs per *Gillam* à *Paracelso* indigitatur.

Helmontius vestigia *Paracelsi* premens *Narcotica* & *Anodyna* probat, summe commendans sulphur *vitrioli philos.* narcoticum, soporificum & melle dulcius, unde in omnibus mentis alienationibus conducere ait.

Cartesius ad motum sanguinis nimium compescendum sistendumque largiorem v. s. commendat: Item *ponderosa* quæcunque quæ gravitate sanguinem deprimunt; Eapropter probant *lapidem prunellæ*.

22. *Causarum fervorem inducentium remotione*) Indicatio Præservatoria morbi causam respiciat; quare hujusmodi crebris purgationibus & phlebotomiis remedia Alterantia, quæ sanguinem & succum nerveum attemperent, ac ad debitas crases reducant, interjiciantur, si fortè ægri satis morigeri & tractabiles talia methodice assumere non recusaverint.

℞. *Crystall. min.* ℥ij. *margar. pulver.* ʒiiß.
facch. c. ʒiiß. *camph.* ℈ß.

Terantur in Pulverem subtiliss. hujus ʒij. ponantur in lagena vitrea ℔ij. capaci cum aqua fontis, aut cerevisia tenuissima, clara pro Potu ordinario, *Serum lactis fervens flor. violar. aut nymph.* affundatur, post infusionem per duas horas copiose propinetur: Etiam *Acidulæ* ubertim ac ordinarie epotæ conveniunt.

℞. *summ. borrag. bugl. recent. & tener.* āā. *m.* iv.
poma curtipend. iij. *salis prun.* ʒij. *facch.* ℥ß.
simul contusis affunde aqu. fontis ℔iv.
F. Expressio, capiat ℔ß. ter in die.

℞. *Conserv flor. borrag. violar.* āā. ℥iij.
conf. de hyac. alkerm. āā. ʒij. *corall. ppti.* ʒiß.
margar. pulver. ʒj. *salis corall.* ʒj.
syr. papav. rh. q. s. f. Elect.

cujus sumat ʒij. bis aut ter in die, superbibendo liquoris sequ. ℥iv.

℞. *Aqu. nymph. borrag. buglossi, ceras. nigr.* āā. ℥iv.
Papav. rh. ℥vj. *aqu. ros. rub.* ℥ij.
camphora nodulo ligata & vitro suspensa ʒß.
syr. è corall. ʒiß. m. f. Julapium.

℞. *flor. salicis luteorum* q. s. distillentur organis communibus, repetatur distillatio affundendo aq. super flores rec. tribus cohobiis detur ad ℥iv. bis vel ter in die, edulcorando cum *syr. de nymphæa.*

Destillentur *cerebra vervecina* cum lacte, & detur aqua ad ℥iij. vel iv. ter in die. *Willis.*

Præter Julepos vulgares sequens ex succis paratus erit utilissimus.

℞. *succor. borrag. bugl. & pomor. redol.* āā. ℥iij.
aquar. fumar. & cubor. āā. ℥iv.
facch. albi ℥vj.

Coquantur,

coquantur, depurentur & aromatizentur *santalo citr.* *capiat* ℥vj. mane & sero. *Riverius.*

Decoctum vel infusio *pomorum*, aut crudorum aut coctorum in aqua fontis, Liquor *Tea*, Emolliones, & multa in curatione melancholiæ tradita conveniunt. *Willis.*

[23] *Vigiliarum præsertim*) *Fabr. Bartolettus* meth. in *Dyspnœam, l.5.c.3.* de propria curatione *magnæ & raræ respirationis* ex declivi Maniaco, *Dandum est aliquid de* laudano Daturę aut guttę aliquot *spiritus olei* in *aqua lactucæ vel endiviæ*, quo nihil tutius esse vel præstantius ait.

[24] *Cum nihil remedia*) Tandem & tentata est *transfusio sanguinis vituli, asini & humani*, præmissa sanguinis missione, qua plures Maniacos Parisiis curatos novimus; & nosmet ipsi in homine vesano Dizii felicissimo cum successu primum tentavimus.

Infusio variorum medicamentorum, inprimis *Opiatorum*, in venas Maniacorum non inutilis erit : *J. Dolæus.*

Quin & *Submersionem* in *aqua frigida*, tam *dulci* quam *salsa* Maniacis, etiam inveteratis, æque ac à cane rabido demorsis egregie prodesse, si aliquandiu sub aqua detineantur, historia cujusdam fabri confirmat *Helmontius l. Demens Idea n.*47. neque mirum esse videtur, tales ægros tam præcipitii lapsu, & aquæ frigidæ contactu, consternatos restitui, si quidem sanguinis *αὐτοκρατεία* maximopere hinc turbatur, simulque incendium spirituum præsentanea sic opera attemperari potest. *Laur. Straussius.*

[24] *Cum nihil remedia proficerent*) Furiosos Britanni Luna quarta decima verberibus affligunt, hoc compensantes sanguinem, & spiritum tunc temporis effervescere : Cædes autem non sine ratione ad talium salutem conferre videtur, ut enim larga prosperitas ad insaniam homines ducere potens est, sic dolor & calamitas prudentiam inducere consuevit ; quod sapientiæ Princeps perbelle significavit dum dixit afflictionem tribuere intellectum. *Bodinus in theat. nat.*

Frictiones, dropaces, vesicatoria, *cauteria*, *sectionesque in capite factæ*, & *trepanationes* in desperatis, ossis parte ablata, & per mensem foramine aperto relicto, adhibentur, *Platerus.* Submersionem in aqua frigida commendat *Helmontius*, qua plures curatos vidit; Ipsa *Salivatio mercurialis* in desperata Mania, teste *Rolfinkio* profuit; Vide *Wedelium de S. M. F. sect.2.c.12. p.* 219.

[25] *Castratione*) A veteribus in morbis quibusdam desperatis usurpari solita, quia temperamentum hominis immutat : virilitatem & vehementiam cõpescit, corpusq; laxius & humidius reddit, in maniacis præsertim, jam diu incarceratis & immaceratis, cum alioquin inutiles sint, meo videre aliquid emolumenti afferre posset : quam circumstantiis omnibus diligenter examinatis, si alia non juvent, tentare liceret. *Platerus.*

[26] *Ex Maniaco melancholicus*) Melancholia & Mania affectus sunt in tantum affines ut sæpe vices commutent, & alteruter in alterum transeat; nam diathesis melancholica in pejus evecta *furorem* accersit, atque furor deferbens non raro in diathesin atrabilariam desinit : Sæpe hæc duo quasi fumus & flamma se mutuo excipiunt ceduntque : Et quidem si in melancholia cerebrum, & spiritus animales, fumo & densa caligine obfuscari dicantur, Mania istis apertum quasi incendium accersere videtur. *Willis.*

[27] *Differentia* à causis fervorem spiritibus inferentibus sumuntur.

I. [28] Alia est à *causis externis*, ut æstu caniculari, [29] excandescentia nimia, [30] vini potentis haustu, [31] *solano, cerebro felis, mustela, vino fulmine congelato*, [32] philtro, canum vel luporum [33] morsu, varicum, [34] fistularum & ulcerum antiquorum curatione, quæ ex relatione ægri & adstantium cognoscuntur.

Alia *ab internis*, de quibus in secunda Differentia.

II. Alia est [35] à *sanguine adusto*, quæ

Cognoscitur ex plethoræ indiciis, oculorum rubedine & velut lusu; cantu, immodico saltu &c.

Oritur interdum ab [36] hepatis intemperie calida, [37] mensium vel hæmorrhoidum suppressione.

[38] *Curatio* venæ sectione peragitur, non neglectis morbis à quibus causatur.

Alia à [39] *Bile atra*, [40] occulta proprietate stipata, quæ.

Cognoscitur ex eo, quod perpetua sit, si in venis vel omnibus vel membris principalibus proximis stabulatur, delirium sit cum insania ; ægrorum vires continuis vigiliis dissolvantur, rabida mordendi & dilacerandi libido adsit &c.

Oritur interdum [41] à liene fervido *μέλαιναν χολὴν* præbente.

Curatur I. *Sanguinis missione*, [42] tum per venæ brachii sinistri & salvatellæ sectionem; copiosa, si sanguis nigrior; parca, si rubicundior; tum per hæmorrhoidum & varicum, si apparent; venæ frontis, si malum pertinacius, apertionem.

II. [43] *Humoris peccantis* [44] per refrigerantia & humectantia cephalica *præparatione*, [45] Laudatur *oleum Camphoræ unc.j. ol. musci dr.j. pondere commixta* & dr.ß. valore exhibita. [46] *Decoctum* [47] *Anagalidis flore purpureo.*

III. [48] *Ejusdem* [49] per melanagoga, [50] *lapidem* inprimis [51] *lazuli*, & *mel helleboratum*, de quo *Petraus* in Nosologia, *eductione.*

IV. [52] *Cordis* & Cerebri per Confect. *Alkermes* & de *hyacintho roboratione.*

V. [53] *Topicorum usu* [54] In quibus locum habent, [55] cauteria suturæ coronali applicata : Cranii cum Trepano apertio [56] *lixivium ex baccis lauri & radicibus hellebori nigri veri factum*, quo caput tepidè lavari debet : [57] Imponuntur eidem *Omphacium* cum aquis lactucæ, papaver. rhœad. & aq. spermatis ranarum: *Cucurbitarum* caro tusa & nive refrigerata, [58] *Gallina* nigra scissa calens, [59] *Catellus* lactens rejectis intestinis.

[60] Specifica sunt, *Liquor sanguinis humani* cum extracto lapidis lazuli : *Crystalli saturni*

cautissimè exhibendi, [61] *sanguis asini* ex venis post aures captus, de quo Hartman. &c. Vide *Rulandum* in Curationibus.

III. Alia est [62] per *essentiam*, cui ista omnia attribui possunt,

Alia per *Consensum*, *Uteri* inprimis; unde Furor uterinus dicitur: de qua suo loco.

27. *Differentia sumuntur &c.*) Mania, quoad *Initia* sua, vel *occasionalis* est, quæ nonnunquam causa evidenti statim sublata brevi cessat, vel *Habitualis*, à procatarxi in sanguine jacta, eaque vel *hæreditaria* vel acquisita dependens. 2. ratione *magnitudinis*, vel insigniter *furiosa* est, ut affecti vinculis ligari aut claustris coerceri debeant: Vel est *mitior*, qua laborantes cum aliis conversati à noxa aut malitia quavis abstinent: Respectu *Temporis*, aut *diuturna* est aut *brevis*, etiam *continua* vel *intermittens* esse solet: Quare quoad Varia deliriorum genera, morbi hujus typi innumeri existunt, communissime vero affecti, aut pariter in omnibus, aut potissimum quoad rem quandam particularem insaniunt, de reliquis judicium plerumque rectum habentes. *Willis.*

27. *Differentia sumuntur*) Præter Differentias à Causis petitas, insignis est ab ejus speciebus desumpta, quod alia sit *Continua*, alia *Intermittens*, *Continua* therapeia tradita est, *Intermittens* aut habet intervalla perfecte lucida, in quibus ægri ad sanam mentem redeunt; aut *furor* tantum cessat, delirio adhuc relicto, in tantum ut affecti mites & tractabiles fiant; usque tamen circa imaginationem & judicium ab errore persistentes, plurima absurda, aut incongrua loquuntur & agunt, & post nonnunquam rursus furiosi evadunt; *Utriusque horum affectuum* medela, quoad *indicationem curatoriam*, eadem est ac in mania continua.

Quod spectat ad *prophylaxin*, qua medendi ratio extra paroxysmos, ad eos præcavendos aut minuendos adhibenda instituitur, in quibus furor tantum intermittit delirio persistente, eadem prorsus jatrices remedia quæ ad melancholiæ procatarxin tollendam conveniunt: In Mania quæ perfecte quoad omnia symptomata intermittit, temporibus maxime idoneis, scil. vere & autumno, solennes Medicinæ cursus iniri debent, & insuper ægri custodia, sive regimine continuo opus est, tum ut quoad victum & vitæ genus in temperie semper æquali & moderata conservetur, tum ut quamprimum paroxysmi imminentis signa apparent, V. S. & pharmacia mox celebratis, ejus accessio inhibeatur: Itaque instantibus æquinoctiis sanguis è brachio, & dein post 7. vel 8. dies hirudinum suctu è venis hæmorrhoidalibus detrahatur, Porro diebus intercalaribus remedia alterantia horis medicis ordinate sumantur. Victus sit tenuis & *ἄναιμος*, circa motum, somnum, & res alias non naturales cuncta sint moderata: Si quando Maniæ accessio imminere videtur, & constanter ante solstitium æstivum, phlebotomiæ cum vomitione & victu tenuiori celebrentur. *Willis.*

28. *Alia est à causis externis*) Dispositio maniaca variis modis, & propter diversas causas exoriri solet, ut plurimum vero vel à *spiritibus* ipsis, vel à *sanguine* incipit: Mania à spiritibus incipiens, nonnunquam à causa evidenti solitaria, uti *Passione violenta* exoritur, quandoque item à procatarxi in cerebro jacta procedit, velut cum melancholiæ aut phrenesi supervenit: Utriusque casus, fiendi modos varios & rationes expendemus.

Quoad prius; quando vehemens affectus quempiam à mente sana depellit, id fieri contingit, vel quia spiritus animales prosternuntur nimis & in confusionem adiguntur, vel quia supra modum elevantur, & ultra sphæram suam se elevare nituntur: 1. Spiritus prosterni solent à *passione violenta* ac terribili, ita passim accidit quosdam à spectri intuitu, vero aut imaginario, mox panico terrore perculsos in maniam perpetuam incidere: Porro nonnulli propter insigne opprobrium, aut repudium, alii ob vesani amoris spem subito ac improviso frustratam, aliique ob vota temere rupta, & conscientiam violatam primo animo insigniter perturbati, mox dementes evaserunt: Cujus ratio est, quod spiritus animales extra series suas, & meatus solitos propulsi, & in confusionem adacti, tractus sibi novos & devios procudunt, quos subeuntes phantasmata mox delira pariunt: interea succi nervei particulæ salinæ spirituosis depressis à volatilitate desciscunt, atque fluorem passæ corpuscula sulphurea, è sanguine in cerebrum tunc debile & patens suffusa, sibimet assumunt, unde liquor hic statim instar *aquæ* fortis acerrimus, atque spiritus animales acerrimi, & plurimum incitati furiosi evadunt.

Secundo Spiritus Animales quandoque dum *elevantur* nimis pari fere modo & sibimet & *succo nerveo diathesin maniacam* inducunt: Hinc *ambitio*, *superbia*, & *æmulatio* quosdam insanire fecerunt: Cujus ratio est, quod dum anima corporea propriæ excellentiæ opinione & fastu intumescens, sese erigit, & quaquaversus amplissime ultra corporis oram expandere annititur, spiritus animales *εἰς ἀγῶνα* tumultuarie vocati, intra solitas orbitas contineri nequeunt, ibidem vero refracti, & propter exertionem nimiam diversimode reflexi, in tractus novos & plane devios coguntur; quapropter tum ipsi è propriæ emanationis cursu exturbati, tum *liquor nerveus* diathesin (prædicto modo) acrem & incitativam cito adquirunt, & proinde *mania* succedit. *Willis.*

Res externæ facile homines in hunc morbum conjicere possunt, & quidem venena aliaque, Sic in *Ephem. Germanis* 3. legitur rusticum sub arbore cubantem, à somno expergefactum per sesquiannum maniacum redditum, qui assumpta Tabaci uncia, & concitata sternutatione, exclusit erucam nigram & pilosam, unde restitutus.

29. *Excandescentia nimia*) Animi *πάθη* plurimum hic valent, Sic in mania insignem se repetisse *arrogantiam* testatur *Helmontius*: pariterque quos immodicum artis aut scientiæ alicujus studium, & gloria vexat nimis, maniæ obnoxios *Platerus* asserit; Exardescens *Ira* facile in furorem prorumpit, teste *Galeno* 6. *aph.* 22. Sic auri faber apud *Bruningerum cent.* 2. *obs.* 46. post febrem continuam, quam declinaverat ex insperata invisi fratris præsentia, in furorem maniacum incidit: Quid *amor insanus* faciat notum. *Mœror* viduam desponsatam apud *Grulingium* c. 6. *obs.* 8. in hoc mali genus præcipitavit. *L. Stranßum.*

29. *Excandescentia nimia*) Bilis sæpius hominum furoris causa est ubi nimium redundant, ait *Democritus Hippocrati*, si velocior nimium & ex ira bilis acrimonia spiritibus animalibus accedat. *Joh. Doleus.*

30. *Solano, cerebro felis &c.*) Fermenta venenosa sanguini & succo nerveo insinuari, uti imprimis ab animalium rabidorum morsu, aut toxicorum quorundam assumptione Insaniam excitare solent: Nobilis quidam post Aconiti folia tenera in acetario cum aliis herbis inter prandendum comesta vesperi male habuit, & de magna sanguinis & spirituum agitatione & inquietudine questus amicos rogat ut Chirurgus accersitus venam tunderet, secus se protinus insaniturum: quod equidem ita dictum factum evenit, nam priusquam v. s. celebrari potuit in maniam incidens, intra nychthemeri spatium interibat: Cujusmodi affectus exitialis ita subito contigit, in quantum virus istud & sanguinem & spiritus

spiritus animales, non tantum quoad crasin perverteret, sed maligno suo fermento illico pessundaret. *Willis*.

31. *Vini potentis haustu*) Ad Maniæ generationem confert ea victus ratio qua calida & sicca sanguinis ἀκρασία vel juxta *Willisium*, salis & sulphuris arsenicalis particeps dispositio adaugetur. *L. Straussius*.

32. *Philtro*) Vide de *Philtris* Caput de Melancholia.

33. *Morsu*) Quin & à morsu hominis inductam Maniam narrat *Emmullerus* in *Disput. de morsu Viperæ*, de muliere Maniaca, ut putabatur ex Philtro, quæ lictorem in custodiam se abducentem mordendo prope axillas in similem conjecit calamitatem, ut postero die similiter ac illa fureret, muliere melius se habente: Sic nos morsum ex iracundia alterius maniam & insanabile vulnus rustico conciliasse novimus. *Joh. Dolæus*.

34. *Solano*) *Solanum sylvaticum*, quod à multis Belladonna dicitur, tantæ est immanitatis ut insaniam & furorem ejus acinos comedentibus inducat: Quidam in sylva multos decerpsit acinos & devoravit, altera die in tantam insaniam & furorem devenit, ut plerique illum à Dæmone obsessum crederent: Intellecto tamen morbo vinum fortissimum furioso propinatum est, quo facto consopitus paulo post convaluit. *H. Tragus l. 1. hist. stirp.*

Vinum potentissimum superbibitum singulare est præsidium *Jul. Cæs. Baricellus Hort. Gen.* Maniæ à *Solano furioso*, oriundæ largior vini generosi potus confert. *Lud. Straussius. Ex Jul. Cæs. Baricelli Hort. Gen.*

34. *Fistularum, Ulcerum*) Post superatas quoque *Variolas* obortam notant Maniam M. C. *Anni 6. obs.* 93.

35. *Alia est à sanguine adusto*) Dispositio Maniaca non infrequenter in *massa sanguinea* radices habet, & demum in actum producitur, cum nimirum sanguis summe depravatus & nitrosulphureus, liquorem nerveum, una & spiritus animales, aut pervertit, aut malos suppeditat: Cujusmodi *sanguinis* labes aut hæreditaria est aut acquisita; 1. Communis observatio est homines è parentibus ortos quandoque insanire solitis, eidem morbo obnoxios fore, & quamvis supra 30. aut 40. annos sæpe prudenter & sobrie vixerint, postea tamen absque ulla occasione, aut causa evidenti in Maniam incidere: Cujus ratio est, quod sanguis eo tempore à debita crasi sensim in nitro sulphuream deflectens, spiritus animales unà & succum nerveum indolis acerrimæ (uti dictum est) participes ὡς συμφύλους suppeditat.

Olim ostendimus in complexione nostra Particulas elementares seorsim à secundariis per nutritionem suppeditatis durante vita persistere, atque suæ cruditatis, maturitatis, & defectionis tempora habere, quamobrem & morbida seminia juxta ætatum periodos in fructus maturari censemus: Porro annotamus sæpenumero morborum fructus ejusmodi maturatos aliquandiu, aut perpetuo quoad vitam manere, quandoque tamen velut sponte deciduos emarcescere, dein nonnunquam aliquo temporis tractu ex miasmate relicto fruges novas repullulare, atque ad ἀκμὴν paulatim assurgere: Quare Mania hæreditaria interdum continua est, quandoque intermittens, ejusque paroxysmi modo post breviora, modo post longiora intervalla repetere solent.

ij. Quemadmodum Maniæ procatarxis sanguini inhærens sæpe innata sive originalis est, ita nonnunquam eadem aut mala victus ratione, aut evacuationum solennium suppressione, ob febrem prægressam, aut ob alias causas sensim progignitur, & demum ad maturitatem perducta in Maniam erumpit: Usitatum est in magna annonæ caritate pauperes quosdam, cibis tantum incongruis aut dyspeptis vesci coactos, primo tristes, cum aspectu torvo & lurido, & brevi postea insanos fieri, Hæmorrhoidum aut catamen iorum fluxus cohibiti, aut ulcera cacoethea suppressa, versus hunc morbum disponunt: Porro qui originaliter, aut acquisite temperamento acriori, & moribus efferatis, & vultu minaci præditi sunt, propter sanguinis diathesin nitrosulphureæ propinquam, à causa evidenti fortiori in Maniam incidere periclitantur. *Willis*.

35. *A sanguine adusto*) Causa proxima formalis consistit in animalibus spiritibus, *Causa remota* hæret in *massa sanguinea*: Hinc est quod dicant oriri ex *constitutione atrabilari*, Unde in *radice conveniunt* Mania & Melancholia, hic peccat *Acidum* in hypochondriis, *illic* idem, sed acrius: *Causa* igitur *remota* eædem sunt quæ in melancholia, *solennes sanguinis evacuationes suppressæ*, in iis præprimis qui ad melancholiam inclinant: Sic ex *hæmorrhoidibus* suppressis maniam notat *Zacutus* 1. *Pr. Adm. obs.* 51. Post diutinas febres & acutas mania sæpe sequitur. *Emmuller*.

Causa *mediata proximior* ut innotescat ad doctrinam de *Humoribus* & *Vaporibus*, est accedendum, præeunte *Hippocr.* qui *l. de Flat.* 5. 20. *t.* 3. inquit, *Opinor nihil esse in corpore quod tantum conferat ad prudentiam quantum sanguis*: Quamdiu sanguis naturaliter est constitutus, res bene habet, ἐξαλλασσομένου δὲ τοῦ αἵματος μεταλλάττει καὶ τὸ φρόνημα: *Id. ibid.* Cum autem sanguis hoc quod est cordi originaliter debeat, etiam *Maniaci sanguinis* rationem, æque ac distributionem, ibi nos reperturos dubitari nequit; quoties itaque vel ob ἰδιοσυγκρασίαν, vel adventitias causas, eam *Cor* excitat aut fovet in sanguine ἀμετρίαν, qua mediante particulæ istius *calidiores* atque sicciores, cum excessu adaugentur juxta ac intenduntur, *serosæ* autem & *blandæ roscidæ* magis magisque deficere incipiunt, toties sanguinem hac ipsa opera ad suscipiendas Maniæ gliscentis scintillas antecedentes disponi consequitur: Mox vero & *cerebri* res agitur, cordis paries cum proximus ardet; id quod quei fieri possit facile reperiet qui Harveanis principiis inhærere voluerit.

Vapores uti ex *sanguine* aliisque *humoribus* generantur, ita quoque eandem cum illis semitam observant, ipsamque petunt Palladis arcem: Neque est ut quis hinc *Maniam* tolli *essentialem* putet; licet enim *humores* vitiosi etiam extra *cerebrum* generentur; quando enim vitio hujus visceris vel *primigenio* vel *adscititio* in illo non solum coacervantur & incrementum capiunt, verum etiam deteriores ibidem facti, inducta *spiritibus animalibus peculiari ἀταξίᾳ*, hancque excipiente ἀνοίᾳ, jam demum quasi in apricum prodeunt, *Essentiali* id ex affectu fieri non sine ratione pronuntiamus, *Laur. Straussius Pal. Med. P. 1. Gymn.* 11.

36. *Hepatis intemperie calida*) Quo facit *Temperamentum calidum & siccum*, quod biliosum alias dici suevit, sive naturæ, sive erroribus in victu debeatur: Quo temperamento præditus fuit *Aurifaber* de quo *Binninger cent.* 2. *obs.* 46. & Iuvenis apud *Timæum l. 1. cas.* 8. Patet hinc quantum ponderis *hæreditaria dispositio* obtineat, quæ in fetos etiam traducta nepotes quandoque elucet, Notanter dico *quandoque*, neque enim à maniacis semper & necessario Maniacos generari, omnemque Maniam morbis hæreditariis simpliciter annumerandam esse arbitramur. *L. Straussius*.

37. *Mensium vel hæmorrhoidum suppressione*) Suppressi menses & lochia, partusque difficilis tristes non raro ejusmodi patiunt eventus, quibus adde *Lactis in Mammis collectionem*, de qua *Hippocr.* 5. *aph.* 40.

38. *Curatio venæ sectione peragitur*) Primo sanguinis missio celebranda est, præmisso clystere, ex vena brachii insigniori; postridie vero iteranda ex altero brachio, idemque remedium frequenter usurpandum: Asserit enim *Platerus* innumeros hac ratione curatos fuisse, à Chirurgis, & aliis qui ex professo hisce morbis curandis operam dabant, qui vigesies, imo & sexagesies venas

aperiebant: Non ſolum enim venæ brachii utriuſque, ſed etiam malleoli, frontis, narium (*jugulares*) hæmorrhoidum, etiam varices ſi appareant, & ſalvatellæ, idque per intervalla, interjectis Clyſteribus & Purgantibus; Cucurbitulæ etiam ſcapulis, & dorſo cum ſcarificatione admotæ poſt multas venæ ſectiones; Tum etiam hirudines temporibus & pone aures utiliſſimæ ſunt *Riverius.*

His enim evacuationibus tempeſtive factis, tum ſpirituum efferationes, Animæque elatio opime ſupprimuntur, tum inſuper *Sanguinis* (ſiquidem in illius qui acris & corroſivus eſt, detracti locum novus & mitior repullulat) dyſcraſiæ emendantur. *Willis.*

39. *Bile atra, occulta proprietate*) Humor Maniam, (ſæpe & melancholiam veram procreans) *sanguis* eſt *melancholicus* dictus, qualem ſi fæculentus, craſſus, vel ipſa bilis atra ſit, eſſe putant; Nos vero hanc *materiam malignitate* aliqua non carere credimus, eamque *venenatam*, cum aliter recte explicari non poſſit, ſicuti *Galenus* ex corrupto ſemine & ſanguine venenatam materiam generari. *6. loc. aff.* tradit, jure quoque dicere poſſumus, quod enormia illius accidentia ſatis declarant, quæ ſe, ac ſi veneno perciti eſſent, in illis exſerunt, *furor* præſertim, cum tamen nulla alia ſit læſio, nullus morbus manifeſtus, nec mortis periculum, & cum per multos annos ſæpe ſine alio detrimento hæc paṅantur: Quæ certe à *frigido humore*, qualem eſſe *ſanguinis fæcem* putant, neque *atra bile*, quæ ſi ſanguini confundatur Icterum nigrum, aliaque cutis gravia vitia afferre ſolet, fieri minime poſſe.

Idcirco nos ad malignam, *venenatam* & occultam vim, qualem in multis morbis ejuſmodi pertinacibus & horrendis, quos ab atrabilariis humoribus naſci crediderunt, & in quibus ob malignitatem *cacodæmones* etiam ſedem habere aſſeruit *Matthiolus*, inveniri ſæpe declaramus, malumus recurrere, quam ut ea quę ita ex conſuetudine quadam, & in atro ſanguine emiſſo videri creduntur, cum tamen ex natura ſua ſanguis congelatus etiam in ſanis nigricare, diuque retentus picis inſtar ater apparere ſoleat, pro veris doceamus & comprobemus, veritatemque potius quam opiniones amplectemur, vel aperte nos veram cauſam recte explicare minime poſſe fatebimur. *Platerus.*

40. *Alia à Bile atra occulta proprietate*) *Galeno* cauſa *Maniæ* proxima & immediata eſt calida & ſicca intemperies ab humore atrabilario oriunda: Sed ſi tanta eſt intemperies in cerebro ut mentem de ſua ſede dejicere valeat, febrem debet parere, cum calor remiſſior delirium efficere non valens febrim pariat, qualis eſt ea quæ ab inſolatu exoritur.

Ad hoc dubium varii varia reſpondent, Solidiorum reſponſio eſt, calorem qui febrem excitat debere eſſe fuliginoſum, ut ad cor delatæ fuligines febrem faciant, & calorem fuliginoſum in materia humida conſiſtere debere, qualis eſt materia febrium putridarum; in Mania vero humores eſſe aduſtos & incineratos, ita ut ab iis nullæ eleventur fuligines; Verbo, calor in Mania eſt velut in pruna; in febribus vero ut in flamma: Hæc tamen reſponſio fortiſſima urgetur inſtantia, Quod nempe in febre hectica major ſit humiditatum conſumptio quam in Mania, attamen febris uſque ad integram & abſolutam omnium humiditatum, & ipſius humidi primigenii conſumptionem ægrique interitum perſeveret.

Platerus hac ratione aliiſque nonnullis perſuaſus exiſtimat præter calidam & ſiccam intemperiem, adeſſe quoque malignam & venenatam quandam qualitatem quæ ſit præcipua cauſa delirii: Magna hujus ſententiæ probabilitas inde elici poteſt, quod Furor uterinus à ſemine corrupto, & malignam ac venenatam qualitatem depto exoritur: Quod Hydrophobia, ſpecies Maniæ, à morſu venenato canis rabidi in quocunque temperamento ſine atræ bilis concurſu exoritur, Et morbus qui à morſu Tarantulæ exoritur, quædam etiam Maniæ ſpecies appellatur: Denique venena quædam Maniam inferre poſſunt, ut de cerebro muſtelæ à & ſolano maniaco referunt.

Ideo veriſimile eſt peculiare quoddam venenum in corpore humano genitum Maniæ cauſam eſſe præcipuam; cum etiam febres malignæ, quæ non raro mitiſſimæ ſunt, ut in iis pulſus ac urinæ ſanis ſimillimæ appareant, deliria producere ſoleant, magis quam febres ardentes malignitatis expertes: Et docet experientia Maniam contingere frequenter non tantum atrabilario temperamento præditis, ſed etiam omnibus naturis & ætatibus, præſertim ſi hæreditario jure contigerit: Ac denique illam calidioribus medicamentis, ſpecifica virtute præditis non raro curari.

Attamen confitendum in melancholicis & atrabilariis hunc morbum frequentius & utplurimum produci, quia ille humor tali veneno ſuſcipiendo magis idoneus eſt: Et *Galenus* malignitatem iſtam humori atrabilario advenientem agnoſcit comm. ad aph. 56. 6. ubi dicit Maniæ cauſam eſſe melancholicum humorem, non ſemper, ſed cum ſupra modum exuſtus aut putrefactus malignam induerit qualitatem.

Objicies quod Maniaci frigus externum, etiam hyeme, nudato corpore innoxie patiuntur, unde calor intenſiſſimus in iis arguitur? At hoc in omnibus minime contingit, quin multi hybernum frigus averſantur, veſtibuſque gaudent: Alii ab aëre externo non afficiuntur ex conſuetudine, cum ex aſſuetis non fiat paſſio; hinc puellæ delicatæ nudum pectus hyeme habent. *Riverius.*

40. *Occulta propietate ſtipata*) Ob ſymptomatum maniacorum tum enormitatem, tum longam ſine decubitu durationem, vix ſufficere qualitatem manifeſtam, cerebri ſcilicet calidioris intemperiem, ſuccorumque calidiorum atque mordentium, qualis flava bilis eſt præſentiam, ſed adhuc malignam, imo prorſus occultam & *ἄῤῥητον* eſſe agnoſcendam arbitrantur *Platerus*, *Sennertus* & alii, quæ ſententia neutiquam nobis improbanda, cum præſertim vox *maligni* proprie *malitiam*, à Græcis per *τὸ κακόηθες* exprimi ſolitam ſignificet; morbuſque etiam chronicus, curatuque difficilior à *Galeno l. 1. de criſ. c. 3.* malignus appelletur. *Laur. Strauſſius.*

40. *Occulta proprietate ſtipata*) Occultam hanc proprietatem ſtatuit *Willis* in latice quodam corroſivo, qui ſpiritibus animalibus diatheſin acerrimam conciliet: Profecto, *inquit*, humores acerrimos interdum in corporibus noſtris generari multis obſervationibus conſtat; Alibi mentionem fecimus viri Nob. cerebri & nervorum affectibus graviter obnoxii, cujus ſudor (tum in paroxyſmo eſſet) camiſiam, (quaſi aqua forti tingeretur) exedens mox friabilem redderet.

Uſitatum eſt nonnullos ſæpe laticem quaſi vitriolicum, œſophagi ac palati tunicas erodentem vomitu excernere: Porro ulcera cancroſa, ſcrophuloſa & peſtilentia, humorem acerrimum, quo ſcil. carnes & membranæ, velut ab aqua forti iis affuſa cum atredine exeduntur, præbent: Porro obſervare eſt ſtagmata corroſiva, haud potiſſimum in ſanguine producta, carni muſculoſæ aut viſcerum parenchymatis affigi, ſed multo frequentius in liquore nervoſo procreata, cum latice ejus in partibus nervoſis aut eorum emunctoriis depoſita, apoſtemata ac ulcera phagedenica, ſeptica, aut alias cacoethea producere: Hęc enim ſæpiſſime in glandulis, vel juxta tendines aut membranas excitantur, cumque humor ab iis decedens primo tenuis & aquoſus eſt; poſtea atratus, valde fœtidus & corroſivus evadit; indicio ſane ipſum *liquorem nerveum* in ejuſmodi putrilaginem abire.

Horum ratio si inquiritur, facile occurrit Laticem cerebri & appendicis nervosæ irriguum, una cum spiritu subtili, salis volatilis copiam ingentem in se continere: Si quando igitur adeo depravetur iste, ut spiritu depresso particulæ salinæ in fluorem degeneres, sibimet corpuscula sulphurea adsciscant, plane corrosivus & stygius evadit. Quapropter tumores ac ulcera mali moris in partibus nerveis, earumque emunctoriis præcipue contingunt, ac ibidem à levi occasione excitantur (uti cum mammæ muliebris læsioni parvæ cancer succedit) quia, si quidem humor nerveus in transitu suo impeditus alicubi stagnet, statim spiritu depresso, aut exhalante, particulæ salinæ à volatilitate in acorem degeneres, consortia aliena mox ineunt, atque corpuscula aut terrestria, aut sulphurea, aut alia alius generis sibimet arripientes, in tumores aut scirrhosos, aut strumosos aut cancrosos congelari incipiunt.

Cumque hoc ritu à liquore nerveo stagnante, & concretionem heterogeneam moliente, tumoris velut minera in quapiam parte conflatur, ejusdem liquoris jugiter affluentis supplementa in parem vitiositatis indolem pervertuntur, quibus etiam accedunt impuritates atrabilariæ à sanguine aliisque humoribus suffusæ, quæ junctis viribus (veluti cum diversi sales, ac sulphura conjunctim destillantur) efferationem augent atque in parte affecta materiam septicam, ac instar aquæ stygiæ escharoticam constituunt.

Juxta hanc Aitiologiam Tumorum ejusmodi anomali, con un & affectus strumosi phænomena aptissime explicantur: Quod si liquor Nerveus ita corrosivus ac degener factus in tumores minime concrescit, in fibris nerveis scaturiens, dolores & spasmos sæpe atrocissimos, hinc illuc vage excurrentes, inferre solet: Quemadmodum autem liquor iste ad hunc modum depravatus in partibus nerveis prædictos affectus ciet, ita non difficile erit concipere eundem laticem, quatenus spirituum animalium in cerebro scatentium pro vehiculo est, una cum spiritibus ipsis indolem corrosivam & quasi stygiam acquirere, proindeque maniam excitare. *Willis.*

41. *Liene fervido*) Ideoque Narcotica commendat *Helmontius*, quia, inquit, suspendunt Lienem ab operosa phantasmatum sæviorum exercitatione in cerebrum.

42. *Tum per vena brachii &c.*) Multos, larga præsertim *sanguinis emissione* curatos novimus; Et insanos furentesque aliquos ab adolescentia ad extremum senium usque, in eo ita ad se rediisse ut postea è custodia vinculisque liberati circumeuntes neminem amplius læderent aut verbis lacesserent: *Platerus.*

Sanguinis emissio facta in vena aliqua cutanea majori & apparente, cum non tantum sanguinem, sed una cum ipso morbi hujus materiam, in venis latentem evocare possit, primum & præcipuum ad curationem horum affectuum (*Maniæ & melancholiæ à sanguine melancholico in vasis contento ortarum*) remedium erit: Quod etsi plerosque non docuisse, aliquos etiam improbasse sciam, longa tamen observatione innumeros hac ratione sanatos fuisse à Chirurgis quibusdam, vel aliis qui ex professo hisce morbis sanandis operam dabant, cognovi, qui *vigesies, sexagesies*, quoque venam tundendo *insanos* penitus, vel *melancholicos* ita restituerunt, ut postea incolumes adhuc longam vitam vixerint.

Hi in vena aliqua certa eligenda nihil laborabant, sed nunc *brachii*, mox *pedis* hanc illamvè, nunc *alibi* sine discrimine aperiebant: Quod idcirco remedii genus nos quoque, sed majori cura & providentia quam illi, qui nonnisi tanquam deploratos curandos suscipiunt, methodice, præmissis semper alvi elutionibus, & intermixtis purgationibus usurpare minimeque negligere debemus: *Brachii* itaque vena aliqua magis patens primum aperienda reiterandaque; dein & in manu *salvatellam*, præsertim manus sinistræ venam, quæ privatim lienis causa, cum quo censetur consentire, secanda erit: Et in *pedibus* quoque *malleoli venam Saphenam* dictam, eoque citius si menses non recte fluant, vel quæ ad *pollicem pedis* excurrit, quam Empirici inprimis in hoc casu tundunt, quia cum capite communicare censetur, *Frontis* etiam *vena*, si perseveret malum, & causa præcipue circa caput latere deprehendatur, tundenda erit: Et è naribus *sanguis*, *setis* intrusis, *sanguisugis* adhibitis, aliisque *asperis* immissis erit provocandus (*Possunt & jugulares venæ* tundi, *quæ affatim è cerebro sanguinem educunt & remedii universalis vicem supplent vacuationis.*)

Varices etiam si in cruribus aut alibi appareant, cum magnam ejusmodi melancholicæ materiæ, à natura eo detrusæ, illicque coacervatæ copiam contineant aperiendæ; illuviesque per hanc viam emittenda, quod nonnisi plurimum prodesse proderit: *Mensium provocatio*, si non decenter purgentur, aut substiterint, cum causam huic malo præbere possint, multum juvabit: *Hæmorrhoidum* quoque apertio, etsi *venæ portæ* rami sint, in consuetis magnum adjumentum afferet.

Huc & *Scarificationes* referri possunt, illis maxime *locis* factæ, sæpeque repetitæ, ubi venam alias tundere deberemus, ut *brachiis & pedibus*, scapulis etiam & humeris; quæ certe non tantum sanguinem evacuant, sed si *Cucurbitula* adhibeantur, etiam egregie materiam à capite revellunt & sæpe, ut observavi, multum prosunt. *Platerus.*

43. *Humoris peccantis per refrigerantia*) Medicamenta quæ alterationis causa assumere debent, ex iis parentur quæ temperata humiditate vim tetri & acris hujus humoris, & proprietate malignitatem illius corrigunt; Atque *cerebri* intemperiem, quod potissimum afficitur, & *cordis*, cujus complexionem in hisce casibus primum corrumpi censet *Avicenna*, retundant; *Lienis* quoque, ubi melancholiæ sedem esse putant, Et *Hepatis*, quod illius causa etiam affici existimant, habentes rationem; Ex quibus hæc medicamenta concinnantur, quæ fere si compositiones consuetas consideremus, *Cordialia* penitus sunt: quæ cum non tantum reficiant, sed & malignæ & venenatæ; qualis hæc est, materiæ resistant, nos quoque, sed vitatis nimium calidis & siccis, probamus, & sequenti modo præscribimus, Pro infusione in *vino vel decoctione*, qua vel simplici utimur, addito *sacch.* & *aromat.* vel syrup. paramus, hæc sumi possunt,

℞. *flor. bugl. vir.* (cordi & lieni appropriata) q. s. macerentur in vino ordinario, vel decoquantur in *Jusculis*.

Eadem ratione & alia in *vino* infundi possunt, ut *folia linguæ cervinæ*, quod hac in re vulgus facere solet; Composita magis Infusio sic fiet, vel Decoctio;

℞. *flor. rosar. violar. bugloss. vir. scabios. tamar. ana. p. j. fol. beton. meliss. linguæ cerv. vel caterach. ana m. j. rad. enul.* ℥ij. *sem. ocymi* ʒj. *conquassentur ad usum: Syrupus* ex hoc decocto fieri potest, vel sequens ex *succis*.

℞. *succor. pomor. redol.* ℔j. *borrag.* ℥iij. *malvæ* (qui valde utilis censetur) ℥ij. *depurentur, & addita sacch.* ℔ß. *decoquantur ad consistentiam.* Platerus.

44. *Per refrigerantia & humectantia*) Inter quæ eminet *Serum lactis* cum succo citri paratum. *L. Strausius.*

45. *Laudatur*) *Præmiss. præm. Opiata* conveniunt ad *spirituum motum mitigandum*, Excellunt autem hic *sulphura mineralia anodyna* post vomitorium applicata; Cum his semper usurpetur *nitrum crudum*, vel *antimoniatum*, in potu copiose dissolvendum: His *generalibus* tandem & appropriata specifica subjungenda, quæ inter primeriam

ducit *sanguis asini* arteriosus in mactatione retro aures collectus, Dosis ʒj. in *aqua anagallidis*: *Hartmannus*, *Prevotius* & alii merito hunc sanguinem commendant; Post hunc est *anagallis flore purpureo*, cujus decocto mirabilia se perfecisse *Quercetanus* refert, juxta hanc est *hypericum ejusque tinctura Mynsichti*, hoc *solanum tetraphyllon*, seu *herba Paris*, *polypod. Querc.* &c. His semper *camphora* est addenda in & externe, It. ejus *oleum* cum *bolo destill.* quod mire coagulat materiam Maniæ, ut *Prevotius* dicit; Facit huc mistura *Fabri* quam in sua Pathologia commendat. *Emmuller.*

45. *Laudatur*) Julepos potius usurpamus quam aquas illas cordiales compositas, quas aliqui docent, cum nimis corpus inflamment.

℞. *aquar. rosar.* ℥iij. *melissæ* ℥j.
bugloss. ℥ij. *cinamom.* ℥ß. *flor. arant.* ʒij.
vini albi ℥j. *sacch. albiss. q. s. f. Julepus.* Platerus.

45. *Laudatur ol. camphora*) Juxta *Joh. Theod. de Bry Introduct. in vitalem Philos.* Hoc medicamentum, *ait*, est excellentissimum, mirabiliter enim coagulat materiam Maniæ, extinguit calorem & ebullitionem corporis & sanguinis: Potest etiam hoc Oleum circa tempora & frontem applicari; Idem medicamentum excellentissimum esse ait *Claudius Deodatus Panth. Hygiast.* c. 21. Quiq; *olei camphora* ʒj. tantum, non ℥j. ponit.

46. *Decoctum Anagallidis*) In potu ordinario, *decocto anagallidis & florum hyperici cum duabus hirundinibus*, *spiritus vitrioli* ad guttas quasdam infundatur: Vel in *sero lactis caprini lapides prunellæ* inditi peculiarem habeot vim Microcosmetorem furibundum & spiritus animales furentes compescendi sedandique. *Joh. Dolaus.*

47. *Anagallidis*) In *Anagallide* flore phœniceo latitat arcanum contra maniam; Experientia sæpe confirmata, coq. in aqua f. & b. hatur solum vel cum aliis: *Guern. Rolfincius Epit. c.* 18. salus fatuorum dicitur. *Idem cons.* 8. *l.* 2.

48. *Ejusdem per melanagoga*) Frequentibus phlebotomiis materiæ peccantis *Præparationes* & Purgationes interjiciendæ sunt, eæque diu multumque continuandæ, cui usui conferunt ea omnia quæ ad bilis & melancholiæ præparationem & expurgationem usurpari solent.

℞. *lapidis lazuli* ʒiß. *diagr.* ʒß. *turbith.* ʒj.
sennæ ʒß. *epith. cremor. tartar.* āā. ʒij.
cinnam. & cortic. citr. āā. ℈j. *croci* ℈ß.

F. Pulvis, cujus dozis ℈ij. vel iij. cum jusculo vel liquore appropriato.

℞. *ramenter. elleb. nigri* ℥j.
infundantur per triduum in aqua pluvia ℥iv.
decoquantur lento igne ad tertias, *colatura adde mellis optime despuman* ℥ij.
Misce, capiat cochlear unum cum jusculo pingui.

℞. *Extr. helleb. n.* ℈ß. *syr. violac.* ℥j.
M. pro una dozi. *Riverius.*

Purgantia fortia, ubi vires & constitutio ferunt, quatenus spirituum & sanguinis efferationes deprimunt, atque emunctoria pro excipiendis & sanguinis & succi nervei recrementis multum evacuant, etiam in hoc morbo sæpe opem conferunt: In hunc usum *Hellebori nigri* præparata, *pulpa pomi* cum radic. *hujus infixis* cocti plurimum laudantur.

℞. *Extracti helleb. n. calomel.* āā. ℈j. F. Bolus.

℞. *Calomelanos* ℈j.
diagr. gr. xij. *ad* xv. Fiat Pulvis.

℞. *Confect. Hamech.* vel *Elect. è succo rosar.* ʒß.
ad ℥vj. detur in Jusculo.

℞. *Decocti Senæ Gereonis* vel Epith. (cum rad. helleb. nigr. ʒij.) ℥vj. F. Haustus.

℞. *Pulv. Diasennæ* ʒij.

sumatur in sero lactis. *Willis.*

Ordo medicamentorum Purgantium in hoc morbo hic est, ut 1. Apozema alterans & purgans per iij. aut iv. dies exhibeatur, post v. s. in utroque brachio, Deinde Purgantia mediocria ex Pononibus. Pulver. aut syrupo Magistr. bis in septimana exhibeantur, vehementia vero bis in mense, interjectis continuo venæ sectionibus. *Riverius.*

49. *Lapidem imprimis Lazuli*) Coloris est veneti, striis & maculis solaribus interstinctus micans: cum lap. Armeno judicatur coovenire & de ære participare; Hinc multos experitur adversarios qui ipsum diffamant; & pravas nocentes ac exulcerantes, lotione non corrigibiles, ejusdem facultates accusant; unde etiam ex confectione alkermes expungere eundem gestiunt, quam & hoc nomine aliquando purgare asserunt, quod tamen per accidens sæpe fit: Ast revera innoxios est lapis, & vires quas habet purgantes, leves possidet, unaque massam sanguineam purificantes egregias: si enim corrigatur lotione acrimonia metallica, quam levem habet, tuto cum purgantibus melanagogis dari potest; unde ipsum ad ℈j. cum ana *gialapa* sæpius dedimus, interdum etiam in robustioribus citra effectum purgationis ullum: sunt etiam qui huic lapidi plus quam helleboro fidendum censent, in affectibus melancholicis, & in desperatissima Elephantiasi illum experimentis suis nobilitatum commendat *Scaliger* exerc. 772.

Lapis autem *Armenus* vix in officinis reperitur, colore ex cœruleo viridi constans, vnde cum chrysocolla nativa affinitatem habet; celatus ob acrimoniam venercam, quam secum gerit, inter purgantia & melanagoga olim fuit lotus & præparatus, verum à recentiorum nemine amplius usurpatur. *Wedelius.* Extractum lap. Lazuli vide apud *Hartmannum l.* 2. *c.* 2.

50. *Melelleboratum*) *Helleborus* duplex est, differentia à radice desumpta, non à floribus, albus & niger; *Albus* inter purgantia exolevit ob vehementiam, unde inter *κατ᾽ ἐξοχὴν* primum locum tenet, & varia quidem educit; sed potentissime & summa cum violentia: Hic tempore *Hippocr.* potissimum fuit in usu, unde ubicunque hellebori mentionem facit idem simpliciter, sine additamento, ibi album intelligit, teste *Galeno* 5. aph. 1. hic nigro longe poteotior, unde & à *Paracelso* dicitur *junior*, quod juniores i. e. valde ferocientes vires possideat. Et vomitus quoqite potenter ciet, minus sedes, de quo experimentum consignavit *Smetius Miscell.* p. 565. ubi refert quendam pulvere hellebori albi, in sacculis coriaceis passim etiam hodie venalē, ad pondus ʒß. (tantum enim pulveris singuli continent) idque ex modico aquæ haustulo, à quo vomitus proruperunt, aquosi primum, hinc aliquid flavi continentes, infra dejecit semel; Hodie cum sacculis suis pro sternutatorio solum adhibetur. Sed experimenta circa helleborum fieri hodie desiere, prostantibus melioribus. *Wedelius.*

50. *Mel helleboratum*) Quod ex *Petræo* desumpsit *Riverius* (*vide supra in Purgantibus*) Omnia autem medicamenta ex *helleboro* confecta, Vinum, Syrupus, Oxymel, ad hujus affectus curationem plurimum conferunt; Unde olim fertur *Melampum*, *Amythaonis* Medici filium, vino helleborato *Præti*, Argivorum Regis filias, quæ se boves existimabant liberasse.

51. *Eductione*) Vomitoria etiam pro Insanis curandis prodesse in proverbiu consuetudinem venit proinde ut helleborinis multo pars maxima, imo tota fere Anticyra vulgo destinetur: Qua ratione Emetica in morbis cephalicis sæpe juvent, *cap. de Vertigine* ostendimus: Agyrtæ in hoc casu Stibii dozin largiorem, etsi temere & periculose, non raro tamen cum successu exhibent: Revera Chymica hic potius conveniunt, & quia potentius movent, & quia laborantes iis commodius

commodius falli possunt. ℞. *Sulphuris Antimonii* gr. viij. ad x. *cremor. Tart.* ℈ß. Misce simul terendo fiat Pulvis, detur in cochleari Panatellæ; vel si dolose exhibendus sit, includatur frusto panis albi, in jusculo aut lacte assumendi: Repetatur hoc vomitorium crebra vice; nempe, semel intra quatriduum.

℞. *Mercurii vitæ* gr. vj. vel vij.

F. Pulvis detur eodem modo, *Tartarus Emeticus Mynsichti, Hercules Bovii, aliaque mercurii præparata* varia ad eundem modum exhiberi possunt: *Aurum vitæ*, sive *Præcipitatum Solare*, etiam *Lunare*, remedia contra maniam *specifica* à Chymicis habentur, Et quidem *Mercurialia*, quatenus per vomitum & secessum, non raro item per sudores, urinam, aut salivationem operantur, egregie prosunt.

Sputum oris copiose & diu persistens, quosdam insanos perfecte curavit. *Willis.*

Serum lactis in quo epithymum incoctum sit, potum mirifice prodest. *August. Thonerus obs.* 10. *l.* 2.

51. *Eductione*) Radix curationis est in *Vomitoriis*, validis & generosissimis, veteres *elleborum album* adhibuere, sed legitime præparatum esse debet, Antimonialia enim non semper sufficiunt in his ægris: Si in principio, interdum per *inferiora est purgandum*; Convenit *Extr. helleb. n.* cui *antimonialia per inferiora purgantia* pro stimulo addantur. *Etmuller.*

52. *Eductione*) Purgare materiam hanc è venoso genere convenit, Incipiendo à levioribus & ad fortiora progrediendo, Eaque diu multumq; continuando, nam & hoc facile plerumque ferre possunt, & quamvis debilitentur nonnihil, cum ea ratione magis sedati & quietiores fiant, nihilominus confert; nec adeo ipsis nocere potest, cum continuo etiam refocillari possint: Itaque præparato prius humore, evacuatio mox sequi debet, semel, bis terve continuis vicibus administranda, intermiscendo sanguinis detractionem: Et semel in mense, ut quoque docet *Avicenna*, forte admodum solutivum exhibendo; *Præcipua enim curandi ratio in magnis illis evacuationibus sanguinis excrementorumque*, unde successive morbi materia tollitur consistit. *Platerus.*

Vomitus interdum factus conferet plurimum, cum naturam ad excretionem egregie solicitet; præsertim si exhibitis illis provocetur quæ supra infraque simul evacuant, cum robustiores hæc quoque, ut & purgantia facile ferant; Inter reliqua vero *helleborus* præsertim tantopere commendatur in *Mania*, ut hos qui *Insani* dicuntur, *helleboro opus habere* in proverbium venerit; Exhibetur autem variis modis, ut cum per inferiora magis purgare volumus *nigrum* potius eligimus; Si vero *Vomitum* ciere; *album* sumimus, cujus pulverem vel infusionem in vino potius, ubi multum comederint, & jascula biberint, ut minus lædantur, exhibere convenit: Vel *ramentis* aut *fibris* illius, raphani taleolis confixis, & per noctem relictis, posteaque diligenter rursum exemptis, & taleolis in oxymelite maceratis, sicque unam propinabimus: *Helleborismus* sequens à multis commendatur admodum, si de illo cochleare unum cum pingui Jusculo exhibeatur,

℞. *ramentorum hellebori* ℥j.
infundantur per triduum in aqua pluv. ℥iv.
Decoquantur lento igne ad tertias, colaturæ addo mellis opt. despumati ℥ij. *serva ad usum.*

Quod si deorsum simul quoque evacuare animus est, cochleare unum sequentis detur,

℞. *Pulv. hieræ colocynth.* ʒiv.
epith. senæ āā ℥ij.
fiat Pulvis, excipiatur melle hellebor.

Stibii vitri donec *pellucidum fiat*, vel leviter saltem *calcinati*, ut expertus sum, pulverem ad grana aliquot; vel *Infusionem illius in vino*, nunc frequenter in hunc usum exhibent, unde biliosam, luteam, vel viridem materiam copiose solent vomere & dejicere; quod & *Matthiolus* laudat, egoque in robustis sine noxa sæpe probavi. *Idem.*

52. *Cordis & cerebri*) *Electuaria* per vices alternis diebus sumenda, superbibendo parum de Julepo (vide §. *Laudantur.*

℞. *conserv. rosar. violar. flor, bugl. utr. nenuphar. condit. rad. bugl. cortic. citr.* āā. ℥ß. *rad. enul. camp.* ℥j. *pulv. diamarg. fr.* ℥j. *sem. ocymi* ʒj *pulv. diamarg. fr* ℥j. *cum syr. de pomis redol. misce.* Aliud pretiosius.

℞. *conserv. trium flor. cordial.* āā. ℥j. *conf. nymph. scabios. caryoph. hort. tamar. cichor. cons. a, eryngior. satyrion. ambos, beton.* āā. ℥ß. *condit. rad. bugloss. lactuc. caulium, cu urbit. & carnis citri, cortic. citr.* āā. ℥j. *myrab. emblic. n.* ij. *semin. Cucurb. & melon mund.* āā ℥ß. *sem. citr. mundat.* ℥j. *sem. ocymi* ʒiß. *sem. lactuc.* ℥j. *gran. tinct.* ℥ij. *santal. mosch.* ℥j. *cinnam.* ʒj. *ras ebor. c. c.* āā. ʒj. *unicornu* (*pro divitibus*) ℈j. *corall. rub* ℥j. *pulv. diamarg. fr. vel Elect. de gemmis* ʒß. *rosat. novella diamosch. diarrhod. aromat. rosat. trium. sant.* āā ℈j. *troch. de camphora*, ℈ij. *conf. alkermes, de hyacint.* āā. ℥j. *lætific. Rhas.* ʒij. *cum syr. de Pomis redol. spisse cocto*, (ne confectio, quæ diu servari debet corrumpatur) *F. Elect.*

Abrotan. cum *melle & aceto Theophrastus*, commendat sumptum.

Pulveres quoque usurpare possumus, & ad ʒj. illarum addendo *sacchar.* ℥iß. formare *Tragema*: Vel dissolvere *sacchar.* in *aquis* convenientibus ad parandas *Tabulas*, Primus talis erit.

℞. *rad. vincetox*, ℥j. *cortic. citri, sem. ocym.* āā. ʒß. *margar.* ℈ß *f. Pulvis.* Vel sic

℞. *flor. cordial. fol. melissæ, majoran.* āā. ℈i. *cortic. citri, semin. ocymi*, āā. *dr. ß. santal. mosch.* ℈j. *rasur. ebor.* ℈j. *corall. dr. ß. margar.* ℈iß. *cinnam.* ʒß. *f. Pulvis.*

Vel ex Pulver. usitalibus, ut *Diamargar.* vel *Elect.* de *Gemmis*, aliisque in Electuariis dictis, *Pulveres* & *Tabulæ* parantur; Tabulæ hac ratione paratæ admodum *cordiales* sunt, & *capiti* appropriatæ.

℞. *conf. Alkermes*, vel *de hyacint. dr.* j. *pulv. diamarg. frig. el. de gemm.* āā. *dr.* ß. *diamosch. aromat. rosat.* āā. *dr* ß. *sem. ocimi* ℈j. *sacch. dissol. in succo pomor. redol. q. s. f Tabula.* Platerus.

52. *Cordis & cerebri*) Nec *hepar* & *lien* negligantur tanquam partes quoque principes si à tetro hoc humore calorem præternaturalem, aut labem aliquam patiantur; tunc Epithematibus & Inunctionibus reficiendæ quoque erunt, Corporis etiam quibusdam partibus remedia adhibita, illius intemperiem perversam emendare possunt illudque reficere; Ut si præcipua illius pars *Balneo* immergatur, *pedes* laventur, *spina pectusque* inungantur: *Platerus.*

52. *Cordis & cerebri roboratione*) Etsi cerebrum in hoc affectu præcipue laboret, tamen aliæ partes alterandæ, præcipue cor & hepar epithematis & linimentis in Phrenit. curatione propositis. *Riverius.*

53. *Topicorum usu*) Præter somnifera externa, admovenda quoque capiti Topica medicamenta, quæ æstum ac furorem vehementem temperent, Illa vero non solum refrigerantia, sed multo magis humectantia sint, & initio morbi nonnihil repellentia: Idcirco in principio *oleum rosac.* conveniet, cum violac. aneth. & chamæmel. postea eadem detracto *rosac.* ubi vero magis refrigerandum *Olea cucurb. & papav.* addenda, quibus mucilag. *sem. lin. fænugr.* & butyrum addi poterunt, si in formam linimenti abeant: Plurimum confert hoc Epithema.

℞. *Aqu. nymph.* ℔j. *sal. prunell.* ʒj. *camph.* ℈j
M. admove tepide syncipiti ex linteis.

Epithema ex *sale Saturni* & *aqu. rosar.* utilissimum est, Chymici *balsamo Saturni* palmam tribuunt, eoque caput inungunt instar Linimenti: Maxime etiam conveniunt in summo furore *animalia recens mactata*, vel eorum partes, ac præsertim *pulmo vervecinus*: In *Declinatione* nonnulli discutientia validiora adhibent, quin & in ipso vigore morbi, præmissis universalibus.

℞. *herbar. cephal. cum flor. q. s. coqu. in aqua fontis*, dein ℞. baccar. lauri & radic. *helleb. n. veri ana q. s.* contundantur crassiuscule, & insuantur sacculo oblongo interbastato, Sacculus parum bulliat in prædicto Decocto, Tandem per novem dies continuos ℞. *istius decocti* lbij. quo calefacto foveatur caput rasum per integram horam, cum linteis duplicatis: Postea sacculum istum applica suturæ coronali cum bona ligatura, linteis calidis involvendo; Patiens recumbat in lecto, & si fieri potest quiescat; Tunc mira expurgantur & alvus simul aliquandiu fluit; Sic nimirum fuligines inhærentes cranio & cerebro mirabiliter dissolvuntur, quod vix alia remedia præstare poterunt. *Riverius ex Hartmano.*

53. *Topicorum usu*) In desperata Mania extremum, est remedium lotio capitis, primo *lixivio communi* calido, mox *aqua rosacea* frigidissima affusa, reperatur, tunc linteis tepidis siccetur: *Joh. Carol. Rosenbergius Rhodolog. part. 2. c. 33.*

Excellens ad Maniam Fomentatio, quam miræ efficaciæ fuisse expertus sum. *Caput vervecinum mundat. concisum coque in aqua ad carnis dissolutionem, In colatura hac, ad dimidiam cocta & calefacta, macerentur hi sacculi.*

℞. *fol. malv. exsiccat. violar. flor. nymph. alba prapar. ana m. ij. flor. chamom. rosar. rubr. primul. ver. lilior. alb. verbasci ana m. j.*

Hi sacculi calidi capiti prius abraso alternatim imponantur. *Angelus Sala Myrothec. append. s. 4. p. 282.*

Hoc præcellens, cujus usu vidi non semel ad se redisse Maniacos.

℞. *aqua rosar.* ℥viij. *opii dr.* iß. *croci* ℈ß.

Misce, Linteola duplicata imbuantur, & expressa calide fronti & temporibus applicentur, nares abluantur, guttulis etiam aliquot injectis. *August. Thonerus obs. 1. lib. 1.*

Testatur *Penotus* & *David Crusius* quendam Maniacum sequente remedio ad sanitatem mentis rediisse.

℞. *moschi gr. xij. camphor. gr. x. cum aqua rosar. & tinctura santali impragnati.*

M. Capiti deraso madefactum linteolum duplicatum in hoc liquore, tepide applicetur, itereturque sæpius per xxiv. horas.

54. *In quibus locum habet*) *Arteriotomia* prodest, *Hirudines* venis sedalibus, & *Vesicantia* scapulis admota compescunt furorem maniacum, *Fonticulis* præservat Scribit *Mercurialis* Nobilem juvenem Patavinum post infinita remedia tandem rediisse ad mentem usu 4. cauteriorum in brachiis, cruribus (*Eodem præsidio Glandorpius Gazoph. c. 16. juvenem furiosum restituit*) Curatio Chirurgica *Paracelsi tr. 2. de morb. Ament. c. 2.* quæ perficitur apertione apicum digitorum & pedis duplici, 1. per vesicantia 2. per septica & ulcerativa, rigida censetur, licet certa, *Trepanatio* & *Castratio* in maribus facilis, in fœminis difficilis, prosunt: *Rolfinkius Epit. lib. 3. pag. 1. cap. 18.*

Curatio *Paracelsica* in hunc forte finem instituta ut coërceantur maniacorum dilaceratione manuum digitis vulneratis; E excursiones, pedum digitis itidem ulceratis, compunctis: Sicut Castratio juvat effœminatione inducta toti corpori, Sed & prodest ne liberi à vinculis Maniaci, robore insigni præditi, vim inferant obviis mulieribus, puellis,

54. *In quibus locum habent*) *Balneum aqua fluviatilis*, in eo natando aliquandiu, dum æstatis ratione licet, Vel *insessione* domi in eo tepefacto, in junioribus & robustis aliquoties repetitum proderit: Vel si additis *humectantibus artificiale* paretur, & in eo tepido æger ante cibum parum insideat, & postea in lecto quiescat, & sponte nulla vi adhibita sudet; *Spina longitudo*, sub qua *trunci vena cava & arteria magna* latent, in quibus proxima morbi causa inest, post Balneum inungitur hac ratione.

℞. *Ol. amygd d.* ℥ij. *violar.* ℥j.
axungia gallina ℥iß. *cera alba parum misce.*

Pectus itidem inunctum illis partibus afferet commodum. *Platerus.*

Externe in usu est *Camphora*, Sic Hillerius in suis observat. Epithema habet quod est optimum: Vel loco hujus mistura *Penoti*, ad Phrenitim & maniam experta; quam etiam laudat *Clusius.* Etmuller.

55. *Cauteria futura coronali*) Frictiones Ligaturas, scarificationes, tanquam parerga haud contemnimus, & *Cauteria* tum *actualia*, ut Inustionem *moxa Indica*, vel *nostra Germanica*, à nobis inventæ: tum *Potentialia*, cum cautione tamen instituenda suademus. *J. Dolæus.*

Cauteria suturæ *coronali* admota maxime probantur à *Gordonio*: Eorum utilitatem confirmanre historia Maniaci, cui eum vulnus capiti esset inflictum cum cranii fractura, quamdiu fuit Vulnus apertum, tam diu bene habuit, vulnere sanato reversa est Mania. *Willis.*

Cucurbitula cum *scarificatione* sæpe prosunt, *Vesicantia*, *Cauteria* tum *actualia* tum *potentialia* à multis laudantur, Nonnulli *Arteriotomiam*, alii *Trepanationem*, alii *Salivationem* commendant, At hujusmodi administrationes, præterquam quod incerti sunt effectus, haud facile & vix tuto ob ægri intractabilitatem celebrari possunt. *Idem.*

56. *Lixivium*) An forma lixivii conveniat vide §. 57. *Imponuntur eid.*

56. *Lixivium ex baccis lauri*) Vide §. 53. & 54. ubi de Topicorum usu.

57. *Imponuntur eidem*) Capiti, in quo cerebrum residens semper in hisce affectibus, sive per se sive per consensum afficitur, interdum & causa mali latet, remedia extrinsecus adhibentur: Et primum *repellentia* in principio tantum si furor magnus in Mania existat, Tunc Oxyrrhodino utimur, cui tamen *oleum violar. & chamamel.* ne nimis siccet, addimus, Vel *oleo rosac. myrtillor. cydonior. violar. & chamamel. inungimus caput*, Postea vero humectantibus admodum utemur, quæ & simul aliquid resolvunt: & caput roborant, & somnum quoque, cum vigiliis admodum vexentur, inducunt, *Irrigationes*, seu *enbrocha*, vel *capitis ablutiones* & *madefactiones*, nostris magis consuetæ fiant, semel in die, vel bis, multis diebus, prout ex vigiliis & inquietudine plus minusve opus esse conjicimus, quibus & si simul cum *Balneo* utemur, ante & post illius usum, eodem *Balneo caput irrigabimus*: Hic autem *lixivius*, eum nimis siccent, minime utimur sed *Decoctis.*

℞. *rad. alth.* ℥j. *h. violar. lactuc. malva ana m. j. flor. violar. nymph. borrag. chamom. melilot. hordei ana p. j. sem. lini* (omisso fœnugr. ob. gravem odorem) *papav. ana* ℥ß. *F. Decoctio in jure capitis & intest. vituli*: Addatur parum *vini* pro Irrigatione.

Ad somnum simul conciliandum, quod plerumque necesse.

℞. *fol. salic. lact. viola. flor. violar. nymph.* camom parthen. thymi (maxime citrathneio) *ana p. j. sem. cucurbit. conquass.* ℥j.
coriand. d. ij. *sem. lactuc. alth. aneth. ana* ℥j.
cum. vel capit. papav. vel rad. mandrag. ℥j.

fol.

fol. hyosc. m. j. f. Decoctio in jure capit & pedum vervecis vel vituli, vel pulmonum arietis, addito pauco vino. Vel sic.

℞. *Emulf. sem. papav. albi & sem. cucurb. facta in aqua violar.* ℥iv. *lactis* ℥ij. *mucilag. sem. psyll.* ℥j. *agita & admove.*

Ex unctuosis *ablutio* vel *embrocha* sic paretur.

℞. *ol. violac. lactuc. ana* ℥ij. *chamom.* ℥j. *album. ovor. bene agitat. n. ij. lact. mul. vel alius* ℥iv. *vel plus misce & applica capiti, circa frontem & tempora*, Et si rasum fuerit, pilusæ quoq; illius parti eadem intentione, post irrigationem, vel sine ea.

℞. *mucilag. sem. lini, fœnugr. malvæ, butyr. rec. ana* ℥ij. *axung. porci* ℥iv. *medulla bovis vel porci* ℥j. *Applica.*

Vel si *vigiliæ* admodum urgeant.

℞. *sem. hyoscyami, papav. albi ana* ℥ij. *rad. mandrag.* ʒj. *opii* ℈ß. *croci gr. 6. excipiantur ol. violar.* ℥j. *chamam.* ℥ß.

Applica capitis regioni.

Circa *declinationem* magis calida addentur in *Irrigationibus & unguentis*, ex *thymo, flor. rorismar. stoech. lavend. parata.* Platerus.

58. *Gallina nigra*) Gallina viva, nigra tamen; nostro vero calculo *hirundines*, in medium discissæ & calentes; capiti raso applicatæ, juvare experto credas Roberto *J. Dolæus.*

59. *Catellus lactens*) Plurimum conveniet in summo furore & desipientia si *Pulmonem Arietis* recens mactati, tepentem adhuc, capitis vertici admoveamus, Vel *agnum per* dorsum sectum & exenteratum; aut *pullum columbinum, dissectum pulvere hyoscyami* conspersum. *Platerus.*

60. *Specifica sunt*) Interdum tentari poterunt specifica & amuleta, quorum non exiguum numerum collegit *Sennertus*, Nos unum adjiciemus, quod in Illustri quadam familia monspeliensi pro secreto gentilitio & hæreditario debetur.

℞. *folior. meliss. m. j. incidantur minutim & infundantur in spir. vini* ℥iv. *deinde adde margar. ppt.* ʒß. misce, dosis est cochl. ij. *Riverius.*

Nihil magis Cosmetorem sedat, & spiritus animales figit, quam Oleum *Perlarum* ritè præparatum, cujus vires sæpius experti sumus, *Joh. Dolæus.*

Tinctura Lunæ egregie prodest.

℞. *Tinctura Lunæ* ℈j. *croci essent. perlar. essent. ana gr.* iij. *tinct. corallor.* ℈j. *aqua paeon.* ʒß. *sangu. asini* ℈j. *m. detur quotidie.* Ioh. Agricola *comm. in Poppii tract. de Argento.*

Quinta essentia stanni maniam certissime sanat Dosis ℈j. ad ℈ j. in jusculo mane, purgat sursum & deorsum sine molestia: It. *curat. varior. cur. 5. & 6.* Idem *Univers. sap. l. 3. c. 7.*

℞. *Ol. camphor.* ʒß. *ol. saturni gtt. iv. Essent. Martis* g. vi. misce.

cum aqua communi propina quotidie per x. dies. Est potentissimum remedium in cura *mania*, Item *flores Antimon.* ad gr. x. propinati cum *theriaca* summum ait esse maniæ remedium: *Antimonii essentia* est perfecta maniæ curatio. *Item Ol. antimon. rubr. Basilii* est justissima maniæ curatio. *Idem.*

Aqua ad Maniam, quę est secretum pretiosum & probatum in cura maniæ & melancholiæ.

℞. *flor. anthos, borrag. rad. bugloss. ana* ℥j. *croci* ʒj. *mali Cydonii* ℥iv. *vini albi opt.* ℔ij. *m. stent per diem, hinc ponantur* in fimum X. dies, in vase vitreo serva, In omnibus melancholicis valde efficax est, Dosis ʒj. *C. Gesnerus in thes. Evonym. p. 42.*

Aliquot curavi solo potu *Spiritus vitrioli* cum aquis aliquot misto, & secta vena frontis, & tandem sequenti sumpto corroborante præstantissimo: Abscindatur Verveci nigro caput quam citissime fieri potest, & dum adhuc calet, una cum cute & pilis, in aquam ferventem projice & coque, hinc exime cerebrum; adde *nucem moschat. caryophyll.* forma inde globulos & serva; de his dato quotidie vesperi, & seca venam in fronte, & bibat de potu cum *spiritu vitrioli. Johan. Hornavverus comm. in l. Para. de Peste part. 2. c. 40.*

℞. *fol. buxi n. 9. conscinde, detur cum ij. cochlear. aqua lavend.* mane potandum; post octo dies repetendo, & venam frontis secando, & partum *spir. vitrioli* potando. *Idem p. 44.*

Inter *empirista* sunt *sanguis asininus post aures extractus* cum *flor. hyperici, succo anagallidis, rad. & semin. fœnic. sylv.* destillatus, quæ species & pro Potu ordinario exhiberi possunt, *Herba agrimonia* in aqua fontana cocta prodest; Sequens sæpius expertum novimus.

℞. *conf. Kermesina* ℥j. *tinct. lapid. lazuli* ʒß. *succini* ℈. j. *essent. hyper. anagall. ana* ʒß. *magister. Lunæ* ʒß. *misce, dosis* ʒj *mane & vesperi.*

Cerebrum arietinum in farragine paratum, addito *cinnamomo, nucista, caryophyllis, detur per tres dies mane*; quod quidam anonymus inter secreta Medicinæ inferre conatur.

Secundina primipara mulieris pulverisata, *in vino data* ad ʒj. aliquando juvat. Nobis pro magno arcano amicus nobis communicavit *succum pullorum hirundinum ad* ℥j. *in aqua anagall.* bis & ter exhibendum, quo plures se curasse ait. *Joh Dolæus.*

Cerebrum arietis commendat *Obs. Grembs* Arb. ant. & *v. l. 1. c. 7. Ex. gr.*

℞. *fol. ruta abrot. ana m. j. junip m. ß. contunde in mortario adde cerebrum unius Arietis ol. olivar. q. s. f. Emplastrum.* *Fred Hofmannus m. m. p. m. 29.*

refert quendam intra biduum sanatum fuisse exhibito *canis cerebro* cocto, affirmans sibi præter alios notos esse eodem modo sanatos: *Idem ibidem spirit. vitrioli antepileptici Hartmanni* effectus mirabiles in mania multoties expertus fuit, Cujus descriptio habetur apud *Horstium* libr 10 de *Pharmac.* & *Schroderum, Tincturam & Essentiam Smaragdi* ad maniam & alios capitis affectus nobile arcanum esse ait *Conrad. Kunrath medull. destill. pag* 1. Idem coqui jubet *lavendulam & mentham crispam* in *cerevisia* secundaria; hoc decoctum fundi super baccas juniperi & nuces juglandes virides excorticatas, contundi probe ut fiat quasi Emulsio, De hoc dari ægro mane calide vesperi frigide haustum, mox cum Deo, ait, juvabit.

Alyssum ex aceto insigniter commendatur, *Gu. Rolfincius Epist. cap. 18.* *Tincturam Antimonii*, si genuina haberi possit. *Idem* commendat *cons. 8. l. 2. magisterium Jovis* specifice agere à multis asseritur.

Sequens remedium optimum est, *ait Joh. Car. Rosenbergius Rhodol. p. 2. c. 33.*

℞. *conserv. rosar. vitriol.* ℥iij. *cynosbat; cond. conf. alkermes* ʒvi. *pulv. baccar. herba Parid.* ℈ß. *pulv. rad. nymph. lutea* ʒiß. *st vel fol. buxi minutim concis.* ℈j. *ol. rosar. gtt. iv. cum julep. ros. f. Elect. dosis* ʒvi. *vel* ℥j.

Tinctura Saturni præstantissima est Medicina, *Joh. Scroderus Pharm. lib. 3. capite 13.* Præparationem *vide ibidem.*

61. *Sanguis asini*) Sanguis Asini, torpidi illius bruti, post aures collectus microcosmetorem mire placat, coercitque sanguis enim hic gaudet singulari vi acidum illud volatile mirum quantum destruente; quem & D. D. *Michael* celeberrimus, sequenti modo præscripsit.

Oo 4

℞. Linteum sanguine asini post aures extracti, justo tempore imbutum; pone in s.q. aquæ anagallidis & florum hyperici donec aqua tingatur, Misce fiat potus pro aliquot diebus, quo medicamine maniacum in aula Altenburgensi se curasse sanctè affirmat. *Johann. Dolæus & Fred. Hofmannus met. Med. pagina 9.* additque hic sudorem excitare egregie bis vel ter sumendo. Ad maniam à terrore vel veneficio inductam usum sanguinis Asinini commendat *Joh. Kortbnaverus.* Commendatur & à *Johan. Prevotio libello select. remed.*

[62.] *Alia est per essentiam*) Hic morbus sæpe ob procatarxin in cerebro præ-existentem exoritur, & præcipue ob Melancholiam aut Phrenesin prægressas; In illa spiritus animales cum succo nerveo paulo magis exaltati, & in hac aliquantulum depressi diathesin Maniacam acquirunt: Quoad prius, vulgaris observatio est Melancholiam subitam & magnam, plerumq; Insaniæ proximam esse, Cujus ratio est, quia cum spiritus animales, una & liquor nerveus, in acorem degeneres pervertuntur, tantummodo sulphuris accessu opus est, quo isti mox indolem stygiam nacti Maniam superinducant (veluti cum liquor acidus è vitriolo aut sale extillandus, addito sale nitroso aqua fortis evadit) at vero in immani melancholiæ passione, quia spiritibus disturbatis cerebri meatus dehiscunt, è sanguine bilioso & rancido particulæ sulphureæ diathesin priorem in stygiam, sed maniacam provecturæ, facilem aditum inveniunt: Hinc observare est, si quispiam temperamenti calidioris in delirium atrabilarium, cum metu & mœstitia inciderit, quandoquidem in humoribus ejus particulæ sulphureæ, quæ salinis in fluorem depressis adjunguntur, in promptu sint, ipsum ab initio tristem & valde cogitabundum, brevi postea insanum fore? *Secundo* quod item Phrenesis sæpe in maniam desinit, ratio ferè eadem ac prior isti, sed inversa est, quatenus nimirum in Phrenitide spiritus & liquor nerveus sulphurei nimis & inflammati, postea deflagrantes, particulas salinas sibimet conciscunt, & proinde pariter indolem acerrimam & quasi stygiam nanciscuntur, quare tunc febre cessante furor continuus & fixus evadit. *Willis.*

[62.] *Per essentiam*) Sic *maculam* quandam nigram in cerebro vel meningibus deprehensam *Platerus*, maniæ causam aliquando fuisse tradit: Sicut & nonnunquam *putredinem* in cerebri meningum aliqua sede natam: A quibus *vapores* tetros continuo suscitatos spiritus conturbasse verisimile est; Quod & à *vermibus* in cerebro genitis accidere posse aliqui prodiderunt; Quæ vitia occulta cum post mortem aperta calvaria primum manifestentur, vix vivente homine qualia sint, nisi in genere ex eo quod alia signa, quæ alias demonstrabunt causas, hic desint, conjicere licet. *Platerus.*

λ. *Alia per consensum*) Pro vario impetu Atræ bilis in hanc vel illam partem varia oriuntur diversæque indolis symptomata, Elegans hic est *Aretæi locus lib. I. Diuturn. c. 5.* Atra bilis in *acutis* si in superioribus appareat, oppido quam mortifera est: Si ad inferiora exeat, non valde vacat discrimine, In *tardis* autem longisque morbis, si id alvum bilis atra decurrit, in tormina jecorisque dolorem finitur; Mulieribus vero purgatio vice mensium acvenit, si in cæteris morbis abest periculum, ipsi superius, ut puta stomachum, septumve transversum petat, insaniam parit, quam Græci Melancholiam nominant.

CAP. XIX.

De Rabie.

63. RAbies est [64.] *delirium*, à [65.] *veneno quodam peculiari in animali genito, & homini communicato productum, cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potissimum abominatione.*

[68.] *Animalia* illa sunt lupus, [69.] felis, canis; [70.] & hic præcipue.

Signa [71.] sunt, *Incipientis*, iracundia, querela de aëre quasi austrino, parvum bibendi desiderium, luminum etiam de die accendendorum cupiditas, capitis vertigo.

[74.] *Confirmata*, membrorum distentio, sed non continua, spuma, oculorum torvitas, in proximos exspuitio, more canum latratus, ab aqua propter singularem quendam dissensum exhorrescentia, [73.] unde *hydrophobia* dicitur.

[74.] *Causa* est *venenum*, quod ex peculiari quadam inclinatione [75.] in animali gignitur, homini per halitum, osculum, [76.] salivam, morsum communicatur, [77.] in quibusdam ex terrore, si Donaro credendum, Generatur in nonnullis: [78.] ad corni, vel sanguinariæ, vel sorbi contactum excitatur. *Producitur* verò *delirium* in [79.] in quibusdam citius, die ad summum vigesimo; in quibusdam tardius, etiam anno duodecimo, Idque vel ob partis demorsæ varietatem; aliæ namque sunt nobiliores, aliæ ignobiliores: vel ob victus, qui venenum retundere potest usum: vel ob patientium diversitatem: vel ob regionum & temporum difformitatem.

[80.] *Curatio* est [81.] *Alicujus spei*, si vulnus nervum, venam, vel arteriam non attigit: si profundum non est. *Nullius*, si timor aquæ adest, si singultus accessit.

Consistit I. In *Præservatione*, ne venenum in corpus penetret, ubi occurrunt 1. *Ligatura* supra partem affectam; si eam pars non patitur, intercipientium seu adstringentium impositio.

2. *Cucurbitula* cum magna flamma, cum scarificatione si vulnus exiguum; sine, si vulnus magnum.

3. *Partis*, [83.] si vulnus nimis angustum, *amplificatio*, [84.] ut venenum eo melius effluere possit.

4. [85.] *Attractio* per medicamenta vehementer attrahentia, [86.] vel cauteria actualia.

II. In [87.] *Curatione proprie ita dicta*, [88.] ubi locum habent.

1. [89.] *Purgatio* [90.] per helleborum.

2. *Sudo*

2. [91] *Sudorifera* appropriata, maxime *mixtura simplex*.

3. [92] *Vesicantia* validissima.

4. [93] *Antidota* [94] duplici quantitate exhibita. [95] Helmontius [96] immersionem in aquam marinam vel dulcem commendat, nec non halecem salsum triduo renovatum & impositum.

[97] Canum rabies tollitur pulvere ex rabidi canis corde, pulmone & [98] epate, in olla exustis factus & propinatus.

[63] *Rabies*) *Λύσσα*, *λύττα*, proprie dicitur *Rabies canum*, sive furor ille in quem diebus canicularibus maxime feruntur canes, omnium animalium ferme soli. *Galenus l. 6. de L. A. c. 5.* Transfertur tamen ad hominum delirium furiosum, quando ex rabidi canis vel lupi morsu mente alienantur & graviter delirant cum subsequente hydrophobia. *Bruno Lexic. p. 808.*

[64] *Delirium*) Rabiei delirium est à morsu animalium inductum, & si metus aquæ simul adest, dicitur *Hydrophobia*; Refertur ad Deliriorum genera, cum in imperfecta Rabie semper adsit Delirium, Alias habet suos gradus, *Etmuller*.

[64] *Est Delirium*) An melancholiæ accensere licet Hydrophobiam? Formido enim illa aquæ videtur esse ex imaginatione; Vellem nisi symptomata omnia caliditati potius quam frigiditati adstipularentur, itaque ad Maniam potius nos comitarentur. *C. Hofmannus Inst. Med. l. 3. c. 36.*

[65] *Veneno quodam peculiari in animali genito, & homini communicato*) Inter omnia bruta animantia Canes frequentius in rabiem efferuntur, non ob temperamentum calidum & siccum, ut vulgo asseritur, sed potius ob peculiarem proprietatem & inclinationem qua præ cæteris prædiri sunt ad hoc malum contrahendum: In furorem acti, à veneno intus genito, in quosvis, notos, sive ignotos prosiliunt, & dentibus mordent, qui communicato per morsum veneno consimili rabie tentantur; & sæva patiuntur symptomata.

Ubi quis à cane rabido demorsus est, nihil molestiæ sentit, præterquam ex vulnere dolorem, interim vis veneni intro subiens spiritus, sanguinem, humores, partisque substantiam contagione labefactat, hinc sensim serpit longius in partes principes, sed tam segniter ut raro ante diem XX. interdum post 4. 6. aut 8. menses, interdum nonnisi anno symptomatis sese prodat, Post quinquennium etiam erupisse scribit *Fracastorius*: Per has moras nec febris, nec ullū aliud sentitur, nesciente ægro quanta intus pernicies lateat, quam mox tum fere percipit quum ea ad cor pertingit, quo ubi pervenit, incredibili cruciatu hominem affligit, Cor & præcordia vellicantur, mœror, metus & tristitia iræ conjuncta apparere incipiunt; cogitationes corrumpuntur, secum murmurat & loquitur, nec stare nec quiescere potest, sed more furentis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, sitit immense, sed illud maximum incommodum accedit, quod aquam & liquida omnia adeo reformidat æger ut potius emori eligat quam bibere aut ad aquam deduci: Oculi & facies plerumque rubent, vox raucescit, spumat aliquando, oculi torvi aspectu sunt, alios dente petit, ac demum vitam mirabiliter efflat. *Thomas Burnet Thes. l. 3. sect. 7.*

[68] *Animalia illa sunt*) *Canes* facilius quam cætera animalia rabiosi circa canicularium dierum (ob hanc causā sic appellatorum, æstum nempe, vel etiam circa summa frigora; ut vult *Dioscorides*, fiunt; Hi cum magna copia & familiarius cæteris animantibus cum homine vivant, rabiem frequentius concitant: Sic & à *Lupis rabiem actis* accidere testantur, egoque bis rabiem horrendam & lethalem inde profectam observavi: Nec dubium, sicut idem ex aliorum animalium rabidorum morsu, ut de *Camelo* & *Equo* scripsit *Aristoteles*, & de *Mulo Avicenna*, ita quoq; à *vulpis, mustela, martis, viverra*, quorum alioquin morsus aliquid venenati in se habet: imo *Simia* etiam, & ipsius *Hominis*, jam rabie hac laborantis morsibus, quorum saliva veneni naturam induit, posse contingere. *Platerus.*

[68] *Animalia illa sunt*) Inter cuncta animalia adnotavit *Aristoteles* anserem aquaticum solum non rabire; ob id à multis hujus usum in Hydrophobia maxime celebrant. Mirifico autem experimento contra canis rabidi morsus valere dicitur *Mergus*, qui in aquis & mari degit, quippe ab *Aetio* ejus usu hydrophobos illico aquam efflagitare narratur.

[69] *Felis*) Periculosum est versicoloris, & maxime nigerrimi *Cati*, cerebrum alicui ad esum præbere; ad Insaniam enim homines deducit, Et quod pejus, cerebri meatus obstruit, spiritusque impedit animales: *Petrus Aponensis* ejus esu adeo insanire homines dicit ut præstigiis quasi obnoxii videantur: *Ponzettus* pariter Cati pilos venenosos esse prodidit, ejusque anhelitum febrem hecticam inducere.

[70] *Et hæc præcipue*) Cognoscuntur ex eo quod cibum aversantur, spumam emittunt, caudam demittunt, & in eos quoque quos prius tamen amabant invehuntur, illosque mordent. Vide §. 97.

[71] *Incipientis*) In *levi* saltem est anxietas præcordiorum, mœror, tristitia & abstinentia à potu, plerumque febris insimul adest. *Etmuller.*

[72] *Confirmata*) In perfecta furor adest, torvum vident, spuma circa os, stridor dentium & inflammationes oculorum apparent. *Etmuller.*

[73] *Unde Hydrophobia dicitur*) Hydrophobia est quando æger omnia liquida metuit, imo non patitur ea nominari: Fit dupliciter, vel ob speciem illustrem, vel ob morsum canis, felis, simiæ, valde irati, hominis equi: Et canes &c. hoc faciunt mediante saliva, quæ vel diu vestibus adhæret, vel nudam partem tangit; verum omnis canis saliva hoc non facit, sed vel rabiosi, vel valde irati, vel ejus qui sub lingua inflammationem habet & vermem, vel etiam fit Sine verme, ut observatum est.

Videtur autem saliva id facere ob mobilitatem, penetrabilitatem & coagulandi vim, quæ sanguini per circulationem communicata, eum instar coaguli incrassat, unde statim sequitur melācholia, deinde mania, postea hydrophobia: Hæc vero saliva dum sanguinem ita coagulat: segregat tenuiores partes à crassis, tenuior autem ille humor facile suscipitur & imbibitur à gula ob partium circumjacentium spongiositatem, unde aliquam mœstitiam & molestiam ægri hic percipiunt, quam adeo magni faciunt (ut omnes melancholici quæ minima mala maxini ducunt) ut sese deglutire non posse arbitrentur, quare iis quæ assumere debent adversantur, ut sunt omnia liquida.

Ad quod confirmandum valent exempla à me observata, cum nimirum sedulo aliquando interrogassem hydrophobos, quid causæ adesset quo minus biberent: tandem illis magno negotio extorsi, ajentes causam in gula esse fustem; indicium certe materiam quandam ibi collectam molestiam parere, quam adeo magnam faciunt, ut nulla suasione humida assumere velint; Tenuem autem materiam gulæ multam molestiam parere apparet in uteri suffocatione, febre pestilentiali, catarrho.

Morbus hic est magnus & lethalis, nisi mature succurratur, enecatque hominem fere 40. diebus: Vidi tamen quendam qui per menses quinque laboravit, id quod ratum.

Cura magis fit experientia quam ratione, Injectio scil. ex improviso in aquam marinam, si fieri potest, nam illa optime persanat: Si à spuma orta sit, locus abluatur spiritu vini; Si autem morsus, cucurbitula cum scarificatione curandi sunt, cum magna flamma, aut etiam vesicatorio ut venenum extrahatur. Vulnus non claudatur ante tres menses sed apertum servetur Mercurio & gentiana.

Si post XL. dies æger in pejus non labatur, tractandus ut melancholicus aut maniacus: Desinit aliquando paroxysmus & oritur rursus, sed non hydrophobia, sed melancholia aut convulsio, non tamen statis periodis. *Walæus Med. Pract. p.* 139.

74. *Causa est venenum quod ex peculiari*) Quoad *causas*, *fermentum* hic peculiare accusamus, ab animali rabido per morsum communicatum; Nam quod alii de veneno peculiari habent, id omne ad fermentum est applicandum. Hoc fermentum *ideas* impressas ab animali furenti communicat, massam sanguineam penetrat, ita ut fere similis evadat sanguini animalis furentis; hinc fieri non potest quin easdem quoque actiones edat quas canis, V. g. aut aliud animal rabidum edit. *Etmuller.*

75. *In animali gignitur*) Notandum *animalia in se venenata* non esse, hinc neque omnis morsus rabiem parit, sed animalis aut *irati* aut *rabidi*, ita enim & furor nocent. *Etmuller.*

76. *Salivam, morsum*) Causa occasionalis & propinquior est *saliva* fermentescens & effervescens, per morsum insimul vulneri infusa, & massæ sanguineæ per arterias communicata; hinc nisi vulnus sit factum, ita ut in massam sanguineam penetrare possit, furor non fit. *Etmuller.*

77. *In quibusdam ex terrore*) Ex sola conversatione cum infecto quendam similem contraxisse affectum *Dioscorides* prodidit. Et *Galenus* rabidorum salivam, si nuda corporis membra contingat, non aliter quàm si demorsi fuissent, homines rabidos reddere posse docet.

78. *Ad corni vel sanguinaria*) Corni, plantæ, contactu sanguinariæ, vel sorbi, Hydrophobiam curatam suscitari novimus. *Iul. Cæsar Barcellus.*

79. *In quibusdam citius*) Canum morsus licet ab initio, præter vulnus & dolorem, nulla graviora afferat incommoda, si tamen negligatur, interdum XL. primum die, aliquando citius, nonnunquam post semestre, vel annum etiam hydrophobiam & rabiem, hominis mentem mire immutantem, & in caninos mores immutantem inducit, In qua tantam vim veneni esse, ut & catulos vel carnes aliquas illis similes aliquos minxisse, nonnulli, imo & *Avicenna*, pro vero testari ausi fuerint; Sed & malum ad septennium usque occultum tunc primum erupisse testimonio cujusdam probat *Dioscor. Platerus.*

80. *Curatio*) Adolescentem momordit prope cubitum canis rabidus, *Primo* morsum scarificavi scalpello, cucurbitamque cum largiore flamma apposui, & quantum fieri potuit sanguinem extraxi; 2. Totum brachium *posca*, in qua dissoluta erat *theriaca*, parumque salis marini ablui; saliva enim canis rabidi in parte aliqua cutis exsiccata, nisi mature & diligenter abluta & absterfa fuerit, rabiem excitare potest. 3. Cauterio actuali morsum undique ac profunde inussi.

Hic monitos velim Chirurgos tyrones, ut diligenter prospiciant, ne nimis leviter & superficialiter inurant hujusmodi morsus, sed potius in excessu quam in defectu peccent: quum enim morbus sit extremus, extremum quoque requirit remedium, Expertus loquor.

4. Post *inustionem* non usque adeo sollicitus sum de leniendo dolore, quia enim omnis dolor ad se attrahit sanguinem, & humores ex corpore, verisimile est dolorem prodesse hujusmodi ulceribus dummodo levis fuerit; Itaque post ustionem ulceri imposui gossipium madefactum *aqua vitæ* in qua dissoluta *erat Theriaca*, postea sequens Empl. apposui.

℞. *cepæ aliquantum sub prunis coctæ, fermenti farinæ sinapi āā. ℥j. theriacæ ℥ß. fol. rutæ & scordii āā. m. ß.*
M. *in mortario, addendo parum mellis.*

Sequenti die scalpello escharam, undique quantum fieri potuit incidi, deinde jam memorata medicamenta applicui, atque sic usque ad casum escharæ processi.

Postea ne labia ulceris coalescerent bis in die pisum imposui, sicuti fit in fonticulis & prædictum empl. applicui, atque hoc modo ulcus ad tres menses apertum retinui: Interim tamen per intervalla, singulis scil. hebdomadibus, bis terve ulceri hunc Pulverem inspersi.

℞. *Pulv. præcipit. lap. bezoart. pulver. rad. angel.* āā. ℈j.
Misce, mirifice enim malignitatem ad se ex profundo attrahit, & veneno adversatur.

Per os *alexipharmaca, theriacam, mithr. c. c. ustum & ppt. & lap. bezoar* præbui.

Sequens Pulvis *ad ʒj. cum aqu. borrag. aut buglossi*, laudatur à veteribus & modernis.

℞. *ciner. cancror. fluviat.* ʒx. *rad. gentianæ* ʒv. *olibani* ʒj.
m. f. Pulvis tenuissimus.

Venam non incidi, neque pharmacum solutivum exhibui, ne venenum ab exterioribus ad interiora traherem. Et sic Divino Numine curatus. *Fabr. Hildanus Cent. 1. obs.* 87.

Potionem hanc hidroticam expertam pro tribus vicibus propinavi.

℞. *myrrhæ, gentianæ* āā. ʒj. *theriac.* ʒiß *ocul. cancr. ustor.* ℈ij. *aquæ gentianæ & scab.* āā. ℥iß. m. f. Haustus.

Externe vulneri applicavi *rutam cum allio* & pauca *theriaca* mistam. I, *Petr. Lotichius obs. 1. c. 5. l. 1.*

Matrona quædam Nobilis plures à cane rabido demorsos curabat, urendo vulnus clavicula ignita, & exhibito hoc Pulvere.

℞. *rutæ, veron. plantag. latifol. rad. gentianæ* āā. *p. æqu. m. f.* Pulvis, Dabat quantum nux juglans dimidiata capere posset, mane per quinque dies continuos. *Ferem. Martius obs.* 37.

81. *Alicujus spei*) In morsu *Canis*, vel etiam Lupi, rabidorum (neque enim cura differunt) etsi periculosus omnino sit affectus, auxilus tamen subito adhibitis permulti sanantur; Postquam vero malum invaluerit eousque ut jam aquam metuant, ægerrime, ut & *Dioscorides* recenset, restituuntur & plerique moriuntur: in quibus tamen salutis spes aliqua hoc signo concipitur, si speculum aut aquam intuentes, in quibus canis imago illis repræsentatur, hallucinationem esse, seque falli animadvertant: Vel ea minime apparente, suam ipsius figuram, se offerentem agnoscant. *Platerus.*

Raro curatur Rabies, & spes in angusto hæret, Intra biduum vel triduum moriuntur; Quo plus sanguinis è vulnere effluxerit, eo minus de Rabie metuendum: Quo citius consolidatur eo magis rabies metuenda. *Etmuller.*

82. *Consistit* 1.) Duo tempora observanda 1. *Morsus & vulnerationis.* 2. *rabiei supervenientis*, Inprimis venenum illico post morsum est extrahendum, quem in finem vulnus est ampliandum, ut cum sanguine saliva effluat potius quam retrocedat. Alii *scarificationem* instituunt & *cucurbitulas* imponunt, ut fermentum extrahant; Alii *hepar animalis* imponunt, vel *frustum carnis*, Quo & *columbarum vivarum* & dilaceratarum applicatio pertinet; Quidam *ligaturas* magni æstimant, Alii *cauteria* applicant, tam potentialia quam actualia. *Etmuller.*

83. *Si vulnus nimis angustum &c.*) Statim vulnus morsu inflictum dilatandum, & labia vulneris, ut sanguis optime fluat, scarificanda, *Cucurbitulisque* cum multa flam-

ma admotus, vel *Hirundinibus* veneni vis extrahenda: Quod etsi magna & ampla plaga, quæ ob copiam sanguinis fluentis, cum quo & virulentæ salivæ portio exhauritur, melior quam si parva & angusta sit, existat, nihilominus erit faciendum, & laxata scissaque scalpello per ambitum caro erit amputanda. *Platerus.*

84. *Ut venenum melius effluere possit*) Ut Sordidum ulcus maleque dispositum potius quam mundum existat, neque consolidetur, adhibitis iis quæ præter quod venenum attrahunt, carnem quoque suppurant, procurandum erit; Quod fiet si *tritici* grana mansa, vel pista vulneri applicentur, quia suppurant & vulnus dilatant, & propter salivam, dum masticantur, proprietate quoque juvant. *Platerus.*

85. *Attractio per medicamenta &c.*) *Cepa, allium sylvestre* & *ruta* simul contusa, & cum *melle & sale* simul subacta egregie venenum alliciunt, magisque si *theriaca* quoque permisceatur, quibus & *succum cyrenaicum* addit *Dioscorides* Pici Bruttia, cujus loco & *vulgaris* sumi potest, si *opopanacis* quarta pars, & sextarium *aceti* addatur, *Emplastrum* fiet *attractivum*, ad hæc efficacissimum, ut docet *Galenus*, *Caro salita* piscis *Smaridis* & *Ostrachi*, applicata, aliaque *salsamenta* prosunt: *Garum* item omnium *piscium fomento* adhibitum: *Rumex, potamogeton, ballote, fœniculi rad. angelicæ, ruta, laser, panax heracleum,* cum *sale* & *melle* contusa idem præstant. *Platerus.*

Folia urticæ tusa, & cum sale vice emplastri imposita, vulneribus & canis rabiosi morsibus medentur, experientia id attestante, *Hieron. Tragus.* Theriaca cum succo rutæ imponatur ut venenum magnetica vi extrahatur. *Etmuller.* Vide de attractione per præsidia Chirurgica § *consilii.* 1.

85. *Medicamenta vehementer attrahentia*) Externe vulnus inungatur oleo *hyper.* vel imponatur tale Emplastrum.

℞. *cera* ℔ß. *ol. olvar. sevi birc.* āā. ℥uj. *coq. l. a.* & *adde thm. ol. di* ℥ß. *f. Empl.*

Alii imponunt *Empl. de ranis cum Mercurio*, Alii abluunt vulnus *succo rutæ* vel *theriaca cum ol. rof. Etmuller.*

86. *Vel cauteria actualia*) Ustio cauterio actuali facta, cum ignis virus domet & ulterius progredi non patiatur, expeditissimum est auxilium; Et ne crusta decidente ulcus cicatrice obducatur, ante xl. diem, vel etiam ultra hoc tempus fovendum erit; Idque vel septico vel erodente, quale *præcipitatum* est, medicamento: quo etiam, si ustionem ferre nolit, illius loco ab initio quoque uti possumus, vel ustio repetenda erit. *Platerus.*

87. *Curatione proprie ita dicta*) In cura duo tempora observanda, 1. morsus 2. rabiei supervenientis: *hujus ratione* id unice agendum ut fermentum massam sanguineam jam occupans ex corpore expellatur: Remedia sunt alexipharmaca, tam communia quam specifica, Hinc *theriaca, mithridatium*, Elect. de *Ovo* præcipuum obtinent locum, Ita *essentia theriacal. Tinct. bezoard.* cum *essent. absynth.* Sed omnia in dupla dosi exhibenda.

℞. *aqu. hyper.* ℥iß. *theriac.* ʒß. *tinct. bezoart.* ℥ß. *essent. cancror.* ʒj. *m. pro dosi, cum sudore.* Vel

℞. *pulv. rad. contrayerv. gentiana, pimpin. vn cet.* āā. ʒj. *m. f. Pulvis dividendus in 4. part. aqu. Oculi cancror.* unum ex optimis specificis sunt, unde & *bezoar. rabidorum* audiunt, unde.

℞. *Ocul. cancror. C. C. ust.*, *mand. lucii piscis præpar.* āā. ℥j. *m. f. Pulv. d. ᵹis* ʒj.

Vel *cor & hepar animalis mordentis* decoqu. & patienti propinentur. Vel in pulverem redacta dentur. *Etmuller.*

88. *Ubi locum habent*) Inprimis *Aqua potus*, quam adeo metuunt *Hydrophobi* sanat, quare omnibus modis fallendi, ut eam non intuentes per longum canalem, vel alia industria bibant; Quam ob causam *cicer nigrum*, quod simul veneno resistit, in eo decoquere jubent, ut sic obscurior facta intuenti imaginem nullam, quæ pavorem illis incutiat, repræsentet: Sed & ut sitibundi admodum fiant, *Catuli coagulum* ex *aceto* propinatur; tunc enim aquæ desiderium eos capere scribit, hocque vehementer laudat. *Aetius.*

Urinarum quoque *provocatio*, eo usque & tam validis *medicamentis* ut & sanguinem mingant valde juvare *Avicenna* docet, qui ut dictum, catulos, vel quid simile per urinas excerni existimavit; Eamque ob causam *Cantharidum* usum admodum commendat, quæ sic rectius exhibebuntur.

℞. *canthar. abruptis alis tenuioribus* ʒj. *lentium mundat.* ʒß. *spica, caryophyll. croci* āā. ℈ß. *Detur* ℈ß. *cum vino jejunis, iij. vel iv. diebus,* donec sanguinem excernant.

Rumex acutus si potandus exhibeatur, copiosam & turbulentam minctionem facit, qua sola planta exhibita, si simul *decocto* illius foveatur plaga, & *succo* ipsius illinatur, quidam morsos à cane rabido integre sanabat, ut *Avicenna* docet. *Platerus.*

Est & *Amuletis* locus, inter quæ *Dens caninus* à cane, qui momordit, evulsus, & brachio alligatus; item *Pili* ab eodem cane evulsi, & vulneri impositi multum præstare creduntur. *Idem.*

89. *Purgatio*) An Purgatio conveniat vide supra §. *Curatio*) ubi curatorum aliquot exempla adducuntur, nulla Purgationis mentione facta, quo potius explota.

90. *Purgatio per helleborum*) *Dejectionem per alvum* magnum afferre juvamentum, si *hiera colocynth.* vel *hellebore* id fiat, scribit *Avicenna*; cujus tantam vim esse ut & fere desperatos sanet, Quod & aliis Purgantibus, *melancholicis* maxime *humoribus* destinatis, potest fieri. *Platerus.*

91. *Sudorifera*) Sudorum ante & post cibum provocationem juvare docet *Dioscorides.*

92. *Vesicantia*) *Dropacismis* in toto corpore quoque utitur *Dioscorides*; uti & aliqui *cauteria occipiti & post aures* [illegible] probant.

93. *Antidota*) Propinanda quoque confestim quæ proprietate hujus veneni vim evincere possunt remedia; qualia ex *cancro fluviatili vero, carcino* dicto parata, *Galenus* & *Dioscor.* plurimum probarunt; Cujus loco *cancrum marinum*, & in stagno juxta mare *Monspessuli* repertum accipit *Rondeletius*: Et nos forte nos nostrum *Astacum fluviatilem*, cum & ille veneno resistat, non minori successu sumere possumus: Parabuntur autem hæc antidota hoc modo.

℞. *Ciner. cancri fluviat. veri in sarmentis vitis albæ cremati & pulver. part.* ij. *rad. gentianæ subtiliss. contus. part.* j. *misc.*

Dentur cochlearia ij cum *vino meraco* quatriduo; Post quos dies triplicetur pondus.

Hoc unum multis profuisse testatur *Dioscor.* hancque Antidotum *Damocrates* carmine descripsit, adeoque eam *Galenus* commendat, ut neminem mortuum fuisse qui ea usus fuerit testetur: *Hunc pulverem habet in secretis* Alexis Pedem., *qui prabet eum spargendo in aquam frigidam.*

Ex *simplici cinere*, ustis *cancris vivis in patella æris rubri* pulverem *Galenus* quoque parat & exhibet.

Vel sic compositum, quem à Præceptore suo *Æschrone* Empirico se habuisse narrat, propinat, admodumque commendat.

℞. *Ciner. cancror. fluviat. ustor. part.* x. *rad. gentianæ part.* v. *thuris part.* j. cujus vice *resinam terebinth. veterem addiderunt, fiat Pulvis.*

Detur quotidie magni cochlearis mensura aquæ inspersus ad dies XL. vel si tardius Medicus adveniat cochlear. iij. pro vice exhibeat. Sunt qui sic parant.

℞. *Ciner. Canc. part.* ij. *rad. gent.* p. iß. *myrrhæ* p. j. *f. Pulvis.*

Præter hæc Antidota *Hepar canis rabidi tostum* exhibitum *Dioscor. & Galen.* magni faciunt: *Caninum sanguinem & urinam*, uti & *leporis*; *vulpis, capreolique coagulum. Alysson Galeni* siccum XL. diebus continuis ex *hydromel.* datum, efficax *Archigenis* remedium esse testatur *Galenus. Bituminis Iudaici* ʒj. cum aqua bibitam affectum hunc sanare docet Ætius.

Vincetoxici rad. ad ℥iß. *cum aqua card. ben.* XL. diebus potæ, *Matthiolus.*

Confert *Licium & caprifici cortex ex aqua.*

Scorzoneræ rad. vel succus; *Angelicæ rad. cum nitro.*

Mel cum rosac. bibitum. *Dioscord. Mithridatium & Theriaca* uti omnibus venenis adversantur, sic & huic.

Sed & quæ *assumpta admotaque* prosunt hæc sunt, *Hippocampus mar.* ex *aceto* & *melle* subactus: *melissoph. artemis. absinth. centaur. aristoloch. chamadr. puleg. hippolap. rad. oxylap. & bryon.*

In *cibandi ratione* veneno adversatur, si *allium, porros, cepas* edant, *Cancros* item *fluviatiles veros.*

Cibos aromatibus condiant, *Vinum* meracum & passum, bibant, *Aquam* bibere *ferratam* aut *chalybeatam* jubet *Avicenna.*

Lac schistum quod dejectionem movet & venenum domat. *Platerus.*

Ad morsum canis rabidi unicum remedium, quodam oraculo repertum proponit *Plinius* l. 8. cap. 41. *hoc radix sylvestris rosæ* est, quæ *Cynorrhodon* appellatur: Narrat B. *Fulgosius* de quadam fœmina quæ per somnium admonita est ut rad. cynorrh. filio à rabido demorso, & aquas jam metuenti præberet, quæ statim in Hispaniam pro radice misit, qua hydrophobicus celerrime sanitati fuit restitutus, *Gemma Cosmocr. l.* 1. *cap.* 6. Signatura aculei dentes caninos referunt: Novi matronam Nob. in valle Equestrium quæ plurimos usu rad. pulveratæ liberavit.

Mire *catuli coagulum* in hydrophobia curat, ab Aëtio attollitur; illud enim, si semel tantum ex *aceto* assumitur, statim eos aquæ potus cupiditatem capere [illegible]: In hoc affectu nihil salubrius est quam aquæ potus, quo deficiente mors præ foribus semper est. *Jul. Cæs. Barnellus Hort. Gen. p.* 134. *Idem* unicum remedium esse ait *radicem rof. sylvestr.*

A Neotericis maxime commendatur. *Elect. Palmar.*

℞. *fol. rutæ, verbenæ, salviæ, plantag. menthæ, polypod. absynth. artemis. melissæ, beton. centaur. min. hyper.* ana *p. æqu.* m. f. *Pulvis, dosis* ℥iß.

quotidie in jusculo mane ante cibum. *Georg. Blasius Med. univ. l.* 3. *s.* 3. *c.* 5.

Quidam Hydrophobiam certo præcavere ait *Pimpinellam* aliquot diebus assumptam, mane *Ortolphus Maroldus Pr. m. p.* 407.

Pulvis supradictus *Palmarii* præsentaneum est & certissimum alexipharmacum, quocunque tempore assumatur; Colligi autem jubet plantas circa plenilunium in Junio, & exsiccari. Homines & animalia curat & præservat, modo sit in principio, & vulnus non sit aqua ablutum, aut in principio. *Peccetius.*

93. *Antidota*) i *Radicis cynorrhodi* jam ante meminimus, antiquitate famæ, & Neotericorum experimentis suspiciendæ: *Dioscorides*, illius meminit, & *Plinius H. N. l.* 25. cap. 2. *his verbis*, Nuper cujusdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut *rad. sylv. rosæ*, quam *cynorrh.* vocant, blanditâ sibi aspectu pridie fruticeto præberet filio bibendam. In Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuque accidit ut milite à morsu canis incipiente aquas expavescere, superveniret epistola orantis pareret ut religioni; servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.

94. *Antidota duplici quantitate*) Quare & ab his per integram anni quadrantem non est desistendum; nam sæpe post XL. dies aut aliquot menses, interdum & post integrum annum iterum sese prodidit hydrophobia. Quod si vero sudoriferorum usus intermittatur, tamen specifica adhuc aliquandiu continuanda, qualia sunt *alysson, pimpinella, allium, lactuca*, aliquot diebus mane comesta. *Etmuller.*

95. *Helmontius immersionem in aquam*) Is Tract. *Demens idea*, meminit senis jam hydrophobi qui à nautis ter in mare præceps datus, unde rabie liberatus & sospes vixit.

96. *Immersionem in aquam*) Nostri demorsos à cane rabido ad Oceanum mittunt, ut ibi ter aqua marina immergantur, idque in principio vulnere inflicto, antequam in hydrophobiam incidant; Novum hoc non est remedium, ejus enim meminit *Celsus l.* 5. *cap.* 27. Sed antidota interim non negligenda, & vulneris ratio habenda. Vide *Forestum Schol. ad obs.* 28. *l.* 10.

97. *Canum rabies*) His signis rabiosus canis deprehenditur, Est corpore gracilis & macilentus, spuma ex ore fluens, lingua foras exerta, & tanquam bile colorata; cibum & potum aversatur, in omnes notos pariter & ignotos sine latratu irruit, eosque mordet, sæpe velociter currit, mox subito subsistit: Non solum maximo æstu, sed etiam per maxima frigora canes in rabiem agi solent. *Th. Burnet. Thes. lib.* 3. *s.* 7.

98. *Et hepate*) In hoc affectu licet uti etiam hepate canis rabidi, quod magis probatur applicatum quam exhibitum. *Hildesheim Spicil. p.* 191.

99. *Immersionem in aquam*) Frigidam, hac ipsa enim idea deletur & delirium curatur. *Etmuller.*

De Symptomatibus plurium sensuum Internorum.

Cap. XX.

De Comate Vigili.

Symptomata plures sensus internos simul infestantia, sunt *Coma Vigil* & *Lethargus.* adde *Insomnia.*

1. *Coma* 2. *vigil est ad somnum propensio, & ad eundem impotentia, à vaporibus Narcoticis & somnum inducentibus & mentem turbantibus exorta.*

3. *Signa* sunt Oculorum conniventia, eorundem frequens apertio, delirus sermo, manuum & crurum inordinatus motus.

4. *Causa* in 5. vapores narcoticos conjicitur, quibus aliquid quod vigilandi necessitatem infert, 6. ut sunt, phrenitis, febris maligna &c. adjungitur. 7. Procedit interdum & à nimia virium debilitate, ex vehementi morbo, immanissimis doloribus, & immodica evacuatione contracta, & tum ferè lethalis est.

Curatio

Curatio est *Difficilis*, [8] quia facile in lethargum vel phrenitidem mutatur. *Dubia spei*, si sermo sit impeditus: si spirantibus in gutture murmur audiatur: si ægri potulenta difficulter deglutiant: si humor tenuis è naribus destillet. [9] *Peragitur* Revulsione.[10]. Materiæ à qua mittitur Evacuatione, &c.

1. *Coma*) *Coma* dicitur quasi [illegible] quod est profundius dormire, Alii derivant [illegible], quod comessationibus indulgentes facile hunc incidant in morbum, [illegible] etiam appellatur, [illegible], delatione, & propensione in somnum; [illegible] etiam quasi vehemens in somnum delatio vocatur. *Rolfinkius Epit.p.23.*

2. *Coma Vigil*) Κῶμα duplex est, 1. ὑπνῶδες, seu somnolentom. 2. ἄγρυπνον seu *vigil*, In hoc, aut hore *Galeno l. de Comate*, homines habent oculos clausos, vigilant tamen, licet Vigilantium munera non exerceant, clausis oculis somnum quidem exprimunt, dormire tamen non possunt; temere è lecto surgunt, moxque iterum decumbunt; interdum delira loquuntur, & manus ac crura inordinate movent & concutiunt; Mistus videtur ex cataphora & vigilia affectus, qua clausos tenent oculos *Comatosi*, qua non dormiunt, *Vigilantes*, ægri queunt dici: Nomine ab utroque desumpto, *Coma vigil* appellari potest. *Idem.*

Tria concurrunt ad Comatis vigilis constitutionem 1. Somnolentia vitiosa eaque summa, 2. Vigiliæ, 3 Delirium. Somnolentiæ causa eadem videtur quæ in somnolento. Sed & eadem videtur Delirii in utroque comate causa: Vigiliarum autem p. n. causas vide supra cap. de vigiliis: Ubi ergo Coma vigil producitur, & cum somnolentia morbosa urgent vigiliæ morbosæ, duplicem causam concurrere puto, quarum altera quidem somnolentiam, altera vero vigilias excitet &c. vide suis locis. *Fr. Sylvius.*

Coma vigil phreniticis proprium, ut somnolentum lethargicis. *Wallaus,*

4. *Somnum inducentibus & mentem turbantibus*) Quando talis somnus est cum delirio, ut propter gravia insomnia revera ægri vigilent, & habitu corporis externo summe in somnum propendeant, ac etiam plus minus summe dormire videantur, quoad internas tamen Operationes revera vigilent, cum tales dormientes delirent, faucibus apertis clamitent, membra inordinate moveant, varia loquantur, est Coma vigil. *Etmuller.*

3. *Signa sunt Oculorum conniventia &c.*) Coma Vigil est affectus in quo ægri clausis oculis decumbunt, ut dormire videantur, cum tamen vigilent & delirent; ac si eos tetigeris statim oculos aperiunt, & torve aspiciunt, & iterum delabuntur in somnum, qui variis imaginibus & deliramentis impeditur, ita ut vigilare cogantur; Hunc affectum *Galenus* medium constituit inter Phrenitidem & Lethargum, & Typhomoniam vocat. *Riverius.*

Sic describit *Willis*, Laborantes etsi in somnum continue proclives sunt, attamen vix omnino dormire possunt, quin Tantali in morem labro tantum tenus immersi videntur, cui pitissando, quoties se altius demergunt, tories aquæ labescentes semper inferius subsidunt; Sentiunt isti immanem *capitis gravedinem* cum sensuum & facultatum omnium *torpore*, ut sese quaquaversum in lecto movere, aut adstantium alloquio interturbari ægre ferant, seque mox somnum placidissimum inituros expectant, cui tamen penitus indulgere, ipsumque arctius complecti nituntur, phantasmata varia animo obversantur usque eos vigiles detinent, neque somnum, iis semper in procinctu esse visum, omnino capessere sinuntur: Huic non raro delirium accidit, ut dum clausis oculis ægri jacent, absurda & incomposita perpetuo fabulentur, ac brachia & crura huc illuc inordinate jactent, excitati torvum intueantur: Visitatum est *febricitantes* tota nocte velut sopore obrutos manere, interea vix ut horæ minutum sileant quin varia secum obmurmurent, etiam aliquando clament, ejulent atque lecto exiliant. *Willis.*

4. *Causa in vapores*) Ratio si inquiritur, dicendum videtur quod pori & meatus in cerebro, qui spirituum ambulacra sunt, à materia crassiori & soporifera, è cruoris massa suffusa, plurimum occupantur, ut spiritibus à solita expansione, & mutuo commercio plurimum inhibitis, sopor jamjam gravis & inexpugnabilis imminere videatur; at vero in quantum spiritibus istis particulæ quædam acres & summe agiles velut totidem aculei adhærescunt, illi perpetim in motus incitantur, ideoque illorum aliqui vias utcunque præclusas sepimentis obductas perrumpunt, & directo aut oblique, qua ullatenus data via est, occursant; atque talis eorundem motus, utpote confusus, & propter impedimenta divaricatus, licet functionis animalis exercitium completum instituere nequit, tamen istius requiem & cessationem facile interpellat; propterea quidem ut hoc morbo affectis (non aliter quam sub Polo degentibus (quibus Solis tantum medietas supra horizontem versatur) neque perfecta nox instet, neque perfectus affulgeat dies, sed illi tantum medio inter somnum & vigiliam crepusculo fruantur, *Willis.*

4. *Causa*) Vulgatissima est bilis cum pituita mista, à quibus cerebrum tantum irrigatur, vel tumorem atque inflammationem concipit; unde erysipelas œdematosum, vel œdema erysipelatosum exoritur; Cum autem ea humorum miscella variis modis & proportionibus fieri valeat, sic varii in diversis ægris isti affectus apparent; si enim bilis in mixtione prævaleat, delirium majus est & ægri licet clausos habeant oculos, minus dormiunt; si vero pituita, magis dormiunt, minus delirant, & expergefacti minus vociferantur ac desipiunt. *Riverius.*

Si contingat mixtionem humorum non esse æqualem, & quasdam particulas acres certos cerebri canaliculos irritare, aliasque viscidas in alios sese insinuare, somnus & vigilia simul producuntur, adeo ut nec vigilent nec dormiant ægri, & illud symptoma Vigil appellatur, nam ductus qui à posterioribus claudebantur à prioribus iterum aperiuntur. *Steph. Blancardus Idea Med. Nova* §.294.

4. *Causa in Vapores narcoticos*) Fit per sympathiam vaporibus biliosis & pituitosis simul mixtis in cerebrum translatis, quod non raro contingere solet in febribus ex humorum miscella oriundis, præsertim hemitritæis ex tertiana & quotidiana compositis: Non est tamen inconveniens asserere vapores simpliciter calidos & humidos in febribus satis intensis hunc affectum producere, quia ab humiditate fit somnus, à calore vigilia. *Riverius.*

5. *Quibus aliquid quod vigilandi &c.*) Nemo facile putabit in eodem humore, Bile puta, quærendam *Comatis vigilis*, uti Comatis somnolenti causam: Verum in bile quidem somnolentiæ atque delirii, in alio autem alibi producto humore Vigiliarum quærenda causa (*vide supra cap. de Vigiliis*) In alio *inquam*, præter bilem, humore, Sale puta, in glandulis forsan quibusdam hærente, atque ibidem acriore facto, hinc per volatilem spirituum volatilisato, ac tandè accedente arteriosi sanguinis igne, majorem acrimoniam nacto, & sensim ad cerebrum elevato, & animalibus spiritibus conjuncto, atque illos

in continua agitatione servantes, *F. Sylvius l. 2. Prax. caput. 21.*

Contingit Coma vigil quando causæ vigilias & soporem inducentes adsunt, atque duplici contingit de causa, 1. quando materia replens simul calida & acris est, quæ frequenter in Synocho accidit, ij. Quando spiritus deficiunt, & simi fuligines quædam & vapores cor vellicant, unde febris oritur. *Walæus Med. Pr. pagin. 141.*

Si contingat spiritus animales turbido concitari motu, ubi cerebrum ab obstructione viarum continuo considere conatur, oritur quidem inexplebile dormiendi desiderium, sed propter inconditos spirituum animalium motus hinc satisfieri nequit, Cujus exempla quandoque observare licet in illis qui nimios potos ingurgitarunt: In his enim cum exigui ductus plexus choroidei, vel retis mirabilis à nimio potu infarciuntur & angustantur, cerebrum quidem gravatum considere nititur, sed propter turbulentum spirituum animalium motum se ad somnum componere nequeunt, & licet gravi torquentur somniandi desiderio, tamen vigilare coguntur. *P. T. Praxeos Chimiatr. capite 7.*

6. *Phrenitis*) Differentia formalis Comatis vigilis memorabilis est assignata à *Galeno l. de comate cap. 3.* quod aliud sit *Phreneticum*, cum inflammatione cerebri membranarum, lethargicis proprium; idque vel ignavum vel expeditum: Aliud non *phreneticum*, nempe sine inflammatione & sine delirio. *Rolfinkius.*

7. *Procedit interdum & à nimia virium*) Morbus hic producitur à paucitate & ab acrimonia spirituum animalium, nam paucitas facit ne nervi & cerebrum totaliter inflari & elevari possint; quare subsidens, adeoque impediens paucorum influxum non valde potentem in nervos & musculos somnum produceret, ni acredo spirituum, orta ab humore aliquo acri, sale abundante, continua vellicatione poros nervorum aperiret, Et ita licet pauci sint spiritus, continuo tamen in corporis membra influant, & hoc modo statum medium inter vigiliam & somnum producant: Itaque ut huic morbo conjuncta sit intemperies pituitosa opus non est, paucitas & acrimonia spirituum sufficit, *Prax. Med. Reform. cap. 32.*

8. *Quia facile in Lethargum &c.* Periculosus hic affectus censendus, sive enim tumore & inflammatione cerebrum afficiatur, grave malum esse consuevit, sive alio quovis modo à prædictis humoribus afficiatur; sive à vaporibus ex febrium malignarum materia ortis odis afficiatur.

Deliria vehementiora convulsionem efficiunt, fiunt enim ab humore, vel vapore acerrimo, qui partes nervosas feriendo convulsionem facile potest concitare. *Riverius.*

9. *Peragitur &c.*) Curatio *idiopathici* iisdem instrumentis peragitur quibus Phrenitis & Lethargus curari consuevit, & si magis ad phrenitidem deflectat, illius remedia magis adhibentur: Si vero magis ad lethargum inclinet, ejusdem remedia magis usurpantur: *Sympathici* vero curatio à febris malignæ curatione dependet, à qua sumit originem: Peculiariter tamen remedia vapores illos à cerebro revellentia, & repellentia, usurpanda sunt in principio, ut V. S. in brachio & malleolo, Oxyrrhodina fronti & sincipiti admota, Enemata frequentia, Cucurbitulæ tum siccæ tum humidæ, scapulis, dorso, natibus & cruribus affixæ, Vesicatoria cervici, brachiis, & femoribus admota, Et si quid cerebro infixum videatur, derivatio per venæ frontis apertionem, aut hirudines pone aures & temporibus affixas molienda erit, simulque resolutio procuranda animalibus calentibus capiti admotis. *Riverius.*

Coma Vigil raro morbus solitarius, sed plerumque symptoma est, aliisque affectibus, uti febri, phrenitidi, lethargo & similibus superveniens, quapropter methodum therapeuticam peculiarem non postulat, at vero tantum opus esse videtur ut remediis primario indicatis adjungantur alia cephalica, quæ nempe hæc cerebri meteora quasi nubes & fulgura dispellant, vel si utraque simul exterminari nequeant ipsum medicamentum unius affectus partes foveat, quo ille superior factus mox alterum vincat, adeo ut in somnolenta vigilia, aut perfectum somnum, aut perfectam vigiliam accersere conveniat; Enimvero in hoc casu Narcotica sæpe bono cum successu exhibui. *Willis.*

10. *Materia à qua mutitur*) In Comate vigili præterea in specie *malignitatis narcotica* ratio est habenda, à qua & *somnus* & *delirium* oritur, sicuti id narcotica virulentiora præstare solent. *Etmuller.*

De Insomniis.

Insomnia sunt internorum sensuum circa objecta falsa fictave perperam menti in somnulento fundo repræsentata, & animum vehementissime afficientia, aberratio gravis, cum summis animæ anxietatibus & corporis quassationibus, erumpente non raro simul sudore copioso.

Ut eorum natura innotescat, notandum moveri animi affectus ab objectis sub boni malive specie consideratis.

Illorum vero causas vel ab *Anima* sensationibus nimis attente ac distincte vacante, vel à *Spiritibus Animalibus* impurioribus, objectorum species alterantibus; vel ab utrisque deducimus.

Ab *Animæ* vitio pendere Insomnia patet, quando constat ab iisdem ægris vigilantibus oscitantius ac confusius observari, examinari, tractarique objecta passim occurrentia.

A *spirituum animalium* vitio, quando attenta est ægrorum anima, suaque distincte examinat objecta; imprimis ubi humorum quorundam pravorum in corpore existentium, & flatus præsertim generantium signa quædam concurrunt; Ab utrisque causis pendere hoc malum patet, cum Animæ vel per se, vel ob animi affectum gravem ægræ obversantur, una cum pravorum humorum & flatulentorum indiciis

Humores autem pravi Animales spiritus turbant & alterant, qui flatus vel halitus generare sunt apti; qui viscidi sunt & terrestres, aut subtili acrimonia & volatili præditi, Acidi præsertim, aut vi narcotica leviore dotati.

Curatio ex prædictis facile patet, Nam 1. si ab Anima multis negotiis districta, ideoque singulis minus attenta oriantur Insomnia, Excessus negotiorum resecetur, & non plura suscipiantur quam quibus rite absolvendis sufficit Anima.

Si 2. ab Anima, ob grave pathema turbata, ideoque operi suo minus attenta, Curabuntur Insomnia compescendo animum, & superando, sive procul amovendo objecta mentem turbantia.

Si 3. ab *Humoribus viscidis ac melancholicis* dictis oriantur, curabuntur prædictum humorem emendando, per medicamenta sale volatili abundantia; vel si simul copia peccent, vacuando per purgantia pituitam viscidam & crassam.

4. Si ab *humoribus subtili acrimonia*, eaque acida & volatili præditis, curatio fiat per figentia & concentrantia aciditatem, per cretam, oculos cancri, coralia, margaritas, lapidem hæmatitem &c.

Si 5. ab humoribus vi narcotica præditis, curentur medicamentis Comati somnolento dicatis.

Differunt autem Insomnia à Somniis, quia *Somnia* sunt sensuum internorum circa objecta sensibus externis percepta, & diligentius ac cum animi affectu pensitata, aberratio levis in somno naturali facta, *Insomnia*

vero

vero sunt eorundem sensuum internorum circa objecta ficta falsaque perperam menti in somno profundo repræsentata, & animum vehementissime afficientia. *Sylvius l.2.c.25.Pr.*

Insomnia præternaturalia sunt, quando per somnum *sensus externi* tantum quiescere videntur, Interni autem, non leviter duntaxat, ut per Insomnia naturalia fit, sese exserunt, sed immodice & cum vehementia & labore, ac si vigilarent, licet depravate se exercent, spiritusque etiam exagitant & dissipant, ita ut excitati potius defatigati quam refecti videantur.

Immoderata Insomnia corpus lassantia, & debilem reddentia, sunt quæ præter consuetudinem longius & fere totam noctem durant; Hoc autem aliis *naturaliter* accidit, ut Insomnia tunc primum cum vapores qui somnum perfectum efficiebant, discussi jam sunt, post primum, ut vocant, somnum, incipiant; aliis vero, uti operariis, labore defatigatis, & post cibum mox dormientibus, ob vaporum copiam somnus adeo obrepit, ut Insomnia nulla penitus habeant, vel si quæ ipsis oberrent, eorum minime recordentur.

Gravia Insomnia Sunt quæ non tantum leviter animum exercent, uti naturalia (quæ & proin enim non multum imprimantur cerebro, facile vel omnino vel ex parte ex memoria elabuntur, ut expergefacti pauca referre queant) sed admodum exagitant, & sensus non minus ac si vere illa acciderent quæ illis per somnum apparent, afficiunt; adeo sæpe ut terrore perculsi subito excitentur; Vel si in somno nihilominus perseverent, omnino inquieti sint, & corpus varie per somnū jactare soleant, nonnunquam & loquantur, multa garriant, plorent, rideant, vociferentur; Imo & dormientes adhuc nihilominus è lecto surgant, &, quod *Galenus* sibi accidisse ait, ambulent vel varia loca pervadant; in quo vulgus quomodo sine periculo, si non impediantur, vel proprio nomine vocati excitentur, alias vigilantibus impossibilia loca ardua scandere possint, multa superstitiosa sibi persuadet. Cujusmodi quamplurima, & ægris & sanis alioquin *gravia Insomnia* indies offerri omnibus notum existit.

Talia autem sunt si horrendæ res inter dormiendum illorum animis obversentur, quibus vel vehementer terrentur, ut cum se periclitari ob vim illatam, casum ab alto, ignem, aquam somniant; Vel propter offensam magnam, aut ob amissionem rei gratæ illis repræsentatam, irascuntur, tristantur, dolent.

Portentosa quoque *Insomnia prognostica*, præsertim mali aliquid portendentia, admodum percellunt, & licet aliquid boni præsagiant, nihilominus aliquomodo commovent: Quæ à *Spiritu bon.* vel *malo* hominibus immitti tot historiæ sacræ & profanæ testantur.

Insomnia quædam ex consuetudine quadam in habitum veniunt, ut postea diu ejusdem generis Insomnia somnient, nec solum mente concipiant, sed dictis factisque in somno exprimant.

Spirituum animalium nimia commotio vel perturbatio, ut vigiliis sic Insomniis præternaturalibus causam præbent; quod fit internis sensibus nimium affectis, tunc enim spiritibus agitatis, cum non quiescant, in somno Insomniis nihilominus vel nimiis vel gravioribus divexantur, Quæ internorum sensuum impulsio, vel ex *accidenti*, ratione *externorum sensuum*, vel *per se* illis accidit.

Externi enim *sensus* admodum à propriis objectis commoti, internos quoq; commovent, & quiescere non sinunt, vel si quiescant, nihilominus commovent & impellunt, Tactus inprimis dolore & molestia affectus dormientibus dolorem per insomnia repræsentat; *Sic sitientes* admodum in somno ejusmodi appetitu bibendi per insomnia quoque excruciantur.

Illis qui *dyspnoea* in morbis variis pectoris & hydrope anguntur, evenit ut si obdormiant, suffocationis periculo angustati, talia quoque habeant insomnia. *Per se* etiam, *sensibus minimum commotis*, intentione vehementi animi in rem aliquam, spiritibus agitatis, ut fit in animi affectibus vehementibus perseverantibus, suis affectibus nihilominus per insomnia exagitantur.

Sed & tot rerum species & imagines, ex variarum scientiarum, artium studiis, & humanis actionibus profectæ, apprehensæ, & cerebro impressæ, dormientibus adhuc obversantes, spiritusque commoventes, per insomnia repullulant, & quæ vel eodem die, vel diu ante occurrerunt, vel eadem forma qua erant se repræsentant, vel ex commistione eorum variis formis enatis mira, quæ vel non acciderunt, neque in rerum natura inveniuntur, spectra se nobis offerunt: hincque fit ut sæpe talia Insomnia, ob deformitatem, quorum tamen quoque causa naturalis est, commixtio scil. hæc formarum (ut si quis equum interdiu viderit, & hominem, Centaurum se videre somniet) portentosa esse existiment, vulgusque propter insomniorum diversitatem, quæ non mirum ob[illegible] mentis concepta variare, singula aliquid portendere magno errore sibi persuadeat.

Sed & *decubitus* forma, per quam spiritus animales commoti minus in sua sede quiescunt, sed facilius locum mutant (uti hoc fieri posse in membris diu non naturali situ tentis, ob spiritus impeditos stuporem patientibus, & corporis circumactu, propter discurrentes spiritus in vertigine videmus) ad insomnia turbulentiora facienda multum facit: Vti per *decubitum supinum*, capite præsertim declivi accidere cernimus, spiritibus tunc à capite in spinalem medullam magis penetrantibus, motumque & sensum adeo moventibus, ut licet minime excitentur, nihilominus tamen per insomnia magis exagitentur.

Perturbatio quoque spirituum cerebri à *vaporibus impuris*, tetris, melancholicis, vel humoribus, Insomnia gravia & turbulenta, spectraque similia per somnum apparentia, efficit: Et *sicuti jucunda & læta insomnia salubrem constitutionem*, sic hæc tristia & horrenda Insomnia, melancholicam plerumque constitutionem, morbosque sæpe futuros prænuntiant: Sed à certis quibusdam assumptis *Insomnia terribilia* fieri scribit *Dioscorides*, ut si *fabæ, lentes, phaseoli*, edantur, & *smilacis* semina & *pycnocomi, dorycnium* item assumantur, spiritibus sine dubio ab horum viribus perturbari consuetis.

Calida cerebri intemperies, spiritus simul accendens, quia inquietos facit, & vigiliarum & *insomniorum præternaturalium* causa esse potest, Quod à *vaporibus* nonnunquam calidis, ab assumptis profectis evenit, ut cibis calidioribus, & præsertim vino, quod etsi somnum narcosi sua conciliet, tamen insomnia inquieta parit; Ab *humoribus*, vel *excrementis* calida evaporatio, vel ipse humor sanguineus inflammans cerebrum, uti dolorem capitis, delirium, vigilias, sic & insomnia gravia, turbulenta, & quæ naturam humoris referunt, sæpe in febribus, in phrenitide, aliisque morbis calidis procreant.

In *Curatione causæ & symptomatis* habeatur ratio, *Causam Insomniorum* diximus à *Deo, Dæmone, consuetudine, spirituum agitatione & perturbatione cerebrique caliditate proficisci*. A *Deo* immissa somnia cum bona sint, mutare nec debemus, nec possumus, *Dæmonis* artes precibus, jejunio, *vita emendatione & fide indubitata* avertuntur.

Consuetudo, tanquam altera natura non facile nisi *contraria consuetudine* mutatur, hinc si Insomnia ex consuetudine homines ita angant, ut inquieti sint, gestiant, loquantur vel ambulent, tunc aliquoties perterrefaciendo sunt excitandi; hinc enim fit ut terror ille repetitus per insomnia tandem se illis offerens, sponte eos excitet, & à mala hac consuetudine sensim avertat; ut quidam cum noctu ambulare soleret, virgis aliquoties

cæſus tandem hanc conſuetudinem reliquit.

Si ex *ſpirituum nimia copia* inſomniis graventur, cauſæ quæ illos excitant primum avertendæ erunt: Si *animi affectus* id faciant, corrigantur: Si *moleſtia* quædam in ſomno perturbet, ut *ſitis*, tunc quæ eam excitant, *ſalſa*, in cœna præſertim, erunt omittenda.

Si *decubitu ſupino*, Inſomniis divexentur, ſi in latere, capite magis elato dormiant, minus gravabuntur.

A *perturbatione ſpirituum* ſi *Inſomnia* prodeant, cauſa etiam auferenda erit; quæ ſi à *cibo* vel *medicamento* proveniat, à *leguminum* eſu, aliorumque ſurſum evaporantium, erit cavendum: Si à *Vaporibus*, vel humoribus id accidat, quodnam excrementum vapores hos emittat, qui humor peccet, diligenter indagando, hiſce evacuandis intenti; ſi *plethora* ſit, per *venæ ſectionem*; ſi *cacochymia*, per *purgationes*; Exhibitis quoque iis quæ *vapores reprimant*, poſt cœnam maxime, & *diæta in cœna*, præſertim moderata, ne tales gignantur, aut aſcendant cavendo, medendi ſcopum adimplebimus.

Si *cerebri calida intemperies* adſit, ac *calida* quædam *evaporatio* à cibo, vel vino potiſſimum, frigida in fine menſæ, ut *acetum*, aliaque ſumpta quæ & actu refrigerant, eam corrigunt &c.

De Noctambulis.

In *Noctambulis* revera eſt *Somnus Vigilans* & *Vigilia Somnians*, dum clauſis organis ſenſuum externis dormiunt, valida vero *Anima rationali*, cum ſub imaginationis actione per ſpiritus paulo fixiores agitatos vigilent; Ab hoc enim poſſeſſore moventur quidem, neſcientes tamen quorſum; Uno nomine, eſt *validum ſomnium*, Nam ſicut nos ipſi in ſomno loquimur, quæ ſomniamus, modo linguam, laryngem, maxillam inferiorem, interdum quoque pedes aut brachia movemus, ita Noctambulones moventur ad iſtas actiones ad quas Somnium dirigit, clauſis quidem oculis, in locis quæ alias peragrare ſolent, conniventibus vero in locis minus conſuetis, in quibus etiam ſubinde non ſine nocumento verſantur; *Symptoma eſt hypochondriacis familiare*, adeoque quaſi gradus quidam levior delirii aut melancholiæ hypochondriacæ, ac ſimili etiam ratione curandum erit: Auſcultat vero Lnnæ phaſibus, unde nunc plus nunc minus affligit. *Etmuller.*

Noctambuli hiſtoria.

Ex recepto more Genevæ præſidiariæ militiæ Præfectorum alter urbis Pomæria bis ſingulis noctibus perluſtrat; Anno 1628. juvenis, nomine *Maivaud*, equum conſtitutis horis ad fores Præfecti deducebat: Quadam nocte ephippium imponit, frænum adaptat, ſtapedis lorum pro more arripit ad facilem Domini aſcenſum, præit illi laternam gerens; Iis qui in excubiis erant, cum acclamarent, Qui *va-la*? reſpondebat, *Sergent major*: mediam circiter mœniorum partem peragraverat cum in loco, dicto *la Courraterie* concidit, nec reſurgit, compellant, impellunt milites, Præfecti comites, & vix excitant; reſurgens ille conqueritur ſe præmature à ſomno excitari, ratus ſe adhuc in lecto cubare; iter poſtmodum perſequitur.

CAP. XXI.

De Lethargo.

1. L*Ethargus* [2] *eſt inexplebilis* [3] *in ſomnum propenſio, cum febre lenta, oblivione & torpore,* [4] *ex pituitoſo ſanguine in poſterioribus cerebri ſinubus putreſcente exorta.*

[5] *Pars affecta* ſunt [6] ſinus cerebri poſteriores, quia memoria præcipue læditur.

[7] *Signa* ſunt, [8] *ſomnus inexplebilis*, [9] quia cerebrum ob madorem expandi nequit, & [10] ſpiritus animales propter obſtructionem ligantur.

[11] *Febris lenta*, quia humor putreſcens non admodum mordax, calor à contrario refringitur; *continua*, quia focus perpetuus; & ſub noctem quotidie recurrens.

[12] *Oblivio*, quia poſterior cerebri pars læditur.

[13] *Reſpirationis tarditas*, quia nervi thoracis afficiuntur.

Tuſſis, ob pituitæ in laryngem defluxum.

Urina turbida, quia crudi humores à calore agitantur, nec ſeparantur.

Pulſus magni ob febrem, *tardi* ob virium imbecillitatem.

Differt à *Catalepſi*, oculorum conniventia. A *Caro*, febris præſentia, Ab *Apoplexia*, quod non ſubito invadat, nec omni motu privet. Ab *Hyſterica paſſione*, quod lethargici reſpondeant & febricitent. A *Comate*, ſomno inexplebili, in quem excitati labuntur.

[14] *Cauſa* eſt Pituita, in poſterioribus cerebri ſinubus putreſcens. [15] *Ubi nota.*

1. [16] Interdum illam circa cerebrum & meninges diffundi, & tumorem non ita magnum nec durum inferre: interdum iiſdem impingi, & ut inſtar ſpongiæ tumefiat facere.

2. [17] Pituitoſorum ſanguinem à narcoticis ut plurimum in ſenectute cruditatibus *invehi*: ut *putreſcat*, à vaporum diffiandorum retentione fieri.

[1] *Lethargus*) Nominatur Græcis λήθαργος, ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργίας, *Oblivione & inertia*, ceu notiſſimis affectus hujus [illegible], quaſi *Deſidiam obliviosam* diceres, Latini vero nunc *Altum & gravem ſoporem*, nunc *veternum* à Veteri, i. e. ſenecto, quod præſertim ſeneſcentibus hoc mali genus familiare eſſe ſoleat, appellitant. *Laur. Strauſſius Palaſtr. Med.* Γυμν. 2. Vide *Brunonis* Lexicum.

[2] *Lethargus eſt inexplebilis*) Lethargus (non late acceptus, & voce juxta *Hippocratem* omnem ſoporoſum affectum ſignificante, ſed proprie ſumptus) definiri poteſt, *Imminutio, ſeu ceſſatio facultatum principum, præcipue vero Memoriæ cum inexpugnabili dormiendi neceſſitate, atque febre continua & lenta, à peculiari cerebri diſpoſitione, temperamentum iſtius vitale, & ſpirituum activitatem opprimente, originem ducens*: Forma, quæ hic generis locum obtinet, actiones Animales læſas nobis oſtendit, annuente

nuente *Galeno* de *sympt. diff.3*, ubi illum inter *Rectricis*, & præcipue *Imaginatricis Facultatis* offensas recenset, Quoad modum læsionis, proxime ad *ablatas* accedere videtur, Inprimis læditur *Memoria*, cui *Somnus inexpugnabilis* arctissime associatur; Sic Recentiores quoque Rationem & Phantasiam, harumque deliquia, juxta *memoriæ & somni* enormitates proportionari fatentur, Cæterum quam nos *Cessationem* seu *Diminutionem* actionum ἐγχωρητικῶς innuimus, alii per Feriationem interpretari amant; Alii commodius ad *Depravationem*, adeoque ad *Deliria* referunt, quibus favere videtur *Hippocrates 2. de morb. sect.64*, Et nugas garrit, & ubi nugari desierint, dormit, Vide *Coacam* 196. Attamen ut in genuino Lethargo Delitiũ proprie dictum adesse statuamus, adduci non possumus, quin potius adhuc inter verum & apparens delirium distinguendum dicimus, atque *internorum sensuum* actus, una cum potentia *Sensitiva & Loco motiva*, ob somnolentiam illam, pigramque omnium rerum oblivionem confundi potius atque obscurari, hincve quasi χωλάζειν quam *depravari* arbitramur, χωλαίνοντα τῷ ποιεῖν ληθαργικός, omnia segnius agit &c. *Laurentius Straussius l.c.*

3. *In somnum propensio cum oblivione & torpore*) In unaquaque fere Lethargi specie, quasi signa pathognomonica, semper adsunt, & pari passu incedunt *Torpor*, sive *somnolentia*, & *Oblivio*; Morbi hujus insultum graviorem passi, si quãdo in declinatione ejus vi quadam excitantur, rerum omnium obliti, haud propria aut amicorum nomina, recordantur, etiam qui pocula hæc lethæa aliquanto parcius biberunt, quantum in *somnum* proclives sunt, tantũ etiam in *memoria* deficiunt, ita ut nuperrime actorum immemores idem sæpius agendum repetant, & eandem quæstionem multoties proponant; quoad cæteras facultates, uti sunt ratio, phantasia, potentiæ sensitivæ ac loco motivæ, earum deliquia aut defectus, juxta somni & memoriæ enormitates proportionantur. *Willis.*

4. *Ex pituitoso sanguine in posterioribus sinubus &c.*) Non putamus à pituita in cerebro putrescente ortum ducere Lethargum, nec inde probari posse judicamus quod in quorundam defunctorum cerebro, præter ejusdem corruptionem sanies & pus sint inventa; potest enim fieri ut in hominibus sanguine pituitoso, h.e. multam pituitam continente præditis, ac in Lethargum incidentibus, pituita copiosior hæreat in tenuibus cerebri vasis, atque ipsa distendat, mox rumpat, deniq; in cerebri substantiam effusus sanguis pituitosus ibidem suppuretur, atq; sic memoratum à quibusdam Practicis malum pariat, nec tamen ipsa Lethargi causa existat, sed effectus, aut seorsum ob aliud in diæta commissum erratum, durante Lethargo producatur. Non est proinde locus in Lethargo primario affectus Cerebrum, verum tota sanguinis massa, sive vasa sanguinem circumvehentia, quamvis enim caput grave sit Lethargicis, potest tamen id à vaporibus cum sanguine ad cerebrum delatis exoriri, ut non opus sit ad peculiare ac primarium cerebri vitium recurrere. *Sylvius de la Boe.*

5. *Pars affecta*) Lethargi sedem in Cerebri exterioris ambitu, gyris sive anfractibus inæquali, non ideo tantum statuimus quod illic *Memoriæ conditum & somni vestibulum* assignaverimus (quamvis & hinc ita concludere licuerit) verum insuper quoniam ex observatis anatomicis mihi sæpius constiti Lethargum non oriri (uti vulgo putatur) propter anteriores cerebri ventriculos affectos quippe novimus hos frequenter lympha inundatos, & interdum sanguine extravasato distentos, & tamen laborantes dum viverent, comate & torpore quovis magno immunes: Quandoque fateor, totius *cerebri hydrops* veternum infert, verum in hoc casu non tantum cavitas interna, sed & anfractuum extremorum interstitiá aquarum diluvio implentur.

Itaque Lethargo ad Cerebri oras extimas præfinitos limites ejus ita constituimus, ut gyris istis, una cum medullis interspersis fere in totum occupatis, somnus perplexus & inexplebilis, cum oblivione inducatur, Cerebri interim meditullio, sive corpore calloso, è quo spiritus animales in partes omnes tum sensiles tum motrices irradiant, fere illæso; namque hujus eclipsis totalis apoplexiam infert: At vero ultra citraque hos fines affectus alii soporosi passim reperiuntur, qui licet proinde Lethargo affines sint, eorum tamen nonnulli ipso minores sunt, uti *somnolentia continua* & *coma*, unicus major est, uti *Carus*. *Willis.*

Quid respondebimus illis qui vel cum *Sylvio* Locum primario affectum non tam ipsum cerebrum quam totam *massam sanguineam*, sive vasa sanguinem circumvehentia esse contendunt, vel cum aliis modo *Cor*, modo *Lienem*, modo *sinistrum ventriculi orificium subjecti* vicem gerere urgebunt? Inter *subjectum Affectus* & *causa*, partemque primario & secundario affectam probe esse distinguendum *Straussius.*

6. *Sinus cerebri posteriores, quia memoria*) Quænam statuenda sit pars affecta, vide supra §.5. *Pars affecta*) & inferius §.8. *Somnus inexplebilis, Oblivio.*)

7. *Signa sunt &c.*) Distinguitur à cæteris affectibus Soporosis præsertim oblivione, & à quibusdam, comite Febre, Nam 1. à somnolentia simplici & morbosa differt ipso somno gravi, qui in somnolentia levior 2. à Comate Vigili, eodem somno profundo & gravi, qui in Comate vigili abest, 3. à Comate somnolento, tam febre carente, per comitem febrem; quam febrem comitem habente, vel intermittentem, per febrem continuam Lethargo junctam; vel continuam, & quidem ardentem, per febrem Lentam Lethargo propriam, Quod si occurrat Coma somnolentum, febre lenta comitatum, distinguitur tunc ab illo Lethargus per memoriam simul abolitam, & omnimodam rerum omnium oblivionem; Lethargo peculiarem: 4. a Caro, per excitationis à somno impossibilitatem Caro propriã, cum in Lethargo revera à somno excitari queant ægri. *Sylvius Pr. l.2 c.29.*

8. *Somnus Inexplebilis*) Lethargi vocabulum duo affectionũ genera, quæ sunt hujus morbi tanquam actus & dispositio, significare solet; nam qui morbo isto laborare dicuntur, aut magno ejus insultu plane decumbentes, in tantum sopore plane obruuntur, ut vix ab ulla sensibilis objecti impressione excitari queant, quin à punctione, aut vellicatione acriori, si forsan oculos aperiunt; aut membra surrigunt, denuo statim insensiles facti reclinant, & non raro, cum sibimet ipsis relinquuntur, somno perpetuo indulgentes, transitione facillima mortẽ ipsam, quã in typo simulant, revera obeunt: Cujusmodi paroxysmus sæpissime febrem adjunctam habet, quæ tamen cum ægri evigilant, & ad se perfecte redeunt, plerumque sponte cessat: Vel 2. pro Lethargicis habentur qui sensuum torpore immodico oppressi, in somnum fere semper proclives reperiuntur, ita ut medio itinere, imo inter prandendum, aut quodvis aliud agendum, subinde in torporem prolabantur, atque hujusmodi somnolentiæ cum diversi sint gradus, variique affectionis modi, hinc etiam & dispositionis Lethargicæ variæ constituuntur species. *Willis.*

9. *Quia cerebrum ob madorem*) Amplitudo meatuum cerebri pendet à nativa dispositione, & à copia spirituum illos permeantium; Si enim hi meatus naturaliter ampli forent, proculdubio sponte conciderent nisi spirituum sufficiens copia eosdem apertos servaret; quo etiam conferre potest cerebri consistentia, ceræ non absimilis: Si enim illius substantia admodum obediat, plurimam dilatationem suscipiet, sed præterea nullo negotio subsidebit, ratione propriæ mollitiei, statim ac spirituum defectus aderit: Si quibus cerebri meatus eo modo constructi sunt, in somnum admodum proclives erunt, etiamsi exquisito sensu donati sint, dum vigi-

lant: Eaptopter mulieres & pueri in somnum proni sunt etiamsi illis acumen sensus non desit.

Sin contra Cerebri substantia consistentiam firmiorem consequuta sit non facile expandetur, sed viciffim non tam facile concidet: quapropter alii aliis magis vigiles sunt, etiamsi per vigilias acumen sensuum illis desit: Somnus enim non aliunde derivandus quam ex obstructione aut subsidentia horum meatuum, qui spiritibus distenti & referti vigilias inducunt, quarum essentia constituenda est tantum in exercitio sensuum, sensatio autem nihil aliud est quam perceptio undulationum spirituum hos meatus percurrentium; Somnus contra consistit tantum in cessatione sensuum, aut illo animæ statu in quo nullam cogitationem effingit, occasionem cogitandi præbentibus undulationibus spirituum: Anima autem nullas ejusmodi undulationes animadvertit, quia obstructio, aut concidentia horum, meatuum prohibent ne corpora striata attingant, in quibus illas posset observare. *Dan. Duncanus Tract. de motu Anim. c. 19.*

9. *Quia cerebrum ob madorem*) *Somnus p. n.* sive *sopor insatiabilis* (qui præcipuum in Lethargo & morbis soporosis symptoma est) ab iisdem protius causis, in majorem ἐπίτασιν evectus, ac *somnus non naturalis* exoriri videtur, nempe aut spiritus animales prius affecti exteriorem cerebri ambitum destituunt; *humorque* non tantum *nerveo*, *sed & seroso*, aut alias vinoso introitum concedunt; vel *humores superflui* & excrementitii, una cum *nerveo cerebri corticales pores* perrumpunt, ejusque poros & meatus velut inundantes, spiritus exinde repellunt abiguntque; Causa modo hæc modo illa prior & potior existit, quandoque etiam utraque simul contingit. *Willis.*

10. *Spiritus animales propter obstructionem ligantur*) Lethargi proprie dicti *ratio formalis, subjectum*, & *causa* in summa sunt, quod *spiritus animales* cerebri exterioris incolæ, à motu & emanatione sua solitis inhibiti, somno profundo & inexplebili succumbunt: inhibentur autem, vel proprio vitio, quatenus absumpti, aut narcosi affecti velut congelantur & immobiles fiunt; vel quia illorum in cerebro exteriori orbitæ sive tractus obstruuntur, & ab hospite alieno occupantur, proinde ut us spatium pro expansione sua idoneum minime concedatur. *Willis.*

11. *Febris lenta*) Lethargi febrem ex pulsu magno & citatiori, exspiratione calida, cum linguæ & faucium ardore, absque insigni extremorum æstu dignoscendam, nonnulli ob eandem causam ac Lethargum, nempe vel à *pituita in cerebro putrescente*, vel à *cerebri inflammatione* frigida deducunt; Alii contra febrem statuunt primarium effectum esse, & proinde materiam morbificam à sanguine effervente in caput transferri.

Super his, ut de *pituita in cerebro putrescente*, aut inflammatione ejus frigida (quod idem fere sonat ac ignis glacialis) nihil dicamus, Lethargum febri non raro succedere concedimus, nam si hæc maligna aut mali moris fuerit, etiāsi hoc pueris, senibus, aliisq; pituitosis, scorbuticis, aut valde cacochymicis accidens non bene judicabitur, circa morbi ἀκμὴν sæpe criseos loco materies febrilis in caput rapta torporem immanem & non raro exitialem inducit, qui tamen non morbus, sed febris istius symptoma censeri debet; Ad hunc modum sæpius observavi febres soporosas, & velut narcosi quadam insignitas, quibusdam temporibus, ut non lam anni constitutionem coortas & epidemice grassatas fuisse.

Verumtamen non minus usitatum est, cum Lethargus affectio principalis fuerit, *Febrem* succedere, eique tam originem suam quam solutionem debere: quippe febris post veternum incipiens, eo discusso mox sponte cessit; Talem itaque non à sanguine ob particularum intestinarum dissidia effervescente, sed ob corporum continentium & vicinorum impulsus, cursum ejus varie alterantes ac interturbantes excitari putamus.

Enimvero sanguinis rectâ temperies non tantum à particulis ejus tite commistis & subactis, sed insuper à motu cordi & vasis impresso, sive circulatione organica plurimum dependet, nempe ut liquor ejus pari & æquabili fluxus & refluxus modo ubique fluat, qui sicubi remoram, aut obicem offendens retardatur, in toto præterea alveo motus ejus impetuosius & cum tumultu febrili peragitur; Hoc manifesto liquet in passionibus violentis, doloribus acutis, solutione continui, in quibus singulis cruor uno loco obstructus, aut coarctatus, in aliis vero vehementius correptus, effervescentiam febrilem concipit, eum nempe ob finem ne circulationis filum, à quo vita necessario dependet, abrumpatur; quare, ut in proverbio dicitur, *nemo sine febre moritur*, nam utcunque deficiat, aut depauperetur sanguis, atque partium omnium motricium vires fatiscant, tamen in agone mortis instantis, aut instare visæ, mero Naturæ impetu, fibræ ubiq; nerveæ sese erigunt, ac ultimos conatus exerunt, ut sanguinem interfluant, propellant, & motu rapidissimo circumagant.

Matrona colica & affectibus convulsivis attrita in Apoplexiam cito lethalem incidit, huic cum pulsus fortissime vibraret sanguinem è vena jugulari ad ℥iv. detrahendum præscripsi; qui mox à vase pertuso magno cum impetu exiliit; cadavere aperto sanguinis vix alias ℥iv. in toto corpore residuas inveni, & tamen hæc febricitans moriebatur: Par omnino ratio est *febris Lethargica*, quæ tantum ab organis vitalibus à Natura laborante plurimum incitatis, & propterea sanguinem vehementer circumpellentibus exoriri videtur *Willis.*

12. *Oblivio*) Propter eandem prorsus rationem cum *somnus* excedit *Memoria* deficit; in quantum scil. spiritus cerebri exterioris incolæ, aut constricti, aut tractibus suis expulsi, nec è corpore calloso corticem irradiant, quo fiant Imaginatio & vigilia; nec inde introrsum lati, & vestigia priora repetentes rerum antea̅ctarum ideas sive imagines repræsentant: Profecto *somnus, vigilia & memoria*, earundem partium & locorum affectiones sunt, cujus non leve indicium est quod experientia satis vulgari constat Opiata, quibus somnus provocatur, crebro exhibita memoriam lædere: Quin & ipse menini quendam ab hypnotico fortiori sumpto, postquam febre laborans plures dies & noctes insomnus degisset, memoriam quoad longe præterita fere in totum amisisse. Quod spectat ad alias Animæ corporeæ facultates scil. *imaginationem, appetitum, sensum & motū*, etsi nulla spiritibus in hæc munia destinatis, vincula narcotica injiciantur, atque cerebri interioris pori & meatus, intra quos exspatiari solent, satis patere videntur, attamen hi spiritus, siquidem durante paroxysmo cum aliis obstrictis commercium habere nequeunt, eam sponte succumbentes somno obruuntur: Quippe veterno circa animæ sensitivæ radicem, nempe cerebri corticem inchoato, mox tota illa provincia, scilicet animæ pars *cognoscens*, *appetens* & *sponte movens*, quasi velo obducto obscuratur: Porro ipse interea intellectus fenestris ubique occlusis, vix quicquam speculatur. *Willis.*

13. *Oblivio*) Oblivionis, sive *memoriæ eclipsis*, eadem omnino est ac *Somni immodici* causa, nempe spirituum animalium ab exterioris cerebri meatibus, humore quodam plenis, exclusio, & commeatus pro tempore exclusus. *Willis.*

14. *Respirationis tardius, Pulsus magni*) Hujus morbi poten-

potentia etiam in alteram animæ sensitivæ partem, *Cerebelli*, ejusque regiminis præsidem quadantenus extendi videtur, propterea namque durante Lethargi paroxysmo *Respiratio & Pulsus* alterantur, Illa namque inæqualis & *tarda*, cum inspiratione modo alta & longiori, modo repetita seu reduplicata existit; atque *hic magnus* & celer calorem febrilem per totum corpus diffundit: Prioris, ni fallor ratio hæc est, nempe quod eadem causa morbifica, quæ cerebrum exterius, ejusque incolas, etiam cerebellum, ibidemque spiritus præcordiorum incolis inservientes afficiat, qui proinde perturbati & præpediti, licet pensa sua non omittant, ea tamen difficulter & interrupte peragant, hinc ut diaphragma & thoracis musculi, systolas suas non facile & celeriter ut prius, sed laboriose & longiore nunc conatu, interdum repetitis nixibus obeant: Hujusmodi *respiratio* inæqualis, longa, & anhela frequenter etiam in phrenitide contingit, quare nonnulli tum hujus tum illius causam Diaphragmatonis inflammationem esse censent, hisce morbis cephalicis, à cerebello cerebri gravius affecti noxam participante dependet. *Willis.*

14. *Causa est Pituita &c.*) Cum ad Lethargum constituendum concurrentia symptomata sint 1. Somnolentia, vel ad somnum propensio inexpugnabilis 2. Somnus gravis 3. delirium 4. rerum omnium oblivio, 5. febris lenta continua, Quærenda talis causa, à qua symptomata præfata omnia ortum suum ducere possint: Comatis autem somnolenti, *capite* proprio, speciem proposuimus in qua & ad somnum propensio, & somnus profundus, & delirium, & febris nunc continua nunc intermittens observari solet, quam à Bile vi narcotica infecta deduximus: A qua specie cum sola oblivione & febre lenta continua differat Lethargus, si Bili, vi narcotica præditæ, jungatur pituita; eaque viscidior, putem Lethargi causam veram patere; Cum enim à pituita sola capitis gravitas & somnolentia, hinc & rerum multarum oblivio pendere in dies per experientiam deprehendatur, illi si comes jungatur Bilis, & quidem narcotica vi prædita, quis dubitabit à tali miscella produci posse Lethargum? Cum autem in omni febris adsit continua, signum est Bilem toti massæ sanguineæ commisceri, ac proinde per ductum hepaticum eo vadere: Cum præterea, si non omni Lethargo, & semper, plerumque saltem comes sit febris Quotidiana, aut Semitertiana alternis diebus gravius affligens, signum est ejusdem bilis partem aliquam per ductum intestinalem delabi in tenue intestinum, ac in ipso excitare cum obvia Pituita effervescentiam, quæ exacerbationi febrili ansam præbeat, & ortum: Pituitam autem, partim in tota massa sanguinea dispersam, partim in cavitate intestinorum hærentem reliqua evincunt symptomata, febrem lentam, h. e. minus ardentem indicantia: Ex concurrente igitur ob quodcunque demum Diætæ vitium, & Pituitæ lentæ, viscidæque in sanguine redundantia, & Bilis narcotica vi præditæ effusione Lethargum deducimus. *Fr. Sylvius.*

15. *Interdum illam circa cerebrum*) Interdum Lethargum à *serosa colluvie* cerebri anfractus exteriores irruente oriri observatione Anatomica sæpius comprobatum vidi; in multis enim ab hoc morbo defunctis plicarum cerebri interstitia aqua limpida repleta, quin & extimam ejus substantiam à nimio madore mollem & minus firmam, insuper in nonnullis cavitates interiores lympha turgentes, & totius cerebri compagem hydrope inundatam reperi: Quandoquidem igitur in *Lethargo mortali* & funesto sæpe ad hunc modum rem habuisse constat, in *somnolentia* minori, & curabili, saltem extimas cerebri oras humore nimis irrigatas, tractusque spirituum plane obrutos suspicari licebit, præcipue si *lympha* aut *seri* circa alias partes capitis abundantis signa apparebunt. *Willis.*

16. *Cerebrum*) Materies morbifica, utut copiosa, aut infesta, è sanguine in caput suffunditur, affectionem Lethargicam minime producit ni insuper in culpæ partem adsciscatur facile debilis aut vitiosa cerebri constitutio, hoc enim si robustum & bene temperatum fuerit, humorum quorumvis appulsibus facile resistit, imo errores & enormitates in sex rebus non natur. impune fert; quibus tamen hæc pars nimis humida, aut frigida est, uti pueris & senibus, item cacochymicis, hydrope, scorbuto, aut malacia, illi in somnum valde proclives, à causa evidenti affectis fortiori quandoque in veternum incidunt: Præterea cerebrum debilius, & quoad poros nimis laxum obtinent ut fæculentis à sanguine obtrusis facile patescat aditus, *somnolentiæ* crebræ, imo & *Lethargo* obnoxii evadunt, nam compotationibus dediti, iisque peractis statim ob dormire solio cerebri sui tonum labefactant, ejusque poros succo crudo & fæculento implent ac nimis aperiunt; proinde ut cum illud ob tales occasiones superfluitates serosas in se admittere diu assueverit, postea nihil oblatum repudiare valeat, quin meatus ejus, tanquam isti in colo nimis rarefacto & extenso, particulas quasvis crassiores, aquosas, salinas, terrestres facile trajiciant. *Willis.*

17. *Pituitosum sanguinem*) Lethargi *causa conjuncta* est, *humor nimius* aut *incongruus*, intra cerebri corticalis poros aggestus; illa autem ab aliis tam *procatarcticis* quam evidentibus dependet: In vitio enim esse solent tum *Sanguis*, quod materiam morbificam parti affectæ suggerat, tum *cerebrum* ipsum, quod facile nimis eam admittat; Enimvero *sanguis* in aliquibus magnam laticis aquosi, in aliis seri salsi & scorbutici quantitatem; inque aliis humores excrementitios, & regimini animali infestos, à visceribus modo his modo illis surreptos, ad caput transfert, atque data occasione, una cum *succo nerveo* ex arteriis cerebri oris extimis instillat, ibidemque materiam hujusmodi morbificam vel paulatim insinuans, diutina congestione nubem atratam inducit, vel subita illius metastasi simul & semel cerebrum exterius inundat, spiritusque incolas tanquam mare irrumpens, fugat & versus interiora compellit. *Willis.*

18. *A Narcoticis utplurimum &c.*) Non tantum à *Seri*, aut alius humoris morbifici *copia*, sed interdum à *malignitate* ejus somnolentia gravis excitari solet, nam sæpe accidit materiam quandam infestam & virulentam è sanguine in cerebrum instillari, quæ substantiæ corticalis poros subiens spiritus profligat, eos nempe aut extinguens, aut interius adigens, proinde ut regione hac ab iis destituta torpor & oblivio succedant: Hoc in *febribus malignis*, aut *male judicatis* posse accidere nullus est qui non advertat: Porro in *Cachexia Scorbutica*, *Ictero*, & aliis quibusdam morbis chronicis, loco *succi nervei*, subtilis & spirituosi, latex sæpe inops & vappidus, torporis & oblivionis parens suppeditatur. *Willis* Vide §. x.

19. *Curatio* est *Nulla*, *si* legitimus est: *si* indies vires prosternuntur: *si* sudor frigidus in capite augetur: *si* in sphacelum desinit.

10. *Dubia spei* 11. *si* juveni 12. æstivo tempore accidat: *si* urinæ claræ & tenues reddantur: *si* multa & liquida per alvum egerantur, quia à natura resoluta fit: *si* tumor accedat, quia ve

materiæ copiam vel resolutionem significat: *si* phrenitis subsequatur.

[23] *Alicujus*, *si* septimus dies superatus; [24] *si* animales actiones non valide læduntur: *si* expulsa ad nervos materia melius habent: *si* [25] materia putrefacta per aures vel nares evacuatur: *si* [26] abscessus [27] post aures fiat.

[28] *Instituitur* I. *Revulsione*, quæ peragitur.

1. [29] *Vena sectione*, iliaque matura, præmisso clystere; cui, si vires non ferunt, [30] ligaturæ, hirudines, [31] cucurbitulæ dorso & humeris affixæ substitui possunt.

2. [32] *Purgatione*, instituta per [33] *Mitiora* propter febrem, cholagoga in principio, phlegmagoga in progressu: *Fortiora* [34] si febris remissior & materia urgens, *Castoreo*, quod huic morbo proprium, *castigata*, Non omissis *Clysteribus acrioribus*, si febris est major, *a* Borelius præscribit castor. scr. II. scammonii scr. β. cum oxymelite in duas doses, sed melius temperare dosin.

II. *Repulsione*, quæ administratur post venæ sectionem, per medicamenta mitiora, suturæ coronali applicata, revulsione non neglecta, *Oxymel scilliticum* bonum est.

III. [35] *Præparatione* materiæ, si morbus dat inducias, *stœchade Arabica* vitata, si febris nimia.

IV. [36] *Evacuatione cerebri particulari*, [37] Ubi nota, Castoreum semper admisceri debere, *Sternutatoria* ab initio usurpari non debere; nec continuè, quia caput repletur, in ipsis persistendum esse: [38] *Vesicatoria* post aures, [39] vertici aut suturæ coronali imponi debere: Quidam surditate post diem trigesimum superveniente convaluit.

V. [40] *Capitis roboratione* [41] per appropriata sua.

VI. [42] *Diæta*, in qua in principio debet esse victus tenuis, inprimis boni succi, somnus paucus &c.

Prognosis.

[19] *Curatio est nulla &c.*) Periculosum est malum Lethargus à quo graviori plerique moriuntur, præsertim senes, in quibus naturaliter augetur Pituita, & infringitur Bilis pituitam corrigens: Interim & in junioribus malum existit periculosum, sive constitutio ipsorum sit senilis, sive causa fuerit gravis quæ tantam in ipsis fecerit mutationem, à qua sequatur malum ab ipsorum naturali constitutione tam alienum. *Sylvius.*

Si febri malignæ, aut judicatu inhabili, vel si morbis aliis cephalicis, aut convulsivis, uti cephalalgiæ, phrenitidi, maniæ, epilepsiæ, aut etiam si colicæ, aut arthritidi diuturnis, aut gravioribus supervenit, nihil præter malum Medicus prædicat; nec minus metuendum erit si in corpore cacochymico, diu invaletudinario, ac in ætate senili contingat: Pariter malum omen est si æger torpore statim immani obrutus, & fere apoplecticus excitari nequit; si inæqualiter & tarde, aut cum stertore magno respirat, deinde si morbo ingravescente laborans tremoribus, spasmis, tendinum subsultibus, & dentium motibus convulsivis afficiatur, pro deplorato habendus est. *Willis.*

Quanquam Lethargici secure stertitare, & in utramque dormitare aurem videtur, imo quidam pro deplorato habitus, vi naturæ restitutus apud *Schenckium l.* 1. *observ.* legitur, gravia tamen qui hujus affectus perpenderit symptomata, non dubitabit *Hipp.* & *Galeno*, Lethargum inter exitiosos affectus numerantibus subscribere: Est sane veternus ex acutis, & qui *Celsi* effato l.3.c.20. nisi succurratur, celeriter jugulat, quod *Auctor l.2. de morb.* in septem diebus accidere testatur; Imo totidem horas id factum apud *Rumlerum* obs.13. legimus.

[20] *Dubia spes &c.*) Lethargi prognosis limite perangusto clauditur, nam morbi paroxysmus plerumq; acutus, cito terminatur in salutem aut mortem, & sæpissime plus timoris quam spei exhibere solet. *Willis.*

[21] *Si juveni*) Desperata ferè salus est si æger vel *senex* (in senibus enim naturaliter augetur pituita, & infringitur bilis, pituitam corrigens, & emendans, verbis *Sylvii*) vel licet *juvenis*, tamen constitutio ejus senilis est, vel immani statim insultu dejicitur; tunc enim hos tales plerumque experimur dulci morte perire. *Bruckmann.*

[22] *Æstivo tempore accidat*) *Causis procatarcticis* (quæ in actum concitatæ morbificæ evadunt) etiam accedere debent *Evidentes* fortiores, quippe nec à levi apparatu morbido, nec à parva qualibet data occasione tantum cerebro periculum imminet, ut totius ambitus invadi possit: Sunt autem plures & diversimodæ προφάσεις à quibus Veterni insultus excitari videntur; harum præcipue sunt *Aëris insignes injuria, ut æstus immodicus*, crapula immanis, ebrietas, & imprimis vini, aut liquorum ardentium potus immoderatus, dein mox à tali excessu pernoctare, aut dormire sub dio: Porro seri assueta per alias vias evacuatio diu suppressa, Etiam si Acidulæ diu in quantitate largiori potæ haud denuo statim per urinam reddantur; Lethargum minantur: Huc etiam faciunt aliorum morborum male, aut minime indicatorum recrementa in caput translata, proinde ut febribus acutis, aut diuturnis, aliisque morbis chronicis, ac sæpissime cephalalgiæ, phrenitidi, empyemati & colicæ veternum supervenit. *Willis.*

[23] *Alicujus*) Si affectus sine procatarxi magna, cum causa evidenti solitaria, uti nimirum à crapula, ebrietate, narcoticorum usu, ictu capitis aut plaga non admodum infestis excitetur, eventum non omnino funestum expectare licebit.

Dein si affectus à tali causa oriundus corpori prius sano & robusto accidit, si primo insultu memoriam & sensum non penitus tollat, & post breve tempus symptomata paulo remittere incipient, de tali ægrotante minime desperetur.

In Lethargo quocunque, si morbi causa quicquam succuti & dimoveri videbitur, utpote sic medicamentorum ope, aut Naturæ instinctu, evacuationes copiosæ & laudabiles per sudorem, urinam, aut diarrhœam cum levamine succedent; Si à vesicatoriis adhibitis aquarum colluvies ingens effluet; si phlegmone, aut pustulæ majores pone aures, aut in cervice erumpant; si sternutatio frequens cum narium aut oculorum stillicidiis eveniet, exinde salutis spem quandam concipere licebit. *Willis.*

Licebit spem salutis concipere si malum à causa evidentiori & solitaria, neq; adeo gravi & infesta excitarū, corpusque laborantis antea incolume fuerit, tumque etiam robur naturæ medicamentorum opem, per sudores, alvi fluxum, vel urinæ excretionem &c. cum εὐφορίᾳ secundet, Boni insuper omnis esse solent, frequens sternutatio,

sternutatio, semper per narium & oculorum stillicidia evacuationes. *Straussius.*

24. *Si animales actiones non valde læduntur*) Alias si accedit tremor, aut convulsio, aut etiam phrenitis, cum hæc & materiæ copiam, & hujus ubique diffusionem denotent, periculum proculdubio augetur.

25. *Si materia putrefacta per aures vel nares*) *Hippocrates* in *Coac.* c. 145. Lethargi solutionem per *thoracis affectionem* crebro fieri innuit, dicens, *Qui ex Lethargo evadunt, magna ex parte pus intro colligunt*, quæ verba mire torserunt interpretes, *Mercurialis* per *suppurationem* intelligit materiam morbi putrefactam per *aures & aures* evacuari: *Pr. Martianus* vult *Hippocr.* voce *Lethargi* non morbum capitis, sed pectoris intellexisse: Sed quorsum hæc subterfugia? cum sæpe contingat materiam morbificam in capite defixam primo veternum excitare, dein postea eandem materiam à sanguine resorptam, & in pectore depositam, empyema aut sputum instar tabidorum producere. *Willis.* Hippocrates de Lethargo à Pulmonibus agit *lib. 2. de morbis.* Vide *Ballonium.*

26. *Abscessus*) A quo in anteriori cerebri parte oborto Lethargum excitatum esse refert *Remb. Dodonæus* c. 7. *observat.* Mulier *ait*, cum aliquot diebus capitis gravitate laborasset adeo fuit somniculosa, ac in somnum propensa, ut quæcunque agens dormire semper cuperet, ac assidue in somnum dilaberetur, à quo initio excitari potuit, tandem vero accedente febre non potuit; Remediis nihil proficientibus, tandem mors supervenit; Capitis hujus cranii osse sublato abscessus in anteriore cerebri parte repertus, & pus, interiori cranii ossis parti adhærescens, quod è naribus paulo ante mortem profluxerat.

Ab Abscessu seroso cystico Lethargum excitatum vidi in puella vij. annorum, filia Senatoris cujusdam nostratis; Laborabat illa febre cum tussi, dyspnoea & aliis per pneumoniam suspectam facientibus: Sopor septem postremis morbi diebus illam detinuit, excitata tamen, aut vellicata potius, respondebat: Ab obitu quæsita morbi causa in thoracicis partibus; Pulmones quidem vitii & inflammationis notas dederunt, at causa mortis non sufficienter apparebat: Detracto cranio, cerebrum exteriori superficie salvum apparebat, Antequá novacula admoveretur, dum Chirurgus diducit partes cerebri laterales, falcem ostensurus tyroni Chirurgo, digito attigit & disrupit cystidem lympha limpidissima repletam, copiose hinc exiliente. Compressione partium adjacentium & subditarum cerebri ab hac cystide facta, ortum traxit lethargicus affectus.

27. *Si abscessus post aures fiat*) In Lethargo Parotides supervenientes, vel pus ex auribus effluens cum imminutione symptomatum, salutare: significat enim dominium Naturæ supra causam morbificam, quam vel expellit ad emunctoria nondum perfecte concoctam; vel in pus conversam per ductus naturales evacuat. *Riverius.*

28. *Curatio instituitur &c.*) Curatio Lethargi ex causis patet, consistit namq; & in pituitæ redundantis Alteratione & Evacuatione, Ac in Bilis, narcotica vi præditæ, emendatione, non item vacuatione, cum non redundet, febrem alias non lentam tantum sed ardentem potius excitatura. *Sylvius.*

28. *Instituitur*) *Non solum indicatio præservatoria & vitalis locum habet, sed symptomatis etiam ratio habenda*, Ad excitandum ægrum, vel *cineres capillorum ægri propriorum*, vel *spongia aceto rutaceo castoreo pulverisato & spiritu salis armon.* impregnata, naribusque sæpius admota confert; præsertim autem *spir. citri* rite præparatus, quo nihil præsentius esse testatur *Horstius*, insignem remedii *αὐτόψιαν* in proprio filio expertus: Eundem in scopum collineant *aqua hirund. cum castor. spir. castor. antileth. Closseæ & mixtura Deckers in Not. ad Pr. Barbette*, quarum subinde unum alterumve cochlear propinandum. *Straussius.*

28. *Instituitur*) Ut methodica sit, juxta Indicationes, à causis præsertim petendas progrediendum est: Cum itaque *præpedita spirituum animalium irradiatio* recensitorum in definitione *παθῶν* immediata causa, à tali foveatur *cerebri intemperie & vitiata conformatione*, qualem ex *pituita viscidiori* redundantia, *& bilis vi narcotica* præditæ permistione necessario colligentes supra adumbravimus, Dandam illico esse operam consequitur, ut illa quidem *alteretur & evacuetur*, hæc vero non tam *quantitate* quam *qualitate* peccans; prout ejus requirit indoles emendetur.

Horum interea dum fit apparatus, in excitando ægro, quicquid *acclamationes fortes*, vel *triste nuntium* ægri ad aures delatum (Lethargicum avarum Medicus apud *Horatium l. 2. Satyra* 3. excitavit) vel *pilorum vellicationes, pedumq;* frictiones &c. efficere possunt, tentare oportet donec exoptatior Præsid. materies adimplendas indicationes specialissimas præsto fuerit. *Straussius.*

Quidam jussit suspendi *suem* pedibus ante ægrum, qui audiens continuum clamorem suis suspensi vociferantis adeo terrebatur ut dormire non potuerit. *Arnoldus Villanovanus Breviaris l. 4. c. 11.*

29. *1. Venæ sectione*) Circa morbi hujus Therapejan, cum nullas faciat inducias, haud diu deliberandum est: Post Enema acrius injectum protinus vena secetur, nam vasa sanguine depleta, serum aut alios humores in cerebro depositos aptius resorbent: Porro in hoc caso venam *jugularem* præ brachiali pertundendã consulo, quoniam hoc modo sanguis intra capitis sinus plurimum coacervatus, & forsan stagnans, in circulationem æquabilem facilius reducetur; Die secundo, si torpor nõdum remittet, phlebotomia, si pulsus indicabit, repetatur, vel loco ejus sanguis per cucurbitulas post scarificationem in scapulis eximatur. *Willis.*

Chirurgia opem suam offeret, quoties causa *febris* istius lentæ quidem, *sed continua*, sanguinis scil. & eductionem, & reductionẽ, *secta* extemplo vena exposcet; Id quod tãto celerius peragẽdũ, quo minus fert affectus acutus inducias, vasaq; sanguine depleta serũ, vel alios humores in cerebro depositos magis cõmode absorbent. *Straussius.*

30. *Ligatura, hirudines, cucurbitula*) Admirabile est in lethargo, caro, & aliis soporosis affectibus, *Setaceum*, nam illico revellit, derivat, & sensim evacuat. *Eustach. Rudius Pr. l. 1. c. 5.*

30. *Ligatura, hirudines &c.*) Neque prætereunda sunt *Cauteria*, nonnunquam enim ea vis est Lethargi ut somnus profundus perseveret, & virtus ita consopita sit, ut cogantur etiam *ignito ferro* excitare *cauterium*, vel in *occipite*, vel *inter primam & secundam vertebram cervicis*, ratione cujus & *derivatio* fit, & *ratione doloris* æger excitatur, Auxilii hujus beneficio excitatum atque liberatum fuisse ægrum *Massaria* l. 1. c. 12. testatur. *Straussius.*

31. *Cucurbitula*) Inter alia hoc auxilium magnum est, *Cucurbita* nempe occipitio affixa, & scarificata: Sin minus *venas narium* incidere, & illud incredibili efficacia solet cerebri plenitudinem deponere, modo non sit à pituita densa, viscida, G. *Caldera de Heredia Illustr. l. 2. obs. 8.*

32. *Purgatione*) Considerandum annon catharsis per *vomitum* aut *secessum* mox ab initio celebrari debet, Hoc inter authores vanè controvertitur, etiam vario cum successu in praxi adhibitam novi, Quod nostra fert sententia breviter proponam: Si Lethargus à *crapula* aut ebrietate recenti, vel si ab incongruis & *narcoticis* assumptis exortus fuerit, statim vomitio excitetur, quare *sal vitrioli* cum *vino & oxymel scyllitico* vel in robustis *infusio croci metallorum*, aut *Mercurii vita* cum aqua *cerasor. nigr.* exhibeatur, & postea, ni sponte operetur, penna gutturi intrusa vomitus excitetur.

Sin morbi insultus febri, aut aliis morbis cephalicis supervenerit, vel si ipse primario, aut per se, ob procatarxin in sanguine & cerebro prius jactam, excitetur, vomitoria & cathartica statim ab initio, dum

materia influxa est, exhibita sæpius plus officere quam prodesse solent, quatenus nempe humores dum in motu sunt, magis exagitant, cumque adhuc subigi & educi nequeant, eos in partem affectam adigunt: Die secundo, si torpor nondum remitteret & pulsus indicat, s. m. iteretur, aut admoveantur cucurbitulæ scarif. scapulis dein paulo postea pharmacum emeticum, sic nihil prohibeat, vel *Emeticũ* aut catharticũ exhibeatur. *Willis.*

32. *Purgatione instituta per &c.*) Pituitam lentam viscidamque prius præparatam, & à sanguine quodammodo secretam evacuant *Agaricus, Hermodactyli, Turbith gumm. Colocynthis*, & ex ipsa parati *Troch. Alhandal*: Inter Chymica vero Mercurius omnibus modis præparatus, tam præcipitatus, albus, rubeus, flavus, viridis &c. quam sublimatus, dulcis præsertim, cum corrosivus summa vehementia periculosus sit. *Sylvius.*

In Lethargo Purgatio ab initio mitior esse debet quam in aliis soporosis affectibus, ob febrem continuam conjunctam, Ex *agarico*, cui aliquid *rhabarb.* addi potest, vel *scammon.* aut Pilulis *de hiera cum agarico*, cum bilis plerumque humorum ad caput vehiculum sit: In morbi tamen progressu, cum jam materia ad caput fluxit, & in eo hæret, purgantibus etiam prædictis utendum est. *Riverius.*

α *Borellus præscribit*) *Trallians* est remedium, quo multos Lethargicos deploratos se restituisse refert; Et *Oribasius* ex *Rufo Ephesio* refert nullum aliud esse Lethargo correptis æque utile atque efficax medicamentum ad purgandam pituitam quã bilis admixta in caput detulit, quam scammonium cum castoreo exhibitum. *Idem.*

β *Non omissis clysteribus*) Qui & ad revellendum & ad vacuandum apti, ex *rad. pyreth. aristol. rot. fol. rutæ, origan. flor. centaur. min. lilior. convall. stæch. Arab, agar. pulpa colocynth.* in petia ligatæ, sem. *rutæ, carth.* in *aqua q. s.* decoquendo, *& colatura* addendo *Elect. hieræ picræ cum agar, fel tauri inspissat. mel anthos. sal rutac.* &c. Oleis vero hic ob lubricitatem, hic abstinendum. *Stransius.*

γ *Revulsione non neglecta*) Cataplasmata *cum in finem ex ruta, piperitide, aut ranunculo*, cum sapone nigro & *sale marino* in pultem contusis totis pedibus imponantur, Frictiones asperiores membris adhibeantur, Non omissis clysteribus actioribus. *Willis.*

δ *Oxymel. scill. bonum est*) Bonum etiam admovere *sal urinæ* aut spir. salis armon. naribus. *Willis.*

δ *Oxymel scyll. bonum*) Si materia copiose ad pectus transferatur, tussimque & respirationem difficilem excitet, præsenti remedio esse poterit *balsamus sulphur. terebinth.* seu *rubeus sulph.* ad 4. vel 5. guttas: ab *Horstio in syr. jujub.* ℥ß. dissolvitur, & ad lambendum cum singulari successu præbetur. *Stransius.*

ε *Præparatione materiæ*) Pituita cum sit lenta viscidaque, quæ eandem alterent & corrigant requirit, Valent *Radices* ireos, acori, galangæ, helenii, fœniculi, apii, calami arom. *Folia*, Salviæ, majoranæ, rorismar. lauri, hyssopi, calaminth. serpilli, origani, absynthii, cardui ben. menthæ. *Flores* centaurii min. chamæmeli, meliloti, stœchados: *Semina*, sileris mont. anisi, carvi, nigellæ, coriandri, *Baccæ*, lauri, juniperi, *Gummata*, opopanax, galbanum, sagapenum, bdellium, ammoniacum &c. *Aromata* pleraque. *Sylvius.*

31. *Purgatione*) Circa Evacuantia Vomitoriorum usus adhuc investigatione dignus, quem quidem ubi *lethargus à crapula*, vel recenti ebrietate, vel ab incongruis & narcoticis assumptis exortus fuerit, cum *Platero & Willisio* proficuum, imo necessarium, adeoque maturandum ducimus: Extra hos casus, & inprimis in Lethargo proprie sumpto, minus tutum esse arbitramur. *Stransius.*

Ego *vitrioli albi* ℈j. cum *jusculo* exhibiti, & vomitu excitato, illico liberavi ægrum, *L. Riverius obs. comm.* xv. Experimenta quotidiana docent pueros comate affectos *sale vitrioli* vomitivo promptius & tutius quam ullis aliis remediis liberari. *Idem pr. l. 1. c. 2.*

33. *Mitiora propter febrem*) Lethargi comes est febris lenta, si vehementior adfuerit, tunc aliud affectus genus adest (vide supra § 11.) ideo validiora in usum ducenda sint, dimissis cholagogis, cum pituita dominium habet & à bile emendationem obtineat. *Sylvius.*

34. *Si febris remissior*) *An hæc extinguenda dubium?* nam si Lethargicis febris superveniat, Lethargus solvitur; quod si sponte febris non accedit, licebit eam arte facere; inungendo pulsibus *oleum e scarabæis*, factum ad modum olei scorpionum; sic enim certo experimento febris excitatur, ephemeram æmulans, & altero statim die disparens, licebit tentare secundum aph. 57. lib. 4. & 5 lib. 6. *Wolf. Hœferus Herc. Med. l. 1. c. 6.*

35. *Præparatione materiæ*) *Usurpatis antilethargicis* &c. nondum tamen desistendum ab humoris peccantis, *pituitæ* præprimis *digestione*, seu *præparatione*, Non neglectis insuper iis quæ *febrem lentam & continuam* respiciunt, Utrique quæ inserviat materies ex dictis facile est colligere, & plura id genus apud *Sylvium l. 2. Pr. c.* 29. §. 29. & 30. videri possunt; qui præterea *Bilem*, vi *narcotica* præditam, febrimque excitantem, emendari acidis, cum acrimonia quadam conjunctis, annuente experientia asserit, adeoque inter *spiritus acidos* præ cæteris omnibus commendat, *ol. sulph. per c.* paratum, ut pote quod reliquis est acrius, & vel solo odore ægros à somno excitare valet: Huic, ejusdem suffragio, proxime accedunt *spir. nitri*, hinc *spirit. vitriol. philosoph. spir. sal. & vitrioli volat.* &c. *Stransius.*

36. *Evacuatione cerebri particulari*) Quando universalia tempestive præmissa fuerint, commode ad eam adhibebuntur *errhina, sternutatoria, apophlegmatismi*, quę ex *foliis nicotian. majoran. flor. lilior. conv. rad. elleb. albi, sem. api, nigellæ pulv. castorei ol. still. major.* &c. confici debent. *Stransius.*

37. *Nota Castoreum*) Inter fortiora est *Castoreum*, quod authoritate *Mesues* datur à granis iij. ad iv. ex *oxymelite*: Ego sane (inquit *Trallianus*) novi multos eo morbo victos hoc solo remedio mortem evasisse: per se exhibitum proficit, adhuc autem magis cum oxymelite. *Forestus obs. 9. l. 10.*

38. *Vesicatoria*) Præ cæteris topicis maximum juvamen à vesicatorio amplo, ulcuscula plurimum manantia in toto ambitu capitis excitante collatum novi: Duos ego Lethargicos, post morbum diu protractum, & non solum memoriam, sed & notitiam fere omnem deperditam ab hoc potissimum remedio sanatos vidi: quippe in utrisque loca excoriata, cum iis cicatrix haud facile obduceretur, ichoris tenuis copiam ingentem, eamque quotidie circiter ℔ß. profuderunt. *Willis.*

38. *Vesicatoriis*) Nolim, quod aliqui satis temere commendant, uti medicamentis causticis, euphorbio & simil. Quamvis enim ob stuporem non percipiant erodentem quorundam causticorum vim ægri, non desinunt tamen inde insignem pati noxam, cum ab illis partium mortificatio facile sequatur. *Sylvius l. 2. c. 26.*

38. *Vesicatoria post aures &c.*) Utimur vesicatoriis generali usu ad revellendum, vacuandum & derivandum, Sive enim humores serosi, acres in parte quadam ipsa restitent, eamq; citra inflammationem tamen, vel ruborem, vel manifestum hiatum (tunc enim conveniunt) vellicent, tendant & rodant, sive in alia vicina inflammatio, ipsaq; in massa sanguinea confusio & inquinamentum majus fuerit, faciunt officium, illo casu evocandi & derivandi, hoc evocandi & revellendi magis fine; Revellimus eorum usu in Epilepsia, si posteriori capitis parti, seu nuchæ applicentur, in suffusione, in diuturno acerboq; capitis dolore; in phrenitide: Applicari possunt nuchæ, bregmati ipsi, quod non semel cum successu fecimus, pone aures, & utriq; brachio: Materiam præbent inprimis usitatissime *Cantharides*.

Pondus illarum notandum, quod exprimitur vel implicite numero, vel expresse addita mensura, neque vero opus semper est majore pondere, siquidem & una v. g. corpore tenus imposita adurendi vi pollet: Possunt igitur accipi ad ℈j. ʒß. circiter, siquidem agens & hic agit ad mensuram recipientis corporis, ubi cumprimis spatium definit virtutem; Ut vero explicari spicula magis queant, forma quoque externa memoranda venit, Sine dubio vero optima illa erit, quæ & spatium desideratum non excedit, & partem melius regit, adhæretque, adeoque intentionem melius explet: In formam unguenti quidam, vel cataplasmatis mollioris redigunt, cum *melle anacardino* vel *theriaca*; frequentissimum est cataplasma cum fermento, ad *canthar.* ʒß. *fermenti* ʒij. *vel* ʒß. recipiendo, ne quid nimis tamen, quantum satis pro explendo spatio, & hinc optimum est Emplastrum: Additamenta si spectemus, solent vel corrigendi vel augendi sine addi, v.g. *semen ammeos*, *sinapios*, *euphorbium*, *acetum* simplex, idque potissimum in forma cataplasmatis: Additur Acetum pro formanda consistentia: Ponamus vero ipsum & infringere vim cantharidum ex parte, id potius in bono est habendum, mitigat quippe vim acrem, & suam tamen confert: unde consulto in cataplasmate retinetur, & additur Acetum, cum præsertim hoc sit rubefaciens, & experientia effectum testetur; Optime vero, citra ulla alia additamenta, cantharides impastantur cum quolibet Emplastro, vel corpore emplastico, sive soli ceræ & terebinthinæ.

Effectus in aliis citius in aliis tardius consequitur, In validis & robustis, strigosis, citius trahuntur vesicæ; in tenerioribus, serotioribus citius; Applicata maxime in Emplastri forma, parti alias in textura sua integræ & sanę, à calore vitali actuata Vesicatoria, nó minus ac rubefacientia, salinas, tum acidas, tum in cantharidibus & aliis salinas volatiles, causticas volatiles in poros cutis vibrant, unde latex in glandulis cutaneis fluxilior redditur, rarefit, confluit, & rubidam partem reddit, vel ichoris forma, ceu à fervente aqua, cuticula à cute separata, in bullulas plures, tandemque in unam fere colligitur vesicam, hinc ruptione facta evacuandus. *Wedelius Am. m.m. p 91.*

39. *Vertici aut suturæ coronali*) Interdum expediet animalis recens mactati viscera calida sincipiti, post capillitium rasum vel detonsum applicari, & subinde mutari, & quandoque etiam loca isthæc decocto cephalico & discutiente foveri. *Willis.*

40. *Capitis roboratione per appropriata*) Tempora & facies *oleo succini*, aut *balsamo cephalico* illinenda: Interim remedia cephalica subinde propinentur.

> ℞. *Aqu. flor. pæonia, cerasor. nigr. rutæ, jugland. simpl.* ãã. ℥iij. *aq. peon. compos.* ℥ij. *castor. nodulo inclusi & in vitro suspensi* ʒij. *sacch.* ʒiij.
> Misce, F. Julapium, dentur cochlearia iv. vel v. 3. vel 4. quaque hora: Porro singulis hujus dozibus adde *spir. c. c. succini*, vel *salis ammon.* gtt. 12. ad xv. vel chartan. pulveris sequentis.
>
> ℞. *Pulv. rad. pæon. mar. cranii hum. rad. serpentaria virgin. contrayerva* ãã. ʒj. *bezoar. margar.* ãã. ʒß. *corall. ppti.* ʒj.

F. Pulvis, divide in 12. partes. *Willis.*

40. *Cerebri roboratione*) Inter confortantia & appropriata celebrantur species *diabuna Minf. Diambra Augustan. magist. castor. ol. stillat. rutæ*, & præter spiritus commemoratos §. *Præparatione materia*) *spir. c. c. succini, serpill. &c.* Strauffius.

Theriaca tuto non exhibetur lethargicis, *Ballonius Epid. pag.* 330. Præsertim recens, ob vim *Opii* prædominantem: Opiata quippe in affectibus soporiferis noxia.

41. *Per appropriata*) *Sal verum auri* vel *argenti* summopere prodest ad curandum lethargum, imo certissima & tutissima est ejus cura. *P. Joh. Faber Univ. Sap. l. 3 c. 9.*

Principatum hic tenet *Essentia antimonii*, & omnes curandi rationes in hac una reperiuntur. *J. Th. de Bry Introd. in vit. Philosoph. Tr. 2. c. 6.*

Quidam referunt *cerebrum leporis assatum singulare esse* remedium. *Nic. Fontanus in Flor. Med.*

Decoctum *Timbra, Thymi*, & *Satureia* in nares immissum mirifice Lethargicos excitat. *P. Michi de Heredia Oper. p.* 30.

Exhibe *spiritum citri* & erit præsentaneum auxilium. *Wolf. Hoferus H. M. l. 1 c. 6.*

Topica.

Satureia cum *aceto* frequenter infusa capiti adhibita, aut ex vino pota, Lethargicos etiam lethaliter dormientes excitat: *Den. Altimarus Pr. c. 2.* ut autem felicius operetur, hujus decocti aliquot guttæ auribus instillandæ sunt. *Jul. Cæsar. Barricellus Hort. Gen. p.* 132.

Capilli hominis combusti, triti cum *aceto*, ut fiat unguent. naribus impositi sunt medicamentum mirabile: quandoque cum eis miscetur *Castoreum*, *P. Bayrus Pr. l. 2. c. 2.*

Vapor *spiritus Vitrioli*, candenti laminæ affusi nares feriat; spiritus vitrioli enim fœtidum & narcoticum opii sulphur corrigit. *Paulus Neucranix, De febr. Purp. p.* 471.

Scyllia quandoque sola, aut *sinapi* cum *aceto* trita, cataplasmatis more coxendicibus imposita, ad excitandum hominem lethaliter laborantem satis est. *Trallianus l. 1. c. 14.*

Quidam fecit ægro caput abradi, & hinc *melle* inungi, hinc muscæ eum adeo molestarunt, ut dormire non potuerit, & sic curatus est. *Arn. Willanovanus Brev. l. 4. c.* 10.

Commendatur valde *Verbenaca recta* si viridem *oleo* incoxeris, caputque inde rigaveris, crassos enim succos potenter exhaurit: In omni antiquo dolore nobile remedium, *Joh. Heurnius l. de cap. morb. c.* 15.

℞. *aceti* ℥iv. *nitri* ℥j *album. ovi* n. j. *camph. gr.* iv. applica fronti & temporibus: Interne vero detur *spir. Tartari cochl.* j. *cum aceti cochl.* iij Multis profuit, *Joh. Kortuhaverus, comm. in Parac. lib. de Peste, p.* 12.

42. *Diæta*) Diæta vires, & id quod sanitatis adhuc superest, respiciens, *Aërem* exposcit lucidum; verbis enim *Aretæi*, *Morbus hic nil nisi caligo*, *Victus* sit tenuis, Usus *vini*, & quidem oligophori, ante declinationem vix locum invenit: Præprimis *Excernendorum* ratio habeatur, Naturæque somnolentiori Artis calcar addatur &c. *Strauffius.*

i. Alius est *legitimus*, de quo hactenus, Alius *nothus*, qui est citra febrem, & nihil est quam somnus profundus, mediæ quasi inter Carum & Coma vigil naturæ.

ij. Alius est, 43. *per essentiam*, de quo hæc accipienda sunt; Aut *per consensum*, materia cerebro ob mensium vel hæmorrhoidum suppressionem, vel alium aliquem morbum communicata.

[43] *Alius per essentiam &c. Alius per consensum*) Plerique hactenus Medici proximam & conjunctam Lethargi causam statût esse humorem pituitosum, frigiditate quidem & humiditate naturalem cerebri calorem obtundente, & spiritus animales torpidos reddente, sed calore etiam p. n. per putredinem contracto, cerebrum nonnihil accendente, & phlogosin, hinc febrem lentam excitante.

Platerus non tam humorosam quam *vaporosam* hic agnoscit causam, imo quandoque vim *narcoticam*, quæ non frigiditate, sed proprietate ea, qua sensus consopit, stuporem atque soporem inducat, Lethargum producere censet, Quam opinionem amplectitur etiam *Sennertus*, qui impossibile esse credit, ut eadem pituita in cerebro putrescente, & febris & sopor excitentur.

Sylvius lib. 2. Prac. 29. §. 11. Veram Lethargi causam patere putat, si *Bile*, narcotica vi prædita, pituita, & quidem viscidior jungatur.

Willis Lethargum *verum* à serosa colluvie, cerebri anfractus exterius alluente, ejusque poros & meatus corticales subeunte oriri, sed & nonnunquam à malignitate ejus gravem hanc excitari somnolentiam statuit, Quandoque causam non tam in cerebri cortice affecto, quam potius *narcosi spiritibus* inflicta consistere arbitratur; idque usu opiatorum, quæ sine prævio cerebri corticalis diluvio somnum inducere solent illustrat.

Paracelsus Lethargum guttæ speciem facit, & modo ex nimia *cerebri humiditate* provenire fatetur; modo à *sulphure narcotico soluto* oriundum vocat.

Helmontius in Tum. Pest. dum varias Lethargi species recenset, contagium *excrementi hypochondriaci* accusat, sed in *Duumviratu*, *Archeum iratum* allegat alibique *sapores ex veneno narcotico*, ab alienis impuritatum impostoris orto dimanare docet.

Cartesius, & ex eo *le Grand*, Somnum naturalem per *laxationem cerebri cavitatum*, *nervorumque remissionem* à *spirituum animalium inopia* (qua sensoria sistantur, & ad motus objectorum in globosam cerebri partem, & ad communem sensus sedem Inidonea fiunt) provenientem describit.

Re bene pensitata; arbitrari cogimur allatas hactenus sententias haud adeo ab se invicem dissidere ut omnem omnino conciliationem respuant; At vero, ne confundatur causarum series, *Proximam* quidem esse retinur superius adductam *Diathesin p. n.* hincque oriundam prohibitam spirituum animalium, in ambitu, seu acrtice cerebri hospitantium irradiationem.

Causam *mediatam proximam Willis* erudite explicat, sistit se nempe causa hæc modo in *humoribus* (*vapores* enim in Lethargo febrium comite & *spurio* commodius admitti constat) modo in *spiritibus* magis conspicua; *Ibi* quidem, quoties vel *seri*, vel alterius *humoris peccantis copia* corticales poros quasi inundat, Vel *malignitas* infesta spiritus inde propellit, vetere sque migrare colonos jubet; Hic vero, quoties *narcoticum* quodpiam *virus*, absque prævia colluvie dictos spiritus non tam extinguit quam *fugat* torpidosque reddit.

Hinc etiam quoad variam *Humorum* indolem explicandam, non ita propugnaturi sumus *particulas m. s. biliosas*, pituitosas, *serosas* &c. ut non simul *sulphuream* istam *ana hymiasin & anarcosin*, suis in mineris velut absconditam cum *Sylvio*, *Platero* &c. admittamus; Sic erit ut nec *pituitosum veterum humorem*; & *tumorem*, neque *Paracelsi Guttæ* speciem, cerebrique humiditatem omnino rejiciamus: Reperiet quoque *Helmontius* cur in Galenicos minus invehere debeat, utpote qui in *Lethargo per consensum* illud *excrementi hypochondriaci* contagium lubenter concedunt, ibidemque Archæi non vanam indignationem sæpe experiuntur, quoties fermenta viscerum hypochondriacorum peregrina sua impuritate totam m. s. conspurcant.

Cartesio quoque, illam agnoscenti inundantem cerebrum colluviem, qua spiritus animales immerguntur, facile largimur cavitatem cerebri hinc laxari, pororumque immutari figuras &c. *Strausius*.

De Symptomatibus Motus Animalis.

Cap. XXII.

De Lassitudine.

1. Symptomata [2] motum animalem lædentia sunt, *Lassitudo*, *Inquietudo*, *Rigor*, *Tremor*, *Paralysis & convulsio*.

[3] *Lassitudo est ad motum animalem, qui per naturam fieri debebat, cum dolore ineptitudo.*

Signa relatio ipsius ægri suppedirat.

[4] *Causa* est, quicquid musculos motus animalis instrumenta onerat & lassat, sive illud externum, sive internum.

[5] *Curatio* per Remotionem causarum, & Musculorum demulsionem peragitur.

Dividitur in sex Species.

I. Alia est [6] *Nonspontanea*, ad quam *Exsiccativa* pertinet.

[7] Alia *Spontanea*, quæ, quia [8] redundare in corporibus humores ostendit, morbos præsagit; & si post febrem perseverat, recidivam significat: Ad eam *Gracilitatis*, *Ulcerosa*, *Tensiva*, *Phlegmonodes* & Οστοκόπος pertinet.

II. Alia est [9] *Exsiccativa*, quæ à nimio corporis motu progreditur: Nihil periculi in se habet, nisi in corpus cacochymicum inciderit.

Curatur I. [10] Quiete, somni præsertim, quia tum membra media forma, musculis relaxatis, locantur.

II. Exercitio, si priore levius, quia discutit humores in ambitum corporis motos.

III. Alia

III. Alia est [12] *Gracilitatis*, quæ nullum molestum sensum habet: A carnis & adipis musculorum consumptione oritur: Et vel chronicos vel acutos [13] morbos insequitur: *Curatur* [14] Diæta conveniente.

IV. Alia est *Vicerosa*, quæ *Cognoscitur* ex indiciis cacochymiæ biliosæ, sensu punctionis per totum corpus, unde nomen sortita est, & rigore subsequente.

Oritur ab acri & mordaci vel humore vel vapore, seu à calore fuso, seu ab exercitio liquato.

Curatur Purgatione, si materia profundius hæret: Frictionibus & motu, si in superficie: *Diacalaminthes Galeni* est in ea famosum medicamentum, inprimis, si crudorum humorum copia extra venas elicitur.

V. Alia *Tensiva*, quæ *Cognoscitur* ex sensu tensionis in musculorum tendinibus, fibris, & nervis.

Oritur à plethora.

[15] *Curatur* [16] Frictione cum oleo dulci [17] Balneo aquæ dulcis.

VI. Alia *Phlegmonodes*, quæ *Cognoscitur* sensu contusionis & contractionis, & quasi inflammationis musculorum illorum, præsertim qui sub cute locum habent.

Oritur vel à *sanguinis copia* ad musculos delapsa, aut per exercitationem attracta, & tum [18] venæ sectione cura perficitur.

Vel ab *Humoribus*, pari ratione eo deductis; & tum Purgatione opus erit.

VII. Alia est Ὀστοκόπος, quæ *Cognoscitur* ex nervorum interiorum, tendinum ossibus adhærescentium, & membranarum ossa obvolventium tensione.

Oritur à Melancholia membranas illas occupante: Concurrit cum scorbuto, febribus quartanis, morbo Gallico.

Cura ad morbos dirigitur primario.

1. *Symptomata motum animalem*) Huc refer *Pandiculationem*, *motus debilitatem*, *Stuporem*, *Motus impotentiam, aliunde quam à nervorum vitio oriundam.*

2. *Motus animalis*) Ut rite percipiatur natura *Motus animalis*; sciendum est quatuor concurrere organa ad eum ciendum, videlicet Cerebrum, Nervum, Spiritum *animalem*, & Musculum; Confert *Cerebrum*, generatione spirituum; *Nervus* eorundem in partem movendam deductione; *Musculus* spirituum receptione, hujus fibras tumefacientium.

Cum de Cerebro, Nervis & Spiritu animali aliàs egerimus, paucis hoc loco tradenda est *Musculi* constructio, quæ nihil aliud est quam congeries & contextus fibrarum carnosarum & membranosarum aut tendinosarum: Omnes hæ fibræ angulis obliquis inseruntur duobus tendinibus in musculi utroque extremo sitis, Fibræ homogeneæ invicem sunt quasi parallelæ; quæ vero sunt heterogeneæ illæ per angulos obtusos se intersecant, adeo ut carne incumbere observentur decussatim membranosis.

Etiamsi diversæ sint naturæ, cunctæ tamen iisdem tendinibus implantantur, postquam ex iis constitutus fuit *venter musculi*: In *musculo simplici*, unicam seriem observant, binosque solum tendines obtinent quibus inseruntur.

In *Musculo* autem composito plures & diversos decursus servant, quorum singuli binos tendines peculiares possident, in quos omnes illorum fibræ desinunt: Omnes exigui tendines musculi compositi coadunati, tandem abeunt in binarium numerum, quorum alter exterius exporrectus ab uno extremo ad aliud musculum integrum obtegit, etsi porro conspicuæ sunt nonnullæ fibræ carneæ inter plurimas fissuras illum velut intersecantes: Cunctæ hæ fibræ sunt totidem velut exigui tubuli, qui duos eosque diversos liquores excipiunt; unum admodum subtilem, è nervo effluentem; alterum paulo crassiorem, ex arteria manantem: Membraneæ, in quas nervorum filamenta desinunt, ex his spirituum immediate admittunt, quem in tendinem deferunt tanquam in receptaculum.

Carneæ succum arteriosum excipiunt mediantibus pluribus arteriolis, quibus universus musculi venter conspersus est: Ex concursu amborum horum liquorum in fibris carneis excitatur fermentatio, quam vix alia deinceps exponere voce licebit quam *Explosionis* licuerit, nulla quippe magis congrua huic actioni designandæ occurrit: Neque tertius requiritur liquor ad fermentationem istam sopiendam si motum inhibere volumus; satis est spiritus, qui illam excitant, expelli in tendinem per fibras membranosas quæ carneas comprimunt, in quibus explosio peragitur.

Qui norunt ad aliquam animæ cogitationem quosdam motus in corpore excitari, non arduo illi negotio intelligent cur fibræ musculi membranosæ carnosas comprimant ad nutum voluntatis, cum volumus cohibere motum cujuspiam partis: hæc enim cogitatio spiritus determinat ad uberiorem influxum in fibras membranosas, cui succedit intumefactio per quam comprimuntur fibræ carneæ.

Explosio peracta in fibris carneis has breviores ab intumefactione efficit, quapropter attrahunt tendines, qui veluti bini funes, quorum alter parti mobili adnectitur, alter immobili, adducti autem à fibris, totidem velut uncis, aut à vectibus exiguis quasi elevati, parti mobili motum conciliant, cui valido adhærent nexu: Adeo ut ad perficiendum motum requiratur ut spiritus in musculum per nervum feratur; immediate ab ipsius fibris tendinosis excipiatur, in quibus ejusmodi explosio peragitur, quam subsequitur eorundem intumefactio, hinc contractio, atque attractio partis mobilis tendini annexæ.

Hac autem ratione *spiritus in fibras carneas* commeat, easque subit: Is qui recens per nervos appellit, columnas spirituum, jam inexistentium fibras tendinosas propellit; hæ impellunt spiritus tendinem occupantes, illisque continuos, hosque ut locum cedant adigunt subeundo fibras carneas, ut liber concedatur illis introitus in tendinem eos admissurum. &c.

Fibræ carnosæ musculi tensionem inducunt sui intumefactione: fibræ autem membranosæ à carnosarum tensione compressæ, illas vicissim comprimunt elasti-

eo quasi modo, ac ut detumescant efficiunt, spiritus versus tendines impellendo unde prodierant, eoque pacto succedit musculi relaxatio: Adeo ut ibi reciprocatio quædam, vel æstus quasi accidat spirituum, qui ex tendinibus in fibras carneas influunt, & ab his in tendines iterum remeant; Quamdiu spiritus intra tendinem manet, nulla accidit intumefactio, eo quod succo arterioso non commisceatur, quia videlicet tendo arterias paucissimas obtinet: Quando spiritus in tendinem non regreditur, recensque continuo influit in fibras carneas, motus evadit continuus sicuti in corde &c.

Non autem censemus à spiritu animali solitario posse induci hanc intumefactionem, nam etiamsi totus is qui cerebro continetur, in unicum musculum conflueret, vix sufficeret huic tensioni efficiendæ, præsertim per diem integrum, si quidem adeo diffipalis est substantiæ: Fidem vero dictis majorem facit experimentum D. *Stenonis*, videlicet sanguinem ad id omnino requiri, nequaquam autem sufficere ad motus productionem spirituum animalem, ligato enim trunco descendente Aortæ; cunctæ partes subditæ, in quas ramusculi disseminantur, eodem momento motu destitutæ fuerunt. *Duncanus Explicat. nova & mechan. funct. animal. cap.* 9. Ubi plura lectu dignissima.

3. *Lassitudine*) Tristis sensus species est Lassitudo, quæ aut ex *laboribus* & motu corporis profecta est, aut *spontanea*, estque impotentia sive debilitas artuum ad motum, ob facultatis læsionem: Utraque triplex est, una, in quas universi corporis mole tendi putatur, *Tensiva* dicta; fitque potissimum à pleuitudine, quæ partes adeo distendit, ut ab ipsis tolerari non possit: sed fieri etiam potest ex flatibus & vaporibus distendentibus, non tamen ut mordaces sunt.

Secunda est *Ulcerosa*, in qua corpus, cum movetur velut ulceribus conspersum esse putatur, atque tanquam spinis & aculeis pungi videtur, fitque à mordaci humore, hinc motis magis accidit quam quiescentibus, nisi magna fit lassitudo, nam quieti humores non pungunt nec vellicant, nisi multi fint & copiosi, inde magna lassitudo quiescentibus etiam molesta esse solet.

Afficitur autem & pungitur, vel sola cutis, vel sola caro, vel utraque pro causæ magnitudine aut parvitate; mordacitatem autem materia habet, vel quia biliosa, vel quia putrida, vel nimium calefacta, ex balneo, motu, insolatu, atque obstructa cute retinetur, vel ob copiam ad cutim transmittitur.

Tertia lassitudo est *Phlegmonides*, in qua partes quasi contusas, & phlegmone obsessas etiam usque ad ossa sentimus, unde φλεγμονώδη vocant Græci, ob tristem sensum quem in penitioribus partibus excitat, hic adest sensus mordicationis, doloris & tensionis, quasi sit ex tensiva & ulcerosa composita: In hac ægri velut contusi jacent, nec minimum quidem motum sustinent, ita ut ne quidem pandiculari tentent audeantve, cum omnis motus sit illis formidabilis, cum in tensiva & ulcerosa pandiculatio contingat, ubi à vaporosis proveniunt excrementis: Sed si *ulcerosa* magna fuerit, transit in horrorem, & hic rursus in rigorem, quia ab una & eadem causa hæc symptomata proveniunt, mordacibus scil. excrementis, sed differunt tantum multitudine, acrimonia, motu, eaque sito seosn partis, nam quæ minus acria sunt, aut pauciora, cum quiescunt, & in corpore omnino sensus, faciunt inæqualitatem tantum & lassitudinem: contra quæ copiosa sunt, acria, & moveotur, ea & horrorem & rigorem excitant.

Hæ autem Lassitudinis differentiæ componi inter se possunt, ulcerosa cum tensiva, cum oseocopo, ita ut ex varia complicatione quindecim oriuntur lassitudinum differentiæ *Galeno* 3. *de sanit. tu. cap.* 13. *Primo ipsius*

Κόπος, Lassitudo, Fatigatio, dicitur talis affectio corporis, qua pleræque functiones animales ob debilitatem nervosi succi nervosi præpedite, ac minus vegete exercentur; Hinc potentia loco motiva vacillat, & ita affecti otium & secessum amant, corporis exercitia & labores devitant, pensa quævis ægre suscipiunt, eaque statim delassati remittunt, *Willis Tract. de scorbut. c.* 4.

4. *Causa est*) Lassitudo totius corporis Spontanea oritur à spirituum animalium torpore ac paucitate, quapropter non sufficiunt ad multa exercitia.

Lassitudo totius corporis etiam oriri potest à multis tubulis musculorum ubivis in toto corpore obstructis, adeo ut spiritus animales possint tantum in pauciores musculorum tubulos influere; hinc difficulter possunt retrahere & flectere membra movenda. *Prax. Med. reform. cap.* 100.

Ab humoribus viscidis musculorum fibræ aliquatenus obstruuntur, adeo ut tam facile se exercere & movere non possint; hinc membra statim lassa sunt, & motibus concitandis inepta; propter incrassitionem spirituum motorum non in tanta copia à cerebri glandulis sequestrantur, sed & tardius fluunt, ex salis volatilis defectu & glutinosi humoris copia. *Steph. Blancardus Idea Med. Nova §.* 267.

5. *Curatio per remotionem causarum*) Curatur pro varietate differentiarum varie, in genere autem.

1. Sanguinis & vitiosorum humorum evacuatione, tum per *venæ sectionem*, ubi ejus indicans, ut in phlegmonosa, præcipue per *cucurbitulas scarificatas*, nec non *hæmorrhoidum* in assuetis *apertionem*, tum per purgantia, in ulcerosa, non tamen δραστικά.

2. *Symptomatum*, doloris v. g. vigiliarum, catarrhorum &c. mitigatione.

3. *Alteratione & Confortantium exhibitione*.

4. *Frictionum* cum *oleo dulci*, & *balneorum aqua dulcis*, *pediluviorum*, inunctionum &c. administratione.

5. *Diæta* conveniente. *Hodeg. p.* 501.

6. *Non spontanea*) Lassitudo post labores, seu *Defatigatio*, facit ut non tantum ad eosdem quos prius subierunt labores, & alios etiam suscipiendos inepti sint, sed & molestiam, non tantum quando aliquid agunt, sed & cum quiescunt aliquandiu remanentem sentiant, *Stupores* nimirum illum in membris nimium agitatis sensum quem *Formicationem* vocant; & tensionem quandam, ac si illa arida, seu adstricta potius essent; ideoque ægre & cum molestia flectuntur aut extenduntur, unde *squalidam lassitudinem* eam alicubi *Galenus* vocavit: ant si cacochymici *sint*, *sensum doloriscum* percipiunt: Hæc prout universum corpus, partesve illius valide exercitatæ fuerunt plus minusve se exserit; cum aliquando totum illud ex defatigatione adeo prosternatur, ut & in quiete, vel etiam decubitu, cum & in eo per musculos membrorum aliqua attractio vel extensio *fiat*, *Lassitudo* non penitus cesset, unde noctu corpus volutare varie, ut situm aptum corpori, quo quiescere & dormire commode possint invenient, coguntur: Interdum vero certæ partes, quæ laborem sustinent, eum tantum sentiunt, ut *pedes* post itinerationem longam, *brachia* post ictus diu continuatos: *Manus* non tantum post validiores motus, sed &, ut sæpe expertus sum, diu multumque scribendo, sicuti & *mandibulam* multum loquendo defatigari posse observavi: Debiliores etiam *palpebrarum*, *labiorum*, *oculorum* motus defatigari vel hoc etiam ostendit quod *lassa palpebra* ægre attollantur, somnolentiæ & defatigationis certum indicium. *Platerus*.

7. *Spontanea*) Hoc est, non à labore profecta, sed sponte eveniens, qualem morbos minari, vel præcedere docet *Hippocr.* cum sensu quodam doloris se in membris manifestat; Qui vel in superficie cutis & subjectæ carnis sese offerens, contactu exacerbatur sensum ali-

quem

quem exprimens in partibus, eumque vel *Ulceris*, diciturque *Ulceroſa*; vel *inflammationis*, vocaturque *Inflammatoria*, *Phlegmonodes*, Alii *ſenſum* illum *doloriſicum* in profundo ſentiunt; idque vel *circa articulos*, ac ſi tenſi eſſent, quia ægre moventur, vocaturque *Tonodes Laſſitudo*, Vel circa *ipſa oſſa*, ac ſi contunderentur, *Contundens Laſſitudo*, quam *Galenus* ὀστεοκοπώδη nominavit, Sed & plures horum ſenſuum moleſtorum ſpecies ſimul concurrentes Laſſitudini huic copulantur. *Platerus*.

8. *Quia redundare in corporibus*) Humorum copia ſi oneretur corpus, non tantum cum laborat, ſtatim defatigatur, ſed & ſine exercitio, *ſpontanea* dicta laſſitudine infeſtatur; quæ & morbos ex illa humorum redundantia mox ſequuturos prænunciat; Ita in *plethora ſanguinis*, *tenſiva* & *inflammatoria* ſentitur *laſſitudo*, Et in *cacochymia humorum bilioſorum*, acrium, ſalſorum, *Ulceroſa*, In *crudorum*, frigidorum, *contundens* & *gravis*. Platerus.

9. *Altra eſt Exſiccativa*) Labore, ſeu exercitio, cum diuturniore, tum validiore quam ſingulis naturis conveniat, corpus & pigrum & laſſum fit; cum enim *quod caret alterna requie durabile non* fit, accidit ut qui longius quam par eſt exercentur, aut qui iter longum conficiunt, & qui tota die laborant, laſſi fiunt; Ita etiam ſi validum & vehemens opus, in quo faciendo robore vel velocitate opus eſt, diutius peragant, defatigantur, Idque quia *tenduntur muſculi, nervi* & *tendines*, cum membra flectuntur, intenduntur & circumducuntur articuli; tuncque etiam quando quieſcunt ſimilis manet ſenſus & affectio qualis per motum fieri ſolebat, Tenſivaque ſentitur laſſitudo: Dein & quia incaleſcunt membra motu, laſſa fiunt, ſic enim *conſumptio* quædam fit *humoris viſcidi*, quo ad motum faciliorem edendum *articuli illiniuntur*; non adipis (quo articuli omnino deſtituuntur) uti voluerunt, colliquatio, quo humore conſumpto, tanquam arida facta membra difficilius flectuntur; eaq; *tendi* veluti videntur; Ob *calorem* quoque illum, motu in membris ſuſcitatum, ſanguis in extimam cutem & carnem provocatus, *inflammationis* ſenſum illic movet: vel ſi *acris* ſit & *tenuis*, *ulceris* ſenſum aliquem præbet; vel ſi *crudior*, ſaltem gravat & tendit. *Platerus*.

10. *Quieto, ſomnus præſertim*) Quies defatigationem poſt labores ſanat, ceſſante tunc labore, maxime vero per ſomnum facta, cum per eam membra melius quieſcant: idque potiſſimum ſi eo ſitu collocentur, & forma, quæ media dicitur; muſculis omnibus relaxatis, ita ut nullam vim patiantur, ſive curva ſive recta, ſingulis tamen membris competens ſit figura, ſed & cum per ſomnum humores, per motum nimium provocati, diſcutiuntur, ideo melius feſſa corpora hac ratione refocillantur. *Platerus*.

11. *Exercitio, ſi priore levius*) Exercitium ab *otio* pigritiam natam corrigit, ſi illo, quod iis maxime jucundum eſt, vel neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem corpus exercere conſueſcant: *Imbecilliores*, vel qui ob molem corporis vehementiorem non poſſunt perferre negotia, vel exercitia, levioribus, quæ vel ipſi obeunt, vel quibus ab aliis exercentur, ut frictionibus, ad labores tolerandos, aptiores fiunt; A *labore* quoque vehementi contractam laſſitudinem emendat, ſi *mitius* ſit priore, ſic enim melius quam omnimoda quies laſſa corpora ad quietem reducit, cum omnis ſubita mutatio obſit, uti ſi eundo, deambulando, poſt curſum, aliaque validiora opera potius quam ſedendo: Ita & *laſſitudinem laſſitudinem tollere*, inquit *Galenus* ſi heſternæ par poſtridie adhibeatur: *contrarius* etiam *prioris motus motus* defatigata reficit corpora, ut ſi quis montem ſcandendo laſſus fiat, deſcendendo rurſum citius levabitur, Dein & quia *diſcutit exercitium levius humores*, à vehementiore evocatos, eo nomine quoque doloriſicas laſſitudines ſanat. *Platerus*.

12. *Gracilitatis*) Hanc ſpeciem iiſdem verbis deſcribit *Gerardus Blaſius Therap. ſpec. pag.* 413. Vide Inferius ubi de Motus impotentia in genere, aliunde quam à nervorum vitio oriunda.

13. *Morbus inſequitur*) In Laſſitudine poſt morbum, inungi membra *oleo chamæm.* cui *valerianæ radix* incocta, Oleo item *cheirino, lilior. convall. flor. populi* &c. Practici jubent. *Hodegi Med. p.* 513.

14. *Diæta convenienti*) *Cibus & Potus reficiens* corpora laſſa egregie reficit, idque præſertim vini exhibitione, quod laſſos vegetos reddit & recreat: Imbecilliores quoque, ad omnes operationes ſegniores, hiſce robur aliquod aſſumunt. *Platerus*.

15. *Curatur Frictione*) Præter hanc, & Balnei uſum, Applicationes aliæ, ut *Inunctio*, per ſe ſine balneo, adminiſtrata, per ſpinæ præſertim longitudinem, vel partes defatigatas facta, laſſitudinem uti & frictio & balneum, ſola poteſt mitigare, levius tamen, cum minor *inunctione* fiat frictio, calorque actualis in unguento minor ſit: *Artemiſiam* cum *axungia* pedibus applicatam *fatigationem* ab *itinere* tollere ſcribit *Dioſcorides*, Et ſi *artemiſiam* ſecum geſtet viator, non defatigari iter faciendo aliqui docent; Idem accidere ſi *axungia anſeris* ungantur, aliqui pro comperto aſſerunt. *Platerus*.

16. *Frictione cum oleo dulci*) Frictione, quia ut Exercitium levius humores diſcutit, Veteres non tantum corpora ante labores, quos ſanitatis plerumque cauſa ſubibant, ad partes laxandas, excrementaque attracta repurganda, denuo eam adhibebant, eamque *Apotherapiam* appellabant, fiebatque *levis Frictio* per quam corpus leviter incaleſcebat, ad ſolvendum & laxandum, quam *mollem* & *paucam* vocabant; vel *fortior*, in qua pars amplius incaleſcebat & dilatabatur, quam *duram* & *multam* appellabant; hancque *minuere*, illam *conſtringere* aſſerebant; vel *mediocris*, quæ & qualitate & quantitate & viribus media inter hæc erat: Cui mutuum operi *Inunctionem* ſimul, ut melius illud perficeretur, *ex oleo communi*, vel *ſabino* adhibebant, cujus loco nos chamæmelinum, vel amygdal. dulc. adhibere poſſumus. *Platerus*.

17. *Balneo aqua dulcis*) *Balneum* & *humidum* & *calidum* Frictionis uſum præſtare poteſt, noſtroque ſeculo magis conſuetum eſt, ſive major corporis pars, vel partes laſſæ tantum in eo, ut pedes poſt curſum, merganturr, quod mire corpora laſſa reficit, calore actuali moderato, vel magis minuſve aucto; ut Frictio reſolvens, humores provocans, adſtrictaſque partes relaxans: Quod ex *aqua ſimplici* paratur, cui interdum *malva*, *chamomilla*, *betonica*, *hyſſopus*, *origanum*, *pulegium*, *ſalvia*, *chamæp.* *artemiſia*, aliæque ad vires augendas incoquuntur; Poſt cujus uſum *Inunctio*, uti in frictione, convenit. *Platerus*.

18. *Et tum vena ſectione &c.*) Evacuatio in ſpontanea laſſitudine, ab humorum copia prægreſſa, eos auferendo illam tollit; & ne corpora in morbos incidant præcavet; quod *ſanguinis eductione* in *plethora*, & *purgantibus* in cacochymicis corporibus, redundantiæ excrementorum accommodatis, præſtabitur. *Platerus*.

Cap. XXIII.

De Inquietudine.

1. *Inquietudo est corporis & membrorum varia jactatio, à materia partes sentientes molestante exorta.*

Signis opus non est: Affectus oculis est expositus.

2. *Causa* est materia acris, vel humor, vel vapor calidus.

Curatio ad eandem, ut ex differentiis patet, obverti debet.

Dividitur in *Criticam* & *Symptomaticam*.

Critica est in perturbatione illa subitanea humorum: Unde nihil periculi.

Symptomatica accidit in genere, & continet sub se.

I. 3. *Stomachicam*, 4. quæ *Cognoscitur* ex nausea, interdum sine vomitu, interdum cum illo, dolore ventriculi &c.

5. *Oritur* vel ab *Humoribus* os ventriculi vellicantibus, & in tunicis inhibitis; ubi purgantia acrimoniam retundentia locum habent: vel à *cibo* intempestivè sumto, ubi vomitu subveniendum est.

II. *Inflammatoriam*, quæ à visceris inflammatione procedit.

III. 6. *Febrilem*, quæ in febribus malignis apparet, & cum virium imbecillitate periculosa est.

In 7. *Curatione* ad morbos respiciendum.

1. *Inquietudo est corporis*) In quibusdam morbis decumbentes, tam vigilantes quam dormientes, admodum interdum inquieti sunt, & proprie *Inquietudo* dicitur, quippe ea laborans *ἀσώδης* appellatur; Symptoma est multorum morborum, vires prosternens: Quo affecti corpus nunc varie, huc illucve jactant, unde & *Jactationem*, aliqui *Jectigationem* vocarunt: nunc se frequenter erigunt, hinc pedes manusque continuo exercent, retrahunt, mutant: alias ad pedes devoluuntur, quod in morbis acutis (quibus familiare hoc est accidens) inter lethalia signa reposuit *Hippocr*. In sanis etiam ejusmodi inquietudo, tam vigilantibus quam dormientibus, molesta esse solet, & morbos minari: *Platerus*. De Anxietate vitio orificii ventriculi afflicta Vide *lib. 3. Titulo 2. cap. 6. articul. 2.* Et *Gorraum in Defin. voce* Ἀλύκη.

2. *Causa est*) *Spiritus agitati per animi affectus, cerebri calorem*; vel *perturbati per commistionem humorum, vaporum*, mentem alienando, variasque imaginationes offerendo, ut adeo inquieti sint, variaque tentent & peragant, efficiunt, *Irritatio in nervis* facta, qua ratione ut corpus convellatur, in *Convulsione* dictum; Cæterum ab irritatione & molestia quoque alii motus, ut nimium vel non recte fiant, diversimode pro causa varia impelluntur; *A calore* enim *Inquietudo* dicta sæpe fit, non tantum quia actiones promovet, & in actum deducit, aut in cerebro accenso delirium parit, sed quando totum corpus æstuat in febribus, & quia molestiam magnam facit corpus inquietum reddit, Estque febrium symptoma, maxime *continuarum*, *continentium*, *ardentium*, intermittentium etiam, tunc quando in paroxysmu calor summus præcipue affligit: *Dolore* alis gravi offensum corpus, & eo velut ab hoste afflictum; nullo loco potest subsistere, aut quiescere, in eoque propulsando, mitigando omnes actiones intendit. *Platerus.*

3. *Stomachicam &c.*) Ἀλυσμὸς καὶ ἄλυς, item ἄση. duplex est, una ναυτώδης. altera ἀνέμετος: Et τὸ ἀνέμετος videtur usurpandum non pro vomitionis privatione, sed pro nauseæ absentia; ac si diceremus ἄση ἀναυτώδης. Ἀσώδεις, ait *Galenus comm. in part. 43. 2. Prorrh.* bifariam ægri sunt, uno modo cum ita à corpore virus deprimitur ac degravatur, ut ferendo non sit, nullamque æger decubitus formam retineat, quod fit ἀλύων; altero cum pravi humores os alvi ipsius infestant: hi posteriores, *ait*, nausea detinentur, sed non vomunt, & ita *Hippocr.* dicuntur ἀνεμέτως ἀσώδεις jactabundi irrequietique sine nausea & vomitione, sed melius sine nausea, non affecto ore ventriculi, sed facultate depressa ac jacente: Atque cum ἀλυσμὸς ἀνέμετος dicitur, ob facultatis pressum, aut ruinam potius, multo deterior priore censeri debet; nam conceptum in majoribus vasis incendium monet, præsertim si partium extimarum refrigeratio conjuncta sit; ea videlicet quam æstus præcordiorum inducat; *Ballonius in Def. Med p.* 11.

4. *Stomachicam, quæ cognoscitur*) Non raro contingit ut in præcordiis, h.e. regione circa ventriculū, diaphragma, jecoris cava, lien, pancreas &c. in specie ventriculus, ejusque superius orificium, adeoque in ea regione quæ costis nothis, anteriora versus ad sternum se inflectentibus circumscribitur, non raro sint *anxietates*, non raro dolores, ægris admodum difficiles; Et quidem si ægri conqueruntur de quadam circa præcordia, sive ventriculi regionem angustia, sive non explicabili molestia, unde inquieti sunt, & huc inde se movent in lecto, dicitur in specie *Anxietas*; Sin vero dolor sit qui in ista anxietate vehementer affligat, & cum ægri intento digito monstrant in fovea illa quæ dicitur scrobiculus cordis, se pessime habere, vocant *Dolor stomachi*, seu *Cardialgia*.

Anxietates illas optime illustrat *vomitus* imminens ab assumpto Vomitorio, qui maxime anxios reddit ægros; Cardialgiam vero repræsentant dolores illi qui post deglutitos grandiores bolos, aut duriora assumpta, nos sensibilissime, & interdum atrocissime affligunt: In utroque casu malum semper oritur ab affecto plus minus ventriculi orificio sinistro: Præsupponenda nempe hic sensibilitas hujus orificii, & inde nata proclivitas ad sui contracturam variosque spasmos. Conveniunt adeoque, & differunt *Anxietates* & *Cardialgiæ*, illæ quasi vagæ, hæ fixæ: Illæ simpliciter ab irritante subinde, non commode explicabili molestia, hæc a convulsiva constrictione.

Anxietates istas dico oriri omnes, quibusvis in morbis simpliciter. ab affectis præcordiis, seu speciatim ventriculo, ut non solum ostendunt angustiæ istæ quæ

vomitum

vomitum præcedunt, sed & mulieres hystericæ subinde de gravissimis anxietatibus conqueruntur; In quibus simpliciter esse affectum orificium superius stomachi testantur ructus subinde supervenientes, à quorum eruptione sensibile levamen percipiunt.

Item in *febribus* v.g. *intermittentibus*, nunc præcedunt, nunc in ipso paroxysmo affligunt, anxietates multiplices; quæ quod sint ex stomacho confirmatur ex eo quod à frigido potu ordinario exasperantur.

In *febribus malignis* gravissimæ anxietates, quæ frequenter affligunt ægros, itidem revera sunt ex præcordiis, Etsi enim sudor in talibus videatur levare malum, tamen revera in stomacho est, & cessante sudore redeunt: nempe suppresso sudore effluvia ista, quæ insensibiliter aut sensibiliter alias difflantur, retenta affligunt præcordia & membranosas eorum partes, vnde anxietates; Pari fere ratione atq; in Diarrhoea, quo copiosiori diaphoresi gaudet corpus, eo minor erit diarrhœa; sed quo minor est diaphoresis, eo copiosior alvi fluxus.

Porro esse Anxietates ex præcordiis, ostendunt gravissimæ istæ præcordiorum angustiæ, & subinde lethales anxietates, cum hypochondriorum extensione, præcurrentibus lipothymiis, sudore frigido &c. quæ superveniunt interdum contorsioni vertebrarum: Hinc est quod is qui cœna largiori se replent, noctem insequentem inquietam patiuntur, dum hinc inde se jectigare ob anxietatem coguntur, saltim propter stomachum, ex nimia repletione male affectum: Certi ergo esse possumus quoties ægri vel anxii sunt, vel de anxietatibus conqueruntur, semper vitium esse in ventriculo, speciatim sensibilissimo ejus superiori orificio. *Etmuller.*

5. *Oritur vel ab humoribus*) Causæ quæ anxietates tales pariunt, sunt nunc manifesta acriora, vel stomacho hostilia assumpta; ut *mercurius sublimatus*, *arsenicum*, *lac coagulatum*, *fungi &c.* nunc *alimenta* sub digestione corrupta, ut fructus horæi; *Vitiata* nunc *contenta peregrina*, ut *fatus & humores æruginosi*, nunc fermenta aliunde susceptа, ut in peste morbisque contagiosis; nunc ipsi ventriculo impressum virus, *inflammatio*, *eschara* &c. nunc *nervorum vitia convulsiva*, orificium ejus, aut membraneas partes vicinas inficientia, ut in vertebrarum contorsione: Pro quarum causarum varietate etiam cura hujus symptomatis varianda est, tam in morbi primarii medela, quam symptomatis urgentis interdum per *opium* mitigatione. *Etmuller.*

6. *Febrilem*) Ob calorem non solum cordis & cerebri, sed & totius corporis in febribus si Inquietudo oboriatur, tunc symptoma hoc, quia vires dejicit, ad se curam trahit, quæ tamen non aliter quam quæ febribus in restinguendo incendio adhiberi solet, usurpatur, nisi quod hic remediorum vis augenda, eoq; nomine cum viget cura, sanguinis evacuationem & diversionem, nisi quid obstet, copiosiorem molimur, vel eam reiteramus; Refrigerantium itidem qualitatem, cum internis externisque remediis augemus, atq; quæ calorem augere possunt, ut nimia integumenta, auferimus, & conclavia occlusa aperimus; Et *symptomatis* præcipue causa, fricando corpus, *vapores*, qui inquietudinem causant, vel augent, à nervoso genere divertendo, & postea illud inunctione spinæ, *ol. amygd. dulc. viol. &c.* leniendo, jactationem illam corporis emendamus: Quod & fit si ægros, ne nimio motu se debilitent, aut denudando sudores impediant, admoneamus, atque ut illos nonnihil compescamus, somnum conciliemus. *Platerus.* Vide lib. de Febribus. & supra §. 4. *Stomachicum.*)

7. *In curatione ad morbos respiciendum*) Si illa ex mentis perturbatione nata sit, quid tum ratione *morbi*, tum hujus etiam *symptomatis*, cujus causa, quomodo *soporiferis* compesci, & vi adhibita coërceri debeat, in *mentis alienatione* dictum, Si ob *dolorem* inquieti sint, tum anodynis dolorem mulcendo, & soporem, atque si vehementius urgeat, stuporem inducendo, una cum dolore inquietudinem emendamus. Si ob *calorem*, quomodo occurrendum vide §.6. *Febrilem*) Platerus.

Cap. XXIV.

De Rigore.

Consule lib. de Febribus.

1. **R**igor *est musculorum totius corporis* [2] *vibratio, cum refrigeratione & dolore quodam conjuncta, à re molesta, partes sentientes in ambitu corporis subito vellicante, & expultricem irritante exorta.*

Pars affecta est totum corpus, vel musculi ejusdem, sive compatiantur interius, sive non.

Signis opus non est: [3] Refrigeratio quæ in eo accidit, vel est duntaxat cutanea, ob dolorem ab acrimonia humoris excitatum: vel musculorum, seu illa ab humoris fit diffusione, seu viscerum inflammatione: [4] *Horror* parvus rigor est, quia cutis tantum concutitur.

Causa est res molesta, sive in ipsis musculis colligatur & contineatur; sive aliunde transmittatur: Illa verò est acris & mordax, multa, quæque velociter movetur, partes sentientes vellicat, & expultricem concitat: Potest & à caloris ad interiora recursu oriri, quia sentientes in ambitu partes, calore suo subito privatæ molestiam sentiunt, à qua expultrice stimulata, musculi externi concutiuntur: [5] Accidit inprimis in febribus.

Curatio sublatis causis peragitur: Malus est, si evacuatione subsecuta morbus non cessat, & si cum tabe conjungatur.

Dividitur præcipuè *trifariam.*

I. [6] Alius est *ab Externis*, ut aëre frigido, calore externo excrementa quæ quiescebant fundente, adspersione aquæ frigidæ, scintillæ in cutem illapsu &c.

Curatio hic nihil observatu dignum habet.

Alius ab *Internis*, humore nempe *bilioso*, salsa pituita, melancholia, atra bile, vapore acri,

Cura morbo ; ſpectat:[8] *Mitigandi* interdum ſunt ol. *Rutaceo*, *laurino*, *de caſtoreo*, *de piperibus* cum *Theriaca* &: *Mithridatio*.

II. Alius eſt *Vehemens cum febre continua* : Tum, ſi in principio fit, inflammationem viſceris indicat; ſi in fine, vel materiam febrilem è venis moveri, vel inflammationem ad ſuppurationem tendere oſtendit.

Alius *Parvus*, qui febrium index, in propriis de illis capitibus videndus eſt: Solet aliquando cum animi deliquio invadere, circa veſperam inprimis, eos quibus aliquis interior abſceſſus eſt ruptus.

III. Alius eſt *Periodicus*, qui ſecundum typos affligit: Et hic optimus, ſi die critico accedit, ſi corpus ad ipſum excaleſcit; aut aliqua dejectio ſequitur.

Alius *Symptomaticus*, quando materia ſine criſi in ambitum corporis protruditur: Et de hoc agimus.

[1.] *Rigor eſt muſculorum*) Concuti membra per *Rigorem* dicimus, quando concuſſio quædam fit totius corporis, aut illius partium, ſicuti fere trementibus accidit, ſed cum frigoris quodam ſenſu, & penitus involuntarie, unde Rigor appellatur; Uti in *febrium intermittentium* paroxyſmorum initiis, hoc modo corpus univerſum extenditur, curvatur, concutitur, adeo ſæpe valide ut dentes colliſi ſtrepitum edant, quem *Stridorem dentium vocant*: Atque *febres continua* cum ejuſmodi Rigore quoque invadunt, atque interdum cum criſis futura eſt illius prænuntius eſt; Alias levior eſt agitatio, & *Horror* tunc appellatur, in quo major frigoris ſenſus corpus pervadit, ſtantque erectæ comæ, & pori conſtricti cutem aſperam reddunt: Quod & aliquando *Frigus* ſolum, uti in *febribus* hominem moleſtat; Sed & extra morbos à *frigore externo, metu*, rigor vel horror hiſce ſimilis corpus nonnihil concutit: Aliquando & Rigor ſine frigore à cauſis externis naſcitur. *Platerus.*

[2.] *Vibratio cum refrigeratione*) Heic duo cum ſint, *Frigus*, & hoc conſequens *Concuſſio*, quæſtio eſt fiant ne ab una eademque cauſa? Hoc ut intelligatur, dicendum eſt, ante omnia, Tria cum ſint in febribus (in his enim frequentio ſpectantur) ordine quaſi quodam ſeſe ſubſequentia, *Frigus*, *Horror*, *Rigor*, fiunt-ne ab una cauſa, frigore modo debiliori, modo intenſiori, modo fortiſſimo? Vt intelligas, in quibuſdam febribus, ψύχεται, frigus tantum eſt, & defunguntur ægri moleſtia illa, cum fiat tantum corrugatio quædam cutis, cum livore unguium, pallore naſi, & auricularum; In quibuſdam frigori adjungitur motus quidam cutis, cum membrana carnoſa cuti ſubjecta, qui jam φρίκη τὶ, *horror* eſt, In quibuſdam non tantum hæc duo ſunt, ſed accedit etiam concuſſio totius corporis; ut ſponda crepet, quæ ῥῖγος τὶ, Rigor eſt, fiunt ne tria ab uno frigore, gradibus differente? Neutiquam, ne apud *Galenum* quidem, qui vapores acres requirit. *Hoſmannus Inſt. l.3. c.87.*

[3.] *Refrigeratio quæ in eo accidit*) Frigus hoc, quale eſt, poſitivum an privativum? Eſt privativum, ſive fiat calore è ſuperficie ad centrum, Cor, revocato, quod imperiti jactant; ſive eodem ad ſuperficiem prohibito ire, quod rei natura poſtulat: Ut enim loquar de eo quod utplurimum fit, dum ex foco febrili vapores putridi ad cor eunt, ita ſtringunt & anguſtant illud ut impediatur diribitio caloris ad ſuperficiem: hinc adeo fit ut membra exteriora frigeant, deſtituta quippe eo quem ſ. n. habere debebant calore: Frigus igitur privativum cum ſit, qua fronte tribuemus illi actionem ullam? *Idem Inſt. l.3. c.87.*

[4.] *Horror parvus Rigor eſt*) Cur aliquando ſequitur Horror, aliquando Rigor? Vt diſtinctam rei notitiam habeas, Concentrato aliquamdiu in corpore calore, & quaſi ſuffocato ibi; non poteſt non fieri intenſior, Ergo dum prævalet calor, & invito (ut ita dicam) vapore febrili per corpus diditur, vehit ſecum vaporem illum acrem, qui cuti, eo modo conſideratæ quo dixi, appellens, & acredine ſua ſtimulans, *Horrorem* facit: Sed facitne idem vapor febrilis *Rigorem* quoque? Facit & non facit; Non facit, quia ut fiat κλόνος ille oportet recipiatur vapor in ipſam nervorum, cavitatem, è qua in muſculos delatus cauſatur motum p. n. At vero cum in nervos & muſculos alia via non detur quam ex cerebro, omnis ratio colligit, ex corde primo ſurſum ire ad cerebrum & ex cerebro iterum delabi perinde ut in convulſionibus dictum: Facit igitur quatenus ad principium nervorum vapor iit, illis ſe inſinuat, deorſum fertur, & implendo muſculos attollit. *Hoſmannus* l. c.

[5.] *Accidit inprimis in febribus*) Membranæ ſunt quaſi quædam telę animatæ ex diverſis fibris quaſi totidem filamentis contextæ: Fibræ iſtæ ſimiles ſunt tubulis exiguis, ſpiritibus animalibus refertis, à quibus leviſſine impulſis membrana concutitur; Si ergo cujuſpiam ſalis aculeus, alicujus vaporis, aut cujuſvis humoris acris eas vellicet, ſpiritus harum fibrarum incolæ ſtatim admodum commoventur, totamque membranam concutiunt.

Id ipſum contingit in Rigore febrili; nam tunc aciditas ſanguinis vellicans membranas, in iis generales has vibrationes parit: Sanguis initio paroxyſmi acore donatus eſſe ſolet, quia chylus ipſi commixtus, cum concoqui nequeat & digeri ut decet, corruptionem ſubire incipit; Ac ſicut cereviſia recens, quæ fermentationis defectu corrumpitur, primo aciditatem contrahit, itidem chylus, ſi ſanguini confuſus rite non fermentetur, ob utriuſque pravam conſtitutionem aciditatem contrahit, quæ primus eſt ejus corruptionis gradus: Vapores inde elati, acidi redditi, non ſecus ac ſanguis ipſos circumvehens, membranas percellunt, atque in illis Rigorem cient; Quin & ſanguis illas pertranſiens, eas acore ſuo vellicans, iſtam irritationem adauget: Frigus iſtius Rigoris utplurimum comes, ejuſdem cauſæ ſoboles eſſe poteſt: aër enim, qui acido, aut nitro hyeme quę æſtate magis impregnatus eſt (ſiquidé caput mortuum à deſtillatione aquarum forti ſi ſuperſtes, illi expoſitum, æſtate minus quam hyeme illius excipit) manifeſte oſtendit ſal acidum frigus inducere poſſe, forte conſtrictione partium, unde minus idoneæ evadunt excipiendo influxui ſanguinis & ſpirituum.

Frigus febrile fortaſſis & originem ducit à craſſitie ſanguinis initio paroxyſmi, ratione ſalis fixi acoré in illo producentis, ac ſpiritus fixiores reddentis, qui inſufficientem fermentationem in cordis ventriculis experitur, ac circulationem adeo tardam reddit, ut partes exteriores ſanguine deſtitutæ evadant, caloris in illis cauſa *Dan. Duncanus Tr. de mot. Anim. cap.* 14.

[6.] *Alius*

[6]. *Alius est ab externis)* Rigor aut *late* dicitur, pro omni frigore quod conjunctum fit cum concussione corporis, & hoc fit tam ab externis quam ab internis causis: Aut *presse* pro eo tantum quod ab internis, & sponte non prægressa causa externa, & hoc est rigor morbosus Hippocr. *Hofmannus Inst.* l. 3. c. 8.

[7]. *A causis externis)* Inter *causas remotiores occasionales* eminent inprimis *venena mercurialia*, cum notum sit quod ii qui talia tractant, v. g. auri fabri, subinde trementes fiant. Item quod ii qui incaute *unguento sapientia* ad propellendam scabiem utuntur, interdum Tremor superveniat. *Refrigeratio nimia partis* itidem ad Tremorem disponit, teste *Borelio obs.* 84. venæ sectione curatum. Hinc etiam *Potus nimium frigidorum*, v. g. *copiosa aqua frigida* in febribus, aut *potus nive vel glacie* immodice refrigeratus, authore *Sennerto*, Tremores partium inferunt: *Mensium & lochiorum suppressiones*, item *secundinarum* aut *fœtus mortui retentio*, tremorem inferunt.

[8]. *A causis externis)* Cernitur Tremor in sanis & ægris, Sani tremunt cum vehementer metuunt & consternantur, v. g. ob visum spectrum, invadentem hostem, aggredientem belluam, rem quampiam horrorem incutientem, ut sunt, tonitrua, fulmina, terræ motus, venti impetuosi &c. Tremunt quoque quando onera vel graviora gestarunt, vel levarunt, Adhæc cum diutius vigilarunt, jejunarunt, frigus ingens sustinuerunt, post venerem immodicam, frigidam uberius hiustam, Vehemens iracundia & vindictæ cupiditas tremorem excitat. *Sylvius.* refer ad cap. sequ.

[9]. *Mitigandi interdum sunt)* In Rigore, si levis fit, vel Horror tantum, cum non adeo molestus, aut diutius perseveret, in eo emendando non est laborandum: Et si quoque vehemens fit, cum natura per illum, in principiis febrium noxiam irritatur expellere materiam, nec tunc facile compescendus, ut naturæ motus impediendus, uti neque si crisin præcedat, cum, ut inquit *Hippocr. A causone rigore supervenienté fiat solutio.*

Quod si vero adeo corpus exagitet, una cum frigoris sensu molesto, ut ægri eum cum molestia magna patiantur, ab eoque debilitentur, tunc *mitigandus* potius quam penitus impediendus erit, cum hoc non sine detrimento fieri possit, rigoreque omnino sublato totius febris decursus sistatur, vel ut non decenter fiat procuretur: ita ut hic ea remedia, quæ rigorem non sinunt erumpere, febrem sanare credantur, cum tamen potius retardando, ut postea deterior sequatur, vel in graviora accidentia commutetur faciant. Nisi forte *Rigor* ille mutilis ex consuetudine potius quam causa morbifica, quæ jam sublata fit, persistat: tunc enim omnino quoque præcavendus: Qua ratione autem roagus febris paroxysmus eum rigore impediatur, in *Febribus ostenditur.*

Ad mitigationem vero sufficiunt sequentia. Si *aliud* corpus *non ubi* calefit, nam dum frigori prospicitur, etiam *rigor* placatur, quod in pedibus innoxie magis fit, eos calefaciendo pannis aliisve modis, ut *Aqua calida in vase aneo*, vel *lapidibus* aut *tegulis calefactis & panno involutis*, *frictionibus & ligaturis extremitatum* materiam divertendo rigorem emendamus, Inprimis *inunctione* spinæ id præstatur. Oleis quibuscunque calefacientibus & nervoso generi accommodatis, ut

℞. *Ol. chamom. aneth. hype. ic. ℥ß. ʒß. inungatur manibus prius madefactis aqua vita.* Vel hoc modo

℞. *flor. chamom. hyper. flor. abrot. fic. pulv. ℥ß. ʒ 1. pyrethri ʒj. affunde olei nuc. q. s. ut teneatur, aqua vita ʒ11. coqu. exprimantur ungatur spina.* Vel ex succis & oleis

℞. *succor. artemis. abrot. ℥ß. ʒß. ol. aneth. rutac. ℥ß. ʒ i. aqua vita ʒ11. croci ʒß. coqu. parum f. Lin.*

Theriacam permiscent *aqua vitæ & oleis*, & inungunt spinam plerique: Alii, si magnum sit frigus *aqua vitæ* inungunt. Inunctio ex *aneth.* id quoque præstat, quibus & plantæ pedum fricantur. Sunt qui *stupha*, si debilis calor non impediat, & si vor fuerit noceat, probant, ex *decocto pulegii, calaminth. era, abrotani artemis. & flor. chamom. ac melilot.* Cæterus.

Cap. XXV.

De Tremore.

[1]. Tremor est [2]. *motus voluntarii* [3]. *depravatio, propter quem* [4]. *membrum elevatum* [5]. *in suo situ servari non potest, a debilitate facultatis motricis exorta.*

Signis opus non est. [6]. *Differt a Convulsione*, quia in hac pars contrahitur & contracta servatur; A *Paralysi*, quia in hac non attollitur, vel nimis tardè. à *Palpitatione*, quia in hac non totum membrum, sed caro & inprimis cutis movetur; & membrum immotum nunc subsidet, nunc attenditur: à *Rigore*, quia sine dolore est.

Causa est [8]. facultatis motricis debilitas, quæ [9]. vel vitio spirituum animalium, vel nervorum accidit. Et inde fabro illi apud *Tulpium l.* 1. *obs.* 23. quoties vena brachii feriebatur, pollicis tremor.

Curatio [11]. est *Nulla*, *si* senes adoritur, ob spirituum & cerebri magnam imbecillitatem, *si ex* vehementi phrenitide vel melancholia accidit; fit enim vel ob nervorum per febrem exsiccationem, vel ob pravam qualitatem, *si* est hæreditarius, vel vitio diætæ, in illis qui organa facultatis animalis debilia habent exoritur: [13]. *si* æger ad manum resilit, [14]. in febribus acutis, quia nervi exsiccantur, aut à prava materia vellicantur, unde convulsio sequitur.

Facilior, [16]. *si* a causis evidentibus procedit.

Dubia & difficilis, *si* in parte sinistra accidit, quia calidum innatum ejus partis facilius cadit. *Si* in convulsionem mutatur, quia materia peccans deteriorem qualitatem induit, *si* in febre ardente fit, & delirium subsequitur, gravis enim morbus succedit, & vires absumuntur, *si* æger ad manum resilit, nam nervi humore madescunt.

β. *Instituitur* pro ratione Causarum & Differentiarum: de quibus agemus.

[1]. *Tremor est motus &c.)* Vel est motus voluntarius depravatus, quo membrum vicissim elevatur & deprimitur ex mutua facultatis & gravitatis membri contentione. *Riverius.*

Sic definit *Rolfincius Epitom. Pr. lib.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. Tremor est motus voluntarii depravatio, in qua perpetua vicissitudine membra elevantur & deprimuntur, & in alias positionum differentias, anteriorem & posteriorem, lævam vel sinistram partem moventur, pendens à facultatis motricis, membrum in eodem situ servare non valentis imbecillitate, seu à facultate motrice

præter naturam onerata. *Genus*, quod formalem rationem exprimit, est *depravatio motus voluntarii*. Elevantur membra à facultate motrice, decidunt rursum ob ejusdem imbecillitatem, & naturalem illarum gravitatem; ita ut inter duos hos motus sit perpetua pugna. Hanc pugnam pulchre exprimit *Galenus 2.c.de sympt c.8.*

2. *Tremor est motus*) Tremere membra dicuntur cum motu inæquali sursum deorsumque agitantur, Tunc maxime fit cum illis uti volumus, quæ aliquando magis aliquando minus tremunt, Quod in manibus frequenter accidit, cum aliquid apprehendendum vel retinendum est: Nonnunquam & in *pedibus* qui stantibus tremunt: Interdum & *capitis*, quod continuo huc illucve agitatur; *maxilla inferior* quandoque fit tremula, quod & ante vomitum, quem præsagit, sæpe evenit: Nonnunquam & totum corpus. *Platerus.*

3. *Motus voluntarii depravatio*) Ex *Galeno 2. de sympt. causis c. 1. Depravati motus* symptomata ita inter se distinguuntur, quod alia solius Naturæ sint opera, quæ tamen à morbosa quapiam causa violenter moveri sit coacta; Alia morbosos comitentur affectus, Natura ad eorum generationem suppetias minime ferente; Alia concurrente simul Natura & morbo fiant: *Naturæ* nomine *Galenus* facultatem intelligit; Facultatis ergo opera sunt Sternutatio; Tussis, Oscitatio, Pandiculatio, & Singultus. Unius autem morbi opera sunt Palpitatio & Convulsio, Utriusque, morbi scil. & facultatis, Tremor & imperfecta resolutio.

3. *Depravatio*) Si facultatem moventem respiciamus, est motus imminutus. *Rolfincius.*

3. *Est motus depravatio*) Obj. *Galenus l. de Tremore c.4.* recenset inter motus diminutos. ℞. Motum dupliciter considerari posse, vel secundum seipsum, vel ratione facultatis. Si secundum seipsum, est depravatus, quia non fit eo pacto quo deberet; Si secundum facultatem, est motus diminutus, quia fit à facultate debili, quæ satis fortes motus edere non potest. *Instabis*, A facultate debili semper imminutam actionem edi, non autem depravatam.

℞. Id verum esse si tota actio à sola facultate pendeat, sed Tremor fit partim à facultate, partim à gravitate membri, ideo est motus *Depravatus. Riverius.* Tremor ad motus corporis depravatos omnino revocandus venit, Nam qui Tremore laborant membra libere movere, sed protensa ac suspensa sufficienter continere nequeunt quin vibretur potius, & modo subsultando, modo declinando pars vitiose moveatur. *Etmuller.*

4. *Membrum*) *Subjectum* sunt partes quæcunque, manus, pedes, nonnunquam multæ partes simul tremunt, Sic prodit *Platerus in observat.* quendam ambulando caput, manus, pedes, brachia, maxillam infernam semper movisse. Et meminibus similem vidisse cujus caput cum collo perpetuo motu, sursum, deorsum & ad latera moveretur. Musculi principaliter afficiuntur secundū nervos. *Rolfincius*, Et in vivis adhuc hic Genevæ obambulat mendicus, eleemosyna victum quæritans, cujus caput & manus perpetuo tremore quatiuntur, etiamsi partes illas in quiete detineat; Foco assidere non audet, quia ingravescit affectus, Etiam rigida hyeme præ foribus stat; Urgente admodum frigore, calorem sibi conciliaturus, per vicos tremebundus deambulat. Ante decennium in illum affectum incidit, initio multo graviorem, rigori febre tertiana laborantium simillimum.

Tremunt potissimum manus quando aliquid apprehendendum vel retinendum est; Pedes cum standum, Caput quod in quibusdam huc illuc agitatur, Labia in illis qui vomituriunt. *Sebizius Manual. p. [illegible]*

5. *In suo situ servari non potest*) Imbecillitas musculorum propter quam ipsorum actio non penitus [illegible], sed tantum non sufficienter perfici potest, non omnimodam movendi impotentiam, sed *diminutam* tantum efficit, *depravate* & cum tremore sese ma[illegible]festantem, Idque quia dum membrum musculi att[illegible]ere n[illegible], hocque diutius ob imbecillitatem retinere nequit, eo quidem ob gravitatem motu naturali relabente, musculo vero sursum motu voluntario retrahente, vicissitudine hac, & velut contentione motuum inter se, membro sursum deorsumque agitato Tremor nascitur, qui tanto major erit si membrum quod moveri debet, grave existat, vel minus sequatur, musculus ad movendum aliquando etiam involuntarie incitetur, uti observamus in aliquibus, etiamsi membra quiescant, nihilominus tremere. *Platerus.*

5. *In suo situ servari non potest*) Τρόμος & τρομώδεις dicunt omnes cum facultati animali moventi debili opponit se partis gravitas naturalis, nec permittit facultati agere quod vult: 2.c.in[illegible] sympt.2. *Hofmannus Inst.* [illegible] c.84.

6. *Differt à convulsione*) Datur tamen *Tremor Convulsivus*, qui in remissione paroxysmorum epilepticorum [illegible] dit, donec omnino cesset cum paroxysmo isto tr[illegible], dicitur σπασμώδης τρομώδης: In hoc autem differunt [illegible]mores à *motibus convulsivis* proprie sic dictis, qu[illegible] mor fere semper conjungatur cum motu v[illegible] v.g. manus vix unquam tremit, [illegible], ni[illegible] ad e[illegible] dirigatur, ita ut semper voluntario motui conjungatur Tremoris symptoma, In *motu* vero *convulsivo* [illegible] nescio, ac præter voluntatem ejus, motus [illegible] accidunt. *Etmuller.*

7. *Causa est*) Causa genuina Tremoris est *actio duorum pluriumve musculorum simultanea*, seu eodem tempore instituta, seu sint antagonistæ musculi, seu non, sed tantum tales qui aliquomodo ad membri motum concurrere solent. Inter actiones talium musculorum, alia est *principalis*, alia *minus principalis*, & p.n. adjun[illegible] ita ut dum *unus* musculorum brachium extendit, *alter* simul agens, illud torquet aut flectit, vel alio modo [illegible]tiose movet; unde prior actio dat motum voluntar[illegible]ntentium, *posterior* vero præternaturalem & quasi convulsivum supervenientem, unde iste affectus tremor.

Causa duplicatæ hujus p. n. musculorum actionis sunt *spiritus animales*, qui sicuti motu naturali influentes movent membra naturaliter, ita etiam p.n. motu depravato eadem agitant; Et quidem *spirituum in Tremore vitium*, Et [illegible] his motus inordinatus, ut cum in unum musculum agilius & copiosius influere debent, motu fere uniformi in geminos seu binos, pluresve distinctos distribuuntur, & ita difformem motum inducunt, Itaq; vel ex *proprio vitio*, vel ex *partis recipientis vitio* contingit.

Proprium vitium est cum iidem spiritus confuse admodum moventur in *animi affectibus gravioribus*, ita ut pro voluntatis arbitrio motum minus ordinatum instituere queant, v. g. in *ira*, terrore & [illegible] um iidem facultate narcotica nonnihil fixiore d[illegible] pr[illegible]ate per nervos feruntur, Qua ratione post *potum* [illegible] *generosi nimium* membra subind[illegible] tremunt, non se[illegible]st inconcinnum n[illegible] reoticorum [illegible]um; Sed hu[illegible] modi [illegible] mores à vitio spirituum magis *transitorii* & [illegible]*dentales* videntur, & qui denuo facile cessant. *Etmuller.*

8. *Causa est facultatis motricis debilitas*) Quacunque ratione explicetur hæc sententia (qua accusatur facultas motrix debilis cum *gravitate membri* ita ut illa sufficienter movere membrū nequeat, quia [illegible]jus gravitas ob illius imbecillitatem præponderat) & quicquid e[illegible]m intelligatur per facultatem motricem, tam[illegible] n[illegible] sufficiens est ratio, quia in Tremore omnino [illegible]fficienter movetur membrum, extenditur pes, arripitur aliquid manu & retinetur, sed depravate; Vitium nimpe [illegible]jusdam inquietudinis & inordinati membri motus adjunctum est, adeoque non *imminute* [illegible]d *depravate* membrum movetur: Deinde si oriretur a facultatis motricis imbecillitate fieret tardior & imbecillior membri motus, non vero depravatus. *Etmuller.*

9. *Vel*

9. *Vel vitio spirituum animalium vel nervorum)* ubi solito pauciores deferuntur ad sensus motusq; organa spiritus animales, Imperfectæ ac imbecillæ observantur fieri functiones in motu tremulo vel infirmo, nec diu durante, Nulli solitove pauciores feruntur per nervos spiritus animales, nunc *sua* nunc *Nervorum* culpa, Spirituum animalium culpa, cum illi plus minusve deficiunt, aut torpidi sunt. *Nervorum culpa* cum illi sunt dissecti, compressi, obstructi, aut subsidentes; (*Vide c. de Paralysi.*)

10. *Curatio)* Eadem instituenda est quæ pro Paralysis curatione. *Riverius.*

11. *Curatio est nulla)* Per accidens lethalis esse potest quatenus paralysin aut apoplexiā sæpe præcedere solet.

12. *Vel vitio diætæ)* Qui ex vitiosa diæta successive, sed tamen confirmata fuit genitus, raro perfecte curatur. *Etmuller.*

13. *Si æger ad manum resilit)* *Hippocrates* dicit, qui *Tremores ad manum resiliunt, mali sunt,* aliquando enim si ægri manus attente contrectetur, contremiscentem illam, quasi revelli subito animadvertimus; Et *spasmus tromodes,* seu motus ex tremore & spasmo compositus, periculum non leve portendit, imminentem scil. convulsionem, aliaque symptomata, idque præsertim in morbis ardentibus. *Etmuller.*

14. *In febribus acutis)* Febribus subinde supervenit Tremor, sic *Epiph. Ferdinandus hist. 41.* observat Tremorem criticum tertianam continuam solventem.

14. *In febribus acutis)* In febribus malignis à qualitate maligna Tremores sæpe contingunt; qui tamen ad motus convulsivos potius referendi, & ab irritatione nervosarum partium frequenter oriuntur. *Riverius.*

15. *Facilior)* Tremor si superveniat aut succedat Paralysi non est malus, indicium enim est paralyseos remittentis, & motus naturalis nonnihil redeuntis. Si *Tremor in labio inferiori* accidat, fere portendit imminentem vomitum, qui Tremor tamen potius motus convulsivus est. *Etmuller.*

16. *Si à causis evidentibus)* Nam à causis internis pendens, utut minime sit periculosus per se, quoniam tamen de facili degenerat in alios graviores affectus, v. g. paralysin, apoplexiam, lethargum, spasmum &c. ob id ratione horum consequentium non est negligendus. *Etmuller.*

17. *Dubia & difficilis)* Ut & si Tremor superveniat mulieribus post partum, ex retentis quibuscunq; in utero, subinde enim lethales epilepsias inducit. *Etmuller.*

ß. *Instituitur pro ratione causarum)* In cura inprimis removendæ sunt causæ quæcunque, & appropriatis *nervinis* & *cephalicis*, tam *internis* quam *externis* succurrendum; In *genere*, ea quæ in *paralysi* aut *convulsionibus* laudantur etiam tremori conveniunt. Saltim pro *causarum varietate* cura nonnihil varianda, v. g. in *malignis* danda alexipharmaca, In *retentis uterinis vitiosis* dentur *expellentia secundinas.* Si ex *fumis metallicis & mercurialibus*, inprimis mineralia conducunt, Ad evacuandum corpus *Mercurialia* cum extractis laxativis sunt optima. In *Senum* tremoribus præ cæteris laudatur *fimus pavonis* cum s. q. *aqua vitæ* subactus, & in potu usurpatus tribus vicibus matutinis, dozis fimi est ℥j. una vice. Huc refer quæ de *oleo buxi*, *corylino*, contra convulsiones adducta sunt; item quæ de *Cinnabarinis* pariter Tremori applicanda. *Etmuller.*

Differentiæ sumuntur à causis inducentibus.

I. Alius est *à Causis externis*, præsertim malignis & narcoticis, ut [18] *argento vivo*, venenis, [19] opiatis, *hyoscyamo* [20] retentione secundinarum, sanguinis post partum suppressione; quæ omnia removenda sunt.

[21] *Alius ab internis*, de quibus in secunda differentia.

II. Alius est *à Spirituum* [22] *inopia*, qui *vel* non generantur [23] in debita sufficientia, ob intemperiem cerebri frigidam; Tum morbi ipsius in curatione ratio habenda est: *vel* [24] dissipantur & absumuntur, per calorem nimium, evacuationem nimiam, morbos longos. [25] Hic Diæta agendum.

Alius à [26] *Nervorum vitiis* [27] quæ esse possunt

1. *Intemperies Cerebri* frigida & humida. Tum affecti cerebri signa adsunt. Curatio ad intemperiem obvertenda.

[28] Laudantur *Intra*, Essentia Melissæ, stœchas Arabica.

[29] *Extra*, Oleum ex floribus trifolii, vulpinum, piperinum, de castoreo &c.

[30] 2. *Plethora*, quando aliqua evacuatio suppressa est. Tum Vena aperiatur.

3. [31] *Obstructio* eorundem partialis, seu à crassis humoribus, [32] seu à crapula & aliis. [33] Vide Curationem Paralyseos.

III. [34] Alius est *Continuus*, Alius *periodicus* [35] cujus rarissimum exemplum in quadam virgine apud *Tulpium l. 1. obs. 12.* Cœpit ab omnibus membris, desiit in brachia & crura, afflixit per triennium, singulis periodis per bihorium fermè durantibus, cum gutture rauco & voce suppressa: sequebatur modo maris, modo Lunæ, modo Solis motum: accedebat quotidie tardius, æstate citius, sub canicula qualibet sesquihora, nono die emanebat.

18. *Argento vivo, venenis)* A veneno si Tremor originem sumpsit, quæ huic resistunt alexipharmaca usurpanda; Et si, quod frequentius fit, ab *Hydrargyri* usu hoc fiat, *Theriacam* exhibent, vel cordialia medicamenta, quibus *auri limaturam* permiscent, cum *aurum* tantam affinitatem cum argento vivo habere dicatur, ut si in corpore sit, aurumq; propinetur, illud adeo secum trahat, ut postea per secessum excretum purum in excrementis auro adhærere deprehendatur, quam ipsorum cognationem ex eo quod in deauratione aurum nulli metallo, nisi interveniente argēto vivo agglutinare possit, desumpserunt. Hodie inprimis pro singulari in hoc casu remedio laudatur *Electuarium Orvietani.*

Sunt qui sudoribus *Hydrargyrum* è corpore se elicere posse, ut manifeste instar arenæ cuti adhæreat, & postea aqua ablutum splendere appareat hac arte docuerunt. Si alternis in stupha diebus, uno die *vino decoctionis salviæ & absynthii*, effuso in lateres ignitos, altero vero *thure* carbonibus injecto corpus suffumigātes, sudorem eliciant, & quoties balneo egrediuntur, *aqua vitæ* cum *melissa* destillata, corpus perfricent, idq; per dies xij. vel xiv. continuent; postea sex diebus *oleo sesamino & vulpino* se inungant, donec, ut inquiunt, arena prædicta cuti adhæreat. Nos vero qui *argentum vivum* in substantia, nec per suffitum illius, nec per inunctiones corpus subire, uti neque alia medicamenta profitemur, sed viribus tantum eo usque deductis id quod præstant moliri, falsam hanc opinionem esse judicamus; Et in simili casu ut aurifabri, dum inaurant, extra domum in aëre libero sedeant, ut ventus ab illis fumum

procul arceat, imperamus, Et si *argento vivo* in cura opus est, ut illud decenter & moderate administretur jubemus; Quod si tamen Tremor inde nascatur, eadem præsidia Topica, præsertim in Paralysi dicta, quæ nervos roborando potius, & nonnihil constringendo, ut vult *Rondeletius*, quam insigni calore afficiendo juvant, imperamus, partesque trementes decoctis supradictis abluimus. *Platerus.*

18. *Argento vivo*) Si ab hoc vitium fuerit, singulariter laudat *decoctum Enulæ Hæfstetterus Dec.3. c.4.* & ex eo D. *Michael* in collegio Practico, quod tale est

℞. *rad. enul. c.* ℥iij. *sanic.* ℥ß. *coq. in vini quart. v. vel* ℔iiß. *Infusa per diem nat.* coqu. ad duas tertias; fiant 4. dozes, m. & v. sumendæ, excitando sudorem, qui prodit Citrinus; continuando donec talis color non appareat amplius.

Alias in tali casu remedia *Solaria*, ipsumque *aurum foliatum* sumptum, non omittenda, Mercurium enim alliciunt, & ita è corpore secum rapiunt. *Etmuller.*

18. *Argento vivo*) In Tremore ex *Mercurio* valet *decoctum rad. enulæ*, *sulph.* item *solare Antimonii*, *Cinnab. Antimony.*

Unguentum pretiosum ex auro habet *Zacutus*, Aurum enim avide attrahit Mercurium, Id quod probat experimentum *Reverii in observ.* qui Mercurium per ducatum in os & nares ægri inditum feliciter eduxit, Aurum enim extractum rursus ex ore omnino album apparuit; Vide *Bartolini cent.1. obs.7.* Narratum mihi de muliere, cujus pedes cum carcinomate scorbutico diu essent infecti, à medicamentis mercurialibus non rite præparatis, & interne & externe adhibitis, mercurius vivus magna satis in copia exstillavit, qui lamina aurea demum fuit extractus. *Frid. Hofmannus m.m. l.1.c.19.p.289.*

18. *Ut argento vivo*) A venenatis, nervis potissimum insidiantibus, assumptis admodùm; Tremor aliquando nascitur, uti ex *hydrargyri suffitu* (non contactu, uti aliqui voluerunt) aurifabris in inaurandis vasis, si sibi non caveant, sed illum hauriant, interdum contingere solet; Ob quam causam etiam *in lue Venerea cinnabari* suffumigati, præsertim si tunc quoq; vinum bibant, quo facile imbecilliores jam facti prius nervi læduntur, in Tremorem sæpe incidunt: Quod & illis frequenter evenit qui in eodem affectu hydrargyro inuncti Tremorem inde adipiscuntur. Quæ ab hydrargyro productæ læsiones nervorum, vel ab antipathia illius cum nervis proficiscuntur; vel à proprietate illius alia illi fere propria, qua humores commovens, eos ad fauces propelleodo, exspuitionem copiosam movet, ac ad superficiem & extremitates corporis propulsando nervos quoque afficit: eoque gravius si humores qui promoventur pravi extitant; nec per sudores decenter purgentur; à quibus etiam si vehementius nervi patiantur, convulsiones, quæ curas hasce, hydrargyri usu factas, sæpe sequuntur, post tremores patiuntur. *Platerus.*

19. *Opiatis*) Si Nervi Narcoticis nimium aut sæpe assumptis ex stupore illo tandem cam imbecillitatem contrahant, ut & musculi ipsorum causa labefactentur, Tremor ab hoc ipsorum affectu nascitur, Sicut non tantum ex *opii*, aliorumve fortiorum usu, sed ex *suffitu hyoscyami* aliquibus accidit, Et ex *vini vi narcotica* illos qui *ebrietati* indulgent, tandem *Tremulos* fieri observamus; quod tamen ab aquæ frigidæ potu, quam ebrii mane ad sitim ex vino conceptam restinguendam bibunt, proficisci, ne à vino abstinere cogantur, sibi persuadent; quam ipsorum suspicionem illud quoque auget, quod cum jejuni adhuc sunt & sobrii tremunt, & postquam vino rursum incaluerunt, tremor cessat, vel saltem minus se exserit; quod tamen non quasi vinum in causa non sit, sed quod dum vinum, calorem corporis adaugens, actiones ipsius vegetas reddit, ut quamdiu ex vino calet, & velut reficitur, eam imbecillitatem, quæ alias semper remanet; minus sentiat, ea ratione ut cibo vinoque refecti, robustiores facti, minus tremant in causa existit. *Platerus.*

19. *Opiatis*) Ab his si Tremor suboriatur, & [illegible] vis adhuc operetur, quomodo illa sit infr[illegible]da in *Stupore* dictum; Si vero Tremor remanserit, eadem Topica dicta tentanda sunt, quæ roborando quoque calefaciant, Non quod refrigerati sint à Narcoticis nervi, uti putant, sed quia, stupidi cum sint, calore excitantur: A *vino* vero ebrietas si Tremorem causavit, vel sponte cessat, si illa non adeo sit consueta; si vero jam diu fuerit continuata ebrietas, Tremor inde natus ægre amplius tollitur, præsertim eum tam perversum habitum ebrii contraxerint, ut nisi se vino iterum impleant, eoque incalescant, tremore magis divexentur. Interea tamen temperantia & sobrietate vitæ hoc genus perversum emendent, remedia quoque nervos roborantia, tam exhibita quam admota proderunt. *Idem.*

20. *Secundinarum, sanguinis post partum suppressione*) *Mensium* itidem & *lochiorum suppressiones*, item *fœtus mortui retentio* Tremorem inferunt; Facit huc observatio curiosa *Foresti lib.10. obs.101.* ubi mulier ob obstructos menses vitio uteri, singulis diebus vapor quidam seu spiritus adscendebat, potissimum sub noctem ex imo ventre, qui tandem repens per venas & arterias, etiam colli, ita ut ipsum & ibidem sentiret inferius, qui ad musculos maxillarum ascendens, ad tempus hærebat, palpitationem quandam & jectigationem manifestam inducens, mox in genis ruborem inferens & dolorem, si[illegible] tamen epileptica procidentia, per *uterina aperientia* [illegible]utem curata fuit. Idē *Forestus obs.10.* Mulieri non fluent[illegible] m[illegible], mense Maio venam secavit, unde & me[illegible] stat in restituti fuerunt, post singulis mensibus flu[illegible], & semper eodem tempore simul experiebatur [illegible]onem in brachio eodem ipso in loco in quo V.S. fu[illegible] institutа, non sine molestia ac dolore, Hæc singulis mensibus patiebatur, eadem ad circulos mense [illegible] secta saphena curata fuit.

21. *Alius ab internis*) Sic dolo[illegible] ac b[illegible] cu[illegible] hemicrania, cephalæa, odontal[illegible], [illegible], arthrit[illegible] &c. tremorem inducunt.

21. *Alius ab internis*) A[illegible] um [illegible] qu[illegible] el in nervis esse potest, unde Trementes [illegible] exemplo illius, de quo §. *cujus rat[illegible] exemplum*) *infra* demonstratum; quod qu[illegible] e expl[illegible] p[illegible] cū nihilominus tremens [illegible] lo[illegible]go vitæ curriculo peregerit, uxoremque dux[illegible]. *Platerus.*

22. *A spirituum*) Spirituum vi[illegible]ium quomodo concurrat, vide superius §. 7. *Causa est.*

22. *A spirituum inopia*) Spirituum animalium defectus unica est Tremoris causa, qui vel in nervos influere prohibentur, vel consumuntur & dissi[illegible]tur, vel non sufficienter partibus communicantur. *Sebitzius.*

22. *A spirituum inopia*) N[illegible]n absoluta, ut in paralysi, sed tali saltem qua sensus tactus adhuc q[illegible] communicatur, sed musculis vis movendi non suffici[illegible] subministratur, cum major ad motum quam sen[illegible] tactus illius portio requiratur. *Platerus.*

23. *Vel non generantur*) Absumptis spi[illegible]s *Tremor perseverans* oritur, Idque vel ratione *ætat[illegible]* unde *sen[illegible]* sunt tremuli, vel *morbi gravis & diuturni* [illegible] q[illegible] diu tremunt, vel *evacuationis immodicæ*, per *Venerem* præsertim, *sanguinis profusiones*, *pu[illegible]g[illegible]tiones*, *la[illegible]sque* magnos. *Platerus.*

23. *Non generantur in debita sufficientia*) V[illegible]um [illegible]st senibus familiare ob spirituum paucitatem, calo[illegible] p[illegible]pertatem, & cerebri nervorumque frigid[illegible] [illegible]. Forte & quia siccitas nervos attingi[illegible] b[illegible] u[illegible] p[illegible]tuli non sunt transmitte[illegible]s ad n[illegible] [illegible].

24. *Vel dissipantur &c.*) Dissip[illegible] d[illegible] [illegible], donec illi redeant, tremunt, ut per animi affectu[illegible]entem, vel subitaneum, in terror[illegible], in[illegible] ore, [illegible] al-quandiu tremunt, Et in motu valido vel calor[illegible], ut cum

valida

valida onera gestant, vel aliud aliquid quod supra ipsorum vires agunt, tremunt, & cum graves labores perpessi quiescunt, aliquandiu membra nimium defatigata tremunt. *Platerus*.

25. *Hic Diæta agendum*) Si spiritibus *dissipatis*, vel *absumptis*, ob *senium vel venerem*, aliasque profusas evacuationes, aut post morbos graves sequatur, facilius *est dissipatas*, difficile vero admodum *amissas vires* reparare. Quod tamen tentandum *cura reficiente* dicta, quæ potissimum perficietur *somno decenti & mediocri, exercitio* moderato & tempestivo, quod &, si à *labore* vehementi Tremor inductus sit, plus proderit si leviter obeatur quam omnimodum otium. *Animo læto*, vel si ab aliquo illius *affectu* Tremor remanserit, affectu animi contrario emendatur: *Aëre* sereno, temperato, puro, odorato; *Alimentis* euchymis, bene nutrientibus, spiritus item reficientibus & calorem augentibus, ut *vino*, quod moderate sumptum adeo reficit ut & à vino inductum tremorem, si assumatur, reficiendo corrigat. *Platerus*.

26. *Nervorum vitiis*) Quibus adde *compressionem*, à qua interdum fieri potest Tremor, quando humores excrementitii in toto habitu redundantes nervos cōprimunt, & liberum spirituum animalium influxum prohibent.

Saxonia præter causas à *Galeno* mutuatas alium Tremorem agnoscit, à flatibus excitatum, & *Cardanus* alium à vellicatione partium nervosarum. Sed motus ab illis causis oriundi ad Palpitationem aut motum convulsivum referri debent. *Riverius*.

20. *Nervorum*) Ut plurimum Tremor oritur à spiritibus animalibus per apertas valvulas in oppositos musculos influentibus; qui spiritus vel non vehementer influunt, vel magna copia in valvulas irruunt, & ita istas non claudunt, ut ventus semiapertá januam non claudit si leniter in eam incurrat vel pergat; vel si valvulæ sint mutilatæ, ita ut pori in iis maneant per quos spiritus libere fluant. *Joh. Dolæus Encycl. p. 188*.

27. *Quæ esse possunt*) Sed & alii nervorum affectus, non spiritus intercludendo, sed eos alia ratione labefactando lædendove Tremorem inducunt, uti si ab humoribus excrementitiis, non tantum spiritus intercipiendo imbecillitas hæc in musculo tremorem causet, sed & irritando nervum ad motum, qui in Tremore fit, nonnihil impellat, unde & aucta causa vel perseverante, Tremor in convulsione sæpe desinit. *Platerus*.

28. *Laudantur intra*) Inter remedia nervina magis appropriata principatum fere ducit *Salvia*, & quælibet ex ea parata. Sic *Forestus lib. 10. obs. 99.* laudat *cerevisiam salviatam*. Item *essentia salviæ* cum *essentia castorei* mista, tam in usu *interno* quam pro externa membrorum frictione conducunt, succedit *melissa*, & spirituosa ex eadem parata remedia sunt convenientissima, *Paeonia & bacca juniperi* egregia nervina. Unde *essentia juniperin.* continuato aliquandiu usu, item *Rob Juniperi*, imperando simul sudorem, sunt convenientissima. Item *decoctum ligni juniper.* per motum *diæta sudorifera* propinatum. Sane in quibusvis facultatis animalis & nervosi generis diuturnis affectibus & inveteratis, nil utilius adhiberi poterit quam *decoctum lignorum* rite paratum, & hæc inter in specie, *ligni juniperini* per aliquot septimanas continuatum præmissa corporis debita evacuatione. Substantia nempe aromatica dicti decocti mediante sudore penetrat undique per universi corporis poros ac meatus, dissolvit mucositates, abstergit sordes, purificat sanguinem & corporis habitum; Et ita in paralyticis, convulsivis tremoribus, apoplecticis & similibus affectibus æque polychrestus eorum est usus ac in catarrhalibus affectibus. *Ettmuller*.

Commendant authores *essent. melissa, flor. rorismar. fol. salviæ & theriacam*, Probant aquam *cinnam.* potum *Decoctum chamæpyt. rhamadr. & salviæ* hibitum, *Decoctum Chinæ, salsapar. Sebisius Manual. p. 373*.

Pilulæ hæ admirabiles sunt ad Tremorem.

℞. *Castor. pyrethr. cassia, lign.* ãã. ℥iv. *serapini, pulpa colocynth.* ãã. ℥iij. *hiera picra* ℥j. *f. massa Pilul.* Dosis ℈i. *vel* ℈iv. secundam ætatem.

Confectio anacardina etiam mirabilis est, dozis ℨß. vel *dr.* j.

Petr. Bayrus Pr. l. 2. c. 22.

℞. *Pulver. rutæ, scolopendr. cerebri lepor. assati* ãã. *dr.* iß. *semen. malv. alth.* ãã. *dr.* ß. *succi eupat. depurati dr.* ß. *succi brassica dr.* ß. *mithridat ant.* ℥iv. *mell. scyll.* ℥i. *diantlr. dr.* iij. *misce & serva.*

Hoc medicamentum è totu potest expugnare materiam densitatis causam & nervos roborare, Dosis à dr. ß. ad dr. j. *Hier. Capivaccius Pr. l. 1. c. 23.*

Laudatur *cerebrum Leporis assatum*, cujus solo esu cōtinuo quidam curatus est. *Forestus obs. 9 lib. 10.*

Plurimum spei ponerem in usu *spir. tartari* bene rectific. similiter per frictionem adhibitum. *Greg. Horstius lib. 3. obs 14.*

Castoreum sumptum celebratissimum est *Johan. Heurnius.*

Præstantissimum remedium est sequens Conserva.

℞. *conserv. acori. galanga crassæ, anthora flor. salviæ, damasonii, quod alisma Græcis dicitur, vulgo plantag. aquat.* (vim habet in hoc affectu magnam) ãã. *dr.* j. *castor. & asphalti* ãã. *dr.* ß. *pulv. diagalanga* ℈iv. *syr. conservat. secacul* vel *conserva satyrium*, vel *syrup. de stach. q. s.* M. S.

Hæc conserva conveniens est in omni Tremore à quacunque causa fiat, nisi à nimio coitu. *Rondeletius Pr. lib. 1 cap 59.*

Hodie inprimis pro singulari in hoc casu remedio laudatur *Orvietanum* Electuarium. *Fel. Platerus.*

In Tremore manuum post universalia, exhibeo ea quæ caput & nervosas partes roborare creduntur, quale est præcipue *diacorum & extract. calami. Petrus Monavius in Epist. Schol. Zu.*

Esus *columbar. sylvestr.* à vi quadam occulta valere creditur. *Forestus.*

In *Tremore capitis senili*, ℞ *pavonis fimum*, cum aq. vitæ s. q. distempera, utere in potu tribus vicibus matutinis, fimi sit dr. ß. pro qualibet dozi. *Petrus Borellus cent 3. obs. 98.*

A *nervorum vitiis* valet *Ess. flor. anthos. cham. ap. chamædr.*

A *spirituum inopia*, valet *essentia ambræ*, *Quinta ess. Matthioli. Pulvis analepticus Minderero. Frid. Hofmannus m. m. p. 289.*

29. *Extra*) Inter *externa*, ad Tremorem quemcunque ceu experimentum optimum, laudatur *frictio membrorum cum urina humana*: Loco cujus *spir. lumbricor. formicar. salis armon.* pro membris fricandis in loco calido, præsertim nucha & spina dorsi possent substitui.

℞. Item *lixivium in quo decocta sunt folia fraxini* pro lotione partium tremularum itidem quibusdam laudatur. *Ettmuller.*

In pretio habent *Balnea* ex cephalicis & nervinis simplicibus parata, nimirum ex *salvia, beton. majorana, primula veris, lilior. convall. chamæpyt. hyperic. rosmar. flor. tiliæ, lavendul. baccar. lauri, rad. helenii, irid. & acori veri.*

Inungunt etiam cervicem & spinam *oleo nardino, vulpino, castorei.*

Præcipiunt thermas sulphureas. *Sebisius.*

De *Balneo medicato* vide *Zacutum Pr. Adm. l. 1. obs 42.*

Oleum croci. è scoriis antimon. per lixivium factum illitum valde prodest: *Joh. Agricola in Poppium Frid. de Antimon. p. 311.*

Valde laudatur *Salvia* ad tremorem manuum, si quis aqua destillata crebro manus lavet, Aut si *salvia* imponatur aquæ ex qua manus lavandæ *Joh. Cratol. l. v. p. 399. consil.*

Præmissis universalibus, manum tremulam lavabis cum *decocto salviæ, rorismar. lavendul. majorana, vermibus terrestr.* adjectis, Deinde innunges *oleo castorino, nardino*, guttis aliquot *aquæ vitæ* adjectis, & momento *castor.* vel *olei ex trifol. flor.* aut toto, Hæc enim, ut & *castoreum*, intus & extra assumptum, propria sunt medicamenta Tremoris.

Aqua sequens etiam præstantissima est, qua mane & vesperi membra tremula laventur.

℞. *folior. salviæ m. x. flor. lavend. m. vi. flor. anth. stœchad.* ãã. *un.* ij. *castor.* ℥vi. *spir. vini* ℔ j. *vini Rhenani* ℥xxviii. putrescant in sole, ut putredo evanescat.

Juvat etiam propria *urina* manum lavare, vel solo *vino cum decocto salviæ.*

Etiam hoc *Balsamum* unice commendatur adversus *Tremorem*, jectigationem, spasmum, torturam, quo spina & nucha inungenda præmissis universalibus.

℞. *myrrha, aloës epat. spicæ nardi, sangu. drach. thuris, mumia, opopan.* ãã. ℥iiß. *carp. bals. croci* ȝ. *mastich. gummi Arab. storac. liquid. calaminthæ* ãã. ℥iiß. *moschi* ℈ß. *herb. paralys. m.* ij. *terebinth. ad pondus omn.* Pulveris. misc. destillentur, *Forestus lib. 10. observ. 9.*

Castoreum intus & foris admotum, celebratissimum est remedium adversus hoc malum, ut & *oleum cucum. asinini* foris illitum. *J. Heurnius Pr. c. 27.*

Plurimum spei ponerem in usu *spir. tartari* bene rectificati per frictionem adhibiti. *Gr. Horstius l. 3. obs. 14.*

A proprietate mirifice prodest ob *destillat. trifolij* origini nervorum & membro tremulo applicitum cum optima frictione.

Ita confert *Empl. ex foliis ejusdem* confectum.

Oleum etiam de *cucum. asinino* maxime conveniens est in Tremore à causa frigida. *Eust. Rudius Pr. lib. 1. c. 18.*

Ad Tremorem egregie confert si *urina propria* membra tremula sæpius laventur. Alii vero *urinam pueri* magis commendant: Habetur hoc quidem pro experimento indubitato, à quacunque causa Tremor oboriatur, sive ex Venere, vel vini potatione, vel post alios morbos, aut ex fumo argenti vivi, *Pet. Forestus lib. 8. obs. 5. in schol.*

Tremulas manus foveo *vino calido* in quo *betonica, salvia, majorana, rosinar. & similia* incocta sint, & penetrationis causa *spiritus vini* aliquid affundo. Ita multis Tremor paulatim remisit, donec prorsus aboleretur. *Petr. Monavius Epist. 28. lib. 2. cons. Cratonis.*

30. *Aliqua evacuatio suppressa est*) Vide supra §. *Sanguinis post partum suppressione.*)

31. *Obstructio eorum partialis*) Impeditis spiritibus, nondum tamen penitus interceptis, ut in paralysi, unde resolutio musculi perfecta sequitur, sed ex parte duntaxat, imbecillitas quæ in musculis nascitur, Tremorem causans, qui & tunc veluti diminuta quædam est Paralysis, ab iisdem causis nervum, ut in paralysi, non tamen adeo potenter afficientibus nata, præsertimque ab humoribus excrementitiis nervos occupantibus profecta. *Platerus.*

32. *Crapula*) A vino tremorem induci experientia notum est; Attamen ebriosi, qui vini abusu Tremorem sibi conciliarunt, firmandarum nervorum gratia vino, aut hujus spiritu, symptomati medelam quærunt, quam nanciscuntur sed fugacem, perpetuum enim causæ incrementum accedit; cumprimis si vacuo ventriculo vinum ingerant, tunc quippe vinum ventriculum nervosum acrius ferit, Spiritus illico quidem à vini potu reparantur, sed noxa interim ulterior nervis imprimitur, *Hildanus* notat vinum usu tum interno tum externo nervis inimicitiam indixisse.

Quomodo inducatur à vini generosi haustu, vel ab ira &c. Vide supra §. 7. *Causa est.*

33. *Vide curationem Paralyseos*) Si ab humore excrementitio nervos occupante procedat, non alia curandi ratio quam quæ in Paralysi dicta est, & aliis cerebri nervorumque morbis ab excrementis genitis inter quos & convulsio est, huic affectui curando adhibetur; qua si mature uterentur, in eaque perseverarent, sine dubio citius quam paralytici sanarentur, sed quia, nisi maximus sit Tremor, eam negligunt, aut paucis contenti esse volunt, fit ut Tremor non tantum non cesset, sed & superveniente senio augeatur. Sicuti itaque in Paralysi ita hic procedendum; corpusque primum generatim est purgandum, idque si persistat malum, certo tempore repetendum; Particularesq; evacuationes & diversiones instituendæ, Alterantiaque eadem propinanda; atque extrinsecus similia sunt applicanda, *Thermæque*, si non aliis cedat, imperandæ, Inprimisque cavendum ne manus tremulæ frigori exponantur, aut frigida abluantur: Cujus loco decocto *salviæ, flor. lavend.* & sim. ablui possunt, Inter quas *Lotiones*, si *urina* partes abluantur mane, plurimum juvare docent. *Platerus.*

Tremor Coactus.

34. *Alius est*) Quidam est *Tremor Coactus*, alius a Tremore de quo supra dictum, quique quiescente corpore cessat, eodémque iterum moto repetit, *Coactus* vero quiescente licet ac decumbente corpore molestus est: Debetur ille Animalibus spiritibus inordinate ac *coactim*, cum aliquo impetu ad trementium membrorum musculos per nervos propulsis, sive fuerit is universalis, sive particularis, sive corpus fuerit adhuc robustum, sive debile; Inordinati illius ac continui cum impetu animalium spirituum motus causaque renda frequentius in ipsis spiritibus inordinate agitatis, ac præsertim in Tremore universali, Aliquando etiam in continua, sed minus gravi irritatione (alias motus convulsivus contingeret) vexatis, quod existimo habere imprimis locum in Tremore particulari; Inordinate agitantur spiritus animales à flatibus & halitibus continuo ad caput cum sanguine ascendentibus, atque una cum spirituosa sanguinis substantia in cerebri cerebellique, mox nervorum tubulos quoque pergentibus, animalesque spiritus inordinate ac impetuose agitantibus. A nervorum irritatione leviore produci aliquando Tremorem, vel inde patet quod aliquando ipsum sequatur, aliquando in ipsum desinat motus convulsivus. *Fr. Sylvius Pr. lib. 1. cap. 42.*

Ante quinquennium Medicus quidam affectione hypochondriaca laborans ab insigni infarctu viscerum (qua liberatus assumpto stibiato medicamento) desinente morbo ejusmodi Tremore laboravit, ab halitibus è restibilis in hypochondriis materia exsurgentibus, spiritibus animalibus se commiscentibus, qui post trimestre solutus est levi delirio succedente.

Tremoris illius coacti, ab inordinato, perpetuo, ac cum impetu facto spirituum animalium ad trementes partes motu, flatibus halitibusq; ipsis se admiscentibus, eosdémque ita perperam concitantibus vicissim pendentis, curatio instituetur Dogmatica, si causa & flatuum & halituum materialis & efficiens Alteratione convenienti corrigatur, &, si quantitate aucta simul peccaverint, Evacuatione per alvum, & quandoque per vomitum, urinas vel sudores moveatur: 2. Eorundem flatuum halituumque productio impediatur per medicamenta alias dicta. Si 3. flatus halitusque jam producti, & ubivis occurrentes discutiantur, aut ad subsidentiam cogantur per medicamenta idonea. Si 4. animales spiritus ad inordinatum, involuntarium, impetuosumque motum ab ipsis coacti; paulatim ab ipsis liberentur & ad motum placidum, ordinatum & voluntarium reducantur. Prius fiet per medicamenta subtilissima, & maxime volatilia spirituosaque, sudorem insensilem, transpirationem promoventia, eosdémque sic tota

expel-

expellentia; Posterius vero per medicamenta tum anodyna, tum narcotica, minoreque quantitate, paritisque vicibus usurpata, quæ bina simul exhibere nihil impedit; quin expedit, cum sic facilius ad spirituum animalium noxiorumque halituum & flatuum locum pertingant.

Qui à leviore nervorũ spiritus animales ad musculos deferentium irritatione producitur Tremor, curandus eodẽ modo quo motus convulsivus. *Fr. Sylvius Pr. l. 1 c. 42.*

16. *Cujus rarissimum exemplum*) Nec minus rarum affert *Platerus* in *Praxi*, Vidimus omnibus hisce partibus simul jam inde ab ortu continuo ad senium usque tremere civem nostrum, Hitterhaus ob id dictum, *brachiis, manibus, digitis pedibus*, quibus inter eundum veluti saltabat; *capite* item, quod agitabat, & *maxilla*, qua veluti masticabat.

De Pandiculatione.

Pandiculatio) Græcis σκορδινισμὸς, ἢ σκορδίνησις, ἢ σκορδινησμός. Est motus totius corporis qui fere nobis accidit post somnum, non vacuato scil. excremento fuliginoso tertiæ coctionis, ideo videmur post somnum οἷον ἑφθοὶ, quasi excocti, ut est 2. Acut. ult. Sed cur non vacuatur? Indiget motu, qui in somnis nullus est. *Hofmannus Inst. lib. 3. cap. 87.*

Quæri etiam potest Annon pertineat huc ἀνωμαλία. Inæqualitas illa quæ aliquando præsagium est futuri morbi. 2. c. sympt. 5. &c. 5. san. tu. 11. Δυσαρεστία, *Displicentia 8. m. m. 3. Idem.*

In *Pandiculatione* appellata admodum, brachia præsertim cum dorso extenduntur atque curvantur, cum oris vehementi apertione seu diductione, quam *Oscitationem* vocant, quæ & separatim fieri potest: Hæc duo si citra occasionem sæpe molestant *Morbos* præsagiunt: vel *febrium paroxysmorum* incipientium sunt præludia: Alias vero extra morbos Pigritiæ signa sunt, vel ex concepta imaginatione nascuntur. Provenit hæc ab *halituosis*, ut vocant *vaporibus*, in spatiis musculorum collectis, copiaque potius quam vehementiore acrimonia naturam ad excretionem solicitantibus: cum in ea musculi, qui maxime iis occupantur, ad eos propellendos constricti membra sic trahunt. Idque maximè, quia tunc accedente simul *lassitudine* vel *spontanea*, quæ ab excrementorum horum circa musculos collectorum copia nascitur; vel ex labore profecta, à quo etiam circa musculos halituosorum vaporum fit congestio, per constrictionem hanc musculorum, in pandiculatione non tantum quia vapores tunc propelluntur, à lassitudine non nihil recreantur, sed & quia musculi motu nimio & diuturno relaxati, & quando quiescunt lassitudinem sentientes illam, iterum constricti cum aguntur lassitudinem minus sentiunt, sicuti *lassitudinem lassitudine sanari* notum, levamen aliquod laborum per pandiculationem acquirunt, & proin in lassitudine ad eam edendam invitantur, & invitati impelluntur; Estque hæc causa quod *naturalem defatigationem* & *pigritiam* ante somnum fere pandiculatio comitatur, donec corpus postea per somnum recte quiescendo à lassitudine liberetur, & post somnum quoque tamdiu, quoad illud quod de halituoso vapore restat adhuc corpus extendendo expellatur. Et quod in spontanea lassitudine morbos portendente, tum ob vaporũ copiam, tum corporis hanc lassitudinem, ea quoq; se manifestet; *Platerus.*

De Palpitatione.

Palpitare membra dicuntur, non quando aliquid agitur, ut in Tremore, concutiuntur, sed cum involuntariè nonnihil attrahuntur rursumque relaxantur; Sicuti *in convulsiva palpitatione* eodem modo illud accidere diximus; Ad cujus speciem illam, quam *spasmum flatulentum* vocant, hæc Palpitatio eandem fere causam habens referri potest; Et proin *flatulenta Palpitatio* appellari, mitius tamen membra exercens potius quam firmiter, uti alia, ea alliciens. Cum propriè *Palpitare membra* dicantur quando *musculis*, atque *substrata* illis *tunicis*, attolluntur nonnihil, rursumque subsident, idque cum *dolore* plerumque & *molestia* non *attractis* interim, veladmodum parum membris. Hæc ab *halituosis vaporibus* dictis, sed crassioribus & copiosioribus, in habitu corporis collectis, atque exitum quærendo hinc inde discurrentibus oritur; qui si sub cutem erumpant, atque inter illam & subjectorum musculorum membranas vagentur, cutem hinc inde, uno aliquo vel pluribus locis attollentes, variéque locum mutantes apparentem illic *Palpitationem*, cum doloris interdum sensu efficiunt; Si vero sub musculis, illorumque discurrant spatiis, & inquieti sint, faciunt ut membra nonnihil quoque attrahantur, non tamen valide aut perseveranter, sicuti in spasmos flatulente dicto, sed per intervalla saltem, tunc quando flatus quasi in unum locum se colligentes, musculum impellunt, partem allicientes, sed mox eandem, refugientibus & cedentibus iterum flatibus, mittentes, Ita ut non immerito si ab hac causa membrorum hæc agitatio fiat, sicuti dictum est, Flatulentæ convulsionis mitior species, vel *Palpitatio flatulenta* dici possit, uti illa quæ à nervorum irritatione fit, *convulsiva palpitatio*; Cujus quoque *flatulentæ palpitationis* causæ, sive vapores sive flatus sint, non aliam originem quam eam quæ in spasmo flatulento fuit proposita habent. *Platerus.*

In *Palpitatione convulsiva* dicta, quatenus hæc convulsiones veras minatur, iisdem adhibitis præsidiis eam præcavere studebimus. Illius vero motus causa nihil peculiare, cum non adeo urgeat, membris adhibetur. *Idem.*

Palpitatio, si levis sit, & non diu perseveret, periculosa non est, facile enim difflabilis talis est; at si crebro molesta sit, aliquid monstri intus ali denotat; Advertimus enim quod *Tuberculis in pulmone nascituris frequens palpitatio sub axillis* præcesserit; In fœminis autem fere solet indicare *defectum mensium*, & *impuritatem uteri*. In viris autem constitutionem melancholicam, quæ periculosos illos decubitus, de quibus 6. aph. 56. facile suscipiat; Diuturna enim Palpitatio, vel tremorem vel paralysin, vel epilepsiam minatur. *Cardilucius in Hartmannum p. 162.*

De Pandiculatione *iterum*.

Membrorum invita extensio, quam Latini *Pandiculationem* vocant, cui nomen proprium nullum assignavit Lingua nostra. Oscitationis fere comes est; eadem quippe causa diversa occupans loca, varios hos effectus inducit; Si enim superfluus humor membranam Oesophagi nerveam irrigans, Oscitationem gignit, eadem causa singulas fere totius corporis membranas afficiens Pandiculationem excitat. Symptoma hoc somnolentos occupat, aut à somno excitatos. Pandiculatio occedit in somnum à sumpto cibo vergentes, quia videlicet sanguis cum humidior eo tempore esse soleat, ratione succi nutritii nondum concocti, totius corporis membranę humore isto magis ideo gravantur; quem hoc motu excutere adnituntur: Cum porro chylus & sanguis, mutuo commisceri soliti, excitata ebullitione plurimos effundant vapores; adeo ut tunc temporis corpus nostrum dolio assimilandum sit in quo mustum effervescit; at vero nulla insignis accidat fermentatio quin fumus prodeat, tunc temporis ex sanguine non pauci suscitantur vapores, qui intra membranarum duplicaturam condensati, quarum pori nimiopere constricti sunt quam ut egressum illis concedere valeant, in humorem concrescunt tanquam in alembici capitello. Pandiculatio necnon somno soluto accidere solet, quia scilicet ob præpeditam per somnum διαπνοὴν vaporibus hisce amplior concretionis suo ad membranas appulsu, locus conceditur, unde hujusmodi irritationis causa deducenda est; In Venerem orgasmus,

quia plùs ſolito tunc ſanguis æſtuat, vaporeſque plures emittit, eundem effectum edere ſolet. *D. Duncanus Tr. de Anim. mecanice explicatis p. m. 144.*

De Motus Debilitate.

Motus debilitas dicitur, quando motus voluntarius corporis, atque inter hos validiores præſertim, qui ut perficiantur robore opus habent, vel pigre, vel tarde, vel ægre, vel cum moleſtia aliqua exercentur, vel conſueta eſt *Pigritia*, vel *laſsitudo ſpontanea* aut *usu ſpontanea*. Cauſa autem omnis *movendi debilitatis*, eſt aut *virium imbecillitas*, vel *nimia motus ſeu exercitii intermiſsio*, ſeu *otium*, aut *exercitatio* ſeu *labor*, vel *humorum copia*. *In Imbecillitate*, uti omnes functiones labefactantur, ita præſertim *motus voluntarius*, cum ad ipſum edendum major vis requiratur. Accidit autem hæc ob *caloris nativi defectum*, vel *ætatis cauſa* in *ſenibus*, qui proin pigri ſunt & mox defatigantur: vel à *cauſa morbifica*, ut poſt *nimias evacuationes*, vel à *morbo*, ob *diuturnitatem* illius vel *acutiem*, vel malignitatem: Remanet etiam in convaleſcentibus à morbo adhuc *imbecillitas* aliquandiu; vel ſemper cum ex morbo ſenium, ut vocant, contraxerunt. Qui porro *Otio* vel ex *conſuetudine perverſa*, nimium indulgent, vel *corporis mole* vel *plenitudine* impediti minus exercentur, ad labores vel leviores ſubeundos pigri ſunt ſtatimque laſſantur.

De Motus Debilitate *iterum*.

Si quæ ſupra de *motu* animali dicta ſunt animadverſa fuerint, conſpicuum fiet ad motus integritatem & robur, requiri, i. ut *Cerebrum ſpirituum copiam generet*, ij. *Nervi meatus liberi ſint, quo in muſculum deferantur.* iij. *Nullum adſit impedimentum vel in tendinibus, vel in fibris; Neque ulla obſtructione teneatur arteria, præpediens ſanguinis in muſculum influxum.*

Si *ſpirituum in cerebro generatio* proba non fuerit, nunquam motus perfectus futurus eſt, etiamſi cuncta alia requiſita adeſſent. *Spirituum generatio* duobus modis impeditur, aut ob *vitioſam ſanguinis diſpoſitionem*, aut *improbam cerebri conſtitutionem*. Vinum craſſum, tartareum, cujus principia activa pauca ſunt, aut quaſi ſepulta & obruta à paſſivis principiis, pauciſſimum ſpirituum affert; Itidem craſſior ſanguis, ut *ſenum ſcorbuticorum*, *cachecticorum*, & pravo victu utentium, cum vix ſublimis feratur in cerebrum, neque ut decet filtretur per partem cerebri cineritiam ratione craſſitiei, paucos ſpiritus producit: Hinc ſenes ut plurimum graves, & difficulter moventur, Juvenes contra, quorum ſanguis vividus eſt & turget, copia ſpirituum circumfluunt robur illis conciliantium.

Vinum præterea *aqueum* pauciſſimos ſuppeditat ſpiritus, quia in pituita propemodum ſubmerguntur: Eapropter ſanguis pituitoſus omnino ineptus eſt qui in ſpiritus tranſmutetur; Hinc motus eorum qui temperamento pituitoſo donati ſunt & hydropicorum admodum ſegnis eſt: In iis viceverſa, quibus ſanguis æſtuans & volatilis, celeres ſunt & vividi.

Vinum quod fermentatione nondum defæcatum eſt nullum fere ſpirituum emittit, quia à craſſioribus principiis nimium intricatum eſt à quibus fermentationis ope expediri neceſſe eſt; Non ſecus *ſanguis*, *nondum fermentationem expertus*, præ gravitate exigua admodum copia in caput aſcendit, cerebro exiguam admodum ſpirituum quantitatem impertiens, quapropter ii quibus ventriculus languidus eſt, ut reduce valetudine gaudentes, quorum fermenta à morbo prægreſſo debilia facta ſunt, graves ſunt & vix moventur.

Vinum diuturniorem in vaſis fermentationem perpeſſum, diſtillationi ineptum eſt ſpiritibus quippe deſtitutum fuit per diuturniorem fermentationem, à qua nimiopere extricatum, motumque nimium hinc conciliatum, illi in auras abiere.

Eadem ratione ſi *ſanguis febricitantium*, aut à febre reſurgentium, cum ſpiritu fere omnino exutum fuerit in nimia illa ebullitione, Cerebrum illis deſtituitur, ideoque vix progredi poſſunt. Tandem, cum *ſal fixum tartari* dominium obtinet, ac ſpiritum vini depreſſit fixumque reddidit, ſicuti fieri ſolet in aceto, inutilis omnino eſt diſtillatio, nullus fere ſpiritus exſurgit: Itidem cum *ſal fixum principia ſanguinis activa* ſuperat, ſpiritus à ſale iſto ligatus exigua admodum copia ſejungitur & exſurgit: Ideoque *ſcorbutici*, *hypochondriaci*, ac *lue Venerea inquinati*, quorum ſanguis iſtiuſmodi ſale ſcatet, *Laſſitudine* crebro tentantur, eoſque totius corporis languor detinet.

Præter familiaria hæc accidentia, quæ vinum diſtillationi minus idoneum efficiunt, extraordinaria quædam occurrunt, eundem effectum edere apta; Sic notum eſt poſt tonitrua vehementia *vina vappeſcere*, & diſtillationi inepta evadere; quia ſcilicet ſpiritus, aut ſal admodum ſubtile, ab aëre in vinum commigrans, contextum illius diſſolvit, ſpiritumque illius extricans, ut in auras avolet in cauſa eſt. Itidem in pleriſque *morbis malignis*, quorum cauſa plerumque vagatur in aëre, ſpiritus, aut ſal admodum tenue maſſam ſanguineam ſubiens, illius *crâmen* plane corrumpit, ac ſpiritui evadendi occaſionem præbet citæque diſſipationi: Quapropter hos morbos inſignis laſſitudo præcedere ſolet, comite magno languore.

Ex lege contrariorum palam fit eos qui ſanguine gaudent ſubtili & ſpiritibus refecto; qui lauto utuntur victu; quibus ventriculus aliaque viſcera robuſta ſunt, ut fermentationes rite obeantur, vividiori & robuſtiori motu pollere.

At ſatis non eſt ſanguinem probum eſſe & ſpiritnoſum, quo copioſi exſurgant ſpiritus, requiritur præterea *Cerebri partis cineritiæ proba* diſpoſitio ad illum excipiendum. Vitium triplex illius partis obſervari ſolet, aut videlicet i. quia *nimis conſtricta eſt*, aut *laxior*, aut quia *illius pori à quapiam materia craſſa obſtruuntur*, aut *ſero obruuntur nimio*.

Si nimis *conſtricta ſit*, inepta eſt admittendo ſpiritui qui tranſcolari per ipſam debet; quo fit ut ii quibus cerebrum frigidius obtigit, in motu ſegnes ſint: Huic vitio obnoxii eſſent Septentrionalium regionum incolæ, niſi vino liberalius uterentur. Contraria huic diſpoſitio, aut *pororum nimia amplitudo* in prædicta parte, eundem edit effectum; Cum enim cribrum iſtud patentius ſit, non modo admittit ſpiritum ſincerum, ſed & præterea materias craſſiores, à quibus gravior redditus, motui minus idoneus evadit, Hac de cauſa ebrioſi, & qui tabaci fumo indulgent, qui quod ſanguinem nimis excalefecerint, partis illius poros plus debito patentiores effecerunt, tremori & titubationi obnoxii ſunt. Si 3. pori cerebri à materia quapiam craſſiori obſtruantur, motus infirmior fit, quia ſpirituum generatio ideo impeditur: non enim minus difficilis [illegible] ſpirituum ſanguinis tranſitus per poros iſtos obſtructos, quam tritici per cribrum cujus foramina obſtructa eſſent; Qui ſanguine ſcatent pituitoſo, aut quovis modo craſſo, eapropter ſegnes ſunt.

Non raro pars *cerebri cineritia* ſero ſuperfluo immerſa inidonea fit deflegmando ſpiritui; hocque diluvium accidit cum ſanguis ſero ſuperfluo turget; aut quia *glandula craſſa & tenuis meningum*, liberando à phlegmate ſanguini dicatæ, antequam cerebri ſubſtantiæ [illegible] immergat, munus non obeunt; Quæ cauſa eſt d[illegible]tatis in orſantibus & mulieribus delicatioribus: In utriſque enim quam in viris cerebrum humidius eſt, qui cum ſanguine polleant calidiori & ſpirituoſiori, donati præterea parte cerebri cineritia ſicciori & patentiori, plures

ri, plures gignunt spiritus, motusque validiores erunt.

Tandem eadem *pars cineritia* in munere delinquit, quia *sal volatile*, quod sanguinis in *spiritus transmutationem producit*, ejusque *fermentationem*, sufficienti non adest copia. Etiamsi porro sanguis propria natura optimus esset, substantia autem cerebri cineritia probe constituta, motus tamen imperfectus futurus est si *meatus corporis callosi, eminentiarum*, aut *corporum striatorum*, ac *medulla oblongata*, ut & *nervorum* libertatem integram commeantibus spiritibus non concesserint.

Si *corporis callosi* omnes *meatus* obstruantur, *Apoplexia* excitatur. Si obstructio occupaverit utrumque *corpus striatum*, vel *universam medullam oblongatam Paraplexiam*, aut *Para[illegible]* universalis induceretur, quia nempe omnes nervi destituerentur influxu spiritus animalis: Si obstructio *unicum corpus striatum* invadat, aut *dimidiam medullam prolongatam. Hemiplexia* tantum subnascetur, quæ Paralysis est dimidiæ partis corporis, quia scilicet dimidia tantum pars nervorum spirituum influxu carebit: Tandem si unicus nervus obstructione laboret, compressione aut constrictione, illa solummodo pars cui nervus inseritur motu privabitur, superstite sensu permanente motu, vel utroque simul, id quod frequentius est.

Perit motus remanente sensu, quia ad motum ciendum majori spirituum copia opus est quam ad sensum. Interim sensus aliquando perit motu remanente, quia pars nervi membranosa, quæ sensus organum est, prave constituta esse potest, interim dum pars medullaris, quæ motus organum est, rite constituta est. Uterque simul perit si insufficiens spirituum copia ad motum simul & sensum perficiendum non influxerit, aut si proprium alterutrius organum læsum fuerit.

Etiamsi porro cerebrum sufficiente spirituum copia abundaret, hique à nervis exciperentur, viæque omnes satis patentes essent, motus præterea segnius peragi posset, si quæpiam materia extranea subito fixos redderet spiritus, non secus ac vapor plumbi *mercurio* vel momento coagulationem inducit, vel spiritus urinæ vini spiritum coagular; Si spiritus quispiam vitriolica vi imbutus corpus callosum pervadens, hoc itidem afflaverit, ille effectus emergere potest: Tunc recte institui potest comparatio istius spiritus auræ tenuis, quæ è terræ visceribus aliquando erumpens animalia repente necavit, coagulatione sanguinis intra venas inducta.

Nec quisquam effectum hunc mirabitur, cui notum ab exhalatione ejusmodi, sed validiori, temporis momento animalia in lapidem obriguisse; Ea forte de causa bovis cerebrum, de quo *Bartholinus*, petrefactum fuit. Sulphur impurum & crassum sale proprio vitriolico spiritum animalem in origine sua fixit & intercepit aut explosionem ejusdem in musculum præpedit, Docet enim nos Chymia, si admistum fuerit vitrio[illegible], aut sulphuris communis nimia copia Pulveri ful[illegible], explosionem illius impediri. Eaque forsan [illegible] agunt *Narcotica*, ex colore enim, odore & sapo[illegible]orumque, præsertim *opii*, manifestum est sulphur [illegible] dominium obtinere.

[illegible]ue satis est spiritus obertim in nervos illabi, [illegible]ræ aut tendines musculi, illis excipiendis apti [illegible]t, obstante illorum ingressui materia qua[illegible] crassiori meatus obstruente, ac prohibente [illegible] influxum è fibris nerveis in tendinem, [illegible] hoc in fibras carneas; aut tandem ab his fibris in ipsum tendinem: Si prohibitus fuerit spiritus ingressu à tendine in fibras carneas, nullus omni[illegible] [illegible] quuturus est motus; sin impeditus fu[illegible] [illegible]ditus è fibris in tendinem, succedit *motus tonicus*, videlicet intumefactio istarum fibrarum eousque perduratura est, donec objectus agger, prohibens regressum spiritus in tendinem, remotus fuerit, quamdiu enim spiritus permanet intra has fibras succo arterioso imbutas, producitur explosio, neque fibræ membranosæ expellere valent spiritus è fibris carneis in tendinem ratione impedimentorum illis in transitu occurrentium.

Hac ratione producitur *spasmus flatulentus* vulgo dictus, Gallis *la Crampe*, qui sæpenumero soboles est suscepti frigoris, quia tendo, nimiopere constrictus, admittere non potest spiritum in eum redeuntem. Viscidítas succi arteriosi, quasi compede, nonnunquam spiritum diutius intra fibras cohibens, ac proinde ibi explosionem excitare pergens, eundem effectum inducere valet.

Sin spiritus animalis adeo irrequietus sit ut reciproco motu feratur à tendine in fibras, & ab his in tendinem; inducit *Palpitationes*, *subsultus membrorum*, *motus convulsivos & Inquietudines*, si præsertim spiritus animalis imbutus fuerit *particulis sulphureis & nitrosis* admodum inflammatis, vel ambæ hæ materiæ redundaverint in succo arterioso; vel si nimiopere illic exaltatæ fuerint; hoc est extricatæ ab aliis principiis.

Sin Explosiones nimiæ, contingentes intra fibras carneas, continuæ fuerint, motum spasmodicum non amplius excitaturæ sunt, sed *convulsionem proprie dictam*: adeo ut explosio moderata motum naturalem producat, sed incolio vehemens nitri & sulphuris admirandam illam Tensionem excitet, quam vocant Convulsivum motum. Sin violentæ istæ Explosiones eodem tempore in omnibus musculis contingant, fiet convulsio generalis quam Medici vocant *Catalepsin*, ob quam corpus immobile & rigidum permanet, ratione tensionis inductæ ab explosionibus illis extraordinariis in omnes musculorum fibras &c.

Ad productionem motus regularis & robusti, requiritur ut *succus arteriosus* in *qualitate* & *quantitate* rite constitutus sit, *sulphur* autem & *nitrum* in eodem neque *deficiant* neque *redundent*. Si in copia minori adsint, motus tantum *languidi* & *debiles* succedunt; explosiones nempe cum debiliores justo sint, fibræ intra quas hæ peraguntur, non sufficienter intumescunt, neque ut par est contrahuntur ad tendinis partisque huic annexæ attractionem. Requiritur etiamnum ut succus arteriosus decenti quantitate in musculum influat; Eapropter motus admodum languidus observatur in ea *Atrophia* specie quam parit arteriarum obstructio, quia videlicet succus arteriosus insufficienti copia musculo suppeditatur. Non dissimili de causa ab insigni hæmorrhagia summa virium debilitas succedit, non modo quia cerebrum insufficientem quantitatem spirituum generat; siquidem dissolutio jam genitorum non tam brevi temporis spatio instauratur, sed potissimum quia musculus non eam obtinet sanguinis copiam quæ ad motum obeundum requiritur.

Tandem *robur motus* pendet à *fibrarum toni firmitate*, earumque *copia*. *Hæc* requiritur, quia quo plures funes oneri cuipiam adnectuntur, eo facilius hoc adducitur; vel quo plures adhibentur vectes, eo facilius idipsum emovetur; *musculorum* autem *fibræ* totidem veluti sunt funes, quorum ope pars movenda attrahitur; vel quasi exigui vectes illi commovendæ dicati. Quapropter qui majoribus musculis donati sunt, ut qui non admodum pingues multa carne abundant; motus quosvis facilius cæteris obeunt.

Motus robur porro deducendum ex *firmitate*, *crassitie*, & *cavitate fibrarum*; nam proculdubio quo funes oneri trahendo adaptati validiores sunt &

crassi, eo facilius illud trahenti obsequitur; nam si funiculi tantum adhibeantur, vix illi commovendo pares erunt, quia & ruptionis periculum subibunt. Quo fit ut pueri & mulieres teneræ constitutionis languidos tantum & molles motus obeant. Additum fuit, quo amplior est fibrarum cavitas, eo musculos validius moveri, quod cum plures contineant spiritus, majoremque succi arteriosi copiam, explosio major succedat; adde quod utraque prædictarum materiarum liberius influit.

Consuetudo tandem motus facilitati conducit, eo quod spiritus crebro per eundem nervum commeatu, & per easdem fibras vias illorum admodum expandit, adeo ut facilius postmodum remeet, sicuti observare licet aquam liberius illabi in loca cujus viæ maxime illi patent. Quo fit ut ii qui multum ambulant, sicuti famuli à pedibus & viatores, multo iis agiliores sint qui vitam sedentariam ducunt; Nervi enim, & fibræ eorum qui raro deambulatione utuntur, fereomnino subsident, quia spiritus animalis, à quo cavitates eorum expanduntur, infrequenter permeat. Præterea spiritus vix ac ne vix permeant fibras musculorum in illis, obstantibus scilicet excrementis quæ per exercitium diffiari debent. *Dn. Ducannus Expl. mechan. action. anim. c. 9.*

De Motus Impotentia in genere, aliunde quam à vitio Nervorum profecta, Ubi de Contractione membrorum.

Motus impotentiam appellamus, quando motus illos, qui voluntate nostra sola fiunt, vel *omnino non*, aut non *sufficienter* possunt perficere; In ejusmodi autem *Immobilitatibus*, alias membrum, quando moveri debebat *relaxatur* & languidum fit, diciturque *Paralysis, Resolutio*, quando *citra apparentem læsionem* id fit, Si vero *cum læsione*, prout illa est aut *fractura*, aut *luxatio*, aut *vulnus* appellatur. Alias *membrum contractum est*, seu *convulsum* aliquandiu, tuncque dicitur vel spasmus, seu *convulsio particularis*, Alias vero cum *membrum attractum* est, *Contractio* tantum nominatur, *perseverans membri alicujus rigiditas*, *Omnes ex voluntariis motibus* simul aboleri saliqui volnerunt, separatim autem nonnunquam deficere possunt, *resolutis*, vel *convulsis*, vel contractis, aut alio modo læsis illorum partibus. *Erectio* vel *flexio corporis* interdum perfici nequit *resoluto dorso*; *Incessus* & *statio*, *apprehensio rerum*, *earundemque tractatio* peragi interdum difficilius possunt; *Mordicus res assumere*, dividere interdum nequeant, *Claudere* vel *aperire os & labra conjungere & disjungere*, *Tegere* atque *occultare oculos* palpebris &c. Porro, Causa omnis voluntariorum motuum generum Impotentiæ, est vel *in organo mandante*, aut vim communicante movendi, non principe cerebro, tunc enim & sensus interni simul cum motu cessarent, quod hic non fit, sed *in nervo*, vel *in instrumento quod movet*, *musculo*, vel in parte quæ movetur. *Nervi* vitio si immobile fiat membrum, sequitur Paralysis, de qua Capite sequenti.

Musculus autem cum sit instrumentum motus voluntarii, quod membrum movet, si ita afficiatur ut membrum amplius attrahere nequeat, illius tunc fit *resolutio* seu *paralysis*; Vel si talis illius fit morbus ut membrum contra nostram voluntatem trahatur, tunc illius sequitur, non *Convulsio* proprie dicta, quam tantum *nervorum causa fieri* diximus, sed vel *impropria convulsio* dicta, *Spasmus musculorum flatulentus* appellatur, vel *contractio* à nobis vocata, permanens membri & valida, quam certe *Nervus*, tam exilis chorda, si cum membro adeo gravi conferatur, uti vero *Tendo* musculi, adeo validus, efficere minime posset.

Læduntur autem hac ratione musculi fere singulis partibus propriis, unde & *particulares* tantum *resolutiones*, vel *contractiones* partium illarum sequuntur, vel unius solum modo partis, si illius *peculiaris musculus* sit; vel plurium, si unus plurimis demandet tendines: interdum tamen pluribus quoque simul affectis musculis, generaliores etiam hæ læsiones partium, quas movent, sequuntur, quod ob musculorum vicinitatem, & quod plures invicem collecti, veluti una membrana inclusi sint, in quibusdam locis potest accidere; Quæ sive unius, sive *plurium musculorum læsiones*, ab hisce causis dependent; Si nimirum *humore* vel *flatu* occupantur, aut *tumorem p. n.* patiantur, aut *exiccati maniantur*, vel *intemperiem frigidam* patiantur, aut *alio modo* lædantur, vel vitium organicum contraxerint.

Ab *humore musculos replente*, vel *imbuente*, vel *illorum spatiis sese insinuante*, rarius paralysis gignitur, nam si pituitosus, serosus, aut excrementitius humor, ad musculorum corpora defluat, vel illic congestus sit, tunc *dolores*, & illius causa ut membrum ægre moveatur, potius quam illius languorem aut insensibilitatem parit: Quod & si *sanguis* illuc è vasis effunditur, una cum *inflammatione* partis accidit.

Fit tamen interdum *humore aqueo, musculorum tendines diu alluente atque rigante*, ut illis nimium laxatis, & elongatis, illius partis quam attrahere debebant sequatur resolutio, Quod illis tantum in locis fere accidit ubi plures tendines, excarni angustoque in loco, juxta flexuras articulorum ligamentis, veluti annulis, vincti, ut in *carpi* & *pedis* regione, simulque conjuncti feruntur, ubi retentus interdum ob loci angustiam, & multa multorum ossiculorum, in carpo & metacarpo, pedio & tarso, combinatorum ... tia, *humor*, tendinesque humectans & relaxans facit ut *manus* vel *pedes resoluta*, toto vitæ tempore in quibusdam maneant, & cessante quoque reliquarum partium motu, harum tantum paralysis relinquatur, absumpto etiam humore *tendinibus* longioribus, quam par erat, remanentibus, unde toto vitæ curriculo *manus* & *pedes pendulas* gerunt, & cum aliquid attollere, vel apprehendere conantur, quia digitos nihil omninus movere, vel incedere possunt, cum id musculorum beneficio facere nequeant, eas in altum sublatas, impulsu brachii vel cruris propere sol... Quibus & *eminentia*, veluti *tumor* quidam, in carpi superficie plerumque apparet ortus ob *extenuationem* quæ comes ejus esse solet, ossibus illic prominentibus, vel ob *callum*, aut *nodum* qui frequenter innascitur, à causis alibi dicendis, quos *Contractos* nostri Germani, cum *resoluti* tamen sint, appellant, idque forte quia cum *resolutione* ipsarum, circa carpum facta, *digitorum* simul accedit interdum *contractio*, quod fit quia in *manibus*, *atrophia* simul laborantibus, ob ... nem venarum, quæ circa carpi angustias, à *tumore* aut *humore* premuntur, & refrigeratæ sunt ... artubus illis exanguibus, ita ut ob eas causas ... non pateat transitus sufficiens, *ligamenta* & *tendines* quoque absumpti & siccati ... articuli ... digitorum tandem sistantur, jam vero ... per quos manus movetur, qui jam prius resoluti erant, In eâdemque sic *sæpe partes resoluta & contracta & emaciata* inveniuntur.

Ab eodem *humore pituitoso*, seu *aqueo* aut *excrementitio*, *musculi corpus* aut *tendines*, adeo *implente* ut *distentus brevidrque* factus partem cui inseritur attrahat, *contractionem* quoque fieri posse videtur: Verum cum humor ad musculos deflexus spatia ipsorum quibus invicem junguntur occupet, dolor potius eo ... nomine, *difficultas* illa *membrum movendi*, quam *contra-*

tis partis, & si *tendines*, aut *nervos* irriget, *paralysis* potius sequuntur.

A *Flatu* eadem ratione in spatia quæ musculi invicem jungunt facient, oritur spasmus ille quem Flatulentum vexant, (*de quo infra cap. §. Alvus est tumidus.*)

Tumor p. n. durus in musculis natus ut membra ad se *attracta* sic *adstricta* retineant efficit interdum, veluti *scirrhus* aut *nodus*, ab excrementis in musculis genitus, & præsertim circa *tendines*, ubi plures in articulorum regione conveniunt, uti prius *de carpo* dictum, & in *genu* accidere aliquoties vidi, *pede* tunc adeo sursum attracto ut *calcaneus podice* vicinus esset.

Callus item in *musculo* vel *tendine*, post *vulnus*, quo *vulnerati*, nondum tamen penitus abiecti erant, relictus contrahensque *vulneris labra*, quia musculi corpus caudamve tunc abbreviat, ut pars cui inseritur plus minusve adstringatur facit, quod & in *temporali musculo læso* accidisse, *Ossa* adeo *constrictum* fuisse vidi vix in liquidissimos cibos admitteret.

Exsiccatis musculis ipsisque tendinibus, & cum illis *nervis* interdum ipsis insertis, eousque ut veluti *indurati*, & *callosi facti*, *corrugati* & *adstricti*, ulterius extendi flectique nequeant, tunc quo situ firmi manent, eodem quoque fixum membrum & immobile, & plus minusve contractum, cui implantantur, retinent, Sicuti *senio*, vel *laboris nimii* diuturnique causa partes aliquas, ea que maxime quæ nimium operando diu multumque exercitæ fuerunt, *rigidas* & diversimode *curvatas* existere sæpenumero cernimus, *dorsoque flexo* incedere, nec se recte erigere posse illos qui diu gravia onera gestarunt, *digitosque incurvos & manus* habere qui illorum opera nimium sunt usi, aut *tetano*, vel *aliis contractionum speciebus* senes laborare; Quod non semper *articulorum*, sed & *musculorum* jam dictæ *exsiccationis* causa accidere potest, *absumpto* tunc à causis enarratis *humore*, adeo ut *macie confecti*, (quæ & manifeste in membrorum illorum *musculis*, majoribus præsertim, etiam extrinsecus patet,) ex *fibris* potius quam *carne* ipsorum corpora & *tendines* constare, chordasque aridas, non molles nervos repræsentare videantur: Quam *ariditatem pinguedinis defectus*, quæ primum à causis prædictis absumi solet adjuvat, cum & *extrinsecus* illorum membranis adnata, tum *intrinsecus* quorundam majorum præsertim, *musculorum fibris* innata, illos ut facilius in motu extendi contrahique possint, irrigens, sin ea priventur, ineptiores ad motum reddens. Item *glutinis* illius, quo *tendones* eodem nonnunc oblinin solent, ab iisdem causis quibus & *humor* & *adeps* deficiunt, consumptio. Quam *exsiccationem* ab *atrophia* dependere superius jam in *tumore præmisso*, *carpi tendines* occupante, demonstravimus, quæ quoque à *calore* vehemente *extrinsecus*, per æstus magnos, si vel diu perseverent, vel adeo potentes sint ut fere urant, *adstrictis* tunc inde *tendonibus*, & *musculis* potius *membranosioribus* quam *carnosis*, accidere possunt. Vix autem ab interno calore, etiam in febribus ardentissimis, talis musculorum fieri potest exsiccatio, cum nec in hecticis febribus, corpore alioquin in marcorem penitus redacto membra ob id contracta appareant, nisi forte hoc in *septo transverso*, & in *lingua*, qua *arefacta* ipsius functio quoque labefactatur [illegible] m & *convulsiones*, quas à contractione plurimum afferre diximus, febres hasce sequentes, non ab *exsiccatione nervorum*, uti voluerunt proficisci, sed illorum irritatione statuimus.

Refrigeratis admodum *musculis* à causa externa, adeo ut calore nativo sopito functio ipsorum labefactetur, tunc vel non *recte membrum movere*, vel *ægre* possunt, uti in *manibus* & *pedibus*, injuriis magis expositis partibus, *aeris*, *venti*, *aqua*, *frigoris*, causa sæpe evenit ut digitis recte res apprehendere nequeant: aliis vel simul *stupentibus*, vel dolore summo juxta radices unguium se manifestante affectis. Sed & à frigore spasmum illum qui in aqua frigidissima natantibus evenire solet musculos tendinesve adstringendi fieri existimant, cujus tamen causas alias assignavimus, quas tamen hæc adjuvare potest.

Abscissis musculis, vel illorum *tendinibus*, aut saltem *transversim* aliousque vulneratis, membri illius quod trahere debebant, sequitur *languor* vel *resolutio*, quod ut in variis corporis locis accidens multas parit resolutionum species, sic & si in *temporali musculo* fiat, maxilla inferior resolvitur.

Extensis insuper nimium per motum violentum *musculi tendinibus*, adeo ut veluti *distracti* longiores quam par erat fiant, accidit ut membrum postea sufficienter elevare nequeant, & quia tunc ægre rursum sese recolligunt, perseverans fit malum: Quod in *manibus gravia onera sublevando*, ex valido illo nixu quandoque accidit; Uti & *in genu articulo* accidere vidi, per impetum adeo impulso, ut multi qui illic occurrunt *tendines*, ex illo subito & violento motu distracti, longioresque facti, aut à connexo vinculorum liberati, postea partem recte sistere amplius non potuerint, *claudicantesq*; ægri postea permanserunt.

Sed & *attractis* etiam cum impetu musculis, illorumque *tendinibus*, sæpe contingit ut nimium illis etiam ultra terminum constrictis, vel alioquin distortis seu inflexis, aut à situ naturali nonnihil declinantibus, adeo ut mox iterum relaxari nequeant, membra ultra mediam figuram trahant, fiatque *spasmus* ille qui tones homines, cum violenter aut inordinato motu membra extendunt aliquandiu detinet; uti in *pedibus* cum *caligas* cum *labore induunt*, vel *natando in aqua*, illos non consueto more agitant, frequentius accidit; In quo *spasmo prominentia musculi* apparens, *dolorque* vehemens, eum ex *contractione convolutum*, & in sese nimium *coarctatum* satis ostendit: *Flatu* tunc quoque in spatium illud, quod elevatus efficit, ut supra dictum irrumpente, illiusque distensionem adjuvante; idque tamdiu donec rursum *musculo* relaxato, spasmus iterum cesset; quod citius *opposito musculo*, partem quam musculus illi affixus sequitur trahente, perficitur. Qui tamen si pars, ut supra in *flatu* dictum, disposita sit, flatuumque adsit copia, citiusque faciliusque redire atque aliquando non uno aliquo tantum, sed multis in locis homines molestare solet. Quam *veram spasmi improprie dicti*, adeo violenter & citra dolore membra extendentis, *causam* esse quilibet, si rem recte consideret, cognoscere poterit; Cum qui nervorum causa verus spasmus in aliis vel hisce partibus interdum fit, adeo violenter, sicuti quando *musculorum* causa oritur, membra extendere, aut dolorem tantum inferre nequeat.

Verum & ab *ortu*, *organici morbi* vitium hoc, si ab insitis causis, *musculis illorumve tendinibus* hoc accidat, in pluribus paucioribusve locis, ut *longiores breviores que sint*, membrorum illorum sequitur vel *languor*, vel *adstrictio*: Sicuti aliquos *erecto dorso*, vel inflexo, aliisve partibus *contractos*, vel etiam *resolutos* natos vidimus.

Partes quæ in motibus voluntariis moventur, sunt membra *externa*, *ossibus firmata*, validos motus obeuntia, in quibus si *causa immobilitatis* consistat, in ossibus ipsorum plerumque, vel *ligamentis* & *cartilaginibus* existit. Item *partes faciei debiliores*, motum edentes, *labia*, *palpebra*, *oculus*, Quorum vitia, quæ motibus ipsorum incommodant, nunc explicabimus.

Ossa si ita afficiantur, ut *loco moveri nequeant*, tunc nec *pars* quæ ex illis componitur & stabilitur, sequi

potest, Quod fit ex læsione ipsorum insigni, *fractis*, *aut amputatis* vel *contusis*, aut alioquin *pondere pressis*, Vel si in *articulis*, quibus ad motum edendum invicem junguntur, dislocentur.

Fractis itaque, vel *abscissis*, aut *contusis*, aut *pressis* ossibus, partium mobilium (de aliis enim eorum læsionibus alibi agendum fit), ut primum si *confracta* sint, & penitus *abrumpantur*, tunc etsi pars *ossis fracti*, cui *musculi* & *tendines implantati* sunt, attrahatur, quod tamen ob dolorem qui adest, & vel levissimo illius motu exacerbatur fieri nequit) cum abrupta pars non sequatur, pars moveri recte non possit; Quod in partium quæ moventur longis ossibus, ut hoc fiat, utrumque frangi, & hoc modo disjungi oportet, cum si unum tantum rumpatur, alterum adhuc partem sustentet, nulla prorsus illius sequitur brevitas, nec motus illius, nisi dolor hoc impediret, tunc tollitur, sicuti in binis *tibiæ & cubiti* hoc nonnunquam contingit ossibus, & in distinctis maxillæ inferioris ossibus latis, in utroque latere vel uno saltem potest accidere. Quod si vero ex pluribus ossibus longis, velut *pedis* & *brachialis*, pars sit composita, cum omnes simul vix abrumpantur, *dolor* potius quandiu is durabit, quam *organi vitium* motum tunc impediet. *Brevia* item & *crassa ossa*, si frangantur, tunc etiam *doloris* causâ motus tandem præpeditur, ut cum *vertebrarum spina*, sicuti semel observavi abruptæ sunt, cum corpora ipsorum vix penitus confringi possint, uti nec alia ossa ex minutibus. *Talo* tamen *confracto*, quem per medium penitus divulsum ex casu vidi, motus quoque per se, non solum *doloris* causâ aufertur; Et si hoc in *mola* fiat, quam in aliquibus sæpius in duas partes admodum separatas & distantes confractam notavi, tunc cum articulum genu minime constituat, sed quia *tendines errantes* tantum mola ne deflectant retinet, motus illius articuli labem patitur.

Quæ omnia ossa enarrata, tam *longa* quam *brevia*, per vulnus simili ratione dissecta, similem in *motum impotentiam* eadem ratione procreant.

Uti ex *contusione* illorum, quamdiu dolor molestat, ob illum potius quam alia ratione, nisi fractura adsit, motus præpeditur: Quod in Dorsi vertebris nonnunquam, & brachialis, aliisque minutibus pedis ossibus solet contingere.

Quæ omnia, tam *fractura* quam *vulnera* & *contusiones* à *causa violenta*, ab *ictu* vel *casu* extrinsecus illata illis accidunt, Ex *corruptione* itidem per *sphacelum ossium*, non tantum *minorum* sed & *majorum* portiones aliquas adeo excesas & corruptas vidimus, ut *ossa*, ac si *facta* essent, conciderent, & ad *motum inutilia* redderentur, idque tum ob *Luem veneream* aliasve causas.

Sed & ossa *pondere*, *carne* aut *pinguedine* gravata ad *motum segnius* sequentur.

Dislocatis ossibus duobus, quæ mutuo juncta, *ligamentisq;* constricta ad motum articulum firmant, si hoc in articulis, qui apparente motu per *diarthrosin* moventur fiat, tunc & hæc immobilitas manifestior erit, magisque incommodabit, præsertim si magna sit luxatio, Quæ fit si *caput ossis* è suo sinu penitus excidat, & tunc *Exarthrema* vocant; nam si ad supercilium illius tantummodo feratur, leviorque tunc sit luxatio, & *Parathrema* appellatur, quarum utraque si contingat, in articulis per *enarthrosin* junctis, uti *femoris* cum *coxa* & caput è suo acetabulo elapsum, & in superiora detrusum illic subsistat, *ligamento laxo* retentum, crus quoque abbreviatur, prominentiaque in eo loco apparens fit, quod & si in posteriora vel exteriora feratur, accidit. Nam si ad interiora vel anteriora ducatur, cum circa hujus sedis subsistit, pes longior tunc potius evadit. Et si in humeri cum *scapula* articulo hoc fiat, uti propter *sinum planiorem* [illegible] potest, [illegible] inferiora sub *scapul*[illegible] delabitur; eminentiaque [illegible] tur, illicque loco concav[illegible] *maxilla* hoc modo luxetur, *os apertum* [illegible] *rem*, si in *uno* tantum *latere* [illegible] Idem in *articulis per ginglymum* [illegible] bus ipsorum capitibus sinubu[illegible] illudve latus, idem afficere [illegible] *femore & pedibus*, cum cum *humeri* [illegible] *toriumque suum articulorum luxationibus* [illegible] *mola* si è sinu suo excidat, *tendines* [illegible] & in fractura motui non alia ratione [illegible]

In reliquis parvorum *ossium mutuo copulatorum* [illegible] *cturis*, ut *brachialis*, *pedis*, *tarsique ossium* [illegible] invicem constrictæ sint, [illegible] hoc [illegible] niat, cum singulæ adm[illegible] impedimentum in motu non ad [illegible] possunt.

Situs autem *naturalis* [illegible] tanta, ut articulus mob[illegible] ille, uti dicitur, moveri possi[illegible] ficiscitur. Ab impetu nonnunqu[illegible] conjunctiones hasce ossium dimm[illegible] utrum *os*, quod articulum format, *ictu casuve* [illegible] ritus conjunctione impellatur, vel trud[illegible] ut in plerisque articulis, scil. in *humeri* [illegible] alias illic prominente, ex *casu* facile & [illegible] fieri videmus: ea *attractu* quoque ossis [illegible] dum facto, vel ad locum quo minim[illegible] bat, idem contingere potest, ut in Oscit[illegible] nimium vel incurve distento, maxillæ lux[illegible] aliorum ossium gestiendo, vel ferio *in torturâ contorsio*.

Sed & passim hoc accidit, si in eand[illegible] partem sæpe pars mobilis inclinetur, eoqu[illegible] neatur, unde tandem continuo usu laxa[illegible] diducuntur, & cum ab suum natur[illegible] queant immobilitatem membri, cujus & [illegible] tiant causam, qua ratione in [illegible] *nasci solet in puellis*, quando [illegible] tudine cu[illegible] nendo sedent, Et in *infantibus* cum [illegible] corporis [illegible] decenti cubant, Quomodo etiam [illegible] cu[illegible] turæ dorsi, sive ab *ortu* sive *casu* [illegible] eo [illegible] nando tum in incessu tum decubitu, [illegible] motu resistendo augent.

Sponte quoque non *ossis* vitio, sed *Ligamentorum* & *retinentium* causâ articulos luxari motusq[illegible] sic cessare, vel alias citra luxationem sisti & impe[illegible] ri potest.

Ob *solutam continuitatem Ligamentorum*, quæ utraque ossa in articulo ne dislocarentur retinere de[illegible] bant, *luxatio ipsorum*, vel *elongatio membri*, [illegible] sic à quibusdam appellata, fieri etiam potest. Quod tamen ex eorum *ruptura*, cum validissima sint hæc vincula, vix potest accidere, nisi *terete ligamento*, quod *femoris caput acetabulo nectit*, ab ossibus [illegible] abrupto hoc fiat; Ex vulnere v[illegible] ad ligam[illegible] membr[illegible] ea, quæ extrinsecus articulum amb[illegible] [illegible] te, illaque d[illegible] secante; idem contin[illegible] in abditis sedibus hæc latent, [illegible] *Exedi à pure*, *suppuratione* illic [illegible] ta quoque possunt, quod in *femoris* cum *coxa* [illegible] nunquam evenire solet, ob sinu[illegible] illic membraneas sedes nata, ju[illegible] nuo pus album viscosum [illegible] ligamenta hæc corrumpunt. Q[illegible] ctos, luxato & abbrevi[illegible] tuo mansisse, vel saltem n[illegible] quam par erat, claudicasse [illegible] lum

quoq; *distractis* nimium *ligamentis*, articulos ambientibus, & ex parte ab *ossibus*, quibus connascuntur veluti, dilaceratis, per impetum violentum articuli, in *tortura*, aut casu, alio, *motus articuli* nonnihil *impeditus* relinquitur, cum dolore ab initio, diu sæpe molestus, Sicuti *in genu articulo*, & *humeri* aliisque accidisse observavi aliquando, & ex violenta attractione ocrearum, cum induerentur, coxendicis articulum sic læsum fuisse *Casp. Wolphius Medicus insignis*, mihi narravit.

Sed ob *laxitatem ligamentorum* horum, sicuti in articulis qui manifesto motu moventur, hoc naturaliter illis accidit, ut laxiora sint, nec articulum, qui liberius moveri debebat, stringendo arctius impediant, sic ut hi articuli facilius quam alii dislocentur: Sic si & hęc, quæ per se cæteris laxiora sunt, & alia quoque si lata sint, magis adhuc amplientur, & quæ teretia sunt elongentur, tunc membrum longius quam par erat prominet, & ut facilius, leviorique ab impetu luxatio fiat, causam adjuvantem præbent; Quæ ab ortu quibusdam eveniunt, unde & membra flectere, extendereve ultra naturalem ipsorum terminum aliquousque possunt; Vel unum membrum altero longius habent; vel, uti aliqui voluerunt, dislocatis membris statim crescunt: Vel, ratione *ætatis*, ob mollitiem *ligamentorum & ossium appendicum articulum efformantium*, qui *cartilaginosi* aliquandiu manent accidit, Et plerique ab *aqueo humore*, *pituitoso*, seroso, has partes adeo irrigante, id fieri posse putarunt; quod tamen verisimile non esse vel inde est manifestum quod in leucophlegmaticis, aliisque arthriticis speciebus, diu illic humore subsistente, nulla tamen partis sequatur Luxatio.

Exsiccatis quoque & *induratis ligamentis*, *constrictisque* & *callosis*, aut *tophis in podagra*, aut *nodis* impeditis, articulorum illorum motus fixus & immobilis manet aut alioquin ægre moventur, & stridorem nonnunquam & fragorem, ac si rumperentur, si majore vi urgeantur, edunt; Cujus tamen soni causa etiam est, si ulterius quam moderato motu articulus moveri debebat, vi impellatur; Talis autem *ligamentorum exiccatio*, ex *senio* & *febre acutissima*, *ossa* quoque & *ungues exiccante*, nonnunquam proficiscitur, Vel alia læsione, unde *callus* vel nodus illic nascitur: vel humore in *tophum* juxta articulos converso.

Cartilago quæ *capita ossium mobilium* circonstat, si *lubricitatem* & viscidıtatem amittat, & ab iisdem causis exsiccetur vel exasperetur, motui etiam sicuti cardo rubigine infectus officit. *Platerus.*

Curatio.

Curatio omnium Immobilitatis generum, sive *generalis* multarum partium, sive *propria* singularum mobilium, sin *paralysis*, aut *spasmus*, aut *contractio*, aut *gibbus*, *luxatio*, fractura, *vulnus*, aliave *læsio*, instituitur pro *ratione causæ*: Quam diximus esse *humorem*, *nervos occupantem* (de qua vide cap. de Paralysi) vel *musculorum tendones*, *intemperiem frigidam musculorum* & *nervorum*, *distensionem musculorum à flatibus* (de qua c. de Convulsione) = [illegible]) *siccitatem* vel *inanitionem musculorum*, *tendinum ligamentorum*, *tumorem durum in tendinibus*, *ligamentis*, *compressionem nervi*, *vulnus vel contusionem in nervo*, *musculo*, illiusve *tendines*, *ligamento*, aut *membro fracturam ossium*, *luxationem articulorum*, & tandem *organicum* vitium in *omnibus motum facientibus organis*, In quibus singulis quid agendum proponemus.

A *refrigeratione nimia musculi & nervi* à frigore externo, si non tantum stupor (uti potius accidit) sed & resolutio membri fiat, tunc *calidis actu* sensim admotis, & *frictionibus* emendatur: Quibus, nisi cesset, ea Topica quæ in pituitosa paralysi traduntur, hic locum habent.

Si à *flatibus*, vide curationem. §. *Frictione, tollitur.*)

Ex *siccitate* vel *inanitione* si fiat, vide curationem eodem cap. §. *Medicamentis analepticis.*)

Membrorum contractorum per manualem operationem correctionem vide in Chirurgia.

A *Tumore duro, callo, nodo* vel *cicatrice* curatio fit *per Emollientia*, membra interim fixa continuo, si eo situ admodum incommodent, in rectiorem minusque incongruam formam actuali opera retrahendo.

A *Vulnere* dissecto *tendine* aut *nervo*, si fuerit, adi Chirurgiam.

Si *callus* in nervo relinquatur, eadem curatio quæ Tumoris duri.

Musculi contusio, aut partis quæ movetur, ut aliæ contusiones curanda, *Fracturæ ossis curationem* vide in Chirurgia, sicuti *& Luxationis articuli.*

Organicum vitium si immobilitatem causet, sitque ab ortu, incurabile est, Si vero à causa adventitia, *laxatis*, nimium *& oblongatis* tendinibus. vi aliqua, vel humore, eadem quæ in paralysi, pituitosa præsertim, conveniunt Topica; Quod si *adstrictis nimium* illis, ut in *spasmo flatulento*, Vide in cura illius.

Sin vera *contractio* & permanens fit, eadem quæ à siccitate factæ cura competet. *Platerus.*

In pedibus debilibus ut ægre stare possint.

℞. *Salviæ, majoran. & fol. ebuli ãã q. s. exprimatur succus, indatur phiola bene clausa, obvolvatur massa panis, coque in furno, Exime vitrum, frange, & succum exprime, adde tantundem medullæ ossium bovis, Hoc unguento pedes & coxendices probe ungantur.* A me probatum est in puero ad ambulandum inepto *Ludovica Bourgeois part. 1. c. 33.*

De Stupore iterum.

Stupor Accidit quando meatus per quos spiritus excurrere debent ex parte obstructi sunt, aut compressi, tunc enim partes, ad quas spiritus deferri debent, stupidæ redduntur: quia videlicet filum tenuissimum hujus materiæ invisibilis, quod difficulter & vix permeat, exiguas tantum undulationes perficere potest, quæ corpora striata attingere nequeunt, aut præ tenuitate ab anima vix percipiuntur, etiamsi huc usque ferantur: Experientia quidem teste stupor partem aliquam invadit à compressione nervi illi proprii, ob quam introitus spirituum prohibetur; cuivis enim res perspecta est si femur, e. g. alterum alteri diutius incubuerit, aut cubito quis innixus; At paucis perspecta est ratio propter quam stuporem hunc consequatur punctio admodum molesta, sed, si bene senno, statim ac causa comprimens removetur, spiritus affatim redeunt ad locum quem prius occuparant, à compressione expulsi: ab hac autem tumultuosa irruptione, cum affatim impingant cavitati nervorum, oritur vellicatio illa, ab inflictis ictibus partibus his, acutissimo sensu præditis. *Dan. Duncanus Tr. de Motu An. pagina 312.*

Cap. XXVI.

De Paralysi.

1. **P**Aralysis *est* [2] *motus* [3] *in partibus voluntaria abolitio, sine rationis læsione, ob defectum Spirituum animalium, vitio nervorum exorta.*

[4] *Signis* opus non est. [5] Motus plerumque perit, [6] manente Sensu, in parte affecta est mollities, frigus, pulsus debilis, &c.

[7] *Causa* est [8] Spirituum animalium defectus, qui vitio nervorum accidit.

1. *Paralysis*) τὸ παραλύειν si conferam cum τῷ παρίεσθαι, itemque τὸ παράλυσις cum ejusdem significationis πάρεσις, quod exponitur ἄνεσις, ἄφεσις, ἀτονία, video [illegible] fuisse ejus opinionis Nervos trahere musculos lorum more seu habenarum, ideoque opus habere τόνω seu robore, quod licet falsum sit, nihil tamen impedit quominus retineamus voces, & dicamus, Paralysis, sive πάρεσις, est Obstructio nervorum, juncta cum intemperie frigida & humida. *Hofmannus Inst. l. 3. c. 92.*

Genuino sensu *Paralysis* apud Priscos proprie significabat resolutionem nervorum à παραλύω, resolvo, idque inprimis interprete *Celso*, hoc in puncto accurato; *Nervus* enim, Græcis νεῦρον, ab ipso dicitur, vel tendo musculorum, vel ligamentum ipsum quo nectuntur artus; Id vero quod hodie vocamus *nervum* Prisci generali nomine venarum complexi fuerunt.

Paralysis igitur ex genuino sensu erit *resolutio & relaxatio* istius constrictionis quam debet habere nervus, seu tendo & ligamentum quibus mediantibus connectuntur, & proxime moventur artus, quæ ipsa instrumenta, quando sunt laxiora, non possunt movere istas partes. Talis affectus est quem describit *Bontius Med. Ind.* sub nomine *Beriberi*; Est nempe hic affectus genuina Veterum *Paralysis*, seu universum corpus, seu certas saltem partes occupet; Nempe cessat primario motus in membro paralytico, sensu plus minus superstite, malumque est in ipsa parte affecta, minus vero in nervo, Quod si Paralysis, quæ fit motu læso, est levior, ita ut remaneat sensus tactus, vocatur *Paresis*, qualis est ista quæ inprimis Scorbuticos affligit, aut *post colicam* accidit.

Quando vero sensus & motus una pereunt; dicitur *Paralysis*, gravior scil. species: Ex dictis patet quod proprie Paralysis sit ἀτονία fibrarum nervearum & musculorum, præcipue in tendinibus & ligamentis, quæ propter ἀτονίαν resolutæ ineptæ sunt ut convenienti robore membrum firmare possint; qui levior affectus dicitur *Paresis*. Hæc vulgo dicitur *Paralysis notha*, sed ex falsa hypothesi, quia putant Paral[y]sin oriri ex obstructione nervorum, & insequi apoplexiam, qualis obstructio, cum non sit obvia in Paresi, propterea eam *Paralysin notham* indigitant. *Etmuller.*

Nomen παραλύσεως à diminuendi vim habente particula παρὰ, & verbo λύεσθαι, solvi, (ad differentiam τῶν λελυμένων, seu perfecte [so]lutorum, quales apoplectici sunt [illegible], omnibus motum. *Laur. Strausius Palastr. Med. [illegible]*.

2. *Paral[ysis est] motus &c.*) Vel est *Abolitio sensus motusque volunta[ri]i, vel in toto corpore, vel in quibusdam membris à partium nervosarum relaxatione dependens.* Quando [illegible] *Para[lysin] sensus* pariter ac *motus abolitionem* dici[illegible], [illegible] ejus gradum intuemur, *Immobilitas* enim maxima ex [pa]rte quidem formalem absolvit rationem, nec [nece]ssaria tamen ad perfectionem etiam est *insensibilitas*. Pr[illegible] que & primario *Para[l]ysis* symptoma *motus animalis* [illegible] *voluntarii*, pot[issi]mum enim ac fere tantum *Facultas hæc spontanea Paralysi* obnoxia est.

Definitio data dum *vel in toto corpore*, vel in *quibusdam membris sensum motumque aboleri* dicit, non *omnes* quidem *universi corporis parte*, ceu in Apoplexia, sed vel omnes sub capite, in *Paraplegia*, vel omnes in *alterutro latere*, in *Hemiplegia*, vel quasdam ubicunque in paralysi particulari affici innuit. *L. Strausius.*

2. *Est motus in partibus*) Ad motum animalem requiruntur I. *membra* (partesque) quæ moventur, sive illa sint dura, ut ossa quæ flectuntur ac vicissim extenduntur & abducuntur, vel mollia, uti canalis œsophagi, cordis ventriculi, qui coarctantur & expanduntur, aut comprimuntur, uti abdomen. II. *musculi*, inque ipsis fibræ cum tendinibus, quorum ope moventur proxime partes movendæ III. *Nervi* a cerebro & cerebello ad musculos delati, quo pertinet spinalis medulla; IV. *Cerebrum* ac *Cerebellum* cum quibus per nervos participant musculi, & à quibus animales spiritus accipiunt, V. *Spiritus animalis* à cerebro & cerebello per nervos ad musculos delati VI. Ipsa *Anima* spiritus animales regens in motu voluntario. Ut autem Apoplexiam docuimus Animæ vitio proxime non contingere; sic nec Paralysin ipsius culpa fieri putamus: Nec proxime fiet Paral[ys]is vitio partium movendarum, sive fractarum, sive discissarum, sive luxatarum &c. quamvis impediri tunc queat earum motus & aboleri; non erit tamen cum resolutione, quod in paralysi requiritur. Sed nec cerebri [v]itio excitabitur proxime Paralysis, verum remote duntaxat; Eadem ratio est Nervorum, unde restat ut vel musculorum vel Animalium spirituum vitio oriatur proxime Paralysis, Et certe Animalis motus proxime fit propter musculorum fibras animalibus spiritibus turgentes & distentas, Quæ duo cum sola concurrant ad animalem motum producendum, eorum alterutrorum culpa proxime abolebitur idem motus, Et 1. quidem *musculorum* vitio, cum ipsorum fibræ ineptæ sunt & male dispositæ ad sui distensionem, flaccidæ scilicet & molles, quas rigidas & duriores esse oportebat: 2. vero *Animalium spirituum* vitio, cum ipsi inepti sunt & male dispositi ad fibras mu[sc]ulorum distendendas, vel ob sui defectum, vel immobilitatem, *Sylvius de le Boe.*

2. *Est motus in partibus voluntaria abo[litio]*, Rectius, Est motus in partibus voluntario motu donatis abolitio, *Galenus 1. de caus. sympt. c. 5.* [illegible] esse ait τῆς κινήσεως [illegible].

3. *Est motus in partibus voluntaria abolitio*) Paralysis resolutionem dicit, quia membra omnia, externa præs[e]rtim, caput & artus, animali motu & voluntario cieri solita & agitari, laxa, flaccida & quasi [s]oluta decumbunt, imo cum gravior sit morbus, frigid[a] quoque ac tumida, & sensus expertia: unde patet Animalis motus symptoma pr[o]prie esse Paralysin, & quidem in ejusdem defectu sive abolitione, quo diff[er]t a Convulsione, catalepsi, & similibus affectibus, cum partium movendarum rigore, non vero relaxatione & flacciditate conjunctis, *Fr. Sylvius.*

4. *Motus*

[4] *Motus abolitio*) Cujus immobilitatis causa tanta est Apoplexiæ & Paralyseos affinitas ut idem nomen habeant, Illa vero immobilitas Medicum fallere non debet, ne fallatur in cura. *Hofmannus l.c.*

[4] *Signis opus non est*) Non quidem ad affectus dignotionem, sed ad ejus speciei, partis affectæ & causæ producentis: *Partis affectæ* dignotio ex anatome desumenda, in qua nervorum origines & insertiones docentur. Aliquando etiam causæ externæ inquisitio ad loci affecti dignotionem multum facit; sic apud *Galenum* 4. loc. affect. 4. quidam cum tempore frigido ac pluvioso madidum pallium collo diutius obvolvisset in manus paralysin incidit: *Pausanias Syrus* 1. *de loc.aff.c.*5. in tribus digitis sensum amiserat (qui è vehiculo in dorsum prolapsus erat) quia in primo exortu nervi post septimam vertebram prodeuntis pars quædam ab ictu fuit læsa; Ideo medicamentum digitis frustra admotum huic parti apposuit *Galenus*, & curatio sequuta est.

Causarum diagnosis ex causis procatarcticis, morbis prægressis & temperamento ægrorum eruitur: Atque adeo causæ externæ refrigerantes & humectantes prægressæ, ætas senilis, aut temperamentum pituitosum, tempus hyemale, victus frigidus & humidus, apoplexia præcedens, à *frigida intemperie & humore pituitoso* morbum exoriri significant.

Paralysin verò à *bilioso humore* aut *melancholico* exoriri testantur febres prægressæ, & interdum præsentes: temperamentum biliosum aut melancholicum; tempus æstivum vel autumnale, usus aromatum salsorum, aliorumque ciborum calidorum; animi pathemata gravia, & diuturna, humorum biliosorum aut melancholicorum, vel seri acidi aut acris excretio: Fluxiones acres in varias partes decūbentes, & dolores in iis concitantes; ac deniq; cū motus & sensus imminutione adest dolor & convulsio; & hujusmodi laborantes à calefacientibus remediis læduntur, à frigidis & humidis juvantur; Tumores, Luxationes & Solutiones continui per se satis elucescunt. *Riverius.*

Adest insuper *urina alba & tenuis*, cruditatum index: *Atrophia & frigus* partis quidē resolutæ, sanæ vero *calor*: *Pulsus* Paralyticorum parvus est & imbecillus tardusq; nonnullis rarus quoq; aliis creber, sed nonnihil inordinate intermittens, teste *Galeno lib. ad Tyr. de Pulf.* cap. 11. Ratione *subjecti, hoc nobis esse propositum debere* monet Galenus l, 3. hoc aff. 10. *ut affectam sedem simulque dispositionem ejus inveniamus; nisi enim hæc accurate noverimus*, addit, *nequaquam eas partes, quibus vel sensus vel motus vitiatus est, recte curabimus*. Straussius.

[5] *Motus plerumque perit manente sensu*) Nonnulli medici cum observarent modo sensum obstupescere, & motum aboleri, modo utrumque perire, constituerunt differentiam inter nervos motorios & sensorios, eosque putarunt esse distinctos nervos, & prout hi vel illi, vel utrique obstruuntur, hinc dictam Paral. diversitatem fieri: Sed hac in re errarunt, sicut enim spirituum animalium, ita etiam nervorum nulla est diversitas, sed operationum diversitas à partium quas ingrediuntur diversitate procedit: Sic per nervum sextæ conjugationis pleura, mediastinum, ventriculus, multæque aliæ partes sentiunt; per eundem musculi cervicis, hyoidis, laryngis, aliique sentiunt & moventur: Illud autem super hac re notandum est 1. Sensus instrumenta esse membranas, quæ quo plures recipiunt nervos, & per consequens spiritus animales, eo acutius sentiunt, quo pauciores & minores, eo obtusius; non enim soli nervi, sed spiritus per eos delati dant membranis suum sentire, ut patet in Paralysi, in qua licet nervi adsint, ob spirituum tamen defectum abest sensus, his autem membranis, quia nervi etiam præditi sunt, non est mirum quod ipsimet etiam acutissime sentiant, præsertim cum in se copiosissimos etiam contineant spiritus, quibus mediantibus sensus fieri debet, & quibus destitutæ membranæ non sentiunt, ut nec ipsi nervi: Motus voluntarii instrumenta sunt musculi, quos nervi non movent seipsos contrahendo, ut vult *Galenus* sed tantum copiosos spiritus animales, motum facientes, iis infundendo: atque sic nervi quidem ad motum musculorum una cum his simul flectuntur vel extenduntur, sed sua contractione vel extensione non movent musculos, quod necessario facere deberent si essent motus instrumenta. ij. Notandum nullum musculum moveri qui simul etiam non sentiat, & in musculis posse perire motum manente sensu, sed non contra, cum pauci spiritus sufficiant ad sensum tactus, ad motum vero multis opus sit; quibus non satis influentibus, perit motus manente sensu, sed hoc tamen obtusiore, nec tam acuto ut ante. *Diemerbroeck Anat. libr.* 8. *capite* 1.

[5] *Motus plerumque perit manente sensu*) Etsi semper fere atque imprimis in gravissima Paralysi (sunt enim varii gradus) abolitus, aut valde saltem imminutus observetur Tactus, calorisque sensus, non est tamen inde paralyseos essentia, sed consectarium, nam semper plus minus labefactatus observatur in Paralysi uterque sensus prædictus: Proprie igitur & primario labefactatur in Paralysi, ut & apoplexia, motus animalis, secundario autem ac per consensum sensus *Sylvius de le Boë.*

[6] *Manente sensu*) Ad hunc modum describit *Willis.* Quod sit *Partium nervosarum à debita tensione resolutio sive relaxatio, cujus ratione motus & sensus, nempe aut alter tantum, aut simul ac uterque in toto corpore, vel in quibusdam partibus debito more exerceri nequit.* Hinc ex Ejus sententia, in Paralysi, aut motus, aut sensus tantum, aut uterque simul læditur, Nam, *ait*, 1. quoad *motum per se*, facultas hæc spontanea (quæ potissimum ac fere tantum Paralysi obnoxia est) quandoque in toto, aut partibus quibusdam abolentur, interdum vero illa tantum impedita minuitur aut depravatur. 2. Pariter & *sensum per se* unum, aut simul plures modo penitus auferri, modo plurimum diminui aut vitiari advertimus; 3. nonnunquam accidit *utramque simul potentiam* lædi.

Talem utriusque noxam fere tantum accidere in quantum spirituum ductus & meatus firmius occlusi, ipsorum sive prorsum sive retrorsum tendunt, irradiationem omnem intercipiunt; quod interdum; licet rarius, à materia morbifica è cerebro in medullam oblongatam delapsa, sæpius vero propter graviorem spinæ læsionem, uti casu ab alto, plaga, aut vulnere eidem inflictis contingit, nam ob tales occasiones fune medullari compresso, aut distento nimis, aut intorto, spirituum tractus omnes delentur.

Facultas autem *Sensitiva* nonnunquam *per se* & motu adhuc salvo læditur: hoc de organis, quorum nervi sunt tantum sensiles, uti nimirum de *visu, auditu, gustu* & *olfactu* satis obvium est, & ratio facile patet; At vero quod in extremo corporis habitu, aut membris, interdum *tactus* pereat, *potentia loco motiva* illæsa, uti passim cernitur in *leprosis, elephantiasi* affectis & *maniacis* quibusdam, nude incedere, & humi discumbere solitis, qui in cute & carnibus musculosis adeo obstupescunt ut scalpelli incisiones, aut aculeos alicubi adactos minime persentiant, hoc inquam, explicatu perquam difficile existit.

Verum tamen super his dicendum erit eosdem forsan nervos motuum instinctus, & sensibilium, impressiones prorsum & retrorsum conducere, sed non easdem *fibras* quæ sunt *loco motivæ*, prorsus aut potissimum sensiles

esse, Potentiam illam *fibras musculosas & tendinosas* exequi alibi ostendimus, verum species sensibilis à fibris membranaceis fere tantum excipitur: quare cutis externa, primarium tactus organum est, post hanc membranæ musculos integentes, ac denique viscera constituentes, ab objecto tangibili quodammodo afficiuntur, quapropter Tactus læsio, aut amissio, ob noxam membranis exterioribus illatam exoritur, nempe cum harum fibræ à materia vitriolica *obstruuntur*, aut à frigoris excessu valde constipantur, proinde spiritus animales, qui impressiones suas excipere debent, ab organis suis excluduntur; Et quidem has membranarum exteriorum incolas tantum affici inde constat, quia membra sensu, non sicut motu privata emarcescunt, sed plena & torosa perstant; quod indicio est spiritus animales, nervos & fibras carneas usque subeuntes, nutritionis muneri virtutem suam contribuere, at cum motu abolito spiritus fere partibus istis in totum exulant, carnes, quia materies nutritia, per arterias licet advecta non assimilatur, contabescunt. *Willis.*

6. *Manente sensu*) Interdum accidit à materia morbifica, copiosius delapsa, & *corporis unius striati* tractus omnes medullares densius obstruente, partes respectivas, non tantum omnes *motu*, sed & aliquas etiam sensu destitui, ita ut membra quædam sensibilis, utut vehementis & dolorifici, impressionem minime sentiant: Talis affectus in minori gradu contingens *Stuporem* & *punctionis sensum*, velut in membris incubatis excitare solet. Quod si inquiratur, cur non *Sensus* æque ac *Motus* in Paralysi semper inhibetur? Si quidem uterque perficitur ab iisdem nervis ac fibris, ac, uti videtur, intra eosdem tractus medullares, ita nimirum ut altera facultas sit tantum alterius inversio? Dicendum hic videtur, quod sicut lux per vitrum radiat ubi ventus excluditur, ita & sensu adhuc salvo motus sæpe aboletur: Præterea sensus est tantum passio atque impressio sensibilis, quæ continuitate processus nervosi ab *organo* ad sensorium commune, sine quovis spirituum nixu aut molimine propagatur: quod fieri possit etsi commune sensorium aliquatenus obstruitur, ejusque incolæ spiritus obtorpescunt; attamen motus est actio difficilis & laboriosa, ad quam requiritur ut spiritus se vegete expandant, & non tantum in organis motivis, sed præcipue circa partes, ubi motus principium, ejusque primus impetus est, exinde toto per partes nerveas commeatu, nixus quasi explosivos edant: Quare cum spiritus pauci & ligati pro *sensu* sufficiant, ad *motum* plures, & quoad expansiones suas liberi & expediti requiruntur. *Willis.*

7. *Causa est spirituum animalium defectus*) Causa est spirituum animalium vitium, cum ipsi male dispositi sunt ad fibras musculorum distendendas, & vel 1. ob sui *defectum*, vel 2. ob sui *immobilitatem*. *Deficiunt*, Paralysin excitaturi, non absolute, sed in musculis, ob viarum, *Nervorum* scil. *angustiam*, aut aliam ad spiritus transmittendos ineptitudinem, flacciditatem forte aut humiditatem, spiritus ab invicem dividentem, atque sic eorum continuitatem, ad motum omnino necessariam dirimentem, vel ob eorundem *dissectionem*. Spiritus redduntur *Immobiles* per narcosin & stuporem, aut torporem.

Remotiores ergo causæ sunt, *proximas* producentes, 1. Omnia quæ flaccidas & molles reddere possunt musculorum fibras, humiditas imprimis aquea, vel in corpore existens, & eo delata; vel forinsecus adveniens, & per cutem penetrans, uti est pluvia diu parti alicui incumbens, ij. Omnia Nervos angustantia, atque imprimis Pituita secundum spinalis medullæ radicem defluens, & paraplegiam, aut hemiplegiam excitans, comprimendo, & forsan emolliendo simul substantiam medullarem spinalis medullæ, atque sic transitum spirituum animalium impediendo, iij. Omnia nervos, aut spinalem medullam dissecantia, vulnera &c iv. Omnia Narcotica, spiritus animales torpidos & immobiles præstantia, atque aliquam Paralyseos speciem excitantia, non tamen tam periculosam, nec curatu ideo difficilem; quod fit cum non omnes spiritus animales narcosi afficiuntur, ut in Apoplexia, sed in quibusdam duntaxat partibus, ex opiato illis admoto, aut alio narcotico partem certam afficiente. *Sylvius de le Boë.*

8. *Spirituum animalium defectus*) Datur hujus morbi species à *Spirituum inopia* & paucitate dependens, in qua etsi motus nulli parti, aut membro prorsus deficit, à quibusque tamen nonnisi debiliter tantum, aut depravate peragitur: Nimirum affecti ἀκινησίᾳ licet immunes, membra tamen fortiter movere, aut pondus aliquod sufferre nequeunt: Insuper in nixu quovis motivo artuum tremore laborant, qui tantum debilitatis, & roboris præfracti in potentia motiva effectus est: Cum enim deficiunt vires pro membro quopiam firmiter & uno molimine attollendo, Natura vacillans conatu sæpius repetito agit, proindeque pars in motu existens veluti concuti & trepidare cogitur: Cui accedit, quod cum fibræ nerveæ flaccescentes nixum tonicum, seu tensitatem in regione animali sustinere nequeunt, istæ ultimam suam potentiam exerere nitentes, motus quasi spasmodicos ineunt, eosque perpetuo iterant: Quare in nonnullis paralyticis artuum omnium tremores & concussiones semper persistunt: Qui ad hunc modum à *spirituum animalium paucitate*, sive inopia, proindeque ab illorum in systema nervosum dispensatione parciori & diminuta Paralytici evadunt, tali affectioni propter varias causas & occasiones obnoxij fiunt.

1. *Senectus extrema*, seu valetudinaria, item sanguinis aut humoris genitalis impendia immodica, diathesin ejusmodi paralyticam plerisque hominibus inducunt, quatenus nimirum è sanguine effœto, & pene vappido, spirituum vitalium penus nonnisi exiguus in cerebrum extillatur.

2. Propter eandem fere rationem *scorbuticis* valde & *cacochymicis* facultas locomotiva plurimum vacillat, namque tales exercitio cuivis fortiori impares, infirme ac imbecille gradiuntur, à deambulatione longiori, aut paulo citatiori plurimum delassantur; porro à nixu quovis graviori sæpe stuporem in artubus cum movendi impotentia patiuntur: Quandoquidem enim his massa sanguinea valde aquosa & impuritatibus referta existit, cumque cerebrum debilius, & quoad poros laxum, fæculentias quasvis in se facile admittit, propterea spiritus animales pauciores tantum procreat, illique haud sinceri & subtiles, verum hebetes, & crassioris materiæ adhæsione impediti (quamvis non semper adsit viarum obstructio aut diathesis narcotica) sese in nixus motivos explicare nequeunt.

Non tantum *Scorbutici* sed & pleriq; alii, à *morbo chronico* ægre ac tarde convalescentes artuum languore & membris à debito vigore ac robore plurimum resolutis afficiuntur; ut cum stomacho valeant, eorumque pulsus & urina laudabiliter habeant, ipsi tam quasi enerves & elumbes motus locales vix ac ne vix inire audeant, ac initos haud diu perficiunt; Quinimo nonnulli, absque ægrotatione notabili, longo tempore quasi propediem moribundi lecto affiguntur: dum imperturbati recumbunt, cum amicis colloquuntur, & alacres degunt; excitati autem vel incedere nec volunt nec audent, imo motum quemvis quasi horrendum quoddam aversantur.

Proculdubio in his, etsi spiritus animales totum genus nervosum quodammodo actuant & irradiant, tamen eorum copiæ ita tenues & minus confertæ existunt

stant ut cum plures spiritus alicubi ad motum in ipsum agglomerari debeat, magnum est periculum ne statim in vicinia continuitas eorum abrumpatur, proindeque in partibus nervosis tensitas solvatur: Quapropter cum spiritus cerebri incolæ, aliorum in membris dispositorum debilitatis conscii sunt, ipsi motum localem, siquidem difficile nimis pensum socius suis imponere recusant; quamobrem affecti vix ulla persuasione ducuntur experiri utrum incedere possint necne, verum tamen qui spirituum inopia laborantes, eos quoad possunt in motus locales urgebunt, mane primum excitati, firmiter gradui, brachia huc illuc jactare, aut pōdus attollere valent, ante meridiem vero spirituum qui in musculos influxerant penu fere absumpto, vix manum aut pedem movere possunt.

In hujusmodi *Spuria paralysi*, à spirituum animalium defectu, & debilitate potius quam obstructione oriunda, suspicari licet, non modo ipsos spiritus, quoad primas eorum copias, & particulas originales in vitio esse, sed insuper aliquando motus localis imbecillitatem & impotentiam aliquatenus etiam à copulæ explosivæ, ubique in fibras motrices è sanguine suffusæ, vitio pendere, Enimvero è sanguine valde cacochymico, proindeque vappido & effœto, sicut spiritus animales nonnisi pauciores cerebro instillantur, ita probabile est ipsis è cerebro in nervos derivatis, ac demum intra fibras musculosas dispositis, particulas alias nitrosulphureas (quas ad motum muscularem necessario requiri supponimus) è sanguine vitioso nonnisi hebetes, & à potentia elastica degeneres accedere, propterea quidem ut à spiritibus intra musculos ita perperam concretis, non secus ac à pulvere pyrio fæculentis crassioribus referto, explosionum actus & rarius & debilius exerantur. *Willis.*

9. *Qui vitio nervorum*) Cum ad motum animalem plura sane organa requiri constet, quodnam ex hisce, (siquidem sermo est de subjecto principali) pro tali habendum veniat disquiritur, Pro *nervis* quidam cum *Galeno* omnes quidem nervos intendūt, eo ipso intentu, quod illos proxima *sentiendi & movendi* instrumenta non esse, sed *spiritibus animalibus devehendis* instar *canalium* duntaxat inservire fatentur, efficiunt sane ut *Musculis* potius hanc prærogativam assignandam judicemus, Cum enim ob horum præcipue *fibras*, *spiritibus animalibus turgentes atque distentas*, Motus animalis proxime fiat, næ alterutro horum, si non utroque, deliquente, motum istum aboleri consequitur? *L. Strausius.*

Spirituum animalium defectu) *Etiam eorundem perturbatio Paralysin inferre valet*, Nam *affectus animi* graves eam induxere Sic ex subita consternatione natam Paralysin vide in *Misc. Cur. Ann.* 4 *p.* 14. Ex nimio *mœrore & inedia* Paralysin natam refert *Zacutus l.* 1. *Med. Pr. Hist.* 46.

Curatio est [10]. *Nulla, si* ex luxatione vertebrarum soluta & valida accidit, quia nervi insigniter contunduntur, ac sequitur inflammatio: *si* ex nervi grandioris aut spinalis medullæ incisione, quia incisio non coalescit.

[11]. *Difficilis, si* in senibus, quia caloris imbecillitatem innuit, *si* membrum extenuatur, & ejus calor vegetus mutatur; præsertim *si* oculus lateris affecti imminuitur, quia calorem ferè extinctum arguit: si plures nervi & musculi affecti sunt, *si* [12]. Apoplexiam insequitur, quia causa est nimis vehemens.

[13]. *Facilior si* crura aut pedes resolvuntur, quia siccior ibidem nervorum natura, *si* membrum resolutum actu est calidum, *si* tremor aut febris supervenit.

[14]. *Instituitur* pro ratione Causarum & Differentiarum.

10. *Curatio est nulla*) Atrophia, aut insignis extenuatio parti Paralyticæ adveniens, & pallor ingens curationis spem adimit, Non solum enim spiritus animalis defectum, sed & calorem naturalem propemodum extinctum arguit.

Si resoluti lateris oculus imminuatur, exigua curationis spes est; summam enim spirituum penuriam in ea parte significat; Paralysis hyemis tempore curari nequit, vere autem & æstate curatio obtineri potest, si cætera consentiant. *Riverius.*

Morbus hic à causa evidenti solitaria illatus, uti ab ictu, casu ab alto, vulnere &c. Vel apoplexiæ, caro convulsioni, colicæ, aliisve cerebri aut systematis nervosi affectibus superveniens, si non brevi tempore in melius alteretur, aut medicamentis cedat, plerumque insanabilis restat, *Willis.*

11. *Curatio est difficilis*) Ideoq; continuatione remediorum opus est, cum difficulter superetur humor Paralysin, universalem imprimis, excitans: Unde suspicor aliquid peculiare in illa pituita reperiri, quod nondum satis assequimur; cujus nomine afficiat tam nocenter & tam pertinaciter omne genus nervosum, quodque sedulo quærendum puto: Putarem ideo etiam Alumen plumosum, tum crudum tum præparatū, utile futurū in hoc affectu, si oleis immisceatur & illinatur. *Fr. Sylvius.*

11. *Difficilis*) Paral. ab humore pituitoso nervorum substantiæ impacto genita curatu difficilis est, quia ægerrime discutitur, ob frigiditatem partis ejusque debilem expultricem, quæ cum remediis cooperari debet, & situm spinæ nervorumque profundum, ita ut ad eas partes vix remediorum vis integra pervenire possit, Et cum longus eorum usus necessarius sit, ægri ut plurimum tædio affecti curationi adeo diuturnæ se subducere nolunt. *Riverius.*

Quæ universalis magis est, pluresve partes simul infestat, eo difficilius quoque curatur; Sic & gravior est quæ spinalem medullam aut nervos agnoscit pro parte affecta, quam quæ musculorum fibras vel tendines *Fr. Sylvius.* Si à principio *medulla oblongata* in totum obstructo, vel *spina* vehementer *læsa*, resolutio totalis insequuta, sensum æque ac motum tollit, affectus ægre aut vix omnino curatur. Hominibus provectæ ætatis, cacochymicis, valde scorbuticis, aut intemperatis accidens, etsi affectus haud immanis fuerit, difficile curatur. *Willis.*

12. Si *Apoplexiam insequitur*) Nec rarum est *Epilepsias* in paraplegias mutari, & cōtra; Sic Epilepsiam quæ in paralysin fere totius corporis excepto brachio dextro abiit, in qua sensus ablato motu, perierunt, notat *Hildesheim spicil. c.* 7. *Schenkius* meminit Epilepsiæ ex terrore contractæ post biennium in paraplegiam alterius lateris transiisse à *Fontanus Resp. & Cur. l.* 1 *p.* 32. Paraplegiam oculi sinistri post epilepsiam in gravida observat, *Horstius l.* 2. *obs.* 41. notat ex epilepsia paraplegiam lateris dextri, & hinc denuo insultus epilepticos. In *Misc. Cur.* anni vi. observatur paralysis & epilepsiæ mutua successio: Apud *Bartholinum cent.* 4. *obs.* 3. notatur paraplegia lateris sinistri, & convulsio lateris dextri in febre petechiali. *Ettmuller.*

12. *Si Apoplexiam insequitur*) In Paralysi post alterius morbi insultum graviorem relicti, observavi interdum partes omnes motrices utriusq; lateris leviori modo resolutas fuisse, quamvis enim nixus motivos fortiores

edere nequeant, plerumque tamen membra extendere, flectere, imo huc illuc paululum ciere poterant, in quantum sc. materies morbifica per utrumque *corpus striatum* latius diffusa, non ita confertim meatus ubique omnes impleverat: Insuper è contra notavi in *hemiplegia* ita subito exorta resolutionem longe majorem fuisse, proinde ut perculsi manum, aut pedem, aliudve latens affecti membrum quoquo movere nequiverint. *Willis.*

[12.] *Si Apoplexiam insequitur*) Quia plerumque in eam degenerat, ex novo ejusdem materiæ ad cerebrum affluxu, quod ex priori morbo debilitatum est. *Riverius.*

[13.] *Facilior*) Tremor superveniens salutaris, significat enim meatus nervorum aliquomodo aperiri, per quos aliquid spiritus animalis ad musculorum motum efficiendum transire incipit, *Riverius.* Paralysis quæcunque sive *accidentalis*, sive *habitualis*, ac utraque aut *universalis* aut *particularis*, sive subito sive sensim excitata, si facultate cognoscente & vitali illæsis contingat, morbus acutus haud censeri debet, quin potius periculi expers curationem longiorem, vel saltem ejus conatum admittit. Qui à Paralysi ob *causam evidentem solitariam* exorta semel curantur, recidivam non ita facile ac ubi morbus à procatarxi dependet incurrunt. *Willis.*

Curatio.

[14.] *Instituitur pro ratione causarum*) Paralyseos sicuti typi multiplices, & causæ diversimodæ existunt, ita *curatio* ejus non uno semper modo, sed per methodum variam, unicuique scil. istius morbi speciei appropriatam instituenda est; Utplurimum illius hæc tria erunt genera, seu potius tres erunt medendi rationes, quarum modo hæc, modo illa vel altera circa morbi hujus therapejan iniri debet; Nimirum quatenus resolutio (qualiscunque & quocunque in loco fuerit, vel 1. ab externo accidenti, scil. plagas, casu ab alto, vulnere, frigoris excessu, aut similibus subito infertur, vel 2. affectui cuipiam alteri, scilicet apoplexiæ, caro, colicæ aut febri diuturnæ succedit, vel 3. illa primarius & per se morbus & procatarxi, sive apparatu prævio dependens sensim excitatur. *Willis.*

[14.] *Instituitur pro &c.*) Curationem ita instituemus, ut ratione *Causæ* humorem nervos occupantem ab illis alio revellamus, derivemus, vel è corpore expurgemus; aut alioquin in parte discutiamus vel absumamus; Et ne nova excrementa generentur, à quibus humores hi vel augentur, vel foventur, caveamus: *Morbi* vero causa, ut intemperiem frigidam & humidam in nervoso genere corrigamus: *symptomatum* tandem occasione, ut partes imbecilles roboremus, & ad musculos vim & spiritus rursum alliciamus, *Viribusque* totius corporis prospiciamus, *Platerus.*

Curavimus Hemiplecticos & Paralyticos plurimos generali illa, seu potius speciali methodo, 1. dando quæ poros nervorum reserant, V.g. *spiritum salis armoniaci*, cum *spiritu lilior. convall.* 2. Quæ spiritus animales confortant, infusum nervinum, 3. quæ acidum figens excutiunt, pulverem superius laudatum, Non omissis externis unguentis nervinis & urticationibus. *Wedelius Amoenitat. med. p. 123.* In cura observanda diversitas affectuum eorumque origines, quæ Paralyses uno nomine dicuntur, adeoque in genere 1. *Causa* corrigendæ & removendæ 2. Appropriatis, & in specie *nervinis* aromaticis ac volatilibus *partium nervosarum tonus restituendus* & roborandus. *Ettmuller.*

In *Paraplegia* vero eadem fere quæ in Apoplexia universali curanda conveniunt; Remedia vero ipsa appropriata sunt eadem quæ Epilepsiæ aut Apoplexiæ medentur. *Idem.*

[14.] *Instituitur pro ratione causarum*) Si excretionis cujusdam *suppressio* Paralysin infert, *venæ sectio* & hinc *sudor* conveniunt.

Quod si *Acidum volatile* fuerit quod in specie Paralysin inferat, observandum quod in tali casu propter fomitem altius in sanguine vel primis viis radicatum, præter specialem Paralyseos curam, simul præmissis debitis *alterantibus*; aliisque *appropriatis*, fomes iste eradicandus veniat, semper ad acidum austerum plus minus volatile respiciendo: Propterea quælibet fortiora *Purgantia* sedulo hic fugienda, quia si talia in principio adhibeantur, uno latere paralysi tentatus, tandem in altero simul afficitur: Saltem *helleborinis* minoribus, iisque paritis vicibus purgatio blanda instituenda venit; Id quod pariter in *Scorbuticis* membrorum affectibus correptis, inprimis paralyticis fortiora; propines purgantia, facillime morbos convulsivos iisdem conciliare poteris.

Hujusmodi igitur in Paralyticis affectibus conveniunt omnia *Epileptica* & *Apoplectica* fixa, uti sunt *unicornu verum, cinnabar. antimonii, aurum diaph. antim. diaph. mart.* Hinc quælibet *volatilia urinosa*, in specie *spir. tartari volat.* & hinc *tinctura bezoart. spir. salis armon. spir. lumbr. terr. spir. & sal volat. viperin.* & hinc *aromatica appropriata, rosmar. castor.* remedia ex *lignis*, *theriaca* ac remedia theriacal. ac Istis præmissis, simul *Diæta* temperata & probe nutritiva *lactea* instituatur, cum *lac*, ut præm. fit optimum in his, ne nervea loca succo suo blando defraudentur.

Si *Scorbutus* in recessu sit, hæc ipsa quoque locum habent: Observandum autem in specie, quod juxta *volatilia* ista *urinosa* primatum obtineant *turiones abietis* & *pini*, præsertim cum *rad. Chinæ* præpar. V.g.

℞. *turion. abiet.* ℥iß. *rad. Chinæ* ℥j. *incisa & contusa in aqu. & cerevis.* coqu. ad medietatis absumptionem, Decoctum coletur; bibatur bis quotidie, expectando, præsertim mane, blandum sudorem: *Decoctum beton. baccar. junip.* quoque laudatur.

Istis debite præmissis *serum lactis* cum *antiscorbuticis* mistum, & ipsum quoque *lac* egregium est, curamque absolvit, Sed necesse est præmitti *universalia*; non tam *laxantia* quam primo *fixa absorbentia*, hinc *volatilia*, quibus præmissis, ad ista appropriata acceditur. *Ettmuller.*

Si oriatur Paralysis membri ex *humectatione & relaxatione tendinum ac ligamentorum*, seu à causa *interna* seu *externa* oriatur, convenit in specie tunc *ol. terræ* cum *axungia hum. & anser.* mistum, & parti affectæ illitum: Item Empl. ex *tacamah. & galbano*, cum *ol. destill. succini & Philos. malax*, & circa articulos applicatum: Item si eo usque procedat malum ut ligamenta ita quoque resoluta paralysin aut relaxationem fere membri inferant, confert *Empl. sticticum Crollii*, cum *ol. Philos. & terra* malaxatum, *Interne* cum *theriaca* sudor crebrius provocetur. *Ettmuller.* Vide quædam huc pertinentia cap. de Immobilitate & motus difficultate.

[15.] *Differentiæ* Paralyseos [16.] sunt variæ.

I. [17.] Alia est *Universalis*, in qua vel totum corpus excepto capite occupatur, vel medietas sive alterutrum latus. Tum, [18.] si *facie* afficitur, [19.] cerebrum quoque cum spinali medulla affectum est: sin *omnes sub facie partes*, initium spinalis medullæ malè habet secundum transversum: Sin *medietas*, alterutrum spinalis medullæ latus peccat.

Alia [2.] *Particularis* [22.] cum certa pars laborat. [21.] Tum, *si brachia* & manus motu destituuntur, nervi, qui ex vertebris cervicis prodeunt, peccant, *si pedes*, qui vertebris lumborum & ossis

fis facri, *Si oculi* fecundum par nervorum afficitur, *si lingua* feptimum, *si vox* deficiat, nervi recurrentes affecti funt.

15. *Differentia funt varia*) Vel enim omnes, quæ fub capite funt partes occupat, & παραπληγία dicitur, vel dimidiam tantum corporis partem, ἡμιπληγία dicta, vel unicam, & particularis dicitur: Alia iterum eft *Perfecta*, in qua motus & fenfus omnino abolentur; altera *imperfecta*, in qua functiones iftæ tantum imminuuntur; Sin levis earum fit imminutio, nondum Paralyfis, fed *Torporis* vel *Stuporis* nomen obtinet, quia via eft ad veram paralyfin & quafi prodromus illius. Alia etiam eft fpecies imperfectæ, cum motus læditur illæfo fenfu vel viceverfà; *Riverius*. In Perfecta, quæ integram motus & fenfus privationem fupponit materiæ morbificæ copia major eft, & integram nervi obftructionem vel adftrictionem producit: Imperfecta vero minor, quæ fpirituum animalium influxum penitus non impedit, fed aliquam eorum portiunculam commeare finit. *Idem*.

De morbo hoc imprimis diftinguendum erit, eum vel *Accidentalē*, vel *Habitualem* effe, Prior à caufa evidenti folitaria, ejufmodi funt plaga, vulnus, concuffio, frigoris & caloris exceffus, & fine prævia diathefi quibufvis accidit: Et præter *hanc caufam & conjunctam*, quæ plerumque eft *compreffio*, aut *unitatis folutio*, alias non habet; Paralyfis *Habitualis* à caufa *procatarctica* dependet, quæ femper eft materies extranea, & quafi vitriolica, alicubi prius genita, & aggefta, quæ deinde in motus & fenfus organa fuffufa, quatenus medullares tractus aut nerveos obiorat, vel fpiritus interdum mero contactu profligat, vel fimul utrumque efficit, in partibus refpectivis, ob influxum fpirituum iis denegatum, refolutiones parit. *Willis*.

16. *Differentia funt varia*) Infignis eft Differentia inter *Paraplegiam & Paralyfin* utut vulgo erronee confundantur; Nam *Paraplexia* funt *Apoplexia particulares*: *Paralyfes* vero funt refolutiones membrorum tales in quibus primario motus deficit, fuperftite plus minus fenfu, *Stupor* contra eft affectus in quo deficiente in partibus fenfu fupereft motus, Græcis ἀναισθησία dictus. *Etmuller* Part.2.*p*.317.

Paraplegiæ nunc *apoplexiam* fequuntur, ficque *morbus fecundarius* funt, Nunc vero *per fe* inchoant, fine præcedente apoplexia, utut plus minus alios morbos fequantur, funtque *Apoplexiæ particulares*: Sane *Apoplexia*, & hinc natæ *Paraplegia*, ac Epilepfiæ, fingularem habent & mutuam convenientiam, & quafi in radice identitatem: In *modo fiendi* faltem aut *affligendi* differunt, hinc & permutatio mutua eorum, & quoque in cura remediorum identitas: Hinc *Gorraus* in *Defin. Med.* inquit Paraplegiam fignare *Hippocrati* Paralyfin quæ apoplexiæ aut epilepfiæ fuccedit. *Idem ib.p.*312.

Facilis alias eft diftinctio inter *Paralyfin & Paraplegiam*, Nam differunt 1. *Origine*, nam *Paraplegia* fequitur inprimis cerebri & fpinæ morbos, & frequentiffime comitatur Apoplexiam, Epilepfiam, Convulfiones, &c. cum dicti affectus fubinde fint mutuo permutabiles.

Paralyfis vero fequitur inprimis *Scorbutum*, aut *Colicam convulfivam*, frequentior eft regionibus in quibus *copiofum vinum bibitur*, Item *caufis externis* fubinde fupervenit.

II. *Subjecto*, Nam in *Paraplegia* primario nervi, in *Paralyfi* inprimis afficiuntur tendines & mufculi, Hinc medicamentorum topicorum diverfa in utroque affectu applicandi ratio, quæ in *Paraplegia* magis origini nervorum partis affectæ, in *Paralyfi* ipfi parti affectæ applicandæ.

III. *Symptomatibus*, nam in legitima Paraplegia fenfus tactus utplurimum cum motu tollitur, In Paralyfi vero plerumque fenfus tactus fupereft, quandoque etiam cum fenfu dolorofo tantummodo motus tollitur.

IV. *Paraplegia* à principio fere ad finem eodem habitu eft conftans, & quodammodo perpetua, & ut plurimum Medicorum manus fallit, *Paralyfin* vero & *Parefin* conftat fæpius per intervalla ægros vexare, ceffare, redire, quandoque cum *arthriticis* quafi *doloribus* complicari, quin & interdum in *convulfiones* abire, nifi in malo confirmato pertinacem contracturam poft fe trahant. Adeoque in *Paralyfi* motus perit, fe pofito utplurimum fenfu.

Rariffimus contra eft affectus ut pereunte *fenfu* remaneat motus, & tunc male quoque ad Paralyfes refertur, cum tamen ἀναισθησία fola fit, feu *Infenfibilitas*, alias *Stupor* dicta *Etmuller*.

17. *Alia eft univerfalis, alia Particularis*.) In Paralyfi partes nervofæ refolvuntur, quia fpiritus animales eas fatis non irradiant, inflant & vigore actuant; Cujus defectus caufa eft aut *viarum obftructio*, qua illorum tranfitus, five trajectio impeditur; aut *Spirituum animalium impotentia*, quatenus ij vel narcofi affecti, vel copiis minores fe non vegete fatis explicant: Spirituum ob *meatus obftructos* à partibus refolutis interceptio, fupra eas femper exiftens, *variis in locis*, & propter diverfas caufas fieri folet, præcipue tamen vel in *primo fenforio*, fcil. in *corporibus ftriatis*, aut alicubi circa *caudices medullares*, aut denique in *nervis ipfis*, & fic, aut in *eorum principiis*, aut *mediis proceffibus*, aut in *extremis finibus*, fcil. *fibris nerveis* contingit: Quando intra *corporibus ftriatis* aut *medulla oblongata*, aut *fpinali* infertur, vel obftruit totum funem medullarem, unde paralyfis infra locum affectum *univerfalis* oritur; Vel unam medietatem, unde *hemiplegia*, Vel in latere uno, aut fimul utroque quorundam nervorum capitella afficit, unde in *hoc aut* illo membro feorfim ab aliis refolutiones inducuntur.

Plures funt modi quibus fpirituum animalium viæ, five meatus, in prædictis corporibus obftruuntur, 1. nempe, aut *ductus eorum implentur* à materia extranea iifdem impacta, Aut 2. comprimuntur à fanguine extravafato, colluvie ferofa, aut tumore quodam iis incumbentibus, aut denique 3. continuitas folvitur, ut à vulnere, plaga, concuffione; Etiam à frigoris aut caloris exceffu.

Ejufdem corporis ftriati non tantum Obftructio, fed etiam *Compreffio* nonnunquam Paralyfin inducit, nempe cum intra cerebri cavitatem inferiorem fanguis extravafatus & grumefcens (forfan & ferofa colluvies ibidem aggefta) corpori ftriato graviter incumbit, ipfumque comprimit, propterea ut tractus medullares conftricti, fpiritus affluxum denegent. *Willis*. De *fpirituum animalium vitiis* vide inferius.

17. *Alia eft univerfalis*) Omnino ab Apoplexia non differt Paralyfis nifi partium affectarum multitudine, nam in Apoplexia omnes univerfi corporis partes afficiuntur, in Paralyfi non omnes, fed vel omnes fub capite in paraplegia; vel omnes in alterutro latere in hemiplegia, vel quædam ubicunque in Paralyfi particulari; *Sylvius de le Boë*.

18. *Si Facies afficitur*) Materie morbifica in *corpus ftriatum* prolapfa, *oculi*, nec non *oris* & *faciei* mufculi adhuc motus fuos retinent, proinde ut nonnulli circa initium fpinalis medullæ; infra nervos omnes à medulla oblongata oriundos, obftructionis locum ftatuant: Dico autem rem iftam ita habere, quia nervi prædictis mufculis (quorum fcil. motus per inftinctus naturales cientur)

destinati, & à v. & vi. pari profecti, non secus ac nervi præcordiis & visceribus inservientes, spirituum animalium influentias potissimum à Cerebello derivant, cujus regimen, affecto licet corpore striato, sæpe illæsum perstat. *Willis.*

18. *Tum si facies afficitur &c.*) Medullam oblongatam tunc affici statuit *Willis*, *Particula, ait, oppilativa à cerebro delapsa, inque medullam oblongatam provecta, nervos quarundam faciei partium musculis destinatos subeunt, inque ipsis spirituum vias obstruendo linguæ paralysin, modo in his, aut illis oculorum, palpebrarum, labiorum, aliarumque partium musculis, resolutionem pariunt, & dein propterea musculis antagonistis supra modum contractis, in parte opposita spasmum cient.*

19. *Cerebrum quoque cum spinali medulla*) Paralysin propter noxam *Sensorio communi*, scil. *corporibus striatis* allatam interdum fieri *αὐτοψίᾳ* comprobatum novi ex observatione anatomica, Nam quoties Paralysis universalis, aut hemiplegia (uti crebro assolet) lethargo, caro, vel apoplexiæ succedit, unicuique obvium est concipere talem morbi mutationem ob materiæ morbificæ metastasin accidere (quatenus nempe hæc è *corporis callosi* pons & meatibus (quos prius occuparat) tandem evadens, & paulo inferius decidens, *corporis striati* unius, vel forsan utriusque, tractus medullares incurrit, Cumque adeo spiritus animales à solito effluxu, sive irradiatione in genus nervosum præpediuntur, facultas motiva tantum, aut (si obstructio immanior fuerit) hæc una cum sensitiva inhibetur. *Willis.*

20. *Initium Spinalis medullæ*) Post corpora Striata proxima causæ morbificæ sedes sunt *medulla oblongata* & *Spinalis*: Etiam in his quandoque, licet rarius, *Obstructio* Sæpius tamen *Compressio*, aut *Unitatis solutio* Paralysin excitant. Quoad prius, haud probabile est materiæ morbificæ copiam simul & confertim in hanc illamve partem è cerebro dimitti; talis namque ingens & subitus affluxus vix ultra corpus striatum pertingit; Attamen suspicari fas est *particulas narcoticas*, aut alias infestas, continenter in cerebrum suffusas, & exinde in appendicem ejus protrusas, intra caudicis medullaris spatium angustius prius hærere, & sensim dein coacervatas obstructionem paralyticam inferre; Particulæ illæ dum sparsim in *cerebri corpore calloso*, aut *striato* ferebantur; crebras vertigines & scotomias, ac in partibus motivis breves interdum stupores ciebant, Verum illæ sensim intra *medullæ oblongatæ* aut *spinalis* caudicem in unum aggestæ, quatenus ductum ejus totum, aut partem occupant, & proinde spirituum poros simul omnes, vel eorum series quasdam obstruunt, aut hemiplegiam, aut membrorum quorundam, scil. modo superiorum modo inferiorum, *resolutiones* pariunt; Observavi in pluribus, quod cum Cerebri primum indispositio, mentis hebetudine & oblivione deinde stupiditate & *μωρίᾳ* afficerentur, postea in paralysin (quod etiam prædicere solebam) incidebant, scil. materia morbifica sensim delapsa, & demum alicubi intra *caudicem medullarem*, ubi tractus medullares plusquam *in corpore striato* arctantur, ad plenitudinem oppilativam aggesta: Propterea enim prout loca obstructa magis aut minus ampla fuerunt, aut *Paralysis universalis*, aut *hemiplegia*, aut membrorum resolutiones quædam *partiales* accidebant.

In utraque autem *medulla*, ac præsertim *spinali*, spirituum interceptio, sive inhibitio paralysin creans, sæpius ob *compressionem*, aut *continui solutionē* evenit: *Sanguis extravasatus*, aut *sanies ex* abscessu disrupto emanans, forsan & *serosa colluvies* intra spinæ cavitatem deposita; quin & tumor scirrhosus alicubi in ea excitatus, funem medullarem comprimendo, spirituum vias occludit: Porro *capitis* aut *spinæ plaga, vulnus, concussio*, quin & hujus sæpe *distorsio* tractus medullares non raro pervertunt aut abrumpunt; imo *frigoris*, uti à Borea, nive aut gelu inflicti excessus, spirituum ductus stringunt & constipant. *Willis.*

21. *Particularis cum certa pars laborat*) *Paraplegia* (vide supra §. 16. *Differentiæ sunt variæ*) istę pro fiendi ratione nunc *Privativa* nunc *Positiva*, esse videntur, Et in his *Positivis* aliquid convulsivi omnino intercedere dicta modo ratio (vide infra §. *Obstructio facta*) & cum affectibus convulsivis faciles convulsiones omnino persuadent; Sed cum in specie apoplexias non lethales fere ordinario insequantur *Paraplegiæ*, hujus permutationis ratio est disquirenda; Equidem *apoplexiam sanguineam universalem*, quæ ex sanguinis extravasatione evenit utplurimum lethalem esse existimo: Alia *Sanguinea privativa*, quæ tantum ex motu sanguinis intercepto in vasis cerebri oritur, si universalis sit, quomodo in paraplegiam transeat sane obscurissimum, nisi forsan venæ sectio largior, sanguinis motum promovendo, sal[...]m alterius Cerebri lateris affectum particularem reddat qui ante universalis erat, ita ut saltem in altera cerebri medietate, aut saltim circa nervorum exortum & sanguinis consistentis, & turgescentium inde vasorum vitio paraplegiæ oriantur; Imo si *apoplexia privativa sanguinea* paraplegia supervenerit, probabile est ex sangui[ne] c[o]ngrumato, aut subsistente plus minus, laticem aquo[su]m fecisse secessum, & vel internus profundius penetrasse per cerebrum in caudicē medullarem, vel exte[r]ius defluxisse secundum situationem spinalis medullæ, & ita unius alteriusve nervi læsione vel oppressione paraplegiam intulisse in *privativa* & *lymphatica*, aut huic [c]o[g]nata, si unquam observetur *pituitosa apoplexia*, unde l[y]mphæ materiæve peccantis in caudicem medullarem interiora versus progressus, adeoque obstructiones, vel ejus secundum radicem spinalis medullæ defluxus, & [...]s in locis compressio paraplegiam inferre potest, ut satis plausibile videtur; Imo forsan *aliqualis irritatio* contractioni fibrarum & membranarum circa principium nervorum originem subministrare, & hinc sufficientem spirituum influxum impedire poterit.

Positivam Apoplexiam etiam *excipere paraplegiam* res nota est, sed *modus* est admodum obscurus Esse tunc Paraplegiam *contracturam partium nervosarum* circa radicem spinalis medullæ, qua impediuntur spirituum pro motu transitus, ut *Helmont* asserit, non improbabile est, sed *quomodo fiat* revera intricatum; Interim tamen sicut calculus in rene subinde crus istius lateris stupidum & semiparalyticum reddit, aut quando colicam intestinorum convulsivam ex improviso, vel crurum paralysis, aut hemiplegia insequuntur, si causa materialis communicetur ex simplici partium nervosarum concursu, ita similiter probabile est per *consensum nervorum* eorumque fibras circa sui radicē in caudice medullari, ut in hujus progressu contractas, spirituum suffic[ie]ntem p[r]o motu impediri influxum, sicque partes, ad quas isti [nervi di]stribuuntur, sensu & motu plus minus privari Ex hoc enim permutationis ratio effectuum paralyt[ico]rum, & convulsionum, & eorum identitas optime explicari possunt. *Etmuller.*

22. *Cum certa pars laborat*) Causa morbifica interdum inferius consita, ipsos *nervorum* aut truncos majores, aut propagines occupat, Eaque pariter est vel *obstructio* vel *compressio*, vel *continui solutio*: unaquæque harum propter easdem rationes, & juxta similes afficiendi modos intra ductus nerveos, uti & medullares excitari solet. Nec minus usitatum est ejusdem particulas, siquidem pauciores fuerint, adhuc ulterius sine insigni noxa in medullam spinalem deferri, & denique ex illa evadentes, nervorum modo truncos singulares, modo illorum manipulos quosdam incurrere, proindeque ut *musculis*; aut *membris singularibus*, vel simul in illorum pluribus paralysin inducere: Quoties ob hanc causam *musculi Cervicis* unius lateris resolvuntur, alteri oppositi nimis

nimis contracti collum obtortum reddunt: Paſſim accidit propter nervos quoſdam privatos ita obſtructos, *manus* aut *pedis* digitum quendam reſolvi: Sin plures nervorum manipulos ſimul obturari contingat, in toto ſæpe brachio aut femore Paralyſis ſuccedit. *Willis.*

[25] *Tum ſi brachia & manus*) Nervis laborantibus non tam eorum inſertioni quam origini applicanda remedia, Origo vero generalis, ſaltim quoad diſtributionem, eſt ſpinalis medulla: Hinc in torpore manuum & pedum ac paralyſi id unice obſervandum eſt, Exemplum Galeni extat l. 1. de loc. aff c. 6. ubi quidam xxx. jam diebus trium manus digitorum ſenſum amiſerat, ſervato motu; Cum nihil ab adhibitis etiam optimis medicamentis præſidii ſenſiſſet, accedens *Galenus* ex Medico priori quærit quæ nam applicuiſſet remedia à quæ cum optima deprehendiſſet, quæſivit porro, an refrigeratio, an inflammatio, an ictus præceſſiſſet, quod cum negatum fuiſſet, adhuc ægrum interrogavit, an ſuperiorum partium aliqua fuiſſet icta? Reſpondit ille, manum quidem non fuiſſe ictam, ſed dorſi initium fuiſſe afflictum, Romam enim vectum à curru decidiſſe, atque non multo poſt digitorum affectum incepiſſe: hinc vero *Galenus* eadem quaſi topica prope ſeptimam vertebram dorſi applicans inopinantem ægrum feliciſſime reſtituit. *Wedelius Amæn. Mat. Med. pagin.* 126.

II. [24] Alia eſt [25] ab *intemperie nervorum*, [26] propter humores pituitoſos [27] & frigidos, [28] *tonum ipſorum laxantes*, [29] à capite plerumque deſcendentes.

Cognoſcuntur iſti ex capite de Intemperie. [30] Curatio fit.

1. [31] *Evacuatione* [32] primarum viarum, ne præparantia humores crudos in ventriculum trahant, (Et [1] *vomitus*, vomitorio Cratonis ex *ſucco raphani*, in quo *helleborus niger* defoſſus erat, excitatus, locum habet, ſi ventriculus pituita repletus eſt) *leni*; ſi vero materia in motu eſt, *fortiore*.

2. [34] *Præparatione* materiæ repetita, [35] per medicamenta Cephalica, inter quæ *Iva arthetica*, *flores primulæ veris*, *pæonia*, *ſalvia*, meliſſæ, *lilior. convall.* optima.

3. [36] *Purgatione*, [37] per Mechoacanam, [38] vel *pillulas* [39] *Solenandro & Mathiolo* uſitales.

4. [40] *Sudorum concitatione*, per *ß. hidroticum* Quercetani λ *ſudoriferum* S. Ambroſii, quibus [41] adjungi debent [42] *Guajacum, China, Theriaca, Bezoardicum Lunare*, cum aliis appropriatis, quos frictiones colli vel ſpinæ *capa lilii, radice iridis recentis*, excipere debent. δ. De ſudoribus in mantili ligneo excitandis vide Salam p. 568. ſed & vide, ne nimia calefactione nervi exſiccentur & nutritio avertatur, Poſt ſudores verò diaſolis, vel aliquod aliud cordiale exhibeatur.

5. [43] *Evacuatione* cerebri *particulari* per [44] Errhina, [45] Apophlegmatizantia, &c. Illa fiunt ex *ſucci majoranæ* expreſſi affuſa aqua majoranæ dr. iij. *pyrethri* ſcr. ß. [46] *Euphorbii* gr. vii. cum *Manna Calabrina.*

6. [47] *Topicorum applicatione*, [48] ubi locum habent [49] Frictiones cum [50] *aqua* [51] *formicarum*, & ſalviæ cum *foliis Tabaci* [52] in vino Malvatico infuſis, [53] Balnea cum *formicetis* [54] Rubificationes per [55] *Vrticas virides*, & alia. [56] Inunctiones unguento *viperino*, [57] *de piperibus*, *de caſtoreo*, [58] *axungia catti ſylveſtris*, *humana*, adipe *anatis ſylveſtris* &c. [59] *Therma* [60] *naturales vel* [61] *artificiales*, de quibus vide *Heurnium* in Methodo, [62] *ſtupha* in qua vapor per horam excipi poteſt, poſtquam membra [63] *Galbaneto Paracelſi*, quod apud Hartmannum, inungi debent.

7. [64] *Diæta calida & ſicca*, de qua conſule Practicos.

[24] *Alia eſt ab intemperie nervorum &c. Alia à nervorum anguſtia &c. Alia à cauſis unitatem nervorum ſolventibus &c. Alia à rebus narcoticis*) *Cauſa mediata proximioris* rationem hoc in affectu implet quicquid tum *ſpiritus animales*, ob ſui vel *defectum*, vel *immobilitatem* ineptos reddendo, tum *etiam nerveas muſculorum fibras molles & flaccidas efficiendo*, aut *meatus anguſtando*, aut *ſoluta unitate nervi muſculique* ſeu prorſus *evertendo irradiationem* prohibere valet; Multum vero nos in ſingulorum inveſtigatione adjuvabit ſobria de *Humoribus* & *Vaporibus* philoſophia naturalis, cum non ſolum *ſanguis* interdum grumoſus, verum etiam *ſerum*, præſertim & *pituita aquoſior* in *paralyticorum cerebro & cerebello*, imo etiam in *ſacra fiſtula* poſt mortem deprehendantur; Neque vero *bilioſos* vel *melancholicos* excludi humores debere, tum teſtim... notante *Rolfinkio*, in Paralyſin febris ardens, tum *ægri Traiſianæ* hiſtoria evincunt: Et ſane quilibet humorum aptus eſt qui ſupra commemoratas ... inducat. Imo à *Flatu* etiam ſtuporem & ... oborm poſſe docet *Hippocr. l. de Flat.* Quare nec *Vaporum* nulla hic habenda fuerit ratio, utpote quos non *frigiditate* modo, verum etiam *narcoſi* peculiares ſpiritibus animalibus & nervoſo generi inſidias ſtruere Auriſabrorum ... tremulæ &c. incredulis perſuadere poſſunt &c. *L... ... auſius.*

[24] *Alia ab intemperie*) Ab externa humiditate aliquando habet ortum, nervum vel muſculum male afficiente; quæ non ita difficulter curari poteſt, dummodo non negligatur, ac in tempore ſuccurratur, antequam habitum contraxerit malum, tum enim difficulter & ſubinde minime tolli poteſt, ac ſuperari, quando ſcilicet eo uſq; proceſſit laxitas, & flacciditas ut reſtitui nequeat in integrum. Nec novum eſt membranas eouſque humectari ſubinde ac emolliri, ut poſtmodum ad priſtinam firmitatem & naturalem tenſionem reduci nequeant, ſed vel nimium tunc rigeſcant, vel minus, quod utrumque vitioſum; *Sylvius.*

A *ſimplici intemperie frigidiori humidiorique* ſpirituum influxus impediri poteſt, quandoquidem dum nativum nervi temperamentum, & calor illius inſitus à nimia refrigeratione deſtructus eſt, ſpiritus animalis officio ſuo fungi non poteſt, calor enim illius influens cum partis calore inſito conjungi debet, ad propriam illius functionem obeundam. *Riverius.* Dicta intemperies nuda & ſine materia, tum ſpiritus congelando eorum influxum impedire poteſt, tum nervi temperiem deſtruendo, eum reddere poteſt ineptum ad ſpirituum animalem recipiendum, eaque cauſari poteſt ab aëre ambiente frigidiore, & cujuſvis rei frigidæ contactu, ut docet *Galenus 4. de l. aff. 4.* quendam tempore frigido ac pluvioſo, cum madidum pallium collo diutius obvolviſſet in manus paralyſin incidiſſe, nervis, qui à ſpinali medulla

ad manum feruntur nimium refrigeratis & humectatis. *Idem.*

25. *Ab intemperie nervorum*) *A frigida*, seu *refrigeratione nimia*, si non tantum musculi, sed & nervi ipsi cum musculis cui inseruntur; vel sine illo in ductu ipsorum extra musculum, cum frigidum ipsis admodum inimicum sit, ita afficiantur, ut si vel frigore constringantur, & condensentur, unde spiritui animali non amplius libera pateat via; vel adeo lædantur ut ipsorum pereat functio, tunc paralysis partium, quarum nervi affecti sunt, sequitur.

A *siccitate* & *caliditate* resolutionem aliquam fieri *Trallianus* docet; quod certe si talis sit quę nervi substantiam adeo induret ut spiritus eam permeare nequeat, sic accidere necesse est, sicuti idem in musculis fieri potest. *Platerus.*

26. *Ab intemperie nervorum ob humores pituitosos*) Humores pituitosos & aquosos circa nervos hærentes ipsorum tunicas membranasve, hinc & medullam humectare, ac forsan eatenus laxare posse, ut ipsa per subsidentiam collabens, tubulos eorum transmittendis animalibus spiritibus ineptos reddat, evincere videtur Paralysis à pluvia frigidiore, post vestes inde madentes hanc aut illam partem ita afficiente orta, ut nunc una nunc plures partes motum aut sensum plus minus amittant. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 42.*

27. *Propter humores pituitosos & frigidos*) De aliis humoribus controvertitur, Num Paralysis causæ esse possint? at licet, infrequentiores sint, non sunt omnino abdicandæ, *Trallianus* l. 1. c. 6. refert quendam in Paral. ex mœrore incidisse, & sumpta Hiera adeo læsum ut totus fieret immobilis & propemodum interiret, nisi in contrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus, cum potibus tum cibis, & aliis quæ temperaturam ipsum redderent usus fuisset, maxime vero balneis compluribus, unctionibus ex hydrælen, *Paulus* l. 3. c. 28. & 43. Paralysin proponit ex colica biliosa, cui refrigerantia maxime conveniunt.

Et nunc notissima est Colica Pictonum, quæ in Paral. utplurimum degenerat, eamque ab humore bilioso produci apud omnes in confesso est: Habet *Forestus* l. 10. Obs. 97. exemplum adolescentis cum earundem partium extenuatione & atrophia, cumque exsiccantium & calefacientium usu in pejus continuo rueret, tandem solis humectantibus assumptis & admotis restitutus est. Ratio convincit, Bilis enim, & melancholia, & quivis alius humor in nervos influens, meatus eorum insensiles occludere potest, si eorum interiora petat, vel eosdem comprimere, si extrinsecus ambiat.

Neq; rationes *Rondeletii*, contrarium asserentis, convincunt; dum ait bilem & melancholiam siccare potius quam emollire nervos; bilem ad convulsionem magis, mordendo & vellicando, quam ad paralysin efficiendam esse idoneam; siquidem emollitio nervorum ut in paralysi à pituita concedi potest, in omni tamen paralysi necessaria non est, licet vulgo Paralysis nervorum resolutio nominetur, cum illius essentia à sola privatione influxus spirituum animalium dependeat, quæ dum à compressione nervorum, aliisque causis producitur, eorundem emollitio ad illius generationem minime concurrit.

Hujus autem relaxationis & emollitionis nervorum opinio unde exorta est, quod partes paralyticæ tensione destitutæ emollitæ videantur; motus enim membrorum fit per tensionem musculorum, & contractionem versus [illegible] originem, qua tensione destituta resoluta dicuntur, [illegible] nulla humectatio aut emollitio extraordinaria illis accidit.

Deinde cum Bilis variæ sint species, variique gradus, non est [illegible] ut omnis talem habeat acrimoniam quę convulsionem efficere valeat; adde quod varia sit humorum permixtio, & pituita aut humor serosus bili paralysin producenti misceri potest, quæ illius acrimoniam contemperet: Talis permixtio in febribus tertianis nothis præcipue contingit, quales credibile est esse eas quas dicit *Fernelius* in paralysin migrare: Denique res manifesta evadit ex *Paralysi Scorbutica*, quæ convulsionem sæpe habet comitem, ut docent *Eugalenus* & *Sennertus. Riverius.*

28. *Tonum ipsorum laxantes*) Attamen non secus in paraplegia & apoplexia quam epilepsia simul aliquid *convulsivi*. (*at convulsionis essentia in nervi consistit*) inesse videtur, Notabilis hic est *Hildan. observ. 4. cent. 1.* ubi ex sola nervuli in aure irritatione, ob immissum globulum stupores quasi paralytici, dolores & atrophia brachii istius lateris, ac tandem epilepticæ convulsiones: Ex irritatione ista quid aliud quam spasmus fieri potuit? *Ettmuller.*

29. *A capite plerumque*) Aliunde quam ex cerebro excrementitius humor ad nervos partium quarundam delatus, aut illic congestus, partibus quibusdam propriam inducit Paralysin, Qui sæpenumero aliis quoque *acribus humoribus & biliosis* perfusus, vel alias *putrescens*, nervos non tantum *rigando*, sed & *irritando*, *dolores cum resolutione* partis sese offerentes, & in *convulsionem* interdum desinentes causat; qualem *paralysin* in *colicis* quoque cruciatibus evenire, cum doloribus membrorum, ardore, formicatione, aliisque molestiis notum. *Platerus.*

29. *A capite plerumque descendentes*) Humores illi influunt à Cerebro in nervos & medullam spinalem: Sic Apoplexia levis in Paralysin degenerat, quia humor illam efficiens è cerebro excutitur in medullam & principium nervorum; sicque vel in eorum substantiam sese insinuat, meatusque insensiles per quos spiritus influunt occludit; vel per cavitatem vertebrarum dorsi descendens, & spinalis medullæ ac nervorum ductus sequens eos comprimit & angustat, sicque spirituum animalium commeatum etiam impedit. Potest etiam idem humor frigiditate sua nervi substantiam densare, ut deinceps spiritibus animalibus pervia non sit. *Riverius.*

29. *Humores à Capite plerumque descendentes*) Paralysis *Habitualis*, à causa *procatarctica* dependet; hujusmodi *Procatarxis* à duplici *causa antecedente*, sive προηγουμένῃ dependet, una scil. *remota*, quæ nempe est *sanguis vitiosus* materiem morbificam, aut in se genitam, aut à visceribus, aut aliunde surreptam τῷ ἐγκεφάλῳ ingerens: Atque ab altera *propinquiori*, quæ est *Cerebrum indispositum*, nempe *debile* aut minus *laxum*, vel alias *male conformatum*, proindeque particulas heterogeneas & νοσώδη facile admittens: Quod ad *Causas evidentes* spectat, nempe ob quas ἀφορμάς, sive occasiones, in hunc morbum dispositi eum citius contrahant, aut jam ab eo correpti, adhuc gravius plecti solent, dico huc [illegible] quæcunq; *Sanguinem* plus minus vitiant, item quæ *Cerebrum* & *appendicem* ejus nervosam opplent, aut materiæ morbificæ in ea suffusiones concitant, quæ insuper spiritibus narcosin infligunt, aut eorum copias minuunt; In hoc censu occurrunt 5°. inordinationes in sex non naturalibus, mala victus ratio, vini meracioris, aut aquarum ardentium potus, somni nimii aut intempestivi, otium ac vita sedentaria, Venus immodica, nimiæ sanguinis jacturæ; aër humidus aut paludosus, ædes calce ac limo recens obductæ, fumi & vapores metallici, frequens narcoticorum aut nicotianæ usus; [illegible] goris, caloris aut madoris excessus, tristitiæ & metus passiones vehementes ac diuturnæ, cum multis aliis. *Willis.*

30. *Curatio fit 1.*) Paralysis *habitualis* à procatarxi dependēs, aut *in fieri*, sive *diathesi*, aut in *facto*, sive in habitu est: Utraque peculiarem medendi rationem exigit:

Prioris

duo sunt præcipui casus, in quibus utriusque *Methodus therapeutica*, causas tantum procatarcticas respiciens, simili ritu designatur, Nempe sive quisquam in *Paralyseos ingruentis* discrimine, sive ab illa convalescens recidivæ periculo versatur, iisdem fere remediis insistendum erit; Itaque medendi intentiones erunt 1. ut chyloseos & hæmatoseos muneribus rite peractis, materies pro spirituum animalium genesi, tum laudabilis, tum satis copiose *τῷ ἐγκεφάλῳ* suppeditetur; deinde 2. ut cerebrum usque firmum, & bene conformatum, particulis heterogeneis exclusis, idoneas quasque admittat, ac in spiritus animales rite exaltet; Propter hos fines methodum sequentem (quæ juxta varias laborantium constitutiones variari debet) proponere visum est. Vere ac Autumno solennes medicinæ cursus ineantur, imo toto præterea anno quædam remedia cunstanti in usu sint.

Phlebotomia non passim omnibus convenit: Verumtamen nonnullis sanguine acri & calido, inque nimias effervescentias apto præditis, in Paralysin licet prædispositis, phlebotomia parca & moderata interdum convenit.

Circa Æquinoctia catharsis institui, & ex debitis intervallis ter quotannis iterari debet; Imprimis autem *Vomitorium*, si nihil repugnet, ex *sale vitrioli, sulphure Antimonii*, aut *infusione croci metallorum*, vel *Mercurii vitæ* exhibeatur, Deinde *Pilula de succino*, vel *alephangina*, per se aut cum *resina Ialap.* septima aut octava quaque septimana sumantur: Aliis temporibus remedia cephalica, cujusmodi ad affectus soporosos præscripta, scil. Electuaria, Pulveres, Spiritus, & Sales volatiles, Tincturæ, Elixires, cũ Aquis destillatis aut Apozematis, scil. modo hæc modo ista vel alia crebro sint in usu: *Fontanella* bravel chio, cruri, imo in obesis & cachecticis in utrisq; simul, aut juxta homoplatas inurantur: *Cerevisia* medicata ex *salvia, betonica, stæchade, ligno sassafras, cortic. Vinter.* &c. toto anno bibatur, Vinum & Venus vel interdici aut modice tantum concedi debent. *Willis.*

30. *Curatio sit 1.*) Cum primariæ Paralyseos species sint Paraplegia & Hemiplegia, ex Apopl. plerumque ortæ, Aut à causa externa gravi excitatæ, & quidem ab *Humore pituitoso* vel *aqueo*, spinalem medullam totam vel mediam ita irrigante, humectante, emolliente, aut quocunque modo tandem afficiente, ut liber per ipsam spiritibus animalibus denegetur transitus, liber ab hac causa curationis initium facere: Curatur autem Paral. ab humore pituitoso, à capite sive cerebro, ad spinalem medullam delabente, eandemque vitiante, 1. humorem ab affecta parte tollendo, 2. novi affluxum præveniendo 3. affectum vitiosum & dispositionem malam, in medulla spinali excitatam emendando, atque sic spiritibus animalibus transitum liberum concedendo. *Sylvius.*

Curavimus hemiplecticos & Paralyticos plurimos generali illa seu speciali potius methodo, 1. dando quæ poros nervorum reserant, V.g. *spiritum salis armon. cum spir. lilior. convall.* 2. quæ spiritus animales confortant, *infusum nervinum.* 3. quæ acidum figens excutiunt, non omissis externis, unguentis nervinis & urticationibus. Hinc quæ poros cerebri & nervorum occlusos dilatant ne subsideant, concitant, & spiritibus ac lymphæ continuo movendis viam intercipiant, conveniunt: *urinosa*, & quibusdam casibus etiam *acida*, imo & quædam sulphurea volatilia, exemplo castorei, sunt laudatissima; Singula nempe hęc valent, præcipue in affectibus soporosis, Urinosa vero adhuc latius: Faciunt id ipsum tum penetrantissima virtute, qua pervadunt omnia, unde & odoratu solo laudatissima sunt, & interius propinata, tum acidum figens præcipitando & annihilando, quod in apoplexia, aphonia, paralysi valet, fixis enim & acetosis humoribus unice contrariantur, urinosa, Paralyseos hinc specifica. *Wedelius Amoen. m. m. p. 113.*

31. *Evacuatione primarum viarum*) Remedia hoc ordine fieri debent, primum ad ea quæ per alvum purgant nos convertimus, atque ante fortiorum usum communia excrementa intestinorum & fæces assumptis interdumque eluimus, sic enim illuvie hac prius deposita, catharticorum vires ab iis non refractæ melius sese exserunt. *Platerus.*

32. *Primarum viarum*) Per *Suppositoria & Clysmata*, tum ad alvum sollicitandam & solvendam, tum ad calefaciendum quoque, quæ tum ante reliquorum catharticorum usum, tum per morbi processum usurpantur, simili ratione parati, sicuti in apoplexia, *Clysmata* excretionem sollicitantia, & quæ simul alterant, valde conveniunt; Cavendo à *nimium emollientibus*, quibus spina amplius relaxata potius læderetur, ut non temere vulgus Clysmata paralysi occasionem præbuisse in colicis credat; quæ tamen recte parata, & prosunt, &, si causa circa dorsi inferiora lateat, veluti Topica sunt remedia.

℞. *rad. lilior.* ℥ij. *malvæ, betæ,* vel *mercurialis, salviæ, rutæ, hyssopi, origani, chamæp.* āā m. j. *flor. chamæm. lavend.* āā p. j. *sem. carvi* ʒij. *baccar. lauri* ℥j. *fiat decoctio, addendo parum lixivii, dissolve mellis* ℥iß. *butyr.* ℥ß. *hiera Gal.* ʒij. *salis parum f. Clyster.*

Si ex succis fiat potentius operabitur.

℞. *succor. betæ vel mercur.* ʒij *succi rutæ, hyssopi* āā ℥ij. *mellis* ℥ij. *ol. nuc. vel butyri* ℥ij. dissolvantur in iure *salso, vel decocto salviæ, vel urina pueri, f. clyster.*

Priori formulæ addi possunt *centaur. min.* beton. *rutæ, sem. urticæ, carthami. agaricus,* dissolvi *hiera Galeni*, vel *Hermet.* vel *Logadii*, vel *Bened. lax.* Olea *rutac. nardin. costinum.* Platerus.

33. *Et vomitu*) Purgantibus parum proficientibus, haud erit inutile ad Vomitoria Chymica transcendere, si æger satis robustus sit, qualia fuere proposita in soporosis affectibus. Illa enim humores contumaces ab alto trahunt, & morborum interdum, qui vulgaribus remediis extirpari nequiverunt, curationem absolvunt. *Riverius.*

Vomitoria in curanda Paralysi egregiam præstant opē, nempe quod *causa conjuncta* fomitem subtrahunt, quia & materiam nervis impactam non semper prorsum adigunt, sed revellunt, maxime succutiunt, & non raro in minutias sic frangunt, proinde ut cum aggeris continuitas solvitur, ipsi spiritus animales materiæ morbificæ particulas ab invicem solutas facile dissipent. *Willis.*

Per *vomitum* exhibitis etiam *fortissimis*, ut *Stibio*, aliqui expurgationes moliuntur, Cujus tamen usu resolutos subito factos, qui prius non erant, bis terve tercia notavi: Idcirco levioribus potius (nisi sponte succedat, aut actu irruetur) propinatis, in consuetis citius moveri debet. *Platerus.*

Missa S.M. *Vomitorium* propinandum, idque statim ab initio. Adeoque vomitoria inprimis in paraplegia, quæ Apoplexiam positivam sequitur, conveniunt. *Etmuller.*

34. *Præparatione materiæ repetita*) Quia humor ante quamlibet Purgationem præparatione indiget, ideo per biduum aut triduum, ante singulas doses *Pilularum*, capiat ℥iij. vel iv. *Aquæ*, sequentis mane duabus horis ante pastum.

℞. *ras. l. guajaci* ℥iiij. *cortic. ejusd.* ℥j. *rad. salsa par.* ℥iß. *rad. Chinæ* ℥j. *ligni sassafr.* ʒvj. *ligni aloës, galangæ,* āā ℥iß. *rad. angel. pæon. fænic.* āā ʒiiß. *sem. pæon.* ʒij. *infund. per 24. horas in aqu. fontis* ℔vj. *vini albi* ℔iv. *Post adde fol. beton. rutæ anth. salviæ,* āā m. j. *flor. tiliæ, prim. veris. stæch. & anth.* āā *p. ij. lavend. p. ß. theriac. vet.* ℥ß. *sem. & cortic. citri* āā ʒiiß. *polypod.* ℥ß. *cinnam.* ʒvj. Fiat s. a. distillat.

tio in B.M. *Pro* ℔ iß. *liquoris distillati*, adde *manus Chr.* cum oleo cinnam. paratæ ℥iv.

Loco illius Aquæ *Opiata caput roborans cap. de frigida cap. intemp.* descripta usurpetur: Sed multo efficacius, & cum majori fructu *Opiata Montagn.* in Epilepsiæ curatione descripta. *Riverius.*

54. *Præparatione materia repetita*) Ad præparandos humores quæ exhibentur, purgationibus catharticis præmittuntur, in principio morbi, & cum per morbi progressum purgatio reiterari debet repetuntur, Sed & alioquin exhibita, quia simul humores absumunt, & alterant, juvant, Fit hoc *syrupus.*

℞. *syr. de stæch. de hyssopo ana* ℥j. *mell. anthos.* ℥ß. *aqu. salv. chamap. hyssopi ana.* ℥iß. *f. Julep. aromatiz. pulvere rosata novella. pro iv. aut v. vicibus.*

Conveniunt & syr. *de yva Nicol. conservas. acori, mel scyll. Oxymelita*, etsi probent omittimus, *Aqua* probantur *majorana, beton. primula, melissa.* Horum loco *Hydromel* cum *acoro, stæch. vel lavend. flor.* vel cum *salvia* decoctum valde compent.

Ad *calefaciendum nervos* inertes & frigidos, & simul *humores absumendos*, quæ propinantur remedia, admodum câlefacere debent, adeò ut febrem accendere possint, cum si ea superveniat, totum corpus tunc incalescat, illiusque humiditates egregie absumantur. *Platerus.*

55. *Per medicamenta cephalica*) Iis quæ humores præparant illa quæ *nervoso generi* appropriata sunt, & peculiari vi huic morbo resistunt permiscenda; Hæc aut post purgationes mox, totoque morbi progressu usurpantur, mane jejunis, vel versus noctem semel iterumque exhibita, forma vel *Decoct.*, *Infusionu*, *Aquarum*, *Pulverum*, *Electuariorum*, *Pulverum.*

Per Decocta, quale est *Hydromel* compositum, *admodum efficax*, si interdum in principio mensæ, vel alioquin quoque bibatur.

℞. *aqua* ℔xx. *mellis* ℔iß. *rad. acori, salv. sicca ana.* ℥j. *rad. ireos* ℥ß. *coqu. ad consumptionem tertia part. aromat. in fine cinnam. nuc. mosch. ana.* ʒij. *piper.* ʒß. *f. melicr.* quod & cum *sacch.* eadem ratione fieri potest.

Vel ex succis hoc modo.

℞. *succ. salv. & chamap. ana.* ℥iß. *succi majoran.* ℥j. *aqu. lavend.* ℥ij. *vini opt.* ℥iij. *sacch. vel mell.* ℥vj. *coqu. ad consistentiam syr. aromat. nuc. m. & rad. galanga ana.* ʒj. *capiat sæpe cochl. unum.*

Infusiones in vino factæ juvant, Etsi enim *vinum*, præsertim si potens sit, minime conveniat, tamen aliorum vires sibi concilians, easque vehiculi instar nervoso generi deferens, utile fiet medicamenti loco interdum sumptum, paratum ex simplici infusione *salvia* vel convenientis plantæ. Vel

℞. *rad. acori* ℥ij. *fol. salv. sicca* ℥iß. *chamap. herba paralys. ana.* ℥j. *absinth.* ℥ß. *nuc. mosch.* ℥j. *zedoar.* ℥ß. *vini albi vel musti rec. vel vini parum cocti.* ℔xxx. si *rasur. gajaci ad* ℔j. *addas*, vinum erit efficacius.

Aqua stillat. vel per *infusionem facta*, magni à plerisque fiunt, quæ per se mane dantur, vel aliis permiscentur, tum simpliciores, *rorismar. salv. majoran. thymi, lavend.* præsertim si ex illis prius in vino maceratis ardis, liquor eliciatur; *Cinnamomi aqua* uti grata est sic & efficax. *Chamap.* aqua & *primul. veris* imprimis appropriatæ sunt; *Composita* multæ in hosce usus fiunt, Vide efficacis descriptionem ex *Riverio* supra §. *Præparatione materia repetita.*)

Pulveres parantur accommodi varii, qui vel per se à ʒj. ad ʒiß. bibuntur, dissoluti in *aquis salvia, beton. majoran. lavend. cinnam. chamap.* & *melle* quoque *anthosato*; vel *anacard.* vel *scyllit.* aliisve syr. vel *sacch.* viij. *part. ad* unam pulv. additis, sic assumuntur: vel prius dissoluto *sacch.* cum aquis dictis fiunt *Tabula*, dandæ majori quantitate, vel *conservis* & Electuariis permiscetur.

Ex usitatis præcellunt *Pulv. diamosch dulcis & amar. diathamar. pleres cum moscho, rosat. novella*, &c. Vel sequentes parari possunt, simplicior de *nucem.* dictus.

℞. *nuc. mosch.* ʒiij. *rad. pyreth.* ʒij. *f. Pulvis*, cujus si ʒj. cum *aqua salv. & melle anth.* detur aliquot matut. singulare erit remedium, Alius compositus.

℞. *rad. pyreth.* ʒj. *asari* ʒß. *angel.* ʒiß. *sem. ameos, carvi ana.* ʒj. *nuc. mosch. galanga, cinnam. caryoph. ana.* ʒß. *iij. piper. cardam. utr. cubebar. z.z. spica, ligni aloes ana.* ℈j. *mastic.* ʒß. *ciner. hirund. & cran. human. ana.* ʒß. *corall.* ʒß. *f. Pulvis.*

Ex *conservis* & *conditurs*, conserva *chamap.* cum *sacch.* facta, si paralyticis noctu cubitum ituris detur, continuatis vicibus, certo juvare dicitur, *Conserva* item *salvia* cum *melle despumato* & *cocto* parata magnum affert emolumentum, *Conditura* vel *conserva acori* à plerisque probatur.

Ex pluribus talis fieri potest.

℞. *conserv. salv. & chamap. ana.* ℥ij. *cond. acori veri & nuc. mosch. ana.* ℥ß. *conserv. primul. veris* ℥j. *majoran. anthos. flor. stæch. vel lavend. Z.z. cond. ana.* ℥ß. *misce.* capiat *mane & sero* ʒiß.

Additis Pulveribus Elect. sequens conveniet.

℞. *confect. præd. adde conf. anacard.* ℥ß. *pulv. supra præscripti, ex rad. pyret. &c.* ʒß. *mellis anacard. q. s. f. Elect.* Utatur per se, superbibendo *aquas salv. majoran. &c. vel dissolvatur cum illis.*

Anacard. conf. ʒj. sumpta prodest, præsertim si quotidie bis sumatur, à cujus usu si febris accendatur, duplici nomine proderit.

Opiata à Practicis plurimum probantur, quæ mihi propter *Opium*, etsi antiquæ sint, suspectæ sunt in nervorum stupore & imbecillitate: Dant autem *theriacam, mithridat. auream Alex. ad* ʒj. *cum aqua salvia.*

Pilula ex ingratis, & quæ aliis formis difficulter assumuntur, parandæ sic fient.

℞. *rad. pyreth. piper. ana.* ʒj. *mumia vel bitum.* ʒß. *euphorb. castor. ana.* ℈j. *ol. succini & tereb. ana. gtt. iij. excipiantur melle anthos. vel scyll. f. massa, formentur ex* ʒß. *n. pil.* x. capiat v. cubitum iturus frequenter.

Olea chymica salv. major. cinnam. aliorumque arom. saccharo permista; & usurpata, vel tabulata, admodum sunt utilia. *Platerus.*

56. 3. *Purgatione per mechoacannam*) Hoc observandum Purgantia satis valida hic usurpanda ob causas in Apoplexiæ cura dictas, Non tamen tam valida atque in hac, dosi tamen plena: Imprimis autem colocynthis conducit, & ex ipsa parati trochisci alhandal, hermodactyli, turbith gummosum, addito ipsis Mercurio dulci, optimo in hoc affectu remedio, Nam in pituitosis humoribus, ac crassa pituita, conducunt omnia Mercurialia, non item in biliosis, in quibus merito præferuntur Antimonialia, quæ tamen ubique commode usurpari possunt, *Sylvius.*

Si affectus sit contumax, omisso Syrupo magistr. & Pilulis usualibus (*cap. de frigida cap. intemperie addu-ctis*) fortiores usurpandæ sunt, in hunc modum compositæ.

℞. *Massa Pilul. fœtid. Aurea, maj. & cochiar. minor. ana.* ʒß. *trochisc. alhandal*, gr. iij. capiat semel in septimana. *Riverius.*

57. *Purgatione per mechoacannam &c.* Cathartica fortiora vix ante xiv. diem morbi invasionis exhibenda,

quod

quod tempus præparatione humorum consumitur, ne,uti sæpe fit, in morbis ex defluxione, dum fluit adhuc, magis concitetur horum usu, præsertim si *lacryma*, quæ materiam fundunt, compositiones has, uti in pilulis sæpe fit, ingrediantur,quæ proin si citius purgandum, omittendæ, & adstringentia quædam permiscenda. *Platerus.*

38. *Vel Pilulas*) Conveniunt ex usitatis Pilulis *Assajereth* quæ *stæchadem* recipiunt; *Aloephangina*, quia aromata multa continent, quæ addito *agarico* magis efficaces erunt; & dum fluit materia si *rhabarbarum* addatur, *mastix*, & ut potentius calefaciant castoreum, hoc modo

℞. *Pil. assaiereth.* ʒij. *alephang.* ʒiß. *agar. rhabarb.* āā. ʒj. *mastic.* ʒß. *salis gemm.* ℈j. *castor.* ℈ß. *cum syr. de stæch. f. massa, capiat* ℈ij. *pro vice per vices.*

Vel ex aliis paretur.

℞. *Terebinth.* ℥ß. *capiat per se vel dilutam cum melle & aqua iva*, Estque purgans & appropriatum singulare paralyseos remedium, cui *species hieræ* aliqui addunt, & sæpe exhibent. *Platerus.*

Pilularum forma convenientissima hæc erit

℞. *Pil. fœtid. cochiar.* āā ℈j. *de opopan.* ℈ß. cum *syr. de stæch. f. Pil.* Si non satis operantur acui possunt *trochisc. alhandal. gr. v.* Platerus.

39. *Solenandro & Matthiolo usuales*)Pilularum forma ad quævis recipienda convenientissima est, commendanturque præsertim *Pilulæ chamap. vel Ivæ* appellatæ, quas *Matthiolus* præsentaneum statuit remedium, & *Bened. Victorius* gloriosum vocat adjumentum, si ℈j. ante somnum nocturnum, quotidie vel saltem bis in septimana, sumatur, quarum descriptionem ab utroque eodem modo prolatam, sic magis accommodatam reddimus.

℞. *colocynth. pr.* ʒß. *scammon. pr.* ʒj. *turbith.* ʒiß. *agar.* ʒij. *rhabarb.* ʒiß. *pulv. hieræ simpl.* ʒß. *zz.* ℈j *spicæ*, *salis fossil.* āā. ℈ß. *flor. lavend. stæch.* āā. ʒj. *opopan.* ʒß. *mastic.* ℈j. *castor.* ℈ß. *olei major. & rosm. stillat.* āā. gtt. v. *succi chamap. recens extr. & cocti instar extract. q. l. f. massa.* Platerus.

40. *Sudorum concitatione*) In curatione Paralyseos *Diaphoretica* interdum juvare, interdum obesse ostendit *Willis* cap. de Paralysi, quem locum adduximus §. xx. *Indic. Med. Pract. Tit. de Paralysi.* Ut autem *Diaphoresis* copiosa & facilis proriretur, tum medicamenta *interna*, tum administrationes *externæ* adhiberi solent: Priora aut *sanguinem* aut *serum* in effervescentias concitant; aut *Cor* in motus celeriores stimulant, proindeque (sive alterum sive utrumque peragatur) cum liquor sanguineus per cor & vasa rapide circulatus in turgescentiam spumosam agatur, necesse habet plurima effluvia, quæ *Sudoris* materies sunt, à se dimittere: In hunc finem pharmaca varii generis Paralyticis commendantur, è quibus præcipuæ notæ sunt *Decoctum guajaci*, sarsæpar &c. *spir. & oleum guajaci, mixtura simplex, flores & spirit. salis armon. aurum diaphoretic. viperar. sal. pulvis & vinum*, *Bezoart. miner. solare, tinct. Antimonii.*

Administrationes externæ sudationem promovent, quatenus moderatum calorem in toto ambitu corporis accient & continent, & proinde sanguis excalefactus celerius moveri & plus evaporare cogitur, simulque pori cutis reserati particulas quasque exhalare aptas promptius emittunt: *Willis.*

β. *Per hidroticum*) Præ cæteris laudantur *Sudorifera* tam generalia illa ex *lignis*, quam in specie *aurum diaphoret. Poterij, cinnabar. antim. coralliata, cran. hum.* *Item salia volat. spir. sang. hum. liquor. c. c. succinatus; Aurum diaph.* certe in frequentissimo usu habuit *Poterius*, & elegantes curas in Paralysi præstitit; Paræus ex *auro fulminante* cum duplo *flor. sulph. fixati* & cum *sp. anisato* digesti. Viro adulto affectu quasi paralytico correpto dedi *conserv. flor. tunicæ* ʒj. *auri diaphor.* ℈j. *m. pro ij doZib.* Prima dozis cum blando sudore tormina abdominis & mirabilia excreta excitavit: altera vero copiosum sudorem emanare fecit cum euphoria. *Etmuller.*

40. *Sudorum concitatione*) Ad humores pituitosos tam corrigendos quam educendos conferunt Hidrotica, imprimis ex *ligno Guajacino*, *Juniperino*, *Sassafras*, &c. quæ sumpta quotidie, etsi sudorem non moveant, corrigunt tamen humorem peccantem, roborantque partes affectas, unde præ cæteris omnibus in frequenti usu esse debent, additis etiam *China*, *Zarzapar. Iride*, *Enul. camp. Acoro*, *Galanga*, *Curcuma &c. Foliis Chamæp. Salvia*, *Majorana*, *Rorisinar. Betonicæ*, *Thymi*. Folii &c. Flor. *Primul. veris, Stoechad. Anthos*,&c. *Semin. Carvi*, *Fœnic. Siler. mont. Erucæ*, *Rutæ*, *baccis Junip. Lauri &c.* quibus omnibus humor pituitosus corrigitur & sensim consumitur, partesque ab ipso male affectæ in integrum tandem restituuntur. *Fr. Sylvius.* Per Sudores sæpe repetitos, cum alia ratione auferri nequit, hic morbus diuturnus sæpe sanatur, quod accommodum fiet si in Decocto *salviæ, chamæpytis* coquantur, illudque *galanga* & *nuce mosch.* aromatizetur, veluti sic.

℞. *salsf. par.* ℥ij. *guajaci* ℥iij. *rad. ireos* ℥j. *rad. enul.* ʒß. *acori* ʒß. *f decoctio in aqua f. a.* pro sudatorio & ordinario Potu.

Sed & aliis exhibitis interdum sudores movere plurimum competet ut *rob de ebulo* ʒii. *dissolv.* cum aqua *chamæp. & salviæ.* Platerus.

γ. *Sudoriferum S. Ambrosii*) Præmissis præmittendis, ad Sudorem ciendum *Syrup. S. Ambrosii* valde utilis est, ut pote qui nervos & totum corpus magna vi largeq; sudarent, quod in aliis multis curandis feliciter mihi contingit; Sic autem fit,

℞. *milii excorticati q. s.* coque in aqua donec tumescat & crepet, Hujus aquæ ℥vii. vel ℥viii. adde dr. iij. vel dr. iv. *Vini Græci*, hanc Potionem sumat æger in aurora, sudétque in lecto, hocque x. vel pluribus diebus, si res postulat, frequenter, *Crato cons. 48. 49 50.*

Constat experientia nihil amplius prodesse quam si syrupo *S. Ambrosii* sudor moveatur. *C. Caldera Illust. p. 282.*

δ. *De Sudoribus in mantili ligneo excitandis*) Non tantum Sudorifera interne sumi, sed & externe quoque applicari possunt, & quidem per *Fotus* decoquendo in cerevisia, vino, vini spiritu, aut lixivio, & applicando calide parti affectæ eamq; continuo servando calidam; nihil enim paralyticis partibus æque nocet ac frigus: Vel per *Balnea*, imprimis conducentia; tum naturalia, *Thermæ sulphureæ* præsertim; tum artificialia ex plantis enarratis additis, *sulphure*, *sale lixivioso* & similibus parata, & quotidie usurpata: Illis substitui possunt hypocausta, aut stuphæ siccæ, cum *vini spiritu* paratæ, ut & in decumbentibus continue, machinæ instar cistæ corpus tegens, & accenso in extremitate spiritu vini aromatico, aditum ad paralytica membra concedens. *Sylvius.*

In magna & fere desperata Paralysi multum efficietur si *sudor* repetitis vicibus, intercalari quiete, proliciatur, ut *arca* ad commodum decubitum fabrefacta, bene undique clausa, ægro substratis pulvinis collocato, exerto capite, arcæque foramina circa collum ægri optime obturato, vapore per alembici rostrum

multis foraminibus pertusum, arcam, per aliud in ejus fundo foramen intrante, in cujus alembici supposita cucurbita, in *Balneo maris* sequ. ebullierint.

℞. Spir. vini alkoolis. ℔.v. *essentiarum salviæ, rorismar. lavendul. major. thymi, origani* ãã. ℥ij.

Vapor tamdiu in arcam intromittatur quamdiu æger ferre poterit: quando autem hoc jam satis madente, & calore nimium aucto, alembici rostrum extrahitur, quod extillat, donec inclusa cucurbitæ materia refrixerit, recipiente sat amplo beneque clauso recipiatur, ut ad usum reliquum asservari possit, qui erit eodem liquore, ægri postquam ex arca exemptus, sudore deterso, in lecto positus iterum sudarit absterso sudore, resoluta membra, & partes, calide madefacere & fricare. *Platerus.*

40. *Sudorum concitatione*) Diæta ad hunc affectum utilis est, paranda ex Decocto Guajaci solius & corticis ejusdem; Post cujus haustum admovendi partibus paralyticis lateres igniti, extincti in decocto cephalico, facto in vino albo cum pauco aceto, & involuti linteo, ut partium calor languidus excitetur; Et 4°. aut 5°. quoque die purgatio repetenda: melius tamen erit si decocto sudorifico purgans præmittatur ad xv. dies, ut tota humorum crudorum saburra melius educatur, ac postmodum illorum reliquiæ per habitum corporis discutiantur. E. g.

℞. rasura ligni Guajaci ℥iij. *cortic. ejusdem* ℥j. *aq. fontis* ℔iv. *infundantur per 24. horas, deinde bulliant ad media partis consumptionem*, addendo sennæ mundat. ℥j. *turbith, hermodactyl.* ãã. ʒij. colat. capiat ℔ß. mane sine sudore per xv. dies. *Riverius.*

1. *Sed vide ne nimia calefactione nervi &c.*) Sudoriferorum usus est accommodandus ex *Hippocr.* qui in *Coacis* de Sudoribus ita scribit, *Sudores qui sensim exeunt prosunt, qui vero confertim erumpunt, nocent, & larga detractio sanguinis*, Quare, interpretes illius aphorismi, imitatione Naturæ sensim eliciendos autumant, His enim sudoribus humores crassi & viscidi prolici non possunt, nisi prius paulatim attenuentur, & sensim educantur: Sudores enim arte educti per expressionem violentam exeunt, ac non solum vires maxime dejiciunt, sed etiam cum majori periculo tenues humores resolvunt tum partium solidarum, tum humorum glutinosorum, ex quo fit ut quod intus relinquitur crassescat & glutinosius reddatur. *Valeant igitur*, ait D. Duretus, *qui sudorificis Paralyticos faciunt desperatos.* Jac. Fontanus Pr. l. 1. c. 24.

41. *Quibus adjungi debent*) *Sarmentorum vitis virid. decoctum* à jejuno assidue potum partibus resolutis valde prodest. *Altiamarus Prax. c. 1.*

Valde commendat *Kyperus vinum salviatum* si mane & meridie hujus haustus capiatur, & inter prandium & cœnam loco ordinarii Potus sumatur.

Spiritus ligni sassafras omnibus palmam præripit. *Fr. Hofmannus m. m. l. 1. c. 11.*

42. *Adjungi debent Guaiacum*) Decocta sudorifica ex lignis, interpositis appropriatis, sunt optima, Speciatim *decoctum ligni sassafras* est egregium, Ex quo & *baccis lauri* paratum decoctum efficaciter paralyticum restituit, Vide *Poterium cent. 2. obs. 46.* Item *decoctum sassafras* cum *rorismar.* inprimis convenit, quod singulare quid obtinet in hujusmodi nervorum affectibus. Item *helenium* ejusque *radices* dictis decoctis additum bene convenit. V. g.

℞. ras. ligni sassafras ℥ij. *herb. rorismar. rec.* m. ij. *bacc. lauri* ℥ij. *coqu. in aqua & vino ad* ℔iß. *in cucurbita suo alembico munita, Decoctum & destillatum misce adde spir. junip.* ℥iv. *salis armon.* ʒiij. *syr. flor. tunic.* ℥iij. misce. *Etmuller.*

Hoc præcipui

℞. ras. ligni Gaiaci ℥iij. *passular.* ℥ii. *hyssopi, salvia, iva arthet.* ãã. p.j. *liquir. sem. anisi, galanga.* ãã. ʒj. *Infund. in 10. mens. aqu. fontana, stent in loco calido, mane lente coquatur, de quo decocto ad libitum bibat.* mirum quantum ejusmodi Decoctum conferat. *Wolf. Gabelkoferus cent. 1. curat. 59.*

43. *Evacuatione cerebri particulari*) Per os & nares vacuationes mouemur ut excrementorum nova collectio præcaveatur, quæ cum in prima concoctione non recte facta cumulari soleant, vomitoria eo nomine tam assumptis tam actu concitandus, vel præcipue ut cerebri excrementa, quæ naturaliter per has vias cerebrum expellere solet, huc allicientur, & sic quominus nervorum ductum sequantur divertantur, quod in os naresque immissis præstatur. *Platerus.*

44. *Errhina*) Naribus quoque excipiuntur *Suffumigia*, Et præcipue adhibita quæ cerebrum siccando defluxiones novas præcavent, atque illud cum nervis roborant. *Platerus.*

44. *Per Errhina*) Hoc præstantissimum est

℞. tenuiores beta radices, contunde donec fibrescant, deinde *fibras istas in succo ejusdem herba, cui piperis, struthii, castor. & elaterii* parum sit injectum repone, unam & alteram fibram ad modum tentæ in nares immitte, Egregie enim hoc excrementa educit, *Claudinus Emp. rat. p. 380.*

45. *Apophlegmatisantia*) Maxime conveniunt *masticatoria*, pituitam elicientia, & siccantia simulq; alterantia; In paralysi à capite *evacuant*, & à nervorum principio *revellunt*, In *Tortura oris* simul *derivant*, si sæpe matutino tempore usurpentur. *Nux moschata* frequenter manducata excellens ab omnibus statuitur remedium. Ex *sinapi bellarium* paratum, ore retentum potenter operatur, *Gargarismata* idem præstant. *Platerus.*

45. *Apophlegmatizantia*) Huc pertinet curatio per Salivationem, de qua vide *Indicem Med. Pract. pag. 522. § 21.*

46. *Euphorbij*) Succus est arboris, seu plantæ potius ferulaceæ, cal. sicc. 4. gradu, ob vires causticas vesicatoria & rubefacientia ingreditur; Inter purgantia reponitur, purgat enim vehementer humores pituitosos & frigidos aquosos, unde olim in apoplexia & aliis affectibus frigidis, ut & hydrope inprimis commendabatur, sed cum acerrimum sit, ut & fœtum abigat, & ventriculum erodat, ac tormina immania cieat, consultius eodem hodie, purgandi quidem fine abstinemus, licet vel acidis, ut *succo citri*, vel frigidis aliis, ut *succo portulac.* vel oleosis, ut oleo amygd. d. corrigere id vulgo laborent, & ad gr. vii. vel ℈ß. saltim dare jubeatur. *Wedelius.*

47. *Topicorum*) Suppositoria & Clysmata, quæ si caussa morbi circa inferiora lateat, veluti topica sunt remedia. Vide supra §. 32. *Primarum viarum.*)

47. *6. Topicorum applicatione*) Ante omnia, & mox quidem à principio, Cervicis posteriori sedi, Nuchæ dictæ, Cauterium imponi decet, aut Setaceum; Cujus ope materia peccans, & spinalem medullam vitians, brevissime, citissime, ac utilissime ab affecta parte retrahetur. Alterutrum si ægri recusent, vel adstantes, vesicatoria saltem, atque Cucurbitulæ tum simplices tum scarificatæ nuchæ applicentur. Cum autem periculum sit in mora, si Medicus necessariam judicaverit dictam Cauterii applicationem, reluctantibus ægris aut adstantibus periculum præsens & grave contestari, dilationis vel omissionis noxam ostendat; Summum enim in paraplegia atq; hemiplegia auxilium à fonticulis aut setaceis in cervice excitatis expectare debet, tum ratione evacuationis tum ratione salis lixiviosi cauteria producentis, & humorem noxium corrigentis, præsertim si subinde aliquid ejus fonticulis imponatur. *Fr. Sylvius.*

Causticum

Causticum applicatur occipiti vel brachio sano, si alterum sit affectum, utrique si tibiæ tantum laborent. *Riverius.*

47. *Topicorum applicatione*) Post universales vacuationes ad Topica veniendum est, quæ & parti resolutæ applicanda, ad calorem & spiritus revocandos, Et spinali medullæ, ubi utplurimum mali causa hæret, ad eam exsiccandam & discutiendam. Pars ergo affecta pannis calentibus fricetur, sed leniter, ne quod de naturali calore & spiritibus attractum est, iterum dissipetur.

Cucurbitulæ etiam applicentur capitibus musculorum partis affectæ, eæque sint angustioris orificii, & cum multa flamma adhibeantur, ne tamen diu affixæ maneant, ne quod attractum est dissipetur; Postea *Empl. ex pice. & resina pini* applicetur, ut quod attractum est ibi conservetur: Vel membro resoluto *sinapismi* imponantur donec rubescere incipiat, Ea tamen non sunt tamdiu in parte relinquenda ut vesicas excitent, sic enim spiritus & sanguis dissiparentur, sed tamdiu solum donec pars rubicunda digito pressa non albescat, sed rubicunda permaneat. *Riverius.*

Toto morbi decursu partes resolutæ probe muniantur pellibus vulpinis, leporinis, agninis, & similibus. *Idem.*

47. *Topicorum applicatione*) Adhibentur extrinsecus corpori tum *partibus resolutis*, tum *spinæ*, tum *capiti*, ea quæ calefacere quoque admodum valent ut nervorum calorem & membrorum revocent, & quæ humores exsiccare & exhaurire debent, & nervos cerebrumque reficere; Hæcque tum per *Illitiones Unguentorum, Aquarum*, vel admota *Emplastra, Indumenta, Cucuphæ*, vel *Balnea*, & *Fotus* administrantur.

Si *spina confectione anacardina & aurea Alex.* dissolutis in *aqua vitæ, in qua salvia* infusa fuerit ungatur efficax erit remedium. De Illitionibus, vide supra §. 56. *Illitiones.*

Emplastra ex iisdem Unguentis, addita *pice & resina*, quæ & per se prosunt; Vel *Cerata*, aucta *ceræ* quantitate, parata idem præstant, & quia diutius hærere possunt, potenter operantur, Quæ *spinæ* etiam, vel parti affectæ admota gestantur, Ex usitatis laudantur, de *baccis lauri, de Betonica, Ceroneum*, e. g.

℞. *Empl. ceronei, de baccis lauri* āā ℥j. *thuris* ℥ß. *castorei, euphorb.* āā. ʒj. *sem. nigell. nasturt. sinap. rad. pyreth. croci. salis nitri*, āā. ʒß. *cum oleo de later. vel tereb. f. Empl.*

Pulvis lumbric. cum pipere & melle. Empl. instar nuchæ adplicatum mire prodest.

Integumenta atque *Indumenta* non tantum calorem in partibus retinendo & fovendo prosunt *pellicea, plumea*, sed ex illis etiam quædam proprietate juvare creduntur, *ut vulpinæ pelles, leporinæ, anserinæ plumæ & columbarum, gruis, aricular. sylvestr.* quæ efficaciora fient si *thure mastiche, styrace, benzoino, aromat.* aliisque odoratis injectis suffumigentur.

Cucuphæ gestandæ, Pulvino, *sacculo*, substernendis capiti & cervici, materiam dat hic Pulvis,

℞. *rad. acori. galangæ, ireos, fol. salv. majoran. melissæ, flor. lavend. stœch. anthos* āā. ʒj. *sem. coriandr. nigellæ* āā. ʒß. *nuc. mosch.* ʒij. *cubebar.* ʒß. *thur. mastic. flor. calam.* āā. ʒiß. *f. Pulvis.*

Si res admittat, membra resoluta *granis hordeaceis*, post cerevisiam subductam, aut *vinaceis*, post uvas expressas immitti, vel intra *ventrem vel thoracem Bestiæ recens* mactatæ recondi, aut etiam *Balneo artificiali*, aut *thermis naturalibus* immergi, & diutius in quibuslibet horum detineri expedit. *Willis.*

In *arena vel cineribus calidis*, vel *vinaceis* effervescentibus, aut *fimo calente* membra sepelire aliquandiu plurimum juvat: *Salvia* vel manu solum gestata prodesse creditur, odore forte potius quam contactu. *Platerus.*

Si membrum resolutum *suffumigetur* ante ignem, *thure, mastiche* aliisque odoratis, plurimum roborabit, atque calorem in eo excitabit. *Platerus.*

Cum internis optime *Externa* vertici aut spinæ dorsi; aut in paraplegia in specie sic dicta, saltim loco unde nervus exoritur partis affectæ illinenda conveniunt; *Ol. destillatum succini, lavendulæ, spicæ, Galbanetum Paracelsi* est optimum. *Spir. vini camphorat.* ter quotidie in loco calido bene affricando parti paraplecticæ. Conveniunt item *essentia ex infusis nervinorum*, vel aqua articularis ad extra cum *essentia castorei*, extracta cum *aqua spirituosa lilior. convall. cum vino*, pro frictione spinæ dorsi est egregia. His spirituosis aquis & *salia volatil.* in specie *spir. & sal volatilis lumbric. terr.* & *formicar.* addi possent.

Quod si spina dorsi probe his ipsis perfricata fuerit, applicandum desuper linteum, cum *gummi animæ* probe suffumigatum atque calidum; Vel præmissis cum aquis spirituosis frictionibus istis, olea supra laudata desuper illinenda sunt, ut apertis his mediis poris penetrantioris efficaciæ sint: quibus *ol. tartari*, vel ex *pinguedinibus* aut *partibus* animali distillata, & rectificando super *ossa calcinata* à fœtore liberata addi possint. Illinuntur hæc olea, nunc ita simpliciter, nunc, ubi nimis acria fuerint, parvasque pustulas excitent, subigenda sunt vel cum *pinguedine humana*, vel miscenda cum *oleo lumbri. & terr.* per *decoct.* & ita illinenda.

℞. *spir. vini camphor.* ℥iij. *spir. lumbr. terr.* ℥iß. *essent. castor.* ʒvi. misce.

℞. *Liquor. lumbric. terr. in clibano parat.* ℥iij. *ol. destill. spicæ, juniper.* āā. ʒiß. *lavend. majoran.* āā. ʒß. *succini.* ℈ij. Addi etiam potest *alum. plum.* ℈j. *misce.*

partibus affricetur, hinc *balsam.* seu *ol.* inungatur, quibus & desuper subinde circa locum affectum *Empl. ex nervinis & aromaticis* imponi potest. Pro *aquis articular.* ad extra quidam.

℞. *semin. sinapi* p. i. *baccar. juniper.* ʒij. contusa infundantur in *Spiritu vini* eundemque impraegnatum partibus affricant, pro quo scopo & ipsum magma simpliciter adhiberi potest. Valet *Oleum* divinissimum *Fallopii*, Vide *Velschium Hecat. 2. pag. 56.* item *Balsam. paralyt. Mynsicthi.* Conveniunt *aquæ Articulares* ad extra dictæ, quarum omnium loco hæc sit Formula,

℞. *fol. Nicot. origan. sambuc.* āā. *m. j. rad. angel. pyreth. aronis* āā. ℥i. euphorb. castor. āā. ʒvi. *piper. nigr.* ʒij. *flor. stœch. arab. lavendul. lilior. convall.* āā. ℥iß. *sem. erucæ* ℥iß. *concisis & contusis affunde spir. Vini, digerantur, filtrentur, hac essentia fricentur partes paralyt.* Vel abstrahatur ab iisdem spir. vini, aliquoties cohobando, & ita dicto modo applicentur.

℞. Porro *Tinctura*, seu *essentia succini* cum *spir. vini* rectific. parata, membris paralyticis contractis, aut quomodocumque refrigeratis rite cum successu inungitur; Hisce commode & *salia volatilia* addi possint, v. g.

℞. *Aqu. Articular. ad e. g.* ℥iij. *spir. salis armon. cum calce viva* ℥j. *lumbric. terr. per putr.* ʒß. misce.

Item *spir. tartar. rectificatur*, mistus cum duplo *Spir. vini* perquam egregius est in *Paralysi ex Colica.* Pertinet

huc *urina humana*, quæ ratione *salis volat.* itidem pro membris laudatur paralyticis, & hinc frictio membrorum cum urina pueri calida, Vel secundum *Stockerum* in Praxi.

℞. *Urtic. mai.* ℥iij. *cham. m. j. cumini* ℥j. *salis* ℥ij. *pistentur omnia in mortario, coque omnia in urina hum. ad quartæ partis consumptionem*, & in tali balneetur membrum mane & sero, Postea pannis in decoctione madefactis involvatur de nocte & die, postea membrum cum *ol. vulpino* inungatur donec sanetur. *Etmuller.*

47. *Topicorum*) Ipsa membra paralytica illinere superfluum videtur, cum malum illis non inhæreat, Nihilominus tamen cum hujusmodi Frictionibus & litibus asperis, calidis ac penetrantibus, irritentur partes sensiles, & hujus medio provocetur plus minus spirituum impetus, propterea & ipsas partes resolutas his modis tractare ita consuetum est, & propter hunc finem solent *alumen plumeum*, vel crudum, vel secundum *Wurtzium* præparatum litibus addere. *Etmuller.*

47. *Applicatione*) Quoad *Externa* observandum est monitum *Quercetani*, ut in administratione *Topicorum* Medicus expendat, *An Paralysis sit ab humore aquoso aut pituitoso*, sero quocunque modo vitiato, & æger sit *similis constitutionis*, parsque paralytica prius intumuerit. Quod tunc medicamenta subtilia, calida & penetrantia commode adhiberi possint, Quod si vero sit *constitutionis biliosæ*, & pars affecta jam emarcescat, & plus minus in atrophiam labatur, ab his abstineat Medicus. Notandum etiam quod Externa applicanda, post provocatos sudores, eorumque absterfionem, post aliqualem ægri requiem, dum pori adhuc sunt aperti, melius applicentur, quia promptius operantur. *Observandum* iij. quod acria, ut *olea destillata*, non æque conferunt, ut quibusdam scorbuticis temperata magis conducunt, atque tunc imprimis convenit *pinguedo hum. viperina, castorina, anserina.* Hæc ipsa nunc solitaria, nunc cum *petrol. oleo terræ*, & pauco *oleo* quodam *destill.* nonnihil acuata & bene calida, præmissa debita frictione applicari possunt; idque inprimis quando atrophia membri metuitur, tunc temperata talia magis conducunt, præsertim *pinguedo anserum aromatica* & ex iisdem assando prolicita est egregia. *Etmuller.*

48. *Ubi locum habent*) Nihil usu vinaceorum commodius. Si haberi non possunt à torculari calenti à musto affuso, calefieri possunt, & spinæ dorsi inferiori apponi. Totus autem pes reliquus à coxa usque ad plantam, quasi in vinaceis calidis sepeliantur mane per unam horam, vel quoad calent, Idem fiat vesperi hora decubitus. Remotis autem vinaceis inungatur iterum spina dorsi unguento commodo. *Crato conf. 51. 52. & 53.*

48. *Ubi locum habent*) Frequens illinitio facta super membrum affectum cum *theriaca diatessaron* est de meis expertis. *Barth. Montagnana conf. 244.*

In Par. pro pauperibus commendatur hoc

℞ *Urinæ pueri* ℔iu. *fiat Fotus.* Fr. Olsvval. Grembs p. 180.

Sunt qui certum experimentum ducunt si pars affecta decocto *majoris tithymali* foveatur deinde folia ejus integræ parti supponantur. *Jac. Hollerius Pr. cap. 9.*

Ad inveteratam Paral. nihil efficacius est usu *vinaceorum*, vel, quod efficacius, *fæces vini*, si in illis calefactis partes resolutæ quotidie foveantur. *Arn. Willanovanus Brev. l. 1. c. 15.*

49. *Frictiones*) Tum diversionis causa in partibus. sanis factæ, tum in ægris adhibitæ, utilitates quas motus corporis easdem præstant, cum nihil potentius spiritus alliciat: quæ ab adstantium manibus Solis, vel etiam adhibito panno aspero & calido perficiuntur: vel ipse æger sanis partibus ægras fricando id præstare poterit. *Platerus.*

50. *Cum aqua*) *Aquæ* per infusionem diutinam in loco calido factæ, vel calore elicitæ, præsertim si cum illis quoque oleum copiosius exstillet, egregie penetrant, & loco unguentorum illitæ plurimum prosunt, *Simpliciores* sunt si *salvia., rosmar. thymus, lavendula, stæchas*, aliaque appropriata odorata in aqua vitæ macerata adhibeantur. Ex compositis *Aquæ vitæ* dictæ *compositæ* multæ in hosce usus fiunt; *Balsama* dicta artificialia, quæ plus *olei* reddunt, varie parantur

℞. *fol. ebuli & radic. salviam, lavend. rutam, omnia cum flor. rec. contusa irrorentur aqua vitæ*, āā. m. j. *castor.* ʒij. *tereb.* ℥ß. *sal. ammon.* ʒij. *lumbr.* ... *lot. vino albo* n°. *xii. elicitatur aqua igne cinerum*

Compositum Balsamum sic fiat.

℞. *thur. mastich.* āā. ℥j. *flor. benzoin. myrr. gumm. opopan. bdellii, elemi serap. ammon. sarcocollæ* āā. ʒß. *euphorb.* ʒiij. *aloës, ladani* āā. ʒij. *castor.* ʒj. *rad. galang. costi, nuc. mosch.* āā. ʒß. *fol. salv. flor. lavend. chamæp.* āā. ʒiij. *baccar. junip.* ℥ß. *sem. nigell.* ʒi. *tereb. vel resinæ laric. ad pondus omn. min.* ℥x. destillentur s. a. Eliciatur aqua igne cinerum. *Platerus.*

51. *Cum aqua formicarum*) In paralytico adolescente, post Balneum formicarum sedulo repertum, Cataplasma ex radice symphyti recenti, faciebat officium. *Wedelius Am. m. m. p. 94.*

52. In *vino malvatico infusis*) In Paralysi ex Apoplexia nihil utilius est ad membra paralytica inungenda quam hic spiritus.

℞. *folior. nicotianæ. origani, sambuci*, āā. m. j. *rad. angelic. pyreth. aronis*, āā. ℥j. *euphorbii, castor. myrrh.* āā. ʒß. *piper. utr.* ʒiij. *flor. stæchad. cur. lavendul. liliorum conuall.* āā. ʒß. *baccar. lauri junip. semin. erucæ, salviæ montanæ* āā. ʒiß. m. *concisis affunde spir. vini*, stent per mensem in digestione, postea *spiritum* separa & serva. *Joh. Agricola Comm. in Poppium p. 753.*

Maxime laudabilis est *essentia flor. tabaci virid. cum malvatico facta* sola infusione sine distillatione, si præmissis sudoribus membra diu fricentur, resoluta membra facile restituuntur, *Hartmannus Prax. Chym. p. 47.* ex quo *Frid. Hofmannus m. m. p. 287.*

53. *Balnea cum formicetis*) Balnea ex Formicis egregia sunt in Paraplegiis, Ita in Paralysi ex resolutione & relaxatione tendinum ac ligamentorum, integrum Formicarum cubile sacculo inclusum injice aquæ ferventi, cujus vapori excipiendo insideat æger in vanno probe tecto. Sequenti die in dicta aqua ebulliat iste sacculus, & ita denuo in vanno vaporem excipiat æger, idque bis vel ter quamdiu penetrantem odorem spirant; Postmodum ac sequentibus diebus etiam insideat isti decocto, semper cum sacculo denuo calefacto, idque aliquot vicibus donec melioratio percipiatur. *Etmuller.*

54. *Rubificationes*) *Rubificantia*, hisque validiora *Vesicatoria*, necnon *Cucurbitulæ*, sed *sine scarificatione*, partibus ægris admota juvant, ut valide spiritum eo attrahant; Et ut humorem à nervis, eo occupatis divertant, observato diligenter loco ubi causa mali latet; præsertim si hoc circa dorsalem medullam fiat, paulo subtus cucurbitulæ affixæ, sensim ad membrum resolutum descendendo, nervum sæpe ab eo liberant: Horum loco *Canteria* & *Setones*, cervicis posteriori lædi, quam nucham vocant, adhibere solent, quod tum maxime convenier si in *generali paralysi* causa cerebro vicina sit: Licet & si illic circa dorsalis medullæ initium, in hemiplegia, causa lateat, quia eam foras evocat, & loco movet prosit. Sed & brachio adhibita *cauteria* humores revellunt. *Platerus.*

55. *Per urticas*) *Urtica & Urticationes*, vetus jam sunt remedium,

mediú, convenicas tamen inprimis in Paraplegiis, Hine *Ferdinandus Hist. 40.* dicit, Quod præmissis universalibus optimum sit pungere corpus urticis, & testor Deum me hoc genere remedii pluries esse usum, & semper maxima cum utilitate & felicitate, & nunquam votis sum deceptus.

⁵⁵. *Per urticas virides*) Notissima est in scholis Medicis ex Pathologia regula, *Calor & dolor attrahunt*, uterque motu mediante, Frictiones v. g. & urticationes advocant spiritus & horum vehicula, humores, continua punctione, unde motus iisdem inducitur, advocant calorem, attrahunt advocando: Urticationes ergo sunt laudatissimæ in Paralysi nostris experimentis. *Wedelius Am. m m. p. 86.*

⁵⁶. *Inunctiones Unguento*) Hoc valde singulare habetur ungendo partem læsam, incipiendo à collo ad finem dorsi.

℞. *Ol. lauri, terebinth. nitri* ãã. ℥ij. *vini malvat.* ℥viij. *pyreth. piper. sinapi, gran. junip. gummi hederæ, anacard.* ãã. ʒij. *terantur & misce cum oleo & vino, bulliant ad vini consumptionem, coletur, exprimatur*, adde *cera, galbani, bdellii, euphorb. castor, adipis ursi, anatis*, ãã. ℔j. f. unguentum, *Joh. Baverius cons. 60.*

Excellentissima sunt hæc duo medicamenta. 1.

℞. *rad. urtica* m. iv. *iva arthetica* m. ij. *baccar. lauri, salvia, ruta, rosmar.* ãã. m. vij. *gran. juniper.* m. ß. *Incidantur*, m. Dentur pro *Balneo*.

℞. *pingued. taxi, vulpis, gallina, anatis, anseris ciconia* 2. ãã. ℥j. *succi salvia. absinth.* ãã. ℥ß. *ol. laurini* ℥ij. m. f. Ungu. quo ungatur post Balneum. *Craco Epist. p. 392.*

Præmissis universalibus tandem utiliter adhibetur *ol. Felinum*, quo membra paralytica inungantur, sic præparatur

℞. *felem pinguem*, detracta pelle, exentera, caput trunca, per noctem in aqua vitæ immerge, mane cavitatem frondibus *laurinis, salvia, ruta, lavendula, rosmar. infarcito, In ipsam carnem lardum desigito, inserito quoque affatim caryophyllis*: luculento igne torreto, quod distillat pro linimento usurpa; post partem pellibus vulpinis aut felinis involve. *Forestus l. 10. obs. 82.*

Pinguedine ex catellis rufis, ad ossium separationem in aqua coctis, collecta post refrigerationem felicissime inunctione usi sumus. *Idem obs. 83. 84. & 85.*

Seqnens medicamentum habetur mirabile

℞. *G. Galbani, elemi, hedera, ol. laur. q. s.* destilla in alembico in cineribus separ. oleum ab aqua quo illine. *Jo. Fontanus* Pr. l. 1. c. 24.

Usu comprobatum est sequens remedium,

℞. *rad. ireos nostratis aristol. rot.* ãã. ℥ij. *consol. maj. chamædr. iva arthet. & moschata, h. paralys. pimpin. ruta, salv.* ãã. m. s. *baccar. lauri, junip.* ãã. ʒiij. *flor. stæch. rorisin.* ãã. p. ij. *galanga, z. z. caryophyl. nuc. m. cinnam.* ãã. ℈iij. *ligni aloes* ʒj. *aloes epat. sarcocol. bdellii, galanga, sangu. dracon.* ãã. ʒj. *ladani puri, mumia, carpobals. croci. g. arab. styrac. liqu.* ãã. ʒiij. *castor.* ʒß. *g. elemi* ʒij. *diachilon. ireati* ℥iij. *aq. vita* ℥ß. *moschi* ℈ß. (ʒß) *terebinth. q. s.* Extrahatur *oleum per alembicum*, ungatur spina dorsi. *Idem ibid.*

Hoc magnum est secretum, cui magni viri multum tribuunt,

℞. *mumia, myrrha, aloës, sangu. dracon. croci martis, mastich. g. Arab. olibani, opobals. g. ammon. sarcocolla*, ãã. ʒij. *ladani castor.* ãã. ℈ij. *moschi.* ʒß *tereb.* ℥iv. *spir. vini q. s. distilla.* Ph. Grulingius *Pr. p. 52.*

Inungantur partes affectæ per mensem *Ungu. de bdellio*, quo nullum præstantius aliud. *Amatus Lus. cur. 22. cent. 4.*

Pro paralysi tritura digitorum manus, Fiant Inunctiones in cervice ex *oleo terebinth.* bis in die, mane & sero, & eodem utatur ad digitos læsos. *Rod. à Fonseca cons. 82. Tom. 1.*

⁵⁶. *Illinitiones*) *Illinitiones* præcipue usurpantur, quæ circa *nervorum regionem*, illic ubi affectus in ipsis latet, adhiberi debent; ut in *generali paralysi* circa *cervicis* posteriorem regionem, *nucham* dictam, ubi & si intra calvariam malum lateat, quoque vires eousque protendere possunt. Aut in aliis *particularibus partium resolutionibus*, in *dorsi*, aut *aliorum membrorum* sede affecta, Interdum & *partibus resolutis* non incommode applicantur, cum spiritus in eas alliciant, & vires per communicationem ad ipsarum affectos nervos usque demandent; quo nomine etiam manus & pedes, ipsorumque partes si resolutæ sint, & *bucca* in *oris tortura* illis illiniuntur; Quæ cujusque *partis* vel *spinæ* Inunctiones melius operabuntur, si *actu* sint *calida*; si valida accedat per manus *frictio*, atque *aqua vita* manus quibus fricamus, vel pars quæ fricanda erit, prius madefacta fuerit; Hoc quoque observandum ut à levioribus ad fortiora sensim in hoc morbo diuturno progrediamur. *Platerus.*

⁵⁶. *Inunctiones Unguento*) Inunctiones fiant & parti affectæ & spinali medullæ, Oleis, Unguentis & Balsamis, quorum numerosæ descriptiones habentur: Ad hanc rem particularis est efficaciæ *Balsamus Guidonis*, Hoc vel solo utimur, vel aliis permixto. e. g.

℞ *Olei vulp. lumbricor. & de castor* ãã. ℥j. *Balsami Guidonis* ʒiij. *ol. rorismar. distill.* ʒiß. m. f. Linimentum, quo illinatur tota spina dorsi calidissime & partes resolutæ, supertegendo linteis calidissimis.

Apud *Valeriolam* in Observ. habetur Ungu. laudatissimum. Majoris efficaciæ, & minoris operæ Unguen, hoc est

℞. *succi scilla* ℥iv. *succi cucum. sylv. succi ruta* ãã. ʒj. *euphorb. castor, sagap. ammon. bdellii in aceto solut.* ãã. ʒß. *myrrha. thuris pyrethri, nitri*, ãã. ʒj. *ol. sambuc, tereb. & de euphorb.* ãã. ʒß. *cera q. s. f. Ungu.*

Hujusmodi Linimentis præcipue utendum est tempore diætæ, post detersum sudorem, & in usu Thermarum etiam post sudorem, quia tunc temporis pori cutis & partium reserati ungu. penetrationem facilius admittunt. Lintea post Inunctiones applicanda suffumigentur & incalescant *Suffitu sequenti*

℞. *Succini, mastich. myrrha* ãã. ʒj. *thuris* ℈ii. *caryoph. nuc. mosch. cinnam. macis* ãã. ℈ß. *ligni aloes* ℈ß. pulverisata irrorentur spiritu vini, postea exsiccentur, & iterum irrorentur quinquies & exsiccentur, Et fiat *Pulvis* injiciendus prunis pro suffumigio.

Si his malum non cedat, *Cerata & Emplastra* supra spinam dorsi applicanda.

℞. *Picis navalis, galbani sagap. & g. ammon.* ãã. ℥j. *rad. pyreth. & semin. sinapi* ãã. ʒß *euphorb.* ʒij. *cera flava* ʒiij. *olei tereb. q. s.* f. massa Empl. quod efficacissimum. *Riverius.*

⁵⁶. *Inunctiones unguento*) Observandum non semper convenire *unguenta* aut *pinguia*, poros cutis plus minus obstruentia, adeoque præstat interdum uti *suffitibus fomentis, lotionibus*. Ettmuller.

⁵⁶. *Unguento &c.*) In primis *Oleum* ex *semine trifolii asphaltitis* quod de *Andacoca* dicitur, pro singulari habetur præsidio; Usitata autem unguenta hic convenientia sunt, de *Bdellio, Agrippa, Aregon, Martiatum*, Platerus,

56. *Inunctiones Oleo*) Humori pituitoso emendando & consumendo, partibusque roborandis inserviunt quoque Olea, Linimenta, Unguenta, Emplastra, sed in iis duntaxat quorum cutis pinguia ferre potest; Accidit enim multis ut ex horum applicatione, vel illinitione, statim pustulæ excitentur, & erysipelas partem universam corripiat, & quandoque sequatur partis mortificatio; Ubi ergo pinguia ferre possunt ægri, varia forma possunt usurpari, & imprimis Olea, cum sic facilius, penetrent ac penitius, olea autem convenientia inter vulgaria tam *expressa*, ex nucibus juglandibus, baccis juniperi, ac semine *trifolii asphaltiti*, quod valde commendatur; Tum *infusa & decocta*, *rutaceum*, *costinum*, *lumbricorum*, *nardinum*, de *euphorbio*, de *castoreo*, & similia, Tum stillatitia, *terebenthinæ*, *de lateribus*, *succini*, *ceræ*, *rorismarini*, *galbani &c.*

Inter *Unguenta* commendantur Martiatum, Agrippæ, Nervinum. *Emplastra* ex usitatis, de baccis lauri, betonicæ, meliloti, oxycroceum &c. Ubi autem noxia sunt pinguia, infundi possunt radices, herbæ, semina &c. paralysi convenientia, in spiritu vini rectificato & illitu partes affectæ. *Fr. Sylvius.*

Linimenta ex *oleis*, *ungu.* & *balsamis*, pro ratione temperamenti ægri plus aut minus calidis, cum frictionibus bis in die applicentur, his interdum præmittantur *Fotus* ex decocto herbarum cephalic. ac aromaticarum in aqua fontana, adjiciendo interdum aquas ardentes, vinum aut cerevisiam, aut eorum fæces. *Willis.*

57. *De piperibus*) Qui ferre possunt *olea distill.* his maxime sunt proficua, v. g. *junip. spicæ*, *lavendul.* Item *olea destill. rectificata ex tartaro, lignis, galbano &c.* quibus etiam adde *petrol.* quod egregium, Hæc olea, *oleo nucistæ* excepta illinuntur & affricantur partibus affectis. *Etmuller.*

58. *Axungia*) *Pinguedo Anserum aromat.* est egregia

℞. *Anserem masc. deplumatum, exenteratum, vino lotum. hinc thur. albi, mastich. myrrh. āā.* ℥ii. *ungu. mart.* ℥vi. *Anser consuatur, assetur, phlegma quod prodit abjicitur, subsequens pinguedo servatur*, Liquoris istius cuilibet ℥j. add. pulv. *vermium terr.* ʒj. & ita illinantur; Vel potius ex istis fiat pasta, distilletur lento igne per retortam, & habebitur ol. egregium pro unguentis paralyt. Pari ratione *Ciconia* apparari potest. *Etmuller.*

59. *Thermæ*) Aliis nihil fere juvantibus ultimum asylum sunt *Thermæ*, magis tamen in Paraplegiis quam Paralysibus convenire videntur, utut utrinque proficuæ sint; Cum discretione tamen instituantur, dum melius conducunt iis qui constitutionis sunt sanguineæ & phlegmaticæ, minus qui biliosæ seu cholericæ. *Etmuller.*

60. *Thermæ naturales*) Ad has si reliqua remedia non juverint, & morbus jamdiu sit productus, & alioquin vitio alio non laboret æger, nihilque impediat, tanquam extremum asylum releguntur; Quibus per mensem & ulterius, donec cutis efflorescat, rursumque sanetur, uti jubentur; Conveniunt autem *aluminosæ & nitrosæ* potissimum quia siccant; *sulphureas* similiter laudant, sed valde emolliunt; *Atramentosæ acidæ*, quia acida nervis inimica; prodesse adeo non possunt: *salsæ, aqua maris*, aut *fontium calefacta*, quia siccant, sine dubio utiles erunt. *Platerus.*

Thermæ sulphureæ, *nitrosæ* & *bituminosæ*, quales sunt *Belilucanæ*, maxime conveniunt & reliquorum remediorum vires plerumque superare solent, si æger aliquot dies iis utatur in *Potu*, *Balneo*, *Lotione capitis*, Et post sudores æger utatur Linimentis. *Riverius.* Instar omnium sunt *Thermæ Bathonienses in Anglia*, quibus, si temperamento ægri congruant, nullum præstantius remedium excogitari potest. At observatum illarum usum quos non sanavit multo deteriores reddidisse. *Willis.*

Thermarum Aquensium, in *Sabaudia* prope Camberiacum, ope restitutus vir sexagenarius, à nativitate mutus, hemiplexia gravi laborans, anno 1683.

Cautiones in illarum usu vide in *Indice Med. Pr.* nostro pag. 523. §. 28.

61. *Vel artificiales*) In Balneo calefaciente & siccante, si corpus immergant, itaut & *membra resoluta*, & *dorsi* majorem partem comprehendat, alterando atque evocando humores juvare possunt; quæ tamen efficacia esse debent, ne madore actuali plus humectent quam potentia siccent: Parantur *si aquis* exsiccationis causa *sal, alumen, tartarum vini* permisceas, & in ea *ferrum* vel *chalybem* sæpe extinguas, qualis est fabrorum aqua; Aut *cineribus vitis sarmentorum*, *ossium*, *calce*, additis, lixivii instar pares: Et ut appropriatum magis *Balneum* fiat, & calefaciat; plantas mox in stupha sicca idoneas, in aqua aliqua ex modo dictis præparata coquas, addito *lixivio* vel *aqua fabror.* Sed & si privatim partes resolutæ his *immergantur*, aut hisce *foveantur*, vel illis *laventur*, proderunt, E. g.

℞. *salviæ, baccar. junip. fol. tithymall. mas. āā. q. s. coq. in lixivio, quo partem fove vel ablue*, Admodum proderit si præsertim *vulpes* integra simul decoquatur.

Liquidis oleis, vel *linimentis*, si partes resolutæ immergi possint, ut manus vel aliæ, illis foveri aliquandiu erit conveniens; sed hæc ditioribus competunt, cum bona requiratur quantitas. *Platerus.*

62. *Stupha*) Huc pertinent *Balnea ex vinaceis*, nobilissima in *Paralysia scorbutica*, ex *colica*, aliisque ex acido vitioso natis; Siquidem horum usu, & partis paralyticæ debito fotu & insessu, sensus motusque restituitur, Vide *Borellum cent. 4. obs. 42.* *Vinacea* asservantur donec spontanea fermentatione incalescere incipiant, & ita iisdem membra, aut partes paralyticæ immergantur, quæ mediante sudore egregium levamen percipiunt. Si per se incalescere nolint, inspersione cum *calce viva* animari, & ita repetitis vicibus usurpari possunt. *Etmuller.*

62. *Stupha in qua vapor*) Sudorem in parte provocare utile fuerit, per evaporationes ex decocto herbarum & rad. cephalicum cum vino albo ita parato ut halitus partem affectam attingant, Si nimirum decoctum calens in vas aliquod infundatur, in quo æger supinus ita sedeat contectus ne decoctum attingat, sed vaporem tantum excipiat; Vel in Balneo sicco, quod *Stupham* appellant; Vapor ex decocto prædicto, silicibus candentibus insperso excipiatur.

Ad sudores ejusmodi movendos valde commendatur Decoctum *rad. Bardanæ* seu *Lappa maj.* Nostrates mulieres ad hos affectus, & dolores artuum diuturnos, utuntur Decocto Ebuli, quo sudores copiosi eliciuntur; Ubi æger satis sudant, in lecto componitur, exhibita *Theriac.* ʒj. *cum aqua convenienti.* Ejusmodi autem Balneis bis vel ter in septimana utendum est; Autumni tempore *Vinaceis eff. ervescentibus* membra per aliquod temporis spatium immergantur & postea linimento convenienti inungantur tuto vindemiarum tempore. *Riverius.*

Præter lecti stragula (quæ tantum caloris effluvia è corpore emissa in ambitu ejus continent) crancula cum carbonibus, aut spiritu vini accensis, Laconicum & balnea varii generis & formæ, ac thermæ adhiberi solent. *Willis.*

Singulare remedium pro membris resolutis à nonnullis censetur, ex repetitis vicibus *dolio*, in quo *spiritus vini* fuit asservatus, alterutro orbe [illegible], *lignis juniperinis accensis* calefacto, ad [illegible] proliciendum, intrudi [illegible] Si quoque aër [illegible]tosus, nimirum calidior, [illegible] *ad fumosum* [illegible] per sudores humores exhauriat, remedium est primarium:

Sic

Sic autem in occluso conclavi; Vel sub lecto calefit, vel solo igne, vel vapore decocti alicujus, injectis silicibus candentibus, aut metallis; Decoctum autem pro evaporatione hac ex calefacientibus & roborantibus paretur.

℞. *rad. ebuli* ℥iii. *acori*, in divitibus ℥j. *peucedani, Dioscor.* ℥ii. *beton. salv. chamap. primula ver. ana. m. ii. origan. puleg. serpilli, calam. hyss. major. rorism. thymi, laur. flor. chamom. sambuc. gran. junip. an. m. i. coq. in aqua addito lixivio & vino* pro Stupha, vel Balneo sicco, ut vocant. *Platerus.*

[63] *Galbaneto Paracelsi*) Chymici commendant multa remedia, Ex quibus non minimum locum obtinent *Elixir proprietatis, Spiritus Tartari & Balsamum Galbani.* Riverius.

[64] *Diata calida & sicca*) *Victus* parcus sit & euchymus, qui pauciora excrementa progignat, ut si *ova*, & ex *aviculis, turdos, merulas &c.* comedat, vel ea quæ peculiari vi huic morbo resistere creduntur, ut *columbas sylvestres* potissimum, *turtures, hirundines*, leporis *cerebrum*, quod & *confectionibus* inindunt, Quæ *assa* potius quam *elixa* competent, fiuntque insuper medicamentosa, si *salvia, majorana. thymo, serpillo*, aliisque odoratis & aromatibus, præsertim *nuce mosch.* configantur infarciunturque. Utatur interdum *aromatico pane, saccharato vel mellito. Pinea nuces, pistacia*, nervosum genus corroborare creduntur. *Sal* quo cibi saliuntur, *theriacale* & de viperis factum probatur, vel sequens

℞. *Salis* ℥iß. *nuc. mosch.* ʒi. *rad. pyreth.* ʒß. *fol. salv. major. ana.* ℈j. m.

Si parum bibant proderit, & à *vini* continuo, vel meracioris usu abstineant, illiusque loco *Hydromel* bibant, quod ex aquæ mensuris x. & mellis una decoctis ad consumptionem tertiæ partis, & in fine aromatisatis parabitur. *Platerus.*

[64] *Diata calida & sicca*) Utatur æger pro Potu ordinario *Bocheto ex guaiaco*, vel *hydromelite* in quo tantillum *rorismarini* bullierit, à *vino* abstinendo, quod in hoc affectu valde nocivum est: Si tamen ægrum vini cupiditas teneat, betonica & *salvia* in eo infundantur. Et longe efficacius erit si tempore vindemiarum prædictæ herbæ in dolium vino recenti plenum conjiciantur. *Riverius.*

[64] *Diata calida & sicca*) Possunt alimenta Paralyticorum medicamentosa reddi, I. Panis, immiscendo & impastando varia convenientia & minus ingrata, *semina, carvi, fœnic. anisi, cumini, 2. carnes* condiri *majorana, roremarino, salvia, nuce mosch. caryoph.* & simil. Pro *condimento* usurpari potest semen *sinapi* cum *aceto* tritum in bellarium; *vinum* fieri potest medicatum, infundendo in ipso folia, flores, semina simplicium pituitam corrigentium; Potest quoque parari *Hydromel salviatum*, aut aliud antiparalyticum, atque indies parva quantitate usurpari.

Imprimis cavendum ab *aëre* frigido & humido ventisque turbato; *Corporis exercitia*, ubi licet, frictiones saltem, usurpentur frequenter. *Animus* ad hilaritatem sit compositus; vitetur ante omnia mœror & timor, sed & *Ira* noxia existit, cum humores omnes, pituitosos æque ac biliosos commoveat, *Somnus* sit brevis, *Alvi dejectio*, si fieri queat, respondeat quotidie. Præ cæteris omnibus Capitis evacuatio & expurgatio per nares & palatum, si supprimatur, excitanda errhinis; masticatoriis præsertim, apophlegmatisantibus. *Sylvius.*

Per ambientem *Aërem* non tantum vires conservantur, sed & si purus sit corpus minus impurum redditur: Atque uti frigidus summe obest, cum alioquin paralyticorum membra sint frigida, & frigidum nervis sit inimicum, sic *calidior & siccior*, quia intemperiem emendat, plurimum prodest: Talis autem vel *cœli* causa est, illicque unde haberi potest intromittendus, vel *arte*, *ignibus, suffitibus* paratur: Sed & si *columba* in eodem *aëre cubiculi* cum ægro versentur proprietate illum *paralysi* resistere produnt; Si quoque adeo medicamentosus, nimirum *calidior, vaporosus* seu *fumosus*, ut per insensibilem transpirationem, vel sudores manifestos humores exhauriat, corpore prius decenter purgato adhibeatur, remedium est quod à parte affecta tam causam conjunctam quam antecedentem absumit; primariumque in hoc morbo diuturno sæpe sanando est remedium. Sic autem in occluso conclavi, vel sub lecto aër calefit, idque vel solo *igne*; vel vapore quoque decocti alicujus quod sponte dum fervet, exhalat, vel si in eo *silices candentes*, aut metalla extinguantur, vaporem & fumum reddit, In quibus æger jejunus sudet nudus, repetatque prout bene ferre poterit frequenter.

Per *motus corporis* juvabimus, *Exercitio* decenti, quod humores egregie absumit, & partes f[...]as excitat, spiritumque animalem in eas revocat, frigidas calefacit, mollesque firmat; Quod si sponte illud perficere nequeant, ministrantium illis opera perfici debet, Erigendo illos & sustinendo, ut aliquomodo ambulare queant, ipseque æger membris languidis uti, & otiosa continuo agitare & exercere nitatur. Quæ decenti tempore, jejuno ægro, corporeque prius purgato, meliori successu administrabuntur; Per *motus animi* in *vigiliis*, longioribus solito, diutius continuatis, humores quoque discutimus, Et ne per *somnum immodicum* hi coacerventur præcavemus.

Per *affectus illius* aliquos, corpus accendentes, modo non nimium debilitent, commodum sentiunt, uti per *iram*, cum febris ipsa non noceat. *Platerus.*

Alia à [65] *Nervorum angustia*, [66] quam infert.

1\. *Obstructio*, [67] facta ab [68] humore pituitoso, & aliis huc inservientibus. Tum [69] Curatio causæ rationem habet: de qua superius.

2\. [70] *Constipatio* à tumore in substantia spinalis medullæ vel nervi exorto.

3\. [71] *Compressio* [72] seu ab aliqua externa causa [73] seu à tumore, &c.

[65] *A nervorum*) *Conformationis* vitio ab ortu, nervis non recte conformatis, aut alioquin ductis, paralysis accidere quoque potest. Quod sæpe in nervo linguæ accidit, ut muti & surdi nascantur. *Platerus.*

[66] *Alia à nervorum angustia &c.*) Obstructionem solam agnoscit *Hofmannus* l.c. tanquam primarium αἴτιον. Intemperiem autem secundariam; eo quod in nervorum cavitates alia via non fit quam è cerebro, ideo non possunt aliter obstrui quam hoc modo: Objicies, Si quis sedeat supra frigidum lapidem potest incurrere paralysin sphincteris, vel ani, vel vesicæ. Respondeo ex 2. *de caus. sympt. 2.* Non fit Paralysis, sed νάρκη, stupor, qui est paralysis parva: hæc νάρκη. ναρκώσεις dicuntur Hippocr. etiam ναρκῶντες, & qui ita sunt affecti ναρκώδεις [...]. *Hofmannus.*

[67] *Obstructio facta*) Communiter *Obstructionem nervorum* accusant, quæ tamen nec cum modo fiendi, nec cum cura bene convenit. Saltem non *universalis causa* hæc esse videtur, si quidem & *per consensum* aliarum partium remotarum Paraplegiam fieri observatum fuit, Nempe sicut notum est quod post graviores passiones *hystericas* subinde epilepticæ convulsio-

nes superveniant, ita iisdem paralyses & hemiplexias supervenisse observatum fuit in specie à *Quercetano in Tetr. grav. aff.* Item *Lumbrici*, uti convulsiones & epilepsias excitant, ita etiam ad paralyses terminantur, teste *Salmuth* Cent. 7. Observ. 45. hinc etiam apoplexiam paraplegia lateris sinistri & convulsio dextri insequutæ fuerunt. Ut taceam paraplecticos desperatos quosdam subinde ex graviore animi pathemate, ira vel terrore, ex improviso curatos fuisse, authore *Horstio lib. 1. obs. 15. Ettmuller.*

Haud posse obstrui nervos vel ideo censet *Franc. Sylvius Pr. lib. 1. cap. 42.* quia eorum tubuli, cum sint angustis cerebri cerebellique tubulis continuati, nil admittent quod non sit tenuissimum, ac in cerebri cerebellive tubulos prius penetraverit, in quos si quis halitus, flatusve una cum spiritibus ingredi, mox & in nervos penetrare posse contendat, non video, *inquit*, qua ratione & vi judicet idem halitus flatusve notatos iterum concrescere posse ut obstructionem ibidem pariant.

67. *Obstructio facta ab humore*) A *sanguine* extra vasa in hasce cavitates nervorum illapso, retentoque diutius, idem fieri posset, sed cum ille mox putrescat, *inflammationem* citius, uti & si in nervorum substantiam se insinuet, unde alia potius quam resolutionis accidentia sequuntur, parit; In *venis* vero, si ex *plethora*, vel ex *situ membri non naturali* (ut si brachium diu in altum elevatum teneatur) sanguine delato in unum locum copiosius (*vel potius à circulatione illius interrupta*) quia tunc nervum vicinum, cum venarum ductum sequi semper nervi soleant, aliquomodo premit, *stuporem* potius *levem*, aut *formicationem*, quam perfectam aut diuturnam causat paralysin, sanguine iterum facile remeante (*aut motum redintegrante*) nec ita subsistente. *Platerus.*

68. *Facta ab humore pituitoso*), Pituita spinalem medullam angustans, vel in toto corpore redundat, variatum functionum læsarum consequens. Vel privatim in capite generatur, aut coacervatur, & quidem cerebri aut cerebelli vitio, cum illa debiliora facta coacervant pituitam in sanguine existentem, aut eundem in pituitam mutant; Coacervant 1. quando non excernitur per nares aut palatum illa quæ naturaliter in ipsis excernitur. 2. Quando nimis multum pituitæ secernunt, & plusquam decebat, nec tamen illam rursum excernere possunt. Eundem sanguinem in pituitam mutant, quando repleta sunt humore sanguinem in pituitam mutare apto, qualis forsan est spiritus acidi peculiaris species &c. *Sylvius.*

68. *Obstructio facta ab humore pituitoso &c.*) In omni paralysi per obstructionem facta, materies morbifica non crassa & frigida pituita est, prout *Galenus* & plures Medici asserunt, talis enim minime cerebrum, multoque minus ductus nerveos pervadit, sed ex particulis subtilibus & valde activis, regimini animali infestis constare videtur. Illam enim non à mera *pituita*, aut colluvie serosa excitari plane arguitur, quoniam qui cerebro frigido & humido præditi, nares & oculos muci, aut humoris aquosi stillicidio fere semper madentes habent, immo qui hydrocephalo laborant, in quibus cerebrum & summitas utriusque medullæ lymphæ velut innatant, non propterea in paralysin, nisi per medullæ compressionem disponuntur. *Willis.*

69. *Tum Curatio causæ rationem habet*) Si Paralysis post diathesin præviam in toto, aut in uno latere, vel in quibusdam membris, plane excitatur, & non obstante primo pharmaciæ ariete, demum invaluit, ad curationem ejus methodus longa & complicata semper requisita sæpenumero non sufficit, quippe non tantum *morbus*, aut *causa* ejus *conjuncta*, aut *procatarctica* singulatim, verum omnes simul oppugnari debent; In quos fines *phlebotomia* plerumque interdicta, *catharsis* tantum lenis & rara convenit. Præterea, & quidem præcipue, contra morbi *procatarxin* medicamenta *cephalica* & antiscorbutica juvare solent: hujusmodi autem non omnia omnibus conveniunt, quin juxta varias laborantium constitutiones, etiam remedia diversi erunt generis & virtutis. Nam *Paralyticis biliosis*, nempe quorum sanguini acri & calido multum *salis* & *sulphuris*, serique perexiguum inest, pharmaca calidiora, & particulis valde activis prædita, minus conveniunt, imo sæpe officiunt; quæ tamen *pituitosis*, quorum sanguis frigidior, plurimum *seri*, pauciora que elementa activa continet, maxime prosunt; Quapropter pro duplici hoc ægrotantium statu ex re fore videtur *geminam* hic curationis *methodum*, & binas medicamentorum classes, quorum hæc *Paralyticis frigidis*, ac ista calidis exhiberi possit, instituere: In priori casus ad tollendam *causam procatarcticam*, post *Vomitum* & *purgationem* rite institutam, juxta formulas sequentes præscribendum consulo.

℞. *Conserv. fol. cochlear. hort. erucæ, cum aqua parte sacch. fact.* āā. ℥iii. *zz. in India cond.* ℥iß. flaved. *aurant. & limon. cond.* āā. ʒvi. *pulv. è chelis & ocul. cancr.* āā. ℈iv. *spec. diambra* ʒj. *cortic. Winter.* ʒiß. *rad. Zedoar. galanga min. cubebar. sem. nasturt.* erucæ āā. ʒj. *spir. cochlear. lavend.* āā. ʒij. *syr. condit. zz.* q. s. f. *Electuar.* capiat q. nuc. juglandis mane hora 8. & 5. pomeridiana, superbibendo aut Decocti seq. calidi ℔j, vel *Tinctur. Coffee cum fol. salvia incocti*, ℥vj, *aut vini viperini* ℥iij.

℞. *rasur. ligni s.* ℥vi. *salsapar. sassafras* āā. ℥iv. *santal. alb. citr. ras. eboris, c. c.* āā. ℥ß. *s. a. infunde & coque in aqua fontis* ℔. xvi. *ad medietatem, addendo antimon. crudi pulv. & in nodulo ligati* ℥iv. *rad. calami aromat. galanga min.* āā ℥j. *rad. Flor.* ℥j. *cardam.* ʒvi. *semin. coriandr.* ℥iß. *dactylor. num.* vi. *f. Decoctio*, utatur etiam pro *Potu ordinario.*

Hora somni & primo mane sumatur dosis aut spiritus fuliginis aut c. c. succini armoniacalis, sanguinis &c. cum aqu. distill. sequ. ℥iii.

℞. *fol. aut rad. Ari* ℔j. *fol. cochlear. chalid. maj. rorismar. salvia, satur. thymi, erucæ flor. lavend* āā. *m. iij cortic. exter. x. aurant. & 6. limon. cortic. Winter.* ℥iij. *rad. galang. min. calam. aromat. rad. Flor.* āā. ℥ij. *cubeb. garyophyll. nuc. mosch* āā. ℥j. *incisis omnibus & contusis affunde vini albi & cerevisiæ Brunsvic.* āā. ℔iv. *distillentur organis commun. & liquor totus misceatur.*

Interdum loco Electuar. per 15. aut 20. dies sumatur *dosis tinctura sulphur. terebinth. aut tinctura Antimonii vel succini, quandoque etiam Elixir. propr. aut Paeon. capiantur in cochleari aqua distill. superbibendo ejusdem* ℥iii. Nonnunquam etiam Pulveres aut Tabulæ sequ. in cursu suo vices medicas habeant.

℞. *Pulver. carnis Viper. Monspel. prap.* ℥j. cordium & *Jecor. earund.* ℥ß. *spec. diambr.* ℥. *f. Pulvis sumatur* ʒj *bis in die cum aqu. distill.* ℥iv. *vel cum vino viperino, cum decocto fol. salvia, rad. & semin. bardana, & rad. eryng. condit. in aqu. font. q. s. ad medietatem facto* ℥vi. *vel* viii. calide mane, expectando sudorem.

℞. *Bezoart. miner. solar.* ℥ß. *caryoph. pulv.* ʒii. *m. f. Pulvis dividendus in* xii. *partes sumatur par. una bis in die eodem modo.* Hujusmodi remediorum usui *cathartica* lenia paulo frequentius intercalentur.

℞. *Pulv. select. rad. Zedoar. galanga min.* āā. ʒß. *spec. diambr.* ʒj. *pulv. sem. sinapi, erucæ, cochlear. nasturt.*

nasturt. aqu. āā. ʒß. *f. omnium Pulvis subtilis*; *adde olei succini puriss.* ʒß. *cum sacch. albi dissol. in aqu. Paeon. compos. & ad tabulas. coctis* ℥vj. *f. s. a. Tabulae ponder.* ʒß. comedat iij. *vel* iv. *bis in die, superbibendo dozin cujuslibet è liquoribus modo citatis.*

℞. *Pulv. rad. serpent. Virgin.* ℈ii. *galangae mi.* ʒj. *extracti gummosi è residentia distillationis elixir vitae Querc.* ʒij. *flor. salis Armon.* (*vel salis volat. fuligin. aut c. c. purissimi*) ʒj. *balsami Peruv.* ℈j. *balsami copivae q. s. f. massa, formetur in Pilulas exiguas, involvendas spec. diambrae, Dosis* ʒß. v. *& m.* vel

℞. *resin. vel gummi guajaci* ℥ij. *spec. diambr.* ʒj. *olei guajaci chym. optime rectifi.* ʒß. *liquid. ambr. q. s. fiat massa*, formetur in Pilul. sumendas eodem modo.

Quod si Paralysis *temperamento Bilioso*, vel aetati juvenili incidens, medicamenta tantum mitiora admittat, à calidioribus quibusque, & elasticis exacerbari solita, formulae sequentes ad procatarxin ejus tollendam erunt ex usu.

℞. *Conserva flor. beton. fumar. florum primul. veris* āā. ℥ij. *sp. diambr.* ʒj. *ebor. ocul. cancr. è chel. cancr.* āā ℈iv. *pulv. flor. paeon.* ʒij. *ligni aloes, santal. citr.* āā. ʒj. *salis absinth.* ʒiß. *cum s. q. syr. è flor. paeon.* f. *Elect. dozis* ʒij. *bis in die, superbibendo aut aqu. simpl. fol. ari, vel sequ. compos.* ℥iij. aut *decocti salviae cum fol. Tee infusi* ℥iv. *vel* vj.

℞. *rad. ari, paeoniae mar. angel. imperat.* āā. ℔ß. *fol. salv. rorismar. majoran. beccab. nastur. aqu.* āā. m. iv. *flor. primulae ver. paralys. calend.* āā. m. iij. *flaved.* vj. *arant. &* iv. *limon. Concisis omnibus & contusis, affunde lactis rec.* ℔vi. *vini malagani* ℔ij. destill. organis commun. liquor. totus misceatur.

Loco Electuar. quandoque per 4. vel 5. dies intercaletur usus *syrup. de chalybe*, cujus cochleare unum sumatur in *aquae distillatae* ℥iij. conficiatur ad hunc modum.

℞. *Sacch. albiss.* soluti in aqua ceras. nigr. & ad tabulatum *cocti* ℥viij. *addendo chalyb. nostri pulv.* ℥iij *simul agitentur supra ignem, & dein sensim infunde aqu. rorismar. calefacta* ℥xii. *addendo chalyb. nostri pulv.* ℥iij. *simul agitentur supra ignem, & dein sensim infunde aqu. rorismar. calefacta* ℥xii. leniter ferveſiant per horae quadrantem despumando, & calide effundatur per colum setaceum.

Possunt etiam *Tabulae Chalybeatae* ad hunc modum confici nempe *sacchara cum chalybe satis cocto adde olei succini vel rorismar. chymici* ʒß. & statim effundatur ut diffluat in consistentiam Tabulati, dozis ʒij. bis in die, superbibendo aqu. distill. vel Apozem. sequ. ℥vi.

℞. *rad. Chinae* ℥j. *ras. ebor. c. c.* āā. ℥ß. *santal. alb. citr. ligni lentisc.* int. calide & clause per noct. in aqu. font. ℔ vj mane, adde rad. caetesol. caryoph. rusci, petros. āā. ℥ß. fol. sicc. heder. terr. salv. chamaedr. beton. āā. m. j. s. coriand. ʒiij. coq. ad med. adde vini alb. ℔ß. cola in lagenam super fol. nasturt. aqu. contusi m. ij. f. infusio calida & clausa per ij. hor. iterum cola & serva in vase occluso.

Horis medicis extremis, sc. vesperi & primo mane sumantur *Pilulae sequ.*

℞. *milleped. prap.* ʒiiiß. *margar.* ʒiß. *rad. dictamn. Cret.* ʒß. *terebinth. Venet. q. s. f. massa*, formetur in Pil. exiguas dosis ʒß. superbibendo haustulum aquae destillatae.

Pro Potu ordinario *aut Bochetum ex zarza, china, sant. citr. &c.* vel *Alla tenuis cum foliis siccatis heder. terr.* incoctis *& salvia, cum ligno sassafras* infuso praescribatur.

2. Dum haec aguntur pro tollenda morbi *procatarxi*, haud minus opera curatoria ob *causam* ejus *conjunctam* requiritur, nempe ut *loca quaevis obstructa* denuo reserata, spiritus animales narcosi immunes admittant & libere trajiciant.

Quae in hos fines conducunt duo sunt praecipua remediorum genera, videl. unum *particulare & privatum*, locis affectis adhibendum, nempe ut per *Fotus, Linimenta, Emplastra*, aliaque applicationes externas, spiritus sopiti exsuscitari, eorumque ductus aperiri possint: aliud *Universale*, nempe ut sanguis & spiritus, aliique humores (& particulae activae in toto corpore scatentes) plurimum agitari, inque motum rapidiorem conciti, velut torrente facto, aggeres sive obices ubivis impactos, à quibus spiritus obstruuntur, dejiciant & amoveant. *Willis.*

69. *Ratio causae in curatione*) In Congelatione & Paralysi à *Saccharo Saturni*, revocatur, tandem est aeger usu *theriacae* aliorumque cardiacorum cum vino & frictionibus calidis *Petrus Borellus cent. 4. obs. 34.*

70. 2. *Constipatio*) Huc pertinet *Condensatio Nervorum* quae spirituum influxum impedire potest, ac fit exsiccatione nimia, vel ab humore crassiori & terrestriori eorum substantiae imbibito; Sic in Elephantiacis perit sensus multarum partium ob earum densitatem nimiam, quae inducitur ab alimento crasso & terrestri quo illae nutriuntur. *Riverius.*

71. *Compressio, seu ab aliqua externa*) Pressio membri vehemens & perseverans ab onere gravi, vel vi alia facta, praesertim eo loci ubi majores sunt nervi, vel nudi sub cute occurrunt, primum spiritibus repulsis impeditis & discurrentibus, *formicationis* sensum in *stupore* dictum, mox motus abolitionem tandem *& stuporem perfectum* in parte cui nervus compressus inseritur inducit: Fit hoc frequenter cum pars parti per quietem, somni praesertim tempore, ut corpus brachio, pes pedi incumbens diutius, eademque premens, partem immobilem & insensilem, & ut vocant dormientem reddit. Quod si vero haec *compressio* cum *valido nervorum ictu* subito fiat, tunc *Stupor* tantum aliquis, cum *dolore tamen*, & sensu *formicationis* permixtus sentitur, sicuti hoc in *illisione cubiti*, illic ubi nervus nudus fere latet; & in annulari & minimo digito saepe casu evenire solet. In *Ligaturis* membrorum vehementioribus, maxime si *nervus vinculo excipiatur*, motus & sensus tactus partis cessant, sicut ex *nervis recurrentibus vinctis vocem perire* constat. *Platerus.*

71. *Compressio*) Si ablatis impedimentis stupor aut resolutio perseverent, *frictionibus* aliisque applicatis calidis, spiritus erunt revocandi; *Platerus.*

72. *Compressio seu ab aliqua externa causa seu à tumore*) Huc referenda videtur Paralysis quae sequitur *suppressionem consuetorum excernendorum*, aut saltem ad eam disponit, in specie *sanguis suppressus*, Sic mulier ob *suppressa lochia* post partum paralysi crurum & febre ardente correpta secta vena in talo curata; apud *Zacutum* l. t. *Pr. Adm. Obs. 35.*

. Ex *suppressa haemorrhagia narium* paralysin lateris dextri notat *Bartholinus cent. 4. hist. Obs. 69.* Nempe non rarum est v. s. adsuetos, si eam intermittant, torporem quendam & lassitudinem quasi paralyticam in uno alterove membro percipere, nonnisi s. m. solvendam. *Etmuller.*

73. *A tumore*) A *Tumore-nervi duro*, ut *callo* vel *cicatrice*, post *vulnus*, aut *contusionem*, in nervo excrescente; Vel *tuberculo* ex proprio nervi nutrimento tenaci nato coarctatio, illius spiritum animalem si-

stens fieri potest. Ab *Oedemate* vero, quod simul illius causam statuunt, illud fieri nequit, nisi irrigationem illam nervorum, & tumescentiam, aliquis Oedema vocare velit. *Platerus.*

III. Alia à [74]. *Caussis unitatem nervorum solventibus*, inter quas 1. [75]. *Contusio*, casus vel ictus. [76]. Tum vena secanda, ne affluxus fiat. [77]. Adstringentia [78]. cum discutientibus apponenda, nisi inflammatio adsit.

2. *Dissectio*, ubi nullum remedium.

3. [79]. *Luxatio vertebrarum* dorsi subitò facta, de qua l. 2.

Alia à [80]. *rebus Narcoticis*, ut contactu [81]. marinæ torpedinis, [82]. argento vivo, [83]. vino spiritus torpidos reddente, ubi ratio causæ in curatione est habenda.

74. *Unitatem nervorum solventibus, inter quas*) Amputato ex vulnere nervo, quia tunc continuatio hæc cum parte penitus sublata est, membrum resolutum fit, & insensile quoque, nisi ab aliis nervis illæsis adhuc sensum accipiat. Quod & illius *Contusio* sæpe facit, læso adeo nervo, & sanguine impleto ut inutilis quoque fiat: Unde dorsali medulla ex casu sic affecta generalis sæpe sequitur paralysis; alias vero alibi *nervis contusis*, particularis resolutio. Sæpe quoque post *contusionem callo* post se relicto illud evenit. *Platerus.*

75. *Contusio, casus vel ictus*) Tunc nervis laborantibus non tam eorum insertioni quam origini remedia applicanda, origo vero generalis, saltim quoad distributionem, est spinalis medulla: Hinc in torpore manuum & pedum, ac paralysi, id unice observandum est; Exemplum *Galenus* extat *l. 1. loc. aff. c. 6.* ubi quidam xxx. jam diebus trium manus digitorum sensum amiserat, servato motu; cum nihil ab adhibitis, optimis licet medicamentis, præsidii sensisset, *Galenus* ubi cognovit manum quidem non fuisse ictam, sed dorsi initium fuisse afflictum, eadem fere topica prope septimam vertebram dorsi applicans, inopinantem ægrum felicissime restituit.

76. *Tum vena secanda &c.*) Cum Paralysis ob quoddam accidens, cum læsione vehementi infertur non erunt plures medendi intentiones, quam solummodo ut pars læsa conformationem suam pristinam recuperet, Et 1. ne ad eam, utpote affectam & debilem, sanguis, aliique humores affluentes, & ibidem commorantes, noxam augeant, Phlebotomia sæpissime in hoc casu requisita statim celebretur; dein alvo usu Enematum lubricata, & victu tenui, si res exigit, aut eupepto instituto, hidroticis moderatis præcipue insistendum, nempe ut dum laborans lecto commissus in leni diaphoresi servatur, superfluitates quæcunque à parte læsa avocatæ copiose exhalent, atque intra illius poros & meatus, ita per effluvia calida reseratos, spiritus blande agitati tractus & vestigia priora repetant. In hunc finem *Pulvis ad casum Augustanorum*, vel, uti apud nostrates in vulgari usu est *Tegula Hibernica*, ad quantitatem circiter unius drachmæ, in haustu vini albi calidi, aut liquoris posscheti ex eo parati exhibeatur, & intervallis sex vel octo horarum repetatur; Insuper *Decoctum traumaticum*, si præsto fuerit, vel ex *rad. rubiæ tinctor.* aut *petasitidos*, aut *florum hyper.* in liquore possetico crebra vice propinetur.

Porro interim *locus affectus* sedulo inquiratur, qui partim à noxa inflicta, partimque à membris resolutis facile innotescat: In eo si quicquam dislocetur, danda opera ut quamprimum reponi possit: Si tumor, contusio, aut vulnus excitetur, iis per *Balsama*, *Linimenta*, *Fotus* aut *Cataplasmata* Succurratur.

Sin nihil præternaturale extra apparebit, Empl. ex *oxycroceo & de minio* ãã. q. s. parti læsæ imposito, laborans in quiete & calore moderato detineatur per 3. aut 4. dies. Si resolutio obfirmata perstabit, & novæ [illegible] affluxus non timetur, remedia plus resolventia & [illegible] affecta adhibeantur: quare fotus & linimenta calidiora, quinimo *Therma naturales*, si opportunum erit, aut saltem artificiales usurpentur; Interdum expedit membra affecta *fimo equino*, aut *granis hordeaceis* post cerevisiam confectam residuis calide immergi, & ibidem aliquamdiu teneri, ac denique horum usui *enemata* & blanda *cathartica* subinde intercalari.

Quod si nullum has administrationes levamen sequetur, affectus hic longa deinceps methodo, simili nimirum & cum iisdem remediis quibus & paralysis habitualis, aut alia quævis morbis aliis superveniens & confirmata tractari debet. *Willis.*

76. *Tum vena secanda*) An Sanguinis missioni locus in Paralysi ab humore pituitoso, è cerebro vel cerebello in medullam spinalem delabente? Illius mentio fit à quibusdam, quæ tamen nisi cum ea plethora non videtur habere locum; neque enim hic eadem est quæ in apoplexia imminentis ab interni cordis ignis suffocatione periculi ratio. Quod si tamen minus commode observetur circuire sanguis, idque ex pulsu minus pleno, adeoque parvo, ut & respiratione anhelosa, V. S. omnino necessariam credo, ob rationes to de apopl. dictas: Et has duas à *Pulsu* & respiratione notas desumptas diligenter commendo observandas, non in hoc solum casu, sed & in multis aliis affectionibus, *Pulsus* inquam, *parvus & oppressus, mollis* tamen, ut & *Respiratio anxia & anhelosa*, primaria sanguinis circa cordis ventriculos restagnantis, & suffocationis periculum minantis sunt indicia. *Fr. Sylvius.*

Phlebotomia non passim omnibus convenit; etsi hanc vetamus, non ob eandem cum veteribus rationem, supponendo Paralysin esse morbum frigidum, sed quoniam spiritus animales, tum è sanguine procreantur, tum intra fibras motrices ob copulam sanguineam elastici evadunt, idcirco hujus copia si minuitur nimis, illi deficient & flaccescent: Quod quidem in multis observavi, & plerumque in brachio, è quo sanguis detractus fuit, languores & tremores incepisse. *Willis.*

Vix ea conferre potest si sanguis non peccet [illegible] pituita, Et plerumque hoc malum senibus, pit[illegible] ac natura frigidis accidere soleat. Si tamen c[illegible] sanguinis copia humorem pituitosum produ[illegible]catur, eumque fovere, venam in brachio partis sanæ aperire licet, attamen parca manu, ne languidus calor extinguatur. *Riverius.*

Scarificatio adjumentum aliquod affert in Paralysi, non propter sanguinis extractionem, sed propter Cucurbitulas desuper admotas. *Platerus.*

Venæ sectionem instituere, nisi plethora adsit, magis jugulat, & ideo puto multas curationes male succedere quod in principio sanguinem mitti[illegible]us. *Lindanus.*

77. *Vena secanda*) Menses, hæmorrhoides, assumptis hæc provocantibus remediis, si substiterint, u[illegible]ter promoventur. *Platerus.*

78. *Tum vena secanda*) A *contusione* ab *ictu* vel *casu*, si paralysis fiat in *inflammatio in nervo* sequatur, convulsio facile

facile sequitur, quæ incurabilis est; Ne itaque illa fiat sanguis mox revellendus, *vena secta*, aliisque modis. Supra partem vero contusam, non adstringentia frigida sunt applicanda, sed ea quæ simul digerunt, quale est hoc Emplastrum.

℞. *Mastich. thuris, gummi hederæ āā. ℥ß. mumiæ ʒij pulv. lumbric. ʒj. flor. chamom. cheiri. rosar. āā. ʒj. terebinth. & cera q. s. f. Empl.*

In fine eum nulla amplius inflammatio metuitur, unguentis, sicuti in putridosa paralysi inungatur. Si perseveret adhuc Paralysis, ut nervi calorem revocemus, & partium resolutarum, hoc erit præstantissimum.

℞ *rad. pyreth. ℥iv. piper. ʒiij. sulph. ʒv. pulv. lumbric. ʒij. castor. ℈ij. euphorb. ℈j. ebulliant in olei ℥x. ad consumptionem mediet atis*, Inungε cervicis & dorsi vertebras, item emunctoria & loca affecta. *Platerus.*

77. *Adstringentia cum discutientibus*) Si à vitio externo, contusione, luxatione &c. malum ortum fuerit, conveniunt in genere ibus ex *aromaticis & nervinis*, in specie *balsamus Peruvianus balsam. paralyticum. Mynsicht. Empl. nerv.* cum *tacamahaca* mistum; In specie interne & externe *ol. destillat. lavendula* cum *petrol* vel solo, vel cum *ol. juniper.* nonnihil acuato hic est egregius *Ettmuller.*

78. *Cum discutientibus apponenda*) Paralysis ex magnis capitis vulneribus feliciſſime sanatur *oleo junip. destillato*, fi eo cervix & spina dorsi, parsque paralytica inungatur. *Fr. Joel Oper. p. 98.*

79. *Luxatis vertebrarum dorsi*) Luxatio vertebris, aliorumq; articulorũ ossibus si accidat, illic nervi vicini premantur, Paralysis sequitur; quod tamen quia facile cedunt, vix dum fieri potest; uti vero alia incommoda, sicuti *luxatis vertebris cervicis*, *impedimenta respirationis & deglutitionis* sequuntur: In reliquis vero *dorsi vertebris*, nisi tanta fiat luxatio quæ dorsalem medullam vehementer premat, paralysis minime fit; Sicuti *gibbosos*, in quibus *multa* simul *vertebra luxata curvitatem dorsi*, quam medulli ibi indita citra compressionem sequitur, efficiunt, resolutos tamen minime videmus, nisi forte una aliqua, vel duæ vertebræ, vehementer propulsæ, angulum acutum dorsi efficientes, eam premant, quod tamen ægre propter dorsi firmitatem potest fieri. *Platerus.*

80. *Alia à rebus Narcoticis*) A Narcosi quæ oritur, curabitur primo removendo omnia externa narcosin producentia, 2. corrigendo vitia ab iis introducta, spiritibus scil. animalibus, & imprimis acribus, sale lixivioso volatili præditis, uti oleo de castoreo, euphorbio & simil. parti illinis, ut & sudoriferis acrioribus, ex *cortice & ligno Guajaci, sassafras*, Vesicatoria hic quoque conducere posse puto. *Sylvius.*

80. *A rebus Narcoticis*) Quod in Apoplexia, ita in Paralysi statuere visum est; Particulas *vero* haud tantum *spi*ritu*osas*, sed interdum *narcoticas* & spirituum velut ex *ictorias* esse, cujusmodi afficiendi ratio si potentior fuerit, nonnunquam sine magna viarum obstructione symptomatica paralytica accersit. Halitus *Antimonij*, *Mercurij & Auripigmenti*, quibusvis inter Chymicorum & Metallorum fornaces diu versatis, *membrorum debilitates*, *tremores* & sæpè *resolutiones* inducunt.

Pariter opinari subest in quibusdam *Scorbuticis*, & valde *cacochymicis* particulas heterogeneas, ac uti videtur, *indolis vitriolica* (cerebro & appendice medullari superatis) *ductus nerveos*, una cum succo illorum irriguo subire in usque spirituum manipulos quosdam depicere aut à motu supprimere. Hinc *stupores* aut *resolutiones* in membris, aut musculis modo his modo illis subito oriuntur, & brevi postea in uno loco evanescentes, subinde repullulant in alia: Tandem vero cum ejusmodi particulæ copia ingenti in nervos suffusæ, & acervatim aggestæ, hic illic varie defiguntur, spirituum insuper vias præcludunt, adeoque Paralysin fixam & permanentem inducunt.

Et quidem in omni Paralysi per obstructionem facta, materies morbifica non crassa & frigida pituita est, sed ex particulis subtilibus & valde activis, tegmini animali infestis constare videtur. Enimvero Paralysis hominibus, non secus ac syriasis, sive uredo, arboribus accidit; quippe venti nonnulli, halitibus plusquam frigidis, scil. *Spiritu nitroso*, aut *vitriolico* præditi, cum vireutes arborum frunces insflant, cos repente emarcescere faciunt; in quantum scil. stamina tenella, nervorum instar, foliis & fructici passim intertexta, maligni aëris afflatu ita penitus constringuntur, ut succum è trunco, aut radice suppeditatum non amplius suscipiant, ob cujus defectum exarescunt. Non absimili ritu particulæ extraneæ, & quasi vitriolicæ, intra sensus & motus organa admissæ, quatenus una poros constipant, & spiritus animales dejiciunt, vel à motu supprimunt, partibus respectivis quasi uredinem inducunt. *Willis.*

80. *A rebus Narcoticis*) Huc revocandum *acidum volatile* seu spirituosum, haud tamen adeo *acre*, sed fere *austerum*, nunc *seri*, nunc forsan ipsius spiritus influi vehiculo ad partem quandam nerveam delatum, cujus occasione fibræ unius alteriusve tendinis aut musculi affici, ac quasi nonnihil intorqueri aut corrugari videntur, unde motus defectus eum sensu plus minus deficiente, aut saltem aliquali stupore juncto. *Ettmuller.*

80. *Alia à rebus Narcoticis*) A vi narcotica, medicamentis, venenis, & ipsis interdum humoribus insita Paralysin generari posse nonnulli censuerunt, sicuti ex contactu *Torpedinis* exoritur, quamvis stupor potius ab ea inducatur quam vera Paralysis. Ejusdem generis est quæ à contactu *hydrargyri* contingit aurifabris & artificibus qui specula parare solent, quod Venetiis frequenter conspicitur: *Vinum* etiam virtute Narcotica censetur à *Platero* Stuporem & Paralysin inducere licet alii aliter sentiant.

Fernelius tamen huic sententiæ favere videtur, asserens se vidisse aliquando universam corporis cutim ex crapula & vinolentia stupore affectam fuisse: Et *P. Salius Diversus*, Notis ad *Altomarum* cap. 14. refert historiam Tomsuris, qui cum vino & gulæ nimium indulsisset, nocte media expergefactus incidit subito in Paralysin partium omnium corporis partium infra faciem existentium, ita qua motus & sensus erant deperditi, ut nec acu profunde perforatus, nec gladiolo scarificatus quicquam senuret: hic tamen soluta in totum crapula & ebrietate, intra tertium diem omnino sanatus est, tactis tantummodo nonnullis revulsionibus & inunctionibus resolventibus ad spinam. Hic tamen author non vi narcoticæ, sed vaporibus crassis, ex crapula oriundis, & nervos obstruentibus, paralysis hujus generationem adscribit.

In *Humoribus* etiam *corruptis* vim narcoticam residere, malignamque qualitatem adeptis, in soporosorum affectuum expositione ostensum; qui si ad nervos deferantur actionem eorum labefactare possunt. Et cum humores *Scorbuticis* producentes malignam qualitatem adepti sint, vis illius narcoticæ possunt esse participes, quæ etiam ad paral. scorbuticam efficiendam concurrere potest, etsi soli obstructio vel compressio ad eum affectum producendum sufficiat. *Riverius.*

81. *Marina torpedini*) De ea notum est quod suo attactu stuporem & paralysin inferat, observat tamen

Stephanus Florentinus, qui illius Anatomen dedit, in certo quodam ejus corporis loco salium residere vim istam, unde emissa effluvia torporem inducant. Præter Torpedinem etiam certa conchyliorum species noviter reperta, quæ & ipsa sui contactu stuporem paralyticum induxit, referente *Kirchero in regno nat. magn. sect. 4. c. 4.*

[81]. *Argento vivo*) Si à *Mercuriali veneno* malum ortum fuerit, convenit inprimis *Decoctum fœniculi & beleny*, supra ubi de *Tremore* laudatum; Sicuti ubi per sudores *Venena mercurialia* sufficienter exclusa fuerint, *lac & serum lactis* commode propinari possunt; Sic enim *Hoeferus Herc. M. p. 9.* Paralysin ex fumis metallicis in aurifabro per *serum lactis* curatam refert. *Ettmuller.*

[82]. *Argento vivo*) Quod infensissimum partibus nerveis, ita Aurifabri, qui specula deargentant, subinde paralysin contrahunt, teste *Foresto lib. 8. obs. 5.* ut & ii qui in fodinis mercurii Friulensibus laborant. Vide *Acta Soc. Reg. vol. 1. p. 18.*

[83]. *Vino spiritus torpidos reddente*) Notum est in quibusdam regionibus *vini potatores* subinde reddi paralyticos, cum partis nunc stupore, nunc partis quodam sensu verminante & obscure lancinante, & hujusmodi paralysibus inveteratis tandem membri contractura supervenit; Affectus qui ex *acido volatili* Vide supra §. 80. *A rebus narcoticis*, ex *Ettmullero*) *austero* derivari potest, cum notum sit acida corrugare plus minus partes nerveas; adeóque in his casibus vel tonus naturalis fibrarum solvitur, vel corrugatio plus vel minus inducitur: Observantur tales frequenter in Austria, Moravia, ex potu vini istius loci; Sicut alias quælibet vina præmature sulphurata, quæ minus sub fermentationis debita absolutione sulphur & fœculentias posuerunt, præcipitare, & sulphur narcoticum exhalare, ad ejusmodi paralysin disponunt.

Nempe *Acidum* est *volatile*, nonnihil *austerum*, quod in stomacho non rite correctum, pergit ad membra & partes extimas, & extra nervosas partes, fibras, tendines & ligamenta defigitur, adeo ut pereunte motu, sensus vel defectuosus vel vitiosus remaneat, donec & hic deinde pereat; Quod si magis *volatisatum*, adeoque & spirituosius vinum fuerit, ac synoviam articulorum infecerit, podagram infert, aut inficiendo spiritum insitum, aut fermentum renum, lithiasin; Unde præm. præmitt. paralyses tales, & hinc natæ contracturæ, lacticiniorum usu inter alia optime curantur. *Ettmuller.*

IV. [84]. Alia est [85]. *Colica*, cum humor [86]. ab intestinis non tam ad nervorum principium quam musculos & tendines movetur.

In *Causa* est humor tenuis, biliosus & serosus.

[87]. In *Curatione* [88]. clysteribus est maximè agendum, ut perversus naturæ motus invertatur. Vena secanda, si plethora adest. Purgandum per Epicrasin, mitioribus. Sudorifera subsequantur, in aquis primulæ veris, Liliorum convallium. [89]. Valet & [90]. *Spiritus nitri*. Exemplum *paralysis spuriæ* ab humoribus biliosis aut serosis in hypochondriis contentis, & in spinam dorsi transfusis profectæ vide apud River. Cent. 11. Obs. 58.

Alia [91]. *Scorbutica*: de qua vide in Scorbuto.

Alia *Hysterica*, quam suo quoque loco videbimus.

V. Alia est *Exotica*, Indos Orientales quibus *Beriberi*, id est *Ovis* dicta, fortè quia ægri genubus nictando & crura elevando tanquam oves incedunt, afficiens.

Cognoscitur ex spontanea totius corporis lassitudine, motu & sensu manuum ac pedum depravato & hebete, titillationis quandóque in eis vago sensu, qualis solet præcedere spiritus animales per nervorum exilia foraminula exitum quærentes. Vox aliquando ita impeditur ut æger vix articulatè loqui possit.

Oritur ab humore pituitoso, crasso & lento, qui noctutno tempore, cœlo inprimis pluvioso, (pluit autem ibi à Novembre ad Maii initium) nervos invadit, unde artus prolongantur potius quàm contrahuntur, insinuante se inter juncturas phlegmate, unde nervorum & ligamentorum laxatio. Invadit aliquando sensim, aliquando subito, inprimis ex copioso vini palmarum post defatigationem haustu.

Curatio protrahitur propter contumaciam materiæ: *frustranea*, si thoracis musculis occupatis, spiritus & vocis via intercluditur.

Peragitur 1. *Evacuatione* per extract. *aloës socoter.* cum *chittajemu*, & *gummi ammon.* ana part. æqual. in aceto solutis & ad solem coagulat. paratum.

2. *Frictionibus*, fomentis, insessionibus & illitu ol. caryophyll. & macis cum oleo rosato: inprimis oleo *Miniac Tannah* dicto, naphthæ æmulo, quod in Sumatra ex rupibus in subjecta flumina præcipitatur.

3. *Discussione* per decoctum *radic. Chinæ*, *salsaparillæ* & *ligno Guajaci*, quæ Theriaca & Mithridatium circa declinationem excipere possunt.

[84]. *Alia est Colica, alia Scorbutica &c.*) Materies morbifica cerebro illata Paralysin, quandoque *primario*, sæpius tamen *secundario*, & nonnisi post alios affectus prius excitatos inducit, *Prioris ratio*, (nempe ut *Paralysis habitualis* primarius & per se morbus sit) hæc duo requirit, Videlicet ut particulæ heterogeneæ ad Paralysin potissimum acciendam sint dispositæ, dein ut sensim, & in cerebrum non nisi minutis admittantur, nam si pleno agmine intraverint Carum, aut Apoplexiam imprimis, & si indolis non plane vitriolicæ fuerint, quando cerebro trajecto sensus & motus organa subeunt, in iis affectiones sæpe convulsivas aut doloricas imo interdum colicam, arthriticam, aut scorbuticam, & tandem è postliminio paralysin accersunt.

Paralysis secundaria affectibus plerisque chronicis post functiones naturales & vitales, ab iis plerumque læsas, non raro succedit; *Febris lenta*, ac diuturna viribus tandem attritis, sæpe totius corporis, aut quorundam

eundam membrorum enervationes aut resolutiones infert, *Tristitia* longa & immodica, *Tabes*, *Atrophia scorbutica*, diuturna lecto affixio, senectus valetudinaria, quin & aliis multa pathemata, post labem insignem cerebro & nervoso generi prius illatam Paralysin demum accersunt.

At vero hic morbus frequentius quibusdam aliis affectibus, aut *Cerebri*, uti imprimis Caro & Apoplexiæ, aut *nervosi generis*, quales sunt præcipue *scorbutus*, *convulsio*, *colica* & *arthritis*, supervenit: Qua ratione morbis cephalicis jam supra, qua Scorbuto succedit, alibi ostendendum; quomodo reliquorum aliorum Paralysis sæpe proles est, videndum: *Spasmum Paralysi* interdum accidere supra ostendimus, nempe cum è musculis antagonistis unus resolvitur alter convellitur.

Putrao usitatum est pathematis convulsivis dudum obnoxios tandem in membris quibusdam debilitates, ac demum resolutiones sive ἀκινησίας pati: Novi plures epilepticos, & alios spasmodicos propter functionem motivam in hac aut illa parte modo inhibitam, modo abolitam, primo claudos & deinde clinicos evasisse; Cujus ratio videtur esse quod materies morbifica intra cerebri & appendicis ejus tractus tum medullares tum nerveos continue admissa, & crebro explosa, tandem eos ita debilitet ac dilatet, proinde ut aliusmodi insuper particulis, sive narcoticis sive vitriolicis (ob quas spasmo paralysis supervenit) aditus patescat: Porro sæpius observavi ob diversimoda hęc materiæ morbificæ miscellanea (veluti cum nix & pluvia simul contingunt, una motibus convulsivis & paralysi laborantem infestari.

Nec minus *affectioni Colicæ* crebro & gravius obnoxii demum Paralytici evadunt: Casus adeo frequens hic ut morbi hujus successiu inter istius prognostica habeatur, nam qui torminum in ventre aut paroxysmos atrociores, per intervalla redeuntes pati solent, aut doloribus circa abdominis viscera paulo atrocioribus fere continue molestantur, tandem in habitu corporis ac membris dolores vagos dein postea stupores, & deinde non raro immobilitates sive resolutiones subeunt: Hujusmodi effectus causæ, tum à *morbi sede*, tum à *morbifica materia* immutatis procedunt.

Hæc nimirum quæ perexigua sed acris & irritativa, nervos tantum splachnicos incurrebat, proindeque ob viscerum fibras vellicatas in iis spasmos & dolores ciebat; postea copiosior, simulque hebetior; & narcotica evadens per spinalem medullam depluit, atque nervos his aut illis membris, aut musculis destinatos subiens, in partibus respectivis resolutiones parit.

Affectioni Arthriticæ, non raro in membris ei obnoxiis paralysin supervenire observatione perquam vulgari constat, ejusque ratio facile patet; nam si quidem in ægritudine ista materiem morbificam binam esse, atque *particulas salsas* & quasi *lixiviales* per arterias deponi, iisque *acetosas* alias per nervos accedere supponimus, (prout infra ostendetur) nihil mirum est si demum aliusmodi particulæ, per vias adeo tritas se comites addunt, & tandem præangustos spirituum meatus aut implendo, aut comprimendo obstruunt. *Willis.*

[w] *Alia est Colica, cum humor &c.*) In Paralysi quæ insequitur Colicam, & quidem istam quæ est magis *habitualis*, & quæ vulgo à *tenui*, *acri humore* oriri dicitur, & alias à Practicis *Colica biliosa* vocatur, Alvus est pertinaciter clausa, tormina atrociora & contumacissima vexant, purgantibus quibusvis per os assumptis maxime exasperatur malum, umbilicus interiora versus retrahitur: Quod si v[...] maxime tractetur, quod inprimis fit, si irritetur acrioribus aut purgantibus, aut plus minus desævire videatur, successive unius alteriusve aut plurium membrorum stupor, hinc subita membrorum impotentia, tandem perfecta Paralysis supervenit; Si negotium huc recte consideretur, revera est *Colica*, ratione modi *convulsiva*; ratione causæ occasionalis materialis, *Scorbutica*; nidus vero & fomes in plexibus mesenterii nerveis est; *Acidum austerum* inprimis *Scorbuticum* est, quod has turbas dat in abdomine.

Dubium saltem est *quomodo Colicam talem paralysis artuum insequatur*? cum interdum subito atque cessat dolor membra observentur paralytica, Nempe in principio mali paralytici saltem convulsivi quid subest, unde spirituum interrupto influxu stupor & aliqualis insultus paralyticus supervenit; hinc colica talis in *paralysin*, subinde in *convulsionem*, subinde in *arthriticos dolores* in principio mutationis suæ terminatur, donec ipsum acidum volatile circa mesenterii plexus resolutum, materialiter partes istas ita male affectas attingens perfectam paralysin, & tandem ex fibrarum tendinosarum congregatione contracturam efficiat; Nempe sicut renum calculum stupor crurum non raro comitatur ita & hoc malum nonnihil remittens, ex simplici consensu unius alteriusve membri ex nervi spasmo, & spirituum interrupto motu, paralytica dispositio insequitur, donec malo inveterato ipsum quasi per ἰδιοπάθειαν fiat, quod quoad originem, saltem per συμπάθειαν erat, De cætero par fere hujus cum paralysi scorbutica videtur esse ratio. *Ettmüller.*

. [x] *Alia est Colica, cum humor*) Paralysis differentia desumitur ab aliorum affectuum, simul concurrentium comitatu vel absentia, unde alia Paralysis dicitur *Solitaria*, quæ præter abolitum in parte partibusve sensum & motum, nullum alium agnoscit affectum: alia *comitata*, e g. quam *Colicam* vocat hic Author, Eam scil. Motus læsi speciem quæ Colicos dolores quandoque sequi solet, in qua cum membri immobilitate quidem, non autem vera resolutione jungitur affectæ partis dolor gravis & atrox, illam vehementer affligens, adeo ut plerumque in convulsiones transeat hic affectus ægrosque jugulet.

Ex quibus patet perperam Paralyseos nomine indigitari hunc affectum, cum revera sit partis Immobilitas quidem, non autem paralysis aut resolutio: Immobilitas autem est genus, cujus una species est paralysis ex partis moventis, sive musculi deficiente contractione orta, præter quam multæ aliæ esse possunt immobilitatis species, tum ratione partis ij sius movendæ, tum etiam ratione doloris in musculo siti, ob quem contractionem ferre nequeat, uti in hac ex colico dolore orta paralysi fieri solet; quo amplius urgente cogitur, tandem præter voluntatem contractio, sicque excitatur convulsio, primam partis in ipsa immobilitatem consequens, ac tandem ægrum è medio tollens.

Nec tamen idcirco commode videtur ad Paralysin referri, quia post administrata varia humores acres, salsos & biliosos corrigentia, adeoque humiditate partes afficientia, quando cum successu hæc fiunt, remanet aliqua in partibus affectis debilitas, quæ moderate calefacientibus & discutientibus est superanda: Nam etiamsi cum humoribus illis acribus aliqua humiditas aquea conjuncta nonnunquam observaretur, immobilitas tamen tunc concurrens non tam ab aquea humiditate deducenda, quam ab acrimonia dolorem excitante, sicque motum impediente.

Malim proinde hanc Immobilitatis speciem alio relegare, nec cum Paralysi conjungere, & vel idcirco quoque, quod proprie *Paralysis ortum habeat à causa, non tantum cum partis resolutione ejusdem motum animalem, verum consequenter sensum ipsum tollens*; Sunt autem contradictoria, *sensu destitui, & atrocem dolorem sentire.*

Quare si sensu destituantur Paralytici, gravibus doloribus in eadem parte affici nequeunt, Vnde aut de Paralysis essentia non est, ut secundario quidem, sensum simul ex parte aut in totum tolli; aut Paralysis non est, ubi sensus non tantum non tollitur, sed acutus & subtilis observatur, uti hoc necessario contingit ubi gravis & atrox sentitur dolor. Seligant ergo alterutram, qui pro Paralysi habent Immobilitatem cum summo dolore, colicam consequentem, & dicant, vel non labefactari, tandemq; aboleri sensum in Paralysi, vel non esse illam immobilitatem Paralysin, quod mihi erat probandum. Vòque malim ego pro peculiari affectu, à Paralysi diverso; habere illam immobilitatem, colicos dolores subsequi solitam, quam cum illa confundere, cum non tantum affligendi modus sit diversus, sed insuper causa assignetur diversa, ipsaque etiam curandi ratio diversa. *Sylvius.*

87. *In curatione*) Si *Colicam* insequatur *Paralysis*, cautus vel maxime sit Medicus in *Purgantibus fortioribus*, cum ejosmodi Colicæ exinde exasperentur & provocentur magis paralyses & convulsiones: Nervus totius curæ ad abdomen dirigendum, adeoque *clysmata lenientia* & *abstergentia*, item ex *lacte* & *terebenth.* optima sunt: Quo frequentius injiciuntur eo magis prosunt, & eo magis à Paralysi præservant; Hinc interne *semm. 4. cal. maj.* eorumque in fine *decoctum*, aut alia ex iisdem parata remedia, teste *Helmontio*, sunt *appropriata* intestinorum solamina, Quibus & adjungatur *Helenii decoctum* præm. præmitt. ejusvè *essentia* pro blando sudore propinatum. *Decoctum milii*, alias *Syrup. D. Ambrosii*, mirabiliter hic laudatur, per sudorem hanc Colicam removens, Quibus si *lignum Sassafras* addatur; foret eo melius: *Serum lactis* cum *antiscorbuticis* & similibus, medicamentum nobile est in hac Colica & inde nata Paralysi: Hinc, ceu summum appropriatum, accensetur *Galban. Paracelsi* tam simpliciter secũdum modum *Hartmanni* quam præstantius illud *Drawitz.* p. 193. Hoc ipsum non solummodo umbilico inungitur frequenter, sed etiam ipsi membro paralytico, si prius *spir. tartari*, aut *spir. sal. armon.* vinoso probe fuerit perfrictum quotidie ter. *Etmuller.*

Observandum tamen quoad *Externa*, hic, si Scorbutus subsit, non semper hujusmodi calida acria convenire, quoniam interdum videntur magis exasperare malum: Potius igitur temperata prius tentanda, antequam ad acriora illa fiat accessus. *Idem.*

87. *In Curatione &c.*) Quando Paralysis *Colica, febri, apoplexia, caro*, aliisque affectibus cephalicis, aut convulsivis superveniens, magna est, ac subito excitatur, imprimis ad tollendam causam ejus *conjunctam*, quæ fere semper in medulla oblongata, aut spinali causam habet, Medicum operam navare oportet, Quare à morbi initio *phlebotomia* & *catharsis* (si nihil contraindicat) *enemata, vesicatoria, cucurbitula, sternutatoria, linimenta*, aliæque administrationes in morbis cephalicis usitatæ, quæ scilicet materiam morbificam caudici medullari, aut nervorum ex eo prodeuntium capitellis affixam, quoquomodo excutiant aut avellant, adhibeantur: Quod si primus medicinæ impetus intra xv. aut xx. dies nihil effecerit, affectio deinceps, siquidem firmiter radicata & *habitualis* facta, longa methodo, & per indicationes præservatorias expugnanda. *Willis.*

Ab humore aqueo pituitoso vel seroso, acribus, biliosis humoribus permixto, nervus non solum imbuente, sed & irritante, si paralysis fiat, sicuti post colicos cruciatus ea frequentissime nostro seculo accidit, cum dolore & formicationis sensu; tunc cura, quandiu dolor colicus perseverat huic potius erit, accommodata; Et humores illi pravi expurgandi; eaque potius quæ nervos leniendo convulsiones, in quas facile terminari solet, impediant, admoveri exhiberique debent; Nihil enim boni temere (cum si convulsiones superveniant facile jugulare soleat) prædicendo: quod si vero cessantibus aliis affectibus, resolutiones hasce comitantibus, illæ in pluribus privatisque partibus remaneant, tunc cura eadem quæ in pituitosa paralysi explicata fuit administranda. *Platerus.*

87. *In curatione*) Ad intemperiem intestinorum, nisi inflammatio adsit, felici successu *destillatum e galbano, baccis lauri, g. elemi*, umbilico adlubui. *Crato consil.* 172.

Avena in sartagine aut lebete frixa & sacculo indita, egregium est fomentum. *Idem cons. 73.*

℞. *Galbani* ℔j. *g. hederæ* ℥iij. *tere, misce, destilla; destillatum misce cum ol. laur.* ℥j. *tereb* ℔j.

Iterum distilla, separetur aqua ab oleo; de hoc temperate calido infundatur aliquid in umbilicum, & videbis mira. *Dornkrellius Emp. l. 1. c. 4.*

88. *In Curatione clysteribus*) Paralysis quæ à *bilioso humore* aut *melancholico* producitur, eandem curationem postulat quæ ad melancholiam hypochondriacam est præscripta, ut in affectu magis bilioso remedia magis ad frigiditatem inclinantia eligantur. *Riverius.* vide supra §. 87. *In curatione.*)

89. *Valet & spiritus nitri*) *Spiritum tartari* tanquam præstantissimum medicamentum commendat. *Johann. Agricola comm.* in *Poppium Tr. de Tart. p. 677.*

90. *Spiritus Nitri*) Præsertim *dulcis*, ex rectificatione cum *vini spiritu.*

91. *Scorbutica*) Scorbutus frequenter hujusmodi Paralysin inferre solet (Vide supra §. *A rebus narcoticis*, ex Ettmullero, & §. *Vino spiritus torpidos reddente*) eamque plane singularem: *Sensim inchoat*, & procedit, & primo saltem vagus *stupor*, aut insensilitas cum formicationis sensu partem prehendit, unde successive tonus membri labefactari, & magis magisque paralyticus reddi incipit: Est autem *vaga*, vel minusconstans, nisi nimis inveterata fuerit, ita ut æger uno die melius, in altero pejus habeat, uno die fere incedere, altero decumbere cogatur; Hinc nunc digiti, aut manus aut pedum intumescere, nunc detumescere observantur; Nunc unus alter vo digitus stupet, qui brevi melius se habet *Sensus manet* ut plurimum, aut saltim aliqualis stupor inducitur; subinde cum dolore gravi utplurimum vago, raro fixo juncta est; Iacentes fere commode membra movere possunt, sed stantes vix denuo pergere, nec absque dolore, aut stuporis sensu incedere possunt; Sane *acidum volatile austerum* est quod hic peccat; quod fibras nerveas [illegible] ersimode afficiendo. *nunc* aliquid convulsivi, *nunc* quid paralytici infert, ita ut hujusmodi paralysis quasi medium quid sit inter morbos paralyticos & convulsivos in specie sic dictos: Vnde non rarum est ut in talibus ægris scorbuticis membrum nunc spasmo contractum *rigidum* reddatur, nunc paralysi affectum idem *flaccescat* & plus minus stupeat, prout nervi vel fibræ re[illegible]um vel acido irritantur, vel austero intorquentur. *Etmuller.*

Multum hic præstat *spir. aper. Penoti cum spir. tartari & cochlear.* mixtus, ad ʒj. sæpe datus; Ad sudorem eo melius provocandum una pars *spiritus cochleariæ*, & *duas partes spir. tartari* dare prodest; Ego quendam pleuriticum & hinc mox in paralysin incidentem *mixtura simplici* intra sex dies restitutum novi, *Joh. Drawitzius Tr. de Scorbuto p. 158.*

Scelotyrbe species est paralysis, qua correpti recto calle progredi nequeunt, sed modo à dextris in sinistram, & contra vacillant, Ibi nil melius est quam frequens usus *Columbarum sylv.* Est enim præsentaneum antidotum contra resolutionem omnium membrorum. *Arn. Weickardus Thes. l. 1. c. 3.*

91. *Scorbutica*) In Paralysi Scorbutica herbarum succi & expressiones opem non raro egregiam præstant.

℞. *folior.*

℞. *folior. beccabungæ; nasturt. aquat. plantag. rec. ãã. m.iv. simul contusis affunde aqua distillata præscripta* (vide § ℥viij. f expressio fortis servetur in vitro, & exhibeantur ℥iij. vel ℥.iv. bis aut ter in die *Willis.*

Quibus Bembers) De hac Paralyseos specie vide supra § *1. Paralysi.*)

Articulus VI.

De Spasmo, seu Convulsione.

1. **S**PASMUS *est* [2]*. musculorum* [3]*. involuntaria, perpetua, & dolorifica, versus suum initium retractio, ob* [4]*. nervosarum partium abbreviationem, quam rigor & figura depravatio sequitur.*

[5]. *Pars affecta* est Musculus, & præcipue Tendo.

[6]. *Signa* per se patent, ita musculi retrahuntur [7]. ut immobiles sint in contrarium.

[1]. *Spasmus*) In tractandis *affectibus convulsivis* plerique Medici distinguunt inter *Spasmum* sive *Convulsione*, & *Motum Convulsivum*, Per illum nempe intelligentes *contractionem constantem*, qua membrum rigidum & inflexibile evadit. Per hunc autem *Motus celeres & remissiones*, quæ interjecta quiete alternatim cessant redeuntque: Verum nec illi qui has discriminis notas constituunt, nec cæteri authores eas perpetuo observant, quippe per vocabula spasmi & convulsionis quælibet *τὰ σπασμώδη* non raro designant: Quare melioris discretionis gratia *priorem* affectum cum *C. dato Tonicon* appellabimus, *alterum* vero *spasmum*, seu *motum convulsivum*. *Wil.*

Hæc affectio interdum late accipitur omnesque sic motus convulsivos, præsertim Epilepsiam comprehendit. Interdum stricte, & permanentem partium musculosarum vel in toto corpore vel certo membro contractionem & rigiditatem denotat: hic *stricte* sumptæ Convulsionis rationem habemus. *Straussius.*

[2]. *Spasmus*) Apud Græcos generica vocabula duo sunt, ejusdem quidem originis sed diversissimæ significationis, unde interpretibus *Galeni* maxima confusionis: *Ἀπὸ τοῦ σπᾶν*, trahere, & *σπασμὸς* est & *σπάσμα*: illud pertinet ad propositos nobis affectus, hoc ad solutiones continui: *σπάσμα*, quamvis *Tractio* sit, seu *contractio*, tamen quia interpretibus placuit *Convulsio*, seu *Convulsus*, sequamur; Non ignoro confundi isti in vulgari loquendi usu, differunt tamen *Trahi* aliquid, a liud *Distrahi* in duas partes, qua ratione *τὸ σπάσμα* potius conveniret, quippe quod *ἕλκος* est *ῥῆγμα*: Hic vero iterum monitore egemus, ne confundantur *σπασμὸς* & *σπασμώδης*, qui *σπασμός* Græce dicitur, ille est in tribus dictis affectibus, hic in Epilepsia *C. Hofmannus Inst. l.3.c.85.*

[4]. *Spasmus est musculorum*) *Alias*, Convulsio est involuntaria, permanens atque dolorifica partium musculosarum, vel in toto corpore, vel in certo membro, ad suam originem contractio, à nimia & præter naturam in illis fibrarum insufflatione, à spiritibus animalibus inducta dependens. *Straussius Pal. m. libro 1 Gymn. 7.*

[3]. *Spasmus est musculorum involuntaria &c.*) Tota Convulsionis natura in eo videtur consistere, quod motus ille, Animalis dictus, desinat esse voluntarius ac liber, sitque coactus & invitus: Utique convulsorum membra eodem modo disposita sunt, uti solent, esse cum voluntario, sed potentiori cientur motu contrahuntur scil. eodem quo in sanis modo musculi, partesque per musculos moveri solitæ, eodem quoque, quo in sanitate fieri solet, modo moventur: Differt autem in eo uterque motus, quod in sanis sit voluntarius, moderatus, & in contrarium pro arbitrio mutabilis. In convulsis vero invitus, coactus, immoderatus, & ne vi quidem ad naturalem situm pars reducibilis, adeo ut rigida permaneat pars convulsa, rigidum membrum convulsum: Cum ergo in Convulsione non desinat pars moveri, id est per musculum unum vel plures flecti, extendi, aut quocunque tandem modo cogi, quin potius potentius & arctius, naturali tamen modo haud absimili, pars moveatur, h. e. per musculos suos flectatur, extendatur &c atque ita mota, flexa scil. vel extensa conservetur, omnino pro *Actio* præter naturam *motus animalis* habenda Convulsio. *F. Sylvius.*

Hic annuitur *spiritus animales* esse proximum motus regularis instrumentum, ipsorumque actionem, seu vim motricem, in eo tantum consistere, quod densius agglomerati in parte motiva, ibidemque in spatium amplius expansi eandem inflent & intumefaciant, quæ proinde quoad longitudinem contracta illico ad se partem sibi appensam trahit. *Willis.*

[3]. *Involuntaria retractio musculorum*) Facile erit proximam Convulsionis causam explicari, dummodo de *motus voluntarii* causa proxima conveniat; Hæc enim si sit Spiritus animalis, ex naturæ lege continuo à cerebro & cerebello per nervos ad musculorum fibras mediocri quantitate delatus, ad voluntatis vero dictamen copia majori eodem propulsus, ut que convulsionis causa proxima erit idem spiritus animalis, copia nimia ad easdem fibras impulsus, & quidem citra, imo contra voluntatis imperium.

Constat enim continue, ac sine intermissione, deferri ad musculorum fibras spiritus animales naturaliter, sicque servari oppositos in æquilibrio musculos; id quod manifestum ex oris tortura, ex alterutrius maxillæ, labiorumque musculis paralyticis oris, musculis scil. oppositis, cæterum sanis, mox partem sanam nimium contrahentibus, & quidem convellentibus, idque ob defectum renitentiæ & æquilibrii Paralysin consequente.

Quoties autem lubet homini hanc aut illam partem flectere, extendere, aliove motu ciere, toties ad musculos ipsam flectentes, aut extendentes, copia majori mittit spiritus animales, qui musculos illos potentius inflantes & contrahentes quam inflatur & contrahuntur oppositi, partem quoque ipsis musculis contractis junctam simul flectunt vel extendunt, quæ nostro arbitratu est motus voluntarius.

In motu autem invito & coacto, sive Convulsione, propelluntur quoq; sed præter ac contra voluntatis jussum copiosius in horum illorumve, aut utrorumq; musculorum fibras spiritus animales, à *causa præternaturali acti*: Propelluntur ergo in motu voluntario Spi-

laqueus gulæ injiceretur; Subinde *externarum partium* Epilepsia supervenit, adeo pathemata, *hysterica* dicta, cum *Epilepsia* in radice conspirant, ut tantum circumstantiis quibusdam varient, & omnia antepilepnea hystericis prosint, Qualibet è contra hysterica epilepticis suot proficua. *Etmuller.*

Essentialem præcedit capitis gravitas, *Sympatheticam* aliarum partium læsio, Causæ suis ex signis innotescunt. *Rolfincius.*

7. *Signa*) Diagnostica è *generis* ratione, ut in summa de omnibus dicam, inquit *Aretaus*, communia, Affectum hunc ista comitantur, labor & intensio tendinum edest, & dorsi, & musculorum qui in maxillis & pectore sunt, Inferiorem enim maxillam superiori annectunt adeo ut neque vectibus aut cuneis facile diduci possint; Quod si quis vi dentes abducens humorem distillaverit, non demittunt, sed effundunt, aut ore continent, in naresve retrudunt. Isthmus enim simul inhæret, ac tonsillæ duræ ac intentæ ejus quod devoratur impressioni non cedunt; Facies est rubida, variegara, oculi ferme rigentes, qui vix circumvolvuntur, strangulatio vehemens, spiratio vitiosa, manuum crurumque distensio, musculi palpitantes facies varus modis distorta, buccæ & labia tremunt, maxillæ quatiuntur, dentes stridenr, In alio vero quodam & aures moveban-tur, Ego sane vidi, & miratus fui lotium supprimi usque ad insignem mejendi difficultatem, aut sponte effundi, cum vesica premeretur.

Propria unicuique speciei *ab eodem* hæc afferuntur.

Totani quidem in rectum totius distensio, nullam prorsus in partem detorta; neque declinans, *Opisthotonus* vero retrorsum incurvat hominem, ut reflexum caput inter scapulas locetur, guttur extat &c. At si in priorem partem contrahuntur, convexa quidem his terga sunt æqualiter cum parte pectori opposita, quam *metaphrenon* Græci appellant.

Dolores ad sunt atroces, vox omnium flebilis, suspirant autem mussantes profundius, Si pectus & spiritum morbus occupaverit, facile migrant è vita, Verum si in vita adhuc perdurent, spiritu licet vitiato nihilominus permanente, prorsum versus, non arcus modo instar, verum & orbis incurvantur, Inhumana calamitas injucundus aspectus, triste intuenti spectaculum, & malum insanabile.

7. *Ut immobiles*) Quibus, quod immobilia aliquando appareant membra, omnis musculorum actio potius abolita actio esse videbitur quam depravata, his offerimus considerandum quod dudum monuit *Galenus l. de motu musc.* Esse inquiens quandam motus speciem quæ *quietis* imagine sensus frustretur; *Straussius.*

8. Causa est vel 9. materia expultricem partium vellicans: 10. vel morbus violenter nervosas partes tendens. 11. Et hæret 12. in genere nervoso, vel 13. in principio nervorum, cerebro nempe, 14. vel spinali medulla, vel in peculieri nervo.

8. *Causa*) *Causa proxima formalis Convulsionis & Epilepsiæ*, est impetuosus, rapidus, & maxime violentus spirituum animalium motus; Interruptus diversimode, inordinatus & confusus in Convulsionibus & Epilepsiis; Ordinatus vero & continuus in Conductionibus seu in specie, sic dictis Convulsionibus. *Causa remota*, seu *materialis*, aut occasionalis.

Motus istius spiritus animalis, in generali consideratione est duplex, 1. *Irritatio quædam in parte sensili ac nervea*, qua occasione spiritus impetuosius moti convulsionem *nunc* leviorem, *nunc* graviorem, *nunc* continuam, in convulsione *tonica*, nunc interruptam in clonica, seu epilepticis motibus inferunt, Sic *puncto nervo*, *ob irritationem* in loco puncturæ, quæ consistit in subtili & celeriore fibrillarum ejus vibratione & agitatione, commoventur simul spiritus per nervum illum blande radiantes, quorum motu p n.ad cerebrum usque continuato simul commoventur reliqui spiritus, ita ut hi ipsi, aperto quasi tramite, eum impetu per ipsum nervum ferantur, & ita *convulsionem* fibrarum istarum & musculorum, ad quos terminatur nervus, inducant: Sic ex *Irritatione stomachi à medicamento antimoniali* fit vomitus, Ex *irritatione cordis*, fit *hujus palpitat. Sternutatio*, quam tantillum hellebori narium membranæ infixi conetat, quid aliud est quam Epileptica thoracis convulsio, unde & à suppressa gravem epilepsiam ortam refert *Salmuth in obs.* Similiter & in aliis convulsionibus epilepticis tantillum irritans, sæpe remoto in loco occasionem Epilepsiæ suggerit.

Secunda causa est, est *aliquid excrementitium* p. n. aut *in cerebro hærens*, quod certis intervallis commotum spirituum motum turbat; aut ipsis spiritibus ibidem permistum, eosdem vitiose agitans: Vterque modus si spiritus in *motus perturbatos & inordinatos* cogat, non tantum sensuum omnium tam internorum quam externorum ad quos placidus & moderatus, iisque ordinatus spirituum requiritur motus, hebetudines, sed etiam ex inordinato motu eorum in partes extra cerebrum, tam externas quam internas, varii motus convulsivi superveniunt, Sic videmus animi *affectus graviores*, v.g. terrores nimios, propter inordinatum ac insigniter turbatum spirituum animalium motum, Epilepsias subitaneas non raro inducere, id quod præsertim in infantibus notum. *Etmuller. Part.1. Pr.p.274.*

9. *Causa est vel materia expultricem partium vellicans*) *Statuo quicquid duritie, vel acrimonia urente aptū est lædere partes spinales medullæ, vel membranosas nervorum, id ipsum quoque causam esse posse motus involuntarii, copiosi & perseverantis spirituum animalium ad musculos, adeoque convulsionis*, Inter *Dura* illa enumeranda 1. omnia telorum & scalpellorum genera, acumine partes nervorum partes membranosas pungentium & lædentium, forinsecus obvenientia. 2. *Ossa* in corpore humano fracta, quorum fragmenta quædam acuminata membranosam nervorum partem alicubi lædant; potestque hæc causa inter internas enumerari.

Inter *Acria* enumeramus 1. Omnia Inflammationem excitantia, quę ubi membranosas nervorum, aut cerebri cerebellive, aut spinalis medullæ partes corripit, utplurimum comites habet convulsiones; 2. Omnia *Acida* non temperata, & imprimis coocentrata, ut in Mercurio sublimato, & similibus.

Ex humoribus autem in corpore nostro existentibus enumerantur 1. loco Bilis, & præsertim atra, omnium acerrima & acutissima.

2. *Pituita* putrefacta, in qua aut acidus spiritus, aut sal lixiviosum excedit, si ullam ostentet ipsa acrimoniam: Bilis eadem ut sanguinem reddit inflammabilem, sic io omni inflammatione primas partes videtur exequi, sanguinem ad suppurationem perducere &c. *Fr. Sylvius.*

9. *Causa est*) Causa mediata proximior ab *Humoribus*, vel *Vaporibus*, quatenus vario substantiæ motusque modo peccant, suggeritur; Vbi eum suo quosque abundare amet sensu variis explicari rem advertimus terminis: *Paracelsus*, *Spiritum Mercurii sale acetoso impregnati* accusat, Alias *spasmum* ex frigido hoc est ex *vento* vel *flatu*, & *acetositate*

spiritus salini generari scribit, *Helmontius* omnem spasmum fieri à *Blas vitali musculorum*, cujus occasio sit aliquod *malignum*, irruens in *Archeum musculorum. vita infidians* &c. persuadere conatur, *Willisius particulas nitro-sulphureas*, quoties particulis spirituum animalium *spiritus salinus* accrescunt; & *Sylvius* modo *acrimoniam*, modo *aciditatem* quandam in humoribus, tanquam latentem in minera δυνάμει contemplantur; *Cartesio* non displicet illa Veterum *repletio & inanitio nervorum*, ut & similitudo à cytharæ chordis desumpta &c. Si modo illius mentem recte interpretatur. *Le Grand.*

Et sic *velle suum cuique est, nec voto vivitur uno*, quamvis tacita quædam forte inde symphonia resultet: *Hippocrates* enim, cum de *Repletione* in genere tantum loquatur, haud adeo ægre ferer quod Recentiores, ὀνόματα quoque technica habentes, eam ipsam πλήρωσιν fibrarum potius quam nervorum expansioni accommodent.

Neque aliam ob rationem *Paracelsus* tam varios introduxisse videtur terminos quam ut *peculiarem* istam *acrimoniam*, *Caducum*, excitantem, melius exprimeret, In quo tamen si hodierni quidam per ignem Philosophi eum, tanquam hominem φιλόσοφον, superarunt, non est cur miremur.

Magis autem admiraremur ingenium *Helmontii*, si quandoque minus ingeniosus in proferendis animi sensibus esse voluisset, cum veritas, æque ac gratiæ, nuditatem amet, interim ipsi *istum musculorum sensum naturalem* sicuti quodammodo concedere possumus, ita nostræ hinc causæ nihil derogabitur: Latitare enim revera in *humoribus & vaporibus* quandam vel *acrimoniam*, vel *aciditatem*, quæ Caducum excitare apta nata sit, veteres non modo verum etiam Recentiores agnoscunt.

Concludimus proinde, quicquid vel *acrimonia urente*, vel *aciditate* temperata inficere sanguinis massam, atque corrumpere valet, idipsum quoque causæ antecedentis præludia sistere, & spinalis medullæ membranosis, æque ac nervorum partibus sese copiosius insinuando, in *Convulsionis* tandem causam proximam degenerare posse. Hinc ipse *Sylvius* primo loco *bilem*, & præcipue *atram*, utpote omnium acerrimam, & acidissimam ponere non dubitat; mox *pituitam* recenset putrefactam, utpote in qua aut *acidus spiritus*, aut *sal lixiviosum*, si ulla acrimoniam præ se tulerit excedet: *Bilis* eadem (addit) uti *sanguinem* reddit *inflammabilem*, sic in inflammatione primas partes exequi, & sanguinem ad suppurationem perducere videtur, *Serum* bile impprægnatum quam adversetur membranosis partibus satis constat, idque confirmare potest *obs.* 50. quam in *cent.* 1. *Rhodius* adducit.

Sinamus itaque quemlibet loqui suo modo, quando certum est vix interdum satis ἐμφατικῶς exprimi posse tacitas rerum causas, adeo ut monente *Horstio Tom.* 1. pag 249. adductis licet *Hermeticorum* principiis tamen urgente rerum obscuritate, illud peculiaris proprietatis ἀσύλληπτον arripere sæpe numero etiam doctissimi quoque habeant. *Stransius.*

10. *Vel materia expultricem partium vellicans, vel morbus*) Quandoquidem spasmi nequaquam accidunt nisi in corpore vivo, ubi partes nervosæ inflantur, & turgescunt spiritu animali, in promptu est conjicere ipsos Spiritus animales sicut in *motu regulari*, ita *convulsivo* esse proximum actionis instrumentum, nimirum illi quamdiu copula explosiva idonea & moderata imbuuntur, ac ad ipsam elidendam tantum appetitus jussu, aut naturæ instinctu proritantur, motus solummodo regulares pariunt. Sin vero iidem spiritus sibimet copulam heterogeneam, ac nimis elasticam asciverint, vel si justo impetuosius & vehementius in actus suos rapiuntur, utique tanquam equi effrenes stimulis agitati, inordinate exiliunt, & copulam suam, genuinam licet ac naturalem, violenter explodunt, proindeque partes continentes, velut currus appensos, motu perverso efferoque secum una corripiunt.

Cum itaque, ut prædicitur, motus convulsivi ob duas potissimum causas excitentur, hinc totidem illorum *species* constituuntur, nam 1. interdum accidit convulsionem sine procatarxi, aut copula heterogenea prius adscitis, tantum à causa evidenti solitaria induci; ita namque *passio vehemens* cerebro impressa, *solutio continui* alicubi in nervoso genere contingens, pathemata spasmodica nonnullis quibus cerebrū & nervi debilioris sunt constitutionis, subito intulere; quippe spiritus animales, objecto improportionato ipsos fugante, partes continentes exagitant, quin & copulam suam, licet idoneam, vehementer elidendo, easdem inflant, proindeque alias hisce annexas convellunt.

Spasmi hoc ritu excitati, quoniam in his spirituum copula naturalis vehementius eliditur; quodammodo sunt explosivi, qui tamen cito desinunt, & sæpissime sine viscerum, aut membrorum jactationibus, cum tremore tantum & horrore aliquo, in spirituum deliquia transeunt: Verum 2. Convulsiones, quarum paroxysmi sunt graviores, atque diutius persistunt, aut crebrius repetunt, omnino à causa procatarctica, sive dispositione prævia pendere, & ab alia præter *irritationem* causa conjuncta exoriri videntur; Idcoque in hoc casu *particulas heterogeneas & valde explosivas spiritibus, in hac aut illa corporis regione degentibus accrescere supponimus, deinde ex iniqua hac combinatione & irrequieta hujusmodi materiæ & spirituum collisione, crebras vehementesque explosiones editas, paroxysmos σπασμώδεις* inducere.

Enim vero, præter *copulam elasticam* quæ spiritibus à sanguine arterioso ubivis accedit, & à cujus explosione ordinaria impetus motivus, juxta appetitus nutum, aut naturæ instinctum, in partibus quibusvis nervosis perficitur, etiam aliusmodi interdum corpuscula naturæ efferæ, & pulveris nitrati magis æmula, spiritibus adveniunt, iisque intime adhærent: Cujus materiæ à spirituum amplexibus, cum frequentia & subita divortia contingant, à mutua particularum elisione corpora continentia varie inflantur, adeoque in motus convulsivos adiguntur.

Revera quoties affectio spasmodica habitualis evadit, ut paroxysmi convulsivi non raro sua sponte, & sine causa evidenti, passim vero levi quavis occasione oriantur, talis morbi procatarxis in hujusmodi mala spirituum animalium diathesi consistit; neque enim tantæ ægritudini excitandæ colluvies serosa, aliique minus efferi humores, licet in ipsis cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depositi sufficiunt; quippe in defunctorum capitibus non raro cerebri meditullia, ipsaque nervorum principia aquæ limpidæ prorsus immersa vidi, quibus tamen dum vixerunt nec epilepsia, nec motus convulsivi adfuerunt; quin potius ad hos motus producendos requiruntur corpuscula maxime activa, qualia sunt *salina & sulphurea*, quæ cum spiritibus combinata, & dein subito erumpentia particularum mineralium combinationes violentasque explosiones imitentur.

Quandoquidem enim in motu regulari & ordinario (prout supra innuimus) musculi impetum motivum, & vim elasticam concipere nequimus, nisi spirituum animalium explosio quædam supponatur (certe multo magis pro insultibus epilepticis, aliisque convulsionibus admirandis, quæ passim eveniunt, excitandis, eorundem spirituum cum aliis particulis valde efferis complicationes, eorumque ab invicem elisiones vehementes requiri asserere licebit: Circa vero ejusmodi *copulam spasmodicam*, quia differt à *naturali & ordinaria* quam in motu regulari adesse, & ubivis à sanguine suppeditari ostendimus, inquirere oportet *undenam illa* *provo-*

provenit, & quo ritu, quibusque in locis spiritibus accrescere solet.

Quoad *prius*, observare licet affectiones spasmodicas, non solum in musculis, quibus solis quæ motum regularem efficiunt, limitantur, sed etiam in membranis, ventriculo, intestinis, mesenterio aliisque partibus fere exsanguibus passim contingere; porro explosiones ipsas in affectione convulsiva, licet contra appetitus nutum & naturæ motum excitantur, longe vehementiores esse, & diutius persistere quam in motu regulari: Ex quibus constare videtur copulam explosivam spasmodicam aliunde quam motus regularis effectricem advenire. Et quidem probabile & illam non uti hanc à sanguine arterioso inter fibras musculosas ubique interfluo profluere, verum à cerebro cum liquore nervos irrigante descendere; & dein juxta horum origines, medios processus, plexus, extremitates, quasi in morbi convulsivi minetam congeri.

Profecto nihil evidentius liquet quam affectus spasmodicos, ob noxam inprimis cerebro affixam, & exinde in varias systematis nervosi partes transmissam sæpissime oriri: hinc enim accidit quod passio vehemens, uti timoris, iræ aut tristitiæ, spiritus & συμφύσιν hospites afficiens, ita crebro pathemata dicta *hysterica* ac *hypochondriaca* ordiatur: Porro quod in malis febrium crisibus, cum sanguinis recrementa in caput transferuntur, convulsiones passim succedant.

Porro & hæc ratio est cur vertigo, capitis inflatio, mentis torpor, aliaque supremæ regionis accidentia, spasmorum in visceribus, & non raro in toto corpore subsequentium proœmium esse solent. Quapropter minime dubitandum est quin particulæ heterogeneæ & explosivæ è sanguine una cum succo nervoso cerebro instillantur; quæ postea in nervosum genus detrusæ inibi spiritibus accrescunt iisque diathesin convulsivam inferunt.

Revera affectus σπασμώδεις, qui aut universales sunt, aut saltem plures simul corporis partes occupant, hoc tantum ritu fere oriuntur, Interim tamen haud negamus, quin spasmi particulares, qui se intra quosdam locos, capite nullatenus affecto continent, aliis interdum modis inducantur: Nam siquidem nervi ab utroque fine, scil. radicib. & extremis ramentis, humorem suum imbibunt (quod doctissimus *Glissonius* verosimillimum esse statuit) profecto hinc quoque inferre licebit etiam particulas spasmodicas non tantum à nervorum principiis, sed aliquatenus per illorum extremitates intus admitti: Id quod fortasse satis aperte constat, quod ex liene male affecto, spasmi circa ipsius regionem exorti, hypochondria & non raro præcordia infestant.

Novi quibus à tumore, vel ulcere in mesenterio, utero aliisque visceribus existente, convulsiones cum in parte affecta, tum circumcirca eam increbescere solebant: Cujus ratio non aliunde videtur petenda, quam à particulis heterogeneis in loco affecto uberius congestis, quæque simul in fibras nerveas, per totam viciniam consitas irrepentes, iis motuum convulsivorũ, veluti pulveris pyrii igniendi fomitem suppeditant: at vero spasmi ob tales σπασμώδεις oriundi, haud sese solent longe lateque diffundere, neque semper ad caput ascendere. *Willis.*

[10]. *Materia*) Vide inferius §.23. *Vel in principio nervorum cerebro.*)

[11]. *Vel morbus violenter nervosas partes tendens*) Quæ *in genere* de convulsionibus dicta fuerunt (vide §. *Causa*) ex *Etmullero*, & in specie fere morbus saltem convulsivis epilepticis, seu clonicæ convulsioni applicata, Eadem quoque ulterius *Convulsionibus* in specie sic dictis, seu *tonicis* (*Convulsioni à repletione vel inanitione orta*) accommodari debent: *Causa* hujus Convulsionis, in specie sic dictæ, est *irritatio partis nervosæ* admodum sensilis, continua, in eodem loco, & eodem fere modo: Cujus occasione continuata, nec interrupta, rararo copiose influunt spiritus animales, & ita in continuata contractura fibras, & consequenter partem ipsam retinent; *irritatio* hęc nunc est *manifesta*, seu ab agente quod sensibus patet, inducta, Nunc *occulta*, seu ab agente minus sensili nata; Ex *manifesta irritatione* fit *convulsio in V.S.* si nervus lædatur punctim.

Item in *Purgationibus nimiis*, qua ratione ex assumptione *gilla vomitiva* convulsionem xxx. horarum lethalem refert *Heer Obs.* 26. Pariter *antimonialia & mercurialia* non rite præparata & intempestive adhibita eandem dant calamitatem, Da *Euphorbio* vide *Tulpium lib.* 1. *Observ.* 15.

Item *læsiones partium externæ*, ut cum ex *fractura tibiæ*, ex *ictu sclopeti*, spasmum opisthotonum, tandem tetanum, hinc mortem notavit *Hæfletterus Dec.* 5. *cap.* 6. Ex *clavo pedis digito infixo* opisthotonum refert *Schenckius in obs. per* V.S. læso nervu convulsio lethalis oborta, *Ib.* Ex *læsionibus nervorum* in cruribus spasmum cynicum *Idem* notat. Et in genere quælibet *læsiones nervorum*, membranarum, tendinum, præcipue in articulis, convulsiones inferre solent: *Vulnera capitis* huc pertinent, Siquidem ex cutis vulnere in latere sinistro capitis spasmum ingentem cynicum, & universi corporis tetanum notat *Hildanus cent.* 5. *Obs.* 9. *Mercurialia* ungu. huc pertinent, ex quorum usu convulsionem capitis ad latus sinistrum, ut nasus & humerus recta linea copularentur, refert *Bartholinus cent.* 4. *hist.* 48. Ex pota *aqua fortis* membrorum insignem contractionem vide in *Actis Hafn. vol.* 1. *p.* 210.

Quoad *Irritationem Occultam*, non rarum est *febres* quasvis, præsertim *acutas & malignas* male judicatas terminari in convulsiones: Sic convulsionem à Tertiana per metastasin febrim solvisse ait *Bartholinus cent.* 2. *hist.* 93. Ex *erysipelate & febre* opisthotonum refert *Schenckius in Obs. Podagricis* interdum supervenit convulsio, contra *Galeni* assertum, Vide *Hoeferum* Herc. M. c. 14. Nec rarum est in *arthriticis*, item *hypochondriacis*, si acidum illud volatile peccans se insinuet profundius in partes musculorum tendinosas & fibrosas, easdem rigidas, duras & intractabiles reddat, ibidem nutrimentum earum spermaticum chylosum coagulari, & in materiam tartaream quasi gypsicam transire, Unde omni penitus motu sublato pars ista postmodum contracta & immobilis manet, Pertinent huc varia *recrementa inter cerebrum* deposita, spasmos inferentia; (*Vide Anat.* *Pract. cap. de Convulsione*) Pertinet huc *Spasmus flatulentus* vulgo dictus (*crampe*) non crura saltem, sed etiam alia musculosa loca subinde affligens, ex subtili, acri, humore seroso musculos subinde affligente oriundus.

Ex dictis patet quodnam sit *subjectum Convulsionis*, ita quidem ut nunc in ipso *subjecto inhæsionis*, seu parte contracta simul sit fomes seu radix mali, seu *subjectum radicationis*, nunc vero differant, Unde Convulsio partis, nunc *per essentiam*, nunc *per consensum* esse dicitur. *Etmuller.*

[12]. *Et hæret in genere nervoso, vel principio &c.*) Videndum quid de *materie spasmodica intra ἐγκέφαλον admissa postea fiat*, si quidem affectus convulsivos, aut non semper, aut non eodem prorsus modo inducit: 1. Interdum accidit particulas heterogeneas & explosivas in cerebrum admitti, quæ tamen exinde sine magna noxa, & priusquam genus nervosum subeunt, rursus exterminantur, quippe *venæ & lymphæ-ductus* sæpe quod superfluum & regimini animali inimicum est resorbent, & vel foras convehunt, vel in emunctoria deponunt, Dum talis materia parumper in cerebro agitatur, particulæ ejus spiritibus nonnullis affixæ, ab iisque demum elisæ, *vertiginem & scotomiam* cient, attamen quia ne-

Parovidas situm, in quem scil. nervi, tum *paris vagi è capite descendentes* ingrediantur, & è quo propagines in *gutturis musculos* atque rami in præcordia & viscera protenduntur: Porro ab eadem causa, scil. materia spasmodica, intra *plexus ganglioformes* aggesta, & per vices explosa, istum in *gutture præfocationis sensum* in paroxysmis convulsivis tam crebro excitatum procedere arbitramur. *Willis*. Vide de singulis speciebus, capitis propriis.

[13] *Cerebro*) Convulsiva affectio universalis cietur, quando spiritus animales intra primos ipsorum fontes, nempe *cerebri & cerebelli* meditullia irritantur, unde ipsorum explosiones violentæ accidunt; quapropter tum animæ functio quævis interna, scil. sensus & imaginatio obscurantur, ejusque facultas exterior loco motiva pervertitur; Hujusmodi affectio spasmodica universalis, in qua scil. præter artuum & viscerum spasmos interiores animæ potentiæ eclipsin patiuntur, iterum *duplex* est: nempe aut *primaria*, quæ ab *ἐγκέφαλῳ* incipit, oriturque in quantum spiritus hujus incolæ, *particulis nitro sulphureis* imbuti primo exploduntur, eorumque accensio cæteros *in appendice tum medullari tum nervosa* scatentes corripit, ibique explosiones convulsivas concitat, prout cernitur in Epilepsia.

Vel ij. passio isthæc universalis, *ἀπόπληξιαν* inferens, *secundaria* est, quæ scil. alicubi in *nervoso genere* inchoata, exinde spirituum copiis successive affectis, tandemque velut aquarum undulatione demum ipsi *ἐγκεφάλῳ* traditur; hoc passim accidit in paroxysmis, qui dicuntur hysterici; in quibus ob spasmum principio in imo ventre incipientem, moles sive intumescentia in abdomine excitatur; dein eodem affectu per nervorum ductus superius lato; ventriculus, ac mox præcordia, contrahuntur, ac tandem spasmo caput impetente patientes corruunt, usque nonnunquam omnis adimitur: denique morbo in nervos alios reflexo, membrorum exteriorum motus convulsivi succedunt. *Willis*.

[15] *Vel est in cerebro &c.*) Ut convulsiones a nervorum origine oriundæ rite explicentur, notandum materiam morbificam, nervorum principia obsidentem, quandoque in *prima nervorum paria*, quæ scil. *oculorum & faciei musculos* prospiciunt, potissimum influere; proindeque modo *nasi, genarum, aut labiorum* contractiones & tremores; modo *oculorum*, aut *oris* distorsiones sequuntur. 2. Aliquando *par vagum & intercostale*, particulas heterogeneas maxime imbibunt, & tunc *abdominis & hypochondriorum* inflationes contractionesve, quin & *cordis palpitatio, tremor*, *respiratio difficilis ac interrupta, pulsus intermittens*, aliaque medii aut infimi ventris symptomata plurimum infestant: 3. Nonnunquam vero causa morbifica posterius consita. *spinalem medullam* præcipue afficit, & propterea *membra exteriora & artus* subsultibus & contracturis inordinatis obnoxia redduntur; Porro in pluribus hujusmodi casibus, quia spiritus animales circa nervorum origines explosi, versus *ἐγκέφαλον* inordinate resiliunt, ideirco quibusvis fere spasmis hoc ritus excitatis, vertigo, item sæpe scotoma, aurium tinnitus, & nonnunquam *ἀπόπληξια* adjunguntur aut succedunt: Cæterum prout ex variis affectionis convulsivæ typis conjicere licebit, videtur quod materies spasmodica hos aut illos nervos, aut simul eorum plures adpellens, vel circa ipsorum principia fere tantum hospitetur, ita ut spiritibus ibidem crebro explosis, vertigo frequens & valde molesta oriatur, insuper circa præcordia tremores ac breve delirium & lipothymiæ metus, non raro in visceribus aut musculis subsultus, & contracturæ leves sentiantur.

Vel 2. particulæ explosivæ ad nervorum origines delatæ, earum processus altius subeunt, & non raro in *plexus nerveos*, ad *præcordia* aut *Viscera* imi ventris, aut etiam membra exteriora pertinentes delapsa, illic affectionum spasmodicarum, alios quasi nidos conciscunt, ut quoties spiritus circa originem nervosam in explosiones adiguntur, statim in abdomine, thorace, aut artubus *paroxysmi* velut *hysterici*, *asthmatici*, aut alias convulsivi oriantur.

Interim materies spasmodica in nervorum ductus influens, cum usque ad processus & plexus eorum remotos transfertur, quandoque tamen præcipuam minerum adhuc circa originem nervosam habet; adeo ut post graves viscerum aut membrorum spasmos, magna cerebri perturbatio, cum vertigine, aurium tinnitu, & non raro *ἀπόπληξια* sequatur, interdum vero materia morbifica, quoad maximam partem, ad longinquos nervorum fines translata, deinceps circa eorum principia immunius agitur: Etenim plures observavi quidum principio vertigine, crebro leipothymiis metu, cephalalgia & gravitate occipitis infestarentur, circa præcordia aut viscera leviores tantum inflationes aut tremores pertulisse; postea tamen circa has partes spasmos immaniores perpessos, de prioribus capitis affectibus minime conquestos fuisse. *Willis*.

[14] *Cerebro nempe*) Ex observatione Anatomica constat Cerebrum colluvie serosa quadam inundari absque dispositionis spasmodicæ affectu: Porro nonnullis ab Epilepsia, aliisque morbis convulsivis defunctis, nullum intra cerebri ventriculos seri diluvium adfuit: Ex quo datur intelligere *affectiones spasmodicas* haud tantum ab aquosa & *ἐγκεφάλῳ illuvie profluere*, Cæterum nec omnino à tali causa oriri, nisi *latex serosus cerebri ventriculos*, ac inprimis *istum cerebello substratum inundans*, *particulis heterogeneis & explosivis* imbuatur: Olim petitum meum consilium pro adolescente phthisi laborante: Præter *tussim & dyspnœam* ille per plures dies, imo hebdomadas, conquestus erat non potuisse se in lecto supinum decumbere, aut dum in cathedra sederet, caput vel minimum reclinare, quippe ab hoc illove corporis situ, illico *cordis tremores & spirituum deliquia*, quasi jamjam moribundus esset, pati solebat, quare necesse habuit caput semper pronum, sive antrorsum inclinatum servare: Post mortem cranio aperto ingens seri flavi & salsi copia intra omnes cerebri ventriculos fluctuabat; qui certe latex, dum capite reclinato in quartum ventriculum, supra medullæ oblongatæ caudicem prolaberetur, in *nervorum paris vagi & intercostalis paria* irruens, circa præcordia convulsiones prædictas ciebat: quamdiu autem capite antrorsum inclinato ista seri colluvies in anteriores cerebri ventriculos refluebat, nervorum origines ab ista materia spasmodica immunes persistere. *Willis*.

[14] *Cerebro nempe, vel spinali medulla, vel in peculiari nervo*) Vide §. *Illegitimus qui ob simulationem*.)

[15] *Vel in principio nervorum Cerebro*) Ægritudo convulsiva plerumque originem suam à capite desumit, nimirum quoties particulæ heterogeneæ & explosivæ à sanguine in cerebrum, aut appendicem ejus, medullarem suffusæ, illinc postea in nervosum genus derivantur, ibidemque spiritibus accrescunt; hoc autem fieri contingit variis de causis, plures enim sunt rationes modique quibus materia morbifica in caput admittitur; plures item quibus in hanc aut illam systematis nervosi regionem deducitur, & juxta varias ejusmodi causæ morbificæ translationes, diversæ motuum convulsivorum species constituuntur.

Igitur quod particulæ heterogeneæ & spasmodicæ intra *ἐγκέφαλον* admittuntur, & *sanguinis mittentis & cerebri suscipientis* vitio imputandum est.

1. Cum sanguis materiam morbificam capiti suffundit, vel tota ejus massa depravatur, uti frequenter accidit in febribus malignis, item in affectibus scorbuticis, cacochymia, ac inprimis originaliter morbida, Vel

sanguis ex se insons & incorruptus, corpuscula maligna aliunde excipit, eaque postea cerebro affigit, ita in magnis viscerum impuritatibus, ac præcipue cum partes aliquæ abscessu aut ulcere virulento, vel fermento noxio afficiuntur, è talibus enim *μιασμάτων τόπων* mineris particulæ noxiæ in sanguinem ebulliunt, ejusque commeatu postea in cerebrum deponuntur: ita ob *Lienem, uterum*, aliaque viscera male affecta, *morbi convulsivi* excitantur; qui tamen immediatius à cerebro, istarum partium labes per sanguinis commercium suscipiente, dependent.

Attamen, ij. *Sanguis*, utut vitiosus, & seminio morbido imprægnatus fuerit, haud facile inquinamentum suum capiti illinit, nisi etiam *cerebri, ejusque appendicis* constitutio in vitio fuerit; quamdiu hæ partes bene conformantur, & vigore pollent, se suaque tuentur: foribus occlusis nil præter liquorem spirituosum suis usibus dicatum, purum putumque admittunt; Sin vero aut *cerebri meatus & pori* nimium laxantur, aut *spirituum ostiarii* ab excubiis suis cessant, vel avocantur, una cum *succo nervoso*, materies heterogenea & morbifica irrepit, ac in regimine animali malignitatem suam explicat.

Quod spectat ad ipsius cerebri malam dispositionem, eadem aliquando *hæreditaria* existit; ita *parentibus epilepticis*, aut *convulsionibus obnoxiis* oriundi, in eosdem affectus plerumque & ipsi proclives sunt; Et quidem constitutio cerebri à partu multis modis fieri potest vitiosa: nam aut ipsius intemperies justo est *humidior*, aut *siccior*, aut alterius *qualitatis excessu* aut *defectu* peccat: Interdum *pori sunt laxiores*, vel consistentia ejus nimis *dura* aut *mollis* est: quin & *partium cerebri & appendicis* indebito more habere potest.

Cæterum, aliquando cerebri & nervorum indoles originaliter sana & firma, ex *accidenti* vitiatur & diathesin morbidam acquirit: *longa intemperantia* has partes enervat; quin & *febres malignæ*, & *morbi chronici* eas plurimum debilitant: Porro accidentia externa, uti *frigoris & caloris excessus*, *vulnus* aut *plaga*, earum crases sæpe pervertit, & impressionum morbidarum magis capaces reddit. Quod vero spectat ad *spirituum animalium ἀταξίας* propter quas particulæ heterogeneæ & spasmodicæ cerebrum absque repulsa subeant, illique facilius cohæreant, observare est *spiritus animales* quibusdam ab ipsa nativitate *teneriores* & *cito dissipabiles* existere, ita quidem ut nihil *sensus* aut *imaginationis* fortius & vehementius oblatum tolerare queant quin statim in confusiones adigantur: propter hanc rationem fœminæ quam viri, earumque aliæ præ aliis affectibus dictis hystericis obnoxiæ sunt.

Porro interdum passio violenta spiritibus, utut mediocriter firmis, ejusmodi prosternationem ac inordinationem imprimit, ut postea nihil fortiter sufferre, nec cuivis injuriæ resistere valeant: Ita passim accidit subito *timore*, aut ingenti *tristitia* regimini animali impressiones morbidas affigi, quæ postea vix unquam delentur. Sunt enim mulieres sæpe *affectiones* dictas *uterinas*, & viri *hypochondriacas* primo contrahunt, usque postea fere semper acquiescunt. *Willis.*

[15]. *Curatio* est *Nulla* ferè, *si* γ. est ab helleboro, *si* post phrenitidem exorta, *si* à [16]. vulnere, cerebri præsertim, ob saniem nervos vellicantem.

Difficilior, *si* cerebro vicinæ partes laborant, *si* primario fit nervi consensu, quia ob vehementiam Symptomatum æger durare nequit, *si* à copioso sanguinis fluxu oritur, *si* a muliebri profluvio, [17]. si febris insequitur, [18]. *si* acutis cum doloribus [19]. circa viscera accidit.

Facilior, *si* partes à cerebro remotæ & minus nobiles occupantur, *si* consensu cerebri fiat, nisi affectus, quo cerebrum laborat, pertinax sit.

Instituitur pro ratione Causarum: de quibus in Differentiis.

[15]. *Curatio est nulla fere &c.*) 1. Gravem affectum convulsionem esse nemo negaverit qui ejusdem vehementiam observaverit.

2. Eo gravior est quo vehementior & diuturnior, & quo plures utque magis necessariæ partes afficiuntur, ac vice versa, si præsertim eæ quę respirationi inserviunt & Pulsui.

3. A Convulsione gravi, ob dolores comites, virium sequitur prostratio, animalibus spiritibus magna vi exhaustis.

4. A superpurgatione convulsio mala, non tam semper à medicamenti acrimonia quam humorum motorum.

5. In *acutis convulsio* mala, Indicat enim ad Caput rapi humores, aut membranosas saltem nervorum partes acribus affici humoribus.

6. Imprimis convulsiones quæ *phrenitidas consequuntur*, semper fere lethales, ob inflammationem meningum cerebri.

7. Periculosa *à Vulnere* convulsio, Vel ob partis nervosæ læsionem, vel ob comitem humoris motum, aut in vulnere producti acrimoniam.

8. Mala à copioso sanguinis fluxu, Indicat enim biliosos vel alios acres humores temperamentum suum à sanguine desiderare, atque ferocientes membranosas nervorum partes aggredi.

9. Febrem convulsioni supervenire melius est quam convulsionem febri, Unde spasmo si febris supervenerit, morbum solvit, Ubi enim hoc accidit signum est humorem convulsionis causam sanguini misceri, à quo facilius temperari potest, & eo ipso per medicamenta superari quam secretum à sanguine & membranosæ parti alicubi inhærentem. Ubi autem febri supervenit Convulsio, signum est humorem secretum à sanguine, non secretum è corpore, verum effusum in partes nervosas, easdem graviter afficiendo, & convulsionem excitare & vires prosternere.

10. Quartana correpti non facile convulsionem [illegible]tiuntur, nullus namque non tam abundant humor[illegible] biliosi acres, sed imprimis pituitosi, viscidiores hoc est melancholici, acrimonia plerumque carentes.

11. Qui Convulsione tentati sunt pri[illegible], supervenicnte quartana liberantur, signum enim humorem acrem esse domatum, & viscidiorem nunc dominium obtinere.

12. Quicunque à Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si hos effugiunt, sani fiunt. Gra[illegible] ne causa sit oportet quæ omnia corporis membrana simul ad Convulsionem perducat & tamdiu per[illegible]veret, unde necessario respiratio simul lædi debet, ac homo interimi, nisi brevi tollatur malum ab humoris acrimonia pendens: Quod si superetur brevi humor, aut alio feratur, spes est *convalescentiæ*. *Franc. Sylvius.*

γ. *Si est ab helleboro*) Quia ut docet *Galenus*, talis

Con-

Convulsio ab inanitione fit, tamen fieri potest ut talis Convulsio interdum ab irritatione fiat, commotis humoribus acribus biliosisque & ad partes nervosas transferrlatis, vel à qualitate maligna venenati medicamenti, cujusmodi est helleborus.

15. *Curatio est nulla &c.*) Universalis periculosior particulari, *Qui Tetano corripiuntur*, inquit Cous, 5. aph. 6. *intra quatuor dies intereunt, Si vero hos superaverint, incolumes evadunt.*

Essentialis gravior est *sympathica*; Ratione causarum naturalium, sexuum & ætates quæ concernit, Prædictionem eleganter proposuit *Aretaeus l. 2. de caus. & sign. Acut. morb. cap. 6.* Mulieres sanet magis quam viri nervorum distensione tentantur, frigidæ enim sunt, Verum ipsæ frequentius liberantur, quoniam humidæ sunt; Quantum ad *ætates* attinet, *pueri* assidue hoc morbo vexantur; sed non admodum pereunt, quod illis usitatum & familiare id vitium fit; *Iuvenes* autem rarius quam pueri id patiuntur; sed crebrius intereunt, *viri* minime, *At senes* inter omnes magis & eo vitio corripiuntur, & eo necantur: In causa est frigiditas & ariditas senectæ, quæ etiam est mortis natura; Cæterum si frigiditas cum humido jungatur, minus noxiæ sunt convulsiones, minusque ab ipsis discrimen impendet. *Aretaeus.*

A Causa *maligna* & per *[illegible]* quæ oritur, periculosior; *Ab ileo vomitus, convulsio, malum, 7. aphor. 10. &c.* Convellitur & ex abortu mulier, sed hoc raro evadit: Acutus est morbus, & ad salutem terminatur urinis, sudoribus: *[illegible]* proclamavit *Cous lib. 5. Coac. Praenot.* Ad mortem terminatur suffocatione. *Rolfinc.*

16. *Si à Vulnere cerebri*) Si à meningum punctione, vulnere, aut inflammatione ab ictu, vacuato corpore & misso sanguine, calva terebello aperienda ut noxius humor transpiret, Vel capiti raso Empl. attrahentia imponenda: Convulsio quæ vulneri supervenit, si ex dolore nata, per anodyna tollitur, Si ex inflammatione, per refrigerantia & vacuantia *Euch. Med. Pract.*

16. *Vulnere cerebri*) In Spasmo à vulnere capitis orto hoc præstantissimum est.

℞. *Ole or. cochlear. lumbric.* sesamin. āā. ℥iß. *pingued. vervec. vulpina* āā. ℥j. *spir. vini juniper.* ℥j. M. & agita super prunas ut spiritus evanescat, tunc adde *olei chamam. lini*, āā. ℥j. *ol. succini* ℥j. m. f. ungu. quo cervix illinatur. *Joh. Agricola comm. in Poppium p. 103.*

17. *Si febris*) De spasmis universalibus qui in febribus malignis accidunt, *Vide l. 2. tit. 7. artic. 5.*

18. *Acuta cum doloribus circa viscera*) Vidi adolescentem Patavii, cujus intestina totumque abdomen convellebantur, testes & vasa spermatica sub osse pubis abscondebantur; rugitus aderat & tensio hypochondriorum; frigida huic intemperies & ventriculus frigidus, cum madore; anhelosus erat oppresso à diaphragmate, ac mente in paroxysmo exuebatur. *Joh. Heurnius cap. 26. de Morb. c.*

19. *Circa viscera accidit*) Motum instituimus duplicem, *spontaneum*, & *mere naturalem*: hujus instinctum à cerebello ac istius à *cerebro*, utrumque autem per nervorum ductus velut canales deferri, cum ad *musculos*, tum ad *fibras membranas*, *parenchymatis*, aliisque partibus motivis intertextas; Denique in hisce omnibus tam expedire varias peragi actiones, quascunque aut *necessitas naturalis*, aut voluntatis imperium exigit, ea solum ratione quod inter spiritus animales; qui animæ sensitivæ hypostasin constituunt, intra prædictas partes continuata serie dispositas eadem ubique communicatio officii, intima conjunctio, & arctissimum commercium.

At vero inter *motum à musculo*, eumque ab aliis partibus editum, discrimen hoc notabile, occurrit, quod in his actio sæpissime intra corporis motivi terminos circumscribitur, ita ut ejusdem tantum membranæ, aut visceris pars una aliam moveat, & deinceps hæc a vicina moveatur; In genere autem musculoso plerumque pars movens in uno membro, & movenda in alio proxime consita est, (quanquam & inter partes musculosas quædam, uti cor & diaphragma, proprie sese ipsas fere tantum movent) Hinc membranæ & viscera motum quasi *intestinum & vermicularem* habere dicuntur, qualis ubicunque incipitur, spiritus ibidem densius aglomerati & expansi, primo partem istam, dein ultra pergentes aliam, & mox ulteriorem intumefaciunt, proindeque partem illam quæ à tergo est trahunt, adeoque intumefactionem, & propterea motum à loco in locum transferunt, simili fere ritu ac lumbrici, aliaque reptilia progressus suos faciunt.

Huic autem *membranarum* ac viscerum functioni motivæ, si frequens aut indiscontinua fuerit, spiritus copiosi requiruntur, qui tamen sine tumultu, aut magno impetu pensa sua satis tranquille exequuntur; Et quidem observare est spiritus animales in viscera membranacea haud multo parcius quam in musculos influere, prout arguere licet ab istarum partium sensu exquisitiori, & in iisdem multiplici nervorum insertione, & diversimoda per plexus atque fibras divaricatione, licet interea musculi uberiori sanguinis influxu irrigantur.

Quoad motum vero in genere musculoso peractum, spirituum agglomeratio & rarefactio per totam partis motivæ compagem, subito, ac simul explicatæ, tanto cum impetu ac robore peraguntur, ut attractio musculi, in nixu motivo, vim trochleæ aut vectis excedat, cumque vis ista tantum à spirituum partis motivæ insitorum expansione, sive rarefactione dependeat, nihil minus concipere possumus quam spiritus ita expansos, pulveris pyrii ritu, veluti ignitos explodi, Enim vero supponere licet spirituum, fibras musculo intertextas incolentium, particulis spirituosalinis, alias diversi generis particulas à sanguine arterioso inter easdem fibras ubique interfluo, nitro sulphureas accedere, illisque intime accrescere, dein quoties particulæ utriusque generis, veluti nitrum & sulphur combinata, propter motus instinctum per nervos advectum, tanquam à fomite igniario commoventur, protinus ab invicem elisæ, & velut explosæ, musculum subito inflant, proindeque tractionem validissimam efficiunt.

Enim vero in hunc finem ita constitui videtur, ut musculi multo uberius quam viscera mèbranacea sanguine arterioso perfundantur, nimirum ut spirituum copulæ elasticæ, per motus valde crebros; ac interdum continuos absumptæ, ac perpetim deciduæ, subinde statim nova à latice sanguineo substituatur; interim ut ipsi spiritus in minori copia per nervos exiles suppeditati, usque in eadem statione, tanquam milites veterani, diutius persistant, & sæpe copulam multiplicem impendant: Secus enim, unde jumentis, dum per plures horas citatiori cursu musculos fere omnes exercent, spirituum penus pro tanto labore sufficiens derivaturi aut quis credat paucos spirituum manipulos, per exiles nervorum paris vagi & intercostalis propagines cordi adductos, proprio marte adeo robustum & indiscontinuum ejus motum efficere posse? Illis equidem necesse videtur copias subsidiarias perpetim à sanguine accedere, easdemque semper protinus explodi: Certe ob hanc rationem & cordis & cæterorum musculorum virius motiva robustior, & supra organum quodvis mechanicum elastica evadit; nempe in quantum spiritus animales, ubiq; in musculoso genere agentes, sibimet copulam explosivam adsciscant. *Willis.*

20. *Instituitur pro ratione*) Vide Præservationem & Curationem cap. de Epilepsia.

[21] *Differentiæ* ſpaſmi [22] ſunt variæ.

I. [23] Alius eſt *Univerſalis*, qui totum corpus afficit.

Hujus *Cauſa*, vel *eſt in cerebro*, & cum corpore [24] muſculi etiam faciei convelluntur.

Vel *in exortu ſpinalis medullæ* [25] unde muſculi caput & ſpinam moventes retrahuntur.

[26] Tum, vel trahitur corpus cum cervice & capite ad partem interiorem, unde ἐμπροσθότονος oritur.

Vel muſculis duodecim caput extendentibus affectis ad partē poſteriorem, unde ὀπισθότονος.

Vel muſculis & nervis tam anterioribus quam poſterioribus affectis, totum corpus inflexile permanet, Unde [27] *Tetanos*, quo affecti vel intra quatuor dies moriuntur; vel ſi hos effugerint, evadunt. Contrahitur & ab eſu anguillæ.

Alius eſt *Particularis*, Oculi, oris, &c. quos ſuo loco videbimus.

Viſus & *ſedentarius* in virgine à materia lumbis & ligamentis vulvam ilei oſſibus utrinque adnectentibus inſidente, & nervos à ſpinali medulla lumbis conceſſos laceſſente: quem vehemens exercitium, diſcuſſa pituita lenta ſuſtulit.

Viſus & [10] *periodicus* in juvene melancholico, quem is octiduo ante prædicere ſolebat, ut Tulpius l. 1. Obſ. 25. prodit, quique *tinctura corallorum* & *confectione* hyacinthi ſublatus eſt.

Malleationem vide apud eundem l. 1. obſ. 17.

[21] *Differentiæ ſunt variæ*) Duplex eſt Convulſio; una *proprie dicta*, cui definitio propoſita convenit, Altera Impropria, quæ potius *motus convulſivus* dici debet, & ita diſtinguuntur, quod in *vera Convulſione* retractio muſculorum eſt perpetua, ſeu continua & indeſinens In *motu* vero *convulſivo* retractio eſt interpolata: Præterea in vera Convulſione membrum eſt immobile, In Motu convulſivo varie agitatur, ut in Epilepſia, quæ inter motus convulſivos principem locum obtinet: Differunt etiam ratione *Cauſarum*, *Vera* enim *Convulſio* fit à Repletione vel Inanitione, Motus vero Convulſivus ab Irritatione; Denique diſtinguuntur quod Convulſio à ſolo morbo, Motus vero convulſivus à ſola facultate, *Riverius*.

In tractandis affectibus cōvulſivis pleriq; Medici diſtinguunt inter *Spaſmum* ſive *Convulſionem*, & *Motum convulſivum*: Per illum nempe intelligentes Contractionem conſtantem, qua membrum rigidum & inflexile evadit, Per *hunc* autem motus celeres & concuſſiones, quæ interjecta quiete alternatim ceſſant, redeuntq; Verum nec illi qui has diſcriminis notas conſtituunt, nec cæteri authores eas perpetuo obſervant; quippe per vocabula ſpaſmi & convulſionis quælibet πάθη ἐπιτερμένα non raro deſignantur: Quare melioris diſtinctionis gratia priorem affectum cum *Cardano* τέτανον appellabimus, Alterum vero *ſpaſmum*, ſeu *motum cōvulſivum* in genere. *Willis*.

[21] *Differentiæ ſunt variæ*) Duo primum occurrunt genera, quatenus alia *diuturna*, quæ diu durat, certiſq; temporibus revertitur, diciturque Epilepſia; *alia brevis*, quæ vel mox ceſſat, vel ſaltem tamdiu minime protrahitur, quæ rurſum quod vel *mitior* vel *deterior* ſit, in duas ſpecies dividitur: *Mitior* etſi periculo non vacet, ea habetur cujus cauſa nec magna nec perſeverans exiſtit, ut quę modo natis, cum dentes primum erumpunt, vel vermes incommodant eveniens, mox ceſſat, Et quæ virginibus antequam menſes erumpunt adveniens, iis ſupervenientibus remittit: Et quæ gravidis primis fere menſibus accidens, medio uteri geſtationis tempore, vel poſt partum ſtatim deſinit: *Deterior*, ſummeq; periculoſa ſpecies exiſtit quæ morbos graves, uti vulnera, febres, colicos dolores, alioſque ſequuta, quacunque ætate, nunc uno, nunc altero paroxyſmo, nunc pluribus iiſque continuis, vel aliquando intermittentibus acceſſionibus ægrum terribili aſpectu exagitat, & plerumque jugulat; vel ſi ſanetur, peſſima interdum accidentia, uti membrorum contractiones, vocis ſenſuumque læſiones aliave poſt ſe relinquit incommoda; Quam ſpeciem *Convulſionem* ſeu *ſpaſmum* tantum, non *Epilepſiam*, cum tamen hac ſpecie affecti non minus quam epileptici ſubito hoc caſu corripiantur, appellant, eamque generalem, ad differentiam particularis convulſionis, qualem quoque inveniri in qua ſenſibus illæſis partes duntaxat quædam convelluntur novimus. *Platerus Pr. l. 1. cit.*

[21] *Differentiæ ſunt variæ*) *Willis ſic diſtinguit*, Convulſio, quoad ipſius *durationem*, ejuſque magnitudinem, diſtingui ſolet in *continuam* ac *intermittentem*: Prior dicitur *Tetanus*, ſive *contractio permanens*, uti cum pars una, aut ſimul plures, conſtanti tenſione contractæ aut diſtortæ, in eodem ſitu præternaturali aliquandiu detinentur, (vide ſupra §. *Spaſmus*) & inferius §. *Tetanus*.) *Convulſio Intermittens* aut *brevis* eſt & *momentanea*, quæ per crebras vices, & quaſi per ſubſultus peragitur, prout obſervare eſt in *horrore* & *tendinum convulſionibus* quæ ſemper crebra motus & quietis alternatione interſtinguuntur; Vel *ſpaſmorum inſultus*, eorumque intervalla diutius protrahuntur; ita uſitatum eſt *paroxyſmos convulſivos*, quando repetunt, aliquandiu perdurare, ac rurſus deſinere, tales autem *periodi* modo *certæ* ſunt, atque ſtatis horis eveniunt modo *raræ* ac *incertæ*, atque pro variis datis occaſionibus contingunt. *Willis*.

[22] *Sunt variæ*) *Contractura* cognata eſt *Convulſioni tonicæ* affectio, qua membrum ſemel convulſum ſemper poſtmodum rigidum manet; *Conductionis* (*ſive Tetani cardano* dicti *Celſo Rigoris*) ſunt famoſæ & illæ tres *Tetanus*, *Emproſthotonos*, *Opiſtotonos*, quo & aliæ ſpecies pertinent: Nam pertinet huc & *Priapiſmus* & *Satyriaſis*, item *Spaſmus cynicus*, cum adjuncto ſymptomate; quod dicitur *Riſus Sardonius*: Huc pertinet vitium quando contrahitur *Cachinnus* obrigeſcens, ex inepta V. S. læſo nervo, Pertinet huc *ille affectus innominatus*, quando *genua rigida* propter contractum nervum ac tendinem qua per cavum genu tranſeunt.

Quoad *convulſionem Clonicam*, debet huc referri quando unum ſeu plura membra moventur inæqualiter, qualis Convulſio eſt *Epilepſia*: Pertinet huc *Crampa*, ſeu *ſpaſmus flatulentus*, cui inprimis ebrioſi, item qui ad arthritidem inclinant, ſunt obnoxii. *Etmuller*. (*Quid ſit convulſio Clonica* vide ſupra §. *Tum vel trahitur corpus &c.*)

Eſt & alia Differentia, qua Spaſmi dividuntur in Externos & Internos, *Externi* ſunt, quando membra externa afficiuntur, V. g. convulſiones brachiorum, oculorum, pedum, thoracis in aſthmate convulſivo, oris &c. Interni vero ſunt quando viſcera interna membranoſa mire torquentur, uti fit in Colicis convulſivis, paſſionibus hyſtericis; dum inteſtina, meſenterium & annexæ partes convulſionibus affligūtur. Talis etiam affectus eſt quando in nephritide convulſus ſtomachus vomitus, & convulſa inteſtina tormina colica in nephritide patiuntur.

Quales convulſiones in hypochōdriacis ac, quod idē

eſt

est, hystericis plures observantur, cum in his subjectis quampluravaga hinc inde observanda symptomata ex talibus spasmis internis oriantur. In specie quando *plexus nervei*, quales plures sunt in abdomine, speciatim *magnus* iste in *mesenterio* afficiuntur. Cum enim ex his deriventur nervi in alias abdominis partes, facile totum abdomen affectis his plexibus, aut saltem plures illius partes convelluntur; Et cum hi plexus, ex *pari vago* oriundi conjuncti sint nervis intercostalibus, ob id saepius affectis istis plexibus, & pectoris & capitis partium convulsiones tandem insequuntur, adeo ut istarum partium internae convulsiones ad cerebrum usque continuatae, terminentur deinde, exturbato universo spirituum animalium ordine, in convulsiones partium externarum. Qua ratione *passionibus hystericis* non raro supervenit Epilepsia, toties repetens quoties ad conatum parturiendi se accingunt: Nam isti dolores *parturientium* nihil aliud sunt quam partium abdominis, in specie uteri, mesenterii, & in specie intestinorum convulsiones. Pertinent huc *tensiones hypochondriorum* & ubicunque sunt membranosae partes, si illae spasmo afficiantur, tendi, indurari, obrigescere, & instar membranae tympani fortius tendi solent, ex fibris à spirituum impetu ita afflictis. *Idem.* Vide inferius §. *circa viscera accidit.*)

23. *Alius est universalis &c. Hujus causa*) hac Convulsionum differentia facilius in causam praeternaturalem, spiritus animales copiosius ad musculorum affectorum fibras propellentem, perveniri posse puto.

Cum enim non tantum particularis, verum universalis quoque excitari queat Convulsio, patet 1. Locum primario affectum esse posse ipsum Cerebrum ac cerebellum, minimum saltem radicum spinalis medullae.

II. Causam Convulsionum esse talem quae eo pervenire queat.

III. Causam eandem talem esse, ut Spiritus animales copiosius ad omnes omnino musculos commovere queat.

IV. Causam eandem idem effecturam, vel agitando & cogendo spiritus animales ad musculorum fibras; vel irritando & molestando cerebrum ac cerebellum, spinalisve medullae radices, ut ab illis, aut ab anima, eo adigantur etiam involuntarie iidem spiritus.

Postremum locum habere posse arguit Nervi cujusque punctura, quam mox musculi (cujus nervus est) sequi solet convulsio, ejusdem nervi dissectione mox curabilis.

Unde deduco 1. In *nervi punctura* non impediri transitum spiritibus animalibus ad musculum, quin potius majori copia eo allici.

2. In eadem Nervi punctura affici praesertim partem nervi, membraneam & extimam, admodum sensilem, non aeque medullarem & internam.

Sed & 3. ex utroque hoc deducto amplius deduco, cerebri ac cerebelli aut spinalis medullae radicum partem membranosam affici debere, non medullarem, ut consequatur Convulsio.

Sed & probabiliter deduco 4. sicuti ex punctura, aut humore acri nervos privatos afficiente observamus produci convulsiones particulares, sic etiam ab humoribus acribus cerebri, cerebellive, aut spinalis medullae radicum partes membranosas rodentibus, aut alias incommode molestantibus, produci posse convulsiones universales, uti hoc aliquando accidere observamus in Febribus ardentibus, aliisque affectibus ab acri humore ortis, & halitus similes emittentibus, ipsoque adeo affectu col cum dolorem consequente, ad convulsionem, nequaquam ad Paralysin referendo.

An autem praeter hanc vellicationem causa aliqua in homine repetiri possit quae spiritus animales propria vi ita cogere atque agitare queat, ut copiosius in universi corporis musculos ruant & convulsionem universalem patiant valde ambigo, Quare in praemissa unica acquiesco causa, *humorum scil. acrimonia tali qua membranosas cerebri cerebellique, & spinalis medullae nervorumque adeo omnium partes ita vellicare queat, & male afficere, ut eam consequatur impetuosus, copiosus & perseverans spirituum animalium ad musculorum fibras motus adeoque spasmus sive convulsio.*

Illud autem vel hoc magis confirmatur, quod quoties sensu & ratione valent universaliter convulsi, uti iis nonnunquam valent, toties fere praecessit, vel perdurat adhuc dolor vel ardor capitis gravis & valde molestus, quem non tantum convulsio, sed quandoque etiam convulsivus motus sequi solet, imo alternis vicibus uterque ipsorum urgere.

Unde & hoc deduci posse videtur. Convulsionis omnis causam remotiorem, & partes membranosas spinalis medullae, aut nervorum, ad convulsionem cogentem, quatenus sensum molestia vel dolore afficit, id efficere.

In partibus autem spinalis medullae nervorumque membranis, non visus, non auditus, non olfactus, non gustus vigent, verum solus Tactus & caloris sensus, unde horum sensum objecta, sensorium male afficientia, convulsionis erunt causae.

Et certe si quis experientiam, summam in arte magistram, consulat, comperiet vel 1. ab objecto duro, telo puta, gladio, acu & similibus, male affectam, laesamque & punctam membranosam nervorum partem convulsioni ansam praebere, uti frequentissime accidit nervo pro vena puncto à Chirurgis.

Vel 2. ab objecto ardente, igne puta vel puro, vel in sale lixiviali retorrido, spirituvè acido latitante, & acrimoniam quamvis producente, vel augente, mordicari, uri, corrodi, vel alio quovis modo male affici easdem partes membranosas & convulsionem produci.

Hinc est quod ab assumptis rebus acribus, Mercurio sublimato corrosivo, Arsenico, Euphorbio, &c. tam frequentes oriantur Convulsiones.

Hinc est quod in variis affectibus ab humorum acrimonia productis, quoties ad caput efferuntur halitus acres, qui membranosas corrodunt partes, toties ferè sequantur quoque convulsiones, pro acrimonia majori vel minori, ac pertinacia varia, gravius vel levius, diutius vel brevius affligentes. Hinc est quod in Ardennbus Febribus, aliisque morbis, cerebri praesertim inflammatione, graves & non raro lethales excitentur Convulsiones.

Concludimus proinde quicquid dunne, vel acrimonia urente aptum est laedere partes spinalis medullae, vel nervorum membranosas, id ipsum quoque causam esse posse motus involuntarii, copiosi & perseverantis spirituum animalium ad musculos, adeoque Convulsionis. *Sylvius.*

23. *Alius est universalis*) Quoad morbi extensionem, affectio Convulsiva distingui potest in *Universalem*, qua spiritus fere totum systema nervosum, ipsumque ἐγκέφαλον actuantes, successive exploduntur: Et *Particularem*, in qua spiritus intra privatam quandam ditionis animalis regionem afficiuntur. *Willis.*

24. *Musculi etiam faciei*) Vide superius §. *Et haret in genere nervoso vel in principio &c.*)

25. *Unde musculi caput*) Nobilis vir in bello civili profugus multa tulit incommoda; In tot tantisque discriminibus coepit laborare destillatione à capite, postico praesertim in humeros & cervicem, hinc *colli ac cervicis contorsio* quaedam, Et cum tempore occur-

ſum non fuiſſet remediis ad id inſtitutis, ita malum increvit ut facies in poſteriora detorqueretur, & nonniſi magno conatu in anteriora deflecteretur; At ſive edere, ſive bibere, ſive loqui vellet, funiculo in eam rem comparato retrahebatur caput alioſum inclinans, Nunquam Lutetianis Medicis quicquam tale videre contigerat; At laborandum fuit in ſpecie morbi inquirenda, & remediis accommodatis. Videbatur nonnullis unius eſſe partis reſolutio, quæ alteri convulſionem attuliſſet, quod non erat credibile, nam in eodem ſtatu pars perpetuo permanſiſſet, ac reducta facies in ſuum locum niſi magno conatu & magno cum dolore ſiſteretur, convulſivo quodam modo ſtatim revellebatur in poſtica: Convulſio erat revera, & omnes muſculi erant affecti & viſcoſo frigidoque humore imbuti, qui diſcuſſus uſu rerum calidarum affectum ſuſtulit. *Ballonius libro Paradeigm.* §. 2.

Similem affectum, at non uſque adeo gravem, videre mihi licuit in Obſtetrice vetula Neocomenſi. Caput illi invitæ in ſiniſtrum latus nutabat a reflectebatur, neque niſi magna vi & conatu illud in adverſum detorquebat, nec diu retractum perſiſtebat quin protinus reluctanti revelleretur, imo & nonnunquam manum auxilio indigebat ad illius reſtitutionem, munere tamen obſtetricio ad decrepitam uſque ætatem functa eſt.

26. *Tum vel trahitur corpus*) Famoſi ſunt tres iſti affectus, Ἐμπρόσθοτονος qui eſt conductio muſculorum maſtoidæorum; hinc eſt quod mentum pectori affigatur; Contrarium vitium eſt Ὀπισθότονος, conductio muſculorum occipitis, His o caput trahitur verſus dorſum & poſteriora. Τέτανος denique eſt conductio & anteriorum & poſteriorum occipitis muſculorum; hinc enim non poſſunt caput ad ultimum (*utrumque*) latus vertere, ſed caput rigidum & etiam immobile, manet. Sunt tamen qui non ſolum capitis verſus truncum, ſed totius trunci tales conductiones ſub his nominibus intelligunt. *Ettmuller.*

Illi Spaſmus duplex eſt, vel conductio, vel concuſſio, id quod alii explicant per convulſionem vel motum, convulſivum. Conductio, *eſt convulſio tonica,* Concuſſio *eſt convulſio eſt clonica, quod ſignificat illi æqualem membri motum unde vocatur motus convulſivus ultro citroque. Unde* σφυγμὸς κλονώδης, *pulſus vibrans, quando arteria quaſi in motu retracta vibrando pulſum edit.* Τόνος *vero eſt, quod* Celſo *vocatur immobilitas & rigor membri.*

27. Τέτανος) Ἀπὸ τοῦ τείνω (ita enim ſcribo invito *Foeſio* aliiſque) quaſi τεταμένος, idem ſignificat quod τόνος, τέτανος, *tenſus, planus, ſuperficie æquali,* opponitur τῷ ῥικνὸς, *rugoſus, flaccidus, vietus.* Τόνος utplurimum quidem *Nervus* eſt apud *Hippocr.* Confeſſa tamen apud Medicos notio eſt, qua in uſu medicamentorum requirunt Τονωτικὰ, h. e. talia quæ conſervent partes in ſoliditate ſua naturali, oppoſita flacciditati, ſeu imbecillitati, hinc ἔντονος καὶ ἄτονος, εὔθετα καὶ ἀτονία. Apud eoſdem eſt Κίνησις τονικὴ, motus tonicus. Ergo Τέτανος quidem eſt cum corpus riget (hinc *Rigor* Celſo dicitur) & *nervorum diſtenſio* & in neutram partem inclinat: Τόνος autem cum vel antrorſum vel retrorſum. Hinc compoſita vocabula ſunt Ἐμπροσθότονος, καὶ ὀπισθότονος. *Hofmannus Inſt. lib. 3. cap. 85.*)

Tetanus fit omnibus muſculis (quos ob ἀδελφιξίας vinculum operando conſentire *Galenus comm. 3. in lib. de Art. t. 100.* ad ſua principia retractis, licet ad ſenſum minime appareat, æquali tamen corporis manifeſtatur rigiditate; dum enim muſculi tam extendentes, quàm flectentes, rupto iſtius ἀδελφότητος vinculo pariter convelluntur fit, ut neuter alteri cedat, totumque corpus velut immotum (cum interim ex motu violento utrinque laboretur) evadat. *Strauſſius.*

27. *Unde Tetanus*) Dicitur *Convulſio permanens* (Vide ſupra §. *Spaſmus*) uti cum pars una, aut ſi plures *conſtanti tenſione contractæ aut diſtorta in eodem ſitu præternaturali aliquandiu detinentur.* Sic quandoque muſculus, aut membrum, puta oculus, labium, gena, à recta poſitione diſtorquentur, nec ſtatim facile reduci poſſunt; Cujus cauſa interdum *reſolutio* ſive *paralyſis* in quibuſdam aliis muſculis; qui cum relaxantur, oppoſiti nimis fortiter agunt, & partem quæ inter utroſque velut in æquilibrio contineri debuit, verſus ſe totam corripiunt; Aliquando tamen talis contractio permanens excitatur propter tendines humore ſeroſo impacto obſeſſos, qui proinde frigidi evadunt. Hujuſmodi affectus in Scorbuto familiaris exiſtit, ut ægri quandoque nullum membrum aut articulum extendere poſſint, ſed velut in orbem, ſeu globum contrahantur, Nonnunquam tendines in dorſo, ob talem humoris incurſum oſſa extra debitum ſitum trahunt, & *Gibboſitatem*, vel corporis incurvaturam pariunt; *Tetanus* diſtingui ſolet in *univerſalem*, cujus tres ſunt ſpecies ſcil. ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος & τέτανος ita proprie dictus, & particularis, qui membrum quoddam, vel articulum privatum reſpicit. *Willis.*

28. *Alius eſt particularis*) In hujus paroxyſmo ægrotantes animo conſtant; Varias autem differentias ſortitur; Quoad *materiæ ſedem*, quæ circa *nervorum principia, extremitates, aut medios proceſſus* contingit, ſpaſmodicorū motuum diverſitas oritur; Quinimo prout iſta *materies morbifica*, nervorū principia obſidēs, circa *medullæ oblongatæ caput*, *medietatem*, aut *caudam* defigitur, propterea accidit modo tantum faciei aut oris partes; modo *imi* aut *medii ventris viſcera*, ac modo artus extremos potiſſimum ac fere tantum convelli. *Willis.*

28. *Alius eſt particularis*) Ex contractione muſculi partis alicujus à nervo illius motioni deſtinato, inde affecto, & interdum ab affectu vel ſymptomate peculiare nomen ſortitur, Sic convulſio muſculorum oculos moventium *Strabiſmus* dicitur, mandibularum & muſculorum oris, τρισμὸς, Oris convulſio ex convulſione lati muſculi ex una tantum parte *Riſus Sardonius*, muſculorum penis convulſio *Satyriaſis* vel *Priapiſmus.* Riverius.

29. *Fiſus & ſedentarius*) Rarus & ille de quo Platerus Pr. l. 1. ſect. 2. c. 2. In quodam vidimus, *inquit*, ſpaſmum quendam membrorum ad annos XX. perſeverantem, nunc nonnihil remittentem, nunc dorſum, pedes, brachia contrahentem; doloreque inſuper accurrente ægrum mire affligere, ita ut ex levi contactu vel alicujus exclamaret, dolorque eo in loco incipiens, maculaque lutea, quæ mox naſcebatur, ſe prodens, nunc in digitos extremos, nunc naſi apicem, aliaſque extimas ſedes, quarum contactu exclamabat, velut aura diſcurreret.

30. *Periodicus*) Vide §. 13. & 14. *Et haret in genere nervoſo, vel in principio &c.*)

II. 31. Alius eſt à *Repletione*, quæ 32. nervorum latitudinem dilatat, longitudinem minuit.

Cognoſcitur ex cauſarum prægreſſu, invaſione ſubita 33. citra evidentem cauſam & exhauſtum, habitudine phlegmatica.

Oritur 1. Ab *humoris pituitoſi*, 34. in nervos ſecundum tunicas, & ut ſunt partes muſculorum componentes, & inſtrumenta operationis motivæ, *affluxus.* Tum Diæta anteceſſit talis. Menſes, hæmorrhoides vel aliæ evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ ſunt.

In *Cura-*

[35] In *Curatione*, 1. Clystere præmisso [36] attenuandum & incidendum. [37] Laudatur [38] *Theriaca Andromachi, Aqua vel Spiritus Iuniperi, Balsamus Quercetani.*

2. [39] Evacuandum sæpius [40] clementioribus, quia fortiora materiam fundunt.

3. [41] Revellendum frictionibus, gargarismis [42] cucurbitis &c. Cauterium inter primam & secundam dorsi vertebram profuit.

4. [43] Discutiendum [44] Oleis *Castorei, Euphorbii, Terebinthina* destillato, *Nucis moschatæ.* [45] *Thermis sulphureis.*

5. In Diæta [46] nullum vinum bibendum.

II A [47] *plethora*, quam inflammatio partium nervosarum sequitur. Ettum casus vel ictus, vel aliquid violentum, dolores longi & acuti in partibus nervosis, iræ vehementes, &c. antecessere. In Causa est affluxus sanguinis fervidioris. Curatio ad inflammationem obvertenda.

III. A [48] *Vulnere* vel [49] *punctura nervi* simplici vel [50] venenata profectus l. 2. describitur.

[31] *Alius à Repletione*) Quæ apud antiquos diu celebris inclebuit opinio, affectionem hanc tantum à *repletione* aut *inanitione* produci, (utcunque huic stabiliendæ præter Authoritatem *Hippocratis* profertur exemplum de corio, aut fidium nervis, qui aut madido aëre impleti, aut nimis sicco inaniti contrahi solent) facile ex se concidit; quia supponere videtur (id quod nemini fragilitatem nervi experto credibile esse potest) nimirum ipsos nervos quoquomodo abbreviatos atque contractos, posse vi quadam musculos ad se attrahere: Quod si regeratur repletionem aut inanitionem, respectu solidarum partium quæ convelli solent intelligi debere, è contra observare licet ubi musculi & nervosum genus humore aqueo maxime irrigantur, ut in Anasarca: aut eodem plane destituuntur, prout in Tabe vel marasmo haud, propterea motus convulsivos excitari. *Willis*

[32] *Nervorum latitudinem dilatat, longitudinem minuit*) Unde figuræ depravatio: Remedium si nonnihil convulsio remissa fuerit, cogendus est æger eam partem paulatim extendere donec ad habitum naturalem redierit; aut si id nequeat, pars ea paulatim est explananda bacillis. *Enchir. med. pract.*

[33] *Circa evidentem causam*) ut de Convulsionis *causis evidentibus* nonnihil dicamus, supra (§. 14. *vel in principio nervorum cerebro*) observavimus si vehementiores fuerint, & cerebri ac nervosi generis constitutioni teneriori ac imbecilliori acciderint, eas interdum solitarias pathemata convulsiva inferre; at vero quoties affectio spasmodica gravior & habitualis facta sæpius redire solet, licet causa evidens in propatulo sit, & effectus culpam sustineat, nihilominus suspicari licet procatarcticam intus latere, & in efficiendo potiorem existere, nisi enim spiritus copula heterogenea imbuerentur, in explosiones involuntarias & præter naturales nec tam facile, nec tam crebro adigerentur.

Causarum evidentium duplex ordo sive classis occurrit, aut enim ejusmodi sunt quæ procatarxin adaugent, eamque citius ad plenitudinem explosivam perducunt, uti sunt mala victus ratio, & errata in sex non naturalibus, quæ sanguinem & succum nervosum inquinando particulas heterogeneas majori copia spiritibus ad saturitatem suggerunt, proindeque affectiones spasmodicas eo citius accersunt.

Vel *Causa evidens* dicitur quicquid *Spiritus derepente exagitans* & irritans ut statim explodantur efficit, & copulam suam, qualiscunque fuerit elidant. Atque hujus generis plurima sunt quæ spiritibus modo intra ἐγκέφαλον, modo intra systema nervosum consistentibus accidentia motus convulsivos instinctu diversimodo (prout in regularibus assolet) aut *directos* aut *reflexos* cient.

Prioris generis potissimum sunt violentæ animi passiones, quibus cerebri incolæ Spiritus agitati atque confusi, alios intra nervosum genus scatentes, & sæpe prædispositos ad explosiones irregulares incitant: Ita vehemens *Timor, Ira* aut *Tristitia* non modo incommoda valetudine affectis insultus *epilepticos* aut *hystericos* inducunt, sed interdum aliis quibuscunque *cordis palpitationem & tremorem*, quin & *membrorum* & *artuum* convulsiones horrificas accersunt.

Quoad *alterum causæ evidentis genus*, quo scil. spasmi *actu reflexo* excitantur, hoc equidem nec infrequenter locum habet quoties gravis molestia, cum fibrarum & spirituum irritatione nervoso generi alicubi exhibetur; quippe eadem molestia mox cum primis spirituum fontibus, nempe cerebro aut cerebello communicata, exinde motus inordinati ac violenti præter animi arbitrium incepti, h. e. convulsivi, retorquentur: Ita namque *lumbrici, pharmaca* aut acres humores, intestinorū tunicas immaniter vellicantia istarum partium, & non raro membrorum externorum spasmos inferunt. *Willis.*

[43]. *In Nervos secundum tunicas*) De *Materia spasmodica* inquiritur *undenam* illa suggeritur, & *quibus viis* versus nervorum origines defertur, & cujusmodi ibidem *situs*, & quasi nidos obtineat: At licet hujus ductus manifestos & vestigia detegere nequimus, quantum tamen ex observationibus quibusdam, & rerum analogia colligere datur, supponere licebit binos *hosce distinctos transitus modos*, quibus particulæ spasmodicæ primū è sanguine in cerebrum & cerebellum suffusæ, exinde versus nervorum principia convehuntur: scil. 1. interdum materies ista à cerebro ac cerebello imbibita, ac utriusque poros sensim pertransiēs, in medullæ oblōgatæ caudicem delabitur, cujus item tractu quodam superato, una cum succo nervoso versus nervorum origines prolabitur, ac prope illorum capita, vel intra ipsum caudicem medullarem, vel juxta prominentias annulares aggeritur, in quibus locis aut diutius subsistens, crebras vertigines, ac in partibus remotis spasmos leviores ciet, vel exinde in nervorum ductus altius delapsa convulsionum valde atrocium paroxysmos excitat; talem causæ morbificæ progressum suspicamur in quibus vertigo, scotomia, capitis gravedo ac mentis torpor insultus convulsivos præcedunt, cujusmodi quidem affectus prævios materies *tamen* adhuc in cerebro & appendice medullari scatens producit, quæ deinceps in nervos illapsa convulsiones infert. 2. Restat alter modus quo liquide patet materialem affectus spasmodici causam in principia nervorum transferri, nempe cum eadem à colluvie serosa, intra cavitates sive ventriculos τοῦ ἐγκεφάλου deposita in vicinas nervorum radices insinuatur, Enimvero in morbis chronicis, cum ad insignem sanguinis & humorum dyscrasiam cerebri quoque prava dispositio accidit, sæpe ingens seri acris, & nervoso ge-

℞. *Conserv. fol. rutæ cum aq. part. sacch. facta ℥iß. sumatur quantitas nucis mosch. bis in die, superbibendo decoctum sem. & rad. bardanæ in sero lactis cum vino albo paratum.*

Vel pareter conserva ex fol. arbor. vitæ cum āā. sacch. dosi ʒß. ad ʒj. bis in die.

℞. *Pulv. milleped. præpar. ʒiij. sem. ameos ʒj. f. pulvis, divide in x. partes, sumatur dosis bis in die: Vel Asellos xii. contusis cum vino albo affuso exprimatur succus, f. haustus, sumatur bis in die. Wilm.*

36. *Attenuandum & incidendum*) Quæ vis Acidis inest, teste *Wedelio Amoen. mat. med. p.* 28. Attamen hæc *Nervis inimica* perhibentur 1. quia figunt spiritus & coagulant; 2. quia morsicant membranulas, demulcent potius amantes, 3. inimica sibi relicta, ast cum sulphure subtili maritata tantum tantú ut nervis inimica sint, ut potius iisdem sint amicissima, sic vinum oervis amicum est ob acidi, & sulphurei principii amicabilem concursum: *Spiritus vitrioli* cephalicus ob eandem symbolisationem officium egregie facit: *Aqua magnanimitatis*, ex *acido formicarum*, & *spiritu vini* constans, nervina est si quæ alia, interno & externo usu celebratissima: Inimica. 4. Immodico usu, etiam cum sulphure maritata, facta separatione, Vinum gignere podagram & arthritidem noto est notius, largiori usu, quatenus inæqualis & naturæ non proportionata fit separatio, evolantibus particulis sulphureis, & M. S. efferantibus, unde dolor capitis, torpor sensuum &c. in ventriculo vero collectis vappescentibus, & cum natura id ferre non possit, chylum & lympham hinc acidam, austeram, acrem reddentibus, unde & vomitus ab ebrietate factus dentes acore illo stupefacit. *Idem ibid. p.* 127.

37. *Laudatur*) *Remedia interna* sunt quælibet *carminativa*, *cephalica* & *antepileptica*, in specie *castoreum*, & omnia ex ipso preparata, *salvia*, *lavendula*, *succinum*, *rosmar*. ejusque decoctum; *spir. vini theriacalis*, *spir. vini camphoratum*, pertinaciore in malo, *decoctum lignor.* præsertim *guajaci* & *samp.* sunt optima, hunc *Cinnabaris*, & quælibet alia *epileptica* volatilia præsertim conducunt. *Etmuller.*

37. *Laudatur*) Essentia Castorij summa cum utilitate exhibetur, cum decocto *flor. anthos. salviæ & beton.* Johann. *Theod. de Bry introd. Tr. 2. c. 9.*

In Convulsione ex repletione præ cæteris laudatur *confectio Anacardina ad ʒj vel ij.* si febris excitanda: J. *Cæsar Claudinus Emp. rat. p. 368.*

℞. *Theriaca vet. conf. rutæ āā. ℈ij. ol. buxi. gutt. x. f. Elect.* dosis parva Pilula bis in die: Est medicamentum polychrestum quod habet facultatem à tota substantia, & *ol. buxi* in hoc morbo magnam habet prærogativam. Imo & eodem oleo fiat inunctio ad principium spinæ, ad tempora & carpum *Rod. à Fonseca Tom. 1. cons. 9.*

Aqua hirund. cum castor. parata & exhibita convulsionem à plenitudine subito cessare facit. *Forestus obs.* 107. *lib.* 10. *in sch.*

Sequens pulvis miraculosum relinquit affectum.

℞. *Rad. vincetoxici, succisa, enula, paon maris, caryophyl. āā. ℥iß. baccar. lauri ʒß. anthos. salv. serpill. āā. gr. xv. spec. pleris archont. diamosch. d. diambr. āā. ℈ß. f. Pulvis, dosis ʒj. cum aqu. paon, ceras. āā. ℥iß.* Aug. Thonerus *observ* .l. 2. *obs.* 1.

37 *Laudatur*) *Carrichterus in Herbar. de nymphæa* flavis & albis floribus, in umbra septentrionali arefacta, scribit, si quis eam lecto solum, vel parieti appendat convulsione laborans, eum in momento sanari, Alias omnia simplicia, teste *Petrao Nosol. harm. p.* 60. in aquis crescentia convulsionem tollunt, Mirum etiam est *mandragoram*, *napellum & uvam inversam*, venenata cum sint, salutaria huic malo remedia esse. *Frid. Hoffmannus m. m. p. 288.*

37. *Laudatur*) Castorium omnium securissimum, expeditissimũ & maxime efficax est remediũ *Alcmar. pr. c. 13.*

Optimum medicamentum est *officulum ex ala phasiani* si in manu aliquandiu teneatur, ea parte qua est spasmus. *Joh. Agricola comm. in Poppium p.* 103.

Opisthotonicis & Tetanicis *lotium caprinum cum aqua* mixtum efficaciter prodest si jejunis potu detur, pariter si *castorei, piperis albi, & petrosel. āā. p. æq.* simul tundas atque inde cochl. j. in *mellis cochl. j. & aqua cal. cyath. ß.* jejuno detur: Experimentum est in multis probatum. *Alcmarus ib.* ex *Marcello.*

37. *Laudatur theriaca &c.*) Humorum ἀταξία ut contemperetur, ea præsertim quæ sale volatili prædita sunt in usum præsentem exhibenda: Conveniunt hic omnia *antepileptica*, pulvis convulsivus, quem *Horstius Tom. 2. p. 419. proponit*, *Essentia theriaca* cum *spirit. vini* extracta, add. *spir. c. c.* vel *cranii hum. & spir. vitrioli philosoph. stratæ*, per aliquod tempus in digest. pos Dosis gr. 30. ad 60. cum brodio: Item *ess. castor.* cum *spir. amb. in decocto salvia exhibita. Maur. Hoffmannus* Straussius.

38. *Laudatur Theriaca*) *Theriacam*, aliasque Opiatas, quas ut nervosum genus soborent & calefaciant in hoc casu adhibent Practici, non solum quia venenatam causam infringunt, sed & quia nervorum sensum exquisitum aliquo modo consopiunt, in convulsionibus convenire existimo: *Ideoque* stupefacientia nervos, quia sensum ipsorum obtundendo faciunt ut cum irritantur minus molestia afficiantur, eamque ob causam non tam facile convellantur, si leviora ex his, in convulsionibus gravibus & periculosis, quæ ab acri & maligna procedunt materia, plurimum profuisse sæpissime sum expertus. *Platerus.*

38. *Laudatur Theriaca Andromachi*) Cerebrum roborandum est, Opiata Cephalica, Aqua apopl. theriacali & similibus: *Rondeletius* de *aqua* sua *Hirundinum* hæc habet, Aqua ex hirundinibus & castoreo parata exhibita convulsionem à Repletione subito cessare facit: Vide ejus descriptionem apud eundem.

39. *Evacuandum*) Non solum per cathartica, sed & per venæsectionem, quam methodus nonnisi in laicre sano commendat, & ubi materia peccans cum sanguine est edocibilis. In *Tetano*, aliisque colli convulsionibus, secari venam quæ in prima dorsi vertebra conspicitur elata jubet *Rondeletius* l. 1. meth. c. 57. confirmat *Mercatus* 1. *Pr. c.* 11. in convulsione ex crassis viscidisque humoribus orta, qua scissa, per derivationem à collo quicquid humoris pituitosi musculos convellit extrahitur; At vero obscura valde est ea vena ob exilitatem, & axillari dignitate multum cedit: Vide *Barthol. cent. 4. hist.* 7. Quod si vires langueant, succedaneæ sufficere *cucurbitula* poterunt. *Straussius.*

39, *Evacuandum*) Præsertim per Pilulas quæ satis potenter evacuent (habita tamen virium ratione) his vero adjungenda *castorei* grana iij Post primam purgationem materia præparanda Apozemate descripto in curatione intemperiei frigidæ, Purgante si vires & reliqua consentiant; sin minus, detractis purgantibus, finito Apozemate iterum pilulæ exhibendæ; *castoreum* illis & omnibus purgantibus adjiciendo: si Apozema tantum alterans usurpetur, per illius usum clysteres acres frequenter injiciendi, *Riverius.*

℞. *Pil. de succ. Crat. vel Tartar. Bont. ℈iij. resin. Jalapa gr. xv. castor; ℈ß. ol. rorismar. vel succin. ℈ß. g. ammon. solut. in aqua hyster. q. s. f. Pil. xvi.* dentur iv. quolibet 6. aut 7.

℞. *Rad. polypod. q. oxylapat chare fol. āā. ℥vj. paon. mar. ℥iij. fol. beton. chamadr. chamap. verben. veron. mar. āā. m. j. sem. chartam. bardan. āā. ℥iij. coqu. in aqua font. ℔. iv. ad medietatem, adde vini albi ℔. 1. coletur in matracium, cui imponatur fol. senna opt. ℥j. rhabarb.*

gummosi ℥ß. epith. santal. citr. ãã. ʒij. salis absinth. cochlear. ãã. ʒj flaved. cortic. arant. ʒij. Digerantur clausa calore arena per horas xij. colatura usui servetur, edulcoretur (si opus sit) cum s. q. syr. Augustani, vel è cichorio cum Rheo dosis ℥vi. semel aut bis in hebdomade. Willis.

[40]. Clementionibus, quia fortiora materiam fundunt) Id quod observandum in excitando sudore ne is vi urgeatur, non raro namque contigit ut hoc cum magno ægrorum tentatum sit nocumento, cum scil. non satis dispositi sunt ad sudores humores, nec satis dispositæ per quas fieri debet sudor partes: Humores ergo crassi viscidique attenuatione indigent ac abstersione sive incisione, quo fluidiores & nullibi adhæreant: Partes autem si ab externo frigore constrictæ sunt, & humores ibidem coagulari, referentur frictione, agitatione & calore blando: Bene autem esse ad sudorem dispositos humores & partes patet, cum assumptis aliquo tempore medicamentis humores corrigentibus, & emendato sensim partium habitu, compositoque in loco calido corpore, sponte inclinat ad sudorem æger Sylvius.

[41]. Revellendum frictionibus &c.) Non negligendæ veniunt Frictiones, quo nomine etiam vesicantia & fonticuli laudem merentur, idque tanto magis quod simul ad evacuandum serum biliosum non leve pondus obtineant. Strauſſius.

42. Cucurbitulis) Post purgationem admoveantur Cucurbitulæ cum scarificatione, si sanguis non fuerit detractus, alioqui siccæ, primo quidem partibus remotioribus, postea affectæ vicinis: Ac si crura sint convulsa, naribus & lumbis applicentur, si brachia, collo & scapulis; hoc in omnibus observando ut fluxio versus originem retrahatur, vesicatorium etiam partibus affectæ oppositis utiliter admovebitur, Riverius.

[43]. Discutiendum) Post Inunctionem partes convulsæ conteguntur pelle agni, vulpis, arietis etiamnum calidis, ut calor innatus simili calore recreetur & cum pelles refrixerint, si earum non sit copia, immerguntur oleo aneth. vel simili calido. Conveniunter parti convulsæ admoventur Hepata & Pulmones è vivis animalibus extracta; pulli etiam columbini, galli, gallinæ secta.

Pars etiam affecta in bovem, aut vervecem aut aliud animal recens cæsum immittitur, & ibi tamdiu continetur quamdiu animal calet.

Sacculus etiam torrefacto sale refertus mirabiliter nervos siccat, si calidus parti afflictæ applicetur & origini nervorum. Prosunt & vaporaria, ex decocto salviæ &c. bullitis in aqua & vino albo: Ab exitu Balnei aut vaporarii partes convulsæ, & ubi est origo nervorum, illinuntur supra dictis oleis & pinguedine, dein lana conteguntur. Enchir. med. pract.

Quidam hoc Empl. commendant.

℞. Colophon. ℥ij. resinæ, picis naval. ãã. ℥j. thuris mastich. cerusæ ãã. ʒß. sangu. drac. salis comm. armon. terebint ãã. ʒij. cera nova ℥ij. vitr. albi ʒij. matr. perlar. ℥ij. lapid. magn. ʒß. succin. fl. ʒij. ol. ovor. rosar. ãã. ʒij. f. s. a. Empl. alutæ inducendū.

Optimum est fovere occiput & cervicem aqua vitæ calente: Quidam oleum seu Spiritum salis cum oleo terebinth. tera, chamamel. & sim. commixtum membra convulsa cito restituere asserunt: Linimentum sequ. eximium est.

℞. Butyri ranc. lardi vet. ãã. quart. j. bdellii, ammon. ãã. ℥j. myrrh. castor ãã. ʒiij. flor. stœch. & anthos ãã. p. j. nuc. mosch. caryoph. ãã. ʒj. catum par vum excoriatum, exenteratum, in frusta divisum, his infarciatur anser, torreatur: primus liquor quicus inutilis, secundus pinguior colligatur in vase aceto semipleno Riverius.

℞. Olei Succini ʒß. ol. caryoph. gtt. vi. mucilag. bryon. q. s. ad consistentiam Linimenti, mire valet ad convulsionem brevi tempore sedandam. Penotus Tract. Spec. Receptarum.

[43]. Discutiendum Oleis) Quoad Externa, conveniunt ea quæ sub forma Unctionis oleosa & spirituosa applicantur, quæ minus sunt glutinosa & viscida minusque poros infarciunt, E contra quo penetrantiora magis & spirituosiora, eo meliora, præ cæteris lumbricalia hic conveniunt, nempe liquor oleosus per deliquium in clibano ex lumbricis terrestr. Item ol. decoct. lumbricorum, spir. lumbric. terr. quæ ipsa de Formicis quoque intelligenda sunt. Sic in convulsione a cholera sequens linim. profuit, cum intensissimo dolore juncta.

℞. Ol. irin. vermium terr. ãã. ℥ij. castor. pulv. ʒiv. m. continue agitando.

Ubi ab inunctione abstinebatur, statim redibāt convulsiones, continuata vero unctione cessarunt: Forestus lib. x. obs. 110.

Præterea spir. vini crocatus, spir. aut aqua theriac. camphor. Essentia ex sufus. nervinorum &c. Oleosa & pinguia quæ usurpantur, sunt ol. vulpin. castor. ol. ex catellis, ol. ex anseribus nervinis infarctis & sic assatis, pinguedo ita profecta unguentum dicitur, quo unico [illegible] item curata fuit Convulsio in obs. Riverio communicatis.

Porro Ol. laurinum, ol. lini cujus unctione duos [illegible]tano affectos curavit Rulandus in cur. Emp. pinguedo hum. medulla animal. Olea acriora ac penetrantiora sunt petrol. quod cum oleo succini multum maxime prodest in contractura à causa frigida & ad paralyses, ol. Philosoph. ol. destillata junip. succini, spica, galbani, & hinc Galban. Parac. è quibus etiam subinde ol. de Euphorb. additur, quod optimum, sed quia nimis forte [illegible] caute adhibendum, Hinc.

℞. Ol. terebinth. lumbr. terr. ãã. ʒß. pingued. hum. ℥j canis ℥ß. m.

Sequens Linim. eximium ad Convulsionem brevi dissolvendam,

℞. Ol. tereb. ʒß. caryophyl. gtt. vi. mucilag. bryon. q. s. pro consistentia misce & inunge locum affectum Penotus.

Ungu. nervin. alth. spasmod. Minsicht. imponendo desuper Empl. nervinum commune. Etmuller.

Matrona convulsionibus brachij sinistri cum maximis doloribus correpta fuit, & per dies aliquot laboravit: Tandem vocatus brachium & nucham sequentibus oleis inunxi.

℞. Ol. lumbr. vulpin. tiliar. ãã. ʒij. ol. philos. terebint. ãã. ʒß. pingued. hum. ℥j. misce.

Circa carpum [illegible] ex corio humano app[illegible] his convulsionem cessarunt Hildanus obs. 9. cent. 1.

Juvenis toto corpore convulsus erat, ita ut spina dorsi non posset inflecti, sequenti remedio expedite ambulavit.

℞. Butyri rancidi, lard. vet. ãã. ℥ii bdellii ammoniaci ãã. ʒß. myrrh. castor. ãã. ʒi j flor. stœcad. anthos. ãã. p. j. nuc. mosch. caryoph. ãã. [illegible] catum parvum exenteratum, excoriat. in frusta sectum, his infarciatur anser, consumis torreatur in veru, [illegible] qui de fluit succus abjiciatur, secundus col[illegible] in vase acero semipleno, pro litu spinæ [illegible]; Remedium est divinum Pet. Pachequo [illegible] 8.

[44]. Discutiendum) Commen[illegible] Sudorifera sub nomine Greg. Horstius Tom. 2. p. 44[illegible] præsertim in causa maligna, ubi bezoartica alia præter [illegible] cavendum tamen ne sudor cum ægrorum detrimento, [illegible] intius [illegible] intempestive excitetur Strauſſius.

Mulier passa dolores brachio [illegible] humerorum genuum cum contractione, cum non poss[illegible] ulli remedius sanari, tandem vetuli asperſ[illegible] malvati [illegible] nito laten, adjectis fol. lauri nepotha, stachad. majoran. rorismar. origani salvia, Jubebat excipere fumum, & excitato sudore convaluit. Solenander conf. 15. sect. 4 8.

Distra-

44. *Discutiendum oleis*) *Anserem vivum pinguem* exenteratum, in cujus ventre *catus* minutim concisus, *anguilla lardametus, myrrha thymus sambuccus*, & *herbe capitales* insuantur, assatur, secundum adipem qui defluit pro linimento servando. *J. C. Claudinus Empl. Rat. p.* 368.

Oleum s. spir. terebinth. tum intra tum extra applicatus omnes spasmos & convulsiones tollit, quo dorsi spina, umbilici regio & cæteræ partes affectæ inunguntur *Claud. Deodatus Panth. p.* 128.

Senex, præmissa purgatione, sola inunctione *olei liliacei, lumbric. terr. & vulpini*, collo *lana succida* tecto, miraculi instar convulsione colli convaluit. *Forestus obs.* 106. *l.* 10.

Inunctiones fiant continuæ ex sequ unguento.

℞. *Olei irini, vermium terr. āā.* ℥ij *castor pulv.* ʒß. m. quo adhibito facta simul forti frictione, tandem contractiones miraculi instar cessarunt. *Idem obs.* 110.

Habetur ut secretum ad mitigandum dolorem & extrahendum ichorosas materias assumere *ammon.* ℥j. *diachyl.* ℥ij. *thurris. mastich. āā.* ℈j. *cera flava* q. s. m. *Petr. Mich. de Heredia oper. p* 87.

Scarabæos mirifice ad spasmum & convulsiones conducere ab eximio natatore didici, qui semper nervosas partes *oleo scarabæorum* inungebat. *Ath. Kircherus mund. subt. p.* 375.

Si partes convulsæ admodum duræ & rigidæ sint, *Empl. de meliloto in oleo lilior. alb. dissolutum* inungatur, & postea *lana succida*, aut *omento recens mactati animalis*, aut *pelle lupina vel vulpina* obvolvantur. Hinc recipe *pyritem* optimum probe ignitum, affunde acetum acerrimum cui *scylla* intabuit, cujus vapor excitatus à parte affecta commode excipiatur, & circumpositis stragulis cooperiatur, ut sudet; abstersò madore malagma imponatur, aut *oleum cui* incocta sint *althaa, ruta & rad. cucum agrestis*. Hoc autem præsidium non inter initia, sed in convulsione cum duritie adhibendum. Interea linimentis mollientibus utendum. *Forestus obs.* 114. *l.* 10.

℞. *Olei succini* ʒß. *mucilag. bryon. q. s. ol. cariopb. gtt.* vi. *misce inunge locum cum radice nervi, & illico dissolvetur*, repete, & statim membrum pelle vervecina recens detracta involve *Penot. Tr. spec. recept.* 60.

44. *Oleis &c.* Valent olea & axungia humana, potissimum anguillarum, horum namque ope, & salis lixiviosi, & spiritus acidi præsertim acrimonia temperatur, causaque doloris atque convulsionis corrigitur *Sylvius*.

Fiant etiam *Inunctiones* supra partim affectam Linimento convenienti.

℞. *Vngu. de alth.* ℥vi. *ol. tereb. & chamamel. āā* ℥j. *ol. lavend.* ʒiij. *ol. vulp.* ℥ß. *strac. liquid.* ℥ij. *f. linim.* pro parte affecta & spina dorsi calide frequenter inungenda Vel.

℞. *Ol. aneth. & chamam. āā* ℥j. *ungu. mart.* ʒß. *ol. petrol. & despica āā* ʒj. *spir. vini* ℥iij. *m.* maxime laudatur Anseris axungia sic parata.

℞. *Anserem pinguem deplumatum & exenteratum* materia sequenti repletum.

℞. *Fol salv. majoran. stœch. āā. m. j. g. ammon. & bdelli. āā. dr.* j. *cal. aromat. nucis mosch. macis, caryoph.* ãã. ℥ß. contundantur in mortario, & malaxentur cum *oleo* lumbricor. Postea includantur ventri anseris, qui bene consuatur ne quid effluat, & in veru assetur: Pinguedo exstillans excipiatur vase aceto semipleno proLitu partis affectæ.

Efficatior erit sic.

℞. *Pingued. dicta dr.* vi. *oleor. cera nuc. mosch. & salvia stillatit. āā. dr.* ij. *m. Riverius.*

45. *Thermis sulphureis*) Facile primas tenent Thermæ sulphureæ, In æquibus 4. continentur 1. aqua. 2. oleositas, 3. spiritus acidus 4. sal lixiviosum paucum. Sulphur enim omne oleo imprimis constare & acido spiritu, notum chymicis manifestumque est 1. Ex sulphuris incendio facili, unde patet oleum in ipso abundare, sola namque pinguia & oleosa igni sunt pabulum: 2. Ex ejusdem incendio diu durante, quod ab acido spiritu pendet. 3. Ex oleo per campanam ex ipso parabili, quod spiritum ejus acidum restatur: Cum ergo spiritu & oleo constet sulphur, iisdem abundare Thermas sulphureas patet; Generantur autem illæ Thermæ concurrente cum sulphuris minera aqua lixivioso sale acerrimo prædita, à quo, & spiritu sulphuris acido, excitatur effervescentia & cum effervescentia calor, sicque coeunt in unum quodammodo Aqua quoque & oleum.

Habent autem vim penetrandi egregiam Thermæ illæ sulphureæ, quapropter ad affectas partes corporis intimas penetrant; Penetrat autem simul permistus per intima sali lixivioso spiritus acidus oleo temperatus, cujus olei ope temperat quoque humorem acrem membranis adhærentem, illasque vellicantem ac convulsioni ansam præbentem: Temperat vero illum tum oleosa sua substantia, corrigitque insuper eundem exacta salis lixiviosi & spiritus acidi mistura, à qua vincitur aciditas, semper noxia & primaria rosionis in convulsione causa; subtile namque thermarum sal lixiviosum, & quodammodo volatilisatum, ad spiritum acidum subtiliorem coagulandum longe optimum & forte unicum: Artis proinde erit imitari Naturam, & salem lixiviosum volatilem reddere, aptumque spiritibus acidis itidem subtilioribus coagulandis, ac simul Convulsioni ab ipsis ortæ curandæ, ubi defuerint, parabuntur si e. g. Sal Tartari bene calcinatum cum sulphure rite misceatur, & postmodum affusa aqua Balneum instituatur *Fr. Sylvius.*

Præstantissima sunt Balnea sulphurea, in diuturnis præcipue convulsionibus: Conveniant etiam Balnea sicca, seu vaporosa, ex decocto salviæ, rorismarini, stæchados chamæp. origani, & similibus cum vino albo, lapidibus ignitis aut scoriis ferri ignitis infuso *Riverius.*

Fomentationes etiam valent, & *Balnea* artificialia ex plantis calefacientibus dictis, hoc est sale volatili & oleo abundantibus parata: Observandum enim omnes plantas, imprimis fructus & semina calida vocata, abundare oleo & sale volatili, quoddum decoctione elicitur, & calide corpori applicatur, penetrat ad interiora atque occurrentem spiritum acidum infringit & emendat *Sylvius.*

46. *In Diæta nullum vinum bibendum*) Vinum an conducat sub judice lis est, videatur *Mercurialis Tomo* 2. *consf.* 8. oligophorum si moderate usurpetur omni tempore ad virium restaurationem concedi posse arbitramur, *Straussius, Rolfincius.*

47. *A plethora*) Quæ si adest à venæsectione auspicanda curatio, & vires sint validæ, in qua tamen vacuatione satius est peccare in defectu quam in excessu, cum illa causa principali, quæ pituita est, contraria sit *Riverius.*

48. *A vulnere*) *Si ex vulnere partis* fiat convulsio illinatur pars *oleo* seu potius *liquore oleoso lumbric. terr.* ol. distil. *terebinth.* vel vulneri instilletur *balsam. sulphuris terebinth* Etmuller.

Quin & muscas contritas in forma Emplastri applicatas vulneri, dolorem & convulsionem inde excitatam sedasse notatum legimus apud *Velschium in obs.* 3. *Marcelli Cumani.*

49. *A vulnere vel punctura*,) Ex vulnere tam in *nervo* quam *nervosa parte* facto fieri convulsionem, casus ejusmodi frequenter contingentes satis declarant, non

tamen ex quovis nervi vulnere, sed ab eo tantum fere quo *nervus punctim* læditur convulsiones supervenire solent, excitata tunc ob offensam illius functione, quæ si penitus sit abscectus nervus potius aboletur, quam & ob causam nervum convulsum si amputemus, convulsionem in eo factam sanamus, cæterum hanc nervi irritationem à continui illius solutione productam, magis adhuc adauget *inflammatio* vel putredo, ex retenta sanie in angusto puncturæ nervi foramine, summusque inde *dolor*, quæ plerumque huic affectui supervenire solent: Aut si vulnera a ferro, suapte natura nervis propter æruginem feret, aut quia infectum fuit, infesto, vel *morsu* aut ictu venenatæ bestiæ accidat. *Platerus.*

49. *A vulnere vel punctura nervi*) Qua ratione spasmus consequatur, vide supra §. 2. *vel morbus violenter nervosas partes tendens.*

50. *Punctura nervi*) Si convulsio fiat ex punctura nervi in inepta V. S. optimum est instillare vulneri *ol. destillatum terebinth.* seu *ol. laterinum* vel *ol. ceræ*, Et imponatur Empl. quod.

℞. *Euphorb.* ℈j. *tereb.* ʒß. *ceræ parum* misc. *Etmuller* vide plura vol. 3. *in Chir.*

50. *Punctura nervi*) Si à Punctione nervi ab acu, aut simili instrumento corporeo, primo quoque tempore, si foramen vulneris sit angustius, dilatandum est ut virulenta sanies exspiret, quæ si ibi retineretur putresceret, aut medicamentis ex alio trahentibus virus illud educendum: ad id fit Cataplasma ex cæpa sub cineribus cocta, addito fermento & pauca theriaca: Pars affecta etiam immittitur in aquam tepidam ut virus foras extrahatur; cute prius in multis partibus scarificata: Post apponitur theriaca dissoluta in aqua vitæ, superponitur ungu. Apostolor. vel Empl. è Galbano, vel catapl. è cæpa aut far. fabar. orobi, lup. decoctis in oxymelite.

℞. *Terebint, Ol. veter.* āā. *dr.* j. *aqua vitæ parum*, Addi potest *eupborb.* ʒß. modo nervus non sit obvius medicamento, quo in casu opus est uti blandioribus.

In id valent Balsama omnia quæ siccant, quibus Chirurgi conglutinant vulnera recentia, hæc enim partes vulneratas à putredine vindicant, minime tamen horum usu vulnus conglutinandum, sed contra imposito Empl. de Galbano ichor est expurgandus. Qui vero puncto nervo dolor excitatur vehementissimus, sedetur, *aqua terebinth. oleo rosar.* mista mire enim compescit dolorem nervosarnum partium, vel ol. lumbricor. Panis quoque calidus calido lacte infusus, & cataplasmatis modo impositus valde anodynus est, quod si nullis remediis anodynis vincatur dolor, narcoticis utere, ut pane cum decocto papav. albi, & si opus sit cū opio ipso, aut illinitur pars oleo papaver. & similibus: Ad extremum, cum cætera nihil proficiunt, Nervum transversim secare oportet in parte supra puncturam, satius enim est partis motum perire quam hominem mori. *Enchir. med. pract.*

50. *Punctura nervi*) Nobilis Venetus dum præscinderet ungues, læso nervo successit inflammatio & convulsio, tandemque tertio mense interitus. *Iohann. Rhodius obs.* 50. *cent.* 1.

Venenata) Huic accenseri potest quæ Luis venereæ non plane extinctæ soboles est; Cujus exemplu habet *Ozias Aymar* in observ. Riverianis adnexis.

Vir militaris ex ictu tormenti bellici vulnus accepit in brachio dextro, ob quod totum brachium abscissum est, superstite tantum parte humero vicina, Vulnere consolidato quadam convulsionis specie correptus est, quare trahebatur caput versus partem dextrā & mandibulas frequenter agitabat: Ratus aliquam eminentiam acutam superesse quæ nervum aliquem feriret, rescindendam ossis extremitatem credidi, ac diligenter adæquandam sed facta operatio nihil profuit; Quæsivi num unquam morbum aliquem venereum passus esset: Respondit se ante vulnus gravi gonorrhœa laborasse, Ideo consului ut remedia luis experiretur &c. *post* tertium ptyalismi diem convulsiones cessarunt.

Vel venenata) A veneno si fit, dum vim mirabili proprietate *scabiosa* assata & ovi vitello, pauxillaque *theriaca* superposita infringit. *Petraus Nosol.* p. 166.

Vel venenata profectus) Si à morsu animalis eadem sunt facienda, statim ergo admovenda vulneri cucurbitula cum scarificatu: Sunt qui podicem gallinæ aut galli parti admovent, cujus rostrum sic comprimitur ut ano illud animal aerem trahat: Apponitur & scabiosa cum ovi vitello in cataplasmatis speciem [illegible], cæpa cruda vel cocta, theriaca, mithridatium, aqua theriac. card. bened. & similia quæ corroborant, & venenum domant; *Enchir. med. pract.*

Alius ab *Inanitione*, in quo nervi breviores ob exsiccationem nativæ humiditatis redduntur. *Cognoscitur* exinde, quia sensim cum membri diminutione accedit.

51. *Oritur* à causis, vel immodicè evacuantibus, ut sunt, 52. hæmorrhagia narium, sudores 53. purgationes helleboratæ; vel 54. vehementer calefacientibus & exsiccantibus, ut sunt inflammationes, vigiliæ, labores, vini potus, venus nimia, 55. dolor diuturnus, hectica, *cauteria* aut *vesicatoria* nervosis partibus adhibita.

Curatur 1. 56. *Diæta* humectante.

2. 57. Medicamentis *analepticis* & humectantibus, ut sunt unguenta *de ansere & cato assato*, 58. *balnea oleacea.* Aqua *pinguefaciens ex sanguine suillo Ferdinandi*, l. 3. c. de Hectica, Morselli *ex carnibus testudinum.* Magisterium *hyacinthi* specificum est.

51. *Oritur à causis vel immodice vacuantibus &c.*) Hæc Convulsio à non paucis etiam rejicitur (quam *Contracturam potius quam Convulsionem dicendum ait Walæus*) quod tanta siccitas in corpore vivente introduci non possit, ut inde nervi contrahi valeant, illa enim in febre hectica & marasme præcipue contingeret; Dic, non omnem inanitionem aut siccitatem idoneam esse convulsionem efficere, sed eam tantum quæ confertim & inæqualiter fit, quandoquidem subito interni humidi facta inanitione, partes connivent & in se concidunt vacuum fugientes, Si vero æqualiter undique, & sensim exhauriatur humiditas, nulla fit contractio, quia inanitæ partes ingressu aeris occupantur. *Riverius.*

52. *Purgationes helleboratæ*) Qua ratione inducatur Convulsio ab assumptis emeticis aut catharticis vide superius §. 11. *vel morbus violenter nervosas partes tendens.*)

52. *Purgationes helleboratæ*) Si ab [illegible] malum provenerit (id quod interdum non [illegible] ob ipsius purgantis medicamenti vel vehementiam, vel [illegible] præparationem, quam acrium humorum stimulantem abundantiam fieri experientia constat) danda opera ut inordinatus ille motus propinatis narcoticis caute sedetur, viriumq; debilitas cordialibus reficiatur, *Strauſſius.*

53. *Hæmorrhagia narium*) Hic restaurantia præ[illegible] locum inveniunt: Duos ejusmodi ægros *Saxonia* 1. Prax. c. 13. sic restituit.

Vehe-

54. *Vehementer calefacientibus & exsiccantibus*) Ad febres cur consequatur convulsio. Vide supra §. *Vel morbus violenter partes nervosas tendens.*)

55. *Dolor diuturnus*) Interdum dolor intolerabilis sentitur, ad quem leniendum æger ingrediatur Balneum ex aqua in qua emollientia & digerentia fuerint cocta, Parti vero imponuntur lumbrici cocti & probe triti cataplasmatis modo, Aut si ægri sunt divites, fiat Balneum ex *oleo vulpino*, cui vulpes aliquot sint incoctæ. Æger autem non diu morari debet in Balneo, ne vires ejus resolvantur. Mox igitur dolore sedato in lectum est reclinandus, Et cum dolor repetit Balneo reddendus. *Enchir. Med. Pract.*

Convenit sequens Linimentum,

℞. *Ol. violac. lilior. chamam.* āā. ℥iß. *olei amygd. dulc. mastich. rosac.* āā. ℥j. *m. f.* Si potentius agendum.

℞. *rad. alth. & lilior.* āā. ℔ß. *fol. malvæ, violar. origan, salv. absinth.* āā. m. ij. *sem. lini & fœnugr.* āā. ℔j Decoqu. pro Balneo. Sufficiet autem tantum partes convulsas illi immergere. *Riverius.*

56. *Curatur* 1.) Licet sit incurabilis, maxime si confirmata sit siccitas, tamen succurrendum, Victus humectet, & simul, si adsit calor, refrigeret; idem qui in hectica. Usus hordeatorum confert, ovorum sorbilium, lac asinæ, juscula succulenta, consumpta carnium, gelatina, lac recens mulsum, modo non adsit febris: Vinum aquosum: Concilietur somnus, quia humectat & vires reparat, animi hilaritas. Abstineat ab omnibus catharticis præterquam cassia, cathol. valet Clysteres humectantes, emoll. ex decocto omazorum, cap. vervecis, ex sero lactis, dissolvendo Cathol. Lohooc Cassiæ, Balnea ex hydræleo, vel lacte cum aqua simpl. aqua emollientia ebullientibus; in iis manendo citra sudorum perfusionem ne longiore mora faticant vires, & erumpentibus sudoribus magis exsiccentur, A Balneo illinantur oleis malacticis, comm. violar. lilior. amygd. d. lentore enim poros cutis obstruunt, prohibentque ne calor, spiritus & humor dissipentur, ac humiditate siccitatem emendant, Litus ex butyro recenti, Fotus ex lacte vel decocto emoll. in quo extrema animalium incocta, capita & intestina. *Ungu. de alth.* quod emollit, humectat & lenit citra dolorem; *Resumptivum*, in quo summa vis emolliendi blande. *Enchir. Med. Pract.*

57. *Curatur*) Quæ *leniendo* nervosum genus demulcent præsidia, etiam in omnibus convulsionum generibus, & præsertim cum magnum imminet nervis tantopere afflictis periculum, ob causæ vehementiam in deterioribus scil. appellatis *convulsionum speciebus*, utiliter adhibentur quæ moderato *calore, humore & tempérie* nervos constrictos convulsosque *humectando emolliendo que relaxent* & refocillent; Quæ extrinsecus plerumque *spinæ dorsi*, ubi nervorum copia occurrit & exortus, per allinitiones *ol. amygd. d. violac. butyr. mucilag. & sim.* adhibentur, & cataplasm. applicationes, quale ex *malva alth. oleo violac. & far. sem. lini* paratum vel in forma *humidi pinguis Balnei*, in quo moram aliquam trahat administrantur, cui *malva, pæonia, chamomilla*, aliaque possunt incoqui. Vel *capiti* quoque accommodant, illud *lacte* embrocando, in infantibus præsertim, vel *oleo violaceo* inungendo. Idem quoque *clyst. emoll. & humect.* beneficio perficitur: Et exhibitis in *cibo* vel medicamentis, pinguibus, ut *butyro rec* & *ol. amygd. dulc* affatim bibito, quod singulare convulsionum habetur remedium, Quo nomine & *serum lactis* potum commendat *Dioscor.* & *violar. decoctum, syrupus* item in pueris probatur, atque *lac. amygdal.* cui commode *Emulsio sem. paeon.* permisceri potest, utiliter propinatur, è quo cum sacch. permisto *Eclegma.* paratum infanti, antequam lactetur, præservativum contra Epilepsiam utile fieri aliqui scripserunt. *Platerus,*

58. *Medicamentis analepticis & humectantibus*) Nullum remedium utilius est quam embrocatio partis posterioris capitis, nuchæ & colli cum oleo violac. decenter calido, sicut ego feci in N. qui cum esset in cunabuli, passus est erysipelas in tota tibia cum bubone in coxa, & febre valde intensa, à quibus cum convaluisset; statim in spasmum à siccitate causarum cum continuis maximisque clamoribus, torquendo caput ad posteriora, & nullo modo poterat sugere lac. Ego perfudi nucham, & totam partem capitis posteriorem, & collum cum *oleo violato* decenter calido, permittendo cadere oleum ab alto, manu exprimente penam in ea infusam, per spatium 4. partis unius horæ, & sic embrocando dormire cœpit, mox pannis decenter calidis abstersi caput leviter fricando &c. postmodum suxit lac & brevi sanus factus est. *P. Bayrus Pract. lib. 2. c. 20.*

59. *Balnea Oleacea*) Olei Balneum ut *Herodotus* antiquissimus Medicus prodidit, qui à diuturnis affliguntur febribus, a lassitudine, vel nervosarum partium doloribus oppressis *convulsis* & urinæ suppressis laudatissimum ac salutare esse remedium experimur: Vidit hujus remedii experientiam *Heurnius* in quodam extenuato, ac fere exhausto; dum esset Patavii, illum enim validissima occupaverat convulsio, at tepidi olei pleno vasi immersus, ac fotus, sanus evasit *Baricellus de Hydronosa nat.*

60. *Balnea oleacea*) Quorum magna est utilitas; jamdudum enim teste *Herodoto l. de rem. foris adhib.* his qui acerrimis cum doloribus & convulsionibus conflictabantur, ex *oleo* solium institui solebat, omni ætati, maxime vero senili, ac omni tempore conveniens, sed festinandum esse monet. Hoc ipsum remedii genus in usum fuisse vocatum se novisse memorat *Heurnius l. 1. meth. p. 55* cum quendam extenuatum ac fere exhaustum acerbissima convulsio occupasset quem etiam pleno *tepidi olei vasi* immersum, atque à *Guilandino* fotum evasisse testatur. *Strausius.*

Contractorum curatio.

Ex *siccitate*, vel *Inanitione*, uti voluerunt, *musculorum*, illorumve *tendinum* membra trahentium, atque *nervorum* interdum, vel *ligamentorum articulos ambientium*, si contractio partis illius, cui hæc ad motum serviunt fiat, sive *dorso* aut *aliis locis* accidat, si magna illorum sit *ariditas*, immedicabile est malum, sicuti quando ratione *ætatis & laborum* hoc venit; Sed & difficulter sanatur si aliis de causis facta diu perseveraverit, sicuti *manibus, pedibus contractis* & *tetano* laborantes; toto vitæ spatio contractos illis locis manere plerumque cernimus, aut leviter saltem in melius mutari.

Nihilominus tamen cum successu cura sæpe ab initio utiliter adhibetur; hacq; methodo per adhibita extrinsecus loco affecto humectantia & laxantia medicamenta, è quibus cum quædam refrigerent, calidis *nervosq; roborantibus* illis permixtis curæ potissima pars perficitur, si ea musculo nimirum, illiusq; tendini, & corpori quod membro attrahenti aliquando vicinum est; alias vero procul dissitum, & longo, quandoque longissimo tendine ad illud porrigitur; item articulo, si ligamenta adstricta sint admoveantur.

Inungitur itaque *Dorsum* cum *spina* in *Tetano*, vel *membra* in aliis speciebus *contractionis*, hoc modo

℞. *ol. amygd. d. recentiss.* ℥j. *violar. lilior. chamomill. lini per expressionem facti recentis, lumbricor.* āā. ℥j. *ol. hyperic, mucilag. sem. psilly & lini, axung. anat. medull. crur. vituli* āā. ℥ß. *terebinth.* ʒij. *sulph.* ʒiß. *pulv. lumbr.* ʒß. *summ. thymi. fl. hyper.* āā. ʒß. *croci* ℈j. *cera q. s. f.* Ungu.

Axungiam hum. magni faciunt, & *Anguill.* forte quia illa appropriata, hæc quia à piscibus desumpta humidior censetur. *Balneum* in *Tetano* vel in aliis, *Irrigatio* aut *Fotus* loci affecti ex his fieri possunt tepidis adhibitis, ex *Aqua dulci, lacte, brodio pingui, capitum & intestin. vervecis* vel *vituli*, *hydræleo* vel solo *oleo*, *violarum* præsertim, Vel ex sequ. Decocto.

præcautionem *extra paroxysmum*, si sæpe repetat, vel in *paroxysmo*, si perseveret, erunt usurpanda quæ *flatus depellunt*, *musculos adstrictos* relaxant: Exhibentur ad *flatuum proventum* impediendum, eosque *discutiendos*, tam in *victus ratione*, quam medicamentis *purgantibus*, *calefacientibus*, *roborantibus*; qualia in flatulentis casibus, ventriculi inprimis. Adhibentur *musculo affecto* (quem *ex protuberantia loci & dolore* cognoscimus) quæ in paroxysmo *actu potentiaque calefacientia*, *flatus discutientia*, partem leniendo & laxando juvant: *Extra paroxysmum* vero, quæ & simul *partem levi adstrictione roborando*, sæpe reperita affectum præcavent. Eadem usurpando quæ in Paralysi pituitosa, & in contractionibus veris, leviora usurpando.

Inunctiones fiunt ex *oleis chamæmel. lilior. aneth.* vel hoc modo, si pars simul roboranda.

℞. *Olei chamæm.* aut lilior. aneth. ℥i. *vulpini*, vel lumbricor. *mastich.* āā. ℥ß. m. Inungatur pars manibus, vel parte prius *aqua vitæ* madefactis calide.

Oleum Guaiacinum cum *aqua vitæ & salv.* inunctum mox juvat. Valet *Empl. Martiatum.*

Aqua & Balsamelæa, in paralysi explicata.

Aqua vitæ simplex calida statim juvat.

Theriaca in aqua vitæ potius quam *oleo* dissoluta & inuncta.

Fotus, *Insessiones*, *Balnea*, in *paralysi* & *contractione* recentita, actu potentiaque calida; *Lixivium*, quia partes laxat, & quæ humores vel flatus recipiunt firmat, præcautionis gratia additis corroborantibus, adhiberi poterit.

Empl. hoc probatum est

℞. *Absinth. puleg.* āā. m. j. *baccar. lauri*, p. j. *cymini* ℥ß. *terantur*, *bulliant in vino forti & melle*, *fiat Cataplasma.*

Sacculi, irrorati prius in vino, prosunt, ut in *paralysi*; vel sic, præcautionis causa, corroborando,

℞. *flor. chamom. melilot. rosar. furfur. baccar. juniper.* vel *lauri* āā. p. j. *myrtillor.* p. ß *rad. ireos* ℥ß. *sem. fœnugr. carvi, cymin* āā. ʒiij. *salis* p. j. *pro sacculo.*

E solo *milio*, *furfure & sale* sacculus, cito ad usum parabitur.

Pelles calidæ, aliaque *animalia* conveniunt, *Frictio* levis manibus pannisve calidis.

Retrahendo partem affectam, paroxysmum breviorem, seu ut mox cesset faciemus, si musculos involuntarie violenter extensos, vel flexos, eoque membrum trahentes voluntariè contrario motu & nixu musculis qui ægris opponuntur eos cum membro retrahere nitamur, sic enim adstricti, vel devu. rursum cum membris relaxantur, situmque naturalem repetunt, & flatus, qui illorum contractorum spatia occuparent, quando musculi in suum locum redeunt, ab iis locis repelluntur & cedere coguntur. Quod in musculis suram constituentibus, & pedes digitosque moventibus contractis, extensione contraria fieri, doloremque mox cessare in dies experimur. *Platerus.*

Sufficiat levis fricatio partis, aut panno aspero, aut manu calida, aut illinatur *spir. bac. junip.* aut *spir. theriacal.* Ad hujusmodi spasmum flatulentum, expertum dicitur ungu. *Cratonis.*

℞. *axung. anser. rec.* ℥iv. *ol. destill. caryoph.* ℈ß. *cinn.* gr. v. misce,

In *spasmis gravidarum*, præsertim flatulento, Euporistum est *matricaria*: hæc contundatur, ut fiat succulenta; imponatur cervici aut sola, aut *verbena* mista. *Etmuller.*

[62] *Vel inunctione cum*) Ad Spasmum ventosum hoc ungu. profuit

℞. *axung. anseris rec.* ℥iv. *ol. caryoph.* ℈ß. *cinnam.* gr. v. misce. *Joh. Crato consil.* 151.

[63] *Sunt qui verbenam*) Nodis ligneis è *visco*, *quod in quercubus* adnascitur, ut experientia comprobavit, sanari consuevit. Colligitur æstivo tempore, Sole in Leonis sidere commorante tunc enim perfectionis complementum est adeptum. Debent nodi ligni illius loco patientis superponi ut statim flatus diffugiat; pingui succo tenuique præditum est lignum, aut occulta ratione, ut voluit *Cardanus*. Confiteor tale præsidium multis ad præservationem me consuluisse, votumque fuisse assequutos sola istius ligni suspensione, *Annuli ex bubalorum* cornibus ejusmodi etiam dolores prohibere multa experientia ex eodem *Cardano* judicati sunt. *Ant. le Grand Comp.* p. 66.

[64] *Sunt qui verbenam &c.*) *Dens Hippopotami* est singulare specificum in convulsione quacunque, philosophice præparatus. Fiunt ex hoc *dente annuli*, qui membro convulso inserti, aut pedum digitis in *spasmo flatulento* applicati, sunt optimi. *Etmuller.*

Alius [64] *illegitimus*, qui ob stimulationem partium nervosarum ab *affectu dolorifico*, [65] sed sine perpetua tensione oritur, & plerumque [66] per *consensum orificii ventriculi*, vel *uteri* accidit.

[67] *Affectus dolorificus*, vel est ab [68] intemperie, vel à solutione continui, μ Evenit & à vermibus.

Huc α *saltus* β *& Viti* & [69] *Tarentulatorum* spectat, de quo *Kirkerus* in arte magnetica; In *illo* [70] semper sunt inquieti ægri, In *hoc* ad sonum musicæ varios saltus & gestus edunt.

[64] *Illegitimus qui ob stimulationem*) *Willis* Morborum Convulsivorum duas species constituit, quorum alii *habituales* sunt cum gravioribus paroxysmis repetere soliti, quorum causæ conjunctæ, procatarcticæ & evidentes superius ex illo allatæ sunt, Aliam vero hujus morbi speciem assignat, ubi paroxysmi à causa evidenti solitaria, seu fere tantum ab *Irritatione*, spiritibus nondum *copula* explosiva præoccupatis dependent, quæ quibus & quot modis fiat sic disquirit.

Super his, *inquit*, in communi statuitur insultus spasmodicos, à mera *Irritatione* productos, aut leviores esse & cito pertranseuntes, aut gravissimos, & non raro lethales, prout quando venenis assumptis aut ὑπερεμέσει supervenium. Porro adnotetur cum materies morbifica, sive irritativa, ipsis nervorum caudicibus, aut plexibus insederit, eam non raro etiam explosivam existere, utcunque spasmos, etiam à mera irritatione productos, explosiones quasdam esse.

His prælibatis ad rem veniamus. Partium nervosarum irritatio, quæ motus convulsivos efficere solet, *variis in locis*, *variisque ex rebus*, quæ *spiritibus & fibris incongrua* atque *inimica* sunt contingit. Quoad *res spirituum naturæ adversantes*, observare est præter *venena* & *qualitatum tangibilium* excessus, qui ab extra infliguntur, multa quæ in nobis intus gignuntur, scil. varia *sanguinis & nervosi generis recrementa*, *miasmata febrilia*, *humores præternaturales*, *salinos*, aut *sulphureos*, quinimo *lumbricos*, *calculos*, cum pluribus aliis nervoso generi infesta esse, & irritationes spasmodicas passim ciere. Quoad loca affecta, sive *materiæ irritativæ sedem*, licet hæc in qualibet systematis nervosi

parte noxam inferat; ut plurimum vero maxime infesta esse solet cum juxta *systematis nervosi principia*, vel *extremitates*, vel circa *medios nervorum processus*, ac præcipue in eorum plexibus defigitur.

Porro talis materia, quæ spiritus irritans *causa evidentis* loco esse solet, non raro etiam *procatarctica* rationem subit, quatenus nimirum particulæ heterogeneæ ab illa emissæ fibras nerveas subeunt, & cum spiritibus combinatæ, eos ad explodendum aptiores & procliviores reddunt. 1. Igitur interdum accidit *humores malignos*, & nervoso generi infestos, è *sanguine* in cerebri regionem suffusos, & exinde demum in posticam capitis regionem delatos, nervorum origini incumbere, ubi si disrupta pellicula, quæ medullam oblongatam investit, in nervorum truncos ordos incidunt, eorumque fibras altius subeunt, propterea quidem *motus convulsivi* non modo in *partibus capitis vicinis*, verum aliquando valde *remotis*, & non raro in toto *systemate nervoso* oriuntur, Hoc passim observare est in *malis febrium crisibus*, materia morbifica in caput translata; item in *affectibus cephalicis*, in statum pessimum ac lethalem evectis. Revera cum plurium hoc ritu defunctorum capita aperuerim, reperi in omnibus posticam medullæ oblongatæ regionem sero acri & salsugineo immersam.

2. Sicuti systematis nervosi *extremitas interior*, sive *origo*, ita non raro *exterior*, sive *finis*, à vellicatione illic facta, spasmos sive motus convulsivos suscipit, eosdemque quaquaversus transfert: hoc in *membris exterioribus* passim fieri testantur *tendinum* ac *nervorum punctura*.

Nec minus à vellicatione in visceribus facta spasmi circumquaque excitari solent, si quando *pharmaca*, aut *humores acres*, nec non *lumbrici in ventriculo* aut *intestinis* sese tentes partes membraneas vellicant; adeoque sensionem molestam primis sensoriis imprimunt; exinde statim ob spirituum excandescentias motus convulsivi modò in *partes affectas*, modo indifferenter in *quascunque alias* retorquentur; nam à graviori visceris cujusdam noxa sæpe spasmi non tantum partes affectas & vicinas occupant, verum in *faciei* ac *oris musculos*, nec non in membra exteriora transferantur.

Calculus ureteri impactus, haud tantum in isto ductu, verum in tota vicinia contractiones immanes accersit: Porro, *symptomata* quædam *hysterica*, aliaque *hypochondriaca* non nunquam hac ratione inducuntur, quatenus nimirum vellicatione in visceris cujusdam membranis facta, illico spasmus retorquetur.

3. *Materies irritativa*, quæ spasmorum *causa evidens* esse solet, interdum *medios nervorum processus* occupat, & propterea partes modo supra modo infra illius sedem ad motus convulsivos incitantur. Hoc de *nervorum plexibus* satis constare videtur, cum enim *succi nervosi recrementa acria* in iisdem congeruntur, non raro spasmi per totam viciniam procreantur: hac ratione *affectio colica* atque *hysterica*, nulla viscerum istorum culpa tantum ab humore in *mesenterii plexibus* deposito non raro progigni ac excitari videntur. Pariter ob *plexus gangliiformes*, humore acri & irritativo obsessos, *præfocatio* in gutture, necnon variæ *præcordiorum contractiones* inferuntur.

Porro affectiones spasmodicæ ab *humore acri* intra *totos nervorum caudices*, & corporum nervosorum meatus scatente non raro dependent. Vidimus quosdam convulsionibus admirandis ac perpetuis affectos, ut necesse habuerint membra huc illuc jactare & distorquere, saltare, discurrere, humum manibus aut pedibus contundere, aliasque gesticulationes stupendas exercere, ac si sagarum præstigiis læderentur. Cujusmodi passionum causa genuina in eo consistere videretur quod *succus nervosum genus irrigans*, instar aquæ stygiæ acerrimus, ac à debita crasi degener factus, spiritus insitos influosque continuo irritaret, ac velut oestru quodam afflaret. *Willis.*

64. *Qui ob stimulationem partium nervosarum ab affectu dolorifico*) Convulsiones omnes citra externas & manifestas causas ortæ cum humorum acrimoniam agnoscant, illius natura & curandi ratio amplius proponenda. Acrimoniam irritabilem esse patet ex dolore nonnunquam intolerabili, caputque quasi perterebrante, ipsam convulsionem prægrediente. Acrimoniam autem humorum omnem à Sale lixivioso, vel Acido spiritu deduxi in superioribus: Et Spiritum acidum solum ejus naturæ esse dixi ut ab ipso convulsio originem habere possit.

A lixivioso autem sale tantam acrimoniam tum expectare non poteram, cui Convulsionem adscribere possem, postmodum tamen videor mihi modum invenisse quo ad talem acrimoniam pervenire queat Sal lixiviosum ut convulsionem excitare queat, & forte plerumque exciret, Postquam enim omnia in corpore tam sano quam ægro occurrentia mente volvo, præter sanguinem, per vasa circulantem, duos mihi videor observare præterea humores in sanis & ægris repertos, Bilem & Pituitam.

De Bile nulla opinor est dubitatio, cum in sanis semper occurrat in sua vesicula; in ægris autem rarissime observetur deficere in totum,

De *Pituita* major est difficultas, cum illo nomine plura designentur; In genere autem omnem humorem amaritudine carentem, & extra vasa & urinariam vesicam repertum *Pituita* nomine vocandum judico: Amaritudine carentem dixi, quo distinguetur à Bile; 2. Extravasa, quo distinguetur à sanguine, lympha & chylo. 3. Extra vesicam urinariam, quo ab urina.

Quicquid autem continetur in arteriis & venis, id omne sanguinis nomine appellandum judico, laudabilis vel vitiosi, sanguinis tamen.

Unde quicquid 1. in cerebri cerebellique ventriculis, aut utramque meningem observatur Pituitæ nomine appellandum puto, & aquam Hydrocephalum constituentem. 2. Mucum narium & screatum oris. 3. Omnem humiditatem in pericardio, ut & pectoris cavitate (extra pus & sanguinem ibi effusum: 4. Omnem humiditatem in ventriculo & intestinis, post alimentorum absolutam fermentationem, & chyli ab alvinis fæcibus secretionem, ac in lacteas venas expressionem, reperta. 5. Omnem humiditatem, vel anasarcam vel leucophlegmatiam, vel ascitem producentem.

Unde patet multas futuras pituitæ species quas non difficulter ad quasdam classes reducemus. Etiam 1. alia est Naturalis tenuior, qualis est Saliva, & [illegible] assiot, in ventriculo & intestinis hærens. Ex naturali, alia est utilis corpori, alia inutilis & excrementitia, utiles sunt saliva, & in ventriculo, ac intestinis reperta pituita.

Inutilis & excrementitia est per nares excreta; sive mucus, & quandoque per os screatu ejecta. Inter pituitas præternat. enumeratur imprimis, salsa acida, acerba, dulcis ac insipida, à sapore vario ita dictæ: præterea differunt ratione consistentiæ; alia enim fluida est & tenuis, alia crassa, viscida & tenax.

Ex horum humorum, si unus vel uterque non male est affectus, peccatque vel quantitate, combinatione mox alii producuntur humores, aut consistentia subjecta, quæ homines lædant, & ægrum faciant ipsum.

Quoties ergo, ut ad propositum redeam, Bil deperit, aut minuitur quacumque demum de causa spiritus volatilis & oleum, acrius observatur ejusdem

dem sal lixiviosum : Cui si parva quantitate jungatur Spiritus acidus purior, h. e. pauca duntaxat aqua dilutus, acrimoniam ab hoc spiritu nanciscitur majorem & corrodendi vim summam : Quod si tunc deferatur ad nervorum, vel cerebri partes membranosas, intolerabili dolore illas perterebrando quasi afficit & Convulsioni ansam præbet, Ergo sive spiritus acidus non temperatus spiritu volatili, sive sal lixiviosum, non temperatum oleo, & acrius redditum pauco spiritu acido ad membranosas cerebri nervorumq; partes deferatur, dolorem in illis excitat, qui si gravis contingat, Convulsioni ansam præbet.

Quamvis autem non semper de dolore magno conquerantur Convulsi, id quod accidit quia mens fere tunc ægrotat, interim tamen coguntur spiritus animales ad movendas partes ruere, atque convulsiones graviores aut leviores excitare.

Vnde patet, Omnem spirituum animalium, etiam ad musculos, motum non esse voluntarium, hoc ita se habere confirmant medicamenta in curanda convulsione usu comprobata ; Inter quæ primas tenent facile Thermæ sulphureæ, quæ vi penetrandi egregia ad affectas partes corporis intimas penetrant.

Atque ex dictis patet ratio & methodus Convulsionem ab interna causa; humore scil. acri ortam curandi: Consistit autem illa in humore acri, & imprimis acido, quavis arte emendando. *Sylvius de le Boe.*

64. *Ob stimulationem partium nervosarum*) E Recentioribus plerique solummodo *Irritationem* nervosarum partium Convulsionis esse causam statuerunt, conjecturam inde, opinor, petentes, quod *μικρὰ* pateat ab ipsa *vellicatione*, soloq; tactu nervorum spasmos induci; Et quidem plane observavimus, in dissectione vivi catuli, cultro nudatis nervorum spinalium caudicibus imposito, statim & ipsos, & musculorum quibus inserebantur corpora convelli : nec inusitatum est à nervorum ac tendinum puncturis, in quibusvis fere hominibus spasmos excitari; Memini ab ulcere in cujusdam brachio excitato musculi tendinem prorsus nudatum fuisse, qui cum specillo chirurgico tangeretur, patientem rigore quodam intro toto corpore, & concussione illico oborta aliquandiu inhorruisse : Verum enim vero ut concedamus partium nervosarum irritationes non raro causæ evidentis vicem subire, insuper aliquando hac causa solitaria spasmos leviores & cito transeuntes produci; nihilominus ut graviores hujus morbi paroxysmi, iique crebra vice repetentes debite explicentur, alias atque altiores causas, scil. tum conjunctam tum procatarcticam indagare necesse fuit, *Willis*, Vide supra §. *Vel materia expultricem partium vellicans, vel morbus.*)

65. *Sed sine perpetua tensione*) Inordinatus & violentus motus epilepticorum paroxysmorum initio ob hanc causam editur, quod dum nervosum genus hanc noxam expellere conatur, in sese contrahitur, rursumque deducitur, totius corporis musculos, quorum principiis nervi inseruntur, consequutione ad eos motus inordinatos perpetrandos convellendo, seu trahendo remittendoq; impellit, idque tamdiu donec materia noxi ab illis expulsa fuerit : aut ob virium prostrationem, & velut lassitudinem, cum motum amplius edere nequeant, membra nihilominus convulsa, seu attracta, rigida, donec integre ad se denuo redeant, aliquandiu fixa retineant; quod in *Catalepsi* starim ab initio, nulla pregressa corporis agitatione accidit, quia forte nec tanta spirituũ in ea, cum & in illa sensus aliqui adhuc interdum constent, fiat in nervos profusio, minorque nervorũ irritatio. *Platerus.*

65. *Sine perpetua tensione*) Hoc commune est in omni Convulsione partes ea tentatas, valenter dum convelluntur contineri debere, ne inordinatis motibus sese confringant & disrumpantur: dein statim oleo remolliente perfricari, si à siccitate orta fuerit, vel digerente & attenuante si ab humoris pituitosi copia. *Enchir. Med. Pract.*

66. *Per consensum orificii ventriculi vel uteri*) Affectiones spasmodicas interdum absque capitis vitio, à spirituum circa *nervorum extremitates* scatentium *irritatione explosioneque* oriri vel hinc constat, quia cum pharmaca *ventriculi* aut *intestinorum* tunicas acrius vellicant, aut lumbrici eas corrodunt, non tantum in istis partibus succedunt spasmi, sed insuper motus convulsivi nonnunquam in membra & artus exteriores retorquentur : Enim vero cum partem aliquam gravioris molestiæ sensus excruciat, & ab illa primo sensorio communicatur, exinde spiritibus ibidem irritatis motus involuntarius & irregularis reflecti solet; idque non tantum per eosdem nervos, quibus doloris sensus afferebatur, sed interdum etiam per alios, aut affines, aut prorsus extraneos spasmus reciprocatur. Ita *lapis ureteri* infixus, fibrasque ejus nerveas plurimum irritans, motus convulsivos non tantum in vase affecto, sed in cunctis fere abdominis visceribus excitat, adeo ut urina suppressa, tormina huc illuc diffusa, & vomitiones horrendæ utplurimum succedant.

Quapropter minime ambigendum est etiam morbos & symptomata quædam spasmodica propter noxam externam *nervorum apicibus* inter *membranas, musculos* aut *viscera* terminatis illatam sæpenumero induci, quinimo in passionibus *hystericis, hypochondriacis*, & quibusdam aliis, si quando motus convulsivi; capite illæso, *uteri, lienis*, aut alius visceris culpa excitantur, ne illi hac solum ratione, nempe reliquarum partium incommodis hac via per *nervos*, nullatenus autem per *Vapores* ad cerebrum translatos oriuntur, ac quoquoversum in varias corporis regiones propagantur. Hic autem adnotetur, quod licet *causa evidens* solitaria, si quidem ea fortis ac vehemens fuerit, convulsiones interdum per se, & absque dispositione prævia inducat, quatenus nimirum spiritus animales supra modum irritati, explosiones solito majores & plusquam ordinarias ineunt, prout in *hypercatharsi*, ac paroxysmis *colicis* & *nephriticis* passim evenire solet, attamen in plerisque aliis affectibus spasmodicis, quorum accessiones sunt crebræ & habituales, præter *irritationem* circa nervorum extremitates factam, quæ utplurimum loco causæ evidentis est, etiam *procatarxis* quædam adest, cujus efficaciæ morbi insultus præcipue debetur, nempe cum motus convulsivi *lienis, tarxis*, aut alius privatæ partis vitio excitati, ac crebra vice repetere solent, suspicari licet quod *spiritus animales* fibrarum in parte affecta, & in vicinia ejus dispositarum incolæ, copulam *heterogeneam* & *explosivam* prius contraxerant; qua ad plenitudinem saturati, levi occasione in explosiones spasmodicas cientur: dein istæ circa *nervorum extremitates* primo inceptæ, eorundem nervorum ductu sursum perreptant, & non raro ad ipsam *originem nervosam*, ac interdum ulterius ad cerebri meditullium traducuntur; à quo denuo in nervosum genus reflexæ, etiam membrorum ac artuum spasmos secundario inferunt : postquam vero cerebrum, & superior systematis nervosi portio, spasmis infra excitatis sæpius compati & coafficii assueverunt, etiam spiritus, istarum partium incolæ, ipsi tandem adulterari, copulam heterogeneam & explosivam admittere, adeoque in causæ procatarcticæ partem adsciscí incipiunt : hinc demum procatarxis spasmodica utrique caudicis cujusdam nervosi termino communis evadit, atque spiritus animales in nervi unius aut plurium tum capite tum cauda male dispositi, ab alterutro explosiones concipiunt, easque alteri statim tradunt: *Willis*. Vide plura ubi de affectibus hystericis. supra §. *In genere nervoso.*)

66. *Plerumque per consensum*) *Platerus* existimat cerebri molestiam, seu irritationem per consensum potius & compassionem cum aliqua parte quam proprio

illius affectu accidere, quia si ex cerebri morbo aliquo gravi (sicut revera gravem morbum, qui tam vehemens symptoma induceret, esse oportet) accideret, non tam cito convulsionem accidentia quæ infert remitterent; sicut & 10 alijs hujus partis principis læsionibus diuturna & perseverantia, ut in apoplexia videre licet, succedere symptomata videmus, eosque affectus qui nervis contingentes convulsiones excitant, veluti punctura & inflammatio, si in Cerebro fiant, non illas, sed apoplexiam & phrenitidem invehunt: Licet & per consensum hac ratione cerebrum molestatum, si causa offensionis magna sit, continuoque repetat, cerebrum ipsum non solum irritans, sed & vehementia & frequentia adeo lædens, ut proprium quoque affectum contrahat; tunc fere lucta convulsionum continua permanet, nec ad se exacte amplius ægri redeunt, aut paroxysmus integre cessat donec penitus extinguatur æger.

67. *Per consensum orificii ventriculi vel uteri*) Si fiat ob morsum oris ventriculi à bile æruginosa, à bilis vel vomitorius vel catharticis expurganda, Post ejus homoris generatio prohibenda; Si per consensum *uteri*, dentur remedia utero accommodata: Si à *Vermibus* occidantur & foras educantur. *Enchir. Med. Pract.*

67. *Affectus dolorificus vel est &c.*) Affectiones convulsificas aliquando per *totum genus nervosum* vagari, atq; partes modo has, modo illas, modo plurimas simul infestare notū est, quippe advertere licet in his musculorū tēdines ubique subsilire, spasmis contrahi, in alijs membra quævis exteriora varijs flexionibus contorsionibusque huc illuc multifariam flecti aut extendi: Vidimus nonnullos spirituum effrenī & indomita vi coactos, modo veluti oestro percitos currere aut salire, modo pedibus aut pugnis terram vel objecta quævis validissima contundere, quod ni facerent illico in lypothymias & horrenda spirituum deliquia incidere.

Nimi esset tædii singulos casos spasmorum universalium, & per totum genus oberrantium enumerare; istiusmodi autem symptomata, licet varia & multiplicia fuerint, ad *tria* tamen capita præcipua quodammodo reduci possunt, nimirum quatenus à tribus causarum generibus ponstimum dependent; quandoque enim in vagis hisce spasmis supponere debemus *totum liquorem nervosum* vitiari, atque spiritus animales in eodem ubique scatentes adulterari, proindeque fere perpetim explodi; Advertere licet ejusmodi labem & *succo nervoso* & spiritibus ubique insitus, u.10 aut altero *ex tribus hisce modis* utplurimum imprimi, scilicet i. vel à *Venenis*, aut *veneficiis*. ij. vel à *febre maligna*, aut *male judicata*, in quibus scilicet materies morbifica in *cerebrum*, aut in *genus* nervosum suffunditur; vel iij. cum *liquor nervosus* longo temporis tractu, propter *affectionem scorbuticam*, aut alias vitiosam, à debita crasi in *liquorem acrem*, aut *acidum*, aut alio modo præternaturalem & spasmodicum degenerat, Libet hic prædictos singulos casus considerare, & 1. de spasmi in insultibus qui à *venenis*, aut *veneficiis producuntur*.

Primo igitur *Venena* quædam in *liquorem nervosum* potius quam in *sanguinem* agere, quæ illum depravantia affectiones spasmodicas potissimum inducunt, à nobis ostensum est, Et liquido constat ex comestione *cicutariæ*, *apii risus*, *mandragoræ*, *solani furiosi*, *pastinacæ sylvestris*, aliarumque herbarum noxiarum, quam nempe brevi subsequi solent *horrenda ventriculi contractiones*, *delirium*, atque in toto corpore *tendinum spasmi* ac subsultus.

Porro ejusmodi affectiones convulsivæ succedunt io demorsis à *cane rabido* aliisque *feris venenatis*: Ubi miasma virulentum, à succo nerveo exceptum, in eodem diu delitescens te tandem ex[illegible] atque totam liquoris, quo involvitur, massam fermento suo inficit ac venenat, Id quod clarius adhuc & liquidius illustrant symptomata admiranda, *spasmi* nempe *dolorifici*, & *indefessa saltatio*, quæ *Tarantulæ morsui* succedere ab authoribus perhibentur, & possint quidem fabulosa videri, nisi quod rei veritas à pluribus bonæ fidei viris, tum antiquis tum recentioribus asseritur; nam

De Morsu Tarantulæ.

Præter *Matthiolum* & *Epiphanium Ferdinandum*, *Gassendus* & *Kircherus* addunt se effectus istius testes oculatos fuisse, quinimo fertur in *Apulia* notissimum esse, & usu fere quotidiano receptum, neimpe in regione ista Phalangii sive Araneæ genus quoddam extare, quod Tarantula, a Tarento, antiqua Apuliæ urbe appellatur, Animalculum hoc in æstate valde frequens, incolas incautos sæpe mordet, atque ictu venenato afficit, unde statim dolor in parte læsa cum tinnore, pruritu, mox in variis corporis partibus stupor, tremor, nec non membrorum convulsiones & resolutiones, aliaque symptomata spasmodica cum summa virium prostratione succedunt, uti ex *Matthiolo*, *Ferdinando*, aliisque stup ndam hujus in orbi *pathologiam* enarrantibus colligere datur.

At vero maxima admiratione dignum est quod de hujus morbi *curatione* autores referunt, atque per totam regionem vulgo in praxi est, *Namque icti à Tarantula*, utut graviter laborant, auditis musicis *instrumentis* statim *à plangoribus cessant*, *atque in medium prosilientes tripudiare ac saltare incipiunt*, *tamque diu rem persequuntur* ac si *sani essent*, ac nullo *unquam teneantur dolore*: quod si *evenat ut tibicines tantillum quiescant*, non *multo post* tempore *in terram* concidunt ac *in pristinos* redeunt *languores*, nisi *tamdiu sonitu* indefinenti *saltant ac tripudiant donec venenum penitus* discutiatur: *Ob id tibicines stipendio conducuntur*, alternatimque *mutantur*, ut *absque ulla sonitus intermissione tamdiu tripudient demorsi*, *quousque penitus curati conquiescant*: Ita Matthiolus, quibus addit Ferdinandus, *Pauperes in Apulia omnem fere substantiam suam in musicos & tibicines erogare*, *quippe totam illam provinciam evagantur*, & *Tarantatis inserviendo multum lucri faciunt*, & *quidem tripudiant ac saltant intra oppida*, *in publicis plateis*, *in agris*, *alii uno die*, *alii una hebdomada*, *alii pluribus*.

His authoribus suffragantur viri Doctissimi *Gassendo* & *Kircherus*, quorum uterque ex propria observatione referunt se taliter affectos novisse: asseruntque ipsos haud quavis musica indifferenter, ac quibusvis [illegible] anorum generibus affici, excitari, at ad numeros quosdam præ aliis tripudiare.

In prædictorum *accidentalium rationes*, ut, si quid conjectura assequi possimus, paululum modo inquiramus, inprimis extra dubium habetur ab animalcu[illegible] illius morsu miasmata quædam venenata corpori human[illegible] infligi, quæ tamen *sanguini* & *spiritus vitalis* minus [illegible]sta, quamprimum ex ipso in liquorem *nervosum* transierint, per totam ejus massam, fermenti instar se statim explicant, atque spiritus animales ubivis in ea[illegible] entes imprimunt, ita quidem ut ipsi ab invicem distracti, & huc illuc inordinate agitati, affectiones mor[illegible] natas inducant, quas partium continentium modo contractura, modo languor & resolutio comitantur. Cur autem quæ à Tarantulæ morsu convulsiones dolorificæ, statim à *Musica* sedatæ in saltationem commutari sol[illegible] ut, non ita plane constat.

Quod nonnulli asseru[illegible] animalculum hoc (siquidem teste *Aristotele* [illegible] fuerit) musica delectari, a[illegible]que eapropter venenum ejus homini inditum, hu[illegible] [illegible] mentando, parem musicæ amo em inducere, h[illegible] inqua[illegible] conjectura animo veritati avido minus [illegible] it, utpote qua[illegible] anco naturam philomuticam, [illegible]

demque

demque postea cum homine, per metastasin, seu velut quandam μετεμψύχωσιν communicatam supponit, quæ quidem utraque & gratis dicta sunt, & minus arrident; quin potius dicendum videtur, Venenum à morsu Tarantulæ liquori nervoso inflictum mitius esse quam ut spiritus animales penitus extinguere valeat, aut distractos prorsus dissipare, & in explosiones immaniores cogere: sed eos tantum in fugam conjicere, fugatosque hinc in spasmos leviores, ac fere tantum dolorificos incitare: at vero *musicam* blanda dulcedine sua spiritus ita dissipatos facile una congregare, ac mutuo associare; quapropter cum iidem spiritus, ob miasmata virulenta iisdem adhærentia, usque in motus involuntarios & convulsivos apti fuerint, *melodia* eos simul allectos, in tales spasmos disponit ac dirigit, ut serie ac ordine quodam, nervorum corpora subeuntes, certis velut in cancellis ac orbitis ferantur, donec tandem veneni particulis penitus evaporatis, atque spirituum furore ac impetu delassato, oestrum illud omnino excusserint.

Enimvero Musica homines sanos ac sobrios, etiam invitos, aut aliud cogitantes; in actiones modulaminis auditi æmulas facile capit; ut primo statim Tibicinis instatu adstantes manus & pedes agitare incipiant, & vix ac ne vix à saltando se contineant: Ne quis ergo miretur in hominibus à Tarantula demorsis, ubi spiritus animales, velut stimulis agitati, huc illuc sponte exilire & divagari coguntur, si ad citharæ impulsum in saltationes & motus compositos excitentur, adeo ut in hujce affectibus musica spiritus debacchantes velut incantans; eorumque motus convulsivos quodammodo regens atq; commutans, antidoti loco habeatur; in quantum scil. spiritus animales ad hunc modum diu ac multum exerciti, copulam elasticam à veneno aut alias contractam, penitus excutiunt, ipsique plurimum defatigati, demum ab oestro, seu incitatione sua conquiescunt.

De chorea Sancti Viti.

Huic affine est malum, quod *chorea Sancti Viti* appellatur, de quo refert *Gregorius Horstius* Epist. Medic sect. 7. se cum mulieribus quibusdam loquutum, quæ quotannis Sacellum S. Viti, quod est in finibus Vlmensium, visitant, ibidemque saltu cum perturbatione mentis; eo usque sese nocte dieque exercent; donec ecstaticarum instar corruant, qua ratione sibi restitutæ videntur, ut parum vel nihil sentiant per annum integrum usque ad maji tempus subsequens, ubi membrorum inquietudine eousq; sese torqueri referunt, cui vicissim circa festum S. *Viti* ad prædictum locum, saltationis gratia sese conferre cogantur: *Hactenus Horstius*, Profecto usitatum est (prout sæpius observavi) tum viros tū fœminas, interdū ea membrorum inquietudine, & velut œstro quodā urgeri, ut necesse habuerint usq; ad lassitudinem ambulare, quin etiam saltare; huc illuc discurrere, ut hac ratione crebriores molestias, & leipothymias alioquin invasuras evitare possint: Quorum ratio videtur esse, quod spiritus animales, quatenus in toto nervoso genere à copula heterogenea incitati, effeti prorsus ac effæti evadunt, quos quidem ita exerceri, atterique opus est, tum ut ipsi perdomentur, tum ut copula explosiva excutiatur.

De motibus Convulsivis à Veneficio excitatis.

Affectiones convulsivas interdum à *Veneficio* excitari, & vulgo creditur, & à multis fide dignis authoribus passim asseritur & quidem ut concedamus admiranda in corpore hum[a]n[o] p[h]ænomata à Diaboli præstigiis sæpenumero prod[ire], quatenus nempe iste pro mira qua pollet agend[i] subt[i]litate, animæ sensitivæ, sive spirituum animalium sy[stemati] atomos, sive *corpuscula heterogenea* insinuat, adeoque functionibus ejus modo *stimulos* addit, modo vincula injicit, modo eas in perversum rapit; quin etiam aliquomodo *ipse* corpus humanum subit, & quasi altera anima potentior ei coextenditur, singulas partes & membra actuat, vigore insolito inspirat ac pro libitu suo regit, ac ad facinora immania & supernaturalia perpetranda incitat, Attamen omnia Spasmorum genera, quæ præter communem istius morbi morem prodigiosa apparent, non statim *Sagarum incantamentis* adscribi debent, aut Dæmon ἀπὸ μηχανῆς semper in scenam vocandus.

Enimvero quoties è potentioribus cuipiam viro natus, aut affinis spasmis forte atrocioribus & insolitis corripitur, plerumque fit ut *vetula*, mox proxima veneficii accusetur, rea peragatur, laqueumque aut flammas vix ac ne vix quidem misera evadat, cum interim morbus à causis mere naturalibus procedens non alio exorcismo quam remediis contra affectiones convulsivas præscribi solitis facile curetur: Revera spiritus animales copula explosiva immaniori prædìti, & ab ea confertim elisi, tantum roboris ac vigoris supra propriam ac solitam suam potestatem exerunt, quantum *flamma pyrii pulveris* supra flammæ communis deflagrationem, adeo ut qui morbo huic obnoxii extra paroxysmum levissimo unius viri ductu regi, attolli, & quo libitum erit agi poterint, eodem urgente quatuor ad minus robustorum hominum ultimos conatus nixusque eludant; Sin vero in laborantis cujusdam casu *veneficii* aut fascinationis suspicio exoriatur, duo sunt inprimis motuum genera quæ hanc creare & fovere solent, scilicet 1. si patiens ejusmodi membrorum aut totius corporis contorsiones aut gesticulationes perficiat quas nemo sanus, ne quidem mimus aut gesticulator quispiam imitari solet. Deinde 2. si robur exerat quod vim omnem humanam superat, quibus si rerum monstrosarum excretiones accedant, extra dubium ponitur in hac tragœdia diabolum partes suas habere & agere. *Willis.*

67. *Affectus dolorificus*) *Doloris* occasione præcipue convulsiones fiunt, si vel enormes & diuturni sint cruciatus, quales in *Colicis*, vel si corpora sensu exquisitissimo prædita, & quæ ob teneritatem ejusmodi tormenta difficulter perferunt, infestent: quo nomine & infantes, non tantum in variis ipsorum ægritudinibus, sed & cum dentire incipiunt doloribus exacerbati frequenter convelluntur: Sed & *titillationem* immoderate factam ejusmodi corporibus quia molestiam tristemque sensum quoque exhibet, convulsiones in quibusdam peperisse restatur experientia. Imo levem *titillationem à vermibus*, intestina ventriculumque perreptantibus, osculisque suis illa sugentibus inductam, in infantibus, non tantum horrores morsusque narium, sed & leves epilepticas convulsiones movere omnibus in confessu est. *Platerus.*

68. *Vel est ab intemperie vel solutione continui*) Causam illius ab humore acri, & imprimis acido pendere ostensum alibi, Curatio præter missa cōsistit in illius humoris correctione & emendatione, medicamentis tam Externis; quam Internis, quæ itidem vim habeant humores acres & acidos contemperandi: Talia sunt in genere omnia sale volatili prædita, ac inprimis sudorifera similia, eaque excitato sudore magis efficacia; Sic enim ubiq; aperiuntur corporis pori, tam interni quam externi, penetrantque quaquaversum medicamenta assumpta: Exhibendus autem inter nota hidrotica, spiritus Tartari, aquæ theriacali, aut vini spiritui rectificato junctus, omissis acidis, *Sylvius.*

68. *Vel est ab intemperie, vel solutione continui*) Vide §. *Illegitimus qui ob stimulationem.*)

69. *Venena*) Venena interdum causa sunt, Vide superius. §. 50. *Venenata.*)

69. *Hinc Saltus S. Viti*) Arabes aliqui *Saltuosam membrorum*

dissipationem vocarunt, & *convulsionis* speciem esse voluerunt, cum tamen nulla hic membrorum fiat convulsio, sed mens alienata in hanc insaniam & perversum appetitum feratur & impellatur, ut in aliis melancholiæ & maniæ speciebus, aliarum rerum, quæ alio, modo horrendæ quoque esse apparent, desiderio tenentur; uti ij qui à cane rabido morsi sunt pavore aquæ excruciantur; Si modo non à *Dæmone* hic saltus inordinatus proficiscatur. *Platerus.* vide supra ex *Willisio.*

[70.] *In illo semper sunt inquieti*) Exemplum ego in muliere hic *Basileæ*, integro mensis spatio in publico loco tripudiante, cui magistratus certas personas, viros fortes qui cum ea alternis vicibus, cum unus minime sufficeret, subornarat, cum juvenis essem vidi, *Idem.* De hoc affectu vide §. *Affectus dolorificus vel est.*)

De Symptomatibus Sensus Internos, Ratiocinationem & Motum, cum sensibus Externis simul lædentibus.

Cap. XXVIII.

De Incubo & Catalepsi.

Symptomata Sensus Internos, Ratiocinationem & motum, cum Sensibus Externis simul lædentia sunt, *Incubus, Catalepsis, Epilepsia, Carus, & Apoplexia.*

[1.] *Incubus est* [2.] *motus, potissimum respirationis & vocis interceptio, cum falso rei gravis thorac incumbentis & suffocantis insomnio, ob impeditam liberam spirituum, viis obstructis, ad nervos penetrationem.*

3. *Pars affecta* est Cerebrum, [4.] maxime parte posteriore, qua meatus ad principium spinalis medullæ pertingit. Comprimitur & *Diaphragma,*

[5.] *Signa* sunt gravitas & immobilitas corporis, [6.] præsertim pectoris, sensus torpidus, suffocationis, initio præsertim somni, homine [7.] supino decumbente, [8.] Imaginatio, & quasi ab aliquo incumbente oppressio, ut æger [9.] exclamare nequeat, sed confusam vocem edat. Sola respirationis & vocis interceptio imaginationi offertur; quia solus thoracis motus in somno summe est necessarius.

[10.] *Causa* est Spirituum animalium interceptio, ab *Obstructione* levi ventriculorum cerebri, ac potissimum principii spinalis medullæ, exorta. [11.] Hanc causatur *Vapor crassus*, sæpe frigidus, imò narcoticus: hinc æger difficulter expergiscitur. [12.] Qui à crassa pituita aut humore melancholico, in hypochondriis & circa præcordia hærente oritur, is hisce per crapulam, cruditatem, [13.] vel aliis de causis turgescentibus & motis exhalat, diaphragma & pulmones premit, in principium nervorum irruit, & in imaginationis sedem irrepens, spiritibus sese immiscet

[14.] *Curatio* est *Minoris spei*, *si* à causa interna, provectiores ætate adoritur, [15.] *si* diuturnus & frequens, & à quo æger stupidus permanet, *si* [16.] partim dormienti, partim vigilanti accidit, quia Epilepsiæ propinquior est, *si* post excitationem sudor frigidus, [17.] tremor cordis, [18.] spasmus aut syncope sequuntur.

Respicit I. *Paroxysmum*, [19.] in quo ægri excitandi, vapor frictione dissipandus.

II. [20.] *Tempus extra paroxysmum*, in quo.

1. [21.] *Diæta* servanda, quæ exigit Aëris tenuitatem, Cœnam frugalem, vini & cerevisiæ tenuioris usum, decubitus supini fugam.

2. *Materia*, vaporum fomes, [22.] si altius insedit, [23.] per incidentia & abstergentia *præparanda*; mox [24.] debito modo *evacuanda*. [25.] Venæ Cephalicæ vel Epaticæ, In mulieribus, menstrui suppressione laborantibus, saphenæ sectio, si plethora adest, probatur.

3. [26.] Capite privatim mox purgato, illud roborandum. [27.] Internè per semen *nigrum pæoniæ maris*, *theriacam* in aqua pæoniæ florum exhibitam.

Externè, per lotiones ex cephalicis compositas.

4. Vapores post cibum prohibendi, *Diacydonio, Coriandro præparato* &c.

Incubus) Incubus & Incubo Latinis affectus est *Hipp.* & *Galeno* incognitus, nisi sunt φόβοι. pavores in nuper natis 3. aph. 24. φοβερὰ φαντάσματα *Gal. in comm.* qui ipsi *Panici terrores*, ut ita explicem, quia de die etiam contingunt, & præsertim melancholicis: responsum hoc habeant illi qui de necessitate ajunt esse ut de nocte fiat. Apud *Paulum* est, l. 3. c. 15. *Themisonem* 10 Epist. πνιγαλίωνα vocasse. ἴσως ἀπὸ τοῦ πνίγειν. forte à suffocando, inquit, & rectè, hinc enim est πνιγμὸς ἀνώμαλος. suffocatio in somno apud *Dioscor.* Apud eundem *Paulum* est quosdam ἐφιάλτην vocasse, sive à viro quosdam, sive ab imaginatione, quod videantur sibi ἐφάλλεσθαι, invadi à quopiam; Me ab utraque opinione revocat *Dioscor.* qui Pæoniam suam commendat contra πνιγμοὺς τῶν ἐφιαλτῶν, Hinc dico, denominatio non est ab uno aliquo, sed à pluribus: Hos conjector esse *Faunos, Satyros, Sylvanos, Panes*, vel quocunque nomine voces, qui hoc officium gerebant antiquitus, & quos ob id ἐφιάλτας vocatos fuisse, Insultatores Incubos verisimile est: Interim ἐφιάλτιον dicitur Pæonia, quod medeatur huic quoque malo, Epilepsiæ propria alioqui: *Hofmannus Inst. l. 3. c. 90.*

Incubus

1. *Incubus est motus*) Accuratior est definitio à *Laur. Straussio* in *Palæstra Med.* pagin. 72. tradita, *Incubus est diminutio operationis motricis in respiratione, motu totius, cum prava rei pectoris incumbentis imaginatione, à vapore crasso, nervos præcipue phrenicos & recurrentes obstruente, ac spiritibus animalibus stuporem inducente dependens*, Patet hinc *symptoma* esse in genere læsarum functionum animalium, Non *aboletur* prorsus, quin potius *imminuitur*, graviterque præpeditur motrix in *Respiratione, voce*, & *totius corporis motu*, cujus dum præcipue Thoracem affligens difficultas offertur Phantasiæ, fit ut hæc pravum φαντάσματα objectum, ceu nescio quid gravamen, vel fingat, vel etiam revera percipiat &c. Idem. Palæstræ *Med.p.*74.

2. *Incubus est motus potissimum &c.*) Incubi paroxysmus sæpissime, ac fere tantum in e: dormiendum ingruens, plerumque post stomachum cibis dyspeptis aggravatum, & decubitum in lecto *supinum* excitari solet; eo laborantes potissimum in *pectore* & circa præcordia noxam sentire videntur, nam *respiratione suppressa*, aut plurimum impedita; se à pondere quodam thoraci graviter incumbente, opprimi putant, quod quidem pondus nunc hac, nunc illa spectri aut larvæ specie ipsorum imagnationes ludit; illud autem dum corporis aut membrorum motu se excutere aut amovere velle concipiunt, nec corpus, nec membrum aliquod quodque movere possunt; verum post diutinam, ac interdum fere ad vitæ deliquium in præcordiis luctam, tandem evigilant, atque à somno plenius expergefactis, moles imaginaria subito evanescit, & corporis vis motiva restituitur, superstite vero ut plurimum cordis tremore, & non raro diaphragmatis vibratione celerrima & violenta; dein paroxysmo finito, etiam phantasiæ, horrendam Incubi speciem concipientis hallucinatio agnoscitur.

Apud vulgus suspicio inolevit passionem hanc revera à Dæmone induci, atque à malo spiritu incumbenre istam in præcordiis oppressionem, & gravamen inferri; Quod equidem ita interdum fieri ut concedamus (*vide Henricum in Praxi capite de Incubo*) verum insuper hoc symptoma sæpissime à causis mere naturalibus procedere existimamus, licet quales istæ sint, & ubinam loci materies morbifica subsistat inter Authores non convenit, nec quidem assignata facile videtur.

Quandoquidem *Imaginatio* decipitur, & errore ulterius in ipsos sensus propagato, visu & tactu ita imponit ut affecti monstrum incumbens, hujus aut illius speciei, aut figuræ se plane videre & palpare opinentur; cumque interea *facultas locomotiva* in toto corpore impeditur, nonnulli hujus morbi sedem omnino in *Cerebro* collocant, atque pectoris oppressionem mere phantasticam esse contendunt: At vero licet monstrosam (quæ concipitur) Incubi speciem, merum insomnium esse concedamus, Præcordia tamen revera affici, atque *pulsus* & *respirationis* motus quodammodo supprimi aut inhiberi plane constat, in quantum scil. istud Pectoris gravamen, à plerisque inter evigilandum, imo recens experrectis plane sentitur, cumque illud amovetur, *cordis* & *diaphragmatis* tremores, ac motus inordinati succedunt, unde sequitur has partes laborare & noxam talem pati.

Quapropter alii ut nodum hunc melius solverent, causam morbificam dividentes, portionem unam ejus *cerebro*, aliamque pectori assignant: ajunt nimirum ab humore viscoso, & valde crasso, circa pulmones impacto, horum motus impediri, eamque velut molis incumbentis cum dyspnoea oppressionem excitari; dein vapores ad cerebrum elevatos nervorum principia implere, & virtutem locomotivam inhibere: Quæ opinio (haud magis quam *incubati conceptus*) assensum non meretur; quippe nec ulla humoris istius circa præcordia aggesti; ante aut post paroxysmum vestigia apparent; quin ubi hæc regio plurimum aggravatur, uti in phthisi, asthmate; aut hydrope pectoris, Incubus non propterea aut crebrius aut gravius infestat: Porro non constat quomodo materies in præcordiis aggesta in somno tantum molesta fuerit, nec quo transitu aut commeatu vapores exinde ad caput elevati ἀκινησίας tam subito inducant; Quare affectus hujus aitiologiam aliam statuendum arbitror.

Itaque moles ista, sive gravamen; pectori incumbens, revera sentiri videtur, quoniam & *cordis*, & organorum *respirationis* inservientium motus inhibetur; Etenim *corde* à motu cessante, adr eam ægrius absolvente, sanguis in sinubus ejus, ac in vasis pneumonicis stagnans, ibidemque plurimum angustatus, magni quasi ponderis sensu pectoris regionem opprimit, quod item eo gravius videtur, quia una cum *corde pulmones*, *diaphragma*, & *thoracis musculi*, à motibus suis impedita, & quasi constricta, magno sese exserendi nixu laborant: Verumtamen adhuc difficillima quæstio est de causa; ob quam *motus* sive *actio præcordiorum* supprimitur, aut inhibetur: Impossibile videtur hoc à materia organis ipsis impacta fieri; cujus siquidem nonnisi ingens copia pro tot partium remora sufficiat; aliqua saltem alicubi extra paroxysmum signa apparerent; Quare potius dicendum videtur partium istarum actiones impediri quia *spirituum animalium influxus* supprimitur: Hoc in affectibus spasmodicis crebro fieri alibi declaravimus, & experimento anatomico, scilicet ligatis in cane vivo paris octavi nervorum truncis clare ostendimus. In affectis autem ab Incubo spirituum obstructio, neque in ipsis *organis*, nec in ipsorum *nervis* excitari videtur; talis enim causa vigilantibus æque ac dormientibus contingens, haud denuo statim mobilis, sed fixa ac permanens esset.

Quapropter *Ephialtis* paroxysmum induci putamus quatenus inter dormiendum, una cum succo nerveo materies quædam incongrua *Cerebello* instillatur, quæ spiritibus in prima scaturigine torporem, sive narcosin quandam inducens, eos mox à functionum suarum muniis paululum cessare cogit, proinde ut ab altero velut lethargo, intra cerebellum excitato, actiones vitales eclipsin brevem patiantur, qua durante, partim à præcordiorum obstrictorum lucta, partimque à sanguine in iis plurimum aggesto & stagnante, gravamen istud, ac velut molis incumbentis sensus infertur: deinde quoniam cæteræ omnes totius corporis facultates à cordis motu dependent, idcirco hoc impedito, & suppresso, illæ statim deliquia aut inordinationes subeunt: præsertim vero sanguinis in cerebrum, pro spirituum animalium fomite, affluxus interrumpitur, propterea mox horum effluxus in systema nervosum supprimitur, adeo ut laborantes dum pectoris molem imaginariam excutere satagunt, nec corpus, nec membrum aliquod movere possint, nimirum quia spirituum (donec sanguinis affluxu destituuntur) irradiatio in partes motrices inhibetur, interim qui in cerebro resident huc illuc lati phantasmata confusa: & ex molestia à præcordiis impressa, horrenda spectrorum insomnia concipiunt.

Incubi tamen paroxysmus cito finitur, quoniam materies Cerebello raro aut nunquam altius insidens, facile excutitur, aut in sanguinem resorbetur, nam proinde spiritus complexus ejus immunes facti, ac intra solita spatia motus libertatem adepti, functionum suarum exercitia repetunt, quare sanguinis affluxu tunc statim in cerebrum redeunte, mox spiri-

tamen ex quovis nervi vulnere, sed ab eo tantum fere quo *nervus punctum* læditur convulsiones supervenire solent, excitata tunc ob offensam illius functione, quæ si penitus sit abscissus nervus potius abolerur, quam & ob causam nervum convulsum si amputemus, convulsionem in eo factam sanamus, cæterum hanc nervi irritationem à continui illius solutione productam, magis adhuc adauget *inflammatio* vel putredo, ex retenta sanie in angusto puncturæ nervi foramine, summusque inde *dolor*, quæ plerumque huic affectui supervenire solent: Aut si vulnera a ferro, suapte natura nervis propter æruginem feret, aut quia infectum fuit, infesto, vel *morsu* aut ictu venenatæ bestiæ accidat. *Platerus.*

49. *A vulnere vel punctura nervi*) Qua ratione spasmus consequatur, vide supra §. 2. *vel morbus violenter nervosas partes tendens.*

50. *Punctura nervi*) Si convulsio fiat ex punctura nervi in inepta V. S. optimum est instillare vulneri *ol. destillatum terebinth.* seu *ol. laterinum* vel *ol. ceræ*, Et imponatur Empl. quod.

℞. *Euphorb.* ℈j. *tereb.* ℥ß. *ceræ parum* misc. *Ettmuller* vide plura vol. 3. *in Chir.*

50. *Punctura nervi*) Si à Punctione nervi ab acu, aut simili instrumento corporeo, primo quoque tempore, si foramen vulneris sit angustius, dilatandum est ut virulenta sanies exspiret, quæ si ibi retineretur putresceret, aut medicamentis ex alio trahentibus virus illud educendum: ad id fit Cataplasma ex cæpa sub cineribus cocta, addito fermento & pauca theriaca: Pars affecta etiam immittitur in aquam tepidam ut virus foras extrahatur; cute prius in multis partibus scarificata: Post apponitur theriaca dissoluta in aqua vitæ, superponitur ungu. Apostolor. vel Empl. è Galbano, vel catapl. è cæpa aut far. fabar. orobi, lup. decoctis in oxymelite.

℞. *Terebint, Ol. veter.* āā. *dr.* j. *aqua vitæ parum*, Addi potest *euphorb.* ℥ß. modo nervus non sit obvius medicamento, quo in casu opus est uti blandioribus.

In id valent Balsama omnia quæ siccant, quibus Chirurgi conglutinant vulnera recentia, hæc enim partes vulneratas à putredine vindicant, minime tamen horum usu vulnus conglutinandum, sed contra imposito Empl. de Galbano ichor est expurgandus. Qui vero puncto nervo dolor excitatur vehementissimus, sedetur, *aqua terebinth. oleo rosar.* mista mire enim compescit dolorem nervosarum partium, vel ol. lumbricor. Panis quoque calidus calido lacte infusus, & cataplasmatis modo impositus valde anodynus est, quod si nullis remediis anodynis vincatur dolor, narcoticis utere, ut pane cum decocto papav. albi, & si opus sit cū opio ipso, aut illinitur pars oleo papaver. & similibus: Ad extremum, cum cætera nihil proficiunt, Nervum transversim secare oportet in parte supra puncturam, satius enim est partis motum perire quam hominem mori. *Enchir. med. pract.*

50. *Punctura nervi*) Nobilis Venetus dum præscinderet ungues, læso nervo successit inflammatio & convulsio, tandemque tertio mense interiit. *Iohann. Rhodius obs.* 50. *cent.* 1.

Venenata) Huic accenseri potest quæ Luis venereæ non plane extinctæ soboles est; Cujus exemplu habet *Ozias Aymar* in observ. Riverianis adnexis.

Vir militaris ex ictu tormenti bellici vulnus accepit in brachio dextro, ob quod totum brachium abscissum est, superstite tantum parte humero vicina, Vulnere consolidato quadam convulsionis specie correptus est, quare trahebatur caput versus partem dextra & mandibulas frequenter agitabat: Ratus aliquam eminentiam acutam superesse quæ nervum aliquem ferit et, rescindendam ossis extremitatem credidi, ac diligenter adæquandam sed facta operatio nihil profuit; Quæsii num unquam morbum aliquem venereum passus esset Respondit se ante vulnus gravi gonorrhœa laborasse, Ideo consului ut remedia luis experiretur &c. post tertium ptyalismi diem convulsiones cessarunt.

Vel venenata) A veneno si fit, dum vim mirabili proprietate *scabiosa* assata & ovi vitello, pauxillaque *theriaca* superposita infringit. *Petraus Nosol.* p. 166.

Vel venenata profectus) Si à morsu animalis eadem sunt facienda, statim ergo admovenda vulneri cucurbitula cum scarificatu: Sunt qui podicem gallinæ aut galli parti admovent, cujus rostrum sic comprimitur ut ano illud animal aerem trahat: Apponitur & scabiosa cum ovi vitello in cataplasmatis speciem trita, cæpa cruda vel cocta, theriaca, mithridatium, aqua theriac. card. bened. & similia quæ corroborant, & venenum domant; *Enchir. med. pract.*

Alius ab *Inanitione*, in quo nervi breviores ob exsiccationem nativæ humiditatis redduntur. *Cognoscitur* exinde, quia sensim cum membri diminutione accedit.

51. *Oritur* à causis, vel immodicè evacuantibus, ut sunt, 52. hæmorrhagia narium, sudores 53. purgationes helleboratæ; vel 54. vehementer calefacientibus & exsiccantibus, ut sunt inflammationes, vigiliæ, labores, vini potus, venus nimia, 55. dolor diuturnus, hectica, *cauteria* aut *vesicatoria* nervosis partibus adhibita.

Curatur 1. 56. *Diæta* humectante.

2. 57. Medicamentis *analepticis* & humectantibus, ut sunt unguenta *de ansere & cato* [illegible], 58. *balnea oleacea.* Aqua *pinguefaciens ex sanguine suillo Ferdinandi*, l. 3. c. de Hectica, Morselli *ex carnibus testudinum.* Magisterium *hyacinthi* specificum est.

51. *Oritur à causis vel immodice vacuantibus &c.*) Hæc Convulsio à non paucis etiam rejicitur (quam *Contracturam potius quam Convulsionem dicendum ait Walæus*) quod tanta siccitas in corpore vivente introduci non possit, ut inde nervi contrahi valeant, illa enim in febre hectica & marasme præcipue contingeret; Dic, non omnem inanitionem aut siccitatem idoneam esse convulsionem efficere, sed eam tantum quæ confertim & inæqualiter fit, quandoquidem subito interni humidi facta inanitione, partes connivent & in se concidunt vacuum fugientes, Si vero æqualiter undique, & sensim exhauriatur humiditas, nulla fit contractio, quia inanitæ partes ingressu aeris occupantur. *Riverius.*

52. *Purgationes helleboratæ*) Qua ratione inducatur Convulsio ab assumptis emeticis aut catharticis vide superius §. 11. *vel morbus violenter nervosas partes tendens.*

52. *Purgationes helleboratæ*) Si ab [illegible] malum provenerit (id quod interdum non tam ob ipsius purgantis medicamenti vel vehementiam, vel malam præparationem, quam actium humorum stimulantem abundantiam fieri experientia constat) danda opera ut inordinatus ille motus propinatis narcoticis caute sedetur, vitiumq; debilitas cordialibus reficiatur, *Strauss.*

53. *Hæmorrhagia narium*) Hic restaurantia præprimis locum inveniunt: Duos ejusmodi ægros *Saxonia* 1. Prax. c. 13. sic restituit.

Vehe-

54. *Vehementer calefacientibus & exsiccantibus*) Ad febres cur consequatur convulsio. Vide supra §. *Vel morbus violenter partes nervosas tendens.*)

55. *Dolor diuturnus*) Interdum dolor intolerabilis sentitur, ad quem leniendum æger ingrediatur Balneum ex aqua in qua emollientia & digerentia fuerint cocta, Parti vero imponuntur lumbrici cocti & probe trita cataplasmatis modo, Aut si ægri sint divites, fiat Balneum ex *oleo vulpino*, cui vulpes aliquot sint incoctæ. Æger autem non diu morari debet in Balneo, ne vires ejus resolvantur. Mox igitur dolore sedato in lectum est reclinandus, Et cum dolor repetit Balneo reddendus. *Enchir. Med. Pract.*

Convenit sequens Linimentum,

℞. *Ol. violac. lilior. chamam.* āā. ℥iß. *olei amygd. dulc. mastich. rosac.* āā. ℥j. m. f. Si potentius agendum.

℞. *rad. alth. & lilior.* āā. ℔ß. *fol. malvæ, violar. origani, salv. absinth.* āā. m. ij. *sem. lini & fœnugr.* āā. ℔j Decoqu. pro Balneo, Sufficiet autem tantum partes convulsas illi immergere. *Riverius.*

56. *Curatur 1.*) Licet sit incurabilis, maxime si confirmata siccitas, tamen succurrendum, Victus humectet, & simul, si adsit calor, refrigeret; idem qui in hectica. Usus hordeatorum confert, ovorum sorbilium, lac asinæ, juscula succulenta, consumpta carnium, gelatina, lac recens mulsum, modo non adsit febris: Vinum aquosum: Concilietur somnus, quia humectat & vires reparat, animi hilaritas. Abstineat ab omnibus catharticis præterquam cassia, cathol. valet Clysteres humectantes, ex oll. ex decocto omazorum, cap. vervecis, ex ... ctis, dissolvendo Cathol. Lohooc Cassiæ, Balnea ex hydræleo, vel lacte cum aqua simpl. in qua emollientia ebullierunt; in iis manendo citra sudorum perfusionem ne longiore mora fatiscant vires, & erumpentibus sudoribus magis exsiccentur. A Balneo illinantur oleis malacticis, comm. violar. lilior. amygd. d. lentore enim poros cutis obstruunt, prohibentque ne calor spiritus & humor dissipentur, ac humiditate siccitatem emendant, Litus ex butyro recenti, Fotus ex lacte vel decocto emoll. in quo extrema animalium incocta, capita & intestina. *Ungu. de alth.* quod emollit, humectat & lenit citra dolorem; *Resumptivum*, in quo summa vis emolliendi blande. *Enchir. Med. Pract.*

56. *Curatur*) Quæ *leniendo* nervosum genus demulcent præsidia, etiam in omnibus convulsionum generibus, & præsertim cum magnum imminet nervis tantopere afflictis periculum, ob causæ vehementiam, in *deterioribus* sic l. appellatis *convulsionum speciebus*, utiliter adhibentur quæ moderato *calore, humore & temperie* nervos constrictos convulsosque *humectando emolliendo que relaxent* & refocillent; Quæ extrinsecus plerumque *spinæ dorsi*, ubi nervorum copia occurrit & exortus, per illinitiones *ol. amygd. d. violac. butyr. mucilag. & sim.* adhibentur, & cataplasm. applicationes, quale ex *malva alth. oleo violac. & far. sem. lini* paratum vel in forma *humidi pinguis Balnei*, in quo moram aliquam trahat administrantur, cui *malva, paonia, chamomilla*, aliaque possunt incoqui. Vel *capiti* quoque accommodant, illud *lacte* embrocando, in infantibus præsertim, vel *oleo violaceo* inungendo. Idem quoque *clyst. emoll. & humect.* beneficio perficitur: Et exhibitis in *cibo* vel medicamentis, pinguibus, ut *butyro rec. & ol. amygd. dulc.* affatim bibito, quod singulare convulsionum habetur remedium, Quo nomine & *serum lactis* potum commendat *Dioscor.* & *violar. decoctum, syrupus* item in pueris probatur, atque *lac. amygdal.* cui commode *Emulsio sem. paon.* permisceri potest, utiliter propinatur, è quo cum sacch. permisto *Eclegma.* paratum infanti, antequam lactetur, præservativum contra Epilepsiam utile fieri aliqui scripserunt. *Platerus.*

57. *Medicamentis analepticis & humectantibus*) Nullum remedium utilius est quam embrocatio partis posterioris capitis, nuchæ & colli cum oleo violac. decenter calido, sicut ego feci in N. qui cum esset in cunabuli, passus est erysipelas in tota tibia cum bubone in inguine, & febre valde intensa, à quibus cum convaluisset; statim in spasmum à siccitate causatum cum continuis maximisque clamoribus, torquendo caput ad posteriora, & nullo modo poterat sugere lac. Ego perfudi nucham, & totam partem capitis posteriorem, & collum cum *oleo violato* decenter calido, permittendo cadere oleum ab alto, manu exprimente petiam in ea infusam, per spatium 4. partis unius horæ, & sic embrocando dormire cœpit, mox pannis decenter calidis abstersi caput leviter fricando &c. postmodum suxit lac & brevi sanus factus est. *P. Barrus Pract. lib. 2. c. 20.*

56. *Balnea Oleacea*) Olei Balneum ut *Herodotus* antiquissimus Medicus prodidit, qui à diuturnis affliguntur febribus, à lassitudine, vel nervosarum partium doloribus oppressis *convulsis* & urinæ suppressis laudatissimum ac salutare esse remedium experimur: Vidit hujus remedii experientiam *Heurnius* in quodam extenuato, ac fere exhausto; dum esset Patavii, illum enim validissima occupaverat convulsio, at tepidi olei pleno vasi immersus, ac fœtus, sanus evasit *Bancellus de Hydrophobia nat.*

58. *Balnea oleacea*) Quorum magna est utilitas; jamdudum enim teste *Herodoto l. de rem. foris adhib.* his qui acerrimis cum doloribus & convulsionibus conflictabantur, ex *oleo* solium institui solebat, omni ætati, maxime vero senili, ac omni tempore conveniens, sed festinandum esse monet. Hoc ipsum remedii genus in usum fuisse vocatum se novisse memorat *Heurnius l. 1. meth. p. 55* cum quendam extenuatum ac fere exhaustum acerbissima convulsio occupasset quem etiam pleno *tepidi olei* vase immersum, atque a ... *landino* totum evasisse testatur. *Strausius.*

Contractorum curatio.

Ex *siccitate*, vel *Inanitione*, uti voluerunt, *musculorum*, illorum *tendinum* membra trahentium, atque *nervorum* interdum, vel *ligamentorum articulos ambientium*, si contractio partis illius, cui hæc ad motum serviunt fiat, sive *dorso* aut *aliis locis* accidat, si magna illorum sit *ariditas*, immedicabile est malum, sicut quando ratione *ætatis & laborum* hoc evenit; Sed & difficulter sanatur si aliis de causis facta diu perseveraverit, sicuti *manibus, pedibus contractis*, & *tetano* laborantes; toto vitæ spatio contractos illis locis manere plerumque cernimus, aut leviter saltem in melius mutari.

Nihilominus tamen cum successu cura sæpe ab initio utiliter adhibetur; hacq; methodo per adhibita extrinsecus loco affecto humectantia & laxantia medicamenta, e quibus cum quædam refrigerent, calidis *nervosq; roborantibus* illis permixtis cura potissima pars perficitur, si ea musculo nimirum, illiusq; tendini, & corpori quod membro attrahenti aliquando vicinum est; alias vero procul dissitum, & longo, quandoque longissimo tendine ad illud porrigitur, item articulo, si ligamenta adstricta sint admoveantur.

Inungitur itaque *Dorsum* cum *spina* in *Tetano*, vel *membra* in aliis speciebus *contractionis*, hoc modo

℞. *ol. amygd. d. recentiss.* ℥j. *violar. lilior. chamomill. lini per expressionem facti recentis, lumbricor.* āā. ℥j. *ol. hyperic. mucilag. sem. psilly & lini, axung. anat. medull. crur. vituli* āā. ℥ß. *terebinth.* ʒij. *sulphur.* ʒiß. *pulv. lumbr.* ʒß. *summit. thymi, fl. hyper.* āā. ʒß. *croci* ℈j. *ceræ q. s. f.* Ungu.

Axungiam hum. magni faciunt, & *Anguill.* forte quia illa appropriata, hæc quia à piscibus desumpta humidior censetur. *Balneum* in *Tetano* vel in aliis, *Irrigatio* aut *Fotus* loci affecti ex lotio fieri possunt tepidis adhibitis, ex *Aqua dulci, lacte, brodio pingui, capitu & intestin. vervecis* vel *vituli*, *hydræleo* vel solo *oleo*, *violarum* præsertim, Vel ex sequ. Decocto.

præcautionem *extra paroxyſmum*, ſi ſæpe repetat, vel in *paroxyſmo*, ſi perſeveret, erunt uſurpanda quæ *flatus depellunt, muſculos adſtrictos* relaxant: Exhibentur ad *flatuum proventum* impediendum, eoſque *diſcutiendos*, tam in *victus ratione*, quam medicamentis *purgantibus, calefacientibus, roborantibus*; qualia in flatulentis caſibus, ventriculi inprimis. Adhibentur *muſculo affect.* (quem ex *protuberantia loci & dolore* cognoſcimus) quæ in paroxyſmo *actu potentiaque calefacientia, flatus diſcutientia*, partem leniendo & laxando juvant: *Extra paroxyſmum* vero, quæ & ſimul *partem levi adſtrictione roborando*, ſæpe repetita affectum præcavent Eadem uſurpando quæ in Paralyſi pituitoſa, & in contractionibus vetis, leviora uſurpando.

Inunctiones fiunt ex *oleo chamæmel. lilior. aneth.* vel hoc modo, ſi pars ſimul roboranda.

℞. *Olei chamam.* aut lilior. aneth. ℥j. *vulpini*, vel lumbricor. *maſtich.* āā. ℥ß. m. Inungatur pars manibus, vel parte prius *aqua vita* madefactis calide.

Oleum Guaiacinum cum *aqua vita & ſalv.* inunctum mox juva , Valet *Empl. Martiatum.*

Aqua & Balſam. lea, in paralyſi explicata.

Aqua vita ſimplex calida ſtatim juvat.

Theriaca in aqua vita potius quam *oleo* diſſoluta & inuncta.

Fotus, Inſeſſiones, Balnea, in *paralyſi* & *contractione* recentiſa, actu potentiaque calida; *Lixivium*, quia partes laxat, & quæ humores vel flatus recipiunt firmat, præcautionis gratia additis corroborantibus, adhiberi poterit.

Empl. hoc probatum eſt

℞. *Abſinth. puleg.* āā. m. j. *baccar. lauri*, p. j. *cymini* ℥ß. *terantur, bulliant in vino forti & melle, fiat Cataplaſma.*

Sacculi, irrorati prius in vitio, proſunt, ut in *paralyſi*, vel ſic, præcautionis cauſa, corroborando,

℞. *flor. chamom meliloi. roſar. furfur. baccar. juniper.* vel *lauri* āā. p. j. *myrtillor.* p. ß *rad. ireos* ℥ß. *ſem. fœnugr. carvi, cymin* āā. ʒiij. *ſalis* p j. *pro ſacculo.*

E ſolo *milio, furfure & ſale* ſacculus, cito ad uſum parabitur.

Pelles calida, aliaque *animalia* conveniunt, *Frictio* levis manibus pannisve calidis.

Retrahendo partem affectam, paroxyſmum breviorem, ſeu ut mox ceſſet faciemus, ſi muſculos involuntarie violenter extenſos, vel flexos, eoque membrum trahentes voluntariè contrario motu & nixu muſculis qui ægris opponuntur eos cum membro retrahere nitamur, ſic enim adſtricti, vel devii, rurſum cum membris relaxantur, ſitumque naturalem repetunt, & flatus, qui illorum contractorum ſpatia occuparent, quando muſculi in ſuum locum redeunt, ab iis locis repelluntur & cedere coguntur. Quod in muſculis ſuram conſtituentibus, & pedes digitoſque moventibus contractis, extenſione contraria, fieri, doloremque mox ceſſare in dies experimur. *Platerus.*

Sufficiat levis fricatio partis, aut panno aſpero, aut manu calida, aut illinatur *ſpir. bac. junip.* aut *ſpir. theriacal.* Ad hujuſmodi ſpaſmum flatulentum, expertum dicitur ungu. *Cratonis.*

℞. *axung anſer. rec.* ℥iv. *ol. deſtill. caryoph.* ℈ß. *cinna.* gr. v. miſce,

In *ſpaſmo gravidarum*, præſertim flatulento, Euporiſtum eſt *matricaria*: hæc contundatur, ut fiat ſucculenta; imponatur cervici aut ſola, aut *verbena* miſta. *Etmuller.*

62. *Vel inunctione cum*) Ad Spaſmum ventoſum hoc ungu. profuit

℞. *axung. anſeris rec.* ℥iv. *ol. caryoph.* ℈ß. *cinnam.* gr. v. miſce. *Joh. Crato conſ.* 151.

63. *Sunt qui verbenam*) Nodis ligneis è *viſco. quod in quercubus* adnaſcitur, ut experientia comprobavit, ſanari conſuevit. Colligitur æſtivo tempore, Sole in Leonis ſidere commorante, tunc enim perfectionis complementum eſt adeptum. Debent nodi ligni illius loco patienti ſuperponi ut ſtatim flatus diffugiat; pingui ſucco tenuique præditum eſt lignum, aut occulta ratione, ut voluit *Cardanus.* Confiteor tale præſidium multis ad præſervationem me conſuluiſſe, votumque fuiſſe aſſequutos ſola iſtius ligni ſuſpenſione, *Annulis ex bubalorum* cornibus ejuſmodi etiam dolores prohibere multa experientia ex eodem *Cardano* judicati ſunt. *Ant. le Grand Comp. p.* 66.

64. *Sunt qui verbenam &c.*) *Dens Hippopotami* eſt ſingulare ſpecificum in convulſione quacunque, philoſophice præparatus. Fiunt ex hoc *dente annulis*, qui membro convulſo inſerti, aut pedum digitis in *ſpaſmo flatulento* applicati, ſunt optimi. *Etmuller.*

Alius [64] *illegitimus*, qui ob ſtimulationem partium nervoſarum ab *affectu dolorifico*, [65] ſed ſine perpetua tenſione oritur, & plerumque [66] per *conſenſum orificii ventriculi*, vel *uteri* accidit.

[67] *Affectus dolorificus*, vel eſt ab [68] intemperie, vel à ſolutione continui, μ Evenit & à vermibus.

Huc α *ſaltus* β *& Viti* & [69] *Tarentulatorum* ſpectat, de quo *Kirkerus* in arte magnetica; In *illo* [70] ſemper ſunt inquieti ægri, In *hoc* ad ſonum muſicæ varios ſaltus & geſtus edunt.

64. *Illegitimus qui ob ſtimulationem*) *Willis* Morborum Convulſivorum duas ſpecies conſtituit, quorum alii *habituales* ſunt cum gravioribus paroxyſmis repetere ſoliti, quorum cauſæ conjunctæ, procatarcticæ & evidentes ſuperiùs ex illo allatæ ſunt, Aliam vero hujus morbi ſpeciem aſſignat, ubi paroxyſmi à cauſa evidenti ſolitaria, ſeu fere tantum ab *Irritatione*, ſpiritibus nondum *copula* exploſiva præoccupatis dependent, quæ quibus & quot modis fiat ſic diſquirit.

Super his, *inquit*, in communi ſtatuitur inſultus ſpaſmodicos, à mera *Irritatione* productos, aut leviores eſſe & cito pertranſeuntes, aut graviſſimos, & non raro lethales, prout quando venenis aſſumptis aut *[illegible]* ſuperveniunt. Porro adnotetur cum materies morbifica, ſive irritativa, ipſis nervorum caudicibus, aut plexibus inſederit, eam non raro etiam exploſivam exiſtere, utcunque ſpaſmos, etiam à mera irritatione productos, exploſiones quaſdam eſſe.

His prælibatis ad rem veniamus. Partium nervoſarum irritatio, quæ motus convulſivos efficere ſolet, *variis in locis, variiſque ex rebus*, quæ *ſpiritibus & fibris incongrua* atque *inimica* ſunt contingit. Quoad *res ſpirituum natura adverſantes*, obſervare eſt præter *venena & qualitatum tangibilium* exceſſus, qui ab extra infliguntur, multa quæ in nobis intus gignuntur, ſcil: varia *ſanguinis & nervoſi generis recrementa*, *miaſmata febrilia*, *humores præternaturales*, *ſalinos*, aut *ſulphureos*, quinimo *lumbricos*, *calculos*, cum pluribus aliis nervoſo generi infeſta eſſe, & irritationes ſpaſmodicas paſſim ciere. Quoad loca affecta, ſive *materiæ irritativæ ſedem*, licet hæc in qualibet ſyſtematis nervoſi

parte noxam inferat; ut plurimum vero maxime infesta esse solet cum juxta *systematis nervosi principia*, vel *extremitates*, vel circa *medios nervorum processus*, ac præcipue in eorum plexibus defigitur.

Porro talis materia, quæ spiritus irritans *causa evidentis* loco esse solet, non raro etiam *procatarctica* rationem subit, quatenus nimirum particulæ heterogeneæ ab illa emissæ fibras nerveas subeunt, & cum spiritibus combinatæ, eos ad explodendum aptiores & procliviores reddunt. 1. Igitur interdum accidit *humores malignos*, & nervoso generi infestos, è *sanguine* in cerebri regionem suffusos, & exinde demum in posticam capitis regionem delatos, nervorum origini incumbere, ubi si disrupta pellicula, quæ medullam oblongatam investit, in nervorum truncos nudos incidunt, eorumque fibras altius subeunt, propterea quidem *motus convulsivi* non modo in *partibus capitis vicinis*, verum aliquando valde *remotis*, & non raro in toto *systemate nervoso* oriuntur. Hoc passim observare est in *malis febrium crisibus*, materia morbifica in caput translata; item in *affectibus cephalicis*, in statum pessimum ac lethalem evectis. Revera cum plurium hoc ritu defunctorum capita aperuerim, reperi in omnibus posticam medullæ oblongatæ regionem sero acri & salsuginoso immersam.

2. Sicuti systematis nervosi *extremitas interior*, sive *origo*, ita non raro *exterior*, sive *finis*, à vellicatione illic facta, spasmos sive motus convulsivos suscipit, eosdemque quaquaversus transfert: hoc in *membris exterioribus* passim fieri testantur *tendinum* ac *nervorum punctura*.

Nec minus à vellicatione in visceribus facta spasmi circumquaque excitari solent, si quando *pharmaca*, aut *humores acres*, nec non *lumbrici in ventriculo* aut *intestinis* sc ientes partes membraneas vellicant; adeoque sensionem molestam primis sensoriis imprimunt; exinde statim ob spirituum excandescentias motus convulsivi modo in *partes affectas*, modo indifferenter in *quascunque alias* retorquentur; nam à graviori visceris cujusdam noxa sæpe spasmi non tantum partes affectas & vicinas occupant, verum in *faciei* ac *oris musculos*, nec non in membra exteriora transferuntur.

Calculus ureteri impactus, haud tantum in isto ductu, verum in tota vicinia contractiones immanes accersit: Porro, *symptomata* quædam *hysterica*, aliaque *hypochondriaca* non nunquam hac ratione inducuntur, quatenus nimirum vellicatione in visceris cujusdam membranis facta, illico spasmus retorquetur.

3. *Materies irritativa*, quæ spasmorum *causa evidens* esse solet, interdum *medios nervorum processus* occupat, & propterea partes modo supra modo infra illius sedem ad motus convulsivos incitantur. Hoc de *nervorum plexibus* satis constare videtur, cum enim *faces nervosi recrementa acria* in iisdem congeruntur, non raro spasmi per totam viciniam procreantur: hac ratione *affectio colica* atque *hysterica*, nulla viscerum istorum culpa tantum ab humore in *mesenterii plexibus* deposito non raro progigni ac excitari videntur. Pariter ob *plexus ganglioformes*, humore acri & irritativo obsessos, *præfocatio* in gutture, necnon variæ *præcordiorum contractiones* inferuntur.

Porro affectiones spasmodicæ ab *humore acri* intra *totos nervorum caudices*, & corporum nervosorum meatus scatente non raro dependent. Vidimus quosdam convulsionibus admirandis ac perpetuis affectos, ut necesse habuerint membra huc illuc jactare & distorquere, saltare, discurrere, humum manibus aut pedibus contundere, aliasque gesticulationes stupendas exercere, ac si sagarum præstigiis læderentur. Cujusmodi passionum causa genuina in eo consistere videretur quod *succum nervosum genus irrigans*, instar aquæ stygiæ acerrimus, ac à debita crasi degener factus, spiritus insitos influosque continuo irritaret, ac velut oestro quodam afflaret. *Willis*.

64. *Qui ob stimulationem partium nervosarum ab affectu dolorifico*) Convulsiones omnes citra externas & manifestas causas ortæ cum humorum acrimoniam agnoscant, illius natura & curandi ratio amplius proponenda. Acrimoniam notabilem esse patet ex dolore nonnunquam intolerabili, capitique quasi perterebrante, ipsam convulsionem prægrediente. Acrimoniam autem humorum omnem à Sale lixivioso, vel Acido spiritu deduxi in superioribus: Et Spiritum acidum solum ejus naturæ esse dixi ut ab ipso convulsio originem habere possit.

A lixivioso autem sale tantam acrimoniam tum expectare non poteram, cui Convulsionem adscribere possem, postmodum tamen videor mihi modum invenisse quo ad talem acrimoniam pervenire queat Sal lixiviosum ut convulsionem excitare queat & forsan plerumque excitet. Postquam enim omnia in corpore tam sano quam ægro occurrentia mente volvo, præter sanguinem, per vasa circulantem, duos mihi videor observare præterea humores in sanis & ægris repertos, Bilem & Pituitam.

De Bile nulla opinor est dubitatio, cum in sanis semper occurrat in sua vesicula; in ægris autem rarissime observetur deficere in totum.

De *Pituita* major est difficultas, cum illo nomine plura designentur; In genere autem omnem humorem amaritudine carentem, & extra vasa & urinariam vesicam repertum *Pituitæ* nomine vocandum judico: Amaritudine carentem dixi, quo distinguetur à Bile; 2. Extravasa, quo distinguetur à sanguine, lympha & chylo. 3. Extra vesicam urinariam, quo ab urina.

Quicquid autem continetur in arteriis & venis, id omne sanguinis nomine appellandum judico, laudabilis vel vitiosi, sanguinis tamen.

Unde quicquid 1. in cerebri cerebellique ventriculis, aut utramque meningem observatur, Pituitæ nomine appellandum puto, & aquam Hydrocephalum constituentem. 2. Mucum narium & screatum oris. 3. Omnem humiditatem in pericardio, ut & pectoris cavitate (extra pus & sanguinem ibi effusum: 4. Omnem humiditatem in ventriculo & intestinis, post alimentorum absolutam fermentationem, & chyli ab alvinis fæcibus secretionem, ac in lacteas venas expressionem, reperta. 5. Omnem humiditatem, vel anasarcam vel leucophlegmatiam, vel asciten producentem.

Unde patet multas futuras pituitæ species quas non difficulter ad quasdam classes reducemus. Nam 1. alia est Naturalis tenuior, qualis est Sal a, & asior, in ventriculo & intestinis hærens. Ex naturali, alia est utilis corpori, alia inutilis & excrementitia, utiles sunt saliva, & in ventriculo, ac intestinis reperta pituita.

Inutilis & excrementitia est per nares excreta, sive mucus, & quandoque per os screatu ejecta. Inter pituitas præternat. enumeratur imprimis, salsa, acida, acerba, dulcis ac insipida, à sapore vario ita dictæ: præterea differunt ratione consistentiæ; alia enim fluida est & tenuis, alia crassa, viscida & tenax.

Ex horum humorum, si unus vel uterque non male est affectus, peccatque vel quantitate, combinatione mox alii producuntur humores, aut consistentia subjecta, quæ homines lædant, & ægrum faciant ipsum.

Quoties ergo, ut ad propositum redeam, Bil deperit, aut minuitur quacumque demum de causa spiritus volatilis & oleum, acrius observatur e-

jusdem

dem sal lixiviosum : Cui si parva quantitate jungatur spiritus acidus purior, h. e. pauca duntaxat aqua dilutus, acrimoniam ab hoc spiritu nanciscitur majorem & corrodendi vim summam : Quod si tunc deferatur ad nervorum, vel cerebri partes membranosas, intolerabili dolore illas perterebrando quasi afficit & Convulsioni ansam præbet, Ergo sive spiritus acidus non temperatus spiritu volatili, sive sal lixiviosum, non temperatum oleo, & acrius redditum pauco spiritu acido ad membranosas cerebri nervorumq; partes deferatur, dolorem in illis excitat, qui si gravis contingat, Convulsioni ansam præbet.

Quamvis autem non semper de dolore magno conquerantur Convulsi, id quod accidit quia mens fere tunc ægrotat, interim tamen coguntur spiritus animales ad movendas partes ruere, atque convulsiones graviores aut leviores excitare.

Vnde patet, Omnem spirituum animalium, etiam ad musculos, motum non esse voluntarium, hoc ita se habere confirmant medicamenta in curanda convulsione usu comprobata ; Inter quæ primas tenent facile Thermæ sulphureæ, quæ vi penetrandi egregia ad affectas partes corporis intimas penetrant.

Atque ex dictis patet ratio & methodus Convulsionem ab interna causa; humore scil. acri ortam curandi: Consistit autem illa in humore acri, & inprimis acido, quavis arte emendando. *Sylvius de le Boe.*

64. *Ob stimulationem partium nervosarum*) E Recentioribus plerique solummodo *Irritationem* nervosarum partium Convulsionis esse causam statuerunt, conjecturam inde, opinor, petentes, quod αὐτοψίᾳ pateat ab ipsa *vellicatione*, soloq; tactu nervorum spasmos induci; Et quidem plane observavimus, in dissectione vivi catuli, cultro nudatis nervorum spinalium caudicibus imposito, statim & ipsos, & musculorum quibus inserebantur corpora convelli : nec inusitatum est à nervorum ac tendinum puncturis, in quibusvis fere hominibus spasmos excitari; Memini ab ulcere in cujusdam brachio excitato musculi tendinem prorsus nudatum fuisse, qui cum specillo chirurgico tangeretur, patientem rigore quodam in toto corpore, & concussione illico oborta aliquandiu inhorruisse : Verum enim vero ut concedamus partium nervosarum irritationes non raro causæ evidentis vicem subire, insuper aliquando hac causa solitaria spasmos leviores & cito transeuntes produci; nihilominus ut graviores hujus morbi paroxysmi, iique crebra vice repetentes debite explicentur, alias atque altiores causas, scil. tum conjunctam tum procatarcticam indagare necesse fuit, *Willis.* Vide supra §. *Vel materia expultricem partium vellicans, vel morbus.*)

65. *Sed sine perpetua tensione*) Inordinatus & violentus motus epilepticorum paroxysmorum initio ob hanc causam editur, quod dum nervosum genus hanc noxam expellere conatur, in sese contrahitur, sursumque deducitur, totius corporis musculos, quorum principiis nervi inseruntur, consequutione ad eos motus inordinatos perpetrandos convellendo, seu trahendo remittendoq; impellit, idque tamdiu donec materia noxia ab illis expulsa fuerit : aut ob virium prostrationem, & velut lassitudinem, eum motum amplius edere nequeant, membra nihilominus convulsa, seu attracta, rigida, donec integre ad se denuo redeant, aliquandiu fixa retineant; quod in *Catalepsi* statim ab initio, nulla pregressa corporis agitatione accidit, quia forte nec tanta spirituũ in ea, cum & in illa sensus aliqui adhuc interdum constent, fiat in nervos profusio, minorque nervorũ irritatio. *Platerus.*

65. *Sine perpetua tensione*) Hoc commune est in omni Convulsione partes ea tentatas, valenter dum convelluntur contineri debere, ne inordinatis motibus sese confringant & disrumpantur : dein statim oleo remolliente perfricari, si à siccitate orta fuerit, vel digerente & attenuante si ab humoris pituitosi copia. *Enchir. Med. Pract.*

66. *Per consensum orificii ventriculi vel uteri*) Affectiones spasmodicas interdum absque capitis vitio, à spirituum circa *nervorum extremitates* scatentium *irritatione explosioneque* oriri vel hinc constat, quia cum pharmaca *ventriculi* aut *intestinorum* tunicas acrius vellicant, aut lumbrici eas corrodunt, non tantum in istis partibus succedunt spasmi, sed insuper motus convulsivi nonnunquam in membra & artus exteriores retorquentur : Enim vero cum partem aliquam gravioris molestiæ sensus excruciat, & ab illa primo sensorio communicatur, exinde spiritibus ibidem irritatis motus involuntarius & irregularis reflecti solet; idque non tantum per eosdem nervos, quibus doloris sensus afferebatur, sed interdum etiam per alios, aut affines, aut prorsus extraneos spasmus reciprocatur. Ita *lapis ureteri* infixus, fibrasque ejus nerveas plurimum irritans, motus convulsivos non tantum in vase affecto, sed in cunctis fere abdominis visceribus excitat, adeo ut urina suppressa, tormina huc illuc diffusa, & vomitiones horrendæ ut plurimum succedant.

Quapropter minime ambigendum est etiam morbos & symptomata quædam spasmodica propter noxam externam *nervorum apicibus* inter *membranas, musculos* aut *viscera* temere natis illatam sæpenumero induci, quinimo in passionibus *hystericis, hypochondriacis*, & quibusdam aliis, si quando motus convulsivi; capite illæso, *uteri, lienis*, aut alius visceris culpa excitantur, næ illi hac solum ratione, nempe reliquarum partium incommodis hac via per *nervos*, nullatenus autem per *Vapores* ad cerebrum translatos oriuntur, ac quoquoversum in varias corporis regiones propagantur. Hic autem adnotetur, quod licet *causa evidens* solitaria, si quidem ea fortis ac vehemens fuerit, convulsiones interdum per se, & absque dispositione prævia inducat, quatenus nimirum spiritus animales supra modum irritati, explosiones solito majores & plusquam ordinarias ineunt, prout in *hypercatharsi*, ac paroxysmis *colicis* & *nephriticis* passim evenire solet, attamen in plerisque aliis affectibus spasmodicis, quorum accessiones sunt crebræ & habituales, præter *irritationem* circa nervorum extremitates factam, quæ utplurimum loco causæ evidentis est, etiam *procatarxis* quædam adest, cujus efficaciæ morbi insultus præcipue debetur, nempe cum motus convulsivi *lienis, tarxis*, aut alius privatæ partis vitio excitati, ac crebra vice repetere solent, suspicari licet quod *spiritus animales* fibrarum in parte affecta, & in vicinia ejus dispositarum incolæ, copulam *heterogeneam* & *explosivam* prius contraxerant; qua ad plenitudinem saturati, levi occasione in explosiones spasmodicas cientur: dein istæ circa *nervorum extremitates* primo inceptæ, eorundem nervorum ductu sursum perreptant, & non raro ad ipsam *originem nervosam*, ac interdum ulterius ad cerebri meditullium traducuntur; à quo denuo in nervosum genus reflexæ, etiam membrorum ac artuum spasmos secundario inferunt : postquam vero cerebrum, & superior systematis nervosi portio, spasmis infra excitatis sæpius compati & consfici assueverunt, etiam spiritus, istarum partium incolæ, ipsi tandem adulterari, copulam heterogeneam & explosivam admittere, adeoque in causæ procatarcticæ partem adsciscī incipiunt : hinc demum procatarxis spasmodica utrique caudicis cujusdam nervosi termino communis evadit, atque spiritus animales in nervi unius aut plurium tum capite tum cauda male dispositi, ab alterutro explosiones concipiunt, easque alteri statim tradunt: *Willis.* Vide plura ubi de affectibus hystericis. supra §. *In genere nervoso.*)

66. *Plerumque per consensum*) *Platerus* existimat cerebri molestiam, seu irritationem per consensum potius & compassionem cum aliqua parte quam proprio

illius affectu accidere, quia si ex cerebri morbo aliquo gravi (sicut revera gravem morbum, qui tam vehemens symptoma induceret, esse oporteret) accideret, non tam cito convulsionem accidentia quæ infert remitterent; sicut & in aliis hujus partis principis læsionibus diuturna & perseverantia, ut in apoplexia videre licet, succedere symptomata videmus, eosque affectus qui nervis connngentes convulsiones excitant, veluti punctura & inflammatio, si in Cerebro fiant, non illas, sed apoplexiam & phrenitidem invehunt: Licet & per consensum hac ratione cerebrum molestatum, si causa offensionis magna sit, continuoque repetat, cerebrum ipsum non solum irritans, sed & vehementia & frequentia adeo lædens, ut proprium quoque affectum contrahat; tunc fere lucta convulsionum continua permanet, nec ad se exacte amplius ægri redeunt, aut paroxysmus integre cessat donec penitus extinguatur æger.

67. *Per consensum orificii ventriculi vel uteri*) Si fiat ob morsum oris ventriculi à bile æruginosa, à bilis vel vomitoriis vel catharticis expurganda, Post ejus humoris generatio prohibenda; Si per consensum *uteri*, dentur remedia utero accommodata: Si à *Vermibus* occidantur & foras educantur. *Enchir. Med. Pract.*

67. *Affectus dolorificus vel est &c.*) Affectiones convulsificas aliquando per *totum genus nervosum* vagari, atq; partes modo has, modo illas, modo plurimas simul infestare notû est, quippe advertere licet in his musculorû tédines ubique subsilire, spasmis contrahi, in aliis membra quævis exteriora variis flexionibus contorsionibusque huc illuc multifariam flecti aut extendi: Vidimus nonnullos spirituum effræni & indomita vi coactus, modo veluti oestro percitos currere aut salire, modo pedibus aut pugnis terram vel objecta quævis validissima contundere, quod ni facerent illico in lypothymias & horrenda spirituum deliquia incidere.

Nimis esset tædii singulos casus spasmorum universalium, & per totum genus oberrantium enumerare; istiusmodi autem symptomata, licet varia & multiplicia fuerint, ad *tria* tamen capita præcipua quodammodo reduci possunt, nimirum quatenus à tribus causarum generibus potissimum dependent; quandoque enim in vagis hisce spasmis supponere debemus *totum liquorem nervosum* vitiari, atque spiritus animales in eodem ubique scatentes adulterari, proindeque fere perpetim explodi; Advertere licet ejusmodi labem & *succo nervoso* & spiritibus ubique inesse, uno aut altero *ex tribus hisce modis* ut plurimum imprimi, scilicet 1. vel à *Venenis*, aut *veneficiis*. 2. vel *febre maligna*, aut *male judicata*, in quibus scilicet materies morbifica in *cerebrum*, aut in *genus* nervosum suffunditur; vel 3. cum *liquor nervosus* longo temporis tractu, propter *affectionem scorbuticam*, aut alias vitiosam, à debita crasi in *liquorem acrem*. aut *acidum*, aut alio modo præternaturalem & spasmodicum degenerat, Libet hic prædictos singulos casus considerare, & 1. de spasmi in insultibus qui à *venenis*, aut *veneficiis producuntur*.

Primo igitur *Venena* quædam in *liquorem nervosum* potius quam in *sanguinem* agere, quæ illum depravanna affectiones spasmodicas potissimum inducunt, à nobis ostensum est, Et liquido constat ex comestione *cicutariæ, apii risus, mandragoræ, solani furiosi, pastinacæ sylvestris*, aliarumque herbarum noxiarum, quam nempe brevi subsequi solent *horrenda ventriculi contractiones, deliquium*, atque in toto corpore *tendinum spasmi* ac subsultus.

Porro ejusmodi affectiones convulsivæ succedunt in demorsis à *cane rabido* aliisque *feris venenatis*: Ubi miasma virulentum, à succo nerveo exceptum, in eodem diu delitescens se tandem e[illegible] atque totam liquoris, quo involvitur, massam fermento suo inficit ac venenat, Id quod clarius adhuc & liquidius illustrant symptomata admiranda, *spasmi* nempe *dolorifici*, & *indefessa saltatio*, quæ *Tarantulæ morsus* succedere ab authoribus perhibentur, & possint quidem fabulosa videri, nisi quod rei veritas à pluribus bonæ fidei viris, tum antiquis tum recentioribus asseritur; nam

De Morsu Tarantulæ.

Præter *Matthiolum* & *Epiphanium Ferdinandum*, *Gassendus* & *Kircherus* addunt se effectus illius testes oculatos fuisse, quinimo fertur in *Apulia* nonsolum esse, & usu fere quotidiano receptum, nempe in regione ista Phalangii sive Araneæ genus quoddam extare, quod Tarantula, a Tarento, antiqua Apuliæ urbe appel[illegible], Animalculum hoc in æstate valde frequens, incolas incautos sæpe mordet, atque ictu venenato afficit, unde statim dolor in parte læsa cum tumore, pruritu, mox in variis corporis partibus stupor, tremor, nec non membrorum convulsiones & resolutiones, aliaque symptomata spasmodica cum summa virium prostratione succedunt, uti ex *Matthiolo, Ferdinando*, aliisque stupendam hujus morbi *pathologiam* enarrantibus colligere datur.

At vero maxima admiratione dignum est quod de hujus morbi *curatione* authores referunt, atque per totam regionem vulgo in praxi est, *Namque* icti à *Tarantula*, utcunque graviter laborant, auditis musicis *instrumentis* statim à *plangoribus cessant, atque in medium prosilientes tripudiare ac saltare incipiunt, tamque diu rem persequuntur ac si sani essent*, ac nullo *unquam teneantur dolore*: quod si *cessent ut tibicines tantillum quiescant*, non *multo post* tempore *in terram* concidunt ac *in pessimos* redeunt *languores*, nisi *tandiu sonitu* indesinenti *saltant ac tripudient donec venenum penitus* discutiatur: *Ob id tibicines stipendio conducuntur*, alternatimque *mutantur*, ut *absque ulla sonitus intermissione tamdiu tripudient demorsi*, *quousque penitus curati conquiescant*: Ita Matthiolus, quibus addit Ferdinandus, *Pauperes in Apulia omnem fere substantiam suam in musicos & tibicines erogare*, *quippe totam illam provinciam evagantur*, & *Tarantatis inserviendo multum lucri faciunt*, *& quidem tripudiant ac saltant intra oppida, in publicis plateis, in agris, alii uno die, alii una hebdomada, alii pluribus*.

His authoribus suffragantur viri Doctissimi *Gassendi* & *Kircherus*, quorum uterque ex propria observatione referunt se taliter affectos novisse: asseruntque ipsos haud quavis musica indifferenter, ac quibusvis ca[illegible] narum generibus affici, excitari, at ad numeros quosdam præ aliis tripudiare.

In prædictorum *accidentalium rationes*, ut, si quid conjectura assequi possimus, paululum modo inquira[illegible]us, inprimis extra dubium habetur ab animalcu[illegible] istius morsu miasmata quædam venenata corpori humano [illegible] fligi, quæ tamen *sanguini* & *spiritui vitali* minus infesta, quamprimum ex ipso in liquorem *nervosum* transferunt, per totam ejus massam, fermenti instar sese [illegible] explicant, atque spiritus animales ubivis in ea[illegible] tentes imprimunt, ita quidem ut ipsi ab invicem [illegible] racti, & huc illuc inordinate agitari, affectiones un[illegible] natas inducant, quas partium continentium modo contractura, modo languor & resolutio comitantur. Cur autem [illegible] à Tarantulæ morsu convulsiones dolorifi[illegible], sta[illegible] *Musica* sedatæ in saltationem commutari sole[illegible], non ita plane constat.

Quod nonnulli asserunt animalculum hoc (siquidem teste *Aristotele* [illegible] fuerit) musica delectari, atque eapropter veneorum ejus homini inditum, humo[illegible] fermentando, parem musicæ amorem inducere, hæc [illegible] conjectura animo veritatis avido minus [illegible], utpote quæ [illegible] araneæ naturam philomusicam, e[illegible]demque

demque postea cum homine, per metastasin, seu velut quandam μετεμψύχωσιν communicatam supponit, quæ quidem utraque & gratis dicta sunt, & minus arrident; quin potius dicendum videtur, Venenum à morsu Tarantulæ liquori nervoso inflictum minus esse quam ut spiritus animales penitus extinguere valeat, aut distractos prorsus dissipare, & in explosiones immaniores cogere: sed eos tantum in fugam conjicere, fugatosque hinc in spasmos leviores, ac fere tantum dolorificos incitare: at vero *musica* blanda dulcedine sua spiritus ita dissipatos facile una congregare, ac mutuo associare; quapropter cum iidem spiritus, ob miasmata virulenta iisdem adhærentia, usque in motus involuntarios & convulsivos apti fuerint, *melodia* eos simul allectos, in tales spasmos disponit ac dirigit, ut serie ac ordine quodam, nervorum corpora subeuntes, certis velut in cancellis ac orbitis ferantur, donec tandem veneni particulis penitus depotatis, atque spirituum furore ac impetu delassato, oestrum illud omnino excusserint.

Enimvero Musica homines sanos ac sobrios, etiam invitos, aut aliud cogitantes; in actiones modulaminis auditi æmulas facile capit; ut primo statim Tibicinis inflatu adstantes manus & pedes agitare incipiant, & vix ac ne vix à saltando se contineant: Ne quis ergo miretur in hominibus à Tarantula demorsis, ubi spiritus animales, velut stimulis agitati, huc illuc sponte exilire & divagari coguntur, si ad cithar æ impulsum in saltationes & motus compositos excitentur, adeo ut in hisce affectibus musica spiritus debacchantes velut incantans; eorumque motus convulsivos quodammodo regens atq; commutans, antidoti loco habeatur; in quantum scil. spiritus animales ad hunc modum diu ac multum exerciti, copulam elasticam à veneno aut alias contractam; penitus excutiunt, ipsique plurimum defatigati, demum ab oestro, seu incitatione sua conquiescunt.

De chorea Sancti Viti.

Huic affine est malum, quod *chorea Sancti Viti* appellatur, de quo refert *Gregorius Horstius* Epist. Medic sect. 7. se cum mulieribus quibusdam loquutum, quæ quotannis Sacellum S. Viti, quod est in finibus Vlmensium, visitant, ibidemque saltu cum perturbatione mentis; eo usque sese nocte dieque exercent; donec ecstaticarum instar corruant, qua ratione sibi restitutæ videntur, ut parum vel nihil sentiant per annum integrum usque ad maji tempus subsequens, ubi membrorum inquietudine eousq; sese torqueri referunt, cui vicissim circa festum S. *Viti* ad prædictum locum, saltationis gratia sese conferre cogantur: *Hactenus Horstius*, Profecto usitatum est (prout sæpius observavi) tum viros tũ fœminas, interdũ ea membrorum inquietudine, & velut œstro quodã urgeri, ut necesse habuerint usq; ad lassitudinem ambulare, quin etiam saltare; huc illuc discurrere, ut hac ratione crebriores molestias, & leipothymias alioquin invasuras evitare possint. Quorum ratio videtur esse, quod spiritus animales, quatenus in toto nervoso genere à copula heterogenea incitati, efferi prorsus ac effrænes evadunt, quos quidem ita exerceri, atterique opus est, tum ut ipsi perdomentur, tum ut copula explosiva excutiatur.

De motibus Convulsivis à Veneficio excitatis.

Affectiones convulsivas interdum à *Veneficio* excitari, & vulgo creditur, & à multis fide dignis authoribus passim asseritur, & quidem ut concedamus admiranda in corpore humano pathemata à Diaboli præstigiis sæpenumero produci, quatenus nempe iste pro mira qua pollet agendi subtilitate, animæ sensitivæ, sive spirituum animalium [illegible] *atomos*, sive *corpuscula heterogenea* insinuat, adeoque functionibus ejus modo *stimulos* addit, modo vincula injicit, modo eas in perversum rapit; quin etiam aliquomodo *ipse* corpus humanum subit, & quasi altera anima potentior ei coextenditur, singulas partes & membra actuat, vigore insolito inspirat ac pro libitu suo regit, ac ad facinora immania & supernaturalia perpetranda incitat, Attamen omnia Spasmorum genera, quæ præter communem istius morbi morem prodigiosa apparent, non statim *Sagarum incantamentis* adscribi debent, aut Dæmon ἀπὸ μηχανῆς semper in scenam vocandus.

Enimvero quoties è potentioribus cuipiam viro natus, aut affinis spasmis forte atrocioribus & insolitis corripitur, plerumque fit ut *vetula*, mox proxima venefici accusetur, rea peragatur, laqueumque aut flammas vix ac ne vix quidem misera evadat, cum interim morbus à causis mere naturalibus procedens non alio exorcismo quam remediis contra affectiones convulsivas præscribi solitis facile curetur: Revera spiritus animales copula explosiva immaniori prædìti & ab ea confertim elisi, tantum roboris ac vigoris supra propriam ac solitam suam potestatem exerunt, quantum *flamma pyrii pulveris* supra flammæ communis deflagrationem, adeo ut qui morbo huic obnoxii extra paroxysmum levissimo unius viri ductu regi, attolli, & quo libitum erit agi poterint, eodem urgente quatuor ad minus robustorum hominum ultimos conatus nixusque eludant; Sin vero in laborantis cujusdam casu *veneficii* aut fascinationis suspicio exoriatur, duo sunt inprimis motuum genera quæ hanc creare & fovere solent, scilicet 1. si patiens ejusmodi membrorum aut totius corporis contorsiones aut gesticulationes perficiat quas nemo sanus, ne quidem mimus aut gesticulator quispiam imitari solet. Deinde 2. si robur exerat quod vim omnem humanam superat, quibus si rerum monstrosarum excretiones accedant, extra dubium ponitur in hac tragœdia diabolum partes suas habere & agere. *Willis.*

67. *Affectus dolorificus*) *Doloris* occasione præcipue convulsiones fiunt, si vel enormes & diuturni sint cruciatus, quales in *Colicis*, vel si corpora sensu exquisitissimo prædita, & quæ ob teneritatem ejusmodi tormenta difficulter perferunt, infestent: quo nomine & infantes, non tantum in variis ipsorum ægritudinibus, sed & cum dentire incipiunt doloribus exacerbari frequenter convelluntur: Sed & *titillationem* immoderate factam ejusmodi corporibus quia molestam tristemque sensum quoque exhibet, convulsiones in quibusdam peperisse testatur experientia. Imo levem *titillationem à vermibus*, intestina ventriculumque perreptantibus, osculisque suis illa sugentibus inductam, in infantibus, non tantum horrores morsusque narium, sed & leves epilepticas convulsiones movere omnibus in confesso est. *Platerus.*

68. *Vel est ab intemperie vel solutione continui*) Causam illius ab humore acri, & imprimis acido pendere ostensum alibi, Curatio prætermissa cõsistit in illius humoris correctione & emendatione, medicamentis tam Externis, quam Internis, quæ iidem vim habeant humores acres & acidos contemperandi: Talia sunt in genere omnia sale volatili prædita, ac imprimis sudorifera similia, eaque excitato sudore magis efficacia; Sic enim ubiq; aperiuntur corporis pori, tam interni quam externi, penetrantque quaquaversum medicamenta assumpta: Exhibendus autem inter nota hic [illegible], spiritus Tartari, aquæ theriacali, aut vini spiritu rectificato junctus, omissis acidis, *Sylvius.*

68. *Vel est ab intemperie, vel solutione continui*) Vide §. *Illegitimus qui ob stimulationem.*)

69. *Venenum*) Venena interdum causa sunt, Vide superius. §. 50 *Venenata.*)

69. *Hinc Saltus S. Viti*) Arabes aliqui *Saltuosam membrorum*

[1] *Incubus est motus*) Accuratior est definitio à *Laur. Stransio* in *Palæstra Med.* pagin. 72. tradita, *Incubus est diminutio operationis motricis in respiratione, motu tactu, cum prava rei pectori incumbentis imaginatione, à vapore crasso, nervos præcipue phrenicos & recurrentes obstruente, ac spiritibus animalibus stuporem inducente dependens*, Patet hinc *symptoma* esse in genere læsarum functionum animalium, Non *abolentur* prorsus, quin potius *imminuuntur*, graviterque præpeditur motrix in *Respiratione*, *voce*, & *totius corporis motu*, cujus dum præcipue Thoracem affligens difficultas offertur Phantasiæ, fit ut hæc pravum *φανταζόμενον* objectum, ceu nescio quid gravamen, vel fingat, vel etiam revera percipiat &c. Idem. Palæstræ *Med.* p. 74.

[2] *Incubus est motus potissimum &c.*) Incubi paroxysmus sæpissime, ac fere tantum in e: dormiendum ingruens, plerumque post stomachum cibis dyspeptis aggravatum, & decubitum in lecto *supinum* excitari solet; eo laborantes potissimum in *pectore* & circa præcordia noxam sentire videntur, nam *respiratione suppressa*, aut plurimum impedita; se à pondere quodam thoraci graviter incumbente, opprimi putant, quod quidem pondus nunc hæc, nunc illa spectri aut larvæ specie ipsorum imaginationes ludit; illud autem dum corporis aut membrorum motu se excutere aut amovere velle concipiunt, nec corpus, nec membrum aliquod quoque movere possunt; verum post diutinam, ac interdum fere ad vitæ deliquium in præcordiis luctam, tandem evigilant, atque à somno plenius expergefactis, moles imaginaria subito evanescit, & corporis vis motiva restituitur, superstite vero ut plurimum cordis tremore, & non raro diaphragmatis vibratione celerrima & violenta; dein paroxysmo finito, etiam phantasiæ, horrendam Incubi speciem concipientis hallucinatio agnoscitur.

Apud vulgus suspicio inolevit passionem hanc revera à Dæmone induci, atque à malo spiritu incumbente istam in præcordiis oppressionem, & gravamen inferri;. Quod equidem ita interdum fieri ut concedamus (*vide Heurnium in Praxi capite de Incubo*) verum insuper hoc symptoma sæpissime à causis mere naturalibus procedere existimamus, licet quales istæ sint, & ubinam loci materies morbifica subsistat inter Authores non convenit, nec quidem assignatu facile videtur,

Quandoquidem *Imaginatio* decipitur, & errore ulterius in ipsos sensus propagato, visu & tactu ita imponit ut affecti monstrum incumbens, hujus aut illius speciei, aut figuræ se plane videre & palpare opinentur; cumque interea *facultas locomotiva* in toto corpore impeditur, nonnulli hujus morbi sedem omnino in *Cerebro* collocant, atque pectoris oppressionem mere phantasticam esse contendunt: At vero licet monstrosam (quæ concipitur) Incubi speciem, merum insomnium esse concedamus, Præcordia tamen revera affici, atque *pulsus* & *respirationis* motus quodammodo supprimi aut inhiberi plane constat, in quantum scil. istud Pectoris gravamen, à plerisque inter evigilandum, imo recens experrectis plane sentitur, cumque illud amovetur, *cordis* & *diaphragmatis* tremores, ac motus inordinati succedunt, unde sequitur has partes laborare & noxam talem pati.

Quapropter alii ut nodum hunc melius solverent, causam morbificam dividentes, portionem unam ejus *cerebro*, aliamque pectori assignant: ajunt nimirum ab humore viscoso, & valde crasso, circa pulmones impacto, horum motus impediri, eamque velut molis incumbentis cum dyspnoea oppressionem excitari; dein vapores ad cerebrum elevatos nervorum principia implere, & virtutem locomotivam inhibere: Quæ opinio (haud magis quam *Incubari conceptus*) assensum non meretur, quippe nec ulla humoris istius circa præcordia aggesti, ante aut post paroxysmum vestigia apparent; quin ubi hæc regio plurimum aggravatur, uti in phthisi, asthmate; aut hydrope pectoris, Incubus non propterea aut crebrius aut gravius infestat: Porro non constat quomodo materies in præcordiis aggesta in somno tantum molesta fuerit, nec quo transitu aut commeatu vapores exinde ad caput elevati *ἀκινησίαν* tam subito inducant; Quare affectus hujus aitiologiam aliam statuendam arbitror.

Itaque moles ista, sive gravamen; pectori incumbens, revera sentiri videtur, quoniam & *cordis*, & organorum *respirationis* inservientium motus inhibetur; Etenim *corde* à motu cessante, aut eum ægrius absolvente, sanguis in sinubus ejus, ac in vasis pneumonicis stagnans, ibidemque plurimum angustatus, magni quasi ponderis sensu pectoris regionem opprimit, quod item eo gravius videtur, quia una cum *corde pulmones*, *diaphragma*, & *thoracis musculi*, à motibus suis impedita, & quasi constricta, magno sese exserendi nixu laborant: Verumtamen adhuc difficillima quæstio est de causa, ob quam *motus* sive *actio præcordiorum* supprimitur, aut inhibetur: Impossibile videtur hoc à materia organis ipsis impacta fieri; cujus siquidem nonnisi ingens copia pro tot partium remora sufficiat; aliqua saltem alicubi extra paroxysmum signa apparerent; Quare potius dicendum videtur partium istarum actiones impediri quia *spirituum animalium influxus* supprimitur: Hoc in affectibus spasmodicis crebro fieri alibi declaravimus, & experimento anatomico, scilicet ligatis in cane vivo paris octavi nervorum truncis clare ostendimus. In affectis autem ab Incubo spirituum obstructio, neque in ipsis *organis*, nec in ipsorum *nervis* excitari videtur; talis enim causa vigilantibus æque ac dormientibus contingens, haud denuo statim mobilis, sed fixa ac permanens esset.

Quapropter *Ephialtis* paroxysmum induci putamus quatenus inter dormiendum, una cum succo nerveo materies quædam incongrua *Cerebello* instillatur, quæ spiritibus in prima scaturigine torporem, sive narcosin quandam inducens, eos mox à functionum suarum muniis paululum cessare cogit, proinde ut ab altero velut lethargo, intra cerebellum excitato, actiones vitales eclipsin brevem patiantur, qua durante, partim à præcordiorum obstrictorum lucta, partimque à sanguine in iis plurimum aggesto & stagnante, gravamen istud, ac velut molis incumbentis sensus infertur: deinde quoniam cæteræ omnes totius corporis facultates à cordis motu dependent, idcirco hoc impedito, & suppresso, illæ statim deliquia aut inordinationes subeunt: præsertim vero sanguinis in cerebrum, pro spirituum animalium fomite, affluxus interrumpitur, propterea mox horum effluxus in systema nervosum supprimitur, adeo ut laborantes dum pectoris molem imaginariam excutere satagunt, nec corpus, nec membrum aliquod movere possint, nimirum quia spirituum (donec sanguinis affluxu destituuntur) irradiatio in partes motrices inhibetur, interim qui in cerebro resident huc illuc lati phantasmata confusa: & ex molestia à præcordiis impressa, horrenda spectrorum insomnia concipiunt.

Incubi tamen paroxysmus cito finitur, quoniam materies Cerebello raro aut nunquam altius insidens, facile excutitur, aut in sanguinem resorbetur, nam proinde spiritus complexus ejus immunes facti, ac intra solita spatia motus libertatem adepti, functionum suarum exercitia repetunt, quare sanguinis affluxu tunc statim in cerebrum redeunte, mox spiri-

tuum emanatio, & effluxus, tum in meditullia ejus, tum in genus nervosum, velut lumen de novo accensum restituuntur, unde experrectis vis motiva redit, atque *imaginationis error percipitur. Willis.*

4. *Maxime parte posteriore*) In omnibus soporis & stupitatis cum languore, convulsione aut rigore generibus, cerebrum affici necesse est, cum ab eo omnis motus & sensus proficiscantur; Neque hic, prout voluerunt, ventriculi illius anteriores, medii posterioresve læduntur, diversimode functiones labefactantur, neque quatenus ante vel pone cerebrum afficitur, cum cerebri substantia undique suas functiones obeat; sed prout plus minusve læsum est, plures pauvioresve functiones amittit. *Platerus Pr. l. 1. c. 2.* Incubus affectio est Cerebello peculiaris, morbis soporiferis quodammodo analogus videtur: Utpote cujus paroxysmi ex eo fere oriuntur, quod propter spiritus animales in *cerebello* ligatos aut suppressos, eorundem eclipsis, sive interruptio (brevior licet) functionis vitalis exercitium inducatur. *Willis.* Vide §. *Causa est spirituum animalium interceptio*) ex *Duncano.*

5. *Signa sunt*) Adest *moles in præcordiis cum imaginatione ponderis alicujus incumbentis*, quia sanguis, ob præpeditum respirationis actum, ac quasi suspensum diaphragmatis motum, stagnat, & coacervatis circa præcordia vaporibus debita exclusio denegatur; hinc *phantasia*, quæ nunquam otiatur, varia deceptio, dum, juxta elegans *Avicennæ* effatum, *unusquisque humor, causat phantasma cum colore suo*, Sic meticulosi facile sibi spectra fingunt.

Fit autem sub specie *gravantis*, quod oppressis præcordiis consimilis molestia imaginationi offertur; Sed *confuse*, unde modo homo, modo animal brutum incumbere videntur ægris; qui licet objecta hæc, & molem imaginariam excutere laborent, tamen ob inhibitam spirituum animalium in partes motrices per nervos irradiationem, nec *corpus*, nec *membrum aliquod movere valent.*

Contendunt porro *exclamare*, & querelis exposcere auxilium; sed ob concurrentem una nervorum læsionem vox diminuitur, *Nervorum* autem dum facio mentionem *Phrenicos & Recurrentes* intelligo: deinde in horum plerumque non tam *origine* quam *insertione* præpeditum spirituum animalium influxum contingere assero, Quoad *prius*, cum motus Diaphragmatis & Pulmonum animalis vix commodius probabiliusque quam à dictis *phrenicis* derivari queat, necessario quoque inducta horum læsione transituris alias spiritibus viam præcludi, & sic dilato motu detentos, una fuligines sanguinis suffocationem minari consequitur, *Recurrentes* vero pariter affligi nervos, ex diminuto vocis usu non solum *αὐτοψία* anatomica constat, sed etiam experimento à *Vesalio* in brutis facto; *l. 7. Anat.* pag. 827. Quin & homines ob improvide sectas scrophulas mutos factos esse exempla confirmant.

Quoad *Posterius* vero (*locum impediti influxus* innuo) notanter dictum est, *plerumque*, Posse enim impedimentum hoc non minus in *origine* quam in *insertione Nervi* contingere facile largimur, sæpius tamen quoad *insertionem* peccari Incubus, utplurimum brevi transiens, evincere videtur; cum secus si fiat, & medullæ spinalis principium quati vehementius necesse sit, & affectus contumacior, ita ut in dispositis ipsam accelerare Apoplexiam valeat.

Oboritur insuper *Tremor cordis & anxietas*, ob intermissam à cessante respiratione sanguinis circulationem, unde dum in dextro cordis ventriculo is quasi coagulatur, naturalis quidem *calor*, & quæ hanc consequitur, *ἀκμή* sufflammatur & languet. *Maculæ* etiam *puniceæ*, hypochondriacis familiares, & ex salis scorbutici volatilis exhalatione atque sublimatione oriunda, in nonnullis apparent. *Straussius.*

6. *Præsertim Pectoris*) Hoc in affectu percipimus molem in præcordiis, sub imaginatione ponderis alicujus incumbentis, unde & gravitas, & immobilitas pectoris & totius corporis fluit, à solo spirituum animalium influxu in musculos pectoris & cordis denegato, sanguis enim in corde, ob denegatum hunc spirituum animalium influxum, & hinc præpeditum respirationis actum, & quasi suspensum diaphragmatis motum, haud moveri ac ventilari potest, sed necessario stagnare debet, atque hinc coagulatur; quæ coagulatione facta, non potest non fieri quin oriantur anxietates cordis, tremoresque, aliaque gravamina, *I. Dolæus.*

7. *Homine supino decumbente*) Est notatu dignum quod Incubo obnoxii illum vix patiantur alteru[illegible]ri, verum dorso demum incumbentes. *Fr. Sylvius.* Causam vide §. 4 *Cerebrum maxime parte posteriore.*)

8. *Imaginatio & quasi ab aliquo*) Phantasia æ[illegible] turbatur, ut illi Dæmonis, sagæ, vel giganti, venerem aliquando cum ipsis exercentis, seu [illegible]ercere nitentis opinio subornatur, quæ inde fluit, q[illegible] *Microcosmetor*, viam denegatam, spiritus suos ad præmunimentum præcipuum (Cor) mittere nequ[illegible] unde is in furorem versus, illos ad alios meatus cer[illegible] ablegat, unde cum impetu resilientes spiritus, ad pejores ideas, huic passioni similes, & olim de Dæmone Sagis, Gigantibus, vel Venere conceptas feruntur &c. *Johan. Dolæus Encycl. p. 199.*

9. *Exclamare nequeat*) Licet clamore stentoreo quandoq; ægri auxilium petere velint, hoc tamen nequeunt, vox enim ipsis aliquando diminuitur, [illegible]rdu[illegible] plane abolerur, ob concurrentem una læsionem ne[illegible]orum recurrentium, per quos spiritus animales, microcosmetore Rege suo ablegari nequeunt, sicuti chordæ non tactæ sonum edere nequeunt. *Joh. Dolæus.*

10. *Causa est spirituum animalium interceptio &c.*) Primaria Incubi causa est halitus respirationis, vocisque organa imprimis afficiens, ac simul somnum profundum, ac leucem quasi narcosin producens, ac proinde blando delirio ansam præbens: Incubi namque cau[illegible]m omnem à corporeo vitio, neutiquam ab Anima deduco, Duobus autem modis putamus humores Incubum gen[illegible]rantes peccare ac nocere, 1. quatenus animales sp[illegible]ritus inficiunt, atque insomnia cum levi delirio producunt. [illegible] quatenus privatim respirationis organa simul affi[illegible], & insomniorum delirium ad personam aut [illegible] in pectori insistentem, & in suffocationis periculum [illegible] conjicientem inclinant. 3. accedere aliquando [illegible] Animam, imaginatione falsa delusam, & hunc aut [illegible]um metum circa personam certam foventem quæ [illegible]nia sibi obvenientia adversa illi facile adscribit [illegible] non cogitanti sæpe de talibus: hoc autem prop[illegible]um est meticulosorum, & quævis fortiter apprehendentium. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 32.*

Paracelsistæ hic, uti in aliis soporosis aff[illegible]bus, *sulphur narcoticum*, & *vapores narcoticos* [illegible] phrenicos & recurrentes obstruentes, spiritusque animales figentes accusant: Nos causam [illegible] tam ponimus influxum spirituum animalium denegatum, non in totum, alias esset Apoplexia, sed tantum hic impeditum influxum, non tam in origine quam in i[illegible]tione nervorum phreniticorum & rec[illegible]ntium [illegible]lorum qui ad diaphragma tendunt unde stagn[illegible]o sanguinis [illegible] præcordiis periculosa, nam nisi is moveatur, acescit, unde oritur illud *acidum* excessivum, sanguinis illud novissimum coagulum quod sæpe hu[illegible]us affectus [illegible] sabere [illegible]. adest er[illegible] *ἀταξία* spirituum, quorum acti[illegible] por[illegible]es ch[illegible]fas crudas, *acidas*, frigentes, e copio[illegible]ori, & acescente chylo crudiori sanguini

guini & liquori spirituoso communicatas infringitur. Unde hic affectus facile accidit post assumptos cibos incongruos, & fermentationes difficiles, acidos, salsos, fixisque particulis infertos, inprimis si sanguis simul scateat tot hæterogeneis salinis, fibris, nervos prædictos obstruentibus: Hinc infantes & pueri sæpe hoc affectu laborant, quia lac avidius sugunt, & voraciores sunt, quatenus alimentum quodvis, ob acidum vitiosum in stomacho residens facile corrumpitur, & materia cruda sanguini offertur; hinc hic affectus ab errore diætæ utplurimum & in adultis oboritur. *Joh. Dolaus Encyclop. p. 302.*

[10] *Causa est spirituum ad cerebrum interceptio*) In hoc morbo motus Pulmonum ea solum de causa sistitur, quod serum, quartum cerebri ventriculum dum adimplens, & octavum nervorum par comprimens, quod ad Pulmones tendit, prohibet ne spiritus hi admittant: Quapropter ii qui supini decumbunt in hunc affectum maxime in proclives sunt, quia videlicet ejusmodi situ serum, ventriculis anterioribus conceptum, ex iis facile in quartum illabitur, originem octavi paris gravans cavitatem illius comprimit, prohibetque influxum spiritus in nervos, pulmonibus necessarii ut in motum agantur: Cadaverum eorum qui Incubo obnoxii vixerunt anatome hypothesin hanc confirmat, siquidem nunquam non quartus ventriculus colluvie serosa refertus deprehensus est. *Dan. Duncanus Tract. de Motu Anim.*

[11] *Hanc causatur vapor crassus*) *Causa mediata*, eaque *proxima*, censetur esse *Vapor crassus*, non quod propterea *humores* excludi debeant, sed quod celer invasio ac transitus illi potius quam his convenire videantur. Est enim Incubus ex genere eorum affectuum qui cito fiunt & cito desinunt, unde ad *intemperiem*, quæ juxta *Galenum 3. loc. aff. c. 7.* sensim potius fieri suevit, minus recte refertur. *Vapor* ille *crassus*, poros medullæ spinalis, & principii nervorum comprimit & obstruit; Atque si secundum *essendi modum* consideretur, *copia* pariter ac qualitate peccans, hincque veluti aër nebulosus Solis intercipit radios, spiritibus animalibus eclipsin inducit: *Harveyanam* illam functionis vitalis eclipsin & interruptionem ex sanguinis *stagnatione* declaraturi, advectos per arterias crassiores sanguinis aut chyli *vapores* Incubum meotiri perhibent, quatenus obsessis vel compressis, licet non in totum, spinalis medullæ poris nervorumque principio, mox *respiratio* imminuitur, *vox* & *motus* sufflaminantur, hincque prava rei pectori incumbentis imaginatio exsurgit. *L. Stransius.*

[12] *Qui à crassa pituita &c.*) Sic exprimit *Fernelius*, *Causa est crassior pituita, aut melancholia, non in Cerebro sed circum præcordia inbarescens, qua per crapulam & cruditatem turgescente, diaphragma pulmonesque premuntur: Crasso autem vapore illinc in fauces & cerebrum expirato, vox supprimitur, sensus atque mens obturbatur, visisque tristibus offunditur;* Atqui vix fieri potest ut crassior pituita aut melancholia in præcordiis delitescens, tam dilucida intervalla concedat, nullo sui præsentiæ dato indicio, nisi cum per crapulam turgescit, aut supinus æger decumbit: vix tamdiu impune illis in locis circumferri potest ejusmodi materia quin symptomate aliquo, se prodat. Adde his morbi exitum, cui symptomata cephalica succedunt potius quam œconomiam naturalem infestantia; unde rectius minera intra ἐγκέφαλον latere statuitur.

[13] *Qui à crassa pituita, aut humore melancholica*) Incubi causam omnem à corporeo vitio, neutiquam ab Anima deducimus propriè & tantum, Duobus autem modis putamus *Humores* hic peccare ac nocere 1. quatenus animales spiritus inficiunt, atque insomnia cum levi delirio producunt. 2. quatenus privatim respirationis organa simul afficiunt, & insomniorum delirium ad personam, aut etiam aliam pectori insistentem, & in suffocationis periculum ægros conjicientem inclinant. 3. Accedere aliquando putamus Animam falsa imaginatione delusam, & hunc aut illum metum circa personam certam foventem, quæ omnia sibi advenientia adversa illi facile adscribit, etiam non cogitanti sæpe de talibus hoc autem proprium est meticulosorum, & quævis fortiter apprehendentium. *Fr. Sylvius.*

[12] *Qui à crassa pituita aut humore melancholico*) Hinc familiaris est pueris obesis, atrabilariis, melancholicis; & iis qui cibis pituitosis utuntur; ut & studiosis, quibus ob caloris innati penuriam coctio quæ fit in ventriculo minuitur, Cerebrumque assiduitate studiorum debilitatur. *Ench. Med. Pract.*

[12] *Quia crassa pituita aut humore melancholico*) Causa proxima etsi censetur esse vapor crassus, non propterea tamen *Humores* excludi debent; Arabes & Græcos utrumque admittere ex *Avicenna l. 3 fen. 1. tr. 3. Paulo lib. 3. c. 15. Ætio l. 6. c. 12.* & aliis satis patet: A quibus nec dum abeunt plurimi modernorum, utpote qui causam hanc quoad *Essentiam* considerantes, tum *humorosam* tum vaporosam esse confitentur, licet horum quidam terminis noviter excogitatis rem exprimant: Arridet sane nobis doctrina de *Humoribus* & *Vaporibus*, sed paulo defæcatior, qualem in *Vet. Medic. Hippocr.* proposuit. Hinc dum *humores pituitosos, melancholicos, serosos* in Incubo accusamus, oculos præcipue in *massam sanguineam* convertimus, ibique in prædominantibus particulis latitantes sub primarum qualitatum cortice, æmulas *salis, sulphuris, & mercurii dyscrasias* quæ quidem hic plerumque mediantibus *Vaporibus*, seu, ut loquitur *Sylvius, Halitibus*, levem quandam *Narcosin* inducentibus se cahibent, propius intuemur, Quos proinde & *Helmontium*, cum *exhalationes, in quibus res volatilis sublimatur*, & *ad latera vasis scandit*, agnoscat, concessurum speramus, monstrante præterim *Harveana* (cui, Natura sic jubente, subscribimus) hypothesi, vias & meatus tam manifestos, *ut regimine Duumviratus vitali*, sive potius *uvali*, opus non sit. *Stransius.*

[12] *Crassa pituita aut humore melancholico*) Hinc phlegmatica cruditate abundantes præ cæteris Incubo prehenduntur: Temperamentum melancholicum quantum valeat Monspessuli in Philiatro quodam observavimus. *L. Stransius.*

[13] *Aliis de causis*) *Remotiores* causæ sunt vel *supra naturales*, vel *Naturales*, illis omissis, ad Has properamus; ubi *Temperamentum melancholicum* quantum valear notum, *Phlegmaticum* tum simplex, tum huic associatum symbolum confert, hinc phlegmatica cruditate abundantes præ cæteris obnoxii. *Non naturales res* fomitem hisce subministrant occasionalem; *Aër* enim *crassis* non solum repletus *vaporibus* nocet, verum & aliquando *peculiari malignitate infectus*, *Incubum* Romæ *epidemialem*, teste *C. Aureliano* excitavit.

Victus ratio & *voracitas* infantes ac pueros huic malo valde obnoxios reddit; Nec parcit adultioribus, ebrietati præsertim deditis: *Somnus* & *temporis* & *decubitus* ratione ad Ephialten potest disponere, si diurnus & post pastum statim ineatur, tumque alias justo diutius extendatur, vel si *decubitu supino* instituatur.

Excreta & *Retenta* non minus ponderis obtinere, & quandoque etiam à *vasis genitalibus vapores in cerebrum elevari* testis esse potest Eques ille Romanus pro quo consulcat *Zecchius cons. 42.* quippe qui utplurimum dum in Incubum incidebat, in Venereis occupabatur. Iis quoque qui intensioribus *Animi intentionibus* & literarum studiis in concubiam noctem, dissuadente licet Aurora, Musis amica, incumbunt. Inter *Res p. n. Vermes* in pueris, non raro & *Pavorum* & *Incubi* authores iis extant, In adultioribus varia tum *χυμικοῖς* tum *αἱματικοῖς* vitia idem efficiunt. *Laur. Stransius.*

14. *Curatio est mutoris spei*) Quanquam raro quispiam ab hoc morbo solitario intereat, attamen huic crebro obnoxii, si quando aliis affectibus cephalicis, uti lethargo, caro, apoplexia, aut epilepsia corripiuntur, longe periculosius decumbent; quia materies morbifica è sanguine in cerebrum suffusa, insuper cerebellum ita prædispositum facile invadet, proinde ut laborantes functionis vitalis, una ac animalis eclipsin passi in majus vitæ discrimen adducentur: hinc vulgaris observatio est Ephialte crebra tentari solitos, non raro apoplecticos occumbere. *Willis.* Non rarum est multos fuisse hoc morbo è medio sublatos tempore somni, per modum catarrhi suffocativi: Si malum hoc in pejus ruat, & per noctem etiam vigilantibus accidat, vel si simul dormientes occupet, post expergefactionem tamen spasmus vel syncope eveniant, aut frigidi oriantur sudores, & cordis Tremores, pessimi res est signi. *Joh. Dolæus.*

15. *Si diuturnus est & frequens*) Nam, notante *Willisio*, qui juvenes Incubo correpti, in provectiori deinceps ætate ab illo immunes, sed cordis tremore, palpitatione, aliisque circa præcordia & hypochondria doloribus & spasmis gravissime affecti fuere: Solet nempe causa vehementior, perrupto tandem cerebelli ambitu, in privatum penetrare locum, hujusque compagem aggrediens intestina id genus detrimenta moliri. *L. Stransfius.*

16. *Partim dormienti partim vigilanti*) *Sylvius Libr. Prax. c.23. §.1* Incubum Insomniorum speciem, eamque peculiarem merito statuit, siquidem Insomnia, nisi excedant, citra morbosam in corpore διάθεσιν citraque thoracis gravitatem variis imaginibus plena sunt, Incubus vero semper præexistente quadam prava corporis dispositione accidit: Notandum vero quod dicta *Motricis diminutio*, vel *cessatio*, & *perturbatio Phantasia in vigiliis*, etiam quandoque contingant: uti cuidam Theologiæ Professori apud *Smetium* Misc. *l.1.p.547.* Vide etiam *Rhodium Cent.1. Obs.54.* Et *Rolfinckius* se novisse Pastorem ait, qui vigilans, stans, sedens, crebro Incubo corripiebatur: Interea in *somno* frequentius & gravius Incubus affligere consuevit. *L. Stransfius.*

17. *Tremor cordis*) Quod in Corde & Diaphragmate Tremores & vibrationes celerrimæ succedant, ratio est quoniam hæc corpora, quamdiu a motibus suis cohibentur, exerendi se nixu laborantia, quamprimum restituuntur intra justos limites se continere nequeunt, quin totas vires simul exerentia, & rumis actuosa debitum officii munus excedunt; non secus ac virga quæ, si aliquandiu flexa detineatur, mox remora vi impetu quodam se restituens, trepidationis seu vibrationis motum init. *Willis.*

17. *Tremor cordis, spasmus, aut syncope sequuntur*) Incubi eventus aliquando minus periculosus esse solet, cum sæpe in passionem cardiacam, aliasque affectiones pro *hypochondriacis* vulgo habitas ducat: Novi plures dum juvenes Ephialte, in provectiore deinceps ætate ab ea immunes, cordis tremore, palpitatione, aliisque circa præcordia & hypochondria doloribus & spasmis gravissime afflictos: Commutationis hujus morbidæ causam fuisse putavimus, quod materies morbifica, postquam cerebelli ambitum sæpius obsidere soleret, tandem facta impressione in privatum quendam locum altius penetraverit, & compagem ejus trajiciens nervis ad præcordia destinatis impacta fuerit. *Willis.*

18. *Spasmus aut syncope sequuntur*) Ephialtis paroxysmus, quia functionem vitalem, quasi primarium in machina animali elaterem immedicate sistit, illico cæteras omnes facultates cessare, imo totam animam corpoream (plusquam gravior apoplexia aut lethargi insultus) mutare, ac velut eclipsin pati cogit: Attamen ab hoc affectu periculum minus imminet, quia materies morbifica è sanguine in cerebelli ambitum suffusa haud altius penetrare sinitur; quippe spiritus qui illius provinciæ sunt, semper in procinctu ac vigiles, hosti celerrime occurrunt, ejusque introitum, intermissis licet interea functionis vitalis muniis, fortiter oppugnant: Porro spiritus animales, qui in cerebri ditione sunt, experrecti, protinus in cerebelli laborantis subsidium convolant, nam Incubo laborantes, si forsan ab ejusdem lecti consorte mox somno excitentur, e paroxysmo citius evadunt. *Willis.*

19. *In quo ægri excitandi*) In paroxysmo danda tantum est opera ut illico *excitetur Æger*, Nam, verbis *Helmontii*, si protenus expergefiant somniatores, statim quoque cessat Incubus, quod spiritus ad motus organa liberius dispensentur, sicque eo validius nubes has discutere queant: Hinc *Forestus* merito suadet huic malo obnoxiis ut juxta se socium habeant, qui dormientes, lamentantes &c. è somno excitet, Ubi hæc non sufficiunt, sed Ægri status Artis quoque præsidium requirit, ea quæ sopitos spiritus animales recreare ac suscitare solent; commode in usum vocantur; Sic laudem merentur *spir. salis armon. spir. vini rectific. tartar. sat. Liquor. c.c. succinat. Sal succini vol. Magist. Succini*, quæ cum *aqu. apopl. Langii cinn.* &c. dentur. *Stransfius.*

10. *Tempus extra paroxysmum*) Veteres Practici curam hujus affectus absolvunt pro more solito *Præparantibus*, ut sunt *syr. stæch. menthæ, oxymel simplex, aqua absinth. majoran. bugloss. fumar. decoct. rad. fœnic. petrosel. rorismar. ceterach.* &c. quibus utuntur dum pituita ægrum redundare deprehenderunt, syrupis vero *fumar. pomor.* &c. cum *melancholia* exuberat; Dein *vacuantibus* certare solent, *Pil. coch. de agaric. mastich.* &c. *Venæ sectionem* admittunt si corpus fuerit plethoricum, vel si menses aut hæmorrhoides retineantur præter consuetudinem, eoque liberius quo sanguinem crassiorem offendunt: *Venam frontis*, aut *sub lingua* secant; Ad *Revellentia* confugiunt, *clysteres acres, cucurbitulas siccas, sanguisugas hæmorrhoidibus* applicant, *frictionibus capitis*; *errhinis levibus, gargarismis apophlegmatismis, sternutatoriis* utuntur, *Prohibentia vapores ascendere* ipsis sunt *diarrhod. abb. diamarg. frig. sacch. rosat. corallin.* &c. Curam concludunt *Corroborantibus theriaca, mithridatio, diamosch. d. dianth. conf. anthos, bugloss. sem. & rad. paon. nuc. mosch.* Innunctionem capitis, pectoris, ventriculi *ex ol. chamom. aneth. vino calido* magni faciunt, Dropacem *thoraci, hypochondriis* aptant, ex quinque *picis* partibus, *unc. olei spica* vel *mastiches.* Sacculos commendant; Cucuphas ex flor. *beton. sampsuch. flor. anthos, stæch. rosar. rub. caryoph. nuce mosch.* rad. *cyperi* &c.

Paracelsus, ejusque asseclæ fere eodem modo ac apoplexiam vel paralysin curare solent, ideo varia adhibent purgantia, *Extr. helleb. nigri panchymag. Crollii* &c. Ejecta tandem materia peccante confugiunt ad spirituosa corroborantia, inprimis extollant *aurum potabile, Ol. succini, piper. junip.* intus & extra, & alia usurpari solita in affectibus soporosis.

Helmontius, qui causam hujus mali in stomacho constituit, suadet *vomitorium*, quo cruditates ventriculi eliminentur; In paroxysmo excitat ægrum, nam soluto somno statim cessat Incubus; *Sylvius* petit curationem 1. à correctione bilis narcoticam vim habentis, 2. ab emendatione pituitæ crassæ, humorisque austeri, noxios halitus producentis. 3. à discussione halituum austero biliosorum, paroxysmi tempore assurgentium.

Nos tres Ephiaticos curandos suscepimus, Durante paroxysmo excitari jubemus ægrum, dein propinamus quæcunque obstructionem in nervis phrenicis tollunt; Miscrocosmetorem, & spiritus animales excitantia recreantiaque, quod præ aliis præstant spiritus volatiles ardentes, & salini volatiles, juncti salibus volatilibus oleosis, quæ nonnunquam mira præstant, dum spiritus

excitant

excitant sopitos, & revocant aliorsum abeuntes, quæ volatilia quoque sanguinis æquabilem fermentationem conservant, spiritusque de novo suscitant; E g.

℞. *spir. vini rectif.* ℔ij. *sal. tartar. puriss.* ℥iiij. *Evoca destillando spiritum, cui rite exaltato adde ol. aromat. e.g. cinnam. macis, fœniculi, succini &c. quantum sorberet poterit, tum adde spir. salis armon. iam temperamento.* Vel

℞ *spir. vini rectific. tartaris.* ℥vi. *ol. mac. succini* ãã ʒiij. *mixta stent donec spiritus absorpserit olea, tunc adde spir. sal. armon.* ℥ij. *Ex phiola oblonga destilla ex arena, & serva ad usum, Signa,* Spiritus Oleosus noster. *Esto formula.*

℞. *aqu. cinnam.* ℥iß. *apopl.* ʒj. *spir. nostri oleosi* ʒß. *syr. de cinnam.* ʒß. *sumatur cochleatim.* Vel

℞. *Conserv. flor. paon. rorisinar.* ãã. ʒß. *salis c.c. volat.* gr. vi. *magist. succini* gr. iij. *m. f. Bolus m. & v. usurpandus.*

Decoctum *lignorum*, instillato *spir. salis armon.* conducet. *Aqua cinnamomi*, addita *ambra* particula, totam sæpe in hoc affectu implet paginam.

Ad stagnationem vero sanguinis, ex coagulo illius ab acido ortam, tollendam, medicamenta dicta conveniunt, quatenus acidum corrigunt, & sanguinem citissime dissolvunt. Præ aliis huic scopo satisfacit *spir. salis armon.* purissimum illud alkali volatile ad ℈j. in vehiculo idoneo exhibitum, *Spir. c.c. fuligin.* & *noster oleosus*, & *spir. salis armon.* succinatus: *Sperma ceti* summum est remedium in dissolvendo sanguinis coagulo.

Nunquam *V.S* adhibuimus nisi in cordis maxima angustia, unde quasi suffocatio vel apoplexia imminet, Et si Incubus sit ab obstructione mensium, tum saphena secanda, Cujus vicem supplere possunt *cucurb. & hirudines.*

Extra paroxysmum Vomitoria ex *infuso antimon.* vel *tart. emet. Minf.* vel *Ludovicianо*, sæpe bonum spondebunt effectum, ventriculo infixis vitiosis humoribus & crudis vacuatis; Sin prohibeoua adsint, cathartica sequ. valent.

℞. *mass. Pil. aloephang.* ʒß. *mag. succin.* gr. iij. *ol. anth.* gtt. j *m. f. Pilul.* n. xv.

Post has sumatur sequens mixtura.

℞. *spir salis ammon. succin. c.c.* ãã ʒß. *oleosi nostri* ℈j. *aq. sal v. rorism.* ãã ℥j m. pro iij. vicibus.

Si ob stomachi vitium vel diætæ errorem ortus sit, cum successu nostris ægris præscripsimus *Pulv. stomachalem Timai.*

℞. *sem. coriand. p.* ʒiß. *cinnam. mac. caryoph.* ãã. ℈j. *Corall. ppt.* ʒj. *ol. still. carvi* gtt. xi. *n. m.* gtt. vi. *rot. man. Chr. perl.* ℥ß. *m. f. Tragea.* Vel

℞. *Pulv. stomach* ʒij *coriand. ppt.* ʒj. *fac. paon.* ʒß. *smaragd. ppt.* ℈j. *Misce*

Sub vesperam sumat aliquid *vini*, vel *aqu. vita Matth.* vel *spir. vini*, *Acidula* & *Therma* sæpe ægros restituunt, Nec negligimus *Errhina*, *Apophlegm. frictiones*, *scarific hirudines &c. Sennerti Elect.* quod *pleresarchont.* inscribitur, cum *conf. alkerm.* & *ambra* cum successu damus; *Topica.* e g. *axung lupi, ganatum*, pectori inungenda non exigui sunt usus, ut & alia *oleosa aromat.* & *spirituosa.*

Caput *hirudinis* (hirundinis forte) collo gestatum hunc morbum arcere nobis pro arcano revelatum est. Valde & conducit *Empl. spirituosum umbilico* applicatum, ut & *olea destill. lavend. carvi &c.* Vel sacculus applicetur è *Sale communi, macerato tritico, flor chamom.* Venter inungatur *oleo nuc. mosch. expresso.* Vel

℞. *Ungu alabastr.* ℥ii. *theriac.* ℈v *salis fixi* gr. xvi. *croci* ℈ß. *ol. carvi, balsami Peruv.* ãã gtt. viii. misce, Pro divitibus addatur *moschus* & *ambra*, Pro fœminis loco suaveolentium *Olei de Castor.* ℈ß. Joh. Dolæus Encyclop. *l. 1. c. 13.*

20. *Tempus extra paroxysmum*) Quoad morbi hujus curationem, ad paroxysmos, quoniam sua sponte cito transeunt, ea non opus est; Methodus therapeutica, post totius provisionem *phlebotomia* (ubi opus est) & leni *catharsi* faciendam, remediorum, quæ vulgo *cephalica* habentur, usum præcipuum suggerit; Itaque hic Pulveres è *succino, gallii, margarit, rad. paonia mar. dictamni cret. contrayerva*, item *Electuaria*, *Tabula*, *Aqua destill. Tinctura*, *Elixires*, aliaque in lethargo & apoplexia præscribi solita, locum habent. *Willis.*

Theriaca vetus semel in hebdomada, media nocte sumpta proderit.

Infundimus *clysmata* ad alvi fæces eluendas, antequam *purgantia* dentur; tum postea quoque ad flatus hac ratione discutiendos, Quibus in ipso paroxysmo injectis admodum levantur.

Naribus & oris indita *caput purgia*, post purgationem, ad cavendos graviores capitis affectus, in quos facile hic morbus abit, iisdem modis ut illic præscriptum administrata conducunt &c. *Ventriculus & thorax*, dum anguntur, inungantur

℞. *Ol. aneth. chamam.* ãã. ℥j. *vini albi* ℥j. *aqu. vita* ʒij. *coqu.*

Extremitatum ablutio frequens revellit à septo & capite vapores.

Cucurbitula cruribus, in suris primum, mox & in humeris *applicentur*; *Dropaces* applicari ex pice & *oleo mast ch.* qui & calidi capiti, interposito linteo empl. instar adhibentur, si caput simul affectum sit. *Platerus.*

21. *Diata servanda*) Ad præservationem hujus affectus inprimis convenit victus non vaporosus, seu flatulentus, qui non inflet nec flatus gignat, sed euchymus, qui & facile coquatur & modice alat: Vitentur ideo *legumina*, pisa; fabæ, castaneæ, porrum, *allia*. sinapi, *fructus* oleosi & nuces amygdalæ: *Radices* quæ inflant, ut napi, pastinacæ, betæ, raphani; *Cœna* sit aut nulla aut parca, *Potus* vinum album, tenue, dilutum, hydromel, pomaceum bene defæcatum: In ultima mensa non utatur fructibus crudis: Conveniunt pyra, mala cotonea, aliique fructus adstringentes: *Cappari, saxifragia*, & passulæ. usus utilis: *Somnus* diutnus vitandus, maxime statim à cibo: *Dormiat* in latus & non supinus, Supinus enim decubitus sternum comprimit, quo compresso pulmones & thorax non ita facile dilatantur (vide aliam causam 6.4. *Cerebrum maxime parte posteriore*) Fugiat *negotia*, sollicitudines, immodica literarum studia, præcipue statim à cœna. Præterea immodicam & intempestivam Venerem; A pastu utatur pulvere flatus discutiente. *Enchir. Med. Pr.*

Inter cœnam & somnum tres ad minimum intercedant horæ; Cubitum iturus æger pro corroboratione ventriculi, & occlusione orificii ejus, devoret duas rotulas vel *diambra*, vel *diamoschi dulc.* aut semijuglandis quantitatem *diacydonii*, aut frustulum *cydonii cond.* aut pugill. *coriand. sacch. obducti*; aut assumat ℈ß. *olei vitr.* cum aqua lavend commixti: Qui consuescere posset ad pronum decubitum, huic non esset de Incubonis insultu, nec de apoplexia metuendum. *Fr. Joel.*

In *Potu Vinum*, quod mentem perturbet, *Aquam*, quia inflat, improbant; & *aqua mulsa* usum suadent, cujus tamen continuus usus in juvenibus, propter *mel*, quod facile in bilem vertitur, convenire minime potest: Nos *vinum*, cum concoctionem juvet, si moderate; quod debilius est, vel dilutum bibatur, nocere minime posse, sed ut aliis melancholicis affectibus, sic hic quoque prodesse existimamus: *Melicratum*, quod interdum seniores & pituitosi, loco medicamenti, in hosce usus bibere possunt, tale decoqui potest

℞. *rad. liquir.* ℥j. *fænic.* ℥ß. *passul. enucl.* ℥ii. *sem. anisi* ʒj. *fl. bugl. p. j. f. decoct.* In ℔iß. *dissolve mellis & sacch.* ãã ℥iß.

M[illegible] animalis nec abolerur, nec imminuitur, nec augetur, nec propne depravatur; Verum rigore accedente corpus in eo statu & positu permanet, in quo erat cum hoc affectu corriperetur æger, unde stans, sedens, aut decumbens observatur Catalepticus, statuæ instar immobilis, qui tunc nec sponte, nec impulsus locū mutat, vel corpus movet, permanente solo arteriarum pulsu & respiratione; Quamvis enim oculi ægris aperti sint aliquando in gravissima catalepsi, non vident tamen, nec audiunt, nec alio sensu quocunque fruuntur; Sed nec concidunt, uti accidit in abolito, vel imminuto motu, Apoplexia & Paralysi; Vel eodem aucto. Convulsione puta universali, vel ut in motu depravato, Convulsivo scil. qualis occurrit in Epilepsia, in quibus affectibus omnibus mox concidunt ægri, si steterint vel sederint quando ipsis corripiuntur, cujus contrarium evenit Catalepticis, quos testatur experientia permanere rigidos, in eo statu & situ in quo erant quando mirabili hoc affectu prehendebantur. *Sylvius Pr. l. 2. c. 24.*

Ex his Catalepseos definitionem construxit *L. Straussius Pal. Med. Part. 1. Gymn. 6.* Catalepsis est *subita partium corporis, plerumque omnium, Rigiditas, cum sensuum internorum & externorum labefactatione seu stupore, pulsu interim & respiratione perseverantibus, à spirituum animalium peculiariter læsa mobilitate dependens.*

3. *Sensuum omnium, motus &c.*) Cum in omni Catalepsi afficiantur male sensus omnes, atque motus animalis, quæritur Cujusnam functionis proprium & primarium symptoma, *Externorum sensuum* an *Internorum, an motus animalis?* an omnium æque? Censeo Animalis motus symptoma proprie atque primario esse, sensuum autem tam externorum quam internorum secundario tantum; ideo quod in omni solaque catalepsi, & quidem semper, observetur animalis motus, non *abolitus* quidem aut *deficiens*, non *auctus* & *partes convellens*, non *convulsive depravatus*, & partes varie atque alternatim agitans *tremulusve*, verum *rigidus & in positu in quo erant cum hoc affectu corriperentur*, aut ad quem postmodum deducuntur & flectuntur; *partes conservans, ac stipitis instar rigidum corpus alias efficiens.* *Sylvius. Pr. libr. 2. capite 24.*

3. *Sensuum omnium*) Sensus tam internos quam externos affici, sed *secundario* tantum arbitramur; Et in graviore quidem Catalepsi gravius quoque stupere deprehenduntur, adeo ut aboliti videantur, revera tamen stupent tantum, uti ex leviore ipsius specie facile colligi potest, Quamvis enim in Catalepsi levius affligente aliquis non raro supersit sensuum tam externorum quam internorum usus, stupent tamen semper utrique plus minus, quod ad veram Catalepseos curam eruendam non parum affert lucis: Prout autem affectus gravior est, aut levior, sic etiam sensuum stupor major est & gravior, aut minor & levior. *Sylvius.*

3. *Sensuum omnium, motus* &c.) Superstite tamen Pulsu & respiratione, etiam in gravi Catalepsi, ni mors mox sequatur. Urgetur scil. contractio à sanguine in ipsius ventriculis rarefacto, atque ejusdem parietes expandente, adeoque ad sui reciprocam contractionem excitante atque impellente, imo cogente, Quinimo spirituum animalium, cordis musculos moventium, torpor (à quo deducimus Catalepsin) corrigi, & quodammodo emendari videtur ab interno cordis igne, totum ejus parenchyma pervadente, quid idem de arteriarum venarumque motu in Catalepticis permanente dicendum. Sic & *Respiratio* à sanguine ex cordis ventriculo in pulmonalem arteriam propulso urgeri videtur, una cum partibus primariis necessario ipsi ministrantibus *Sylvius.*

4. *Motus*) Accidit Catalepticis omnibus ut 1. *non moveantur voluntarie musculi*, ac proinde nec partes quibus inseruntur, quasque alias simul movere, ac flectere aut extendere, aut quocunque demum modo inflectere ac ciere solent musculi, Et quamvis in leviore specie constet adhuc mens & voluntas ægris, nequeunt tamen pro arbitrio suo movere partes suas, unde instar stipitum rigidi permanent; simulque stupidi quasi & attoniti. 2. Accidit iisdem, levius saltem affectis, ut moveantur iidem musculi, ab externa causa ad motum excitati: 3. ut quamvis moveri possint partes, fiat tamen motus ille omnis, quam naturaliter, & difficilius, & gravius, & segnius. *Sylvius.*

5. *Rigidi in eo statu*) Accidit Catalepticis ut perseverent ac permaneant ipsorum membra in rigore atque rigiditate, ac si manu prehensa continerentur, in eodem statu vel positu: Quo symptomate (Catalepsi peculiari) à cæteris affectibus omnibus distinguitur, adeo ut *Catalepsi omni, soli, & semper conveniat hic partium affectarum, mobilium tamen, rigor.* Sylvius.

6. *Signis opus non est*) Distinguenda tamen à consimilibus affectibus, nam aliquando vocatus fui ad invisendum ægrum à Chirurgo, quem syncope prehensum dicebat, cum revera Catalepticus esset, cujus historiam attuli *Anat. Pract. p. 146.*

Sed facile à cæteris Animalis motus læsionibus distinguitur, ait *Franc. Sylvius l. c.* & 1. Motu abolito in *Paralysi*, dum hic flaccida occurrunt membra, in Catalepsi rigida: 2. A motu imminuto in *Tremore* continuo, in quo aliquid superest motus voluntarii: in Catalepsi nullus, 3. A *motu aucto* ut Convulsione in qua immobilis ac inflexibilis observatur pars affecta, non item in Catalepsi, in qua pars sponte riget quidem, flecti tamen potest facile 4. A *motu depravato* & convulsivo, in quo agitatur & concutitur pars læsa, non item In Catalepsi, in qua quiescit, ni ab externa causa excitetur, & quidem ad motum naturali consimilem; Ab *affectibus* autem *attonitis* ut apoplexia, ratione motus hic aboliti, hic vero cum rigore partiū permanentis; Ab *affectibus soporosis*, nam in Catalepsi non tam somnus urget quam in somnum propensio: Ubique tamen, & ab affectibus distinguitur per peculiarem læsi motus animalis modum, immobilitate scilicet partium, rigidarum & actu immotarum. Hæc *Sylvius.*)

Adde his discrimen à *Syncope*, quam Chirurgus in Cataleptico, de quo supra, accusabat, cum in illa Pulsus aut aboletur aut admodum imminuitur, cum flexilitate membrorum, omniumque virium jactura, cum in Catalepsi pulsus permaneat, membraque sint rigida, eaque affecti si impellantur, motus aliquos edant. Cæterum *Essentialisne* an sympathicus sit affectus docet *Straussius* l. c. nam ipsamet causa suis se prodit indiciis, & vel caput debilius hunc in sinu anguem fovere, Vel ex peccante aliqua inferioris ventris minera excitati, proprio ibidem affecti visceris symbolo ostendet: Qua ratione vero qui se Catalepticos fingunt deprehendi debeant, docet *Forestus l. ob 10. observ. 41. in Schol.*

7. *De causa dissentiunt authores*) *Galenus ad aph. 3. f. 2.* frigidæ & siccæ cerebri intemperiei generationem tribuit. quæ partem cerebri posteriorem præcipue occupat, eam constipat & condensat, unde nervi ab ea oriundi etiam condensantur, ac tensi & rigidi evadunt: Hanc intemperiem nonnulli in dubium revocant, quod tanta frigiditas in corpore reperiri non possit quæ talem nervis congelationem inducat.

Verum hos tacite redarguit *idem l. de differ. morbor. capit. 5.* ratione ab experientia desumpta, *nam ij*, inquit, *quos in itinere usque ad mortem frigus oppressit talibus rigoribus corripiuntur quales Græci emprosthotonos, opisthotonos tetanosque appellant, nonnulli vero bis*

passionibus, quas congelationes nominant, affliguntur: docet igitur à frigore externo Catal. generari posse, Et ratio persuadet, in iis qui in itinere ex intenso frigore rigescunt & intereunt, rigiditatem mortem præcedere, atque adeo minorem frigiditatem eam posse inducere quam sit illis quæ mortem inducit; sicque congelatio nervorum, seu Catalepsis, à frigida intemperie produci potest, quæ citius talem effectum pariet si siccitatem habuerit comitem.

Frequentius tamen generatur ab intemperie frigida & sicca cum materia, conjuncta illa autem est humor aut vapor melancholicus, à quibus constipatio partis cerebri posterioris, & nervorum tensio atque rigiditas inducitur, non solum qualitate sua frigida & sicca, sed etiam quantitate, quæ replendo distensionem facit. *Aëtius lib. 6. cap. 3.* à sanguine etiam fieri posse asseruit; cui subscribit *Rondeletius*, dicens id contingere cum venæ & arteriæ cerebri opplentur, unde rigescit corpus, & distentum in modum corporum à frigore congelatorum conspicitur. Hanc sententiam confirmat historia mulieris, febre synocho laborantis, quæ 19. die catalepsi correpta est, sed large ex auribus fluente sanguine liberata. *Riverius* Vide infra §. *Spiritus*)

Platerus ad spirituum in cerebro *μίξιν* refert. Nimia, *aut*, & perseverans sensuum internorum operatio, perquam, uti in cordis magnis passionibus, adeo spiritus vitales efferri videmus ut animi inde defectus sequatur, ita & si per vehementiorem cogitationē, & intensionem in rem aliquam spirituum animalium fiat in externorum sensuum organa dissipatio, accidere potest ut velut attoniti leviter stupeant, & vel mox etiam remeantibus ipsis, ad se redeant, vel si diutius perseverent, diversæ illæ Catalapseos species, quas ex *nimio studio*, vel *amore*, vel *animi aliquo gravi affectu* alio, *melancholia* præsertim (unde factum ut causam plerique succum melancholicum statuerint) accidisse aliquando observavevimus. In quibus si non penitus spiritibus effusis, portiones aliquæ illorum in cerebro remanserunt sensus quoque aliquos persistere aliis cessantibus, & prout in nervos effunditur, motus quoque vel saltem permanere, aut cum rigiditate sese citra concussionem exerere posse, si nulla nervorum, uti in epilepsia, fiat contractio. hancque diversitatis catalepseos specierum causam esse verisimile videtur. Uti tamen quoque, si per animi violentum affectum adeo spiritus efferantur, ut aliquandiu se recolligere nequeant, Epilepticorum instar illos corruisse quoque, remanente pulsu, quo ab animo deficientibus distinguebantur, vidimus in quibusdam, qui cum in magnis conventibus perorabant, disputabant, ob nimiam animi & sensuum contentionem, spiritibus agitatis hoc passi sunt. *Prax. l. 1. c. 2.*

Causam in Animalibus spiritibus statuit *Sylvius* quodammodo coagulatis: In his, *inquit*, non in nervis aut cerebro causam consistere opinor, quos, ut Catal. producant, plus minus *torpidos* & ad *motum ineptiores* & quodammodo coagulari judico. Hoc ut judicem movet me 1. ipse *spiritus animalis* ejusdem naturæ forte cum *spiritu vini*, utpote qui ab hoc reparatur facillime atque promptissime. 2. *Spir. vini*, utut subtilissimus ac diligenti rectificatione purissimus, ad *spiritum coagulantis ex urina humana* per sex hebdomadas, convenienti anni tempore prius fermentata eliciti affusionem mox concrescens, atque spissitudinem ab eo accipiens tantam, ut colostri albicantis formam nanciscatur, in unam massam coeuntes bini hi spiritus. Quod cum in summo gradu accidat rectificato vini spiritu ab urinæ spiritu, nonne idem in humano corpore accidere posset quodammodo *spiritui animali, à spiritu p. n. orbi genito, aut à compedibus suis liberato, & ad cerebrum penetrante, atque spiritum animalem plus minus coagulante, magisque, vel minus immobilem faciente*. Pro coagulatione enim fortiori vel leviori continget quoque catalepsis vel gravior vel levior &c. Censeo igitur in Catalepsi quidem deferri à *cerebro per nervos quaquaversum spiritus animales, verum quadamtenus coagulatos inspissatosq́; adeoque torpidiores ac stupidiores, minusque mobiles & fluxiles*.

Inter tot tamque varias opiniones, duæ potissimum tanquam celebriores occurrunt, quarum una peculiarem læsionis modum, in *spirituum aut humorum ex frigore constrictione*, altera in *eorum ex vapore oriunda congelatione* ponit; Illam cum *Galeno* 2. aphor. 3. veteres, hanc cum *Sennerto* plurimi Recentiorum tuentur &c. Nec dubitamus nos eorum subscribere sententiæ qui *Congelationis* termino, more Chymicorum uti hactenus voluerunt, *more Chymicorum* dico, Neque enim *congelationem à frigore & siccitate* oriundam, vel *Sennertum*, vel alios, ita crude intellexisse, quam potius tantam in corpore vivente actu dari, tamque subitæ immobilitatis causam esse posse, expresse negant, unde per peculiarem *vaporem*, spirituum *figendi* vim habentem quid sibi hoc termino velit *Sennertus* iterato innuit &c. Quod si spiritus vini purissimus cum spiritu urinæ humanæ coagulante permistus coagulari potest, In corpore quoque humano *spiritus animales congelari*, hoc est, *coagulari, figi* sicque torpidiores reddi posse, sicuti vero maxime consentaneum est; ita sane qui idem cum *Sylvio, Willisio* aliisque bene oculus statuūnt, contradictiones & cruditates longe minores quam quidem circa fictam *Glandulæ* istius obstructionem occurrunt timere debent. *L. Straussius*,

Ad *Plateri* sententiam accedit *Valentinus Disputat. Inaug. de convuls.* qui ad convulsiones refert Catalepsin, Ejusque *causam* dicit esse nimium spirituum motum, quatenus uno impetu cerebrum relinquentes, utrumque musculum antagonistam irruūt, nec inde statim retrocedere possunt, unde rigor ille notabilis. Hinc *Dolaus* Catalepsin *Apoplexiam* inversam haud inconcinne vocat in *Encyclopadia. med.*

[7] *De causa dissentiunt*) Dissensus etiam est circa *subjectum*, & quidem *principale*, Quodnam illud sit haud adeo difficile dictu videri possit, quando Cerebrum *τὴν τῆς κινήσεως καὶ αἰσθήσεως ἀρχὴν, καὶ τὸ ἡγεμονικὸν* esse communi omnium suffragio docetur. Secundum quam partem vero idipsum præcipue afficiatur, ut quis dicat, minus forte in promptu est, Præterquam enim quod alii *membranosam medullæ spinalis substantiam* violenter nimis tendi existiment, Alii potius ventriculos cerebri oppletos incusent, Invenias quoque qui cum *Sylvio* & *Willisio* non tam cerebrum quam *Spiritus animales* pro parte affecta habendos judicent. *Cartesius*, qui glandulam Pinealem præcipuam Animæ sedem constituit, *illa p. n.* affecta functiones hujus minus rectè perfici vult, Sed multi tantam huic Glandulæ dignitatem neutiquam attribuunt, ad *mentis Cartesiana* potius quam naturæ archetypum effictaio. In qua *calculi, abscessus* &c. reperta constante interim judicio. Hac missa, *cerebrum*, ceu *partem similarem*, h. e. spiritibus perfusam, in *Catalepsi subjective* affici statuimus &c. *L. Straussius*.

In causa Catalepsis proprietatem agnoscit *Platerus*, quæ stuporem illum cum rigiditate membrorum potius quam convulsiones producat.

[8] *Ita figi à vapore fixativo*) Capere mente non possum quomodo fixatio spiritus animalis inducta à spiritu illi simili qui elicitur ex urina humana, qui revera fixationcio inducit spiritui vini, ejusmodi tensionem inferre valeat; neque qua ratione coagulatio spiritus animalis concurrere potest cum cordis pulsatione & respiratione, quæ in ejusmodi affectu superstites manent. Neque tandem percipio quomodo vita, quæ in motu præsertim spirituum consistit, non eodem tempore aboleatur: Id nihilominus accidit, perarduum autem est causam nancisci. *Duncanus Expl. mechan. motuum animal. cap. 9.*

Vide

Vide supra ex eodem cap. 6. art. 1. §. *motum animalem lædentia*) & superius §. *De causa dissentiunt authores.*)

8. *Rigi à vapore fixativo*) Hoc totum ego transcribo vapori tali qualis est in Tetano. At qui congellationem quandam sanguinis nobis afferunt, indéq; cógelationem vocant affectum, refutatione indigni sunt. Idem dico de iis qui frigore mortuos dicunt hoc affectu interiisse; hi vel ideo tolerandi non sunt quod id quod est ab externa causa tribuant internæ, Imo semper removere oportet causas externas. Multo minus ferendi sunt qui cum Comate vigili confundunt. *Hofmannus l. c.*

9. *Rigi à vapore fixativo spiritus*) Quæ sententia est *Sennerti*, spiritum quendam congelantem statuentis, à quo spiritus animales figuntur & immobiles redduntur: quam vim ab intemperie frigida & sicca dependere negat, sed à qualitate quadam occulta, cujusmodi spiritus congelantes in microcosmo reperiuntur: Hoc *Sennertii* inventum non esset prorsus rejiciendum, nisi ille hanc unicam catalepseos causam statueret, reliquas expungeret; quæ à præstantissimis Medicis stabilitæ temere rejiciendæ non sunt; neque ad causas occultas semper confugiendum quando manifestæ habentur talem effectum edere capaces: Cum porro *Idem* hunc spiritum congelantem ab humore melancholico excitari dicat, illius sententia à communi parum distat, quæ humori aut vapori frigido & sicco, adeoque melancholico, Catalepsis generationem tribuit. *Riverius.*

10. *Spiritus*) Quin & sanguinis vitium concurrere, impeditamque ejus ἀνεῤῥοπίη plurimum hic momenti habere *Jacotii* observatio confirmat, qui *comm. ad aph. 7. Coacar. l. 2.* In anatomia Catocho sublatorum venas in capite crasso sanguine plenas se vidisse testatur. Sed in eo peculiarem qualitatem adesse non est ut quis dubitet, cum *sanguinis & spirituum* ἐνεργεία in ipso cerebri meditullio vel (quod bene *Wedelius* addit) corde etiam tanto promptius *coagulari figique* pateat, quanto magis ejuscemodi *δυνάμεων* mediantibus heterogeneis, talemque vim participantibus particulis suscipiunt & sub schemate *Vaporis* cum spiritibus sese conjungunt. Quando autem *Galenici* in causarum enarratione frigiditatem & siccitatem sanguinis adducunt, eos haud prorsus exsibilandos esse judicamus, etiamsi scopum haud prorsus ferire videantur; Quod si enim quas sub primis hisce qualitatibus innuere sunt soliti *ἀνάλογον* perpendimus, eos, si non totum, aliquid saltem dixisse patebit. Et confirmate id quodammodo censeas quod *ab Heers* Cataleptici cerebrum siccissimum, durum & in summa parte digitis friabile &c. quin nervorum origine & siccas solitoque graciliores fuisse deprehensas testetur. *Straussim.*

11. *Fulmine*) Laudanda *Chymicorum* minus evagantium solertia, qua multum lucis huic obscuritati accessit, cum quibus similitudinem illam, à *fulmine tactu* quæ desumitur, Catalepticis non absque ratione quadamtenus accommodari persuasum habemus. *Straussim.*

12. *Dantur & in hoc morbo gradus*) Cum gravissima contingit Catalepsis, sensus omnes tam interni quam externi mox videntur aboleri ac cessare: motus vero animalis nec aboletur, nec imminuitur, nec augetur, nec proprie depravatur; Verum rigore accedente corpus in eo statu permanet in quo erat cum prehenderetur æger, unde stans, sedens, aut decumbens observatur Catalepticus, statuæ instar immobilis, permanente solo arteriarum pulsu & respiratione: Etsi enim oculi aperti sint in gravissima, non vident tamen ægri, nec audiunt, nec quopiam sensu fruuntur, sed nec concidunt, sicuti apoplectici, aut paralytici, epileptici aut convulsi.

Levior est species in qua rigidi quidem truncorum instar detinentur ægri, audiunt tamen quæ loquuntur adstantes, atque facta omnia restituti narrant; Est & illa levior species in qua ægri nec videntes, nec audientes, vel alio sensu externo utentes, sed nec puncti quidem sentientes, interim quæ ori induntur mandunt & deglutiunt, erecti consistunt & stant impulsi tractive incedunt; membraque quovis modo inflexa vel extensa in eodem situ servant; Peculiarem speciem refert *Platerus* de quadam, cui venter tantum & thorax moveretur admodum, reliquo corpore toto stupente.

Mihi contigit videre catalepticum senem, qui videbat, audiebat, cæterisque sensibus utebatur, sed stupidius & torpidius, quinimo mens erat stupidior; in somnum continue propendebat, rogatus respondebat difficilius & tardius; manibus prehensus disponebatur ad motum, trahentem sequebatur sed segnius, edebat, dormiebat, dejiciebat rarius. *Fr. Sylvius.*

12. *Dantur in hoc morbo gradus*) Rarum certe hoc malum, & cujus admiratione spectatores obstupescunt, Laborantes duos referam, quorum animadversio in cæterorum cognitionem adducat, Unus dum literis & chartis sedulo invigilaret, repente hoc vitio perculsus, ita quidem obriguit, ut sedens, calamumque digitis premens, oculis in libros defixis putaretur, in eorum studia incumbere, donec vocatus ac impulsus deprehensus est omni sensu motuque carere. Alterum mortui ritu jacentem invisi, qui neque cernebat, neque audiebat, neque compūctus sentiebat quicquam, facilis tamen inerat respiratio, & quicquid in os inserebatur, prompte vorabat. E lectulo sublatus solus consistebat, impulsusque incedebat, quocunque vel manus vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum & stabile permanebat, Expressam quandam dixisses larvam, aut arte progredientem statuam. *Fernelius.*

Accidit in quibusdam ut licet trunci instar rigidi sine motu & loquela jacerent, nihilominus tamen ea quæ adstantes loquebantur perciperent, & postea referrent, quos Ecstaticos vocamus. Alii vero in eodem statu manentes mortuorum instar, etsi nihil audirent, nec cernerent, tamen si quid ori inserebatur deglutiebant, & sublati consistebant, impulsi incedebant & membra, prout illis flectebantur, eo situ fixa tenebant; In quadam sic prehensa, venter tantum & thorax admodum movebantur, toto reliquo corpore stupida. *Platerus.*

Catalepticum videre mihi liquit anno 1655. sola palpebrarum motitatione vitæ indicia dantem: Nobilis erat Vasco, nomine *Darais*; Quartana febris à semestri detinebatur: Hospes illius, qui Chirurgus erat, me advocat, ut syncope prehenso in paroxysmo opem ferrem, sed visum protinus Ecstaticum judicavi, constabat enim pulsus & respiratio. Excitatus, (exactis in prehensione quatuor horis) rogat me ut sedulam navarem operam ne in similem affectum recideret; sequenti die. Quartanæ reditum passus est, sed levem & fugacem, nullum deinceps remediorum efficacia catalepsi & quartana simul defunctus. Melancholici temperamenti omnia indicia in illo manifesta erant. Non diu post insalutato hospite & medico discessit.

13. *Nam quidam nihil*) Hæc gravior est Catalepseos species, quæ brevi ægros interimit, impedito tunc videlicet Pulsu quoque ac Respiratione, unde & suffocantur Ægri. Species ipsius leviores non ita sunt periculosæ, atque annis multis affligere possunt Ægros, quemadmodum viro accidit Cataleptico, qui per annos 4. vel 5. jam laboraverat cum ipsum viderem, nec tamen valde debilitatus. Curatu tamen difficilis judicatur hic affectus, postquam, nisi brevi recedat sponte malum, rarius observatur curatum, Et ideirco forte quod & rarus sit, & vera ejus causa ignota manserit. *Sylvius.*

14. *Quidam nihil vident vel audiunt &c.*) In sympto-

natum numero affinitas quoque est catoches cum Epilepsia, quod in hac & illa gradus sint, adeoque modo plura sunt symptomata, modo pauciora; Ex quo occasionem capto defendendi Galenum contra vitiligatores qui varium fuisse dicunt, Fuit, quia eo tempore non viderat. postquam autem vidit in quodam suo condiscipulo, narrat quæ vidit. Cum paroxysmus supervenit, manet totum corpus in eo statu in quo fuit, rigidum; Si stant, tales manent, apertis oculis; si obambulant, promoto uno pede; si apprehendere velint aliquid, protensa manus, si scribant, ita conformata manu: sin sedeant aut cubent, tales sint. Quidam puncti sentiant, quidam non quibusdam facultates principes integræ sunt, quibusdam non; quibusdam respiratio integra est, quibusdam non. *Hofmannus.*

15. *Quidam impulsi ambulant*) Accidit Catalepticis, levius saltem affectus, ut moveantur iidem musculi quoties ab externa causa ad motum excitantur & urgentur, & quidem eo moveantur motu quo naturaliter solent moveri, non tamen ultra vim ab impellente aut excitante impressam. Unde etiam cessante vi ad motum Catalepticos excitante, aut remittente vi eosdem urgente ac impellente, aut trahente, cessat quoque ac intermittit motus ipsorum, quapropter redeunt tunc ad priorem rigorem partes, redditurque corpus denuo stupidi aut statuæ simile: Membra autem, ut & totum corpus flecti potest arte ac fine vi, quod in convulsione impossibile, in qua inflexilia permanent membra. *Sylvius.*

16. *Curationem vide*) Curatio duplex instituenda est, una in paroxysmo, altera extra paroxysmum. In paroxysmo ad ægrum excitandum ea conveniunt quæ in soporosis affectibus descripta sunt. Extra paroxysmum curatio melancholiæ morbi hic omnino convenit, si catochus ab humore aut vapore melancholico generetur, quæ causa frequentissima est: Si autem frigida intemperies sola, à causa externa vel interna producta, originem dederit, quæ illam emendent è capite proprio dedu antur. Sin à copia sanguinis generetur, vel foveatur, illius imminutio per v. s. erit consentanea. Victus rano calefaciens & humectans præscribenda, sicut in affectibus ab humore melancholico oriundis. *Riverius,*

Si à sanguine vitiato procedat, hoc remedii genus (Venæ sectio) sæpe usurpatum proderit; sicuti & in Catalepsi, si simili ratione oriatur, eum & sponte non nunquam *narium hæmorrhagia* sequente sanetur. *Platerus.*

16. *Curationem*) Curationem quod attinet, omnibus rite expensis, arbitror illam obtineri posse optimis à medicamentis sale volatili acriore præditis *Sylvius*. Remedia hactenus proficua sunt *Vomitoria antimonialia, spiritus vini rectificatus*, interne, externe usurpatus; Item *cataplasmata acria*. Sic *Henricus ab Heer* refert Capucinum Catochicum factum per acre *suppositorium* excitatum. *Etmuller.*

Quanquam curatio multum negotii facessit, sive Affectus varietatem, sive Causæ obscuritatem considerentus, Interim ipsa Ratio dictitat primariæ *indicationis* cardinem in hoc verti ut statim vapor ille spiritus animales inspissans & coagulans medicamentis *sale volatili acriori* præditis dissipetur atque corrigatur, Imo extra paroxysmi tempus eadem quoque, præmissis universalibus *ἀφαιρετικοῖς*, polliceri non facile quis negaverit. Sed ipsos *præsidiorum fontes* adeamus.

Chirurgia plethorico cuidam juveni quovis tempore pro cura foret quando ipsa etiam natura interdum copiosa narium hæmorrhagia sibi consuluit, uti in adolescente sanguineo observavit *Aetius*. Cucurbitularum usum optime profuisse notat *Cardanus Cur. Admir. 23.*

Dodonæus Moniali 70. ann. cum nec f. m... ee enemata è re essent, medicamentis calorem & vires refectis prospexit, *aquam è vino stillatitiam* purissimam exhibuit, sicque restituit. Quæ ipsa Pharmaciæ usum non obscure commendant, Et sane, cum vapor is inspissans & coagulans, ceu caeochymiæ proles *dyscrasiam* inducens, ab exercitatis plerisque Practicis spectetur, non inopem tum *Evacuantia* tum *Alterantia* opem, si *opportune* adhibeantur promittunt, idque tanto magis si cum aliis affectibus rara hæc & peculiaris congelatio conjungatur. Sic *Cnoeffelius* se quendam Catalepticum ex ventriculi vitio *syr. ex flor. Persic.* & diaser. exhibuit, spinaque dorsi *ol. castor. & aneth.* inunctione valetudini firmiter restituisse in observ. asserit.

Clysteres in & extra paroxysmum merito commendantur, *illi* quidem, ob sopitam naturam, acriores, *hi* vero, pro diversa humoris indole, purgantes, alterantes conveniunt. Sin *Enemata* in paroxysmo admitti non possunt, sicuti aliquando accidit, *suppositoria*, eaque acriora substituantur, Ad se ubi redit Æger; Purgantibus peccans materia, quo natura vergit, educatur, *melanagoga* ab antiquis commendantur, quod ab atro succo Catalepsin excitari censeant; nec abs re, cum notante *F. Vidio l. 2. de cur. cap. 47* plurima hic occurrant quæ humoris frigidi & terrestris abundantiam confirmant.

Sub Purgantium titulo *Emetica* intelligimus, quorum usus ad saburram in stomacho contentam expellendam maxime prodest, Tum insuper si *serum* abundarit (quod in Catalepticis, qui plerumque melancholici sunt, non infrequens, Authorum observationes docent) *Diaphoreticis* & Diureticis locus. Sic puella illa quinquennis, de qua infra §. *incidit in eam nimium amans*) quones sensim iterum incalescebat, largo sudore profuso restituebatur. His particularia Evacuantia, *Errhina, Sternutatoria* &c. jungi possunt. Inter *Alterantia* eminent *Cephalica*, potissimum *Apoplexiæ & Epilepsiæ* dicata, In sexu sequiori *ὑστερικὰ magnum pondus obtinent. Laur. Staussius.*

16. *Curationem rarissimi affectus vide apud Practicos) H. ab Heer* memorabile curati Cataleptici exemplum affert, ex quo in causæ cognitionem devenire licet.

Ad fratrem Capucinum (*aut observat. 3.*) Catalepticum factum vocatus, inveni illum aphonum, uno genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus curvabat, brachiorum sinistrum pendebat ad genu, dextrum in aerem elevatum diductis digitis, viam præ reuntibus, ut olim *Mercurii* statuæ, ostentare videbatur, utrumque omni gelato marmore frigidius. Patebant oculi, sed irretorti, & quicquid fudimo illis perstringerem, inconnivi. Os habat cum respiratione satis libera, pulsus in utroque brachio fat magni.

Volui injici clysterem validissimum sed negabat Apothecarius se ulla ratione, ob strictas nimium ... injicere posse; Glandem ergo præscripsi ex *speciebus hiera colocynth. sale gemmeo & muscerda*, jussique ex ipsi *felle*, loco *mellis*: ægr... immisit, sed cum bo... rebus valide enim soluta alvo, multisque bo... emissis, degelatus membra movit, surrexit, ambulat, omnium præteritorum ignarissimus, Tum ... naribus, (ptarmicum eum potentissimum ...sufflaveram) ante horas aliquot sed sine effectu usque ... calefactus, sæpe sternuit, multumque pituitæ vitreæ, aut glacieri, ut verius loquar, excussit.

Cum sub xx horam ad se rediisset, laconicum construendum curavi, credebam enim algidissimum hoc corpus non nisi in aëre perpetuo æqualiter calido servari & curari posse, cum illud ingressus esset, Halibus in cerebrum delatis discutiendis incumbendum duxi, unaque novorum generationem impediendam statui. Injecto ergo sub vesperam validissimo clystere, postridie

die eccoprotico commode porgato, cerebelli regionem radi jussi, totamque cum tota spina *decocto lavend. lauri* &c. ex *malvatico* incoctarum, inungebam primum *castoreo, aurea Alex. melle anacardino, sper. oleo petroleo & succino* solutis. Huic inguini superponebam *Empl. Parac.* iisdem oleis recens subactum, dabam cibos convenientes, bibebat hydromel dilutissimum cui *sassaf. fœnic. & anis.* incoxerat, miscebatque vinum fulvum. Indies sumebat *Conditum* ex *conserva acor. stæch. nucis mosch. c. c. chin. theriaca* cum *conf. pleresarch.* Sicque cum Deo toto biennio liberrimus à congelatione fuit, sæpe tamen postea hic catechomenos factus est, sed tandem ita convaluit ut xii. annis mali nihil senserit, quoties enim ingente parum collo malum securutum præsagit, statim oleo calido nucham, totamque spinam inungi curat, & ita malum avertit. Miror itaque *Dodonaum*, & ex illo *Heurnium*, scripsisse meminem secundo fine pernicie certa hoc morbo corripi posse.

Diæta.

Diæta tenuis & calida esse debet, quoties malum à causa *melancholica & pituitosa* provenit. Sin vero à *biliosa* aut *serosa*, permittitur crassior victus ratio; Utrobiq; tamen à salsis, vaporosis, dulcibus, fermentum excitantibus, caputq; replentibus studiose abstinendum; Legumina quoque proscribantur, contra carnes potius, non quidem fumo induratæ aut salitę, sed temperatæ pullorum gallinac &c. in deliciis habeantur. Vinum tenue & cerevisia probe defæcata concedi possunt; Mulsam laudat *Fontanus*. Quies, motus, vigiliæ, somnus & lucubrationes literariæ modum servent; Præprimis animi pathemata, ne fiant *κρ⸗ϑύκημα*, rationis fræno coërceantur *Straussius*.

[17] *Incidit in eum nimium amans*) Mediatæ causæ remotiores adsunt variæ. Inter *res naturales* est. 1. Temperamentum tum totius, tum partium mittentium, imo & recipientium dispositiones, hasq; tum hæreditarias tum acquisitas, ubi inprimis quæ ad *frigiditatem* & *siccitatem* inclinant magni sunt ponderis. Quoad Res *non naturales*, *Aëris frigidioris* vim, qua multi, ceu Gorgone visa, obriguere gelu, milites, apud *Curtium l. 8. Bartholinus de usu Niv. p. 83.* experti fuere.

Quamvis autem forte talis congelatio minus recte dici Cataleptica videatur, à frigore tamé externo latentem in corpore causam occasionaliter promoveri posse, non est ut negemus. Sic diuturna Austrina tempestate puellam quinquennem Catalepsi correptam narrat *Febr Tr. de absynth. Lucubrationes intempestiva* eandem induxere, *Fontanus Analect. c. 13. Ex. 10. Meditabundum vitæ* genus, vide historiam *Galeni* de suo condiscipulo *2. in 1. Prorrh. & Fernelium* Inter Animi pathemata occurrit *Mæror. Rondeletius Prax. c. 20.* In quibusdam cum in magnis conventibus perorarent, aut disputarent, ob nimiam *animi contensionem*, accedente metu, vel pudore, tale quid observavit *Platerus Obs. p. 29. Res p. n.* suum hic *[illegible]* conferunt, sic Catalepsis accidit *hypochondriaco Hildesheim Spicel. 4. p. 422. Verminosa* puellæ *Al. Benedictus lib. 1. cap. 22.* Male curato Erysipelati &c. *Straussius.*

CAP. XXIX.

De Epilepsia.

[1] *Epilepsia est* [2] *actionum animalium &* [3] *principum cessatio, cum* [4] *motu totius corporis* [5] *convulsivo, a* [6] *materia acri, peculiari vi* [7] *cerebro* [8] *infesta,* [9] *principium nervorum vellicante, constringente, & ad expulsionem irritante,*

[10] Dicitur & morbus *Puerilis, Herculeus, Comitialis, Lunaticus,* [11] *Divinus, Sonticus, & Caducus.*

[12] *Signa* sunt vel [13] *Imminentis*, nervorum trepidatio, [14] splendores instar iridis oculis obversantes, odoris fœdi sensus, [15] vertigo, venarum sub lingua flavedo.

Vel [16] *Præsentis* [17] subitus lapsus, membrorum non proportionata ad materiam (ut vocant concussio) faciei contorsio, mugitus, [18] stridor vel arcta collisio dentium, [19] digitorum stricta constrictio, [20] urinæ vel fæcum involuntaria emissio, [21] spuma ovi candido similis &c.

[1] *Epilepsia*) Epilepsis, morbus Comitialis &c. late etiam convulsionis, *σπασμοῦ* nomine venit, est primaria species morborum convulsivorum, Potestque ex principiis Recentiorum veris commode ita describi, quod sit Varia & mixta actionum animalium læsio, inprimis vero motus animalis depravatus, interdum & abolitus, convulsivus, clonicus, vel totius corporis, vel quarundam ejus partium, cum aliis pluribus symptomatibus, stridore, spuma oris, clamore, compressione dentium, præsertim verò contractione pollicis, proveniens à spirituum animalium, sive nervosi liquoris, per auram malignam nitrosam, vel vitriolaceam explosivam, vel congelativam irregulari commotione, expansione; agitatione, præsertim in appendice cerebri medullari, & nervorum principio facta, ex *Th. Willis* hypothesibus. *Bruno Lexici p. 329.*

[2] *Actionum principum cessatio*) Sensus interni omnes una cum externis cessant & videntur aboliti, postquam nullam ullius functionis ab illorum ullo exercitæ memoriam testati sunt unquam Epilepsia gravi correpti ægri: quibus præterea non idem accidit quod dormientibus, quibus in somno haud infrequenter contingunt somnia, quorum si non omnium, quorundam saltem meminisse solent à somno excitati; cum nihil tale eveniat Epilepticis. *Fr. Sylvius l. 1. c. 20.*

Hac definitione perfecta & integra Epilepsia proponitur, in qua totum corpus convellitur, & omnes sensus tum interni tum externi abolentur. Nam dantur imperfectæ Epilepsiæ, in quibus caput tantum vel brachium, vel tibia & femur, vel dimidia corporis pars convellitur. Datur etiam in qua mens integra remanet, & sensus etiam exteriores urgent, nec non quarundam partium motus voluntarius. *Riverius.*

[3] *Principum cessatio cum motu*) Effusis, seu profusis à cerebro spiritibus animalibus in nervos continuatos (alii enim extravagari nequeunt, cum nullibi nisi in cerebro nervísque possint consistere) tunc sensus internos, vel omnes vel aliquos, prout major minorve illorum cerebrum derelinquit copia, cessare contingit; Movendi vero vim minime aboleri, cum spiritus illi in nervis adhuc persistant, neque nervi illic, sicuti vero in resolutione fit, transitu illorum à cerebro tunc ad illos impedito destituantur. Dein & cum in nervis spiritus animalis quoque contineatur, æque ac in cerebro, cujus portiones sunt, esse cerebri functiones tantisper desistant, illi nihilominus vim movendi, quam in se continent, aliquandiu adhuc possunt exercere. Quam & à nervis potius quam à Cerebro in quibusdam animalibus, quæ motu magis quam sensibus prævalent, prodire, ex eo quod illa cerebrum nullum vel exiguum tantum possideant, dorsalem vero medullam amplam & copiosam, cujus etiam portio à reliqua parte amputata, nihilominus adhuc aliquandiu movetur, satis possumus conjicere. Estque hæc vera & legitima causa quod sensibus abolitis motus nihilominus aliquandiu possit perseverare. *Platerus Pr. l. 1. c. 2.*

3. *Principum cessatio*) Mentis, omniumq; sensuum cessatio, ob spirituum animalium conturbationem, eorumq; in nervos expulsionem accidit; Id quod tamen de Epilepsiæ gradu vulgatissimo intelligi debet, Docent enim Medicorum observationes interdum sensibus quibusvis, tam internis quam externis, aut integre perstantibus, aut in deliquium abreptis, corpus agitatione percuti, dum interim quoad externas partes convulsi, sub convulsionibus istis saltare, cantare &c. & post paroxysmum nunc omnium secum in paroxysmo actorum recordantur, nunc eadem ignorant. *Straussius.*

4. *Cum motu totius corporis*) Duobus modis læditur animalis in Epilepsia motus, 1. & præcipue Perversione ac inordinatione. 2. vehementia & augmentatione, Nam 1. *Inordinatus* observatur partium motus. 2. non raro hic aut ibi *interruptus*, & mox iterum excitatus, quæ duo spectant motus qualitatem & perversionem; Nam & aliquando impetuosus, & vehemens validusq; notatur, adeo ut vix ac ne vix quidem impediri queat plerumq; etiam à fortissimis quibusq; ægrum tenentibus. Atque in his tribus consistit convulsivi motus natura & essentia, ac perpendenda iis qui in Epilepsiæ naturam & causas veras penetrare volent. *Fr. Sylvius.*

5. *Motu totius corporis Convulsivo*) Antiquorum nonnulli tres Epilepsiæ differentias faciunt. Unam quæ somno similis altissimo videtur, Aliam quæ variis motibus corpus exagitat, Tertiam ex utrisq; commixtione conflatam: Primam speciem quidam admittere nolunt, dicentes illam potius Coma aut Catum cēsendam, & non alia ratione distingui hos affectus, quam quod in Comate somnus est profundus sine convulsione, quæ Epilepsiæ pathognomonicum est: Verum aliter docet *Avicenna*, dicens sæpe evenire Epilepsiam sine spasmo sensato, i.e. nulla convulsione apparente; Et docet Experientia multos Epilepticos habere paroxysmos Comati persimiles; Esse autem Epilepsiam, non Coma vel Catum, ex eo tantum cognoscitur, quod sopor ille per intervalla & periodica recurrit, cum Coma semel tantum invadat, neque periodico recursui obnoxium sit. *Riverius.*

5. *Motu totius corporis convulsivo*) Insultus Epilepticus, universalis ac immanior tantum convulsio esse videtur, in qua scil. spiritibus cerebri incolis primo irregulariter commotis, & veluti confusis, cæteri omnes τῆς ἐγκεφάλου appendicem, tum medullarem tum nervosam incolentes simul motus convulsivos, sive contractiones inordinatas ineunt, easque aliquandiu cum crebris subsultibus continuant. *Willis.*

5. *Convulsivo*) Differt à convulsione, quod non sit perpetua musculorum retractio, & accidat cum mentis & sensuum læsione. *Walæus Pract. p. 147.*

6. *A materia acri*) Cum omnis irritatio fit à materiæ quantitate vel qualitate. Quantitas materiæ morbificæ Naturam gravans eam irritat ad expulsionem molesti: Unde stabilitur *Galeni* doctrina, ab imperfecta obstructione ventriculorum cerebri Epilepsiam generari: Si enim humor obstruens Naturæ molestus est, quidni cerebrum insurgere potent ad illius exclusionem? De qualitate nulla est difficultas, omnes enim consentiunt expultricem singularum partium irritari ab acrimonia & prava quavis qualitate Naturæ infensa. *Riverius.*

7. *Cerebro infesta*) Epileptici videntur durante paroxysmo carere omni sensu externo, quamvis ad objecta quædam acriores halitus spirantia & naribus admota plerumque mox excitentur: Non raro etiam durante paroxysmo ægri ad ossa usque comburuntur, nec tamen excitantur, quod signum sensu externo tunc carere ipsos. Diversitatis ratio non alia est quam causæ peccantis à volatili sale acri correctio ac mutatio. Plerique cum ad se redeunt, ignorant quid fuerint passi, ac vix de alio tunc [illegible] quam de capitis dolore gravativo, nisi forsan durante paroxysmo ex vehementi partium agitatione aliqua fuerint valde contusa, vel aliter læsa; Id enim notandum plerosque stupidiores observari post paroxysmum solutum, quin sæpius recurrentibus paroxysmis gravibus permanere postmodum stupidos, & quandoque fatuos. Quæ omnia sufficientia esse videntur signa *cerebri* ac *cerebelli* affecti ab insultibus Epilepticis, adeo ut merito statuatur à multis *partem primario affectam* esse, si non *cerebrum*, ac cerebellum, saltem *spinalis medullæ radices*, adeoque *initium nervorum*. Afficiuntur enim manifeste sensus externi & motus animalis. Afficiuntur quoque sensus interni, dum stupidiores fiunt Epileptici, sed afficitur necessario *Caput*, ob dolorem gravativum in ipso, cessante etiam paroxysmo remanentem. *Fr. Sylvius Append. Tr. 1. c. 6.*

7. *Cerebro infesta*) Propter inpulsionem validam spirituum in tendines, *cerebrum concutitur*: A concussione cerebri talem motum provenire indicat sternutatio In qua totum corpus cōcutitur, ob concussionem cerebri, adeo ut Sternutatio parva Epilepsia dicatur. Idem liquet in infantibus Epilepticis, quorum caput si manibus contineas, interius cerebrum concuti deprehendes. Concutitur cerebrum mediantibus ipsius partibus sensum habentibus, ut sunt duæ meninges, spinalis medullæ principium. Partes hæ concutiuntur dum vellicantur aut punguntur, nec tantum partes in cranio, sed etiam quæ extra cranium sunt, quæque communionem cum meningibus & aliis partibus cerebri habent, ut ventriculus, vesica &c. *Walæus Pract. p. 147.* Cerebri hanc constrictionem negat *Willis.*

8. *Infesta*) Vellicatio hæc accidit dum aliquid vel pungit, vel secat, vel rodit. *Pungit* vapor & humor tenuis, ex semine corrupto, suppressis menstruis, à vermibus & abscessu ipsius cerebri, aut etiam aliarum partium, *secat* calculus, isque præsertim in vesica contentus Epilepsiam inducit, *Rodunt* vermes, Secunda causa est distensio ventriculorum cerebri à pituita, hujus indicium est quod fere epilepsiam apoplexia producat, (*vicissim epilepsia apoplexiam*) Quibus alias duas [illegible] causas quæ Epilepsiam producunt, Prima [illegible] est vapor & flatus, qui spiritus ita inordinate, ad aliquas [illegible] partes mittit. Secunda est obstructio aliquorum nervorum & aliquorum apertio, unde Spiritus in aliquam partem abundantius mittuntur. *Idem ibidem.*

9. *Cerebro infesta, principium nervorum vellicans*) Epilepsiæ originem, cum Veteribus, parietibus vent[illegible] tum vellicatis adscribit *Molinetti Dissert. Anat. Pathol. 23. p. 114.* Quomodo convulsio hinc sequatur vide [illegible] Tit 1. c 1. §. *morbi cerebri sunt.*

10. *Dicitur & morbus*) Vario nomine ingens [illegible] morbus venit, ut videantur veteres ejusmodi diversis [illegible] lationibus exercere ingenium; & jam *mali atrocitatem*, jam *subjectum*, jamque symptomata & ca[illegible] exprimere voluisse. *Laur. Stra[illegible] Pul. Med. Gymn. 8* Cum πολυώνυμος sit hic morbus, [illegible] gulis appellationibus dico pauca sentent[illegible] meam. 1. Ἐπιληψία est apud τὸ ἐπιλαμβάνω, *apprehendo, corripio, occupo, supervenio.* 2. Ἱερὸς νόσος ἱερὴ dicitur eodem sensu quo τὸ ἱερὸν ὀστέον, *os sacrum*, & quo Vi[illegible] dixit *Sacra fames*, i. e. *magna.* 3. *Comitialis*, quod Comitia solvetentur si quis ea die cecidisset, habebatur enim pro malo omine, 4. *Herculeus*, vel quod Hercules eo laboravit, vel quod Hercule opus sit in cura, & hoc tendit ad τὸ *Magnum*. 5. *Puerilis*, vel *Infantilis*, παιδικὸν [illegible]. Quod huic ætati valde familiaris sit. 6. *Lunaticus*, σεληνιακός. quod fere circa Lunæ incrementum [illegible] veicat, & in Interlunio nati plerumque eo affici[illegible]. 7. *Caducus* à cadendo. 8. *Sonticus* in genere qu[illegible] dicitur omnis morbus qui excusat ne quis in j[illegible] stare possit, sed imprimis hic. *C. Hofmannus Inst. lib. 3. cap. 88.*

11. Dervimus

11. *Divinus*) Licet morbus hic *Hippocrati l. de Sacro morbo sect. 8 t. 2.* nulla re divinior reliquis, sed naturam & causam, quam alii habent habere videatur, ultimam tamen hujus indolem non levibus adhuc difficultatibus urgeri, in quibus penitus removendis ingenii humani solerti & acumen in hoc usque tempus frustra desudarant, ingenue confitendum est. *L. Stransius Pal. Med. Gymn. 8. part. 1. p. 142.*

12. *Signa* (Quæ sunt *antecedentia, concomitantia, subsequentia, Primi generis* sunt mentis sensuumque hebetudo, capitis torpor, vertigo, somnus turbulentus, scintillæ oculis obvolantes, mœstitia cum ventriculi circa orificium dolore. *Secundi ordinis* sunt signa pathognomonica in definitione tradita; Inter quæ *spuma circa os*, quæ non ex pulmonibus venit, sed glandulis oris; quo & forte portio quædam in cerebro ante quieta, mota confluxit. *Tertii ordinis* maxime *situs* est, quæ fit quia exsiccatæ glandulæ oris. *Ger. Blasius Therap. spec. pag. 417.*

13. *Imminentis*) *Hippocrates in Coacis*, ait, *Epilepticis urinas præter modum tenues & crudas, si repletio nulla adsit, de instante casu admonere, idque cum alias si ad acromion, cervicem, aut dorsum dolor & tensio urgeat, vel corporis, obrepit stupor, vel perturbata insomnia observantur.*

Quoniam enim urina tenuis & cruda non continere indicat partes salinas ac terreas, nisi igitur id fiat ex eo quod ciborum repletio fecerit ut iidem male cocti non potuerint sales, ac terram solvere, sed solum aquam expresserint, quæ contineri debent in urina, alicubi hærebunt, & acriores reddent humores, ac extendent & irritabunt partes quibus affiguntur; Si igitur id contingat in Epileptico, facile instantem insultum arguet; partim enim irritabuntur partes, partim acriores reddentur spiritus, unde mox convulsio succedet, & id erit certissimum si ad summum humerum, cervicem aut dorsum dolor & tensio urget; distribuetur enim materia acris ac tendens per arterias ad caput & spinalem medullam tendentes, vel ad totum corpus, si totum sensu obstupescat tensione sola; vel ad caput soluto tendentes, & motum tonicum excitantes, unde torpor universalis; vel per easdem arterias ad caput, si insomnia sint perturbata, à partibus enim illis acribus, ac tendentibus, variis atque incertis modis movebuntur species rerum. *Laurent. Bellinus Tr. de urin. p. 52.*

13. *Vel Imminentis*) Signa sunt capitis dolor & gravitas, oblivio, pallor faciei, inordinatus linguæ motus, hallucinatio oculorum, somnus turbatus, pigritia ad motum & alias actiones, respiratio impedita.

Si autem propter accessionum distantiam de Epilepsia sit dubium, licet confirmare, ut *Avicenna* aliiq; docent, suffumigiis & galbano, ex myrrha, cornu caprino & cæteris quæ Epilepsiam solent detegere. *Walæus.*

13. *Vel Imminentis*) Imminentis Epilepsiæ signa dupliciter considerari possunt, vel prout primam morbi invasionem præsagiunt, vel prout imminentem paroxysmum significant, Eadem autem utrique indicio inserviunt, sed multo certius in iis qui ab Epilepsia actu possidentur imminentem insultum indicant, In iis enim qui nunquam hactenus morbo affecti sunt, æquivoca majori ex parte sunt hujusmodi signa, & multos alios capitis affectus præmuntiare possunt, integra tamen eorum congeries aliquam certitudinem afferre potest. *Riverius.*

13. *Vel Imminentis*) Adde his 1. Extremorum frigus, acido spiritui & quidem volatili adscribendum (*vide infra de causis ex Sylvio*) 2. visum turbatum & obscurum aut aliter vi[...]tum. 3. Somnum & tinnitum aures verberantem. 4. [T]remorem & membrorum omnium inordinatam quassationem [...] palpitationem & agitationem. 5. Linguæ peculiarem motum tremulum ad balbutiem aut [...]mulentiam vergentem. 6. Memoriæ labefactationem, & mentis conturbationem inexplicabilem. 7. Tristitiam inopinatam, & gravem quandoq; lætitiam & risum absurdum: 8. quandoq; auram ab aliqua parte sensibiliter assurgentem & caput petentem. *Fr. Sylvius Pr. lib. 2. cap. 20.*

13. *Vel Imminentis*) Adde & his crebriorem Ephialtis sub somnum invasionem, testibus omnibus fere Practicis.

14. *Splendores*) Verissime *Hippocr. 1. Prorrh. & 2. Coac. Quibus convulsis oculi intenso relucent, neque apud seipsos sunt, & diutius ægrotant*, solent enim ejusmodi ignitos splendores creberrime sequi funestæ Epilepsiæ: Exempla vide apud *Bartholinum cent. 3. hist. 45.* & *M. Donatum 2. Hist. m. c. 8.* de *Laura* fœmina, quæ per aliquot dies globulum igneum sibi videre visa est, qui postea in magnam flammam excrevit, deinceps melancholicis & Epilepticis symptomatis per intervalla vexata fuit; *Th. Bartholinus* in de *Luce Anim. c. 8. p. 53.* causam refert ad lucidos spiritus animales condensatos, & vi ex nervis expressos. Similes casus videre mihi contigit &c. *in Bern. à Bernitz.*

15. *Vertigo*) Quæ citra manifestam causam juniores frequentius aut vehementius affligens illius est prodromus. *Ettmuller.*

15. *Vertigo*) Affines morbi dicuntur Vertigo & Epilepsia, quos simul etiam corripere quandoque observamus: *Utriusque causa vapor est*, Vertiginis quidem, non ut tenuis, aut acris, quin potius ut mobilis, qui à calore incluso commotus spiritus vehementer agitat, & in gyrum urget: quicquid enim pertinacius movetur, si spatii terminos breviores offenderit, in motus principium recurrere cogitur, idque sæpius, quare circulus fit: In circulum igitur acti spiritus phantasmata, quæ devehunt, sub specie circuli, principio objiciunt, hinc omnia vertiginosis in gyrum agi videntur; Quod si vapor idem tenuior evadat, & acris, Epilepsiam inducet. *Molinetti Dissert. An. Path. c. 23. p. 115.*

16. *Vel præsentis, subitus lapsus &c*) In graviori scil. nam in leviori paroxysmo nec toto corpore convellitur æger, nec corruit, quin aliquando quædam duntaxat concutiuntur partes, caput, oculi, manus, pedes, os; nunc plures, nunc pauciores; aliquando æger stat vel discurrit hinc inde, aliquando vociferatur; vel canit; aliquando quidam vident & audiunt in medio paroxysmo, eademque postmodum referunt, in quibus internos sensus, adeoq; memoriam permanere patet. *Sylvius*; Evenit vero subitus lapsus ob læsam actionem musculorum tonicam, qua erectum corpus servamus. *Strausius.*

16. *Subitus lapsus*) Cur hoc morbo laborantes non tam cadunt, prout apoplectici, aut syncopen passi, sed potius cum impetu prosternuntur, inq; terram aliave corpora fortuito objecta, tanquam spiritu quodam malefico dejecti alliduntur, ita ut sæpissime aliqua capitis aut faciei pars præ casu violento lædatur, affectique haud secus ac Dæmoniacus in Evangelio haud raro in ignem aut aquam præcipitentur. Huc referre oportet Epilepticos ejusmodi malis obnoxiis fieri, eo quod urgente paroxysmo iis notitia omnis, sive providentia adimitur, ac insuper nervis capiti vicinis valde contractis tota corporis moles in præceps corripitur; Nimirum in syncope & apoplexia corporis affecti [...]us videtur tanquam ædificii ruina, quæ ob fulcimenta ejus subtracta contingit; at vero in caduco non aliter res habet quam si domus à pulvere pyrio exploso subverteretur, quæ utplurimum extra locum in quo steterat dimovetur. *Willis.*

17. *Membrorum non proportionata*) Exagitant motibus inordinatis adeo corpus, ut & totum sæpe æstuet, pulsusque fiat velocior, & sudores nonnunquam prorumpant. Dorsum, cervicem, caput, pedes in varias figuras torquentes & curvantes, usque obvia quæque ut stratum, parietes, terram pulsantes & quatientes, propria membra contundentes ac vulnerantes, dentibus constrictis stridentes, linguamque, si exerta sit, mordicus scindentes, oculos hinc inde volventes, quibus

pertis diductisque admodum, uti & faciei versus, posteriora reflexione primum fere incipientis paroxysmi præbent indicium; quos tandem in fine illius, veluti defessi & attoniti, jacentes fixos torvosve, donec ad se rursum redeant, retinent. *Platerus.*

Concussio, seu convulsionis totius corporis motus, qui interdum simplex, interdum subsultorius, ab irritata membranarum *αἰσθήσει*, & præcipue spirituum excitata *ἀταξίᾳ* dependet. *Straussius.*

18. *Stridor vel arcta collisio dentium*) Et maxillarum arctissima constrictio, idque ex convulsivo impetu; sed Notandum extra Epilepsiam interdum observari *dentium* constrictionem, ex paralysi musculorum maxillarem inferiorem deorsum trahentium, quæ ex convulsione non est. *Emmuller.*

19. *Digitorum stricta constrictio &c.*) Imo quidam in terram prostrati pectora sua manibus gravissime tundunt & cohiberi se ægre tolerant; nam cum præcordia spasmo affecta & præpedita movere se solito more non possint, sanguisq; in iis stagnans non sine insigni cordis gravamine vitę suffocationem minetur, tunc fit ut laborantes, cerebro licet inscio, mero naturæ instinctu thoracem percutiant; nimirum ut præcordia ita concussa, & velut exagitata, motus suos redintegrent; adeóque sanguis à stagnatione, & cor à gravi oppressione vindicetur: Non absimili ritu hoc fieri videtur ac cum dormientes, aut titillati, aut pulicum morsibus vellicati, illico locum affectū inscii confricant aut scalpunt. *Willis.*

20. *Vrina vel fæcum*) Imo interdum etiam *seminis* involuntaria excretio. *Illa* quidem ob musculos recti intestini & sphincterem vesicæ resolutos, *Hæc* quod musculi ejaculatorii convellantur, & concutiantur vesicæ seminariæ contingunt. *Straussius.*

20. *Vrinæ vel fæcum*) Quæ omnium gravissima est, ait *Walæus.*

21. *Spuma*) Epilepsiæ symptoma maxime pathognomonicum vulgo habetur, si affectis in terram prostratis, & convulsiones horrendas passis, *saliva spumosa* ex ore effluat, quæ quidem à cerebro constricto in palatum exprimi putatur. Verum enim vero ut cócedatur hoc spumæ effluvium sæpenumero caduci signum esse, tamen illud non ita huic morbo appropriatur quin idem in apoplexia, in caro, in affectibus hystericis, alisq; convulsivis interdū accidat; Porro ejusmodi spuma haudquaquam à cerebro descendit, nullus enim per quem transeat meatus patefit, verum à pulmonibus inflatis, ac usq; ad pulmonem elevatis, unde velut cum effervescentia quadá & ebullitione saliva spumescit, urgente enim caduci paroxysmo, cum plerq; nervi in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonum & diaphragmatis motibus inserviunt, spasmos immanes passi præcordia omnia sursum elevant, eaq; in systole diuturna fere immobilia continent; ita nimirum ut pulsus & respiratio vix ac ne vix perficiantur, interea quia sanguis intra sinus cordis coërcitus ipsum distendit admodum, ac fere opprimit, pulmones utcunque impediti ne more solito & naturali moveantur, quod possunt tamen festinata & spissa agitatione, quoquomodo sanguinem è corde exantlare satagunt, à quo ipsorum nisu aër humiditatem viscosam crebra respiratione succutiens, ut agitatum ovi albumen in spumam attollit, & illinc ulterius foras propellit; quare saliva spumosa etiam in aliis affectibus ubi nervi pneumonici aut contrahuntur, aut functione sua obeunda inhibentur, non raro succedit. *Willis.*

21. *Spuma*) Spuma quæ finiente paroxysmo excernitur, non ex pectore provenit, sed proxime ex glandulis ipsius oris, Quo & forsan portio quædam in cerebro antea quieta, nunc mota confluxit, nam ob hujus spumæ evacuationem sentiunt ægri. *Walæus.* Vide inferius §. Vel *mensium suppressio.*

22. *Causa* est aut [23] *Humor* [24] *tenuis* [25] *spumosus*, acris & malignus, aut *vapor*; qui peculiari vi cerebrum principiumque nervorum vellicant, & [27] constrictionem meatuum inducunt, & sensibiles partes ad expulsionem noxii stimulant. Hanc [28] spirituum sensificorum [29] occlusio & retractio, ac, defectu eorundem, abolitio vel imminutio sequitur, [30] hinc omnes partes motum convulsivum patiuntur.

Ad [31] *dispositionem* facit hæreditas, & in eclipsi Lunari nativitas.

32. *Materiam* suppeditat, hepatis & carnis hircinæ, coturnicum veratrum devorantium, columbarum adultarum, anguillarum, passerum, lentium &c. frequens usus.

33. *Movent* eandem Lunæ radii, Olfactus rerum fœtidarum, bituminis, gagatis, cornuum caprarum, cervorum, corii caprilli, myrrhæ, sulphuris; allii apii &c. Timor validus, Titillatio [illegible] mon, violenta cerebri in cogitationibus agitatio, venæsectio imprudens, cujus exemplum apud Hildanum; hydrargyri inunctio &c.

22. *Causa est aut humor tenuis, spumosus acris & malignus, aut vapor*) Causa scilicet remotior, Proxima enim est in Spiritibus animalibus quærenda, illos ad paroxysmum excitandum disponens est spiritus acidus volatilis, spiritum dico acidum, & quidem volatilem, atq; ideo minus acrem; qui enim fixior est acidus spiritus, eo existit acrior; quo volatilior, eo blandior: ast vice versa, quo volatilior existit idem spiritus, eo celerius operatur, quo fixior eo segnius, quod Chymicis notum. Volatilis autem fit acidus spiritus ab admisto ipsi spiritu volatili, cujus ope facilius jungitur spiritibus animalibus, illosque ab invicem disjunctos commovet, turbat & conturbat, & quidem ratione suæ mistionis, *de qua inferius ubi de causa proxima.*

Suspicamus ergo *Veram & adæquatam Epilepsiæ omnis causam, esse spiritum acidum volatilem, quacunque demum in parte genitum coacervatumque, atque inde ad cerebrum delatum, spiritibus animalibus junctum, ipsos divellentem & impetuose commoventem, ac proinde à blando, continuo, ordinato & voluntatis imperio subjecto motu, ad interruptum, inordinatum, conturbatum, impetuosum & violentum deducentem.*

Hanc autem esse spirituum animalium [illegible]pilepsia omnino affectionem confirmat quæ l[illegible]r in qua uti sensus externi imminuuntur & obtenebr[illegible]tur duntaxat, aut quidam saltem abolentur, [illegible] quis offuscatis tantū, sic si motus convulsivus blandior fit, & ipsa musculorum contractio minus violenta. Idem confirmare videtur Epilepsia à gravi Terrore concitata, In omni enim metu & mœstitiā dominatum in corpore nanciscitur & augetur spiritus acidus, Cui ob concurrentem tunc animalis motus tarditatem aut defectum copiosior immiscetur spiritus volatilis, eundem spiritum acidum itidem volatilisans. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 20.*

22. *Causa est*) Causa in inordinato motu succi nervosi quærenda, ideóq; omnia quæ succum nervosum irre[illegible]ulariter movent, huic morbo causa existūt, ut sunt crassæ ac tenuis meningis symptomata, humor ac[illegible]is in cerebri

cavitatibus

cavitatibus. calculi, officula, vermes, tumores &c. in cadaveribus apertis sæpe quid simile reperitur, sed non semper. Ipse quippe spiritus propter acredinem vel inopiam simile symptoma cudunt.

Sit tamen ut sit, videtur nobis esse spirituum animalium eclypsin, quia paroxysmi tempore omnes spiritus simul in nervos tendines & musculos vi quadam adiguntur, æger interim tamdiu, absque ulla rerum perceptione prosternitur usque dum copia spirituum de novo in cerebro generetur, omnesq; partes non implentur.

Istum succum è cerebro in nervos premi, inque cerebro nullum remanere, atque in nervis abundare exinde liquet, quod ægri nullam à rebus externis sensationem habeant, nisi in levi Epilepsia ubi quidam adhuc spiritus cerebrum perlustrant, sensuum que nervos aliquo modo percipiant: Spirituum igitur copiam in nervis contineri ex motibus vehementioribus apparet, ut sunt spuma circa os, ejulatus clamor, spermatis excretio & fæcũ alvinarũ ac urinæ egestio &c. quæ omnia peragi non potetunt nisi involuntaria quadam motione, cui perficiendæ spiritibus opus est, alias in corpore silentium foret, ut in apoplecticis videmus.

Jam causa investiganda cur spiritus, seu succus nervosus, tam subito & ex tempore effundantur, quando idem succus, vel aliud irritans in vel extra cerebrum, nervus irritat, partes illæ moventur. Hoc igitur motu debent spiritus qui in cerebro vel nervis existebant etiam in motum concitari, & quia celerius cerebro exeunt quam novi possint substitui, fibræ cerebrales angustantur, adeo ut dum novi vix angustos ductus penetrant, interim cæteri in fugam vertuntur.

Defectus ille, seu eclipsis, tam diu durat donec spiritus novi in sufficienti quantitate generati fuerint, partesque deinceps debito modo possint movere.

Redit paroxysmus singulis diebus, hebdomadis, mensibus, vel quotannis; pro tempore tantum cessat & deinde redivivus est: Illius suppensio tamdiu est donec causa irritans tam fortis sit ut de novo cerebri nervorũve fibras irregulari ordine movere possit. *Steph. Blancardus Idea med. nova §.277. & seq.*

23. *Humor tenuis*) Causa proxima & continens irritationis in nervorum principio est *Halitus acer eo delatus*; Ejusdem antecedens causa est *humor pancreaticus*, vel alias quivis assumptus & *acidus*, in tenui intestino vitiose cum bile effervescens, atque *halitus* similiter *acres acidosque* producens, qui tendunt ad cerebrum ac cerebellum ut ibidem dictam irritationem pariant.

Antecedens autem irritationis Epilepticæ causa est tum Bilis tum succus Pācreaticus in corpore existentes, nondum tamen vitiosam illam effervescētiam producentes, donec ab *externa causa*, nunc aëre procelloso, nunc alimento facile in Acidum abeunte ipsumque augente, aut alias irritante, nunc terrore simili ve causa alia irritentur, atque in effectum deducantur, i. e. ad vitiose effervescendum, halitusque notatos producendos propellantur sicque continenti causæ materiam suppeditent. *Fr. Sylvius.*

24. *Humor tenuis, fumosus, acris*) Bilis per se vix Epilepsiam (ut alii putant) producet, quia humor est satis blandus, & corrosivæ acrimoniæ naturaliter expers, ideoque ad summum non plus quam dolorem pungentem per totũ corpus sua acrimonia progignet, sed in Epilepsia non solum acredo, & obstructio, sed a sanguinis humorumque aliquatenus in spumam conversio, ex potentiori fermento eoque acriori. *Craanen Prax. med. Refor. Cap 9.*

* * *Humor tenuis &c. aut vapor*) Causa Epilepsiæ non est exsicatio, nec distensio tendinum a se invicem sed *repletio eorum à spiritibus*, non autem ab *humore* vel *vapore*, quia tam facile illa discuti non possent, Repletio à spiritibus contingit, quia cerebrum eos inordinate in tendines immittit, propter impulsionem ita conceptitur. *Wedelius Pract. p. 147.*

25. *Humor tenuis &c. Aut vapor*) Causa immediata est *insignis & impetuosa spirituum animalium in appendice cerebri medullari & nervorum principio facta agitatio, nervisq; generis irritamentum*, Causa *mediata*, & quidem *proximior*, sub *Humorum* & *Vaporum* schemate ab Antiquis & Recentioribus proponitur, *Hippocrates Pituitæ* multum tribuere videtur, cui & *Galenum* accedere ex pluribus locis constat, ubi culpam in *humorem frigidum, crassum & viscosum*, præsertim *pituitosum*, multitudine sua ventriculos cerebri opplentem transfert.

Paracelsus agens de Caduco Epilepsiam morbum esse *Astralem*, spiritualem, invisibilem, ex principiis cōgenitis, eorumque exaltatis impuris tincturis & impressionibus oriundum statuit, Non tamen ubique sibi constat, sed modo *mercurialem*, modo *sulphureum*, modo *vitriolicum* appellat.

Helmontius vero omnem Epilepsiam ab inferis scandere, & ex stomacho hujusque Archeo furioso, ducere originem censet.

Willisius particulas heterogeneas & valde explosivas spiritibus accrescere supponit, Alii *auram malignam*, vel cum *Chymicis, spiritum acidum volatilem* inculpans; *Cartesiani* sanguinem depravatum, & talibus constantem particulis quæ nervos obsident, hosque ad motum reddunt ineptos &c. arguunt.

Nobis non multum displicet *Veterum* de Humoribus & *Vaporibus* doctrina, quare & in hoc affectu *sanguinem* diversimode à naturali sua crasi declinantem, & modo *plethora* modo *cacochymia* peccantem, vel etiam *corruptum* fomitem ejusmodi, suppeditare, & non raro sub *Vaporis* elevati schemate, partes nervosas p. n. affligere non dubitamus.

Pertinet huc rara *Clar. Jac. Sponi* observatio, qua in apertione cadaveris Epilepsia laborātis inter alia notavit, quod *pars majorum ramorum jugularium internarum indurata, & humore glutinoso exsiccato obstructa* fuerit hinc inde, sontan *in valvulis, corporibus quasi glādulosis venas magis attollentibus*. Hinc concludere licere putat, ob circulationem sanguinis, hac in parte impeditam, regurgitasse in cerebrum sanguinem & lympham, quæ insultus illos Epilepticos pariebant; qui quidem insultus primo anno, ubi vasa leviter obstructa erant, leves fuerant, ut sensibus non privaretur æger, sensimque fortius obstructis graviores etiam facti sunt: Quæ quidem Epilepsiæ causa, etsi non unica, frequentissima tamen esse ipsi videtur, cum pueris & pituitosis, teste *Hippocrate* & Experientia, sæpius quam aliis accidat, at ii glutinosis humoribus, has obstructiones accersentibus, abundant

Cæterum *Hippocrati* non fuit ignota hæc causa, qui *lib. de Flat. sect.* 21. Epilepsiam fieri ait, cum obstructiones multæ modis multis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur, atque hic quidem sistit, ibi tardius permeat, alibi citius, ex qua sanguinis per corpus transitus inæqualitate, variæ etiam inæqualitates excitantur &c. *Quicquid sit de cæteris opinionibus*; Certum est *acrimoniam* quandam hoc in affectu præcipuam causæ vim conferre. *Acidum* atque *volatilem Spiritum* quoque cum *Sylvio* admittere facile possumus &c. *L. Straussius* p. 140.

Istud quod ita irritat, & occasionaliter Epilepsiam infert, præter *objectum acutum* (*acutum*) nervos afficiens, ut sunt *festuca cranii*, Ex *causis internis* est inprimis *Acidum nervis inimicissimum*, & quod vellicando eos, aut partes cognatas hujusmodi mala infert. *Etmuller.*

26. *Cerebrũ principiumq; &c.*) *Subjectum* seu *pars affecta*, approbante fere omnium medicorum calculo, est *Cerebrũ*, quod hinc [illegible] audis *Hipp. l. de morb. 5. sect. f. t. 15.* Loquimur autem de *subjecto principali*, nam de *adæquato* si sermo fuerit, totũ corpus cum musculis addaci constat &c.

Willisius non tam meninges quam spiritus animales cerebri incolas primarium Epilepsiæ subjectum statuit; Qui opinio nostram non evertit, cum solidæ partes heic sint spirituum & humorum in ægris quasi linguæ & interpretes, sensibusque liquidum sit motus convulsivos fieri mediantibus partibus solidis, unde spiritus animale iis motu peccare haud negamus, sed (seu spôte fluit parenque) *cerebrum* quoque prægressa, & in hujus *appendice medullari* præsertim, & *nervorum principio* facta irritatione hanc labem proxime percipere L. *Straussius*.

20 *Cerebrum principium que nervorum*) Epilepsiæ accessio & invasionis modus plane innuere videntur *sedem ejus primariam*, sive partem primario affectam alicubi intra caput contineri, quod autem paroxysmus nonnunquam in partibus remotis incipiat, & exinde versus caput ascendat, hoc quidem ita fieri videtur tantum, & ex accidenti contingit, cum interim causa morbifica circa ipsum ἐγκέφαλον subsistit (vide inferius §. *Alia est per consensum*) verum quod à primo morbi insultu statim ἀναισθησία cum membrorum & viscerum fere omnium contractionibus succedit, hoc manifesto indicio est una totam σῶμα compagem & nervorum omnium origines à causa morbifica occupari: At vero etiamnum explicatu difficilimum, ubi *causa* ista, sive *materies morbifica* præcipue subsistit, neque enim probabile est eandem per cunctas cerebri partes diffundi, nec tamen in quo loco singulari ea defixa cæteras omnes ita subito in ejusdem noxæ consensum trahat.

E variis super hac re Auctorum sententiis duæ præ cæteris magis probabiles videntur, & pari verisimilitudine assensum vendicant, quarum una asserit *cerebri meditullium*, atque altera *meninges ipsum investientes* esse primariam Epilepsiæ sedem: *Prioris* ratio in hoc fundatur, quod ubi spirituum animalium fons, & ipsius animæ sensitivæ origo consistit, ibidem hujus morbi causa poni debet, nempe cum principes facultates primo læduntur cæteræ omnes ejusdem noxæ facile participant.

Verum enim vero ut concedam in Apoplexia & spirituum deliquio ita habere, attamen in convulsione, cujusmodi affectus est Epilepsia, non sequitur fibras omnes & nervos convelli, quia cerebri meditullium prius convellitur, quippe hoc cum sit mollis & fluidæ substantiæ, atque motus & sensus expers, *contractionis* sive *affectionis spasmodicæ* minime capax videtur; Quapropter alii cerebrum & quamvis ejus partem a morbi hujus culpa eximentes, causam ejus omnino in meninges rejiciunt, asserentes scil. membranas cerebrum investientes, inprimis illarum processus cerebri ac cerebelli fissionibus instratos si quidem a materia morbifica vellicantur, spasmos, sive convulsiones immanes concipere, dein à meningibus istis contractis & diductis una cerebrum inclusum valde comprimi & constringi, ita ut poris & meatibus ejus constrictis ἀναισθησία insequatur, simulque nervorum caudices, quibus utraque meninx appenditur, in consensum illarum perducti, etiam motus convulsivos ineant.

Et quidem ad hunc modum *Epilepsia ratio formalis* forte explicabilis videtur, at vero cum rem altius perpendo, etiam ab hac sententia discedere visum est, quia nimirum haud constat quo ritu & quam ob causam imminente caduco, meninges istæ spasmos adeo horrendos concipiant. Quinimo nec liquet quomodo ab iisdem ita convulsis, paroxysmus Epilepticus inducatur.

Quoad *prius*, impossibile videtur meningas quoad totas earum concavitates ita contrahi, ut instar marsupii arctius constricti contenta sua undique convellant ac in spatium angustius contrahant, quippe dura mater, pluribus in locis calvariæ firmissime [illegible]ereri, quin & isti pia mater juxta suiuum proc[illegible], mutuo membranarum nexu, & ubique præ[illegible] vasorum continuitate colligatur, hinc facile patet utramque membranam, quoad magnam sui partem, immobilem esse, ita ut spasmos universales nequaquã ineant.

Quod vero ad spasmos minores attinet, ut cum meningis hujus aut illius, vel simul utriusque portio quædam convellitur, revera tales evenire concedimus, nam sæpius audivi cephalalgia graviori afflictos de magna partium sub calvariæ latere, modo dextro modo sinistro cõsitarum constrictione immaniter conqueri, nec tamen exinde ullus caduci insultus sequebatur. Porro ut membranæ istæ insigniter læsæ vellicationes maximas subeãt, haud propterea tamẽ paroxysmus epilepticus induci solet. Novi enim abscessu in dura matre excitato, & postea disrupto, cum à pure fœtidissimo meninx tenuior, & cerebri cortex exederentur, ægrotantem primo in stuporem, & dein in Apoplexiam lethalem incidisse, qui tamen in toto morbi decursu symptomate quovis Epileptico immunis degebat. Item memini duram matrem cerebello à Chirurgo imperito adhibito valde dilaceratã, in alio casu eam cũ parte calvariæ per vulnus abs[illegible]ssam, ut portio quædã cerebri extuberaret; nec tamen cuilibet horũ pathemata quævis Epileptica supervenerũt.

Quapropter nec verisimile est sanguinem aut humores vel (si quispiam ita contendat) vapores meningibus istis impactos, majorem noxam inferre quam aut plagam, aut vulnera iisdem inflicta, aut saniem ibi suffusam: Præterea Epilepsia leviore affecti, si quidem vix concidunt, ac per totum morbi insultum adhuc animo constant, membranas ita contrahi, & cerebri globum arctius compingi perciperent si ejusmodi quæpiam affectio subesset, verum illi è contra cerebrum quasi inflatũ, & spiritus cũ efferatione quadam exi[illegible]ẽtes ac veluti explosos persentiscere videntur. *Willis de morbis cõvulf. c. 2.*

26 *Cerebrum principium que nervorum*) *Locus irritationis* & ubi spicula sua exserit Acidum, est inprimis triplex, & nunc 1. *circa principium* 2. nunc *circa medium*, præsertim circa *plexus* 3. nunc circa *insertionem* ejusdem *nervi* c[illegible]ringii: Ad *principium nervi* etiã *cerebrũ* & *cerebellum*, iteq; *medulla spinalis*, unde oriuntur nervi per[illegible]neni. *Etmuller.*

27. *Constrictionem meatuum inducans*) [illegible]ide §. 2. *Cerebrum principiumque nervorum.*)

28. *Spirituum sensificorum*) Arbitror paroxysmum Epilepticum uti verisimillimũ à *spirituum anima[illegible]um cerebri incolarum* (qui nempe sunt primum & immediatum hujus morbi subjectum) *subita quadam rarefactione & explosione concitari, qua scil. cerebrum ipsum inflatur*, adeoq; *insensile redditur. simulque nervi appensi in convulsiones aguntur*, hinc enim vero contingit hujus morbi accessionem ita derepente incipere, & perfecte terminari sine magna materiæ morbificæ aut provisione aut reliquiis, [illegible] nempe labes non tam partibus solidis quam spiritibus infertur: Capite de convulsione ostendimus quo [illegible] copula heterogenea & explosiva particulis, uti videtur nitro sulphureis constans, spirituum animaliũ [illegible] spirituu salinis accrescens, ab usq. ob [illegible] irritationem denuo elisa & explosa [illegible] vulsiva produci; quamvis autem ejusm[illegible] modica è sanguine in cerebrum primo [illegible], plerumq; tamen spiritus ibi non prel[illegible]endit [illegible]us sale illic non diu hospitatur; quin potius ver[illegible] appendicem nervusam illico dertula spasmos [illegible]tes & juxta loca affecta respectivos accersit; intend[illegible]eto, siquid materies spasmodica uberior & potens, atque cerebri constitutio imbecillis fuerit, copula het[illegible]ogenea [illegible] bus non tantum in nervoso genere, [illegible]d etiam intra [illegible]lum ἐγκέφαλον cuniculis affixa, diathesin epilepticam [illegible] atque spirituum & copulæ istius particulæ explosivæ ab invicem elisæ caduci paroxysmum cient.

Quandoquidem enim urgente Epilepsiæ insultu ἀναισθησία plerumq; symptom[illegible]um & pathognomonicum fere existit, inferre li[illegible]t spiritus animales intra ipsum cerebri meditullium scatentes alio[illegible] affic[illegible], pro[illegible]deq; partem eã [illegible]sse principale morbi sedem, dein quare [illegible]nis ægrotantis casus sive in humum projectio, atque mem-

membrorum & viscerum spasmi sæpissime [illegible] ista succedunt, sequitur spiritus animales, etiam systematis nervosi incolas, eadem copula explosiva imbui, cumque ipsis cerebri incolis in consensum trahi, ab iisque ad explosiones pariter inordinatas excitari, licet aliquando (tota spirituum tum in cerebro tum in nervoso genere consitorum serie instar longioris pulveris pyrii tractus ad explosiones præ disposita) spasmos exterius & è longinquo, forsan in membro quodam, aut viscere incipiens, posterius in cerebrum traducatur: Interim ipsius cerebri regio semper hujus morbi sedes primaria statuatur atque pro affectus causa conjuncta supponere debemus, non *aquam in cerebri ventriculis congestam*, nec *humorem crassum aut viscidum* ejus poris & meatibus impactum, tales enim causæ semper gignerentur, & proinde signa quædam paroxysmi imminentis prænuntia ederet.

Porro accessione morbi finita talis materia non ita brevi tempore penitus discuteretur, quin à reliquiis ejus functionis animalis impedimenta quædam manerent, quod equidem in Epilepsia, nisi inveterata rarius contingit. Attamen pro caduci insultu excitando nil minus suspicari licet quam spiritus animales, qui intra medullarem cerebri substantiam scatentes, sensus interioris imaginationis & appetitus actus perficiunt, copulam heterogeneam nactos inordinate explodi, proindeq; istis extra ordines & stationes suas perturbatis, superiores regiminis animalis facultates eclipsin pati, dein ab hac maiori spirituum explosione, velut à somite igniario, spiritus alios appendicis medullaris & nervosæ hospites etiam in explosiones prædispositos, similes [illegible] concipere, pariterque explosos nervorum continentium motus convulsivos ciere.

Quamvis enim cerebri medullam semper esse primariam Epilepsiæ sedem, & ab initio fere tantum in illa regione materiam morbificam congeri statuimus, tamen affectu ingravescente, hæc uberius in caput delata fines suos latius explicat; adeo ut particulæ spasmodicæ in reliquo cerebro, & insuper in appendice nervosa tanquam pulveris, sive seminis explosivi strata huc illuc longe lateque protensa jaciuntur, quo fit ut primo [illegible] insultu convulsiones modo in his modo in illis partibus, & non raro in toto corpore excitatæ supervenïant. *Willis.*

29. *Spirituum sensificorum occlusio & retractio &c.*) Ut latens Epilepsiæ causa innotescat, à functionibus in ea læsis faciendum indagationis initium: Cõstat externos & internos sensus, ut & affectus animi aboleri in Epil. graviori, motum autẽ animale inordinatum fieri interruptum & impetuosum, Cum ergo externi sensus in grav. Epil. aboleantur in levi minuantur duntaxat.

Causa hujus abolitionis, aut imminutionis & labefactionis quærenda vel 1. In rebus externis, *objecto* Pota sensuum, medio, aut movente. At his proxime adscribi nequit dicta abolitio aut imminutio, quandoquidem illa plerumq; bene se habent adstantium testimonio, qui cum similiter Epil. non corripiantur, signum est non externorum culpa, verum aliunde excitari Paroxysmum.

Vel 11. *in sensuum organis*; at in illis omnibus & singulis non potest late adesse vitium quod subito illorum functionem aboleat, Demum non sensus duntaxat verum & animalis motus quoq; læsus occurrit.

Vel 111. in ipsa Anima ad sensationem supina vel alio abstracta: Sed hæc ad sensus externos concurrit duntaxat, quatenus præsens atque attenta, ac proinde peccare potest tantum quatenus aut *supina* est, ad sensus externos obtundos, non ideo tamen abolebuntur sensus, verum fortius agente, & sensoria afficiente objecto externo, mox illa excitatur. quod tamen minime contingit in Epil in qua etiamsi graviter afficiatur, imo corrumpatur organum nullum tamẽ suæ attẽtionis excitatæ signũ exhibet Anima, aut alio *Abstracta*, imprimis ecstatica, sed tũc nullus corporis motus animalis observatur, dum in Epilepsia motus adest convulsivus.

Vel iv. in *spiritibus Animalibus*, aut illos deferentibus nervis, aut eosdem generantibus cerebro ac cerebello: Aut materiam illi suppeditante sanguine per arterias à corde delato, & forte aere quoque per nares inspirato & ad cerebrum delato; In his autem *spiritibus animalibus* culpa quærenda, cum ad sensus internos aut externos, ut & animi corporisq; motus animales præsertim necessario concurrant, ac proinde communis functionum illarum omnium causa existant.

Videndum ergo qualis sit illa spirituum animalium dispositio mala & vitiosa; Sed prius præmittẽdæ eorumdem naturales dotes, ut defectus & vitia innotescant, Li. 1. quidem *copiosi* esse debent, pauci enim non sufficerent tam multis functionibus, 2. *Puri*, ne ab illis inquinatis inficiantur objecta cognoscenda, & perperam cognita judicentur perperam, sequaturque animi corporisq; motus vitiosus: 3. Sint *continui*, ne illis divulsis interrumpatur ac corrumpatur functio quævis per illos perfici solita, 4. *mobiles* ne illis torpentibus & immobilibus cessent functiones 5. *Sedati*, ac proinde Animæ morigeri, ne illis turbatis dominari nesciat, aut frustra dominetur Anima Cum autẽ in Epilepsia cessent, atq; aboliti sint sensus interni & externi, motus autẽ animalis sit inordinatus, interruptus & impetuosus sive violẽtus, nec *copia*, nec *puritate*, nec *mobilitate* peccare spiritus animales Epilepsiæ causam patet, verum *continuitate* ac *conturbatione*: Ob vitiatam enim illorum *cõtinuationem* interrumpitur subinde, fitq; ob illorum *conturbationem* inordinatus animalis motus, ob spirituum autem *copiam* nunc in hos nunc in illos musculos delatam sequitur subinde *contractio* violenta & potens, ob eorundem autem spirituum ad sensuum organa cessantem amandationẽ cessare & aboleri videntur sensus omnes externi, hinc & interni; Adeo ut proxima *læsarum primario in Epilepsia functionum causa sit, Animalium spirituum à sensoriis aversio*, sive amandationis naturalis ad ipsa defectus, *atque ad motus organa interruptus, inordinatus, conturbatusque & vehemens.*

Unde hæc Animalium spirituum vitia procedant disquirendum, ideo observandum 1. Quoties in violento animi corporisve motu commoventur vehementer spiritus animales, toties imperfectius obiri sensus externos internosque, unde hoc deduco, ad sensus utrosq; placidum & æqualẽ requiri animalium spirituum motum, non impetuosum & turbatum, atq; à conturbatione spirituum animalium motu aboleri in Epilepsia sensus omnes tam internos quam externos, accedente forsan eorundem spirituum ad motus organa duntaxat propulsione. *Observandum* 2. cum interruptus, inordinatus & violentus ac fortis accidat Epilepticis animalis motus, id quod animales spiritus ad insultum Epilepticum excitandum disponit, vim habere divellendi eorum continuitatem, 2. commovendi eosdem violenter, adeoque ipsos agitandi conturbandi ac inordinate & quandoque impetuose quaquaversum propellendi.

Vnde si quis & naturalia & artificialia omnia examinaverit accuratius agnoscet 1. Spiritus animales vini spiritui & alias ardenti omni accedere proxime, 2. Aliquo modo sensibus externis se patefacere causam Epilepsiæ remotiorem, sic in recens natis infantibus, in quibus alvi fæces virides & acres, aciditate tam potenti donatæ reperiuntur, ut nares quoque afficiant vehementer, ut prætercam ante exortum variolarum nonnunquam vnum pluresve insultus Epilepticos præcedere. Notandum & 3. pleraque antepileptica, specifica dicta, lixivioso sale fixo, fixante saltem esse prædita, Ex quibus concludo Causam Epilepsiæ remotiorem, & animales spiritus ad paroxysmum pro-

prædita. Ex quibus concludo causam Epilepsiæ remotiorem, & animales spiritus ad paroxysmum producendum disponentem, esse *Spiritum Acidum volatilem. Fr. Sylvius Prax. lib. 2. cap. 20.*

Cum Animales functiones, si non omnes, pleræque saltem afficiantur in & ab Epil. Quæritur qualis tunc contingat, & quarum partium affectio mala? Existimo spiritus animales plurimum affici; Quamvis proinde putem irritari Nervorum principium inordinate, unde copia majori, & quidem inordinate quaquaversum moveantur spiritus animales, Existimo etiam eosdem inquinari, & ita mutari secundum suas qualitates, ut tunc sint inepti sensationi laudabili, & naturali absolvendæ, ideoque tamdiu post motus convulsivos præcedentes, tandem in vera convulsione permanere musculos omnes quamdiu qualitate vitiosa infecti sunt; quos imprimis arbitror hac noxa liberari cum salia volatilia subtilissima, & acrimonia innoxia prædita, spiritus salis Armoniaci pura & similes, plures per nares penetrant in cerebrum atque spiritibus animalibus male affectis se jungunt, quin vitium ipsorum corrigunt, citiusque paroxysmum solvunt.

Unde concludo, *causam in corpore existentem, atque spiritus animales male afficientem, ac exinde Epilepsiam producentem, contrariam esse Salibus volatilibus.* Si quis porro & salia volatilia examinet & ejus contrarium investigeti, inveniet tandem ipsis contrarios esse *Spiritus acidos*, iisdem volatiles, ideoque probabiliter concludi.

Halitus acidos causam esse proximam & continentem, tum nervorum principium irritantem, tum animales spiritus vitiose alterantem; Nec tantum ex consideratione salium volatilium, epilepticorum insultuum remedii optimi, ac symptomatum ipsius ut plurimum præcedentium, ventris torminum ac imprimis dejectionum acidum spirantium, concluditur ipsorum causa vera *Spiritus acidus volatilis*, h. e. Acidus halitus, verum si quis cuncta in epilepticis insultibus accidentia notabilia consideret, agnoscet aliud in rerum natura non occurrere à quo ipsi possint deduci; Requiritur enim tale quid; quod etiam à parte remotissima brevi possit assurgere ad caput, quod ibidem irritationem possit excitare ad inordinatum & coactum spirituum animalium motum versus musculos omnes, Quod obscurare possit ac opprimere sensus externos omnes, Quod ad fatuitatem possit repente aut sensim deducere; Quod gravitatis sensum possit producere ac relinquere in capite, atque hæc omnia nulla re nota produci possunt nisi a *spiritu* acido volatili, vel halitu acido & acri. Etenim cum *duo* tantum reperiantur *Acria pura* in rerum Natura, *Lixivum salinum* & *Acidum acre* hinc & mixtum & fractum ex utroque, *Salsum nempe muriaticum*, prout plus de Acrium alterutro participat; ad idem magis vergens, & illa noxa non producatur, sed curetur per salia lixiva, sed imprimis volatilia (possunt enim & fixa inservire, *coralia, margarita*, *oculi* canct. & alia) reliquum est ut à spiritibus acidis, sed volatilibus, atque in Halitus facile abeuntibus, deducatur hoc malum: frustra namque id quis peteret à sale muriatico, à quo tales attolli haud solent Halitus acres. *Idem Append. Tr. 5. c. 6. §. 29.*

29. *Hanc spirituum sensificorum occlusio &c.*) Unum videor mihi circa *sensus externi stuporem* in epilepsia observabilem assequutus, nempe à spiritu acido acriore, in succo Pancreatico existente, aut etiam forinsecus cum assumptis adventante, ita vitiari effervescentiam cum Bile in tenui intestino factam, ut Halitus non tantum acres acidique, sed etiam vim narcoticam à bile mutuati attollantur, & per lacteas venas penetrent ad sanguinem, hinc cum ipso ad cerebrum, ubi partim mordicent ac irritent spinalis medullæ radicem, unde copiosius ad musculos ferantur animales spiritus, ibique producant primum motu suo inordinato motus convulsivos, & tandem motu utrinque continuato, ipsam convulsionem: Partim narcosin inducant in animales spiritus, unde sequatur ille stupor magnus & insensibilitas durante paroxysmo.

Forte ab eadem vi narcotica deduci posset Fatuitas epilepsiæ tam sæpe superveniens, cum observemus ebrios, & quasi narcosi correptos durante ebrietate videri fatuos, quinimo omnes assumpto opio, quamdiu ejus vis viget si à somno excitentur, videri fatuis quasi similes, Si proinde fatuitas epilepticorum deducenda sit *à vi narcotica*, ex bile haud dubie orta, necessum est ita vitiatos fuisse ab ipsa spiritus animales, aut cerebrum cerebellumque, quatenus spirituum animalium præparationi serviunt, ut qui postea continue generantur servent illam dispositionem Fatuitati producendæ aptam. *Idem ibidem.*

3. *Hinc omnes partes motum*) Ad motum voluntarium maxime faciunt spiritus qui per *glandulam pinealem* penetrant, nam quia Glandula undique plurimas habet sibi circumjectas arterias, singulis pulsibus multi spiritus eructantur, & Glandulam undique æqualibus viribus premunt, & quia glandula etiam suos habet poros, ideo multi per [illegible]s transeunt spiritus, qui proprie ad determinationem spirituum voluntariam faciunt, quia cum Glandula determinationem aliquam ab Anima accipiat, etiam pori in glandula alium aspectum acquirunt, qu[illegible] re [illegible]ritus qui moventur per poros ejus, etiam ad aliam cerebri partem moventur, & cum spiritus in ventriculis politi in equilibro ab his spiritibus protrudantur, æquilibrium statim tollitur, & spiritus ad partem aliquam determinantur.

In hoc autem morbo voluntaria spirituum determinatio tollitur, quia spiritus sunt magnitudine inæquales: adeoque etiam viribus inæquales: Unde eorum æquilibrium est sublatum, & dum fortuito, modo hos modo istos nervos tumultuarie aperiunt, æquilibrium ad huc magis toll[illegible]ur in sensorio communi & spiritibus, Ergo sensorium commune eo versum nutat quo vergunt spiritus per nervum aliquem apertum. *Craanen Prax. med. Reform. c. 9.*

3. *Ad dispositionem facit*) Vide infra §. 33. *movens.*

32. *Materiam suppeditat*) maximopere, ut vo[illegible] *Simeon Sethi*, *Tuberum* continuatus usus vituperatu[illegible] adeo enim homines crebro eorum usu affli[illegible]ntur, ut epileptici vel apoplectici fiant. Apud v[illegible] autem in pretio habebantur, iisque cum cœ[illegible]o quandam affinitatem esse, nec nisi Iove tonante [illegible]didit antiquitas, hinc *Iuvenalis*,

Faciens optata tonitrua cœnas.

33 *Movens*) *Causas mediatas remotiores* subministrant 1. *Res naturales* ubi *Hæreditaria dispositio* agmen ducit: Quoad *Temperamentum*, veteres, quidem *melancholicum* ipsis dictum maxime suspectum habuere, quamvis [illegible] hoc malum diversis in humoribus fomitem suscipere posse res ipsa confirmet *Ætatis puerili* familiaris est Epilepsia, quamvis nec aliis pareat.

II. *Res non naturales* latentem [illegible] sæpe in actum deducunt, Sic *Aer* impurus novilunium, Lunæ radii, nimia ingluvies, vini ingurgitatio, Inedia, terror

subitaneus

subitaneus, Spectrum, Sonus explosi sclopi, Tonitru & Tubarum clangor, Sternutatio non succedens, Ira, Exercitatio vehementior, Aspectus epilepticorum, Fomentatio capitis cum decocto hyoscyami, tempore mensium adhibita &c.

III. *Res p. n.* magno se exemplorum numero offerunt, Rarum est quod de osse ad instar lapidis stellati acuto, in meditullio cerebri reperto habet *Obs. 34. Ann. 4. Misc. Cur.* Et incurvatio diplois internæ, *ibid. obs. 35.* Guttula saniei in cerebrum delapsa, Vermes, Dentitio & Variolæ in pueris, Lapsus, Vulnera cum fractura cranii, Uterus sæpe has turbas excitat, Quin & Cacodæmonem huic interdum se immiscere malo dubium non est &c. L. *Straussius p. 243.*

Curatio est[14] *Difficilior, si* omnes functiones abolentur, convulsio vehementior & diuturnior est, ac excrementa sponte fluunt,[15] *si* ante pubertatem accidit, & ultra vigesimum quintum annum progressa est:[16] *si* post vigesimum quintum incipit: *si* senes ac decrepitos infestat, *si*[17] mulierem utero gerentem invadit.

α *Facilior, si* est recens, *si* breviores habet paroxysmos, convulsionem non vehementem, & *si* æger[18] liberiùs respirat.

β *Nulla fere, si*[19] est hæreditaria, *si* infantes parvos exagitat, *si* ad usum sternutatorium æger non sternutat.

Prognoses.

14. *Curatio est difficilior*) Quamvis Epilepsia sponte curata apud Tulpium l. 1. c. 8. legatur, & ætatis mutatio multum hic ex *Hippocr.* præstet, aph. 5 7. & 2. 45. periculosus tamen non minus ac calamitosus est affectus, & plerumque incurabilis. Patet aliquando ex propria natura, aliquando ex accidenti lethalem esse, Et licet ratione totius circuitus inter chronicos morbos referatur, tamen ratione paroxysmi satis acutum esse. Quando curabilis sit vide *Hippocr. l. de morbo S. sect. 5. t. 4. & sect. 13. t. 15.* Ad *salutem* duplici via, integra scil. solutione, quæ rarior est, Aut humorum in alium locum metastasi, quæ frequentius accidit terminatur, Unde in paralysin, cæcitatem &c. desinit. In *mortem* suffocatione & omnimoda spirituum dissipatione desinit. Interdum quoque ob rupturam vasorum sanguineorum, à motibus convulsivis excitatam apoplexia, hinc mors infertur; Unde in Epilepsia demortuis sanguinis coagulati copia in ventriculis cerebri est reperta. *Laur. Straussius.*

14. *Curatio est difficilior &c.*) Epilepsia morbus est diuturnus & contumacissimus, & in infantibus lethalis, Hæreditaria incurabilis, quæ vero à causis externis & prava victus ratione ducit originem, curationem admittit: Vehemens sæpe in paroxysmo ægrum abripit, & de medio tollit, Vel enim in apoplexiam degenerat, vel præ symptomatum pravitate, & violenta cerebri concussione, tota illius œconomia evertitur, ut interdum particulæ illius diffringantur, & contigerit aliquando processuum mammillarium particulas per nares fuisse explosas: A *melancholico humore* oriunda in melancholicam insaniam degenerat; A *Pituita* in apoplexiam vel paralysin; Quartana superveniens, & diu perseverans, eam solvit, quod à calore febrili materia morbifica sensim absumatur, si pituitosa sit, vel si melancholica, à parte affecta transmittatur in locum ubi minera morbi residet, ut novis paroxysmis materiam suppeditet. *Riverius.*

15. *Si ante Pubertatem &c.*) Ante pubertatem eveniens curabilis est, post xxv. vero annum, nequaquam, ex *Hippoc. 7. aph. 5.* Si quidem in pubertate magna fit caloris nativi eclampsis, quæ causas morbificas discutere potenter valeat. Adde quod tunc temporis in fœminis menstrua erumpere incipiunt, per quæ impuritates corporis expurgari solent: Licet autem post xxv. annum incurabilis dicatur ab *Hippocr.* hoc tamen non est perpetuæ veritatis, multos enim ætate provectos ab hoc morbo liberatos fuisse plurimis observationibus relatum est, etsi hoc raro contingat, sic aphorismum ut plurimum & fere semper verum esse affirmandum est. *Riverius.*

Epilepsia interdum sua sponte terminatur, id quod circa pubertatem, & tunc fere tantum contingit, adeo ut qui ista periodo elapsa, h. e. ante annum xxv. non curantur, vix unquam postea sanitatem recuperent: Nimirum circa pubertatem corpori humano duplex alteratio, atque propterea morbi comitialis, aut alterius cujusvis alius radicati non raro solutio contingit. Nam 1. hoc tempore humor genitalis in vasis spermaticis congeri incipit, unde sequitur particulas spirituosas, quæque ipsis accrescere solent, nitro-sulphureas & morbificas, non tantum in cerebrum, sed etiam in testes deponi, quare si heterogenea ista spirituum copula in novum hoc promptuarium uberius inferatur, exinde cerebrum immunius degens, diathesin epilepticam, aut alias morbidam, non raro exuit, 2. Circa pubertatem, prout sanguis aliquid cerebro prius destinatum per arterias spermaticas genitalibus suffundit, sic etiam fermentum quoddam ab iisdem partibus per venas retributum accipit, scil. particulæ quædam seminali tinctura imbutæ in massam sanguineam regeruntur, quæ ipsam vigorant, ac virtutem novam & vegetiorem inspirant, quare tunc temporis & corporis & animi dotes se potissimum exerunt, pili erumpunt, vox magis sonora evadit, fœminis catamenia fluunt, aliaque accidentia superveniunt, ex quibus liquido constat & sanguinem & succum nervosum ζυμώσει quadam recenti impregnari: quare fermenta sive semina morbifica, nisi ab hoc novo fermento naturali superantur, deinceps sæpe in mortem usque indomita persistunt. *Willis.*

Curationis difficultas in eo consistit quod cerebri meditullium (in quo spirituum animalium prima scaturigo & fons est) non tantum à causa morbifica, sed insuper ab effectis ejus, nempe singulis paroxysmis plurimum debilitatur, ejusque pori laxantur, ut deinceps materiæ cujusvis heterogeneæ incursibus facillime pateant, adeoque ipsa diathesis morbida repetitis paroxysmis confirmata, atque radices altius agens ægrius tollatur. *Willis.*

16. *Si post xxv.*) Corporis totius constitutionem quæ immutant alterumque, & novum illius veluti temperamentum efficiunt, sicuti in multis diuturnis morbis desperatis, ita & in Epilepsia diuturna & immedicabili alias, interdũ aliquid singulare præstare posse experientia comprobavi. Quæ *mutationibus magnis, & evacuationibus novis* in corpore factis perficiuntur. *Mutatione ætatis*, cum & *temperamentum* immutetur corporis, nonnunquam accidit, ut & Epilepsia quæ in pueritia invasit pubertate superveniente sanetur, eaque quæ *adultis* primum evenit, *in senectute* si non cesset, mutationem tamen aliquam subeat; Sic & *regionis* mutatio, præsertim si de loco in quo popularis hic affectus existit, aut alias de insalubri in salubrem fiat transitus, magnum in curatione hujus mali adfert adjumentum. Et *sexus* veluti permutatio, quæ per *eunuchismum* corpus alias masculum & virile effœminatum reddit, à veteribus per castrationem facta, in

Epilepsia tanquam *extremum remedium* fuit commendatum; Evacuationibus novis, nondumque consuetis, naturalibus præsertim *seminis & sanguinis*, suo tempore supervenientibus, cum corpus etiam vehementer altescit, non mirum si pubertatis annis incipientibus, non tantum ob ætatis mutationem, sed & quia semen tunc ejicere incipiunt; puellisque sanguis menstruus fluit, Epilepsia frequenter desinat; Et *Hæmorrhoidibus* in quibusdam naturis erumpentibus eadem interdum cesset, Et mulieres gravidas, postquam partum enixæ sunt, beneque purgatæ, Epilepsia derelinquat; Quod eum per ejusmodi, quas natura molitur expurgationes, succedere intelligunt Medici, varias quoque evacuationes, casu frequentius quam methodo institutas, in Epilepsia desperata tentant. *Platerus.*

[36] *Post 25. annum*) Post quem fere usque ad mortem durat, teste *Hippocrate sect. 5. aph 70.* id quod utplurimum verum, *Rhodius tamen in Observat.* aliquot exempla in contrarium adducit.

[37] *Facilior si est recens &c.*) Quæ differentiæ maxime pertinent ad curationem, nam certum est *recentem, in qua rara sunt* accessiones, & quæ noctu invadit, potius à vaporibus elevatis quam altiore causa fieri, quæ & longe facilius quam alia sanatur. *Wedels.*

[38] *Liberius respirat*) Difficilis respiratio, stertor, & sonon spiritus emissio, ex intercepto spiritus animalis ad thoracis musculos affluxu oriuntur. *Straussius.*

α. *Si mulierem utero gerentem &c.*) Periculum enim saltim Abortus imminet: Id quod tamen non absolute verum deprehenditur, si quidem *Rhodius cent. 1. obs. 40* refert matronam prægnantem, quæ dum utero gereret post 6. aut 7. menses epilepticis insultibus affligebatur, partum vero enixa optime convaluit. Et *Schenckius* in observat. non omnes prægnantes epilepticas abortum pati adnotavit.

[39] *Nulla fere*) Cum paroxysmi crebro repetunt & qualibet vice atrociores fiunt functio animalis brevi debilitatur, atque hinc labe in spiritus & nervos præcordiis inservientes sensim traducta functio vitalis paulatim enervatur, donec tandem languente toto corpore, pulsuque imminuto, ac demum cessante, postremo flamma vitalis extinguatur. *Willis.*

β. *Si est hæreditaria*) De hac vide inferius (*9. oritur à causis.*)

[40] Si *ad usum sternutatoriorum*) Nam arg[illegible] naturam succumbere ac nimis prostratam [illegible] *Etmuller.*

[41] *Respicit* I. *Paroxysmum* ipsum, vel *Instantem*, tum aut [42] *Essentia Castorei* aut *spiritus succini albi* gutta una vel altera, in *aqua antepileptica Langii*, aut *pillula laudani* [45] *opiati*, cui [illegible] partibus quatuor una *olei Camphoræ* admista sit, sumatur.

[46] Vel *Præsentem*, in quo inter cætera, β os diducendum, & sacculus [47] ruta, castoreo &c. impletus, dentibus interponendus. [48] Revulsio per frictiones & ligaturas instituenda. Alvus glande vel clystere acri, cui & *scorias reguli Antimonii* quidam incoquunt, sollicitanda. [49] Nares *balsamo succini, rutæ* inungendæ. Lingua & palatum *Theriaca* in *aceto rutaceo* dissoluta illinenda, [50] sternutatoria, si æger his non excitatur, adhibenda, vel turtur deplumatus umbilico [51] imponendus. *Intus*, [52] *Aqua Cerasorum nigrorum* dulcium [53] *hirundin.* cum ol. succini, [54] cranii humani, exhibenda.

II. [55] *Tempus extra Paroxysmum*, in quo.

1. [56] *Materia*, radix mali, [57] imminuto prius sanguine, nisi malum sit inveteratum, præparetur. [58] *Per inferiora*, [59] repetitis vicibus, *agarico* vel alio conveniente, [60] habita humorum qui abundare possunt ratione, [61] *purgentur*. [62] Sunt qui commendant [63] *magister. Lunæ* à gr. v. ad VIII. [64] *vitriolum rectificatum purgans* à gr. v. ad VII. [65] infusionem *fl.* [66] *antimonii*, sed vide ne cœcitas succedat. [67] Eadem *sudoriferis*, exoticis illis inprimis, China, Guajaco, cum visco querno tollatur. 2. *Materia*, [68] in Cerebro *residua*, per [69] Errhina, Apophlegmatizantia, [70] quin *Setacea* & *Fonticulos* educatur.

3. [71] *Cerebrum* Cephalicis & Antepilepticis *roboretur*.

4. [72] *Diæta* servetur, in qua cibi vaporosi, specialiter morbo faventes, vinum, Venus &c. vitanda.

5. [73] Omnibus capiti appropriata, & *Epilepsiæ* [74] *specificè resistentia* admiscenda, ut sunt *Radix pæoniæ maris* [76] in Julio Luna decrescente collecta, [77] *ungula alcis* posterior dextra, [78] *viscus quernus*: Magisterium *Cranii humani, solis immaturum.* [79] Aqua *hirund.* [80] *Cerasorum* [81] *nigrorum & dulcium, tiliæ.* [81] *Liquor antepilepticus Salæ*, qui datur incipiente decrescere Luna per 6 vel 7. dies à dr. ß. ad dr. j. in vehiculo conveniente. [82] Oleum [83] *succini albi, Cranii humani*, placenta *ex rore in S. Iohannis Baptistæ nocte collecto facta.* [84] Pulvis *ex Crystallorum præpar. dr. j Corallor. rubr. scr. ij margarit. orient. scr. j. smarag. orient. præpar. dr. ß.* factus, & in aqua conveniente sua dosi exhibitus.

[85] *Extra, corium lupi* ea parte desumptum qua spinæ adhæret, duorum digitorum in cinguli forma, & [86] Amuletum ex [87] *frutice sambuci in salice* inventi Hartmanni,

Signum *perfectæ curationis* est, si æger suffitu rerum fœtidarum naribus admoto non concidit.

Curatio in paroxysmo.

[41] *Respicit*) Circa morbi comitialis medelam indicationes (prout vulgo recensentur, erunt vel *Curatoria*, quæ paroxysmum respiciunt, eumque vel ingruentem arcent; vel præsentem citius abigunt; Vel *Prophylactica*, quæ morbi causam spectant, quam si tollant, in posterum ejus accessiones inhibentur. *Willis.*

[42] *Curatio respicit 1.* Epilepsia ut rite curetur, observanda plura quæ nomine causarum se mutuo consequuntur ut illam producant, ut & a quibus tam internis quam externis solent foveri vel augeri eadem, denique illa quæ solent ipsam subsequi, tanquam symptomata.

Primum, est *Irritatio principii nervorum* ab halitibus acribus ad cerebrum assurgentibus, unde impetu[illegible] & inordinatus sequitur spirituum animalium motus, hinc motus convulsivi, & ipsa convulsio.

II. Est *Halitus acer* ad cerebrum delatus, causa continens & proxima irritationis ac mordicationis.

III. Est *Halitus* idem in *tenui intestino* existens, hinc ad cere-

ad cerebrum ascendens, Irritationis ejusdem causa remota.

IV. In Infantium Epilepsia, est *Effervescentia vitiosa succi pancreatici acidi acrioris, & Bilis satis pinguis* & acris in tenui intestino, ex qua prodeunt dicti Halitus.

V. *Succus pancreaticus* acrior, quando actu effervescit cum Bile vitiose, promitque notatos Acres Halitus; iisdem causa remota.

VI. Idem *succus pancreaticus* vitiosus & acrior, nondum tamen in actum deductus, aut vitiosam Effervescentiam excitans; quæ causa hujus mali antecedens.

VII. Id omne quod ut causa procatarctica, vel Irritans est, augensve succi pancreatici acrimoniam, ut in actum deducatur; quamvis nihil impedit succum eundem sponte fieri paulatimque acriorem, donec tandem possit vitiosam illam effervescentiam excitare, & halitus acres promere.

Atque hæc se mutuo sequuntur in motibus convulsivis, & succedente ipsis convulsione; quia vero stupor sensuum omniũ comitari solet Epilepticos insultus, & stuporem illum deduximus à Bile vim narcoticam notatis Halitibus acribus communicãte, spectanda hic vis. *Vis Narcotica* dictum stuporem efficiens: Denique cum insultibus Epilepticis succedat aliquando *Fatuitas*, quam & deduximus ab eadem vi Narcotica, bili debita, & aut Cerebro aut Spiritibus animalibus intimius juncta, Ejus ix. est habenda ratio. *Sylvius Append. Tr. 1. c. 6.*

Ad integram curationem sequenti via procedendum, 1. Potio phlegmagoga est propinanda, aut aliud medicamentum ægri Naturæ commodum, injecto prius clystere si alvus non sit libera, 2. si plenitudinis sint notæ, aut æger sanguinei sit temperamenti, V S. fiat, sin minus omittenda. 3. Cura universalis frigidæ capitis intemp. proposita sigillatim celebranda, hoc observando ut decoctis, apozematis, diætæ sudorificæ, syrupo magistr. gargarismatis &c. addantur radix & semen pæoniæ, ac viscus quernus, quæ specifice Epil. curare credidit antiquitas. 4. In Diæta Guajacum præferatur, cujus usu se plurimos Epilepticos curasse gloriatur *Jacchinus*. 5. Singulis dosibus decocti sudorifici aliquot guttæ spiritus vitrioli addantur, qui specificus creditur. 6. Purgantia usualia in frequenti usu habenda. *Riverius*.

42. *Tum aut essentia*) Incredibili efficacia prodest, & obstructionibus etiam aperiendis, usus *lapidis bezoar*, Si accipiatur cum *aqua* vel *decocto lavendulæ*. *Mercatus*.

43. *Ess. Castorei*) Castoreum excellens antepilepticum, In specie si ad imitationem *Barbette* infundatur cum *sale volatili in spiritu vini* vel *Castoreum* cum *spir. salis armon. vinosi* in *essentiam* extrahatur, imprimis convenientem in convulsivis motibus partium internarum, hystericis, colicis & similibus: Sicut etiam in quacunque convulsione tonica ab omnibus authoribus commendatur externe usurpatum. *Etmuller*.

44. *Aut Pilula laudani opiati*) Opiata magna solent esse remedia Epilepsiæ, dicit *Fonseca lib. 2. con/* 180. Nam ferociores motus spirituum compescunt, eorumque motus inordinatos, indeque sensuum perturbationes tollunt: Hinc ad præcavendum paroxysmum Epilepticum tam, idque primario, Epilepsiæ internæ, quam *externa* mire conveniunt, appropriatis mista Opiata; Qua ratione Pilulæ ex *laud. Op.* cum *Ol. camph.* juxta *Hartmannum*, sunt egregiæ, *Opium* enim ac *camphora*, ad Epilepsiam quasi specifica sunt, *Externe* vero *Oleo buxi*, ob vim anodynam (cui alia anodyna vel narcotica substitui possunt) inungenda sunt tempora, nares & pulsus, ut *Fonseca* monet; Sed abstineamus ab his Narcoticis ante præmissa universalia; Deinde non tam ad curationem crebrius, quam ad præservationem, aut atrocioris paroxysmi mitigationem adeoque rarius usurpentur, quia Epilepsias diuturnas subinde fatuitas subinde subsequi solet, Et periculum est ne Opiatorum abusu hæc ipsa magis promoveatur. *Etmuller*. Certum est Narcotica, & in specie *Opium*, antepilepticis permista, spiritus ferocientes non raro feliciter mitigare, videndum tamen ne (quod bene monet *Wedelius Opiolog. pag. 108.* naturæ motus, quo materiam morbificam ad exteriora depellere contendit, inhibeatur, stagnansque circa cor materia suffocationem exciret. *Straussius*.

45. *Opiati*) Præter *Opii* usum dubium num *hyosciamo* quoque & *mandragora* tuto uti interne liceat; Subscribentes potius *Wedelio* qui *cicutam, hyoscyamum*, mandragoram interius propinare hodie Medico religionem esse debere censet l. 2. de S. M. F. *sect. 2. c. 10.* Idem.

46. *Vel præsentem*) Quoad *intentionem Curatoriam* quæ *paroxysmum* respicit, Evacuantia generalia vix locum habent, nec enim in paroxismo *vomitus*, aut *purgatio*, atque raro admodum *venæ sectio* adhiberi debent. Si *ἀναισθησία* diutius perseveret, *Enemata* interdum usui esse solent; Id vero quod potissimum incumbit, est *spiritus animales nimis effesos & volatiles figere*, necnon eorum *explosiones inceptas supprimere*: in quos fines duo remediorum genera præcipue conducunt, scil. 1. quæ *spiritus animales efferari & exilire aptos reprimunt*, & velut suffitu quodam ingrato repellunt inque ordines suos cogunt: quod equidem *medicamenta sale volatili & armoniaco*, aut etiam *sulphure vitriolico* prædita efficiunt, cujusmodi sunt *Sal & oleum succini, spir. sanguin. c. c. fuliginis, tinctura castor.* & sim. hæc enim intus sumpta, aut naribus admota, sæpe levamen conferunt, quin & mali hujus morbi spiritus, non secus ac apud *Tobiam*, fumus è felle piscis combusto Dæmonem, abigere creduntur.

II. *Spiritus animales* ab explosionibus ineundis avocantur, aut inhibentur, cum illi in opera quædam assueta alliciuntur, & occupari tenentur: quapropter urgente paroxysmo *frictiones* per totum corporis ambitum, & aliquandiu sæpe continuatæ sæpe juvant; Quod autem nonnulli affectos erigunt; eorum brachia & crura à motu convulsivo penitus cohibent; vel in hoc vel illo situ *constringunt*; porro quod *sternutatoria* naribus inflant, & *Cardiaca* fortiora ori ingerunt, aut *Cucurbitulas & scarificationes* adhibent, aliisque administrationum modis caducos asperius tractant, & paroxysmi motem interturbant, hujusmodi inquam praxis sæpissime perperam instituitur, quoniam hoc modo duplex naturæ molestia, alia nimirum à morbo, aliaque non levior ab adstantibus & ministris intentatur, cum longe præstiterat paroxysmo juxta motem suum transire permisso, laborantes unica tantum plaga absolvi. *Willis*.

46. *Vel præsentem*) Si sit gravior, ad excitandum epilepticum mire conducunt omnia ea, tam externa quam interna, quæ quosvis sensus, seu eorum organa fortiter vellicare, & in spirituum inordinatas commotiones, ceu fortiora objecta, in ordinem revocare possunt; Hæc inter, graviori in malo mire conducit *Vomitus*, At cum ob exacte clausa labra ex convulsione musculi temporalis nil possit ingeri, ob id, monente *Borello*, aperiendum os, admovendo pollicem cum minimo digito ad oris latera, fortiterq; cõprimendo, quo facto instilletur forte *Vomitorium*, vel penna oleo acrioti inuncta faucibus immittenda, & ita vomitus stimulandus, Loco Vomitoriorũ *Clysteres* acres egregii, quibus *Castoreum* sociandum & pro stimulo *aqua benedicta, syr. emeticus*, aliave *infusa antimonialia*, addenda. Sicut in Epilepsia interna *salia volat.* à ℈j ad ℥ß clysteribus addita, proficua observari solent; Sunt qui *sternutatoria* naribus admovenda jubent, quod tamen caute fiat, cum sternutatio quasi particularis sit epilepsia, ne graviori malo occasio suggeratur: Potius *salia volatilia macra; eorumve spiritus* naribus admovenda, aut urgente necessitate naribus ac linguæ instillanda, Egregie confert *ol. destill. succini* gtt. iij vel iiij. in aqua appropriata intus sumptum.

Lingua in paroxysmo vehementius *sauciata* à dentibus curatur inspersione *pulv. lapid. cancrorum*. Etmuller.

B. *In quo inter cætera*) Pollices si convellantur, explicanda

fiant quia ista reductione pori nervorum variantur, & sic aliquando id prodesse potest; nempe ut copiosi & impetuosi spiritus per istos poros plus solito apertos liberius evocentur. *Craanen.*

46. In quo inter cætera) Si magnum pedis ægri digitum diviseris ex quacunq; parte, & destillante sanguine labia ipsi⁹ collapsi illeveris, statim excitabitur. *Aëtius ex Didymo.*

47. *Ruta*) In paroxysmo Epileptico jubebam ut *Rutam* confricatam intra manus naribus adhiberent, vel *succum ejus* immitterent, hoc enim modo innumeros à paroxysmo excitavi. *Forestus.*

48. *Revulsio per Frictiones & Ligaturas &c.*) Frictiones in parte fomitem ad caput amandante excitatæ juvant, dum ipsi exitum parant per poros transpirando: *Ligaturas* quoq; ascendenti auræ viam ad cerebrum nonnunquam intercludere testis est experientia; licet morbum non superent, paroxysmum tamen præveniunt.

49. *Nares*) Ad revocandos Epilepticos *Suffumigabulum.*

Accipiatur fistula unius spithamæ longa, sed obtorta, tenuioreque extremo, quod spectat ad anteriora, quatenus in *narem* deaptari congrue queat, parte vero postrema exteriore recipiente caliculum, in hunc impositum *sulphur* accendas, cujus *fumum naribus* decumbentis alternis accipiendum curabis: Multos ob cerebri vitium alte sopitos homines revocari, sulphure nimirum unice contra morbi causam faciente. *Severinus Med. Effic. l. 1. p. 2. c. 37.*

50. *Sternutatoria*) In paroxysmo concitata sternutatio (quæ ut casum epilepticum aliquando antecedit, ita nonnunquam eundem finit) prodesse poterit, quæ *pyrethro* intra nares insufflato in hoc casu commode commovetur, vel sequenti Pulvere.

℞. *rad. helleb. albi* ℈ß. *pyreth. piper. ãã.* ℈j. *rad. paon. flor. stach.* f. Pulvis sternutatorius. *Platerus* (Vide supra §. vel *præsentem.*)

51. *Imponendis*) *Hæferus in suo H. M.* in paroxysmo applicat capiti sequens Emplastrum.

℞. *succini albi, thuris, mastich. ãã.* ʒiß. *g. galbani, opopan. ãã.* ℈ij. *ambræ gr.* viij. *moschi gr.* iij. *ladani* ℈iß. *semin. paon.* ʒß *Olei nuc. mosch. parum*, *rosar. q. s. M. f. Empl.* cui asperge *Pulv. cubeb.* applicat suturæ coron. *Tom. 1. p. 16.*

51. *Aqua cerasorum nigrorum*) ℞. *Ceras. nigr.* ℔ x. contunde *cum nucleis, adde flor. lavend. sem. sinapi* ad duplum, *misce, affunde vini generos. q. s.* repone in cella per tres dies & destilla, Dosis cochl. j. aut ij. per se, vel in aqu. pæoniæ, aut alia, Magno cum successu datur in Epilepticis infultibus. *Ph. Grulingius Pr. l. 1. P. 1. c. 5.*

Paretur Potio ex *cerasis nigris* maturis; accipiendo ℔. 200. cōtunde cū ossibus; affunde libras 100 aquæ fontis, in qua infundantur, per diem natur. Adde *ligni buxi incisi* ℔ 1. & *ligni arboris tiliæ, rad. paon.* ℔ß *& rad. lilior. convall.* factaque infusione per diem naturalem in *aqua cal.* & ebullitione ad tertiam partem, aqua prædicta calida colata affundatur cerasis contusis, & fiat ebullitio ad duos dies, post cola. & succus seu vinum effundatur in dolium, impositis iisdem lignis quæ subsidebunt: Succus clarus sit pro usu continuo prandii & cœnæ. *Ben. Silvaticus cons. 4. cent. 1.*

53. *Hirundinum*) *Essentia Hirundinum* arcanum est Epilepticum summum, Dosis ℨi. quotidie mane per mensem, P. *Joh. Faber Myroth. c. 19. ubi præparatio.*

Quidam ptæm. præmitt hoc medicamento liberatus est, *Hirundines* deplumatæ veru ad ignem assentur, *butyro liquato, aceto scyll.* asperso subinde, ut inter assandum minus comburantur; hinc in furno exsiccentur & pulverisentur huic pulveri adde *conserv. flor. paon. flor. herb. paralys. ãã* ℥i *paon.* decrescente Luna collectæ *pulv.* ʒiij. *Conserva anthos* ℥ß *m.* cum *oxym. scyll.* adjecto *aceti scyll.* parum f Elect. *Forestus lib. 10. obs. 53.*

54. *Cranii humani*) Liquori ex tribus *craniis humanis* chymice distillato Adde ℥vj. *spec. diamosch. dulc.* ℨß. *castor. mellis anacard. ãã,* ʒii. *m.* & iterum distilla per retortam, Distillato adde *liquor. sal. perlar. dr. iv. spir. vitæ antepilept. dr. j.* Dosis cochl. j. mane quotidie ad ix. dies continuando: Perhibetur *Paracelsum* hoc vario remedio mira præstitisse. *J. V. Finckius En. h. c. 5.*

Præservatio.

55. *Tempus extra paroxysmum*) Maxima Medici cura & remediorum efficacia circa morbi hujus prophylaxin versatur, ut causa ejus sublata, seu radice præcisa, fructus omnes emarcescant; Medicamina huic indicationi requisita plures intentiones respiciunt; quæ tamen ad duo hæc præcipua capita reduci possunt; scil. 1. ut morbi fomes, immediate à sanguine vitioso, aut succo nervoso, atq; mediatius à visceribus, primisque viis suppeditatus præcidatur: Dein ij. ut *mala cerebri*, & *spirituum* ejus incolarum *diathesis*, quæ nempe Epilepsiæ peculiaris est tollatur.

Quoad prius Indicatum, hic *Vomitoria* & *Purgantia*, aliaque tum *evacuantia* tum *alterantia*, quinimo *phlebotomia* & *cauteria* locum habent, quatenus nimirum hisce modis ac viis, & viscerum & humorum impuritates subducuntur, ac dyscrasiæ emendantur; quanquam enim hujusmodi pharmaca, & administrationes Medicæ per se raro aut nunquam Epilepsiam sanent, attamen hæc impedimenta tollunt, naturam erigunt, atque ad hostem suum aggrediendum incitant, etiam vias præparant, ut propterea remedia specifica certius & efficacius vires suas exerant, quare solenne est, dum morbi hujus cura per secreta & arcana peragitur, vere & autumno, alisque idoneis temporibus, ejusmodi medicamentorum usus intercalare.

II. Quod spectat ad remedia *Specifica*, quæ quidem sola, licet non semper, Epilepsiæ causam attingere, eamq; expugnare perhibentur, cujusmodi sunt *ruta*, *viscus querc. pæonia mas, castor. ungula alcis, præparata è cranio human. succino, corallio* &c. quandoquidem hæc sine quavis sensibili evacuatione, aut etiam perturbatione in visceribus aut humoribus subsequente assumuntur, mirū est qua ratione formali, aut agendi virtute in hoc morbo uspiam juvare solent *Willis.* Vide infra §. *Specifice resistentia.*)

55. *Tempus extra paroxysmum*) Curatio varianda est pro varietate causarum; Idiopathicæ curatio in totius corporis evacuatione, materiæ morbificæ discussione, pravæque qualitatis emendatione & cerebri roboratione consistit: Cum autem materia peccans ut plurimum pituitosa sit, ad illius oppugnationem curatio præsertim dirigenda est: Sin humores biliosi aut melancholici in vitio esse videantur, medicamenta illos præparantia & expurgantia substituantur. Specifica vero, à quacunque causa oriatur, perpetuo usurpanda sunt. *Riverius.*

Ante omnia attendendum ut causa *remota materialis* removeatur, aut corrigatur, seu per essentiam, seu per consensum fuerit. Hinc *spirituum* crasis *aromaticis* ac *volatilibus* commode, perversus vero motus *anodynis* corrigendus, In specie considerandum an Epilepsia sit *morbus primarius* & per se morbum constituat, adeoque plus minus habitualis sit, an vero saltem sit secundarius, symptomatis rationem habens, adeoque accidentalis: Hinc considerandum per *consensum*, an per *essentiam* ortum traxerit: An *causa remota externa*, *interna* fuerit; An *sedes fomitis* sit intra vel extra corpus, in membro quodam particulari: Pro quibus circumstantiis varianda venit cura &c. *Ettmuller.*

56. *Materia radix mali præparetur &c.*) Cum variæ ab authoribus assignentur Epilepsiæ causæ, non mirum si in ipsa curandi methodo & ratione non sit s conventūt, Prout ergo unusquisq; hanc aut illam agnoscit causam, hanc aut illam affectam partem, sic & curationem diversam instituit: Vnde alii humorem pituitosum, cerebri ventriculos quadantenus obstruentem pro causa habentes, illi imprimis corrigendo & educendo incubuerunt. Qui vero humorem vaporemque acrem cerebri membranas vellicantem causam statuunt, illi temperando

perando & emendando insudarunt maxime. Plerique tamen specifica medicamenta commendarunt & usu comperta, utpote a quibus quandoque curatos Epilepticos solida docuit experientia, nulla invenit ratio vel ratiocinatio: Cur autem vera non invenerit medicamenta ratio, puto factum quia plerique veterum mancipia fuere, ac satis esse duxerunt si dictis ipsorum crederent. *Fr Sylvius.*

In morbi hujus Therapeja à vulgari, inque aliis affectibus trita medendi methodo recedere cogimur, Enimvero Dogmaticorum præscriptiones, quibus fere tantum per cathartica materiam morbificam educere, ac penitus evacuare conantur, in caduco parum aut nihil, prosunt, imo frequenter obesse solent: Novi quosdam insignes Practicos, omissa penitus intentionum therapeuticarum serie, ad remedia quædam Empirica, absque ulla totius provisione se recepisse: Hujusmodi praxis, licet interdum feliciter succedat, ea tamen multo certius propositam curationem assequeretur, si per alia itidem pharmaca, corpore rite præparato, impedimenta quævis summoverentur. *Willis.*

57. *Imminuto prius sanguine*) Venæ sectionẽ ab ipsa morbifica causa, spiritu acido & volatili, nemo dixerit indicari, unde si aliquando profuit, factum est, ob sanguinem simul redundantem, aut alias ardentiorem, motu ve concitatiore præditum: Si ergo infestat simul sanguinis redundantia, vel incendium, aut motus violentus, tunc felici successu sanguinem loco convenienti emitti posse arbitror. *Fr. Sylvius.*

Licet ad conspectum V.S. ortam Epilepsiam testetur *Salmuth cent. .. obs.* 85. Eandem catastrophen V.S. sub lingua adduxisse legatur *M C. Ann. 6 in obs. 69.* (*Epilepticum etiam paroxysmum vehementissimum excitatum vidi in uxore Nob. Gell. Domini de Biousset, gravida, aperta vena brachii, quæ postmodum vitales partus edidit, celebrata phlebotomia*) hancque utium aperte improbet *Ballonius Epid. pagina* 172. tamen χειρ. administrata maxime prodest (*Vide Rhodium cent.* 1. *Obs.* 64.) Sic puella in Monasterio vivens, cujus *ab Heer obs.* 29. meminit, toto licet corpore singulis mensibus vehementissimo convelleretur, statim tamen à V.S. etiam exigua; insultu omni liberabatur, (*Eandem efficaciam & celeritatem beneficii a phlebotomia aliquando expertus sum in Nobili Puero Bernate, qui ex terrore Panico in Epilepsiam incidit, paroxysmus, isque vehementissimus, duas jam horas integras sine intermissione excesserat, Occlusum erat guttur tum superius tum inferius, validissime micabant arteriæ, aperta vena brachii impetu summo erupit sanguis quasi arteria scita foret, Illico paroxysmo liberatus est.*) Tale beneficium etiam *Arteriotomia* multis attulit ægris, teste. *Severino Effic. Med. p.* 46. 48. *Laur. Straussius.*

58. *Per inferiora*) Die sequenti *Vomitorium*, nisi aliquid contra indicet, mittatur sanguis è brachio, vel è venis hæmorrhoidalibus hirudinum suctu; Dein postridie sumatur medicamentum *Purgans*, quod postea quatriduo ante novilunium constanti vice repetatur.

℞. *resinæ Jalap.* ℈ß. *Merc. dulc.* ℈j. *castor. gr. iv. conserv. flor. pæon.* ʒj. *f. Bolus.*

℞. *Pilul. fœtid. maj.* ℈ij. *resin. jalap. gr. v. ammon. sol. in aqua hyster. q. s. f. Pilulæ v.*

℞. *fibrar. helleb. n. in aceto macerat. exsiccat. & pulv.* ʒß. *zinzib. salis absinth. gr. xii. ol. succini gtt. ij. f. Pulvis, detur in pulpa pomi cocti.*

℞. *Pulv. hermodactyl. comp* ʒj. *cran. hum. præpar. gr. vi. f. Pulvis, detur in haustu decocti hyssopi aut salviæ. Willis.*

59. *Per inferiora repetitis vicibus &c.*) Notandum Purgantia usualia, nimirum Pilulas aut Syrupum magistr. in frequenti usu habenda; nempe semel aut bis in septimana, prout vires ægri ferre poterunt, Et per plures menses purgationes esse continuandas. *Riverius.*

In diuturna caducaque Epil. cum sicuti in omnibus diuturnis morbis excrementorum sit proventus, ut corpus purum fiat, iterum iterumque per vices, & quoties illa de novo recolliguntur, temporibus convenientibus erit purgandum; primum *alvum eluendo*, postmodum humores, qui huic affectui ansam præbent, præparando atque educendo. *Platerus.*

60. *Habita humorum qui &c.*) In iis cum tantopere Authores varient, non mirum est diversa quoq; ab ipsis cathartica statui; *phlegmagoga* enim, & quæ à capite pituitam educunt, plerique quibus ab *humore isto* epilepsiam nasci persuasum est, præ cæteris usurpant; alii *cholagoga* potius, vel *melanagoga*, qui *bilem flavam* vel *atram* causam statuunt, reliquis prævalere in *purgantibus* contendunt; Nos vero, prout corpus humoribus vel refertum vel contaminatum deprehenditur, huic illive humori educendo remedia accommodamus: Eorumq; delectum ex eo præsertim, *an levioribus* fortioribusve; ut humor expellatur, opus habeat (omissa illa nimium scrupulosa & obscura catharticorum cum humoribus similitudine & proprietate) desumentes, ea quæ vel *mitiora* vel *efficaciora*, prout *humoris natura corporisque robur & constitutio* efflagitant eligimus, illaque quæ à veteribus & neotericis sunt probata, *Dioscor.* præsertim authoritate, in hoc casu commendata, qualia ex levioribus *Serum lactis, agar. senna*, & è fortioribus ut *Veratrum* existunt, additis reliquis quoque idoneis approbavimus, & secundum prædictam intentionem administrata, in Epilepsia conducibilia esse existimamus: Inprimis vero caventes ne cum Epilepsiam acris malignave materia suscitat, ne nimium calidis acribusve & fortioribus purgantibus corpus supra modum exagitemus: Et si causa in dubio sit, vel abstrusa, ne nimium soliciti uni alicui humori evacuando, ex communi opinione incumbentes, corpora magis debilitemus quam juvemus. *Platerus.*

Purgetur) Purgantia minime exhibenda ægris nisi ubi cacochymia regurgitat, nec corrigi potest commode, verum educi desiderat; Si autem nec magna quantitas urget humorum noxiorum, nec illorum qualitas à mediocritate multum recessit: satius est ab illis supersedere, & solis alterantibus illos emẽdare: Ubi autem nulla spes est humores noxios vel diæta vel alterantibus superare, satius est in tempore illos educere quam procrastinando in plures morbos incidere. Purgantia autem pro peccantium humorum diversitate præscribenda sunt varia, & pro ægrorũ affectionibus forma varia. *Fr. Sylvius.*

62. *Sunt qui commendant*) Ad fortiora *purgantia* interdum transeundum, juxta præceptum *Massariæ*, qui hinc fieri dicit quod Epilepsia raro curetur, quod Medici semper in levioribus hæreant; Hac ratione Chimici purgantia mineralia usurpare solent, quæ à remotissimis partibus humores attrahunt, at non sine periculo, præsertim si à perito artifice præparata non fuerint: Si tamen in hoc casu felix eventus ex hujusmodi remediis aliquando contingat, ille imprimis sperandus est ex *Mercurio*, per se vel cum auro calcinato in furno arenæ, longo ignis regimine: probe cavendo ne qua illius portio cruda adhuc & volatilis maneat, quæ summam vehementiam medicamento conciliaret; alioqui satis blande purganti si cum pilulis cochiis, aut extracto aliquo phlegmagogo pondere gran. iv. vel v. usurpetur.

Syrupus *de Peto Quercetani* maximam vim habet, sed nonnisi à prudenti Medico usurpandus, quia vehementissimum est medicamentum. *Riverius.* Si Fomes mali in primis viis hæreat, *vomitui* valet, *Antimonialia* imprimis, sicut inter Purgantia additur *Mercurius dulcis* qui primatum obtinet; Hinc *Pulvis Panchym. mineral. Hartmanni ex Mercur. d. & Vitæ* proficuus.

℞. *Mercur. d.* ℈j. *scamm. sulph. gr. 4. vel 5. m. cum conf. anthos f. Boli pro dosi juxta Riverium.* Etmuller.

63. *Magisterium Lunæ*) Vires habet Cephalicas, *inquit Rolfinkius Dissertat. Chimic. part. 2. c. 4.* dosis gr. v. vi. in convenienti vehiculo, *Vide præparationem ibidem.*

64. *Vitriolum rectificatum*)Recens Epilepsia sale vitrioli aliquando curatur, sic refert A. *Sala* hoc remedio quarto quoque die exhibito se Epil. tertia exhibitione curasse. *Riverius.*

64. *Vitriolum*) Si *spir. vitrioli rectificati* ℥x. addantur *spir. vini* ℥iv. per retortam aliquoties reiteratis destillationibus uniantur. Aut si *Vitriolo Ungar. spir. salis* justa quantitate supra fundatur, & per retortam destilletur, egreditur *spiritus vini sulphure vitrioli* impraegnatus, egregii usus in plurimis morbis, præcipue in Epilepsia, *Ph. Iacobus Sachus Ampelogr. p. 519.*

℞. *roris Antepilept. aqu. paeon. spir. vini āā.* ℔ß. *spir. a. i-di vitr.* ℥ß. *rad. paeon. visci qu. cran. hum.* omn. subtiliss. pulv. *opii Thebaici super laminam ferream exsicc.* ℈iij. *camph.* ℈ij. *fiant in digestione per 8. dies, Postea subtile a crasso separetur.*

Si quæ species morbi caduci est quæ medicamentis naturalibus edomari potest, certe id isto liquore specifico, quippe arcano effeceris, Id quod ego arcano, hoc cum successu semper expertus. Dosis à ʒß. ad ʒj. *Angelus Sala Anat. vitr. p. 371.*

64. *Vitriolum*) *Oleum vitrioli* cum *spir. urinæ* paratus Epilepsiam radicitus curat. *Glauberus F. Ph. p. 2. c. 89.*

Oleum hoc sæpe fidum expertus sum.

℞. *Vitrioli veneris, aut viridis aeris calcinati* ℔iß. *cranii hum. ungul. Alcis āā.* ʒij. *visci qu. sem. paeon. mar. āā.* ʒj. *cum spir. vini rectificatiss.* ℔ij. *digere in retorta, & destilla s. a.* Ingratissimum est hoc oleum odore & sapore, sed miræ efficaciæ si cũ aqua cõvenienti sumatur. *H. ab Heers obs. 18.*

Spiritus vitrioli Antepilepticus Hartmanni potentissime miasmata morbifica per diaphoresim sensibiliter & insensibiliter expellit; Ejus mirabiles virtutes in Caduco & aliis capitis affectibus multoties expertus sum. *Frid. Hofmannus m. m. p. 144.*

℞. *phlegmatis vel spir. vitr. viridi q. v. cap. mortuum vitr. rub. q. pl. cranii hum. q. v. destilla lento igne per alembicum* vel retortam, quater. 5. 6. cohobando; Sic *sal volatile cranii & vitrioli* simul ascendit: Vires antepilepticas habet insignes, *Dosis à gtt. vj. ad* ℈ß. in jusculo, additis gtt. aliquot *salis volat. cornu cervi, Rolfincius Epit. Cur. l. 2. p. 1. cap. 15.*

Inter cætera quæ hunc morbum curare possunt est *Spir. vitrioli extractus* cum *sem. paeon. visco qu. & pyrethro.* Et profecto hoc medicam. rite præparatum in hoc morbo, & multis aliis magnam vim habet. Dosis ad gtt. iv. in *aqu. paeon.* aut melissæ *Roder. a Fonseca T. 1. consf. 15.*

64. *Vitriolum*) Pilulæ ex *sale vitrioli* valde laudantur, *Johann. Agricola in Poppium pag. 465. Spiritus* vel *oleo vitrioli* usus insignis est. *Idem pag. 494.* Experimentum optimum est *spir. vitrioli viridis.* Idem *p. 486.* ubi præparatio.

Insigne Epilepticum hoc est.

℞. *Cinnab. antim.* ℥iiij. affunde *spiritum vitrioli*, primum stet in digestione per 14. dies, & fiet instar auri, hunc destilla igne forti per retortam; & prodibit spiritus elegans quem serva, Tunc.

℞. *rad. angel. pyreth. paeon. āā.* ℥j *flor. anthos, stach. lavend. lilior. convall. āā.* ℥j. *h. majoran. scordii āā. m. j. ras. cornu alcis, cranii hum. castor. āā.* ʒiß. *visci qu.* ℥iß. *diamosch. d.* ℥ß. *misce, affunde spir. vini optimi, ad* iv. digitorum eminentiam, Digerantur vase clauso in Balneo vaporoso, ut spiritus vini instar sanguinis rubescat, Effunde hunc per inclinationem, abstrahe per Balneum ad mellaginem usque, hunc pondera, si fuerit ℥vj. adde *spirit. vitrioli* superioris ℥ij. digere in Balneo vaporoso per mensem, serva, Dosis dr. 4. vel dr. ij. cum aqua lavendulæ vel Pæoniæ. *Idem p. 491.*

Chalcanthini olei gutta v. in jusculo mane sumptæ per multos dies, plurimos ab hoc morbo liberant, *Ioh. Crato Lib. singul. obs. 38.*

Spiritus viridis vitrioli. ℞. *vitr. Rom. vel Hungar* ℔v. distilla ex phiola vitrea per alembicum, Liquor colligatur & cohobetur super capitis mortui residui ℔j. quater? Antepilepticum est insigne Dosis ad ℈j. *in aqua til. conr.* cum vino parata. *Gu. Rolfincius Epit. l. 1. pag. 1. c. 15.*

65. *Infusionem florum Antimonii*) *Poterius* Cur. c. 42. cent. 2. gloriatur se stibio calcinato ter exhibito puellam xi. annorum ab Epilepsia hæreditaria liberasse. De vomitione vide supra § *Purgetur.*)

66. *Antimonii*) *Acetum antimonii* cum *aqua ceras. nigr.* in momento Epilepsiam tollit. *Ioh. Agricola in Poppium pag. 769. Flores Antimonii diaphor.* egregie prosunt. *Idem p. 163.* ubi præparatio.

67. *Eadem sudorificis*) Si methodus catharticorum & specificorum usu constans, aliquandiu tentata prorsus incassum cedit, ad alius generis remedia, & præsertim ad illa quæ *Magna* dicuntur devenire oportebit. In hoc censu *Diaphoretica, Salivantia, Therma & Acidula* ponuntur, *Alphonsus Ferrus* plurimos epilepticos simpl. *Guajaci decocto* bis in die ad ℥vj. vel viij præscripto, e[t] usque decocto secundario, vice potus ordinarii (prout [illegible] Venerea assolet) assumpto se curasse affirmat, Si tali decocto *rad paeon.* aliaque specifica addantur; forsan efficacior fuerit: Probabile videtur *Salivationem à Mercurio* potenter excitatam, Succedente postea D[i]æta sud[ori]fera, hunc morbum certissime esse curaturam. Q[uid] *Therma* aut *Acidula* possint, aut propria aut alior[um ex]perientia, mihi nondum innotuit: *Willis.* Sud[orifera] & Diuretica, nullum per se usum afferunt Epilepsiæ, ni simul sint figentia humorem acidum volatilem; & tunc non expellendo sed alterando id præstant & conducunt. *Fr. Sylvius.*

Eadem Sudorificis) Observandum quod si *ex fomite in humoribus a nativa crasi degenerantibus*, non adeo exacte à priori cognito oriantur Convulsiones, pro istis emendandis *Diæta sudorifera ex decoctis lignorum* observantur proficuæ: Commode his decoctis lignorum *visci in corylinus, quercinus, tiliaceus* ac similes tanquam appropriatu addi possunt: Sed bene prius præmissa debent esse *universalia*, ac primas vias evacuantia: Certe usu continuato, & evocato pro virium ratione sudore multum valent in quibusvis affectibus chronicis decocta ista lignorũ sudorifica; Alterant simul humorũ dy[s]crasiã, & successive vitiosum quod est evacuant. *Ettmuller.*

68. *In Cerebro residua per Errhina*) In Epil[ep]sia, ut & vertigine, Errhina sunt optima, roborando & discutiendo; volatilia, odorifera, balsamica; Sed cum, juxta vetus dictum non ineptum, Sternutatio sit parva Epilepsia, caute mercandum est eo casu cum Sternutatoriis; In praxi nostra non facile præscripsimus Ptarmica epilepticis, ast errhina sæpissime; Imo & vulgus hanc in rem *allium* confrictum naribus admovet solenniter; hæc vertiginosis quoque, quibus balsama apoplectica magis prosunt, *Wedelius.*

69. *Errhina, Apophlegmatisantia*) Sternutatoria & apophlegmatismi horis matutinis quotidiano sint in usu.

℞. *Ellebori albi dr. j. castor. euphorb. āā.* ʒß. *majoran. odorata fol. rutæ,* āā. ʒij. *f. Pulvis.*

Decoctum salv. vel hyssopi cum conf. sinapeos in eo soluta ore & gutture obvolvatur. *Willis.*

Inter *Errhina* eximium, nunquam satis deprædicandum, *spir. salis armon.* inprimis *vinosus* & penetrantior & efficacior. Soliti etiam sumus quandoque addere *olear. rutæ, salv. succini, gutt. j. vel ij* & parum aquæ apopl. vel *essen. castor* insigni cum effectu. *Wedelius.*

Valent *Errhina*, naribus indita E. g.

℞. *succor. rutæ, cyclam āā* ʒij. *succi paeon.* ʒj. *castor. fellis āā.* ʒß *mell.* ʒj. *sanstar Linimentu. pro naribus*, Sed ex[illegible] oa extra paroxysmum existente ægro, per vice[s u]surpata, si caput pituita refertum sit utili[ter n]unquam præstabunt, uti & *Excreatio* eodem nomine sæpe [illegible]e facta competet, quæ *mauso pipere*, ut do[ce]t *Diosco*r. hic ut [illegible] promovetur; Vel aliis *Apophlegmatismis*, ut mast[ican]do sequentes *Formulas.*

℞. *Ma-*

℞. mastich. ʒß. rad. pyreth. ʒiij. cubeb. sem. sinapi ana ʒj. rad. paon. nuc. mosch. ana ʒß. f. Pulvis cera excipiendus, & ... masticatoria.

Acori radicem conditam diu masticatam plurimum commendant. *Platerus.*

70. *Quin Setacea & fonticulos*) Post usum Empl. epispastici vesicatorium etiam sincipiti admovendum, & Cauterium posteriori parti cervicis: At Setaceum efficacius humores extrahit à Cerebro: refertque *Fabritius Hild.* se juvenem quotidie Epilepsia laborantem, & cui frustra alia remedia adhibita fuerunt, Et puellam 8. annorum, ab ipsa infantia Epilepticam solo setaceo restituisse. *Riverius.*

71. *Cerebrum roboretur*) Ad id efficacissima est hæc Opiata, morbum radicitus tollens, post diligentem corporis purgationem, ℞. *Conserv. flor. beton & rorisinar.* ana ℥iiß. rad. eryng. condit. & mithridat. ana ℥j. pulv. ligni Sassafras ʒvj. castor. ʒj. cran. hum. non humati, ungu. alces ana ʒij. rad & sem. pœoniæ sem nigellæ, rutæ sylv. & rad. pyreth. ana ʒj. oxymel. q. s. F. Opiata, dozis ʒij. vel iij.

Omnes efficacia superat Opiata *Montagnana*, cujus beneficio multi liberati, ℞. *rad. pœon. mar.* stoechad. consl. aa. ... ʒv. pyreth. carvi, sem. anethi, asæ fœt. & aristol. rotundæ aa ʒ ß. succi scillæ & mellis electi aa lbj. & dr. q. scilla & mel simul coqu. lento igne ad bonam consistentiam, deinde superadditis speciebus f. Electuar. de quo capiat æger ʒij. ʒiij. vel iv. pro ætatis ratione, continuando per 20. aut 30. *dies.* Riverius.

72. *Diæta servetur*) Ad quam pertinet *Aër*, cujus & loci mutatio multum ad sanitatem confert, quam præcipit Coüs in Epilepsia & aliis morbis chronicis: Novimus Epilepsiam tum in aliis, tum in Nob. Virgine, alias minus perfecte curabilem, mutatione loci conquievisse magis. *Wedelius.*

73. *Omnibus capiti appropriata, & Epilepsiæ specifice resistentia*) Pleraque Antepileptica dicta, & aliquando saltem in Epilepsia curanda utilia reperta confirmant meam de illius generatione, ipsiusque causarum concatenatione opinionem, & hinc deductam remedii Epileptici veram & requisitam qualitatem: Causam enim Epilepsiæ statui *spiritum acidum*, eumque *volatilem*, spiritus animales dispescentem & conturbantem; Remedium autem ipsi futurum, *salem lixiviosum*, vel fixum, *vel volatilem* quidem, ast simul fixantem, atque alterutrum observari in plerisque antepilepticis medic.

Hoc ut demonstrem percurram celebratissima.

1. Est *Ruta & hortensis, & sylvestris*, sale volatili, acri & mordaci prædita, hincque convenienti spiritus acidi correctorio turgens.

2. *Polium montanum*, volatili sale abundans.

3. *Paonia radix & semen*, etsi hactenus nihil grandis viderim præstitum.

4. *Valeriana sylv.* radix & *Doronici*, sale volatili abundant.

5. *Lilior. conv.* & *Tiliæ* flores, spiritu & sale volatili turgentes.

6. *Squilla*, cujus acetum & oxymel infantibus profuit, & acrimonia salem suum volatilem prodit.

7. *Viscum quern. tilia & corylinum*; eadem vi prædita.

8. Inter ligna commendatur *corylinum*, Heraclei nomine à *Rulando* tectum, quorum destillatum oleum, sale volatili abundat.

9. *Tartarum*, cujus spiritus merito commendatur, licet longe superet is qui ex eius sale paratur.

10. Ex animalibus petita specifica, inter quæ *Spiritus & sal volatile cranii* humani.

10. Cui proxime accedit *Spiritus & sal volatile Cornu. cervini.*

11. *Vngula Alcis.*

12. Quibus adde *Coagulum Leporis*, *stercus Pavonis*, *Apri vesicam, cum urina* in furno siccatam, imo integræ *Hirundines & Picas* &c. in quibus omnibus Sal figens occurrit copiosum.

13. *Castoreum* excellens in omnibus capitis affectibus remedium, sale volatili turgidum.

14. *Corallium*, sale fixo & fixante constans.

15. *Succinum*, & sale suo volatili, & oleo celebratissimũ & utile, ut & fumo in ipso paroxysmo. Laudantur & *pretiosi lapides, Iaspis, Smaragdus*, & *Chelidonius*, quos omnes sale abundare norunt Chymici: Claudat phalangem *Cinnabaris nativa*, *Cratoni* Epilepsiæ magnes vocata, & merito cujus acidum spiritum figendi nota est vis. Hine Auditoribus meis, expertus loquor, unice commendo, ut, *undecunque parata medicamenta quærant sale figente, atque imprimis volatili quoque constantia*, & tunc optima quævis in Epilepsiæ cura sibi spondeant.

Atq; in hoc unico primariam Epilepsiæ curandæ partem consistere certo sibi persuadeant. *Fr. Sylvius* l. 2. cap. 10. §. 114. & seqq. Præ cæteris autem Medicamentis omnibus Epil. curare aptis sunt *Salia lixiviosa figentia*, & præsertim ad *volatilitatem deducta*, quo citius & penitius jungantur spiritui acido, itidem volatili, Epilepsiam pariente. *Idem* §. 160.

73. *Omnibus capiti appropriata*) Sic catharticis idoneis ea quæ peculiari vi Epilepsiæ resistunt adjicimus; quæque nervoso generi appropriata sunt, Inter quæ *paoniæ succus*, affatim sumptus alvum quoque subducit; & quæ materiam, si præparatione opus habeat, simul præparant, erunt permiscenda, Sed & quæ *menses, hæmorrhoidesque* aperiunt, si hæc retenta fuerint, iisdem commixta, quia facultas expultrix tunc variis modis impellitur, ut facilius provocentur procurant. *Platerus.*

74. *Specifice resistentia*) Post purgationem præcipue commendo ut ægro initio *pulvis ossium hum. ad* ʒj. in *aqua paon.* mane frequenter detur, *Mercurialis* consl. 72. T. 1.

Muris domestico vivo detrahatur cutis, & capite, cauda, pedibus & intestinis abjectis truncus reliquus in lumina ferrea exuratur, de Pulvere pauxillum quotidie detur ex aqua *flor. tiliæ H. Reusnerus obs.* 52.

Inter multa alia commendatur *Pulvis secundinæ Fr. Deckers ad Pr. Barbette l. 1. c. 1.*

Epilepsia sæpius remedio arcano curata ab avo meo *Petro Gassero*, *succo* nimirum *aquilegiæ* cum *succi verm. terr.* æquis portionibus ad ℥j. diebus xl. continuis dato. *Achilles Gasserus obs.* 45.

Multi multa præscribunt, Sed ego nihil *carduo & millefolio* efficacius reperi. *Crato Consl. 4. lib. 1.*

Epilepsiam experimento certissimo viduæ cujusdam curati per *pulverem ex ovis coturnicum* factum testatur Illustr. quædam Domina, Exsiccentur paulatim ova ut in pulverem terri possint. De hoc datur pro dozi ʒß. ad ℈ii. *Volf. Hœferus H. M. l. 1. c. 2.*

Spiritus è sanguine seu stercore leonis exstirpando morbo Herculeo est fortissimus à gtt. v. ad ℈j. fracto paroxysmo, vel ad præservationem propinetur insequente sudore per horam. *Frider. Hofmannus m. m. p.* 159.

Hyperici mun. sanguis die D. Johannis collectus specifice prodest. *Idem p.* 282.

Magisterium spinarum viperarum maximi effectus est. *Idem.*

Dentes sub linguæ ranulis Trattarum in aqua tiliæ propinati specificum sunt. *Idem.*

Præstantissimum remedium judicatur ʒj. *coaguli leporis*, cui *moschi gr.* iij sint admixta, cum aqua lavendulæ exhibenda, *Fr. Joel. Tomo* 1. p. 81.

74. *Specifice resistentia*) Mirum est qua ratione formali aut agendi virtute in hoc morbo uspiam juvare solent; Super hac re intricata satis & obscura, si quis conjecturæ locus sit, cum *Epilepsiæ procatarxin in copula heterogenea spiritibus* cerebri incolis *accrescente*, eosque ad

explosiones preternaturales incitâte consistere censeam, sequetur ea quę talé causam expugnant, aut tollunt, ejus esse naturæ, ut *cerebrum corroborando*, ejusque *poros constringendo*, copulam istam excludant, spiritusque intra cerebri meditullium scatentes, eorum copulam exuendo, ita figant & quasi constipent, ut non amplius in explosiones irregulares apti & proclives fuerint; similis forsan ritu ac cum pulvis χρυσοχλωρικός, cum sulphure tritus, aut spiritu vitrioli irroratus, virtutem suam fulminantem amittit; Et revera hujusmodi proprietates, nempe alteram aut simul utramque in plerisque remediis antiepilepticis suspicari, imo aliquatenus detegere licebit, enim vero *pæonia*, *viscum qu. ruta*, *lil. convall.* cum multis aliis, manifesta adstrictione pollent, ut verisimile sit eorum particulas intus sumptas, adeoque sanguinis, aut succi nervosi vehiculo ad cerebrum delatas, poros ejus nimis laxos & apertos ita constringere & occludere, ut in posterum materiæ morbificæ aditui minime patescant; Porro quoniam hæc concreta anathymiasin quasi armoniacam, sive dissipativam spirant, idcirco eadem spiritus animales depurare, & copula heterogenea exutos figere & corroborare dicuntur: Hæc virtus spirituum depurativa, à sale armoniaco procedens, in remediis quæ ex animalium & mineralium familiis petuntur, qualia sunt *cranii hum. sanguinis, succini & corallii præparata*; magis elucescit; sicut alia adstrictiona in vegetabilium partibus & præparatis potior existit. *Willis.*

74. *Specifico resistentia*) Experientia comprobatum est pridie D. Johannes sub radicibus *Artemisiæ* evulsæ carbones reperiri, quorum ʒj. pulver. cum aqua *flor. til. aut lil. conv.* ebibenda offeratur, protinus ægrum liberatum iri, *Fr. Joel. T. 1. pag. 81.*

Sæpe potetur *Decoctum verbenæ*, Sole in Leone, & Luna in Sagittario existente collecta. *Cnør. Cons. ad. Med. doct. pag. 742.*

Vt sunt) In diebus quibus à purgatione vacat, præsertim circa Lunationum tempora, mane & vesperi exhibeantur *remedia specifica*, quæ virtute quadam secreta & innata hunc morbum curare dicuntur, horum immensa extat sylva, eaque variis compositionum formulis præscribuntur, Medicamenta simplicissima, quæque experientia valde efficacia fuisse comprobavit sunt radix *Pæonia maris & fœmina ejusdem.*

℞. *rad. Paon. m. siccat. & pulv.* ʒj. *ad* ʒij. *vel* iij. *detur* bis in die in Tinctura sequ.

℞. *fol. visci querc.* ℥ij. *rad paon. incis.* ℥ß. *castor.* ʒj. *ponantur in vase clauso cum aqua beton. vel paon. simpl. & vini albi ãã.* ℔j. *salis visci quern. vel comm.* ʒij. *digerantur in vaso clauso calore arenæ per duos dies, capiat* ℥iv. *cum dosi pulv. præscripti.*

Pauperes sumant Pulverem præscriptum in *decocto hyssopi* aut *castor. in aqua font. & vino albo facto.*

Eodem tempore *rad. Paon.* in taleolas discissa, & filo transfixa collo suspendatur: Etiam radices sartagine frixæ, aut ad teneritudinem coctæ inter esculenta quotidie assumantur.

℞. *rad. & semin. paon. mar. ãã.* ʒij. *visci qu. ungul. alcis ãã.* ʒj. *incisa & contusa, in sindonem raram infundantur, f. sacculumque super ventriculi scrobem gestetur.*

Inter Specifica hic Pulvis à multis authoribus valde commendatur.

℞. *Castor. opopan. sangu. drac. antimon. sem. paon. ãã. m. f. Pulvis, sumatur* ʒß. *ad* ʒj. *omni mane cum vino*, aut *decocto appropriato, aut cum aqua ceras. nigr.*

℞. *Cran hum. prap.* ℥j. *visci qu. cinnab. factit. ung. alcis ãã.* ℥ß. *misce, doxis* ʒß *ad* ʒj.

Si formula *Pulveris* cuipiã ingrata sit, fiãt Electuaria &c

℞. *conserv. flor. paon. mar. liliorum conv. ãã.* ℥ij. *semin. & rad. paon. mar. pulver. ãã* ʒij. *corall. ppr.* ʒj. *margar. pulv. cran. hum. ppr. ãã.* ℈ij. *sal. visci quarc.* ʒß. *cum s. q. syr. Corall. f. Elect. capiat mane & vesp. quant. nucis mosch.*

℞. *rad. paon. mar. pulv.* ℥j. *sem. ejusd.* ℥ß. *visci qu. ungul. alcis, cran. hum prap. ãã.* ʒij. *rad. angel. contrayerva. serpentar. virgin. ãã.* ʒj. *succini albiss. corall. calcin. ãã.* ʒj. *salis visci comm.* ʒij. *sacch. cand. in s. q. aqua antipil. Langii sol.* ℥viii. *f. Confectio, capiat bis in die qu. nuc mosch.*

Pulveres isti, addito *sale succini & c. c. cum s. q. balsami Copivæ formentur in massam Pilul.* cujus sumantur tres vel iv. Pilulæ iii. & v. superbibendo haustum liquoris idonei.

℞. *Vitriol. Hung.* ℔vi. *distill. in retorta vitrea ignea arena per horas 24. deinde retorta eadem loricata cum recipiente amplo ponatur in furno reverberii, ut spiritus acidi igne fortissimo, quousque exibunt, urgeantur, & in matrasio rad. paon. m. in taleolas sciss. & exsicc.* ℥iv. *sem. ejusdem.* ℥j. *cran. hum. prapar. ung. alc. corall. rub. ãã.* ℥ß. *visci qu.* ʒii. *digerantur leni calore per plures dies ad tincturæ extractionem, Liquor decantatus evocetur in retorta vitrea ad tertiæ partis remanentiam exstillatus seorsim asservetur:* R[illegible]manentiæ *illi affunde spir. vini rectificatiss. & eorundem ingredient. infusione impragnati parem quant. & digerantur per 6. dies f. Elixir, cujus doxis* ℈ß *ad* ℈j. *bis in die in cochleari julep. appropriati, superbibendo parum ejusdem.*

Vel paretur *Oleum ex sale vener. juxta præscriptum Hab Heers* & exhibeatur modo descripto.

Inter specifica, quæ etiam tentari debent, si superiora non fuerint proficua, habentur *ranarum hepata, vesica apri cum urina exsiccata, rad bryon pulv. cucul. corvor. coagul. & pulmo lepor. hepar lupi, lapilli hirund. exempti, milvi jecur, ova corvor, inter alimenta & medicamenta* quotidie *assumenda &c. Willis.*

In sulphure vegetabili ex *lycopodio*, seu *musco terrestri clavellato*, nobile est antepilepticum, præsertim pro infantibus Nobilius tamen est *sulphur* simile ex *julis corylı*. *Carbo artemisiæ rubræ* isto Iohannis die sub *artemisia* effossus mire in Epilepsia valet, uti per experientiam probat *Petrani Dissert. harm. l. 1. p. 85.* Novi mulierem quæ hujusmodi carbonibus curavit aliquot pueros epil[illegible]pticos: Quoad *Regnum minerale* primatum obtinent *sulphura Antimonii* fixa præ aliis decantata, quippe quæ de natura Solari participant: Eminet hic *Cinnabaris antimonii*, hujus defectu *Cinnabaris nativa* selectior, quæ vocari solet magnes Epilepsiæ, ob insignes vires: Pertinet huc *sulphur subtilem & fixum ex scoriis reguli antimon.* ultimo artificiose præcipitatum, quod egregias habet virtutes anodyno epilepticas; Iuxta *fixa antimonialia*, *Vitriolum* optimum est remedium, authore *Paracelso*, qui *spiritum vitrioli volatilem*, ceu appropriatum contra Epilepsiam remedium commendat: Ex hoc *spiritu vitrioli volatili*, *spir. tartari volatili*, & *spiritu theriacali camphorato* paratur alias à *Paracelso*, *specificum in peracutis*, communiter *mistura simplex*, sed non *vulgaris* ista, spiritibus nu[illegible]ux pretii adulterata; Pro *spiritu vitrioli veri* & simplici substitui possunt *volatilizationes vitrioli* beneficio *urinæ humanæ*, aut beneficio *spirituum vegetabilium* volatilium: Quoad *Vrinam humanam*, notus est *spiritus vitrioli volatilis*, *antepilepticus Hartmanni*, seu potius *Quercetani*. Vide *Schrodenum* l. 3. c. 26. p. 490.

Succinum egregium antepilepticum, *Crystallus montanus* præparatus in Epilepsia per consensum abdominis, ubi opus est forti penetrantioris acidi absorptione, multum præstat. *Etmuller.*

Arcani loco, ut & in Convulsionibus haberi potest *secundina hum.* in umbra *exsiccata*, ejusque pulvis à ℈ii. *ad* ʒi sumptus cum liquore aliquo, sed prima vice levem aliquam excitat nauseam *Craanen.*

75. *Pæonia maris*) Quæ debito tempore collecta, jam à *Galeno* tempore commendata est, an *rad. pulvis* quam *semen. nigr. pæoniæ* interno usu laudata Tanqua[illegible] amuletum radix appensa, mire ad præcavendam ep[illegible]psiam laudatur à *Foresto*, *l. 10. observ. 59. Bartholino centur. 4. histor.* 69. Re-

69. *Riverio in obs. comm.*

75. *Radix paonia &c.* Aliquis pro secreto habuit *femina paonia*, liquore aliquo digestione in fimo equino extracta, Horum essentia ita parata egregia præstant. *Craanen.*

76. *In Julio Luna decrescente*) Quoad tempus collectionis incerti sunt authores, Optimum videtur ut colligatur Sole in Leonem ingrediente, tempore meridiei, Amicus retulit se aliquoties *rad. paon. maris* effossa die Julij 22. intra horam 11. & 12. amuleti instar appensa aliquoties curasse Epilepsiam, tunc enim temporis ordinatio Sol Leonem ingreditur. *Etmuller.*

77. *Ungula alces*) Notum est quod contra Epilepsiam commendetur, experimentis jam à multis annis confirmatis, nec solum *interne*. sed & externe pro usu amuletico, dum solo contactu Epilepticos restituit, quod à *L. Lemnio* historia confirmatur. *Quæritur, Qua ratione vim Epilepticam exerat?* ℞. Non tantum ob vim absorbendi acidum, sed & aliam secretiorem causam, *Alces* nimirum bestia est admodum meticulosa, & à strepitu etiam orbonis in fugam pellitur; Hic metus in totum corpus transfertur, inprimis in ungulas & quidem posteriores, unde vis hæc dependet: Illud autem falsum est quod epilepsia tactum aurem ungula scalpat: Cæterum *cornu Alces* præparari potest spagyrice, ut c.c. imo *spiritum & sal volat.* antepilept. suggerit. *Etmuller comm. Schrod. pag.* 222.

78. *Viscum quernus*) *Viscus quercinus*, hine *tiliaceus* est, & omnium optimus *corylinus*, nobilissima sunt remedia contra Epilepsiam contumacem, seu habitualem inveteratam, præmissis præmittendis, præsertim vomitoriis multum conferunt, dosis ʒß. Sed observandum hujusmodi viscos reperitu usu figere & concentrare fermentum Epilepticum in sua quasi minera, unde facile fieri potest ut alii morbi, præsertim febres acutæ exinde supervenient; quippe post eorum usum subjungenda sunt subinde purgantia, ne quid remaneat quod alios morbos inferre queat, *Viscus Corylinus* iste mense martio collectus, decrescente Luna amuleti instar contra Epilepsiam laudatur *Etmuller.*

78. *Viscus quernus*) Nobiliss. Domina Epilepsia pene hæreditaria afflicta, irritis omnibus remediis, tandem solo pulvere veri *visci* querni ad ʒj. quantitatem in aqua *ceras. nigr.* vel cerevisia singulis matutinis per dies aliquot circa plenilunium exhibito sanitatem obtinuit. Licet nullam habuerit medicamentum sensibilem operationem, tamen post primum diem nisi unum paroxysmum passa est. *Rob. Boyle Tr. de util. Sc. Nat. p. 2. sect. 5. cap. 7.*

• Retulit *Jacchinus* se semel ea ratione qua *ligno guajaco* usum per dies XL. sed profuisse quidem, non tamen morbum sustulisse. J. *Cæsar Barscelius. H. Gen.*

79. *Aqua hirundinum*) Facta universali totius, & particulari capitis expiatione, laudo Aquam stillat. hunc in modum paratam.

℞. *sex paria hirundin.* & totidem *picarum* lanugine tectarum, *rad. paon. maris*, luna decrescente sub signo leonis collectarum, *ligni visci qu. buxi raspati ãã.* ℥iij. *sassafras incisi* ℥j. *flor. lilior. conv. flor. hyper. tilia arbor. primulu ver. rorismar. ãã. p.* ij. Incidantur pullicum visceribus & lanugine, contundantur radices, imponantur in vase vitreo affundendo *succi cerasor. nigr. ruta capr. acetosa, limon. aceti scyll. ãã.* ℥uij. *vini albi generosi* ℔ij. macerentur triduum in B. M. additis flor. prædictis in macerationem, factaque forti expressione & colatura distillentur, servetur Aqua, cujus dosis singulis matutinis erit ad ℥iij. cum tribus guttis *olei buxi & spir. salis*, præmisso sequenti Bolo.

℞. *terebint. Cypr.* lotæ *in aqua lavend. castor. ãã.* ℈iß. *semin. paon. pulver. cardam. cranis hum. ãã.* ʒiß. *ungula alces pulv.* ℈ij. *cum oxym. scyll.* f. Boli quorum quotidie sumat duos: *Ben. Silvaticus consil. 47. cent.* 1.

80. *Cerasorum*) Infinitis experimentis *Cerasorum aquam* in succurrendis Epilepticis comprobari reperio: propterea à *Joh. Agricola, in lib. Herbar.* maxime etiam extollitur.

80. *Aq. Cerasor. nigr. dulc. tilia*) Valet etiam *Lilium conv.* ejusque *spiritus*: Jubet autem *Lindanus* recipere hujus flores bene maturos ante Solis ortum, quando rore Majali adhuc madent, cum in hoc rore singularis vis lateat: hinc protinus atque collecti fuerint abscindendi à pediculis, & immittendi in lagenam, quæ bene claudatur, deinde ita destilentur, & qui ex una parte florum destillat spir. iterum novis *flor.* infundatur & destilletur: Hoc sæpius repeti debet, & egregium habebis spiritum antepilepticum. *Etmuller.*

81. *Liquor antepilepticus*) Quandoquidem medicamenta solidiora liquidis interdum dilui, aut hæc illis superbibi debent, in hanc rem præ parentur *Aqua destillata, Julepia, Decocta* aut *Tinctura*, quæ virtute quadam contra hunc morbum specifica prædita sunt *Aqua destillata.*

℞. *Vitriol. Hungar.* ℔iv. *cranii hum. rec. pulv.* ℥iv. *rad. paon. incis.* ℥vj. *simul contusis in mortario affunde vini Hispan. vel albi tenuior. vel vini è succo ceras. nigr. in doliolo fermentato* ℔ij. destillentur in retorta *vitrea calore arena.*

Vel

℞. *rasur. ligni buxi, vitriol. Hungar. ãã.* ℔ij. *fol. visci qu. vel comm. m.* iij. *simul contusis affunde vini Hispan.* ℔iv. *destillentur in Cucurbita vitrea calore arena.*

Julapia, ℞. *Vitriol. Rom.* ℔vj. *rad. paon. mar.* ℥vj. *visci qu.* ℥j. *jugland. virid.* ℥viij. *incisa & contusa destillentur in olea vitreata, alembico vitreo superimposito in calore arena.*

℞. *hujus liquoris* ℔j. *aq. ceras. nigr. flor. tilia ãã.* ℔ß. *sacch. albiss.* ℥iv. *m. f. julapium, dosis* ℥ij. *vel* iij. *bis terve in die.*

Oxymel scillit. item hydromel cum hyssopo incocto ab antiquis plurimum laudatur; Vel hujusmodi *Apozema* paretur, cujus sumantur ℥iv. ad vi. vel viii. bis in die.

℞. *rad. paon. mar. angelic. imperat. valeriana ãã.* ℥vi. *fol. beton. salv. lib. conv. pulег. ãã. m.* j. *sem. ruta, nigella ãã.* ʒiii. *paon* ℥ß. *passular.* ℥iij. *liquir.* ℥ß. *incisa & contusa coq. in aq. font.* ℔vj. *ad tertia partis consumptionem, circa finem adde vini cerasor. nigr.* ℔ß. *vel* ℥x *f. Colatura qua servetur in vasis occlusis Dosis* ℥vi. *ad* ℥viii. *bis in die, post remedia superius dicta.*

Vel prædicta ingredientia, *exceptis liquiritia & passulis, coquantur in hydromel.* ℔vi. *ad consumptionem* tertiæ partis: Dosis ℥iv. ad ℥vi. *Willis.*

81. *Liquor antepilepticus*) Certissimum hoc est experimentum.

℞. *spir. vitrioli*, affunde *super corallor. prap.* ℥ß. *pulv. rad. paon.* ʒj stent in leni calore 3. vel 4. dies, & corallia fient alba & instar massæ, stet adhuc aliquot diebus, & subsidebit materia crassa, & supernatabit *Liquor*, Hujus ℞ *cochl.* j. adde vj. vel vii. *cochl. aq. paon. salis verbena* ʒß. M, da ægro ter vel quater statim post paroxysmum, & Epilepsia nunquam revertetur, *Cunrath. Med. dest. pagina* 338.

82. *Liquor antepilepticus*) Utilissimum remedium hoc est.

℞. *spir. Guajaci*, sumatur cum *decocto verbena in cerevisia facto*, cum aliquot guttulis *sp. vitr.* sæpe repetatur. *Cunradus Kunrad. med. Destill. p.* 202.

82. *Oleum succini albi*) Oleo ligni *Heraclei*, à *Rulando* tantopere celebrato, nullo modo cedit, aut forte præstantius est *Oleum succini albi*, à perito, artifice extractum, quod nullum empyreuma redolet, imo fragrantissimum odorem expirat. Dosis est à ℈ß. ad ℈j. *Riverius.*

Oleum Buxi ad gutt. iv. cum pari quantitate spiritus sulphuris, & *aqua flor. tilia arboris* ℥iiij. per aliquot dies exhibitum insignis est efficaciæ, & à multis creditur

verum *ligni heraclei oleum*, & per descensum elicitur. *Idem.* Multa in *corylo* latent, unde etiam Oleum famosum *heraclinum Rulandi*, ex hoc ipso destillandum: Nihilominus vix cedit Corylo *lignum Buxi*, adeo ut *Oleum Buxi* habeatur succedaneum olei heraclini, quod etiam in defectu ejus commode substitui potest, si ad gutt. x. in *aqua flor. tiliæ* ad aliquot dies propinetur, *Etmuller.*

81. *Succini*) Succinum egregium antepilepticum & convulsionis remedium, cujus *sal volatile* admodum potens in curandis cõvulsionibus, febrib⁹ malignis in specie supervenientibus: Hinc *liquor c. c. succinatus*, aut *sal volatile succini*, cum *spiritu sanguinis humani* mistum, eadem methodo, sunt compositiones egregiæ antepilepticæ, quibus interdum *camphora* additur, quæ figit quodammodo spiritus animales, & ad motum animalem reducit eosdem; Unde & *camphora* vim somniferam obtinet. *Etmuller.*

83. *Succini*) *Essentia succini* cum aqua aliqua Epileptica mista singulare est arcanum. *Conr. Kunrad. Med. destill. p. 202.*

84. *Pulvis*) Efficacissimus & experientia comprobatu, tum ad præservationem, tum ad liberationem à paroxysmo sequens.

℞. *cinsber. artemis. rub. ãã.* 3j. *sem. paon.* ℈ij. *visci qu. crani hum. ãã.* ℈iiij. *corall. r. prap. cornu monoc. ver. ãã* ℈j. *moschi*, ℈ß. *marg. prap.* ℈ß. f. Pulvis, Dosis 31. cum *aqua lavend.* in plenilunio vel tempore quo paroxysmus recurrere solet. *Fr. Joel T. 1. p. 92.*

85. *Extra*) Ex *flor. narcissi* destillatur *aqua* mirabilis, præsens remedium Epilepsiæ, si ea nucha & caput totum abluitur: Sed ad id multo efficacius est *Oleum*, quod cum aqua ex floribus exit, artificio Chymico. *P. Lauremberg. d. Plant. l. 11. c. 18.*

Spina dorsi Oleo lacertarum si illinatur, prodest, vel aliis nervos roborantibus. Hoc & cervicis regioni simul applicatum proderit.

℞. *Theriac. vel Mithrid.* ʒß. *rad paon. ruta, folior. contus. ãã* 3ij. *subigantur cum aceto.* Cordis regioni & pulsibus id in Empl. potest admoveri. *Platerus.*

Extra cuicumque Emplastro ape… nti & discutienti, addatur aliquid *moschi* & *pulveres* … qui deobstruentes: Tale Emplastrum ad umbilicum applicatum maxime prodest. *Craanen.*

85. *Extra*) Convenit nonnullis capillitio deraso Emplastrum sincipiti applicari.

℞. *rad. & semin. paon. castor. visc. qu. crani hum. tenuissime pulver. ãã.* 3j. *Empl. de beton.* ℥ij. *caran. tac mah. ãã.* 3ij. *Bals. Copiva q. S. f. massa*, *extendatur super alutam, f. Empl. pro sutura capitis.*

Tempora & nares sæpius inungantur oleo succini per se vel cum *oleo Copiva* admixto. *Vilés.*

85. *Extra*) In *Cyprum* calvariæ vertice quoddam reperitur ossiculum triangulare, lapidis in… quod … curanda Epil. principem locum obtinere … tanta enim efficacia Epilepticis subvenit, ut morbus is nunquam revertatur. Hoc ubi suturæ in vertice … committuntur intus subsistit; propterea si … scalpello penetratur, statim foras prosilit: *Andernacus* … culum nummi germanici cruciferi appel… magnitudine existere prodidit.

86. *Amuletum*) Periapta collo suspensa … aut super ventriculi scrobem gestata, … esse putantur … *dices paonia* recentes in taleolas scissæ & filo transfix…, in bracteolas formentur, quæ toti collo circum…tur, quamprimum exaruerint substituantur novæ, … que in pulverem intus sumendum redigantur

℞. *rad. & semin. paon. ãã.* 3j. *ung. alcis, cran. hom. pr. ãã.* ℈j. *visci qu.* ʒß. *grosse pulver. in sericum in … insuantur, & fiat sacculus* collo suspendendus. *W…*

Pili canis albi nullam maculam hab…, collo suspensi prosunt, *Dom. Leo Art. Med.* … *c. 14.*

87. *Amuletum ex frutice Sambuci* … vide *Hartmannum in Praxi cap. xi.* Egregia … experimenta apud *Bartholinum cent. 4. hist. 69.*

88. *Differentia* Epilepsiæ sunt variæ, à *subjectis*, *causis*, 89. *accessus* seu *invasionis* modo, & *partibus* earumque *affectibus* desumptæ.

A *Subjectis.*

1. Alia est *Adultorum*, de qua sequentia maxime sumenda sunt.

In *senibus*, si per essentiam affligit, plerumque incurabilis est.

Mulieres magis tempore graviditatis corripit: tum quia calefacto per conceptum utero, & revocato ad centrum calore cerebrum frigidius, infirmius, & ad propulsandas injurias in be…lius redditur: tum quia facta ibi spirituum & humorum coctione, copiosi & maligni optima parte in infantium nutrimentum cedente, ad caput mittuntur.

Iuvenes non diu detinet, propter sanguinis dominatum.

Alia est *Infantum*, tam eis familiaris, quod tempore Galeni non fuit, ut *mater infantum* au…t. Incipiunt esse epileptici post septimum mensem, si nascuntur interlunio, *si* in mens… conceptI sunt, *si* c…put nimis humidum habent, quod in sua conformatione non fu… it repu…at…, *si* gravida sæpius expavescebat vel terrebatur, *si* aliquem epilepticum morbo hoc c…eptum vidit.

In *Curatione*, Si lactentes sunt ita procedendum ut supra, ætatis duntaxat ratione habita. Camerarius 90. utebatur in paroxysmo pro fumo *ambræ gr. 1. cum C. C. usti* gr. IV.

Extra paroxysmum partim nutrici medicamenta propinanda; partim infans *syrupo de tribus* evacuandus: nec abscessus qui erumpunt impediendi. 91. Laudantur 92. *pulvis Hartmanni* præservativus, ex *spina dorsi viva* 94. *mustela* pulverizata cum *perl. & corall. præpar.* dosi q… antum mu…ro cultelli capit exhibitus. *Pulvis* ex *tinct. solis, cranii microcosmi prap. ana gr. vi. smaragdi prap. margarit. Orient. ana gr. ii. Croci gr. 1.* compositus, & in aqua florum tiliæ, pæoniæ … & cort… citri propinatus. *Nodulus* ex C. C. *philosoph. calcinato*, *Corall. præpar. Cryst… præpar. v… quercini*, vel 95. quod in salicibus crevit *ligno* putui immersus, & singulis quin…e diebus renovat… *spermaceti* pisi magnitudine in lacte nutricis dissolutum. *Pastinacæ* se… *staphyl ni* … rubens in media umbella flosculus maturus scr. j. pondere …utaturque præs…nt… in pueris remedium. 96. *Inunctio* totius corporis cum butyro … oto insulso, cum *ruta* in mortario

co-

contusa misto.

Inter *amuleta* sunt, jaspis viridis circa ensiformem cartilaginem per diem & noctem gestatus: *smaragd.* & *corall.* collo appensa. *Lapis chelidonius* Augusto mense circa plenilunium exemptus & brachio alligatus. *Vnguis lyncis* auro vel argento inclusus, inprimis qui in dextro pede. 87. *Radix major paonia* maris seu nigræ Luna in ariete existente, vel in decremento Lunæ, in Julio, die Dominico, ipsa Solis hora seu in meridie collectæ, collo & braciis circumdata. *Nodulus*, ex *radic. morsus diaboli* & *paonia* ana dr. iv. *gran. paon.* dr. iiss. conquassatis collo injectus, semina denique cerasi racemosæ, quæ quibusdam *Padus*, eidem in sacculo appensa.

Præservationis gratia, usurpantur, *pulvis præservativus* Hartmanni de quo supra, *aquavita mulierum* prægnanti exhibita. *Oleum amygdalar. dulcium* cum saccharo & pauxillo fœniculi contusi in electuarii mollis formam concinnatus, vel *stercoris de vacca nigra* pulvis recens naris exhibita. *Manna*, vel *albi tartari*, vel *nitri*, vel *lapidis Judaici* pulvis sequentibus diebus in lacte cocto data; ubi autem ambulare cœperint cum suo lotio. Ex *lactis concretione* quæ accidit, tollitur cataplasmate *ex fol. ulmi* part. iii. in urina pueri coctis cum butyri recentis unc. II. formato & regioni ventriculi apposito. Prohiberi interim à pueris debent inopinari sonitus, ut tubarum clangor, bombardarum explosio &c. nutrix caveat a venere & crapula.

Differentiæ.

88. *Differentia Epilepsia sunt varia*) Primariam prætermittit, ab ipsius affectus vehementia desumendam, majori aut minori, unde majus quoque vel minus naturali hominis vitæ imminet periculum: Hinc quo vehementioribus comitata symptomatibus ægros infestat Epilepsia, eo magis vitæ & sanitati metuendum.

Cum autem omnium symptomatum vehementia ab inopinato insultu; adeoque casu graviori; hinc & à concussione atque agitatione membrorum externorum, capitis & artuum ac denique à contorsione membrorum reliquorum, linguæ, oris sive maxillarum, diaphragmatis, sphincterum & similium sumi debeat, facile patet quot noxæ ab epilepticis insultibus immineant.

Nam 1. cum in recurrentibus sæpe paroxysmis casus sit inopinatus; fieri potest ut quis ex alto decidens illo ictu & casu mox pereat, aut in multa damna incidat, foco allidens in ignem incidat &c.

2. Cum vehementer concutitur caput, ut si saxis alliditur &c. Quoties artus simili ratione vehementer concutiuntur, toties fracturæ ossium, contusiones, vulnera gravia conciliantur.

Si 3. Oculi vehementissime contorquentur, Strabismus quibusdam & aliis alius visus defectus consequi & permanere solet (Sic virum novi qui in prima febris Quotidianæ invasione paroxysmo epileptico prehensus est, à quo, toto morbi decursu (qui bimestris fuit) visus ita depravatus fuit ut omnia objecta duplicia apparerent; si alterutrum oculum obvelaret, simplicia) Quibus os vehementer distrahitur, aliquando oris contorsio & spasmus remanet: Quibus maxillæ vehementer concutiuntur, aut dentes collisi confringuntur, aut lingua læditur, vel amputatur. Quibus hæc vehementius convellitur, subinde loquela remanet vitiata.

Sed & nonnunquam Amentia aut totalis aut partialis consequitur; quibusdam omnes animi dotes multum debilitatæ fuerunt, Sic & sensus externos non parum fuisse labefactatos observatum: Nonnulli ab eodem malo in continuum mœrorem prolapsi: Accidit vero quandoque ut non ita gravia observentur symptomata, unde levior tunc vocatur Epilepsia, unde videas quosdam videntes, audientes, aliisque sensibus externis magis minusve valentes, ut & proinde internis. Quinimo videas quosdam loquentes, canentes, non quidem voluntarie, at inordinate, interrupte, impetuose; videas in aliis gesticulationes non plane ingratas, saltationes tripudiationes pati involuntarias &c. *Sylvius.*

89. *Accessus seu invasionis modo*) Epilepsia talis est motus Convulsivus in quo membra corporis varie trahuntur, vibrantur & agitantur, sensuum exercitio quocunque utplurimum abolito, cujus sub sua latitudine tres species sunt, *Gradus primus*, isque abusive Epilepsiæ tributus est, quando ægri subito concidunt, aut saltim seu sedeant, seu stent, omnibus sensuum functionibus subito privantur, & quasi somno altissimo sepulti, citra omnem functionem animalem ita persistunt, ita ut nullus spasmus sensatus, seu externarum partium convulsio accedat, Licet si per consensum fiat partium abdominis, v. g. *hystericis* aut *splenetucis*, subinde spasmi partium nervosarum concurrant: Hic Epilepsiæ motus potius est proximus ad Epilepsiam gradus, nempe pertinet ad *Vertiginem caducam*, quam Epilepsiæ dicimus proximam, cum facile sibi Epilepsiam veram comitem adsciscat.

Secundus Gradus Epilepsia est, quando variis motibus & agitationibus corpus percutitur, sensibus quibusvis tam internis quam externis, aut integre perstantibus, aut in delirium abreptis; dum interim quoad externas partes convulsi, sub convulsionibus istis saltare, cantare, ridere, lacrymas fundere, hinc inde percurrere, percutere pectus ridicula narrare solent, & post paroxysmum nunc omnium secum actorum in paroxysmo recordantur, nunc eadem ignorant: Exempla talia stupenda vide apud *Willis jun.* & alios.

Tertius gradus est, qui ex utrisque modo dictis est conflatus, ita ut omnis tam sensus quam rationis usus pereat, simulque variis motibus corpus agitetur; dentibus strident, brachia jactitant, pollices arcte in manu claudunt, pedibus tremunt, corpus insigniter attollunt, incurvant, spuma per os rejicitur, lingua morsu læditur &c. Quibus omnibus successive remittentibus æger tanquam sopore oppressus jacet, & ad se rediens nil omnino scit: Saltim de perturbatione capitis & omnium artuum gravi lassitudine conqueritur: Hic *tertius gradus* est omnium vulgatissimus: *Primus* nonnihil rarus, *Secundus* rarissimus, sed vulgo ignoratur; Idem gradus secundus est terribilissimus, nam tales subinde pro obsessis à Dæmone habentur nisi Medici scientia ægri innocentiam defendat. *Ettmuller.*

90. *Vtebatur in paroxysmo pr. fumo*) Puer trimulus patiebatur insultum epilepticum à quo liberatus fuit *fumo Tabaci*, quem minister tubulo attrahebat, & insufflabat in os pueri apertum, Vomitus inde illi concitatus est, & paroxysmus solutus. *Riverius. cent. 2. obs. 60.*

Si Pueros epilepsia prehendat, 1. suppositorio vel clystere alvus solvenda est, postea, & fere eodem tempore exhibendum, purgans satis validum pro ætatis robore, ita ut non dubitemus in pueris unius anni *Elect. diacarth.* ad ℥ij. exhibere; Si fiat ex lacte corrupto.

venerem ferri incipit (fitque id inter feſtum aſſumptionis & nativitatis Mariæ) unguibus poſterioribus, pede dextro, ab animali vivente præciſa [119]. *Sanguis cati* ex venula ſub cauda maris emiſſus, ſi Schvenckfeldio credendum. *Sanguis muris* capti, diſciſſa à cauda ad caput exſtillans trib us guttis in vino rubello exhibitus. *Lapis triangularis* in vertice carpionis repertus: necnon *oſſicula* duo ſupra oculos exiſtentia. Spina [120]. *muſtelæ piſcis* pulveriſata. *Oſſiculum lucii* cruciforme. [121]. *Teſticuli verris* cum teſticulis gallinæ furno exſiccati & pulverizati cum ſaccharo ad dr. I. II. vel III. in aqua betonicæ exhibiti. [122]. *Fel catuli nigri* pulverizatum & ex aceto potum. [123]. *Veſica apri* urina plena, in clibano exſiccata, pulverizata, & cochleari uno quotidie ſumpta.

Ex *Compoſitis* ſunt proficua & debellando morbo egregia, [124]. *Aqua* antepileptica Langii & Hartmanni. [125]. *Aqua* hirundinum; *Picarum* compoſita. *Liquor* ex ſanguine humano elicitus, de quo apud *Billichium* in Obſervationibus Chymicis.

Liquor antepilepticus Salæ, qui initio à decremento lunæ per VI. vel VII. dies à dr.ſ. ad dr.j. in conveniente vehiculo datur.

[126]. *Mixtura antepileptica Hartmanni*, ex *ſpiritu vitrioli viridi*, cum *aqua radic. pæoniæ & flor. tiliæ* confecta.

[127]. *Pulvis antepilepticus*, qui conficitur [128]. ex *cinnabaris nativæ* dr.j.

[129]. *Cinnabar. Antim.* ſcr.j. *lapidis ſpecularis* dr. iſ *gloſſopetræ Melitenſi* dr. II. *Oculor. Cancri præp.* dr. j. *lapid. lazuli ſcrup.* j. *magiſterio lunæ* ſc. ij. & exhibetur à ſcr. ſ. ad ſcr. j. in vehiculo conveniente.

[130]. *Electuarium* quod concinnatur ex ſpecieb. *confect. diaſmaragdi* dr. iij. [131]. *Cranii humani* præparati dr. ij. *Cryſtalli* præpar. dr. j. *Confect. Alkermes* unc. ſ. cum *Syrupo ribium & flor. pæoniæ* q. ſ. Poſſunt ei addi *Corall. præp. margar. præpar. c. cervi calcinatum*, *lapides carpionum*, *lucii*, *Cancrorum* &c.

[132]. *Heer* ſolebat exhibere *cranium humanum*, [133]. *ſtercus pavonis*, *veſicam apri cum lotio in furno ſiccatam*, *viſcum colurnum*, & *oleum ſuccini Antepilepticum cervinum*, & *Eſſentia cervina* Zvvelferi, de quibus in Pharmacopœia.

[134]. *Extra* adhibetur [135]. *corium* [136]. *lupi* ea parte detractum qua ſpina adhæret, duor. digitorum latitudine in cinguli formam: & *pinguedo feri cati* umbilico tempore paroxyſmi inuncta, mari ex mare, fœminæ ex fœmina: putantque vel ſtatim convaleſcere ægrum, vel ſtatim mori, cujus fides ſit penes authorem.

[137]. In *Diæta* vitandus panis nimis fermentatus, lacticinia, legumina, oleta, apium inprimis, venus, quæ *parva epilepſia* Democrito. *Gravior* eſt quandoque, rejiciturque ſemen, partem proceſſuum cerebri abrupiſſe & per nares excuſſiſſe obſervatum Eraſto, & aliis in lue Venerea.

Fit aliquando ob *abſceſſum* in cerebro; aliquando ob *corruptam meningem*; aliquando ob *cranium carioſum*, *vulnus* &c. de quib. ſuo loco dictum eſt.

Fit & à *nimio congreſſu*, habetque in illa locum *ſtercus pavonis* & [138]. *oleum Heracleum*.

Hereditaria exemplum apud Zacutum invenies, [139]. profuit [140]. *Cauterium* [141]. ad nucham, & *theriaca ſmaragdorum* intus.

[98]. *Alia per eſſentiam*) Epilepſia frequentiſſima eſt per conſenſum, raro per Eſſentiam, niſi in membranis cerebri, aut in eiuſdem ventriculis fomes irritationis hæreat; Vt v.g. quando in contuſione cranii, feſtucæ occaſione, cerebri membrana gravius læſa epilepticis motibus occaſionem præbet: Quæ ex poſteriori cauſa contingit Epilepſia frequentior eſt *quam* per eſſentiam; niſi mediante maſſa ſanguinea ex alia parte fomes morboſus inſtillerit cerebro, ibique ſpiritus plus minus afficiendo Epilepſiam inferat. *Etmuller.* Sic poſt *Cerebrum vulneratum* & non rite curatum, propter fermentum acre relictum; Item poſt *caſum ab alto*, ubi ſanguis ſub cranio putredine corrumpi incipit, & plus minus aceſcere, Epilepſia oritur: *Lympha* vitioſa & acrior in cerebri ventriculis collecta, irritando horum membranas, piæ matris propagines, Epilepſiam infert. *Idem.*

[99]. *Quando ipſa diſpoſitio Epileptica*) Differentia in praxi conſiderabilis ſumitur à cauſæ in corpore exiſtentia aut abſentia; nam alias in homine latet Epilepſiæ cauſa, alias fit, ob externum duntaxat, objectū gravem animi affectum iram, metum inſignem & inopinatum excitans, alias utrumque, unde in diſpoſitis ad Epilepſiam ſæpe minimus & inopinatus ſtrepitus metum afferens, paroxyſmum excitat, latentem in corpore fomitem commovendo: id quod maxime evenit cum ex metu primum ortum habuit Epilepſia: Multum ergo intereſt ut prima affectus origo & prima cauſa Medico innoteſcat, quo cauſarum omnium concatenatio pateat. *Sylvius.*

[100]. *In ipſo cerebro concipitur*) Dextram aut ſiniſtram capitis partem magis affici, & mali mineram in ſe continere ex eo dignoſcitur, quod viſio alterius oculi obtuſior eſt, vel auditus in altera aure hebetior, aut tinnitus eam afficit, Et ſi partes dextræ vel ſiniſtræ ad motum aliaſque actiones ſegniores fuerint. *Riverius.*

[100]. *In cerebro concipitur*) Aliquid p. n. *excrementitium*, aut in cerebro hærens, quod certis intervallis commotum ſpirituum motum turbat; Aut *ipſis ſpiritibus ibidem permiſtum* eoſdem vitioſe agitat; *Uterque modus* ſi ſpiritus in motus perturbatos, inordinatos & vagos cogat, non tantum ſenſuum omnium tam internorum quam externorum, ad quos placidus & moderatus, iſque ordinatus requiritur ſpirituum motus, hebetudines, ſed etiam ex inordinato motu eorum in partes extra cerebrum, tam internas quam externas, varii motus convulſivi ſuperveniunt: Sic videmus *animi af-*

fectus graviores, v.g. terrores nimios, propter inordinatum ac insigniter turbatum spirituum animalium motum Epilepsias subitaneas non raro inducere, id quod præsertim in infantibus notum. *Etmuller.*

101. *Cognoscitur*) Et præcesserunt fere causæ externæ quæ cerebrum aut partes capitis lædere potuerunt, Imprimis Lunæ motibus auscultat Epilepsia quævis, magis tamen ea quæ est per essentiam, nisi etiam ista quæ est per consensum, sed diutius duravit. *Etmuller.* Ut & ex mentis torpore vel tarditate, memoriæ imminutione, insomniis turbulentis, corporis gravitate & segnitie, capitis dolore; hanc diagnosin confirmat bona partium inferiorum diathesis, & nullum vitium in iis apparens. *Riverius.*

102. *Solvitur aliquando pulsa causa à Cerebro &c.*) Falsum est quod asserit *Fernelius* nunquam Epilepsiam desinere in Paralysin; nos enim Paralysin Epilepsiæ succedaneam vidimus: Et non raro apoplectici in prima invasione convulsionibus Epilepticis corripiuntur; Tum etiam multi Epileptici tandem Apoplexia pereunt. *Riverius.*

103. *Solvitur aliquando*) Rusticus longo tempore morbi comitialis paroxysmis conflictatus nullis remediis curari potuit, donec quartana superveniente ab eo liberatus fuerit, Ita enim *Hipp.6. Epid.9. Quartana laborantes nullo magno morbo corripiuntur, & si prius autem corripiantur, quartana superveniat liberantur*; *Galenus* nomine magni morbi Epilepsiam intelligit. *Phil. Salmuth. Cent. 2. obs.54.*

103. *Mutatur quandoque*) Post accessiones particulares aliquæ convulsiones interdum remanent, sicuti & nonnunquam præcedunt, ut tortura oris, transglutiendi difficultas, vel partium aliarum spasmus, vel ille quem flatulentum vocant, qui convulsiones quoque, si nervorum causa fiat, minatur: Vti & convulsiva quædam palpitatio, quæ etiam à nervorum affectu facta, Epilepsiam diu ante præcedit, & post eam in membris adhuc remanet, seque exerit, aliave motus symptomata. *Platerus.*

104. *Mutatur quandoque in Furorem*) Quando videlicet humor melancholicus à ventriculis cerebri in substantiam ejusdem transmittitur; Idem enim humor dum cerebrum afficit ut partem instrumentalem, ventriculos obstruendo, aut tunicas eorum divellendo, Epil. parit: Dum vero ipsam cerebri substantiam, functionum principum sedem, ut similarem partem offendit, naturale ipsius temperamentum vitiando, & animales spiritus corrumpendo atque obtenebrando, delirium melancholicum inducit, Vnde apud Hipp. 6. Epid. 8. 40. melancholici plerumque fiunt Epileptici, & vicissim; Id quod fit vel per materiæ morbificæ transpositionem, vel per ejusdem propagationem. *Riverius.*

104. *Quandoque in furorem*) Quod is morbus non raro in Maniam, paralysin aut melancholiam desinit, ratio est, quia crebris spirituum animalium explosionibus cerebri tonus & conformatio depravatur, ejusque naturalis status tandem ita pervertitur, ut particulis morbificis etiam alius generis intus admissis spiritus figantur, nec amplius in explosiones justo proclivores sint, quin potius vitio interdum contrario superinducto ipsorum virtus elastica nimium deficit, ita ut supra modum hebetes & torpidi evadant, non secus ac intentiora febris incendia sanguinis intemperies justo frigidior sæpe excipit; atque hæ quidem spirituum depressiones, partim propria ipsorum culpa contingunt; quippe particulis agilioribus nimium explosis, segniores tantum supersunt, & deinceps suppeditantur: *Partim* vero cerebri vitio accidunt, eo quod pori & meatus ejus à crebris eadem par[illegible] ni[illegible]s usque adeo dilatantur & aperiuntur, ut post[illegible] cum succo nervoso, particulis quibusvis he[illegible]neis, & diversimode morbificis, aditus pateicat. *Willis.*

104. *Mutatur quandoque in Furorem*) Quin & quandoque in Fatuitatem, vide §. e. p.743.

105. *Oritur à causis*) Quoad Epilepsiam natam ex *vitio cerebri & spirituum animalium* ipsorum, vel aliquid *heterogeneum vitiosum cerebro cum sanguine instillatum*, spiritus vitiose movens hic considerandum, vel *aliquid p.u.ipsis spiritibus peruustum*, quo quibusvis occasionibus, seu *mone state*, vel mediante spirituum agmine paulo vehementius commoto, V.g. in animi affectibus excitatum motus spirituum inordinate turbando & agitando paroxysmos infert.

Quicquid horum sit, habenda est ratio hujus Epilepsiæ non adeo raræ; Nempe pertinet huc *Epilepsia hæreditaria*, Nam utut hæc ipsa radicem possit habere etiam in quodam abdominis viscere, nihilominus tamen certo spirituum vitiose constitutorum, & in crasi sua deficientium simul videtur subesse erratum: Pertinent huc fumi ex *flammo*, ex quibus per nares attractis convulsiones obortas notat *Salmuth. cent.3.obs.39.*

Miasmata nimirum *Mercurialia*, quocunque modo cerebro communicata, ad Epilepsiam disponentia; ut quando ex *ungu. Mercuriali* contra tineam applicato oritur Epilepsia: *Timæus Resp.p.106.* Nam potius ex imitatione ab acrimonia particularum mercurialium hæc nata videtur: Potius huc pertinent *febres maligna* aut etiam *benigna continua* male judicatæ, quæ occupando cerebrum, ibique spiritus animales turbando præter deliria *convulsiones epilepticas* ordinario inferunt; quas *tractio & subsultus*, aut quædam *vibratio tendinum* circa carpum imminentes arguunt.

Pertinet huc Epilepsia lethalis post *aurium dolorem*, discussa, sed non suppurata materia. *Horstius obs. l.2.obs. 21.* Item cum ex *suppressa hæmorrhagia narium paralysis lateris dextri*, & ab hac sanata Epilepsia nata fuit; *Bartholinus Cent.4.hist.69.* Ex *suppressa urina* renum vino supervenite Epilepsiam, urinario sero cerebrum inundante non rarum est; *Suppressio consueti sanguinis effl[illegible]*, v. g. hæmorrhoidum, mensium, subinde Epilepsiam inferunt, Cerebri ac spirituum alteratorum [illegible]tio: Qu[illegible] facit incipiens *graviditas*, cujus occasione quædam Epilepticæ fiunt; Denique *apoplexia* interdum in *Epilepsiam transit*, & è contra. *Etmuller.* Part.2.p.278.

106. *Vena sectio si &c.*) In sectionum genere Phlebotomia occurrit, sanguinem minuens [illegible] in Epilepsia diuturna locum habebit si *plethoricus* sit æger, vel *hæmorrhoides* prius consuetæ sint *suppressæ*, generalis vena aliqua insigni & parente ad hanc rem selecta; Plerique tamen humerariam, cephalicam nominatam, capitis causa aperire suadent; *Poplitis* quoque & *malleoli venis* sanguinis emissio facta valde convenit, coque magis si *menstrua* in fœminis *retenta* sint; Quam & in *frontis* & *linguæ* venis factam aliqui laudant. Et si à *sanguine malignæ* causam dependere conjiciamus, sæp[illegible] nis detractiones erunt repetendæ cum & [illegible] *Mania*, in non multum dissimili causa, hoc potissimum [illegible] remedium demonstremus: Vnde & hoc [illegible] procedat, hoc remedii genus sæpe [illegible] valde prodesse, sicuti & in Catalepsi simili [illegible] oriatur, cum & sponte nonnunquam narium hæmorrhagia sequente sanetur. In aliis vero causis, extra sanguinem positis, corporibus præsertim *Epilepsia* longa attenuatis, ut & convulsionibus morbos sequentibus, in quibus vires morbi convulsionum parientis sævitia dejectæ sunt, sanguinem detrahere minime consultum foret.

Scarificatio vero loco *venæ sectionis*, in pueris & adultis, quando sanguinem alio avertere vo[illegible] potius quam exhaurire, iis locis qu[illegible] cum ducer[illegible] us est, non inutiliter instituitur. *Sic in sanguinem eliciens, Sanguisugarum* sit opera, quas in fronte & reliquo capitis ambitu applicatas in Epilepsia sananda prodesse scribunt,

bunt, præſertim vero tunc quando *hæmorrhoides* ſuppreſſæ ſunt, *podici* affixæ ſanguinem hunc, quem alia arte provocare alias vix poſſumus, exſugendo valde in hoc caſu conveniunt. *Platerus.*

106. *Venæ ſectio*) Puella xii. ann. Epilepſia frequenter corripiebatur, ad curationem multa tentata fuerant; pleuritide autem correptæ pluries ſecta vena, & ab eo tempore nunquam pleuritide correpta eſt; Inde collige V.S. ad Epilepſiæ curationem plurimum conferre: *Riverius obſ. 8. cent. 4.*

107. *Foliorum hellebori*) *Helleborus* niger hoc modo ut Epilepſiam ſanet ſic paratur.

℞. *rad. helleb. nigr. vir*, extrahatur cum *ſpiritu vini*, ut maneat eſſentia: Si *viſcum qu.* pyreth. & *ſemina pæon.* addantur, efficacior eſt. *Paracelſus Part. 7. lib. 1. de vita longa c. 4.*

108. *Vomitoriis*) In curatione à Catharſi incipiendum eſſe duco, Et ſi æger *Vomitionem* facile toleraverit, Emeticum imprimis exhibeatur, & per plures menſes quatriduo ante plenilunium repetatur: Infantibus & pueris *vinum ſcilliticum*, *Ol. amygd. d. rec.* remixtum: aut etiam *ſal vitr.* à ʒß. ad ℈j. exhibeatur: Adultioribus & conſtitutione robuſta præditis hæc præſcribantur.

℞. *croci metall. aut mercur. vitæ gr. iv. aut* vi. *Mercur. dulc. gr.* xvi *ad* xx. *ſimul terantur in marmore, miſce cum pulpa pomi cocti, aut conſerva borrag.* ʒj. *f. Bolus.*

Vel exhibeatur *Infuſio croci metall.* aut *Mercurij vitæ* in *vino Hiſpan. facta ab* ℥ß. *ad* ℥iß. Vel

℞. *Tartar. emet. Mini. g* iv. *ad* vi.

Qui teneriores ſunt conſtitutionis ſumant *ſalis vitr.* ℈j. ad ʒß. & poſt horæ ſpatium ſuperbibant plures libras *lactis cerevisiati*; dein penna aut digito gutturi immiſſo vomitus provocetur, & aliquoties iteretur. *Wierus.*

108. *Vomitoriis*) Vomitus tunc quando ab aſſumptis, aut aliis ventriculi repletionibus, epilepſia vel exortum vel incrementũ capit, juvabit; qui & in ipſo paroxyſmo *immiſſa in fauces penna*, aliiſve artibus excitatus paroxyſmum breviorem, ſi vomitio ſequatur, efficit. *Platerus.*

109. *Sudoriferum*) Poſt purgationes univerſales mandavi ut uteretur *decocto guajaci*, unicuique ℔. addendo ℥ß. *rad. pæon.* adjecto etiam *hyſſopo*, & *oxymel. ſcyll.* ℥iß. ad dies 40. hoc etiam modo multi curati ſunt. *Foreſtus.*

Præmiſſis univerſalibus *decocto guajaci* ſe multos Epilepticos curaſſe refert *Jacchinus*, continuetur autem per xxx. vel xl. dies, ſingulis dozibus decocti ſudorifici addendo guttas aliquot *ſpir. vitrioli*, qui ſpecificus creditur ad Epilepſiam. *Riverius.*

110. *Egregium paratur ex antim. diaph. ſalis cranii hum. &c.*) Sudoriferum quod paratur ex *argento calcinato, & auro etiam calcinato*, cum *ſpiritu ſalis tartari* optime rectificato, eſt potentiſſimum in curatione: *Sal* etiam *margaritarum* ſummopere depuratum & volatile factum, *cum ſpiritu tartari* rectificati, tuto, cito & jucunde curat. Omnibus autem remediis antecellit *Sal volatile ſanguinis* Doſis ʒi. in aqua *lilior. convall. P. Ioh. Faber Univ. Sap. l. 3. cap. 15.*

111. *Appropriata interna, ut ſunt*) Naturalis magiæ Profeſſores, *verbenam* ſole arietem peragrante collectam, granisque *pæoniæ* ſociatam, & ex vino albo hauſtam percolato Epilepticos inſtar miraculi ſanare prodidere &c. *Durantes Herbar.*

112. *Viſcus quercinus*) Ex gravibus ſcriptoribus multi orbiculos è viſco querc. ſola ſuſpenſione vulgari filo transfixos idem præſtare in amolienda & præcavenda Epilepſia tradunt, quod pæoniæ mar. radix, aut Smaragdus è collo pendens: Retulit *Jacchinus* ſemel ſe *viſcum querc.* per dies xl. propinaſſe eadem ratione qua ligno Guajaco utimur, & profuiſſe quidem, non tamen morbum id abſtuliſſe; neque licuiſſe iterum id remedii in faciliori morbo experiri.

113. *Radix valerianæ ſylv.*) *A Fabio Columna* tantopere laudatur ut ſemel aut bis exhibitam ab Epilepſia liberare affirmet: refertque ſe hanc multis amicis dono dediſſe; qui deinde pulvere hujus radicis ſibi reſtitutam ſanitatem affirmarunt: Pueris etiam exhibetur.

114. *Semen ſaponariæ*) Remedium Epilepſiam minuens, *Pulvere ſemin. ſaponariæ* &c. obſervavi paroxyſmum valde minutum numero tum vehementia. *P. Borellus Cent. 1. obſ. 8.*

115. *Ex Animalibus*) Singularia Epil. remedia plurimi noſtratium inter familiaria ſecreta habent *Sanguinem ipſius Epileptici*, Extrahunt vena ſecta brachii in ipſo convulſionis paroxyſmo parum ſanguinis, illumque ovo ſorbili miſtum ægro ſorbendum propinant: Quod experimentum non paucos ab inſultu epileptico ſtatim liberavit, & plane deinceps immunes reddidit: Sed poſt hunc liquorem cordialia & bezoartica præbent ut ad ſudorem compellatur æger: ita enim à ſanguine proprio materia convulſionis mota & turbata per ſudorem diſcutitur & evacuatur. *Bartholinus Hiſt. 78. cent. 2.*

Eſu *Jecoris lupini* multos perfecte curatos fuiſſe pro certo habeo ab amico. *P. Borellus. obſ. 95. cent. 2.*

Pavonis ſtercoris pulvis cum vino ad ʒj. Luna ſilente deglutitur, præſtantiſſimum eſt remedium ſi ſemel in menſe ſumatur per aliquot menſes *Idem ibid.*

Stercus pavonis ex deſtillato cardui vel *millefolii* magis probo. quo nihil efficacius, *J. Crato conſ. 42.*

Sal Talparum, ſpagyrice paratum, ſummum eſt arcanum, ob ſpiritus nitroſos & vitriolatos quibus turget, in quibus ſola conſiſtit cura hujus morbi. *P. Joh. Faber.*

116. *Hepata ranarum viridium*) *Ex xl. ranis vir.* m. Majo, Junio & Julio hepata exime & lentiſſime exſicca ut pulveriſentur; hinc divide in v. partes, tunc ſub ipſa Luminarium ſynodo, Luna in exaltatione ſua conſtituta, exhibe m. & v. continuando uſq; ad finem: Dici vix poteſt quantum ab hac ſimplici præparatione veræ medicinæ accedat. *Joh. Vincent. Finckius Enchir. Dogm. Herm. c. 5.*

117. *Hepar uterinum Equæ*) Cum primum pullus equinus in lucem prodit, vomitu materiam quandam rejicit, quam niſi quis præcipiat mater ſtatim devorat: Hæc materia, ſiccata & pulveriſata, à morbo comitiali liberat certo experimento, ut mira quædam res videatur. *Joh. Crato l. Singul. obſ 38.*

118. *Ungulæ Alces*) Præſentanea vi pollet adverſus morbum Caducum, quod multis experimentis comprobatum habeo, licet ratio mihi viſa ſit obſcura ſemel atque iterum, Contigit ut muliercula quaſi fulmine icta corrueret; accedo, annulum cui Alcis particula inſerta erat digito, qui infirmo proximus eſt, inſero, illa è veſtigio ſe erexit in pedes &c. *Levinus Lemnius l. 2. de Occ. cap 3.*

118. *Ungula Alces*) Dedit mihi Rex Poloniæ &c. integrũ pedem poſteriorem dextrum animantis iſtius, à ſe occiſi eo ipſo tempore quo dextram aurem ungue pedis illius ſcalperet; quod quidem tempus fuit inter duos Divæ virginis feſtos dies, immediate ſeſe conſequentes interjectum; Nam hæc omnia religioſe obſervanda dicunt, ſi unguis ille, id quod creditur vulgo, efficere debeat; totum in multa fruſtra conciſum diſtribui amicis: Nemo tamen unquam adjutus eſt, Expertus ego ſum in aliquot comitialibus fruſta, quæſivi ex infinitis etiam ſuperſtitioſioribus, fabulas eſſe comperi &c. *Andreas Dudithius Epiſt. 24. l 6. conſ. & Ep. Cratonis.*

118. *Ungula Alces*) *Ungula Alcis* ſi reſolvatur in principia ſua artificio chymico, ſalis turgentẽ copiam in hac reſolutione inveniemus: quod *ſal* ſi per ſimplicẽ deſtillationẽ reſolvatur in ſpiritum, h. e. in tenuiſſimam & ſubtiliſſimã aquæ ſubſtantiam, per retortæ luto munitæ ſimplicem deſtillationem, foras in vas recipiẽs emittitur, Arcanum

hinc exoritur potissimum curandæ epilepsiæ. *Joh. Pet. Faber Panchym.l.3.sect.1.c.21.* Quinta essentia ungulæ Alces Epilepsiam, vertiginem & similes affectus pedetentim sanat, *Dosis à ʒß ad ʒj* cum aqua appropriata Idem. *Myroth.l.3 c.30.*

119. *Sanguis*) *Sanguinis humani spiritus salsus volatilis*, si per phiolam oblong. m optime rectificetur, fit instar aquæ limpidissimę magnorum in Epilepsia virium. Dosis à gr.iij.ad ℈ß.vel ℈j.in vehiculo proficuo. *Frid. Hofmannus m.m.p.159.*

120. *Spina mustila piscis*) *Spina dorsi mustelæ fluv.* novilunij tempore detracta,& tenuissime pulverisata; maximi secreti loco habetur. Dosis ℈ij.tum in accessione, tum extra, cum aqua *paon. & flor. tiliæ* exhibita morbum hunc curare dicunt. *Frid. Hofmannus m.m. pagin.283.*

121. *Testiculi verris*) Sume *testiculos apri*,aut saltem *verris*,h e.suis domesticæ venere utentis, & simul *testiculos galli*, exsicca in furno & pulverisa; sumi pulveris *apri* ʒij. & ℥j *galli*,adde duplum *sacchari*: De hoc pulvere continuo sumat æger in omnibus ferculis, Expertus pharmacum absolutissimum: *Horat. Augenius Tom.2. Epist.p.575.*

122. *Fel catuli nigri*) Singulare secretum habetur *Fel catelli nigri lactantis* strangulati,cum liquore convenienter exhibitum, Hujus beneficio *Ducis Buckingami* filius est sanatus: In Anglia hoc est usitatissimum. *Frid. Hofmannus m.m.p,283. ex Rolfi ci. conf. l.2.c.12.* Præ reliquis secretis est quod paratur ex felle catuli (si mas laboret, si fœmina, caniculæ) jugulatur instar porcelli, mox adhuc calens aperitur, Eximitur *Fel & hepar*, Fel eximitur in cochleari,& cum morbus invadit;exhibetur in malvatico, vel *aqua flor tiliæ*, diducto pervium ore si sponte non aperit: *Jecur* autem totum pulverisatur eoque suffumigetur æger, e lecto tegitur ut sudet,Hoc semel peractum Dei beneficio juvat, nec reiteratione opus habet. *Reisnerus ib.p.205.*

123. *Vesica Apri*) *Hor. Augenius* ejusdem testiculos,aut saltem verris, sive suis domestici, Venere utentis usurpat, quos, ut & testiculos galli in furno exiccatos mirabiles censet in pulverem tenuissime redactos, & cum sacchare mistos, decem continuis diebus ad ʒiij. cum *aqua betonica* exhibitos. Idem *Augenius* in suis consult. duo alia remedia magnæ efficaciæ proponit;Primum est *Carbo* ille *odoratus* qui sub artemisię radicibus æstivo solstitio colligitur; per dies xl. ex aliquo convenienti liquore exhibendus: Confiteor ego,*ait*,cuidam Epileptico hujusmodi remedium admodum profuisse. 2.est *sanguis mustela*, præstantissimus ejusdem experimento; qui vidit sanatum epilepticum supra 25. annum solo hujus sanguinis esu, potati scil. statim atque è venis exit ad ℥j. cum una aceti:

124. *Aqua antepileptica*) Aqua hęc secretissima est.

℞. *Cran. hum. recent.* contunde, & per retortam destilla; stillatum liquorem per B.rectifico; Ad *hujus aqua* ℥j. *adde perlar. sol.* ʒj. *magist. corall* ℈ij. *rad.paon. castor. āā.* ʒj. *mellis anacard* ℥ij.*destilla*, *Dosis* cochl.j. in paroxysmo, ter reiterando, & mira videbis. *Cl. Deodatus Panthei p.125.*

125. *Aqua hirundinum*) A *Rondeletio* maxime commendata,quam ab eo mutuatus est *Quercetanus*: Valet & Aqua Theriacalis cephalica, & syrup. antepilepticus ab eodem Quercetano descriptus.

126. *Mixtura antepileptica*) Chymici valde commendant mixturam spiritalem, qua in Epilepsia nullum medicamentum præstantius exoptari posse asserunt, Compositio hæc est ℞ *spir.Vitr.part j spir.Tart.p.iij. aqua theriac. camphor.part.iv.* M.& vitro bene clauso per tres aut quatuor septimanes digerantur;Dosis ʒj. in convenienti vehiculo. *Riverius.*

127. *Pulvis antepilepticus*) *Pulvis Bartholini* antepilepticus nobilissimus & certissimus, *Cista Medica Loc.17. p.163.*

℞. *Cran.hum.combusti; ossium hum. combust āā.* ʒß. *pulv.ossium lacertar.magnarum virid.* ʒij. *visci qu paon. mar. rad.& semin. Luna decresc. collect. āā.* ʒj. *antimon. præpar. ungul. alces asini āā.* ʒß. *sacch. albi* ℥iij. M.f Pulvis, doz. ʒj. cum *aqua c.c. recenti & aqua flor. tilia & lilior. convall.*

Ipse expertus sum hos duos Pulveres esse efficacissimos.

℞. *Coriand.ppti* ʒij. *sem.paon. portul. āā* ʒj. *ungul. asini ust.* ʒß. *m.f. Pulvis*, *dozas* ʒij *cum* ℥ij. *aqua ruta.*

℞. *sanguin.hum. per venosas tracti, cranii hum. āā.* ʒis. *margar. præp. galang. zedoar. āā.* ʒj. *mastich. succini rub. corall. rubr. dictamn. āā.* ʒß. *carnis mu ri, passul pingu. ā.a.* ℥ß. *m. f Pulvis add. sacch.* ℥ij. dosis ʒj. cum aq. pæon. quotidie. *Jul. Cæsar. Claud. Empir. Rat. p.332.*

128. *Ex Cinnabaris nativa*) Quam *Crato* Epilepsiæ magnetem vocat, ex eaque talem Pulverem parat. ℞. *Cinnabar. nat. pellucida, limata, & in tenuissimum pulverem trita* ℥ß. *corall. rub. margar. præpar. āā.* ℈iij. *croci orient.* ℈j. *fol. auri n.xv.* terantur omnia subtilissime super lapidem: Dosis in ipsa accessione à gr.vi.ad ℈j. in aquis appropriatis:At non minoris virtutis censetur à non paucis Chymiatris *Cinnabaris* Antimon. quæ post Mercurii vitæ extractionem elicitur: Si enim æquali pondere jungatur cum magister. perlarum, corallor. & cranii hum. specificum esse ajunt in Epilepsia inveterata, Dosis à gr. x. ad xv. in liquore idoneo. *Riverius.*

De usu Cinnabaris consule *Hofmannum in Clavi Schroderiana pag.291. Thilingium Tract.de Cinnab. capit.31, Wedelium de Med. Facult.lib.1.sect.2.cap.3. & s.3.c.1.*

129. *Cinnabaris antimonii*) Hæc æquali pondere cum *magisterio corallior.* specificum est in inveterata etiam Epilepsia solo sudore repetitis vicibus,& præmissis evacuationibus necessariis morbum aufert: Dosis gr 10.ad 16. in liquore appropriato, *Claud. Deodatus Panth p.125.*

130. *Electuarium*) Quidam hoc pro secreto habent.

℞. *succi card. ben. depurati & ad crassitiem c*[illegible] ℥ij. *succi millefolii depurati* ℥iij. *sacch.* ℥iiij. *m. coque in formam Elect. Dosis cochl. j. J. Cæsar Claudinus Empiric. paginæ 339.*

Hoc quod sequitur in usum vocetur, cujus experientiam; Deum testor, millies me vidisse sanavisse homines ab Epilepsia, & inter alios socium Dom. Archangeli.

℞. *pyreth. stach. costi, āā.* ʒx. *agar.* ʒv. *sem. carvi, anethi, asa fœt. aristol. rot. āā* ʒiß. *succi squill. mell. elect. ā.a.* ℔ [illegible] ʒij. coqu simul *scylla* & mel lent igne, usque ad [illegible] *viscositatem*, deinde superadditis speciebus [illegible] E[illegible]rium, dozis sit omni mane fint [illegible] 4. ad minimum [illegible] horis ante cibum. *Montagnana cons.43.*

130. *Electvarium*) Laudatissimum hoc est.

℞. *pyreth. stach. costi āā.* ʒx. *agarici,* ʒv. *sem. carvi, anethi,* scordo *aristol. rot. āā.* ʒß. *succi scylla, mellis* [illegible]. ℥xiv. *misce Dosis mane* ʒiij. *Alex. Benedictus* [illegible] *p.* [illegible] 4.

131. *Conf. Diasmaragdi*) Hic non prætereundam censui *Theriacam Smaragdorum*; laudatissimam etiam in Dysenteria & Diarrhœa, quæ sic à quibusdam paratur.

℞. *Smaragdi optime præpar.* ʒß. *sem. paon. excortic. extr. rad. paon. āā.* ʒij. *corall. rub. ppti* ʒiij. *sal. corall* ʒj. *ligni aloes veri exacte triti* ʒiß. *extracti croco gr.* viij. *cinnam. acerrimi, semin. acetosæ citri excortic. portul. lapath. visci qu vel ejus liquoris, granor. chermes* [illegible] *Si smargar. ppr.* ℈iv. *salis earundem* ʒj. *c.c. phil. præp.* ℈iv. o[illegible] par. & *trita excipiantur syr. acetos. citri vel ydon.* ℥ j. post aliquam fermentationem, bene cooperta servetur ad usum. *Platerus.*

Crani

131. *Cranii hum.*) *Essentia cranii humani* mirum & stupendum arcanum est contra inveteratas & recentes epilepsias. *D. Johann. Faber Myroth.lib.1.c.9.* ubi præparatio.

Essentia c.c. arcanum est epilepsiæ risotomon, radicitus enim tollit quamcunque epilepsiam. *Idem c.13.ibid. preparatio.*

132. *Heer solebat exhibere cranium humanum*) Remedia ex homine desumpta sunt egregia, quæ inter eminet *Sanguis*, & ex hoc parata *spiritus*, *sal volat.* & *oleum*, specifica sunt hæc remedia, Inprimis *spir.sangu. humani* cum *sale volatili* acuatus, qui etiam ad Epilepsiam hæreditariam ab *Helmontio* laudatur; Sed observandum secundum *Lindanum*, *sanguinem humanum* debere colligi ex homine recens decollato, qui in vase vitreo cum spiritu vini digeratur, & hinc s.a. *sal volat.spirit.* & *oleum* exinde præparanda; *D. Michael* sanguinem exinde collectum & congrumatum, decantato sero deponebat, donec situm contraheret; Sic enim copiosiorem spiritum ac sal volatile eliciebat.

Post sanguinem, est inprimis *secundina humana*, ex qua putrefacta *spiritus* pro affectibus mulierum *polychrestus*, præsertim contra Epilepsiam paratur, dosis ℨß. sicut *& Pulvis ex eadem exsiccata* paratur, dozis ℨß. Luna inprimis decrescente propinanda.

Cranium ex homine violenta morte interempto desumptum, tam *rasura* ejus *pulverisata*, & *præparata*, quam sine igne calcinatum à ℈j. ad ℨij. propinatum.

Os triquetrum, ex concursu suturæ sagittalis & lambdoideæ, quod juxta *Paracelsum* in Epilepticis reperitur, Item *Olea* egregia sunt, Ol.destill. rectificatum, vertici inunctum, præsens dicitur remedium ad arcendum paroxysmum Epilepticum.

Succinum permistum cum *cranio humano*, & sublimata invicem, suggerunt *spiritum* & *oleum* antepileptica excellentia: Si fœtor est inimicus, olea circulanda vesiiunt cum spiritu vini, hinc aliquoties à calcinatis rectificanda.

Juxta Cranium *Cerebrum* est egregium antepilepticum, cujus *spiritus* & *oleum*, ad imitationem *Hartmanni*, sunt egregia antepileptica: In *usnea cranii humani conservata* est mumia capiti microcosmici, egregia contra Epilepsiam.

Quin & *ossa hum.* reliqua ex homine violenter occiso desumpta ad affectus convulsivos sunt egregia. *Ettmuller.*

133. *Stercus Pavonis*) *Pavi sterc.pulvis cum vino* ad ℈j. Lunasilente deglutitus præstantissimum est remedium (si semel in die sumatur per aliquot menses) ad sacri morbi paroxysmorum sævitiam compescendam, imo ad curandam. *P. Borellus cent.3.*

134. *Extra* Inunctiones quoque (inter externa, *embrocationes &c.*) sine detrimento institui posse omnes norunt, imprimis quando spiritum acidum volatilem figentia illis insunt remedia. *Fr. Sylvius.*

134. *Extra adhibetur*) Sacculus de collo suspensus continuo gestabitur. ℞. *rad.pæon.visci qu.ãã.* ℨj *ungul alces* ℈ij. *nuc. mosch. caryophyll.macis ãã.* ℨij. *fol.rutæ & hyssopi ãã.* ℨiß. pulverentur & rubra sindone excipiantur. *Riverius*,

134. *Extra adhibetur*) Inunctiones cum *ol.destill.succini, anthos, rutæ, majoranæ*, item, cum *balsamo Peruv* conducunt, ac ubi perspecta est idiosyncrasia ægri, quæ nempe potest ferre talia: Sunt enim quidam qui ab ejusmodi oduratis magis læduntur, nimis affectis & commotis ab iisdem spiritibus. *Ettmuller.*

135. *Corium lupi*) Fac cingulum de *pelle lupi*, quod prius intingatur in succum vel aquam verbenæ; Cingatur postea corpus nudum, quamdiu portaverit non molestabitur paroxysmo epilepsiæ. *Tob. Dornkrellius Emp. l.1.c.3. Crato Sing.obs.38.*

136. *Lupi*) *Sanguis Luporum*, & *hepar*, Epilepsiæ summum est remedium, & sic curatur propria & innata qualitate *Lupi*, & plus est arcani in *Lupo* solo quam in omnibus vegetantibus. *Joh. Petr. Faber. Curat.42.*

137. *In Diæta visandus &c.*) Vtatur æger pro Potu ordinario hydromelite, vel bocheto ex gajaco & radice pœniæ. *Riverius.*

138. *Oleum heracleum*) *Rulando* frequenti in usu (quod *Corylinum* esse affirmant Chymici) qui nonnullas historias refert in Centuriis eorum qui hujus medicamenti usu ab eo morbo liberati sunt. Dosis est trium vel quatuor guttarum cum liquore idoneo per quinque dies.

139. *Profuit*) Sed neque hoc, neque setones, neque cauteria conveniunt circa caput, nisi morbus cerebro sit essentialis, ut fiat à cerebro diversi. *Hollerius Pr.cap.15. in schol.*

140. *Profuit Cauterium ad nucham*) Et *paracentesis*, & *per setas factæ apertura*, & *trepanatio*, exempta calvariæ ossis parte, in morbis hisce desperatis tentari possunt: *Vstio*, *cauterio* tam *actuali* quam *potentiali* facta, sicuti in extremis morbis extremum est remedium, ita & hic in perseverante malo, si præcipue causa in capite lateat, an forte hoc pacto causa à nervoso genere ad partes ignobiliores derivari possit, non sine ratione tandem adhiberi potest: Quo pacto modo natis *Florentiæ*, ut fertur, *verticem perurentes* epilepsiam, quæ iis in locis infantibus consueta est, solent avertere; Quibus de causis & experientia moti, *ferro candenti ustionem* moliri quam dum paroxysmo tenentur, stupidique sunt, etiam sine sensu doloris in ipsis perficere possumus) vel *caustico* adhibito idem experiri in *diuturna Epilepsia*, si alia omnia respuat remedia, non inconsultum esse putamus, Quam & aliqui non tantum in capitis sede, ubi *suturarum* fit *congressus*, sed & in *cervice* & pedibus quoque adhibent: Vel si certo *aliquo in loco* aura elevata epilepsiam causet, *causticum* huic sedi appositum eam admodum revellit. *Platerus.*

Probantur fonticuli, & imprimis Setaceum, quæ cum ægrorum commodo nonnunquam institui restatur experientia, Exitum enim parant humori noxio ut effluat. *Fr. Sylvius.* vide *Indicem Med. Pract.p.171.* de utili cauteriorum usu.

140. *Cauterium ad nucham*) Empiricus post universalia nucham candela cerea incensa cauterii instar inurebat, Et *radices pæoniæ* cum butyro frixas continuo comedendas dabat, Et ita juniores, & magis adultos, magna cum admiratione curabat. *Forestus lib.10.sch obs.61.*

Ego summopere laudarem *Cauteria in brachiis*, imo hoc est familiare remedium, Et vidi anno præterito Nobilem senem qui solo cauterio sanatus est. *J. B. Montanus cons.50.*

Setone ad cervicem adhibito, *Hollerii* decreto, adolescentem 20. ann. morbo caduco, cujus insultibus ante crebro prehendebatur, liberavi, derivatis, ut credere par est, illa arte ichoribus mali fomitibus. *Amb. Paræus l.10. c.25.*

Profuit & *Trepani* admotio Nobili 20. annor. sæpius Epilepsia conflictato, Quum à gravi è scalis lapsu *Fabricius ab Aquap.* cranio terebram admovisset, nunquam ex eo malum percepisse narrat. *Joh. Rhodius cent.1. obs.66.*

141. *Ad nucham*) *Petrus Merenda* scribit in Comitiali morbo admodum vehementi, exiguo intervallo sæpius repetente, se quamplurimos per admota collo prope scapulas rubificantia medicamenta, donec vesicæ excitatentur, brevi temporis spatio ad pristinum rationis usum frequenter perduxisse, & ab accessionibus liberasse, qui deinde decenti curatione ad integram sanitatem perducti sunt.

II. [142] *Alia* est *per consensum*, quando causa in partibus sub capite prognata & eo delata Epilepsiam infert.

[143] *Cognoscitur* ex eo, quod paroxysmus ingruens præsciri possit, & aura veluti à parte inferiore ascendit, dolor in aliqua parte percipitur, & æger sibi redditus paroxysmi recordatur. Tam mitis nonnunquam; inprimis in principio esse solet, ut ægri planè nec cadant, nec convellantur, principesq; facultates leviter lædantur, ut exempla pueri apud *Galenum*, A retinæ puellæ quæ caput duntaxat motitabat, apud *Benivenium* testantur. Solet tamen interdum & cor in transitu vaporum ita affici ut palpitet.

[144] *Curatio* ad partes mandantes obvertenda, & materia sursum tendens revellenda. [145] *Extractum vitrioli anodynum Sala à* gr 5. ad 12. bis aut ter Lunæ decursu exhibitum, [146] reprimit vapores: [147] Prosunt & *cauteria* [148] in cruribus.

Dividitur secundum partes, ut in sequentibus videbimus.

[142] *Alia per consensum*) Epilepsiæ maxime notabilis differentia peti solet à subjecto, nempe quod cerebrum, aut pars ejus in hoc morbo laborans, vel primario ac idiopathice, vel secundario ac nonnisi per consensum cum aliis partibus afficitur: Quoad hanc differentiam, in qua scil. caduci insultus alicubi extra caput exoriri visus, dein ipsum secundario & velut afflatu aliunde immisso corripit, observare est ejusmodi affectum (prout *Galenus* annotavit) vel à *partibus externis* aut *internis* procedere; Plura equidem Epilepticorum exempla occurrunt, in quibus paroxysmo ingruente primo spasmus cum stupore in manus, aut digito pedis, aliove membro particulari sentitur, qui statim exinde, velut cum formicationis sensu versus caput prorepit; quod cum attigerit, illico æger in terram prostratus σπασμῷ aliisque pathegnomonicis caduci symptomatis corripitur.

Nec minus usitatum est hujus morbi procemium, & primam quasi velitationem, è stomacho, liene, utero, intestinis, genitalibus, aut aliis visceribus incipere, inprimis nempe in istorum aliquo perturbatio quædam cietur: dein ab eo loco auræ velut frigidæ in caput ascensus percipitur, cui statim affectioni Caduci accessio, cum horrendo symptomatum apparatu succedit, hinc vulgo creditur Epilepsiæ causam in parte ita primario affici visa delitescere, atque noxam suam in cerebrum, ex se insons, propagare.

Verum enim vero super hisce dicendum videtur in quavis Epilepsia causam, non modo procatarcticam, sed & conjunctam omnino in cerebro consistere, nempe spiritus hujus incolas, ad explodendum dispositos, ibidemque explosos, caducum omnem inferre; Quoad præliminaria isthæc in quibusdam Epilepticis symptomata, ea interdum causæ evidentis, nonnunquam vero tantum signi rationem habent; Si quando enim diathesi epilepticæ mala cujusdam visceris, puta stomachi, lienis, aut uteri dispositio accidat, quoties in viscere isto affecto perturbatio quæpiam cietur, facile contingit, ob fermenti illuc transmissionem, aut spasmi in caput continuationem, in cerebro prædisposito accessionem Epilepticam excitari,

Attamen caduci symptomata, quæ exterius suscitata affectum cerebro propagare videntur, non raro ipsius cerebri consensu oriuntur, & paroxysmi epileptici ingruentis, sive spirituum in cerebro explodi incipientium tantum signa existunt: Cum enim spiritus animales in cerebri & cerebelli meditullis, simulque in medullæ oblongatæ, juxta nervorum origines consiti, copula heterogenea ita saturantur, ut ad ipsam elidendam, proindeque morbi insultum accendum parati sint, priusquam illi una omnes conglobatim explodantur, spiritus aliqui exterius in privatis quibusdam nervis scatentes, siquidem afflicto superiorum affluxu destituantur, inordinationes quasdam concipiunt proindeque spasmos ineunt, qui spasmi (prout in ejusmodi affectibus sæpe [illegible]) à nervorum extremitatibus huic vel isti membro; aut visceri insertis incipiunt, unde sensim ad eorum principia prorepunt, quo cum pervenitur, illico spiritus per totum ἐγκέφαλον prius in explosiones dispositi, ab eo spasmo commoti, proindeque tanquam fomite ignario correpti, subito eliduntur, adeoque Epilepsiæ paroxysmum per se prius incipientem, velut secundario, & instinctu aliunde tradito excitare videntur: Ad hunc modum aliquando passiones hystericæ, cum ab imo ventre incipientes cerebro communicantur, à visceribus istis oriri & eorum culpa suscitari creduntur; cum interim causa morbifica circa nervorum origines potissimum subsistit. *Willis.*

[142] *Alia est per consensum*) Triplex à *Galeno* constituitur Epilepsiæ differentia; & ab omnibus propemodum authoribus recipitur, 1. qua cerebrum afficitur, consistente in ipso affectu; Epilepsia nomine generis dicta: 2. In qua cerebrum per ventriculi consensum afficitur, *Analepsia dicta*, 3. Cum ab aliis corporis partibus ad cerebrum affectus transmittitur, Catalepsia vocatur: Verum, pace *Galeni*, superflua est illa divisio, & frustra separatur Epilepsia à ventriculo genita ab aliis quę per aliarum partium sympathiam oriuntur, cum omnes Sympathicæ Epilepsiæ nomine comprehendi debeant. *Riverius.*

[143] *Cognoscitur ex eo quod paroxysmus*) Non infrequens est Epilepticis, non tantum ex abdomine, sed frequentius ex sinistro hypochondrio, quin & ab extremis artubus auram quasi & halitum placide ascendentem sentire, & tanquam mox sequuturi paroxysmi signum prævium ac certum animadvertere, quo signo dato, qui sapiunt, mox ita se componunt ut minus lædantur à membrorum capitisque concussione.

Quinimo accidit nonnunquam horis aliquot ante paroxysmum ejusdem futuri præmoneantur ægri, & quidem capitis præsertim gravitate, & non satis explicabili sensuum internorum conturbatione; atque apparente non raro adstantibus assuetis in ipsa facie, & oculis maxime, constitutione peculiari, [illegible] conturbata. *Sylvius.*

[144] *Curatio*) Cum Epilepsia & convulsiones, quæ in specie morbi sunt, adeoque *chronici*, & [illegible] fere ex *hypochondriaco* aut *scorbutico* malo fluunt, utut ab hoc malo minus affligi videantur ægri, originem ducant ab *Acido* vitioso, eoque plus minus volatili, & hujus incunabula fere semper in aut circa primas vias lateant, Ob id in genere *Acidi destruendi*, & primarum viarum evacuandarum habenda est ratio: Pertinent huc nempe varia tentamina curandorum Epilepticorum v. g. per *Acidulas* aliaque *Martialia*, Sic *Heer* obs. 1. Epilepsiam cum opisthotono gravissimo, cujus paroxysmos præcedebant oscitationes & pandiculationes cum cordis angustia, quarta vel quinta die recurrentes, per *fontes spadanos curatam* refert. Et quando *marina, testacea, ossea*, ut *unicornu* verum, *crystallus* &c. pro cura laudantur, quæ nonnisi absorbendo acidum operari possunt. *Ettmuller.*

Extra-

145. *Extractum vitrioli anodynum*) Vide ſupra §.*ut ſunt*) ſub finem.

146. *Reprimit Vapores*) Repellentia capiti, ſi à vaporibus fiant, applicantur Onyrrhodina, quæ nonnunquam ſucceſſiſſe aliqui teſtantur, vel Pulvis hic tenuiſſimus Capiti inſpergitur qui.

℞. *ſem. Coriand prap.* ℥ij. *gran. myrti, flor. roſar. rubr. maſtich. ſantal. rubr rad. cyper. & palm.* ā ā ʒj. *caryophyll. anthos* ā ā. ʒß. *f. Pulvis.* Platerus.

147. *Proſunt & Cauteria*) Si conjectura ſit vapores ad cerebrum exhalantes à partibus inferioribus affectum producere vel fovere, utiliſſimum erit cauſticum ſincipiti admovere vitatis ſuturis; Refert enim *Car. Piſo* duos Epilepticos hoc cauterio fuiſſe curatos: Imo extremum remedium erit ſinciput terebello perfodere, vitatis ſuturis, ut hoc velut ſpiraculo aura maligna exhalare poſſit: hoc remedio aliquando deſperatæ Epilepſiæ curatæ ſunt, & ſine periculo celebrari poteſt ſi periti Chirurgi manus adhibeatur.

Tum etiam ſi à partibus inferioribus producatur affectus Aquæ Acidulæ mirabiles ſæpe effectus producunt; & morbum interdum radicitus tollunt, ſi prius vacuationes univerſales, & venarum inferiorum ſectiones celebrentur. *Riverius.*

148. *Cauteria in cruribus*) Si ſit per conſenſum ex *Vtero*, Fontanellæ in cruribus aperiantur; quod præſidium tanti ſemper feci, tamque feliciter ſucceſſit, ut ex graviſſimis accidentibus, & ex illis quæ nullis aliis auxiliis cedere voluerunt, plurimas fœminas liberaverim. *Mercatus.*

III. 149. *A partibus* earumque affectis eſt

I. *Alia à* 150. *Ventriculo* Et tum indicia affecti ventriculi adſunt, præcedunt ventriculi dolor, diſtentio, compunctio, difficilis inediæ tolerantia; acceſſione proxima cordis dolor, nauſea aut animi defectio; deſinente vomitus pituitoſus aut bilioſus &c.

151 In *Curatione* vomitu agendum eſt. Laudatur extra, *Emplaſtrum* quod ex *ſuccini albi, thuris, maſtiches* ana dr. 1. *galbani, opopanacis* ana ſcr. 1. *viſci quercini* dr. ij. ambræ gr. vi. moſchi gr. ij. *ſemin. pæon. maris* dr. ſ. ladani dr. iſ. Olei nucis moſch. q. ſ. pulvere cubebarum aſperſum, in aluta extenſum, & Impoſitum. Ambra & moſchus omitti in fœminis debent.

II. *Alia* eſt 152. ab *Inteſtinis verminoſis*, qui ſuis ſignis deteguntur, admiſcerique 153. ſcolecoboticis antepileptica debent.

Solet quandoque poſt dolores colicos à materia tartarea, bilioſa, excitatos affligere, & quidem cum paralyſi ſpuria dolorifica propter habitum muſculoſum affectum, excitata.

III. 154. *Alia* eſt *à Liene*, cujus ſingulare exemplum apud *Tulpium*. Preſſa vel ſolo digito ſplenis regione contrahebantur illico omnes nervi, labefactaque poſt mens uſque eo ut ſe neſcio quem regem æger crederet, inuſto cruri ſiniſtro cauterio, vix delapſa cruſta, turgida bile effervеſcente furibundo ſimilis evaſit; tandem tamen medicamentis quæ ibi deſcribuntur reſtitutus. *Sylvio* obſervante ſolent in ea ægri nonniſi una parte convelli.

IV. *Alia* eſt *à pancreate*, cum dolore lateris ſiniſtri, & calore in lumbis ardentiore; atrorum, flavorum & porraceorum nonnunquam dejectione, quandoque pertinaci alvi adſtrictione Inſultus præſciuntur, ſeu ex arteriarum pulſu, ſeu ex malarum & manuum rubore, ex accenſione ſanguis acris & fervidi humoris motu. Alvo ſuccurritur, *extracto hellebori nigri*, cum *pillulis de nitro Tralliani.* In ſummo morbi incremento ſexies quotidie accedebat paroxyſmus, ut *Tulpius* prodit.

V. 155. *Alia* eſt *ab Vtero*, quæ *Cognoſcitur* ex eo quod aliquis uteri affectus adeſt, α. vel menſium ſuppreſſio, vel ſeminis aut ſecundinarum retentio, vel fœtus in utero mortuus, vel ſimile quid.

156. *Curatio* ad affectus eſt obvertenda, 157. in *qua radix ariſtolochia rotunda* laudatur: *notandumque* aquam hirundinum cum caſtoreo, galbano & aceto deſtillatam convenientiſſimam eſſe: *Carnem lupi* in pulverem redactam laudari; fruſtulumque ſalitæ ſemper ſecum geſtandum.

Accidit, aut *geſtationis tempore*, quæ vel 158. miſſione ſanguinis in talo, modo plethora adſit; vel per hirudines mariſcis applicatas tollitur; quod ſi partus inſequitur, cujus ipſæ ignaræ, ſopor torpidus, ſanguine surſum repente; ſebris, ſubſiſtentibus lochiis, gutta ſerena, &c. Ampla veſicatoria internis fœminibus admoveri debent.

Aut *poſt partum* propter ſuppreſſionem menſtruorum: in qua hirudines filo appenſæ interiori uteri parti apponi debent.

VI. *Alia à veſica* cum in iſchuria forti urinæ recurrunt, cujus exemplum apud *Zacutum in praxi admiranda.* Habenda calculi ratio, aperiendusque ductus urinarius.

VII. *Alia* 159. *ab Externis partibus*, ut.

I. *A Mammarum papilla ulcere* apud *Donatum*, immuniſque à paroxyſmo ægra quando ſanioſus ichor effluebat.

II. 160. *A ſummo Vertice capitis*, ut *Fernelius* habet. Vapore per externas partes vagante, vertigo infeſtabat; ad cerebrum delato, epilepſia.

III. 161. *A pollice pedis* apud *Zacutum* & *Tulpium*, quæ cauterio actuali curata eſt. Vapor elatus quandoq; in genu, humero aut cervicis aliquo muſculo aliquantulum ſubſtitit cum evidente doloris ſenſu, antequam in cerebrum irrumperet. Excitarus & ſudor *aqua ex Tartaro & Vitriolo deſtillata*, quam *aurum potabile* vocant. Habes hujus exemplum & apud *Galenum* in puero quodam, & in *Ferdinando*, 162. qui frigidam auram ſenſim ad caput aſcendiſſe ſcribit: nec non apud

[163] *Heerum* in puella ex subito terrore Epilepsiam contrahente: apud *Bartholin.Hist.78. Cent.VI.* sistebatur vinculo pedi infra genu injecto.

IV. [164] *A tumore in femore*, apud *Donatum*, & quidem absque dolore, in qua apposito cauterio ingens humiditatis copia effluxit.

Proficisci aliquando solet in masculis & à *vasis seminalibus*.

IV. [165] *Alia ab accessu*, quæ.

I. [166] Vel est *periodica*, vel potius *periodos servans*, quæ vel singulis annis semel aut bis; vel singulis mensibus [167] in novilunio aut plenilunio, vel brevioribus intervallis, sed illis stati invadit: cujus paroxysmum *Hippocrates* χειμῶνα *tempestatem*, intermissionem γαλήνην *tranquillitatem* vocat.

Visa quæ habuit senos circuitus statis horis, cottidie & decedentes & redeuntes, tandem in accessionem longissimam, singulis diebus sine Intermissione ad horam vigesimam continuantem facessentes, de qua superius in differentia à pancreate diximus.

II. Vel quæ *periodos non servat*, sed nunc citius, nunc tardius recurrit.

[149] *A partibus*) Locus ubi hæret *fomes morbi*, seu ubi fit irritatio, est varius, cum *internus* tum externus, Internus, ut mesenterium, genitalia, lien, quorum plura hinc inde observantur exempla. Subinde etiam ex *partibus externis*, longe à capite remotis. *Etmuller.*

[150] *Alia à Ventriculo*) Et tum *Analepsia dicitur.*

[150] *A ventriculo*) Puer singulis xv. diebus Epilepticus concidebat; Per affectum Capitis hoc fieri Medicorum præstantissimi *Frisimelica Montanus, Oddus & Francanzanus* existimarunt, Sed quo plura pharmaca exhibuerunt eo affectus magis crevit, ita ut in *24.* horis paroxysmos haberet plures *150.* leves tamen, quia parva commotio capitis cum bulla circa fræna labiorum aderat; Unde tandem agnoverunt morbum non per affectum capitis, sed per consensum à ventriculo oriri, quare eum illum pharmacis exagitare destiterent, & roborarent, puer convaluit. *Trincavellius conf.28.l.1.*

Notandum quo plura pharmaca exhibuerunt prædicti Medici eo magis exasperatum fuisse morbum, Quod & à *Mercuriali Tomo 3.consult.91.* adnotatum, qui ait quod quanto plus Medicina adhibetur eo acerbior fieri videatur; ac propterea præter assiduam temperatæ vitæ rationem, aliorum remediorum usum aut nullū aut parvum esse debere: Hinc ut in priori casu dubium sit an colligere liceat malum fuisse per consensum ex ventriculo.

[151] *In Curatione vomitu agendum est*) Vomitus concitationem ranus in Epilepsia locum habere puto, nisi in Ventriculo aut intestinis Ventriculo vicinis hæreant humores peccantes, sursum viam affectantes: quo casu in facile vomentibus cum notabili utilitate vomitoria exhiberi posse autumo: Quod si difficulter vomant ægri, aut sursum non affectet viam humor noxius, frustra, imo perperam fatigantur ægri vomitoriis. *Fr.Sylvius.*

[152] *Emplastrum*) Est *Cratonis l.4.Epist.ad Jordanum.* Præscripserum, *ait*, nuper cuidam puero Empl. suturæ coronali apponendum, Is tentatis multis remediis beneficio Dei convaluit: Pharmacopœei conjunx Empl. hoc aliis pueris Epilepticis adhibuit; itaque tam multus de eo sermo, ut etiam senes bono successu uterentur.

[152] *Alia ab intestinis* Epileptici paroxysmi subinde recurrentes agnoscunt aliquando alium affectum comitem, quem consequuntur ejusque symptomata existunt: Sic familiaris est hæc in regionibus Epilepsia infantes plerosque excrucians, & non paucos enecans, cui comes, imo causa existit bilis æruginosa acidumque spirans, cum alvi fluxu plerumque conjuncta · Sic *vermibus* non [illegible] o debentur Epileptici insultus; &c. *Sylvius.*

[153] *Adversus [illegible] (scolecobrotica)*) Si à *vermibus* Epilepsia exorta fit, ea quæ præterquam quod purgant simul vermes enecant, qualia sunt *aloe, rhabar*[illegible]. eliguntur; usque q[illegible] putredini resistunt, ut sunt *citriorum, limon. succi & seme*[illegible], *cornu cervin. corall* [illegible] Et quæ epilepsiæ resistunt, ut *rad. paon. & semen visci qu.* & similia permiscentur, atque in forma *pilular.* vel *pulv.* aut *tabellarum* exhibentur: *Pilulæ* valde conveniunt propter aloën si eas deglutire possunt E.g.

℞. *aloës, rhabarb. ãã. ℥j. sem. contra vermes, corall. medulla sem.paon. ãã. ʒß. diagr. gr.vi. excipiantur syr de limon f. parva Pilula, deglutiat aliquas.*

Tabulis fere magis delectantur, quæ sic parari possunt.

℞. *rhabarb. ʒiß. sem. contr.v. ʒß. medull. sem, citr. & paon. ras. c.c. ebor. ãã. ℈j. corall. ℈j.* [illegible] ℈j [illegible] ℈ß. *sacch. dissol. in aqua portul. addito succo lim*[illegible]*n. vel pauco aceto ad ʒiß f. Tabula, Capiat pro dosi unam* [illegible]. *Platerus.*

[153] *Admiscens scolecobrotica antepileptica* Pu[illegible]r trium annorum cum epilepsia corriperetur, [illegible] vermes mortuos cum excrementis, ejiciens exist[illegible] quod ex tetris vermium fumis in cerebrum elevatis malum incurreret, Ideo,

℞. *sem. contra vermes, pulv rad paon. agar. troch. ãã ℈ß. diamosch.d.℈j. syr. acet. simpl. ℥ß. aq. absinth. melissa ãã ℥j. misce.*

Dedi in paroxysmorum intervallis, & jussi ut continuo parum sumeret *sem. zedoar. saccl.* [illegible] Hinc statim melius habuit, & ejectis vermibus ab Epilepsia liber fuit. *Forestus.l.10.obs 65.*

[154] *A Liene*) Si Epilepsiæ causa in *venis mesaraicis* potissimum lateat, *hæmorrhoides* movere exhibitis admotisque singulare præsidium est: Quod & *sanguisugis* præstari poterit. *Platerus.*

[155] *Ab utero*) *Retenta corrupta*, in specie suppressa excreto, & inde nata acrimoni[illegible], irritando par[illegible]s eir[illegible] genitalia, sensilem per consensum Epilepsiam infert, *Forestus l.20. obs.115.* observavit convulsionem ex utero totius corporis *ob seminis corruptionem* n[illegible] profi[illegible]entibus aliis facta titillatione per mulier[illegible] [illegible] *ol.liliaceo cum zibethum* [illegible] um, [illegible] *Hildanus cent. 6 obs. 25.* refert m[illegible] ex utero, quo tempore, cum viro coir[illegible] con[illegible], liberam ab Epilepsia; Neque amplius cum [illegible] o conjugali viventem convulsionibus correptam *Etmuller.*

Ad. [illegible]ap. de hysterica Suffocatione l.*de morb. Mulier.*

[a] *Vel mensium suppressio*) *Si mensium suppressioni succedat Epilepsia*, probabile est illam esse [illegible] *testibus*, à sanguine, vel semine corrupto ortu[illegible]ere; nam dum sanguis est crassior quam oportet obstructiones circa uterum fiunt; quare cum humores & sanguis ibi hærentes stagnant, & magna pars eorum hæret in tubulis uteri, non possunt circulari & ad cor per vasa lymphatica reduc[illegible]: hinc humorum parti[illegible]ulæ mora sua ali[illegible] accipiunt magnitudine & figura poros [illegible] fer[illegible] [illegible] ne sua interna, vel ab externa [illegible] qua causa, ut [illegible] a & [illegible] ventur, & è suis latibulis per vasa lymphatica ad sanguinem propulsi insolito majores producunt fermentationes, hinc sanguis magna vi per totum corpus propellitur,

pellitur, quia ab ista fermentatione sanguis magis subtilior redditur, major copia & impetus spirituum ad caput defertur, quare maximus in cerebro oritur motus, ita ut præter spiritus, crassior etiam pars sanguinis, ob poros arteriarum illo impetu nimis apertos, in tubulos cerebri deponitur, quæ obstructionem in plurimis nervis efficere potest: hinc sequitur, quoniam ista obstructione nervi à spiritibus vacui redduntur, & proinde flaccidi pendent, ut subito æger in terram prolabatur & non sentiat.

Ab hac eadem effervescentia sanguis & humores spumosiores redduntur; quia autem sanguis majori impetu, vi & copia, & impetuosiores spiritus fuerunt progniti, quia magna vi moti in cerebro undique sibi exitum quærunt, adeo ut eo loci ubi fuit satis valida obstructio, tunc illinc obstructiones nervorū perfregerint, & ita sibi viam in nervos, & hinc in membra paraverint; Vnde pro partis varietate in quam spiritus irruunt, ortum ducunt motus convulsivi & affectus varii, Si enim in glandulas salivales influunt, salivam vehementia quadam expellunt; hinc in quibusdam spuma magna copia ex ore effluit, quatenus ista saliva ab expiratione in bullas agitur, si vero spiritus ad alias partes, ut sunt vesica, testes, crura, brachia &c. deferuntur alia symptomata inde sequuntur. *Craanen Prax. Reform cap.9.*

155. *Curatio ad affectum est obvertenda*) Ab Vtero procedens Epilepsia *Pulvere granorum actes à Quercetano* descripto in *Pharmac. restituta*, per triduum exhibito ad ℈j. cum aqua quapiam hysterica curata. *Riverius.*

156. *Curatio ad affectus*) Mulier xx. annor. integrum per annum laboraverat moribus epilepticis, non quidem vehementibus, sed à 7. matut. ad 9. vespert. durantibus, cum spuma oris, sine loquela, sensuumque manifesto actu, Præscripsi has Pilulas una pro vice.

℞. *Castor. sal. artemis. ana gr. iv. resina gialapa gr. vi. aloes socotrin. gr. ix. ol. macer. gtt. ij. m. f. Pil n. 5.*

Pro voto purgata est, Post quotidie bis usa est haustulo sequenti.

℞. *sapon. Hispan. albiss. ʒß. coqu. ex lacte vaccino, colatura dentur* ℥iij.

Miratu dignum, hoc remedio sumpto paroxysmum in dies gradatim, deque hora in horam ita avisse imminutum ut xxx. die plane curata exierit, mansitque restituta, *Paulus Barbette l.1.c 11.*

Ancilla epileptica usu *oxycrati* liberata est cujus cyathum sumebat mane singulis diebus, & ante tempus invasionis acetum purum: Curato morbo doloribus artuum correpta est, qui usu thermarum curati sunt. *Riverius cent.4 obs.10.*

157 *In qua radix*) Per uterum menses promoti, tum iis quæ per *os* exhibentur, tum *uteri orificio* induntur, *regionique* illius adhibentur, si in sanguine illic retento causa mali lateat, Epilepsiam sæpenumero sanant: Inter ea quæ id præstant Pilulæ hæ valde sunt utiles.

℞. *Agar. trochisc. aloes ana* ʒj. *rhabarb* ʒ ß. *myrrha* ℈ß. *castor.* ℈j. *medulla sem. paeon.* ℈ß *cum succo porri fiant Pilula, Capiat à* ʒß. *ad* ʒj. *media nocte.*

Pessarium item sodium tale *menses* movet potenter quod.

℞ *rad. ireos, sem. nigella ana.* ʒj. *elat.* ℈ß. *vel colocynth.* ℈j. *castor.* ß. *excipiantur melle*, quod cum *succi panis porcini vel mercur. parte aliqua ad spissitudinem decentem coctum sit*, fiant Pessaria. *Platerus.*

157 *Ad quam radix &c.*) Pro menstruis excitandis *Vinum Malvaticum* optimum est remedium, quia in se tincturam quandam mineralem abscondit à loco ubi nascitur. In Obstructis mensibus prosunt omnia quæ sanguini motum dant, ne tamen nimis sint subtilia, ne potius caput sua levitate petant quam uterum, sed modica, quorum notabilis portio sanguinis motum deorsum sequatur, & tamen aperiant; sic *sabina* est potens, *Suffimigia* movent menses non admodum movendo reliquum corpus; *Craanen p.89. Prax.*

158. *Vel missione sanguinis in talo*) Si cum Epilepsia juncta sit sanguinis consueti suppressio, vel hujus occasione plus minus excitatur Epilepsia, V.S. aut alia quævis sanguinis evacuatio erit proficua, locis in variis pro circumstantiarum varietate; Sic Epilepsiam *apertis hæmorrhoidibus* curatam refert *Rhodius cent.1. obs.61. & 64.* Epilepsiam in puero octenni ob sanguinis abundantiam V.S. curatam refert *Zacutus* Pr. Adm. l.1. obs.26. Epilepsiam sævam post partum hirudinibus internæ uteri parti applicatis curatam ait: vide obs.27.28. Inprimis notabile quod *idem M.P.H. l.1.36.* notat gravidas Epilepsia correptas, ab utero, secta in brachio vena periisse, in talo vero non. *Ermuller.*

159. *Alia ab externis partibus*) Si à parte aliqua externa oriatur, præter curationem universalem, ad eam peculiariter respiciendum est, & materia maligna contenta educenda cucurbitulis scarificatis, vesicatoriis & cauteriis admotis: Et si malum perseveret, supra cauterium, post casum cucurbitula escharæ frequenter admoveantur; ac tandem urgente necessitate ad cauterium actuale confugiendum est. *Riverius.*

159. *Ab externis partibus*) Tum *Catalepsia* vocatur.

160. *A summo vertice*) A carie cranii malum aliquando excitatur, tunc trepano & ustione illa auferenda est. *Riverius.*

161. *A pollice pedis*) Sic ab *Heer* observ.24. refert Epilepsiam ex subita animi consternatione & terrore, ob sollicitudinem stupri, in cujus paroxysmo ægra continuo fricabat *pollices pedis*, facto cauterio in iis cum *butyro antimonii*, sanatam. *Borellus* refert Epilepsiā ex pollice ortam, per cauterium ibi applicatum curatam: *cent.2.obs.95*

Salmuth Cent.1.Obs 90. habet Epilepsiam concitatam per auram ab extremis ascendentem, per ligaturas partibus istis injectas præservatam: *Lindanus* refert de Iuvene qui habuit cariem ossis in *pollice pedis*, ex quo sensit surgere auram quandam Epilepsiæ prodromum: Poterat præsagire paroxysmum, & quamprimum in pede sentiebat morsiunculas istas; statim fasciis cruralibus, quas ex fune confecerat, arctissime constringebat, & si hoc faceret, impediebat paroxysmum; si non faceret statim corripiebatur: Semper, *dicit Lindanus*, quæsivi ex eo, an sentiat aliquid in capite, qui respondebat se nihil in capite nisi vertiginem quandam sentire; *Bartholinus cent.1. obs. 82.* refert Epilepsiam singulis noviluniis cum tumore digiti pedum minimi recurrentem, cauterio isti inflicto curatam.

Hildanus cent.6 obs.24. refert de muliere Epileptica ex aura quadam è sinistræ manus medio digito ascendente reddita, Paroxysmus *aut.* quotidie redibat, de summo digiti dolore queritabat, tum manus contrahitur, brachium convellitur, & tandem motu convulsivo totum corpus percipitur. Cum nullis uti vellet medicamentis, facta circa carpum & brachii partem musculosam ligatura ex corio humano, evanuere omnes insultus. *Ermuller.*

162. *Qui frigidam auram*) Aura hæc assurgens nonnisi sensus fallacia est, Nec enim movens adest quod auram istam propellere, nec spatium per quod moveri aura ista queat, sed potius dum in loco irritationis, ex aucto & simul inordinato spirituum ad locum irritationis motu, in isto loco sensim inchoat convulsio; Primo *est tantum fibrarum levior contractura*, quæ ob continuatum spirituum impetum sensim continuata, successive secundum nervi distributionem sursum continuando pergit, donec ad principium nervorum usque continuato isto convulsionis motu, spiritus animales ibidem violentius agitati, facto quasi agmine & impetu per plures nervos vi-

cinos erumpere incipiant: Vnde ex inordinato isto motu intra cerebrum, non tantum omnium sensuum perturbatio, sed etiam ex simili depravato motu in partes externas, etiam convulsiones superveniunt; Dum vero inchoatus spasmus', seu convulsio secundum nervi ductum, ex spiritibus propter irritationem impetuosius irruentibus, sed ex parte simul nonnihil resistentibus sursum pergit, imaginantur ægri, præsertim cum formicationis quidam sensus interdum superveniat, quod materia quædam subtilis, tanquam *aura* quædam ex uno vel altero membro ita sursum repat, & in cerebro consequenter Epilepsiam inferat; Juvat autem ligatura supra partem primario dolentem injecta, quoniam ligatura tali mediante, pars inferior quasi stupida, indeq; minus sensilis & irritabilis redditur, unde & irritationis sensus, & spirituũ impetus, & fibrarũ contractura impediũtur. *Etmuller.*

163. *Apud Heerum*) Puella in Epilepsiam ex subito terrore incidit gravissimam; cum sævissime convulsa fuit, observo illam duos utriusque pedis pollices confricare, nec ullam in illis movendis quoties paroxysmo libera erat, quietis partem interponere, Extemplo curo fieri *butyrum antimonii, ex aquis antimonii crudi &c. Mercurii subl.* concinnatum partibus, quo utrique pollicum applicito, vesiculisque magnis excitatis, iisq; abscissis, demum carne ad ossa ablata, ab omni paroxysmo triduo liberrima fuit; Quarto die cum levissime convulsam domestici dicerent, sumpto antepileptico ex *cranio hom. pavonino excremento, vesica apri cum lotio in* furno exsiccata, *visco colurno, oleo succini* inodoro, aquisque ei rei dicatis adprime facto, nunquã postea vel umbrã convulsionis sensit. *obs.* 24.

164. *A tumore in femore*) Primus æger qui mihi oblatus Neocomi Helvetiorum (quo advocatus Poliatri munere functurus) erat Epilepticus, ab affectu in summo femore sinistro, circa inguen, in quo percipiebat molestum quendam sensum, sive formicationem, inde lento gressu proserpentem ad plantam usque pedis, quo cum pervenerat, ocyus aura cerebrum invadebat, totumque latus sinistrum spasmodicis motibus ciebatur, quin & faciei pars læva; Ad me in paroxysmo conversus, vides inquit, (balbutiẽs) quã male me habeat hic affectus: Abnuit ille propositam à me inustionẽ summi femoris & tibiç infra genu, qua perteptabat aura; admisit saltem arctam femoris & tibiæ ligaturam, cujus ope inhibebatur ascendens malignus vapor: præsto semper erat fascia cruralis lecti columnæ, eum in usum appensa: Jussit aliquando mensam juxta lectum sterni, cum uxore & liberis cœnaturus: Inter cœnandum adventantem auram percipit; impedit mensa quominus fascia promte posset arripi, interim vapor, per moram suppressus, & cacoethiam nactus, tanta celeritate irruit, ut ægrum extinxerit antequam in auxilium potuerim advocari. §. Vide supra §. *Qui frigidam auram.*)

165. *Alia*) Adde differentiam à *variis motibus & agitationibus* corporis desumptam, Sic Epilepsiæ *Cursoria* meminit *Bootius Tr. de Aff. Om.* *§is c.6.* de puero 12. annor. qui paroxysmo Epileptico vexatus, semper recta percurrebat, per aquam & ignem, tamdiu donec offendiculum occurrebat quod currentem sisteret.

Similem casum habet *Valentinus* Tr. *de convuls.* qui & *Epilepsiam Rotatoriam* observavit. Epilepsiam in cujus paroxysmo *diu & multum ridet* ægra habent *Misc. Cur. anni* 3. *p.* 526.

His ad numeranda ea quam puer adhuc aliquando observavi, dum è fenestra prætereuntes prospicerem, E domo proxima prodiit vir vultu mihi non nomine notus, Galerorum mercator. Is post aliquot passus substitit, manusque alternatim vertavit per id temporis spatium quod bis recitandæ orationi Dominicæ sufficit: Post oculos hinc inde conjecit visurus num conscios infortunii habuisset: Gesticulatoriam hanc specie dixeris.

166. *Vel est periodica*) Etsi solet per paroxysmos redire hic affectus, tamen unico paroxysmo ad salutem aut mortem quandoque terminatur; Non est enim infrequens homines pro sanis habitos, etiam nulla externa dignoscibili causa concurrente, insultu corripi Epileptico, nec prævisо nec expectato: atque eodem, ubi vel diutius protrahitur, vel saltem vehementius exagitat, spiritus animales conterendo & consumendo, cordisque motum necessarium impediendo, aut respiratione læsa cordis internum ignem ad sui suffocationem cogendo, interim & exanimari: Accidit autem talis Epilepsia lethalis, nunc vigilantibus, nunc dormientibus, nunc hilaribus nunc mœstis. Uti autem quibusdam primo sui paroxysmo lethalis contingit, sic alios unico graviori vel leviori duntaxat affligit & postmodum cessit; quod non infrequens est infantibus ante dentium vel variolarum eruptionem, & virginibus ante mensiũ effluxum. *Sylvius.*

167. *In novilunio*) Notandum appropriata Epilepsiæ remedia sub Lunæ mutationibus, præsertim ante Novilunium usurpanda esset, monentibus Practicis.

Cap. XXX.

De Caro.

1. C*Arus est* [2] *somnus profundus* [3] *cum sensus & motus, respiratione excepta, imaginationisque læsione, ab impedito spirituum animalium motu exoritus.*

[4] *Signa* sunt somnus, oculis clausis, tam profundus, ut æger interrogatus non respondeat; sic à Catalepsi & Lethargo distinguitur: membri si pungatur retractio, quod in Apoplexia non fit, libera respiratio, nisi causæ vehementia sit maxima.

Causa est Spirituum animalium in sensus & motum prohibitum exercitium, cujus diversæ causæ in Differentiis exponentur.

[5] *Curatio* est *Nulla*, si in declinatione febrium continuarum, viribus debilibus, accidat.

Difficilior, si respiratio læditur, si cum capitis gravitate conjungitur, quia humore non nimis crasso in nervorum substantiam penetrante & eos extendente, convulsio sequitur: si post aliquam magnam evacuationem advenit.

Peragitur pro ratione Causarum.

Dividitur quinquefariam.

I. Alius est, *quando spiritus animales non generantur*, quod fit, quando vel *arteriæ carotides* spiritum vitalem ad cerebrum vehentes *læduntur*: Vel *Musculi temporales*, insignem consensum cum cerebro per insignes nervos habentes, [6] *comprimuntur* vel *contunduntur*.

II. Alius est, [7] *quando Spiritus animales dissipantur*, quod fit, vel *ab evacuatione*, vel à *dolore exquisito*,

quisito, ab externa aut interna causa profecto.

Vel à [8] *cerebri*, propter nimiam agitationem, *defatigatione*; quod in somno gravi, [9] qui in fine paroxysmi Epileptici accidit, evenit.

III. Alius est, *quando spiritus animales sopiuntur*. Fit id vel.

Externe, idque 1. a *Fumo carbonum* in conclavi accensorum: de quo etiam supra egimus.

2. A [10] *Medicamentis* [11] *Narcoticis*, Opio, hyoscyamo, &c. ubi [12] *Castoreum* cum *Oxymelite* vel *Cassia lignea* locum habent.

3. A [13] *Venenis*, seu assumptis seu extra applicatis, [14] ubi *Theriaca* adhiberi debet.

Vel [15] *Internè*, 1. [16] à *vaporibus* in *febribus* emissis.

2. Ab iisdem ex *vermibus elevatis*: de quibus sui loci sunt consulendi.

Cura ex sequenti differentiæ membro petatur.

IV. Alius est, *quando spiritus ad membra penetrare nequeunt*.

Fit id 1. A *Compressione* cranii & cerebri; de qua supra.

2. A *meatuum obstructione*. Tum pituitæ signa adsunt.

In Curatione, [17] habita totius ratione, Revulsiones, caput purgia, &c. adhibenda, & quid in apoplexiæ cura fiat, videndum.

V. Alius est, *quando Spiritus perturbantur*, ut in ictu, percussione, casu capitis alio &c. quæ suis locis vide.

1. *Carus*) Græce Κάρος, à toto capite nomen habet, Κάρα enim caput dicitur: Et caput in eo maxime est affectum.

Aliter autem D. *Schneidero* dicitur Facta jam, & ad apoplexiam propius accedens facultatis animalis cunctæ abolitio, ab aliqua facultatum animæ male affecta & earum à consensu mutuo trahens originem. *Libr. de morb. cap. Tr. de Caro p. 403.*

2. *Carus Somnus est adeo profundus ut æger vix aut nulla ratione* excitari queat, qui stertendo profunde admodum dormiat, salva tamen manente respiratione: Uno nomine, est proximus ad Apoplexiam gradus: Nam si ab *interna* causa oriatur, revera erit Apoplexia levior: ab *externa* vero *Carus* dicitur: Proprieque Carus est *sopor à vino*, & hinc dicuntur *Carotici* qui post vinum profunde dormiunt; adeoque non tam morbus quam symptoma est, natum ex *errore externo*, v.g. nimia ebrietate, spiritus vini abusu: Pertinent huc *fumi carbonum hausti*, *gas potuum fermentescentium*, qui cum suffocationis periculo Carum inferunt; Nimius *odor Croci*, abusus *fumi Nicotianæ*, Item qui diutius versantur aut dormiunt sub *juglande* solent in Carum incidere; hinc etiam nuces dictæ sunt κάρυα. *Mercurii vapor* pariter carum infert: Adeoque hi sunt *propriè Carotici* qui ex errore quodam externo in tantum profundum somnum incidunt. Quo etiam hi referuntur qui post *contusiones* aut *concussiones* capitis Caro sepulti jacent. *Etmuller.*

Soboles quoque Ebrietatis Carus, cui non prius remedium adhibendum quam præterierit tempus quo ebrietas solvi solet, quo si tunc patiens non expergefit concutiendus & agitandus est, sternutatioque provocanda est; *Amphis* apud *Athenæum* 1. *Dypnos. in fine* remedium habet, nempe tristitiam incutere, aut etiam prodest ad iram commovere, quod se fecisse scribit *Heer observ. 19.* ita scribens. *Mystacis pilos, quando nullus in capite relictus, valide vello; Ille mortuo simillimus, pugno clauso colaphum capiti meo, si posset impacturus, brachium commovet, & iracundissime, inquiens, quid barbam mihi vellis? Ego vero inquam, non tantum tibi vellam, sed momento partim evellam, nisi in lecto sedens, oculos aperueris; Tum ille commotus & valde irans, pede lecticam pulsans, scandulam ejus avellit, atque ille in lecto sedens, si inquit, certo barbam mihi tetigeris, ego manibus meis fauces* [illegible] *am, Postridie ægrum in limine sanissimum reperi*: Hunc ægrum [illegible] apoplectico alius Medicus habuerat, qui [illegible] *ariam* aperire decreverat, eoque fine caput à C[illegible]o undique rasum fuerat. *Dieterius Jatrei p. 6.*

3. *Est Somnus profundus cum sensus &c.*) Carus Lethargo major est & Apoplexia paulo minor, Unde constare videtur *causam conjunctam* paulo altius versus cerebri meditullium penetrare, & in corporis callosi limbo saltem extimo sedem habere; quapropter cum spiritus animales à solita intra hoc emporium expansione cohibentur, imaginationis ac memoriæ actus cessant, & quamvis à sensibili fortiori species impressa introrsum dirigitur, eique motus localis sæpe retorquetur, verumtamen quia impressio isthæc ad Corpus callosum, ob spiritus ibi consternatos minime pertingit, laborantes nullius quod sentiunt aut agunt, conscii sunt.

Itaque morbi hujus causa conjuncta sæpenumero eadem sed paulo fortior est quam Somnolentiæ, Comatis, aut Lethargi, materies scil. morbifica & cerebri corticem & medullas substratas, & meditullii sinus quosdam majores, & morbo ulterius provecto corporis callosi oras superiores occupare videtur: quinimo interdum, prout materies ista gradatim è parte in partem provehitur, morbi isti successive oriuntur, & proximus quisque tantum prioris augmentum est. Interdum vero causa morbifica, sine graduali per partes eas progressu cerebri meditullium afficit, ibidemque (prout levius aut altius insidet) Carum aut Apoplexiam infert.

Quo in casu haud putandum est totum corporis callosi, uti & cerebri corticalis ambitum à materia soporifera occupari, quippe sufficit hanc uno quopiam loco irruentem meditullii partem quandam invasisse, nam propterea statim in tota ista regione spirituum eclipsis, aut saltem prosternatio succedit: Ad hunc modum habere solet quando Carus febri malignæ, aut male judicatæ, vel cum cephalalgia, aut affectibus quibusvis convulsivis supervenit, vel à capitis ictu, casu ab alto, aut propter abscessum in meningibus disruptum excitatur. nam propter hujusmodi accidentia interior cerebri medulla ita comprimi, aut succuti, aliasve alterari solet, ut proinde statim spirituum orbitæ, sive tractus obliterentur. *Willis.*

4. *Signa sunt somnus oculis clausis, tam profundus ut æger.*) In Caro hæc observantur symptomata, 1. Somnus profundus & tantus ut etiam puncti excitari nequeant, licet obscuræ sensationis signum partis punctæ retractione aut contractione exhibeant. 2. sensus externi ad extremum fere stupent. 3. interni nullo munere funguntur. 4. animalis motus cessat, nullusque observatur præter

solam respirationem quæ illæsa permanet, quia perficitur non ad objecti externi perceptionem, hinc & animi affectum inde concitatum, verum ad sanguinis in dextro cordis ventriculo excitatum incendium, hinc & in pulmonalem arteriam motum urgetur.

Differt ab *Apoplexia*, in qua profundior adhuc observatur sopor, absque ullo sensu, & respiratio difficilis cum stertore, quæ integra in Caro, cum obscuro sensu, adeo ut medius quasi inter reliquos affectus soporosos & Apoplexiam sit Carus, & proximus ad Apoplexiam gradus: *Cari* autem in functionibus læsis considerati, causa proxima videntur esse Spiritus animales crassiores, impuriores, ac immobiliores facti, atque adeo minori etiam quantitate ad sensuum motusque organa delati: Quoties ab interna causa, humoribus pura vitiosis, in corpore existentibus, aut assumptis quibusvis, producitur Carus, toties à spirituum animalium dispositione mala & torpore deducentur læsæ in ipso functiones: Cum vero ab ictu gravi capiti inflicto, aut casu in caput contingit similis læsio, adeoque casus, difficilius erit ex spirituum animalium torpore ipsum deducere.

Contingit autem nonnunquam ut gravem capitis ictum, aut casum sequatur *Carus*, adeo ut attoniti sicut peritissimi etiam medici ad attonitos, extemplo ex casu ictuve ægros, & augescente malo paulo post apoplecticos, fato brevi cedentes: eodem vero remediis cedente, paulatim ad pristinam sanitatem restitutos, Hujusmodi Carum probabile est propter conturbatum spirituum animalium motum, aut sanguinis, hinc & spirituum defectum, excitari, atque idcirco in Apoplexiam sæpius desinere lethalem, & revera gradibus tantummodo differunt. *Sylvius Pr.l.4.c.30.*

5. *Curatio est nulla &c.*) Cari prognosis nonnisi mala plerumque institui potest, præsertim si febri malignæ, vel diuturnæ ac lentæ non iudicatæ, aut quæ in puerperis est, supervenit, Nec minus periculi minatur si morbis aliis cephalicis succedit, vel ob capitis plagam excitatur; verumtamen non statim in his casibus curationis spes omnis abiiciatur, nam & ipse observavi quosdam ad hunc modũ affectos, & pro deploratis habitos convaluisse: Eventus sive in mortem sive in salutem varius esse solet: non raro in Apopl. cito lethalem *transit*, ut post amissam 1. facultatem animadversivam, brevi ἀναισθησία & ἀκινησία, deinde propter labem cerebello transmissam respirationis & pulsus alterationes, atque brevi mors ipsa sequatur.

Interdum vero materia morbifica altius subsistente, & à corpore calloso in corpus striatum unum, aut simul utrumque prolapsa, cerebrum paulo clarescit, ita ut affecti circumspiciant, loquantur & cognoscant, attamen in toto præterea corpore paralysis aut hemiplegia succedit; Verum neque sic, quoad vitam, res in vado est, nam sæpe quando cerebrum restitui, cerebellum deterius habere incipit, ut proinde spiritibus qui functionis vitalis, & mere naturalis munia exequuntur ibidem male affectis, aut spasmi in visceribus & præcordiis, aut pulsus & respirationis impedimenta lethifera excitantur: quandoque tamen cum materies morbifica, nec adinodum copiosa, nec nimis maligna est, illa partim in sanguinem resorbetur, partimque discutitur, ita ut affecti integre convalescant. *Willis.*

a. *Peragitur pro ratione causarum*) Affectus soporosi vel à causa externa, vel interna originem ducunt, Si à *causa externa*, *assumptis* vel *usurpatis*, post *vomitum* convenit *acetum* & *castoreum*; Si à *causa interna*, habenda est ratio an per se & primario morbum constituant, v.g. *lethargum*, An vero aliis morbis in statu demum aut declinatione superveniant; Si *per se morbum constituant*, attendendum an vis narcotica, an vero colluvies recrementosa, in specie serosa, eos inducat, Quod si *vero aliis morbis superveniant*, & metastaseos materiæ morbificæ suspicio subsit, vel si per se ex colluvie recrementosa originem duxerint, *Vomitus, Purgatio, Vena sectio*, aversoria & derivatoria; Item *Sternutatoria* & *Vesicatoria* sunt optima, quibus tandem *acria* & *volatilia*, spirituum torporem excutientia subjungantur. Sin vero ex *vi Narcotica* plus minus maligna originem ducant affectus soporosi, post *vomitum*, vel præmissum vel omissum, *acria volatilia*, sensuum organa fortius vellicantia, & spirituum torporem ac immobilitatem corrigentia, vel in specie *acria, acida, volatilia*, virulentiæ narcoticæ speciarim contraria; Hinc olim & Comati vigili malignarum, Item comati soporoso vesicatoria & cataplasmata pedibus applicata sunt optima. *Etmuller.*

6. *Comprimuntur vel contunduntur*) *Contusio* si in capite appareat, & sanguinis grumi in cerebro suspicio fit, ea quæ in contusionibus extrinsecus adhibentur, usurpantur E.g.

℞. *absinth. m.j. flor. rosar. rub. & chamom. ãã. pug. j s. Pulvis, coq. in oleo rosac. contundantur, addendo far. fabar.* ℥j. *sangu. drac.* ʒij. *mumiæ* ʒiij. *f. Cataplasma*, Per os, quando aliquid sumere possunt, eodem nomine sanguinis grumos dissolventia dantur.

7. *Quando spiritus animales dissipantur*) Absumptio eorum in cerebro, quapropter homo apoplecticus fiat, mors ipsa, quam jamjam instare prædicere oportet, omnem curandi rationem antevertit. *Platerus.*

8. *Cerebri*) Quæ pars Cerebri præsertim afficiatur vide §. *Carus est somnus profundus qui sensus &c.*)

9. *Qui in fine paroxysmi*) Vis maligna in corpore quoque, ex humoribus in venenatam qualitatem degenerantibus, suscitari potest, in febribus malignis, pestilentialibus, quarum evaporatione cerebrum inficiatum sopore gravi & lethargo gravari potest: Quod & in *Epilepsia* inde profecta in fine paroxysmi accidit, dum illos tunc sopore, vel stupore premi; non tam ob defatigatum nimia agitatione cerebrum, quam quod vapores hi maligni, qui prius nervosum genus afficiendo motus illos epilepticos causabant, cerebrum postea labefactantes soporem vel stuporem aliquandiu, donec vapores hi discussi sint, & paroxysmus solutus sit, inducunt. *Platerus.*

10. *Medicamentis narcoticis*) Prout somnus non naturalis, ita præternaturalis, à spiritibus primo dejectus incipit, cui dein usitatum est causam alteram succedere; Hoc ab *Opiatis* fortioribus sine prævio corticalis cerebri diluvio, aut infarctu, passim contingere unicuique obvium est: nec enim probabile est Narcotica humores concitare & ad cerebrum mittere, cum plane constet horum effervescentias omnes & fluxiones ab iis sedari: Attamen si modus & ratio quibus Opiatæ somnum, & quandoque torporem exitialem inducunt inquiritur, dicendum erit *pharmaca* hæc quoddam *veneni* genus esse, spiritus animales afflatu suo pessiundans, & quasi extinguens, sanguine interim & partibus solidis pene illæsis; quare cum spiritus animales efferi, imo & velut œstro perciti, huc illuc se proripientes compesci & sedari nequeunt, Opiatæ exhibitæ, velut aqua flammæ nimis auctæ injecta, eorundem manipulos quosdam extimos perimunt proinde ut reliqui, statim minores facti, introrsum fugati placide succumbant. Narcotica hæc ore sumpta vires suas partim in ventriculo, & quidem immediate, partimque in cerebro, tum illo tum massa sanguinea mediantibus exerere solent.

In utraque provincia cum moderata sunt, spiritus quosdam irrequietos blande intoxicant, proinde ut reliqui mox compescantur; Sin vero in dosi nimis larga quispiam Opiata sumit, tum in ventriculo tum in cerebro noxam illico persentiet, & paulo postea cum utrique

utrisque magis infestam [illegible] is parietur; nempe in suo nacho gravitas [illegible] velut pondus immobile ipsum & partes vicinas [illegible] mere videtur; indicio sane altius loci horas [illegible] qui prius accubabant eas [illegible] empius) [illegible] cadaverosas fieri, deinde ob particulas opiatas, cum sanguin. ad cerebri ambitum circumductas, ejusque cortici instillatas, spiritibus inde fugatis, aut extinctis, corpor. irresistibilis, & non raro lethalis subsequitur [illegible] à noxa graviori, fere tanti [illegible] fortioris ipsu inflicta, novi interdum mentem ipsam, priusquam somnus longa ambage accersendus obreperet, insequutam fuisse, *Willis.*

10. *A medicamentis Narcoticis*) De his dubium est in scholis medicis quomodo agant; Licet enim saniores omnes negent [illegible] am illam & decantatam veterum hypothesin, Narcot. omnia esse frigida, & tanto frigidiora quo magis talia, desumptam forsan à mechanica externa, quod viderint externa narcotica esse stupefactiva; unde hæc cum soporativis eadem gaudere virtute putatum est, unde etiam in Opiatis electuariis omnibus, ut theriac., Mithridatio, ne ipso quidem elect. diascordio penitus excepto, calida, piper, sinapi, cardamomum, & alia velut genuina corrigentia addidere; In diversas tamen abeunt partes.

Ut rem summatim complectamur, eo res rediit ut alii ad privativam, alii ad positivam magis vim agendi inclinent. *Privativam* voco, qua statuunt partim destruere & pessundare spiritus Opiata, qua strage edita consequuntur effectus Opio proprii; partim eorum motum impetumque sistere sufflaminareque, unde consequenter fibrarum sensitivarum tensiones tantum non spasmodicæ, & motdinationes tum ipsarum, tum fusorum humorum sistantur, idque ob solos spiritus, adeo ut humores actionem nullam ab Opiatis in se sentiant.

Positivam, quando ab inductis humoribus serosis simul alteratione & vi, & mediantibus hisce spiritibus, cum [illegible] talibus tum animalibus, ligatio quædam inferatur: Hanc omnino locum habere statuimus, quia 1. non [illegible] tur medicamentorum internorum actio in spiritus, nisi per medium humorum; non agunt nisi sint soluta, licet non opus sit ut mole sua ingrediantur M S. sufficit quod menstruum universale, serum, imbuant, & sigillent sua qualitate, 2. Quia serum est vehiculum ut alimentorum, ita & medicamentorum & venenorum ipsorum. 3. quia sero proportionaliter non præsente, nulla spirituum ab Opiatis in somnum fit propensio 4. quia somnus ipse fit [illegible] nam in sanis occlusione pororum cerebri per humidum vaporosum, ligans, sulphureum neque somnus hic ab Opiatis illatus cum somno à privativa causa, lassitudine & paupertate spirituum producto convenit, sed potius cum aliis vaporosis, exemplo ebrietatis. Quin ipsi phænomena alia, male evenientia, ab obnubilatione spirituum optime possunt deduci. Ubicunque ergo, vi dictæ regulæ, sulphur ad st vaporosum, [illegible] dum, resolubile, ligans spiritus & poros occludens, ibi est positiua talismodi [illegible] sa.

Neque obstat minima illa quantitas, ordinarie pro vigi[illegible] sedandis dari solita; sulphur [illegible] vaporosum in min[illegible] agit calore & humore h. l. mediante, Nihil tam diffusum est ac sulphur alas adeptum, seu sal volatile [illegible] co um, sulphur volatile, exemplo moschi, quod [illegible] us quam millesima sui parte odoriferum est, & h[illegible] au g[illegible] unum datum interius quibus non p[illegible] [illegible] alia licet, afficit humores & sp[illegible] us T[illegible] mus Emetica, eodem minimum sui ponde[illegible] a, u [illegible] *tartarizat.* gr. 1. vis vicesi[illegible] a [illegible] antimoniatum est; imo ulterius progredi licet, [illegible] tamen vomitum movet, agendo in humores eosque fermentando & irritando: Argumentum ergo illud, quicquid minima quantitate agit in corpus, agit in spiritus solos, non humores, non partes solidas, non succedit vel valet; Tacemus Mercurialia, vel similia minima mole summe activa, etiam quæ Opio; Neque enim observatum quempiam *tartarum emeticum*, vel mercurium diaphor. potuisse sumere innoxie, vel citra effectum ullum, à ℈ß ad ℈j. ad ʒj. ad ℥j. quod de opio observatum est. *Wedelius A. M. M p. 456.*

12. *Vbi castoreum cum oxymelite*) Narcotica assumpta si soporem aut stuporem inducant, tunc vomitus quam citissime erit provocandus, actu fauces irritando, vel exhibitis quoque, si deglutire possint, vomitoriis, Propinanda quoque ea quæ Narcoticorum vim possunt infringere, cujusmodi sunt quæ leniendo temperie quadam ipsorum caliditatem potius quam frigiditatem emendant; quibus & tunc præcipue utimur cum à narcotico vehementer corpus ac enditur, sicuti à *spiritu vini stuporem mortalem* & *summum* simul æstum excitari observavimus: Quo in casu, ut & aliis à simili causa excitatis, *Lac* exhibemus *naturale*, & *factitium* ex *amygdalis* & *sem. cucurb.* paratum; *Butyrum* item, *oleum comm.* & *amygdalinum*, aliaque pinguia & mucilaginosa, qualia & in erodenti veneno competunt: Sed & *Acida* exhibita, uti acrium humorum & bilis effervescentiam, sic & narcoticorum efficaciam retundunt, quæ ego potius exhibere soleo, ut *succos acidos* vel *syrupos*, vel ipsum acetum, quod & *ebrietatis*, proin remedium certissimum esse novimus. *Platerus.*

13. *A venenis*) Venena quædam abscondita vi soporem inducunt, extrinsecus illata, per ictum bestiarum quarundam, sicuti ex morsu aspidis soporem lethalem succedere *Plutarchus* in morte *Cleopatræ* scribit; Quin vas maligna in corpore quoque excitari potest, *Vide § Qui in fine paræxysmi.*

13. *A Venenis*) *Causis occulta vi agentibus accense Dæmoniacum soporem*, ubi cum causa præternaturalis sit, non naturalibus remediis, sed precibus & vitæ emendatione curabitur: quod si ea facere recusent, dignæ quæ igne adhibito purgentur. *Platerus.*

14. *Ubi Theriaca*) Maligna qualitas, quam recte explicare, non possumus, si extrinsecus adveniat *ab ictu bestiæ*, unde sopor vel stupor, tunc antipharmaca hisce venenis resistentia erunt exhibenda, qualia suo loco describuntur. *Platerus.* Ipse vero *Theriacam* ad narcoticorum vim retundendam improbat, quia *Opium* in sui compositione recipit,

Carus à pituita.

15. *Vel interne*) Est quoque interdum cerebrum refrigeratum & humectatum à pituita: Accidit potissimum senibus & phlegmaticis, & constitutione aëris frigida & humida. Si fiat à pituita cerebrum refrig. & humect. ac meatus ejus obturante, eo modo procedendum quo in Apoplexia. *Schizzius man. p. 1 8.*

In Caro pituitoso nihil præstantius est quam *nasturtii* tam cocti quam crudi in acetariis usus. *Forestus lib. 10. obs. 38.* Cari ab hac causa inducti curati vide exemplum, *apud Platerum in observat. l. 1. pag. 7.*

℞. *baccar. lauri & junip. ãã.* ℥iß. *rad. Angel. zedoar. imperat. ãã.* ℥j *rutæ, satureia, majorana flor. lavend. ãã. m.* ß *coque in aceto.* Hoc decocto spongia vel licium imbutum capiti calide applicetur.

Mirum quantum auxilium soporosis affectibus hoc auxilium afferat. *Riverius Pr. l. 1. c. 2.*

16. *Interne à vaporibus in febribus*) An Lethargus, vel affectus soporosus, etiam ab humore Narcotico intra nos genito (prout à Chymicis quibusdam asseritur) exoriri potest? Satis constare arbitror aliusmodi parti-

culas morbificas quæ sunt *elementares* & *humorales* vulgo dictæ, in corporibus nostris produci, eaq; variis modis, afficere, videl. præter *aquosas, terrestres, biliosas, pituitosas* aut *atrabilarias*, etiam *vitriolicas, nitro sulphureas*, aliasque *salinas, salium* ac sulphurum enormium participes, atque malo nostro activas detegere licebit: Pathologia spasmodica non alia ratione tradi, aut explicari potest, nisi supponendo corpuscula quædam extranea, &, velut nitro sulphurea, quæ spiritibus adhærentia, & ab iis denuo elisa, ipsorum impetus quasi explosivos, h.e. convulsivos ciente, pariter opinari fas sit alia [illegible] ius indolis, forsan *spiritus vitriolici*, aut *narcotici* æmula progigni, quæ si quando in cerebrum & nervosum genus irrepserint, spiritus quosdam animales, quales forte occurrunt, extinguentia & figentia, eorum deliquia & eclipses, quales in vertigine, apoplexia, aut paralysi obveniunt, passim inducunt; Pariter in Lethargi paroxysmo immani, licet improbabile sit particulas ejusmodi *narcoticas* tam ingenti copia in cerebrum à sanguine confertim derivari ut spiritus in toto ejus ambitu hospitantes una omnes obtuant [illegible] atque, attamen hoc in causæ partem arcessi debere merito putamus. Quare an *somnolentia* quavis diuturna, sive dispositione lethargica, spiritus anim[a]les tali copula lethæi onustos suspicamur, & contra eam medicinæ tela quædam dirigimus. *Willis.*

[17] *Habita totius ratione*) In *Caro*, vel Stupore ubi primum aliquid assumere possunt, statim *cathartica* erunt exhibenda, sed quæ parva quantitate [illegible] ab [illegible] dum excitantur, velut uno haustu; minori labore, cum vix obtemperent, deglutiri possunt. Et proin si Pilulas exhibere velimus, cum arduum sit eas assumere, illas potius dissolvemus, insuavitatem hic nihil metuentes, cum paulo stupidiores id minus observent: Sed [illegible] Tabulas dissolutas exhibebimus, ut *Diacarth. Diatur. Diacitro solut.* Platerus.

Cap. XXXI.

De Apoplexia.

I. Apoplexia [1] *est repentina omnium* [2] *functionum animalium* [3] *abolitio* [4] *(sola restante aliquandiu, licet* [5] *afflicta, respiratione, ob* [6] *angustiam & occlusionem meatuum* [illegible] *circa basin cerebri,* [7] *per quos spiritus animales ad membra derivantur, exorta.*

Pars affecta est [8] Cerebrum, [9] non solum secundum ventriculos, [10] sed etiam secundum poros, & potissimum [11] circa partem inferiorem & posteriorem, ubi [12] nervorum principium.

[1] *Apoplexia*) *Morbus Attonitus* alias dicitur Ἀστροβλησμὸς, Sideratio, Ἐμβρόντησις. Affulguratio; Τὸ βληθῆν, Ictum: Ἀφωνία vocis defectio, Παράλυσις, Dissolutio vel Resolutio nervorum: Σφάκελος, ἢ σφακελισμὸς, corruptio: Ἀποπληξία, Percussio: Ἔκπληξις, Obstupescentia: Κατάπτωσις, Attonita concidentia. *Iustus Cortnummus De Apopl. C.1.*

[2] *Apoplexia*) Τὸ ἀποπληκτικὸν, quid differat à simplici πληκτὸν cum inquiro, invenio τὸ ἀπὸ augere hic significationem, ut in ἀποπλανάω, ἀποδιδράσκω &c. Cum igitur significet *vehementem ictum infero*, qualem popæ victimis suis, unde subito concidebant animalia, si tale quid homini accideret ἀποπληκτικὸν vocabant; affectum ipsum ἀποπληξίαν, ἢ ἀποπληγίαν, ἢ πάθος ἀποπληκτικὸν: Cæterum cum fieri aliquando viderent non in toto corpore, sed vel in alterutro latere, vel in certa parte, ἡμιπληξίαν vel ἡμιπληγίαν (Semi apoplexiam dicunt quidam) vocabant accuratiores: His prudentiores cum intelligerent symptoma quidem simile esse, affectum etiam longe dissimilillimum, quin alterum quidem subito fieri, alterum autem fere succedere Apoplexiæ & lente, illi quidem reliquerunt nomen ἀποπληξίας, huic autem finxerunt aliud & παράλυσιν vocarunt: Nimirum si distincte, & ad usum artis loqui volumus, Apoplexia fit cum occupato cerebro universo, neque medulla spinalis quicquam inde accipit spiritus, neque nervi musculique, salvis interim omnibus illis, neque ullo modo affectis: *Paralysis* autem cum liberato cerebro; medulla spinalis, & inde orti nervi imbuuntur humore tenui & seroso, atque ita inepti fiunt transmittendis spiritibus: Ita si pars aliqua spinæ peculiariter afficitur paralysi laborant partes illæ in quam spinæ illi nervi eunt. Et hæc quidem apud accurate loquentes nominum distinctio est, apud reliquos Apoplexia est Paralysis, & Paralysis est Apoplexia. *Hofmannus Institut. libr. 3. cap. 91.*

[1] *Apoplexia*) Veteres agriculturæ studiosi [illegible] bant nomina sua à plantis & frugibus ad an[illegible] cut igitur in agro aliquando fit subito [illegible] cum à canicula (quæ astrum simpliciter dic[itur] apud *Hesiodum* & alios) amburuntur sata arboresve vel ἐμβρόντητα, cum fulmine tonitruve afflantur [illegible] cum animalia subito concidunt quasi mortua [illegible] dicuntur ἀστρόβλητα. Latinis *siderata* & *attonita* [illegible] βλητὰ & ἐμβρόντητα, uti affectus ipse sideratio & affulgu[ratio]: Fit hoc ipsum à pruina quoque cum folia [illegible] nigra: Hoc malum Græcis dici nonnunquam σφα[illegible] σφακελισμὸς ut non nego, ita siderationem verti no[illegible] nam, Est enim totalis partis alicujus corruptio, [illegible] græna differens magnitudine, ita [illegible] [illegible] tuus patent. *Idem ibidem.*

[1] *Apoplexia*) Vi vocis percussio[nem] [illegible] denotat, & ob stupendam affectus naturam, quasi [illegible] connectentem, *Side*ratio appellatur, nam [illegible] tanquam ἀστρόβλητοι aut numine invi[illegible] u-brio ad terram concidunt. atque se[illegible] & [illegible] iva-ti, totaque functione animali [illegible] sante, quasi exanimes aliquandiu jacen[t] [illegible] quandoque mortem obeunt; sin revivi[s]cunt [sæ]penumero paralysi universali, aut hemipleg[ia] affi[ciuntur]. *Willis*

[1] *Repentina*) *Walaus in Med. Pract.* A[illegible] esse ait Abolitionem sensus externi & motus, [illegible] *repentinam*, quia aliquando tarde [illegible] idit, quia [illegible] muliere quadam Apoplexiam incipientem ante [illegible] timanas.

[1] *Apoplexia est repentina omnium functionum &c.*) Definitionem hanc affert *Pr. S[illegible]* Pr.[illegible] *[e]st a[ff]ectus in quo attoniti stupitum instar [illegible] entes stupent agri [illegible] vel externo vel interno, nullo [illegible] animali per [illegible] rum in totum abolito*, ubi [illegible] gr[a]v[illegible] Apoplexia, in mitiore namque symptomata sunt remissiora.

Fun-

1. *Functionum animalium abolitio*) In sensuum abolitione convenit Apopl. cum Epilepsia, In motus autem læsione differt. qui in apopl. abolerur, in Epilepsia convulsivus fit.

2. *Est repentina omnium &c.*) Sic describit *Platerus Pr. l.1. c.2.* Stupor, Stupiditas, cum corporis languore seu resolutione, Obstupescentia, Ecplixis, Apoplexia, dicitur, Estque affectus in quo non dormiunt, sed attoniti stipitum instar jacentes stupent, sensibus omnibus ex æquo, & motu quoque simul abolitis. Quæ accidentia mitiora nonnunquam sunt, alias vero graviora, in quibus sensus & interni & externi simul tolluntur, unde nullius rei habent intelligentiam, nec vident, etsi ex illis quidam oculis fixis aliquem intueri videantur, nec clamores audiunt, nec puncti aut usti sensus signum dant: motu quoque corporis omni in momento privati corruunt, omnia ipsis membra resoluta languent, nec loquuntur, nec deglutiunt, sola respiratione, sed perquam obscura remanente, cujus efflatio ex ore vel naribus, ellychnio admoto, interdum vix ex motu illorum potest dijudicari; vel quæ cum magna difficultate & stertore in jamjam moribundis ducitur, pulsu interim pleno & valido in hac dyspnoea, sed admodum inæqualiter sese declarante, idq; tamdiu donec redeuntibus sensibus iterum ad se redeant, vel, si gravior sit, resoluti maneant, vel si pessima sit, mox respiratione penitus sublata suffocentur, spuma tunc ex ore ipsorum profluente.

2. *Apoplexia est repentina omnium &c.*) Brevius describit *Justus Cortnummius l. de morbo Atton. c.8.* *Morbus Attonitus est hæmostasia in cerebro.* Duo, ait, in sanguine ut plurimum & prudenter sane considerat *Hippocrates*, σύστασιν. *consistentiam, compagem, substantiam, corpus, coagmentationem, concretionem*, &c. καὶ κίνησιν. *motum*, quem *l. 1. de Diæta* & lib. *de Insomn.* expressissime vocat περίοδον, circuitum. Utraque tam σύστασις quam κίνησις, siui οἰκείως h. e. secundum naturam se habeat, sit naturalis, sit solita, sanitas hominis constat, sin, varii ingruunt morbi.

Σύστασιν suam amittit sanguis, vel per res alienæ admistionem, vel per propriam in seipso alterationem, & corruptionem, ob qualitatum dissidium aut exuperantiam, quod *Hippocrates* sanguinis διάλυσιν, resolutionem & φθορὰν ἢ διαφθορὰν. corruptionem vocare consuevit passim.

Periodum suam amittit sanguis, vel cum κινηθῇ μᾶλλον τοῦ εἰωθότος, movetur plus solito, ut *l.2. de morb* scriptum est, & cum διακινῆται καὶ κίνησιν ποιῆται, ἢ ἔθος εἰωθὸς, emovetur, & *motio fit præter solitum, non consueta, ex lib. 1. de morb.* tum fere fiunt delitia.

Vel cum celebratissima fit φλεβῶν ἀπόληψις, venarum interceptio, quam *Galenus* recte exponit per *venarum repletionem à copia factam*, copiam istam nihil aliud quam sanguinem esse non ignorare, doctus in venis nil nisi massam sanguineam contineri, quæ nimium aucta aut concitata sibi est impedimento quominus liberum possit habere motum. Eo denegato sequitur πνευμάτων ἀπόληψις, & spiritus prohibentur influere in partes ubi functiones debebant obire, Hoc *Hippocrates* vocat sanguinis στάσιν, *stationem, pigritiem, moram*, cum spiritus in eo obruuntur, conculcantur & supprimuntur, usq; viarum omnis adimitur libertas, Barbari significanter vo[illegible] *conculcationem, incuneationem.*

A[illegible] apud *Hippocratem* στάσις. 1. interdum idem est qu[illegible] στάσις, remora, suppressio & effertur de restitantibus alvi excrementis, *lib. de Loc.* 2) Denotat membri alicujus immobilitatem, velut *lib. de V. Ac.* ἀκρατέων στάσιες, *acutiorum immobilitates*, non vana plethoræ παρεμφάσει, cum nimirum sanguis præ mora stationem facit, nec liberum habet fluxum & refluxum. Vel non potest ἐπ' ἐρυθρῶν ὁδοὺς βαδίζειν, naturales vias ingerdi, iij. Sanguinis suppressionem arte factam significat, *6. Epid. 7. 3.* ubi ἀκρίτου φλεβῶν στάσις. sanguinis vasorum suppressiones vocantur, cum sanguis cohibetur lipothymiis excitatis, vinculis, emplastris, aversionibus &c. Tandem iv. sanguinis stationem & moram ubicumque etiam fiat designat, ut *4. de V. Ac.* ubi morborum cumulum exhibet ὑπὸ τῆς αἱματώδεος στάσιος, à sanguinis mora factum, quem plenitudini sanguineæ adscribit, quæ impedimento est quo minus sanguis & spiritus possint naturales vias pervadere, *sicut enim non potest spiritum flare*, i. e. quiescere, *sed meat sursum & deorsum.*

Huic nemini amplius dubium manet, quod αἱμοστασία sit, *sanguinis sufflaminatio*; sufflaminatio est abjectio sufflaminis, *sufflamen* vero est lignum quo rotarum impetum in declivi aurigæ cohibent.

Sufflamine in vasis objecto, fit στάσις Hippocratica, & *motus cessatio*, motus interceptio, interrumpens perpetuum sanguinis in corpore circuitum, *Galenus* ἀπόληψιν appellavit: ubi ubi interceptio ista fiat morbi sunt præsto, *Quod si steterit alicubi, & interceptus fuerit, impotens fit pars illa*, inquit, *Hippo. 1. l. de morbo s. 1.6.* In vasis cerebri cum στάσις, sufflaminatio dicta, derepente intercipit functiones animales, vocatur interceptio ista, vetustissime Procerum consensu, Morbus Attonitus, per *Hæmostasian*, ob latini sermonis egestatem definiendus.

Quia vero plures hæmostasiæ varios in corpore humano faciunt morbos, generi addenda erat differentia specifica, qua certus & quidem attonitus morbus tantum denotetur; Eam nihil melius designat quam locus affectus, qui ibi est ubi arteriæ sinubus egressę proxime, descendunt in ipsum cerebri corpus, h. e. substantiam illam albam quam proprie cerebrum vocant omnes Anatomicorum filii. Locus iste quia proprium & peculiare nondum inveni nomen, cerebrum dixi, totum pro parte ponendo, Patiantur Aristarchi has voces, dum commodiores aliquis monstraverit.

Vides quam paucis, duobus saltem verbis, constet definitio hæc, vera atq; utilis; *Vera* ea est, quæ plenam & certam suppeditat morbi cognitionem, *utilis*, quæ utiles exhibet indicationes, ad sanitatem reddendam omnino necessarias, quales non possunt haberi nisi ex definitione essentiali, tradentem causam efficientem, materiam & locum affectum &c. *Cortnummius c. 8.*

Fr. Bayle Tr. de Apopl. hæmostasiam illam ab *humore melancholico*, sanguini admisto, στάσιν illi & immobilitatem conciliante deducit. Præcipua, *ait, c.7 p.87.* melancholiæ qualitas, à qua potissimum ipsius activitas depẽdet, est *aciditas*, [illegible] jus, quãdo est moderata, moderatã sanguini consistentiam largitur; immodicam vero quando copia excedit, & aucta aciditate facta est acrior, maxime si conjunctam habeat austeritatem, aut acerbitatem, tunc enim *insignem vim habet figendi sanguinem.* Testatur enim experientia sanguinem affuso acido non modo extra vasa facilius concrescere, & quod ab ipso secretum est serum, instar aquæ limpidum & liquidum, affusione acidi pari modo coagulari, sed etiam intra vasa si acidi liquores infundantur, easdem excitari coagulationes; Cum ergo acida vim illam obtineant, manifestum est melancholiam in aliqua parte collectam, & factam acidiorem, si inde dimoveatur, & in massam sanguinis confluat, posse in illo coagulationem excitare, spirituum motum sufflaminare, eorumq; generationẽ prohibere. Si illa melancholiæ acidioris collectio, & in sanguinem effusio contingat in cerebro, necesse est in illo spirituum generationem & influxũ minui aut omnino prohiberi, provt major aut minor fuerit humoris multitudo, major aut minor ejusdem aciditas, aut austeritas.

3. *Abolitio*) Læditur functio cum *non* fit, aut *aliter* quam oportet, Heic cerebri functionẽ prorsus non fieri nemo est qui ignoret; At vero cum eadem rursum aut simplex sit, vel *abolita* vel *intercepta*, considerandũ quænã ex us sit morbi attoniti effectũ, quod cujusq; ab altera discrepãtia innotescet; *Abolita* functio est quæ ita non fit, ut neque fieri iterum possit, quod non contingit nisi functionis organo aut amisso aut corrupto; Cũ enim heic privatio sit, à qua ad habitũ nõ datur regressus, nemo proprietatis vocũ amãs hoc symtoma [illegible] attribuere audebit,

eo quod sic attonitorum nullus possit restitui, quod in sensum impingit, Restat ergo ut sit functio intercepta, quæ fit aut spiritu non influente, aut influere prohibito; Non influit in syncope & similibus, sed tum spiritus deficit nô tantum in organo animali, sed in toto corpore, & in solo corde intercipitur, ubi haud aliter superest vivitque ac scintilla in multo medióq; cinere, cui defectioni floridus attonitorum faciei color pulsus validus & similia symptomata reclamant. *Cortnummus c. 11.*

4. *Sola restante aliquandiu*) Superstitis in Apoplexia respirationis, cum motus cæterarum partium aboleatur, rationem hanc *Regius Med. 4. p. 302.* Quia videlicet spiritus animales, qui supersunt, viam per nervos, respirationis instrumentis dicatos, ad influendum inveniant. Hi enim nervi ob motum respirationis (qui jam inde à prima nativitate & dormienti & vigilanti sine ulla intermissione continuatur) magis quam reliqui omnes totius corporis nervi & musculi (quippe qui per vices sæpius quiescunt) ad spiritus recipiendos vicissim sunt adaptati, Et cum hæc manifesta & sufficiens causa sit, nequaquam ad miram & occultam naturæ providentiam, ac summam respirationis necessitatem confugiendum arbitratur.

Non dissimilem rationem reddit *Craanen Pr. Med. Reform. c. 4.* In Apoplexia, *ait*, respiratio tantum superest, & non aboletur, quia nervi per quos nocte dieq; fluunt spiritus, sunt patentiores, & proinde minus apti ut obstruantur. Nervi autem respiratoru cum valde pateant, vix ita obstruuntur quin aliqui adhuc pori aperti maneant.

Hinc collige stertorem gravissimæ apoplexiæ indicium esse, quippe cum summe impedita sit respiratio.

5. *Afflicta respiratione*) Respiratio difficilis est, quia ad respirandum vi opus est, nam cum diaphragma deorsum movetur, necessario viscera resistentia propellit, ad quod vis quædam requiritur, quod licet nos non sentiamus, tamen diminutis spiritibus manifeste sentiri potest. *Craanen ibid.*

Paucis & verissime *Cortnummius*, Respiratio actio est partim animalis, partim naturalis, *illa* cessat, *hæc* facit quod potest.

6. *Ob angustiam & occlusionem meatuum*) Distant ab invicem Apoplexiæ & Epilepsiæ causæ & modi, quos congeneres affectus, & tantum secundum magis & minus differentes vulgus Medicorum affirmat. Nulla quippe obstructio necessario Epilepsiam præcedit, quam sola irritatio & appulsus molestus ad partes sensu præditas producit, cum *Apoplexia nunquam sine spirituum interceptione suboriatur, quam impedimenta viarum* patiunt; sive majorum, nec proximarum radici nervorum, Retis v. g. mirabilis, aut Plexus choroeidis; Sive minorum vel etiam minimarum, atque radici proximarum, perque substantiam cerebri discurrentium, quæ raro quidem aut nunquam curationem admittunt, Tunc enim fortis dicta Apoplexia succedit, quæ debilis plerumq; etiam sanabilis, si in majoribus viis impedimenta contigerint, in quibus semper minus phlegmatis materia incuneatur, & inculcatur, & multo facilius removetur. Quod si spiritus impurior, subque phlegmate immistus, in nervorum exordia, araneæ filis tenuiora, à principio descendat, quod obstruxerat, ac morbum veluti à fonte in rivos transferat, Apoplexiæ loco Paralysis succedit, spatiis præpeditis fibrillarum nervosarum extra cerebrum, per quæ spiritus usque in extremos nervorum terminos [illegible]vantur.

Quare nihil inter Apoplexiam & Epilepsiam commune [illegible]st, cum *illa* nunquam sine obstructione ab humore contingat, sive humor sanguis fuerit, vasis aut [illegible]ribus cerebri conclusus, sive ex ictu & vulnere usdam infarctus, & ea sanguine reliquo seclusus restagnet; sive lentor & cruditas permaneat, cum spiritu, per vias priores, tunc forte ex incalescentia particulas nimis, quæ ulterius progressa, ubi in vias angustiores irrepserint, neque extenuari queant, ac proinde ibi hærere cogantur, & vias spiritibus dicatas obstruere; quorum neutrum accidit in Epilepsia, cujus autor sola est irritatio à vapore tenui, sed acri, aut ratione alia molesto. *Molinetti Differt An. Path. c. 23 p. 114.*

6. *Angustiam & occlusionem meatuum*) Causa immediata (juxta definitionem) est prohibitus spirituum animalium in principium nervorum influxus, quem quid[illegible] ob viarum angustiam fieri ratio dictat & porosa [illegible] cerebri substantia confirmat; Non est autem ut hanc [illegible] Torculari cum *Nummanno* quæramus angustiam [illegible] etiam illo penitus obstructo sat sanguinis in cerebrum advehi possit, multo enim certius illa in nervis & v[illegible] sanguiferis reperitur. Neque vero dari [illegible]o commodior potest, cur tam repente in toto corpore omnis & sensus & motus aboleatur, quam quod spiritus [illegible] lis facultati non gerat motem, ac proinde nullum [illegible] plius τ̃ ὁρμῶντος edere officium valeat, *Hippocrat[illegible] quidem l. 2. de morb. & 4 Acut. stationem sanguinis* præcipu[illegible] in arteriis colli accusat, Attamen ista, quæ in defi[illegible]tione ponitur, non corruit *meatuum & nervorum angustia* [illegible] sufficiat sola arteriarum ad cerebrum tendentium obstructio & compressio ad producendum hoc [illegible] genus, Si quidem ungios posimo, non est statim [illegible]retius expulsio, modo cum grano salis accipiantur. H[illegible]c etiam Recentiores illam nervorum in spinali med[illegible] c[illegible]sorum agnoscunt, *Sylvius, Willis, Wepferus* [illegible].

6. *Occlusionem meatuum potissimam intra &c.*) Causa est defectus spirituum animalium in toto, q[illegible] in organis esse debebant ut fieret sensatio Defec[illegible]us spirituum in toto oritur, quia viæ per quas flu[illegible]re debent sunt impeditæ. Viæ hæ impeditæ Non [illegible]unt *arteriæ carotides*, Non *Rete mirabile Galeni*, Non *Rete mirabile* Recentiorum, Non *torcular trium sinuum*, Non *cerebri ventriculi*, nam aliquando pure sunt [illegible] nec tamen inde Apoplexia orta fuit; Sed *tota cerebri substantia*, vel *spinalis medulla principium*, ex quorum angustia Apoplexia oritur. Si tantum in *principio spinalis medullæ fit*, sensus internus constare potest etsi [illegible]um spiritus in organa influere prohibeantur [illegible]ihilominus illi qui sibi adhuc supersunt per c[illegible] [illegible]stantiam fluere possunt, & species impressas illust[illegible]. Si [illegible] *tota cerebri substantia angustetur*, côtingit oblite[illegible]io sen[illegible]uum internorum & externorum, *Walæus Med. Pr. p. 15*

7. *Per quos spiritus animales*) *Sennertus* Un[illegible]m & [illegible]munem ac proximam Apoplexiæ cau[illegible]m ad lucit [illegible] *spirituum animalium in organis sensus & motus def[illegible]* M[illegible]rabilis certe rerum confusio etiam in *Sennert[illegible]na*, [illegible] in *Galenica* doctrina, confunditur eni[illegible] b[illegible] symptomate, & causa cum utr[illegible]qu[illegible] S[illegible] malium defectus, vel absentia est [illegible] *hæmostasia* dependens, imo hujus eff[illegible]. [illegible] hæmostasia illa attoniti morbi esse [illegible] & in causa sit quominus spiritus in [illegible] male possint influere quomodo per [illegible] fieri potest ut defectus iste spirituum, q[illegible] attoniti symptoma est, sit quoque ejusdem c[illegible] Nunquid effectum potest esse causa sui efficien[illegible] symptomata sunt morborum effecta; Deinde [illegible] spirituum animalium absentia, [illegible] morbus [illegible] pectu functionum animalium [illegible] piratum, & [illegible]dem similaris, quoniam affectus tantum est in un[illegible] gani parte, nimirum spiritu an[illegible]ali abs[illegible]e, cujus [illegible]men præsentia omnino [illegible] quo[illegible] ad [illegible]atem organi [illegible]uo functiones an[illegible] edere [illegible] Naru[illegible] ut breviter illa repetam, [illegible]io, vel [illegible] est, cujus symptoma [illegible]m est [illegible] lium in organo sensi[illegible] motio[illegible] [illegible], quæ iterum de se gignit aliud symptoma, fun[illegible]onum

animalium omnium cessationem; En morbos & symptomata, de quibus heic non quæritur, sed de causa morbi efficiente, quæ sit aliquid positivi, h.e. res corporea oponet, quia vera & physica efficacia nihil in corpus agere nisi corporeum potest &c. *Cortummius c.16.*

^b. *Pars affecta est cerebrum &c.*) Apoplexiæ *subjectum immediatum & proximum*, sunt *spiritus animales* cerebri regionem istam, ubi principes animæ cognoscentis facultates resident, nempe *corpus callosum*, incolentes, *subjectum* autem *mediatum*, cerebri meditullium esse concludimus, quoniam hinc spontaneorum motuum instinctus procedunt; & in hoc sensibilium omnium perceptiones terminantur; quo ritu cerebellum ac præcordia, aliæque partes omnes, scil. tum animales tum vitales, secundario afficiuntur, cum morbi hujus symptomata tradentur exponemus. Ingruente autem paroxysmo apoplectico functionis cujusque spontaneæ, aut cognoscentis, actus omnes (qui nempe ab ipso cerebro dependent) illico inhibentur ac cessant, Cujus ratio est, quia spiritibus animalibus in primario ipsorum emporio, & corpore calloso suppressis, tum proprius ipsorum ibidem expansionis motus, tum affluxus in appendicem nervosam prorsus deficit: propterea náq, ob talem eorundem in hoc loco eclipsin, in totam regionem animalem quæ hujus ditionis est, tenebræ immediatæ aut universales inducuntur, interea tamen pulsus & respiratio, necnon ventriculi & intestinorum motus quodammodo, nempe aut perfecte, & libere, aut saltem impedite & languide peraguntur, in quantum scil. horum actus omnino à cerebello quod à causa morbifica non omnino, aut parum læditur) procedunt *Willis.*

^8. *Pars affecta est cerebrum*) Morbi hujus theoria perquam excite à Clariss. *Wepfero* tradi videtur, qui ad causas ejus latentes certo eruendas historias anatomicas adducit, in quibus phænomena in cadaveribus plurium ab affectu hoc defunctorum declarantur: In tribus nempe sideratis *Sanguis extravasatus*, aut hic illic in grumos majores concreverat, aut cerebri substantiam late sugillarat.

In altero quodam *serosa colluvies* totum ἐγκέφαλον & extus & intus inundarat. Ex his morbi occulti vestigiis ita detectis concludit Author *Loca principaliter affecta* non esse ventriculos majores, sed medullosam cerebri & cerebelli substantiam quæ undiquaque porosa, & meatibus perexiguis prædita est, tum ut spiritus vitales illuc à sanguine influant, tum ut animales effluant; *Willis.*

^s. *Pars affecta est cerebrum, solum &c.*) Subjectum quodnam sit, dubium, Quamvis enim cerebrum affligi læsæ hujus functiones evidenter demonstrent, nihilominus obscurum secundum quam partem affligatur: Ventriculos cerebri inprimis laborare vulgata est opinio, quam Galeno, ipsi etiam Hippocrati maxima Practicorum pars adscribere cõsuevit, Deseruit tamen hanc sententiam *Galenus*, *4. loc. aff. c. 2.* qui corpus potius cerebri quam ventriculos affici scribit: Quoad *Hippocratem*, rectius quis cum *Wepfero* dixerit, illum nonnisi *vasa succum vivificum*, calido abundantem, spiritibusque maxime imprægnatum advehentia, ceu locum hic affectum *κυρίως* quidem acceptum agnoscere. Præter hæc tamen *vasa*, redundantem in cerebro illuviem admittit *Senex 3. de morbis 3.* per quam quidem vasis non inclusam innuere *Wepferus* erudite ostendit. *Nymmannus Torcular Willisius* spiritus animales in calloso corpore suppressos, uno duplicem sedem pro duplici apoplexia, agnoscit.

Nos, dum Recentioribus accedentes, affectum hunc in medulla cerebri oblongata, quæ spinalis medullæ principium dicitur, tanquam *κυρίως ἰδιοπαθῶς* collocamus, cum *Hippocrate* facile conveniemus, neque alios quoque, modo nobiscum inter partem primario & secundario affectam, itemque inter *subjectum affectus*, & *causa* probe distinguere voluerint, difficiles fore confidimus. *Stranßius.*

^t. *Pars affecta*) Veram partis affectæ dignotionem *Galenus 1. locor. aff. 5. à functione læsa, ab excretis, à situ, à proprietate doloris, & propriis symptomatis* accersit. Ego vero tantum à *functione læsa, excretis, & qualitate mutata*, tribus istis tum naturæ effectis petere soleo, ad quæ omnia possunt referri. Cum itaque plane constet morbum attonitum fieri cum cerebrum non facit officium, sensionem & motionem voluntariam præstando, abũde patet nõ ad excreta, neq; ad qualitates mutatas, sed functiones læsas respiciendum esse. *Pars* ergo *affecta*, seu *subjectum* mediatum est organon animale, h. e. cerebrum, cum medulla spinali, & nervis ab eadem propagatis: *Immediatum* est carotis interna, ubi per tenuem meningem cerebrique substantiam mox est distribuenda.

Ergo spiritus à corde exiens, & per arterias soporales ad cerebrum & nervos, in quibus officium animale, h.e. sensionem & motionem voluntariam ex animæ jussu præstare debet, tendens, ibidem sufflaminatur, intercipitur, & sic influere prohibetur: In vasis enim, nec alibi, quærendam esse sufflaminationem istam docti sumus, ex eo quod spiritus ea nunquam deserat dum ab anima dirigitur. Nec tamen in vasis colli, nec eis duram meningem (syncope enim cardiaca tum fieret, quę nutritio sic demeretur omnibus capitis partibus, cui sanguinis in attonitis circulatio & vita superstes reclamant) sed illo in loco unde proxime in cerebrũ à sanguine se separans descendit, videlicet in interiore carotidis ramo ultra duram meningem, ubi ad glandulam pituitariam in duos finditur ramos cerebri substantiam petentes, alterius quidem propagines per tenuem meningem cerebriq; substantiã distribuuntur, alterius vero in priorem cerebri ventriculum ad plexum choroidē formandum.

De illa sufflaminatione audiendus *Hippocrates l. de V. Ac.* cum ait, *subitam vocis cessationem, venarum*, i.e. arteriarum) *interceptiones faciunt*, & tum fit *αἵματος στάσις*, sanguinis statio, restagnatio, Ergo ibi locus affectus est ubi sufflamen objicitur, spiritum in organa animalia influere prohibens, quod in morbo attonito fit eo quo dixi loco. *Cortummius cap.11.*

9. *Non solum secundum ventriculos*) Quod ad *ventriculos* quos vulgus Medicorum affert, dilabitur totum commentum, si probetur *Non esse illos spirituum officinas*. Jam vero toto animo amplector *Nymmani* Torcular, sed ita ut totum cerebri corpus ob id patiatur, non principium tantum nervorum; propter hos enim sensuum externorum, una cum motu, læsio adest, Propter illud internorũ, seu facultatum principum: *Hofmannus in Inst.*

Omnes fere *Arabes*, soli *Galeno* suo intenti cum ipso *ὁμοθυμαδὸν* confugiunt ad crassos, frigidos, lentos ac pituitosos humores, cerebri ventriculos replentes & obstruentes, idque exinde colligi gloriantur, quod omnium maxime senes huic morbo sint obnoxii, hi vero sint frigidi & pituitosi. Omnium instar sit unus *Forestus l.1. obs.70. in schol.*

Summatim, inquit, *pituita lenta crassaq; & frigida, præcipua causa hujus mali existit, sanguisque pituitosus, & omnis succus crassus, frigidus & viscidus, uti quoque est melancholicus. Talis enim non tantum ventriculos humor præcipue pituita, ut Fernelius sentiebat, sed & cerebrum ac rete mirabile, arterias per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, repente obstruit & coarctat. Tum quippe sinus insluente spiritu destituti nihil deinceps suppeditari possunt sensuum motuumque nervis mox quia necesse est animal collabatur ac si ejus arteriæ carotides intercipiantur vinculo.*

Verum enim vero hæc sententia, ut cum *Th. à Veiga* loquar, commentitia est & tantum creditur, partim quia in ventriculis cerebri spiritus animalis neque generatur, neque continetur, partim quia in defunctorum sectionibus hujusmodi obstructio non deprehenditur, teste uno instar omnium *Constantino Varolio in Anat.* Quin potius ventriculi excrementitiis humoribus scatere deprehenduntur, morbo attonito non prægresso. Id vero cum ante me ab acutissimo *Hofmanno*, præeuntibus *Varolio, Platero & Bauhino* abunde demonstratum, ut meminisse saltem sufficiat. Nec quis objiciat historiam *Mammæ Baxij* apud *Tulpium 1. obs. med.* morbo attonito derepente exstincti, in cujus ventriculis plurimū aqs fuit inventum, quod attonitis famdiate esse censet Vir Amplissimus, quoniam vera Apoplexiæ causa non in aqua cerebri ventriculis contenta, sed in sanguine in cerebri vasis ductili facto quærenda erat, adeo quidem ut secantes eum inde instar longioris alveolus fili copiose extraxerint. Quamvis non immerito dubitem an attonitos è vita excesserint *Baxius* quod plura cordis quam cerebri symptomata exprimat historia. *Cortnummius cap. 18.*

10. *Sed etiam secundum poros*) Spirituum motus deficit ex *Pororum connniventia & subsidentia*, cujus plures possunt esse occasiones, v. g. à contusione & concussione capitis, Qua ratione ex *alapa* inflicta apoplexiam natam *Saxonia, Benivenius* referunt; item *materia tenui, subtili* & quasi *lymphatica*, successive interiora versus irruente, & ita poros & meatus obstruente. Quam causam in habituali apoplexia inprimis accusat *Willis*; Item à *sanguine grumoso*, v. g. post capitis contusiones extravasato. Item ab *abscessu* in meningibus rupto, aut alia materia vitiosa, vel *extrinsecus* cerebro affusa, aut intrinsecus cerebro instillata, aut circa ejus basin collecta, ibique medullæ & nervorum principium obsidente. *Etmuller.* Vide quid de *poris* sentiat *Cortnummius*, proxime.

10. *Sed etiam secundum poros*) *Mercurialis* ne à *Galeni* placitis recederet, & tamen gravissimis difficultatibus pressus aliquomodo posset evadere, *de Aff cap 1.* præter ventriculos etiam *poros cerebri* accusat, in quibus etiam spiritus animalis contineatur; Quid autem per *poros* cerebri denotet, Oedipo opus est.

At vero in cerebro nulli dantur per quos spiritus aliquis ultro citroque possit meare præter arterias. Si has indigitavit, quare proprio eas non appellavit nomine ob perspicuitatem & ad seculi gustum? Ego vero mihi persuadeo voluisse *Mercurialem* spiritum in ventriculis cerebri animalem factum, relictis vasis & cavitatibus, ingredi ipsam albam & sinuosam cerebri substantiam, per illamque diffundi, & in eadem principes facultates efficere, quæ hic spatiola ista, à spiritu animali occupata, *poros* vocat: Ac [illegible] sunt quæ hæc supponuntur; Neque enim spiritus vasa sua derelinquit quamdiu vita suppetit corpori; quomodo ab anima abas posset duci, iterumque hic animæ io momento communicare quicquid usquam ita corpore gerituŕ si extra sua vasa progrederetur? cum ejus natura sit sese diffundere? Contra hoverunt bene instituti spiritum animalem arterias cerebri quæ innumerabiles in eo sunt, perambulare usque & usque, donec officio functo per nervos, quorum potissima pars est arteriola, transfear in venas, & sic cum sanguine [illegible] ad cor, quem circuitum invicto argumento post *Hippocratem* primus proposuit & [illegible] Nobil. Naturæ consultus *Corn.* ab [illegible] *in Inst. Oecon. Anim. Cortnummius cap. 1.*

11. *Circa partem inferiorem & posteriorem tibi &c.* [illegible] Apoplexiam de [illegible] statuit unam cerebri *medullam* [illegible], alteram *cerebello*, Utramque sic explicat; Quod sanguinis in cerebrum affluxus aliqua tantum ex parte inhibito negamus, id totali ejus exclusioni concedendum erit, propterea namque *apoplexia* excitari sæpe animadvertimus, qui tamen affectus pro morbo Attonito raro habetur, sed syncope potius aut lipothymia, vel passio hysterica appellari solet, si quando enim cordis motus in totum supprimitur, [illegible] sanguine extra cerebrum retento spiritus animales concidunt, non secus ac lux flamma suppressa evanescit.

Cordis actio sistitur, aut impeditur, vel ob sanguinis incursum improportionatum, ut in violentis [illegible] aut tristitiæ passionibus, vel ob *spirituum animalium*, (qui motui ejus inserviunt) influentiam à cerebello denegatam. Hoc autem interdum propter [illegible] cardiacos spasmo affectos, aut alias constrictos, [illegible] dere putamus, quo ritu in passionibus [illegible] convulsivis usitatum est partes modo [illegible], brachia & crura, modo internas, nempe præcordia & viscera vicissim affici: horum autem inordinata [illegible] *apoplexia* sequitur, in qua laborantes [illegible] sine motu & sensu, cum pulsu diminuto & raro [illegible] exanimes jacent. Quod quidem ita fieri [illegible] nervos cardiacos [illegible] tus, qui affl[illegible] quandoque [illegible] diutius [illegible]

Verum in hoc casu cum cor ipsum [illegible] pulsus etiam robustis & [illegible] tamen verisimillimum [illegible] non raro suppirmi, aut inhiberi ob [illegible] functioni vitali destinatos in ipso fonte, [illegible] cerebellum suppressos. Huic causæ [illegible] attribui debet quod in nonnullis ob [illegible] in occipite gravitatem, animi deliquium [illegible] functionum omnium animalium [illegible] cedere, in quo laborantes immoti & [illegible] su & respiratione valde diminutis & [illegible] bus, & per totum frigescentes, per [illegible] imo diem sæpe unum aut alterum, mortuis similes [illegible] vivis decumbunt.

Novimus interdum taliter afflictos cum frigescentes, atque pulsu & [illegible] penitus abolet [illegible] obrigescerent pro [illegible] revera habitos [illegible] atque cistæ ferali impositos, tandem post aut duos tres dies revixisse, qui [illegible] autem ab hujusmodi insulto, sive brevior sive longiori ex[illegible] euntur, pe[illegible] nunquam in [illegible] apoplegiam incidunt, qui plerumque Ap[illegible] affectus sunt. Porro nullus dubito [illegible] ab hujusmodi causa mortifica [illegible] mors perperam [illegible] Apoplexiæ proprie ita dictæ [illegible] parado [illegible] licet, haud tamen ratio [illegible] um, Apoplexiam quandam cerebello [illegible]

12. *Nervorum*) Pessime quibus [illegible] Apoplexia *nervorum resolutio*, nihil [illegible] tur si proprie loqui volumus. [illegible] *loco cit.*

13. *Ubi nervorum principium* *Platerus* [illegible] *Sennertus Principium nervorum* nobis [illegible]; *Sennertus* aperte loquitur *Q. 2. ad caput de A*[illegible] inquit. *Non opus esse putamus ut totum cerebri* [illegible] *struatur, sed ad apopl. excitandam sufficit medulla* [illegible] *oblongata, seu principii nervorum in basi cerebri po*[illegible] *versus talis angustia, ob quam in omnia in us*[illegible] *tus vel sana in toto corpore* [illegible] *probibetur.*

At pro [illegible] pro nerv[illegible] notus tantu persunt [illegible] bus in

in cerebro salvis remanentibus; quod in paralysi maxima, cum omnes infra caput partes resolvuntur manifestum est, vel *Sennerto Doctore*, Nam principium nervorum in fine cerebri est, Principes autem facultates in cerebri corpore perficiuntur; hoc salvo, quidni ejus facultates simul sint salvæ?

Sed triplex quærit effugium cum se hoc telo confodi posse animadverteret, *Prima causa cur sensus interni in apopl. etiam lædantur*, inquit, *est quod spiritibus animalibus motu, qui ipsis perpetuus est, denegato, eos quasi suffocari necesse sit, cum enim spiritus animales non tarde generentur, sed in perpetua generatione sint, & hinc etiam in perpetuo motu, si canales, per quos in totum corpus distribui debent, occluduntur, eos in cerebro detineri, quasi concentrari, atque ita ad actiones sensuum internorum edendas ineptos fieri necesse est, præcipue cum spiritus vitales assiduo largiori copia ipsis permisceantur; id itaq; non tantum illorum generationem interturbent, sed & generatorum actiones confundant. Apparet hujus rei exemplum in corde in quo si spiritus concentretur, nec libere in corpus diffundatur, actiones corporis læduntur.*

Secundo *membro una ex parte saltem læso, totam ejus œconomiam turbari necesse est, ut Epilepsia exemplo manifestum est, & cerebri commotio ac percussiones docent.*

Tertio, *cum cerebrum ita graviter affectum spirituum animalium generationi non sufficiat, mirum non est actiones etiam internas turbari, Si enim in iis quibus cerebrum etiam pituita repletum est, & discursus & memoria laborat, quidni in Apopl. cerebro tam graviter affecto omnes actiones aboleri queant, ut enim causa, sic effectus magnitudine differunt.* Hæc *Sennertus.*

Sed quorsum perpetuus ille spirituum animalium motus? *Aristoteles* longe aliter sentiebat *2. part. an. 10.* nam dicit, *Accuratiores sensus fieri ob partes sanguinem puriorem obtinentes necessarium est, motio enim caloris in sanguine existentis, excutit operationem sensibilem. Eam ob causam sensoria sunt in capite.* Et 4 de part. anim. ait *sanguinem ascendere in cerebrum ad quietem & accurationem seu præstantiam.* Ideoque sensuum instrumenta non sunt in thorace, qui in perpetuo motu est, sapienter scribit *Hofmannus Diatr. de usu cerebri* c. 14. Hinc *Toletus comm. in 3. de An. 2 txt. 49. Si multum calidi sint & mobiles spiritus sensitivi, erunt inepti ad sensum*, Et *Th. à Vega comm. in 3. loc. aff. 4. p 357. Spiritus vitalis primo inflammare debet, cor, cerebrum deinde attemperare ut quietem comparet, quo anima sapiens evadat*; *Frigus*, ait Zabarella l. de part. anim. c. 9. *stabilitatem facit, calor autem agitationem & mobilitatem quæ cognitionem perturbat.*

Sed *motus iste est*, inquit Sennertus, *propter perpetuam generationem.* Ast vero generationem illam non esse perpetuam, sed cessare interdum vel ex somno est perspicuum, ubi spiritus à vapore è sanguine tum copiosius elevato, sufflaminatur in cerebro, usque transire prohibetur. Si ergo tum cessat, quomodo est perpetua generatio? ac etiam si vel maxime in hoc morbo spiritus ad cerebrum pervenirent, nullam tamen suffocationem aut concentrationem inde metuendam esse, ex illa corporis paralysi possumus fieri certiores, in qua omnes sub capite partes resolvuntur; cum enim tum principio spinalis medullæ obstructo principes facultates in corpore cerebri perficiantur, in morbo attonito si principium nervorum solum esset affectum, eadem ratione possent obiri; & frustra metuitur largior & perpetuus spirituum vitalium affluxus, unde spiritus animalis possit turbari. Nam propterea Natura tot sinus in dura meninge efformavit, qui sint veluti lacus sanguinem copiosius ascendentem asservantes, ut per jugulares venas commode possit ad cor redire: Alias si spiritus cum sanguine in vasa cerebri continuo & incessanter affluerent, generatio spirituum animalium nunquam posset suspendi, & per consequens actiones etiam essent perpetuæ nec voluntariæ amplius, sed invitæ, quod prorsus absurdum.

Diversissima spirituum vitalium ratio est, illi in perpetuo debebant esse motu ob perennem circulationem, & quisquis eam probe perdidicerit & calluerit, causas morborum & symptomatum, ex motu illo interrupto dependentium, facilius poterit invenire; Præterea nutritio debet esse perpetua, qua cessante vita ipsa cessat, & vice versa, quod de sensu & motu voluntario non ita necessarium esse ex somno in naturaliter constitutis liquet: Ergo spirituum vitalium generatio, sine quibus nutritio non fit, debet esse perpetua, animalium vero non item.

Deinde nec illud necesse est ut, si membri pars aliqua lædatur, totum mox inde capiat detrimentum, aut per consensum læsionem illam percipiat; Nam in *hemicrania* dimidiam partem saltem meningum affici certum est, licet causa ejus rei in reali non vero imaginaria totius corporis geminitate quærenda sit: Novit & *Sennertus 1. Pr. 2. 5.* cum exemplis tradidit cerebri parte aliqua affecta memoriam non tantum læsam sed & penitus amissam fuisse, intellectu salvo. Nimirum non alia ratione Naturam geminitatem modo dictam in omnibus corporis partibus instituisse quam ut altera parte læsa altera non statim compatiatur mihi fit verisimile. Nec aliud suadent epilepsia, aut percussiones capitis, cum si omnes facultates intercipiantur, etiam sufflaminatio sit parte illa ubi spiritus in cerebrum debet descendere.

De *Tertio*, quod adducit, dici *μὴ πρὸς τὸν*, quia enim porta illa per quam cerebrum spiritum vitalem debebat recipere clausa est, fit illud quod *Sennertus* dicit: Et quare heic concedit totum cerebrum graviter esse affectum, cum ante principio nervorum tantum inhæserit? An hæc vis Adrasteas est; Nam quod enixe negaverat, jam nolens volens concedit à veritate ipsa convictus. *Cornummius cap. x.*

[14] *Signa* sunt [15] *Imminentis*, [16] aliquando nulla, nonnunquam [17] Vertigo, Scotomia, [18] Incubus, [19] Tremor totius corporis, [20] Stridor dentium in somno, [21] Extremorum refrigeratio, [22] Muci abundantia, [23] Capitis [24] gravedo [25] & cætera.

[26] *Præsentis* [27] sensus & [28] motus ablatio, illáque [29] subita & [30] cum stertore, sic [31] à *Caro*; [32] Sine febre, & excitatione, sic à [33] *Lethargo*: Cum membrorum laxitate, [34] pulsus plenitudine, & facie colorem retinente, sic [35] à *Syncope* & [36] Uteri *suffocatione*, distinguitur.

[14] *Signa*) divido in *Gnostica*, quæ & *διαγνωστικὰ* dici consueverunt, & *Prognostica*, *prænunciativa* aliis, quorum ista *præsentia* demonstrant, hæc *futura* præmonstrant, *Gnostica* attoniti morbi signa, iterum sunt vel *Pathognomonica*, vel *Diagnostica*. *Illa* morbi attoniti naturam specificam, *hæc* differentiam ejus individualem significant & morbum attonitum ab aliis distinguunt. Estque unum, Stertor insomnis. *Cornummius c. 36.*

[14] *Signa*) Junge his ea quæ cerebrum aut cerebellum magis affectum designant. *Cerebrum* huic morbo magis obnoxium, ait *Willis*, denotant præviæ & frequentes scotomiæ & vertiginosi affectus. *Cerebellum* magis affectum arguunt creber Incubus, pulsus intermittens, syncope & leipothymia frequens.

[15] *Signa imminentis*) Apopl. dispositionem in corpore præexistentem præterea innuunt, *Somnolentia* &

Perpetua in somnum propensio, unde tales mox ubi quiescunt ac sedent in somnum labuntur. *Sensuum* omnium, internorum præsertim hebetudo insueta, cum offuscata mentis solita hilaritate. *Pigritia* & languor aliquis in motu insolitus, *Oculi* tumidi quasi, ut & ipsorum vasa turgida. *Sylvius.*

16. *Aliquando nulla nonnunquam &c.*) Quamvis non *Rhasis* solum authoritate, sed quotidianis quoque experimentis brevissimum & imperceptibile morbus attonitus habeat principium, non semper ex abrupto ingruit, sed pluscula edit signa adventum suum præsagientia, velut in fasciculum collecta à *Paulo Æginetal. 3. cap. 18. Præcedit hoc malum repentinus & acutus capitis dolor, jugularium venarum tumor, tenebricosa vertigo oculorumque splendores, extremorum præter rationem frigus, palpitationes totius corporis, motionis difficultas, dentium inter dormiendum stridores, urina quæque velut ærug[i]nosa, atra pauca, & farinaceum habentia sedimentum.* Cui suum adjecerunt calculum quotquot superioribus sæculis de hoc morbo quicquam ediderunt, Docti autem sunt omnes à præceptore *Hippocrate* qui ea colligerat *lib. de D. Acut. tx. 37.*

Contingunt plurimis eorum [illegible], Rubores faciei, oculorum immobilitates, digitorum in manibus distensiones, dentium stridores, pulsationes & extremarum partium refrigeratio, spirituum in venis interceptiones.

Lib. autem 2 de morbis. Si attonitus fiat, dolet *Caput anterius, & oculis inconstanter videt, & soporatur, & venæ pulsant, & febris levis detinet corporisque impotentia.*

Si ita est, ut tot symptomata morbum attonitum quandoque præcedunt, quomodo *Hippocr. l. de V. A.* aliquoties ait morbum Attonitum *derepente* homines corripere? Respondet *Nymannus de Apopl. c. 8.* distinguendo inter ipsam Apoplexiam, & affectiones eam antecedentes, conceditque enumerata symptomata Apoplexiam quidem præcedere, essentiam tamen ejus non absolvere, nec aliud indicare quam iis apparentibus periculum esse ne morbus attonitus sequatur. Sane ita est, subita citra occasionem manifestam aliamve validam causam invasio refertur saltem ad omnium facultatū cessationem, quæ una cum stertore est, characteristica morbi attoniti. Hippocratica enim aphonia debet fieri subito & repente, cætera symptomata præcedentia diu interdum possunt affligere priusquam morbus attonitus sequatur. Ideo *Hippocr. l. 2. c. primo* morbum ipsum, ejusque causam & curationem proponebat, deinde persequebatur ea quæ eumpse morbum solent præcedere. *Cornummus c. 39.*

17. *Vertigo*) Clare & aphoristice *Hippocrates Coac. Prænot. 346.* Ex *[illegible] parum & aliquantisper* apparente *tenebricosa vertigine oborta* paraplegicum quid significat, *solvit venæ sectio.* Quod & ex *Coac. 16.* perspicuum est, ubi Tenebricosa vertigo inter affectus morbum attonitum præcedentes refertur.

Sciendum enim Vertiginem nihil aliud esse quam *depravationem spiritus visorii*, qui nullibi in oculis deprehenditur: Ea inter alias causas etiam accidit, quando in corpore plethorico sanguis vaporosior & flatulentior effectus istam inducit fluctuationem in oculis, quam morbum attonitum sequi solere traditum à practicis & vetustissimis & recentissimis. *Cornummus c. 42.*

18. *Incubus*) Hinc *Rondeletius 1. meth. cur. 44. Incubus si diu perseveret, & quotidie invadat, in apoplexiam transit, præcipue si plenitudo illa ad caput perveniat.* Idem *Forestus, Lommius, Bartinus* & alii. Quamvis autem terror iste à Pract[icis] incussus ut plurimum sit panicus, hoc tamen verum esse rationalis experientia nunquam non comprobat, ex nimia ista satietate nunquam non generari sanguinem pituitosum & flatulentum, eumque copiosum copiosa & crebra alimentorum in ventriculum ingestione perseverante. Qua vero facilitate uterque sa[ng]uis in tenuissimis cerebri arter[ii]s [illegible], h. e. stationem, pigritiem & moram, unde morbus attonitus est, accipere possit, jam plus satis est probatū, & ex [illegible] frequentioris Incubi curatione haud obscure colle[gimu]s, quæ sanguinem imminuentia requirit, si modo mat[eriam] tam morbo velimus subtrahere. *Cornummus c. 49.*

19. *Tremor totius corporis*) Non verus Tremor hic [illegible] dus, sed *tremulus motus*, aut *vibratio*, Barbari *vocant subsultationem*: Hanc *palpitationem* &c. in toto corpore, præcipue vero capite conspicuam, morbum attonitum non leviter arguere constans est Practicorum sententia. An idem voluit *Hippocr.* Sic enim *Coac. Prænot. 347. Qui Palpitationes in toto corpore sentiunt, nunquid & voce capti intereunt?* &c. Accidit cum sanguis crassior factus liberiorem ventilationem aut exitum non invenit, palpitationem facit, quæ si diutius duret ut tanta in arteriolis cerebri, præsertim flatuosi sanguinis copia quæ obstruere possit, colligatur, morbus attonitus sequi potest; Observavit quoque illud ipsum *Gordonius* dum sic scribit. *Si saltus seu subsultatio continuatur, prognostica futuram Epilepsiam, aut Apoplexiam, aut Sincopem, aut paralysin, aut spasmum, aut saltum.* Cornummus c. 47.

2[0]. *Stridor Dentium*) [Greek] & nervorum affectio, hinc sicuti epilepsia in attonitum morbum quandoque desinit, sic & [Greek] illius prodromus esse potest.

21. *Extremorum refrigeratio*) Unde sit ista [Greek] docet *Galenus ad aph. 46. 7. Hippocrates* illam in acutis morbis semper damnavit, & generalem inde confecit regulam. 7. *aph. 1. In morbis acutis frigus partium extremorum malum*, semper enim significat pessimum [sa]nguinis (in quo vita commoratur) statum qu[e]m sæpe morbum attonitum, docente eodem *l. de D. Acut.* Quomodo? Dixerat ibidem, *Refrigerationes fiunt ob stabilitatem sive moram*, hinc *spirituum in venis interceptio fit.* Cum enim spiritus sentit quādam in cerebro fieri obstructionē, omni conatu parti affectæ cupit succurr[ere], omnesque spiritus cum sanguine vehiculo, eo impulsat, neglectis interim extremis & à fonte remotioribus partibus.

Explicat hoc egregie *Ballonius 2. consil. p. 21. Cum humores commoventur, & sanguis, qui ad prud[en]tiam fa[cit], perturbatur alteratur que [illegible] aut vertiginosus, aut aitque simul affectu præditus esse potest. Idem & cal[i]da omnes partes habet, si humores, si vias mutuo non obstruant, si sese non obtrudant simul & obruant.* Si autem veluti è proprio cōceptaculo educti affatim in *inanitates aut cavitates quasdam publicas irrumperint ibi sese obtrudentes, conculcantes, & opprimentes*, tunc humorum *[illegible]* fit, ut loquitur *Hippocrates, & illam humorum [illegible] algor, & per calores oppressionem, viarumque interceptionem partium refrigeratio consequitur.* Cornummius cap 46.

22. *Muci abundantia*) Nam ex *Hippoc. l. 3. de Diæta, Mucus & saliva plenitudinis sunt indicia* [illegible] tum in toto, [illegible] præsertim in cerebro, nempe pituitosæ.

2[3]. *Capitis gravedo*) Istum dolorem *Paulus* vocabat repentinum & *acutum* significanter: *Hipp. l. 2. [d]e morb. 6* [illegible] morbi attoniti descriptione, *derepente* ait, *cruciatu [c]aput prehendit*, Et [illegible] *Sanum derepente cruciatus invad[it ir]ca caput*, Talē se intelligere [illegible] innuit *3. [d]e Morb.* [illegible] vocat [Greek], *acutum*, teli instar [illegible] tentem, que [illegible] & fervens sanguis in partium sensibiliores incurrens efficere consuevit.

Neq; *acutus* solū est dolor capitis mo[rb]um attonitum præcedens, sed & *pulsans, punctorius, tensivus*, *Pulsans* [illegible] & frequenti ictu partem ferit, cum enim sanguis cop[io]se in cerebrum ascendit, & ob venarū angustiam [li]bere & sine mora non potest remeare, graviter i[llu]d [a]fficit & magis magisq; affligit. *Punctorius* memb[illegible] est, & velut aculeo fodit. [illegible] acris & [illegible] magna vi quærit sibi viam face[r]e. *T[en]sivus* [illegible] cas distrahit. Quanto enim [illegible] copia ascendit in cerebru[m illegible] mag[illegible]it, vnia & membranas [i]mplet, & imp[end]o [illegible]

Omnes istas dolorum species caput ante morbū a[tt]onitum

nitum infestare posse è cujusvis materia, modo & proprietatibus displicet. & jam olim satis clare docuit *Hippocr. l. de V. Acut. 14. Cùm dolores accesserint sanguinis melancholici acrimonia, fluxuum accessiones fiunt; dolet autem dum interiora mordentur, Demorsa vero & venis sicca facta vena distenduntur & inflammata contrahunt & colligunt ea quæ affluunt.* Sic ea reddenda esse autumo, detracto glaucomate ab Interpretum duce, Medicorum oculis objecto.

Summa rei est, Capitis dolor morbum attonitum præcedens est à solo copiosiore sanguinis affluxu, copia sua meningum vasa distendente, & inflammante, hujus ustiores & igneæ partes acrimonia sua meninges vasaque rodendo dolorem excitant; dolor irritando spiritum invitat ad opitulandum, qui actutum obediens sanguinem vectem suum eo impulsare non desistit durante noxa; aucto dolore mirum non est irritationem quoque augeri & concitari affluxum majorem, donec tandem præcludatur via sanguini per arteriolas in cerebri substantiam descensuro, unde morbus attonitus ingruit.

Hippocrates, ut omnia, ita & hæc paucis *2. de morb. 4. Dolor quidem ex nimia sanguinis caliditate*, qui interdum est nimius cum sanguis melancholicus ibi stagnat. Dicit enim porro, *Gravitas autem* (homine ad apoplexiá disposito accidit) *plus sanguinis & turbidioris, est in capite quam inim.* nimirum pro ratione in reliquo corpore.

Ecquis ergo vitio mihi vertat quod μέλαιναν χολὴν reddiderim *sanguinem melancholicum*, rei natura id jubente, volente & *Balloni* autoritate annuente; Loquitur enim *Hippocrates* de affluxu qui fit per vasa, vasa autem non vehunt humores solitarios, sed totam massam sanguineam; Et si ustior est dici aliquando potest vel meláncholia, vel e iam atra bilis, sicuti colligere licet ex *l. 2. de morbis*, ubi *Hippocr.* expressis verbis τὸ αἷμα μέλαν, καὶ θολερὸν, καὶ νοσῶδες, sanguinem nigrũ, turbidum & morbosum, vocat μέλαιναν χολὴν. Imo eodem lib. τx. 9. τὸ φλέγμα pro sanguine crudiore & frigidiusculo usurpavit, dum illud anginæ causam existere asserit; quam alibi expresse dicit sanguinem esse &c.

Cephalalgia morbum attonitum arguens magis in anteriore quam in posteriore capitis parte sentitur, velut ex *2. de morb. 8* propositum, *Anticam capitis partem ideo dolet, quod venæ in ea sunt crassissimæ, & cerebrum magis in capitis parte anteriore quam posteriore situm est.* Vasa enim in caput ascendentia insignem sunt nacta magnitudinem in anteriore ejus parte, ubi magnos illos sinus vel ingrediuntur vel constituunt. *Cortnummius c. 40.*

24. 25. *Et cætera*) Præter enarrata prænunciantia morbum attonitum imminentem, enumerantur *Tumor Carotidum, Vocis tarditas & hæsitantia, Oris distorsiones, Torpor corporis insolitus.* Sunt qui præterea etiam addant *longos & graves somnos, roncbos, mentis hebetudinem, & sensuum obtusorum obtusitatem, affectus comatosos* & alia plura. Verum si quando hæc & similia morbo attonito originem præbere videmus, ratio modusque quomodo id possit contingere ex superioribus, quemadmodum & causa antecedens & procatarctica non potest non liquere, uti & ex sequentibus. *Cortnummius.*

Dolor Dorsi.

Forestus capitis dolori, ex *Bertrutio*, addit *Dolorem Dorsi* ex plethora, *Dolor dorsi*, inquiens, *ex multitudine sanguinis illum ad apoplexiam ducit nisi cum phlebotomia fortis subito succurratur.* An hoc etiam fundamentum habet in *Hippocrate* sic enim ille *2 de morbis 5. Si sideratum fuerit cerebrum dolor ex capite spinam occupat.*

Carotidum tumor & pulsatio.

Vgr... ...ue ...poratæ in imminente apoplexia valde ...ant, & *facies impense rubet*, ob sanguinem ... ...tuentem. Egregie *Clar. Wepferus* ... Apop... *Obstructis carotidibus internis & vertebralibus, copiosius per externas sanguis distribuitur, unde certior ratio reddi potest quamobrem quibusdam apoplecticis facies rubescat, temporum & colli arteriæ micent, jugularesque turgidiores conspiciantur*, Ita sane est in principio morbi attoniti; cum autem natura succũbente ad extrema ventum est, mirum non est etiam pulsus fieri languidiores, igne animali per σβέσιν fere extincto.

Hippocr. 2. de morbis 8. ajebat, *Venæ pulsant, Ex humorum commotione*, subjũgit *P. Salius, in comm.* Ego vero *ob usum auctum*, Nam vasa ob sanguinis copiam plus justo distẽduntur, sanguisq; contentus refrigerio cõtinuo, ob respirationem tantum non interceptã abnegato, nimium fervet, deinde incipiente obstructione novus sanguis non ita facile appellit, unde pulsus augetur adeoque interdum increscit ut violento & conspicuo, ut *Plinius* loquitur *l. 7. c. 5.* percussu se ostendant arteriæ.

Observarunt recentiorum Medicorũ non pauci istam carotidum venarum elevationem, atq; inde occasionem ceperunt eas secandi; ita enim *Rondeletius* Pr. c. 22. *Satis conspicua sunt jugulæ in Apoplexia, quoniam sanguine ruente in caput vaporibus multis replentur & turgent.*

Et sane si perlustramus omnes Attonitorũ historias; deprehendimus eos omnes fuisse plethoricos, Potissimũ enim morbus attonitus invadit homines otiosos, lautos, potatores vini & cerevisiæ crassæ multumq; nutrientis; tales vero semper abundant sanguine, ubi autem est abundantia sanguinis, ibi quoque adest vasorum elevatio, & tumor & quidem hoc in morbo soporalium, quoniam sanguis in cerebrum tendens itu & reditu suo hæc vasa necessario debet permeare.

Linguæ hæsitantia.

Hanc Linguæ hæsitãtiam qua altera syllaba alteri jungi propere non potest) seu tarditatem morbum attonitum præsagire non vulgo tantum notum est sed & jam olim assertum ab *Aristotele 11. Probl. 36.* ubi dicit *Linguæ hæsitantiam similem assidue esse apoplexiæ partis cujusdam interioris, quam neq, eam movere* impeditæ propter refrigerationem. Ut & *Probl. 54. ejusdem sect. Quare linguæ hæsitantes quidam sunt ... In causa est refrigeratio partis ejus quâ loquuntur, & veluti apoplexia partis hujus est.*

Multo manifestius id proponit *Medicinæ parens 7. aph. 40 Si lingua subito impotens fiat, aut pars quædam corporis attonita, melancholica fit illa*, h. e. crassi melancholici, vaporosi sanguinis copia infestatur. Illa enim ad instrumenta vocalia delata, facili negotio istã efficere valet ἰσχνοφωνίαν; & si diutius duret & augeatur, ipsam apoplexiam, quod *Hippocr* testatur *Coac. Præn. 6* ubi loco ἰσχνοφωνίας ponit φωνῆς βραδύτητα. *Quibus capitis dolores & aurium tinnitus citra febrem, & tenebricosa vertigo, & vocis tarditas, & manuum stupor hos aut apoplecticos, aut epilepticos, aut obliviosos fore expecta*, experientia illud nunquam non comprobante: Nam præter multa alia exempla, mihi asseveravit Vir Exc. quod paraplexia sinistri brachii correptus nihil sinistri præsenserit, nisi loquelæ tremulam titubantiam & hæsitantiam. Posse autem sanguinem melancholicũ hoc efficere superius ostensum *Cortnummius c. 44.*

Idem à me observatum *Neocomi Helvetiorum* anno 1659. in Quæstore Sereniss. *Principis à Longueville* Nob. Dom. *Marval*, sexagenario, cui hæmiplexia supervenit, nullo alio præcursore quam linguæ hæsitantia & titubatione ac fugaci oris distorsione aliquot horas ante invasionem, & cruris sinistri ex intervallis vacillatione; mox iterum ambulatione libera; Quia vir erat plethoricus illico curo sanguinem mitti ex brachio dextro, paulo post successit paraplexia hujus literis; supervixit sexennium apoplexia tandem extinctus.

Oris distorsiones.

Hippocrates oris perversiones seu *distorsiones* morbum attonitum arguere prodidit *2. Prorrh. Distorsiones in facie, si nulli alii corporis parti communicent, cito cessant vel sua sponte, vel coacte. Forestus 10. Obs. 24. in schol.* ait, *Si venias tortura oris ex se ipsa, ut plurimum prænunciat paralysin, & frequenter apoplexiam, ut in multis observavimus.* Sennertus Pr. c. 8. Tortura *oris apoplexiam* vel epilepsiam portendit.

Torpor in Motionibus & ſenſuum interceptio inſolita.

Narcosis ex *Galeno* 1. *ſympt. c.* 5. *Eſt totius corporis & maxime membrorum diſpoſitio ex ſentiendi movendique difficultate cōpoſita.* Nec aliud quid eſt ἀκρασίη τρομώδης τοῦ ὅλου, *tremula quadam totius corporis impotentia*, *Coac. prænot.* 170. quā ex redundante ſanguine derivat illo in loco divinus *Senex*, idq; probat maximo ſuo argumento, αἱμορραγίη λύει, *ſanatio docet*, dum ſanguinis eruptionem vel liberalem ejus fluxum ſolamnonē afferre ſcribit, αἱμορραγίη λύει, *ſanguinis profluvium ſolvit.* Morbum autem attonitum haud procul abeſſe, ſi præter conſuetudinem, & ex commemorata cauſa iſti ingruant torpores ſenſuumque diminutiones monuit *Hippocr. Coac. præn.* 476. *Torpores & ſtupores præter morem contingentes adfuturarum apoplexiarum ſignum exiſtunt.* Confirmat idem *Maſſaria* 1. *Pr.* 16. dum ait, *Non ſemel obſervavi quod apoplexiam præcedat torpidus quidam ſenſus & motus, veluti quadam formica qua in brachiis & aliis partibus ſentiuntur.* Vide *Foreſtum* 10 *obſ.* 37. *Sennertum Pr. l.* 3. *t.* 1.

Quomodo autem hoc fit? Spiritus disjungitur nec continuatur, ſed tantum accedit per intervalla, hinc ſenſus repentium formicarum vel pungentium acuum, quem Germani *obdormitionem* vocant, (Galli *la partie endormie*) quotieſcunque brachium vel crus ſtupet. Illuſtrat *Hippocr. l. de morbo S. tr.* 6. hanc ſpiritus disjunctionem ſeu interceptionem φωτοῤῥοῆς. *Sicubi ſtet ſpiritus vel intercipiatur, impotens fit iſtud membrum, ubi ubi ſteterit, Cujus hoc indicium eſt ſi quando ſedenti, vel decumbenti venulæ comprimantur, ut ſpiritus pertranſire nequeat à vena, ſtatim torpor occupat. Cortmummius cap* 47.

26. *Præſentis*) *Galenus l. de medico c.* 13. pathognomonica attonitorum ſigna tria recenſet. *Attoniti voce, ſenſu & motu, capiuntur.* Et 1. m. m. 9. *Si quis ſive tribus horis, ſive dimidio tantum hora toto corpore vehementer captus ſit ut neque ſentiat neque moveatur, hunc nos attonitum appellamus.* Et *Paulus* l. 3. c. 18. *Attoniti jacent ſine voce, motu & ſenſu, abſque febre.*

Fallitur *Lonerus* dum enumerata ſigna autumat eſſe diagnoſtica, nam non uni & ſoli morbo attonito competunt, ſed etiam in ſyncope & ſuffocatione uterina obſervantur *aphonia*, ἀναισθησία, ἀκινησία, & ἀπεψία, Ita tamen tribus iſtis morbis hæc ſigna ſunt communia, ut interim etiam ſingulis ſint propria, perpetua atque inſeparabilia, quibus conditionibus pathognomonicorum natura abſolvitur.

Cæterum *Hippocrates* breviloquus ſola ἀφωνίας, voce omnia pathognomonica morbi attoniti ſigna videtur comprehendiſſe; cujus veſtigia legens & ego, duo ſaltem propono ſigna pathognomonica, nimirum *Omnium functionum animalium interceptionem*, & *Repentinum lapſum*, quæ *partem affectam & morbum ipſum* proprie oſtendunt.

Quoniam autem neq; functionem animalium interceptio, neque repentinus lapſus morbum attonitum in certo ponunt, licet à principio uſque ad finem in eo adſint maneantque, Diagnoſtica ſigna quoque ſunt conſulenda, quæ pathognomonicis adjungant ſigna uni ac ſoli morbo attonito propria, Ergo porro adſtruendum eſt *Repentinum & inſomnem ſtertorem certiſſime morbum attonitum oſtendere.*

Nam quantum ad *præſentem* morbum, ſi contingit imperitum aliquem ingredi ad ægrum humi proſtratum, ſenſu motuque captum, ſtatim judicat eum eſſe attonitum, cum tamen ſæpenumero nihil minus ſit. Plus millies id accidiſſe patet ex hiſtoriis, certa ergo & infallibilis ſtatuenda characteriſtica qua morbus attonitus certo cognuſcatur, & ab omnibus aliis dignoſcatur, Nequaquā enim ſufficiunt pathognomonica ſuperius adducta, etiam in aliis morbis deprehenſa, niſi accedat aliud quod in morbis iſtis, qui enumerata ſigna pathognomonica habent communia, non obſervatur, Id vero eſt ῥέγχος ἄϋπνος, καὶ ἐξαπιναῖος, *ſtertor inſomnis & repentinus.* Sine ſtertore iſto morbum attonitum proponere, eſt corpus in ſole ſine umbra ſtatuere. *Cortmummius cap.* 36 & 37.

Breviter & ſignificanter attonitorum ſigna comprehendit Rhaſis, 9. *ad Manſorem c.* 4. ſic docens, *Cum aliquis quaſi dormiens jacet, & ſine ſomno ſtertit, & cum pungitur non ſentit, tunc jam patitur apoplexiam.*

Ballonius l. 2. *conſil. p.* 24. duo ſigna commendat, *Hac duo, mutiſmus & ſtertens characteriſtica ſunt morbi attoniti*, ubi duo illa ſigna 6. *aph.* 51. prolata ἄφωνος κεῖται, καὶ ῥέγχει in oculis habuiſſe videtur.

26. *Signa præſentis*) Mortuis ſimiles apparent apoplectici, à quibus ſola reſpiratione ac pulſu, ut & faciei colore diſtinguuntur: In graviſſima autem obliteratur *Reſpiratio*, adeo ut vix obſervari queat, aut cum ſtertore in moribundis accidat, *Pulſus* itidem in graviſſima languidus apparet & parvus, celer tamen In minus gravi vero plenior exiſtit, & ſatis validus, ſemper tamen inæqualis: *Faciei color* parum à naturali ſtatu recedit, niſi quod vade læſa reſpiratione ſubinde intendatur & tandem obſcurior evadat, qualis fere obſervantur in ſtrangulatis, cum revera ſuffocentur tandem ægri. *Fr. Sylvius.*

26. *Præſentis ſenſus & motus*) Dum omnes functiones in *motu & ſenſu* ceſſant, ita ut taliter affectus, non ſecus ac fulmine percuſſus & attonitus jaceat, ſimulque vox auferatur, *reſpiratione* plus aut minus imminuta, cum aut ſine ſtertore, dicitur Apoplexia; In hac ut [illegible] ſaltem functiones & *motus ſpontanei* læduntur, minus vero *motus naturales* dicti, utut in graviori interdum, & hi plus minus afficiantur, hinc reſpiratio etiam plus minus afficitur.

Quoad *Pulſum*, hic ſubinde adhuc vegetus, certe perquam durus percipitur, interdum eſt puſillus, interdum vero vix obſervabilis: *Color faciei & oculorum* ut plurimum ruber, *facies* tumida eſt, & *corpus* ſimul [illegible], ut interdum & in paroxyſmo diuturniore *facies pallens* obſervetur, *membra* omnia ſunt laxa & brachium vel pes levetur, pondere ſuo ſtatim dilabitur. Æger tactus, vel irritatus aut acclamatus, nec ſentit nec loquitur, ore hiante, & interdum ſtertente profundum dormit; Reſolvitur ſubinde ani ſphincter, unde *faces alvi*, aut injecta enemata inſcio ſponte ſua effluunt. *Etmuller.*

27. *Senſus & motus ablatio*) Quam per ἀφωνίαν exprimit *Hippocrates*, qui ob βραχυλογίαν ſuam, qua multa paucis dicere ſemper amat, longe latius τὴν ἀφωνίαν extendit, & per quandam exuperantiam ſub vocis ceſſatione, tanquam uno illo maxime manifeſto ſymptomate, omnium voluntariarum actionum ceſſationem comprehendit, teſte *Galeno comm. ad aph.* 51. 6. Et cum in hoc ſenſu ἄφωνος voce utitur, non raro addit ἢν ὑγιαίνων ἐόντι, ſi benevalenti contingat, *ut lib. de Diæta Acut.* Extremaque tum adeſt functionum omnium an[illegible]um extinctio, vociſque inſtrumenta adeo reſoluta ſunt, ut ne fletum quidem aut gemitum ullum ægri poſſint edere: Abſolute autem pro Apoplexia ponitur ἀφωνία 7. *aph.* 58. 6. *aph.* 51. & aliis locis *Cortmummius.*

27 *Senſus ablatio*) Scilicet externi, quia etſi contingat ſubinde ſenſus internos aboleri, datur tamen c[illegible]s in quo ſenſus interni ſalvi aliqua[illegible]us manſere: ob[illegible] vitq; DD. *Wallæus* quoſdam apoplecticos dic[illegible]tes poſt paroxyſmum ſe varia vidiſſe, quæ tamen ſenſu externo non viderant, ſed quorum ſpecies per ſpi[illegible]s jam antea apoplecticorum cerebro impre[illegible] [illegible] co-tum obvenerant, unde fictio quædam [illegible] naſcebatur. *Walæus med. Pract.* [illegible]

28. *Motus ablatio*) Animalis [illegible]us ita eſt labefactatus, ut membra omnia veluti [illegible] langueant, & ab adſtantibus

ſtantibus elevata & erecta mox ſuo pondere concidant.

29. *Subita*) Vide §.30. *Stertore*) ex *Cortnummy*.

30. *Cum ſtertore*) *Stertor eſt magnum & raucum ſt.idens aëris per nares palatumve attractio & efflatio*: vel ſi mavis eſt *Cacopnoea ſonora* cum *ronchos*. Eduntur *Roncho* ob reſpiratoriorum organorum anguſtiam; Anguſtia eorum fit vel ob crudem ſputum, viſcidum & ad exitum ineptum: Vel ob organorum coarctationem, *Galeno* docente 3. *de Diff. Reſp.6.* ξύμπτωσιν τῶν ὀργάνων τῆς ἀναπνοῆς, vocat *Aretaus*, 1. *Acut.* 7. Unde non in ægris ſolum, ſed & in ſanis dormientibus ſtertorem obſervamus, organis reſpiratoriis quaqua de cauſa coarctatis.

In morbo attonito ſtertor fit, non ob ſputum vias anguſtans, ſed ob ſpirituum animalium in muſculis reſpirationi dicatis abſentiam, unde ſpiritus vitales rectore deſtituti, ceſſant facere talem motum qualis conſervationi ignis animalis erat conveniens & neceſſarius; cum enim miſtum quid ſit reſpiratio ex actione naturali & animali, & vero natura in attonitis omni conatu partes ſuas peragat, non poſſit autem abſente actione animali reſpirationem perficere, quivis facile videt non poſſe eam non reddi difficilem & ſonoram. Etſi vero *Hippocrates* ſtertorem inter ſymptomata numeret [illegible] in morbis qui omnino nullam cum attonito morbo videntur habere convenientiam, veluti in febre, in angina & peripneumonia, in pleuritide, Sed diſpar hujus & illius ſtertoris eſt ratio, ibi ῥέγχος non eſt [illegible] ἐξαίφνιδος, *repentinus & ſtatim in principio affligens*, quemadmodum in morbo attonito; Deinde illis in affectibus functiones animales non intercipiuntur, ſed ad extremum uſque halitum ſolent eſſe ſuperſtites. *Cortnummius cap.36.*

31. *Sic à Caro*) Non dormiunt quidem vere Apoplectici, non omnes ſaltem, nec niſi qui à narcoticis tales exiſtunt, torpidi tamen ſtupent, & quamvis fixis patentibusque oculis nonnunquam adſtantes intueri videantur, non vident tamen nec audiunt; ſed nec uſti aut puncti ſentiunt, ullumve cognitionis aut intellectionis ſignum præbent. *Fr. Sylvius.*

Sic à Caro) Qui ſenſus motuſque ceſſationem tantum reſpicere velit, is facile cum morbo attonito confundet *Catalepſin*: At cum non cadant Cataleptici, ſed in eo in quo deprehenduntur ſtatu rigidi & quaſi congelati permaneant, formamque corporis in quo corripiebantur ſtatuæ ad inſtar retineant, Attoniti vero, niſi retineantur, ſtatim in terram proſternuntur, membrisque [illegible] ſoluti & flexibilia minimeque rigida [illegible]; præterea que reſpiratio in attonitis admodum depravetur, quod catalepticorum nemini accidit; [illegible] le diverſos hos morbos invicem diſcernere valebimus. *Cortnummius c. 38.*

Sic à Caro &c) Morbi qui cum Attonito quandam videntur habere cognationem, & Practicis aliquando impoſuerunt, ſunt *Carus*, *Lethargus*, *Catalepſis*, *Hyſteropnix*, *Epilepſia*, *Catarrhus ſuffocativus*, *Syncope* & [illegible], quorum ſinguli certas obtinent proprietates quibus a morbo attonito queunt diſcerni: Nam *Carus* à morbo attonito diſtinguitur paulatina invaſione & perfecta ſanitate inſequente, *Lethargus* excitatione & febricula, *Catalepſis* rigiditate & lapſus abſentia, *Hyſteropnix* faciei colore & reſpiratione, *Epilepſia* convulſivis motibus: *Catarrhus ſuffocativus* ſenſus & motus integritate. *Syncope* facie cadaveroſa & pulſus abſentia, *Cortnummius cap.38.*

A Caro) Carus eſt ſopor ab oppreſſo ſpiritu: Sopor *Galeno* [illegible] *Prorrh* 29. eſt altus & excitatu difficilis [illegible]. Hinc a morbo attonito dupliciter diſtinguitur [illegible] in *Caro* reſpiratio remaneat libera, quæ in morbo attonito ſtertore [illegible], 2. quod Carum ſanitas perfecta, *morbum* vero attonitum *paraplegia* non raro inſequatur. *Et apoplexiæ ſolutionem creberrime ſubſequitur paraplegia, Caris vero ceſſantibus ſanitas maxima parte ſuccedere conſuevit.* Galenus 4 *loc.aff.*2. Quibus ego addo 3. quod *Carus* non ex abrupto & derepente ſanos adoriatur, quod in morbo attonito nunquam non fieri videmus. 4. Quod in *Caro* ægri membra contrahant, ſi pungantur, In *morbo attonito* vero nullus adſit ſenſus, etiamſi brachia aut crura confringantur. *Cortnummius cap.* 38.

32. *Sine febre*) *Hippocr.* 2. *de morb.* 8. ſigna morbum attonitum præ foribus eſſe hæc affert, *Si attonitus fiat dolet caput anterius, & oculis inconſtanter videt, & ſoporatur, & venæ pulſant*, & febris levis *detinet corporiſque impotentia*. *Coacarum* autem *Pran. 181. Quibus capitis dolores, & aurium tinnitus citra febrem, & tenebricoſa vertigo, & vocis tarditas & manuum ſtupor, hos aut apoplecticos, aut epilepticos, aut obliviosos fore expecta*, Mirum poteſt videri quod 2. *de morb* 8. πυρετὸν βληχρὸν cum morbo attonito conjungat quin & aliis in locis Febrem proportionatam morbo attonito remedium afferre fateatur, hic vero velit omnem febris abſentiam, An *Hippocrates* ſibi contradicit? minime: *Foëſius* variam habet lectionem, & quoſdam codices [illegible], quoſdam vero ἀπύρετον legere aſſeverat, imo alios hanc vocem prorſus omittere.

Quicquid ſit, ejus ſum ſententiæ *Hippocr. in lib. de morbis* non pauca ab aliis audita, quædam etiam in peregrinationibus obſervatu digna tumultuario quodam modo ad memoriæ ſubſidium in chartam conjeciſſe, ut inde data occaſione poſſent deſumi & in libros transferri; quorum unum eundemque morbum varie iſthic deſcribit. Sic etiam in hoc morbo, cum aliquando audiviſſet, vel vidiſſet morbum attonitum cum inflammatione cerebri & febre debili conjunctum, non potuit [illegible] ex ore medicorum quam à vulgo accepta aliter ac illi narrabant referre, licet nondum ad accuratam rationis libellam revocata non fideliter narrare. Decet enim Medicum μηδὲν ἀτρεμές nihil prætervidere, eodem monente 6. *Epid.*2.17.

Sed qualis febris? *Hippocrates* tantum dicebat πυρετὸς βληχρός. *Foeſius* febris lenta, cum tamen in *Oeconom.* dixiſſet *febris debilis* aut *parva*, & recte, Aliud enim eſt *lentum*, aliud *debile*, Nam *Lentum* Medicis uſurpatur de eo quod diu durat & affligit, ut longa temporis tractio denotetur: *debile* vero eſt quod infirmum, nec multam naturæ creat moleſtiam, nec ſenſu percipitur magnum. Atque ita omnis febris lenta fere quoque debilis eſt; debilis vero febris, ut ſimul quoque lenta ſit, opus non eſt.

Salius in comm. *febrem* quoque *debilem* exponit, ſed de *Ephemera* intelligit. Ego credo non referre qualis ſit febris ſpecies, ſaltem non ſit lenta, qualem perniTioſam & mortiferam attonitis eſſe pronuntiavit 1. *Prorrh.*82. & *Coa.* 486. ſed calidum nativum ſuſcitare quita, ut ſanguini obſtruenti ſit abigendo. Nec obſtat quod iſtam febrem 2. *de morb.*6. πῦρ vocavit, qua voce *Hippocratem* fere vehementem febrem exprimere ſolere notum, nam id non eſt perpetuum, cum aliis in locis ſimplicem febrem, ſeu πυρετὸν per τὸ πῦρ denotaverit; imo debilem febrem, velut 2. *de Morb. mul.* 39. ubi ait πῦρ ἴσχει βληχρὸν, febris debilis habet. *Cortnummius cap* 39.

33. *Sic a Lethargo*) Lethargus eſt obliviosa cum febre ſomnolentia; at licet ſomnolenti ſint Lethargici, excitari tamen aliquando poſſunt ex ſomno & ad interrogata reſpondere, quod attonitis prorſus impoſſibile eſt; deinde nec febre laborant attoniti, quod lethargici faciunt; Nec obſtat quod *Hippocrates* in Attonitis aliquando expectet febrem, quia expectata illa febris ſymptomatica tantum, lethargicorum febris eſſentialis eſt. *Idem ibid.*

34. *Pulſus plenitudine & facie*) Id monſtrabo quod

omnia in attonitis signa intento digito ostendant plethoram, nequaquam vero pituitam, veluti sunt dolor capitis acutus & gravativus sine febre; tumor venarum soporariarum cum rubedine faciei, vertigo, pulsus stabilis & robustus, frigiditas & torpor extremorum, urina æruginosa & atra, incubus & aliæ. Quorsum hæc digitum flectunt; Certe ad plethoricos mihi videntur intendere omnia, idque ex omnibus historiis tam à *Foresto* quam aliis annotatis facile est evincere. Hinc *Hofmannus 3. Inst. Med. 92. §. 10. Omnes quos in vita mea vidi apoplecticos, fuerunt plethorici.* Sic est, tenduntque huc omnia quæ in corpore attonito observantur, cûprimis vero hæmorrhagia, & sanguinis post mortem excretio.

Sed excipient contra pleraque signa quod frigidos & excrementitios humores itidem non raro indicent, Hoc vero iis pernego, & excipio saltem cephalalgiam, quæ non tantum à calida, sed à frigida intemperie ortum ducit, regerens hic non indicare solam, sed una cum reliquis. De *Vasorum tumore & elevatione* res manifesta est, sicut etiam de *faciei rubedine*. De *Pulsu* vere *Massaria p. 789.*

Nemo est, *ait*, in artis operibus vel mediocriter exercitatus, qui non facile intelligat, propriisque oculis viderit, sæpenumero in homine laborante apoplexia respirationem nequaquam deficere, pulsus non solum non aboleri; sed etiam quandoque ita stabiles & robustos constare, ut missionem sanguinis, & quidem copiose possint perferre.

De *Vertigine & Incubo*, si dubitas à sanguine esse vide *l. 2. de morb. c. 8. Tenebricosa autem vertigo accidit cum sanguis copiosus in faciem processerit.* Audi *Rondeletium 1.* meth. 44. *Oritur Incubus ex crapula, pessima victus ratione, & à multitudine crassi sanguinis.* Cortnummius c. XXI.

35. *Sic à syncope*) Facile Apoplexia positiva privativæ supervenire, & complicari mutuo possunt. Illius occasione sanguinis motu sufflaminato, & ita circa cerebrum eodem stagnante, *syncope cardiaca*, similis affectus apoplexiæ oritur; Distinguuntur tamen quod in *syncope cardiaca*, seu *catarrho suffocativo* difficilius spirent, & signa adsint gravissimæ in pectore angustiæ: Qui *Apoplexia* vero corripitur, utut alias vix manifesta vitæ habeat indicia, tamen spirandi difficultate vix vexari solet, cum aut parum, aut tarde, aut interdum fere naturaliter spiritum ducat, *Pulsus* quoque, qui in *syncope Cardiaca* ferè deficit, in affectibus apoplecticis, fere durus observatur, ita ut aliqui pulsum fervent, alii pusillum habeant, raro, nisi in fortissima apoplexia, nullum, prout nempe plus minus præcordiorum sanguis stagnat, aut nervus cordis afficitur. Præterea in *syncope cardiaca* externa frigent, facies pallescit, sudor frigidus erumpit, pulsu evanescente & respiratione penitus ablata; In Apoplexia abolitis actionibus animalibus nihilominus respirant, arteriæ pulsant, extrema calida utplurimum deprehenduntur; & facies rubicunda observatur. Præterea in Apoplexia quavis fortis stertor est, quamdiu id quod à cerebro accedit musculis thoracis, ad complementum respirationis solû est ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in corde, In *syncope cardiaca* nullus est stertor, quia cor ipsum subito occupatum. *Emmuller.*

Eadem fuit in syncope, quæ in suffocatione hysterica, à morbo attonito discernenda Medicorum oscitantia, cum syncope & suffocatio uterina valde vicini sint morbi, & non raro conjungantur; præsertim si suffocatio illa paulo gravior sit. Potuisset autem idem faciei, pulsus & respirationis discrimen, quod inter præfocatas & attonitos intercedit heic adhiberi, & dentium manuumque arcta occlusio in syncope conspicua adjungi, quæ in attonitis non observatur, laxis & resolutis membris recumbentibus.

Quemadmodum autem res expedita est & facilis de Syncope simpliciter ita dicta, ita eadem difficillima est de cardiaca appellata, silentibus omnibus Practicis; Causa alti silentii fuit inanis persuasio omnes repentina morte extinctos dubio procul apoplecticos fuisse, inexcusabili errore, Jamdudum enim medicæ comprobarunt historiæ syncope cardiaca sublatos subito sine ullo stertore vitam finivisse, & post mortem cor sanguini innatans, cerebrum vero salvum fuisse inventum.

Solus igitur stertor infallibilis nota erit qua possint tam vicini morbi discerni. Hoc eleganter docuit *Hofmannus c. 14. Anim. in Montanum.* En ejus verba, *In Apoplexia quantumvis fortis stertor adest, quamdiu id quod a cerebro ad complementum respirationis subministrari solet non adest: Calidum enim ebulliens durat aliquamdiu pro obstructionis magnitudine. In synope cardiaca nullus est stertor*, quia statim extinguitur calor, non secus *ac si quis ignem parvum multa refutet aqua, ut cum veteri Poeta loquar.*

His acquiescere possumus, modo quis caveat ne syncopen *stomachicam* cum *cardiaca* nostra confundat. *Cortnummius. ibid.*

36. *Et Uteri suffocatione*) In gravi passione hysterica etiam ægri instar apoplecticarum jacent, Distinguuntur tamen quod in suffocatione uterina dicta præcedant symptomata affecti abdominis. Item quod in suffocatione hysterica pulsus observetur simul parvus, aut fere nullus fiat, qui sæpe in apoplexia admodum sensilis est. Deinde Apoplectici faciei colorem fere retinent, imo rubicundi ac tumidi subinde in facie apparent, qui in suffocatione uterina omnino pereat, cum facies palleat, *Emmuller.*

Admiranda præfocatarum mulierum miseria non infimi subsellii Medicis fucum fecit, ut misellas isto attonito morbo laborasse existimaverint damnosa præcipitantia; A *Galeno* proculdubio seducti, qui summum morbi attoniti gradum respirationis absentia mensus est; Hi vero utilissimum illud *Hippocr.* præceptum [illegible] in animo habere, & ad veram morbi attoniti characteristicam respicere, & facile deprehendissent [illegible] in præfocatis adesse stertorem, nec earum membra ut in attonitis resoluta esse, cum puncturas & pilorum extractiones fere sentiant, & paroxysmo cessante aliquando meminerint circa se dictorum gestorumque, faciemque habeant cadaverosam, & pulsum languidum valdeque obscurum. *Cortnummius c. 38.*

37. *Causa* est[38] angustia[39] sinuum & pororum cerebri, præcipue bazios & [40] retis mirabilis, [41] quatenus spirituum interclusionem efficit, Unde autem illa oriatur, in Differentiis dicitur.

(*Vide de causis nonnulla in Definitionis explicatione.*)

37. *Causa est*) Functionibus animalibus omnibus obeundis inserviunt proxime tria, 1. Anima, 2. organa, 3. Spiritus animales.

Animæ cur adscribatur Apoplexia nulla ratio suadet. *Organa* sensuum & animalis motus cum sint plane diversa, ab illis læsis, non pendebit ipsorum in Apoplexia læsio & abolitio; quæ proinde ab Animalibus spiritibus erit deducenda.

Sensibus autem externis & motui inserviunt 1. & proxime *Spiritus animales.* 2. *Nervi*, per quos deferuntur. 3. *Cerebrum* ac *cerebellum*, in quibus à reliquo sanguine segregantur. 4. *Sanguis*, ex quo secernuntur. 5. *Arteriæ*, tam cervicales quam carotides per quas sanguis [illegible] convenitur. 1. *Animales spiritus* ad functiones animales rite obeundas sint *1. copiosi, 2. puri 3.* [illegible] *4.* [illegible], *5. sedati*, adeoque regenti animæ morigeri.

Abolebuntur proinde functiones animales, à spiritibus animalibus perfici solitæ, ipsorum culpa 1. cum

deficiunt,

deficiunt, desinunt esse continui. 3. sunt *immobiles* vel 4. *conturbati*, neque enim ad morum *pituitatem* aliquid conferre putamus, uti ad sensum.

Desiciunt non per se, verum quia non separantur à sanguine, ipsius sanguinis aut cerebelli cerebrive culpa.

Sanguinis, si is non deferatur ad cerebrum vel cerebellum, ruptis scil. arteriis carotidibus aut cervicalibus, ex gravi casu, vel ictu, vulnere, aut iisdem interclusis, vinculo, eas namque obstrui aut comprimi non puto.

Cerebri cerebellique tantum vitium, permanente in vita homine, excitari posse ut nonsegregari queant in ipsis à sanguine, spiritus animales, vix puto.

Qu re *omnem spirituum animalium defectum ex ruptis arteriis deducendum* arbitror.

Continuitatem spirituum animalium læsam eo usque deduci posse ut apoplexia inde oriatur non censeo, *immobiles* vero & *torpidos* reddi posse ut Apoplexia sequatur omnino sum persuasus, cum experientia constet non raro ex assumptis nimia copia narcoticis in gravem somnum, hinc & apupl. incidisse, atque sic expirasse & infantes & adultos.

Ex *conturbatione* sola *spirituum animalium* Apopl. aliquando ortum duxisse arguunt exempla eorum qui ex ictu vel casu, citra notabilem sanguinis effusionem corruerunt & attoniti paulo post exspirarunt, scil. cessante una cum cæteris animalis motus speciebus ipsa respiratione & pulsu. Quod si plures simul concurrant ... mirum non est si tunc gravior quoque & citius enecans excitetur Apoplexia.

Proximam proinde *Apoplexia* omnis, i. e. functionum animalium omnium ablationis, causam censemus *Spirituum animalium vel Defectum, vel Torporem & Immobilitatem vel Conturbationem vehementem.* Deficit autem animalis spiritus, v.l *absolute*, *vel in sensuum motusque organis duntaxat.* De Absoluto egimus modo.

Potest tamen, etiam in cerebro ac cerebello deficere in sensuum motusque organis, & quidem ob *nervorum* per quas deferri deber, nervorum, vinum: *angustiam* puta ex *obstructione* vel *corruptione*, aut solutam unitatem, ubi scil. transversio discissi sunt nervi animales spiritus deferentes; & ut ubique in partibus infra caput delatis id fiat, ubi *spinalis medulla in cervice abscissa* est, uti hoc facile contingere potest & quibuidam in bobus fit, immisso inter vertebras stylo accuto & discissa medulla, unde non minus attoniti & apoplectici corruunt ac ictu.

Potest proinde accidere Apoplexia nullo spirituum animalium proprio vitio, Verum ij. Nervorum in spinali medulla conclusorum culpa, cum scil. *medulla illa* ... *angustatur* in totum, vel *dissecatur*. Angustatur ex *Obstructione*, dummodo talis accidere queat, quod us probandum relinquo qui id asserunt, aut ex *compressione*, quod facilius admitto, humore scil. pituitoso, vel sanguine circa spinalis medullæ radicem collecto & ipsam comprimente. *Dissecari* posse radicem ante dictam.

An iij. *Cerebrum & Cerebellum* eousque vitiari queant ut *Apoplexiam per se producere*, valeant, *spiritus* scil. animales ut non separando, à sanguine, aut vitiosos procreando, dubitare me dixi.

Quomodo enim in illo cujus cerebri pars media ... erat conversa, aut alias corrupta, reliqua omnia in capite se habuerint, non satis liquet.

iv. *Sanguinis* culpa sequetur Apoplexia, si ineptus ut ... ex ipso separentur spiritus animales, & narcoticis spiritu ... repletus.

Arteriarum Carotidum & cervicalium vitio Apoplexiam gigni ... diximus 1. cum ipsis ruptis sanguis effunditur, atque ejus defectu deficit spiritus animalis, aut ab eodem effluio angustatur spinalis medullæ radix, & intercluditur spirituum animalium transitus decursum: 2. cum iisdem *angustatis* & *compressis* transitus denegatur sanguini ad cerebrum, atque sic deficit animalium spirituum materia.

Ut paucis res transigatur, *Oritur proxime Apoplexia vel 1. ob spirituum animalium conturbationem, vel 2. ob eorundem torporem & immobilitatem. Vel 3. eorundem defectum.* Et eum quidem vel quia non generantur, ex *defectu sanguinis ad cerebrum ac cerebellum non delati*, ob *arteriarum angustiam*, vel *rupturam*, vel quia *ad organa non deferuntur*, *ob nervorum angustiam*, vel dissectionem. *Fr. Sylvius.*

35. *Causa est angustia*) Quem morbum Morbus Attonitus sequitur? In tenebris errant qui aliud quam *Obstructionem*, & quidem *sanguineam*, heic respiciunt, ut & qui cerebri intemperiem nobis occinût, ut facit *Avicenna* &c. Sed esto, cerebri intemperies spiritus animales, & actiones ab iisdé proficiscentes intercipiat, an hoc faciet subito? in unico sæpe momento, ut fit in morbo attonito, ubi ægri derepente concidunt, nulla de re antea conquesti? minime gentium, sed spiritum & actiones cerebri paulatim tantum labefactabit & imminuet, donec tandem crescendo & vires sumendo eas plane auferat, id vero in morbo attonito nullum habet locum, quippe ibi interceptio est subitanea.

An ictus, casus & similes causæ externæ, subito morbum attonitum efficientes intemperiem prius excitant, quam deinceps morbus attonitus sequatur? Quis credet? Hoc saltem *Galeno* aliisque dandum esse fateor, plerumque intemperiem calidam hunc morbum comitari, cum tanta sanguinis ad cerebrum elevatio non possit non plurimum illud calefacere. Evenitque sæpissime ut prius inflammatio cerebri fiat, cui conjungitur deinde morbus attonitus. Aliquando vero morbus attonitus prius excitatur, cui mox supervenit inflammatio cerebri & inflammationem tandem insequens ejusdem sphacelismus & totalis corruptio, certissime hominem jugulans. Cæterum ejusce intemperiem morbi attoniti essentiam absolvere, id vero est quod etiam atque etiam nego.

Sunt qui cerebri & compressionem & angustiam complectuntur, sed hi non vident compressionem illam pertinere ad causas procatarcticas morbum attonitum producentes. Rectius sentirent qui obstructionem respiciunt, modo non aliam quam sanguineam heic ad mitterent, ceu facit *Hippocr. lib. de V. Ac. c. 37.* quibus tuto licet acquiescere. *Cortnummius c. 9.*

39. *Angustia sinuum &c. quatenus spirituum interclusionem*) In totum omnis Apoplexiæ causam in his duobus, scil. eorum altero, aut utrisque simul, consistere statuit Clariss. *Wepferus*, Nempe vel propter sanguinis per arterias affluxum ad cerebrum denegatum, Vel ob spiritus animalis effluxum ex cerebro & cerebello per nervos & spinalem medullam prohibitum. Vel simul ob utramque causam. Quoad *prim.* ... , quo sanguis inhiberi possit, modum proponit 1. vel ob Arteriarum carotidum internarum, & vertebralium obstructionem, quæ nempe in vasis majoribus, & præcipue circa cranii ascensum, à sanguine in frusta grumosa concreto; aut in vasis minoribus, quæ cerebrum trajiciunt à materia obsita vis osa contingat, Vel 2. sanguinis influxus cerebro denegatur, ob vasorum istorum compressionem quæ nempe interdum accidit, quatenus Paristmia, sive cervicis glandulæ à serosi humoris illuvie ita intumescant, ut arterias pertransseuntes comprimendo sanguinis aditum à capite præcludant: Vel 3. affluxus sanguineus inhibeatur, quatenus aperto præternaturaliter intra cranium vase, copiose profunditur sanguis

guis, alias ad commodum cerebri cessurus. At licet *sanguinis affluxum* quandoque cerebro denegari perhibemus, verum haud tantum prædictis modis id fieri, neque propterea Apoplexiam semper oriri credimus. Alibi ostendimus *arterias cephalicas, carotidas & vertebrales*, omnes inter se invicem, ita variis in locis communicari, & mutuo inosculari, ut si contingat illarum plurimas simul obturari, aut comprimi, sanguinem tamen, unius tantum arteriæ, sive carotidis sive vertebralis, ductu ad ἐγκέφαλον admissum statim illius partes omnes, tum exteriores omnes tum interiores pervadere; quod quidem experimento satis probavimus, in quantum atramentum unius vasis trunco injectum, brevi ductus omnes sanguiferos implevit, ipsumque cerebrum ubique tinxit.

Olim cadaver aperui in quo arteriæ dextræ & carotis & vertebralis, cranio superato osseæ ac impervıæ factæ, sanguinem ab isto latere præcludebant, nec tamen æger morbo attonito unquam obnoxius fuit: quare dubitare subest utrum sanguis propter arterias quasdam, obstructas aut compressas, è cerebro exclusus morbum illum pariat. Certe longe plus periculi est à nimio ejus incursu & intra cerebrum extravasatione. *Willis.*

40. *Retis mirabilis*) Quæ fuit *Fernelii* sententia, Sed ut nec ab hoc cerebrum accipit sanguinem in spiritum animalem convertendum, quod recentior Anatomia irrefragabiliter demonstrat, Sic notandum, quod Anatomici non contemnendi pernegent hujus plexus in corporibus humanis præsentiam, sed tantum in brutis adesse confirment. *Cortnummius cap. 14.*

41. *Quatenus spirituum interclusionem*) Præter Apoplexiam *accidentalem & extemporaneam*, cujus causæ omnibus indifferenter, etsi minime prædispositis, insultum ejus accersunt, observamus hunc morbum quandoque *Habitualem* esse, scil. in quibusdam diathesin constantem manere, propter quam illos primo velitationes, easque leviores exercent, postea ex intervallis brevioribus accessiones graviores occupant, à quibus plerumque ultimo intereunt. Super his inquirendum 1. Quæ sit morbi hujus *causa conjuncta*, ejusque *ratio formalis*. 2. in quibus *diathesis apoplectica*, sive *morbi procatarxis* consistat; 3. quas *causas Evidentes* habeat.

1. Quoad *primum*, Ingruente *paroxysmo apoplectico* supponere liceat materiam quandam, in *cerebri ambitu* prius aggestam & dispersam, demum in *meditullium* ejus descendere, ibidemq; spiritus ejus omnes adorti, ac in ipso emanationis suæ fonte supprimere & prosternere; etsi non plane constat utrum illud efficiat aut medullæ poros tantum inferciendo, aut spiritus profligando, iisque narcosin infligendo, verisimile tamen est utroque simul modo fieri. Etquidem cerebri poros medullares nonnihil *obstrui* asserimus, quoniam eadem materies, quæ primo corpori calloso insidens aphoniam intulit, exinde in inferius corpus striatum prolapsa, ejusque deinceps poros inferciens, hemiplegiam excitare solet.

Attamen haud tantum à medullæ cerebralis *poris impletis* siderationem oriri concludere liceat, quia tunc paroxysmus sæpe paulatim & lente irreperet, in quantum scil. pori non simul omnes, sed successive & alii post alios à materia influente occupari possunt; Quandoquidem vero affectio subito ac instar fulguris infilit, quid minus concipere possumus quam spiritus à materiæ irruentis contractu maligno, & velut afflatu prosterni; Videtur enim quod particulæ ejus undiquaque è cerebri ambitu in meditullium, sive corpus callosum descendentes, ipsumque ex omni parte subeuntes, & meatus, utpote angustiores, protinus opplere, atque spiritus huc illuc fugare, atque in arctum cogere solent, qui dein obsessi, & in angustias redacti, cum nec diutius resistere, nec in poros alios à materia morbifica occupatos penetrare queant, demum prostrati succumbunt, Animæ cognoscentis functionem omnem dimittentes, deinde vero non facile nec cito emergunt, quia nec è materiæ malignæ complexibus seu vinculis se expedire, nec in spatia alibi vacua & aperta transire possunt, quapropter diu suppressi jacent, donec tandem aliquando forsan materies ista, vel sensim dissiata, aut in sanguinem resorbetur, aut medullæ porulis exudans in cerebri ventriculos prolabitur; vel demum materies illa paulo inferius subsidens; & corpori striato, nempe uni, aut simul utrique impacta hemiplegiam aut paralysin accersit; interim ut spiritus intra corpus callosum denuo liberi, & spatia ampliora nacti, munia pristina resumunt; quæ quidem exequuntur, donec materies nova in ce[illegible] ambitu repullulans, & sensim aucta, in [illegible]pus callosum descendens paroxysmum alium in[illegible], è quo, si neutro ex prædictis modo spiritus evadent, penitus succumbentes sensim dispereunt.

Quod si de *materia* hujus *morbifica indole*, sive natura disquiritur, suspicari licet spiritus [illegible] in Apoplexia plane alio modo ac in [illegible] convulsivis affici, nempe siderationi [illegible] copulam explosivæ contrariam, hoc est, v[illegible]m potius quam nitro-sulphuream adsciscere, p[illegible] ab ea spirituosalinas ipsorum particu[illegible]us [illegible]gi, ac à motibus sive explosionibus quib[illegible]que incundis inhiberi, non secus ac cum part[illegible]læ vitriolicæ cum auro fulminante tritæ, & [illegible]ombinatæ, virtutem ejus explosivam, seu [illegible]lopetariam prorsus adimunt, & tanquam auræ glacialis affl[illegible] particulas alias quasvis activas congelant, & immob[illegible]les reddunt.

Non absimili modo se habere videntur sp[illegible] animales, eorumque copulæ sive diversimoda adjuncta, quorum nempe alia virtutem elasticam & valde explosivam, provt in affectibus spasmodicis; aliáque in stuporem ac immobi[illegible], [illegible] in morbis soporosis, etiam in Apoplexia & Paralysi inducunt.

Quod spectat ad Apoplexiæ Habitualis *caus[illegible] procatarcticas*, simili situ habent ac in pl[illegible] aliis τῷ ἐγκεφάλῳ affectibus, nempe & S[illegible]nguis in [illegible], quod particulas extraneas, atque spir[illegible]uum an[illegible] texturæ, sive constitutioni plurimum adv[illegible] lut extinctorias, aut in se gignens, aut [illegible]piens, τῷ ἐγκεφάλῳ suggerat; E[illegible] deinde *Cerebri culpa* [illegible]st, quod in *crasi imbecillum*, & secundum poros [illegible]atus ejus *laxum & dissolutum* nimis, materiam morbificam, à sanguine obtrusam ita facile & sine repudio [illegible]per admittat. *Willis.*

41. *Spirituum animalium interclusionem*) Spi[illegible]ım animalium defectus quomodo ad an[illegible] pro-ductionem concurrat, vide supra § *Per quos spiritus animales.*)

41. *Spirituum interclusionem*) S[illegible] xprimi *Hippocrates 4. Acut.* ubi ait, *Quod quis repente obmutes[illegible] at [illegible] id venarum interceptiones & occlusiones faciant.* Quæ[illegible] declarans *Galenus lib. de morb. causis* post a[illegible]git, *Ubi intercipiuntur quæ sunt in animali arteriæ, bo[illegible] est ita oppleta sanguine fuerint, ut nullus in ipsi[illegible] rel[illegible]tur locus in quem dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc quodammodo strangulatur atque exti[illegible]guitur calor internus, ac qui ita affecti sunt, subit[illegible] motum totius corporis amittunt.*

4 Curatio

42. *Curatio* est *nulla*, si à difficili respiratione 43. sudor superveniat, 44. Si statim obmutescentes 45. & stertentes 46. febris acuta, 47. quæ materiam pituitosam, & spirituum flatulentum attenuet & dissolvat, non apprehendat. 48. Terminatur aliquando in Paralysin.

Prognoses.

42. *Curatio est nulla*) Morbi hujus *Prognosis* nunquam nisi funesta aut dubia denuntiatur, nunquam enim Apoplexia sine periculo aut præsenti aut futuro est, Verum pessima est, in qua præter functiones omnes spontaneas abolitas, etiam pulsus & respiratio, aut deficiunt aut laboriose peraguntur, & tunc plerumque cum spuma oris & stertore contingit, quibus dein sudor superveniens mortem magis præcipitem fore indicat.

In paroxysmo apoplectico, si post sanguinis missionem levamen sequitur, salutis spes quædam affulget; Sin vero post hoc, & alia remedia, affectus supra nycthemeri spatium sine remissione pergit, aut in deterius vergit; de ægro conclamatum est.

Si post primum Aphoniæ insultum bene finitum, æger postea torpidus magis, & hebetior factus scotomia & crebra vertigine afficitur, signum est eum morbi Attoniti accessionibus aliis obnoxium fore; prædicti enim affectus à materia morbifica, jamjam in cerebri ambitu deposita ibidemque sparsim fluitante, & subinde per portiones tantum exiguas in meditullium dei[illegible]endente procedunt; quæ materies, sive vitriolica, sive narcotica, postea ad plenitudinem aggesta, siderationem accersit. *Willis.*

Apoplectici melius habentes post universalia, aut aliquomodo excitati, si denuo somnolenti, aut plus minus torpidi sint, iisdem recidivæ periculum imminet, si quidem perfecte licet curati, facile tamen recidivant. *E. muller.*

43. *Curatio est nulla*) Viderunt Practicorum oculatiores Epilepsiam interdum in morbum Attonitum per [illegible] transire, maximumque non sine ratione timuerunt periculum: Quare autem tum res est adeo deplorata? Hoc facile explicare poterunt isti qui ctiamnum delectantur vitiosis humoribus ventriculos cerebri obstruentibus, quique morbum longissimum & brevissimum ab eadem causa derivare non verentur; Quid enim [illegible]sset facilius quam *Fernelianam* heic occinere semiobstructionem in Epilepsia, totalem vero in Apoplexia? Et *Fusius* comm. ad l. c. *Apoplexia morbo comitiali valde affinis est, quod eodem humore & loco affecto consentiant, ut* [illegible]*bus Galenus comm. ad 2. aph. 45.* Hoc vero exploso alia quærenda ratio: Illam dixit *Jacchinus in ix. Rhasis 14. Dejecta est virtus pugnando*, inquit, Sic est. Nam paroxysmi epileptici corpus valde imbecille reddunt; viribus au[illegible]m vehementi morbo fractis, si alius vehementissimus adhuc superveniat, qualis morbus attonitus est, quæ spes evadendi relinquitur. Nam ex *Hippocr. l. de Aff. 23 In morbis siquidem alius super alium fiat, ut plurimum occidit, Cum enim infirmo corpori à præsente morbo alius morbus superveniret, prius præ imbecillitate perit quam morbus posterior desinat.* Cortnummius c. 55.

[illegible] *Curatio est nulla*) Diximus Apopl[e]ctici vel ab om[illegible] spirituum animalium defectu in cerebro & [illegible], idque ob sanguinis defectum, *ruptis dissectisve* [c]*arotidibus & cervicalibus*: Ab hac causa excitata [illegible] habenda: Aut *iisdem angustatis à vinculo*, aut [illegible] p[illegible]randi & duro: illo in tempore soluto, curabi[illegible], A *Tumore* autem grandi, nisi hic confestim [illegible] minus, incurabilis erit, Vel 2. *ob spiri*[illegible] *in cereb*[r]*o ac cerebello quidem præsentium*, in [illegible] ut [illegible] sensus & motus defectum; *ob nervorum* [illegible] aut *compressionem*, circa spinalis medullæ radicem excitatam. A qua causa orta Apoplexia incurabilis & lethalis censenda: De Compressione radicis spinalis medullæ Vide *inferius* §. *Alia à compressione &c.* Sylvius.

42. *Curatio est nulla*) *Hippocr. 2. de morb. 21. Hujusmodi morbus iis senioribus magis contingit quam junioribus*: Et 6. aph. 57. *Apoplexia fiunt maxime à 60. ætatis anno ad 40. usque.* Non ideo quod senes maxime scateant pituita, ceu hactenus creditum, sed quod plus sanguinis gignant quam illorum corpora possint absumere, Nam sanguis in illa ætate non amplius absumitur in nutrimentum corporis; & morbus attonitus potius adoritur otiosos, desides & sedentariam vitam agentes, quibus multum spiritus, parum vero sanguinis exhauritur, unde hic pigrius circumducitur, & ad obstruendum fit apnor: Et quamvis calido nativo seniores haud amplius ut juvenes circumfluant, earum tamen illud est adhuc virium ut multum coquat sanguinem, qui non potest non redundare, & luxuria sua multum negotii facessere, nisi vena incisa inutilis abundantia emittatur: Unde errore in rebus naturalibus commisso, sanguis ad partem debilem (quæ his ut plurimum est cerebrum) facili negotio ruit, & capillares ejus arterias obstruit, quod tamen metuendum non est si vias inveniat quas possit permeare, nam ex *Hippocr. Coac. 478. Attonitis hæmorrhoides* supervenientes utiles sunt. Idque non tantum ideo quod morbus attonitus ortum sumat ab atra bile, velut omnibus eum *Galeno* placet, sed quod omnis oriatur á sanguine copiosiore, prout in corpore suppetit, sive sit melancholicus, sive pituitosus, sive qualiscunq;.

Quod si vero morbus is in ultima senectutem incumbat, fere succumbunt ægri ob spirituum penuriam, cùm pauci illi spiritus superstites haud difficulter à fuliginibus retentis in difficillima illa respiratione possint suffocari. *Cortnummius c. 55.*

42. *Curatio est nulla si &c.* Cur Apoplexia, quæ functiones animales propriè aggreditur, plerumque observatur lethalis, secus ac Epilepsia easdem indem affligens? Quæstioni ut satisfiat observandum 1. ad vitæ conservationem binas facere functiones, *alteram* in corde factam, ab ejus interno igne sanguinem accendente, rarefaciente ac perficiente; *alteram* à pulmonibus cæterisque respirationi inservientibus organis.

II. Functioni in corde factæ inservire motum & ipsius cordis, secundum suos ventriculos coarctati & expansi, Et arteriarum & venarum, sanguinem in circulari suo motu promoventium.

III. Motus hos omnes absolvi præsertim per spiritus animales, & musculosum cordis parenchyma contrahentes, atque sic ejusdem ventriculos coarctantes; & arteriarum venarumque fibras ad cavitatis suæ coarctationem moventes, & diaphragma te[illegible]quosque thoraci ministrantes in inspiratione ac exspiratione musculos moventes.

Quibus positis, in promptu ratio est, Cur in Apoplexia, præsertim graviori, tam raro unus evadat æger, cum enim per animales spiritus, motumque adeo in quibusdam animalem perficiantur functiones omnes, ad naturalis vitæ conservationem absolute necessariæ, quid mirum si *illis* 1. vel *conturbatis*, ac munus suum exinde non obeuntibus rite, Vel 2. *tumultuantibus* & narcosi correptis ac torpidis, vel 3. *deficientibus* quacunque tandem de causa in functionum animalium organis, sequatur *Respiratio difficilis & tandem nulla*. *Pulsus autem inæqualis*, & *tan-*

CCcc

in suo robore consistens validos conatus exercere potest; quæ enim jam progresso morbo supervenit salutaris non est, ex *Hippocr. in Coacis*, Apoplecticæ, *inquit*, affectiones derepente exolutorio fientes modo, febre temporis progressu, accedente, perniciosæ. *Riverius.*

47. *Terminatur aliquando in paralysin*) Sunt qui sine discrimine omnes ab attonito morbo liberandos in paralysin, sive totius corporis, sive alterius lateris, ut loquuntur, h.e. in hemiplegiam aut paraplegiam incidere debere persuasum habent; Alii illud [illegible] apponunt, fictique posse existimant ut interdum sine subsequente paraplegia æger evadat; Quicquid sit, hoc verum erit [illegible], morbum attonitum aliquando ad salutem tendere absque paraplexia ad sensum: Neque enim existimo cæcos fuisse illos qui se dicunt vidisse morbum attonitum discessisse nulla paraplegia relicta, sic enim *Sennertus* scribit 1. Pr. 2. c. 32. *Nonnunquam apoplexia finitur fluxu phlegmatico oris, qualis lue venerea laborantibus post inunctiones Mercuriales accidit.*

Forestus dicit paralysin aliquando levem esse ut non possit animadverti, adfuisse tamen nihilominus deprehendi [illegible] esse ex debilitate alicui membro relicta, Vel enim remanet risus aut fletus involuntarius, vel in cantu vocem non satis possunt modulari, vel difficulter incedunt, vel [illegible] ud quidpiam relinquitur.

Modum porro quo Paraplegia aut Paralysis ista contingat, docet *Highmorus 3. Disqu. Anat. 1. cap. 8. A quatuor illis Corporibus* (quæ spinalem medullam efficiunt [illegible] *à cerebello & cerebro productis mutuo contactu cavitas quadam* efficitur quæ *ab Anatomicis quartus ventriculus nominatur, in quem a tertio ventriculo per glandulam pinealem facile* (*si nimirum excrementis repleatur*) *humores pituitosi destillant*, atque tenerrimas *hasce productiones comprimendo effluxum spirituum ad spinam, & si ad cæteras partes inferiores denegare poterunt, & fit paralysis universalis seu apoplexia; Si vero in productiones unius lateris dextri vel sinistri incumbant humores, paralysis illius lateris.*

At hic si [illegible] firmum non est, quei constabit [illegible]. Dico [illegible], nulli humores pituitosi huc distillant, utpote quibus natura vias sat manifestas monstravit in palatum, per quæ duo foramina natura omnia cerebri excrementa in ventriculis collecta expurgat, imo etiam ea quæ dicto in loco, quarto Anatomicorum ventriculo, continentur, quod *Hofmannus ex Galeno* confirmat [*Comm. in l. 9. de usu Part. n. 661 Per alios duos*] (meatus) *qui ibi quoque sunt descripti*, & dicti ex utroque *ventriculo, tertio & quarto in pelvim glandulamque pituitariam evomere quandam crassam pituitam, deinceps per os sphenoides in palatum decidat.* Si ergo crassa pituita in palatum excernitur, quidni etiam tenuis huc tendat?

Sed melius erit *Highmerii Highmero* opponere qui paulo ante dixerat glandulam pinealem foramen illud e tertio ventriculo in quartum obturare, & cavere ne excrementa in cavitatem illam illabantur; Verba sunt 3. *Disqu. Anat. 1. c. 6. pag. 124. Glandula autem ideo huic ductus conceditur, ut foramen per quod vena exterius obturetur, ne excrementa cerebri in prædictis ventriculis collecta per foramen seu ductum hunc in cavitatem illam, quam abusive ventriculum nominarunt, effluant, ac spinalis medulla originem comprimant, ac partibus inferioribus spirituum denegetur influxus.*

Hæc clara sunt, ideoque hoc tantum addo, si humores in cavitatem illam descendunt & illabuntur; quomodo pituitosi qui gravedinibus & catarrhis perpetuis affliguntur, non continuo laborabunt paraplegia? aut quomodo illa quam *Vesalius* secuit, & in cujus cerebri ventriculis tantam aquæ copiam invenit, paraplegia fuit immunis? Probabilior saltem Paraplegiæ causa, si non verior, indaganda erit, illius saltem quæ morbum attonitum excipit, Nam scorbutica paraplegia, ut & illa quæ Colicæ affectioni interdum supervenit, diversissimam ab hac agnoscunt causam; Solam frigidam & humidam intemperiem partem morbi attoniti materialem construere, & tantam præ se ferre pertinaciam, ubi tamdiu calefacientia & siccantia medicamenta vel sine omni, vel saltem cum parvo fructu adhibentur, nemo mihi persuaserit, sed longe potentiorem & efficaciorem subesse materiam existimo; Illa autem non est vis narcotica *Plateri & Sennerti*, aut alia quædam vis peculiaris quæ in qualitatem occultam tandem desinit.

Dicam verbo quid sentiam, Sunt grumi sanguinis nervos obstruentes, nam sanguis obstruens, qui materia est morbi attoniti, in morbi solutione funditur, partesque serosæ secernuntur, ac in spinalem medullam descendunt, atque una cum istis particulæ sanguinis grumescentis, quæ curationem adeo reddunt difficilem, imo vero sæpius irritam. Si enim tantum serum esset morbi materia, facile illud, & brevi quidem, adhibitis debitis medicamentis posset absumi; quam difficulter autem paraplegia morbum attonitum insequens curetur testantur Practicorum libri. *Cortommmus* c. 56.

47. *Terminatur aliquando in paralysin*) Accidit plerumque ut licet à pituitosa apoplexia non pereant mox quidam ægri, non tamen semper restituantur in integrum, verum in Paralysin incidant, cui si novus paroxysmus apoplecticus accedat; aut gravis sopor, pereunt plerumque. *Sylvius.*

49. *Curatio* [50] respicit I. [51] *Præservationem*, quæ antecedentem causam præcavet & tollit, ac pro ratione Differentiarum variat.

II. [53] *Curationem* in specie dictam, quæ [54] incipienda cum Prognostico, [55] explorata vita, vel per candelam accensam, fenestris clausis, naribus admotam, vel per speculum tersum, ori appositum.

[56] Peragenda 1. [57] ægri commoda, [58] ut facilius aërem attrahat, [59] locatione, Levi, ne materia in corpore fundatur, [60] *Concussione*: Partium extremarum [61] sale & aceto [62] *frictione*, ejusque per *per dicum plumarum*, vel *fumum succini* [64] excitatione [65] *Sternutatoria ex semine nigellæ, foliis majoranæ, rad. hellebor. moscho: & ambra*, immittenda, instillantor pisi magnitudine.

2. [65] Materiæ per [66] *Cucurbitulas*, [67] capiti impositas, [68] quod unicum est remedium, Per [69] fortes *clysteres* & [70] *glandes*, Per [71] *Vomitus*, [72] Apposito ad suturam coronalem ex *succino* pulv[illegible]ato [illegible] oblongiore *sacculo*, qui *spiritu vini & oleo succini* aspergi debet; Per [74] venæ [75] cephali[illegible]æ, [76] vel communis, sine [77] omni mora, [78] per vices, intra tamen paucas horas [79] secti[illegible] Per [80] *venarum jugularium* secundum longitudinem β. apertionem, [81] Revulsione

Verum enim vero hæc sententia, ut cum *Th. à Vega* loquar, commentitia est & tantum creditur, partim quia in ventriculis cerebri spiritus animalis neque generatur, neque continetur, partim quia in defunctorum sectionibus hujusmodi obstructio non deprehenditur, teste uno instar omnium *Constantio Varolio in Anat.* Quin potius ventriculi excrementitiis humoribus scatere deprehenduntur, morbo attonito non prægresso. Id vero cum ante me ab acutissimo *Hofmanno*, præeuntibus *Varolio*, *Platero & Bauhino* abunde demonstratum, ut meminisse saltem sufficiat. Nec quis objiciat historiam *Mamma Baxy* apud *Tulpium 1. obs. med.* morbo attonito derepente extincti, in cujus ventriculis plurimū aq; fuit inventum, quod attonitis familiare esse censet Vir Amplissimus, quoniam vera Apoplexiæ causa non in aqua cerebri ventriculis contenta, sed in sanguine in cerebri vasis ductili facto quærenda erat, adeo quidem ut secantes eum inde instar longioris alicujus fili copiose extraxerint. Quamvis non immerito dubitem an attonitus è vita excesserit *Baxius* quod plura cordis quam cerebri symptomata exprimat historia. *Cortnummius cap. 18.*

10. *Sed etiam secundum poros*) Spirituum motus deficit ex *Pororum conniventia & subsidentia*, cujus plures possunt esse occasiones, v.g. à contusione & concussione capitis, Qua ratione ex *alapa* inflicta apoplexiam natam *Saxonia*, *Benivenius* referunt; Item *materia tenui, subtili* & quasi *lymphatica*, successive interiora versus irruente, & ita poros & meatus obstruente. Quam causam in habituali apoplexia inprimis accusat *Willis*; Item à *sanguine grumoso*, v.g. post capitis contusiones extravasato. Item ab *abscessu* in meningibus rupto, aut alia materia vitiosa, vel *extrinsecus* cerebro affusa, aut intrinsecus cerebro instillata, aut circa ejus basin collecta, ibique medullæ & nervorum principium obsidente. *Etmuller.* Vide quid de *poris* sentiat *Cortnummius*, proxime.

10. *Sed etiam secundum poros*) *Mercurialis* ne à *Galeni* placitis recederet, & [illegible] gravissimis difficultatibus pressus aliquomodo posset evadere, *l. de Aff. cap. 1.* præter ventriculos etiam *poros cerebri* accusat, in quibus etiam spiritus animalis contineatur, Quid autem per poros cerebri denotet, Oedipo opus est.

At vero in cerebro nulli dantur per quos spiritus aliquis ultro citroque possit meare præter arterias. Si has indigitavit, quare proprio eas non appellavit nomine ob perspicuitatem & ad seculi gustum? Ego vero mihi persuadeo voluisse *Mercurialem* spiritum in ventriculis cerebri animalem factum, relictis vasis & cavitatibus, ingredi ipsam albam & [illegible] cerebri substantiam, per [illegible] que diffundi, & in eadem principes facultates efficere, [illegible] spatiola ista, [illegible] spiritu animali [illegible], *poros* vocat: At [illegible] sunt quæ heic supponuntur; Neque enim spiritus vasa sua derelinquit quamdiu vita suppetit corpori; quomodo ab anima alias posset dirigi, iterumque hic animæ in momento communicare quicquid uspiam in corpore geritur si extra sua vasa progrederetur [illegible] cum ejus natura sit sese diffundere? Contra noverunt bene instituti spiritum animalem arterias cerebri, quæ innumerabiles in eo sunt, perambulare usque & usque, donec officio functo per nervos, quorum potissima pars est aranea [illegible] arteriola, transeat in venas, & [illegible] sanguine [illegible] ucatur ad cor, quem circuitum invicto argumento post *Hippocratem* primus proposuit & [illegible] firmavit Nobil. Naturæ consultus *Corn.* ab *Hogelande in hist. Oecon. Anim.* *Cortnummius cap.* [illegible]

[illegible] *[illegible] partem inferiorem & posteriorem ubi &c.*) *Willis* Apoplexiam d[illegible] cem statuit, unam cerebri *medulla* [illegible] gnans, alteram *cerebello*, Utramque sic explicat: Quod sanguinis in cerebrum affluxui aliqua tantum ex parte inhibito negamus, id totali ejus exclusioni concedendum erit, propterea namque [illegible] excitari sæpe animadvertimus qui tam [illegible] affectus pro *morbo Attonito* raro habetur, [illegible] potius [illegible] lipothymia, vel passio hysterica appellari solet, si quando enim cordis motus in totum supprimitur, illico sanguine extra cerebrum retento spiritus animales concidunt, non secus ac lux flamma suppressa evanescit.

Cordis actio sistitur, aut impeditur, vel ob sanguinis incursum improportionatum, ut [illegible] violen[illegible] [illegible]oris aut tristitiæ passionibus, vel ob *spirituum animalium*, qui motui ejus inserviunt influentiam à cerebel[illegible] denegatam. Hoc autem interdum propter ipsos nervos cardiacos spasmo affectos, aut alias constri[illegible], [illegible] dere putamus, quo ritu in passionibus h[illegible] [illegible] vulsivis usitatum est partes modo exteriores, [illegible] brachia & crura, modo internas [illegible] præcordia & viscera vicissim affici: horum autem [illegible] ἀναισθησία sequitur, in qua [illegible] sine motu & sensu, cum pulsu di[illegible] [illegible] exanimes jacent. Quod qu[illegible] fiet [illegible] ob nervos cardiacos [illegible] spiritus, qui afflu[illegible] & [illegible] quandoque spirituum [illegible] dirullium mera confusione pr[illegible]

Verum in hoc casu cum cor ipsum [illegible] moveatur, pulsus etiam robustus & ve[illegible], præterea tamen verisimillimum vide[illegible] non raro supprimi, aut inhiberi [illegible] functioni vitali destinat[illegible] in ipso fo[illegible] [illegible] intra cerebellum suppressos: Huic causæ [illegible] attribui debet quod in nonnullis observavi [illegible] post [illegible] gnam in occipite gravitatem, animi deliquium [illegible] repentina functionum omnium animalium [illegible] sa[illegible] dere, in quo laborantes immoti & in[illegible], c[illegible] su & respiratione valde diminutis & [illegible] bus, & per totum frigescentes, per p[illegible], imo diem sæpe unum aut alterum, mo[illegible] quam vivis decumbunt.

Novimus interdum taliter afflictos [illegible] um [illegible] tes, atque pulsu & respiratione penitus abolit[illegible] vita obrigescerent, pro defunctis revera h[illegible]b[illegible]tos fui[illegible], atque cistæ ferali impositos, tandem [illegible] duos tres dies revixisse: quicunque autem ab hujusmodi insultu, sive breviori sive l[illegible] ex[illegible] cuntur, proinde nunquam in p[illegible] aut [illegible] plegiam incidunt, qui plerumqu[illegible] fectus sunt. Porro nullus dubi[illegible] ob hujusmodi causa morbifica in[illegible] mors perperam aut [illegible] Apoplexiæ propriæ ita dictæ [illegible] itur [illegible] paradoxum licet, haud tamen [illegible] um, Apoplexiam quandam cerebello assig[illegible].

12 *Nervorum*) Pessime quibu[illegible] Apoplexia *nervorum resolutio*, n[illegible] a patiuntur si proprie loqui velimus. [illegible] *mannus loco cit.*

13. *Ubi nervorum principium*) *Platerus* [illegible] *Sennertus* *Principium nervorum* nobis [illegible], *Sennertus* aperte loquitur *Q*[illegible] *ad caput de. Apopl.* [illegible] inquit, *Non opus esse putamus ut tot*[illegible] *cerebri* [illegible] *stituatur, sed ad apopl. excitandam sufficit medulla cer*[illegible] *oblongata, seu principii nervorum in basi cerebri po*[illegible] *versus talis angustia, ob quam in omnia* [illegible] *motus organa in toto corpore spirituum a*[illegible] *fl*[illegible] *prohibetur.*

At principio nervorū [illegible] [illegible] cus tant[illegible] peribunt [illegible], [illegible] pa[illegible]

in cerebro salvis remanentibus; quod in paralysi maxima, cum omnes infra caput partes resolvuntur manifestum est, vel *Sennerto Doctore*, Nam principium nervorum in fine cerebri est, Principes autem facultates in cerebri corpore perficiuntur; hoc salvo, quidni ejus facultates simul sint salvæ?

Sed triplex quærit effugium cum se hoc telo confodi posse animadverteret, *Prima causa cur sensus interni in apopl. etiam lædantur*, inquit, *est quod spiritibus animalibus motu, qui ipsis perpetuus est, denegato, eos quasi suffocari necesse sit, cum enim spiritus animales non tarde generentur, sed in perpetua generatione sint, & hoc etiam in perpetuo motu, si canales, per quos in totum corpus distribui debent, occluduntur, eos in cerebro detineri, quasi concentrari, atque ita ad actiones sensuum internorum edendas ineptos fieri necesse est, præcipue cum spiritus vitales assiduo largiori copia ipsis permisceantur; ideoq; non tantum illorum generationem interturbent, sed & generatorum actiones confundant. Apparet hujus rei exemplum in cordo in quo si spiritus concentretur, nec libere in corpus diffundatur, actiones corporis læduntur.*

Secundo *membro una ex parte saltem læso, totam ejus œconomiam turbari necesse est, ut Epilepsia exemplo manifestum est, & cerebri commotio ac percussiones docent.*

Tertio, *cum cerebrum ita graviter affectum spirituum animalium generationi non sufficiat, mirum non est actiones etiam internas turbari, Si enim in iis quibus cerebrum etiam pituita repletum est, & discursus & memoria laborat, quidni in Apopl. cerebro tam graviter affecto omnes actiones aboleri queant, ut enim causæ, sic effectus magnitudine differunt.* Hæc *Sennertus.*

Sed quorsum perpetuus ille spirituum animalium motus? *Aristoteles* longe aliter sentiebat *2. part. an. 10.* nam dicit, *Accuratiores sensus fieri ob partes sanguinem puriorem obtinentes necessarium est, motio enim caloris in sanguine existentis, eximit operationem sensibilem. Eam ob causam sensoria sunt in capite.* Et 4 de part. anim. ait *sanguinem ascendere in cerebrum ad quietem & accurationem seu præstantiam.* Ideoque sensuum instrumenta non sunt in thorace, qui in perpetuo motu est, sapienter scribit *Hofmannus Instit. de usu cerebri* c. 24. Hinc *Toletus comm. in 3. de An. 2 tit. 49. Si multum calidi sint & mobiles spiritus sensitivi, erunt inepti ad sensum*, Et *Th. à Vega comm. in 3. loc. aff. 4. p 357. Spiritus vitalis primo inflammare debet, cor, cerebrum deinde attemperare ut quietem comparet, quo anima sapiens evadat*; *Frigus*, ait Zabarella l. de part. anim. c. 9. *stabilitatem facit, calor autem agitationem & mobilitatem quæ cognitionem perturbat.*

Sed *motus iste est*, inquit Sennertus, *propter perpetuam generationem.* Ast vero generationem illam non esse perpetuam, sed cessare interdum vel ex somno est perspicuum, ubi spiritus à vapore è sanguine tum copiosius elevato, sufflaminatur in cerebro, isque transire prohibetur. Si ergo tum cessat, quomodo est perpetua generatio? at etiam si vel maxime in hoc morbo spiritus ad cerebrum pervenirent, nullam tamen suffocationem aut concentrationem inde metuendam esse, ex illa corporis paralysi possumus fieri certiores, in qua omnes sub capite partes resolvuntur; cum enim tum principio spinalis medullæ obstructo principes facultates in corpore cerebri perficiantur, in morbo attonito si principium nervorum solum esset affectum, eadem ratione possent obiri; & frustra metuitur largior & perpetuus spirituum vitalium affluxus, unde spiritus animalis possit turbari. Nam propterea Natura tot sinus in dura meninge efformavit, qui sint veluti lacus sanguinem copiosius ascendentem asservantes, ut per jugulares venas commode possit ad cor redire: Alias si spiritus cum sanguine in vasa cerebri continuo & incessanter affluerent, generatio spirituum animalium nunquam posset suspendi, & per consequens actiones etiam essent perpetuæ nec voluntariæ amplius, sed invitæ, quod prorsus absurdum.

Diversissima spirituum vitalium ratio est, illi in perpetuo debebant esse motu ob perennem circulationem, & quisquis eam probe perdidicerit & calluerit, causas morborum & symptomatum, ex motu illo interrupto dependentium, facilius poterit invenire; Præterea nutritio debet esse perpetua, qua cessante vita ipsa cessat, & vice versa, quod de sensu & motu voluntario non ita necessarium esse ex somno in naturaliter constitutis liquet: Ergo spirituum vitalium generatio, sine quibus nutritio non fit, debet esse perpetua, animalium vero non item.

Deinde nec illud necesse est ut, si membri pars aliqua lædatur, totum mox inde capiat detrimentum, aut per consensum læsionem illam participat; Nam in *hemicrania* dimidiam partem saltem meningum affici certum est, licet causa ejus rei in reali non vero imaginaria totius corporis geminitate quærenda sit: Novit & *Sennertus 1. Pr. 2. 5.* cum exemplis tradidit cerebri parte aliqua affecta memoriam non tantum læsam sed & penitus amissam fuisse, intellectu salvo. Nimirum non alia ratione Naturam geminitatem modo dictam in omnibus corporis partibus instituisse quam ut altera parte læsa altera non statim compatiatur mihi fit verisimile. Nec aliud suadent epilepsia, aut percussiones capitis, cum si omnes facultates intercipiantur, etiam sufflaminatio fit parte illa ubi spiritus in cerebrum debet descendere.

De *Tertio*, quod adducit, dici μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, quia cum porta illa per quam cerebrum spiritum vitalem debebat recipere clausa est, fit illud quod *Sennertus* dicit: Et quare heic concedit totum cerebrum graviter esse affectum, cum ante principio nervorum tantum inhæserit? An hæc vis Adrasteas est; Nam quod enixe negaverat, jam nolens volens concedit à veritate ipsa convictus. *Cornumentus cap. x.*

[14] *Signa* sunt [15] *Imminentis*, [16] aliquando nulla, nonnunquam [17] Vertigo, Scotomia, [18] Incubus, [19] Tremor totius corporis, [20] Stridor dentium in somno, [21] Extremorum refrigeratio, [22] Muci abundantia, [23] Capitis [24] gravedo [25] & cætera.

[26] *Præsentis* [27] sensus & [28] motus ablatio, illáque [29] subita & [30] cum stertore, sic [31] à *Caro*; [32] Sine febre, & excitatione, sic à [33] *Lethargo*: Cum membrorum laxitate, [34] pulsus plenitudine, & facie colorem retinente, sic [35] à *Syncope* & [36] Uteri *suffocatione*, distinguitur.

[14] *Signa*) divido in *Gnostica*, quæ & δηλωτικά dici consueverunt, & *Prognostica*, *prænuntiativa* alias, quorum ista *præsentia* demonstrant, hæc *futura* præmonstrant, *Gnostica* attoniti morbi signa, iterum sunt vel *Pathognomonica*, vel *Diagnostica*. *Illa* morbi attoniti naturam specificam, *hæc* differentiam ejus individualem significant & morbum attonitum ab aliis distinguunt. Estque unum, Stertor insomnis. *Cornumentus c. 36.*

[14] *Signa*) Junge his ea quæ cerebrum aut cerebellum magis affectum designant. *Cerebrum* huic morbo magis obnoxium, ait *Willis*, denotant præviæ & frequentes scotomiæ & vertiginosi affectus. *Cerebellum* magis affectum arguunt creber Incubus, pulsus intermittens, syncope & leipothymia frequens.

[15] *Signa imminentis*) Apopl. dispositionem in corpore præexistentem præterea innuunt, *Somnolentia* &

perpetua in somnum propensio, unde tales mox ubi quiescunt ac sedent in somnum labuntur. *Sensuum* omnium, internorum præsertim hebetudo insueta, cum offuscata mentis solita hilaritate. *Pigritia* & languor aliquis in motu insolitus, *Oculi* tumidi quasi, ut & ipsorum vasa turgida. *Sylvius.*

16. *Aliquando nulla nonnunquam &c.*) Quamvis non *Rhasis* solum authoritate, sed quotidianis quoque experimentis brevissimum & imperceptibile morbus attonitus habeat principium, non semper ex abrupto ingruit, sed pluscula edit signa adventum suum præsagientia, velut in fasciculum collecta à *Paulo Ægineta l. 3. cap. 18. Præcedit hoc malum repentinus & acutus capitis dolor, jugularium venarum tumor, tenebricosa vertigo oculorumque splendores, extremorum præter rationem frigus. palpitationes totius corporis, motionis difficultas, dentium inter dormiendum stridores mi..untque velut arug[i]nosa, atra pauca, & farinaceum habentia sedimentum.* Cui suum adiecerunt calculum quotquot superioribus sæculis de hoc morbo quicquam ediderunt, Docti autem sunt omnes à præceptore *Hippocrate* qui ea colligetat *lib. de Di. Acut. tx. 37.*

Contingunt plurimis eorum st., Rubetos facies, oculorum immobilitates, digito um in manibus distensiones, dentium stridores, pulsationes & extremarum partium refrigeratio, spirituum in venis interceptiones.

Lib. autem 1 de morbis. Si attonitus fiat, dolet *Caput anterius, & oculis inconstanter videt, & soporatur, & venæ pulsant, & febris levis detinet corporisque impotentia.*

Si ita est, ut tot symptomata morbum attonitum quandoque præcedunt, quomodo *Hippocr. l. de V. A.* aliquoties ait morbum Attonitum *derepente* homines corripere? Respondet *Nymannus de Apopl. c. 8.* distinguendo inter ipsam Apoplexiam, & affectiones eam antecedentes, conceditque enumerata symptomata Apoplexiam quidem præcedere, essentiam tamen ejus non absolvere, nec aliud indicare quam iis apparentibus periculum esse ne morbus attonitus sequatur. Sane ita est, subita citra occasionem manifestam aliamve validam causam invasio refertur saltem ad omnium facultatū cessationem, quæ una cum stertore est, characteristica morbi attoniti. Hippocratica enim aphonia debet fieri subito & repente, cætera symptomata præcedentia diu interdum possunt affligere priusquam morbus attonitus sequatur Ideo *Hippocr. l. d. s. primo* morbum ipsum, ejusque causam & curationem proponebat, deinde persequebatur ea quæ eumpse morbum solent præcedere. *Cornummus c. 39.*

17. *Vertigo*) Clare & aphoristice *Hippocrates Coac. Præn. 346.* Ex *H. in ore bonde partium & aliquantisper* apparente *tenebricosa vertiginis oborta* paraplegicum quid significat, *solvit vena sectio.* Quod & ex *Coac. 16.* perspicuum est, ubi Tenebricosa vertigo inter affectus morbum attonitum præcedentes refertur.

Sciendum enim Vertiginem nihil aliud esse quam *depravationem spiritus visorii*, qui nullibi in oculis deprehenditur: Ea inter alias causas etiam accidit, quando in corpore plethorico sanguis vaporosior & flatulentior effectus istam inducit fluctuationem in oculis, quam morbum attonitum sequi solere traditum à practicis & vetustissimis & recentissimis. *Cornummus c. 42.*

18. *Incubus*) Hinc *Rondeletius 1. meth. cur. 44. Incubus si diu perseveret, & quotidie invadat, in apoplexiam transit, præcipue si plenitudo illa ad caput perveniat.* Idem *Forestus, Lemnius, Boetius* & alii. Quamvis autem terror iste à P[illegible] incussus ut plurimum sit panicus. hoc tamen verum esse rationalis experientia nunquam non comprobat, ex nimia ista satietate nunquam non generari sanguinem pituitosum & flatulentum, eumque copiosum copiosa & crebra alimentorum in ventriculum in[ge]stione perseverante. Qua vero facilitate uterque [san]guis in tenuissimis cerebri arteriolis *mora*, h. e. stationem, pigritiem & moram, unde morbus attonitus est, accipere possit, jam plus satis est probatū, & ex i[p]sa frequentioris Incubi curatione haud obs[c]ure colle[gitur], quæ sanguinem imminutionem requirit, si modo materiam morbo velimus subtrahere. *Cornummus c. 49.*

19. *Tremor totius corporis*) Non verus *Tremor* hic au[...]dus, sed *tremulus motus*, aut *vibratio*, B[...] vocant *lectigationem*: Hanc *palpitationem* &c. in toto corpore, præcipue vero capite conspicuam, morbum attonitum non leviter arguere constans est Practicorum sententia. An idem voluit *Hippocr.* Sic enim *Coac. Prænot 347. Qui Palpitationes in toto corpore sentiunt, numquid & voce capti intereunt?* &c. Accidit cum sanguis crassior factus liberiorem ventilationem aut exitum non invenit, palpitationem facit, quæ si diutius duret ut tanta in arteriolis cerebri, præsertim flatuosi sanguinis copia quæ obst[ru]ere possit, colligatur, morbus attonitus sequi potest; Observavit quoque illud ipsum *Gordonius* dum sic scribit Si *saltus seu jectigatio continuatur, prognostica futuram Epilepsiam, aut Apoplexiam, aut Stuporem, aut paralysin, aut spasmum, aut saltum.* Cornummus c. 47.

20. *Stridor Dentium*) *Χαυλιόδοντος* [illegible] & nervorum affectio, hinc sicuti epilepsia in attonitum morbum quandoque desinit, sic & *πρίσμος ὀδόντων* illius prodromus esse potest.

21. *Extremorum refrigeratio* Unde sit ista *ἀκρωτηρίων ψύξις* docet *Galenus ad aph. 46. 7. Hippocrates* illam in acutis morbis semper damnavit, & gener[a]lem inde confecit regulam. *7. aph. 1. In morbis acutis frigus partium extremorum malum*, semper enim significat pessi[m]um [sa]nguinis (in quo vita commoratur) statum, quem sæpe morbum attonitum, docente eodem *l. de D. acut.* Quomodo? Dixerat ibidem, *Perfrigerationes fiunt ob flabi statem sive moram*, hinc *spirituum in venis interceptio fit.* Cum enim spiritus senti[un]t quādam in cerebro fieri obstructionē, omni conatu parti affectæ cupit succurrere, omnesque spiritus cum sanguine vehiculo eo impulsat, neglectis interim extremis & à fonte remotioribus partibus.

Explicat hoc egregie *Ballonius 2. cons. p. 21. Cum humores commoventur, & sanguis, qui ad pendi[...] fuit, perturbatur alteraturque aliquis ἄφωνος aut vertiginosus, aut aliquo simili affectu præd[i]tus esse potest. Idem & [...] omnes partes habet, si humores, sibi vias mutuo non obstruant, si sese non obtrudant simul & obruant.* Si autem v[e]luti è proprio cōceptaculo educti affatim in *inanitates aut cavitates quasdam publicas irruperint ibi sese obtrudentes, conculcantes & opprimentes*, tunc humorum *mora* fit, ut loquitur *Hippocrates, & illam humorum moram algor, & per calores oppressionem, utrumque interceptionem partium refrigeratio [con]sequitur.* Cornummius cap 46.

22. *Muci abundantia*) Nam ex *Hippoc[r.] l. 3. de Diæta, Mucus & saliva plenitudinis sunt indicia*, tum in toto [corpore] præsertim in cerebro, nempe pituitosæ.

23. *Capitis gravedo*) Istum dolorem *Paulus* vocabat [re]pentinum & *acutum* significanter: *Hippocr. 2. [...]* in morbi attoniti descriptione, *derepente* ait, *cruciatu [c]aput prehendit*, Et [...] 21. *Sanum derepente cruciatus [...] caput*, Talē se intelligere [...] innuit [l.] de Mor[b...] vocat [...], *acutum*, teli instar ferientem, quem [...] & fervens sanguis in partium sensibiliores incu[rre]ns efficere consuevit.

Neq; *acutus* solū est dolor capitis morbum attonitum præcedens, sed & *pulsans, punctorius, tensivus*, *Pulsans* [...] & frequenti ictu partem ferit, cum enim sanguis co[...] se in cerebrum ascendit, & ob venarū angustiam [...] & sine mora non potest remeare, graviter [i]llud [a]fficit & magis magisq; affligit. *Punctorius* membra[...] prop[...] est, & velut aculeo fodit. N[a]m acris & [...] sa[...] magna vi quærit sibi viam [...] *Tensivus* [...] cas distrahit. Quanto en[im] [...] copia ascendit in cerebrum [...] to magis [...], vasa & membranas imple[t], & imp[...]

Omnes istas dolorum species caput ante morbū attonitum

nitum infestare posse è cujusvis materia, modo & proprietatibus dispa[..]cit,& jam olim satis clare docuit *Hippocr.l.de V. Acut.14. Cū dolores accesserint sanguinis melancholici a[...] fluxum accipiones [...]; dolet autem dum interiora mordentur, Demorsa vero & [...] sicca facta vena distenduntur & inflammata consistunt & colligunt ea quæ affluunt.* Si ea reddenda esse autumo, detracto glaucomate ab Interpretum duce, Medicorum oculis objecto.

Summa rei est, Capitis dolor morbum attonitum præcedens est [...] solo copiosiore sanguinis affluxu, copia sua meningum vasa distendente, & inflammāte, hujus ustores & igneæ partes acrimonia sua meninges vasaque rodendo dolorem excitant; dolor irritādo spiritum invitat ad oppugnandum, qui æstrum obediens sanguinem vehementer suum eo impulsare non desistit durante noxa; auctio dolore mirum non est irritationem quoque augeri & concitari affluxum majorem, donec tandem præcludatur via sanguini per arteriolas in cerebri substantiam descensuro, unde morbus attonitus ingruit.

Hippocrates, ut omnia, ita & hæc paucis *2. de morb.4. Dolor quidem ex nigra sanguinis caliditate*, qui interdum est [...] cum sanguis melancholicus ibi stagnat. Dicit [...] porro, *Gravitas autem* (homine ad apoplexiā disposito accidit) *plus sanguinis & turbidioris, est in capite quam intus*, nimirum pro ratione ad reliquo corpore.

Ecquis ergo vitio mihi vertat quod μέλανα χολὴν reddiderim *sanguinem melancholicum*, rei natura id jubente, volente & *Ballonio* annuente; Loquitur enim *Hippocrates* de affluxu qui fit per vasa, vasa autem non vehunt humores solitarios, sed totam massam sanguineam; E[...] si ust[...] est dici aliquando potest vel melancholia, vel [...] atra bilis, sicut colligere licet ex *l.2. de morbis*, ubi *Hippocr.* expressis verbis [...], sanguinem [...]ū, turbidum & morbosum, vocat [...]. Imo eodem lib. *ix. 9. §* [...] pro sanguine crudiore & frigid[...] [...]lo usurpavit, dum illud anginæ causam existere asserit; quam alibi expresse dicit sanguinem esse &c.

Cephalalgiæ morbum attonitum arguens magis in anteriore quam in posteriore capitis parte sentitur, velut ex *2.de morb 8* propositum, *Anticam capitis partem ideo dolet, quod venæ in ea sunt crassissimæ, & cerebrum magis a[...] in parte anteriore quam posteriore situm est.* Vasa enim in caput ascendenti insignem sunt nacta magnitudi[...] [...] in anteriore ejus parte, ubi magnos illos sinus vel ingred[...] [...]t vel constituunt. *Cortonommius c.40.*

14.15. *Et cætera.*) [...] tætet enarrata prænuntiantia morbum attonitum imminentem, enumerantur *Tumor Carotidum, Vocis tarditas & hæsitantia, Oris distorsiones, Torpor corporis insolitus.* Sunt qui præterea etiam addant *longos & graves somnos, ronchos, mentis hebetudinem, & sensuum obtusitatem, affectus comatosos* & alia plura. Verum si quando hæc & similia morbo attonito originem præbere videntur, ea modusque quomodo id possit contingere ex superioribus, quemadmodum & causa antec[...]ens & procatarctica non potest non liquere, uti & ex sequentibus. *Cortonommius.*

Dolor Dorsi,

Fore[...] capitis dolo[...], ex *Beirurio*, addit *Dolorem Dorsi* ex pl[...]a, *Dolor dorsi, inquiens, ex multitudine sanguinis [...] ad apoplexiam ducit nisi cum phlebotomia fuerit subito [...]* An hoc etiam fondamentum habet in *Hippocrate* sic enim [...] *2 de morbis 5. Si sideratum fuerit cerebrum [...] ex capite spinam occupat.*

C[...]otidum tumor & pul[...]tio.

V[...] [...]que soporariæ in imminente apoplexia [...] [...] [...] *acies impensè rubet*, eo sanguin[...] [...]tuerient. Egregie *Clar Wepfer* [...] A[...] [...] *ostentis carotidibus internis* [...] *altius, copiosior per externas sanguis distribuitur, unde certior ratio reddi potest quamobrem quibusdam apoplecticis facies rubescit, temporum & colli arteriæ micent, jugulares que turgidiores conspiciantur*, Ita sane est in principio morbi attoniti; cum autem natura succūbere ad extrema ventum est, mirum non est etiam pulsus fieri languidiores, igne animali per [...] fere extincto.

Hippocr. 2. de morbis 8. ajebat, *Vena pulsans, Ex humorum commotione*, subjūgit P. Salius, *in comm.* Ego vero *ob usum ætatum*, Nam vasa ob sanguinis copiam plus justo distēduntur, sanguisq; commentus refrigerio cōtinuo, ob respirationem tantum non interceptā abnegato, nimium fervet, deinde incipiente obstructione novus sanguis non ita facile appellit, unde pulsus augetur adeoque interdum incitetur violento & conspicuo, ut *Plinius* loquitur *l.7.c.5.* percussu se ostendant arteriæ.

Observarunt recentiorum Medicorū non pauci istam carotidum venarum elevationem, atq; inde occasionem ceperunt eas secandi; ita enim *Rondeletius Pr.c.22. Satis conspicua sunt jugulares in Apoplexia, quoniam sanguine sursum in caput vaporibus multis repletum & turgent.*

Et sane si perlustramus omnes Attonitorū historias, deprehendimus eos omnes fuisse plethoricos, Potissimū eum morbus attonitus invadit homines otiosos, lautos, potatores vini & cerevisiæ crassæ multumq; nutrientis; tales vero semper abundant sanguine, ubi autem est abundantia sanguinis, ibi quoque adest vasorum elevatio, & tumor & quidem hoc in morbo soporalium, quoniam sanguis in cerebrum tendens itu & reditu suo hæc vasa necessario debet permeare.

Linguæ hæsitantia.

Hanc Linguæ hæsitantiam qua altera syllaba alteri jungi propere non potest) seu tarditatem morbum attonitum præsagire non vulgo tantum notum est sed & jam olim assertum ab *Aristotele 11. Probl. 36.* ubi dicit *Lingua hæsitantiam similem affectum esse apoplexiæ partis cujusdam interioris, quam neq[...] [...] movere* impeditæ propter refrigerationem. Ut & *a Probl.54. ejusdem sect. Quare lingua hæsitantes quidam, unt [...] In causa est refrigeratio partis ejus qua loquuntur, & veluti apoplexia partis hujus est.*

Multo manifestius id proponit *Medicina parens 7.aph. 40 Si lingua subito impotens fiat, aut pars quadam corporis attonita, melancholica fit illa*, h.e. [...] [...]si melancholici, vaporosi sanguin[...] cop[...] festatur Illa enim adminiculamenta vocalia delata, facile [...]egorio istā efficere valet [...] & si diutius durei & augeatur, ipsam apoplexiam, quod *Hippocr.* testatur *Coac. Præn.6* ubi loco [...] ponit [...] *Quibus capitis dolores & aurium tinnitus citra febrem, & tensiones vertigo, & vocis tarditas, & manuum stupor* [...] *hos aut apoplecticos, aut epilepticos, aut obliviosos fore expecta*, experientia illud nunquam non comprobante: Nam præter multa alia exempla, mihi asseveravit Vir Exc. quod paraplexia sinistri brachii correptus nihil sinistri præsenserit, nisi loquelę tremulam titubantiam & hæsitantiam. Posse autem sanguinem melancholicū hoc efficere superius ostensum *Cortonommius c.44.*

Idem à me observatum *Neocomi Helvetiorum* anno 1659. in Quæstore Sereniss. *Principis à Longueville* Nob. Dom. *Manual*, sexagenario, cui hæmiplexia supervenit, nullo alio præcursore quam linguæ hæsitantia & titubatione ac fugaci oris distorsione aliquot horas ante invationem, & cruris sinistri ex intervallis vacillatione; mox iterum ambulatione libera; Quia vir erat plethoricus illico curo sanguinem mitti ex brachio dextro, paulo post successit paraplexia hujus lateris; supervixit sexennium apoplexia tandem extinctus.

Oris distorsiones.

Hippocrates oris perversiones seu *distorsiones* morbum attonitum arguere prodidit *2. Prorrh. Distorsiones in facie, si nulli alii corporis parti communicent*, e to c stant vel sua sponte, vel *coactæ. Forestus 10. Obs. 24. in schol.* ait, *Si venat tortura oris ex se ipsa, ut plurimum prænuntiat paralysin, & frequenter apoplexiam [...] in multis observavimus.* Senoertus Pr.1.8. Tortura *oris apoplexiam* vel epilepsiam portendat.

Torpor in Motionibus & sensuum interceptio insolita.

Νάρκη ex *Galeno* 1. *sympt. c.* 5. *Est totius corporis & maxime membrorum dispositio ex sentiendi movendique difficultate composita.* Nec aliud quid est [illegible] *tremula quadam totius corporis impotentia, Coac. pranot.* 170. quã ex redundante sanguine derivat illo in loco divinus *Senex*, idq; probat maximo suo argumento, [illegible] *sanatio docet*, dum sanguinis eruptionem vel liberalem ejus fluxum solutionẽ afferre scribit, [illegible] *sanguinis profluvium solvit.* Morbum autem attonitum haud procul abesse, si præter consuetudinem, & ex commemorata causa isti ingruant torpores sensuumque diminutiones monuit *Hippocr. Coac. pran.* 476. *Torpores & stupores prater morem contingentes adsuturarum apoplexiarum signum existunt.* Confirmat idem *Massaria* 1. *Pr.* 16. dum ait, *Non semel observavi quod apoplexiam pracedat torpidus quidam sensus & motus, veluti quadam formica qua in brachiis & aliis partibus sentiuntur.* Vide *Forestum* 10. *obs.* 37. *Sennertum Pr.* 1. 3. *c.* 1.

Quomodo autem hoc fit? Spiritus disjungitur nec continuatur, sed tantum accedit per intervalla, hinc sensus repentium formicarum vel pungentium acuum, quem Germani *obdormitionem* vocant, (Galli *la partie endormie*) quotiescunque brachium vel crus stupet. Illustrat *Hippocr. l. de morbo S. tr.* 6. hanc spiritus disjunctionem seu interceptionem [illegible]. *Sicubi stet spiritus vel intercipiatur, impotens fit istud membrum, ubi ubi steterit, Cujus hoc indicium est si quando sedentis, vel decumbentis* venulæ comprimantur, ut spiritus *pertransire nequeat à vena, statim torpor occupat. Cortmummius cap* 47.

[26]. *Prasentis*) *Galenus l. de medico c.* 13. pathognomonica attonitorum signa tria recenset. *Attoniti voce, sensu & motu, capiuntur.* Et 1. m. m. 9. *Si quis sive tribus horis, sive dimidio tantum hora toto torpore vehementer captus fit ut neque sentiat neque moveatur, hunc nos attonitum appellamus.* Et *Paulus* l. 3. c. 18. *Attoniti jacent sine voce, motu & sensu, absque febre.*

Fallitur *Lonerus* dum enumerata signa autumat esse diagnostica, nam non uni & soli morbo attonito competunt, sed etiam in syncope & suffocatione uterina observantur *aphonia*, [illegible], [illegible], & [illegible]. Ita tamen tribus istis morbis hæc signa sunt communia, ut interim etiam singulis sint propria, perpetua atque inseparabilia, quibus conditionibus pathognomonicorum natura absolvitur.

Ceteruro *Hippocrates* breviloquus sola *ἀφωνίας* voce omnia pathognomonica morbi attoniti signa videtur comprehendisse; cujus vestigia legens & ego, duo saltem propono signa pathognomonica, nimirum *Omnium functionum animalium interceptionem*, & *Repentinum lapsum*, quæ *partem affectam & morbum ipsum* proprie ostendunt.

Quoniam autem neq; functionem animalium interceptio, neque repentinus lapsus morbum attonitum in certo ponunt, licet à principio usque ad finem in eo adsint maneantque, Diagnostica signa quoque sunt consulenda, quæ pathognomonicis adjungant signa uni ac soli morbo attonito propria, Ergo porro adstruendum est *Repentinum & insomnem stertorem certissime morbum attonitum ostendere.*

Nam quanturo ad *prasentem* morbum, si contingit imperitum aliquem ingredi ad ægrum humi prostratum, sensu motuque captum, statim judicat eum esse attonitum, cum tamen sæpenumero nihil minus sit. Plus millies id accidisse patet ex historiis, certa ergo & infallibilis statuenda characteristica qua morbus attonitus [illegible] cognos[illegible]tur, & ab omnibus aliis dignoscatur, Nequaquã enim sufficiunt pathognomonica superius adducta, etiam in aliis morbis deprehensa, nisi accedat aliud quod in morbis istis, qui enumerata signa pathognomonica habent communia, non observatur, Id vero est [illegible], *stertor insomnis & repentinus.* Sine stertore isto morbum attonitum proponere, est corpus in sole sine umbra statuere. *Cortnummius cap.* 36 & 37.

Breviter & significanter attonitorum signa comprehendit Rhasis, 9. *ad Mansorem c.* 4. sic docens, *Cum aliquis quasi dormiens jacet, & sine somno stertit, & cum pungitur non sentit, tunc jam patitur apoplexiam.*

Ballonius l. 2. *consil. p.* 24. duo signa commendat, *Hac duo, muti fiunt & stertunt characteristica sunt morbi attoniti*, ubi duo illa signa 6. *aph* 51. prolata [illegible] in oculis habuisse videtur.

[26]. *Signa prasentis*) Mortuis similes apparent apoplectici, à quibus sola respiratione ac pulsu, ut & faciei colore distinguuntur: In gravissima autem obliteratur *Respiratio*, adeo ut vix observari queat, aut cum ste[illegible]ore in moribundis accidat, *Pulsus* itidem in gravissima languidus apparet & parvus, celer tamen, In minus gravi vero plenior existit, & satis validus, semper tamen inæqualis: *Facies color* parum à naturali statu recedit, nisi quod valde læsa respiratione subinde intendatur, & tandem obscurior evadat, qualis fere observantur in strangulatis, cum revera suffocentur tandem ægri. *Fr. Sylvius.*

[26]. *Prasentis sensus & motus*) Dum omnes functiones in *motu & sensu* cessant, ita ut taliter affectus, non s[illegible]us ac fulmine percussus & attonitus jaceat simulque vox auferatur, *respiratione* plus aut minus imminuta, cum aut sine stertore, dicitur Apoplexia; In hac ut plu[illegible]num saltem functiones & *motus spontanei* læduntur[illegible] minus vero *motus naturales* dicti, utut in graviori i[illegible]terdum, & hi plus minus afficiantur, hinc respiratio et[illegible]am plus minus afficitur.

Quoad *Pulsum*, hic subinde adhuc vegetus[illegible] certe perquam durus percipitur, interdum est pus[illegible]llus, i[illegible]terdum vero vix observabilis: *Color faciei & oculorum* ut plurimum ruber, *facies* tumida est, & *corpus* sim[illegible]lcalet, utut interdum & in paroxysmo diuturniore *facies pallens* observetur, *membra* omnia sunt laxa, & si brac[illegible]ium vel pes levetur, pondere suo statim d[illegible]bitur. Æger jactus, vel irritatus aut acclamatus, nec sentit nec loquitur, ore hiante, & interdum stertente p[illegible]fundum dormit; Resolvitur subinde ani sphincter, unde *faces alvi*, aut injecta enemata inscio sponte sua effluunt. *Ettmuller.*

[27]. *Sensus & motus ablatio*) Quam per *ἀφωνίαν* exprimit *Hippocrates*, qui ob *βραχυλογίαν* suam, qua multa paucis dicere semper amat, longe latius *τὴν ἀφωνίαν* extendit, & per quandam exuperantiam sub vocis cessatione, tanquam uno illo maxime manifesto symptomate, omnium voluntariarum actionum cessationem comprehendit, teste *Galeno comm. ad aph.* 51. 6. Et cum in hoc sensu *ἀφωνίας* voce utitur, non raro addit [illegible], si benevalenti contingat, *ut lib. de Diata Acut.* Extremaque tum adest functionum omnium ani[illegible]um extinctio, vocisque instrumenta adeo resolut[illegible]unt, ut ne fletum quidem aut gemitum ullum ægri possint edere. Absolute autem pro Apoplexia ponitur *ἀφωνία* 7. *aph.* 58. 6. *aph.* 51. & aliis locis *Cortnummius.*

[27] *Sensus ablatio*) Scilicet externi[illegible] quia etsi contingat subinde sensus internos abole[illegible] datur tamen [illegible] in quo sensus interni salvi aliquat[illegible]nus mansere: ob[illegible]va vitq; DD. *Wallaus* quosdam apoplecticos dic[illegible] p[illegible]st paroxysmum se varia vidisse, quæ tamen [illegible]nsu ext[illegible]rno non viderant, sed quorum sp[illegible]s per spi[illegible] jam antea apoplecticorum cerebro impr[illegible] co[illegible]rum obvenerant, unde fictio quædam [illegible] batur. *Walaus med. Pract. p*

[28]. *Motus ablatio*) Animalis [illegible] ita est [illegible]befactatus, ut membra omnia velut [illegible]luta langueant, & ab adstantibus

ſtantibus elevata & erecta mox ſuo pondere concidant.

2. *Subita*) Vide § 30. *Stertore*) ex *Cortnummy*.

3. *Cum ſtertore*) *Stertor eſt magnum & raucum ſtridens aeris per nares palatumve attractio & efflatio*: vel ſi ſuavis eſt, *Cacophonia ſonora* cum *ronchos*. Eduntur *Ronchi* ob reſpiratoriorum organorum anguſtiam; Anguſtia eorum fit vel ob crudem ſputum, viſcidum & ad exitum ineptum. Vel ob organorum coarctationem, *Galeno* docente 3. *de Diff. Reſp.* 6. [illegible] vocat *Aretaeus*, 1. *Acut.* 7. Unde non in ægris ſolum, ſed & in ſanis dormientibus ſtertorem obſervamus, organis reſpiratoriis quaqua de cauſa coarctatis.

In morbo attonito ſtertor fit, non ob ſputum vias anguſtans, ſed ob ſpirituum animalium in muſculis [illegible] dicatis abſentiam, unde ſpiritus vitales [illegible] deſtituti, ceſſant facere talem motum qualis [illegible] ignis animalis erat conveniens & neceſſarius; cum [illegible] miſtum quid ſit reſpiratio ex actione naturali & animali, & vero natura in attonitis omni conatu [illegible] ſuas peragat, non poſſit autem abſque actione [illegible] reſpirationem perficere, quivis facile videt non poſſe [illegible] non reddi difficilem & ſonoram. [illegible] *Hippocrates* ſtertorem inter ſymptomata numerat [illegible] in morbis qui omnino nullam cum attonito morbo videntur habere convenientiam, veluti in febre, in angina & [illegible] pneumonia, in pleuritide. Sed diſpar [illegible] & illius ſtertoris eſt ratio, ibi [illegible] non eſt [illegible] *repentinus & ſtatim in principio affligens*, qui [illegible] modum in morbo attonito; Deinde [illegible] animal [illegible] ſputum [illegible], ſed ad [illegible] que habitum ſolent [illegible] ſuper[illegible]. *Cortnummius cap.* 38.

11. *Sic a Caro*) Non dormiunt quidem vere Apoplectici, non omnes [illegible], nec nisi qui à narcoticis [illegible] ſunt, torpidi tamen ſtupent, & quamvis fixis patentibusque oculis nonnunquam adſtantes intueri videantur, non vident tamen nec audiunt, ſed [illegible] aut [illegible] ſentiunt, ullumve cognitionis aut intellectionis [illegible] præbent. *Fr. Sylvius.*

Sic a Caro) Qui ſenſus motuſque ceſſa[illegible] tantum [illegible] ſpicere velit, is facile cum morbo [illegible] confundet *Catalepſin*. At cum non cadant Cataleptici, [illegible] in [illegible] quo deprehenduntur ſta[illegible] [illegible] permaneant, formamque corporis [illegible] quo [illegible] ſtatuæ ad inſtar retineant. Attoniti vero, [illegible], ſtatim in terram proſternuntur, [illegible] & flexibilia [illegible] permaneant [illegible] que reſpiratio in attonitis admodum depravetur [illegible] cataleptic orum nemini accidit; [illegible] [illegible] invicem diſcernere valebi[illegible]. *Cortnummius c.* 38.

[illegible] *Sic a Caro &c.*) Morbi qui cum Attonito quandam videntur habere cognationem & Practici [illegible] compoſuerunt, ſunt *Carus*, *Lethargus*, *Catalepſis*, [illegible] *Epilepſia*, *Catarrhus ſuffocativus*, *Syncope* &c., quorum ſinguli [illegible] obtinent proprietates [illegible] a morbo attonito queunt diſcerni: Nam Ca[illegible] attonito diſtinguitur paulatina inva[illegible] perfecta [illegible] inſequente, *Lethargus* excita[illegible] febricula, *Catalepſis* rigiditate & lapſus abſen[illegible] *Leucophlegmatia* faciei colore & reſpiratione, *Epilepſia* [illegible] motibus: *Catarrhus ſuffocativus* ſenſus & mo[illegible]te. *Syncope* facie cadaveroſa & pulſus ab[illegible]. *Cortnummius cap.* 38.

[illegible] *Caro*) Carus eſt ſopor ab oppreſſo ſpiritu: So[illegible] 29. eſt altus & excitatu difficilis [illegible] attonito dupliciter diſtinguit [illegible] *Caro* [illegible] remaneat libera, quæ in mor[illegible] ſtertor [illegible] tur, 2. quod Carum ſani[illegible] fecta, *morbum* vero attonitum *paraplegia* non raro inſequatur. *Et apoplexia ſolutionem creberrime ſubſequitur paraplegia, Caris vero ceſſantibus ſanitas maximam partem ſuccedere conſuevit.* Galenus 4. *loc. aff.* 2. Quibus ego addo 3. quod *Carus* non ex abrupto & derepente ſanos adoriatur, quod in morbo attonito nunquam non fieri videmus. 4. Quod in *Caro* ægri membra contrahant, ſi pungantur, *In morbo attonito* vero nullus adſit ſenſus, etiamſi brachia aut crura confringantur. *Cortnummius cap.* 38.

12. *Sine febre*) *Hippocr.* 2. *de morb.* 8. ſigna morbum attonitum præ ſoribus eſſe hæc affert, *Si attonitus fiat dolet caput anterius, & oculis inconſtanter videt, & ſoporatur, & venæ pulſant*, & febris levis *detinet corporiſque impotentia*. *Coacarum* autem *Praen.* 181. *Quibus capitis dolores, & aurium ſonitus citra febrem, & tenebricoſa vertigo, & vocis tarditas & manuum ſtupor, hos aut apoplecticos aut epilepticos, aut obliviosos fore expecta*. Mirum poteſt videri quod 2. *de morb.* 8. [illegible] cum morbo attonito conjungat, quin & aliis in locis Febrem proportionatam morbo attonito remedium afferre fateatur, hic vero velit omnem febris abſentiam, An *Hippocrates* ſibi contradicit? minime: *Foëſius* variam habet lectionem, & quoſdam codices [illegible], quoſdam vero [illegible] legere aſſeverat, imo alios hanc vocem prorſus omittere.

Quicquid ſit, ejus ſum ſententiæ *Hippocr. in lib. de m*[illegible] non pauca ab aliis audita, quædam etiam in peregrinationibus obſervatu digna tumultuario quodam modo [illegible] memoriæ ſubſidium in chartam conjeciſſe, ut inde data occaſione poſſent deſumi & in libros transferri, quo [illegible] unum eundemque morbum varie iſthic [illegible] ſcribit. Sic etiam in hoc morbo, cum aliquando audiiſſet [illegible] morbum attonitum cum inflammatione [illegible] & febre debili conjunctum, non [illegible] ex ore [illegible] quam à vulgo accepta [illegible] referre licet nondum ad [illegible] revocata non fideliter narrare. Decet enim Medicum [illegible] nihil prætervidere, eodem monente 6 *Epid.* 2. 1[illegible].

S[illegible] qualis febris [illegible] *Hippocrates* tantum dicebat [illegible] *Foëſius* febris lenta, cum tamen in *Oeconom.* [illegible] *febris debilis* aut *parva*, & recte, Aliud enim eſt *lentum*, aliud *debile*, Nam *lentum* Medicis uſurpatur de eo [illegible] diu durat, & affligit, ut longa temporis [illegible]. *debile* vero eſt quod infirmum, nec [illegible] manifeſtum, nec ſenſu percipitur [illegible]. Atque ita omnis febris lenta fere quoque debilis eſt; debilis vero febris, ut ſimul quoque lenta ſit, opus non eſt.

Salmuth in comm. *febrim* quoque *debilem* exponit, ſed de *Ephemera* intelligit. Ego credo non referre qualis ſit febris ſpecies, ſi [illegible] non ſit lenta, qualem perniciosam & mortiferam attonitis eſſe pronunciavit 1 *Prorrh.* 82 & *Coac.* 486. ſed calidum nativum [illegible] ut ſanguinem obſtruentem ſit abigendo. Nec obſtat quod [illegible] febrem 2. *de morb.* 6. [illegible] vocavit, qua voce *Hippocratem* fere vehementem febrem exprimere ſolere notum, nam id non eſt perpetuum, cum aliis in locis ſimplicem febrem, ſeu [illegible] per [illegible] denotaverit; imo debilem febrem, velut 2. *de Morb. mul.* 39. ubi ait [illegible], febris debilis habet. *Cortnummius cap.* 39.

13. *Sic a Lethargo*, Lethargus eſt oblivio cum febre ſomnolentia; at licet ſomnolenti ſint Lethargici, excitari tamen aliquando poſſint ex ſomno & ad interrogata reſpondere, quod attonitis prorſus impoſſibile eſt; deinde nec febre laborant attoniti, quod lethargici faciunt. Nec obſtat quod *Hippocrates* in Attonitis aliquando expecter febrem, quia expectata [illegible] febris ſymptomatica tantum, lethargicorum febris eſſentialis eſt. *Idem ibid.*

14. *Pulſus plenitudine & facie*) Id monſtrabo quod

omnia in attonitis signa intento digito ostendant plethoram, nequaquam vero pituitam, veluti sunt dolor capitis acutus & gravativus sine febre; tumor venarum soporatiarum cum rubedine faciei, vertigo, pulsus stabilis & robustus, frigiditas & torpor extremorum, urina æruginosa & atra, incubus & aliæ. Quorsum hæc digitum flectunt, Certe ad plethoricos mihi videntur intendere omnia, idque ex omnibus historiis tam à *Foresto* quam aliis annotatis facile est evincere. Hinc *Hofmannus 3. Inst. Med. 92. §. 10. Omnes quos in vita mea vidi apoplecticos, fuerunt plethorici.* Sic est, tenduntque huc omnia quæ in corpore attonito observantur, cuprimis vero hæmorrhagia, & sanguinis post mortem excretio.

Sed excipient contra pleraque signa quod frigidos & excrementitios humores itidem non raro indicent, Hoc vero iis pernego, & excipio saltem cephalalgiam, quæ non tantum à calida, sed à frigida intemperie ortum ducit, regerens hic non indicare solam, sed una cum reliquis. De *Vasorum tumore & elevatione* res manifesta est, sicut etiam de *faciei rubedine*. De *Pulsu* vide *Massaria p. 789.*

Nemo est, *ait*, in artis operibus vel mediocriter exercitatus, qui non facile intelligat, propriisque oculis viderit, sæpenumero in homine laborante apoplexia respirationem nequaquam deficere, pulsus non solum non aboleri; sed etiam quandoque ita stabiles & robustos constare, ut missionem sanguinis, & quidem copiose possint perferre.

De *Vertigine & Incubo*, si dubitas à sanguine esse vide *l. 2. de morb. 1. 8. Tenebricosa autem vertigo accidit cum sanguis copiosus in faciem processerit.* Audi *Rondeletium 1. meth. 44. Oritur Incubus ex crapula, pessima victus ratione, & a multitudine crassi sanguinis.* Cortnummius c. xxi.

35. *Sic à syncope*) Facile Apoplexia positiva privativæ supervenire, & complicari mutuo possunt. Illius occasione sanguinis motu suffaminato, & ita circa cerebrum eodem stagnante, *syncope cardiaca*, similis affectus apoplexiæ oritur; Distinguuntur tamen quod in *syncope cardiaca*, seu *catarrho suffocativo* difficilius spirent, & signa adsint gravissimæ in pectore angustiæ: Qui *Apoplexia* vero corripitur, utut alias vix manifesta vitæ habeat indicia, tamen spirandi difficultate vix vexari solet, cum aut parum, aut tarde, aut interdum fere naturaliter spiritum ducat, *Pulsus* quoque, qui in *syncope Cardiaca* ferè deficit, in affectibus apoplecticis, fere durus observatur, ita ut aliqui pulsum tervent, alii pusillum habeant, raro, nisi in fortissima apoplexia, nullum, prout nempe plus minus præcordiorum sanguis stagnat, aut nervus cordis afficitur. Præterea in *syncope cardiaca* externa frigent, facies pallescit, sudor frigidus erumpit, pulsu evanescente & respiratione penitus ablata; In Apoplexia abolitis actionibus animalibus nihilominus respirant, arteriæ pulsant, extrema calida utplurimum deprehenduntur; & facies rubicunda observatur. Præterea in Apoplexia quavis fortis stertor est, quamdiu id quod à cerebro accedit musculis thoracis, ad complementum respirationis solû est ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in corde, In *syncope cardiaca* nullus est stertor, quia cor ipsum subitò occupatum. *Etmuller.*

Eadem fuit in syncope, quæ in suffocatione hysterica, à morbo attonito discernenda Medicorum oscitantia, cum syncope & suffocatio uterina valde vicini sint morbi, & non raro conjunguntur; præsertim si suffocatio illa paulo gravior sit. Potuisset autem idem faciei, pulsus & respirationis discrimen, quod inter præfocatas & attonitos intercedit heic adhiberi, & dentium manuumque arcta occlusio in syncope conspicua adjungi, quæ in attonitis non observatur, laxis & resolutis membris recumbentibus.

Quemadmodum autem res expedita est & facilis de Syncope simpliciter ita dicta, ita eadem difficillima est de cardiaca appellata, silentibus omnibus Practicis; Causa alii silentii fuit inanis persuasio omnes repentina morte extinctos dubio procul apoplecticos fuisse, inexcusabili errore, Jamdudum enim medicæ comprobatunt historiæ syncope cardiaca sublatos subito sine ullo stertore vitam finivisse, & post mortem cor sanguini innatans, cerebrum vero salvum fuisse inventum.

Solus igitur stertor infallibilis nota erit qua possint tam vicini morbi discerni. Hoc eleganter docuit *Hofmannus c. 14. Anim. in Montanum.* En ejus verba *In Apoplexia quantumvis fortis stertor adest, quamdiu id quod a cerebro ad complementum respirationis submenistratur solet non adest: Calidum enim ebulliens durat aliquanto ... pro ... ctionis magnitudine. In syncope cardiaca nullus est stertor*, quia statim extinguitur calor, non secus *ac si quis ignem parvum multa refutet aqua, ut cum veteri Poeta loquar.*

His acquiescere possumus, modo quis caveat ne syncopen *stomachicam* cum *cardiaca* nostra confundat. *Cortnummius. ibid.*

36. *Et Vteri suffocatione*) In gravi passione hysterica etiam ægri instar apoplecticarum jacent, D... guuntur tamen quod in suffocatione uterina d... præcedunt symptomata affecti abdominis. Item quod in f... catione hysterica pulsus observetur simul parvus, aut fere nullus fiat, qui sæpe in apoplexia admodum sensilis est. Deinde Apoplectici faciei colorem fere retinent, imo rubicundi ac tumidi subinde in facie apparent, qui in suffocatione uterina omnino pe... cum facies palleat, *Etmuller.*

Admiranda præfocatarum mulierum miseria non infimi subsellii Medicus fucum fecit, ut m... llas istas attonito morbo laborasse existimaverit da... osa præ... tantia; A *Galeno* proculdubio seducti qui summ... m morbi attoniti gradum respirationis ab... entia me... est; Hi vero utilissimum illud *Hippocr.* præcep... *praedi...* in animo habere, & ad veram morbi att... ... cteristicam respicere, & facile deprehendissent ... ut in præfocatis adesse stertorem, nec eatum m... ut in attonitis resoluta esse, cum puncturas & pilorum extractiones fere sentiant, & paroxysmo cessante aliqu... do meminerint circa se dictorum gestorumque, ... emque habeant cadaverosam, & pulsum languidum valdeque obscurum. *Cortnummius c. 38.*

37. *Causa* est 38. angustia 39. sinuum & pororum cerebri, præcipue bazios & 40. ret... mirabilis, 41. quatenus spirituum interclusionem efficit, Unde autem illa oriatur, in D... etentiis dicitur.

(*Vide de causis nonnulla in Definitionis explicatione.*)

37. *Causa est*) Functionibus animalibus omnibus obeundis inserviunt proxime tria, 1. Anima, 2. organa, 3. Spiritus animales.

Anima cui adscribatur Apoplexia nulla ratio suadet. *Organa* sensuum & animalis motus cum sint plane diversa ... abilis læsis, non pendebit ipsorum in Apoplexia læsio & abolitio; quæ proinde ab Animalibus spiritibus erit ... ducenda.

Sensibus autem externis & motui inserviunt 1. & proxime *Spiritus animales*. 2. *Nervi*, per quos def... 3. *Cerebrum* et *cerebellum*, in quibus à reliquo san... segregantur. 4. *Sanguis*, ex quo secernuntur 5. *Arteria*, tam cervicales quam carotides per quas san... conveniunt. 1. *Animales spiritus* ad fun... rite obeundas sint 1. *copiosi*, 2. *puri* 3. *continui* 4. *mo...* 5. *sedati*, adeoque regenti a... ...

Abolebuntur proinde fu... ones anim... tibus animalibus perfici solitæ, ipsorum culpa ... *deficientium*,

deficiunt, desinunt esse continui. 3. sunt *immobiles* vel 4. *conturbati*, neque enim ad motum *puritatem* aliquid conferre putamus, uti ad sensum.

Deficiunt non per se, verum quia non separantur à sanguine, ipsius sanguinis aut cerebelli cerebrive culpa.

Sanguinis, si is non deferatur ad cerebrum vel cerebellum, ruptis scil. arteriis carotidibus aut cervicalibus, ex gravi casu, vel ictu, vulnere, aut iisdem interclusis, vinculo, eas namque obstrui aut comprimi non puto.

Cerebri cerebellique tantum vitium, permanente in vita homine, excitari posse ut non segregari queant in ipsis à sanguine, spiritus animales, vix puto.

Quare *omnem spirituum animalium defectum ex ruptis arteriis deducendum* arbitror.

Continuitatem spirituum animalium læsam eo usque deduci posse ut apoplexia inde oriatur non censeo. *Immobiles* vero & *torpidos* reddi posse ut Apoplexia sequatur omnino sum persuasus, cum experientia constet non raro ex assumptis nimia copia narcoticis in gravem somnum, hinc & apopl. incidisse, atque sic expirasse & infantes & adultos.

Ex *conturbatione* sola *spirituum animalium* Apopl. aliquando ortum duxisse arguunt exempla eorum qui ex ictu vel casu, citra notabilem sanguinis effusionem corruerunt & attoniti paulo post exspirarunt, scil. cessante una cum cæteris animalis motus speciebus ipsa respiratione & pulsu. Quod si plures simul concurrant causæ, mirum non est si tunc gravior quoque & citius enecans excitetur Apoplexia.

Proximam proinde *Apoplexiæ* omnis, i. e. functionum animalium omnium ablationis, causam censemus *Spirituum animalium vel Defectum, vel Torporem & Immobilitatem vel Conturbationem vehementem*. Deficit autem animalis spiritus, vel *absolute*, vel *in sensuum motusque organis duntaxat*. De Absoluto egimus modo.

Potest tamen, etiam in cerebro ac cerebello deficere in sensuum motusque organis, & quidem ob *marum* per quas deferri debet, nervorum, vitium: *angustiam* puta ex *obstructione* vel *corruptione* aut solutam unitatem, ubi scil. transversim discissi sunt nervi animales spiritus deferentes; & ut ubique in partibus infra caput delatis id fiat, ubi *spinalis medulla in cervice abscissa* est, uti hoc facile contingere potest, & à quibusdam in bobus fit, immisso inter vertebras stylo acuto & discissâ medulla, unde non minus attoniti & apoplectici corruunt ac icti.

Potest proinde accidere Apoplexia nullo spirituum animalium proprio vitio, Verum ij. Nervorum in spinali medulla conclusorum culpa, cum scil. *medulla illa vel angustatur* in totum, vel *dissecatur*. Angustatur ex *Obstructione*, dummodo talis accidere queat, quod iis probandum relinquo qui id asserunt, aut ex *compressione*, quod facilius admitto, humore scil. pituitoso, vel sanguine circa spinalis medullæ radicem collecto & spinam comprimente. *Dissecari* posse radicem ante dictum.

An iij *Cerebrum & Cerebellum* eousque vitiari queant ut *Apoplexiam per se producere*, valeant, *spiritus* sc. animales aut non separando, à sanguine, aut vitiosos producendo, dubitare me dixi.

[illegible] modo enim in illo cujus cerebri pars media in pus erat conversa, aut alias corrupta, reliqua omnia in capite se habuerint, non satis liqu[illegible]

1. *Sanguinis* culpa sequetur Apoplexia, si ineptus ut [illegible] separentur spiritus animales, & narco[illegible] spiritu[illegible] repletus.

Arteriarum Carotidum & cervicalium vitio Apoplexiam gigni [illegible] diximus 1. cum ipsis ruptis sanguis effunditur, atque ejus defectu deficit spiritus animalis, aut ab eodem effuso angustatur spinalis medullæ radix, & intercluditur spirituum animalium transitus deorsum: 2. cum iisdem *angustatis & compressis* transitus denegatur sanguini ad cerebrum, atque sic deficit animalium spirituum materia.

Ut paucis res transigatur, *Oritur proxime Apoplexia vel 1. ob spirituum animalium conturbationem, vel 2. ob eorundem torporem & immobilitatem. Vel 3. eorundem defectum*. Et eum quidem vel quia non generantur, ex *defectu sanguinis ad cerebrum ac cerebellum non delati*, ob *arteriarum angustiam*, vel *rupturam*, vel quia *ad organa non deferuntur, ob nervorum angustiam*, vel dissectionem. *Fr. Sylvius*.

38. *Causa est angustia*) Quem morbum Morbus Attonitus sequitur? In tenebris errant qui aliud quam *Obstructionem*, & quidem *sanguineam*, heic respiciunt, ut & qui cerebri intemperiem nobis occinunt, ut facit *Avicenna* &c. Sed esto, cerebri intemperies spiritus animales, & actiones ab iisdē proficiscentes intercipiat, an hoc faciet subito? in unico sæpe momēto, ut fit in morbo attonito, ubi ægri derepente concidunt, nulla de re antea conquestissimi ut me gentium, sed spiritum & actiones cerebri paulatim tantum labefactabit & imminuet, donec tandem crescendo & vires sumendo eas plane auferat, id vero in morbo attonito nullum habet locum, quippe ibi interceptio est subitanea.

An ictus, casus, & similes causæ externę, subito morbum attonitum efficientes intemperiem prius excitant, quam deinceps morbus attonitus sequatur? Quis credet? Hoc saltem *Galeno* aliisque dandum esse fateor, plerumque intemperiem calidam hunc morbum comitari, cum tanta sanguinis ad cerebrum elevatio non possit non plurimum illud calefacere. Evenitque sæpissime ut prius inflammatio cerebri fiat, cui conjungitur deinde morbus attonitus. Aliquando vero morbus attonitus prius excitetur, cui mox supervenit inflammatio cerebri & inflammationem tandem insequens ejusdem sphacelismus & totalis corruptio, certissime hominem jugulans. Cæterum ejusce intemperiem morbi attoniti essentiam absolvere, id vero est quod etiam atque etiam nego.

Sunt qui cerebri & compressionem & angustiam complectuntur, sed hi non vident compressionem illam pertinere ad causas procatarcticas morbum attonitum producentes, Rectius sentirent qui obstructionem respiciunt, modo non aliam quam sanguineam heic admitterent, ceu facit *Hippocr. lib. de V. Ac. t. 37*. quibus tuto licet acquiescere. *Cornummius c. 9.*

39. *Angustia sinuum &c. quatenus spirituum interclusionem*) In totum omnis Apoplexiæ causam in his duobus, scil. eorum alterto, aut utrisque simul, consistere statuit Clariss. *Wepferus*. Nempe vel propter sanguinis per arterias affluxum ad cerebrum denegatum, Vel ob spiritus animalis effluxum ex cerebro & cerebello per nervos, & spinalem medullam prohibitum. Vel simul ob utramque causam, Quoad prim. triplicem, quo sanguis inhiberi possit, modum proponit, 1. vel ob Arteriarum carotidum internarum, & vertebralium obstructionem, quæ nempe in vasis majoribus, & præcipue circa cranii ascensum, à sanguine in frusta grumosa concreto aut in vasis minoribus, quæ cerebrum trajiciunt, à materia obsita visc osa contingat, Vel 2. sanguinis influxus à cerebro detineatur, ob vasorum istorum compressionem quæ nempe interdum accidit, quatenus Paristmia, sive cervicis glandulæ à serosi humoris illuvie ita intumescant, ut arterias pertranseuntes comprimendo sanguinis aditum à capite præcludant: Vel 3. affluxus sanguineus inhibeatur, quatenus aperto præternaturaliter intra cranium vase, copiose profunditur san-

guis, alias ad commodum cerebri cessurus. At licet *sanguinis affluxum* quandoque cerebro denegari perhibemus, verum haud tantum prædictis modis id fieri, neque propterea Apoplexiam semper oriri credimus. Alibi ostendimus *arterias cephalicas, carotidas & vertebrales*, omnes inter se invicem, ita variis in locis communicari, & mutuo inosculari, ut si contingat illarum plurimas simul obturari, aut comprimi, sanguinem tamen, unius tantum arteriæ, sive carotidis sive vertebralis, ductu ad ἐγκέφαλον admissum statim illius partes omnes, tum exteriores omnes tum interiores pervadere; quod quidem experimento satis probavimus, in quantum atramentum unius vasis trunco injectum, brevi ductus omnes sanguiferos implevit, ipsumque cerebrum ubique tinxit.

Olim cadaver aperui in quo arteriæ dextræ & carotis & vertebralis, cranio superato osseæ ac impervi æ factæ, sanguinem ab isto latere præcludebant, nec tamen æger morbo attonito unquam obnoxius fuit: quare dubitare subest utrum sanguis propter arterias quasdam, obstructas aut compressas, è cerebro exclusus morbum illum pariat. Certe longe plus periculi est à nimio ejus incursu & intra cerebrum extravasatione. *Willis.*

40. *Retis mirabilis*) Quæ fuit *Fernelii* sententia, Sed ut nec ab hoc cerebrum accipit sanguinem in spiritum animalem convertendum, quod recentior Anatomia irrefragabiliter demonstrat, Sic notandum, quod Anatomici non contemnendi pernegent hujus plexus in corporibus humanis præsentiam, sed tantum in brutis adesse confirment. *Cornmannus cap. 14.*

41. *Quatenus spirituum interclusionem*) Præter Apoplexiam *accidentalem & extemporaneam*, cujus causæ omnibus indifferenter, etsi minime prædispositis, insultum ejus accersunt, observamus hunc morbum quandoque *Habitualem* esse, scil. in quibusdam diathesin constantem manere, propter quam illos primo velitationes, easque leviores exercent, postea ex intervallis brevioribus accessiones graviores occupant, à quibus plerumque ultimo intereunt. Super his inquirendum 1. Quæ sit morbi hujus *causa conjuncta*, ejusque *ratio formalis*. 2. in quibus *diathesis apoplectica*, sive *morbi procatarxis* consistat; 3. quas *causas Evidentes* habeat.

1. Quoad *prius*, Ingruente *paroxysmo apoplectico* supponere liceat materiam quandam, in *cerebri ambitu* prius aggestam & dispersam, demum in *meditullium* ejus descendere, ibidemq; spiritus ejus omnes adoriri, ac in ipso emanationis suæ fonte supprimere & prosternere; etsi non plane constat utrum illud efficiat aut medullæ poros tantum infarciendo, aut spiritus profligando, iisque narcosin infligendo, verisimile tamen est utroque simul modo fieri. Et quidem cerebri poros medullares nonnihil *obstrui* asserimus, quoniam eadem materies, quæ primo corpori calloso insidens aphoniam intulit, exinde in inferius corpus striatum prolapsa, ejusque deinceps poros infarciens, hemiplegiam excitare solet.

Attamen haud tantum à medullæ cerebralis *poris impletis* siderationem oriri concludere liceat, quia tunc paroxysmus sæpe paulatim & leniter irreperet, in quantum scil. pori non simul omnes, sed successive & alii post alios à materia influente occupari possunt; Quandoquidem vero affectio subito ac instar fulguris infligit, quid minus concipere possumus quam spiritus à materiæ irruentis contactu maligno, & velut afflatu prosterni; Videtur enim quod particulæ ejus undiquaque è cerebri ambitu in meditullium, sive corpus callosum descendentes, ipsumque ex omni parte subeuntes, & meatus, utpote angustiores, protinus opplere, atque spiritus huc illuc fugare, atque in arctum cogere solent, qui dein obsessi, & in angustias redacti, cum nec diutius resistere, nec in poros alios à materia morbifica occupatos penetrare queant, demum prostrari succumbunt, Animæ cognoscentis functionem omnem dimittentes, deinde vero non facile nec cito emergunt, quia nec è materiæ malignæ complexibus seu vinculis se expedire, nec in spatia ullibi vacua & aperta transire possunt, quapropter diu suppressi jacent, donec tandem aliquando forsan materies ista, vel sensim difflata, aut in sanguinem resorbetur, aut medullæ porulis exudans in cerebri ventriculos prolabitur; vel demum materies illa paulo inferius subsidens; & corpori striato, nempe uni, aut simul utrique impacta hemiplegiam aut paralysin accersit; interim ut spiritus intra corpus callosum denuo liberi, & spatia ampliora nacti, munia pristina resumant; quæ quidem exequuntur, donec materies nova in c[illegible] ambitu repullulans, & sensim aucta, in [illegible] pus callosum descendens paroxysmum alium in[illegible] è quo, si neutro ex prædictis modo spiritus evadent, penitus succumbentes sensim dispereunt.

Quod si de *materia* hujus *morbificæ indole*, si e natura disquiritur, suspicari licet spiritus a[illegible] in Apoplexia plane alio modo ac in p[illegible]is convulsivis affici, nempe siderationi o[illegible]s oppilam explosivæ contrariam, hoc est v[illegible]m potius quam nitro-sulphuream adsciscere [illegible] ab ea spirituosalinas ipsorum partic[illegible]us figi, ac à motibus sive explosionibus quib[illegible]cunque ineundis inhiberi, non secus ac cum particulæ nitrolieæ cum auro fulminante tritæ, & combinatæ, virtutem ejus explosivam, seu sclopetariam prorsus adimunt, & tanquam auræ glacialis affl[illegible]u particulas alias quasvis activas congelant, & immobiles reddunt.

Non absimili modo se habere videntur spiritus animales, eorumque copulæ sive diversimoda adjuncta, quorum nempe alia virtutem elasticam & valde explosivam, prout in affectibus spasmodicis, aliaque in stuporem ac immobilitatem, ut in morbis soporosis, etiam in Apoplexia & Par[illegible] inducunt.

Quod spectat ad Apoplexiæ Habi[illegible] *caus[illegible] procatarcticas*, simili ritu habent ac in p[illegible]ue alias τοῦ ἐγκεφάλου affectibus, nempe & Sangu[illegible] in v[illegible], quod particulas extraneas, atque spirituum an[illegible] texturæ, sive constitutioni plurimum adve[illegible] lut extinctorias, aut in se gignens; aut [illegible] piens, τῷ ἐγκεφάλῳ suggerat, Et deinde *Cerebr[illegible]* est, quod in *crasi imbecillum*, & secundum poros [illegible]atus ejus *laxum & dissolutum* nimis, materiam morbi[illegible]am, à sanguine obtrusam ita facile & sine repudio semper admittat. *Willis.*

41. *Spirituum animalium interclusionem*) S[illegible]um animalium defectus quomodo ad atton[illegible] productionem concurrat, unde supra §. *Per quos spiritus animales.*)

41. *Spirituum interclusionem*) S[illegible] exprimit *Hippocrates 4. Acut.* ubi ait, *Quod quis repente obmutescat, [illegible] venarum interceptiones & occlusiones [illegible]unt.* Qu[illegible]m [illegible] declarans *Galenus lib. de morb. causis* post alia [illegible]git, *Ubi intercipiuntur quæ sunt in animali arteri[illegible] bo[illegible] est ita oppleta sanguine fuerint [illegible] ut nullus in ipsis rel[illegible]tur locus in quem dum attolluntur, aerem externum a[illegible]bere possint, tunc quodammodo strangulatur atque ex[illegible]tur calor internus, ac qui ita affecti sunt, subito [illegible] motum totius corporis amittunt.*

41 *Cur[illegible]*

42. *Curatio* est *nulla*, si à difficili respiratione 43. sudor superveniat, 44. Si statim obmutescentes 45. & stertentes 46. febris acuta, 47. quæ materiam pituitosam, & spirituum flatulentum attenuet & dissolvat, non apprehendat. 48. Terminatur aliquando in Paralysin.

Prognoses.

42. *Curatio est nulla*) Morbi hujus *Prognosis* nunquam nisi funesta aut dubia denuntiatur, nunquam enim Apoplexia sine periculo aut præsenti aut futuro est, Verum pessima est, in qua præter functiones omnes spontaneas abolitas, etiam pulsus & respiratio, aut deficiunt aut laboriose peraguntur, & tunc plerumque cum spuma oris & stertore contingit, quibus dein sudor superveniens mortem magis præcipitem fore indicat.

In paroxysmo apoplectico, si post sanguinis missionem levamen sequitur, salutis spes quædam affulget; Sin vero post hoc, & alia remedia, affectus supra nycthemeri spatium sine remissione pergit, aut in deterius vergit; de ægro conclamatum est.

Si post primum Aphoniæ insultum bene finitum; æger postea torpidus magis, & hebetior factus scotomia & crebra vertigine afficietur, signum est eum morbi Attoniti accessionibus aliis obnoxium fore; prædicti enim affectus à materia morbifica, jamjam in cerebri ambitu deposita ibidemque sparsim fluitante, & subinde per portiones tantum exiguas in meditullium descendente procedunt; quæ materies, sive vitriolica, sive narcotica, postea ad plenitudinem aggesta, sideratione mactat. *Willis.*

Apoplectici melius habentes post universalia, aut aliquomodo excitati, si denuo somnolenti, aut plus minus torpidi sint, iisdem recidivæ periculum imminet, si quidem perfecte licet curati, facile tamen recidivant. *E. muller.*

42. *Curatio est nulla*) Viderunt Practicorum oculatiores Epilepsiam interdum in morbum Attonitum per [illegible] transire, maximumque non sine ratione timuerunt periculum: Quare autem tum res est adeo deplorata? Hoc facile explicare poterunt isti qui etiamnum delectantur vitiosis humoribus ventriculos cerebri obstruentibus, qui que morbum longissimum & brevissimum ab eadem causa derivare non verentur; Quid enim esset facilius quam *Fernelianum* hinc occinere semiobstructionem in Epilepsia, totalem vero in Apoplexia? Et *Fœsius* comm. ad l. c. *Apoplexia morbo comitiali valde affinis est, quod eodem humore & loco affecto consentiant, ut [illegible] Galenus comm. ad 2. aph. 45.* Hoc vero exploso alia quærenda ratio: Illam dixit *Jacchinus in ix. Rhasis 14. Dejecta est virtus pugnando*, inquit, Sic est. Nam paroxysmi epileptici corpus valde imbecille reddunt; viribus autem vehementi morbo fractis, si alius vehementissimus adhuc superveniat, qualis morbus attonitus est, q[illegible] spes evadendi relinquitur: Nam ex *Hippocr. l. de Aff. 23. In morbis siquidem alius super alium fiat, ut plurimum occidit, Cum enim infirmo corpori à præsente morbo alius morbus superveniret, prius præ imbecillitate perit quam morbus posterior desinat.* Cornnummius c. 55.

42. *Curatio est nulla*) Diximus Apopl. oriri vel ab om[illegible] spirituum animalium defectu in cerebro & [illegible], idque ob sanguinis defectum, *ruptis dissectisve [illegible] carotidibus & cervicalibus:* Ab hac causa excitata [illegible] habenda: Aut *iisdem angustatis à vinculo*, aut [illegible] *grandi & duro: Illo* in tempore soluto, curabi[illegible] A *Tumore* autem grandi, nisi hic confestim [illegible] vel minus, incurabilis erit, Vel ij. *ob spiri[illegible] talium in cerebro ac cerebello quidem præsentium*, in [illegible] ut [illegible] sensus & motus defectum; *ob nervorum [illegible] aut compressionem*, circa spinalis medullæ radicem excitatam. A qua causa orta Apoplexia incurabilis & lethalis censenda: De Compressione radicis spinalis medullæ Vide *inferius* §. *Alia à compressione &c.* Sylvius.

42. *Curatio est nulla*) *Hippocr. 2. de morb. 21. Hujusmodi morbus ait, senioribus magis contingit quam junioribus*: Et 6. aph. 57. *Apoplexiæ fiunt maxime à 60. ætatis anno ad 40. usque.* Non ideo quod senes maxime scateant pituita, ceu hactenus creditum, sed quod plus sanguinis gignant quam illorum corpora possint absumere, Nam sanguis in illa ætate non amplius absumitur in nutrimentum corporis; & morbus attonitus potius adoritur otiosos, desides & sedentariam vitam agentes, quibus multum spiritus, parum vero sanguinis exhauritur, unde hic pigrius circumducitur, & ad obstruendum fit aptior: Et quamvis calido nativo seniores haud amplius ut juvenes circumfluant, earum tamen illud est adhuc virium ut multum coquat sanguinem, qui non potest non redundare, & luxuria sua multum negotii facessere, nisi vena incisa nimiis abundantia emittatur: Unde errore in rebus naturalibus commisso, sanguis ad partem debilem (quæ his utplurimum est cerebrum) facili negotio ruit, & capillares ejus arterias obstruit, quod tamen metuendum non est si vias inveniat quas possit permeare, nam ex *Hippocr. Coac.* 478. *Attonitis hæmorrhoides* supervenientes utiles sunt. Idque non tantum ideo quod morbus attonitus ortum sumat ab atra bile, velut omnibus cum *Galeno* placet, sed quod omnis oriatur à sanguine copiosiore, prout in corpore suppetit, sive sit melancholicus, sive pituitosus, sive qualiscunq;.

Quod si vero morbus is in ultimâ senectutem incumbat, fere succumbunt ægri ob spirituum penuriam, cùm pauci illi spiritus superstites haud difficulter à fuliginibus retentis in difficillima illa respiratione possint suffocari. *Cornnummius c. 51.*

42. *Curatio est nulla si &c.*) Cur Apoplexia, quæ functiones animales proprie aggreditur, plerumque observatur lethalis, secus ac Epilepsia easdem itidem affligens? Quæstioni ut satisfiat observandum 1 ad vitæ conservationem binas facere functiones, *alteram* in corde factam, ab ejus interno igne sanguinem accendente, rarefaciente ac perficiente; *alteram* à pulmonibus cæterisque respirationi inservientibus organis.

II. Functioni in corde factæ inservire motum & ipsius cordis, secundum suos ventriculos coarctati & expansi, Et arteriarum & venarum, sanguinem in circulari suo motu promoventium.

III. Motus hos omnes absolvi præsertim per spiritus animales, & musculosum cordis parenchyma contrahentes, atque sic ejusdem ventriculos coarctantes, & arteriarum venarumque fibras ad cavitatis suæ coarctationem moventes, & diaphragma reliquosque thoraci ministrantes in inspiratione ac exspiratione musculos moventes.

Quibus positis, in promptu ratio est, Cur in Apoplexia, præsertim graviori, tam raro unus evadat æger, cum enim per animales spiritus, motumque adeo in quibusdam animalem perficiantur functiones omnes, ad naturalis vitæ conservationem absolute necessariæ, quid mirum si illis 1. vel conturbatis, ac munus suum exinde non obeuntibus rite, Vel 2. immobilibus & narcosi conceptis ac torpidis, vel 3. deficientibus quacunque tandem de causa in functionum animalium organis, sequatur *Respiratio difficilis & tandem nulla*, *Pulsus autem inæqualis*, & tan-

in suo robore consistens validos conatus exercere potest; quæ enim jam progresso morbo supervenit salutaris non est, ex *Hippocr. in Coacis*, Apoplecticæ, *inquit*, affectiones derepente exolutorio fientes modo, febre temporis progressu, accedente, periculosæ. *Riverius.*

[47] *Terminatur aliquando in paralysin*) Sunt qui sine discrimine omnes ab attonito morbo liberandos in paralysin, sive totius corporis, sive alterius lateris, ut loquuntur, h.e. in hemiplegiam aut paraplegiam incidere debere persuasum habent; Alii illud [illegible] apponunt, fierique posse existimant ut interdum sine subsequente paraplegia æger evadat; Quicquid sit, hoc verum erit [illegible], morbum attonitum aliquando ad salutem tendere absque paraplexia ad sensum: Neque enim existimo cæcos fuisse illos qui se dicunt vid isse morbum attonitum discessisse nulla paraplegia relicta, sic enim *Sennertus* scribit t. Pr. 2. c. 32. *Nonnunquam apoplexia finitur fluxu phlegmatico oris, qualis lue venerea laborantibus post inunctiones Mercurialis accidit.*

Forestus dicit paralysin aliquando levem esse ut non possit animadverti, adfuisse tamen nihilominus deprehendi esse ex debilitate alicui membro relicta, Vel enim remanet risus aut fletus involuntarius, vel in cantu vocem non satis possunt modulari, vel difficulter incedunt, vel aliud quidpiam relinquitur.

Modum porro quo Paraplegia aut Paralysis ista contingat, docet *Highmorus 3. Disqu. Anat. 1. cap. 8. A quatuor illis Corporibus* (quæ spinalem medullam efficiunt) *à cerebello & cerebro productis mutuo contactu cavitas quædam* efficitur quæ *ab Anatomicis quartus ventriculus nominatur, in quem a tertio ventriculo per glandulam pinealem facile* (*si nimirum excrementis repleatur*) *humores pituitosi destillant*, atque tenerrimas *basis productiones comprimendo effluxum spirituum ad spinam, & si. ad cæteras partes inferiores denegare poterunt, & fit paralysis universalis seu apoplexia; Si vero in productiones unius lateris dextri vel sinistri incumbant humores, paralysis illius lateris.*

At huc si [illegible] firmum non est, quei constabit [illegible]. Dico [illegible], nulli humores pituitosi huc distillant, utpote quibus natura vias sat manifestas monstravit in palatum, per quæ duo foramina natura omnia cerebri excrementa in ventriculis collecta expurgat, imo etiam ea quæ dicto in loco, quatro Anatomicorum ventriculo, continentur, quod *Hofmannus* ex *Galeno* confirmat *Comm. in l. 9. de usu Part. n. 661 Per alios duos* (meatus) *qui ibi quoque sunt descripti*, & dicti ex utroque *ventriculo, tertio & quarto in pelvim glandulamque pituitariam evomere quandam crassam pituitam, deinceps per os sphenoides in palatum decidat*. Si ergo crassa pituita in palatum excernitur, quidni etiam tenuis huc tendat?

Sed melius erit *Highmerū Highmero*, opponere qui paulo ante dixerat glandulam pinealem foramen illud e tertio ventriculo in quartum obturare, & cavere ne excrementa in cavitatem illam illabantur; Verba sunt 3. *Disqu. Anat. 1 c. 6. pag. 124. Glandula autem ideo huic ductui conceditur, ut foramen per quod vena exiverit obturetur, ne excrementa cerebri in prædictis ventriculis collecta per foramen seu ductum hunc in cavitatem illam, quam abusive ventriculum nominarunt, effluant, ac spinalis medullæ originem comprimant, ac partibus inferioribus spirituum denegetur influxus.*

Hæc clara sunt, ideoque hoc tantum addo, si humores in cavitatem illam descendunt & illabuntur; quomodo pituitosi qui gravedinibus & catarrhis perpetuis affliguntur, non continuo laborabunt paraplegia? aut quomodo illa quam *Vesalius* secuit, & in cujus cerebri ventriculis tantam aquæ copiam invenit, paraplegia fuit immunis Probabilior saltem Paraplegiæ causa, si non verior, indaganda erit, illius saltem quæ morbum attonitum excipit, Nam scorbutica paraplegia, ut & illa quæ Colicæ affectioni interdum supervenit, diversissimam ab hac agnoscunt causam; Solam frigidam & humidam intemperiem partem morbi attoniti materialem constituere, & tantam præ se ferre pertinaciam, ubi tamdiu calefacientia & siccantia medicamenta vel sine omni, vel saltem cum parvo fructu adhibentur, nemo mihi persuaserit, sed longe potentiorem & efficaciorem subesse materiam existimo; Illa autem non est vis narcotica *Plateri & Sennerti*, aut alia quędam vis peculiaris quæ in qualitatem occultam tandem desinit.

Dicam verbo quid sentiam, Sunt grumi sanguinis nervos obstruentes, nam sanguis obstruens, qui materia est morbi attoniti, in morbi solutione funditur, partesque serosæ secernuntur, ac in spinalem medullam descendunt, atque una cum istis particulæ sanguinis grumescentis, quæ curationem adeo reddunt difficilem, imo vero sæpius irritam. Si enim tantum serum esset morbi materia, facile illud, & brevi quidem, adhibitis debitis medicamentis posset absumi; quam difficulter autem paraplegia morbum attonitum insequens curetur testantur Practicorum libri. *Cornmannus* c. 56.

[47] *Terminatur aliquando in paralysin*) Accidit plerumque ut licet à pituitosa apoplexia non pereant mox quidam ægri, non tamen semper restituantur in integrum, verum in Paralysin incidant, cui si novus paroxysmus apoplecticus accedat; aut gravis sopor, pereunt plerumque. *Sylvius.*

[49] *Curatio* [50] respicit 1. [51] *Præservationem*, quæ antecedentem causam præcavet & tollit, ac pro ratione Differentiarum variat.

II. [53] *Curationem* in specie dictam, quæ [54] incipienda cum Prognostico, [55] explorata vita, vel per candelam accensam, fenestris clausis, naribus admotam; vel per speculum tersum, ori appositum.

[56] Peragenda 1. [57] ægri commoda, [58] ut facilius aërem attrahat, [59] locatione, Levi, ne materia in corpore fundatur, [60] *Concussione*: Partium extremarum [61] sale & acero [62] *frictione*, ejusque per *per dicum plumarum*, vel *fumum succini* [64] excitatione [65] *Sternutatoria ex semine nigellæ, foliis majoranæ, rad. hellebor. moscho: & ambra*, immittenda, instillantur pisi magnitudine.

2. [illegible] Materiæ per [66] *Cucurbitulas*, [67] capiti impositas, [68] quod unicum est remedium, Per [illegible] fortes *clysteres* & [70] *glandes*, Per [71] *Vomitus*, [72] Apposito ad suturam coronalem ex *succino* pulverisato [illegible] oblongiore *sacculo*, qui *spiritu vini & oleo succini* aspergi debet; Per [74] venæ [75] cephalicæ, [illegible] vel communis, sine [77] omni mora, [78] per vices, intra tamen paucas horas [79] sectionem Per [80] *venarum jugularium* secundum longitudinem *β*. apertionem, [81] Revulsione.

zedoar. fol. Dictamni Cret. Angela Contrayerva ãã. ℥ij. *f. Pulvis omnium subtilis; adde flavedinis Aurant. & Limon. cond. ãã.* ʒij. *simul terantur in Pulv. sumat circa* ʒß. *vel* ʒj. *hora una ante & post pastum.*

Pro Potu ordinario doliolum iv. congiorum impleatur *Alla mediocri*, cui incoquantur *fol. marrubii albi odor. siccatim* vii. *fructus Anacard. cardam. ãã.* ℥ß. *confectiffie & contusis fiat.* Sacculus.

Imprimis vero exacta *Victus* ratio institui debet. *Aer* temperatus, siccus, & bene perflatus eligatur, *Cibi* tantum eupepti, tenues concedantur, Cœna sit parca aut nulla, *somnus* meridianus, compotationes, aliæque circa res non natur. consuetudines malæ vitentur. *Willis.*

§. *Præservationem*) Si propter intemperiem frigidam Cerebri huic morbo aliquis est obnoxius, singulis diebus aliquid assumendum est quod spiritus animales & calorem nativum refocillet & temperamentum cerebri consortet.

Nihil ad hoc *ambra* convenientius; itaque his orbiculi singulis diebus uti convenientissimum.

℞. *sacch. albiss. in aqu. rosar. & lavend. soluti* ℥iiij. *olei anisi stillat. gutt.* iij. *ambr. gr.* iv. *m. f. Rotula.* Vel

℞. *spec. diambr. diamosch. d. ãã.* ʒj *sacch. albiss. in aqua borrag. sol.* ℥iij. *olei anis. gtt.* ij. *m. f. Rotula.*

Nucem mosch. tostam, & frustillatim incisam sæpe in ore detineat, nam hæc cerebri intemperiem frigidam corrigit. *Joh. Crato consil.* 5.

§. *Præservationem*) Dn. *Screvelius* commemoravit mihi quod Hagæ Comitis tractasset Chirurgum quendam apoplecticum, qui statim ac corripiebatur morbo, clamabat *Pellis humana*, Quærebat *Screvelius*, quid ea vellet? collo appensam dicebat, Eo modo enim ante tempus aliquod apoplecticum Germanum servatum vidisse, qui subinde cutim humanam expetebat; quam cum ipse à *Petro Pavv*, Anatomiæ Professore Leidensi petiisset, illico collo appendebat, & apoplexia plane liberabatur. *Otthe Heurnius ad caput.* 3. *lib.* 5. *Pathol. Fernelii.*

Tinctura seu essentia amethysti excellens est præservativum. *Conrad. Kunrath. Med. dest. p.* 202.

§. *Præservationem, quæ antecedentem causam*) Qui affectibus soporosis semel affecti, ab iisque liberati sunt, in eos utplurimum solent recidere, Quod ut præcaveatur, frigidior cerebri intemperies corrigenda est; Etsi cerebrum valde refrigeratum est, post universales vacuationes, Aqua apoplectica in usu frequenti esse poterit, vel hæ Tabellæ.

℞. *Ambr. gris.* ℈ß. *olei distill. anisi, cinnam. nuc. mosch. ãã. guttulas* iij. *olei caryoph. gtt.* j. *sacch. in aq. flor. araut. dissol.* ℥iv. da ʒj. vel ij. mane.

Valent & *Pilula* caput roborantes.

℞. *Cubebar. mastich. nuc. mosch. caryoph. ãã.* ʒj. *ambr. gr.* ℈ß. *moschi gr.* vj *cum succo major. formentur Pilula*, capiat ℈j. hora somni, bis in hebdomada.

Commendatur hic Pulvis.

℞. *succini alb* ℥ß *pulv. elect. diarrh. Abb.* ʒij. *rad. paon.* ʒiß m. doais ʒj. in aqua convenienre ante novilunium.

Utile est masticare *nucem mosch.* ac sæpius ore detinere: *Odoramenta* sæpe naribus objicienda, præsertim *Balsama apoplectica*, Aromata in cibis usurpentur: *Pulvis Digestivus.*

[illegible] *a sanguinis* copia metuitur affectus, illius copia im[illegible] est, dandaque opera ut hæmorrhoides profluant quo nihil utilius esse potest. Hic etiam Purgationes [illegible] ex *Senna* & *Rheo*, medicamenta eligendo quæ [illegible] s calefaciunt.

[illegible] *ab humore melancholico* metuenda Apoplexia [illegible] us [illegible] rhoidum [illegible] iam unus est, Purgatio iterata [illegible] ons melanchonca, & medicamenta proposita ad roborandum cerebrum, præcipue vero Pulvis ex *succino, diarrhod. & paonia* supra descriptus. *Reverius.*

§. *Præservationem quæ antecedentem causam*) In iis qui jam apoplexia tacti fuere, vel futuram metuunt, pro præservatione tam *Alterativa. volatilia, aromatica*, quam *Evacuantia* repetitis vicibus instituta sunt optima; *Alterativa* inter *succinata, castoreata, cinnabarina*, *partes animalium ossea. salia* & *spiritus urinosi*, & horum ratione *semen sinapi* ac *eruca* sunt optima; Vt taceam *cephalica* & nervina aromatica ex compositione *spirituum* & *aquarum apoplectic.* & *epilepticarum* nota. In specie tamen *salvia*, & quælibet ejus remedia laudantur. In semin. *sinapi & eruca* singularia latitant ad præcautionem Hine quidam jejuno stomacho gr. x. vel xi. sem. *sinapi* leviter masticata deglutiunt, Electuarii forma quidam usurpant.

℞. *Caricar. pingu. nu.* vi. *incisis adde sem. sinapi*, *sem eruca* ʒvi. *cardamomi* ʒj. *misce exacte*, *cum cochl. spir. lavend. fiat. Electuar. de quo omni mane detur juglandis magnitudo.*

Adeo sane ab omnibus laudatum præservativum in sinapi consistit, hinc *spir. sinapi* cum *aqu. apoplect.* misceri, sicque usurpari potest. Notandum quoque & de *cerasis nigris dulcibus*, quod *horum spir.* mirifice laudetur in præservatione & curatione Epilepsiæ, in specie ad linguam restituendam, *Spiritus secundina hum. spir. sanguinum.* ab *Harmanno* laudatissimus, *spir. fuligin. salis armon.* cum *camphora* junctus optima sunt remedia, Item *cinnabar. antimon.* aurum *diaphor. Poterii.*

Evacuantia inter eminet *Mercurius dulc.* cum vegetabil extractis propinatus, Hinc *Sudorifera ex lignis* declinante, paroxysmo aliquandiu continuando maxime prosunt, *Fonticuli*, item *setacea*, egregie conducunt senibus, Nota autem hæc in *Apoplexia positiva* præcavenda parti auxilii afferre, contra in *Privativa*: unde dum observationes prostant nunc proficuorum, nunc inanium horum remediorum, causa videtur esse non observata differentia apoplexiæ: Denique *Salivatio* in declinante apoplexia pro eradicando morbo, non inepte à *Barbette* proponitur & *Deckero* in comm. commendatur. *Etmuller.*

Habeo pro singulari experimento in arcenda Apoplexia, usum subscriptarum Pilularum, de quibus ℈j. ad noctem novilunii & plenilunii exhibeo, etiam æstivo tempore, debet autem frugalior cœna antecedere.

℞. *Cubebar. calamenth. mastich. nuc mosch. caryophyll. ãã.* ℈j. *ambra* ʒß. *moschi gr.* vj. *cum succo majorana* formentur *Pilula.* *Abraham Seyler Epist.* 4. *l.* 6. *conf. Cratonis.*

Valde commendatur *Sal Sambuci*, si cum tertia parte *salis succini volat.* conjungatur, & tempore novilunii vel plenilunii à ℈i. ad ℈ß. in liquore convenienti propinetur; Valde quoque proderit *spiritus è baccis sambuci* destillatus, si singulis Lunæ quadrantibus ad cochleare unum modico panis similaginei & pauco sacch. usurpetur, M. *Blokvvitius Anat. Sambuc. f.* 3. *c.* 5.

Decoctum salsa par. divinum remedium est in præservatione, Deterget enim, incidit, aperit, & interiora membra, præsertim caput roborat, Ita potest parari.

℞ *salsapar. concisa* ℥ij *flor. primul. ver. lilior. conv. ãã.* m j. *sem. fænic* ʒiij. *aqua* ℔iv. *macerentur per horas* xxiv. *tum coque ad medias, in fine adde agallochi* ʒiß. *coletur, Dosis mane* ℥v. *vel* vi. *cum aqu. cinnam.* ℥iß. Sudet patiens, sine tamen virium jactura. *Crato lib.* 6 *Epist.* 4.

Semin. carvi usus non solum comestus, sed & odoratus plurimum commendatur. Pulvis sequens multum valet.

℞. *rad. seselis cret.* ʒj *sem. eruca cardam. piper. albi ãã.* ℈ii. *m. f. Pulvis*, Capiat mane ad fabæ magnitudinem, vel misce cum *syr. de betonica*; *Aquam majorana* in qua

semen erucæ *contusa* & parum *zinzib.* sint maceratæ per nares attrahere utile est. *Idem cons.* 34. 35.

Præservabis te si singulis mensibus semel utaris *Hiera Hermetis ad* ℨiiß. & ter in septimana capias *mithridatium* ℥j. pro vices, exceptis diebus canicularibus: *Hiera* sumatur mane, jejuno stomacho, *mithridatium* cubitum eundo. *Idem Cons.* 109.

Prodest hic Pulvis.

℞. *succini albi præp.* ℨiij. *rad. paon. spec. diarrh. Abb.* m. f. Pulvis, Dosis ℈ß. singulis mensibus die sequente novam Lunam, cum *aqua vita*: Hujus usus continuandus est. *Idem cons.* 113.

Pulvis ex part. æqu, *succini albi & spec. diarrh. Abb. ad* ℈j. *in aqua veron. vel ceras.* in Apoplexia & calculo tanquá peculiare remedium merito habetur. *Idem cons.* 149.

Mirabilis hæc est Aqua præservatoria.

℞. *primula ver rorismar. paon. tilior. convall. lavendul. maiorana, iva arth.* āā. m. j. *spec. diambr. diamosch. diaplir. archon. conf. anacard.* āā. ℥j. *cubeb. lign. al. veri. nuc. mosch. caryophyll. piper. longi, carpobals.* āā ℨj. *rad ireos, aristol. rot.* āā ℥iß. *sem. siler. mont. paon. fænic* āā. ℨj. *aqu. herb. paralys. salv. beton. flor. tilia* āā. ℔ß. *strap. opopan. myrrha gran. junip.* āā. ℥j. *infunde per* 8. *dies, destilla per alembicum in cineribus*, Dosis cochl. j. *Grulingius Floril. Hipp* p. 14. c. 1.

Remedium secretissimum & certissimum, cujus vires sæpissime Archiducissa Austriæ sæpissime experta est.

℞. *stercor. leonis pulver.* ℔ij. *affunde aq. vita* ut tribus digitis supereemineat, stet vitro clauso per tres dies, coletur & servetur, Tunc. ℞. *cornicem plumis nondum perfectis, turturem iuvenem*; Comburantur seorsim in fumo, pulverisentur; affunde spir. superiorem, stent in infusione per triduum, hinc ℞. *fruct. tilia*, ℥iß. *pulv. granor. paon.* ℥iß. macerentur iidem in priori spiritu, tunc adde tantundem *vini opt. & facch. cands.* ℥vi. ferveat in olla, *sacchar.* liquescat, Detur patienti coch. j. in vino aliquoties de die per totum mensem, In paroxysmo detur cochl. j. cum *aqua tilia*. Eadem aqua etiam inungantur frons, cervix, tempora & nares. *Fr. Hildesheim spicil.* p. 360.

Ab Apopl. præservat, imo liberat sequens *Aqua vita*, sive *Quinta essent.* Si ejus cochleare unum mane exhibeatur.

℞. *conserva anth. lavend.* āā. ℥ij. *melissa, salvia* āā. ℥j. *spec. diamosch. ol. diambr.* āā. ℨij. *rad. paon. sem. ejusdem, cinnam.* āā. ℥ß. *croci* ℨj. *castor. sem. eruc.* āā. ℨij. *sacch. c.* ℥ß. *aq. junip. destill.* ℔iv. *contusa misc. macera* in sole aut loco tepido per mensem, destilla in cineribus, exsiccata materia è vitro eximatur, teratur, rursus liquor destillatus in vitro affundatur, denuo macera loco tepido per 14. dies, tandem MB. destilletur. *Fr. Joel Tom.* 1. *pag.* 91.

5[1]. *Antecedentem causam*) Notatum Apoplexiam non raro causam agnoscere internam, quæ sensim in corpore cumulata tandem gravem illum producit effectum. Notatum etiam eandem causam suis se prodere signis, Est proinde Medici tela prævisa declinare, Oritur autem talis Apoplexia omnis vel 1. à *Pituitoso humore puro*, ubique sensim coacervato, & tandem in Cerebro secreto, & Apoplexiam tunc pariente senibus familiarem: Vel ij. à *Sanguine pituitoso*, atque adeo plethora pituitosa, omnia replente vasa, distendente & suffocationem simul minante: *Pituitosus humor* observatur præsertim in senibus, aut Cacochymis pituitosis ex diætæ vitio.

Pituitosus sanguis congeritur in cætera sanis, ex continuata longo tempore ciborum, potusq; ingurgitatione; *Pituitosus humor* ex senio ortus difficilius impeditur quá ex diætæ vitio productus; *Senibus* enim ubi ex senio generantur majori copia humores pituitosi, Medicina illorum productionem præveniens, roborare debet partes senio labefactatas, ventriculum puta, & quicquid ad alimentorum fermentationem in illo requiritur, ut & cerebrum & quicquid eo spectat.

Productus jam humor pituitosus & redundans in senibus partim roborantibus, & pituitæ generationem impedientibus est corrigendus, partim blandis phlegmagogis expurgandus, lente ac per vices ne valde commotus noceat; Possunt etiam utraque variis formis usurpari, pro ægrorum lubitu: Idem *Pituitosus humor* in *junioribus* è diætæ vitio ortus superandus 1. *Diata* pravæ emendatione.

2. Pravi humoris correctione & purgatione.

3. *Partium* continentium & contentarum corruptarum restauratione in integrum per Roborantia.

Apoplexia à *Pituitoso sanguine* orta præcavetur primo Diæta reformata, minuendo cibi & potus ingurgitationem, eamque sensim reducendo ad mediocritatem, imo infra.

2. Minuendo sanguinem pituitosum, sanguinis redundantis vacuatione una vel pluribus vicibus 3. Illum corrigendo, usurpando alimenta medicamenta, Pituitam emendantia vel saltem medicamenta non excedente valde qualitate prædita, ac sensim duntaxat pituitosam illam sanguinis dispositionem reparantia atque in integrum reducentia &c. *Sylvius.*

5[2]. *Curationem in specie dictam*) Methodus therapeutica, aut est *Curatoria ad paroxysmum*, quando ingruit, tollendum; aut *Præservatoria*, ad ipsum, ne redeat, præcavendum; Prior ad Apoplexiam omnem, altera tantum ad *habitualem* spectat: Morbi insultu facto (si non à capitis læsione externa aut vehementi procedat) quamvis nescitur utrum à causa invincibili (cujusmodi sunt sanguis extravasatus in cerebro aut abscessus disruptus) excitetur necne, utcunque therapian ejus opera sedula conari debemus: Et quia *sanguis* nimis turgens causam morbificam infert, aut saltem augere, eandemque subsidens, & sedatior factus, nonnunquam auferre solet, idcirco imprimis de cursu ejus moderando deliberare oportet. Atque hic deliberatur de Ægri statu; *Phlebotomia*, in quibusvis fere apoplecticis necessaria, minime differatur, verum, *Enemate* acriori, injecto, sanguis copiose detrahatur, In C[illegible] ere dissolvatur species *Hiera diacolocynth.* ac *infusio Croci metallorum* turbida *Vesicatorium* amplum cervici, [illegible] te cruribus, & *Cataplasmata attrahentia* pedibus applicentur, Tempora & Nares *Oleis* aut balsamis app opriatis *illinantur*, atque membrorum, imo totius fere corporis *frictiones* dolorificæ instituantur: Interim quæ spirit[illegible] nimales exsuscitent, & vinculis expediant, sc[illegible]. *spiritus c. c. fuliginis* & similia cum Julapio cephalico [illegible] le propinentur: Posthæc ægro cubili imposito (si ad [illegible] omendum satis facilis, & potens videtur *emeticum* ex *sale vitrioli, oxymelite scyllitico*, aut ex *infusione croci metallorum* exhibeatur, & subinde penna gutturi intru[illegible] vomitio quater aut quinquies provocetur liquore posfetico ex intervallis infuso: Vomitione peracta, [illegible] ortantia, uti *Elixir vita Quercetani*, *spiritus lavendula*, *aut theriacalis camphoratus*, *Tinctura Paonia* aut *corallis* cum *aquis apoplecticis*, aliisque appropriatis dosi convenienti exhibeatur, & prout res [illegible] git repetantur.

Die secundo iisdem remediis adhuc continuatis [illegible] super cucurbitulæ siccæ, aut scarificatæ, cir[illegible] a homoplatas, aut cervicem applicentur, aut si plus san[illegible] detrahere oportebit, *Vena jugularis* aperiatur, *Enema* [illegible] petatur, *spiritus salis armoniaci*, aut *suffit*[illegible] *e galbano* in aceto acerrimo cocto naribu admove[illegible] l[illegible] pe *Errhina* & Apophlegmatismi usu[illegible] pentur, D[illegible] n[illegible] c[illegible] tharis ex *Pilulis Rudii*, vel *Electuario rosar. Mesue.*

quo-

re quovis dissolutis instituatur. Hisce nihil juvantibus, etsi spes tenuis aut nulla est, vertici raso aut *ferrum candens*, aut vesicatorium amplum imponatur: reliqua pars capitis, ac imprimis frons & sinciput foveatur *aceto bezoartico. Hirudines* temporibus aut post aures applicentur, *spiritus c.c.* aut *fuliginis* in majori dozi & sæpius infundantur. His aliisque administrationum modis insistendum erit, donec mors in propinquo esse videbitur, quam scilicet (uti habet *Celsus*) *ejusmodi remedia sæpius tantummodo differunt, atque vitam interea infestant.* Willis.

54. *Incipienda cum prognostico*) Si contingat Medicum ad ægrum ingredi morbo acuto correptum, valde ei est circumspiciendum an morbus iste sit fortissimus, cui cum in Prognosticis omnis curatio fuerit denegata, *Prudentis Medici*, juxta *Celsum*, §. 26. *esse eum qui servari non potest non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem fors sua peremit*; & *Hippocratem L. de Arte, Merito ars Medica morbis qui toti ægri nequeunt manus non admovet, aut in iis aggrediendis inculpatam se exhibet*. Nisi adstantium aut cognatorum, auxilia valde urgentium, precibus & clamoribus victus his velit gratificari, sed tum in præsidiis levioribus se contineat, & cum prognostico rem aggrediatur, etiam ubi morbus non est fortissimus, res tamen [illegible] in incipiti, eleganti *Celsi* monito insistens, qui l. c. *Ubi gravis metus est sine certa tamen desperatione, præcipit indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse*, ne si victa ars malo fuerit, *vel ignorasse vel fefellisse videatur*. Nec unquam deterreatur *Helmontii* nugis, Apoplexiam non sanari, non quidem defectu desiderii sanandi, verum solius remedii penuria, Cum tot clarissimorum Medicorum curationes felicissimæ testentur contrarium. *Coronnmmius c. 59.*

55. *Explorata vita vel &c.*) Qui siderati mox pulsu & respiratione privantur, & paulo postea instigiditati animam exhalasse videntur, non statim lecto eximantur, aut administrationibus Medicis destituantur. Porro quamvis vitæ spes nulla affulserit, nonnisi post tres aut quatuor dies sepeliantur, quippe tales aut sponte, aut remediorum usu nonnunquam reviviscunt, quod certe evenit non propter calorem vitalem denuo in corde exsuscitatum, (namque hic non penitus disperit) sed quatenus materie morbifica è cerebello discussa vel [illegible]porata, cordis motus tanquam horologii ponderibus appensis redintegratur. *Willis.*

56. *Peragenda*) Si omnino ita esset, ut isti volunt qui communem tuentur sententiam, ab *excrementitiis humoribus ortam* Apoplexiam, profligaretur à phlegmagogis, aut quibus ejusce humores è corpore eliminantur, ægrique ab eorum exhibitione aut applicatione maxime alleviarentur, Hinc vero quotidiana experientia maxime reclamat; Quodnam enim auxilium est quod sanguinis detractionem hoc in morbo possit æquare? Sanguine detracto, modo morbus non sit fortissimus, qui solvi plane nequeat, nec error in detractione committatur, ægri mox ad se redeunt; neglecto vero isto au[xili]o ægros non supervivere historiæ testantur innumeræ, [q]uur contrarium conetur defendere *H. ab Heers obs.* 118. p. [illegible]3. Prætoriana sunt *Celsi* verba § 27. *Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam facultatem restituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat.*

[illegible]x mutuavit *ab Hippocrate*, Ille enim cum *l. de V. Ac.* [illegible]nitis sermonem habuisset, tandem subjicit, *Oportet* [illegible] *fomentis prius adhibitis, venam secare statim ab initio*, [illegible] in sublimi *sunt omnes affligentes spiritus*: ac [illegible] Et paulo ante, *Venam igitur secare oportet in brachio* [illegible] *internam, & sanguinis plus minus detrahere, juxta* [illegible] *tatem rationem ineundo*. Ad quæ *Martiani* [illegible]tio est, *Tantum potest in hoc casu intentio mittendi sanguinis, ut, quemadmodum Hippocratis verba indicant, Omnibus indistincte mitti debeat, eo quod nullo alio præsidio tam pernicioso & acuto morbo occurri potest præterquam V. S.*

Imo nisi sanguis sit detractus, etiam mortuis idem ille per os & nares solet affluere, ostendens se, licet à nullo Medico adjutum, tamen data porta exire, quod forsan cum ægri servatione contingere potuisset, si viam eo adhuc vivente inveniet; Luculentum exhibet exemplum *Crassius* apud *Hildanum l. 3. 12.* in matronæ apoplexia extinctæ, quæ longe post mortem per intervalla magnam sanguinis copiam excrevit.

At *inquiunt*, claret, non minus ex historiis attonitorum medicamentis purgantibus exhibitis ægros quoque liberatus esse: Respondeo hoc non per se factum esse, quatenus vitiusos humores vacuarunt, sed per accidens, quia purgantia spiritus lacessunt & commovent, ut sanguinem obstruentem loco dimoveat, & in alias corporis partes distribuat; Huc conspirant omnia remedia quæ præter V. S. aliquando profuerunt, frictiones, cucurbitulæ, clysteres, vomitoria, ptarmica, vomitoria &c. Et hoc multis imposuit, cum levamen ab hisce præsidiis cernerent, putabant istum effectum esse per se, cum tandem sit per accidens. *Coronnmmius c. 21.*

56. *Peragenda*) Quin & unum alterumve repetendum præsidium *si ad se non redeat æger*, V. g. Vomitoria subinde reiteranda, injectis desuper clysteribus, & quæ externos sensus afficiunt continuando: Quin & *Vesicatoria* ampla cervici & cruribus applicanda; Si *æger nonnihil ad se redierit*, sed non sufficienter, interna spirituosa continuanda, *vesicatoria* applicanda, quin & *Cucurbitula* nunc cum, nunc sine scarificatione, scapulis & brachiis admovendæ, aliaque administranda prout æger ad se rediens de uno alterove symptomate magis vel minus querulus fiat. *Etmuller.*

56. *Peragenda i. ægri &c.* Occurrebat curanda mulier vegeta, sed jam ætatis nonnihil decrescentis, correpta affectu ex Apoplexia & Epilepsia quasi misto: Vocatus mane, præmissa V. S. (utut eam adstantium ratione facerem) præscribo Potionem cum *syr. emetico Salæ*, cujus ad ℥ix. intra bihorium accepit: nec tamen adeo insigniter purgabatur: Interea dum hæc fiunt, Æger subinde *agitandus, planta pedum fricanda*, dolorificæ *frictiones* & *punctiones* extremorum instituendæ, Quantum *frictio plantarum pedum* cum *muria acri*, aut hujus loco, cum *aceto & sale*, cum setaceo prosit, Vide in *M. C. Anni 8. p. 154. Puncturarum* efficaciam vide apud *Heer obs. 21.*

Præ cæteris *odores acres*, præsertim ex *salibus volatilibus* penetrantioribus objiciendi, aut sternutatoria infundendo, ac *linguam & palatum fricando*, præsertim in juncta aphonia; quo facit inprimis Elect. *Timæi* contra suffocationem uteri.

℞. *Sal. volat. succini* ʒß. *theriac. Androm.* ℥iß. *pulver. castor.* ℈ij. *ol. destill. rutæ. succini*, *rorismar. ãã. gr.* uj. *m. f. Elect.* dissolve quantum cuspis cultelli capit in aqua quapiam apoplectica, vel epileptica, ægro infundatur, ut deglutiat.

Simulque linguam ac palatum fortiter frica hoc Electuario, Si post horæ quadrantem ad se non redeat, repete, & naribus pulverem ptarmicum immitte. Item *suffitus Succinatus* naribus admoveatur, aut fricetur lingua & palatum cum *spir. theriac.* probe *camphorato*, *spiritu cerasor.* rectificato, cum paucis *guttis ol. destill. cinnam.* aut *caryophyll*, acuato: *Camphora* & *ol. ejus* his ipsis inflandis & allinendis commode adduntur; *Extract. Salviæ*, cui aliquantulum *Ol. destill. succini*, & *camphora* additum fuerit pro fricanda lingua est egregium: Facit huc *Oleum Apopl. Rhumelii*, dum *Oleum succini* non rectific. miscet cum dimidio *ol. rorismar.* infundit *aqua font.* & per vesicam destillando: Ol. rectificati dozis gtt. vj. ad xij. pro usu interno. *Etmuller.*

56. *Peragenda* 1.) Interim medicamento *purgante* exhibito, antequam operari incipiat, & dum etiam operatur, Revellentia omnium generum in usum sunt revocanda; non solum frictiones & ligaturæ, sed etiam cucurbitulæ dorso, scapulis, brachiis, & femoribus affixæ &c. *Riverius.*

57. *Ægri commoda locatione*) Quæstio oritur de Ægrotantis situ, nempe utrum mox in lecto reponi, vel annon extra eum aliquamdiu detineri debeat? Nonnulli hoc posterius religiose observant, nec sine ratione, quia nimirum in lecto major ad somnolentiam propensio est, atque sanguis propter ambientem strati calorem magis effervescens, & uberius efflagrans, plus materiæ excrementitiæ usque in cerebrum affectum effundit; E contra dum æger tenuiter vestitus in cathedra locatur, sanguis tardius fluit, atque vasa subsidentia ad humores ex ἐγκεφάλῳ resorbendos, potius quam ad eos illuc mittendos aptiora videntur; Quapropter si patiens satis robustus fuerit, expediat forsan per 6 aut 8 horas, donec materiæ morbificæ fluxio prætereat, & sanguinis cursus v. s. aliisque remediis sedulo adhibitis sedatior fiat, eum extra lectum manere, Imbecilles autem, & qui tenellæ sunt constitutionis, quamprimum perculsi mox cubili committantur.

Ægri autem, sive in lecto, sive extra ipsum, situs non sit supinus, sed capite nonnihil erecto, ad latus modo unum modo alterum inclinato. *Willis.*

Si commode fieri posset, præstaret pronos quam supinos decumbere ægros, quo sic commodior & facilior sit humoris peccantis per nares & os effluxus, etsi plerumque valde arduum sit & fere impossibile id efficere. *Sylvius.*

58. *Ut facilius aërem attrahat.*) Contineatur attonitus in loco moderate calido; frigidior enim sanguinem incrassando in vasis majoribus detineri facit; calidior vero eundem fundit, ut rarescat & vaporescat, atque ad obstruendem aptior reddatur; Collocetur corpus ita ut aliquomodo sedeat cervice erecta, pectore saltem levissime tecto, Sic enim aër facilius attrahitur, sanguis per arterias in cerebrum ascendens non ita difficulter per venas retrogreditur, & musculi pectorales ipsumque diaphragma minimum gravantur.

De oris apertione Practicos nostros in ruborem dabit *Nymanus l. de Apopl. c. 39. Non adeo necesse videtur os Apoplecticorum cuneo aperire, ut plerique Practici jubent, qui tamen ubique eos ore patente respirare asserunt, Nam cum id alias pateat, membráque ægris omnia resoluta sint, nec ut in Epilepsia convellantur, ita ut interdum etiam intestinis recti extremitas plane hiet, os ægrotantis tanta violentia aperire semper opus non erit.* Quod si vero accidat ut os sit collapsum, protinus illud est aperiendum & apertum servandum, quod facillimo fieri potest negotio.

Nares si forte sunt obstructæ, errhinum aliquod instrumento idoneo injiciendum est, ut pituita crassior existens fluxilior reddatur, aërique attrahendo aditus pateat. *Cornmummius cap. 59.*

59. *Levi, ne materia &c.*) Quædam auxiliorum genera à quibusdam commendantur, 1. *Pilorum*, in cruribus præsertim *vellicatio*, quæ cum sensu careant ægri plane ridicula videtur, nec ad ullam omnium apopl. causarum emendationem vel hilum valet. 2. Ejusdem farinæ est *digitorum complicatio* & narium prehensio 3. Sic nec *extremorum frictiones* cum aceto & sale, quicquam prodesunt, uti nec 4. *Ligatura*. Satius proinde à talibus abstinere quæ nullum usum habent, nullum ægro commodum afferunt. *Sylvius.*

60. *Levi concussione.* An agitatio corporis juvat? Qui sunt plethorici, & verno tempore exercentur, Apoplectici fiunt, An plenitudo hoc facit? *Ballonius Ep. pag. 7.*

Cum sale & aceto) Plantarum pedum cum sale & aceto, manibus munctis *Oleo de Castoreo. Riverius.*

61. *Frictione*) Volas manuum in apoplecticis *sulphure & vitriolo* in *oleo calido* dissolutis & commixtis fricare non erit inutile. *Platerus.*

62. *Frictione*) De his sic *Platerus Pr. l. 1. c. 2. Attrahentibus ad superficiem corporis studebimus quoque humorem à parte affecta revellere iis quæ calore & dolore id faciunt; quæ & potentius agent si simul solvendo continuum attracto humori ut evacuetur, viam aperiant*, Frictiones eo nomine faciendæ *validis manibus vel panno aspero:* Quibus deinde *ligaturas in artubus* quoque adjungit; Et recte quidem hæc sese haberent nisi ea in declinatione morbi proponeret, quæ est cum æger ad se redit; Quorsum tum vult revellere, Revulsio sane debetur causæ antecedenti, quæ adhuc in fluxu est, estque ea tantum in morborum principiis adhibenda, nunquam in declinatione, quia tum influxus sive à Natura, sive ab arte sedatus est: Eorum operam (qui frictiones adhibent) ridet *Helmontius l. de Lithiasi n. 66.* quem locum in summam contraxit *Ostr. Grembr. Arb. tum. & integ. Galenicorum frictiones evanidæ sunt, & si aliquis excoriaretur non posset à quarto sinu pituitam extrahere; præterquam quod frictio exhauriendo spiritus serenos plus plus malum accumularet*, At vero cum pituita ventriculis cerebri impacta non sit materia [illegible] attoniti, vana est illa irritio. *Cornmummius cap. 61.* De Frictionum utilitate vide proxime ubi de Fomentis.

Fomentorum loco Practici ab *Hippocrate* degeneres *Frictiones* acceserunt, quas prodesse experientissimus *Forestus* dudum observaverat, qui in attonitis nunquam eas non usurpavit, veluti observationes ejusdem testantur, quamvis more aliorum id genus remedii non ex ratione invenerit, sed experientia cognoverit, *Septalius Cant. & Anim. lib. 6. §. 58. Perfricetur*, inquit, *corpus calidis, & potissimum brachium unde educendus est sanguis, ut & revellatur & attenuetur, qui crassior per se est, & factus ex refrigeratione adhuc crassior, facilius effluere possit.*

De Fomentis.

Primum remediorum omnium ab *Hippocrate* propositorum *lib de V. Ac.* in curatione Morbi Attoniti est *Fomentum:* Eorum alia sunt sicca alia humida; *Siccorum* formas *lib. de Nat. mul. ix. 29.* tradidit, *Humida* apud eundem itidem varia sunt, 1. per *vas aneum*, 2. per *testaceum*, 3. per *vesicam*, 4. per *utrem* 5. per *sacculum* rebus decoctis impletum, madidum calentemque impositum, 6 per *spongias* ex aqua calida decoctove calido expressas.

Quæritur vero quo Fomento *Hippocr.* velit Attonitos esse fovendos? dum *lib. de Vict. sient.* dicit, *Ejusmodi ægris, adhibitis prius fomentis vena secanda est statim initio:* Quatuor vocibus reperio *Hippocr.* Fomentum denotata, χλίασμα, θέρμασμα, θάλψις & Πυρία.

Χλιάσματα & θερμάσματα, tantum ea vocat Fomenta quæ humido & blando suo calore partem corporis sollummodo tepefaciunt, nec ulterius progrediuntur in calefaciendo; quibus utitur ad dolores, humores digerendo & concoquendo, quod etiam θάλψις cum simpliciter ponitur denotat, cum calor major non est quam in ovis incubatis.

Πυρία *Hippocr.* mea sententia, fomentum plurimum tepefaciens & fovens; excalefaciens diceretur [illegible], h. e. quod parti, cui applicatur, rubedinem aliquam imprimit, sive illud siccum sit, sive humidum, propositum enim Senis est hujusmodi Fomentis humores, imo sanguinem ipsum non modo calefacere, sed effundere, discutere, absumere, quod sane χλιάσματα aut θερμάσματα efficere non valent.

In Morbo attonito vero *Hippocratem* tale fomentum præscribere dubium esse non potest inspicienti verba *l. 2. de Morb.* ix. 21. *Lavare oportet*, attonitum, *multa & calida, & quam maxime fovere* : Non unam tantum habuit causam cur attonitis Fomentum, & quidem in morbi principio præscriberet; sed variam.

Primo enim intendit sedare sanguinis ebullitionem, quamprimum obstructio, vel etiam molestia aliqua in parte, præsertim principe, sentitur; Natura rerum suarum saragens confestim irascitur quasi, & fervorem ebullitionemque excitat, spiritumque primarium suum instrumentum & ministrum in sanguine vehiculo proprio isthuc ablegat; & si ille non sufficit, subinde alium atque alium, usque dum præ copia vasa angustentur, & motus sanguinis ordinarius interturbetur. Istum fervorem, eamque ebullitionem, mox omni conatu sedare & quietare, an non maxime necessarium? Esse, rarum est ei qui in morborum curationibus ad causam & ad maximè urgens indicans primum oculum intendere didicit.

Secundo vult partes quibus applicat dilatare, rarefacere & sanguinem etiam è profundo attrahere, quod calidorum esse ex *Galeno* perspicuum est, *4. Simpl.* 13. & ex quotidiano usu, cum in mensibus hæmorrhoidibusque [illegible]is opem haud postremam à fomentis calidis obtineamus; Et ex *Septalio 3. Animadv.* 39. Fomenta [illegible] da laxatis vasis, & sanguine fuso, hæmorrhagias concitare, ex vero scribente.

Tertio respirationem faciliorem reddere desiderat, [illegible]

Quarto Cupit calorem in partibus externis languentem, suffocatum & fere emortuum resuscitare; Tam insigni in cerebro obstructione facta sanguinis circuitus magnopere conturbatur, & retardatur, unde flammula vitalis perenni & assiduo motui assueta non potest non languere obtundi & suffocari: Magnum ergo auxilium à calido fomento hac ratione erit expectandum.

Quintò animus *Hippocratis* est sanguinem à Capite avertere & evacuare, *Calida fomenta cutem difficulter spirantium raram efficere consueverunt, & sanguinem inflammantem attenuare atque absumere, Quod si factum fuerit sanguinis aliquid evacuabitur*, ait *Galenus 2. comm. de D. Ac.*

Quod si igitur Fomentum talis materia est quæ pluribus remedi[is] in morbo attonito egregie adhibendis possit satisfacere, per te patet quanta sapientia *Hippocrates* id elegerit. Magna id semper fecit dexteritate, ut paucissima, sed efficacissima, & indicationibus abunde satisfacientia remedia adhiberet, quibus ægrum cito, tuto & jucunde, à molestiis liberaret; Dantur etiam in [ve]hementissimis morbis gradus; In horum infimo si morbus attonitus subsistat, & fomento, debito modo applicato, possit ad declinationem perduci, quorsum [rem]ediorum maximum & generosissimum debet ac[ced]i.

Hæc sola videtur causa esse quare *Præceptor l. 2. de morb.* i[n] [u]bi attoniti curatione venæ sectionem omisit; Non tantum enim ratione, sed & usu eum cognovisse [non] no existimandum est, attonitos quosdam post [fo]mentationem ad se redisse, ut nulla S. M. opus fu[erit].

Fomentis excalefacientibus igitur in initio uti abs re non est tentando nimirum an morbus attonitus iis possit dissolvi, [illegible] *de V. Acut.* Quoniam morbus attonitus quidam [illegible] quo obstructio si non ita magna, & sang[uis] [illegible] sit ut facile se à capite patiatur revelli, tum [illegible] nto, remedio tutiori, & adstantibus in[illegible] ægrum curasti, *Tutiori* usus es remedio, [illegible] Fomentum ut periculum possit indu[illegible] magnum, quod V.S. & purgatio faciunt, si vel levissimus circa earum usum error committatur, *Iucundiore* vero, quia & remedium familiare, atque facile parabile, & ab assidentibus, qui somenta nunquam aversantur, facile admittitur.

Num vero sequax sit sanguis, & fomento facile revellatur atque avertatur, perspicere poteris ex remissione symptomatum, faciliore respiratione, coloris faciei pulsusque in melius mutatione: Si hoc observatur, perseverandum est in Fomento, quia id remedii genus satisfacturum Indicationibus indicabis: Sin minus, bene tamen Fomentum est præmissum, quia via sanguinis missioni aut enematis iniciendis strata est, eo quod sanguinis melior effluxus, spirituumque facilior excitatio post fomentum sit speranda.

Fomenta vero in principio artubus sunt admovenda, paulo post vero ubi causa antecedens cessare videtur, etiam Capiti. *Cornemannus cap.* 65. Vide plura ib.

[[illegible]]. *Vel succini fumum*) Odoramenta penetrando ad superiora plurimum quoque juvant, qualis est *aceti fortissimi odor* naribus exceptus, qui siccando vigilias inducit: *Suffitus* quoque ab eo si supra laminam ignitam effundatur, naribus exceptus convenit: *Fumi crassiores*, ita tamen ne suffocent, naribus admissi proderunt; ut fumus qui è *capillis humanis* ustis excitatur, maxime si antequam uruntur *Aceto* prius madefiant, & qui à *pennis accensis*, quarum eadem cum pilis est materia sit;] inter quas *Pavonum* & *Perdicum* pennæ meliores esse creduntur: *Sulphuris accensi fumus* mire est efficax; quod & ex eo quod rosas rubras dealbet, satis patet. *Platerus.*

[[illegible]]. *Excitatione*) *Penna intincta in oleo succini* officii admonent apoplecticos, è sumno expergefaciendos *Rolfincius.*

Certum arcanum ad apopl. & loquelæ amissionem.

℞. *Ol. succini albi gtt.* ij. *sal. c. c. gr.* vi. *mercur. microcosm. gr.* vii. *ambr. moschi ää gr.* viii. *aqu. lavend. beton. ää* ℥ß. *ma[illegible] ,ʒ m. f. Liqu[or]*, quo assumpto loquela restituetur, *Joh. Poppius Hodeg. chim. c.* 24.

℞. *aqu. vita opt. mens. j. gran. junip. m.* ij. *contunde, macera in aqua vita per 3. dies, cola*, impone *salvia, pulegii, nasturtii, croci ää* ʒj. Da patienti, & statim loquelam recuperabit, *Phil. Mulle. us mir. Chim. l. 5. p.* 83.

Sal volatile c. c. item Cranii hum. mixtum cum *mixtura*, simpl. camphorata, admirandas exserit vires, modo uo[mitoria] [illegible] præcesserint. *Got. Mabius Anat. campb. cap. te* 24.

Cuidam Nobili apoplecticæ, quæ per tres dies loqui non potuerat, dedi *spiritum cerasorum*, & loquelam mox recuperavit. *Th. Kesler Proc. Chim.* 59.

Primas hic tenet *Oleum margar.* ad iv. gtt. exhibitum.

Secretum cujusdam Baronissæ fuit *lapis Carpionum*; quo plurimis auxilio fuit; in illa præsertim apoplexia quæ cum commotione & contractione musculorum supra oculos invadit, exhibendo illorum aliquot in *aqua flor. tilia. Franckius Ench. c.* 6.

Valde laudatur *lapis semilunaris carpionis* super oculis repertus. *Cl. Deodatus Panth. c.* 27.

Mysterium in Apopl. est *solutio* sive *Ol. margaritarum*; si quis loquelam perdiderit, 5. vel 6. guttas infunde in linguam, recuperabit lingua potestatem ad loquelam. *J. Theod. de Bry Jonrod. Tr. 2. c.* 8. Ol. Corall. valde bonum est. *Agricola in Poppium.*

[[illegible]]. *Sternutatoria*) Notissimum est *Hippocratem* in gravissimis morbis valde proficua esse censuisse: Sic enim *5. Progn.* 13. *in aliis morbis lethalissimis* (præterquam pulmonum & pleuræ) *sternutationes prosunt*, Ad quæ verba Carolus Valesius du Bourgdieu, *Quidni vero salutare sit siquam sternutamentum, cum etiã gravissimorum morborum admiranda sit therapeia; Nam apoplecticos adhibitis ptarmicis resolutos vidimus, ut saltem anteacta vita crimina sacra exomologesi expiarent, seq, commendarent Numini, cum cætera remedia morbi pertinacia elueret*, Unde vix quisquam practicantium medicorum reperitur qui non ad sternu-

tamenta in Attonitis quoque confugiat; *Potenter humores in cerebro etiam commovent sternutatoria, quæ errhina acriora sunt, & sua acrimonia cerebrum ad expellendos humores noxios valde stimulant & irritant*, ait *Nymannus*. pagina 334.

De eo tamen adhuc dubitant, ut *Rondeletius* & *Ballonius*: At si *Rondoletus* ea mens est ut sternutatoria nullo modo & tempore adhibenda esse velit persuadere, vehementer errat; Si vero existimat ea nonnisi post universalia remedia, h.e. evacuationem, revulsionem & derivationem applicanda esse, optime sibi constat & sentit, Nam pag. præcedente scripserat, *Sternutatoria post illa universalia remedia applicantur tuto*, sed circa principium non sine periculo. Quo etiam aurigare videntur quotquot de morbo attonito reliquerunt præcepta. *Cornmannus* c. 68.

64. *Sternutatoria*) Sternutamentum provocare, (quod pervulgato errore faciunt omnes) noxium est, quia humor pituitosus in corpore cerebri est, non in ejus ventriculis, itaque sternutationa non potest excuti: Præterea agitatione capitis & pectoris cerebrum opplebitur humoribus ad se attractis; quare sternutatio non conducit, sed etiam lædit plurimum. *Rondeletius Pr. l. 1. cap. 32.*

Quidam in apoplexiam cadit, omnibus modis agitatur, *pulvis hiera* injicitur in nares, An ita agendum? Observatum est Apoplecticum injecto simili pulvere Epilepticum extitisse: Quæ calidiora in os & nares ad sternutamentum excitandum injiciuntur, quia cruda omnino materia est, amovenda sunt. *Ballonius 2. Epid. pagina 6.*

65. *Materia per*) In ipso paroxysmo duo inprimis generosiora remedia sunt, quæ aut liberant ægros, aut eos trucidant male usurpata; Et hæc sunt *Vomitus* & *Venæ sectio*, Quorum alterum utplurimum necessario adhibendum; Nam de Clysteribus eorumque usu, item Suppositoriis; omnes concordant Practici, quod in omni paroxysmo apoplectico; atque etiam post eundem necessario & semper usurpanda sint; *Etmuller*. In senibus admodum loco vomitus *Clysmata acria*, loco V. S. *Cucurbitula* in scapulis scarificatæ usurpandæ, Tamen in *Apoplexia privativa* magis *V. S. & cucurbitula*, In *Positiva* vomitus & clysmata conveniunt; hinc illis præmissis, in Privativa *volatilia*, in *Positiva aromatica sulphurea*, *mineralia fixa ac metallica*, & sublimiora arcana conducunt, Quæ omnia ex circumstantiis secundum res natur. non natur. & p.n. in cujusvis ægri cura semper observandis diversimode adhuc limitantur, *Etmuller*.

65. *Materia &c.*) Illius vacuatio per *Purgantia* infusa non tentanda, cùm nihil deglutiant, vel rursum sine fructu effluunt; vel si, ut sæpe fit, ipsis in asperam arteriam incidant, in suffocationis periculum: Ubi vero ad se redierint, tunc ut resoluti purgandi erunt. *Platerus*.

66. *Per Cucurbitulas*) Cucurbitulæ dorso, brachiis & femoribus affigantur; sine scarificatione, si sanguinis missio sufficiens celebrata sit: cum scarificatione, saltem earum aliquæ, si v. s. fuerit omissa: Ne autem admoveantur posteriori thoracis parti, aut hypochondriis, ne contractis thoracis & abdominis musculis respiratio magis impediatur. *Riverius*.

66. *Cucurbitulas capiti impositas*) Quod remedii genus insignis ille medicus *Fracastorius*, apoplexia correptus, nutibus suis indicasse ferunt, sed non intellectus periit; *Zacutus* l. 1. m. Pr. h. hist. 33. refert desperatam Apoplexiam, cucurbitula bis Occipiti admota cum profundis scarificationibus, à se curatam fuisse. *Riverius*.

6[illegible]. *Capiti impositas*) Sartago ab igne candens capiti ita proxima ut cerebrum incalescat, adeo opitulatur quod deperditam loquelam restituat. *Heur. Montanus*. Asserem cupressi capiti imponere utile. *Crato*.

66. *Per Cucurbitulas*) Cucurbitulæ, æque ac venæ sectio, sunt materia remedii sanguinem sensibiliter, non tamen ita confertim, sed paulatim evacuantis, sive indicatio sit revulsoria, sive aversoria, sive derivatoria: *Avicenna 1. Fen. lib. 4. c. 21* & *Albucas. lib. 2. Chir. c. 98.* cucurbitulas v. s. loco adhibent, Quamobrem: quia validissimum sunt remedium ad extrahenda ea quæ intus sunt ad extimas partes, dicit *P. Fr. Phrygius in histor. Epid. p. 2. Ægro 9.* Attrahere Cucurbitulas ob fugam vacui nemo in dubium vocare potest, & inferioribus, atque remotis partibus, ut attrahant & revellant, elige *Hippocr.* eas quæ circulum quidem parvum, ven[illegible] vero amplum habeant, ea tamen parte qua manu apprehenduntur, prominentes minimeque graves sint.

In morbo attonito autem cum fructu adhibuisse eas qui medici rationales audiunt, empirice tamen curarunt cernere possumus in *Aetio* & aliis etiam Rec[illegible]tioribus, *Sennerti verba sunt 1. 2. 33. Si vena sectione uti non licet, revulsio fit per cucurbitulas cum scarificatione applicatas cruribus, lumbis, scapulis*, Nymmannus vero p. [illegible]28. *Si omnino in quodam agro v. s. locum non habet cucurbitula ejus vices sustinere possunt.*

Sed videant Medici (in hujus remedii administratione) ut tempora morborum perpendant [illegible]rum viresque ægri non satis observant; Dolor [illegible] cucurbitulis scarificatis omnibus, præsertim si affiguntur ab iis qui satis leviter & blande scarificationem peragere non didicerunt, Dolor omnis vires valde [illegible]minuit; viribus autem in paroxysmo ipso, vel [illegible] us m[illegible] tbi flore & vigore extreme opus est; quid [illegible]go m[illegible]m si iis temerarie dissectis æger succumbat, vel [illegible]tiam si æger mortem evitare nequeat, celerius tamen Medicus eam hoc modo accersat? Alia pericula plurima ex sinistra cucurbitularum applicatione passim sunt obvia, sed tale quid in morbo attonito, ubi vires opprimuntur, & nulla subest cruditas, non est metuendu[illegible]. *Cornmannus c. 62.*

67. *Capiti impositas*) De *loco* ubi sunt admovendæ diversi diversa sentiunt; Qui *mento* eas admov[illegible]nt merito imperiti audiunt ab *Aretæo. 1. cur. Acut. 4* cu[illegible] non gulam dilatare, sed sanguinem à cerebro rev[illegible]e[illegible] oporteat *Ætius lib. 2. cap 27. hypochondriis* quoque ap[illegible]l[illegible]t, qua re optima est *Ballonii* censura *Epid. pr. 44.* [illegible] quit, *affectionibus & apoplexiis, in quibus aut ab[illegible] omnino respiratio, aut exigua manet, an usus Cucurbitu[illegible] Nequaquam, nam dum illi intenduntur musculi, augetur [illegible] cultas respirationis, & ita augetur malum.* Propter [illegible] *Sennertus* monet ne posteriori thoracis parti af[illegible]tur, ob musculorum thoracis contractionem.

Ut paucis hanc rem definiamus; Applic[illegible]n[illegible] sunt primum pedibus & lumbis, mox brach[illegible]is & [illegible]a[illegible]lis, tandem ipsis venis jugularibus, cavendo hyp[illegible]ch[illegible] & partes thoracis posteriores, ne musculis resp[illegible]at inservientibus parvus ille, qui adhuc superest, [illegible] au[illegible]eatur: Nec *Platerus* primas Cucurbitulas [illegible]us corporis partibus admovens nobis con[illegible], [illegible]le enim partibus illis sine ferro eas aff[illegible]us in[illegible]oribus [illegible]ro cum ferro, idque ob f[illegible] mat, revulsionem, *Cornmannus ibid.*

68 *Quod unicum hoc remedium*) Ineptiunt h[illegible]c pauci, unicum in hoc morbo remedium esse c[illegible] Cucurbitulas capiti impositas, referentes *Fra[illegible]rium* morbo attonito correptum hoc remedi[illegible] nutibus suis indicasse, sed non intellectum peri[illegible]rum exemplo illo nunquam mihi persuadeb[illegible]n[illegible] modo e[illegible] in nutibus indicare potest [illegible]liqui[illegible] tonito laborans, ubi tam principes quam [illegible] cessent. quomodo Cucurbitula parti laboran[illegible]

sira à parte illa pateret re [illegible] cuaret? Nisi forte historia illa de mo[illegible] sit audienda, quam in partem *Nymmann.* [illegible] *Idem.*

68. *Per fortes clysteres*) Primo laxans præscribatur ex decocto communi, ut citius paratus sit.

℞. *Decoct. comm. Clyst.* ℔ß. *hiera picr. & diaphoen. ana* ℥j. *Olei lilior. & rutac. ana* ℥j. *mellis anthos.* ℥j. *salis* ʒj. *misc.*

Postmodum acres injiciantur bis aut ter in die eadem.

℞. *fol. parietar. hyssopi, calam. origani, salv. ruta, & centaur. min. ana m* j. *semin. carth* ℥ß. *semin. fœnic. & cumin. ana* ʒiij. *agar. albi nodulo inclusi* ʒij. *pulpa colocynth. eodem nodulo inclusa* ʒiß. *coque ad* ℔j. *in colat. dissolve hiera picr.* ℥ß. *Diaphœn.* ℥j. *olei rut.* ℥ij. *f. Clyster.*

Chymici admiscent *aqua ben.* ℥ij. vel iij. & sic potenter expurgant Aquæ autem hujus dozis augeri potest ad ℥iv. & vi. imo vero antequam è phiala educatur aliquantulum agitari debet, ut nonnihil pulveris in fundo residentis admisceatur, unde vires efficaciores evadunt; Ideo plurimum Clysteres ex *aqua bened.* seu vino Em[et]ico, hac formula præscribere soleo, quæ in multis affectibus, præsertim colicis doloribus, miranda præstat.

℞. Decoct. emoll. ℔j. diaphœn. ℥j. aquæ Bened. rutb. dr. ℥iv. *f. Clyster. Riverius.*

69. *C[lys]teres & Glandes*) In morbo attonito potius Clysteribus quam purgantibus agendum est, quia nihil [æ]gri possunt assumere: Frustra igitur *Saltus Ann. in Altim. c.* 19. movet difficultatem, an stante cruditate sit purgandum, Et an purgantia possint deglutiri: Potuisset e[ni]m duobus verbis respondere, nimirum nonnisi in declinatione purgantia per os esse exhibenda: Frustra *Nymannus* vas[e] suo cum longo canali vult cavere ne quid in asperam illabatur arteriam; Sed missis his fate[ndu]m nihil prius per os esse exhibendum quam æger ad se redierit, sed purgantia revulsoria per alvum esse infundenda.

Neque enim *Enemata* tantum ea ducunt excrementa quæ in prima corporis regione sunt cumulata, sed & ea quæ [in a]liis partibus, etiam ab alvo remotissimis suppetunt satis feliciter revellunt, pro facultate purgantium ea ingredientium, vel *Galeni* testimonio qui 2. *d. K. T. c. Archigenis* medicamenta Cephalica declaraturus, summopere laudat evacuationem illam quæ fit per *Enemata* non ob id tantum quod efferant excrementa intestinis contenta, [se]d & revulsionis gratia, quod ea quæ ad caput efferuntur, subtus alvi dejectione divertant. [Hin]c *Platerus* [illegible] *Pr. c. 2. Alvus* inquit, *sollicitanda in utraque specie, & ut dejiciat stimulata, cum ad revulsionem, tum ad sopitas facultates excitandas*; Et mox, *Clysmata non tantum ante V. S. si ea fiat, ad intestina eluenda, sed & post eam, primum ex emollientibus & stimulantibus calidis, capitique appropriatis parata conveniunt, mox etiam ex fortiter irritantibus quæ quoque cum non retineant diutius, repetenda, eoque f[re]quentius quo morbus magis urget, ut in apoplecticis.* Eodemque capite, in apoplexia sanguinea, ipsi dicta, cum ta[men] non sit alio, *Alvi irritatio in hac causa æque ac si a pituita fieret, revellit, idque per suppositoria vel clysmata egregie stimulantia, minus tamen quam in alia causa inflammatoria, idque mox per venam sectam, quæ heic tanquam potior præire debet.*

Forestus in amplissima sua praxi multos curavit Apo[plectic]os, sed in omnibus nullo alio revulsionis præsidio [illegible] est quam Frictionibus & revulsionibus per a[lvum], Veluti ex ejus observationibus patescit; *Cortnummius* [illegible].

[illegible] *Fortes clysteres & Glandes*) Revulsionis gratia mo[illegible] [in]jicienda sunt Enemata acriora & va[lidiora] ut [sp]iritus is irritetur & impellatur ad discutiendum atque abigendum id quod noxium est, Acriora dixi & validiora, minime frustra; non enim frustra magnas illas purgantium compositiones, quales sunt *Hiera Archigenis, Ruffi, Pachii* vel *Diacolocynth. Galeni* & similes veteribus inventas autumo, sed ut in magnis & pertinacibus morbis, levioribus nihil juvantibus, ad illas liceat descendere, quas si hodierni Medici non negligerent, multorum gravissimorum curationem perficerent, quam levioribus suis & blandis, ad delicatioris ægri palatum tantum paratis medicamentis, magna cum artis ignominia non possunt adipisci.

Qua in re summe *Rondeletii* laudanda prudentia, qui *cap.* 22. validiora illa Enemata iterum in tres veluti classes distribuit, & ab imbecilliori incipiendo ad mediocre progreditur; & neque hoc expectationi satisfaciente ad fortissimum tandem confugit, quod etiam *Platerus* facit; Recte quoque herbas cephalicas appellatas admiscent, sicuti & *Nymmannus* & *Adr. à Mynsicht. in Thes. sect.* 32. Abesse vero debent Olea, si enim acria debent esse Enemata hæc, & purgantium ea ingredientium dozin propterea augemus, omittenda quæ horum vim obtundunt, quod & *Rondeletius* agnovit.

At parum abest quin hic omnem effundat gratiam cum mox subjicit, *Quare si oleum ponendum, antiquum eligatur &c.* Oleum sane est oleum, manetque, h. e. retinet pinguetudinem suam, etiam cum antiquum est, *Mynsicht* præterea addit *gummi ammon. bdellium, opopanacem*, frustra, nam si purgantium vim iis vult intendere, impingit in legem compositionis medicamentorum, permiscens medicamenta cito & tarde purgantia, *Colocynthis* enim cum cæteris citissimæ est operationis, *ammoniacum* vero tardissimæ.

Quod si Enema debito tempore non reddatur, irritanda insuper est alvus Suppositorio acriore, vel, quod valde probo, aliud *Enema ex sola aqua vehementer salsa* calide injiciendum; ita ut ad ℔j. aquæ simplicis addatur *salis comm.* ℥iß Cortnummius c. 67.

69. *Per fortes Clysteres*) Clysmata non tantum ante venæ sectionem si ea fiat, ad intestina eluenda, sed & post eam, primum ex emollientibus & stimulantibus capitique appropriatis parata conveniunt, mox etiam ex fortiter irritantibus, quæ quoque cum non retineant diutius, repetenda, [e]oque frequentius quo morbus magis urget; Fortissimi admodum irritantis exemplum.

℞. *rad. ireos, pyreth. ana* ℥j. [*ar*]*i, vel serpentar.* ℥ß. *radic. hellebor.* ʒj [*her*]*b. ruta, salv. thymi, summ. centaur. nasturt. ana* ʒj. *sinapi* ʒij. *pulpa colocynth. in petia ligata* ʒß. *anthos p.* j. *fiat Decoctio, dissolve Hiera colocynt.* ℥ß. *mellis* ℥iß. *olei rut.* ℥iij. *castor. euphorb. ana* ℈j. *salis fossil.* ʒj. *f. Clyster.* Platerus.

70 *Glandes*) Si præsertim clyster debito tempore non reddatur, Glande alvus proritetur.

℞. *Pulv. hiera picr. Gal.* ʒij. *Pulpa colocynth. agar. alb. ana* ʒß. *diagr.* ℈j. *salis gemm.* ʒij. *mellis ad debitam consistentiam cocti q. s.*

Sæpe tamen accidit ut sphincter ani resolvatur, unde anus plane pateat, ac clysteres sine fructu rejiciantur, qui casus plerumque desperatus est. *Riverius.*

70. *Et Glandes*) *Suppositoria* cum egregie irritent, & cito parari possint, ac *clysmata* ob torporem non retineant, valde conveniunt, sæpeque reiteranda: quin adurentia etiam, cum sine sensu sint ægri, nocere minime poterunt: Itaque levioribus prius tentatis, si nihil proficiant, sequentia *fortia* usurpantur.

℞ *mellis* ℥ij. *succi mercur.* ʒj. *fellis tauri* ʒß. *coqu. adde in fine rad. helleb. albi & pyreth. ana* ʒß. *Colocynth.* ℈ß. *salis gemmei* ℈ß. *f. Suppositorium.* Platerus.

Valde arridet suppositorium quod habet à *Minsicht sect.* 32.

℞. *troch. alhandal agar. troch. ana* ʒj. *helleb. n. fol. senna*

ãã. ʒß. *salis gemm. nitri ãã.* ℈j. *mellis q.s.f.* duo suppositoria satis longa filis appensis. *Cornmmmus.*

71. *Per Vomitus*) Vomitus optime suscitat ægros, & quod alias irritando clysmate intendunt Practici, hoc efficacissime obtinemus *Vomitu*, præsertim cum experientia ejusdem usum sæpius comprobaverit. *Petrus a Castro in met. Med.* se vomitoriis ultra spem plurimos desperatos excitasse affirmat, & antimonialia maximopere laudat; *Poterius croci metall. vulgaris* gr. iij. vehementissimum apoplecticum excitavit, inuncto simul ori *Oleo cinnamomi*: Hic saltim metus est in vomitu, ne suffocationis imminentis acceleretur periculum: Posito etiam quod ex impedito sanguinis circulo fiat *Apoplexia Privativa*, haud videtur conveniens vomitus, imo periculum est ne sub vomendi conatu sanguis ac serum circa collum & caput retineatur, & hinc istæ partes magis obruantur, cum naturaliter sub vomendi conatu facies rubescere & collum inflari soleat. *Etmuller.*

Secretum curandæ Apoplexiæ in vomitu consistit, per motum enim illum ventriculus & pectus sursum deorsumque commoventur; excrementa viscosa & glutinantia, glaciali veneno infecta protruduntur, atque obstructio illa summa sic tollitur oppido: Unde vinum emeticum summum est in Apoplexia secretum. *P. Joh. Faber univ. sapient. l.3.c.7.*

Non differenda *Vomitoria*, ut monet *Lindanus*, cum in forti Apoplexia occasio præceps, & si quid revellere potest, ac consopitum ægrum suscitare, certe Vomitoria possunt; Necesse est autem ut augeatur dozis eorum, uti & aliorum remediorum quę excitare debent ægrum, Spiritus enim stupet & sensus imminuitur; augenda igitur dozis, alias nihil ages: Propinentur *Vomitoria in forma liquida*, ut sponte quasi per gulam diffluere queant, sociando semper simul aquam spirituosam. v. g. *cinnamomi*, aut aliam similem, ut ejus medio simul spirituum vigor nonnihil promoveatur: Hinc *Emeticus syrupus* ad ʒvi. ℥i. dandus &c. *Etmuller.*

Vomitoria locum inveniunt etiam in ipso paroxysmo, authore *Avicenna, Rudio*, qui *antimonium hyacinth. Riverio*, qui infusi *croci metall.* salutariter usurpati habet exemplum, & *Hartmanno*, qui *Mercurio vitæ* oblato ad se reduisse ægrum observavit. *Rolfinkius Meth. Cur. p.* 549.

Apoplexiæ certo curandæ fundamentum in *sale vitrioli* tanquam egregio emetico consistit. *Chr. Langius M. Cur. p. 8.*

Quamvis nonnulli viri doctissimi Vomitoriorum usū in hisce affectibus improbent, tamen experientiæ magis credendum, quæ etiam nos docet quotidianis experimentis pueros Comate affectos *Sale vitrioli Vomitivo* promptius & tutius quam ullo alio remedio liberari. *Riverius.* Proscribentem Vomitoria *Cornmmmum* vide inferius §. *Vomitoria.*

72. *Apposito ad suturam coronalem &c.*) Tandem & insensibiliter Resolventia applicanda E.g.

℞. *baccar. lauri & junip. ãã.* ℥iß. *rad. angel. zedoar. imperat. ãã.* ℥j. *folior. beton. salvia, rorismar. ãã. m. j. rutæ, satureja, majoran. flor. lavend. ãã. m. ß. coqu. in aceti s. q.*

Hoc decocto spongia, aut linteum imbutum, aut stupæ calide capiti applicentur, Mirum quantum auxilii soporosis affectibus hoc remedium afferat: Brachia quoque & manus eo abstergantur, eoque crura & pedes fricentur.

℞. *Castor.* ℥ß. *capill. hom. ustorum* ʒiij. *succi rutæ, aceti* [illegible] *ci comm. ãã* ℥ij. coqu. ad Ungu. consistentiam, quo i[illegible]tur caput calide post fotum. Vel

℞. *Olei costini, castor. & de euphorb. ãã.* ℥j. *pulv. sinapi, euphorb. ãã.* ʒj. *aceti coch. j. ceræ q. S. M. f. Ungu. Riverius.*

[illegible]tbitulæ cum multa flamma occipitio primum [illegible]dæ, si forte per magnum illius foramen humor derivari possit. Ob quam causam mox *cervicis posteriori regioni*, deinde *scapulis & humeris* sunt applicandæ.

Scarificatio etiam ante cucurbitularum applicationes interdum illis in locis facienda, plagæque factæ *muria* erunt fricandæ: *Sartago* aut *lamina ferrea candens* capitis regioni eousque adhibita donec illum valde cal[illegible]ciat; & veluti pilos inurat, egregie extrorsum eliciendo apoplecticos sæpe ut ad se redirent effecit. Usum Arabes introduxerunt.

Dropax, seu *Picatio*, capitis regioni prius rasæ adhibitus, sæpeque dum adhuc calet detractus & repetitus ad superficiem humores evocando juvat, Sequens efficax, & vesicas excitabit.

℞. *picis* ℔ß. *ol. rutac. q. s. ut liquescat. ad* ℥iß. *adde rad. pyreth. sem. sinapi, piper. ãã.* ʒj. *euphorbii* ʒß. *misce.*

Sinapismi idem præstabunt supra caput apposit[illegible] *Urticæ folia* veluti actu vesicas excitant, quæ nuchæ affricantur. *Platerus.*

2. *Apposito ad suturam coronalem*) Vertex, tempora ac nucha, balsamis, oleis &c. illiniri possunt, Sed observandum ut hujusmodi odorata oleosa non nimis largiter aut copiose dictis locis illinantur. Nam redeuntes ad se ægri, de insigni capitis perturbatione & [illegible]vitate ex oleorum hujusmodi fumo orium [illegible]ne conqueruntur, quin & illinenda talia con[illegible] me quoque *circa regionem stomachi* appl[illegible] superimponendo laterem calefactum; [illegible] *balsami apoplect. ol. majoranæ, lavendul. spir.* [illegible] Apponuntur etiam temporibus & naso.

℞. *Aqu. melissæ, lilior. conv. cum vino ãã.* ℥i. *apopl.* ℥j. *aceti rosac.* ʒij. misce. *Etmuller.*

72. *Apposito ad suturam*) ℞. *Empl. Apostol.* ℥[illegible]. *resinæ* ℥ß. *ceræ q. s. ammoniaci, castor. ãã.* [illegible]j. *euphorb.* [illegible]j. *fiat ceratum*, Calvæ impositum à pr[illegible]fundo [illegible]qu[illegible] materiam extrahit, mirabiliterque juvat apopl[illegible]cos, sydeeatosvè. *Hier. Montuus.*

72. Ut specificum sequens commendatur lin[illegible]mentum.

℞. *Olei succini, spicæ, castorei ãã.* ℈j. *flor. hyper. succi vinæ expressione ãã.* ʒiij. misc. *Fr. Decker Not. 1. ad cap. 2. lib. 1. Pr. P. Barbette.*

73. *Oblongiore sacculo &c.*) Capitis superficiei pr[illegible] rasæ sequentia quoque alterationis causa [illegible]llubentu[illegible] ut *Fotus* seu *Embrocationes* E. g.

℞. *Rad. ireos, cyperi, acori veri ãã.* [illegible]. *sam[illegible] lauri, salviæ, serpilli; pulegii, satur. mel*[illegible] *m.* [illegible] *lavend. flocch. chamom. ãã. p. j. femin.* [illegible] ʒj *coqu. in lixivio addito pauco vino*, Foveatur vel irrig[illegible]tur c[illegible]t; vel sic.

℞. *Ol. nuc. quart. j. aqu. vitæ* ℥iß. *succor. rutæ* ℥j. [illegible] *serpilli, salviæ, ãã.* [illegible]j. *incisa coqu. pro Fotu capitis* [illegible] *fica inungatur.*

℞. *Ol. rutac. laurin. ãã.* ℥ij. *succi rutæ, aceti, aqua vitæ ãã* [illegible]j. *coq. ad consumpt.* a[illegible] *Castor* [illegible]j. *Euphorbii* [illegible]ß. Platerus.

4. *Per venæ* Venæ sectio[illegible]plexia [illegible] ctione harum cerebri arteriolaru[illegible] prodest. Nam primum tollitur [illegible] naturalis impetus, qui plerumque huju[illegible]onis est occasio, & majore copia ad cerebr[illegible] du[illegible] e. g. è brachii vena emisso sangu[illegible] per axillares ad resarciendum illum q[illegible] v. [illegible] fuit, brachia petit; Deinde reliquo ex [illegible]rpor[illegible] ex cerebro sanguis haud cunctanter ad cor[illegible] sectionem illo privatum, festinat depaupe[illegible] laturus: Cor vero sanguinis mole, qua ante & paroxysmo oneratum erat, levatum, refluum [illegible]um sanguinem alacrius, decentiore or[illegible] sata futura quantitate propellit. qu[illegible] cientem ac medullosæ substantiæ ino[illegible]st[illegible] in venarum capillamenta extremis arteriolis [illegible]

protrudæ.

protrudit. *Wepferus Exerc. de Apopl. p.* 219.

5. *Per vena cephalica aut communis*) Monet *Nymmannus de Apopl. c.* 39. Si cephalica vena profunde admodum lateat, ut à Chirurgo nec conspici, nec tactu explorari possit, medianam pertundi debere, imo dum hæc sit cavendum esse ne sanguis ex basilica magis effluat quam ex cephalica, digito basilicam comprimendo, & occludendo. At vero cum prælucente Anatomicorum face, in venarum sanguinis distributionis notitiam deducti simus, præferendum est egregium *Highmori Disqu. An. l.* 2. *p.* 2. *c.* 2. pronunciatum, *Vena vel cephalica, vel mediana, vel basilica* (*non refert multum qua sit, singulis enim subclavia per anastomoses unitur*) *aperta & inanita, subclavia etiam evacuatur; qua evacuata, quia natura vacuum abhorret, sanguis ille qui in subclaviam affatim effluxerat, atque in caput esset ruiturus, jam ad brachium revellitur* (forsan avertitur) *& ad infelicem vulnus properat. Adeo ut caput copia illa sanguinis non gravetur, nec calore aut humoribus acribus ac fumis cum sanguine mixtis tentetur.* Cortnummius cap. 61.

5. *Per vena cephalica &c.*) Dum Medicus Sopori excitando incumbit, fereo apud se meditari debet an v. s. cel branda sit, quandoquidem in his affectibus, quod dixit *Celsus* de Apoplexia, vel occidit vel liberat: Conveniet autem si sanguis causæ principalis, vel adjuvantis, sine qua non rationem habeat, viresque ferant: Vires autem non actionum animalium ablationem æstimandæ sunt, sed quales ante morbi invasionem fuerant; Si enim tum satis fortes fuerunt, etiam nunc permittunt, nisi plane fortis sit Apoplexia; Neque vires sunt debiles per resolutionem, sed per oppressionem: Si vero nullo modo sanguis peccet, aut vires tunc vere dejectæ, aut æger admodum senex, V. S. intermittenda Statim vero & sine omni mora, sive noctu, sive interdiu, hoc affectu quis corripiatur V. S. instituatur, & quidem ante clysterem, si quamprimum injectus non fuerit: Fricetur tamen prius corpus, & aperiatur vena in brachio.

Hoc etiam advertendum, utilius ac tutius esse non una vice mittere quantum opus est sanguinis, sed per vices, intra tamen paucarum horarum spatium; nam per iteratam illam sanguinis missionem, & materia facilius movetur & vires non dejiciuntur. Inspiciatur post primam S.M. ægri facies, & pulsus exploretur, Et si color sit vividior redditur & respiratio facilior, ac pulsus bene habeat, optime sperandum, & confidentius V. S. repetenda: Vulnus in V. S. fiat amplius, quia crassior est & statim subsidit. Quo magis abundat sanguis, eo liberalius detrahi potest, Si vero pituita maxime luxuriet, parca manu mittendus est, ne calor nativus, ad hunc affectum discutiendum tantopere necessarius, quadamtenus infringatur. Copiosæ & frequentis (*salutarisque*) S.M. exemplum vide apud *Zacutum libr.* 1 *Histor. M. P. historia* 33. Quidam Practici in Apoplecticis audent Jugulares venas aperire, sicque omnes propemodum liberari affirmant. *Riverius.*

76. *Per vena cephalica, sive communis*) *Venam incidere oportet brachii dextri internam*, ait *Hipp. l. de V. A. tt.* 37. *Aretaeus* secundam venam jubet in cavo cubiti, *facile enim, si sit sinistra* ... *sunt in sinistro*, qui tamen diversus non est ab ... ; deliberatione enim sanguinis loqui manifeste ...; nam docet in V.S. repetitione non aliam qui ... venam sed aliud latus, quod crebernimo usu ... matum est à Medicorum filiis: Si enim nihil ... pe ... prima vice sanguinem detrahit è dextris, al... è noste ... si adhuc repetenda est S M. maneo... ne, tertia vice vicissim à dextris, quar... ... sanguinem auferunt.

... nem *Hippocratis*, aliorumque Veterum, ... est vena, t. in brachio dextro. Quamobrem? Annon etiam in sinistro? An *ἀ-Ϛοϑεία* aliqua hic spectanda est? Non videtur quia totum cerebrum est affectum; & tamen *Hippocr.* dextrum brachium præfert sinistro; fecit id merito, & facimus ejus exemplo omnes cum nihil aliud impedit 4. potissimum ob causas à *Van der Linden* 13. *Sel. Med.* §. 428. propositas, 1. quod ægri dextra se dextræ Chirurgi opponat, ad secandum accommodanus quam sinistra 2. quod dextra sit calidior & plenior; imo major, ut hinc effluxus sanguinis facilior & liberior sit expectandus 3. quod dextra sit robustior, & ob id effæminationi minus obnoxia, ergo & V.S. an ea facilius sustinebitur: 4. quod fluxiones soleant magis in dextra deferri quam in sinistra: Ubicunque autem licet, ineunda ea via est quam Natura monstrat.

Nec sufficit novisse quoniam in brachio sanguis sit mittendus, sed si cito morbum attonitum curaturus est Medicus sciat quoque quam debeat eligere venam, cum tres in brachio soleamus secare, *Hippocr.* τὴν ἔσω φλέβα. internam eligit, quæ *Basilica* est; Si vero hæc in aliquibus ægris minor sit cephalica aut mediana, vel non satis conspicua, vel cum externa, h. e. cephalica conjungatur, & medianam constituat paulo ante cubiti flexuram, absque ullo scrupulo alia sectioni convenientior seligenda, & in oculis semper habenda *Hofmanni* 2 *Inst.* 106. §. 6. censura, *Constituto primum ait, ille, ex habitu scopo venam esse secandam, constituto deinde illo, quod proximum est, ex superioribus non inferioribus*, (*brachio vel pede*) *sanguis sit mittendus, Constituta denique 3 ex majoribus an minoribus vasis*) *in flexura brachii an manu, in poplite an summo in pede*) non refert quam feces, lino, securius de cæteris illam secato quæ & prominentior est, & minus periculi habet propter tenonos nervos tendinesve. *Cortnummius cap.* 61.

77. *Sine omni mora*) Etiam in *ætate senili*, neque enim hæc debet contra indicare, quod plerosque Medicos decipit & timidiores reddit: Senes enim hoc morbo corripi cunctati, non infirmos & debiles sed virides, robustos εὐσάρκους, quibus vires debiles sunt non per resolutionem, sed per suffocationem aut oppressionem. Hoc panico quasi terrore nisi multi, etiam seniores Medici à V.S. abstinerent, magnus ægrorum numerus diutius viveret: Qualis vero virium resolutio in morbi non maligni principio metuenda? Audi *Ballonium*, qui *l.* 2. *Epid. p.* 214. ait, *Si a viribus sumitur indicatio forte id fallax est, Nam videmus sæpe in principio morborum, & pulsus intermissionem & inæqualitatem summam, & tamen audacter purgatio instituitur & venæsectio, An hoc tute fit; Ab oppressione potentia est infirmitas, p unde natura deonerada est ut recreari possit.* Vide exempla feliciter instituta io lenibus apud *Panarolum Pent.* 1. *obs.* 23. *Zacutum Pr. adm. l.* 38 *Valesium de Taranta* qui hirudines per totū quasi corpus apoplectici apposuit, cum venæ non apparerent, & copia sanguinis detracta curavit; *Dodonæum obs.* 8.

Sine omni mora) *Et omnibus in universum Attonitis*, Nam cum in tam periculoso affectu tota salutis ratio in celeri materiæ è capite evulsione & retractione consistat, neque ullum remedium dari possit, quod tam cito & repente humores à cerebro avertere & aliunde derivare queat quam V.S. eam cunctis aliis præsidiis in curatione præterimus, fere que in omnibus individuis, sive plethorica fuerint, sive non, convenire statuimus, Et res loquitur ipsa plurimos apoplecticos sola sanguinis per venæ sectionem detractione restitutos & integre sanatos esse. *Nymannus de Apopl. c.* 39.

77. *Sine omni mora*) Dum hæc peraguntur statim ad alias indicationes progrediendum est, sanguinem celeriter detrahendo, nulla prævia prolixiore disputatione; An conveniat detractio, An morbum sit propulsura, corpusve infirmum patiatur, cum præceps morbus sit & periculi plenus summam Medici diligentiam & remediorum festinationem exigens: *Neque enim, ut Celsus* 7.33. *ait, quærendum est an satis tutum sit præsidium quod unicum est*: Et lib. 2. c. 10. *Si nullum apparet aliud auxilium, periturusque sit qui laborat,*

nisi temeraria quoque via fuerit aditus, in hoc statu boni Medici est ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique quantus in hac ipsa re sit metus. Et tum demum si exigatur, sanguinem mittere, de quo dubitare in ejusmodi re non oportet; Satius enim est anceps experiri remedium quam nullum; idque maxime fieri debet ubi nervi resoluti sunt, ubi subito aliquis obmutuit.

Et *Hippocr. l. de loc. in Hom. t. 55.* præcipit *Validis morbis valida sua natura auxilia adhibere:* Morbus autem attonitus valentissimus est & gravissimus, cui non aliud æque valens remedium respondet quam V. S.

Sed hoc non sufficit, nisi mox in principio sanguis mittatur, cum fluxio adhuc est in actu; & fit cum impetu, cum nondum perfecta est ἀκμή, ut *Hippoc.* loquitur, Hic *lib. de V. Ac. tr. 37. Hujusmodi ægris,* inquit, *fomentis prius adhibitis vena secanda est,* statim in principio; *cum adhuc in sublimi sunt omnes qui affligunt spiritus & fluxiones* Cortnummius c. 60.

78. *Per vices*) Vide §. *Per vena cephalica &c.*) ex *Riverio.*

79. *Sectionem*) *Hujusmodi ægris,* inquit Hippocr. l. de V. Ac. tr. 37. *fomentis prius adhibitis vena secanda est.* Fomenta autem calida sunt intelligenda, nec leviora, sed talia quæ sanguinem possint calefacere & fundere; quod non faciunt blanda, sed calidiora, quæ rubedinem aliquam in cute relinquant: Hanc esse *Senis* mentem perspicuum est *ex 2. de morb. 21. Lavandus est* (attonitus) *multum & quidem calide, & quam maxime fovendus.* Cortnummius c. 60.

80. *Venarum jugularium*) Optime sanguis mittitur in brachio, & quidem ex vena majore, qualis est interna, h. e. basilica, ob evacuationem & aversionem celerrimam: Sed si ad illum sanguinem respiciendum est qui jam influxit, & in loco affecto moram trahit, is commodissime loco movebitur sectione *Venarum jugularium,* ceu ex parte proxima, juxta *Hippocrat.* doctrinam *l. de loc. in Hom. tr. 55. Morbi qua proximi sunt educendi; Hac vero educendi qua cuivis exitus quam proximus est.*

Eorum qui sectionem jugularium tanquam salutare remedium amplectuntur numerus magnus est: *Rodeletius* rem exacte definivit, *Magna,* inquit, *controversia est per quas venas derivationem moliamur, Venas linguæ quidam præferunt, sed quoniam apoplectici neque os diducere, neque linguam exerere possunt, Chirurgus eas videre nequit: Quidam venas narium scalpunt, sed vix hoc modo tres aut quatuor guttæ manant, unde nihil juvatur æger, Alii malunt eas quæ in fronte cernuntur, ut in sanis etiam cernuntur, sed hæ, & quæ sub lingua sunt, quoniam à jugularibus interna vel externis oriuntur, præstat jugularem externam secare, angusta plaga, ne cui hæmorrhagia.*

Qui hanc sectionem damnant quod ut solet brachium, sic collum, ligari nec possit, nec debeat, in tam magna difficultate respirandi, hi non intelligunt ligari collum ut venæ sint conspicuæ, satis vero sunt conspicuæ jugulares in apoplexia, quoniam sanguine ruente in caput vaporibusque multis replentur & turgent. Qui autem hanc rationem vituperant, quoniam a Guidone & aliis proditum est accepta vulnera in collo esse lethalia, quod sectis jugularibus sanguinis irrumpentis impetus non possit coliberi, hi non advertunt verum esse si omnino secta sint.

At ver[illegible] quare sectio jugu[illegible]rium tantopere est aversanda; An majus inde periculum quam ex arteriotomia? hæc autem felicissime administratur &c. *Cortnummius c. 61*

Iu[illegible], si fi[illegible] *Willisio, cap. de Phlebotom.* Jugulares ab ipso eti[illegible]ctus initio possunt pertundi, ii quidem universalem vacuationen præstant, ooo particularem, atq[illegible]tum corpus evacuan[illegible] & proxime cerebrum dep[illegible], prox[illegible] quippe [illegible] cerebri; Primus ego in p[illegible] illarum pertu[illegible]nem revocavi, saluberrimam, experientia teste, in gravissimis capitis affectibus qui à massæ sanguineæ vitio oriuntur; In Angina [illegible] sunt præsidium, imo pectoris & pulmon[illegible]flammationibus. Tutissime & sine ullo hæmorrhagiæ metu tunduntur, laxata enim l[illegible]atura (quæ me[illegible] cris sufficit, & brevis, siquidem affatim prodit [illegible]) sponte cohibetur sanguis, imo f[illegible] labori negotio quam in brachio aut pede, Testes advoco Chirurgos omn[illegible] nostrates, duodenarium numerum excede[illegible]s, qui [illegible]issime illas tundunt: Quin & arteriotomiæ quibusda[illegible] in casibus antefcrenda est, quæ influentem in caput sanguinem revocat, jugularium autem apertio in ill[illegible] subsistentem & reducendum educit & evacuat Phlebotomiam hanc, manuducente laudato Willisio, in gravibus capitis affectibus, etiam inchoante morbo, institui curos neque facti unquam pœnituit.

β. *Revulsione*) Dicat quis, Annon vena heic secanda est ob revulsionem primario[illegible] Illa autem debet fieri in partem contrariam, ita ut principium fluxus [illegible]terpositum, quod cum in omni corpore absque dubio cor sit, venæ à trunco descendente ori[illegible]dæ superioribus erunt contrariæ, & ob id, si revuls[illegible] debet e[illegible]tima, vena in malleolis vel pedibus primum, [illegible]quam in brachio secanda veniet, sicut *Hippocrat*[illegible]e fecit, & alios facere jussit *6. Epid. 2. aph. 6.* [illegible] deo, verum hoc est in morbo futuro, conce[illegible] ot revulsioni proprio remedio possit sat[illegible] At vero cum morbus attonitus jam factus est, can[illegible]ecare venam quæ simul & evacuare potest & [illegible] Recte ergo *Trincavellius* Epist. 6. p. m. 756. *Possumus tamen aliquando utrique* indicationi *una eademque vena satisfacere, quia si sit aliqua vena ambabus partibus vicina communisque, nempe mandanti & recipienti, illa communi vena [illegible], utraque partes poterunt simul pariterque inaniri, ut ita subinde auferri fluxionis causa, revellique sanguis [illegible], atque ille qui jam influxit vacuari,* Hoc saltem [illegible] ut pro revelli dicas derivari.

Hinc apparet quam bene no[illegible] *Hippocratei* moneat, *Incidere venam brachii internam:* Ce[illegible] namque à capite aversionem, copiosamque [illegible] in nulla parte commodius institui quam in brachio ex dictis patet. *Cortnummius cap. 61.*

81. *Aquarum apoplecticarum*) *Flores herbæ paral[illegible]* chato conditi, nec non & *Aqua destillata* po[illegible] prosunt, ajuntque id experientia const[illegible] *Tragus.*

Aquarum antapoplecticarum Quæ [illegible] & faucibus, acuatæ præsertim salibus & spiritibus urinosis.

℞. *aqu. apoplect. opt.* ℥j. *lilior. convall.* ℥ß. *q. eff. Matth.* ʒß. *syr. flor. tunic.* ℥ß. *misce.* Vel

℞. *aqu. lilior. convall. menthæ ãã.* ℥ß. *spir. cerasi* [illegible] *liquor c. c. succinati rite parati,* vel *spir. sal. armon.* [illegible] *destill. suc. gtt.* vj. *syr. flor. tunic.* ℥[illegible] *misce.* [illegible]*er.*

Aquæ vitæ descriptio[illegible] qua [illegible] tra A[illegible]xiam, & alios cerebri mor[illegible] f[illegible] utuntur Palatini Com[illegible]tes E[illegible]res, una cum Conf[illegible]

℞. *flor. lilior. convall. m.* [illegible] *j. vini gener*[illegible] [illegible] 4. vel 5. dierum infusionem in vitrea [illegible] & [illegible]dinam agitationem dest[illegible]lentur [illegible] B. M. [illegible]

℞. *flor. stæch. Arab. m. j. flor. lavend. m.* [illegible] *fl.* [illegible] *m. j. Caryoph. nuc. musch. ãã.* ʒiiß. *cubeb. ar.* ʒ [illegible] *rad. paeon.* ℥ß *rad. dict. albi* ʒiij. *findantur adic*[illegible] conici[illegible]dantur & commisceantur [illegible] latæ, quæ ru[illegible] in bocciam vi[illegible]e. [illegible] & sæpius agitata deinde d[illegible]e it[illegible] Aqua.

Confectio, ve[illegible] Tabu[illegible]tum [illegible]

℞. *paeon. excortic.* ℥ß. *margar.* ℈j. *macis* [illegible] *auri* [illegible] *n. vij.*

ʒ. vij. ſacch. finiſſimi in Aqua dicta ſoluti ʒv. *f. Rotula*, *Solenander conſ.14. ſect.3.*

Quibus cerebrum recreatur &c.) *Spiritus ſalis dulcis* rite præparatus, magnæ eſt efficaciæ, continuo in vino potuve aſſueto ad gtt. x. vel xii. aſſumptus. *P. Barbette Pr. l.1.c.2.*

Ego vero *ſpiritum ſalis ammon.* cum aqua *ſerpilli* vel *lavendulæ* aſſumptum, præſervativum ſe præferrem. *Frid. Deckers in notis.*

Aqua deſtillata è nucibus moſch. auribus, palato *infuſa*, ebibita, omnium remediorum eſt accommodatiſſimum; quod ſi fiat cum aqua vitæ deſtillatio, multo erit efficacior: Hoc præſidium Senectenſem Epiſcopum, horas jam xx. jacentem excitavit. *Hollerius Pr. l.1.c.7.*

[82]. *Differentiæ* Apoplexiæ ſunt variæ.

I. [83]. Alia eſt *Legitima:* de qua in ſequentibus Differentiis.

Alia [84]. *Notha*, quæ aut ab [85]. *Obſtructione arteriarum carotidum & venarum jugularium* oritur: de qua vide in Caro. Aut à [86]. *Narcoticis vaporibus*, [87]. ſpiritus ſopientibus, [88]. ubi locum habet Revulſio per frictiones, clyſteres, [89]. veſicatoria &c. [90]. Materiæ foventis Evacuatio, Narcoſeos [91]. per caſtoreum cum aceto infractio.

II. Alia eſt [92]. ab *Obſtructione* baſios cerebri, quæ fit.

I. Aut à [93]. *materia pituitoſa & craſſa*, vel calore liquata, [94]. vel frigore in meatus cerebri expreſſa.

[95]. *Cognoſcitur* ex indiciis [96]. intemperiei frigidæ; *Oritur* ab iiſdem cauſis.

[97]. *Curatur* 1. [98]. *Materiæ peccantis evacuatione*, [99]. per *Venæ ſectionem*, vel [100]. illius ſuccedanea: per [101]. *Purgationem* validiorem: per [102]. *Errhina*, & *ſternutatoria*, forma pulveris indita, ex quibus *Bartholeti* Naſipurgium ex *Euphorbio* in aqua fontis infuſo, decocto, & adjecto *Spiritu vini* in aqua calida extracto laudatur: [103]. per linguæ & palati, [104]. *Theriaca* vel [105]. *ſinapi ſemine in vino forti* cocto Frictiones: per [106]. *Cauteria* & fontanellarum excitationem. [107]. *Vomitoria* hic locum non habent.

2. [108]. *Cerebri corroboratione* [109]. per [110]. *Aquas Cephalicas, Spiritus Ceraſorum nigrorum. Eſſentias roriſmarini* [111]. *ſalviæ*, Balſamos *majoranæ, ſuccini, Rutæ &c.*

II. Aut à [112]. *Vaporibus craſſis*, cum quibus eodem modo procedi debet.

Alia à [113]. *Compreſſione*, quæ fit.

I. Aut à [114]. *cauſis violentis*, ut concuſſione, [115]. ictu, vulnere: de quibus ſupra.

II. Aut ab [116]. *Humoribus frigidis & humidis*, in cerebro accumulatis, [117]. continua irrigatione Cerebri molem molliorem laxioremque reddentibus: de quibus in hujus differentiæ ſuperiore membro.

III. Aut à [118]. *phlegmonode diatheſi*, ſeu [119]. ſanguine copioſo affatim in principium animalis incumbente.

Cognoſcitur [120]. ex indiciis plethoræ, Aliqua conſueta evacuatio ſupprimitur.

Oritur ab iiſdem cauſis.

[121]. *Curatur*, prout illa quæ à pituitæ fit obſtructione. Sanguis tamen copioſius mitti poteſt.

[82]. *Differentiæ*) Repudiatis variorum authorũ de morbi attoniti differentia ſententiis, vera aſſerenda eſt, quam *Hipp.* præeunte duplicem conſtituo, alterum *Eſſentialem*, alterum *Accidentalem*. *Eſſentialis* ea eſt qua genus dividitur in ſpecies, aut totum in partes, eaque à *Porphyrio Iſag. cap.3.* vocatur propriiſſima. Ergo *eſſentialem* morbi attoniti differentiam indagaturo, morbi ipſa eſſentia reſpicienda eſt, in definitione expreſſa, quam tria abſolvebant, Materia afficiens, Modus affectionis, & Pars affecta, Materia ſanguis erat, Modus *mora* aut ſufflaminatio, quorum neutrum aliquam poteſt exhibere differentiam; Reſtat *Pars affecta*, unde alias *Hippocrates* eſſentialem conſuevit ſumere differentiam, velut 2. *Prorrh.16.* ubi morbum ſactum dividit in eum qui à capite; & eum qui à latere eſt, & deinde in eum qui à manu vel pede: Sic & *4. de morb.* tres Hydropis ſpecies facit, pro numero partium affectarum, Alium ait eſſe in ventriculo, alium in utero, alium in cruribus.

Quoniam autem demonſtratum partem in morbo attonito affectam eſſe arterias, per tenuem meningem in medullarem cerebri ſubſtantiam deſcenſuras, ut ad ſpinalis medullæ radices iterum conveniant, nervoſque hodie ita vocatos conſtituant, certo certius eſt in innumero earum numero quærendas eſſe hujus morbi ſpecies, quæ tantum duæ ſunt, Hemiplegia & Paraplegia. *Hemiplegia* eſt morbus attonitus alterius lateris, *Paraplegia* eſt morbus attonitus partis: *Illa* eſt veluti dimidia, aut ſemi-apoplexia, & fit cum ſufflamen eſt in dimidio dictarum arteriarum numero: *Hæc* particularis quædam apoplexiæ eſt, e.g. oculi, linguæ brachii, cruris, aut alius partis, & fit cum in quibuſdam præfatarum arteriarum, hujus vel illius membri nervos conſtituentis, ſanguis ſaltem reſtitat.

Vtramque ſpeciem ob oculos poſuiſſe videtur *Hipp. Coac.359.*

In convulſionibus loquela interceptio diuturna mala eſt; brevis aut linguæ, aut brachii, & eorum quæ ad dextram ſunt apoplexiam ſignificat. Quemadmodum enim [illegible] ſignum eſt [illegible] convulſionis totius corporis vel epilepſiæ, ſic eadem illa exiſtit [illegible] gravioris morbi metuendi; nam ſi diutius, [illegible], longiore tempore, illa duret, malum, vel mortem ipſam, vel morbum attonitum obnuntiare videtur; Sin pauco tempore duret; etiam malum, ſed mitius, nimirum vel paraplegiam vel hemiplegiam ſignificat, Illam per [illegible] hanc per [illegible] innuere voluit *Hippocrat.* plurium numero: Et ſane advenientes paraplegias ſæpenumero in hemiplegiam, & hanc in totalẽ apoplexiam tranſire pridem compertum eſt, & duæ hiſtoriæ 2. & 4. loco à *Wepfero Exerc. de Apopl.* adductæ confirmant, & quam *Gr. Horſtius* notavit *2. Obſerv.23.*

Nam quominus hiſtorias ejuſce de Paralyſi Galenica accipiam, facit mentis læſio, quæ in Practicorum noſtrorum paralyſi, ubi nervorum principium, ipſis ita ſentientibus, tantum eſt affectum, nihil patitur, In omni autẽ hemiplegia aut paraplegia ſimul mẽtem magis minuſve pro morbi vehemẽtia affici, nõ ignorare poteſt qui attentius horum morborũ hiſtorias & ſymptomata excutit,

atque id elucet ex historia Janitoris castelli Bracæni apud *Smetium Miscell. l.10.p.528.* qui paraplecticus sine mente, sensu & voce 10 diem tertium supervixit.

Quemadmodum autem Paraplegia in Hemiplegiam, & Hemiplegia in Apoplexiam transit, ita viceversa hæc sæpe relinquit vel hemiplegiam vel paraplegiam, exemplis passim obviis.

Eam morbi Attoniti speciem cum observasset *Fr. Joel*, mitiorem vocavit apoplexiam 1. *Prax. sect. 3. n. 4. Mitior autem species, qua hemiplexia dicitur, curabilis quidem est, manet enim in ea sensus & motus, sed uterque stupidissimus & incertus, in eaque pars altera corporis tantum resolvitur & ingravescet.*

Quamvis autem potior Practicorum pars in ea sit opinione omnes alterius lateris partes in hemiplegia affici solo cerebro excepto, quod principum facultatum cessationem in ea non videantur observare, tamen ipsa veritas eosdem vel non advertentes aliud fateri coëgit. Sed *Forestus 10. Obs. 82. in schol. Si cerebrum ipsum affectum sit, non tamen secundum totum, quia apoplexia generaretur, sed secundum partem dextram vel sinistram, dignosces quoniam simul cum dextra vel sinistra parte corporis faciei quoque partes resolvuntur dextra vel sinistra:* Quomodo igitur nulla facultatum principum oblæsio concipienda est cerebro secundum medietatem afflicto? Et *Martianus in 7. Epid. 172.* dicit *Sæpe contingere cerebrum ipsum secundum medietatem tantummodo apoplecticum fieri, Affectio quæ proprie paralysis & hemiplegia posterioribus appellata, est per quam homo juxta totius corporis medietatem sensu & motu privatur*, Id vero sine notabili mentis læsione contingere minime posse notum. Tantilla autem sæpe est ea mentis læsio ut non nisi ab exercitato possit deprehendi, Nam maxima arteriarum cerebri parte vel adhuc salva, vel liberata, ratio quoque munere suo maximam partem perfungitur, suntque in medio exempla eorum qui dimidia cerebri parte læsa, imo vero corrupta, ratione & sensibus omnibus utcunque sunt usi. *Cornmummius c. 25.*

82. *Differentia*) Apoplexia tum *accidentalis* tum *habitualis*, duplex ab *Helmontio* statuitur, *Privativa* vel *Positiva*, Privativa est quæ citra directam spiritibus inductam alterationem, saltem ex impedimentis quibusdam, propter quæ legitime iidem aut generari aurdistribui nequeunt, oritur; adeoque à *posteriori* & *indirecte* saltem supervenit, v. g. quando ex *suspendio*, aut *casu* ab alto, aut à *sanguinis* intra *cranium effusione*, aut *mentuum cerebri obstructione* qualicunque apoplexia oritur. *Positiva* est quæ tali fit causa quæ spirituum animalium crasin & constitutionem vitiat, eosdem ad motum & inde dependentes functiones plane ineptos reddere, & ita narcosi & stupore quodam afficere, vel instar Gas liquorum fermentescentium eosdem quasi extinguere valet; qualis vis in *opiatis*, *carbonum fumo* & *fulmine* notissima est. *Privativa Apoplexia* fit vel ob *sanguinis deficientem naturalem circuitum*, ad & per cerebrum, & inde cessantem spirituum generationem, idque vel *vasorum*, vel *sanguinis* culpa: Vel ob *spirituum denegatum motum* in cerebro, & *effluxum*, ob *pororum* & *meatuum cerebri vitium*, vel obstructorum vel compressorum, sive in ejus centro medullari, adeoque ipso corpore calloso fiat, seu in ejusdem progressu circa corpora striata, & caudicis medullaris initium, idque nunc in universo cerebro, nunc in altera saltem ejus medietate. *Ettmuller.*

82. *Differentia Apoplexiæ sunt variæ*) Differentia morbi Attoniti vel Essentialis est, vel *Accidentalis*, *Essentialis* duas exhibet species, *Hemiplegiam* & *Paraplegiam*, *Hemiplegia* est morbus attonitus unius lateris, *Paraplegia* est morbus attonitus partis. *Accidentalis* duos monstrat gradus, *Fortem* & *Debilem*, Illa incurabilis est, Hæc curabilis quidem sed difficulter. *Cornmummius. cap. 34.* Explicatas has differentias vide §. 123. *Alia est apoplexia levis &c.*) & § 134. *Fortissima in qua respiratio.*) Item §. proxime, *Differentia.*)

82. *Differentiæ sunt variæ*) Potissima (*inquit Fr. Sylvius*) ad medicinam faciendam Apoplexiæ differentia petitur à causa producente, quæ vel Interna, est, per se ac sponte agens, vel Externa, priorem movens; Aliquando nulla interna concurrit: ut autem à Medico præcaveri nequit causa externa fortuita, casus puta, ictus &c. Sic ubi interna est in corpore causa, & dispositio ad Apopl. producendam, medici est omnia illa prænoscere, atque in tempore emendare. *Sylvius.*

Differentias has *adducit Willis*, Apoplexia vel *Accidentalis* est, quæ sine procatarxi in quibusvis fere indifferenter, à causa evidenti, fortiori, subito ac semel excitatur; vel *habitualis*, quæ à diathesi prævia dependens, ob varias occasiones crebros insultus habere solet. 2. ratione *subjecti*, hic morbus aut *cerebro*, aut *cerebello* proprius, aut simul utrique communis, 3. respectu *magnitudinis*, aut *universalis* est, unaquaque functione, scilicet *mere naturali* æque ac *spontanea* cessante; Vel *partialis*, hac aut illa seorsim affecta: dein quatenus al[illegible]us facultates, modo omnes, modo plurimæ tantum, nonnullis tamen exceptis, eclipsin patiuntur nam in utroque regione materies morbifica ad [illegible] tullium descendens, modo totam ejus substantiam, modo partem ejus, scilicet *anteriorem* aut *posteriorem* occupat. 4. Respectu causæ antecedentis, *diathesis apoplectica*, vel hæreditaria est, sive innata, vel ob malam victus rationem aliaque accidentia acquisita. *Willis.*

Apoplexiæ autem ab Externa causa immediate productæ, species sunt fere sequentes binæ, a *Capitis contusione*, aut *Narcosi* ortæ, Nam vel 1. *ex casu* in caput, aut *ictu* graviter feriente non raro [illegible]citatur Apopl. à capitis concussione orta: Vel 2. ex *Assumptis* perperam & nimia copia Narcoticis quibuscunque, opio, vino, vini spiritu, aliisve sæpe Apopl. corripi & enecari observamus ægros, ad ipsam minime dispositos. *Sylvius.*

83. *Alia est legitima, alia notha &c.*) *Salius comm. in lib. 2. de Morb. tr. 13.* eandem distinctionem affert Illi Exquisita fit *cum subito crassior materia in ventriculos cerebri irruens totalem facit obstructionem, & patiens statim sensu & motu, una cum principum functionum detentione concidit*, Non Exquisita vero, *cum crassior illa materia in ventriculos cerebri irruens, vel non firmatur in iis, vel non firmata totalem non facit obstructionem* in principio. Sed *in processu, nisi arte malum præcaveatur.*

Atquænam est ista confusio, cum carum, vertiginem coma & similes morbos vocat apoplexiá non exquisitam? Spuriam fortassis autumat, qualis tamen nulla est; nihilque memoratos morbos cum attonito habere commercii nemini non notum. Deinde semiobstructionem conatur invehere; quæ vix animo [illegible]ipitur, multo minus in morbis occurrit; Porro ob[illegible]ctionem ventriculorum cerebri cum *Galeno* supponit, quod intolerabile est: Tandem quotquot numerantur affectus præter naturales hoc modo distingu[illegible], quoniam exacta vel legitima apoplexia ipsi est [illegible]ncipium morbi: jam vero omnes omnino morbi etiam acuti [illegible]bent principium; Adde quod hac ratione null[illegible]tur signa morbum præsagientia. *Cornmummius. capite 34.*

83. *Alia legitima, alia notha*) Ex Apoplexiæ c[illegible] ternatio, superius tradito, tres [illegible]em in [illegible] valde considerabiles exurgunt species [illegible] quæ ab Animalium spirituum *conturbatione* [illegible]tum, II. Quæ ab eorundem *Torpore*, III. de[illegible]iqu[illegible].

Quæ

Quæ ab eorundem *Defectu* eoque vario, unde in alias species subdividi potest hæc ipsa species. *Franc. Sylvius.*

84. *Alia est Notha, quæ aut ab obstructione*) Quæ legitima est si obstructio vasa arteriarum carotidum & venarum jugularium cerebri substantiam diffusa afficiat. Vide infra §. *Aut ab obstructione carotidum &c.*)

85. *Aut ab obstructione carotidum & venarum Iugularium*) Causa Apoplexiæ, ut loquitur *Hippocrates*, est *obstructio venæ*, Per venam intellige hoc loco *Venam* & *Arteriam*; hic enim mos fuit Veterum non distinguere hæc duo vasa; Verum hic loci non existimandum deficientem influxum sanguinis per unum alterumve arteriarum carotidum ramum inferre Apoplexiam, sed potius ex impedito sanguinis per venas refluxu, & hinc ejusdem in cerebri cerebellique confiniis aut stagnatione, aut extravasatione ponus Apoplexiam oriri, Contra istud enim, *sanguinis*, nempe, denegatum affluxum ad Cerebrum disputat *Willisius*, qui majus periculum ex sanguinis abundantia quam defectu apoplecticis imminere asserit.

Hinc Sylvius l.1. cap.21. §. 36. vasa arteriosa obstrui aut comprimi posse, indeque apoplexiam oriri non puta[illegible] Unde nonnisi raro, & saltem externæ causæ violentia talem apoplexiam ex denegato sanguinis per arterias influxu dependentem oriri existimé; quin potius propter impeditum circulum, ex *denegato refluxu*, & hinc cerebri aut *repletione*, aut *compressione*, aut à *sero extravasato* repletione, sicque spirituum impedito motu *Apoplexias* hujusmodi *privativas*, vitio sanguinis circuli contingentes oriri arbitror: *Impeditur* autem sanguinis *refluxus*, vel *viarum*, vel *vasorum*, vel *sanguinis* ipsius culpa.

Viarum vel *vasorum*, quando ex contusione, laceratione, ruptione aut similibus occasionibus sanguinis naturalis circuitus impeditur. In *sanguine* hæret vitium, quando hic crassus, grumosus, aut plus minus coagulatus in vasis cerebri stagnat & hæret; seu in vasculis meningum, seu in cerebri sinubus, seu in venis jugularibus: Nam sicuti idem sanguis subsistens in Pulmonibus *syncopen cardiacam*, vitio sanguinis natam, spe[illegible] qu[illegible] *catarrhum suffocativum* infert; ita in *cerebro*, aut *ejus vasis* [illegible] contingat est *Apoplexia*, adeoque ex his c[illegible] sis [illegible] hi affectus nonn[illegible] loco affecto differunt, Nec ullum est dubium tales ægros apoplecticos, & [illegible] sanguine stagnante suffocatos, eodem malo interire: Vide etiam à *Fracassato*, Epist. ad *Malphigium* de cerebro, in pulmonibus Apoplecticorum vasa sanguifera interdum disrupta aut turgida inventa fuerunt. *Etmuller.*

85. *Notha, quæ aut ab obstructione arteriarum*) Quæ *Diemerbroeckio vera* est & *legitima Apoplexiæ causa*, Apoplexia, *aut*, aliique graves Sopores, secundum præstantissimorum Medicorum judicium fiunt à denegato influxu spirituum animalium è ventriculis cerebri in medullam, propter principii medullæ, vel à repentino pituitæ illapsu obstructionem, vel ejusdem aliqua de causa compressionem.

At si causa motus cerebri penitius consideretur, quod do[illegible] nos moveri à perpetuo & primo mobili nostri [illegible]oris, scil. corde, hocque sanguinem spirituosum in [illegible] [illegible]bstantiam per arterias impellente, totum cereb[illegible] dilatare, idque cessante isto impulsu mox iterum concidere, & sic in se contentos spiritus ulterius ad nervo[illegible] [illegible]s propellere, Si jam aliqua de causa, ut [illegible] compressione &c. angustentur arteriæ per qua[illegible] in cerebrum propellitur, & fluit, sicque liber [illegible]nguinis p[illegible] arterias impulsi accessus ad cerebrum imminuatur aut præcludatur, tunc parum materiæ ad cerebrum suppeditari, atque etiam cerebri motum exiguum admodum fieri, & hinc non solum paucorum spirituum generationem, sed eorundem etiam debilem seu exiguam in nervos fieri debere propulsionem manifestum erit.

Cum autem pauci spiritus, iique debiliter impulsi, non sufficiant ad actiones organorum sensoriorum, quorum etiam actiones per continuum & sufficientem spirituum motum peraguntur, in eorumque quiete deficiunt, necessario sequitur altus sopor seu animalium actionum quies. Qui sopor pro dictarum arteriarum majore minoreve angustia gravior aut levior existit: Si vero istæ arteriæ per quas sanguis versus interiora cerebri fluit, nempe retis mirabilis, ac plexus choroidis.

Imo & ipsæ arteriæ carotides, à crassioris pituitæ in cerebro collectæ repentino versus ipsas decubitu; vel à cranii cerebrique depressione, ab ictu aut casu, repente ac valde comprimantur, & occludantur, mox impeditur motus sanguinis versus cerebrum, & hinc simul etiam spirituum animalium generatio, eorumque motus ac propulsio in & per nervos (hoc de colli carotidibus insigni historia mulieris suspensæ, jam mortuæ putatæ, & tamen postea ad se redeuntis, probat *Wepferus* lib. de Apoplexia) & sic fit Apoplexia, quam Medici hactenus male statuerunt & judicarunt fieri à principii nervorum obstructione, vel angustatione, cum totum hoc negotium à solis arteriis obstructis vel compressis procedat, Quod ipsum clarissime quoque docet *Hippocrat. 2. de morb. c. 4. Acut.* Quibus locis Apoplexiæ causam esse scribit *sanguinis stationem*, præcipue in arteriis colli (id est carotidibus, aliisque inde derivatis, quales sunt illæ quæ rete mirabile & plexum choroideum constituunt, utpote quæ spirituum motus & actio rollitur, quo motu impedito dicit necessario corpus quiescere. Referantur huc exempla à *Fernelio* allegata *lib. 2. de Abd. c. 15.*

Sic etiam si omnium Apoplecticorum à *Schenckio* & *Wepfero* memoratorum historias examinaverimus, & morbi causa diligentius inquiratur, non à principii nervorum in tertio seu medio ventriculo, sed à sola arteriarum ad cerebrum tendentium compressione vel obstructione totum malum procedere comperietur, Etiam tunc cum à colluvie serosa, in ipsa cerebri substantia, vel inter meninges collecta, fit Apoplexia, quam ex ea interdum productam fuisse ab experientia per sectiones se comperisse scribit *Wepferus. De Diemerbroeck Anat. l. 3. c. 10.*

85. *Ab obstructione arteriarum carotidum &c.*) Ego unam proximam causam agnovi semper Obstructionem) Locos affectos duos tradidi, quorum alter sit in ipso cerebro, qua Torcular Herophili est; alter extra cerebrum, in *vasis jugularibus & soporalibus*: De hac posteriori statuo *Syncopen* potius esse *cardiacam*, cum affecti subito moriuntur, non præcedente ullo stertore. Adeo ut unica sit Apoplexia, & locus affectus unus. *Hofmannus l. c.*

85. *Obstructione arteriarum carotidum & Venarum jugularium*) Venas nullum ad cerebrum sanguinem vehere *ἀκίνδυνε* Hippocratica in lucem revocata certò certius evincit: Carotides vero in morbo attonito nequaquam obstrui supra probatum (vide §. *Pars affecta*) Jam addo neque sensum neque rationem huic opinioni patrocinari: *Sensu* certe id non cognoscitur, cum nemo in dissectionibus attonito morbo extinctorum carotidum obstructionem hactenus poterit ostendere, utut maxima quivis inquisivit diligentia: Neque *ratio* id suadet, nam si carotides & vertebrales arteriæ omnes essent obstructæ, quomodo sanguinis aut spirituum quicquam posset ascendere in caput? quod tamen in attonitis fieri manifestum

me cernimus & colligimus: Cernimus enim faciem rubicundam nisi mors sit in propinquo. Rubedo autem illa unde si à sanguine ascendente non est? Colligimus quoque idipsum è nutritione superstite, quæ certe non fierent nisi sanguis in capitis cederet alimentum, per carotidas necessario transiturus: Nam cessante nutritione vita non amplius est superstes, cum alterum sine altero omnino esse non possit: Deinde scire velim, quomodo arteriæ temporales in attonitis queant pulsare, si sanguis per carotides attonitorum non pergit pede inoffenso? *Cornumunius c. 17.*

8°. *Aut narcoticis à vaporibus*) Apoplexiam à spirituum animalium *torpore* & *narcosi* ortam sic describit *Celsus*, l. 3. cap. 26. non tamen explicat, *Attonitos raro videmus, quorum & corpus & mens stupet: fit interdum ictu fulminis, interdum morbo; Ἀποπληξίαν hunc Græci appellant, His sanguis mittendus est, veratro quoque albo vel alvi ductione utendum; tum adhibendæ Frictiones &c.*

Attonitos autem videas, quorum & corpus & mens tantum non stupeat à vino non ita raro, etiam nondum apoplecticos, ad apoplexiam tamen propensos; unde tales à vini ingurgitatione abstinebunt, facile namque à vino continget Apoplexia.

Varia autem sunt quæ *vi narcotica* inducunt Apoplexiam, & in eorundem cura aliqua requiritur variatio.

Præcipuum autem locum occupat Opium & Opiata, Laudanum &c. à cujus usu si orta sit Apoplexia, ob rationes supra propositas mox puto venam secandam, & satis liberaliter mittendum sanguinem.

Deinde usurpandas *Frictiones*, *Ligaturas*, & similia soporem illum frangentia, inter quæ valet *Castoreum*, *Acetum*, *Succini oleum*, & omnia acria exhalatione sua sternutationem excitantia, & olfactum vehementer afficientia; Quibus nisi mox levamen succedat pereundum est ægro.

Post Opium & opiata secundum locum occupat *Vinum*, *ejusve spiritus*, à quibus frequenter Apopl. levis præludia aliqui patiuntur, & tandem gravis damna, in qua etiam plerumque extinguuntur.

Primarium autem in hac quoque Apoplexiæ specie auxilium erit *Venæ sectio*, & quidem cum detractione satis larga, quâ si redeat ad se æger, spes convalescentiæ aliqua superest; sin minus, signum est mortis certæ, atque affectus desperati, partim ob spiritus animales insuperabili torpore correptos, partim ob cordis ignem internum suffocationi & extinctioni suæ proximum; imprimis ubi ex sanguinis missione nulla sequitur pulsus in robore vel magnitudine excitatio: Quod si educto sanguine excitari occipiat æger, cum aliqua sanationis spes affulgeat; exhibenda sunt, si plenus sit ingurgitatione ventriculus, *Vomitorium*, aut Purgans, hinc & Sudorifera acriora ex guajaco, ex sale tartari vitriolato & similibus parata: Conducet etiam *castorei tinctura* cum aceto aliisve acidis elicita; ut & frictiones ac ligaturæ. *Sylvius de le Boë.*

9°. *Narcoticis vaporibus*) Quidam obtrudunt nobis nebulosas suas exhalationes in cerebrum elevatas, & à spiritu vitriolato congelandi, coagulandi, constringendi & coarctandi vim habentes, subito in glaciem & gelu quasi conversas, ceu apud *Quercetanum* in *Tetrade* videre est, Quid mirum igitur si nebulosa talis exhalatio.

Vetat vigorem mentis alto intendere
Nec excitari sinit vim prudentiæ?

Hanc opinionem *M. Donatus Hist. Mir.* observationibus & exemplis eorum qui carbonum & prunarum fumo sunt extincti, aut in vitæ discrimen conjecti confirmat & *Sennertus* de vapore narcotico peculiari & occulto modo infestante explicat.

Cæterum rectissime *Sennertus* Quercetano objicit quod ista dicat quidem sed non probet, ideoque ut futilem istam opinionem ex mero Chymicorum placito piè credamus nulla nos cogit necessitas, quia ad authores φλυαρίας ponus remittendam esse censemus: Et frustra suas *Donatus* huc trahit historias; Si enim fumus, seu exhalatio prunarum homines aliquando subito interfecit, an ideo statim adfuit morbus attonitus? Si *calcis* vapor apud *Valerium Max.* in *Qu. Catulo* mortem conciliavit, an ideo morbo attonito periit *Catulus*? Scio equidem, & *Sennerto*, hujus sententiæ patrono, concedo narcotica hoc posse efficere ut homines adeo obdormiscant ut postea non possint excitari, at vero morbum attonitum quoque inducere non memini, nec ab ullo demonstratum est. Si omnibus constat, uti scribit homines musti & cerevisiæ recentis, dum fermentatur, vapore quasi attonitos concidere & quandoque mortuos fuisse, res-que adeo obvia est, quare in rei causam non inquisivit accuratius? *Forestus* sane *9. observ.* a. melius judicabat dum scriberet, *Quidam a carbonibus male olentibus non tantum capitis dolore correpti sunt, sed syncopen aut mortem nonnulli incurrerunt.*

Hic contentus sum decisiva acutissimi *Hofmanni* 3. *Inst.* 92. § 10. quia fulta est ratione & experientia *Quod ad carbonum fumum*, dicit, *adeoque barathrorum omnium exhalatione; demiror utique istos de capite solo co[gi]tare cum de thorace quoque cogitare deberent? & tanto quidem magis quo major copia eorum huc it: Omnes qui angusto sunt pectore, inter quos primus sum ego, quamprimum carbones inferuntur conclavi, sentiunt cor quasi manu sibi stringi, & si diutiuscule duret, concidunt, Hoc quid ad Apoplexiam?*

Et vero, nisi potentissime fallor, quotquot soporatos; & in terram ex hujusmodi exhalationibus prolapsos viderunt, similitudine omnes sunt decepti, & ad lapsum tantum respicientes in subita extinctione, neque ad *stertorem*, de quo nihil in *Marcelli* observationibus, neque ad alia certissima attoniti [m]orbi signa satis attendere potuerunt.

Modum quo spiritus vitalis à fumis istis nebulosis alienatur, h. e. omnibus & qualitatibus & facultatibus pervertitur *Van der Linden* 2. *Melet. Hipp.* 4. apertius & felicius ostendit, *Fumus à carbonibus in cubiculo clauso accensis exiens multis spiritum modis adoritur, Nam & fuligine ejus lucem obfuscat, subtilitatem incrassat, motum suffla[m]inat, & simul vires pessumdat, notitiam oblitterat, appetitum enervat, Unde ex facili fumus iste, cum paulo diutius perseverat, spiritum suffocat & enecat.* Cornumunius cap. 15.

Narcoticis) Causarum evidentium à quibus *sideratio extemporanea* inferri solet, genus alterum consistit in *spirituum subita profligatione*, seu *extinctione*, quod quidem non raro efficiunt *Narcotica* fortiora, & *aquarum ardentium potus* immodicus, Quoad *Opiatarum* afficiendi rationem, statuit Excell. D. *Wepferus* Narcotica tantum cerebri poros & meatus nimis aperire & dilatare, ejusque velut fores prius strictius occlusas patefacere, quo extraneum quodvis & incongruum una cum liquore subtili è sanguine suffuso, in spiritu[um c]on[t]ubernia admittatur, adeoque incursu violento istorum series ac ordines dispescat.

Verum enim vero Narcotica ita ne[c s]emper nec tantummodo operari constat, nempe in quantum ea, dum adhuc in ventriculo morantur, non raro so[po]nos & quandoque mortem ipsam accersunt: Præterea inde sequeretur, Opiata sæpius exhibita noxam u[s]que majorem inferre, quippe quod cerebri poros u[s]que magis magisque dilatando impuritatibus quibusvis [a]ditum faciliorem præbeant; at vero satis [...] cotica prima vice exhibita magis periculo[sa ...], & d[...] crebrius assumpta minus nocere; adeo ut no[nnulli] Opio assueti ejus quantitatem magnam absque nocumento devorent, quod certe indicio est hoc non tam cerebri conformationem alterare, quam in spiritus animales

males immediate agere, quos primo (si quidem iis valde improportionatum est) mero afflatu perimit, deinde postquam familiaritas quædam cum hoc pharmaco intercedit, eosdem minus afficit. *Willis.*

87. *Spiritibus sopientibus*) Singularem de causa Apoplexiæ sententiam invenit *Joh. Ludov. Hannemannus Dissertatione de usu & abusu Inebriantium, in Præloquio*, Apoplexiam morbis spirituum œconomiam turbantibus invertentibusque annumerans: Antequam, *addit*, mentem meam declarem, necesse est paucis præmoneam in nostra corporis œconomia unicum dari spiritum, mihi mihi *nerveum* dictum, Animalem, vitalem, naturalem natura me ignorare jubet, nullam sedem in humani corporis fabrica illis concedens. In hujus spiritus dyscrasia, vel & metamorphosi, Apoplexiam quamlibet invenire licet, Quamvis nunc varia sint dyscrasiæ genera, ut & metamorphoseos, una tamen species in genesi morbi attoniti quam maxime attendenda est, videlicet quando hic spiritus vappescit, vel in vappam transit. Illa autem in vappam metamorphosis vel toti spiritui, omniq; ejus substantiæ, vel quibusdam ejus particulis evenit: Universalis illa spiritus nervei vappescẽtia morbũ Attonitum gignit hoc ritu: Spirituositas vigorq; omnis istius spiritus evanescit, & quod residuum, est phlegma vel corpus sine anima: Non secus ac spiritus vini accensus deflagrat, post deflagrationem peractam latex insipidus vigore destitutus restat, quem amplius incendere non vales, perdidit quippe ista deflagratione suum sulphur, niveum suum vivificum balsamum; Quod vero in hac spiritus nervei vappescentia, quid obstat quod non licet dicere? deflagratione istius tragœdiæ primariam personam statuam; sequentes rationes perpaucæ, quas ex copia, quæ mihi suppetunt, adduco, persuadent.

Certum est in confesso est quod homines siderati illico solito ponderosiores gravidioresque appareant; Quid vero causæ est quod homines vita privati viventibus ponderosiores sint, nisi quod spiritus extinctus, qui hominem alleviat & vigorat? Et *hinc non* infidum prognosticum est, quod de ponderositate ægri solito majori desumitur, scil. ipsum ad mortem transiturum, quoniam in ipso hic spiritus sensim & pedetentim vappescit, donec totus in vappam transierit.

Hunc morbum accersere iram in propatulo est: Iram quoque non aliter concipies quam quod sit instar flammæ quæ abliguriat balsamicas in spiritu nerveo particulas, quibus absumptis phlegma superest, Hujus morbi prodromi, ut sunt torpor, segnities, vertigo &c. igneæ coruscationes, similiaque microcosmi meteora nostro asserto fortissimum fulcrum substernunt, &c; *Garmannus Tract. de Inebriam. in Præfatione.*

Hujusmodi Apoplexiæ species admitti potest de Habituali, Scilicet quæ post certas prægressas in corpore occasiones & dispositiones interdum supervenit; Non item de *accidentali*, sive illa quæ subito, interdum fortuito, sine præcedente certa in corpore alteratione ægros prehendit.

88. *Ubi locum habet*) Sexagenarius ebrius, delapsus, occipite contuso, osse tamen calvariæ integro, vera & forti apoplexia correptus fuit, Medicis omnibus illum soli prognostico relinquentibus, rogavi liceret mihi remedium nullo modo anceps experiri? Illis annuentibus, ægro valde concusso & agitato clysterem protinus acerrimum injicio, quo duabus horis cessante, & glande acri evocato, cum insigni evacuatione, toti capiti raso Cataplasma ex *fimo columbino, euphorbio, pyrethro & sinapi* applic; hinc cum multæ magnæque vesicæ sese surrigerent, omnibus forfice sectis, aquæ flavissimæ plurimum effluxit, suppositis rubr. caulium foliis contusis, multa jam noctem domum redeo, Postridie *spec. hiera colocynth.* ʒij. *Castor.* ʒß. *rutæ* ʒj. cum *aquæ apopl.* propinavi, quæ Potio cum ex voto successisset, cucurbitulas humeris cum scarificatione applicui; unde minuto stertore, salivaque circa os omnino siccata, in spem erectus, vesicis capitis nõ amplius fluentibus, novas in nucha & vicinia excito; Usurpatis deinde remediis usitatis, & continuatis, ab hoc malo tandem, & succedente linguæ paralysi, liber evasit. *H. ab Heers Obs.* 21. *l.* 1.

89. *Vesicatoria*) Posteriori parti cervicis & scapulis admovenda. *Riverius.* Imo cæteris iritis magnum vertici & sincipiti imponit; admisto ad majorem efficaciam euphorbio, quod tamen improbat *Sylvius de la Boë.*

Hæc tenuissimas quasdam in cute relinquunt particulas, quas dum spiritus profligat, simul serum eliminat, atque sic vesicam attollit, Unde multiplicem experiuntur utilitatem quotquot bubonibus pestilentibus, febribus malignis, arthritidi, catarrhis, & omnibus omnino morbis qui materiam suam sero debent, vel saltem sero eam habent admixtam, medicas admovent manus: Sic & in morbo attonito, cum sanguis in cerebri arteriolis *mora* committens valde serosus est, ea multum posse spiritum lacessendo, ut morbi materiam loco moveat, & si potest, expellat nullus dubito. *Cortnummius* c. 68.

90. *Materia fovemis*) *Mediatas causas* & eas quidem proximiores statuimus id omne quod vel *obstruendo*, vel *cõprimẽdo* dictas vias (vide §. *Angustiã & occlusionem meatuum*) reddere angustiores, adeoque *πνευμάτων* influxum in organa sensui & motui dicata prohibere aptum natum est; *Coa* pariter ac *Pergamena Schola* in *Humores & Vapores* præcipuam transfert culpam, Et illa quidem *Sanguinis stationem*, præeunte Magistro, in primis accusat, *Hæc* vero *pituitæ* crassæ, viscidæ, &c. plurimum tribuere videtur: Quæ si juxta *Massæ sanguineæ* naturam recte explicentur, singula locum invenient; siquidem tum *intra*, tum *extra vasa* potissimum, varie cerebrum posse afficere certum est; Præterea quoque *excrementitios succos* hoc mali genus frequenter producere experientia & Medicorum observationes testantur. Patet hinc *Cacochymiam*, non minus ac Plethoram utrobique magnum habere pondus, sub quo *Vapores* quoque, vi narcotica præditi, merito comprehenduntur. *Straussius.*

91. *Per castoreum cum aceto &c.*) Quæ specifica proprietate somnum excutere credutur: Efficax etiam remedium est, si acetum acerrimum supra laminam caudentem effundatur, & vapor naribus excipiatur; Adhuc efficacius erit si aceto addatur semen nigellæ, rutæ & castoreum; Ipsum etiam acetum modice calefactum, & naribus adhibitum excitat potenter si sit acerrimum, & adhuc potentius si piper & castoreum admisceantur; Excitat etiam à somno fumus sulphuris: Pili capræ usti, & cornu cervi, & capræ ustum potentissima sunt ad excitandum dormientem. *Succini albi* fumus ad apoplecticos excitandos præstantissimus est, Tum illius Oleo tempora & nares sæpe illinantur. *Riverius.*

92. *Alia ab obstructione baseos cerebri*) Unde spirituum ab effluxu inhibitio, quam duobus modis induci statuit laudatus *Wepferus*, nempe vel ob *principii omnium nervorum obstructionem* colluvie serosa factam, Vel ob *ejusdem subitam Compressionem*, quam aut nimia sanguinis in meningibus, vel in ipsis cerebri partibus quibusdam, vel in ventriculis ejus congestio, aut etiam diathesis phlegmonodes peperit.

Platerus & Sennertus etiam *principium nervorum* suggerunt, sed magno lapsu, ait *Cortnummius* cap. Nam principio nervorum tantum affecto sensus & motus

solummodo peribunt, peribunt in corpore, facultatibus principibus in cerebro salvis remanentibus, quod in paralysi maxima, cum omnes infra caput partes resolvuntur manifestum est, vel *Sennerto* Doctore, Nam principium nervorum in fine cerebri est, principes autem facultates in cerebri corpore perficiuntur; hoc salvo quidni ejus facultates simul sunt salvæ? Quid objiciat *Sennertus* & quid rependat *Cornmummius vide cap. cit. §. 11. 12. &c.*

93. *Aut à materia pituitosa & crassa*) Nonnulli existimant *Hippocratem* per φλέγμα ejusmodi materiam intellexisse *l. 2. de Morbis*, cum ait *Si attonitus fiat, dolet caput anterius, & oculis inconstanter videt, & soporatur, & venæ pulsant, & febris habet levis, & corporis impotentia: Hic talia patitur quando venæ in capite calefactæ fuerint, calefactæ vero asservaverint phlegma in seipsis.*

At *phlegma* heic sanguinem denotat crudiorem, vel, si mavis, *pituitosum*, nequaquam vero pituitam, uti existimant qui nondum ex animo deleverunt *Galeni* de pituita cerebri ventriculos obstruente commentum; *Hippocrates* enim cum dicat Cerebrum in hoc morbo simul esse inflammatum, *Ideo oculis non videt, procumbente illuc cerebro & inflammato*; Inflammatio autem non nisi à sanguine accidat, *Galeno* doctore 2. *loc. affig.* per *sanguinem* cave quicquam accipias nisi illam humorum miscellam quæ intra venarum arteriarumque tubulos continue circumducitur & in venæ sectione effunditur.

Deinde *textu sequente* φλέγμα etiam anginæ causam constituit, *Angina autem fit cum in capite* φλέγμα *commotum fluxerit consertim deorsum, & constiterit in maxillis & circa dorsum*: Istum autem morbum à solo sanguine qualicunque posse excitari constans est medicorum consensus, edoctorum ab *Hippocrate l. de loc. i. 42. Angina à sanguine oritur, cum sanguis in venis quæ in collo sunt concrescit.*

Interim sanguinem à sanguine *Hippocratem* distrinxisse constat ex *l. 2. de morb. ix. 4. In venularum supervomitu*, ubi inquit, *cum quis aut manum hoc patientem inciderit, aut caput, aut aliud quid corporis, sanguis niger fluit, turbidus & morbosus, quanquam nec sanguinem nominare fas sit, nisi qui rubicundus & sincerus fluit.*

Videmus heic studiose sanguinem à sanguine *distinxisse*, optimam laudatissimamque ejus partem κατ' ἐξοχὴν sanguinem vocando, Crudiorem vero phlegma, Calidiorem bilem, Ustiorem atram bilem, quod maxime notandum. *Cornmummius cap.* 18.

220. *Aut à materia pituitosa & crassa &c.*) Quia tam cloaca ventriculorum, quam sentina crassiorum frigidorum, lentorum, & pituitosorum humorum eos obstruentium est ablegatissima, Investigandum porro an talis colluvies in alio cerebri loco tantum malum possit excitare: Quod si hoc contingeret, vel intra vel extra vasa materiam illam existere existimandum esset, id vero nunquam est admittendum.

Nam utut cerebrum non tantum lubens serosum humorem, partibus toto genere diversis constantem, ceu ὄχημα τῆς τροφῆς, sed etiam invitum omnis generis vapores, quos illi corpus transmittit, haud secus ac alembicus cucurbitæ impositus suscipiat, tamen solertissima natura heic invenit remedium, & tam occultos quam manifestos exitus paravit, fuliginesque per suturas cranii & poros cutis capillatæ, cerumina per tympani arteriolam in aurem, lacrymas per oculos expurgat, blennam per duplicem viam, os nimirum & nares sequestrat.

Jam vero cum tot pateant viæ excrementis his ablegandis, an putas quicquam mali vasis hinc metuendum esse? Sane si ab ullo periculum hinc imminere potest, erit illud præ cæteris omnibus à blenna, quæ tamen valde patentes ventriculos invenit, ubi colligi, & per infundibulum in palatum possit descendere: pars vero ejus à cortice cerebri veniens itidem insignem nacta cavitatem, inter dextram scilicet & sinistram cerebri partem per os cribri-forme in nares bulis satis magnis transit.

Dices, quando hæ viæ obstruuntur, vel blenna crassescit, ut non satis possit expurgari, oportet cerebri vasa inde comprimi, sicque obstructionem causari oportet? μέγα λοιπὸν ἄτοπον; hoc si fieret omnium maxime illi qui coryza satis diu interdum laborant tanta narium & palati obstructione ut intra multos dies nulla blennæ portio isthuc descendat, morbo attonito corriperentur, hoc vero non observari dicent historiæ innumeræ.

Probabiliorem præ se ferrent speciem si assererent materiem illam contineri in ipsis vasis, hoc vero credo omnino fieri non posse ut tā insignis materiæ excessus non excitet grave aliquod malum antequam ad gradum istum qui obstructionem facit perveniat; atque ita morbum attonitum semper aliquis alius præcedet; Quis autem illud unquam observavit? annon repente concidunt attoniti, nulla de re antea conquesti: Nec hilum facit objectio, quod sic nulla dab[illegible] signa morbum attonitum præsagientia, quæ ta[illegible]m ab ipso *Hippocr.* quam à posterioribus practici sunt adnotata; Temporis enim illud spatium brevissi[illegible]um est, ita ut in una hora hæc possint contingere.

Instet tamen iterum aliquis, Annon pituita fuit quam in venis cerebri invenit, indeque instar longioris fili extraxit Chirurgus apud *Tulpium Obs*[illegible]. in historia *Baxii*? Annon ergo illa obstruendo produxit morbum attonitum, ipso *Tulpio* censore? Cui ego, Non equidem ignoro lenta ista corpuscula à *Tulpio* concretam pituitam vocari, à Clar. vero *Wepfero*, corpora alba, pituitosa, fracida in *Tract. de Apopl.* pass[illegible] dici, vere tamen pituitam esse, aut morbum attonitum effecisse nemo mihi persuaserit.

Non *hoc*, quia isti in quorum v[illegible] dicta corpora sunt inventa, potius syncope cardiaca aut sim[illegible]bus morbis sunt extincti, historiis singulis id confirmantibus, in quibus certe plura cordis quam [illegible]bri affecti symptomata offendent accuratiores rerum æstimatores. Wepferus ipse corpora ista fibrosa & [illegible] in carotidibus internis & vertebralibus arteriis prope cerebrum in *Jac. Cnollio* invenit apoplexia nulla sequuta, Nam *pag. 127.* dicit *Adolescens hic nihil unquam apoplecti[illegible] passus est.*

Non *illud*, quia falso *ductilis illa materia vocatur Pituita*, Quid ergo est? Est ipse *sanguis alienatus*, Quomodo? lentus, glutinosus & ductilis factus, Explico ex *Hippocrate*, qui *lib. de Alim.* in sanguine conti[illegible]erat [illegible] *humidum & solidum*: Neutrum horum Interpretibus ex pleno innotuit, *Zwingerus* de tenui & crasso sanguine accipit: *Cardanus*, cum sanguinem fibrosum, densum & feculentum eliminasset, tandem de eo qui extra venas concrevit interpretatus est &c. Veram autem *Hippocr.* mentem, En

Sermo ei est hoc loco de sanguine prout naturalis est in corporis viventis vasis continetur & in omnium partium cedit alimentum. Is cum heterogenearum s[illegible] partium heic duas tantum, primarias nimirum, considerat, & invicem opponit, & diverso respectu alteram altera pronuntiat nobiliorem.

Est ergo *sanguinis humidum* pars [illegible] subtilis, limpida, pinguis & facillime inflammab[illegible] ac dissolubil[illegible]. *Solidum* vero pars terrea, fibrosa, lenta tenax, ductilis, minimeque apta accendi & inflammar[illegible]. *Illo* [illegible] *ignis* [illegible] nutriuntur, docente *Hippocrate* 1. *de Diæta* 2. 132. *Hæc*, (*humida & mollia*) sunt ipsi (igni) *alimentum*, quoniam *inest & in ipsis siccum, quod non consumitur ab igne*, Hoc vero solida membrorum instaurantur, cum ad

inflam-

inflammationem non sit idoneum, teste eodem l. c. *Solida igitur, quorum natura in consistenti & sicco est, non cedit igni in alimentum, sed præfirma sunt & consistunt*, Hoc solidum toto *lib. de princ.* Vocatur *γεώδης*, atque ex eo omnia membra eorumque partes constitui ibidem docet, Nos *fibrosum* appellare consuevimus.

Ex his liquido deprehendimus quam male *Cardanus* fibrosum sanguinem neglexerit, & ejus loco extravasatum & concretum amplexus sit &c. Jam vero ostendendum quomodo *solidum*, seu *fibrosum sanguinis fiat ductile*, Nam humidum in sanguine ad illud ineptum esse neminem ignorare existimo.

Ductile proprie est quod in contrarias partes distractum non divellitur aut disrumpitur, sed sequax est, Nam quod divelli nequit, sed continuum in longum ducitur, merito ductile appellari potest, ait *Galenus comm. c. in lib. Hipp.* de *Art. n. 44.* tractum autem sequi non potest nisi quod lentum est ac tenax: Esse vero sanguinis lentorem, tenacitatem aut glutinositatem à fibris quisquis fatetur: Hinc facile patescit quomodo lenta illa corpuscula in hominibus generentur, cum nimirum solidum sanguinis ab igne sicco urgetur, ut ex fluido fiat crassius; & sic lentum, eo ipso vero tandem existit immobile, & lentor ductilitasque plurimum augentur, ut mirum non sit tam longa frusta potuisse è corporibus defunctorum extrahi. *Cortmummius c. 18.*

93. *Materia pituitosa & crassa*) An pituita extrinsecus circa spinalem medullam colligi, eandem comprimere, & ita Apoplexiam cognatosque affectus inferre valeat? prout asserit *Sylvius l. 2. cap. 21 § 48. & sequ.* fere dubito, ob lentum *pituitæ* motum, nisi vehiculo seri aut lymphæ, à motu naturali quacunque causa aberrantis, ad ista loca delata & collecta fuerit, Sane præter sanguinis collectiones intra cerebrum, plures *seri* & *lympha* in & circa cerebrum collectiones in apoplexia mortuis observatæ fuerunt; Sic *M. Donatus* refert l. 2. *H. M. M. cap 6.* quod in forti apoplexia perempto, secto cranio, tota cerebri substantia *aquoso humore* perfusa fuerit & oppleta, quin & in ventriculis cerebri redundabat; dissectis carotidibus ingens sanguinis crassi melancholici emanavit copia; *Columbus* An. cap. 15. Apoplecticorum capita dissecta exhibuisse cerebrum magna aquæ glutinosæ copia distentum: *Horstius refert obs. Anat. 3.* in Principe Apoplexia mortuo observatum cerebrum grande, *sero & pituita* plusquam refertum; maxime in ventriculis; arteria autem venosa ac aorta nigro humore perfusa sive repleta, qualem Princeps antea in lingua & faucibus per aliquod tempus habuerat, Adeo ut *Privativa* Apoplexia, nunc *sanguinea*, nunc *serosa* dicenda sit. *Ettmuller.* Vide inferius §. *Humoribus frigidis & humidis.*

94. *Vel calore liquata, vel frigore*) Sicut quandoque à causis externis solis excitatur primario Apoplexia, sic non raro ab internis producitur; atque illis aut seorsim ac per se agentibus, aut concurrentibus simul causis externis, dispositionem in corpore præexistentem commoventibus & excitantibus, *Aëre* pura frigido, & ventis præsertim perturbato; *Alimentis* noxiis, humores vitiosos in corpore solventibus & agitantibus; corporis *motu* vehementiore, humores malos commovente, *Animi affectu* graviore, Ira humores turbante, Metu aut Mœrore summo, ira præsertim superveniente, & contrarium humoribus motum conciliante & similibus; ne etiam Ictu vel Casu, etiam levioribus, nec nisi ob præexistentem materiam noxio futuro. *Sylvius.*

95. *Cognoscitur ex indiciis*) Cognoscitur ab hac causa prod[illegible]sse, ex præcedenti corporis constitutione, in ætate potissimum [illegible]li, quæ huic malo est obnoxia; Et ex temp[illegible]ti cœlique constitutione frigida, quodque prius de capi[illegible] gravedine ac pondere, pigritia, oculorum obtenebratione, nec non pituitæ per nares ac fauces consuetæ excretionis suppressione fuerant conquesti, & quod mortuis apoplexia magna sæpe pituitæ copia per dictas vias emanet. *Platerus.*

96. *Cognoscitur ex signis intemperies frigida*) Pituitosos hunc in modum depingit *Hofmannus 4. Inst. Med. 5.*

Facies modo exalbida est, modo livida seu plumbea, totum corpus subtumidum, molle ad tactum, pilis vel nullis vel tenuibus & planis, venæ vix sunt conspicuæ, timidi sunt & ignavi, ingenio hebeti, judicio nullo.

Pituita *ait*, *Heurnius 4. Inst. 2.* Segnes facit, obesos, somnolentos, colore non roseo, stupidos. *Sennertus 3. Inst. 1. c. 2.* addit pulsum parvum, tardum, rarum & mollem, urinam albam, pallidam, nunc tenuem, nunc crassam & turbidam.

97. *Materia peccantis evacuatione*) Quo tempore Purgatio instituenda, in principio, vigore aut declinatione? *Proprie* tantum ea Evacuatio intelligenda est quæ fit per Vomitum aut per Sedem? *propriissime* ea quæ fit per Sedem intelligitur. Hoc in loco propriam amplectimur evacuationem, qua designatur Evacuatio per vomitum aut per secessum, medicamentis elective purgantibus, ut appellant accurata: Medicamenta ista duplici adhibentur modo, vel enim infunduntur per alvum, vel per os exhibentur; Hæc triplici sunt indifferentia, Alia enim noxios humores per os expellunt tantum; Alia denique per os & sedem simul: Utrumque præsidii genus quam enixe in morbo ipso rejeci, tam studiose post morbum jam requiro fretus *Hippocratis* sententia *2. de morb.* *Ni enim purgaveris, metus est ne rursus morbus revertatur.* Nam lib. de int. aff. c. 1. *Qui curatus & sanus factus est, nisi sui curam habeat, plerisque revertens morbus causa interitus factus est.*

Et Ballonius [illegible] *Epid. p. 205.* *Non oportet nos esse securos de morbis præsertim si pars aliqua primaria laborat, donec nostros ægros convaluisse viderimus, nam timenda sunt morborum successiones.* Id si plurimis in morbis, in morbo attonito hoc merito metuendum esse *Hippocrat lib. 2. de morbis* adstruit, *Si vero* (attonitus) *mentis compos fiat, & morbum effugiat, intermissis paucis diebus dejectorium bibendum dato, nisi enim purgaveris, metus est ne morbus revertatur.* Exempla passim obvia sunt &c. *Cortmummius c. 70.*

Accidit aliquando ut per *salivationem* solvatur Apoplexia, quod tamen rarum. *Fr. Sylvius.*

98. *Materia peccantis evacuatione*) A Pituitoso humore ad spinalis medullæ radicem confluente, ibidemque angustiam magnam concitante si fiat, confestim & quæ jam confluxit, & quæ adhuc confluere potest omnivi removenda, Atque hic longe securius & cordatius adhibere licet medicamenta per nares & palatū humorem peccantem potenter allicientia & educentia, qualia sunt errhina, sternutatoria, apophlegmatismi, Optima parantur ex *ruta, majorana, flor. lilior. convallium*, nigella, *cyclamine, cucumere agr. gentiana, nicotiana, pipere albo, zinzib. ellebero albo, pyrethro, castoreo, garyophr ptarmica, euphorbio, cubebis, sinapi* &c. Ex his possunt 1. *Pulveres* parari, & naribus insufflari. 2. *succi* exprimi, aut cum vino, vini spiritu, elici eorum vis, atque sic naribus infundi, aut per syringam injici. 3. cum ficubus aliisve subigi, & *Electuarii* forma ori illini; Quia autem in reliquo corpore similis humor non raro redundat, purgantibus acrioribus, & quidem maxima dozi exhibitis, licet eorum evacuationem tentare; atque idem iterare: Conducunt colocynthis, *euphorbium, scammon. & similia. Sylvius.*

Per venæ sectionem) Quæ à Practicis mox fere, ac sẽper in Apoplecticis omnibus institui solet; utiq; hæc ad humorem à cerebro removendum institui nequit; quæritur proinde An in hac Apoplexiæ specie, à pituita

ortæ, institui commode queat? cur instituatur plerumque? Et si queat, cur instituatur, aut saltem institui debeat? Aliud profecto est *theoretice* decidere difficultatem, h. e. secundum theoriam medicam, qualis ex institutionibus vulgo petitur; aliud *practice*, secundum ea quæ in praxi quotidie occurrunt observanda in ægris: arbitror vero practice decidi debere hanc quæstionem.

Neque enim in apoplecticis ad solam apopl. i. e. abolitum sensum & motum, est attendendum, & ad summum vitæ periculum. Sed ex abolito sensu & motu non imminet proxime mors, verum à *suffocato igni cordis interno*, & quidem ob sanguinem, ex deficiente cordis arteriarumque, cæterarum respirationi & sanguinis motui inservientium partium motu, in cordis ventriculis restagnantem, & ignem internum opprimentem atque exstinguentem: Etsi autem ob deficientem in toto animalem motum deficiat tandem in corde & vasis quoque, & respirationis organis eorum motus, partim naturalis, partim animalis, atque ideo restagnet in corde & vasis sanguis, quoniam tamen hoc vitium tam cito tolli nequit, ut simul præcaveatur ignis interni suffocatio, arbitror omnino ex arte, licet plerisque forsan veram ejus causam & rationem ignorantibus: atque in hac re empiricis duntaxat institui venæ sectionem, ex qua sponte effluente sanguine; via aliqua & locus paratur in quem recipi queat sanguis in cordis ventriculis eorumq; vicinia collectus & internum ignem, vitæ vinculum extinguens, sanguine autem sic imminuto, quodam modo recreatur & resuscitatur quasi languescens ignis, qui tum diutius præstolari potest integram sui liberationem, à libero animalium spirituum ad motus organa motu pendentem: Quare judico prudenter & ex arte posse institui v. s. & pro ægrotum constitutione, sanguinisque copia in vasis existente satis largam vacuationem, sic enim diutius durabit æger & facilius superabitur ipsa Apoplexia: Insignis est *Celsi* de v. s. in hac Apopl. specie locus, ad hanc rem faciens, l. 3. c. 27. *Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat: Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus & mens nihil spei superest; si redit, sanitas quoque prospicitur.* Sylvius.

[98]. *Per venæ sectionem*) Venæ sectionis medio promoveri equidem sanguinis circularis motus, in quavis apoplexia plus minus impeditus potest, interim *Celsi* de ea est pronuntiatum, quod *sanguinis detractio aut occidit aut liberat apoplecticum.* Unde etiam eandem rejicit *Barbette* in *Praxi*, quia eam sæpe lethalem reddat; Et meretur observari effatum *H. ab Heer obs.* 8. Nostrates qui ingluvie comessationibusque fere Apoplexiam incurrunt, phlebotomia vix unquam curantur, adeo ut centesimus ægrè educto sanguine evadat, Et To tali casu revera vomitus præ v. s. longe magis necessarius videtur, cum tamen semper, & in omni Apoplexia, tam Positiva quam Privativa, vitium in sanguinis circulo, aut per cerebrum, aut per pulmones plus minus impeditio adesse soleat, pro hoc promovendo instituenda venit v. s. Hinc enim depletis nonnihil vasis, & ita facilitata sanguini via, *Vomitoria*, quando necessaria videntur, usurpanda; quæ tunc minori periculo omnino in usum vocari poterunt; adeoque utplurimum *v. s. & vomitus* locum habent in paroxysmo apoplectico, modo vires respondeant, quæ exinde mensurandæ, qualis æger ante paroxysmum fuerit. *Ettmuller.*

Primarium auxilium erit v. s. & quidem cum sanguinis detractione satis larga: quia si redeat ad se æger, spes aliqua convalescentiæ superest, sin minus, signum est mortis certæ, atque affectus desperati, partim ob spiritus animales insuperabili torpore correptos, partim ob cordis ignem internum suffocationi & extinctioni suæ proximum; imprimis ubi ex s. m. nulla sequitur pulsus in robore vel magnitudine excitatio: Quod si post extractum è vena sanguinem excitari occipiat æger, & quasi ex veterno excitari videatur, tunc aliqua sanationis spes affulget. *Sylvius Pr. lib.* 1. *cap.* 22.

[99]. *Vel illius succedanea*) Ubi venæ sectionem ob ætatem decrepitam vix audet instituere Medicus, suadent periti, nec male, ut tum scarificationes instituantur, aut saltem applicentur cucurbitulæ scarificatæ, utpote venæ sectionis vicariæ. *Sylvius.*

[100]. *Per Purgationem validiorem*) Purgatio instituatur paucis horis post v. s. neglecta temporum electione: neque enim in purgando cunctabundus nimis aut timidus esse debet Medicus, cum morbus valde urgeat & brevi sua percurrat tempora. Fit illa Purgatio forti medicamento, quia humor contumax est & obtusa facultas, nec nisi vehementioribus irritatur.

Illud autem medicamentum vulgo fieri sol[e]t ex ℥j. *Elect. Diacarth. dissoluta cum aqua betonica, addendo castorei* ℈ß. Vel.

℞. *Massæ Pilul. coch. min.* ʒj. *castor. gr.* iij. *dissolvantur in aqua beton. lavend. beton.* Vel.

℞. *M. Pilul. cochiar. maj. & de agar.* āā. ʒß. *trochisc. albandal. diagr. & castor.* āā. gr. iij. *f. massa cum melle anth. qua dissolvatur in aqua salvia.* Potio.

℞. *Fol. Sennæ* ℥ß. *agar. albi* ʒiß. *turbith. el.* ʒj. *zz. & galanga* āā. ʒß. *coqu. in aqu. salvia & rorismar. Colat.* ℥iiß. *adde elect. diacarth* ʒij. *castor.* ℈ß. *oxymel. simpl.* ʒß. *f. Potio.*

Accidit vero sæpe facultates ita esse oppressas ut medicamenta in actum minime deducantur, atque adeo etiam nihil operentur, quod mali ominis est, & ita affecti ut plurimum pereunt; Attamen quia, ut inquit *Celsus*, quando hujusmodi tempestates ingruunt, remedia etiam cum aliqua temeritate rapienda sunt, & omnino periculum in hoc morbo aliquid permittit, Nam, ut *Serenus* habet, *medici hac potiora putant quam dulci morte perire* Et, ut idem *Celsus*, *multa in præcipiti periculo recte fiunt quæ alias essent omittenda.*

Ideo propositis remediis non proficientibus, ad ea quæ ex *Antimonio* parantur licet transcendere, præsertim ea quæ minus vehementia sunt, qualis est *Aqua benedicta*, ex croco metallorum composita, quæ per superiora & inferiora potenter expurgans, tantam pituitæ copiam non solum è ventriculo partibusque inferioribus, sed etiam è cerebro educit, ut hac evacuatione ægri liberentur: Et bona fide possum testari Virum Nobilem ter intra biennium ab Apoplexi[a] hoc solo remedio liberatum: *Tinctura Nicotianæ in aqua vitæ* extracta, & ad ʒij. cum melle excepta, & in os infusa potenter educit. *Riverius.*

Si quis Vomitum timeat, *Aquam benedictam*, vel *oxysacch. Ang. Sala* remisceat *Infuso Sennæ* [s]ic evadent cathartica, nec minori effectu; sed addi[tis] [i]lli infuso *cremore aut crystallo Tartari*, à quibus *[vomitoriæ]* fient humores, teste experientia.

An vomitoria conveniant inferius §. 107. *Vomitoria hic locum non habent.*)

[101]. *Errhina*) Narium tunicæ summe sensibilis, vellicatio, pituitam egregie elicit, ve[l] [sin]e impetu, ex naribus stillantem, & per oculorum lac[rym]as emanantem; vel impetu quodam per sternutationem. Narium irritatio per *fibram hellebori*, vel *setam porcinam*, actu potentes, operatur, pituitamque elicit, Cæparum odor

odor mire lacrymas provocat, quo nomine si detracto tenuiore cortice naribus adhibeantur plurimum juvat; *Sinapi* item & *raphani* odor idem faciunt, & *flammula folia* contrita, tactaque potentissime efficiunt. *Platerus*.

101. *Per errhina &c.*) Quidam in Apoplexiam cadit, omnibus modis agitatur, Pulvis hieræ injicitur in nares, An ita agendum? Observarunt apoplecticum injecto simili pulvere epilepticum evasisse: Quæ calidiora in os & nares ad sternutamentum excitandum injiciuntur, quia cruda omnino materia est, amovenda sunt: Cui coryza derepente incidit potius nares omnino adimas quam elicias quidpiam: *Ballonius Epid. pag. 7.*

102. *Per Errhina & sternutatoria*) Universali evacuatione peracta capur vacuandum est tum sensibiliter, tum insensibiliter. Sensibiliter per nares & palatum (*vide curationem intemp. frigida cerebri*) errhinis, ptarmicis, palati inunctionibus, quibus addantur ruta, castoreum, acetum: De sternutatoriis hoc advertendum, si affectus perseveret, & æger difficulter excitetur, eorum usum commodissimum esse; non tamen diutius in iis persistendum ne caput repleant, ac humores nimis fundant, ac moveant: Sed initio morbi ab intempestivo eorum usu abstinendum, cum magis ab iis tum materia fundatur, & partibus impingatur, inde morbus fit contumax, vel interdum leviter affectus in Apopl. degenerat. *Riverius, Platerus.*

1[illegible]. *Per lingua & palati*) *Tinctura Nicotiana* cum *aqua vitæ* extracta, & ad ℈j. vel ℈ij. cum melle excepta, & in os infusa potenter educit. *Riverius Pr. l. 1. c. 2. Caldera de Hered. Illustr. p. m. 84.*

1[illegible]. *Per lingua & palati*) Sic pro loquelæ defectu in apoplexia curandi solenne est è simplicibus facile parabilibus, vel solum *rosmarinum* sub lingua detinere, *levisticum* & sim. *Wedelius*.

[illegible]. *Lingua & Palati*) *Auribus* quoque indita, si efficacia admodum sint, aliquid præstare poterunt, ut si oleum *spica* illis immittatur; vel *spiritus vini* cum infusionibus: *Oleum* quoque *rutæ*, sed stillatitium. *Platerus*.

[illegible]. *Per lingua & palati &c.*) Advertendum ne Theriaca (quæ in aqua cœlesti aut apoplectica dissolvi potest) recens adhuc sit, nam ratione opii somnum inducit. Valet & *Aurea Alexandr. & confectio Anacard. Pyrethri rad. in oxymelite cocta* idem præstant: *Castoreum* omnibus utiliter admiscetur. *Riverius*.

104. *Theriaca*) Quidam *theriacam* aut *mithridatium* exhibent, magno quidem errore, quoniam in illis, tametsi diu servatis, vis Opii non omnino perit, ut taceam composita ea esse ex multis quæ adstringunt, at adstringentium & frigidorum, quantumvis hebetata facultas suspecta est, quoniam humor, unde morbus hic committitur, cerebri corpus imbuit, & altius impingitur à medicamentis. At ubi fuerit cerebrum expurgatum, laudantur, quoniam cerebro, imbecillo ex morbo præcedenti, robur addunt. *Rondeletius Pr. lib. 1. ca. 32.*

[illegible]5. *Sinapi semine*) Quod valde potens est, ad [illegible] tatem provocat ut lacrymas statim moveat: De[illegible] tur [illegible] *aqua vitæ*, vel *vino forti*, & palatum eo de[illegible] [illegible]t, vel in pulverem redactum, & cum melle exceptum [illegible]initur, Cujus vires compositio *Mustarda* dicta te[illegible]r potest. *Platerus*.

1[illegible]. *Per Cauteria & Fontanellarum excitationem*) Non[illegible], cum [illegible] vis maxima, audent cauterium actuale [illegible] inter primam & secundam vertebram applicare. *Zacutus* [illegible] eodem tempore applicuit cum felici suc[illegible] *lib. 1. Pr. Adm. Observ. 14* eandem f[illegible] [illegible] in vertice capitis excitans, in occipite unã, & [illegible] umcirca multas, his, *inquit*, ignis ope liquata pituita, & per multos dies per os & nares excreta convaluere: Alii, ex antiquorum præscripto, sartaginem candentem capiti admovent, ea distantia ut pilos non cutim capitis possit comburere. *Riverius*.

1[illegible]. *Vomitoria hic locum non habent*) Vomitoria hic exhiberi nolim, cum absque concurrente diaphragmatis, abdominis præsertim musculorum motu animali in Apoplexia abolito, Vomitus cieri nequeat; nec proinde præter inanem vomendi conatum, & forte incommodum inde consequuturum à vomitoriis aliquid expectari queat. *Sylvius*.

Vomitum movere etsi utile esset, tum quia conatus ille eos excitat, & simul revellit, tamen ob periculum suffocationis non erit tentandum, cum si sponte conatus vomendi illos urgeat, vel si tussis, uti vidi, motu illo violento coacti citius suffocentur. *Platerus*.

107. *Vomitoria hic locum non habent*) Vomitum in morbo attonito cum temeritate non esse accersendum ex eo manifestum est quod nullum sive in morbo ipso, sive ejus causa reperiatur ejus indicans. sit vero quod maximopere prohibeat variis modis: Quomodo enim ventriculus à vomitoriis agitatus, inflatus, tensus, atque æstuans diaphragma non premet, pulmones non arctabit, cordis semitas, quas liberas & permeabiles esse oportet, non constringet? Mirum sane erit si in tanta colluctatione & conatu infelix æger non celerius suffocatur; ut *Jasonis Zircas* mea jam faciam verba: Is narrat de quodam inter pocula attonito morbo correpto, cui cum medicus, qui convivio intererat, opem laturus, pennam oleo inunctam in fauces & gulam immisisset, quo [illegible]ibus ingestus per vomitum excuterentur, inter manus vomitum molientis expiravit, Idemque *Platerus* observavit non tantum cum arte vomitus cietur, sed etiam cum sponte vomendo conatus attonitos urget, Et *Septalius 6. Animadv. 66.* cavendum suadet, *Vomitus fugiendus, tum quod æger in hoc motu se ipsum adjuvare nesciat, tum quod cum se erigere nequeat, potius suffocaretur tum quod in repleto corpore vomitus caput replere soleat. Sibus ergo usus in hoc morbo potissimum est fugiendus.*

Est quidem vomitus in multis cerebri morbis satis proficuus, sed tantum in iis qui per consensum fiunt; in iis vero qui per essentiam affligunt, eum valde noxium esse seniorum Practicorum calculo dudum est comprobatum, Hinc *Trincavellius 1. cons. 73.* in loquendi & audiendi difficultate vomitum timet, ne fiat major evaporatio ad caput, & major fluxio: Ecquis enim est qui non experitur quoties vomitus sibi paulo vehementior oboritur, multos ex inferioribus partibus vapores humoresque ad cerebrum deduci?

Dices, Atqui ob revulsionem vomitus poterit esse auxilio, quam ob causam *Hippocr.* eo etiam interdum oritur, veluti ex *4. aph. 6.* patet: ℞. Ita est, sed non in morbo attonito, in quo Præceptor longe præstantiora & tutiora præscripsit revulsionum præsidia, nimirum fomentum, venæ sectionem, & similia, Prudenter igitur *Sennertus* antimonialia omnia ablegat propter vomitum quem purgando simul movent.

Riverius (*vide rationes quas adducit demonstraturus Emeticorum præstantiam* supra §. 100. *Per Purgationem validiorem*) ad experientiam provocat propriam, quam ipsum d[illegible] [illegible]turam esse certus sum, si non aliis præsidiis revulsoriis, sed tantum vomitoriis suis contra morbum attonitum pugnabit: Educere fortissima illa ex Antimonio confecta vomitoria magnam pituitæ atque seri copiam non solum è ventriculo & vicinis partibus, sed etiam è cerebro illi concedo, ut & posse interdum beneficio hujus medicamenti ea exstirpari mala quæ aliis remediis

nunquam sunt cessura; minime vero in morbo attonito, saltem non in principio, ob causas adductas.

Experientia illa à Viro ter intra triennium eo remedio à morbo attonito liberato desumpta valde lubrica est, Vel enim deceptus est in morbi specie recte determinanda, & carum, lethargum, coma, aut similem morbum habuit pro apoplexia, quod ex inscriptione capitis non sine ratione suspicor; Vel morbus fuit adhuc in fieri, nondum tamen factus, & tum ex vomitorio utilitatem aliquam sperandam esse, sanguine existente valde impuro nemo ibit inficias. At vero heic sermo est de morbo attonito facto. *Cortnummius capit. 67.* Vomitoriorum approbationem Vide supra § *Per vomitur.*

108. *Cerebri corroboratione*) Cui incumbendum si morbus ad declinationem translatus esse videatur, quod commode fiet usu quotidiano Opiatæ Cephalicæ pro frigida cerebri intemperie propositæ, Exterius etiam utiliter admoventur Balsama apoplectica, quorum variæ extant formulæ, Nos hanc damus.

℞. *Ol. nuc. mosch. expr.* ℥ß. *ambr. gris. mosch. opt. & zibett. ãã.* ℈j. *ol. distill. lavend. succini, cinnam. sorismar. garyoph. ãã.* ℈ß *m. f.* Balsamum, naribus & auribus instillandum, palato illinendum mane singulis diebus: Commendatur etiam *Ol. nucis mosch.* distillatum, eodem modo usurpatum.

Confectio anacardina, ut in omnibus cerebri frigidis morbis, sic & hic summe probatur, qua potius quam theriaca, aut aliis Opiatis utitur, per se eam exhibendo, aut cum aqua vitæ dissolvendo. *Platerus.*

Cerebri corroboratione) *Qua per admota etiam perficitur,* Ungu. hoc *Villanovani* miræ virtutis est.

℞. *galbani* ℔ß. *g. hedera* ℥ß. m. destilla per alembicum, Oleum & aquam collige & *Misce cum ol. later.* ℥j. *& tereb.* ℔j. iterum destilla; Oleum ab aqua separa, & serva oleum pro Ungu. *Crusius Th. Herm. pagina 193.*

108. *Cerebri corroboratione per aquas cephalicas &c.*) Sunt qui pro auxiliorum materia quoque venditant *Confectionem anacardinam, theriacam, mithridatium* & similia (quæ febrem excitando morbi materiam debet discutere aut absumere) Prudentiores tamen hoc non audent nisi post generosiora præsidia, & in morbi declinatione, quod *Heurnii* verba arguunt lecta, l. de morb. capit. 23. *Si sanguini mixta materia videbitur, fin datur cephalica, dein clysma initio vel glandem, à castoreo naribus injectis sternutet, & opopanacis, galbani, & euphorbii parum dissolve in oleo amygd. amaro, & de eo guttulas aliquot naribus & auribus impone: deinde castoreum infundatur cum pipere ex aqua salvia & oxymelite; vel transglutiat anacardina confectionis* ʒj. *aut* ij. *cum pauco oxymel. vel tantundem theriaca vel mithridatii.* Et Sennertus 1. *Pract. 2. 33. Nonnulli cæteris non juvantibus febrem excitandam esse volunt, qua præsentaneum sit ad materiam* pituitosam exsiccandam & *resolvendam remedium, & propterea confectionem anacardinam cum hydromelite vel alio conveniente liquore* ʒj. *pondere exhibendam censent.*

Verum enim vero quam speciose hæc dicuntur, tam perniciose ab incautis adhibentur, nam ut de *Anacardio* dicam, verum quidem est in frigidiusculis & pituitosis corporibus, crudiore sanguine abundantibus, eum scil. in calidiorem commutando, *anacard. confectionem* aliquid posse evidenter colligitur; At vero in calidiusculis, velut Attonitorum ut plurimum sunt, corporibus, eandem non tantum inutiliter, sed & maximo cum damno adhiberi jam dudum compertum est. Hinc *Heurnius* l. c. [illegible] addit, *Moneo tandem, inquit, non temere incumbendum esse in usu rerum calidarum ordine tertio multo minus quarto maxime si fuerint tenuiorum partium, & ex pluribus aereis spirituosisque partibus constiterint; Nam in illis affectibus, ubi humorum luxurians copia, præsertim sanguini commixtorum, suspectus horum usus est: hæ enim cum calore suo caput plethoricis causis augeant, ager in periculum abripitur maxime non dum evacuato corpore, & si corpore non admodum fuerit frigido, Aliequin enim fusis humoribus caput impleant & morbus vires acquirit eunda.* Cortnummius capite 69. *De Theriaca vide supra* §. 105.

108. *Cerebri Corroboratione*) Novimus eam esse morbi attoniti naturam, ut si non prorsus interimat, in alterutram tamen transeat speciem, vel saltem difficulter eluibilem in cerebro relinquat imbecillitatem; ex loquelæ, vocis, ratiocinii, memoriæ, sensuumve externorum, aut alius functionis imminutæ vitio conspicuam, Medicoq; ultimo auferendã: Novimus spirituũ in cerebro post morbum attonitum penuriam e[illegible], manifestam ex vehementissima ejusdem interceptione & oppressione prægressa, unde ita fuit afflictus ut mirum sit quomodo non prorsus fuerit extinctus, Et ex relictis quibusdam in vasis cerebri grumulis, unde spiritus diffungitur, [illegible] sese potest unire & ubique præsens esse. Sanguis quoque post tot generosas evacuationes, neque in debita adest copia, neque laudabilis esse potest, cum necessaria toto morbi tempore caruerit ventilatione.

Quicquid vero, sive sanguinis, sive spi[illegible] corpore relictum est, ob residuas in quibo[illegible] arteriolis obstructiunculas non omnes cerebri [illegible] ex æquo admittitur, sed tonus ejusdem amittit[illegible] ulatores Practici difficillime sanabilem hanc Cerebri imbecillitatem animadvertentes de Roborantibus medicamentis sunt sollicit, *Cortnummius c. 71.*

109. *Per aquas cephalicas*) In tabernis medicis variæ ostendontur Aquæ Apoplecticæ, ex herbis & aromatibus cephalicis & odoriferis distillatæ, Quemadmodum autem Aquæ istæ spirituosæ post morb[illegible] non sine fructu in usum vocantur, sic satis detestari [illegible] possum Practicorum illum morem qui easdem [illegible] morbo attonito, imo in ejusdem principio adhibe[illegible] verentur, Quo ipso nihil aliud efficiunt quam [illegible] sanguinem inflammando eum citius ad cerebrum promoveant, morbum augeant, & miseros celerius interimant contra fidelem *Hippocr. l. de affect. tr. 10.* admonitionem, *Vinum mente vacillante non confert, neque in hoc morbo* (phrenitide) *neque in quibusvis aliis*, Et lib. de V. Acut. *tr. 30. Ubi suspicatus fueris in his morbis vel vehementem capitis gravitatem, vel mentis læsionem, penitus à vino abstinendum est.*

Dodonæi de his censura est 3. *Hist. stirp. 3. cap. 33. Exhibenda hæc aqua (vita ex vino) cum magno in morbis est judicio & delectu, cum enim impense sit calida, [illegible] partium tenuissimarum, ac nec aliud quam spiritus ipse vitæ cit[illegible] permeat, ac cerebrum facillime petit ac ferit. Apopl[illegible] ideirco occupatis, vertigine &c. ex frigida licet causa laborantibus, non tamen tuto semper dari potest; nisi enim materia morbi effectrix omnino sit exigua, & temperamento ipse æger per quam frigido, citra periculum exhiberi nequit [illegible] siquidem humoribus caput amplius impletur & morbi vis intenditur: Quod si vero & calidi adsint humores, veluti [illegible], inflammationes quoque non parum augentur.*

Ejusdem sententiæ erat Crato *consil. 7. Volunt q[illegible] in ejusmodi affectione aquis destilatis quas vita ap[illegible], uti, verum cum & impetitissime fiant, abstinendum [illegible] ne ac cl[illegible]rent magis noxiam quam avertant) cupio De experientia multos loqui æquo animo patior, verum cum imperitiam [illegible] manifeste prodant, & stulterum plena esse omnia res [illegible] ostendat, numerum ne augeam mihi cavendum puto ne vapores vel cerebrum petant, vel lædant, [illegible] consideratione, rectissimum & tut[illegible] De Aquis vitæ mortiferis nihil dico, magna est varietas, summa in usu vanitas, atque non minus interdum quas [illegible],*

qua

quæ hujus mali mater, cum eodem modo cerebrum afficiant sensus.

Sic est, inexcusabili calidissimi isti liquores errore sumuntur, calido sanguine abundantibus, & ante morbum & in ipso morbo obtruduntur, & merito enumerata inde metuenda sunt mala. At vero post morbum, cum corpus remediis satis est exinanitum, nihil horum metuendum. *Idem.*

109. *Per Aquas cephalicas &c.*) Commode in hujusmodi affectibus aliquid Aquæ cœlestis vel apoplecticæ ægro infunditur. Hæ enim ob summam penetrandi vim præstantissimum sæpe afferunt auxilium, & multos ab imminente apoplexia, vel etiam jam præsente liberarunt modo sanguis non valde abundet, qui aquarum illarum usu posset fundi. Harum multæ descriptiones ubique habentur &c. *Riverius.*

110. *Spiritus* &c.) *Spiritus*, sive *quinta essentia Vitrioli* laudatur à quibusdam adversus apoplexiam. *Conr. Gesnerus*, Modicum *olei vitrioli* cum *pauca aqua rosac. potum* sermonem amissum restituere dicitur. *Hier. Montanus* ex *Evonymo.*

Oleum vitrioli plurimum commendatur. Quod si desit, dissolvantur *vitrioli* ʒij. in olei de *spica*, *de costo*, *de castoreo*, *de scilla*, aut simili ℥i. hoc modo, ℞. *scilla concisæ in taleolas* ℥ij. *castor.* ℥ß. *vitrioli* ʒiij. f. *decoctio in olei aneth. & vini* āā. ℔ß. ad consumptionem vini, Nares & palatum hoc oleo illinantur. *Hollerius.*

· *Spiritus*) ℞. *spir. sanguinis hum. dephlegmati & ter rectificati* ℔ij. *infus. flor. lavendul. in vino* ℔j. m. & destilla per BM. ad medietatem, idque repete tertia vice, deinde adde *spir. vini rectif.* ℥ij. Valet ad curandam apoplexiam. *Schroderus Ph. l. 5. p. 203.*

℞. *flor. tiliæ & lilior. convall.* āā. *q. v. baccar lauri* ℥ij. bene omnia contundantur ut fiat quasi massa; hinc *succum violar.* cum *sacch.* mistum, affunde massæ, probe misce, & iterum fortiter exprime succum; Hujus ℞. *part. j. adde salis absinth. in liquorem soluti part. destilla per retortam, iterum pello, & denique per alembicum, ne phlegma ullum adsit.* Habebis spiritum præstantissimum, cujus cochlear sem. cum *aqua cinnam.* vel *tiliæ* apoplectico propina, Statim juvat, & per omne vitæ tempus ab apoplexia præservat. *Conr. Kunrath. m. dest. p. 137.*

111. *Salvia*) Cujus extractum pro magno secreto exhibent Chimici. *Platerus Pr. p. 40.*

112. *Aut à vaporibus crassis*) Positivam Apoplexiam confirmant tam *Opiata* in majori dosi usurpata, quam *carbonum*, aut *liquorum fermentescentium Gas*, ut & *spiritus vini* vel *vini generosioris* abusus, quæ positiva efficacia apoplexiam, narcotica & stupefactiva qualitate inferunt. Sed cum hæc saltim fiant à *causa externa*, tamen etiam à *causa interna* oriri primus docet & accurate defendit *Helmont.* & probabile fit ex eo quod alii affectus soporosi, speciatim comata, lethargi & catalepses ex causa interna oriantur, quidni ergo & Apoplexia, quæ vix essentialiter ab istis differre videtur.

Quoad *modum fiendi*, qui subitaneus, & frequenter momentaneus, negotium per *humorum defluxum*, aut *viarum oppilationem*, quæ per successionem saltem fit, vix sufficienter explicat, adeóque aliud quid subsit necesse est quod subito malum inferat; id quod *Gas rerum fermentescentium* sua narcosi & momentanea operatione optime illustrare videtur; Ob id etiam *Willis* non acquiescit in solo humorum serosorũ, aliorumve in cerebri meditullium p.n. transfusione, sed simul vim virulentam spiritus animales fugantem & extinguentẽ una accusat &c. Ad veterum *vapores* & halitus, aut *Chymicorum effluvia volatilia stupefactiva* confugere minus sufficit. Ignotũ regimin… ctionis *Helmontii* profiteri, est palliare propriam ignorantiã; *Consensus*, qui per nervos explicabilis est, & hic vix locum habere videtur, nisi dicere velimus per consensum irritatorum nervorum circa præcordia, stringi cerebri fibras nervorumq́ue principium, cujus contracturæ occasione spirituum in partibus externis deficiat motus, qui in cerebri meditullio perturbatus sensum & rationem tollat.

Per *sanguinis circularem motum* negotium quodammodo illustrari posset, sed & hic quamplurima obstant, *Narcosi perculti* & stupefieri spiritus animales, seu figi ac quasi plus minus coagulari plausibile est, sed quomodo hoc ex præcordiis fiat, res hæret. Nempe sicut *Opiata*, *sem. hyoscyami*, *fungi*, *gas carbonum*, etiamnum in stomacho inferunt affectus soporosos & caroticos, ita similis virulentia narcotica circa præcordia existens, in regione stomachi, apoplexiam, paralysin inferre poterit, modus tamen rei latet; Sufficiat pro melioris ad praxin manuductione *differentiam* Apoplexiæ in *Positivam* & *Privativam* insinuasse, Observando simul excitari ab *externis causis* frequentius *accidentales*, sicut ex *internis habituales*, & has inter quæ ex causis internis oriuntur, forsan æque frequentes esse apoplexias *positivas* quam *privativas*. Etmuller.

113. *Alia à compressione*) Si per spinalis medullæ compressionem à sanguine extra vasa sua effuso, aut pituita eo delabente, impediantur spiritus animales deorsum fluere, priventurque partes, in quas ferri debebant, sensu & motu, videtur insoper probabile spiritus animales coacervatos copiosius in cerebro ac cerebello ibidem quasi compingi & immobiles reddi, aut conturbari, atque sic ineptos reddi ut in sensoria ex superiore spinalis medullæ radicum parte suos nervos obtinentia deferantur, atque sic in illis quoque aboleatur sensatio, aut conturbetur saltem, & obscura contingat; uti in quibusdam Apoplecticis subinde fieri observatur, in quibus obscura quædam Auditus, aut Visus obtusi signa notantur, Unde etiam tunc de convalescentia plus spei superesse solet; nisi forte, quod nonnunquam accedere solet; plus nocentis humoris affluat qui malum adaugeat & incurabile reddat. *Franc. Sylvius.*

115. *Alia à compressione qui fit &c.*) Primo distinguendus varius morbi insultus, quatenus nempe interdum sine prævia quavis diathesi, aut procatarxi, à causa subita solitaria, & sæpe invincibili excitatus, plerumque lethalis existit. Contra hunc nulla medendi methodus præservatoria institui potest, & quæ iniri solet methodus curatoria plerumque inefficax existit. Vel 2. Paroxysmus apoplecticus, causam antecedentem præviam habens, propter varias occasiones, sive causas evidentes in actum deducitur.

Quod ad Prioris generis siderationem spectat, nempe subitam ac improvisam, *Causa* ejus *conjuncta* ac proxima, aut est *magna solutio continui*, alicubi intra, aut prope cerebri meditullium contingens, ob quam poris & meatibus ejus obstructis, aut compressis, spirituum emanatio omnis supprimitur, Vel est ingens ac subita spirituum in cerebro degentium profligatio aut extinctio.

Solutionem continui majorem intra cerebrum efficere solent *sanguis extravasatus*, *abscessus suppuratus & disruptus*, atque *humores serosi* copiose inundantis diluvies, 1. A sanguine *intra cerebrum effuso*, sive extravasato, ibidemque aut in grumos concrescente aut loca affecta suggillante, affectus Apoplecticos, sæpe lethales, induci comprobant autopsiæ anatomicæ: Tales autem sanguinis extra cerebrum extravasationes morbificas, vel à *causa externa*, uti *casu ab alto*, *capitis ictu*, aut *allisione* ad durum, concussione, & similibus, Vel à *causa interna* procedunt, in quantum scil. cum sanguis acris & tenuis, atque vasorum oscula, eorumque interstitia nimis laxa existunt, iste aut sponte aut occasionaliter

plus solito effervescens, & per hæc exundans, in mollem & facile cedentem cerebri substantiam irrumpit. Porro licet huic morbo sedem in corpore calloso assignamus, sanguis tamen alibi circa, aut supra ipsum effusus, quia loca affecta intumefaciendo medullam substratam comprimit, insultum apoplecticum inducit. 2. *Apostema* raro intra cerebrum, in meningibus vero sæpe, & ob easdem fere occasiones ob quas sanguinis extravasatio accidit, excitari solet: Donec suppuratur cephalalgiam aut torporem fere tantum inducit, verum ubi disrumpitur, sanies ab ipso in cerebri corticem decidens eum erodit ac putrefacit, & dein particulas putridas, & spiritibus plurimum infestas, sensim cerebri meditullio instillans, postremo morbi Attoniti paroxysmum ciet.

3. *Colluvies serosa* è sanguine in caput suffusa, etsi raro aut nunquam per se; quandoque tameu ob causas evidentes fortiores affatim adeo in cerebrum incurrit, ut poros ejus medullares mox omnes implens ac infarciens aphoniam producat: id quod quibusdam à nimio vini tenuioris, & aquarum acidularum potu, mox superdormientibus accidisse novi: simulemque affectum à totali & diuturna urinæ suppressione, etiam in hæmorrhagiis subito cohibitis observavi. Denique in *febribus malignis* recrementa serosa, critica metastasi ad cerebrum translata, aphoniam sæpe lethalem intulerunt. *Willis.*

114. *Aut à causis violentis*) Spirituum animalium *Conturbationem* inducentibus, ob quam corruunt non raro homines, ac levi quasi apopl. correpti mox ad se redeunt. Hæc autem conturbatio ubi vehementem Apopl. producit, plerumque simul lethalis existit. In qua, non minus quam cæteris speciebus, mox sanguinem mittendum autumo; à cujus missione nisi ad se quodam modo redeat æger, conclamatum esse arbitror. Ad se tamen si quodammodo redierit, eundem in quiete servandum censeo, nec frictionibus aut ligaturis fatigandum, nec errhinis aut ptarmicis amplius conturbandum, verũ anodynis potius demulcendum, & spirituosis refocillandum, atque sic sensim ad pristinum statum reducendum, ac sanitati restituendum. *Sylvius.*

115. *Ictu, vulnere*) Apoplecticum, in cujus caput magna porta deciderat, ita curavi, Illius capiti raso, post universalia, impusui *Empl. Al. Benedicti*, à Valleriola commendatum, quod quia fidum inveni, hic describam.

℞ *g. heder. cera, tereb. ãã.* ℥iij. *resina purgata* ℥ß. *succi corymb. hedera* ℥iv. *ammon.* ℥ij *ol. ros.* ℥ijß. *far. fabar. q. s. f.* ceratum *Ab. Heers Obs 24.*

116. *Aut ab humoribus frigidis & humidis*) Pituita (quo nomine omnia cerebri excrementa aquea frigida & humida comprehendimus) perfrequens causa est, nisi per vias destinatas effluat, sed supprimatur, tunc si substantiam cerebri largo humore perfundat & refrigeret, *Catum* efficit; Vel si eandem longo impulsu adeo irriget, ut magna illa cerebri moles mollior laxiorque facta, subito diffluat & subsidat, nervorũmque principium in basi calvariæ in cerebro prodiens premat, & spiritui animali transitum præcludat, *Apoplexiam gravem* parit, uti quando ventriculos, seu cavitates cerebri pituita subito adimplet, non obstruendo, cum spiritus animalis non in ipsis, sed in cerebri substantia undique, & nervis, sedem suam habeat, nec per ventriculos transeat, sed eodem modo cerebri basin gravando, apoplexiam quoque inducere potest, quæ tamen, si humor ex illis descendens nervorum ductum sequatur, in paralysin potest desinere. Hæc omnia sic se habere, in caro & apoplexia mortuis, ex eo quod copiosus hic humor per os tunc illis aliquando effluxerit dep[illegible]ndimus, Et sectione quoque d[illegible]eti, aperta crassa [illegible]bri meninge, in quibusdam copiosum humorem mox prosilientem, per capitis [illegible] ad thoracem usque descendisse, ipsamque adeo cerebri substantiam in quadam anu quam apoplexia è medio sustulerat, lactis cremoris instar dissolutam simili modo per faciem defluxisse observavimus. *Platerus.*

156. *Aut ab humoribus frigidis & humidis*) Compressionem ab hac causa inductam rejicit *de Diemerbroeck Anat. l. 3. c. 10.* qui censet Apoplexiam fieri, non ob ingressum spirituum animalium in nervos præclusum, quod ab arteriolarum manifesta occlusione fiat, nam si in hydrocephalo, & copioso jure in ventriculis collecto ner[v]orum orificia non occludantur, multo minus id fiet collectione serosa longe minore; *Diemerbroeck Anat. lib. 3. c. 10.*

157. *Continua irrigatione cerebri molem*) Græci hoc vocant [illegible], nos *subsidentiam* vocabimus Verum enim vero satis superque [illegible]. huic cautum est præter tunicas ventriculos cerebri succingentem, obd[u]cta ex ipsa medullari cerebri substantia crusta, scapelli dorsum quasi crassa, colore atque duritie à cætera alba carne discrepante; quæ sane non dissolvitur aut liquatur nisi cerebro sive per gangrænam, sive quocunque modo mortuo, Cum autem à privatione ad habitum nullus omnino sit regressus, nemo non videt [illegible] istam nequaquam posse esse causam morbi atton[iti] p[ro]ximam, cum hoc modo nemo attonitorum unquam evaderet, quod in experientiam impingit, Et q[uo]d cerebrum ita diffusum & liquatum ita coge[re]t [illegible] & ad temperiem conformationémque naturalem red[illegible]. Nec quicquam persuadet observatio, quod ipsi [illegible] b[illegible] substantia lactis cremori instar dissoluta in q[uada]m anu, morbo attonito è medio sublata, per faci[em] d[e]fluxerit, jam enim responsum est attonitos tum necessa[rio] debere occumbere. teste hac ipsa anu, quod expe[illegible]ctitat de omnibus non esse verum.

Deinde an tanta cerebri ab humoribus frigidis, à longo impulsu facta irrigatio, unde cereb[ri] mo[les] [illegible] & diffluat, potest fieri derepente, in momento? Videmus enim attonitos subito concidere, nu[llo] de r[e] antea conquestos, Certe tam insignis cerebri intemperies, aut irrigatio, ut *Platerus* loquitur, non poterit non plurima & gravissima symptomata excitare, antequam ad talem gradum perveniat qui cerebrum corrumpat. Vis exempla? Apud *Vesalium 1. An. cap. 5.* Puella hydroc[e]phalo laborans absque sensuum læsione vixit, nullo morbo attonito infestata. Apud *Tulpium 1. obs. 24* [illegible] puero quinquenni hydrocephalo sublato, cerebrum amissa figura globosa, induit formam convexi fornicis; & ab exuberante aqua sequax medulla adeo distenta, ut instar [illegible] sioris alicujus membranæ adhæresceret undique [illegible] cuatæ dissolutorum ossium circumferentiæ, integris ad mortem usque mentis operationibus, Ergo si omnino concedendum est cerebri dissolutionem in morbo attonito aliquando posse adesse nunquam tamen inde sequitur esse causam ejus proximam q[uæ] in actu suo posita, nec impedita, affectus necess[ar]io sit ponend[illegible]

Plateri patrocinium suscepit Clar. *Wepfer[us]* qui *p. 298.* Subsidentiam totius cerebri non imp[illegible] existimat si cum compressione jungatur, [illegible] in infantibus moribundis conspicuo [illegible] qui[b]us & [illegible] ca suturam lambdoideam ac sagittal[em] profundi[illegible] conspiciuntur; Et in membrano[s]o cranio, circa sagi[tta]lis & coronalis suturæ conjunctionem fovea appareat, proculdubio, ut scribit, ob cerebri subsidentiam. At quamvis cerebrum mortuum evanidis spiritibus non amplius ita turget ut impleat omnem cranii cavitatem, unde sunt sulci illi & foveolæ, & aliqu[a]ndo [illegible] scipso vivo, tamen illa, de qua his est [illegible] inde non potest exsculpi, quæ vix in cerebro putrefacto est expectanda.

N[on] recipienda est quam *Wepferus* subsidentiæ [illegible], *Cerebri compressio, a sero* copiosissime in ventriculis & inter meninges collecto facta, cui hydrocephali aut à *Vesalio,*

Vesalio, aut à *Tulpio* exhibita manifeste reclamant; Quod si in his tam insignis compressio nullum accivit morbū attonitum, quomodo in aliis minore negotio id effectura est,& quidem subito? *Cortnummius c.13.*

118. *Phlegmonode diathesi) Galenus* præter frigidum aut crassum, aut lentum humorem, principaliores cerebri ventriculos confertim replentem, quem *3.loc aff.7.& 4. loc aff 20* attoniti morbi causam statuit, præterea 2. *aph. 41.* διάθεσιν φλεγμονώδη. *dispositionem inflammatoriam* etiam adstruit, per quam etiam inflammationem ipsam, etiam erysipelas & abscessum intelligit, uti seipsum explicat *2.loc.aff.3.* cui subscribit *Altimarus Pr. c. 19.* quem sugillat *P. Salius l. de aff. part. c. 2* negans eum *Galeni* mentem assequutum, aut veritatem attigisse, *ubi enim*, inquit, *cerebrum vel inflammationem vel erysipelas patitur, si partes exteriores & membrana hoc tantum patiuntur, fit phrenitis, si autem interna partes & externa ipsiusque cerebri substantia hoc idem passa sit, accidit affectus cerebri inflammatorius, in quo sensus perit manente motus.*

At fallitur *Salius* diversis modis, nam 1. *Altimarum Galeni* mentem assequutum esse constat *c.2.loc. aff.3.l.de diff.morb.c.12. l.de Tumor.c. 9.* Deinde male opinatur in phrenitide membranas (quas exteriores cerebri partes vocat) tantum inflammari, cum plurimæ observationes contrarium doceant,& *Galenus 2.de sympt. c.* doceat posse quidem calidos humores vaporésque in febribus delitia excitare, phrenitidem vero non item, nisi simul cerebrum ipsum & membranæ ejus inflammentur. 3. hallucinatur dum putat Apoplexiam non posse contingere cerebro inflammato, cum in vera inflammatione sanguis egrediatur vasa,& in ipsam cerebri substantiam effundatur, quam effusionem non possit non febris comitari aut supervenire, At contra *Hippocr.2. de morb.* expresse dicit inflammationem & febrem adesse ἐν τοῖς ἀπληκτικοῖς. in *attonitis*. 4. Græcum textum non videtur inspexisse, aut intellexisse, alias scire debuit *Galenum* non dixisse διάθεσιν φλεγμονῇ ὁμοίαν. dispositionem inflammationi similem, sed διάθεσιν φλεγμονώδη h. e. dispositionem inflammatoriam. Notum est Græce scientibus vocabula in ὤδης significare qualitatem sub excessu quodam, eaque esse denominativa è nomine essentiali formata, quibus apud Latinos fere respondent terminantia in *osus*, ut *vinosus vixosus*, *vini*, *rixarum plenus*, ita & φλεγμονώδης potius est *inflammationis plenus* quam inflammationi similis, quod plerique Interpretes hactenus neglexerunt, *Tandem* dicit *Galeni* dispositionem inflammatoriam non aliam esse quam maximam vasorum cerebri à sanguine calidiore repletionem, cúmque ea *Hippocratis* φλεβῶν πλήρωσιν coincidere, *l.de Diat.acut.* sed falso, nam *Galenus* aperte dicit *2. loc. aff. 3.* se per inflammatoriam dispositionem nihil aliud intelligere quam inflammationem ipsam, erysipelas aut abscessum.

Aliam hujus dispositionis explicationem afferunt *Lonerus l.de apopl.c.56* & *Sennertus*, nimirum in inflammatoria hac dispositione vasa cerebri copia ita repleri, ut substantiam cerebri ejusque meatus comprimendo angustiores reddant,& sic spiritibus transitum denegent, At falsum est spiritum per substantiam cerebri, albam & similarem diffundi, cum vasa sua non derelinquat quamdiu sub animæ est imperio, Falsum deinde alio in cerebro esse meatus, qui ab arteriis repletis possunt comprimi, cum nemo eos huc usque potuerit ostendere, quin potius certus sum in ipsa cerebri substantia non reperiri vasa præter arterias quas spiritus perambulat.

Sed, an *Galenus* in inflammatoria sua dispositione rem acu tetigit? nunime. Licet enim concedam posse tam inflammationem, quam erysipelas & abscessum cum morbo attonito conjungi, non tamen sequitur morbum attonitum tanquam effectum inde dependere, cum sic omnes inflammatione cerebri, aut ejus abscessu laborantes necessario fierent apoplectici, quod nemo hactenus observat, Ergo & hæc causa meritò rejicienda est. *Cortnummius c.12.*

118. *Phlegmonode diathesi)* Nunquid etiam Inflammatio vera,& Intemperies calida cum morbo attonito potest conjungi? multi pernegant, *Nymmannus c.32.* aperte loquitur, *Tantum abest ut cerebrum inflammetur in apoplexia ut & privatum suo spiritu influente refrigescat, & omnem suum calorem actualem & sensibilem amittat*, Sennertus 2. *Instit.2.6.* in morbo attonito quidem agnoscit, sed male eam pro causa antecedente venditat; male itidem putat sanguinem solummodo heic in vasis contineri, eaq; distendere, ita ut vix ab iis queat capi, sicq; partes vicinas comprimere, Sane diligens recentiorum Anatomicorū scrutatio magnam hisce potest fœnerari lucem.

Inflammatio alicujus partis, ex *Gorraeo & Galeno*, recte dicitur *Hofmanno 3.Inst 41.§. 4.* fieri *cum ex vasis majoribus non sine horrore rigoreve detruditur sanguis in minora, ex his in alia, ex his in alia iterum minora, & sic deinceps usque dum vasis omnino excidat, perveniatque in inania spatia, quæ sunt inter partes similares ad constitutionem dissimilarium concurrentes.* Jam vero cum tanta sanguinis copia ascendit in cerebrum ut arteriæ in illud descensuræ tandem obstruantur, quomodo minora illa vasa cerebi ventriculos variis plexibus percurrentia, & cerebrum nutrientia, ab hac sanguinis inundatione erunt tuta?

Neque enim verum esse potest quod *Nymmannus* dicebat, *Cerebrum in apoplexia privatum suo spiritu refrigescere, & omnem actualem calorem amittere*, quin scimus calorem influentem partibus omnibus concedere vitam; ergo ubi deest calor influens ibi deest quoque vita; pars autem semel emortua in vitam rursum revocari non potest: Nemo audebit asserere cerebrum in attonitis esse emortuum, quia idipsum morbo discusso ad pristinas redit operationes, quamvis enim præclarissimis *Highmoro* & *Van der Linden* videatur easdem cerebri arterias & sanguinem pro factura spirituum animalium, & pro nutritione cerebri advehere, tamen mihi hac in re non videtur ita censendum; nec possum facere cum illis quod officium publicum & privatum, recte quidem uni visceri, sed non recte uni eidémque instrumento attribuerint, Nam sanguinem pro factura spirituum animalium cerebro advenientem, non arteriæ ad rete mirabile & plexum choroidem euntes vehunt, sed subtilissimæ illæ quę medullarem cerebri vocatam substantiam demersæ sic eam trajiciunt, ut tandem, si quidem non omnes, innumerabili saltem numero congrediantur ad radices medullæ spinalis.

Quæ vero ad Rete mirabile & Plexum chorioidem tendunt arteriæ, non alium mihi videntur vehere sanguinem quam qui a spiritu in cerebrum & nervos descensuro jam separatus est, quem tandem officio functum venæ plexus istos una cum arteriis construentes recipiunt, sinubus meningum [illegible] reddendam, quod nutritio omnium partium reliquarum confirmat; Ubicunq; enim parti alicui arteriæ ad nutritionem inferuntur, mox præsto sunt venæ sanguinem superfluum,& à parte repudiatum revehentes, sic & in his plexibus, venæ enim adjacentes, & perpetuo arterias comitantes, sanguinem repudiatum regerunt ad venas majores. Adde quod ex *Highmoro* parvi ille plexus non sufficiunt ad spirituum generationem pro toto corpore,

Docet id præterea continuitas arteriarum & nervorum Saniorum enim Anatomicorum consensu, Nervi nihil aliud sunt quam arteriæ cum tomento cerebri substantiam ejus egredietes: at vero plexus chorihoidis & retiformis arteriæ cerebrum ipsum non exeunt, sed partim desinunt in illud, partim cum venis per anastomoses junguntur. Ergo meo quidem judicio cerebrum per has plexuum arterias tantū accipit alimentum. Si hoc, quomodo sanguis toto impetu in cerebrum ascendens, aliis portis clausis huc non est ruiturus? si huc ruit, quomodo non egredietur vasa sua & excitabit inflammationem?

Si vero non omnes arteriæ, in medullarem cerebri substantiam demersæ, ad radices spiritualis medullæ id vicissim egrediuntur (quod mihi tamen nondum satis compertum est) dico quod istæ in cerebrum desinentes deferant cerebro spiritum animalem pro facultatibus principibus præstandis.

Ergo cum hinc constet inflammationem cerebri, vel morbum attonitum præcedere, vel cum eo posse conjungi, quæritur An morbus tum sit lethalis? affirmant quidam, & tum non ad medicos sed ad pollinctores properandum esse autumant: Verum hi si de omnibus inflãmationibus morbo attonito conjunctis loquuntur, & hanc sententiam de iis ferunt, vehemẽter hallucinantur; doctissimorum enim & acutissimorum Medicorum scripta probant in phrenitide non solum meninges inflammari, ceu hactenus creditum; sed & ipsam cerebri substantiam, Nam cum vidisset *Wallesius* in vulneribus capitis, vulnerata & inflammata dura meninge, ita ut per partes exhineretur, non supervenisse tamẽ delirium, (5. *Epid.* 49.) concludit phrenitida non fieri nisi penitissimæ cerebri partes inflammentur,

Si ergo magna cerebri inflammatio ibi non semper est lethalis, quare heic solum sit; & vero si lethalis est morbus attonitus inflammatione præcedẽte quomodo ab eo tot sunt evasuri, cum constet non tantum intemperiem calidam, sed inflammationem sæpius morbum istum comitari? Sane quomodo non necessum sit cerebrum simul inflammari, cum tanta sanguinis copia ascendit quæ vasa obstruat, capere non possum.

Ideo hoc effatum mihi videtur limitandum esse, & censendum verum esse si inflammatio eousq; progressa est ut in procinctu sit sphacelus, tum enim medicamentis inflammationem sedantibus locus non erit, sed antequam auxilium potest adhiberi, morbus evadet superior hominemque jugulabit. Si vero inflammatio tanta non est ut sphacelus metuatur, adhibitis debitis præsidiis homo poterit liberare, cujus innumera sunt exempla. *Cortnummius c. 54.*

119. *Seu sanguine copioso affatim &c.*) Duo tunc sunt peragenda, Sanguinis effluxus ulterior impediendus, & qui jam effluxit sanguis, inde removendus. Sanguinis effluxus ulterior impedietur, *sanando & consolidando vulnus* per quod fit effluxus, & quidem usurpando medicamenta potenter adstringentia, & læsam arteriam conglutinantia, qualia sunt imprimis sanguis draconis, & lapis hæmatites in pollinem redacti, cum aceto stillatitio, ut & plantaginis, aliave simili aqua misti, atque, si fieri queat, coelileatim exhibiti. 2. *Sanguinem fluentem alio trahendo*, instituta scil. in pede venæ sectione, & extracto sanguine ad quantitatem satis notabilem. Sanguis autem ibi hærens, & jam effusus, blande ad palatum & narea alliciendus per apophlegmatisantia, & concretum sanguinem solventia ori indita, nisi forte sponte ad aures vel aliu viam sibi quærere & exitum observetur, qui motus tunc blande promovendus emollientibus & benigne attrahentibus. Interim danda simul opera est, ut spirituosis resocillentur animales spiritus, ac si torpor gravis concurrat, idem corrigatur, acribus quidem, sed blandis, & cum superioribus indicationibus coincidentibus. *Sylvius.*

119. *Sanguine copioso affatim*) Quin ab hoc solo morbi attoniti causam deducit, cæteris repudiatis, *Cortnummius*, quod omnia ejus signa excrementitiis humoribus adversentur, & curatio idipsum indicet. Cũ Apoplexia, *inquit*, ab humore aliquo ortum suum ducat, liquido dep[illegible]hendimus culpam hujus mali nemini præterquam soli [illegible]nguini [illegible] posse deferri, non quidem isti qui jam obl[illegible]uit, cum [illegible]e sit pars morbi materialis, sed huic qui [illegible]end[illegible] ad c[illegible]rebrum, & [illegible] procinctu est ut obstruat.

Sa[illegible]uinem cum d[illegible] [illegible]elligo illam humorum miscellam, quæ & qualis in arteriis venisque ceu alveis continetur, non autem partem hujus miscellæ optimam, seu numeris omnibus absolutam, vereque ac solam alimentariam, quæ chymus proprie vocat[illegible]r, sed in latitudine sua vocem accipio, prout etiam sanguis biliosior, ustior, crudior, serosior, nomine sanguinis veniunt.

Hæc simplicissima est veritas, quam *Galenus* senior factus tandem cognovit, nam causæ in juvenilibus [illegible]ceptis latæ assuit aliam, sanguinem scilicet, dicitque homines propter abundantem sanguinem apoplexia c[illegible]ripi. Alter locus est 4. *Diat. Acut.* 23. *Venis igitur in nimium repletis gravari facultatem necesse est, & in periculum extinctionis adduci calidum nativum*, dum quid suffocationi simile *patitur a copia sanguinis, fiuntque epilepsi[illegible] & apoplexia, & syncope cardiaca, Per unum enim communem obmutescentia symptoma ejusmodi symptoma declaravit.*

Alter vero est *l. de cur. rat. per v. s. c. 7. Apoplexia igitur hunc in modum fiunt, sanguine multo ad principium animalium ruente.* Et paulo post dicit *Plethoram facere morbos attonitos & ruptiones venarum.* Hinc *Ballonius l. 2. cons. Cum sanguis multus coërcitus est in cerebro calefactus, & propterea [illegible] ipsum cerebri inflammans, hinc attonitus homo redditur.* Hinc *Martianus comm. in 4. Acut. 47. Cum nullo præcedente dolore; & derepente morbus invadit signum est causam ejus esse sanguinem sola copia peccantem*, Qui ante *comm. in 6. de morb. sect. 2. v. 64.* aperte dixerat *Apoplexiæ essentiam consistere in sanguinis statione.* Idem autem sanguis qui sistitur, figitur & materia morbi evadit, antea fuit causa antecedens. *Cortnummius c. 23.*

119. *Sanguine copioso affatim*) *Hinc impedita libera sanguinis* [illegible]. Sanguinis motum circularem deficientem, & inde natam Apoplexiam illustrat ligatura fortis collo injecta, hanc si fortius stringas, eo ipso momento quo arteriæ carotides, & venæ jugulares in collo constrictæ sanguinis circuitum ad cerebrum tollunt, eo ipso quoque momento omnia motus sensusque pereunt in talibus, utut adhuc ad tempus supervivant. Patet etiam in canibus, in quibus si facta cutis colli apertione ligentur fortiter arteriæ carotides, ita tamen ut parvæ arteriæ cervicales adhuc relinquantur liberæ, canis & inde somnolentus & torpidus evadit, & tamen fere ad biduum supervivit, actionibus animalibus maxime imminutis, de quibus quicquid superest beneficio arteriarum cervicalium, adhuc liberarum, obtinet, idem tamen moritur. *Ettmuller.*

120. *Cognoscitur ex indiciis plethora*) Dominatum sanguinis indicat color faciei rubicundus, habitissima constitutio corporis, sine multa copia adipis, imo & halituoso calore perfusus, ab exercitio inturgescens, animus hilaris, venæ tumentes, suppressa evacuatio sanguinis, oculorum venæ rubentes, sudor copiosus, Talis erat Athletarum habitus, quem periculorum plenissimum omnes vetustissimi & recentissimi quique clamitant: Nam constitutio illa suis viribus ab ea sagina, omni fame praviore oneratur. Unde metus ne oborta universali inflammatione per causos, & syncope vel apoplexia subito extinguantur. *Horstius 4. Inst. 1.*

121. *Curatur*) Inchoante Apoplexia [illegible]que omnes subito *sanguinem mittunt*, sed hoc ce[illegible]m est occidere missionem cum non liberat.

Suffitum etiam *ex succino* statim factum quidam vehementer probant; rationibus vero eos destitui satis ostendere eruditi medici possunt.

Sternutatoria periculosa sunt, utilia tamen si in loco adhibeantur.

Concutere partes superiores, maxime colli, [illegible]ectum [illegible]. Deraso capillo *Cucurbitulam* vert[illegible] imponere utilissimum esse magnus Medi[illegible]us experientia didicit,

De Aquis vitæ mortiferis nihil dico, magna est varietas, in usu vanitas, atq; non minus interdum quam ebrietas, quæ hujus mali mater est, nocent. *Jo. Crato cons. 5.*

[120] *Curatur prout illa quæ &c.*) In soporosorum affectuum generali curatione diligenter observandum est, in iis qui fiunt à sanguine minus calefacientia medicamenta esse adhibenda, & v.s. largiori manu celebrandam, postea venam frontis aperiendam, Tum etiam purgantibus cholagogis phlegmagoga esse admiscenda. *Riverius.*

[121] *Curatur prout illa &c.*) Repellemus *Oxyrrhodinis* si caput admodum æstuare appareat, sed talibus quæ siccando potius quam frigiditate adstringant; caute tamen iis, ne materiam, si in superficie sit, intro pellamus utendo; proin & *Rondeletius* siccante tantum utitur. Cum tamen necessitas exigit tale fieri poterit,

℞. *aqu. r. sar.* ℥iij. *succi plantag.* ℥j. *vel aqua ejusdem* ℥ij. (quia hujus vis in sanguinis influxu inhibendo mira est) *aceti ros.* ℥j. *album. ovor. agitat. n. y. misce*, Olea ob laxitatem linquuntur. *Platerus.*

[122] *Sanguis tamen copiosus mitti potest*) Morbum attonitum maximum & velocissimum esse morbum certum est, cui maximum & repentinum remedium applicandum. Hoc vero sanguinis detractionem esse demonstratum, in qua nostri timidiusculi sunt, dum ℥vi. viii. aut plures vix auli sunt transgressi, Timor iste *Sennertum* hebet, qui *l. 2 p. 2. c. 33.* ob virium debilitatẽ in pituitosa sua apoplexia minus sanguinis censet esse mittendum: Timor hic puerilis, Nosse enim debuisset debiles attonitis esse vires, non per exsolutionem, ut contraindicare possint, sed per oppressionem & suffocationem. Omnéinq; morbum attonitum esse à sanguine obstruente, qui sive pituitosus sit, sive vaporosus, sive flatulentus, sive alius generis, largam tamen requirit vacuationem, sine qua morbus non solvitur. *Expedit hic*, ait Nymannus cap. 39. *ob fortem revulsionem plusquam in aliis morbis detrahere, Et si respiratio inde facilior fiat, agerque V. S. bene toleret, longè audacius emitti sanguis potest quam si nihil tale accidat.*

Ergo larga opus est sanguinis missione, quam præcipit *Hippocr. l. de V. Ac. tr. 37. Venam incidere oportet brachii dextri internam, & sanguinem detrahere plus minusve prout ex habitu & ætate ratio suadet* Nullam prorsus differentiam hic facit inter corpus plethoricum & cacochymicum, sed absolute tantum s.m. præcipit, quantum habitus & ætas permittunt, h. e. quantam æger in statu sanitatis sustinuisset absque insigniori incommodo. Neque enim satis mirari possum eos qui vires attonitorum ea præsente animalium actionum interceptione æstimant, cum perpendere debeant quales fuerant antequam morbo attonito æger corriperetur, Si enim tum fuere fortes, etiam in ipso morbo tam validas esse ut necessariam sanguinis detractionem possint perferre omnino eastimandum est. Ne vero ullus cacochymiæ, aut pituitosi corporis te urgeat scrupulus, eximit illum *Nymannus l. c.* inquiens, *In Cacochymicis corporibus & pituitosis si vires parum fortes ante morbi invasionem fuerint, cito venam aperire licet, nec quanquam corporis constitutio etiam frigidior moveat, nam ejusmodi* corporibus etiam *phlebotomiam præsentaneum auxilium attulisse experientia aliquoties comprobavit.*

Præclare *Fernelius 2. m. m. 11.* scribit *Ad extremum deveniamus virium robur ladi. utrum magis optandum fuerit, vel ut puer servata plenitudine succique copia interoat, vel ut ea imminuta, offensisque quodammodo viribus à morbo vindicetur?* Idem de senibus esto judicium.

Cum porro quantitas sanguinis detrahendi accurate definiri nequaquam possit, & vero sine larga s. m. indicationibus non possit satisfieri, prudentiæ Medici docti, rerumque usu obfirmati totum hoc negotium erit committendum, qui ponderare valeat sanguinis detrahendi copiam cum morbo, ejus causa, & viribus ante morbum præsentibus: Licet ergo Medico ratione & experientia instructo, in præcipiti morbo, ubi V. S. unicum est remedium, largam S. M. instituere, Certe quo major & contumacior est αἰμορραγία, eo majorem quoque esse debere sanguinis detractionem, nimirum tantam quantum vires ægri dum sanus adhuc erat, unquam permittebant, in confesso est æquis rerum æstimatoribus. *Cortummius c. 6.*

III. [123] Alia est [124] Apoplexia [125] *Levis*, quæ in paralysin alterius lateris fere desinit, & in qua respiratio aliquem ordinem servat.

Et hæc forte aliquando *Extracto Cheiri* cum spiritu vini curata est. De cætero, pulv. radic. pæoniæ cum *castoreo* eam efficacissimè solvit.

Alia est *Vehemens*, [126] in qua respiratio est violenta, inæqualis, inordinata ac intermittens.

Alia est *Fortis*, in qua respiratio est violenta, stertor auditur, & [127] spuma apparet, [128] quæ pauca est, si ab ipsa pulmonum humiditate ob vehementissimam cordis compressionem excitatur; multa, si ex [129] pituitoso humore flatu repleto, oritur. [130] Hâc mortuis apparent aliquando in pulmone maculæ lividæ, vel ob [131] Nicotianæ usum, si eâ delectabantur, vel repentinam adempto spiritu [132] suffocationem, ad quam loco vividi coloris lividus insequitur.

Alia est [134] *Fortissima*, in qua respiratio ad sensum aboletur.

[123] *Alia est Apoplexia levis &c. alia vehemens &c. alia fortis &c.*) Quando motus & sensus totius corporis perit est *Apoplexia*, *Hemiplexia* est *affectus talis dimidii corporis*, qui vel dextras vel sinistras tantum corporis partes afficit, à sagittali sutura usque ad perinæum. Et hoc est mirum quod una saltem medietas privetur sensu & motu, altera vero sentiat & moveatur. Addit his *Lindanus* spec[...] Apoplexiæ, quæ proprio nomine caret, quando *toto corpore perit sensus & motus, excepto tantum capite*, ubi quicquid infra collum est, manus, pedes, omnia sunt resoluta excepto capite, dum lingua loquitur, aures audiunt &c. quæ tamen species raro observata dicitur. *Ultima Apoplexiæ species* est *Paraplexia*, vel *Paraplegia* quæ tantum in uno alterove membro, majore vel minore contingit, ut sensus & motus in totum pereat & privetur. *Tres hos ultimos modos*, seu *species*, Authores passim referre solent ad Paralysin, sed ut recte *Lindanus* monstrat, *Hippocr. Aretæus*, & alii omnes antiqui, distinguunt Apoplexiam à Paralysi, Et quos affectus ea interna causa natos hodie ad Paralysin referimus, illi ad Apoplexiã retulerunt, Quod nisi fiat, haud commode explicari poterit quid sit *Apoplexia levis & vehemens*, dum *Hippoc. aph. 42. 2.* dicit *Apoplexia levis facile solvitur, Apoplexia vehemẽs nunquam sine febre.* Varie hic se torquent Commentatores, sed ea dictis explicatio facilis, dum *Vehemens apoplexia est illa totius corporis universalis*, de qua nemo curatur nisi febris superveniat; *Apoplexia* vero *levis* est, vel *Hemiplexia*, vel *Innominata*, vel *Paraplegia* levis dicta, respectu istius universalis. *Ettmuller.*

[124] *Alia est Apoplexia levis &c. alia est vehemens &c.*) *Galenus 3. loc. aff. ultimo.* Discerni ait *affectionis magnitudinem ex noxa quam spirationi infert magnitudine.* Unde tres tantum morbi attoniti gradus affert, *Cum enim naturalem ordinem plurimum egreditur, magnam, cum vero paulum impeditmenti est, parvam in cerebro noxam esse conjectandum est.* Sane omnium *pessima spiratio est putanda qua & intermittitur, & magna cum violentia trahitur, & sane mors contingit apoplecticos ob id quod spirare non possint, sicuti partium immobilitas ad*

vita quidem functiones inutilem reddit hominem, non tamen acutam infert mortem.

Quartum gradum addit *Comm. ad aph. 42. 2.* his verbis. *In Apoplexia totum corpus repente fit insensile & immobile, sola respiratione excepta, nam si & ipsa prohibeatur, maxima & acutissima est hæc apoplexia. Quicunque vero respirant quidem, sed cum maxima violentia,* forti *laborant apoplexia; Forti quoque,* sed minus, *laborant, qui quidem absque contentione & violentia, inæqualem tamen & inordinatam, ac præterea intermittentem habent respirationem: quemadmodum in quibus ordinem quendam servat* debilis *illa est, eamque si cito operatus fueris, fortasse cures.* Unica divisione Apoplexia *Hippocrates* contentus est, in Fortem & Debilem.

124. *Apoplexia levis*) Qua correpti mox ad se redeunt, qualem excitat *spirituum animalium conturbatio*, unde corruunt non raro homines. Hæc autē conturbatio ubi vehementem Apoplexiam producit, plerumque simul lethalis existit. In ea non minus quam cæteris Apoplexiæ speciebus mox sanguinem mittendum censeo; a cujus missione nisi ad se quodammodo redeat æger, cum ipso conclamatum jam esse arbitror, *Sylvius.*

125. *Levis quæ in paralysin*) Istius permutationis rationem vide supra cap. de Paralysi §. *Particularis cum certa pars laborat*) Ex *Emmullero.*

125. *Quæ in Paralysin*) Ideo spinæ quoque remedia adhibentur, ut materia deorsum feratur, affectus initio hoc Empl. applicando attractivum.

℞. *G. opopon. sagap. āā. ℨj. dissolvantur in aqua vitæ. adde sem. sinapi ℥ij. castor. euphorb. āā. ℥j. f. Empl. applicetur nuchæ,* & postea inungatur tota spina, deorsum ducendo manus oleis calidis illitas, quale est rutaceum. *Platerus.*

126. *In qua respiratio est violenta, stertor auditur, & spuma apparet*) Apoplexia est acutissimus & periculosissimus affectus, ut testantur *Aphor. 5. aph. 51. sect. 6 & 42. sect. 2.* Vehementia & periculum Apoplexiæ ex noxa quam respiratio affert inprimis cognoscitur; Nam qui moriuntur Apopl. suffocati intereunt; Unde quo liberior est respiratio eo minor est Apoplexia, & contra; In specie, si in tantum lædatur respiratio ut *spuma* circa os appareat, lethale habetur, secundum *Hippocratem sect. 2. aph. 43.* Strangulati & suffocati, non tamen mortui, ad se non redeunt quorum circa os spuma collecta apparet.

Multum hic litigant Authores, Optima est interpretatio *Lindani*; *Strangulatio hic non à collo, sed per eos intelligit hos quibus subito a causa interna respiratio intercipitur. Hæc à multis potest intercipi v. g. in suffocatione uterina: Itaque Hippocr. hoc vult, Potest respiratio intercipi & non redire, sed an reditura sit, cognosces, si spuma oriatur circa os, tunc certus esto eam suffocationem esse circa cor, à stagnatione sanguinis circa illud. Quando natura extremo conatu voluit sanguinem propellere, unde suborta in Pulmone spuma est, & ad os detrusa, & si aperto ore spuma prodierit, desperata res est. Hæc Lindanus.*

Nempe spuma non præcise mortis sed supremus viventium conatus est in talibus ægris. Omnis oritur ex aëris & humoris plus minus viscidi mistura, adeo ut etiam sanguis in spumam albam subrubicundam abeat, ad instar cerevisiæ obscuræ, per agitationem tamen cum aëre in spumam candidam abeuntis. Non ergo levia ista spuma periculosum adeo signum est quæ ex saliva intra fauces agitata oritur, & qualis in paroxysmis epilepticorum ordinario observatur; sed illa fere fatalis est quæ ex imo pectore, seu ipsis pulmonibus, ex sanguine plus minus stagnante, per aëris reciprocum motum attenuato, & ita in spumam rarefacto oritur, & ita in fauces foras ebullit; adeo ut observati sint in apoplecticis, quibus post mortem per os, nares & prominentes oculos fervida spuma prodierit, *Schenkio* in Obser. referente. *Emmuller.*

127. *Spuma*) *Galenus* ἀνώμαλον κίνησιν, motum inæqualem unam & præcipuam spumæ causam assignat; *Thomas à Verga* duas ponit causas, *flatum permixtum & calorem extimitum*, comm. in *Gal. 5. loc. aff. p. 420.* Ita rem definio, Omnis spuma est à quassatione aquei, quassatio ab agitatione spiritus, vel flatus, vel ejus quod utrumque mentitur, agitatio ab irritatione vel salsi vel acris, in suffocatis, vel, ut Hippocrates loquitur, ἐν τοῖς ἀποπνιγομένοις, in dissolutis, copia fuliginum intercepta tantum fervorem pulmonibus infert, ut propriam iis exprimat humiditatem: humiditas illa à fervore & acrimonia vehementer agitatur, agitando quassatur, hinc spuma est. *Cortnummius cap. 57.*

128. *Spuma apparet*) De iis quibus spuma apparet hæc habet *Hippocrates aphor. 432. Strangulatorum aut suffocatorum, nondum tamen mortuorum, iis quibus spuma circa os apparet, non recipiunt spiritum.* Comprehendit hoc aphor. *Hippocr.* omnes eos quibus calidum nativum suffocatione extinguitur, τοὺς ἀπαγχομένους eos vocat quibus laqueo manuve collum constringitur, quibus luxatione, tuberculo, aut quacunque alia de causa via respirationis constringitur: τοὺς πνιγομένους vero eos tantum quibus per morbum omnes functiones tam principes quam ministræ cessant, τὸ παραλυόμενον, proprie id dicitur, quod jam non viget amplius, sed cessat, si hoc de calido nativo vere dici potest, in propinquo mors est, hoc modo dissolvuntur inprimis attoniti, Nam quod in catarrho suffocativo quoque sensus & motus cessationem, mentisque prohibitionem cum spuma *Crato* cons. 19. viderit, nullus dubito quin levior quoque apoplexia fuerit conjuncta; In solo autem morbo attonito, nullo catarrho præsente, spumam *signum maxime mortiferum* Hippocr. adstruit aphor. cit. *non recipiunt ad se.*

Exemplum prostat apud *Tulpium l. 1. c. 6.* ubi [illegible], *Cum apoplexia simpliciter toto genere lethalis sit censenda, multo magis si cum spuma fuerit; Quare* Rhazes *respiciens apoplexiam vehementissimam dicebat,* q[illegible]o spuma circa os apparet ei non esse medendum. *Quamobrem, quia ob difficilem respirationem, & tardam & raram detinentur fuliginosa excrementa, quibus una cum pulmonis humiditatibus sursum feruntur in os, unde exspirando ex ore spuma, i. e. ex vapore & humiditate admistum corpus efficitur &c.* Cur vero in *Epilepticis* spuma sit non lethale signum ostendit *Jacchinus c. 14.* nimirum spumam illam tantum esse *ex multa musculorum mandibularum convulsione, unde & os egreditur.*

Jam vero quæritur, *An attonito spumanti absolute sit moriendum? Galenus* & alii pernegant, ipse ver[illegible] contrarium se observasse enixe contendit, ade[illegible]que [illegible]ueotissimum illud ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ample[illegible]itur. At vero non video cur nudum *Galeni* effatum certo *Hippocratis* experimento sit præferendum. Si enim spuma in attonitis ab ultimo naturæ conatu est, cum calidu[illegible] nativum jamjam debet suffocari, quæ hominem [illegible]andi spes reliqua, cum alias morbus attonitus [illegible] vix possit sanari? Mortem igitur certissime [illegible] autumo cum spuma in attonitis circa os ap[illegible] *Galenus* se spumantes quosdam restituisse g[illegible]ullus dubito quin catarrhus suffocativus, v[illegible] aliud quidpiam fuerit conjunctum, quod medenti imposuit. *Idem.*

[illegible]. *Quæ pauca est si ab ipsa pulmonum humiditate &c. multa si ex pituitoso humore flatu repleto*) *Spuma quomodo in Epilepticis, & quomodo in Apoplecticis generetur, ostendit* Heurnius *de morb. cap. c. 23.* In *Epilepsia* materia spumæ est sputum quod gignitur in imo palato, & vapida materia quæ est in pulmone, quæ remiscetur sputo, fitque à motu: Sed spuma in *Apoplecticis* gignitur ceu in strangulatis, nam ut dixi, materia ejus non est sputum, sed propria humiditas pulmonum. Non tanta vi concutitur

tur pulmo ab hac lucta, quæ in suo regno celebratur, ab acri fuligine, in illa impotentia exsufflandi, ut ea fuligo madores tenuiores pulmonis una rapiat: Etenim incanduit ab æstu cor, & resolutum corpus ægre respirationi sufficit, unde fit motus violentus; Quare non per se spuma denotat calamitatem, sed quatenus interceptam valide respirationem significat. Nam Apoplecticorum spuma fit à motu & calore, ut in Epilepticis à solo motu.

Hac de re gravissime, ut de omnibus, censet *Tulpius l.1.Obs.6.* Spuma, juxta *Actuarium*, est spiritus & humorum mixtio; Hisque in morbo attonito, vel ex destillante & capite pituita per aërem rarefacta, vel ex spirituoso oppressi pulmonis vapore. Priorem spumam plane innoxiam declarat cottidianus spumosæ Epilepsiæ reditus. Sed alteram lethalem repentina apoplecticorum mors, orta proculdubio ex adempto spiritu, sine quo ne momentum quidem subsistit homo; quippe hanc spumam non producit pulmo nisi summe laborans, sive à resolutione humidi sibi cordique insiti, sive à spiritibus ob retentos vapores impeditamque respirationem adeo effervescentibus, ut in extremo dissolutionis metu sit calidum innatum.

130. *Pituitoso humore flatu repleto*) A *flatibus* oriri morbum attonitum statuere videtur *Hippocrates l. de morbo Sacro. Fiunt quoque, ait, Apoplexia, eaque sanguinis flatulenti culpa, Nimirum quando is frigidior & copiosior existens in carnes se insinuaverit, easque inflant, stupida enim fiunt ista corporis partes; Siquidem igitur plurimum sanguinis flatulenti totum cerebri corpus permeaverit, totus homo fit attonitus, si vero partem aliquam, pars illa.*

At ego *flatus* nomine nihil aliud accipio quam sanguinem flatulentum, Nam modum ostensurus *Hippocrates* quomodo fiat morbus sacer, aperte dicit illum fieri *cum multus spiritus per omne corpus omni sanguini permixtus fuerit multe obstructiones fiunt multifariam per venas*; Morbum tamen istum paulo ante dixerat fieri à flatibus. Quid ergo hic aliud sunt Flatus sanguini permixti, quam sanguis flatulentus? Antea hoc ipso libro docturus *Hippocr.* quomodo capitis dolor originem suam debeat sanguini flatulento, Flatus & sanguinem conjungit. *Cooperans ipsi* (aëri) *sanguis est.* Quid hoc aliud est quam dicere velle flatum contineri in sanguine, vel ei esse permixtum, vel sanguinem cephalalgiam inducturum esse flatulentum.

Patet ergo *Hippocr.* per flatus, textu citato, intelligere sanguinem flatulentum, utpote ad obstruendum valde idoneum; Si hæc non arrident, Dic flatus ibi habere rationem causæ procatarcticæ, sanguinem vero antecedentis.

At quid fiet de *carne?* Estne caro musculosa subjectum seu locus affectus morbi attoniti? Dic aliam esse carnem musculosam, specialiter ita dictam; aliam esse viscerum & vasorum, de qua heic sermo est, nimirum cerebri & vasorum ejus. Non enim insolitum est *Hippocrati & Aristoteli*, viscerum & vasorum substantias, imo ipsam cutem, vocare carnem, teste *Spigelio.8.Anat.1. Cortmmmius c.27.*

131. *Hac mortui*) Pulmonum vitium in Apoplexia demortuis deprehensum, affectus progeniem [illegible] censet *Wepferus*, quatenus thorax & pulmones sufficientem spirituum animalium copiam ad motum non admittunt, quo fit ut cum sanguis libere non circuletur in Pulmonibus, in his moram trahens, concrescat & corruptionis notas ab obitu exhibeat.

132. *Vel ob Nicotiana usum*) Juvenis temulentus, ictus vehementer in pectore, concidit repente attonitus. In aperto cadavere pulmo repertus habens plurimas lividas maculas, adscribendas, vel repentinæ suffocationi, vel nicotianæ crebrius assumptæ: Ad suffocationem quidem maculas hasce suadebat cum spumæ, tum livoris natura, hic enim sequitur vel extinctionem vel interceptionem spiritus ac caloris vitalis. Potuit itaque hæc repentina suffocatio, has quidem produxisse maculas, sed rarius cum occurrant in eorū pulmonibus quos occidit morbus attonitus, & contra frequentius in illis quibus Nicotiana fuit in deliciis expendendū, An fumus ipsius offendit Pulmones? calida est planta, imo acris, sive natura sive arte, à pulvere euphorbii, pyrethri &c. insperso, quorum omnium vapore verisimile est offendi pulmones; immodicus namque calor, ut exhaurit humidum radicale, sic obscurat nebulosus ipsius fumus non parum illustrem nostræ vitæ spiritum, imo suffocat tam efficaciter cal. innatum, ut instar tabidorum (qui ex *Galeno*, à siccitate consumuntur) plane extenuentur cum tussi perenni & infatigabili spiritus difficultate, quæ duo arguunt inextricabile oppressi pulmonis vitium. A quo equidem plurimos qui dies ac noctes cum hac Helena transegerant, vidi pessundatos. *Tulpius l. 1. c. 6.*

133. *Suffocationem*) Suffocationis periculum apoplexia gravi laborantibus, quia non tantum ob respirationem impeditam anguntur, sed & ob impedimentum quod dentibus mordicus constrictis, ore clauso, aëri liberiore transitus interclusus sit, imminet. Idcirco dentes subito erunt diducendi, & si non facile cedant, instrumento per vim intruso divellendi, eóque interposito ne rursum recludantur cavendum, quod & ne illud mordendo abscindant, durum esse oportet; cui rei vel os, vel lignum durum, quodcunque primum occurret, inserviet, (*vel quod satius, corium densum, cujusmodi est è quo solea conficiuntur, ne dentibus injuria inferatur*) Quæ si dentibus jam constrictis intrudi nequeant, *ex tempore instrumento*, ad id parato, dentes dirimendi, & interposito, ut jam dictum, ne jungantur, continendi. Vel sine sic quidem disjungi queant, *dens unus* alterve *evellendus* erit, corpus sic deinde collocandum ut *thorax* minus compressus liberius moveri queat: non tamen illud vehementius dum movetur, erit agitandum, unde spiratio cita sequitur, quam cum non possint perficere citius, ut sæpe incuria fit, suffocantur. *Platerus.*

134. *Fortissima, in qua respiratio ad sensum aboletur*) Maxima illa & acutissima apoplexia, quam sine ulla respiratione concipit *Galenus*, non ad morbum attonitum, sed syncopen cardiacam pertinet, quæ nullam admittit curationem, absente stertore insomni, vero morbi attoniti charactere: Nam si summus morbi attoniti gradus respirationis absentia metiendus est, quomodo vivent fortissima apoplexia correpti, cum tot ægrorū historiæ testentur non in ipso morbi insultu extingui? *Impossibile enim videtur animal omni respiratione exacte privatum amplius servari*, ait *Galenus 3. loc. aff. 1.* nam non aliam ob causam respiratio adeo necessaria est quam ob naturam ignis vitalis qui vult refrigerari. Quomodo ergo dicit in fortissima & pessima apoplexia respirationem prorsus abesse? Dicunt quidam respirationem in summo morbi attoniti gradu abesse ad sensum, Verum hoc modo *Galenum* præcipitant in scyllam, tacite accusando morbi attoniti cum syncope & uterina suffocatione confusionem, Nam cum ex historiis constet nonnullos, qui fortissimo morbo attonito extincti credebantur, in ipsis sepulchris evigilasse, nullum mihi dubium est Medicos ad hujusmodi ægros ingressos sinistre de morbo judicasse, & attonitos pronuntiasse qui non fuerunt; Omnino autem impossibile est veram Apoplexiam esse posse sine stertore insomni, quia natura quidem partes suas heic tenere cupit, & respirationem molitur, non potest autem perficere, quia deest alterum illud ad respirationem implendam necessarium, nimirum spiritus animalis in musculis thoracicis, quapropter thorax adeo laboriose attollitur,

hinc aër maxima cum difficultate & strepitu attrahitur, quem stertorem vocamus. Ad historiam autem pro mortuis elatorum respondeo adstantes, & ægris famulantes, omnem respirationis absentiam non satis accurate observasse, cum hoc longe difficillimum sit recte dijudicare, etiam ipsi Medico aliquando, si non satis cautus sit & exercitatus &c. Hinc manifestum omnes eos qui vetant attonitum ante tertium diem sepeliri, symptomatum quorundam similitudine deceptos diversissimos morbos, syncopen, uterinam præfocationem, morbum attonitum & similes oscitanter confudisse. *Cortummius c.3.*

De Symptomatibus Excretorum.

CAP. XXXII.

De Catarrho.

1. SYmptoma Excretorum est [2] *Catarrhus,* [3] *qui nihil aliud est, quàm humoris excrementitii, ob læsam cerebri coctionem geniti,* [4] *è capite* [5] *in subjectas partes defluxus* [6] *ab intemperie, vel nimia repletione expultricem irritante, procedens.*

[7] *Signa* sunt *Imminentis*, capitis gravedo, oculorum hebetudo, sensuum torpor, sternutatio &c. [8] *Præsentis* sensus destillantis humoris, tussis, sternutatio crebra &c.

1. *Symptoma Excretorum est catarrhus*) Ad quam symptomatum classem pertineat non liquet, cum *Galenus* inter symptomata quæ in excretis consistunt, sed alii ad læsas variarum partium solidarum functiones referant. Placet nobis *Rolfincii* [illegible]. qui Catarrhū recte referri posse ad symptomata *actionis læsæ*, si quis tamen eūdem symptoma ex *actione læsa* & *mutato excreto* complicatum cōstituat, se non repugnare dicit. *L. Straussius Pal. med. Gymn. 13.* Cerebri symptomata plethorica quatuor enumerantur, κεφαλαλγία, ὀξυφωνία, [illegible] & [illegible], quorum tria priora in cerebro, posterius autem, nimirum Catarrhus, à cerebro, quatenus Cerebrum non animalem sed naturalem facultatem participat. Est enim Catarrhus symptoma secundarium, sive ἀμετρία in excretis, pendens à vitiata naturali cerebri actione, Etsi respectu loci in quem decumbit causæ morbificæ conditionem adipiscatur, sicque ad plures quasi tribus pertineat. *Anton. Menjotius Dissert. de Catarrho p.m. 193.*

2. *Catarrhus*) [illegible], secundo flumine navigare, Ex duabus illis vocibus fit una, [illegible], non autem [illegible]. Porro cum τὸ ῥεῦμα idem sit quod dictus [illegible], apud *Galen. 7. K. T. 4. & 5.* & alibi, & uno verbo [illegible], sunt morbi quicunque ex distillationibus fiunt, non tantum à Natura expellente, sed & à medicamentis acribus, v. g. scammoniatis &c. ad locum affectum debilitatum euntibus, quod de Colica scimus, ex 12. meth. 7. Hæ [illegible] vocantur [illegible], cum in latissima significatione vox sumitur, 3. aph. 12. ausim dicere & [illegible], [illegible] vocatas fuisse.

Quorsum hæc? Ut duo patefaciam, Alterum obscuritatis causam in hoc genere morbi præcipuam esse multitudinem appellationum, cum enim veteres idem sentirent, sed non iisdem verbis describerent, factum est ut una res multiplex videretur; *Alterum* cum omnes hæ appellationes concurrant in hoc unico, quod præsupponant anastomosin quandam, conjunctam cum amplitudine quadam ipsorum vasorum, tam difficile non esse judicium, ut vulgo putatur, quid sit illud in quo concurrant, *viarum scil. laxitas*, Ad hanc imprimis nos ducit Τὸ κατὰ ῥόον, *secundo flumine*, ut enim aqua semper descendit recta, quatenus alvei rectitudo permittit, ita catarrhi modo recto itinere eunt, modo in transversum rapiuntur, qua data porta. Ita αἱ [illegible], non hypochondriorum tantum, sed & reliquæ omnes, fiunt laxatis vasis, Ita apostemata, sive apoteemmata, & in universum metastases humorum, transpositiones, sive per [illegible] fiant, sive per [illegible] præsupponunt iter minime impeditum.

His omnibus morbis accidit ut quo magis studemus evacuationibus & revulsionibus, eo magis irritemus humores. Quæ causa est? Non eunt qua nobis placet, sed qua via patet, argumento [illegible] viarum laxitatem morbum esse proximum, Cur igitur utimur talibus? Ut imminutis humoribus malum fiat brevius. Utimur autem non semper sed cum occasio fert. *Hofmannus Inst. l. 3. c. 103.*

3. *Qui nihil aliud est*) [illegible] & [illegible], quem etiam [illegible] & [illegible] vocant, latissime sese pandit, significatque omnem affluxum materiæ, & quacunque parte procedat, & cuicunque illabatur, Quo sensu plerique morbi catarrhorum decuriæ adscribendi erunt: Attamen si quis velit [illegible], veris tantum defluxionibus, seu destillationibus, per quas humor è capite [illegible] appellationem tribuat, cæteras vero humorum hinc inde migrationes [illegible] nomine vocat. *Menjotius Dissert. de Catarrho p. 197.*

Catarrhi vox aut latissime sumitur, cùm ut est *aphorismo* duodecimo sectionis tertiæ, significat omnem è capite versus inferiora fluxionem, & comprehenduntur non catarrhi tantum suffocativi, sed & pleuritis, peripneumonia, angina, asthma, quin dyspepsia quædam, diarrhœa cerebralis, dysenteria, cholera, arthritis, scabies, omnis dispositio rheumatica: aut *Late*, cum ad partes faciei utique tantum adstringitur & comprehendit sub se Coryzam & Branchum. Tum vero Catarrhus specifice dicitur cum materia ad oculos ruit ad aures, ad subjectas sibi glandulas, dentes, linguam, [illegible]. Gravedo, cum ad nares, [illegible] raucedo cum ad guttur. *Hofmannus ibid.*

Catarrhi vox in sensu Hippocratic[illegible] quicunque decubitus alicujus humoris dicitur ab [illegible]m *Catarrhus*, adeo ut Diarrhoeæ, Diabet[illegible] & alii similes morbi *Hippocrati* Catarrhi audiant. [illegible]erum proprio sensu *Catarrhi* voce innuitur Decubitus, seu depositio seri aut ichoris tenuis, seu serum hoc sit mite, seu acre, ad aliquam certam determinatam partem: & hoc est proprie *Catarrhus*, nempe *præternaturalis à sero plus minus vitiato, in quacunque parte facta alteratio, seu functionum læsio.* Ennulle[illegible].

4. *E capite in subjectas partes*) Veterum hæc est hypothesis, qui asserunt in Catarrho interno serum cumulatum in capite ex eodem destillare per foramina ossis cribrifor-

cribriformis in partes inferiores, easque inferiores nares, fauces, oculos, aures, pulmones &c. In *catarrho* vero *Externo* destillare idem serum inter membranas cranii extimas in totam corporis peripheriam, etiam ultimos artus usque, à quibus defluxionibus tantum non omnes morbos, in specie arthriticos affectus deducunt. Serum istud in capite colligi voluerunt, partim ex intemperie ejus frigida, partim humida, idque primario ex vitio partium inferiorum, in specie stomachi ac jecoris, Nam stomachus ex intemperie frigida copiosum phlegma generat, Jecur vero ex intemperie calida incumbens stomacho istud phlegma in vapores & fumos resolvit, qui copiose ex ventriculo exhalantes & evaporantes, in cerebro, tanquam alembico collecti, & à loci frigiditate denuo condensati, in humores. seu aquas serosas condensantur, unde successive quasi depluendo inferunt catarrhos. *Etmuller.*

5. *E Capite in subjectas*) Duplex subjectum innuit Catarrhi definitio, unum *Collectionis* sive *in quo*, alterum *Defluxionis*, sive ad *Quod*, Illud *Caput*, hoc vero *subjectæ illi partes* constituunt eademque fidelia *partem Mandantem* & *Recipientem* delineant. Capitis nomine Cerebrum intelligitur, quod *Hippocr.* μητρόπολιν τῶν ὑγρῶν statuit, nec non *Galenus qui l. 2. de diff. febr.* Cerebrum pituitæ & catarrhorum, tum qui *per essentiam*, tum qui *per consensum* generantur, fontem agnoscat, *Helmontius Tr. Catarh. deliramenta*, execrandam medicinæ hæresin dicit hanc opinionem, quem sequitur *Schneiderus l. 3. de cathar.* Quoad *subjectum Defluxionis*, sive *Partem Recipientem* spectat, hanc *partes capiti proxime subjectæ* constituunt. *Stranssius.*

5. *E Capite in subjectas partes*) Radix humanorum morborum caput, atque ex eo maximi morbi oboriuntur. *Hippocrates Epist. ad Regem Demetrium,*

6. *Ab intemperie*) Humores sunt causa *proxima* seu antecedens, *Remota.* quæ gignit illos, est omnis *Intemperies*, sed præcipuæ duæ compositæ, *Calida & humida*, *Frigida & humida.* Calida & humida, non omnis, sed quæ in vivo est, in qua qualitates istæ duæ non habent debitam proportionem, sed præponderat alterutra: hinc sanguinei sunt fœtidi & mucosi arietes: De *frigida & humida*, nemo dubitat; valde enim caput impletur propter debilitatem. Nolim vero prætermitti reliquas, licet rarius locum habeant. *Frigida & sicca* multa etiam gignit excrementa, ut videmus in senibus. *Calida & sicca* tandem est in causa, non quia blennam generat, sed quia serum, cujus semper magna copia est in capite, ibi salsescit, & concepta putredine incalescit, unde catarrhi valde periculosi, phthises. *Hofmannus l. c.*

7. *Signa sunt imminentis*) Diagnosis dirigitur ad *subjectum, morbum & causam. Subjectum*, vel corpus obnoxium, indicant rara corporis & capitis textura, facilem aëri frigido vel calido penetrationem præbens: Tum eadem textura nimis densa, liberam transpirationem impediens. Cerebrum frigidum & debile, vapores transmissos discutere non valens, vel proprium alimentum sufficienter non concoquens: Idem cerebrum calidum vapores copiosos attrahens; ventriculi & hepatis ἀντίπαλαι, ut unum sit calidum; aliud frigidum.

Imminentem prænuntiant causæ prædictæ, somni longiores, emunctio narium, exputio solito copiosior, alvi segnities, flatuum copia &c. *Præsens* humore à cerebro defluente se prodit, vel tumoribus ac doloribus in partibus quas invadit.

Si ab humore frigido catarrhus excitetur, aderit sensus frigoris, faciei pallor, sapor pituitæ dulcis, ructus acidus, materia viscosa vel saquosa, & universum temperamentum corporis pituitosum. *Calidum* humorem distillantem ostendunt rubor faciei, sitis, salsedinis vel acrimoniæ sensus in ore inflammationes, dolores vel ulcera in partibus affectis, temperamentum totius biliosum. *Riverius.* Vide §. 8. *Præsentis.*)

8. *Præsentis*) Omnibus Catarrhis interdum sociata est *Febricula*, plus minus intensa, ob id *Catarrhalis* dicta, provenit majus vel minus vitium lymphæ, præsertim glandularum conglobatarum, sanguini in axillarem sinistram infuso junctum fuerit. Hinc enim effervescentia febrilis major aut minor excitatur, & vespertino aut nocturnu tempore præsertim hæ febriculæ exasperantur, & prægressis levissimus dorsi refrigerationibus subinde sunt molestæ.

Symptomata *alia* quæ comitantur Catarrhos pro partium affectarum varietate variant, In genere tamen præcedunt eosdem utplurimum *gravitas capitis sensuum torpor, artuum lassitudo, refrigeratio & horripilatio dorsi, levis febricula* &c. Tussis, raucedo, sputum copiosum & similia cum febricula augmentum capiunt, hinc supervenientia excreta varia per nares, os &c. vel pathemata ejusdem partis dolorosa, quæ præsertim vespertino aut nocturno tempore exasperantur, ipsum catarrhum jam factum comitantur. Quandiu serum catarrhi est tenue & acre, vespertino aut nocturno tempore magis affligit. Dum vero crassior aut viscidior lympha peccaverit, æqualiter fere omni tempore affligit.

Intensiora porro omnia sunt symptomata in *calido catarrho*, contra remissiora in eodem *frigido* dicto. Præ cæteris *affectus catarrhales Scorbuticorum* contumaces sunt ac crudeles, & qui correcti licet in uno loco, superstite tamen in massa sanguinea & ventriculo fomite, subinde alio in loco denuo scaturiunt. Quod si *externam præcedentem læsionem* insequuntur, facile hoc manifestum evadit. Quod si ex *interno* particularis cujusdam partis cujusdam vitio originem ducant, crebrior recidiva, & mutationis tempestatum, aliis imperceptibilis, prompta sensatio, partem ipsam vitio spiritus insiti debilitatam, & ita, & particulari vitio catarrhali obnoxiam innuit.

Quod si ex *dyscrasia sanguinis & seri*, aut vitio *digestionis in ventriculo* oriantur catarrhi, crebriores catarrhosi affectus hoc fere persuadent; Aut quando iidem ex uno loco remoti in vicino se denuo manifestant, Aut si tales ægri sunt *sputatores*, quando multum sudant, & de ventriculi digestionis læsione subinde conqueruntur. *Etmuller.*

9. *Causa* est [10] humor *pituitosus* [11] aliquando *insipidus*; aliquando [12] *acris*, [13] *salsus, acidus*, malè coloratus; [14] aliquando *corruptus* & substantia peccans: qui 1. [15] *Generatur*

Aut [16] *in cerebro*, [17] concoctionem læsam, [18] seu vitio ipsius cerebri, seu vitio alimenti.

[19] Aut *alibi*, [20] & eo mittitur præsertim in iis, qui [21] vel cerebrum habent frigidum, ventriculum & epar calida; [22] vel hæc frigida, cerebrum verò calidum.

[2]1. [23] *Movetur*, [24] vel ab *expultrice* irritata.

[25] Vel [26] à causis *calefacientibus*, [27] quæ humores attenuant, & [28] vias rarefaciunt.

Vel à [29] Causis *frigefacientibus*, quæ aut [30] humores in cerebro exprimunt; aut [31] fuliginibus recentis & aucto calore liquant.

Vel à [32] Causis *concutientibus*, [33] quæ cerebrum validè movent.

III. [34] *Defluit*, [35] ratione *Termini à quo*, [36] Aut è *partibus sub calvaria* positis, [37] cerebri potissimùm ventriculis.

Aut à [38] *partibus capitis extra calvariam*, potissimum [39] sub cute verticis, quo venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema desinunt.

Ratione [40] *Termini ad quem*, [41] Aut ad *partes internas*, [42] pulmones, [43] nares, ventriculum &c. [44] Aut ad [45] *externas*, [46] non tantum [47] inter cutem & carnem, sed etiam per venas & arterias, ac musculorum, venarum, & nervorum continuitatem.

9. *Causa est humor Pituitosus*) Causa proxima sunt humores excrementitii falsi, melancholici, biliosi, serosi, quocunq; demũ nomine appellari gaudeant, facultaté expultricem ad expellendum stimulantes, qui cómuniter uno Pituitæ verbo insigniontur. *Rolfinkius consil. 1. l. 3.*

10. *Humor pituitosus*) Eo nomine oon sunt culpandi veteres quod *Serum*, statuerint *materiam catarrhorum*, utut *Lympha* vitiosæ moderni hoc adscribant, Nam *Serum Veterum* collectum est *latex Helmontii*, & hodierno loquendi modo *Lympha* est, *Serum* autem *catarrhorum est materia*, quoties nunc *immediate ex arteriis* cum sanguine excretum, & in motu suo plus minus impeditum, & in spatiola partium mollium effusum, etiam varios affectus, quos vulgo pariter *catarrhos* appellant, refert; *Nunc* vero, idque primario, *mediate*, mediante nempe sui in lympham mutatione, & hinc ex Glandulis conglomeratis in certa loca effusione, *Catarrhos proprie dictos*, seu *defluxiones*, aut rectius loquendo cum Modernis, *Influxionem* constituit. Adeóque *proprie dictorum catarrhorum materia est Lympha Glandularum conglobatarum*, tam naturaliter quam præternaturaliter constituta, copiose & inprimis uberius in partes effusa. *Emuller.*

Causa mediata, & ea quidem *proximior*, in *Hippocr.* & *Galeni* scholis mediante doctrina de Humoribus exponitur; Ubi quamquam & *Sanguinis*, & *Pituita*, & *Seri* frequens occurrit mentio, tamen nec rationi, nec experientiæ vis infertur, audivimus enim à Recentioribus quoque catarrhos ex *massa sanguinea* deduci, in quo sane pro diversa ejus *διάθεσι*, humores tum *alimentares*, tum *excrementitios* varie peccare posse res ipsa loquitur. Ubi quidem, cum *prima* duntaxat *qualitates*, vulgo adduci solitæ, rem non expediant, facile accedemus illis qui qualitates quoque *secundas* vel *tertias*, h. e. *particulas* humorum *salsas*, *acres*, *fuliginosas*, *acidas* &c. adeoque *Lympham tenuiorem* & acriorem, vel *acido salsam*, uberius è *glandulis capitis destillantem*, cum *Sylvio* l. 1. Pr. c. 19. §. 9. sumere atque introducere voluerit.

Quare vasis sanguiferis quoque, præsertim *arteriis*, suus merito hic conceditur locus, etiamsi non immediate *lympham* ad partes addocant; sed ipsum vasis potius lymphaticis competat. Interim maximam *vasorum lymphaticorum* abundantiam, tum in anticamera quasi cerebri, circa *palatum*, *labia*, *buccas*, *parotides*, *oculos*, tum in ipsa cerebri substantia extare *αὐτοψία* monstrat; quæ vasa hic terminari, neque intimius admitti, quis dixerit? Sane ut munere hic suo superfluam Lympham ad cor revehendi neutiquam cessant defungi, ita quoque quin in *cerebro Lympha* abundare possit non est ut quis amplius dubitet; Patet hinc quantum negotii plethora & cacochymia facessere valeant, dum viæ ob has variis modis obstruuntur, sicq; naturali *Lympha* cursui remora injicitur. *Laur. Straussius.*

11. *Aliquando insipidus, aliquando acris &c.*) Evacuatio hæc se dum habet *Bene*, omnia salva. Bene autem se habet si secundum *Essentia modum* consideratum hoc retrimentum respondeat, 1. in *quantitate* assumptis, 2. in *qualitatibus primis*, non sit alienæ qualitatis particeps; In *secundis*, nec sit justo crassius nec tenuius, *Colore* albicans, vel ad flavum vergens. In *sapore* nec salsum nec putridum, nec insipidum: Bene etiam habere judicatur si consideratum quoad *Exeundi modum*, exeat citra molestiam, & *Temporis* ratione, oon continuo, sed sensim, partius vicibus. *Loci* ratione, partim per nares, partim per os; per nares emunctione, per os salivatione, per fauces screatu.

Male se habet retrimentum hoc si p. n. [illegible] evacuatio hæc per *arterias*. Recedere autem potest à statu naturali secundum propositos modos omnes, vel plures, vel aliquos solum, *Essentia* ratione retrimentum hoc à naturali statu recedit, si biliosæ, melancholicæ, pituitosæ, salsæ se permisceant atomi: Salsum hoc arteriosum retrimentum fit nonnunquam ob duas à *Galeno 2. de diff. febr. c. 6.* assignatas causas, putredinem & torsæ humiditatis admistionem.

Chimici ad salium, quæ à reliquis principiis in officio non continentur suo, actu in arterioso sanguine prædominantium *ἀταξίαν* confugiunt. Male se habet hoc retrimentum *Essentia* modum si consideremus, *quantitatis*, *qualitatis prima aut secunda*, *exeundi modi*, *temporis & loci* ratione. Si itaque copia, si qualitate prima vel secunda, *ὀσμῇ*, salsedine vel virulentia peccet, sanitatis limites egreditur; Contrahit vitium hoc Catarrhus ex toto corpore, per venas ad cor delatis, nec per emissaria ordinaria ante evacuatis cruditatibus. *Rolfinkius Dissert. Anat. l. 6. c. 56.*

12. *Acris, Salsus*) Ejectamentom istud cerebri, aut *serosum*, est ac proinde mordax, nam serum omne, gustu judice, sale aspergitur; aut *pituitosum*. Pituita iterum, vel quo ad *substantiam* tenuis est, crassa aut viscida, vel quoad *qualitates* insipida, dulcis, acida, amara, acris, aut salsa, quanquam enim apud *Hippocr.* sit *arx & quasi matrix frigidi atque glutinosi*, hoc tamen recrementum phlegmaticum, primæva temperie frigidum & humidum, alienas caloris, siccitatis, amaritudinis, acrimoniæ vel salsedinis qualitates conquirit, seu à bilis serive mistura, seu ab adustione, seu à putredine, ob longiorem in cerebro stationem comparata; Hanc ob causam quibus cerebro humido siccæ sunt nares, illi in catarrhos serinos propendent; ac omnis tempestas acerrima & Aquilonia, Austrinam excipiens, iisdem catarrhis ciendis est aptissima, ob soppressi excrementi conceptelam. Itaque pituitosus humor ut mora crassescit, lentoremque mucilagineum trahit, à naturali loci calore, sic à caliditate præternaturali putret ac [illegible].

Dicat quis Salsedinem putredinis sobolem non esse, cum è contrario salsedo tueatur à putredine, pluraque corpora putria fatua sint & insulsa, ac omnia salsa fere sint imputria, Respondemus in primis quidem putredinis gradibus, quamdiu mistum plurima aqua madidum est, nullam apparere salsedinem sed in putrefactionis progressu, evocata jam alite mixti aqua, sive phlegmate, ut loquuntur Chymici, relicto [illegible] m ejus sale, ut pote fixiore, magisque reside, [illegible] em in rebus putridis, non minus quam in amb[illegible] sensibiliter manifestari. *Menjotius p. 206.*

13. *Aliquando acris, salsus, acidus*) Humor Catarrhum pariens ut plurimum Lymphaticus [illegible], qui salsedinem facile ac frequenter contrahit, ab Aëre frigido & aspero, calefactum & sudore diffluens universum corpus, & caput præsertim penetrante, Gravedinemque, h. e. Gravitatis sensum molestum, non tantum in Capite, sed in artubus quoque patiente. Unde sicut per nares postea distillat in subsequente coryza liquor salsus, ita simul in tuoc, h. e. *salsum humorem in conglobatis glandulis* passim produci, atque tum in corporis habitum, posque musculos effundi, tum per vasa Lymphatica cor versus

propelli

propelli non tantum rationi, verum ægrorum quoque afflictioni tunc sæpe urgenti, adeoque experientiæ videtur consentaneum. *Sylvius prax. l. 1. c. 18.* Si serum, ob διάλυσιν [illegible] receptum habeat adjectum sal aliquod fixum, vel ab aëre communicatum, vel in ipso sanguine aut sero genitum, tunc oritur dolor ille pungitivus, & obstructio augetur, quia sal illud flecti nescium contrahit partes quascunque membranosas. *Joh. Dolaus Encycl. p. 215.*

13. *Salsus*) Neq; prætermittendus Catarrhus *Amarus*, qui necessario calidus non est, ni cætera signa suffragentur, Nam quemadmodum nigredinis inter colores, sic amaroris inter sapore, tanta est ἐνέργεια, ut in minima quantitate plurimam inficiat materiam, quod patet ex modica fellis vel aloës portione multo melli aut lacti commixta; Potest itaque pituita dulcis paucæ bilis mixtione amarescere, nec interim suo spoliari frigore, quomodo friget cichorium, etsi quædam ejus portiunculæ amarulentæ sunt atque calidæ. *Menjotius.*

14. *Aliquando corruptus & substantia peccans*) *Causæ interne irritantes* & ita occasionem Catarrho subministrantes sunt vel in *ipsa parte*, vel in *sero* seu *lympha* effusa, Ibi est aliquid præter naturale, ut plurimum *acre*, ex digestione privata enatum, quasi fermentum, hostilis irritationis occasione, lymphæ ex loco vicino effusionem inducens. Hujus exemplum sit character phthiseos hæreditarius, successive phthisin catarrhalem inferens, Vel Acidum istud fermentum circa dentium vitiatorum radices hærens, dolori, tumori, ac similibus pathematibus catarrhalibus occasionem præbens. Hinc etiam ipsa *Lympha* præternaturali *acrimonia acido salsa* affecta, dum per partes distribuitur, eas irritat, ac dolorem commovet, & ita ad uberiorem sui excretionem stimulat. Inter causas talias lymphæ vitia disponentes, imprimis consideranda *stomachi digestio*, dum nempe ventriculus impotens non sufficit digerendis ingestis, sive quod ejus fermentum sit nimis iners, sive quod ipsa assumpta, imprimis potulenta copi[illegible]a ejus vim infringant, idque tum inprimis quando a[illegible]edit pauca urinæ excretio, aut imminuta sensilis sudatio, vel insensilis transpiratio.

Hinc nimirum præter frigus ambientis, ex imminuta insensibili transpiratione, frequentiores in hyeme sunt catarrhi quam aliis anni temporibus. Qualescunque fuerint causæ, quando dictis ex causis in ventriculo non rite concoquuntur assumpta, sed chylus emergit aquosus, nimis salsus &c. ipse etiam sanguis & serosior & [illegible]crior generatur, inde necessario etiam lympha quibusvis in glandulis vitiose elaboratur, Unde & Tabes ex acrimonia sanguinis, raucedines, tusses, coryzæ, similesq; ex acriori lympha orti affectus catarrhales, aut præcedunt, aut comitantur, Quas tabes à destillationibus ex capite oriri errones existimarunt Veteres. In specie *scorbutici* obnoxii sunt acribus & corrosivis, vitio sanguinis & seri natis, cum & lympha salivalis adeo acris sit in iis, ut gingivarum fibras rodendo eas flaccidas reddat omninoque hinc exedat, unde & aliarum glan[illegible]ularum lymphæ similiter affecta non raro dabit catarrhos. *Etmuller.*

15. *Generatur aut in Cerebro*) *Hippocrates* & *Galenus* Ca[illegible] originem in cerebro statuunt, *Schneiderus l. de Catarr.* totus in eo est ut Catarrhos non ex Cerebro, sed ex *massa sanguinea* oriri demonstret: sed etiamsi quæ pro *sanguinea massa* dimicat ὑπόθεσις atque opinio à nobis in totum non rejicitur, qui inter *fontem catarrhi universalem* & *particularem* probe distinguere, & suum cuique tribuere novimus (dum non tam *causa* quam ipsius *catarrhi*, & hujus quidem non omnis, sed quoad *Destuxiones capitis* pot[illegible]imum hic considerati, *subjectum* adducere laboramus) tam vile & nullius momenti cerebrum esse arbitremur, impetrare à nobis, quamdiu cerebrum sero perlui certum est, neutiquam possumus, unde etiam Recentiorum plurimi Seni Cro [illegible] imo maximam Glandulam esse, *lib. de Gland. sect. 7. a. 1. & 5.* asserenti subscribunt, illudq; congrue satis *Fontem lymphæ particularem* in ventre superiori, (aeque ac in infimo Hepar) & consequenter Catarrhorum dici posse ingenue fatentur.

Et sane, si quis ea quæ de viis, quibus aqua seu ex cerebri ventriculis per glandulam pituitariam in venas jugulares exonerat, apud *Lowerum tr. de motu sang. & chyli per omnia transitu* occurrunt probe consideraverit, stare adhuc *Veterum* sententiam, qua *Cerebrum fons pituitæ* pronuntiatur, merito censebit, præsertim si ea quæ *Malpighius de Cer. cort. c. 1. & c.* habet conjungere cum his voluerit. Accedit quod, quam alii hactenus *ossis cribriformes perforationem* cum *Schneidero* inficiantur, ipsa hujus *ossis conformatio, tubulique narium nervosi*, quibus immissus stilus per os cribriforme ad nervorum olfactoriorum cavum usq; (teste *Bohnio* [illegible], in peculiari *programm. annot.* confirmata) facile pertingit, denuo assertant, & *Willisius in Anat. cerebri c. 11.* quosdam affectibus capitis correptos per solam è naribus excretionem sanitati fuisse restitutos affirmet. *L. Stransfim.*

16. *In cerebro [ob concoctionem læsam]*) Cerebri substantia, eximia mole prædita, multo indiget alimento, ex quo necessario copiosa generantur excrementa, concurrente potissimum frigida humidaque temperie partis; quæ si naturalem & modicam quantitatem servaverint, in prioribus cerebri ventriculis recipiuntur, & per choanam seu infundibulum ad glandulam pituitariam transmittuntur, ac per palatum quotidie excernuntur; si vero paulo uberius redundaverint, in statu tamen naturali constituta circa cerebrum & meninges dispergũtur, commode tamen nonsolum per palatum sed etiam per nares expurgantur. Cum vero cerebrum intemperie atque imbecillitate affectum est, vel alimentum copiosius & improportionatum recipere cogitur, quod sufficienter coquere nequeat, magnus fit excrementorum proventus: Adde quod Cerebrum (ut inquit *Hippocr.*) tanquam cucurbitula imposita corpori, humores & vapores à partibus inferioribus attrahere non desinit, hinc non parum adaugetur excrementorum cumulus, quæ quantitate & qualitate sua expultricem stimulantia, & retentricem superantia, qua data porta ruunt immodice & inordinate per vias & loca non conferentia, magna cum corporis afflictione. *Riverius.*

17. *Ob concoctionem læsam*) Cerebro etiam rite temperato, ac illibata ejus coctione, Catarrhi cientur, dum vel ob calvariam seu densiorem, seu ἀῤῥαφον atque inconsutam, vel propter obstructa præcipua cerebri emissaria, nares scil. & palatum, naturalia ejus inquinamenta supprimuntur, ac contracta paulatim ipsorum colluvie, repentina postmodum ingruit eorum diluvies, haud secus ac aqua fluminis, si objecto aggere à consueto sistatur decursu, qua data porta in cataclysmum de subito erumpit. *Ant. Menjotius Dissert. de Catarrh. p. 200.*

18. *Seu vitio ipsius cerebri, seu vitio alimenti*) In parte mandante duo causarum genera consideranda, unum est earum quæ humoris pituitosi copiam in corpore gignunt & cumulant; Alterum eorum quæ fluxum ejusdem excitant, & promovent, Illæ *generantes*, hæ Impellentes dici possunt. Generantes consistunt in frustratione facultatis concoctricis, quæ contingit vel vitio ipsius *facultatis*, vel vitio *Alimenti*.

Concoctrix cerebri facultas læditur potissimum ab intemperie capitis *frigida* vel *calida*. Frigida intemperies efficit ut alimentum ad cerebrum delatum male concoquatur, & in pituitam commutetur, tum etiam ut vapores à partibus inferioribus translati sufficienter non discutiantur, sed in aqueum liquorem condensen-

tur, Calida vero intemperies copiosius alimentum & copiosiores vapores allicit, ut non possint sufficienter discuti ac resolvi.

Vitio *Alimenti* concoctrix cerebri frustratur, cum illud vel nimia copia Cerebro suppeditatur, vel alienis qualitatibus infectum difficilius concoquitur, sic frigida, crassa & viscida alimenta immoderatius ingesta perfecte concoqui nequeunt, & crudum alimentum cerebro suppeditatur, sic alimenta acria & vaporosa multos vapores ad cerebrum transmittunt. *Riverius.*

18. *Seu vitio ipsius cerebri*) Necessario concurrit cerebri debilitas (etiam in catarrho per consensum partium inferiorum producto) excrementorum receptioni idonea, quandoquidem partes robustiores ad debiliores sese exonerant, frequentissime autem contingit ut cerebrum sit debilius reliquis partibus, ob substantiam suam mollem & laxam, quæ compactis & solidioribus minorem habet resistentiam. *Idem.*

19. *Aut in cerebro &c. aut alibi*) Nobis persuademus, & pro certo ponimus, nunquam Catarrhos ij tâtum a *Capite* provenire, sed evasationem serosam in omnibus partibus fieri posse, Viæ enim sunt manifestæ, vasa scil. lymphatica per totum corpus diffusa. *Joh. Dolaus Encycl. p. 215.*

19. *Cerebro aut alibi*) Humor peccans sive sit intra sive extra cranium, ibi loci est, vel quia ibi generatur, vel alibi genitus illuc venit; vel alibi genitus detinetur ubi non debebat. 1. Generatur ibi ob intemperiem, vel calidam, quæ adurit, vel frigidam, vel humidam, quia non ita convertitur in partes; An etiam ob siccitatem, incertum est, ij. humor *alibi* genitus in caput pellitur, vel vitio partis mittentis, vel humoris missi, vel mittendi: Vitio humoris, quia calidum & frigidum abundant in corpore, quæ in caput facillime eunt, quia illuc aliquid exire debet pro generatione spirituum animalium.

Humor tenuis & calidus est, quia assumpta talem materiam præbent, vel quia partes coctrices calidæ nimis suum characterem imprimunt sanguini. Vel quia aliquid in corpore retinetur quod retineri non debet, ut menstrua, & frequentissime cum bilis, per secessum non exit, itaque levi purgatione curantur.

Vitio *partis mittentis*, quando ea pellit, pellunt autem partes quando cor potentius pulsat, quod rursus ob varias poterit accidere causas: ut cor pellit in caput, ita quoque quaquaversum in alias partes, & in illis varios morbos producit, ut v. g. in collum facit anginam: in membranam costas succingentem, pleuritidem spuriam, ad colon dolorem colicum, ad artus arthritidem &c. Et hæ species Rheumatismi dicuntur: iij. Humor alibi genitus detinetur ob partium constrictionem. Ex centenis vix unus Catarrho laborat, cujus causæ in cerebro latent. *Walæus Med. Pr. pag. 155.*

19. *Aut alibi*) Alium catarrhorum fontem quàm caput disquirit *Schneiderus*, Aliud (*inquit*) Catarrhorum caput est quærendum, illud non *caput est sed sanguis.* Nec ille sanguis, aut humor, qui in cerebri venas concurrere, & inde delabi dicitur, est cerebri sanguis privatus, sed est communis sanguis, à corde means, commeans rursus, ac ad cor denuo remeans. Sanguis varie vitiatur, movetur varie, ac membris tandem infertur: *De sanguine nascuntur morbi*, Nec novum est dogma. Sic *Hippocr. l. de morbo sacro*, Si terrores & metus adsint, ex cerebri transmutatione contingit, quod fit dum à bile cerebrum incalescit, ubi per venas sanguinem deferentes in cerebrum ex corpore impetu delata fuerit &c. *Et libro de Int. Aff. B.* Si inflammatio in pulmone oriatur &c. Jam vero ortum habet hic morbus ex pituita, cum sanguini permixta ad pulmonem affluxerint. *Eodem Libro.* Lienis morbus primus gignitur ob bilem solis calore commotam, cum eam ad se Lien traxerit; Alius Lienis morbus, Veris maxime tempore, ex sanguine tamen oritur. *Et rursus*, Alius *Typhus* gignitur cum bilis putrefacta cum sanguine per venas & articulos permixta fuerit &c. *Rursus*, si corporis color niger extiterit, hujus rei causa est, cum in venas & cutem bilis atra subierit. *Et deinceps*, *De morbo Ischiadico*, Quod si ex sanguine ægrotarit &c. Erit ei qui ex sanguine ægrotat &c. *Et mox de Renum morbo*, Atra bilis cum ad venulas quæ ad renem feruntur, confluxerit &c.

Ac aliquis Rheuma Sanguinis, *Hippocr.* [illegible] illum vocare poterit affectum quo arteriæ plus seri in externum corporis habitum conferunt quam venæ possint reducere, quo fit ut sudor facile erumpat, quo morbus plerumque finitur. *Schneiderus lib. de Cat. spec. p. 517.*

Vasa Lymphatica quædam in oris spatium usque ferri compertum est; quare eadem fluxionem & facere & adaugere videntur; Sunt qui nonnulla quoque in glandulas multarum partium, in oculos & in laryngem trahi volunt, Ego tamen principem humorum motum in *sanguine* agnosco &c. *Idem p. 523.*

19. *Alibi*) Materia [illegible], quanquam in cerebro, seu in cisterna semper congeratur, dicimus tamen interdum eam esse infernatem, & ad cerebrum portuosum undiquaque appellere, Serum enim ex universo corpore, ac præsertim è liene convehitur ad cerebrum per venas, & magis adhuc per arterias, quarum quippe sanguis serosior sit, Ex Alvina insuper provincia humores in cerebrum solent importari, & quamplurimæ expirationes à ferventiore sanguine, æstuantibus præcordiis, cibisque vaporiferis ad cerebrum scandentes, innata hujus frigiditate id est, remisso calore (nam cerebrum istis halitibus minus calet) [illegible], sive glomerantur in humorem, unde *vapide se habere* solebat dicere *Augustus* pro male se habere. *Menjotius.*

20. *Aut alibi, & eo mittitur &c.*) Licet cerebrum *pars mandans* præcipue dici soleat, non est tamen perpetuo causa fluxionis præcipua, sed plerumque fluxionis materia aliunde ad cerebrum transmittitur. Postquam enim vitiosi humores, vel in toto venoso genere, vel in aliqua parte peculiari, ventriculo nimirum, hepate, liene, mesenterio, utero aliisque collecti sunt, non solum ab iis in caput vapores multi ascendunt, sed etiam ipsi humores vitiosi ad caput feruntur, & inde rursum ad subjectas partes descendunt: Istorum autem viscerum vitia præcipua ad catarrhos generandos idonea, sunt Intemperies variæ & Obstructiones. *Calida viscerum intemperies* copiosam facit anathymiasin ex qua velut in alembico distillationes generantur. *Frigida* vero propterea concoctionis defectum humores crudos generat, qui data occasione ad caput transferuntur. *Obstructiones* vero partium infimi ventris, liberam excrementorum expurgationem impediunt, unde fit ut illa sensim cumulata, cum liberum e[illegible] non inveniant per vias naturales & ordinarias, ad superiora refluant, & ad cerebrum transferantur. *Riverius.*

Generantur hi humores, non per essentiam ob facultatem læsam à nativa membranæ narium aut palati debilitate, quæ impedit quo minus alimentum rite coquatur, & sic multa excrementa producantur, sed per consensum è toto corpore cacochymico fomes membranæ glandulosæ pituitariæ per rheumatismum communicatur. *Rolfinkius consf. 1. lib. 3. Pro Catarrho.*

20. Et eo

20. *Et eo mittitur)* Illud assertum firmo non stat talo, quando dicunt quod ex ventriculo, hepate & cæteris hypochondriis *Vaporosa materia* ad caput ascensus & elevatio detur; eo proinde modo quo fumi & vapores e terris ad secundam aëris regionem usq; efferuntur, ibique frigore aëris condensati suo pondere ad inferiora decidunt. At siquidem hoc potius in imaginationis commento quam in rei veritate sua habere fundamenta existimamus; ita *Vapores* quoque capiti, uti reliquis partibus nonnunquam communicari haud negamus; sed non ut vaporem simpliciter sic dictum, sed quatenus jam in humorem conversus, qui una cum massa sanguinea circumvehitur; nulla enim ab hepate vel liene, vel utero aliæ patent viæ quæ ducant ad cerebrum quam venæ & arteriæ: Et præter septum transversum intercedit etiam thorax, à quibus, si daretur vaporum elevatio, sane interciperentur. Et si è ventriculo per Oesophagum possit ascendere vapor, ultra palatum tamen egredi non potest, sed per spiritum ejicitur.

Hinc *Crato Tomo* 1. *consil.* dicebat, *Cur vapores calidi & humidi potius per ventriculum ab hepate ad cerebrum quam per venas ad caput deferri videantur, causam non reperio:* Demum si daretur istiusmodi ab infimis partibus vaporû ad Caput elevatio, omnibus indifferenter perennis fieret à capite distillatio, licet aliquibus major, aliquibus minor, pro ratione ingestorum & dispositionis viscerum: quibus stantibus non videtur æqua cõparatio meteorologicæ evaporationis cum ea quæ fit in corpore nostro: Si quidem spatium in illa amplum est & liberum, in hac vero angustissimum, multisque interstitiis præpeditum; Sicuti & terminus ad quem in illa est secũda aëris regio actu perfrigida; in hac vero cerebrum actu semper calidum, & potius disgregans quam condensans vapores, ut habet *Baronius* l.1.c.15. *Christoph. Schroder, Dissert. de Pleuripneumonia.*

21. *Vel cerebrum habens frigidum, ventriculum & hepar calida &c.)* Duo fluxionum seminaria jure agnoscuntur, Venter frigidus, author cruditatis, & Jecur præcalidum è ventriculi stagno multos vapores ad cerebrum evehens; ubi congelascentes ad nativum aquæ ingenium revertuntur, quæ iterum in ventriculum tanquã in lacunã labrumve relabitur, moxq; instar Euripi reciprocat, ita ut per circuitum mala revolvantur, ac indeficiens adsit Catarrhi materia: Hine elegans apud *Hippocrat. l. de loc. in hom.* comparatio corporis humani cum circulo, cujus ut neque principium datur, ita neque finis, sic eadem est morborum ratio in toto corpore: *Cerebrum*, ait idem Lib. de Hom. struct. *à stomacho humectatur & pituita exulcerantiam absolvit*, Et l. de Loc. *Venter capitis, caput carnibus, & venter morbum facit.* Menjotius.

22. *Vel hac frigida)* Temperamentum *frigidum & humidum* totius corporis ad catarrhum maxime proclive; quo enim frigidior sanguis eo magis corruptionibus obnoxius, & levi oblata occasione quasvis incurrit debilitates, quemadmodum omnia ea quæ tali prædita sunt temperamento: Hinc vix ex sexcentis unum talis præditum temperamento reperies, à quo nulla unquam de quodam capitis affectu, & præsertim catarrhoso, querela audita fuerit. *Rolfinckius consil.* 1. *libro* 3.

23. *Movetur)* Quoad causas à quibus movetur Lympha, equidem ipsa ceu humor sui generis spontaneo impetu, nonnisi fluidi gravis ratione deorsum movebitur, adeoque pure passive sese habebit ad hoc, ut copiosior, aut plus minus vitiata, per glãdulas cõglomeratas moveatur, & ita spirituum influxum moventem, & organorum, seu instrumentorum dispositionem catarrhalis influxio imitabitur; Vt igitur per glandulas quasvis conglomeratas catarrhalis lymphæ fiat excretiõ causa præcedens semper est læsio quædam in parte quadam plus minus sensili, in cujus vicinia sunt glandulæ, cujus læsionis occasione lympha, ob fibrarum stricturam uberius ex glandulis vicinis exprimitur, & ita semper restaurata continuus quasi rivus eo derivatur, quæ ipsa lympha quo plus vel minus à statu naturali recesserit, eo magis vel minus gravem affectum catarrhalem constituit, v. g. sicut spina digito infixa causa est sanguinis effusionis & inflammationis in loco ubi plura sunt vasa sanguifera, ita similis spina, v. g. *Acidum* inspiratum laryngi si infixum fuerit, ibidem Lymphæ uberiorem effusionem, indeque *raucedinem, tussim, materiã mucosa copiosam expectorationem facit.*

24. *Movetur vel ab Expultrice irritata, vel à causis calefacientibus &c.)* Læsio ista prout nunc magis superficialis, adeoque irritatio saltem quædam partis fuerit; Vel prout nunc *gravior*, quæque non sensum saltem partis afficiat, sed etiam texturam ejus & spiritum insitum simul alterare valeat, etiam catarrhum nunc *leviorem* nunc *graviorem* infert, In quo posteriori loco laudabilis alimenti, vitio spiritus insiti, ex propriæ digestionis & coctionis læsione, vitiosum continuo excrescit excrementum; quod similiter novum alimentum corrumpendo partem magis magisque lædet, unde *Catarrhus habitualis*, sive perennis Catarrhi scaturigo, ut in Phthisi manifestum est: *Causa* adeoque *materialis proxima irritans*, & *nunc* saltem sensum, *nunc* spiritum insitum magis afficiens, speciatim est *acre acidum*, quod dictæ catarrhali defluxioni ceu *causa proxima* substernitur, sive inservit: Non est excludenda hic *Causa Efficiens proxima formalis*, quæ est spiritus impetum faciens, & occasione istius irritationis catarrhalem lymphæ excretionem efficiens.

Causa *remota* est vel *externa* vel *interna*, *Externa* causæ sunt aëris injuriæ, *Interna* sunt vel digestionum particularium errata, vel sunt ipsa seri, ceu materiæ lymphæ, præternaturaliter constituti vitia; speciatim sapor ejus vitiatus, acris &c. ut in scorbuticis manifestum, E.g. festuca oculo intrusa, hujus dolorem, tumorem, copiosæ lymphæ connuxæ effusionem infert; quæ mala à causa interna nata dicuntur *Catarrhus*, si scil. talis, qualis festuca quædam à Variolis oculis infixa manserit, cujus occasione crebrior recidiva catarrhi excitabitur: Quod si in Scorbuticis acrior lympha oculum, utpote teneriorem forsan læserit, & similia symptomata inferat, etiam Catarrhus dicitur: Item, si sub laboribus chymicis Gas acidum sulphuris, seu antimonii inspiratum irritaverit laryngem, *tussim*, & ex præternaturali lymphæ effusione, *raucedinem*, tandem screatum copiosum infert, Malum hinc simile est, ac si continuata inspiratione talĩ larynx & pulmo magis læsus; ex deficientia spiritus insiti, sub nutritione alimentum proximum continuo depravet, unde continuus excitabitur catarrhus, qui phthisin tandem inducet.

Sicut denique *si citra occasionem* talem datam *lympha*, in se *acrior, acidior, salsior*, naturaliter alias laryngi humectans, pedetentim hanc læserit, successive hinc *tussim, raucedinem, sputum copiosum*, idem sic dictam *phthisin catarrhalem* infert, Tandem in specie *externas* inter *causas* primatum obtinent inspirata malignitas aëris, ratione cujus interdum epidemici sunt catarrhi, idque interdum non absque malignitate, Item febres catarrhales malignæ, epidemice observatæ fuerunt.

Epidemicis tales *catarrhi* originem ducunt quoties *externa inspirata* partim lympham inquinat ac serũ, ejusq; p.n. alterationi occasionem præbent, partim irritando ca per quę transeunt, unde ibidem lymphæ catarrhalis vitiata fi excretio; Sæpius tamen sine hoc vitio etiam alia ratione

aër vitiosus Catarrhis occasionem præbet. *Etmuller.*

24. *Movetur*) Ad causam catarrhorum [illegible] attendendum est, quæ scilicet residentem in capite caeochymiam immediate depellit; Hæc ergo vel concietur à cerebri expultrice propter quantitatem ejus gravantem, qualitatemve irritantem stimulata, vel suopte nutu decidit, nempe aut connaturali pondere, aut agresti fericitate, qua turgescens prurit ad exitum, aut copia immoderata, ob quam velut extra ripas diffluit. *Menjotius.*

25. *Movetur vel ab expultrice irritata*) Si Lympha in vasis suis obstructis subsistit, & magis magisque accumulata nimium ipsa distendit, & tandem rumpit Lympha, tunc eadem in loca vicina, vel cavitates propinquas *sponte* effunditur, atque tunc alia via, & alio quam decebat, movetur Lympha. *Franc. Sylvius Pr. l. 1. capite 50.*

25. *Vel ab expultrice irritata*) Humores excrementitii *Quantitatis* ratione in fluvios quasi excrescunt, nimiaque copia per venas irrumpendo Expultrici facultati molestias præbent, & ad expulsionem irritant. *Qualitatis* ratione, alienam & naturæ inimicam acquirunt dispositionem; *Substantiæ* ratione, crassiores dum existunt mole sua impediti, in arteriis narium (*& palati*) stabulantur, & vicinia, justo tempore excernendi. *Rolfinkius.*

26. A *Causis Calefacientibus &c. frigefacientibus*) Inter quas est *Aër*, qui prout varíis imprægnatus est particulis, ita quoque *caput* varie affligit: Pertinent huc [illegible] de quibus *Hipp. sect. 3. aph. 1. 2. & sequ.* & *Lib. de A. A. & Loc.* non minus Aër ad cerebrum quam ad cor penetrat. & serosas secernit fuligines; hinc quoq; catarrhi & febres catarrhales epidemicæ interdum suscitantur, *Refrigeratio* post incalescentiam non parum huc facit, cum etiam ex solo frigore Gravedinem, nullo alio accedente, *Hipp. l. de Vet. Med. sect. 31. c. 18.* deducat. Et quotusquisque nostrum ex *hypocausto*, circa hyemis initium, vel è *Balneo* & *vaporario*, in frigidum subito delatus, raucedine, vel coryza ac tussi ex tali aëris mutatione non corripitur? *Straussius.*

Causæ Catarrhorum *Externæ* sunt eæ omnes quæ nimietate humorum caput implent, *Auster* tam intra quam extra corpus imbricus est & [illegible], ac quemadmodum pluviarum sic fluxionum pincerna, ut loquitur *B. Hieronymus*: Aquilo, licet scoparius sit atque [illegible], sudificus, tamen quia circuli capitis [illegible] seu spiracula occludendo perspirationi officit, ex accidenti cerebrum conspurcat humectatque; Secus in civitatibus ad ventos frigidos sitis (*Hipp. l. de A. A. & L.*) homines *capita* habent per se *sana & dura*, i. e. à fluxionibus tuta, quomodo alvus dura dicitur quæ nihil dejicit; Tempestas omnis squallida, seu à rigentissima hyeme, seu à ferventissima æstate, ferinos parit catarrhos; propter superstitem acrem salsamque humorum portionem, absumptis aquosis, quibus diluebatur, particulis.

Hyems gravedines, raucedines, ac tusses committit, præcipue si autumnum pluviosum & Australem sequatur, hincque æstati siccæ & Aquiloniæ succedat: Idem præstat matutinus ac vespertinus aër, nam sub Auroram, ac die sero crepusascente frigus rorulentum dominatur magis quam nocte intempesta; *Cibus*, vel aqueam capitis plenitudinem progenerans, ut pisces legumina, fructus horarii, vel cerebrū replens vaporibus, ut lac, allia, cepæ; Vitæ luxus & ingluvies ferina: In genere *Potus* omnis uberior; humida namque facilius vaporant, ac speciatim *vinum* omnium citissime vaporescit: *Aquarum* algidarum usus, quas jure *Hippocr. l. de A. A. & L.* pituitosissimas & raucosissimas vocavit, præcipue si ex glacie aut nive resolutæ fuerint.

Ab Aqua quoque pluviatili destillationes oriri annotavit *Aetius Tet. 1. serm. 3. c. 175.* forte quod aqua imbrialis plerumque nivalis fit, nam per æstates ardentissimas in medio aëre nivem concrescere constat, quæ inferioris aëris calore liquatur in imbrem. Præterea Catarrhi causis adscribuntur *Vigiliæ* superfluæ, *Somnus* prolixior, potissimum diurnus & à cibo; frequentes ac intentæ, maxime post pastum meditationes, his enim calor à ventriculo distrahitur, unde [illegible], cerebrum vero incalescit, & undiquaque, ac præcipue à pleno crudoque ventriculo humores raptat, hinc [illegible], studiorum sedulitate sunt [illegible].

Solitæ vacuationis [illegible]; cessante v. g. officio ventris, aut vesicæ, nam sicut aër madet arescente terra, ita siccata alvo ac vesica humescit cerebrum, Capitis impexi sordities, ejusdemque nimia integumenta, inde enim transpiratio fit illiberalior, ac cerebrum incalescit; capitis nuditas, vel saltem velamentorum ejus tenuitas qua cerebrum patet aëris intempestati, potissimum si cranium natura durius fuerit: quod intelligi debet de inassuetis; nam quidam capitis aperiendi longa consuetudine contra omnem aëris injuriam & inclementiam tantum firmitatis adepti sunt ut, seu Sol esset, seu imber, seu frigidum æstuosumve cœlum, etiam hyeme sæva & nivosa retecto capite prodirent iterque facerent, quod de *Hannibale*, *Divo Julio*, *Hadriano*, *Severo* &c. referunt.

Huc quoque refertur *V. S.* abusus quo cerebrum infirmatur, sicut enim positivum frigus, ita quoque privativum spermaticis membris valde adversum est; ita *Venus* immodesta, nam juxta Arabum computationem, 3j. seminis emissi respondet 3xl. optimi sanguinis: Præterea concubitus excessu offenditur cerebrum, quod in ipso, utpote extremo, vis exinanitorum testium attractoria desinat; ut taceamus majorem seminis partem è cerebro per spinam & lumbos ad testes deferri, si credamus *Hippocrati.*

Tandem *vita deses* atque sedentaria fluxionum feracissima est, ac catarrhus non minus quam arthritis [illegible], dici potest, quod pauperes minime sint excrementitii. Ita scriptum est à *Platone 3. de Republ.* [illegible] morbos esse *Homeri* seculo ne nomine quidem cognitos, propter priscorum hominum vitam frugaliorem atque impigram, & apud Persas exspuitores ac mucosi male audiebant tanquam vel voraces vel otiosi, ut *Xenophon* refert l. 1. *Cyropæd. Menjotius.* Qui *humidis* vescuntur, ut *piscibus*, *fructibus oleribus* & *carnibus humidioribus*, Defluxionum incommoda facile experiuntur, teste *Poterio cent. 1. obs. p. 8.*

26. *Vel à causis calefacientibus &c.*) Quænam sunt causæ quæ materiam fundunt & liquant? Solus calor est, & quidem utplurimum externus, à Sole, igne, exercitio, vino, aromatis, huc pertinent alimenta, cæpe, allium, &c. Sed nunquid & frigus heic habet locum? Tale quale illi adscribunt, quod scil. exprimat, ne imaginabile quidem est; quicquid igitur facit per antiperistasin facit. *Hofmannus l. c.*

27. *Quæ humores attenuant*) Quales sunt [illegible] succos capitis colliquantes; ut [illegible] insola[illegible], & magis adhuc radii Lunares, Balneum [illegible]vum, ac præsertim capitis lotio, odores [illegible]ndoque etiam habitus præcordiorum, qui [illegible] paucitate [illegible]tione non ipsi evadunt in fluxi[illegible] harum materiam cerebro inhabitantem tabefaciunt. *Menjotius.*

27. *Quæ humores attenuant*) Huc pertinent qui cum aëre *fumos acres metallicos* & *Mercuriales* inspirant in laboratoriis Chymicorum & Aurifabrorum &c. quorum *aciditas* membranas narium faucium, laryngis, & sub his reconditas glandulas copiosas continua irritatione ad fibrarum contracturam, & copiosam lymphæ excretionem stimulat: Quin & ipsam *lympham non raro vitiam*, quam

quam acriorem, spissiorem, aut alio modo vitiatam reddant: *Etmuller.*

28. *Quæ humores attenuant & vias rarefaciunt*) Imo interdum irritatio & læsio eo usque procedit, ut etiam alimentum partis læsæ exinde vitiose alteratum appositioni hat ineptum, adeo ut sub forma muci crassi, spissi, varii coloris, & consistentiæ una non raro excernatur. *Etmuller.*

29. *Vel à causis frigefacientibus*) Refrigeratio cerebrum comprimit, & humores in eo contentos exprimit, ut in spongia aqua repleta, & manu compressa contingit: talis alteratio hyeme frequens est, sed præcipue contingit in subitis aëris mutationibus, quando vid constitutio australis, calida & humida, in aquiloniam, frigidam & siccam convertitur; vel quando aliquis è luco calido in frigidum subito se transfert; his annumeranda pedum refrigeratio, quæ sympathice per nervos (*vi circulationis sanguinis*) cerebro communicatur: Prædictam cerebri à frigore factam compressionem multi negant, quia frigus humores densat & incrassat, minusque fluidos reddit; neque quadrare videtur exemplum spongiæ aqua repletæ, quæ aëri exposita nullo modo comprimitur: Verum hæc sententia, ab *Hippocr. tradita l. de loc.* veritati consentanea est.

Fluxiones, inquit, *ob frigus fiunt, cum caro in capite & venæ densæ fuerint, hæ enim horrente carne, & ad angustias pervenientes, & capilli sursum erecti fiunt, utpote undiquaque simul fortiter compressi: quicquid igitur inde expressum fuerit, id ipsum quocunque contigerit fluit.*

Ex quibus coarctationem & compressionem partium à frigore fieri, indeque humorem exprimi manifestum: Neque obstat densatio humorum & incrassatio à frigore facta, siquidem hæc locum habere potest cum totum corpus sensim & æqualiter refrigeratur; at cum à frigore subito irruente partes externæ offenduntur, tunc illæ subito coarctantur, & humores intus coërcitos exprimunt.

Similitudinem spongiæ quod attinet, alia ratio est partium viventium, quarum calor & spiritus ad frigoris sensum refugiunt, & partes iis destitutæ consequenter coarctantur, quod in spongia aqua repleta fieri non potest *Riverius.*

Huc pertinet Catarrhus à refrigeratione pedum inductus, non modo ob consensum nervorum cum cerebro, sed & quia refrigeratus sanguis qui in pedum venas confluxerat, per arterias in cor & cerebrum remeans, intemperiem sibi conceptam illis imprimit; *De consensu pedum cum Capite Vide Indicem Medic. Pract. Tit. de cap. Aff. in genere §. 37. pagina 79.*

30. *Humores in cerebro exprimunt*) Ad causam catarrhorum κινητικὴν pertinet frigiditas, aëris qui inspiratu & transpiratu ad cerebrum perductus, veluti manu quadam extrinsecus apprehensio & comprehensio, ut ait *Galenus 3. aph. 12.* tanquam spongia cerebro, conclusam humiditatem elicit: Verumtamen vix probabile est vivo animali cerebrum ad constrictionem usque refrigerari posse, præsertim cum frigiditas multo remissior Caroticas invehat affectiones, imo nec aëris frigus imbibitam aquâ exprimat è spongia: Deinde nulla est ratio; Cur substantiæ cerebri meatus à tali frigore potius coarctentur quam contentus humor ab eodem condenseretur, & quasi inditis compedibus cohibeatur seu quod frigida & styptica remedia non solum recipienti membro, sed parti quoque mittenti, & intermediis locis admota fluxionũ hami sint ac retinacula, tantum abest ut eas provocent; Itaque frigus ambientis supervacua cerebri per accidens extrudit, seu quod cerebrum occursantis frigoris injuriam fugiens contrahatur, eoque contracto, humores in ipso stabulantes necessario excidant elabanturque, seu per ἐμπερίληψιν τῆς θερμῆς, liquescentibus à repercusso calore humoribus: sic *Hippocrates 2. de morb.* caput à frigore percalefactum inter fluxionum causas recensuit, *Pituita*, inquit, *è capite descendit, Caput autem trahit è corpore, trahit vero ubi fuerit calefactum, percalescitque à cibis & Sole*, & Frigore, *& laboribus & calore febrili.*

Notandumque est Destillationes per hyemem & ab Aquilone factas multo molestiores esse quam si per æstatem & ab Austro nascantur, quod actio ἀντιπεριστατική longe sit vehementior quam quæ propriis perficitur qualitatibus, ut ex grandinis generatione probavit *Aristot. 1. met. 12. Menjotius Differt. de Catarrho pagina 204.*

31. *Aut fuliginibus retentis & auctis &c.*) Videmus toto die ab aëre inclementiore augeri Lympham, quatenus pori cutis obstruuntur; quæ vero effecta, morbique ex impedita hac p. n. διαπνοῇ consequantur, cuilibet notum est; quare transpiratione subito cessante, seri copiam in corpore augeri necesse est, unde sequitur quod serosa hæc colluvies facile exundare possit, & instar diluvii partem quam occupat obruere: Apud omnes enim est in confesso catarrhos & rheumatismos à subitu facta ἀδιαπνευστίᾳ produci. *Joh. Dolæus Encycl. p. 215.*

31. *Aut fuliginibus retentis &c.*) Est modus admodum frequens & efficax quo Catarrhus à frigore generari consuevit, nempe pororum externorum constipatio, eo præsertim tempore facta quo maxima fieri solet per corporis habitum diaphoresis; quo fit ut excalefacti, frigidum aërem subito incurrentes, catarrhis maxime affligantur: Sic in primis autumni frigoribus catarrhi maxime fiunt, quia per æstatis decursũ, habitu corporis rarefactu, & poris valde apertis, multa fit per transpirationem insensibilem excrementorum dissipatio, quæ si derepente, constricto corporis habitu, cohibeatur, vapores & humores in centrum cerebri & corporis repercussi; fluxionibus materiam suppeditant; ita ut circa autumni initia non solum catarrhi contingant, sed etiam copiosa fiat in omnibus serosæ materiæ per urinas excretio, & in nonnullis per alvum, unde Alvi fluxus dictis temporibus frequentes esse consueverunt: Si quis vero quæsierit, Cur per totum hyemis decursum Catarrhi non perseverent, cum perpetua fiat à frigore ambientis pororum externorum constrictio? Resp. Naturam per alias vias superfluitates expurgare hyemis tempore, magis quam per diaphoresim, nempe per alvum, urinas & sputa; Quam copiosa autem sit evacuatio illa quæ per insensibilem transpirationem fieri consuevit, ostendit *Sanctorius* libello de statica medicina. *Riverius.*

32. *Causis concutientibus*) Sic in *sternutatione* acrimonia inspiratorum irritantur narium membranæ & vasa lymphatica excretoria, ut exinde lympha copiosa, subinde muco crasso impregnata profluat: Ita si nares, aliave vicina loca à præternaturali aliqua causa irritentur, idem evenire solet. *Etmuller.*

33. *Causis concutientibus quæ cerebrum valde movent*) Et cumulatum sed torpentem in capite humorem commovent, ut ira, dolor, motus, dyspnœa, per quam universum corpus, ac præsertim cerebrum valde exagitatur; unde apoplexiæ, anginæ, ac uterinis suffocationibus associantur catarrhi; *Menjotius.*

34. *Defluit*) *Viæ* per quas humores feruntur à capite in partes subjectas duplices statuuntur, internæ & externæ. *Internæ* sunt cum è partibus sub calvaria contentis humor defluit per vias interiores, & pro natura partium ad quas defertur, varios morbos variaque symptomata producit, quorum nonnulla

propria nomina sortita sunt, juxta vulgares versiculos.

Si fluat ad pectus dicatur rheuma Catarrhus.
Si ad fauces branchus, si ad nares esto Coryza.

In pectus defluente humore, affectus generis nomen retinet; ad fauces vero & asperam arteriam, *Branchus*, seu *raucedo*; Si ad *Nares*, non solum Coryzam, sed & Ozænam & Polypum producit: In aliis partibus varios affectus, in Nervis torporem, paralysin, convulsionem, tremorem, In auribus surditatem, tumorem, In Oculis ophthalmiam, lacrymas, cœcitatem: In vvula, tumorem, laxitatem, ulcus: In Gutture, anginam, In Pectore pleuritidem, peripneumoniam, tussim, asthma, hæmopthoen, phthisin, In ventriculo, vomitum, inappetentiam? In intestinis diarrhœam & dysenteriam, adeo ut maxima morborum pars à capite ortum ducere censeatur, In *Venas* etiam cum sanguine humor à cerebro defluit, unde *febris Catarrhalis*, cum vid. Natura ad humoris superflui expulsionem acrius commovetur, unde commoti vehementer spiritus accenduntur & Ephemeram pariunt: Sic ante invasionem arthritidis aut erysipelatis tales febres sæpe contingunt. *Externæ* viæ per quas humor à capite defluit, sunt illæ quæ calvariæ adjacent, & si & sub cute continentur, unde censuit *Fernelius* inter carnem & cutem humores ut plurimum deferri, quamvis etiam per continuitatem musculorum, membranarum & nervorum, tum etiam per venas & arterias defluere soleant in oculos, dentes, maxillas, cervicem, scapulas, brachia, articulos & alias partes externas. *Riverius.*

35. *Ratione termini à quo*) Ex centenis vix unus Catarrho laborat cujus causæ in cerebro latent: Quod vero Veteres semper caput affectam partem esse crediderunt, Causa est, quia videbant semper fere ab eo ortum trahere: Verum quamvis à capite præsertim defluat, tamen caput in causa non est, sed hoc ideo contingit, quia facillime aliquid à corde in caput propellitur, tum ob vicinitatem, tum quia semper aliquid naturaliter exire debet. *Walaus Med. Pr. pagin.* 157.

Quin omnino negat *Rolfinkius*, *Schneiderum* sequutus, Cerebrum esse fontem Catarrhorum, Expers est, *inquit*, culpæ in omnibus defluxionibus, 1. quia paucissima in cerebro generantur excrementa, à nutrimenti coctione residua, quæ pituitæ nomen non merentur, & magna ex parte in venas readsumuntur: Deinde nulla in eodem idonea excrementorum deprehenduntur receptacula: Ventriculi extra medullam, ex accubitu partium medullæ per accidens nati, quamvis ob capacitatem & humorem accusari possent, tamen si quis accuratiori eos oculo inspiciat, videbit horum foramina ad expellendam in tanta copia hanc crassam materiam non sufficere: Processus papilliformes, glandula pinealis, & pituitaria, vulgo excrementorum cerebri indicantur receptacula, verum & hæ catarrhorum inundationibus recipiendis vel transmittendis sunt impares: 3. Nullæ viæ excrementis ex cerebro evacuandis dicatæ inveniuntur, quasdam enim Veteres licet excogitaverint; illæ tamen à recentioribus pro genuinis non habentur; Nec os cribrosum, nec canales ephippii laterales huic inserviunt officio. 4. Nec cerebri omenta & membranæ evehentium ductuum vicem sustinere possunt. Et quis Cerebrum; divinæ mentis sedem, omniumque humanarum actionum, totiusque corporis nobilissimam partem talibus proscinderet injuriis, ut hisce impuritatibus, sive generandis sive excipiendis destinatum diceret? Totum potius *corpus & cor motus Catarrhi principium à quo* dicendum, Sanguis enim pluribus humoribus permistus per arterias carotidas summa petens, ad spongiosas narium carnes impuritates defert ut ibidem emungantur. *Rolfinkius consf. 1. lib. 3.*

Interrogati, Quas ergo per vias excrementa mucosa in nares & palatum deveniunt? quomodo colliguntur tanta in copia, si ex cerebro antiquitus cognitas per vias non derivantur, os *cribrosum*, vel *cuneiforme*? Respondemus dari alias vias, quæ publicæ sunt vel privatæ, Privatæ nullæ sunt hisce excrementis everrendis dicatæ, munus id exequuntur *Publicæ*: Inepti sunt nervi, spiritum enim animalem vehunt, Inidoneæ videntur venæ, hæc enim ad cor revehunt sanguinem ex arteriis, Punctum ferunt Arteriæ Carotides omne, Arteriæ sanguinem ex chylo natum, adolescentem, & vix juvenem ex cordis sinistro haurientes ventriculo, & deorsum vehentes, in lienem deponunt [illegible] melancholica, in jecur biliosa, in renes aquea & serosa, sursum vero pituitosa: Debuit omnino alimentarius sanguis singulas in partes deferendus spoliari suis sordibus, imprimis vero cerebro cessurus in alimentum purus esse debebat [illegible], ideo in vestibulo mundari debebat seorsim positis inquinamentis & retrimentis; ablegantur ergo illa per carotidis internæ ramum exteriorem ad spongiosas narium, palati, faucium, oris partes omnes, glandulas [illegible], ipsam etiam linguam.

Objicientibus, in faucibus & naribus deesse locum in quo *mucus* omnis qui excernitur moram nectere valeat; Muci natura moram præsupponit extra arterias, sed quæ commoditas in faucibus? ℞. diverticula in narium spongiosis manifesta sunt anfractibus: imbibuntur à carne fungosa faucium superfluitates, retinentur & condensantur, adhærescunt parte postica, sæpe circa uvam hærent: in narium tamen anfractibus imprimis mucosa recensetur militia. Cum emunctio non respondet voto, quia firmiter adhæret mucus, aut à nasi tubulis exitus ejus impeditur, spiritu per nares attracto eundem retrahimus in fauces & exspuimus: Quo ad *modum* quo arteriæ imprimis, ex parte etiam venæ deponant has excrementitias humiditates, sciendum vasa hæc in narium & faucium carnibus aranearum: telæ instar divaricari & roris in modum transsudare, eo modo quo ex *Philosopho lib. 2. de gener. anim.* transsudat alimentum, per vasorum rariorem textum; transsudat autem illud non aliter quam aqua per fictiles ollas, crudas adhuc necdum incrustatas, ut nitrum & ammoniacum sal aqua solutum per ollas coquinarias transsudat, floribusque candidis externam coronat superficiem; ita etiam [illegible] hæc transit per [illegible] membranæ narium & palati [illegible], sensim & sensim collecta in scalis seu gradibus narium muci naturam induit; inque illis moram nectens condensatur, & ad scalarum figuram varias induit formas, quæ cum nares detergimus, & collecto, contractisque thoracis musculis impulso spiritu condensatum auferimus, expellimus mucum, quod emungere vocant, appellamus. Videmus [illegible] & laceras vestium attritarum præ se ferre [illegible], easque quæ cavum respiciunt narium, [illegible] plurimum sunt; qua membranæ narium adhærent, humidæ [illegible] continuo scaturit fons harum mucositatum proventu, animali bene habente.

Sed qui fit quod multi parum vel nihil emungunt, si arteriarum officium illud fuerit? Respondemus paucos reperiri ea temperamenti moderatione beatos, ut sint [illegible], immunes ab excrementis; Siccitas hæc narium & palati, non tam signum est cerebri temperati, sed potius optimæ ad justitiam totius corporis temperaturæ; Qui vero impuro sanguine scatent, hujusque vacuationis per nares aut

palatum

palatnm destituuntur beneficio, illi certe id impune apud fuerunt, sed multis sunt subjecti ærumnis: *Franciscus* Galliarum Rex *ἀμυξώδης* aurium ulceribus uixit obnoxius. Alii emanatæ naris arthriticis, podagricis, & capitis doloribus infestantur. Nonnulli tussiculosi fiunt conversa ex toto per venas in dextrum ventriculum, & ex ea in arteriosam venam cum nutritio pulmonis sanguine excrementitia materia: Novi matronas destitutas hoc arteriarum ad nares pitu tam evehentium beneficio, albo ubnoxias profluvio. *Idem Dissert. Anat. c. 56. & 57. l. 6.*

35. *Terminus à quo*) *Fontes Catarrhorum* sunt *Glandula conglomerata*, unde saltem loca talia Glandulosa proprie dicti Catarrhi affligunt, Scaturigo prima denique Catarrhorum est massa sanguinea; Cum igitur frequentissima *glandularum Conglobatarum & Conglomeratarum* textura in *cerebro* cohæreat (nam totus ejus cortex minutissimarum glandularum est congeries) item cum in locis cerebro vicinis, oculis, faucibus, laryoge, collo, auribus &c. copiosæ sint glandulæ, & modo dictæ partes præ reliquis injuriis & læsionibus aëris externi sint expositæ, non mirum est si proprie dicti catarrhales affectus frequentius capiti, ipsiusque partibus vicinis, hinc faucibus ac asperæ arteriæ, ac consequenter pulmonibus sint molesti, id est ratione *efficientis remota*, & *materialis proxima* ad catarrhos hæ partes sint dispositæ.

Ex *Schneideri* sententia *membrana sunt fontes catarrhorum*, per quas materia transsudando in catarrho defluat, utut addat his ipsis etiam *Glandulas*, tanquam opercula vasorum, Sed rectius alii his *Glandulis originem Catarrhorum* adscribunt, inprimis cum membranis istis pituitariis à tergo copiosarum glandularum textura adhæreat, ex quibus, ceu fontibus, catarrhi per vasa minuta excretoria, membranas perforantia excernuntur, sicut naturaliter per hæc vasa lympha, fauces & nares, aliasque partes oblinens excernitur. Per has igitur *Glandulas conglomeratas* lympha, aut nimis abundanter exclusa, aut vitiose simul præparata & excreta, Catarrhos constituit; i. e. defluit lympha aut copiosa, aut vitiata, ex glandulis inprimis conglomeratis circa caput, fauces, collum, laryngem, asperam arteriam, aliasque vicinas partes; Unde non tantummodo functionum læsiones, sed pro vario lymphæ vitio varia symptomata superveniunt; Et sanc hoc sensu nil obstat quin Gonorrhœa virorum, Fluor albus mulierum, Salivationes quælibet, quin & interdum Diarrhœæ ad catarrhos referri queant. *Ettmuller. Tom 2. p. 219.*

36. *Aut e partibus sub calvaria positis &c.*) Humor extravasatus cadit vel per foramina ossis sphenoidis, vel per foramina ossis ethmoidis, vel per spatia inter vasa & musculos, non per alias vias: *Locus*, unde fluxionis materia, est vel cranium, vel intra extra, *Intra*, ut ventriculi, interstitia inter cranium & cerebrum: *Extra*, ut spatia intra calvariam & cutem; E ventriculis humor hic decidit in infundibulum, tum in glandulam pituitariam, postea in os: Ex interstitio inter calvariam & cutem, distillat per os ethmoides in nares: Per os cu[illegible]e, in partes oris & faucium: Per gulam in v[illegible]culum, Per guttur in pulmones, thoracem, cor; Per foramina ossis occipitis in dorsum partesque proxime adjacentes: Extra calvariam defertur in vasa, musculos & cutem via media, deciditque in collum, brachia, humeros, cubitum usque, nucham, pectoris musculos, cervicem & . *Walaus Med. Pract. p. 155.*

36. *Aut e partibus sub calvaria positis*) Glandulas cerebri cribra esse per quæ perpetuus humoris fluxus destillat, pluribus experimentis abunde constat, ut adeo non diu duraverit sententia illorum, vel applausum meruerit, qui cerebrum ab omni reatu in Catarrhis absolvere sustinuerunt, quasi sanguis ad sacrarium cerebri ascensurus omnem in naribus deponat serosam uliginem, non secus ac Turcas calceamenta exuere oportet, ingressuros in Moscheas suas, quas vocant: Adest sane humor serosus, adsunt viæ, adsunt pori; adest os cribrosum, ut pervium esset transituro humori, adsunt papillæ glandosæ infinitæ, stillantes & exudantes ictum *Wedelius A. M. M. p. 440.*

37. *Cerebri potissimum ventriculis*) E quibus humor decidit in infundibulum, tum in glandulam pituitariam, postea in os: Sed à quibusdam quæritur, Per quas vias excrementa Cerebri expurgentur, cum Veterum viæ, os cribriforme, cuneiforme &c. pro veris viis non agnoscantur (*Schneiderus* enim *l. 2. de Catarrhis* pag. 206. plurimis & firmissimis rationibus probat humorem pituitosum & excrementitium, subter cutem capitis fluentem, ad foramina dictorum ossium nec manare, nec per os efferri ullo modo posse) Respondet idem *Schneiderus l. 3 de Catarrhis s. 2. c. 3. membranam scil. quandam, quæ additamentum ossis occipitis in ultimo palato involvit, pituitam, seu materiam catarrhosam, condere, continere & emittere*; Modum autem, & quomodo hæc emissio fiat, paulo post exprimit, *Si verum volumus, Catarrhus sudatione potius fit quam destillatione: Nam humor in sudantibus his membranis confluit, & nunc pendet, mox in excreando projicitur, Interdum quidem tenuior humor & copiosior evadere videtur: Cæterum Natura eam membranam ad lentum humorem imbibendum, & in modum sudoris emittendum perquam valido artificio signavit* &c. Christ. Schrodter *Dissert. de Pleuripneumonia. Censet tamen Willis cap. 12. Cerebri Anat. humores in ventriculis cerebri congestos per nares & palatum expurgari.*

38. *Partibus capitis extra calvariam*) Excrementa sub capitis, præsertimque cute verticis coacervata, aut ex ramulis jugularium externarum eo desinentium, desudant aut ex halitibus per easdem venas evectis coalescunt; Si itaque humores extra cranium cumulati, stipatis cutis spiraculis non diffilentur, vel in cujusvis generis tumores abeunt, vel superveniente putredine achores similiaque incommoda procreant, vel in suppositas particulas exterius locatas depluunt, Hi duo internæ externæque Destillationis fontes, etsi cavæ interventu dirimantur, mediis tamen cum poris & suturis, tum venis atque arteriis inter se communicant. *Menjotius.*

39. *Extra calvariam sub cute verticis*) Detectis Lympha, & vasis hujus ductoribus, per ambitum corporis ubique dispersis, præsertim in artubus, inferre licet à lymphæ effusione in spatia intercutanea varios oriri dolores tumoresque, non secus ac ex vasorum lymphaticorum ruptura in pectore & abdomine frequens est in utroque hydropis generatio, Unde & hyposarca in habitu corporis fieri potest.

40. *Terminus ad quem*) In parte Recipiente considerandа est *imbecillitas*, vel alia quævis *dispositio fluxioni recipienda* vel *attrahenda* idonea. Ratione *imbecillitatis* vulgatissimum est partes robustas in debiliores perpetuo onus superfluum deponere; Sicut in Republica magnates & potentiores in debiliorem plebem gravia onera deponunt.

Imbecillitas vero partium, vel *insita* est, vel *adscititia*; *Insita* pendet à mollitie & laxitate partium unde glandulæ & pulmo fluxiones facile recipiunt. *Adventitia* vero fit ab *intemperie* vel *solutione continui*; *Frigida intemperies* calorem nativum debilitando facit ut pars minorem habeat resistentiam, sicque facilius humorem influentem recipiat.

Solutio continui partem etiam debilitando eam fluxioni recipiendæ magis reddit idoneam. Hinc ortus est cauteriorum usus, qua parte ulcere debilitata humores ab aliis partibus eo deducuntur. Sic etiam Pulmo in

Phthisi ulceratus humores à cerebro & toto corpore influentes recipit.

Inter Dispositiones vero *Fluxioni attrahendæ* idoneas calor præcipue annumerandus est; unde videmus partes inflammatas copiosos humores attrahere: Sic etiam in Phthisi non solum ob ulcus, sed etiam calidam pulmonis intemperiem humores copiosi à capite proliciuntur: Unde *Hippocr.* 1. de *Morbis*, *Pulmo a calore ad se trahit pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite, caput vero calefactum ex corpore, hanc putrescentem subcrassam excipit.* Riverius.

Fluxionis causa consistit partim in Humore ipso, partim in Parte ipsa; 1. cum nimis est *porosa*, 2. cum *via* nimis sunt amplæ, & apertio facta est ob diæresin, anastomosin vel diapedesin: quod apparet in contusione thoracis, quod admodum difficile curatur, quia semper ad has partes aliquid affluit, dum via ei datur ob contusionem, Unde ij qui catarrho obnoxii fuerunt facilius eo iterum corripiuntur, via semel præparata ad catarrhum recipiendum à priore catarrho. *Walæus Med. Pract.* p. 155.

Pars etiam ad suscipiendum parata redditur, si taliter conformata sit, ut semitæ qua ad ipsam itur, rectæ fuerint, amplæ & quasi regiæ; qua vero exitur (liceat uti Plautina voce) sinuosæ & angustæ, aut saltem impedimentis obseptæ: Tandem membra positum habentia declivem, humorem ὑποῤῥέοντα prompte suscipiunt: Hæcque dura excipientium partium conditio Jurisconsultorum servitutibus haut absimilis est, *quibus vicinus stillicidium vicini in suas ædes tenetur recipere*, Raro quisquam non aliquam corporis partem habet imbecillam, inquit *Celsus. Menjotius.*

41. *Aut ad partes internas &c. aut externas*) *Hinc* si in faucibus fiat lymphatica hæc evasatio oritur *Raucitas*, quam sæpe per annum & ultra durasse, & quandoque sine phthisi abiisse observavimus: Si evasatio seri fiat in *ventriculo*, tunc hujus fermentum depravatur, alimenta corrumpuntur &c. Et frequenter dum hæc vasicula lymphatica onerantur seri copia, illud in alia loca se exonerat, per plures dies acescit, vel in *externas corporis partes subjectas* paulatim sibi sua tenuitate ac acrimonia viam parat, & timulas facit; dein sensim crassescit evasata & acescit; unde sæpe fluit dolor lateris, lumborum, brachiorum, scapularum, oculorum, dentium, humerorum, diversorumque articulorum; nulla enim est pars corporis quæ non habeat suos ductus lymphaticos, adeo ut nec Pulmones iis carere, unde & nulla pars ab evasatione seri libera est. *Joh. Dolæus Encycl.* p. 316.

42. *Ad partes internas, Pulmones &c.*) Inepte credunt Medici quamcumque materiam in pectore coacervatam à capite in subjectas partes præcipitari, perinde ac si pectus omni vasorum & sanguinis & caloris egens affluentia, & omni functione naturali destitutum suos excrementorum proventus ex uno capite emendicet &c. *Christoph. Schrodter Dissert. de Pleupneum.*

43. *Pulmones*) Cum quibusdam Modernorum inter Catarrhos Pulmonum *mitiores*, qui tussi vel levi dyspnœa se produnt; Et *atrociores*, vulgo *suffocativos* dici solitos distinguimus, Et quidem illos à *Lympha* tantum impedito motu, hos vero à turbata sanguinis ἀνακυκλήσει deducendos esse suspicamur. *Straussius.*

44. *Ad nares*) *Via* per quas humor ad membranam glandulosam pituitariam Narium καὶ ῥινοφάρυγγος communicatur, sunt illæ per quas sanitatis tempore eadem fluit: Inter illas quæ *aliunde veniunt* prima est, excrementitius meatus cartilagineus post osseus, redditus, è concha auris tendens in palatum, per quem nonnunquam clauso ore retentus spiritus irruit in concham, & sibilum excitat; Sed parum hic conferre potest. Altera via est meatus inter utramque palpebræ membranam, ad orbitæ angulum excurrens, non tamen ibidem desinens, sed ulterius extensus, & in nares per amplum foramen lacrymalis glandulæ, cujus punctis est continuus, tendens, eo humiditates serosas deponit: Quamvis autem angusta sit hæc via, & vix verisimile videatur tantam copiam quæ emungitur inde suppeditari, possibilitatem tamen persuadet continuatio transmissionis.

In ipsa *Narium tunica* exorta vasa, Catarrhi hujus materiá deferentia, duo sunt, *breviora* alia, exilia, & non nisi per expressum humore conspicua: alia *longiora*: Confertim & magnis portionibus non fit affluxus, sed sensim; implet Nares naturali in statu non vi sed sæpe & continuo tractu cadendo: Rivi fontem perennem suppeditantes sunt arteriæ & lymphatica vasa: Viæ & vasa, quæ in membrana, glandulosa affluentem humorem, non, ut nonnulli loqui amant, Pituitam (unde etiam pituitariam vocant membranam) sed ἰχῶρα λεπτόν, in motum conversam, cum munere humectationis naturali perfuncta, vel in majori præternaturali copia collecta est, excipiunt, & excernunt, sunt binæ, in utraris parte una, *Rolfinkius consil.* 1. l. 3.

Nullum dubium etiam est quin ex cerebro, à nutritione residuo cum sanguine, multæ humiditates excrementitiæ per sinus crassæ meningis ad venas jugulares revehantur, & ad partes has circa Nares & os, ceu emunctoria ordinaria deponantur: Non omne excrementum solas effertur per arterias, ut nutrimentum, Venæ non omne quod vehunt, vehũt & inferunt in cor, sed quiddam etiã evehũt ex corporis emissariis. Ita hæmorrhagiæ contumaces per nares, pulmones, anum, uterum non solum fiunt per arterias, sed & venosos venarum apices. *Idem Dissertat. Anatom.* l. 6. c. 56.

44. *Aut ad externas, non tantum inter cutem & carnem*) Ex lymphæ per vasa sua, in corporis habitũ distributa, & obstructa, hinc rupta, effusione in partes vicinas producuntur *Dolores* varii, & *Tumores* quoque *Catarrhis* vulgo adscripti, Inter quos haud postremum locum tenet qui partem brachii superiorem (*cujus generationem deducit author, Fernelium sequutus, à partibus sub calvaria positis &c.*) usque ad humerum ipsum occupant, & quandoque collum simul affligunt: Ad quos etiam referendi qui dolorem ischiadicum mentiuntur atque incessum impediunt in natibus hærentes, Horum dolorum quidam patiuntur partes affectas vestimentis multis tegi, & ab ipsis incalescere, alii à tegumentis exacerbantur, unde quoque difficilius cedunt & curantur quam priores: Oriuntur fere ab externo frigore partes illas prius ad sudorem usq; calentes, ac in somno sæpius denudatas penetrante, atq; post coagulatam in Lymphæ vasis pituitam, obstructionemque in ipsis, mox & ruptionem factam pro lymphæ diversitate *dolores* varios, & variis duntaxat medicamẽtis cedentes producente. Quæ namque acidior est Lympha, dolores magis rodentes, atque aromaticis oleis & unguentis, quale populeon, auscultantes excitat. *Franc. Sylvius Pr.* l. 1. c. 50.

Ejusmodi dolores in artubus, ac præ[illegible] Brachii parte superiore orti, noctu maxime molesti, [illegible] itquam humoris serosi redundantia, si quæ [illegible] Hydragogis & hidroticis fuerit diminuta, tollentur [illegible] c. ℞. *Ungu. Martiati, ol. lumbric.* ãã. ℥ß. *succini* ℈j. *Misce.* Si dolores *hinc augeantur.* ℞. *Ungu. Pop. Nervin.* ãã. ℥ij. *ol. liliorum alb.* ℥iij. *m. Idem.*

44. *Aut ad externas*) Quando catarrhi qui membra externa obsident, in specie qui ex refrigeratione post aliqualem sudorem superveniunt, dolorem plus minus lancinantem inferunt, In his cavendum ab oleosis, hæc enim inuncta crustam quasi inducunt cuti, porosque replent: In tali casu optimum est *Gummi Tacamahaca*, solutum in vino, itque extensum super alutam imponere parti, si nõn bene hæreat adde tantillum *terebinthinæ*,

binthina, hoc resolvit illas [illegible] empla-stro illo plerumque sudant membra : Cum hoc inter-dum licet conjungere *gummi Caranna*, hujus part.j.ad illius p.ij.

Quod si fiat ut cutis non bene ferre queat gumma-tum applicationem, sed tollatur in pustulas, potius *Tin-ctura cum spiritu vini extracta* usurpandæ veniunt, nempe infunduntur ea aromatica quæ vim habent attenuandi, penetrandi, resolvendi, & ita simul calefaciendi, v.g. *se-min. 4. cal. maj. erucæ, sinapi, majoran. salviæ, serpillæ*, &c. ex quibus parata essentia, seu tinctura diluta, applica-tur externe, & tam præmissa frictione partis, quam sine imponantur, & desuper lintea probe calefacta. *Ettmuller*.

45. *Non tantum inter cutem & carnem, sed etiam per ve-nas & arterias*) Vias per quas catarrhalis manat humor diximus esse principaliter *vasa lymphatica*, minus vero principaliter vasa sanguifera, quorum priorum vaso-rum poros ut dilatari, ita & vel à nimia distensione, vel ab acrimonia ipsius seri vasa corrodentis, Vel ab acidi-tate illius vasa discindentis penitus rumpi posse quis est qui negat? Vasa illa Lymphatica sunt manifesta, quæ per totum corpus diffusa sunt: Cur ergo hæc vasa tantum lacerentur in capite, & non in pulmonibus, collo, hepate, musculis, larynge &c. & ad quem usum glandulæ, serum utplurimum præparantes, in multis aliis partibus existerent? Imo totam Cutem dicimus glandulosam, prout sæpius microscopio talem conspe-ximus; Hinc Catarrhales affectus ex lymphæ per om-nes partes diffusæ vitio primario oriri non amplius du-bitamus. *Joh. Dolæus Encyclop. c. 216.*

46. *Inter cutem & carnem*) *Fernelius 6. Path. 4.* Exter-num Catarrhum Veteribus ignotum fuisse affirmat, se-que illius cognitionis authorem gloriatur, sed immeri-to. Nam *Hippocr. l. de Vuln. Cap.* plurima exempla ac dogmata tradidit quæ istum a Pericranio catarrhum ip-si notissimum fuisse testantur. Ex *Lib. de Loc.* à muco in-ter os & carnem capitis acervato oculos fluxionibus in-vadi scribit, harumque diagnosin & therapian enarrat: Ita *Galenus* 4. K. T. 1. meminit rheumatos à locis extra cranium, & à locis intra cranium scaturientis; humo-resque ad os ruere ait, vel per venas cranio superposi-tas, vel per venas sub cranio delitescentes, *Lib. de oc. part 4. c. 15.* quod idem docetur à *Celso l. 7. c. 7.* ubi disserit de oculorum pituita. *Menjotus*.

47. *Sed etiam per venas & arterias*) Vnde constituitur *Catarrhus minus proprie dictus*, Ex seri cum sanguine infu-sione per arterias, nunc *immediate*, nunc *mediante in lym-pham* mutati, sed ob fibrarum aliqualem, ob irritatio-nem undecunque factam, stricturam, aliquali remora, & in parte plus minus concervatione natum, hincque partis variam, tam ex læsione plus minus sensili, quam seri, plus minus insipidi aut acris, parcioris vel copio-sioris effusi, alterationem & functionem læsam.

Sic enim frigus externum post corporis æstum & motum nudo capite exceptum, aut pleno ore haustum, promptissime ad catarrhum disponit, non secus ac ex refrigeratione partis cujusdam nocturna, post aliqua-lem sudationem, manet dolor in loco plus minus sensi-li, Catarrho adscriptus percipitur: Nempe subito clau-sis poris id quod insensibiliter alias exhalare deberet, in lympham acrem spissatur; unde pathemata ex ejus irritatione varia superveniunt; Sic ex seri scorbutici in loco quodam, speciatim in pedibus facta irritatione, & hinc dolorosa alteratione, dolores lancinantes & lace-rantes, præsertim nocturni, qui catarrhis tribuuntur, oriuntur: Sic pariter ex Dentium irritatione, & dolo-re, & hinc fibrarum strictura, natus tumor maxillæ se-rosus, itidem catarrho tribuitur: Ex sero paulo acriori *Pleuram* fortuito irritante natus dolor, in pleuresi notha, catarrhis quoque tribuitur.

Causas in *Affectu Catarrhales* agnoscunt easdem quas illi supra dicti, Nam, quoad *materialem*, serum, vel *im-mediate* ex arteriis cum sanguine elapsum, Vel *mediante* in lympham prius commutatum, hanc constituit. Quoad *causam efficientem occasionalem*, insequuntur læsionem, & *irritationem* vel ex *occasione externa*, præsertim refrigera-tione partis, v.g. post sudorem; Vel *ex ipsius seri*, pro materia lymphæ distributi, acrioris, In specie acido salsi, partes nervosas aut membranosas vellicantis; Vel *habi-tuali in malo*, ex *vitioso fermento*, ob læsam digestionem privatam, spiritus insiti vitio labefactatam nato, Quod data occasione quavis excitatum, ex irritatione, tan-quam spina infixa catarrhales affectus infert. *Ettmuller*.

Curatio est[48] *Difficilior*, si [49] catarrhi sunt frequentiores & graviores: si cum impetu ruunt: [50] si senes invadunt: [51] si cum dolore capitis junguntur.

[52] *Respicit* 1. [53] *Materiam genitam* [54] quæ evacuanda. Ne amplius generetur, præcavendum, & partis suppeditantis dispositio corrigenda.

II. *Materiam fluentem*, quæ [55] revellenda, intercipienda, & pars recipiens roboranda. Plura in Differentiis.

De cætero [56] *sistunt* quoque Catarrhum *radix tormentillæ*. Syrupus *acinorum solani, & de pilo-sella* Renodæi. *Inspissat* tenuem Electuarium *de styrace passulato*. ex *pulpa passular.* per setaceum traject. unc. iij. liquirit. terræ sigill. nuc. mosch. assatæ ana scr ii. styrac. calam. dr. j. cum suffic. quantit. sacchari, adjecta aqua rosar. formari possunt tabellæ. *Exsiccant*, decoctum *antimonia-le Hornungi*, & quidem per insensibilem transpirationem & alvum: *Spiritus vini tartarizatus: pul-vis caryophyllorum* vertici, spiritu primo vini madefacto inspersus: & *pastinaca sylvestris* [57] in lo-tione capitis usurpata. [58] *Amuletum* ex sambuco, vid. apud Hartmannum.

Prognosis & Curatio.

48. *Curatio est difficilior*) Catarrhi prognosis ex ubertate ac natura materiæ deciduæ, partiumque [illegible] necessitate & præstantia desumitur: Nam, ut recte *Cel-sus l. 4. cap. 2. Humorem in nares stillare leve est, in fauces pe-jus, in pulmonem pessimum*. In genere tamen præstat cere-bri immundicias catarrhis expurgari quam in cerebro hærere, atque commorari, ubi apoplexiam, aliasque perniciosas machinarentur ægritudines; quare apud *Hippocr. lib. 2. Prorrh.* Coryza capitis doloribus blandi-mentum affert, cerebro molestæ sublu viei sarcina leva-to: *Menjotus*.

Prognosis hujus affectus à *Celso* eleganter proponi-tur, *Si ex capite in nares distillat humor, leve est; Si in fauces pejus; Si vero in pulmonem, pessimum est: Hippocrates* in valde senibus Catarrhum difficillime concoqui asse-ruit: Vbi magna humorum copia redundat, sive ea à plethora sit, sive à cacochymia, periculosus inducitur catarrhus; metuandum enim ne affatim irruens copio-

fus humor suffocationem, aut grave aliquod aliud malum inducat. *Riverius.*

48. *Curatio est difficilior*) Catarrhus à *causa & læsione externa* proveniens minus periculosus quam qui internum habet fomitem: Pejores sunt *Scorbutici*, Pessimi omnium qui ex vitio partis privato, seu *hæreditario*, seu non *hæreditario* fuerit oriuntur: Catarrhus quo sæpius in *eodem loco* recurrit, eo periculosior censendus est, cum crebriori recidiva spiritus insitus debilitatus facile malum habituale contrahere queat, & v. g. in pectore & pulmonibus phthisin inferre possit: Quo facilius excretione quacunque facta levatur catarrhus, eo melius, quia minus periculum est ne ex graviore læsione partis, gravius malum ipsi immineat. *Ettmuller.*

49. *Si catarrhi sunt frequentiores*) Succis subtilioribus, ac idcirco fluidioribus prædití, ... jure censentur; quorum vero humores crassiores sunt atque ..., ii destillationibus rarius divexantur. *Menjotius.*

50. *Si senes invadunt*) Catarrhi qui senes affligunt graviores sunt ac difficiliores curatu, undecunque orti fuerint: partim propter digestionum quarumcumque debilitatem, partim propter partium solidarum deficiens robur, ex languore spiritus insiti; partim propter serum & lympham, in talibus acriorem & fere acidiorem; In specie periculosi sunt *senibus si capiti petunt*; hinc enim varia & gravia capitis pathemata inferunt, Nam glandulas minutas cerebri, in specie plexum choroidem, circa lympham esse occupatas, non secus ac pinealem & pituitariam, aliasque consimiles, earumdem structuræ &c. confirmant. Ab his igitur lympha, vitiosius secreta, tam in quanto quam in quali, & cerebrum inundans, gravia capitis symptomata infert. *Ettmuller.*

Temperamentum frigidum & humidum, *Ætásque senilis*, catarrhis patent; si quidem *illud* sua natura serositatum & lympharum ferax est, *Hæc* autem quamvis ad siccitatem inclinet, ex accidenti tamen excrementitiis humiditatibus scatet. *Straussius.*

50. *Si senes invadunt*) Pueri ob cerebri humiditatem ..., sed virtutis naturalis robore persanantur ex facili: *Senes* autem, non modo catarrhis opportuni vivunt, sed etiam ætatis injuria: Arduum est facere ... , sive pluviosam eorum constitutionem serenare, ut particulari exemplo demonstravit *Hippocr.* 2. *aph.* 40. *Raucedines*, inquit, & *Gravedines in valde senibus non maturescunt.* Menjotius. Senes autem Catarrhis obnoxii sunt non modo ob fatiscentem calorem nativum, & sanguinis massam crudiorem, materiam uberem subministrantem, sed & ob viarum laxitatem, lymphaticorum præsertim vasorum dehiscentiam, inductam à lymphæ fluoris assiduitate: Sic notavit *Hofmannus in Instit.* Arthriticorum ossa fluxionem excipientia à crebro humoris influxu, potius pervia reddita, & foraminibus crebris excavata.

51. *Si cum dolore capitis*) Catarrhus cephalalgiæ junctus ægrorum fanescit, dolore novam destillationis materiam jugiter trahente. *Menjotius.*

52. *Respicit*) Si *generationem* Catarrhi recte consideremus, manifestum evadit omnem Catarrhi hactenus traditam doctrinam, non tam *morbum* ipsum, quam productum morbosum respicere, adeoque à posteriori saltem rem declarare: Si quidem tam Lymphæ ista ex glandulis conglomeratis effusio, quam seri plus minus vitiosi, à sanguine refluo separati, aliqualis in parte retentio, nonnisi effectus sunt, ex consequentia læsionis quidem morbosæ, in parte ista catarrho obsessa præviæ ... ut & in *Theoria*, seu fiendi modo, primario ad læsionem istam, & irritationem ejusque causam, quam sequitur catarrhalis influxio, Et in *Praxi*, ad irritationis illius mitigationem, & læsionis correctionem, harumque causarum remotionem, su potius respiciendum quam ad catarrhi istius ... & discussionem, Istis enim deficientibus nunquam ruent Catarrhi, sicut iisdem sublatis sponte hi ipsi languescent & evanescent. *Ettmuller.*

52. *Respicit* 1.) In Cura Catarrhorum semper tria capita primario attendenda 1. *Causa efficiens*, & inde parti inducta læsio, unde stimulatur lymphæ catarrhalis excretio, tollenda & removenda, unde si malum sit à causa externa, Opians, aut similibus sensus irritationis tollatur, & consequenter lymphæ affluxus præcaveatur, Hinc Suffitus, Inunctiones cum oleis aromaticis destillatis, & Sudorifera ex salibus volatilibus oleosis sunt optima: Si vero subsit unum pars ex digestione privata læsa, aut quasi reliquiæ fermentativæ, hæ ipsæ ex parte removeantur, & hinc pars ipsa firmetur; Faciunt istud nunc sudorifera, partium sordes eluentia & abstergentia; nunc loci, vel affecti, vel in vicinia, aperno per vesicatoria, cauteria & fon... los applicata, & si fieri potest, lent suppuratione ... per abscessum, contumax vitium est removendum, v. g. *tumor catarrhosus mala* crebrius recurrens, vitio dentis ex privata digestione læsa cariosi, hujus ... sione radicitus curatur; *Tonsillarum tumores* ... sæpius recurrentes, radicitus extirpantur ... ne perfecta, ut hujus medio quicquid her... eum fermentativum partem obsederit, hocce ... dio removeatur.

Sin vero *Lympha ipsius vitium* fuerit causa catarrhi, hæc ipsa vitiosa, acris, salsa & acida, *aromaticis* aut *volatilibus*, item *oleosis temperatis* corrigenda, & nunc per *urinam*, nunc optime per *sudorem* eliminanda, Fomes vero ejus, imprimis digestionis pronæ vitia emendanda.

ij. *Causa materialis*, *lympha* nempe aut effusa, aut effundenda, removenda & corrigenda, Removetur vel *imminuendo* vel *avertendo*; *Corrigitur*, si proprietates ejus vitiosæ, præsertim acrimonia acido salsa partes nerveas vellicans & rodens temperetur; quo etiam *Incrassantia* sic dicta pertinent.

iij. *Loci* seu *partis affectæ* læsio curanda ac restimenda; & si quid subsit glandularum aut obstructarum, aut alio modo læsarum, vitium corrigendum, ut hujus ratione partim catarrhos debite tractemus, partim eosdem præcaveamus; id quod imprimis *adstringentia* & *aromatica* præstant: *Illa* tonum partium nervosum, hæc robur partium vitale conservant. *Ettmuller.*

53. *Materiam genitam qua evacuanda*) Materia ... cans primum imminuenda est Potione aut Pilulis vel alio quovis medicamento purgante, ex his quæ ... gida cerebri intemperie fuerunt proposita: Mo... quiæ humoris præparandæ apozemate dicto loco descripto, aut si non nimia humoris exagitatio metuatur Apozema purgans poterit institui Ac tandem Pilulis fortioribus, aut alio cathartico integra purgatio erit absolvenda.

Si catarrhus admodum contumax fuerit ... *Vomitoria* confugiendum est, quæ illius mat... potenter eradicant: *Colocynthis* ad cerebrum po... expurgandum efficacissima est, sed vehemens ... operatio & summo amarore infensa: Corrigitur utrumque infusione in urina, sic enim amaritudinem deponit, & fere insipidum evadit remedium, cum vehementia illius ita ita infringitur ut ad ʒj. tuto exhiberi valeat. Atque excellens ad omnes capitis morbos, à causa frigida oriundos remedium. *Riverius.*

54. *Quæ evacuanda*) *Evacuantia* primum locum obtinent, Per *alvum* vero talia minus sunt commoda, sed quæ potius feliciori & promptiori successu lymphæ augmentum per *urinam*, & hunc etiam per *sudorem* evacuando

cuando impediunt; Et talia ex *salibus volatilibus*, v. g. *succini*, *c. c.* item ex *lignis sudorificis* erunt optima; Ubi tamen catarrhalis affectus contumacior, aut ex stomachi vitio dependeat, vel totum corpus impurum offendat, subinde necesse est ad *Purgantia* progredi; Imo contumacius ubi fuerit malum, ad vomitoria accedendum suadet *Riverius cent. 2. obs. 90.* Item in catarrhis sæpius recurrentibus, v. g. in senibus & similibus, præsertim quando ex *seri vitio* accidat, ac partes nerveas magis afflixerit, semper ante novilunium, aut evacuantia appropriata, aut alia à catarrhis præservantia usurpanda. Inter quæ eminent *succinata*, *myrrhata*, & similia *oleosa* quasi *balsamica*, partes læsas roborantia, & lympham seu serum corrigentia. *Etmuller.*

55. *Revellenda*) Hinc *Aëtius Tetrab. 2. s. 4. c. 35.* utile esse ait iis qui destillationem patiuntur, si eorum plantæ pedum cum *pice* in *oleo* plurimo dissoluta fricentur, Et ex eodem inguina & sedes perungantur.

56. *Sistunt quoque catarrhum*) Post convenienter evacuationes cerebrum roborantia & exsiccantia, tam interna quam externa sunt utilissima, ex curatione frigidæ intemperiei cerebri repetenda: Notandum Opiatæ ibi descriptæ, aut similibus, *conservam rosar. nucem mosch.* & *thus albissimum* utiliter admisceri: *Decoctum ligni lentiscini* in modum decocti sudorifici usurpatum, cerebrum exsiccat & fluxionem exhibet; *Trochisci* sequentes commendantur à *Solenandro*.

℞. *Thuris masc. succi liquir.* ãã ʒj. *opii*, *croci*, *myrrhæ* ãã. ℈j. *cum syrupo papav. forma Trochiscos, vel Pilulas*, urgente catarrho exhibendas per intervalla, dozis ʒß. vel ℈ij. Vel

℞. *Pulv. elect. diambræ*, *diamosch. ol.* ãã. ʒj. *succin. albi* ℈j. *ol. anisi gtt.* iij. *sacch. in aqua lavend. dissoluti* ℥iv. *f. Tabellæ pond.* ʒij. capiat unam m. & v.

Summæ est efficaciæ ad catarrhi inveterati curationem *Balsamum cephal.* cap. de intemp. cerebri frig. descriptum, quod intus poterit assumi, & in narium cavitates immitti: *Lac sulphuris & flores ejusdem* ad catarrhum exsiccandum maximè laudantur à Chymiatris, tum etiam Galenici in Tabellis flores sæpissime usurpant. In *recenti Catarrho aqua Nucum cum hydromelite* exhibita hora somni per triduum, eum valde imminuit. *Riverius.*

Aqua serpilli, quod prius in *vino*, per aliquot dies maratur, & per alembicum destillatur, Omnibus catarrhis sistendis prodest, si quotidie ejus cochlear semis assumatur. *Joh. Vincent. Finckius Enck. Dogm. Hermet. c. 7. Claud. Deodatus in Pantheo.*

57. *In lotione capitis*) Quoad Externa applicanda locis glandulosis, & locis catarrhos fundentibus vicinis, hæc ipsa nunc sub forma *suffitus* usurpantur, ut melius penetrent, præsertim in capitis ejusque partium catarrhis, Nunc *litus* forma conveniunt, qui parantur ex *oleis* destill. succ. *mentha*, *majoran.* &c. Observando tamen ut si ejusmodi *olea* penetrantiora, & membranas sensiles magis afficientia partibus extus admovenda sint, talia subjecta vim eorum penetrantem ferre queant, cum qui capitis sunt debilioris ab hujusmodi fumosis lædantur; & vel solo odore sternutatio & incipiens coryza iisdem excitetur; Ulterius *Empl. de Betonica. gum. tacamah.* sunt optima anticatarrhalia, si malaxata cum oleis appropriatis Emplastri forma applicentur; Pertinet huc fumus *tabaci* haustus, in catarrhis caput infestantibus non contemnendus, nam ejus sal volatile penetrat, abstergit & resolvit hostile illud irritans, lympham vitiosam corrigit, unde crassam ac viscidam attenuat, abundantem evacuat, & ratione virtutis narcoticæ insigniter conducit ad motus catarrhales feroces sistendos: Quod si Tabaco addantur *sem. anisi, coriandr.* succin. &c. erit eo magis appropriatum. *Etmuller.*

57. *Exsiccant*) In omnibus catarrhis & defluxionibus, tum prohibendis, tum etiam caput ab iisdem præservandis, prodest *aqua serpilli* cum *vino generoso albo* destillata, quotidie sumpta ad cochlear unum vel ij. pro ratione ægri: *Johannes Hartmannus Pr. Chym. p. 92.*

57. *Exsiccant*) Ad destillationes capitis *Tinctura Lunæ* valde prodest.

℞. *Spir. Vitrioli gtt.*iv. *Tinct. Lunæ gr.*viij. *aqu. serpilli* ℥ß. *ol. succini gtt. v. m. quotidie detur. Joh. Agric. comm. in Poppium p. 136.*

8 *Decoctum Antimon. Hornungi*) Quod sic paratur.

℞. *Rad. sassafras* ℥ß. *ligni visci qu. lentisc.* ãã. ʒvj. *fol. beton. m. ij. Parata pro decoctione coque in aqu. pluv. limpidæ mensur. iv. bulliant per quadrantem horæ, postea inde Antimon. crudi in petia ligati* ℥j. & porro bulliant, donec mensura iß. sit consumpta; Mane haustus calide assumitur.

58. *Amuletum*) *Imperatoria* Luna crescente effodiatur, collo appendatur, ita ut spinam dorsi in medio attingat, cura peracta projiciatur in aquam. *Joh. Pharamundus Rhumelius Tract. de medic. militar. c. 21.*

Diæta.

Fons Diæteticus, quo in ægri commodum suos jucunde diffundat rivulos, cavendum ut ne à causis, quarum superius §. *A causis calefacientibus* &c. *& refrigerantibus*) mentio facta est, infeliciter obstruatur: Hinc in primis *vino*, abstinendum potius quam indulgendum, sive calidus sive frigidus Catarrhus fuerit, monente *Horat. Augenio l. 3. Conf. & Ep. c. 3.* Cæterum Catarrho obnoxiis optumum suggerit consilium *Hipp. 6. Epid. t. 4.* Non *satiari cibis & impigrum esse ad labores*, Interim *sobrietas*, quam *Helmontius Tr. de vict. rat. n. 16.* tanquam totius Diætæ cardinem se semper magni fecisse scribit, & *Abstinentia* in exhauriendis catarrhis, teste quotidiana experientia, plurimum valent, ut hic verissimum evadat illud Poetæ.

Abstine & efficies quod medicina nequit. *Strausfius.*

Ut *Venus* immodica noxia est, sic moderata siccando catarrhos propitiat, morbisque medetur à pituita progenitis 6. *Epid. s. 5. part. 12.* Ita ut, eodem authore 1. *de Diæta*, mentem paulo tardiorem acuat: Hinc mirum esse non debet si *Timochares 5. Epid. 78.* Veneris usu à destillatione in nares, media hyeme intra triduum sanatus fuerit. *Menjotius.*

In *Cibo* cavenda varietas, à piscibus & omnibus fumosis, ut oleribus crudis, allio ac cæpis præparatis, fumo maceratis, sale conditis, leguminibus & lacticiniis abstinendum: *Potus* sit cerevisia bene & mature defæcata: Prudentes, & suæ valetudinis diligentes custodes facile observare possunt à quibus cibis offendantur, quibus juventur; quæ errata in victu bonæ valetudini noceant, quæ non admissa prosint: Dolendum est homines plerumque ita vivere, ut jumentis, imprimis equis ac canibus, plusquam sibi ipsis parcant; Proinde vera est admonitio *Arabis* illius, quam in Consilio Regi suo præscripsit: Homines si sic seipsos gubernarent, ut suorum equorum curam habent, minus ægrotaturos: *Affectiones animi, & cerebri labores* in primis cavendæ, & maxime à cibo; hinc *Celsus* præcepit, Quibus caput infirmum est, iis ne cogitationem quidem à cibo tutam; maxime autem à cœna ab iis temperandum, nec in multam noctem lucubrandum; multo minus inter comessationes sedendum: Interdum matutinis horis pedes abluantur *decocto beton. & rorisin. & vino, cui parum aceti* affundatur, atque sale soleæ pedum confricentur, Hoc modo caput juvabitur &c. *Crato cons. 1. lib. 6.*

[59]. *Dividitur* Catarrhus *tripliciter* præcipuè.

I. [60]. Alius est ab *Humore frigido & humido*, eoque.

1. [61]. Vel *Copioso*, & cum majore impetu ruenre : [62]. *Tum venæ externa cubiti* sectio adhibenda, ne à reliquo corpore affluat : & *intercipiendum*, per sacculos ex *succino*, *rosis rubris*, *mastiche*, *nuce moschata* pararos, vertici impositos : tum per ejusdem rasi [63]. aspersionem pulv. ex *rosis*, *santalo Citrino*, *corall. rubro prap. spica Celtica*, *sandaracha Arabum* concinnato.

Vel *pauco*, nec cum impetu ruente : *Tum* in senili præsertim ætate, venæ sectione supersedendum.

2. Vel *Tenui*, & aquoso. *Tum* [64]. suspendendus catarrhus [65]. tam *pillulis* de cynoglossa quar. IX. ex scr. j. parari possunt, & tres tempore decubitus sumi : quam [66]. *Cataplasmate* ex fermenti acrioris unc. ij. & carabes dr. II. [67]. vertici applicaro : [68]. inprimis vero *laudano opiato*, sub ingressum lecti exhibito & looch de portulaca : [69]. Præparandum moderatè incrassantibus, ut decocto *Thuris*, *mastiches*, *Betonica*, *Nucis moschata*, looch de porrulaca : [7] . Purgandum, [71]. ne materia agitetur, lenioribus, [72]. *Manna*, *Mechoacanna* : [73]. particularirer evacuandum [74]. per Errhina [75]. si materia *ad pectus & ventriculum fluit* ; per Gargarismos & Apophlegmatismos, si *ad oculos & nares* ; omnia ita disposita, ut [76]. imperum cararrhi figanr : [77]. Catarrhus exsiccandus, & caput roborandum, Rotulis ex *floribus sulfuris*, [78]. *succino pulverizato*, sacculo implicato, in Spiritu vini malvaticl calefacto, olei succini guttis aliquot asperso, & [79]. naribus ac temporibus eodem illiris, vertici applicato, [80]. *radic. china*, [81]. *sassafras* [82]. &c. decocto. In hoc ut & in salso applicar Martinus [83]. duo caustica [84]. inter duas scapulas, spina dorsi intermedia, latitudine duorum digitorum, & semel in hebdomada cucurbitam superponere juber. [85]. Vel *Crasso*, Tum præparandum calefacienribus & attenuantibus, decocto *hyssops*, *ruta*, in gargarismo, *Oxymelite simplici*, *scillitico*, purgandum *Agarico*, Extr. pillularum *Cochiarum*, *magisterio luna* Salæ à gr. v. ad VIII. Riverius laudat *Calomelanos* seu mercurium dulcem septies sublimatum cum *jalapa*. Evacuandum particulatirer, ubi [86]. inter Errhina [87]. *semen nigella Romana* pulverizatum, & cum aqua majoranæ è vola manus in nares attractum.

[88]. Caput roborandum, ubi optima [89]. *Aqua serpilli* cum vino destillata Hartman. *Vinum medicatum* ejusdem.

[59]. *Dividitur Catarrhus*) Præterea catarrhus omnis est vel *accidentalis* vel *habitualis*, Ille, qui ex improviso, & quasi fortunato casu supervenit parti, & ejus spiritum insitum afficit, ideoque facile delebilis existit; & talis est qui fere à *causis externis* & inspiratorum vitiis oritur : *Hic* vero est qui sæpius in eodem loco gravius reperit, & successive spiritum insitum graviter labefactat, ac vel levi occasione dat. repetit, & nunc ex vitio hæreditario, nunc contentorum notabili dyscrasia supervenit; *Causa Habitualis catarrhi*, est *partium* loci affecti tonus semel læsus, ex spiritus insiti deficientia, unde Glandulæ, aliæque partes vicinæ ex læso tono laxantur, adeoque ex læso tono facilius & sæpius ex interna causa nati catarrhi eandem partem afficere & replere solent : *Partim* remanens à læsione catarrhali fermentum præternaturale in glandulis locisve vicinis ; quod subinde plus minus commotum, irritando istas partes, catarrhales influxiones provocat ; non secus ac simile quid in ulceribus relictum, recidivas hocum inferre solet, quod *Helmontius* robur partis inæquale dicit. *Ettmuller*.

[59]. *Dividitur Catarrhus tripliciter*) Dividitur I°. in ὁρμώμενον, excitatum, cujus materia adhuc est in motu, Et συνεστηκός, consistentem, ubi humor stabilem in partem fixit sedem, II. Vel primario capitis vitio inducitum, vel partium quarundam consensu : III. Aut sit aliquod privatum membrum impetum facit, aut regionem omnem subjutaneam, nempe cervicem, scapulas, lumbos & artus omnes, effusæ paludis instar longe lateque, irrigat, tumque febris Catarrhalis dicta fere comitatur, IV. Catarrhus vel sensim descendit vel ἀθρόως. V. Catarrhus vel contagione caret, & malignitate ; aut *contagiosus* exilbit & malignus, qualis erat Tussis illa ferina quæ avorum memoria populatim sævit & à Cucullo quo capita solebant operire *Coqueluche* vulgo dicebatur. Ultimo catarrhus dicitur calidus vel frigidus. *Menjotius*.

[60]. *Alius ab humore frigido*) Frigidum catarrhum signant materia insipida, lingua albicans & madida, capitis frigiditas atque gravitas, ad somnum propensio, piger motus, sensus hebes, facies decolor, urina tincturæ biliosæ expers, affectæ partis albedo ac dolor remissior, ægri telario se frigida compluti quiritantis: Denique aut, abest febris, aut, si adsit, ea prodest materiam mitificando. Diagnosin quoque illustrant patientis ætas, temperies, habitus corporis & prægressa vitæ ratio; item constitutio aëris, regio, tempus anni, ac tandem observatio empirica juvantium & lædentium, magnum enim *Curatio* est *Hippocratis* argumentum. *Menjotius*. Vide inferius §. *Alius est ab humore calido*.)

[61]. *Vel copioso & cum majore impetu ruente*) Tota catarrhi frigidi curatio in eo consistit ut materia peccans præparetur & evacuetur, Et si ad pectus aliamve partem influat, revellatur, illiusque motus inhibeatur, tandemque intemperies cerebri corrigatur. Primo itaque si materia copiosa sit, aut nimio impetu ruat ut metus sit ne à reliquo etiam corpore affluat (præsertim si hepar sit calidum (contingit enim non raro ut catarrhis obnoxii habeant cerebrum ... & hepar calidum) sanguis mittendus est, sed ... manu. Si vero materia sit pauca, & lente mo... ætas senilis, aut temperamentum hepatis mi... um, unde nulla veniat suspicio humorem al... cerebro suppeditari, venæ sectio omittenda est. *Riverius*.

[62]. *Tum vena externa*) Negotium hoc per se locum non invenit. Sin vero subjecti ... plethoricum & consueta sanguinis evacuatio suppressa &c. quibus & aliis similibus occasionibus intenduntur catarrhum constituentia vel consequentia symptomata, consulta est venæ sectio, Observando revulsionum & aversionum regulas : Quin etiam cum confestim nimus sit decubitus catarrhalis in quadam parte, ad impetum istum refrænandum v. s. in loco opposito secundum revul-

fionem

sionem & aversionem instituta subinde solet in praxi esse d nodum proficua. *Etmuller.*

63. *Inspersionem pulveris*) ℞. *Caryophyll. cinnam. maschches, macis, benzoes ãã. ʒj. nuc. cupr. corall. rubr. balaust. ãã. ℈ij. misce. Fiat Pulvis, qui aspergatur suturæ coronali.*

Et nos, & alii sæpius hujus Pulveris vim experti sumus, & invenimus istum destillationes tam brevi sistere, ut & laborantibus & nobis mirabile apparuerit. *Hieron. Accorambonus Tr. de Catarrho, p.* 40.

64. *Suspendendus Catarrhus*) Decantat Opiatorum usum *Helmont.* in affectibus catarrhalibus *Tr. Jus Duumvir. §.* 62. 64. 65. Salutarem horum usum confirmat experientia; Assumuntur cumprimis tempore vespertino, aliquot horis ante introitum lecti, aut etiam paulo ante, quando moveri solet catarrhus.

Observandum tamen ne abutamur his ipsis, *suspendendo* nempe & inhibendo catarrhalem motum, istis nempe in casibus *quando* catarrhali influxione sistitur alius morbus, vel *quando* epidemius fuerit affectus catarrhalis, vel quando jam ad incrementum pervenerit morbus, In talibus casibus enim non statim *suspendenda* materia catarrhalis. Plus enim nocumenti alias contingit, nisi divertentibus sudoriferis, diureticis & similibus mista fuerint Opiata. *Etmuller.*

Ex sententia *Prosp. Martiani comm. in Hipp. lib. de loc. in Hom.* confert *Opium* disgregationem humorum sistendo & prohibendo, Cum, *ut*, ad omnes destillationes concurrat humorum disgregatio, seu hæc concurrat sub ratione causæ externæ, seu internæ & proximioris, patet ratio propter quam Opium concoquere dicatur *Dioscor.* Et quare medicamenta stupefacientia appellata destillationes *mirabiliter* miraculo quodam sistant, & ex toto interdum etiam curent; cum enim per hoc humorum & spirituum motus sistatur, non modo fluxiones compescunt, quæ in motu humorum consistunt, sed etiam prohibent disgregationem, quæ est fluxionis causa.

64. *Tum suspendendus catarrhus*) Hic duo ponimus axiomata (1) *Serum fluxionum omnium esse principium in corpore*, sive intus sive extus spectantur eædem, tum solum, tum cum bile & sanguine, quos fluxiles reddit: In omnibus ergo fluxionibus seri habenda est unica ratio. (2.) *Opium esse frænum seri genuinum*, quo moderari id ipsum, quocunque modo excedens, & plus justo fluitans licet; Incrassat Opium, seu consistentiam sero fœnerat, ut alveis suis non exundet, si sudorem exceperis, quo ipso tamen pacto freno regi non desinit, Incrassat vaporositate sua resolubili sulphurea, quæ mixta sero, id ipsum retardat satis in motu, ligando simul spiritus. *Wedelius A. m. m. p.* 444.

65. *Suspendendus catarrhus tam Pilulis &c.*) Præstantissimum remedium est in frigido catarrho, *Terra Lemnia*, vel *rubrica Armeniaca* cum *vino*, efficaciter enim suspendunt Suffocationes eas. *Alex. Benedictus l.* 4. *c.* 19. In tenuibus destillationibus felicissime utor *Pilulis de Styrace Cratonis*, *Gregor. Horstius.*

66. *Quam cataplasmate ex Fermenti*) Ex *Ruland. cent.* 1. *Curat.* 1.

67. *Vertici applicato*) ℞. *Ladani, gum. elemi sandar. olibani, storac. liquid. & sicc. resinæ ãã. q. s. & p. aqu. M. f. ceratum s. a. capiti raso prius applicandum.*

Valet contra decursum catarrhi mirabiliter, si supra commissuram coronalem ponatur: Vel aliud ita,

℞. *Aloës, puleg. calaminth. mont. cortic. citr. ãã. p. aq. f. Pulvis, incorporetur cum ladano & modico acaciæ, ut fiat ceratum.* Et est experientissimum, & longe præstantius priore. *Bartholomæus Montagnana cap.* 3. *Antidot.*

67. *Vertici impositos*) Ad catarrhos frigidos nihil est præstantius quam si *melanthium* vel *cuminum* torrefactum sincipiti admoveatur: vel si idem linteo inclusum sæpius naribus objiciatur. *Phil. Grulingius med. Tr. l. 1. part.* 1. *c.* 14.

68. *Imprimis vero laudano op.*) In catarrhis quibusvis, præsertim si concurrat lymphæ acrimonia vitiosa, *Opiata* prosunt; hunc à Veteribus in principio mali, & catarrho *tenui*, ut vocant, *Pil. de cynogl.* fuerunt in usu; quarum ingredientia cum nimis sint cruda, earum loco fere *laud. op.* in usum venit; Opiatis ejusmodi catarrhus, præsertim nocturnus evertitur; læsionis irritantis sensus opprimitur, catarrhasis defluxio inhibetur; Sola tamen vix usurpanda, sed *succinatis* & *aromaticis* mista appropriatis, præsertim diaphoresin auctiorem ab eorum usu expectando. *Etmuller.*

69. *Præparandam modice incrassantibus*) Tempora paroxysmi catarrhalis probe distinguenda sunt, pro quorum ratione Catarrhus nunc *Tenuis* nunc *Crassus* dicitur, Nempe in *principio*, dum lympha sincera fluxerit, *Catarrhum tenuem*, seu *crudum*, constituit: Dum vero copiosiori Lymphæ irritatione laxatur pars, successive exasperatur, & superficie tenus excoriatur, & nutrimentum partis proprium se associat, *lympham*, antea *tenuem*, spissiorem; antea *acrem* temperatam reddit; Id quod fit in incremento & statu paroxysmi, Et hoc *materiam tenuem incrassatam* & *coctam* vocant, cujus excretione; & partis læsæ spontanea restitutione *declinatio paroxysmi* absolvitur. *Etmuller.*

70. *Purgandum*) Quin & nonnulli à *Vomitoriis* sibi non metuunt, quoties ventriculus saburra gravatur, aut contumacius malum est. *L. Straussius.*

70. *Purgandum*) vide infra §. 85. *Vel crasso, tum præparandum.*)

71. *Ne materia agitetur, lenioribus*) Dum alii mitioribus, *mechoacanna, agarico* &c. contenti sunt, quidam fortiora quoque cathartica, & ipsam quoque *colocynthidem* ita apparare norunt ut suis nutibus annuat: Interim τὸ κατ᾽ ὀλίγον ἀσφαλές, & quod bene monet *Crato in cons.* hoc rerum statu humores nequaquam exagitari, aut raptari, sed leniter tractari ducique volunt; aliter si fiat, furiunt, & magnam corpori inferunt cladem: Laudantur ex compositis, e. g. *M. P. Fœtid. aloephang. aureat. cochear. de succino Crat. Marocostin. Mindereri*, quæ per epicrasin feliciter operantur. *Straussius.*

72. *Manna, mechoacanna*) Inter Purgantia, præsertim pro senibus catarrhosis, usitatiores sunt *Pilulæ de Succino Cratonis*, nempe

℞. *M. P. de Succino Cratonis* ℈ß. *ad* ℈j. *extr. absynthi gr. v. resinæ Jalap. gr.* iij. *vel* iiij. *scammon. sulph. gr.* j. *cum s. q. olei succini f. Pilulæ.*

Alias *Jalapa* ordinario præscribitur, seu solitarie, seu cum *mercurio dulci*: At si tenacior mucus se junxerit, *Colocynthis* locum invenit: *Pilulæ aloephanginæ*, aliæque similes usuales, si radix mali fuerit in stomacho & primis viis, usurpari possunt. *Etmuller.*

73. *Particulariter evacuandum*) Si Purgantia voto non sufficienter responderint, vel non invenerint locum, implebunt hunc *Diuretica*, ex quorum cornucopia jam oblatas arripimus Radic. *fœnic. bardanæ, caryophyllat. liquir.* Herbas *veronic. chærefol. genistam, helen.* Semin. *dauci cret.* Ligna *sassafras, ocul. cancr. lumbric. terra, succinum, Terebinth. spir. tartari, Tinct. Tartari &c.* Quibus ex *compositis officii* adjunge *syr. adiant. Fern. de succo Veron. de* 2. *&* 5. *radic. de hyssopo, capill. ven. de stoech. &c.* Non minoris usus erunt *Diaphoretica*, præsertim ubi lympha stagnaverit, vel partibus inhæserit: Inter hæc apprime placent, Radic. *Imperat. helenii, Chinæ, Ligna guajaci, sassafras, herb. rorismar. thymus lavend. ruta, serpill. beton. flor. stæchad. centaur. min.* Baccæ *junip. lauri, succinum, cinnab. nat. & factitia, mixtura simplex, Antimon. Diaph. castor. &c.* Straussius.

74. *Particulariter evacuandum per Errhina &c.*) In his advertendum quando materia tenuitatis cujusdam est particeps, ne fortius resolventia usurpentur; his enim humoris impetus ad pectus & pulmonem, aliasque

partes adaugeri poterit; sed nonnulla incrassantia, aut humoris impetum cohibentia erunt admiscenda, ut rosæ rubræ, mastiche, coriandrum, nux moschata, aliaque catarrho calido convenientia: Io hunc sensum Errhinum in sequentem modum componi poterit.

℞. *Aqua major.* ℥iv. *succi beton* ℥j. *sem. nigellæ pulv.* ʒß. *nucis mosch.* ℈j. *f. Errhinum: Pro ditioribus adde moschi & ambræ ãã. gr. ij.* Vel

℞. *Ligni Guaiaci lim.* ℥j. *aqu. puræ* ℔j. infunde per noctem supra cineres calidos, deinde coque ad medias, *addendo sub finem majoranæ & rosar. rubr. ãã. p. ij.*

Sic etiam *masticatorium*, subtenui existente materia, vel fiet ex mastiche sola, vel io hunc modum.

℞. *Nuc. mosch.* ʒj. *mastiches, g. arabici* ãã. ʒß *redigantur in pulverem, & cum aqua ros. fiant Trochisci masticatorij.*

Præstans *Sternutatorium* componitur ex *hellebori nigri & sacch. part. æq.* quod cerebrum poteoter exporgat. *Extractum Nicotianæ* cum aqua vitæ paratum, linguæ impositum ad pisi magoitudinem, magnam pituitæ copiam instar apophlegmatismi educit: Verum si nimia copia usurpetur, aut si in ventriculum effluat, vomitum excitat etiam vehementem. *Riverius.*

75. *Si materia ad pectus*) Secretum ad catarrhos nunquam satis laudandum hoc est.

℞. *Sacch. albi* ℔iij. *rad. liquir. helen. ireos, flor. ãã.* ℥ij. *aquæ fontis libr. xxiv. coqu. optime filtra colat.* ℔viij. *adde herb. veron. capill. ven. pulmonar. scabios. marrub. flor. cordial. farfar. papav. errat. ãã. p. j. sem. urtic. Rom. card. ben. anisi, fœnic. ãã.* ʒß. *macerentur per 2. dies & iterum coqu. ad tertias, colat. adde gummi ligni s. rad. Chinæ ãã.* ℥ij. *cinnam. cardam. min. caryoph. ãã.* ʒiij. *coq. lento igne per horam, filtra & cola, bibe de eo* ℥iv. *vel* v. bis in die. *Agricola in Poppium p. m. 136.*

75. *Si materia ad pectus*) Pilulæ pretiosæ contra catarrhum subtilem ad pectus descendentem.

℞. *Agar. albi & levis* ʒj. *Zinzib.* ʒß. *polyp. qu. el.* ℈ij. *boli armen.* ʒj. *aloës lotæ* ʒiiß. *succi liquir.* ℈ij. *myrobal. citr.* ℈iv. *cum mucilag. tragac. extr. cum aqu. rosar. fiant Pil. vj. pro* ʒj. *Do aliquando unam ante cœnam, aliquando iij. vel v. dum descendit in lectum.*

Et poteris uti omni die; accipiendo unam ante cœnam, vel ter aut quater io hebdomada; Valent contrà catarrhum subtilem, valent etiam contra grossum, sed formentur cum *oxymell. scyll.* quia incidit pituitam grossam. *Symphorianus Campegius.*

76. *Ut impetum catarrhi sigant*) Præmissa purgatione *Fumigium* frequenter per nares sumendum, Et ex *vapore aceti* super *ferrum vel tegulam candentem* sæpius fusi, Talis evaporatio sæpius continuata egregiè ad catarrhum conducit. *Forestus l. 9. obs. 42.*

76. *Impetum catarrhi sigant*) ℞. *Coton. malum n°. j. teratur & distemperetur cum aqua dissolutionis camphoræ*, addendo *albumen ovi* & transglutitur: Valet indubie. *Georg. Rufnerus.*

77. *Catarrhus exsiccandus & caput roborandum*) Ad caput roborandum, fluxionem retinendam, ejusque reliquias absumendas, conveniunt Pulveres, Cucufæ & Emplastra.

℞. *Succini alb. sandar. Arab. mastiches, benzoini, nuc. mosch. ãã.* ℥j. *thuris gran. Kermes, & ros. rubr. ãã* ℥ß. *santal. omn. myrtill. & balaust. ãã.* ʒij. F. Pulvis inspergendus capiti, hora somni, mane pectine decutiendus.

℞. *G. Junip.* ℈ij. *rosar. rub. p. ij. myrtill.* ʒj. *macis, nuc. mosch. ãã.* ℈j. *thuris, sem. paeon. cortic. papav. ãã.* ʒij. *nuc. cupr.* ℈ß pulverentur, & cum floccis panni coccinei, ac sindone rubra f. Cucufa interpuncta, perpetoo gestands.

℞. *Mastiches, cortic. thur. ãã* ʒß. *sandar. corall. r. rosar. r. myrtill. balaustior. cortic. granat. ãã.* ʒj. *ceræ & olei rosac.* q. s. f. Empl. applicandum suturæ coronali. *Riverius.*

Non negligenda externa caput simul roborantia & aqueos humores tum minuentia tum [illegible] *suffitus* puta ex *mastiche, thure, succino, Styrace, Benzoino* & simil. *Fr. Sylvius.* Hoc valde prodest.

℞. *Rorismar. majoran. nigellæ, rosar. rubr. caryophyll. nuc. mosch. spicæ Ind. ãã.* ʒß. *F. Pulvis*, Inde in [illegible] lum sumat jejunus, ut Tabacum. *Rudolph. Goclenius Experim. c. 132.* Ad catarrhum inhibendum, exsiccandum, & cerebrum roborandum utilissimum est sternutatorium hoc

℞. *Lolii, semin. nigellæ, castor. ãã.* ℈j. *majoran. rorismar. salv. ãã.* ℈ß. *moschi gr. iv. m. f. Pulvis naribus attrahendus*; mane ante cœnam: *Semen lini in aceto [illegible]* infunditur, exsiccatur, & supra prunas injectum fumo per nares recepto mire detinet fluxionem. Celebre itidem remedium est *aqua ex flor. dictamni albi* de[illegible] & naribus inspirata. *P. Mich. de Heredia Op. med. T. l. 4. Disp. 3. c. 4.*

78. *Succino*) *Succinum* aprop[illegible]atissi[illegible]um est remedium affectibus catarrhosis, tam interne quam externe usurpatum, sed solito modo præparatum, [illegible] u, quod melius, cum essentia serpilli, fit enim si[illegible] *Essentia catarrhalis D. Michaelis. Elaosacch. ex oleo destill. succini, sal volat. succini*, & cum eo rite paratus *liquor* [illegible] *c. succinatus*, sunt expertissima contra catarrhos. *Etmuller.*

79. *Succino pulverisato sacculo*) Ad cohibendum Catarrhum utiliter admovetur syncipiti raso cataplasma ex *fermenti* ℥ij. *& carabes* ʒij. compositum. S[i] æger caput radere noluerit, detonsu aliquantisper capillo admoveatur sacculus *ex chamæp. & carabe* conflatus, commodum & caput exsiccare sacculis *ex milio, furfure, sale, foliis salviæ, beton. stœch. semin. fœniculi, anisi & simil.*

Valent & *suffitus*, præsertim ex *gummi tacamahaca*, quod summæ efficaciæ, catarrhum enim [e]xsiccat, ejusque motum cohibet, neque vehemens est illius odor, ita ut conclave sine molestia impleri possit. *Riverius.*

78. *Succino pulverisato sacculo incluso*) Catarrhum quemvis sistit sacculus ex *succino* pulverato & spiritu vini irrigato, Hujus itaque usus est magni momenti in Catarrho suffocativo, Item qui fit ex *chamæpytis* pulverata & aspersa oleo succini *Hartmannus*, ex quo *Riverius.*

79. *Naribus*) In Catarrho frigido, nigella torrefacta & trita Suffimentum edit mirabile. *Eust. Rudius Art. med. 1. c. 15.*

80. *Radicis Chinæ, sassafras &c. decocto*) [L]oco *ligni sassafras* etiam aliorum lignorum decocta adhibentur, ut videre est io *Observat. Lotichii*; Item *Gabelchovero*, qui decoctum *rad. Chinæ* cum fructu præscribunt Al[ii] non hoc ratione commendant *decoctum ligni lentiscini*, ex quo destillat *mastiche*, Cum igitur *mastiche* sit n[obil]e contra catarrhos remedium, nulli dubium est quin *ligni lentiscini decoctum* sit egregium: Cui tamen[illegible] ceu raro, potius decoctum *ligni cydon.* potest [illegible] Pertinet huc *Decoctum catarrhale Mynsichti* [illegible] *vina medicata contra Catarrhos*, quæ inter d[illegible]m est illud *Paracelsi ex radic. caryophylatæ & acori adulterini.*

80. *Chinæ sassafras &c. decocto*) Sero in coagulum abeunti diaphoretica conveniunt remedia, modo cætera sint paria: Sic in Catarrh[is] in genere unice prosunt, in specie vero Catarrhis suffocativis, ubi omnem absolvunt paginam eadem. *Wedelius.*

81. *Sassafras*) Lignum *sassafras* nobilissimum est ad catarrhos remedium, adeo ut a *Brunnero* [illegible] proprium dicatur Alexipharmacum: Odorem & saporem

tem habet fœniculatum, aromaticum, adeoque corrigendi vina seri & lymphæ, simulque per sudorem & urinam evacuandi, ut taceam ejus stomachicam virtutem, Unde *decoctum ligni sassafras*, item *ejus tinctura* v. g. *Mynsichti*, Item *essentiam catarrhalem D. Michaëlis* ex ligno sassafras cum *spiritu serpilli*. Est enim *Serpillum* commendatum ad catarrhos, unde etiam *aquam* suam *benedictam serpilli* tantopere commendat *Mynsicht in Armam.*

Pertinet huc *Aqua contra Catarrhos* descripta ab *Hofmanno in clavi annexo thes.* p. 6. quæ *Aqua seu essentia sassafrata* ad coch. j vel ij. mane & vesperi dari potest, estque egregium præservativum & curativum in Catarrhis Apoplexia, & similibus. *Ettmuller.*

82. *Sassafras &c. decocto*) Catarrhus blandus & aqueus curabitur imprimis *Sudore*, qui igne luculento aut stupha sicca, vel spiritu vini accenso, & assumptis quoque aliquando medicamentis excitari potest: Certe foco ex *lignis*, *quercino* præsertim, aut *fagino* extracto Sudor non incommode promovetur; Sic in Stupha sicca dum claustris concluditur corpus universum, excepto capite, eoque interim bene munito, Sudor abunde potest elici, atque aqueus in corpore humor sensim educi, Inprimis commodissime potest elici sudor æque in debilibus ac robustis in lecto jacentibus, atque capsula ad pectus usque exporrecta tectis, in cujus extremo circa pedes accenditur *vini spiritus*, atque inde halitus corpus nudum afficiens absque molestia sudorem expellit è corpore copiosum, pro cujusque arbitrio moderandum: Ad Sudorem movendum inter *Assumenda* commendantur hæc Decocta ex *rad.* & *lignis* parata, radic. *Chinæ*, *Salsapar. Bardanæ*, *Contrayerva &c.* Lignis *Guajaco*, *Sassafras*, *Buxeo*, *Quercino*, *Juniperino & sim.* quibus aliquando aliquid addi potest *cortic. Guajaci*, ac præsertim *baccarum Juniperi*: Qua ratione non tantum consumitur redundans in corpore humor, sed idem insuper ne amplius tam copiose producatur àctu impeditur. *Fr. Sylvius.*

83. *Caustica*) In subjecto ubi Catarrhi fere sunt incorrigibiles aut contumaces, aut sæpius recidivantes &c. in talibus palliativum *Fonticulorum* remedium interdum est adhibendum, Item *vesicatoria*, sed hæc saltum à posteriori juvant, ne nempe nimium seri aut lymphæ catarrhalis inundatio partem debilitet; aut tonum ejus nimium destruat; Voluntaria enim hæc ulcera, præsertim *Fonticuli*, his affectibus tantum medentur quatenus productum morbosum eliminant, causas vero ipsas non eliminant; & cum vitioso latice utilem alimentitium succum in pus corruptum emungunt, ut ita imminuta nonnihil materia catarrhali horum insultus mitior reddatur; Nam tonus Fonticuli effectus specialiter in cruoris, & laticis seu seri, imminuta & continua exhaustione consistit, & sic à posteriori iis conferunt affectibus per accidens, qui à sudoribus lenibus vitio digestionis, aut læsæ in sanguine fermentationis, aut vitio corrupti seri in massa sanguinea enascuntur, ita ut labes illæ *à priori* propter subjecti ineptitudinem, v. g. propter mensium naturalium defectum, propter characterem hæreditarium incorrigibiles sint. In talibus casibus ergo una cum sanguine laudabili & sero evacuatur simul quod est nocivum &c. Sicut interdum natura ipsa per spontanea ulcera ab aliis malis se liberare solet *Ettmuller.*

83. *Duo caustica inter duas*) De loco ubi adhiberi Cauterium debet, si quæras? Pone aures, respondet *Zacutus libr. 2. Prax. Adm.* tumque ceu præstantissimum in omni capitis destillatione remedium commendat. Sed applicantur cuncta Cauteriorum genera diversis membris juxta diversam revellendi indicationem, Ex quo pariter fluit parti affectæ neutiquam competere; Unde & cauterum in sutura coronali excitatum in Catarrho pessimum pronuntiat *Septalius libr. 9. Animad. §. 107. Straussius.*

84. *Duo Caustica inter duas Scapulas*) *Zacutus* l. 2. prax. adm. observat. 160. cauterium retro aures, tanquam præstantissimum, ad omnes destillationes à capite manantes remedium commendat: Et nos in fluxionibus, Oculorum præsertim, laudabiles effectus vidimus: Valent & inusta brachiis & occipiti, præstant etiam posteriori parti cervicis, ut & inter scapulas admota, quæ hodie in maximo sunt usu: Novus etiam locus à quibusdam inventus est, nempe in cervice prope venas jugulares, in musculorum interstitio, & hujus cauterii beneficio catarrhus inveteratus raucedinem efficiens in duobus curatus est. *Riverius.*

Ad minuendos humores valent Fonticuli, qui felici cum successu adhibentur, tum in cervice, tum in dorso, circa spinæ ductum, tum in brachiis, tum in cruribus; Hi non tantum minuunt humores peccantes, quin præterea ipsos à parte affecta avertunt, atque sic duplici nomine prosunt. *Fr. Sylvius App. Tr. 4. §. 154.*

85. *Vel crasso, tum præparandum*) Alterantium tanta est in debellando catarrho utilitas, ut vel primo ponenda loco veniant; quippe quibus solis sæpe, non neglecta plane diaphoresi, malum extirpatur &c. Præter Sudorifera alia quoque *aromatica*, Item *sal volat. oleosum Sylvii*, *Succinum catarrh. Michaelis*, *sperma Ceti recens*, *magist. benzoes* &c commendantur, in nimia sanguinis, & præsertim seri, seu lymphæ crassitie. *Straussius.*

85. *Vel crasso, tum præparandum*) Humor viscidus à capite distillans, tum incidentia, tum subinde vacuantia desiderat, Inter incidentia & alterantia conducunt *Decocta ex lignis & radicibus*, cum Ligna ista, (Guajacum &c.) pleraque sale volatili abundent, à quo & inciduntur humores viscidi, & attenuantur, & emendantur, & quodammodo evacuantur iidem. Quibus Decoctis si *colocynthidis pulpa*, vel *hermodactyli*, vel *agaricus*; aut turpethum incoquantur, eosdem humores per alvum simul educunt; Ubi autem novi humoris proventum impedire volumus, addi quoque possunt hisce Decoctis variæ plantæ aromaticæ, Cephalicæ, (quin & pectorales si ad pectus decumbat humor (*salvia*, *rosmarinus*, *majorana*, *betonica*, *hyssopus*, *scabiosa*, *enula campana &c.*

Decocta autem ista omnia cum diutius usurpari debeant, unicuique palato minus ingrata parari debent, quominus ab iis ægri abhorreant, & ut in eorumdem usu perseverare possint: Humori valde viscido incidendo conducunt quoque Gummata, *Bdellium*, *Sagapenum*, *Ammoniacum*, *Galbanum &c.* in Pilulas commodas redacta, additis aliis simul alterantibus, & quandoque evacuantibus prædictis, ut & *Mercurialibus*, *Mercurio dulci* puta, vel Præcipitato quovis, *Fr. Sylvius.*

86. *Inter Errhina*) Inter medicamenta Cerebrum per nares evacuantia apud me præsentissimum remedium habetur *Oleum nigellæ*, si eo interiora narium illinantur. *Pet. Forestus Observat. 129. lib. 10.*

87. *Semen nigellæ Rom.*) Nigella appensa amuletum est catarrhorum, odore suo dissipans & in motum ciens serum. *Wedelius.*

88. *Caput roborandum, ubi optima aqua ferpilli*) Simplicia in Catarrhis ufitatiora, magifque *appropriata*, funt *ferpillum, thymus, fatureja, majorana, mentha; betonica, falvia*, præfertim *rofmar.* & *lignum faffafras*: Item *Juniper. guajacum, bacca juniperi*, & omnia ex *junipero*, earumque *baccis* parata, *rob*, *decoctum ligni*, *malvaticum juniperin.* &c. *Myrrha* quoque, *acorus adulterinus*, *radix caryophyll.* &c. *fuccinum* & quælibet *fuccinata*, *cinnabaris* tam *nativa* quam *antimonialis*, *falia volatilia* tam fimplicia quam oleofa; &c. In his *faffafras* nobiliffimum de quo fupra. *Etmuller.* Vide fupra §. *Saffafras*, ubi de *ferpillo.*

89. *Aqua ferpilli*) In omnibus catarrhis, five caput ab iis præfervandum, five à capite defluxio præcavenda eft, plurimom valet *Aqua ferpilli*: *Serpyllum* cum flore, ante folis ortum, Luna decrefcente collige, eique minutiffime incifo affunde *vini albi* generofi q. f. Digere aliquandiu in Sole & per alembicum ex Balneo diftilla: Da cochl. j. vel ij. pro ratione ægri. *Hartmannus Prax. c. 25. §. 1.*

Alius eft ab [90] *Humore Calido*, [91] qui.

1. *Tollendus* [92] venæ fectione, aut cucurbitulis, [93] ne capite calente plus attrahatur.
2. [94] *Præparandus* refrigerantibus cephalicis, [95] & modice adftringentibus.
3. [96] *Evacuandus* rhabarbaro &c.
4. Procedendum ut fuperius. In fœminis *hypocyftis* cum vino.

90. *Alius ab humore calido*) Qui aliquando fua acrimonia pulmonem exulcerat, tabemque inducit Humor acer & falfus, in hepate fervido genitus, & in cerebrum translatus, inde in pulmones propulfuis, catarrhus qui *ferinus* dicitur, facit. *Riverius.*

Ratione qualitatis Lymphæ Catarrhalis effufæ, hæc eft, aut mitior, feu infipida, aut acrior, fed nonnihil acido-falfa corrofiva; à qua acrimonia partes membranofæ mox dolent, infigniter rubent ac tument, adeoque difpofitionem phlegmonoden, feu inflammatoriam contrahunt, ut v.g. in Epiphora, oculorumque Catarrhis fubinde manifeftum eft, uno interdum partes affectæ exulcerantur &c. Ab his, ceu fupervenientibus fymptomatibus, vulgus *Catarrhum in calidum* ac *frigidum* dividit, *Ille* eft qui ex acriori lympha oritur, & modo dicta fymptomata fecum trahit: *Hic*, qui ex infipida, feo dulci, uberius effufa fcaturit. *Etmuller.*

Non ob putredinem folum pituitæ, ferive falfi aut bilis cum illa permiftiooem, fed & ab aliis caufis quoque *Catarrhus* fufcitatur *calidus*, Annon enim ex ulcere vel abfceffu capitis, ac potiffimum ab offe corrofo corrofiva deftillatio interdum movetur? Annon, authore *Hippocrat. lib.* de Gland. παντοῖοι ἀτμοὶ, omnigeni vapores, hoc eft non tantum aquatiles & frigidi, fed falfi quoque, acres & amari obrepunt ad cerebrum, qui calidarum edaciumqoe fluxionum materiam fuggerunt? Harum proinde noo infrequens eft apud *Hippocrat.* & *Galenum* mentio, Sic. 1. *Epid. Ag. 3.* φλέγμα θερμὸν καὶ ἁλμυρῶδες *Epicratis* uxorem infeftabat; Et 4. de *Diæt. Ac.* duplicem *Hippocrat.* celebrat, Anginam, unam pituitofam hyeme ac vere graffantem, ἀπὸ ῥεύματος ψυχροῦ καὶ κορυζώδους; alteram πυρετώδη & biliofam, æftate ac autumno urgentem, cujus caufa eft ὃ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥεῦμα θερμὸν, θερμὸν καὶ φαγεδαινῶδες, quod mordet & ulcerat; Rationibus & authoritatibus concinit experientia, Vnde enim diftillationes θερμώδεις nifi ab igneo humore ac διαβιβρώσκειν qui in pulmone phthifin; in ventriculo aphthas, hincque fubfequentem lienteriam, in inteftinis dyfenteriam, in vefica ftranguriofas urinas excitat? *Menjotus pag. 208.*

Catarrhus dicitur *calidus* vel *frigidus* ratione τοῦ ὑλικοῦ, non τοῦ ποιητικοῦ, ille fcilicet à calido, hic à frigido humore creatur, qualifcunque fuerit caufa impellens, calidave an frigida, Ita *Hippocr. lib. de loc.* meminit calidæ fluxionis è capite in thoracem ab extraneo frigore, tanquam motore protitatæ.

Catarrhi *calidi* aut *frigidi* γνωρίσματα mendicanda non funt à confiftentia humoris, cum calida & frigida materia, nunc craffa nunc tenuis indifcriminatim effe poffit: Sed *calidum catarrhum* arguunt *fapor* peccantis materiæ falfus vel acris, odor fœtidus, linguæ fcabrities, καρηβαρία πυρώδης, h. e. capitis ardor cum valida arteriarum ejus pulfatione, vifus inoccidui, oculorum & faciei rubor, narium pruritus atque titillatio, febricula nullum juvamentum afferens, fitis, cibi faftidium, oris amaror, orina colorata, partis recipientis rubedo, ac dolor intenfus, *Menjotus.*

91. *Qui tollendus*) Quoties Catarrbus acris, adeoque falfus, vel fubacidus, à capite ad Pulmones &c. delabitur, toties ille avertendus faltem alio, & temperandus, fi curam integram refpuat; Perfecte curabitur Catarrhus acris impediendo cootinuam ipfius generationem, ufurpando medicamenta falfedinem aciditatemve humorum non tantum temperantia, fed infuper eofdem temperatiores fervaotia; ubi talium humorum *Salforum* vel *Subacidorum* copia magna reperitur in corpore: nil impedit ipfos prius quodam modo temperatos expurgari Hydragogis. In eundem finem ufurpari poffunt *Diuretica*, aut *Sudorifica* medicamenta, imprimis talia quæ fimul acrimoniam humorum temperant; Quin ad minuendos humores illos cum felici fucceffu adhibeotur *Fonticuli*. Idem dici poteft de *Errhinis* ac *Sternutatoriis*, quæ humorem peccantem itidem per nares evacuant, & fimul a faucibus avertunt. *Fr. Sylvius.*

91. *Qui 1. tollendus &c.*) Calidus Catarrhus curatur remediis materiam peccantem evacuantibus, incraffantibus & revellenobus: tum etiam partium mandantium & recipientium intemperiem corrigentibus. *Riverius.*

92. *Venæ fectione*) Si cætera coofentiant, qua humor fluens revellitur, ejufque acrimonia temperatur. *Riverius.*

93. *Ne capite calente plus attrahatur*) Cum ejufmodi catarrhus à calida plerumque hepatis intemperie ducit originem, ideo remedia quæ illius intemperiem emendant, & quæ fomitem capiti fubminiftrant, funt ufurpanda: Noo raro enim humores excrementitii à partibus inferis fublati catarrhum faciunt, & motum acquirunt p. n. obftructis meatibus ordinariis per quos expurgari folebant, Et curandus apertione viarum ac blanda & continuata purgatione ad multos dies inftituta. *Riverius.*

94. *Præparandus refrigerantibus*) Præterea catarrhofis, (etiamfi impuritas fit & exceffus humoris) inedia malum potius auget, nam inanis ventriculus & exhauftus fatiat fe impuris humoribus, bilis ferventior redditur, Contra acer acutufque humor benignitate alimenti mitigatur. *Ballonius Epid. pagina 10.*

Præpa-

[94] *Præparandum refrigerantibus*) Humor alterandus & incrassandus est Julepis convenientibus.

℞. *fol. lactuc. portulac. & plantag. ãã. m. j. semin. 4. frig. maj. & papav. albi ãã. ʒ ij. flor. violar. nymph. & papav. rub. ãã. p. j. coqu. ad ℔ j. In colat. dissolve syr. violac. & rosar. sicc. ãã. ℥ iß, f. Julep. pro iij. dosibus* bis in die sumendis.

*Vel loco Decocti, aquæ stillat. prædict. herbar. vel *Emulsiones* iv. *semin. frigid. maj.* substitui poterunt. *Riverius.*

In calido hæ Rotulæ admodum sunt commendabiles.

℞. *semin. papav. albi contusi ℥ iiß. infunde per aliquot dies in aqua scabios. & tussilag. ãã. q. s. Destilla; In Destillato dissolve granor. mastiches ℥ j. coque parum & filtra; cum sacch. ℥ viij. f.* Rotulæ. *Conr. Victor Schneider lib. 4. de catarrh. sect. 2. cap. 1.*

[95] *Et modice adstringentibus*) Euporiston ex aqua in qua cruda *mala cydonia* cocta sunt contra catarrhos acres, qui noctu potissimum molesti sunt, paratur si ea probe *sacch. cando* dulcoretur, dosis cochl. j. vel ij. in introitu lecti? *Simon Pauli* Quadr. Botan. p. 89. (*Cotoneum malum* n. 1. teratur & distemperetur cum aqua dissolutionis *camphora*, addendo album ovi, & transglutitur, Valet indubie. *Job. Kufnerus.*

Cum perenniter illabitur Catarrhus à materia effera, qui tabem tandem afferat, ille qui sequitur Syrupus ad miraculum dicitur prodesse.

℞. *flor. & germinum salicis*, urticæ mortuæ *ãã. m.* iiij. *summ. viminis rubr. fol. bursa pastor. ãã. m. ij. f. decoctio in* ℔ iiij. *aqua rosar. tussilag. & bursa pastor. cum sacch.* ℔ iß. *ad medietatem, sumat ℥ iß. cum aqua viminis rubri distillata. Gul. Ballonius Consf. 212. lib. 1.*

[95] *Et modice adstringentibus*) Quibus adjungenda Incrassantia; Leve ac blandum remedium incrassans, humorisque acrimoniam demulcens fit ex *Ovorum vitellis* recentium, qui in aquæ fontis ℥ v. vel vj. dissolvantur binario numero, addendo *sacch. alb.* ℥ j. coquantur parum sine ebullitione, semper movendo, & capiat calide quantum ferre poterit mane & sero per triduum.

Ac tandem majori humorum incrassationi & fluxus cohibitioni incumbendum est, quod fiet Syrupo sequ.

℞. *Syr. violac. & de rosis siccis ãã.* ℥ j. *syr. de papav.* ℥ ß. *detur ex cochleari* ℥ j. *hora somni.* Vel

℞. *Conserv. rosf. antiqua* ʒ vi. *pulv. Elect. diatrag. fr.* ʒ ij. *boli Arm. loti in aqua rosar.* ℈ ii. *cum syr. rosar siccar. f. Opiata,* capiat ad magnitudinem avellanæ hora somni, *Hordeatum* sequens etiam utilissimum,

℞. *Hordei mund. q. s. maceretur per horas* vi. *postea coquatur perfecte & trajiciatur, Deinde accipe amygd. d. excort.* ℥ iij. *sem. Cucurb. mundat.* ℥ iß. *sem. melon.* ℥ j. *papav. albi. lactuc. ãã.* ℥ ß. *contusis omnibus cum aqua hordei elicitatur lac, quod cum* ℔ ij. *pulpa hordei permixtum coquatur parum, addendo sacchari portionem.*

Bibat ℥ x. aliquot matutinis superdormiendo, & nonnunquam in introitu lecti: Tum etiam *Trochisci* sequ. in ore frequenter detinendi.

℞. *G. Tragac. & Arab. ãã.* ʒ ij. *Boli arm. terra sigill. lotor. in aqua rosf. ãã.* ʒ j. *semin. papav. albi succi liquir. ãã.* ʒ ß. *sacch. penid.* ℥ j. *cum mucilag. semin. cydonior. extr. cum aqua rosar. fiant Troch.* parvi, diu noctuque in ore tenendi.

Spiritus sulphuris & vitrioli ad gtt. iij. vel iv. exhibitus mane & sero cum liquore idoneo, contra omnes fluxiones magnas vires habet, præsertim eas quæ à calida viscerum intemperie ducunt originem; Potest etiam in minori dosi potui permisceri, quia cum eo venas omnes pervadit, & motum humorum cohibet: *Crystallum* etiam *minerale* ad eundem usum Iulepis aliisque remediis admisceri potest: His nihil proficientibus necessitas uti cogit Narcoticis, præsertim *Laudano Opiato* ad gr. iv. vel v. hora somni exhibendo: Valet & *Diacodium album* Riverius.

[96] *Evacuandus Rhabarbaro &c.*) Humoris portio educenda blando cathartico, quod humores nullo modo commoveat, e. g. ℞. *Rhabarb. electi* ℈ iij. *Myrobal. citr. oleo amygd. d. confricat.* ʒ ß. *santal. citr.* ℈ ß. *infundantur in aquis lactuc. & portulac. In expressione dissolve manna granata & syr. rosar. sol. ãã.* ℥ j. *F. Potio.* Vel loco aquat. prædictarum potest fieri decoctio ex *herbis refrigerantibus & tamarindis*, Cui purgantia prædicta permisceantur. Deinde præparatione *facta*, *purgatio paulo fortior* usurpanda, addendo purgantibus prædictis *Sennam*, catholicum, diaprun. & simil. *Riverius.*

II. Alius est [97] *cum impetu ruens*, [98] qui præter diversiones & alia jam exposita, *interceptionem* per medicamenta [99] sistentia & incrassantia, post cœnam, sub ingressu lecti exhibenda, non expectata concoctione, reposcit. [100] Talia sunt, *Theriaca recens*, Bolus *Armenus* ruber & levis, in ore detentus. [101] Ossa *cranii humani* combusta. [102] *Laudanum Opiatum.* Pillulæ *de Cynoglossa*, *Assajereth*, *Arabica*, dr. ſ. pondere sub ingressum lecti sumptæ: *VVieri*, ex Styracis calam. succi Liquirit. [103] Thuris. Myrrhæ, Opii ana dr. ſ. Croci scr. j. cum ſ. q. papav. rhœad. compositæ, aliquot granorum dosi exhibitæ. Trochisci *de papav. Mynsichti.*

[104] Si humor salsus, *spica* est addenda, & in *Asthmaticis* suffitus vitandi. Per *Vigilias*, quod in pectus influxit, *evacuandum* est. [105] Ferinus curatus est conserva *rosarum rubr.* antiqua & Syrupo papaver. rhœados: nec non *pillulis de styrace Cratonis*, quib. adde *diacodium Montani*: ut & Trochisc. ex nuc. moschat. dr. 1. & gummi Arabici dr. ſ. cum aqua rosarum factos.

[97] *Qui magno impetu ad Pulmones*) Vulgus in genere quancumque respirationem subito difficiliorem redditam, & suffocationem plus minus minitantem, in specie si cum tussi conjuncta fuerit, nomine *Catarrhi suffocativi* appellare solet; Hinc fit ut & *Asthmata occulta*, interdum *recurrentia*; ut & *Asthmata humorosa*, inprimis vesperi affligentia, sub hunc censum veniant, Item *Tusses* nocturnæ gravius affligentes, inprimis cum excretione copiosiori facta junctæ, huc à quibusdam trahantur; Catarrhus tunc dicitur, à præconcepta opinione, quasi subito, ex capite præsertim, fluat humor serosus, plus minus pituitosus, qui bronchia & pulmones replens suffocationis periculum inferat, sed paucis rem explicat *Lindanus* super *Hartmannum*, dicens, *Magna de nihilo nascitur historia, nil obscurius hac de catarrho suffocativo doctrina, nam ipsa Anatome eam ostendit falsissimam, & quo modo potus in pulmonem, per viam aspera arteria & epiglottidem*

obstantem transibit quam per œsophagum? &c. Ridiculas has de Catarrhis hypotheses multi perstringunt, Vide supra §. *Generatur aut in cerebro*) Et §. *Aut alibi*) Item §. *Et alibi aut committitur*) Complicatus autem affectus est qui vulgo *Suffocativi Catarrhi* nomine venit ; Unde in vulgi judicio, præconceptis hypothesibus, per ignorantes Medicos confirmatis, præoccupati hic non standum ; Propterea *triplicem Catarrhi suffocativi* putatini, *Asthmati convulsivo* contradistincti, differentiam facio, prout in praxi observare eum mihi licuit, Contingit

1. Ex Pulmonibus affectis, & hostili acido inspirato, Vel intus genitu, illis profundius se insinuante, irritatis, hinc per proprias fibras fortius se stringentibus, Unde suffocationis imminens necessitas, non prius cessans quam lymphæ uberioris irrigatione ablutum & abstersum fuerit irritans illud præternaturale, & ex eorum mutuo coalitu concretum mucosum factum, cujus expectoratione morbus solvitur: Remanet tamen subinde quasi vestigium in illis fibris, ita ut levi occasione renovatum, spasmum & spirituum occlusionem minentur. *Mulier hoc catarrho suffocativo* laborabat; Principium mali erat, *Alaudarum assatio*, & cum butyru irroratio, & undique pinguedinis in carbones distillatio, & hinc fumorum elevatio, Unde factum fuit, ut ipsa primo tussim aliqualem, seu siccam & profundam, sive ex imo pectoris, experta fuerit, quam aliquando ex improviso arctior pectoris & faucium angustatio, & post aliquot dies perfecta orthopnœa secuta fuit, in quo statu continuo ultra octiduum videbatur suffocanda, ita ut levi auræ commotione, aut januæ apertione, mox suffocatio imminere videretur, donec successive expectoratione, & materiam glutinosam, perquam viscidam ejicere, tali rejectione successive liberius respirare, & sic tandem ad sanitatem redire cœpit: Mansit tamen vestigium in pulmonibus impressum, ita ut facile à quavis externa causa angustiam pectoris sentiret. Circa hujus affectus *Aitiologiam*, observandum. 1. Causa remota est *Acidum viscidum*, ex butyro & alaudarum pinguedine incensis exhalans, cum aëre inspiratum, asperæ arteriæ cannis & hinc pulmonibus undique inhærens. 2. Hoc irritavit inimica sua præsentia, idque tam acrimonia quam adhæsione glutinosa, tanquam fuligo camini, undique in pulmonum ductibus adhærens ad bronchia & pulmones; unde (1.) Tussis, eaque sicca, hinc (2.) ex irritatione illa uberior lymphæ affluxus, ab utrisque gravior irritatio, unde superveniens continua *fibrarum nervearum* in pulmonibus *strictura* & coarctatio convulsiva, (3.) Duravit hoc tamdiu donec tam lymphæ quam nutrimenti proprii affluxu fuligo illa abstersa, resoluta, & ex utrisque successive *concretum novum*, ob moram & exactam mistionem, sive subactionem, spissum, candidum, glutinosum genitum fuerit, (4.) Hujus medio fuligo sublata, contractura pulmonum hinc remissior, fuit reddita, unde liberaliori paulo aëris accessu & recessu materia ista sub paroxysmo genita, cum fuligine involuta, commota, protrusa, & sic per bronchia sursum ejecta fuit. (5.) Mansit tamen vestigium ex pulmonum *nutritione propria seu privata*, plus minus læsa, adeoque contracta hinc pulmonum debilitate, & fibrarum tali constitutione, quæ facile in *spasmos* agi possit, unde vel leviori occasione externa pulmo irritari, fibræ contrahi; & hinc affectus pristini memoria revocari solet.

II. & III. Differentia *Catarrhi suffocativi* revera est *Laryngis Catarrhus* ad *Bronchum* pertinens, Nempe in quo *larynx*, speciatim ratione *epiglottidis* afficitur, cujus irritatio, & hanc sequens pertinacior strictura & clausura, omne id præstat quod dicitur Catarrhus suffocativus, sive in Larynge hæreat malum, & sic erit affectus simillimus *Broncho*, sive *extra* laryngi & epiglottidi incumbat, eritque Catarrhus qui pertinet ad *Catarrhum membranæ pituitariæ posterioris Schneideri*, Nempe, notum est, si saltim aquæ vel cerevisiæ guttula, vel panis mica laryngem ingreditur, hanc admodum sensilem irritatam mox convelli, sive pertinaciter ejus rimulam ab epiglottide occludi, nisi impetuosior tussis mox insequens eam eliminet, Quo diutius autem ista irritatio fit eo plus muci pituitosi postmodum excernitur, qui est productum quasi morbosum; Unde ex quacunque causa, si similis fiat in faucibus irritatio, subito suffocatio imminebit: *Causa* quæ eam irritationem infert, est, respectu *laryngis*, vel *interna*, vel *externa*, Illa ut plurimum est *affluxus seri*, sive *lympha acrioris* ad bronchum, estque *raucedo subitanea*, hinc irritatur larynx, stringitur epiglottis, unde suffocationis metus subitaneus: Periodice hoc fit interdum, Vide *Riverium centur. 3. Observat. 15.* *Hæc*, nempe *Causa externa*, est *lympha viscidior*, *glutinosior* & *copiosior*, cujuscunque saporis, ex membrana pituitaria posteriore ad fauces copiosius delata, & subito inviscans quasi laryngem, & epiglottidis liberum motum impediens, unde jungitur materiæ viscidæ screatus: Affectus hic, vel ipse subito ex prægressa causa externa, inprimis ab aëris inclementioris facta alteratione, vel ex tussi chronica oritur, ut in exemplo *Hildani cent. 6. obs.* 8 manifestum est; Subolfecit hoc *Platerus*, unde *catarrhum suffocativum angustiam intra fauces*, ait, & Catarrhum non ad Pulmones, sed ad fauces delabi animadvertit. *Obs. p. 185.*

Curatio horum Catarrhorum Suffocativorum fit plena, nempe si est *catarrhus laryngis* à causa interna, Curatur eodem modo ac raucedo recens, sive tussis nocturna sicca &c. v.g. per opiata & similia, *Incrassantia* dicta, & *acrem lympham* temperantia, & præmisso, si opus fuerit, *Vomitorio*.

℞. *aqua scabios.* ℥ij. *asthmatica* ʒvj. *spir. sal. armoniac. anis.* ℈j. *syr. papav. albi* ℥j. vel hujus loco, *diacod.* Menian. ℥ß. Misce.

Si asperior fuerit mistura propter *spir. sal. armon.* omitti potest.

Si malum est à *causa externa*, curatur ut *asthma humorosum*, vel *tussis humida stomachalis*, nempe per *vomitum*, deinde per *attenuantia* & incidentia mucum viscidiorem, v.g. *succum raphani, syr. nicotianæ spir. asthmaticum oxymel scyll.*

℞. *aqu. nicot. hyssopi, mentha āā.* ℥j. *asthmat.* ʒvj. *oxym. scyll.* ℥ß. *syr. nicot.* ʒvj. *ad* ℥ij. *m. detur cochleatim.*

Hinc patet *Opiata*, & his cognata *anodyna*, & hinc *attemperantia*, alias incrassantia, in paroxysmo sistendo & præcavendo primatum obtinere, etiam ex vulgata aliqua hypothesi, Cum enim nonnisi ex humoribus, *motu*, & hinc *loco* peccantibus, oriri soleant [illegible] *hemata calsa*, humores vero locali motu nullo [illegible] in corpore nisi beneficio *spirituum animalium*, [illegible]ibus organorum fibris eos moventium, non [illegible]leant autem præter naturaliter à spiritibus moveri nisi hi promoveantur ab objecto molesto vel præternaturali, h. e. nisi pars quædam sensilis irritetur, manifestum evadit quod ea quæ irritationis sensum tollunt, & spirituum impetum sopiunt, etiam præternaturales eorum motus refrænare, & partium inchoatos spasmos coërcere valeant, in quo puncto primatum ducunt Anodyna.

Quid

Quid ergo *Clysteres* prosint in talibus catarrhis *suffocativis* suppositi ut usitatissimi, utque acriores? res clara est, quod nil valeant, *per accidens* saltem primas vias evacuando, & sanguinis & abdominis viscera in motum concitando, & utroque modo pectoris angustiam nonnihil sublevando, saltem ea indirecte prodesse: Quid venæ sectio? ad quam, ut sacram anchoram, mox confugiunt, Per se nihil prodest, nisi in graviori paroxysmo, & pulmonum reciproco motu plus minus impedito, ut metus sit ne gravior circa pulmones sanguinis stagnatio superveniat, pro liberiori sanguinis circulo conciliando, hæc interdum instituenda erit; Ulterius capiti, nuchæ, verticī, balsama, emplastra, cataplasmata, suspensoria dicta, ex *mastiche*, *succino*, *tacamahaca* & similibus aliis imponuntur, item ex *fermento*, ex *ovis ad* duritiem coctis, ac similibus pro suspendendo catarrho defluente: Sed conatu sæpe inani vexantur ægri sine fructu, cum in capite non sit mali radix, Item vesicatoria cervici, scapulæ & similibus locis pro diverticulo scopo applicantur, male itidem nisi interdum per accidens, ubi asthmatis convulsivi quidpiam adest, in quo casu brachiis vesicatoria applicari possunt. *Etmuller. Prax. Part. 1. pagina* 231.

[illegible]. *Alius est cum impetu ruens*) Catarrhus vel sensim ac tenui guttularum filo non tam cadit quam descendit; Vel effrænate, [illegible] ad apertas quasi cerebri cataractas incurrit, à præcipiti humorum fluxu, vel potius ruina; quales sunt apud *Hippocrat. 3 aphor. 12.* [illegible], senibus familiares, largiore aquarum agmine animæ canales affatim inundante, quæ alluvio non magis quam torrens averti, aut nimbus tonante Jove præcipitans suspendi ac coerceri potest. *Menjotus.*

98. *Præter diversiones &c*) Revellenda est materia fluens per *clysteres*, *cucurbit. frictiones, ligaturas extremorum omnium*, ac potentissime per *vesicatoria* posteriori cervicis parti admota; ac denique *cauterium* occipitio vel brachio, si catarrhus sit diuturnus. *Riverius*: Quid de hujusmodi præsidiis sentiendum sit, vide §. 97. *Alius Suffocativus qui magno impetu*) sub finem.

98. *Qui præter diversiones &c.*) Ne materia quæ in thoracem præceps delabitur spiritum intercludendo suffocet, fluxio quamprimum inhibenda, medicamentis partim revellentibus, partim sistentibus: Quæ revellunt & alio deducunt, sunt Clysteres acriores, extremorum frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, cruribus, coxis & naribus affixæ, Vesicantia duo, unum in interna dextri cruris, paulo subtus genu parte; alterum in brachio sinistro: Sed præ cæteris ad præcipitem fluxionem firmandam, vesicantia aut sinapismos commissuræ coronali sine mora applicarem: Inter ea quæ fluxionem sistunt incrassando & torpidam reddendo primum locum tenent hæ Rotulæ.

℞. *diatrag. fr.* ℈ij. *boli Armen. impar.* ʒj. *terræ sigill.* ℈j. *syr. de papav. q. s. f. massa*, Ex qua parentur parvæ Rotulæ ore detinendæ. *Joh. Zecchius Consult. 26.*

98. *Qui præter diversiones*) Laudo Injecta Clysmata, initio mitiora, pedetentim ad paulo acriora progrediendo; Utatur frictionibus dorsi, scapularum, brachiorum & crurum. Inspergatur capiti pulvisculus ex *caryoph. & sandaracha Arabum*, Si vehementior urget destillatio, vesperi exhiberem ℈j. ʒß. vel ℈ij. *Philon.* cum *conserv. rosar.* Recens *theriaca*, vel *Mithridat.* in hunc finem exhiberi potest, Vidi in urgente catarrho, cum viderentur suffocari ægri, quod acetum infusum vel assumptum fluxus impetum retinuerit, & respirationem reddiderit liberiorem. *Reinis Solenander cons. 4. sectio 3.*

99. *Sistentia & incrassantia*) Cum omnis in corpore fluxilitas principaliter fit à *Sero*; adæquate à Salibus, cumprimis nitrosis vel alkalinis; Cum Serum in utrumque extremum declinare soleat, in Coagulum & Fluorem, quorum illud si contingat, inviscatur & pituitescit, seu Pituitæ nomine venit, quale in muco, screatu rejectis in aliis apparet; hocce vero dato torulis suis contineri nescit, facile patet agendi modus Incrassantium; Fluxili nempe illi materiæ obicem ponunt, & fluorem, quem adepta est, moderantur, non aliter ac si aquæ terra inferatur, unde lutum fit: Agunt quando crassa sua substantia, & terrena natura tenuioribus humoribus se permiscent: Incrassantia ergo liquidis & tenuibus humoribus [illegible] inducunt soliditatem & compactiorem: Et quidem Incrassantia, secundum dicta, respiciunt vel corporaturam ipsam, *Serum fluidius* laxioribus repagulis gaudens, aqueis puta, vel stimulum & motorem, *Particulas salinas*: Illud quæ præstant, velut proprie dicta Incrassantia, sunt in activis qualitatibus frigida, in passivis sicca, seu potius modo substantiæ lenturem præ se ferunt, aqueis explicabilem, frigore igitur cogunt, substantiæ autem crassitie incrassant, & tenuioribus succis seu sero, consistentiam corpulentiorem & spissiorem tribuunt, Quædam tamen in caliditate & frigiditate temperata esse possunt, E. g. amylum.

Talia autem sunt, ut diximus, lentore generatim pollentia, citra activarum partium concursum, Et quidem lentor mucilaginosus potest esse vel (1.) aqueus, concretus, qualis eminet in *gummi tragac. cerasor. arab. rad. symph.* cujus lentor tantus est, ut si cum carnibus coquatur, illæ inde velut concrescere scribantur, id quod in gelatinis videmus quoque. Vel (2.) terreus concretus, ut boli omnes, terræ bolares, ac quasi tales: Vel (3) aquoso vel terreo oleoso constant, *rad. althææ, gelatina c. c. lac*, aliaque, Sunt & ex his mixta, ut *species diatrag. &c.*

Hæc ut proprie dicta & velut substantifice, ac in sua natura & mole sunt incrassantia, quatenus in corpus assumpta fluxum alvi vel sistunt ac refrænant, vel contemperant tamen, Ita quæ (4.) lentorem habent anodynum, ob sulphur resolubile fixans & concentrans salia, huc vel maxime pertinent, Papaveracea uno verbo, unde suspendunt humores & in centro detinent. *Wedelius Am. m. m. p. 78.*

100. *Talia sunt*) In Catarrho tenui, suffocativo, confertim ad asperam arteriam destillante, tussimque indesinenter excitante *Cornu cervi ustum* tantum in os aliquoties inspersum, vel linguę impositum, prestantissimum est remedium, Subito enim catarrhus inspissatur, adeo ut rarius tussis cieatur. *Joh. Andr. Graba Elaphogr. s. 3. cap. 9.*

101. *Ossa Cranii humani*) ℞. *Pulv. oss. human. combustor.* ℥j. *cinnam. el. cont.* ʒj. *sacch. albiss. q. s. m. F. Pulvis, Dozis* ʒj. *ante somnum in vino albo exhibenda, aut mane in jusculo calido*; Augeri potest dozis ad libitum: Ossa ad albedinem comburantur in fornace, & postea in pollinem conterantur, & in porphyreo lapide cum tantilla aqua rosarum conteicentur: Si humana ossa non placent, sumantur bubula: Horum ego usum in Catarrhis, in omnibus fluxionibus, quotidie saluberrimum deprehendo. *Hieronymus Donzellinus.*

102. *Laudanum Opiatum, Pilula de Cynoglossa*) Laxitati vasorum, & fluxilitati humorum optimum remedium sunt Opiata: Animam prębent adstringentibus; quæ utrisque illis debentur quidem, sed infirmiter & insufficienter absque Opio; Et laxitati quidem vasorum mediate magis & secundario, fluxilitati primario; Sive serum sit tenuius, salsius, acrius, titillans

ut in tussi & sputo cruento, catarrhis, incrassat Opium, & coquit, maturat, unum solum propinatum; sive bilis cum sero tenuata spumescat in vomitus, diarrhœas, dysenterias, choleram, prompte eandem subigit, infringit & refrenat; Sive sanguis cum sero efferatus excidat in hæmorrhagiis quibuscunque. *Wedelius Am. m. m. p. 443.*

101. *Thuris, myrrhæ, opii*) Præter *succinata* conducunt alia salia volatilia, *spiritus salis armon. anisatus*, Balsamus nervinus D.D. *Schefferi, Francofurt. Archiatri*, ex *sale volat. c. c. sal. armon. ol. mac. & spir. vini* &c. Possunt usurpari, tam *curative* sudorem movendo, quam præservative, contenta corporis alterando, *Myrrhata*, ad aliquot grana propinata, aut cum tinctura tartari in essentiam soluta sunt proficua. *Item* ipsum *sulphur*, & ex eo rite parati *flores*, optime conveniunt in catarrhis, seu in forma liquida, *Balsam. sulph. succin. juniper.* De Opiatis dictum &c. *Ettmuller.*

104. *Si humor salsus*) Vide §. *Sistentia & incrassantia.*)

Si tumor salsus) Lymphæ salsedinem atque acrimoniam obtundunt, sicque p. n. ebullitiones cohibent, ac singularem operam præstant quælibet acida, & austera viscosa, quæ alias condensantia dici sueverunt, simulque blandam adstringendi vim obtinent, Inter Narcotica eminet *Opium* &c. *Straussius.*

Duo potissimum remedia esse puto efficacissima, quæ in me ipso, ut & multis aliis fuerunt (ut dixit *Asclepiades*) θεῶν χεῖρες. Primum est *Bolus armena* Orientalis rubra, quæ sola & simplex in lingua posita, & palato admota, nocte præsertim, quo tempore solet fieri destillatio, sistit ac siccat catarrhum, & capiti robur addit; ut videatur χάρμα, incantamentum, vim habet theriacalem admirabilem: Alterum est *theriaca recens* optima, quæ vires insignes habet ad acres destillationes: Tertium addo, *Ossa humana* combusta, *Cranium* tamen est, præstantius.

℞. *Pulv. ossium hum. combustor.* ℥j. *corall. alb. ras. ebor. āā.* ʒj. *camph.* ℈j. *m. f. Pulvis subtiliss.* doxis ʒj. in vino aut jure, *Hieron. Donzellinus* in consl. *Scholzii consl.* 15. *libro* 6.

Præferimus reliquis omnibus remediis in Catarrho salso, *Diacodium liquidum*, capiat vero cochl. j. hora decubitus & si necesse sit, etiam mane; Sed non sumat nisi salsedo vel tenuis Catarrhus postulet, In continuo etiam usu, præcipue matutinis horis, esse debet *sacch. rosat.* ad ℥ß. cui plurimum confidimus, idque maxime commendamus; *Joh. Baptista Montanus consl.* 156. Nos affirmamus multos vidisse quibus ex subtili salsoque catarrho imminebat periculum Phthiseos manifestum, ex hujus antidoti, (*Diacodii*) usu continuo fuisse curatos: *Hieron. Accoram bonus Tr. de Catarrho p.* 32.

104. *Si humor salsus*) *R. Faventinus* sequ. Pilulis usus est in Catarrho salso, felicissimo successu, ℞. *succi liquir.* ℥ij *aloës lota* ʒj. *pilul. de cynogl.* ʒß. *cum syr. violar. fiat* massa, dozis ℈j. hora somni. Valent & trochisci *Solenandri* supra descripti.

Probatissimum hoc remedium.

℞. *Cass. rec.* ℥j. *agar.* ʒij. *sacch. q. s. f. Bolus*, capiat duabus horis post cœnam curtam. *Jac. Fontanus Pr. lib.* 1. *capit.* 30.

104. *Si humor salsus*) Inter medicamenta usitata vulgo, & humores salsos emendantia, optimæ sunt *Pilulæ de Cynoglossa, ut & de Stirace*, utpore quæ salsam acrimoniam temperant & obtundunt; Idem inter simplicia præstant *Tragacanthum, Gummi Arabicum, mastiche, olibanum, styrax* rad. *Althæa, Symphyti, liquir. & similes*; Folia, *malva, althæa* &c. semina 4. *frigid. maj. papav. albi, Cydonior. Pistacia, Amygd. dulces, Hordeum mund. &c. Opium ipsum, succus liquir.* inspissatus: *Terra* pingues omnes, *Bolus Arm. Terra Lemnia, Sigillata & Silesiaca & Turcica, Coralla, Margarita, Cineres cancrorum &c.* Ex quibus varia composita adornari possunt. *Fr. Sylvius.* In Catarrho salso saluberrimum expertus sum auxilium Decoctum *mellis cum rosis*, quod sic fit.

℞. *aqua opt. mensuras* vj. *mellis mens. ß. coq. & despum. imponatur sacculus plenus rosis siccis*, & bulliant ad justum tempus: Bibatur mane loco syrupi.

Bolus item *Armenus ruber* in lingua positus, & palato admotus, nocte præsertim, sistit & siccat Catarrhum. *Crato.*

105. *Ferinus curatus est*) Cum perenniter illabitur Catarrhus à materia effera, qui tabem tandem afferat, ille qui sequitur Syrupus miraculose dicitur prodesse.

℞. *flor. & germin. salicis, urticæ mortuæ āā. m.* iiij. *summit. rimin. rubi, fol. bursa pastor. āā. m.* ij. *Fiat Decoct. in* ℔ij *aqu. rosar. tussilag. & bursa pastor. cum sacch.* ℔ß. *ad mediatatem, sumat.* ℥ß. *cum aqua rimin. rub. distillata.* Gul. Ballonius consl. 22. l. 1.

Alius est [106] *Suffocativus*, [107] qui magno impetu ad pulmones & cor fluit. Huic [108] subito succurrendum. *Revulsionibus*, per clysteres, frictiones, [109] Emplastror. Catarrhum suspendentium [110] rasis capillis applicationes, Narium balsamo succini inunctiones, suffumigia, &c. [111] *Vomitu* nihil putatur esse præsentius, quia etiam illa, quæ pulmonum bronchiis infarcta sunt, excutit; Sed & *Cucurbita* non scarificata. [112] Spiritus sulfuris acidus cum aqua fontana præsentissimum quid. Cerotum ex asphalto, succino, gummi liquidambare, styrace calamita, & mastiche confectum, laudabile.

106. *Suffocativus qui magno impetu*) Catarrhum Suffocativum haud deducimus à sero tantum in Pulmonibus evasato, multo minus (ut Scholæ voluere) è cerebro in fauces subito proruente, prout jam discussit *Helmontius* in *de catarrh. delir.* sed esse potius talem affectum putamus, in quo sanguis ex ramo cavæ, tam ascendente quam descendente, in cor influens, indeque in pulmones ruens, in harum partium ductibus in motu suo nonnihil impeditur, indeque stagnare incipit, ob *acidum* excessivum, vel in ipsis humoribus genitum, vel ab inferioribus partibus allatum, inprimis à pancreatis succo acido & austero tum sanguini tum sero infuso, unde suffocationis periculum, & respiratio difficilis, quam ex crebriori aëris, frustranea licet reciprocatione, necessario spuma sequitur.

Quod experimento, cui interfui, doctus dico, in Cane scilicet, moribundo, moderata quantitas ʒj. scil. *spiritus sulphuris per campanam*, aquæ sufficienti quantitate diluta, in venam cruralem infusa fuit, unde post sanguinis coagulationem spuma apparuit.

Ex quibus sequitur, quod si Acidū sanguinē coagulet in Pulmonibus, *Catarrhus* oriatur *suffocativus*, ex motu eodem in Pulmonibus & præcordiis nonnihil sufflamnatio proveniat, Qui motus sanguinis impeditur, vel à sanguinis copia, vel ejus crassitie & visciditate vel ab obstructis vasis, vel ab acido coagulatore, indeque fluunt anxietates & angustiæ cordis, respiratio anhelosa, & quandoque abolita, & tandem mors repentina.

Quæ omnia apparuere in exenteratione defuncti hoc morbo ægri, qui per annum & plus catarrhum suffocati-

cati-

cativum passus est, Ejus abdomen & pectus, supra os sternum, adeo pinguedine obsessa reperimus, ut ea pinguedo æquaret quatuor digitos transversos, Sanguis vel nullibi reperiebatur, quam circa cor, & pulmones, ibidemque stagnabat quia scil. vasis per pinguedinem obstructis, sanguini via fuit interclusa, indeque is aliorsum mitti non potuit, atque ita suffocatus est; Ille *in paroxysmo*, cum respirare non posset, levamen sentiebat pectus tundens, qua commotione sanguini motus restituebatur.

Vnde & Cl. J. G. *G. Greiselius in M.C. Ann. 1. Obs. 74.* Jn omnibus catarrho suffocativo defunctis, aut in corde, aut in cerebro, vel non raro in ambobus, corpora callosa, viscida, & glutinosa offendit, Haud dubie in hoc affectu, & nervi ad pulmones transeuntes, ut & pori pulmonum obstruuntur (*aut comprimuntur*) & hinc talis affectus sequitur, inde & stagnatio sanguinis: In reliquis catarrhorum speciebus, utplurimum serum evasari, & ejusmodi affectus sequi certum est. *Johannes Dolæus Encyclop. p. 216.*

107. *Alius suffocativus, qui magno impetu*) Affectus ex *asthmate*, præsertim *sicco*, *tussi* & *raucedine* complicatus; diversimode tamen, ita ut nunc hoc, nunc aliud symptoma magis observari videatur, isque vel *subito irruens*, vel ex *improviso exasperatus*, isque nunc *continuus* nunc *remittens*, & vel periodice vel incertis intervallis repetens, & quidem *suffocationis periculum* plus minus inferens, cum *stertore*, *materiæ* vel paucæ vel nullius ejectione, Catarrhus Suffocativus vulgo dicitur, adeo ut vulgus in genere quamcumque respirationem subito difficiliorem redditam, & suffocationem, plus minus minitantem, in specie si cum tussi conjuncta fuerit, nomine Catarrhi suffocativi appellare solent; Hinc fit ut & *Asthmata occulta*, interdum recurrentia; item *asthmata humorosa*, inprimis vesperi affligentia, sub hunc censum veniant; item *Tusses nocturnæ* gravius affligentes, inprimis cum *excretione copiosiori facta* junctæ, huc à quibusdam trahantur, Catarrhus tunc dicitur, à præconcepta opinione, quasi subito, ex capite præsertim, fluat humor serosus, plus minus pituitosus, qui bronchia & pulmones replens suffocationis periculum intendat.

Sed paucis rem explicat *Lindanus* super *Hartmannum*, dicendo, *maxima de nihilo nascitur historia, nil obscurius hac de catarrho suffocativo doctrina, nam Anatome eam ostendit falsissimam, & quomodo potius in pulmonem per rimam asperæ arteriæ & epiglottidem obstantem transibit quam per oesophagum? &c.*) Alii igitur vere cautiores per venas à capite deferri tales humores, hinc deponi in pulmones, replere hos & asperam arteriam, & suffocationem ita inferre: Ridiculas has de Catarrhis hypotheses perstringunt *Helmontius, Vincentius Baronius, Tract. de Pleuroperipn. Schneiderus lib. de catarrhis.*

Complicatus ergo est, ut supra monui, *Catarrhus suffocativus* affectus dictus, Vnde in vulgi judicio, preconceptis hypothesibus, per ignorantes Medicos confirmatis, præoccupati hic non standum, Propterea triplicem. *Catarrhi Suffocativi putatitii, Asthmati convulsivo* contradistincti, *Differentiam* facio, prout in praxi eam observare mihi licuit.

I. *Ex Pulmonibus affectis*, & hostili acido inspirato vel intus genito, illis profundius se insinuante irritatis; hinc per proprias fibras fortius se stringentibus, unde suffocationis imminens necessitas, non prius cessans quam lymphæ uberioris irrigatione ablutum & abstersum fuerit *irritans illud præternaturale*, & ex eorum mutuo coalitu, concretum mucosum factum, cujus expectoratione morbus solvitur: Remanet tamen subinde quasi vestigium in illis fibris, ita ut levi occasione renovatum, spasmum & spirituum occlusionem minentur.

Mulier hoc catarrho suffocativo laborabat, principium mali erat, *esus alaudarum*, quarum sub assatione, & cum butyro irroratione, & undique pinguedinis in carbones destillatione, & hinc fumorum elevatione, factum fuit ut ipsa primo *Tussim* aliqualem, sed siccam & profundam, sive ex imo pectoris experta fuerit, quam aliquando ex improviso *arctior pectoris & faucium angustatio*, & post aliquot dies perfecta orthopnœa sequuta fuit; in quo statu continuo vltra octiduum videbatur suffocanda, ita ut leni auræ commotione, aut januæ apertione, mox suffocatio imminere videretur, donec successive expectoratione, & materiam glutinosam ac perquam viscidam ejicere, tali rejectione successive liberius respirare, & sic tandem liberius respirare cœpit. Mansit tamen vestigium in pulmonibus impressum, ita ut facile à quavis externa causa angustiam pectoris sentiret.

Circa hujus affectus *aitiologiam* observandum 1. *Caussa remota* est *acidum viscidum*, ex *butyro* & *alaudarum* pinguedine incensis exhalans, cum aëre inspiratum, asperæ arteriæ cannis, & hinc pulmonibus inhærens, 2. Hoc irritavit inimica sua præsentia, idque tam acrimonia quam adhæsione glutinosa, tanquam *fuligo camini*, undique in pulmonum ductibus adhærens ad bronchia & pulmones, unde primo *tussis*, eaque *sicca*, hinc ex irritatione illa, lymphæ uberioris affluxus, ab utrisque gravior irritatio, unde superveniens continua *fibrarum nervearum*, in pulmonibus *strictura* & contractio convulsiva; 3. Duravit hoc tamdiu donec tam *lympha* quam *nutrimenti proprii affluxu* fuligo abstersa, resoluta, & ex utrisque successive *concretum novum*, ob moram & exactam mistionem sive subactionem, *spissum, candidum, glutinosum*, genitum fuerit; 4. Hujus medio *fuligo* sublata, *irritatio* sedata, *contractura pulmonum* hinc remissior reddita fuit, unde liberior paulo aëris accessu & recessu materia ista sub paroxysmo genita, cum fuligine involuta commota, protrusa, & sic per bronchia sursum rejecta fuit, 5. Mansit tamen *vestigium*, ex pulmonum *nutritione propria*, seu *privata*, plus minus læsa, adeoque contracta hinc pulmonum debilitate. *fibrarum* tali *constitutione*, quæ facile in spasmos agi possit; unde vel leviori occasione externa pulmo irritari, fibræ contrahi, & hinc affectus pristini memoria revocari solet.

Pertinere huc videtur *Infantum quorundam*, plus minus robustorum, *catarrhus suffocativus*, cum *epilepsia* motu junctus, dum v. g. simpliciter creberrima thoracis systole & diastole, cum levi vel nulla tussi, continuo suffocari videntur; idq; ipsum etiã evenit subinde, ita ut tali spasmodica affectione pulmones constringi, & thorax coarctari ita videatur, ut & respiratio libera impediatur, & sanguinis per pulmones circulus impediatur; hinc *facies* eorum *rubicunda*, esse solet, & præcedere talem affectum per aliquot dies vel *raucedo* levis vel *tussicula* &c.

Vt itaque talem affectum in adultis *Opiata & attemperantia*, vulgo *incrassantia* dicta, optime levant, etiam paroxysmos, ita & talibus infantibus *thoracica*, item *sperma ceti*, &c. in vehiculo calido propinata observantur proficua, cum è contra *Asthmata humida*, item *Tusses humorales*, præsertim in stomacho in infantibus non rare, inprimis per *Nicotianam*, item *blanda emetica* curari debeant.

II. & III. *Differentia* Catarrhi Suffocativi, revera est *Laryngis catarrhus*, ad *bronchum* pertinens, Nempe in quo larynx speciatim ratione *epiglottidis* afficitur, cujus irritatio, & hanc insequens pertinacior strictura & clausura, omne id præstat quod dicitur *Catarrhus suffocativus*, sive in *larynge* hæreat malum, & sic erit affectus simillimus *broncho*, sive *extra* laryngi & epiglottidi incumbat, eritque *Catarrhus*, qui pertinet ad *Ca-*

tarrhum membrana pituitaria posterioris Schneideri: Nempe notum est, si saltim aquæ, vel cerevisiæ guttula, vel panis micula laryngem ingreditur, hanc admodum sensilem irritatam mox convelli, sive pertinaciter ejus rimulam ab epiglottide occludi, nisi impetuosior russis mox insequens eam eliminet. Quo diutius autem ista irritatiô fit, eo plus muci pituitosi postmodum excernitur, qui est productum quasi morbosum, Unde ex quacunque causa; si similis fiat in faucibus irritatio, subito suffocatio imminebit.

Causa quæ eam irritationem infert, est respectu laryngis, vel *interna*, vel *externa*, Illa ut plurimum est *affluxus seri*, *sive lymphæ acrioris* ad bronchum, estque raucedo subitanea, hinc irritatur *larynx*, stringitur *epiglottis*, unde *suffocationis* metus subitaneus; Peri aliœ hoc fit interdum, ut apud *Riverium cent.* iij. *obs.* 15. *Hæc*, nempe *causa externa*, est *lympha viscidior*, *glutinosior & copiosior*, cujuscunque saporis, ex membrana pituitaria posteriore ad fauces copiosius delata, & subito quasi inviscans laryngem, & epiglottidis motum liberum impediens, unde jungitur *materiæ viscidæ screatus*.

Affectus hic, vel ipse subito ex *pragressa causa externa*, inprimis ab aëris inclementioris facta alteratione, vel ex tussi diuturna oritur, ut in exemplo *Hildani cent.* 6. *obs.* 3. manifestum est, Subolfecit hoc *Platerus*, unde *Catarrhum suffocativum angustiam intra fauces ait*, & Catarrhum, non ad pulmones, sed ad fauces delabi animadvertit, *l.* 1. *Obs. p.* 185.

Curatio horum catarrhorum suffocativorum plana fit, nempe si est *Catarrhus laryngis à causa* interna, curatur eodem modo ac raucedo recens, sive tussis nocturna sicca &c. v. g. per *Opiata* ac similia, *Incrassantia* dicta, & acrem lympham temperantia, præmisso, si opus fuerit, Vomitorio.

℞. *Aquæ scab.* ℥iij. *asthmat.* ʒvj. *spirit. sal. armon. anisat.* ℈j. *syr. papav. albi* ℥j. *vel diacard. Montani* ℥ß.

Si asperior fuerit mistura propter spiritum *salis Armon.* omitti hic potest.

Si malum est *à causa externa*, curatur ut *asthma humorosum*, vel tussis humida stomachalis, nempe per *vomitum*, & deinde per *attenuantia & incidentia* mucum viscidiorem, v. g. *succum raphani syr. nicotianæ, spir. asthmaticum*, *oxymel. squill.*

℞. *Aqu. nicot. hyssopi, menthæ* ãã. ℥j. *asthmaticæ* ʒvj. *oxym. squill.* ℥ß. *syr. nicotian.* ʒvj. *ad* ℥j. m. capiat cochleatim.

Ex dictis patet *Opiata*, & his cognata *anodyna*, & hinc *attemperantia*, alias *Incrassantia* in paroxysmo & sistendo & præcavendo primatum obtinere, etiam ex vulgata aliqua hypothesi: Cum enim nonnisi ex *humoribus*, *motu*, & hinc *loco* peccantibus oriri soleant pathemata talia, humores vero locali motu nullo ferantur in corpore, nisi beneficio spirituum animalium, mediantibus organorum fibris eos moventium, non soleant autem præternaturaliter à spiritibus moveri, nisi hi promoveantur objecto molesto, vel præternaturali, h. e. nisi pars quædam sensilis irritetur, manifestum evadit quod ea quæ irritationis sensum tollunt, & spirituum impetum sopiunt, etiam præternaturales humorum motus refrænare, & partium inchoatos spasmos curare valeant, In quo puncto primatum ducunt *anodyna*, ut clarum est.

Quid ergo *Clysteres* prosint in talibus *catarrhis suffocativis* suppositilius, usitatissimi, iique acriores? res clara est quod nihil valeant, per accidens saltem primas vias evacuando, & sanguinis & abdominis viscera in motum concitando, & utroque modo pectoris angustiam nonnihil sublevando, saltem ex indirecto prodesse.

Quid venæ sectio? ad quam ut sacram anchoram confugiunt, mox confugiunt; Per se nihil prodest, nisi in graviori paroxysmo, & pulmonum reciproco motu, plus minus impedito; metus sit ne gravior circa pulmones sanguinis stagnatio superveniat, pro liberiori sanguinis circulo conciliando, hæc interdum instituenda veniat.

Ulterius capiti, nuchæ, vertici, *balsama*, *emplastra*, *cataplasmata*, *suspensoria* dicta, ex *mastiche*, *succino*, *tacamahaca* & similibus, aliis imponuntur, item ex *fermento*, ex ovis *ad duritiem* coctis, ac similibus pro suspendendo catarrho, defluente: Sed conatu sane inani vexantur ægri, sine fructu, cum in capite non sit mali radix; Item *Vesicatoria* cervici, scapulæ & similibus, locis pro scopo diversorio applicantur, male itidem, nisi interdum per accidens, ubi *Asthmatis convulsivi* quidpiam adest, quo in casu *vesicatoria* brachiis applicari possunt. *Etmuller Prax. Parte* 1. *p.* 227. *& seq.*

Quartam Catarrhi suffocativi speciem, à *sanguine in pulmonibus stagnante*, Vide lib. 3. cap. de Suffoc tione.

108. *Huic subito succurrendum*) In subitis morbis sæpe animi Medicorum ita consternati sunt ut de remediis cogitare nequeant: Sanguis de consilio Medicorum statim mittendus, frictiones in spatulis, collo, brachiis, item ligaturæ fortes faciendæ: Vesicatorium apponendum supra suturam coronalem, ex *fermento*, *cantarid.lib.* & *aceto*: *Lohoc de scylla* cum *oxymel.* & *ammon.* dandum, si materia est crassa; vel si tenuis ad *Pilulas de cynoglossa*, ita tamen ne unum scrupulum in dozi excedamus, perveniendum: *Crato consf. apud Scholtz.* 18.

In paroxysmo utilis est aqua quæ fit ex *aqua vitæ* bene præparata, cui *sacchar. candi.* tanta quantitate ut parum dulcescat additum sit, & parum *aquæ cinnam.* cum pauca *aqua rosar.* detur cochl. j. vel ij. Postea *lac caprin. tepidum*, in quo *semperv. maj.* decoctum sit, & *rad. alth.* ore & faucibus contineat: Extrinsecus collo commode circumdatur *lana succida nigra*, *oleo liliorum* inuncta, calefacta, panno cannabino involuta: vel si perseveret malum, poterit tale Empl. collo circumdari.

℞. *Nidi hirund.* ℥vj. Pulverif. & coqu in vino albo; addendo *pulver. baccar. lauri* ℥j. *mell.* ℥ij. *ol. liliorum.* ℥iij. *f. instar Empl.* quod supra pannum extensum, tepide collo circumdetur. *Fel. Platerus Obs. lib.* 1. *p.* 185.

Ad diversionem Catarrhi suffocativi fortissimo lixivio, & panno asperiore cubitum confricarem, atque hoc modo exulcerarem istas partes, quæ ne consolidarentur, sed plurimum materiæ effluerct operam darem: Non absque dolore fit, sed ob utilitatem æquo animo ferat. *Joh. Crato consf.* 20. *lib.* 6.

109. *Emplastrorum catarrhum suspendentium*) Nil magis sistit catarrhum immoderatissimum quam hoc *Rulandi* Cataplasma.

℞. *Fermenti acrioris* ℥ij. *Carabes pulv.* ʒij. *f. Cataplasma* quod vertici raso capillitio admoveatur. *Petr. Pachequus Obs.* 60.

110. *Rasis capillis applicationes*) Nihil magis sistit Catarrhum quam Cataplasma ex *fermenti acrioris* ℥ij. *succini pulv.* ʒij. Sincipiti capillitio raso admoveatur. Item *Tacamahaca* cum *oleo mastichino* soluta, & super aluta obducta vertici imposita. *Frid. Hofmannus m. m. l.* 1. *p.* 294.

111. *Vomitu nihil putatur esse præsentius*) Catarrho suffocativo oppressos, exhibito vomitorio ex *oxymel. scyll.* ℥j. *oxym. vom.* ʒij. ejecta materia occasionali, à difficultate respirandi liberatos esse comprobatum experientia. *Osvvaldus Grembs op. l.* 2. *c.* 1.

112. *Vomitu nihil putatur*) Notandum tamen si vitium in tota massa sanguinea hæreat, ut per arterias hi motes vitiosi mixti cum sanguine magno cum impetu ad Pulmones ruant, fermento quodam exotico concitari, ut suffocationis periculum immineat, quemadmodum

dum sæpe in scorbuto & malo hypochondriaco usu venire solet, tunc vomitoria non juvare, sed venæ sectionem. *Frid. Hofmannus m. m. p.* 108.

112. *Spiritus sulphuris*) *Spir. sulph. & vitrioli* ad gtt. iij. vel iv. exhibitus mane & sero cum liquore idoneo, contra omnes fluxiones magnas vires habet, præsertim vero eas quæ à calida viscerum intemperie ducunt originem: Potest etiam in minori dozi potui permisceri, quia cum eo venas omnes pervadit, & motum humorum cohibet. *Laz. Riverius Pr. l. 1. c.* 15.

112. *Spiritus sulph. acidus*) Ego felicissimo successu utor *Aqua violar.* vel *tussilag. cum spir. sulph. albo guttatim infuso* in periculo suffocationis, & multos ab imminente periculo sublevavi. *Fabritius Bartoletus meth. ad Dyspn. l. 5. part. 2. c.* 25.

113. *In cerebro vitio ejusdem collecta*) Etsi cerebri λόγιον, atque purgamenta, vel humor in catarrhum sese effundens, aliunde ad cerebrum persæpe apportetur, dicitur tamen cerebri excrementum, quoniam in cerebro ubi aliquandiu moratur, peculiarem accipit alterationem, haud secus ac liquida omnia à continente vase figuram mutuantur. *Menjotius.*

114. *A materia in cerebro vitio ejusdem*) Cerebrum sordium ubertate circumfluit, ob frustratam vel læsam suam coctionem, ac, ut ait *Galenus 3. de sympt. c. 4.* quale πάθος in ventriculo est diarrhœa ob dyspepsiam prognata, tale in cerebro est catarrhus. Frustratur cerebri coctio propter errorem externum, si vel copiosius alimentum quam subigere queat ipsi ministretur, vel imdoneum; seu susque deque habita victus ratione, seu etiam titubante munere partium nutritioni dicatarum, scil. ventriculi aut jecoris, siquidem nec primæ coctioni in secunda, nec secundæ in tertia datur emendari: Læditur coctio cerebri ab illius *intemperie* aut *simplici*, aut *composita*: Simplex vel est *frigida*, vel *calida*, plus alimoniæ prolectans quam perficere possit, vel *humida*, at nunquam *sicca*, quæ omnem catarrhi materiam absorbet, Itaque si à causis Catarrhi *siccitas* mereretur secludi, sequitur necessario compositam intemperiem, catarrhi genitricem, geminam duntaxat esse, nempe aut *frigidam humidam*, aut *calidam humidam*, non *frigidam siccam*, neque *calidam siccam*.

Verum duabus objectionibus satisfaciendum est, 1. authoritati *Galeni, cap. 18. Art. parvæ*, docentis cerebrum calidum excrementis esse vacuum; Deinde senum experientiæ, qui aridissimi sunt, ac simul βλεννώδει, h. mucosa scatent, fœditate, habentque corpora ῥευστά, sive fluida: Ad priorem respondemus *Galenum* loqui de intemperatura cerebri calidiore sanitatis metas nondum transiliente, hic autem morbosum cerebri calorem culpari: Ad alteram dicimus senes, non quia siccos, sed quia caloris nativi inopes fœcũdo luxuriare pituitæ proventu, & quantum primogeniæ humiditati derogatur, tantum excrementitiæ merito subrogari: accedente insuper parca diaphoresi, propter densatos à frigiditate atque siccitate cuticulares meatus. *Ant. Menjotius Differt. de Catarrho p.* 199.

114. *Materia in cerebro vitio ejusdem*) Si catarrhus generetur per idiopathiam cerebri, febris superveniens, non quidem omnis, sed qualis & quanta, h. e. humori morbifico analoga, ut apoplexiæ & convulsioni medetur, sic fluxionem digerit, & quidem cum minori relapsus periculo, juxta illud *Hippocr. 6. Epid. sect. 3. §. 6. Minus hi qui ex capite gravedine laborant, si febre corripiuntur, recidivæ fiunt.* Incendium enim febrile occupat ὑλομιλίαν, nec duntaxat materiam jam fluxam, sed & fluentem fluxuram depascit, simulque frigidam cerebri dyscrasiam contemperat, unde nulla supersunt, λείψανα humoris morbifici, nec propter cerebri ἰσχνότητα alius potest regerminare: Vult autem *Hippocr.* coryzam vino capitis per se progigni, nam si viscerum vaporibus fumantium consortio cerebrum adimpleatur, febris non modo non absolvet, at potius fovebit Gravedinem, aut saltem recidivam præstabit, novam catarrhi materiam subministrando. *Menjotius.*

115. *Ventriculo frigidiore & hepate calidiore*) Ex eorum sententiâ qui chylificationem caloris solius opus esse censent; At misso fermento ventriculi, cui id operis plurimi adscribunt, Qui fieri potest ut ille frigeat, hoc intemperie calida affectum sit? Ob viciniæ consensum simili utrumque intemperie affici debet, si morbose afficiantur, Incumbit enim immediate Jecur ventriculo, ut intemperiei contractæ, sive ea calida sit, sive frigida, ex necessitate fiat ille particeps; Si intemperie calida hepar afficiatur, ventriculus vero prave concoquat, non exinde est, quod, ut aiunt, calor jecoris ventriculo proprium eripiat & ad se trahat, non secus ac lumen majus minus extinguit (quo simili utuntur) sed quia ventriculus moderato calore concoquit; qui si limites excedat, adauctus à contactu calidioris jecoris, officio fungi nequit, egressus propriæ temperiei limites; hoc in casu depravatio potius concoctionis primæ accidit quam diminutio.

116. *Et hepate calidiore*) Catarrhus à fumosis præcordiis ducens originem, non cessat priusquam febris & calor externum quieverit; haud secus ac in aquis stillatitiis non fit stillicidii finis quamdiu focus accensus est; cum hoc tamen discrimine, quod vapores non adeo facile è visceribus ac ex cucurbita attollantur, quoniam partes vi, qua pollent retentiva, materiam sibi cognatam non patiuntur tam prompte evolare. *Menjotius.*

117. *Seu ab aliis visceribus communicatur*) Interdum contingit ut humores excrementitii, à partibus inferioribus ad cerebrum sublati catarrhum efficiant; motum autem illum præter natur. nanciscuntur obstructis meatibus ordinariis per quos humores illi expurgari solebant: Et tunc temporis opportunissime curatur catarrhus apertione viarum, tum etiam blanda, miti, & continua expurgatione, quia humores ἀντισπώμενοι ad partes inferiores deturbantur, usque motus contrarius sensim conciliatur: Hujusmodi autem purgationes blandæ fieri possunt per decocta vel julcula ad multos dies usurpata: Interim roborantibus non omissis. *Riverius.*

118. *Qui vero catarrhis frequentioribus*) Quibus tunc præsidiis succurrendum, Vide superius §. *Duo Caustica.*)

118. Qui *catarrhis frequentioribus*) Vide supra *Dividitur Catarrhus.*)

119. *Vinum Adriani &c.*) Prodest & hoc

℞. *Rad. caryophyll.* ℥vj. *acori* ℥iij. *pulv.* (*florum*) *sambuc. m. s. fol. majoran. m. j. vini* ℔xvj. Exhibeatur pro Potu ordinario, *Hartmannus Prax. Ch. c. 21. §.* 2.

Lindanus hoc præscribit

℞. *Ligni sass. fr.* ℥ij. *rad. cariophyll.* ℥j. *h. rorism. rec.* ℥ß. *affundit vini generosioris* ℥viij. coquit leni in igne, vase clauso horis 7. vel 8. removet ab igne ut refrigescat, & bibatur inter cibandum: *Vinum* vilis compositionis, sed egregiarum virtutum, *Caryophyllata radix*, ait, *admirabilis* est in emendando sanguine & confortando ventriculo &c.

℞ *Ligni guaiaci* ℥iij. *Rhodii*, *sassafr. gumm.* ãã. ℥iij *cort. tamarisc.* ℥iij. *h. absynth. m. j. scolop. lupuli, menthæ hyssopi* ãã. *m.* ß. *rad. helen. centaur. ma. zedoar. cinnam.* ãã. ʒj. *affunde vini mens. iv. stent in infuso, de quo semper* sumatur haustus bonus in principiis pastus. *Etmuller.*

De Oculorum Affectibus.

Cap. XXXIII.

De 1. *Palpebrarum Affectibus.*

SIc affectus Cerebri absolvimus, Oculorum morbi vel *partes eum ambientes*, vel *partes constituentes*, vel *totum Oculi globum* tangunt.

Palpebrarum vitia sunt Trachoma.

I. [1] Τράχωμα, seu [2] Trachoma [3] internæ Palpebrarum *partis* [4] asperitudo.

[5] *Cognoscitur* ex rubore, pruritu, & milii granorum veluti eminentia.

[6] *Oritur* ab humore adusto, mordace & salso: [7] sæpe à collyriis acrioribus.

[8] *Curatur* 9. corporis evacuatione. Materiæ per repercutientia aversione. Topicorum [10] Emollientium primò & acrimoniam temperantium, [11] mox abstergentium, [12] ut *aloës in aqua rosarum*, *myrrha in lacte muliebri*, dissolutarum applicatione; quæ interdum intermitti debent, [13] ne vim suam fortius oculis imprimant. Palpebræ inversæ ad sanguinis proruptionem sacchraro cando γ frictione.

Dividitur dupliciter.

I. In Δασύτητα, in qua palpebræ duntaxat rubent, asperæ sunt & pruriunt.

συκώσιν, in qua quasi grana ficus eminent.

Τύλωσιν, in qua pars exulcerata scissuram & callositatem contrahit. &

[14] Ψωροφθαλμίαν, scabiem, quæ totam palpebram, præsertim versus oculorum angulos afficit, & universalibus præmissis, linimento rosato, adjecto pauxillo tutiæ præparatæ curatur.

II. In illam quæ à *sanguine*, in qua minor pruritus. A *Bile*, in qua pustulæ parvæ.

A *Pituita salsa*, ex qua plus serosi humoris exit.

A *Bile atra*, in qua quod effluit lividum est.

[1] *Palpebrarum*) Palpebræ, oculorum velamenta, pro substantia agnoscunt, præter vasa, cutem tenellam, membranamque carnosam, musculos clausores constituentem, quam interius pericranium succingit: Extremis earundem, maxime superiori, ad stabilem expansionem, exactamque commissionem, Cartilago additur, quæ *Tarsus* dicitur, cui *Cilia* adhærent: moderate *tenues* sunt, *molles*, *flexiles*, *rara*: Raritati tribuenda foramina duo exigua, in limbis earum cartilagineis circa majorem angulum, prominente leniter callo, obvia, immissam setam intra membranas earum perducentia, *Puncta lacrymalia* vocata, eo quod lacrymas nares dimittere dicantur. *Gerardus Blasius Ther. spec. p. 193.*

Trachoma.

[2] Τράχωμα) Vel Τραχύτης Græci vocant affectum Palpebrarum quem Latini illarum *asperitatem* vel *densitatem* nominant: Definimus quod sit *interna palpebrarum partis asperitudo*, cum *pruritu ac rubedine*, *nonnunquam vero cum pustulis*, *seu tuberculis semen milii vel ficus referentibus conjuncta*, *ortum à re superficiem istam*, *modo magis*, *modo minus exasperante ducens*. Genus, dum *asperitatem* exprimit, talem in Palpebrarum conformatione denotat *defectum*, in quo pars in qualitatibus secundis à naturali statu ita recedit, ut hinc ejus actio primo & evidenter lædatur; quæ διάθεσις sicuti vere est morbosa, ita eo majoris quoque sit momenti quo sensibiliori cum pruritu, rubedine & tuberculis, complicatur. *Laur. Straussius Pal. Med. Gymn. XIV.*

[3] *Interna Palpebrarum partis*) *Subjectum*, seu pars *affecta*, sunt *Palpebra*; Afficitur autem potissimum *superior*, non quod inferiorem, ob immobilitatem forte (tarso ei adscriptam) immunem ab hoc malo putemus, sed quod ob majorem internæ tunicæ superficiem (quam alias natura, ut super oculorum membranis, exquisito admodum sensu præditis, absque dolore & molestia moveri posset, lævem oppido tenuemque efformavit) huic affectioni superior magis obnoxia sit, adeoque frequentius exasperetur. *Idem.*

[4] *Asperitudo*) Cum tunicis Palpebrarum male affectis vix aliam quam *ulcerosam* aut *pustulosam* earum dispositionem nobis imaginari possimus, ejusmodi vitia ad *morbos materia* non incommode referri monet *Landerus Meletem. l. 3. de Pathol. §. 38.* exemplo *Galeni* qui vitia superficiei pariter ad materiam, *Asperitudinem* nempe ad acrimoniam; Lævitatem contra ad pinguitudinem atque viscositatem humorum reducit: quo respicientes Practici, acris plerumque aut salsi humoris in ipsa statim τραχώματος definitione mentionem faciunt. *Straussius.*

[5] *Cognoscitur ex rubore*) Signa affectus, statim ac Palpebra invertitur, ex *asperitate* & *rubore* p. n. in oculos incurrentibus apparent, ubi insuper *eminentia*, sive *ficus* sive *milii granum* referant, simul conspiciuntur: Sicque nec variorum graduum (quos ex diversa *mucilaginis tartareo salina* coagulatione Paracelsici deducunt) characteres adeo latere possunt, quin partis affectæ *callositas*, *scissura*, *exulceratio*, *scabiésque* illico deprehendantur.

Causarum vero, & quidem *internarum signa*, suis sese produnt notis domesticis; sic si sanguini prædominium, major quidem rubedo, minor tamen pruritus comitantur, obtundantur enim aliquantum per interspicula à rubra sanguineæ massæ portione. quæ ubi à *Bile*, vel ut Chimici dicunt, *sulphureo*, salinis intenditur particulis, initio quidem minor rubedo, sed pruritus major observatur, quem plerumque pustulæ, parvæ excipiunt; *Pituita salsa* præsentiam arguunt insignis pruritus seque ac blanda sua dulcedine multum recedentis copia. Quod si vero ab *atra bile* malum fuerit excitatum, rubedinem

be linem obscuriorem major stipat asperit s, & quod affluit lividum apparet: quæ quidem φαινόμενα particulis sulphureis, quoties salinis acribus acetosis nimium acuuntur, a Chimicis adscribi solent.

Externæ causæ per se patent: Num vero Palpebræ *per essentiam*, an per consensum affligantur, partim ex dictis, partim ex viscerum statu, juxta singulorum actiones vel læsas, vel integras decernendo, haud adeo difficulter colligitur. *Idem.*

6. *Oritur ab humore adusto*) Causam proximam investigaturis, id omne quodq solvendo continuum exasperare solet, quatenus id actu facit, probe considerandum esse constat: Quamvis autem ad humorum acrimoniam heic plerumque Practici confugiant, tamen cum præter *Humores*, alia quoque multa dictæ Tunicæ exasperare superficiem queant, licebit hujus causæ determinationē ad rei tam *externæ* quam *internæ* ἐνέργειαν, quatenus asperitatem jam inducit, utpote in qua formalis istius causandi ratio consistit, paulo distinctius accommodare.

Patet jam via qua ad *mediatas causas*, & quidem *proximiores* accedere liceat; Has ex *humorum* doctrina commode deducemus; quando variæ sanguinis dispositioni primas heic deberi partes certum est: unde non solum in Antiquorum, sed etiam Recentiorum scholis Sanguinem, Bilem, Pituitam, Serum &c. quoties hujus affectus est reddenda ratio, accusari audimus; Neque hanc infringit assertionem quod *Paracelsus l. de Morbis Tartar. cap. 3. mucilaginis tartareo salinæ* mentionem faciat, cæterique Hermeticæ hypotheseos propugnatores rei exasperantis naturam ex diversa *salium* conditione (in qua & *Cartesiani* suum ἐπιβάλλει μίξεως, quoad *motum* & *figuram* &c. reperiunt) declarare satagant, nam *Galenici*, etiam acrem istum, in quem culpam transferunt, humorem expressis verbis *materiam salsam* vel *nitrosam* appellitant.

Quod autem veteres illi cum *Galeno* sæpius in commemorata humorum denominatione conquiescant, propterea forsitan est factum quod malum hoc à permixto plerumque ac diluto in massa sanguinea humore excitetur, adeoque non semper tam acris, tam mordax & salsus esse soleat, siquidem alias ipsis oculis citius damnum inferret, quam palpebris affectionem inseminaret.

Ad *vias* quod attinet, Præter communes sanguinis canales, digna notatu præsertim sunt *Vasa*, seu *Ductus* illi peculiares, quorum ostia admodum exilia, in utraque palpebra, tam superiori quam inferiori, & quidem in illius partis quam ταρσὸν Græci vocant, extrema ora observavit *Meibomius. Straussius.*

7. *Sæpe à collyriis*) Hinc *Aëtius*, asperitates, *inquit*, sæpe fiunt ex mala curatione, dum Medici collyria diutius instillant; quemadmodum enim in externis vulneribus pinguium adhibitio carnium quarundam inutilium causa est, sic etiam in præsenti casu fieri cogitandum est.

Prognosis.

Prognosis ex iisdem fontibus ex quibus diagnosis haurienda est, Re vera enim Prognostica signa sunt ipsa Diagnostica, quatenus ex præsentium consideratione Medicus in futurorum notitiam deducitur: Hinc plerique Practici dum causarum ἐνέργειαν, una cum variis circumstantiis probe ponderant, τραχύτητα in primo gradu constitutum facile, σύκωσιν vero raro; rarius aut nunquam, vel nonnisi maxima cum difficultate τύλωσιν curari unanimi consensu pronuntiant. *Idem.*

8. *Curatur*) Curationem qui methodice voluerit perficere, is 1. *causa externæ*, quæcunque illa fuerit, imminentem, tum qua in *præsenti*, tum qua in *futurum*, vim atque impetum, illegitimum rerum non naturalium usum corrigendo, tollet, aut saltem infringet; 2. *Internam* asperitudinis *causam instantem*, adhibita totius corporis evacuatione, & sanguineæ massæ depuratione ab ulteriori progressu prohibebit, atque repercutiet. 3. *Causam*, hoc vitii genus actu inferentem, *Topicorum* quoque, & quidem 1. *emollientium* atque *acrimoniam temperantium*, deinde *abstergentium* & *exsiccantium* applicatione, quoad licet, removere conabitur. *Idem.*

9. *Corporis evacuatione*) Chirurgia 1. *venæ sectionis* opem, quoties plethorica requirit ægri constitutio vel *copiam sanguinis imminui*, vel hujus *motum corrigi* vult præsentissimam offert. Quod si vero *seri* abundantia cerebro, vicinisque hujus partibus facesserit negotium, *Vesicatoria* nuchæ, vel pone aures applicanda subministrat, quo canales glandulæque lympha scatentes mature depleantur, concitatiorque ad superiora impetus facta hac derivatione sufflaminetur; Ad eundem fere scopum collineant *Cucurbitula scarificata*, dum fluxum, præsertim sanguineum, evacuando revellunt; sive solæ sive addita scarificatione.

Ex *Pharmaceutico fonte*, cum *Topica* opus suum sine mordacitate exercere nequeant, & ex acrimonia dolor aliaque damna fiant, dato prius pharmaco vacuationem celebrare necesse est, tunc enim localia juvant; alias non evacuato corpore, à *Galeno l. 13. m. m.* reprobantur: quare non est ut in hoc affectu *purgantia* aspernemur; quia vero Emetica in oculorum morbis minus tuta sunt, in Palpebrarum quoque vitiis ea caute admodum, si opus fuerit usurpabimus: Purgantia vero quæ in usum venient, sint blandiora: Neque omnis selectus plane negligendus est; hinc ab humoribus *salsis* & *serosis* si palpebrarum asperitas fuerit excitata, *pil. de fumaria* & *lotis m. u.* laudat *Sorbait* in Pr. ex *Foresto*: quo in *casu rhabarb. sero lactis caprilli tamarindi sato* infusum etiam conducet &c. Hisce præmissis, *particulares* quoque *capitis evacuationes*, sicubi hujus debilitas humores peccantes liberius admiserit, instituere conveniet; Quod si insuper Natura vel ad *diaphoresin* vel ad *diuresin* proclivis deprehendatur, eo quo illa vergit humores ducere conveniet. *Idem.*

10. *Topicorum emollientium 1°. &c.*) Si abrasa in Palpebris tunica, *Palpebrarum Scabies*, aut *Scabrities* dicta, sequatur, tunc si rubedo, calor & dolor adhuc adsint, iisdem remediis quibus in opth. utimur hæc emendamus, dein ad siccantia accedimus, quæ si scabies tantum infestet, nec dolor impediat, validiora adhiberi debent: Qualia in augmento Ophthalmiæ remedia proposuimus, & in ulceribus adducenda sunt, Quibus & hæc addi possunt.

Tutia præparata, præsertim cum *succo cydonior.* & *aceto* pulverisata, palpebris addita, scabiem illarum sanat, Vel hic Pulvis

℞. *Tutiæ præp.* ℥j. *testar. ovor. in aceto macerat. prius* ʒß. *ossis sepiæ* ℈j. *f. Pulvis subtilissimus.* Vel

℞. *Tutiæ præp.* ʒj. *pumicis* ʒß. *coralli usti & loti* ʒj. *f. Pulvis* Unguentum conveniens.

℞. *Tutiæ præp. acaciæ, vel omphacc.* āā. ʒj. *lap. hæmat. antimon.* āā. ʒß. *excipiantur, gumm. tragac. infusione & melle vel Pomada F. Ung.*

Acribus abstergentibus, nisi cedat malum, uti oportet, & si dolor aut ardor inde sequantur, postea compescendus, *Lac ficulneæ* inungit. *Dioscor.* quod cum exulceret, contemperari *tutia* aliisque siccantibus potest; Idem *succi caparum* & *spodii* æquas portiones misce; Valet hoc

℞. *Fellis carpionis alteriusve piscis, ossis sepiæ ana.* misce.

Ab raditur interdum scabies palpebrarum specillo, vel panno lineo, aut foliis nonnihil asperis, usque

dum sanguis effluat, postea siccantia adhibentur remedia. *Platerus.*

10. *Topicorum emollientium*) *Emollientia, partisque intemperiem alterantia*, & humorum acrimoniam temperantia, in forma *Fomentorum*, quæ ex *decoctis simplicium* parantur, usurpari solent, herb. *malva, alth. parietar. mercur. violar.* radic. *alth. malv. lilior. alb.* flor. *malva arboresc. melilot.* semin. *malv. fœnugr. lini, rapar. dulc.* Straussius.

11. *Mox abstergentium*) Hæc initio leviora; in progressu, ubi illa nihil profecerint, fortiora esse debent, Ex herbis *ruta, chelidon. maj. valeriana, fumar. marrub. nepeth*; *Florib. rosar. r. tilia. fabar. centaur. min. cyani*, Rad. *irid. gentian. euonid. liquir. &c.* Item ex *hord. sacch. melle, aloe, myrrha, thure, litharg. cerussa, oss. sepia, cadmia, testis cochlear. & cancror.* atque ex his composita, e. g. *Vngu. de tutia, de litharg. de cerusa, ungu. albo camphor. diampholig. nihil ad oculos, ntr. saturn. &c.* Straussius.

Collyrium hoc efficax.

℞. *Testar. sepia* ℥j. *pumicis* ℥j. *rubrica synop. ammon. thymiam.* āā. ʒx. *gummi* ℥j. *excipe aqua*, Ex hujus usu magnam laudem reperies. *Aëtius.*

11. *Mox abstergentium*) Decidua oculorum supercilia vapore æris renasci constat, exhalans enim de chalcitide in oculos æris fuligo, sistit & siccat oculorum rheumata & lacrymas, qua ratione scabritiem & lippitudinem oculorum quoque curat. *Joh. Langius.*

12. *Vt aloes in aqua rosarum*) Cum scil. malum adhuc recens est palpebris illinitur; Vel *myrrha* cum *lacte mul.* dissoluta, vel *ungu. rosac.* cum pauxillo *tutia prapar.* adhibitum; Hoc ultimo *Forestus* amicum, palpebras inferiores rubras & exulceratas habentem, aliis irritis unius noctis spatio curavit; *Idem* mulierem palpebras inflammatas cum defluxione, rubore & scabie patientem, præmissis universalibus, sequenti ungu. felicissime curavit.

℞. *Pomata* ℥ß. *tutia, trochisc. alb. Rhasis* āā. ʒß. *vitriol. Rom.* ℈ß. *m. f. ungu. pro Palpebris.*

Licet autem oculi nec olea, neque ping[...]ia bene ferant, hæc tamen unguenta à plerisque [...] [...] ad Palpebras affectas merito commendantur. *Straussius.*

13. *Frictione*) Ubi malum prædictis medicamentis non cedit, *Frictionem palpebra* præcipiunt Veteres, ægroque supino jacenti palpebram invertere jubere, eamque *foliis ficus*, aut parietariæ, aut cum *sacch. cando*, aut cum *spuma maris* vel *osse sepia* leniter fricare [...] quidem eo usque donec sanguis prorumpat, & [...]stantia granulosa absumatur, postea oculum *aqua rosarum* diligenter abluunt. *Idem.*

15. *Ne vim suam fortius*) Quanquam Veteres mordacibus valde, atque dolorificis etiam, v. g. *ære usto, squama æris, nitro, sale ammoniaco, chalcantho* &c. usi fuerint, sicut ex *Paulo, Aëtio*, aliisque patet, tamen nisi hæc vel probe laventur, vel alio modo mitige[...], oculis non parum nocent, dum majorem subinde humorum affluxum excitant: Et proinde si dolor ruborque sequatur intensior, per dies aliquot ab hisce remediis abstinendum. *Idem.*

Palpebrarum scabies.

[illegible]. *φωροφθαλμία*) Ad morbos Palpebrarum spectat; *Pauli* verba accipe, *Scabra vero Lippitudo, pruriginosa palpebra scabies est, ex salso ac vitioso humore oborta.* Ad oculos autem ipsos pertinent & *σκληροφθαλμία*, & *ξηροφθαλμία*: *Illa* lippitudo dura, durities est, & difficilis [...] motus cum dolore ac rubore citra humiditat[...], *Hac, Lippitudo sicca*, est pruriginosa oculorum aff[...] [...] citra fluxionem *φωροφθαλμίαν* vero *Sennertus* à morbis Palpebrarum secernit, *φωροφθαλμία* inquiens *diversus est affectus ab illo qui supra cap. 3. descriptus est*, Multo secius judicandum est, est unus idemque morbus ac in numero morbi Palpebrarum judicandus. *C. V. Schneiderus l. de Catarrhis spec. p. 43.*

II. [15] *Ἐμφύσημα*, seu tumor palpebrarum, qui fit.

Aut [16] à *causis externis*, [17] nempe [18] Aranei, vespæ, apis vel [19] urticæ ictu. Tum *apis* contrita imponenda. *Theriaca*, & *succus plantaginis* illinenda.

[20] Aut *internis*, nempe [21] *humore calido*, ubi Ophthalmicum Rhasis locum habet.

[22] *Aquoso & seroso*, in febribus diuturnis, vigiliis, cachexia; [23] ubi fomenta ex decocto emolliente & dissipante rectè adhibentur.

15. *Ἐμφύσημα. seu Tumor*) In Palpebrarum externa sede intumescentia quædam, Oedemati diffuso non absimilis quandoque exsurgit, per quam Palpebræ inflatæ & tumidæ apparent; nonnunquam & circumferentia quæ eas ambit simul, tum in oculorum morbis, tum extra hos, quæ diu sæpe permanet, alias mox remittit; Hanc Oedema Oculorum aliqui vocarunt, quæ rectius Palpebrarum intumescentia vocari posset. *Platerus. Tom. 2. p. m. 181.*

In spatia quædam corporis, quæ partes cohærentes intercedunt, flatus nonnunquam, nunc soli, nunc cum sero juncti irrumpentes, illisque inclusi extuberantiam aliquam vel tumores pariunt; Quod & si à veneno sumpto, vel per ictum bestiarum immisso, aut in corpore genito natura similiter irritata, cum illud expellere nititur, evenire potest. *Idem p. 239.*

16. *Aut a causis externis*) Si Inflatio fiat ob causas externas, ut *percussionem*, & adsit rubor in oculo, *curetur* ut ophthalmia ex percussione: *Album. ovi* cum *aqua ros.* in oculum ponatur, & post triduum fiat resolutio cum *sacculis chamom. in vino* decoctis, vel *decocto chamom. meliloti*, cumin. &c. modo etiam frigidioribus si adsit *simul inflammatio.* *Forestus l. 11. c. 44.*

17. *Nempe aranei, vespa*) Si à *vespa*, ape, aculeo remoto *lamina* ferrea desuper ponatur, donec dolor & punctura evanescat; deinde *resolutiva* ad tumorem dicta apponantur; Si ex *aranei* punctura, aut alterius animalis venenosi, *theriaca*, vel *mithrid.* cum *sale gemma*. Si ob contactum *ruta*, vel aliarum herbarum, seu rerum calidarum, apponatur *ol. rosat.* cum *album. ovi*, vel *succus sempervivi, plantag. &* ovi *album.* concussum, vel panno insuccato apponantur; & facies cum palpebris *populeo* (vel *ung. alabastrino*) inungantur. *Forestus ibid.* Ol. momordicæ primas tenet. *Sebizius.*

18. *Aranei*) Si Emphysema provenit ex ictu *Aranei*, venenum extrahendum est linteolis imbutis Aqua *scordii, aristoloch. scorzon. angelica, imperat. petasit. gentiana, succisa valeriana, hyper. zedoar. Theriaca Androm. Mithrid. Damocr. Diascord. Fracast.* *Sebizius.*

19. *Urtica*,) Si Emphysema ortum sit à *contactu urtica, succo esula* aut *tithymali*, aut re alia urente, admovendæ sunt palpebris aquæ, *plantag. solani, portulac. ros. alb. sperm. ran. sambuci*, omnium *flor.* *Olea, rosat. sambuc. violar. nymph. ranar. solani*, Ungu. *rosatum, alb. camph. popul. refrig. Gal.* *Sal saturni* cum aliqua dictarum aqu. mucilagines, *Sem. cydon. psyllii* cum aquis enumerans, addita *camphora.* *Sebizius.*

20. *Aut internis*) *Aëtius Tetr. 2. serm. 3. c. 13.* agit de Tumore quodam Palpebrarum, in quo palpebra forinsecus elevatur; decoloratur est & gravior, ægreque mobilis

bilis ac pallidior apparet; aliquando etiam album palpebræ excedit nigrum; Est autem tumor laxus, forinsecus circa palpebram obortus, qui digito pressus citro edit, & cito rursus repletur, Est ut plurimû citra dolorem, & eô color naturali habitu; Fit autem plerumque ab aquosa fluxione: Tumores istos laxos & concolores curat cathareticis, clysteribus, apophlegmatismis linimentis & somenns digerentibus cum spongia applicatis.

[21.] *Aut interno, nempe humore calido*) Sic *Aetius*, Medici dicunt inflari oculos, cum absque causa manifesta intumescunt, & decoloratiores pituitosioresque, ac fortiter pruriginosi fiunt cum fluxione: *Addit insuper*, Contingere inflationem plerumque senioribus, pruritu ab angulo ad nasum incipiente, velut si quis à musca aut culice sit commorsus, Et esse hunc affectum ætate frequentem.

[22.] *Aquoso & seroso*) In limbis palpebratum, circa majorem angulum, occurrunt foramina duo exigua, *puncta lacrymalia* dicta; per quæ effluit humor aquosus & serosas lacrymas constituens: hæc si occludantur, vel obstruantur, à refluxu humoris in palpebras, earum intumescentia oritur: Vel si exuberet ille humor, adeo ut universus per illa foramina effluere non possit.

[22.] *Aquoso & seroso* In Palpebras se insinuante seroso humore, illarum intumescentia prodit, quod facilius fit cum lacrymæ ad oculos effusæ, eo quoque subsidere possint; adjuvante interdum oculorum frequenti frictione, cum facile pruriant.

Fit quandoque ut sanguinis cum aliqua *seri portione in palpebras* fiat influxus, cum earum tumore & rubore, instar vibicum ex contusione aliqua natarum, Oculi globum externe ambientium, per vices evanescente & redeunte; Tales tumores in duobus infantibus cachecticis, membrorum dolore summo, & maligna quadam arthritide laborantibus vidi & observavi. *Platerus.*

[23.] *Ubi fomenta*) In Curatione respiciendum est ad causam, scilicet ad serum & flatus; Emphysemati adhibenda Topica quæ calefaciunt, discutiunt, flatusque dissipant, cujusmodi sunt *majorana, satureja, thymus, flor. chamaem. melilot., summit. anethi, chelid. maj. euphragia, sem. anisi, fœnic. carvi, cumini anethi, bacc. junip. &c.* Ex quibus simplicibus *in vino Fomenta* fiunt; In officinis extant *olea salvia, ruta, aneth. laurin. juniper.* quibus adjungi possunt parva quantitate olea chymice parata, ut *ol. anethum. fœnic. ruta, rosmar. salvia, carui &c. Sebizius manu.p.* 144.

[24.] *Ubi Fomenta*) Palpebrarum Oedemata simili ratione uti cætera curantur, tum per generalia præsidia, si corpus humiditatibus scateat, tum *Topica*, ea tamen hic eligenda, & palpebris sic accommodanda ne oculo noxam inde afferamus, quare tunc tutius utimur inunctionibus ipsissionibus, ne in oculum defluant, vel emplastris, ut hæreant, palpebris admotis, quæ ab initio repellant & postea digerant; Vel si Fotu uti velimus, ad id quoque præstandum (omissis illis acribus ex *aceto*, *sale* & *lixivio* paratis, vel caute cum spongiola adhibitis, potius cum digerere volumus) illo utamur qui in visus imbecillitate describitur, Vel inungendæ palpebræ inunctione illic exposita, Cui & sequens potest adjici.

℞. *gallarum, vel nuc. cupress.* ℥ij. *cymini* ʒj. *aloës, mentha,* ana ℥ij. *croci* ℈j. *mellis q.s. f. ungu.* vel Empl. supra palpebras oculo clauso imponendum.

Laudantur & folia *Amaraci*, *Ricini* & *Alsines* tusa cum *polenta*, applicata. *Platerus.*

Palpebrarum Inflatio, vel sponte iterum actuali calore dissipatur, vel si perseveret Fotibus, qui clausis oculis adhibentur, vel *Inunctionibus* discutientibus in œdemate seroso expositis denuo subsidet. *Idem.*

[23.] *Ubi fomenta*) Sexagenaria mulier habebat palpebras tam superiores quam inferiores desormiter inflatas à multis annis, hæc brevi tempore fuit restituta, nullo inflationis vestigio relicto, sequenti Fotu, quod in aliis etiam probavi, semper tamen decenti facta purgatione.

℞. *mellis puri, aloës hepat.* ana ℥j. *myrrhæ* ʒß. *croci* ℥j. *nuc. cupr. gallar. qu.* ana ℥ij. *cymini* ℥iß. *contusis contundendis coqu. in* ℔ij. *aqua ad consumptionem medietatis, Et in ea decenter calida infundatur, parva spongia nova, prius abluta & exsiccata, qua expressa, & in subtili petia involuta ligetur super inflationem palpebrarum, & super oculum clausum, in lecto quando itur dormitum. F. Bayrus Pr. l. 3. cap. 17.*

Coalitus Palpebrarum.

III. [24.] *Coalitus*, cum palpebræ vel inter se, vel cum alba aut cornea aut utraque oculi tunica coalescunt.

Curatur difficulter, si tota coaluit. *Nunquam fere*, si cum cornea simul concrevit. *Facilius*, si extremitate solum oculo hæreschit, si annatæ saltem agglutinatur.

[25.] [26.] *Oritur* vel ab *ulcere* negligenter curato, in quo, sanescendo, quod diduci potuit, agglutinatur. Ubi sectio locum habet.

[27.] Vel à *Pituitosa & viscida materia* ad palpebras affluente; [28.] ubi Revulsio per vesicatoria, & Repulsio.

IV. *Cancer* sive exulceratus, sive non: de quo libro secundo.

[24.] *Coalitus*) Ἀγκύλη & Ἀγκύλωσις dicitur (quæ proprie est articuli contractio & curvatura, in poplite, cubito digitis &c.) cum, *ait Aetius Tetr. 2. serm. 3. capit. 64.* concrescunt & agglutinantur palpebræ ad album, aut ad nigrum in oculo; aut inter se concrescunt ac cohærent, Vel, ut alii habent, Palpebræ aut inter se aut cum oculi tunica adnata, aut cum cornea, aut cum utraque, coalescunt & p. n. cohærent, ut oculi aperiri nequeant: Hinc vitium istud *Concretio*, Cohæsio, Agglutinatio, seu Inviscatio palpebrarum, Et σύμφυσις τῶν βλεφάρων appellatur. *Sebizius.*

[25.] *Curatur*) Palpebris diductis, linamenta seu penicilli, *aqua rosar. seu plantag.* imbuti inter oculum & palpebram exulceratam interponendi sunt, sæpiusque renovandi, donec ulcus sit persanatum. *Sebizius.* Chirurgiam vide in parte Chirurgica.

[26.] *Vel ab ulcere*) Nam quando ulcus in parte palpebræ interiore relinquitur, tum quia oculi clausi manent, exulcerata palpebra vicinis adhæret partibus, usque agglutinatur, Palpebræ ipsæ invicem, intervenientepure, sanie, aut alia aliqua sorde, veluti aliquo glutine committuntur. Atque hac Palpebrarum conjunctio curatu est facilis. *Sebizius.*

[27.] *Vel à pituitosa & viscida*) Species est Ophthalmiæ quæ plerumque fit à somno, ita ut homo oculos aperire non possit; Accidit illis qui habent caput frigidum & humidum, crassis & viscidis humoribus refertum: Tum etiam illis evenire potest qui capite paulo calidiore, quod fumos à ventriculo, à cibo non bene digesto

elevatos, atque ad cerebrum ascendentes à pericranio ad palpebras & musculos ipsos moventes extenduntur. *Wolff. Gabelchoverus cent. 4. curat. 29.*

Lymphæ viscidiori debet originem, quæ per *Puncta lacrymalia* dicta effluit, in limbis cartilagineis palpebrarum sita, circa majorem angulum, in utroque oculo. Vide Anatomicos recentiores.

[28] *Ubi revulsio &c.* Super oculum ponatur *mucilago fænugr. femin. lini cum lacte*, & sunt remedium proprium; *Lac muliebre* in oculos instillatum optimum est, Fomententur oculi cum vadit dormitum cum aqua *decoct. rosar. lentium. flor. chamom. melilot.* mane vero abluantur cum aqua calida *decoctione rosar. & lentium.* Juvenis sequenti aqua liberatus est.

℞. *aqu. fæmc. euphras. āā. ℥j. aqu. rosar. ℥ß. pulv. tubili ʒß.* misce. *Gabelchoverus ibid.*

Inversio Palpebrarum.

V. *Inversio*, quæ,

Vel [29] ἐκτρόπιον [30] inferioris nimirum palpebræ, [31] *Ortum.*

1. A. [32] *Resolutione*, seu paralysi: de qua alibi vide.
2. [33] A *carnis* in parte interna *incremento*: [34] quod vel medicamentis absumendum, vel sectione tollendum.
3. A *vulneris* aut *ulceris mala curatione:* ubi etiam incisio locum habet.

Vel λαγόφθαλμον palpebræ nempe superioris.

Ortum, à *mala conformatione*, quæ curæ non subjacet.

2. A *consuetudine* puerorum in cunis sursum versus respicientium; quæ pannis nigris cunis circa caput obvolutis præcavetur.
3. A *convulsione* & contractione, [36] quæ emollientia ophthalmica exigit.
4. A *vulnere*, vel *ulcere male curato*, ubi vel cicatrix emollienda, vel manuum opera adhibenda.

[29] *Ἐκτρόπιον, inferioris nimirum palpebra*) Describi solet quod sit *Palpebræ inferioris Inversio, & deorsum facta contractio, qua pars Palpebræ interna cum deformitate conspicitur, & instar carnis rubra apparet, neque cum superiori committi potest, sed potius pendet atque hiat.* Lagophthalmia vero, *Palpebræ superioris talis sursum facta revulsio, ob quam oculus integer contegi nequit, sed per somnum quoque apertus* (ut in leporibus observare licet) *permanet: Genus* in utraque definitione positum non obscure innuit morbum adesse organicum, & quidem in *Situ*, siquidem utraque palpebra situm, quem κατὰ φύσιν habere debet, neutiquam obtinet. Etsi vero *Riolanus* figuræ vitiatæ, & *Sennertus* connexionis læsæ mentionem faciunt, nostræ tamen assertioni minime adversantur. *Straussius.*

[29] Vel ἐκτρόπιον &c. Vel λαγόφθαλμον) Hi affectus adeo sunt affines, ut *C. Hofmannus* Inst. lib. 3. cap. 154. §. 64. quicquid de utriusque differentia affertur nugas dicat; siquidem omne, ipso judice, discrimen in diversa duntaxat unius affectus appellatione consistit: quare utriusque affectus theoria & therapeja simul tractandæ. *Straussius.*

[30] *Palpebra*) *Subjectum*, seu *pars affecta*, sunt *Palpebræ*: Plures autem sunt partes quæ ad earum structuram concurrunt, *cutis, membrana, cilia*, seu *pili* in tarso seriatim dispositi, *musculi & vasa*, Primario autem ipsam utriusque palpebræ tunicam laborare, secundario *musculos*, aliasque partes in consensum afflictionis trahi posse arbitramur: Quamvis autem insuper *musculi*, verum etiam *nervi* primario interdum affecti censeri possent, eo quod Palpebræ eorum ductum semper sequantur, ex dictis tamen patet Palpebrarum morbos esse quos contemplamur, adeo ut, salvis etiam tum *musculis* tum *nervis* talis interdum Palpebrarum inversio excitari possit, sicuti ex causis patebit. *Straussius.*

[31] *Ortum r.*) Cum tam res *externa* quam *interna* in utroque nostro hoc affectu sæpius *causa proxima* naturam induere soleant, forte absurdum non fuerit si in determinanda *Ectropii* ac *Lagophthalmia* causa proxima, *id omne quod ipso actu secundo* palpebræ vel *retractionem*, vel *inversionem* efficit in hanc scenam produxerimus.

Ad *causas mediatas*, easque *proximiores*, communi quidem melius sentientium suffragio, *Causa antecedens in morbis externis locum non habet*, At quotiescunque *sanguis*, partium nutritioni dicatus, vel *copia*, vel *qualitate*, vel *motu* peccat, quis quæso dubitaverit pararum hinc gliscere fomitem, proximeque abesse quin intestina labes etiam Palpebris, sub nutrimenti schemate communicetur? Cum membrana carnosa (inquit *Helvvigius in schol. observ. 24. pag. 88.*) cui fere ubique sit in corpore connectitur per venas, arterias, nervorum propagines, & fibras membranaceas, atque ex causis diversis suos quoque patitur manes, ita quoque hac in parte diversi affectus oriri queunt &c.) Neque forte aliam dixeris causam quod vel *ulcera*, vel *vulnera* male curata talem post se affectum relinquant, quem diversa *liquoris vitalis* ratio, imo & interceptio nō parū promovet.

Quibus se ita habentibus, doctrinæ *humorum & vaporum*, etiam in tam angusto theatro, suam scenam atque prɇludia concedere nullibi dubitamus, Quærant interim ibi, per nos licet, *Chymici rodentia sua salia*, *inflammabile sulphur*, vel etiam in *acidum* aut *alkali* causam transferunt; Investigent delinquentium particularum *figuras* & *motus* maxime irregulares *Cartesiani*, Archeum iratum accusent *Helmontiani*, modo ne bilem ipsis moveat *Biliosus*, quem *rationales Humoristæ* admittunt, *sanguis*, vel *salsa & serosa humiditas* displiceat, quod *Galenus* sic loqui amet.

Nos interim *figuras* istas & *ideas* irregulares, si forte corporis oculis hic non liceat, mentis lumine ut assequamur operam sumus daturi, quo facilior conciliationi locus relinquatur.

Causas mediatas *remotiores* quod attinet, Et 1 *Res naturales*, *Temperamentum* tum biliosum, tum serosum aliquid heic facit: *Consuetudo* suas hoc in negotio partes agit, quoties Infantes vel retro vel sursum spectant, prout experientia testatur, *Res non naturales* suas vires conferunt, sive jam Aëris constitutio partibus incommodet, sive *Victus* ratio succos coacervet peregrinos, & quemadmodum in aliis corporis partibus, ita quoque in *Palpebris* carnosɇ excrescentiæ fomitem prɇparet, sive reliqua huc pertinentia fomitem conferant; Cumq; motus Palpebrarum assentiatur animæ, & quibusdam passionibus apte respondeat, teste *Willisio*, animi quoque πάθημα si excedunt modum, non omni carere culpa credibile est; *Res* deniq; *p. n.* quod attinet, quid causæ extrinsecus advenientes valeant, dictum; Interni tum *capitis* tum *aliarum partium* morbi hic adnumerandi; hinc multos *Ectropio* affectos se vidisse scribit *Sorbait Prl. 1. Pract.* post curam morbi Venerei per suffumigia: Catarrhus salsus & calidus diuturnus in palpebras

tandem

tandem decubuit, teste *Foresto l.11.obs.41.* Serosa intumescentia palpebræ superioris Lagophthalmum induxit, ait *Bruno* in *Lex. Med.* p.702. Plura id genus exempla apud Practicos occurrunt. *Straussius.*

32. *A resolutione seu paralysi*) Convulsio aliique motus depravati Palpebras distorquent: Abolito autem Palpebrarum motu, malum cum paralysi harum conjungi, vel ab ea dependere patet: Paralysis memorabile rarumque exemplum annotavit *Timæus lib.1. Epist. 1. Straussius.*

33. *A carnis in parte interna &c.*) Si ab *hypersarcosi* ortum duxerit alteruter affectus, vel dura *cicatrix* sit in culpa, primum fomes internus per medicamenta evacuantia tolli, dein excrescentia illa carnea siccantibus, & absque insigni mordacitate exedentibus absumi debet; quibus nihil proficientibus Incisione opus est, qua methodice peracta, medicamenta primo adstringentia imponenda, postmodum palpebra superior in *lagophthalmia*, ut inferior in Ectropio, in situm naturalem reducenda venit. *Straussius.*

34. *Quod vel medicamentis*) Præsidiorum materiam juxta receptos indicabimus Fontes, *Chirurgia*, quoties ægri corpus vel plethora gravatur, vel inflammationis periculum imminet, V.S. administrandam commendat: *Cucurbitularum scarificatarum* ope Ectropium sublatum fuisse testis est *Severinus Effic. Med. pagin.* 100. (De Curatione per Chirurgiam, vide in *Chirurgica* parte) *Pharmacia* inprimis cacochymiæ saburram, convenienti tum *corporis* tum *capitis* evacuatione, mediantibus cholagogis, removet, quo postmodum commodius tutiusque reliqua administrari remedia queant.

Præmissis sic *universalibus*, mox in *Ectropio Decoctum*, quo palpebra diligenter lavari debet, subministrat, vel *vinum*, præcipue *rubrum*, vel *vini acetum*, inque his decoquit *acaciam*, *alum. ustum* &c. cum circumspectione tamen ut ne nimis mordacia existant; præstat enim adhibere talia quæ sine acrimonia ac mordacitate valde exsiccant.

Quod si jam inspergendus fuerit carni luxurianti *Pulvis*, ad hunc componendum suppeditat *vitriol. alb. alumen, tartar. album*, addit que *ocul. cancror. ebur ustum, c.c. ust. & præp. corall. bolum Arm. terr. am sigill. lapid. hæmat. & calamin. lithatg. aloen. lotam, antimon.* &c. Hæc in pollinem redigit, & per syndonem trajicit, ut sic lævigata intentioni quam pars affecta suggerit respondeant, Iuvant & *Ungu. de tuthia, lithatg. cerusa, diapomph. Saturn. &c. Aes ustum, plumb. ustum. ærugin. mysi tostum, sal armon.* aliaque hujus farinæ exedentia, à veteribus usurpabantur, quæ in promptu quælibet habet, potius quam in consilio, à Medico petendo &c. Atque hujusmodi auxiliis *Gilbertus Horstius* (apud *Forestum lib.11. obs.* 41) matronam, cum multis annis ex catarrho calido & salso inversione palpebrarum laborasset, feliciter curavit; adhibito inprimis Linimento quod

℞. *porcin. colatæ* ℥j. *tutiæ præp.* ʒij. *camph.* ℈ß. m. simul & *novies in aqua rosar. lavetur, & somni tempore inungatur.*

Quo pariter rusticum hoc vitio laborantem *Forestus*, præmissis V.S. & Pilulis, quibus bis terve corpus ægri prius purgaverat, restituit; Jubebat autem primo lavaret oculum *vino albo* in quo *alumen de rocha* in exigua quantitate simul ebullitum erat, quin & sequenti ungu. quod sæpe fuerat expertus, uteretur.

℞. *butyr. rec. novies* loti *in aqua comm. postea novies in plantag. succo*, deinde *ter in aqua rosar.* ℥iß. *tutiæ præp. lotæ semel in aqua rosar. aloës lotæ in aqua plantag. aut solani, sief albi cum opio ana.* ʒiß. *camph. lotæ* ℈j. *m. f. Unguentum, vesperi inungatur, & aqua calida abluatur.* Straussius.

Ad inversionem Palpebrarum, cum crassa carnositate, solenne experimentum & expertum remedium:

℞. *butyr. r.* ℥ij. *coqu. in aceto continue despumando, colatura permittatur residere; qua facta abjiciatur acetum, & butyrum coquatur in vino albo paucifero, despumando ut supra, ut faciat residentiam: qua facta abjiciatur vinum, & infundatur butyrum* in *aqua rosac. addendo tutiæ Alexandr. præpar. in aqua rosf.* ℥ij. *antim. prepar. marcasit. præp. ana.* ℈j. *sacch. cand. aloes hepat. ana.* ℈ß. *f. Ungu. de quo extendatur q. s. supra una pecia subtili, facta secundum formam palpebræ inversæ & incrassatæ, desuper applicando, ac omni die bis renovando.*

Sola *tutia Alexandr. cum aloë & albo ovi rec. conquassato & colato confecta*, superapposita curat.

Gutta ammoniac. cum *melle* mista attenuat grossitiem palpebrarum. *Petrus Bayrus Pr. l.3. c. 11.*

35. *Lagophthalmum*) In vulgus etiam nota affectio, & in proverbii consuetudinem sub *Leporini somni* nuncupatione abiit, Unde eundem forte dixeris morbum qui *Corybantiasmus* dicitur, cujus mentionem facit *Plinius l. N. H. cap.* 37. Oculis patentibus, *inquit*, dormiunt Lepores, multique hominum, quod Græci κορυβαντιᾶν dicunt, ideo proculdubio quod *Corybantes*, Jovis sacerdotes, excubias agere, & quasi apertis oculis dormire cogerentur. *Straussius.*

36. *Quæ emollientia ophthalmica*) In Lagophthalmia Pharmaceutices opera non parum inservit, quoties partem laxare convulsam necesse est, tum enim pro conficiendis *sacculis & fomentis* expromit rad. & herb. *malvæ, alth. lil. alb.* flores *melilot. verbasci, papav. bellid. chamom.* semina *lini, fænugr. malv. alth. &c.* ut horum decocto oculi tepide foveantur: Ungu. *resumptivum, anodyn. pectorale, alth.* additis *ol. amygd. dulc. lil. albor. aneth. lini, ovor.* Adip. *anserin. gallin. capon.* medulla *cervina, vitulina*, &c. quæ non minus etiam ac alia emollientia, ubi superioris palpebræ inversio à *cicatrice, vulnere*, aut *ulcere* male curato producta fuerit, usurpanda exhibet. *Straussius.*

Hydatis.

VI. Ὑδατὶς seu *aquula*, seu substantiæ unctuosæ in palpebra superiore incrementum, humorem antelucanis præsertim horis perpetuo fundens.

Oritur, præcipuè in pueris, ex seroso humore, intra palpebrarum membranas, 38. in quarum medio unctuosa substantia, illapso.

Vel est *recens*, & jejuni saliva interdum tollitur.

Vel *diuturna* ac peculiari membrana inclusa, & 40. manus operam requirit.

37. Ὑδατὶς) Mollis & laxus tumor est, totam palpebram quam obsidet œdematosam reddens, & adeo pondere depravatam ut surrigi nequeat: Id nominis obtinuit quod vesiculam humore seroso distentam quasi habeat, quod vitii genus in hepate à *Galeno* notatum est: His rubent oculi & lacrymæ defluunt, nec Solem intueri aut sustinere lucem possunt. *Vigierius Chir. l.1. c.30.*

38. *In quarum medio &c.*) Inter periostei (*Periosteon, ait Galenus x. de usu Part. cap. 7. qua parte à superciliorum labiis abscedit, extendit se eo usque quousque palpebram extendi æquum est: Tum vero non fit duplex simpliciter, quo scil. modo alias scutum fit duplex, imposito & conglutinato corio super corio, sed reducitur ea via qua venerat retrorsum, neque alligatur iterum ossibus, sed tendinibus musculorum oculos moven-*

tium.) duplicaturam videas duo corpori (*inquit ibid. Galenus*) alterum unctuosum quid, forte ejusdem usus cum pinguedine in aliis partibus: Cum palpebræ sint in perpetuo motu, opus habuerunt perpetua humectatione, ne coru instar indurescant: Et hoc loco sunt *ὑδατίδες* inquit *Galenus*, pustulæ quædam aqueæ, quæ eveniunt aucto nimium hoc aquoso. *C. Hofmannus comm. in c. l.* §. 740.

39. *Tollitur*) In pharmacia adhibenda sunt cathartica, quæ aquas & serum educant: post ad apophlegmatizantia accedendum, Tum discutientia & exiccantia applicanda, ut Decocta, Infusa, Lixivia, Olea: *Decoctorum* materia est *vinum* in quo elixa *salvia ruta*, *majorana*, *rosmar. thymus* & similes plantæ cephalicæ. *Infusa* sunt *aqua* in qua *calx* viva extincta, post probe colata: *Aqua* item vel *salsa*, vel *aluminosa*. Ex *Oleis* sunt *Ol. ruta laurin. aneth. rosmar. scorpionum*, Sebisius.

40. *Manum operam*) Curatio sectione ejusmodi substantiæ superfluæ, illæsis vicinis partibus, perficitur, mox *sal mansum* loco, unde excisio facta est, imponitur, nisi doloris vehementia impediat, ut resiccetur ac confirmetur locus, tabescatque si quid reliquum est materiei, neque renascatur; Denique totus oculus ovi albumine in aqua rosacea dissoluto, aliove repellente medicamento obducendus: *Vigierus*.

Palpebrarum Tumores.

Intumescentia Palpebrarum Inflammatoria potest esse, Erysipelatodes, Scirrhodes, Maxime in iis notabiles sunt Oedematodes & Flatulenta, Illa *Hydatis* dicitur, hæc *Emphysema*.

Omnium causæ eædem quæ in aliis partibus, Seri, Lymphæ, Flatuum &c. abundantia, aut tenuitas hic maxime obtinent; Adjuvantibus cordis motu, viarum apertione, Partisve ipsius ex contusione, calore externo, contactu urticæ, ictu vespæ &c. debilitate.

Phlegma, serum, flatus, quæque alia adest materia, si calidis linteis non tollatur, fomenta, aut unguenta resolventia usurpentur, Additis sæpe parum adstringentibus, Utilissimum hic reperi Cataplasma ex *pane albo in lacte ebutyrato* per coctionem paratum, sæpius renovatum. Quandoque & *album ovi frusto aluminis conquassatum* applicatum convenit. *Vide in specia infra.*

Palpebræ durus Tumor.

Succus frigidus interdum in duritiem trahit superiorem Palpebram, qui nec calore, nec dolore in vitio est, Curatu facilis, Glandulæ instar fugit prementem digitum: Applica *Empl. Dia dictamnum Galeni*, vel *diapyrinus* ejusdem, his exhauritur vel suppuratur: Suppurata materia secetur superficies Palpebræ decussatim. *Johan. Heurnius de Morb. Ocul. c. 7.*

Carnositatis, Caruneulæ, Cancri, Excrescentiæ, Fungorum, Curationem Verrucarum, & eorum affectuum qui manum Chirurgi requirunt, vide in parte hujus operis Chirurgica.

Palpebrarum Laxitas nimia,

Palpebra superior nonnunquam procidit, quia ejus summa cutis amplius relaxatur, quam tegendo oculo necesse est.

Causa relaxationis illius humor est fere aquosus, nullius acredinis compos, vel, ut in senibus, Paralysis illius.

Præmissis universalibus, particularisque omnis generis caput purgiis, fiat fotus ex *balaustiis*, *malicorio*, *majorana flor. chamom. melilot. cumino*, similibusve adstringentibus & resolventibus: Quibus si non tollatur malum Chirurgia opus est. *Ger. Blasius Therap. spec. p. 196.*

Palpebrarum Contusio.

A Contusione cum sæpe non fiat omnimoda vulneratio, sed sæpe tantum livor in iis contrahatur, qui & non raro partium vicinarum Contusionem sequitur, Ut is tollatur, *succus rad. polygonati recent. & vino infusa* imponatur; aut *succus absynthii* cum *melle* mixtus, aut *aloe* cum *melle* mixta, aut *cuminum* & *anisum* in *aqua* mixtum coctumque, aut *farina fabarum & fœnugr.* cum *melle* mixta.

Si autem percussus oculus sit, & livor tantum metuatur, utile est *ungu. albo camphorato* palpebram inungere, Aut

℞. *album ovor. n.* iij. *aqu. absinth. cochl.* iij. *terræ sigill.* aut *boli Armen.* ℥j. Misce & imponatur. *Idem ibid.*

Carbunculus Palpebræ.

Palpebras Carbunculus si occupaverit, Rubent primo, & ægri oculum sibi peruri putant, tumorem vero aut eminentiam non statim inducunt, Nam ob immodicam caliditatem velut ruptionem quandam carbunculus sustinet; & quod defluit ex ipso, cum sit acre & mordax, superficiem quidem carbunculi resiccat, & crustam inducit, vicinis vero locis morbum infert: Consequitur igitur ad ipsos fotus inflammatio, tum ipsius oculi, tum partium circumsitarum, & maxime glandularum circa aures, ut quandoque magnarum ulcerationum & ruptionum oculi causa fiant, insuperque prolapsuum & ouditatis palpebrarum. *Aëtius tetrabibl. 2. serm 3. cap. 30.*

Si Carbunculus Palpebram occupet, fovebis Oculum lacte & *succo solani*, ex tepidis impone linteis: Vel lacti adde liquidum *succum portulacæ*: Sit *muliebre lac*, Emulsio semin. *papav. albi*, *ex lacte rec.* Optima sunt recentia capita *papav. albi*, si eorum *succo depurato* utemur. *Joh. Heurnius De morb. ocul. c. 7.*

Palpebrarum Ulcera.

Ulcera & Fissuræ aliquando in Palpebris oboriuntur ex ophthalmia aliisque oculorum vitiis male curatis, vel ex defluxione humorum acrium & salsorum: Inprimis decoquantur *lentes*, & *cortex malorum granator. in vino albo debili*, & abluatur ulcus, deinde apponatur Collyrium: Puella cum ulceratas palpebras haberet, humoribus calidis acribus prius à corpore eductis, & scapulis cucurbitulis cum scarificatione admotis, jussi ut ulcera leviter liniret, vel ablueret cum *psidiis & balaustiis* pulverisatis, & decoctis in aceto, per aliquot dies; deinde ut *crocum* pulverisatum, *ovi vitello* mixtum apponeret; hæc enim secundum *Avicennam*, ut *Taranta* refert, consolidat dicta ulcera. Si hæc non juvarent, imperavi ut collyrio ex *thure* cap. de ulcere & sanie in conjunctiva, apud *Valescum* descripto, uteretur. *Forestus lib. 11. cap. 43.*

Affectio dicta Ἵππος.

Hoc affectus est *ἔμφυτος*, quia insitus & naturalis: Est autem talis per quem oculi nunquam conquiescunt, sed tremuli subinde nictant, semper instabiles *Galenus commen. 1. in Progn. Hippocrat.* hanc affectionem comparat stridori dentium naturali, & congenito, Patetque ex eo non esse morbum sed symptoma, & Palpebrarum motum quo continue clauduntur & aperiuntur.

Accidit quidem etiam aliquando frequens Palpebrarum motus sed à *flatibus*; estque curatio facilis, sive in utroque contingat oculo; Flatibus quippe discussis, & evacuata materia fovente, palpitatio illa oculorum cessat.

Accidit & à *Convulsione*, quod videre licet in multis, præter-

præsertim in infantibus quando convelluntur, Denique & à ... re, ira, & timore provenire solet, Verum c ... sis ... ipse quoque effectus, qui est in fieri, cessat. S... Ma.n.p.575.

... rum affectio est ἴππος, insita & naturalis, per q... non quiescunt : *Galenus comm. ad. p. 24. libri 1. Progn.* stridori dentium naturali comparat: Dicitque non esse morbum, quod de eo nemo Priscorum scripserit; Apud Latinus *Oculus Patus* dicitur, qui huc atque illuc movetur (Romæ *Patorum* familia ob hoc oculorum vitium nativum) & vertitur, & sic significaret illud quod ἵππον vocamus; quanquam sunt qui *Patum* interpretantur eum qui obliquis oculis in altum respicit, aut qui alterum oculum minorem habet, *Strabones* alii dicunt, qui oculos distortos habet. *Patum* eum qui oculos leviter declinatos, Tamen potius & *Patus* & ἵππος ad perpetuam oculorum mobilitatem referuntur.

Apud *Hippocratem part.10. f.2. Prorrh.* contrariæ sunt affectiones ὄμμα σταμῶδες & ἵππος, namque σταμῶδες fit ob im mobilitatem musculorum oculos moventium, vel ob omnium oculi musculorum resolutionem; vel æquam contentionem, & quæ in neutram partem vergat Equis autem instabilis est oculus : In *primo Progn.* oculos vocat ἰλλαινομένους, i.e. instabiles, mobiles Interpres delusus hac voce ... quod in vrinis fluctuationem significat, vocat oculos ... id est *sub... & male* (nisi alludat ad illud quod diximus *Patum* significare qui obliquis oculis in sublime respicit) tamen oculus dictus ... instabilem significat; Et oculus ... idem significat ... significat intus agitatum) Item & ... , *comm. ad p.27. sect. 1.6. Epid.* ubi legitur ... Latinus interpres vertit *Obtortos oculos*, melius *Oculos intus motos & quasi vertigine affectos* (oculi ... opponitur τῷ ἀτενίζειν, cum æger confidenter & impudenter aspicit) Cæterum oculus mobilis in morbis, aut delirium, aut tremorem musculorum oculi declarat.

Author libr. Definit, ἵππος bifariam interpretatur, *Equus est affectus musculi oculum firmantis, qui comprehendit basin visorii instrumenti. Septimus quidam in oculo musculus est, qui firmiter adhæret oculo à posteriori parte, per quem firmatur oculus, & nervus opticus quem ipse amplectitur.*

Idem *Author lib. Definit.* præter primam definitionem allatam τὸ ἵππος ait affectum esse à primo ortu, per quem instabiles semper suot palpebræ; In posteriore definitione ad Palpebras malum refert: In priore ad oculum ipsum, Quæ opinio est castigatior & melior.

Cæterum si ab imbecillitate est, consumpta humiditate nimia, & comparata quadam firmitate ipsi septimo musculo oculum firmanti; tandem ea affectio corrigitur, ut in puerorum epilepsia contingit. Calor enim naturalis certo tempore in humido multo facit suam ..., *ut Hippocrates* de XL. diebus notat ad finem *lib. de octim. Partu.* Et eodem loco ait elegantissime *Aretæus*, αἱ δυνάμιες ἀμβλύνονται ἐν ὑγροῖς, i. e. in muco facultates hebetantur.

Cæterum credo *Patos* fieri, & ob calorem nimium agitantem, eo modo quo videmus irascentes mobiles oculos habere, Et ob infirmitatem nervosi generis, cum vitium à calore est, delirii est nota, ut dictum est ante.

Item aliquando affecta est nervorum origo, aliquando peculiaris affectio est ipsius musculi, non repento & accersito alcius principio.

Hæc instituta sunt puero ita laboranti.

Victus ratio tenuis proratione ætatis, cœna parcior, *purgatio* bis mense, ex *senna & syr. rosar.*

Utatur aqua in qua coquantur *passula*, *semen fænic.* addito *cinnamomo*.

Vtatur blandis *masticatoriis*, addita *nuce mosch.* mandat *salviam*, *Exercitatio* ante pastus, Non *dormiat* à pastu cito.

Exsiccetur cerebrum sacculis convenientibus, hora somni conservæ ... venientes dentur cum pauco pulvere *seminis paon.* ... *Pyroticum nuca colli. Ballonius consil. 92. lib. 3.*

Hoc affectu laboravit per aliquot annos *Dominus Rocca*, Consul Genevensis dignissimus; Adventitium fuit malum non innatum, Plurimos incassum in consilium adhibuit; Medicus quidam prædixit si morbo aliquo tentaretur, desiturum affectum. Febre non multo post corripitur, quæ affectui finem imposuit, Vivit adhucoptimus senex, octogenario major hoc anno 1687.

Nictatio.

Nictationem vocamus quando oculi nictare coguntur, hoc est *Palpebra* labuntur, illisque obducuntur, vixque aperti retineri queunt, Sicuti cum somnolenti & graves sunt, in pigris accidit. Interdum quoque in morbis evenit.

A *lassitudine musculorum* oculos palpebrasque moventium, & vaporibus circa eos collectis oritur, quæ non tantum *pandiculationi* & oscitationi aliquando copulatur in *pigris*, sed & per se semper eum somnus invitat apparet, idque quod ob continuum oculorum motum semper illi lassi fiunt, tum quod oculorum occlusio, quam oculorum hæc gravedo adeo impellit, ut etiam dormientibus clausi maneant, ad somnum rectius capessendum necessaria sit. *Platerus*,

Impeditus Palpebrarum motus.

Palpebræ gemino moventur motu, sursum & deorsum, eum in finem ut oculi aperiantur & videant, & ut claudantur: atque ad mutuum contactum conveniant, partim ut spiritus visivi reficiantur, partim ut oculi ab externis injuriis defendantur, Aperiri autem & claudi nequeunt varias ob causas.

I. Ob vitium aliquod musculorum illas moventium, quando scilicet sunt vel refrigerati, vel exsiccati, vel una cum nervis humore aliquo superfluo imbuti vel vulnerati.

II. Ob phlegmonen aliumve tumorem.

III. Ob coalitum vel inter se, vel cum membrana adnata, vel cum cornea.

IV. Ob Ectropion.

Refrigerati ergo calefaciendi sunt, exsiccati humectandi, humore alieno imbuti digerentibus & discutientibus vacuandi, Vulnerati consolidandi.

Palpebræ conglutinatæ à se invicem separandæ, aut si tunicæ adnatæ, vel corneæ adhæreant, ab illis avellendæ, manu perita Chirurgica in ἀγκυλοβλέφαρον.

Ectropii curatio indicata suo loco. *Sebisius Man. pagina 589.*

Glabrities Palpebrarum & Superciliorum,

Adde his *Palpebras decidvas*, vel *casum Pilorum*, Reparat *mucilago* quæ ex *carne limacum* contusa, additis insuper aliquot *apibus* vel *vespis* desumitur; Et sanies quæ ex illis dum punguntur, effluxit; *Sanguinem testudinis marinæ* parum reliecatum commendant, *Fella porci*, *hirci*, vel *tauri*.

Halcyonium, vel *spuma maris* illinitur; vel cineres

ab istis ustis adhibentur; Valent & *sal nitrum*; *sulphur vivum*, *ostreorum testa*, *Cotis limatura*, succique aliqui acres efflorescentes, reliquis permisti: *Lapis Lazuli* vel *Armenus*, tritus, inunctus cum liquore aliquo, *Palpebrarum* & *superciliorum* pilos reparare dicitur; *Plumbum* & *Antimonium* limata & trita subtiliter, cum axungia aliqua mista, superciliorum casum emendare dicitur; forte si non vere, saltem quia denigrando, ut minus vitium hoc appareat, sicque illud palliant. *Stibium* ustum alii commendant, *Platerus*.

Causæ istius effectus eædem sunt quæ *Defluvii Capillorum*, quas vide suo loco.

In *Casu Superciliorum* & *Barbæ* hoc expertum.

℞. *semin. hyosciam.* ℥ij. *stercor. muris* ℨj. *pulv. fol. trichoman.* & *sem. nigell.* ãã. ℨß. *spicæ nardi* ℈ß. *ol. junip.* q. s. f. *Inunctio.*

Per fucum *glabrities superciliorum* corrigitur si colore nigro, ex *fuligine* facto, cum *oleo nucum* & *gluttine vernicis*, ut hæreat, loca illa nuda pinguntur. *Platerus.*

Cap. XXXIV.

De Ciliorum vitiis.

Hordeolum.

Ciliorum vitia sunt:

I. 41. *Hordeolum*, seu 42. tuberculum, 43. quod suppurascens simile est grano hordei.

44. *Oritur* ab humore pituitoso, crasso, cum sanguine misto.

Tollitur hordeo jejuno ventriculo masticato, applicato, corpore muscæ capite abjecto, si eo fricetur, vel (*) fœcibus nigris intestini ex cancri cauda, si tangatur & inungatur, decrescente luna 45. Si suppurari non potest, 46. *secetur.*

41. *Hordeolum*) Sic dictum quia grano hordei simile est. *Græce* κριθὴ. *&* πόσθιον. præputiolum, Est juxta *Actuarium*, *Paulum*, *Oribasium*, *Aetium*, Abscessus parvus, seu Tuberculum oblongum, in palpebris forinsecus, juxta cilia potissimum conspicuum. Qua in sententia est quoque *Galenus* 4. K.T. *cap* 8.

42. *Tuberculum*) Interdum *Tubercula dura* in palpebris gignuntur, verrucarum instar, quorum unum è palpebræ margine inter cilia prodit, quod *Hordeolum* vocant, durum, figura hordei, unde nomen, insensile, alias vero pruritu molestum rubens, Alterum Palpebræ superiori adnascitur, durum, quod *Grando* vocatur. *Platerus.*

43. *Tuberculum quod suppurascens*) Grandini non dissimile Tuberculum in palpebrarum *limbo* super pilorum locum assurgit *Hordeolum* ab hordei similitudine nuncupatum; Horum materia cystis propria continetur, vix adeoque ad suppurationem perducitur, Per initia resolvi quidem ac discuti potest, at ubi inveteravit, & in gypseam aut tophaceam duritiem concrevit, vix sanationem admittit, *Vigerius Chir.* l. 1. c. 29.

44. *Tollitur*) *Hordeolum*, tuberculum durum palpebræ inferiori verrucæ instar adnatum; atque illud quod *Grando* dicitur, in superiori prodiens, eadem fere ratione uti *verruca* curabitur: Applicanda ea quæ eas absumere *valent*, sic tamen accommodando ut huic solum parti hæreant, nec oculum subeant, eumve, si fortiora præsertim sint, lædant: Præter quæ hisce Tuberculis conveniunt g. *ammon.* vel *serapinum* emollita, & super corium deducta, Item *musca* ablatis alis, & *formica* cum *cera* vel *resina* mista: *Fæx vini*, *vitriolum* cum *melle* vel *cera*, *Calx* cum tertia parte *vitrioli*, & *terebinthina*, *Platerus.*

44. *Tollitur*) Nulla est melior res quam *Serapinum* calefactum, ex[illegible] super corio & impositum, *P. Ægineta*, Pr. l. [illegible]. 13.

Exper[illegible] hoc a me: Madefacere & comprimere hordeolum cum saliva jejuni hominis, & sanat absque [illegible] medicamento. *Seb. Cortilio Pract. Chir. lib.* 1. *capite* 12.

Muscæ affrictæ, abjectis capitibus, specificum præsentissimum sunt remedium. *Frid. Hofmannus m. m. libr.* 1. *cap.* 9. *pag.* 297.

Experimentum forte nullibi observatum significat D. *Spilenberger.*

(*) Fœmina hordeolo infestata, illud quotidie decrescente Luna cum nigris fœcibus intestini ex cancri cauda tetigit, & inunxit, Sic decrevit & tandem prorsus evanuit. *Ph. Jac. Sachs Gammarol. p.* 652. Vngu. mirabile hoc est.

℞. *vitell. ovor.* n. j. *lact. mulieb.* ℥j. *frumenti masticati* ℨij. *mucilag. althææ* ℨiß. *croci* ℈ß. *ceræ* q. s. m. f. Vnguentum. *G. de S. Sophia In.* 9. *Rhas. c.* 30. Inprimus laudantur muscæ ablatis alis cum *unguento de lithargyrio* mistæ & adinotæ. *Arn Weickardus Thes. p* 79.

44. *Tollitur*) Curatur remediis sequentibus 1. *Cera* emollita, *Galen. Aetius*, *Paulus*, Oribasius. 2. confrictione cum corpore *musca*, ex iisdem. 3. Fotu ex *cremore hordei*, *Paulus*. 4. *Galbano* liquato modicoque *nitro* addito, *Aet.* 5. *Sagapeno* in *spiritu vini*, aut *aceto* dissoluto, 6. *Ficubus siccis* cum *vino mulso* coctis, postea cum *galbano* pauco tritis, Neoterici utuntur gummis, resinis & emplastris, Grandini dicatis: Adhibeatur & Fotus ex decocto *herbarum*, *rad.* *seminum* & *fructuum* emollientium, ac discutientium; *Sebisius.*

45. *Si suppurari*) Suppuratur namque Tuberculum istud, & ulcusculum post se relinquit, Suppuratum Scalpello aperitur, & purulenta exprimitur materia; Post humorem excretum *Aetius* palpebram *melle* illinit, abstersionis gratia, tandemque applicat collyria ulceribus accommodata. *Sebisius.*

46. *Secetur*) Adurere quoque possimus ea, si nil juvet, sed oculum diligenter muniendo cum hæc adhibentur, tam potentia quam actu id præstantia; uti in verrucis dictum: *Scarificare* quoque ea licet; alio vero modo abscindere ea non tutum, uti neque per vim velle evellere: *Filo* itidem ea, si commode licet, ligare possumus, uti verrucas, sed sensim stringendo, ne dolor inflammationem pariat. *Platerus.*

Grando.

II. [47] *Grando*, seu tuberculum rotundum, transluceidum, huc atque illuc mobile.
Oritur à materia dura & lapidescente.
[48] *Emolliendum* est *ammoniaco* in aceto dissoluto, cum adipe gallinæ, vel terebinthina & cera mixto.

47. *Grando, seu Tuberculum*) Græce vocatur χαλάζιον ob similitudinem quam cum grandine habet; Sunt enim *Grandines, inquit Aetius Tetr. 2. s. 2. cap. 81.* rotundæ quædam eminentię pellucidæ, grandini similes, quibus dissectis humor exit similis albumini ovorum, *Paulus* & *Actuarius* dicunt Grandinem esse humoris cujusdam lenti circa palpebram, vel in palpebra collectionem: Progressu vero temporis indurati, & quasi lapidescente; Oritur potissimum prope cilia; figura variat; utplurimum tamen Tuberculum est rotundum, mobile ac lubricum, quod digito huc atque illuc impellitur. *Aquapendens cap. 11. oper. Chirurg. ex Celso l. 7. c. 7.*

48. *Emolliendum est*) Curatur Fotibus, Unguentis & Emplastris, emollientibus & discutientibus, jam propositis: Addantur quædã *gummi, resina & emplastra*, officinalia, emolliendi & digerendi virtute donata, nimirum *G. ammoniac. bdellium, galban. opopanac. sagapenum in spir. vini* dissolutum, *styracem liquid. terebinth.* Empl. *diachyl. s. magm, de mucilag. de meliloto, Empl. cum g. Vigonis, Empl. Filii Zachar.*

Quod si grandiores Pharmacia tolli non possint, administranda erit operatio Chirurgica. *Sebisius.*

Lithiasis ciliorum.

Λίθωσις in genere omne calculi vitium significat, tam renale quam vesicale, Eadem tamen vox etiam illum notat affectum qui in palpebrarum parte exteriore conspicitur, cum scil. quędam alba & crassa corpuscula in illis apparent, callis aut lapillis similia oculumque pungentia, sicut *Author Isagoges* scribit.

Generantur ex materia crassa, phlegmatica, eaque siccata atque indurata; sunt similia fere grandinibus, de quibus supra.

Curantur emollientibus & discutientibus; quibus si non cedant, ad sectionem accedendum. *Sebisius.*

Struma in ciliis.

Struma etiam frequenter in ciliis oboriuntur; quo casu dolor, rubor, ardor & morsus, ex materiæ affluentis acrimonia conjunguntur; & *Epiphora* pertinacissima, facile irritabilis, & curatu per quam difficilis oboritur. *Warthon Adenogr. c. 40.*

Madarosis.

III. [49] Μαδάρωσις, seu *pilorum defluvium*, [50] quod plerumque post febres malignas infestat. Vide l. 2. Si simul adest crassities, callositas, & rubor, palpebræque turgent, & lucidæ fiunt, vocatur [51] πτίλλωσις.

49. *Madarosis*) Μαδαρός glaber, hinc μαδαρότης, μάδησις. glabrities, capillorum defluvium, à verbo μαδᾶν, quod est nimio humore diffluere, madere, madidum esse: Specialiter quoque Μαδάρωσις, idem quod μίλφωσις i. e. pilorum in Palpebris defluvium, Brunu in *Lexico p. 811* Nihil aliud est quam defluvium pilorum palpebræ, Oritur à vitiosis & acribus humoribus ad ciliorum radices confluentibus, & pilorum radices erodentibus post *febres malignas*: *Th. Burnet Thes. T. 2. p. m. 235.*

50. *Post febres malignas*) Familiare etiam malum lue Venerea infectis.

Curatio.

Curatur corpore primum à vitiosis humoribus repurgato, deinde Topicis quæ pilos tenasci faciunt; Usurpant *Aëtius* & *Paulus* Topica, vel in forma sicca, nimirum pulveris subtilissime trit & per sericeum linteolum trajecti, Vel in forma unguentorum aut linimentorum, Vel in forma infusi aut decocti: ut ex simplicibus Ungu. conficeretur, ea cum *vino, melle, oleo, lacte, ovi album. raparum succo, pingued. ursi* aut *tragac.* in aliquo liquore dissoluta concorporabant.

Simplicia traduntur sequentia, *Myrrha, aloë, piper, cadmia, chalcanthum, misy, lapis lazuli, plumbum ustum & lotum, sal ammon chalcitis, rubigo ferri, ossa dactyl. combust. nuc. avellana usta, musca combusta, stercus humid. & murium, adeps ursinus & caprinus. Sebisius.*

Lapis lazuli subtilissime tritus & ablutus facit nasci pilos in palpebris applicatus: *Spica nardi*, & fumus qui elevatur à *ligno pini* quando comburitur, & *fumus olibani*, & *fumus myrrha, terebinth. & styracis* est fortior; Fumus *Picis & Kitran* sunt optimi, quando cum dutine palpebrarum cadunt pili, & cum rubedine ac pruritu. *P. Bayrus l. 3. c. 18.*

Repurgato corpore ut hoc Ungu. palpebras liniret præcepi.

℞. *Stercor. lepor. & stercor. hircini ãã. ʒj. cortic. avellan. ustarum ʒiij. pingued. ursi vel caprin. q. s. f. Ungu.*

Avellana adusta, & cum *adipe ursina* vel *caprina* incorporata nasci facit pilos. *Forestus l. 11. Obs. 46.*

Expertum hoc est ℞. *Stercor. lepor. adusti ℥j. hircini ℥iij.* Fiat Pulvis *Dom. Leo Art. med. s. 1. l. 1. c. 4.*

Ptillosis.

51. *Si simul adest &c. Vocatur πτίλλωσις*) Sic definit *Paulus l. 3. c. 22.* quem sequitur *Actuarius.* Addit autem malo curato pilos denuo tenasci: *Aëtius* inquit μαδάρωσιν & πτίλωσιν affectiones esse extremitatis seu marginis palpebrarum, Verum *madarosin* ipsum esse pilorum defluvium, ex acri ortum fluxione; In Ptillosi vero & crassescere & callescere hasce partes; adeo ut affectus sit compositus ex μαδαρώσει & ξηροφθαλμία, lippitudine sicca; Palpebræ ergo in illa, rubent, tument & duræ sunt atque callosæ; Defluvium ipsum videtur symptoma esse, quamvis id *Galenus* morbis adnumeret in numero.

Est quoque *Ptillosis*, si tumorem & crassitiem Palpebrarum consideres, morbus organicus in aucta earum magnitudine. Imo & morbus in figura, quoniam illa corrupta est & depravata.

Nascitur malum illud, vel ex sanguine crasso atque adusto, vel ex pituita salsa, vel ex humore bilioso, aut

melancholico asso & torrefacto; vel ex istorum humorum miscella.

Curatio in eo versatur, ut vel vitiosi expurgentur humores, 2. ut humectantibus & emollientibus nativa restituatur temperies, 3. ut ea applicentur quæ ad pilorum generationem apta sunt, *Paulus* summum remedium esse ait *fletus murium ustum* cum *melle* contritum, *Sebisius.*

Trichiasis.

IV. Τριχίασις, [53]. cum pili præternaturales sub pilis naturalibus exorti, & intrò vergentes, tunicas oculorum pungunt.

Oritur ab humoribus ad palpebrarum extremitates fluentibus, seu ob tumorem diuturnum, seu ob deligationem.

Curatur [53]. 1. *Evulsione* totali, [54]. quam inunctio *sanguinis viridium ranarum* excipiat.

2. *Corrosione*, per medicamenta corrosiva cautè inuncta.

3. *Sectione*, de qua Practici.

Trichiasis cum pili) Hunc Oculorum affectum *Actuarius in mil. 2. c. 7* Τρίχωσιν dicit, alii Τριχίασιν, Interpretes Latini *Pilorum inversionem*, & *malum Pilare vocant.*

Vitium est molestum, *ait idem*, quia nonnulli ciliorum pili non, ut reliqui extra, sed intro convertuntur; atque assidue oculum terentes, diuque turbantes, negotium facessunt.

Aëtius Tetr. 2. s. 3. c. 66. dicit Τριχίασιν esse inutilium & pungentium pilorum in Palpebris exortum, Nam sub pilis naturalibus palpebrarum alii nascuntur, qui cum intro nutent, oculosque pungant, fluxiones concitant.

Illius species sunt διστιχίασις, quæ duplex est Pilorum ordo in palpebris, & φαλάγγωσις, quæ est ordo eorum multiplex, & quasi quædam pilorum acies, quæ in palpebris subnascitur.

Causam *Aëtius* putat esse multam humiditatem, præsertim cum ordo est duplex, ut enim ubertas aquarum plurimas herbas in terra profert, ita copia humiditatum multos pilos producit; maxime quando affluentes humores minime sunt mordaces, nam si id quod influit sit salsum, acre & mordax, etiam naturalium pilorum, radices extirpat.

Vitium istud loccipendendum non est, quia pili versus oculi globum vergunt, illumque pungunt & dolorem pariunt; quo fit ut humorum affluxus ad oculos concitetur, tandemque cæcitatis periculum immineat.

Curatur vero tribus modis, 1. pilorum evulsione, & inhibitione ne similes pili renascantur, 2. Ablatione pilorum per ejusmodi pharmaca quæ exedunt, atque corrodunt. iij. Chirurgia, quam quia multi aversantur, moti sunt medendi artifices, ait *Aëtius*, ut alia remedia invenirent.

Primum modum quod attinet, Artis periti primum pilos superfluos & oculos pungentes volsella apprehendere, operamque dare ut totos evellant radicibus; nam si abrumpantur, tum quod ex illis est relictum, quia crassius est & durius, oculos magis pungit; Pilis evulsis, remedia imponunt quæ Pilorum inhibent generationem, qualia multa *Aëtius* proponit, Ex his sequentia sunt præcipua.

Recens *ranarum sanguis*, qui, pilis superfluis extirpatis, inversæ illinitur palpebræ

Sanguis cimicum similiter usurpatus.

Pulvis *hirund. ustarum, cum lumbricorum* in testa combustorum

Humor [illegible] & [illegible]lleus qui in *filiquarum*, *Xylocerata* [illegible], cavi[illegible]te reperitur.

Succus fol. potam. geton. & artemis. æquis part. mixtus.

Fel vituli, *castoreum*, & *g. Arab.* pari quantitate mixta, ter que in die pilis prius evulsis illita: Successum competies.

Secundus modus administratur per *medicamenta corrosiva*, v. g. per *calcem vivam*, *vitriolum album*, *sal ammon. alumen ustum*, *sal gemma*, *viride & squammam æris* [illegible] autem collocatur in [illegible] supinus, cu[illegible] caput ejus versus dorsum propendeat, [illegible] apperitur, & gossypio globus oculi [illegible] vo lædatur; T[illegible]ndem corrosivum [illegible] tur partibus, sinitque æger decumb[illegible] spatio horæ quadrantis dimidii; [illegible] gisla aqua appropri[illegible]ta, *rosar.* [illegible] abst[illegible]

Modus qu[illegible] rationab[illegible] est, [illegible] oculo conjunctus; pro[illegible]de caute proced[illegible].

Tertius modus manuali peragitur op[illegible] quam vide in Chirurgia. *Sebisius.*

[53]. *Curatur* [illegible]. *Evulsione*) *Incurvi & deorsum* [illegible] ciliorum pili, si oculos pungant, qu[illegible] flammam oculis propinquam ex parte usti, [illegible] tur; aliamve externam ob causam, si amputa[illegible] amplius recrescentes pili, cum recti sint, damnu[illegible] runt; Si vero qui recrescunt tales cau[illegible] quoque fiant, eos continuo abs[illegible] are vel [illegible] re necesse est, aut utendo cilia ne rec[illegible] pro[illegible]; quo[illegible] cum non tantum cum dolore fiat, [illegible] & indecorum sit ciliis carere, ut recti fiant, sicq[illegible] *infusione gummi tragacanth*, aliove *ri[illegible]*, [illegible] *mastiche* d[illegible]uta, inuncti firmantur, invicemque glu[illegible] oculum subintrent, cavetur, sicuti mul[illegible], n[illegible] subeat, sed transversim rig[illegible], sic illinendo [illegible]urant. *Platerus.*

[54]. *Quam inuncti*) Summe [illegible] *Erinacei terrestris sanguis & fel āā. q. s. cum* [illegible] *astreo subterter* trito excipitur, & quædam veluti squammulæ formantur; Usus tempore squammul[illegible] hom[illegible]va diluito, & post evulsione[illegible]rum genæ [illegible] illinito, deinctoque in loco [illegible] hor[illegible] nec arescat, Æger quidem dolore afficietur, sed pili amplius non renascentur: *Aëtius Tetr. 2. s. 3. c. 66.*

In Trichiasi *rubigo ferri cum saliva hominis jejuni, vel cum urina, vel cum aqua*, [illegible] efficacissimum est; *Dom. Leo Art. med. sect. 1. lib. 4.*

Post evulsionem pilorum, [illegible] mum apud antiquos ne p[illegible] ut frequentissime illin[illegible]tur locus [illegible] *Idem cap. 15.* Expertum hoc est.

℞. *Carnis vaccinæ q. s. sine putr*[illegible], ex iis natos (*vermes*) pone in *agresta*, h[illegible], iterum imbibe agresta & exsiccentur, & [illegible] pties, hinc pulverisa, & ex illo pulver[illegible] cum de[illegible]tum, vel abrasum, pluries pone; [illegible] non renascentur ibi pili, Probatum est. *Arn. Villanovanus Brev. l. 4. c. 46.*

Præ cæteris efficacissimum [illegible]st *Kusma Turcarum* [illegible] *s. chalcanthi* genus, *fori v*[illegible] *in lanthernia* [illegible] catur, qu[illegible] sine ullius loca [illegible] abt[illegible] reddit, nu[illegible]mente vestigio, si dlius pulvis, adjecta cal[illegible] vivæ media

dis parte, in aqua simul macerata inunguntur, & postea in balneo mox iterum una cum pilis abstergantur. *Arnold. Weickardus Thes. tr. 1. l. 1. c. 80.* Optimum præsidium, quod fidissimo experimento sæpe sum expertus.

℞. *Mercurii vivi* ℥ß. *extingue cum saliva humana, & in pulvere staphisagriæ f. ungu.* hinc palpebris illine. *Zacutus pr. adm. lib. 1. Obs. 65.*

Distortio pilorum.

Pili Palpebrarum) Pili palpebrarum aliquando nascuntur distorti, Tunc tangere radices pilorum cum *viscositate carnis limaciarum* cum stylo vel acu, rectificat eos decenter. *P. Bayrus Pr. l. 3. c. 19.*

Phalangosis.

V. [55] Φαλάγγωσις, cum palpebris intrò vergentibus, pili non apparent, nisi attollantur.

Oritur vel ab *humoribus* pituitosis palpebram degravantibus, vel à *Cartilaginis exsiccatione*, & hanc sequente cutis versus cilia depressione.

Curatio apud Authores.

[55] Φαλάγγωσις) Pili qui in Palpebris sunt duabus de causis oculum irritare consuerunt. Nam modo Palpebræ superioris summa cutis relaxatur & procidit, quo fit ut ejus pili ad oculum ipsum convertantur, quia non simul cartilago quoque se remisit: modo sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculum tendit. *Celsus de R. m. l. 7. c. 7.*

Phthiriasis.

VI. [56] *Phthiriasis*, seu pediculorum proventus, in iis qui lotionibus non utuntur, & victu pravo gaudent, à sordibus exortus; interdum per contagium existens.

Curanda tempestivè, ne acres fluxiones concitet. [57] Ablutio palpebrarum decocto betæ & staphisagriæ laudatur.

[56] *Phthiriasis*) Seu Pediculatio, est Pediculorum in ciliis proventus atque copia, ab humoribus excrementitiis, aut sordibus variis, vel per contagium exorta. *Gesfvvein Hodegi pag. 580.* De Phthiriasi vide plura ubi de Affectibus Habitus & cutaneis.

[57] *Curanda*) Curatio requirit 1. Universalia, *V. S.* si requiratur, *purgationem.* 2. Indumentorum crebram mutationem. 3. Sordium, *balneorum ac lotionum usu*, à corpore remotionem: 4. *Topicorum*, ciliis, superciliis & cutis loco capitis aut corporis pediculoso (in *decocti* maxime ac *lixivii* forma) adhibendorum usurpationem.

Ex simplicibus conveniunt, Herbæ, *Absinth. asarum, beta, hedera arbor. hyssopus, lavendula, marrub. nicotiana, persicar. salvia. scabiosa, staphysagria* Flores *centaur. min. stœch. aryngii*: Semina, farinæ, *eruca, lupin. nigella, staphisagr. piper, aloë, camphora*, g. *hedera, myrrha, sandarac. Gras. agar. allii bulbi, rad. aristoloch. asari*, gentian. *helleb. alb. & n. oxylap. scylla*, *sigill. Salom.* Axungia *canis & porci, equorum calli, fel. animal. Alumen, aqua mar. argenti vivi fumus* palpebris exceptus, ore & naribus clausis, *nitrum*, sal, *squama aris, sulphur citrinum. Acetum simpl. scyll. Albumen ovi coctione induratum, boru 6. in aceto* maceratum, oculis impositum. Decoctum *beta, staphis. agr.* &c. Linim. *ex aloë, staph. agr. & melle*, Lixivia ex simpl. dictis. Oleum *colocynth. lauren. nucot. spica staphid. agr.* Corium aurifabri quo vasa recens inaurata detergunt. *Pulvis pyrius, sal armon.* Sapo venetus & Tonsor. *Ungu. Pediculorum. Gesfvvein ibid.*

℞. *Mercur. vivi* ℥ß. *extingue cum saliva, cum pulv. staphisagr. fiat ungu.* palpebris illinendum. *Zacutus Pr. adm. l. 1. Obs. 61.*

Fricentur aut epithementur Palpebræ cum *aqua maris*, vel *aqua salsa*, aut *sulphurea*, aut ex *aceto scyllitico* cum *alumine* & *aloë*; liniendo ex iis pilos palpebrarum, aut cum *aceto scyllit. & baurach. P. Bayrus Pr. l. 3. c. 14.*

CAP. XXXV.

De Carnis angularis vitiis.

Rhyas.

Carnis angularis affectus sunt

I. [58] *Rhyas*, seu carunculæ secundùm majorem oculi angulum imminutio, ex [β] quo lacrymæ involuntariæ effluunt.

Oritur, vel ab *alimenti defectu.*

Vel à *Corrosione*, seu à medicamentis corrosivis, seu ab humoris acris affluxu, ut fit post epiphoram, variolas, ulcera profunda.

Vel ab *incisione*, quæ non potest curari.

[59] Valet compositio ex *corticibus granatorum* in aqua rosarum coctis, in quorum colatura *lapis hamatites* dissolvendus, oculis apposita. Ut & succus ex *grano Parnassio*, vulgò *Heidekorn* viridi expressus.

[58] *Rhyas*) Fistulis lacrymalibus utplurimum succedit alius affectus, scyl. *Ryas*, cujus causa est plerumque humor depascens è fistula lacrymali; absumens hanc carunculam, ex quo angulus latior fit, & effluxio humiditatis lacrymalis major, sublato obturamento ejus inlubitivo; Fit & ejusmodi absumptio, vel imminutio, ab humoribus catarrhosis acribus & depascentibus illorsum ruentibus, vel à medicamentis catheret-

ticis pro fistulæ curatione intempestive applicitis, *Cardilucius in Hartmannum p. 193.*

Rhyas vel *ῥυάς*, est affectus Oculorum *Encanthidi* contrarius, consistens in carunculæ lacrymalis nimia imminutione, in oculi majore angulo; *Galen. l. de diff. morb. c. 9.* & in *Def. med.* Causa ejus materia depascens & exsiccans, vel corrosiva, & ita sequitur fistulam lacrymalem, vel comitatur; Vocantur Oculi ita affecti *ῥοιάδες*, vel *ῥυάδες ὀφθαλμοί. Bruno Lexici p. 10. tt.*

19. Valet compositio) Rhyadis curatio sarcoticis & consolidantibus perficitur. v. g.

℞. Rosar. rub. p. j. nuc. cupressi & myrtill. āā. ℥ij. aloës ℥ß. vini austeri ℔j. coqu. ad 4. partis consumptionem; hoc Decocto abluatur pars frequenter. Vel

℞. Aloës, thuris, āā. ʒj. sangu. dracon. ʒß. rosar. rubr. & gran. sumach. āā. ℈j. aqu. rosar ℔j. bulliant ad 4. partis consumptionem f. instar collyrii. *L. Riverius Pr. l. 2. c. 16.*

De Lacrymis involuntariis.

Epiphora.

a. Ex quo lacryma involuntaria effluunt) Qui affectus *Epiphora* dicitur, & quanquam generatim quemvis humoris fluxum in quamcumque partem significet, usus tamen obtinuit, ut pro tenuis humoris per oculos effluxu speciatim accipiatur, unde *lacryma involuntaria*, quæ per oculorum angulos assidue defluere consueverunt. Ad harum autem lacrymarum præternaturaliter effluentium generationem concurrunt pravæ partis mandantis & recipientis dispositiones.

Pars mandans est Cerebrum, quod frigidiori aut calidiori intemperie præditum serosos humores congerit, eosque ad partes inferiores & fluxioni recipiendæ idoneas transmittit.

Pars recipiens est glandula, juxta oculi angulum majorem constituta, & caruncula eidem angulo superposita, quarum partium raritas aut densitas, aut alia quævis imbecillitas efficit ut humorum effluentium decubitum facile recipiant: Ideoque sæpe solet contingere Epiphora in ægilope, fistula lacrymali, rhyade & encanthide, quod utrarum humores superflui ad partes laborantes facile transmitti soleant. Fertur autem hujusmodi humor à cerebro in oculorum angulos, interdum per *venas internas*, *interdum per externas*; Ille autem humor epiphoram efficiens aliquando frigidus est, & nullum aliud incommodum ægro affert præter fluxionis molestiam, aliquando vero acrimoniæ & salsedinis particeps dolorem, ardorem & ruborem, tum etiam exulcerationem palpebris infert.

Per *internas* autem venas humores fluere signum est si dolores in intimo capite persentiuntur, & acres sternutationes excitantur: Si vero per *externas*, quæ extra calvariam positæ sunt humores defluant, vasa in fronte & temporibus distenta apparent, & caput velut tevinctum sentitur, & ab adstringentibus remediis exterius applicitis juvantur: Recentes Epiphoræ, & à causis externis præcipue oriundæ facile, curantur, maxime vero in juvenili ætate: Antiquæ & in senibus difficile. Quæ ex aliis morbis procedunt, ut Ægilope, fistula lacrymali &c. ab illorum curatione pendent.

Curatio in fluxus ablatione & partis recipientis roboratione consistit: Serosus humor in cerebro redundans evacuabitur v. s. & purgatione: *Venæ sectio* in frigida cerebri intemperie, nisi manifesta plethoræ signa adfuerint, non convenit; In calida, cum humores acrimonia prædiri sunt, convenit, imo repetita: *Purgatio* etiam facienda.

Revulsio fiet per *cucurbitulas* scapulis frequenter admotas, *vesicatoria* cervici, & *cauteria* occipiti aut brachio. In contumaci affectu vesicatorium sincipiti admotum profuit Verulæ, ex *Foresto obs. 11. lib. 11. Rondeletius* cauterium supra commissuram jubet admover: Ad *derivationem* conferunt *hirudines* pone aures, & *masticatoria* mane.

Ne de novo humores generentur, *Cerebrum roborandum* & exsiccandum; juxta intemperiem dominantem: Interim *parti Recipienti* providendum Topicis.

Si humor fluat per *venas externas* adstringentia fronti & temporibus admovenda: Si humor sit calidus

℞. Boli arm. sangu. drac. balaust. myrtill. āā. ℈ß. acaciæ, hypocist. āā. ʒj. thur. mastich. āā. ℈ij. ros. rubr. p. j. terantur, excipiantur ovi albumi. & pauco aceto f. Carapl. fronti & temporibus admovendum.

Si ab humore frigido.

℞. Thuris mastich. āā. ℈ß. g. animæ, tacamah. lapid. hæmat. āā. ʒj. g. junip. ℈ij. tereb. & cera, q. s. f. Ceratum. Ipsi vero parti affectæ Collyria adstringentia & exsiccantia admove.

℞. Tuth. prap. ʒj. sarcoc. nutr. ʒß. thur. mastic. āā. ℈ß. spica n. gr. vj. f. Troch. qui alb. ovi, vel succo cyan. ex. epicantho oculi applicentur.

Vel *tuthia prap.* linteo raro excipiatur, & filo alligetur, in vino austero immergatur, oculi sæpe abluantur.

℞. Tuth. præpar. cortic. ovor. prapar. aloes opt. āā. ʒj. involve panno lineo, fiat pila, Infundenda in aqua fœnic. suspensa cum filo, sæpe exprimatur in oculos. Sola *aloe* trita, & in pilam, ut dictum, redacta, in aqua rosar. posita conducit.

In calida fluxione.

℞. Troch. alb. Rhasis sine Opio, sarcocoll. nutr. lycii, acaciæ, olibani āā. ʒj. ossium myrobal. adust. corall. alb. & r. āā. ʒß. margar. ℈ß. succi mali punici ad media partis consumptionem cocti q. s. f. Collyrium.

Si rubor oculorum conjunctus sit.

℞. Granor. sumach. contus. ℈j. aqu. plantag. ℥j. macerentur fortiter, exprimantur, adde aqu. rosar. euphras. aqu. alb. ovi dua, concuss. āā. ʒß. sacch. c. subtil. trita & cum pauca aqua colan ℈j. f. Collyrium.

Collyria pro Ophthalmia inveterata præscripta huc referri possunt. *Riverius.*

Si à seroli humoris influxu in Palpebras potissimum, fiat, & cum rubore, ardore pruritus & dolor adsint, ab initio fluxum reprimere, doloremque & pruritum compesc. ere remediis in ophth. expositis oportet; quibus tamen siccantia humiditates, hic copiosas, permiscenda, collyria ex *cerussa* & *tuthia* parata usurpanda In pertinaci vehementius adhuc siccantibus utendum.

℞. Antimon. ppti ʒß. aqu. rosf. fœnic. āā. ℥ij. cola, Pruritum admodum compescit: sæpe colenrur, Vel

℞. Cadmiæ fossilis, quam lap. Calamin. vocant, *℈j. tuth. prap. ʒj. coralii, cortic. myrobal. torref. āā. ℈j. f. Pulvis oculo indendus.*

Huc referri potest *fumus* ab illis quæ citra morsum siccant accensis excitatus, oculisque obiter exceptus, qui eos mirabiliter siccat, qualis *à thure, pice*, aliisque ustis fieri potest, caute tamen illis utendo. Suffitus ex *sale decocto* exceptus citra morsum admodum desiccat. *Vitrioli albi* portiuncula in aq. *rosar.* vel alia, ea quantitate quam oculos ferre potest, valet ad modum in pruritu, rubore & calore oculorum. Alii sal vitrioli albi probant. *Platerus.* Vide plura *ibid.*

De Epiphora.

a. Ex quo lacryma) Quoad *Epiphoram*, seu à quibusdam sic dictam *Inflammationem serosam*, consistit hæc in continuo *lacrymarum stillicidio*, quæ nunc *acres* sunt, adeoque *ruborem*, *ardorem*, *morsum* &c. junctum habent; & vulgo dicitur *Humor* seu *catarrhus calidus*: Nunc *mitiores* sunt, & sine symptomatum talium syndrome affligunt, diciturque *humor* seu *catarrhus frigidus*,

dus, Est *affectus* suo modo *Catarrhalis*, adeoque ad glandulas, ex quibus tale stillicidium oritur, inprimus respiciendum, sive sint in *oculorum angulis*, sive *palpebris*, de quibus vide *Stenonem in Observat.*

Epiphoræ *causa* nunc est *externa*, eaque saltem irritans continuo oculum; nuncque *interna*; eaque triplex, 1. vel *Lympha* vitium quasi habituale, *acriore ac acido salsiore*, rodens & vellicans oculos, & tali occasione magis magisque sanguinis affluxum, & lymphæ promovens, 2. vel *vitium glandularum oculorum*, relaxatarum, & undecunque, præsertim sub nutritione propria vitiatarum, aut alias irritatarum, copiosam lympham continue plorantium; Quo 3. denique facit *Carunculæ lacrymalis defectus* in affectu Græcis *ῥύας*, qui nihil aliud est quam glandula illa, in majori angulo sita, seu à causis externis exesa fuerit, sive sub cura externa abscissa, aut resoluta fuerit, unde sordium, puris &c. proventus, quæ oculus & vicinæ glandulæ irritatæ continuo plorant; Vide *Wartbonum* de hac glandula.

Quoad *Prognosin*, In infantibus ut frequens est hic affectus, ita Diæta & ætatis cursu, vel sponte curatur; *Inveteratus* autem, aut natu majoribus accidens, contumacior, facile fistulam lacrymalem potest inferre; Epiphora uti est pessima quæ à *caruncula deficiente* oritur, ita facilior est curatu quæ est ab illius erosione quam excisione.

In *Cura*, 1. *causa externa* primo removenda, 2. *Lymphæ* interdum *vitium*, ejus scil. *acrimonia* est corrigenda, internis & externis: 3. *Glandularum* tonus adstringentibus est firmandus: Convenit igitur Aqua *Tumas* experta.

℞. *Torment. grosso modo pulv.* ℥j. *alumin. gr. v. aqua rosac. plantag. āā.* ℥ß. *fiens in loco calido per diem & noctem silerentur & serventur usui.*

Item *liquor flor. cubor. & cyani* sunt egregii: *Decoctum cortic. granat. Hartm. in pr. Chym. c.36.* Item

℞. *Fol. cydon. primo vere collector. integrorum, & à corruptione praeservat. m. j. coqu. in aqua purissima*; & ea oculi humectentur ac irrorentur: Humorem arcent, ruborem discutiunt &c. vel *album. ovi conquass. cum succo semperv. & flor. fabarum* impositum confert: Pete alia ex Practic. libris. *Etmullerm.*

Absumentibus humores capitis superfluos, in Epiphora, atque exulcerationibus quoque, cum illi oculos frequenter petunt, utimur; quibus caput siccatur roboraturque, Idque diversimode, exhibitis, fonsque capiti admotis quæ in morbis à defluxione genitis competunt. *Platerus.*

Lacrymarum ortus.

a. *Lacrymarum*) Lacrymæ sunt pituitosi humoris in cerebro collecti tenuiores ac serosiores particulæ, ex oculorum antris effluentes: Distinguendum autem censemus inter *Humorem lacrymalem* & istum *Lymphaticum humorem* qui è glandulis ad oculorum humectationem ac lævigationem continue per tenuissima lymphatica vascula effunditur.

Differunt enim 1°. quod hic limpidus multoque tenuior sit altero.

2. Quod hic è lymphaticis glandularum vasculis, ille è cerebri ventriculis profluat.

3. Quod hic minus acris sit, neque tantam salsedinem obtineat quantam lacrymis inesse gustu & erosione per[...]pitur.

4. Quod paucus sit, nec oculos nimia copia offendat; sicut lacrymæ quæ sæpe visioni copia enormi profluentes magnum incommodum oculis afferant.

5. Quod hic non erodat quicquam, sed gratus sit oculis, cum contra lacrymæ multoties genas erodant, & sæpe ipsas quoque glandulosas carunculas lacrymales, in oculis sitas, plane absumant, quibus una cum suis vasculis omnino absumptis lacrymarum affluxus desineret vel sisteretur, si vera foret *Stenonis* sententia; cum è contra tunc involuntarius, multoque copiosior sit, neque inhiberi possit.

Causæ autem serosas istas particulas per lacrymalia foramina expellentes sunt quinque. 1. Pituitosorum serosorum humorum in cerebro collectorum copia. 2. Eorundem subita colliquatio, aut valida agitatio. 3. Cerebri & membranarum ejus contractio: 4. Foraminis lacrymalis à caruncula glandulosa non satis arcta contectio: 5. Ossium spongiosorum in naribus obstructio.

Harum causarum plerumque duæ tresve concurrunt: Hinc in *Tristitia* membranæ cerebri una cum ipso cerebro contrahuntur, atque hinc serosi sanguinis arteriosi humores ex ipsa cerebri substantia, & glandula pituitaria, atque exiguis glandulis plexui choroidi interjectis, in ventriculos copiosi exprimuntur, atque ex iis simul etiam per processus papillares, ossiumque cribriformium angustias in narium interiorum fungosas partes copiosi illabuntur, qui cum illas ob copiam & viscididatem non satis cito permeare queant, tenuiores & serosiores particulæ per angusta lateralia foramina lacrymalia erumpunt in oculorum angulos majores, totosque oculos proluentes, ac foras effluentes, lacrymas constituunt, crassiores autem & viscidiores per nares & os evacuantur.

A *cepis*, *sinapi*, *erribus* &c. lacrymæ provocantur, aut quatenus ab eorum attenuante ac incidente acrimonia partim humores in capite attenuantur, & magis fluxiles fiunt; partim ob molestiam & vellicationem ab acrimonia eorum oculis naribusque illatam, cerebrum cum suis membranis se contrahit, sicque humores exprimit & expellit.

Sic quæ *dolorem oculis* inferunt, *ut pulvis*, *fumus* &c. lacrymas movent, quia à dolorosa vellicatione inducta conjunctivæ tunicæ, maxime sensili, contrahitur ei adjacens glandulosa caruncula lacrymalis, sicque foramen detegitur, contrahitur enim cum suis membranis cerebrum ob tristem illam sensationem; In *tristitia* autem copiose profunduntur lacrymæ, quod cerebrum præ tristitia contractum refrigeretur, (constrictio enim copiosi sanguinis arteriosi accessum præcludit) & concoctionem debito modo non peragat, unde ex sanguine, (qui tunc ob minimarum viarum angustias valde serosus eo ascendit, ut fluidior existens melius transire queat) ad nutritionem ejus allato, serosi humores in glanduloso hoc viscere copiosi separantur, multique crudi simul gignuntur, qui per prædictam contractionem continue exprimuntur, & è ventriculis in nares propelluntur: Ob eandem cerebri malam coctionem *Lacrymæ* multoties *salsæ* & acres existunt, ac genas erodunt, sicut eadem de causa sæpe catarrhi acres & salsi fiunt: Quo conferunt vapores à partibus corporis inferioribus copiosi ad caput delati, qui ob dictam cerebri, & membranarum ejus refrigerationem ac contractionem, angustatis poris, discuti nequeunt, sed versus nares feruntur, unde lacrymarum copia etiam augetur.

Utrique autem Oculorum cantho Glandula adjacet, Usus utriusque est *serosum lymphaticum humorem*, ex sanguine arterioso separatum, per tenuissimos lymphaticos tubulos, oculis, infundere, ad continuam eorum humectationem, corneæ tunicæ abstersionem, & palpebrarum motum faciliorem.

In Palpebrarum limbis cartilagineis, circa majorem angulum, obvia sunt in utroque oculo duo exilia foramina, *Puncta lacrymalia* dicta, immissam setam intra palpebrarum membranas admittentia; hæc prope foramen lacrymale in unum ductum coeunt, qui

versus anteriora excurrens, circa narium extremitatem manifesto foramine aperitur, per quod tenuis ille liquor, qui nonnullis hominibus inscius, frigido præcipue tempore, è naribus exstillat, deferri videtur.

Per puncta autem lacrymalia, nonnunquam pauxillum lymphatici liquoris, è glandulis expressi, insciis & invitis, quasi lacrymarum specie, sine ullo animi motu effluit, unde nomina ipsis imposita videntur, etsi illa non sint veri fontes lacrymarum. *Diemerbroeck. Anatom. l. 3. c. 14. & 15. ubi plura.*

Encanthis.

II. [60]. *Encanthis*, seu carunculæ secundùm majorem oculi angulum incrementum.

[61]. *Oritur*, vel ex mala *pterygiorum* curatione, vel ex intempestiva fluxus lacrymalis per oleum vitrioli suppressione, & ita quandoque [62]. excrescit glandula, ut malam excrescentia obtegat, Vel ex nimio *alimenti* affluxu, [63]. Si magnum & antiquum malum est, nonnisi chirurgiâ curatur.

Est vel [64]. *benigna* vel *cancrosa*.

[60]. *Encanthis*) Duplicem habet significationem, vel enim accipitur pro immoderato augmento angulorum oculi, cui opponitur *ῥοιάς*, Rhoeas, immoderata eorum diminutio, *Galenus 1. de diff. morb. c. 9.* Vel sumitur pro excessu & carnis excrescentia in oculi angulo majore, *lib. Def. med.* & est tumor toto genere p. o. *lib. de Tum. p. n. c. 17.* Pterygio oculorum plerumque succedere solet: Alias malum hoc frequens canibus, minus homines corripit, & eos magis qui in mari versantur. *Castellus in Lexico.*

Quod & caruncula in angulo majori naturaliter se habens dicatur Encanthis, vult *Gaspar Hofmannus comm. in de V. P. §. 750.*

[60]. *Encanthis*) In oculorum regione caruncula, quæ in angulo est oculi naturaliter posita, ulterius nonnunquam excrescit atque instar tuberculi se exserit, quæ præter molestiam quam parit; etiam interdum prurit. *Platerus.*

Oritur) Causa est sanguis redundans à diæta sanguifica ubertim generatus, proferens in ea parte carnem luxuriantem: uti quoque in vulneribus & ulceribus fit, quod diæta nimium sanguifica mox in eis carnem superfluam producat. *Cardilucius.* Oritur & ab ulcere ejusdem partis non satis mature exsiccato. *Riverius.*

[62]. *Excrescit*) *Glandula* lacrymalis est foraminulenta ut seram porcinam in nasum admittat, quod expertus est *Rolfinkius*, præsertim in vitulis: Duo vasa lympham evehentia invenit *Stenonius*, quæ ad cartilaginis latera assurgentia, inter oculum & cartilaginem se aperiunt ostiis, non papilla sed solo hiatu dignoscendis. *Bartholinus Anat. Renov. l. 3. c. 8.*

[63]. *Si magnum & antiquum malum &c.* Curatur ablatione carnis superfluæ in oculi angulo enatæ, quod perficitur exedentibus medicamentis, à mitioribus ad validiora progrediendo: Igitur *alumen ustum* primo admovendum est, quod si non sufficiat, ad *ungu. Apostol. vel ægyptiac. vel vitriolum* ustum progrediendum; Quod si ne hæc quidem sufficiant, *ferro* abscindenda est caruncula, vel *cauterio actuali* absumenda. Antequam autem hæc fiant, corpus præparandum est evacuationibus convenientibus, ne nova fluxio ad partem trahatur, In excisione autem, & cauterii administratione, vel etiam in absumptione carunculæ, quæ medicamentis fit, hoc observandum ne tota caruncula absumatur, sed illud tantum quod superfluum est auferatur, alioquin in contrarium affectum, nempe *Rhyadem* transit. *Riverius.*

Topica carunculæ huic apponimus ea quæ vi siccante & adstringente quoque eximia prædita sunt, qualia in oculorum ulceribus collyria varia traduntur: quorum continuatione rursum in se hæc caro laxa facile retrahitur & subsidet: Inprimis multum præstabit Aqua hæc præstantissima, quæ & ad alia ulcera fœda extergenda magno cum juvamine applicari poterit.

℞. *Vas cupreum*, imple *aqua font.* aut *pluvia*, huic injiciatur *calcis vivæ* mediocris quantitas, & stet donec extincta subsideat; hujus aquæ claræ, per inclinationem effusæ mens. iij. injice *mercurii sublim.* si pro oculis paranda ℥ß. si vero pro ulceribus fœdis ℥j. & præcipitabitur ad fundum colore luteo: Aqua diligenter separetur & servetur ad usus: Hac oculi caruncula excrescens leviter tangenda, ulcera vero fœda lavanda erunt. *Platerus.*

Est benigna vel Cancrosa. Aliquando hoc carnis incrementum benignum est, & tenerum, laxum & sine dolore, quod medicamentis siccis consumendum est; Aliquando malignum, durum, inæquale, & cum dolore punctorio, quod manu curare & scalpro evellere oportet. *Castellus in Lex.*

Ægilops.

III. [65]. *Ægilops* est tuberculum, inter majorem oculi canthum, & nasi radicem ortum.

Oritur à materia certa ad oculi angulum depulsa.

[66]. *Dividitur* variè, 1. In *Anchilopa*, qui est tumor nondum ruptus, & sine inflammatione, [67]. provenitque ab humore lento, melleo, pultaceo, folliculo suo plerumque concluso, & sine soluta unitate afficiente, Sectione tollitur, vel admoto caustici granulo, ([68]. decisâ escharâ, ulcus curatur *mercur. præcipit. rubri part. ij. & alum. usti p. j. unguento aureo* exceptis & admotis, donec nova inducta escharâ ad lentis magnitudinem, eaque decisâ os sanum appareat: tum complendum est ulcus carne.)

Et *Ægilopa* propriè sic dictum, qui est [69]. tumor ruptus, [70]. cum inflammatione.

Cognoscitur ex dolore, colore mutato, & tumoris immobilitate.

Oritur à sanguine è temporum, frontis vel faciei venis effuso, externa inprimis causa accedente.

[71]. *Curatur* 5. *Difficulter*, inprimis, si partes profundas occupet, si ruptus sit ad interna, quia subjecta ossa facilè corrumpit, Si ad cancri naturam accedat.

2. [72] *Ad modum aliarum inflammationum.*

Excipit eum plerumque *Fistula lacrymalis*, quæ tum propter continuum affluxum, tum propter motum oculi perpetuum, [73] chronicon est plerumque malum.

In [74] ejus *curatione*, [75] antequam consolidetur, videndum [76] utrùm callum contraxerit, & utrùm os corruptum sit, quod asperitas ossis aut sonitus deteget.

[65] *Ægilops*) Sive *Anchilops*. Quamvis quidam Medicorum differentiam inter hæc duo vocabula cōstituant, quod *Anchilops* sit tumor in magno oculi angulo nondum ruptus, *Ægilops* vero jam ruptum tumorem significet (quod capræ huic vitio peculiariter obnoxiæ ferantur) Dicitur & *Fistula lacrimalis*, quia ulcus ex tuberculo rupto facillime sinnosum evadit & in fistulam abit, quam aliquando alius sequitur affectus, qui *Rhyas* dicitur, quando caruncula in angulo oculi absumitur. Sufficit nunc hanc distinctionem ab Authoribus non semper, nec quoad causas & generandi modum inter se differre. Hinc *Galenus l. Introd. c.15.* descripsit omnes dictos affectus complexus, Ægilops, vel Anchilops, est Abscessus quidam ad angulum oculi, qui naribus propior est, pus continens, quod erumpens aut os exedit, aut ad angulum, aut usque ad nares destillat. Jungatur l.5. de comp.med.l.l.c.2. *Brune Lexic. p.31.*

[66] *Dividitur varie*) Tumor iste, seu potius Tuberculum, duplici modo se habet, cum *inflammatione* scilicet, vel *sine ea*; Quando inflammationem habet comitem, est veluti phlegmone parva furunculo similis, rubore in ambitu perfusus, cum dolore lancinante, Fitq; à sanguine tenui & biliosn, per temporum frontis faciei que venas (*arterias*) in partem delato, unde in abscessum plerumque degenerat, qui apertus ulcus producit, unde *Fistula lacrymalis* nominari consuevit: Si autem fistula per annum perseveret, cariem in osse producere consuevit, juxta aph. 4. 5. 6. *Inulceribus annuis os abscedere necesse est*: Et insuper caries jam facta dignoscitur ex cavitate quæ digito comprehenditur, saniei ex ulcere manantis fœtore, & asperitate per specillum demonstrata; *Sine inflammatione* etiam dictum Tuberculum sese prodit, tuncque generatur ab humore crasso & viscido, *pultis* aut *mellis* persimili: Ad tumores illos accedit qui atheromata, steatomata & meliceudes nominantur quique doloris expertes esse consueverunt. *Riverius l.2. Pr.c.15.*

[67] *Provenit ab humore lento &c.*) Ad rumores illos accedit qui atheromata, steomata & melicerides dicuntur, qui doloris expertes esse consneverunt.

[68] *Decisa eschara ulcus curatur*) Emplasttum efficax hoc est,

℞. *Bols* ʒiß. *sangu. drac. mumia, acacia, hypocist.* vel *lycii*, si verum haberi potest (si non *succedaneum ejus ex fol. sumach*, non periclymeno paratum,) *thur. mast.* ãã ʒß. *cupul. gland. rad. arist. gallar. nuc. cupr.* ãã. ℈ij *sarcocolla in aceto infusa q. s. f. sicut Empl.* cujus particula linteo panno inducta applicatur in angulum oculi, illicque retineatur. *Platerus.*

[..] *Tum complendum est ulcus carne*) Ad incarnandum & cicatrisandum valet sequens Collyrium, ulcere satis repurgato.

℞. *Thur. sarcocolla, aloës, sangu. dracon. balaust. alum. antimon.* ãã. ʒii. *virid. ær. gr. v.* subtiliter terantur, & cum aqua *ruta fiat Collyr.* satis liquidum, instillandum leviter cum stipite rutæ ter in die & turunda in eo madefacta immittatur, superimposito *Empl. diapalm.*

Torunda paulatim minuatur, circa finem tollenda; abluendo tantum partem collyrio dicto, & *diapalma* imponendo: Hac methodo fistulas recentes curatas fuisse refert *Forestus* ab insigni sui temporis Chirurgo. *Riverius.*

[69] *Tumor ruptus*) Ægilops phlegmone in abscessum abeunte, eo rupto in ulcus plerumque abit: Qnod vel *simplex* est, vel *malignum*, si sanguis qui inflammationem hanc genuit deterior fuerit, vel *sinuosum*, si pure acri, ob abscessum non mature apertum, retento aut alioquin in ulcere hærente illud locum illum exedat. Unde tandem si labra diuturnitate ulceris exesa callosa fiant, fistula suboritur &c. *Platerus.*

[70] *Cum inflammatione*) Cum inflammationem habet comitem, est veluti phlegmone parva, furunculo similis, rubore in ambitu perfusus, cum dolore lancinante, fitque à sanguine tenui & bilioso per temporum frontis, faciei que arterias in partem delato, unde in abscessum plerumque degenerat, qui apertus ulcus producit, quod sinuosum brevi, efficitur, unde fistula lacrymalis nominari consuevit. *Riverius.*

[71] *Curatur difficulter*) Curatio Ægilopis valde difficilis est, tum quod medicamenta difficulter admoveri possint, ob oculi viciniam; tum quod, ob partium molliriem, abscessus in ulcus sinuosum facile degenerat: At multo adhuc difficilius curatur si abscessus ad nares rumpatur, & pus per illas effluat, quia subjectorum ossium corruptio utplurimum consequitur. Aliquando vero ad naturam cancri accedit, quod dignoscitur ex dolore pungitivo, venarum tensione, cutis duritie atque lividitate, tuncque satius est omnino non attingere, quia remediis magis efferatur, doloresque acerbiores excitat. Fistula lacrymalis recens, & quæ orificium habet extrinsecum, ac manifestum, medicamentis curabilis est; profunda vero & inveterata, ac cum ossis carie conjuncta, vix sine cauterio auferri potest. *Riverius.*

[72] *Ad modum aliarum inflammationum*) Varia horum affectuum tempora variam remediorum administrationem desiderant; ac primum *Ægilope* incipiente fluxio quæ ad partem fit revellenda est s. m. & purgatione, simulque repellenna fronti admovenda, quibus aliquando morbi progressus inhibetur & suppuratio impeditur, E. g.

℞. *cerus. mal. granat. acacia, balaust. gallar. nuc. cupr. alum. roche, bols armen.* ãã. ʒj. *cera alba* ℥iv. *terebinth.* ʒj. *f. Ceratum.*

Post usum repercutientis remedii, per aliquod tempus resolventia parti affectæ admovenda, E.g.

℞. *mellis puri, aloës* ãã. ℥ij. *myrrha* ℥j. *croci* ʒiß. *aqua* ℔ij. coqu. lento igne ad mediæ partis consumptionem.

Hoc Decocto imbuatur frustulum spongiæ mollioris, & mediocriter exprimatur, parti admove calide, post fasciā deligando & sæpe iterando.

Amatus Lusit. Ceratum hoc commendat contra Ægylopas *cent.5.cur.68.*

℞. *Pulver. testar. cochlear.* ʒij. *myrrha, aloës,* ãã. ℥ß. *sarcocoll. sang. drach. cerusa* ãã. ʒiij. *opopan. acete sol. & lap. hamat.* ãã. ʒiß. *croci* ℈ij. *cera & resin.* ãã. ℥iij. m. simul ad ignem s. a. angulo oculi admove.

Si prædictis remediis tumor resolvi nequeat, sed ad suppurationem tendat, juvanda est *Empl. diachylo simpl.* aut si dolor & inflammatio urgent, *cataplasma de mica panis* utiliter admovebitur.

Si sponte abscessus non rumpitur, ferro aperiendus est idque quamprimum, si enim apertio differatur, pus partes vicinas erodit, & fistulam incurabilem sæpe relinquit; multi cauterio aperiunt, sed ferrum frigidum tutius est.

Aperto abſceſſu ulcus detergendum eſt, & ad cicatricem deducendum more aliorum abſceſſuum.

Si vero ulcus pertinacius evadat, & in fiſtulam abeat, Curatio ſequens illi adhibenda eſt. 1°. Vacuatio univerſalis per v. m. & purgationem repetenda eſt. Fluxio à capite avertenda per cucurbitulas, veſicatoria & cauſtica idoneis locis appoſita; quibus ſuccedere poterit *Decoctum chinæ vel ſarſap.æ* (vel plantarum traumaticarum, ſummæ efficaciæ) per plures dies exhibitum. Eodemque tempore cerebrum exſiccandum ſuffumigiis, pulveribus cephalicis &c.

Cauteris loco *ſetaceum* cervici utiliter admovebitur, quo ſolo *Fabricius Hild. obſ. 41. cent. 1.* curavit fiſtulam lacrymalem.

Si Jecoris intemperies (*aut maſſa ſanguinea fervidior, vel impurior*) ut ſæpe fit, eſſe videatur, illi providendum remediis idoneis. Ad *Topica* veniendo, ulceris orificium aperiendum, & dilatandum lente & paulatim, cum penicillo ex medulla ſambuci, ſpongia præparata vel radice gentianæ confecto, eòque ſatis aperto ſequens *Foreſti* medicamentum *Obſer. 27. lib. 11.* apponatur.

℞. *mellis comm.* ℥ij *virid. æris* ʒj. *aqu. rutæ* ℥iv. *Aes* viride teratur, & cum aliis lento igne decoquatur ad tertiæ partis conſumptionem, Colatura per ſyringam tepide ac ſuaviter imponatur *Hild.nus utitur liquidiore parte ungu. Ægypt. quam ſyrupum ejus vocat.*

Si acrius medicamentum videatur, *aqua rutæ* ulcus abluatur omni die, & poſt lotionem exiguum *ungu. Apoſtol.* admoveatur, hæc remedia viciſſim per tres ſeptimanas continuando, ſuperponendo Empl. conveniens, & oculum *aqua roſacea* defendendo. *Riverius.*

73. *Chronicum eſt plerumque malum*) Si fiſtula per annum perſeveret, cariem in oſſe producere plerumque conſuevit, juxta aphor. 45. 6. *In ulceribus annuis os abſcedere eſt neceſſe.* Ex inſuper caries jam facta dignoſcitur ex cavitate quæ digito comprehenditur, ſanies ex ulcere manantis fœtore, & aſperitate per ſpecillum demonſtrata.

74. *In ejus curatione*) Per *urinas* ſeroſi humoris redundantia, atque una cum eo corporis recrementa quæ vel cauſam præbuerunt, vel adjumentum ſaltem attulerunt, ſi expurgentur, ad curationem aliquid præſtare poterit. Cujus præcipue nomine, prætterquam quod ſiccando eaſdem redundantias abſumunt, & proprietate ſua aliquid forte præſtant, Potiones in *fiſtulis oculorum* ſanandis propinare ſolent, hoc modo

℞. *Fol. tanaceti, caul. rubr. agrimon. filicis mar. filipend. pimpinella, ceterach.* āā *m.* ʒ. *ol. ſylv. turion. vel fol. myrti, m.* ß. *rad. liquir.* ℥ß *cicer. rub. p.* ij. *f. Decoctio, ſumatur de colat. pro v. doſibus, & dulcoretur ſaccharo.* Platerus.

75. *Antequam conſolidetur*) Si os carie affectum manifeſte appareat, ſolo cauterio actuali curari poteſt: cujus adhibendi modus exacte deſcribitur à *Paræo Fallopio & Aquapendente*: *Fabricius* tamen *Hildanus obſ. 22. cent. 5.* ſe fiſtulam lacrymalem cum oſſis carie, à quatuor annis infeſtantem, & pro deplorata habitam in puero xiii. ann. ſolis medicamentis feliciter curaſſe gloriatur, eam dilatando cum ſpongiis præparatis uſque ad ipſum os, poſtea *euphorbium* per ſe fiſtulæ inſpergendo, & quidem in copia; deinde emplaſtrum ex ſolo *gummi elemi* applicando; His ea, qua fieri potuit, diligentia per ſeptimanas aliquot adhibitis, ſquamula oſſis ſe obtulit, quæ extracta eſt, & poſtquam per paucos dies ſemiguttulam *balſami Tolutani* ſemel in die cum filamentis ulceri impoſuiſſet, fiſtula brevi pleniſſime conſolidata eſt. *Riverius.*

76. *Verum callum contraxerit*) Si fiſtuloſum fiat ulcus, fiſtulaque perpetuo lacrymarum fluore moleſtiam exhibeat, tunc ut ſanari poſſit, calloſa illius interior ſuperficies detrahenda, & ſi os vicinum corroſum quoque fuerit, oſſis læſi portio auferenda erit, quibus factis ſarcoticorum uſu facile dein hæc cavitas, vel penitus vel ex parte relicto exiguæ foveæ veſtigio oppletur, affectuſque ſanatur: *Callum fiſtula erodunt Ungu. Ægypt.* cum turunda ſæpe impoſitum; aut aliud ungu. abſtergens, cui *ærugo æris* additur, Vel *aqua fortis*, contemperatæ tamen, ſi nimis urat, portio, vel aqua *decoctionis ſublimati*, Vel ipſum *ſublimatum immiſſum.*

Ego *Cauterii* mei indolentis micam aliquando in foramen immiſi, unde eſchara nata fuit; quod etiam cauterio actuali locum illum, atque os quoque ſubjectum urendo perficietur, ſi præſertim jam carioſum factum ſit, quod carne novacula parum aperta vel ſublata manifeſtum fiet; Sicque uti debet, oculum prius panno lineo *in album. ovi*, *aqua roſar.* [illegible] *tegendo*, cochleari argenteo muniendo, dein candentis ferri per cannulam tranſmiſſi capitulum rotundum, loco dicto ſemel iterumque imprimendo, vel alias ferrum ſine cannula ſtudioſe, metu læſionis, adhibendo. Quæ actu potentiave agentibus cauteriis facta, donec eſchara cadat, mucilagines cum ovi vitello butyroque adhibendæ, Indéque *ſarcoticis* ulcus ſanandum.

℞. *ariſtol. rot. rad. ireos, cortic. thur.* āā. ʒjß. *myrrha, maſtich. ſarcoc. aloës, cadmiæ foſſilis* āā. ʒj. *Mellis parum f. Ungu. cui æruginis æris* nonnunquam particula admiſcetur. *Platerus.*

De Tunicæ Adnatæ morbis.

Cap. XXXVI.

De Ophthalmia.

PArtes oculum conſtituentes, vel ſunt Tunicæ, 1. *Adnata, Cornea, Uvea & Aranea.* vel Humores.

2. Adnatæ morbi ſunt *Ophthalmia, Pterygium, Panniculus & Hypoſphagma*, quorum hoc cum Cornea commune, illa cum Palpebris.

3. *Ophthalmia eſt* 4. *adnatæ tunicæ* 5. *inflammatio, à* 6. *ſanguine acri* 7. *venulas ipſius diſtendente exorta.* 8. *Signa* ſunt, Oculorum rubedo, 9. Lacrymarum affluxus, dolor &c.

1. *Adnata*) Hæc Corneæ ita conjuncta eſt ut quamplurimi affectus utramque tunicam afficiant, Sicque oculorum inflammatio, licet tunicæ Adnatæ propria ſit, ad corneam tamen non raro extenditur, in eáque varios effectus producit, ulcera, hypopion, albuginem &c. Sic etiam puſtulæ aliquæ tumores, vulnera & ulcera utrique tunicæ communia ſunt.

2. *Adnata*

Adnatæ Intumescentia.

¹· *Adnata morbi sunt*) Vulneris vel similis alterius injuriæ occasione Adnata sæpe adeo intumescit, humorumque decursu & flatuum incursu ac permixtione adeo turget, ut totam pupillam contegat, forasque palpebris promineat, succrescentis p.n. carnis instar, & colorem nativum amittat, multumque rubeat, nec claudi nec diduci oculus queat; Qua specie deceptus aliquando junior Chirurgus, putabat hanc Adnatæ protuberantiam tanquam superfluam carnem amputandam esse & cathereticis pulvisculis absumendam, nisi ego prænuntiato cæcitatis periculo prohibuissem. Itaque p. æscripsi fotum ex decoctis in *lacte chamæmelo*, *rosis*, *absinth. ruta, fænic. aniso, rad. ireos & calendula*, mox sequentem Fotum validiorem, & siccandi vi majore vi præditum subjeci.

℞. *Nuc. Cupr. gal'ar. balaust.* āā. ℥j. *plantag. absinth. hippur. flor. chamom. rос. rub.* āā. *m.* ß. *bulliant. in aqua fabr.* Decoctio pro Fotu, cum spongia.

Sed & Cataplasma imponi potest ex *farina hord. fabar. pulv. mastich. myrrha*, *aloes* & prædicto Decocto: Ad Declinationem properante tumore sequentem liquorem in oleum instillavi, cui vis magna adstringendi, exsiccandi, roborandi, *Ovum* recens ad prunas induretur, statim testa spolietur, vitellus detrahatur, in cujus locum *vitrioli Romani* pulv. ℈j. substituatur, totum id linteo obvolutum exprimatur, *liquor. exceptus* cum *aqua fabrorum*, in qua *sumach. & rosa rubr.* incoxerint in oculum per aliquot dies instilletur: Hujus remedii vim certam sum expertus. *Vigierius Chir. l. c. 10.*

Hyperſarcoſis in Adnata.

Si Hyperſarcoſis in Adnata revera fiat, sic consumenda

℞. *Ossis sepiæ & testa ovi calcinat.* āā. ℥j. *f. Pulvis subtiliss. ut alcool.* Utilis etiam esse potest usus *vitrioli calcinati*, & *aluminis usti*, aliorumque similium. *Idem.*

²· *Ophthalmia*) vocatur & Τάραχος. *Vetus glossarium* Lippitudo, Ophthalmia, Lippus. πῦρος, μύξος, Nominant & *Rheuma oculorum* ut *Aristoteles* ῥεύματα ὀφθαλμῶν dicitur. Verum *Actuarius 2. m. m. c. 7.* & illud addit, *Inflammatio vero, tum ob externum aliquem ictum, tum acrem fluxum occupat, differtque ab ea quam privatim fluxionem & Græci* ῥεῦμα *nominant, quod fluxio ex variis humoribus, inflammatio vero ex solis calidioribus nascatur. Vop. Fortun. Plempius lib. 5. Ophthalm. c.* etiam ostendit Ophthalmiam & Lippitudinem differre, nam *Lippire* non est ὀφθαλμιᾶν, sed λημᾶν, atque inde ductum; vel ut alii à Græca voce λῆμος, id est humor pinguis. *Horatius* se Lippum vocat, quod hebetius videret & oculis esset mollibus, non autem quod continenter ophthalmia laboraret, ut credo. *Schneiderus lib. de Catarr. spec. p. 9.*

Inflammantur Oculi in malo quod vocatur Ophthalmia, vinum conjunctum cum Lippitudine; quæ est cum in Ophthalmia copiosissima Lympha lacrymalis, tam ex glandulis angularibus, quam etiam glandulis palpebrarum erumpit, ratione cujus notabilis in Ophthalmia symptomatis *Celsus* Ophthalmiam Græcorum Latine Lippitudinem appellavit. *Etmuller Pr. T 2. pag. 128.*

Ophthalmia sumitur late & stricte, *latè* pro omni oculorum morbo, præsertim dolore, *strictè* notat inflammationem oculi, vel potius tunicæ annatæ, in oculo, cum rubore & dolore, aliquando sine, aliquando cum lacrymarum profusione, proveniens à sanguinis ichorosi effervescentis in venulis, stagnatione & impedito refluxu. *Bruno in Lexico.*

³· *Ophthalmia est annata tunica &c.*) Sic definit *Schneiderus de Catarr. spec. p. 4.* Est inflammatio tunicæ oculi adnatæ, arteriis ex massa sanguinea, non ex cerebro, multum humoris, interdum vaporis invehentibus, hinc illa delacrymatio, ille rubor, tantus æstus, tantus aliquando dolor.

Vel est Inflammatio Oculorum, maxime vero tunicæ adnatæ, à sanguine acri, confertim & cum impetu in illos irrumpente, ibidemque consistente, ortum ducens. *Laur. Straussius Palæstr. med. p. 1 Gymn 16.*

⁵· *Tunica Annata inflammatio*) Subjectum Ophthalmiæ est oculus, pars corporis pretiosissima. Quando autem varias ejus partes esse ex αὐτοψία anatomica constat, allata definitio ad *Tunicam Adnatam*, tanquam subjectum principale nos deducit. Vocat illam *Hippocr. l. de Prin. sect. 8. 2. 12.* simpliciter τὸν περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λευκὸν, *Riolanus l. 4. Anthrop. cap. 4.* eam nihil aliud quam *Ligamentum oculo*, ne exorbitet, circumjectum esse, contendit. Arterias & venas capillares hæc tunica habet plurimas, visum pene effugientes, nisi cum plethora totum aggravatur corpus, aut ab humorum affluxu vasa distenduntur; Neque omitti hoc loco debent *Vasa in glandulis oculorum* à *Stenone* observata & descripta in *Tract. de Duct. novis Ocul. & Narium.* Straussius.

Subjectum primarium, seu radicationis, est *Tunica adnata, Conjunctiva* alias dicta, *Album oculi*, si sensum & usum terminorum attendamus. Afficitur vero præcipue quoad vasa arteriosa, venosa & substantiā nerveam: *Subjectum adæquatum*, seu pars affecta ratione denominationis, est Oculus totus, affabre factum & admirandum visionis organum. Præter dictam enim adnatam tunicam, aliæ quoque non raro partes, videlicet palpebræ, musculi, & tunicæ reliquæ, nimirum uvea & cornea, imo humores, in bulbo latitantes, proprii, inprimis aqueus, hinc & crystallinus & vitreus afficiuntur, sed hoc fit secundario magis, unde non sine subjecto primario affecto vel patiente dicto afficiuntur. *Wedelius Disput. de Ophthalmia.*

⁵· *Annata tunica*) Nunquam, dispiciente *Jacobino*, potest existere Ophthalmia qua palpebrarum membrana sola rubet, salva illa adnata tunica; quin & fit Ophthalmia quandoque simul inflammata tunica palpebrarum. Nec hæc Palpebrarum pellicula potest vere cognominari *Pericranium*: Hoc *adnatam* contingit, ut fit in vicinia partium, at non de ipsa creatur, ut utrique communis sit natura. *Schneiderus.*

⁵. *Tunica annata*) Pars affecta est membrana externa *Adnata*, cui intertexta sunt copiosissima vascula, venosa & arteriosa, unde ex impedito sanguinis circulo, vascula hæc à sanguine distenta magis fiunt conspicua, adeo ut totus oculi bulbus rubeat. Membrana hæc Annata intime connectitur cum sclerotica, à dura matre orta, & hac mediante etiam cum dura ac pia matre conjuncta est, unde mutua dictarum partium conspiratio, & plura pathemata per consensum oriri solent; Nempe ratione Pericranii fit, quod in gravi ophthalmia simul capitis dolor, si non pulsatorius, tamen contractivus percipiatur, Item ratione conjunctionis cum membranis internis oculorum & hinc membranis cerebri, patet quare contusionibus cranii, & læsionibus membranarum cerebri, superveniat interdum Ophthalmia. *Etmuller.*

⁶· *Inflammatio*) Recte dicitur Inflammatio, quæ enim ad Inflammationem requiruntur in Ophthalmia adsunt omnia, author *Galeno lib. 2. de Tumor. c. 2.* Cui è Recentioribus plerique subscribunt quamquam enim nonnulli in *Catarrhorum* rubrica cum *Barbette l. 2. pr. c. 4* complectuntur, propterea tamen inflammationem esse non inficias eunt. Sumitur autem vox

Inflammationis h. l. non late, prout quamlibet innuit φλόγωσις, sed stricte pro tumore calido, sanguineo, duro, dolente, & interdum etiam cum febre conjuncto, φλεγμαίνειν enim Hippocr. lib. de loc. in Hom. est abundare & humidius reddere. Quo respiciens Galenus. Art. cur. ad Glauc. cap. 2. inter inflammationes ὑγρὰ & ξηρὰ distinguendum jubet; nataque hinc est differentia inter ὑγροφθαλμίαν & ξηροφθαλμίαν, quarum illa ab humorum affluxu, cum profusione lacrymarum, hac autem absq; ea (hinc & pumicei tales dicuntur Plauto oculi (excitatur. Laur. Straussius.

6. Inflammatio) Mirabitur aliquis qui fieri possit phleginone in adeo exili corpore, Sed nutari non debet qui norit talem quoque esse phrenitidem, talem & pleuritim, ut in dissectis vidimus: Vena enim cum lentum & ductile corpus sit, facile distendi humore potest, & quæ prius obscura erat prorsus nunc in conspectum venite, Galenus lib. de mulit. quoque fatetur, Oculorum venas quandoque videri, quandoque non. Et hoc est quod l. de Tum. p. n. tradat in oculis venas insensibiles apparere. Ita est, Quæ sanguinis conceptacula habet tunica oculi adnata, ea sunt perquam exilia & mire occultuntur. Illa autem ipsa si confluente sanguine intumescunt, veniunt in conspectum: Vena uti & arteria, constat ex membrana, hæc inflari potest & distendi, quo fit ut illa tunica oculi etiam tam vehementer rubescat. Schneiderus l. c. p. 39.

7. A sanguine acri) Cujus generatio est ab hepate fervido, ex sententia Riverii, Cum Ophth. ait, per viam fluxionis generetur, à capite ut plurimum fluxionem eam derivari certum est, & omnes propemodum authores hanc unicam fluxionis originem agnoscunt, Verum docet experientia contumaces ophthalmias ab Hepate non raro exorin, & humoribus ab eo in oculos confluentibus, ita ut tunc temporis cauteria occipitio admota morbum foveant, quæ alioqui fluxioni à capite oriundæ maxime conducunt, tunc enim humorum motum ad partes superiores magis promovent, Et vidimus sæpe, ait, veteres Ophthalmias, nullisque cedentes remediis, clauso fonticulo, qui diu in occipitio gestatus fuerat, brevi & sponte desiisse: cessante nimirum humorum motu à partibus inferioribus ad superiores, qui à cauterio continuo fovebatur, Natura humores amandante ad illud emissarium, quorum portio ad oculos, tanquam partes vicinas, & à longo affectu debilitatas fescebatur.

7. A sanguine acri venulas &c.) Ophthalmia est ægritudo oculi calida, at cerebrum est membrum frigidum, quod eum humorem suggerit. Hoc semper difficile erit ad explicandum, Ab hac caligine nostrum dogma penitus est dimotum, quo cerebrum pronuntiamus nunquam naturaliter immundum esse, nihil humoris superflui ex se fundere, ali quidem de liquore sanguinis quem fundunt arteria, ejus vero quod superest per venas refluere: quam parte corporis vivi non ille itus reditusque sanguinis celebratur? Jam vero Ophthalmia de cuncta massa sanguinea, de illo sanguine nascitur quem invehunt arteriæ oculorum, quæ sunt rami carotidis. Demus eas per medium cerebri viam suam ad oculos facere, non ob id de cerebro oritur Ophthalmia, per pulmones ac per cervicis colligne partes ille sanguis permeat, quem arteriæ in cerebrum important ac in oculos; quis ex eo illum sanguinem judicaverit de pulmonibus ac de colli partibus venire? Ophthalmia [illegible] potest ac fieri [illegible]: Quanquam & [illegible] quandoque vitiose affici [illegible] arteriæ plus sanguinis quam naturaliter [illegible] in cerebrum quoque tum temporis [illegible] [illegible] que cerebrum [illegible] pleraque [illegible] sanguine [illegible] quam [illegible] [illegible] Apo[illegible] dexter [illegible] sanguine rube-

bat; magna vis sanguinis in intima cerebri, pars quædam per arterias in oculos fuerat rapta. Schneiderus l. c. p. 36.

8. Signa sunt) Diagnosin Ophthalmiæ [illegible] exprimunt 1. Oculorum tumor, ab allapsa & replente materia excitatus. 2. Rubor, qui sanguinis, modo puniceo & rutilantis, modo permixti & flavescentis indolem æmulatur, 3. Ardor, qui affluentium humorum calori debetur, 4. Dolor, à continui solutione, cum impetu facta dependens; isque pulsatorius, quod prope circumsitas membranis, exquisito sensu præditis, arterias tristis hæc molestia excitetur; His interdum accidit lacrymatio, si humorum acrimonia oculos stimulaverit, Vasis lymphaticis, seu ductibus oculorum, symbolum sympathiæ conferentibus: Signa [illegible] exhibent capitis dolor, color genarum roseus, febris &c. Mandantem partem præcedentia mala, calórque & dolor ibi excitati patefaciunt. Straussius.

8. Signa sunt &c.) Quærat aliquis An ex urina possit haberi indicium, eo magis quod Hippocr. 2. Prorrh. loquens de Lippitudine, dicit maxime inspiciendas esse urinas, Ex qua sententia videtur quod ex urina possint haberi indicia: Sed ex altera parte nullus est qui hæc adnumeret. Diceremego signa ex urina interdum haberi posse, sed non semper; haberi possunt quando fit ab affluxu partibus inferioribus, maxime à toto, quia ista fluxio fit per venas & arterias, status autem venarum & arteriarum maxime declarantur ex urinis; ita quod jure dicat Hippocr. in Ophthalmiis haberi posse signa ex urinis: Verum est tamen si fiat per congestionem, & per affluxum à capite, non posse haberi indicia. Mercatalis.

8. Signa sunt) Latere hæc nescit inflammatio, sensibus obvia, In essentialiter inhærentibus venæ distenduntur & conspicuæ evadunt, oculus rubore, ardore & dolore afficitur; lacrymæ plus minus pro causarum conditione & vehementia ab humore tenui exstillant. Tumor æstimandus ex climatis ipsius & bulbi modulo, magis intentivus hoc loco quam extensivus; Nec supperando deest potentia, quæ singula de essentia sunt inflammationis.

In essentialiter consequentibus adest imminuta videndi actio, oculo connivente & lucem refugiente; fungi enim officio suo dolens, tumidus ac lacrymis afflictus nequit, nec palpebræ sine molestia diduci semper: Palpebrarum quoque fit [illegible] tempore maturi[illegible] qui debetur concretioni humorum noctu affluentium, sed minus effluentium ex illis [illegible] interdiu, quin pupilla subinde angustatur & unguiculo obducitur, conspatiis fibrillis. Sæpe etiam depravatur visus, omnibus objectis rubris apparentibus & flammeis. Conjunguntur sæpe dolores capitis, febris ipsa face dolorum accensos maiores sequitur, & suppuratio, nisi caveatur, succedit, Tacemus vigilias & [illegible] Rolf. Widelius Disp. de Ophth.

8. Signa sunt oculorum rubedo &c.) Signa causarum inde repetenda erunt, quod si fiat à plethora, & sanguine proprie dicto, non solum in adnata, sed etiam tota facie rubor apparebit, cum venarum latitudine, sensuum gravitate & totius corporis, et tumor [illegible] insignia. Si à sanguine bilioso, aderit lacrymarum acrimonia, ut non solum oculorum anguli sed etiam genæ ipsæ erodantur, cum dolore pungitivo & [illegible] tumore parum ad citrinitatem [illegible] [illegible]nte. Exercitationes immodicæ vigiliæ, ira & [illegible] um esus præcesserunt: temperamentum erit biliosum, ætas florens, tépus æstivum; Si à pituita, dolor erit gravans, color exiguus, non intensa rubedo, dolor parvus, lacrymæ non acertæ, sed cum multa lippitudine & viscositate. Si fiat à melancholia, tumor [illegible] exiguus, rubor [illegible] um ver[illegible] lacrymæ paucæ, pauca viscositas [illegible] densa tempe[illegible] mentum melancholicum, & alia melancholiam indican-

indicantia. Si ab *interioribus capitis partibus* fluxio fiat, dolor capitis aderit, isque magis internus, & ad radices oculorum perveniet. Si vero per vasa externa fluxio in oculos irruat, dolor capitis magis est externus, frontis venæ distenduntur, & pulsatio in temporibus persentitur. *Riverius.*

Imminens autem Lippitudo cognoscitur ex eo quod pruritus quidam, aut puncturæ in oculis cum calore percipiuntur, illiusque præsagium auget dispositio oculorum ad fluxiones recipiendas, sic qui oculos prominentes habent huic affectui sunt magis dispositi. *Idem.*

7. *Lacrymarum effluxus*) Nos ophthalmiam pronunciavimus de sanguine spirituum pleno nasci, quare is & sonitum aurium facere poterit. Plures ea ophthalmia existente *lachrymas* credunt non cadere, Verum *Eust. Rudius* confitetur aliquando exiguas esse. Nostra sententia lacrymæ fluunt, sed non multæ: hoc Ophthalmiæ genus *J. B. Montanus* tradit esse rarissimum, forte quod hæc oculorum ægritudo rara aut nunquam sit sine lacrymis, sicut Tympanites est ille morbus hydropicus in quo plus est flatuum, aquæ minus, ita hæc Ophth. aliquantulum humoris habet, plus flatuum: Nec *sicca Ophth.* omnibus caret lacrymis, nam *δὲ ἀλγεινῶς καὶ νεαρῶς, ὑγρῶς χέονται*. inquit *Paulus* & Flatuosa oritur à sanguine flatuoso, Profecto humorem hic in totum excludere non possumus, fumus quidem movet Ophthalmiam, at longe secus de hoc vapore sentiendum qui cum sanguine affluit, ex seque præbet materiam, hinc & major tunc ægris caligo ob oculos solet obtingere. *Schneiderus.*

8. *Lacrymarum effluxus*) Lacrymas cient causæ Externæ & Internæ, Inter illas, Odorabilium vehementia, tenuitas, vehementia vel acrimonia numeratur; quia spatia narium os tenuissimum dirimit ab orbita oculorum, non adeo tamen solidum quin poros aliquot admittat, propterea partes sentientes ab odorabilium vehementia & tenuitate plerumque vellicantur, Unde *Lacrymarum* proventus, constringentibus scilicet se partibus, iisdem ut extrudatur quod molestum illis vel novum contigit, aliquando etiam non sine labe oculi totius. *Molinetti Differt. Anat. Path. p. 59.*

10. *Causa* 11. *est sanguis*, qui seu solus, 12. seu ab humoribus aliis cast gatus (*commixtus*) 13. vel per affluxum, vel per congestionem allapsus, per 14. venas dispergitur & eas distendit.

10. *Causa*) Causa in genere est *spina* oculo alicui, in externa ejus superficie infixa, cujus occasione dolorosa fibrarum strictura, sanguinis remora in motu, lymphæ è contra uberior per glandulas infusio. Vel est quodcumque hostile aut inimicum, acidum aut acre, præsertim si oculum affecerit, plus minus irritaverit, sicque ad inflammationem occasionem dederit, estque vel *internum* vel *externum*. *Causa externa* sunt *contusio*, læsio, pulveres acres, in oculum illapsi, ut & fumi metallici se insinuantes. *Interna* sunt acre quodvis ex corpore excernendum, si quacunque occasione ad oculum defluxerit & delatum fuerit. Sic v. g. in specie *variola* acidum obtinent oculis inimicum, unde sæpe ophthalmiæ pertinacissimæ, aut sæpius recurrentes relinquuntur, Infantes pariter ex *tinea* non rite curata, aut aurium purulentis fluxionibus cessantibus subinde in ophthalmias contumaces incidunt. Sic *suppressos menses* subinde inflammationes oculorum insequuntur. *Ettmullerus.*

11 *Causa est sanguis*, Eleganter Ophthalmiæ generationem tradit *Wedelius* Disput. de ophth. Causa, *ait*, inflammationis oculorum proxima est *ἐρυθρόχρωμος* proprius sanguini & sero conjunctus *ἀθρόως καὶ βιαίως* magis fiens. Hinc cum plus affluat quam refluit sanguis, poros tunicæ, quibus allabitur, replet, ibique *moram* quandam nanciscitur, nec à venis recipitur, adeoque in circulo suo impeditur, unde & vasa prius occultata & abdita in conspectum prodeunt; color ex albido in sanguineum vertitur, solutio continui fit, & reliqua tragœdia peragitur.

Ut vero inflammationem absolvit *fluxio jam consistens*, ita causa mediata proximior est *impetus humoris*, quoad *essentiam* alimentaris sanguinis serosi, undecunque illam velut spinam acquirat. Facit huc ipsa *quantitas*, saltem respectiva, cum sanguis in tunicam Adnatam, palpebrisque succinctam, in nimia copia exundat & recipitur, ut vasa distendantur, distensa quasi divellantur, unde tumor partium vicinarum interdum simul exoritur: Pondus addit *qualitas* intensior, calida, biliosa, à salibus inæqualibus oriunda, qua salsedine, acrimonia, & mordacitate, teneræ, delicatæ & sensiles illæ roduntur partes, sicque molestiam, dolorem, ruborem, aliaque plura mala reportant.

Præcipue vero ultimum & maximum momentum, addit *motus*, seu circulus læsus sanguinis, Partes hæ serosæ & exangues pro alimento magis sibi deposcunt *serum*, tanquam conforme substantiæ suæ; quæ ratio etiam dari potest, cur pauciores venulæ magis pro vitali calido quam nutritia alimonia huc amandentur.

Quandocunque vero vel sanguis ampliores affectat vias, proprio licet intempestivo motu, vel lympha acrior lancinans poros dilatat, & peregrinum hospitem invitat, inflammatio talis oboritur, utriusque vitiato motu, quod phænomena restantur, lacrymæ enim sero, rubedo sanguini accepta ferenda; Adeoque qualitas infensa sanguinis non semper à priori adest, *vel in toto*, sæpe in sanissimis cæteroquin fiente ophthalmia, sed sæpe quoque à posteriori, illapsu tali procurato, vel ipsa partis debilitate nativa vel adscititia velificante. Hæc ut ophthalmia est *κατ' ἐξοχὴν*, humida magis & vera, sic quando serum minus una concurrit, & sulphure suo expanso sanguis præcipue, etiam deficiente quasi sero, in poros ilius ingruit, fit *ξηροφθαλμία* dicta potius, sicca & spuria, Sanguis enim ophthalmiæ causa, modo purus est, modo pituitosus, modo biliosus, unde diversi gradus inflammationis consurgunt.

11. *Causa est sanguis*) Causa immediata est *Sanguis acris, confertim & cum impetu in partem affectam irrumpens, ibidemque consistens.* Confirmatur id ex *Hippocr. lib. de Prisca Med. sect. 32. t. 1.* ubi *ῥεῦμα συνιστάμενον*, & quidem *συστρεφόμενον*. quod tunicam oculos ambientem forti & omnigena acrimonia peredit, & superius dicta *φλεγμονὴν* producit, expressis notatur verbis: Neque aliter docet *Galenus* cum l. de *causis morb. cap. 6.* corpora interdum ab habitu naturali, nulla extrinsecus confluente substantia, interdum vero fluxionibus repleri scribit, hancque *Plinius l. de ocul. cap. 3. & 4.* præsenti negotio accommodat.

Pertinet autem ad ideam hujus causæ accuratius dignoscendam, quo initio quidem *μετ' ὁρμῆς cum impetu influat*, postmodum vero *subsistat*, unde malum quoad *illud φλεγμονὴ* dici solet, horum tamen posterius formalem *causa proxima* rationem potissimum absolvit, Modum interim ipsum quodammodo detexit jam tum *Galen. lib. de Tumor. cap. 2.* & *lib. de morb. causis cap. 6.* postea tamen felix Recentiorum industria, mediante sanguinis *ἀνακύκλωσει* dilucidius adhuc ostendit.

Causa mediata, proximiores ex doctrina de *Humoribus* & *vaporibus* Veterum non modo, verum etiam Recentiorum suffragio petendæ sunt: Quod enim dudum *Hippocr. 6. aphor. 31.* & ei subscribens *Galenus in comm.* asseruerunt, id etiam nunc obtinet, si quidem à *plethora* (cui plerumque *cacochymia*, teste *Galeno 9. m. m. 11.* se conjungit) ophthalmiam induci ipsius experientiæ fides confirmat; Hinc *Vallesius l. 5. controv. c. 12. sine sanguine*, inquit, *nulla fit inflammatio*, Ubi tamen sanguinem ... intelligi debere ex dictis constat, In qua quidem ... sanguinis fervori pro stimulo insigni succus inservit biliosus, authore *Sylvio Part. 1. Disput. med. 6. §. 74.* & frequenter etiam *serosa* concurrit *colluvies*, quæ quantum exasperet partes & inflammet ostendit *Piso* & *Schenckius Differt. de Sero.* Interim quandiu tales ... in vasis adhuc continentur, proculdubio *causa* nonnisi *antecedentis* vicem sustinent.

Sed quid fiet de *Vaporibus*? Si *Platero* credimus, nullibi locorum oculos subire possunt; Interim *Galenus l. de mult. cap. 10. Substantia omnis multa*, inquit, *communis p. n. est tumor*, seu purus *sanguis*, seu *biliosus*, seu *serosus*, seu *flatulentus* existat. Hinc *Avicenna* Ophthalmiæ in specie à flatibus oriundæ naturam investigare non dubitavit. (Vide inferius § *12. Seu ab humoribus aliis.*)

Non adversatur hactenus dictis *Hermeticorum* dogma, tum quod ipse *Paracelsus* quatuor Elementa neutiquam inficias eat, tum quod *sulphur in glutine accensum* quam causam Podagræ cum ophthalmia communem esse vult nihil aliud quam particulas in sanguine (parte corporis nobilissima) inflammabiles, Antiquis non incognitas innuat.

Neque *Humoristas* plane latet *latex* iste *exorbitans* & *inquinatus*, quem *Helmontius tr. Latex Humor. negl. inscript. §. 31.* accusat: hinc ipse *Grembs l. 1. c. 6. §. 28.* eum nil nisi *serum* Galenicorum esse, adeoque ophthalmiam, ubi intra humores & membranas producta corrosiva impinguntur &c. fieri *lib. 2. c. 1. §. 11.* expresse fatetur. Corpusculari quoque Philosophiæ addictos, dum, cum *Cartesio*, peccantes humorum moleculas, juxta irregulares *motus* & *figuras* &c. examinant, hincque istas lacrymas derivant, benigne audiemus, etiamsi *Willisio* non tam demonstrare principia sua quam supponere *l. de fermen. c. 1.* videantur. *Strausius.*

12. *Seu ab humoribus aliis*) Græci & Arabes Ophthalmiam vel ab Humore fieri dicunt, vel à Flatu Quod si inquit, *Vidus Vidius*, ejusmodi prava materia in oculis redundans, non humida, sed flatuosa fuerit, conjicitur ex debili calore, seu pruritu oculorum, qui antecesserit, ex quo interdum flatu implentur ipsi oculi. At *Pereda* rem facit dubiam, Multi *Ophthalmiam à flatu fieri statuunt*, hic enim bene poterit ob tensionem dolorem generare, non autem ophthalmiam, quæ est inflāmatio. Authores autem omnes satis intelligunt Sanguini *flatus* inesse, quemadmodum eo liber *Hippocratis de Flatibus* spectat, si sanguis flatibus illis quasi inebriatus movet ophthalmiam, hanc illi vocitant *Flatulentam*, vaporosam, halituosam; Sanguine magis bilioso, *Ophthalmiā biliosam*, consimili modo *pituitosam* aut *melancholicam*, Sunt tamen qui aliquid falsi aspergunt tales enim flatus etiam contendunt ex cerebro ipso interdum erumpere, ac hunc impetum facere in oculos, ut ophthalmia subsequatur. Præterea ajunt de domestico illo humore, quem ceu purgamentum suum quotidie evomit cerebrum ... vapores quandoque surgere; ut in oculo ..., fa...ntque ophthalmiam, Hisce duabus rebus magnopere à v... ra lapsi ratione videntur Si flatus intra ... rebrum & caput existerent, ac impetu ... hinc inde ruerent, multo graviores morbo ... nt quam Ophth... miam. At quo transire illi viam munitabunt ad oculos: cur non per foramina ossis cuneiformis & ... ibriformis exitum habent? Nimirum sanguis flatuosus ex massa sanguinea ad oculos fertur, Ab eo & pituitosa Ophthalmia oritur: *Schneiderus p. 46.*

13. *Vel per affluxum vel per congestionem*) Per congestionem quomodo generetur, ostendit *Zecchius consul. 27.* Interdum, ait, humor in oculi substantia concrescit ob alimenti proprii vitium, parte vel à natura vel postea imbecilli existente, indeque ægre concoquente, sed talis tunc materia fere pituitosa semper apparet. Quod quidem in oculo magis quam in aliis corporis partibus locū habere videtur, quod scriptum reliquerit *Aristoteles 31. p. Probl.* Oculum omnium corporis partium infirmissimum esse. *Hac Zecchius* At per ... nec vera ophthalmia nec notha oriri potest, Crudum oculi nutrimentum est frigidum, qui illud inflammationem faciet? qui illuc se conferet in hanc summam oculi tunicam? Tunicæ Adnatæ nutrimentum quam exiguum est? *Schneiderus.*

Per Congestionem generatur, *ait L. Riverius*, si aliqua intemperies, seu imbecillitas conjunctivæ acciderit, in qua ... in parte non recte exercetur, sed multa excrementa in ea congeruntur, à quibus pars sese eximere sufficienter non potest, unde inflammatio succedit.

Causæ sunt illæ omnes quæ oculos intemperie aut imbecillitate afficiunt; Ita ut quæ à sola fluxione initium duxerat, successu temporis partem debilitans, illius coctionem vitiet; & ophthalmia partim à fluxione partim à congestione fiat, quod in chronica ophthalmia plerūmque solet contingere. *Riverius.*

Sed & hujus fluxio causa esse potest, quia ab assiduitate decubitus humoris vasa ita dilatantur, ut semper plus influat quam ad nutritionem sufficiat. Sic *Platerus* observavit in quibusdam Podagricis ossa quasi teredine perforata à continuo illabente humore acri.

13. *Per affluxum*) Adjuvante interdum ad hoc oculi dispositione ad suscipiendum apta, si oculorum *vasa*, vel per se; aut quia defluxione hac prius sæpe infestat... te, *ampliora* sint; Plerumque tamen huic influxui in oculos, unde calefiunt, vel inflammantur, causæ aliæ quæ eos accendendo, vel irritando, gravriusve lædendo, defluxionem in ipsos movent, occasionem præbent, eóque facilius si supradictæ quoque accedant; Uti à *splendore* nimio fieri potest, ab *aere calidiore æstuante* & oculos accendente, A *vento frigido* oculos mordicante, *fumo acri* oculos vellicante, Ab al... culo quibuscunq; illapsis; quod & *pili in cilus curvati* in oculum nonnunquam faciunt; Calida & adurentia, ut *piper*, vel acria, ut *sal*, *vinum*, *oleum* inprimis, aliáque *pinguia* & *oleaginosa* si in oculos influant vehementer eos urent Læsiones graviores oculi; quin & *lacryma* interdum superve nientes, ab eáque, illisq; causis commotæ, tum etiam ab aliis causis excitatæ eam præcedentes, si acres ... & calidæ ophthalm. vel de novo excitare, vel jam factam deteriorem facere possunt: Quæ omnes causæ oculo molestæ, si pruritum simul moveant ad frictionem impellunt novam affluxum cientem. *Platerus.*

Aër frigidus aquilonius huc facit, quat... us sua constipatione obstruit poros, sicque calida effl...ia retardat, humoresque in oculis calidos red...t, ...mo ipse quoque mordet oculos, *aph. 3. 1...* Frigus ergo dum urit & coagulat humores t...pid...ne reddit, facile ... excitat maxime cum oculi ... is aëris sint expositi præ aliis unde ... etiam *venti irruentes.*

An vero ab oculi quotidiana lotione frigida instituta oriatur, quod *Hildanus* notat dubitamus, latente sine dubio alia causa, cui adscribi debuit. Callum enim quasi in perferendo ...ore contrah... oculi ut nisi mordeat, & magis imp... portionatius ...rit, non æque noceat Qu... frigida potius aqua affluxum lotione impedit & defendit, Atque hinc non raro etiam epi-

demiæ ophthalmiæ observantur, ob aëris talem constitutionem frigidam & humidam qualem memorat observatam *Amatus cent.7.obs.80.*

4. *Per venas disperguntur & eas distend.*) Viæ per quas sanguis affluit, recipitur, & hinc inde in partem affectam distribuitur, sunt *arteriæ*, ex legibus circulationis sanguinis, Remotius *venæ* & *vasa lymphatica*. Nec opus est ut *partem mandantem* specialem laudemus, sufficit ipsa *Pulsio* universalis, & ὁρμὴ succedens infixæ huic spinæ. *Pars recipiens* est exquisitissimi sensus, non tam quoad vasa quam quoad poros minutissimos, quos illatus calor & dolor dilatant, & archeum stimulant, sicque eandem læsionem magis adjuvant. *Wedel u.*

[15] *Curatio* est *Difficilis*. [16] *si* in regionibus & [17] temporibus frigidis oboritur, quia membra stringuntur, *si* [18] pueros infestat, quia ab imbecilli capite continuò affluit, *si* [19] dolor diu perseverat, [20] quia materiam, aut erodentem, aut [21] vehementer distendentem, aut suppurantem arguit: *si* [22] fit per consensum à [23] membranis cerebri, & [24] partibus intra cranium contentis, *si* grana sordium parva in oculo apparent, quia [25] maturationis tarditatem significant.

Facilior, *si* est per consensum ab externis [26] *si* lacrymæ sint copiosiores, quia citius ad finem pervenit, *si* [28] alvus est cita, quia [29] alvi profluvium ab ea liberat.

Prognosis.

15. *Curatio est difficilis*) Ophthalmia quidem ex se non est lethalis, neglectam tamen, vel male curatam, gravissimos, imo incurabiles aliquando morbos accelerare certum est. *Galen* 3.m. m.3. id quod mulier apud *Forestum* l. 11. obs. 18 experta fuit. Quinimo licet methodice curetur, tamen funesta quædam ex improviso supervenire possunt; Hinc pro varia causarum ἐνέργεια & contumacia, partisque vel per essentiam, vel per consensum laborantis conditione, periculum modo augetur modo imminuitur; Diuturniorem capitis dolorem si ophthalmia correptis superveniat cæcitatis discrimen minitari docet *Hippocr.1.Coac.sect.2.* De febre accedente meliora sperat, quod ipsum tamen de ophth. facta intelligendum esse monet *Mercurialis*. Interdum subita *hæmorrhagia* malum in melius mutat, si à plethora ortum duxerit; nec minus *Diarrhœa* critice superveniens salutem recte *Hippocr 6.*aph.17. pollicetur. *Strausius.*

15. *Curatio est difficilis*) Ingenribus & variis casibus oculi nostri patent, Qui cum magnam partem ad vitæ simul & usum & dulcedinem conferant summa cura tuendi sunt, protinus autem orta Lippitudine quædam notæ sunt ex quibus quid eventurum sit colligere possumus, Nam simul ac lacryma, & tumor, & crassa pituita lacrymæ mista est, neque ea lacryma calida est, pituita vero alba & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non est, At si lacryma multa, & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idque in uno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est. Idque Lippitudinis genus minime cum dolore est, sed vix ante xx. diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat, sed quandoque finitur.

Si pituita alba & mollis esse incipit, lacrymæque miscentur, aut simul hæc utrumque oculum invaserunt, potest esse brevior, sed periculum ulcerum est:

Sicca & arida dolorem quidem movet, sed maturius desinit, nisi quod exulceravit; Tumor magnus si sine dolore est & siccus, sine ullo periculo est, Si siccus quidem, sed cum dolore est, fere exulcerat, & nonnunquam ex eo casu fit ut palpebra cum oculo glutinetur; Ejusdem exulcerationis timor in palpebris pupillisve est, ubi super magnum dolorem lacrymæ salsæ calidæque eunt, aut etiam si tumore insinitu diu lacryma cum pituita profluit.

Pejus etiamnum est ubi pituita calida, aut livida est, lacryma vel calida, aut multa profluit; caput calet, à temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturno vigilia urget, Siquidem sub his oculus plerumque rumpitur, votumque est ut tantum exulceretur. Intus ruptum oculum febricula juvat. Si foras jam ruptus procedit, sine auxilio est. Si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet; At si asperum crassum est, etiam post curationem vestigium aliquod relinquit. *Celsus de Remed. lib.6. c.6.*

15. *Curatio est difficilis*) Membrana sola affecta minus malum portendit. Per consensum capitis fere sæviora habet symptomata, quia quo pars nobilior affecta eo graviora symptomata curatuque difficiliora emergunt.

Quo benignior est humor eo melius sperandum & contra, Humor sanguineus est mitissimus, serinus omnis pessimus, biliosus, serosus, scorbuticus, Hic si diu perseveret, pupillæ tabem & φθίσιν arguit, aut oculi visusque corruptionem, ac destructionem.

Dolor urgens ac perseverans, pessimum, quod humoris acredinem, fibrillarum rosionem, & continuatum affluxum notat.

Modum eventus sortitur ophth. non unum, Si enim æstimetur ad inflammationum rationem, vel dispalescit sensim sensimque, receptis suos in alveos sanguine & sero, nec exulcerantibus amplius, quod salutare est & omnimodo procurandum, Vel tendit ad suppurationem, quod oculo funestum, Rarius tamen id contingit, nisi seri malignos, & dispositio cacochymica corporis læsionem gravius fuveat, ideo quia oculus natura sua frigidior est, porique angustiores, ut tantus abscessus respectu aliarum partium fieri non queat: Suppuratio vero levior superficiaria, in palpebris & partibus extra bulbum consistens, non adeo timenda.

Lacrymarum profusio vel affluxus copiosus & continuus, non adeo bonus, quamvis enim depleri videatur humor peccans, non tamen per locum affectum commode id fit, si gravius impetat & longius, continui affluxus indicio.

Quod si autem ad alias nobiliores transferatur partes materia, per metastasin, v. g. cerebrum, cor vel nucham, ubique res periculi plane evadit, ob symptomata graviora hinc exorienda.

Periculum etiam minatur si nova accedat fluxio, quæ cæcitatis vel suffusionis metum prænuntiat.

Si lippientibus caput assidue longóque tempore dolet, si malum latius serpit, & in malum morem abit, præsertim latente fomite in massa sanguinea, vix boni quid sperandum.

Imperfecte etiam solvitur si post se relinquat unguiculum, nebulam, ulcusculum in cornea, angustiam pupillæ, vel obscurationem, & interdum fistulam lacrymalem.

Per accidens contingit nonnunquam ut nonnulli post desinentem lippitudinem acutius videant quam antea, discussis turbantibus humoribus & consumptis. *Wedelius.*

16. *Si in regionibus & temporibus*) *Quæ causæ mediatæ sunt remotiores*, inter quas sunt 1. *Res naturales*, ubi *Temperamentum* calidum, idque tam humidum quam siccum, locum habet quandoquidem illud ad τὸ γίνεσθαι fieri, hoc autem ad τὸ παροξύνεσθαι exacerbari, valde disponit: Quanquam *frigida* quoque & *humida* δυσκρασία, excrementorum copiam colligendo, partiúmque totum laxando, pariter ac *frigida & sicca*, constipando atque exasperando malum hoc per accidens promovere possunt; Et hoc quidem in quavis *Ætate*, etiamsi *pueris & adolescentibus* concitatior motus majorque acrimonia inesse perhibeantur, dum interim *senes*, defluxionibus obnoxii, & interna eum debilitate conflictantes, causis & insultibus externis minus resistere valent: *Dispositio hæreditaria* suas huc vires frequenter exserit, id quod lippi à lippis genitinon obscure restantur.

Quoad *Res 2. non naturales*, *Aër* oculis plurimum negotii facessit. *Hippocr.* 3 *aph.* 5. 11. 12. & 21. *Cibus* & *Potus* calidior magni hic sunt momenti; de Vino id aperte notat *Hippocr. l. 2. de morbis*; neque contradicit *Aphor.* 3. 6. *Alimenta* crassa, viscosa, acria, vaporosa, inter ea quæ oculis nocent, numerantur, *Lucubrationes* plurimum conferunt, Qui in *Retinendis & Excernendis*, præsertim vero in *Animi passionibus* committuntur excessus, grave pondus obtinent. Pertinet huc *conturbatio insignis*, qua potius quam *contagio* studiosus ille apud *Diemerbroeck* 3. *Anat. c. 13.* gravem sibi ophthalmiam contraxerat.

Res 3. Præter naturam varios nobis ostendunt *morbos præcedentes*, inter quos *Evacuationes consuetæ*, quæcunque tandem fuerint. *Suppressio*, cum partes affectæ debilitate conjuncta, valde frequens est. Sic *menses suppressos*, *Variolas* &c. sequuta est; Quid *viscerum* hic *consensus*, quid *Febres* efficere valeant annotat *Hippocr. l. 6. aph. 3.*

Pertinent huc *Ictus*, *Vulnera*, *concussiones*, *casus ab alto* &c. Quibus merito quæ μὴ ἐξ ἀνάγκης forinsecus incidunt, oculosque lædunt, & præeunte *calore & dolore fluxiones excitant*, adjiciuntur, utpote quorum tanta sæpe vis est ut etiam *causæ proximæ* naturam induant; Sunt autem e. g. *Pulvis*, *fumus*, *oleum*, *acetum*, *insecta varia* &c. *Strausius.*

16. *Si in regionibus & temporibus* &c.) In regionibus frigidis & temporibus frigidis minoratur ophthalmia, sed est prava, & paucitas quidem ejus in eis est propter quietem humorum in ipsis & congelationem eorum. Ejus vero pravitas est, quoniam quando comprehenduntur in membro, non resolvuntur velociter propter coarctationem meatuum, quare extenduntur magnifice, donec accidat ut ex iis findatur panniculus &c. Regiones calidæ faciunt ophthalmiam sicut Balneum valde calidum. *Avicenna.*

Cur regionibus æstuosis Ophthalmia fit frequentior graviorque, ait *Valescus de Taranta* fieri quod humores sunt magis cursibiles & vapores sunt plures. Ast frigidis locis vapores sunt plures, Forte respondebis illos esse frigidos, fervidos autem posse maximè movere ophthalmiam. *Schneiderus.*

17. *Temporibus*) Malo huic generando maxime conducit constitutio temporum, ut docet *Hippocr.* 21. 3. Si hyems fuerit sicca & aquilonia, ver vero pituitosum & Australe, æstate & lippitudines fieri consueverunt, præcipue in mulieribus & viris natura humidioribus.

18. *Si pueros infestat*) *Avicenna* ait in pueris difficilius curari; Unde & disquirit *Sillanus*, Dubitatur in qua ætate mag[illegible] accidat Ophthalmia? Dicendum quod in *pueritia*, Ratio, propter eorum ingluviem, & eorum mollitiem, & eorum tenebrositatem, & humiditatem, *Faventinus* & *De Gradi* propter humiditatem magnam & texturam raram; *Sennertus*, Pueri, *ait*, habent caput imbecillum excrementique plenum. *De Gradi*, de senibus ait, Ophthalmia antiqua in sene, vel aliter debili non curatur ut Catarrhus. *Schneiderus.*

19. *Si dolor diu perseverat*) Ophthalmia quæ antiquatur, in qua non proficiunt medicamenta, est pessima inter omnes, quoniam significatur humor corruptus, inviscatus, corrumpens nutrimentum, aut quia venæ intrinsecæ capitis materiam administrant, *Gordonius*: Quando adest ophthalmia, & oculi dispositio mutatur continens cum cura recta & purgatione ultima, tunc causa ejus est materia retenta in oculo corrumpens nutrimentum, & catarrhus ex cerebro & capite, perseverat & ob catarrhum. *Avicenna.*

Gravitatum mali sic ostendit *Gordonius*, Ophthalmia non est negligenda, quia si male curetur malas reliquias dimittit, sicut est macula, pannus, tela, & ita de aliis *Celsus* periculum magis intendit. Solent, *inquit*, etiam Carbunculi ex inflammatione nasci, nonnunquam in ipsis oculis, modo ab interiore; Pustulæ quoque ex inflammationibus interdum oriuntur, Ex Pustulis ulcera interdum fiunt. *Octavius Horatianus* gravissimum oculorum tædium proclamat.

Ophth. in uno oculo incipiens ad alterum ut plurimum transire consuevit. *Riverius.*

Ophthalmiam *diuturnam*, aut sæpius *recurrentem*, facile visus hebetudo insequi potest, partim ob membranas incrassatas, partim ob humores impuriores redditos. *Etmullerus in Praxi.*

20. *Quia materiam*) Nonnunquam graviore ophthalmia plus humoris, plusque vaporis per arterias in intimas oculi partes simul confertur, ut homo tandem oculis hebetior reddatur; Eoque fit ut nubeculæ, ceu muscæ exiguæ, etiam finita ophthalmia, ob oculos versentur. *Schneiderus.*

21. *Vel vehementer distendentem*) Huc pertinet Ophthalmia flatuosa, quam *Nic. Piso.* ex *Mesue* hac via curat, *Si ex flatuoso spiritu tunica adnata distenditur, vaporationibus ex milio aut sacculis ex milio, & furfure paratis curatur, aliisque digerentibus, evacuantibus & discutientibus medicamentis; Vitanda autem sunt quæ repellunt & adstringunt.* Huic ophthalmiæ, inquit *Mercurialis*, nulla debetur venæ sectio, nisi dolor adsit vehementissimus.

Aliquanto secus *Zacutus*, *Si inflammatio est magna, semper vena est secanda, etiamsi à flatu concitetur.* At illi flatus liberi non sunt, nec sursum tendentes petunt oculos; ut iisque faciunt inflammationem, sed ii insunt in sanguine, qui semper detrahendus est, post sudor quoque provocandus citata alvo. *Schneiderus.*

22. *Si fit per consensum &c.*) Vetus opinio est Ophthalmiam à capite & cerebro, A venis quoque & à toto corpore oriri. Quidam ex cerebro humorem contendunt per cranii foramina in oculos ire; Alii per nervos opticos. Alii è medio cerebro vapores prorumpere aiunt in oculos, Nolo nunc hæc scrupulosius infirmare, ipsa per se levia sunt & cassa. Nec magis liquebit humorem vaporemve de hepate, de *liene*, de *utero* in oculos recta trahi; Halitus de illis membris in altum levari in cerebrum ipsum, obstante diaphragmate, & ipso etiam collo interiore, quo clauditur thorax, nulla vi, nullaque tenuitate penetrare po[illegible]unt, *Vasa sanguinis* quidem præsto sunt, verum humores nec per ea sanguinisve vascula, quæ stomachi sunt aut hepatis, aut splenis, aut matri[illegible], ad cerebrum poterunt ejusmodi iter parare, Arteriæ [illegible] de corde omnem vim sanguinis in illa ducunt viscera, Venæ quidem eum ad supera revehunt, verum is dextrum cordis sinum, & mox pulmones transeat oportet; tandem portio ejusdem sanguinis de sinistro cordis sinu, aorta superiore micante in cerebrum venire poterit, ast hic communis est sang[illegible]s & variè mixtus, non privatus sanguis qui vel ad jecur, vel ad *lienem*, vel ad *matricem* pertineat. Atque sanguis illorum viscerum, *hepatis*, *lienis* ac *uteri* valetudine noxius,

potius, aut in pulmonibus subsistere poterit, aut à trunco aortæ ascendente potius repelli ad inferiora quam ad editiora corporis, sæpe vitium est in hepate, in liene, in utero, ex eadem massa sanguinea humore noxio fluente in oculorum vasa, ut ophthalmia subnascatur: minime autem judicandum est eam ex illorum membrorum ægritudine pendere. Hæc oculorum inflammatio aliquando finitur oriente *podagra*, ac repetit quoque hac cessante. Consimiliter morbus oculi, teste *Saxonia*, inflammationem hepatis excepit, & hæc vicissim illum. Si quis in vita sæpius Ophthalmia oppressus fuerit, heparque istius hominis defuncti, corpore insecto, vitiatum repetiatur, haud recte philosopharis si illam ophthalmiam existimaveris non aliunde quam ab illo laborante viscere ortum fuisse; Tam impura interdum est massa sanguinea, ut complurium partium inflammationes simul concitari queant. *Schneiderus l. c. p. 25.*

23. *Per consensum a membranis cerebri &c.*) Rem sic habeto, Ex vasis & sanguine Cerebri sincerus, pituitosus aut serosus humor nunquam exit, qui recta meet ad oculos; Sed is arteriis capitis ac cerebri clausus fertur in oculos, ad quos carotidis internæ rami tendunt. Hi si sanguinis plusquam oportet, majorique vi inferunt, supervenit Ophthalmia: Totum corpus si authorum interpretatione est massa sanguinea, mecum faciunt; at iidem simul abnegant humores & vapores vel per foramina cranii, vel per nervos, vel per vasa sanguinis recta in cerebrum, & hinc in oculos ipsos ferri, ut ne vero falsum misceant, méque ac seipsos circumveniant. *Idem pag. 27.*

25. *Si fit per consensum à membranis &c.*) Ophthalmia per consensum à dura & pia matre, & à partibus intra cranium contentis sæviora habet symptomata, & difficilius curatur quam ea quæ fit per consensum à pericranio & partibus extrinsecis. *Dominicus Leonus*, ex quo *Sennertus*.

23. *Per consensum à membranis cerebri*) In Nosodochio Patavino aliquoties observavi quod post capitis contusiones 7°. vel 9°. supervenientes ophthalmiæ, aut saltem fluxus lachrymales oculorum, eum eorundem rubedine, signa imminentis ineruot mortis, quod innuant jam factam inflammationem cerebri, ejusque membranarum, & hinc imminentem membraoam & necrosin. *Ermullerus*. Vide supra §. *Est tunica annata inflammatio*.

23. *Per consensum* *Rondeletius* cap. 47. fieri etiam ait ophthal. per *consensum ventriculi*, h. e. quia ventriculus causam præbet, aut morbum fovet; In his commendatur vomitus, modo excitari possit sine magna perturbatione, nam motus vehementes materiam agitant, & humores agitati facilius in partes imbecilliores fluunt. Verum vomitus, dissolutio stomachi & nausea statuantur signa stomachalis ut vocant ophthalmiæ, Sed nulla eo, quo illi hic volunt modo, originem suam à stomacho trahit. *Schneiderus*. Sic conferente symbolum *Liene* cuidam profuisse recordamur Apozema ex *rad. liquir.* polypod. *scorzon. salsepar. cort. cappar.* herb. *ceterach*, *fragar. beccabunga* &c. Præterea cum tartarea & viscosa quædam materia, guttulis sanguineis permista per alvum excerneretur, præsentem [illegible] tulerunt *Pilula ex terebint. Ven. cum aqua beccabung. & flor. tilia lota, Extr. fol. senna, succini albi prap. croci martis aper. sale cochl. & conf. alkermes* compositæ: [illegible] hac ratione quoque aliis occurrendum causis. *Strau[illegible]ius*.

2[illegible]. [illegible] *fit per consensum à membranis cerebri &c.*) *Avicenna* Ophthalmiam quæ est cum communitate capitis, significare ait *Sedam & gravitatem capitis*, *nam si via fluxus à cerebro ad oculum non est nisi per velamen extrinsecum cooperiens caput, frons est extensa, & venæ exteriores sunt plena, & similiter inflatio incipit venire ad palpebram, & in fronte sunt rubedo & pulsatio, & si est per velamen intrinsecum, non apparet istud, & apparet sternutatio, & pruritus in naso & palato.*

Sed signa sunt cassa & vana quibus Authores humorem de quo nascitur ophthalmia ex ipso cerebro dimanare existimant, Ophthalmia suboriente serum exsudat quod per foramen in orbita oculi extans in nares defluit, Unde sternutamenta facile cieri poterunt.

Ista autem ophthalmia arteriæ externæ pertinentes ad oculos maxime laborare poterunt. Atque ex vasis narium internis & externis ejusmodi vapor aut humor exire potest, qui tunicam irritando sternutationem facit. *Pruritus palati* quid annuntiabit? Est sanguinis totius corporis totiusque massæ sanguineæ; De ea sanguis in capitis partes mota ophthalmia fluit: hinc capitis dolor & gravitas, rubedo faciei, pulsus venarum, sternutatio palati pruritus. *Schneider. pag. 59.*

24. *Partibus intra cranium contentis*) Hinc vetustiores qua Græci qua Arabes, in Ophthalmia curanda caput esse censent, *Caput cerebrumque curare*. Hippocr. lib. de locis [illegible]. Et paulo post [illegible]. Nec non *Avicenna*, Quum initium est ex velaminibus intrinsecis tunc cura est difficilis, nisi sit ejus resolutio secundum evacuantia fortia, cum administratione Emplastrorum confortantium caput. *Bened. Vict. Faventinus*, ubi, *inquit*, in capite aliquid plenitudinis remanserit, cujus occasione Lippitudo perseveret, & si mitiori modo Lippientem affligat, tunc ut id quod intus in capite remansit ex toto absumatur &c.

Igitur cum plurimum de toto capite fluentes humores ad oculos in iis ophthalmiæ progignantur, ut author est *Galenus 3. aphor. 11.* & ipsarum materiæ jam concoctæ fuerint, & caput purgatum, modo rationi convenit ipsum caput confortari, & ad temperiem duci, ne ultra malos humores generet, & ob hoc ophthalmia recidivet, Et per hoc quintam Ophthalmiæ intentionem curativam aggrediar, quæ est membrorum corroboratio, Roborantur itaque caput & oculi, tum per ea quæ manducantur, & per ea quæ potoi condonantur, tam per ea quæ extrinsecus oculis adhibentur: *Hac Faventinus.*

At illa *cephalica* medicamenta, cerebralia & *ocularia*, ut vocant, sunt hoc loco vana prorsus & inefficacia, cum sanguis capiti, cerebro & oculis concitatius invehitur, illa membra ob id male afficiuntur, sana fiunt vicissim eo revocato istóque impetu sedato. Si autem adnata oculi tunica tandem gravitate ophthalmiæ violatur, ei euphrasia aut chelidonia, quonam tam specifico, ut loquuntur, & tam appropriato modo auxiliabitur?

Tales herbæ, *inquiet aliquis*, fortasse remedia dirigent ad oculos? At si bibitur potio ejusmodi cephalica, cerebralis aut ocularis, ejus liquor manat in cavam cavam, ac inde in dextrum cordis sinum, & mox in sinistrum, onde sursum & deorsum fertur, quantum illius potionis in inferiora membra fluit? quantum per renes emittitur? *Betonica* stomachum, hepar & caput juvare creditur, qua vi tam privatim proderit oculo, qui ex tam diversis partibus, ex tot tunicis & ex illis h[illegible]oribus constat? Nunc *verbena* cui membro non subvenire dicitur? ac eam quoque solum Thessali collyrium habet, *Euphrasia* siccat cunctum corpus & tandem rheuma oculorum. *Fœniculum Mesues* laudet flatuosa ophthalmia urgente, Ac quæ sunt illa frigida Cephalicas

Syrupus rosar. solutivus, quod membrum non refrigerat Rosa? cur ea luc privatim succurret? *Schneiderus l. c. p. 82.*

[25]. *Maturationis tarditatem*) Qnando res eo devenit ut inflammatio non possit suppurari, vel digeri, vel derivari, fere perit oculus: Si autem eo venerit malum, præstat dimittere oculum quam certo perire & mori, quod est incidere in gangrenam cerebri. *Emmullerus.*

[26]. *Si lacryma sunt copiosiores*) Unde sæpe sensus videndi obtunditur; lacrymæ certe, quæ ex superne defluunt large, ipsi pupillæ caliginem inferre queunt. Quin homines ob continuatos fletus lumine oculorum orbatos fuisse constat. *Schneiderus.*

[26]. *Lacryma copiosiores*) Ophthalmia est velocioris status in qua lacrymæ magis currunt, & quæ acutiorem habent mordacitatem. *Aëtius tetr. 2. serm. 1. cap. 2.* Quo magis est humida Ophthalmia eo citius finitur. *Avicenna.*

[26]. *Si lacryma sunt copiosiores &c.*) *Celsus lib. 6. cap. 6.* hanc instituit prognosin, Protinus, *ait*, orta Lippitudine quædam notæ sunt ex quibus quod eventurum est colligere possumus: Nam simul ac lacrymæ & tumor, & crassa pituita cœperint, si ea pituita lachrymæ mista est, & ea lachryma calida est, pituita vero alba & mollis, tumor non durus, longe valetudinis metus non est. At si lacryma multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idque vel in uno oculo, longum id, sed sine periculo futurum est. Idque lippitudinis genus minime cum dolore est, sed vix ante xx. diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat, sed quandoque finitur. Si pituita alba & mollis esse incipit, lacrymæ miscentur, aut si simul hæ utrumque oculum invaserunt, potest esse brevior, sed periculum alienum est. Pituita autem sicca & arida dolorem quidem movet, sed maturius desinit, nisi quid exulceravit. Tumor magnus si sine dolore est, & siccus, sine ullo periculo est. Si siccus quidem, sed cum dolore est, fere exulcerat, & nonnunquam ex eo casu fit ut palpebra cum oculo glutinetur.

[27]. *Lacryma copiosiores & mordaciores*) Lacrymarum destillantium notanda varietas, nam interdum effluunt acres, tenues, vel quasi corrosivæ in inflammatione periculosiore, utpote quæ tunc magis dolet, ardet & instar erysipelatis cujusdam infestat: hinc tales lacrymæ ex *lympha* similiter acri oriuntur, & quibusdam *Ophthalmia biliosa* dicitur. Interdum *lacryma non corrosiva*, sed potius *subdulces*, aut quibus palpebræ glutinantur & coviscantur, dum lympha lacrymalis est magis crassa & viscida, concurrente simul aliquali nutrimenti proximi partis læsæ corruptela; quæ tamen melior est quam tenuis & salina. *Emmullerus.*

[28]. *Si alvus est cita &c.*) Ophthalmia citatiore alvo curatur, ut docet *Hippocr. 4. aph. 7. 6. aph. 17.* In Coacis 10. Quæ Lippienti sponte diarrhoea cietur salubris. *1. de loc.* Post balnea sæpe gravis somnus, sæpe sudor, sæpe alvi dejectio pituitæ cursum finit. *Celsus l. 6.* Ante omnia si bene purgatum fuerit caput & venter, oculi nullam possunt invaletudinem sustinere. *C. Plinius Valerianus.*

Superveniens autem *Alvi fluxus* bonus est, quia humorum abundantia educitur, & ad inferiora retrahitur.

[29]. *Quia alvi profluvium ab ea liberat*) Hinc Purgantia nunquam inutilia videntur, Attamen *Aetius* admodum provide, Si neque ætas, neque anni tempus, neque stomachi imprimis debilitas, aut alterius cujusdam visceris, neque aliud quodpiam magnum impedimentum adfuerit, Purgatio est sumenda: *Saxonia* rationem febris habet, tunc ex *Rhasis* consilio exhibenda lenientia: unde *Jul. Cæsar Benedictus*, Si adest febris, hæc prohibet valida purgantia, aliter in Ophthalmia admissa, à *Galeno 13. m. m. c. 11.* ajente se purgante valido unica die oculorum inflammationem sustulisse. Sive ergo à phlegmatico, ut loquuntur, humore, sive à bilioso, sive à melancholico oriatur Ophthalmia, *fortibus* acrioribusq; purgantibus locus est omnino. Oculus est membrum nimis dissitum, Natura igitur fortiori medicamento est lacessenda, ut ejusmodi humores revocari queant; Ii autem ejusmodi medicina levi duntaxat moventur, ut ait *Sennertus Tract. de Arthr.* verum tali medicamento non agitantur modo sed & excluduntur. Unde *Plempius*, Eos voco, *inquit*, ad summum judicem *Hippocratem.*

Hic *l. de Locis* ita decernit, Si ubi fluxio in oculos processerit, statim fuerint inflammati, nihil omnino illinc, sed & fortissimo per interna purgato, aut alio quopiam per alvum subducente medicamento attenuato, vitando ne vomitum facias: Ac *Christ. a Vega Pilulis sine quibus*: Hæ, inquit *Al. Massarias*, ad purgandos tenuiores humores & calidiores, *Pilula lucis* ad crassiores & frigidiores sunt magis accommodatæ. *Galenus* fortia Purgantia hic judicat necessaria. *Paulus* & acriores Clysteres requiri ait: Hos cur D. D. *Sennertus* hic deserit? Ego certe Ophthalmias nunquam nisi valentioribus purgantibus curari posse comperi, ait *Schneiderus.*

De usu purgantium sic statuit *Riverius*, Debet fieri Purgatio ex medicamentis blandioribus, ac sanguinis fervorem cohibentibus, vitatis diagrydatis, e. g. ℞. *Tamarindorum* ℥ß. *sennæ mund.* ʒiii. *sem. anisi* ʒß. *fol. endiv. cichor. fumar.* ā̄ā. *m.* ß. *coqu. ad* ℥iii. *In colat. infunde rhei el. & myrobal. citrin. oleo amygd. d. confric.* ā̄ā. ʒi. *santal. citr.* ℈ß. *In expressione dissolve manna & syrup. rosac.* ā̄ā. ℥j. *m. f. Potio.* In Ophthalmia *pituitosa* Pilulæ non raro præscribuntur; nempe *Lucis major. &c.* quæ quidem licet in statu morbi commodissimæ sint, sanus tamen est initio ab iis abstinere, ne vehementi medicamento humores commoti in partem affectam irruant. Neque unica purgatio sufficit, sed ea per intervalla repetenda si morbus in longitudinem abeat; præmissis præparationibus conv[illegible]bus per apozemata, vel julepos humori peccanti appropriatos. Imprimis vero ab initio morbi humorum fervor temperandus est julepis refrigerantibus & incrassantibus, vel Emulsionibus 4. semin. frigid. major. lactucæ & papav. albi in decocto refrigerante addita aqua rosacea.

[31]. *Peragitur*, secundùm methodum aliarum inflammationum.

[32]. *Notandum in ea*, 1. [33]. Venæsectione interdum intra horæ spacium maximas ophthalmias sublatas.

2. [34]. Vesicatoria post aures applicata [35]. benè revellere. Laudatur [36]. *farina Erucæ* in sacculo interpassato, cum vino cocto, repetitis vicibus calidè è regione oculi apposito, apud Hartm.

3. [37]. [illegible]rrhina [38]. si æger per nares excrementa capitis evacuare consuevit, & quidem mediocria, exhibenda.

4. [39]. Topica [40]. nonnisi exactis tribus diebus, & quidem actu tepida, [41]. mordacitatis expertia,

pertia benè mundata, à proprietate juvantibus castigata, [42.] repellentibus; [43.] quæ nec nimis frigida, [44.] nec nimis adstringentia, nec nimis sicca, [45.] fronti & collo statim apponi possunt, & [46.] Anodynis, quæ si affluxus major metuitur, oculo benè ab initio applicantur, exceptis, applicanda.

2. [47.] Lac muliebre singulis horis mutandum, ne diutina mora à calore oculi, acrimoniam contrahat.

3. [48.] Opium & Opiata non nisi necessitate urgente adhibenda.

4 [49.] Ne suppuratio intus fiat, diligenter cavendum.

5. In [50.] Diæta [51.] vinum & [52.] balneæ in declinatione permittantur.

Cataplasma ex *medulla panis tritici, & pomi assati, cum lacte muliebri, pauxillo croci & [54.] sacchari [55.] Saturni* [56.] vehementer laudatur. [57.] Sic & aqua [58.] ex *succi Cancror destill.* ℔. ij. *Aqua Rosarum* ℔ i. & [59.] *Croci metallor. unc. ß.* simul infusis: [60.] Nec non *Aquar. Euphras.* [61.] *Fœniculi ana unc. v. cum croci metallor, dr. j. quibus aliquid aqua Rosarum* addi potest.

Ex [62.] *repellentibus* & refrigerantibus sunt [63.] *flos frumenti* seu baptiseculæ; *mucilago semin. cydonior.* cum aqua rosarum, *gramen trium nodorum* decrescente lunâ evulsum. [64.] *pomum vinosum vel Borsdorffianum*, in aqua vel lacte muliebri contusum & applicatum, *saccharum saturni* cum aqua rosar. & euphrasiæ & pauculo tuthiæ.

[65.] Inter Discutientia etiam locum obtinent *Sarcocolla* lota, & *Tuthia vera Arabum*, quæ sine morsu siccat.

[30.] *Peragitur*) *Interne* etiam ex fonte *Pharmaceutico* Ophthalmiæ contumaciores, aut ex *lympha* dyscrasia sæpius recidivantes curandæ veniunt, adeóque præter *Purgationem* ex *Jalapa* factam, *Decoctum lignorum*, præsertim *Juniperi* & omnia *Juniperina* sunt optima. Sic *Horstius l.1.obs.32.* observat Ophthalmiam contumacem, aliis irritis decocto *sassafras & lignorum* curatam. *Rulandus in Thes.Pract. p. 67.* refert de muliere 40. annor. oculi rubore, dolore, lacrymis & cæcitate diu affectâ, quæ, irritis aliis, 10. dierum spatio hisce convaluit. Purgata prius fuit *Pilulis*, hinc *decocto* ligni s. per 10. dies usa, post sudorem imposuit aquam *ophthalmicam* ex antimonio, & sic convaluit. *Etmullerus.*

[30.] *Peragitur secundum methodum*) Ad Ophthalmiæ curationem *causa externa* primum removendæ sunt, tum *antecedens* evacuanda, revellenda ac repellenda, *Conjuncta* derivanda & discutienda, & *pars affecta* roboranda. *Riverius.* Causæ quælibet *remota* oculum hostiliter afficientes, removendæ; adeóque nunc *externa*, læsiones curandę, nunc *interna*, acres, acidum, vel salsum corrigendum. 2. Sanguis in oculo stagnans partim resolvendus, partim in naturalem circulum restituendus. *Etmullerus.*

[31.] *Secundum methodum aliarum inflammationum*) Curatio duobus absolvitur, Indicationibus, & Materia præsidiorum. *Indicatio curatoria* morbum seu inflammationem oculi auferre jubet, *Præservatoria* solicita est de causarum remotione, ut causa morbifica, si quantitate peccat, diminuatur, si qualitate, alteretur, si motu & fluxu revellatur, derivetur, resolvatur & discutiatur, *Vitalis* tonum oculi & totius attendit, ut symptomata urgentia mitigentur, & commoda *Victus ratione*, & medicamentis corroborantibus Archeo subveniatur. *Præsidiorum materia* ex triplici usitato fonte depromendæ. Primarium *Fontis Chirurgici* remedium *est vena sectio*, hinc *arteriarum minorum*, *Cucurbitula scarificata, sicca, Vesicatoria, Fonticula Setaceum, Frictiones*; Præter hæc universalia præsidia Chirurgica, aliquando & specialia necessaria sunt, ut si quid illapsum oculo aqua elui minus queat, Si *pili palpebrarum ad oculum deflectant*, eumque pungant, *resecentur & extirpentur. si lema & lacryma* molestiæ detergantur.

Ex *Pharmaceutico* Fonte curationi inserviunt humori peccanti debita *Evacuantia*, & tum humori, tum parti affectæ *Alterantia*. Saburram è primis viis expediunt *Lenientia* [illegible], quæ & reliquis medicamentis apparant aditum, & fermentum intestinorum exuperans, bilem & pituitam blande detergunt; Eodem usu & clystere, & suppositoria conducunt.

Dum *Præparantia* ante purgantia commendamus divisas operas alterantis & Purgantium esse debere innuimus.

Purgatio.

Eminentius serosos & biliosos humores è glandulis intestinalibus, & consecutive è massa sanguinea eliminant *Purgantia*, Quod Revellentia sunt laudata quoad circumferentiam & ambitum humorum, id purgantia in centro quasi & radice, Dum enim cacochymiam auferunt, de fæcant reliquos succos, ut blande decurrant, nec exundent vel exorbitent; Visa est nō raro Ophthalmia sola purgatione curata, quæ via commodissima est & maxime naturæ conveniens; prodesse hoc fine possunt medicamenta ex *rhabarb. jalapa, scammon. extr. helleb. nigr. panchym. Crollii* &c.

Vomitoria omnino dissuademus, cum à violenta & coactiva illa motione humorum *rubor* jam præsens in facie promoveatur magis, adeoq; hoc impulsu valido sanguis magis magisq; in oculos propellatur. *Wedelius.*

Sanguine sufficienter detracto *Purgatio* etiam celebranda est, ut biliosi humores, præsertim qui sanguinis fervorem & impetum conciliant, evacuentur; Eam autem maxime convenire docuit *Hipp l.6.aph* ubi ait, *Lippientem alvi profluvio corripi bonum.* Galenus *13.m.m.c.11. Ex iis*, inquit, *quibus oculi tentati phlegmone aperiunt, nonnullos sola purgatione per alvum uno die sanatos vidimus* Debet autem fieri Purgatio ex medicamētis blandioribus, ac sanguinis fervorē contēperantibus, vitatis diagrydiatis, E.g.

℞. tamarind. ℥ß *cinnam mund.* ʒiij. *sem. anis.* ʒß *fol. endiv. cichor. fumar. āā. m. ß coqu. ad* ℥iv, *in colat. infunde rhabar. el. & myrobal. citr. āā.* ʒj. *santal. citr.* ℈ß. *in expr. dissolve manna & syr. ros. āā.* ℥j. f. Potio.

In Ophthalmia pituitosa *Pilulæ* non raro præscribuntur, quæ licet in statu morbi commodissimæ sint, satius tamen est in principio ab iis abstinere, ne vehemēti medicamento humores commoti magis in partem irruant.

Neque unica purgatio sufficit, sed ea per intervalla repetenda, si morbus in longitudinem abeat, præmissis præparationibus convenientibus. *Riverius.*

Diaphoresis.

Diaphoretica, ut omnium inflammationum remedia sunt genuina, ita quoq; hic apprime juvant, quo nimirum affluxus, & copia materiæ minuatur, & humores redeant in ordinem legitimumq; statum Laudari hinc poterunt *ebur & c. c. s. igne, unicornu verum & fossile, lapis beZoar. oculi cancri, antimoniata, cinnabar. mercurialia* rite præparata &c. cum ophthalmicis miscenda & aliis, *aqua card. ben. scord. sambuci &c.*

Diuresis.

Utilia sunt & *Diuretica* mitiora, quæ serum fundunt & ad renes ac veficam ex toto corpore educunt, qualia ex *nitro*, *succino*, *lap. cancror.* & aliis mutuari licet. *Wedelius.*

Notandum in ea) Advertendum etiam quod in morbis oculorum semper ægri caput altius est locandum. Ac non modo dolens, sed & sanus oculus claudendus, quia parti dolenti quies semper est necessaria, at oculus unus altero immoto moveri nequit, propter eam quæ ipsis inest per nervos & membranas connexionem, quæ causa est cur patienti uni alter condoleat.

Notandum etiam remedia omnia tepida esse applicanda, tum ut calore moderato penetrent facilius, Tum quod omnia actu frigida oculis & visui sint inimica, quia visivos spiritus incrassando visum hebetant. *Vigierius.*

32. *Notandum in ea*) Causarum ophthalmiam antecedentium magna habenda est ratio. Nam notante *Horstio l. 7. obs. 27.* ophthalmia ex *fumis metallicis*, frustraneis externis per interna mineralia curata fuit. *Bartholinus cent. 6. hist. 31.* ophth. in prægnante, quoties uterum gerit pertinaciter recurrentem, ptarmicis & v. s. curavit. *Zacutus* l. 1. pr. obs. 45. Gallicam ope *Mercurii* curatam refert.

33. *Notandum in ea*) Ad præsidia referri possunt quæ inspecta aut gestata, juvare creduntur, veluti *Achatem lapidem* inspicere, *laparbi vulgaris rad.* luna decrescente effossam gestare, *lapidem bubuli fellis* naribus indere, *Platerus.*

34. *Vena sectione*) Statim ab initio morbi vena secanda est præmisso Clystere, eáque è directo partis affectæ aperienda; sæpéque iteranda phlebotomia, donec sufficiens evacuatio & revulsio facta fuerit, docétque *Avicenna* in vera Ophthalmia sanguinem mittendum esse usque ad leipothymiam *Galenus lib. de cur. rat. per s. m.* refert historiam cujusdam Oeconomi qui à gravissima Ophthalmia liberatus est sanguine detracto primum ad ℔iij. deinde verò post quatuor horas ad ℔i. Cap. 16. ejusdem libri testatur Ophthalmias sæpe sola s. m. intra horam unam fuisse curatas, quod non potuit contingere nisi magna sanguinis copia detracta fuerit, sicut eo tempore passim fieri consueverat. Moderanda tamen est illa s. m. juxta temperamentum, ætatis, sexus, virium, & species Ophthalmiæ rationem. Major enim quantitas detrahenda in Ophthalmia quæ fit à sanguine, & in corpore plethorico; minor in biliosa, melancholica, pituitosa. *Riverius.*

An venæ sectio omnibus Ophthalmiæ speciebus convenit? Græci multoties spreta phlebotomia purgationem imperant. Sic consulit *Hippocr. 6. aph. 57.* Lippientem corripi alvi profluvio bonum. Subscribit *Galenus* qui t3. m. m. tt. inflammationes oculorum purgatione per alvum persanasse gloriatur, Arabes cum suo magistro *Avicenna*, in omni specie sanguinem mittunt. Dic perpetuo convenire etiam in Cacochymia, quia præcipua intentio est revellendi & sedandi dolorem, quæ indicationes, cum magnitudine morbi conjunctæ, plurimum urgent, etsi à causis externis oritur: Hippocr. autem non prohibet v. s. sed post hanc celebratam, alvi profluvium supervenfiens approbat, quia tum causa antecedens, tunc conjuncta vacuatur. *Zacut. Lusita.*

Celsus ita determinat, Si graves dolores sunt, commodius a . die, si tamen res urget etiam primo sanguis mittendus est, Utique si in fronte venæ eminent, si firmo corpori materia superest Si vero minor impetus minus acrem curationem requirit, alvum, sed nonnisi 2. aut 3. die duci oportet, At modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat. satisque est uti quiete & abstinentia.

Utrum inferiores an superiores venæ sunt tundendæ? *Serapio* & *Avicenna* mittunt ex cephalica; *Mesues* & *Rhasis* ex saphena Solve tu hoc modo. Sectio venæ communicantis à loco affectu citius attrahit, non tamen æque fluxum prohibet; ob necessitatem ergo celeritatis in inflammationibus internis incipimus a communicante. In externis doloribus, ab adverso vel remoto loco. In Ophthalmia magna & sæva, ob periculum & dolorem ab affecta parte prius exhauriendus sanguis; in miti licet à te o- tiore incipere: Vel dic, *Serapio* in pauca plenitudine gibberi venas feriendas docet; Reliqui in multa plethora ex talo vacuandum jubent, maxime si consueta vacuatio per hæmorrhoidas aut menstrua sit suppressa vel minuta, non eam primus sanguinis detractione revocare curabis, sed vacuato sanguine à toto: sæpe enim licet distantior videatur locus, longe utilior existit, quia semper consultum fuit accedere ad originem & originis principium. Postquam totum corpus sufficienter vacuatum est, & caput adhuc humore calido repletum existit, sanguinem mittit ex ramo venæ cephalicæ in carpo, venis nasi, frontis, sub lingua, angulis oculorum, quo expetet commodius quod in oculis ipsis infixum est. *Zacutus Lusitanus.*

In Ophthalmia gravissima si plethora maxima adfuerit, pharmaco expurgato corpore, venam in cubito primo, dein *jugularem* secare suleo, sic enim sanguis circa membranas cerebri, oculos, faucésque, ollectus protinus evacuatur. *Fabritius Hild. Cent. 5. obs. 14.* Ubi exemplo probat.

Vetustiores Medici quoque *venam frontis* aperiebant, *Est etiam* (inquit *Celsus lib. 6. cap. 6.*) *genus inflammationis, in qua si cui tument ac distenduntur cum dolore oculi, sanguinem ex fronte emitti necessarium*, Probat hanc *Hildanus cent. 5. obs. 17.* Est sectiu venæ frontis locale remedium, cujus natura postular ut universalia præcedant. Et tunc maxime convenit, ait *Angenius* lib. 7. cap. 8. quando materia amphus ad cerebrum non confluit, totiusq; corporis plenitudo fuerit exinanita; si vero secus accidat, maxime lædit remedium: Sanguinem etiam ex *naribus* quidam mittunt.

Arteriotomiam etiam plurimi celebra t.

De Cucurbitulis ita judicat *Celsus*. Præter hæc ab occipitio incisa cute, cucurbitula admovenda est, & *paulo post*, Cucorbitula quoque inciso vertice recte accommodatur: *Joh. Rhodius cent. 1. observ. 6.* Oculis cum inflammatione dolentibus, *ait*, nonnulli cucurbitulis cum scarificatione pone aures, ad venæ cephalicæ in humero initium appositis ex voto subveniunt Quod tamen vix imitandum ad evitar lam humoris attractionem.

Sanguisugas Æginetà, *Avicenna*, *Heurnius*, *Hollerius*, *Duretus*, ad parvum oculorum canthu n & ad tempora admovendas putant. Juvant & pone aures applicatæ.

De venæ sectione paucis sic determinat *Ettmullerus in Praxi.* In graviore malo conveniens est V.S. *revulsoria* quidem in *pede*, *aversoria* in ——o, *derivatoria*, si fieri poterit in *fronte*; Sane ad derivationem nil melius est, sed hocce habet inc——nodi ut laqueus collo injiciendus sit, quo melius tumeat, constrictis nempe jugularibus vasis, quu ipso tamen simul augebitur inflammatio, unde non aperienda est nisi rundi possit sine hac adstrictione. (*Sed hirudinibus illa vena admotis idem beneficium consequor quod per admotum phlebotomum.*

In *Vena sectione* prudentia opus est, ne ægro accidat, quod isti Sartori apud *Hildanum cent.5. Obs.18.* Cui Barbitonsor *Frontis venam* nulla præcedente corporis præparatione protinus inciderat: *Arteriotomia* 10 venis temporum administrata confert, authore *Galeno* 3.m.m.23. Monet tamen *Severinus Med. Eff.* pag. 47. Arteriarum sectionem non temere aggrediendam esse, sed ubi inflammatio ex sanguine spirituosiore & fervido, cum gravi oculorum dolore & pulsatione, tentatisque prius aliis auxiliis.

33. *Vena sectione*) Imo, cum fervidioris sanguinis appulsus feratur per arterias ad eundem arcendum & temperandum ipsa *sectio arteriarum* minorum in temporibus quandoque in auxilium vocanda; si malum v.g. revertatur sæpius, conjunctum sit cum dolore capitis, eoque pulsatorio, reliqua non juvent, viresque, ætas & artificis peritia consentiant.

Nec *Cucurbitula scarificata* dorso affixæ erunt de nihilo, præprimis si sanguinis copia non sit tanta, si æger adsuetus, habitus corporis consentiat, vel hæc ipsa evacuatio fuerit intermissa; ita enim vicariam venæ sectionis operam præstant, & per se insignissime revellunt ad partes eductioni huic majori cum euphoria aptiores. Institui potest scarificatio in dorso, brachiis aliisque partibus carnosioribus, imo & pone aures, quod ibidem decurrunt vasa propinquius. *Wedelius.*

33. *Vena sectione*) Non sufficit mittere sanguinem, quin evacuare oportet ichores sanguinis, vel melancholicum, biliosum, vel biliosum concoquere & evacuare. *Rondeletius.*

34. *Vesicatoria*) Vetula in Italia oculos habens lippientes, lacrymantes & saniosos, cum intenso dolore & prurigine, cum nullis remediis posset curari, tandem raso capiti Emplastrum vesicatorium impositum est, quo præsidio perfecte curata fuit. *Pet. Forestus f.b.obs.12. l.11.ex Gisberto Herstio.*

Si per venas extra calvariam descendat fluxio in oculos, post universalia remedia, cauterium aliqui in temporibus vel post aures applicant, Remedia restringentia & Empl. adstringentia supra tempora & frontem apponunt, prius tamen & corpore & capite repurgato. *Forestus ibid.*

34. *Vesicatoria post aures*) Pro aversione usitatissima, ac sane sæpe proficua sunt, in *nucha*, quæ mirum est quantum juvent in inflammatione oculorum; quia arteria ibidem se dividit in partem interiorem ad oculum progredientem, & exteriorem circa nucham hinc inde distributam; Vnde Vesicatoria dum in nucha faciunt dolorem, eo auctiorem sanguinis faciunt circulationem, ut minori copia circa oculum congeratur; Post *nucham* etiam *pone aures* feliciter applicantur, sicut *Cucurbitulis* pone aures applicatis inflammationem curatam notat *Rhodius cent. 1.obs.79.*

Ubi non suffecerint Vesicatoria, cum ulcus superficiale post aliquot dies denuo sanetur, *Setaceum* applicetur in nucha, Remedium in oculorum affectibus diuturnis summe proficuum, sed perquam molestum, Hujus Setacei in nucha remedium quasi vicarium est *auriculare setaceum*, loco auris perforatę immittendo radicem *thymeleæ arborescentis* (loco cujus chamælea vulgaris, seu *mesereon* potest substitui) nempe radicula dissecatur in fibrillas, quæ lobo auris perforato immittuntur; Exsiccata in orbiculos dividitur, postea maceratur in lixivio ex vitium cineribus facto; vel in aqua in qua nitrum solutum sit; sine præparatione enim aures corrodit & inflammat : quæ acrimonia etiam acidis obtundi poterit: Perforata aure, filo butyro delibuto trajecto, promota suppuratione, 2. vel 3. die fibrula radicis vel orbiculorum imponitur, quæ humores potenter ex capite elicit. Singulis diebus recens immittitur; prior tamen exsiccata & purgata 2. & 3. vice eundem præstat usum. Confert etiam *in suffusione* incipiente, aliisque malis visum hebetantibus. Hujus loco *rad. hellebori* admittit *Timæus.*

Loco setacei adeo molesti, in ophthalmiis vel contumacioribus, vel ex causa interna crebrius recurrentibus, quales in specie in infantibus observantur, *Fonticuli* optimo consilio *in brachio istius lateris* excitantur, quæ mirum est quantum possint, in infantibus etiam 5. vel 6. annor. inusti; *Etmuller.*

35. *Bene revellere*) Attrahentibus opus est, quæ avocent à parte ipsa, & aliorsum affluentem materiam invertant, ducant seu te vellant ad partem alteram oppositam, ubi tolerabilius & cum εὐφορίᾳ educi possit, adeoque pars altera liberari. *Wedelius Am. m. m. p. 84.*

35. *Bene revellere*) Ad eam rem *Frictiones* inferiorum membrorum admodum utiles existimat cum multis *Rhasis*, Si dolor, *inquit*, sit fortis, & comprimantur pedes ejus, & fricentur, & ligentur manus ejus, & pedes cum ligatura forti. *Petrus de Tussignano & Donatus Altomarius*, magno studio memorant hoc genus remedii. *C. Plinius* Lippientibus scribit aures esse fricandas.

Cauteria verticis ac cervicis *Avicenna*, *Mesues*, *Albucasis* admodum efficacia esse tradunt. Fiant, *inquit Rogerius*, duo Cauteria in *frontibus* juxta oculorum angulus; vel fit Cauterium in *collo*, vel duobus foobus, juxta oculos inter collum & nares, sub tenuitate aurium. *Riverius* probat cauteria inter scapulas, Vide ejus observationes communicatas.

Setaceum in collo probat *Johan. Michael Paschalius*, & administrationis rationem docet; *Leonellus Faventinus*, Setaceum, inquit, nullo modo juvat : Prædicant idem *Amatus Lusitanus, Duretus.* Silentio involvi non debet *Setaceum auriculare*, Vel *auris lobuli* affecti lateris perforatio, quam ceu singulare Ophthalmiæ remedium commendat *Thom. Bartholinus Centur. 4. histor.* 80. Confirmat exemplo *Riverius Cent. 4. observ. ultim.*

35. *Bene revellere*) Puella post variolas ex utraque oculo adeo laborabat ut de visu periclitaretur, Multa, sed frustra, præscripta sunt, Tandem setaceum applicavimus, cujus beneficio brevi curata fuit. *Fabritius Hild. obs. 41. cent. 1. Exemplo 2.* Ibidem vide duo alia exempla præstantiæ setacei in Ophthalm. In hoc affectu nihil est præstantius Setaceo in parte capitis posteriore applicato. *Eust. Rudius Art. Med.l.1.c.20.*

Ad fluxionem Oculorum divertendam applica tale Epithema nuchæ.

℞. *album. ovor. n.* ij. *croci* ℈ij. *alliorum centusor. n.* ij. *aqu. rosar.* ℥iß. Immitte omnia lanæ carptæ; Experimentum est Pastoris cujusdam, *Wolfang. Hæferus H. m.l.1.c.8.*

36. *Farina erucæ*) Mirabiliter enim ab oculo versus nucham trahit. *Joh. Hartmannus Prax. chym. p.m. 57. Fr. Joel. c. de Ophthalm.*

37. *Errhina*) Per nares & os cerebri excrementa repurgantia capitipurgia, in causa calida, quia nares fauce sque accendendo vicinos oculos quoque inflammant, sanguinisque influxum commovent, non conveniunt, minusque *Errhina*, cum sternutationem moveant, quæ oculos admodum ad rubedinem lacrymasque solet compellere, In reliquis vero causis, cum lacrymæ citra calorem alioquin, vel etiam in exulcerationibus manant, quando masticatoriis aut gargarismatis per narium amplitudinem ad fauces trahuntur, eas ab oculis divertunt, caputque ab humoribus

evacuando, post purgationes alias usurpata, profluxionem hoc modo impediunt: Quod & *Errhina*, nisi sternutationem movendo, oculos irritarent, facerent, cum ex oculorum orbita per foramen lacrymale ductum in nares lacrymæ naturaliter, ut & p.n. cum pure ferantur, quam evacuationem promovendo, nisi aliam ob causam nocerent, prodesse possent. *Platerus.*

38. *Errhina si ager*) Matrona ante xx. annos laborat oculi sinistri rubedine & debilitate: Medicus inter alia ordinat *succum betæ*, vitro misso paulo grandiori; jubetur haurire in nares prosuturum humorem, ut derivato ad nares actioni sero, liberaretur ab obsessione ingrata oculus. Illa, mole vitri inducta, Sanitatis cupida, diligenter naribus inculcat medelam. Sed tristi cum effectu; inde enim concussione facta oculi humores turbari, inverti, & de statu suo dejici, ut paulo post cœcitas omnimoda, cum imminutione bulbi sequeretur, nullo modo reparabilis. *Wedelius A. m. m. p. 458.*

38. *Errhina si ager*) Utrum *Errhina* in oculorum affectibus sunt usui? Quod sint reprobanda facit argumentum fortissimum, quia humores ad oculum attrahunt, cum per eosdem poros deferantur ad angulos oculorum & ad potos nasi: Sed hæc ratio non est sufficiens ut concedamus omnia Caputpurgia omni tempore esse arcenda, nam aliquando adhibita non leve ad curationem momentum attulerunt: Tam nasus quam palpebræ oculi expurgationi in naturali statu deserviunt, ob exquisitum oculi sensum, teste *Galeno lib. 1. de sanitate tu. cap. 18.* Quod si verum est cur salubriter non licebit materiam peccantem in oculorum affectibus post exquisitam purgationem ad nares derivare?

Hoc præceptum prius edocuit *Hippocr. l. de Loc. hum. xxi.* Si à carne & osse, *ait*, *muco inter os* & carnem subsistente fluxus ad oculos fiat, ex hoc manifestum fit quod inde profluit &c. Si autem in oculos paulatim fluxerit & pruritum fecerit, ad Nares medicamentum adhibebis.

In hunc sensum intelligendus *Galenus 6. Epid. 2. 33.* dum in oculorum affectibus narium transitus apertos esse edocuit cum *Hippocrate*, hic enim sic ait, Transitus aperi, ut nares: At Galenus sic in comm. Id per se quidem memoratu dignum est, conducit enim omnes supervacuorum excretorios meatus aperiri: Et cum superioribus verbis conjungi potest, duplicem sic utilitatem præbens, propriam quidem in oculis Rhyade affectis, Ergo ex mente *Galeni*, in oculorum affectibus nares aperire convenit, hoc est mucosam materiam, in oculorum tunicis impactam, per nares & eorum canales excernere iis medicamentis quæ expurgare nata sint: Posuit autem exemplum in *Rhyade*, cæterorum affectus subintelligens: Hoc etiam respiciens *Hippocr. 7. Epidem. Num. 37. Quibus fluxiones in oculis tenues ac diuturnæ, si natura in nares processerint, prosunt.* Quasi diceat, Si humor in oculis infixus per nares, sive à natura, sive ab arte purgetur, bonum: Quare post coctionem, atque exquisitam totius & capitis evacuationem, nasi fusoria, præsertim levia, in oculorum affectibus summopere prosunt: hoc enim tempore per eandem affectam partem vacuare *2. ad Glaucon* & alibi sæpe docuit *Galenus*, & eo magis per viam proximam, quod evacuationis genus derivationem rectius dixeris. *Zacutus Lusitanus.*

Gargarizationes etiam in *Xerophthalmia* probat *Celsus*, Mane, *inquit*, ubi concoxisse manifestum est, non aliemum est ex sinapi gargarissare, tum deinde caput atque os diutius ... ere.

39. *Topica* ... oculo affecto quæ applicantur remedia, vel *aperto oculo* induntur, Et vel *stillicitur* liquores tum simplices, tum compositi, cum materia solidiore, quos *Collyria* vocant, etsi proprie inde nomen habeant si prius in trochiscos vel alias formas redigantur, ut postea cum illis uti volumus præsto ad manum sint, & ad usum dissolvantur; Sed & *inunctum*, atque interdum in *Sinus* illac factos; Vel *imponuntur*, si spissiora aut sicciora sint, idque tere in oculi angulos, majorem præsertim, alias *palpebris apponuntur*; Alii *stylum argenteum* vel *essecum* politum in pulveribus liquore intinctis volutum, transversim oculo impositum, clausisque palpebris tractum, ut pulvis in oculis maneat, sic oculo indunt, aliisve artibus adhibent; Nonnunquam & *Pulveres* subtilissime, & in *alkool.* in cote triti oculis insufflantur; Interdum *Emplastra* exigua *oculi angulo* affecto *majori* imponunt, sic ut simul circa nasum cum illic adhæreant; Alia vero *oculo clauso* foris modo emplastri, vel fotus cum panno, bombace, spongiola, applicant: Quæ remedia pro diversitate causæ & affectuum variant, & præcipue, prout vel intemperies est simplex, à calore frigore, siccitate; Vel gravedo; aut cum affluxu sanguinis Ophthalmia, vel ægilops: Vel serosi humoris, piphora; aut cum solutione continui, phlyctæna, exoriatio, ulcus, fistula, fungulis acconunodantur. *Platerus.*

40. *Topica nonnisi exactis tribus diebus*) Quod in primis statim diebus, neglecta blandiore ..., Repellentia admoveantur oculis, plerumque humorem in hos impetu ruentem *sobibent*, sicque una dolorem & inflammationem adaugent, Hinc *Galenus 6. aphor. 31.* quendam ex Medicis Ocularibus reprehendit quod ei ab initio statim collyrio meatus obducente & dolorem sedante utendum esse videretur. *Straussius.*

41. *Mordacitatis expertia*) Notabile est leni acrimonia extergente & discutiente sigillata esse debere ophthalmica, quod oculus in se sit pars spermatica, excarnis, frigidior, membranosa; moderanda tamen pro affectuum modulo; Cujus rei exemplum præbere potest *pinguedo viperina*, nunquam satis laudanda: hæc recens magis demulcet, vetustior magis extergit & discutit; Vidimus una nocte ejus beneficio Unguiculos curatos. *Wedelius Am. m. p. 13.*

42. *Repellentibus*) Huc refer quæ impediunt fluxionem in oculos, sive à sanguine, sive à seroso fiat humore, illis quæ viam per quam fertur constringendo cum nonnihil remorantur, humoremque frigiditate, sua aliquomodo repellunt; Quibus *in Ophthalmia*, & in *Ægilope*, mox in principio, & in *epiphora* sæpe adhibitis & in aliis quoque causis eum defluxio timetur, humorum influxum reprimere tentamus; Eaque oculo vicinis locis frequentius, nonnunquam & oculo clauso tamen prius applicantur.

Vicinis oculo sedibus illis per quas defluxio fertur, hæc admoventur, ut fronti, & temporibus, ea regione ubi oculus dolet; vel si ambo affecti sint, universæ illi sedi, ab una aure ad alteram usque interdum & in oculi ambitu ad buccas usque descendendo aliquando. Quæ & in Ophthalmia, ut sanguinis impetus compescatur, si *supra jugulares* venas apponantur, vel juxta occipitium, prodesunt In quibus omnibus locis ea quæ potentius adstringunt, siccant & emplastica sunt, refrigerantque & potentia & actu tutius quam supra oculum adhibentur. Epithemata, panno vel spongia excepta, rursum ex illis ne in oculum defluant nonnihil expressa, in Ophthalmia præsertim vera, aut alioquin cum magnus in oculo calor est sic admota prosunt; validiusque reprimunt si actu frigida admoveantur ad frigidissima tamen, & nive, ut ... do... nt, refrigerata, vix procedentes, cum visione ... dar... um inferre posset, indeque cæcam quada... m oblectarum, quorum formulæ in capitis calidis morbis describuntur, si illis omissis

oleo

oleo & *aceto*, quæ oculis inimica sunt, utamur; Quæ tamen si non fronti, sed *jugularibus* apponantur, negligi non debent, & summe frigida quoque illic adhiberi possunt

Ex *plantaginis succo epithema* valde est utile, cui *albumen ovi* bene conquassatum nonnunquam permiscemus.

Emplastra, cum diutius hæreant, nec ab illis aliquid in oculos destillet, potius dictis locis agglutinantur, vel alligantur, diuque si perseveret defluxio retinentur, triduoque renovantur, Hoc valde adstringit.

℞. *boli Armen.* ℥ß. *sangu.drac.acaciæ*, ãã. ʒij. *cortic. granat. gallar.* ãã. ʒj. *f. Pulvis excip. ovi album. & pauco aceto rubro, f. Empl. pro fronte & temporibus.*

Usitata Empl. de mastiche, & pro Ruptura aliorum vices supplent.

Sunt qui si *Opii* circiter ℈j. pro uno Emplastro addatur admodum fluxiones sistere docent, Quod vero si capitis simul adsit dolor, juvare credimus, quo nomine, & loco *sem. papav. albi*, quod etiam permiscent, *syrupo papav.* rectius Emplastra excipiemus, cum aliud sit invalidum, uti & reliqua frigida quę istis commiscentur.

Defensivum commune ex *bolo* pulveris. & subacto cum *aceto & alb.ovi* fit, cui & æqualis cum *bolo si gypsi* portio addatur, fiet efficacissimum, quod & *post aures* in ophthalmia applicatum convenit: Ex prædictis, additis *oleis unguenta* quoque fiunt, quibus ambitus oculi dolentis illinitur, præsertim si is facile intumescat, uti sæpe fit, quæ tamen crassiora, ut hæreant, superciliisque sustentari possint, ne in oculum perveniant, esse debent, noctuque præsertim cum oculi clausi manent, illini.

Qualia etiam ex succis hoc modo fieri possunt, omissis pulveribus, ne siccatis unguentis oculo illapsi eum molestent.

℞. *succi plantag.* ℥ij. aceti rubri ℥j. in quo vitrioli albi ℈j. dissolutus *sit, sanguinis drac. acaciæ, hypocist. ladani* ãã. ʒß. *dissolvantur, omnia, addendo album. ovi* & ol.ros.q.s.f. instar Nutriti, sed spissi, *addita pauca laricea.*

Oculo clauso ejusmodi remedia quæ fluxiones cohibent nonnunquam apponuntur, supra palpebras, nam fortia hæc adstringentia in oculum immittere, cum oculum exasperarent, qui lævis & lubricus esse debet, minime tutum. *Platerus.*

41. *Repellentibus, quæ nec nimis &c.*) Præmissis universalibus evacuationibus & revulsionibus, ad Topica veniendum est; quæ quidem ab initio *Repellentia* esse debent; Monent tamen saniores Practici ne primis statim diebus collyria repellentia oculis admoveantur, quia plerumque humorem in oculos impetu irruentem in parte retinent, & dolorem atque inflammationem augent, *Galenus* enim *comm. aph.* 31.6. Ocularium quendam reprehendit qui hisce remediis ab initio inflammationis uti proposuerat, suspecta enim ait esse ab initio, quod vehementes fluxiones non reprimant, sed ne excernantur prohibeant: Unde si acres humores extiterint Corneam exulcerari accidit; si vero multi, distendi & irritari vehementer, & interdum disrumpi: *Avicenna* vero Fen xi.lib.3.tr.1. cap.9. sic loquitur; *Et oportet quantum possibile est ut retardetur in Ophthalmia collyriorum administratio usque ad tres dies*, Et paulo post, *Oportet ut in principio non adhibeantur inspissantia fortia, & quæ sint vehementer styptica, quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionē, & augent dolorem*, Non tamen ita exacte dierum numerus præfiniendus est, cum morborum tempora in quibusdam breviora, in aliis longiora esse soleant.

Utiliter tamen adstringentia fronti & temporibus statim à principio adhiberi poterunt; illis enim venæ, per quas humores defluunt ad Oculos comprimuntur, humorque influens repellitur, E.g.

℞. *Boli Arm. sangu. drac. thuris, mastiches*, ãã. ʒj. *rosar. rub. balaust. & far. lentium* ãã. ℈ij. *excipiantur album. ovi & aceto rosac. f. Cataspl. fronti & temporibus applicandum.*

Ad fluxionem cohibendam plurimum valere creditur Cataplasma ex *succo urticæ* & *farina tritici*, fronti & temporibus admotum; urticæ enim succus specifica vi omnem sanguinis fluxum cohibet, & narium hæmorrhagiam iisdem partibus admotus potenter sistit; Tum ore sumptus eandem, aliaque sanguinis profluvia efficaciter cohibet. *Riverius.*

44. *Nec nimis adstringentia*) Repellentia repellant, non impellant, seu impingant, imprimis nimis frigida: debent enim hæc ipsa defendere & reprimere, munitis poris, humores serosos, non in quiete detinere: Præstat utplurimum revellere quam repellere in his casibus *Wedelius Am.m.m.p.*133.

45. *Fronti & collo*) Et ipsi Oculo admoveri possunt, sedato aliquantulum dolore, sed mitiora esse debent, anodynis quibusdam perpetuo admistis E.g.

℞. *aqu. plantag. rosarum*, (*vel ad magis repellendum, peculi rosar.* vel folior. quercus) ãã. ℥iß. *liquor. album. ovi* ℥j. *trochisc. alb. Rhas. sine opio* ʒj. *fiat Collyr. frequenter in oculos instillandum.*

Si dolor sit acerbior possunt addi collyrio lac muliebre & prædictæ mucilagines; Remedium sequens inflammationem potenter sedat & fluxionem cohibet.

℞. *Album. ovi unius, agitetur cum frusto alum. satis magno in patina stannea, & tamdiu moveatur, donec ungu. consistentiam adeptum sit; extende supra linteum*, & oculis tepide applicetur: Post duas aut tres horas auferendum est, ne longiore mora, & adstringendi vi satis insigni, quam ex alumine habet, humores in oculo retineat: *Aqua* etiam *aluminis* destillata in alembico supra cineres, & oculo cum linteis ea madidis admota, inflammationem efficaciter temperat. *Sal Saturni in aqua rosar. vel oxycrato* dissolutum, vel cum *pomata* permixtum oculorum inflammationes potenter extinguit. *Riverius.*

45. *Fronti & collo*) Miro successu auxiliantur globuli è *succino*, seu *ambra*, annexi occipitio: Iidem etiam collo gestati impediunt ne destillationes in guttur ferantur. *Mizaldus.*

46. *Anodynis*) Si dolor valde urgeat, qui fluxionem ad oculos magis & magis promovere solet, Anodyna ipsi oculo admovenda sunt: inter quæ *Lac recens*, præsertim mulieris bene sanæ, primum locum obtinet, idque ex ipso ubere in oculos emulgendum, & sæpe mutandum, cito enim acescit, sicque oculo infensum est: In ejus locum sufficì poterit *caseus ovillus recens*, qui etiam sæpe mutandus est ne butyrescat, sicque oculum inflammet: *Ovi albumen* diu agitatum, & in aquam conversum maxime commendatur à *Galeno*, quia dolorem lenit & fluxionem leniter cohibet.

Mucilagines sem. psyllii, cydonior. fænugr. extr. cum aqua rosar. dolorem valde leniunt; Illæ tamen biduo quoque renovandæ, quia diutius servatæ acorem contrahunt: Ex his variæ formulæ in rem præsentem concinnari poterunt.

℞. *medullæ pomi dulc. sub cineribus cocti* ℥j. *mucilag. sem. psyllii & cydonior. extr. in aqua rosar.* ãã. ʒvi. *liquor. album. ovi rec. & lactis mulieb.* ãã. ʒj. *f. Cataspl. oculis admovendum.*

Laminæ *carnis recentis*, hœdinæ, vitulinæ aut *verrecinæ* oculis frequenter admotæ dolorem potenter demulcent. *Riverius.*

Caseus recens non salitus idem facit; *Sedum maj. portul. & folia solani, hyoscyami, mandrag. viridia contusa*, vel involuta panno & sub cineribus parum cocta: Si *adstringen-*

dani, plantag. rubi folia recentia; Veteres *far. hordei*, ut melius adhæreret permiscebant: *Aqua rosar.* valde in usu est, *Aqua calc.* rosar. cum adstringendum: Aqua *alb. ovor.* coctione indurat. *Platerus.*

46. *Anodynis*) Anodyna mordacitate & fordibus careant: Hic præstat *Ungu. album antimoniale* quod describit *A. Sala* in *Anat. Antimonii Part.2 c.4. p.354.* cujus vires mire deprædicat *Wincler obs.* 132. Ann.2. *Eph. Germ.* Item *Ungu. Ophthalmicum*, quod valde extollit *Bartholinus* in *Actis Hafn. vol. 2.* ubi ait ægro, qui hoc *Ungu.* usus fuerat malum manu fere abstergi visum esse.

46. *Anodynis*) Emplastica & Anodyna medicamenta oculis inflammatis tantum abest ut prosint ut potius noceant: & inter hæc Opiata frustra in Collyria recipi solita; Præstat mulcere & defendere quam anodynis his curam tentare; morsicant potius quam ut dolorem sopiant. *Wedelius Amæn.m.p.134.*

47. *Lac muliebre*) Dubitandum utrum Lac dolentibus oculis instillandum? *Galenus 4. K. T.* illud vehementer laudat, subscribit *Arculanus*, Conveniens est, *aut* ut dimittatur distillatio lactis in oculo tempore longo, imo oportet ut removeatur omni hora &c. nam corrumpitur & acescit: Instilletur ab ubere, & sumatur ex juvencula boni succi: Addunt, ut sit ex lactante fœminam, quia frigidius & humidius, sitque è tertio mense ad annum; recentius enim incoctum est; antiquius crassum, calidius; Medium temperat ardorem, dolorem lenit, squallentes oculos humectat.

At si hæc vera sunt, quare *Aëtius tetr. 2. serm.3. c.10.* tantopere hoc auxilium condemnat, dum ait, Quidam porro dolorem obtundere volentes, & caliditatem & acrimoniam edulcare, Lac infundunt, Decipiunt autem seipsos ex ignorantia, pro parvo solatio diuturnam affectionem ægro afferentes &c. quasi dicat, Lac licet dolorem leniat, cum tamen sit crassi succi, humores arctat & resolutioni contumaces reddit, ob hanc causam in longum tempus protrahitur morbus.

Sic concilia hos Authores, ut *Galenus* loquatur de urgente dolore, *Aëtius* de modico: Cum enim vehementer hoc symptoma insolescit, vires enervans, dejicit, ac tandem capite debiliori reddito, & ad id plurima hac de causa humorum copia attracta, lethales sequuntur oculorum & capitis morbi. *Zacutus Lusitanus.*

Practici plures solent applicare Lac, inprimis muliebre, nunc aliis mixtum, nunc solitarium, sed pessimo consilio, nam si recens instilletur, unctuositate sua incrustat oculos & sordidos efficit; unde impedita insensibili transpiratione, tunc maxime necessaria, inflammationem potius auger: Si *non recens*, nocet subtili suo acore, quia acorem contrahit. *Etmull. r.*

48. *Opium & Opiata*) Quid de Opii usu? Hunc neque frequentem neque multum esse vult *Septalius 6. Animadv. §. 93.* id quod dudum quoque *Galenus 3.m.m. c. 2.* monuit: In summo tamen dolore interdum *Opiata* commiscere *Ophthalmicis* sed in dosi minima licebit, annuentibus *Horstio Tom. 3. pag. 36. Wedelio* in *Opiolog.* aliisque, quibus ipsa experientia adstipulatur. *Straussius.*

49. *Opium & Opiata*) Si dolor vehementissimus sit atque intolerabilis, ad Narcotica confugiendum est, quibus tamen parce & cum religione utendum, quia spiritus visorios condensant, humores & tunicas incrassant, sicque visum hebetant: Inter Narcotica Ocularia primas tenent *Troch. albi Rhasis cum Opio*, qui in hunc modum præscribi possunt.

℞. *Aqu. rosar. ℥ij. liquor. album. ovi fortiter agitati ℥j. Troch. albi Rhas. cum Opio ʒj. f. Collyr. in oculos instillandum. Riverius.*

Opii usus neque frequens esse debet, nec multus, ex *Septalio l.6. §.93.* quia ob amarorem mordet & dolorem auget: *Wedelius Tr. de Opio p.148.*

Propter dolorem quidam applicant *Opium*, sed periculoso cum eventu, cum talia ad cæcitatem disponant, Utut enim demulceat dolorem *Opium*, tamen Ophthalmiam ad gangrænam simul disponit, Unde recte *Lindanus* se sæpissime vidisse *Lac & Opium* applicatum, nunquam tamen felicem usum observasse. *E mullerus.*

49. *Ne suppuratio*) Quæ oculis funesta, ideoque omnibus modis arcenda, idque frigidiusculis & discutientibus; V. S. revulsione &c. Timenda hæc est in Ophthalmia insignissima, ubi ipsa salus sæpe, si servare oculum velis, nun servabir: hujus vero nota pus est: Studiosus gravissimam talem ophthalmiam patiens ad se nos vocat, ostensurus oculum cum linteamine pus ostendit, desperato cum prognostico; Non vero intelligitur tam suppuratio exterior, levior & palpebrarum, qualis nonnunquam fit, quam interior, & ipsius oculi inflammationem patiens, quæ necessario corruptionem partis post se trahit: Addi hinc potest de *Emollientibus*, hæc nun conveniunt cum oculis promiscue, sed magis frigide quam calide, ut discutientia (contrario modo) nunc nervis vulneratis, quod exemplo illo Galenico adolescentis t.de comp. K. γ. cap.7. patet, ubi ab emollientium usu putrilago sequuta est. *Wedelius Amæn.m.p. 134.*

49. *Suppuratio*) Si in abscessum abeat inflammatio, maturandus ille erit, quod fiet maturante emplastro supra oculum posito, quod sic parari potest.

℞ *rad. Alth. ʒj. malvæ m.j. flor. chamom. p.j. coqu. in lacte, contundantur, adde far. hordei, sem. fœnugr. ãã ℥j. ol. chamam. parum f. Cataplasma.*

Idem facit *Collyrium è thure Rhasis*: Abscessu rupto ulcus curandum. *Platerus.*

50. *In Diæta*) *Victus* refrigerans sit & humectans, ex alimentis euchymis, elixis potius quam assis, sorbilibus potius quam solidis, quia mandendo oculi exagitantur: Vitentur acria, salsa & piperata, tum etiam vaporosa, quæ caput replent, tum quæ in bilem facile convertuntur, ut lac, saccharum, mel & omnia dulcia *Vinum* in principio non convenit, cujus loco ptisana ex hordeo & liquiritia, aut alia refrigerans usurpanda est.

Somnus valde utilis est, quia oculus quiescit à motu, qui dolorem & fluxionem irritat. Cum somno dolor sedatur, & materia morbifica concoquitur. Æger dormiat elato capite, & in latus magis sanum.

Motus omnis corporis vitandus, & quies imperanda, quæ tantopere utilis est, ut *Celsus* primo die à sermone quoque abstinere jubeat, ne motu illo materia ad caput attrahatur, *Alvus* fluida servanda, quia *Lipposientem* alvi fluore corripi bonum ex *Hippocr.* Vuentur *animi pathemata*, & præsertim ira.

Aër sit temperatus ac purus, expers fumi, pulveris, & ventorum: obscurior etiam & tenebricosior, lux enim fluxiones commovet, spiritus agitando; Linteolum nigrum, viride, aut cæruleum oculo admoveatur: Uterque oculus claudatur, vel tegatur, quia si unus dum ad objecta movetur ægrum etiam commovet, unde doloris incrementum; Et hæc ratio est Cur uno oculo tantum inflammato majores fiant dolores quam utroque affecto. *Riverius.*

Quoad *Cibum* nota, illum *Siccantem* probari, ideo plurimi adstringentia in fine mensæ, ut pyra, cydonia &c. commendant. *Cardanus libr. 4 de alim.* cap. 19. Panis, *inquit*, sit biscoctus, cum chelidonia, ruta, cinnamomo, amaraco, euphragia, fœniculo, rorismarino; Addit *Zecchius*, ut cum cibi vapore medicamenti vis in cerebrum & oculos rapiatur, Ex qua vulgari sententia *Sennertus*, Acida & acetosa in Ophth. conveniunt, præsertim post cibum, quia vaporū ascensum ad caput prohi-

prohibent. Sed acida illa & acetosa stomachi orificium cohibebunt sic ut nec ructus possit fieri, ac inde plus illa oberunt, nam alvum contrahent, ut quoque increscat Ophthalmia; quare suaserim ea potius quæ molliunt alvum, ac quoque quotidie liquant.

Melones & *Pepones* in biliosa haud vitentur; quod refrigerant, sanguinem urinamque, teste *Platero*, cient vehementer. Nec *Uvas* reprobat *Plinius Valerianus*, Cibos mitiores inquiens, & sine mordicatione accipiant, & qui pinguiores reddant humores, *Olera*, intubas & malvas, *Ficus* autem nullo modo sunt accipiendæ in oculorum dolore.

Persica privatim quasi nocere ait *Joh. Rhodius cent* 1. *Obs.* 80. ex *Heurnio*.

Circa *Vini usum*, Nota *Hippocr* 6. aph. 31. id exhibere, *Galenus* juveni Ophthalmico jussit ut se lavaret, ac potu uteretur meraciore, & ita se sopori traderet; Et quidem somnus placidus ipsum invasit, & mane sine dolore surrexit; mihique præbuit audaciam, *addit Galenus*, in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum venulis continetur, sine plethorica in toto corpore dispositione, vini potione diffundere sanguinem, & evacuare potente, & sui motus vehementia obstructiones aperire. Vide simile exemplum apud *Reverium cent.* 3. *obs.* 25 & *Borellum*: Confirmant *Vini* usum ex vetustioribus *Celsus*, *Aetius*, *Ruffus Ephesius*. *Marcellus*. quos plurimi sequuntur, Id quod intelligendum de Ophth. vel magis pituitosa, vel jam senescente; nam siotitur ab ictu illato non competit.

Abstinentia est salutaris, neque tamen (Inquit *Celsus*) in lippientibus longum jejunium necessarium est, ne pituita tenuior atque acrior fiat, Sed secundo die dari debet id quod levissimum videri potest ex his quæ pituitam faciunt crassiorem, qualia sunt ova sorbilia. Si minor vis urget, pulticula quoque, aut panis ex lacte; Insequentibus diebus quantum inflammationi detrahetur, tantum adjici cibis poterit, sed generis ejusdem; ut nihil salsum, nihil acre, nihil ex his quæ extenuant sumatur, nihil potui præter aquam.

Ambulatione aliisque exercitationibus utendum censent *P. Aegineta* & *Celsus*. In *Xerophthalmia*, inquit *hic*; multum ambulare, multum exerceri; lavari sæpe, ibique desudare multaque ambulatione atque exercitatione, frequenti balneo: Ait *Horatius*, qui Ophthalmia laborabat, *Pila*, inquit, *lippis inimicum & ludere crudis*; Verum de cœnatis lippis loquitur *Poeta*; Lusu pilæ quidem superiores corporis partes vehementius moventur; ait *Galenus de San. tu.* recte judicat Quoscunque levi de causa vertigines, epilepsiæ, *ophthalmia*, aurium dolores, gingivarum, dentium aut capitis infestare solent, si exercitationem non sustinent, quæ caput impleat, cujusmodi est quæ inclinato vel capite vel dorso, vel humi volutaris geritur.

Venus est noxia.

De *Somno* observandum salutarem esse, ait *Dom Leonus* maxime in biliosa, ut & *Sennertus* Cur nō & in pituitosa? Refragabuntur qui somnum pituitosis catarrhis nocere opinantur: Cæterum *Celsus* somni ergo vinum bibi præcipit, *Vinum* bibere ait, *leve, subausterum, modice vetus, neque effuse, neque timide, ut neque cruditas ex eo, ut tamen somnus fiat, leniaturque intus latentia acria*. Schneiderus *p.* 148.

51. *Vinum & Balnea*) *Balnea* in Ophthalmiæ declinatione, quod reliquum est per corpus dissolvunt excernuntque Quo nomine & *meri potus* tunc laudatur, cum alio tempore calentibus adhuc oculis, hæc duo po[...]s obsint. *Platerus*.

52. *Balnea in declinatione*) In declinatione duo insignia [...]edia ab authoribus proponuntur, *Balneum* & visus [...], (De vini usu supra, ubi de Diæta) quæ primum ab *Hippocr.* tradita sunt aph. 31. s. 6. Balneum docet *Galenus* dicto *loco & cap.* 22. *l.* 13. *m m.* tunc tempori convenire cum Ophthalmia fit ab humoribus acribus & corpus sufficienter per s. m. & purgationem vacuatum est; quandoquidem humorum acrimoniam temperat, eorumque motum atque fluxionem sistit, maxima eorum parte per insensilem transpiratum excreta, & quod superest humoris biliosi contemperatum facilius vincitur à natura: Convenit etiam Balneum ex *Galeno* in Ophth. pituitosa; præmissis perpetuo evacuationibus idoneis, quandoquidem humores crassi oculis impacti per balneum attenuantur, sicque facile discutiuntur. *Riverius*.

Sæpe post hæc gravis somnus, sæpe sudor, sæpe alvi dejectio pituitæ cursum finit. *Celsus*.

53. *Pomis assatis*) Pro ophthalmia à bile vel cum dolor est fortissimus, à quacunque causa, paratur hoc modo anodynum præstantissimum. ℞. *Poma dulcia, coque sub cineribus apponantur oculo loco Cat.spl.* Si decoquantur in *aqua rosar.* ubi major intensio est repellendi, est efficacius, & minorem habet crastinem; sed ob id minus calefacit quam quod majorem habet consistentiam, idque per accidens: Si autem ob doloris mitigationem, decoquatur in lacte mul. pituitosæ, adde *camphor.* ℈ij. *in* ℥j. *pomor.* Quod si tanta caliditas non sit, à qua excitetur dolor, sed potius plenitudo, aut flatus, adde *croci* ℈ij. simul cum *camphora*. Rondeletius.

Sæpius urget in Ophth. intentissimus dolor, pro quo compescendo nil melius est *Cataplasm.* ex pomis dulcibus, & bene odoratis sub cineribus coctis, donec probe mollescant. Pulpæ per setaceum trajectæ adde *sacch. Jovialis* (*vide* §. *Sacchаro Saturni*) ʒij. *croci* gr. v. *camph.* gr. ij. Misce, *applica tepide cum linteis multiplicibus*, Experimentum est *Timæi* & *Sculteti*, *Etmullerus*.

53. *Pomis assatis*) *Rondeletius* pro Ophthalmia à Bile, vel cum dolor est fortissimus à quacunque causa, præstantissimum hoc ait esse medicamentum. ℞. *poma dulcia*, cocta sub cineribus, ponantur super oculum loco catapl. vel si dolor urget, coquit in lacte mulieris pituitosæ; addit *Camph* ℈ j, in *pomorum* ℥j.

54. *Saccharum*) *Saccharum* commune ejusque arundinem, oculos expurgare & extergere ait *Avicenna*, Obscuritati conferre *Serapio*; *Pulverinus* jubet sumi fœniculi pedem vacuum, repleri sacch. violaceo subtiliter trito, ac per totam noctem luto dio detineri, per plures dies in oculum immittendo. *Sal* autem *Saturni* refrigerat vehementer & exiccat, Extrinsecus medetur oculorum rubedini, ait *Schroderus*: In aqua rosar. dissolvit *Crollius* & miris laudibus effert.

55. *Sacchаro Saturni*) Id cum aqua appropriata dilutum, & oculis impositum, est egregium antiophthalmicum. *Saccharum* etiam *Joviale*, ut vocat *Landanus*, *est præstantissimum*: Teratur *sacch. cand.* in cyatho vel scutella stannea nova nec usurpata, cum novo cochleari stanneo, tam diu donec fiat instar plumbi lividum, & quo magis livet eo est melius, nec potestis nimis diu terere, & sic habebitis ophthalmicum optimum quod vel in forma pulveris seorsim potestis usitare, vel cum aliis miscere V.g.

℞. *aqu. plantag. rosar. fænic.* ā ā. ℥ß. *sacch. c. Jovial.* ʒij. *tuthia ppt* ℈ß. *croci or.* gr. ij. *aut* iij. *m. f. Collyr.* de quo ter *vel quater in die gutta una vel altera in oculum instilletur*. Vel

℞. *aqu. fænic. euphr. rosf.* ā ā. ℥ß. *vitriol. albi* gr. iv. *ad vuli solutionem filtra per chartam*, *adde sacch. Jovialis* ʒij. *m. f. Collyrium. Etmuller.*

55. *Sacchаro Saturni*) Balsamus curans Ophthalmiam, ex *Sale Saturni* reiteratis affusionibus, digestionibus, & filtrationibus in crystallos abit; his affunditur spiritus vini

tartarisatus, & circulatur, & ita abstrahitur acrimonia, quod facile in oleum abit. *Fr. Osw. Grembs l. 3. de Rem. Paracels. p. 505.*

[56]. *Vehementer laudatur*) Mihi familiarissimum, & quo frequentissime magna felicitate uti soleo, *Rosas, Myrthos* aut reliqua hujusmodi *cum fænugr. chamam. seminlini & simul. 10 aqua simpl. vel etiam distill. plantag. concoquo, atque in eo decocto pannos lineos, tenuissimos ac mollissimos, multiplices ad oculi magnitudinem & formam complicatos, dudum maceratos oculis admoveo, æstate quidem frigidos hyeme calidos*; Observemque diligenter ut priusquam arescant, removeantur, novique jugiter applicentur, ita sæpe repetendo, donec eorum usus commodus esse videatur: Ex his enim, sive aliqua molestia aut gravitate corpulenti & viscidi cataplasmatis, repercutio simul & per halitum digero, meque à multis periculis tutum reddo, quale est quod è *pomis cocto sa-charo* admisso retulimus: Laudo etiam *album. ovi cum lacte mul. ex optimis cibis nutrita confractum* exquisitissime, ut nihil viscidi aut crassi remaneat, apponendo ut supra. *Joh. Baptista Montanus.*

Dici non potest quam præsentaneo auxilio sint spongiæ Sambuco adhæræ, per noctem in *aqua consol. regal.* vel *rosar.* maceratæ, deinde oculorum palpebris decenter applicatæ. *S. Pauli Quadrip. Bot. p. m. 41.*

Maximam opem induceret *frustum Carnis vaccinæ* per totam noctem supra oculum impositum. *Pulverinus Med. Pr. c. 29.*

Anglicum plane ophthalmicum, anodynum sequens Secreti loco habetur.

℞. *gallaturam ovi* ex plurimis ovis collectam, conquassentur probe cum *aqua* rosar. & dolenti oculo adhibeantur. *Rosenbergius Rhodol. p. 351.*

[57]. *Sic & aqua*) Hæc mirabilis est in principio Ophthalmiæ.

℞. *Tutiæ aqua rosar. parata* ʒß. *fænigr. axungia porci, rec. sine sale* ℥j. *amyli* ʒvi. agitentur simul diu in mortario; tunc ter abluatur cum aqua solani, Unge ex eo frontem, tempora, palpebras intra & extra. *Johan. Stockerus Med. Pr. l. 2. c. 9.*

Acetum destill. in quo *lithargyr.* pulverisatum coctum est egregie prodest ad inflammationem oculorum: Hujus decocti ʒj. cum ℥j. aq. rosar. misceatur, & quotidie ter una guttula oculi angulo instilletur. *Joh. Zapatha c. 20.* Idem *c. t.* agit de miraculosa virtute *Spatulæ fœt.* ad Ophthalm.

Aqua Ophthalmica nobilissima.

℞. *aqu. rosar.* ℥iß. *vitri antimon. pulv.* ʒij. *digere in cineribus per noctem, destilla* B. Extillans liquor reaffundatur materiæ in cucurbitula residua, relinquatur in digestione per 8. dies, tandem filtretur, liquori transcolato adde ol. *vel sacch. Saturni.* ʒj. misce, Ophthalmicum est præstantissimum si quotidie ter 3. vel 4. guttæ oculis instillentur. *Rosenbergius Rhodol. p. 349.*

[58]. *Aqua ex succi &c.*) Aqua hæc à *Quercetano* in Pharmacopœa tradita efficax est, & nullo morsu oculum afficit, quemadmodum reliquæ fere omnes. *Riverius.*

[58]. *Aqua ex succi cancrorum*) Vel ex iisdem contusis, & cum putrescere incipiunt mature destillatis elicita, Item ex iisdem cum *chelidon. maj.* à *Mynsict.* descripta in *Arm. Chym. Ettmullerus.*

[59]. *Croci metallorum*) Qui loco *vitri Antimon. Crocum metall. Quercet.* sumunt, falluntur, Ex croco enim aquæ illæ vel nihil vel parum extrahunt. *Rosenbergius ibidem.*

[60]. *Euphrasia*) Omnes *Euphrasiæ* species inflammationibus & caligini oculorum adhibentur, tusæ ac impositæ, aut succo earum oculis indito: Præstat tamen aqua ex illis destillata. *H. Tragus.*

Euphrasia utuntur ad Oculorum caligines & suffusiones, vel per se imposita vel ex vino decocta, oculorumque aciem, redacta in pulverem, & in vino albo pota mirifice roborat, *L. Fuchsius.*

Euphrasiæ pulvis sorbili ovo inspergitur, aut inde Sal oxydorcicum paratur. *Hollerius*, Præstat Euphragia quocunque modo sumatur tam in cibis quam medicamentis, recens vel exsiccata, ad omnia impedimenta quæ oculorum claritati officiunt, præsertim cum in cibis diutius sumitur. *Matthiolus.*

Decrepiti fere cœci curati sunt, *macis* ℈j. *euphrag.* ʒij. *f. Pulv.* Inmat cochlear medium, semper ante cibum; *Hier. Montuus.*

℞. *Mastich. pulver. cymar. euphr. ana* ℥j. *sacch.* ℥ij. *f. Pulvis* de quo in omni cibo ponatur, & ante cibum & post accipiatur; Dum effervescit mustum *Euphr.* injiciatur, vinum repurgatum adservatur singulari remedio. *Hollerius.*

Euphragia vinum fit ad oculos ponendo herbam in musto donec fiat vinum, cujus usu oculi senum rejuvenescunt, & aufert impedimentum eorum & defectum visus in quocunque cujusvis ætatis, homine præsertim ubi pinguedo & pituita redundent &c. Et usus vini Euphragiati non habet par in proficiendo visui: Si vinum esset nimis forte, temperetur cum aqua fœniculi *Arn. Villanovanus.*

Euphrasia, & similes herbæ; magno & cœco errore in oculorum morbis sæpius usurpantur, nam ubi in oculis est siccitas, squallor, & ob mœrores, vigilias, inedias spirituum consumptio, quis dubitat, quin vinum ex dictis herbis sit nociturum. *Ballonius consil. 13. lib. 3. Ann. 17.*

[61]. *Fœniculi*) *Isaac, Serapio*, Haly succum vel foliorum, vel seminis, vel radicis, & cum solis calore exsiccatum sumunt, Ejus grana commendat *Avicenna*, De *fœniculo* sic *Plinius lib. 20. N. H.* Fœniculum nobilitavere serpentes, gustatu senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo, unde intellectum est hominum quoque caliginem eo relevari.

[62]. *Ex repellentibus & refrigerantibus*) Quidam in rubedine & dolore oculorum commendant *aquam simpl.* in qua *vitriol. album* & *sacch. cand.* dissoluta fuere: Ego vero plurimum prodesse comperi eam *aquam quæ à ære Martis* dissoluta in vase vitreo provenit: Nam hoc etiam absque ulla alia re adhibita in affluxu calido loco collyrii est. *Joh. Crato consil. 60. 61.*

Lapis calamin. cum *pinguedine* mistus in defluxionibus ad oculum singulare auxilium est. *Idem Persoch. pagina 369.*

Albumen ovi agitatum, & cum *farina fabar.* & *semperv. crudo* simul mixtum, & oculo impositum, statim oculorum inflammationem sistit, *Ph. Grulingius Med. Pr. l. 1. c. 4.*

℞. Ovum ad duritiem coctum; vitello abjecto imple cavitatem *vitriolo albo*, & suspende in cella ut liquor in *aq. rosar.* suppositam defluat, Hinc exprime, & colati guttas aliquot infunde, lindoneque eo madido noctu oculos tange. *Wolf. Hæfenus H. M. lib. 1. capite 8.*

Decoctum optimum, repercutiens simul & digerens, fit ex *rosis, myrrha rubr. lentisco, sem. lini, flor. chamom. malva, alth. partes. &c.* In eo decocto pannos lineos mollissimos macerato & oculis admoveto, frigidos æstate, calidos hyeme, sæpius renovando ne arescant, Tale super omnia præstat sine gravitate. *Ort. Maroldus pr. m. p. m. 49.*

Oculorum inflammationem, & exinde exortos dolores, nullo alio remediorum genere sedare potuit N. quam *novo globulo* quem in horto obambulans applicuit, Irruentem enim ad corneam tunicam cruorem fri-

gore

gore suo nix repellit, & eodem dolorem mitigat. *Th. Bartholinus T. 1. de Nivis usu c. 4.*

62. *Ex repellentibus & refrigerantibus*) Defendentia, demulcentia, ipsum Oculi bulbum, ejusque concamerationem respiciunt, utilia in Ophthalmia; variolis & morbillis & in suffusione tollenda, ut *mucilaginosa, auricula Iuda, album. ovi, alumen, mucilago sem. psyllii, cydonior., Empl. de pomis dulcibus*, apud *Scultetum, aqua frig. chelidon. maj. euphras. rosar. verbenæ, Essentia veneris* &c. *Wedelius Am. m. M p.* 130.

In principio morbi, dum dolor, rubor, fervor, & lacrymarum acrium fluxus urget, *absorbentia* appropriata inprimis conveniunt, qualia sunt in specie *tutia præparata*, & hinc *flores cyani*, quæ correctiva sunt *acris* plus minus *acidi*, oculos inflammantis, quibus adde *matrem perlar. lap. Cancr. lap. calamin.* exactissime præpar.

Facit huc *Collyrium Lipsii*, contra *Ophthalmiam ex Variolis*, sæpissime recurrentem.

℞. *tutia prap.* ʒj. *vitr. albi sarcoc. nihili albi, aloes lota, camph. ā ā.* ℈j. *aqu. fænic. rosar. chelid. pimpin. ā ā.* ℥iij. *album. ovor. n.* 1. *ossis sepia* ʒj. *m. f. Collyr.*

Valet & sequens initio.

℞. *aqu. Cyani, Eufras. verben. ā ā.* ℥ß. *tuth. pr.* ʒj. *matr. perlar. præpar.* ʒß. *Misce, de qua instilla aliquantulum oculis, & simul madentes pettas impone.* Etmullerus.

Quæ externe conveniunt; sunt inprimis sperma ran. vel per se asservatum, vel secundum *Tachenium* destillatum, *Idem.*

Alumen quoque præstantissimum est, nempe album. unius ovi agitatur cum frusto aluminis in patina stannea, tamdiu donec ungu. consistentiam adeptum sit, nunc solitario, nunc pauca aqua *fænic.* addita: hoc extenditur supra linteum & tepide oculis applicatur, *Borellus cent. 1. obs. 31.* Chirurgi nostrates, qui familiariter utuntur, vocant *un Glacon.*

63. *Flos frumenti &c.*) Liquor *flor. cyani & cichor.* qui tam ab *Hartmanno* quam *Sennerto* præscribuntur, sunt nobilissimi, sed observandæ encheirises: Vitra sint crassa, & quo crassiore crusta farinacea obducuntur, eo melius est; Massa sinenda est aliquandiu aëre siccari, ne disrumpatur; Raro una vice sequitur liquor, relinquatur donec bis coquatur panis & diutius, Nobile remedium *Etmullerus.*

64. *Pomum vinosum &c.*) Sic parat *Al. massaria*

℞. *Pulpa pomi cocti.* ℥j. *mica panis* ℥ß. *Ovum n.* 1. *Lactis mul. q. s. m. f.* Catapl. Quidam tria poma decoquunt in prunis, mundata miscent cum albumine trium ovorum, addito ovi vitello ob dolorem. *Rondeletius* anodynum præstantissimum esse ex pomis dulcibus. *Platerus & Saporta* probant semiputrida.

65. *Inter discutientia*) In *augmento* morbi Digerentia cum repellentibus miscenda sunt, atque ita collyriis prædictis addi poterunt *aqua euphras. fænic. chelidon. & mucilag. semin. lini, alth. fænugr.* E.g. ℞. *mucilag. semin. fænugr. & cydon.* extr. in *aqua rof. & euphras. ā ā* ℥ß. *trochisc. alb. Rhasis sine Opio* ʒj *tuth. præpar.* ʒß. *f. Collyrium.*

Quando morbus ad *statum* magis vergit, *Sarcocolla* etiam collyriis additur, quæ paulo potentius digerit, sed cum siccitate sua & acrimonia quadam oculos possit lædere, prius lacte maceranda est per dies aliquot, lacte sæpius mutato: Et parva illius quantitas una vice præparanda est, diu enim asservata acescit, & oculis infensa est: E.g.

℞. *flor. chamom. melilot. rof. rubr. ā ā. p. j. sem. fænugr. optime mundat.* ʒj. *coqu. in aqu. plantag. In colat.* ℥iv. *dissolve sarcocoll. nutr.* ʒj. *tuth. præpar. & trochisc. alb. Rh. sine opio ā ā.* ʒß. *f. Collyrium.*

A Chymicis hoc laudatur.

℞. *Salis Saturni* gr. xij. *Salis ammon. gr. aliquot, aqua rosar.* ℥iij. *m. instilla in oculum mane & sero.*

Ex *plumbo* etiam *calcinato* vel *lithargyro*, aut minio in aceto infuso, paratur aqua, quæ cum panno lineo oculis admoto eorum inflammationibus cito medetur. In vulgari usu habetur aqua ex *vitriolo albo*, in *aqua rosar.* aut *plantaginis* dissoluto, quæ temperat inflammationes, discutit & fluxionem arcet. Eorum proportio talis est.

℞. *Vitrioli albi* ℈j. *aqu. rosar. vel plantag.* ℥iij. *vitriolum pulver.* in aqua ad ignem dissolvatur, coletur aqua per linteum, & in oculos instilletur: Si acrimonia nimia vellicet additione aquar. temperetur.

Sequens minoris acrimoniæ particeps est, & magis resolvit.

℞. *rad. ireos flor. & rof. rub. ā ā.* ℈j *aqua rosar. & plantag. ā ā.* ℥iij. *bulliant lento igne ad tertias, colat. adde vitrioli albi pulverif. ā ā* gr. viij. *f. Collyrium.*

Vnguenta etiam usurpari solent, ex quibus tria celebrari solent, primum est *Renodæi* in Pharmac. tit. *Vngu. Ophthalmici* 2. est *Cratonis.*

℞. *Butyrum majale, aut recentiss. adde lap. calaminar. subtilissime triti qu. excipere poteris*, 3. Vngu. habetur in *cista Medica*, ob acrimoniam solum palpebris admovendum, rebellis solum Ophth. conveniens, Fit ex *succo Nicotianæ & butyro majali simul coctis ad Vngu. consistentiam.*

In statu resolventia repellentibus prævalere debent, Ideo eadem remedia in statu & augmento conveniunt, resolventium & repellentium mixta vel imminuta quantitate: Præcipue vero unguentum duo posterius, non solum in statu, sed etiam in declinatione, & usque ad perfectam curationem usurpari poterit.

Valet & hoc *Penotii* Vngu. in Denario.

℞. *Tuthia præpar.* ℥ß. *camphor.* ʒj. *virid. ær. gr.* xii. *Tuthiam cum camphora simul tere, æs seorsim, omnia in Alkool, Tum*

℞. *butyri rec.* ℥j. *aqu. rosar* ʒj. *bulliant leviter simul, & ab igne remotis, primum tuthiam cum camphora, deinde æris viride sensim immisce, agita optime & in vase vitreo recondе, Fiat Vngu. quod per* sericum transcoletur, inunge interiores palpebras, præsertim circa angulos, & brevissime sanabitur.

Probatissimum est ad oculorum inflammationes tam materiales quam siccas, & palpebrarum pruritus, & lacrymas. *Fotus* imprimis ad discutiendam materiam morbificam, in *statu* idonei sunt.

℞. *flor. Chamom. melilot. & rosar. ā ā. p. j. semin. fænugræci ex usu* ʒij. coqu. foveantur oculi cum pannis tenuibus quadruplicatis, valet in fine augmenti & principio status; calide hyeme, tepide æstate.

In fine status & declinatione magis resolvens fiet Fotus, addendo folia *euphras. majorana, beton. & tantillum vini albi.*

Resolvens optimum fit ex oleo seu liquore qui ex linteis accensis & inter duas patinas suffocatis elicitur; gutta una cum saliva pueri miscetur & pennæ apice oculis admovetur.

In *Declinatione* non solum remedia prædicta, sed & Collyria magis resolventia usurpantur.

℞. *Thuris & aloes ā ā.* ʒß. *sarcocolla nutr.* ʒiß. *croci* ℈ß. *mucilag. fænugr.* ℥ß. *aquar. fæniculi & euphrag. ā ā.* ℥iß. *f. Collyrium.*

Si magis siccandum & simul digerendum.

℞. *Sarcocolla nutr.* ʒiß. *tuth. præpar.* ʒi. *aloës* ℈j. *myrrha* ℈ß. *mucilag. semin. fænugr.* ℥ß. *aqu. verbenæ & chelidonia* ā ā ℥iß. *f. Collyrium.*

In *fluxione pituitosa* potenter resolventia, non solum in declinatione, sed etiam in statu & augmento audacius usurpari possunt. Ad *ruboris & inflammationis* reliquias auferendas valet hic *Fotus*

℞. *fol. Euphras. puleg. ā ā. m. j. flor. chamom. melilot.*

rosar. rubr. & palea avena āā. pug. j. semin. fœnugr. ℥iij. sem. fœnic. ℥j ſ. Decoctio addendo ſub finem parum vini albi, foveantur oculi cum pannis lineis, vel ſacculis prædictis ſimplicibus ſemiplenis.

Aqua fœniculi ſola vino adſtringenti permiſta valet ad reliquias diſcutiendas & robur oculi; *Ovum* ad duritiem coctum, ſine teſta, per medium ſectum, calide oculo admotum, ruboris reliquias abſumit: Fotus ex decocto *hyſſopi* ſolius ruboris reliquias efficaciter diſcutit. *Riverius.*

In ſtatu mirabiliter conveniunt *Collyria vitriolacea*; Exemplum vid. 65.5 *Sacchara Saturni*) Sane *vitriolum* præſertim *album*, nobiliſſimum eſt in Ophthalmia remedium: Hinc aliquoties feliciter unitatus ſui *Collyrium Timæi*, in *obſ.* p. 116.

℞. *aqua roſ. plantag.* āā ℥ij. *ſolani* ℥j. *vitrioli alb.* ℈j. *miſce*, *Filtrationi adde Tutia pr.* ℈j. *cum linteo imbuto & expreſſo applicatur*, Eſt egregium. *Etmullerus.*

[65] *Inter Diſcutientia*) Si circumſtantiæ *Abſtergentia*, ob metum Catarractæ, requirunt, præſto erit *Antimon.* & *crocus metallor.* quæ prius tamen optime filtrari debent. Talis eſt *Aqua Ophthalm. Rulandi*, quæ à pleriſque magni æſtimatur, *Strauſſius.*

[65] *Inter diſcutientia*) *Diabutyrum* celeberrimum cenſetur, ſi *butyrum* lavetur cum *vino malvatico*, & ad ℥j. *butyri* addatur ʒj. *tutia & camph.* ℈ß. quod medicamentum in augmento uſurpari poteſt: In fine vero mali ſecretum extollitur hoc

℞. *lapid. calamin. uſti & bis in aceto extincti* ℈j. *myrrha, plumbi uſti & loti* āā. ℈ß. *croci* gr. v *Opii* gr. iij *æris uſti* ℈iv. Terantur omnia & fiat collyrium, quod penicillo oculis illinatur. *Jul. Cæſar Claudinus in Emp. Rat.*

Præſcriptum eſt cuidam Catapl. ex ſolo *pulvere lenaces cum lacte bubulo*, & modico *oleiliorum* inſtar pultis commixto, Ob inflationē etiam magnam, quā palpebra præ ſe ferebat, eoque appoſito pauſatim incantamenti inſtar dolor ceſſavit & inflatio, & facta eſt reſolutio, materia ibidem expulſa per criſin. Poſt 4. dies, cum Oculum aperire poſſet, *alb. ovi* tamdiu agitatum ut in aquam puram reſolveretur, pauco admixto *Croco* collyrii inſtar in oculum inſtillabatur, quo egregiè ab inflammatione illa & inflatione liberatus fuit. *Foreſtus lib. 7. Obſervat. 20.*

Si dolores inflammatorii ſunt una cum rubedine egregie contemperat & diſcutit hoc cataplaſma.

℞. *pulpa pomor. acidor.* ℥iij. *coqu. in aqua roſac. & fœnic. donec in pultem redigatur*, cui contuſæ adde *muci. ſem. fœnigr. aqu. roſ. extracta* ℥ij. *vitell. ovor.* n. ij. *camph.* ... *croci* gr. iv. *ol. roſac.* ℥iij. *m. f. Catapl.* Fr. Oſvv. Grembs, *Arb. ru. bom* p. 286.

Ad fluxiones oculorum valet maxime *Crocus metallor.* in hunc modum.

℞. *croci metall.* ʒj. *aq. euphraſ.* ℥iv. crocus tenuiſſime pulveriſetur, ut fiat pulvis impalpabilis, & miſce cum prædicta aqua: Corpore ſupino exiſtente quater in die inſtillentur intra oculos quatuor guttæ tepide. *Rod. à Fonſeca Tom. 1 conſ. 1.*

In declinatione inflammationis, quod diſcutiendum & digerendum, Vngu. hoc magiſtrale ſæpiſſime à me feliciter expertum eſt.

℞. *lardi antiqui inter duas cotes contriti* ℥j. lavetur *novies, 1. cum aqua font. 2. cum aq. fœnic. 3. adhuc novies cum aqua ruta, 4. novies cum aqua euphraſ. ultimo novies cum aqua roſar. tunc adde tutia praparata in aq. roſar. pulver.* ʒiij. *m. fortiter*, *F. Ungu. quo oculorum anguli limantur veſperi*; Tunc languens quieſcat. *Pulverinus Med. Pr. capit. 29.*

Aqua è flor. cæruleis *cichorii* diſtillata inflammationibus & caligini oculorum impoſita potenter remedium affert. *Hier. Tragus,*

Vas æneum ſumito, & *ruta ſucco* iterato, vas nocte una ſuper terram aceto aſperſum dimittito, & guttulas quas ſuper irroraſti cum *ſacchari* fri... omn... ero & diſſoluta cum *roſacea* oculis impoſito. *Ant. Fumanellus.*

Decoctum *Fœnugrati Galenus* x... *m.m.* laudat, maxime omnium, inquiens quæ oculis applicantur ſine offenſa digerit: *Matthiolus fœnugr.* decoctum ex aqua oculorum inflammationes arcet inſtillatum. *Pet. Salius Diverſus Notis in Altomarum*, jubet aſſumi herbam & folia pro hoc decocto, quod ſemen (calid. 2. & ſiccum in 1.) calidius ſit quam decet in oculorum inflammatione: *Aetius l. 7. c. 13.* hæc duo obſervanda præcipit in parando hoc liquore ex herba, 1. ut optime abluatur, ne pulverem admixtum habeat, 2. ne habeat ſemen permixtum. *Vide Septalium Animad. lib. 6. §. 97.*

[66] *Differentia* Ophthalmiæ eſt triplex.

I. Alia [67] eſt *ταραξις*, ſeu perturbatio, quæ ex co...

Cognoſcitur, quod [68] oculi duntaxat [69] calidiores cum rubore, abſque lacrymis copioſis apparent.

[70] *Oritur* à cauſis externis, nempe.

1. [71] *Calore ſolis, vel igne.* Tum Cataplaſma ſuperius apponi poteſt.

2. *Dolore capitis* ex ſolis æſtu contracto, [72] Tum idem locum habet, niſi [73] univerſalia omnino præcedere debeant.

3. [74] *Vento, fumo, pulvere.* Tum lacte tepido oculi abluendi, & ſomnus capiendus.

4. [75] *Ictu* vel *Caſu.* Tum ſanguis ſtatim mittendus.

5. [76] *Apis, veſpæ, crabronum* ictu. Tum repellentia ex albumine ovi, lacte muliebri &c. imponantur.

Alia [77] eſt *Ophthalmia vera*, quæ vel [78] à calidis, vel à frigidis [79] cauſis provenit, [80] cui ſuperius dicta præcipuè conveniunt.

Alia eſt [81] *χημωσις*, quando palpebræ quaſi invertuntur, nec claudi poſſunt, albumque ſupra oculi nigrum intumeſcit. Hæc validiora remedia exigit.

[66] *Differentia Ophthalmia*) Duæ ſunt ſpecies, *Sanguinea* & *feroſa*, ſeu *lymphatica*: Illa eſt inflammatio tunicæ Annatæ, cum rubore ardore, dolore, tumore & lacrymis profluentibus; Hæc vero, quæ propriè *Epiphora* dicitur, Eſt continua lacrymarum diſtillatio & copioſa ex oculo, conitat plus minus, cum ejus dolore, morſu, ardore, rubore &c.

Ex Lacrymarum differentia, (vide ſupra §. *Lacrymæ copioſiores & mordaciores*) Ophthalmiæ *tempora* diſtinguenda, nempe, *Principium* eſt quando humor tenuis ac plurimus deſluit. *Augmentum* quando dolor augetur humorque fit craſſior. *Status* ...m magis coctus videtur humor, hoc eſt temperatus, adeoque craſſus, ut etiam palpebras

palpebras congluonet, *Declinatio* cum signaremittunt. *Emulleim.*

Sanguis Inflammationem excitans, nunc per *vasa oculi exteriora*, Tum tumor, dolor, pulsus in fronte ac temporibus percipiuntur, nunc per *interiora vasa & membranas*, tunc dolor profundior & vehementior est, plurimusque in palato ac naribus ardor sentitur, ac sternutatio frequens erit. *Idem.*

66. *Differentia Ophthalmiæ*) *Hercules Saxonia* rem distinctè declarat, Ophthalmia duas imprimis habet differentias, quarum prima dicitur *Humida*; Humida adhuc in tres præcipuas differentias, habita ratione temporis, & consequenter magnitudinis & parvitatis distinguitur; nam quæ est in principio, idcirco ita parva ut sit intemperies cum materia potius quam tumor, Græcis dicitur ταραξις, Latinis *Vacillatio*, Est materia quædam conjunctivæ oculi sine materia, quæ magna ex parte excitatur ex causâ extrinseca, fumo, pulvere, oleo, aut aceto, vel alia re acri ingrediente in oculum, vel ex largiori potu, & esu aromatum & acrium: Ubi vero jam fluxerit humor in membranam, ac tumorem elevaverit, dicitur proprie *Ophthalmia*; Sed si jam cum maximo dolore eleveтur inflammatio in utramque corneæ partem, ita ut palpebræ non possint amplius oculum tegere, talis inflammatio dicitur χήμωσις.

66. *Differentia Ophthalmiæ est triplex*) *Avicenna* Ophthalmiæ à *Flatibus* oriundæ naturam investigat: *Platerus* negat Flatus oculos *subire posse*: *Schneiderus consentit*, Non parum multis, *inquit*, placet in *Cerebro* ipsu existere aliquando *Vapores*, qui inde in oculos impetum faciant concitentque Ophthalmiam, At quis illud ipsum fiat nec dictu facile est, nec cogitatione expeditum; Fingamus vapores stomachi aut hepatis, aut lienis, aut matricis intimum cerebrum obnubilare, profecto longe alii morbi hinc creabuntur quam Ophthalmia, & ea vel sicca: Quo tramite hi quoque vapores ad Oculos istabunt? Cur ii non foraminibus ossis cuneiformis & cribriformis pellentur? ac si eo pervaserint, cur non disperguntur, funduntur, oculis tam lubricis, tam mobilibus? Quis inflammationem illam movere poterunt? quæ sanguinis notæ in extremo oculo extant, qui acti est objectus.

Omnia ne tantillum rationis habere videntur: Nunc vero cum *Sennerto Galenus* minime facit, imo diversus est, nam *hic*, uti dolente stomacho, ita per phrenitidem affecto cerebro, fumum ait 4. *de loc. aff. c.* 2. per arterias & venas ad oculum (ita loquitur interpres) descendere, Ac *comm.* 1. *in progn. Hipp.* ait totum corpus, h. e. totum venosum genus istis febribus exæstuare, ut humor in pupilla mundus facile possit concipere exhalationes; Atque simili ratione *Galenum l.* 5. *c.* 6. & *l.* 3. *de l. aff.* interpretari licebit; Nec cerebrum iis, quas dicit *Sennertus*, viis humores transmittit ad oculos: Minime materia è venis frontis & temporum ad corneam tunicam & ad uveam per pericranium confluit; Cornea quam crassa est; quam multas habet laminas? istam materiam nec imbibet facile nec quoque trajiciet: Nec humor à dura & tenui membrana cerebri in humorem aqueum fluere poterit.

Nec is quoque per tunicam retiformem hoc modo permeabit: Illæ oculi partes adeo connexæ sunt, adeo constrictæ ut humor ibi constet potius quam profluat: Quæ, quæso, tunicæ oculi non habent venas & arterias? illæ & in tunica retiformi sunt satis spectabiles: His non vapor modo, sed & ejusmodi humor invehitur, unde ille & alii morbi oculorum procreari poterunt? Tunica illa Oculi Choroides unde hoc cognomen adepta est? Unde? nisi à multitudine vasorum sanguinis, his quantum vinosi humoris, quantum quoque vaporis inferri potest? *Idem l. c. p.* 26. Vide supra

§. *Causa est sanguis*) Sed quid fiet de Vaporibus? Negat *Platerus*, Vapores Oculos nequaquam subire posse, Vide Tom. 1. Prax.

67. *Alia est ταραξις*) Quatuor faciunt ταραξιν, ὑγρότητα τῶν ὀφθαλμῶν, θερμότητα, ἐρύθημα, ὄγκον ἐν τῷ σώματι: Taraxis & Ophthalmia habent ὑγρότητα, seu lacrymas, θερμότητα & ἐρύθημα: At ὑγρότητα, θερμότητα quoque & ἐρύθημα est major urgente vera ophthalmia: Lacrymæ & Taraxin & Ophthalmiam significant: quare *Sennertus* rem facit obscuram, nam ταραξιν definiens præterit lacrymas: ταραξις atque ἐπιταραξις, seu Ophthalmia, & magnitudine humiditatis, caloris, ruboris differunt, ex genere causarum: ταραξις tantum de causis externis, Ophthalmia non solum de his sed etiam de internis nascitur. *Schneiderus.*

67. *Alia est ταραξις*) Cum rubore, citra tumorem & exulcerationem frequenter molestiæ vel dolores in oculis se manifestant, Ophthalmiamque, sed *falsam*, ad differentiam illius quæ *cum inflammatione* facta vera dicitur vocant; Ruberque tunc vel oculi album totum, vel alio usque saltem; vel palpebrarum tantum interna superficies, non solum naturali rubore, sed intensiore & veluti cruento rubet, vel ambo simul, non tamen adeo ut in vera ophthalmia venis amplis aut dilatatis: uti neque tunc tantus adest ardor, sed *lancinans* tantum interdum dolor, vel *pruritus*, in oculorum præsertim angulis palpebrarumque marginibus divexat, *Xerophthalmiam*, eo nomine appellant. *Platerus.*

68. *Oculi duntaxat calidiores*) *Intemperies calida simplex*, nondum fluxionem concitans, calorem potius & pruritum quam dolorem in oculis excitat, quæ si supervenerit, fluxionem mox commovet: Qualis à calore externo atque interno, in morbis calidis & febribus, in quibus oculos prurientes perfricare solent, subsequuturæ interdum narium hæmorrhagiæ, sanguine calidiore eo vergente indicium, in oculis nonnunquam excitari solet, quæ & punctiones in oculis interdum movet: *Frigida intemperies, a vento* frigido præsertim, aliisque prodiens, mordicando oculos, ut pruriant facit.

Siccitas insuper *nimia* asperitatis sensum & pruritum etiam excitare potest, quæ & forte causa est quod vigilantibus diutius, tum in morbis tum extra hos, oculi qui tunc & nonnihil rubent, adeo pruriant, ut eos fricare cogantur; Nisi forte gravedo oculorum, quæ cum somnus incitat adest, occasionem huic præbeat. *Platerus.*

69. *Calidiores cum rubore absque lacrymis copiosis*) Cum affluxu humoris sanguinei intemperies calida si oculum palpebrasve occupet, ruboremque illis excitet, nec dum vera adhuc sit inflammatio, *Ophthalmiam falsam* dictam, quæ mitior quam vera est procreabit: eamque humidam si lacrymæ ob molestiam partis summe sensilis proritatæ simul hunc affectum comitentur; vel siccam appellatam, si hæ (quod forte quia caput in illis minus humidum est evenit) desint: Vel etiam *aridam* seu *duram* vocatam si serum tenacius; quod lacrymas patit, palpebris adhærens illas conglutinet, suamque terrestreitatem illic deponens (sicut seri causa arenas gigni censemus) arenas palpebris accrescentes procreet. *Platerus.*

70. *Oritur a causis externis*) Cujusmodi sunt Solis flammantes radii, flamma & fulgur, imo nix ipsa & quodvis sensile excellens, & quæ splendidiora sunt quam est ipse oculus, Infamis est hoc nomine *fumus*, qui quo acrior est, & propius ac crebrius oculos impetit, eo majorem illis molestiam concitat; Sic artifices, quibus cum metallorum & mineralium fusione, probatione, aut alia tractatione negotium est, tum ob dictam objecti luminosi eminentiam, tum ob conjunctum non raro gas venenosum acre, facile inde

herunt ; quæ non raro magnum Medico curandi facessit negotium, cum vix impedire possit quo minus pars delicatissima, à longo tempore debilis fluxionem recipiat. Adde quod sæpe fovetur hic affectus à congestione ex intemperie in parte contracta quæ potest difficillime corrigi: Illi Ophth. post phlebotomias & purgationes convenientes, maxime conferunt *Balnea, Fontes facta*, & *Aquæ minerales vitriolatæ*, tum etiam *Hirudines hæmorrhoidibus* affixæ. *Riverius.*

. *Vel à frigidis causis provenit*) Documenta frigidi humoris unde fiat Ophthalmia, sunt ea, Cerebrum, & Oculus ipse, sunt membra frigida, quare ejusdem naturæ esse humor illam pariens; Ipsumque cerebrum pituitæ sic origo unica putatur: Præterea melancholicum humorem, qui etiam est frigidus, aiunt oculorum quasi proprium esse; Ex adverso autem Ophthalmia est de genere inflammationum, quæ ad unam omnes sunt calidæ: Nec humor frigidus & lentus ex cerebro tam prumpte ad oculos decurret; nec horum tunica talem tam facile concipiabit; Quid? nec vasa sanguinis ad cerebrum, ejusque ad membranas spectantia frigidum, sed calidum vehunt humorem, atque sincerus cholericus humor Ophthalmiam facere dicitur, talemque aiunt cerebri vasis inesse, usque ite in oculos; Qui vero in oculo fluitat eum esse frigidum, ac, ut vocant, phlegmaticum, attamen & eum aliquando ophthalmiam ciere; Dein humorem quidem natura calidum esse confitentur, ac iidem contendunt algore cerebri refrigerari; mox vero asserunt in parte anteriore cerebri sanguinem calidum & cholericum naturaliter contineri, per accidens vero in cerebro (ita loquuntur) & frigidum inesse, illumque vaporibus inibi resolutis adaugeri verum hæc antica, & calidior cerebri portio, cerebri pituitam suam lentam magis spissabit, magisque liquefaciet sublatos vapores.

Limus ut hic durescit & hæc ut cera liquescit.

Schneiderus l. 6. p. 35.

80. *Cui superius dicta*) Ut cum Ophth. materia à sola cerebri intemperie oritur, cujus ratione humores pituitosi ad oculos defluunt, cum aliqua sanguinis portione permisti: Tunc cerebri expurgationi incumbendum est per Pilulas usuales, bis, ter aut quater in mense usurpatas: Si hæ non suffecerint, cum aliis remediis universalibus, ad *purgationes mercuriales* per intervalla repetitas, tanquam ad sacram anchoram confugiendum est.

Tum etiam ad humoris influentis diversionem *Cauterium occipitio* admotum erit utilissimum; Vel Setaceum posteriori cervici infixum multo felicius operabitur: *Vesicatorium* sincipiti admotum mirifice profuit in vetula quadam lippitudine contumaci laborante, ex *Foresto obs. 11. lib. 11.* (*In matrona vetula xxiv. horarum spatio Ophthalmiam annuam sublatam vidi Neocomi Helvetiorum, admoto sincipiti Empl. Cephalico à Riverio capite de frigida cerebri intemperie descripto, omissis cæteris remediis.*)

Rondeletius cauterium suturæ coronali admovet.

Masticatoria etiam ad fluxionis derivationem proficua futura sunt, minime vero Errhina, quæ humorem ad partem affectam trahere possunt.

Si cerebrum majori exsiccatione indigere videtur; ad *Diætam sudorificam* confugiendum est ex *China, Zarza &c.*

His accedent *Topica resolventia* & oculos roborantia, imprimis Fotus & unguenta pro statu & declinatione ophthalmiæ proposita, quæ etiam inveteratas discutere valent. Addatur his oculorum ablutio ex aqua fœniculi & vino rubro, singulis diebus mane iteranda.

Ad hujusmodi ophth. inveteratas Aqua sequens magnæ est efficaciæ.

℞. *Aloes opt. & tuthiæ præpar.* ãã. ʒvj. *sacch. albiss.* ℥j. *aqu. rosar. & vini albi non acidi* ãã. ℥vj. *infundantur in ampulla vitrea bene clausa ad Solem per 40 dies: hujus aquæ non colatæ instillentur guttæ aliquot in oculum.* Riverius.

80. *Alia est χήμωσις*) Dicitur si præter totam conjunctivam, (quæ in Taraxi sola afficitur) Cornea quoque & Palpebræ à gravissima phlegmone atque dolore affligantur. *Straussius.*

Sic describit *Wedelius*, *χήμωσις* summus Ophth. gradus dicitur, quando ita increvit inflammatio, ut etiam corneam tunicam occupet, symptomatibus Ophthalmiæ veræ ita intensis ut utraque palpebra inflammata simul intumescat, & velut invertatur, nigro oculi depresso, ut veluti hiatus in oculo appareat, & visus fere prorsus auferatur. *Wedelius.*

In pueris, & oculos prominentes habentibus sæpius contingit, fitque in magna plethora & pituitosis humoribus. *Riverius.*

81. *Validiora remedia exigit*) Acriuscula in tempore exhibita, optima sunt ophthalmica, tum quia humores ibi subsistentes in motum cient, tum quia oculus frigidus & membranaceus est: unde leviora quæ sunt archeum ejus minus movent, quæ vero acriora lædunt: Id tamen non facile fit quod casu & fortuna innotuit: quæ enim partibus tam delicatis nocitura videbantur, non nocuerunt ob robur tunicarum, quod ex anatome patet: Ex eo tamen non inferendum promiscue oculis inferenda acriora, irritantia quippe; unde errant qui seu ex vulgo, seu ex medicis, *camphoram*, qui *vitriolum album*, & alia ultra moderationis terminos collyriis jungunt, unde inflammatio augetur citato affluxu & morsicatis fibris. *Wedelius Am. m. m. p. 134.*

II. Alia est [82]. *Periodica*, quæ intervalla servat, capitibus calidis & humidis familiaris est, & [83]. oculos tandem in tabem conjicit.

Alia est, *Periodica quæ periodos non servat.*

Alia [84]. *Contagiosa.*

82. *Alia est periodica*) De ea *Mercurialis* disserit in hunc modum, *Dices, quod cum dixerim alias esse periodicas, quæ sit Ophthalmia periodica? Respondeo id quod etiam dicit* Galenus 2. de diff. febr. 11. *Ophthalmias fieri periodicas, ut & multos alios morbos, ratione qualitatis humoris ex quo generantur, quod si ex bile, periodus erit tertiana; si ex pituita, quotidiana, ex melancholia quartana; Sed advertendum, quod etiam* Galenus *ait, sæpe intervertbari has periodos propter gradum congestionis humoris, quia humor congestus est multus, e. g. si sanguis biliosus in magna copia congregetur, potest fieri periodus continua, seu quotidiana, licet materia sit biliosa.* Sole occidente dolor plerumque ingravescit, Natura tum temporis quasi imbecilliore, & humoribus illis quasi magis insultantibus. *Schneiderus p. 51.*

82. *Alia est Periodica*) Quæ fundamentum habet in *massa sanguinea*, hujusque comite *sero*, cujus mordaces rivuli cum ad oculos diffundantur, Internis quoque auxiliis ut Naturæ opem feramus necessarium est: Sive jam erodens *Seri* ferocia *Scorbuticam* non raro impuritatem conjunctam habens, *Alterantibus* convenientibus compescenda, impuritasque ejus corrigenda; sive dicti *humoris copia*, natura monstrante viam, per *diaphoretica* vel *diuretica* diminuenda atque evacuanda

Richardus Olberton Eques Auratus in Hibernia, sexagenarius, mense Majo 1640. cum hydrope laboraret, cœpit repente ante præcedente Ophthalmia, aut Epiphora, ullave omnino de oculis querela, infestari in omnibus quatuor oculorum angulis excrescentiis quibusdam mucaginosis, crudo ovi albumini non absimilibus, sed multo firmioribus, neque usque adeo claris aut candidis: Et in reliquis quidem angulis excrescentiæ hæ erant minores, sed in minore angulo oculi sinistri valde magna, totam oculi viciniam usque ad pupillam operiens & multum protuberans; Primis duobus tribusve diebus neglectum fuit hoc malum, quia interdum decrescebant hæ eclypses, ac processu diei fere evanescebant, noctu succrescentes, ac matutinis plenam magnitudinem obtinentes: Sed cum persisteret ac augesceret, serio de eo curando cogitare coactus fui, inque eam rem aqua quadam ophthalmica usus sum, parata *è vino, rosacea, myrobal. tuthia & æris flore*, quæ bis terve die oculis instillata tædium illud intra paucos dies penitus sustulit.

Biennio ante curaveram juvenem de Proregis familia, nomine *Gulielmum* Markham, qui cum Epiphora calida ac violenta per aliquot dies laborasset, uterque oculus materia consimili, non pedetentim, sed repente, totus obtectus fuit, ita ut visum penitus amitteret; In eo pertinacius hoc malum expertus fui, & quod remediis difficilius cederet, ita ut præter interna externaque remedia varia, vacuationis ac diversionis ergo instituta, præterque aquas ophthalmicas etiam unguenta & emplastra in usum trahere, atque oculis admovere fuerit necesse, quibus tandem intra duarum septimanarum decursum persanatus fuit.

86. *Tollitur fluxione*) Per *Sudores evacuationes*, cum non, nisi corpus caleat, prodeant, dum oculi calent si promoverentur obessent; Si vero sine calore & ardore adsunt ulcera, lacrymæque infestant, tunc quia corpus siccant, excrementaque absumunt, utiliter provocantur, nec tantum una duabusque vicibus, sed & continuis aliquandiu, adhibita insuper, uti fieri tunc solet, in cibu abstinentia. *Platerus.*

87. *Contegebantur oculi gossypio*) Quo præsidio usus *Riverius* in ophthalmia pertinaci, cum sordes quamplurimæ, puris instar in oculis colliguntur, quæ vix collyriis aliisque remediis curari possunt. Hoc in casu assumit gossypium optime carptum, & ad prunas diligenter exsiccatum, cujus pauca quantitate instar plumaceoli oculi conteguntur, fascia superinducta, mane gossypium aufertur dictis sordibus imbutum; hoc remedio per plures noctes continuato, *ait*, morbus curatur qui aliis remediis non cesserat: Succedit præcipue in infantibus & pueris.

88. *Alia sicca*) Hanc sic depingit *Celsus*, Peculiaris *inquit*, adhuc Lippitudinis species est quam Ophthalmiam siccam appellant, *in* qua non tantus est lacrymarum fluxus, & præterea etiam palpebræ afficiuntur; *Saxonia* eam ad palpebras potius pertinere ait quam ad conjunctivam, præcipue circa angulum majorem oculi, ita ut inversæ appareant palpebræ & admodum rubentes.

88. *Oritur ab humore pauco*) Causa sine dubio in portionum lymphaticarum, sanguini admistarum, aciditate congelativa ponenda erit. *Bruno in castello renov. Voce Sclerophthalmia.*

89. *Σκληροφθαλμία*) Est morbus Palpebræ; σκληροφθαλμία est oculi ægritudo qua is dolet, rubet, non multum lacrymatur, non ex facili movetur, palpebra aliquanto duriore: ξηροφθαλμία est itidem oculi passio, qua is dolet, prurit & rubet, & quidem sine multis lacrymis ac rheumate palpebra similiter & sic affecta ut oculus sit sat mobilis: In σκληροφθαλμίᾳ non palpebræ, sed est [illegible] τῶν ὀφθαλμῶν docente *Aegineta*: χήμωσις est etiam talis Oculi morbus quo & palpebræ afficiuntur. *Schneiderus.*

90. *Si omnino non &c.*) Aliquando oculi rubri sicci sunt, minimeque madent, tuncque *Xerophthalmia* dicitur, Ejusmodi autem oculorum affectus cum *rubore*, interdum *recentes* sunt, à causa aliqua nova suscitari; alias *diuturni*, *epiphora* præsertim, in *qua palpebra* tantum *rubent & madent*, oculo nihil vel parum mutato, Quod vitium *senibus* atque *ebriis* adeo consuetum, ut vix in illis emendari possit, nec iis magnam, nisi aliud accedat, propter pruritum aliquando & lancinationem aliquam, aut sensum asperitatis parit molestiam, quos etiam *Lippos* vocare solent, *Platerus.*

91. *Valet mica panis albi &c.*) *Succurrit aridæ lippitudini ait Celsus quis panem ex vino subactum super oculum imponit, Nam cum fere sit humor aliquis, qui modo ipsum oculum, modo angulos, aut palpebras exasperat, Sic & si quid prodit humoris, extrahitur, & si quid juxta est repellitur.* Celsus.

Quoad *Ophthalmias nothas* seu *siccas*, eadem fere conveniunt, præcipue tamen *aqua cancrorum, mucilagines, alumen cum ovi album.* Item.

℞. lithargyr. aur. pulv. q. v. coque in aceto destill. q. s. evadet decoctum dulce, filtra per chartam & applica cum linteo Egregium est, *Etmullerus.*

Cap. XXXVII.

De Vngue oculi, Panno & Hyposphagmate.

Vnguis.

I. *VNguis, seu πτερύγιον & Sagitta, est membranula nervosa, fibrosa & albicans, quæ ab angulis oculorum, majore inprimis, prodit, adnata valide adhærescit: interdum usque ad corneam producitur, sæpe si nimium increscat, pupillam cogit.*

2. *Signis* affectus non eget, cum oculis sit expositus. Albedine à carne lacrymali discernitur.

3. *Causa* est 4. sanguis 5. humoribus crassis & lentis permistus, 6. ex partibus inter cranium & cutem contentis defluens, & scabritiem quandam inferens, quam dum vis nutriens æqualem reddere nititur, incrementum membranæ præter naturam producit.

7. *Curatio* reposcit.

I. 8. *Vniversalium præmissionem.*

LLl I

II. *Vnguis*, [9] post decocti vel aquæ distillatæ temperatæ [10] fotum, [11] *extensionem*. Inter medicamenta [12] valent, [13] pulvis [14] ex *ovorum* testis paratus, & oculis inspersus, Lapis *medicamentosus Crollii* in aqua rosacea, & euphrasiæ. Specificum [15] *Lucii piscis* Hartmanni. Aqua *albuminis ovorum* ejusdem, & alia: quæ si acria sunt, *tragacantha* & hujusmodi [16] castigari debent, & ne cornea tangatur, caveri.

III. [17] *Chirurgiam*, de qua apud Authores.

IV. *Diætam*, in qua à vino & cibis vaporosis abstinendum.

Dividitur multifariam.

I. Alius est *Albicans*, Alius ad *nigredinem vergens*, [18] qui remediis tolli non potest.

II. Alius *Recens*, qui facilè discuti potest.

Alius *Inveteratus*, cui si crassitudo accesserit, excidi debet: interdum tamen tam pertinaciter annatæ adhæret, ut neque per Chirurgiam absque oculi jactura auferri possit.

III. Alius est *qui ad Corneam duntaxat producitur*.

Alius qui ad *pupillam usque protenditur*, & si tollatur, oculum quidem à fluxionibus liberat; sed cicatrice relictâ, visum impedit.

IV. Alius est [19] *Cancrosus & putridus*, qui curationem non admittit. Alius *Non*.

[1] *Vnguis seu Πτερύγιον*) Molestam illam eminentiam ob similitudinem Græci ἀπὸ τῆς πτέρυξ, ala (non autem ἀπὸ τῆς πτερόν) diminutive πτερύγιον, alulam appellitant, notante *C. Hofmanno Inst. l. 3. c. 118. §. 1.* Latini *Vnguem*, seu *Vngulam oculorum*, eo quod unguem humanum referat, nominare solent: Notandum monet Idem c. 154. §. 57. quosdam à pterygio, τὸν ὄνυχα, unguem distinguere, quippe quem à pure deducunt, cum supra Oculi nigrum albicans quid nascitur, quod etiam ὑπώπυον, ... & λεύκωμα vocant. *L. Straussius Pal. med. Gymn. 17.*

[2] *Vnguis*) Investitur extrinsecus tunicæ Corneæ sedes transparens *Tunica nova accrescente*: quæ illi nunc penitus connata coalescit; vel citra connexum, nisi ubi exoritur, & in ambitu adhærescit, reliqua sede tantum obducitur, nunc ex majori, interdum ex minori oculi angulo prodiens; *alboque oculi* primum expansa, mox & nigrum illius, vel ex *parte*, vel *totum* obtegit; Estque primum *tenuior*, mox *crassescens* carnosa fit, venis multis cruentis contexta, diciturque *Panniculus*; adeoque sæpe augetur ut digitis apprehendi, & ab oculo aliquo usque elevari possit, portioque illius aliquando duarum unciarum pondere abscecta fuerit: Alias vero indurata albescit, tuncque *Vngula, Vnguis, Pterygium, Zebel* appellatur, visum, prout *nigrum* illius plus minusve occupat, penitus vel ex parte delens. *Platerus.*

[3] *Signis affectus non eget διαγνωστικῶν*) per se ex definitione patent, Signa vero causarum desumentur 1. ex *causis hujus vel illius humoris generationi* magis convenientibus. 2. ex *symptomatibus*, & maxime colore huic vel illi humori appropriato: *Malignus, cancrosus* unguis carnem quæ excrescit, crassam, duram & nigricantem ostendit: Affectus qui vel *conjunguntur*, vel prægressi sunt, suis se indiciis manifestant. *Straussius*: Rubra ungula fit à sanguine puro, citrina à bilioso, alba à pituitoso, fusca & nigricans à melancholico. *Riverius.*

[3] *Causa est*) Ex *causis mediatis remotioribus* sunt 1. *Res naturales*, atque in his *Temperamentum*, cujus magnum pondus est, ut adeoque *humidiore sanguine*, vel in *toto* vel in *parte*, luxuriante ad oculum pateat quam pronus hinc ad ejusmodi vitia oculus reddatur. 2. *Res non naturales* consideranti *Aër* primum occurrit, nec immer[it]o, mutato enim ventorum axe, oculorum quoque fermentum varie affligitur, & excrementa in illis, non quidem mucosa à cerebro, sed proprio errore fi[un]t, juxta *Helmontium. Tract. Catarrh. deliram. §. 4.* *Nimiæ lucubrationes* v[ari]o iterato apud *Lonchium l. 2. c. 3.* hoc ... [con]fusim exc[itav]erunt, 4. *Re*[s] ... *p. n.* plurimum hi[c] valent, unde plerumq[ue] à præcedente oculorum inflammatione, catarrhis, variolis, ul[ceri]bus non probe ... & abstersis Pterygio occasionem fuisse datam observatum fuit. *Straussius.*

[4] *Causa est sanguis &c.*) Oritur hic affectus ab exulceratione carnis quæ est in angulo oculi aut tunicæ adnatæ, unde scabrities partis & inæqualitas emergit, quam dum facultas nutriens adæquare & complanare nititur, copiosiorem sanguinem affundit, e[x]que i[n]crementum præternaturale producit, aut quoddam veluti tegumentum ei ingenerat: Quia tamen in oculum male affectum quamplurima excrementa confluunt, ideo non ex sanguine puro, sed plurimis excre[menti]s permixto Unguis generatur, unde variæ illius d[i]ff[ere]ntiæ exsurgunt, quod alius durus, alius mollis, alius albo, alius citrino, alius rubro, alius fusco colore præditus sit, alius facile separabilis ab adnata & cornea; alius tenaciter adhærens; alius simplex & pr[av]æ qualitatis expers, alius putridus & cancrosus *Riverius.*

Vel ex sanguinis affluxu spontaneo [n]a[sc]it po[st] exulcerationes accrescens, *Hypersarcosis aut Chemosis* ex ...; Alias à privato vitio, membranis p[r]æsertim ... *Elephantiacis* frequenter admodum accid[it], ra[r]... in homine eveniens; Sicuti *piscibus*, si in aqua ... adiu in vivariis retineantur, accrescente ... limo ... eosque obcæ[c]ante, sæpe accidere vidi. *Platerus.*

In sanguinem jamdudum ab Antiquis fuit hujus mali causa translata, Sanguinem vero non purum, sed cum excrementitiis humoribus plu[s] minus permixtum sub audies; Nam unguis modo ..., modo ... nus, modo subniger &c. variæ sanguinis (cui ... semper associatum volumus) indoli adscribendum esse satis ostendunt. *Straussius.*

[5] *Sanguis humoribus crassis & lentis*) Humoris lenti viscidique concretionem ponimus Non imus inficias facultatem ..., quam in oculorum angul[o] ... gnoscit *Sennertus*, Aduatam ultra terminum ... augere & distend[e]re posse; Neque istius T[uni]cæ *Exulcerationem*, hincque resultantem ὑπερσάρκωσιν penitus rejectam volumus, attamen cum ista vix u[n]dem præbeat indicationem; Absque *concretione* ... *lentis* atque *viscidi humoris* illa membranosæ emi[nenti]æ productio ... quidem concipi queat, ideo *hanc* jam potius *causa proxima* meritum adscriber[e] volumus; Sive itaque vel in *ipsa tunica*, vel in *affluente humore* hanc quis agnoverit concr[e]tionem, f[or]te parum referet, siquidem quotiescunque humor[es], qui ad oculos fluunt, adeo crassi, lenti ac viscidi sunt, ut membranulam quandam nervosam generare valeant, πτερύγιον oritur. *Straussius.*

[6] *Ex partibus intra cranium*) Per easdem vias fit affluxus humorum ... rum & lentorum per q[u]as oculus nut[rimentum] ... [susc]ipit, scilicet p[e]r arterias, quæ purum alias, ... impuris humoribus sanguinem inquinatum vehunt.

Prognosis.

Prognosis.

Malum hoc non contemnendum, si quidem ingravescens, pupillæque tandem obductum, videndi aciem tollit: Imminuitur vel augetur periculum, prout vel recens & mediocre, vel inveteratum magnumque fuerit. Ipsa quoque diversa causarum & symptomatum ratio, in diagnosi ostensa, lucem hic præfert, & sicuti percepta oculi *ἀτροφία* male ominatur, ita *Cancrosum* ubi animadvertit unguem spem salutis omnem abjicit: Si quidem Cancer radices habet, quæ, teste *Aëtio*, divelli amplius nequeunt. *Straussius.*

7. *Curatio reposcit*) Dirigenda est ad causam antecedentem & conjunctam: Ratione *antecedentis*, eadem victus ratio præscribenda est quæ in aliis oculorum affectibus à fluxione ortis: Simul evacuationes ac revulsiones, nempe purgationes, s. m. cucurbitulæ, vesicatoria &c. *Riverius.*

8. *Universalium præmissionem*) Materiam præsidiorum, quam fons Chirurgicus suppeditat, per gradus in usum vocare quam ad extrema statim confugere præstat; Hinc v. s. in plethoricis non est ut negligamus. Idem etiam in usu vel *Vesicatoriorum* vel *Setaceı* observandum esse, deprædicata ab Hildano eventus felicitas una cum ratione suadet, *Fons Pharmaceuticus* varia Evacuantia subministrat, ubi præsertim ea quæ crassos viscidosque humores educunt, seligere convenit. Laudat *Sorbait* Pil. ex *Extr. agar. pil. coch. ãã. gr. xv. pulv. fyris gr. v. ol. fænic. gtt. iij.* paratas, & 3. quoque die repetere jubet. *Straussius.*

9. *Post Decocti vel aqua temperata Fotum*) Corpore sufficienter purgato, dabitur opera ut unguis primum *emolliatur*, *Forestus* Fotu primum *aqua calida*, deinde *decocto hordei. althææ, malvæ, chamomillæ, sem. lini, fænugr.* usus est, postmodum abstergentibus. *Straussius.*

10. *Fotum*) Fotus & suffimenta parcius & caute administranda; fumus enim lædit oculos nimia morsicatione, modica non nocet: Nimio vero calore concretionem humoris albuginei in cataractam promoveri posse notavi in studioso, qui ex intempestivis fotibus illam reportavit *Wedelius Am. m. m. p.* 131.

11. *Extersionem*) Topica remedia vehementer exsiccantia, & nisi hæc juvent, *erodentia* tandem esse debent; Eligenda fortissima ex illis quæ albas maculas extergent, (*vide cap. 5. artic. 5.*) *hoc* supra ipsum panniculum adhibendum, *illic* supra palpebras; non neglectis *liquidioribus mixturis*, quas oculo instillamus: Palpebris inicimus quædam, ut successive juvent, adhibentes, Et *fomentationem*, ad præparandum oculum, interdum etiam applicantes. *Platerus.*

12. *Inter medicamenta valens*) *Forestus* Collyrium sequens maxime commendat.

℞. *Succi fænic.* ℥iij. *succi chelidon* ℥iij. *succi rutæ* ʒij. *succi malvæ* ℥iiß *aloës* ʒj. *vitrioli* ℈ij *æ rug. æris* ℈j. *zinzib. & cinnam. ãã.* ℈ß. *fellis anguillæ* ℥ß. *fellis tauri, bubuli, aut porci* ʒij. *sacch. c.* ℈ij *bulliant succi addendo* reliqua, & depuretur: Vel

℞. *Lapid. hæmat.* ʒij. *vitr. albi, virid. æris ustorum ãã.* ʒiij. *myrrhæ & croci ãã* ʒj. *piper. longi* ʒß *sacch. c.* ℥ß. *terantur subtilissime in alkool: hujus pulveris* ʒj *misceatur aqu. raphani* ʒij. applicetur bis terve in die, prout æger tolerare poterit.

Inter remedia minus vehementia, sequens utile est.

℞. *Ossis sepiæ* ℈j. *sacch. candi.* ʒj. *vitrioli* ℈ß. *tuthiæ præpar.* ʒß. *m. f. Pulvis subtil. ungulæ aspergendus.* Riverius.

Celebre hoc est, quod celerrime consumit.

℞. *Chalcit. usta* ʒiv. *croci* ʒj tritis utere siccis. *Aëtius.*

Hoc contumacissimos ungues sanatos fuisse legitur.

℞. *Lapidis hæmatit.* ʒij. *vitriol. albi virid. ær. usti, ãã.* ʒiij. *myrrhæ, croci ãã.* ʒj. *piper. longi* ʒß. *sacch. cand. q. s. Fiat pulvis subtil. de hoc accipe* ʒj. *dissolve in* ʒj. *vel* ʒiß. *aqua raph.* applica bis vel ter in die *J. C. Claudinus Emp. rat. p.* 477.

Pro Pterygio consumendo mandavi ut ex *felle porcino, anguilla & succo chelidon. rutæ & fæniculi* simul coctis in vase æneo, addendo in fine ʒij. *vitrioli* fere, & deinde *erugin. æris* ʒj. & succis depuratis s. a. collyrium fieret, quod egregie detergebat, ut in consumendo par non haberet, quod & in aliis expertus sum. *Forestus l. 6. obs.* 55.

℞ *Fel. lucior. q. s.* distilla in cucurbita ad crassitiem; in aqua distillata solve aliquid *camphoræ* & serva: crassiorem vero relictam extrahe cum *spiritu vini*, iterumque abstrahe: Hujus *extracti, & sacchari minera Saturni crystallizati* à gr. j. in prædictæ aquæ gtt. vuj. & cum penna in oculis immitte. *J. Lud. à Frundeck Tr. de Elix. arb. vit. pag.* 49.

Affectione diu durante præsidium hoc vere in isto statu mirabile est.

℞. *Fænic. verben. chelidon. euphras. rutæ, sambuc. beton. ãã. m. j. Bulliant in vino Græco* vase clauso per 2. horas, Excipiatur lacryma in superiore vase resudata, & super pterygium inspergatur.

Memorabile secretum apud me est ad Vngulam, cujus efficaciam vidi in puella cœca.

℞. *Aqu. ros. euphras. fænic. chelid. apii. ãã. q. s.* in hanc mixturam ℔. j. adde *mercur. sublimat. pulverisf. gr. v. vel* ℈ß. Ponatur mane gutta j aquæ illius vel ij. in oculos. *Stocke in Pr. aur. l. 1. c. 10 mixtura* sic fiunt.

℞. *Aqua com. s. in maculis albis* (cap. 5. art. 1. de morbis corneæ, §. In curatione laudatur,) *cum urina in æneo vase macerata* ℥vj. *pulv. nabath. stercor. lacertæ, ossis sepiæ ãã.* ʒß. *pulverisata prius excipe mucilag. sem. fænugr. in prædicta aqua facta*: vel *spissior* hoc modo.

℞. *Succor. omphac. & amurcæ & granat. acidor. exiccat. ãã.* ʒij *adde pulv. ossis sepiæ & stercor. lacertæ ãã* ʒß. *m.* Vel sic

℞. *Pulv. Nabath.* ʒiij. *tuthiæ præpar. cerusa abluta, ãã.* ʒj. *ossis sepiæ, & usti loti* ʒß. *sarcoc. myrrh. aloës, lycii ãã.* ℈j. *fellis avium vel piscium* ℈ij. *excipiatur melle vel album. ovi pro llin.* Platerus.

13. *Valet Pulvis*) Pulvere uti possumus, sicuti in *albis maculis*, ab initio, inde ad fortiorem progrediendo, qui tamen adhuc citra morsum exsiccet, & sæpe proin repeti debet; sic paretur.

℞. *Corall. rubr. ãã.* ʒj. *pumic. testar. ovor. ãã.* ʒß. *ovorum, dactylor. & myrobal. ãã* ℈ij. *f. pulv. subtiliss.* Si *aceto* aspergatur, vel urina, efficacior erit: Vel sic *potentior.*

℞. *Pulv. nabath.* ʒj. *ossis sepiæ usti, stercor. lacerti ãã.* ʒß *hæmat.* ℈ij *sacch. c.* ʒj. *f. Pulvis.*

Adhuc *vehementior.*

℞. *Plumbi usti, antimon. lap. calamin. ãã.* ʒij. *tuthiæ, cerus. ãã.* ʒiß. *ciner. equis. ossis sepiæ usti ãã.* ʒj. *f. Pulvis, Lavetur aqua fabrorum* adstringente & servetur ad usus. *Platerus.*

Validum hoc est, summopere commendatum, & à me experimento cognitum.

℞. *Æris usti, sal. ammon. ãã* ʒj. *m. f. Pulvis.* Hunc asperge super ungulam parum pro vice, ac semel solum de die, alternis diebus, mox oculum post duas horas lacte muliebri oblinendo. *Horatius Augenius.*

Ego sæpissime expertus sum, *Alumen ustum pulverisf.* cum cautela super ungulam applicatum. *Petr. Bayrus.*

Crocus metallor. in alkool reductus, *aqua fænic.* dilutus, summum est ungulæ remedium, admixto pauco *sale vitri*. quod in fornace vitriariorum separatur ab ipso vitro. *Pet. Joh. Faber.*

14. *Pulvis ex ovorum testis*) Potentissimum topicum & sine dolore est, macerantur in aceto, & postea pulverisantur, Pulvis aspergitur oculo. *Rondeletius Pr. l. 1. c. 49.*

LLll 2

15. *Specificum Lucii piscis*) Matrona quædam pauperes ita curabat.

℞. *Exta Lucii piscis una cum felle & visceribus, conscinde addendo fænicul.* m. s. & distilla. *J. And. Schmidtz. Pr. p. m.* 116.

16. *Hujuscemodi castigari debent*) Caute ejusmodi omnibus est utendum, semperque repercutientibus circa oculum admotis, ne quid inde mali contingat; Nam non raro tanto impetu humorum acrium in oculum ruit influxus ut inde disrumpatur oculi tunica, ex quo oculi humorum sequitur effusio. *Vigierius Chir. l. 2. c. 19.*

17. *Chirurgiam*) Ad Chirurgicam operationem veniendum cum topica irrita sunt: Fit hamulo perforando ungulam ad basin, deinde filum lineum duplicatum ceu trajiciendo, utrinque ad basin arcte deligando, atque sic apprehensam incisorio instrumento abscindendo, prout fusius docetur à *Celso*, *Paulo*, *Aetio*, *Aquapendente* & aliis: Facta incisione linteum, aqua rosacea & albumine ovi imbutum, apponendum ad dolorem sedandum & inflammationem prohibendam: Ac tandem siccantibus, collyriis ex *tuthia*, *thure*, *aloë*, *trochiscis albis Rhasis*, aliisque cicatrix inducenda. *Riverius.*

18. *Qui remediis tolli non potest*) Malum hoc difficile curatur, & nonnisi longissimo tempore, siquidem remedia acria, conterendæ Vngulæ necessaria, nonnisi sensim & paulatim usurpari possunt ob exquisitum oculorum sensum: Si oculus affectus minor evaserit, malum est signum, partis enim debilitatem arguit. *Riverius.*

19. *Cancrosus & putridus, qui curationem &c.*) Ungula scilicet quę crassa est, eversa, eminens, indurata & nigricans.

Pannus.

II. 20. ***Pannus est quiddam instar panniculi rubeum, à sanguinis exuberantia, in venis oculi exterioribus exortum.***

Signis opus non est. Apparet tanquam tela carnosa in superficie præcipuè annatæ, cum pruritu, dolore, oculorum à lumine offensione, visione obscura vel ablata.

Causa est sanguis ad oculos derivatus, vel solus vel mixtus, vel per viam fluxionis vel congestionis: vel per vasa externa, & tum frons nonnihil tumet; vel per interna, tum dolor ad radices oculorum tendit.

21. *Curatio* perficitur I. 22. *Universalium usu.*
II. 23. *Abstersione* per supradicta.
III. 24. *Chirurgia*: de qua vide Authores.

20. *Pannus est &c.*) Aliquando Tenuis est hęc tunica, colore albicante prædita: Interdum vero Carnosa evadit, venis multis cruentis contexta, diciturque *Pannus* vel *Panniculus*, *Sebel* ab Avicenna; Etsi nonnulli Panniculum ab Ungula distinguant, quod scil. *Ungula* sit nervea quædam tunica, sine venarum repletione, & tunicam tantum adnatam contingat, *Sebel* vero, seu Panniculus, totum oculum cooperiat, & rubro colore præditus sit, ac venulis intertextus. *Riverius.* Vide supra §. *Unguis*, ex *Platero*.

21. *Curatio perficitur*) Panniculus incipiens impediri nonnunquam potest ne augeatur; auctus ægre medicamentis cedit licet validissimis; Per *sectionem*, si non *corneæ communis* sit, amputari potest: Si induratus sit, Vnguis instar, nullis præsidiis cedit; In Elephantiasi, uti neque morbus ipse, sic nec illius morbi pars, in oculorum membranis residens, tolli potest; Aliquando tamen ne omnino excæcentur, quod inter omnia illis quæ alioquin patiuntur, miserrimum est, prohiberi potest. *Platerus.*

22. *Universalium usu*) Causam, quæ est sanguinis affluxus, mox ab initio, ne augeatur malum, *Venæ sectione, scarificatione, setonibus, cauteriis*, educere, revellere, derivare studebimus, *Tenui* quoque *victu*, & *sudoribus* multis, *purgationibusque* impuro corpori convenientibus. *Idem.*

23. *Abstersione*) Etiam per *erodentia*, Ex erodentibus autem compositionibus convenit hæc, cujus descriptio talis est.

℞. *Vitr. albi* ℈j. *arug. aris*, *antimon.* ʒß. &c. Vide §. *In curatione laudatur*)

Vel *Collyrium ex calcantho*, sed caute adhibitum, quia omnium est potentissimum, quod sic paratur.

℞. *Æris usti, chalcanth.* ā̄ā. ʒß. *arug. ar.* ʒij. *sal. ammon. arsenic. sublim.* ā̄ā. ℥j. *f. pulv. subtil. diu multumque pulverisando, Excipe mucilag. g. tragac. f. Troch.* de quibus unus dissolvatur cum mucilag. & caute applicetur. *Præcipitati* pulverem laudat *Rondeletius*. Ego meo *cauterio* usus sum, quod prima vice urit, sed mox remittit. *Platerus.*

23. *Abstersione per supra dicta*) Quam consequutus est *Forestus* sequenti Collyrio, quod multis in quatuor diebus Vnguem erosisse, & Pannum abstulisse refert in Puella.

℞. *Lactis muliebr. croci, fell. capra* ā̄ā. *p. aq.* Fac aliquantulum ebullire in ovi testa, & post duas guttas in oculum instilla: Præcepit quoque ut *aqua* ex *piscis lupi* extis, una cum *felle*, *jecore* & reliquis visceribus minutim dissectis, adjectis *fol.* vel *semine fænic.* destillata oculum linteolo molliori ablueret.

24. *Chirurgia*) Manualis operatio duobus fit modis, *Ligatura*, & *Sectione*, Si *venæ quæ panniculum n[...]* circa radicem vinciantur, tunc carnis illius pro[...] impediri, vel si jam nata sit, eam marcescere [...] Si secentur venæ illæ quoque, ut sanguis pe[r]fluat, sæpeque repetatur, idem efficietur. (*Vide Chirurgiam suo loco.*) Sectione facta, ne de novo rursum gen[er]etur, venas adnatæ tunicæ incidendo, si rursum turgeant, & impositis siccantibus cavebitur: Sed ne oc[u]lus palpebræ, si exulcerata forte esset, connascantur, frequenter oculum movendo impedire oportet. *Platerus.*

De Sugillatione.

III. 25. ***Hyposphagma, seu Sugillatio, est macula rubra seu livida, à sanguine ex venis apertis effuso exorta, corneæ communis.***

Signis opus non est: quia malum visu deprehenditur.

Causa est, quicquid venas aperire potest, sive id externum, sive internum, ut in Differentiis videbitur. *Curatio* est *Facilis* in principio.

26. *Peragitur*, præmissis Universalibus, si major est affluxus, 27. per *Discutientia*, leniora primum, & adst[ringentibus] castigata; post validiora, & acrimoniæ, ne plus sanguinis alliciatur, expertia.

Dividitur

Dividitur trifariam.

I. Aliud est à *Causis externis*, ictu, clamore, tubarum inflatione: in qua ad *Topica* statim confugiendum, nempe Decoctum *flor. meliloti, rosar. cum sem. fanigraci*. Collyrium ex [28]. *sanguinis columbar. ex alis detracti* dr. ij. *Lactis mulieris temper*. unc. ß. *thuris* scrup. j. compositum.

Aliud à *Causis internis*, nempe, vel *Sanguinis copiâ*, ubi venæsectio, non omittenda: [29]. vel *ejusdem fervore*.

Tum macula ad citrinum vergit. Inflammationi occurrendum per *albumen ovor. concussum*, [10]. Si pus adest, idem collyrio ex *mucag. fanigr. cum aqua faniculi & melle rosaceo*, extenuandum.

II. Aliud est *Recens*, in quo macula est rubri coloris.

Præter superiora topica, [11]. *summitates hyssopi* in aqua simplici coctæ, & in nodulo applicatæ, ad discutiendum valent.

Aliud *Inveteratum*, in quo macula est livida.

Convenit collyrium ex *succ. Chelidoniæ major. & Cardui bened. ana unc. ß. pinqued. questula avis liquef. dr. ij. myrrha scr. ß.* confectum; nec non *Radix sigilli Salomonis* conquassata &c.

III. Aliud est, *quando sanguis vel in annatan, vel in corneam ejicitur*. Aliud, *quando in utramque. Tum objecta omnia* colorem ad rubrum vergentem præ se ferunt.

[25]. *Hyposphagma*) Præter alias (vide §. 44. *Albugo*) corneæ tunicæ discolorationes, rubræ maculæ, vel flavæ interdum, ex irruente sanguine, *ab ictu oculi*, vel *bilis infusione, in Ictericis* sed in alba hujus tunicæ sede, quam adnata tunica, vasa deferens, tantum investit, saltem fere apparentes, nec visioni tunc incommodantes occurrunt, Quod si vero *in lucidam corneæ sedem* usque pertingant, ubi sæpe diu *macula rubra*, sanguine citra corruptionem in *corneæ substantia*, velut infecta in succino pellucente conspicua est) eundem colorem vel *rubrum*, vel *flavum*, in singulis imaginibus quas oculus videt, visioni repræsentant. *Platerus.*

Aliam sedem assignat *Idem* infra cap. 6. de Uveæ morbis §. *De Uvea morbis*) cum scil. sanguis Corneam & Pupillam interjacet.

[26]. *Peragitur præmissis*) Sanguine in *diaphanam corneæ partem* diffuso, aut si *corneam* quoque penetret, & sub ea juxta pupillæ foramen concrescat; vel in *pus conversus* in *Hypopyo* dicto, visum offuscet, tunc curatio sic erit instituenda, *Si dolor* adsit, atque *inflammatio* propter *ictum*, à quo fere hæc procedunt, metuatur, Tunc *Venæ sectione* & *repellentibus doloremque sedantibus* mox ab initio utendum erit. Quod & si diu retentus *suppuretur*, & dum pus generatur *cornea*, & per consensum etiam *adnata* tunc affecta, dolor suboriatur, metu *inflammationis* faciendum: Alioquin si nullus adsit dolor, à *repellentibus*, cum sanguinem magis condensent, abstinendum; Et ad eum *sanguinem digerendum & dissolvendum* mox curam adhibere debemus: Quod etiamsi in pus convertatur, nihilominus agendum, si portio illius absumi queat, cum resoluta puris majori parte, quod reliquum est à pupillæ foramine subsidens deorsum, visioni tunc non amplius incommodare possit, & tandem vel sponte vel medicamentorum usu absumatur. *Platerus.* Vide §. *Si pus adest.*)

[27]. *Per Discutientia*) Si mitioribus (*ut sanguini columbarum*) non cedit, possent & validiora oculis indi; qualia in *Suffusione* explicata sunt, Quibus & hæc *effectu comprobata adjicimus.*

℞. *Aqua rua*, (quæ sugillationes etiam alibi mire discutit) *aqua raphani ää* ℥ß. *dissolve camphora* quæ (idem quod aqua vitæ discutiendo facit) *gr. v. instilletur*: Vel sic

℞. *Aqua raph.* ℥j. *maceretur in ea croci* ℈ß. *donec flavescat, coletur, dissolve thuris* ℈j. *fellis piscium* ʒß. *utatur per se, vel cum mucilagine applicetur*: Vel sic, in declinatione potissimum.

℞. *Omphac. amarca*, *ää.* ʒij. *myrrha*, ℈ß. *croci* ʒß. *m. cum melle*, vel ut penitus discutiatur, *Aqua compos.* in suffusione expositæ, per se, aut cum mucilagine applicatæ competent. *Fomenta* simul adhibebuntur, quæ plurimum discutiunt; qualia in Suffusione præscripta: Vel hoc, admodum potens.

℞. *Rad. raph.* ʒß. *sem. fænug.* ℥ß. *fænic. sesel. ää.* ʒij. *herb. fænic. chelidon. euphras. ää. m. j. flor. chamom. melil. samb. lilior. palea avena incisa ää. p. j.* f. decoct. in aq. & vino pro Fotu.

Emplastra supra oculum discussionis causa valent, inter quæ hoc optimum est *pulmo* vel *hepar columba*, *cruenta* adhuc & *tepentia* supra oculum posita ligentur; quæ & si *dolor* & *inflammatio* adessent, ideo quoque juvarent, Valet & Empl. *ex Pomo putri*, Vel hoc

℞. *Raphan. inc.* ℥j. *pulpa pomi putr.* ℥ß. *pulpa pass.* ℥j. *stercor. columb.* ℥ß. *mucil. sem. fænugr. q. s. m. contunde cum lacte & admove.*

Suffitus ex decocto fomenti præscripti plurimum discutit. *Platerus.*

[27]. *Discutientia*) Sugillatis, (vexatos vocant Latini aliàs) conveniunt Discutientia, quæ in oculo consistentes, seu vapores & halitus, seu humores in coagulum abituros dissipant: Ubi *radix sigilli Salom.* specifica est, & hinc quoque in humorum impurorum affluxu, extravasatione: Faciunt id oxydorcica interna, aperitiva item & cephalica, Exterius vero ophthalmica, illa quæ polychresta sunt, eadem cum extergentibus. *Wedelius Am. m. m. p* 132.

[28]. *Sanguinis columbarum*) Sumendus *sanguis columbarum*, vel aliarum avium, isque, dum adhuc calet, in oculum mittendus: Vel *pulli columbini* alæ penna, cujus radix adhuc, quia recenter crevit, tumida, sanguine repleta est, illicque in propria vena, velut intestino continetur, avellenda, atque ex ea sanguis premendus; nam magnam vim sanguis in discutiendo habet. *Platerus.*

[29]. *Tum macula ad citrinum*) Qualis in Ictericis apparet, curato vero Ictero sponte discutitur, Si dissipationem accelerare lubet, *suffitu Aceti* oculis excepto id præstari poterit. *Riverius.*

[28]. *Tum macula ad citrinum*) Quando bilis in Corneam sese insinuat, quod Ictericis contingit, colore etiam flavo tingitur, & tunc objecta flava apparere solent, ex *Galeno*, quod tamen intelligendum de magna bilis effusione in corneam, si enim leviter tantum tincta fuerit, quod plerumque contingit (major enim bilis receptio in tunica Adnata fit quam in Cornea) tunc objecta colore flavo minime infecta, sed prout naturaliter se habent conspiciuntur. *Riverius.*

De Hypopio.

[29]. *Si pus adest*) Unde oritur *Hypopyon*, seu *puris sub Cornea collectio*: Oculorum enim inflammationes, quando insignes sunt, & in magnum tumorem elevatæ, aliquando per resolutionem terminari ne-

queunt, sed in suppurationem abeunt, quod maxime metuendum est, & omni ratione avertendum, inde enim ulcera succedunt, & aliquando pus sub cornea colligitur, qui affectus ὑπόπυον dicitur.

Contusionibus etiam Oculorum non raro succedit, & Sugillationibus inde ortis: Interdum totam pupillam contegit, & visionem impedit; interdum vero iridis circuitum amplectitur, & unguis resecti figuram refert, ideoque Unguis nominatur.

Cognoscitur hic affectus non solum ex colore albicante, puris naturam referente, sed etiam ex præcedente inflammatione aut sugillatione: commoto etiam oculo pus sub cornea commoveri videtur; Adest color rubens in oculo, & dolor pulsans, aut saltem præcessit.

Ad *Curationem*, præmissis universalibus, si inflammationis reliquiæ supersint, auferendæ sunt remediis in ophthalmia descriptis; postmodum leviter discutientia admovenda sunt emollientibus permista; ne tenuiori parte resoluta crassior materia fiat & resolutioni minime idonea.

Fiant igitur Fomenta ex decocto *flor. chamom. melilot. sem. psyllii & fænugr.* cum pannis lineis vel sacculis applicanda. In progressu vero addi poterunt decocto *fol. euphras. chelid. & sem. fænic.* Vel

℞ *Aqu. verbena, ruta, chelidon. rosar. & fænic. ãã. ℥ß. aloës, tutiæ præp. ãã. ʒß. sacch. c. ʒj pulverentur & misceantur, addendo l actis mul. tantillum, f.* Collyrium, bis aut ter in die guttatim oculis instillandum.

Sequens valde est efficax.

℞. *Croci, aloës, myrrha, ãã. ʒj. vini ℥iij. mellis ℥vj. dissolvatur crocus in vino, deinde cum aloë & myrrha misceantur, tandem mel addatur*, hoc remedio oculi illinantur.

Denique ea remedia quæ in declinatione Ophthalmiæ, in oculorum maculis & suffusione præscripta sunt, hic etiam conveniunt.

Si resolventibus medicamentis materia discuti nequeat, confugiendum ad præsidium quo, ex *Galeno* 14. m. m. usus est Ocularius sui temporis, *Justus*, qui concussione capitis multos hypopyos sanavit, collocans eos in sella rectos, ac capita utrinque à lateribus prehendens, mox quatiens, adeo ut pus manifeste descendere ipsi videretur: Si hoc præsidium non succedat, *Galenus* l. c. ad Chirurgiam confugit, quem sequitur *Aetius* & alii, quæ oculi punctione perficitur, qualis in suffusione fieri consuevit: quæ operatio, nunc non usitata, peritissimi Chirurgi manum desiderat, metus enim ne aperta cornea cum pure aqueus humor effluat. *Riverius.*

Manualis operatio hic locum habet, si *pus* genitum discutientibus minime cedat, illiusque magna sit copia pupillam obliterans: Quod punctura, ut in Suffusione, sed majori cura, cum alias nihil efflueret, tentari potest; Et si non succedat, majorem adhuc; sed in eodem puncturæ foramine intrudendo. Vel cavum canaliculum, ita acutum ut foramen illud subire possit, imponendo, & pus exsugendo, donec pupilla liberetur aliquo modo, nam si totum exhaurire vellemus, timendum ne aqueus humor sequatur. Tubus ille ventre amplo constet, ut pus suctum in eum non in os sugentis feratur, cujusmodi chyrurgi pro fugendis aqua vel oleo, in separatione horum ab invicem usurpant. *Platerus.*

[31] *Summitates hyssopi*) A Galeno commendantur; Docet experientia hoc remedium tantæ esse efficaciæ, ut cruor sensibiliter attrahatur & linteo adhæreat. *Riverius.*

De Morbis Corneæ.

Cap. XXXVIII.

De Crassitie, Nebula, & Albugine.

Morbi Corneæ sunt, [32] *Crassities, Nebula, Albugo, Pustula, Ulcera, Vulnera, & Dolor.*

[32] *Crassities, Nebula, Albugo*) Hæc vitia uno capite complectitur Platerus, discrimen vel à parte affecta, quæ interdum est tota cornea, interdum particula, vel à magnitudine aut parvitate causæ desumens, *Commaculatur* alieno colore *Cornea* sedes hæc diaphana, ita ut lucida & clara amplius minime sit, sed obscura & colorata splendorem, qui in visione oculum subire debet, instar vitri, quod lucem intromittit, impuri, vel intercludit, vel falsum visioni offert: Fitque hoc præcipue si *obscuro* vel *albo colore* inficiatur, quo nonnunquam tota Corneæ sedes immutata apparet, *Caliginemque* dictam in senibus, quibus hoc potissimum accidit, affert.

Quod si vero in parte duntaxat aliqua illius *macula* talis alba nascatur, *Albugo* dicitur, In quo vitio si alba perfecte sit macula pupillæque toti regioni obducta, *Cæcitas* oritur: Si vero *albescere* primum incipiat, visum ac si *nube obtensa* impediretur, offuscat: Vel si *exiguum pupillæ spatium* comprehendat, aut ab ea ad Iridem magis inclinet, *Hallucinationem visus* quandam parit: Talis autem *Corneæ offuscatio*, vel *Albedo*, vel totius *Corneæ*, vel si *macula* tantum sit, à *partes illius* duntaxat quæ *alba* cernitur, *exsiccatione & induratione* nascitur. Sicuti enim alia quæ pellucida sunt, ut albumen ovi, & crystallinum humorem in animalium oculis coctione exiccata albari & pelluciditatem amittere cernimus, ita & Corneæ hic accidit, ut per *senium*, in quo membranæ [illegible] solent, aut ex morbo oculorum post oph[illegible]phoras, vel tota exiccata, vel *siccitate* tantum *certis in locis* illius relicta, integra vel ex parte dealbetur. Quod & nonnunquam à *nutrimento*, quo alitur, *parte crassiore* eo delata & remanente, maculamque al[illegible] relinquente accidere in *Unguibus*, qui simili ratione *albis maculis* notantur, videre licet. *Platerus.*

[32] *Nebula, Albugo*) Vitia hæc suam præcipue in Cornea sedem figunt, & λεύκωμα, ut & νεφέλη, à Græcis, *Albugo* autem & *Macula alba* à Latinis nominatur, Eo quod obducta quasi *nubecula*, partem *Corneæ* pellucidam albo obscurare imo commaculare colore soleat. *Stransius.*

Crassities.

I. [33] *Crassities est substantia ejus exsiccatio &* corrugatio.

Cognoscitur exinde, quod nebula quasi in superficie appareat, & ægri quasi per fumum videant.

Oritur

Oritur vel *à frigidorum* [34] incauta *applicatione*, post Ophthalmiam præsertim. Vel ab *humoribus crassis*.

In *Curatione* [35] laudatur *Chelidoniæ succus* expressus, & [36] oculis guttatim instillatus.

[33] *Crassities est substantia ejus*) Ob quam perspicuitatem suam amittit; Crassescit autem per exsiccationem, ut in senibus, quæ affectio irreparabilis est, vel &c. *Riverius*.

[34] *Incauta applicatione*) Vulgata est parœmia, Non patitur lusum fama, fides, *Oculus*, Non patitur lusum ob teneritudinem & artificium structuræ summum, tum à nocentibus quibusvis extraneis, tum à juvantibus vel quasi medicamentis. *Wedelius Am. mat. pagina* 129.

[35] *In curatione laudatur*) *Aqua mellis* si à tunicarum crassitie Caligo fiat, plurimum conducit. *Platerus*.

Topica remedia, in hisce casibus convenientia (*Crassitie Corneæ, Nebula, Albugine*) hoc ordine præscribenda, ut *leniora* primum, mox *fortiora*, tandem *fortissima* usurpentur, *Aqua mellis* destillata valde utilis & commenta, quæ sæpe oculo instillatur, *Aqua vini*, seu *vitæ*, egregie discutit, contemperabitur autem cum aqua *mellis* & *fœniculi*, æqua cum illa addita portione, Efficacior sic fiet.

℞. *urina pueri* ℥iv. *vini albi* ℥j. *mell.* ℥j. *fellis* ʒß. distilla. Vel adhuc fortior.

℞. *urina pueri* ℥iv. *succor. fœnic. chelid.* āā. ℥ij. *vini albi* ℥j. *fellis piscium, vel avium, vel aliorum* ʒij. *mellis* ℥ij. *terebinth.* ʒß. *sulph. vivi* ʒij. *destillentur*, Si urina, antequam huic compositioni addatur in vase æneo per dies aliquot steterit, vas postea egregie illa abluendo, erit efficacior præparatio: quæ si mordicet, albumine ovi contemperata & inspissata palpebris illinatur.

Pulvis insufflatur nonnunquam talis, sed subtilissimus ut alkool esse debet, ne oculum exasperet.

℞. *Ossis sepiæ, de fungosa materia pumicis* ʒj. *pomphol. lota* ʒß. *sacch. c.* ʒij. *far. fabar.* ʒß. *f. Pulvis.*

Succus è *salicibus* exudans, oculo instillatus admodum commendatur.

Ex *acidis succis* valde hi conveniunt.

℞. *Omph. sicc., succi granat. acid. inspiss. excipiantur mucilag. sem. fœnugr. applicentur palpebris*,

Vel sic magis digerens.

℞. *succor. centaur. min. fœnic. chelidon.* āā. ʒij. *fellis piscium* ʒj. *aloes. sarcoc. myrrha*, āā. ʒß. *sacch. cand.* ʒj. *mellis q. s. f. illinitio.*

Vel sic egregie abstergens.

℞. *stercoris lacerti* ʒj. *ossis sepiæ, c. c. usti massaticum* āā. ʒß. *mellis q. s. f. illinitio.*

Vel sine Pulveribus, sed valde efficax.

℞. *succor. fœnic. chelidon granor. acid.* āā. ℥ß. *capar. raph.* āā. ℥ij *fell.* ʒiß. *stercor. lacerti* ʒj. *mellis q. s. misce*, Vel fiat illitio unctuosa.

℞. *axung. thymali* ʒij. *fellis* ʒj. *stercor. lacerti* ℈j. *g. ammon. dissol. in aqua vitæ* ʒj. *sarcoc.* ʒß. *f. Inunctio.*

Liquores acres vehementer operantes si oculus non ferat, *lacte vel aqua*, eo usque dum ferat, contemperentur: Vel *mucilago sem. fœnugr. vel album. ovi* excepta palpebris adduntur.

℞. *antimon.* ʒj. *marcasitæ* ʒß. *pulver. & infundantur in aqua rosar. & fœnic.* āā. ℥iij. *per filtrum sæpe transfundendo.* Vel

℞. *urinam pueri, stet in vase æneo per dies aliquot radendo vel fricando* sæpe vas ad usum.

Vel *Pannus lineus* in scutella vel lamina stannea, vel ferrea accenditur. & succo, qui scutellæ adhæret ad usum sumitur. Efficacior erit hic succus, si pannus prius spiritu vini madefiat & iterum siccetur, postea vero in lamina chalybis accendatur & comburatur.

Ex fortioribus adhuc sic fit,

℞. *vitriol. albi* ʒj. *ærugin. æris gr.* vj. *pulverisata misce cum albumine ovi unius*, conquassentur diligenter, & supra papyrum fusa, aquaque per inclinationem collecta sub-viridis sumitur ad usum, & eo usque quoad ferre possit, *aqua rosar.* vel *lacte* contemperatur.

Efficacissima Illinitio sic fit.

℞. *vitrioli albi* ℈j. *ærug. æris* ℈ß. *antimon.* ʒß. *Marchas.* ℈ß. *tutiæ* ʒß. *sterc. lacert.* ℈ß. *ossis sepiæ* ʒß. *camph. gr.* ij. *fellis piscium* ʒß. *mellis* ℥ij. *sacch.* ʒj. *cum mucilag. sem. fœnugr. fiat illinitio.*

Fomentatio Oculi interdum facta ante horum usum, ut rectius operentur efficit, atque oculum ad ea suscipienda melius disponit, & per se quoque discutit E. g.

℞. *semin. fœnugr.* ℥j. *fœnic.* ʒij. *flor. chamom. paleæ avenæ* āā. *p.* j. *rad. alth.* ℥j. *decoquantur in aqua & vino.*

Suffitus ex hoc decocto si oculis excipiatur erit loco Fotus.

Inhalare in oculos post masticationem *sem. fœnic.* idem facit: Et in infantibus si nutrix id faciat, illorum suffusiones delet, si *ammoniacum gummi* masticent prius, & similia. *Platerus.*

Caput hirundinis in æneo vase ustum, & tenuissime pulverisatum, physica quadam vi mirabiliter juvat, seu per se seu cum melle illinatur. *Joh. Manardus Epist. Med. l.* 15. *Ep.* 4.

Fel Turdi, & *succus* qui reperitur inter *corticem & lignum salicis* tempore veris, quando salices florent, in oculos positus, non habet sibi similem ad omnem visus obscuritatem; Vel etiam posito ramo supra ignem; ex loco inciso profluit liquor, qui immissus oculis mire prodest. *P. Bayrus Pr. l.* 3. *c.* 23.

Non sæpe experti sumus ad claritatem oculorum *balsami fol. succi amygd. oleo* fervescente collecti, quotidianam instillationem plurimum prodesse. *Al. Benedictus Pr. l.* 30. *p.* 1095.

Quibus visus adeo imminutus est ut ne conspicillo etiam satis videant, vel bina, vel terna, vel quaterna conjungant, etiam claritatis conspicilla, & res multo majores quam antea & distinctius cernent; poterunt ea uno involucro conjungere. *P. Borellus centur.* 3. *observ* 99.

Magnum est remedium Oculorum si comminuas *lapid. calaminarem* & in pulverem, & cum *medulla ossis bubula* calefacta misceat instar linimenti, quo oculos clausos inungas. *Crato Epist. lib.* 3 *p.* 399. Sumatur *euphragia sicca* reduc in cinerem, superfunde *aqu. euphrag.* fiat *lixivium* quo occiput quotidie post somnum lavetur.

Quidam senem propemodum cœcum usu vini *euphragiati* restitutum affirmat. *Idem cons.* 55.

Si in membranis appareat vitium, utilissimum esset fœniculi cannam decisam supra radicem implere pulvere *sacch. cand.* & succum colligere, eumque cum molli linteo vel spongia oculis adhibere *Id. ibid.*

Multis confert *succus graminis Parnassi viridis* expressus: Item, Aqua *tormentillæ* bene distillata, *Idem.*

Valde probamus medicam. paratum è *violis albis, fol. raphani hort.* & è *cubebis pulver.* addita dimidia parte *ammon* cum *opobalsamo*, si optimum reperiri potest. *Id. cons.* 58. *Zecchius cons.* 27.

Præstantissimum & experientia comprobatum mihi hoc est pharmacum, quod ex *lapide phrigio* componere soleo, Utentem non permittit oculorum lippi-

rudine apprehendi. *Galenus l.4. Kat. T. c.5.*

Singulare secretum est *Chelidonia*, quod in multis experti sumus, *Herbam* cum *sem. fœnic.* crasse contundo, coquo *in aqua* & vino ut ebulliat; indo linteolo aliquid *camph.* tunc linteolis hoc decocto imbutis oculi fomententur, sæpe renovando. *Rud. Goglenius Exper. cap.8t.*

Novi virum incipiente cæcitate laborantem, quem post varia adhibita remedia hoc unicum juvit, Est *succus chelidon.* expressus, & oculo ter in die instillatus. *Fr. Osiv Grembs Op.pag.250.*

Experimentum hoc est, *Pica avis* exsiccetur lente in furno, ut pulverisari queat, Pulvis imponatur per se vel cum collyriis *Gordonius Pr.lib.3.cap.4.*

Expertum ad Caliginem & Pannum, Accipiatur bona *Theriaca cum pauco vino albo*, Misce, & pluries in die Oculis impone per plures dies, nam mire valet. *Arn. Villanovanus Breviar.*

Laudatur *succus qui ex hepate hircino cum pipere longo*, aut aliis aromatibus assato extillatur ad ignem, Guttæ aliquot m. & v. oculis instillentur. *Arn. Weickardus Thes. pag.69.*

Hoc probatur præ cæteris.

Panis ex tota farina cum ruta, chelidon. euphras. betonica & fœnic pulveribus, melle addito paratur, qui in furno *coctus & recenter extractus dissecatur*, & intra duo vasa stannea concluditur; Aqua quædam colligitur, quæ guttatim instillata mirifice conducit. *Zecchius cons. 27.*

Impleatur exigua ampulla vitrea *flor. rorismar.* Operculo probe muniatur, exponatur Soli ad parietem, Inde liquescit oleosus quidam liquor, quo efficaciter utimur ad claritatem Oculis reddendam; si eo solum leviter attingantur. *Rem. Solenander sect.2. Cons.8.*

℞. *succi rutæ depur.* ℥iiß. *succi euphras.* ℥ij. *fœnic.* ʒvj. *mellis virg. puri* ℥ij. m. ponantur in vitro ad Solem per uj. menses, succus coletur. *Idem.*

℞. *Ovum recens ad duritiem coctum, exime vitell. impleatur 1. part.iij. sacch.c. vitriol. Rom. p.ij. lap. calam. p.j. mixtis & pulv. exacte tunc colligatur, maceretur in aq. rosar. p. ij. aq. fœnic. & ros. ā̄ā. p.j. Istarum ea quantitate qua mergi large ovum possit* per 3. vel 4. dies; post per tenue linteum exprimatur *Liquor cum affusa aqua*, fiat Collyr. quod quotidie in oculos ex penna instilletur. *Idem.*

Primo vere *fol. cydoniær. integra* diligenter asserva, à situ, aut pulver. custodi, horum subinde m j. *incoque puræ aquæ*, qua sæpe oculi hebetes laventur, Mirum quam istos præservent, ruborem discutiant, & influentem humorem arceant. *Idem.*

Probatur experientia hoc utile inventum.

℞. *stercor. falcon. sicci* ℥j. *sem fœnic.* ʒß subtiliss. tere misce, & ex impalpabili hoc pulvere quotidie mane parum tillum caligantium oculorum angulis impone. *Idem.*

Ungu. mirabile servans oculos in claritate.

℞. *vitrioli, alum. myrrha ā̄ā. ad quant. nucis majoris, mell. despum. cochl. j. pingued. coturn.* ad magnitud. ovi, dissolvantur sub igne lento, & serva, Dosis lentis quantitas in ambobus oculis, crebro eos movendo. *Stockerus Pr. aur. l.1.c.12.*

Præstantissimum Ophthalmicum *Comitis Bruschij.*

℞. *succi Cancr. fluviat.* ℥iiij. *succi chelidon.* ℥ij. *destilla in B.* destillatum super *crocum metall. serveat, donec exigatur optime*, Caliginem oculorum curat & visum restituit. *J. Bapt. Spontonus Conchon. p.m.175.*

Mirabile est *sacch. can arundine virid fœnic.* prius immissum & foliis tectum, per noctem ita dimissum & intra oculum impositum Valentius fit *si super* ʒj. gr. 3. vel 4. salis miner. accipiantur. *Eust. Rudius Pr.l. .c.29.*

Efficax est Aqua ex *frumento* sic parata.

℞. *frumenti virid. sed maturi* ℥iij. *fol. rut anagall. chelid. sambuc. ā̄ā. m. ß. sem. fœn. euphr. ā̄ā.* [illegible] *cinnam. caryoph. ā̄ā.* ʒij. *vini albi opt. q. s.* infund. digerantur per xxx. dies *sæpe agitando, Destilla:* Efficacius operabitur, si prius linguatur oculus ab aliquo qui prius [illegible] masticaverit. *Eust. Rudius.*

Hęc instillatio valde experta est.

℞. *succi fœnic.* ℔ß. *callitr. chelidon. ā̄ā.* ʒß. *euphras. rec: m j. tutia præp. ligni aloes ā̄ā* ʒvi. Destilla lento igne & instilla, *Casp. Caldera de Heredia Illustr. p.218.*

[36] *Oculis guttatim*) Oculis admovenda remedia, si non *nimis* eos afficiunt, *illis* induntur. Si vero potentiora sunt, præsertim quando in omnem eventum, non habita causæ ratione, fiunt; ne novus aliquis iis provocetur affectus, rectius foris palpebris imponuntur, & si eas commaculant, mane *aqua fœnic. & euphras.* rursum abluuntur, *Platerus.*

Nebula.

II. [37] *Nebula est color corneæ, ab humore subtili illapso mutatus.*

Valet [38] in ea pulvis [39] *Margaritarum præparat.* in aqua rosar. & fœniculi. [40] *Cataplasma* [illegible] lateri apud Horstium l.2. Obs. 19. *saccharum saturni* cum saccharo oculis instillatum, *lac ex* d[illegible] rupto [41] caule *taraxaci* ter in die instillatum. *Radices* succisæ quinque, ex filo in Lunæ decremento suspensæ. [42] *Axungia coturnicis* & succus ex *radice quinquefolii flore alba*, membranas adi[illegible]it. Par ratio fellis leporini, [43] lucii & anguillæ: nec non *pinguedinis* de intestinis luciorum [illegible] m ad Solem vel fornacem dissoluta.

[37] *Nebula*) Νεφέλιον, Nubecula, Est in nigro oculi exulceratio superficiaria, ab humoris distillatione facta, caligine (ἀχλὺν dicunt) profundior, minor & candidior. *Gorræus in Defin. p.m.313.*

Fernelius sic describit, *Nubecula* tenuis est humor corneæ inhærescens, cujus adhæsu putat laborans se per nebulam, per vaporem aut fumum res omnes intueri. Hic vero humor sensim crassescens tandem Albuginem parit. Quibusdam dicitur *Albugo senum.*

[38] *Valet*) Aqua mellis oculorum maculas certissime delet, si penicillo illas tangamus; Sed oculorum dolor, si quis sit, prius mulcendus, est enim dolorifica, quod notandum. *P. Pachequus Obs.43.* Mulier maculam habebat in oculo, cui consilium dedi ut bis in die *succi rutæ* guttam unicam in oculum instillaret, quod cum iis diu continuasset, macula prorsus [illegible] pta est. *Samuel Formius.*

[39] *Pulvis*) Alias nocent pulver[illegible]ta indicata tamen commode insperguntur, ut *perla, saccharum, magist. Saturni. & lapis fissilis* ipse, cum quo n[illegible]mus cæcitatem asinorum corrigere molitores, *Wedelius Am. m.m. pagin.143.*

[39] *Pulvis margaritarum*) Quo melius emollita macula dissipetur, & oculus corroboretur, frequens sit [illegible]tio Oculorum, post usum Cataplasmatis (vide inferius) per sequentem mixturam.

℞. *aqua rosar. fœnic. ā̄ā.* ℥ ij. *margar. præpar.* ʒj. misce, c[illegible]us fo[illegible]us usu frequenter continuato etiam maculas & suffusiones omnino sublatas esse recordor, *Horstius*

Cata-

[42] *Cataplaſma*) Materiæ incraſſ[illegible] [illegible]nuationem per appoſitum ſequens cataplaſma [illegible] juſſimus, quod habet *Platerus l.* 1. *Obſ.* in ſumm[illegible].

℞. *pulpa pomor. dulc.* ℔j. *coque ad* [illegible]*tis conſiſtentiam in aqu. roſ. & fænic. q. ſ. adde mucilag. ſem.* [illegible]*anigr.* ℥ij. *lapid. hæmat. præp.* ʒj. m. s. applicetur diebus aliquot, præſertim hora ſomni. *Horſtius.*

[42] *Caule taraxaci*) Amaricante turget ſucco; hinc in affectibus oculorum ſuccus oculis inſtillatus leniter mordicat quidem, attamen pro viſu clarificando, & in tunica cornea abſumenda optimus eſt: Planta contuſa & impoſita in affectibus oculorum, puſtulas excitat. *Ettmuller.*

[42] *Axungia viverræ*) Pinguedo oculis prodeſt maculas abſtergendo. *Schroderus.*

[43] *Lucii*) Aqua fellis Lucii deſtillata oculis ſubvenit. *Schroderus.*

Albugo.

III. *Albugo, ſeu* [44] *Leucoma, eſt macula alba, & corneam ita denſam reddens, ut ſpeciebus viſibilibus tranſitus denegetur.*

Oritur Vel [45] à *Cicatrice*, poſt vulnus vel ulcus.

[46] *Curatio* eſt [47] *Difficilis* in ſenibus, *facilior* in pueris.

Peragitur 1. [48] Emollientium applicatione. 2. [49] Abſterſione, ubi locum habet Aqua *flor. Roriſmarini* [50] oculis inſtillata. [51] Pinguedo [54]. *muſtelæ piſcis.*

Vel à *pituita inter ejus laminas collecta.* Tum facilius curatur. [53] Valet Collyrium, quod ex *lapid. calam. ter uſti ac bis in vini aceto extincti ſcr.* j. *myrrhæ, plumbi uſti ac loti ana ſcr. ſ. croci Oriental. gr.* v. *Opii gr.* vi. *Æris uſti ſcr.* iv. *Decocti fænogr. Vnc.* j. ſupra porphyritem contritis paratur. Valet & *ſuccus Nicotianæ* majoris cum butyro majali coctus, palpebris in loco obſcuro illitus. Nec non *Oleum* ex tela cannabina cruda vel linea combuſta ſuper orbem ſtanneum exſtillans, guttula una oculo illitum.

[44] *Leucoma eſt macula alba &c.*) Genus deducit nos ad *morbos conformationis*, ibique ſuperficiem p. n. affectam potiſſimum oſtendit; Eo diſcrimine ut Leucoma cicatricem profundiorem & craſſiorem quam in Νεφελίῳ oſtendat; Notanter dico *Cicatricem*, ſiquidem antiquiores Medici has affectiones, teſte *Actuario*, οὐλὰς, cicatrices ſuperficiarias appellarunt; ipſeque *C. Hofmannus* Leucoma inter morbos *ſolutæ continuitatis* refert, *Fernelius* vitia hæc aliter deſcribit, Path. l. 5. c. 5. verum prout recenſet, monente *Sebiſio in ſpec.* potius Suffuſionis oculorum ſpecies eſſe videntur; adeo ut à Veterum *ſuperficiariis* oculorum *cicatricibus* maxime diſtinguantur; Quare omnino danda opera, monente *Plempio l.* 5. *Ophth. c.* 5. ut ne Albuginem cum Cicatrice confundamus. *Stranſſius, Pal. m. lib.* 1. *Gymn.* 18.

Corneam) Ex Anatomicis notum eſt *Scleroticæ*, vel *Duræ* dictæ tunicæ, anteriorem partem, eo quod cornu politum & pellucidum referat, *Corneam* dici: Unde etiam dicta Tunica non tam prout totius oculi ſphæram conformare & confirmare apta nata eſt, quam potius quo ad partem pellucidam, qua viſibilium ſpectrorum undiquaque commeatum admittit, *Subjecti*, & quidem [illegible] & principalis rationem induit *Stranſſius.*

[45] *Vel à cicatrice poſt*) A vulnere, vel ulceribus oculorum, præſertim poſt Variolas in infantibus, cicatrix relicta, vel callus nunc altior, nunc profundior & denſior, fere in albugine oculi talem maculam albam, interdum amplam, interdum oblongam, quæ *cicatrix* appellatur, efficit, quæ viſionem vel penitus obliterat, vel ex parte, aut ſi longa ſit & anguſta, illam velut interſecat & dividit. *Platerus.*

[46] *Tum Curatio eſt difficilis*) Alba macula plus minuſve in oculo apparens, ſi ex *vitrei humoris*, aut *cryſtallini*, prolapſu in pupilla foramen nata, viſionem obliteret, quod ex *oculi contuſione*, pupillæ foramine ſciſſo, vel tunicis humores hoſce ſuo loco continentibus diſruptis accidere interdum novimus; Vel ex *acu in ſuffuſione curanda* nimis profunde adacta, tunc viſionis recuperandæ ſpe omni adempta, Læſioni externæ, ſi quæ ſit, curam tantum accommodabimus: Si vero hæc circa Pupillæ regionem *alba macula* ſeſe offerens, ex *aqueo humore* ſenſim & longo tempore in mucum, & tandem in pelliculam dictam converſo, ſit *Suffuſio*, hallucinatione viſus ab initio, poſtea vero cum induratur, perfectam cæcitatem afferens; Vel ſi ex *Cornea* nimia *exſiccatione* & *induratione*, profecta ſit *Albugo*, aut ex *vulnere* vel *punctura* conſolidatæ relicta ſit *Cicatrix*, quæ duo poſtrema, prout lata vel anguſta ſunt, viſioni plus minuſve officiunt, Tunc quid in omnibus tribus ſit prædicendum, quia non admodum inter ſe differunt, ſimul explicabimus.

Difficulter autem & *Suffuſio*, & *Albugo* & *Cicatrix* curentur, non eſt temere quicquam promittendum. Cum ſi cicatrix *ſuperficiarie* tantum *Corneæ lamnulam* occupet, in junioribus ſaltem, & tamen ægre quoque tunc extergi queat: Si autem paulo *profundior*, auferri minime poſſit, niſi ea *vaſa* continuum denuo ſolvere, quod refricare vulnus eſſet, vellemus; Quod idem de *Albugine*, ſi altius radices egerit, aſſerere poſſumus: præſertim ſi Cornea omnino indurata in ſenibus *caliginem* dictam intulerit; Vel in lucida ſaltem illius parte aliqua exſiccata caliginem cauſet: Quod quam difficile ſit emendare in lamina alicujus cornu, pectinis vel unguis, ſimili modo affecta, quam vix extergi poſſit, videre licet: Si tamen portio aliqua nutrimenti craſſioris ſub *Cornea* relicta hoc faciat, cum ea nonnunquam locum mutet, & à *pupilla* regione in oculi album feratur, viſioni tunc non amplius nocet, quod ſponte plerumque potius quam medicamentorum uſu accidit. *Platerus.*

[46] *Difficilis*) Cum cicatrices tolli non poſſunt, leniri quodammodo, & ad decorem conciliandum, palliari debent; quem in finem *ſuccus hyoſcyami*, ab *Aetio*, ab aliis *ſuccus mali Punici* commendatur. *Stranſſius.*

[46] *Tum curatio eſt difficilis*) Albugo quæ à pituita fit, humoreve craſſo ex ophthalmia relicto, ſatis facile curatur, præſertim ſi inveterata non ſit: quæ vero à cicatrice relicta difficillime, quandoquidem in parte exquiſito ſenſu donata, remedia acriora conterendæ cicatrici idonea vix tolerare poſſunt. *Riverius*

[47] *Peragitur* 1. *emollientibus*) Curatio peragitur iis quæ *cicatricem emollire, attenuare ac diſſolvere* poſſunt; Cum autem ea quæ cicatricem conterunt acrimonia non careant, majori cura univerſales vacuationes ac revulſiones præmittendæ ſunt, ne fluxio humorum attrahatur ad partem: Demum *Fotus emollientes* aut *ſuffumigia* adhibere convenit, Deinde *abſtergentia & diſcutientia* admovenda, 1. leniora, præſertim *aqua mellis*

Composita, postea vero ad fortiora veniendum, ut *fella piscium*, tum etiam aliorum animalium, ut *perdicis, galli, bovis* & aliorum, Eodem modo usurpari poterunt *succi chelid. maj. centaur. min. anagall.* & similium, quæ *melli* permiscenda, tum quod mel abstergendi & discutiendi vi præditum est, tum etiam quia liquores in oculum infusi, diffluant ad canthos, nec in pupillis morantur, in qua eorum actio desideratur, sed cum melle inspissari, facile pupillæ adhærent; Si tamen eorum mordacitas tolerari nequeat, dicti succi, aut fella inspissari poterunt *mucilagine gummi tragacantæ, psyllii* aut *cydoniorum*, extracta cum *aqua fœnic. euphras.* aut alia ophthalmica.

Succi fœnic. chelidon. & anagall. āā. ʒiij. *facci centaur. mi.* ℥ß. *mellis albi* ℥j. *m. f. Linimenti* instar; Si cum albugine erit oculorum rubor, utile erit *Collyrium ex vino albo sale & vitriolo* paratum, in Ophth. descriptum. Vel

℞. *Aloës & agar. āā.* ℈j. *pulverentur*, & includantur nodulo, qui maceretur in *aqua euphr ag.* vel fœniculi, & confriceotur oculi mane & sero: *Aloe* abstergit, roborat & fluxionem sistit: *Agaricus* potenter abstergit. *Riverius.*

47. *Peragitur* 1.) Curationi ubi locus est relictus, juxta seqq. dirigi debet illa Indicationes 1. Causa *procatarctica & antecedens*, ista instituta legitima *victus ratione*, *hac* adhibita tam *particulari* quam *universali* humoris peccantis *evacuatione, derivatione, revulsione* &c. tollenda; *Proxima* causa *partim humectando*, *& emolliendo* partim *discutiendo* removenda. *Fons Chirurgicus*, in plethorica constitutione, vel humorum motus ubi ita requiret, *V. S. Cucurbitulas*, cum vel sine *scarificatione*, Luna decrescente apponendas offert. *Fons pharmaceuticus* pro totius vacuatione varia proponit *Purgantia*, Et bene purgato corpore, non neglectis particularibus capitis evacuationibus, Topica. *Straussius.*

47. *Peragitur* 1.) Etsi curatio sit difficilis vide §. *Tum curatio est difficilis*) nihilominus tamen in hisce casibus remedia non sunt negligenda, & in *Cicatrice*, *Albugine* & *Suffusione* curatio hac ratione instituenda, ut nimirum generatim corpus, ad curationem meliorem faciendam, recte disponamus; & *Topica* Oculo apponamus quæ Suffusionem absumere queant; quæ & in *Albugine* convenire queunt; quam tamen ut simul ex *cornea* lamina extergere valeamus, *validioribus detergentibus* auferre tentabimus, magisque adhuc si *cicatrix* sit, in qua *detergentia* in *Suffusione* confirmata adhiberi solita *discutientibus* permixta usurpanda; Et ut hæc remedia eadem fere omnibus competant, sic tamen distributa ut *tenuioribus* in suffusione incipiente, *crassioribus validioribusque* in *Albugine*, *Cicatrice*, & *confirmata Suffusione* utamur remedus; Sicuti *externum panniculum* adhuc fortiora requirere notum: Quæ tamen ita contemperanda sunt, ne Oculus illorum usu penitus exiccetur, aut etiam inflammetur: Hæc omnia si non juvent ad sectionem deveniendum *Platerus.*

47. *Peragitur*) *Celsus* duobus vitiis oculo inductas cicatrices periclitari notavit, nempe ne aut *cava* aut *crassa* sint; Si *cava* sint, postulant impleri hoc medicamento.

℞. *papav. lacryma, sagapeni. opopan. āā.* ʒß. *æruginis* ʒj. *cumini* ʒiij. *piperis* ʒij. *cadmia elota & cerusa āā.* ʒiß. *cum aqua pluviali fiat Collyrium.*

Si *crassa* cicatrices sint, sequens remedium extenuat

℞. *Cinnam. acacia āā.* ʒß. *cassia elota, croci, myrrha, papav. lacryma, gum. arab. āā.* ℥j. *piper. albi, thuris āā.* ʒ.ß. *æris combusti* ℥iv. *cum aqua pluviali f. Collyrium.*

48. *Emollientium applicatione*, 2. *Abstersione* Præmissis præmitt. *Topicis* uti licet, ac primo iis quæ *Emolliendo diffusione* vi tum aperiunt, herb. *malv. alth. euphr. chelidon. flor. chamom. cyani, meliloti*, Semina *fœnugr. lini* &c. ex quorum decocto vapor tepide oculis excipi poterit. Prodest quod ex *pulpa pomor. dulc.* ad pultis consistentiam, in *aqu. fœnic. & rosar. q. s.* cocta, addita *mu. slag. semin. fœnugr. & lapid. hæmat.* conficiunt; Inter *Discutientia* multum valet *succus fœnic.* si guttula *Balsami Peruv.* admisceatur, laudante *Coslero Tal.* 18. cujus quoque destillatum experientiæ fides comprobat; Non minoris efficaciæ est *Mixtura Horstii*, quæ ex *aq. rosar. & fœnic. āā part. aqu. & margar. præp.* componitur; cujus solius usu *maculas & suffusiones* omnino sublatas esse testatur. *Forestus* laudat *lac equinum* cum modico *melle* assidue [illegible]itum, quin & cicatricem tenuem in puero *aqua fœnic.* adjecto *felle anguilla & facch. c.* brevi consumpsit; in adultis vero, propinatis prius *pil. aureis fel* accipitris commode in oculum instillavit.

Inveteratas & altiores albugines succus *centaur. minor.* cum *melle* permixtus, *Testa sepia* combusta, & cum *melle* in pollinem redacta valide extergit. *Fel hirci*, *bovis*, *succi herbar. amarar. chelidon. absynth. centaur. marrub. ana gall. flor. cæruleo*, Ut & varia absorbentia & exsiccantia juvant, Densissimam *Maculam*, ex diuturna Ophthalmia in oculo relictam, mediamque Iridis partem occupantem, *Aqua rosar.* in qua *sal armon.* ea quantitate ut linguam saltem leviter feriret, dissolvebatur, absumptam memorat. Idem. *Straussius.*

49. *Abstersione*) Extergentia locum habent ad motum humorum promovendum; *nubes* dispellendam, & coagulum removendum, in unguiculis, excrescentiis, cataractis & pustulis utilia, Eaque tum *terrea* exsiccantia, *ut perla præparata, flores cinces, facch. saturni, ungu. nobilis, tutia præparata, trochisci m. sief album* | *pomphol.* xx. Tum *acriuscula salina facultate sigillata, facchar. Canar. vitriol. album, aloë, fel lucii piscis, ejusque essentia, pinguedo ejusa piscis, serpentum & viperarum* do[illegible]issima, quæ ad roborandum visum, & affectus oculi plurimos, laudari satis nequit; Pertinet huc *aqua saphirina*, parata ex *lixivio calcis viva*, *salis armoniaci* accessione pauca roborato, in pelvi ænea vitorem infusione indepto. *Wedelius Am. m. p.* 13n. *Vide* §. *Oxydorcicis.*

Oculorum vitio quod vocant *Ungues*, *Nebulas*, Leucomata, sic medeberis, *Caput cati nigri*, *qui ne maculam quidem alterius coloris habeat, ures in olla figlina intus vitreata*, *Hanc cinerem per caulem penna in oculum inflabis ter die, noctu si quis ardor infestet, folia è quercu aqua madida, bina simul aut terna oculo impones aut alligabis*: Hoc tanquam egregium experimentum Medicus quidam mihi narravit: Ego postea in libro M. S. Germanico reperi, adjecta promissione visum restituendi etiam post unius anni cæcitatem, & remedio ad authorem *Hipp.* relato. *Con. Gesnerus.*

49. *Abstersione*) Puellæ cum ex cicatrice [illegible] media sede nata visus impediretur, Chirurgus *sacch. cand.* pulverem oculo inspergere volens, ad eam [illegible]gendam, errore pyxidem arripuit in qua [illegible] vis continebatur, quem cum imprudens oculo [illegible]pergeret, tanta suborta est inflammatio, ut [illegible] culus [illegible] et de oculo: tamen sanata est, tantum a[illegible] ut q[illegible]d obf[illegible]rat, ut potius multum profuerit, nam [illegible] catrice pene [illegible] niversa detersa, remanente levi duntaxat macula, vi[illegible] recuperavit; Quod indicio est globum oculi fort[illegible] quoque perferre posse, cum cornea ipsius tunica [illegible] durissima & insensibilis. *Felix Platerus obs. lib.* [illegible] *pag.* [illegible]

50. *Oculis instillata*) Topica [illegible] *oculo induuntur* [illegible] ferre possit, vel *palpebris* applicantur, ubi & mino[illegible] pedimento & noxa, noctu præsertim dum clausas habent, diutius remanent; Et licet vis illorum non tam ut cum oculo induuntur se exerat, tamen continuo quia per tenuem palpebram facile facultas ipsorum penetrat, tandem [illegible]oli[illegible], operantur, cum quæ [illegible] in [illegible] cum lacrymis mox iterum e[illegible]uant,

ocul

oculos irritent, & molestiam aliquam pariant. *Plateros.*

[51] *Pinguedo*) Unctuosa aquosa oculis amica, Unctuosa etiam quædam oleosa; exemplo pinguedinum viperarum & huic succedanearum: Alia vero seu calidiora, seu tenaciora, non item, unde absurdum fuerit Oculis Emplastra apponere. *Wedelius Am. m. M. pagina* 135.

[52] *Pinguedo mustelæ piscis*) Singularissima est pinguedo ex jecore mustelæ piscis fluviatilis, si cilia & palpebræ superiores ea ungantur. *Claudinus Emp. rat. pag.* 44. Ejusdem *Jecur* commendat *Forestus ob.* 34. *l.* 11. Quidam, *ait*, præmissis universalibus hoc experimento visum recepit, *Jecur* regulæ filo alligetur, vitro subjecto in Sole ut pinguedo olei instar stillet, hoc cilia tantum inungantur, & lacryma ex oculis prodibit: Hoc arcano in aliis multis sæpe feliciter usi sumus: *Ottho Heurnius ad cap.* 5. *l.* 5. *Pathol. Fernelij* hanc pinguedinem sic elicit; *Hepar mustelæ piscis* recenter exemptum, & *vino* ablutum suspendatur in vitro, ut nec fundum nec latera attingat, Solisque ad radios vase clauso resolvatur: Hoc tantum foris inungi debent palpebræ & cilia, & miraculose visum tenebricosum restituet.

[53] *Valet Collyrium quod ex &c.*) Curatio *Albuginis* ab humore pituitoso in Cornea concreto productæ emollientibus, attenuantibus, & discutientibus remediis perficitur, præmissis tamen universalibus, quæ causæ antecedentis sublationem respiciunt, & novum humorum influxum ad oculos prohibent, qui facile prorritari posset à topicis remediis, præcipue iis quæ acrimonia quadam aut calfaciendi vi sunt prædita, nisi illius materia prius submoveretur. Itaque primum universales vacuationes, quæ in cura suffusionis & Guttæ Serenæ traditæ sunt, usurpandæ, ut & revulsiones & derivationes.

Hinc ad materiam concretam emolliendum Fotus admovendus cum spongiis mollioribus, ex decocto *fœnugræci, meliloti, chelidon. & fœnic. paratus.* Vel ejusdem decocti vapor oculis excipiatur.

℞. *rad. alth.* ℥j. *fol. malvæ, eufras. chelid. maj. āā. m. j. sem. lini, fœnugr. āā.* ʒiij *flor. meliloti p. j.* F. decoctio in aqua fontis: Excipiatur vapor mane & vesperi: Mox discutientia usurpanda, qualia in Suffusionis curatione descripta sunt, illa enim hic etiam plurimum conferre poterunt, atque ita Collyria attenuantia, & humorem oculo impactum resolventia inde erunt desumenda, & præcipue ea quæ ex *melle* cum oxydorcicis remediis distillato componuntur: *Aqua* enim *mellis* destillata, etiam sola usurpata, multum præstat ad omnes Oculorum maculas extergendas, si illius usus diu continuetur.

Sacchar. cand. in aqua *euphras. chelidon. aut fœnic.* dissolutum.

Oculus lingua, pueri, vel puellæ, quæ *fœniculum* masticaverit, frequenter *lambatur*: *Amati Lus.* collyrium, quo nubeculas crassas in puella duodecenni curavit, post *salsapar.* decoctum per xx. dies.

℞. *mellis in ipso favo* ℔ij. *summit. fœnic. flor. sambuc. euphr. āā. p.* ij. *sacch. c.* ℥iv. *distill. in maris Balneo, & aqua instilletur* in oculos.

Semen hominis oculo impositum hora somni, eum purgat à sordibus, abstergit, sicque Albuginis curationi conducit.

Potenter eam discutit *succus* fœnic. recenter extractus, cui *balsami Peruviani* gutta una admista sit. *Riverius.*

Cap. XXXIX.

De Pustulis & Vlceribus Corneæ.

Pustula.

54. P*Vstulæ sunt tubercula*, [55] *annatæ & corneæ tunicæ communia.*

[56] *Cognoscuntur* ipso visu, magnitudine granum milii æquant, nigredine, exacta rotunditate, & quod in fundo circulum album non exhibeant, à Procidentia uveæ distinguuntur.

[57] *Oriuntur* ab humore acri & seroso, tunicas attollente.

[58] *Curantur* [59] *facilius*, si sunt in annata: [60] *difficilius*, si sunt juxta *pupillam*: *nulla ratione*, si cornea in partem internam rumpitur, *Ad modum Ophthalmiæ.*

Dividuntur dupliciter.

I. *Aliæ* sunt cum inflammatione; quæ prout aliæ inflammationes curantur, saccharum saturni cum aqua euphras. optimum est.

Aliæ ab Humore aquoso, quæ exsiccantia, ut *tuthiam*, *lapidem calaminarem*, &c. exposcunt.

II. *Aliæ* sunt superficiariæ, ἐπικαύματα dictæ, quæ nigriores apparent.

Aliæ profundiores, sub secunda vel tertia lamina, ἐγκαύματα vocatæ, quæ propter corneæ albedinem albæ magis videntur, & quia [..] totam corneam erodere possunt periculosæ sunt.

[61] Laudantur contra eas, *succus rutæ* gutt. j. bis de die instillatus: *aqua mellis* qua tangi debent *aquæ rosarum*, in qua *sal armoniacum* ea quantitate infusum ut linguam leviter feriat, debetque in vase ex aurichalco duos vel tres dies stare, ut cœruleum colorem contrahat.

54. *Pustula Vesicula* seu *bulla* quædam *lucida, aquosa*, aliquando in *oculi globo* oriuntur, *Phlyctæna* dictæ. per se quidem insensibiles sunt: tamen aliquæ ex illis ... ruptæ, maxime in locis tenerioribus scatibilibus; Vel ... m integræ; si acrem humorem contineant, dolorem movent; In oculi globo magnam vesicam ex succo fructus Cucumeris asinini maturo disrupto casu exilientem in oculum obortam, lucidissimam & tenuissimam, se-

quenti die citra omnem offensam rursum subsedisse atque evanuisse vidimus. *Platerus.*

54. *Pustulæ sunt Tubercula*) *Celsus* malum hoc vocat *Pustulam, Græci phlyctænam, Avicennas* vocat *vesicas*, nam Cornea instar vesicæ excubetat, cum repleatur, materia aquosa: Generatur hoc malum, quoniam materia serosa petens oculos replet corneam inter corticem & corticem; seu inter tunicam & tunicam, ut Cornea in tumorem attollatur; Forma hujus vitii est Tumor, quare magnitudo aucta, quæ Est modo symptoma, modo morbus, est morbus dum Tumor perducitur ad corneam, ut cornea præest foramini Rhagœidis, tunc enim hic tumor nocet visui, ideo est morbus: *Capivaccius Prax lib. 1 cap. 31.*

55. *Annata ac cornea*) In illis Tunicis, non secus ac in reliquis corporis partibus, exoriuntur vesicæ parvæ aqua repletæ, illis similes quas excitat aqua fervens, Arabibus *Botbor.*

56. *Cognoscuntur ipso visu*) In genere cognoscetis ex extensione corneæ, Et præsertim extensionem hanc deprehendetis, si æger supinus jaceat (notate hoc) ut diligenter oculus uterque sit inspiciendus; Differentias ratione *formæ* cognoscetis, Nam si tumor sit insignis, ut occupet Corneam secundum regionem attinentem ad crystallinum, oculis facile conspiciemus sine signis aliis.

Verum autem Cornea afficiatur secundum *tunicas externas* vel *Profundas*, signa tradentes *Aëtius & Avicennas*, sic distinguunt, Si materia sit inter tunicam primam & secundam; pustula apparet nigra; Si inter tertiam & quartam, alba: Nam dum Pustula pertinet ad superficiem, ait *Avicenna*, non prohibet visionem ab intuitu rhagoidis; si autem pustula sit profunda, prohibet; unde cum superficialis pustula non prohibeat intuitum uveæ, hæc uvea, ut est nigricans, ita est in causa ut pustula nigricans appareat; At pustula profunda non prohibet intuitum rhagoidis, ut firmetur visio in pustula, unde pustula alba apparet; nam producitur à materia alba, si *exquisita* sit pustula; Nam spuria fieri potest à materia serosa sanguini permista: Secundum *Aëtium* vero, si pustula sit in superficie, nigra ea apparet, nam naturalis pustulæ color est niger (quia respicit ad pustulam quæ cum serositate sanguinem habet permistum; at si profunda sit pustula, albicans apparet, nam habet superjacentem corneam albam.

Quoniam vero internam ob tunicæ corneæ erosionem Vuea procidit, & superficialis pustulæ speciem exhibet, monet idem Auctor exactius hæc esse distinguenda, quoniam varia est curatio; cognoscitur igitur pustula in superficie, nam undique est subnigra; quod si prolapsa fuerit Vvea, cognoscetis quia non erit locus undique subniger, sicuti in pustula, sed color erit inæqualis, nam circa fundum prolapsæ rhagœidis albedo apparebit, propter corneæ albedinem: Adhæc cognoscetis prolapsam uveam, è mutatione pupillæ quæ parva fit, vel variatur secundum figuram, nam in prolapsu rhagoeidis pupillæ figura rotunda non servatur, quæ manet si pustula fuerit superficiaria. *Capivaccius ibidem.*

Quæ in *Adnata* Oriuntur, *rubrum* colorem referunt; quæ in cornea *subnigrum*: Si in illius superficie consistant: *Album* vero, si in parte corneæ profundiore sitæ sint. *Riverius.*

57. *Oriuntur ab humore*) Vide infra cap. seq. §. *Oritur à causis continui solutionem.*)

58. *Curatur*) Si *adnata oculi tunica*, à cornea separata, Vesicam excitet humore acri plenam; unde dolor & rubedo quoque superveniunt, dolor mitigari, humor influens repelli, fluxusque siccari, ut in epiphora & in ophthalmia remediis expositis debet; Si disrupta vesica erosionem aliquam post se relinquat, ut erosio sanatur; Curatur autem levis erosio, seu excoriatio, siccantibus sine morsu, in ophthalmia & epiphora explicatis, & in ulceribus quoque convenientibus. *Platerus.*

Curatio in materiæ conjunctæ resolutione consistit, & antecedentis aversione, omni modo suppurationem prohibendo, quæ in ulcus degenerat; Vniversalia ut in Ophthalmia præcedant, post topica administranda, leviter repellentia in principio, tum etiam discutientia, qualia in ophth. augmento proposita sunt; quæ magis convenient si inflammatio comes est, ut plerumque fit; In progressu magis exsiccantia & resolventia usurpanda, qualia in statu & declinatione ophthalmiæ ac præsertim ungu. ibi proposita, quæ pustulis illis discutiendis & exsiccandis aptissima sunt. *Idem.*

59. *Curantur facilius*) Phlyctænas à causa externa natas, pellucidas, sine rubore, sponte iterum subsedisse atque evanuisse vidi, Quæ cum rubore & dolore eveniunt disruptæ, excoriationem post se relinquunt. *Excoriationes & scabies* non tam cito ob loci madorem sanantur; difficilius si in ulcus abeant. *Platerus.*

60. *Difficilius &c.*) Superficiariæ minus periculosæ sunt, profundiores vero magis; metuendum enim ne tota corneæ densitas erodatur, & vel humor aqueus effluat, vel uveæ procidentia contingat. *Idem.*

60. *Totam corneam erodere*) Hinc dicebat *Avicennas*, si vesica sit magna, ferro curanda, Nam nisi cito evacuetur materia, periculum imminet disruptionis tunicæ ad profundam sedem, *Capivaccius.*

61. *Laudantur contra eas*) Medicamenta probantur acria si parva sit vesica, Sint autem & vehementer siccantia, ut conficiendum sit Collyrium è *terra Samia torrefacta, è tutia, è cadmia, antimonio, scoria æris, & hæ abluta: & gummi addatur, & omnia terantur in aqua pluviali, & paretur collyrium quod excipiatur aqua pluviali. Avicenna* addit *Opium*, quia componit medicamentum quod diu est servandum, ut ob fermentationem opium obesse nequeat, at si recenti sit utendum, Opium non est miscendum, E.g.

℞. *tutiæ, cadmiæ, scoriæ æris lotorum āā.* ʒß. *gummi* ʒj. *terantur in aqua eufrasiæ f. Collyr.*

℞. *prædicti collyrii* ʒß. *aq. fænigr.* ʒvi. *misce*, Notandũ *Av.* probare etiam *adstringentia*!, quia non respicit a[illegible] cam exquisitam, sed ad tumorem aquosum qui sit p[illegible] ceps inflammationis, Nam addit, mitigata inflam[illegible] natione opus esse uti *myrrha, croco, nardo*, & p[illegible] discutientibus non adstringentibus; quod notare [illegible] betis, ne in curatione erretis. *Capivaccius.*

Vlcera.

II. *Vlcera corneæ interdum ab externis, interdum ab internis seu affluentibus, seu congestis oriuntur*; 62. & variis nominibus pro varietate circumstantiarum insigniuntur.

Βόθριον dicitur, quod latius, sed minus profundum.

Κοίλωμα, quod latius, sed minus profundum.

Ἄργεμον, quod in iridis externo circulo exortum, circa internam candidum, ambiens etiam comprehendit.

Circa *curationem* observandum; medicamenta fronti etiam & temporibus, ut influxus impediatur

pediatur, imponi, & lenia ac temperata esse debere.

Prosunt *Aqua Ophthalmica Mynsichti. Aqua ex albumine ovorum* Hartmanni sub oculorum unguibus descripta, Albumen ovi duratum, cum viniolo puco usto tritum, expressum & impositum, abstergit egregie, & phlyctænis prodest.

62. *Vlcera cornea*) Generantur dum Corneæ occurrit causa morbifica, quæ in Corneæ substantiam per modum vel *abrasionis*, vel simul etiam erosionis ita agit, ut corneæ substantia absumatur & unitas solvatur: Hujus ulceris *definitio* est, quod sit soluta unitas cum magnitudine imminuta Corneæ, producta à causa mordaci. Vlceratur autem modo magis modo minus, & proinde modo in superficie, modo in profundo.

Causa efficiens est *causa mordax*, quæ esse potest & *externa*. Succus mordax, cum secundum propriam naturam ut bilis flava, bilis atra, à qua producitur Vlcus cancrosum, tum ratione putredinis, ut quilibet succus dum putrescit: *Externa* sunt medicamenta acria, & cum Avicenna esse potest ictus, percussio. *Capivaccius Pr. l. 1. cap. 2.* Vide infra § *Oritur à causis contentis.*)

Et variis nominibus) *Avicenna* ratione *subjecti*, hoc est *Cornea*, quinque species ulceris proponit, quarum tres spectant ad *superficiem*, duæ ad *profundum*, Itaque, quoad Ulcus partium externarum, si pertineat ad *primam tunicam Cornea*, secundum nigrum oculi, vocatur *Alkhasi*: Si ad *secundam* membranam, dicitur *Nubes*, *Chasmema*; nam instar nubis visionem turbat. Si pertineat ad Coronam, ubi est nigredo, dicitur *Vlcus coronale. Paulo* dicitur *Argemon*, Si autem ulcus spectet ad profundiores partes, spectat ad tertiam tunicam, & dicitur *Lulumia*, i. e. *Ungula, à Paulo* ὄνυχιον, vel ad *quartam*, & vocatur *Aulunum, Paulo Fossula. Capivaccius.* Si crustosum & sordidum ulcus est, *Epicauma* vocat *Aëtius.*

64 *Quod cavum*) Vlcus si *purulentum* fit, aut *callosum*, curatu pertinax, nonnunquam & immedicabile, oculum penetrans illius amissionem parit; Vel callu obductum & cicatrice visui incommudat. *Platerus.*

64. *Quod cavum, angustum &c.*) Vlcus non difficulter cognoscitur è dolore pulsante, Et si fuerit in *Cornea*, ad differentiam ulceris tunicæ *Annata*, conspicitur velut Punctum album: At si sit ulcus in Tunica *Annata*, punctum non albicans apparet, sed rubicundum; nam dum Cornea ulcere afficitur, albedo apparet propter albedinem sanei: Et dum vi ulceris Cornea privatur diaphaneitate, album præ se fert colorem, nam ab ᾽ ... dum terminatur, album conspicitur; At si ulceretur tunica adnata, ulceris sedes rubicunda conspicitur, nam hæc tunica est multis venis referta, ut fluat sanguis, qui quamvis exiguus sit, in minima copia, evidens tamen rubedo conspicitur, quoniam in albo corpore exigua rubedo est evidens.

Si autem *Cornea* afficiatur secundum *primam tunicam*, indicatur ex asperitate, & læsa visiune quæ fieri videtur veluti per fumum: Si attineat ad *secundam* tunicam, cognosceris è læsa visione, in qua veluti per nubem intuitus fieri videtur. Si sit species *coronalis* vocata cum *Avicenna* cognosceris, quia pertinebit ad regionem pupillæ: Si fuerit in *Cornea*, ex albedine, Si pertineat ad *annatam*, est permista rubedo. Si pertineat ad profundum tunicæ, vix possunt lumen ferre. *Capivaccius.*

Prognosis.

Oculi Ulcus est vitium non contemnendum, quia enim absumitur pars seminalis, non reparatur exacte, ideoque oboritur cicatrix, ut cornea amittat diaphaneitatem, hincque lædatur visio: *Rhazes* dicebat ulcus *Cornea* magis esse periculosum ulcere Annatæ nam adest major vehementia dignitatis, *Vlcus cancrosum* est incurabile; Notandum ex *Galeno* in soluta unitate Corneæ periculum cæcitatis imminere, quia humor albugineus effluit: Puero quidem cui dictus humor effluxerat, restitutus visus, sed *vulnus* præcesserat, At aliter de *ulcere* est statuendum, In hoc enim est deperdita portio Corneæ, ut nequaquam salutem polliceri debeatis. *Capivaccius.*

65. *Circa curationem*) Purgatione instituta, & phlebotomia, tum ex brachio, tum ex venis arteriisque temporalibus, Ægro item, si res postula, balneato, ad avertendam fluxionem, Cucurbitulæ scapulis affigentur, cum scarificatu, Vel *panis* ex furno recens extractus *aqua* vitæ aut vino generoso aspersus, origini spinalis medullæ admovebitur: Fronti vero & temporibus Emplastrum adstringens, ex eo quod *contra ulcera* institui solet, Comitissæ Ungu. & desiccativo rubro mixtum: In Oculum vero sequens Collyrium à *Celso* descriptum, & Hollerio probatum stillabitur.

℞ *Æris usti, cadmia usta & lota ana.* ℥j. *myrrha, opii ana.* ʒij. *acacia, g. arabici, ana* ʒiij. *ex aqua fingatur collyrium* quod liquore ovi dissolvatur.

Interim diligenter observandum ne dolor hinc Oculo molestus sit; quare ex intervallis anodynis affusis ipsi consulendum erit: *Vigierius Chir. l. 2. c. 3.*

65. *Circa curationem*) Curatio, ut & reliquorum ulcerum, detergentibus & exsiccantibus perficitur, quæ mitissima esse debent ob partis mollitiem & sensum exquisitum, præmissis quæ fluxionem ab oculo revellunt, eamque reprimunt, ex Ophth. curatione repetenda: Si inflammatio conjuncta sit, remedia illam respicientia prædictis addenda: remixtis dolorem lenientibus quoties ille partem infestaverit: Detergentia exsiccantia moderata, sunt *saccharum. mel rosacum, myrrha, thus, aloe, sarcocolla, tuthia, cerusa &c.* E g.

℞. *decocti hordei & fœnugr.* ℥iij. *mellis opt.* ℥ß. *vel syr. de ros. sicc.* ℥j. *f. Collyrium.* quo oculi sæpe abluantur.

℞. *aqu. verbena & plantag. ana* ℥ij *facch. c.* ʒß *m.*

℞. *Aqu. mellis in M. B. distill. & aq. ros. ana p. æq. Misce.*

℞. Ovum coctione induratum divide in partes ij, detracto vitello imple *saccharo* contrito, optime ligetur, & ponatur in cella vinaria; excillat liquor detergens ulcera sine morsu. Potentius aget addita *myrrha* pulverata & sacchato.

Pulvis Montani.

℞. *album. ovorum rec. n.* xx. pone in vase stanneo ad Solem donec exsiccentur; subtilissime tritis adde facch. ana, Pulvis immittatur in oculos, sine erosione multum juvans: In progressu morbi si potentius detergendum & exsiccandum, adde collyriis prædictis *Troch. albos Rhasis, thur. aloen, myrrham, sarcocollam* &c. in parva men dosi, & iis etiam *lac, albumen ovi, mucilagines* aliaque anodyna: *Tuthia* præ cæteris valet minime dolorifica, & sine morsu siccans ac cicatricem inducens; ideo collyria & ungu. ex ea parata utilissima.

℞. *Sarcocolla nutrita in aqua rosar. cerusa & aloës lota, myrrh. tutb. prapar. ana.* ʒß. *facch.* ʒ . *cum mucil. g tragac. extracta in aq. rosar.* f. Collyrium, q ... instillantur: Valde detergit, exsiccat & cicatricem inducit. *Idem.*

Corneæ Cancer.

Neque his tantum ... is Cornea corripitur, sed longe sævioribus Tale est *carcinoma*, tumor fœdus ..., & nec ... oculo sed etiam homini ærumnosus; quod enim actionem videndi adimat malorum maximum non est, nam inclusus ichor hominem assidue torquet aculeis sævissimis, mox, addito ulcere tunicas, humores, omnemque oculi substantiam depascitur.

Cerebrum tandem, unde suam oculus originem habet, ejusque membranas morbus apprehendit, qui finis est | hominis vitæ simul & molestiarum. *Ant. Molinett Dis- sert. Anat. & Path. p. 35.*

Cap. XL.

De Vulneribus Corneæ, & Dolore Oculorum.

I. Vulnera.

66. V*Ulnera Corneæ* in genere exigunt.

1. *Evacuationem*, per venæsectionem præsertim.

2. 67. *Repulsionem*, ut inflammatio prohibeatur, & 68. dolor leniatur, per Cataplasmata super palpebram duntaxat imposita, ut oculus & palpebræ aperiri possint.

3. *Consolidationem.* 69. Laudatur vehementer 70. pars albuminis ovi, Germanis *das kuchen*, Italis *Galatura* dicta, conquassata; nec non oleum *rubrum Saturni.*

Differentias si spectes, 1. *Aliquando* sola cornea vulneratur. *Aliquando* cum ea & palpebræ ubi cavendum, ne cum oculo agglutinentur.

2. *Aliquando* vulnera non tam altè 71. penetrant. *Aliquando* cornea rumpitur, & humor aqueus effluit, quod & in ulceribus accidit: Tum, si vulnus sit angustum, α. minus periculi habet; Si uvea procedit, incurabile est.

72. *Curatio* eadem, quæ vulneris & ulceris oculorum.

Valent, 73. *liquor vesicarum ulmi, qui efficacissimus.* Pulvis ex exuviis serpentis post vernationem, & oculis cancri sponte abjectis factus.

66. *Vulnera cornea*) Potest ex Tunicæ corneæ læsione quandoque sanguis effluere, Nam ego ex vitri fracti spina acutissima in oculi Tunicæ Corneæ medium, *Pupillam* vocatam, ejusque superiorem pelliculam, infixa, & à me extracta, sanguinem per vulnus, & inter pelliculas ejus effusum, repellentibus & discutientibus iterum dissipatum, nulla remanente in pupilla macula, in puero quodam observavi. *Platerus.*

Gravius vidi vulnus in puero nondum bienni, qui gestans scalpellum, quo inciduntur pennæ, pronus cecidit, illo bis oculi adnatam & corneam hoc trajiciente, nam ingressus erat apex non procul ab angulo oculi majori; & prodibat prope minorem; Præterea ejusdem manubrium osseum acuminatum infixum erat volæ manus dextræ: Tamèn sedula mater tam dextere utramque scalpelli partem eduxit, ut illæsa remanserit visio, nullaque cicatrix fuerit residua: Admoveri jussi sacculum ex *flor. Chamom. rom. & rosar. rubr.* primo lacti incoctum, *postridie vino rubro* & Cataplasma adstringens tempori è directo, citra alia remedia coaluere vulnera.

66. *Vulnera Cornea*) Cornea tunica aliquando patitur Continui solutionem, ut humor aqueus, interdum tunica Uvea egrediatur, & ista solutio *Ruptura corneæ* ab authoribus dicitur: Causa est vulnus aut ulcus illius membranæ, aut magnus humorum affluxus, à quo dicta membrana ita distenditur, ut media crepet, & contenti *humores effundantur. Riverius.*

α. *Minus periculi habet*) Incurabilis est plerumque hæc affectio, & visus privationem relinquit, quandoquidem humores oculi effusi regenerari nequeunt; Si tamen vulnus sit exiguum, ex quo tantum portio humoris aquei effluat, curationem suscipere potest, cum aqueus humor interdum regenerari possit, docente *Galeno 4. de caus. sympt. c. 2. Idem.*

β. *Valent*) In oculum instilletur *album. ovi*, cui *Troch. albi Rhasis admisceantur.* Foveatur pars *decocto rosar. rubr. fol. poly* [illegible] *rub. bursæ past. & plantag. in vino adstring.* parato, si abs [illegible] inflammatio, alias *in aqua simpl.* Vel

℞. [illegible] ℔ß. *rof. rubr. p.* iij. *acacia, croci* ℈j [illegible] *decoquantur in vino adstringente*, & fiat Cataplasma [illegible] applicandum. Ad integram consolidationem

℞. *aloës lota, tutb. præpar. sarcocol.* [illegible] *nutr. in lacte mul. ana.* ℈ß. *croci gr. v. cum mucilag. g. tragac.* [illegible] Collyrium. *Idem.*

Si ab ictu vel vulnere Oculus læ[illegible], sanguinem sistentibus, siccantibus, & con[illegible]bus mox utendum, *Sanguis Columbæ* vel *gallinæ*, & [illegible] pidus, si oculo læso indatur, *hæmorrhagiam* sistit; Idem facit, & [illegible] siccat sequens.

℞. *lap. hæmat.* vel *galactitem, fricetur supra* [illegible] *cum lacte, donec succum ille rubr. hic* album copiose re[illegible], è quibus unus vel ambo oculo indantur [illegible] V[illegible]

℞. *succi rubri hæmat. ex atritu cum lacte emulsi* ℥j. *album. ovi agitati* ℥ß. *succi hyper.* ℨ[illegible] *thur.* ℨß. *misce*, Potest addi parum *Opii* si dolor urgea[illegible] P[illegible]st sequens adhibeatur.

℞. *album. Ovi agitati, mucilag. rad.* [illegible] *consol. ana.* ℥ß. *cerussa, tutia lota, aqua plantag. ana.* ℨ[illegible] *an*[illegible]*on.* ℈j. *aqu. hyper. chalybeata* ℥j. *Misce.*

Stoechu fol. emplastri modo imposit[illegible] iuctat *Dioscor.* Dein ut ulcus sanare oportet, iisdem quæ u[illegible] conveniunt. *Platerus.*

67. *Repulsionem ut inflammatio prohibeatur*) *Partem affectam* quod attinet; Observandum est [illegible] an quispiam sit alienum quod dolore[illegible] [illegible], Hinc abluendus est Oculus *Lacte muliebri* a[illegible] *aqua rosac.* modice affusa. Ma[illegible] au[illegible] m[illegible] [illegible] ict *ovi albumine & aqua rosac.* simul perm[illegible]xtis ut [illegible] tur *sem. cydonior. & psyllii mucilag* [illegible] Quod si aliqua [illegible]guin s lividi po[illegible], aut aliud quidpiam q[illegible]od sit su[illegible]purand[illegible] andus est sanguis e pulli c[illegible]umbini aut hirun[illegible] axilla detractus, qui [illegible] suppurat dolor[illegible] dat. Tandem Collyrium [illegible]uens.

℞ *aqu. rosar. & plantag. ana* ℥ *sarcoc. nutr. in lacte* ℨß. *tutia præp. sacch. c. ana.* ℈iij. *m. f. Collyr.*

Aqua plantag. cui infusa fuerit aloë aptissi[illegible] ad mundandum & detergendum. Sicut & *hydromel. Viguerius.*

68. *Et dolor leniatur*) [illegible] vissimos & acerbissimos dolores [illegible] tum p[illegible] affectæ tu[illegible] lo [illegible], ob [illegible] cerebri & pericranii membranis affi-

affinitatem, Si scil. membranas frangunt aut scindunt.

Ad sedandum dolorem.

℞. *Carnis pomor. sub ciner. cal. coctorum* ℥v. *vitell. ovor. n.* iij. *cassia r. extr.* ℥ß. *mucilag. sem. psyllij, alth. & cydon.* ãã. ℥j. *far. hordei parum, m. f. Catapl.*

Conferunt etiam *Pulmones vervecini in lacte elixi*, calide appositi, & ubi refrixerint, renovati. Quod si dolor ardorque vehementior talia remedia aspernetur, *fol. hyosciam m.* j. sub cineribus coquatur, pistetur cum *mucil. sem. psyllij & cydon.* extracta in *aquis solani & plantag.* id remedium linteo involutum oculis & temporibus imponatur; vel *mucagines psyll. & cydon. extracta* in *decocto papav.* & cum pauco *opio & aqua ros.* miscentur. *Vigerius.*

69. *Laudatur vehementer*) Ad oculorum vulnera. *Beryllum* aliqui celebrant, sive illa pupillæ, sive alteri parti inflicta fuerint, Reducitur *Beryllus* contusus & tritus in pollinem exactissime, ut impalpabilis sit; Deinde lentis quantitate pulvis quotidie mane, supino jacente ægro, in oculum, donec sanetur, infunditur, ac præcipitur ut æger aliquandiu immotus jaceat: Si pupilla vulnerata fuerit, etsi commode sanari non possit, tamen ita emendatur ut oculus deformis non fiat: Si læsio extra pupillam fuerit, præclare sanat *beryllus*, quemadmodum etiam omnes oculorum contusiones. *Anselmus Boëtius lib. 2. de Lap. & Gemm. c. 71.*

70. *Pars albuminis ovi quam*) Admirabile est remedium tum in dolore, tum in vulneribus oculorum, illa *ovi albuminis pars* quam *Gallaturam* appellant, Quæ debet exacte prius conquassari, sed plures una excipiendæ sunt, ut medicamentum in decenti copia applicari possit: Hoc medicamento bonus quidam Practicus solo omnia oculorum vulnera fere curabat, idque Virtutem Dei vocabat. *Eustach. Rudius Art. Med. c. 20.*

71. *Alte penetrans*) Quidam Cultellum oblongum manu gerens pedibus vacillans pronus cum oculo in Cultellum cadens, oculum ab inferiori palpebra ad supercilium usque per medium diffecuit: Chirurgi, ne putredo intra cranium serperet, oculum excidere statuerant; Ego advocatus vidi oculum ad ovi gallinacei magnitudinem tumuisse: quare quamprimum, ne oculus ob dolorem & humoris alluvium phlegmone corriperetur, cum *Vngu. de alabastro illern*, & *album. ovi.* addito *caphura* momento, cum *oleo & aqua rosar.* dissolutum, & orthonus exceptum supra oculum applicui, quibus tumor desidebat, & tandem oculi recens vulnus citra phlegmonem & suppurationem consolidavi. Nosti quam frugiferum sit in omnium vulnerum phlegmone coërcenda Vngu. illud, quod ex alabastritide marmore, frigidæ & siccæ constitutionis, *Benevenutus* Hierosolymitanus conficere docet libello de Ocul. morbis. *Joh. Langius.*

72. *Curatio eadem qua*) Per Traumatica; Faciunt huc quæ ad restitutionem humorum extravasatorum communiter, vel seorsim commendantur; *Burrhus* Epist. ad *Bartholinum* hoc ipsum tetigit, qua de edidit hic considerationem physiologicam occurrentium quotundam in Epistolis duabus *Fr. Burrhi* de cerebro & oculis; In harum posteriore agit de artificio oculorum humores restituendi, quo multoties dissectos profunde ac transversim brutorum hominumque oculos ad pristinum statum tam feliciter restituerit Amstelodami, ut nec litura cicatricis omnino superesset.

Quem in finem inservuisse sibi pronuntiat *aquam mirabilem*, laudatis aliis authoribus jam adhibitam, distillatam per MB. ex foliis *chelidon.* (major.) addito tantillo camphoræ ad arcendam putredinem: Vel etiam ex *fimo* ejusdem *chelidonia*, seu herba in putrilaginem resoluta, spontanea effervescentia prolecta in alembico, concluso inibi, aqua, Hac restitui ait citissime oculus exsectos avium, & tanta venustate micare in iis iridem, & fulgorem radiorum, ut longe superet pulchritudinem humorum naturalem, imo in his qui bis dissecti fuerint lævigari tantu splendore renatos oculus, ut niteant quasi essent perlæ orientales: Cautelam tamen addit, ut summa diligentia vitetur nervi optici læsio, profundioribus quippe bujus fibris læsis, curationem difficilem aut infelicem fore, Exc. D. *Major* laudat etiam *fel humanum* destillatum: Notabile vero est jamdudum *Crollium aquam chelidon. compositam* pro oculorum vulneribus in usu habuisse,

Thomas Kerkringius spic. Anat. obs. 100. proponit se nosse artificium quo oculus crystallino, cæterisque humoribus spoliatus visum recuperare possit, non artificio illo Burrhiano, quo ipse quidem viderit canem restitutum, cæcum illo oculu manentem, sed alio, quod tamen revelare non dignatur; Candidus in hoc *Ang. Sala*, qui in *septem Plan. &c. Oper. p.* 211. Ophthalmicum admirandarum virium tradit, describit, & experimento comprobatum exhibet, Ex *Cupri bracteati* ℥ij. *vini malvat.* ℥xviij. *circulentur ad Solem, vitro bene clauso, donec liquor viridis & transparens instar smaragdi fiat*, Qui usum noverit, præter alia addit, miranda efficiet, Imo addit, humores restituit 1610. Norbergæ juvenis ex urbe Basilea, lusu gladiatorio serio oculum dextrum effossum habuit, ita ut ex capsula ad longitudinem nucis propenderet, Concionatoris Uxor in locum reposuit oculum propendulum, & talis adjumento liquoris fixum reddidit, & sanum intra 14. dies, visum tamen amisit, nam ex ictu exciderat pupilla.

Novimus etiam *pinguedinis viperinæ* beneficio vulnus oculi consolidatum, & ex *album. ovorum* conquassatis, vel distillatis, credibile est tale quid effici posse, vel ex ipsis etiam *humoribus oculi bubuli*, utpote maxime affinibus, *Wedelius Am. m. m. p.* 132.

73. *Liquor vesicarum ulmi*) Ex *Heeri obs. 4. lib. 1.* Lithuanus quidam, qui ab omnibus Medicis, agyrtis &c. secreta plurima collegerat, Inter alia gallum gallinaceum, utraque illum manu tenens, mihi obtulit, jussitque me oculum sæpius acutissimo scalpello punctum, interque digitos pressum orbitæ cranii reponere: Affudit illi liquoris guttas duas, obligatoque Capite cistæ inclusit, è qua post horas octo eduxit, utroque oculo ita sibi simili, ut nec ego qui secueram, nec adstantium ullus sectum oculum à sano posset distinguere: Succus ille erat is, ut mihi fatebatur, qui in vesicis ulmorum majo mense invenitur, quique nisi tum colligatur, in granula quædam rubra vermiformia mutatur: Hanc ego artem ludicram, nullique unquam profuturam dicens, cum scire non possemus, an cum oculi externa pulchritudine visus servaretur, Cum tamen aliquot annis succum hunc colligi curassem (est enim vulneribus sanandis commodus) casu duabus sororibus à prandio colludentibus, junior adultioris linteum suentis brachium vi elevans, acum in mediam pupillam alte adigit, Exemplo à Patre accitus, observo aqueum humorem, & partem vitrei effluxisse: Applico oculo tumenti vesicarum ulmi succum, sub quartam pomeridianam Jubeo sub mediam noctem linteum admotum novo liquore imbui, Mane, testor Deum & fidem, externe sanum offendi, sed illius oculi lumine captam, etiam nunc xx. fere post anno nullus excæcatum oculum à vidente, etiamsi curiose indaget, discriminare potest, imo multis annis cum marito orbitatis ejus inscio vixit.

Dolor Oculorum.

I. *Dolor oculorum*, oculis præcipuè ob tunicas externas convenit.

74. *Cognoscitur* ex relatione ægri.

Oritur à causis continui solutionem excitantibus.

Curatur causis sublatis. 75. *Mitigatur albumine ovorum, pulpa pomi assi cum sacchars, Camphora.* Croco, aqua rosarum, & lacte muliebri. 76. Ab *Opiatis* cavendum.

74. *Oritur à causis continui solutionem*) Solutio continui in oculi sedibus facta, diversa, prout ea vel levis vel gravis existit, molestiarum dolorumque oculi inducit genera; Si enim occulta adhuc sit vellicatio tantum, nondum aliquid in oculo separans aut divellens, pruritum statum & asperitatem parit; Et si perseveret, dolorem que graviorem faciat, Ophthalmiis & Epiphoris occasionem præbet; Si vero *manifesta* sit solutio, tunc si *adnata tunica*, à subjecto oculo separetur, aquaque, illud spatium impleat, *vesica* nascetur, Vel si *tunica* illic, aut in *angulis* vel *palpebris* separetur, *erosiones, abrasiones, scabies, ulcusculaque* fiunt: Si vero *profundior* sit *solutio continui*, *Vicus* vel *simplex*, vel *cavum*, vel *fistulosum*, vel *vulnus* gignetur,

Quorum omnium variæ sunt causæ; alias enim ab *extrinsecus injuria* hæc in oculo contingunt, inter quas *perfrictio* frequens & valida, quam variæ causæ pruritum in oculo excitantes urgere & commovere possunt, oculi *phlyctenas* & *excoriationes* quoque promovere potest; *Incidentia* in oculum *aspera*, si sint, non solum oculum exasperare, eundemque sensum ut aliquandiu retineat, efficere, sed & adeo ut abrasiones tunicæ sequantur efficere possunt; Quæ vero simul *urunt*, aut *acria* sunt, si oculo illabantur, non solum illum *inflammare*, sed & *urendo*, ut tunica abscedat, *phlyctænas* & *erosiones* excitare possunt, Sicuti ex *succo cucumeris asinini* fructu maturo disrupto & in oculum casu diffuso, vidi accidere.

Frequentius à *collyriis fortioribus*, quibus maculas extergere volunt, evenit, quæ omnes erosiones in verum *ulcus* degenerare possunt: Quod si ea quæ *secant* vel *pungunt*, in oculum incidant, eum non solum irritare, sed & *vulnerare* possunt, Quod & ab *illa puncturaque* oculo sæpe accidit, tum *casu*, tum cum in *Oculi suffusione*, ad detractionem pelliculæ *acu*, necessario oculi globus perforatur; quas oculi solutas continuitates inflammatio sæpe comitatur.

Lacryma quoque, vel alias *serosus humor* à causis supra enarratis, oculum diu madefaciens & irritantia, tandem partes hasce erodunt, scabiemque palpebrarum inducunt, ulcusque verum interdum procreant; quæ vitia Epiphoram sæpe comitantur, *Morbi* prægressi alii hisce solutionibus continui ansam frequenter præbent; Sic *phlyctæna* ruptæ *excoriationem* post se relinquunt, *Ophthalmia vera*, inflammatione non discussa, sed suppurata, in abscessum convertitur, quo rupto *ulcus profundum* interdum manet; *Aegilops* quoque, phlegmone in abscessum abeunte, eo rupto plerumque in ulcus abit. *Platerus.*

74. *Oritur à causis*) Dolent Oculi, nunc per *causas externas* quascunque, oculos incidendo affligentes & dolorem infligentes, Nunc propter *Ophthalmiam*, seu *inflammationem*, si *lympha* eosdem humectans, impurior & *acido nitrosior* fuerit, unde rosio, morsicans dolor &c. Specialis dolor est qui oculos subinde vexat, estque tensus vehementissimæ compressionis, & quasi simul ejusdem lacerationis, cum manifesta alteratione, quam credo oriri ex spasmo membranarum oculi. *Etmullerus.*

74. *Oritur à causis.*) A *Flatibus* dolores oculorum, Ophthalmiasque fieri posse docent aliqui, Verum cum flatus nullibi oculum subire possint, nec locum ubi in oculo colliguntur, vacuum habeant, & si illic nascerentur oculi globum spissum adeo dilatare nequirent, ut cum insensilis sit, tantopere afficere, non video quomodo hac ratione fieri queat, Extra oculi globum vero si vapores halituosi dictu musculorum interstitiis se inferant, accedente lassitudine, nictationem illam oculorum potius quam dolores fieri in motu depravato ostendimus; nisi forte copiosius collecta adeo eos distendant, ut convellens dolor oculos aliquamdiu, antequam post somnum aperiuntur, nonnunquam affligens, accedentibus insuper aliis causis, sicuti in spasmo flatulento dicto accidit. *Platerus.*

75. *Mitigatur*) Remedium mirabiliter conferens in dolore oculi in qualibet causa.

℞. *Sacch. albi* ʒß. *dissolve in lacte mulier.* & oculo impone, *Ben. Victorius.*

Fomentum istud meum (quo toties cum successu usus sum) tepide applicari jussi.

℞. *femin. fænugr. tenquass.* ʒiß. *sem. euphras. fænic. anisi ãã.* ʒiß. *euphr. beton. melilot. chamæm. ãã. p.* iß. *tutia præpar. sarcocoll. nutrit. sacc. albi ãã.* ʒj. incidantur & conquassentur omnia, & coqu. in lacte vaccino tec. *q. s. & sacculis includantur pro Foru.* J. P. Lotichius *obs.* 7. *cap.* 2. *lib.* 2.

Joh. Heurnius Oculorum rubedinem dolorificam miraculi instar hoc remedio curavit. *Phlegma aluminis* applica, Exstillatur in Balneo: *Not.* 1 *in Pathol. Fernel. lib.* 5. *c.* 5.

76. *Ab Opiatis cavendum*) Oculis dolentibus Opiata minus prosunt, extus applicata, quatenus amaritie sua ardor potius conciliatur quam lenitur. Et si quis a cruisculis oculum gaudere objecerit, id verum est quidem, sed præstat eo casu aloën eligere quam opium, obtundente mucilagine constans. *Wedelius.*

De Vveæ morbis.

Cap. XLI.

De Vveæ procidentia, Pupillæ dilatatione, & angustia.

77. Vveæ in oculo tunicæ β. morbi sunt, *Vvea procidentia, Pupilla dilatatio, Ejusdem angustia & suffusio.*

77. *Uvea in oculo tunica morbi sunt*) Adde his *Pupilla*, vel *foraminis* illius *Obstructionem ab humore aliquo, sanguine, pure* Hypopio. Vngue.

β. Morbi) *Uvea memorata* vitia visui nocent cum foramen ... us, quod *Pupillam* vocant, in *parte ea Vvea* quæ *cornea* subtensa est, nam inetamen adnascitur, pervium, lucemque in Oculum intromittens, vel *humore* aliquo *aut muco obturatur*, vel *imminuitur*, aut *dilatatur*; Quæ cum *Cornea*, quæ illi præponitur, transparens sit, licet sub ipsa noxa lateat, extrinsecus quoque in *nigro oculi, illius ve* ambitu, videri cognoscique possunt.

Ab

Ab *humore* obturatur nonnunquam *foramen hoc*, vi- suque via intercluditur; Fitque hoc à *propriis* nonnunquam *oculi humoribus*, *crystallino & vitreo* in ipsum prolapsis, sicuti ex *humorum situs permutatione*, & pupillæ nimia amplitudine potest accidere: Quod & tunc, cum *albugineus* instar apparent, in oculi ea sede videtur.

A *sanguine ab ictu*, non tantum in *Corneam* infuso, sed etiam ad spatium hoc, inter *corneam & uveam* intro usque penetrante, illudque vel *omnino* vel ex *parte* adimplente, & *pupillam* obturante idem potest fieri: Qui *ruber* ab initio, tandem vero *livescens*, mox *nigricans*, illic latere apparet (cum sanguis in spatia corporis infusus mox corrumpatur, secus ac cum *Cornea* illum imbibit, ubi citra mutationem rubens diu sæpe perlistit) visumque tunc vel depravat vel offuscat, plus minusve prout spatium exiguum vel totum occupat, *Oculique sugillatio*, *Hyposphagma* proprie appellatur.

A *Pure* quoque in *ea sede collecto* visio impediri potest, diciturque tunc affectus ille *Pyosis*, In quo si pus copiosum collectum *Oculi nigrum totum* occupare, aut etiam *Iridis spatium totum* implere, perque *corneam* pellucere videatur, *Hypopyos* dicitur. Si vero illius exigua portio in dicta sede *Vnguis resecti* instar tantum translucere videatur, *Onyx* seu Vnguis dicitur.

Cujus *Puris collectionis* causa *sanguis* oculo illapsus, & in *pus* tandem conversus plerumque esse solet; Vel *inflammatio* oculi prægressa, & abscessum post se relinquens; non eum in quo *Cornea simul corrumpitur*, & in pus conversa corruptos humores oculi profundit; sed in quo *discusso* post inflammationem sanguine, in ea tantum sede portio illius remanens suppuratur, Adhæc; *Sine inflammatione*, vel *causa externa*, *puris* hanc collectionem etiam interdum fieri post *Capitis dolores* scripserunt; Quod cum sit, verisimile ex *aqueo humore* sic *supperato* & *maturato*, sicuti pus ex similibus humoribus generari posse alibi docemus, hoc factum esse, Cum sanguis alias huc, nisi per vim contusa cornea perferri, venis eo minime pertingentibus, vix possit. *Platerus*.

Distorsio Pupillæ.

Distorsiones Pupillæ contingunt ex ictu & vulnere; Ex *laxitate* quin etiam quorundam ligamentorum ciliarium, quæ pupillæ ambitum deviinciunt, Ex *convulsione* pariter eorundem, aut oppositorum, quoties pupilla multiplici intemperie & inæquali laborat, ut secundum partem aliquam sicca, secundum altera vero humida sit; quod ut quidem existimo minus accidere, fieri tamen quandoque non dubito. *Molinett*.

77. *Vvea Tunicæ morbi sunt &c.*) *Galenus 1. de sympt. causis* Vveam tunicam variis morbis obnoxiam esse, ac præcipue Ruptionem, Distorsionem, Dilatationem & Constrictionem pati, *Ruptio* fieri potest tum à causa externa, ut percussione & contusione; Tum ab interna, humore copioso, Vveam distendente & rumpente; quod malum irreparabile arte: *Distorsio* non potest fieri nisi à prima conformatione; cum illa corneæ tunicæ undique adhæreat: Ideo *Galenus* l. c. in explicatione non immoratur, cum nullius sit in praxi momenti. *Riverius*.

Vveæ Procidentia.

I. *Vvea* 78. *procidit*, *quando cornea unitas solvitur*, sive per vulnera, sive per ulcera.

Cognoscitur & à pustulis. *Discernitur* exinde, quod pars, quæ procidit, aut nigra aut cærulea est, & in fundo circulum album, qui à labiis corneæ erosis est, exhibeat, & pupilla parte sui quadam divulsa appareat.

79. *Curatur* medicamentis sine asperitate adstringentibus; & 80. si his non cedit, ferro.

Differentias vide apud Æginetam.

78. *Vvea procidit quando Cornea &c.*) Corneæ pars posterior, dura, densa & opaca, Sclirotis dicta, præter morbos qui communes sunt illi & Adnatæ tunicæ, quosdam etiam patitur cum Rhagoide subjecta; Contingit namque Sclirotidem vulnere perfodi, aut erodi ulcere, atque tunc impossibile est quin foras erumpat præter naturam subjecta tunica, quæ amplior multo quam ambitus continentis corneæ, & spiritu turgens, qua data porta erumpit, morbumque solutæ unitans in cornea, adauctæ vero magnitudinis in Rhagoide componit, quinimo & Sinus in eadem perversi; Hinc tumores notissimi accidunt, μυοκέφαλον, σταφύλωμα, μῆλον. Et hic quidem maximus omnium, ita dictus quod *Pomi* formam referat, mediocris *Staphyloma*, acino uvæ similis, minimus *myocephalon* capiti muscæ par; Cujus parvitas vel minimum officit conformationi oculi totius ideoque actionem videndi vix impedit, tantum abest ut auferat, prout à nonnullis Authoribus proditus est, deceptis veterum assertionibus quas ad verbum exscribere solent, quantumvis reluctantibus ratione simul & experientia. *Anton. Molinetti Dissert. Anat. & Path. pagina* 35.

79. *Curatur*) Curatur morbus exsiccatione, adhibitis medicamentis siccis valde & frigidis, Aut sectione, adstringentibus postea etiam adhibitis, usque validis, quibus cicatrix obducitur; quæ ratio curandi tutior proculdubio est, nec difficilior, quanquam vix prohiberi potest quin ἧλος id est clavus succedat, Callosa nempe cicatrix semperque molesta parti, & omnino insanabilis, si perduret diutius quod cognoscimus ex colore ad album vergente. *Idem.*

Curatio difficillima est, eoque difficilior quo major est Vveæ procidentia: Si vero minor sit, ut in Myocephalo curationem admittit, quæ adstringentibus moderatis perficitur, *ut in cornea* ruptura. *Riverius*.

80. *Si his non cedit ferro*) Antiqui ut *Aetius*, *Paulus*, *Celsus* procidentias inveteratas, quæ medicamentis non cedunt, Chirurgia perficere tentant, quæ tamen nostris temporibus obsoleta est, ob summam illius difficultatem & ancipitem eventum, si quis tamen eam tentare cupierit, adeat *H. Fabr. Aquapend. ubi exacta descriptio. Idem.*

Differentias] Vide §. 78. *Vvea procidit quando.*

Pupillæ dilatatio.

II. [81] *Pupillæ* [82] *dilatatio, μυδρίασις, & πλατυκορία dicta, est quando Pupilla præter naturam versus* [83] *Iridis circulum* [84] *ampliatur.*

γ *Cognoscitur* ex eo, [85] quod ægri, seu ob nimiæ externi luminis copiæ in oculos incursum, seu obliquorum radiorum, qui perpendicularibus debiliores, casum [87] minus acutè videant, cum aliquid intueri volunt, oculos nonnihil comprimant, & oculo uno clauso, alterius pupilla dilatari non possit.

β. *Oritur* à tensione Vveæ, cujus illa foramen est, seu ob externas seu ob internas causas.

Curatio in Differentiis videnda.

[88] *Dividitur* trifariam. I. *Alia* [89] est Nativa, & à primo ortu contracta.

Alia Adventitia.

II. *Alia* à [90] Causis externis, ut [91] percussione, casu ab alto &c. quæ si fit absque inflammatione, [92] facile curatur; [93] si cum ruptura Vveæ, non item.

Alia à [94] Causis internis, quæ in sequenti differentia exprimuntur.

III. *Alia* [95] à siccitate uveam tendente, ut in coriis perforatis fit, quæ [96] difficulter curatur.

[97] Optimum est lac caprinum, si ei oculus immergatur.

Alia [98] ab Humiditate, [99] cujus curatio facilior, nisi post capitis dolorem vehementem acciderit.

[100] Perficitur, præmissis Vniversalibus, missione sanguinis ex venis temporum & venis in angulis oculorum, cucurbitularum in occipitio, & hirudinum post aures applicatione, resolventium (equa salita laudatur) & leviter adstringentium usu.

[101] *Alia* à Flatibus, quod tubicinibus accidit, qui discutiendi sunt.

[81] *Pupilla*) Iridis meditullium opacam velut cameram repræsentans; Pupilla est, seu pupula, sic dicta, quod inspicientes tanquam pupulos imaginet: *Ea causa est*, inquit *Plinius l. 11. c. 37. ut pleraque alitum è membris hominum oculos potissimum appetant, quod effigiem suam in eis cernentes, velut ad cognata desideria tendunt*, Hanc particulam Græci ὄψιν nuncupant, non quia videt, sed quia per eam visio exercetur; item κόρην. & *Aretæus* παρθένον propter immaculatam & quasi virgineam puritatem; quamvis autem reapse extet ἀχρώματος, nigra tamen apparet, hæcque ἔμφασις non pendet modo ab ejus profunditate, sed præsertim, ut docet *Hippocrat. l. περὶ σαρκ.* à vicinæ uveæ fuscedine, eaque tanta ut in dissectione tingat abstergentem digitum, cujus nigroris imaginem subditus crystallinus instar speculi reverberat. *Hippocr. 1. Progn.* corneæ tunicæ portionem, rhagoidi quo loco fenestrata est obtentam, κόρην interdum appellavit, scribens periculum esse ne à calida falsaque lacryma pupilla exulceretur; *Aristoteles* vero humorem oculi interiorem quo videmus, i. e. crystallinum, κόρην aliquando nominat: Verum proprie loquendo Pupilla dicitur Vveæ membranæ in oculi vestibulo foramen, ad crystalloidis humoris consuetudinem cum externis objectis. *Menjotius.*

[82] *Pupilla*) Est uveæ tunicæ foramen, per quod species objectorum oculum ingrediuntur: Visio læditur, quod lumen nimia copia oculum ingrediatur, unde fit ut ea laborantes in obscuriori loco minus acute videant quam in lucidiori, quod ostendunt naturales & ordinariæ pupillæ mutationes, quæ in locis splendidis & obscuris contingunt; dum enim visio fit in loco splendidiori, & multum illuminato, pupilla constringitur, ut minori copia lumen oculum ingrediatur, & ne majori copia visionem lædat, spiritus dissipando ac disgregando; & hinc fit ut qui à loco valde lucido in obscuriorem ingrediuntur, primo ingressu nihil fere videant: quandoquidem pupilla constricta in loco obscuro non satis lu[illegible]inis recipit ad v[illegible]sionem integre perfi[illegible]. Postea vero cum al[illegible]quandiu in loco obscuro morati fuerint, pupilla sen[illegible]im dilatatur ut majorem luminis copiam re[illegible] quæ sit sufficiens ad visionem efficiendam, & [illegible] quæ primo ingressu non videbantur, clare perspiciuntur, Contra vero, qui à loco obscuro in valde lucidū transeunt, lumen ferre non possunt ab initio, & eorū oculi graviter perstringuntur, quia cum pupilla magis dilatata fuerit, in loco obscuro, ut sufficiens luminis copia oculum ingrediatur, si hoc modo dilatata subito magno lumini objiciatur, nimia copia lumen oculum ingreditur, eumque per[illegible]ngit ac visionem turbat, Vnde patet lumen visioni necessarium [illegible]pia mediocri oculos ingredi debere & ad il[illegible]ius re[illegible]tionem Pupillę dilatationem moderatam esse necessariam. *Riverius.*

[82] *Pupillæ dilatatio*) Pupilla *Galeno* teste *1. de sympt. c. 2.* quatuor duntaxat modis vitiatur nempe vel [illegible]tata, vel imminuta, vel in aliam partem [illegible]orta vel rupta.

γ *Cognoscitur ex eo*) Dignosis [illegible]ficilis non est, siquidem Pupillæ dilatatio oculis est [illegible], præsertim si ante morbosam constitutionem [illegible] amplitudo naturalis Medico innotuerit, tum eti[illegible] latitu[illegible]ne pupillæ, mediocritatem excedente vi[illegible] læsio adfuerit: Præterea naturalis amplitudo Pu[illegible]llæ digno[illegible] eo quod clauso uno oculo alte[illegible]ius [illegible]pi[illegible] magis [illegible]tur, quod non fit in dilatatione morbosa, q[illegible]ia tunica Vvea à causa præternaturali distenta amplius dist[illegible]ndi nequit: Si denique dilatatio pupillæ in uno [illegible]culo appareat, & prætern[illegible]tur[illegible] est, & [illegible]tum oculum affic[illegible] significat. *Idem.*

6. *Oritur à tensione*) Internaru[illegible] & immediata Tensio [illegible]st quę vel a Si[illegible]tione: Repletio Vv[illegible]æ, dum e[illegible] o[illegible]stendit, ampliorem pupi[illegible]la n efficı[illegible]te vel à flatibus & humoribus in eundem [illegible] vel ab aqueo humo[illegible] supra modum aucto [illegible]ue à tunicæ ip[illegible]ius Uveæ tumore: His ca[illegible]er possumus con[illegible]sionem Uveæ tunicæ, quæ in[illegible] ep[illegible] præcipue app[illegible], cum e[illegible] partes vosæ & membranosæ tunc dist[illegible]tur[illegible] Uvea [illegible] tunica suam distent[illegible] p[illegible]titur, & hæc p[illegible]manit ste p[illegible]ret [illegible]rum co[illegible]ulsionib[illegible] in q[illegible]ibu[illegible] ut [illegible] eandem occupet & [illegible]ne [illegible] us aboleat. *Idem.*

[90] *A causis externis*) Adde his spiritus, retentionem, ut in

ut in parturientibus & tubicinibus: Percussio autem & casus fluxionem ad oculos promovent, unde pupillæ distensio: Spiritus retentio flatus & humores ad oculos impellit, à quibus etiam distentio producitur. *Idem.*

83. *Pupilla præter naturam &c. ampliatur*) Præternaturalis Pupillæ magnitudo, πλατυκορία, & πλατυκορίασις, dicitur item μυδρίασις, vel ἀπὸ τῆ μύειν, à frequenti qui hunc morbum affectarunt oculorum nictu; vel ἀπὸ τῆ μυδᾶν, quod oculus superfluo madeat humore: vel quasi ἀμυδρίασις, propter visionem ἀμυδροτέραν: Latitudo pupillæ si immensa fuerit, totamque iridis coronam, vel præcipuam ejus partem invaserit ὁλοχερῶς ἐμποδίζει τὴν ὄψιν, visum omnino præripit, secus enim visionem solummodo minuit simulque depravat, objecta minora offerendo quam revera existant; sicut ex adverso in angustia pupillæ res cernuntur seipsis majores. *Mensjotius.*

84. *Iridis circulum*) Oculi bulbum media ac anteriore parte occupat γραμμὴ κυκλοειδὴς, sive linea circularis, quam Iridem vocant, à similitudine arcus cœlestis, sicut enim hic *mille trahit varios adverso Sole colores*, ita illa in hominibus, nec non in equis, ut notavit *Aristot. 3. de g. an. 2.* numerosa colorum pingitur varietate. *Mensjotius.*

v. *Cognoscitur ex eo*) Mydriasis vel est genitiva errore τῆ λόγου σπερματικοῦ, rationis seminalis, ut loquitur *Macrobius 7. Saturn 16.* vel ascitæ: hæc perfacile dignoscitur ab homine etiam plebeio qui nativam ægrotantis oculi constitutionem prius observaverit: Visus quoque imbecillitas si supervenerit, mydriasin denotat adventitiam, qualis etiam est illa quæ alterutrum duntaxat oculum infestat: Placet plerisque clauso uno oculo, si alterius pupilla dilatetur, mydriasin esse ingenitam, secus post genitam debere censeri, At illi hallucinantur, nam in mydriasi ingenita, quæ extremum attigit terminum, pupilla perstat ἀναύξητος utut ubertim spiritus affluxerint. at ex adverso in mydriasi postgenita, verum quæ ad ultimos limites nondum pervenit, pupilla à pleniore spirituum accessu paulo ulteriorem assequi potest διαχώρησιν, proindeque signum istud non mydriaseos originem, sed ejus duntaxat gradum demonstrat. Monendum autem pupillæ morbosam dilatationem, in lumine, ubi pupillam constringi æquum est, ejusdem vero præternaturalem angustiam in tenebris, quæ pupillam naturaliter aperiunt, certius internosci. *Mensjotius.*

85. *Quod Ægri*) Imo nisi modum admodum excedat, visioni minime incommodat, sed potius utilitatem aliquam afferre videtur: Cuidam cum *pupilla* contigisset *amplissima* non solum capite immoto ea quæ ante faciem, sed & quæ in lateribus dissita erant, & ab aliis nonnisi capite eo inclinato videri possunt, quoque per visum comprehendere & cognoscere potuit. Et mihi ipsi in juventute hoc contigit, & in mensa uno intuitu plures in ambitu sedentes simul cernere ipsorumque gestus notare potui. *Platerus.*

86. *Ob nimia externi luminis*) Quæ lumen & albedo ei cognata officiunt visioni: Vulgo dicuntur *lux* atque *albedo* visum disgregare, *tenebræ* autem, atque *nigredo*, eundem congregare, At si sensus sit pupillam à luce dilatari, & à tenebris adstringi, in contrarium militabit experientia: Quibusdam placet spiritus animales natura sua luminosos, ac suo continuo gaudentes, dum externæ luci affluentius ac immaturi velut ad amplexum obviant, ad instar ferme heliotropii ad Solem se vertentis, disjici à splendore, sive potius à caliditate splendoris comite, haud secus ac ita ... ri caligant ob spirituum ... ac dissolutionem. Attamen cum spirituum influentium dispendia brevi resarciantur, non autem est cur temporaria horum jactura, immoderati luminis accessu illata, morbos δυσθεραπεύτους, imo cæcitatem invehat sæpenumero irremediabilem.

Galenus 10. de us. Part. 5. ingenitum humori crystallino lumen ab extraneo ac potentiore dissipari existimat, sicuti flamma tenuis luculenti ignis vicinia marcescit; Sed pelluciditatem cum luciditate confundit *Galenus*, cum tamen hæc tria accurate distingui debeant, videlicet Lucidum, natura sua lucem fundens, Opacum, nullius lucis ex se nuo modo particeps est, sed ob inconditam ac indispositam foraminulorum turbam lumen omne respuens, & Diaphanum, utrique interjectum, propria quidem luce destitutum, sed propter inanium & itinerulorum rectitudinem, copiam & magnitudinem, transmittens irruentem lucem, quæ est ejus ἐντελέχεια, Jam vero humor crystallinus est quidem translucidus, sed cum aquæ potius quam ignis ingenium redoleat, nulla radiat luce nisi adventitia & quodammodo precaria, quam nempe spiritus animales ei impertiunt, similiter ac transparens crystallus mutuatitio coruscat fulgore non vernaculo; unde etiam refocillatis per somnum spiritibus oculi magis micant, hique mentis τὸ δραστήριον, sive volucrem vigorem arguunt, ut patet exemplis *Augusti, Tiberii*, utriusque *Scaligeri, Cardani, Portæ*, & aliorum; Deinde lux excellentior remissiorem corrumpit, non per se, nulla enim interjacet contrarietas, sed per accidens, diruto subjecto lucido, sic intensius lumen extinguit jubar spirituum animalium, quatenus eos demolitur, non secus ac radii solares disperdunt flammæ claritatem, flammam ipsam depopulando: Cum igitur universa crystallini substantia fixa sit, non ut spirituum volatilis atque evanida, ita quoque ad præsentiam immoderatæ lucis; ne minima quidem illius particula perditur, sed integra stat ac indelibata, nec proinde hujus luciditas, si quam haberet innatam, à circumsidente validiore luce posset dispelli; Aliis lubet, cum visio pro diaphanarum oculi partium diversitate secundum tenuitatem atque crassitiem quamplurimis refractionibus perficiatur, ac refractio lucis è diaphano tenuiore in crassius fiat versus perpendicularem ut optici demonstrant, i. e. lucis radii medium densius permeantes frangantur, ac recto radio & perpendiculari propinquent, sicque uniantur magis & quasi *glomeramen in unum conveniant*, à tali inquam radiorum lucidorum, intra oculum refractorum, conglomeratione ingentem ardorem oculo ingenerari affirmant, à quo partis temperies temeratur, dolorque ingentissimus cietur: Nec intimas tantum oculi partes, sed extimas quoque nimiæ lucis appulsu fervere contendunt, eo quod luce diaphanum crassius feriente, præter radios quos pertransire, refringi, simulque velut in fascem uniri certissimum est, ac propter istam συνδρομὴν radiis incidentibus & reflexis coeuntibus, calor etiam externus ingeminetur, auctoque quanto, quale necessario augeatur, qua ratione radii Solares in speculis ustoriis ex repercussu remeantes appositum fomitem accendunt; lux enim nihil aliud est quam flamma exilissima, sive, ut docet *Plato*, ignis lucens, sed non urens præ nimia tenuitate.

Huic doctrinæ subscribimus, neque imus inficias ab immodica luce oculos ἀποκαυλίζειν verumtamen quia qualitates secundæ interdum plus conferunt ad actionem quam primæ, ut patet ex luce spirituum, duritie ossium (præcipua stabilitatis causa) & perspicuitate oculorum, probabilius videtur ab intemperie oculorum præfervida primo & per se visum non percelli, sed potius à summo luminis ardore quasi à caustico condensari oculorum humores & tunicas, ac præcipue poros corneæ συμπιλεῖσθαι; quomodo B. *Paulus* exusta compactaque à splendore cœlitus circumfuso

gente externa ceratoidis membranæ lamella, detepente occæcatus est, ac post triduanam cæcitatem, ubi eschara quædam, vel, ut habet iacet textus, [illegible] sive ramenta auxilus medicis [illegible], ex ejus oculis miraculose decidissent, extemplo visum recepit: Imo quoniam visio actio est non similaris, sed organica, fieri potest ut dum oculis importunum lumen tentat amoliri, ut præ nisus vehementia proprias dilaceret membranas, ejusque humoribus permixtis inter se & confusis, affectus ille oculi structuram plane evertens consequatur, qui [illegible] communiter dici consuevit.

Albedinem quod attinet, & ipsa quoque visum obtenebrat, imo funditus tollit atque delet, ut *Xenophontis* militibus evenit, per nives iter agentibus, scil. ratione luminis è corpore albo ad oculum cum majore intensione resilientis, non vero per speciem visibilem fortiorem, & quæ facultati non sit analoga, species enim ob entitatis tenuitatem nulla reali activitate pollent, ac intentionaliter tantum visum queunt afficere. *Menjotius.*

87. *Minus acute videant*) Circa geminam illam quam Mydriasis infert videndi noxam, videlicet imbecillitatem atque parvitatem, duplex consurgit difficultas, Primo cur hic affectus visum aut penitus labefactet, aut saltem ita obtundat ut objecta noc distincte, nec ex mediocri intervallo dignoscantur, dum interim pupilla in tenebris naturaliter adaucta sit [illegible], 2. Quænam sit ratio visorum [illegible] in mydriasi.

Ad priorem respondemus Pupillam, quæ tenebrarum occasione ultro ac naturaliter sese pandit, eandem dum in luce habitat coarctari, ut decet, ad declinanda incurrentis luminis incommoda; contra vero ipsam à præternaturali causa spatiosiorem factam sufficienter constringi non posse, ut advenientem splendorem humori crystallino intercludat, ideoque tactu nimiæ lucis visum tenebrescere, quamobrem, instigante ingeniosa natura, ægri inspecturi genis connivent ad arcendam lucem, nec non etiam tenentur ea nyctalopiæ specie qua oculi Sole occiduo, ac sub luce maligna melius cernunt quam meridiana luce, atque liquida; alias enim fusa lataque pupilla per se commodat visui: Hic autem excipi debet mydriasis ab aqueo humore uberiore prognata, quippe quæ, *authore Aristotele*, interdiu quam noctu visionem acutiorem reddat: copiosus siquidem humor aqueus, ab intensiore diei lumine strenue defendit; contra vero nocturna lux, ut pote remissior, aqueum humorem, si exuperaverit, non adeo facile trajicere, nec per ipsum ad crystalloidem deportari.

Posterioris difficultatis solutio difficilior est. Nos causam ut mydriasis objectorum [illegible] minuat, partim à spiritibus, partim ab imaginibus repetendam esse conjicimus, spiritibus, quatenus duplici modo, & ut medium (supple internum) & ut organum, visioni opitulantur.

Primo igitur disjunctis in latiore pupilla spiritibus objecta quasi minora apparent, iisdem vero in pupilla angustiore nimium coacervatis res ut majores conspiciuntur. Ratio est quod interpositi medii crassities, nisi extrema fuerit, ac imaginibus impenetrabilis, ita modificet [illegible] ciem, ut rem visibilem cum majore extensione [illegible] ltati referat, tantas, ex adverso: sic in fundo aquæ res sese ostendunt majores, ac per serenitatem hyemalem, aëre aliquantulum crassescente, stellæ tenuissimæ noctu spectantur, in æstivo sereno invisæ atque latitant[illegible]. Nam sicuti liquor soli[illegible] poris objectu sese effundit, sic spectra visib[illegible] occursu medii densi[illegible] quodammodo divelluntur ac grandescunt [illegible] remque adeo velut m[illegible] rem exhibent.

Secundo si spiritus consideretur ut organum, dicimus in Mydriasi, quoniam spiritus laxius copulati, levius quoque à rerum simulacris attinguntur, objecta pro minoribus haberi, in angustia vero pupillæ objectorum dimentiones ad sensum increscere, eo quod spiritus pressiores visibilibus spectris magis feriantur, nam sentire apud Peripateticos est quoddam pati, sensusque mixta est potentia, partim passiva & partim activa.

Tertio, ut causa reddatur ex parte imaginum, *cur mydriasis extenuet* objecta, monere convenit ob sphæricam specierum ejaculationem, res non solum eminus prospici minores, sed intra debitum quoque intervallum, aliquam objectorum magnitudinem subtrahi, verum huic defectum reparari à naturali oculi fabrica, quæ ejusmodi est ut objecta paulisper majora quam revera sint visivæ potentiæ præsentet; ita ut quantum mediocris distantia visorum quantitati detrahit, tandundem (benefica natura damnum rependente) nativa oculi constitutio ipsis adjiciat; Nam humor crystallinus ex oculo erutus, si literis imponatur, his majores exprimet; iterumque pupillam anteriore crystallini superficie decuplo minorem; Eo fine Prometheus noster (naturam [illegible] intelligo) architectatus est, ut visibiles formæ per ipsam trajectatæ, [illegible] sus crystallini amplitudinem postea explicarentur, ac propter talem specierum expansionem res major appareret; Idem de Auribus observare licet, quarum introitum provida natura voluit esse flexuosum, ad soni amplificationem, nam ex tortuosis locis & inclusis soni referuntur ampliores: His ita probatis, manifestum est imaginibus per capaciorem pupillam traductis, nec proinde intra humorem crystallinum postmodum extensis, visibilia tanquam minora objici, at[illegible]e ex opposito, imaginibus pupillam strictiorem glomeratim ingredientibus, ibique quasi compressis, [illegible] in vastiora crystallini spatia se deinceps fundentibus (similiter ac aqua ex angustis faucibus in liberum campum late se [illegible]mit) res ut majores visu comprehendi &c. *Menjotius.*

87. *Minus acute videant*) Sophisticum istud oculi mydriasi laborantis de objecti parvitate judicium, non ad depravatam sed ad imminutam visionem à nonnullis refertur, eo quod actio depravata vel sit aucta vel erronea; hic autem visio neque [illegible]tur, ut satis liquet, neque etiam aberret, [illegible] non circa objectum alienum, ut in absurdi coloris [illegible] ed circa objectum verum, nempe visibil[illegible] q[illegible] versetur, quanquam hæc propter ignaviam v[illegible] [illegible] tutis [illegible] nor appareat: Attamen probabilius videtur Mv[illegible] sub corrupta quam sub in[illegible]a visione comprehe[illegible] re: licet enim visus pravitas in ho[illegible] morbo [illegible] minis expers non sit, ab ea tamen distingui deb[illegible] alioquin quancunque visus impoten[illegible] m idem [illegible] sensibile commune, objecti ne[illegible]pe qua[illegible] aiem [illegible] taretur; Præterea in angustia p[illegible]læ, fallax m[illegible] dinis apprehensio non alio qu[illegible] ad [illegible] vatam reduci potest, ut apud o[illegible] igitur mendax ob dispansam pupil[illegible] perceptio [illegible]b eadem quoque depiava[illegible] [illegible]asse contin[illegible] cu[illegible]a sit lex con[illegible] genere conveniant. *Menjotius.*

88. *Dividitur trifariam*) Myd[illegible] st Primige[illegible] v[illegible] aliorum morborum, ut [illegible] ac pertina[illegible] cephalex Succedane[illegible] [illegible]iopath[illegible] S[illegible]phatica, ac demum Genuiv[illegible] [illegible] vel A[illegible]cita. *Menjotius.*

89. *Alia est natura*) Oculi natura sua ni[illegible] q[illegible] humidiores ac te[illegible]estrat[illegible] in hanc cala[illegible] p[illegible]buntur [illegible] *Arist.* [illegible] namque o[illegible]orum pendet ab humoris copia [illegible]

cum

cum sit μὴ διαφανοῦς, necessario nigrescit, ut demonstrat *Arist. 3. de gen. an. 1.* exemplo maris, cujus quantum rite conspicitur cæsium apparet, quantum non ita facile translucet, aqueum judicatur, quantum vero præ gurgite alto non prorsus penetratur, nigrum sentimur, aut cæruleum: Cur autem crescente quantitate corporis translucidi, ac speciatim aucto albugineo humore, hujus τὸ διαφανὲς minuatur, (etsi particula superaddita ejusdem diaphaneitatis sit cum toto) causa est quod longiore via pori ἐν ὀφθαλμοῖς sensim fiant ἀσύμμετροι (ut loquitur *Philosophus*) ita ut à rectitudine deflectentes non amplius sibi invicem respondeant; sic in fundo aquæ purissimæ res minus distincte cernitur quam si juxta ejus superficiem sita fuerit, etiam servata eadem inter objectum visibile & oculum videntem spatii intercapedine. *Menjotius.*

88. *Alia est nativa*) Pupillæ naturalis inest nunc amplificatio nunc constrictio, per tenebras enim sua sponte, & absque animalis arbitratu diducitur, illapsu vero lucis angustatur, ad splendoris visum offuscantis exclusionem: Idem in animalibus maxime noctivagis observare licet, e. g. felium pupilla nocturno tempore adeo patescit, ut totam iridem absorbeat; interdiu vero in strictam ovalemque quasi rimam coarctatur: Quoniam autem insitus ille pupillæ motus minutatim fit, atque κατ' ὀλίγον, ideo sapientissimus naturæ architectus ut festinam mutationem animalibus caveret, diem noctemque medio crepusculo diremit; Oculi namque ex obscuro loco in lucidum repente divertentes, graviter perstringuntur, plurima luce affatim ampliatam pupillam affatim intrante; eoque tormento *Dyonisius Siculus Tyrannus* homines olim occæcabat, sicut è contrario ex illustrata sede in tenebricosam sese convertentes, pupilla à lumine prius coacta, primo ingressu σκοτοδινιῶσιν, donec illa pedentim distenta res plures pluresque sensim detegantur. *Menjotius.*

Mydriasis copiosam lucem in oculum spargendo visionis claritati obest, nimio splendore tenebras illi offundens: Et si magna sit illius ampliatio, in obscuriore nonnihil luce rectius quam in nimium lucente vident, idque ob internum oculi splendorem; aërem ad visionem sufficienter illuminantem: Exemplum vidi in puero anno 1615. qui de die & præsente lumine cæcutiebat, noctu & in tenebris res minimas cernebat. *Platerus.*

89. *Alia est nativa*) Quare Mydriasis quæ à natura, non minus quam illa quæ à morbo videndi potentiam pessundat, at ex adverso nativa συνεργία, ut observat *Galenus 1. de sympt. c. 2.* visioni subsidiatur?

Rsp. Omnem pupillæ parvitatem per se quidem esse visui incommodam, paucioribus imaginum radiis per strictiorem januam in oculum permanantibus; verumtamen insitam ejus angustiam (si modo nullum aliud oculi vitium, ut ingenita albuginei humoris carentia, associetur) visioni observire, quia raritas radiorum visualium, alioquin visum debilitans, exterioris luminis valida propulsione, ac virtutis unione compensatur, unde homo inter animalia minima pupilla donatus fuit, ut tenuissima quæque visa ad amussim discerneret, horumque differentias exacte consequeretur; visus namque præ cæteris sensibus accommodatissimum est ad disciplinas instrumentum, quibus conquirendis homo destinatur, licet à quibusdam animalibus superetur in rerum longinquarum judicio. *Menjotius.*

90. *A Causis externis*) Causæ à foris accersitæ numerantur, diuturnior mora in tenebris, unde pupilla summe dilatationi paulatim assuefacta, etiam postea luci exponatur, in priscum situm nescit regredi. Valida spiritus compressio, ut in vomitu difficili; dejectione violenta, laborioso parturientium enixu, in strangulatu anginoso, prægravis ponderis gestatione, athleticis certaminibus; item spiritus fortior expiratio, ut tussientibus, vociferantibus, ut buccinatoribus, diutius atque ἀπνευστὶ, sive uno spiritu tibiam animantibus: Hic quoque locum habent damna & aucta Lunæ; ea enim adolescente gliscunt humores, eadem vero senescente deturgent, ac ælurorum oculis istis Lunæ vicibus aut ampliores aut minores fieri à *Gellio l. 20. c. 7.* proditum est. *Menjotius.*

91. *Ut Percussione*) Tunc pro contusionis magnitudine varianda curatio est, & si adsit inflammatio, instar Ophthalmiæ curanda est: Si vero inflammatio non sit, admovebitur in principio cataplasma ex *farina fabarum, foliis plantag. & ros. rub. cum aqua rosar. paratum:* Postea vero *sanguis columbinus* instillabitur frequenter, quod in omnibus oculorum vulneribus ac contusionibus excellens est remedium. *Riverius.*

92. *Facile curatur &c.*) Ab ortu contracta incurabilis est: quæ ab ortu accidit, difficile, maxime si sit à siccitate: quæ vero ab aliis causis fit, si adhuc recens fuerit, curabilis est, cum affectus oculorum recentes ex *Galeno*, curationem recipiant, Inveterati nunquam, aut saltem difficillime tollantur. *Idem.*

93. *Si cum ruptura uvea*) Silentio præterimus solutam uveæ tunicæ seu à vulneribus, seu ab ulceribus continuitatem, eò quod succedens pupillæ augmentum non tam dilatationis nomen mereatur quam disruptionis, quæ ipsam ἐκ τῆς φύσεως, è naturali sede simul exturbat, rotundamque ejus figuram deturpat; vel si forsan ictu casuve provocetur mydriasis, id fit per accidens, rheumate ad oculos concitato. *Menjotius.*

94. *Alia à causis internis*) Memorandis *Uvea spasmus* addi debet; insultus enim comitiales sunt ἀκίνδυνοι adeo ut interdum iridis circulus dispereat. Causa siquidem epileptica in cerebrum arietante, illud contristatur, ac dum propriæ salutis studio sese vehementer corrugat succussatque, non modo nervorum agmina, sed cæteras quoque ἀποφύσεις, sive appendices suas in eandem rapit convulsionem, sicque tunica oviformis, à pia matre ortum ducens, justa ratione simul cum cerebro contrahitur. *Menjotius.*

95. *Alia à siccitate*) Siccitas à vigiliis, febribus ardentibus, & consimilibus causis, sed citra albuginei humoris deperditionem introducta, uveæ partes densat, ac in sese magis cogit, quibus ad latera contractis pupilla auctior redditur, haud secus ac arefacti cribri, ac siccatæ spongiæ foramina dehiscunt. *Menjotius.*

96. *Difficulter curatur*) Mydriasis à siccitate tendente ægrius eliditur, quam si ab humiditate replente ortum traxerit; nam generatim siccitatis curatio, *Galeno* teste 1. de sympt. c. 2. difficilior existit quam humiditatis, nec ita arduum est detrahere quam addere; nominatim vero siccitas à temperie oculorum longius abest quam humiditas, morbique dissentanei affinibus, inquit *Hippocr. 2. aph. 34.* periculosiores sunt; Oculos autem naturaliter esse humidos patet ex *Aristotele*, scribente *1. de part. an. 13.* Volucrum genus natura sua siccum, humidis tamen præditum esse Oculis ut acutius cerneret: qua etiam de causa Africani, cæterique calidarum plagarum incolæ, magnis ac prominentibus constant oculis, nempe quod pauca humiditas cœli fervore dissolvatur (sic Æthiopum dentes exalbescunt consumpto exiguo eorum humore, & cera Soli exposita exalbescit) humidum vero uberrimum quale est oculorum, à caliditate ambientia non superetur, verum ebulliat potius ac turgescat. *Menjotius.*

97. *Optimum est Lac caprinum &c.*) Si à siccitate fiat, cum vix illud valeat contingere à causa externa, quæ

totum etiam corpus; eadem intemperie afficiatur; ideo remediis atque alimentis humectantibus & analepticis, totum corpus reficiendum est, qualia in febre hectica usurpari consueverunt; peculiariter vero corpus humectandum est balneo aquæ tepidæ & lactis recenter mulcti, quod etiam in oculos frequenter instillabitur. *Riverius.*

98. *Alia ab humiditate*) Repletionem quod attinet, quemadmodum clauso oculo alterius pupilla ob spiritum uberius affluentem naturaliter πλατυτέρα evadit, ac dissecto animali, si ab internis partibus uveam sufflaveris, pupillam cernes fieri πολὺ μείζω, sic morbosus pupillæ πλατυσμὸς, sequitur præternaturalem uveæ impletionem vel à flatibus, vaporibus ac humoribus, sive acervatim sive paulatim eo transmissis; vel à rhagoidis tuberculo, vel ab aqueo humore plurimum augmentato, idque dupliciter, aut proprie, dum à luxuriante facultate θρεπτικῇ ipsamet aquei humoris substantia vere ac physice subaugetur, ad modum fere carnis in hypersarcosi; aut improprie, dum à limpida humiditate, seu à capite, seu aliunde p. n. allabente humor aqueus tumet potius quam augescit. Notandumque in Mydriasi ab aquei humoris incremento nata, res, propter auctam medii interni crassitiem, non ita parvas videri quam in illa quæ ab uveæ siccitate procreatur. *Mensjotus.*

99. *Cujus curatio facilior*) Oculis ingenerata mydriasis putatur ἀνίατος, assumpta autem ἄγαν δυσίατος, maxime si emerita fuerit pluribusque indurata annis, quod membranosum uveæ corpus diutius circumtensum, in antiquas metas vix reduci possit, aut si medicinæ pareat, pristinæ nihilominus ac assuetæ sedis appetens brevi remeet: Materia Mydriaseos est δυσεξάτμιστος καὶ δυσδιαφόρητος, vix evaporat atque digeritur, ob naturalem corneæ densitatem ac momentaneam præsidii moram, ideoque, judice *Galeno* 2. K. T. topicum quodcunque ocularium remedium titulo ac pollicitis dives est, sed effectu sterile. *Mensjotus.* Senes autem, ratione siccitatis, pueri vero, eunuchi ac mulieres, propter madorem proniores sunt ad hunc morbum. *Idem.*

100. *Perficitur præmissis universalibus*) Si fiat ab humore oculum replente, cum ille à capite defluat, etiam caput & totum corpus erit evacuandum, mox humor oculis impactus discutiendus: In usum ducendo remedia pro Suffusione proposita, Quibus tamen succedere possunt quædam adstringentia, quæ pupillam nimis dilatatam angustiorem faciant; In hunc finem valet sequens Collyrium

℞. *Rosar. rubr. sicc.* ℈ij. *croci, spica nardi, cort. thuris āā.* ℈ß. *tuth. prap. spodii, acacia āā.* ℈j. *In pulverem redacta includantur panno lineo raro, & fiat Nodulus, qui infundatur in aqu. rof.* ℥iij. Aqua illa instilletur in oculum frequenter, toties nodulum exprimendo quoties aqua usurpabitur, *Riverius.*

101. *Qui discutiendi sunt*) Post universales vacuationes usurpanda ea quæ flatus discutiunt in toto corpore & ipsis oculis: Qui foveri poterunt *decocto fœniculi, rutæ, anethi, rosar. rub. myrtill. facto in aqua pecul. rosar. cum quarta parte vini albi.* Riverius.

Pupillæ angustia.

102. III. *Pupilla angustia, seu μύωσις, est quando illa* 103. *angustior, quàm naturaliter fieri debebat, redditur.*

104. *Cognoscitur ex eo*, quod 105. omnia majora intuenti ægro videantur, quod species visibiles per foramen angustius illapsæ, in ampliore spacio versus crystallinum dilatentur.

Oritur à Contractione Vveæ.

106. *Curatur* 107. pro ratione Differentiarum,

Dividitur pro diversitate causarum.

Alia est à 108. nimia humiditate, Uveam ab ambitu versus centrum contrahente, cui siccantia, ut Ruta, Chelidonia, remedio.

Alia 109. ab humoris aquei defectu. Tum æger melius videbit in obscuro, quod species visibiles promtius crystallino occurrant, lacte & aqua dulci, capiti admoti, alimentum attrahendum.

Alia à 110. pauciore Spiritus visivi ad pupillam affluxu.

102. *Pupillæ angustia*) Hæc etiam visui officit sicuti dilatatio, quandoquidem moderata pupillæ amplitudo necessaria est ad species visibiles perfecte recipiendas: Sic quando in statu naturali, oculo in loco splendidiori posito, pupilla constringitur ne lumen nimium recipiat, si subito in locum obscuriorem transferatur, res in eo contentæ primo ingressu vix aut parum videntur ob dictam angustiam: postea vero quando pupilla dilatata est, omnia rite percipiuntur, igitur in loco mediocri lumine affecto pupillæ latitudo mediocris esse debet, ut lumen mediocre recipiat ad visionem recte efficiendam: Si vero pupilla debito angustior sit, sufficiens lumen non recipit; ideo in iis qui hoc vitio laborant visio imminuta est: Illi tamen in loco valde lucido recte visionem exercent, quia sufficiens lumen tunc temporis per angustum foramen ingreditur, nisi alii oculorum morbi cum hoc affectu conjungantur. *Riverius.*

[illegible] *Pupilla angustia, seu μύωσις*) Græcis alias [illegible] & [illegible] dicitur, vel etiam sine adjuncto φθίσις, non [illegible] ατροφία, hæc namque non solius pupillæ tabes, sed totius simul oculi in sese subsidentis [illegible] que valle altius reconditi, quomodo oculorum [illegible] vitas inter signa faciei cadaverosæ recenseretur ab *Hippocr. 1. progn.*

103. *Angustior*) Si tam arcte stringatur ut ejus margines fiant contiguæ καλύπτεται ἡ ὄψις visio obliteratur dissoluta inter externum internumque lum[illegible] tione, hinc *Lucretius lib. 3.*

Si tantula pars oculi media illa peresa est
Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis,
Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur.

Sed sæpe sæpius aliqua pupillæ φθινούσης portiuncula, videlicet in ejus centro, pa[illegible] permanet, acus mucronem vix superans, qua ce[illegible] quidem, verum debiliter, nec non depravate ob falso putat objecti magnitudinem. *Mensjotus.*

104. *Cognoscitur ex eo &c.*) Hic affectus sens[illegible] p[illegible] si enim unus tantum oculus afficiatur, alterius [illegible] paratione angustia pu[illegible]æ dignoscitur [illegible] que oculus laboret, [illegible] orum hominum recte se habentium oculos [illegible] piciendo laborantis, pupillæ angusti[illegible] res

res comperiuntur. *Riverius.*

Quoad *Prognosin*, Pupillæ angustia, quæ ab humoris aquei jactura procedit, incurabilis est, quandoquidem ille semel effusus regenerari nequit, præcipue in grandioribus: In pueris tamen aliquando per vulnus effusus regeneratus est: A *siccitate* producta pupillæ constrictio, vix curari potest, Illa vero, quæ ab humiditate fit, in suo principio, & adhuc recens, facile curari potest; Inveterata vero difficillime. *Idem.*

1 5. *Quod omnia majora*) Angustatio nimia, vel imminuta, ut vocant, foraminis quod Pupilla vocatur, visionem vix aufert, cum etiam per angustissimum foramen lux oculum subire, illumque quantum ad visionem sufficit, illuminare possit; Unde & eos quibus ab ortu exigua admodum pupilla contigit, nihilominus æque ac illos qui eam amplam habent acute videre, imo interdum acutius, resque magis distantes animadvertimus: Et quemadmodum per exiguum foramen, minori oculi offensa, Solem intueri possumus, ita illi minus à splendore externo & magna luce quam alii offenduntur: Quibus & cum præ cæteris copiosius ad bene videndum opus habeant, fit ut sub noctem, aut tenebris jam nonnihil ingruentibus minus cernant quam plena luce, estque hæc præcipua *Nyctalopia* illius, in qua ad levem splendorem Lunæ, stellarum, vel accensi luminis, non sufficienter vident, causa; Licet & hoc *cornea*, aut *humorum obscuratione* causa, quia tunc majori quoque luce ut illuminentur opus habent, possit accidere, neque in omnibus Nyctalopis exigua pupilla observetur. *Platerus.*

105. *Quod omnia majora intuemi*) Præternaturalis pupillæ μείωσις non modo visionem infirmat, sed ex abundanti eandem ampliat objecti fallacia φαντάζει deluditque; quapropter ægri minuta scribunt, pupilla namque visibilia veris majora reddente, grandes literas sibi formare videntur, cum interim minimæ sint: Ideoque quemadmodum in πρεσβυωπίᾳ ocularibus opus est convexis, ac ut loquuntur, *ingrossantibus*, sic in μυωπίᾳ perspicilla requiruntur concava, ac, ut aiunt, *minorantia*, ita enim servata proportione pares objectis ac imagines videbuntur, neque defectiores neque auctiores. *Menjotius.*

106. *Curatur pro ratione &c.*) Curatio hujus affectus à præcedente non variat, cum ab iisdem causis producantur, siccitate scil. vel humiditate: quæ intemperies etsi contrarios effectus pariant, modo ante explicato, iisdem tamen remediis auferendæ sunt. *Riverius.*

106. *Pro diversitate causarum*) Siccitatem quidam addunt, de qua est difficultas, siquidem illa inter causas dilatationis pupillæ enumerata est; hæc autem est differentia, cum Uvea tunica exsiccatur, humoribus in debita quantitate permanentibus, tunc facit pupillæ dilatationem, quandoquidem tensionem suam, quam antea habebat, non amittit, sicuti (ut superius dictum) coria tensa, quæ exsiccantur, foramina sua ampliora reddunt: Si vero Uvea tunica exsiccatur, corrugetur & concidat, tensionemque priorem amittat, ob defectum & imminutionem humorum oculi tunc pupillæ foramen angustius efficitur: Et sic constrictio pupillæ a siccitate eadem ferme erit quæ à defectu humoris aquei contingit, quamvis etiam possit fieri sine exsiccatione, dum humore aqueo effuso tunica Uvea con[illegible]t. *Riverius.*

A nimia humiditate) Ab hac fit angustia pupillæ cum ab eadem tunica Uvea relaxatur, & relaxata foramen angustius efficit: Licet enim ab eadem humiditate fiat Pupillæ dilatatio, non tamen contrarii effectus ab eadem causa fiunt: quia ut causa eadem dici possit, debet eodem modo se habere ad suum effectum, at non eodem modo se habet humiditas quando facit dilatationem, eam siquidem efficit replendo & distendendo membranam, angustiam vero efficit relaxando: distendit, quando in illius capacitate continetur; relaxat, quando substantiæ illius imbibitur. *Idem.*

107. *A nimia humiditate*) Humectata rhagoide arctatur pupilla, haud secus ac madidorum cribrorum foramina occluduntur, ac nautæ solent vela madefacere ne ventus præterfluat; Itaque humiditas diverso respectu uveam modo dilatat, modo constringit: hanc enim instar utris replendo, distensionem, relaxando vero angustiam parit: humor sub tunica contentus replet sua quantitate; membranæ autem substantiam irrigans relaxat sua qualitate: Illic Uvea afficitur quatenus est membrum organicum, hic quatenus est pars similaris: Illic humiditas uveam trahit è medio ad ambitum, hic ex ambitu ad medium ipsam adducit, Illic oculi globus paululum tumidior est, hic insolita magnitudine non exurgit. *Menjotius.*

108. *Ab humoris aquei defectu*) Si exhauriatur humor albugineus, rhagoides tunica exinanito interiore spatio proxime incumbit crystallino humori, pariturque ῥύτωσιν, seu corrugationem quæ pupillæ ξήρανσιν necessario inducit, Humor autem aqueus dupliciter imminui absumique potest, Primo propter μαρασμὸν à senectute, aut Veneris abusu contractum; item à febre ardente vel hectica, prægrandi inflammatione, largo ac jugi lacrymarum imbre, Solis ignisve assiduo intuitu, nutricatus defectu, seu culpa partis intemperatæ munus assimilationis non exequentis, seu indigentia materiæ, siccatis occæcatisque venulis alimenti nuntiis ac gerulis, verum has consimilesque causas hic omittimus, quoniam simplex pupillæ tabes non universi oculi marcor perquiritur.

Secundo, deest Aqueus humor propter ipsius effluxum à penetrantibus tunicarum oculi sive ulceribus sive vulneribus, verbi causa, si suffusus oculus ὀφθαλμοτομίᾳ parum dextre terebretur ab Ophthalmotomo, nec non ubi ab impetuosa atque cumulata humorum in oculorum incursione, ejus membranæ cum immani dolore dilacerantur, crepantque quasi mediæ, sicut observatum est ab *Hippocr.* l. de A. A. & L. Qui pupillam à siccitate angustari contendunt, tota errant via, nisi siccitatis nomine intelligant humoris aquei privationem, alias enim Uvea tunica citra ullam aquei humoris jacturam exarefacta pupillam patefacit, cum omnia corpora resiccatione rimas contrahant, sic pingue solum Solibus perustum hiulcatur, sic lingua finditur ardoribus febrilibus excocta, ac telæ siccatæ meatus patentiores sunt Inopia autem humoris aquei, & oculi sphæram humiliorem reddit, & color in confert cæsiusculum: nam paucus humor visui facile pervius est, indeque nascitur, ut ita dicam, cæsietas authore *Aristotele.* Menjotius.

109. *A paucitate spiritus visivi*) Spiritus animalis illiberalius in oculum defluens hujus molem omnino nihil deprimit pupillamque coangustat, ut in periculosa quam extremæ vacuationes & vehementissimi capitis dolores inferunt, imbecillitate, inquit *Author Isagoges cap.* 77. Nec non etiam in convalescentibus, mœstitia tabescentibus, moribundis, senibusque Acherontis summam pulsantibus & occiduam senectam, in quibus omnibus perit oculorum τὸ σφαιρὸν καὶ τὸ λαμπρόν. Notandum autem ex *Galeno* 10. *us.* P. 5. oculis spiritu anim. depauperatis longe minorem

consequi Uveæ φυλλεω & pupillæ angustiam quam aqueo humore consumpto. Sed cur inter pupillæ tabefactæ causas spirituum animalium penuriam recensemus, nec tamen eorum luxuriem Mydriaseos causis adscribitur?

Respondemus illam necessario morbosam esse, hanc vero semper salubrem haberi atque frugiferam, præsertim in opere visionis, quam jure *Plato* alicubi vocavit sumptuosissimam, quod plus spirituum, ut ita loquar, decoquat atque dilapidet quam cæteri quatuor sensus simul. Unde nervi optici inter cerebrales amplissimi sunt, imo, si *Galeno* credendum, manifesta cavitate pertusi, ad pleniorem spirituum commeatum, cum cæteri nervi sint ἄτρητοι atque imperforati: Hinc monoculorum minor est visionis peripheria, sed distinctior minutorum intuitus, pluribus nempe spiritibus per nexum nervorum opticorum ad oculum sanum confluentibus; quamobrem decempedatores, sagittarii, & catapultarii, ad certiorem collimationem alterum oculum claudunt; atque *Aphrodisæus 1. Probl. 59* quærens quamobrem cum bestiola oculo inciderit comprimi alterum prodest, Respondet apertum oculum majore spirituum copia perfusum ad faciliorem rei noxiæ expulsionem corroborari, Proindeque sensus quidem omnes quasi hæredes reciproci sociorum suorum [illegible] ditantur, sed potissimum reliqui sensus desiderato v[illegible] u[illegible] a primogenito fratre, multum detecunt, ex refluxu plurimorum spirituum in cætera αἰσθητήρια Omn[illegible] pupillæ phthisis, propter pauciores spirituum vi[illegible] radios in oculum intromissos, visum quidem [illegible] de die tum de noctem minuit, sed non æquali[illegible], [illegible] interdum diu magis quam noctu, interdum no[illegible] magis quam divisionem obtenebrat, ac pro causarum diversitate nunc hanc nunc illam affert Nyctalopiæ [illegible] ferentiam. *Menjotus.*

108. *A pauciore spiritu visivi*) Ex spirituum [illegible] vel paucitate fit angustia pupillæ, quando ob [illegible] ctionem nervi optici, aut aliam causam, spiri[illegible] non potest confluere ad oculum qui eo[illegible] tum tunicarum tensionem conservat, eoque deficiente illæ laxantur & concidunt, unde pu[illegible] evenire solet: Hoc apparet in valde [illegible] in [illegible] pupilla angustior efficitur propter spiritu[illegible] defectum. *Riverius.*

Cap. XLII.

De Suffusione.

109. Suffusio, seu ὑπόχυμα, 110. est pupillæ ab 111. humore ea parte 3. in oculo consistente, visionem impediens obstructio.

112. Signa pro ratione principii, augmenti & perfectionis, diversa sunt, & separatim in differentiis exponentur.

113. Causa, 114. seu sincerus, 115. humor, seu mistus; seu ibidem collectus, 116 seu per venas tunicarum, uveam tunicam 117. vel nervos 118. transmissus.

119. Colligitur inprimis 120. in magnis & prominentibus oculis: quia in magno spacio virtus diffusa infirmior est, & viarum laxitas facilem aditum præbet.

109. *Suffusio*) Arabibus *Aqua*, dicitur vulgo *Cataracta*. Auctores quidam hæc nomina inter se distincta esse volunt, ut varios hujus morbi gradus significent: Incipiens enim affectus, in quo levis quædam visus obtenebratio contingit, *Suffusio* ab iis nominatur; cum vero ulterius progressus est morbus, & aliquid in pupilla collectum aquæ instar apparet, *Aquam* peculiariter nominant: Cum denique in pupilla materia omnimode concreta est, visionemque prorsus aufert, *Cataracta* ab us nuncupatur. *Riverius.*

110. *Est Pupilla ab humore ea parte &c.* Fit Suffusio ex serosi, vel pituitosi humoris, in illud spatium quod inter Corneam & Crystallinum est affusione; Cum autem in illo spatio humor Aqueus contineatur, jure merito inter Aquei humoris affectus recensetur. *Riverius.*

111. *Humore ea parte*) Subjectum est Oculus, quandoquidem vero juxta bulbi ὁμοιομερῶν consideratus, nonnisi subjecti adæquati rationem obtinet, ulterius [illegible] inveniendum; *Pupillam* appellat definitio, simulque illud Uveæ tunicæ foramen, quod *nigrum* [illegible] alias dici solet, primo intuitu ostendit ut in eo partem [illegible] Suffusionem primario affectam contemplemur, Ne[illegible]ue enim aliam ob causam hæc Tunica in centro quasi oculi sic perforata est quam ut ὄψιν exhibeat, qua[illegible] no[illegible] [illegible]usa, h.e. a crassiori humore, *aqueo* præ[illegible] obstructa, [illegible] oboritur. Non obscure jam [illegible] ub[illegible] [illegible]c [illegible]udens hanc *fenestram* obstacul[illegible] [illegible] *humoris* mentionem fecimus: *Ga*[illegible] V.P. [illegible] inter *humorem crystallinum* & [illegible] Item 1. *de Caus. sympt.* Humo[illegible] [illegible] pro sede illu[illegible]; Quæ *Rolfinkium* movit [illegible] ut crystallinum calculo suo approbaret. Eadem quoque fecit ut id ita e[illegible] perpetuo affirmare non fuerit a[illegible] tam variam enim δίαθεσιν p.n. in brutis ocul[illegible] privans, observavit, ut satis mirari non potuer[illegible] venit nempe ut Suffusum si quis oculum inspiciat [illegible] aliquid de *materia* ipsa, quin & *de sede* ejus [illegible] determinare queat, quod si vero postmodum ip[illegible] et Oculus [illegible] cetur, certius multo rei ver[illegible] obtineatur, H[illegible] non inficiemur posse etiam *vitreo* & *crystallino* humori materiam suffundi alienam, eam tamen rarius in *illo*, rarissime in *hoc*, plerumque autem in Aqueo observari, cum *Plempio* arbitramur, Quam quidem [illegible] tum *Ratio*, quæ humorem *aqueum* [illegible] æ cæteris flu[illegible] esse, adeoque extranea re[illegible] us [illegible] urget, tum *curatio*, quæ immissa prope [illegible] ea non ita profunde acu obi[illegible] [illegible] que [illegible], ostendit, abunde confi[illegible]

A. In Oculo consistente) Inhærentem [illegible] condensatumum, una cum istius actuali ad *foramen pupillæ translatione*, formalem *causa proxima* ratio[illegible] ducere statuimus, Sive [illegible] condensatio [illegible] *alieno*, sive *debilitati propria* [illegible], vel [illegible] tanquam causis [illegible] in co[illegible]ionem cuju[illegible] utplurim[illegible] tenuis) membranulæ conspirant [illegible] deb[illegible] rum non ignoramus quæ ex *Platero* [illegible] argumenta afferuntur ab [illegible] qui [illegible] humoris ad ocul[illegible] [illegible] delapsum [illegible] eunt, sed præsto [illegible] vena quæ [illegible] nodos [illegible] *Concreti* [illegible] *aquei* [illegible] non [illegible] quidem quoad *totum*, sed quoad *partem* [illegible]gendam

gendam *viscosi humores*, & quæ in aquis *nativis* pariter ac arte *destillatis* observantur condensationes, aliaque experimenta ?ia confirmant, ut illam in dubium vocare non licest. *Idem.*

[1] *Obstructio*) Quæ generis in definitione locum obtinet, Etsi vero conformationis vitium nobis digito quasi monstrat, tamen adhuc utrum Suffusio morbus *in via* in numero sit? sub judice lis est, Dum huc cum *Galeno* plurimi propendent, *Plempius l.5.Ophth.c.9.* eos qui Suffusionem semper *obstructionem*, seu *morbum in via* nominant, circumspecte dicere judicat, cum quomodocunque, & undecunque orta sit, eo nomine possit comprehendi, & sub hac potissimum ratione actionem animalem impediat; Idem docet *Sennertus* ob foramen uveæ obstructum, species visibiles in oculum admitti non posse asserens: Quidam cum *Paulo*, humoris concretionem, loco generis substituunt, ea ratione qua *calculus* morbus est, At ista concretione non tam affectus natura quam causæ generatio exprimitur. *Straussius Pal. med. Gymn. 19. Tom. 1.*

[12] *Signa &c.*) Diagnosis hujus affectus primo dirigenda est ad *Legitimam* suffusionem *à Spuria* distinguendam: Vera alterum tantum oculum occupare solet, aut si utrumque, non tamen simul nec similiter, quod in spuria accidit 2°. in Legitima tenebrosum quiddam in pupilla apparet, quod in Spuria non contingit, Hoc tamen signum perpetuum non est, si enim à tenui & seroso humore generetur, cum ille humor aqueo fere crassior non sit, nulla immutatio in oculo apparet. Quo decepti plerumq; Medici, eam Suffusionem plerumq; non agnoscentes, Guttam Serenam esse existimant, cum nempe nullam in pupilla mutationem percipiant.

Sed facile distinguitur hæc Suffusio à Gutta Serena 1. quod in hac visio vel abolita aut valde imminuta est, nulla in oculo læsione apparente; contra vero in Suffusione, quæ sensui non patet, est levis tantum visus imminutio, quia humor serosus, à quo illa producitur, tenuis est & diaphanus, ita ut à speciebus objectorum vitri instar penetrari possit.

2. Ex eo quod ut plurimum in Suffusione visio in omnibus Pupillæ partibus æqualiter non læditur, sed objecta aliquando directe oculis opposita, aliquando versus angulum collocata, melius videntur, quia nimirum major est ut plurimum humoris crassities, vel tenuitas, in una pupillæ parte quam in alia.

3. *In vera Suffusione* symptomata sunt continua, nec ulla habent intervalla, In *Spuria* vero per intervalla augentur & remittuntur, prove vaporum anathymiasis, major vel minor ad cerebrum effertur; Sicque jejuno stomacho multo minora sunt quam eo cibis repleto, præcipuè paulo post pastus, tunc enim major vaporum copia sursum attollitur: qui vapores ad oculos translati muscas, culices, aranearum telas, & alia hujusmodi corpuscula visui quidem repræsentant, non continuo, sed tantum per intervalla quædam: Quæ quidem exigua corpuscula, in aëre repræsentata, à vaporibus dependent, ut ante dictum est, attamen, quia dum oculi à vera Suffusione debilitati sunt, continua fere fit ad eos oculorum transmissio, ideo continua est propemodum hujusmodi corpusculorum in aëre volitantium apparitio.

Præterea in vera Suffusione visus obtenebratio, qua omnia objecta, velut per nebulam aut vitrum densum conspiciuntur (quod est proprium symptoma [illegible] p[illegible]hognomonicum hujus affectus) continua [illegible] semper eodem modo se habet. In spuria v[illegible] Suffusione, nunc major, nunc minor, & aliq[illegible] fere nulla est visus obscuritas, prove vapores v[illegible]jori copia, vel minori, vel nullo modo transferuntur ad oculos. Denique vera brevi tempore incrementum suscipit, & plerumque intra sex menses confirmata evadit, Interdum etiam paucis diebus crescit, & refert *Fernelius* Pathol. 5. 5. consummatam uno die subortam, quod nobis etiam non semel videre contigit. Spuria autem per multos annos sine incremento perseverat. *Riverius.*

Distinguendum est inter Suffusionem & Glaucoma, Hoc enim tale Humoris Crystallini vitium est, quando ex perspicuo obscuratus, & albedine fusca inquinatus est, quod vitium senibus tandem naturaliter accidere solet, *Emmuller.*

[113] *Causa humor &c.*) Humor pituitosus præcipua est ac magis ordinaria Suffusionis causa, alii tamen humores, exigua saltem portione ei commisceri possunt; Et si bilis misceatur, citrina; si melancholia, nigricans suffusio apparet. *Riverius.*

[114] *Humor*) *Paracelsus* dum Cataractam ad eos refert morbos qui ex materia oculorum producuntur, atque *libro de Tartaro*, Tartarum viscosum & glutinosum accusat, à *doctrina* humorum non tam longe, ut aliis persuasum vult, abire videtur, Neutiquam enim diffitentur saniores Chimiatri, semotis istis speculativis detorsionibus, Tartarum istum glutinosum in pituita Galenicorum viscida latere, Unde etiam *Sylvius de le Boë* hunc in suffusione accusare nullus dubitat; Idem de aliis, qui mediante *salis* vel *sulphuris coagulatione* nodum hunc solvere conantur, haud immerito dixeris, quorum loquendi modos quotiescunque cum veritate rei conveniunt lubenter adhibemus. *Straussius.*

[115] *Seu sincerus, seu mistus*) Peccans humor interdum est sincerior, interdum vero varii eidem succi permiscentur, cum autem humores serosi ac tenues per se non iam facile succrescant, crassos potissimum pituitosos, & ex parte viscidos, antiqui non modo, verum eti[illegible] moderni, in vera, præsertim Suffusione accusare solent, In *spuria* vero *Vapores* utramque fere paginam implent, Interim plerumque spuria Suffusio, legitimę complicatur. Hinc plerisque Suffusione laborantibus hebetiorem statim ab ipso pastu potius quam elapsis aliquot horis visum esse experientia confirmat. *Straussius.*

[115] *Causa humor seu sincerus &c.*) Ortum habet hic affectus ex pituita viscidiore, melancholiæ nomine vulgo veniente, à quacunque causa genita, hinc & attenuata, sanguinique confusa, & una cum ipso ad oculos per arterias delata, & in humore Aqueo imprimis hærente, ipsumque obscurante, donec tandem magis magisque accrescens, iterúmque concrescens ac coagulata circa pupillam constituentem uveam, vel ex parte, vel in totum lumini externo, ac imprimis speciebus visibilibus transitum deneget, sicque cæcitatem tandem inducat; Pituitam hanc generant alimenta similia, tristitia, metus, Commovent, ira, æstus vigiliæ protractæ, corporis motus vehementior &c. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 6.*

Nos diu multumque perscrutati, & longa observatione *Suffusiones* innumeras, earumque principium, augmentum & punctionem propius contemplati, ab *aqueo humore tenacitatem aliquam adipiscente* causam hujus mucoris proficisci deprehendimus, Ille enim, cum ab ortu tenacior existat (nam & hoc vitium recens nato secum in lucem attulisse, aut mox illis supervenisse sæpe vidimus) vel ætatis decursu in senio exiccatus, vel à morbis calidissimis, post febres ardentes, aut oculorum inflammationes, aut calorem externum vehementem, in illis qui ad ignem sedendo, eumque intuendo pleraq; munia obeunt ortus; vel collyriorum nimis calidorum & siccantium usu, aqueus humor inspissatus viscosiorque, ut dictum, factus, membranæ hujus foraminis, quod continuo alluit, margini sensim accrescit,

NNnn

atque ea sede, qua foramen illud opplet, sicuti in pulte cutem dictam nasci cernimus, paulatim concretus ea ratione, ut ostensum, induratus, splendorem amittit, & successive, sed longo tempore, in pelliculam conversus visionem tollit, Quæ si deprimatur, portione aquei humoris reliqua, cujus superficiei innascebatur, pellucida adhuc existente, visus statim redit; Sin & ille quoque jam luciditatem nimia exsiccatione amisent, uti frequentissime accidit, licet superficies illius detracta sit cæci nihilominus maneut, & ob id frustranea fuerit Oculistarum operatio. *Platerus*. Vide §. supra *Straussii* censuram §. *In Oculo consistente.*)

Causam mediatam proximiorem constituunt *Humores & Vapores* in sanguinea potissimum massa stagnantes. Hinc una quoque nocte Suffusionem fieri naturaliter posse nemo non videt qui *pondus* humorum, sive sanguinis; trutina circulari expendit, inquit *Schenckius in Inst. med.* Testaturque *Fernelius de Part. m. & sympt.* se vidisse omnino consummatam uno die Suffusionem congeri, Id quod tamen plerumque tantum de subita humoris jam condensati ad foramen pupillæ translatione accipiendum esse merito judicat *Sennertus*, quandoquidem tam crassam materiam semper in momento quasi generari vix possibile videtur. *Straussius.*

Causa est materia illa, unde in suo esse conservatur *Humor aqueus*, quæ impura reddita perspicuitatem humoris aquei tollit. Hæc ipsa materia, si particulis excrementosis referta, ita ut hæ tandem in membranam concrescant, quæ pupillam vel in totum vel ad partem obtegat, Suffusio oriri solet. *Ettmuller. T. 2. Pr. p. 371.*

116. *Seu per venas tunicarum*) Non illud hoc loco premam, quod *venæ* sanguinem revocent, impingant autem eundem Oculis *arteriæ*: Hoc quod pluris est non sileatur, *Arteriæ & Venæ*, illa fistulata conceptacula sanguinis, in utraque *membrana cerebri* extant oppido quam multæ. Hisce humorem emittentibus, quo pacto is rursus cogi poterit ut recta via tendat ad orbiculos oculorum, cunctusque illius loci tractus inæqualis est & valde præruptus. *Sennertus* ait venis internis, & meningibus stillantibus, aliam fluxionem supervenire; Quo pacto *venæ cerebri*, ac cerebri meninges conjunguntur? Si venæ ejusmodi liquore sudant, is non ad oculos tantum sed & ad alias partes derivari poterit. Ac si membranæ cerebri sub frontis osse evoment liquorem in oculos, evoment & sub osse occipitis in magnum capitis foramen, quod explet spinalis medulla. Cur antica meningum cerebri portio duntaxat madescet? cur non simul postica? aut cur hæc tam raro, aut potius nunquam? *Schneiderus cap. de Ophthalmia; quæ & ad Suffusionem transferri possunt.*

Ab humoris influxu omnes fieri censent, huicque avertendo curam omnem frustra accommodant, & proin hunc affectum alii *catarrhaliam*, alii *Aquæ descensum* in oculos vocant, quod tamen nec ratione ulla probari nec demonstratione ostendi potest? Primum enim si ab *aqua*, vel humoris in oculi globum fieret affluxu, non hæc exigua tantum, & vix lentis instar ampla nasceretur materia, sed oculi globus totus distentus & velut hydropicus tumeret. Quin quod nullum spatium inane in oculo invenitur quod aquam hanc possit admittere, cum totus undique propriis humoribus, ab ortu in eo natis, adeo repletus & distentus sit, ut ne guttulæ quidem alienæ locus supersit, aut Cornea ulla ratione amplius distendi dilatarive queat: Dein & per quam viam non per venas & arterias; at nullæ oculi anteriora [illegible] *Platerus*. Viæ sunt *Arteria & venæ*. Appareat illæ [illegible] erumque in strangulans c[illegible] poribus, dum constr[illegible] circa collum venis, etiam tenuia [illegible] angu[illegible]gent, ita ut peregri[illegible] humoris affluxus ad oculi interiora negari neutiquam possi[illegible] *Straussius.*

117. *Vel nervos transmissus*) Hæc via difficultatis plena est, plena & periculi; Si humor per medium nervi corpus viam facit, alia mala producit quæ prodit *Grassius*, Qui hoc *affectu*, ait, *tentantur*, *juxta oculorum radicem ardorem ingentem habent*, pervigiles sunt, & circa oculos *flammulas quasdam & igniculos sentiunt.* Addit *Zecchius*, Præterquam quod & *Græcorum*, & *Latinorum*, & *Arabum* plurimi hujus transitus non meminere, si fluxi[illegible] opticos in oculum erumperet, utique affectus al[illegible] quoque oculo jam communicaretur, cum horum [illegible] vorum unicus sit consensus etsi enim [illegible] diversis cerebri partibus ortum habeant, alter à dextra, alter à [illegible], dum tamen descendunt in medio fere itinere inter [illegible] coeunt, ac mutuo coalescunt, postea diducuntur, & dispertiti ad suum uterque oculum distribuitur & [illegible] *Hactenus Zecchius.*

Præterea nervi optici ex imo intimoque [illegible] ro nas[illegible]cuntur, Nunquid inde excurrentes cereb[illegible] no[illegible] em imbibunt? Annon hic potius eorum in co[illegible] m arcto subtiliterit? Ac si ipsum nervi optic[illegible] tunicæ [illegible] ab[illegible]ent, q[illegible]o hæ pacto eum in Oculos conferent, sic ut il[illegible] ut[illegible] exstillet, utque & ipsa vascula sanguinis q[illegible] in [illegible] oculi errant, ab isto humore intacta, tam cit[illegible] tu[illegible], tantumque publicent sanguinis? Cur non i[illegible] [illegible]cebri liquor cadet, his nervis aut inter ipsum cereb[illegible] aut intra oculi orbitam adhuc consistentibus Mad[illegible] cunt potius meninges cerebri intimæ, potiusque oculorum musculi ista pinguedine referti. Sin humor ex i[illegible] ma nervi optici medulla provolvitur [illegible] is in cavum oculi conferetur sic, ut per corneam tunicam & scleroticam haud penetrare queat, Indeque multo graviores oculorum morbi fient. Nec affectus unquam sine Gutta serena erit. *Schneiderus l.c.*

Per *opticum nervum*, aiunt fluxum fieri egregium sane subterfugium, partem tam nobilem exc[illegible] menus hisce defetendis aptam statuere per quam præter æthereum illum spiritum animalem transi[illegible] nih[illegible] potest; sed fac humorem illum per nervum hunc descendere, quo modo obsecro, ad pup[illegible] foram[illegible] pervenire poterit? cum nec retiformis nervus cavitate sua, quæ vitreo humore pe[illegible] pleta est, [illegible]um possit admittere, nec uveam, quæ [illegible] ambitu undique corneæ ciliaribus processibus [illegible] n connata est, pertransire possit. *Platerus.*

118. *Transmissus* Humor Aqueus [illegible] sua naturali constitutione dejicitur, cum quanti[illegible]te vel qualitate peccat *Quantitate*, c[illegible] r vel am[illegible]tur præter modum, & Pu[illegible] tationem [illegible]ut constrictionem efficit. *Qualitate* dum [illegible] rassior fit id quod ab humore extraneo in eum effuso con[illegible]t. Licet enim *Galenus 1. de symp. causis cap. 2* ab ip[illegible]us humoris condensatione fieri interdu[illegible] uffusionem doceat, sine humoris excremen[illegible] n quia rarissime id contingit, & [illegible]us quam artis usu dignoscitur; & si ta[illegible]ur protinus incurabilis est, illa omissa, de ea[illegible] humoris excrementitii affluxu agendu[illegible] *Riverius.* Vide §. *116. Seu per venas tunicarum.*

119. *Colligitur imprimis*) Licet ut [illegible] lurimum Suffusio per fluxionem fiat, potest ta[illegible] aliquando per co[illegible]ionem fieri, quando nimirum oculi nutrimentum probe non immutatur, & facultas e[illegible]trix debilis, illius residua excrementa suffi[illegible] non expurgat, ita ut sensim congesta circa p[illegible] excrementa suffusion[illegible] efficiant. In qu[illegible] etiam humores plerumqu[illegible] befactantur & [illegible] affectus producuntur *Riverius.*

120. *In magnis & prominentibus oculis*) Humor [illegible]

oculos confluere solent quando aliqua debilitate affecti sunt, seu nativa seu adscititia. Ad nativam debilitatem pertinet oculorum prominentia, qui enim tales oculos habent, suffusioni obnoxii sunt. Oculi siquidem prominentes magni esse solent, atque adeo virtus diffusa in iis debilior est; Tum etiam magni & prominentes oculi humores & vapores facile suscipiunt. Debilitatem vero adscititiam faciunt causæ externæ, ut ictus, contusio, balneum, austrina & pluviosa constitutio, insolatio, fumus, lectio assidua, præsertim ad lucernam, & alia hujusmodi; quæ etiam causæ humorum fluxionem ad oculos commovere possunt. *Riverius.*

Curatio est [121]. *Difficilis*, si præsertim ex febre, aut vehementi capitis dolore accidit, si in pueros vel senes incidit.

Nulla, si suffusio est nigra, si æger lumen non cernit.

[122]. *Perficitur* I. [123]. *Materiæ obstruentis* [124]. *eductione* per [125]. purgantia [126]. phlegmagoga, *hieram* præsertim & *electuarium diacarthamum*, quibus præmitti præparantia possunt.

II. *Ejusdem* [127]. per cucurbitas, vesicatoria &c. *revulsione*.

III. [128]. *Ejusdem* per Topica, emollientibus permista *Discussione*, & Oculorum extersione. [129]. Laudatur *Aqua* [130]. *Ioëlis*, Remedium Bovii *ex* [131]. *fellis galli unc. ß. sanguinis muris dr. iii. ß. cum lacte muliebri.* [132]. *collyrii instar compositum.* Vel *Aqua stercoris humani elambicata, cum felle mustelæ & leporis, saccharo candi rosato, & margaritis præparatis.*

IV. *Chirurgia*: de qua authores videri debent.

[121]. *Curatio est difficilis*) Prognosis hujus affectus pro variis illius temporibus varie statuenda est. Incipiens enim, in qua ægri objecta possunt discernere, eaque per nebulam conspicere videntur, curabilis est, ex *Galeno 14. m. m. c. ult. Celso. l. 6. c. 6.*, quæ tamen sententia restrictione indiget, modo sc. æger in ætate florente fuerit, in senibus enim curabilis non est, & si oculi ex nativa constitutione debiles fuerint: Nos enim nonnullos initio, etiam quinquagesimum annum prætergressos, sola evacuatione universali, diæta sudorifica & vesicatorio, sine ulla topicorum applicatione, intra xv. dies curatos vidimus.

Curatio autem felicius succedit in aëre calido & tempore æstivo, quia pori aperiuntur, materia morbifica mobilior & obsequentior redditur, ita ut sponte sua ad alvum deferatur; qui motus quantum momenti habeat ad hujus morbi solutionem docuit *Hippocr. 6. aph. 16. Lippientem alvi profluvio corripi bonum.*

Suffusio confirmata in qua materia jam concreta est, discuti medicamentis non potest, & sola compunctione curabilis est. Hæc tamen operatio tuta non est & sæpe male succedit, vel enim uvea tunica laceratur, vel ex dolore & inflammatione nova fluxio in oculum, jam diu debilitatum influit, & alia contingunt incommoda quibus visio in perpetuum aufertur. Cum tamen aliquando succedat hæc operatio, tentari potest in iis quibus nulla alia curationis spes superest, satius enim, ex *Celso*, anceps experiri remedium quam nullum.

In *Confirmata*, si altero oculo clauso pupilla dilatetur, curatio per acus immissionem sperabilis est. Si vero non dilatatur, visus nunquam recipitur, ex *Galeno de sympt. c. 1.* quia nervus opticus obstruitur, & spiritus ad pupillam, licet aperta foret, penetrare nequit. Licet autem altero clauso pupilla dilatetur, æger acu immissa visum non recipiet, si lumen non percipiat, quia spiritus Visivus turbidus & obscurus redditus est, atq; adeo visioni ineptus.

Suffusio nigra, & omni splendore orbata, neque medicamentis, neque Chirurgia curari potest, quia spiritus visorii destructi sunt. Pellucida vero, & splendorem aliquem ostentans, curabilis est.

Curationem etiam plerumque non admittit viridis, obscura, & multum citrina, dura, & quæ hydrargyrum colore & mobilitate repræsentat. *Suffusio* quæ *fenestrata objecta* repræsentat, tentanda non est, cum enim materia in centro pupillæ consistat, periculum est ne acu [illegible] ... tota pupilla impleatur, & integra visionis jactura fiat.

Operatio quæ per acus immissionem fit felicius succedit in oculo pleniore & naturalem magnitudinem servante: si vero oculus minor & marcidus evaserit, succedere non potest.

In senili ætate prædicta operatio tentanda non est, quia incurabilis, nec in puerili, quia humor mollior est & non satis maturus, Curationi aptissima ætas juvenilis & consistens.

Si operatio exerceatur cum oculo digito compresso suffusio nonnihil defluit, & latior aliquantulum apparet; postmodum vero ad pristinam magnitudinem & figuram revertitur, non succedit, quia suffusio nondum matura est, sed adhuc tenuis & cruda. Si vero digito compressa nullam patiatur figuræ mutationem, matura est & acu decuti potest.

Notandum tamen istam, quam vocant maturitatem, seu concretionem, moderatam esse debere, ut deponi facile possit: debet enim esse instar pelliculæ, quæ acu circumvolvitur, & ad inferiora oculi deponitur, si enim crassior & solidior sit, decuti non potest, quod inde noscitur quod gypsi aut grandinis speciem colore præ se fert: contra quæ mediocrem maturitatem nacta est, colorem cœli aut maris ferri aut plumbi non admodum nigri repræsentare solet. *Riverius.*

[122]. *Perficitur*) Curata Suffusione, sive resolventibus medicamentis, sive operatione Chirurgica, prophylaxi per longum tempus incumbendum est, quia recidivæ maximum est periculum: Oculi enim ex longo affectu debilitati admodum dispositi sunt ad fluxiones è cerebro denuo recipiendas: Idcirco purgationibus usualibus incumbendum est: fonticuli ad fluxionis aversionem continuo gestandi, & oculos roborantia frequenter usurpenda, ut in Guttæ serenæ curatione ostensum. Quibus addi potest ablutio oculorum, quæ singulis diebus mane usurpanda est sic, Ab exitu lecti masticetur semen fœniculi aliquandiu, deinde os vino repleatur, eoque vino tantillum in ore calefacto abluantur oculi, donec acrimonia sua eos vellicet, & dolorem aliquem inferat, qui cessante ablutione statim etiam cessare consuevit. Præterea visui conservationi plurimum conferunt specilla, quæ objecta prout naturaliter se habent, nempe neq; majora neq; minora repræsentent. Nec non utile est per vices specillis viridibus aut ceruleis visum recreare. Ac deniq; ea omnia vitanda quæ visui nocent. *Riverius.*

[123]. *Perficitur I. materia &c.*) Curatio non solum ad causam conjunctam, sed etiam antecedentem dirigenda est, atque ita 1. totum corpus, & præcipue cerebrū exacte evacuandū est; mox humor pupillā obstruens discutiendus, aut alio quovis modo amoliendus est. Quæ indicationes eædē ferme sūt quę ad Guttæ Serenæ curationem

propositæ, quoad remedia, victus rationem totius corporis vacuationem, humoris peccantis revulsionem, & capitis atque oculorum roborationem. *Riverius.*

[121] *Curatio perficitur 1. materiæ obstruentis*) Curatio hujus Affectus spectat eundem, dum vel *producitur*, vel jam est *productus*. Initio quidem ubi halitus duntaxat in oculis observantur, laborandum, tum ut nulli amplius eo deferantur, tum ut qui eo jam penetrarunt, inde rursus removeantur & solvantur. Nulli deferentur ad oculos si causa materialis ac efficiens corrigatur aut tollatur.

Corrigetur materialis causa, pituita viscida, incidentibus & attenuantibus, uno verbo sale volatili præditis, *radic. fœnic. apii, valerianæ, chelidon. mai. &c.* Herbis *euphras. majoranæ, ruta* &c. semin. *fœnic. sil. mont. carvi* &c. *Oxymel.* tam *simpl.* quam *comp. & scyll. Syr. fœnic. absynth. stoech. byzant.* Tolletur eadem per phlegmagoga tum vulgaria, tum chymica, mercurium præsertim quovis modo præparatum, E. g. sint Pilulæ sequ. variis indicationibus satisfacientes.

℞. *G. Galbani cum aceto scyll. præpar.* ʒj. *mastiches el.* ʒß. *castor. opt. myrrh. rub.* āā. ℈j. *carabes albæ gr.* xv. *croci el.* ℈ß. *aloës rosat.* ʒß. *troch. alhandal.* ℈j. *ol. fœn. stillat.* gr. vj. m. f. *Pilulæ 50. deaurandæ.* Harum accipiat æger alternis diebus, una vel altera post modicam cœnam horarij. iv. vel v. ut sequenti die semel alvum deponat. Satius enim est & tutius per epicrasin corrigere, & simul minuere causam morbificam, quam vehementer ipsam agitando ægrum in gravioris mali discrimen conjicere.

Corrigetur *Halituum* efficiens causa Bilis acrior, medicamentis mediocriter acidis, & imprimis *Nitro*, in quo aliquid sulphurei continetur, quo spectat *semperv. majus, plantago, solanum, endivia* &c. Si bilis acrior copia peccat, vacuetur per cholagoga, rheum, tamar. tartarum & similia blanda. Discutientur Halitus in tenui excitati, sumptis quotidie, eorum præsertim productionis tempore (vacuo utplurimum ventriculo) medicamentis sale volatili ac præcipue oleoso abundantibus, quæ & interna sumpta, & admota juvant. Notum enim mihi per experientiam, Volatilem salem, sufficienti aquæ quantitate dilutum, & oculis applicatum discutere tandem oculis halitus conclusos, sicque humores ipsorum ac visum clarificare. *Fr. Sylvius ib.*

[122] *Perficitur*) *Specifica* etiam requiruntur. In quorum magno apparatu (ubi fere pronissis dives quilibet esse potest) *Euphrasiam* merito extollit *Fabr. Hildanus p. 1003.* Proximeque accedunt ad hanc laudem *Chelidon. Valeriana, Fœnic. Rosmar. Beton.* idque genus alia. Verbo ut dicam, pleraque *cephalica*, dum vel humores & vapores impuros discutiunt, vel spiritus & nervos roborant, simul ophthalmica evadunt. *Straussius.*

Secretum præstans quo plures à Cataracta sanati sunt.

℞. *Liquir. rr. galangæ* āā. ℥ij. *sem. fœnic. sileris mont. petrosel.* āā. ℥j. *rutæ siccæ, eufras. sicc. amomi, carpobals. turbith.* āā. ʒij. *senæ* ʒiij. *piper. longi* ʒj. *cinnam. nuc. mosch. c. c.* āā. ʒj. *aloës hepat.* ʒj. *sacch. tabarzet q. s. f. Elect.* Dosis coch. j. ex vino calido. Post aliquot dies utatur ungu. ex *felle hominis* &c. vide §. *Topica*) *Ortolphus Maroldus Pr. p. m. 58.*

Suffusionibus depositis, ne rursus generentur, mirifice valet hoc *Electuar.* si frequenter utantur.

℞. *Oliban.* ℈ij. *caryoph. nuc. mosch. nuc. Indica, galangæ* āā ℈ß. *Castor. opt.* ℥j. (ʒj.) *f. Pulvis, & cum melle Electu.* detur quantitas nucis avellanæ mane & sero. *Eustach. Rudius Art. Med. l. 1. c. 29.*

[123] *Materia obstructionis eductione per &c.*) In morbo desperato Inunctionem ex hydrargyro excogitavit *Fonseca consult. 10. libr. 1. Aliquando cogitavi inunctione argenti vivi, ea ratione quæ adhibetur in morbo Gallico, ubi humorum residua visionem impediunt, sed etiam in non Gallicis: Isto remedio caput ita expurgari poterit ut dissolvantur vestigia cataractæ, & aliquando experiri decrevi.* At memoranda observatio *Alex. Traliani Petronii*, qui l. 5. de morbo Gallico, *Quidam*, inquit, *qui antequam morbo Gallico afficeretur, altero oculo cæcutierat, suffusione densissima, (Cataracta) oculum occupante, Hydrargyri inunctione à morbo Gallico, & à suffusione, quod maxime mirum est, evasit. Neque à ratione alienum est inunctione illa Cataractas posse dissolvi, cum frequens experientia doceat praduros tumores ex pituita crassa & concreta genitos, illitu hydrargyri potenter dissolvi.*

[124] *Eductione*) Præter purgantia conducunt *Diaphoretica* & *Diuretica*, quippe quæ sanguinis massam (quod summe necessarium est) puriorem reddunt. Hæc inter accidunt *Tinct. Antimon. Tartari, Decoct. rad. Chinæ, rad. pimpin.* &c. quorum tamen usus cum natura ægri conferendus est. *Straussius.*

[125] *Eductione per purgantia*) Ut corpus purum & mundum ab excrementis sit, bona *victus ratione* & *evacuantibus*, prò ratione *plethoræ* vel *cacochymiæ*, si quæ adsint, procurabimus, sic enim omnis curatio rectius procedit; Et licet hic plerique Practici multis evacuationibus corpus mire, in *suffusione* præsertim, quam existimarunt aquæ esse descensum in Oculos, macerent tam per *alvum* quam per *sudores*, & per *os* & *nares* factis evacuationibus, item *scarificationibus, cucurbitularum applicationibus* & *frictionibus*, dein & per *cauteria, setones* factis *revulsionibus* & *derivationibus* &c. Nos tamen qui causam horum in oculo consistere, & defluxionem aquæ in oculi capacitatem ferri minime posse demonstravimus, hæc sine fructu, nisi quatenus corpus purum servare possunt, in corporibus administrari multoties vidimus & experti sumus: Sufficiat itaque corporis per idoneam diætam & evacuationes decentes præparatio. *Platerus.*

[126] *Per Purgantia phlegmagoga*) Purgantia, si aliquando, vel quia corpus alioquin evacuatione opus habet, vel ratione ventriculi, à quo vapores elati visui quoq; incommodant, vel alias ob causas potius quam ratione morbi in oculo, qui per se purgantia minime requirit, exhibere necesse sit, fiunt pro ratione cacochymiæ redundantis. Præcipue tamen ea eligenda, quæ Oculis appropriata sunt, uti *sena*, quam tota propriet ate visum reficere assumptam admotamq; ferunt. Item fumaria, quæ visum clarificare dicitur. E. g.

℞. *Fol. senæ*, ℥j. *fumar. sicca* ℥ß. *epith.* ʒij. *euphr. chamædr.* āā. ʒiß. *sem. fœn.* ʒij. *siler. mont.* ʒj. *flor. anth. flor.* āā. ʒj. *fiat decoctio in sero capr. Infunde rhab.* ʒij. *cinnam. spicæ, piper. longi* āā. ʒß. vel in pituitosis, *agar. turbith.* āā. ʒiß. *rr.* ʒß. *salis ammon.* ℈ß. *fiat expressio, adde syr. de fumar. & rosf. solut.* āā. ℥iß. *f. Potio* pro duabus vicibus.

Juniores *dilutum solum senæ & fumar. rec. cum sem. fœnic.* in sero caprino bibant per aliquot dies. *Platerus.*

Phlegmagoga) Fortioribus etiam compositionibus utuntur, utique *phlegmagogis* fere, quia omnes illos affectus putarunt à fluxione pituitæ profectos. Quæ si alioquin in capite redundet, & nervosum genus simul incommodet, usurpari possunt; Ejusmodi *Pilulæ lucis, Arabicæ, Elect. Indum*, aliaque visui præsertim accommodata. *Platerus.*

[127] *Ejusdem per cucurbitas &c.*) In incipiente *Venæ sectio* etiam negligi non debet, si plethoricum sit corpus, & vel in cubito, vel in pede, quin & *derivandi* simul causa *prope oculos* administrari potest. *Straussius.* Matthæi missa N. Cataractæ initium habuit, lumine illustrata objecta tantum videbat & splendores, subindeq, velut aureas scintillas in opposito pariete. Interiores palpebræ inflam-

inflammatæ adhuc rubebant, & adnata tunica densior erat, humore inter corneam & albugineam impacto. Quia deponi non potuit, suadebat *M. Ant. Severinus* post aures *vesicatorium*, ad revulsionem & evacuationem, quod ex circulatione calculo meo comprobabam, Deinde in futura coronali *ustionem Arabicam* per fila. Addebam ego *sectionem venæ anguli in oculo interni*: Objiciebat assistens Medicus debilitari magis oculum, nec posse resolvi à natura quod concretum fuerat, præsertim cum non peccaret in oculo sanguis. *Respondebam* istis remediis impediri partim affluxurum sanguinem, partim affluxum evacuari, qui sine dubio visum impediebat, ut ex inflammatione apparebat, & depravabat, ut ex splendoribus, & aureis scintillis liquebat; istas enim esse splendentis & incensi sanguinis indicia; liberatam hoc onere naturam promptius reliquias superaturam &c. *Th. Bartholinus cent. 4. hist. 21.*

127. *Cucurbitulas, vesicatoria &c.*) *Cucurbitulas* quoque Fotis Chirurgicus suppeditat, nuchæ & scapulis applicandas. Inprimis vero *vesicatoria*, etiam ubi humor manifeste versus oculum ruere non videtur, commode semper cervici adhibentur; tumque insuper per *Fonticulos*, in brachio excitandos, humores oculis insidiantes revelluntur atque intercipiuntur. Præsertim vero *Setaceum*, ceu præsentissimum subsidium, subscribente *Hildano*, commendatur. *Straussius.*

127. *Cucurbitulas, vesicatoria &c. revulsione*) Si omnibus præscriptis remediis fluxioni sistendæ idoneæ nihil profecerimus, restat ut pyrotico, seu ignito ferro cervices inuramus, & setone transverberemus; Est enim singulare inveteratarum in oculos fluxionum remedium. *Vigierus Chir. l. 2. c. 19.*

128. *Ejusdem per Topica*) Quamvis ea non multum conferre existimentur, ex *Galeno 2. K. T.* qui dicit ea plus promittere quam præstare, attamen legitimus eorum usus rejiciendus non est, Et docuit experientia, probatissimorum authorum fide confirmata, suffusiones incipientes, præmissis universalibus, usu Topicorum fuisse dissipatas. *Riverius.* Oxydorcica quæ tantopere in hoc casu commendantur, nisi vim illam discutiendi & extergendi maculas habeant, sicuti multa ex illis ea prædita sunt, vix hic singulare aliquid præstare possunt, cum visio hic non alia ratione quam quod externa luce oculus propter obrensum impedimentum privatus sit, labefactetur; Quod si visum acuentibus remediis emendare vellemus, deberent illa splendorem extrinsecus irruentem, quod certe nemo præstare poterit, oculis adferre; aut velum oculis obductum auferre. *Platerus.*

128. *Topica*) A minoribus resolventibus incipiendum, quæ non valde exsiccent, ne materia suffusionis induretur, & resolutioni inepta evadat; Tum illis emollientia admiscenda, ut prædicta induratio impediatur, & resolutio facilius perficiatur, In hunc finem Fotus ab initio usurpari poterit.

℞. *Fol. rutæ, fœnic. euphras. chelid. mai. ãã. m. j. semin. fœnug.* ℥j. *flor. chamom. & melil.* ãã. *p. j. coqu. in tribus partibus aqua fontis & una vini albi sub finem addeti*; colatura foveantur oculi mane & sero cum spongia molli.

Ex eodem Decocto Suffitus parari poterit, fumum illius excipiendo oculis, undique capite contecto.

In ipso morbi principio, dum fluxio fieri incipit, dúmque revellentia remedia usurpantur, utile est fovere oculos simpliciter vino rubro austero, quod adstrictione sua fluxionem impedit, parte vero spirituosa discutit ac resolvit.

In progressu Fotus ex *vino albo*, in quo *crocus metallorum* infusus fuerit, utilis, ut & pueri halitus mane oculis exceptus, qui fœniculum masticaverit.

Utile lingere diu oculos mane lingua pueri aut catelli,

Panis cum *semine fœniculi* contuso subactus, dum calens è furno extrahitur per medium sectus, si ejus vapor oculis recipiatur, ita oculis admovendo ut fixo intuitu in panem oculi vapore illius madescant.

Remedia prædicta matutinis horis præcipue usurpanda, Noctu valet hoc Cataplasma.

℞. *farinæ fœnugr.* ℥j. *aloes* ʒß. *croci* ℈j. f. Pulvis subtiliss. excipiatur vino *albo, in quo crocus metallorum* infusus fuerit; admove calide hora somni.

Laudatur *sanguis columbinus* in oculum calide instillatus, eo enim calore nativo animalis pars valde corroboratur, & materia excrementitia dissolvitur. Sed quia in illo sanguine calor cito evanescit, multo conducibilius foret pullum columbinum juniorem, & nondum plumis contectum, per spinam sectum, oculo applicare. *Riverius.*

Hirundinis (*piscis*) fel contra oculorum suffusiones valere ipse sum expertus. *Rondeletius.*

Fel galei acanthiæ, piscis, ad suffusiones valere expertus sum. *Idem.*

Monachus *salis m. j. in vino albo* novem diebus agitato donec virescerет *utebatur*: Sequentia ad obtusum visum & cataractam probantur.

℞. *Baccar. lauri purg.* ℥iv. *tere cum urina pueri impub. fiat fortis expressio, deinde cum mucilag. g. arab. vel tragac. extracta cum aqua argentar. fiat* Latus.

℞. *Radic. ireos roc.* ℥j. *fortiter agita cum succo fœnic. depurato per residentiam, cum modico sacch. c. & mucilag. fœnic.* fiat Linim.

℞. *Frumenti crassiusculè conqu. hordei* ãã. m. j. *lap. calam.* ℥ij. (ʒij.) *sulph.* ℥j. *salis* ℥ß. m. *in vase æneo cum aqu. fœnic. plantag. & succi granat. fiat fortis expressio.*

℞. *Succi chelidon. & conyzæ* ãã. ℥j. *mellis* ℥ij. m. Desiderius Jacotius & Christoph. Burgensis.

Hoc utile ac tutissimum medicamentum sic paro,

Ex *ovo* indurato cocto exime vitellum, Ejus loco adde *fel galli & accipitris & chalcanthi Rom.* ãã. q. s. mox conjunge partem ovi, & liga ea filo ne separentur, totumque tribus diebus macera ex *aqua euphrag. & rosar.* Tunc fortiter exprime ovum, & pro Collyrio servabis: Hoc discutit citra sensum caloris oculumque roborat, Immitte evaporationem guttas 3. vel 4. quotidie. *Hor. Augenius Tom. 2. l. 9. pag. 611.*

Efficacissima est (ut ipse comperi) hæc *Quercetani Aqua.*

℞. *Croci metallorum* ℈j. *aqu. chelidon.* ℥v.ß. m. Hujus aquæ tepidæ 3. vel 4. guttas intra oculos infunde, 3. vel 4. in die. Hanc aquam expertus sum ego visionem restituisse cuidam qui eam offuscatam habebat per plures menses, habet hoc egregium ut sine morsu validissime abstergat, quod vix in alio medicamento reperies. *R. A. Fonseca consl. 19. T. 1. & consl. 95. T. 2.*

128. *Topica*) Vidit *Joh. Crato* Monachum ix. dierum spatio à Præceptore suo ex Suffusione facillimo remedio curatum, *radicibus* nempe *fœniculi in vino coctis* & decocto oculis applicato. *Hieron. Reusnerus.*

128. *Topica*) Si fiat alkool ex *cerebro hirundinis* & melle in hoc malo, multum prodest, ut ego expertus sum, *Gul. Varignana secr. subl. tr. 3. c. 12.*

Si materia suffusionis sit crassior, inter cætera efficacissimum remedium sunt *olea destill. anisi, fœnic. cinnam. caryophill. piper.* quæ omnia in hunc usum adhibentur feliciter. Probatur etiam maxime *ol. balsami*, seu sit verum, seu artificiale; Communis est illa aqua quæ paratur cum multo sale & fœniculo. *Herc. Saxonia Pr. Med. l. 1. p. 128.*

Præstantissimum est hoc Collyrium ad suffusionem confirmatam discutiendam.

℞. *Vini malvat.* ℔iij. *sem. fœnic. m. ß. cinnam.* ʒij. *caryoph.* ℈iv. *fol. ruta, lunar. Janis* āā. *p.* ß. f. Infusio per diem, coque lento igne ad consumptionem v. partis, colat. adde *tutia prap.* ʒij. misce. *Joh. Pravotius M. Paup. p.m.290.*

Gentiana incisa, & cum *aceto destillato* cocta, oculis instillata Suffusionem tollit. *Lipsius Tr. de Var. & morb.*

Vesica Lucii piscis elota prius cum calente aqua,& plena decocto virentis. *fœniculi*, applicetur oculis mane dum æger jejunus est *Joh. Phil. Brendelius conf. 30.*

Unguentum omnem Catarractam adimens.

℞ *mell. anthos. despum. ut fluenti maneat consistentia, & cera separata sit ab ea, zinzib. caryoph. opt. contus salis* āā. ℥ß *m. f. ungu.* Hujus frustulum quantitate sem. sinopi indito in oculum, primo quidem mordet oculum & vellicat sed statim desinit, & plurimum humiditatis ex oculo effluit; Hoc Ungu. fœmina quædam quæ per xiv. annos altero oculo nihil vidit, curata fuit. *Brendelius conf 54.*

Decoctum croci mirabile censetur si super illud oculi aperti detineantur, ita ut fumus oculum tangat. *J. C. Claudinus Emp. rat. p. 410.*

Laudatur *aqua collecta è fumo panis* extracti è furno calente, si oculi sæpius ea madefiant, Tenuissima enim est, & oculorum tunicarum duritiem, & densitatem permeare potest.

Ego frequentem oculorum lotionem aut fomentum cum tenello linteo ex optimi nigri & pinguis *guajaci* decocto efficacissimum fore non dubito. *Joh. Crato conf. 63. & 64.*

Expertus sum *Extr. chelidon* non solum in nubeculis oculorum, sed etiam in incipiente Suffusione præstantissimum esse remedium. *Hildanus Epist. 67.*

Efficax est *succus anagall.* sed adhuc efficacius aqua ejus destillata è flore, quæ sæpius oculis instillanda. *Lælius à Fonte conf. 60.*

In suffusione curanda ferunt instar miraculi juvare si collyrii loco utimur *vitro antimon.* quod est sine acrimonia, cum *chalcantho* in *ovi album.* positum, ligatum & infusum.

Item habemus hoc experimentum.

℞. *acervum formicar. q.v.* intra recipiens quoddam vas obtura, & immitte in fornacem extracto pane, distillabit aqua cruda, cujus guttulas aliquot immitte intra oculum, & curabit Cataractam, *Grembs Arb. rum. p. 287.*

Commoda est *pinguedo vipera*, cum *melle* primum, deinde cum *aqua ex melle* per ignem excepta, aut ex *melle* solo, aut una cum eo etiam *pane bordeaceo* percocto, composito excepta, Cum quibus semper utiliter aliquid aquæ vitæ immiscent. *Guarinonius conf. med. 229. 230. &c.*

℞. *fel hominis vi intercempti*, solvatur cum tantundem *balsami boni Indi*, Oculos collyricet, deponetur enim cataracta in triduo, *Ottolphus Maroldus Pr. Med. pag. 64.*

Mirabile, & à viris doctis probatum experimento hoc est

℞. *Ovum recens sub cineribus ad durisiem coctum, per medium dividitur*, vitello exempto pulvere ex *vitriolo albo*, vel *viridi aeri* addito *sacchari* impletur; ambabus partibus arcte colligatis maceretur in *aqua rosar.* aut *euphrasia* per 4. dies, hinc exprimatur, fiat Collyrium: Vel

℞. *frumenti crassiusculè conquassati p.* ij. *sulphur. vivi* ℥j. *sagapeni* ʒvj. *salis, piper.* āā. ʒij. mellis ℔ß. *terebinth.* ℥ij. *cum urina pueri* ℔ij. distilla, *Lud. Mercatus T. 3. lib. 1. c. 21.*

Sola *aqua, qua ex pane cui pulvis sem. fœnic. & ruta* cum pauco *melle* admistus sit, recenter ex furno extracto, & inter duo vasa stannea concluso colligitur, oculo guttatim instillata mihi placet. *Hier. Mercurialis conf. med. 56. 87.*

℞. *nucleos Persic. cum nucleis calcina, contunde, adde ovi albumen, affunde aquam cichor. filtretur per chartam*: Hoc lixivio sæpius de die abluantur oculi, certa res est, *Joh. Poppius med. Thes. p. 78.*

Aqua è *corniculis qua in fraxinis* nascuntur destillata ad visum clarificandum est utilissima. *Joh. Vigerius Chir. lib. 1. c. 32.*

129. *Oculorum extersione*) Italæ mulieres *odorati hormini seminis* granum *Oculis caligantibus* imponunt, nec oculo auferunt nisi caligine abducta, *Matthiolus. Orminum*, centrum Galli officinis dicitur, cujus semen festu[illegible]s, ac pulvisculos, aliáque oculis infesta, quæ fori in[illegible]dunt, eximit vi attractoria. Si quidem illud oculo admotum per ambitum illius quaquaversum colluitur, assumptóque humore, ac discussa caligine, turgidum egreditur, ac velut tenui membrana obductum. *L. Lemnius.*

Flores rorismarini amphora vitrea concluduntur, quæ duplicato linteo cerato obtegitur in arena, ut mos Chymicis, liquor redditur efficacissimus. *Hollerius.*

Aqua mirabilis ad Oculos, visum instaurans & conservans

℞. *myrrha* ℥j. *aloës hepat.* ʒij. *croci* ʒj. *thuris, zinzib. sarcocolla, caphur. trita*, de omnibus modicum in aqua imposita ad usum servetur. *Ant. Fumanellus.*

Succus è fragis exprimitur, vetustate vires accipiens, præsentaneo remedio ad oculorum suffusiones, necnon Epiphoras. *L. Fuchsius.*

Vinum quod ex fragis elicitur oculorum nubeculas calidasque defluxiones tollit. *Matthiolus.*

Nonnulli ad oculos collyria ex *fragis* conficiunt, nam sal illis admiscent, posteaque destillant.

Alii *fraga* cum *sale aneo vase* recondunt, acper octiduum cellæ vinariæ committunt, quoad in viridem aquam commutetur, ea postea ad oculorum suffusiones utuntur. *Hier. Tragus.*

Ex iis quæ longa experientia cognovimus, laudamus inter cætera, ut juvenis aliquis [illegible] habe[illegible]s anhelitum, insufflet leniter in oculum [illegible]rantis mane jejuni, ubi prius os abluerit aqua pura, in qua macerata fuerint semen *fœniculi, nux mosch.* & *cinnam.* Postea vero lingua *lambens* oculum; mand[illegible]t aut [illegible]ytius sem. fœniculi & euphrasiam. *Jac. Sylvius conf. 67.* [illegible] *conf. Cratonis.*

Puer vel puella octo annorum [illegible]no stomacho masticet *rosam unam* recentem, & post masticatio[illegible]nem statim oculos lambat. *Joh. Baptista Montanus conf. 84.*

13. *Laudatur Aqua*) Etsi quæ oculis instil[illegible]tur, Collyria dicta, exiguæ censeantur efficaciæ quia tam multæ reperiuntur apud authores descriptiones, [illegible]ctissimas nonnullas proponemus.

℞. *mellis opt.* ℔ij. *rad. fœnic. aristol. long* [illegible] ℔j. *fol. ruta, eufras. chelid. ma. & summit. fœ*[illegible] *centaur. min. m.* iij. *rosar. rec. p.* iv. *urina pueri* [illegible] ℔ij. misce in vase vitreo, & distilla in Balne[illegible] *stilla in oculos frequenter.*

Ex *Zecchio*, Fiat panis cum *tota farina ruta, chelidon. euphras. beton. fœnic. pulver. & melle*; r[illegible]x furno extractus, dissect[illegible]s in partes intra duo vasa statim concluditur, inde Aqua colligi[illegible] guttatim in[illegible]landa.

Aqua sequens ex eodem antiquas oculorum æ[illegible]dines ita deterget ac dissipat, ut Cataractam, [illegible]rum mirabiliter auferat

℞. *fol. violar. alb. seu leucoii* m. j. *sem. raphan. hort* ʒj. *ammon.* ʒß. *misce & pulverata, macera per horas 24. in aq. fœnic.* ℔j. [illegible] *nutica levi ebullitione, colatura adde*

adde succi fœnic. depur. ℥j. *Balsami Peruv.* ʒij. f. Collyrium mane &c. instillandum.

Quercetanus in Pharmacopœa Aquam ex infusione *croci metallorum* paratam commendat, quæ hunc in modum componitur.

℞ *Aquar. Chelidon. maj.* ℥vj. *croci metall.* ʒj. *infundantur, hujus aquæ tepidæ gutt.* iij. *vel* iv. *infunde* intra oculos ter vel quater in die per longum tempus. *Fonseca* se Aquam hanc expertum esse dicit, ac visionem restituisse cuidam qui eam offuscatam habebat per sex menses.

Ex *floribus rorismarini* liquor elicitur nebulis discutiendis admodum idoneus.

℞. *flor. rorismar.* q. s. impleatur ampulla vitrea, probe obturetur, & Soli meridiano exponatur ad parietem, inde liquescit oleosus quidam humor, quo oculi penna illinantur. *Riverius.*

Mulier Lutetiæ aqua è *phœnicea anagallide* distillata multos suffusione laborantes liberavit, Potest distillari cum melle. *Jac. Hollerius l. de morb. Int. c. 2.*

Præclare suffusioni opitulatur sequens Aqua destillata frequenter oculis instillata.

℞. *folior. rec. exsiccat. tamen, fœnic. rutæ, euphr. betonicæ, verbenæ, torment. callitr. anagall. chelidon.* ãã. m. j. *flor. ros. sylv. cichor. agrimon. periclym.* ãã. m. ß. contusa misceantur, & cucurbitæ vitreæ imponantur, quibus admisceantur *mellis virgin.* ℔v. *urinæ infantis, vini generosi, roris cal.* mensibus Maio & Junio per fœniculi virescentis herbam mundissimo linteolo collecti & expressi ãã. ℔ij. qui liquores affundantur herbis, & per 14. dies digerantur, vitro bene clauso, in ventre equino, & tandem in balneo cineris artificiose destilletur aqua, quæ ter ad fæces siccari incipientes reaffundatur, ac subinde iterum distilletur *Fr. Joël Pr. l. 2. sect. 2.*

Aqua frumenti miræ est activitatis.

℞. *frumenti vir. sed adhuc immaturi,* ℥iv. *fol. rut. anagal. chelid. sambuc.* ãã. m. ß. *sem. fœnic. euphras.* ãã. ℥j. *cinnam. caryoph.* ãã. ʒij. *vini albi generosi q. s. infundantur in vitro sub radiis solaribus per 30. dies sæpe agitando,* Tunc destilla & applicetur. *J. C. Claudinus Emp. rat. p. 472.*

130. *Aqua*) ℞. rosat euphras. seridis latifol. (*endivæ*) callitrici, *pimpinell. anagall. chelidon. pæon. fol. vitis, apii, beton. lycii tormentilla, papyri, verben. fœnic. ruta, agrimon.* ãã. p. æq. incidantur minutissime, Et primo die in *vino albo* infundantur, 2. *in urina pueri* impolluti, 3. in *lacte mul.* 4. in optimo *melle*, Tunc per alembicum destillentur, Aqua ista miros effectus præstare dicitur *Dom. Leo Pr. Med. lib. 4*

Efficax est in principio *Aqua mellis.*

℞. *Mellis optim.* ℥xij. *rad fœnic. aristol. rot.* ãã. ʒvj. *chelid. rutæ. summ. fœnic.* ãã. m. iij. *flor. rosar. centaur. min.* ãã. *p. ii.* macerentur in *melle* cum ℔ij. *urinæ pueri*, agitentur interdum, æruginem simul subortam radendo, & cum cæteris permiscendo, postea distillentur, servetur Aqua qua oculi suffusi sæpius abluantur. *Vid. Vidius De cur. membr. l. 4. c. 3.*

Ex *floribus leucoii bulbosi* per se destillata aqua magni est usus. *Frid. Hofmannus in m. l. 1. c. 10.*

In suffusionibus nondum inveteratis sequentem Aquam experti sumus non infelici successu.

℞. *Succi fœnic.* ℔ß *callitr. chelidon. m.* ãã. ʒij. *euphr. rec. m. tuth. præpar. ligni aloes* ãã. ʒij. destilla per alembicum, abluatur oculus hac aqua, & aliquid de ea instilla, *Idem consil. 64.*

Sequens aqu... visum egregie acuit si oculi ea abluantur, ... cum linteo ea imbuto oculo applicetur.

℞. *euphras. cum toto, valerian. h. fœnic. anagall. flor. purpur.* ãã. m. vj. *rutæ* m. ij. *contusis affunde aq. rosar.* ℔ß. *digere per 4. horas & distilla.* Nota, Ne sumantur summitates fœniculi aut valerianæ ob feminum acrimoniam: Hinc *ophthalmicum Crollii* ob acrimoniam Oculis non prodest. *Hildanus cent. 1. obser. 24.*

Aqua pretiosissima ad caliginem, nebulas, & omnia oculorum vitia, visum mire clarificans.

℞. *Vini albi cyathos* ij. *succ. fœnic. depurat. & clarific. cyath.* j. *camph.* ʒj. (℈j. *tuth.* ʒj. *zz.* ʒj. *mellis* ʒiv. *terenda terantur, omnia in pila cuprea, ponantur per 9. dies ad serenum* ubi neque ros neque Sol percutiat, tunc filtrentur, & in vitro destill. m. & sero gtt. j. vel ij. oculis immittantur. *Arn. Villanovanus.*

℞. *chelidon. maj. verben. rutæ, fœnic. euphrag. rosar.* ãã. m. j. herbas rore madidas minutim conscinde, *inde cucurb. vitreæ*, lento igne destilla. *Solenander.*

℞. *interanea omnia lupi piscis*, minutim conscinde, adde *fœnic. vel semen. ejus pulver.* m. j. Distilla in B. *Idem.*

Aqua calendulæ mire roborat oculos, imposita & circumlinita in omni causa, *Stockerus Pr. aur. lib. 1. cap. 12.*

℞. *Croci metall.* ʒj. *vel* ij. *infunde cum aq. euphrag. fœnic. vel similis* ʒv. *vel* ʒvj. fiet Aqua ophthalm. miræ virtutis contra amblyopiam, amaurosin & suffusionem. Potest guttatim instillari citra ullum dolorem. omni mane irrigari debet: Tantæ virtutis est ut etiam extenus oculo applicata alvum solicitare possit. *Quercetanus Ph. rest. p. 129.*

Aqua Ophthalmica egregia ad visus imbecillitatem ex *ovis formicarum in liquorem solutis. Conrad. Kunrath med. dest. p. 378.*

Ad Oculorum obscurationem magno successu utebatur *Bonifacius* Aqua hæc cærulea, ipsi summe secreta.

℞ *aqu. rosar.* ℥j. *sal. armon.* ℈j. *sacch. c.* ʒj. *vitrioli albi* ʒß. *album. ovor.* ℥ß. misce probe, agitando in pelvi auricalcea. *Jeremias Martius obs. 25.*

Liquor ex formicis in clibano paratus, ad modum quo fit liquor lumbricorum, insigne est Ophthalmicum ad suffusionis initium. *Schroderus Pharm. lib. 5. p. 342.*

131. *Ex Fellis &c.*) Authores Fella animalium commendant, quod potentissime abstergant & discutiant, sed acrimonia dolorem excitant, ideo raro in usum revocantur. *Forestus* obs. 35. l. 11. Pisciculum quendam patriæ suæ familiarem commendat, ex cujus Jecore succus quidam elicitur, quo suffusiones quasi momento & miraculo curari testatur · *Mustela piscis* hepar in vitro suspensum, caloreque expositum, in liquorem liquescit flavum, admodum utilem oculorum hebetudini ac nubeculis.

Ex *fellibus* & aliis *Gul. Lofellus* Aquam parat, qua se plures curasse refert nulla lucis usura fruentes, prægressis universalibus:

132. *Collyrii instar*) Topica varia, quæ oculis instillantur, Collyria vulgo dicta, exiguæ sunt efficaciæ; & illa sunt de quibus dixit *Galenus*, ea plus promittere quam præstare, Tota enim eorum virtus in cornea tunica fere absumitur, neque potest ad interiores partes penetrare, nisi ea insigni acrimonia prædita sint, qua dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promovetur, unde non pauci immodico illorum usu in omnimodam cæcitatem perducti sunt. *Riverius.*

133. IV. *Chirurgia* Cum nullis medicamentis dissolvi potest Cataracta, ultimum remedium est Chirurgica operatio, qua acu in oculum immissa, materia pituitosa Suffusionem efficiens condensata, & in pelliculam conversa, ad inferiores oculi partes decutitur, & aperta veluti fenestra visus recuperatur. Quæ operatio aliquando succedit feliciter, pluries vero infeliciter ita ut ex ea non pauci visum in perpetuum amiserint. Cum tamen res eo devenit ut nulla alia supersit visionis recuperandæ spes, satius est, juxta *Celsi* sententiam, anceps experiri remedium quam nullum; quæ operatio Operatoribus vulgo dictis committenda &c. *Riverius.*

Differentiæ.

Differentia Suffusionis sunt variæ.

I. *Ratione situs.*

1. *Alia* est in centro pupillæ, quæ fenestris quasi pertusas res objectas exhibet, & acu, ne tota pupilla impleatur, tentanda non est.

2. *Alia* residet [133] inter Uveam & Corneam, & *tum* pupilla intensius obtenebrata conspi[illegible]tur, & pupilla ob humorem distendentem necessario dilatatur.

3. *Alia* inter Vveam & Crystallinum, & *tum* opposita apparent.

4. *Alia* in profundiore loco sita est; & tum pupilla angusta est.

Alia minus profundo; & tum amplior est.

II. [134] *Ratione graduum*, *Alia* est [135] Incipiens, [136] & tum culices aut caliginosa quædam observantur.

Alia [137] Aucta; & tum pupillæ color marinus apparet, vel est similis aëris nebulis repleto.

Alia Perfecta; in qua æger non cernit, pupillæque albus color apparet.

III. [138] *Ratione causæ.*

1. *Alia* est à materia tenui & fluxa, qualis in principio esse solet, & tum, plethora præsente, venæ sectio institui potest.

Alia crassa, lenta & tenax; & tum à venæ sectione abstinendum.

2. *Alia* est [139] specie aëris puri, argenti, gypsi, margaritarum, quæ spem aliquam curationis relinquit.

Alia Nigra, quæ ne acu quidem curari potest.

Alia Viridis, quæ etiam insanabilis.

IV. Alia est [140] *Vera*, de qua hactenus dicta sumi debent, quæ alterum duntaxat oculorum occupat; aut si utrumque, non simul, nec similiter, & cujus Symptomata sunt continua.

Alia *Notha*, quæ se contrario modo habet, à vapore ex inferioribus ads[illegible]ndente oritur. Remoto affectu tollitur.

[133]. *Inter Uveam & Corneam*) Pupilla intensius obtenebrata conspicitur, quia materia oculis intuentis propinquior est: Et in affectu confirmato albæ & virides fibræ, supra itidem protensæ conspiciuntur, aut puncta quædam albicantia circa pupillam apparent. *Riverius.*

[134]. *Ratione graduum*) *Muco tenaci in ambitu pupillæ margini adhærente, illique prætenso*, sensimque concrescente *Suffusionem* oriri statuimus: Quæ ab initio cum sit adhuc *mucus* pellucidus, & lucem transmittat; ob crassitiem tamen visioni, ac si nube obtensa offuscaretur, & variis atomis volitantibus res viderentur, impedimentum ac hallucinationem parit, unde tunc *Imaginatio* & *Nubecula* appellatur: Atque hæc in oculo nondum bene conspicua est, nisi quod illius *nigrum*, quod *Stellam* vocant, non exacte nigrum, sicuti penitus nigrum esse debet, sed *turbidum* nonnihil apparet; Quo etiam si in uno tantum oculo hoc videatur, altero adhuc puro existente, ab illa *imaginatione & nubeculis*, quæ vaporum causa simili fere modo oculo se offerunt, nisi quod utrumque æqualiter afficiant, distinguitur.

Tandem vero sensim magis magisque *mucus* ille *incrassatus*, perspicuitatemque amittens, facilius intuitu cognoscitur, *glaucoque* fere, vel *cinereo*, ut *Oculistæ* vocant, colore se manifestat, ac *nigrum oculi* nonnihil delens, visui tunc quoque magis officit: Quam *immaturam Suffusionem*, & *aqueam* vocant *Ophthalmoteram*, quia cum mollior adhuc sit, acu deprimi nondum potest: Veteres a *Glauco colore Glaucoma* dixerunt, quod crystallini humoris vitium est, Et quia chrystallinus humor hoc colore tinctus Suffusionis immaturæ specimen præ se fert. Aliqui illud ignorantes, *Glaucoma propriè dictum* idem cum *Suffusione* fecerunt.

P[illegible]stre[illegible]o ve[illegible] *muco* jam enarrato penitus incrassato d[illegible] ato[illegible]ue, si[illegible]ut in exiccatione res lucidas dealbari, & [illegible] m omnem am[illegible]tere notum [illegible] ita & hic accidit [illegible]isioneque penitus tunc sublata Cœcitas omnimoda sequitur: Nisi forte, uti sæpius vidi, in parte aliqua illius, vel in ambitu, *tantillum nigri punctum* adhuc, vel *circulatim* appareat, per quod exiguæ splendoris scintillæ oculum adhuc luce obscura, ex qua tamen nihil recte dijudicari possit, illustrant: Estque hæc *confirmata* dicta *Suffusio*, quam *Maturam*, si modo exacte videatur, quod tunc eam primum Chirurgus tractare possit, appellare solent, & *Pelliculam* & *Telam*, quod tunicæ instar Pupillæ obtensa splendorem intercipiat, communiter appellant, [illegible] ibumini coctione obduratæ pelliculæ, & colore & tenacitate non ab[illegible]milis: Et licet per se nullius momenti esse videatur, tantam tamen calamitatem corpori in [illegible]isus privatione multis mortalibus afferre solet. *Platerus.*

[135]. *Alia est incipiens &c.*) In vera *incipiente* corpuscula quædam ut pili, culices, m[illegible]æ volitantes, lanarum aut aranearum fragmenta oculis obv[illegible]rsantur. Dum vero *incrementum* sumit, a[illegible] nebu[illegible]olus apparet & objecta veluti per vitrum densius conspi[illegible]iuntur [illegible] color pupillæ immutatus est, eaque [illegible] [illegible] vel nebulosa, aut vitro contaminato simi[illegible] ol[illegible] eo infecta apparet; Cum Suffusio *perfecta* est, [illegible] no penit, Pupillæ color albus apparet, [illegible]a. *Riverius.*

[136]. *Alia est incipiens, & tum culices &c.* [illegible] citati ab hac pituita halitus, & humor aqueo [illegible] in oculis primum vel nubecula oculis obver[illegible], vel filamenta festucas, muscas, & similia ante oculos volitantia repræsentant; denique lumen duntaxat obscure admittunt. Interim oculos affectos inspicien[illegible]a, primo quidem [illegible]co nigredinis ac tenebrarum secun[illegible]a naturam præsentari solitarum. Humor Aqueus [illegible] alicu[illegible] si ad instar occurrit, ac sensim magis mag[illegible]que al[illegible] videtur, donec tandem foramini uveæ a[illegible] prehendatur, & dictam catharractam producere, ipsam quidem mag[illegible] minus albicantem solidamque. *Fr. Sylvius.*

[137]. *Alia*

137. *Alia aucta*) Si imagines oculis obvolitantes, citra visus privationem per sex menses durent, Spuriam hinc potius passionem licebit colligere, *Galenus* enim, aliique Medici, terminum illius constituunt intra sex menses: rarissime tamen cum ultra annum non imminuitur visio, gignitur suffusio, *Fonseca consf.95. Tom.2.*

138. *Ratione causæ &c.*) A vera suffusione pro modo materiæ oritur non solum abolita & diminuta visio, sed etiam depravata, Nam si materia opplens Pupillam stabilis fuerit, crassa & copiosa, cœcitatem. Si pauca, rara, æquabilis, diminutum visum excitabit; Sin vaga, aut per partes raras crassasque divisa, phantasmata & imagines ob oculos volantes; verum si materia concreta centrum pupillæ occupaverit, omnia fenestrata apparebunt. Sin circumferentiam tantum, visio noxa carebit. Coloris mutatio visum potissimum depravat; nam si in glaucum vel fuscum colorem vergat, per nebulam aut fumum se videre putabunt; Sin glaucus ille color oriatur ex prægressa suffusione, vehementique congelatione humoris circa pupillam, altera Glaucomatis species, secundum *Ætium*, orietur quæ cœcitatem inducit. Sin in alium colorem mutetur Aqueus, ejus phantasiam visibilibus impertit, & simul consistentiam & figuram si inæqualis fuerit. *Duncanus Liddelius Art. med. l.3. p.205.*

139. *Alia est specie aëris puri &c.*) Ex colore quædam signa desumuntur, *Color margarita similis*, pituitam adhuc fluidam & diaphanam significat, *Gypseus* crassam & compactam, *Citrinus* bilem cum pituita mixtam, *Niger* cum humore melancholico. *Riverius.*

140. *Alia vera, alia notha*) Datur Suffusio *spuria*, quæ fit à vaporibus à ventriculo aliisque partibus in oculos translatis; A capite etiam vapores ad oculos transmitti, & suffusionem spuriam efficere posse docuit *Galenus* 4. de loc. c.2. Quamvis autem duæ Suffusionis differentiæ inter se distinctæ ab Authoribus proponuntur, utplurimum tamen complicatæ sunt, saltim legitimæ suffusioni spuria complicari solet; quia vapores à partibus inferioribus ad cerebrum translati facile, deferuntur ad eas capitis partes quæ à morbo aliquo debilitatæ sunt: Id quidem ex eo docetur, quod omnes Suffusione laborantes minus læduntur, ac perspicacius vident matutinis horis quam meridianis & vespertinis, quia nimirum à prandio & multi vapores à ventriculo ad oculos elevantur, & visum conturbant. Imo docet experientia, in dictis laborantibus visum esse hebetiorem & caliginosiorem statim à pastu quam paucis post horis ab ipso. Præterea omnes suffusione laborantes referunt sibi videri in aëre corpuscula quædam in aëre volitantia, velut culices, muscas, pilos, telas aranearum, & similia, quæ non fiunt à vaporibus crassis ad oculum translatis, & in eo sese commoventibus.

Licet enim Authores existiment hujusmodi repræsentationes dependere à particulis crassioribus humoris pituitosi in oculo contenti, & suffusionem efficientis, hoc tamen non est credibile, quia oporteret humorem illum pituitosum, Suffusionem efficientem, perpetuo moveri in oculo, ut species illas corpusculorum, in aëre volitantium, repræsentare posset, quod quidem rationi consonum non est; quin potius haud dubium est vapores esse in perpetuo motu, atq; adeo phantasmata illa volitantia repræsentare posse. *Riverius.*

Cap. XLIII.

De [1] *Humorum in Oculis vitiis.*

Humores Oculos cum tunicis constituentes sunt tres, *Aqueus* nempe, *Cristallinus* & *Vitreus*.

I. *Aquei* [2] *vitia* [3] sunt præcipuè quatuor.

[4] *Imminutio*, ob calorem, siccitatem, nimiam evacuationem, quæ quia cum totius corporis siccitate conjungitur, difficulter curatur.

II. [5] *Effusio*, [6] quod in ruptura Corneæ fit, & tum vulnus vel ulcus præcessit. Cornea tunica subsidet. [7] Regignitur interdum hic humor spontè.

III. [8] *Crassities* ab [9] humorum vel vaporum crassorum admistione exorta; & tum humor non tam clarus, ut solet, apparet, imagines oculis obversantur &c.

IV. *Obscuratio* & *alienus color*, ob humores admistos, Visu ipso hæc cognoscuntur.

1. *De Humorum in oculis vitiis*) *Humorum*, in oculo contentorum causa Visionis impedimentū accidit, præsertim *Cristallini*, per quem veluti per perspicillum *nervus retiformis* rerum externarum imagines primum colligit, rursumque dispersas, dilatatas, majoresque redditas sinu suo excipit, cui *humores* reliqui tantum inserviunt, Fitque hoc cum, vel *deficiunt*, quia, aut *effluxerunt*, aut *consumpti* sunt, Vel *situm naturalem* permutant, Aut *substantia ipsorum* immutatur, vel *colore alieno* inficiuntur. *Platerus.*

2. *Vitia sunt præcipue ista*) Hujus humoris figura variat in variis hominibus, adeo ut senes hunc humorem nimis depressum & imminutum habeant, unde radii non satis refringuntur; *myopes* vero vitio contrario laborant, quatenus humorem crystallinum nimis globosum obtinent & forsan (quoad consistentiam) densiorem seu compactiorem, quæ inde difficulter admodum attenuatur aut absumitur adeo ut hi ipsa senili ætate conspicillis haud indigeant. *Briggs ophth. p.79.*

3. *Sunt præcipue quatuor, Imminutio*) Sed & contra quandoq; *copia exuberat*, & protuberare cogit corneam, luculento visus detrimento, cum quod figuram naturalem tunicæ corrumpat, ejusdemque cum crystallino mensuram, & lumini uberiori exponat, tum etiam quod longius semovet illam à sensorio formali; quæ omnia rationem visus vehementer perturbant; Exemplo sint optici tubi, quorum vitra magis aut minus, distracta, vel adducta, totius organi usum immutant. *Molinetti. Dissert. Anat. Pathol. p.37.*

Aquei Imminutio.

4. *Imminutio*) Peccat aqueus humor defectu, atque tunc concidere corneam videmus, & plicis deformari, necessaria visus læsione, lumen namque languidius fertur, & difficilius ultra superficiem inæqualem, & suffusione umbrarum debilitatur; propterea necessum est Retinam debilius ab eodem moveri, & ad proportionem motus sensum quoq; debilitari; quæ omnia per senium fiunt, non tamen necessario adeo quin contrarium aliquando fieri possit, Si enim aquei humoris mensura servetur, vel imminuta iterum restituatur, neque flaccescat cornea, neque visus jactura fit; fal-

tem restituto humore, & corneæ superficie ad normam naturæ, iterum visus redintegratur, cujus rei exempla frequentissima sunt. *Molinetti ibid.*

4. *s. Imminutio*) consumuntur Oculi humores, *Aqueus* præsertim cum sit tenuior; tumque oculo non sufficienter distento (quod ut pupilla exacte aperta maneat requiritur) sed nonnihil collapso, pupillæ foramine, etsi non penitus occluso, tamen amplitudinem suam vel rotunditatem amittente, & reliquorum humorum situ obiter conturbato, *visus* sequitur *imbecillitas*; Vel si major fiat, confusio, etiam *Cæcitas*, Sicut in morbis longis, acutis, summoque & diuturno marcore corpus absumentibus, rarius; frequentius in extremo senio, quibusdam evenit; in quo & *vitreus*, & *crystallinus* exsiccari possunt, Quibus Oculi corrugati nonnihil apparent, quos *fractos* ideo vulgus appellare solet; præsertim cum in mortis agone calore & spiritibus jam destituti flaccescunt. *Platerus.*

4. *Imminutio*) Humor aqueus, sive interior, maxime pupillæ motui & radiorum temperationi inservit, Hinc ex humoris hujus defectu in senibus (& adultis præfervidi temperamenti) visionis munus non rite peragitur, Vna enim debita refractio eo modo deficit, quam conspicillorum usus solet compensare; Quum vero hic humor ex accidenti reparatur, ut in defluxionibus aliquando contingit) hinc imminutis hisce humorum defluviis, senes illi pristino interdum visus acumine redonentur. Novi enim septnagenarium, qui cum per decennium fere conspicilla usurpasset, tandem (dum ab incauta ad fenestram lectione tempore Hyemali frigus suscepit) tali humorum defluxione correptus est, ut objecta ad distantiam trium pedum cognoscere nequiret: huic itaque malo vesicatoriis & collyrii applicatione, atque aliis medicamentis interne assumptis occurrens, defluxionis materiam minuit & densa humorum nubila ex parte discussit, adeo ut jam per sex annos conspicillis sepositis, vel minimis, in libro characteres legit, Cujus causa proculdubio augmento cuidam hujus humoris tribuenda est. *Briggs Ophthalmogr. p. 52.*

5. *Effusio*) Profluunt ex oculo humores nonnunquam, *Aqueus* frequentius, cum sit in anteriore sede depositus fluidiorque; Alii rarius, nisi causa magna sit, fitq; tunc *Cæcitas*, *Aqueo* enim humore effluxo, oculi globus nonnihil collabitur & corrugatur, unde pupillæ foramen, quod splendorem intromittere debebat, occluditur, reliqui humores antrorsum è sinu retiformis pro lapsi faciunt ut ille nonnihil collabatur, unde visionem cessare necesse est. Longéque magis si *crystallinus* quoque humor, cum *vitreo*, cui inhæret, procidat, cum is ad visionem omnino requiratur, & tunc *retiformis nervus* penitus collapsus, suo munu rerum species non amplius possit comprehendere. *Platerus.*

6. *Quod in ruptura cornea*) Causa *vulnus vel ulcus* oculi esse solet si amplo vulnere, magna cum vi per *corneam*, tam spissam & duram, facto apetiatur; neque enim per levem puncturam, qua in catarrhacta tollenda oculi globum perforare solent, *aqueus humor*, qui suam quoq; habet tenacitatem, potest effluere; Ab *inflammatione etiam* oculi abscessum gigni, in quo *cornea* pars in pus cövertitur, qui disruptus cum pure oculi humores aliquando profundit, aliquoties vidi; Et in *febre pestilentiali* in utroque oculo accidisse, crystallino humore in barbam usque defluxo, illicque hærente notavi. *Idem.*

7. *Regignitur interdum*) Si, ut nonnullis lubet, aqueus humor non est pars oculi vivens atque spermatica, sed excrementum ex crystallini nutritione residuum [illegible] quid [illegible] ipsum prorsus effusum redintegrari p[illegible]ipue in infantibus, facultatum u[illegible] illum robute vi[illegible]nibus? *Menrotius.*

8. *Crassities*) Substantia humorum oculi immutata vitium visioni affert, Aqueus vero is est cujus substantia facilius immutatur cum *tenacitatem* frequenter acquirere soleat, qua *pupillæ foramini sensim accrescens*, tandemq; obductus, & in pelliculam versus, *nubeculas* primum, mox *suffusionem* pariendo occæcat; *Platerus.*

8. *Crassities*) Nimio calore concretionem humoris albuginei in cataractam promoveri posse notavi in studioso, qui in pueritia fotibus intempestivis, suasu Medici utens eandem reportavit. *Wedelius Am. m. p. 195*

8. *Crassities ab humorum &c.*) In hoc humore aliquando *Suffusiones*, ut in morbo icterico, & cataractæ(crassis & viscidis humoribus hic loci aggestis) & aliquando cæcitas incurabilis, ab incauto cinguli mercurialis usu & salivatione imperfecta, quo fit ut nimia seri colluvies ad hanc partem devolvatur. *Briggs p. 74.*

9. *Ab humorum vel vaporum crassorum admissione*) Hinc vitiosa existit Visio, quando *objecta aliter affecta* repræsentantur atque actu sunt, sive aliter *colorata*, sive aliter *inflexa & incurvata* rectáve sive *perforata bifidáve & hiantia* quæ solida, sive *truncata*, quæ integra; sive *multiplicia* quæ simplicia, imo *varie mota & gyrata* quæ quiescunt, *Coloris* quidem naturalis objectorum mutationem adscribendam censeo halitibus ad oculos delatis, & colore proprio, vel ab externo lumine simul adventitio, exteriorū objectorum species inficientibus.

Figuram objectorum immutare, atque quæ recta sunt ac si curva essent, ac viceversa repræsentare videntur, iidem *halitus*, unam humoris *Aquei* partem magis occupantes quam cæteras: unde illa putatitia rectitudo specierum visibilium consequantur.

Perforata putantur objecta cum alicubi hæret in *humore aqueo* coagulatus & conglobatus halitus transitum speciei hactenus denegans, uti *bifida* vel *hiantia*, cum idem halitus in longum deorsum versus est situs ac extensus.

Capite, aliáve notabili parte truncata videntur objecta, quando in parte aquei humoris superiore transversim, aut alibi ad latus consistit concretus ille ac tenuis halitus.

Multiplicia & imprimis *duplicia*, *geminaque* putantur esse objecta, cum non æqualiter moventur bini oculi, quod ebriis familiare, & febrientibus quibusdam cum delirio ebrietati non absimili.

Segnities autem illa ad movendos oculos æqualiter, adscribenda videtur spiritibus animalibus mixto vapore, narcotico præsertim, infectis & torpentibus, atque tardius segniúsve ad musculos oculos moventes delati, moveri putantur, etsi quiescant, tum objecta externa, tum pavimentum ac sedile cui insidet æger, tum ipse æger, ob spiritus animales plus minus commotos, & confuse ac vertiginose ad oculos tactusque organa propulsos.

Halitus, qui objectorum colores immutat[illegible]s repræsentant aliam curam non [illegible]xigunt quam [illegible] in *suffusionis* curatione allata est. Id[illegible] dic[illegible]nd[illegible] dem objectorum figuram vitiantibus. *Fr. Sylvius P*[illegible].

10. *Obscuratio & alienus color*) Si hum[illegible]o humor Aqueus, alioquin ex se decolor, [illegible], vel, ut magis proprie loquar, superficies quibus [illegible]lor qualiscunq; refertur, diffundens se per ea[illegible]umen rotulationes inscipit, & in retinam defert, [illegible]ibus color hic aut ille repræsentetur, objecta omnia sub [illegible]em colore cernuntur. Nec secus hoc fit quam [illegible] Solis radii vitrum permeent coloratum tunc enim rerum imagin[illegible] gunrur in superficie ad quam terminantur, [illegible] tamen coloribus à vitri specie: *Molinetti.*

11. *Alienus color*) Oculi discolorantu[illegible]nterdum[illegible] do à naturali ipsorum calore, qui u[illegible] f[illegible] pellis [illegible] Inde appellata, i[illegible] niger, [illegible] jor[illegible] ruse[illegible] patio, & in ambitu illius [illegible]s vel fuscus eluce[illegible] & extra hunc circulum in reliquo oculi globo albus apparet, declinantes

nantes vel rubent vel flavescunt, dein & quando maculas obtinent, vel alioquin invenustus ipsorum color esse putatur.

Rubent oculi frequenter etiam in sanis, quando calore externo, vel motu corporis nimium incaluit, vel in morbis calidis capitis, vel ipsorum oculorum, In Elephantiasi etiam occurrit oculorum rubedo.

Flavescunt in Ictero, colorque ille citius fere in illorum albo quam reliqua cute apparet, cum cutis adeo exacte alba, uti oculi crassa tunica minime existat, & proin non tam cito in ea uti in albissimo hoc subjecto color pateat, Maculæ in oculis diversæ quoque observantur, eosque discolorant, ut rubræ vel lividę in sugillatione, non solum in oculi albo, sed & in ipsa iride, quæ maculæ magis cruentæ aliquando quam in ipsa cute visuntur. Exanthemata & Ecthymata, uti reliquum corpus, ita & oculi globum aliquando commaculant.

Albis quoque maculis cornea oculi sedes impeditur, quæ si ante pupillam ponantur, visioni obsunt; si vero in alba sede occurrant, nec colorem mutant, nec visioni obsunt. Invenustum oculorum colorem esse vulgus censet si *glauci* admodum appareant, vel *cæsii* aut *grisei*, quia pellucida sedes pupillam ambiens, quæ colore variare solet, tali colore prædita existit: Cum quo magis ea cum pupillæ sede, quæ semper nigra cernitur, nigricat, oculos eo pulchriores, nigros ob id appellatos esse putent; licet veteribus Glauci præsertim probarentur oculi, à quibus & *Minerva* laudata, *Glaucopis* dicebatur, Nostro vero seculo improbantur. *Platerus.*

[11] *Et alienus color*) Colore alieno vix humores inficiuntur, cum nullæ venę aut alia vasa humores deferentia oculi interiora subeant, ejusve humores attingant; Quod tamen aliquando ab humiditatibus oculi fieri in *crystallino humore*, eumque uti & *vitreum*, *glauco colore* tingi, prodiderunt, & *Glaucoma* ideo vocarunt, visumque tunc ac si per nebulam cernerent, vitiari scripserunt, cum tamen veteres *Glaucoma* cum *suffusione* eundem affectum fecerint, tunc præsertim eam sic appellantes, cum non bene adhuc confirmata pellicula vitri instar crassioris, subviridis vel cæruleo colore, necdum alba adhuc intuentibus apparet. *Platerus.*

Humoris Crystallini vitia.

II. *Humoris* [12] *Crystallini* vitia sunt [13] præcipuè ista.

1. [14] *Glaucoma*, quando iste [15] in glaucum colorem mutatur.

[16] *Cognoscitur* ex eo, quod circa pupillam insignis & profunda apparet albedo, & omnia tanquam per fumum & nebulam videntur.

[17] *Oritur* ab Exsiccatione, quæ fit vel ob ætatem, vel ob aliam causam.

II. [18] *Soliditas & obscuritas*, quæ majore illuminatione indiget, Unde νυκτάλωπια, nocturna cæcitas, qua laborantes interdiu satis vident, occidente sole obscurius, noctu nihil.

III. [1] *Situs mutatus*, qui multipliciter accidere solet.

1. *Sursum aut deorsum*, unde dissolvitur incruciatio opticorum, vel axes pyramidum in duplici plano figuntur, & omnia duplicia apparent.

2. *Ad latera*, & tum res videntur magis dextræ aut sinistræ quam sunt.

3. [21] *Versus medium & centrum.* [22] Unde propinqua rectè; remotiora non satis distinctè videntur.

4. *Ultra medium & centrum* versus opticum; & tum quæ cernere cupiunt oculis necessariò adhibent.

5. *Versus pupillam*, & [23] tum res ab oculis remoras rectiùs discernunt.

[12] *Crystallini vitia*) An Crystallinus exemptus restitui possit, & sic cæcitas, vel talium continuatio oculi curari, dubium est maximum, Nam de Aquei humoris regeneratione res clara est. In læsione oculi consimili *R. finkius* aquam calcarippæ unice adhibebat; Sufficiat nulla alia ratione restitutionem fieri posse quam principaliter quidem à natura morborum cum primis homini medicatrice, adjuta medicamentis traumaticis, oculi archeo amicis & specificis, prohibita inflammatione & suppuratione: unde *aqua chelidonia*, vel consimilis, ob vim aquosam repellit & roborat, ob vim terream refrigerat & discutit, optima est inter omnes ophthalmicas, succus etiam flavus æmulatur bilem, abstergendo insignis. *Wedelius Amœn. m. p. 132.*

[13] *Crystallini vitia sunt*) Sed & *Crystallini moles ipsa augeri* p.n. & foras prorumpere consuevit, quin imo & *extenuari*, e contrario, & intro pelli; *Hoc Atrophia*, i. e. imminutæ nutritionis symptoma est, *Illud* Intemperiei humidæ, & materiæ uberius affluentis, fortassis à capite. *Molinetti Dissert. Anat. & Pathol. p. 37.*

[14] *Glaucoma quando iste in colorem* Vide inferius §. *Soliditas & obscuritas.*

[14] *Glaucoma*) Crystallinus humor præcipuum visionis instrumentum, præ ceteris oculi humoribus suam puritatem & perspicuitatem retinere debet ut visio perfecte exerceri valeat, Et si ab ea puritate deflectat, visio plurimum læditur: Præcipuus autem affectus quo illius puritas turbatur est *Glaucoma*, seu in glaucum colorem mutatio. *Riverius.*

Non Crystalloidis solum, sed & vitrei humoris affectum esse dicit *Fernelius.*

[15] *In Glaucum colorem*) Ad colorem nigrum, qui pulchrior esse putatur oculis inducendum, & *glaucum* corrigendum, aliqui hac arte utendum censent, collyrium ex *pulvere subtilissimo avellanarum* cū *aqua* permisto, oculis sæpe indendum: Vidimus sponte aliquando cæsios oculos ætatis decursu nigriores factos, idque aliquoties. Ego vidi ante aliquot annos hominem, cui alter oculus cæsius manserat, altero in nigrum colorem mutato, quod ridiculum aspectum præbebat. Hic manu inter utrumque oculum extensa, interposita, alius atque alius esse videbatur. *Platerus.*

[16] *Cognoscitur ex &c.* Difficile à Suffusione distinguitur, quæ talem albedinem in pupilla repræsentat; unde factum est ut authores plurimi Glaucoma cum Suffusione confundant, Verum diligenter introspicientibus ex eo distingui possunt isti duo affectus, quod in Suffusione albedo in ipsa pupilla, & fere juxta corneam, in Glaucomate vero profundior appareat.

Prognosis. Incurabilis est hic affectus, præcipue in senibus, in quibus siccitas partium emendari non potest.

Si tamen non satis constet in crystallino affectum residere, sed suffusionis quædam conjectura sit, illius remedia in usum revocari poterunt. *Riverius.*

[17] *Oritur ab exsiccatione &c.*) Fit hic affectus quando humor crystallinus condensatur per exsiccationem, quæ

in senectute contingit, concurrente tamen causa aliqua exsiccante & condensante. *Riverius.* Impedimentum id accidit cum utriusvis humoris (crystallini & vitrei) substantia nimiopere crassescit. *Fernelius.*

18. *Soliditas & obscuritas*) Si ex siccitate durior & crassior evadat humor crystallinus, *Glaucedo* fit, diversa à Glaucomate; quippe illa tunc fit quando substantia crystallini glaucum colorem induit; Nisi tamen hoc fiat ex mutatione potius crystallini & non aquei humoris (lege, ut sensus cõstet, *Ex mutatione potius aquei humoris quam crystallini*) quod valde suspicor, videmus enim senum pupillas glaucum plerumq; colorem exhibere, cujus lens extracta minime particeps, & quacunq; ætate integram perspicuitatem servat. *Molinetti.*

18. *Soliditas & obscuritas*) In Pupillæ phthisin Nyctalopiæ causam, ejusdemq; differentias in causarũ diversitatẽ rejicit *Menjotius Dissert. de Phthisi Pupillæ.* Omnis porro, *ait*, Pupillæ Phthisis, propter pauciores spirituum visibilium radios, visum quidem cum de die tum de nocte imminuit, sed non æqualiter, nam interdum diu magis quam noctu, interdum noctu magis quam diu, visionem obtenebrat, ac pro causarum diversitate nunc hanc nunc illam nyctalopiæ differentiam.

Primo igitur tabescente pupilla ab exhaustu humoris aquei, quia humor crystallinus suo isto propugnaculo, seu, ut loquitur *Avicenna*, clypeo nudatus, cogitur parvo interstitio cum externa luce habere commercium, visio per noctem sublustrem, aut diem nubilum nec insolatum, minus quam alta luce hebetatur, ac proinde ægri ad amovendam luminis molestiam palpebras motitant; *Hipp.* 7. Epid. 19. vocat *oculos natantes instar nictantium*, ut appetente somno.

Secundo dicimus in phthisi pupillæ ab intemperie humida rhagoidis tunicæ contrarium fieri, nempe in lucis deliquio magis quam interdiu visionem obtundi, non quod per tenebras externum lumen, propter angustatam à morbo oculi fenestellam, in crystallinum humorem avarius influat, Nam lucem exteram, etiam temperatam oculo videnti incongruentem esse probavimus, sed potius quod pupilla in tenebris per se fieri optet [illegible], istud autem legitimum incrementum, ab illegitimo ejusdem decremento impediatur, sicque tabida pupilla plus differat à seipsa sana tenebris circumcincta in quibus distendi cupit, nec tamen sequax est, quam à semetipsa probe se habente, ac in lucido loco posita, ubi coarctationem naturaliter affectat; morbi enim quo sunt remotiores à natura partium laborantium, eo etiam nocentiores existunt.

Tertio certum est Pupilla ob inopiam spiritus animalis contabefacta, visum de nocte minus hebetem esse, quam de die, quod lux externa exiguum spirituum lumen perdat, qua de causa à morbo resurgentes, ac magis adhuc ægrotantes, lucis etiam mediocris appulsum inoffense non sustinent, quod hæc vicem gerat vehementis sensibilis sensum lædentis; debet enim objectum organo esse analogum: secus illud, etsi reipsa moderatum, sensorii debilioris λόγον καὶ, ut loquitur *Aristot. rationem solvit* & quasi symphoniam perturbat; sic visus illis infringitur qui è tenebris lucem petunt, & ob rationes supra dictas, & quia spiritus qui ad oculum in tenebris morantem pauciores affluxerant, luminis adventu facillime dissolvantur. *Menjotius.*

19. Νυκτάλωπια) Nyctalopia duos sortitur significatus plane diversos, 1°. licet rarius, sumitur pro vespertina acie, quæ ad instar bubonum, hybridum & vespertilionum noctu, aut saltem ubi diluculat, vel advesperascit, acutius, interdiu vero deterius cernitur, qui affectus rectius ἡμεραλωψ deberet appellari: 2° & quidem usitatius, nocturnam cæcitudinem designat, per quam ægri lat[illegible]nt plena luce, sed indubia luce ac crepera cernunt hebetius, per noctem vero conticiniam & intempestatem, etsi serenam ac illustrem penitus cæci sunt, quo sensu à *Galeno* in Exeg. [illegible] exponuntur οἱ τῆς νυκτὸς ἀλαοὶ Ne dixeris autem omnes promiscue qui valent ab oculis, de nocte cæcutire; nam nictalopibus & magis & citius quam sanis visio cadente Sole elanguescit, imo [illegible], si in obscuritate versentur, etsi objectum sufficienter illustretur lumine, visu nihilominus frustrantur, cum ex adverso sani oculi tenebris circundati multo [illegible]cius cernant, ut demonstravimus. *Idem.*

19. *Unde* νυκτάλωπια) Fit à spiritibus, humoribus, aut tunicis crassioribus, vel pupilla angustiore [illegible] enim omnibus majus lumen necessarium est ad re[illegible] videndum, quo deficiente in Solis occasu, vel noctu ad lucernam, parum aut nihil vident, *Hippocrates* vocat *vespertinam aciem* Nyctalopiam 2. *Prorrhet* qua affecti obscurius interdiu, noctu vero melius vident, usus tamen retinuit apud recentiores Græcos, ut Nyctalopia pro nocturna tantum cæcitate usurpe[illegible]. Fitque vespertina acies à tenuitate nimia spirituum, qui multo splendore disgregantur: vel à Pupillæ dilatatione, in qua nimium lumen interdiu oculum ingreditur, & visionem lædit, noctu ve[illegible] ex[illegible] lumen magis illustrat quam in iis qui minus [illegible]atatam pupillam sortiti sunt. *Riverius.*

19. Νυκτάλωπια) Notabile est *hepar borillum* vel *hirci*, à Coo & aliis commendari pro spe[illegible] experimentum felix in famulo suo fe[illegible] *Moe*[illegible] idemque experimentis comprobatum no[illegible] J. Th. *Schenckius lib. h. gen. cap.* 72. Vim suam exs[illegible] incrassa[illegible]ndo, unde spiritus animales quoque non tam effuse influunt; Meminimus & opiatis curatum affectum. *Wedelius Am. m. m.* 133.

19. Νυκτάλωπια) In qua hoc convenit

℞. *Sanies quæ emanat ex hepate capra* ℥ij. *sangu. perdicis* ℥j. *mellis parum, misce.*

Nidor elixati *Jecoris caprini* oculis exceptus valet, *Hepar capra* vel *hirci*, relicto felle, addatur oxydorcicis aliis cum destillantur. *Platerus.* *Spodium* le[illegible]ns magnitudine cum *oleo violar.* naribus inditum Nyctalopias cito sanare scribit *Rhases.*

Situs mutatus.

20. *Situs mutatus*) Laborare potest humor Crystallinus Situ mutato, cum nimirum latiori sua pa[illegible], quæ lentis instar compressa est, pupillæ fora[illegible] non recta opponitur, sed vel sursum declinat [illegible] deorsum; tuncque res geminæ solent apparere [illegible] unus tantum oculus hoc vitio patiatur, quia a[illegible]ritur parallelus qui in utroque [illegible]ulo idem esse debet, ut res à duobus oculis percepta eadem appareat Et si in eadem planitie constituti non sunt res geminæ apparent; quod facile experitur quicunque alterum oculum digito exprimit, vel attollit, tum enim amisso parallelo res duplices apparent. [illegible] visionis depravatio, qua objecta dup[illegible]nt, non solum ex causa proposita oritur, [illegible] à vaporibus, aut tenui pituita crystallinu[illegible] cientribus, à quibus spiritus visivi discindun[illegible], unde fit ut rei ejusdem species in duobus locis recipiatur, quod etiam in ebriis sæpe solet contingere

Secundo Situs Crystallini vitiatur, quando versus anteriora aut posteriora inclinat, de quo vitio infra, ubi *de myopia* & affectu illi contrario.

Tertio cum ad dextra vel sinistra nimium in[illegible]nat, qui affectus *Strabismus* nominatur, cum pupilla rebus videndis non directe sed oblique oppo[illegible]tur, neque ipsa in medio oculi apparet, sed ab eo declinat, ita ut in una oculi parte plus albi appareat quam in alia.

Denique ex majori vel minori inversione crystallini hæ visus depravationes possunt contingere, cum nimirum quæ recta sunt curva apparent, vel quando objecta quasi inversa videntur, quod contigit medico cuidam, ut refert *Sennertus*, qui cum scalam, librum aliquem è forulis petiturus ascenderet, & oculos sursum fortius converteret, accidit ut omnia ei postea inversa apparerent, quod ex situ crystallini mutato contigit, siquidem, post anni quadrantem, cum forte oculos sursum converteret, naturalis vitio rediit, & omnia in recto situ vidit; unde patet violento oculi motu crystallinum è sua sede dejectum simul postmodum ad [illegible] iterum transmissum fuisse.

[illegible] autem Crystallini mutationem ita contigisse [illegible]ssimo, ut hic humor sic fuerit inversus, ut pars anterior, quæ reliquis depressior est, pupillæ directe opposita non fuerit, sed potius pars illius lateralis, quæ cum globosior, & magis convexa sit, species objectorum inversas repræsentare potuit; Sicuti videmus in speculis rotundis objecta inversa apparere, Idque ea ratione contingere ex Optices præceptis docetur, quod in medio convexo & densiori, radii specierum visibilium ita refringantur, ut sese cruciatim intersecent, & qui à parte superiori objectorum feruntur, eam tanquam inferiorem repræsentent, & vice versa.

Si vero minor fuerit Crystallini inversio, ita ut tum pars crystallini depressa, tum ejusdem convexa pupillæ aliquatenus opponatur, objecta incurva apparere possunt: Quamvis etiam alia ratione fieri possit illa visus depravatio, qua objecta incurva apparent, nempe si portio humoris crystallini pituitoso humore suffundatur, tum enim ob diversam crystallini tenuitatem & crassitiem diversæ fiunt refractiones, quæ causæ sunt illius visus depravationis qua objecta incurva apparent: Hoc dilucido exemplo monstrari potest, scil. baculi, cujus media pars in aquam demersa sit, tunc enim incurvus apparet, ex eo quod portionis in aquam demersæ species, quando ex aqua in aërem defertur, utpote à medio densiori ad tenuius, refrangitur à perpendiculari: portio vero quæ est in aëre non refrangitur, quia non transit per diversa media, sicut ea quæ est in aqua, inde fit ut baculus incurvus appareat.

Eodem modo species objecti quæ fertur in portionem crystallini densiorem magis refrangitur, quàm dum fertur ad portionem illius tenuiorem, quæ scil. in statu naturali constituta est, à pituitoso humore minime suffusa; atque ita ob varias refractiones objecta incurva apparent: Cum autem in horum affectuum curationibus remedia non conferant, in iis inquirendis frustra laborandum non est. *Riverius.*

21. *Versus medium vel centrum &c.*) Affectus *Senum visio* dictus, in quo juvenes, quod senibus alias obvenire solet, oculis vicina objecta minus commode assequuntur quam remotiora; Causam esse puto Humores oculorum, ob sui exsiccationem aliquanto opaciores, Exsiccationem illam pendere arbitror à defectu Humoris Aquei ad oculos cum sanguine delati: unde quodammodo malum illud emendari posse suspicor, fotu aquæ dulcis tepidæ oculis admotæ, & forsan, ubi aqua in universo corpore desideratur, usurpatione alimentorum solito magis aqueorum; Interim succurri potest perspicillis mediocriter convexis, ac valde perspicuis. *Fr. Sylvius.*

21. *Propinqua recte, remotiora non satis distincte*) Myopiam vocant, Causam censeo, ait *Fr. Sylvius*, Humores oculorum nimis aqueos ac pellucidos, quare solet temporis tractu vitium illud in plerisque sponte corrigi quodammodo, ac minui, dum sensim exsiccantur ætate humores: Malum hoc emendari posse censet usurpatis circa oculos quæ aquosos humores blande possunt consumere, sicque oculorum humores quodammodo exsiccare, Interim succurrit usu perspicillorum concavorum.

22. *Unde propinqua recte &c.*) Myopia dicitur, Latinis Lusciositas, qua affecti notos & amicos prætereuntes non agnoscunt: Fit secundum *Galenum*, & omnium fere recentiorum doctrinam, à paucitate & tenuitate spiritus visorii, qui non eget medii illuminati copia ad perfecte visionem efficiendam, sed ab ea dissipatur; contra vero qui spiritus habent crassus, remota melius vident, quia spiritus ille crassus majori indiget collustratione, quæ in majori medii illuminati copia reperitur: Verum hæc doctrina falsissima, ex Optices ignorantia oriunda, cujus theorematis aperte demonstratur ex humoris crystallini situ diverso has visionum diversitates emergere: Cum enim species objectorum per pyramidem recipiantur in crystallino humore, ad quem conus pyramidis protenditur, si crystallinus ad anteriora & versus pupillam magis vergat, objecta remotiora melius videntur, quia ut conus pyramidis ad crystallinum perveniat, & in eo terminetur, objecta remotiora esse necesse est: Si enim ad oculum magis accedant, conus pyramidis crystallinum transgreditur, & objecta magis confusa percipiuntur; contra vero si crystallinus in profundo oculi magis situs sit, & ab Uvea tunica magis remotus, objecta debent oculis esse viciniora, ut conus pyramidis ad eum accedere valeat: Unde patet Myopiam non aliter fieri quam ex situ Crystallini profundiori, atque ita affectum hunc esse connaturalem, neque remediis superabilem. *Riverius.*

23. *Et tum res ab oculis remotas*) Affectus Myopiæ contrarius, in quo objecta remotiora melius videntur, senibus plerumque contingere solet, in quibus humoris aquei portio consumpta est, ut crystallinus ad pupillam accedat: Adde quod à longa capitis inclinatione, quæ vitæ decursu fit vel in legendo, scribendo, vel alia negotia tractando, humor crystallinus sensim ad anteriora vergit: Hæc demonstrantur usu specillorum, siquidem Myopiâ laborantes juvantur specillis concavis. à quibus radii specierum visibilium disperguntur, sicque efficiunt ut conus pyramidis longius protendatur, atque adeo res, quæ ob distantiam majorem à Myopibus percipi non poterat, postmodum percipiatur, protenso nimirum pyramidis cono usque ad crystallinum, qui antea in pupilla, vel humore aqueo, seu albugineo desinebat: Senes contra juvantur specillis convexis, quibus radii uniuntur, & conus pyramidis abbreviatur, atque ita res propinquæ melius cernuntur, quarum conus antea crystallinum pupillæ propiorem transgrediebatur. *Idem.*

Humoris Vitrei vitia.

III. 24. *Humoris Vitrei* vitia sunt.

1. *Augmentum*, quo non solum pupilla dilatatur magis, sed etiam Crystallinus obumbratur, & spiritus obtunduntur.

II. [25]. *Diminutio*, unde tunicæ corrugantur, pupilla contrahitur, & supra crystallinum decidens, spaciumque inter ipsum & tunicas, in quas splendores externi occurrunt, brevius reddens, persimilem gignit affectum eorum, qui nictando Solem intuentur. [26]. III. *Crassities*, quæ vel ab humoris, vel ab alienæ substantiæ permistione venit.

24. *Humoris Vitrei vitia sunt*) Tunica quoque ipsius, hyalo idem appellamus, crassior fieri potest, & minus diaphana, hinc læsiones multæ in visu, quibus indita nomina non sunt, cum tamen difficile non sit cognitis affectibus propria invenire nomina. *Molinetti.*

25. II. *Diminutio &c.*) Ob quam Situs illius vitiatur; qui & accidit cum quædam illius portio per ictum & contusionem ante crystallinum transfertur, unde visio obtenebratur; humor enim *Vitreus Aqueo* crassior est, atque ita species objectorum puræ & simplices ad crystallinum deferri nequeunt: Situs vitiatus cognosci potest quod sub pupilla albuminis instar appareat: A Suffusione tamen non facile distinguitur, nisi causæ antecedentes & procatarcticæ diligenter advertantur, Fit enim Suffusio à simplici humorum influxu; hęc vero humoris vitrei transfusio ab ictu & vulnere solet generari: Incurabilis est iste affectus, neque artis opera Vitreus humor ad pristinum locum reduci potest. Id tamen à natura fieri contingit, atque adeo totum negotium illi committendum. *Riverius.*

26. III. *Crassities &c.*) Humor Vitreus crystallino subjectus est; & ideo diaphanus à natura factus, ut species puræ ac limpidæ ad nervum opticum deferri possint: Si perspicuitas illius cujusvis admistione turbetur, eique opacitas inducatur, pro majori vel minori [illegible] gradu visum imminui aut aboleri necessum est Nu[illegible] signis cognoscitur, sed sola ratione fieri posse judicatur; vitreus enim humor introspici non potest, neque illius dispositio internosci: Coguntùrque Practici cum nullum vitium in oculis apparet, eum cum Gutta Serena confundere, idque sine ullo ęgrorum damno, cum humores extranei, in vitreum effusi, iisdem remediis discuti debeant. *Riverius.*

Cap. XLIV.

De Morbis Oculi globum infestantibus.

27. OCuli globum infestantes morbi sunt, *Atrophia, Procidentia, Strabismus*, quibus addi potest ex Symptomatibus, *Visus debilitas, & Cæcitas.*

27. *Oculi globum infestantes morbi sunt*) Adde his *Oculi totius inflammationem, Cancrum, Oculorum Hydropem, Inflationem.*

Oculi totius Inflammatio.

An ut Oculi Adnata membrana inflammatur, Oculus totus inflammari potest? Ejus rei historiam, una cum curatione, felici magis quam rationali, dicam ut ab amico habeo: Laborabat Parisiis quidam hac inflammatione; Chirurgus, cum discutere non posset, expectata puris maturatione oculum compunxit, semelque vacuavit omne, impositoque cum stuppa albumine ovi, intra novendium sanum præstitit oculum. *Hofmannus Instit. Med. l. 3. c. 55.*

Oculi Cancer.

Cancer ut singulis corporis partibus solet accidere, sic & oculis aliquando: Et cum ea quæ communem Cancri theoriam & praxin respiciunt è morborum externorum tractatibus desumenda sint, hic ea attingenda quæ oculum eo affectum spectant, Est is vel occultus, ad tumorum genus referendus; vel ulceratus, & ulcus cancrosum Oculi dicitur. In utroque tamen adest durities inæqualis & renitentia, color plumbeus & livescens, dolor intensus & pungitivus, Caput & tempora præsertim occupans, venæ lividæ & varicosæ in tumore & partibus vicinis apparent: Sanguis acertunus & adustus à parte affecta non raro effluit cum exulceratus est; à medicamentis tantillum calefacientibus dolor admodum exasperatur.

Incurabilis est in oculo ut & reliquis partibus cum radices egit, nisi radicitus extirpetur. *Curatio* duplex proponitur, *vera*, in cancro jam genito & parti valde radicato, quæ non potest obtineri nisi Chirurgia; Recens tamen & fere incipiens curari potest frequentibus vacuationibus humoris atrabilarii, præmissa V. S. convenienti & addita convenienti victus ratione; *Gal. 2. Glauc.* gloriatur se hunc morbum per initia sæpe sic se sanasse.

Curatio palliativa ad symptomatum mitigationem dirigitur, per dictas vacuationes & Topica convenientia 1. Victus ratio refrigerans sit & humectans, qualis humori atrabilario debetur.

2. Sanguis detrahatur è directo oculi affecti, hirudines pone aures ejusdem lateris applicentur, tum & hæmorrhoidibus, si aliquantulum tumeant, Cucurbitulæ admoveantur, & reliquæ revulsiones fiant. Purgetur & præparetur humor atrabilarius, valet præsertim *helleborus nig.* rite præparatus, cujus extracto bis aut ter exhibito Cancer incipiens à nobis aliquando sanatus est.

Hæc remedia humoris affluxum ad oculos, d[illegible] & reliqua symptomata valde imminuunt, non [illegible] tamen conferunt topica præscripta ad dolorem leniendum in Ophth: præsertim *collyria ex mucilaginibus, trochisc. albi Rhasis & tuthia præpar. cum aqu. rosar. solani & plantag.*

Aqua sequens optima.

℞. *rad. scrophul. ma. geranii Robert.* ā̄ā. *m.* ij. arnogl. solani, borrag. bugloss. *portul. euphras. beton.* ā̄ā *m.* j. *ranar. virid. & album. ovor.* ā̄ā. *n.* vij. *sem. fœnugr. & cydon.* ā̄ā. ℥j. *radices & sem. contundantur, folia incidantur, affunde aqu. rosar. & eufras.* ā̄ā. ℔j. *m. & distilla in alembico plumbeo.*

Pullorum caro ad doloris sedationem plurimum potest, & morbum ipsum aliquando hoc solo remedio curatum fuisse ajunt: *M. Cordæus comm. 7. in l. 1. Hipp. de m. m.* refert historiam mulieris cui tota dextra pars faciei cancro ulceroso diu fuit obsessa, cum variis auxiliis, hinc inde petitis, tandem ex consilio barbitonsoris sanata est admovendo parti affectæ interdiu pu[illegible] linaceos, in partes tenues latas & concidendo, & sæpius commutando: Alii admovent partes pullorum c[illegible]umbinorum sectas & adhuc tepidas: Can[illegible] confirmatu per extirpationem o[illegible] vide apud *Hildanum cent. 1. obs.* [illegible]. Riverius: Et in *Bogdani* observ. *Lyseri* cultro Anat. adnexis.

Oculo-

Oculorum hydrops.

Oculos Monachi cujusdam adeo ingentes vidi ut vix in orbita continerentur, & semper prolapsum minari viderentur; id quod ab affluxu humorum fiebat: Hic tamen præscripto cauterio potentiali ad occiput, collyriisque adstringentibus ex vitriolo albo curatus fuit. *P. Borellus obs. 51. cent. 4.*

Oculorum Inflatio.

Inflatio, Ἐμφύσημα, geminam habet significationem, generalem & specialem.

Generaliter sumpta eadem est cum πνευματώσει, seu ἐμπνευμάτωσει, quæ flatulenti spiritus est in aliqua cavitate collectio, differtque ab œdemate, materia, loco & accidentibus, ex *Galeno* 14. *m. m.* 7.

Materia, quia Oedemata fiunt ex humore pituitoso, Ἐμφύσημα ex spiritu flatulento.

Loco, quia Oedemata accidunt partibus quæ nullam sensibilem cavitatem habent, Ἐμφυσήματα sæpius in sensibili, eaque interdum maxima cavitate continentur, v. g. ventriculo, utero, intestinis, cavitate abdominis: Aliquando tamen etiam fiunt ex flatibus sub cute, aut membranis, quæ ossa, musculos & viscera tegunt, coacervatis.

Accidentibus, quoniam Oedemata prementibus cedunt digitis pressaque vestigia retinent, Emphysemata nequaquam: deinde quia Oedemata percussa nullum edunt sonum, *Emphysemata* vero pulsata tympani in modum sonant, veluti in illa hydropis specie liquet quæ Tympanitis appellatur.

Specialiter acceptum *Emphysema*, est *Oculorum affectus* de quo impræsentiarum sermo, quem partim *Actuarius* 2. *m. m.* 7. partim *Aëtius tetr.* 2. *serm.* 3. *cap.* 12. describunt.

Sic enim *Actuarius*. *Tumores molliores Oedemata* nominantur, *Inflationes Emphysemata* vocant.

Dissident autem quod illi ex ictu fiant, & circa palpebras insideant, Inflationes vero à solo crasso spiritu in palpebris conflentur; suntque Tumores quidam molliusculi quales Græci οἰδηματώδεις nominant.

Sic autem *Aëtius*, Medici dicunt inflari Oculos, cum absque manifesta causa intumescunt, & decoloratiores pituitosioresque ac fortiter pruriginosi fiunt cum fluxione: *Addit insuper* contingere Inflationem plerumque senioribus, pruritu à naso ad angulum incipiente, velut si quis à musca aut culice sit commorsus; & esse hanc affectionem in æstate frequentem.

In *Curatione* respiciendum est ad *causam*, scilicet ad serum & flatus, Emphysemati vero addenda Topica quæ calefaciunt, discutiunt, flatusque dissipant.

Ejusmodi sunt *majorana*, *salvia*, *rosmar. ruta*, *origan. calaminth. pulegium satureia, thymus*, *flores chamom. meliloti*, summit. *anethi*, *chelidon. maj. euphragia*, semina *anis. fœnic. carvi*, *cumin. anethi*, *coriandr. pet.* baccæ *lauri*, *juniperi*. Ex quibus simplicibus in *vino* decoctis *Fomenta* parantur.

In Officinis extant Olea *salv. ruta*, *aneth. laurin. juniper.* quibus adjungi possunt in parva quantitate *Olea chymic. parata*, *aneth. fœnic. ruta*, *rosmar. salvia*, *carvi*.

Si Emphysema oriatur à contactu *Urticæ succo esulæ aut tithymali*, aut re alia urente, admovenda sunt palpebris aquæ, succi, olea, linimenta, unguenta v. g.

Aquæ *plantag. solani*, *papav. errat. rosar. alb. sempervív. lactuca*, *nymph. violar. sperm. ranar. sambuc. portulac. rorismar. flor. fragor. omnium flor.*

Olea *rosar. sambuc. violar. plantag. nymph. ranar, solani.*

Unguenta, *rosat. alb. camphor. popul. refriger. Galeni, violar. liquirit. Freder. Episcopi.*

Sal saturni cum aliqua dictarum aquar.

Mucilag. *sem. cydon.* aut *psyllii* cum aquis dictis, addita *camphora*.

Si Emphysema proveniat ex ictu *Araneæ*, venenum extrahendum est linteolis imbutis sequent.

Aq. scord. aristoloch. scorzon. angelica, *imperat. petasit. gentiana*, *succisa*, *valeriana*, *hyperici*, *zedoar.*

Si idem ortum sit ab ictu *Apum*, *Vesparum*, *Culicum*, aculeus extrahendus est, lamina ferrea aut plumbea imponenda, donec dolor fuerit sedatus; postea resolvens & discutiens aliquod admovendum, Aut ipsa *insecta*; sicut & *musca* contrita imponenda, Oleum *momordica* primas tenet.

Inflatio Oculorum alia.

Præter Oculorum Inflationem tradit *Aëtius tetr.* 2. *serm.* 3. *c.* 13. tumorem alium Palpebrarum, in quo Palpebra forinsecus elevatur, decoloratior est & gravior ægreque mobilis, itemque dum pallidior apparet; aliquando etiam album palpebræ aliquantulum excedit nigrum: Est autem Tumor laxus, forinsecus circa palpebram obortus, qui digito pressus cito redit, & cito rursus repletur, Est & utplurimum citra dolorem, & concolor naturali habitui, Est autem plerumque a fluxione aquosa.

Tumores istos laxos & concolores, curat *Aëtius* catharticis, clysteribus, apophlegmatismis, linimentis & fomentis digerentibus cum spongia applicitis: *Sebizius man. p.* 2. *sect.* 5. *c.* 2.

Tumores hi Aquosi ortum debent lymphæ, ab impedito ejus cursu per vasa hygrophthalmica, aliis hygroblepharica, quia palpebras percurrunt. Vide *Stenonem de Glandulis &c.*

Atrophia.

I. [28] *Atrophia* est, quando oculi partes contabescunt.
[29]. *Oritur* præcipuè ab evacuatione & exsiccatione nimiâ.
[30]. *Curatur* [31]. medicamentis humectantibus, lacte imprimis muliebri imposito.

28. *Atrophia est*) A Latinis *Macies*, *Extenuatio & Diminutio oculi* vocatur: In illa totus oculus redditur minor, humilior & obscurior: Hoc enim nomine à φθίσει, tabe oculorum differt, testibus *Actuario*, *Aetio*, *Paulo*, Etenim in phthisi pupilla solum est angustior, obscurior & rugosior. In atrophia vero totus oculus minor evadit: Paulatim, *inquit Aetius*, oculus cavatur & humiliatur. *Sebizius p.* 531. *man.*

29. *Oritur*) Causam aiunt *Actuarius* & *Paulus* esse densationem à siccitate contractam. *Aetius* scribit *c.* 54. Atrophiam oculorum provenire ex vehementi capitis dolore, febribus acutis, calvæ incisione & perforatione; Verum causæ istæ possunt revocari ad unam, nimirum ad convenientis alimenti defectum, & consequenter ad siccitatem. Nam quæ causa atrophiæ est in cæteris partibus, eadem est & in oculis. Latet autem

II. 25. *Diminutio*, unde tunicæ corrugantur, pupilla contrahitur, & ſupra cryſtallinum decidens, ſpaciumque inter ipſum & tunicas, in quas ſplendores externi occurrunt, brevius reddens, perſimilem gignit affectum eorum, qui nictando Solem intuentur. 26. III. *Craſſities*, quæ vel ab humoris, vel ab alienæ ſubſtantiæ permiſtione venit.

24. *Humoris Vitrei vitia ſunt*) Tunica quoque ipſius, hyalo idem appellamus, craſſior fieri poteſt, & minus diaphana, hinc læſiones multæ in viſu, quibus indita nomina non ſunt, cum tamen difficile non ſit cognitis affectibus propria invenire nomina. *Molinetti.*

25. II. *Diminutio &c.*) Ob quam Situs illius vitiatur; qui & accidit cum quædam illius portio per ictum & contuſionem ante cryſtallinum transfertur, unde viſio obtenebratur; humor enim *Vitreus Aqueo* craſſior eſt, atque ita ſpecies objectorum puræ & ſimplices ad cryſtallinum deferri nequeunt: Situs vitiatus cognoſci poteſt quod ſub pupilla albuminis inſtar appareat: A Suffuſione tamen non facile diſtinguitur, niſi cauſæ antecedentes & procatarcticæ diligenter advertantur, Fit enim Suffuſio à ſimplici humorum influxu; hęc vero humoris vitrei transfuſio ab ictu & vulnere ſolet generari: Incurabilis eſt iſte affectus, neque artis opera Vitreus humor ad priſtinum locum reduci poteſt. Id tamen à natura fieri contingit, atque adeo totum negotium illi committendum. *Riverius.*

26. III. *Craſſities &c.*) Humor Vitreus cryſtallino ſubjectus eſt; & ideo diaphanus à natura factus, ut ſpecies puræ ac limpidæ ad nervum opticum deferri poſſint: Si perſpicuitas illius cujuſvis admiſtione turbetur, eique opacitas inducatur, pro majori vel minori illius gradu viſum imminui aut aboleri neceſſum eſt. Nullis ſignis cognoſcitur, ſed ſola ratione fieri poſſe judicatur; vitreus enim humor introſpici non poteſt, neque illius diſpoſitio internoſci: Coguntúrque Practici, cum nullum vitium in oculis apparet, eum cum Gutta Serena confundere, idque ſine ullo ægrorum damno, cum humores extranei, in vitreum effuſi, iiſdem remediis diſcuti debeant. *Riverius.*

Cap. XLIV.

De Morbis Oculi globum infeſtantibus.

27. OCuli globum infeſtantes morbi ſunt, *Atrophia, Procidentia*, *Strabiſmus*, quibus addi poteſt ex Symptomatibus, *Viſus debilitas, & Cæcitas.*

27. *Oculi globum infeſtantes morbi ſunt*) Adde his *Oculi totius inflammationem, Cancrum, Oculorum Hydropem, Inflationem.*

Oculi totius Inflammatio.

An ut Oculi Adnata membrana inflammatur, Oculus totus inflammari poteſt? Ejus rei hiſtoriam, una cum curatione, felici magis quam rationali, dicam ut ab amico habeo: Laborabat Pariſiis quidam hac inflammatione; Chirurgus, cum diſcutere non poſſet, expectata puris maturatione oculum compunxit, ſemelque vacuavit omne, impoſitoque cum ſtoppa albumine ovi, intra novendium ſanum præſtitit oculum. *Hofmannus Inſtit. Med. l. 3. c. 55.*

Oculi Cancer.

Cancer ut ſingulis corporis partibus ſolet accidere, ſic & oculis aliquando: Et cum ea quæ communem Cancri theoriam & praxin reſpiciunt è morborum externorum tractatibus deſumenda ſint, hic ea attingenda quæ oculum eo affectum ſpectant, Eſt is vel occultus, ad tumorum genus referendus; vel ulceratus, & ulcus cancroſum Oculi dicitur. In utroque tamen adeſt durities inæqualis & renitentia, color plumbeus & liveſcens, dolor intenſus & pungitivus, Caput & tempora præſertim occupans, venæ lividæ & varicoſæ in tumore & partibus vicinis apparent: Sanguis acerrimus & aduſtus à parte affecta non raro effluit cum exulceratus eſt; à medicamentis tantillum calefacientibus dolor admodum exaſperatur.

Incurabilis eſt in oculo ut & reliquis partibus cum radices egit, niſi radicitus extirpetur: *Curatio* duplex proponitur, *vera*, in cancro jam genito & parti valde radicato, quæ non poteſt obtineri niſi Chirurgia; Recens tamen & fere incipiens curari poteſt frequentibus vacuationibus humoris atrabilarii, præmiſſa V. S. convenienti & addita convenienti victus ratione; *Gal. 2. Glauc.* gloriatur ſe hunc morbum per initia ſæpe ſic ſe ſanaſſe.

Curatio palliativa ad ſymptomatum mitigationem dirigitur, per dictas vacuationes & Topica convenientia 1. Victus ratio refrigerans ſit & humectans, qualis humori atrabilario debetur.

2. Sanguis detrahatur è directo oculi affecti, hirudines pone aures ejuſdem lateris applicentur; tum & hæmorrhoidibus, ſi aliquantulum tumeant, Cucurbitulæ admoveantur, & reliquæ revulſiones fiant. Purgetur & præparetur humor atrabilarius, valet præſertim *helleborus nig.* rite præparatus, cujus extracto bis aut ter exhibito Cancer incipiens à nobis aliquando ſanatus eſt.

Hæc remedia humoris affluxum ad oculos, d[illegible] & reliqua ſymptomata valde imminuunt, non [illegible] tamen conferunt topica præſcripta ad dolorem [illegible] dum in Ophth: præſertim *collyria ex mucilaginibus, trochiſc. albi Rhaſis & tuthia præpar. cum aqu. roſar. ſolani & plantag.*

Aqua ſequens optima.

℞. *rad. ſcrophul. ma. geranii Robert.* ana. *m.* ij. arnogl. ſolani, borrag. bugloſſ. *portul. euphraſ. beton.* ana *m.* j. *ranar. virid. & album. ovor.* ana. *n.* vij. *ſem. ſœnugr. & cydon.* ana. ℥j. *radices & ſem. contundantur, folia inciduntur, affunde aqu. roſar. & euphraſ.* ana. ℔j. *m. & diſtilla in alembico plumbeo.*

Pullorum caro ad doloris ſedationem plurimum poteſt; & morbum ipſum aliquando hoc ſolo remedio curatum fuiſſe ajunt: *M. Cordaus comm. 7. in l. 1. Hipp. de m. m.* refert hiſtoriam mulieris cui tota dextra pars faciei cancro ulceroſo diu fuit obſeſſa, cum variis auxiliis, hinc inde petitis, tandem ex conſilio barbitonſoris ſanata eſt admovendo parti affectæ interdiu pu[illegible] gallinaceos, in partes tenues laras & concidendo, & [illegible] commutando: Alii admovent partes pullorum c[illegible] columbinorum ſectas & adhuc tepidas: Can[illegible] contra nopes extirpationem oc[illegible]li vide apud *Hildanum cent. 1. obſ.* Riverius: Et in *Bogdani* obſerv. *Lyſeri* cultro Anat. adnexis.

Oculorum hydrops.

Oculos Monachi cujusdam adeo ingentes vidi ut vix in orbita conninerentur, & semper prolapsum minari viderentur; id quod ab affluxu humorum fiebat: Hic tamen præscripto cauterio potentiali ad occiput, collyriisque adstringentibus ex vitriolo albo curatus fuit. *P. Borellus obs. 51. cent. 4.*

Oculorum Inflatio.

Inflatio, Ἐμφύσημα, geminam habet significationem, generalem & specialem.

Generaliter sumpta eadem est cum οἰδήματι, seu ἐμφυσήματι, quæ flatulenti spiritus est in aliqua cavitate collectio, differtque ab œdemate, materia, loco & accidentibus, ex *Galeno 14. m. m. 7.*

Materia, qoia Oedemata fiunt ex humore pituitoso, Ἐμφύσημα ex spiritu flatulento.

Loco, quia Oedemata accidunt partibus quæ nullam sensibilem cavitatem habent, Ἐμφυσήματα sæpius in sensibili, eaque interdum maxima cavitate continentur, v. g. ventriculo, utero, intestinis, cavitate abdominis: Aliquando tamen etiam fiunt ex flatibus sub cute, aut membranis, quæ ossa, musculos & viscera tegunt, coacervatis.

Accidentibus, quoniam Oedemata prementibus cedunt digitis pressaque vestigia retinent, Emphysemata nequaquam: deinde quia Oedemata percussa nullum edunt sonum, *Emphysemata* vero pulsata tympani in modum sonant, veluti in illa hydropis specie liquet quæ Tympanitis appellatur.

Specialiter acceptum *Emphysema*, est *Oculorum affectus* de qoo impræsentiarum sermo, quem partim *Actuarius 2. m. m. 7.* partim *Aëtius tetr. 2. serm. 3. cap. 12.* describunt.

Sic enim *Actuarius*, *Tumores molliores Oedemata* nominantur, *Inflationes Emphysemata* vocant.

Diffident autem quod illi ex ictu fiant, & circa palpebras insideant, Inflationes vero à solo crasso spiritu in palpebris consistentur; suntque Tumores quidam molliusculi quales Græci οἰδηματώδεις nominant.

Sic autem *Aëtius*, Medici dicunt inflari Oculos, cum absque manifesta causa intumescunt, & decoloratiores pituitosioresque ac fortiter pruriginosi fiunt cum fluxione: *Addit insuper* contingere Inflationem plerumque senioribus, pruritu à naso ad angulum incipiente, velut si quis à musca aut culice sit commorsus; & esse hanc affectionem in æstate frequentem.

In *Curatione* respiciendum est ad *causam*, scilicet ad serum & flatus, Emphysemati vero addenda Topica quæ calefaciunt, discutiunt, flatusque dissipant.

Ejusmodi sunt *majorana*, *salvia*, *rosmar. ruta*, *origan. calamenth. pulegium satureia*, *thymus*, *flores chamom. melilott*, summit. *anethi*, *chelidon. maj. euphragia*, semina *anis. fænic. carvi*, *cumin. anethi*, *coriandr. ptt.* baccæ *lauri*, *juniperi*. Ex quibus simplicibus in *vino* decoctis *Fomenta* parantur.

In Officinis extant Olea *salv. ruta*, *aneth. laurin. juniper.* quibus adjungi possunt in parva quantitate *Olea chymic. parata*, *aneth. fænic. ruta*, *rosmar. salvia*, *carvi.*

Si Emphysema oriatur à contactu *Urtica succo esula aut tithymali*, aut re alia urente, admovenda sunt palpebris aquæ, succi, olea, linimenta, unguenta v. g.

Aquæ *plantag. solani*, *papav. errat. rosar. alb. sempervir. lactuca*, *nymph. violar. sperm. ranar. sambuc. portulac. rorismar. flor. fragor. omnium flor.*

Olea *rosar. sambuc. violar. plantag. nymph. ranar. solani.*

Unguenta, *rosat. alb. camphor. popul. refriger. Galeni*, *violar. liquirit. Frider. Episcopi.*

Sal saturni cum aliqua dictarum aquar.

Mucilag. *sem. cydon.* aut *psyllii* cum aquis dictis, addita *camphora.*

Si Emphysema proveniat ex ictu *Aranea*, venenum extrahendum est linteolis imbutis sequent.

Aq. scord. aristoloch. scorzon. angelica, *imperat. petasit. gentiana*, *succisa*, *valeriana*, *hyperici*, *zedoar.*

Si idem ortum sit ab ictu *Apum*, *Vesparum*, *Culicum*, aculeus extrahendus est, lamina ferrea aut plumbea imponenda, donec dolor fuerit sedatus; postea resolvens & discutiens aliquod admovendum, Aut ipsa *insecta*; sicut & *musca* contrita imponenda, Oleum *momordica* primas tenet.

Inflatio Oculorum alia.

Præter Oculorum Inflationem tradit *Aëtius tetr. 2. serm. 3. c. 13.* tumorem alium Palpebrarum, in quo Palpebra forinsecus elevatur, decoloratior est & gravior ægreque mobilis, itemque dum pallidior apparet, aliquando etiam album palpebræ aliquantulum excedit nigrum: Est autem Tumor laxus, forinsecus circa palpebram obortus, qui digito pressus cito cedit, & cito rursus repletur, Est & utplurimum citra dolorem, & concolor naturali habitui, Est autem plerumque à fluxione aquosa.

Tumores istos laxos & concolores, curat *Aëtius* catharticis, clysteribus, apophlegmatismis, linimentis & fomentis digerentibus cum spongia applicitis: *Sebizius man. p. 2. sect. 5. c. 2.*

Tumores hi Aquosi ortum debent lymphæ, ab impedito ejus cursu per vasa hygrophthalmica, alias hygroblepharica, quia palpebras percurrunt. Vide *Stenonem de Glandulis &c.*

Atrophia.

I. [28] *Atrophia* est, quando oculi partes contabescunt.
[29] *Oritur* præcipuè ab evacuatione & exsiccatione nimiâ.
[30] *Curatur* [31] medicamentis humectantibus, lacte imprimis muliebri imposito.

[28] *Atrophia est*) A Latinis *Macies*, *Extenuatio & Diminutio oculi* vocatur: In illa totus oculus redditur minor, humilior & obscurior: Hoc enim nomine à φθίσει, tabe oculorum differt, testibus *Actuario*, *Aëtio*, *Paulo*, Etenim in phthisi pupilla solum est angustior, obscurior, & rugosior. In atrophia vero totus oculus minor evadit. Paulatim, *inquit Aëtius*, oculus cavatur & humiliatur. *Sebizius p. 531. man.*

[29] *Oritur*) Causam aiunt *Actuarius & Paulus* esse densationem à siccitate contractam. *Aëtius* scribit *c. 54.* Atrophiam oculorum provenire ex vehementi capitis dolore, febribus acutis, calvæ incisione & perforatione; Verum causæ illæ possunt revocari ad unam, nimirum ad convenientis alimenti defectum, & consequenter ad siccitatem, Nam quæ causa atrophiæ est in cæteris partibus, eadem est & in oculis. Latet autem

Atrophiæ causa aliarum partium, vel in ipsis partibus alendis; vel in sanguine, qui alere debet, vel in vasis qui alimoniam partibus advehere tenentur.

In *partibus alendis* causa hæret, quando præ imbecillitate ab aliqua intemperie contracta, aut alimentum non attrahunt, aut attractum non retinent, aut retentum non bene concoquunt, aut etiam excrementa non bene expellunt.

In *sanguine* consistit, cum is vel plane deficit, vel vitiosus adeo est ut alere nequeat, vel parcior quam ut alere sufficienter valeat.

In *vasis* posita est, quando sunt vel obstructa vel adstricta & coarctata, vel dissecta aut disrupta. *Idem.*

30. *Curatur*) Vitium istud facile quidem cognoscitur, sed curatur ægerrime, Tandem etiam, si perseveret diutius cæcitatem inducit.

Disrupta dissectaque vasa consolidari nequeunt, Obstructa & adstricta calorificis forsan, & aperientibus ac attenuantibus Topicis sanantur,

Defectus sanguinis allicientibus topicis, & cibis multum nutrientibus bonique succi curatur. Vitiosus sanguis purgantibus tollitur. *Idem.*

31. *Medicamentis humectantibus*) Quidam humectantia solum consulunt topica, ut lac muliebre, *decoctum malvæ, alth. rad. lilior. alb.* semina *malvæ, alth. lini*, fœnogr. &c. Verum pro diversitate causarum diversa requiruntur auxilia.

Aetius. Tetr. 2. serm. 3. cap. 24. ea præscribit quæ sanguinem bonum & copiosum gignunt, & quæ eum ad locum affectum attrahunt. *Prioris* generis sunt cibi εὔχυμοι καὶ πολύτροφοι, vinum tenue Lituhium: *Posteriores* Fomenta ea aqua calida, ex spongiis oculi admovenda: Lac tepidum oculis infundendum, Capitis ex aqua tepida perfusiones: Exercitia partium superiorum spiritus cohibitio. *Paulus* corpus exercet, caput fricat, faciem & oculos calida abluit, caput unguento aliquo calefactoriæ inungit; oculos denique excalfaciente & acriore medicamine sublinit. *Idem.*

Oculi Procidentia.

II. 32. *Procidentia*, 33. quando oculus vel ex sua orbita præter modum eminet; vel etiam ita ut à palpebris tegi nequeat excidit.

34. *Oritur* à Causis tam 35. externis, ictu, tubarum inflatione, strangulatione, partu laborioso &c. 36. quàm internis, Musculorum aut nervorum resolutione, Tumore oculum extrudente, &c.

37. *Curatio* respicit.

1. 38. Oculi in suam sedem *repositionem*: si fieri non potest, 39. totalem ablationem.

2. *Ejusdem* in sua sede *detentionem*, 40. per fomenta ex adstringentibus, rosis nempe, balaustiis & acacia composita. Nec tamen Venæ sectionis obliviscendum, & inflammatio repellenda.

41. Si resolutio est in causa, Apophlegmatismi prosunt.

32. *Oculi procidentia*) Affectus iste ab *Actuario m. m. l. 2. c. 7.* à *Paulo l. 3. c. 22.* ἐκπιεσμὸς, Oculi expressio, prominentia πρόπτωσις prolapsus appellatur, quo oculi sua sede emoventur, ut exerti imposterum appareant: Interpretes *Avicennæ* illam vocant Exitum & Egressum oculi. Differt autem à Procidentia Uveæ, quia totius est oculi è sua sede dimotio, *hæc vero* Uveæ solum tunicæ, idque ob continui solutionem in cornea factam: *Paulus* vitium istud ἐκπιεσμὸν appellar, cum scil. totus oculus ita est prolapsus ut extra orbitæ cavitatem exertus maneat, non πρόπτωσιν: non quod non recte πρόπτωσις dici possit, sed ut totius oculi prolapsum ab uveæ tunicæ prolapsu distingueret; Verum hac curiosa nominum distinctione opus non est, dummodo partis prolapsæ nomen addatur. *Sebisius Man. p.* 595.

33. *Quando oculus &c.*) Oculus ex sua orbita longius prolabi vix potest, uti vero nonnihil prominere: Quod si ulterius feratur atque se exserat, Oculi quoque dicitur Procidentia. *Platerus.*

34. *Oritur à causis*) Causas ex *Actuario*, *Aëtio* & *Paulo* colligimus quatuor, 1. Est plurima fluxio, acervatim à capite facta. 2. *Strangulatio.* 3. Summa in athleticis certaminibus virium contentio: 4. Validus in fœminis parturientibus enixus.

Possunt autem causæ melius sic proponi.

Ad primam causarum classem, referuntur ea omnis quæ Oculum ex urbita sua [illegible] extendunt, cujusmodi sunt tubarum inflatio, valida spiritus cohibitio, vomitio crebra ac violenta, qualis esse solet in nephritide, vel cholera morbo, vel fortiorum vomitoriorum usu, tussi ferina, par[illegible] difficili, fæcum egestione magno cum conatu instit[illegible]ta, alta vocis intentio, strangulatus & suffocatio. Nam spiritus violenter cohibitus, una cum sanguine & vaporibus ad cerebrum tendit, idque inflat, ut etiam oculi vicinæque partes, venæ cumprimis & arteriæ intumescant, suoque loco pellantur.

Ad *secundam* pertinet *paralysis* musculorum & nervorum in oculo, orta ab humoribus pituitosis & aquosis, à cerebro ad oculum confertim affluentibus.

Ad *tertiam* spectat *vulnus*, vel *ruptura tunicæ adnatæ*, quæ oculorum est ligamentum, eos in orbita sua continens: qua rupta, dissecta, aut relaxata, oculus prolabitur.

Ad *quartam* reducitur tumor aliquis in interiore oculorum parte natus: Oculos namque ex orbita sua quasi exturbat. *Sebisius ibid.*

35. *Oritur à Causis tam externis*) A relaxatione oculi connexus cum sua orbita illius *Procidentia* procedit, Quæ nonnisi à causa violenta summe impellente potest proficisci, cum membranis suis & musculis adeo firmiter orbitæ suæ sit connexus, ut etiam vix, & [illegible] nonnisi magno labore in mensa appositi cocti eru[illegible]ctioneque connexus ille dissolvi queat. Ob [illegible] tamen magnam capitis, casu vel ictu, impulsi, [illegible] sua sede aliquantisper procidunt.

A vi alia viadum hoc potest accidere, licet enim per conatum magnum, in excretione alvi difficili, aut partu, aut vociferatione [illegible] oculi nonnihil extrorsum vergere, atque ob id majores apparere videantur, non tamen perseverans ipsorum est prolapsus, sed saltem prominentia, cum ex spiritus hoc impulsu in conatu eo, minime impleri aut distendi, sed saltem aliquousque musculis ipsorum tunc quoque veluti agentibus, impelli queant. *Platerus.* Ad causas externas refer ictum viciniæ oculi illarum. Vide exemplum §. 38. *Oculi in suam sedem*

Quam

[36]. *Quam internis*) A distensione oculi globi à flatibus & humiditate aliqua, in ejus interiore sede collectis, eum adeo impleri & distendi posse aliqui existimarunt, ut Procidentia illius aliqua inde sequatur: Verum cum nulla cavitas in oculo vacua inveniatur, sed undique oculus impletus suis humoribus, distensusque sit, nec via detur qua hæc eum subire possint, nec hæc in oculo congeri, nec aliunde eo corrivari possint, hoc concedere minime possumus. *Platerus.*

[37]. *Curatio respicit*) Curatio pro ratione causarum variat, sicuti ex *Paulo* & *Aetio* constat, Oportet autem omnium primo oculum in orbitam suam reponere, deinde illi stuppas vel linteola duplicata, triplicata, quadruplicatave, decoctis vel aquis adstringentibus & repercutientibus imbuta applicare; tum ne iterum procidat, decenter ligare: Tum Cucurbitulas cervici affigere.

Si *Vulnus adnata tunica* ansam præbeat mali, generalibus præmissis vacuantibus, vulnus consolidantibus curandum. *Sebisius ib.*

[38]. *Oculi in suam sedem repositionem*) Oculorum Procidentiam, quæ vix nisi ab externa vi capiti aut oculis illata procedit, cum mors plerumque sequatur, non est quod in illius cura laboremus; eoque minus cum etsi vivi manerent, hæc dissolutio ex parte facta reparari minime posset, oculusque ut in pristino statu maneret, firmari, adstringentiaque in hoc casu applicanda, potius oculum corrugando cæcitatem inducerent, quam in sua sede diutius remaneret, efficerent. *Platerus.*

Oculi tamen dextri Procidentia à calcitrone equo inducta, qui calcibus inferiorem palpebram attigit, curandam habui anno 1657. mense Junio in Nubili Parisiensi; Oculi globus omnino extra orbitam extabat; Vino is erat madidus, nec curam aggredi licuit quin saburra liberatus esset ventriculus; hic sponte sese exoneravit, & illico venam in brachio è directo aperiri jussi, ac liberalem permisi sanguinis missionem in juvene plethorico: Illico post admota occipiti derasso cucurbitula sicca, quæ momento fere temporis oculum in orbitam retraxit; Huic admotum [illegible], ut & fronti; quarta post die, illæso omnino oculo, viæ se commisit, assequuturus Dominum, qui ante quatuor dies discesserat.

[39]. *Totalem ablationem*) Quod consilium Chirurgorum est, ut excidatur, remanentibus tamen, quæ adhuc sunt superstites sunt, palpebris: Hæc operatio licet dolorifica, & periculi plena, Veteres tamen, qui erant audentiores, extremis morbis extrema adhibentes remedia tentebant: adde quod ægros habebant obedientiores patientioresque. *Sebisius.*

[40]. *Per Fomenta ex adstringentibus*) Decocta adstrictoria parantur ex *plantagine, tormentilla centinodia, hippuride, bursa pastoris*, foliis *rubi, quercus, pyror. sylv. myrthi & lentisci, mill. fol. rosar. rubrar, balaust. nuc. cupressi, baccis myrthi &c.* Aquæ stillatit. sunt *rosar. rubr. plantag. centinod. hippur. bursæ pastor. torment.* fol. *quercus. Sebisius ib.*

[41]. *Si resolutio est in causa*) Si procidentia oculi contingit ob *Paralysin musculorum*, itemque ob defluxionem aquosam, aut phlegmaticam, tunc corpus & caput purgandum; Redundantes humores per sudores evacuandi: Caput siccandum & roborandum; humores etiam quovis modo ab oculis per enemata, funiculos, cucurbitulas & scarificationes avertendi, quemadmodum in paralysi & catarrho. *Sebisius.*

Strabismus.

III. [42]. *Strabismus* [43]. est quando pupilla à medio declinat, ita ut in una oculi parte plus appareat, quàm in alia.

[44]. *Oritur*, vel à *mala* [45]. in primo ortu *conformatione*; & tum curari nequit.

Vel à *consuetudine*, quod in infantibus videre est: & tum larva faciei applicanda, foraminibus ad locum oculorum perforata, ut per ea radii visivi emittantur.

Vel à *musculorum convulsione, aut resolutione*; & tum morbus præcessit.

[42]. *Strabismus*) [illegible], Strabo Latinis; [illegible] etiam dicitur, [illegible], qui distortis oculis est: Dicitur etiam *illosus*, 2. *de caus. sympt.* 2. Notandum vero ex 4. *loc. aff.* 2. distorsionem hanc non semper esse morbosam; si enim utraque sit ad interiora non lædit visionem. Hujus rei exemplum habeo. *Hofmannus Inst. l. 3. c. 86.*

[illegible], Latine Distorsio oculorum, Obliquus aspectus dicitur, Cum quis est distortus seu perversis oculis, [illegible], Inde verbum fingitur [illegible], quod [illegible] esse, distortis esse oculis significat, à verbo [illegible], quod est verto, verso, flecto, torqueo. *Sebisius man. p. 607.*

[43]. Est *quando Pupilla*) [illegible] est secundum *Paulum* 3. c. 22. Convulsoria affectio musculorum bulbum oculi moventium; Vel, ut *Auth. Defin. Med.* habet, convulsio non omnium sed aliquorum solum musculorum, ob quam causam oculi vel sursum, vel deorsū vel ad latera, h. e. ad dextram vel sinistram, ad nares aut ad tempora moventur. *Sebisius Man. p. 607.* Idem est quod *illosis*. Haud raro sequi Epilepsiam testis est experientia. *Bruno Lex. p. 1087.*

Blancardus in Lex. aliter, Strabilismus, vel Strabismus est visus depravatio qua geminata unius rei perceptio exhibetur. Ortus à relaxatione, contractione, distorsione, nimia longitudine aut brevitate musculorum oculos moventium, unde oculi non satis acute in punctum visibile diriguntur.

[44]. *Oritur*) Monet *Actuarius* 2. *m. m. c. 7.* affectum istum ætate quidem provectioribus, quandoque ob musculorum oculos moventium convulsivam retractionem advenire, maxime tamen in infantibus, Nam cum perquam teneri sint, si à latere lucerna accensa appendatur, aut lucis alioqui splendor irradiet, qui ad se oculum pertrahat, atque hoc assidue fiat, tunc temporis progressu, quod moventes musculi etiamnum sint tenelli & delicatuli, oculus distorsionis affectum contrahit; quod alter musculorum cedat, alter convellatur, Prout hunc vel illum pati contigerit. Verum quando hoc pacto oculi non distorquentur, sed ab ortu Strabi nascuntur, id efformantis Naturæ vitio adscribi debet.

Interna autem causa est aberratio dictæ facultatis, non recte musculos oculorum motorios formantis, aut non consueto modo humorem crystallinum collocantis: Hic enim secundum lineam rectam, non secundum obliquam rebus videndis opponi debet. Debet quoq; situm habere in oculi medio, non ab eo declinare, ut in una oculi parte plus de albo appareat quam in altera, & ambo [illegible] oculorum unus [illegible] aspectus nequeat.

In causa quoque sunt convulsiones epilepticæ, quibus oculorum musculi valide contrahuntur.

Huc pertinet & paralysis, qua unus musculus resolvitur alter oppositus illi contrahitur.

Item imaginatio matris gravidæ, quæ convulsos aspexit diutius & iteratius, vel morti vicinos, mactatave ani-

malia oculos distorquentia ac pervertentia intuita est curiosius. (*Adde strabismum dari hæreditarium. Nota est familia Geneva, in qua unus e liberis unus vel alter strabo nascitur.*

Externa causa est prava consuetudo, cum scilicet oculi ad unum aliquem situm, sursum vel deorsum, ad dextram aut ad sinistram semper moventur: Hinc namque fit ut oculi illi situi assuescant, & in eo postmodum permaneant; Quæ causa in infantibus adhuc in cunis jacentibus observatur; quando oculos ad hunc vel ad illum loci situm continue movent, & quasi fixos habent. *Sebisius.*

45. *In primo ortu*) Visio læditur si ea oculi sedes, pervia & transparens, à vicinis, ut minus recte fiat, impediatur: Ut cum pupilla à nativa sede declinat; quod ab ortu quibusdam accidit, in quorum oculorum latere uno plus albi ob id apparet, ita ut ipsos *strabos* esse quilibet ex eo cognoscat, & quod cum res intueri volunt, ut recta rem rebus opponant, oculum intorquendo, adeo torvum aspectum adhibent. *Platerus.*

46. *Vel à musculorum convulsione*) Strabismus, pupilla etiam in loco naturali consistente, potest accidere per *convulsionem musculorum colli ad latus unum oculo nonnihil tracto, & ita inverso* ut pupilla eo potius respiciat; unde fit ut cum rem aliquam intueri volunt, pupillam ad eam adigant, vel caput ad latus inclinent, aut oculos oppositis sanis musculis, ut ad anteriora aliquousque rursum pupilla reducatur, retrahant. Sicuti & hi quorum oculi naturalem situm habent, hac ratione studio eos convellendo Strabonum oculos & intuitum exprimere possunt; *Qua convulsio*, nisi in vera convulsione totius corporis, epilepsia nimirum, oculis acciderit, in qua similem aspectum exhibent, ab ortu plerumque, *contractis nonnihil* potius quam *convulsis musculis*, *& eo situ permanentibus* strabonibus evenit: Eaque sola Strabismi causa ab aliis explicata fuit, cum tamen illud ipsum *pupilla in latere impressa*, & crystallino humore ex loco suo naturali amoto, ut dictum, fieri possit ut simili modo oculos distorquendores intueantur: Quæ tamen omnia *visioni* hac saltem ratione obsunt quod oculo in sita sede relicto, ea quæ à lateribus occurrunt potius quam quæ ante faciem posita videant, donec oculo eousque ducto, ut rebus ante oculos recte positis opponatur, ea etiam aspiciant. *Platerus.*

Differentiæ.

Differentias hoc malum habet aliquot I. Desumpta est à *parte affecta*, nam modo unus tantummodo oculus, & is vel dexter vel sinister, modo uterque distorquetur.

II. A *distorsione* ipsa, ceu motu, qui vel sursum vel deorsum, vel ad alterutrum latus est factus III. *ab origine*, quia quibusdam hoc vitii genus est à nativitate, nonnullis post eam accidit: *Illud* ob errorem facultatis plasticæ, *hoc* ob causam aliam. *Sebisius. Strabismum vidi ortum in puero ex illustri familia oriundum, citra ullum morbum præcedentem, alioquin sanum, spatio unius hebdomadæ consummatum.*

Visus Debilitas, Cæcitas.

IV. 47. *Visus debilitas*, 48. & *Cæcitas*. causarum magnitudine saltem differunt.

49. *Oritur* vitio 50. *aut cerebri*, 51. spiritus animales non suppeditantis, unde reliqui sensus plerumque afficiuntur.

52. Aut *Spirituum animalium*, qui lucidi, tenues, multi esse debent: & 53. Oxydorcicis, inter quæ sunt, aqua *Rorismarini* cum sale gemmæ, destillationis *Iuniperorum, nuc moschata, Myrobalani chebulæ* &c. 54. roborantur.

Aut 55. *Nervorum opticorum*, qui 56. aut sunt *angusti*, unde 57. *Gutta serena*, Germanis *der schwartze Stahr*, 58. in qua nullum planè oculorum vitium animadvertitur, nisi quod pupilla nigrior & amplior appareat

Aut *rumpuntur*, aut 59. *contorquentur*.

Aut *Humorum &* 60. *Tunicarum*: de quibus in superiorique sufficienter actum est. 61 *Cæcitas* cujusdam 62. sublata est 63. ptarmico mercuriali gr. j. pondere per nares quotidie assumpto quod fit ex mercurio vulgari per oleum vitrioli efficacissimum præcipitato. Unde vinispiritus semper recens vicies quinquies destillatione evocandus est. De Monacho barba rasa 64. visum amittente, vide magni *Bartholini centuriam epistolarum tertiam.*

47. *Visus debilitas*) *Imminuitur* nonnunquam saltem visus in aliquibus, cum rerum species, quas naturaliter visus alioquin assequi deberet, ubicunque & quandocunque non bene vel obscure vident, idque plerumque nulla causa in oculis se offerente, atque *Amblyopiam*, i.e. visus obscuritatem, hebetudinem vel caliginem, vocant; Licet aliqui, si Oculi vitio manifesto diminute veluti tenebris offusis videant, *hebetudinem* proprie magis dici existiment, & in senibus hoc vitium *Caliginem* vocent.

Huc & refertur *visionis ea imbecillitas*, cum visus *res propinquas non melius quam distas*, ut naturaliter fieri deberet, sed *vicinas oculis minus quam distantes* assequitur, & proin cum res minutas cernere volunt procul ab oculis eas [illegible] movere [illegible]untur, Vinum senescentibus familiare, quod cum [illegible]cillo, donec emendari possit, eo in rebus minutis [illegible] apprehendendis conti[illegible]ntur, ob quam [illegible]iam *senum visionem* appellare soleo.

Accidit vero & contrario modo, ut aliqui *res distas*, nondum tamen adeo ut eas sani quoque ob nimiam distantiam sufficienter videre queant, sed [illegible]uo tantum spatio, licet magna quoque sint, recte [illegible]nime possint, unde sæpe vicinos non co[illegible]n salutatos prætereunt; scripta &c. nisi [illegible]opinquent, legere possint, nisi *perspicilla* [illegible] corrigendo accommodato utantur, Iuv[illegible] ab ortu plerumque innatum, & ad extremam usque senectam permanens, qua appropinquante interdum fit ut res distantiores, quas minus in juventa vi[illegible]nt, tunc melius cernant, & quantum huc accedit, [illegible]tum propinquæ tunc visio [illegible] quam speciem *Juvenum visum* dicere soleo. Verum & [illegible], qui res nonnihil remotas minus vident, aliqui [illegible] res paulo min[illegible] [illegible] omnino ad[illegible]beant recte [illegible]ernere nequeunt, no[illegible] limis & clausis ocul[illegible]tuen[illegible] . qu[illegible] [illegible] his ad lenium usque [illegible]q, hac [illegible] vi[illegible] *Myopes* appellantur, ex quibus alii *Perspicilli* opera quoque, alii minime juvantur.

Occur-

Occurrit & alia *videndi debilitas*, quando noctu accensæ flammæ lumen parum aut fere nihil vident; interdiu vero in diei luce, nullum impedimentum visionis inveniunt, quos *Nyctalopes*; Latini *Lusciosos* appellant, Sed & in quibusdam accidit *ut noctu lumine in tenebris sine* acutius quam interdiu videant, uti *felis*: Rara affectio, quam *Vespertinam* aciem vocant: Malumus enim quæ usitata sunt nomina, resque rite designant retinere, quam ea inter se, uti fere faciunt, uno nomine plura significantes; confundere. *Platerus.*

48. *Cæcitas*) Aboletur visio quibusdam, adeo ut omni tempore & semper, nihil videant, diciturque *Cæcitas*, in qua specie si nullum vitium in oculis appareat, quod visionem impedire possit, & oculis apertis & serenis cæci sint, *Amaurosis* appellatur, nam si macula vel tunica, vel humor, circa nigrum oculi apparens *Cæcos* reddat, privatum nomen à causa obtinet. Alias vero certo tantum tempore visum amittunt, qui tamen mox iterum redit, nullo impedimento tunc quoque in oculis conspicuo, Ut cum à *causa externa* ob *splendorem*, vel tenebras, nimia vel subitanea oculis oblata aliquandiu excæcantur: Et cum ab *interna evaporatione* Oculi ita obtenebrantur, ut visio impedita primum, veluti nubecula vel fumo obstante, per quæ minuta quædam corpora, interdum colore rubra, flava vel atro tincta discurrere videntur, mox omnino aliquandiu tollatur in affectu qui *Scotoma* dicitur. *Platerus.*

50. *Aut cerebri*) *Cerebri* occasione, uti omnes sensus lædi possunt, sic & visio; Tum si aut *generatim*, aut *speciatim*, & præcipue ea sede ubi nervi optici prodeunt, affectum patiatur; vel illi ipsi nervi è cerebro producti, & ad oculum usque delati afficiantur, qui varii esse possunt: *Intemperies* frigida cæcitatem nonnunquam parit, illæsis interdum reliquis sensibus; Si ex vento frigido diu multumque fronti & oculis, quæ minus tecta injuriis magis exposita sunt, refrigeratis, frigoreque ad eam sedem usque ubi nervi optici originem trahunt penetrante, dictæ partes adeo lædantur ut cæci fiant; vel visionis postea quædam remaneat imbecillitas; quod ex oxyrrhodinorum, actu frigidissimorum nimia applicatione, in cephalalgia nobili matronæ accidisse vidi, quæ visum recuperare non potuit: Hoc quoque si ab eadem intemperie cerebrum universum lædatur accidere, sed tunc reliquos sensus simul aboleri contingit; facileque ex eo, unde causa prodit, uti & si ab externis fiat, per se cognoscitur. *Platerus.*

51. *Spiritus animales non suppeditantur*) Imbecilla Cerebri constitutio, *dissipatis & absumptis spiritibus per senium*, vel ob *morbum gravem & diuturnum*, evacuationes nimias, *sanguinis* potissimum *& seminis*, unde magna spirituum fit profusio, ob id visioni admodum incommodat; Item ob *nimias vigilias visionis imbecillitatem*, & reliquorum quoque sensuum inducit. *Platerus.*

Qui lucidi, tenues) Præter eam, quæ à spirituum defectu procedit causam, aliam hic in *spirituum crassitie* aut *subtilitate* & tenuitate quidam subtilius quam verius affingunt; Spiritus enim animalis, æthereus fere, tales mutationes minime patitur, facillime vero dissipatur, sicuti nec vitales spiritus crassescere aut attenuari quisquam fingere ausus fuit: *Platerus.*

52. *Oxydorcicis*) Ophthalmica sunt vel interna vel externa, utraque ab usu ita dicta, & quoad partes læsas, interius vel exterius obvias divisa: Interna uno nomine *Oxydorcica* dici possunt, seu visum acuentia & roborantia id quod tamen adæquate & externis competit, ut hæc quasi sint Ophthalmica præcipua & specifica proficua, ubicunque actio oculi cessat vel debilis est, tum in sensu præcipue, tum etiam in motu; Sunt scil. hæc ipsa Cephalica fere, nervina, balsamica, quæ conjunctim spiritus, humores, nervos & caput, horum fontem respiciunt, v.g præter alia cephalica, *radix valeriana, betonic, herbæ nepetha, euphrasia, verbena*, fumaria, ut cephalicas, rosmarinum, melissam non laudemus denuo, Item *cubeba, sem. anisi, fœniculi*, etiam inspiratu utilia, *lignum aloës, succinum &c.*

Externa, licet pleraque polychresta sint & mixta, paucis exceptis, possunt tamen sub certis quoque classibus speciatim recenseri, quibus ipsa velut certis quibusdam terminis absolvuntur, sunt nempe partim *Extergentia*, partim *defendentia. demulcentia & traumatica*, ipsum cumprimis bulbum, ejusque concamerationem respicientia, quod in ophthalmia, variolis, morbillis, vulneribus & punctionibus ipsis pro suffusione tollenda valet: Partim *discutientia*, ibi consistentes seu vapores & halitus, seu humores in coagulum abituros, Partim *Mixta*, seu in uno, seu in pluribus vis illa emineat. *Wedelius. Am. m. m pag.131.*

Lapidem è felle naribus inditum *Matthiolus* valde probat.

53. *Oxydorcicis*) Ex *assumptis*, quæ visioni appropriata sunt & *caput & ventriculum juvant*, sic formæ fieri possunt, Quibus si inter *alimenta* uti velimus, condiantur *Cibi* frequenter sequentibus Pulveribus & salibus.

Pulvis aromaticus utilis, quo cibi condiuntur.

℞. *cinnam.* ℥iij. *caryophyll.* ʒj. *nuc. mosch. vel macer.* ʒß. *piper. longi & nigri* ãã. ℈j. *Salis* ʒiß *m.*

Sal Oxydorcicum pro condiendis cibis.

℞. *sem. Carvi, fœnic.* ãã. ℥j. *fol. euphr. majoran.* ãã. ʒß. *piper. longi & nigri* ãã. ℈j. *salis* ʒiß *m.*

Nec *raphanus aut sinapi* adeo inter *bellaria* metuenda sunt, cum visionem prope juvent, eoque nomine assumpta conferant potius quam noceant.

Raparum coctarum, præsertim cum *semine carvi*, uti nostri parare solent usus; cum sint appropriatæ, valde conveniet.

Vinum Euphrasiatum mire ab omnibus commendatur, Quod vel *simplex* fit folia arida *in vino vel musto* infundendo: Vel ut efficacius sit & gratius, *absinthium & rad. fœniculi* permiscendo, cum nostri vino absinthite delectentur, & *Absinthium* inter *Oxydorcica* referat *Dioscorides.*

Electuarium ex *succo* paratum, qui efficaciores sunt quam plantarum folia.

℞. *succor. depurat. fœnic. euphras. verbena.* ãã. ʒiß. *majorana, rutæ* ãã. ʒj. *mellis despum. cum vino* ʒvj. *vel sacchari tantundem, coqu. cum succo ad consistentiam, addendo conserva flor. rorismar. flor. euphras.* ãã. ʒß. *flor. salv. & stœchados* ãã. ʒij. *nuc. mosch condit. n.* ij. *cinnam.* ℥iij. *caryoph. nuc. mosch. macer.* ãã. ℥j. *piper. longi. cubeb.* ãã. ʒß. *sem. fœnic.* ℥iß. *Siler. mont.* ℥j. *rad. cheliden. sicca, vel fol. illius* ℥j. *spec. diambr. ros. novella* ãã. ʒß. *Misce.* Platerus.

Hepar Hirci assatum & oculis adhibitum valet mirabiliter, vel comedatur, vel succus ex hepate asso exprimatur. *Joh. Marquardus Pr. l.2.c.17.* *Hepar hircinum*, seu *caprinum* coquito, obvelato capite, & in ollam obverso, fumus oculis excipiatur Ipsum vero hepar assidue edendum præbe. *Hollerius lib.1 Pr. c.18.*

℞. *Siler. mont.* ℔ß. *sem. fœnic.* ℔ß. *euphras.* ℔ß. *chamædr.* ℥j. *rad. cheliden.* ℥ß. *sem. anisi; apii, petros.* ãã. ʒiß. *pulegii, hyssopi. flor. borrag. gran junip. saxifrag.* ãã. ʒiß. *pulverisata cum melle* excipiantur: Vtatur mane & sero, Hoc remedio cæcus novem annor. curatus fuit. *Ph. Mullerus mirac. Chym. l 5. p 93.* Vide *Hollerium* Pr. libr.1. cap.18.

Lentiscinum oleum in pluribus Hetruriæ locis conficitur, Incolæ, ut experimento comprobatum affirmant, ad acuendam Oculorum aciem caliginesque delendas *valere*: Illud cibis commiscent. *Matthiolus.*

OOoo 4

Vinum quod ex *helenii radicibus* passim in Germania paratur, frequenter in potu sumptum mirifice visum acuit. *Idem.*

Sequentes *Tabulæ* mire visum roborant.

℞. *rad. valerian. vulg. primo statim vero collect.* ℥ß. *cortic. ligni sassafr. cinnam. sem. fœnic.* āā. ʒj. *flor. euphras. beton.* āā *p. j. nuc. mosch.* ℈j. *f. Pulvis, sacch. in aq. euphr. sol. q. s. m. f. morsuli.* Dosis ʒij. m. & v. *Item.*

℞. *rad. valerian.* ʒj. *angel. cortic. lign. sassafr.* āā. ʒij. *sem. fœnic.* ʒj. *fol. rutæ, flor. euphr. beton. prim. veris, rosmar.* āā. *p. j. concisis affunde spir. vini q. s. de quo 2. vel 3. cochl.* bis vel ter in septimana tribus horis ante prandium dentur. *Fabritius Hildani cent. 1. obs. 24.*

Pilulæ admirabiles, de quibus si singulis 15. diebus quis sumat, præcedente digestivo, mire visum clarificant & oculos roborant.

℞. *Myrobal. citr.* ℥iß. *indor. bellir. emblic.* āā. ʒß. *sem. rutæ euphr. anisi* āā. ʒj. *aloes ad pondus omn. f. cum succo fœnic. Pilul. parvæ*, da 11. vel 15. ad tempus. *Arn. Villanovanus.*

Commendatur usus *raparum* & *naporum*, si coquantur cum *salvia*, *fœnic. betonica*, vel *hyssopo*, etiam *Rapa* tota substantia prodest. *Rondeletius Pr. cap. 1. c. 57.*

Experimentum optimum ad omnia Oculorum vitia, ipsorum sanitatem conservans.

℞. *Siler. mont. majoran. euphrag. rutæ, chelid. fœnic.* āā. ℥iij. *z. c. spic. n. pip. l. caryoph. sub. pr. sarcoc. in lacte asin. nutr. ligni aloës* āā. ʒj. *fell. aquil. accipitr. hirci montana incolentis, de quocunque unum, opobals.* ʒß. *mell. ros.* ℥ij. *terendo terantur, optime miscendo, ast atque in sole liquata, & per dies xl. singula die commixta, hyeme vero per cineres non admodum calidos ad usum in vase vitreo servato, & in oculos instillato*: Est medicamentum adeo efficacis virtutis ut ætate decrepitos minima etiam legere faciat. *Ant. Fumanellus.*

54. *Roborantur*) *Conspiciliorum* usu an roboretur visio, an debilior fiat? contendunt quidam, *Petrus Monavius* in *Epist. Cratonis*, *Epist. 33.* ad *Andream Dudithum.* Eorum usum convenientem oculis plurimum commodare asserit, tantum abest, *ait*, ut detrimenti aut noxæ quid iis adferat, & quidem hoc duplici de causa, quoniam nimirum primo similitudine quadam substantiæ oculos reficiunt & in statu suo conservant, Et præterea quia radios, quibus visio perficitur, dispergi non ita subito sinunt; Oculus certe, quoad primarium visus organum, humorem crystallinum, aqueæ naturæ est, atque adeo rebus aqueis & diaphanis, veluti aqua clara, vitro, crystallo, speculis, & per consequens etiam conspicilis naturaliter gaudet; Vnde non immerito in decantatissimis *Schola Salernitana* versiculis hic etiam legitur.

Fons. speculum, gramen, hæc dant oculis relevamen.

Et *Aristoteles*, testate *Mesue*, Magno *Alexandro* consuluit, ut sæpe speculum tersum, ductum ac diu intueretur, hac enim ratione visum sese corroboraturum, & oculi defatigationem amoturum esse: *Monavio* reponit sequentia *Dudithus.*

Perspicillis uti cœpi ante aliquot menses ad candelæ lumen, quoties minutulæ literæ legendæ essent: nunc etiam magnos characteres vix sine iis lego, ac, quod dolentius est, jam de die etiam sæpe adhibere ea cogor: Itaque, de quo ante dubitabam, & ex te quærebam, nunc meo periculo edoctus, didici rectius facere eos qui nonnisi necessario ad eorum usum descendunt, tanta tam parvo temporis intervallo mutatio miraculi instar mihi visa est. *Epistol. G. Scholtzio collecta* 198.

Virum Nobi[illegible] nos novi, qui rationibus à *Monavio* add[illegible] b intempestivo in conti[illegible] ætate conspiciliorum [illegible], nondum horum ope etiam [illegible] jo-res characteres legere valet, amicos omnes obtestatus ut suo exemplo ab iis sibi caveant, nisi nec[illegible] as urgeat: ratus, nisi obtemperasset, firma adhuc se visione fruiturum.

Medicamenta Ophthalmica plurimis Oculorum affectibus conducentia.

Baccæ herbæ Paridis destillatæ, vel expressæ, ad Oculorum affectus potentissimum sunt remedium. *Osw. Crollius Basil. Chym. p. 178.*

E *Cancris & chelidonia* stupendum & mirabile Ophthalmicum sic parator, *Cancrorum oculos*, cum oru[illegible] aceto solve, præcipitatam calcem edulcora, eand[illegible]m cum succo depurato *chelidoniæ* subige, Habebis ungu[illegible]tum mirificum ad omnes oculorum affectus. *Claud. Deodatus Panth. l. 3. c. 21.*

Essentia Hirundinum mirum est Ophthalmicum contra omnes Oculorum affectus, si oculos intingant ægri guttulis hujus arcani, & interius sumant per al[illegible] quot dies ℈j. *Pet. Joh. Faber Myrothec. Spag. l. 3. c. 19.*

Pinguedo serpentis ab intestinis separata, palpe[illegible] inuncta, ad oculos hebetiores egregi[illegible] valet, q[illegible] quoque experti sumus. *Johann. Vinc.* [illegible] *cap. 8.*

55. *Aut nervorum opticorum*) Compress[illegible]l irrigato *nervorum principio*, uti *apoplexiam* fieri oste[illegible]us in qua omnes sensus simul auferuntur, sic & [illegible]c tantum circa *nervorum opticorum exortum*, vel *congressum*, ut reliquo *extra oculum* ducta fiat, quod tunc ab [illegible]um [illegible] aut *sanguinei*, aut *pituitosi* affluxu fieri necesse est, cæcitatem subito, si statim humor eo delab[illegible]tur, qui aliquando solet contingere: Frequentius tame[illegible] ab excr[illegible]mentis aqueis pituitosis cerebri, quæ in hac me[illegible]a ce[illegible]ebri basis sede, ubi *nervi optici* prorumpunt, ad infu[illegible]dibulum, quod proximum hisce nervis est, semper d[illegible]fl[illegible]unt, & una cum nervis, & prope illos [illegible] in oculi cameram & nanum amplitudinem erumpunt [illegible] *irrigatum* vel [illegible] *humectatum nervum opticum*, *amblyopia* in senibus & *pituitosis* solet accidere: Aut si ab eodem *humore* v[illegible]l re[illegible] *gerentur*, vel in *angustiis* illis *comprimantur* potiu[illegible] quam *obstruantur*, cæcitas quoque fieri [illegible]c [illegible] Quæ *visus abolitio, vel imbecillitas*, una cum *reliquorum sensuum læsione*, si vitium hoc ad illorum *exortum* vel *progressum in basi cerebri* usque producatur, accidit, v[illegible] *visus* tantum [illegible] *potissimum sedes afficiatur* aboletur, idque in *utroque oculo*, ob *nervorum opticorum congressum*, & brevem a[illegible] culum ductum, ut rarius tantum unus nervus [illegible] affici: Quod à *pituita*, seu *aquea humore* produs[illegible]us humoris in cerebro redundant[illegible] indicia pates[illegible]t, *Nervumque* affici, cum nihi[illegible] in o[illegible] appareat q[illegible] talem *visus amissionem* vel *obscuritatem* afferre po[illegible] gnoscitur; Neque enim hoc signu[illegible]n, quod [illegible] existimarunt, si *compresso* oculo æ[illegible] pu[illegible] tur, nervi vitio hoc fieri, quod i[illegible]nfluxus [illegible] lum impeditus sit, verum comperimus [illegible] animalis, non flatus instar oculum [illegible]e oculum adimpleat [illegible] sed in tert[illegible] o[illegible] persistit.

Huc quoque no[illegible] infrequens, sed a nem[illegible] recte descripta cæcitas illa[illegible] *Cæcitatem*, quæ *post convulsiones graves & frequentes* aliquando relinquitur, ref[illegible]. Quam non ab *humoris affluxu*, sed quia in magn[illegible] per paro[illegible]mos [illegible]onvulsio[illegible]um, partium omniu[illegible], atque [illegible] culorum convu[illegible]ubus, in quibus quoque sæp[illegible] vulsi atque exc[illegible] ad nodum & inflexi [illegible] arc[illegible], ctosic nimium & [illegible] nervo o[illegible] adnatoque simul co[illegible] & [illegible], *spirituisque* [illegible] *impedito*, *oculos* [illegible] [illegible] venire diligenti examine [illegible] consideratione invenimus.

Lxia

Læsa cerebri substantia, uti per apoplexiam omnium sensuum fit privatio, sic *nervo* illic *contuso*, vel *vulnerato*, quod aliquando ex *punctura juxta frontem* facta accidisse quidam testantur, *Cæcitas ob solutam continuitatem*, vel *callum relictum*, subito quoque & ob *ictum*, manifesta evenit. *Platerus*.

55. *Nervorum opticorum*) *Nervi visorii oculo jam implantati*, & retis forma dilatati occasione, visionis incommoda pleraque, cum is visionis præcipuum sit organum, eveniunt: Idque fere per consensum aliarum partium, cum illarum causa, iis quæ ad visionem requiruntur, spiritu nimirum & objecto proprio destruatur, vel recte frui minime potest; Nam alioquin oculo ita immersus munitur, ut vix dum proprio aliquo affectu, nisi consentiente cerebro afficiatur.

Destitutus spiritu animali, vel *omnino*, in *cæcitate*, vel ex parte, in *visus imbecillitate*, ob *cerebri* vel *nervi optici* affectus jam enarratos; *Refugientibus* quoque ex nervo visorio versus suum principium *spiritibus* idem accidit. In diutius presso oculo, & per consequens *visorio nervo*, humorum oculum opplentium causa interdum evenit eos postea tantisper donec spiritus rursum redeant, cæcos esse: Sed & nimis diu *otiosis in nervo visorio spiritibus*, & velut sopitis, vel cum illorum non est usus, *retrogressis*, aut *nervo* ipso *torpido* facto, in illis qui in tenebris diutissime, ut in carceribus detenti, nihil vident longo tempore, quando in lucem redeunt, visum vixdum, vel tardius vel nunquam amplius recuperant; Et cum *spiritus animalis vitalis* indesinenter opus habeat eo quoque per *syncopen* aliquantisper dissipato & spiritu animali per consensum impedito, *Visio* primum inter functionum cessationes in animo delinquentibus offuscatur, & mox cum reliquis omnibus, tamdiu donec ad se redeant tollitur.

Objecti proprii, *rerum* scil. *imaginum*, per *lucem* & *splendorem* oculum subeuntium causa, *nervus retiformis* visionis læsionem patitur, si illud nimis violenter illi offeratur, eoque adeo afficiatur, ut postea non amplius vel non recte sentiat: Ut cum à *splendore Solis*, *igne*, *fulgure*, admodum percussus, postea scintillas aliquandiu se videre existimat, & vel penitus per aliquod tempus obcæcantur oculi, vel, uti sæpe accidit, cæci postea maneant; Vel si *luce destituntur oculus*, qua extrinsecus illuminari debent, propter tenebras externas rerum species minime possit cognoscere. *Idem*.

55. *Aut nervorum opticorum*) Quando visio aboletur nullo sensibili vitio in oculis apparente, Amaurosis, Gutta serena, nominatur, Fitque dum spiritus animales à cerebro ad oculum transmeare nequeunt: Cum autem illi à cerebro per nervos opticos in oculos influant, influxus illius impedimentum in nervis opticis quærendum est.

56. *Qui aut sunt angusti*) Multis modis affici possunt Nervi optici, potissimum vero Obstructione, Adstrictione & Solutione continui: *Obstructio* communissima est & maxime ordinaria Guttæ Serenæ causa, quæ ab humore pituitoso generatur, à cerebro in nervos illabente, non secus ac alii nervi in paralysi ab eodem humore obstruuntur; ita ut consimiles affectus ratione illius obstructionis dici possint: Certum tamen est ab *Adstrictione* & *Compressione* nervorum opticorum hunc affectum etiam generari; quæ quidem *compressio* fieri potest tum ab humore pituitoso circa nervos opticos collecto, eosque comprimente; tum etiam à sanguine, pure, aliave materia in eodem loco cumulata: Unde tumores quilibet iis in partibus geniti similem affectum possunt producere: Docet enim experientia cerebri inflammationi, tum etiam phrenitidi, in febribus malignis cæcitatem, interdum in uno oculo, interdum in utroque supervenire, Et refert *Platerus* l.1. *Observat.* Cæcitatem à se visam, quæ à tumore globoso in cerebro enato, & nervos opticos comprimente ortum duxerat: Denique *vulnera capiti inflicta*, in quibus nervi optici præscinduntur, sine controversia efficiunt ut spiritus animales ad oculos amplius influere nequeant. *Riverius*.

56. *Qui aut sunt angusti*) Interceptio spirituum animalium effectus est morbi alicujus in via, supponit namque nervi optici densationem, vel constipationem; quæ aut culpa materiæ alicujus evenit, obstruentis meatus illos qui in nervo, unde sequitur privatio subita visus; Aut exsiccatam & tabescentem maternam medullarem substantiam nervi; quo casu nervum porositatibus privari arbitror, per quas spiritus in organum ferri solet, Atque species ista morbi spem omnem adimit sanationis, secus quæ à nervi obstructione dependet, si generosum simul atque prudentem Medicum offenderit. *Molinetti*.

56. *Aut sunt angusti*) Si ob *obstructionem*, eamque integram, oritur tunc cæcitas, aut omnimoda visus privatio.

Si autem obstructio fuerit imperfecta, objecta perforata se offerent oculo, quia puncta objecti, correspondentia filis obstructis, videntur nullum luminis radium reflectere; iis qui resiliunt neque untibus impressionem factam ad cerebrum usque deferre, vel saltem transmissa debilissima undulatione: quapropter puncta illa nigra apparent, & depressa instar foraminum; foramina enim ea solum de causa nigra apparent, quod absorbendo partem radiorum, minimam eorum partem ad oculos transmittunt. *Dan. Duncanus Tr. de Motu Anim.p.*313.

57. *Gutta Serena*) Vocatur affectus quidam oculorum, Ubi visus est abolitus propter nervorum opticorum angustiam, nululque vitii in oculis animadvertitur, nisi quod pupilla nigrior & amplior apparet. *Bruno in Cast.renov.*

57. *Gutta Serena*) Matronæ cuidam Gutta Serena cœcutienti medebar, dum incumberem Anatomes cadaveris mulieris infanticidæ: Quapropter diligenter in locum affectum inquisivi: Noveram, monitore *Exc. D. Malpighio*, Nervum opticum evolvi & explicari posse, atque in meditullio ipsius vasa sanguifera latere, indeque humorem exstillare, Guttæ Serenæ ausam aliquando: In hac matrona aderat sævissima cephalalgia, totum caput, maxime frontem occupans, susurrus in toto capite, sensus quidam fluctuationis &c. Itaque unice operam dedimus, ut avelleremus humorem ab hoc loco; setaceum per cervicem traduxi, crebro humeris circa deltoidem post olecranum, in carpis vesicatoria applicuimus, Pilulas cephalicas exhibuimus, tandem trageas cephalicas, quibus *radic. valerianæ* s. addidimus, diu sumendas suasimus, imperata simul accurata victus ratione, vinum aliumve potum inebriantem denegando, His aliquandiu continuatis visum integre recuperavit talpa antea cæcior, quamvis in pupilla ne minimum vitium, præter amplitudinem appareret, atque in hodiernum diem bene videt, legit, scribit. *Wepferus Tr. de Cicuta aqu.p.*127.

58. *In qua nullum plane &c.*) Dignoscitur hic affectus, quod oculi in statu naturali constituti videntur, nullumque vitium in iis conspicitur, nisi quod pupilla nigrior & amplior appareat; Verum in causarum differentiis distinguendis maxima difficultas est; licet enim à sanguine aut pure genitus affectus ex inflammatione, abscessu, aut vulnere prægresso dignoscatur, nullum tamen signum certum dari potest per quod compressionem ab humore pituitoso factam ab obstructione distinguere possimus; conjectura tamen id quodammodo assequi possumus, quandoquidem in obstructione sola nervi optici solus oculus afficitur; Si vero ejusdem

Si vero ejusdem nervi compressio fiat ab humoribus pituitosis circa oculorum radices & processus mammillares collectis, vel illa materia alias etiam cerebri partes occupat, & tunc reliqui sensus læduntur, aut eorum nonnulli; Si vero nervos tantum opticos occupat, materia pituitosa solito copiosius per nares excernitur, & gravitatis sensus in anteriori capitis parte, præsertim circa supercilia percipitur. *Riverius.*

59. *Aut consorquentur*) Vide §. *Aut nervorum opticorum.*)

60. *Tunicarum*) Membranarum oculi globum constituentium causa visio læditur, si illa in ea sede consistat quæ fusca seu nigra, ob pupillam, seu foramen oculi, interiorem cameram, nigram & opacam, aperiens, apparet: Quod foramen cum per superinductum illi cornu translucidum, splendorem externum in oculi interiora transmittat, si in ea sede ita oblitteretur ut transitus lucis in oculū impediatur, visioni obesse necessarium est: Quod vel exterioris membranæ crassæ oculo Cornu conferentis, vel subjectæ uveæ tunicæ foramen efficientis, causa accidit, illis vel separatim vel simul huic rei occasionem præbentibus. *Platerus.*

Tunica Aranea affectus.

60. *Aut tunicarum*) Huc refer Tunicæ Arachneæ morbos: *Arachneam* Crassiorem fieri, imbibita copia humoris, hinc minus diaphanam esse, & lumen ægrius transmittere aliquando contingit, Imo laxiorem redditam, ob eandem causam crispari certum est & in plicas corrugari, quibus puritas luminis offuscatur, admistis lumini umbris, atque tunc affectus inducitur quem *Αμαύρωσιν* hoc est, visus obscurantem vocant.

Quod si *Vesiculo* Arachnea corripiatur, ex affluxu scilicet materiæ acris, subinde autem coalescens Cicatrice occalescat, minus videri objecta continget, vel duplicia videri, quandoque etiam multiplicia, pro situ & modo cicatricis, quæ aliquando magis, alias minus plana est, & vel longa, ad instar pili, vel lineæ, aut etiam linearum plurium, quibus in partes veluti arachneæ superficies dividitur.

Abscedit etiam aliquando Arachnea à Crystallino; & in papulam, seu vesiculam attollitur, formam guttæ vel unionis referentem: atque hæc quo centro crystallino propior, eo magis infesta visui. *Ant. Molinetti Dissert. An. Pathol. p. 37.*

61. *Caecitas cujusdam sublata*) Ad hujus morbi curationem materia nervis impacta, vel adhærens, quæ obstructionem, vel adstrictionem efficit, evacuanda est; quod fieri non potest nisi universum corpus evacuetur; Sicuti docuit *Galenus* 4.m.m. Oculum non esse sanandum ante totum caput, neque hoc ante totum corpus.

Primo *Victus ratio* conveniens instituenda, quæ sit attenuans & modice siccans, ac t. *Aër* ad calidum siccum inclinet, crassus. frigidus, nebulosus ac pluviosus vitetur: Cibi sint boni succi; Vitentur qui crassum succum gignunt, Caro porcina, anseres, pisces, legumina, caseus, &c. quæ vaporosa & caput replent, lacticinia, aromata calidiora; *Panis* fiat cum aqua fœniculi, aut permisceantur semina ejusdem; cavendo ne lolium tritico admixtum sit, quod visui obesse tota credidit antiquitas, unde apud *Comicum* quidam alteri visus vitium exprobrans, Credo, inquit, lolio te victitare.

Condimenta ciborum extenuandi vim habeant, ut hyssopus, fœniculum, betonica, salvia, eufrasia, nux moschata præsertim, quæ cerebrum roborat, visumque clarificat, R. pa oculos ... riores reddere creditur ... ideo frequens sit ... ilius usus ... dem præstant passeres & lumbr. Lactuca & herbæ frigidæ nocent. Ciborum quantitas modica sit, cœna parcior prandio, semel aut bis in hebdomada ab ea abstinendo, In Pastu loco salis valet hic Pulvis.

℞. *Salis comm.* ℥ij. *eufras. sicca* ʒij. *nuc. mosch.* ʒ j. *cinnam.* ℈ij. *Misce.*

Post singulos pastus capiatur sequ. cochlear unum.

℞. *semin. coriandri præpar.* ℥ß. *sem. anisi, fœnic. ana* ʒij. *cinnam. nuc. mosch. ana* ʒj. *eufras. sicca* ʒiij. *sacch. rosac. duplum. f. Pulvis.*

Vinum in hoc affectu non convenit, quia vaporosum & caput replet fluxionesque promovet; Ideo *Decoctum salsapar.* bquit. dulcoratum, coriandro aromatizatum erit utilissimum; Si ob diuturnitatem affectus ægri ... longam vini abstinentiam ferre nequeant, eligatur latem minus generosum, quod utilius erit si eufrasia sicca in eo maduerit; Vel ad longum usum paretur *vinum eufragiatum*, tempore vindemiarum, eufragiam musto immittendo: *Somnus* consueto brevior sit, & decubitus, quantum fieri potest sit supinus, fugiatur meridianus: *Exercitia* sint modica. *frictiones* hanc partium inferiorum: *Alvus* sit semper laxa, & gravia animi *pathemata* fugiantur.

Curatio ab universali evacuatione inc... sequ. purgatione.

℞. *Senna mundat.* ℥ß. *sem. fœnic.* ʒ. *fol. beton eufras. & verbena ana m.ß. liquir.* ʒiij. *coqu. ad* ℥ ... *In colat. dissolve diaphan.* ʒiij. *syr. rof.* ℥j. *f. Potio.*

Phlebotomia ab omnibus fere in hoc casu r... citur, quod affectus sit chronicus, frigida intemperies cum materia pituitosa, unde metus ne cerebrum magis refrigeretur, ac major fiat pituitæ proventus causa conjuncta magis incrassetur; Quæ sententia locum habet in senibus & pituitosis; in juvenibus autem, & calido temperamento præditis, nequaquam, præsertim si ... guinis redundantis adsint notæ manifestæ: Hinc ... guinis mittendi indicationes prædictæ reperiantur, u... le erit ex *Pauli & Aetii* sententia, post V. S. in br... o, capitis venas particulares & oculis vicinas aperire, frontis, temporum, & quæ sunt in angulis oculorum juxta nasi radicem: Temporibus tamen commodius hirudines applicabuntur; quæ & pone aures admotæ conferunt: Narratur ob frontis vulnera nonnullos à cæcitate fuisse liberatos, in quibus causam verisimile est fuisse nervorum opticorum compressionem à vasis sanguine turgentibus. Hinc *Spigelius* in Gutta Serena non sine fructu mediam frontis venam pertundebat, sanguinem educendo donec sponte desineret Si mensium suppressio præcesserit (*adde & hæmorrhoidum*) ex venis inferioribus sanguis educendus, aut hirudines hæmorrhoidibus admovendæ; vel si æger hepate calidiori aut melancholico temperamento donatus sit.

Postmodum totum exacthus vacuandum Apozemate sequenti.

℞. *Rad. fœnic. Salsapar. ireos Flor. Enul. camp. ana* ... *beton. majoran. meliss. eufras. fœnic. verben. & chelid. ma. ana m. j. liquir. rasæ & passul. mundat. ana.* ℥j. *sem. anis... ana* ʒij. *senn. mundat.* ℥ij. *turb. gumm. agar. rec. troch...* ʒij. *zz. caryoph. ana* ℈j. *fl. stæch. anth. lavend. ana p j. coqu. ad quart. v. in colat. dissolve sacch. albi* ℥iv. *f. Apozema clarif. aromatiz.* ʒij. *cinnam. el. pro 4 dos. matut.* Finitis Apozematis sumantur Pilulæ sequ.

℞. *mass. Pilul. lucu maj. & cochiar. min. ana* ʒß. *Cum aqu. beton. formentur Pil. vj. deaurata, summo mane sumenda.*

Præmissa hac universali vacuatione *causa antecedente* revellenda, *conjuncta* derivanda, discutienda. Fiant *Frictiones* partium extremarum, præsertim inferiorum, horis matutinis; *Cucurbitula* scapulis & dorso sine scarificatione admovendæ, Ac præterea *Cucurbitula occipitio*

pitio cum scarificatione admota tanta efficacia humores à partibus anterioribus & nervorum principio detrahit ut nonnulli post illius applicationem quasi momento visum receperint. Eodem tempore *vesicatorium* posteriori parti cervicis admovendum, & vesicæ excitatæ diu apertæ serventur betæ aut brassicæ foliis sæpe admotis. Exsiccato Vesicatorio admoveatur *Causticum* Occipitium inter primam & secundam vertebram; vel duo caustica applicentur posteriori parti cervicis juxta 4, & 5. colli vertebram, ita ut spina dorsi utrique cauterio intermedia sit, & utrumque eodem emplastro curari valeat: *Setaceum* eidem parti admotum efficacissimum est.

Si prædicta Cauteria non profuerint, *Sutura coronali* admoveri potest *cauterium* potentiale, quod aliquando profuit reliquis non conferentibus.

Dum hæc fiunt, statim post Purgationem universalem *Diæta sudorifica* instituenda est, ex decocto *Guajaci*, *sassafras* & *radic. salsæ parillæ*, juxta methodum in *frigida cerebri* intemperiei curatione traditam; Hoc advertendo ut decocto sudorifico addantur quæ Oculos peculiariter respiciunt, ut *verbena. fœniculum; euphrasia &c.* Et ad Cerebrum potentius exiccandum *Sacculi*, dicto loco præscripti, tempore sudoris capiti admovendi, nisi nimia capitis calefactio metuatur.

Imo post Diætam sudorificam usus *thermarum* sulphurearum & bituminosarum. tum balneo, tum capitis irrigatione erit convenientissimus, cum hujusmodi aquæ ad frigidam & humidam intemperiem corrigendam, pituitam absumendam & cerebrum roborandum efficacissimæ sint.

Præter universales totius & capitis evacuationes, peculiares etiam institui possunt per *apophlegmatismos* quibus pituita per palatum è cerebro elicitur; qui quidem forma gargarismatis aut masticatorii præscribi possunt: De *Errhinis & sternutatoriis* vide inferius.

Neque sufficit Purgatione universali totum corpus ab humoribus excrementitiis semel liberare, sed in eo statu conservandum est toto curationis decursu, atque adeo purgationibus interpolatis, quæ 10 dies congeruntur excrementa educenda sunt, quod fiet Pilulis usualibus.

℞. *Aloës opt.* ℥ß. *sennæ mundat. turbith. hermodact. & agar. r. troch.* ana ʒij. *diagr.* ʒj. *macis, caryoph. & croci ori.* ana gr. vij. *irrorentur succo majoran. & chelid. maj.* deinde iterum exsiccentur in umbra, & cum *oxymell. scyll. f. massa Pilul.* Dosis ʒß. vel ℈ij. bis aut ter in mense.

Dum hæc fiunt cerebri & oculorum roborationi perpetuo insistendum, & varia medicamenta vicissim usurpanda, ne ægrum unius fastidium capiat, vel ne Natura eidem assuescat: Inter ea quæ hac virtute prædita sunt, recensentur *theriaca vetus*, quæ ʒj. pondere sumi potest hora somni, cum *aqua fœnic, euphras. chelidon.* bis aut ter in septimana, Valet *nux moschata*, mane comesta, & dentibus diu attrita ut vapor ad oculos feratur; Exspui potest post masticationem si calor viscerum metuatur: *Myrobalani conditi visum* clarificare dicuntur.

℞. *Conserv. flor. beton. anthos* ana ℥ij. *Myrobal. cond. n.* ij. *theriac. vet.* ʒij. *pulv. fol. euphras.* ʒiij. *sem. fœn* ʒij. *nuc. mosch. cinnam. caryoph.* ana ℈j. *cum syr. ex succu fœnic. rutæ chelidon. cum melle facto fiat Opiata*, detur magnitudo castaneæ *superhausto vini aqua fœnic.* diluto momento: Usurpentur *externa remedia*, quæ caput roborant, calefaciunt, exsiccant, *Pulvis cephalicus* capillis inspergendus, *Cucupha, Suffitus* &c. Denique *Topica roborantia Oculis* admovenda, nullius aut exiguæ efficaciæ, quod eorum vis ad nervos opticos penetrare nequeat. In casu desperato, *vesicatorium* toti capiti raso instar cucuphæ admotum multum aliquando profuit, etiam bis aut ter admotum, ubi priores vesiculæ & excoriationes exsiccatæ fuerint. *Riverius.*

61. *Cæcitas cujusdam sublata*) Hic affectus si absolutus sit, id est integra sit visus abolitio, ab obstructione nervi optici præsertim oriunda, plerumque incurabilis est; sicut videmus obstructiones aliorum nervorum, à quibus generatur paralysis, vix aut nunquam curari, præcipue in iis qui ætate provecti sunt.

Si vero imperfecta tantum sit obstructio, quæ visus tantum imminutionem, non autem cæcitatem efficiat, major salutis spes est, licet ea nonnisi magno labore & longissimo usu remediorum obtineri possit.

Si vero hic affectus fiat ab humoribus in anteriore Cerebri parte collectis, & nervos comprimentibus, facilius curari potest, Sic refert *Hildanus Cent. 5. Obs. 19.* Virum quendam ex sumpto vomitorio vehementi visum amisisse; eundem ejusdem medicamenti beneficio recuperasse; quandoquidem vehementis vomitorii vi humores nimium exagitati, & versus nervos opticos propulsi, eosdem comprimendo spirituum ad oculos commeatum impediebant, iisdem vero eodem medicamento evacuatis morbus solutus est.

Refert *Sennertus* de quodam studioso, cum medicamentum purgans fortius sumpsisset subito excæcatum fuisse: Idem testatur fœminas quasdam, cum in utero concepissent, ex nervorum opticorum angustiis obcæcatas fuisse, malumque hoc post 4. aut 5. menses, vel tempore partus omnino desiisse: Nos etiam nonnullos vidimus qui subito in magnam visus imbecillitatem inciderant, vacuationibus universalibus & revulsionibus quibusdam intra xv. dies fuisse restitutos; et ex facilitate curationis conjecimus humorem non intra nervi substantiam impactum, sed in cerebro tantum circa eosdem nervos congestum fuisse. *Riverius.*

61. *Cæcitas cujusdam*) Scarificationem in occipitio, adhibitis Cocurbitulis factam, visum nervi optici causa amissum, aliquando subito, hærente adhuc cucurbitula restitutum fuisse *Hollerius* scripsit.

61. *Cæcitas cujusdam sublata est*) Amaurosin perfectam, sed recentem curatam vidi mense Aprili anni 1686. in muliere quadam xxx. circiter annos nata, concubina Salarii mancipis, in pago dicto *Chatelaine* Genevæ proximo, Compendium curationis erat quærendum, Purgata fuit per Pilulas cochias & lucis, Postea nuchæ impressum setaceum, cujus efficacia post xv. dies visum omnino recuperavit; Sed supervenit copiosus mensium fluor, qui curationis celeritatem adjuvit.

62. *Sublata ptarmico*) Sed & sternutatione nimia, excitata nervorum opticorum obstructione, cæcitatem consequutam observavit & curavit *Fabritius Hild. c. 1. obs. 14.* Odoratum ablatum, tinnitum aurium &c. *Idem c. 4. obs. 14.* & Matronam sternutando mortuam obs. 12. notavit.

63. *Ptarmico*) Quæcunque affluxum cient Oculis cavenda; & inter hæc Ptarmica, totum caput concutientia, unde & sani compatiuntur oculi, comprimuntur, illacrymantur, producta sternutatione, & solicitantur, longe magis id in ægro & debili bulbo timendum est. *Wedelius Am. m. m. p. 135.*

63. *Ptarmica*) Errhina & sternutatoria damnantur, quia humores ad oculos trahunt, si tamen post exactam totius & capitis vacuationem mitiora per aliquot dies usurpentur, utilia esse poterunt; siquidem materiam morbificam nervis opticis impactam sensim derivare poterunt, neque ex profundioribus cerebri partibus quicquam elicient ad partes anteriores: alioquin in omni derivatione, quæ est evacuatio per partem af-

fectam, aut ipsi vicinam, perpetuo mentendum esset ne ad ipsam partem affectam fieret attractio, quæ tamen ab universalibus evacuationibus, quæ ipsam debent præcedere facile impeditur: Illa autem Errhina componi poterunt *ex succo betæ & majoranæ* cum vino albo extracto, in quo *manna* dissoluta fuerit. Potentius autem, & nihilominus tutum Errhinum, parari potest ex pulvere Nicotianæ, præcipue cephalicis & oxydorcicis correcto. Ab eo enim per palatum magis quam per nares pituita educitur, & cerebrum ita roboratur, ut non adeo facile humorum influxum ab aliis partibus recipiat; Illius compositio talis erit.

℞. *Nicotianæ siccæ ℥j. fol. salviæ, majoranæ, beton. eufras. flor. caryophyll. nostratu, & rosar. rubr. ana ʒj. f. Pulvis*, qui naribus attrahatur mane per aliquot dies. *Riverius*.

[64] *Visum amittente*) Nobilis quidam à multis annis assuefactus singulis matutinis diebus abluere faciem & oculos aqua frigida, hinc paulatim debilitatus & offuscatus est visus, *Fabritius Hildanus obs. 27. cent. 1.*

Oculis nociva.

Hæc porro Oculis sunt nociva, *Lactucæ folia*, quæ peculiari inimicitia iis adversantur & cibi & medicamenti vice, quia valde spiritus visorios incrassant; *Legumina omnia, semina nasturtii, anethi, cannabis, sinapi. zinziber, piper*, Radices *caparum, porri, alliorum, bulbosarum* fere omnium, *Nuces juglandes, avellanæ, castaneæ, tubera. fungi*, folia *brassicæ, betæ, Barbi*, seu *Barbiones* & *Cancri fluviatiles* à proprietate nocent oculis, ex observatione *Montani*; *Farcimina* omnia; *Capita gallinarum*, quæ cæcitatem parere creduntur. *Cibi* omnes crassi, viscosi, vaporosi, salsi, acres, flatulenti, excrementitii, dulces, facile enim bilescunt, *Panis calens, azymus*, præcipue si *lolium* sit commixtum, *Placenta* & *Lagana* cum adipe parata, *Potus* nimius *aqua, vini*, & *cerevisia hordeacea*, præsertim lupulo multo conditæ, hæc enim caput dolere facit, inflat & oculis nocet; *Somnus* nimius, *vigilia*, *Soli* ardenti se exponere, aut *Lunæ* radiis, *Venti* Australibus Septentrionalibus, Incolere loca humida, paludosa: *Pulvis, fumus & ignis, vapor* nitrosus, sulphureus, mineralis, potissimum *hydrargyri*, conversatio cum Ophthalmia laborantibus, adnotante *Bacello*; *Olea* omnia, mordicantia omnia, & quæ oculos constringunt & exasperant; *Stupefacientia & opiata externa, Sternutatoria*, sic quidam apud *Hildanum* ex sternutatorio visum amisit, læsis nervis opticis, *Vomitus* frequentes, Valida *purgantia*, Omnia nimis *lucida* & tenebricosa, *Albus* enim *color* ac lucidus dissipat spiritus visivos, *Niger* eosdem incrassat. *Schonbornius Manual. p. 37.*

Visus Depravatio.

Depravatur Visio primo, cum *res aliter quam revera sunt* illi repræsentatur, ut si ea quæ *simplicia* sunt pro *geminis* cernunt, uti *ebrii* aliquando ac[illegible], qui [illegible] pro curvis, aliove modo res formatas falso intuen[illegible], quod vitium *Hallucinatio* dicitur.

Secundo, Si res quæ non sunt se videre existi[illegible], unde hunc affectum *Imaginationem* vocant, velut in[illegible]dit in deliriis; Quod & minime capti, neque al[illegible] ægris, evenire solet interdum ut uni oculo, vel ambobus, quoque simul flocci, culices, muscæ, telæ aranearum, filamenta lanarum aliæque atomi obversari videantur; In quibus quia plerumque Nubeculam quoque [illegible] videre putant, *Nubecula* quoque hoc vitium di[illegible]tur.

Tertio huc *falsa visio* pertinet, cum citra me[illegible]tis læsionem *Colores* alii quam sunt visioni occurrunt, n[illegible] rubri, nunc flavi, nunc *virides*, aliove modo se p[illegible] luce repræsentantes; vel iidem in ambitu, & ve[illegible] culo flammæ candelæ, aut alterius [illegible] accensæ [illegible] instar coloratæ apparent; Aut *splendor ful[illegible] modo*, aliave lucentia corpuscula visioni off[illegible]t.

Quarto ad Visionis depravationem hæ q[illegible] rendæ erant, quando res quas intuentur, e[illegible] h[illegible] & stabiles sint, eas tamen circumagi in gyrum [illegible], vel aliter inclinare & subverti existimant. *Platerus Calidam intemperiem cerebri*, una cum *mentis depravatione*, visus *hallucinationem* & *imaginationem* d[illegible], in qua v[illegible] visui offeruntur falsæ rerum imagines affe[illegible], i[illegible] *phrenitide* dictum fuit. Uti & eam intemperiem quæ ex *spirituum* perturbatione in cerebro ab humoribus [illegible] nascitur, una cum *insania* & *melancholia* vi[illegible] spectra afferre ibi ostensum.

Spirituum cerebri perturbationis, vel *agitationis*, causa & ipsorum consensu cerebro quoque affecto, *visionis* [illegible] varia species prodire solent; Ut si *vapore calido, subtili*, vel *turbido*, aut *maligno* permixti non tantum me[illegible]rem pervertant, sed & visionem quoque, ita ut multa [illegible] videre existiment quæ non sunt, corrumpant, sicuti si ab ejusmodi vaporibus spiritus cerebrumque incalescant, tunc una cum delirio spectra falsa obversantur.

Sic si *narcotica* cum calore accedat vis, ut ex *evaporatione* vini, visionis hallucinatio accidi[illegible]. Sic à tetris & malignis vaporibus *ab hypochondriis in cerebrum elatis* & *mentis* & *visionis perversio* sequitur. *Platerus.*

De Aurium Affectibus.

CAP. XLV.

De Aurium Morbis.

HActenus Oculorum morbi fuere: Aurium morbi sunt, *Inflammatio, Ulcus, Vermes.*

Aurium Inflammatio.

I. [1] *Inflammatio*, seu tumor.

[2] *Cognoscitur* ex dolore pulsatili vehementissimo: rubore ad malas & tempora [illegible]se extendente, accedunt febris, deliria, motus interdum convulsivi.

[3] *Oritur* [4] à sanguine tenui & bilioso, [5] è venulis cerebri in membranas auris elapso.

[6] *Curatio* est *Dubia*, propter Symptomatum magnitudinem, [7] inprimis in juvenibus, qui tamen, si septimum diem superarunt, evadere solent: sed & pueris, qui ob sensus acrimoniam minus dolorem sustinere possunt.

[8] *Peragitur*, [9] ut in aliis inflammationibus, hæc modò observentur.

1. [10] *Venam Cephalicam* [11] ad revu[illegible]em secari debere.

2. [12] *Repellentibus* non facile utend[illegible], Si adhibentur, [14] dolorem lenientibus (ut [15] lacti muliebri & aliis) immiscenda.

3. [16] In

[16] In suppuratione [17] promovenda, ἐμβεσον ex *ficubus* in lacte coctis, & cum *axungia porci* tritis, componi.

4. Ad *ruptionem*, succum *ranunculi* cum quadruplo *lactis muliebris* facere. [18] *Hirudines* retro aures felicissimè apponi.

[19] *Dividitur* in *Profundam*, in qua, propter majorum arteriarum compressionem, major est pulsatio; & dolor, ob vicinitatem cerebri vehementior, quæque quod [20] nervus auditorius affectus sit, periculosissima est; &

Minus profundam, quæ opposito modo se habet.

1. *Inflammatio, seu Tumor*) Inflammantur etiam Aures, nempe Auris interna, ejusque membrana, meatum auditorium succingens, eidem subjectæ esse solent. *Etmuller Pr.part.1.p.136.* Labyrinthum & cochleam scribit *Riolanus* nulla prorsus membranula, ne quidem periosteo investiri, sed in iis os nudum esse ut melius resonet; Verum cum nuda ossa nullam resonantiam sentire possint necessario requiritur membranula ea nervi expansione nata, quæ eas investit, & per quam fit aëris moti sensus: quam membranulam etiam notavit *Fallopius* in Observationibus: Ad nutritionem distribuuntur per internum auditus organum arteriolæ plurimæque venulæ, ab internis anterioribusque ramis arteriæ carotidis & venæ jugularis profectæ, quæ dictarum cavitatum loca secreta variis propaginibus perreptant. *Diemerbroeck Anat. l.3.c.8.* Excitatur videlicet inflammatio in illis partibus si sanguis per arterias advectus, per venas non revehatur, sicuti in cæteris inflammationibus. Vide inferius § 5. *E Venulis cerebri in membranas auris.*

2. *Cognoscitur ex dolore &c.*) Quo gravior est Aurium inflammatio eo plures partes simul affliguntur, ut cerebrum ipsum aliquando, & quoque nervi, quos vocant auditorios: Febris vehemens & delirium non exteriorem sed interiorem aurem esse inflammatam testantur, si *Alsaharavium* audimus, Verum & externa Auris vehementissime inflammari potest, ut æger etiam febri urgeatur. *Schneiderus l. de Cat. spec.p. 171.*

3. *Oritur*) Aurium inflammationes à toto corpore, h. e. à massa sanguinea oriuntur, nunquam à membro quodam privato: Ex cerebri quidem inflammatione, aut ex simili ejus ægritudine interdum pendet; nonquâ ex stomacho, utero &c. vel inde sublatis vaporibus, vel humoribus transmissis: Vis sanguinis omnibus momentis temporis in cor confertur, confunditur inibi, cogitur ac inde dividitur in omne corpus, Ex massa sanguinea singulæ membrorum partes inflammantur.

Nec ulla Aurium inflammatio fit per viam *paulatinæ congestionis*, Sed semper per viam rheumatos, h. e. arteriis plus sanguinis portantibus: Si qua portio alimenti remanet, & illam removent statim venæ; est exigua, nec inflammationem potest movere: Flatus insunt in sanguine, & cum eo quoque in aures feruntur; non in cerebro existunt, & ex eo in aures impetum faciunt: Jam vero de vento aures possunt dolere; ut inde etiam inflammentur; non autem est intemperies sine materia; illo enim impetuoso aëre arteriæ aurium capitisque ita afficiuntur ut plus sanguinis reddant in aures, unde illa inflammatio tandem concitatur; nil nisi sanguis, & is quidem publicus, communis, ac ea illa massa promanans facit Inflammationem. *Schneiderus l. de Cap.sp.p.167.*

Inflammatio vulneribus & contusionibus hujus partis accidit, aliquando etiam aliquas febres consequitur, perinde ut pleuritis, angina, Accidit sæpe ut inflammatio meatum auditorium duobus modis invadat, 1. Ob obstructionem glandularum, à qua cum vasa comprimuntur, sanguis in iis detinetur, eademque disrumpit. 2. Ab acrimonia Ceruminis, quæ & ipsa eadem vasa dilacerare, & sanguinem ex iis elicere valet. *Jos. du Verney. Tr. de Aure p.34.*

4. *A sanguine tenui & biliosa*) Causæ inflammationis Aurium sunt vel Externæ, docente *Alsaravio*, Sol & ventus; vel Internæ, ut *φλέγμα* vel *πνεῦμα*: *Trallianus*, vocat *πνεῦμα φυσῶδες*: Hinc magna Authorum similiter sentientium turba: Sed sicut Oculorum, sic & Aurium venæ si se habent naturaliter, visum effugiunt, veniuntque sub oculos sanguine turgentes: Hic aliquando est flatibus inebriatus, Talisque etiam inflammationem excitabit, quæ jure *flatuosa* cognominari poterit: Hac, non alia ratione, flatus inflammationem facient. *Schneiderus.*

5. *E venulis cerebri in membranas auris*) Humori inflammationem aurium concitanti viam non solæ facient venæ cerebri ac membranarum cerebri: Sanioris pectoris authores sunt ij qui venas & arterias commemorant: Arteriæ invehunt sanguinem, ejus quod superest venæ revehunt; Aurium venæ & arteriæ vel internæ sunt vel externæ; *Highmorus* quoque intelligit inflammatis auribus cerebrum aliquando simul affici, ac vicissim aures cerebro inflammato, aut ad hunc modum affecto, Ille sanguis vero non est cerebri sanguis ac privatus, sed publicus: Ac arterias externas inflammationes aurium, illæso cerebro, interdum facere credi par est: *Schneiderus. p.263.*

6. *Curatio est dubia*) Certe Inflammatio Aurium est plena periculi, ait *Hippocrat. 3. Progn. 15.* Ac *C. Celsus Aurium inflammationes doloresque etiam interdum ad dementiam mortemque præcipitant*: Patet exemplo *Francisci* ij. *Galliæ Regis.* Sed si non mors semper, tamen alia & quidem graviora mala subsequi consueverunt, *Convulsio Apoplexia, Delirium* &c. Estque hæc, gravior Ophthalmia utriusque dolor quidem par esse potest, at auribus inflammatis perquam molestus est sonus internus & perpetuus, Eo mens perturbatur, somnus fit inquietus, quo homo semper intervigilans reficitur minime, hinc certe periculum intenditur: Hippocrates etiam aurium itinere fluxuoso movetur; quod si, *inquit lib de Glandulis*, ad nares defluxio de umbat, mordentur nares nihilque aliud gravius accidit, earum etenim amplæ sunt viæ; & quæ sibi auxilium ferre possint, prætereo vero minime coacervatum quod per illas fertur: At vero Aurium meatus tortuosus & angustus.

Si exterior Auricula inflammatur, minus periculosa est, ut prodit *Galenus 3. Progn. t 5.* Sic & *Avicenna*, si phlegma, *inquit*, sit in meatu interiori, sæpius sequitur periculum; quando autem dolor accidit in cartilaginibus extrinsecis, non est vehemens nec timorosa: Tunc enim, *aut. Bon. Vict. Faventinus*, nervus auditorius afficitur, non equidem ea longo intervallo cerebro copulatus, hinc mors subita, hinc delirium.

In Doloribus aurium vehementibus recidivæ contingentes occidunt, *Hippocr. 3 Progn. 16.* Ratio est, quia omnium partium inflammationes recurrentes plus periculi afferunt, sanguinis viæ fiunt ampliores, ac illa vis, qua agitur sanguis, est vehementior; Vires quoque antea fuerunt confectæ.

Joh. Rhenanus l. Urocr. hoc habet præsagium, cap. 7. *Minutissima portiuncula lutea, vel atomi urina innatantes, docent Aurium excrementum per urina meatum descendisse, & urgentes aurium dolores ostendi, sicut etiam capitis* Sed non ea quæ in urinis apparent, suntque flavi co-

oris, portiones ipsarum sordium ex auribus erunt, sed sunt massæ sanguineæ purgamenta quæ egerit Natura. Urina pallida inflammatis partibus est mali nota, & ob id non propria inflammationis aurium, ac privata, sed pene communis, Si membranæ cerebri, aut oculorum sunt vehementius inflammatæ, urina alba & pellucida est periculi haud fallax documentum: Hinc Hipp. 5. aph. 71. Quibus die 7. futura est crisis, iis urina rubram die 4. nubeculam habet; cæteraque pro ratione. Quibus pellucidæ & albæ sunt urinæ, malæ, præcipue vero in phreneticis apparent. *Schneiderus.*

6. *Curatio est dubia*) Inflammatio hæc aut *discutitur*, aut in *abscessum* abit qui ulcus aurium post se relinquit: Dum suppuratur, res non caret periculo propter febrem & conjunctum dolorem, quo interdum cerebrum ejusque membranæ periculosissime afficiuntur, sicque delirium inducitur. *Ermuller.*

7. *Imprimis in juvenibus*) Magis periclitantur vita juvenes, ait *Hippocr. 1. Epid.* Idem tradit *Trallianus*, alii, hinc *Sennertus*, Primo, *inquit*, humores in senibus sunt frigidiores, & propterea inflammationes, quæ in iis generantur, non sunt exquisitæ, nec tantum dolorem excitant: Deinde pueri ob sensus acrimoniam minus dolorem sustinere possunt, Senes vero habent sensus hebetiores, & propterea dolores non ita sentiunt; atque inde accidit ut inflammationes aurium in pueris raro ad suppurationem veniant, sed pueri fere moriantur ob doloris vehementiam antequam ad suppurationem venit inflammatio. *Hactenus Sennertus.*

Ast qui multorum curat valetudinem, sæpe hac ætate comperit etiam omnium maximas Aurium inflammationes, quibus arrepti sunt juvenes, ad suppurationem tendere cito ac feliciter, nec raro, ut *Sennertus* sentit, sed sæpius, multos, facta suppuratione sanos factos esse: *Christoph. à Vega* testem adduco, Mihi, *inquit ipse*, cum juvenis adhuc essem, 15. annos natus, vehemens auris inflammatio fuit oborta; Verum intra quartum diem ad summum pervenit vigorem, & pus erupit album. *Schneiderus.*

Ipse in uxore mea, *Johanna Spanheim*, nondum tricesimum annum adepta, Auris dextræ inflammationem curatam vidi, succedente suppuratione sub finem tertii septenarii, anno 1669.

8. *Peragitur*) Plurimi Cephalicis utuntur medicamentis: Masticatoria etiam *Sennertus* utilissima auribus proponit, ut & Errhina: Sternutamenta ad tinnitum aurium curandum idem utilissima esse ait: Sed illis cephalicis & masticatoriis fidem abrogant nostra juventa. Inflammatis auribus, si Cerebrum similiter laborat, non cerebrales sed refrigerantes quævis potiones sunt remedio: Quapropter mea via curandi, & illa vetustior, quam prodit *Sennertus*, à se distant quamplurimum.

De his, quæ abdico, cephalicis, solliciti medentes, sæpe omittunt necessaria, aut ea quæ sunt repetenda: Ac illa cuncta medēdi ratio ægris est admodum gravis, ac quoq; sumptui. *Errhina Apophlegmatismi, Masticatoria* sunt nullius usus ad inflammationes Aurium, Humor enim nō ex auris meatu in palati spatiū patēte sed vasculis ad os & ad fauces pertinentibus emittitur, Est sanguinis serum quod allicitur, Nunquam illa masticatoria isto Aurium interne pus aut saniem devocare possunt, Ac æger ipse moto aurium pure: Medentes edocet Masticatoriis nihil, nisi tenuem, lentum quidem humorem cogi exspuique: Hic impurior est interdum massa sanguinea, non emendata.

Apud *Sennertum*, mentio reperitur illarum viarum, *Per foramina in basi calvariæ organū Auditus subeuntia expurgatio humorum aures obstruentium Masticatoriis fieri potest.* Quænam sunt illa foramina? Ex foraminibus ossis occipitii humor cerebri ad oris cavum protrahi non potest, Res per se est aperta, tam manifesta loci illius cōditione. Si *Sennertus* illis verbis designat *foramen Nervi auditorii*, humor de cerebro, & de tribus illis intimis aurium cavitatibus exibit; id quod quam difficile est ad cogitandum? Si vero os Aurium est ulcere luis venereæ confectum, secus judicare licet: Ac sanguinis sero per masticatoria evocato, pus erit magis concretum, Sed si quælibet inflammata pars tenui liquore sudat, quanam via ille excluditur? hic suppuratione & dirupto apostemate simul se effundit, Absque saniei vacuatione si aurium inflammatio finitur, illud humoris genus iterum aut à venis trahitur, reduciturque in massam sanguinis, aut die tandem consumitur, quo fit ut tunc remaneat gravitas Aurium: Atque Aurium inflammatio absque suppuratione curatur, est levior, & ille humor, qui inter initia se prodit, est tenuis & paucus. *Schneiderus.*

9. *Peragitur ut in aliis inflammationibus*) Totam humorum massam contemperando, Iulepis refrigerantibus, qui fiunt ex decocto *lactucæ, portulacæ, plantaginis, acetosæ* & similium cum *syrupo limon. granatorum*, au *papav. rob. Euch. M. Pr.*

10. *Venam secari debere*) Curabitur misso prius sanguine, ea quantitate quæ tum plenitudini satisfaciat, tum humorem ad aurem affectam confluentem revellere possit, idque præmisso clystere em[olli]ente, refrigerante & laxante; Debet autem sanguis detrahi magna copia, iteratis saltem vicibus, id enim postulat morbi magnitudo & acuties; Secanda autem est vena cephalica (*aut tumentior, perinde enim est ex doctrina circulationis sanguinis*) è directo auris affectæ. Si à suppressione mensium, aut hæmorrhoidum affectus originem duxisse videatur, venæ inferiores aperiendæ, dempta prius plenitudine, per venam brachii. Imo & absentibus ejusmodi causis venarum inferiorum apertio optimam revulsionem præstabit ad opposita distantissima, Cui etiam usui conferent hirudines ano affixæ. Admodum etiam confert arteriotomia in *tēporibus celebrata*, ad dolorem atrocissimum compescendum, sanguinem fervidum & spirituosum educendo, qui symptoma illud gravissimum pruducebat. *Riverius.*

11. *Ad Revulsionem*) Revulsiones etiam commode fient per *frictiones* & *ligaturas* brachiorum & crurum, *Cucurbitulas* scapulis & dorso admotas, tum siccas tum scarificatas. *Purgatio* etiam in hoc affectu utilissima est ex cholagogis composita, humores enim biliosi sanguini permixti, eique fluxibilitatem & anathopiam conciliantes, ad inferiora retrahuntur & foras educuntur. *Riverius.*

12. *Repellentibus non esse utendum &c.*) Ego Repellentia hic penitus expello, Quid enim? Si dolor inflammatatum partium vehementer urget, materia vel multa est, vel valde acris: hæc vel sua multitudine, vel acrimonia peræque nocebit Cerebro, in quod illa, adhibitis Repellentibus regeritur; Si enim in aurium particulis, cur non etiam in cerebro concitabit inflammationem, aut parem dolorem? Si minima portio cerebri membranis contecti pernitioso; quamvis minimo, humore excruciatur, statim & reliquum ejus corpus condolescit, ut periculum tunc multo gravius reddatur; Si levior est inflammatio ac dolor, ejus curatio quoque erit facilior, Prudentis erit ad *Repellentia* minime venire; Præclare *Cicero l. 1. offic. Medici leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur*: Repellentia sunt ex genere remediorum periculosiorum, quod materiam effundant in cerebrum, in partem corporis principem, si subinde urget inflammatio, sanguis denuo detrahatur, ac potionibus refrigerantibus paululum Opii admisceatur, quo sanguinis impetus sedetur, interim & alvus fluat. *Schneiderus.*

Oxyrrhodinum à Practicis non paucis usurpatur, ex olei rosat. part. ij. & aceti parte j. quod tamen suspe-

ctum

dum esse debet, sicut & omnia quæ potenter repellunt: periculum enim ne humor defluens in cerebrum victi- mam renovedat: Estque præceptum generale, perpetuo observandum, ne partibus nobilibus vicinis inflammatis rebus repellentia admoveantur; admisceri tamen possunt leniora cum anodynis & relaxantibus, sic enim fluxionem moderate reprimunt, nec tamen eam longius propellunt, E.g.

♃. *Ol. rof. & nymph. ãã.* ℥ß. *aqu. rosar. & plantag. ãã.* ℥ß. *lactis mul.* ℥j. *mucilag. semin. psyllii & cydon.* extr. cum [illegible] *ãã.* ʒvj. M. injice in aures guttas aliquot hujus liquoris tepentis, Et circum aures lintea in eo liquore [illegible] appone. *Riverius ex Zecchio.*

adhibentur) Nonnulli ab externis remediis prorsus abhorrent, hinc *Trallianus*, *Hoc fere in universum caveas oportet ne subito in doloribus, qui ob defluxionem eveniunt, partis remedia adhibere festines, nam præterquam quod nihil [illegible] rent, etiam magis adhuc materiam attrahunt, & ut copiosius ad affectas particulas post concoctionem feratur irritant:* Et *Rabi Moyses, Gal.* sectatus, *Ego nullum pharmacum auribus dolore vexatis infundo, neque etiam per lanam instillo, nempe experientia edoctus, quod præstet neque omnino contingere donec tempore auditorium meatum; at remisso dolore*, sequor methodum *Galeni 3. K.T. c.1.*

Ex junioribus *Joh. Anglicus* c. de Rheumate, *Multa, inquit, ponit Mesues, quæ tamen non laudo, talia enim Aurem obstruentia Auditui nocent.*

Tympani rationem habet *Zwelferus, Aqua*, inquit, *Acustica Mindereri, si in usum trahi debeat, auribus nequaquam largiter infundendam esse censeo, Cum membranula super anculum & subjecta officula expansa subtilissima sit, adeoque facile rebus aut liquoribus acrioribus infusis totaliter destrui & erodi possit, auditu ex toto aboleto: Consultius proinde fore arbitror ut saltem frustulo panis triticei, è furno recenter extracti, illo inesperso, illico auribus applicetur & alligetur calide, sicque ut calore panis & aqua ipsiusa simul agente, crassi humores nervos & meatus auditorios obstruentes incidi, attenuari, atque per insensibilem transpirationem evacuari possint &c.*

Sed non omnia externa remedia sunt damnanda, Commodissimum sæpe est *Cataplasma ex lacte*, *ovo & farina* confectum ad confinia aurium admovere; hæc leniunt, calorem sanguinisque impetum compescunt: Nonnulla sunt inefficacia & parum idonea, Eligenda & hic sunt &c. *Schneiderus pagina* 200.

[14]. *Dolorem Lenientibus*) Dum prædicta remedia usurpantur, Topica continuo administranda sunt, quæ perpetuo *Anodyna* esse debent propter doloris vehementiam, cujus mitigatio reliquas indicationes superat: quorum tamen ratio haberi poterit si dictis anodynis, in statu & augmento, leniter repellentia admisceantur, in statu & declinatione resolventia.

In Dolore vehementissimo ad *Narcotica* interdum confugere cogimur, sed raro ea usurpanda sunt, & maxima cautione adhibita quia cerebro insensi sunt, *Novi quendam*, ait Galenus 3. K.T. *solo usum opio & vocem & sensum ægro ademisse, ut ne opobalsamo quidem, aut aliis injectis calefacientibus homo amplius restitui potuerit.* Si igitur magna urget necessitas, sic præscribantur.

♃. *Ol. de sem. papav.* ℥iß. *camph. opii ãã.* gr. ij. m. infillentur in aurem.

♃. *Ol. amygd. d.* ℥ij. *succi malvæ* ℥ß. *myrrhæ* ʒß. *croci* ʒß. *opii* gr. iij. *vel* iv. *m. Riverius.*

Convenit inprimis, *oleum vitellor. ovor.* quod anodynum est, & apertionem abscessus adjuvat, Item *ol. decoctionis lumbricor. terr.* vel *asellorum*, tepide auribus instillatum, aut cum bombace iisdem intincta immissum: Quo etiam facit *ol. scorpion.* vel *cancrorum fluviat.* incoquantur oleo, quod subinde efficacissimum fit ad dolores & ardores aurium curandos. *Ettmuller.*

[15]. *Ut lactis muliebri & aliis*) E.g ♃. *Lactis mul.* rec. mulcti ℥ij. *album. ovi agitati*, ut in liquorem abeat ℥ß. M. instillatepide in aurem. *Lac* solum tepide in aurem instillatum valde dolorem lenit.

♃. *fol. plantag. & solani ãã.* m. j. flor. *chamom. & melil. ãã. p. j. f. decoctio*, fumus aure excipiatur per infundibulum.

♃. *Ol. violac. nymph. & rosac. ãã.* ℥j. m: instilla tepide post suffumigium.

Aselli in prædictis oleis infusi & expressi præstantius faciunt anodynum: hæc enim animalia eximiam habent vim dolorem sedandi; eaque ratione in doloribus dentium, hæmorrhoidum, aliisque usurpantur, vel *Aselli* vivi oleis cum aqua decoquantur ad aquæ consumptionem. *Riverius.*

[16]. *In suppuratione*) Otalgia, vel inflammatio aurium, si paolo profundior sit, ordinarie quasi solet terminari ad salutem facta puris successiva ad fauces eructatione per meatum ab aurium regione ad os euntem, quod vidimus non semel; Sin minus profunde hæreat malum, sed ad exteriora vergat, solet per meatum auditorium exsudare, non negligendum ullo modo, siquidem facile, nisi exsiccantibus sedula cura adhibeatur, aliisque, & diæta ipsa, in longum tempus durare solet fluxus: *Wedelius Am. m. p.* 139.

[17]. *In suppuratione promovenda*) Emplastrum *B. Vict. Faventini* valde leudatur. Multi, *inquit J. Zecchius*, ad demulcendos Aurium dolores, à quavis causa pendentes, Emplastro illo ex cæpa utuntur, insigni interdum cum laborantium incommodo, quando præsertim dolor est in principio & à calido pendet humore: Ubi vero doloris causa frigida morbo accepta fertur, vel *inflammatio ad suppurationem* tendit, remedium profecto felicissimo cum successu administratur. Sic paratur.

♃. *Cepam sub cineribus coctam*, *butyri rec.* ℥ij. *Olei chamomel. rosac. ãã*, ℥j. *croci* ℈j. subigantur & ad formam Empl. redigantur, Temperate calidum admoveatur.

[17]. *In suppuratione promovenda*) Tumoris resolutio prius tentanda, in statu ergo olea leniter resolventia cum anodynis miscenda.

♃. *Ol. chamom. amygd. dulc. & violac. ãã.* ℥j. *olei lilior.* ℥ß. *Sed fomenta & suffumigia* potentius resolvunt, E.g.

♃. *rad. alth.* ℥j. *fol. malv. solani, hyper. ãã. m. j. sem. lini* ʒiß. *semin. malv. alth. & papav. a. ãã.* ʒij. *flor. chamom. melilot. & rosar. ãã. p. j. F. Decoctio in aqua vel lacte* pro Fotu vel suffitu.

Aqua è fraxini stipitibus educta, in aurem instillata, mire dolorem sedat ejusque causam resolvit.

Stipites fraxini virides igni admovendi, & aqua ab eorum extremitatibus stillans usui servanda.

Si Tumor resolvi non possit, sed ad *Suppurationem* tendere videatur, quod ex doloris incremento, pulsatione majore, & febre intensiore dignoscitur, naturæ motus juvandus.

♃. *residentiam prædicti Decocti, adde adip. anseris, gallinæ, medull. vituli*, mucilag. sem. psill. & fœnugr. ãã. ℥ij. *ol. chamom. viol. ãã.* ℥j. *butyr. r.* ℥ß *croci* ʒß. *m. f.* Catapl.

Cataplasma de mica panis hic etiam est convenientissimum, dolorem enim sedat & suppurationem leniter sine calefactione juvat, eaque ratione in omni phlegmone feliciter usurpatur.

♃. *medulla panis albiss.* ℔j. *coqu. in lacte caprino ad Pultis consistentiam, adde vitellos ovor. n.* ij. *olei rof.* ℥j. *croci* ℈j. *f. Catapl.*

Maxime valet Catapl. ex *cæpa Faventini. Riverius.*

[18]. *Hirudines retro aures*) A zacuto in Prax. hist. commendatæ, quas quaternario numero admovet, ac maximum levamen attulisse refert juveni sævissima auris

inflammatione laboranti: Interdum ex *eodem* obs. 64. l. 1. *Prax. adm.* ad derivandum Cucurbitula scarificata pone aures apposita, multum juvat: quod remedium ex *Hippocr.* desumpsit, *l. 2. Epid. sect. 6. Ad auris dolorem Cucurbitam affigito.*

[19]. *Dividitur in profundam &c.*) Vide Scholia ad §. 6. *Curatio est dubia.*

[20]. *Quod nervus auditorius affectus sit*) Cum dixisset *Hippocr. 13. Progn. 13.* eum qui ita affectus sit in periculo esse deliriis juxta & mortis, *Galenus in comm.* refert causam in *nervum auditorium*, Hoc cum non simpliciter verum sit, ex rei natura ita nos oportet loqui. Periculum esse ob nervum auditorium in cavitates & foramina auris internæ dilatatum in membranas, quas vidit Illustr. ab *Aquapendente*; Propter harum inflammationem dolor fit intensissimus, & longe intensior quam in oculo. *Hofmannus Instit. l. 3. c. 56.*

Ulcus Aurium.

II. *Ulcus*, [21]. quod.

Cognoscitur ex sanie & sanguine egrediente.

Oritur à rebus vel pus fundentibus, vel acrimonia sua erodentibus.

[22]. *Curatur*, quemadmodum alia ulcera. [23]. *Eluitur* vino calente, in quo rosæ & folia hederæ decocta. [24]. *Detergitur* vel vino, in quo betonica efferbuit; vel aqua mellis in qua radix hellebori albi prius ebullilt. [25]. Laudatur & *urina puerorum* destillata ad gutt. x. immissa aliquandiu retenta, & post emissa. Sed & *succus hederæ arboreæ* cum oleo lillaceo. In pueris ß. re[illegible]nq[illegible]c[illegible]dum aliquantulum naturæ malum.

[26]. *Dividitur* multifariam.

I. *Aliud* est ab abscessu rupto post inflammationem.

Aliud à [27]. mordacibus humoribus acrimonia sua aurem exulcerantibus.

Aliud à sordibus aurium diutius coërcitis.

Aliud ab acri liquore forinsecus in aurem illapso, & mordendo ulcus efficiente [illegible] curatione ad suas causas respiciendum est.

II. *Aliud* est Recens, in quo, cessantibus ad saniei effluxum capitis dolore, & sensuum perturbatione, [28]. spes curationis affulget.

Aliud [29]. Inveteratum, quod & [30]. in fistulam facile degenerat, & crustam contrahit

III. *Aliud* est [31]. *Fistulosum*, quod ex ulceris antiquitate, saniei virulentia, & carnis callositate *cognoscitur*, cui vinum in quo *thus* vel *helleborus albus* decocta prodest. *Aliud* non item.

IV. *Aliquando* sanies ex auribus, ab [32]. apostemate in cerebro rupto effluit, & tum [33]. magna primò copia exit, dein paulatim emittitur; donec omnis absumatur, Signa inflammationis Cerebri præcesserunt, & [34]. cura ad hanc obvertenda.

[35]. *Aliquando* absque apostemate [36]. in ejus venis genita sanies emittitur & tum semel exhausta iterum coacervatur, [37]. prosunt purgationes capitis. *Urina asini vel pueri* in qua rasura ligni Guajacini maduit, [38]. benè immittitur.

V. *Aliquando* sanie cessante dolor omnis evanescit. *Aliquando* sanie aut grumo sanguinis in profundo auris relicto, permanet, & tum *mundificandum* mulso cum felle tauri, *oleo amygdalarum amararum, aceto* tepefacto cum *melle* optimo, in sanguinis inprimis grumo &c.

[21]. *Quod cognoscitur ex sanie*) Quia puris effluxus interdum à cerebro fit per aures, distinctione opus est: Si enim procedat à cerebro, dolor capitis, aliaque apostematis signa præcesserunt, & primo saniei magna copia effunditur, deinde sensim minuitur, donec ex toto consumpta sit: Potest quidem magna copia effundi ex abscessu auris, sed inflammationis in aure conceptæ signa præcesserunt, huic postea ulcus succedit, quod postmodum sive ab abscessu, sive à fluxione humoris acris ducit originem, sequentibus signis innotescit: Pauca puris aut saniei quantitas sensim & continue profluit, ardor & punctionis sensus in ipsa aure percipitur, præcipue dum auriscalpium immittitur: Imo vero ulceris differentias conjectura quadam assequi poterimus, Si enim ulcus sit in osse, cognoscitur ex sanie tenui ad citrinum colorem vergente, & ex affectus longitudine: Si sit profundum, ex puris multitudine, si mundum sit, ex pure laudabili; si sordidum, ex crassitie & copia ejusdem: si virulentum, ex sanie tenui; si putridum ex fœtore puris; Si corrosivum, ex eo quod post saniem sanguis egreditur. *Riverius.*

[22]. *Curatur quemadmodum alia ulcera*) Præmissis præmittendis internis, v. g. *Purgantibus*, aut *Sudorificis*, aut *essentiis lignorum*, ulcus mundificandum, & hinc consolidandum. *Etmuller.*

[22]. *Curatur quemadmodum alia ulcera*) Si à puris acrimonia Ulcus generetur, peculiaris cura illi adhibenda est, quæ etiam convenit ulceri ab humorum influxu oriundo. Ac primum, quia ex sententia *Galeni* 4. K. T. Topica alicui membro adhibere non possumus nisi prius toto corpore repurgato, Evacuationes solennes instituendæ sunt per S. M & catharsin ægri naturæ & temperamento accommodatam, eæque per curationis decursum repetendæ quoties opus videbitur mox topica abstergentia & exiccantia usurpanda, à mitioribus ad validiora progrediendo E. g.

℞. *mellis opt vini albi antiqui āā.* ℥iv. *bulliant ad despumationem* & instillentur in aurem, cotone postmodum eodem liquore obturandam.

Deinde ut medicamentum potentius efficiatur, succum *marrubii, apii, absynth. centaur. min.* aut cyclam. cum melle admisce, leviter decoque, in aurem instilla; Vel.

℞ *Succi betæ* ℥j. *marrub.* ℥j. *mell. opt.* ʒvj. *coque parum, postea adde syr. absynth.* ℈ij. m. Fortius medicamentum sic parabitur,

℞. *Succi*

℞. *succi cyclam.* ℥. *myrrhæ* ʒj. *croci* ʒß. *thuris* ℈j. *vitri* ... ℈ß. *vini antiqui* ℥iß. bulliant leviter ad vini consumptionem, liquor bis aut ter in die infundatur.

Nota ante quamlibet liquoris infusionem aurem esse abluendam hydromelite tepido, probeque abstergendam penicillis, ex mundis linteis confectis; Vel specillo auriculari cotone obvoluto.

• *Detersum ulcus* sufficienter, ad cicatricem perducendum est medicamentis epuloticis.

℞. *aristoloch. rot. cortic. granat. & gallar. ãã.* ℥ß. coqui in æquis partibus vini & *aquæ ferrat. ad* ℔ß. *colaturæ adde succi plantag. & polygoni ãã.* ʒj. *mell. rosat.* ʒij. *m. instillentur in aurem.* Vel

℞. *thuris, myrrhæ, ãã.* ʒj. *gummi junip.* ℈ß. *sarcocoll. ladani. ãã.* ℈j. in. f. Pulvis qui excipiatur terebinth. & fiant Pastilli, supra carbones injiciendi, fumus excipiatur in aurem per infundibulum.

Vel Pulvis iste misceatur cum aliquo ex succis prædictis & auri instilletur, Vel *alumen ustum cum vino mistum* in aurem infundatur, potentissimam enim vim exsiccandi obtinet: *Valescus* se aurium ulcere laborantem Presbyterum ab octo annis curasse refert.

℞. *mellis* ℥x. *aceti* ℥viij. coque ad ignem & despuma, deinde *adde viridis æris* ʒj *m.*

Hæc remedia mane & sero in aurem infundenda sunt, & antequam instillentur, auris abluenda est sequenti decocto.

℞. *fol. absynth. alth. agrimon. ãã. m.* j. *Fiat Dec. in aq. part. aquæ fontis & vini albi sub* finem additi ad ℔ß. in colat. dissolve oxymel. simpl. ℥ ß. alum. pulver. ʒj. m. abluatur auris calide, & post exsiccetur specillo cotone obvoluto.

Si dolor excitetur à remediorum acrimonia, immittatur *ol. amygd.d. vel amarar. cum myrrha, aloë & croco*, & si major sit dolor, misce parum, *Opii* vel instilletur *Oleum ex vitellis ovor. in mortario plumbeo* subactum.

Si ulcus valde *sordidum appareat*, *ungu. Ægypt.* in succis prædictis dissolutum, usurpandum,

Denique plurimum commendatur à *Galeno*, *Aëtio*, & aliis *Scoria ferri* ad ulcus aurium potenter siccandum, *Galenus* 3. S. L. *scoriam ferri cum aceto acerrimo* tritam uel decoctam usurpat,

Hollerius Arabum præparationem magis probat, qui scoriam cum aceto terunt; post in pollinem redigunt, & cum aceto acerrimo coquunt longa coctione dum mellis crassitiem acquisierit, atque ita siccant, & in usum revocant cum melle aliisque liquoribus dissolutum. *Riverius.*

23. *Eluitur vino calente &c.*) Facta suppuratione abscessus rumpitur, & pus egreditur per auris membranam rarefactam aut erosam: Tumque æger in aurem affectam decumbere debet ut pus commode effluat, & in aurem commode infundenda quæ pus eluere.

Abstergere valent.

℞. *Decocti hordei* ℥iiij. *mellis rosac.* ℥j. m. instillentur tepide in aurem. *Riverius.*

24. *Detergitur*) Cum abscessus fuerit ruptus, injectiones adhibendæ sunt detersivæ, factæ ex *aqua hordei & mell. rosarum*, & si fortioribus opus est, decoctiones fiant ex *agrimonia, aristol.* & aliis vulnerariis cum vino albo, quibus misceantur *mell. rosar. scillit.* Si ulcus putridum sit & valde sordidum, tinctura aloës utilis esse potest, facta cum spiritu vini, & si admodum profundum est, *Balsamum vir. Metense* Cum detersum fuerit, *exsiccandum*, & ad *cicatricem* perducendum, ubi magnifiunt decoctiones cum *plantagine, aristolochia, galla &c.* Admirabile est *vinum granatorum* descriptum à *Vigo*. Id addo quod inter hæc ipsa remedia etiam generalia non negligenda sunt, quæ eximium usum habent toto morborum horum tempore. *Du Verney.*

24. *Detergitur*) Postquam mundificatum & detersum ulcus fuerit, id quod ex eo patet, si minor sordium ac puris quantitas effluxerit, pro consolidatione modo dictis (*mundificantibus*) *tutia & pompholix* addenda sunt pro perfecta consolidatione. *Etmuller.*

25. *Laudatur & urina puerorum*) Mundificat optime *urina infusa*, aut *urina in qua rasura ligni guajaci* maduerit, Item *Mart. spir. urinæ.* Vel

℞. *Vini albi subtilis dulcis*, *urinæ puer. ãã.* ℥j. bulliant leviter *cum mellis* ℥ß. misce.

Quibus tepide meatui auditorio instillatis, aut cum turundula iisdem ebria immissis, ac mane vel vesperi repetitis, ulcus mundificabitur, Item *succus* vel *syrup.* vel *essentia absynt.* vel *marrubij*, cum pauco *melle rosato*, Item *syr. nicot.* egregie conveniunt, Non nemo refert Ulcus periodicum auris curatum per instillationem *succi marrub.* misti cum *melle*. Si *alumen* ustum, cum vino mistum, in aurem infundatur; potentissime ulcus exsiccat; *Etmuller.* Puer 10. annor. surdus ex variolis permanens, & cui per tot annos sanies ex aure fluebat, liberatus fuit *succo cepæ* & *rhodomelite* instillato *Forestus libro 12. observat. 7.*

Efficacissimum est medicamentum quod paratur ex *scoria ferri Arn. Weickardus Thes. pag. 101. ubi præparatio.* Nihil in hoc casu melius quam succus fol. salicis. *G. Varignana.* Succus *virgæ pastor.* est mirabilis in hoc affectu. Vel

℞. *Mellis* ℥x. *aceti* ℥j. *despumetur*, *adde vir. æris* ʒij. cum licinio auri impone: Curatur æger etsi malum ad 8. annos productum fuerit. *J. Stockerus Pr. capite 20.*

Non contemnendum est *Marcelli* experimentum.

℞. *lactis vacc.* ℥ij. *cum mellis* ℥j. *& infunde*, mox laua *aurem occlude*, & etiamsi ulcus sit cancrodes, mirabiliter ulcus sanescet. *Joh. Riolanus Pr. p. 135.*

Admirabilis ad exsiccandum & consolidandum ulcus *scoria ferri*, Lavetur cum *aceto forti*, exsiccetur, teratur, iterum lavetur cum aceto, & hoc fiat septies, ut fiat pulvis subtilissimus, tunc coque cum aceto decoctione vehementi usque ad mellis crassitiem, & instilletur. *Eust. Rudius Pr. l. 1. c. 30.*

Ferri *scoria in vino styptico*, vel cui *parum aceti* permixtum sit, decocta efficacissimum est præsidium: Efficacius sic fiet: *Limatis ferri subtilissimi* ℥ß *vitrioli* ʒj. coque in *vino & aceto*, vel solo *aceto* si validius esse velis, Colatura indatur. *Platerus Pr. T. 2. c. 3. Nicol. Piso Pr. lib. 1. capit. 42.*

Recentia ulcera facile sanantur, tradit *Galenus* si solum *Glaucion* tritum ex *aceto* sæpe infundatur: *Cap. 5. de comp. med.* Trochisci *diaglaucii, Alum. scissil. myrrha aloës sandarach. sarcocoll.* cum *vino & melle* ulcera recentia efficacissime sanant, & carnem regenerare faciunt. *Al. Benedictus Pr. lib. 3. c. 19.*

β. *Relinquendum aliquantulum*) Hæc evacuatio ipsis admodum est utilis, unde magna cura id agitur ne fluxus iste sistatur, alioquin in motus convulsivos & epilepticos inciderent. *Du Verney.*

26. *Dividitur multifariam*) *Prima hæc sit Divisio*, Ulcera Aurium vel sunt *vera*, vel *Apparentia*, Vera vel ex *abscessu* post inflammationem nato, vel ex *acriore lympha* eo delata, meatum interius exulcerante; *Adparentia* ulcera sunt quando sanies subinde multiformis ex auribus effluit, nunc cum, nunc sine præcedente earundem dolore, qui effluxus subinde diu durat, & quo cessante varia capitis & cerebri superveniunt symptomata, quæ levantur sub fluxus continuatione, uti in infantibus observare est; *Etmuller.* Vide infra §. 35. *Aliquando absque apostemate*) & § 36. *In ejus venis genita sanies.*

27. *A mordacibus humoribus*) Acriore *lympha* eo delata, meatum interius exulcerante. *Etmuller.*

28. *Spes curationis affulget*) Difficultas sanandi hęc ulcera inde est, quia semper à liquore è glandulis profluente humectantur, adeoque exiccari non possunt, quo fit ut materia è glandulis profluens, acris & salsa, unionem partium & cicatricem impediat: Idem contingit in ulceribus nasi, ductuum salivarium &c. Ulcera in meatu osseo adhuc difficilius sanantur quam in meatu cartilagineo, quia canalis osseus versus membranam tympani declivis est, & ubi in planum descendit fossam efficit notabilem, è qua pus nonnisi difficulter eximi potest; cum è contrario meatus cartilagineus concham versus sit declivis, pus & cæteræ materiæ statim dejiciuntur, neque ut in altero meatu corrumpuntur. *Du Verney*. Pus quod effluit si sit album, æquale, substantiæ mediocris, melius est quam si inæquale, fœtens, saniosum &c. fuerit, *Etmuller*.

Ulcera in auribus difficile curantur, quia cerebrum vicinum ad eas partes excrementa deponit: Ea tamen quæ abscessus consectaria sunt facilius curantur, tum etiam ea quæ pus laudabile generant; Ubi vero sanies virulenta, fœtida, aut alia prava qualitate prædita fuerit, difficillimam curationem arguit, idque magis si ulcus fistulosum, aut cum ossis carie copulatum fuerit. *Riverius*.

29. *Aliud inveteratum*) Si ulcus contumax fuerit, & in vetustatem abierit, à fluxione foveri necesse est, cujus remotioni incumbendum est purgationibus usualibus, diæta *ex guajaco & salsaparilla*, errhinis, masticatoriis, cauteriis, aliisque remediis fluxionem avertentibus: Mox ulceris exiccationi incumbendum est remediis fortioribus, ex *succo cyclamin. myrrha, virid. æris* aliisque compositum. *Riverius*.

Si antiqnum & sordidum ulcus, applicanda venit *urina pueri cum pauco Ung. Aegyptiaco* imprægnata. *Etmuller*.

30. *Facile in fistulam degenerat*) Vel erodendo occasionem membranis suggerunt ut *hypersarcoma* succrescat, quod auditum obturet, *Etmuller*.

31. *Aliud est fistulosum*) Ut cum tympanum & labyrinthus, quæ partes sunt osseæ, membrana tantummodo vestitæ, carie afficiuntur: Caries ossis nonnunquam evenit post abscessus meatus, qui pone aurem aperiuntur, Et tune notatum est *Fistulam* factam super apophysin mastoidem, quæ usque in ejus sinuositates penetrat, & velut squamas dejicit folia ex quibus constant; Caries hæc conjuncta est, cum odore valde tetro & molestis accidentibus: pertingit quoque facile in Tympanum per meatum eo tendentem, quod cum partes omnes ibi contentas destruat, Surditas nascitur, sed hoc valde rarum est.

Ad curandam Cariem ossis remedia meliora suggerere non possum iis quæ pręscripta sunt hoc in casu à Dn. *Desmoerio*, Chirurgo peritissimo, à quo hanc observationem habeo: Is dilatabat primum orificium spongia ad id præparata, quæ ostium conficiebat satis spatiosum, ita ut applicari possent medicamenta super os corruptum; tunc tomento utebatur, merso in *aquam imperialem*, in qua aliquantulum camphoræ dissolutum erat, sed cum hoc remedium nimis cito carne obduceret latera ulceris, subsistente adhuc carie, ad *euphorbium* pulverisatum confugit, quo usus est magno cum successu: nascebantur inde quidem dolores prurientes, sed leves, & fugaces; Usus autem pulveris dicti effecit id quod voluit, nempe exfoliationem, impedita simul carne ne succresceret; Usus quoque est *Euphorbio* in tinctura cum *spiritu vini*, admista *myrrha* & *aloë*: Carie autem consumpta, & exfoliatione facta, rediit ad usum *aquæ imperialis* usque ad sanationem integram & perfectam, applicato supra tomenta *Simpl. Janua*, cui admistum erat nonnihil *essentiæ junip. & caryophyll.* & aliquantum *ol. calendula. l. Du Verney*.

32. *Ab apostemate in cerebro rupto*) Antiqua est opinio è cerebro humores quos Aures, Oculi, Nares publicant manare: Quem errorem primus detexi, coargui, sustuli. Cerebrum est sine sordibus, non guttans, non pituita prolutum, Eo modo quo pulmo, hepar, lien & musculorum corpora nutritur cerebrum, sine vestigiis aut alimoniæ superstitis aut recrementi redundantis: Si laborante cerebro humor inibi insidet, alia passionum genera nascuntur, non Catarrhi. Si cerebrum ex se subministrat humorem, quo pacto is in intima *aurium* se insinuabit? Fluidis rebus Natura tributum est ut de superioribus locis in depressiora cadant; quapropter & de Galeni sententia humores quasi naturali motu in imum cerebrum, in ipsum infundibulum, ut vocant, ac inde vel nares ac oculos, vel in os ac palatum fluunt: At ii quomodo in foramen nervi auditorii poterunt contendere: Hi in glandula pituitaria coguntur, inde delapsi, & jam quasi exudantes, quomodo iter ad foramina nervi auditorii dirigere poterunt? Ii de media sella equina manantes, exitum potius per declivia foramina ossis temporum habebunt: Iidem si de postica parte sellæ equinæ se agunt, nec inoffensum erit iter & ad foramen nervi auditorii plane inextricabile: Objecti certe sunt illi ossei processus, quos posteriores clinoides vocamus: Ac si humor inibi prorumpit ac progreditur ultra, illius loci tam declivi conditione in spinalem [illegible] ullam se conferet potius quam in nervum auditorium: hujus foramen est à latere situm, & loco iniquo ac valde incommodo, ad quem humor non sinopte motu, non naturali, sed aliena vi ac impulsu struet iter: foramen autem occipitii, quo spinalis medulla mittitur, imum est, grande & adversum: Adhæc nervi auditorii foramen adeo arctum est, & nervo auditorio ita differtum, ut nec tenuissimus liquor penetrare possit. *Schneiderus l. de Catarr. spec. p. 161.*

Si humor per medium nervum auditorium muniat iter ad interiores aures, facile inibi desidere poterit, Initio hujus inflammationis convulsio & epilepsia hominem cito opprimunt, *Idem p. 162.*

33. *Magna primo copia exit*) Nota communiter hic magnam materiæ copiam exire, & difficulter admodum ea ulcera sanari, inprimis ea quæ sunt in meatu osseo: Quantitas autem materiæ non solum [illegible] sanguine venit, qui suppurat, sed etiam à glandulis, quæ irritatæ semper à pure, magnam liquoris quantitatem è canalibus suis excretoriis emittunt. *Du Verney*.

33. *Magna primo copia exit*) Cum plurimus humor de Auribus, etiam post mortem fluxerit intelligendum est, ait *Mar. Sanctus Barolitanus*, eum non aliunde quam de cerebro venisse: At in ulcere aurium fistuloso num multa sanies interdum potest subsistere? Sæpe & nares simili morbo tentantur, quare & inde promanat humor, Plerumque evenit ut mortuo homine suppressus humor tandem majori copia se agat foras, Quid de hæmorrhagia narium, quæ solennis fuit ante & mox cohibita? quid de mensibus suppressis, quid de uri[illegible] retenta dicam? Res est oppido manifesta; Quare satis habeo Lectorem hic tantum commonefacere. *Schneiderus ib. p. 162.*

34. *Cura ad hanc obvertenda*) Cuidam in abscessu auris imposuit Chirurgus *Oleum amygd. amar.* cum *mucilag. sem. lini*, quo copiose pus in magna copia effluxit, & hoc modo convaluit. *Forestus Obs. Med l. 12. obs. 8.* Auribus purulentis *stabe* herba in *vino* decocta peculiariter medetur, *spondyli*, item *flos* efficaciter infunditur. *Al. Benedictus Pr. l. 3. c. 9.*

35. *Aliquando absque apostemate*) Præter pus quod in ulceribus ex auribus profluit, notatur pene omnium infantium aures multum humoris ejicere; Vnde nata est opinio hos humores, atque serum illud pellucidum & fœtidum quod nonnullis ex auribus destillat, ut & sanguinem qui in ca-

in capitis vulneribus inde emanat, à cerebro defluere.

Interim certum est nullum esse meatum per quem è cerebro in hanc partem via pateat, in osse enim petroso unum tantum foramen est, quod extremitate sua versus aurem in saccum desinit, & nervis auditoriis accurate obturatum est; atque ita difficile est credere quicquam illac transire posse: Sed posito etiam serum & sanguinem in basi cranii constituta imam forte dicti foraminis partem erodere, atque ita exitum ea parte invenire posse, humores isti non alio quam in vestibulum & cochleam pervenire possent: Si vero inde in ipsum tympanum deberent progredi, membranam, qua fenestra rotunda obducta est, basin stapedis, & hujus quoque membranam corrodere oporteret; & denique ex ipso tympano liquores isti certo certius majori facilitate per aquæ ductum in buccam deciderent, quam rupta tympani membrana per meatum auditorium profluerent; Ego omnibus hisce difficultatibus non teneor ad explicationem horum phænomenorum: Si infantes copiosum ex auribus serum emittunt, tribuendum est illud sanguini eorum qui aquosus est & serosus, laxationi glandularum auris, & glandularum partium vicinarum, Etsi vacuationis hujus suppressio motus in ipsis epilepticos excitat, facile colligitur id inde fieri, quia succi detenti ipsa mora acriores fieri, & irritare spiritus in membrana meatus, quin & in massam sanguinis reverti, & post in cerebrum exonerari possunt.

Quantum ad eos quorum aures ex meatu isto aquas claras & fœtidas emittunt, notandum est quantumvis glandulæ aurium, in statu suo naturali, ceruminis tantum separationi destinati sint; nihil tamen prohibere quominus etiam cloacæ quasi sint, per quas humores noxii evacuentur: quod satis clare patet in omnibus glandulis conglomeratis: Sanguinem autem in capitis vulneribus ex auribus profluere, ob rupta vasa quæ in meatum auditorium istum humorem deferunt, notum est: Facile est intellectu rupturam hanc æque hac in parte ut in cerebro fieri posse per commotionem violentam qua in tali casu cranium concutitur.

Addo his Observationes quæ persuadere possunt suppurationes per aurem egredientes, nihil habere cum cerebro commune, Vir 65 annorum, sanguineus & obesus, suppurationem satis notabilem per aures passus erat, inprimis per dextram spatio 25 annorum, alioquin optime habens: Materia profluens spissa erat satis & fœtida: Suppuratione hac suppressa mortuus est ex apoplexia spatio 24 horarum: Cranium aperui, & magna cura examinavi omnes cerebri partes, qua os petrosum spectant, Inveni autem omnes perfecte sanas, & os ipsum in statu naturali, nec serositates ullibi inveni, nisi in ventriculis & anfractibus cerebri, & eas quidem à materia, quæ ex auribus profluxerat, valde differentes: Aperui etiam plurium infantium aures in quibus tympanum excrementis erat plenum, interim nunquam neque in cerebro, neque in osse petroso inventa ulla prava dispositio. *Jos. du Verney.*

Aurium Purulentia, sive Fluxio.

36. *In ejus venis genita saniei*) Πυῤῥοι ὦτα. Purulentæ aures dicuntur, quando ex auribus aut ichores, aut sanguis tenuis, aut pus saniesve ex auribus profluit: Profluit autê aut continuo aut periodice, pueruli familiare malum; sed omnis excretio quæ per aures fit à natura est alienissima, Naturales enim viæ per quas cerebrum expurgari debet, sunt nares & palatum.

Causæ προηγούμεναι sunt, aut nimia humiditas cerebri, veluti in infantibus, aut vitiosus acrisque sanguis, membranas aurium foraminibus prætensas erodens; aut abscessus intra aures ab impuro sanguine inter membranas, tenuem atque crassam meningem circa aures sitas, coacervatus: Causa vero abscessus procatarctica est ictus violentus aut capitis percussio.

Signa causarum sunt manifesta, si enim ichores profluant, humiditatem; si sanguis acris, erodentem humorem; si pus, abscessum intra aures fluoris causam esse ostendit.

In fluore auriûm hæc prognostica notanda; In abscessibus aurium nisi pus profluat, epilepsiam infert; Si autem mature profluxerit, doloris gravitatisque capitis levationem insignem affert; Nulla itaque aurium fluxio temere ac cito cohibenda, nisi diuturnitate affligat hominem.

Curandi ratio pro causarum varietate dirigenda erit, cum itaq; fluunt aures ob nimiam cerebri humiditatem, exsiccando & evacuando curabitur; (*vide caput de Intemperie cerebri frigida*) In genere hoc loco notasse satis erit, in omni fluxu ex auribus primum aures esse à sordibus mundandas; deinde hydromelitis tepidi guttas aliquot auri fluenti instillandas, & post horæ quadrantem rursus ex auribus effundendas: Ubi vero fluxio periodica sistatur, meatusque obstruat, hominemque in metum epilepsiæ conjiciat, statim aut tepido *hydromelite*, aut oleo ex *flor. chamom.* stillatitio, auribus instillato, obstructio aperienda erit: Verum si fluxio diutius perduret, tum sequens Linim. lana mollissima aut bombace exceptum, & auriscalpio involutum fluentibus auribus indatur.

℞. *Vini rubri stypt. vel in quo candens chalybs est extinctus* ℥ß. *mell. ros.* ʒij. *alum. crudi subtil. triti* ʒj. *m.* At vero si pus ab ulceratione profluat, aut sanguis, post elotionem cum tepido hydromelite, sequens remedium tepidum infundendum erit, aut ex auriscalpio, ut dictum, imponendum.

℞. *Sarcocoll. aloës puriss. thuris, squamæ æris cum aceto præpar. aut croci martis ãã.* ℈ij. *Omnia tenuissime pulverata & q. s. vini rubri chalybeati temperentur ac misceantur, f. Liniment. instar collyrii.*

Remedia hæc tantisper repetenda donec omnis exsiccetur humiditas, ut ulcus ipsum consolidetur; Quin & saniei ex auribus profluenti præclare medentur sequentia.

Oleum ex semin. cannab. aut succus ex ejus flor. expressus; Oleum irin. aut ol. terpinthinum auribus tepidum instillatum, Foris humiditatem exsiccantia commode imponi possunt, ut *sacculus* ex *torrefacto & calente milio* factus: Si fluxioni adjunctus dolor acerbus, *Opii gr. ij. in lacte muliebri solutu*, auribusque instillatis, sedari & mitigari potest. *Fr. Joel.*

37. *Prosunt Purgationes*) In Cura observandum est ne apparentia hujusmodi ulcera aurium, seu effluxus earundem plus minus saniosi, cito nimis sanentur, præsertim in subjectis vel humidioribus, vel excretionibus capitis cutaneis, vel affectibus cerebri & capitis internis obnoxiis. Idque in infantibus inprimis observandum, ne major noxa inde oriatur: Sufficit si modo mundus servetur meatus auditorius. *Etmuller.*

38. *Bene immittitur*) *Phlegma spiritus vini* habet vim peculiarem abstergendi & à putredine præservandi. *Item*, Præsens medicamentum est ad fluxionem aurium purulentam *usus fumi tabaci*, de die una vice haustus, *Frid. Hofmannus m. m. p.* 298.

Vermes Aurium.

III. 39. *Vermes*, 40. qui se dolore corrosivo, inquietudine, & aliis conjecturis produnt

41. Quomodo *extrahi* debeant, vide Practicos.

42. *Necantur*, Unguento ex *axungia capi*, *& oleo coryli cum gr. ij. Mercurii dulcis* misto, & in orificio aurium cum bombace imposito. Decocto *Cannabis* instillato. Sunt qui pulverem ex *muco aurium* commendant.

39. *Vermes*) Verminosæ aures, σκωληκώδη ὦτα: Vermes quandoque, quanquam rarius, innascuntur auribus sordidis, exulceratis ac purulentis: Foris vero irrepunt vermiculi frequentius, quales sunt pulices & oblongiusculi puniceique coloris, qui in putrefactis lignis, & circa vitium antiquarum radices nascuntur, quos auriculares vermes vocant. *Fr. Joel.*

39. *Vermes*) An vermes hic corruptione humorum generantur? An ulcerum calor excludiat tantum ova minutissima, quæ mille insecta in aëre volitantia ibi reliquisse potuerunt. *Du Verney.*

40. *Qui se dolore corrosivo*) Signa evidentia sunt, dolor pruritus & titillatio aurium, ex quibus vel sponte albicantes vermiculi prorepunt, vel auriscalpio excipiuntur. Signa verò vermium foris irrepentium, sunt strepitus in auribus, titillatio & pruritus sine dolore, sineque puris aut humiditatis effluxione; qui strepitus repente excitatur, hominesque non parum anxios reddit nisi mature aut enecentur aut educantur. *Joel.*

41. *Quomodo extrahi debeant*) Vide caput 47. *De Aurium Tinnitu.* §. *Illapsa in aurem*)

42. *Necantur*) Aliquando in auribus generantur ex putridis ulceribus, & ex iis emanare solent, qui curatis quidem ulceribus cessant, quia tamen ulceris sanatio non ita brevi tempore obtineri potest, Vermium extractio interim molienda est remediis convenientibus, E. g.

℞. *Ol. amygdal. amar. succi apii, centaur. min. ãã.* ℥ij. aceti ℥ij. bulliant parum, deinde adde *myrrha*, *aloes ãã.* ℈j. *m. instilla in* aurem, Si fortius vis, *colocynth.* ℈ß. *adjici poterit.* Riverius.

42. *Necantur*) *Spiritus urinæ* in auribus verminosis pro externo specifico, Arcanum duplicatum interius commendatur. *Wedelius.* Ad interficiendos vermes amara in aures injiciantur, succus *absynthii*, *centaur. min. decoct. colocynth.* aut guttæ aliquot *ol. amygd. amar.* Ephemer. erud. Gall. 1677. aiunt *spiritum vini vel buxi.* remedium esse infallibile: Ex remediis, ea quæ oleosa sunt & spissa, eo nomine excellunt quod insect[illegible] rostella & proboscides obturent, atque ita ea pu[illegible] temporis suffocant. *Du Verney.*

Curatur hoc malum mundificatione & ulceris consolidatione, iisdem remediis quæ capite de Purulentis, sive fluxione aurium dicta sunt. Enecantur autem, tum ii qui in illis geniti sunt, tum qui foris inciderunt, *succo mentastri* aut *fol. persicor.* quibus pauxillum aloës est admistum, si tepidi auribus instillentur. *Joel.*

42. *Necantur*) Opera danda est, ut expellantur aut intus enecentur, & ita extrahantur; *Lac tepidum cum spongia* auribus applicatum subinde allicit dulcedinis odore ut prodeant; Sic & *pomum assatum* dulce. *Lac* infundi potest: *Panarolus Pent. 4. obs. 27.* notat dolorem aurium intentissimum per *lactis* infusionem, evocatis vermibus curatum: *Succus absynthii* aut *centaur. afin. ol. nucl. persic. recens expr. ol. de colocynth.* [illegible] *merc.* E. g.

℞. *Ol. nucl. pers. rec.* ℥j. *diacolocynt.* [illegible] *merc. dulc. gr. v. m. instilletur* auribus, vermes e[illegible]

Suffitus ex myrrha, cum *essentia myrrha*, [illegible] instillata. Vel

℞. *Aloës, myrrh. ãã.* ℥ij. summ. *absynth. m.* [illegible] *coque in vino pro Inject. Sem. hyoscyami* cum cera redigatur in candelas, quarum incensarum fumus dirigatur in aures, unde vermes mox excidunt, Vermes per suffumigia amara, & ex *mare*, ore & naribus excepta per aures expulsos, vide in *Salmuth. cent. 2. obs. 39. oleum destill. junip.* item *balsam. sulph. terebinth.* necat animalia in aurem ingressa; *Suffitus g. ammon.* quædam ejecit.

Si *gryllus* in aurem irrepserit, *ol. infus. gryllor.* denuo ejicitur, Si *hirudo*, auris externa perfundatur sanguine recenti, ad hunc enim prorepit, vel *aqua salsa* injiciatur, Si *pulex* in aurem se insinuaverit, commendat *Riverius* globulum ex pilis canis compositum, cum stylo in aurem immittendum, cum huic se pulices insinuent, *Etmuller.*

Aqua Auri illapsa.

IV. 43. *Aqua* auri illapsa 44. oleo infuso educitur.

43. *Aqua auri illapsa*) Aqua in aurem introducta natando, aut caput irrigando, sæpe molesta est, & dolorem affert; Illa utplurimum facile excutitur si quis alteri pedi innixus ejusdem lateris cum parte affecta capite parumper declivi saliat: Si hoc non sufficiat extractio molienda est exsuctione facta per fistulam aut arundinem penitissime in aurem immissam, aut folle parvo in eandem introducto, & postea dilatato: Extremitas autem fistulæ quæ in aurem dimittitur cotone obvolvatur, ut foramini auribus arctius uniatur, neve aër externus ingrediatur qui extractionem impediret. Ac denique spongiæ mollissimæ & siccissimæ frustula in aurem demittantur, donec sicca nec amplius humida extrahantur. *Riverius.*

44. *Oleo infuso*) *Galenus & Aetius* assidue oleum infundunt, & aurem irrigant, mollique [illegible] fovent, deinde molli lana extergunt, rursusque infundunt, idem sæpius repetendo.

Cap. XLVI.

De Dolore & Surditate.

1. SYmptomata Aurium sunt, *Dolor*, *Surditas*, *Tinnitus*, & *Obauditio*.

1. *Symptomata Aurium sunt*) Aliquando & per illas sanguis effluit, aliquando Aquosus humor.

Sanguinis ex Auribus fluxus.

Ex Auribus nonnunquam nunc *purus*, nunc *saniosus sanguis* emanat; Vidimus & quendam qui narium hæmorrhagia frequenter infestabatur, accedente capitis dolore pulsante, ruboreque faciei non solum è naribus, sed & *auribus* simul sanguinem satis largiter effluxisse. Quod accedit illarum auctoribus venis

(vasis)

(vaſis) per anaſtomoſin apertis, Ob ſanguinis in capite redundantis copiam vel tenuitatem. *Platerus.*

Sanguis aliquando ex Auribus profluit, ut in vulneribus capitis ac percuſſionibus, in quibus venæ aurium rumpi aut lacerari poſſunt; Si autem modicus ſit ille fluxus cohibendus non eſt, quia intus retentus inflammationem efficeret: Si vero immoderatus ſit, aut diuturnior, cohibendus eſt venæ ſectione in brachio celebrata, & cucurbitulis ſcapulis affixis cum ſcarificatione, deinde adſtringentia & refrigerantia in aurem inſtillentur, uti ſunt *ſuccus plantaginis, polygoni vel roſarum rubr. decoctum, rubi, maſtiches, acacia, hypocyſt. balauſt. ſumach. & ſim.* in vino & aceto aut aqua ferrata.

Aquoſi humoris effluxus.

Aquoſus humor per aures è cerebro nonnunquam effluit, etiam in adultioribus, qui ſi diu perſeveret, totum corpus & ipſum cerebrum evacuandum, & apozemate cephalico & purgante, poſtmodum humiditas ſuperflua abſumenda, diæta ſudorifica: Derivanda veſicatoriis, cauteriis & cucurbitulis, cæteraque remedia adminiſtranda quæ frigidæ cerebri intemperiei debentur. *Riverius.* De humiditate ex Puerorum auribus prodeunte, vide in illorum affectibus.

Aquoſi Humoris ex Auribus effluxus.

Ex Auribus præter humiditatem qua intrinſecus aliquando madent, *aquoſus humor* nunc *tenuis*, nunc tenacior, ſed raro ex illis effluit, Conſtatque è cujuſdam puellæ aure menſuras aliquot illius per vices, citra ullam aliam læſionem profluxiſſe. Aliunde autem quam à cerebro pituita illa & aqueus humor promanat, cum ab eo non alia via in auditus cameram ſubire, atque ad exteriorem meatum penetrare minime poſſet, niſi tympanum pervaderet; quod tamen citra illius læſionem & auditus defectum inde profectum non faceret: Sed cum citra Auditus abolitionem hic fluxus ex auribus contingat, atque ab externo auris meatu prodeat, in eum pituitam hanc deferri ſatis patet; In quam externam ſedem, uti ſerum exudans eam madore ſuo humectare ſolet, ita ſi aquoſus ille humor copioſe illic coacervatus redundet, è venis meatum hunc implicantibus prodiens, effluxum hunc illius efficit, quod tamen rarius, cum longe convenientiores viæ ſeri expurgationi deſtinatæ ſint accidit; aliquando tamen, præſertim in nimium laxatis hiſce ductibus, illud poteſt evenire: Sicuti in fluore uterino pituitoſam quoque materiam è venis copioſe egeri poſſe palam eſt.

Effluxus ille ſi paucus ſit, nec aliam noxam inferat, præter eam curam, qua corpus ab hac ſuperfluitate mundum reddi debet, alia privata minime opus habet; un nec ſi copioſior ſit illius effluxus, in quo ea quæ humorum iſtorum proventum impediunt, eoſque expurgant adhiſcenda, & hydragoga & diuretica uſurpari debent: Si ſpiſſiora & mucoſa hæc aqua reddita non ita prompte uti tenuis effluat, ea diluentibus & abſtergentibus eluenda, iiſdem quibus & pus ex auribus repurgari debet. *Platerus.*

Dolor Aurium.

[2] *Dolor* ſignis non indiget: In infantibus, ſi pars tangatur ploratu exploratur.

[3] *Oritur* à cauſis membranas, auris cavitatem veſtientes, & ſenſu exquiſito præditas, diſtendentibus.

[4] *Curatio* ejus eſt *dubiæ ſpei*, ſi juvenes infeſtat, ſi in ſenibus recidivas patitur, ſi in profundo hæret.

[5] *Perficitur* [6] Anodynis, &c, [7] ſi ingens eſt, ſtupefacientibus. [8] Inter hæc ſunt *folia Tabaci* viridia, aut ſaltem *aqua propria vel rutæ* humectata & applicata, *Laudani opiati* gr. iij. [9] Quæ extra applicantur lenia eſſe debent, ne dolor exacerbetur.

[a] *Differentiæ* à Cauſis præcipuè ſumuntur.

I. *Alius* eſt [10] ab Externis, ut [11] re illapſa, vulnere &c. quæ ex ægri relatione colliguntur.

Alius ab Internis, nempe [12] *Intemperie* [13] Vel ſine, vel [14] cum materia [15] vel frigida [16] in qua *ſuccus caparum* cum liquore aliquo valet; [17] vel calida, [18] in qua *lac muliebre* cum ſuccis herbarum refrigerantium prodeſt.

Flatu, ad quem ea ſequuntur quæ de ſonitu dicemus.

Inflammatione, de qua in ſuperioribus.

Ulcere & ſanie, de quibus ibidem.

[2] *Dolor*) Symptoma maxime ordinarium partibus Auris externis Dolor eſt; is concham communiter occupat, & totum meatum ad membranam tympani uſque, Et docet experientia eum conjunctum eſſe cum compunctione, eroſione, tenſione, gravitate & pulſatione. *J. Du Verney Tr. de Auris Organo, parte 3.*

[3] *Dolor ſignis non indiget*) Diagnoſis cauſas reſpicit, quæ ita inſtituenda eſt, Si intemperies immaterialis ſit, nulla ſentitur gravitas in aure, neque ulla tenſio, & nullus tumor apparebit: Frigidam autem eſſe intemperiem cognoſces ex cauſis refrigerantibus prægreſſis, ut peregrinatione tempore hyberno, à frigore externo dolor intenditur, & admotis calefacientibus lenitur: Calidam vero intemperiem indicabunt externæ calefacientes, inſolatio, aër calidior, noxa à remediis calidis in aurem injectis; levamen à refrigerantibus: Si ab humore pituitoſo dolor excitetur, gravitas quædam in aure & ipſo capite percipietur; cum fluxio pituitoſa interdum aliam aliquam partem infeſtabit, præterea cauſæ refrigerantes præceſſerunt, ut aër frigidus & aquilonius, alimenta frigidiora, adeſtque tempeſtas hyemalis, ætas ſenilis & ſimilia: Si à *flatu* oriatur, dolor erit vehemens ſine pondere aut gravitate interpolatus, non continuus, & cum tinnitu conjunctus.

A *ſeroſo humore* fieri oſtendunt alii affectus ab eodem producti & ſimul ægrum infeſtantes, ut fluxiones acres & tenues in dentes, oculos, aures, pectus, aliaſque partes, & ſeroſi humoris per vomitum, alvum, urinas aut ſudores evacuatio. Si ab humore bilioſo ducit originem, dolor erit pungens & acutus cum caloris ſenſu adjuncto; à refrigerantibus juvabitur, & bilioſæ quædam humiditates interdum è capite manabunt: quibus accedunt calidum & bilioſum temperamentum, ætas juvenilis, tempus æſtivum, victus,

victus ratio calidior, aliæque causæ calefacientes à quibus lædi æger consuevit. *Riverius.* Inflammationis signa vide capite præcedente.

3. *Ortum à causis membranas*) Omne illud quod solutionem continuitatis causari potest in particulis membranæ, quibus meatus auditorius intus vestitus est, & motum spirituum irregularem excitare, illud etiam est capax producendi doloris: Ita inflammatio, corpora extranea in meatum immissa. Vermes, uno verbo illud omne quod dolorem in cæteris partibus producere potest ad hanc ipsam adplicari potest.

Sed præter hoc veteres credebant dolores auris sine inflammatione & absque ulla conjuncta causa posse existere, unde & dolores istos per *nudas intemperies absque* materia explicarunt, quas provenire credebant ab excessu frigoris vel caloris, sed sicuti intemperies hæ absque materia imaginariæ sunt, & in ipsis partibus affectis causæ inveniri possunt causæ producendi tam violenti doloris, ego de hac re paucis meam sententiam exponam.

Noto *Cerumen*, quod est in meatu, amarum esse & viscosum, adeoque abundare salibus acribus & lixiviosis, quæ mixta sunt partibus pinguibus & oleaginosis: Principia hæc easdem ipsi qualitates largiuntur, quæ communiter tribuuntur bili, cum qua multa habet communia: Si igitur contingit, quacunque demum de causa, ut succi hi salsi liberent se & evolvant, magisque quam pro consuetudine eleventur, & eorum acumina majori cum vigore agant, evidens est magnas eos turbas in meatu auditorio concitare, propterea quod sensum is habeat exquisitissimum.

Frigus autem & *calor* horum causæ sunt communiores, & sane cum frigus reddat spissius istud cerumen, & magis viscosum, in causa est ut detineatur, & canales glandularum excretorios obstruat, sicut observari potest in aliis corporibus glandulosis quæ his vicina sunt, ubi eadem aëris actio parium obstructionum causa est, unde sequitur succos salsos, qui in motu erant & dispositione; ut percolarentur, detentos in glandulis illas inflare & intumefacere, quin & per hanc moram acriores fieri, extremitatesque nervorum, qui in membranam meatus sparsi sunt vellicare, quod motum valde inordinatum in spiritibus, ac proinde magnum istum auris dolorem efficit. Ex altera parte calor externus solvit & liquefacit succos salsos hujus ceruminis, atque ita eundem effectum producit; Idem observatur in doloribus quos bilis producit in partibus nutritioni destinatis, per qualitates excessivas caloris & frigoris.

Sed non solum auris Cerumen dolorem istorum tam vehementium & violentorum causa est; Fit enim sæpe ut serositates acres & salsæ, quæ per glandulas auris evacuantur, dolorem in meatu efficiant; id quod patet in suppurationibus quæ ea in parte fiunt; cum enim materia serosa, quæ ex iisdem profluit, aliquando acida sit vel salsa, vehementer membranam meatus pungit, & sensum molestum efficit, quod est id ipsum quod dolor vocatur.

Quantum ad doloris differentias, credo eas ita explicari posse, Quando particulæ ceruminis salsæ, vel etiam humores alii in substantia glandularum contenti, acuti & rigidi sunt effecti, & per agitationem solito majorem violenter impellunt filamenta nervosa hujus meatus, tum dolorem producunt compungentem, & hoc fit in omnibus inflammationibus, imprimis in personis temperamenti sicci & biliosi, quorum humores succis acribus & salsis abundant; & in melancholicis, ubi serum sanguinis [illegible] per acre est & salsum. Cum eadem salia admodum [illegible] fiunt, & corrosiva, d[illegible] tensa fiunt, qui junctus est erosioni, quæ imprimis in Ulceribus hujus partis observari potest; Cum autem materia Ceruminis, in glandulis adhuc contenta, vel sola, vel cum aliis liquoribus fermentationem patitur, tunc extendit & dilatat particulas membranæ, & sensum tensionis producit, Cum glandulæ inflantur per abundantiam liquorum quos imbiberunt, sentiri incipit gravitas: Quantum ad eam doloris speciem quæ pulsationi conjuncta est, non credo eam unquam esse absque inflammatione aliqua.

Nihil autem æque mirum est quam doloris hujus vehementia, est enim pene semper juncta febri acutæ, cui accedunt insomnia, deliria, convulsiones & lipothymiæ; accidentia sæpe lethalia, sicut constat ex authorum observationibus: Ad intelligendam autem doloris istius vehementiam, observandum est 1. membranam, qua meatus auditus vestitus est, tenerrimam esse, & nervosam, & eandem texturam habere quam habet membrana nervosa stomachi & intestinorum, nisi quod non est tecta pari tegumento contra humorum acrimoniam eam tuente. 2. Sparsam eam esse infinitis nervorum filamentis, quæ à quinto pari recipit, à portione dura nervi auditori, & à secundo pari vertebrali: Et dici vere potest nullam esse in toto corpore membranam, quæ pro magnitudine sua plures quam hæc nervos habeat. 3. Certum est memb[illegible] quæ super ossa agglutinandæ sunt, sensu pollere [illegible] acutiore; qui fortassis inde dependet quod h[illegible]modi membranæ firmiores sint & magis tensæ [illegible] ossi adhæreant per omnia sua vascula quæ ossi im[illegible]ntur, impossibile est ea vellicari quin ista filament[illegible] simul vellicentur; unde & periostium & pericranium sensu tam exquisito gaudent: Forte etiam eadem causa est quod dolores capitis vehementiores ab adhærente ad summam partem cranii dura matre proveniunt, ut non multi observarunt: Hæc competunt membranæ meatus auditorii, meatus enim iste partim est osseus, partim cartilagineus, & membrana super cartilaginem tensa est, & magis etiam super os, Et observatur dolores qui in fundo auris sentiuntur, adeoque in osseo meatu, semper esse omnium maxime violentos, 4. Connexio hujus membranæ cum partibus vi[illegible]nis, quæ sensibiles sunt admodum, multum ad doloris hujus vehementiam conferre potest, membrana enim hæc ad membranam usque tympani pertingit, quæ communicationem habet cum membrana qua intus tympanum vestitum est & cum membrana labyrinthi, & mediantibus his cum dura matre: Ex his suppositis, cui mirum videbitur dolores meatus tam vehementes esse & tam violentos?

Quamvis autem symptomata quæ cum dolore meatus conjuncta sunt, etiam cum aliarum partium do[illegible]bus conjuncta inveniantur; tamen [illegible]um & fr[illegible]que[illegible]a sint, & magis violenta cum hoc dolore quam [illegible]um alia, è re fuerit ea explicare.

Quando dolor hic ab inflammatione p[illegible]a admodum difficile est causam indicare [illegible] & [illegible]orum symptomatum quæ eum communiter [illegible]ntur: Sed cum certum mihi sit solam dolorum vehementiam, absque inflammatione vel tumore, omnia hæc [illegible]ptomata posse producere, præcise de hoc casu agam.

Incipio à febre acuta, quæ fere semper auris dolori est conjuncta; credo autem inde originem eam posse habere, quod spiritus à doloris violentia agitati, cordis & arteriarum motum concitant, id quod pulsus elevationem & caloris augmentum producit, quod in nonnullis animæ pathematis, imprimis ira observabile est; hæc autem concitatio motus cordis & sanguinis, veram febrim non produceret, nisi & sanguinis principia alterare[illegible] Iam autem facile est [illegible] per cordis validas contractiones accuratius [illegible] & commutatis sanguinis particulis [illegible] particularum maxime acti-

vam

vam exaltationem fieri, & partis oleosæ dissolutionem perfectiorem, cujus motus rapidus calorem febrilem producit: Præter hæc succi, acres & corrosivi cerumінis & serositates in aure collectæ in massam sanguinis iterum immisceri possunt, & fermentationem in ea excitare extraordinariam; in qua consistit febris essentia; Facilius intelligetur hoc febris genus, si consideramus in catarrhis febrim vix aliunde accendi quam à mixtura succorum acrium, qui à massa, catarrhum nutriente separati cum sanguine conjunguntur.

Vigilia ab agitatione spirituum extraordinaria dependent, qui cum à doloris vehementia irritati sunt, in omnes perpetuo partes diffluunt, easque in functionibus ipsarum sustentant.

Delirium ab insomnibus vigiliis non differt, nisi quod spiritus, motum omnino irregularem habentes in cerebro, plura simul memoriæ & imaginationis vestigia permeant, id quod idearum confusionem efficit, quas iidem spiritus animæ repræsentant.

Convulsiones secundum hanc hypothesin facile explicantur, quando enim contractiones involuntariæ musculorum à motu spirituum irregulari productæ sunt, sufficit succos salsos nervos, qui in membranam meatus auditorii sparsi sunt, vellicare ut irritatio hæc per communicationem nervorum & membranarum omnibus spiritibus communicetur atque ita in musculis convulsiones excitentur: Alioqui fieri etiam potest ut succi hi salsi in massam sanguinis revertantur, & ad cerebrum delati, in nervorum principio irritationes producant.

Quoad *Lipothymiam*, considerandum est rapido cursu ferri spiritus & magna abundantia in fibras musculosas, quæ cordis ostia claudunt & constringunt, sanguinisque motus sistunt: Cum autem contractio hæc cessat, sanguisque denuo in cor intrat, tum pulsus calorque renovantur: *Cordis angustia & oppressio pectoris*, quæ in hoc statu sentiuntur, satis arguunt lipothymiam à causa modo dicta provenire; & potest hæc ipsa angustia tamdiu durare ut mortem etiam aliquando afferat.

Adducatur huc in exemplum violentus auris dolor, cum symptomatibus gravissimis, de quo *Fabritius Hild. Obs 4. cent. 1. Puella* xii. *circiter annorum forte in aurem sinistram immiserat globulum vitreum, qui nulla industria eximi poterat; Hæc doloribus vehementissimis corripiebatur*, qui sinistræ capitis parti communes erant, *multo post tempore dolores hi stuporem brachio, postea manui, demum femori & cruri, & toti denique cruri sinistro induxerunt, torpor hic cum acerrimis doloribus junctus erat, qui noctu*, & alioqui frigidis humidisque temporibus *augebantur, accedebant tussis sicca, mensium suppressio, convulsiones epilepticæ & tabes brachii sinistri.*

Hildanus octavo anno globulum extraxit, & eo ipso omnia symptomata cessavere, contra quæ omnia alia remedia, tamdiu adhibita, efficere nihil omnino potuerant.

Dolores & Convulsiones latus totum sinistrum occupabant, ad extremum usque pedem: *Hildanus* censet *portionem* aliquem nervi auditorii in totum brachium & femur distribui; Sed cum distributio hæc sit imaginaria, rationem adducam partium harum structuræ magis consonam; Dico igitur irritationes, & motum irregularem spirituum transiisse in omnes nervos medullæ in isto latere, per communicationem nervi secundi paris vertebralis; id quod utique non evenisset si irritatio communicata fuisset cerebro; tunc enim verosimile fuisset puellæ ista dolores & convulsiones sustinendas fuisse toto corpore: Quamprimum autem supponitur latus sinistrum medullæ affectum fuisse, non difficile est intelligere quare prava ista dispositio in brachium & crus transmigraverit, Novimus enim omnes nervos vertebrales ejusdem lateris invicem conjungi, per ramos transversos, simul ac è foraminibus vertebrarum prodeunt.

Symptomata omnia *graviora fiebant noctu & tempore humido*, nempe quia aëris humiditas glandulas & membranas meatus humidas reddebat: quo fiebat ut illæ arctius clauderent globulum vitreum; adeoque irritationes augerentur,

Torpores inde videntur nati, quia spiritus irritati orificia nervorum aperiebant & dilatabant, ita ut non tantum spiritibus pateret transitus, sed & materiæ spissiori, quæ ubi in tubos nervorum istorum delata erat, obstruebat eosdem aliquomodo, spirituumque motum impediebat, quod ad inducendum torporem jam satis est: Materia autem ista per ipsam moram acescens & dolores augebat & convulsiones, quæ cum in brachio factæ fuissent validiores, nervi ejus tantam materiæ istius extraneæ quantitatem imbiberunt, ut motus spirituum omnino interclusus fuerit, unde & brachium macie confectum exaruit; ut fieri solet in paralysi.

Quamprimum globulus extractus fuit irritationes ab ea provenientes cessavere; & consequenter dolores etiam cum convulsionibus, spiritus enim ad fluxum consuetum redeuntes, paulatim materiam omnem extraneam dissiparunt, quo factum est ut brachium motum & vigorem primigenium recuperaverit &c. *Jos. Du Verney.*

Dolorem etiam infert humor iste ex quo concrescunt *Cerumina*, qui si p.n. reddatur salsus & acris, membranam internam pungit & nonnihil arrodit &c. Hinc natus dolor contumax, non tamen adeo molestus, & fere rarior observatur. Denique lympha vitiosa, acido peregrino tincta in catarrhalibus affectibus ad otalgiam disponit, modo hæc ipsa causa cum priore non coincidat, quod omnino videtur: Sunt etiam *Vermes* in aures irrepentes &c. Vide caput præcedens. *Etmuller.*

4. *Curatio est dubiæ spei*) Prognosis doloris aurium varia est pro varietate causarum; Qui à nuda intemperie ducit originem, facile curabilis est; Qui à materia frigida, pituitosa, serosa vel flatuosa producitur, non est quidem valde periculosus, sed chronicus utplurimum esse consuevit. Qui à calidis humoribus, & præsertim inflammationem efficientibus exoritur, admodum periculosus est. *Riverius.*

5. *Persistitur*) Sistunt *Fomenta ex althæa, fœnugr. flor. chamom. melilot. beton.* præsertim si malum sit à causa externa: Item *Fumus Nicotianæ* cum fistula inversa auri immissus, Vel *fol. nicotianæ* recentia parum contusa applicata, vel humectata spir. vini: Præ cæteris utilia *Olea insector. asellor. scarab. scorpion. Aselli* in *oleum violar.* aut *nymph.* infusi & expressi præstantissimum faciunt anodynum, ut & *Oleum scarabæorum*, si hi in Oleum rosac. injiciantur vivi cum *aqua* pauca, & ad aquæ consumptionem coquantur, hinc exprimantur, denique

℞. *Ol. scorpion.* ℥j. *amygd. d. vel amar*, si opus aliquali *detersione* ℥ß. *Misce*, blande calefacta instillentur, aut cum bombace profunde immittantur.

6. *Persistitur Anodynis*) Diaphoretica in affectibus aurium, imprimis in Otalgia unice prosunt; Lympha enim plerumque, si non omnium, affectuum aurium est causa, quæ omnibus modis corrigenda, dissipanda & in ordinem redigenda est. *Wedelius Amœn. m. p.* 196.

7. *Si ingens est stupefacientibus*) Opium, *Galenus* teste *Petro Salio Diverso*, auribus infundi jubet, illudque multi lacte diluunt: Quod si, *inquit Avicenna*, accidat nocumentum ex usu narcoticorum, administra castor-

reum post illud solum: *B. V. Faventinus* à narcoticis medicamentis abstinendum jubet, ne sui frigiditate stupefaciente auditus instrumentum corrumpant, nisi metus sit ne à vehementia doloris æger intereat; *Levinus Lemnius l.2. Occult.c.51.* Quendam auris dolore laborantem imposito intra aurem Opio mortuum esse memorat: Nonnulli quidem, ut *Rod. à Fonseca* Opio torrefacto utuntur; quia sic ejus malignitas infringitur, ait *Galenus* l.3. K.T. Aliter nobis videtur, Opium penitus tostum est prope nullius utilitatis ad dolorem sedandum, crudum vero nec auxiliari & quoque periculosæ, Ex vis Opii, quod in Theriacam additur, facile exhalatur; Quæ in aures instillantur, ultra Tympanum tendere nequeunt: At si penetrant, non poterunt dolentes interiores partes tam varias, tam diffitas afficere; Sicut ea quæ apponuntur in linteolo: Opium est sensui Auditus peculiariter perniciosum: Ac impeto sanguinis vehementiore, & gravior morbus sæpe supervenire solet, si Opium in Aures datur, *Aqua frigida* in vicem Narcoticorum succedit; *Galenus* ob id ea utitur, l.3.K.T. *Schneiderus p.184.*

8. *Inter hæc sunt*) Post multa frustra tentata; jussi ut mane ac vesperi in aurem læsam 3. vel 4. guttas *Olei sulph.* instillaret, & postea in sano latere horas aliquot decumberet; quod cum fecisset in dies omnis dolor mitigatus, ulcus abstersum, curatumque paucis diebus. Cum eodem *Balsamo* ad eundem modum administrato, sanavi auris dolorem intensissimum in alio, *M. Rulandus Cur.85. cent.1.*

Tonsori cuidam aurem vehementer dolenti, *pyrethrum* in sævitia doloris radici auris adhibitum est, multo alacrius dolorem tulit. *Ballonius Epid. lib. 2. pagina 260.*

Oleum è ligno coryli acerbissimos aurium dolores subito sanat; *Sennertus in Praxi.*

Tres *gallas* liga in panno, coque in *vino*, & infunde vinum calidum, statim aufert dolorem, *P. Bayrus Pr. l. 4. c. 1.*

Instillavi in aurem *Ol. vitellor. ovorum* sæpius destillatum cum sulphure; A prima inunctione statim quievit dolor. Joh. *Pet. Faber Curat.53. & 54.*

Præmissa purgatione & scarificatione hoc Cataplasmate miraculi instar quidam liberatus est.

℞. *Cape sub ciner. coctum n. 1. Ol. chamam.* ℥iß. *butyr. rec. ol. aneth. āā.* ℥ß. *croci* ℈j. *m. & applica. Forestus lib. 12. obs.1. Grulingius Pr.l.1.c.3. zecchius cons.62.*

Medulla vituli recens, cum vino trita & calefacta, & in aurem instillata dolorem auris statim tollit. *Item* succus *rutæ* cum *sanguine anguillæ* calidus auribus immissus quemlibet dolorem auris statim tollit, *Arn. Villanovanus* Brev. *lib.1.c.24.*

Cochleæ mar. aut *terrestres* coqu. in oleo appropriato, habent enim magnam vim mitigandi; maxime vero illatum humor quem eructant, quia à tota substantia dolorem sedant, ob id tam in frigida quam in calida causa adhiberi possunt. *G. Rondeletius 1. meth. cap. 67.* Expertum est hoc.

Radix cyclamini contunditur, maceratur *in oleo amygd. amar.* affunditur *spir. vini* aliquantum ad macerationem, post exprimitur oleum, Id instillatum auri dolenti, aut surditate laboranti, tinnitu &c. efficacis est juvaminis.

Item succus cepa crudus cum *lacte Mul.* Vel *cape crudum* sub cinere tostum, & hinc succus elicitus, auribus instillatus, efficacissimum est remedium ad otalgiam, tinnitum, surditatem, & dolores interiores aurium. *Pet. Laurenbergius in appar. plant. l.2.c.10.*

Præcipue *Ficus flos*, quod *Pissellatum* vocant, cum *oleo comm.* mixtum; ita ut tertia pars olei sit, dolores sedat, & fere non patitur suppurationem fieri; hoc ego complores sanavi. *Scribonius Largus l. de comm. med. c.5.*

Specificum contra aurium dolorem, *Oleum hyoscyami* expressum. *folia enim hyoscyami* in dolore & inflammatione aurium egregium sunt arcanum. *Fr. Hofmannus m.m. l.1. c.19.*

In dolore à calida causa nullum est efficacius *Oleo quod* ex asellis hydratum conficitur, si in oleo cum aqua ad consumptionem aquæ coquantur, *Forestus lib. 2. obs. 2.3.4.5.*

Cuidam rupto prius abscessu, & absterso ulcere circa aurem, ubi dolor intendebatur, inungebat *Ungu. alabastrino*, & *dialth.* mixtis, qua illitione dolor illico sedabatur; Auri vero imponebam *Ol. amygd. amar.* cum *mucilagi sem. lini* mixta, quo pus in magna copia fluxit & convaluit. *Idem obs.7.* Aurem dolentem ex percussione ita quidam sanavit, *medullam panis albi* calide tritam cum *melle* apponebat, qua frequenter superposita, dolorem sedabat: particula vero thuris infundebatur in lacte donec dissolvatur, & guttatim instilletur, hoc illico dolorem tollit ut experti sumus. *Idem ibid. in schol.*

9. *Quæ extra applicantur*) Modus admovendi est varius; hunc *prodit Galenus 12. K.T. c. 1.* *Ego nullum pharmacum dolore vexatis infundo, neque etiam per lanam instillo, utpote qui experientia* edoctus sum, quod præstat neque omnino *contingere doloris* tempore auditorium meatum, sed *per auriculare* specillum lana mollissima obvolutum *dolore vexatas foveo; pharmacumque ita moderate tepore in aurifusorio specillo praeparatum intinctio*, ut interrogato *per nos ægro num tepidum ei videatur*, *& num calidius ipsum ferre possit, ad tantam caliditatem procedam ut nihil amplius offendat: Tinctum itaque in hoc modo praeparato pharmaco specillum ad principium meatus moderate impono, & in altum defluere ex eo pharmacum permittito, & postea iterum iterumque & sæpius tingito, idemque facito nullo tempore intermisso, Palam autem est cum hoc fit, etiam foris omnino aliquid effluxurum esse, expleto nimirum toto auditorio meatu; hoc igitur quantum possibile est moderate excipe, ne aurem contingat: Postquam vero probe foveris, meatum pharmacu expletum finito, & mollem lanam extrinsecus tum meatus osculo, tum universa auri imponito Atque ubi rursus fomenta adhiberi oportebit, incumbentem foris lanam leniter tollito, rursusque, similiter foveto, quantum possibile fuerit diligenter cavens ne vel auditorium meatum, vel aliam quampiam auris partem contingas Ad hoc vero præceptum maxime animum advertas, quod omnium potissimum fit in aurium Curatione.*

Arundinem quoque memorat *Trallianus*, *Praeterea illis uti Fomentis expedit quæ ex vaporibus per arundines perforatas adhibitis constant: Oportet autem alteram arundinis partem auris sinui accommodare, alteram vero in olla quæ operculum habet perforatum & undique constrictum*, Mesues vocat Cannulam; & *Galenus 6. de tu. valet.* ὠτεγχύτην: Strigilum nominat Celsus, *Plinius Valerianus*, *Marcellus*, Medicinale specillum, *Celsus* ip[illegible] eularium; Specilium aversum, *auriscalpium aversum*. Cui contrarium est *adversum*, quod acum[illegible] monstrat *Brassavolus de V. acut. l.4. sect.131.* Videatus *Job. Rhodius.*

Vaporatione per fumum & ollam utuntur *Galenus* & reliqui Græci, ut & Arabes: Hinc *Franc. Feynus*, *Auris teneatur super vaporem aquæ in qua sunt cocta mentastrum, stachas & sampsuchus.*

Job. Tilemannus & hoc adiicit, Tabula cupressi calide applicata, Vel juxta *B. Portam*, Instrumentum ex ligno *hedera* & præcipue *Smilacis.*

Otica omnia auribus infundantur calide, ex *Hippocr. l. de locis*, Medicamentum natura calidum tepefactum & metopio subactum infundendum. *Schneiderus l. de Cat. special.*

a. *Differentia à Causis*) Vide §. *Ortum à causis membranas.*

10. *Alius*

10. *Aliæ ab externis*) Quæ solutionem continui manifestam producunt, sicuti internæ occultam: Vulnera autem & ulcera sine dubio dolorem etiam inducunt. Vulnera fiunt a causis externis, pungentibus, incidentibus & contundentibus, ita ut contusio ad hanc classem referatur. Ulcera vero fiunt vel post inflammationem, abscessu rupto, vel ab humoribus acribus partem erodentibus. Deniq; *res externæ* in aurem immissæ, si duræ, acutæ, aut alio quovis modo mordentes aut vellicantes sint, dolorem efficere consueverunt. *Riverius.*

Causæ procatarcticæ & remotæ sunt, capitis nimia insolatio, venti vaporesque calidi in aures irruentes, Item frigida intemperies, quę excitatur à frigidis ventis inter peregrinandum, auribus incidentibus &c. *Fr. Joel.*

11. *Ut re illapsa*) Vide supra §. 3. *Oritur a causis membranæ.*)

11. *Re illapsa*) Illapsa vel intrusi corpora, penitus cavitatê subeuntia, vel si animalia irrepserint, non tam facile cedunt, quocirca ut auferantur cura opus est, ea vel *eluendo*, aut *excutiendo*, aut *extrahendo*, aut *enecando*; *Eluendo* nonnunquam hæc cedunt, si non adeo firmiter hæreant, quod fieri infundendo quæ viam hanc lubricam reddunt, & humectant dilatantque, uti olea *commune amygd. d. butyrum, lac*, vel decoctum aliquod relaxans lubricansque, *Excutimus* impetu quodam sternutatione mota, sic enim spiritus impulsu, concussis partibus, sæpe prosilit illud quod illapsum est, vel saltem ad anteriora propellitur; quod eo citius fiet si prius via, uti dictum, dilatata fuerit, *Saltu & impulsu* pedis illius lateris, in quo auris affecta est, contra terram facto, tenendo interim caput manibus, & inclinando in illam sedem, excutiuntur quoque res ex auribus: qua ratione aquam aliaque liquida in aures fluxa commode ejiciuntur; uti pueri post balneum in profluente, si quid auribus influxerit, excutere solent: *Extrahimus*, si hæc non succedant, instrumento ad hoc idoneo.

Allicimus interdum *animalia* quibusdam quæ illis grata sunt, ut extrorsum repant, sicque tunc apprehendi possint: ut si *lac cum sacchara* ex spongiola auri adhibeamus, vel leviter intrudamus; aut *ficum* inversam, vel *crustam panis*, aut *pomum* &c. vel *lardum*, quo vermiculi citius eliciuntur, idque præsertim, si dum hæc auribus tenent, eas soli obvertant. *sanguine* immisso in aures casu *hirudines* ingressæ alliciuntur.

Necamus viva animalia si in auribus hæreant, neque cedant, tuncque mortua non amplius auribus obstrepunt, & facilius eluuntur, vel excutiuntur, idque fit suffocatione illorum, si liquores infundantur, Sic *Salivam*, digito exceptam, auribus instillare solent, si pulices in eas irrepserint, quæ tenacitate sua mox illarum spiracula occludit, Item *urina* propria infusa præstat; *Amara* si sint quæ infunduntur, insecta citius enecant, ut *centaurii, absinthii succus* vel decoctum vel vinum; Succus *nerli* quoque occidit insecta; item *fella & aloe*; *acria* idem faciunt; *acetum*, succus *porri & cæparum*, & reliqua quæ in aurium vermibus valent. *Platerus*

Si auris dolor excitetur ab aliquo corpusculo in aurem immisso, ut lapillo, nucleo cerasi &c. (quæ intensum dolorem parere consueverunt, & interdum inflammationem, convulsionem &c. mortem accersere, ut refert *M. de Grads*, puero decem annorum nucleum cerasi in aurem immissum, & male à Chirurgo tractatum mortem intulisse) eorum extractio sic molienda, Primo advertendum an auriculario specillo illa extrahi possint, quod caute admodum agendum est ne ab eo denuo penitus immittantur; Ideo si res in foramen immissa totum foramen impleat, satius est ab ejus usu omnino abstinere, & alia auxilia tentare.

Paulus specillum lana obvolutum, in terebinthinam, aut gummi, aut aliud glutinans demittendum jubet, ibique vertendum donec res extrahatur. Si hoc modo nihil efficitur, oleum calens meatui instilletur, ut pars illa relaxetur & res contenta lubrica fiat, quo facilius aut excidat aut extrahatur.

Adhibeantur sternutamenta, naresque claudantur, & os comprimatur, ita enim à vehementi spiritus explosione res expellitur.

Hæc auxilia indesinenter usurpanda sunt, si enim res immissa diutius perstiterit, inflammatio oritur; hinc postmodum extractio difficilior, *Arculanus* in IX. *Rhasis* asserit caput lacertæ auri admotum corpuscula illa extrahere, proprio experimento confirmans *lacertam vivam*, aut noviter mortuam, applicari jubens cum capite & ligari auri, si per tres horas retenta fuerit, cum eam amovebis, invenies rem affixam capiti lacertæ.

Pulices aliquando in aurem sese insinuant, & in illius cavitate sese commoventes magnam molestiam pariunt. Ad illarum extractionem, globulus ex pilis caninis compositus in aurem demittatur, & pulex sese in eum inferet, ob sympathiam quam habent pulices cum canibus: Vel ex *lana molli* compressa pessulum componito & in aurem frequenter demittito, vel eundem terebinthina oblinito, & altius in aurem demittito. *Riverius.*

12. *Intemperie vel sine &c.*) An dolor Auris possit existere sine *inflammatione, vel nuda* intemperie, Vide supra §. 3. *Oritur à causis membranæ.*)

13. *Cum materia, vel frigida &c.*) Materia frigida dolorem aurium efficiens est pituitosa vel serosa, in aures a cerebro defluens · vel flatus ab eodem cerebro aut partibus inferioribus transmissus: Materia vero calida, vel biliosa est, ex venis & arteriis in prædictas partes illapsa; vel sanguinea per dictas etiam vias effusa, à qua inflammatio generatur. *Riverius.*

14. *Vel frigida*) Quæ sæpe aurium dolorem excitat, induciturque à ventis frigidioribus, balneo aquæ frigidæ, aliisque causis impensius refrigerantibus.

15. *Vel frigida in qua*) Dolor à frigore ortus cessat aliquando remotis saltim causis externis, h. e. cum contra frigus vel ventum partes hasce præmunimus, applicatis supra aurem omnibus illis, quæ calefacere possunt, velut lana pingui, vel pane calido, qui etiam immergi potest spiritui vini. Sed plerumque dolor primis hisce remediis non cedit, & tum ad remedia generalia confugiendum est. Sanguinis missio necessaria est, ne materia abundantior à frigore retenta accumuletur. Purgatio autem ordinanda non est, nisi cum doloris vehementia imminuitur.) Durante remediorum horum usu utiliter adhiberi possunt Fotus & Injectiones, factæ ex succis vel decoctis *melissæ, hyssopi, calaminth. origani, majoranæ*, quibus admisceri possunt aliquot guttæ *fellis bubuli*, vel *olei amygd. dulc. chamam. caryoph. anisi &c.* Valde commendatur obturatio auris *gossypio mo chato*; Effectus horum remediorum pendet à sale volatili valde penetrante quo pollent dicta remedia, qui partes has calefacit, poros & canales glandularum aperit, & materiam à frigore retentam propellit. *Du Verney.*

15. *Frigida in qua succus*) Si à frigida intemperie nuda producatur, calefacientia auri admota ad illius curationem sufficiunt, qualia in Surditatis curatione fuere proposita, ac præcipue Fotus & Suffitus, tum etiam olea calefacientia, ibi descripta. Si à frigida intemperie cum materia conjuncta, pituita scil. aut flatu, aut serosa materia, eadem fit curatio quæ ad surditatem, ut primo totum corpus evacuetur, cerebri intemperies corrigatur, & topica calefacientia ac discutientia auri admoveantur, à curatione prædicta repetenda. *Riverius.*

14. *Succus ceparum*) Cepa nota est medicina, Ego, inquit, *Mercurialis*, accipio *cepam*, seu corticem c... e, in quo pono ℈j. *vel* iij. *olei chamæm. deinde addo* ℈j. *pulv. anisorum* & *ana piperis albi*, jubeo ut cortex super prunas ignitas contineatur, usque quo totum oleum absorbeatur, deinde contundi & exprimi succum, qui instillatus in aurem dolentem ex vaporibus dolorem tollit. *J. h. Hartmannus* ait *ungu. de cepa & felle perdicum* ex proprietate juvare: Aqua è *cepa* & aliis distillata *Vogæ* est decantata. *Ph. Mullerus* implet *capam pinguedine anguillæ*, coquit sub cineribus, expressus succus auribus infunditur. Vide supra Empl. de Cæpa *Mercurialis*. J.B. *Cortesius allium* magnificat.

15. *Frigida, in qua*) Ubi nulla est inflammationis suspicio, optime convenit *decoctum caryoph. aromat. in vino* auri instillatum, ipso *caryoph.* desuper applicato, *Urina pueri*, aut potius *spiritus ejus*, non adeo acris, immissus est egregius. Item convenit *Spir. Otalgicus Mynsichti* aut *Barbette An. Pr. l. 2. c. 1.* ubi vel spiritus abstractus, vel salem essentia abstracta auribus instillari aut cum bombace applicari possunt. Hic ipse quoque non tantum in Obauditione, à quacunque causa sine inflammatione, sed etiam in tinnitu aurium & surditate est egregius, si duæ vel tres guttæ instillentur, postmodum auris obturetur *bombace moschato* aut ambrato. Ubi dolor est nimis acutus, spiritui hujusmodi otalgico tantillum essentiæ opii addendum venit, sed caute, ne auditum lædamus. *Etmuller.*

17. *Vel calida*) Calida intemperies sine materia raro aut nunquam aurium dolorem producit, sicuti frigida; nam frigidum partibus hisce nervosis & membranosis inimicum est; calidum vero amicum: neque dolorem in auribus efficere potest quin multum excedat, sieque humorum defluxum ad partem alliciat, unde materialis intemperies prodocitur: hac de causa nec *Galenus* nec alius Græcorum calidæ intemperiei meminerunt, quamvis *Avicenna* & Arabes fére omnes eam proposuerint. *Riverius.*

17. *Vel calida, in qua*) Dolor à causa calida ortus ut plorimis remediis illis generalibus, cedit inprimis venæ sectione, quæ absolute necessaria est ad impediendum fluxum & inflammationem quæ parti affectæ accidere possent. Durante istorum remediorum usu feliciter utimur *injectionibus* factis cum *Lacte* (ubi fœminæ lac cæteris omnibus præstat) misto cum albumine ovi diff... uto. Injectiones quoque fi... t um ... cto aliquo ... tollente & ... lt gerante ... quo cicuta ... dul.. di... itui. De *Vigo* valde præd... t ... Valet & cataplasma aliquod emol... ns & ... Et cum dolores intensissimi sunt, ad n... giendum, quæ topicis committenti, vel etiam prop... possunt.

Cum dolor provenit *à fero acri & falso*, utimu... *aqua card. bened.* in qua *millepedes*, *lumbrici*, *ova formicar.* &c. coquuntur; misceri etiam possunt guttæ aliquot *olei buxi*. Hæc cum abundent ... volatili alkal... ditatem humorum serosorum destruunt, quæ d... rum causa existit. *Jos. Du Verney.*

17. *Vel calida, in qua lac &c.*) Valet præcipue ovi candidum cum lacte muliebri subactum & in aurem instillatum, *Vide supra de inflamm. aurium.* Si à ca... intemperie cum humoris affluxu fiat dolor, q... nicus sit, aut per intervalla recurrat. 1. humor ... tem affluens revellendus erit f. m. q... tiam intemperies totius corporis, nedum ... us hepa... qua humor biliosus generatur, ... inde humoris peccantis evacuatio fi... pu... idoneis. Dicta hepatis intemper... tur Julepis aut Julculis ref... prino, aquis mineralibus acidul... aquæ tepidæ & similibus: Ac deni... veniunt quæ in doloris capitis à ... oriundi curatione proponuntur ... demulcebitur Topicis refrigerantibus, ... sicut in inflammatione dictum. *Riverius.*

18. *Lac muliebre cum &c*) Sicuti Lac ... ibus inflammationibus præcipuum est ... ita Ophtalmiæ & Otalgiæ peculiariter mederi videtur. Nutricis quæ puellam lactat addit & peperit, mul... præferunt. At *Garioponius* secus, In tumore aurium melle & mulieris quæ masculum peperit uti j... bet. Lac in ... merum medicamentorum Otico... ur. *Cammum lac* præconio *C. Plinius Valerian*, *Marcelli* & *Alex. Benedicti* magis utile erit. *Bubulum* lac ... capino miscet *Plinius Valerianus*, ... *Marcellus*. A *Botyrum* quoque ent Oticum, adeo ... ll... ant *Plinius*, *Haly Abbas*, *Trallianus* &c. facit enim ad suppurationem. *Schneiderus.*

Surditas.

Surditas est [9] *auditus* [10] *abolitio*, [11] magnitudine duntaxat causæ à βαρυηκοΐα seu ὑποκωφώσει, qua homo sonos ex justa distantia difficulter percipit, differens.

Oritur, [12] *externe* aliquando, si arundinem vallatoriam auribus imponas.

[13] *Interne*, [14] illorum [15] quæ ad auditum perficiendum concurrunt vitio.

I. [6] *Cerebri*, quod spiritus animales *vel* non gignit, *vel* non transmittit, ob peculiarem aliquem morbum.

II. *Nervi auditorii*, qui eos non defert. *seu* [17] ob vitium conformationis [18] ... uc surdi muti sunt, & [19] talis surdities non curatur: *seu* ... propter obstructionem, ... d... itatem &c.

III. [1] *Spiritus animalis*, qui *vel* non generatur, propter ingentem cerebri [3] intemperiem; *vel* aboletur, propter omnimodam angustiam: *vel* non permeat, ob nervi vi... *vel* pauc... crassus, & impurus est, propter ambientem aërem, seu aliquam aliam causam.

IV. [5] *Aëris congeniti*, qui *vel* deficit, ob vulnus nempe, ulcus &c. egressus, ... ex sono, capitis concussione, vehementi cerebri affectu dissipatus; propter alimenti defectum, non restitutus; *vel* impurus est, ab aliqua materia, seu à cerebro seu aliunde missa.

V. *Meatus auditorii*, qui *vel* [6] malè conformatus est. *Vel* obturatus, *seu* ex parte, hinc auditus duntaxat imminuitur; [7] *seu* ex toto, hinc externus sonus non percipitur, ab a... relicto alius excitatur *seu* à [8] rebus externis ... apsis, immissis ... *seu* internis ... humoribus ... sordibus, ulceribus, &c. *Vel* constipatus, ex inflammatione, tuberculo. *vel* compressus, ex fractura ossium.

VI. *Tympani*

VI. [42] *Tympani* [43] quod rumpi [44] laxari, [45] crassius vel siccius reddi, [46] tendi, [47] inflammatione circa eum obortâ, infestari potest.

VII. [48] *Ossiculorum trium*, quæ aut non rectè formata sunt, aut loco suo moventur.

Frequentissimè tamen ab [49] humore *pituitoso* [50] vel *bilioso*, quod in febribus acutis accidit, & interdum materiam ad exteriora ferri indicat.

[51] In ejus *curatione* [52] videndum, ut medicamenta [53] *calidè* [54] applicentur. Ne nova, nisi *sordibus detersis*, apponantur, ne plus *tribus guttis* immittatur. Ut à [55] *viscosis* & nimis *unctuosis* caveatur, Ut æger super [56] *aure sana* jaceat, Ut [57] *capitis* ratio habeatur. [58] Laudantur [60] aqua *Cardui benedicti* bis infusis foliis in vitro destillata, *succus cepæ spiritu vini* imbutæ, & sub cineribus, coctæ, succus ex [61] *ovis formicarum* expressus, vel aqua ex *iisdem* destillata. γ. *fel leporinum* cum pari portione mellis virginei, & cætera; ut, [62] *urina leporina*, vel sola vel cum *spiritu vini gutt. iv.* calide instillata, *fel perdicum* cum [63] *oleo succini* ana mixtum gr. III. vel IV. dosi, *Oleum xx julis nucum juglandium* commendatissimum.

[59]. *Auditus*) Modus auditus hic videtur, Aër externus ex collisione corporum agitatus movet sibi proximum aërem; hic alium, usque dum continuata propulsione perveniat ad Auris externæ meatum, & per eum ad ipsam tympani membranam; hæc motu movet connexa ossicula, & cum iis aërem cavitatibus internis contentum, adeoq; fibrilas nervi auditorii in intima cavitate expensas, quæ concussionem suam sensui interno communicat, ubi percipitur sonus. *G. Blasius Therap. spec. p. 395.*

[20]. *Auditus abolitio*) Contrarium vitium est Auctus Auditus, in iis qui minimos sonos, etiam dormientes observant & inde expergiscuntur; Causam puto esse sensorium perfectissimum, imo quodammodo plusquam perfectum, & simul valde tenerum, unde ad minimum objecti cujusvis motum excitatur; Et sicut objectis à talibus observantur accuratius & distinctius quam à plerisque aliis, ita molestia sensorium afficiunt si vel minimum recedunt ab exacta mediocritate: Unde somnum talium hominum experiuntur levem ac continue fere interruptum, quod iisdem existit valde molestum. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 8.*

[21]. *Magnitudine duntaxat causa*) Definitur [illegible], quod sit Imminuta Auditus functio, ab aliquali animalium in aure spirituum defectu ortum ducens. Pertinere hunc affectû ad symptomatum, & quidem *actionis læsæ* classem clarum est. *Straussius Pal. Med. p. 1. Sympt. 20.*

[22]. *Externe aliquando*) Objecto proprio uti visio afficitus, ita & sono violento & nimio, subito & affanim per aurem ad cerebrum usque penetrante, offenso nervo, spiritibusque dissipatis, surditas nonnunquam sequuta est: vel redeuntibus spiritibus, non tamen sufficienter, tinnitus aurium relictus est: Qui tamen sonus, si impetu majori fiat, etiam auditus organum lædendo noxam inferre potest. *Platerus.*

[22]. *Externe aliquando*) Intemperie frigida ab aëre frigidiore, aqua frigidissima in aurem immissa, narcoticis medicamentis, & aliis diutius usurpatis. *Riverius.*

[23]. *Interne*) *Mediatas causas* id omne statuimus quod spirituum animalium commercium cum organo auditus sufflaminare aptum natum est, symbolum conferre videmus. Proximius quidem, & sub *causa interna* impetu id frequenter efficiunt *Vapores & Humores.* Humorum vitium duplex producit *Galenus*, unum *quantitatis excedentis*, *Plethoram*, alterum *excedentis qualitatis*, *Cacochymiam*, Hinc & *spirituum animalium* vel *insufficiens generatio*, vel *generatorum prohibita communicatio*, vel *languor*, apoplecticis non raro molestus, aliáque id genus non incommode deducentur. Sic *Surditatem* a biliosa calidaque materia oriundam observavit *Forestus l. 12. obs. 13. & obs. 14.* A crudis item crassisq; humoribus contractam memorat. Neque *vapores* prorsus rejiciendi, quanquam enim plerumque *Tinnitum* excitant, Gravem tamen Auditum non minus producere coacervati valent. Interim frequentius *Humores*, & inter hos *aquosi & phlegmatici* peccant. *Plethoram* quoque symbolum quandoque conferre, crises quæ per narium hæmorrhagiam fiunt, & testimonium *Hippocr.* aph. 60. 4. confirmant, *Vias* in vivente, adeóque poris innumeris patente corpore, non est ut in dubium vocemus, cum etiam hisce conniventibus, vel ipsa vasa omnis generis aditum non obscure monstrent. *Straussius.*

[24]. *Vitio illorum quæ ad auditum &c.*) Subjectum hujus affectus, & quidem adæquatum, invenire in promptu est, Aurem laborare *certum est*, Sed hoc nondum satis est, cum enim Auris plurimis constet partibus, harumque aliæ ad *auditum simpliciter*, aliæ ad perfectiorem faciant, de primario sensus hujus (adeoque & affectu p. n.) organo non omnium una eademque est sententia, hinc alii munus hoc *spiritibus*, alii juxta *Hippocr. nervo auditorio*, alii, cum *Aristotele*, *Auræ implantatæ* attribuunt. Nos sedem affectus principalem in *Nervo Auditorio* (qui septimæ conjugationis, olim quintæ dictæ, ramus mollior est, & per peculiarem ossis petrosi meatum in auditoriam specum penetrat) collocamus, cum *Willisio* Tr. de An. Brut. c. 14. Ibi, *inquit*, sensio est ubi *Nervus* sensionis ideam excipiens implantatus, Attamen cum duplex sit cochlea, ac nervi auditorii pariter bifidi duplex sit insertio, sequetur etiam quod in utraq; aure duplex sit auditus organum, quem vero ob usum hoc fiat non ita plane constat. *Straussius.*

[25]. *Illorum quæ ad Auditum perficiendum*) [illegible] consequitur vel *spirituum* [illegible], ac potissimum *aëris vernaculi* subtilitatem, à calore plerumque profectum, qua prompte impellitur.

Vel *tympani* tenuitatem, aut ejusdem ariditatem, similiter ac coria militaribus tympanis instrata quo magis tenduntur eo baculis complosa altius insonant; *Nullum enim humidum*, inquit, *Hippocr. l. de Carn. sonum facit, sed sicca tantum*; quæ vero sonum faciunt, *ea etiam audiunt.*

Vel *Nervi* qui ad aures fertur rariorem texturam, Quandoque etiam hicce nervus ludente natura multiplicatur, ut in *Cardinale Richelio*, qui audiendi excellentia ad miraculum donatus, tergeminum utrinque gestare deprehensus est auditorium nervum. Postremo vis audiendi viget si *spiratis aurium loculi* à prima typosi, aut plus justo tortuosi sint, in quibus proinde ut in littus sonus varia reflexione reboat, aut solito arctiores, non vero patentiores, ut pleriq; opinantur, [illegible], inquit, *Arist.* 10. *probl.* 19. sic nativa [illegible] i.e. pupillæ parvitas, visui commodat, & venatici canes, quibus nasus resimatus, odora vi pollent, captántque discrimina odorum quos olfactus humanus non attingit, contra homo cæterorum animalium est maxime [illegible], ob apertas nimis narium semitas, ut legere est apud Aristot. in probl. *Menjotius.*

18. 1. *Cerebri*) Uterque affectus Cerebri vel Auris vitio exoritur. Vitium cerebri intemperies vel frigida, aut repletio: aut imbecillitas, aut alia quælibet læsio, in ea præcipue parte quæ nervi auditorii exortum, aut progressum occupat. Tunc aut alii etiam sensus læduntur, aut aliquis affectus peculiaris in cerebro apparuit, aut dolor capitis, aut gravitas, apoplexia, lethargus, aut alii epilepsia. Surditas autem à vitio cerebri excitata facilius curatur quam quæ à proprio auris affectu producitur. *Riverius.*

16. *Cerebri*) Cerebri vitium generale, uti reliquis sensibus, sic & auditui noxam infert, Et si speciatim circa nervi auditorii exortum, aut progressum in auditus cameram oriatur, auditui potius quam cæteris incommodat. Accidit que hoc ei, vel vitio proprio, à morbo aliquo, vel imbecillitate illius, aut per consensum, ratione vaporum, vel objecti proprii. Morbus gravis & vehemens cerebri, ab intemperie frigida, sepletione, læsione insigni productus sicuti reliquos sensus, ita & auditum vel abolet vel debilitat. *Platerus.*

17. *Seu ob vitium conformationis*) Illi hallucinantur qui Surdos à nativitate mutescere existimant, læso nervo quintæ conjugationis, cujus major surculus fertur ad aurem, minor vero propaginibus quibusdam in nares & buccas obiter transmissis, radici dentium, linguæ & laryngi distribuitur. Nam surditas ingenita ob pravam organi ... e. g. si primum & anfractuosum utriusque auris antrum, ... Græcis dictum, ab agnata membranula obturetur, illæsis internis auditoriis nervis, locutionem nihilominus labefactat. Falso enim supponunt hujus opinion s patrom connatam Surditatem nervi aud.torii culpa semper oboriri, cum ex adverso ratissime id contingat, alioquin simul cum auditu tactus quoque in aure interna necessario deficeret, quod nervus ille utrumque sensum auribus impertiat; Jam autem à natura surdi patiuntur oralgiam, quæ partis tactum superstitem, ideoque nervi illius incolumitatem demonstrat.

Ponamus insuper ramum nervi quintæ ..., ad aures perreptantem, naturaliter vel deesse vel quomodocunque vitiari, salvo altero ejusdem nervi surculo qui ad linguam ducitur (quod sine dubio possibile est) nativa profecto ejusmodi surditas, juxta adversariorum dogma, haud deberet accersere mutitatem, cum tamen illa præsente illa sit inevitabilis. Præterea natu grandiores, adepta jam per auditum loquendi industria, si ob paralysin nervi quinti paris obsurdescant, nunquam simul mutos evasisse compertum est, etsi forsan paulo submissius loquantur; Deinde, cur vox simul cum loquela non destruitur effecto, ut volunt, nervo laryngi & linguæ cum auribus communi? Si dicant à nervis recurrentibus ad laryngem propagatis vocem sartam tectam conservari, quidni etiam septima nervorum societas ad linguæ musculos delata, loquelam saltem nutantem ac imperfectam præstabit? Addamus, si propter antium cum lingua sympathiam, ex ejusdem nervi communione, surditas innata loquendi ... secum adducit, vicissim qui à natura muti sunt necessario surdos fore, contra fidem experientiæ; Tandem ex hac sententia sequeretur quotquot à naturæ primordio sunt Surdastri, eos omnes impedite loquutoros esse, quod pariter eventus non quadrat. *Menjotius.*

18. *Seu ob vitium conformationis*) Nervi auditorii non rite formati, aut ... ab ortu casu, nonnunquam evenit ut Surdi ... cantur. Cognoscimus nervi causa even si quod & muti quoque plerique existant, cum lingua, quæ ad sensum gustus, tactus & motum vehementem ... dendum pluribus nec is indiget, non tantum proprios nervos obtinuerit, sed & alium insuper à nervo auditorio, eam ob causam ex auditus camera erumpente, cujus gratia lingua cum ... continuatur, acceperit; quo læso linguam ... etsi sensus maneant, sufficienter tamen non moveri ad ... quelam edendam, cum ad motum major vis quam ad sensum perficiendum requiratur, contingit. Nec dum obstat quod sensorius tantum ille nervus sit, quo hic lingua privatur, cum jam sæpe probaverimus omnem nervum vim movendi sentiendique ... habere, quam etiam ad instrumentum conveniens delatus exerit. *Platerus.* An vitio nervi otiri possit loquelæ privatio (id quod negat Menjotius) vide ... de *lingua vitiis* §. de Mutitate.

18. *Hinc plerumque surdi muti fiunt*) Maximus enim consensus inter Auditus & Loquelæ instrumenta ... nervum quintæ conjugationis (*alias octavum* ... *septimum*) cujus rami præcipui ad aures qui ... feruntur, nonnulli tamen in linguam & laryngem pertenduntur, unde fit ut aurem interiorem ... tussis excitetur. Et ratio evidens est si ... à nativitate, si loquelæ instrumenta non ... vitiata, aliquam vocem articulatam ex natura ... edererent, sicuti reliqua animalia, ... ab aliis ejusdem speciei animalibus segregentur, ut nunquam ea audire valeant, vocem tamen sibi connaturalem proferunt: At Surdi à nativitate nullam vocem articularam edunt, sed sonum tantum confusum; qui partium loquelæ inservientium læsionem manifestam arguit: Unde patet à nativitate surdos mutos esse solummodo quod per auditum homines loquendi formulas addiscant. *Riverius.*

19. *Et talis Surditas non curatur*) Surditas à nativitate, & quæ longo tempore contracta est ... eaque integra & absoluta, incurabilis est, Quæ vero non absoluta, sed diuturna, difficillime & ut plurimum nunquam curatur.

Gravis Auditus si brevi tempore non curetur, in omnimodam surditatem degenerat, ex *Galeno* ...

Membrana tympani rupta, aut in ... carnis, incurabilem Surditatem efficit. Surditas per intervalla crescens & decrescens, curabilis est, ab humore enim mobili, qui interdum minuitur & augetur, eam produci significat. *Riverius.*

19. *Talis surditas non curatur*) Cognoscendum est inveteratum malum esse incurabile; atque inveteratum putant post duos annos, & ubi æquabilis Surditas est, neque augescens neque remittens sese, aut ubi scirrhus aut tuberculum internus jam intercipit meatum auditorium, ubi in tutenori meatu solutio continui est in nervo auditorio. *Hollerius.*

30. *Seu propter Obstructionem*) Morbi nervi auditorii sunt Obstructio & Compressio. Cum cerebrum totum sero copioso imburum est ut in apoplexia & paralysi, evidens est hunc nervum ... ut cæteros omnes obstrui. Præterea intel... solam hujus nervi obstructionem præ... vitio organorum auditus, causam esse posse ... tatis, perinde ut obstructio nervi optici causa est Guttæ serenæ. *Compressio* eundem effectum habet. Procedit autem ex variis causis, velut à sanguine & aliis liquoribus extravasatis, sicut observatur utplurimum in Apoplexia, vel ab aliquo tumore, sic DD. *Drelincurtius* invenit in cerebro ... omnis ex apoplexia mortui, steatoma intra cerebrum & cerebellum, quod primum cæcitatis, deinde surditatis, denique totalis privationis omnium functionum ... causa exterat.

Facile

Facile est cognoscere hanc Obstructionem vel compressionem nervi in oculo ubi partes omnes pellucidæ sunt & transparentes, quando enim in partibus hisce vitium nullum deprehenditur, suspicari licet obstructionem in nervo optico; Sed in ante partes omnes internæ oculos nostros fugiunt, ita ut fere dijudicari non possit sit ne vitium in organo an in nervo: Si tamen lethargus vel paralysis præcessent Surditatem, vel si eodem tempore sensus alius destructus fuerit, cerebrum merito credimus affectum, & itidem nervum vel per obstructionem vel per compressionem.

Hoc casu iisdem remediis utendum est quibus nitimur in Paralysi, purgationibus crebris, vomitionibus &c. Compressio à tumore facta est incurabilis, *Du Verney.*

31. *Densitatem &c.*) Narcoticorum usus nimius in aures quandoque non quidem refrigerando, sed nervum nimium obstupefaciendo adeo afficit ut ad se redire amplius non possit: quæ nova causa ad imbecillitatem referenda est. *Platerus.*

Quo in casu locum habebunt ea præcipue quæ *acetum* assumunt, quod narcoticorum vim infringere præ ceteris seligemus. *Idem.*

32. *Spiritus animalis qui vel non &c.*) *Galenus in 1. Prorrh. t. 31. obsurdescere ait, Ileosis inter Movendum, Auditiva facultate emortua.* Hanc rationem agnosco, sed non sine -θauvSin, hac nempe, *Facultas est spiritus ipse, Auctor Hist. Philos. c. 12 Facultas spiritus esse videtur, qui merito corpus existimatur.* Galenus ipse xi. in. ni. 5. *Facultatis essentiam complecti* scribit *ex spiritu, ac carnoso genere ac solidis.* Ego rem unam esse censeo quam *Spiritum, Calidum insitum,* atque *Facultatem* vocamus, Itidemque *spiritum* nomen esse totius, *calidum* vero & *facultatem* nomina partium ex quibus essentiatur spiritus: Obsurdescere autem *in vomitu,* aut *a vomitu,* malum est, non ut causa, sed signum malum est, non ideo, inquam, quia facultas audiendi abolita est, quam enim multis conceditur Surdis vivere & cætera bene, sed quia Spiritum consumptum, Calidum dissipatum, Facultatem collapsam, Cor exhaustum, Ignem defectum, Naturam denique victam, tot vocibus rem designamus eandem) significat; Et hube effatum *Præceptoris* Coaca 72. *Invalide decumbentibus non videre, aut non audire, aut distorqueri labrum, vel oculum, vel nasum, lethale.* Van der Linden *Select. Ex. 4. §. 79. 80. 81.*

32. *Spiritus animalis, qui vel non &c.*) Causa immediata, quam in-ulcat definitio, est *Defectus spirituum animalium*, Cum enim omnes sensus spirituum animalium beneficio perfici certum sit, non minus sane in Auditu idem illis concedendum munus erit, horumque adeo interdictum quodammodo cum organo auditus commercium, tanquam veram Bupvérgias causam accusare non dubitamus. *Straussius.*

32. *Spiritus animalis*) Quæcunque spiritus vel obtundunt, vel confundunt, cavenda sunt. *Confundunt* inprimus sternutatoria, unde & caput turbant, & varie agitant materiam halituosam ac humorosam ibi còtentam, *Obtundunt* vero frigida, actu vel potentia talia, quæ idcirco tutius omittuntur. *Wedelius Ann. m. m. p. 137.*

Intemperiem) Intemperies frigida uti nervis, membranis, & ossibus inimica sic & auditus organi structuræ, ex hisce conflatæ, admodum noxia est, eo magis quod aëri externo frigido aures apertæ & [illegible] semper pateant, facileque sit ab externis, ut vento frigido, præsertim per meatum auditorium ad tympanum usque penetrante; illeque partes etiam abditas & nervum ipsum refrigerante lædantur unde surditas nonnunquam & auditus impedimentum frequenter subsequuntur sunt; quæ quoque una ex præcipuis causis existit quare in locis frigidis, ut Alpibus, & ventosis, civius defectum auditus communiter sentiant;

Quod & ab aquæ frigidissimæ in aures casu, vel inter natandum illapsa fieri potest. *Platerus.*

34. *Aëris congeniti*) Hic si forte crassior extiterit, pigram torpidamque reddit actionem, quod minus iste respondeat vibrationibus externis, ac tardius moveatur, tardiúsque proinde ictus impertiat aëri qui est in labyrintho. Cæterum cum moveri aërem internum, & mutari expediat, qui alioqui corrumperetur, quoties contingit meatum obstrui, qui vergit in palatum, adeóque exitu prohiberi aërem primum, & ingressu successivo secundum, gravem auditum fieri necessum est, & sensum gravitatis molestum circa articulum maxillæ qui est ad latera Tympani. *Ant. Molinetti.*

34. *Aëris congeniti*) Aër auribus implantatus isque, si *Philosopho 2. de An. 8.* fides ἐμψυχος, sedes ac domicilium τῆς ἀκοῆς, non modo purus, verum etiam immotus esse cupit, Si puritas ejus inquinetur, ut Nautis, Piscatoribus, cætetisque θαλασσουργοῖς, homines efficit surdastros: Si turbetur illius tranquillitas, *fiunt sollicita plenaque sonoribus aures*, licet foris omnia taceant. *Menjotius.*

35. *Ex sono*) A sono impetuoso externo si auditus detectum patiatur, sponte nonnunquam ad se redeunt, alias ægre, alias nunquam; quando nimirum spiritus adeo dissipati sunt, ut remeare non possint amplius, vel non sufficienter, unde tinnitus perpetuus relinquitur: Vel si tympanum vi aëris impulsum, læsum laxatumve, nimium extiitat, surditas, vel gravis auditio, homini semper deinceps molesta est; Nihilominus tamen adhibitis cucurbitulis juxta aures & frictionibus circa aures, aliisque calidis extrinsecus, auribus appropriatis spiritum retrahere studebimus. *Platerus.*

36. *Vel obturatus*) Obturatio externæ aurium cavitatis oculis ipsis dignoscitur, si ad Solem cavitatem illam introspicias; tumque apparebit aut tumor, aut materia crassa, aut alia quæpiam substantia heterogenea cavitatem illam replens. Tum etiam si aliquid extrinsecus in aurem sit illapsum, ex relatu ægri dignoscitur. *Riverius.*

Si quid extraneum in meatu dicto contineatur, deprehenditur apposita phiala, aut vase vitreo, aqua purissima impleto, cui à tergo candela accensa teneatur.

37. *Seu ex toto &c.*) Advertendum est meatus exterioris obturationem integram & absolutam surditatem non posse efficere, sed tantum gravem auditum, quandoquidem per os etiam soni ad aures deferri possunt: Etenim meatus patens est ab auris interna cavitate ad palatum, per quam soni facilè ingrediuntur, & ad aures sese insinuant, qui etiam meatus Aurium expurgationi (*id quod negat Schneiderus*) dicatus est. Et sonum per os apertum excipi patet ex surdastris, qui ut melius loquentes audiant aperto ore sermones excipiunt, Etsi utraque diligenter obturata musica instrumēta baculo contingas, quem dentibus apprehendens, exquisitius audiūtur. Et in via, noctu alicujus procul advenientis strepitum captamus, & è longinquo melius audimus, si baculi, aut ensis alterum extremum terræ infigamus, alterum vero dentibus apprehendamus. *Riverius.*

37. *Seu ex toto*) Nascuntur quandoque membranæ in ipso meatu quæ eum firmiter claudunt, & speciem quoque Surditatis singularem constituunt: Cum ab obitu Illustr. Viri, qui surditate diuturna laboraverat, in causam inquirerem, in aure dextra (qua ipsa nihil audiebat) membranam inveni admodum spissam & valde laxam, ante quam materiæ instar calcis concretæ, insignis copia obvia erat, à qua surditatis causa proculdubio deducenda; Membrana autem tympani in eo, æque ut cæteræ omnes auris partes, dispositionem & situm naturalem obtinebant.

Excrescentiæ quoque carnosæ & fungosæ aliquando ex ulceribus hujus partis provenientes, vel ex locis

quæ nudantur pelle cum auris purgatur instrumento nimis aspero, meatum auditorium totum implere possunt. *Du Verney.*

In hac obstructionis specie ubi communiter Cerumen colligitur ante membranam, quæ præter naturam nata est, meatus primum per injectiones modo dictas purgandus est, & deinde perforanda membrana; sed caveant Chirurgi, ne membranam tympani una lædant. *Idem.*

Ad comprehendendam curationem ejus Obstructionis speciei quæ fit per excrescentias fungosas & carnosas, satis est probe legisse *obs. 3. cent. 3. Hildani*, ubi describit excrescentiam fungosam & scirrhosam, quæ meatui innata erat post abscessum, antequam eam exstirparet, præparabat eum cura ægræ corpus, postea quantum poterat ligatura auferebat, sed cum radix excrescentiæ valde profunda esset, nec instrumenta ad fundum usque pertingere possent, usus est caustieis, quæ applicabat, munito prius meatu laminis cereis, ne læderetur, quod felicissime ipsi successit. *Idem.* Dilucidationem hujus operationis vide libro de Operationibus Chirurgicis.

38. *Seu à rebus externis*) Corpora extranea intrudi possunt in meatum, velut pisa, globi, nuclei, Et si corpora hæc in profundum meatus intrudantur, difficillime extrahi possunt, clauduntur enim tunc meatu osseo, qui valde obliquus est, & versus membranam tympani declivis, quin & detinentur ibidem à cerumine viscoso illic collecto: Maxima vero difficultas est pisa extrahere & similia grana, quæ in ipso meatu intumescunt, ibique germinare aliquando visa sunt; vide exempla apud *Hildanum, Schenckium* &c.

In hac Obstructionis specie artificium consistit ut corpora extranea extrahantur, quod ut dextrè fieri possit, videndum est an corpora ista talia sint quæ emolliri possint, sicut pisa: vel dura sint & solida, ut globi plumbei, nuclei &c. Observandum etiam est an corpora ista in meatu cartilagineo, an osseo cohibeantur; Si corpora mollia sint, & in meatu tantum cartilagineo, conabimur ea frangere, vel cochlear descriptum ab Hildano *observ. 4. c. 1.* pone ea adigere, quod in parte flexili & tractabili, qualis est cartilago auris, facile fieri potest, atque ita eandem extra meatum protrahere. Idem fieri potest circa corpora dura, quæ cochleari vel terebello extrahi possunt.

Quoad *corpora hærentia in meatu osseo*, difficillimum est illa extrahere, sicuti notavimus, inprimis si meatum exacte adimplent, tum enim facile intelligitur neque cochlear, neque terebellum multum prodesse posse, Ideo censeo hoc casu incisionem fieri posse pone aurem, & versus ejus partem superiorem; id quod hoc loco satis secure fit, cum nullum ibi sit vas notabile, & meatus pelle tantum glandulosa vestitus: Eo modo evitari quodammodo potest obliquitas meatus, & adhiberi terebellum, cujus usus potissimus est ad educendos globulos plumbeos.

Si autem nucleus in meatum osseum esset intrusus, qui ob figuram ovalem utraque sui extremitate posset apprehendi, uti possemus instrumento descripto ab *Hildano obs. 4. c. 1.* quod Tenaculam appellat, & si proprie appellare velimus, dicendum est cochlear forcipis forma; Oportet autem ut gemina crura conficiantur ex optimo chalybe, ut tenuia fieri possint, & si incurventur, ex se ipsis iterum recta fiant. Non immorabor describendis omnibus hujus operationis circumstantiis; nec dicam injiciendum auri oleum amygd. d. suppono enim hæc omnia satis constare. *Du Verney.*

Intrusum corpus extraneum meatum obstruit, cum auditus jactura, nec sine dolore & inflammationis periculo, præsertim si tale corpus fuerit quod imbibita humiditate facile turgere possit & putrescere, vel etiam germinare intus, & radices jacere, quod non semel factum scimus, præcipue in pueris, malo aliquando eventu, vel etiam pernitioso; ichor enim qui ex putredine manat, corpus musculi & tendinem, imo & tympanum exedit; quæ omnia, quamvis arte vincantur, imperfectum nihilominus organum efficiunt, quod si sanari nequeant, interficiunt quinetiam. *Ant. Molinetti.*

39. *Internis humoribus, sordibus*) A sordibus, bile, sanguine concreto, aut pure si aures obturantur, extrahere auriscalpio, vel alia arte oportet; Et si adeo crassa vel tenacia sint, ut non facile cedant, tunc abstergi, dissolvi, atque elui debent, sæpe immissis rursumque emi[ssis] liquoribus, quales in pure abstergendo ex aurium ulceribus conveniunt, conferque inprimis *hydromel*, vel si potentius abstergendum, *decocto* vel *succo amaro absynthii, centaurii, lupinorum*, id erit faciendum, add[i]to *melle*, vel *felle*, quod præ cæteris omnibus v[is]co a fluida facit, & in *cerumine aurium bilioso* dissolvendo cui propter similem cum illa naturam se egregie insinuat magnas vires habet. *Platerus.*

41. *Sordibus*) Causa maximè ordinaria obstructionis est *Cerumen retentum* & inspissatum apud [il]los qui aures expurgare negligunt: Cerumen hoc tam copio[se] colligitur, & tam spissum fit, ut meatum totum obturet; Potest etiam aliquando natura fieri admodum spissum in iis qui sunt temperamenti frigidi [et hu]midi, quorum humores sunt viscidi, quo [fi]t frigus aeris externi. Quin & verisimile est hoc petrificari & surditatem efficere posse; eoque magis quod cum bile, quæ in cysti continetur & sæpissime petrificatur convenientiam habet, vide Ephem. *Bartholinus vol.* . qui refert uxorem suam à dolore circa aurem diu tortam, denique è meatu auditorio lapillos cum cerumine exemisse, quo facto dolor cessavit: At vero sæpissime invenitur Cerumen in gypsi formam coagulatum, meatus osseum & cartilagineum omnino adimplens, quod ego in decem vel duodecim subjectis observavi dum in scrutanda auris structura occupor. Consului hac de re complures Chirurgos peritos, à quibus plusquam triginta observationes obtinui, quæ clare [o]stendunt hanc surditatis speciem & communi[ssi]mam & [f]acile curabilem esse, Famosissimus quoq; iste Chirurgus, in montibus Hannoniæ, quod surdos curaverit, non alias quam hujus speciei surditates aggrediebatur. Hic morbum agniturus aurem ægri radiis Solis exponebat, qui si in meatu obstructionem observabat, tum instrumento ad eum purgandum peculiari utebatur, & hoc modo surdos non paucos curabat. *Du Verney.*

In hac obstructionis specie cerumen rumpendum, & separandum est à meatu per injectiones factas ex aqua tepida, decoctionibus emollientibus, *hydromelite, oleo lini*, admistis guttis nonnullis *spiritus vini, ol. amygd. amar. ol. trifol. odorif.* Nonnulli aquis mineralibus utuntur; Et utiliter adhiberi potest fel omnis generis animalium, sunt & quibus aqua tepida potior [vid]etur cæteris omnibus liquoribus, additis guttis aliquot spiritus vini ut efficacius penetret. Separatur a[liquando] aliquando cerumen diebus quinque, aliquando demum post xv. diem. Unde patet non facile desistendum esse ab injectionibus. *Idem.*

40. *Sordibus*) Excrementum illud biliosum, quod natura colligitur intra meatum, ita abundat aliquando ut membranam tympani obruat & latera meatus oblinens visco retundat impetum aëris sonori, aut eludat & id pariter cum læsione auditus. *Ant. Molinetti Diss. Anat. & Path. p. 56.*

41. *Vel constipatus*) Aut cum omnes glandulæ, quibus cingitur meatus auditorius, intu[m]escunt & [se]rum redundans imbibunt; sicut notum est membranas spongiosas nasi ita posse intumescere ut omnem

pene

pene transitum aëri obstruant; Hæc auris obstructio semper juncta est cum relaxatione membranæ tympani, & hac ratione fit ut surditatem, aut saltem audiendi difficultatem pariat, quæ deinde dissipatur per vacuationem redundantis hujus seri, vel per aurem, vel alia quacunque via, sicut catarrhi omnes curari solent. *Du Verney*.

• In curanda hac obstructionis specie eadem remedia generalia præscribenda sunt quæ in cæteris defluxionibus, Suffitus in aurem ex *decocti card. ben. vapore* vel *irid. Flor. majorana, card. ben. absinth. calam. aro. meliss. sem. anis. fœnic.* &c. magni fit. decoctio *colocynth. in oleo*: Barbette *decocto caryophyll. In vino rubro* utitur, guttæ aliquot in meatum immittuntur, qui post *caryophyllo* obstruitur, Habet *Platerus* Aquam singularem, valet Aqua *acoustica Minder.* reformata à *Zwelfero*: *spir. vini compos. Mins. succus expressus majorana* per se celebris est.

Laudatur *urina leporis*, sola aut cum *spiritu vini*, *sepia frax.ni*, *Reg. Hungar.* Utile est aurem obturare *gossypio mosch.*

In nonnullis membrana tympani, & pellis meatus tam tenuis est & delicata, ut injectiones ex liquoribus acribus & spirituosis ipsis facere sit impossibile; His sufficit guttas aliquot inspersisse pani calido, qui auri admovetur, Prosunt iidem liquores ore detenti. elevantur enim partes spirituosæ, quæ per aquæductum ad aurem ascendunt; qua ratione valent masticatoria: Patet actio horum remediorum, cum enim omnia subtilia sint & penetrabilia, tubulos glandularum aperiunt, & exitum præbent sero superfluo.

Puero duodecenni aliquoties contigit circa initia veris & autumni, ut glandulæ meatus ita intumescerent, ut duæ ejus extremitates se invicem contingerent, adeoque impossibile esset aliquid immittere: Huic primo injiciebatur *ol. amygdal. d.* ad sedandum dolorem, deinde *decoctum hordei & agrimon.* adhibebatur, quod detersivum est & desiccativum; atque ita cum auris per dies tres vel quatuor humorem quasi purulentum ejecisset, ad statum nativum & pristinum redibat. *Idem*.

41. *Tympani*) Contigit mihi cum aures scrutarer, ut sæpe repererim Tympanum, vestibulum, canales semicirculares, & cochleam, omnia sordibus valde spissis plena; quod forte originem habere potest ex abscessu membranarum quibus partes hæ vestitæ sunt. Non dubito & hoc sæpe surdos facere, sicut & aliorum humorum cumulus qui in omnibus illis receptaculis colligi potest, tanto facilius quod difficulter è tympano propelli possint, cum cavitas ejus profundius subsidat quam orificium aquæductus; quod in causa est quod liquores isti in os non possint decidere nisi inclinato capite certo modo. Si autem per meatum auditorium ejici deberent, rumpenda antea esset membrana tympani, quod humores isti sine magna acrimonia facere non possent; Suspicari etiam possumus laminam spiralem corrodi posse ab acrimonia puris. Quin etiam posse eam vel nimis laxam fieri, vel nimis callosam, sicut membrana tympani; id quod positive tamen non assero, cum nulla mihi hac de re observatio suppetat. *Du Verney*.

Spatia cavitatum, quæ munda esse oportet, & pervia aëri, si conspurcentur lentoribus, vel ita obstruantur, ut per spiras labyrinthi & cochleæ aër minus libere discurrat, gravis vel tardus evadet auditus, qui forte etiam abolebitur si vitium gravius fuerit. *Ant. Molinetti*.

Tandem nil prohibet meatum affici, & Tympani superficiem extimam, ex paralysi in musculo. *Idem*.

41. *Tympani quod rumpi*) Morbi membranæ Tympani sunt Relaxatio, Tensio nimia, Induratio & Disruptio. Rumpi potest, vel per causam externam, velut auriscalpio, quod ex incogitantia nimis profunde adactum est; vel impetu quodam, quando ore & naribus clausis spiritus retentus cum impetu protruditur, quod homini mihi noto obtigit: Observari potest hæc aëris actio in sternutatione, ubi sentimus aërem per meatum subito redeuntem membranam tympani extrorsum impellere, & tensionem efficere non sine dolore. Idem accidere potest in angina & illis respirandi difficultatibus in quibus fundus palati & nasi intumescunt, vel per inflammationem vel per defluxionem quandam, cum enim aër ex pectore propulsus egrediendi libertatem non habeat, tanto impetu fertur in meatum ab aure ad palatum tendentem, ut membranam tympani rumpere possit. Vide exempla apud *Tulpium Obs. 35. lib. 1.*

Difficile quidem est explicare quomodo membrana Tympani, quæ tam firmiter in striam infixa est, impulsui aëris cedat: Interim si attendatur quod stria ista circulum totum non conficiat, sed prope ostium desinat illius meatus, qui in sinuositates apophysis mastoidis desinit, & quod illo loco membrana tympani agglutinata tantum sit margini meatus ossei auris, facile intelligetur eam nullo negotio posse avelli illo loco, atque eo modo viam dare aëri ad aurem exteriorem. Præter hæc *corrodi* etiam potest membrana tympani ab acrimonia puris in tympano, vel parte interiori meatus auditorii detento; vide exempla apud *Hildanum*, *Schenckium*, & alios.

Quocunque autem modo membrana tympani rumpatur, accidit ut clauso ore & naribus spiritus cum sibilo per aurem prodeat, & tanta cum vi ut & candelam extinguere possit: Quantum ad Auditum, is equidem durat adhuc per aliquod tempus, sed paulatim debilitatur, & denique omnino perit; id quod ostendit membranam tympani non absolute necessariam esse ad audiendum, & primarium ejus usum esse ut transmutat vibrationes ad aërem tympani & ossicula, & ut avertat injurias aëris externi: hac autem rupta aër externus potest quidem solus movere ossicula, & organum immediatum, atque ita auditus sensum excitare, sed cum frigore suo & cæteris qualitatibus excessivis omnes auris internæ partes destruat, sensum denique auditus plane tollit. *Jos. du Verney*.

41. *Tympani quod rumpi &c.*) Membrana Tympani morbis suis tentatur, & quidem *temperiei primum humida*, *aut sicca*, Utraque enim maxime obest auditui, quamvis prima sit deterior, per quam, utpote *laxior membrana*, *& cedens*, impressiones aëris haud hebetare non potest; Provt in opposita dispositione, *tensa nimis & reniens*, ictus aëris dum prohibet, aut respuit, aut vitiat, Vel contra validius excipiens vibrationes, plusquam expediat multiplicat interius, unde ratio perfecti auditus confunditur.

Tumet etiam, admissa copia materiæ qualicunq; sæpius inflammatur & dolet, distractis ejus partibus minimis à solvente acri ulcere; quinimo & manifesta continui solutione afficitur, unde totam aliquando exesam fuisse novum non est, irreparabili damno. *Carnem* etiam admittit succrescentem ex ulcere, haud minori incommodo auditus. *Ant. Molinetti*.

41. *Rumpi*) Vulneratum tympanum, cum non amplius resonet, surditatem parit, quod cum abstrusum sit, raro fit, nisi per vim intruso auriscalpio, Vulgus à scolopendra insecto (Gallis *perce oreille*) accidere posse autumat, sed cum si vel illa vel aliud quid quod nocere possit, irrepar, facile succurratur, vix dum hoc fieri potest; Uti neque à *pure retento*, cum illud mox soleat profluere, plurimumque sæpe effluxisse sine noxa viderim. Nisi forte ulcus auritum

tam profundum fit ut abscessu facto Tympanum quoque lædatur. *Platerus.*

44. *Laxari*) Interdum nimis laxum evadit à sono violento, vel humectatione; Ea ratione surditas quamplurimi in constitutione austrina graviorem habent auditum, quia membrana ab aëris humiditate relaxatur; Dignoscitur ex causis prægressis humectantibus, & humida intemperie aliam aliquam partem affligente: vix enim fieri potest ut causæ humectantes unicam hanc partem affecerint. *Riverius.*

Relaxatio fit ab humore superfluo qui membranam hanc humectat, & symptoma hoc communitet cum obstructione meatus ex tumore glandularum conjunctum est, de quo vide §. *Vel constipatur.*

In relaxatione membranæ tympani eadem remedia adhibenda sunt quæ in obstructione catarrhali. *J. Du Verney.* Sic & Diuturnitate temporis, longoque usu multaque auditione, præsertim aliorum sonorum, toties pulsatum laxiusque factum, auditum difficiliorem in senibus (quæ videtur frequens esse causa gravis ipsorum auditionis,) Quod & à madore multo, vel unctuositate, si oleum sæpe auribus infundatur, aut alii liquores, quod auditus restitutionis causa, aliunde deperditi diu, aliquando fieri solet, potest contingere. *Platerus.*

44. *Laxari*) Quanquam Auditus à Tympano, velut propriæ sensionis organo, minime peragitur; tamen hic in tantum ab eo dependet, ut non raro à Tympani actione læsa, aut impedita, sensus illius privatio, aut diminutio procedat. Enimvero Surditatis quædam species occurrit, in qua licet affecti auditus sensu penitus carere videantur, quamdiu tamen ingens fragor, uti bombardarum, campanarum, aut tympani bellici, prope aures circumstrepit, adstantium colloquia distinctè percipiunt, & interrogati apte respondent; cessante vero immani illo strepitu, denuo statim obsurdescunt. Accepi olim à viro fide digno, se mulierem novisse, quæ licet surda foret, quousque tamen intra conclave tympanum pulsaretur, verba quævis clare audiebat, quare maritus ejus Tympanistam pro servo domestico conducebat, ut illius ope colloquia interim cum uxore sua haberet. Etiam de alio Surdastro mihi narratum est, qui prope campanile degens, quo tres una plures campanæ resonarent, vocem quamvis facile audiret & non alias prosuit. Proculdubio horum ratio erat, quod *Tympanum in se continuo relaxatum*, soni vehementioris impulsu ad debitam tensitatem, quo munere suo aliquatenus defungi poterit, cogeretur. *Willis de Anima Brut. Part.1.c.14.*

45. *Crassius vel siccius reddi*) Induratur à nimia siccitate, quod in senibus experimur; Et præterea infinitis observationibus ostendi potest membranas corporis callosas fieri posse, & plane osseas, Et hoc ego inprimis observavi in dura matre, & tunicis complurium arteriarum quas inveni in ossa conversas, id quod efficit ut credamus membranam tympani duram quandoque & cartilaginosam fieri posse, & producere surditatem incurabilem. *Du Verney.* Induratio ut & disrupno membranæ, incurabiles sunt. *Idem.*

46. *Tendi*) Tensio extraordinaria membranæ tympani relaxationi effectum plane contrarium producit, efficitque ut vel levissimi soni videantur intolerabiles: Tensio hæc in magnis capitis doloribus evenit, & in febribus acutis, quia tensiones & irritationes membranarum cæteris omnibus vicinis communicantur. Præter remedia propria illis morbis, unde hoc symptoma dependet, fovenda est auris *lacte, ol. amygd. d.* decocto emolliente. *Du Verney.*

Nonnunquam etiam Tensum; atque ita adstrictum, ut ab aëre externo pulsatum nihil penitus cedere possit, inutile fit, Acciditque hoc quando vel ætatis causa, vel post morbos acutos nimium exiccatur induraturque. Quod ut reliquis omnibus membranis contingere potest, sic & huic; eoque facilius & [illegible] quentius [illegible] in propinquo nulla corpora humida habeat [illegible], uti multæ reliquæ membranæ, inungatur [illegible] nisi ubi in circuitu adnascitur, existat [illegible] hæc non minima difficilis auditionis quæ senes [illegible] tibus ingruere, & in convalescentibus [illegible] morbos sæpe solet, Causa, Quam tymp[illegible] tionem post vigilias & jejunia accide[illegible] Rhases. *Platerus.*

In adstricto, propter senium aut post morbum, conveniunt *Laxantia*, quo nomine Victus rationem efficientem & humectantem, in senibus & convalescentibus, uti alias, sic & hoc nomine solo utilem imperimus, Atque auribus lenientia, humectantia tepida infundimus, qualia sunt *lac tepidum, mulieris* præsertim, olea temperata *amygdal. dulc. butyr.* & similia. *Idem.*

47. *Inflammatione circum eum oborta* E[illegible] in a[illegible] ssim desinente, Egreditur tamen aliquando pus ex [illegible] u-rata aure, & sanguis in magnis contusionibus [illegible] læsione Auditus, quando exitus est inter [illegible] membranam, sic enim Tympani membrana [illegible] permanet. *Riverius.*

48. *Ossiculorum vitium*) Gravem vel tardum [illegible] qui forte etiam abolebitur, corrupta parit o[illegible] rum conformatio, sive malum contig[illegible] tate nimia ligamentorum, sive ob immod[illegible] siccitatem, aut collecta in spatiis minimis [illegible] portiuncula materiæ extraneæ. quoties unque [illegible] stapes minus apte movetur, & vel minus e[illegible] ab ovali fenestra, vel parcius quam par sit, [illegible] recte aëri sternitur in eandem ingruenti, to[illegible] ve actio auditus satisfcit, & vel cessat vel exer[illegible] bus. *Ant. Melsnetti.*

49. *Ab humore pituitoso vel bilioso* In pa[illegible] A[illegible] interiore Surditatem, aut gravem Auditum efficit [illegible] mores in cavitate interiori coll[illegible], & [illegible] tim defluentes, qui plerumque [illegible] sunt, nonnunquam tamen biliosi, ut patet [illegible] 4. *Hippocr.* biliosas dejectiones surdis pr[illegible] d[illegible]. Interdumque etiam sanguinei, si qu[illegible] d[illegible] tatem, quæ etiam comitatur, ex sanguinis fluxu pe[illegible] fieri compertum est. Illi autem humores à t[illegible] co[illegible] interdum ad aures transmittuntur *massa sanguinea in vasis turgente*) ut in febribus continuis & p[illegible] malignis. Pituitam autem esse judicabimus si [illegible] pituitosa ægrum prius occupaverit; aut si ille ejus[illegible] di fluxionibus frequenter fuit obnoxius. B[illegible] ro humorem hunc affectum producere indicabit [illegible] bris biliosa prægressa, aut jam ægrum detinens, & acutissimi doloris præsentia. A *sanguine* vero fieri ostendit dolor gravans, & sanguini[illegible] redun[illegible] & hæc in perturbationibus criticis præcipue [illegible]. Ab his causis oborta Surditas (bile aut [illegible]) cum in febribus continuis & acutis [illegible] ringere, cum earum febrium curatione [illegible] vit. *Riverius.*

49. *Ab humore pituitoso*) Humor a capite in interiorem auditus cavitatem per foramen, quod nervum auditorium admittit, defluens, vel [illegible] urgatus, uti si copiosus surditatem facit, ita si subt[illegible] & paucus, auditum depravat. Et si ex defluxu illius hoc accida[illegible] subito fit; si sensim illic congeratur, sensim quoque hæc noxa ingruit [illegible] quæ omnes diuturnum & perseverantem fere (cum humor ægre [illegible] tiatur) affectum gignunt Proveni[illegible] autem hoc a catarrho, q[illegible] & ad alias partes & hanc quoque [illegible] interd[illegible] delabitur; Et ex illius indi[illegible], non [illegible] um [illegible] ea læsione, sed & aliis apparentibus cognoscitur; Quod & senescen-

senescentibus propter excrementorum copiam familiare est; à quibusdam naturis, etiam à teneris confertum, ut auditus organum molestet, uti ratione regionis accidere potest, sicut in Alpinis regionibus hac de causa multus difficilem auditum ab ortu, vel mox in ætatis progressu, una cum strumis, illis ob similem causa in familiaribus, habere ceroims. *Platerus.*

γ. *Vel biliosa, quod in febribus acutis*) In acutis morbis, per crisin potissimum, morbi causa non tantum in vaporem versa, hanc cameram subit, sed & sæpe humoris ipsius excrementitii, vel biliosi, nunc puri, nunc cum sanguine adhuc, ut aliqui voluerunt, permixti, potno in eam illabitur pertinaciorem que læsionem, quam sia vapore fieret, facit. *Idem.*

γ. *In ejus curatione*) Desperatis aliis auxiliis *Decoctum Ligni Sancti*, & *Emplastrum de Vigo* toti cervici ad bitum, & post aures; singulari remedio est. *H*[illegible].

γ. *In ejus curatione*) Dividuntur Otica in interna & externa, Internis & Externis communia sunt. 1. *Roborantia*, quæ spiritus vigorant ut influant, nec stationem suam delerant, seu ab intemperie capitis frigida, seu defectu spirituum, seu obstructione pororum nervorum influxus vacillet, ut in Auditus gravitate, difficultate, & sensus læsionibus aliis: Imprimis huc faciunt quæ volatili subtilitate id præstant, ut ipsissima cephalica pleraque, *salvia*, *rosmarinus*, *flo. chas arab.* &c. Denique & præcipitantia cephalica omne tollunt punctum, præcipue & principaliter *Cinnabarina*, vix in ullo affectu capitis tam insignem hæc edunt effectum quam in aurium his affectibus. Unde & in febrium continuarum & ardentium declinationibus omnium optima sunt; iis in casibus, quod sæpius experti revera testari possumus.

2. *Aperientia* & *Discutientia*, partium itidem volatilium & spirituosarum, tale volatili oleoso imprimis pollentium, cum dictis coincidentia. Sunt vero & alia hujus classis, sic in affectibus aurium quibuscunque *Medicamenta spleneticα & hypochondriaca* sunt optima: Sic *diaphoretica* in affectibus aurium unice prosunt, imprimis in Otalgia. Sic *carminativa* quoque auribus specifice medentur.

Inter *Externa* vero laudanda apprime, præter polychresta roborátia, ex aqua *apoplectica Anhaltina*, *Acoustica Minderert*, *Essentia ad auditum M. bacia*, *ambra*, *moscho*, (qui solus impositus quoque egregie juvat) *spir. Otalgeni Minsichii* sunt.

1. *Detergentia*, quæ Obstructiones reserant & mundant, ut acriuscula, *raphanus rusticanus*, *capa*, porrum & salata, ipsaque purgantia, ut *radix hellebori*, *colocynth. flores persic.* ut *absinth. in lacte coctum*, *asarum*, *planta cephalica*, *rosmar. chamom. oleum amygd. amar.* velut basis omnium Oticorum externorum &c. in ulceribus, sordibus, vermibus proficua: Utraque simul vias & panetes meatuum præstant liberos: Sic & vapor seu suffimentum ex *far. fabarum* huc spectat.

3. *Exsiccantia*, Nihil enim auris archeo tam alienum est quam humor peregrinus, vel quasi talis: Auris enim ut sonus quoque, siccis gaudet, ex *thure*, *mastiche*, *succino*, *gummi. sandaraca*, hinc & *fumus* tabaci insp[illegible]us confert, præcipue vero in fluxionibus quæ chronicæ & molestæ esse satis consueverunt. 3. *Anthelmintica* ipsa quæ quidem cum dictis coincidunt. *Wedelius Am. m. m. p. 36.*

Convenit etiam *ligni Gaiaci decoctum* per xxx. dies, quo tempore *theriaca*, vel *mitridatii* interdum ʒß. nonnunquam *conserva beton. aut flor. salv.* ℥ß. alternis saltem diebus dormituro exhibeatur. *Joh. Zecchius cons. 38.*

γ. *In ejus curatione*) Illa Surditas quæ à cerebri excitatur affectu, non aliam curationem requirit quam quæ dictis affectibus destinata est.

Quæ a *Tumore* exoritur, si ille durus sit & inveteratus, curationem non recipit; Si sit calidus & inflammatorius (Vide capit. de *Aurium dolore.*) Si sit à *pure* in aure collecto, vide caput de iis quæ ex aure præternat. egrediuntur.

Si sit à *Siccitate*, curandus est juxta *Rhasis* præceptum, victu humectante, somno longo, & capitis perfusione cum aqua tepida: quibus addi possunt humectantia in Aurem immissa, *ut oleum amygd. d.* & similia.

Si *ab aliqua re extrinsecus* in aurem immissa Surditas oritur, ea protinus auferenda est, eluendo, aut excutiendo, aut extrahendo; At cum frequentissima Surditatis & Gravis Auditus causa sit *frigida intemperies*, & *humoris pituitosi* influxus, ad illius oppugnationem curatio præcipue dirigenda est: Summa curationis erit ut præmissa victus ratione attenuante & modice calefaciente & siccante, qualis in Gutta Serena præscripta, vitando imprimis ventos austrinos, & ab iis aures muniendo, vaporosa alimenta, imprimis allium & cæpe, quæ auditui nocent; Et quæ humores crassos ac pituitosos generant, ut inquam, primum evacuatio generalis instituatur per pilulas, apozema cephalicum & purgans, tum etiam per s. m. si illius indicationes adfuerint.

Cui subnectatur, si affectus sit contumax, *diæta sudorifica*, atque succedant particularia remedia fluxionem revellentia, ut *Cauteria*, *Vesicatoria*, *Errhina*, *Sternutatoria*, *Masticatoria*, *Apophlegmatismi* peculiariter vero *Masticatoria* sunt maximi usus, ob meatum qui ab interna aure ad palatum defertur, & aurium excrementa deponit. Ac denique morbo in longitudinem abeunte, ad Pilulas usuales, aut syrupum magistralem, opiatam Cephalicam, pulverem aut Cucupham caput roborantem, & alia deveniendum, Quæ in frigida cerebri intemperie proposita sunt,

In usu Diætæ, si affectus sit contumax, conveniens etiam sacculi, à sumpta Potione sudorifica, capiti admovendi, ut & auribus.

Peculiariter vero conducunt *Thermæ sulphureæ* & *bituminosæ*, cum balneo, tum lotione capitis, Balneo siquidem sudores copiosi provocantur, & materia fluxionis antecedens educitur; Lotione vero capitis cerebrum roboratur & exsiccatur, humoresque in ipsam aurem impacti discutiuntur.

Tandem ad *Topica* materiam auri impactam discutientia veniendum, E. g.

℞. *Folior. origan. absynth. pulegii*, *serpilli*, *salviæ*, *menthæ*, *centaur. min. malvæ alth.* āā. m. ß. *flor. chamom. melilot. stæch.* & *anethi* āā. p. j. *cinnam.* & *caryophyll.* āā. ʒß. *coqu. in aq. p. aqu. font.* & *vini albi sub finem addit.* Colatura *foveatur* Auris affecta cum spongia, m. & v. calide.

Ex eodem Decocto poterit fieri *Suffitus* in aurem per infundibulum, quem maxime prodesse certum est, ex eo quod vapor ex decocto calente clarus penitissimas auris partes facile penetrat. *Fotus* optimus fit ex *pane cum sem. carvi* subacto, & calente è furno per medium secto.

Ex *pane* ex clibano sumpto, & inferiori crusta ablata in spiritum vini immerso, calide admoto. Fiat *panis ex farina vulgari*, *sem. carvi*, *baccis juniperi*, *lauri*, *nuce mosch.* post levem cocturam, dum adhuc calet, disruptus auri adponatur.

Decoctum pro *Fotu* & *Suffitu* fortius erit, addita *pulpa colocynth.* & *rad. hellebori albi ad* ʒj. *vel* ij. Idem Decoctum in vino albo solo, vel in *vino* & *aceto*

purari poterit, ut potentius penetret & discutiat.

Valet *Suffitus* in aurem per infundibulum ex fumo *caryophyll.*

Post Fotum & Suffitum liquor aliquis in aurem injiciendus, *cotone moschato* obturandam. ℞. *Ol. amygd. amar. & rutac.* āā. ℥j. m. infunde cal. in aurem. vel. ℞. *ol. castor. & liliorum alb.* āā. ℥j. *ol. aneth.* ℥ß. *belleb. albi* ʒß. *aqu. vitæ* ℥j. bulliant in balneo mar. ad aquæ vitæ consumptionem, cola ad usum.

Olea Chymica efficacissima, *rorismar. major. salv. fœnic. de spica, caryoph.* quæ ob nimiam vim sola non usurpanda, sed addita prædictis. E. g.

℞. *Ol. prædict.* ℥ij. *ol. de spica, fœnic. aut caryoph. &c.* ℥ß. *vel* ʒj. *misce.*

Laudatur *aqu. fraxini*; ex viridibus ramis una extremitate igni admotis, exsudans, valet præsertim in surditate à causa calida, & cum calefacientia suspecta sunt; Si caliditas non timetur pari aquæ vitæ portioni remista fiet efficacior: *Matthiolus* addit *succos cyclam. rutæ, scillæ*, ac valde prædicat.

Efficax *spiritus vini* in quo *elleborus albus* infusus.

Succus hederæ depuratus cum vino albo potenti mistus. *Fella animalium* recentia, *leporis, capræ, perdicis, cum mellis ana, in cortice cepæ incalescant.*

Pinguedo anguillæ dum in veru assatur, in subdita *lauri folia* stillans, tepide instillata, *Formicarum ova* contrita, & cum succo cepæ infusa, quam vetustissimam surditatem persanant ex *Zecchio*.

In affectu contumacissimo proponit *Fonseca consult. 58. Tom. II.* Inunctionem ex *hydrargyro*, quia surditas ex lue Venerea contracta ita curari solet; Ratio videtur suffragari, quia mercurius tumores duros emollit & discutit, humoresque concretos & partibus impactos potentissime dissolvit, ideo pituitam in auris mæandris concretam forte poterit dissolvere. Hoc tamen remedium nonnisi in casu desperato tentandum, quia anceps & dubius est eventus, cum hydrargyrum cerebrum labefactet & fluxiones cunciter. *Riverius.* Vide capite sequenti. §. *Præmissis universalibus.*)

52. *In curatione videndum &c.*) Instillato medicamento auris perpetuo *cotone moschato* obturanda, ille enim solus & per se surditati maxime conducit, quod confirmatur à *Foresto obs. 15. lib. 12.* exemplo mulieris quæ à morbo longo tempore surda, immisso grano uno vel altero *moschi* optimi, bombyce excepti, perpetuo gestato, præter omnem spem à surditate liberata est. Ego, addit *Forestus*, multos quibus auris sanie longo tempore maderet, curavi sola imposita bombyce, vel cotone in quo moschus servatur, quod & aurem exsiccaret, & simul surditatem tolleret.

53. *Calide applicentur*) Nec frigida, nec calida, sed tepida esse debent Otica, quæ blande demulceant, non lædant vero; Valet enim & hic Frigida esse nervis & nervosis partibus adversa, tepidis blandis gaudent aures. *Wedelius Am. m. m. p. 136.*

54. *Applicentur*) Topica auricularia vel auri ipsi induntur immittunturve, vel pone aures illinuntur. Illa vias requirunt patulas, unde sordes removendæ prius, quæ sæpe etiam solæ, in plebeiis præsertim, in causa sunt quare auditus sit difficilis, quibus expurgatis hinc emperiei sæpe plus proficiunt quam medicamentis suis aliis; Hæc vero priorum sunt subsidiaria, ad discussionem quoque egregie facientia, ex [illegible]tuosis, *aqua Anhaltina, Oleo petrol. essentia castor. volat.* Wedelius Am. m. m. p. 138.

55. *A viscosis*) Quæcunque meatum obviscant, exulent; Pertinet huc & *pinguedo Castorei*, cujus potius eligenda est essentia; *Essentia fellis perdicis, lucii piscis*, ob incisoriam virtutem commendantur in surditate, & vermibus aurium, quo casu & urinosa quidam laudant; Item cataplasmata huc non quadrant. *Wedelius*

56. *Super aure sana jaceat*) Actuationi topicorum velificandum est ex corporis positu, inprimis si ea immitti profundius ex usu sit; hinc in aurem oppositam cubandum eo casu, inprimis in Otalgia. *Wedelius.*

57. *Ut capitis ratio habeatur*) Quod plerumque intemperie frigida & humida laborat, Cujus curationem vide suo loco.

58. *Capitis ratio habeatur*) Sed & hypochondriorum: Nam hoc instar regulæ practicæ commendandum est, In affectibus Aurium quibuscunque, non à causa sola externa oriundis, medicamenta splenetica & hypochondriaca esse optima. Restituimus hoc pacto sæpius *ἀκούειν*, solis vel potissimum ad[illegible]bitis martialibus & aperientibus aliis. *Wedelius Am. m. m. p. 156.*

59. *Laudantur*) Experimento mul[illegible]m laudatum reperio, Surdos non parum beneficii suscepi[illegible] ex hoc præsidio, quod ℞. *aqu. stillat.* ex renibus arietis, nuper ab ariete extractis & minutim incisis, cum pari portione aquæ vitæ, si guttulas aliquot n[illegible]ctu ante cœnam in aurem instillaveris, & gossipio forame[illegible] auditorium obturaveris: si simul aliquid florum cap[illegible] talium distillaveris, non errabis.

Item, magni solet esse momenti in aur[illegible] ere instillationem ex *ligno gajaco, flor. stæchad. marorian. anisi ac rutæ.* Mercatus *consult. 16.*

Succus hederæ depuratus cum *vino albo* potenti instillatus mirifice prodest, ut & *absynthium* cum *aqua major.* decoctum, ac per arundinem pro fomento adhibitum: Quæ omnia Topica crassos & vitiosos humores, in auditus organo surditatem causantes, incidunt, secant & attenuant, *Joh. Zecchius cons. 58.*

Liquor ex *panibus recens coctis*, aur[illegible] sæpe imm[illegible]us, magnum levamen affert, *M. Ant. Zimara Antri. m. m. p. 95.* Nullum præstantius remedium oc[illegible] quam *liquor ex anguilla* emanans dum torretur cu[illegible] *olei anisi*, sensim hora somni in aurem instillatus. *Zecchius cons. 43.*

Felici cum successu ego sæpe in inveterata Surditate expertus sum *theriaca aqu. distill.* singu[illegible]is 8. horis in aurem instillatam. *Idem ibid. Olei sem. sinapi.* gtt. j. alternis diebus in aures instillata mirifice conducit. *Idem ibid.*

Remedium optimum & sæpe probatum h[illegible] est ℞. *Aloes* ʒj. *colocynt.* ℈j. *euphor.* ℈ß. terantur subtilissime, & cum *felle vaccino* misceantur, fiant P[illegible], qui fricari super core cum succo raphani in aurem infundantur. *Idem ibid.*

Præstans remedium hoc est ℞. *liquorem qui ex ligno fraxini* viridi accenso extillat, adde cyclam. *succ. scyllæ, rutæ* āā. q. s. m. ebulliant & cubiturus de hoc aliquid calide in aurem sanam instillet *M. Joh. Vittichius Vade mecum p. 126.*

Præstans hoc est

℞. *Baccas sabinæ*, coque cum *ol. sesamino* in vase æneo, donec nigrescat; Instilla in aures [illegible]to juvat. *Idem.* Experimentum verissimum, Coque *fabas* ad mollitiem, affunde aquam, *fabas coctas* pone in pa[illegible]nam, & immitte vaporem in aurem, continua per aliquot dies. *Idem ibid.*

Efficax est hæc Evaporatio.

℞. *ol. nuc. jugl.* ℥ij. *aceti* ℥j. *aq. vitæ* ℥ß. *sulph. pulv.* ʒj. *elleb.* ʒß. *coque in olla vitreata*, & dum bullit fumum auribus excipe; hinc *panis cum sem. carvi baccar. lauri & nuc. musc.* subactus, in furno coctus, & dum calet diruptus, auri laborant impositus, mirabiliter, præsertim

Præsertim in sono aurium juvat. *Arn. Weickerdus Pharm. pag. 94.*

Tabula *cupressi* vel *juniperi*, si prius *oleo nuc. mosch.* inungatur, calefacta & auri adhibita, à nonnullis pro secreto habetur. *Idem ibid.*

Expertum, *Cepam* excavatam, & *pingued. recenti anguilla*, & *raphani* ac *porri succo* repleram sub cineribus coque, & decocti modicum tepidum auri imponito, *Ant. Fumanellus.*

Surditati vel gravissimæ, ℞. *Origan, colocynth. flor. serpill. majoran.* ãã. ʒj. *moschi, ambari* ãã. ℈ß. *cubebar. ladani, macher. styracis calam.* ãã. ʒß. *ol. amygd.* & de *lilio* ãã. ʒß. singula contrita misceantur cum oleis, & in duplici vase ferveſiant 2. horar. spatio; sanat infusum. *Alex. Benedictus.*

Excavatur *cepa*, & *cumini* pulvere repleta coquitur & exprimitur, instillaturque utiliter succus. *P. Andr. Matthiolus.*

Cum hoc plures antiqui surdi curati sunt; Quidam dabat *diaolibanum*, & faciebat super aurem vaporem aquæ à decocto h[er]barum calidarum, si à frigida materia esset, frigidarum vero si à calida, & hoc decocto in duplici fovebat aurem, postea hoc instillabat.

℞. *Helleb. albi, castor.* & *pyreth.* nitri ãã. terantur omnia, bulliant in vino optimo ad consumptionem vini, colletur & parum ex eo calidum auri imponatur, & teneatur ibi per horam, postea provocetur sternutatio a pulvere *hellebori albi* vel piperis, cum incipit sternutatio patiens se teneat fortiter per nares, ut spirare non possit cum sternutat. *Arn. Villanovanus.* Decoctum *castorei* cum *baccis lauri* & *aceto* permistum in aurem instillatum mirifice conducit. *Dom. ab Altomari Pr. c. 35.*

Admodum efficax est hic liquor.

℞. *Colocynth. cucum. agr. castor.* ãã. ℈iiij. *terantur. subtiliter.* & *infunde per 3. dies in* ℥iij *ol. raphan. ol. lauri* ℥vij. *bulliant ad consumptionem tertiæ partis olei, hinc fortiter exprimantur, cola*, Portiuncula parum tepefacta in aures immittatur hora somni. *Vidus Vidius.*

Pro secreto habet *Pr. voviius crocum & caryophillos cum succo cyclaminis*, quæ ego loco *aqua rosar.* mista ex bombace excipere & auribus immittere. *Th. Bartholinus cent. 3. hist. 77.*

℞. *Cepas duas minutim sectas, & in alembico positis misceb. mellis* ℥iv *succi porri* ℥viij *aut ana succi absynth. Aqua* ex his destillata in aurem tepida infusa miro modo surditatem in autumnoque sonitum curat. *Chr. A Vega Art. Med. l. 3. c. 4.*

Caprina urina peculiari remedio prodest, teste *Ægineta*, *ex Galeno. Al. Benedictus.* Quidam *olei terebinth.* gtt. j. immittunt in aurem, idque repetunt, & hoc modo multos a surditate liberant. *Joh. Th. de Bry.*

Radix vitis alba & nigra in hoc casu est summa medicina. *G. Vasignana.*

Turunda hæc est remedium efficacissimum.

℞. *Colocynth. veratri albi*, ãã. ℈j. *euphorb.* ℈ß. m. & turunda excepta vel *melle*, vel *succo cepa*, vel *raphani*, detineatur per aliquot dies. *Capivaccius.*

Veratri nigri denar. pondo unum, lesticuli fibrini tantundem, si cum aceto excipiantur & in aures immittantur præsenti sunt remedio. *Trallianus* Summam virtutem habet *succus chamaleontis*, qui multorum testimonio maxime surdis succurrit. *Idem.*

Cochlea auriculis prælongis signatæ, & exquisito tactu prædiræ, in *aqua & sale coquantur, desumantur*, post exiccationem *in oleo succum* vel *ferme. aut castores destillentur.* Promanans inde oleum mirificum est ad auditum recuperandum. *Claudius Deodatus in Panthea.*

Urinam car[....] adhuc lactentis, instilla in aurem gutt. iv. Idem facit *urina pueri lactentis*, magnum est secretum. *Joh. Poppius Thes. Med. p. 123.*

Laudantur) Maxime commendatur medicamentum ex *[...] ruta fraxini, & rad. belleb. albi cum oleo amygd. amar.* coctum *Rondeletius.*

Malo *ol. pinearum* vel *aquam destillatam ex tenerioribus Pini foliis* auribus surdis magna cum utilitate imponunt. *W. Gabelchoverus. cent. 4. cur. 68.*

℞. *Aceti acerrimi* ℔ß. *fimi columb. q. s.* coq. *ad medium*, vaporem aure excipiat æger cubitum iturus per 11. dies & quartertis quibusque reiteretur medicamentum. *Joh. David. Rulandus Pharm. nova p. 186.*

Vapor à *coctis fabis* auribus exceptus, præsentissimum remedium dicitur. *Ph. Grulingius cent. 1. cur. 26.*

Spiritu terebinth. nihil certius si aliquot guttas in aures instilla[v]eris. *Idem cent. 5. cur. 47.*

℞. *Croci, caryophyll.* ãã. ʒß. *excipe cum succo cyclam.* & *hujus mixturæ ponatur in aure gtt. 3. calide per vices.* Secretum est, *Joh. Praevotius.*

Maxime commendatur medicamentum ex *fol. ruta, fraxini & rad. belleb. albi cum ol. amygd. amar.* coctum. *Rondeletius.*

Interne valet *ambra* & exinde parata *essentia*, habetur pro singulari arcano.

Quidam Balneo insedit umbilico tenus, non nimis calido, paulo post immittebat cum gossypio *gtt. ij. vel iij. aqu. apoplect.* in aurem lateri affecti, & sic extemplo sanatus fuit æger, qui retulit se sensisse quasi aliquid in aures decidisse, Hanc experientiam veram esse multoties expertus sum, inprimis quando nervus auditorius, vel tympanum à materia crassa fuit circumvallatum.

Arcanum etiam est quod ex *vermiculis intra lignum quercinum & corticem* [s]bulantibus cum *oleo rutac.* & *costino* componitur, quo D. *Renaus* natura surdos curavit *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. p 238.*

Desperans al[i]is auxiliis *Decoctum ligni S. & Empl. de Vigo* toti cervici adhibitam & post aures singulari remedio est. *Hollerius.*

Si à *crassis humoribus* auditorios nervos obstruentibus oriatur, generosum remedium est *ol. flor. chamam.* cujus guttulæ aliquot tepide infundantur, *Omnium* autem præstantissimum, & experientia probatum ad Surditatem tollendam remedium est, succus ex *ovis formicarum expressus*, vel *aqua ex ipsis formicis* & earum ovis simul destillata & guttatim auribus infusa. *Fr. Joel* Ejusdem efficaciæ est *fel leporinum*, cum pari portione *mellis virginei* mistum & auribus instillatum. *Idem.*

Experimentum egregium est pingnedo serpentina quæ multos juvit. *Conradus Kunrath. Med. destill.*

℞. *Pinguedinem anguilla* emanantem dum veru assatur, & cum proprio ipsius *felle* admixtam, cum opus est unam vel alteram guttulam in aurem fundes; A proprietate juvat in qualibet surditate. *Domin. Leo.*

Fonticulo in radice auris excitato quidam auditum perfecte recepit. *Zacutus.*

Oleum *ex nuce juglande* instillatum auriculæ gravius audienti valde prodest. *Marcellus l. de medic.*

℞. Cepas ij. concisas cum ℥iiij. mellis & ℥vi. *succi porri*, vel *absynth. ruta, vel hyssopi* destilla per alembicum; hæc aqua mire surditatem & sonitum curat. *Ortholph. Maroldus Pr. p. 68.*

Utu probatum medicamentum hoc est

℞. *ol. amygd. dul.* ℥iv. *aqu. ruta* ℥iij. *fol. lauri concis. n. vi. bulliant in duplici vase ad aq. consumptionem*, & facta vehementi expressione, cum laborans it dormitum infunde guttulam in aurem. *Mercatus Pr. lib. 1. cap. 24.*

Pretiosum est medicamentum ol. ex *ligno Gaiaco*, aut stillatitius liquor ex limatura utriusque cum *aqua vita*, *melle* & *succo raphani* per alembicum extractus, in aurem instillatus. *Idem.*

Impleatur *capé pinguedine anguillæ* coque sub cineribus, expressus succus auribus instilletur. *Phil. Mullerus mirac. pag. 96.* Vide supra §. 51. *In ejus curatione.*)

59. *Laudantur*) Aqua paratu facilis non mediocri successu jamdiu usurpata,

℞. *Fellis bubuli* ℔ij. *capar. rec. incisar. raphani rec. incisi* ãã. ℥iv. *castor. rec. incis.* ʒj. *stent per noctem, post distillentur.*

Decoctum excellens & valde commendatum,

℞. *Rad. helleb. albi* ʒß. *croci castor. nitri.* ãã. ℈ji. *conquassentur, bulliant in aceti* ℥ß. *aqu. vitæ* ℥ij. *colentur ad usum.*

Vel excava *capam magnam*, aut *scillam* aut *raphanum* magnum, impleto eis, vel *amygd. amar.* vel nardino, vel compositis, addendo etiam alia, coque sub cineribus.

Si fiat in *pomo colocynth.* potentius erit.

Suffitus in aures ante horum usum intromissi, & postea quoque, plurimum juvant & ad intima quoque penetrant. Sequens admodum efficax.

℞. *Ol. nuc.* ℥ij. *aceti* ℥j. *aq. vitæ* ℥ß. *sulph.* ʒj. *coqu.* & dum bulliunt fumum excipiat.

Sacculus auribus adhibetur, ac pulvinar auri affectæ noctu subjicitur. Ex Cucupha ea sede qua aurem tangit, usurpari poterunt. Quæ sic fieri possunt.

℞. *Rad. cyclam. ireos, asari* ãã. ʒij. h. *calaminth. ocymi, puleg.* ãã. ʒj. *orig.* ʒij *flor. lavend. stæch. anth.* ãã. ʒj. *sem. cumin.* ʒij. *milii parum conquass.* ʒiij. *spic. n.* ʒß. *ligni aloes.* ℈j. *storac.* ʒij. *sal.* ʒiij. m. f. *saccul. aut Pulvinar,* Tabula *cupressi* vel juniperi calefacta adhibita prodest, inprimis si origani pulvere prius conspergatur, secretumque multorum est remedium. *Platerus.*

Omnium præstantissimum, & experientia comprobatum, ad surditatem tollendam remedium, est *succus ex ovis formicarum expressus*; vel *aqua ex ipsis formicis earumq; ovis simul arte Chymica destillata,* auribusque guttatim infusa, Ejusdem efficaciæ est *fel leporinum* cum pari portione mellis virginei commistum & auribus instillatum. *Fr. Joel.*

Remedia inter *ambra & moschus* excellunt, vel *aqua origani* cum vino destillata. Item *essentia absynthii, card. ben. castorei, caryophyll. spir. acousticus Mynsichti,* vel *Barbette,* cum bombace auribus admotus; *Aqua magnanimitatis, spir. formicarum.* Si est ex *casu* aut *percussione,* egregia est *aqua cyclam.* per alembicum destillata, vel *Empl. ex tacamahaca, & ceratum de Bethon.* ãã. q. v. capiti imponendum. *Etmuller.*

Cum satis purgata esset mulier surditate laborans, vetula consuluit ut granum *j. vel ij. moschi* opt. in bombace misceret, & auri perpetuo imponeret, Hoc remedio præter spem liberata est. Ego multos quibus auris longo tempore sanie maderet, curavi sola imposita bombace in quo moschus reservatus, quod & aurem exsiccat, & simul surditatem tollit. Mulier *oleo murino* (ex muribus recens natis sine pilis, oleo maceratis) utebatur cum miraculo. *Gisbertus Horstius* aquam ex illis destillabat. *Arculanus* moschum cotto involutum mire commendat. *Forestus obs. 15. lib. 12*

59. *Laudantur*) Turundæ remedium sunt efficacissimum.

℞. *colocinth. veratri albi* ãã. ℈j. *euphorb.* ℈ß. *f. turunda excepta vel melle, vel succo capa, vel succo raphani;*

Hic considerandа patientis natura, nam si facile toleret, tent[illegible] potest cum *su[illegible] cepa* [illegible] minus cum *melle* [illegible] si delicatior, cum *carne caricarum.* Detineatur Tenta per 2. 3. 4. v[illegible] tiam [illegible] dies, nam *colocynthis* quæ proprietate ducit pituitam mora h[illegible] ita deducitur à potentia ad actum, ut fiat p[illegible] attractio. mora etiam diuturna p[illegible] attenuatur ac detergetur, ut attenuata ac deterfa à proprietate [illegible]cynthidis mirifice attrahatur. *Capivac* [illegible] .49.

60. *Aqua card. bened.*) ℞. *card bened.* asp[illegible] *aquam cardui,* & fac ut denuo distillet. H[illegible] linteolum imbutum *Crato* surdastris [illegible] rem, si doleant; vel non audiant Nih[illegible] omnibu[illegible] medicamentis, quæ expertus est, se [illegible] petisse fatetur *Carolus Oslerius Epist. 31 lib. 3. con[illegible] Cratonis.*

℞. *Fol. card. ben. sicci m. ii. asperge spi[illegible] tunc affundatur aqua card. ben. destilla in vitr[illegible]* hoc parum in cochleari calefiet injectumq[illegible] adversam partem caput declinet ex[illegible] inde rursus elabi sinat, aurem perp[illegible] bace mosci odore imbuto. *Crato lib 4. consi[illegible] Epist. 125.*

61. *Ex ovis formicarum*) *Ova [illegible]* ta, & cum succo cepæ in aurem infusi, q[illegible] simam etiam surditatem persanant [illegible] 58. Ova formicarum contrita surditatem [illegible] tustissimam sanabunt. *Don. ab Altomar.* [illegible] *Fr. Joel.*

62. *Urina leporina &*) Plurima gravis auditus sunt remedia, neque semper obtemperat u[illegible] ex deterso rite tympano, & infuso liquor[illegible] [illegible] maximum plerumque percipitur emolume[illegible] utilius *urina leporina*, seo per se, seu c[illegible] auribus calide instillata, cujus frequenti[illegible] tis opitulatus fuit, & quidem præ[illegible] proxenetæ dam Amstelredamensi, qui eo surd[illegible] deven[illegible] ut necesse foret palimpsesto, siv[illegible] bere si quid illi verbis communi[illegible] vel es. *[illegible] obs. 15. lib. 4.*

Urina leporis, quæ colligi debet ex [illegible] ventis leporis, præcipue lepusculo, una aut [illegible] ta auri imposita mire sanat surdita[illegible], apostemata, vermes & dolores. *J. David Rulandus Pharm. nova p. 149.*

Michael Pukerus urinam leporis [illegible] summum remedium in surditate esse ait [illegible] *keverus cent. cur. 60.*

Fel leporinum) *Caprillum fel,* vel *leporis,* [illegible] cum pari *mellis* portione in[illegible], & in *[illegible]epe co[illegible]* pefactum, & in aurem immissum, auditum mirifi[illegible] stituit, *Joh. Zecchius cons. 8*

63. *Cum oleo succini*) Quæcunque p[illegible] membra [illegible]osam & teneram lædunt & erodunt [illegible] Hinc olea destillata quædam acriora & ca[illegible] sulinos omittuntur: alia bombace exce[illegible] modo non immediate feriant membr[illegible] tolerantur bene, Optimum vero est oleum [illegible]ygdal. *amar.* vel *nucl. pers.* eligere loco excip[illegible] cumque eo remiscere olea [illegible] carminantia, subtripla circ[illegible] parte, additis p[illegible]nata & spiritu[illegible] *spiritu liliorum convall. aqua apoplect. e[illegible] castor* facta concussione albescentia. *Wedelius Am. m. m. p.* [illegible]

Oleum *destillatum succini* seu cum *oleo nucl. persic* permistum, insigniter à *Lindano* laudatur.

CAP. XL[illegible]

Cap. XLVII.

De Aurium Tinnitu, & Obauditione.

64. **T***innitus est* [65]. *sonitus in auribus præternaturalis, in instrumento auditus, seu cavitate ossis petrosi factus & perceptus, a vaporibus interclusis & motis exortus.*
[66]. *Signis* in isto affectu opus non est.

[64]. *Tinnitus est sonitus in auribus p. n.*) Auditionis sensus depravatur in Sonitu Aurium; sicut enim oculus debet esse omnis coloris expers, ut colores omnes objectorum rite percipiat; & si aliquo colore p. n. afficiatur, ut in Ictero, tunc depravari visionem necesse est, ita Auris nullum in se debet habere sonum, ut omnes sonos extrinsecus advenientes percipere valeat; Et si in ea sonus aliquis p. n. efficiatur, Auditus depravatur. *Riverius.*

[65]. *Est sonitus in auribus præternaturalis &c.*) Tinnitus est Auditus depravatio, hæc autem in eo consistit quod auris sonos percipit qui non sunt, aut saltim non sunt extra ipsam, ita ut occupata jam à sono minus apta sit recipiendæ impressioni sonorum externorum nisi sint admodum violenti: Veteres credebant rationem formalem hujus symptomatis consistere in motu & agitatione aëris in aure ingeniti: Dicebant agitationem hanc produci ordinarie per ventos & fumos qui ad aurem ex toto corpore venirent, ut fieri solet in febribus; vel ex aliqua saltim parte, velut ex stomacho aut cerebro; vel qui denique elevarentur ex liquore aliquo pituitoso, in cavitatibus auris clauso: Quin & omnes Tinnitus differentias per qualitates, consistentiam, & motum liquorum vel ventorum, in organo auditus collectorum explicare conati sunt.

Ego quidem hic non immorabor adnotandis omnibus iis quæ in hac explicatione mendosa inveniri possunt, sans ea intelligi poterunt per explicationem Tinnitus quam daturus sum; Id solum dicam minime videri verosimile, omnes has voces diversas; quas ægri audire sibi videntur, produci ab aliqua causa quæ actu ipso aurem percutiat ad efficiendos sonos campanarum, murmura aquarum & infinitos sonos alios; quos personæ tinnitu aurium afflictæ quotidie sentiunt; credibile potius esse majorem bomborum istorum partem voces esse imaginarias, & posse existere ideas harum vocum quamvis nec in aure ventus, nec extra eam materia sit quæ exterius percellat membranas, quæ organum auditus immediatum componunt; id quod mox explicaturus sum.

Intelligo itaque tinnitum consistere in perceptione soni, qui non existit, vel soni interioris: ut intelligatur quo modo sonus percipi possit, qui non est ipso actu, notandum est actum audiendi consistere in concussione organi immediati, Sufficit hanc concussionem fieri ad faciendum sonum, nec necessum est motum hunc produci ab aëre: Eodem enim modo quo intelligimus visionem, quæ dependet à modo quo retina movetur per radios visivos absque illis radiis fieri posse, si alia aliqua causa eundem modum producit quod fit cum oculi in tenebris scintillas videor, cum percutiuntur) it dici potest quando alia causa quam aër motus in organo auditus (nempe in substantia membranarum) producit concussionem eandem modificatam, ut solet esse ab aëre sonum adportante, aurem videri impelli à sono qui revera non est, non magis quam scintillæ, de quibus diximus, sunt verum lumen: Comparationem hanc perficit, quod sicut falsæ luminis species, quæ ab objecto externo non producuntur, nihil habent distinctum & exacte visibile, sed lumen tantum simplex (visus enim objecti magis distinctus & clarus nimis multarū rerum concursum requirit) ita etiam nunquam fere contingit ut soni in aure, de quibus nobis sermo est, quicquam exhibeant quam confusum, cum sibilus & tinnitus, qui sunt alioqui voces maxime distinctæ, in hoc symptomate sint simplicissimi. *Du Verney.*

Si aëri interno spiritus commisceantur, prodeuntes ex massa minus utili, Tinnitus fiet, infestus auditui: Ridiculum namque est quod multi somniant de tumultu spirituum in porositatibus processus mastoidei, in quem tinnitus causam rejiciunt, cum nullum omnino commercium intercedat poris illis adventitiis, quippe processus mastoideus cum homine non nascitur, sed accedit illi aliquo vitæ spatio exacto, cum cavitate Tympani aut alia auris propria. *Ant. Molinetti.*

[66]. *Signis opus non est*) Ratione scil. ipsius affectus; at dignotio causarum est difficilis, nec certa haberi potest docente *Galeno* 3. *s. loc. cap.* 1. Artificialem tamen conjecturam ex causis prægressis, aliisque circumstantiis elicere possumus.

A *flatuoso spiritu* fieri inde colligi potest quod interdum cesset, & intervallo posito revertatur; Tum etiam si præcesserint cibi flatibus generandis idonei. *Per consensum* ab aliis partibus fieri ostendunt, si aliqua pars affectu peculiari laboret, & affectus per intervalla repetat.

A *cerebro* præsertim fieri testatur dolor capitis præcedens, aut gravitas, utplurimum nocumentum aliis sensibus communicatur, In ipsis *Auribus* vitium esse testatur sonitus continuus, & sine ulla intermissione infestans.

À *materia frigida* affectum produci cognoscimus si æger à calidis medicamentis juvetur, & si sanitatis tempore omnes strepitus facile perferat.

A *vaporibus* crassis, tenuibus, paucis vel copiosis, affectum produci ostendunt sonorum differentiæ in aure perceptæ.

A *facultatis imbecillitate* exoriri facile ex iis patebit quæ præcesserunt, utpote morbis præcedentibus, ex quibus vix dum ægri convalescere incipiunt.

A *calida intemperie & exquisitiori sensu* inde oborto fieri conjicimus, dum æger percipit caliditatem in capite circa aures, causæ calefacientes præcesserunt; & flatus discutientia medicamenta malum augent: Tum etiam quod æger sanitatis tempore magnos strepitus, ob sensum exquisitum perferre non potest. *Riverius.*

A massa sanguinea exæstuante fieri ostendunt febres, exercitium vehementius, cibi calidiores &c.

[67]. *Causa* in [68]. συζυγία φωνώδης conjicitur, [69]. quatenus aërem innatum [70]. præter naturam commovet. [71]. *Exsurgit* verò [72]. hoc.

1. *Vel* per se, [73]. *vel* per aliarum partium, nempe, lienis, hepatis, uteri, ventriculi &c. consensum, & tum affectarum partium signa adsunt.

2. [74]. *Vel à causis externis*, vapores excitantibus, aëris nempe nimio frigore vel calefactione, nimia cibi repletione, crapula à vino, unde cruditas in capite cumulatur; vento boreali

post austrinum flante, qui [74]. faclè removetur: frequenti [75]. in caput vel tempora percussione; qui, quod, humoribus præ dolore ad organa auditus confluentibus, in surdi atem verti soleat, [76]. difficulter curatur.

Vel [77]. ab *internis*, idem emittentibus, & quidem.

1. [78]. *Spiritu fervidiore*, [79]. arteriolam quæ aurem subit, implente; & *tum* morbus diurnus est. [80]. Refrigerantibus & humectantibus decoctis & succis agendum. [81]. *Opium*, sed cautè, etiam adhiberi potest.

2. [82]. *Humore pituitoso* & frigido; & *tum* malum paulatim cœpit, per intervalla recurrit, sonitus est clarior, causæ præcessere ejusdem.

In [83]. *curatione*, [84]. Universalibus præmissis, [85]. attenuantibus & discutientibus, quæ manè & ante cœnam apponi debent, [86]. ut vapore [87]. *aceti* cum *felle bubulo*. secreto, quod ex *vermiculis intra lignum quercinum & corticem stabulantibus*, & *ol. rutac. costin.* componit r *felle* luc i piscis præparato, *fumo Mercurialis*, ex *cumini*, *anisi* ana unc. ß. [88]. *florum chamæmeli*, *fanugræc.* ana p. t. *cum aqua com.* ℔. ij. *acet. unc.* iij. ebullitis parato, Pastillis, ex *lana arietis circa pudenda* formatis inditis. *Collyrio* ex *nitri* scr. t. *hellebor.* utriusque scr. ij. *cumin. anisi* pulve a ia di cum album. ovi parato agendum.

Fit vero etiam quandoque ratione febris, quandoque ratione crisis; quæ quia non diu durat sibi relinquenda.

[67]. *Causa in πνεύματι φυσώδει*) Non desunt qui inficientur ab humoribus aures perstrepere, nisi vel mediate, quatenus *πνευματώσει*; vel per accidens, quod itinera obsepiendo, flatuum exitum remorentur; nihilominus tamen quendam *ἰδιωτικὸν* sensum ab aquoso humore, intra ossis petrosi parietes reciprocante, proxime ac per se induci posse non videtur improbabile. *Menjotius.*

[68]. *Πνεύματι φυσώδει*) Sibilus, tinnitus & strepitus aurium frequentius fit à vapore quam ab humoris influxu, ut in ebriis aut aliis, & in morbis quoque multis, à vaporibus, nunc tenuioribus & biliosis, ut vocant, nunc etiam crassioribus: Estque hæc potissima causa quare post crisin in acutis morbis, quos præsertim cephalalgiæ, inter reliqua symptomata comitatæ sunt, auditus in convalescentibus labem aliquam, diu sæpe durantem, patiatur; materia, tunc quæ morbi causa conjuncta erat, è venis in vapores resoluta, & per sudores insensibilemque transpirationem evacuata, portioneque illius è capite in auditus capacitatem irrumpeore & aliquandiu subsistente. Vapor enim tenuis & subtilis, uti meatus subtilissimos subire, sic & per angusta foramina (quorum sex in interiorem hanc cameram auditus desinentia, vasaque transmittentia esse ex Anatome novimus) interdum huc usque penetrare sine dubio potest; Et sic quoque non tantum cerebrum afficiendo depravare; sed etiam propter dicta foramina, quorum aliqua e calvariæ interioribus huc desinunt; alia extra calvariam occurrentia, huc quoque pertineot, cum multæ sint viæ, etiam ad organum auditus pervenire posse certum est.

Flatus aut *aer* idem potest efficere, qui si in interiorem hanc auditus cameram irrumpat, & per angustam viam veluti coactus feratur, *sibilum* edit; Si per aliud foramen, sic instructum ut in fistula formari solet, *tinnitum* efficit; Si per ampliores ductus, & per anfractuosos illius loci cuniculos discurrat, *strepitum* alium aliquem facit: Hoc sæpe, si per vitu eo propellatur evenit ut cum naribus compressis, & spiritu sive aëre vehementer impulso nasum emungere volumus, interdum accidit ut illius portio per foramen è narium amplitudine ad auditus organi canalem geminum (sicut in anatomico nostro opere demonstravimus) irrumpat, & sibilum & tinnitum, diu sæpe perseverantem exci t, interdum mox aëre rursum eadem via erumpente, quod sæpius deglutiendo citius fieri, ego ipse crebro expertus sum, cessantem. Ab interna etiam causa flatu hic in auditus camera excitari potest si ab externi humiditatibus circa periosti cranii collectis, inque flatus convers illic col igantur: Unde in ce phalæis antiquis, & capitis, & circa ossa doloribus in lue venerea, Tinnitus aurium admodum est molestus. *Platerus.*

[69]. *Quatenus aerem innatum &c.*) Fit sonitus in aure ex commotione p. n. aëris vernaculi, s u conge in auris cavitate contenti: quamvis aër ille natur in aure moveatur, ut docuit *Aristoteles*, sonus tamen eo motu non exauditur, nisi quando aurem manu cava aut alia re simili obturamus; tunc enim melius fit auditio in aure interna, cum aëris externi ad aurem ingressus impeditur, ut docetur vulgari experimento, si nimirum testudinis, aut alterius instrumenti musici, manubrium dentibus apprehendatur aures obturando, tunc enim sonus quadruplo major percipi r quam si apertis auribus excipiatur, quia sonus testudin per continuitatem manubrii in os ingreditur, & ad auris cavitatem sese insinuat per patent m nalem qui ab aure ad fauces exporrigitur; motus autem ille naturalis aëris implantati fit à spiritu *ἐμφύτῳ* qui conti o in aurem influit, & aërem illum tenuem & i leviter exagitat, Si vero aër implantatus fo to h mentius moveatur, tunc sonus intra aurem percipitur, qui præternaturalis est & auditum viuat. *Riverius.*

[70]. *Aërem innatum p. n. commovet*) Suopte sonitu tintinant Aures à flatulentis spiritibus aut va oribus inclusis: non enim Tinnimenta à fla bus fi int, ex angustiis aurium in loci amplitudinem foras extur quia si apponatur tinnulis auribus vel c rei ardent s flammula, vel lanæ medulla, vel plu ula mollior, vel gossypii minutatim carminati flocculus, nequaquam moventur, quæ tamen moturi necesse esset aura quadam sensibili ex aurium latebris erumpente; Itaque intra auris internæ cavernulas ventulos coërceri credibilius est, ubi vel sua sponte, vel ab expultricis potentia exagitati congenitum aërem commovent, tympanumque fenentes ipsum inflant ac extrorsum protrudunt, cum ex adverso soni qui lege naturæ allabuntur, illud introrsum propulsent. *Me ius.*

[70]. *Præter naturam commovet*) Genera di i potest sonos *obscuros* & *frequentes* à concussione debili & remissa; *Sibilantes* & *tinnientes* à concussione forti & intensa provenire; quod confirmatur per causas remotas horum symptomatum, exemplo rheumatismi & suppurationum, in quibus membranæ relaxantur, ordinarie *susurrum* producunt, Inflammationes autem & dolores auris, à quibus partes hæ reddi solent tensæ & exsiccatæ, *sibilos* & *tinnitus*: Tenendum quoque est sonos omnes eandem impressionem facere super laminam spiralem & canales semicirculares, quam f c unt soni graves & acuti. *Du Verney.*

[71]. *Exsurgit vero hoc vel*) Duo Tinnitus genera poni possunt, quorum unum à *morbis cerebri* dependet, alterum

... *morbo aurium*) Tinnitus ille qui auris morbos ... ur, est vel verus vel falsus, Et ex his quidam *Tinnitus* proprie dicuntur, quidam *Sibili*, quidam *Fremitus*, alii *Murmura* &c. *Du Verney*.

Hic primo vel per se) Intelligo *Tinnitum consistere in perceptione soni qui non existit, vel soni interioris*, Actum autem audiendi consistere in concussione organi immediati: ut autem determinemus quæ possit esse causa hujus commotionis in organo immediato, examinandi tantum sunt morbi cum quibus Tinnitus conjunctus reperitur, Morbi hi sunt *Inflammatio* & *Abscessus Tympani* & *Labyrinthi*, & *Morbi meatus auditorii*: Inflammatio & abscessus tympani & labyrinthi necessario concutiunt laminam spiralem & canales semicirculares, sive per ... itionem membranarum, sive per vapores qui transparant & cum aëre tympani miscentur: Humores acres, ... corpora extranea, coarctatio meatus per tu... orem glandularum, & generatim id omne quod dolorem excitat in meatu ordinario, ut & cætera symptomata membranam meatus, & membranam tympani commovent, id quod satis est ad communicandum hunc motum organo immediato.

Secunda Tinnitus species est cum vera vox, sed interna percipitur; Ita murmur auditur cum aures obturantur; hoc murmur vel à frictione manus venit, vel etiam à compressione, quæ cutem & cartilagines tegit, quarum particulæ motæ concussionem illo loco efficere possunt: Virtus elastica aëris clausi, vapores è corporibus continuo emanantes aliquid etiam conferre possunt, cum illi qui è manu prodeunt, juncti cum aliis, qui prodeunt è cute meatus, pariter conclusi, ad latera hujus ea vitatis alliduntur, & concussiones producunt, quæ, quamvis valde exiguæ, sonum tamen verum efficiunt, qui sensibilis fit propter propinquitatem & continuitatem partium, nec non per reflexiones quæ fiunt in cavitate hac occlusa: Commotiones cranii, & morbi meatum coarctantes, tinnitus aliquam speciem efficere possunt, supposito quod concussiones, quas totum cranium sustinet, communicentur organo immediato, per solam continuitatem totius ossis temporis: Id quod intelligendum est de eo momento quo commotio fit: Qui autem postea superveniunt, motui spirituum inordinato adscribendi sunt: Ita quoque tumor membranæ internæ meatus, cum arctius coit, eundem effectum potest producere quem manus aurem obturans. *Du Verney*.

72. *Vel per se vel per aliarum*) Vapores soniferi vel in labyrintheis aurium conclavibus localem obtinent generationem, ex [illegible] humoris, præsertim pituitosi eo collecti, à quibus affectus creatur idiopathicus, nullas dans naturæ inducias, tametsi nunc severior, nunc indulgentior sit: Vel aliunde obrepunt, nimirum aut à toto corpore, ut in criticis conflictibus, & febrilium paroxysmorum initiis, aut à præcordiis, puta liene, ut in melancholia hypochondriaca; utero, ut in hysterica passione; Ventriculo, ut vomentibus, item vino madidis ac helluonibus, ob cruditatem, nec non pierocholis diutinam inediam expertis accidit: Aut denique a cerebro mittuntur, tuncque sonoræ aures morborum capitis vel imminentium sunt prænuntiæ, vel jam præsentium indices: ita in Lue Venerea strepitant aures, compressis quoque naribus canoræ sunt, aëre quem è cerebro per nares expelli oporteret, negata porta, ad aures delato. *Menjotus*.

... *Vel per se*) A capite frequentius spiritus flatuosus ex frigidis & pituitosis humoribus excitatus à calore debili in aures defertur per arterias & nervum auditorium per quas etiam vias vapores & flatus à partibus inferioribus transmittuntur. *Riverius*.

Per se Observo perceptionem soni fieri posse etiam absque ullo vitio organorum auditus: fit hoc semper cum partes cerebri, ubi filamenta nervi auditorii terminantur, commoventur & agitantur, eodem modo quo moveri solent ab objectis: ut credam, impellit quod videam multos cerebri morbos cum tinnitu conjunctos esse; e. g. delirium, phrenitis, vertigo: item ii qui in epilepsiam & syncopen incidunt fremitus aurium sentiunt, qui quasi nuntii sunt appropinquantis paroxysmi; cum in omnibus hisce morbis motus spirituum extraordinarius sit & irregularis, multo facilius concipimus spiritus agitatos extremitates nervorum auditoriorum commovere, atque ita sensationem soni producere posse, quam ut vitium nobis imaginemur in organo auditus. Modus hic tinnitum explicandi mihi satis congruus videtur, & dici posse, sicuti motus spirituum admodum irregularis est & inordinatus in omnibus istis morbis, ita oportere in iis sonos & tinnitus admodum confusos & valde diversos esse ab iis quos ordinarie audimus.

Regeretur mihi falsam esse hanc imaginationem, non autem auris symptoma, sed consentio & ego, atque hoc ipsum est quod volo: Quia credimus nos nunquam quicquam audire posse, nisi percussa à sono vel aëre aure, igitur sonos omnes ad hoc organum referimus; interim tamen nihil refert an nervi in cerebro, an vero in aure moveantur, semper enim eadem inde resultabit sensatio; & hoc fit eodem modo quo in vertigine, in qua notum est solum motum circularem spirituum eundem affectum producere ac si objecta visibilia revera haberent motum istum circularem; Vel in phreneticis, qui festucas videre credunt, quæ non sunt, quod fit per solam concussionem nervi optici intus in cerebro: Itaque sicuti suffusionum & phreneseos symptomata referuntur ad imaginationem depravatam, ita eidem causæ tribuendi sunt tinnitus qui accidunt morbis aurium, quamvis sæpe nullo modo dependeant à prava dispositione organi auditus. *Du Verney*.

Causæ hujus mali sunt, [illegible] quidem flatulenti spiritus inter membranam foramini auditorio prætensam à nervo auditorio ortam, & inter piam matrem, quæ ab invicem incude ossiculo sunt disjunctæ, collecti & inclusi; aut sunt tenues & sicci vapores, ex jecore &c. *Fr. Joel*.

73. *Vel per aliarum partium &c.*) Quidam talem flatum contendunt de hepate, liene, stomacho & de utero surgere: Hinc Author ex *Sennerto*, Causa Tinnitus est πνεῦμα φυσῶδες, i. e. spiritus flatulentus, sive ἀτμός, h. e. vapor crassior: A ventriculo ἀτμοὶ sursum continenter ascendentes Tinnitum aurium efficiunt: Ita in bibosis jejunium diutius tolerantibus aures sonoræ fiunt; calore ventriculi in inopia cibi halitus ex pravis succis solvente: Et in ebriis quoque vapores ex ingurgitato potu ad caput magna copia elevati, qui cum exitum in angustiis illis quærunt, ad ossa & mēbranam tympani, expansumque nervum allisi tinnitus causa existunt: Ab utero denique, hepate, à liene & visceribus aliis male affectis evaporationem sursum ferri in corporibus cacochymicis & repletis minime dubium est *Hæc Sennertus*.

Sed esto à Ventriculo continenter vapores ferri; illis ructando, vomendo ac nitendo, in os ac clauso ore, naribusq; compressis, in primam aurium cavitatem, quā vocant Tympanum, agi queant, at ii nec Tinnitum facient nec aurium inflammationem: Quæ via dicitur Aquæ ductus, fert ad illud aurium antrum, eadem isti vapores rursus, patentibus naribus ac ore remitti possunt: hac enim fuerunt impulsi, hac quoque iidem vicissim exibunt, Si humores cerebri & aurium eodem itinere decurrunt, osque replent, cur non & illi flatus simul remeabunt?

Nec hi, ut *Sennertus* loquitur, continenter ascendunt, sed ore sæpius, semper naribus patentibus in

auram dari possunt, Sonitus & aurium Tinnitus est passio admodum vulgaris, ea vexati si ambulant contentius, aut si alvum exonerant nitendo, aut si buccas inflant, horum aures intus sunt sonantiores, cum earum venæ inde distendantur, ita ut quasi halitus quidam intima Aurium percutere videatur: In Jejunio autem sonant aures, non quod vapor stomachi se tollat seque agat in aures: qui bilis multitudine pressus famem sitimque sustinet ejus sanguis magis incalescit fitque acrior, talem ubi arteriæ in interiores aures inferunt, hæ illum alienum sonum recipere consueverunt: hinc *Avicenna*, *Humores*, inquit, *per corporu molem dispersi ac quiescentes longiore fame exagitantur: Natura enim cibo in quem agat destituta, ad humores convertitur eosque resolvit & commovet.* Si vapores ex bilioso stomachi humore in palatum tolluntur, hos hians os, oscitans ac sæpe exhalans ultra ac usque ad aures rendere prohibebit: Potus assumptus non tam stomachi biliosum humorem quam cunctam massam sanguineam diluit, quæ & acrior jejunio facta fuerat & crassior: Nec ebriorum aures inflatum vaporum à stomacho receptant, sed potius ab aurium arteriis, quæ etiam fervidiore illo sanguine exæstuant, & hæc est causa cur ebriorum oculis multa videantur falsa, Nec aures, oculi & cerebrum modo, sed quoque pedes hominis ebrii tam fervido tamque vapido sanguine opplentur: Si idem corporis exercitatione utitur, ac se confert in conclave minus laxum, clausis fenestris, ubi quoque est solitudo, aures sibi satis sentit intra sese esse sonantiores, tempora pulsare, ac arterias totius corporis micare vehementius.

Tandem *Sennertus* vapores & de *matrice*, & de *hepate*, & de *lieue* in aures levari vult, Ast hoc verisimile non est, Si enim eos ritu nebulæ aut nubis spissioris sibi persuadet ferri in aures, quis non cohibebit assensum: Demus enim hepar aut matricem intemperie calidiore, aut ulcere, vehementer vaporare, Isti vero halitus eo nec diaphragmatis oppositu, nec interjecti colli pervadere poterunt; Quidam vaporibus matricis hanc viam faciebat, illos in proxima intestina haud ægre penetrare, per eorum cava in arduum incumbere, pervenire tandem in stomachum ac inde aures impetere: Cur iidem vapores non se dant in vesicam, quæ multo propius abest, imo quæ non adjacet modo, sed etiam est annexa? *Schneiderus l. c. p.* 165.

73. *Vel per aliarum partium*) Unde in vomitu vehementi, melancholia hypochondriaca, & hysterica suffocatione aurium tinnitus frequenter solet contingere.

73. *Vel per aliarum partium*) In affectibus aurium semper magis ad caput, imo & alia viscera, quam ad aurem ipsam est respiciendum; Hinc cum Tinnitus ipse sit quoque ordinarius præco & anteambulo apoplexiæ, eo potissimum casu absurdum foret topicis illi mederi, neglecta spirituum debilitate; Hinc semper eo casu attendendum est an Tinnitus, proveniat ab infimo ventre, inquinato sero & spiritibus, inprimis à flatibus, an à spirituum defectu, an ab assidua eorundem rarefactione & agitatione, ex quo etiam curatio moderanda est & varianda: Extat hanc in rem elegantissima de Aurium Tinnitu epistola apud *Scaligerum*, *Epist. 66.* ubi post alia, Empiricorum, ait, atque methodicorum olim fuit hoc, affectæ parti illico adhibere topica, Nos aliter faciendum natura docet, quæ ut certis consensionibus commisit atque adaptavit partes animatas, alterius sæpe noxam ex alterius incommodo pendere designat. Quamobrem non neglecto cerebro, ventriculi, jecoris, lienis, matricis prius ineunda ratio est. *Wedelius Am. m. m. p.* 117.

73. *Vel per aliarum partium*) Tum martialia & carminativa præcipua quasi sunt specifica. *Wedelius.*

74. *Vel à causis externis*) Adde sonum vehementem in aurem violenter impulsum, aërem [illegible] maxime exagitantem, ut commotio illius diutius perseverans Tinnitum diuturniorem efficiat.

Qui facile removetur) Aurium Bombus importunus est, sed per se indolens, quoniam internæ aurium cameræ ossi petroso insculptæ destituuntur [illegible] ceteris ossibus imposito, h. e. periostio, quod à [illegible] copia comprimi, vel ab iisdem sub ipsis [illegible] latebris [illegible] tibus tendi, & ab ossi subdito disparari queat.

Tinnientes aures solis, fas sit ita dicere, [illegible] conscia sunt, ac juxta Hippocraticam prognosin, [illegible] morbis acutis [illegible] materiæ ad caput [illegible], quæ si per hæmorrhagiam [illegible] habeat, bonum, alioquin vel delirium, vel etiam lethum interest. In febribus, præcipue pestiferis, repleto cerebro, aures sæpenumero obstrepere experimento ratum est.

Crepitantes aures, ut apoplexiam, epilepsiam, cæterosque comatosos cerebri morbos præcurrunt, [illegible] eorum decremento fausti sunt ominis; Cerebri [illegible] que sese explicantis, ac humores quibus inebriatum [illegible] in flatus attenuantis, triumphum denotant. *Lethargici mentis compotes* (In coacis) *facti, de cervicis dolore, sonis per aures rapim pervadentibus conqueruntur*, Echo, sive [illegible] resonus, diu ac perpetim aures offendens raro [illegible], sed sæpicule surditatis est præludium: fit enim ab humore in auribus congesto, cujus quantitate [illegible] augetur, donec penitus exsurdet. Convalescentibus post immodicas vacuationes, ut oculi vertigine tenentur, ita aures bombilare solent: nam membra [illegible] cata; à morbis [illegible], i. e. defæcata; ac proinde [illegible] interdum relinquuntur: deinde exhaustæ partes ob caloris paucitatem flatus permultos accumulant.

Absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se receptum est, inquit *Plinius l.* 28. *c.* 2. ita ut qui laudatur absens, ei auris dextra mussitet, qui vituperatur sinistra: Sed ista medico sunt superstitiosa &c. *Menjotius.*

Tinnitus, *inquit Celsus*, leve malum ubi ex gravedine: pejus ubi ex morbis capitis, pessimum ubi magnis morbis maximeque comitiali succedit. Tinnitus ex [illegible] sæpe [illegible].

Recens Aurium tinnitus facile curatur, diuturnus vero difficile, eoque magis si à lue venerea ortum ducat; Qui à calida causa ortum ducit facilius curatur quam qui à frigida.

75. *Frequenti in caput vel tempora*) Vide §. *Hoc primo vel per se.*)

75. *In caput vel tempora percussione*) Si Tinnitus fit ex casu experta est mixtura *Plateri*

℞. *Aqu. vitæ cochl.* j. *succi cepæ coch.* ß. *ol. destill.* [illegible] gtt. iv. m. & auribus instilla. *Ettmuller.*

75. *In caput vel tempora percussione*) Causæ violentæ, ut capitis plagæ, & horridi fragores, aërem connaturalem ultra modum incitando, aurium clangores excitant, sed temporarios (nisi forte vapores [illegible] affectum foventes ad aures depulsi fuerint) [illegible] desinente causarum impetu, aër ille motu [illegible] ex se tranquillatur; quo pacto composita vertigo cessante corporis cyclophoria, quæ in [illegible] vorticosumque motum spiritus animales rotaverat. *Menjotius.*

Percussio capitis vehemens spiritus in capite contentos violenter commovendo, facit ut illi in aurem confertim propellantur & sonitum edant. *Ant. Molinetti.*

76. *Difficulter curatur*) Aucta enim materiæ illius copia meatus auditorius obstruitur, & spiritus influxus in aurem inhibetur.

77. *Vel ab internis*) Præterea Vermiculi [illegible] in introitu auris [illegible] geniti, [illegible] tympano, strepitum cient: Deinde si auris vestibulum [illegible], h. e. à [illegible] tentarum forficularum copia occludatur, vel aliis præpediatur obicibus, ut suppresso ac

so ac incrassato pure, sanguinis thrombo, tuberculo, lapillo, aut quibusvis aliis rebus quæ imprudentibus in aurem irrepunt, arceantur quidem τὰ ἐκτὸς externa, sed interius confusisque bombis aures inquietantur, perinde ac si manu obturaretur auris ostiolum; Vapores enim, quorum jugis est foras commeatus, invento obstaculo patiuntur repulsam, ac in cuniculoso auris alveolo volutati, & quasi διεμπίζοντες, mussantem strepitum eduut; Neque mirum est tantam exhalationum copiam ex aurium antris continenter emitti; nam si per occulta cutis foramina assidua fit & larga transpiratio, quanto profusiorem diaphoresin per patulas aures fieri consentaneum est. *Menjotius.*

78. *Spiritu ferVidiore*) His causis vulgo adjiciunt cum *Galeno 3. K. T.* ἀκρίβειαν τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως; Verum enim auditum quantumvis acutum sonis integris tangi dicit καὶ ὅσοι si illi nulli sint, haud secus ac acerrimus visus sincero extante oculo, mendacibus imaguncu-lis non deluditur; idcirco quibusdam visum fuit ut externus aër erroneis atomis nusquam expers est, etsi præ minutie in radiis solaribus sint tantum aspectabiles, ita eundem aërem quantumlibet placida fruatur malacia, perpetua tamen teneri fluctuatione, quanquam exiguissima, & quæ nonnisi à valde exquisita audiendi virtute discernatur: sed quamvis compertum esset nunquam dari perfectum aëris flustrum, aucta tamen ad summum auris acuties morbosa dici non debet, sicut neque oculi præter naturam se haberent, etiam posito quod vagantia per aërem insectilia corpora, absque radiorum Solis illustratione possent contueri.

Aliis igitur placet à fumis, dum è mæandris aurium in agnatum sibi externum aërem sine mora eluctantur, minutulos sonos naturaliter citari, sed contra fuligines istas, si libere evolent, nec egressu intercludantur, insonas esse supra probavimus: Sunt qui autument connatum aërem, utpote natura sua pertenuem, ac maxime mobilem, à spiritu animali appellente, aut perenni ἀρτηρίας καὶ φλεβός, tremulo motu, quamvis levissimo, indesinenter concuti; Verumtamen cum ex naturæ lege cæteri omnes sensus nulla sua objecta intra se contineant, quæ esset ratio unum Auditus organum proprio sensibili, sono nempe, naturaliter non destitui? Proindeque ne vel minimum quidem murmurillum auri secundum naturam inesse, sed aërem ei immersum plane esse ἄψοφον arbitramur, Auditus vero acumen agnoscimus tanquam causam aurium tintinentium, sed adjuvantem duntaxat, quatenus leviusculus quisque ac neglectissimus aurium sonus statim exauditur, ita oculi exilem, qua offuscatur, nebulam aspicientis perspicacitas causa est phantasmatum subsidiaria.

Sed satisfaciendum est experientiæ quam *Galenus* l. c. ad stabilimen suæ opinionis allegavit, videlicet quendam aurium tinnitu vexatum, postquam auricularibus remediis, incidentibus, attenuantibus, ac discutientibus perperam usus esset, etsi apophlegmatismis aliisque præsidiis toti capiti fuisset quoque prospectum, tandem admixtis narcoticis, auditum obtundentibus, scilicet mandragoræ & papaveris succo persanatum esse; quia juxta ratiocinium *Galeni*, non à flatibus, sed ab auditus acritudine affectio procreabatur.

Cui experimento respondemus stupefacientia profuisse, vel per accidens, inducto sensus torpore, qui omnis molestiæ carmen est & quasi fascinus, vel etiam per se, represso æstu vaporum aut humorum in auribus ferventium, à quibus aurium bombos persæpe oriri liquet. *Menjotius.*

78. *Spiritu fervidiore*) Calida intemperies arteriam auris interiora subeuntem multo spiritu replet, unde contingit ut pulsatio fiat vehementior, & sonus pulsatus in aure excitetur; Vel copiosior spiritus per arteriam illam effusus in aurem, aërem vernaculum commovet & sonitum producit.

Sed & *Sensus exquisitior* ex *Galeno 3. K. T. c. 1.* Tinnitum aurium efficit eadem ratione, quia scil. objecta etiam moderata illum nimium afficiunt: Ille autem sensus exquisitior præternaturalis esse debet ut affectum p. n. efficiat; nam sensuum perspicacitas per se actionem depravatam non potest efficere, quin potius, quo exquisitior est sensus eo minus debet aberrare: Præternaturalis autem efficitur à calida intemperie, ulcere, aut consimili alio affectu; sicuti partes inflammatæ contactus moderatos depravate sentiunt; nempe dolorifice; Vel si exquisitus sensus in statu naturali consistat, credendum est causam Tinnitus esse præternaturalem & excedentem ratione illius excedentis sensus: Vapor enim, v. g. ita exiguus ut à sensu obtusiori non percipiatur, sicque actionem non lædat, ab eo qui exquisitiori sensu præditus est percipietur, & tinnitum efficiet; atque ita in hoc præternaturalis erit, in alio vero sanitatis limites non excedet. *Riverius.*

79. *Arteriolam quæ aurem subit*) Motu & agitatione violenta spirituum pulsatio in auribus molesta accidit, uti in syncope incipiente, refugientibus spiritibus; Et eadem desinente, rursum illis remeantibus, pulsum & tinnitum in auribus sentiri videmus, ex quo referente ægro, instare syncopen cognoscimus: quod & in multis animi affectibus, eandem ob spirituum commotionem accidit. *Platerus.*

79. *Arteriolam quæ aurem subit*) Frequens est ut intra aurem pulsatio sentiatur; ut videamur audire sonum similem illi cum aliquid percutitur; & hæc pulsatio aliquando adeo vehemens est ut & alii eandem audire possint: Observatio in hanc rem mihi occurrit in Nob. muliere Picarda, quæ ab exercitio quovis vehementiori pulsationem in aure tam vehementem sentit, ut videatur sibi pendulum horologium capiti suo alligatum habere, & pulsatio hæc etiam ab aliis auditur qui prope illi adstant: Jam autem pulsatio nulla alia est quam ab arteria dilatata, semper enim perfecte cum pulsu cordis convenit; & perceptio hæc soni interni mihi videtur valde similis symptomati oculorum quod in suffusionibus imperfectis observatur: qui hoc laborant, festucas vident & muscas ante objecta, & festucæ istæ muscæque nihil aliud sunt quam particulæ viscosæ & spissæ quæ in humore aqueo congregari incipiunt, quæque motu suo retinam commovent, atque ita suo motu necessario sensationem producunt; Verum, dicat aliquis, si hi soni veri sunt soni, quare in numerum tinnituum referuntur? Respondeo vere quidem hos sonos percipi tales quales sunt, auditum autem eo depravatum esse, quod eos ad objectum aliquod externum referat, perinde ut illi in quibus cataracta formari incipit apparentias muscarum & festucarum ad objecta externa referunt, & manus protendunt ad eas captandas. *Du Verney.*

Auris arteriola, vel à vicini tumoris compressione, vel à copioso atque calidiore quem complectitur sanguine; validius mota, aërem insitum jactando internum sonitum provocat, ut in phreneticis atque maniacis: Aurium etiam ulcere haud rite coalescente, nudata eadem arteria evidentius micat, non aliter ac emaciatis membris evenit, in quibus nulla caro interjacet obscurans arteriæ percussum; Igitur si perennet aurium fremitus, cum à materia ψοφώδη, quæ evanida est, oriri nequeat, hunc ab arteriæ auricularíæ vibratiore assultu pronasci suspicio esse debet ἠχεῖ δὲ τὰ ὦτα, inquit *Hippocr. de morbis*, τῶν φλεβίων σφυζόντων καὶ πάλλομένων, strepunt aures venulis, id est *arteriolis*, pulsantibus & quassatis. *Menjotius.*

80. *Refrigerantibus & humectantibus*) Si à calida intemperie, vel exquisitiori sensu ducat originem, victus refrigerans & humectans præscribendus est, tum

etiam in aurem refrigerantia immittenda à mitioribus ad fortiora progrediendo: Ac primum instillari potest *decoctum hordei, violarum, lactucæ, nymphææ*, quibus ad penetrationem aliquid mellis, aut chamæmeli addi poterit: Quibus non conferentibus *succi lactucæ, portulacæ, hyoscyami*, usurpandi, imo ad succum *papaveris* & ipsum *opium* confugit *Galenus*, quibus tamen parce & summa cautione utendum, ne calorem nativum partis debilitando, auditum nimis hebetent. *Riverius*.

81. *Opium*) Vide §. *Opium fervidiore*) Ex Menjotio.

82. *Humore pituitoso & frigido*) In aure ipsa generatur flatus ex materia pituitosa in auribus contenta; unde fit ut gravis auditus cum tinnitu aurium sæpissime conjunctus sit, Ab humore enim fit obstructio, à qua surditas, aut gravis auditus dum in minori copia redundat; A flatibus vero ex eodem humore elevatis aurium Tinnitus generatur. *Riverius*.

83. *In Curatione*) Notandum maxime conferre *Sternutamenta* ad tinnitus aurium curandos, si frequenter excitentur, nam flatus cerebri non minus per aures quam per nares discutiuntur.

Aures præterea semper habeant occlusas, donec perfecte curati fuerint, maxime quando ventus australis vel borealis flat, sed magis cum borealis, quod maxime observandum est in scotomaticis: Nam si aures flatibus oppleantur paroxysmus excitatur, Idem fit in Epilepticis: Utantur Pulvere post pastum carminante ventositates. *Rondeletius c.68.Pr.*

a). *In Curatione universalibus præmissis*) In Juvene cacochymico, cerebrum studio pertinaci fatigante (nam, *Celso* authore, valetudinarii vivunt qui corporum suorum robora inquieta agitatione & vigilia minuere solent; Et *Hippocrates*, pertinax vigilia cibos crudos & [illegible] facit) jam abscessum auris passo, ab inflammatione, Decreto medicorum, exacta purgatio, detractio sanguinis, balnea, decoctum sudoriferum est institutum, à quo bene feliciterque habuit.

Eo in casu magno iudicio sese gerere oportuit, quod impuritas esset sanguinis, & in toto corpore, & in cerebro maxime, præsertim vero quod in ea familia facile congenitur putre & indomitum serum, quod eam valetudinariam efficit. *Ballonius consil.87.l.3.*

83. *In Curatione, universalibus præmissis*) Qui ab Aure primario affecta exoritur, si à frigida intemperie, crassiorique flatu generetur, eandem curationem desiderat quam gravis auditus: consimiles enim sunt affectus; qui sæpe simul complicantur, aut unus in alium degenerat: Tinnitus enim non raro gravis auditus & Surditatis prodromus esse consuevit, Omnia igitur remedia universalia, particularia, illic proposita, huc transferantur. *Riverius*.

85. *In Curatione Universalibus præmissis*) Masticatoria etiam juvant, nam to aute interna patescit ampla illa cavitas quam recentiores *Tympanum* appellant, Ex hac cavitate, inferius, anteriora versus, ad palatum meatus patet rotundus, qui inter duos faucium musculos delatus, partim in palati tunicam crassam, prope radicem uvulæ inferitur, partim in naris sui lateris cavitatem amplo & cartilagineo fine, mucosa narium tunica obducto, ingreditur, Per hunc humiditates p.n. in tympano collectæ (testatur *Aqua pendens* se multoties, præsertim in pueris, internam cavitatem muco, & quidem multo referta invenisse) ad palatum effluunt, & sonus in oreexcitatus nonnihil aurem subit.

Si in hac Tympani cavitate humores excrementitii crudiores, obstructo ab eorum tenacitate dicto canali, sobsistant, & nimia copia colligantur, ut in gra[illegible]dine nonnunquam contingit, tunc læditur Auditus, & [illegible] *membrana tympani tensione acer sæpe dolor* inducitur qui forti per nares aëris attractione & [illegible] tum leniatur, dum scilicet per violentam [illegible] versus nares & palatum nonnihil aperitur, & hun[illegible] intrus latentes, quasi suctione quadam eo protrahu[illegible] tur, interdum etiam per topicorum discutientium a[illegible] plicationem, aut per solum adjacentium partium [illegible] lorem proprium humores illi attenuantur, & in va[illegible] tes ac flatus rediguntur (hinc sæpe aurium tinnitus [illegible] susurrus) sicque magis fluxiles fiunt, ita ut per dictum canalem rursus commode effluere queant.

Si vero nimis diu ibidem subsisterint, nonnunquam rupta interiore tunica, meatum auditoriu[illegible] [illegible] vestiente, foras erumpunt cum magno ægri levamine & multis diebus per dictam rupturam insigni quanti[illegible] te effluunt, usque dum interea canalis ab obstruentib[illegible] humoribus liberetur, quo facto ad illam vi[illegible] m[illegible] [illegible] In Aurium autem morbis hic canalis b[illegible] ne [illegible] Medico, quippe per illum crassi humores masticat[illegible] feliciter eliciuntur, & nonnunquam sternutatoriis [illegible] cutiuntur, quod præter rationem ipsa quoque [illegible] experientia. *Diemerbroeck Anat. l.3.c.1*.

84. *Universalibus præmissis*) Sive adsit surd[illegible] gravis auditus, aut obauditio, ab humore vel flatu etiam vapore in auditus cameram irrumpente [illegible] tur, præcipue Evacuantia eodem modo ut in Ve[illegible] & Visus imbecillitate ab aqueis, serosis & pituitos[illegible] moribus traduntur, usurpentur; *Faces intestinorum* a[illegible] te omnia eluantur.

Vena secta si plethora adsit, vel biliosa mater[illegible] cum sanguine ad aures defluens, in morborum crisibus surditatem fecerit, competet, Præparentur humor[illegible] si pituita in cerebro abundet; aut biliosus humo[illegible] in [illegible] pore, Purgentur deinde &c.

Sudores valde hic conveniunt, quia ab omnibus p[illegible] tibus, etiam abditis, excrementa tenuiora evocant & flatus vaporesque discutiunt &c. Hinc *Thermas* c[illegible] tas auditui conferre creditur, sulphureas inprimis al[illegible] qui commendant, easque adeo efficaces, præsert[illegible] [illegible] ditate sananda existimant, ut si æger dum in balneo sedet spongia ampla, quæ totum caput comprehendat, aquam calidam per epistomium effluentem excipiat, idque bis in die, præstantissimum esse remedium.

Sed & exhibitis sudoriferis, adhibitaque Diæta, in corporibus repletis, aliquandiu promoveri possun[illegible] quod extremum sæpe in surditate est remedium.

Per nares & os excrementa cerebri sunt evocand[illegible] Per masticatoria &c. nam experientia ostendit [illegible] deglutitione, frequenter repertia, aliquando vapores & aërem, qui in auditus cameram, dum nasus impet[illegible] emungebatur, irrupit, sonitum illic causans, per eandem per quam subiit viam rursum velut extrahi, & sicuti subito factus erat, ita subito sonum illum aurium cessare, quare & deglutitio pressis interim externis [illegible] ribus ad flatus illic educendos, remedium [illegible] pernandum.

Idem quoque *Errhina* præstare possunt, & [illegible]ida per nasi emunctionem aëris excussio, ubi tamen si nasus dum emungitur ita comprimatur ut aër egredi commode nequeat, sed sæpe recurrens, per foramina dicta in aurium cameram irrumpit, sicque auditum depravat, ob quam causam ita emungendum est ut aëri per nares liber pateat exitus: Longe vehementius hoc facit *Sternutatio*, quæ sæpe ab auribus confestim flatus vel humorem per eandem viam excutit, sed ita facta ne aëris impetus sistatur, eadem cautione servata qua in emunctione.

S[illegible]a ificatio in carpo facta multum ab auribus derivare creditur. Proderit autem magis si circa jugulares venas

venas in collo fiat, unde statim levantur: *Cucurbitula* quoque adhibitæ hisce locis, vel scapulis prosunt; Postremo & *Cauterium*.

Capiti applicantur remedia, vel extrinsecus, vel in suffitu per nares: Inter quæ singulare præsidium est Embrocatio aquarum sulphurearum: Assumpta remedia eadem quæ suis locis explicata sunt, & caput roborant, humores, flatus vapores, alterant, absumunt, discutiunt &c. *Platerus.* Vide cap. de Surditate. §. *In ejus curatione.*

84. *Universalibus præmissis*) Interea in affectibus Aurium illis præmissis, sunt *sassafrata, succinata* &c. quæ eo melius operantur si sudor post eorum assumptionem expectetur. *Ettmuller.*

85. *Attenuantibus & discutientibus*) Quanquam soni à foris venientes ab internis aurium rugitibus eludantur. (*ut licet in se parvuli sint, quia tamen parti in sunt cerebro propinqua, potioremque audientis animæ vim ad se trahunt, velut magni æstimantur, externumque quamvis paulo fortiorem extenuant. Omne namque αἰσθητικὸν debet esse ἄποιον h. e. denudatum qualitate quam accipit, secus, ut fert effatum vetus, Intus existens prohibet alienum*) illi tamen si magno molimine atque affatim ingruant, interiores sibilos possunt avertere, nam ut ait *Aristot. 32. probl. 9. Aurium sonitus sedatur accuo strepitu*, quia sonus exterius iorens assimus interniuo multo remissiorem repellit: ac flatuosam substantiam intus murmurantem per meatum quem ab intima aure ad palati testudinem protendi novimus, vi foras elidit; imo quoque attractis ad aures & vitalibus & animalibus spiritibus ipsis adeo calefacit ut conclusos halitus dissipent. *Menjotius.*

85. *Attenuantibus & discutientibus*) Et Carminantibus, hæc enim auribus quoque specifice medentur, tum interne, halituositatem ex primis viis, & consequenter ex massa sanguinea quoque tollentia; Neque enim sonitus, sibili & tinnitus aurium nisi ab exhalatione peregrina, seu subsistentis lymphæ, seu cessantium spirituum, seu heterogeneis particulis halituosis inductis oriuntur: Unde Carminativa & roborantia inter Otica optima sunt, v. g. *semina carmin. bacca lauri*, ol. destillata, *anisi, carvi, anethi*; *Wedelius Am. m. m. pagina* 136.

85. *Attenuantibus & discutientibus.*)

℞. *sylv.* Cucurb. ʒj. *nitri* ℈j. *castor. aristol. rot. succi absinth. ana.* ʒß. *costi sesqui obolum, euphorbii obolum, fellis vaccini quantum ad simplicia excipienda sat est, fiat collyrium, cum usus exigit unum ol. amygd. amar.* attritum auri pedetentim & continuo infundito: Hoc præstantissimum affert præsidium, dolori ex pituita orto, & sibilo & tinnitui, flatus causam habentibus. *A. Vesalius in 9. Rhasis c. 34.*

86. *Ut Vapore*) Topica inter se distinguenda sunt, quæ quibus magis conveniant, in qualitate & quantitate: *Suffitus* magis exsiccant, *vaporosa* humida magis demulcent, *Oleosa* & *spirituosa* magis discutiunt & roborant; In singulis cavendum est semper; Ne quid nimis, Inprimis *aquea* facile obtuunt & laxant membranam, *Vaporosa* quoque & alia sæpius continuata partem debilitant; Imo nec Auris patitur lusum, pars inter omnia sensoria subtilissima & delicatissima; Hinc etiam *Injectiones* aqueæ, decocta & alia ad instar Clysterum vulgo commendata minus locum habent, & omittere præstat: Quando *emolliendum est & demulcendum*, immediate quoque instillantur v. g. *Oleum amygdal.* quando *roborandum*, cum bombace. *Wedelius Am. m. m. p.* 138.

87. *Vi vapore aceti &c.*) Panis ex furfure vel farina factus, carvi subactus, antequam coquitur, dein post levem coctionem dum calet adhuc diruptus, & auri laboranti adhibitus, mirabiliter in sonitu aurium juvat. *Platerus.*

In cura eadem remedia conveniunt quæ in *Surditate* laudata sunt, In specie *Suffitus* ex *absynthio & verbena* admodum laudatur ab *Hartmanno in Praxi chym. pagin.* 106. Item suffitus ex succino, Item *ex gummi ammon. Ol. nucl. Persic. sper. arine* cum bombace auribus inditus.

Facit huc sequens experimentum ad inveteratum, aurium tinnitum admodum laudatum.

℞. *helleb. albi, castor. ana.* ʒij. *costi* ʒiß. *rutæ* ℈ij. *euph.* ʒß. *amygd. amar.* ℥j. *coq. in ol. rutæ*, quod oleum tepide auri instilletur. *Ettmuller ex Cratone.*

Euphorbium cum *oleo cyperino* liquatum, nunc tepidum, nunc calidum, in aurem injectum præstantissimum est, & reipsa sæpius exploratum præsidium. *Al. Trallianus Paraphr. l. 2 c.* 25. Præstantissimum hoc est remedium, maxime si cum surditate est tinnitus.

℞. *rad. helleb. alb.* ʒiij. *fol. lauri, rutæ ana. m. ß. fol. fraxini m. j. coque in ol. amygd. amar. de Kerva, & nucum, cum vino albo vel malvatico ad consumptionem vini, fortiter exprime* & colentur; De colatura iniice in aurem. *Nic. Piso Pr. l. 1. c. 41.*

Secretum nobile est quod tinnitum radicitus tollit, & surditatem aufert.

℞. *vermiculos intra lignum & corticem quercus repertos n. xx. bullientes in ol. olivar. immittitur.* ℥iß. *tunc excavata radicem cyclamini, reple oleo costino, rutac. vermium ana. quantum capere potest, adde pulv. pyreth. costi ana.* ℈ß. *assa in cinerib. contunde & exprime fortiter*, De succo immitte auri aliquot guttulas per 9. dies. *H. Petræus Nos. Harm. pagin.* 22.

Fumus hic à me inventus est præstantissimus.

℞. *cumini, anisi ana.* ℥j. *flor. chamæm. fumigr. p. j. aqu. comm.* ℔ j. *aceti* ℥j. m. bulliant. *Hieron. Mercurialis Pr. l. 1. c. 41.*

Efficacissimum hoc est.

℞. *helleb. alb.* ʒij *folior. lauri* rutæ *ana. m. ß. fol. fraxin. m. j coqu. in ol. amygd. amar. exprime*, & modice injiciatur in aurem, & bombace obturetur. *Mercatus Pr. l. 2. cap.* 24.

Summe prodest hæc compositio. *Majoran. fol. in vino Cretico bene coquantur, abjectisque* filis tamdiu ebulliant donec vinum sit consumptum, Si efficacius id reddere volueris, *Olei part.* viij. *euphorb part.* j. & tantundem hellebori addito. *Manardus.* Succus cæpe à me est inventus sublimis. *Idem.*

Præmissis præmitt. hoc præstantissimum est.

℞. *Colocynth.* ℈ß. *succi rutæ & amaraci ana.* ℥j. *cumin. carvi ana.* ℥ij. *coqu. in vino & oleo ad consumpt. vini, Exprim. col. in* aurem injice, obturando bombace. *Forestus.*

Nitrum in aceto forti dissolutum, & in aures sæpe instillatum, curat cito omnes aurium strepitus. *P. Joh. Faber. univ. sap. p.* 245.

Præstantissimum hoc habetur.

℞. *euphorb.* ʒj. *rad. cyclam. cumin. anisi ana.* ℥iß. *ol. amygd. amar. rutæ ana.* ʒiß. *vini albi odor.* ℥iij. *aq. vitæ* ℥j. *m.* bulliant ad vini & aquæ consumptionem. *J. C. Claudinus Emp. ration. p.* 523.

Ad aures ut calefierent, & tollerentur vapores ad eas descendentes, non dimisi remedium celebratum à *Scribonio Largo.*

℞. *olei de pice part* j. *ol. amygd. d. p.* ij. Expertus sum tollere etiam surditatem factam ex vaporibus à cerebro ad aures missis. *J. Bapt. Montanus consil. 10. App.* Medicamen sequ. est sublime valde ad omnes ægritudines frigidas organorum auditus.

℞. *Ol. nard.* ℥iij. *ol. de origano* ℥v. *pulpa colocynth. subt. pulverata* ʒx. *fol. origani & ligni aloës ana.* ℥ß. bulliant lento igne in vase vitreato ad 3. partis consumptionem, Dein cum expressione decenti colentur, bis per pannum spissum, & reponantur in vase vitreo tadiis

Solis exposito, Infundatur una vel ij. guttæ auribus affectis bis in die *Barth. Montagnana consil.* 8.

87. *Secreto quod ex vermiculis*) *Claud. Deodatus Panthei* p. 133. *Henric. Petraus Nosolog* p. 221. *Sennertus* &c.

88. *Florum Chamæmeli*) Qui & commendantur in Aurium dolore, Ex *B. Gordonio* quidam patiebatur in auribus dolorem intolerabilem, qui irr... r medijs universalibus, apposito oleo de camo... in auribus, & factis lacellationibus de ... moni ... acur... us fuit.

[89]. *Differentias*, pro flatus in quantitate, qualitate & motu diversitate sortitur. Proprie enim *tinnitus* [90]. fit ex cursu flatus interrupto, seu ultro citroque impulso: *sibilus* ex flatu t... nui exiliter elabente: *sonitus* ex crassiore plenius erumpente: *strepitus* ex impulsu valido *fluctuatio* ex humorum jactatione. Græcis vocatur ἦχος, συριγμὸς *sibilus*, ψόφος ... murmur, strepitus, τριγμὸς, tenuis ex instrumentorum angustia sonus, qualis ex invita dent... cussione, [91] βόμβος ex flatibus in amplitudinem è loco angusto effusis. [92]. Aliquando o... rtu sonus molendini, aquarum, campanarum, instrumentorum musicorum, grylli, &c.

Superioribus remediis adde, *mellis* unc. ß. ad ignem lentum dissoluti cum dimidio *Spiritu vini mixtura*, una & altera gutta auri injecta, ita ut ea ipsa nocte lateri opposito æger in... bat. *Succum ex capa magna rubra excavata, pinguedine anguillæ & ol. rosaceo impleta*, *ad... cumini, anisi, baccar. lauri contus. ana dr. ß. castorei scr.* 1. super prunas ardentes d... octa expressum. *Panem* è furno extractum calidum, *spiritu vini* aspersum, cujus vapor aur... immittendus est. Solet aliàs calore nimio tympano & nervo acostico corrugat... surdit... inferre. Ideo potest & *aqua ruta in qua theriaca* dissoluta aspergi. *Balsamum Indicum*, ... *mixturam ex croco & caryophyllis* cum *succo Cyclaminis* & *aqua rosacea* paratam.

[94]. *Humore bilioso*; & tum in febribus accidit, vel symptomaticè vel criticè urget, pont... terdum, interdum bilioso alvi fluxu solvitur.

4. [95]. *Sordibus*, quæ urina *asini vel* [96]. *pueri*, in qua maduit *lignum Guajacum*, *portio c... ores menthastri* fasciculus destillata. [97]. elui debent.

5. *Apostemate*, quod se suis signis prodit.

89. *Differentias*) Variat hic sonus, in aurium cavo suscitatus, admodum; atque uti sonus exterior, ita & hic varius quoque est, cujus diversitates, uti nec illius, nisi comparatione, recte alioquin explicari possunt; & per antonomasiam fere nomina illis sunt indita: Estque species una illius frequentior, quæ *Tinnitus* dicitur, quando sonus ille in auribus tintinnabuli acutum plerumque sonum, dum pulsatur, edentis, resonantiam exprimit, & ut nomen sonat, tinnit.

Altera *Sibilus*, est aurium sonus qui ut (Si) nominis prima syllaba sonat, & qualis cum flatus per angustum foramen pertransit, coactus necdum recte resonans auditur.

Tertia species, *Pulsus*, sonus quasi dum res leviter ex ictu vel casu guttæ per vices pulsatur, sese offert, & syllaba nominis prima (Pul) quoque illam nonnihil designare videtur.

Quarta. *Fluctus* vel *Fluctuatio*, est sonus qui fluctuum allisioni mutuæ, vel ad alia, interpolatis vicibus factis non absimilis, quem & principium illius nominis (Fluc) eleganter exprimit. Qui præter hosce sonos alio modo se offerunt, vel ex commixtione horum sunt generali nomine *Strepitus auris* nominantur. *Platerus*.

90. *Fit ex cursu flatus &c.*) Sonitantium aurium varietas pendet 1. à viarum latitudine vel angustia, 2. Ex consistentia materiæ plus minusve crassioris. 3. Ex illius abundantia vel paucitate. 4. Ex ipsius cursu continuo aut interrupto; Ultimo ex ejusdem celeri vel lenta allisione, sive ob majorem vel minorem expulsivæ facultatis contentionem, sive etiam quod materia proprio nisu potentius aut segnius ad elabendum insiliat.

Igitur humoris pituitosi collectio *Susurrum* facit aquæ molliter defluentis, aurésque reddit, si ita loqui liceat, πολυφλοίσβους id est undisonas. Crassiores flatus spatiosiore loco convoluti, pleniusque irrumpentes *Bombum* edunt graviusculum, sic dictum ve... confusa colloquentium plurium hominum voce vel à ... apum, vel à rauco cornuum murmure unde fortassis Galli vocant *Cornement d'oreilles*. Tenuior... um ... petu duro aureio longiore tinnitu instar pul... paoulæ, aut crotali everberant: Tenuiss... labentes, clarum acutumque sibilum, serpent... el locustarum vocis æmulum reddunt, quem συριγμὸν nuncupant, licet hæc nomina plerumque ... nfundantur, Dialecto & βραχυλογίᾳ alter ille *Hippocrates Aretaus*, personantium aurium diversitatem 1. ... c Caus. Sign. diut. 5 his verbis elegan... r ex... t, ... *Aures obmurmurant instar delabentium cum strepitu fluminum, aut tanquam ventus vela gubernans, aut tibiarum, fistularumve cantus, aut veluti stridoris*, sive p... nus stridentis *plaustri sonus*. Imo cum enarratæ causæ mi... riam conjungi possint, earumque gradus sint inn... infinitæ quoque sibilarum aurium differentiæ ... gunt, & speciatim ex flatuum humorumque con... ut in serpentinis atque flexuosis intestinorum ... bus, sic in anfractibus aurium graves auditus ... tantur, βορβορυγμοὶ dicti, ficto per onomatopœiam nomine, *Menjotius* Vide supra §. ...

91. *βόμβος ex flatibus &c.*) In strepitu ... itu & tinnitu auris essentia consideratur ex causa, ... ura, facultatis robore; Omnia hæc cruditatis & ... lenti spiritus sunt soboles, sunt symptomata læsæ ... s, quod in oculo cæcitas, hebetudo & error ... surditas, tinnitus, sonitus in aure, Differunt tamen *Bombus* enim exolutionem partis cerebri, unde ... audienda manat, sequitur *Bombi causa* flatus crassior, bombilans more apum. *Ballonius Consil.* 87 *lib.* 3.

92. *Aliquando offertur sonus molendini &c.*) Si vapor multus sit, crassus, & celerior moveatur, sensorio exhibebit similitudinem *aqua rapido cursu cum fragore fluentis, vel tympani*, vel id genus *... musicorum*, v... *venti reboantis* &c Si paucus, crassus & celeriter m... veatur *arboris conf... la*, ve... *ruina domus*, ... *catapulta* speciem refert Si multus tenuis & c... ter moveatur, *sibilum* excitat, & *terrono* lenioris imaginem. Si paucus,

paucus, tenuis & celeriter moveatur, *Tinnitum* excitat; Si multus, crassius & lente moveatur, *Murmura* quædam. Si paucus, crassus & lente moveatur, *Susurrum* repræsentat: Si multus, tenuis & lente moveatur, *Sibilum* te nistorem refert: Hinc cum gradus innumeri dari possint crassitiei, & tenuitatis, multitudinis & paucitatis, motus celeris & tardi pro eorum ratione innumeri propemodum sonorum modi in auribus produci poterunt, prout magis vel minus ad hanc vel ad illam accedere videbuntur. *Riverius.*

Superioribus remedia) Tinnitui aurium maxime conducit *medulla auris porci*: Fiet autem præstantissimum remedium hoc modo.

℞. *Colocynth.* ℥ß. *succi rutæ & amaraci* āā. ℥j. *cumini, carvi* āā. ʒij. *f. decoctio in vino & oleo amygd. amar. coqu. usque ad consumptionem & exprimantur, colentur.* Utantur hoc Oleo frequenter injiciendo in aurem, Et semper habeant aures obturatas cottone moschato.

Aliud præstantissimum remedium, maxime si cum surditate sit aurium tinnitus.

℞. *rad. helleb. albi* ʒiij. *fol. lauri & rutæ* āā *m.ß. fol. fraxini m.j. f. decoctio in oleo amygd. amar.* vel de *Kerva,* vel *nucum*, sed hoc erit efficacius, & cum *vino albo*, vel *malvatico, coque* ad consumptionem vini, exprimantur fortiter & colentur, Injice de colatura in aurem. *Rondeletius. Pr. c. 68.*

94. *Humore bilioso*) A quo surditas, juxta *aphor.* 28. 4. si in meatum auditorium repat in febribus, uti delirium parit, si deferatur ad cerebrum: Cessat autem illa surditas ubi natura vel ars bilem eam revocat ad intestina.

Aurium Sordes.

91. *Sordibus*) Excrementa aurium duplicia sunt, Naturalia & præter Naturam, *Naturale* illud est quod cerumen appellatur, de quo mox, *Præter naturam* sunt varia, nimirum Pus & Sanies, quæ vel ex ulcere, vel ex vulnere, vel ex rupto abscessu, effluunt.

In hoc excrementorum genere Sanguis etiam continetur; qui capite vehementer percusso, aut contuso, per aures emanat; à violentis enim causis venæ aurium rumpuntur, Exit & *sanguis* per aures vasorum orificiis apertis, Observatum hoc, quanquam raro, in *Kejm* sanguinea & narium hæmorrhagia, Cum enim non omnis sanguis per narium venas evacuari posset, Natura partem quandam illius ad aures deponebat.

Habetur in hac excrementorum classe etiam ille aurium fluxus qui Pueris & Infantibus adhuc in cunis jacentibus accidit; idque modo copiosus & diuturnus, aliquando modicus, cum vel sine fœtore, cum vel sine aurium ulcere, proventuque à cerebro humido & impuro; nam quando diu, magnaque in copia prodit, verisimile non videtur materiam ejus in solis collectam esse auribus. Fluxus iste si supprimatur, nec per vias alias evacuetur, ingentium malorum causa esse solet, Epilepsiæ &c. *Sebisius Man. p. 709.*

95. *Sordibus*) Meatus auditorius externus afficitur quoties hic repletur, vel à materia interna, quæ à capite confluit, vel ab externa, quoties caro plus justo excrescit post ulcus, Potest etiam repleri à quocunque tumore; Item repleri potest, ut ego vidi, si quis imprudenter immittat gossypium intra aures & ibi detineatur, ut per diuturnam retentionem, concurrente aliqua humiditate, ad summam duritiem perducatur. *Capivaccius pr. l. 1. c. 49.*

95. *Sordibus*) Aurium sordes, Cerumen, *ὦτων ῥύπος*, est Excrementum aurium naturale, humor calidus, siccus, quandoque humidus, consistens, subflavus, amarus, ex sero, *bile* & pituita, constans, in exteriore aurium meatu, partim à calore tenuia dissipante, partim ab externo frigore dissipationem inhibendo invente collectus, inde instrumenti ope eximendus. *Bruno Lexic. p. 276.*

Quantitas pro diversitate subjectorum, materiæ ejus abundantia, & ipsarum aurium dispositione ad recipiendam eam & retinendam varia, varia etiam est, tanta sit ut via libera maneat: Cerumen hoc præcipue vitium incurrit *quantitatis* & *qualitatum*, dum *excedit calidum* justo, *tenuius, crassius.* Causa hic nulla accusari potest quam quæ cacochymiæ pituitosæ & biliosæ accedente viarum dilatatione: Tenuitas serositatis etiam comes esse potest: Possunt & causæ externæ calefacientes, dissolventes, indurantes multum efficere. *Dignosci* facile & *affectus* & *causa* ejus possunt, si modo uniuscujusque cacochymiæ signa considerentur colorque, sapor, & consistentia cerumінis. *G. Blasii Therap. spec. pagina* 371.

96. *Vel pueri*) In aurium perpetuo fluxu & colluvie laudatur *urina puerorum* distillata, & usque ad xan aurem guttas immissa mane jejuno, quæ ad tempus detenta inclinato capite denuo *emittitur. Hartmannus Pr. c. 46.*

97. *Elui debent*) Curatio in superflui ablatione consistit, quæ instrumentis commodis perficitur, In *calidis,* per olea aut fomenta *refrigerantia,* In frigidis, per *calefacientia,* in *crassis* per *emollientia,* In *tenuis* per *incrassantia* alteratione. *Blasius.*

Naturale aurium excrementum quotidie auriscalpiis expurgandum est; inibique namque detentum diutius putrescit, & interiores aurium partes exulcerat, aut saltem pruritum molestum causatur; amarum enim biliosum & aëre per se est, ideoque putredine redditur acrius, vel siccatur & in lapideam vertitur naturam, ex quo porus auditorius obstruitur, & auditus impeditur.

Quid in cura agendum patet &c. Si processit ab humido impuroque cerebro, purgantia universalia & particularia administranda sunt, Cerebrum mundificandum, siccandum, roborandum, Vesicatoria & cauteria usurpanda, In adultis curatio per ligna & radices hidroticas instituenda. *Sebisius p. 710.*

In hoc casu (aurium perpetuo fluxu & colluvie) necessariæ sunt purgationes capitis, quæ vel pilulis procurandæ sunt, vel *panchymagogo vegetabili* vel *Paracelsi* purgante specifico, Potus præterea *decoctum guajaci* detur.

In Pueris, per humiditatem huic morbo obnoxiis, festinare ad curam non oportet, quin ætati malum committere; Exemplum habui in *Knodii* filia. *Hartmannus.*

Obauditio.

98. *Obauditio* *Βαρυηκοΐα*, est *quando* 99. *auditus confusa percipit.*

100. *Fit id vel* · ab ulcere non probe terso & consolidato, quando spiritus per arterias impulsus auditum impetu suo offendit.

Vel ·· in febribus, vaporibus ad caput elatis, & in aures effusis.

Vel sine febri, calida evaporatione è visceribus impuris continenter in caput elata.

Solet aliquando & *ex re aliqua in aurem intrusa vel illi ipsa* oboriri. Et tum sæpe tot[illegible] pars capitis usque ad suturam rectam, nocte dieque, cœlo inprimis pluvi[illegible]so, dol[illegible] [illegible] sicca assidue vellicat: brachii stupores, usque ad digitos, pollicem & indi[c]em, qui ad lum[b]os usque, tibiam & crura progrediuntur, & sæpissime in dol[o]res gravissimos, [pro]pter ca[u]sam ab *Hildano* Observat. Chirurg. *Cent.* 1. *Observat.* 4. datam. [illegible] *Curatur* exe[m]ptione rei illapsæ.

[illegible]. Ab *aliis causis provenienti*, opponitur *pila ex colocynth. hellebero albo*, oxymelle scil[ic]it e[illegible]ptis, intra aures gestata; *Liquor* [illegible] *ex succi cyclamin.* ʒj. *nuc. persicor. amygd. d.* āā. ℥j. *mithri*[illegible] *aq. vitæ* ℥iij. *caryoph. n.* vij. maceratis & destill. sæpius de die instillandus. *Tagliacotta* fami[illegible] Secretum, cujus superius mentio, parabis si *vermiculos intra lignum quercinum & corticem* repertos n. xx. bullire *in olei oliv. immaturo* ℥iij. sinas, dein *radicem cyclamin. excav*[illegible] *rut*[illegible] *costin. vermium*, āā. quantum capere poterit, addito *pulv. pyrethr. & costi* āā. ʒß. repletam in [illegible]bus asses, & contusam in mortario fortiter exprimas, Immittantur per ix. dies aliquot [g]uttæ.

98. *Obauditio*) Quod symptoma [illegible], & [illegible] dicitur, Nonnullis aurium Tinnitus, *Averroes* Auditum phantasticum, id est falsum & apparentem vocat. *Menjotius Dissert. de Bombo Aurium*. At *Bruno in Lexico* per [illegible] explicat, At hic actio est imminuta, illic depravata, nam confus[e] percipit auditus, perinde ut in suffusione aliena cernit oculus: Vide §. 100. *Fit id vel &c.*) *ex Fernelio*.

99. *Quando Auditus confusa percipit*) *De hoc vitio ita Celsus l. 6.* Aliud vitii genus est ubi aures intra seipsas sonant; atque hic quoque fit ne certum sonum ac[c]i[pi]ant; Levissimum est ubi id ex gravedine est, Pejus ubi ex morbis, capitis[ve] longis doloribus incidit, Pessimum ubi magnis morbis vehementibus, maximeque comitiali provenit.

100. *Fit id vel &c.*) Ex *Fernelio*, Citra ullam, *ait*, auris offensionem *Obauditio*, id est depravata auditio, interdum capitis consensu accidit, Quæ hujus est generis, non ut superior (*Sonus aurium*) in solam aurem impingit, sed per omnes capitis arterias effundi percipitur, Talis fere existit per summum febrium ardorem, nec non sine febre, quum è subditis visceribus calida copiosaque exspiratio in caput effertur, Etenim tum hac tum flatuoso spiritu distentæ arteriæ vehementius pulsant, multumque calidi spiritus in cerebrum & aures effundunt, Ab his vero audiendi sensus, alioqui sanus, perturbata atque confusa obaudit, quemadmodum & oculus aliena multa cernit in ea suffusione quæ ventriculi consortio fit: Hac multos novi graviter torqueri, atque tum maxime quum impuris essent visceribus.

101. *Vel ab ulcere non probe &c.*) Aurium ulcera, puris aut saniei fervore, strepitum quendam in aure excitare solent; quod etiam fieri potest à spiritibus majori copia in partem ulceratam translatis, & in auris cavitatem effusis aëremque implantatum commoventibus, Postulat autem curationem quæ ulceri debetur, infra proponendam. *Riverius.*

102. *Vel in febribus*) Et in convalescentibus à febre vel morbo aliquo gravi, Tunc instauratione ac refectione totius corporis sponte affectus evanescit: Poterunt tamen olea quædam temperata in aurem infundi ad symptoma demulcendum, chamæmel. amygdal. d. anethinum. *Riverius.*

1[0]2. *Vel in febribus*) Vnde *Hippocr. in Coacis*, *Bombus in acutis, & sonitus aurium lethalis*, Et ille aurium sonitus fit à spiritu flatuoso per art[eri]as à toto corpore ad aures transmisso frequentius tamen accidere consuevit initio paroxys[m]orum & instante crisi per hæmorrhagiam. *Riverius*

1[03]. *Propter causam ab Hildano*) Nervorum quintæ conjugationis cerebri distributio multo amplior est quam hact[e]nus apud Anatomicos legere [illegible]nerim Etenim quamp[l]urimum nervus ille [illegible] [lat]eralis [illegible] cerebri exoritur, ingrediturque foram[illegible] rinthum, distentusq; membra[n]am [illegible]at cœco mox egreditur ramulus [illegible] est, versus spinalem medullam [illegible] [illegible] um nervo sextæ conjugati[o]nis [illegible] mas. Sed mox emittit rursus ramul[illegible] [verte]bram colli, qui in[illegible] [illegible] mento est ex immodice & [illegible] un[illegible] ribus sicca subito exorta t[u]ssi[illegible] mittit suos ramulos cum 4. 5. 6. brachium [illegible] ad brachia & digitos, nec deserit unqu[am] [illegible] spinalem medullam, sed continen[illegible] cum nervis spinalis medullæ ad [o]ssa usqu[e] [illegible] pedum extrema. Ex hac nervi distributio[ne] [illegible]tio prædictorum symptomatum *Hildanu*[s].

104. *Curatur exemptione rei illapsæ*) [illegible] trinsecus illapsa, Surditas, gravis auditu[s], [illegible] oriatur, ea protinus auferenda est, *eluendo*, [au]t *excutiendo*, aut *extrahendo*; Si *animalcula* sint, ea al[illegible] cando; *Eluuntur*, infundendo quæ v[illegible] h[illegible] reddunt & humectant dilatantq[ue], ut *lac*, *oleum amyg. d.* *d.* vel decoctum aliquod emolliens & [l]axan[s]. *Excutiuntur* impetu quodam ut sternutatione mot[illegible] spiritus impulsu, commotis il[lis] partibus, [q]uod [illegible] auris latet, sæpe excluditur, [illegible] via dilatata & lubrica facta fuerit. Prodest enim [illegible] aure affecta, supra pedem illius lateris [sal]tare, qua ratione pueri post natationem aquam auribus influxam excutiunt. Si hæc non succedant, Extractio mol[ie]nda est auriscalpio, cavendo tamen ne dum intromittitur [illegible] quod inhæret ulterius propellatur. ideo auri ca[lpium] [co]chleare admodum tenue sit, ut facilius in aure c[illegible] tis postponi possit: Vel [f]orcipe ad id accomm[odata] utrinque acuta & aspera [i]lla apprehendi & exim[i] bent; V[e]l si neque hoc su[cceda]t, cum corpora dura sunt, ut nucleus, vel lapis, alio [i]nstrumento appr[e]he[n]sa confringenda sunt, & dein[de] uti dictum, humore infuso eluenda: Si auriscalpium intromitti nequeat, [s]pecillum cotone obvolvatur, in extima sui pa[rte] [illegible] mergatur in terebinthinam, aut in ali[illegible] [illegible]dum, post immittatur in aurem, ut a[illegible] quod obstruit.

Idem fit & candela cerea, extrema sui [parte] visco [in]ducta; quod si qui[d] v[illegible], aut glutin[illegible] post extracti[o]nem intus inhæserit, id auri calpi[o] extrahendum; Sunt qui calamum aperiunt in e[xtr]emis [illegible] partibus, unam ejus partem in aure[m] immit[t]unt, alteram ore apprehendunt, ut inde frequenti suctu quod intus cond[i]tum est attrahant: *Animalcula* ex aure extrahuntur ad[illegible] tis quibusdam quæ ill[is] grata [su]nt, extror[su]m [illegible] ut si *lac cum saccharo* in spongiola [illegible] h[a]beatur [illegible] leviter immudatur, v[el] *fitus inversi*[illegible] *pulpa pomi* [illegible] *cu*, v[el] *lardum*, [illegible] [illegible]

præsertim si aures Soli obvertantur, dum hæc continent.

Peculiariter vero *Hirudines* casu ingressæ alliciuntur sanguine immisso in aures: *Pulices* vero *pilis caninis*, in aurem introductis.

Si *viva* sint *animalia*, enecanda, mortua enim non amplius auditui obstrepunt, & facilius extrahuntur: Enecantur si *salsva* auribus instilletur, aut propria urina: *Amara* autem citius infecta enecant, ut *centaurii* vel *absynthii succus*, *decoctum aloës*, *fella qualibet*, quędam *acria* ut *acetum*, succus cæparum & similia.

Hæc auxilia indesinenter usurpanda sunt donec æger liberetur, si enim res in aurem immissa diutius perstiterit, inflammatio orietur, & postmodum multo difficilior erit corpusculi extractio, & grave impendebit periculum.

Arculanus in ix. *Rhasis* asserit caput lacertæ auri admorum corpuscula illa extrahere, & propria experientia confirmat; De expertis per me, *ait*, in extractione rerum noxiarum in aurem est ut lacerta viva, aut noviter mortua, applicetur cum capite suo auri, & ligetur, si per tres horas detenta, & cum eam amovebis invenies rem infixam adhærentem capiti lacertæ, & hoc valet in extractione cujuscunque rei ubicunque fixæ.

Si prædicta remedia non sufficiant, ad extractionem veniendum est, quæ fit per instrumenta Chirurgica, quæ fuse & eleganter docetur à *Fabritio Hildano* cent. 1. Obs. 4. 5. & 6. & ab *Aquapendente* in operationibus Chirurgicis, capite de Aurium Chirurgia. *Riverius*. Vide supra cap 1. §. *Seu à rebus externis*.)

105. *Ab aliis causis provenienti opponitur*) *Sic medetur* Celsus *l. c.* Si ex *gravedine* est, purgare aurem oportet, & spiritum continere, donec inde humor aliquis expumer: Si ex *morbo*, vel *capitis dolore*, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem, gargarisationemque pertinet, eadem facienda sunt *qua ad gravem auditum*, Cibis non utendum nisi extenuantibus, In aure dandus *radicula succus* cum *rosa*, vel cum *succo rad. ex cucum agr.* vel *castoreum* ex *aceto* & *laureo oleo* *Veratrum* quoque cum *aceto* conteritur deinde *melle* cocto excipitur, & inde collyrium factum in aurem demittitur; Si sine his cœpit, ideoque novo metu teret, in aure dari debet *castoreum* cum *aceto*, vel *vino*, vel *laureo oleo*, aut huic mistum *castoreum* cum succo *nucum* amarar, aut *myrrha*, & *nitrum* cum *rosa* & *aceto* Plus tamen in hoc quoq; profuit *victus* ratio, eademque facienda sunt quæ supra (*in gravi auditu*) comprehendi cum majore quoque diligentia: Et præterea donec is sonus finiatur, à vino abstinendum: Quod si simul & sonus & inflammatio est, *laureum oleum* conjecisse abunde est, aut id quod ex *amaris nucibus* exprimitur, quibus quidam vel *castoreum* vel *myrrham* miscent.

106. *Liquor ex succi cyclaminis*) Aurium sonitum sanant *radices cyclam.* & Surditatem, si concisæ in *rosaceo, amygdal. chamæmelique oleo & vino* modico conserveant, & deinde oleum guttatim in aures infundatur & excoctæ radices auribus applicentur vesperi cum se cubitum recipiunt affecti verum hoc pluries repetendum est, radicibus mane sublatis, auribusque calido *vino* abstersis. Idem quoque præstant si cum *persicorum, amygd. amar. nucleus* aliquot contunduntur, & deinde in aqua vitæ macerentur diebus tribus, siquidem expressus inde cremor, auribus inditus mirifice auxiliatur si una aut altera ejusdem gutta instilletur eodem tempore, *Matthiolus*.

107. *Secreto*) Discoquitur *gliris caro*, detracta pelle & intestinis exemptis, *melle* in fictili novo addito *nardo* ad tertias; atque ita adservatur, quod constet deplorata aurium vitia eo remedio sanari. *Matthiolus*.

De Narium Morbis & Symptomatibus.

Cap. XLVIII.

De Vlceribus narium, Ozæna, & Polypo.

1. NArium affectus sunt, *Vlcera, Ozana, Polypus, Hæmorrhagia, Olfactus læsio, gravedo, & sternutatio.*

1. *Narium affectus sunt*) Adde Narium Pinnarum, morbos, *Inflammationem, scirrhos, Fistulas; Cancrum, Carnem adnatam.* Præterea *Fœtorem, Stertorem, Pruritum & Ardorem, Seu per eas impeditam excretionem, & Purulenta materia exitum.*

Pinnarum Narium Morbi, Inflammatio &c.

Neminem novi hactenus qui absolutam Odoratus historiam tradiderit, quamvis, ni fallor, eadem sit istius quæ sensuum reliquorum ratio, si omnes peculiares quidam Tactus sunt, & eadem proinde proportio partium; Quid enim prohibet usum eundem quem *Visui* præstat *fenestra mobilis Vvea*; *Auditui Ovalis* altera, *Olfactui Pinnas* narium impertiri? Nemo quidem ambigit istas *patentes*, & *dilatatas*, copiam majorem corporum odorabilium excipere; quæ si constringantur, multo minorem certe admittent: Et rursus iis erectis vehementius ingruere in nervulum corpuscula quæcunque, peculiari modo substantiæ, vel figuratum illum afficere atque movere suapte natura possunt, non sine voluptate, si species motus moderata fuerit, & organo familiaris; cum molestia vero & tristitia, si vel concitatior fuerit contactus & motus in nervo violentior aut insolens magis: Moventur itaque Pinnæ musculis quibusdam propriis & communibus, & quidem nobis volentibus plerumque, quandoque etiam nolentibus aut insciis: si odoris copia affatim ingruat, potissimum molesti & insueti, cujus appulsum respuat natura, nervi scilicet compages atque spirituum male affecta à corpusculis, nullam proportionem cum eadem servantibus, instrumenta motus voluntarii inconsulta illa potentia determinata, quæ eligit, & vult, excitat in sui obsequium & quodammodo rapit.

Pinnæ itaque *Inflammationes* frequenter admittunt, *Scirrhos* etiam aliquando, & *Cancros*, qui sola partis obtruncatione sanantur; paucis, *species tumorum omnes* Alæ Narium patiuntur, præcipue illos quos materia sive fluida, sive densa & crassa, aut etiam *ossea* producit · *Solutiones* pariter *continui* nares sentiunt, & Pinnæ &c.

Pinnas narium *Fistula* statim excipiunt, ex squamis tenuissimis in ossea structura narium, & faciei, compositæ circinato quodam modo, aut potius spirali se mutuo pervadentes; ita dispositæ, ut labyrinthæum iter

pandantur corpusculis odorum delatoribus, non secus ac sonum excipiunt & acuunt labyrinthi aurium spirales canaliculi; & lumen unit ac compingit in conum lens illa crystallina oculi; Foras enim hiantes fistulæ ad instar tubarum angustantur interius magis magisque, quo propius accesserunt ad nervum: hinc sequitur quod pyramis odora illico incipiat acui, & inspissari ac cogi, compingenda iterum in fistulis superioribus, ut spissior vel crebrior appulsus evadat corpusculorum odorabilium in nervum; organum scil. odoratus formale.

Quò igitur productiores *Fistulæ* sunt; eo collectio major est, & densatio corpusculorum vehementior, quin etiam appulsus in nervum, & major proinde sensus: Hinc canes & equi, & quæcunque animalia fistulas hasce longiores habent cæteris adeo præstant facultate odorandi &c. Velat autem fistulas osseas narium pellicula tenuis, quæ à pericranio protensa per illarum spatia propagatur.

Accedit etiam *Caro sui generis*, dutiuscula quidem sed porosa, & facile penetrabilis, qua præsertim natura utitur explendis spatiis fistularum arctandisque, relicta tamen odorabilibus via qua in superiora ferantur. &c. Tument hæ *Carnes*, quæ fistulas illas internas ambiunt, mucosa materia & lenta imbibita, quam cerebrum deponit male affectum; Eademque non raro putredinem concipit, unde vel odorandi actio perit, intercepta odoribus via, Vel multum languet, aut etiam *depravatur*; Sive quod parcius odores, vel nullo modo permeent, Sive quod odorabilia, mutata natura propria, & coinquinata pravis halitibus, & aliena in nervum perveniant; noxam necessario actio ducit, atque vel nullus odor tunc percipitur, vel omnia sub eadem putidi specie apprehendit: *Ant. Molinetti. Diss. Anat. & Pathol. cap.* xii.

Narium Fœtor.

Narium fœtor, quamvis Ulceris & Ozænæ comes sit, alias tamen præterea causas agnoscit.

Narium Fœtor; & fœtor anhelitus valde differunt inter se, ille enim ex naribus tantum prodit, hic vero ex variis partibus, ventriculo nimirum, pulmone, gingivis aut faucibus ulceratis, quæ vel sensu ipso vel propriis signis dignosci possunt.

At Narium fœtor ex putridis vaporibus, vel in naribus ipsis genitis, ut in ozæna, sarcomate & polypo putrefactis, vel ad nares transmissis, ex humoribus putridis in ipso cerebro, & parte illius anteriore, vel circa processus mammillares, aut os cribrosum contentis.

Putrescunt autem humores pituitosi in dictis partibus quando in his præter modum retinentur, præsertim si calida & humida cerebri intemperies accesserit; Retinentur vero propter obstructionem earum partium, aut constrictionem nimiam; ut in simis & depressioribus contingit.

Narium affectus talem fœtorem producentes propriis signis infra proponendis dignoscentur, quorum si nullus adfuerit, ab humore putrido in ipso cerebro, aut processibus mammillaribus, aut osse cribroso contento, gravem illum odorem provenire conjiciendum est.

Prognosis fœtoris narium qui ab ulcere, polypo aut sarcomate promanat, ex eorum prognosi dependet, Qui vero à corruptis in cerebro humoribus anteriori parte contentis exoritur, si recens fuerit, facile curatur; Si inveteratus incurabilis est, maxime si à mala narium conformatione, nempe simitate & depressione nimia contingat.

Curatio perficitur causarum ablatione, & symptomatis lenitione, Ulceris, Sarcomatis & Polypi curatio infra proponenda est, Humor vero putridus in cerebro, processibus mammillaribus, aut osse ethnoide contentus vacuantibus & abstergentibus auferendus est.

Ac primum evacuationes universales instituendæ quæ totum corpus & ipsum cerebrum ab excrementis pituitosis liberent, per apozemata, pilulas &c. quibus si magna humorum copia redundare videatur, Diæta sudorifica addi poterit, mox Errhina abstergentia, & materiam conjunctam educentia erunt administrandæ. Ac primum mane & vesperi è vola manus *vinum album* attrahatur in quo *centaurium minus & calamentum* fuerit incoctum: Deinde *betæ succus*, cum *aqua majoranæ* extractus loco prædicti attrahatur. Vel

℞. *radic. cyperi & calami aromat. āā.* ℥ß. *ros. rubr. p. j. myrrhæ* ʒij. *coquantur*, cum vino albo pro Errhino.

Ad potentius pituitam ex alto eliciendam.

℞. *rad. Ireos Flor.* ʒß. *elleb. albi, piper. longi āā* ʒß. *seminum anis. & majoran. siccæ pulv. āā.* ℈j. *euphorb. gr.* j. *Olei nard. cheir. & violat. āā. q. s. fiat Vngu. molle*, ex quo intincta minimi digiti extremitate fricentur nares internæ, vel turunda, aut alio linamento lentis magnitudine in nares immittatur: Denique ad fœtidum odorem tollendum suaveolentia naribus sæpe immittenda sunt, ut *Gallia mosch.* in vino odoro dissoluta, aqua *Angelica* &c. *Riverius.*

De *Fœtore Narium* iterum.

In *Narium profundo* circa ossa spongiosa, & in antris cavis maxillæ superioris ossium, *pituita, mucus*, diutius retenta, nauseosum, vel si putrescant, fœtidum odorem reddentia *Narium fœtorem* dictum inducunt; Quod tum ob *muci* illius tenacitatem & immistionem cum pravis aliis humoribus, tum etiam ob angustias harum cavitatum, ubi hæ sordes colligi, atque donec emungantur vel effluant, retineri solent, evenire potest, Ab *ortu sic constitutas*, vel coarctatas, tunc fere nasus natura, vel vi aliqua externa depressus apparet. Ab *ulceribus* in abdito narium, vel *nasi*, amplitudine aliqua hærentibus, hoc idem accidit &c. Ab *humoribus intra calvariam, circa organa olfactus*, Vel etiam in ipsis *cerebri ventriculis putrescentibus* idem fieri scribunt; sed veritati haud consonum hoc videtur, tantam putredinem in cerebro gigni, quin longe graviora accidentia, & mors interdum ipsa sequatur.

Exhalatio illa fœtida si ab *Vlcere* exurgat, eo curato cessat: Si à *morbo narium organico*, ob *illarum angustiam*, vitium est fere inemendabile, nisi præcaveatur ne excrementa cerebri majori copia, vel plane nulla eo defluant; Quod si alioquin causa *sordium*, quæ ob copiam vel pravitatem facile corrumpuntur, vel putrescunt, fœtor hic, quando hæc redundant, aut retinentur, exurgat, tunc curatio, aggredienda sic.

Purgamus corpus decenter, & pro ratione humorum redundantium medicamenta exhibemus, capitique inprimis ea accommodamus.

Naribus attrahuntur *Errhina*, vel ex illinuntur *Vnguentis*, quæ abstergendo & irritando sordes promovent, odoreque suavi has sedes imbuunt; quibus *odorata* admisceri possunt: *Succus Iridis* attractus, vel illitus naribus, valde efficax est & boni odoris: Vel sic.

℞. *succi irid.* ℥iß. *succi majoranæ* ℥j. *Vini odorati vel malvat.* ℥ß. *Misce*, succus betæ ad majorem stimulationem addi potest.

Vel cum magna adest *putredo* adde huic *errhino succi centaur. absynth. āā.* ℥j. *aceti rosac. vel scil.* ℥ß. *myrrhæ* ʒj. *Misce.*

Succus fol. lauri, vel *myrti*, aliique odorati addi possunt, Inspissantur hæc quandoque ut melius hæreant & illini possint.

℞. *prædicta*

℞. prædictæ alicujus compositionis ℥iß. adde ladan, flor. calamint. ãã. ℥iv. melis vel infusion. g. tragac. factæ in aqua aliqua odorata q. s. ut fiat Linimentum.

Ad dolorem suavem conciliandum, odoratis quæ vel attrahenda naribus, vel etiam infundenda utimur, ut *vino generoso* vel *malvatico*, in quo *folia ocymi*, *majorana*, *calamint. lauri*, *flores lavendulæ*, *cinam.* caryophyll. infusa, macerataque sint.

Vel *aqua stillat. flor. aurant. rosar. citr. limon.* usurpanda.

Vel aliæ suavis odoris, compositæ variis modis, ex odoratis plantis, seminib. & aromat. Quibus tam simplicibus quam compositis, si *moschus* vel *ambra* addantur, majorem habituræ sunt granam.

Inunctiones similiter *odorata* fiunt *ex moscho, ambra*, dissolutis in *oleo de been* vel aliis, quæ tamen horum odorem non plane infringant, ut fere fit, si hæc aliis compositionibus, uti multi docent, addantur: *Zibettum* per se inungi potest, *Olea stillat cinnamomi, caryophyllor. majoranæ*, aliave odorata, cera alba excepta, si naribus indantur, odorem vehementem & diu perseverantem expirant. *Platerus.*

Errhina & Ptarmica motum seri promovent sicubi restagnet vel evacuari desideret, Motum promovent, tum mediate ex capite, una enim & perpetua est communio vasorum salivalium & lymphaticorum; tum immediate ex Naribus ipsarumque glandulis, Motum seri spissescentis, torpidioris, & passi, imo & in ichorem purrilaginosum fatiscentis. Quandoque enim in ossis ethmoidis confiniis residens humor; obstructis poris, nec aëre sufficienter ventilatur, odorem ingratum concipit, sive jam in ulcus facessat, seu minus, quæ causa est fœtoris narium ordinaria; Ubicunque ergo per has vias motus seri promovendus est, illa ex usu sunt; Evacuant humores præsentes, abundantes & remorantes, liquando & liquatam deplendo lympham. *Wedelius A. m. m. p. 454.*

Stertor.

Ad depravatam Respirationem pertinet *Stertor*, in quo sonus admodum dissonus se offert, qualis dormientibus plerumque aliquibus accidit, qui dum noctu stertunt, alios non sinunt dormire, vel dormientes excitant: Vitium quod & vigilantibus quibusdam contingit, & affectuum quorundam comes, ut apoplexiæ, epilepsiæ, plerumque etiam dyspnœæ.

A spiritus, seu aëris per inspirationem *naribus* attracti, rursumque exspirati impulsu *Stertor* nascitur, in illis maxime qui resimas habent nares, vel in quibus alioquin illarum amplitudo à natura angustior est, aut aliis de causis collapsa, vel ex parte muco aut pituita infarcta, aut obturata, tunc in angustiis illis refractus, sonum illum in *Stertore* dicto profert, idque inter dormiendum potius, cum tunc ore clauso per nares saltem aërem haurientes validius eum attrahant; præsertimque si supini jaceant, pituita tunc facilius eo delabente illicque hærente: Quæ & in morbis quibusdam, si ad nares perveniant, illicque subsistat, stertorem in illis excitat, uti in Epilepticis, Apoplecticis, Caroticis, symptoma hoc illis consuetum existit, à causis ibi traditis profectum. *Platerus.*

Sed, Cur supini jacentes stertant? disquisitionem adhuc meretur, An quia eo in situ pulmones in se concidunt, & bronchiorum angustiam inducunt, quapropter aër conculcatus cum difficultate & strepitu exit? An quia sicuti Incubus, ex *Loweri* sententia, eos facilius prehendit qui supini jacent, quia serum ex occipite in nervos pneumonicos facilius influit, spiritibusque animalibus liberum in illos introitum non concedit? Itidem ab eadem causa repetendus *Stertor*, hinc ut nares aërem à Pulmonibus emissum, in hisque per moram crassiorem redditum ægre excludant, fere enim in stertore occurrit dyspnoea; affectorum simul pulmonum indicium.

Non alia curatio stertori huic, qui narium angustiæ causa fit, quam ea quæ respirationi impeditæ ob *narium obstructionem*, vel coarctationem debetur, & illic fuit declarata, ubi ostensum quomodo nares ab adhærente muco & pituita expurgari debeant; quod vitium tamen, si instrumenti sit, ob *nares resimas*, vel alioquin *angustas*, vix penitus auferri potest, emendari tamen nonnihil, si decubitu erecto, nec supino, sed in latere dormiant. In *equis hic* stertor, naribus sectione patefactis, emendatur. *Platerus.*

Seri per Nares impedita Excretio.

Narium affectus sunt) Adde his impeditam seri per nares excretionem, Excretio seri per nares fit continua, eaque duplex, Insensibilis, quæ cum respiratione eadem est, seu coincidit saltem, Et manifesta, pituitæ mucique nomine veniens: Hæc vero non raro impeditur, unde videas quosdam vix gaudere beneficio emunctionis, ita ut ne mica quidem seri excrementitii viam hanc ordinariam teneat, deflectente hinc cursu vitioso ad bronchia, vel remorante & stagnante eodem in poris ossis ethmoidei: Promovenda ergo est hæc ipsa excretio, si vitare velimus inconvenientia inde orta, imo & olfactum sæpe ipsum reparare, adde & excrescentiam polyposam præcavere, quæ non raro ex hoc fonte propullulat, vel promovetur saltem. *Wedelius A. m. m. p. 440.*

Purulenta materia per Nares excretio.

E Naribus purulenta materia nonnunquam emungitur, in *Coryza*, maxime circa finem, inodora & alba, prægresso prius tenuis & mucosæ pituitæ effluxu: Alias in *Ulceroso narium* dolore pus cum muco emungitur, nonnunquam & cum sanie. Vidimus & *lactis crassioris* instar purulentam materiam copiosissime per nares etiam sponte prosiluisse in puero paulo ante obitum, convulsionibus mox extincto: Ego similem materiam tandem cum portionibus substantiæ cerebri mistam per nares in duabus virginibus, Epilepsia ab utero laborantibus, per paroxysmos protrusam morte mox subsequuta observavi. *Platerus Operum T. 3. p. m. 658.*

Pruritus Narium.

Pruritus sæpe *naribus* accidit, estque vel levis tantum *titillatio*, vel *admodum* quoque *pruriens*, quibus sternutatio quandoque succedit, alias nulla; interdum & nares simul stillant; Irritantur autem, cum sint admodum sensiles, facillime, unde *titillatio* saltem vel molestus quoque pruritus; Ab iisdem penitus causis oritur à quibus & sternutatio, *externis*, splendore, nimia luce, odore vehementi & pungente, immissis acribus &c. Vel ab *internis*, humoribus, ut sanguine tenuiori in vasis, sicuti in auribus, ita & in naribus pruriente; aut seroso, pituitoso, acri, salso humore cum lacrymis, aut aliter à capite huc defluente naresque vellicante; Cui & bilis quæ ad aures alias expurgatur, permixta, hucque delata idem facit. Si ab irritatione tantum nares pruriant, causa primum sive externa, sive interna sit amovenda, & si non mox cessat, uti fere fit, nares irritatæ demulcendæ, sicuti in sternutatione, aut coryza. *Platerus.*

Ardor Narium.

Ardor aliquando urget, calentque plus minus Nares & rubent, alias etiam veluti accensæ esse videntur acce-

dente nonnunquam intrinsecus tumore apparente, seu *inflammatione* narium transitum impediente, vel etiam obstruente. *Calor intensus narium* ardentem in iis dolorem interdum parit, cui vera nonnunquam cum tumore & obstructione narium accedit inflammatio; Sicuti à læsione *externa* aliqua, majore quam ut tantum irritet potest evenire; Vel *interna* quoque causa vehementius vellicante, unde tamen etiam fere extrinsecus nares simul afficiuntur, sicut in coryza, nares non solum intrinsecus, sed & alas ipsarum extrinsecus valde calere rubere & nonnunquam inflammari videmus. *Platerus.*

Vlcera Narium.

I. [2.] *Vlcera narium* interdum ab ictu, contusione, casu, vulnere, & aliis causis evidentibus accidunt; interdum ab eorum, quæ præterlabuntur, ut pituitæ salsæ acrimonia.

Cognoscuntur, dividuntur, & curantur perinde ac alia: prout in primo libro dictum est.

Præcipua *differentia* est illa, qua in [3.] *Recentia & Vetusta* dividuntur.

Recentia hinc noscuntur, quod sanguinis nonnihil frequenter eructent, maximè cum attinguntur aut irritantur: quodque nares hoc sæpè madeant; atque si sinuntur, crustula sicca eaque nigra obducuntur, quæ emunctionis impetu nonnunquam procidit.

II. [4.] *Vetustum* ac jam putridum ulcus [5.] *Ozæna* dicitur.

Cognoscitur exinde, quod ex eo crustula sordidior, atque etiam graveolens mucus excidat, laborans ipse tum sibi graveoler, tum vicinis tetri spiritus contagione molestus est, [6.] si malum diuturnum est, narium alæ, vel earum interstitium, [7.] vel alia ejus loci tenella ossa exeduntur & putrefiunt, exesumque palatum sæpè perforatur; idque maximè si carcinomatis speciem habet, vel è lue venerea contractum est.

Oritur aut *ab externis*, suffumigiis nempe è mercurio & cinnabari incaurè adhibitis. aut *ab internis*, [8.] humoribus nimirum acribus, &c. [9.] quod in lue venerea accidit, malignis

Curatur 1. [1] *Universalium administratione*, ut à capite novi affluxus avertantur.

II. *Capitis* per gargarismos, masticatoria &c. *evacuatione* & per Cephalica externa & interna *roboratione*.

III. Vlceris 1. [11] *Detersione*, & mundificatione, [12.] seu per succos. *millefolii, marrubii, veronica* cum *melle rosato*; seu per *aquam aluminis* ex arena sine spiritibus cucurbita terrea simpliciter per alembicum destillatam, per [13.] *aquam plantaginis* [14.] in qua aliquid *mercurii dulcis* dissolutum: seu per [15.] *aquam viridem* Hartmanni, [16.] cui crustæ per vapores herbarum emollientium emollitio præmitti debet.

2. [17.] *Exsiccatione* [18.] per vaporem *scoria ferri* candentis. vino rubeo conspersæ; [19.] per suffumigium *auripigmenti, cinnabaris, benzoi, styracis calamitæ, caryophyllor.* inter se permistorum, obstructis ad radices naribus [20.] ne cerebrum feriatur.

3. *Consolidatione*, per *trochiscos Rondeletii*. decoctum *myrrhæ & olibani ana dr.ß. in vino & aceto* ana lib. II. factum & in petiis calide applicatum &c.

[2.] *Vlcera narium*) Soluta continuitas nasi internis lateribus, excoriatio, vulnus, vel ulcus, accidit; ad exteriora quoque pertingens, Quæ *ab externis injuriis* pungentibus, vel vulnerantibus, uti & ab unguibus, dum nasus purgatur contundentibus, urentibus, item errhinis aliisve medicamentis, quorum in polypo sanando usus est, fieri possunt: Nonnunquam & ab *acri defluxione*, diu per has vias profluente, nares intrinsecus & in ambitu quoque exulcerantur; adjuvante ad hæc vitiosa quæ infrequenti emunctione, quæ tunc fere fit adhibetur. *Platerus.*

Ozena nullo interdum prægresso morbo in naribus gignitur, ab acri & salso humore, vel è cerebro, vel internis venis in eas diffluente, Interdum consequitur aliquem morbum, ut luem Veneream, Elephantiasin. Quæ à lui Venereæ aut Elephantiasis pernitie oriuntur Ulcera, non alia remedia postulant quam quæ ad eosdem affectus curandos præscribuntur. *Enchirid. Med. Pract.*

3. *Recentia & vetusta*) Recentia, & ab humore benigno minorisque acrimoniæ participe genita satis facile curantur, *Vetusta* vero; sordida, putrida, difficillime, & si in cancrum degenerent prorsus insanabilia sunt: Si à Lue venerea, aut Elephantiasi oriantur, curari non possunt nisi affectus illi prius auferantur. *Riverius.*

4. *Vetustum*) Fit ab ulcere simplici si negligatur, aut propter causæ malitiam & majorem acrimoniam magis penetret, putridumque & sordidum efficiatur.

5. *Ozena dicitur*) Ozenæ dictæ sunt ab aliqua Polypi specie quæ graveolens est, Sed hoc valde miror quod cum piscis iste mosci odorem referat, Ozenæ ingratum & fœtidum; hæ ab illo nomen acceperint. Ozenæ nihil aliud sunt quam Polypus exulceratus, aut Vlcus illius partis fungosæ quæ intra nares reperitur: Et sic differt ulcus hoc ab aliis ulceribus quæ fiunt in aliis nasi internis, quod talia sine magno pure & fœtore fiant, Ozenæ non item, sed & olfactum impediunt, Nam cum hæc pars fungosa sit, & in tumorem elevetur [illegible]rationem ossis ethmoidis impedit, ob idque recrementa diutius retenta putrent, unde fœtor & graveolentia. *Rondeletius.* Sic depingitur à *Brunone* in *Lexico*, Ozæna est exulceratio, plerumque maligna, interna, vel externa nasi, cum fœtore & profluvio saniei, magis vel minus purulentæ, serpens cum vel sine corruptione cartilaginearum & ossearum nasi partium, proveniens ab affluxu & collectione ichoris sanguinei vel lymphatici acrioris & corrosivi, partes solidas molliores depascentis Sæpius symptoma esse Luis Venereæ testatur experientia notaruntque *Gorraus & Castellus.*

6. *Si malum diuturnum est &c.*) In profundo narium

ubi

... ossa fungosa sunt, & in illarum amplitudine, ulcera nascuntur putrida, pertinacia, diuturna, interdum serpentia, alias carcinomatis naturam habentia; alias quoque in narium amplitudine, palati crassam tunicam perforantia, nariumque sæpe interstitia exedentia, unde nasus collabitur; Sæpe & ossa maxillæ superioris vicina, quæ magno spatio corrupta abruptaque postquam rejecta fuissent, amplam foveam in palato reliquisse vidimus unde tantus fœtor exhalabatur ut universum conclave eo repleretur; Sed & vermiculos ex hac putredine natos aliquando prodiisse constat. *Platerus.*

7. *Vel alia ejus loci tenella ossa*) Inveterata ulcera vix curantur, quia ossa subjecta tenuia cum sint, facillime ab humoribus fœtidis corrumpuntur; Majus tamen negotium facessunt magisque sunt periculosa, quæ sunt in ea parte qua foramen est ad palatum, quia non tam facile à medicamentis attingi possunt: Attinguntur autem specilli extremitate ore amplissime aperto & demissa lingua. *Ench. m. Pr.*

8. *Humoribus minerium acribus*) *Ideoque* differt à Polypo, quod hujus materia non tam acris sit, alioqui exulceraret: Ozenæ autem materia acris, mordax, rodens & putrida est. *Rondeletius.*

9. *Quod in lue venerea accidit*) Ut & Elephantiasi.

10. *Curatur 1. Universalium administratione*) Primo *victus ratio* conveniens instituenda, quæ humorum acrimoniam contemperet, eorumque generationem prohibeat: Mox totum evacuandum *S. M. & Purgatione* convenienti, tum *Cucurbitula* affigendæ cum scarificatione, Et si fluxio humorum acrium in nares sit valde contumax, *vesicatoriis & cauteriis*, posterioribus partibus admotis erit derivanda. *Riverius.*

Topicis expurgationes excrementorum si ulcera hæc procrearint vel foveant, præmitti debent, Inprimis si à pravis & malignis procedant humoribus, variis evacuationibus totius corporis generalibus in *Elephantiasi* factis, Et per sudores præsertim, in *Lue venerea*, hæc ab illis vitia nata, uti & alia, curare studebimus. *Platerus.*

11. *Detersione & mundificatione*) Tergent *aqua mulsa*, errhinum ex *decocto hordei integri, rosar. rubrar. agrimon. centaur. min. absynth. plantag. morsus gallinæ, dissolvatur ad* ℔j. *mell. rof.* ℥iiij. Hoc Errhinum terget, siccat, putredinem inhibet, ac per se ulcera sæpe sanat, Naribus autem demisso sæpius capite hauriatur, Idem validius præstat *aqua aluminosa*, vel ea quæ ad polypum exsiccandum & adstringendum præscripta est, quæ fit *ex uvis immaturis* &c. *Ench. M. Pr.*

12. *Detersione & mundificatione*) Abstergentia leviora ex *sero lactis cum melle* vel *saccharo rubro* permista fiunt, vel ex *œnomelite*; aut fortius paulo ex *oxymelite*: Magis abstergit *lixivium*, & *urina*, coque amplius si *aluminis* addatur portio; Vel si hæc in vase æneo parum retenta *æruginem* contrahant: quod & *omphacium* hoc modo ærugine permixtum facit.

Decoctum *ligni guajaci* factum in *lixivio*, addito *melle* quando magis abstergendum, quando vero plus siccandum, in *vino adstringente*, in lue præsertim venerea ulcera narium sanat. *Aqua fortis*, vel *sublimati spiritus vitrioli*, parum diluta, penicillo caute ulceri adhibentur: Quod & aqua in qua calx extincta fuerit facit. *Platerus.*

Vngu. ad Ozænam nobiliss. hoc est, Pronce in mortarium plumbeum *ol rosac.* ℥vj. *litharg. aur. c. c. usti & ppti, tutiæ ppt. plumbi usti,* ʒij. *cum pistillo plumbeo* tandiu agitentur ad formam linimenti: potest aliquid *succi geranii* addi *Fabr. Hildanus obs. 22. cent. 2.*

Ad exsiccationem hujus ulceris suffumigium egregie valet ex *mastiche, succino, olibano*, quod colligunt formicæ. *Fr. Osv. Grembs. Arb. integr. & int. hom. p. 298.*

Inter alia turundas aliquot excavatis naribus inde cum singulari levamine hoc Vngu. illitas.

℞. *succi geranii, solatri. sempervivi ãã. p. æqu. lithar. aur. plumbi usti* lapid. *calamin. cerusa ãã.* ʒij. *indantur in mortarium affuso cochl. j. olei rosac. & succi sempervivi, alternatim ut fiat ungu.* Habes sic in oxena, etiam maligna, pretiosum remedium. *W. Hœferus in Herc. M.*

Præstans remedium est *ol. vitrioli* ulceri illitum *Fr. Joel. p. 202.*

℞. *aqu. ligustri solani, ãã.* ℥j. *sacch. c.* ℈ß. *saturni* ℈j. *camph. gr.* vij. *m.* Ulcuscula narium ex sententia sanare comperi. *Simon. Pauli Quad. Bot. p. 113.*

Quidam curatus est ab ulcere narium putrido & antiquo per solas has candelas.

℞. *minii natur. cinnabar. ãã.* ℥j. *styrac. myrrhæ ãã.* ʒj. *cera q. s. m. f. candela pond.* ʒj. fumus recipiatur per nares ablata sorde. *H. Saxonia Pr. maj. tr. 6. c. 5.*

Si asini lotium naribus trahere licebit, minime damno, quod arcanam vim contra narium fœtorem habere sit à plerisque existimatum. *H. Mercurialis T. 1. consf. 69.*

Spiritum sal. ammon. cum *oleo* majoran. oleosum redditum, experti sumus optimum. *Wedelius.*

12. *Seu per succos &c.*) Naribus induntur hæc remedia, forma vel *errhini* naribus attracta, vel *unguenti*, cum bombace, aut *suppositorii* in nates immissa; Vel *fumi* naribus excepti, vel *pulveris* insufflati: Quæ ne in fauces per narium amplitudinem cadentia noceant; si aqua ore interim retineatur prohibetur. *Platerus.*

12. *Succos*) *Succus Hederæ* putredinem in narium ulceribus cohibet & emendat, unde ad narium tædia à *Dioscoride* præscribitur: Abstergēs & siccans Errhinum sic fit

℞. *succi granator. plantag. ãã.* ℥ij. *mellis, vini ãã.* ℥j. *misce, addendo aluminis* & *vitrioli* parum, vel forma unguenti.

℞. *succi hederæ & plantag. ãã.* ℥ij. *vini granat. aceti rosac. mellis rosac. ãã.* ℥j. *ol. rosac. & myrtini ãã.* ℥ß. *coqu. ad consumpt. succorum, adde ceræ viridis cum ærugine æros, colorata, fiat Vnguentum.* Idem.

13. *Per aquam plantaginis*) Ad ulcera hæc maxime probat *Claudinus Emp. rat. l. 3. tr. 2 p. 3. c. 1.* medicamentum quod fit ex succo *plantaginis* & *alum. usto.* Item *virga aurea* cum *urina asini destillato.*

14. *In qua aliquid mercurii dulcis*) Si alia non sufficiant, abluatur ulcus *aqua subliman*, bis, ter, quater quotidie, Siccat enim egregie & citra ullum morsum terget. Idem præstat *Ol. ex vitellis ovor.* & *ol. è tartaro*, & *ol. vitrioli*, quorum usus esse debet ubi alia non profuerint. *Ench. Med. Pr.*

14. *In qua aliquid Mercurii dulcis*) Ut & liquor *Mercurii sublim.* affuso spiritu vini extractus, item *aqua Mercuriales* aliæ, si ulcera sint maligna, *Wedelius.*

15. *Aquam viridem Hartmanni*) Cujus præparationem vide *Prax. chymiatr. p. m. 64.* præstantissima est & mirabilis in omnibus narium, palati, uvulæ, linguæ, gingivarum ulceribus: mundificat enim & consolidat.

16. *Cui crusta per vapores &c.*) Primo advertendum num ulcera crustosa sint, & antequam ulterius progrediaris crusta auferenda est, eam emolliendo *fotu aqua tepida, butyro insulso, adipe anseris*, aut *gallinæ recenti, oleo amygd. dulc.* & simil. Emollitæ vi excutiendæ non sunt, ne irritetur ulcus & fluxio exasperetur, sed expectandum dum sponte decidant, nares emungendo, aut saltem leviter & blande summitate digiti, *oleo amygd.* dulc. inunctæ detrahendæ. *Riverius, Ench. m. Pr.*

17. *Exsiccatione*) Ablata crusta adstringentia & exsiccantia usurpanda, In simplici ulcere sufficit *aqua hordei cum melle rosac.* ulcus abstergere, deinde *Vngu. de tuthia, vel albo Rhasis, vel oleo ex vitellis ovor.* illinite, quod erit efficacius si in mortario plumbeo prius agitetur: Ad *Ozænam* vero.

℞. *Hordei int. p. j. fol. agrimon, plantagin. absynth. & centaur. min. ãã. m. j. rosar. rub. p* ß *coqu. in aqua ferrata, in colat. dissolve mell. ros.* ℥iv. *f.* Errhinum naribus sæpe trahendum.

Post aliquam detersionem sequens decoctum usurpandum.

℞ *balaust.* & *cort. granat.* ana ℥j. *folior. plantag. cauda equi. pilosell.* herniar. ana m. j. rad. bistort. ʒj. *alum. crudi* ℥.ß f. Decoctio.

Aqua aluminosa ad id est efficax, ut & remedia pro *Polypo* proponenda. Valet *Ungu. Ægypt.* in *aqua hordei* dissolutum Deinde fiant Unguenta adstringentia; detergentia & summe exsiccantia, ut *Vngu. pompholi.* addito *alumine chalcitide* & *cortice mali gran.* Vel

℞. *omph.* ℥ß. *cortic. mali granat balaust.* ana ʒiij. *myrrha, alumin. ladani* ana ʒij. *chalcitid. aloës, cortic. thuris* ana ʒj. *ol. rosat.* & *myrtin* ana ℥ij. *cera rub. q. s.* f. Ungu. ulceri applicandum.

Vel dissolve in *vino, aqua plantag. peculi rosa aut myrtillor.* & frequenter naribus trahatur ore aqua pleno. Si hæc non sufficiant, abluatur ulcus *aqua sublimati*, bis, ter, quaterve in die, siccat enim egregie & citra ullum morsum deterget, illius præparatio talis est.

℞ *aqua plantag.* ℥iiij. *sublim. crudi pulver. gr.* xij. *bulliant in phiala vitrea ad media partis consumptionem*: Potest augeri vel minui *sublimati* quantitas, prout fortius aut debilius medicamentum efficere volueris. *Riverius.*

Exsiccatione per vaporem) Ulcere probe deterso ad illius exsiccationem veniendum est, cui rei conferet *pulvis rosar. rubr. insufflatus*, Et si efficacius id præstare velis, pulveres ungu. præscripti addi possunt; *Rondeletius* ad ulcera exsiccanda, post sufficientem detersionem, nihil efficacius esse ait *Suffumigio*, quod partes illas profundas attingit & siccat, idque parandum esse docet ex potentissime resiccantibus, ut *auripigmento* & *cinnabari*, quibus addenda aliqua odorata, ex quibus fuligo excitatur, & Ulcera exsiccantur, ut *benzoinum, myrrha, thus*, mastiche &c. E g.

℞. *ladani puri, hypocist. mastich. myrrha* ana ʒij. *excipiantur omnia terebinth.* & fiant Trochisci quibus suffiatur æger mane & sero in cubiculo.

Optimum etiam est parare candelas ex cera rubra, nam fuligo talis candelæ narium ulcera potenter exsiccat, maxime si æger contineatur in cubiculo bene clauso & angusto. Quod autem fuligo recipiatur, idem experimur (*inquit Rondeletius*) cum diutius in studiolo moram trahimus noctu, nam postea sputum & excrementa narium fuligine illa denigrata cernuntur, Hac ratione, *addit*, nos ulcus curavimus quod neque ab Gallis Medicis neque ab Italis, curari potuerat. *Riverius.*

Eaulcerationes Narium internæ simplices, adhuc sine pure aut fœtore, siccantibus admodum, cum locus sit valde humidus, sanantur. *Platerus.*

19. *Per Suffumigium*) In hoc affectu valde laudatum à *Rondeletio*, ulcere probe deterso; fiant ex validissimis resiccantibus, *auripigmento, cinabrio*, quibus adduntur odorata, ut *myrrha, thus, mastiche, benzoinum*, excipiuntur *terebinthina.* & fiunt Trochisci pro suffitu. *Enchir. m. Pr.*

20. *Ne cerebrum feriatur*) Notandum etiam hic est quod ubi acria medicamenta in nares immittuntur, debet æger ore continere vel lac, vel aquam, vel quid aliud, ne quid in os per palati foramen illabatur; Et quia vis medicamentorum injectorum subinde affluentia humoris extinguitur, ideo sunt immittenda. *Ench. m. Pr.*

Per Trochiscos) In quodam Ozæna laborante pastillum Hedychroum, vino aromatico antiquo madefactum, adhibuimus, Vix credi potest quam cito sanitati sit restitutus. *Aëtius Tetr. 2. s. 2 cap. 9t.*

B. Trochiscos Rondeletii) Qui sic parantur, & remedium sunt efficacissimum.

℞. *Ladani puri, hypocist. mastich, myrrh.* ana ʒiij *styrac. rubr.* & *calamit. cortic. thuris sandarac. auripigm.* ana ʒ. iv. *excipiantur omnia terebinth.* & *fiant Trochisci, quibus fumigentur sero* & *mane in cubiculo.*

III. [21] *Polypus est* [22] *carnosa in naribus excrescentia, ex radicibus quibusdam tenuibus pendens, & nunc è naribus propendens, nunc etiam* [23] *in palatum descendens.*

Cognoscitur *ex eo*, quod caro illa sit laxa, rara, mollis, colore varia; quod [24] in plenilunio vehementer excrescat, circa novilunium flaccescat, quod cum spiritu difficili & suffocationis metu affligat: pedes seu carunculæ aliquando sunt octoni, membraneo velamento tecti, sub quibus pituita concreta, vel mollis & pellucida instar pulpæ pruni albi, vel dura ac opaca instar cornu adusti.

Oritur [25] ab humoribus viscidis, pituita inprimis sanguini permista, [26] quæ è cerebro ad nares [27] exulceratas defluens, ulceribus inhæret.

Curatio [28] festinanda, ne [29] in Cancrum abeat.

Peragitur, vel *Chirurgia*, seu præcisione; de qua vide Practicos: vel *Pharmacia*, ubi [30] præmissis universalibus adhibenda [31] [32] circa novilunium, vel [33] [34] *Oleum vitrioli* non correctum, lana, postquam caro scarificata fuerit, exceptum & applicatum, vel *Colcothar.* vel *radix hermodactyli* albi melle rosato aut [36] aqua sabinæ excepta. Vel turundæ *radicis gentianæ*, ex præscripto Hartmanni; vel [37] *linimenta* [38] Ioëlis.

Dividitur dupliciter.

I. Alius est *Mollis & albus*, qui doloris expers: facilius curatur.

Alius [39] *Subrubens*, qui difficilius.

Alius *Lividus*, [40] qui curationem respuit, & in cancrum degenerat. Laudantur in eo *vitella* ovorum, in mortario plumbeo ad nigredinem usque agitata, & in unguenti formam cum scrup. I. *Camphora* redacta.

Alius *Durus*, in quo emollientia fotus forma præmitti debent.

II. Alius est *Profundus*, qui quia cerebro est propinquior, periculosior simul est.

Aliu[s] [41] qui *oculis cernitur*, & foris nonnihil exsistit.

21. *Polypus*) Πολύπους. *Hipp.* Πωλύπους generaliter notat omne animal quod plurimos habet pedes, Vnde & Aselli, mille pedes, dicuntur πολύποδες. Proprie ita dicitur animal exangue, molle, marinum; ad sepias pertinens. Tropice, ob aliquam figuræ similitudinem, Polypus vocatur tumor quidam p. n. in naso consistens, carneam veluti substantiam solidam habens, cum multis appendicibus, cujus meminit *Hipp. l. de Affect.* Ita accuratius describi poterit, Polypus est excrescentia carnea mollis, laxa, colore varia, in naribus genita, interdum versus palatum, interdū extrorsum vergens, pluribus appendicibus adhærens, proveniens à portionibus nutriti succi vitiosi luxuriantibus, & propter solutionem aliquam continui in naribus præcedentem subsistentibus, & in

in maſſam carneam concreſcentibus. *Bruno in Lex.* 20. *pag.* 945.

21. *Carnoſa in naribus excreſcentia*) Narium ulceribus excreſcentiæ carneæ interdum ſuperveniunt quæ Tumorem p. n. conſtituunt; Earum duplex eſt differentia; quarum una *Sarcoma* nominatur, altera *Polypus*, *Sarcoma* eſt Excreſcentia carnea in naribus genita, certa figura carens, & ulcerum, quæ partibus externis adveniunt, hyperſarcoſi quam ſimillima. *Riverius.*

22. *Carnoſa in naribus excreſcentia*) Intrinſecus tumores carnei variis in locis forma differentes ſe offerunt, membrana obtecti: In *naribus* frequenter caro ejuſmodi expullulat & *Sarcomatis* nomen ſervat, quæ ſi adaucta foras è naribus, vel intro in faucium amplitudinem propendeat, *Polypus* vocatur, cum ad illius ſimilitudinem rotundus & oblongus ſit, & anguſtiore baſi, veniſque per eam ductis naribus adhæreat, qui uti & narium interior tunica rubet, ſed indolens eſt, quo, uti & mollitie, à cancro differt. *Platerus.*

23. *Etiam in palatum deſcendens* Cum ſcilicet ſummis narium partibus adnaſcitur, tunc communes oris meatus obſtruit, & poſt uvam facile conſpici poteſt.

24. *Circa novilunium flacceſcat*) Quo tempore, vel cum Luna decreſcit, medicamenta debent apponi, quia minor tunc tumor eſt & melius adhibentur radici, cum tumor non impediat, quo minus partes illæ internæ à medicamentis tangantur. *Rondeletius.*

25. *Ortus ab humoribus viſcidis &c.*) Tumor eſt ex ſanguine impuro & pituitoſo ortus. *P. Barbette Anat. Pract. p. m.* 108. Utriuſque tumoris cauſa eſt humor craſſus viſcidus ac pituitoſus, è cerebro defluens, cum aliqua ſanguinis portione admixtus: Aliquando humoris melancholici portio quædam admiſta eſt, tuncque metus eſt ne in cancrum degeneret. ex ſuperfluo tamen Narium nutrimento, in carnem luxuriantem commutato Sarcoma ſæpe generatur, ideo curatu facilius eſt. *Riverius.*

25. *Humoribus viſcidis*) Humorem Polypi cauſam alii à vaſis Lymphaticis deducunt, quorum ſoboles ſit vas in Narium tunica recens à *Nic. Stenone* repertum, de quo *Bartholinus Cent.* iij. *Epiſt.* 58. Excretorium, *ait hic*, vas in narium tunicæ, è poſtica parte verſus anteriora procedens, novum eſt, Lymphaticum eſſe fateris, & lympham ea propter expurgare, ab arteriis cerebri excretam, quam etiam non pauci ex naribus ſtillantem experiuntur, reſeratis forſan oſculis, præſertim in frigidioribus, ſenioribus & hyemali tempore: Hinc quoque Polyporum fomenta deduci poſſunt, aucta Lympha ex hoc vaſe, quos adſtringentibus ea propter optime curant, ſuperne revellentibus vel exſiccantibus &c.

26. *Quæ è cerebro ad Nares*) Materia Polypi de cerebro non venit, Fortiſſime aſſerimus morbum illum ſemper de ſanguinea maſſa venire, Deprehendimus, & oculis contemplamur vaſa, quæ intus tument; Et plerumque natum eſt hoc malum ſi ſolenne quoddam profluvium redundantis humoris fuit ſuppreſſum; Sæpe quoque aliis morbis jungitur. Rem ergo ſic habet, Si maſſa ſanguinea eſt impura, noxii humores modo huc modo illuc ac ſi iis, in egeſtionis exitum confluentibus, narium vaſa vias præbent, facile fieri poteſt ut hinc tale malum oriatur, & hoc eſt quod authores tradunt Polypum ut ſanguinem cum Luna creſcere & decreſcere. *Schneiderus l.* 3. *de catarr. c.* 6. *p.* 188.

Nec ab ſententia alienus eſt *Riolanus Anthopogr.* lib. 4. c. 8. qui diſ ſſis Naſi cartilaginibus, intra cavitates Narium obſervari jubet carnes ſpongioſas, ſubrubras, quibus oſſa Naſi ſpongioſa oppleta ſunt, ex s tumefactis Polypum generari ait: quæ tumefactio aliter contingere nequit quam ſi iis carnibus narium ſpongioſis (quas ſubrubras eſſe ait, colorem ſcil. à ſanguine mutuantes) impurius ab arteriis alimentum deferatur; unde illæ Excreſcentiæ: *Tulpius obſerv.* 26. *lib.* 1 Polypum deſcribit, & unde alimentum illi delatum, Octoni, *inquit*, illi pedes, incipientes ſinguli inſtar pyrorum, à tenui pediculo, orto ab excreſcentiæ hujus centro, unde quoque prodiere venæ (*una cum arteriis*) per ipſam diſpeſſæ: Et plerumque, *addit*, natum eſt hoc malum ſi ſolenne quoddam profluvium redundantis humoris fuit ſuppreſſum, nam ortus eſt Polypus cum ulcus pedum curaretur.

27. *Ad nares exulceratas*) Exudans è carne ſuccus, ob cutis tunicarumque quibus obvolvitur, quibuſque ſiccus coërcetur, & venarum (arteriarum) ſuccum hunc deferentium oſcula obliterantur, defectum, accidit ut ſi ſuccus carni accreſcat, novamque veluti carnem illi adhærentem, & ab ea protuberantem gignat, varia *Sarcomata* producantur; Veluti in ulceribus carne impletis, necdum cicatrice obductis, ſucco ex ea expullulante, Excreſcentia illa carnis gignitur: Ut ſi *tunica narium* in *illarum eroſionibus* ablata ſit, Polypum eodem modo & *Epulidem* ſi gingivæ hoc pacto afficiantur producit. *Platerus* Vide plura de Sarcomatum generatione, *lib.* 5. *Tit.* 10. *c.* 1. artic. 2. *De Morbis Scroti* §. *Sarcocele.*)

28. *Curatio feſtinanda*) Prognoſis ita inſtituenda, ut *Sarcoma* plerumque facilem curationem recipiat; *Polypus* vero admodum difficilem, Qui in ima narium parte reſidet, facilius curatur; qui vero in ſumma radicatur, difficilem curationem ſuſcipit, quia remedia ad eam partem vix poſſunt pertingere. *Riverius* [*Polypi* cura, cum excrevit, difficilis, quæ rectius dum vel incipit, vel nondum adeo auctus eſt, procedit: nam confirmatus nonniſi cum calore, dolore & periculo auſertur. *Platerus.*

Cancer Narium.

29. *Ne in Cancrum abeat*) *Cancer ſi in naribus* gignatur, uti aliquoties fieri vidimus, durus eſt & pungens, in immenſum ſæpe excreſcens, & in Carcinoma deſinens, cum Polypus præter turpitudinem quam affert, nares obſtruendo, reſpirationi & voci ſolum incommodet, rariusque ſponte, non præcedente alia in naribus læſione, ſecus ac Cancer naſcatur. *Platerus.*

29. *Ne in Cancrum abeat*) Quamvis multi authores teſtentur Decoctum Guajaci, cum victu exſiccante in hoc affectu plurimum contuliſſe, cavendum tamen ne calidi humores pituitæ ſint admixti; eorum enim efferatio Polypum in cancrum convertere tandem poſſet. *Riverius*

30. *Peragitur* Sarcoma & Polypus iiſdem remediis curantur, quæ ad hunc ſcopum dirigenda ſunt ut caro ſuperflua auferatur: Sed prius cauſa antecedens tollenda eſt, Humor ſcilicet pituitoſus à capite defluens (*vel ex maſſa ſanguinea ſecretus*) quod fiet victus ratione attenuante & exſiccante, vacuatione univerſali, revulſione, derivatione, & capitis exſiccatione; quæ omnia perficientur remediis in frigida cerebri intemperie propoſitis. Poſtmodum vero caro ſuperflua abſumenda eſt Cauſticis medicamentis, vel ferramentis idoneis abſcindenda, Et ulcus relictum cicatrice obducendum: Initio tamen, dum adhuc morbus recens, ſolis adſtringentibus & valde ſiccantibus interdum curatio obtineri poteſt, & perpetuo mitiora tentanda antequam ad vehementiora deveniatur. *Riverius.*

31. *Vel Chirurgia*) Curatio medicamentis abſolvitur, *filo* aut *ferro*, Radicitus Tumores tales exſtirpatos obſervavi *Aqua* in qua *Mercurius ſublimatus* erat decoctus. Sed rariſſime medicamentis obediunt, quare in tempore inſtrumento ab *Aquapendente* aut *Sennerto* deſcripto tollendi ſunt, Etiam forceps adhiberi poteſt, quo tumor tamdiu eſt

circumducendus usque dum prope radicem frangat & decidat; *Filo* etiam serici quotidie arctius constricto, & ita alimento privatus facillime extrahi potest; Quod reliquum est medicamentis curatur supra laudatis *P. Barbette l.c.*

Actuali cauterio citius (quam causticis potentialibus) hoc absolvimus, ferro candenti per canalem intromisso, polypumque urendo: *Sectione* cum instrumento idoneo, ut *forcipe*, eum dissecamus vel amputamus, qui si prius igne candefiat, eum urendo simul hæmorrhagiam, & ne recrescat, quod alias facile fit, impedimus. *Platerus.*

32. *Præmissis universalibus*) Purgato corpore & capite, sanguine misso, Cucurbitulis sæpe appositis lateribus colli &c. multum profuit usus *guajaci* cum tenui victu. *Rondeletius.*

32. *Præmissis universalibus*) In curatione generali primum ad sanguinis influxum ad eam sedem impediendum, præmittenda per *vena sectionem vacuatio*, Et si corpus impurum sit, *dejectionibus* sudoribusque repurgandum. *Platerus.*

33. *Adhibenda*) Valde laudatur *arsenicum* cum *ungu. populeonis* inspissatum & illitum. *Joh. Veickardus Ti. Pract. l. 1. c. 6.* Expertus sum quod multum confert *pulv. sem. dracontiæ* naribus inflatus. *Gul. Varignagna*, Pulvis *nuc. cupressi* præstantissimus est si insuffletur. Ad Polypum cancrosum expertum est medicamentum succus *radic. serpentariæ*, lana ex eo imbibita, & in nares immissa, *Eust. Rudius &c.*

Nos una herbula exsiccata & pulverisata facillime polypum sanavimus; Pulvis in nares immittitur cum gossypio, bis in die, Ea est scorpio, des(lavendula) & *heliotropium P. Poterius cent. 3.* obs.

℞. *Uvar. immatur.* ℔. ij. *omnibus maceratis* in *aceto, adde alumin.* ℔ j. *vitrioli* ℥ iv. destilla, hac Aqua tangatur pars affecta. *Rondeletius.*

Ad præservationem Polypi fidum experimentum est, Sumsi *gentianæ* pulverem siccissimum cum *scrophular.* succo in turundam aptatum, in utramque ab narem altissime coëgi, bis in die mutatis turundis. *H. Heer observat. Med. 28.*

Præsentissimum remedium præstant turundæ *rad. gentianæ*, & cum ungu. sequenti utere.

℞. *pingued. anser. q. s. fol. malv. rad. alth. ãã. q. s. coque, exprime*, f. Vngu. *Gruolingius Pr. l. 1. P. 4. c. 4.*

Quidam in naturis mollioribus pro secreto habet hoc,

℞. *ceræ alb.* ℥ iij. *ol. ros.* ℥ ij. *butyr. antiq.* ℥ vj. liquefiant, tunc *ponantur in aqua comm. & bene laventur duabus* lotionibus, *adde ova integra* n. ij. *sublimati* ʒ ij. *circiter*, prout fortius mitius desideras. *Claudinus Emp. rat. l. 3. tr. 2, part. 3. c. 2.*

Si in ulcus cancrosum Polypus degeneraverit, nonnisi fucata cura locum habet, ad quam rem nil præstantius est hoc ungu.

℞. *Vngu. de plumbo, succi solani, ãã.* ℥ j. *Aqu. rosar.* ℥ ß. diu agitentur in mortario plumbeo; illinatur locus. *Chalmeteus Enchir. l. 1. c. 23.*

Hoc efficax est.

℞. *alum. scissilis, myrrhæ, sandar. ãã.* ℈ j. *facch.* ℈ ß. m. & applica. *Capivaccius. Pr. l. 1. c. 51.*

Hæc egregii sunt usus, sed caute usurpanda.

℞. *candelam ceream parvam*, cujus extremitas madefiat oleo vitrioli, ea tangatur caro superflua donec sensim imminuatur.

℞. *alum. usti* ʒ j. Mercur. præcip. ℈ j. m. f. Pulvis insufflandus in nares; *Ger. Blasius Therap. spec. P. 14. f. 2. c. 8.*

Ad inveteratos Polypos maxime commendavit *Alexander* Pulver. hunc, ex *chalcantho. chalcit. are cremato & misy ãã. p. aqu.* Tere ex *aceto*, tunc omnia simul misce ex vino ad *mellis spissitudinem*, tunc in olla probe tecta in furnum amitte, & in carbones redige, tunc lava vino, tere iterum, torre, pulverisa. *Altomarus.*

Balsamus Saturni valde prodest, *Agricola in Pospinum, Album græcum* aceto dilutum illine, summe opitulatur: *Item squama æris* ʒ vij. *sandar.* ℥ ß. *æris usti* ʒ vj. *helleb. n.* ʒ ij. naribus insuffla ut pretiosissimum, x. diebus videbis effectum. *Aetius*, Solo diphryge Polypum *Sanatum novimus. Idem.*

Topica Polypo accommodantur, tum mitiora adhuc *epuloticæ*, seu cicatricem inducentia, quod hoc in ulceribus sanandis præstent dicta, quæ valide exsiccando & adstringendo Polypum, dum adhuc crescit, reprimere atque siccare possunt: Sin excrescens nondum confirmatus sit, prius scarificatus vel dissectus sæpe & iterato, similiter operantur; Vel si excisus fuerit, ne recrescat, prohibere, & cicatricem simul inducere possunt; Quod si hæc parum aut nihil proficiant, ad fortiora *cathæretica* transimus, quæ adhuc vehementius siccando, valideque simul abstergendo, carnem minuant; Et si nec hæc sufficienter agant, ad *caustica* & *septica* digredimur, quæ erodendo, urendo & putrefaciendo carnem corrumpant & mortificent. *Pulveres* qui subtilissime triti Polypo asperguntur, sunt qui in remediis cicatricem generantibus describuntur, ex *cathæreticis* in ulcere excrescente expositi: *Ex simplicioribus* qui parantur, ex *rad. hermodactyl.* & *hellebori nig.* Item *boracum, pumicu*, ex *vini fæce cremata* Vel utimur pulv. *rad. ari vel serpentariæ, aut Vvæ*, seu semin. illorum, quibus & *hermodactyl.* pulvis addi potest, *helleborus niger* & *flores æris*.

Fuligo cum *fumo* ab accensis suscitata, nareque affecta excepta, retenta paulisper interim in respiratione, polypo se affigens, eum potenter exsiccat, si aliquoties hoc repetatur, Talis autem a *thure. masti he picea, carbonibus* injectis, excitatur; vel si candela inde cum ellychnio indito paretur, ab eaque accensa, rursumque, extincta, fumus fuliginosus in nares intromittatur. Validius siccabit si *sulphur* addatur, aliave metallica. *Platerus.*

Pulvis *heliotropii*, sive *scorpioidis*, cum *gossypio*, bis in die naribus immissus, Polypi specificum est remedium, carnes liquans & dissolvens citra morsum. *Poterius l. 3. obs. 67.*

33. *Adhibenda*) Primo tentandum est medicamentum compositum ex *tribus generibus malorum granatorum à Galeno* propositum lib. 5. *de comp. Med. s. l. 3.* Accipiantur tria *mala granata*, ex tribus generibus eorum, acidis scilicet, dulcibus & mediis, eaque matura ac recentia, terantur simul in mortario, dein succus exprimatur, & coquatur in linimenti formam, specillum ex lana vel linteo confectum eo succo imbuatur & frequenter in narem immittatur. Hoc remedium siccat & adstringit sine morsu, & excrementitium humorem absumit.

Sequens Aqua eundem effectum præstat efficaciter.

℞ *Vvarum immaturarum* ℔ iij. *cortic. mali granati, balaust. sumach. ãã* ℔ ij. *macerentur in aceto & destillentur, adde alumin.* ℔ j. *vitrioli* ℥ iij. *destillentur* iterum omnia simul, & Aqua illa tangantur partes interiores narium frequenter,

Si hæc non sufficiant ad potentiora veniendum est, & aquæ prædictæ *Sandaracha* & *Auripigmentum* adjicienda sunt.

Vel *spiritus vitrioli*, aut *aqua separationis auri*, quæ *secunda* vulgo nominatur, *aqua plantaginis* temperanda, iisque Polypus frequenter attingendus.

Vel illinatur *aqua Mercurialis* in ulceris narium curatione descripta.

Vel immittatur turunda *succo radicis iris* imbuata, *aqua plantagine* etiam temperando.

Inter

Inter præcipua numerari debet *mercurius præcipitatus ruber*, qui si plurimis lotionibus dulcoretur, hypersarcosin egregie absumit, sine ullo aut exiguo dolore: Ille Pulvis cum melle rosaceo permiscendus est, eoque inuncta turunda in nares demittenda.

Emplastra etiam in hunc usum revocantur, quæ sine insigni dolore Polypum absumere valent, E. g.

℞. *Empl. de mucilagin.* ℥ß. *pulv. sabinæ* ʒij: *Malaxentur & incorporentur simul*, Ex hac massa fiant *cereoli* debitæ magnitudinis in nares immittendi. *Riverius.*

Medicamenta initio conveniunt *Adstringentia* atque *Exsiccantia.*

℞. *Cortic. granat. flor. balaust.* ana ʒj. *cadmiæ fossilis* ʒj *antimon. crudi, croci martis* ana ʒß. *mastiches, myrrhæ, lapidis magn. lithargyri* ana ʒj. *m. f. Pulvis tenuis.* His nihil efficientibus Exedentia applicantur.

℞. *Alumin. usti, boli Arm. balaust.* ana ʒiij. *m. f. Pulvis.* Aliud fortius.

℞. *Vitrioli* ℥ß. *alum. cortic. granat. gallar.* ana ʒij. *myrrhæ rub. aristol. ustæ* ana ʒj. *m. f. Pulvis.* Aliud adhuc fortius.

℞. *Vitriol.* ℥iv. *alum. arug. æris* ana ℥ß. *aceti* ℥ß. calcinentur in vase lutato. Aliud valde efficax.

℞. *Arsenici rubri, citr. alum. gallar.* ana. ℥ß. m. f. Pulvis. *P. Barbette Anat. Pract. p. m.* 110.

Ad Polypos atterendos valde commendat hoc Empl. *Amatus.*

℞. *Virid. æris, auripigm. vitrioli, alumin. roch.* ana ℥iß. *antimon.* ʒvj. *macerentur in aceto, deinde exquisite terantur, post siccentur*, eadem tritura & maceratione octies repetita, dein in aqua plantaginis biduo macerata siccentur, Vel

℞. *Olei ros.* ℥iv. *litharg.* ℥ij. nutriantur & coquantur, addendo sub finem coctionis prædicti pulveris ℥ij. Cogantur in Empl. satis glutinosum, Muniantur interim nares ne lędantur à causticis ℥j. *ungu. albi refrig. Galeni* cum camph. ʒß. vel *nutrito*, vel *populeo*, vel *in ovi albo* agitato cum *ol. rosar.* vel similibus.

34. *Adhibenda circa Novilunium*) Notandum dicta medicamenta decrescente potius Luna esse usurpanda, tunc enim tumor admodum imminuitur, & ita remedia facilius ad radicem usque immitti possunt, cum tumor ... rum introitum non impediat. *Riverius.*

35 *Oleum vitrioli*) Præstantissimum omnium remedium Polypi est *Oleum vitrioli* prima vice destillatum, nec dum correctum, aut ejus aqua in principio destillationis excepta; quæ molli lana excepta carni circumponatur, carne scalpello scarificata & reliquis partibus narium *oleo rosac.* prius illitis. *Fr. Joel.*

35. *Oleum vitrioli non correctum*) Potenter & subito operatur, vel solo contactu, liquor quem *spiritum* vel *oleum vitrioli* vocant, vel sic paretur.

℞. *Ol. vitr.* ℈j. *alum. usti* ʒj. *dissolve cum aqua plantaginis. Aqua fortis* appellata tactus polypus mox flaccessit, cui *auripigmentum* etiam misceri poterit: Cauteria ex *calce, vini fæce usta*, indolentia, aliaque quæ abcessum aperiunt, caute per canalem, vel alia arte ne vicina loca tangant, admota, eum tandem urendo putrefaciendoque absumunt. *Platerus.*

35. *Vel oleum vitrioli non correctum*) In usu medicamentorum causticorum primo notandum est ante eorum admotionem nares esse muniendas *ungu. refrigerante Galeni*, vel *nutrito*, vel *populeo*. vel *ovi album, agitato cum oleo rosaceo* & similibus: Secundo observandum eadem, ne nares lædant, per fistulam argenteam immitti posse, ita ut fistulæ extremitas Polypum ambiat, atque ita medicamenta ad eum conferri possint naribus intactis. *Riverius.*

3 . *Aut aqua sabina*) *Liquores* aliqui fiunt & *aqua* quibus Polypus sæpe madefit, vel si valide agant, penicillo in iis immerso tangitur aut inungitur; vel per pilulam cotonis, aquis his immersam, vel canalem polypo adhibitum ad eum propelluntur, atque aliquandiu ibi retinentur; Confert hæc Aqua stillatitia.

℞. *alumin.* ℔ß. *chalcanth.* ℥iß. *gallar. vel cortic. granat. pulver.* ℥iij. *omphac.* ℥ij. *affunde aq. fortis q. s. ut in pultem redigantur*, *Eliciatur per destillationem aqua*, qua Polypus sæpe tangitur vel madefiat.

Alius *liquor* efficacissimus

℞. *Sublimat.* ʒij. *coquatur in aqua fabror. Extinctionis ferri* ℥iij. *ad consumptionem medietatis*: Per se admove, vel *addendo ol. vitrioli* ℈ß. *alum. usti* ʒß. Platerus.

Valet liquor mercurii sublimati, si affuso *spiritu vini* extrahatur, quo remedio Polypum aliquando curavimus. *Wedelius.*

37. *Linimenta*) Unguenta Polypo applicantur cum parvo linteolo, vel, si fortissima sint, per canalem polypo admotum, ad eum propelluntur, ne partes vicinas tangendo lædant: Ex *cicatricem* gignentibus conveniunt quæ in *Ulcere narium* exponuntur, & maxime illud quod

℞. *Pulveris sexti medicam &c.* Ex *cathæreticis* in *ulcere excrescente*, id quod

℞. *Hermodactyl.* vel *agar. &c.* & qui ℞. *Antimon. &c.*

Ex *fistulas extergentibus*, in cura ipsarum declaratis, *Ungu. ægyptiac*, vel potentissimum ex *sublimato* factum.

Non sine fructu usurpari potent *Oleum causticum indicum*, in curatione *Scrophularum* descriptum. Præter quæ si minutibus uti velimus, ex *pulver.* suprascripto, ex *radice a.s* parato, unguentum paramus, excipiendo eum oxymelite scillitico, vel *succo granator. acidor. inspissato* vel *omphacio.*

Vel *inunguntur omphac.* solum, aut succus expressus ex *cortice* & *granis granat. acidorum*, coctione uti omphacium *inspissatus.* Succus *ari* vel *serpentariæ* item illinitur.

Validius unguentum.

℞. *Ungu. Ægypt.* ℥ß. *cort. granat. gallar.* ana. ℥ß. *ol. vitr.* ℈j. misce, vel sumitur *chalch.* aliquod genus, quod maxime erudit, ut *chalcitis. misy*, vel *æris ærugo*, vel hæc duo simul, & cum *omphacio* vel *melle* incorporantur, addendo interdum & *æris florem* seu *squamam.*

Efficacissimum fiet si *arsenicum* vel *sublimati* tantillum addas. *Platerus.*

38. *Linimento Joelis*) Duo ab illo proponuntur: Primum hoc est, quo caro excrescens debet inungi.

℞. *Litharg* ʒiij. *cerusa* ʒß. *cortic. granat. alum. usti* ana. ʒij. his in tenuissimum Pulverem redactis cum *mellis rosac. & aqua fortis* q. s. exceptis in formam Linimenti redactis locus illinatur, Aut,

℞. *Squama æris* ℥ß. *atramenti sutorii, hellebori nigri*, ana. ʒiij. *sandaracæ* ʒij. F. Pulvis tenuissimus & naribus insuffletur, Aut,

℞. *Mellis cocti & à spuma defacati, æruginis tenuissime tritæ* ℥ß. *m. f. Linimentum.*

39. *Album sub rubens*) Rubrum, vel colore ex albo & rubro compositum, facile curari statuit *Riverius.*

40. *Qui curationem respuit*) Sunt quidam Polypi maligni, qui ferro & validioribus medicamentis irritantur & in cancros transeunt: Noscuntur quod duri sunt, lividi, dolorosi: Si ergo cum tactu irritantur non sunt attingendi, sed eis blandiendum, admotis Topicis quæ eorum malitiam domant, qualia sunt *ol. vitellor. ovor.* Litus ex *tutbia præpar. succo plantag. solani*, tritis diligenter in mortario & pistillis plumbeis, & similibus quæ cancris conveniunt. *Ench. med. Pr.*

41. *Album qui oculis cernitur*) In hoc etiam à Sarcomate Polypus differt quod Sarcoma magis in imis narium partibus, quæ carnosiores sunt solet succrescere, Polypus vero in summis ac superioribus juxta nasi radicem. *Riverius.*

Cap. XLIX.

De Hæmorrhagia Narium, & in Genere.

42. HÆmorrhagia [43] *est immodica, totoque genere præter naturam, sanguinis per* [44] *venas* [45] *nasi,* [46] *divisas,* [47] *rarefactas, vel apertas, excretio.*

De Hæmorrhagia [48] *Symptomatica,* [49] non *Critica* res est, quæ fit à natura robusta in febribus, cum prægressis signis coctionis & criseos in die judicatorio; quæque morbum solvit.

[50] *Signa* affectus [51] per se sunt manifesta. [52] *Præcognoscitur* ex humorum ad superiora ἀναφορᾷ, quam capitis & colli dolor, temporum gravitas, oculorum caligo, hypochondrii tensio, lacrymæ involuntariæ, difficilis respiratio &c. significant.

42. *Hæmorrhagia*) Hæmorrhagiæ nomen quemlibet sanguinis fluxum à quacunque parte profluentis vulgo significat: peculiariter tamen, quando simpliciter, absque ulla partis affectæ mentione enunciatur ab *Hippocr.* id tantum profluvium significat quod è naribus fit, tanquam speciem primariam & evidentissimam, ut annotat *Galenus comm. 1. in 1. Epid.* Est autem *symptoma in Excretis*, eorum quæ sunt toto genere præter naturam. *Riverius.*

Nomen autem *αἱμοῤῥαγίας Galenus* in *Exegesi* ἀπὸ τοῦ ῥηγνῦναι deductum scribit, quod ἀθρόως ἰέναι confertim & cum impetu ferri significat; *Straussius Palestr. Med. P. 1. Gymn. 22.*

43. *Hæmorrhagia est immodica &c.*) Ita describimus, Quod sit immodica p. n. sanguinis per Nares excretio, à qualicunque vasorum in Naso reconditorum apertione dependens: Ad symptomatum ergo classem referenda est, ut *Excretionis symptomaticæ* (qua de sola jam nobis est sermo) aberrationes ibi proprie contemplemur, symbolum conferente *Galeno 3. de causis sympt. c. 2.* ubi præter eam quæ mulieribus per uterum erumpit, cæteras sanguinis plusculas vacuationes toto genere p. n. Illam vero sola *multitudine* talem esse asserit; Interea tamen ad *Retinenda*, in *deficiente quantitate* hoc vitii genus referri censet *Bruno Dogm. med. gen. p. 284.* eo quod materia illa quæ ultra modum excernitur, utilis existat, & *Retinendi* nomen sibi vendicat. *Straussius l. c.*

44. *Venas*) Vasa per quæ sanguis effluit, sunt inprimis *arteriolæ*, nam ex venis vix effluit, nisi *incisis* & *erosis*, ut in vulneribus; Sanguinem exstillare ex arteriolis patet ex eo, quod omnis hæmorrhagia, v. g. narium, fiat stillatim, & subinde notabile intercedat spatium inter unam alteramve guttulam cadentem, id quod *ratione arteriarum non venarum* fit: quando enim sanguinem cor in arteriam pellit, idem ex arteria aperta propellitur, Quando vero arteria subsidet, non amplius adeo confertim effluit, & ita successive stillatim sanguis erumpit: quod patet etiam in arteriotomia, in qua subsultando pro pulsus ratione sanguis erumpit. *Etmuller Prax. P. 1. p. 146.*

44. *Venas*) Vasa è quibus ibidem effluit sunt propagines Rami arterialis à Carotide, postquam cranio superato cerebri basin attigit, profecti: hæc enim juxta Processus mamillares procedens, plures surculos quaquaversus à se dimittit; quorum aliqui notabiles cum nervis olfactoriis foramina ossis cribrosi transientes, per membranam glandulosam summi naris anfractus investientem distribuuntur: Arteriæ hæ nasales à carotidis trunco, intra cranium primo abscedentes, sanguinis partem maxime serosam à cerebro anticipant, atque serum ipsum, & recrementa alia aquosa, in naris glandulas, velut propria istius regionis conctoria deponunt, unde in cavitatem ejus destillant: Quapropter siquidem arteriolarum istarum oscula propter [illegible] exundationem semper paululum dehiscunt, nihil mirum est si ipse sanguis turgidior factus eadem (quæ non raro ex se nimis laxa sunt) paulo amplius reserans foras erumpat: Profecto hoc tum fieri tum sanguinis emissarium ordinarie, aut pro data occasione recludi aptum, cerebri aut præcordiorum, imo nonnunquam totius corporis magnas incommoditates præcavet aut curat. *Willis Pharm. rat. p. 2. sect. 3. c. 2.*

45. *Venas Nasi*) *Subjectum*, sive *pars affecta*, est *Nasus*, quem variis ex partibus constari patet, Ex quarum numero, seposita *mediati* illius subjecti contemplatione, *immediatum*, adeoque πρῶτον δεκτικὸν seligere, & præsenti accommodare negotio monet hæmorrhagiæ definitio, quod *vasa sanguiflua* statuimus. *Straussius.*

In Narium intimam *superficiem*, nunc *superiorem*, nunc *inferiorem* terminantes arteriolæ hæmorrhagiam excitant: Subinde copiosissimus sanguis est, & qui per plures fibras ex naribus effluit, quem tunc ex sinu cerebri falciformi, aut ejus vasis apertis ad Nares pervenire multi asserunt, quod tamen falsum (vide infra sub cap. finem §. *Sanguinis ex venis cerebri*) quin potius *vasa ex quibus effluit, sunt propagines rami arterialis à carotide interna*, qui juxta processus mammillares plures surculos, per foramina ossis cribrosi transmittit ad membranam narium superiorem glandulosam: Per quæ vasa, seu per quas arteriolas, & *lympha* simul affertur materia, per glandulosam illam texturam excernenda: Ita ut ex orificiis istis apertis, & propter continuam à lympha humectationem naturaliter laxioribus, narium hæmorrhagiæ accidunt. *Etmuller.*

46. *Venas Nasi divisas, rarefactas &c.*) Vasa sanguifera, quoties ad affectum istum producendum conspirant, invitio esse solent, vel 1. quatenus ob fibras nimis laxas & debiles, oscula illorum dehiscentia, sanguinem ex arteriis in venas non expedite transvasant; quod vitium in scorbuticis & cachecticis passim contingit. Vel 2. quatenus ob easdem fibras motrices spasmodice affectas & convulsas, sanguis huc illuc, & imprimis versus caput impetuose correptus, propter continuandum circulationis filum erumpere cogitur. *Willis de med. operat. sect. 3. c. 2.* Vide ibidem Exemplum insigne Hæmorrhagiæ spasmodicæ.

47. *Rarefactas vel apertas*) Cum omne symptoma pendeat à morbo, tanquam à causa proxima & immediata, hujus causa erit morbus organicus vel communis: Organicus duplex est, vasorum apertio, quæ *anastomosis* dicitur, & *rarefactio* vel *diapedesis*: Communis etiam duplex, eorundem vasorum ruptio, quæ ῥῆξις nominatur, & Erosio, διάβρωσις appellata. *Riverius.*

48. *Symptomatica, non critica*) Critica fit in febribus acutis, vi Naturæ causam morbificam per hanc viam excernere conantis: præsertim in iis quæ visceris alicujus inflammationi conjunctæ sunt, ac imprimis hepatis & lienis, quæ per has vias sæpissime solvuntur: Fit interdum, etiam sine febre, natura sese à superfluo sanguine

guine deonerante: unde videmus quamplurimos ætate juvenili periodicam hæmorrhagiam pati, alios etiam per alias vias sanguinem effundere: Symptomatica vero in morbis chronicis præcipue contingit, in quibus sanguis vitiosus ab hepate debili, & insigni aliqua intemperie laborante producitur, qui vel ob retentricis imbecillitatem per venas illas effluit; vel ab expultrice rejicitur tanquam onus inutile, cum sanguis impurus & vitiosus corpori alendo idoneus non sit. *Riverius.*

48. *Symptomatica, non critica &c.*) Hæmorrhagia (quæ in Febre eveniens, propter nimia sanguinis dispendia sisti debet) vel est *Critica*, propter accidens quoddam in immoderationem excurrens, ad quam methodus & medicamenta præscribenda, cum cautione quadam, & respectu ad febris statum habito, accommodari possunt: Vel est mere *symptomatica*, quæ in *febre maligna, petechiis, variolis, morbillis*, aut *peste* excitata remediis repelli aut sisti vix potest, aut debet, Sanguinis enim missio non convenit, Topica repellentia, item Julapia, vel Decocta refrigerantia aut narcotica locum non habent, Præcipua medendi intentio erit ut hæmorrhagia in diaphoresin commutetur, nam sudore blando excitato fluxus sanguinis, si non admodum sit periculosus, frequenter sponte cessat.

℞. *Aqu. ulmar. torment. ãã.* ℥iv. *cord. frig. Saxon.* ℥ij. *theriacal.* ℥iß. *aceti bezoart.* ʒiij. *syr. è corall.* ℥iß. *conf. de hyacint.* ʒij. *f. Julap. doẕis cochl.* vj. 3. *quaque hora.*

℞. *Pulv. Bufon. præpar.* ʒß. *camph. gr.* ij. *sumatur cum Julapio prædicto* 6. *quaque hora*, Vel

℞. *Pulv. Pannon. rub.* ʒß. ad ℈ij. sumatur eodem modo

℞. *Conf. de Hyacinth.* ʒiij. *pulu. Pannon. r.* ʒj. *syr. è corall. q. s. f. Confectio, Dosis qu. nuc. mosch. alternis horis.*

℞. *Rad. bistort. torment. ãã.* ℥j. *fol. ulmar. pimpin. lui lua ãã m. j. c. c. usti* ʒij. *ras. eboris, c. c. ãã.* ʒij. *coqu. in aqu. font.* ℔iij. *ad* ij. *adde circa finem consérv. rosar. rubr.* ℥iij. *f. Colatura, doẕis* ℥iij. *sæpius in die.* Willis.

49. *Critica*) Observatio satis vulgaris est, sanguinis è naribus Effluxum, αἱμοῤῥαγίαν, plerisque hominibus propter magnas occasiones passim evenire, nam quoties sanguis vel ob propriam turgescentiam, vel ob vasorum laxitatem erupturus, alicubi viam facere aut invenire aptus est, naturæ instinctu quodam sæpissime ad nares, quasi partem facillime aperiendam dirigitur: Profecto hoc tum sanguinis tum seri emissarium, ordinariè aut pro data occasione recludi aptum, cerebri, aut præcordiorum, immo nonnunquam totius corporis magnas incommoditates præcavet aut curat: Ac ne cerebrum à sanguine copiosius inundante obruatur uspiam, portio hujus per vasa nasalia abscedens & foras erumpens facile impedit: At vero interdum accidit hujusmodi hæmorrhagiam in morbum potius quam remedium cedere. *Willis l. c.*

50. *Signa affectus*) Pro varietate causarum varius est etiam est sanguinis effluentis modus, dum qui effluit floridus, rubicundus, copiosus, fere *anastomosin*, propter aliqualem sanguinis abundantiam & turgescentiam insequi solet: Cum quibus simul conferantur *causæ antecedentes*, v. g. si effluit *tenuis, aquosus*, loturæ carnium similis, serositatem nimiam & aquositatem sanguinis sequitur: Quod si sub hæmorrhagia accidit fortis regiones plus minus vicinæ pulsatio, hæc fere vitiatum plus minus circulum innuere solet: Quod si ab *acri* corrosa sint vasa, *externa causa* se ipsas offerent: Sin in *internis* sit vitium, manifesto plus minus acris sanguis salsus effluens gustari solet. *Emmuller.*

51. *Signa affectus per se sunt manifesta*) Cognoscitur per se ipsa hæmorrhagia: Causæ vero illius hoc modo distinguuntur, Ea quidem quæ fit per anastomosin hoc habet commune cum ea quæ fit per ῥῆξιν, quod in utraque sanguis copiose fluat, sed in eo distinguitur, quod si præcesserit ictus, vel casus, ῥῆξιν potius adesse conjiciendum est: Cum tamen à plethora & sanguinis multitudine ruptio & apertio vasorum possit contingere, ita distingui possunt, quod rupto vase sanguis continuo effluat; aperto vero tantum per intervalla; quia vasorum orificia constringi solent, quando humoris copia dilatans ad ea minus confluit: Vasa autem rupta semper aperta manent, & ideo sanguis continue effluit, donec solutio continui in iis facta iterum uniatur: Prætetea distinguitur Apertio vasorum à Ruptione ex ipsius sanguinis substantia, si enim tenuis sit, ab apertis vasis potius; si crassus à disruptis emanat: hinc fit ut hæmorrhagia plerumque in juvenibus ab apertione fiat vasorum; qui sanguinem habent tenuiorem: In senibus vero à ruptione, quia crassiorem obtinuerunt.

Si à *Retentricis imbecillitate* contingat, pallidus faciei color & totius corporis debilitas apparet: Tum etiam affectus aliquis præcessit, à quo hepar imprimis debilitatum est, ac denique sanguis paucus & per intervalla effluit.

52. *Præcognoscitur &c.*) Prognosis imminentis, præcipue criticæ, ab actionibus læsis, excrementis & qualitatibus mutatis desumitur: sicque futuram indicant Insomnia & imagines rerum rubrarum, capitis & cervicis dolor subinde ortus, Temporum gravitas & pulsatio magna in illorum arteriis, Tinnitus vel sonitus aurium, oculorum hebetudo & marmaryges illis obversantes, Rubor eorundem ac totius fere faciei, Lucis averatio, Lacrymæ involuntariæ, Nasi pruritus, Sanguinis stilla die indice, Spirandi difficultas, Hypochondriorum tensio sine dolore.

Quorum signorum hæc est ratio: Cum sanguis ad caput deferri incipit, parit in cerebro phantasmata rerum rubrarum, tum per insomnia, tum etiam inter vigilandum, ut juveni Romano contigit apud *Galen. l. de Præsag. ad Posth. c.* 13. Is enim morbo acuto laborans rubrum serpentem ad cubiculi laquearia oberrantem videre visus est, quo perterritus è lecto subinde exiliit, unde *Galenus* adventantem hæmorrh. prædixit, & sanguinis missionem impedivit quam alii medici præscripserant.

Dolor capitis & cervicis ex eadem sanguinis translatione ad partes superiores exoritur, qui membranas divellens distendensq; doloris sensum parit: Pulsant autem *arteriæ Temporum* motu extraordinario, ob earum compressionem quæ à venarum repletione fit (*& ab ipsarum arteriarum insolita plenitudine, ac sanguinis in iis orgasmo*)

Aurium tinnitus fit ex vaporibus ad cerebrum magna copia tendentibus, (vel ex vaporibus ab ipso sanguine in vasis auri proximis tumultuante, excitatis) *Visus hebetudo*, quia copiosi & crassi vapores ad superiora elati, meatus obstruunt, unde fit ut denegato aditu spiritui animali, hebescat visus.

Marmaryges oculis observantes nihil aliud sunt quam tenuia quædam & divulsa corpuscula variorum colorum, intra tunicam corneam & crystalloidem contenta, ex vaporibus sursum elatis producta, quæ licet interius sint, exterius tamen posita, deceptione visus apparent: *vel impurorum spirituum vitalium & animalium, vaporibus exurgentibus ex ebulliente sanguine inquinatorum soboles sunt*) quandoquidem oculus externæ assuetus visioni quæcunque intus sunt extra esse judicat.

Rubor faciei & oculorum ex sanguine fit qui majori copia ad illas partes confluit: *Lucis aversio* fit quod distenti oculi humorum copia, ex nimia luce magis distenduntur, quia lux disgregat spiritus, unde oculi dilatatio, ex qua dolor consequitur, quem ut vitent ægri, lucem fugiunt.

Lacrymæ involuntariæ fiunt ex repletione oculorum

& partium adjacentium, quæ præter modum distentæ comprimunt glandulas illas humorem continentes, ex quo lacrymæ generantur (*vel quod arteria sanguine turgidæ plurimum serum in glandulas adjacentes deponunt, quod vasa lymphatica, utpote superfluum, excernunt*) *Pruritus narium* fit ex vaporibus sursum ascendentibus & nares vellicantibus (*vel ex sanguine atomis acribus perfuso, qui in procinctu est ad exitum, vasa narium vellicante*) *Sanguinis stilla* die indice apparens, v. g. 4. vel 11. ostendit futuram hæmorrhagiam die judicatorio, nempe 7. vel 14. quia diebus indicibus Natura incipit transferre humores ad eas partes.

Difficilis redditur *respiratio*, quia dum sanguis ad superiora transfertur diaphragma comprimit, (*vel quia sanguis in vasis pulmonum effervescit, eademque distendit*) Tensio denique hypochondriorum fit, quia sanguis in suo fonte & radicibus venarum moveri incipit; sed fugax est ea distentio, & sine dolore; quemadmodum & difficilis respiratio, si enim diutius & contumaciter perseverarent, signa essent hepatis inflammati. *Riverius.*

Pulsus in carpo durus, & quasi vibrans, hæmorrhagiarum recurrentium: & quidem vitio vasorum, signum esse solet. *Etmuller.*

13. *Causæ* sunt, quæcunque [14.] venas nasi aperire, dividere, vel rarefacere possunt, quorum in Differentiis mentionem faciemus.

13. *Causæ sunt quæcunque*) Causæ istos morbos immediate producentes sunt sanguinis quantitas vel qualitas excedens: Sanguis quantitate peccans venas rumpere, aut orificia illarum aperire potis est; Idem vero qualitate peccans, si nimirum calidior tenuiorque sit, per anastomosin effluere potest, quia calor orificia dilatat, & tenuitas efficit ut facilius effluere possit: Eædem qualitates diapedesin etiam efficiunt, calor enim rarefacit tunicas vasorum, & sanguinis tenuitas efficit ut per poros earum tunicarum transfluere possit: Sanguinis denique acrimonia venarum tunicas erodit, exulcerat & diabrosin patit.

Causæ etiam externæ ad horum morborum productionem concurrunt, mediate vel immediate: Immediate id præstant casus, ictus, vulnus & alia id genus, quæ venas rumpere aut dividere valent; Mediate vero operantur quæcunque sanguinem multiplicare, calefacere aut attenuare possunt, ut victus plenior & crapula, otium aut exercitia nimia, magnus clamor, æstus, longa in Sole mora & alia quamplurima. *Riverius.*

13. *Causæ sunt*) In Hæmorrhagia sanguis erumpit quatenus intra vasa turgens, & supra modum rarefactus, spatium amplius desiderat; quapropter ni portio quædam abscedit, tota statim massa constipari, ejusque tum motus inhiberi, tum accensio suffocari, & crasis periclitantur.

Enimvero duæ sunt præcipuæ rationes, sive αἰτιολογίαι, propter quas hujusmodi sanguinis turgescentiæ oriuntur, in quantum scil. *liquor* ejus tum *inflammabilis* tum *fermentativus* existit.

Quoad *prius* horum, ut sanguis pro vita tuenda, ejusque functionibus rite exercendis debite accendatur, particulas hujus sulphureas insitas nitrosis, ab aëre adventitiis, proportionari oportet: Quotiescunque igitur cruor valde effervescens & rarefactus, in compage sua plurimum aperitur & relaxatur, adeo ut sulphur solutum in majori copia accendatur, etiam ad nitrum uberius hauriendum respiratio creberrima & laboriosa instituitur: Quod si hoc modo sulphur exuberans efflagrando absumi, flammaque vitalis regulari nequit, proxima statim pabuli sulphurei minuendi ratio est, ut sanguinis rarefacti portio quædam foras erumpat: Hinc non tantum in febribus, sed post vini potum, balnea, insolationem, aliaque à quibus sanguis valde turgescit accidentia, aut hæmorrhagiæ sponte succedunt, aut sæpe opus est talis evacuationis spontaneæ defectum per s. m. supplere: Quod autem hujusmodi sanguinis effusiones, sive per naturam, sive chirurgiam factæ, vulgo dicuntur calorem, sive æstum ejus compescere, revera hoc solummodo agunt, quatenus pabuli sulphurei, velut olei partem subtrahendo, cruoris accensionem diminuant.

Verum insuper ii *Sanguis*, in quantum *liquor fermentativus*, etiam ad extravasandum aptus est; Iste nimirum, si quando heterogeneum aliquid, ac non miscibile latici ejus confunditur, instar vini in dolio effervescit valde, ac in vasis ad incongruum illud excludendum ebullit, quod siquidem nec subigere, neque per diapnoen, urinam aut alias exterminare possit, ipse cruor sui portionem quasi vehiculum pro materia istac foras ableganda qua data via excludit.

Propter hanc rationem, (viz. ut quippiam incongruum ac indomabile è massa sanguinea exterminetur, diversimodæ hæmorrhagiæ tum in febribus, tum extra ipsas varie contingunt; quæ omnes, prout etiam illæ quibus nimia sanguinis accensio deprimitur, à Natura propter boni intensionem excitantur, quod autem secus frequenter evenit, variis accidentibus & circumstantiis imputari debet.

Utplurimum vero circa hæmorrhagias spontaneas critice institutas delinquitur, aut 1. quia sanguis inter effervescendum effluxus modum nescit, ideoque in πορῳδῶ concitus nimis exundat, vel 2. quia vasorum ora semel aperta haud denuo statim connivent, aut occludi possunt; vel 3. quia Natura excretionem sanguineam moliens, eam per loca magis patentia, sed sæpe incommoda facit, uti cum per pulmonem, per renes, intestina aliaque viscera hæmorrhagia contingit; quæ idcirco è critica in symptomaticam, & non raro malignam cedit.

Nec tantum his modis, sed præterea ob multa alia Naturæ delicta, aut impedimenta, hæmorrhagiæ symptomaticæ contingunt; in quibus omnibus, aut ipse sanguis, aut vasa eum continentia, aut simul utraque potissimum in culpa esse solent.

1. *Sanguis*, præter rationes supra citatas, (quatenus nempe supra modum inflammabilis aut fermentibilis existit (insuper ad extravasandum aptus est, quia latex ejus aut venenatus, aut alias corruptus, debitam mixtionem retinere nequit, quin ad coagulandum, aut putrescendum aptus in partes secedit, quarum dum aliæ, hic illic defixæ, maculas, exanthemata, cæteraque malignitatis stigmata accientes, cutim & carnes discolorant, propriusque ductus obstruunt, aliæ alio excurrentes, & qua data via erumpentes, variis in locis excretiones cruentas producunt: uti passim cernitur in peste, variolis, morbillis & febribus malignis; imo aliquatenus forsan in affectibus scorbuticis, uti maculæ & vibices, ita & hæmorrhagiæ tam familiares existunt.

2. *Vasa sanguifera* pluribus variisque modis, potissimum vero his tribus peccantia, hæmorrhagiæ symptomaticæ causa existunt.

1. Viz. imprimis si forsan alicubi illorum aliqua obstruantur, quoties sanguis rapidius movetur, aut ibidem, aut in vicinia, quandoque item in partibus longinquis erumpere cogitur: A tali causa Hæmoptoe sæpenumero procedit, quin etiam catameniorum aut hæmorrhoidum suppressioni sanguinis sputum, aut

hæmorrhagiæ narium crebro ſuccedunt.

2. Vaſorum oſcula (ob fibras carneas quibus ſtipantur, laxatas aut reſolutas) interdum male conformantur; ita cum arteriarum fines nimis dehiſcunt venarum oſcula connivent: Propter hujuſmodi affectionem ſcorbutici & cachectici hæmorrhagiis plurimum obnoxii reperiuntur.

3. Frequenter accidit vaſa ita male conformata etiam ſpaſmodice affici, proindeque cauſa morbifica quaſi duplicata, malum hoc plurimum augeri, ita ut vaſorum fibræ muſculares inordinate contractæ, ſanguinis *gurgites* ſubitas & violentas, modo ſuperiora, modo inferiora verſus faciant, proindeque illorum oſculis interea patentibus hæmorrhagias immanes concitent: Enimvero in quibuſdam obſervavi, quando ſanguinis rivus, cum pulſu exili & debili, ſatis tenuis fuerat, vaſorum ſpaſmos alicubi exortos, & prorſum modo huc modo illuc, ſub ſpecie flatus varie tranſcurrentis propagatos, cruorem utut ex ſe demiſſum, impetuoſius compuliſſe, inque eruptiones violentas cœpiſſe; ac in hujuſmodi caſibus, cum phlebotomiæ, & medicamenta ſanguinem refrigerantia ac attemperantia minime profuerunt, à narcoticis, antiſpaſmodicis, & ligaturis maximam juvaminis rationem fuiſſe.

Verum iij. ſi forſan hæc *ſanguinis* & *Vaſorum* vitia complicari, ſimulque noxas ſuas conjunctim exerere contigerit, exinde neceſſe erit malum hoc intendi, atque Hæmorrhagias & crebriores & immaniores concitari, quarum rationes ex prædictis ſatis eluceſcunt. *Willis.*

54. *Venas Naſi*) Quoties ſanguis vel ob propriam turgeſcentiam, vel ob vaſorum laxitatem erupturus, alicubi viam facere, aut invenire aptus eſt, Naturæ inſtituto quodam ſæpiſſime ad Nares, quaſi partem facillime aperiendam dirigitur: *Vaſa* è quibus effluit, ſunt propagines rami *Arterialis* à *Carotide*, poſtquam cranio ſuperato cerebri baſin attigit, profecti, hic enim juxta proceſſus mammillares procedens, plures ſurculos quaquaverſus à ſe dimittit, quorum aliqui notabiles cum nervis olfactoriis foramina oſſis cribroſi tranſientes, per membranam glanduloſam, ſummi naris anfractus invaſtientem, diſtribuuntur; *Arteriæ* hæ *naſales*, à carotidis trunco, intra cranium primo abſcedentes, ſanguinis partem maxime ſeroſam à cerebro anticipant, atque ſerum ipſum, & recrementa alia aquoſa, in naris glandulas, velut propria iſtius regionis emunctoria deponunt, unde in cavitatem ejus deſtillant: Quapropter, ſiquidem arteriolarũ iſtarũ oſcula propter ſeri exſudecationem ſemper paululum dehiſcunt, nihil mirum eſt ſi ipſe ſanguis turgidior factus, eadem, quæ non raro ex ſe nimis laxa ſunt) paulo amplius referens, foras erumpat, Profecto hoc tum ſeri, tum ſanguinis Emiſſarium, ordinarie, aut pro data occaſione recludi aptum; cerebri aut præcordiorum, imo nonnunquam totius corporis magnas incommoditates præcavere ſolet. Nam ne cerebrum à ſanguine impetuoſius inundante obruatur uſpiam, portio hujus per hæc vaſa abſcedens, & foras erumpens, facile impedit. *Willis de Med. oper. ſect. 3. cap. 2.*

55. *Curatio* eſt *Difficilis*, 56. *ſi* eſt ita immodica, ut in corporibus bilioſis, bile ſanguinem adurente, facies citrina; In pituitoſis, pituita multiplicata, plumbea; In melancholicis fuſca evadat, & ad iv. libras extendatur; *ſi* in pituitoſos & melancholicos, quia iſti magis refrigerantur, incidit: *ſi* prærubro colore præditos, cum capitis dolore afficit: *ſi* morbum cui ſupervenit non ſedat, & rigor illum excipit; quia corpus exhauſtum ſpiritibus infrigidatur, & hoc modo morbos diuturnos parit.

Non tentanda, 58. *in iis*, quibus in febre ardenti capitis dolores, cum cervicis labore, & totius corporis, cum tremore imbecillitas; adſunt, 59. quia morbum ſolvit, *in iis* quibus menſes deficiunt, *in iis* quos vel ſurditas, vel ſpinæ diſtorſio & ſpirandi difficultas, vel dolor in infernis partibus forti; paribus cæteris, affligunt.

Dubiæ ſpei, *ſi* in affectibus epatis 60. è nare ſiniſtra, 61. in lienis, è nare dextra, cum thoracis præſertim aut capitis ſudore, fluit; 62. *ſi* febricitantibus accidit, 63. & inde alvus convaleſcentibus humectatur, 64. quia calore nativo debilitato, hydrops oboritur: *ſi* cum ſudoribus exiguis & perfrigeratione contingit, quia nimia virium exſolutio indicatur: *ſi* in morbo acuto oculorum motum velocem, ſomnum turbulentum, & vigilias conjunctas habet, *ſi* in acutis & ardentibus, quarto die, craſſus & niger cum aliis ſymptomatibus ß guttatim prodit, quia *imbecillitatem naturæ* indicat: *ſi* in morbis longis talis accidit.

Prognoſis.

55. *Curatio eſt difficilis*) Hæmorrhagiæ nimiæ quæcunque, ut virium proſtrationes, animi deliquia & leipopſychiam immediate inferunt; ita mediate cachexias & hydropes.

Moderata & *conſueta*, & plus minus *periodica hæmorrhagia*, quocunque in loco fiat, ſi ſubjecti conditio reſpondeat; & hoc facile ferat, *Salubris*, cum deficientem varia mala, ut & excedentem conſequi ſoleant: Moderata igitur talis non ſiſtenda eſt.

Periculoſiſſima, & curatu difficillima hæmorrhagia eſt, quæ ex *diæreſi* oritur, præſertim ſi arteriæ plures, aut plus minus inſignes læſæ fuerint.

Quæ ab *anaſtomoſi vitio ſanguinis*, vel *abſolute* vel *reſpective abundantis*, naſcitur, curatur facillime: Quæ vero *vitio ſanguinis ſereſcentis*, tarde & quaſi medio modo ſe habet, Ita quæ *vitio vaſorum* contingit, pro ratione morbi primarii plus minus curabilis eſſe ſolet. *Etmuller Part. 2. Pr. p. 48.*

Tam largiores ſanguinis evacuationes, quam ejuſdem plus minus, aut etiam plane non conſuetæ, ſaltem intempeſtivæ ſuppreſſiones, morbum excitant, *Hæ* quidem pathemata cerebri & nervoſi generis, epileptica, ſoporoſa &c. *Illæ* ſyncopes, cachexias, ſingultum & convulſionem. *Idem pag. 153.*

Contingit interdum Hæmorrhagiam in morbum potius quam remedium cedere; Si quando enim ſanguis è nare crebrius & copioſius quam par eſt effluat, ſi non vita illico ob nimia ejus diſpendia periclitabitur, exinde tamen reliqua cruoris maſſa depauperata, & craſin ſuam amittens, diatheſin cachecticam & non raro hydropicam acquiret.

Etſi primo immoderatus ſanguinis effluxus in variolis, morbillis, febribus malignis ac peſte ſemper malum portendat, cumque ſiſti expediat, attamen

non meris refrigerantibus, aut revulsoriis cohiberi, sed per hidrotica temperata in diaphoresin commutari debet.

Hæmorrhagia narium haud immanis, in cachecticis cum pulsu debili, & sudore frigido, multo periculosior est quam valde copiosa, in hominibus sanguine præfervido & pulsu satis forti præditis.

Morbo huic, propter sanguinis dyscrasiam, simulque vasorum laxitatem obnoxii, si insuper fibrarum arteriosarum diathesis spasmodica accedat, longe difficilius curantur, & non raro, propter magna sanguinis impendia, ad extremos languores rediguntur.

Quibus febricitantibus sanguis multus è naribus effluit, & morbum non solvit, sæpe loco criseos affectio delira aut soporosa contingit. *Willis.*

56. *Si est immodica*) Nimis copiosa & vehemens pessima, nam ad convulsionem deducit; fit enim aliquando ut Natura copia sanguinis gravata, & ad excretionem excitata, modum tenere nesciat, & *λειποθυμίαν* efficiat, quam Medici sæpe inhibere coguntur. *Riverius.*

Morbo huic, ob sanguinis dyscrasiam, simulque vasorum laxitatem obnoxii, si insuper fibrarum arteriosarum diathesis spasmodica accedat, longe difficilius curantur, & non raro, propter magna sanguinis dispendia, ad extremos languores deducuntur. *Willis.*

57. *Non tentanda initio &c.*) In ejus curatione primo advertendum an illa critica sit vel symptomatica; Critica enim cohibenda non est, sed ad insignem quantitatem sanguis fluere permittendus, Ait enim *Avicenna* sanguinem è naribus interdum critica expulsione ad libras quatuor sine virium insigni lapsu profluxisse; Id quod videtur desumptum ex *Gal. l. de Præcogn. ad Posth.* qui juveni Romano hæmorrhagia laboranti sanguinem fluere permisit ad libras quatuor cum dimidia, priusquam remedia fluxum cohibentia usurparet: Quod quidem ut in valde plethoricis corporibus aliquando utiliter contingere, ita in aliis vitæ periculum inferre potest, & certum criticam hæmorrhagiam, quantumvis opera Naturæ fiat, modum non raro excedere, Natura si quidem sanguinis multitudine gravata, & ad illius expulsionem excitata, modum aliquando tenere non potest, nimiamque evacuationem facit; unde maximam virium dejectionem & mortem metuere oportet, & tunc cohibenda est, quoties nimirum ex ea notabilis virium infirmitas prodierit. *Riverius.*

58. *In iis quibus &c.*) Ut nec iis qui sine febre ex consuetudine sanguinem effundunt, Naturæ enim arbitrio fluor committendus, nisi immodicus fuerit; multi enim per periodicas ejusmodi hæmorrhagias gravissimorum morborum discrimen effugiunt, quos incurrunt ab hæmorrhagiæ consuetæ suppressione.

59. *Quia morbum solvit*) *Sanguis è naribus die critico moderata quantitate fluens salutaris*: Quamvis hæc sententia à *Galeno* sæpius inculcata sit, illi tamen *Fernelius* reluctatur l. 2. de sangu. miss. c. 1. dicens Nullum sanguinis profluvium, licet criticum, salutare esse; quoniam licet deliria, vigilias, capitis dolorem & reliqua symptomata demulceat, vix tamen morbum penitus evellit; quia sanguinis portio purior emittitur, impuriori remanente, idque ex eo probarit, quod sanguis ex nare profluens colore & substantia laudabilis apparet, cum sanguis eodem tempore è vena extractus impurus & corruptus appareat; Speciosa est hæc *Fernelii* doctrina, non tamen absolute recipienda; Verum quidem est in plurimis morbis acutis, præcipue vero in febribus malignis, hæmorrhagiam sæpe morbos non penitus solvere; sicut nec sudores in iisdem febribus perpetuo salutares sunt, quia tales evacuationes à Natura irritata ante tempus à materiæ morbificæ malitia plerumque fiunt. Attamen non raro morbi acuti hæmorrhagia solvuntur; ut docuit *Galenus 3. de cris. ult.* & passim alibi.

Quod autem sanguis per nares excretus purus semper appareat, ratio inde desumitur, quod nimirum ille guttatim effluat, sicque statim refrigeretur, ut partes impuræ separari nequeant, & illæ puriores reliquis permixtæ rubrum colorem toti massæ concilient: Sanguis vero è brachio detractus, quia affatim effluit, calorem in vasculo diu retinet, à quo partes impuræ separantur, ita ut crassa & fæculenta fundum petat, biliosa vero & pituitosa, quæ magis alterata & impurior est, supernatet, & ita sanguis impurus ac sordidus appareat; Contra vero si sanguis è brachio guttatim effluat, purus apparebit, quia cito concrescit, antequam partes heterogeneæ à calore secerni potuerint: Imo vero sanguis copiose effluens, si in pelvi latiore excipiatur, purus etiam apparet, quia cito refrigeratur. *Riverius ex Zacuto.*

60. *E nare sinistra &c.*) Quæ è directo partis affectæ accidit, bona, contra vero, mala. Sic in hepatis inflammatione sanguis effluens è nare dextra, bonus sinistra vero malus: Contra liene inflammato, è sinistra bonus, è dextra vero malus, quia omnis bona vacuatio *κατ' ἴξιν* fieri debet.

61. *In Lienis*) Splenericis quomodo hæmorrhagiæ aut sanguinis vomitus accidant, Vide inferius §. *Anastomosis, qua vel fit*)

62. *Si in febricitantibus accidit*) Initio morbi, quia symptomatica est, & fit Natura ante tempus irritata, ad excretionem à materiæ morbificæ pravitate. *Riverius.*

63. *Et inde alvus &c.*) Quibus febricitantibus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte, cum reficiuntur, alvi iis humectantur, *Hippocr.* 24. 4. quia ut docet *Galen. in comm.* calore nativo debilitato ex profluvio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, neque distribui possunt per corpus, ideoque alvos fieri humidiores par est, donec processu temporis vires suas Natura recuperarit.

64. *Quia calore nativo &c.*) Longo tempore perdurans hepatis imbecillitatem & refrigerationem, ac inde cachexiam & hydropem portendit. *Riverius.*

64. *Quia calore nativo debilitato*) In tractu jam morbo longo sæpe hæmorrhagiæ symptomaticæ paruerunt; putant hac una exclusione allevari ægros, contra fit: maxime vero istæ hæmorrhagiæ contingunt pulmonicis & hepaticis, quod maxime est notandum de pulmonicis, & eas hæmorrhagias bonum est sistere. *Ballonius Epid. p.* 17.

8. *Guttatim prodit*) Stillæ sanguinis paucæ per nares effluentes, malæ; significant enim Naturæ imbecillitatem & malignitatem morbi: Omnis siquidem excretio in morbis acutis, quæ inchoatur tantum, & non perficitur maxime damnatur ab *Hipp.* quia major est securitas in febribus in quibus Natura nihil excernit quam in quibus pauca & inutilis; si quidem coctioni esse intentam tunc temporis arguitur, quod si stilla appareat, signum est ante tempus Naturam irritari. Stilla tamen die indice prodiens, signis concoctionis utcunque apparentibus, futuram crisin per hæmorrhagiam die critico significat. *Riverius.*

60. *Peragitur*) Curatio, non tam *symptomati* quam *caussæ* debita, juxta sequentes *Indicationes*, ab his desumptas institui debet. 1. *Sanguinis turgescentia compescatur.* 2. Illius inordinata *φορά*, sive fluxio à naribus avocetur, aliòque divertatur. 3. Detur opera ut *vasorum ora*, intra Nares dehiscentia occludantur. *Straussius.*

In cura ante omnia considerandum est, an *curanda* sit hæmorrhagia, an *sinenda*. Deinde in *habituali*, distinguenda est cura in eam quæ fit *tempore paroxysmi*, adeoque

que est *curatoria*, Et eam quæ est *extra paroxysmum*, adeoque *præservatoria*.

[illegible]rrio probe considerandum an ipsa hæmorrhagia sit *morbus solitarius & primarius*, an vero *secundarius*, Et si hoc, an sit *cum febre*, vel *sine febre*. Hinc omnis *hæmorrhagia critica*, ideoque omnis *spontanea*, per quæcunque l[illegible] quæ natura solennis est & assueta, curari non debet [illegible] nimia. In *quo casu priori* subinde evacuatio quasi succedanea instituenda venit, v. g. *per [illegible] s. cucur[illegible]tulas, hirudines, fonticulas* &c. *Etmuller. Part. 1. Pr. p. 148.*

Præter hactenus enarrata *interna*, eaque respectu caussarum varia, in *paroxysmo* sanguinis impetus ad nares, quantum possibile, avocandus, ut *spirituum impetum sopiendo*, vel *Sanguinis orgasmum* aut *turgescentiam refrænando*, Et deind[illegible] *orificia vasorum aperta occludendo*. Idem p. 15[illegible].

Rem[illegible]diorum d[illegible] præcipue sunt scopi, viz. 1. ut Sanguinis effervescentia, sive incensiva, sive fermentativa suppressa, liquor ejus intra vasa coërcitus placide circuletur, ij. Ut cordis motus impetuosior sanguinem, m[illegible]nus rapide [illegible]rcumpell[illegible]tis, per sufflamina idonea deprimatur.

Intentio prima ejusmodi medicamenta requirit quæ sanguinis acc[illegible]nsione [illegible] ut supprimunt, ejusque [illegible]tationem indeb[illegible]tam sedant: propter [illegible]ndam intentionem v[illegible] [illegible] vehementer nimis pulsans sufflaminandum, *Hypnotica & Opiata* conveniu[illegible]t. *Willis.*

[65]. *Persagitur* [illegible] *Revul ione*, [67]. per venæ [68]. medianæ [69]. s[illegible]ionem moderatam & iteratam ejus partis ex cujus nare fluit, [illegible] cucurbitulas [71]. hypochondriis applicatas, si sanguis malus non est [72]. frictiones &c.

II. [73]. *Medicam[illegible]tis* [74]. *fluxum sistentibus*, [illegible] seu *refrigerantibus*, [illegible] seu *adstringentibus*, seu *glutin[illegible]ntibus*, seu *qua[illegible]itate occulta agentibus*; extra adhibitis, vel intra propinatis. [78]. *Intra* sumuntur, [illegible] *Carneolus* lapis in pulvere ex vino rubello. [illegible] *Flores bellidis* in cibo. [81]. *Sal prunellæ* in aqua frigida dissolutum, scobs *dentis hippopotami*, *talus porcinus* calcinatus. [illegible] *Sperniola compositum Crollii*, 3. vel 4. granis in aqua [83]. *bursæ pastoris* exhibitum, [84]. *Crocus Martis* [illegible]um succo cydoniorum & aliquot [85]. *laudani opiati* granis. *Syrupus de* [illegible]*orallis* Quercetani in aqua [illegible]beata, *Extractum croci Martis* ejusdem, quod in chymiatria vide, gr. iii. cum aqua plantaginis. **Sperma ranarum* vere collectum, exiccatum, & in vino propinatum.

[86]. *Extra* solent 1. [87]. *Fronti* applicari, *Caseus* recens. *Crux* ex straminis culmo facta, quod superstitiosum est. *Aqua* nucamentorum salicum, mantile [illegible]. *aquâ communi frigidâ* madidum, [illegible]. Muscus cranii humani. [illegible] *Succus urticæ* cum aceto. *Succus prunorum sylvestrium* vel solus vel cum aquâ plantaginis [illegible] *frontale ex argilla usta*, *farina volati[illegible]*, *bol[illegible] Armeni* ana unc. ß. succi *acaciæ*, *hypocistidis* ana dr. [illegible] cum albumine ovi & modico aceti factum.

[91]. 2. *Naribus* induntur *fungus* betulinus, *radix ulmariæ*, *stercus muris* tritum [92]. *radix ricinii*, quæ miraculi instar sistit. [93]. *Stipites* melanthii, *araneus magnus* in petia triplici conquassatus, [94]. *stercus asininum* aut [illegible]*uillum*, pulvis *leporis mense Martio capti* & exsiccati. Item [illegible] *bufonis* exsiccati insufflatus, & *laudanum opiatum*. [96]. Admovetur ei[illegible]dem *ferrum ignitum* præsentissimo levamine, *Capa* turundæ in *aqua urticæ* mundatæ, [97]. *alumen* [98]. cum colcotare vel solum vel cum *atramento*. *Pili* à pube avulsi, muliebres in viris, viriles in fœminis. [99]. *Aqua spermatis ranarum* cum pauxillo *camphora & saccari saturni*. *Mixtura* ex *aceti* fortissimi unc [illegible] *croci Martis* unc j. *calcotaris* unc. ß *compositum* ex camphoræ dr. ii. Radic. *tormentillæ*, *boli armeni* [illegible] *ana unc. ß* *cum stupa lini aceto* madefacta applicatum. [illegible] *Vertici capitis* imponitur *mus[illegible]us ex tegul.* aceto imbutus. *In manu* detineri [illegible]lent, *radix pentaphy[illegible]*, *lepori in Martio capt[illegible] cauda* [illegible] abr[illegible]pt[illegible]. *Flores bel[illegible]idis majoris & minoris* mense Junio, secund[illegible] die [illegible] plenilunio sub crepusculo collecti [illegible] *bursa pastoris*, quæ e[illegible]am [illegible] sub al[illegible]s & in nucha detineri solet, & *anagal[illegible] flore rubeo*, [illegible] *in aurem* è directo naris sanguinem fundentis in[illegible]lari guttæ aliquot *aceti rosati* præsentissimo juvamine.

3. [illegible] *Epatis regioni* admoventur, [illegible] *bufo in Iunio* ligneo veru transfixus & exsiccatus, herba *papaveris rhœados*. [illegible] Epithema ex *aqua cichorii*, *rosarum*, *nymphææ*, cum *camphora & aceto*. [illegible] *Plantis pedum* & vo[illegible]s manuum solet apponi, 5. *Urtica communis* contusa: [illegible] testi[illegible]lis, [illegible] mantile *aquâ urticæ* frigida madefactum: [110]. *Magneticam curationem* [111] per *vitriolum*, de qua superius capite de vulneribus eglmus, & *Beckerus* in medico microcosmo consuli potest [illegible] capite de sanguine. Huc pertinet *pes sellæ* extrema quâ terram tangebat parte sanguin[illegible] imm[illegible]su[illegible] & fora[illegible]ini i[illegible] qua pars superior fuit, inditus, successit aliquotie[illegible] sunt ver[illegible] qui produnt *s[illegible] sanguinem non po[illegible]e* si caudæ pavo[illegible]is pennas deferenti ex casu aut ictu contin[illegible]at, n[illegible] illis ablati[illegible].

[illegible] *Persequitur* [illegible] Tres sunt primariæ indicationes, sc[illegible] *Curatoria*, *Vitalis & Præservatoria*. Duæ prio[illegible]s s[illegible]mptomata, quoties urgebit, ill[illegible] o[illegible]um respiciunt; a[illegible] ma morbi caussam, quo minus, [illegible] minime, Hæmorr[illegible] [illegible]sultus redeant, tollen[illegible] [illegible] Præ[illegible] [illegible] alio modo *sine febre* & nonn[illegible] di[illegible] [illegible] urgebit tractari [illegible]bet [illegible]ndo [illegible] [illegible]guis multus è nare efflu[illegible] [illegible] co[illegible] opus fuxeri, tres erunt [illegible] cipue [illegible], simul omnes in prax[illegible] su[illegible]men[illegible] [illegible]icentia, quominus [illegible] inordi[illegible] aptu[illegible] [illegible]npensatur; Porro deruri [illegible] dem opera, tum ut fluxo ejus à naribus avocata, alio diverta[illegible]tur, tum ne vasorum ora, [illegible] d[illegible] en[illegible] [illegible]oc[illegible]ntur.

Indicatio [illegible] *Vitalis* solum [illegible]do v[illegible] tenuem, Cardiaca [illegible]mpe[illegible] & Æ[illegible] [illegible] requirit. Prior [illegible] appar[illegible] [illegible] [illegible]us est & facilis ut non opus videatur ad ea[illegible] & regulas par[illegible]ulat[illegible] [illegible] figure.

Circa Posteriore[illegible] [illegible] præcepta qu[illegible] est num *quando paroxysmus* in vel ex[illegible] [illegible]tum detinere oporteat: Extra dubi[illegible] [illegible] languidos, & [illegible] cbr[illegible] [illegible]pothymiæ obnoxi[illegible] [illegible] [illegible]nis curativi gratiâ, excitandos non esse: quoad ali[illegible] minus imbec[illegible]es ita statuendum videtur, Quorum [illegible] ob poros contiparos non facile trans[illegible]

pirat, atque à lecti calore incitatus iste in turgescentias majores, & eruptivas aptior est; expedict eos non tantum extra lectum, donec sanguis effluet manere, verum insuper nonnunquam per applicationes externas in toto corporis habitu, aut saltem in plerisque membris infrigidandos esse: Quamobrem *Febr. Hildanus* narrat se quendam maxima Narium hæmorrhagia correptum, post multa præsidia ordinaria incassum tentata, labro frigida impleto immersisse, & subito curasse: Cum pari item successu *Reverius* alium simili modo affectum, lecto exemtum & super mattam laneam in pavimento recumbere jussum linteis oxycrato madidis per totum corpus fovebat: Attamen hæc methodus non passim omnibus aut omni tépore convenit, verum è contra quorū sanguis halituosus & poris apertioribus pontus, facile, evaporat, & à calore moderato ambiente in sudorem exolvi, & proinde sedatius habere solet, eos intra lectum manere convenit, non modo dum sanguis erumpit, sed quamdiu eruptio ejus subinde redire periclitatur; Profecto ob hanc rationem est, quod plures hæmorrhagiis immanioribus obnoxii durante æstate, quando liberius transpirant, eo morbo immunes degunt, urgente vero frigore brumali, ob poros constrictos, insultus eo magis crebros ac diros patiuntur.

Indicatio tertia *Præservatoria*, quæ morbi istius causam tollendam respiciens, sanguinis eruptiones aut inhibet, vel easdem rariores aut minores reddit, binas hasce præcipuas medendi indicationes suggerit, viz. 1. ut sanguis ad temperiem & mixtionem debitam restitutus, intra vasa absque turgescentiis & eruptionibus placide circuletur: Dein 2. ut vasa sanguifera, quoad osculorum conformationes & fibrarum muscularium tenores, usque in statu legitimo contineantur, ita ut neque sanguinis in caput *impetus* inordinatas illa afficiant, aut è nare effluxus sinant: In utrosque hos fines imprimis nimia sanguinis copia, & magna impuritas, per V. S. & catharsin tempestive celebratas, sedulo præcaveantur; Dein ob *εὐκρασίαν* ejus procurandam & conservandam, alterantia aptis medendi temporibus exhibeantur.

℞. *Conserv. rosar. cynorrh. āā.* ℥iij. *pulv. triasant. āā.* ʒß. *corall. pr.* ʒj. *croci martis rubicund.* ʒij. *sal. prunell.* ℈iv. *cum s. q. syr. corall. f. Elect. dozis m. & hora somni qu. nuc. cast. vel per se, vel superbibendo aqu. destil. seq.* ℥iij.

℞. *summ. cupr. tamar. āā.* ℥viij. *summ. hyper. equis. āā m. iv. santal. omn. contus. āā.* ℥j. *mica panis albi* ℔ij. *minutim concisis affunde lactis rec.* ℥viij. *distill. organis comm. dulcorando syr. e succo plantag.*

℞. *fol. plantag. becabung. urtic. ur. āā. m. iv. contusis affunde aqu. præscriptæ* ℔ß. *aqu. cinnam. tenuioris* ℥ij. *f. Expressio fortis, dozis* ℥iij. *ad iv. mane hora ix & v. post meridiem.*

Hujusmodi medicamenta sumantur vere & autumno per xx. aut xxx. dies, quandoque lene catharticum intercalando; In æstate vero bibantur Acidulæ chalybeatæ per mensem, quibus non datur melius remedium. *Willis.*

65. *Peragitur 1.*) Symptomatica cohibenda est, quod fiet sanguinem ad nares confluentem *revellendo*, ab ild & vicinis partibus *repellendo*, Venas apertas *occludendo*, Sangu[illegible] mo[illegible] um *præposterum inhibendo*, [illegible] humores acriores aut tenuiores sanguini permi[illegible]os hæmorrhagiæ caus[illegible] præcipuas, *evacuando* eorumque *generationem prohibendo*; & facultatem reten[illegible] [illegible] hepatis & vaso[illegible] um roborando. *Riverius.*

66. *Revulsione* [illegible] P[illegible]tur *sectione venæ brachii & Scari[illegible]atione*, quæ admotis Cucurbitulis sanguis & [illegible] [illegible] & el[illegible] ac eodem modo uti V. S. ope[illegible]tur, n[illegible] quod [illegible] pelli tum per c[illegible] v[illegible]as cutis [illegible] uti si per v[illegible] aliq[illegible]am [illegible] apertam [illegible]ter, [illegible], T[illegible] in *a-pe[illegible] & coxæ lateribus* commodissime imbibuntur. Alias etiam in distantioribus locis, uti in *Carpo fectam*, aliqui peculiariter probant.

Sanguisugæ post aures ad[illegible] sanguis exuc[illegible] naribus fluentem quoque revellit.

Cucurbitulæ cum multa flamma sedibus capiti vi[illegible] affixæ, sæpeque repetitæ, admodu[illegible] san[illegible]uinei [illegible] ciendo *der[illegible]vant*, Ut si *colli lateribus* sup[illegible] [illegible]dentia, item *homoplatis & scapulis* apponantur, R[illegible] lunt quoque mulieribus in *mammis* admotæ, [illegible] & [illegible] pochondriis Revellunt etiam *Ligat[illegible]a, Fricti[illegible]ne* [illegible] *Platerus.*

67. *Per venæ sectionem*) Ad sanguinis [illegible] [illegible]bus devocandam, quandoque expedit venam [illegible] b[illegible] aut pede aperire: Quippe quo[illegible] plus sanguinis per [illegible]tas ad venæ sectionis locum [illegible] eo minor e[illegible] affluxus ad nares: Attamen [illegible] non [illegible]que adeo semper juvat, quin effectus ejus [illegible] nonnunquam accidit; vasa enim sub[illegible], & non [illegible] pleta, humores incongruos prius ej[illegible], [illegible] stagn[illegible]tes, denuo resorbent, à quibus [illegible] in majorem turgescentiam eruptivam acuitur. *[illegible]*

68. *Venæ medianæ sectionem*) Convenit interduo V. S. seu alia sanguinis evacuatio: Dico, *interdum*, nam perversa est Chirurgorum est consuetudo ut in o[illegible] sanguinis hæmorrhagia sanguinem mi[illegible]tere ve[illegible]int [illegible] tum hoc stu[illegible]tum est quoties sanguis non abund[illegible] dem jam effluentem velle ulterius evacuar[illegible], S[illegible] in quavis hæmorrhagia sanguis pure passive [illegible] movetur nempe eo quo spiritus impetu & organo [illegible] moventium pellitur & effluit, ubicunque [illegible]orum [illegible]ra aperta sunt, utut occasionalis causa in san[illegible]ne hæreat.

Non ergo sanguinem evacuando [illegible] *occasionales*, seu in sanguine, seu in part[illegible], p[illegible] flu[illegible]xus, hæreant, removendo corrigendæ sunt. Ut[illegible] sanguinis *abundantia*, seu *plethora*, iam [illegible]*era* quam quibusdam in casibus *apparens*, est quæ in hæmorrhagiis V. S. indicat, Ideoque etiam in sole[illegible] evac[illegible]tione sanguinis suppressa, sanguinis detractio locum habet, observando revulsionis & derivat[illegible] regul[illegible] *Ermul[illegible]r.*

Fons Chirurgicus V. S. in pro[illegible] V.S. [illegible], quæ tum ut *plethora imminuatur* tum ut [illegible] *ἀναφορὰ* à naribus devocetur, mature v[illegible] in *brachio*, vel, ubi menses suppressi fuerin[illegible] *pede* ad[illegible]randa, imo etiam repetenda est: Q[illegible]em [illegible] non semel felici cum successu in utroq[illegible] [illegible]u secta in *pede* vena obtinuimus, Et [illegible] [illegible]qu[illegible] [illegible]p[illegible]bus, quæ ab hæmorrhagia nimia excitari [illegible]ent [illegible] [illegible] le remedium (modo in principio adhibeatur) egregie succurrit. *Strausius.*

69. *Medianæ*) Posita sanguinis *ἀναδρομῇ* non magis cons[illegible] illius sectio quam basilicæ aut cephalicæ; Porro etiam vena *Pedi[illegible]* [illegible] potest, ut revulsio [illegible]at ad distantissima, quæ [illegible] [illegible]*ra[illegible]ano, Paulo, Avicenna* plurimum [illegible] [illegible] ex[illegible] teste, plus quam to brachio facti[illegible], no[illegible] [illegible] ex[illegible]nas le[illegible]ibus, sed etiam quia ad [illegible] starer[illegible] d[illegible]s [illegible] supplementum [illegible] [illegible]nt.

70. *Per venæ sectionem*) S[illegible] Revulsioni remedia principem locum [illegible] maturè celebranda est antequam vires ad nod[illegible]les evalent, idque è vena brac[illegible] e directo [illegible] e qua sangui fluit; dextri nempe si nare dex[illegible], sinistri si e [illegible] nistra manaverit. E[illegible] *aleum l. de [illegible]* hujus remedii efficaciam confirmat, asser[illegible] [illegible]ldas è naribus sanguinis fluxiones repente venæ section curasse. *Reverius.*

71. *Sectionem moderatam & iteratam*) D[illegible] be[illegible] sanguis [illegible] larga manu si vires te[illegible] & plo[illegible]forannne, Quamvi[illegible] M[illegible]di [illegible] anti[illegible]quiorum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] an[illegible]gust foramine & [illegible] quantitat[illegible] sæpius repe[illegible] sanguinem esse retrahendum censent, sicque revulsionem

tem melius fieri: Nam ut sanguini motus contrarius concilietur, vehementiori motu agitandus est, siquidem motus vehementior debiliorem rapit, ideo quo ampliori foramine, & magis confertim sanguis effluit per venam sectam, eo promptius è naribus profluentem sanguinem abducit, ita ut non raro hæmorrhagia vehemens phlebotomia hoc modo celebrata, sine plethora, in instanti cohibita fuerit. Attamen si unica v. s. aliisque remediis cohibita non fuerit, illa reiterari poterit pro virium modulo. *Reverius.*

70. *Cucurbitulas) Forestus* commendat Cucurbitulas *obs. 14. l. 13.* insigni experimento, in Nobili quodam cui xij. circiter libræ sanguinis ex utraque nare per vices effluxerant, illi duas ventosas absque scarificatione, hypochondriorum regioni affigendas præceperat, has vero cum non juvare animadverteret uxor ægri, unam supra pedem dextrum, alteram supra sinistrum affigi jussit, unde, dictu mirum, sanguis illico restrictus est; verum superveniente animi deliquio, à quo revocatus frigidæ aspersione & odore vini.

Cucurbitulæ etiam scapulis, tum siccæ tum humidæ admotæ fluentem sanguinem è naribus retrahunt: Attamen non est usquequaque tutum remedium, possunt enim à partibus inferioribus ad superiores sanguinem attrahere; & novo fluxui occasionem præbere. Quidam Practici eas admovent brachiis supra bicipitem musculum, quibus etiam sanguis ad nares profluens revellitur. *Reverius.*

Hujus remedii ratio facile constat, quia scil. ventosa imposita, per orificii spatium, aëris impulsu prohibito, & circumcirca aucto, illico sanguis & humores, imo & vapores, & partes solidæ, ab alia quavis tendentia avocari, versus inane cucurbitæ substratum pellentur. *Willis.*

71. *Cucurbitulas hypochondriis)* Post v. s. vel etiam ante ipsam, fient frictiones & ligaturæ partium extremarum, & cucurbitula satis magna hypochondrio admovenda, dextro, si à nare dextra, sinistro, si à sinistra sanguis profluat: *Galenus* enim hæmorrhagiam cohibuit in juvene Romano Cucurbitula hypochondrio admota, sine v. s. ut refert l. de *Prec. ad Posth.* c. 13. Non est tamen usquequaque tuta Cucurbitularum applicatio hypochondriorum regioni, sanguis enim tunc temporis effervescens, ad hepar aut lienem nimia copia attrahi potest & inflammationem in iis partibus efficere; Id quod contigisse ait *Hildanus* in quodam aulico maxima hæmorrhagia laborante, cui ab admota cucurbitula sanguis quidem substitit sed inflammatio hepatis sequuta fuit: Caute igitur agendum est, & ad id remedium confugiendum non est, nisi cæteris remediis irritis, & post iteratam s. m. copia enim sanguinis in venis imminuta minus est periculum ne sanguis nimia copia ad hepar attrahatur ut inflammationem excitare valeat. Attamen quocunque modo applicentur Cucurbitulæ hypochondriorum regioni, sanguinem & spiritus attrahunt ad illas partes, & sic calorem earum augent; Quod adversari videtur sententiæ *Hippocr. aph. 13. 5.* ubi in his unde sanguis fluit, aut fluxurus est, frigidis utendum esse præcipit, Interpretes autem volunt ad ea loca frigida esse admovenda unde motus sanguinis incipit, qualia sunt hepar & lien. *Reverius.*

Amatus cent. 2. cur. 100. mediante cucurbitula splenis regioni admota, & frigida testibus applicata ingentem hæmorrhagiam sedavit.

Puellæ, cui menses à quatuor mensibus non fluebant, sanguine è naribus per 3. dies continuos erumpente, irritis omnibus auxiliis, & sectione saphænæ, ventosa magna sine scarificatu ad hepatis regionem (è directo) admota sanguinem statim compescuit. *Forestus lib. 3. obs. 10.* Cavendum *ne ventosam umbilico* applicemus, ne nobis accidat quod mulieri de qua *Gattinaria*, quæ obiit ventosa adipe repleta.

72. *Frictiones &c.)* Præcipue per *Ligaturas*, Primo igitur Æger, cum situ capitis erecto maneat quietus: dein brachiorum & crurum artus una plures, sed non omnes, Ligaturis arctis constringantur, quæ tamen subinde solvi, & in alias partes transferri debent; namque omnibus simul, & diu ligatis, propter sanguinem in externis detentum, & à corde nimis exulantem, leipothymias terribiles accidisse novi: Secus autem remedium prudenter adhibitum non raro juvat: Quippe cum hac ratione sanguis in membra per arterias excurrens, inhibetur ne statim per venas redeat, impetuosior ejus in caput latio impeditur; Porro per artuum ligatura dolorificas, arteriarum carotidum fibræ musculares à spasmis, quos sæpe ineunt, avocantur. *Willis.*

72. *Frictiones &c.)* Crato in Consiliis inter revulsoria remedia proponit incurvationem minimi digiti è directo, cum enim vehemens illa compressio intensum dolorem pariat, ab illo dolore sanguinis retractio fieri potest. *Riverius.*

72. *Frictiones &c.)* Huc refer excitatos *dolores*, qui spirituum, & hinc sanguinis motum sistendo partim, partim aliunde derivando subinde proficuæ existunt: Sic sunt qui, ceu remedium revulsorium, proponunt *incurvationem minimi digiti*, Cum enim vehemens illa compressio intensum dolorem pariat, hujus occasione forsan hæmorrhagiæ medela erit, Nec alia ratio videtur quare contumax hæmorrhagia per *actualia cauteria, plantis pedum admota* à *Zacuto 1. Prax. adm.* obs. 66. curata fuerit. *Etmuller.*

Quidam arctius digitum annularem serico rubro ligant; compressione vel incurvatione ejusdem utuntur, Sed hoc remedii genus, ubi vel magna est intemperies in sanguine, vel venarum mala compositio, parum profuturum videtur. *Crato consil. 7. l. 5.*

72. *Frictiones)* Frictiones extremorum à quibusdam Practicis commendantur, quas tamen non usque adeo utiles, imo vix tutas censemus, quia licet sanguinis ad pedes aut manus appulsum majorem sollicitant, adeo nihilominus reditum ejus accelerant, ut tota cruoris massa in effervescentiam concitata, de novo ejus ad nares violentiore periclitetur. *Willis.*

72. *Frictiones &c.)* Huc pertinent *Ligaturæ*, quæ *partim* refrænant sanguinis orgasmum & impetum, scil. mediocres; *partim* dolorifico sensu eundem in vias communes ex propriis quasi divertentes, Item *Cucurbitula sicca in nucha*, quatenus & eadem motum seri fluxibilioris impedit, & dolore inducto, simul archeum divertit; Ubi enim dolor ibi sanguis affluit, quo facto non potest non alibi idem exundans revelli & aliorsum deflecti. *Ligaturæ* porro, *partim* pro vasorum compressione, partim pro remorando in vasis sanguine convenire queunt; accedente inprimis levi dolore, qui advocat illum huc ad partem ligatam, adeoq; revellit; Sed si fortius stringantur, circulum sanguinis omnino turbant, ægrum frustra cruciant, & tantum abest ut sanguinem sic sistant, ut potius fluxurum magis cieant, & hæmorrhagiam augeant: Neque vero selectus coloris hic aliquid facit, quando rubrum sericeum vinculum ligant, quin potius rubedo magis motum promovet quam sedat. *Wedelius.* Kermesino colore tinctæ fasciæ forsan eliguntur, ob adstringentem vim qua grana *chermes* pollent.

73. *Medicamentis)* Remedia ad Hæmorrhagias usitata, sunt 1. *Vulneraria* & adstringentia, sanguinem *partim* incrassantia, *partim* vi alkalina acida vitiosa absorbentia, *partim* vasorum læsiones restituentia; ut *plantago, portulaca, bellis minor, rosa* &c. vel 2. *Absorbentia*, tam *martialia*, hisque cognata, *corallia*, *hæmatites*, *terra*, *bols* &c. quam *animalia*, ut. *c. c. sine igne*, *ebur sine igne*, *unicornu verum*, *dens hippopotami* &c.

Sane *martialia* in habitualibus hæmorrhagiis hypochondriacorum, scorbuticorum, sunt stupenda: Sunt præstantissima, *partim* quod acidum vinosum, hæmorrhagiæ occasionalem causam absorbeant. *partim* quod radicem in primis viis, unde affectus hæmorrhagiarum spasmodici superveniunt, exscindant; *Martialia* nempe per se adstringunt, unde perinde est seu *aperientia* seu *adstringentia* usurpentur, modo acida vitiosa primarum viarum, & inde dependens sanguinis crasis vitiata corrigatur, & affectus convulsivi hinc producti in radice emendentur.

Observavi hoc aliquoties circa *mulierum menstruationes*, quæ per *liquorem Martis Solarem* & cientur deficientes, & sistuntur nimis fluentes: quod pariter circa *Tincturam vitrioli Martis Zwelferi* observavi, quæ aperit eorum defectum, & tamen inordinato & sæpius recurrente fluxu cum fructu pro eodem sistendo eam usurpavi, adeoque in cachecticis, hypochondriacis scorbuticis &c. ad sanguinis fluxus præternaturales quoscunque, aut deficientes, aut excedentes, *Martialia* pro curatione utramque faciunt paginam.

Citatæ *animalium* partes pariter nonnisi absorbendo, aut acida vitiosa fermenta corrigendo operari solent; Vel 3. *Serum imbibentia & incrassantia*, ut *usta terrea*, aut aliunde *evacuantia*, ut *purgantia, diuretica*, præsertim ex classe *vulnerariorum*. Vel 4. *sanguinem attemperantia*, & quasi edulcorantia, ut *passula, lacticinia* &c. Etmuller.

74. *Medicamentis fluxum sistentibus, seu refrigerantibus, seu adstringentibus &c.)* V. g. in Hæmorrhagiis turgescente omnis sanguine, cum impetu febrili & phlogosi vaga.

℞. *Aqu. plantag. semperv. mas. āā.* ℥iß. (℥iß.) *syr. papav. albi* ℥j. *tinctura flor. bell. cum spir. vitr. q. s. ad gratam aciditatem m.* capiatur cochleatim.

In hæmorrhagiis habitualibus, ex eodem sanguine turgescente ex acido volatili v. g. in vini potatoribus &c. adeoque in iis qui vulgo ex sanguine bilioso & hepate nimis calido hæmorrhagias pati dicuntur.

℞. *Dentis hippopotam. præpar.* ʒiß. *corall. r. prap.* ʒj. *lapid. hæmat.* ʒß. *sacch. saturni* ℈ij. *laudani op.* ℈ß. m. Capiatur subinde mane quantitas cultelli cuspidis. *Item.*

℞. *Extr. flor.* ʒiij. *eboris sine igne, dentis hippop. āā.* ʒß. *corall. rub. ppti* ʒj. *lapid. hæmat. prap.* ℈ij. *cum s. q. syr. ros. rubr. & papav. rh. f. Electuar.*

Extractum paratur ex *flor. ros. part. 4. flor. papav. rh. bellid. rub. āā. p. j. per multiplicem infusionem in aqua simplici, expressionem & inspissationem.*

In Hæmorrhagiis habitualibus ex sanguinis tenuitate serosa.

℞. *Passular. min. aut earundem pulpæ* ℔ß. *rhei el.* ʒiij. *Tartari vitr. Tachenii* ʒj. *cum s. q. syr. pomor. f. Elect.* Utile est & *per sudorem* occurrere tali hæmorrhagiæ.

℞. *c. c. usti* ʒj. *terra sigill.* ʒß. *laud. op. gr.* iij. *pro 2. dozibus cum sudore usurpandis.*

In Hæmorrhagiæ, ab acriori sanguine, aut lympha, aut erosione, aliisve modis concitata, polychresta est mistura *Sylvii l. 1. Pr. c. 9. §. 20.* Ad cujus imitationem.

℞. *Aqua plantag.* ℥iij. *aq. cinnam. à* ʒij. *ad* ʒiij. *aceti vini* ʒiij. *corall. rub. prap.* ℈ij. *terra sigill.* ℈j. *laud. op. gr.* iij. *syrupi mirth.* ʒiij. capiat cochleatim. *Etmuller.*

74. *Fluxum sistentibus &c.)* Inter quæ Animi deliquium contumacissimam hæmorrhagiam (sanguine & spiritibus ad interiora potenter revocatis) curatam se vidisse ait *Riverius in Episcopo Lodovensi*, anno 1619. qui, *inquit*, febre maligna laborans, cum renis dextri inflammatione, quæ postmodum in abscessum abiit die 27. morbi, tam vehementi correptus est hæmorrhagia ut intra 14. horas sanguinis libras duas excreverit; & cum sanguis adhuc affatim flueret, viresq; collaberentur, de hæmorrhagia cohibenda cogitandum fuit, sed remediis nihil proficientibus, æger se alvum velle deponere dixit, nec potuit cogi ut in lecto dejiceret; Præmonuimus si è lecto surgeret cum tanta virium exolutione, fore ut in syncopen rueret, eam tamen cohibendæ hæmorrhagiæ futuram esse perutilem: Ita fere successit, nam postquam surrexisset, animi deliquium passus, à quo statim excitatus est exhibito vino, & frigida in faciem projecta postea copiose dejecit. & postquam in lectum delatus fuisset, sanguis multo minori impetu fluebat, & exhibito sale prunellæ ad ʒiß. in aqua frigidissima dissoluto, statim sanguinis fluxus omnino cohibitus, cum tamen antea idem remedium & alia frustra in usum revocata fuissent: Etsi autem hoc remedium à Practicis non proponatur, habetur tamen apud *Hippocr. 3. Epid. 7. Sanguinis venarum suppressiones faciunt animi deliquium: figura alterata, interceptio, linamentum intortum, deligatio, appositio.* Idem docet *Galenus* . m. m. 5. *Porro sanguis consistere prohibetur, & ob animi deliquium, & cum ad contraria revellitur, & ad vicina derivatur, & per refrigerationem tum corporis totius, tum vero præcipue ipsius partis affectæ.*

Notandum tamen est Animi deliquium tantum conveni e quando sanguis effluit è venis quæ ad corporis superficiem desinunt, quod innuit *Hippocr.* dum eidem linamenta, deligationes, & alia ejusmodi præscribit, quando enim ab interioribus profluit, ut in hæmoptoe, mensium fluxu immodico, aut vulneribus partium interiorum, tunc animi deliquium fluxum augere potest, calore ad interiora retracto, & ad eas partes à quibus sanguis profluit. *Riverius.*

Leipothymia quocunque modo excitata, hæmorrhagiam, utut contumacem illico ut plurimum sistit, Ratio satis evidens est, quia quamprimum cordis motus tacuerit, statim & sanguis & spiritus illoc ruunt, proinde ut affluxus omnis exterior derepente sistatur, & qui immodicus antea fuit, non denuo repetat. *Willis.*

Ex *Hippocr. in Epid.* syncope hæmorrhagiam sistit; eademque venæ sectæ si superveniat, sanguis fluere desinit, Ideo enim sanguis per venæ sectæ lotamen continuo funditur, quia continuo sanguis fluit ex arteriis in venas; si fluxus ille ex arteriis semel fuerit cohibitus, venæ non amplius habebunt quem profundant sanguinem; cohibetur autem ille fluxus in leipothymia, quia cor, quod est principium unde sanguis in omnes corporis partes funditur, nullatenus aut parum admodum pulsat in leipothymia, ac proinde aut nullum aut paucum admodum sanguinem propellit è suis ventriculis in arterias, tuncque major sanguinis pars continetur in majoribus venis, Ex his patet quare leipothymia magnas hæmorrhagias sistat; ubi enim ad breve tempus cohibetur fluxus sanguinis, vasa dilatata aut rupta coeunt, & occluduntur, ac conglutinantur si fuerint rupta. *Franc. Bayle Probl. 17.*

75. *Seu refrigerantibus seu adstringentibus)* Ad hunc effectum Julepus sequens concinnari poterit. ℞ *Rad. bistorta & consolid. mai. āā.* ℥j. *fol. plantag. centinod. herniaria, fumaria āā. m. j. sem. iv. frig. mai. āā.* ʒj. *coqu. ad* ℔j. *In colatura dissolve sacch. albi* ℥iiij. *f. Julep.* pro iij. dozibus matutinis: Loco Julepotum, aliis Opiatarum; aut post eorum usum per dies aliquot continuatum, Syrupus usurpari poterit ex *succo urtica cum sacchara*, partibus æqu. compositus, & ad cochlearia duo singulis diebus mane exhibitus. *Riverius.*

75. *Refrigerantibus)* In fervore sanguinis, *aquam fragorum* bibere, & genitales partes aquæ frigidæ, cui acetum admistum sit, imponere confert; *aqua* fragorô *sanguinem qui effluit* lamina ferri candente excip. . excepturn & pulveratum sumere rectius est. *Crato cons. 7. l. 5.*

75. *Seu refrigerantibus)* Quæ orgasmum sanguinis actu & potentia non una refrænant, *Oxycratum* fronti, collo, temporibus, nuchæ, scroto adhibitum; *aqua frigidissima, nix ipsa* quoque, Quæcunque nempe lo-

ca

ea sanguinis alterationi & refrigerio magis inserviunt, apta nata potissimum sunt quibus ἴσχαιμα adhibeantur quæ inter & vertex est. Methodum hanc c[illegible]ndi culcat ipse *Hippocr. 7. aph. 37.* ubi de vomitu c[illegible] loquitur quidem, ast similium eadem est ratio, *Curatio* inquit, *refrigerantibus & adstringendi vim habentibus perficitur.* Refrigerantia magis debentur viis communibus, poris, ob calorem rarefacientem largius sanguinem invitantibus; tum *propriis* quoque, seu vasis, quatenus in medio cursu, quasi eundem ad moderationis leges sufflaminant sæpe, hinc & elogio *5. aph. 23. Frigido in his utendum unde fluit aut fluxurus est sanguis.* Non quidem eodem loci, sed circa ea loca unde influit, habito nempe ad cor respectu, tanquam fontem sanguinis.

Quod si accedat *compressio* tanto præsentius frigida hæc juvant, Exemplo in Imperialis prius aqua frigida alteratus fronti adalligatus, quo pacto tum infantibus, tum aliis etiam adultis feliciter succurrimus.

Restænant & concentrant omnia actualia frigida, cum enim motus hic sanguinis fit ad extra, adeoque idem qui caloris ad circumferentiam, nec sine calore, saltem naturali, & vasorum eveniat, cum corpus infinitis spiraculis polleat, ab ambitu maxime alterabile, frigus vero concentret aërem, & poros maxime patulos, inde motus contrarius inducitur, à circumferentia versus centrum, ab extra intro, & alteratur quoque fervidior sanguinis spuma: Pertinet huc & Terror ipse, sive aliis modis inducatur, semper aspersionem aquæ frigidæ, in nucham vel faciem, ex improviso factam, ut tanto præsentius alteret. *Wedelius.*

75. *Seu refrigerantibus, seu adstringentibus)* Restænant quædam sanguinis orgasmum per *contactum frigidum*, & *potentia adstringendi*, vel etiam quædam *discutiendi* applicata; cum enim ad objecta non uno modo se habeat calor noster, sed ex illis effluvia partim ferantur, partim calore hoc nostro excitentur, merito quoque ab his *appensis, in manu detentis*, vel alibi corpori extus applicitis, levamen quoddam sperandum, Quorsum inprimis pertinet summa subtilitas effluviorum, quæ in odoratis quidem actu ob copiam admirari, non mensurare possumus; in aliis vero dari, etiam pigris visis, non negandum est: Hinc quæcunque effluviis austeris, adstringentibus, terreis, remorantibus archeum afficiunt, universalem, & quasi afflant, sunt ischæma, [illegible] usitatissimum est eo casu adhibere lapidem *hæmatitem* in utraque manu, vel sub axilla: Par ratio est *jaspidis*, Sic fluxum sanguinis menstrui (quod & de aliis valet) restrinxit *Langius* retentione *peræ*, seu *bursæ pastoris* in una, & *jaspidis* in altera manu *l. 3. Epist. 1.* Idem adnotavimus de *centinodio* in fœmina nimias hæmorrhoides patiente, ordinarie & cum successu semper adhibito: Sic *vitriolum* cyprinum in manu detentum hæmorrhagiam sistit: Sic in aulis quibusdam usitatum est ad menses sistendos ut ovum ad duritiem coctum sub axillis detineatur: *Wedelius.* Huc pertinet *Pulvis Sympatheticus*, de quo in *Chirurgia Tract. de Vulneribus.*

75. *Seu adstringentibus)* Ubicunque coactivæ fiunt fluxiones sanguinis, aliorumque humorum, Adstringentia easdem non remorantur sed promovent potius: Per *coactivas* intelligo ab obstructione vasorum, & ab ordinario denegato spatio, ab orgasmo, à copia, ita ut sanguis contineri alveis suis non possit præ angustia, & rarefactione nimia, sed cogatur derelinquere stationem & alibi exitum quærere: Quando itaque datis tunc temporis a[illegible]ngentibus tenduntur & corrugantur magis fibræ, angustaturque magis spatium, fieri aliter non potest quam ut exprimatur cogaturque humor; Hinc id videre est non solum in hydropicis vel cachecticis, quibus frequentius hæmorrhagiæ narium fiunt, verum & in hypochondriacis, scorbuticis, spleneticis.

Imo etiam hæmorrhoides ipsæ ex hoc fonte utplurimum scaturiunt, & mensium immodicum profluvium: Conveniunt autem illa potius quæ sanguinis circuitum in ordinem redigunt, auferuntque vim illam coactivam v. g. purgantia & aperientia ipsa. Optima, cæteris paribus, & tunc sunt Acida. *Wedelius Am. m. m. p. 63.*

76. *Qualitate occulta agentibus)* Celebria sunt ἴσχαιμα quorum operatio ad causas occultas & virtutem quandam secretam referri solet, uti sunt *monilia ex lapide hæmatite collo suspensa*, Item *usnea*, sive *muscus cranii humani* manu gestata. Epithemata ex *foliis urticæ* contusis, plantis pedum ac volis manuum applicata; Cujusmodi administrationes empiricas, cum citra molestiam & sumptum adhiberi possint, non est ut recusemus: Præcipue siquidem in casu periculoso fere nihil non agendum sit: cumque ejusmodi applicationes eo respectu interdum juvent, quod ægri imaginationem corroborant. *Willis.*

76. *Seu qualitate occulta)* Nec negligenda specifica remedia, quæ proprietate occulta sanguinem fluentem cohibent; multa ab authoribus proponuntur; quorum præcipua & frequente usu comprobata sunt, *Urtica, stercus suillum & asininum*; *Sanguis* ipse per nares effluens, qui non solum apud vulgus commendatur, sed etiam à quibusdam medicis præstantissimis probatur, tanquam specifica vi hæmorrhagiam cohibens; eumque frigunt in sartagine, ægroque inscio edendum exhibent: Tum etiam olla figulina exustum; & in pulverem redactum cataplasmatis adstringentibus supra propositis admiscent. Alii laudant *Pulverem limacum*, cum crusta combustorum, alii pulverem *ranarum*, etiam combustarum, in nares immissum; Refert *Pereda* mulierem vetulam Monspessulanam, sola mentha naribus imposita sanguinis profluvium è naribus trium dierum curasse: Inter cætera autem præstantissimum est remedium, & à nobis frequenti usu expertum *Spica nardi* in tenuissimum pulverem redacta, & ad ʒj. cum jusculo, aqua plantaginis, aut alio liquore exhibita, non solum enim specifica vi, sed etiam hepar roborando sanguinis fluxum cohibet. *Riverius.* Lignum campanæ si teneatur in manu patientis subito sistitur fluxus narium. *Varignana.*

76. *Seu qualitate occulta)* *Lapis* qui *in capite carpionum* reperitur tritus & in pollinem redactus, præsertim si cum lanugine quæ in malis cydoniis hæret, applicetur, impensis commendatur, Item *radix* atque *herba fragorum* axillis subjecta, vel collo appensa, *Radix* etiam ista, & *lapillus carpionis* ore teneatur *Crato.*

77. *Extra adhibitis, vel intra propinatis)* Modo *Topicis*, modo internis magis ad hæmorrhagias opus est; Præstat quidem eadem conjungere, moderanda tamen sunt ita ne frustra simus, Quandocunque effluit sanguis, illius sphæra intuenda est, ut sistat quidem fluxum, motum tamen naturalem non negligat medicus: Hinc non ablato interius orgasmo, frustra sunt adstringentia; Hinc præcipere solent Practici sanguinem ex hæmorrhoidibus erumpentem, etiam largius, non esse reprimendum externis stypticis, nisi prius secta vena ejus massa diminuta fuerit, universalia etiam hic valent sæpe præ topicis. *Wedelius.*

Medicus quidam celeberrimus Hæmorrhagiam narium sic curavit.

℞. *Pulv. adstring.* ʒj. *album. ovi conqu. q. s. aceti parum*, misce applicetur fronti & circa collum.

℞. *Sperm. ranar. plantag. nymph. syr.* corall. ãã ℥j. *m.* bibat frigide. ℞. *Carnis bubulæ rec. asperge aceto forti*, & impone nuchæ. *W. Hæferus Herc. m. l. 1. c. 10.*

78. *Intro sumuntur)* Alterantia exhibemus quæ *vi refrigerante & adstringente* prædita, *sanguinem incrassa-*

ando, vel *alia proprietate* quadam hunc fluorem sistant eaque variis formis, *Decoctum* probetur inprimis *plantaginis*, *pentaphylli*, *bursa pastoris*, *polygoni*, *myrti* vel *myrtillorum*, *Consolida majoris*, *media* & *minoris*. *equiseti*, *pilosella*, *pyrola*. *sanicula*, aliarumve plantarum quæ in vulneribus propinantur, ad ea sananda, additis *lactuca*, *nymphaa*, *acetosa* & *flor. rosar.*

Syrupi ex harum plantarum decocto parati possunt, vel usitati sumi in hæmopoica passione, & præter hos acidi, ut *syr. acetosus*, *limonum*, *granatora cydonior.* & refrigerans, ut *nymphaa*.

Succi itidem enarratarum plantarum, & qui in hæmopoica passione describuntur, & cum illis acidi quoque succi ex quibus syrupi parantur, conveniunt; Uti & *vinum granator. omphacium* & *acetum* his permisceri, vel in condimentis sumi possunt.

Aqua destillata ex ejusmodi plantis itidem ut in hæmopoc. un & *acetosa*, *nenuph* & *rosar.*

Pulveres *trochiscorum* in hæmoptysi expositorum, vel etiam ex aliis, validius quam in pectoris affectibus necesse sit, adstringentibus parantur, ut.

℞. *boli*, *terra sigill.* ℨij. *lap. hæmat. corall. r.* ãã. ℨj. *cornu tauri vel cervi usti* ℨß. *balaust. sem. plantag.* ãã. ℈j. *fiat Pulvis.*

Conservæ utiles, *flor. rosar. antiqua*, *violar. nymph. cichor. fol. acetos. cond. rad. symph. &c.*

Mistura seu *Electuar.* ex conservis, pulver. & syrupis.

Potiones itidem ex syrupor. succor. aquar. & pulver commistione fiunt, *Platerus*.

78. *Intro sumuntur*) In usu sunt ad hæmorrhagias, ex *regno vegetabili*, *Polygonum*, *millefol. fol. tenera quercus*, *rosa r. cortic. granat. balaust. sanic. pyrola*, *hed. terr. rad. urtic. symph. maj. torment. sanguisorba*, *bistorta &c. fructus myrtill.* item *papav. hyoscyam. opium*, & quælibet alia hujus generis anodyna &c. *Passula* conducunt in specie hæmorrhagiis ex vitio sanguinis acrioris, serosioris, acido salsioris; nam tali ex causa *hæmorrhagias habituales* natas crebrior *passularum minorum* comestio sublevat. *Rhabarb.* non tam pro sero evacuando quam sanguine alterando, & crasi ejus restituenda in hæmorrhagia à seroso sanguine confert.

Camphora non negligenda, quæ & spiritus refficit, & fermenta peregrina acida sanguinis mirifice corrigit.

Ex *regno Animali* sunt animalium partes duræ, in specie *ebur sine igne*, *unicornu verum*, *dens hippopotami &c.* absorbent vitiosa acida, *Bufo*, *Rana*.

Stercora, *asininum*, *suillum*, *caprillum*, Item *Sanguis* qui effluit *tostus* & exsiccatus, pulverisatus ad ℨj. in convenienti vehiculo propinatus, *Item* externe, si licet, loco hæmorrhagiæ applicatus istam sistit.

Lac ex acrimonia salsa natas hæmorrhagias, item dyscrasiam sanguinis scorbuticam, & exinde sanguinis fluxus emendat.

Ex *regno minerali* eminet *Mars*, omniaque *Martialia*, & hinc quæ ad ejus naturam accedunt, *corallia*, *lapis hæmat. terra Martiales*, *bolus Arm. terra Vitrioli dulc. vitriolum mart.* & *acidularum* potus, *spir. vitr.* In specie *tinct. sulph. vitriol.* item *liquor stypticus*, *Extr. Mart. Hartmanni Tinctura antiphth.* &c. Ipse *Acidularum* potus, aut earum loco *liquor Martis Solar.* egregie conveniunt, p. natur. nimios fluxus sanguinis sistendo, & contra naturales aut deficientes aut inordinatos restituendo, Pertinet huc *Pulv. Sympathet. ex vitriolo rom.* qui sanguini effluenti in[illegible] d qualvis [illegible] norrh. competit, si linteum sanguine [illegible] in [illegible] aut linteum cru[illegible] effi[illegible] b[illegible] utioni dicti pulveris immergatur *Ermull*

S[illegible] *helon. Porficum* [illegible] entissimum [illegible] ur, [illegible] *j. Valles ia.*

Mirabile hoc est ad quemlibet flux[illegible] *excrescentia* illa ni[illegible] in summitate *spica* [illegible] 3. gr. data. *Stockerus Pr Aur.* Rad. *urtica* & *fragar.* [illegible] ta mire sistu[illegible] *Idem* [illegible] *bursa p*[illegible] ℥ [illegible] *gtt.* v. *ol. Martis* [illegible] limccur [illegible] fluxu[illegible] guinis. *Item Essentia corallor.* certissime sistit sa[illegible] narium. *J. P. Faber univ. sap. l. 3. c. 35.*

Quatuor guttæ *Olei Martis*, in haustu vini sum[illegible] statim sanguinem sistunt. *J. Th. de Bry Tr. 2. de* [illegible] *cur. m. c. 13.*

Hoc simplici remedio Medi[illegible] quidam e[illegible] hæmorrhagias narium, uteri etiam, & a[illegible] partium sæpissime curabat.

℞. *sem. hyoscyami albi* & [illegible] *pav. albi* ãã. ℨj. *conserva rosar q. s. m.* [illegible] *Electuar.* Dosis quantitas nuc. [illegible] juglandis. *Rob. Boyle de util. nat. Philos. part. 2. sect.* [illegible] *pri. 6.*

℞. *Aqu. plantag. papav. errat. portulac. spermat. ranar.* ãã. ℥j. *syrupi nymph.* ℨij. *salis prun.* ℈j. *m. f. Julap. dosis* ℥iij. *ter aut quater in die.*

℞. *aqu. hordei* ℔ij. *flor. rosar. rub. m.* j *spir. vitr. q. s. ad gratum acorem, sive circiter* ℨß. *f. Infusio tepida ad* [illegible] *ra extractionem*, *adde syrupi de succo hyper.* ℥ [illegible]. *Dosis* ℥ [illegible] *vel iv. ad libitum*, *sapius in die vel nocte.*

℞. *fol. urtica urent. plantag.* ãã. *m.* ij *contunde aff*[illegible] *aqua plantag.* ℥vj. *f. Expressio fortis sumatur.* W[illegible].

79. *Corneolus lapis*) Qui & *Sardius* di[illegible] p[illegible] Sardinia: Sanguinem undiquaque fluentem pecu[illegible] proprietate sistere perhibetur, vel in iis prop[illegible] vere, vel exterius admoto lapide

78. *Intro sumuntur*) Remedia quæ sangu[illegible] m[illegible] cohibendo refrigerando, incrassan[illegible] & [illegible] gulando hæmorrhagiam cohibent, in hunc modum præscribi possunt.

℞. *Salis prun.* ℨj. *trochisc. de Karabe* ℨß. *lap. hæmat. corall. r. prapar.* ãã. ℈j. *syr. de rosis sicc.* ℥ [illegible] *aqu. plantag.* ℥iij. *f. Julep*, qui detur bis aut ter in die.

℞. *conserva rosar.* & *nuva cydonior.* ã ℥j. *trochi*[illegible] *de spodio* & *de terra sigill.* ãã. ℨj. *corall. ppt.* & *c. c. ust.* ã [illegible]. *fiat Opiata*, de qua sumat ma[illegible] nem castaneæ [illegible] aut ter in die.

Oxycratum satis copiose sum[illegible] eam sedat *Riverius*.

80. *Flores bellidis maj.* & *min. &c.* [illegible] pore collectam plantar. plurimum val[illegible] h[illegible] m sistendam ait *Carrichterus*: Ex eodem [illegible] 6 [illegible] Apri[illegible], ante ortum Solis decerpti flores em[illegible] nuamqu[illegible]

81. *Sal prunella*) *Nitrum depuratum*, [illegible] quævis *nitr*[illegible], egregie compescunt hæm[illegible] ex turg[illegible], æstuatione, [illegible] nimi ebul[illegible] nguinis [illegible] on[illegible] etiamsi per iracundiam excitat[illegible] nt. *Ermuller*. D[illegible] cum aqua adstringente *Prunerosius* C[illegible]

Spermola compositum Crolli Ex *ranarum spermat*[illegible] m ponitur, estque nobile medicamentum cont[illegible] rhagias, dosis ℨß. ad gr. xv Nam [illegible] et *Myrrh*[illegible] tineat, quæ alias facile hæmorrhagias exsus[illegible] minus tamen innocenter *spermola* usurpa[illegible] nunc solitaria, nunc aliis mista. E. g.

℞. *lap. hæmat. prap.* ℈ß. *sperm. Crollii gr.* [illegible] *laud. Op. gr. ij. m. f. Pulvis* [illegible] *divide in ij. part. aq. portul* [illegible] *semperv. maj. impragna cum syr. de portulaca*, D[illegible] vehiculo *aq. vel de plantag. Ermuller*

Spermola comp. Crollii desperata[illegible] orrhagias mire sistit si [illegible]. vel 4. grana cum aqu. *bursa pastor.* exhibeantur. *Cl. Deodatus. Pant. Hyg. p. 134.*

83. *Bursa Pastoris*) Hæc contrita si cum *ovi al*[illegible] & *aceto* commista fuerit & [illegible] non a[illegible] m sanguis constringitur, ut mihi [illegible] m cu[illegible] nugit. *I. Cas*[illegible] *lus Hort.* [illegible] *en. p.*

84. *Crocus Martis* [illegible] b[illegible] *Martia non* [illegible] H[illegible] rhagia sedanda, & quomodo operentur, vide supra §. 77. *Medicamentis.* Landa-

83. *Laudani Opiati granis*) Opiata generalia ſunt Hæmorrhagiarum remedia, dum & *irritationis ſenſum* in hac [illegible] parte excitatum ſopiunt, & *ſpirituum moventium impetum* plus minus refrænant, adeoque quosvis ſanguinis inde concitatos impetus datiores reddunt; quo ipſum *catholicum ἴσχαιμον* id eſt *ſiſtens*, merito habentur, *Etmuller.* Adferuntur etiam *Narcotica*, & præſertim *Laudanum Opiatum*, quod ſumptum cum *aqua polygoni* omnibus palmam præripere teſtatur *Rolfinkius*, Meum interea incutiunt *Hofmannus l. 2. m. offic. p. 420.* & *Borellus cent. 4. obſ. 57.* *Ille* mictum ſubcruentum ſubſequutum, *hic* venam fuiſſe apertam notavit, Verum *Hofmannus* calculo potius quam Opio adſcribere illum affectum debuiſſet; *Boyelii* experimentum firmo non ſtat talo, ut animadvertit *Wedelius Opiolog. p. 158. Etmuller.*

85. *Laudani Opiati*) In contumaciſſimo affectu, & aliis remediis non cedente, ad *Narcotica* veniendum eſt, quæ omnem tum fluxionem, tum evacuationem, & quemcumque humoris motum citiſſime cohibent, & inter cætera *Laudanum* ad gr. iij. vel iv. exhibitum principem locum obtinet: Cavendum tamen ne ægro valde debili exhibeatur, periculum enim eſt ne calor nativus, admodum debilis, narcotica vi omnino ſuffocetur; *Syrupus de papavere* idem præſtare poterit ad ℥j. in Julepo adſtringente hora ſomni exhibitus. *Riverius.*

℞. *aqua papav. rhœ ad.* ℥iij. *ſyr. diacod.* ʒß. *m. f. Hauſtus ſumendus hora ſomni.* Vel

℞. *Conſerv. roſ. rubr.* ℥iß. *pulv. ſem. hyoſcyami, papav. albi* ãã. ℈ij. *ſyr. papav. q. ſ. f. Opiata, Doſis quant. nuc. moſ. hat. 6. vel 8. quaque hora.* Vel

℞. *Laudan cydon.* ʒj. *doſis gtt. xv. bis in die in vehiculo idoneo.* Willis.

8. *Laudani Opiati*) Opiata refrænant fluiditatem & impetum eruptum ſanguinis, hoc modo, Si enim verum eſt ſanguinem affectare exitum motu proprio [illegible] ſalino ſulphureo orgaſmo (vide 4. *A ſanguinis copia*) ex *Wedelio*) Quiete & paſſive ſe habentibus fibris & partibus omnibus ſolidis, citra ullum dolorem ullam coactivam, quoad vaſa ipſa continentia, emiſſionem, ſequitur neceſſario Opiata agere in partes ipſas fluidas, ſiſtendo videl. acrimoniam incraſſando, & motum ſpirituum pacatiorem reddendo. Faciunt hoc Opiata, tam ſibi relicta quam cum adſtringentibus, & ipſis ſerum incraſſ[illegible]ibus ac moderantibus remiſta: Imo notavimus poſt Opiatorum & adſtringentium uſum è vena ſect[illegible] ſanguinem hinc minus fluiſſe. *Wedelius.*

85. *Laudani Opiati*) Ad naturæ facultatem expultricem commotam compeſcendam exhibentur Narcotica; quæ oti in Hæmoptyſi proſunt, poſſuntque eædem Opiatæ uſurpari, vel *Pilula e cynogl. ſyr. papav* &c. [illegible]do ex illis quæ minus calidas recipiunt, quibus ea contemperari, cum per ſe calida ſint narcotica, male putant *Platerus.*

86. *Extra ſolent*) Applicantur extrinſecus variis corporis partibus tum quæ manifeſta qualitate, tum occulta operantur; *Manifeſta qualitate* agentia ſunt quæ actuali frigiditate, alias etiam potentiali, ſanguinis caliditatem fervoremque retundentia, eumque quaſi nonnihil coagulando minus fluxilem reddunt, atque vi adſtrictoria vias per quas ſanguis labitur conſtringendo curſum ipſius intercipiunt.

Ore continetur *aqua frigidiſſima*, ſæpe eam ubi tepuerint renovando.

Colli lateribus, per quæ jugulares venæ & arteriæ *aſcendentes* ad caput, in interiora narium quoque ramos [illegible]ttunt, commodiſſime applicantur, ut ſic ſcaturi[illegible]us ſanguinis inde prodeuntem aliquomodo [illegible]lud[illegible] Q[illegible] & *temporibus* & *fronti* appoſita [illegible]c ſ[illegible]guinem quoque refrigerando & condenſando juvant, Paranturque ea ſequentibus.

Epithemata fiunt ex *Aqua* & *Aceto*, ea ſeparatim vel miſta cum panno linteo intincta, frigidiſſima dictis ſedibus applicandu, quibus & reliqua facies madefieri poterit.

Addi poterit *ſuccus* plantaginis. Et ut melius ſe affigat liquor, *albumen ovi* conquaſſatum, vel *farina volatilis*, & loco aquæ comm. *aqua plantag. burſa paſt.* &c.

Succus urticæ temporibus illitus admodum ſanguinem fluentem ſiſtere dicitur. *Applicationes* aliæ *ſpiſſiores* diutius hærentes ſic fiunt.

℞. *ſucci plantag.* ℥iv. *aceti rub. vel roſat.* ℥ij. *omphac.* ℥iß. *boli* ʒvj. *ſangu. drac.* ℥ß. *malicor.* aut *balauſt* ʒij. *far. tritici* vel *amyli* ℥j. album. *ovor. conqu. n.* iij. Miſce, *Emplaſtra*, ſanguinis fluentis impetum in oculum ac compeſcentia, in Ophthalmiæ Curatione deſcripta, hic competunt. Item *Defenſivum commune ex Bolo* valde proderit, ſi ex eo duo Emplaſtra fiant, & colli lateribus utrinque, ſupra venas jugulares admoveantur.

Unguenta, etſi invalidiora ſint, hiſce ſedibus quoque inungi poſſunt, ex oleis adſtringentibus, *roſat. emphacino, myrtillor. lentiſcino*, additis *ſuccis* & *aceto pulveribuſque adſtringentibus*.

Cataplaſmata ex herbis adſtringentibus, quarum ſuccus convenit, proſunt, quibus & alia addi poſſunt.

Mammillis eadem applicita, cum illic venarum ſit copia, operari poſſunt. *Corpus univerſum*, capite dempto, aquæ frigidæ ſi immergatur, ſanguine refrigerato fluxus illius hac arte quandoque compeſcitur, & in robuſtioribus calidioribuſque, annique tempore fervidiore uſurpari poteſt; In debilitatis vero jam ex fluxu omitti. *Platerus.*

Frigida & adſtringentia ſanguinem plus minus *coagulantia*, ejuſque omnium motum inteſtinum fermentativum, tam naturalem quam præt. nat. refrænantia, adeoque ab effectu *refrigerantia* dicta, caterne applicantur Inter alia convenit inprimis Cataplaſma ex *aceto* & *argilla calcinata*, u. g. ex furno piſtoris, invicem permiſtis, ac fronti, tum temporibus ac nuchæ applicando, ſine lintei impoſitione eſt egregium. Idem *Catap* teſtibus in manibus applicatum, ceu expertiſſimum habetur à *Riverio*, quod in mulieribus mammis applicari poteſt, Alii *Bolum* cum aceto applicant. *Etmuller.*

8. *Extra ſolent*) Arteriæ temporum ſectæ ſtud mirabile comperi *fuligo qua fundo aheni culinaris* co[illegible] ve[illegible]o adhæret derafa, tum ſimplex, tum etiam guttis *aceti* excepta præſens eſt ἴσχαιμον *Severinus chir. trim. c. 10.*

Herba *anagallidis* flore rub. manibus tenetur, ut incaleſcat, & ſiſtetur fluxus. *Matthæus Schmuck Tr. de Occ. Magn. curat. p. 24.*

Ungu. ex *croco mart* paratum cum *ſpir. ſulph.* ad gtt. ij. cum *Oleo viſci pomor.* applicatum incredibili ſucceſſu ſanguinem ſi[illegible]it. *Cl. Deodatus Panth. Hyg. p. 134.*

Lapis *Carpionum*, pulver. cum *lanugine malorum cydonior.* applicatus inprimis laudatur, *Crato conſ. Med. l. 5. cap. 7*

Quendam curatus *oxycrato* cum pan[illegible]is eo madidis, toti ſpinæ admotis ſæpeque renovatis.

Alia hæmorrhagi[illegible] à V. S. ſolo *aluminis* tactu curata eſt: Credo vitriolum & colcothar idem facere potuiſſe. *P. Borellus cent. 1 obſ. 93.*

Primo digitum annul[illegible]em eum au[illegible]cu[illegible] conſtringo, Poſtea admoveo fro[illegible]ti cervicique hoc Cataplaſma.

℞. *argilla uſta & cons. m. vj. aceti acris q. ſ. m. f. Cat. quod* duplici linteo inductum admo[illegible]o actu frigidum, & ſic intra paucas horas ingentem diuturnum continuumque fluorem co[illegible]pe[illegible]ui, *Mart. Rulandus tar. 27. cent. 2.*

86. *Extra solent*) Exterius ad sanguinem refrigerandum, illiusque motum cohibendum, *Aqua frigida*, vel *oxycratum*, variis corporis partibus applicanda fuit, sicque aqua frigida brachiis affundenda, *pedes* in aquam frigidam immergendi, *Testes* oxycrato frigendo fovendi (tum etiam *dorsum*, quia vena cava *& arteria aorta*) eam regionem occupat, & ita sanguis in ea fervens refrigeratur. In maximo autem fervore sanguinis, qui prædictis cohiberi nequit, quidam Practici totum corpus oxycrato irrigant, vel in Balneum frigidum demittunt, quod tamen jam debili ægro existente periculo non vacat. Fit etiam *Fotus cervicis* ex linteo aceto frigido imbuto. *Riverius.*

87. *Fronti applicatis*) Revulsionibus aliquandiu usurpatis, si fluxus nihilominus perseveret ad ea veniendum quæ fluentem sanguinem repellunt, ad Anacollemata vulgo dicta; *fronti & temporibus* applicanda E.g.

℞. *Boli arm. terræ sigill. sangu. dr. thuris masliches, aloës ãã.* ʒj. *farina volat. & pilor. lepor. minutim incisor. ãã.* ʒß. *alb. ovi n.* j. *succi plantag. & solani ãã. q. s. f. catapl.* fronti & temporibus applicandum.

In casu urgente promtissime parari potest Cataplasma ex *bolo Arm. sola cum album. ovi & aceto* subacta, fronti ac temporibus appositum. Efficacissimum ex *gypso* cum *aceto* subacto, & ad crassitiem duorum digitorum admoto; Et si prima applicatio non succedat, iterabitur, & certo curare creditur.

Amatus laudat *pileum* ex dictis adstringentibus cum oxycrato subactis, capiti raso appositum, quod in summa necessitate tentari poterit: *Fotus* etiam fieri potest ex aqua valde frigida, vel oxycrato fronti & temporibus cum linteis frequenter immutatis quamprimum incalescere incipiunt: Vel idem *fotus* fieri potest *ex succo plantagin. polygoni, equiseti*, *bursa pastoris* & sim. addito *aceto* ad penetrationem.

Ubi notandum *caput non esse aqua frigida perfundendum*, neque repellentia fronti admovenda, donec revulsiones sufficientes præcesserint, alioquin sanguis per refrigerantia intro compulsus venas quæ in alto sunt replebit, ut docet *Gal 5. m. m. c.* 6. atque ita fluxus sanguinis augebitur, calore aucto per antiperistasin, à quo sanguinis motus & impetus adjuvatur; aut si sanguis retineatur, convulsio, apoplexia, dyspnœa, aut alius gravis affectus exoriri potest.

Solum etiam *acetum* sanguinem fluentem cohibere potest. Si eo frons cum spongia foveatur: *Gossypium atramento* imbutum, fronti cum fascia ad motum fluentem sanguinem potenter sistit. *Riverius.*

Ex *fuligine album. ovi*, *& aceto mistis frontale* parant, quod raro fallere dicitur; Sic *sperma ran.* cum *pauco alum.* fronti ac temporibus applicatum, *vel* linteum in eo aliquoties intinctum, iterumque exsiccatum, idque repetitis vicibus, tempore usus fronti ac temporibus impositum, egregie hæmorrhagias reprimit. *Ettmuller.*

Huc pertinet Frontale *Poterii cent.* 1. *Cur.* 67. ex *croco martis*, *bolo Arm. & opio cum ol. rosar. mistis* & temporibus applicatis, quo ipso contumacem hæmorrhagiam curavit.

Nil melius est quam *Thalerum Ioachimicum* fortiter fronti alligare per horam. Joh. *Kornhaverus comm. in lib. Parac. de Peste.*

Pulv. *cochl. ustar.* ʒj. *creta* ℥j. add. *acet. rosac.* fronti applicatur, mire juvat. *Capivaccius Pr. l.* 1. *c.* 52.

Bursa Pastoris contrita, si cum *ovi album.* & *aceto* contrita fronti applicetur, confestim sanguis constringitur, ut mihi non semel contigit. *J. C. Barticellus Hort, Gen. p.* 159.

87. *Fronti*) *Narium radici* faba aut numisma argenteum, inte c ia tum, & fascia arcte alligatum, ut fortiter partem comprimat, fluxum cohibe um etiam animadvertendum est an in temporibus, aut fronte venæ aut arteriæ meant, tum enim e n te, aut faba ficca per medium in lo comprimere fascia intervenient optimum & mum remedium est, Et ad majorem omp supra fabam aut numisma, albumen ovi c adjecto gypso & stupa exceptum, admovendum est.

Fit etiam *Fotus cervicis* ad sanguinis impetum a teriora retundendum, ac ascensum prohibendum, ex teo *aceto frigido* imbuto, quod collo cumduc & frequenter immutari ante quam incalescat.

Oxycratum ore detentum, & sæpe immutatum, nem etiam ad partes superiores confluentem re etiam impedit ne sanguis è naribus ad gulam de quod sæpe contingit Ad idem valet acetum in *aurem* instillatum, nari fluenti vicinam, si enim vena quam fluit sanguis restringitur. *Riverius.*

88. *Aqua communis frigida*) Conspersio faciei aqua frigida, non solum repellit sanguinem fluentem, se eundem retralit ad interiora beneficio timoris, qui ex aqua frigida in faciem ex improviso injecta exoritur Sicut enim syncope sanguinis fluxum cohibet ob loris ad Interiora recursum, eadem ratione Timor, a quo similis retractio, potest conducere Frigida au sans magna copia in faciem conj ienda, ad d vel tres cyathos per brevia intervalla projecto. *Riverius.*

89. *Muscus cranii humani*) Seu *usnea*, nobile est *ἴσχαιμον*, quatenus per mumiam microcosmi impræ-gnata est, & externo & interno usu periculo issimis sistit hæmorrhagias, *interne* ad gr. xii. ad ℈ *externe*, si fieri potest, vasis admota, Refert *Lindanus* e om n ime, quas nullis remediis sedare potuit hæm hagias stitisse solum per *usneam cranii humani.* Unde *Hellerus cent.* 1. *obs.* 20. periculosissimam hæmorrhagiam narium, ex potu vini concitatam illius ʒß. cum *aq. bursa pastoris* curavit. *Ettmuller.*

90. *Succus urticæ*) Sane *succum urticæ maj.* ad ℥. aliqu interne assumptum ad quamvis hæmorrhagiam in se extollunt Practici; in specie *Riverius & Zacutus*, qui hoc ipso desperatam hæmoptysin curavit, unde quidam *Syrup. ex succo urticæ* in promptu habere solent.

91. *Naribus indantur*) *Spongia aceto* imbuta est efficax: *Vapor aceti* in laminam candentem affusi naribus exceptus venas apertas constringit Ad idem valet oxycratum naribus frequenter attractum Præ s *repellentia* in usum revocanda sunt, quæ ipsas venas apertas occludere & conglutinare solent; *Galenus* in *Euporistis* c. *thus & aloen* in pulverem redacta albumine ovi excipit & cum linteolo, aspersis prius pilis leporinis, in nares immittit. Vel

℞. *thuris, aloes, sangu. drac. farina vol. tela aranear. & pilor. leporin. minutim incis. ãã* ʒß. *excipiantur suc o plantag. & gossypio*, fiantque *Turunda* in nares frequenter immittendæ.

Iidem *Pulveres* in nares insufflari poterunt, Conferre ajunt quidam Practici *Cinerem testarum, ovorum, & chartarum*, Verum circa usum horum verum obl um est, dum illi administrantur, os aqua frigida plenum esse debere, ne medicamentum ad os per palatum transferatur: Potenter etiam sanguinem n cohibet gossypium atramento infectum, quo thecis scriptoriis asservari solet, si aliquantulum um, & in rusundæ formam effictum naribus immittatur. *Riverius.*

Si quidem Aqua (*Vitriolica*) na injecta vasoru osculis non satis adhæret, sed à sanguine erum eluitur priusquam virtutem u n exer possit co potius expedit vel *Pulverem stypticum* ula, v *Turundam aqua vitriolica* ta u, aut p e, aut

vere

vere adstringenti imbutam, ad naris summitatem intrudi. In hanc rem *Pulveres* styptici plures ac diversimode præscribi solent: Ego sæpissime utor, aut *croco Martis* ad summam albedinem calcinato, aut pulvere *vitrioli camphorati*, aut fuligine vitriolica de fundo cacabi ænei veteris derasa, cujus pulverem in hoc casu sæpe cum successu expertus sum: In obstinatis hæmorrhagiis, aliisque remediis non cedentibus, Turunda, cujus summitas *Colcothare* caustico imbuitur, naribus altissime immittatur, ut vasorum osculis inustis, & eschara obductis, sanguinis effluxus omnis illico sistatur. *Willis.*

91. *Naribus indantur*) *Grana in flor. tiliæ* justo tempore collecta & pulver. cum aceto mista, & naribus indita, potenter sistunt sanguinis fluxum, teste experientia. *Wittichius in vade mec. p.136. Stercus asini* pone super tegulam calidam, & recipiat patiens fumum per nares, sanabitur indubie. *Expertum. Varignana, Chalcitis* naribus admota mirabile solet esse remedium *Valleriola.* Pulvis ex herba *gratia Dei* vocata compositus mirificam sistendi sanguinem vim habet. *Ranzovius de conf. san. c. 43. Urtica vulgar. fol. succus* naribus inditus, hæmorrhagiam etiam ferocem illico sistit. *Prævotius M.P. p.239.*

A proprietate hanc sistit *stercus suillum* pro odore naribus subjectum: Parens meus admiscuit *fragmenta ollæ veteris* pulverisata, & sic ad miraculum sistit sanguinem; *Hoeferus H.M. l.1.c.10.* Quosdam præter spem curavi solo pulvere putaminum ovorum ex quibus pulli exclusi sunt, naribus insufflato, quo facto desiit fluxus, *Grubingius. Cent.9. cur.42.*

91. *Naribus*) Quædam *cinere chartarum adustarum* albarum, naribus immisso tandem sanata est. *Forestus lib.3.obs.10.* Efficacissimus est hic: Pulvis ad insufflandum in nares, *Spongia aceto acerrimo imbuta & pice liquida circumducta, in fictili cremata. Claudinus Emp. rat.*

Molarem lapidem ignitum *aceto* acerrimo extinguito, vaporem naribus excipe, & ita fluxionem compescet. *Aetius.*

Accepi *atramentum* cum *aceto rosac.* & cum fuligine fumarii simul mixta, cum lana succida involveos naribus imponebam, & sic fluxus cessavit. *Forestus lib.13. obs.10.*

Fumum etiam ex *Electro albo* accenso per nares, clauso ore excipiebat æger, mane ac vesperi, quo vires roborare valde fuere. *M. Rulandus cur.27.cent.2.*

91. *Naribus induntur*) Quæ vi siccante & adstringente venas apertas constringendo claudant, vel nonnihil adurendo crustam obducendo vas sic obturent, vel emplastica sua substantia se illis agglutinantia, sanguinis effluxum cohibeant; Talia autem vel in forma *Errhini* naribus *attrahuntur*; vel *unguento* tenuioris spissioris ve cum penicillo aut digito *imponuntur*, vel linteo aut spongiola excepta intruduntur, aut *pulverisata insufflantur.*

Plantæ aliquæ parum conquassatæ indi possunt; veluti *plantago*, *equisetum* illiusve *radix*, *bursa pastoris*, *millefol. lysimachia*, aliæve adstringentes, *Cineres combustarum chartarum, panni lintei & lanei, pilorum leporis, bombacis, spongiæ, testarum ovorum* per se vel cum *vitello* ustarum, *cochlearum, & imprimis ranarum, fuligo camino* adhærens.

Sanguis qui è naribus fluit, si compressa vel obturata nare, è qua manat, tamdiu retineatur, donec concrescat, vasa obliterando, ut fluxus illius cohibeatur efficit; Vel portio effluxi, per se, vel cum *ovi vitello* mista, tosta & usta ut pulverari queat.

Tela araneorum tum solæ, tum farina quæ in molendino dispergitur imbutæ, *Fungorum*, quos *crepitus lupi* vocant, siccatorum mollissima & levissima substantia lanuginosa; *Pappi flor. Salicum* & aliarum plantarum,

Lanugo foliis populi albi adhærens prius in *aceto* macerata siccataque, si naribus intrusa venam quæ sanguinem profundit, tangunt, cito eam obturant, Opitulante sanguine, qui concretus illis adhærescit.

Pannus lintei vel *serices* aut *bombacis*, *scriptoriis* immergi in illisque retineri ad scribendi usum solet exempta aliqua portio, si siccetur, naribusque indatur, uti & in pulverem reducta ac immissa valde juvat.

Chalcitis & auripigmentum subactum cum *stercore asini*, additis & *succu. Platerus.*

Fuligo furni cum *album. ovi* mista, turundæ illita, & naribus intrusa, hæmorrhagiam sistit, aut etiam *album. ovi* cum *alumine* subactum, dicto modo applicatum: Nempe est in *fuligine* acidum, cum *terreis partibus* admistum, à quibus vis adstrictoria.

Præstantissima *fuligo* est ista quæ è fundo vasorum & cacaborum æneorum, quæ in culina usurpantur, colligitur, quæ cultello separata, ac naribus intrusa, vel pulverisata cum sanguine patientis mista, & turundarum forma naribus immissa sanguinem sistit, Remedium à *Willisio*, tanquam expertum etiam commendatum.

Stercora animalium (vide §. 94. *Stercus asininum*) eodem modo juvant, & omnia adstringentia. *Etmuller.* Stupa aqua sequenti madefacta, naribus indita potenter compescit hæmorrhagiam. *Otho Heurnius Not. ad Fernelii Pathol. c.6. l.5.*

92. *Radix Zazanii*) *Bartholinus cent.5. hist.97.*

93. *Stipites Melanthii*) Radix pseudomelanthii sub linguam posita hæmorrhagiam sistit, *Wedelius.*

94. *Stercus asininum*) Laudatur ab authoribus *stercus asininum*, aut *porcinum* usurpandum, Narrat *Rod. à Castro 1.de m.m. c.5.* Medicum quendam septuagenarium, hæmorrhagiæ maxime obnoxium, stercus asininum modice exsiccatum in capsula semper gestare solitum, cui medicamento nullum aliud simile se reperisse ajebat, præsertim si *succo urticæ* commixtum, siccum aut recens per se naribus adhiberetur. *Zacutus Lusit. Prax. hist. c. 2.* stupendam narium hæmorrhagiam in septuagenario excarni & debili se hoc remedio curasse refert, cui reliqua remedia frustra administrata fuerant, & xvij. sanguinis libræ effluxerant: Id in exquisitissimum lævorem redactum omni juri potuique permiscebat; ex eodem tabellas cum saccharo efformabat ægroque edendas præbebat cum aqua chalybeata, quo auxilio solo, vij. dierum spatio æger à fluxu salvus evasit.

94. *Stercus suillum*) *Fimus porcinus* inter præstantissima specifica etiam recensetur, si adhuc calens fronti & temporibus admoveatur, vel olfaciendus præbeatur; vel siccus in nares immittatur. E. g.

℞. *Stercoris porcini exsicc.* ℥iij. *pulver. rosar.* (ad fœtorem tollendum) ʒß. *Excipiantur, succo plantag.* & in eo intingatur bombax in nares immittendus, *Riverius.*

94. *Stercus asininum aut suillum*) Adde & *caninum*, quæ tria, utut apparenter sordida, sunt revera præstantia, interne & externe, præter *Pulverem* ex his paratum, Ex *stercoribus istis expressus succus ab* ℥j. *ad* ℥iß. incongruenti vehiculo est efficacissimus, E.g.

℞. *succi sterc. asin. syr. myrt. ā̄ā.* ʒß. *aq. plantag.* ℥j. *m. f. Potio.* Alii *ex dictis succis* cum *sacchare* parant syrupum. Vide *Prævotium* & *Joelem* in Praxi. *Etmuller.*

95. *Bufonis exsiccati*) *Finkius* testatur bufonem exsiccatum, & pulverisatum in syndone rubea, axillis suppositum, vel manibus retentum ut incalescat, sanguinem statim figere: eumque velut Gorgonis conspecto capite statim rigescere: Alii bufonem sub dio suspendunt donec caro universa absumpta sit, os femoris denudatum servant, idque nari inditum hæmorrhagiam in instanti cohibere asserunt.

Nec minus empiricum, & remedium ἄλογον videtur, quod sacculus è serico, cui *Buso siccatus* includitur, supra ventriculi scobem gestatus hæmorrhagiam quamcumque sistat, ejusque reditum præcaveat; nisi forsan juxta *Helmontii* aitiologiam) applicatura ista Archæum terrefaciendo, sanguinem illico perculsum, ab excursu suo inordinato recedere aut desistere cogat. *Willis.*

95. *Busonis exsiccati*) *Buso* Sole in Leone existente transfossus, & in syndone rubra oppensus, vel applicatus sub axillis, in specie convenit in hæmorrhagiis morbosis seu febres malignas comitantibus, Aut etiam recens contusus axillis applicetur. *Etmuller.*

96. *Admovetur ferrum ignitum*) *Zacutus Pr. Adm. l. 1. obs. 66.* refert se desperatam hæmorrhagiam apposito cauterio actuali in utraque planta pedum cohibuisse; quod remedium similem successum habuisse refert in magna sanguinis excretione per os, ex venæ raninæ apertione producta, quæ ab acri catarrho erosa fuerat; & cum biduum sanguis ad ℔xx. effluxisset, multaque emplastica & adstringentia admota fuissent, revellentia & incrassantia, tum etiam narcotica usurpata, cauterio in eadem pedis parte indito fluxum omnino cessasse: Hoc remedium non consulimus, *inquit Willis*, nisi juvandi ratio sit certior, quæ dolorem & claudicationem secuturam compensaret.

96. *Ferrum ignitum*) Cuidam, omnibus irritis, mulieris suasu, nari stillanti ferrum ignitum admovebatur, & derepente à vapore sanguinis torrefacti in nares suscepto, istius fluxus sistebatur: Hoc remedium postea in plerisque bono successu usurpatum novi. *Willis l. de Febr. c. 11.*

96. *Admovetur eidem ferrum ignitum*) Nari sanguinem stillanti ferrum ignitum supponatur, ut vapor sanguinis torrefacti in nares suscipiatur, illico fluxus sedatur. *Willis. cap. de* Ἐμπυρεύσεως.

96. *Admovetur eisdem*) Odor *aceti* acerrimi juvat, cui & camphoram aliqui prius addunt. *Platerus.*

97. *Alumen*) Hoc vel ita integre naribus intrusum, vel cum *lacca pictorum* in formam Pulveris redactum, & ita cum turunda in aqua humectata applicatum, Vel solutio ejus dicto modo naribus intrusa, nobile est stypticum sanguinem sistens; Vide *M. C. A. 1. p. 90. & Borellum cent. 4. observ. 7. & 50.*

98. *Cum colchotare &c.*) Tandem hæmorrhagia prædictis remediis, dictis & dicendis, non cedente, ad *Escharotica* veniendum est, quæ venarum extremitates apertas comburendo crustam inducunt & sanguinem inhibent; In iis tamen magna cautio adhibenda est, quia dum eschara decidit, vasorum apertio plerumque renovatur, & sic fluxus redintegrari solet; Inter escharotica autem principem locum tenet *Vitriolum ustum*, quod præterquam quod escharam inducit, ad quemvis sanguinis fluxum sistendum est efficacissimum: Si mitius remedium desideres, vitriolum aliis permiscendum E g.

℞. *gallar.* ℔ß. *alumin.* quart. j. comburantur & calcinentur, f. Pulvis in naris profundum demittendus.

Vel

℞. *boli Arm. sangu. drac. thuris, aloës gypsi, vitrioli usti, sarcocoll. mast. ā ā.* ʒj. f. Pulvis subtilissimus: *Vitriolum album* mitius operatur quam vitriolum ustum, neque valde escharoticum est, hæmorrhagiam tamen potenter cohibet, orificia venarum constringendo, si in nares cum turunda ex gossypio confecta immittatur. *Riverius.*

Ultimo loco ad *Escharotica* deveniatur, Inter *Liquida*, non modo prima, sed instar omnium habetur *solutio Vitrioli aqua fontana* facta: Quidam hanc pro magno secreto & certissimo ἰσχαίμῳ venditant Profecto eadem recenti vulneri appli[illegible]ta, quatenus va[illegible]orum discissorum extremitates [illegible] occludit, sanguinis fluxum cohibet ac potenter sistit.

Verum applicatio ista in Hæmorrhagia [illegible]arum, ubi sanguis ad arteriolarum oscula dehiscentia delatus excipi debet à venis, quatenus has æque ac potius quam illas occludit, minus, ac sæpe non omnino pr[illegible] prout sæpius expertum novi: Paratur medicamentum hoc ex *vitriolo vir.* videlicet *Hungar.* aut nostrate, etiam ex *vitriolo Martis* factitio, in s. q. aqu. font. dissolutu; Scio nonnullos commendare *Vitrioli Rom.* solutionem, quam non tantum inji[illegible]ndo, sed etiam sympathetico linteo cruentato applicando adhibere [illegible] Quin & aquam ex infusione *vitrioli albi*, cum *olo & camphora* paratam, tum ad vulnera, tum ad alias hæmorrhagias, frequenter & quidem utiliter usurpatam novi. *Willis.*

98. *Vel cum atramento*) Quin & corrosivis aut cathereticis, quidam utuntur pro sistendis hæmorrhagiis, in quibus caute agendum est; Licet enim ob [illegible] partes austeras adstrictorias cri[illegible]pent va[illegible] tamen ob conjunctas particulas acres salinas irritant eadem, & hinc tantum, nisi plus nocent quam prosunt nisi nempe partes terreæ minores præpolleant, [illegible]næ vero sint obtusæ, & caute iis utamur, ut [illegible] mortuo vitrioli. *Wedelius Am. m. m. pag. 97.* Vide §. [illegible]triolum.

99. *Aqua spermatis ranarum*) *Rana*, in specie *viridis*, exsiccata, ejusque *pulvis in vino rubro* pro[illegible], mire hæmorrhagias sistit, Quæ vivæ [illegible] ter applicari possunt; Inprimis excellit [illegible]*ma ranarum*, quod nunc solitarium, nūc cum pa[illegible] *acet*[illegible] applicatū, vim obtinet hæmorrhagias c[illegible]pescendi. *Etmuller.*

100. *Vertici capitis*) Quæcunque loca sanguinis alterationi & refrigerio magis inserviunt, apta nata potissimum sunt quibus Ἐμπυρεύματα adhibeantur, quæ inter & vertex est: Utut enim sint qui frustra bregmati applicari ea contendunt, quod non exinde ad nares devolvatur sanguis, attamen ea applicatio secundum ductum vasorum instituitur, & actuali frigiditate activa satis est & alterans, Imo nec ossium vallum obstat, siquidem refrigerans illa vis satis ad interiora usque evibrat suum effectum. *Wedelius.*

100. *Vertici capitis*) *Amylum mistum* cum *bolo Arm. & ovi albumine* exceptum, inductumque *stuppa lini*, si applicetur vertici secundum ductum suturæ sagittalis; cui subjacet falx duræ meningis; Enormes hæmorrhagias sæpe sic inhibui. *S. Pauli Quadr. Bot. p. 94.* Pro[illegible]cano remedio Nob. mihi revelavit *muscum ex te[illegible]ula*, quem aceto imbutum vertici imponi suasit. *Bartholinus cent. 5. hist. 97.*

101. *Bursa pastoris*) Aperiam quod mihi, cum summa languentium utilitate semper adhibere profuit, Bursa pastoris contrita, si cum ovi albumine & aceto commista fuerit, & fronti applicetur, confestim sanguis restringitur. *Aut. le Grand Comp. Nat. &c. ex*

102. *Sub alis*) Quia illic vasorum concursus.

103. *In aurem è directo*) *Riverius cap.* de hæmorrhagia.

104. *Hepatis regioni*) Cum sit sanguinis officina, ut statim sanguis in prima illius generatione temperatior minusque fervidus gignatur, quæ illud nonnihil potentia potius quam actu refrigerant, maxime si calidius sit, illius intemperiem hanc castigent, adhibeantur. Utpote epithemata, qualia in hepatis inflammatione, & febrium putridarum continuarum, Item *inunctiones & sacculi*, ibidem tradita. *Platerus.*

104. *Hepatis regioni*) Optimum est hepar & lienem Epithemate refrigerante vel etiam *oxycrato* tepido fovare, ad sanguinis ebullientis fervorem temperandum

E. g.

Eg. ℞. *Aqu. rosplantag. portul. acetos. cichor. āā.* ℥iv. *sem. portul. acetos. cichor. āā* ʒj. *trochisc. de caph. & santal. citr. āā.* ij *aceti* ℥ij. in t. Epithema. *Riverius.*

Sunt qui talia etiam regioni hepatis applicant, ac desperatis hæmorrh. consulunt, Vide *Horstium l.4. obs. 46.* ubi notabile occurrit exemplum, quod ex tali Epith. hepatico suppressa quidem fuerit hæmorrh. narium, sed insequente diarrhœa biliosa. *Etmuller.*

105. *Bufo*) Bufo exsiccatus hæmorrhagiam certe sistit, si vel pone aures per se applicetur, vel pugno includatur, ut incalescat, vel axillis subligetur, vel collo appendatur. *Schroderus Pharm.*

Hic exsiccatus, subaxillis detentus certo experimento sedat hæmorrhagias narium, & alias, tum ob effluvia similia (vide §. *Seu refrigerantibus, seu adstringentibus*) est enim animal frigidum & terreum; tum quoque quod Archeus inde abhorrescentiam quandam contrahat, Vnde intro humores magis vocat, & consequenter hæmorrhagia cessare cogitur. *Wedelius.*

a. *Plantis pedum*) Quibus *ranam* vivam cum successu adalligavit *Kozach. l. 12. c. 2. de hæmorrhagia.*

a. *Plantis pedum, volis manuum*) Indubitatum experimentum Nob. mulieris, Sumebat frustum *cretæ albæ*, digito annulari continebat è regione naris sanguinem fundentis, donec incalesceret, statimque sanguis supprimebatur. *Forestus observ. 13. libr. 13.* Remedium mirum, *herba urtica* contusa, & cum *ejusdem aqua* destill. imbuta, plantis pedum & volis manuum applicata. *Borellus cent. 1. obs. 93.*

1--. *Epithema ex aqua*) Apud *Horstium l. 4. observat. 46.* notabile recurrit exemplum, quod ex tali epithemate hepatico sedata fuerit hæmorrhagia, sed insequente diarrhœa biliosa. Epithema ex *aceto, succo semperv. maj. & nitro* addito plus minus *camphora* testibus applicatum, mirabiliter hæmorrh. narium sistit. *Etmuller.*

107. *Plantis pedum & volis manuum*) Harum partium refrigeratio iterata juvat, quæ fit lotione cum *aqua* vel *aceto* intense frigidis; vel madefaciendo præcipue volas manuum & plantas pedum, aut carpi regionem, ubi arteriæ pulsant; Vel *silices, ferrum*, aliave frigida manibus tenenda, vel pedibus lotæ laminæ ex ferro &c. substernenda. *Platerus.*

∂. *Vrtica communis contusa*) Quæ inter specifica enumeratur, & proprietate occulta sanguinem fluentem cohibet. Ejus *succus* miris laudibus effertur ad quemlibet sanguinis fluxum, ex quacunque parte prodeuntem, maxima efficacia cohibendum, & ideo tum per os exhibetur ad ℥iv. semel atque iterum, tum per os attrahitur, tum fronti & temporibus admovetur, in formam cataplasmatis cum farina subactus, vel tota Vrtica contusa dictis partibus admovetur: Nonnulli asserunt radicem ore detentam sanguinis fluxum statim constringere. *Riverius.*

108. *Testiculis*) His, cum multa vasa sanguinem deferentia admittant, & consensum magnum cum universo corpore habeant (uti ex mutatione temperamenti, si castrentur, apparet) refrigerantia admota admodum hæmorrhagiam narium compescunt. *Platerus.*

--. *Testiculis mantile*) Quod usitatum est lintea, aut spongiam aceto madefactam pubi & genitalibus applicare, haud alia ratione quam ligatio membrorum juvat, in quantum vid. sanguinis venosi refluxus impeditur. *Wolss.*

1--. *Mantile aqua*) Vel foveantur panno vel spongia madefacta, vel imbuta aqua frigidissima per se existente, vel refrigerata nive aliove modo; cum hic minus quam si [illegible] um caput hæc apponeretur sit periculum. It[illegible] *aceto* aliisve Epithematibus, quæ collo, temporibus & fronti applicari solent; Vel etiam aliæ applicationes. *Platerus.*

110. *Magneticam curationem*) Ad reprimendum sanguinis è Naribus effluxum recenseri debent remedia quæ medio occulto & per sympathiam operari perhibentur, Cujusmodi imprimis sunt *Pulvis sympatheticus*, ex *Vitriolo Romano* per Solem æstivum ad albedinem calcinato: Item *ligni e fraxino* virgineo, sive primum arborescente, & circa momentum quo Sol Tauri signum ingreditur, incisi portio; Cujus remedii efficaciam, in nuperu bello civili, pro sistendis militum vulneratorum hæmorrhagiis, plures fide digni probatam testantur. Quin etiam adhuc nonnulli huc cum multa fiducia, in quibusvis sanguinis eruptionibus præscribunt. *Willis.*

Specifica inter primarium locum habet *Bufo*. hinc & Empl *magneticum Cnophelii* ex *Bufone* locum *habet, Vide M. C. A. 6. App. p. 33. Lignum sympatheticum* ex *fraxino* certo tempore decisum, revera nobile experimentum, cujus naribus admoti felicem successum stupens observavi. *Hæmatites* in manua detentus egregium est remedium, Differentia tamen hic observanda, cum non omnis præstite soleat, Quoad ejus electionem vide *Boyleum de Gemmis.*

Si quid aliud, certe *Iaspis* genuinus, cujus rubedo venulis herbaceis est distincta, argento cinctus, hæmorrhagias sistit si saltim manu detineatur, Vide *Hildanum Cent. 3. obs. 2. Boyleum Tr.* de *Gemmis pag. 102. Smuch* in curat. magica magn. *Etmuller.*

110. *Magneticam curationem*) Occulta vi compescere solo contactu creduntur *Amuleta* quædam, si collo appensa, circumligata, manibus gestata & si corpus nudum attingant: Ex *gemmis* parati globuli, filo trajecti, usurpantur, *Jaspis. Sarda. Carniola* alias dicta, *Onyx, Corallium.* quæ & actu frigida collo circumdata, vasa illac transeuntia si tangant, frigiditate simul sanguinis fluorem compescunt.

E plantis prosunt *clematis. bursa Past. rad. bistorta. muscus* qui *cranio* hum. & *buxo* adnascitur. In ore retentum *lapidem cyprinum*, prius refrigeratum citissime hæmorrh. compescere dicunt; Eum aliqui esse putant cartilaginem quadratam, capitis & primæ vertebræ articulo interpositam; partim cartilaginosam, partim osseam, & proin eum in palato, vel in faucibus inveniri docent; Verum cum alius lapis in cerebro *Carpionis* inveniatur prope oculi illius superficiem, qui semilunaris est duriorque; & in reliquis piscibus lapilli ibidem forma *similes quoque deprehendantur*, ut in Perca, hunc potius pro vero haberem, *Gemmarum* dictarum globuli ore quoque detenti, in frigida, ubi incaluerint, rursus refrigerati, efficaciter juvabunt. *Pervinca radix* linguæ supposita idem afficere scribitur: Capiti si *urtica* insternantur atque ipsius integumento substernantur, fluorem compescere ajunt, Uti & si frons *succo urticæ* admodum madefiat.

Cum *Imaginatio faciat casum*, non reticendum quod multi certissimum esse affirmant, si cum sanguine qui è naribus effluxit scribatur in fronte patientis, Consummatum est, Reliqua superstitiosa prætereo. *Platerus* Vide supra §. *Seu qualitate occulta.*

a. *Per vitriolum*) Hujus solutio, vel ad albedinem calcinati, Pulvis, dictis modis (Vide §. *Alumen*) coagulando sanguinem & adstringendo orificia vasorum egregium est: Et sane ex hoc ipso, ceu basi, decantatus ille *liquor Galli Stypticus* revera oritur, utpote qui quocunque loco, externe usurpatus, sanguinem undecunq; erumpentem sistit, Vide *Acta Hafn. vol. 2 p. 353.* Par ratio si à quibusdam *atramentum* laudatur, quod quocunque modo naribus applicatum & intrusum confert, vi nempe *styptica vitriolacea*; Sic *Tinctura sulph. vitrioli* naribus immissa eundem effectum sortitur, Sic phlegma *spi[illegible] vitr. acidulum*. cum potentissime sanguinem inspisset & coagulet, naribus immissum fluxum reprimit. *Etmuller.*

[112] *Dividitur* hæmorrhagia tripliciter, à Causis, [113] Sanguine & L [illegible]

I. *Alia* est [114] ab *ἀναστομώσει*, *quæ vel fit à* [115] *sanguinis copia &* [illegible] *tum* rubet [illegible] dunrur, victus liberalior præcessit [illegible] *Vena* [illegible] locum habet. Caput a[illegible] fundendum, ne sanguine detento aliquid deterius sequatur [illegible] N[illegible] mad[illegible] [119] inter initia collo injiciendum, ne viæ inter cerebrum & cor præcludantur.

Vel [illegible] *ab acrimonia* [121] *& tenuitate*; tum signa [122] *cacochymiæ* adsunt. [illegible] *antibus*, ut [illegible] *armeno*, *sanguine draconis* & aliis agendum.

Vel à *facultatis irritatione*, & tum eadem præsto sunt.

Vel ab [124] *ejusdem imbecillitate*; & tum sanguis per intervalla exit, nec m[illegible] mo[illegible] hepar debilitans præcessit. [126] Curatio ad illum etiam obvertenda.

Alia à [127] *διαπήδησιν*: ab *humore acri* & aliis, & tum sanguis majore copia fluit [illegible] vel causa al[illegible]a violenta præcessit, vel signa [128] biliosæ caecochymiæ adsunt

Alia à [129] *διαπήδησιν* & tum sanguis paucus est, &c. vi[illegible]

II. [130] Alia est *sanguinis arteriosi*, qui calidus, rubens, subtilis, [illegible] cum spuma & impetu ex[illegible]liens. [132] Alia *venosi*, crassior & nigrior.

III. Alia est *sanguinis ex venis cerebri* prodeuntis, & tum capitis dolor p[illegible]fit, fluxus non facile sistitur. Alia ejusdem ex *venis narium* prosilientis, & tum contr[illegible]rium accidit.

[112] *Dividitur Hæmorrhagia tripliciter*) Præterea omnis vel *Spontanea* est, vel non *Spontanea*, *Spontanea* est opus naturæ exonerantis corpus, ut in *fluxu mensium* patet, aut *hæmorrhoidum*, aut *hæmorrhagiis narium periodicis &c.* *Non spontanea* est vel *critica* vel *symptomatica*; *Critica*, quam post materiæ coctionem natura in morbo facit, ut una per illam curet, Et hæ duæ species, *Spontanea & non Spontanea critica*, nunquam curandæ nisi sint immodicæ, Nam *spontanea symptomatica*, vel *morbus* est, vel ex *habitu corporis morboso*, unde primario præcaveri & curari potest.

Deinde Hæmorrhagia est vel *Habitualis* vel *Accidentalis*, *Habitualis* crebrius, & vel brevi, vel nulla præcedente occasione redit & affligit; *Accidentalis* vero raro, nec nisi magna data occasione contingit & affligit: *Accidentalis*, est vel *cum febre* vel *sine febre*, Ibi ad *turgescentiam & ebullitionem sanguinis* simul plus minus respiciendum, Item an *critica* magis an *symptomatica* fuerit. *Etmuller.*

[113] *Sanguine*) Sanguis per se hæmorrhagiam inducens, aut quantitate aut qualitate peccat, proindeque dum occasionaliter effervescit, intra vasa contineri nequit quin eorumdem ora aut distendendo aperiens, aut acrimonia referans foras e[illegible]ibus accedit quod sanguis interdum in comp[illegible]olutus [illegible] quasi venenatus, circulationis fi o continuando impar evadit, quatenus nimirum portiones ejus ab [illegible] decedentes partim in cute aut carne d[illegible]untur n[illegible]crosin passæ, partimque erumpentes h[illegible]s immanes, & non raro lethales cien[illegible] bus malignis & aliqua[illegible]nus nonnunquam in S[illegible]rbuto cernitur: Attamen sanguis m[illegible] quantitate aut acrimonia peccans, nisi vasorum culpa etiam superveniens effluxum ejus prorit, non facile nimis permittat, raro in hæmorrhagiam immanem erumpit. *Willis Pharm. rat. P. 2. sect. 3. c. 2.* Vide plura §. Causis.

[114] *Ἀναστομώσει quæ vel fit*) Anastomosis fit [illegible] *tu* [illegible] vel [illegible] *vasorum*, vel *ut insigne* [illegible] *sangui*[illegible]ter eundem vel *abundan*[illegible]*m*, vel *tu*[illegible] [illegible] *rmentescentem* V[illegible] *rum*. pr[illegible] [illegible] hæc [illegible] *stricta* aut *laxa*. Adeoque [illegible] *ter* [illegible] fit.

[illegible] *abund*[illegible] vel *plet*[illegible] *ram sanguinis* aut [illegible] que raritatem.

[illegible]

febrili, V. g. in *principio* [illegible] *olarum* turgescens & [illegible] dammodo ebulliens sangui[illegible] sicque mole auctus [illegible] natiis vasis & receptacul[illegible] tineri amplius [illegible] quin per capillarium orificia distend[illegible]ns eadem, [illegible] aperturam faciendo erumpat, Hinc *obesi*, [illegible] *potatores*, frequentius hæmorrhagi[illegible] obn[illegible] quo multum [illegible] simul *suppressio ordinari*[illegible] cuju[illegible]m quodam in loco sanguinis *excretionis* [illegible] & ad *statum vasorum* a sanguin[illegible] pe[illegible] us minus irritatorum, hinc *sanguinis* [illegible] *atione* [illegible] ctus habendus.

3. Anastomosis à *san*[illegible] *tenui*[illegible]*te ob fere abundantiam*, seu nimiam aquositatem oritur, quo fa[illegible] & *fibrarum & partium* tonus *laxior*[illegible] ut ipse sanguis sua tenuitate [illegible] le orificia venarum p[illegible] e demque aperiat, U[illegible] tamen & hic [illegible] plus minu[illegible] *al*[illegible], aut *acido*[illegible] [illegible] roliva [illegible] dere [illegible] : Vulgo [illegible] *male* [illegible] *cantis* hæmorrhagiæ hæc con[illegible] ur vitiu[illegible] tem hæ[illegible] *in primis* [illegible] , & inde nata vel *sero*[illegible] pos[illegible] curri[illegible] pr[illegible]o, nimium [illegible]

[illegible] æquabilis [illegible]

[illegible]

Splene [illegible] supervenient [illegible] pulsatione [illegible]

[illegible]

[illegible] & ta[illegible] maxis

minus coarctent, ex impetu sanguinis per arterias ejus quidem influxus adhuc contingit, sed non refluxus, qui plus minus impeditus, per venarum magis flaccidarum ac molliorum ora constricta per vicina loca, qua data porta ruit, arteriolarum anastomosin parit, sicque hæmorrhagiam infert; Sic nempe nimia narium irritatio ab euphorbio &c. hæmorrhagias subinde gravissimas infert.

Pertinent ad anastomoses has *Scorbuticorum hæmorrhagiæ* insignes admodum & crebrius ingruentes, non modo ob sanguinis crasin plus minus vitiatam, & ad diathesin acidam plus minus declinantem, sed quod horum nervosum systema, pathematis convulsivis obnoxium admodum sit, unde irritatum quodam in loco à spiritus salinis scorbuticis alicubi infixis, mox tendi fibræ, pulsationis aut tensionis sensus, hinc hæmorrhagiæ oriri sulent; Comprobat hoc *Willis Pharm. rat. p. 2.* notabili observatione. *Ettmuller.*

115. *Vel fit à sanguinis*) De *sanguinem sistentibus* dicturis, ipsius sanguinis occurrit necessaria consideratio, Ideoque supponemus de motu hoc ad extra. 1. *Sanguinem toties & alveis suis non contentum exitum affectare improportionatum & onerosum.* Videmus enim toto die in plethoricis, quod hæmorrh. narium, menses immodicos, hæmuptysin patiantur. Imo vel ex hoc discere possunt εὐφορεῖν, profundi à natura ipsa onerosum sanguinem, adeoque abundare posse eundem, cum abundat, exundat non raro, licet & alia mala det non tam patentibus hisce viis. 2. Onerosum autem & improportionatum reddi sanguinem à nimia rarefactione motu intestino majori, salibus alkalinis, biliosis inducta. Omne humidum calore diditur; & elasticum, expansivum redditur.

Hoc ut in statu naturali ita comparatum est, ne fiat profusio, sed venæ ipsæ & pori expandi possint, sic in præternaturali vel non naturali quoque. Inde fit exundatio, Et vel culinario exemplo notum est calore majori ollæ limites exuperare aquam simplicem, magis vero salitam, ut quando pisces elixantur; maxime omnium pinguia, oleosa, sulphurea, ut in elixatione olei lini pro vernice parando, in parandis emplastris in præparatione balsami sulphuris ad oculum patet, quatenus viscedo sulphuris hoc pacto in infinitas bullulas expumescit. Hæc duplex mechanica illustrat egregie ebullitionem sanguinis & efferationem majorem; unde porro ponemus.

3. Sanguinem exspumescere magis tum *salsum*, tum *biliosum*, *Salsedinis* exemplum occurrit in scorbuticis, in catarrhis, tussi, quæ frequenter hæmorrhagiam narium habet conjunctam, sputo cruento, ubi & sensibus occurrit salsedo titillans, in mensibus immodicis, ubi erodens acrimonia se manifestat sæpe in genitalibus, in dorso quoque ipso. *Biliosæ rarefactionis* exempla visuntur in febribus, frequentissime in febribus fiunt hæmorrhagiæ, etiam in non plethoricis, quatenus sanguis ipse biliosus tum magis exspumescit intenso illo calore, & sal volatile peregrinum junctum, rarefactionem præstans, maxime concurrit, Sed & in Variolis, morbillis, aliisque idem solenniter occurrit, imo cum levamine, quatenus parte spumosa oleosa recrementitia tunc dempta, reliqua massa archeo redditur magis obsequens.

4. Adeoque hæmorrhagiam causari, modo serum magis, modo sanguinem, *Serum* enim salsedinis, *sanguis* biliosi sulphuris vehiculum est magis. Utut ergo utraque sint conjuncta, & ad sensum unita in corpore, id tamen non obstat, quod modo serum modo sanguinem peccare magis dicas, quod unumquodque recipiat ad receptivitatis suæ modulum; unde quoque id patet ex effectu, quatenus natura ipsa seorsim *serum*, licet non æque sanguinem superet: Sanguis sane non excideret sæpe, nisi sero acriori & fluxiliori obsecundaret ipse, nisi fibræ laxiores cohærerent ejusdem culpa; sæpe etiam si ipse temperaret magis partes oleosas biliosasque, unde frænum bilis audit.

5. Sanguinem rarefacere magis *alkali*, obtundere *acidum*. Serum vero ab utroque reddi acrius: In statu febrili & bilioso *prius* occurrit. In statu extra febrem magis *alterum*; Hinc non tam tenuis sanguis extillat quam spissus quoque cinnabarino florido colore, qualis etiam à v. s. emissus visitur. Hinc scorbuto calido affecti magis etiã hæmorrhagiis tentantur quam frigido vexati, *Ast Acidum* in subdominio, vel seroso statu, etiam in prædominio existens, hæmorrhagiam causari potest quoque, licet magis inferioribus locis quam superioribus, utero, hæmorrhoidibus, tanquam fixius sal, ut alkali eum magis est volatile, protrahit tamen hic stitus magis hæmorrhagiam, quam excitat, exemplo mensium immodicorum.

6. Quæcunque ab extra exspumescentiam hanc seri & sanguinis promovent, hæmorrhagias parere. Id quod patefit exemplo motus, potus vini, aromatum usus, aëris calidi, æstivi, iræ, mensium suppressorum &c. unde facile vi contrariorum patere potest quæ hæmorrhagias sedent.

7. Sanguinem extra ferri, non tam exspumescentia inducta quam *coactum*. Duplicia hujus rei occurrunt exempla, partim frequentiora partim rariora; frequens est hæmorrhagia in hydropicis, vel hypochondriacis, ob communionem particularem & lateralem, constanter è dextra vel sinistra nare stillans, prout hepar vel lien magis affectus fuerit.

Frequens in aliis quoque, ut mensibus immodicis, hæmorrhoidibus itidem, ab obstructione vasorum mesentericorum oriunda; frequẽs in gibbosis, non crescentibus uti par erat, unde cum non detur sufficiens spatium, sed inter vehentia vasa & vectum humorem improportio, coactus alibi affectar exitum, idque locis patulis & porosis per se, vel assuetis quoque effluxioni per naturam.

Rarior est Hæmorrhagia *coactiva* universalis, cujus duo novimus exempla, *Coactivam* voco, non *tam* ob *rarefactionem*, quo sensu etiam talis in febribus ad mortem usque producta occurrit non raro, frustra adhibitis remediis quibusvis; *quam* ubi sanguis contineri spatiis suis, & poris & vasis nescius, vi quadam expellitur, seu ipse diffluit & effluit, quasi expulsus. *Universalem* vero, quod per nares, per alvum, per urinam id eveniat, imo etiam aliquando per aures & oculos ipsos, Mortuus sic ante 7. vel 8. annos Chiliarcha quidam Imperialis.

8. Læso quocunque gravius vase, nisi restinguatur, omnem sanguinem effluere posse, continua cordis pulsatione inducta.

Hinc facile æstimare erit quænam sint ἴσχαιμα, nempe. 1. Quæcunque sanguinis copiam, orgasmum, acrimoniam, tenuitatem ac impetum refrænant, sunt ἴσχαιμα.

2. Quæcunque vasorum pororumque emittentium oscula, quocunque modo fissa vel hiantia constringunt & obstruunt. 3. Quæcunque sanguinis motum in ordinem redigunt, & acrimoniam seri scorbuticam alterant. *Wedelius Amoen. m. m. lib. 2. sect. 2. c. 19.* ubi singulatim hæc explicantur.

115. *Vel fit à sanguinis copia &c.*) Sanguis per se Hæmorrhagiam inducens, aut quantitate, aut qualitate peccat, proindeq; dum occasionaliter effervescit, intra vasa contineri nequit, quin eorundem ora aut distendendo, aperiens, aut acrimonia sua resecans, foras exilit; Quibus accedit, quod sanguis interdum in compage solutus, & quasi venenatus, circulationis filo continuando impar evadit; quatenus nimirum portiones

ejus ab invicem decedentes, partim in carne aut cute defigantur, necrosin passæ; partimque erumpentes hæmorrhagias immanes & non raro lethales cient, uti passim in febribus malignis, & aliquatenus nonnunquam in Scorbuto cernitur; Attamen sanguis mera quantitate, aut acrimonia peccans nisi vasorum culpa etiam superveniens effluxum ejus procitet, aut facile nimis permittat, raro in hæmorrhagiam immanem erumpit. *Willis.*

116. *Et tum rubet facies*) Præterea præcessit causa aliqua externa fundens & attenuans sanguinem, hæc autem præcipue contingunt in iis qui calidiori hepate præditi sunt. *Riverius.*

117. *Venæ sectio locum habet*) Quæcunque sanguinis copiam, orgasmum, acrimoniam, tenuitatem ac impetum refrænant, sunt [illegible]. Copiam tollunt optime v.s. & hujus vicaria præsidia alia: certum nempe & hoc est in praxi, symptoma hoc, nisi sanguine litemus tolli feliciter non posse. Frustra utimur adstringentibus in hæmorrhagiis fortioribus narium &c. citra v.s. quod toto die nos docuit praxis; hac vero adhibita felicissime, depleto statim oneroso illo superfluo per unam v.s. revulsoriam. *Wedelius Am.m.m.p.499.*

117. *Venæ sectio locum habet*) In hisce Anastomoseos causis tam ad *sanguinem* quam ad *vasa* ut plurimum respiciendum venit, ita quidem ut frequentissime *Acidum*, consuetum sanguinis motum ad orgasmum præternaturalem concitans: aut itidem *acidum plus minus salsum* vasa, eorumque ac partium vicinarum fibras vellicans, considerandum veniat. *Etmuller Pr.p. 1.p.148.* Quoad *causas remotas*. In anastomosi quidem *vitio sanguinis*, nimius vasorũ ora aperiens imminuendus imminuendus nunc *V.S.* nunc *scarificatione*; Idem *turgescens compescendus*, vel *præcipitantibus*, vel *absorbentibus* fermenta ista acida volatilia; vel acidis fortioribus volatile acidum figentibus & coercentibus: Quo pertinet, v.g *spiritus vitrioli*, hæmorrhagias narium scorbuticas subinde figens. Idem *serosus nimis* corrigendus, vel *exsiccantibus*, aut *imbibentibus*, aut *incrassantibus* & deinde vel *evacuationibus* serum per alvum, per vesicam, per habitum corporis: In *Anastomosi* vero *vitio vasorum*, Acidum istud, nervorum spasmos inducens, corrigendum per *martialia* in morbis convulsivis & hæmorrhagiis habitualibus pro eradicanda radice optimis. *Idem p.149.*

118. *Nec linteum frigida &c.*) Nisi enormis sit fluxus à quo vires prosternantur, Sic *Forestus lib. obs.* puellæ annor. 18. mensibus jampridem retentis, à fluxu enormi summe debili, arrepto utroque brachio circa carpum, ubi pulsus tāgitur, aquam frigidissimam ex poculo stricti orificii, embrocha instar stillavit; nucham *aqu. plantag.* frigida lavavit; quanquam, ait, remedium hoc febricitantibus sit suspectum, febris autem hic aberat. Interim fimum *porcinum* naribus objecit, & ut ore repleto, *succum urticæ* per nares attraheret mandavit. Sic fluxus substitit, recreatisq; viribus saphenam aperiri curavit.

119. *Collo*) Frigida Fronti ac Temporibus, etiam *Nuchæ*, ubi Arteriæ vertebrales ascendunt, applicata, vasa constringi, & sanguinis affluxum nonnihil reprimi aut repelli faciunt. Attamen male est quod nonnulli venis Jugularibus Topica infrigidantia adhibenda consulant, ita namque sanguis in recursu retardatus, uberiusè naribus effluet. *Willis.*

120. *Acrimonia*) Quā tēperant tū *acida & aquea* (vide infra §.123. *Incrassantibus*) tum *terrea* quoque, constrictiva, lentore & mucilagine blanda inviscantia & obtundentia, ex simplicibus *corallia, Lap. hæmatites, sanguis dracon.* &c. Ex compositis *Pulvis stypticus, crocus martis adstringens*, tum nitrosa quoq; ipsa, modo laxitas fibrarum nō obstet, eximie proficua. *Wedelius Am m.m. d.500.*

121 *Vel ab acrimonia & tenuitate*) Immediata causa est sanguinis biliosi, salinis atomis perfusi, & archeum irritantis abundantia & acrimonia; generata & per [illegible] in corde & toto corpore congregata, adeoq; mista cacochymia calida, cum subdominio sicca, [illegible], motu præcipiti pulsionis ex arteriis minoribus in majores & in spongiosas narium carnes delata: Fieri hoc non potest sine singulari [illegible] segregatione & turgente fermentatione incopsueta, quæ ebulliendo arteriarum orificia aperit, sanguinisque fluxui ansam præbet. *Rolfinkius consil.2. lib.3.*

120. *Vel ab acrimonia & tum signa cacochymiæ adsunt*) Si à venarum Erosione fiat, adsunt signa cacochimiæ ulcerisve; & pus aut sanies interdum egreditur, aut saltem catarrhus salsus præcessit. Si à *cacochymia* affectus proveniat, illa propriis signis dignoscitur, quæ bilem aut melancholiam redundantem ostendunt: præterea sanguis effluens aut per venam brachii detractus, corruptus aut prava qualitate infectus apparebit. *Riverius.*

121. *Tum signa cacochymiæ adsunt*) *An in omni cacochymia Purgandum?* Purgationes sunt ridiculæ nisi abundantia nimia laticis aquosi nimis fluentem faciens sanguinem sui evacuationem urgeat, In tali enim casu utiq; *purgatio* seu per inferiora convenit. Et tum recte commendat eam *Riverius*, & confirmat hoc experientia *Rondeletius*, qui curavit quendam singulis diebus binas vel ternas libras sanguinis ejicientem, solis syrupis serosos humores evacuantibus; *Seri* enim *copia*, quod vehiculum sanguinis est, subinde fluxus hujus est causa, præsertim si acrius idē fuerit: Quin & per *Sudorem* hoc commode fieri potest: utut enim sudor, dum actu erumpit, dissolvendo massam sanguineam, eundē fluidiorem reddat, postmodum tamen ubi desiit, sanguis sero depauperatus spissecit, & salibus superfluis aut heterogeneis liberatus mitior evadit & dulcescit, sicque hæmorrhagia cessat. In specie ubi cum febre fuerit hæmorrhagia symptomatica, per sudorifica, non quidem volatilia, sed additis opiatis compescenda venit. *Etmuller.*

122. *Cacochymiæ*) Tunc locum habent *Purgantia*, ut si sanguis *biliosus* aut *serosior* sit, quia *ille* irritando fluxum movet, *hic* tenuitate sua ad fluendum habilis, bilem & serosus humores ab eo expurgando ut minus profluat efficimus: Hacque sanguinis mundificatione in ejusmodi hæmorrhagia diu aliquos molestante curanda plurimum sæpe præstitimus. Utimurque in eum finem mitioribus, ne calidioribus catharticis & acribus sanguinem magis accendamus, ægrumq; debilitemus, dein & illis quæ adstrictione quadam simul prædita fluxum nonnihil, ut *rhabarbaro, mirobolan. succo, syrupo rosar. senna* similibusque ex hisce compositis. Vel etiam in biliosi serosique humoris copia, fortius eos expurgantibus. *Platerus.*

123. *Incrassantibus*) [illegible] cum rarefactione conjunctum tollunt quæ sulphur obtundunt & sal volatile figunt ac invertunt, nominatim *acida & aquea*. Notabile est assertum, *Acida coagulare sanguinem*, puta fervefactum ac ebullientem nimis, quem coërcent duplici illo modo eximio, sive sint *acida diffusa*, seu *concentrata*, seu vitriolata, seu nitrosa, aliaque.

Hinc commendant Authores *spiritum vitrioli* in sputo cruento ipso: Hinc in hæmorrhagiis, vitio hepatis calidioris in primis ortis, *Tinctura violar. cum spir. vitr.* feliciter sumus usi. Præstat enim eo casu diffundere eundem satis activum, quam concentrato eodem ventriculum & corpus lædere.

Sic eundem in finem faciunt, imprimis in febribus, Julepi diluentes & temperantes, modo aciduli sint, non dulces nimis, dulcia enim in hæmorrhagiis quibuscunque minus locum inveniunt, sed quod ipsa quoque per mechanicam in spumam & bullulas facile rarefiant, nocent potius.

Sic

Sic etiam *aquea* insigniter prosunt, *decoctum hordei* cum *succo citri*, potiones, emulsiones &c. Et quæ acrimoniam temperant (vide infra §. *Incrassantibus*.) Tenuitatem & fluxilitatem cohibent *Incrassantia*, & *adstringentia*, nominatim *Tinctura lap. hæmat. antiphthis. crocus martis adstringens. corallia. rad. alth.* & *pulvis styptícus* polyehrestus, Non minus enim tenuitatem ac impetum tum hæ, tum *opiata* variis formis exhibita, seu sola seu stypticis maritata &c. Probatissima sunt hæc, innumeris exemplis confirmata, & nunquam non cum successu usurpata, Quæcunque scil. lixiviosum alkalinum, refractum nimis sanguinem concentrant, congelant, mitigant, & figunt, supradictam indicationem omnibus modis absolvunt. *Wedelius*.

124. *Vel ab ejusdem imbecillitate*) Vide supra §. Ab *anastomosi, quæ fit*) Ubi de coactiva hæmorrhagia ex *Wedelio*.

124. *Ab ejusdem imbecillitate*) Ut in Cachecticis, in quibus etsi haud immanis, si tamen fit cum pulsu debili & sudore frigido, periculosior multo est quam valde copiosa in hominibus sanguine præfervido, & pulsu satis forti præditis. *Willis*.

125. *Morbus hepar debilitans*) Quomodo vitio hepatis Hæmorrhagia contingat, Vide supra §. *Anastomosis qua vel fit*.)

125. *Morbus hepar debilitans*) Non sufficit causam hæmorrhagiæ præsentem auferre, scil. peccantem humorem, sed & nova illius generatio impedienda, viscera roboranda, eorumque intemperies corrigenda, præcipue Hepatis; in quo humores illi generari consueverunt. Atque ita Julepi refrigerantes, *Tinctura rosarum*, ad hepar refrigerandum & maxime roborandum est efficacissima, Externus vero Epithemata. His etiam addi poterunt omnia remedia quæ calida hepatis intemperiei curandæ conveniunt. Interdum etiam calida *Lienis aut Renum* intemperies huic affectui præbet originem, & tunc refrigerantia illis etiam admovenda. *Riverius*.

126. *Curatio ad illum*) Certum est sæpe Hæmorragias fieri ab obstructione viscerum, Exemplum communissimum præbet obstructio vasorum uteri; Quas non vias affectat sanguis eo casu ne exeat? Probare idem possunt Hæmorrhoides, quæ quidem ab orgasmo interno oriuntur quoque, frequenter vero ab obstructionibus viscerum: Viscera hæc sunt cumprimis quoque lien, hepar, & mesenterium, ubi copiosis vasis decurrit sanguis, unde si in his motus ejus impediatur, hæmorrhagiæ varii generis consurgunt, ipsique in fœminis menses immodici, ut missos faciamus hypochondriacos & hydropicos; sæpe enim latet hæc causa, prudenti ἀγχινοίᾳ eruenda.

Quæcunque igitur vias reserant, & ad pristinum spatium arctatos fines reducunt, licet paulo improprie, omnino hæmorrhagias sedant, præcipue si simul sanguinem corrigant; Instar omnium sunt *Martialia*, omni huic indicationi satisfacientia, edulcant enim acrimoniam, acetositatem tollunt, consistentiam stabiliunt, & in ordinem redigunt sanguinem. Sic & *Corallia* medio modo se habent, & similia, imo & *acida* ipsa suo modo hoc faciunt, ob incidendi juxta & refrenandi virtutem. *Wedelius*.

126. *Curatio ad illum*) Vide supra §. *incrassantibus*.

127. *A διαιρέσει. Ab humore acri, Diæresis & Diabrosis* oritur quando aut *incisione*, aut *punctura*, aperiuntur vasa, vel quando à *causis internis* fit erosio vasorum; quas inter interdum est in primis *lympha acris* nimis: & *acido salsa*, vasculorum orificia erodens, & inspirata quæcunque nimis acria huc pertinent, quæ tam irritare quam erodere narium ac pulmonum vasa poterunt, unde dictarum partium hæmorrhagiæ. *Etmuller Part. 2. p. 148.*

Diæreses vasorum per *interna*, acre quodvis temperantia, & *externa*, vasa plus minus arrosa *adstringentia, consolidantia, conglutinantia* sunt restituendæ. Quoad *causas remotas*, si hæc fiat *vitio sanguinis acrioris*; acre salsum temperantia, & sanguinis crasin corrigentia sunt optima, ut *passulata, vulneraria, lacticinia* &c. Si *vitio vasorum erosorum*, vulneraria adstringentia sunt convenientissima. *Idem*.

128. *Signa biliosa cacochymia*) Dum remedia prædicta in usum revocantur, de omnimoda causæ ablatione cogitandum est, quæ plurimum esse solet humor tenuis, serosus aut biliosus in sanguine redundans, eique motum præposterum concilians, naturamque ad illius excretionem irritans, unde fit ut humore illo evacuato, & sanguine repurgato, Natura eum tanquam amicissimum & familiarissimum, ac vitæ thesaurum retineat, neque amplius excernat, Ideoque purgatio instituenda est bis terve iterata, si opus fuerit, cum purgantibus adstrictione præditis & refrigerantibus composita, e. g.

℞. *Tamarind.* ℥ß. *fol. plantag. m.* j. *coquantur ad* ℥iv. in colat. infunde *Rhab*[illegible] *el.* ʒj. *myrobal. citr.* ʒß. *spica nardi gr.* vii. *In expresso* [illegible] *syr. rosac.* ℥j. *Rhabarb. pulv.* ℈j. Fiat Potio.

In affectu inveterato, & frequenter recurrente, talis purgatio semel in septimana repetita erit efficacissima. Et interim Julepi adstringentes vel Opiatæ per aliquot dies exhiberi poterunt. *Riverius*.

129. *Alia à διαπηδήσει*) Διαπήδησις, sanguinis scil. ea tenuitas ut per vasorum tunicas transsudare possit, citra osculorum apertionem, vel ipsarum læsionem, non adeo videtur possibilis, sunt enim satis densæ, satisque validæ & tenaces venarum, multòque magis arteriarum tunicæ, ut haud videamus rimulam per easdem transsudare posse de ipsa massa sanguinea integra. *Etmuller*.

Quamvis hic modus suas patiatur difficultates, adeoque à quibusdam plane in dubium vocetur, tamen cum præter adjuvantem vasorum dispositionem peculiarem, (de qua videatur *Willis in Pharm. Rat.*) nonnulla occurrant phænomena quæ eundem satis probabilem reddunt (vide *Galenum 2. de caus. sympt. 2. Benivenium de Abd. c. 4.*) *Lowerique* experimentum pro hydrope artificiali, *Tr. de motu cordis p. 117.* adornatum non omnem humorum transsudationem negandam esse evincat, non est ut à trita hactenus via recedamus. *Straussius*.

Exempla hæmorrhagiarum per diapedesin præbent non solum Equi sponte cruentantes, verum & in homine sudor cruentus, vel sanguis ipse quoque hinc illinc extillans, citra manifestum hiatum, qualia exempla recenset *Heer p. 269. Obs.* ubi nemo ullo sensu deprehendere potuit, unde, v. g. è minimo digito manus sanguinis magna satis copia effluxerit. Quid hoc aliud quam διαπήδησις est? *Wedelius Am. m. m. p. 506.*

130. *Alia est sanguinis arteriosi* &c. *alia venosi*) Recentiores solas *Arterias*, & inter eas quidem *ramos arteriales*, à *carotide oriundos* propagines, quas *Nasales* hunc appellare consueverunt, accusant. Nos non dubitamus plurimum ita evenire, eum sanguinis ἀναφορά, id ipsum facile evincat, Interim tamen communis quædam utrique vasorum generi causarum ratio (de qua inferius) prohibent quominus omnem omnino locum *venis* (quæ etiam *Rolfincus* calculo *lib. 3. cons. 2.* non simpliciter *reduces*, sed & *educes* sunt) denegandum censeamus, *Straussius l. c.* Vide supra §. *Per venas nasi*.)

131. *Alia venosi*) Qui ex vena prodit, rubeus est, in fuscum tendens, interdum impurus, & cum parvo impetu egreditur. *Riverius.*

132. *Alia ex venis cerebri &c.*) Si sanguis ea venis narium immediate effluat, adstringentibus remediis naribus admotis facile sedatur & nullus capitis dolor percipitur; Contra vero si à cerebro profluat, in aliqua capitis parte determinata dolor percipitur, fluxus difficile sedatur, & in naso posita nihil conferunt. *Riverius.*

At data sanguinis circulatione, prædicta signa potius redundantiam sanguinis, & in toto orgasmum innuunt; paucus scil. nec turgens in vasis, facilius cohibetur, copiosior autem & æstuans, remedia respuit.

133. *Sanguinis ex venis cerebri*) Inveniunt difficultatem qui *Sinum falciformem* pro parte primario affecta obtrudere conantur; si quidem istius *finis*, *crista galli* adnatus, non amplius formam *meatus*, sed *ligamenti* naturam usumque obtinet, monstrante *Schneidero l. de osse cribriformi p. 412.* quanquam forte non prorsus impossibile sit quin aliquando effusi per nares sanguinis causa hinc deveniat (*vide Scroeckium schol. in Helvvigii obs. 26.*) rarius tamen id accidere quam ut inde firmam subjecti principalis rationem colligere liceat, arbitramur: Neque nos motantur illi qui in gratiam hujus *Sinus*, *perceptam* [illegible] *hemorrhagia narium frontis gravitatem*, d[illegible]umque *vasorum exiguitatem* atque *paucitatem* nobis objiciunt; præterquam enim quod sanguine ad caput copiosius fluente, faciem cum fronte illico rubere cernimus, haut majori sane cum difficultate rubicundum hunc succum, ubi *fervor* atque *tenuitas* accesserint, viam sibi invenire experientia edocemur. Sed quorsum hæc omnia, cum Recentiorum quorundam calculo, omnem *subjecti* vicem ipse sanguis gerat impleatque? Abundet hic suo quisque sensu, Nos *causa* potius, quam *symptomatis* sedem in illo reperiri persuasum habemus. *Stranssius l.c.*

133. *Alia est sanguinis è venis cerebri*) Sanguis per nares effluens, aut è venis & arteriis cerebri basin perreptantibus effluit, aut à vasis è palato ad nares descendentibus, quæ sunt instar venarum hæmorrhoidalium in ano & utero. *Riverius.*

In Hæmorrhagia sanguis vel è naribus scalptis & erosis fluit, Vel à sinu illo longitudinali duræ meningis qui prorepit ad nares. *Riolanus Enchir. l. 4. c. 6.*

Sinuum cerebri primi duo uniti tertium gignunt longissimum, nam per capitis longitudinem pergit ad summas nares. Atque his sinibus dehiscentibus aliquando immensa copia sanguinis per nares fluit; quæ per arterias suppeditatur. *Bartholinus Anat. Renov. l. 3. c. 2.*

134. *Ex venis narium prosilientis*,) In Narium interioribus venæ si lædantur, sanguis ea illis eastillat. Quæ læsio ab unguibus nonnunquam, dum digitis naribus immissis illæ purgantur, loca hæc vulnerantibus accidit; alias ab aliis in nares eas pungentibus vel erodentibus, quibus studio sibi aliqui hunc fluxum accersunt; alii dum sternutationem ciere hisce volunt, sanguinem simul concitant, Ea contusione nasi à vi externa hoc idem evenire potest; interdum & ab humore acri nares summopere vellicante; In Gravedine itidem contingit ut nares sanguinem exstillent, juvante illarum etiam frequenti pressione in emunctione, ad quam continuo compelluntur: Ab ulcere refricato, vel à quo crusta detrahitur, sanguis quoque exudans emunctionem cruentam parit. *Platerus.*

Diæta.

In *vitæ regimine* cum quædam usurpata juvare possint, quædam nocere, illud sic instituendum: In *Aere* frigido versetur potius quam calido, eoque obscuro, aut non admodum radiis solaribus illustrato, cum is nares irritando, expultricemque ad sternutationem usque facile commoveat. Uti & si *odore* vehementi imbutus naribus trahatur, quare odorata nimium fugienda: Intuitum sanguinis aut rerum rubrarum eundem commovere credunt, quod imaginationi tribuendum. Obnoxii *cibis* utantur qui sanguinem minus fluxilem reddant; Crassis & glutinosis pedibus juniorum animalium bene coctis, caseo recenti leviter salito, *orizatis, hordeatis, amylatis*, adstringentibus, fructibus, *cydoniis, pyris*, *Oleribus* refrigerantibus, *intybo, lactuca, portulaca*, crudis, coctis, actu frigidis in acetariis: Ab aromatibus & salsis caveant.

Potus sit aqua, à vino abstinendo, nisi virium causa concedatur. Et qui facile in hunc casum incidunt, si à vino sibi temperare nequeant, Ebrietatem tamen vitent. *Vinum* sit non potens, sed dilutum vel rubrum, nonnihil austerum.

Quies juvat, cum nimius corporis motus hunc fluxum concitet; ideo partes, præsertim loco affecto vicinæ, non nimio motu commoveantur. A sermone vel longiore vel altiore abstineant, Et inter masticandum nullam violentiam adhibeant.

Decubitus supinus, capite declivi, cum sanguis tunc retrocedat, aliquid adjumenti afferre poterit, si modo non ob hunc situm capitis sanguine in fauces delabente per os exeat, vel ulterius inde descendens ulteriorem noxam adferat. *Animi* subita commotio per terrorem, sanguinem extra fluentem, ad interiora subito propellendo sistit: Quæ perterrefaciendo ægrum, si vires ferant, induci poterit.

Defectio omnimoda animi, in illius deliquio, illud adhuc amplius molitur, & citissime fluorem sanguinis supprimit, Quam data opera, cum citra periculum non possit fieri, vix conciliare debemus. Sponte tamen ea, ex nimia hac per nares profusione superveniente, hunc fluorem, qui prius nullis remediis compesci potuit, cessasse sæpe observavimus. *Platerus.*

Victus ratio idonea esse debet, & ab ipso curationis initio sedulo instituenda, atque ita primum *Aer*, in quo decumbit æger, frigidus sit, & si tempus sit æstivum, alteretur, irrorando pavimentum *aceto & aqua rosacea*, tum sternendo *foliis vitis, salicis, nymph. & sim. Cibi* sint *Incrassantes* & pauci nutrimenti, *ut pedes vituli, arietis, hædi*, & aliorum animalium, *oryza, caseus recens & pinguis, ova* indurata & sim.

Fructus acerbiores, adstringentes, aut aciduli ex usu esse poterunt, pyra, cydonia, mespila, sorba & *condimenta*, ea succis granator. limon. arant. acetosæ, Quidam laudant usum lentium in aceto decoctarum, quia adstringendi & incrassandi sanguinis, ejusque acrimoniam obtundendi vim obtinent; Abstineat æger, saltem initio morbi, dum vires adhuc non sunt debiles, à vino, carnibus & ovis sorbilibus & tremulis, quæ copiosiorem & liquidiorem sanguinem generant.

Alimenta autem liquida præsente sanguinis fluxu, & sorbilia quantum fieri potest, exhibenda sunt, ut juscula refrigerantia, hordeata, avenata & orizata, cum aqua non jusculo parata, masticatio enim hæmorrhagiam promovet: Si vires sint debiles, juscula carnium & panatellas exhibere oportet, in quibus *amylum sine calce* paratum, aut *gummi Arabicum* dissolvatur.

Potus sit *aqua chalybeata*, & omnes cibi in ea decoquantur, quæ quidem utilior erit si radices urticæ prius in ea incoctæ fuerint.

Quies totius corporis imperetur, ita ut æger nec ambulet, nec tussiat, nec vociferetur, nec loquatur, motus enim linguæ & maxillarum sanguinis fluxum commovent.

Caput sit detectum, & oculi clausi ne sanguinem fluentem videat æger, quoniam illius conspectus mota imaginatione sanguinem commovet.

Vigiliæ immodicæ maxime vitentur, quia sanguinem acriorem, biliosiorem, ac fluidiorem afficiunt, *Somnus* contra humores contemperat, eorumque cohibet motum, *Animi pathemata* vitentur. quæ sanguinem sursum impellunt, ut ira, risus, gaudium. *Reverius.*

Narium Hæmorrhagiæ defectus, & aliorum Locorum.

E Naribus sanguinem elicere in illis quibus consueta cum esset Hæmorrhagia, non amplius fit, non inconsultum, præsertim si capitis & oculorum, aut aurium ex plethora immineant morbi, Ad hosce præcavendos, sicuti & ad eosdem curandos cum infestaot, nisi sponte natura has venas aperiat, hunc fluxum promovere non minima pars est curationis; Actu autem eas aperire phlebotomo cum parvæ sint;& nares inverti nequeant, valde arduum; *Setis* tamen aliqui pungendo sanguinem eliciunt. Si nares asperis & aculeatis plantis, complicatis in pessum impleantur; rectius hoc succedit, præsertim si nares hisce oppletæ premantur, aut percutiantur, veluti *foliis millefol. borrag. rub. tinctor. aparines, flor. graminis, forte arundinacei*, & similibus.

Unguenta, si nares illinantur; id effici docent, paratis ex *mentha* cum *melle*, vel *rubia tinctorum* in *oleo* dissoluta.

Decoctum *Crocodilis rad.* bibitum sanguinem è naribus elicere docet *Diosc or.*

In aliis locis *internus*, ut *sub lingua*, vel *externus*, ut in *fronte*, vel *brachiis* aut *pedibus*, (ubi qui venas malleoli aliquando secuerunt, pruritum nonnunquam in ambitu cicatricis sectionis sentiunt, sanguine exitum quærente, quem & aliquando sponte aperta illic cute effluxisse (uti hoc in equis consuetum vidimus) si sanguinis fluxus requiratur, tum ad morborum præcautionem tum curationem, hoc venæ sectione potissimum perficitur; Ante quam, ut venæ tumidæ fiant, meliusque appareant, *decocto salviæ*, aliisque calefacere, eum sanguinem faciat fluidum, ut rectius educatur juvat. *Platerus.*

CAP. L.

De Olfactus læsione, Gravedine, & Sternutatione.

Olfactus læsio.

OLfactus [1]. præcipua læsio est ejus *Abolitio* aut *Imminutio*, quæ gradibus & magnitudine causarum duntaxat differunt, [2]. Fit hæc 1.

Aut ab [3]. *intemperie cerebri*, quæ vel ipsius anteriorem partem obsidet, [4]. & tum Gustatus quoque, ac tertii nervorum cerebri paris propagines, linguam efformantes aboletur, vox est sonora & inculpata, *Curatio* Intemperiei rationem habebit.

Vel [5]. *processuum illorum* [6]. *nervorum*, qui Olfactus organum statuuntur, & tum nulla in cerebro, vel cæteris sensibus læsio conspicitur.

Aut [7]. ab *Angustia*, & quidem vel *Cerebri*, [8] & tum gravitas adest. Errhinis, neque tamen [9]. nimiis agendum. Sed & sternutatoria vehementia juvant.

Vel *processuum cerebri* aut [10]. *nasi interni* & [11]. *ossis ethmoidis*, & tum vox & respiratio vitiantur, excrementa solita cohibentur.

Olfactus interdum totaliter aboletur, [12]. si pituita ad foramina illius calore induratur, [13]. quod iis [14]. qui coryza [15]. laborantes balneum incaute ingrediuntur [15]. accidit: [16]. Laudantur in hisce *radix gentianæ* naribus convenienter inserta, *castoreum aceto* immersum & odoratum, *Oleum nigellæ*, *Ruta* contusa aceto imbuta naribus sæpe admota. [17]. *Oleum majoranæ* à gtt. *ij*. ad *iv*. & *extractum ejus à* ℈ß. *ad* ℈j. intra. [18]. Errhinum *Zacuti* &c. Vide caput de Catarrhis.

[1]. *Præcipua læsio est ejus Abolitio aut Diminutio*) Aboletur Olfactus omnino, quando rerum non tantum distantium, sed & naribus, admotarum adsumptarumque odorem nullum penitus sentit. *Imminuitur* vero saltem, cum nonnisi propinqua admodum naribus, & quæ vehementem odorem exspirant, Olfactus sentit. Quo & referri potest casus ille, cum res nonnisi ori intrusas odoratur, quod aliquando accidisse quidam scripsit, cum tamen hac via *odor* alioquin rerum ingestarum naturaliter minime percipitur. *Platerus.* Vide §. 2. *fit hæc 1. aut*)

[2]. *Fit hæc 1. aut &c.*) Olfactus sensum, & ratione *membranæ interiorum narium*, quæ vel per *ulcus vulnusve*. aut per *inflammationem*, vel per *catarrhum*, aut per *polypum*, aut alium morbum; minus apta ad munus suum exequendum efficitur; Et ratione *Nervorum sensoriorum*, qui vel per *morbum cerebri* vitiose afficiuntur; Et denique ratione *Viæ & meatus sensualis* quo odores trahuntur, vel *hebetari*, vel penitus perdi posse arbitramur. Veros illos *processus* mammillares non hic quidem commemoramus, attamen ex eorum vitio etiam damus hunc affectum nasci posse, cum sensifica illa filamenta de illis medullam suam trahere videantur, Quid? si omnia foramina, in quæ nervi illi ad nares iter habentes, compinguntur, materia quadam aliena occluduntur, ut illi nervi periculose affecti sint, largimur etiam tunicæ interiorum narium munus non posse exrare. Quin etiam evenit ut tunica interiorum narium parte sua anteriore vitium ducat, parte autem posteriore ita se habeat ut homo eo loci retusius odorari queat, ut in eo de quo *Platerus* (vide §. 1 *Præcipua læsio est ejus Abolitio aut Diminutio*) cujus rei causa est quod tunica eo loci naturaliter, sit aliquanto crassior, Sat sensilis quidem est, ut etiam sternutationes ea irritata cieantur. Sæpissime vero incidit, ut tota hæc interiorum narium tunica catarrho vitiose afficiatur, & sensus odoratus in perpetuum amittatur, ut *Fernelius* & alii testantur.

Tandem etiam hæc interior narium tunica nescio quo pernitioso humore inficitur, ut hic sensus corrumpatur & quasi adulteretur, nam incensi odores tum male olere videntur. Nervi tertii paris si vitium du-

xerint, uterque sensus nonnunquam perditur. Hinc est quod quidam casu è sublimi occiput graviter offendentes, & sensum gustatus & odoratus amiserunt. *C. V. Schneiderus l. de Osse cribrif. p. 505.*

3. *Aut ab intemperie cerebri*) Intemperies frigida & humida cum materia pituitosa conjuncta, ut quemlibet sensum obtundere nata est, sic olfactum imprimis imminuit aut abolet. Unde in catarrho & coryza frequens esse solet hujusmodi olfactus læsio: frigiditas enim sensum imminuit aut abolet, quatenus calorem nativum partis, actionũ opificem, obtundit ac debilitat. *Riverius.*

4. *Et tum gustatus quoque*) Frigidam intemperiem, & pituitæ redundantiam ostendunt frigida & humida cerebri intemperies & mucosa pituitosa è cerebro stillans. *Riverius.* In parte mandante, *Cerebro*, eadem quę *& gustus* & tactus sensus lædit, hujus læsionis causa esse potest; quod ex eo quod hi sensus simul lædantur, cognoscitur. *Platerus.*

5. *Vel processuum illorum nervorum*) Olfactus organi, seu nervi vitio id quoque accidere potest, si à tenui humore ad hæc foramina, quibus olfactus organum incumbit, defluente nimium irrigetur, vel alterius humoris affluxu, uti in reliquis sensoriis organis seu nervis prematur; Quod & ab ortu quoque, quod vel illi desunt (*ita apud Eustachium Rudium, quidam non odorabatur, quod tunica narium ejus paris nervos, qui ipsi debentur non nactus esset*) vel situ & figura peccant ex conformationis vitio illis potest contingere. *Platerus.*

5. *Processuum nervorum illorum qui Olfactus organum &c.*) *Avicenna* processus mammillares primus pronunciavit Olfactus organa esse: atque hunc affectum in numerum morborum nasi reponit, quem sequuntur plurimi. *Galenus l. 8. de V. P.* anteriores cerebri ventriculos præcipuum instrumentum odoratus constituit; Nos dicimus organum Olfactus esse *interiorem narium tunicam* & ad hanc plurimos nervos de cerebro, & ejus membranis venire per quos ipsis ea notitia odorum innascitur. *Schneiderus l. de Osse cribrif. p. 498.*

Adæquati subjecti rationem in Nasu facile agnoscimus, quandoquidem vapores odoros eo rapi constat non modo, verum etiam istius structura, & interna cavitatis superficies, quo magis per lamellas multiplicata est, eo fortiori sensus hic impressione excitatur; cujus rei exemplum canes, ursi, lupi, præbere possunt; Sed cum homo, etiam abscisso extremo, qui cartilagineus est, Naso, omni odoratus sensu nequaquam orbetur; relicto *subjecto adæquato*, in τὸ ἀρχὴν μίξιν inquiremus. Deducimur antè à *Galeno l. de org. olf. c. 4. & 1. de sympt. c.* 2. ad ἀποφύσεις τῶν ἐγκεφάλων, *processus mammillares* dictos, quos plerique pro genuino odoratus organo vendiTarunt. Favet huic sententiæ quod ipsa substantia sua Nervos molliores æmulentur, quæ res etiam procul dubio movit *Galenum* ut 3. de V. P. c. 6. in anterioribus cerebri ventriculis odoratum celebrari scripserit. Quantocunque autem hæc applausu digna videantur, permovet tamen animum accurata Recentiorum αὐτοψία, ut quod alii solis istis cerebri apophysibus adscribunt, id ipsum nos existentibus intra narium cavernas *membranis tubulatis*, quæ *fibras sensiles* densissime intertextas continent, potiori jure tribuendum esse (non exclusis interim memoratis Processibus) arbitremur; In membranas enim istas plurimi exiles nervi ab utroque processu mammillari, per foramina ossis cribrosi trajecti dimittuntur, notante *Willisio. Laur. Straussius Pal. Med. part. 1. Gymn. 81.*

6. *Nervorum*) Si nervus obstruatur, Odoratus perit potius quam depravetur, Odore enim alieno non afficitur nervus qui nullum odorem admittit. Quod, si obstructioni intemperies accedat, non propterea depravata actio potest, cum quatuor primarum qualitatum excessus non sufficiant odoribus mutandis, imo nec producendis. *Molinetti.*

7. *Aut ab angustia*) Quæ vel obstructio est vel adstrictio, *Obstructio* ab eodem humore pituitoso producitur, qui meatus tum sensiles, seu narium ductus, tum insensiles, seu poros ipsius cerebri & processuum mammillarium replet, ut odores ad eas partes pervenire nequeant. Potest etiam fieri à sarcomate, polypo, & alia quavis causa narium meatus replente & obturante. *Adstrictio* etiam interdum potest cõtingere ab humore pituitoso in anteriore cerebri parte collecto, & processus mammillares comprimente, ut de visus imminutione à nervorum opticorũ adstrictione dictum. A nativa etiam Narium conformatione eadem adstrictio potest cõtingere, si nimirum illæ ita depressæ & angustæ fuerint, ut liber odoribus aditus non pateat. *Riverius.*

8. *Et tum gravitas adest &c.*) Obstructio si à *pituita* originem duxerit, iisdem signis indicabitur quibus intemperies frigida cũ pituitæ redundantia. Si à *sarcomate* vel *polypo*, ex propriis capitibus diagnosis desumenda. Locus vero in quo materia residet, *Obstructionem* efficiens, dignoscitur ex eo quod si in nariũ meatibus hæserit, vocis oblæsio contingit, quia nares ad vocem efformandam plurimum conferunt; Si vero anteriori cerebri parti, aut processibus mammillaribus dicta materia hæserit, vox integra permanet. *Riverius.*

9. *Errhinis agendum &c.*) Curatio pro diversitate causarum diverso modo instituenda est. Si à *frigida intemperie* oriatur, ea remedia illi adscribenda sunt quæ pro frigido catarrho proposita sunt. Ad *Obstructionem* vero ab eadem pituita, ductibus narium, aut processibus mammillaribus impacta auferendam, partes illas expurgantia remedia usurpanda sunt, *Errhina* nimirum, sternutatoria, & apophlegmatismi. Si à *Sarcomate* aut *Polypo* nares obstruentes, ex eorum capitibus curatio desumenda. *Riverius.*

10. *Aut nasi interni*) Pinnas Narium *Fistulæ* statim excipiunt, ex squamis tenuissimis, in osse à structura Narium, & faciei, compositæ circinato quodam modo, aut potius spirali, se mutuo pervadentes, ita dispositæ, ut labyrintheum iter pandant corpusculis odorum delatoribus, non secus ac sonum excipiunt & acuunt labyrinthi aurium spirales canaliculi. Et lumen unit ac compingit in conum lens illa oculi crystallina; foras enim hiantes fistulæ, ad instar tubarum angustantur interius magis magisque quo propius accesserint ad nervum. Hinc sequitur quod pyramis odora illico incipiat acui & inspissari, ac cogi, compingenda iterum in fistulis superioribus, ut spissior vel crebrior appulsus evadat corpusculorum odorabilium in nervum, organum scilicet odoratus formale.

Quo igitur productiores fistulæ sunt, eo collectio major est, & densatio corpusculorum vehementior quin etiam appulsus in nervum, & proinde major sensus: Hinc canes, & quæcunque animalia fistulas hasce longiores habent cæteris, adeo præstant facultate odorandi: Velut autem fistulas osseas narium pellicula tenuis, quæ à pericranio protensa per illarum spatia propagatur, accedit etiam caro sui generis, duriuscula quidem sed porosa, & facile penetrabilis; qua præsertim natura nititur explendis spatiis fistularum, arctandisq; relicta tamen odorabilibus via qua in superiora ferantur.

Tument aliquando carnes hæ, fistulas illas internas ambientes; mucosa materia & lenta imbibita, quam cerebrum deponit male affectum, eademq; non raro putredinem concipit, Unde vel odorandi actio perit, intercepta odoribus via, vel multum languet, aut etiam depravatur, sive quod parcius odores; vel nullo modo permeent; sive quod odorabilia, mutata natura propria, & coinquinata pravis halitibus, & aliena, in nervum perveniant, noxam actio necessario ducit, atque vel nullus odor tunc percipitur, vel omnia sub eadem putridi specie app. ehenduntur. *Molinetti.*

10. *Aut nasi interni*) His quibus *nasi ossa ex sede collapsa* sunt, hic defectus nonnunquam accidit, vel ex *morbo* excesis ossibus, ut in *elephantiacis*, aut *ozæna* laborantibus, vel *casu & ictu*, in ea sede fractis & contusis ossibus, quod ab *ortu* etiam nonnullis contigit, ut depresso naso circa radicem non bene olfaciant; (*quia videlicet, ex Schneideri sententia, in consensum trahitur & vitiatur Narium tunica, Olfactus organum.* Platerus. Minus communis *Polypus* est, enormis caro, ex male curato ulcere suborta, &c. *Molinetti.*

11. *Et ossis Ethmoidis*) Perit olfactus obstructis quoque foraminibus Ethmoidis, & vel iis quæ ipsi respondent porositatibus duræ meningis, à materia crassa ibi diutius immorante; aut à carnis præsentia, ex leviter erosa membrana quæ os investit succrescentis, aut sequentis ossis cariem. *Molinetti.*

11. *Et ossis Ethmoidis*) Perit Olfactus obstructis oraminibus ossis Ethmoidis, & vel iis quæ ipsis respondent porositatibus duræ meningis, a materia crassa ibi diutius immorante; Aut à carnis præsentia, ex leviter erosa membrana quæ os investit, succrescentis, aut sequentis ossis cariem. *Molinetti.*

12. *Si pituita ad foramina illius ossis*) In profunda Narium amplitudine, non ea, quæ è naribus transversim ad palatum fertur (cum per illam odor, non solum qui extrinsecus occurrit, sed & qui ab illis quæ ori induntur expirans, ob transversum hunc situm arcetur, minime ascendat, nec nisi alia accedat causa percipiatur) sed quæ proxima est *calvariæ, ossi cribroso, & fungosis narium ossibus*, si repletio ibi tanta, vel circa *ossis cribrosi* dicti *foramina* talis obstructio fiat, quæ odorem rerum, quo minus penetrare possit impediat, *olfactus defectus* frequenter accidit; Quod à *pituita crassa*; illuc ex cerebro extillante, diutiusque retenta, & mucosa, summeque viscida interdum facta sæpe evenit, olfactusque eo nomine impeditur, & tum putrescens fœtere incipit, aut aliena gravi odore prædita materia permiscetur, depravatur, donec excussa illa materia, quod vehementi emunctione, alias sternutatione efficitur, eo affectu liberentur.

Hoc à *gypsea materia & tophacea*, vel *calculo*, in angustiis illis genito aliquando accidisse hæc tandem rejecta patefecerunt. Necnon *vermem* illic natum, diuque retentum, & post multos annos rejectum, refert *Hildanus*, *A pure* id quoque fieri posse retento docent, verum nisi aliud quid accedat, vt ab vlcere callus aut excrescentia, tamdiu retineri aut crassescere adeo minime potest. *Foraminula exigua* Olfactus, in crassæ meningis cerebri sede, quæ ossi cribroso similiter perforato obducta est, si humore aliquo impleantur, cum per ea nihil naturaliter quam odor ferri debeat, olfactus defectum afferunt: vt fit cum tenuis pituita, vel serosa cerebri excrementa ad hanc partem elatiorem in calvaria defluxa, & per angusta foramina transeuntia &c. naribus extillantia coryzam dictam procreant, tunc remanens aliqua hujus materiei portio in dictis foraminibus, eaque obstruens. Olfactus, qui coryzam comitari vel subsequi solet, defectum affert; Quod & ab alia materia illic congesta posset contingere.

Sed & conformationis vitio ab ortu evenit, vt foraminibus hisce, tam in membrana quam osse absentibus, & defectu naturæ omissis, vel cœcis admodum existentibus, originale hoc homini, vt nil olfaciat, sit vitium: Sicuti contra illos, quibus ampliora contingunt, qualia in canibus, qui odore prævalent, esse videntur, acutius & rectius olfacere credibile est *Platerus.*

12. *Pituita*) Veteres & Recentiores, quoties vel Intemperies, vel obstructio, aut compressio quædam, aliæque id genus ~~ἀφράσεις τῆς φύσεως~~ Nares affigendo spirituum odoratoriorum viribus varie insidiantur, organique functiones aut imminuunt aut abolent, aut depravant, internum singulorum fomitem & causas in sanguinis massa valde defœdata investigandas esse unanimi consensu statuunt: Sic *Galenus* l. de *Instr. odor.* c. 6. *Pituitam* præcipue accusat eo quod sternutamenta mucum crassum & glutinosum ex cerebro detrahant, Quæ sententia plerisque arridet, *Vide Forestum Obs. 1. l. 12. in schol.*

Quamvis autem moderni nonnulli difficultates reperiant, (*vide caput de catarrho, an à cerebro deducendus sit*) quandam tamen superfluam humiditatem, Nares affligentem, à Sero in corpore redundante, copiosiusve saltem in cerebri glandulis secreto, oriundam admittant, tuncque etiam, ubi Tubuli dicti (vide §. 5. *Processum nervorum illorum qui olfactus organum*) serositatibus viscidis, aut repleti aut humectati nimis subsistunt olfactum vel tolli, vel saltim imminui fatentur, Nam in statu sanguinis p. n. varia coacervari συντήγματα, humoresque heterogeneos progenerari experientia confirmat.

Rogati vero de Viis, præter disseminatos arteriarum carotidum ramulos, vasa etiam & aquæ ductus Narium excretorii copiosissimi, sed brevissimi, à *Stenone* ostensi sunt; Quod vero ipsum attinet *modum* quo vasa ista arteriosa (aliis non exceptis) περίσσωμα καὶ τὸν μύξαν, in spongiosas narium carnes deponunt, non absimilem hunc esse *transsudationi* arbitratur *Schneiderus. 3. de Cat. c. 1. p. 480.* ubi eundem per ἀραχνοῦσθαι (quod relæ araneorum instar humor peccans divaricetur) illustrare non sine ratione contendit. *Laur. Straussius p. 330.*

13. *Quod iis qui*) Quoad *causas mediatas remotiores*, In classe *rerum naturalium* occurrit capitis magnitudo præter natur, ut pote quæ multi alimenti indiga, plurima quoque excrementa coacervat; Ob nativam & peculiarem narium conformationem quidam apud *Borellum cent. 2. ob. f.* 88. ab ortu sine olfactu remansit: Quoad *Res non natur.* Experiuntur id incommodi qui noctu & sub Jove rigido itinera instituunt; Exhalans aliunde fœtor Chirurgo (obs. 6. M. C. Ann. 6.) cadaver secanti, adeo omnem abstulit olfactum, ut nunquam in integrum restitui potuerit. Sic si quis catarrho correptus &c. monente *Costero. Dygbaus* Tr. 1. de Nat. corpor c. 27. intempestiva atque largiori victus rationi adscribit quod homines sensu odoratus minus exquisito quam bruta gaudeant, id quod exemplo confirmat. &c. *Straussius.*

14. *Iis qui coryza*) Ab hac olfactus læsio genita, quia recens, facile curatur: ut inveterata, & à confirmata intemperie proveniens, difficile; Quæ ex mala narium conformatione procedit, incurabilis est *Riverius.*

15. *Iis qui coryza laborantes balneum*) Si gravis Catarrhus olfactum tollit, vis cadentium humorum tunicam narium corrupit; Cogita quanta eorum acritas sit interdum, contra quam tenuis sit tunica? Si vero aliquis gravi coryza oppressus in balneum ducitur, illa tunica ob catarrhum nimis uda, nunc aëre fervente nimis arida redditur, ut naturali suo vigore exuta officio suo aut ad annos aliquot, aut in perpetuum desit, *Sennertus* ea casum accidere censet, quia balnei calore materia catarrhi, & pituita ad foramina ossis ethmoidis induratur, ut postea vix amoveri queat, unde meatibus illis obstructis permanentibus plane aboletur. Item materia, ad nares fluens, Balneo circa os ethmoïdes exsiccatur & obstructiones parit, unde Olfactus tollitur At, quæ in Coryza obturatio fieri potest, cum illa foramina propter fibras & nervos, qui in ea sunt abstrusi, naturaliter sunt adeo obstructa ut nec limpidissima aqua, nec aer ipse vi conpulsus per ea ad cerebri membranas, etiam spongioso osse sublato penetrare queant? &c. *Schneiderus loc. ubi pluras.*

16 *Laudantur in hisce*) Ad hunc morbum prout ejus causæ sunt variæ, variæ curationes sunt adhibendæ: Nam *Tunicam narium* aut *inflammatio* tenet; aut *polypus de ven-*

occupat, aut *ulcus* tentat; aut *noxius humor*, vel *halitus de ventriculo* veniens vexat, aut *vermes* excruciant; aut *æstus aeris* pulveri mistus arefacit: nonnunquam etiam sensus odoratus per *vulnus* tollitur, quare tum præsto sint quæ curando vulneri opus sunt; Si *Narium spiramentum* per validam cicatricem clauditur, nimium distans curatio requiritur: Cumque multæ ex prioribus morbis offensiones soleant esse, sæpe apoplexiam & lethargum, pestilentes item quasdam febres excipit hic affectus: Interdum accidit ut ii *gustatus* sensu etiam orbentur &c.

Si *cerebrum coryza*, aut catarrho vrgetur, ut nervi tertii paris maxime infestentur, cursus materiæ *tracta dejectione*, nisi aliquid prohibeat, *detractione sanguinis*, *adhibitione cucurbitul. sudationibus*, *apophlegmatismis*, ut trochiscis ad id efficacibus, *ptarmicis*, si quæ naribus hærent, *gargarismis*, *abstinentia* avertitur. Dehinc omnia ea quæ *excitatissimi odoris sunt* olfacere expedit, *Celsus* ait sensus excitare *nepetham, thymum, satureiam* &c. *Galenus acetum* magnæ efficaciæ esse credit, nonnunquam autem offendit.

Semen nigellæ permagnam vim habet, *Crollius* laudibus effert *extractum mentastri aquatici*, & ait hujus herbæ folia habere speciem seu signaturam nasi: *Lemnius* pluris facit *mentam* crispam, cujus suaveolentiam, *inquit ille*, manifeste percipiunt quibus odorandi vis intercepta est; Non alienum est *balsamo mentæ*, vel *serpilli turini*, vel *corticum citri* linguam perungere, nō quod ejus odor, cum homo emittit spiritum, tunicam narium maxime ferire possit, sed quod Narium sensus per gustatum rerum excitari videatur. Nec ab ratione abhorret *spinam dorsi*, mistis interse, *oleo nardino*, & *oleo origani cretici*, cui *castorei* paulum adjectum sit, perfricare: *Pernumia* tradit hebetiorem narium sensum acui si aqua ore assiduè detineatur; *Extracti melissæ* & *theriaca* optimæ de die paulum devorare opus est, Nihil certe capiti & sensui narium æque prodest quam *melissa*.

Si per hæc parum proficitur, ultimum est *ulcus* vel *ferro candente*, vel causticis remediis in occipite, qua summæ duæ colli vertebræ cum capite committuntur, excitare, ut per illud perniciosus redundansque humor quotidie evadat. *Schneiderus*.

Causa aut *in cerebro*, aut *Narium cavitatibus*, aut *Olfactus foraminibus*, aut *Organo* consistit.

Cerebri causa si fiat, simili ratione ut in reliquis sensibus succurrendum: *Narium* cavitas patens abstrusave, si *muco* aut *pituita crassa viscosa*, opplera vel obstructa sit, *expurganda*, si removeri sic possit, vel *emungendo* eam sensim auferre tentabimus, & *sternutatione*, irritando expultricem, si ad excretionem jam parata sit, excutere studebimus.

Immissis in nares, si non facile cedat, aut profunde lateant, quæ ea *emollire*, si dura; vel *incidere*, si crassa sint, vel abstergere, si pertinaciter hæreant possint, & simul expultricem stimulent, unde post facile excutiuntur: Quod *Errhinis attractis* vel *infusis* in nares efficiemus: *Emollientibus* & *abstergentibus*, ex *vino, aceto, lixivio*, & aliis *abstergentibus*, & *stimulantibus* ex herbis *nitrosis*, amaris & *acribus*, aliisque, fel inprimis viscosa dissipat.

Vaporem à *decocto* aliquo calido *pituitam* incidente & præparante naribus excipiendo, eam ad expulsionem præparamus.

Odore solo *acrium, sinapi, raph.* materia illa aliquomodo inciditur. Si vehementi odore prædita grata, *ut moschum, ambram*, fœtida, *ut castoreum, asam fœtid.* sæpe olfacere jubeamus, non tantum pituitam incidemus, sed & facultatem olfaciendi, ob intermissionem sopitam, in actum rursum revocabimus.

Si *corpus* aliquod *tophaceum*, aut *calculosum* vel *vitrum*, ut *vermis*, in [illegible]vitatibus illis lateat, quod c[illegible]njectura tantum assequi[illegible] cer[illegible] eadem conveniunt quæ humori crasso, quæ & per sternutationem nonnunquam excutiuntur,

Si *vermium* appareant symptomata quia prius aliquis ejectus fuerit [illegible] *amara, fellea, succos absinthii, aloes* &c. ein *acetum*, errhinis, ut illum enecemus petimus similis,

Coryzam suis remediis curabimus. Si *organicum* sit ab *ortu malum*, emendare nequit, naturæ committendum, quæ aliquando per se in magnis mutationibus aliquid præstat, uti & si *ob nasum depressum* ab ortu vel à morbis, viriata hæc figura nunquam corrigi potest. *Platerus*.

15. Utilissimum est *acetum scyll.* In olfactu læso, quotidie à jejunis 3 cochlear. acceptum. *Altman. pr. 5*

Utilissimum omnium est *Castoreum aceto* [illegible] lutum, quin & potum, *Castoreum* tritum cum *aqua mulsa* cyathis tribus; vel ut efficacius reddatur. *Acet scyl.* [illegible] dimidio addito præ multis auxiliis prodest. *Idem ibid.*

Specificum est *majoranæ Extr.* quotidie m. & v. præmissis universalibus sumptum a ℈ß. ad ℈i. In olfactus abolitione. *Grulingius Pr. l. 1 part. 4. c. 1.*

Præsidium hoc efficacissimum putatur, contrito *nigellam*, prius aceto acerrimo maceratam, post pulverisatam, cum veteri *oleo* subigito, deinde ægri capite ore aqua impleto, quantum licet retrorsum inclinato, aliquot guttas instilla, & ægrum, quoad potest aërem attrahere præcipito, atque hoc tribus incipientibus diebus ter facito. *Andr. Vesalius Paraph. in lib. 9. Rha. c. 40.*

16. *Laudantur in hisce*) Curabitur Olfactus Abolitus aut Diminutus, cum gravedine conjun[illegible]us, exsiccando humiditatem superfluam Nares occupante[illegible], evacuandoque per vias universales, hinc & nares ac os serum in corpore redundans, copiosius [illegible] re[illegible] cerebri glandulis secretum: *Fr. Sylvius Pr.* [illegible] *1. c. 9.* vide infra de Coryza.

17 *Oleum majoranæ &c.*) Laboret quis odoratu amisso, coryza, obstructione narium, hauriatur tantillum *aqua majoranæ*, compressa nare altera, & aqua simpl. in os præsumpta, repetatur id bis vel ter, sent[illegible] le[illegible]amen insigne. In usu hinc nobis est frequenti, tum p[illegible]e tum cum *vitriolo albo*, & *elaterio*, seorsim vel conjunctim remixta, si v. g. ℥ß. *aqu. majoran. vitrioli albi* gr. j. ij. iij. & *elaterii* tantundem pro re nata addatur. *Vedelius*

1. *Oleum majoranæ*) quod specificum est aguttis ij ad iij, in vino sumptum, miraque præstat. *Frid. Hofmannus m. m. p. 300.*

18. *Errhinum Zacuti* Errhinum læso Olfactu efficacissimum quod fidelissimo experimento didici,

℞ *succi marrub. cucum. agr. rad. ir. āā.* ℥j. *succi fol. majoran. puleg. salviæ āā.* ℥j. *asæ foet. castor. caryoph. alaunibus nicot. hellebori āā.* ℨß. *mosch. ambr. āā. gr. 4. misce.*

Depravatus Odoratus.

Abolitio aut Diminutio) Depravatur etiam odor[illegible]tus à fœtore in corpore existente, atque odoribus ext[illegible]is admissis se admiscente, illosque inficiente ac viti[illegible] & forte aliquando à quibusdam halitibus ad c[illegible]os denium odores externos admissos in corpore excitatis, & tunc cæteros aliunde accedentes inficientibus: Odores autem si .e halitus odoratos ex rebus, nullum aliquando ex se ac per se odorem spirantibus, sed tantum simul junctis excitari testantur *sal tartari* & *sal armoniacum*; vel sicca, vel in aqua soluta; & confu[illegible]evato mox *sale vinea volatili* in *sale armoniaco* latente, [illegible]nc inodoro, ad tartari vero salis occursum mox erumpente ac exhalante, & olfactum potentissime movente. Tale quid in corpore nostro accidere posse, atque nunc ab odoratis, nunc ab inodoris, aut per nares cum aëre attractis, aut ore præsertim assumptis, deglutitis & ad intestina mox peringentibus, ac ibidem effervescentiam viriosam & molestam excitantibus, halitus fœtentes, aut quovis modo odoratus per œsophagum sursum propelli, externosque odores infici quid vetat?

Observamus

Obſervamus enim ab aſſumptis dulcibus vel acidis ſuffocationem dictam produci; & quidem ab halitibus in tenui inteſtino vitioſe genitis ac ſurſum elevatis, idque non raro cum acri aut gravi odore externos corrumpente: Fœtor ſponte ac continue ad nares è corpore ægri delatus, parti alicui in naribus, faucibus, ore, pulmonibus, vel alibi corruptæ aut putreſcenti debetur: Depravatus olfactus *curabitur* emendando materiam in corpore halitus fœtidos ad nares propellentem; aut impediendo cohibendoque effervescentiam vitioſam ſimiles halitus promentem: Denique curando partium variarum putredine affectarum morbos varios. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 9.*

Depravati Olfactus cauſa eſt odor pravus nares continuo feriens, qui quidem aut ex ulcere narium exhalat, aut putrida pituita circa nares vel os ethmoides contenta; nam quæ in ipſo olfaciendi ſenſu, aut prope hunc intra meninges putreſcunt, ſenſum ipſum haudquaquam feriunt, nec ea laborans, ſed quivis aſſidens deprehendit; Ut enim quidpiam odoratum feriat, oportet aliunde ad ipſum ſenſum deferri: Poteſt etiam teter ac fœtidus vapor ab aliis partibus, ut ventriculo, gingivis & cerebro ipſo ad ipſos proceſſus mammillares exhalare, eoſque ita inficere ut omnes odores eo delati ſimili fœtore infecti appareant, ſicut lingua bile amara infecta omnia quæ guſtantur amara judicat. *Riverius.*

Depravatur Olfactus cum rerum odores non quales revera ſunt, ſed aliter odoratas falſo eſſe dijudicat, ut eum quæ *grato odore* alioquin prædita ſunt, ingratum captare ſentit, Vel quæ bene olent fœtere exiſtimat (*ſic Dom. Bullionus, Quæſtura Generalis in Gallia Præfectus, putidi ruſtici vani ſubulci præſentia delectabatur, & proxime accedere jubebat, Aulicum balſama fragrantem removebat*) quod plerumque guſtu ſimul depravato accidit, cum judicium aſſumptorum ex parte ad odoratum pertineat: Vel cum alimenta & odore & ſapore per ſe grata, in morbis & ſapore & odore ingrata eſſe judicantur. *Platerus.*

De Coryza.

GRavedo ſeu [19] *κόρυζα*, eſt [20] *cerebri excrementorum*, [21] *inſtar aquæ crudorum ac & tenuium* ad γ nares *defluxio*, [22] *quam frequens ſternutatio comitatur.*

Cognoſcitur ipſa per ſe,

[23] *Oritur* ab [24] intemperie frigida ſeu calida ſeu frigida, ide quibus ſuperius.

[25] *Prodeſt* [26] *gummi Animæ* prunis iniectum [27] pro ſuffitu, [28] *Tabacum* cum *oleo aniſi* more ſueto ſumptum.

[29] Coryzam ſingularem vide apud *Bartholinum cent. 6. hiſtor. 37.*

[19] *κόρυζα eſt cerebri excrementorum &c.*) Suniorum ex turba multi, urgente Coryza, humorem credunt, ſi non ex cerebro, ex cerebri tamen membranis in nares confluere poſſe, ajuntque cerebri membranas madere quæ ad os & ad nares protenduntur: itaque humores ex illis cerebri membranis eo ſenſim ferri, idque in humano æque ac in belluino corpore fieri, membranarum cerebri fibras manifeſte per foramina oſſis cribriformis ad nares, & per foramina oſſis cuneiformis, una cum nervis tranſeuntibus ad palatum & ad alias partes proximas trahi; Glandulam pituitariam habere multa ſanguinis receptacula, unde liquor pituitæ ſenſim manare poſſit, docere *Veſalium Fabr. corp. h. l. 7. cap. 11.*

Verum dicat quod quiſque vult, ſic ſtatuo, Glandulæ pituitariæ ſint venæ haud paucæ, madeant quoque cerebri membranæ, harumque portiones, & fibræ ad palatum & ad patentes nares trahantur, ſed quis crediderit conſtantiorem illum viſcidumque liquorem muci per iſtas excurrentes membranaceas partes in palatum & in nares viam ita facere ut nec minimum veſtigium tam lenti humoris in cerebro aut ejus membranis unquam deprehendi poſſit? Si nervorum membranæ pituitam cerebri portant, ea ferretur etiam in alia membra, in genas, in tempora, in colli, brachiorum, & pedum muſculos, quos intrant nervi de cerebro proficiſcentes: Nunc circa glandulam pituitariam, maxime verſus occipitii foramen craſſiores fiunt, magiſque diſtant membranæ cerebri: Si per eas ita deductas foret itus ille tardior pituitæ, omnis catarrhus flueret in ſpinalem medullam quæ proxime abeſt; Nulla membra ex ſe fundunt redundantes reliquias alimenti, quare eæ nec in cerebro unquam deprehendi queant: ut namque aliarum partium, ita & cerebri venæ, quod eſt alimenti reſidui in maſſam ſanguineam reducunt; hujus quoque purgamenta jugiter exhalant pori cutis & ſpiracula; nec cerebrum aliis humoribus dat viam tranſitumque, nam hi in eo patefacto tandem deprehendi poſſent: Per Renes urina jugiter colatur, quapropter eorum caro, & cruda reddit odorem urinæ, & cocta eandem reſipit: Coryza infeſtante *Botallus* itinera pituitæ ad nares pertinentia, h. e. foramina cribriformia ait occludi; & hoc eſt quod nares aliquid ſtridulum tum ſonare ſoleant: Verum illa pituita nec in illius hominis cerebro aperto (ut ſupra præfatus ſui) ſe ingerit in conſpectum, nec enim cerebrum naturaliter egerit tam cito ut ne minima ejus gutta ſuperſtes eſſe queat;

Jam vero cerebrum nec pituitæ odorem fundit unquam, nec ejus præſtat ſaporem; Illud quidem ajunt pituitoſum alimentum ſubminiſtrare; at recens cerebrum, & pituita jam naribus rejecta oppido inter ſeſe differunt: coctum vero cerebrum magis accedit ad naturam glandulæ, quam ajunt friari, cocta vero pituita magis lenteſcit, tandem areſcit: Urina eſt multo tenuior quam mucus narium, multoque liquidior, ſi urina ita decurrit ut ſui veſtigia relinquat in renibus, cur non pariter in cerebro ſub oculos venit, ac cadit ſub tactum pituita, quæ æque prompta ad decurrendum haud eſt; hæc ſpiſſa eſt, lenta, & ita viſcida ut ſi contingatur manu filum ducatur, talis humor in cerebro nunquam conſpici poteſt, ſive homo careat catarrhis ſive urgeatur: Qui humor in cerebri ventriculis, non eſt mucus, non eſt pituita: Quæ cum ita ſint, intelligendum eſt omnino Pituitam, nec naturali inſtituto nec valetudinis vitio cerebrum, principem illam corporis partem tranſire,

Schneiderus, l. de Cat. spec. p. 218.

Prognosis.

Coryza periculo caret, modo non acrior lympha exulceret interiora narium, & ita in his ulcera ozænasque producat; *Etmuller*: Falsum est quod Coryza sit semper salubris, nam *contagiosa* aliquando observatur Coryza, cum ex partibus affectis exhalantia miasmata fermenti quasi naturam obtinent, ita ut ista effluvia, aliorum naribus attracta, seu per lintea, seu per pocula communia, irritativa sua acrimonia, & hinc partis ac lymphæ alteratione, similem coryzam etiam alteri sano inferunt. Hinc falsum est quod Coryza sit semper salutaris: ut vulgo dicunt; Nam ut vt hoc verum sit si à causa interna oriatur, non tamen semper procedit negotium, cum talia potius fiant in naribus & faucibus quam quod alio deferantur. *Idem.*

20. *Est cerebri excrementorum &c.*) Per propagines rami arterialis à Carotide (*vide cap. præc. de Hæmorrhagia narium §. Venas Nasi*) imprimis serum à capite derivatur; cumque vasorum istorum ora à Ptarmico nari immisso vellicantur & irritantur, serum exinde copiosius elicitur; quod tamen non à *Cerebro descendit* (uti vulgo putatur) sed ne ipsum petat, per arterias hasce nasales anticipatur, è quibus cum Errhinorum usu uberius exprimitur ac emulgetur, propterea cerebrum magis serenum & nebulis immune evadit: Dein 2°. ne cerebrum à sanguine impetuosius inundante obruatur uspiam, portio hujus per dicta vasa abscedena, & foras erumpens, facile impedit. *Willis de Med. Oper sect. 3. c. 2.*

21. *Instar aquæ crudorum ac tenuium*) In Coryza accidit ut è Naribus ab initio *tenuis* & aquosus humor continuo exstillet & copiose effluat, actu frigidus, nonnunquam & calidus, interdum & acris, nares vellicans, sternutationem movens, lacrymas eliciens, alas narium & superius labrum vicinum inflammans & exulcerans; accedente interdum & copiosa expuitione cum screatu & tussi; Qui humor tandem circa finem *mucosus*, nunc *albus*, nunc alio quoque colore tinctus emungitur. In aliis morbis quibusdam capitis & defluxionibus hoc idem accidit. *Plateras.*

β. Tenuium) Exprimitur ac excutitur simul ex glandulis & vasis lymphaticis contentus humor; qui evacuatus levius præstat caput. *Vredelius.*

γ. Ad nares defluxio) Qua via aquæ feruntur in Nares, quas non sine molestia frequenter emungendo educimus? ℣. illas non per foramina Ethmoidis, quod vulgus Medicorum censet, sed per foraminula in angulis internis oculorum parentia primum in nares, subinde etiam in palatum descendere. Plena namque sunt foramina Ethmoidis, & nervi expansione objecta, nec non productionibus duræ meningis obstructa, per eadem in superficiem quoque ossis externam excurrentibus, ut proinde nullum, aut minimum exitum aquis permittant. *Ant molinetti. Diss. Anat. Path. c. 11.*

22. *Instar aquæ crudorum ac tenuium*) Oritur Coryza quando copiosa lympha, tenuis & acris per nares defluit: quam successive liquor crassus, spissus, varieque subinde coloratus insequitur: Naturaliter quidem à Lympha insipida, moderate crassa, intus oblinuntur nares, cujus vasa & fontes vide *in Stenone de Glandulis oculorum, narium, oris &c.* quæ ipsa lympha blande humectat non tantum internam narium membranam, & defendit ab externis inspiratis, sed etiam suo modo facilitat odoratum. Ipsa tamen continuo aëris inspirati attenuata, crassiores partes relinquit, sub muci forma emungendas.

Quod si *præternaturalis lympha* fiat excretio, ita ut copiosa, tenuis, sicque minus temperata, sed acrior effluat, vocatur Coryza, dum lympha ista acrior erodendo membranam narium primitus sternutationes frequentes, deinde ex rosione dolorem, hinc ruborem narium, interdum etiam earundem excoriationem & exulcerationem infert. *Etmuller Pr. P. 1. p. 2. 51.*

23. *Quam frequens sternutatio*) Vide supra §. *Instar aquæ crudorum &c.*)

Cognoscitur ipsa per se) Plurimus enim humor per nares excernitur. Quoad causas, quando est ab *Externa*, eidem frequentem sputationem ac tussim supervenire videmus, partibus scil. istis, per quas frigidus aër transit, copiosis glandulis obsitis, omnibus tamen læsis & irritatis, hinc catarrhum plorantibus, imo ex partibus istis ita affectis exhalantia miasmata contagiosam pariunt Coryzam. *Idem*, vide Prognosin.

24. *Oritur*) Causa hujus Coryzæ, præter causas generales, omnibus catarrhis communes, in specie præter *vitium lymphæ* & *massæ sanguineæ* internum, quæ interdum motu naturæ spontaneo per hæc loca, tanquam emunctoria quædam auspicato expurgantur, sæpissime oriri solet ex *errore externo*, in specie aëris vitio, seu ejusdem inclementia, hyberna aut autumnali: hybernus enim talis aët partes sibi expositas insigniter frigore alterat, quam faciei, labiorum & manuum fissuræ insequuntur, optime per *lotionem* cum *urina humana* curandæ, A simili igitur aëre inclementiore læsa interiora narium, & simul faucium ac laryngis, ex irritatione membranarum copiosam fundunt lympham, puram, tenuem, adeoque acrem, àqua in *naribus Coryza*, in faucibus asperitas & dolor, in larynge tussis & raucedo oriuntur, unde profluunt, in principio saltim serosa & aquosa, acria tamen, donec ab aëris & simul lymphæ vitio, læsæ & nonnihil excoriatæ partes plorent nutrimentum proprium, sub forma mucilaginis crassæ, quod narium supremæ obstruendo, inspirationem tollit, in faucibus hærens, screatum copiosum infert, & laryngem incrustans, frequenti tussi rejicitur. Quod non raro in saxeam duritiem concrescit, observante ab *Heer* Observ. 28. Præter *Aërem* etiam sternutatoria acriora, nimisque frequenter usurpata, continuo stimulo membranam narium irritando, copiosam lympham effluere faciunt, imo coryzam producunt, si continuentur. Hinc etiam fumi minerales inspirati Coryzam inferunt. *Etmuller.*

24. *Oritur*) Quoties ita ab externo frigore affectæ sunt male Glandulæ conglobatæ circa choroidem plexum in cerebri ventriculis lateralibus, & alibi observabiles, toties consequi solet Gravedo, qua urgente producta Lympha exsilit salso acida, talisque gustatur in Coryza.

Unde probabiliter licet concludere quocunque modo tunc lædantur dictæ glandulæ, Lympham deflectere a suo statu, & qualitate naturali, gignique salso acidam, cum ab ipsa non tantum per nares effluente corrodatur interna earum superficies, ut & faciei cutis, verum quaquaversum intra corpus delata, vel distillante dolores producantur, nunc leviores nunc graviores prout nimitum ejusdem vitium exstitit gravius aut levius: Hi dolores sicut adscribuntur pleru mque catarrhis, non satis explicatis, ita verius deducuntur à Lympha vitiata ex vasis suis effusa, & in partes

partes vicinas, quin & remotas viam reperiente, aut acrimonia sibi faciente. *Franc. Sylvius Pr. l. c. 49.* Vide Caput de Tonsillarum inflammatione.

[24] *Oritur ab intemperie cerebri*) Arteriarum nasalium oscula (*transitum sanguini in hæmorrhagia præbentia*) propter teri exsudationem semper paululum dehiscunt, Nempe imprimis hac via serum à capite derivatur: cumque vasorum istorum ora a ptarmico nari immisso vellicantur ac irritantur, serum exinde copiosius elicitur; quod tamen *non à cerebro descendit* (uti vulgo putatur) sed ne ipsum petat, per arterias hasce nasales anticipatur, è quibus cum errhinorum usu uberius exprimitur ac emulgetur, propterea cerebrum magis serenum & nebulis immune evadit: *Vvillis Ph. Rat. p. 2. pag. m. 179.*

[25] *Prodest &c.*) Quoties ab externo frigore, aëris aquæ, aut nivis, male fuit affectum caput, ac Gravedo inducta, toties observavi feliciter ac brevi curari ægros si quam citissime foras propellatur iterum quicquid penetravit in caput, aliasve corporis partes, idque per sudorifera semel, aut, quod præfero, sæpius & partitis vicibus assumpta, sed spirituosa & volatilia; quippe quæ non tantum alterant corriguntque frigoris, aliorumque id comitantium malorum causam, verum emendant quoque noxam in corpus continens contentamque introductam: commendo hanc Formulam. ℞. *Aqu. fumar. fœnic. ā.ā. ℥ij. theriac. simpl. vel alterius aromat. ℥j. spir. salis Armon. gtt. xx. ol. caryoph. gtt. iij. Bozoart. min. ʒß. laud. op. gr. ij. syr. papau. errat. ℥j. fiat mistura.* Dosis cochlearia duo, sudorem proliciendo, nil enim æque juvat ac sudor, quod me docuit experientia. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 41.*

[25] *Prodest &c.*) Curatio hujus affectus à catarrhi curatione desumenda est, easdem enim vacuationes, revulsiones & derivationes postulat; nisi quod *Errhina* hic usurpanda non sunt, ne nimium ad partem affectam attrahant, sed apophlegmatismi & masticatoria post universalia maxime conveniunt; Ac præter dicta, authores nonnulli commendant quæ Coryzæ compescendæ peculiariter conveniunt, ut vapor *decocti majoranæ* naribus exceptus, vel *aqua majoranæ*, *Vapor aceti* in ferream laminam candentem infusi, idque efficacius si in aceto *rosæ rubræ* prius infundantur;

Si fluxio valde frigida fuerit, *suffitus sicci ex nigella, thure*, aliisque in prunas conjectis erunt utilissimi; his enim frigida cerebri intemperies corrigitur & superflua humiditas absumitur. *Riverius.*

Cura communis cum aliis catarrhis, in specie si à causa interna oriatur; maxime tum conveniunt *Externa* vel *naribus applicanda*, vel *vertici inungenda*, vel *ore masticanda*, vel *insinuanda*: Omnia hæc eo conspiciant, ut vel læsionem inductam, vel irritationem sistant, vel mucum productum abstergant & evacuent; Prius *in principio*, posterius in *statu morbi* locum obtinet: Quibus ipsis pro conditione subjecti patientis, & ipsius catarrhi, vel *epidemici* vel non *epidemici*, copiosioris vel paucioris, nunc blande *laxantia*, nunc in specie *sudorifica*, socianda veniunt.

Ista ergo quæ pro *priore scopo* naribus applicanda, sunt *balsamus apoplecticus* vel alia *olea destillata aromatica*, quæ naribus sedulo illita à Coryza easdem præservant; In specie *oleum destill. anisi* mox in principio illitum ante excoriationem narium est egregium; uti etiam in progressu, ad crassitiem materiæ superiores narium partes obstruentis attenuandam, egregium est oleum anisi si eo illinantur intrinsecus nares;

Quod si jam nares cum rubedine doleant & excoriatæ sunt, cum polenta subigatur dictum *oleum anisi* & ita applicetur: *Camphora oleo amygd. dulc.* soluta & naribus extrinsecus inuncta, egregium experimentum habetur pro sistenda coryza; quæ etiam subito sisti dicitur solo odore percepto ex *cornubus raspatis*, v. g. in præparatione pectinum, vel si alia *cornua* applicentur naribus. Pertinent huc *suffitus* qui inspirati alterationem ab aëre tollunt.

Ulterius *Pulveres sternutatorii* appropriati nonnihil conveniunt: quoties lymphæ proritando fluxum, ejus beneficio membranas abstergunt narium: quin & materiam crassam & viscidam eliciunt; V. g.

℞ *Pulv. tabaci Indici ʒß. majoran. flor. lilior. convall. āā ℈j. ol. destill anis. gtt. vj. caryophyll. gtt. iij ambra gr. vj moschi gr. ij. m. f. Pulvis sternutatorius.*

Helmontij etiam hic pulvis expertus, fit ex una *sacchari* & *rad. belleb. nigr. pulver.* & naribus attractis.

Optima denique *sternutatoria* fiunt ex *vitriolo* ad albedinem calcinato, in *aqua majoranæ* diluto & hinc filtrato, ita ut grana v. vel vi. pro ℥j. sufficiant; Liquor is naribus attractus quasvis narium latebras emungit.

Optime quoque obstructionem narium resolvit in statu coryzæ.

℞. *Olei nicotianæ, irini āā ʒj. stillatitij major. gr. vj.* M. naribus intrinsecus illinendum.

Quod si caput perturbatum sit grave & obnubilatum, convenit vel *Balsamus Peruvianus*, vel, ubi fortius agendum, *ol. destill. succini*, aut *ejusdem balsamus* vertici illitus, unde dolor capitis tensivus, ejusque perturbatio successive remittunt.

Quod si pro *derivatione lymphæ catharralis*, prius pro præservatione partium oris aliquid agendum sit, conveniunt *Trochisci ex mithridatio & olibano* facti in ore retenti: catarrhum enim & læsionem partium sistunt, & initio præsertim conveniunt;

Ut autem in statu jam coacervatus mucus evacuetur, convenit *Nodulus* v. g.

℞ *Fol. majoranæ p. iij. semin. nigellæ contus. ʒij. ol. destillat. majoran. gtt. iij. succini, anisi ana gtt. vj.* M. F. Nodulus D. cum stylo. *Etmuller.*

Sabina bullita super nares calide cataplasmatis instar posita statim aufert coryzam. *Petrus Bayrus.*

[25] *Prodest*) Observatum est Sternutatorium Coryzam causare si non adest, Si vero adest eandem quoque curare: Debet autem non nimis acre esse, uti ad detersionem productorum facit *rad. cyclamin.* in taleolas oblongas incisa, & *oleo amygd. dulc.* imbuta & naribus indita. *Osvv. Gembs.*

[25] *Prodest &c.*) vide supra §. *Oleum majoranæ*)

[26] *Gummi animæ prunis iniectum*) Inter suffitus excellit is qui fit ex *gummi Animæ*, omnium optimus, naribus, ore & in toto corpore exceptus, qui & vitium lymphæ corrigit, & læsionem jam inductam mitigat, proinde hos affectus curat; Præterea ex *succino, mastiche* & similibus parari quoque solent, v. g.

℞ *Succini, g. animæ āā ℥ij. thuris, mastiches āā ʒj. benzoes ʒij. M. F. pulvis. Etmuller.*

[27] *Pro suffitu*) Commendantur hi Trochisci, coryzam abscindentes.

℞ *Thuris, sandarach. Succini, styrac. liqu. āā p. aqu. f. Trochisci*, ponatur unus super carbones, & fumus attrahatur per nares: Si cum eorum portione suffumigentes stupæ lini, bene carminatæ reponantur super suturam coronalem, plurimum juvant. *P. Forestus.*

[28] *Tabacum cum oleo anisi*) Pertinet huc suffitus *Tabaci*, aliquot guttis *olei destillati anisi* prius imprægnati; *Etmuller.*

a Pro suffitu) Ubi nimis crassa, nimisque viscida fuerit materia quæ nares obstruit, optimus est. *Suffitus aceti super ferrum candens effusi. Etmuller.*

[29] *Coryzam singularem* Continua Coryza afflige-

nares integerrimi Viri *P. Morb* Archiatri Regii, ætatis ingravescentis, ut per nares impedita via difficilis illi sit & somnus & spiratio. Obstructionis narium peculiaris causa & ratio est: Quotiescunque molestior est affectus, per narium cavitatem prolabitur vesicula oblonga, rotunda, candida, sero plena, quod exsudat. Ea vero vesicula membranosa sæpe in medio narium subsistit, sæpe extra nares propendet; levi digitorum impulsu sursum ad caput retruditur, naresque deserit, sed circa os ethmoides & olfactum & spirationem impedit, Evacuatur subinde sero exstillante, & liberior redit olfactus. *Vide plura loco in textu citato*, ubi *nonnulla conjectura de natura hujus membranæ*. An forte relaxatio membranæ narium, *Schneidero pituitariæ* dictæ?

De Muco Narium.

Quamvis aliqui putent secundum naturam & absolute sanis nullum Narium defluere *Mucum*, quoniam *Persæ* valde sobrie viventes nullum creduntur habuisse prodeuntem è naribus mucum, nullú excreasse sputum, At etsi fieri potest ut talis sit aëris in Perside constitutio, ob quam accedente sobrio alimentorum usu nullus coacervetur in naribus, tenuis saltem, mucus, pauco eoque exsiccato duntaxat occurrente, qui pro muco tunc non habeatur, nam & in hisce regionibus æstatis tempore accidit multis ut nullum tenuem habeant in naribus mucum, nisi exsiccatum, quin observantur aliqui, quibus nunquam, ne brevi quidem autumni tempore, aliquis prodit mucus.

Quicquid sit, observatur in hisce regionibus Septentrionalibus tam naturalem esse *muci* productionem ac profluxum, ut paucissimo detrimento sanitatis illius proventus desit.

Hic ergo saltem pro naturali & necessario excremento habebimus *mucum*, quantum judicare datum, à *glandula pituitaria inprimis ad nares delatum*. An vero à *glandulis choroidem plexum cum arteriis construentibus*, aliqua in parte ortum suum habeat is *mucus*, An insuper à pituita in *spirituum animalium* in cerebro ac cerebello facta *secretione*, simul à sanguine secreta, & ad ventriculos, hinc per Infundibulum ad Glandulam pituitariam delata, an præterea à *succo peculiari in Glandulosa narium tunica secreto*, suam trahat originem? nec affirmare nec negare ausim. Id saltem manifestum *Mucum* omnem naturalem visciditatem aliquam in se continere, cujus ratione ubi tantillum exsiccatur tenacitatem notabilem adquirit, quod & Salivæ quoque accidit.

Mucus hic peccare videtur 1. Quando *deficit*, 2. quando *minuitur* & *parcior* existit, 3. Quando *fluidior & aquosior*, 4. Quando *copiosius* prodit. 5. Quando *tenacior*. 6. Quando acrior, & nunc *salsus*, nunc *acidus* occurrit.

Mucus in naribus deficit, 1. quando ejus materia à reliquo sanguine non separatur, vel in cerebro ac cerebello, vel in plexus choroides glandulis, vel in glandula pituitaria, vel in glandulosa narium tunica, dummodo ab hisce omnibus partibus proveniat, 2. Quando alio, & imprimis ad fauces transit; Non secernitur à reliquo sanguine muci materia ob affectus cerebri calidos, cum calore saltim manifesto conjunctos, aut ab æstu quocunque ortos, Alio ad fauces transfertur mucus, & inprimis obstructis, aut quovis modo angustatis circa sui radicem naribus, quod circa gravedinis initia non raro contingit, quamvis id forsan à scriptoribus non est observatum.

Idem *Mucus parcior* ad Nares defluit 1. quando pauca ejusdem materia secernitur à sanguine in partibus in quibus secerni solet, & quidem ob causas modo memoratas, sed leviores. 2. Quando ejus pars aliqua uti dictum ad fauces transfertur, easdem etiam ob causas sed leviores.

Copiosior per nares prodit Mucus. 1. quando illius plurimum separatur in partibus illi secretioni dicatis, illud autem accidit, tum ubi sanguis abundat pituita, Tum ubi partes illi secretioni dicatæ ab externo præsertim frigore, ac Boreali vento, corpus calens, & imprimis caput, ex improviso corripiens, sunt male affectæ, unde corrumpitur quodammodo in ipsis sanguis, atque plus partis pituitosæ solet à cæteris tunc secerni, ut in coryza hoc accidit. 2. Prodit idem copiosior, quando ejus parum vel nihil transfertur ad fauces, sed omnis, plurimus saltem per nares stillat, quem motum promovere potest antrorsum capitis inclinatio diutius continuata, sive ob affectum aliquem illam inclinationem desiderantem, aut urgentem, sive ob morem malum, cum non pauci se vitiosæ corporis positioni sensim assuefaciant.

Fluidior & aquosior destillat per nares *Mucus*; quoties multum seri à sanguine illi admiscetur, quod fit tum quando sero abundat sanguis, tum quando ab externo frigore affectum, est graviter caput, unde cum glandulis in ipso existentibus, unde plus partis serosæ secerni solet in ipsis, sicut fit in Gravedine.

Tenacior prodit è naribus *Mucus*, quoties suo sero destituitur sanguis, aut illud per urinas sudoresve copiosius evacuatur, aut in affectibus cum calore manifesto copulatis idem consumitur, inspissatur saltem; Unde in febribus ardentibus, ab exspirato per nares aëre non parum incrassatur mucus, & exsiccatur deóque tenacior fit.

Acrior existit *mucus*, & quidē nunc salsus, nunc *acido salsus*, quoties illi simile admiscetur in cerebro serum, quod frequentissime accidit in Coryza, quibusdam sine hac; Illud autem contingit præsertim tempore frigido, aut à quovis caput afficiente frigore.

Existimo autem externum frigus, quoties potentius, ac inprimis à quacunque causa calens afficit caput, Glandulas præsertim corripere, atque ita serum in sanguine alterare, ut copiosius in glandulis secernatur & non tam in vasa lymphatica propellatur, quam per Glandularum membranam penetrans in partes vicinas effundatur; in cerebro vero & glandulis plexui choroidi implicatis, partim in laterales vētriculos effusum sensim per infundibulum ad Glandulam pituitariam, & hinc ad Nares pergit; partim ad spinalis medullæ latera deorsum tendat, & varia ubique damna, & noxas excitet. *Sylvius Append. Tr. v. §. 461. ad §. 484.*

De Sternutatione.

III. [30] *Sternutatio* [31] *est flatuosorum* [32] *spirituum*, *acriúmque vaporum* [33] *cerebrum offendentium* [34] *violenta &* [35] *involuntaria* [36] *per nares expulsio*. Fit cum *strepitu*, tum quia spiritus confertim, tum quia per angusta narium foramina erumpit.

[37] *Oritur* [38] *vel à* [39] *Causis externis*, & tum *oleo rosaceo* [40] vel *lacte* nares demulcendæ.

Vel ab [41] *internis* [42] humoribus & vaporibus eò delatis, de quibus suis capitibus.

[43] Solet autem ut plurimum à Medicis negligi, nisi in corpore plethorico, in principio morbi, cum destillatione accidat.

[44] *Venula* in majori oculorum angulo naribus proximo [45] *fortiùs compressa*, [46] crebram statim sedant.

29. *Sternutatio*) A sono quem sternutantes edimus ficta est vox [illegible], unde [illegible], credo inde quoque esse nostrum *sternuo*, sternutio, sternutatio & sternutamentum. *C. Hofmannus.*

30. *Sternutatio est*) Est cerebri motus velox, quo per nares confestim acto spiritu molesta excernere conatur: Per Cerebrum autem non solum cerebri substantiam, sed totum aggregatum ex eo & ejus membranis intelligimus, præcipue anterioribus, quæ imprimis in hoc affectu contrahuntur; quod ex eo licet colligere, quod dum caput attollimus facile sternuimus, tunc enim materia irritans, quæ utplurimum vaporosa est, & sursum sua natura fertur, facilius ad illam partem defertur: Ille autem motus, qui in sternutatione contingit, ad cerebri & membranarum facultatem expultricem naturalem spectat, juxta *Galenum 2. de sympt. caus. c. 1.* ubi distinguens sternutationem à Tremore & Palpitatione dicit hanc à solo morbo fieri, Tremorem à natura & morbo, Sternutationem à sola Natura: At idem 4 dicti libri tussim & sternutationem voluntariæ actionis symptomata esse dicit: Sed sibi non contradicit, innuit enim facultatem animalem in sternutamento tantum concurrere secundario, quia scil. in sternutamento è capite, & à pulmone spiritus emittatur, attamen caput pectori principium motus tradere; cum enim quæ in naso offendunt persequi properat, utrisque emittendi spiritus viis simul utitur: altera quidem quam ipsum per se facit, altera quam per nervos, velut longa quædam brachia, quæ in pectus descendant: Unde *comm. aphor. 517.* docet antecedente inspiratione sternutamentum fieri, Natura aggregante aëris copiam ad sternutationem; Tunc enim aër qui è pectore egreditur, conjunctus ei qui per nares ad cerebrum attrahitur, quicquid narium membranis, exquisito sensu donatis, molestum est, cum impetu & sono explodit.

Ex hoc etiam *Galeni* loco colligitur irritationem, sternutationem excitantem, in Naso potissimum fieri; quod & confirmat *comm. aph. 51. 7. ubi solis*, inquit, *ex his ita affectis sternutant, quibus mordax est ea quæ à capite fluit humiditas, seu & quid mordax naribus imponas; sicut enim Tussis motus quidam naturalis est, ad expurgandas eas quæ sunt in pulmone asperas arterias; sic & sternutamentum manifeste videtur expurgare narium meatus.* Dices, Multi caput nudantes, aut alio quovis modo aëri frigido exponentes, statim sternutant, Ergo videtur tunc cerebrum immediate irritari: Dic aërem frigidum esse causam, non dum in cerebrum immediate agit, sed quia cerebrum & membranas exprimendo, in causa est ut acris materia ad nares descendat: Etsi igitur in hoc symptomate cerebri membranæ possint etiam irritari, non prius tamen sternutatio promovetur quam noxa ad Narium membranam, exquisitissimo sensu præditam pervenerit. *Reverius.*

31. *Sternutatio est flatuosorum &c.*) Vis seri elastica nullibi magis quam in naribus visitur; admiranda est actio, licet primo intuitu videatur levissima: ponamus enim absolvi eandem irritarique fusione & liquatione, & excretione ipsa; hæc tamen nondum satisfaciunt quin desiderari aliquid queat; Id vero optime suppleri posse videtur si attendamus vim seri elasticam expansivam, explosivam, hoc loco maxime promotam à conditione & archeo loci.

Elasticum est serum in naribus & explosivum, ob tenetitudinem subtilis membranæ, quæ facillime cum afficiatur facillime quoque in motum citatur aëreum & rarefactivum ejusdem: Elasticum est, ob transeuntem aërem, qui continuo dum traducitur, huic virtuti elasticæ inservit, primo quidem quasi remoram passus, ut hæc ipsa pausa sua majori impetu explodatur, unaque cum ipso rarefactum serum & attenuatum: Elasticum est ob anfractus, gyros, cavernas & cavitates, quæ omnia strepitum adaugent & multiplicant; Elasticum denique ob spirituum animalium concursum, unde fibræ nerveæ concitatæ è papillis glandosis humorem exprimunt, & hic rarefactus easdem membranulas & fibras solicitat, ut concursu hoc facto, tota quasi anticamera cerebri, membranosa compages, exsurgat, & explosionem una præstet. *Wedelius A. M. M. p. 449.*

32. *Flatuosorum spirituum, acriumque vaporum*) Sal stimulat, liquat, fundit, & in motum ciet serum; Proprium hoc est omnium, & commune singulis: Idque tum per se præstat, tum explosivo principio inprimis fœtum: Quicquid explodi debet, elastica vi gaudeat oportet: quicquid elasticam vim exerere, attenuari, moveri, agitari, cieri; nihil enim aliud est vis elastica, quam motus citatior, expansio, rarefactio; unde tantisper in motum citatus humor differt aërem illuc ferendum, hinc vero eo promptius & citatius accersit, ex quo fit Sternutatio, Omnis sternutatio fit ab aëre tanquam materia primaria, Omnis Sternutatio fit à sero rarefacto, & exploso tanquam à materia secunda, & aërem modificante: Quinimo ipsa mora laudeta vim elasticam utriusque accersit; Subjectum enim humidum à calido successive & æqualiter effumat, exhalat, [illegible] & inæqualiter facta quasi conclusione exploditur; Par hic est ratio. *Wedelius ib.*

33. *Cerebrum offendentium per nares expulsio*) Diaphragma sternutationis sedes est, non secus ac Singultus; Quibus ignota est sympathia inter nares & hoc viscus, vix huic opinioni assensum daturi sunt, Ji vero qui sciunt quintum par nervorum nervos impertiri membranæ nares investienti; ut & diaphragmati, nullo negotio percepturi sunt motum convulsivum in hac membrana excitatum in illud viscus transire posse: Id manifestum futurum est, si fingantur nervi narium & diaphragmatis tanquam liquore admodum subtili & mobili distenti, inter quos communicatio tanta est, ut liquor in uno contentus, ad alium facillime perfluere possit; Nam quemadmodum nequaquam excitari non potest insignis motus in liquore contento in alterutro istorum tubulorum, quin illico ad alterum pertranseat, itidem conciliari nequit magna agitatio spiritui incluso in nervis narium, quin citissime propagetur ad spiritus in diaphragmatis nervis inclusos.

En progressum istius motus: Si quidpiam acre, sicuti *helleborus, nicotiana*, aut *betonica*, membranam narium, admodum sensibilem vellicet, irritatio hæc in illa excitat convulsivum quasi motum, à quo in nervo quasi levis procella inducitur, quæ citissime ad diaphragma tendit, non secus ac maria, inter quæ per freta, communicatio, æstus facile sibi mutuo communicant; adeo ut spiritus affatim in fibras diaphragmatis irruens, has admodum distendat ac subito superficiem illius superiorem adeo convexam reddat, ut pulmonem admodum comprimat & aërem vi extrudat, unde prodit sonitus in sternutatione excitatus; Præterea diaphragma eodem impetu infra devolutus, quasi motu elastico, comprimit intestina, hæc partes sibi subditas, nominatim uterum &c. quapropter non immerito dixit *Hippocrates* sternutationem mulieri parturienti utilem esse. Compressio enim à septo facta fœtum ad exitum ex utero impellit, illius impatiente.

Agitatio in *cerebro* percepta ab hoc symptomate *Hippocr.* in eam sententiam deduxit, viz. illud hujus sedē esse, rarefactionem autem aëris, in illius cavitatibus contenti, & vi summa impulsi per angustias viarum unicam & immediatam esse causam. Ut mens summi illius Viri rite explicetur, caput animo fingendum tanquam Aeolipila, Illius ventriculi tanquam cavita-

tes hujus vasis; Aër quem supponit in illis contineri, ac serum in ius hospitan solitum, tanquam aqua isti machinæ immissa; foramina ossis ethmoidis, tanquam tubuli æolipilæ, Calor autem cerebri, ut ignis à quo illius aqua incalescit; Sicuti enim liquor hoc vase conceptus in flatus resolutus à rarefactione cum impetu & sonitu exilit; Itidem aër, aut humor in ventriculis cerebri contentus, admodum à calore partis rarefactus: aut Solis à quo sæpenumero cietur sternutatio, cum sonitu vehementi erumpit & impetu per foramina istius ossis cribrosi.

At cum vix liceat comminisci, cur à sola irritatione membranarum narium tam subitò prodire queat ista rarefactio aëris in cerebri ventriculis, Et quæ sit causa insignis istius expirationis in sternutatione, nemini mirum esse debet si ab *Hippocrate* hac in re discedamus: Quo ad commotionem autem in cerebro perceptam, admodum verisimile est hanc non aliunde pendere quam à concussione meningum, quæ cum continuæ sint narium membranis, in consortium afflictionis trahuntur; non secus ac concussa parte aliqua telæ, aliter fieri nequit quin concussiones reliquas ejus partes cito attingant: Validam ergo meningum irritatarum constrictionem, hinc compressionem, substantiæ cerebri, non secus ac si quis manu spongiam madidã premeret, sequitur expressio humoris, quem tunc per nares prodire conspicimus; Humor hic ex cerebri substantia defluens in ventriculos, cavitates nervorum olfactoriorum imbuit, ac filtratur per longitudinem filamentorum eos componentium, ac per eadem foramina ossis cribrosi prodeuntium ad nares tendit, in quas hæc filamenta desinunt. *Duncanus Expl. Mech. Mot. Anim.*

33. *Cerebrum offendentium*) Sternutatio, qua talis, tum gravatum Archeum, tum robustum & vincentem notat; Simul vero ac sensus non amplius afficitur, Signum est eundem emori quasi ac fatiscere, stationemque suam derelinquere. *Wedelius Physiol. sect 3. cap. 25.*

34. *Violenta*) Vide §. *Flatuosorum spirituum acriumque vaporum.*)

35. *Involuntaria expulsio*) Sternutationem excitat maxime acrimonia salsa, vel alkalina rarefactiva simul, unde spiritus animales cumulatius coeunt, cum heterogenea ipsis admixta materia confligunt, membranæ vero tam sensiles in spasmos quosdam adiguntur; vel superficiarie magis &c. velut intra sphæram Naturæ; quod ordinarie fit, vel intimius, unde durante causa, nec subjugabili, Archeus ipse eccentricitatem & eclipsin quandam patitur; In sternutatione spasmus quidam est extrinsecus, & sub naturæ dominio. In Epilepsia intrinsecus, cum natura magis oppressa & irritata. *Wedelius Physiol. s. 3. c. 25.*

35. *Per nares*) Principaliter afficitur membrana narium, & huic finitima, continuatione facta, ipsa quoque meninx crassa: adæquate thorax etiam ejusque musculi. imo totum adeo corpus. *Wedelius l. c.*

36. *Per nares expulsio*) Quam efficit πνεῦμα φυσῶδες, spiritus flatulentus, quem sine acredine non concipio; Verum heic subsistere non oportet, Quam facit πάθος, sive morbum? Dico morbum esse in superficie, quam superficiem exasperat vapor ille radendo, stimulando, aut si quis aliomodo loqui libeat. *Hofmannus Inst. l. 3. c. 211.*

37. *Oritur*) Narium tunicæ, eximie sensilis, affectus est *Sternutatio*, Causas enim evidentes, externas & internas si quis observaverit, comperiet ipsam nunc à Solis lucentis splendore, aut immediate aut mediate per nivem, speculum &c. facta, nunc à rebus acribus, cæpis, sinapi, &c. vel naribus admotis vel ore assumptis, nunc ab humoribus acribus à ventriculo tenuive intestino ascendentibus, Naresque irritantibus excitari, atque semper qualemcumque tandem Narium vellicationem sentiri, unde merito istæ causæ omnes ac diversæ eatenus Sternutationem videntur producere, qua Nares irritando vellicandoque ad molestiam illam expirato per nares potenter aëre simul expellendam partes exspirationi dicatas simul movent, Cumque vehementi aëris excussione concurrere solet universi corporis concussio itidem vehemens. *Fr. Sylvius Pr. libr. 1. capite 23.*

Irritata organa respirationis, exsufflationem concitant, si pars ipsorum maxime sensilis, injuriisque exposita magis, qualis est *succingens* ea tunica, non tantum eo in loco ubi illa succingit, ut in aspera arteria, pulmonibus, sed & alibi quo se extendit, & se inserit, ut in naribus, ore, faucibus, gula, ventriculo, intestinis, septo, propter continuitatem offensa, ut illud expellant aliqua ex illis, aut simul omnia quæ expirationem faciunt, insurgant, illudque per exsufflationem excutere nitantur.

Tunc prout irritatio major vel minor est, & parte aliqua illius plus minusve sentiente & nobiliore afficitur, diversa depravatæ expirationis genera exsurgunt, Quod quomodo à causis diversis, splendore, vapore, aëre, humoribus, aliisve corporibus externis, vel ab internis aut vaporibus, aliisve à causis & morbis fieri possit, infra videbimus. *Platerus.*

38. *Oritur vel à causis*) Splendor Solis, vel lux magna oculis oblata, sicuti lacrymas oculos vellicando movent, ita vicinam narium sensilem tunicam, cum qua palpebrarum sensilis tunica quandam habet communionem, per consensum afficientia, Sternutationem movent, in iis qui ad eam propter humores tenues & fluxiles sunt prompti, vel ob exquisitum harum partium sensum facile patiuntur: Vice versa *odor*, seu *vapor acris*, veluti ab *allio, cæpis, raphano*, *naribus* adhibitis, vel assumptis, uti nares pungens sternutationem facit, sic & oculis, vellicando lacrymas elicit. Sed & si quid, uti *pulveres*, si in nares spiritu ducantur, idque sit acre, & nares vellicet, Sternutatio concitatur, ut ex *piperis*, *pyrethri*, *hellebori* pulveribus, atque succis acribus in errhinis attractis evenit. *Platerus.*

38. *Oritur vel à causis &c.*) Sternutatio excitatur vel à causa externa, titillatione cum penna, aliove instrumento, insufflatione piperis, hellebori aliorumve sternutatoriorum, vel ab interna, etiam non sensibili: Nonnunquam à pedum titillatione excitatur, quia membranæ symbolisant in toto corpore. *Wedelius Physiol. Med. sect. 3. capit. 25.* Virum novi qui in procinctu in Venerem, sternutatione ter quaterve quatitur.

39. *Vel à causis externis*) Notabile est hoc phænomenon, Purgantia omnia esse sternutatoria id quod experimur non solum si hoc fine applicentur, uti helleborus albus inde nomen obtinuit, & unice fere hodie hoc usu celebratur sed & in pulverisatione *gialapæ* & aliorum; hæc vero stimulant membranam teneram narium, eliquant glandulas, fundunt humores. *Wedelius.*

39. *A causis externis*) Ut Lumine intenso; Oculorum cum naribus tanta est sympathia, ut si illi lumine admodum lucido feriantur, nares illico in consensum trahantur; Si enim repentinus fiat transitus è loco opaco in admodum illustratum, sternutatio protinus subsequitur: quippe vehemens motus, quem istud lumen spiritibus oculorum imprimit, citissime in nares devolutus, mediante ramo quinti paris, membranæ has investienti, irritationem cui sternutatio succedit, conciliat. *Duncanus Tr. de Mot. An. cap. 17.*

39. *Vel a causis externis*) Ut si in nares acria immittuntur, ut medicamenta acrimonia prædita, quæ ptarmica dicun-

dicuntur; Sed dantur aliæ plurimæ eandem mediate efficientes, internas scil. generantes, vel commoventes, quales sunt omnes aëris alterationes; ut de frigido aëre dictum, *Galenus l de odor. instrum.* dicit à Solis aspectu sternutationem excitari, quia cerebri spiritus, vapori similes, à Sole funduntur. *Riverius.*

40. *Vel lactenuare demulcenda*) Experimento *Foresti Ils desh.* & aliorum, convenit quando plus justo producitur.

41. *Vel ab interius*) Sternutatio excitatur maxim ab acrimonia salsa, vel alkalina rarefactiva simul. *Wedelius l. c.*

42. *Humoribus & vaporibus*) Causæ sunt quæcunque tunicam Narium internam irritare possunt, quales sunt humores aut vapores acres vel à cerebro delabentes, vel à partibus inferioribus transmissi. Unde in febribus interdum sternutationes contingunt, ut ait *Avicenna*, quia vapores acres à toto in caput transferuntur. *Riverius.*

Sanguis à superioribus in fauces descendens (*è massa sanguinea*, excreatur, qui si ... calidu que in venis circa nares colligatur, pruritum illic faciendo sternutationem sæpe movet futuræ hæmorrhagiæ narium prænuntiam. *Platerus.*

43. *Solet utplurimum negli...*) Licet in statu sano sæpissime contingat, & ita levis affectio utplurimum esse soleat, ut symptomatis nomen non mereatur, aliquando tamen ita molesta esse ... ut Medici curantis opem desideret; Sic apud *Forestum* Obs. 17. l. 10. ancilla ita gravem & molestam ex catarrho acri Sternutationem patiebatur ut ad plurium Medicorum opē confugiendum fuerit. Idem confirmat vetus consuetudo sternuentibus bene precandi, quam nonnulli inde ortam putant, quod *Gregorii magni* temporibus morbus epidemius sævierit, in quo ægri sternutando moriebantur, etsi alii antiquiorem esse illam consuetudinem asseverint. *Riverius.* Interdum minime obest, bonumque est, uti vulgus dicere solet, signum in sanus, illud quod molestare solet excutiens; aliquando in declinationibus morborum illorum finem præsagiens: Malum quoque interdum indicium, venturam destillationem, vel epilepsiæ paroxysmum, in dispositis, prænuntians, è quibus tamen nulla impediri debet; Sicuti quando noc... in male aff... ,ut in *humori bagia narium*, q... ... *In ruptura*, quia intestinum pro... , I... *ulorum* ... ectione, quia lacrymis ... propelli, aliusque *dolores* ... exacerbat, compressi... ita fit & continua, ut c... pariat ... dissipando nocumentum afferat. *Platerus*

Notan... continuatam & productam, v. g. sternutatoriis pulveribus, ... epilepsiam, imo quandoque mortem ipsam ... uti monumenta medica testantur, certatim infinitas sternutationes inter pueros c... fuisse in tragœdiam ... teste *Schenckio* in observationibus & ... sternutationem esse parvam quandam Epilepsiam. *Wedelius Physi. pag. m. 180. §. 10.*

Hic affectus ex se omni vacat periculo: Initio tamen ca... & coryzæ valde no... , quia humor concoquendus quiet indiget: In ... diuturnis vero in febribus ... viget ut vires dejiciat, & fluxum sanguinis è naribus interdum excitet: Sæpe ca... nullo modu noceat & ... sanis cerebri superfluitates expellit; In ægris vero pro bono signu habetur. In ... us præcipue malignis, etiam rebus omnibus desperatis, salutem prosp... *Hy... ... mulieri ... aut difficulter parienti. si ... accidat bonum. aph. 35. 5.* Medicamentis ptarmicis provocata sternutatio apoplexiæ, aliisque gravioribus cerebri affectibus, prodest.

In morbis Pulmonis, Pleuritide præsertim & Peripneumonia, mala est, *Hippocr. 2. Progn.* quia concussione illa lacerantur & valenter divelluntur partes thoracis, unde inflammatio valde augetur, & nulla præterea fit materiæ morbificæ ... atio. Ad pituitam vero in bronchiis pulmonum contentam potenter expellendam, quæ tussi non potuerat rejici, conferre docet *Galenus 1* de sympt. caus. c. 5. & 6. *Riverius.*

43. *A Medicis negli...*) Attamen parva censetur Epilepsia, subjugabilis nempe naturæ: parva est epilepsia ad extra, momentaneo motu, ut epilepsia magis est ad intra, unde & producta fermentatione sæpe epilepsia oritur, Notum est ex historiis aliquando sternutatione epidemica, sine dubio cum maligna vel pestilenti febri conjuncta, plures fuisse mortuos, quem in finem etiam Litaniæ, seu preces illæ publicæ inventæ laudantur, Furtior hic omnino fuerit & convulsivus motus: Duo pueri cum certarent sternutationum numero & frequentia quis alterum superare posset, alter eorum in epilepsiam lethalem incidit, alter in vertiginem periculosam. Hinc sternutatio & præcedit epilepsiam & sequitur diversis de causis; Præcedit onerata natura, sequitur vincente: Est in hoc affectu vis elastica fumosa, peregrina: requiritur semper ad sternutationem materia excutienda & robur naturæ, ne inde irritetur magis quam juvetur. *Wedelius Am. m. m. p. 417.*

44. *Cum destillatione*) Sternutatio coryzam nonnunquam præcedit, tunc est symptomatica; nonnunquam sequitur & critica est magis, hic displosa tendua materia & subacta, illic irruente. *Wedelius Physiol. sect. 3. cap. ... 5.*

45. *Fortiter compressa crebram statim sedant*) Puncta lacrymalia in limbo palpebrarum, breves demittunt canales in nares desinentes, ut advertit *Stenio*, Hinc expeditam viam visus sum nulli videre qua ex oculis, non solum ad irrigationem membranæ humor defluat continuo, sed si acrius serum, in sternutationes irritet; Hinc compresso angulo oculi Sternutatio inhibetur, non quod calore fricatione concitato, calor discutiatur, ut differit in *Problem. Aristoteles* sed quod constricti ... baculi impediant acris lymphæ descensum. *Bartholinus Anat. renovate l. 3. c. 8. p. m. ... 2.* Compressio narium superiorum aliquid confert obtuso inde sensu. *Wedelius l. c.*

46. *Sedant*) Si à *cerebro* delabuntur humores, vel ab inferioribus affluigant, curatur tum corrigendo in Coryza humores acido salsos, atque ipsis fere conjunctos pituitosos & viscidos, & oleosis & spirituosis aromaticis; tum eosdem educendo, partim per alvum hydragogis & phlegmagogis, partim ptarmicis blandioribus & masticatoriis. Tum corrigendo humores vitiosos in ventriculo, aut tenui intestino eff... vescentes, laudatis modo oleis & spirituosis, non neglectis opiatis vel si redundarint, sursum vel deorsum expellendo, Ubi plurimum conferre solent sudorifera, quæ nun tantum foras protrudunt, sed simul emendant humores vitiosos. *Fr. Sylvius.*

47. *Sedant*) Curatio, quando necessaria est, dum scil. alia affert incommoda, perficitur ... causarum externarum amotione, si ab iis excitetur. Si vero fiat à causa interna, illa etiam auferenda est, evacuantibus, revellentibus, derivantibus & discutientibus remediis. Si itaque calida cerebri, aut alterius partis intemperies vapores acres ad nares & interiores cerebri membranas transmittat, *Vena sectio* celebranda est, mux *Purgatio* idonea instituenda: Deinde ... tes illi revellantur *frictionibus & ligaturis extremorum, cucurbitulis scapulis admotis*, tum reliqua rev... entia,

derivantia & discutientia usurpentur, caput pectinetur, aures vellicentur, oculi confricentur, nares emungantur, spiritus cohibeatur. Ad acrimoniam denique demulcendam, & narium irritationem compescendam, utile erit *aquæ tepidæ* vaporem excipere, vel easdem *oleo violaceo, rosaceo, amygdal. dulc. butyro recenti* illinere, vel *lac tepens* naribus attrahere, quo solo remedio *Forestus* ancillam à gravi sternutatione confestim liberavit. *Riverius.*

Corrigitur propinatis iis quæ capitis excrementa repurgant, si ab illorum in nares influxu fiat; ut in *coryza* dictum.

Exhibitionem decocti *Basiliconis* conferre io sistenda sternutatione prædicant.

Nares irritatæ demulcentur tingendo *lacte* &c. sed præcipue oleo *sem. cucurbitæ papav. hyoscyami*, item *ovi album. & mucilag.* omnibus tamen recentibus.

Odor *Narcoticorum*, ut *Opii*, item *oleo rosac.* & de *salicibus*, humoris acrimoniam reprimendo eam emendat; uti vero acrium stimulantiumque odor excitat, proin vitari debet.

Auribus immittuntur eandem ob causam *Olea amygd. dulc. aneth. chamom. rosac. salic. cucurb. succus* item *basiliconis*, cujus decocto si caput lavetur proderit. Et si flores *chamomillæ* in *pulvino* substernantur. *Pectus* si *fomentetur*, roborando illius loci musculos, sternur. mitigat, huc modo

℞. *flor. chamom. pug. ij. flor. melilot. sem. ocymi, furfur. aa. p. j. de ... stupa indantur, & leviter expressa tepide applicentur.*

Extremitatum ligatura seu frictiones juvant.

Si *aures, oculi*, premantur, aut fricentur, *nasus* trahatur; *Palatum* digito fricetur, *Caput* pectinetur.

Spiritus retentio, uti singultum sic sternutationem emendat; quam rectius *presso naribus ore que* constricto retinebunt, Si perterrefiant, citius à sternutatione, uti & à singultu liberabuntur; Sed & *spiritus* ... *alida attractio* juvat, quod cum odorando panem ... jubent ... panis fieri illud vulgus credit, *Somnus* eandem ... *Tenebræ* ad idem prosunt, cum luce & splendore facile ad sternutandum impellamur: Qua de causa quibus tela oculi in illius punctura detracta est, in obscuro ... aliquandiu detinentur: Quod & in aliis morbis quibus sternutatio obest facere prodent.

Resupinatus, pulvinari capiti subjecto, collocetur. *Platerus.*

A proprietate cohibet *Succus ocymi* naribus inditus; *Claud. Emp. Rat. l. 3. c. 2. p. 3. c. 5.*

℞. *Pulv. mastich. thur. myrrhæ. sangu. drac. āā.* ʒß. *cum ovi album. conquassentur*; panniculi intinguntur & fronti infantis applicentur. *Omnibonus Ferrarius de Art. Med. Inf.*

In sternutatione nimia ab acri & salso catarrho, ut per nares sæpe attraheretur *Lac tepidum præcepit Forestus*, unde miraculi instar statim cessavit. Mirifice ad eam supprimendam conducere *timorem* & horrorem repente incussum ait *Vidus Vidius de Cur. m. l. 4. c. 16.*

Acetum, & imprimis lac, mitigant ... involuntariam; symptomaticam; Tum quoque ipsa superiorum narium compressio.

Cap. LI.

De Linguæ Morbis & Symptomatibus.

47. **L***inguæ* affectus sunt, *Ranula, Nigrities, Paralysis, Balbuties, Aphonia, Gustus læsio.*

47. *Linguæ affectus sunt*) Præterea afficitur *Pustulis, Ulceribus, Ardoris sensu, Procidentia, magnitudine excedente, Sanguinis fluxu, Convulsione.*

Linguæ Pustula, Ulcera.

Pustularum & Ulcerum Curatio instituenda per V. S. & Purgationem humorum acrium, quibus accedent Topica refrigerantia, adstringentia, & exsiccantia, ad gargarismatis formam redacta; Et si Ulcera sordida sint, abstergantur *melle rosaceo*, addito *oleo sulphuris* aut *vitrioli*, ea quantitate quæ linguam mollice ferat: Vel etiam ad potentius exsiccandum, oleis prædictis puris & unpermixtis pars affecta semel atque iterum tangenda est: Sic enim Aphthæ omniaque Oris & Linguæ ulcera citissime sanantur. *Riverius.*

In Pustulis, si inflammatio simul adsit, eadem quæ illic dicta sunt remedia, vide supra §. *materia calidioris*) conveniunt. Si sine illa fiant, sponte mox disruptæ ulcusculum post se relinquunt, sicuti aphthæ sanandum: Si diutius persistant & molestent, ad eas maturandas *Fermentum* applicetur, vel amylum cum *sapa* permixtum, cui *oleum* nonnunquam additur adhibetur. *Platerus.*

Ardoris Sensus.

Sensu ardoris vehementi & intolerabili mulierem in linguæ lateribus, citra apparentiam aliquam ad extremum usque quam diutissime mu... annos excruciatam vidimus: Item *virum* in *malis* & *buccis*. Platerus. Similem ardorem observavi in matrona Nobili, adhuc in vivis, quæ de Linguæ uredine, paulo supra apicem perpetuo conqueritur; ideoque à pluribus annis ab aromatis quibusvis & salsis, quin & sale omnino abstinet.

Linguæ Procidentia.

A *Linguæ connexus relaxatione*, seu remissione illius *Procidentia* evenire potest; vix tamen nisi ... na vis hanc pariet, cum connexus illius per musculos, tunicam succingentem & ligamentum factus, adeo firmus existat. Accidit tamen in contusione colli vel pectoris vehementi, qualis est ea qua valido rotæ ictu latronibus, membra & artus franguntur ut lingua procul ex ore mortuis exeratur. q... ex casu potest accidere [*Sic memini infan... cui collum laqueo frangebatur abrupta reste decidua linguam ex ore procidisse, a vehementi exitu aeris in pulmonibus coerciti, linguam foras propellentis.*

Linguæ procidentia, cum vix nisi à mortali læsione proveniat, lethalis plerumque est; quod si supervivant, aliis potius accidentibus gravioribus quam huic cura adhibetur. *Platerus.*

Magnitudo

Magnitudo Excedens.

Interdum Lingua in magnitudinem excedentem excrescit, quæ tamen neque sub œdematis, aut scirrhi aut alterius cujusvis tumoris genus collocari potest; ut docet *Gal.* l. *de diff. morb. cap.* 9. se vidisse cujusdam linguam quæ in ingentem molem excreverat absque ullo doloris sensu: neque enim prementi manui cedebat, neque dolore infestabatur; sed nudum linguæ incrementum erat, ipsius substantia nullo modo vitiata; quod ex nimia copia utilis alimenti in ejus substantiam converti acciderat; Ejusque rei exemplum proponit *Claudinus*, Consult 9. Puellæ 12. annorum, cujus lingua in tumorem excreverat, qui neque ad œdema, neque ad scirrhum referri poterat, quia indolens erat, nec prementi manui cedebat, ut fovea remaneret, nec sensu naturali carebat; cujus prima origo fuerat ex violenta frænuli linguæ disruptione, cujus dolore sanguis ad partem attractus fuit, & continua postmodum ejusdem transmissione tale incrementum productum; In hoc autem casu peculiariter notat *Claudinus* tumorem illum in vespera decrescere, mane vero augeri & semper livescere: Quorum eventuum rationem reddit, quia in coctione & assimilatione sanguinis illius, alioquin pituitosi (qualis in pueris ob ætatem humidissimam & ingluviem generatur) multi flatus, potissimum per noctem, retracto & coacto calore concitantur, qui linguæ tumorem augent; per diem vero ob motum linguæ & ambientis calorem dissipantur, unde tumor parum decrescit: Lividitatem refert ad aërem ambientem, in quo lingua continuo versatur, ab illius enim frigiditate sanguis ad superficiem linguæ affluxus, antequam assimiletur, concrescit aliquomodo, & sic contrahit lividitatem; à frigore enim sanguinem nigrescere scribit *Galenus* 3. *de sympt. c. cap.* 2. quod tamen in aliis corporis partibus non contingit, quia ad illas ea tantum sanguinis portio, quæ pro nutritione sufficit, sed non superfluit, demandatur.

Hic Tumor, licet curationem suscipere non posse videatur, illa tamen à *Claudino* proponitur, per operationem Chirurgicam, ut scil. quicquid linguæ superfluum est cultello abscindatur, adhibitis prius præparationibus necessariis, Vide dictum Locum. *Riverius.*

Sanguinis Fluxus ex Lingua.

A Lingua læsa, maximeque per morsum illius, vel casu, uti sæpe evenit, & frequenter in convulsionibus, vel à venis quoque sub Lingua, Raninis dictis, sectis; copiosissime quandoque sanguis expuitur; Quam expuitionem in viro cælibe, qui utramque hanc ranulam sibi incidi curaverat, tanta copia supervenisse, ut huic mortem tandem, postquam per has Ranulas apertas expuitione totius fere corporis sanguinis massam expuisset induxerit, observavi. *Platerus.*

Si Lingua ex morsu graviter læsa perseverans sequatur hæmorrhagia, uti accidere cum vitæ periculo post convulsiones vidi, fortiora quoque & caustica, nisi hæc juvent, erunt administranda. *Idem.* Vide §. *Gingivæ Cruentæ.*

Convulsio Linguæ Paralysis.

Duo Gravissimi affectus Linguæ sunt, *Convulsio* scilicet & *Paralysis*, uterque Gustui infestus non minus quam sermoni, Convulsa etenim lingua nulli motui obtemperat, atque adeo minus exacte articulatur aër, inque usum sermonis concinnatur: Verum neque illa, quæ linguæ appropinquant sapida, tunc utili agitatione organum secernit, vel separat, uti par est, à partibus reliquis. Languent igitur sapida, eo impedito à quo ad actum reduci potentia consuevit; Contingunt autem magis hæc omnia, quando musculos linguæ proprios convulsio corripit; potius quam ossi hyoidi communes; nam si hyoideos obsideat, vel apprehendat, positum linguæ pervertet, & ad latus trahet, vel exeret, aut retrahet præter naturæ modum, rigidamque ac immutabilem ibi hærere coget, licet non impedito motu ejusdem in seipsam, qui protinus perit ubi convulsio peculiares linguæ musculos invaserit, præsertim illos qui basin ejusdem firmant; vel constituunt; tunc enim congenerata præter naturam lingua, nec potis se expandere, cuilibet operationi pariter inepta evadit.

Paralysis quin etiam, quos apprehenderit communes musculos, sensu privat, ac motum proinde voluntarium adimit; Quare immoto hyoide, lingua etiam species illas motus amittet, quas communes habet cum hyoide, servatis tantum propriis, quamvis non omnino integris, neque exacte idoneis ad voces articulandas: Quod si morbus ejusdem musculos peculiares simul invadat; immobilis omnino lingua evadet, sensu quoque destituta, & quidem cum gustus abolitione, vel imminutione, pro Paralysis modo, magis aut minus perfectæ. *Molinetti Dissert. c.* 14. *p.* 69.

Linguæ Tumor.

I. *Tumor* oritur, vel à *causis externis*, ut Inunctione hydrargyri, esu fungorum venenatorum, &c. Tum vitanda sunt purgantia. Lingua decocto *Scabiosæ, Plantaginis*, cum pauxillo *Theriacæ* & mellis rosacei abluenda.

Vel à *Causis internis*, nempe affluxu.

48. *Materia calidioris*, sanguinis nempe aut bilis; & *tum*, 49. Inflammatio plerumque excitatur.

50. *Frigidioris*, & *tum* lingua albicat, multum pituitæ effluit. *Venenata*, ut in lue venerea, cujus signa aderunt.

Corrupta & *cancrosa*, & *tum* 51. malum ferè est incurabile, & putredine ad radicem linguæ vel sanguinis fluxu in linguis erosis accedente, randem ægri moriuntur.

Ad quoscunque conducit *oleum vitrioli* cum melle rosaceo inunctum, & venarum sub lingua sectio.

48. *Materiæ calidioris*) Cum ardore & punctione in linguæ lateribus & apice, nullo in lingua morbo apparente, dolores sæpe redeuntes, diu & multis quoq; annis affligere aliquos vidi, interdum in hac solum parte

alias etiam in labiis aliisve in locis corporis quibusdam partium extremitatibus sese patefacientes. *Sed & calore* solo lingua interdum molestatur, alias etiam cum ardore, morboqȝ tunc se manifestante in illa afficitur, & tunc non ut aliæ partes quæ albæ sunt, exactè rubet, sed potius puniceo colore prædita est, tumetque interdum & inflammata est, nonnunquam & simul sicca aridaque existit, & finditur, pustulæque quandoque in ea elevantur, quæ adeo sæpe invalescunt, ut ad loquelam ægre & non sine dolore moveatur; balbutiantque ob id ægri; & vicinæ oris partes faucesque simul interdum afficiantur, Quæ per se rarius, sæpius in febribus eveniunt, & præsertim in continuis malignisque: Quæ calorem & ariditatem linguæ contemperare possunt, in Gustus læsione ab hac causa tradita sunt. *Platerus.*

49. *Inflammatio plerumque excitatur*) Sicut omnes corporis partes, præcipue carnosæ, Inflammatione affici consueverunt sic etiam Lingua eadem aliquando tentatur, ex sanguinis in eam affluxu, qui prout vel purus ac sincerus, biliosus, pituitosus ac melancholicus est, phlegmonem veram aut erysipelatosam, œdematosam aut scirrhosam producit, quæ interdum etiam ad suppurationem desinit; cujus rei exemplum habetur apud *Forestum obs. 24. l. 14.*

Noscitur autem Inflammatio, quia adest dolor & caliditas in lingua, tum etiam rubedo, qua etiam facies aliquantulum inficitur: *Curatio* revellentibus ac repellentibus remediis inchoanda est; ideo primum præmisso clystere leniente, vena secanda est & sanguis satis magna quantitate detrahendus pro virium modulo mox *Cucurbitula* cum *scarificatione* scapulis admovendæ: Postmodum *gargarismata* refrigerantia ac repellentia usurpanda, ac inter cætera commendatur à *Galeno 4. m.m. c. 8. succus lactucæ,* quo lingua frequenter abluenda est, Vel magis compositum Gargarisma parari poterit, ex decocto plantaginis, solani, lentis decorticatæ; & corticum granatorum, addendo *syrupum de rosis siccis,* vel *diamorum.*

Post V.S. *Purgatio* etiam instituenda est medicamento ex cholagogis & phlegmagogis composito, quandoquidem pituita è capite defluens ad horum tumorum productionem particulariter saltem concurrit.

Sedata fluxione, evacuantibus, revellentibus ac repellentibus remediis humoris parti impacti derivatio molienda est, & in hunc finem *vena sub lingua* aperiendæ; quod si fieri non possit propter linguæ magnitudinem, *Cucurbitula* sub mento cum scarificatione erit admovenda.

Si Tumor ad *suppurationem* desinat, promovenda erit *ficu* per medium secta, frequenter admota; vel gargarismate ex decocto *hordei, malvæ, violar. ficuum, passular. semin. cydonior. & fœnugr.* composito, addendo *syr. violac. & jujubinam*: Facta suppuratione, si abscessus sponte non aperiatur, scalpello aperiendus est: Mox ulcus detergendum *decocto hordei, agrimoniæ, plantaginis cum melle rosaceo.* Riverius.

50. *Frigidioris*) Paritur Lingua, idque multo frequentius, tumorem mollem & laxum, ac prius œdematosum, ex pituitæ à cerebro in eam affluxu, cujus exemplum proponit *Galenus lib. 14. m.m. cap. 8.* in quodam homine, cui lingua ita intumefacta erat ut ore contineri non posset. Ejusmodi Tumor à pituitæ defluxu oriundus curatur primum revulsione facta per V. S. si æger sanguine abundet; deinde *purgans* medicamentum satis vehemens est exhibendum, quales sunt *Pilulæ cochiæ minores, ex aloe, scammonio & colocynth.* paratæ, quæ à Galeno feliciter usurpatæ sunt in quodam sexagenario 14. m.m. Quod si æger pilulas deglutire nequeat, medicamentum componi poterit ex *senna agarico, diaphœnicone & simil.*

Post ejusmodi evacuationes refrigerantia & repellentia in principio admovenda sunt, sicut in inflammatione dictum est, Ex *Galenus* l. c. dictum sexagenarium oris collutione ex solo *lactucæ* succo post purgationem usurpata sanavit, Potest etiam utiliter linguæ collutio fieri ex *succo limon. granator. acetos. & plantag.* quandoquidem prædicti succi non solum frigiditate sua repellunt, sed etiam acetositate humiditatem linguæ impactam educunt.

Utiliter etiam Lingua illinetur *oxymelite simpl.* cui in augmento addi poterit parum *zinzib. salis gemm. aut ammon.* Collui etiam os poterit decocto *origani, pyrethri,* cum *hydromelite*: *Zacutus 1. histor. m. pr. observat. 47.* in casu valde præcipiti, ubi Linguæ tumor in molem ingentem excreverat, ut inde suffocatio metuenda videretur, vacuantibus ac revellentibus remediis frustra tentatis, *hirudines* quatuor linguæ affixit, & brevi tempore copiosa sanguinis vacuatione sequuta, ipsa exilis tenuisque facta est, & sic periculum evasit.

Idem *Zacutus obs. 48.* dicti libri, decem annor. puero, ex fluxione catarrhosa linguæ tumore ingenti laboranti, ut ipsius ore contineri non posset, post revulsiones per V. S. cucurbitulas scarificatas, & acres clysteres, cum linguæ tumor mollis laxusque esset, profundis linguæ scarificationibus usus est, moxque aqua salita linguam ablui jussit, unde tanta aquosi humoris vacuatio facta est, ut illico sanitatem æger recuperaverit: Quam observationem *à Joachimo Camerario* desumpsit, qui lib. observat. narrat quendam tumente lingua suffocatum, ipsam sibi acuto cultello decussatim incidisse, multoque sanguine effluente fuisse persanatum. *Riverius.*

51. *Malum fere est incurabile*) Tumores linguæ ut plurimum vitæ periculum non afferunt, nisi in tantam molem excreverint ut inde suffocatio metuenda sit, aut ex humore quodam maligno atque atrabilario ortum duxerint, unde Cancrosus tumor generari potest, quod duritie, livore, ac dolore pungitivo internoscitur. *Riverius.*

Ranula.

II. [52.] *Ranula est tumor* [53.] *ranæ formam referens, quæ sub lingua ex molli carne, cui lingua incumbit, cuique quasi vinculo alligata est, nonnunquam exoritur.*

Cognoscitur ipso visu.

[55.] *Oritur* à [56.] sanguine viscido & pituitoso eodem confluente, & [57.] mollem ac laxum tumorem, qui apertus, mucum ovi candido persimilem de se dat, excitante.

[58.] *Curatur* aut [59.] Topicis remediis, [60.] inter quæ *oleum vitrioli* cum melle rosaceo prævalet: cui adde *mixturam* ex *nucibus jugland. veter.* cum corticib. ustis tritis, *piper.* gr. XII. *thur.* gr. II. cum melle paratam: [61.] aut *Chirurgica operatione*, quam *linimenta* ex *tragacantho* torrefacto

facto cum *radice hermodactyli* & albumine ovi, vel gargarismata, excipere debent. Si mollis est, exscindenda ejus tunica: si induruit, [62]. adhibendum ferramentum candens. [63]. Solet & lapillus sub lingua gigni.

[50]. *Ranula est Tumor*) Sub lingua colligitur in ea parte qua illa vinculo alligatur, & intus ut plurimum tumor apparet ut dentes inferiores superet; rima autem media, dextram tumoris partem à sinistra dirimente, ranæ posteriorem partem refert, unde affectui nomen: Alii vero *Batrachii* nomen inde derivant, quod affecti loquelæ impedimentum patiantur, & nonnisi coaxando possint loqui ranarum instar. *Riverius*.

[51]. *Ranula est Tumor ranæ formam*) βάτραχος Græcis, vel quod posteriorem ranæ partem aliquomodo referat, vel potius quod ægri nonnisi coaxando instar ranarum loqui possint: Est tumor mollis & laxus, sub lingua collectus, vinculo linguæ in dextram sinistramque partem divisus. *De Diemerbroeck Histor. med. xliv.*

[51]. *Ranula est tumor*) Sicuti Tumor quidem in aliquibus corporis sedibus carnosis, uti scirrhus enasci interdum solet, non adeo tamen ut ille induratus, & qui inveteratus in abscessum desinit; non illum qui dolorem parit & inflammationem sequitur, sed qui indolens atque diuturnus, & apertus non pus sed materiam aliam aliquam profundit, sero, pulti aut melli similem; Sic & *sub lingua* aliquando deprehensi fuerunt, tumorem illum quem Ranam vocant, nonnihil exprimentes, sed indolentem; è quo in abscessum converso, è quo, uti & alio qui cum inflammatione fit, *calculus* aliquando prodiit. *Platerus*.

[54]. *Cognoscitur ipso visu*) Diagnosis difficilis non est, dum enim sublevatur lingua quædam veluti carnositas laxa & mollis sub ea continetur, & ab utraque parte ligamenti quædam prominentia sphærica, ciceris, vel fabæ, vel interdum castaneæ magnitudinem æquans conspicitur. *Riverius*.

[55]. *Oritur*) Afficiuntur in hoc morbo extremitates ductuum salivalium, sub lingua latentium, quæ una cum linguæ membrana iis incumbente, à saliva seu muco crassiore distenduntur, hincque tantam magnitudinem conquirunt: Quod autem aliquando magis, aliquando minus intumescant, fit quia forte æger diu alimentis refrigerantibus usus fuit, unde copiosa, crudior & viscidior pituita in corpore fuit genita, quæ ex parte ad salivales ductus decumbens, cum ob suam crassitiem non possit per poros glandularum raninarum consueto modo effluere, abundantior in iis cumulatur, easque nimia copia distendens tumorem mollem efformat, in duas quasi vesiculas sibi invicem cohærentes, & linguæ frænulo divisum.

Proculdubio præter dictam pituitosæ salivæ crassioris & viscidioris copiam, etiam ad hunc tumorem non parum facit, quod istorum ductuum vel glandularum extremi pori, propter externam aliquam causam, ut frigidam oris collutionem, potus vel cibos adstringentes &c. obstruantur, vel adeo angustentur, ut crassior saliva transire nequeat, atque ita ex concursu duarum causarum tumor generatur. *De Diemerbroeck*.

[56]. *Oritur ex sanguine*) Ex pituita frequentius quam alia parte sanguinis producitur. *Barbette*. Nascitur illa à sanguine plerumque crudo. *Molinetti*.

[57]. *Mollem ac laxum tumorem*) Mollis & laxus est tumor, propter humoris contenti mollitiem: Indolens est, quia consistit in parte humida, cui propter paucissimos, quos recipit nervulos, sensus valde obtusus est: Concolor est vicinis partibus, quia non adest inflammatio, nec intus contentus humor cum alieno colore tingit: Brevi tempore, *ut plurimum* adaugetur, quia mucus salivalis per hanc viam ordinariam continuè ad linguam fluit, cumque per poros ejus exonerationi dicatos effluere commode non possit, tumorem cito auget. *De Diemerbroeck*.

[57]. *In mollem ac laxum tumorem*) Ad œdematis aut melicerides naturam accedit; è quo aperto materia profluit ovi candido aut melli persimilis: Et cum dicta materia in folliculo contineatur, ideo inter melicerides à nonnullis reponitur: In iis folliculis interdum calculus inventus est, ut plurimorum authorum observationibus constat. *Riverius*.

Prognosis.

Periculo vacat ut plurimum hic affectus; in pueris tamen aliquando suffocationis periculum intentat, ob arteriæ asperæ & laryngis viciniam; In adultis etiam si dolor & febris adsit, vitæ periculum affert, cum in anginam degenerare possit; Periculosa etiam est Ranula quæ nigra, aut fusca, & dura est, ad cancri naturam accedens, & illa non est attingenda. *Riverius*.

Quamdiu mediocris est tumor, nondum multum periculi adest, sed quo citius tamen remedia adhibentur, eo facilior erit curatio; quæ alioqui, si differatur, increscente in dies tumore, tandem suffocationis periculum incurrere potest patiens. *De Diemerbroeck*.

[58]. *Curatur*) Æger v. aut vj. quaque die purgandus *Pilulis cochiis* vel *aureis*, *Elect. diaphoen. hiera picra, diacarth. infusione agar.* aliòve phlegmagogo: Ad pituitæ copiam imminuendam, ejusque generationem impediendam, exhibenda sunt intermediis diebus *apozemata ex rad. helenii, acori, fœnic.* herb. *calaminthæ, thymo, rosmar.* majorana, *hyssopo, fol. lauri*, semin. *carminat.* aliisque calefacientibus ut & *condita*, & *pulveres* calefacientes, visceraque corroborantes. *De Diemerbroeck*.

[58]. *Curatur*) Ad curationem primum causa antecedens auferenda est venæ sectione, & purgatione ægri naturæ & ætati accommodata; Et si affectus sit inveteratus, ad cauteria & decocta sudorifica veniendum est. *Riverius*.

[59]. *Aut Topicis*) Postmodum Topicis medicamentis resolutio tumoris tentanda est E. g.

℞. *Cortic. granat. hyssopi sicci, salis comm.* ā̄ā. ℥ij. f. Pulvis sub lingua detinendus. Refert *Forestus* puellam. 12. annorum intra biduum fuisse curatam hoc solo remedio, cujus auctor est Nic *Florentinus*, qui in adultis loco salis communis utitur *Ammoniaco*, quod magis penetrat & potentius dissolvit: *Forestus* vero in studioso quodam prædictum pulverem cum sale communi paratum usurpavit, tum etiam decoctum ex balaustiis, alumine & gallis, æquis partibus paratum: ac denique partem sale tosto ac gemmæ fricare jussit, & æger curatus est sine operatione Chirurgica, quod rarissime solet contingere, quia tumores isti ad naturam abscessuum accedunt, & in quodam veluti folliculo continentur, ita ut discussa quadantenus materia contenta iterum repleatur. *Riverius*.

Sequenti utitur *P. Barbette* in *Anat. Practica* pag. m. 311.

℞. *Piper. zinzib.* ā̄ā. ʒj. *salis gemm. comm.* ā̄ā. ℈ij. *orig. calamint. rad. ireos, hermodactyl.* ā̄ā. ʒß. mast. ℈j. m. Inspergatur sæpius tumori; quod si non satis evanescat, uno & altero loco apertionem facere jubet ut humiditas effluat, vulnerique applicari mel rosarum.

[59]. *Aut Topicis remediis*) Interea dum universalia celebrantur, Topica adhibenda sunt, quibus viscosus salivalis humor incidi & attenuari, pori ductuum sali-

varium aperiri, ſicque tumor diſcurti poſſit; Æger ſæpe os colluat hoc decocto.

℞. *Herb. hyſſopi, calament. majoran. flor. chamom. āā. m. j. ſemin. aniſi, fœnic. āā.* ʒiij. *vini albi q. ſ. coqu. ſ. a. ad* ℔j. *adde colatura ſyr. de praſſio, de hyſſopo aa.* ℥vj. *miſce pro collutione.*

Poſt collutionem Ranulæ, affricetur & apponatur hic Pulvis

℞. *Hyſſopi ſicci, ſalis comm. āā.* ʒij. *calament. rad. bolen. āā.* ʒj. fiat Pulvis. *De Diemerbroeck.*

60. *Inter qua oleum vitrioli)* Si affectus ſit inveteratus, & ulcus prædictis remediis exſiccari nequeat, tangatur *oleo* ſulphuris bis in die, ita ut ad guttam unam olei, quinque vel ſex guttæ aquæ roſaceæ miſceantur: ita enim intemperies corrigetur, & exſiccabitur pars, quæ ad roborationem vino nigro, admixto alumine, ſæpe abluenda eſt. *Riverius.*

61. *Aut Chirurgica operatione)* Si diſcutientibus remediis Tumor curari nequeat, ad illius Apertionem veniendum eſt, idquod ut plurimum faciendum, rariſſime enim per reſolutionem curatur: Apertio autem exiguo foramine facienda non eſt, quia materia in folliculo contenta iterum colligitur & folliculus impletur (cui rei ſumme conducit maxima partis laxitas & mollities, recipiendis excrementis admodum idonea) ſed per ſummum tumorem longiſſima ſectio facienda eſt in utraque eminentia, ut tota materia ſimul effluat: Poſtea ulcus abluendum eſt, primo lenientibus, ut decocto malvæ; poſtea vero detergentibus, ut vino albo cum melle roſaceo, aut diamorone, ac demum oxymelite donec purum appareat ulcus & folliculo liberum; Ac denique ad cicatricem inducendam, vino nigro in quo alumen diſſolutum ſit, os frequenter colluendum. *Foreſtus* ſimilem abſceſſum curavit in ruſtica, ſectione utrinque facta, & poſtmodum ore frequenter puſca colluto. *Riverius.*

Crudum aperire Tumorem frequenter juvat, concidit namque ſubito cruda excreta ſanie: licet neque tunc debellatum morbum dixeris qui repleta iterum vomica paulo deinceps reſurgit, itaque iterum iterumque, donec cavitas, facta ulteriori ſectione leviter aduſta ſit, ita enim cyſtis abſumitur, quæ humorem continet non ſolum, ſed etiam procreat. Fateor equidem Tumorem quandoque coctionem admittere, humore minus abhorrente à ſpecie puris; quod ubi contingit, morbum ſolvit: quippe cum humore, putreſcente particula, totum ſimul excernitur quod moleſtat & morbum facit; quod tamen minus ſæpe ex voto ſuccedit. *Molinetti Differt. c. 14. p. 67.*

62. *Adhibendum ferramentum candens)* P. *Barbette* magis probatur phlebotomus quam cauterium actuale. Hujus adminiſtrationem docet *Paræus* lib. 7. c. 5. *Vigierius Chir. l. 1. c. 36.* ignito ferro potius quam ſcalpello aperiri jubet, alias enim reverti ait, eo quod nec membrana, in qua ut plurimum continetur & involvitur, nec ejus radix, quæ eum fovet & conſervat, conſumi aut extirpari poteſt, & vix unquam ſanatur ſine recidiva: Si vero apertura cauterio actuali facta fuerit, minus à recidiva metuendum ait.

63. *Solet & lapillus ſub lingua gigni)* Rara eventus non ſunt exempla; Sed & ante quadriennium exemptum ſcio lapillum nucis pineæ magnitudine Domi *Regi* Mercatori Genevenſi, viro pituitoſi temperamenti: Multis ad diſcuſſionem tumoris uſus erat remediis; ſed cum lapidea durities attactu deprehenderetur, ferro aperiri partem paſſus eſt.

Nigrities.

III. [64] *Nigrities cum ſcabritie &* [65] *ſciſſura* [66] *aliquando* oritur ab [67] igneis vaporibus & [68] exhalationibus, in febribus præſertim ardentibus.

[69] Ablui debet *lacte caprino aut canino*, foveri *mucilag. ſemin. pſyllii & cydoniorum*; [70] collui aquis refrigerantibus, cum *lapide prunella.*

64. *Nigrities cum ſcabritie)* Si ſiccitati *nigredo*, viriditas, *flavities* copulata, à vaporibus malignis linguam quoque infectam eſſe ſignificet, malum eſt indicium, eoque magis ſi calor inſuper accedat; Tunc primum illis quæ febri ardenti malignæ debentur adminiſtratis, frigidioribus, malignitatemque reprimentibus, præſertim acidis, erit utendum; additis ſemper quibuſdam, ne nimium exaſperent, lenientibus: *Acidos fructus* ore contineant maſticentque, *mala medica, arantia, limonia*, citria, vel *Punica, pomave* alia, *pruna, ribes, ceraſa, berberis racemos*, Ex herbis, *acetoſam, lactucam, portulacam*, ſed in *aceto*, vel *ſucco acido* prius macerata, uti & *flores violar. cum aceto & ſim.* Abluant os frequenter *aceto roſac.* in aqua diluto, vel *aqua acetoſa.*

Aqua pura ſi tantillum *camphora* addatur optimum: *Brodium acidum conditura braſſica & rapar.* illiuſque *liquor acidus*, crudus vel deſtillatus, Chirurgorum noſtrorum probatum eſt remedium.

℞. *Aqu. roſ.* ℥iij. *ſolani* ℥ij. *album. ovi agitati n. j. camphor. diſſoluta in aceto* ℈j. m. Vel

℞. *Syr. acet. ſimpl.* ℥ij. *oxym. ſimpl.* ℥j. *aqu. roſ. violar. nymph. āā.* ʒiij. *m. ſ. Julep.*

Aliqui laudant hoc

℞. *Aqu. ſedi maj. cui adde ſalis ammon. tantillum.*

Poſt horum tamen uſum ad ea quæ *leniunt* ſimul veniendum, qualia jam dicta ſunt, E. g. quod optimum.

℞. *Medulla ſem. cucurb. manna el. ſacch. c. āā.* ʒj. *cum oxymel. ſimpl. fiant formula, ore tenenda.*

Reliqua remedia, ſi calor magnus, vide *in Faucium inflamm.* Platerus.

65. *Sciſſura)* In *Sciſſuris lingua*, ſi quoque *inflammatio* adſit, huic potius curandæ intendendum Si ex *ariditate* fiat, cura ut in Guſtu depravato, qui tunc quoque adeſt, inſtituenda; Si profundæ ſint fiſſuræ, Linguam admodum dividentes, doloremque inferentes, ſiccantibus, uti ceteræ exulcerationes ſanandæ, addendo interdum propter linguam, quæ humida & mollis naturaliter eſſe vult, *lenientia*, quæ tamen ſimul glutinent, E. g.

℞. *Alum. uſti* ʒß. *boli pinguis albi, vel rubri* ʒij. *mellis roſac. & mucilag. g. tragac. vel pſyllii āā. q. ſ. f. inſtar Unguenti* quo lingua filii ſæpe Ungatur. *Platerus.*

66. *Aliquando oritur)* Exſiccatur & induratur etiam nimium Lingua in *aſperitate & ſcabritie* dicta, ab inſpiratione ſeu attractione aëris quando ore aperto hauritur, Tunc humiditatem linguæ & faucium abſorbens, eoque magis ſi calidus ſimul & ſiccus exiſtat, partes illas exſiccat, duriores & aſperas reddit. Quod ut vigilantibus, ſic præſertim dormientibus ore aperto, & ſanis & ægris ſolet accidere Vel ex conſuetudine mala; Vel quod naribus obſtructis, cum via reſpirationis naturalis, vel omnino vel ex parte intercluſa ſit, per os aërem attrahere coguntur: quod & accidit ſi corpore nimium accenſo majori quoque quam ſolæ nares admittere poſſint, aëris inſpiratione opus habeant; uti

illis

illis qui se calidioris cibis impleverunt inter dormiendū evenit; Et in morbis calidis, internis inflammationibus, & febribus, linguæ ariditas frequens symptoma existit; In quibus non tam inspirationis necessitas quam etiam expiratio calida, à morbis illis calidis accensa, nec tantum nares, sed & fauces pervadens, partes illas vehementer exiccat, nigroque vel viridi, aut flavo colore inficit.

Quæ *linguæ faucium narium ve* ariditas ab ægris ipsis, cum de iis quoque admodum conquerantur persentitur, contactuque ac visu agnoscitur, quæ & adeo sæpe invalescit ut lingua fissa non solum in longum, sed & transversim scissa appareat; Et cum hasce ob causas male verba proloqui possint, ægre sæpe balbutiunt; Unde medicus hosce linguæ affectus, antequam eam inspiciat, conjectura nonnunquam assequitur. *Platerus.*

67. *Aliquando oritur ab igneis vaporibus) Lingua siccitatis sensu gravata*, absque ariditate vera, causa pendet ab utroque *Acri*, tum *salino*, tum *acido* vinoso; confusis ac perverse effervescentibus, tum halitus forma per ventriculum ad os assurgente; Tum ipsi sanguini confuso, & salivæ permixto viscidiori. *Sylvius Append. Tr. 9. §. 83.*

68. *Exhalationibus in febribus) Platerus* meminit cujusdam cui ardor in extimis linguæ lateribus molestus erat; Ego notam Dublini habui mulierem, cui supra lx. annos natæ ardor mediam linguam magnopere infestabat, & semper sui similis, ejusdemq; tenoris, ægram molestissime torquebat. Epigenema hoc erat hydropis ascitis, ejusdemque fere ab initio comes; quo morbo cum multos menses laborasset, ac summe jam tumida, viribusque penitus prostratis, in dies, imo horas moritura omnibus videretur, præsidium quod recusaverat à natura inexpectato accepit, sponte enim excitatæ ruptæque in cruribus ac pedibus vesicæ, omnem morbifici humoris vim brevi temporis spatio isthac exhauserunt, ipsamque sanam absque ullis pristini mali vestigiis relinqueret una cum principali morbo, etiam linguæ illa molestia liberatur.

Theologus Anglus, mediæ ætatis, corporis admodum obesi qui tamen multis magnisque quotidie exercitiis utebatur laborabat *ariditate linguæ*, in ipso duntaxat apice, absque ullo notabili fervore, sed cum molestis plerumque punctionibus, quale quid in media etiam palati regione, sed haud ita constanter patiebatur: symptomate hoc, quanquam exiguo dictu, magnopere liberari cupiebat; diuturnitatis pertæsus Dublinum venit consilium meum experiturus; usus purgationibus quæ in rem videbantur, dimisi domum cum præceptis quæ profutura judicabam, unde qualem fructum perceperit non potui rescire; quia in bello obiit. *Arnoldus Bootius de Aff. om. c. 8.*

Vivit hoc anno 1685. Matrona Nobilis, sexagesimum annum egressa, quæ à multis retro annis de ardore in apice linguæ conqueritur, ignem à decennio accedere veretur, mihi incrementum verita: cibi & panis nullo sale & aromate conduntur. Plurima remedia in usum sunt adducta venæ malleoli, raninarum, brachii apertio; purgationes variæ, serum lactis usurpatum &c. sed ad tumulum usque molestia hæc erit illi comes.

69. *Ablui debet)* In *Ariditate* causa primum erit avertenda; quæ si ex *consuetudine* prava, quod ore aperto dormiant nascatur, desuescendo erit immutanda, Inprimis à naribus obstructis sic respirare cogamur, tunc capite altius collocato, & subjecto pulvino elevato, si dormiant, quod narium amplitudo tunc magis dilatata sit, liberius aërem sic attrahere posse experientia docet: Et si *mucus* aut *pituita* nares obstruat, per *errhina* erunt expurganda: Quod si vivendi ratio calidior siccitatem hanc afferat, salsis & calidioribus cibis abstineant, vinum bene diluant; acetariis in cœna præsertim, ex *cichorea*, *lactuca &c.* utantur, nec alia ratione corpus nimium accendant. Ne *aer* frequenter subeat, illudque siccet, parum loquantur & rarius exspuant cum saliva diu retenta, quæ glutinosa, linguam humectet, & si exsiccata sit, rursum leniat: In *interno aliquo morbo calido*, ut *febribus ardentibus*, ad febris incendium restinguendum curatio dirigatur, *cordi*, *hepati*, partibusque unde calor magis exsurgit, epithemata frigida admovendo.

Oris tunicæ postea remedia accommodabuntur, asperitatem hanc *mollibus*, *glutinosis* & *pinguibus* leniendo & humectando; quæ vel in ore contineant, masticent, lambant, vel os colluant, aut, si nequeant, lingua digito vel bacillo adhibito iis illinatur, *Pruna*, *tamarindi*, *sebestena*, emollita levi calore ore retineantur.

Poma recentia incisa, masticata, partimque ore retenta; *melonum*, *cucumer.* *anguriarum* inprimis caro & succus.

Portulaca recens plurimum fauces lenit, & *lactuca* ore retenta & masticata; Quæ actu refrigerant ore retenta, calorem extinguendo, siccitatem corrigunt, ut *aqua* frigida, *lapides*, *crystallus*, præsertim *mucilagines* commendantur, ut

℞. *Alb. ovi n. j. agitetur cum facch. donec* albescat. Vel

℞. *Mucil. sem. cydon. psyll. extr. cum aqua ros. syr. violac.* ℥ß. *m.* Vel

℞. *Præd. mucil.* ℥j. (cui quoque mucil. *sem. pomor.* aut *malvæ*, *addi potest* *infus. g. tragac. in aq. ros.* ʒß. *facch. cand. mell. ros.* (præsertim si impura quoque sit lingua) *ãã.* ʒj. *misce.*

Has compositiones paulo spissiores factas sacculis latis exceptas, & sæpe *aqua rosar.* madefactas, linguæ imponere licet; vel in hisce liquoribus panni madefiant.

Unctuosa nonnihil, sed ex gratioribus parata, siccitatem egregie contemperant, E. g.

℞. *Butyr. rec. aut ol. amygd. ol. r. expr. q. s. facch. &c. vel albi vel ros. tabul. m. f. Lambile,* Vel

℞. *Album. ovor. n. j. amyli* ʒj. *lactis q. s. m. bulliant parum. & fiat Pulf. adde butyr. ãã. facch. alb. q. s.*

℞. *Syr. violar. jujub.* Vel sic, *Collutionis* forma.

℞. *Syr. viol. jujub. ãã.* ℥ß. *decoct. hordei mund.* ℥iv. *utatur* Vel

℞. *Fol. portul. lact. rec. aa. m. j. flor. malv. autumnalis, cynoceph. hordei mund. ãã. p. j. liquir.* ℥j. *sem. psyll. integr.* ʒß *sem. papav. albi* ʒj. *coqu. in aqua, in* lbj. *dissolve alb. ovi agitati n. j. syr. viol.* vel *mell. ros. colati* ℥j. *m.*

Lacte frigido frequenter os abluere, *butyroso* præsertim, utile. *Platerus.*

70. *Collui aquæ)* In febricitantium querimoniis ex siti & linguæ ardoribus, *crystalli* usus inter præcipua recensetur remedia: Illud enim si diu in aqua frigida agitatur, & ore deinde detinetur, sitim & calorem corrigit, atque linguam humectat; majoris tamen virtutis est lapis albus qui in limaceum lapide reperitur; hic sub lingua agitatus, non modo sitim caloremque refrænat, verum & salivam in ore excitat; unde febricitantibus præsentaneum indicatur præsidium. *Lavin. Lemnius.*

Paralysis Linguæ.

IV. [71] *Paralysis* contingit linguæ.

Vel *Tota*, & tum ii nervi prorsus impediuntur, qui à septima cerebri con[illegible]gatione propè spinalis medullæ initium derivantur, gravis etiam Apoplexiæ metus impendet.

[72] Vel *ejus partis*, sive dextræ sive sinistræ, seu vitio nervorum, seu spirituum.

[73] In ejus *Curatione* [74] præmissis Universalibus, [75] laudantur *salis margarit.* gr. x. in v[illegible]o malvatico. *ol. Rorismarini* cum rotulis diambræ vel diacastorei. *Aqua vel spiritus* [*] *ceras*[illegible] *nigrorum*, frictio linguæ cum *fol. Tabaci*, *semine Erucæ*, *& Theriaca.* Vide & *Electuarium Solenandri* in consiliis.

[71] *Paralysis contingit Linguæ)* Ad Linguam deferuntur duo nervorum paria, tertium videlicet (quartum, idque tenuius, ex neotericorum mente) ad gustandi & sentiendi actionem exercendum; & septimum crassius ad loquelam & linguam variis modis commovendam: Ex horum igitur nervorum, qui à septimo pari oriuntur, obstructione & relaxatione paralysis linguæ producitur, quæ est privatio aut imminutio motus illius partis. Eaque succedere consuevit frequenter Apoplexiæ, cerebro ipso secundum posteriorem partem humore pituitoso imbibito, & tunc aliæ quoque partes, & plerumque dimidia corporis pars paralysi tentantur: Interdum tamen solitaria est, nervis tantum, aut musculis linguam moventibus, humore pituitoso imbibitis & repletis. Ex præcisione etiam eorum nervorum Linguæ paralysis generari potest: Exemplum est apud *Avicennam*, *Fen. 6. l. 3. tr. 1. cap 12.*

Quidam homo jam ventosatus fuit, & percussus est cum scapello villus nervi in substantia panniculi conjuncti cum lingua, quare mollificata est lingua. Has autem cucurbitulas in cervice & juxta occiput fuisse admotas conjiciendum est, cum enim nervi linguam moventes à principio spinalis medullæ oriantur, quæ est in occipitio, ex profundiori scarificatione cujusdam illius rami præcisionem contigisse certissimum est.

Quamvis autem materia hunc affectum producens pituitosa sit, interdum tamen crassior & frigidior, interdum tenuior & calidior esse solet, pro ratione humorum in corpore prædominantium, quorum diagnosis proponitur ab *Avicenna Fen. 6. l. 3. tr. 1. c. 6. Et quandoque significat quod materia sit sanguinea rubedo linguæ & caliditas ejus. Et quandoque significat quod materia sit subtilis & aquosa, multitudo ursus salivæ aquosa, & paucitas juvamenti ex [illegible] & juvamentum ab eo in quo est stypticitas.* Affectus iste si à cerebri vitio dependeat & apoplexiæ sit consectarius, ita ut aliæ quoque partes afficiantur, raro curationem recipit, præsertim si æg[illegible] provectior fuerit. Si vero simplex & solitarius fuerit, curationem recipit, idque multo facilius si æger in ætate florente constitutus fuerit. *Riverius.*

[72] *Vel ejus partis* Unde imminuitur loquutio, quod & dimidiata linguæ convulsione oriri potest; vel à resolutione aut convulsione totius quidem linguæ, verum inchoata tantum atque remissiore: Sed & causa externa, puta defatigatio instrumenti ob diuturniorem sermocinationem, loquutio imminui potest.

[73] *In ejus curatione* Curatio per[illegible]citur sublatione causæ antecedentis, humoris [illegible] in cerebro redundantis, & discussione ac [illegible]lutione causæ conjunctæ humoris [illegible] nervis [illegible] linguam moventibus impacti [illegible].

[74] *Præmissis universalibus)* Causa antecedens eliminanda iis remediis quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione proponuntur. Ac [illegible] organo institu[illegible] Po[illegible]ne aut Pilulis dicto [illegible] propositis: mox si sanguis redundare & affectus [illegible] pa[illegible]lis vel adjuvans esse videatur, [illegible] quantitate quæ viribus & ætati conveniat. Post [illegible] Apozema cephalicum exhibendum & si affectus contumax esse videatur, detrahendus est [illegible] quantitate quæ viribus & ætati conveniat: hinc ad di[illegible]tam sud[illegible]ficam transeundum est. *Riverius.*

[75] *Laudantur* Post universal[illegible] evacuation[illegible] ad materiæ morbificæ derivationem [illegible] veniendum [illegible] *cucurbitulas & vesicatoria* posteriori part[illegible] etiam *cauterium occipiti* inustum [illegible] *cucurbitulam sub mento* affigit, quod [illegible] probatur, Vena etiam sub lingua utiliter ap[illegible] præmissis evacuationibus universalibus, ad de[illegible]ationem humoris musculis linguæ imbibi[illegible] Ad [illegible] vero & extrahendum eundem humorem, Gargarisma sequens frequenter usurpabitur.

℞. *Rad. ireos Flor.* ℥ß. *folior.* [illegible] *hed. terrestr. rorismar. ãã. m. ß. cubebar.* ʒij. *liquir.* ʒj. [illegible] *in aquæ part. aquæ &* [illegible] *vini albi* [illegible] *addito ad* ℔ [illegible] *Lat. dissolve oxymel. scill.* ℥ij. *fiat Gargar.* [illegible] *efficaciter* [illegible], addi [illegible] decocto *ad* [illegible] ʒij, *vel* iij. vel etiam *semen sinapi* [illegible] etiam potest *castoreum*, [illegible] deatur: Ad eundem [illegible] potest l[illegible]ngu[illegible] ter conf[illegible] *oxymelite* [illegible] ad li[illegible] potent[illegible] *Succus salviæ* [illegible] addito si lubet *semine* [illegible] supra linguam frequente[illegible] eundem finem.

℞. *Succi beton. &* [illegible] *ãã.* ʒß. *nuc. mosch.* [illegible] tur cum melle, & [illegible]

Conferre et[illegible] poterunt [illegible] ria, & erthi[illegible], ut in frig[illegible] Ad cerebrum vero roborandum & [illegible] in eo contenti reliquias di[illegible]cutiendas conve[illegible] suffitus, pulvis capitis in[illegible]pergendus & cu[illegible] propositæ: Ac denique ad novum pituitæ proventum [illegible] cerebri intemperies, etiam post [illegible] & particulares evacuationes, solet efficere, usualia remedia præ[illegible]benda, *Syrupus* magistr. [illegible], Opiata roborans & [illegible] tradita. *Riverius.*

In primis quæ Ori & faucibus induntu[illegible] loquela & vox deperdita sint remed[illegible] partem affectam, linguam, la[illegible] nervos affectos, virtu[illegible] rectius transmitt[illegible]nt, [illegible]que tu[illegible] non tantum remedia p[illegible] hanc illi d[illegible]natam [illegible] tx, cum parti [illegible] proxima [illegible]do & [illegible] hu[illegible] [illegible] co affecto p[illegible] non quæ pituitam eo [illegible] tium co[illegible]unt, sed quæ [illegible] in eo defluxu[illegible] [illegible]

℞. *Nuc. mosch* ʒj. *piper. long. cubebar. galang. sem.*

sem. nasturt. sinap. āā. ʒj. *salis, gum. elemi āā.* ʒß. *mastic.* ʒiß. *terebinth.* (quam valde prodesse docent) *&* *cera q. s. Formula*, si addideris castor. ℈ß. erunt efficaciffimæ.

Pilula hæ sub lingua retentæ tota nocte magni sunt usus.

℞. *Baccar. laur.* ʒj. *euphorb. castor. āā. gr. vj. cum insus. gumm. tragac. facta in aq. lavend. f. Pil.*

Mithridatio addito *castor.* si lingua fricetur, optimum, *Collutiones oris* ex *muria* proluunt, *Ex vino rubro* in quo *salvia* maduerit addito *sale*.

Si *succus urtica* auribus indatur, loquelam amissam restituere aliqui scripserunt.

Inter *externa* eadem quæ in paralysi competunt, Et quæ inunguntur, & peculiariter nervorum affectorum regioni applicantur, hic in nucha, seu cervicis posteriore regione adhibentur; *Lateraque* insuper *maxillarum* inunguntur.

Metasyncritica, dropaces, sinapismi, vesicatoria, cauteria capitis posteriori sedi potius adhibentur; *Sanguinis è vena sub lingua* extractionem in latere sano probant, si adsit plethora, & *Cucurbitulam sub mento*, quæ tamen occipitio adhibita etiam juvat: *Exercere* Linguam motu multo & nitendu loqui jubemus, nam citius ad loquelam rectius proferendam sic impellitur. *Platerus.*

79. *Cerasorum nigrorum*) Magni facit vulgus in loquela deperdita, cum exhibendo, tum ori indendo, sed efficacior erit.

℞. *Aquar. ceras. nigr. lavend. salvia, pulegii āā. p. aqu.* Colluat os frequenter. *Platerus.*

Balbuties.

V. [77] *Balbuties*, & *Blæsitas* infestant, Aut [78] *ex ebrietate*, aut [79] linguæ *mala conformatione*, *brevitate*, *nimia crassitie*, freni arctiori adstrictione, hinc, infantes lac sugere nequeunt: aut ejusdem [80] *immodica siccitate*; aut [81] *nimia humiditate*. [81] Difficulter tollitur.

77. *Balbuties, Blæsitas*) Quamvis *Galeno* Doctore, & vocis origine jubente, ἰσχνοφωνία idem significet quod λεπτοφωνία, vocis gracilitas & tenuitas, tamen usus, severus ille loquendi magister, jam dudum *Hippocratis* ævo obtinuit, ut ἰσχνόφωνοι dicerentur qui inter loquendum hærent aut titubant, nec verba aut syllabas possunt connectere; quippe *Hesychius* ἰσχνόφωνον non solum exponit λεπτόφωνον sed & ἀναρθρον τὴν φωνὴν: Posteriore expositione ἰσχνοφωνία vitium est loquelæ depravatæ, cujus tres reperio species, magna confusione à Latinis fere promibus usurpatas; Eæ sunt τραυλότης, ψελλότης & ἰσχνοφωνία: quarum unamquamque *Aristoteles* 11. *Probl.* 32. tam distincte proposuit & explicavit ut nullus hæsitandi locus sit relictus, Dicit enim, *Est igitur Blæsitas*, (τραυλότης) *literam quandam exprimere non posse, eamque non quamlibet sed certam*: Balbuties *autem*, (ψελλότης) *vel litteram prætermittere, vel syllabam*. Hæsitantia est, (ἰσχνοφωνία) *alteram syllabam alteri jungere propere non posse*. Coctnummius. *Tr. de Apoplexia p.* 297.

77. *Balbuties & Blæsitas infestant*) Actio Linguæ præcipua loquela est, eaque abolerur, imminuitur aut depravatur à variis causis, quæ ad morbos similares, organicos vel communes referuntur: Quod ad similares attinet, *humida intemperies cum materia* conjuncta, linguam molliorem & laxiorem efficit ut motus suos libere exercere nequeat; Siccitas etiam nimia loquelam vitiat, ut in febribus contingit: Morbi vero organici sunt, *magnitudo* aucta, ut in tumoribus illius, qui liberum linguæ motum impediunt: *Figura* vitiata, ut si lingua brevior ex nativa conformatione, aut præcisione apicis illius, aut si fræno aut vinculo suo arctius alligetur; & *obstructio* nervorum septimi paris, qui ad musculos linguam moventes deferuntur: Morbi denique Communes sunt, *solutiones continui*, seu vulnera ejusdem partis: Nimia Linguæ humiditas Balbutiem efficit, quia affecta linguam R pronuntiare nequeunt, eaque vel est nativa, ut in pueris, qui ob nimiam humiditatem hoc affectu laborant, ab eoque liberantur ætatis progressu, quo superflua illa humiditas absumitur: In quibusdam *vero intemperies humida* tota vita perseverat, & illi perpetuo Balbi remanent, de quibus agit *Hippocr.* aph. 32. 6. *Balbi ab alvi profluvio diuturno maxime capiuntur*: Galenus in comm. dicit eos qui natura Balbi sunt, aut cerebrum habere humidum, aut linguam, aut utrumque; A cerebro humido multas profluere humiditates, quas in ventrem delabi par est, unde alvi profluvia: Lingua vero admodum humida natura existente, & ventriculum talem esse par est (ut qui alteram tunicam communem habeat cum lingua) imbecillemque ex humiditate: ventriculi autem humidi propria passio est diuturnum profluvium.

Attamen adversari videtur *Avicenna*, qui Fen. 3. l. 4. tr. 4. c. 18. Balbos esse maxime dispositos ad melancholiam, cum tamen melancholia à sicciori cerebri intemperie procedat, Conciliatur illa contrarietas dicendo per Balbos, seu Traulos, *Avicennam* intelligere non Balbos proprie dictos, qui literam R pronuntiare nequeunt, sed eos qui linguæ hæsitantia laborant, quive eandem syllabam multoties repetunt, antequam dictionem proferant: hæc enim linguæ hæsitantia ex calido & sicco cerebri temperamento oritur, in quo adeo promptæ sunt cerebri cogitationes ut linguam præcurrant, ejusque motum præcipitent, unde conturbatio ipsius atque hæsitantia exoritur. *Riverius.*

Columella cum plectrum vocis sit, si illa desit, aut mutilata desit, voci incommodat; Uti & eom *Dentes* anteriores absunt, cum linguæ motus in pronuntiatione quarundam literarum resistere debeant, idque in ipsorum penuria fieri non possit, balbutiunt nonnihil. *Platerus.*

77. *Balbuties & Blæsitas infestant*) Sicut linguæ hæc illave verba naturaliter proferentis multifariæ sunt inflexiones, nec expositu faciles, ita loquendi errores flexurarum istarum culpa exsurgunt quamplurimi; vixque omnea distincte tradi queunt, Nam suum est cuique fere genti ἰδίωμα atque vernaculum eloquutionis vitium, Sic Dores ut platystomi incessebantur à Græcis quod ore in latum viduato loquerentur, ac justo frequentius § A dictionibus ingererent; Eretrienses sugillabantur quod verba ex ρ conflata geminato cum stridore & asperitate efferrent; ῥωτακισμὸς id vitii dicitur, quemadmodum λαμβδακισμὸς, λαμβδακισμὸς, μυτακισμὸς vocantur literarum L K, & M crebræ odiosæque iterationes: πελάγισμα vero ubi simplex 6 multiplicato 6. 6. cum sibilo editur. Quidam etiam singultiunt, i. e. præpedite & obscurius verba promunt, nonnullorum denique subagrestis est, ac plane subrustica pronuntiatio. *Meniotius.*

77. *Balbuties & Blæsitas*) Balbutiem *Aristot.* 11. *Problem.* 30. ad ternarium numerum reduxit, scil. τραυλότητα, ψελλότητα & ἰσχνοφωνίαν, τραυλότης genens nomen retinens dicitur *Aristot.* 2. *de part. an.* 17. ὅταν ἀπολυμένη, cum nempe lingua ἀπολυμένη certas consonantes conformare non valens, in alias deflectit, v. g.

T. mollit in D. ac G. in C. dicitq; Gabitoliom pro Capitolium, & Anselus pro Angelos; præsertim vero literam acriorem atque caninam R. detorquet in L. quæ hebetior est, ac pro Maria dicit Malia, Cum enim consonantium nonnullæ liberiorem linguæ dilatationem, firmioremque incisoriis dentibus ac palato innixum requirant, fit ut lingua, si præ mollitie ac debilitate non satis amplificetur, dentibusque imbecillius obfirmetur, pro asperioribus, ac quasi confragosis literis, leniores planioresque appellet, utpote magis affines minoreque indigentes linguæ expansione ac stabilimento; Quemadmodum autem petus oculus non est inamabilis, nam

Minerva flavo lumine Venus peto,

ita lingua tantisper traulizans, ac ut vulgo loquuntur, paulo pinguior, decorem quendam sermoni conciliat, *Alcibiadis* enim τραυλότητα blandam loquelæ ejus addidisse gratiam testis est *Plutarchus*: Ac potissimum fœminæ ejusmodi dictionem velut blandiculam & lenocinantem affectant.

Altera Balbuties species Græcis ψελλότης, ψελλισμὸς, & ψέλλισμα, loquutio est detruncata, qua litera syllabave absorbetur aut eliditur, *Hippocr.* γλῶσσαν ἀσαφέα vocat, quoniam trunca & quasi tertiata verba, involuta sunt, nec intelligibilia; Græci ita loquentem κολοβοστόμον nominant, quod voces decurtet; item βλαισὸν, & Latini Blæsum, quo nomine alii non ψελλὸν sed στρεβλὸν denotant, secus enim βλαισοὶ, communiter Valgi, appellantur qui suras habent extrorsum intortas, ad similitudinem literæ A. quibus opponuntur ῥαιβοί: Notandum autem τὸ ψελλισμὸς non solum dici de ore blæso, sed per metaphoram ad aliorum quoque membrorum impedimenta transferri, cum scriptum sit à *Plutarcho* *Syllam* Athenis degentem pedum dolore ναρκώδει cœpisse infestari, huncque dolorem à *Strabone* fuisse vocatum ποδαγρικὸν ψελλισμὸν, quasi catenam & compedes.

Tertium Balbutiei genus nuncupatur ἰσχνοφωνία, (quanquam si nomen spectes, non ad sermonis, sed ad vocis affectum pertineat) forsan melius ἰσχοφωνία, ἀπὸ τοῦ ἴσχειν τὴν φωνὴν, per quam homo medio inter loquendum tempore, repressis velut quodam offensaculo conatibus, syllabas propere non connectit, sed in priori paululum detinetur, eamque cogitur retexere ac alternare, seu in principio dictionis pro Cæsar dicens, Cæcæsar; seu in fine, ut pro fama, famama; Ejusmodi hæsitationem tractumque verborum βατταρισμὸν vulgo vocitant; defluxa voce à Batto quodam Rege titubanter loquente, qui Cyrenas in Africa condidisse narratur; Ejusmodi Balbutientes ab *Homero Iliad. 7.* ἀφραδέοντες dicuntur, Latini Bambaliones appellant, ἀπὸ τοῦ βαμβαίνειν, quod *Hesychius* interpretatur labiis tremere: Hicque observandum etsi ἰσχνόφωνοι minime sint ἀπὸ τοῦ κατὰ φύσιν, sed potius ἀσήφωνοι, quinimo ex *Aristotele* 11. Probl. 13. nec submisse loqui possint, quod motus libertate impedita majore nisu uti, sicque verba altius prosequi consuescant, nihilominus apud *Hippocr.* vocabulum ἰσχνοφωνίας non modo pro obturbato ac interpellato sermone; accipi sed interdum quoque pro ἀσαφείᾳ referente *Galeno* comm. in 1. Epidem. *Menjotius*.

78. *Aut ex ebrietate &c.*) Inter causas procatarcticas duæ potissimum confusaneum ac inconditum sermonem efficiunt, Temulentia & Timor, hic propter spirituum ἐπισπάσιν; hæc quoniam linguæ nervos & musculos emollit & relaxat, imaginesque polydædalas menti intenus offert. *Aristoteles* quidem 11. *Probl.* 36. in Ebrietatibus linguam minus fluctuare docet; in illis scilicet quæ non perveniunt ad ὑπερβολὴν, ut loquitur *Hippocr. l. 3. de Diæta*, vinum enim moderate sumptum, ut & exercitatio ac orationis continuitas blæsitati auxiliatur, linguæ frigiditatem & quasi apoplexiam castigando, sic picæ & sturni loquaciores sunt si offam vorent vino madefactam. *Menjotius*.

79. *Aut lingua mala*) Linguæ occasione Loquela defectum patitur, si illa, quatenus instrumentum musculosum est, nimium à causis in gustus regione explicatis exiccetur & induretur; cum enim in certis literis efferendis (quæ ut plane exprimi possint, magis variam illius flexuram requirunt) sufficienter volutari nequeat, dum verba formant balbutiunt: quod & tumore sub ea nato, vel si intus ulceat aut inflammetur, si ab ortu molem nimiam adepta sit, quæ sæpe tanta est ut loqui omnino non possint; familiare vitium fatuis quibusdam, qui ab ortu stulti & muti nascuntur; Si nimis parva formata sit; Si amputata aut mutilata &c. *Platerus*.

79. *Aut ex lingua mala &c.*) Balbutiei causæ sunt multiplices, *primo* musculorum linguæ, non quidem stupor, ut in loquutione imminuta, nec intercisa; sed potius tremor, per quem non plene absolvitur loquutionis integritas, at identidem interturbatur.

Secundo vel brevior, nec ideirco satis premens anteriores dentes, quod infrequenter fieri obser. at *Galenus*, vel crassior ac tumidior, ideoque gravis ac inflexibilis: nam lingua ad diarthrosin lata esse debet, unde aves vocem humanam æmulantes cæteris sunt πλατυγλωττότεροι; vel aridior, proindeque inobediens, nunusque plicabilis, ut per febres ardentes, juxta illud Hippocr. 7. Epid. 5. γλῶσσα οἷσι μὴ διαρθροῖ, ἀκρατὴς παρὰ φύσιν ξηρότης. quæ sicca linguæ intemperatura aut nusquam aut per quam raro ingenita est; vel humidior & laxior, vel frigidior, ac ideirco ἀκρατὴς: vel tandem calidior atque irrequietior; & quæ temere magis quam impigre imaginationi præit, potius quam ministrat; obsequentiori famulo similis, qui domini mandata prævenire expetens turbatur; Nam sicuti cæteri balbutientes cunctanter verba fundunt, hærentque quasi in salebra, ita hi sunt ταχυγλωσσότεροι ἀσαφεῖς, sermonem promptum habent ac torrentem: Nec tantum linguæ volubilitas verba mutilando ψελλισμὸν affert, at quandoque etiam cursu syllabarum intercepto ἰσχνοφωνίαν adducit; quemadmodum enim prærapide currentes in alium motum difficulter flectuntur, sic concitata lingua uni syllabæ diutius insistit vixque divertit ad alteram.

Tertio Balbuties fit à Tumore, rarius phlegmonoso, sæpius œdematoso, partes linguæ subjacentes occupante, quem ranulam vel ranunculum dici volunt, quod ad modum ranarum ægri inter loquendum quasi coaxent.

Quarto frænulum linguæ subditum, ut catenaria esset, ac intra moderatos terminos coërceretur, tripliciter incommodat locutioni: Primo si mollius ac flaccidius fuerit, penitusve defecerit; lingua enim infrænata palati cameram mobilitate sua nimium replet, unde homines ore pleno loquentes ac hiulco, subinde βαβάζουσι, repetuntque & ba, ba, *Quintilianus* πλατειασμὸν vocat, cui opponitur pronuntiatio [illegible] ore facta, sive morbosa fuerit propter n[illegible]vam oris angustiam, aut cicatricem ex vulnere sup[illegible]stitem, sive menita, præsertim à fœminis huic loquutioni, tanquam elegantiori studentibus. 2. Si v[illegible]lum ad linguæ cuspidem propius accesserit, ejus præpedit volutationem; Demum si brevius fuerit, seu ab ortu, ob pravam διάπλασιν seu post ortum à cicatrice, aut prærarida intemperie lingua arctius subligata recurvatur, nec anteriores dentes satis contingit: Hic morbus ἀγκυλόγλωσσον, communiter filum dicitur: Pueri autem eo malo à natura irretiti, tarde quidem prorumpunt in sermonem, tandem vero satis festinanter

hanter verba exerunt, ac citra offendiculum, præterquam in literis R. L. & K. ad quarum quippe expressionem lingua sufficienter vibrari nequeat atque explicari.

Quinto, ut Labia in regendis sermonis discriminibus, funguntur quodammodo vice digitorum, quibus modo adductis, modo reductis spiritum in fistulis, cantusque harmoniam tibicines moderantur, sic eorum *μογιλαλία* oritur, puta si aut mutilata fuerint, aut crassiora, duriora & nimis inversa, itaut segniter moveantur, ut in Labeonibus.

Tandem Dentium series multiplex, maleve disposita, vel eorundem præsertim incisorum defectus, loquelæ officit, ac dentiloqui dicuntur, *obese loquentes* propter dentium inopiam, quare infantibus sermo distinctus non est ante primorum dentium è locellis suis *ἀνάβλυσιν*.

Itaque, ut obiter moneam, illi ludunt non philosophantur, qui docent dentium *φραγμῷ* linguam compesci, istisque quasi palis atque obicibus loquendi licentiam refrænari, ac idcirco edentulos senes locutuleios esse, & in verba provectos, quod linguam habeant suis clathris liberam, senibus etenim non egestate dentium, sed paupertate mentis *γλῶσσα* est *ἀχάλινος*.

Præterea Balbuties accidentario progignitur ab impetuosa cogitationum inundatione, ut in delirantibus: nam quemadmodum servus, utut dicto audiens, molesto domino plura simul imperanti præsto ad omnia esse non potest, sic lingua, quantumvis agilis atque explanata, confertis nimium atque volucribus mentis conceptibus exprimendis impar est, sed in præceps delapsa turbide ac adhæse loquitur; *Linguæ obscuritas*, inquit Hippocr. in Præcept. *aut propter affectionem contingit, aut propter aures*, ita ut *antequam priora enunciavit alia adjiciat; aut priusquam id quod mente conceptum est eloquatur, alia insuper animo cogitet, Et quæ quidem citra affectionem visibilem appellatam nascitur linguæ obscuritas, artium studiosis maxime accidit*, horum scilicet imaginatione rerum oblatarum mole ac diversitate varie structa: male autem se habente organo homines nunquam non balbutiunt, at pacata mentis jactatione expedite loquuntur; Non raro etiam causa utraque; videlicet & instrumenti morbus, & animi præcipitantia eodem conspiratu ad balbutiem concurrit. *Menjotius*.

80. *Immodica siccitate aut nimia humiditate*) Trauli & Balbi non ob humidam cerebri intemperiem fiunt, ut fere omnes autumant; inveniuntur enim hi modo calidi, modo humidi vel sicci, uti & reliqui qui nec trauli nec balbi sunt, & hi modo sputus abundant modo carent; quare non ob humiditatem nimiam cerebri hujusmodi traulos & balbos fieri, sed ob varietatem meatuum, in instrumentis pertinentibus ad loquutionem existentium docuit experientia. Porro Trauli qui literam R. exprimere nequeunt, in media palati regione, ubi quartum est os superioris maxillæ, duo inveniuntur foramina, quæ nullo modo adeo aperta & obvia sunt ut his qui optime loquuntur. Balbis vero juxta dentes majores observavimus foramina, per quæ stillans pituita, linguámque irrigans in parte illis anteriori, blæsam loquutionem facit, unde blæsi & semilingues fiunt, quod si hæc non essent, haud balbutirent, licet a capite copiosa descenderet pituita, ut multis contingit qui ex hac tamen balbi non fiunt. *Sanctorius M. Vit. Err. l. 3.*

81. *Aut nimia humiditate*) Aves ad disciplinam humani sermonis idoneæ interdum balbutiunt, ut de merula testatur *Plinius h. n. lib. 10. cap. 29.* homo tamen longe frequentius Balbutie tentari solet, quod humentissimo polleat cerebro, ac plurimis rapiatur ocyssimisque animi motibus, Senum decrepitorum lingua titubatione aut offensione impeditur ob defectas vires r[...]nantemque pituitam.

Puerorum mollis est ac infracta loquutio, hæc namque ex multis literis genere & numero distinctis conflatur, [...]cilias postulantibus linguæ motiones, atqui quod varium est, inquit *Aristot. 11. Probl. 57.* pluribusque notatur differentiis, id nonnisi plurimo tempore ad exitum perduci potest: Jam vero facultas motiva in puerili ætate effœminata existit, *ἀσθενῆ γὰρ καὶ ἀδύνατα τὰ νεώτερα*, *languida sunt natu minora atque enervata*, Arist. *5. de gen. anim. 7.* ac linguæ potissimum; utpote spongiosæ, bibulæ, udoque cerebro subjectæ, quam cæterarum partium lapsans motus tardius in pueris firmatur.

Placet nonnullis omnes quidem infantes ægre loqui, at non omnes balbutire, verum defectivam mancamque eorum locutionem, licet depravationis idam gerat, ab ea tantum differre quantum immaturus fructus discrepat à corrupto.

Melancholici balbutiunt ex *Aristot. 11. Probl. 35.* unde apud *Hippocr. 2. Epid. 5. Varice ad dextrum sinistrúmque testem enato solvitur ἰσχνοφωνία*, & *Balbi morbis conflictantur admodum melancholicis*, Ac iterum (7. aph. 40.) Linguam derepente *ἀκρατῆ* factam signum melancholicum esse tradit. Ejusmodi autem Balbuties in melancholicis tam per se oritur quam per accidens, Per se, ab organi invaletudine, nempe aut propter linguæ exsuccæ contumaciam, aut ex adverso ob ejusdem madorem, seu à serosa illuvie, qua melancholici restagnant, seu à pituita in crudiore ventriculo congesta. Nam sicuti linteum aliqua sui particula aquæ demersum, sensim expansa humiditate totum tandem humescit: sic cum ventriculus, gula, partes oris, ac ipsamet aspera arteria eandem participent membranam, facillima est humoris è ventriculo; per communitatem communis tunicæ ad linguam, quamvis superne locatam diffusio, etiam absque ulla, ut in vomiturientibus & nauseabundis, ventriculi compressione.

Nec essentiali modo, sed accidentali etiam linguæ titubantia, laborant melancholici, à myriade phantasmatum imaginationi globatim occursantium, non quidem propter spiritus animales, ut in phrenitide, procellosos & inquietissimos, hi namque fixiores potius sunt atque pigriores, sed quod animus melancholicorum fastidiosus, & veluti *αὐθέκαστος*, res omnes etiam optatissimas, mox tanquam ingratas repudiat; sicque ab uno objecto ad aliud desultoria levitate transiliat, ad instar tipularum seu araneolorum, qui in aquarum stagnantium & imperflatarum superficie æstivo tempore circumcursitant. *Biliosis* lingua inexplanata est, juxta illud *Hippocr. 2. Epid. 6. Balbi ac celeriore lingua constantes, melancholici & plurimum biliosi sunt.* Item *Qui pectore sunt admodum biliosi, balbutiunt.*

Idque duplici de causa, primum quia ut corde calent sic cerebro utplurimum madescunt, linguam perpetuo irrorante, deinde ob animi *ὀξύτητα*, per quam verborum volumina vocumque turbas blaterant, potissimum ubi in iram labuntur; cum è contrario frigidi & torpidi excandescentia expeditius loquantur. Hinc Balbi & lingua hæsitantes probi dicuntur ab *Hippocr. 2. Epid. 5.* nempe ob temperaturæ frigiditatem ac humiditatem; qua ratione pueri boni sunt ac simplices, Et septentrionales populi *χρηστοήθεις καὶ ἄκακοι*, contra vero plagarum meridionalium incolæ pravi ac versuti, brutaque ipsa ibidem vivunt immitia. Hinc *Balbi* (aph. 32.) diuturno *alvi profluvio maxime*,

corripiuntur maxime, vel quod humores ex cerebro in linguam simulque in alvum depluant; vel quod lingua natura sua humidior [illegible] ventriculum reddat ejusdem intemperiei consortem; vel potius quod ventriculus primo & per se uberrima humiditate luxurians ac diarrhoeæ parens, consensus lege linguam afficiat potius quam ab ea afficiatur. *Mensonus*.

82. *Difficulter tollitur*) Ut à comitiali affectu, sic à morbis loquelæ *juvenes mutatione potissimum ætatis, & locorum & victuum liberantur*. 2. aph. 45. temperata nempe dialecti earum partium algidiore ac humentiore dyscrasia: Ita Maximilianus Friderici iij Imper. filius, cum ad ix. usque annum loquutionis beneficio caruisset, evasit tamen in virum disertissimum, *Aetas, subjecto parvo existente, δύναμις ἰσχυρὰ* [illegible] *multum potest*, Sic Batto de linguæ suæ titubantia oraculum Delphicum consulenti, Pythia imperavit ut in Libyam, regionem calidam siccamque commigraret, referente Herodoto:

Balbuties etiam [illegible] arte ac studio emendabilis est. Nam Demosthenes cum præ balbutie, ejus ipsius artis, nimirum Rhetoricæ, quam profitebatur, primam literam non posset dicere, ideoque Atheniensibus ludibrio esset, sese exercitando, calculosque, ubi privatim verba faceret, lingua volvendo, [illegible] deductus est, ita ut nemo planius loqueretur: Ut supervenions Balbuties adveniantes prædicat soporosos affectus, sic non raro eosdem excipit cerebrumque oppressum in libertatem vindicat;

Quicunque τὴν γλῶσσαν [illegible], *lingua offensant*, & *inconstituentibus labris repetitum sermonem præcipitant, siquidem ea conquieverint, empyici fiunt*, [illegible] de Iud.

Pituita quæ nervos rigat loquelæ consectatos [illegible] declivi, recta atque spatiosa in antrum thoracis [illegible] quam in lacunam delabente, locique calore, non quidem in verum pus, sed in materiam [illegible] sive puriformem conversa.

Notandumque est τὸ [illegible] quod proprie spumam [illegible] undarum inter se collisionem significat, voce per [illegible] à comitante sonitu [illegible], hic à facundissimo Hippocrate sermoni interrupto & velut bullanti metaphoricus accommodari, eo quod collabentia balbutientium labia consimilem æstuanti mari edant strepitum, ac propter salivæ agitationem spuma aspergantur, *Mensonus*.

82. *Difficulter tollitur*) Balbuties à nativitate contracta incurabilis est, in quibusdam vero accidentaria contingit à catarrho, & copioso humoris pituitosi d[illegible] in fauces & linguam; quæ evacuatione [illegible], & derivatione humoris influentis, tum etiam capitis roboratione & exsiccatione curatur. Cu[illegible] remedia propositas indicationes adimplenti. Paralysi linguæ convenient, ex illius curatione repetantur. *Riverius*.

Aphonia.

VI. [83] *Aphonia*, seu [84] Vocis [85] Suppressio

Est I. Alia *Totalis*, & hæc [86] *vel* à naturæ conformantis vitio. *vel* à consummata paralysi, in qua valet aqua *liliorum convall. lavendula*, cum *sanguine turturis, oleo anisi* & *spiritu vitrioli*, vel à *virium in febribus continuis resolutione*, [87]. quæ sæpe lethalis: vel a *destillationibus* a capite ad [88]. *nervos voci destinatos* defluentibus, & laryngis musculos resolventibus, in qua *decoctum salsa parilla*, nec non *cauteria* artubus inusta laudantur. II. [89]. Alia *Partialis*, ἀναυδία Græcis, seu [90]. sermonis [91]. impedimentum, quæ aut à [92]. resolutione instrumentorum voci inservientium à destillante pituita oritur: adsuntque frequentia sputa, tussis permanens, & assidua faucium irritatio; Aut ab interioris laryngis rimæ valida in febribus exsiccatione.

Linguæ usum post amputationem totius illius partis quâ lingua volubilis est, & [illegible] annorum aphoniam, [93]. ex terrore ab inopinato fulgure oborto, ita restitutú, ut om[illegible] articulatè prolocutus fuerit, vide apud Tulpium Observ. l. I. c. 41. De *vocis depravatione* vide Tit. VI. cap. 3.

83. *Aphonia seu vocis suppressio*) Quæ potius vitium est organorum φωνητικῶν quam Linguæ, quæ loquelæ primarium est instrumentum: Huius autem integrum impedimentum *mutitas est*, ἀφωνία quæ vel est [illegible] vel [illegible]; illa silentii potius quam mutitatis nomen meretur; sic melancholici ex animi pervicacia fandi negligentes sunt, non impotentes, *sic triennio Mecanatem Messium accepimus*, inquit Plinius l. 28. c. 7. *silentium sibi imperasse a convulsione, reddito sanguine*, Mutitas vera atque involuntaria duplex est, una secundum naturam, altera præter naturã: Prior infantibus convenit, non tantú ob linguæ in humido versantis *ἀτονίαν* (liceat [illegible]) impotentiam, sed etiam quod rectrix ac superior facultas, nempe phantasia, ac proinde ipsa ratio, in mucoso cerebro quodammodo sepulta sit, ac speciebus omnibus viduata; intellectus enim in se habetur instar tabulæ rasæ in qua nibil est depictum, imagines vero per sensus externos interioribus ea ætate illapsæ, è lubrico memoriæ domicilio, velut è Danaidum vase, æquis [illegible] giunt [illegible] us.

Mutitas præter naturam aut per se oboritur, aut per accidens: Per [illegible] nervorum [illegible] niugij, linguæ motui dicatorum seu spasmo [illegible] hæcque linguæ resolutio apople[illegible] [illegible] interdum succedanea, per [illegible].

Accidentaria [illegible], q[illegible] rga[illegible] d[illegible] ex se illibatis advenit, consecutiva est [illegible], omnis enim [illegible] necessario fit [illegible], non vice versa, cum vox, quæ in larynge configuratur, sit materia sermonis quem lingua exarticulat, quapropter *Galenus* 4. l. aff. 6. inter quinque actiones [illegible] consequentes, videlicet [illegible] xspirationem, exsufflationem insonam, exsufflationem strepentem, vocem & loquelam, hunc constituit [illegible] ut prioribus affectis posteriores lædantur non e converso; Ubi notandum id duntaxat verum esse de earum ruina, quibus enim vox aspera est aut depressa illi nihilo disertius loquuntur.

Hisce deperditæ aut infirmæ loquutionis causis vulgo adjicitur virtutis animalis cum exolutio, ut in moribundis, tum debilitatio, ut in convalescentibus, unde etiam ἀφωνία simpliciter pro virium imbecillitate, & [illegible] pro deficere sumitur apud *Hippocratem*, ac per metaphoram morbo valedicenti quoque tribuitur. Verum hanc causam prætermi[illegible] us eo quod affecto communi principio, universi corpora

poris motus simul contorpescat, hic autem peculiares ablati sermonis causas perscrutemur.

At silentio premenda non est Mutitas, insitæ surditatis comes individua, nam à natura surdi lugent quidem, gemunt & vociferantur, sed loquutionis plane sunt experies, ac τὸ ἄλαλον est consequens adeo necessarium τῷ κωφῷ ut à Græcis κωφὸς pro muto accipiatur, atque etiam pro fatuo, quod inauriti scientiarum acroamaticarum sint penitus indociles, *Surdi à generatione*, inquit *Hippocr. l. de carn. loqui nesciunt*, sed *unisonam vocem edunt*, & Aristot. 4. hist. an. 3. *quibus loquutio, eis etiam vox; at quibus vox non omnibus inest loquutio: quicunque surdi sunt à nativitate, iidem etiam muti, vocem emittunt, loquutionem vero nullam.* Ratio est quod vox homini naturalis sit, infantes namque à vagitu inarticulato vitam auspicantur; Vocis autem articulatio debeatur disciplinæ auditum expostulanti, quo magistri prævuns sermo hauriatur, quemadmodum statua quo ad materiam naturalis est, quoad formam artificialis, sic vox, loquelæ materia, à natura procedit, loquela atque idioma arte conficitur: Lingua etenim humana per se quidem ac sine doctore mobilis est, vimque loquendi naturaliter possidet, sed dum actu sermonem pronuntiat, hunc habet ab imitatione, ipsæque infantulorum lallationes, rudesque ac monosyllabæ dictiones, inchoata sunt auditorum verborum imitamenta:

Loquela haud est hominis inventum sed Dei donum Protoplasto infusum, nam virtute naturæ fieri nequit ut mens organis dialecticis vocẽ dictet articulatam suarum cogitationum internuntiam quam ipsa ignorat, nec mediante auditu unquam accepit, quippe cum nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu; unde etiam infantes post ortum, & priusquam fari cœperint, auditu capti non minus muti perstant quam si congenita laborent surditate; pariterque infantes expositi, & à brutis procul ab omni consortio educati, loquela privantur, donec hominum commercio loqui didicerint, Uno verbo, similiter se res habet in hominibus ac in graculorum, monedularum ac psittacorum pullis, qui sibi relicti voce inarticulata non destituuntur, sed nunquam nisi edocti articulatas voces reddunt. *Menjotius.*

54. *Vocis*) Ut præternaturales Vocis affectiones, harumque causæ rite comprehendantur, quasi ob oculos ponendum est industria naturæ in ea formanda artificium: Musculi mesopleurii socia collectione thoracem vehementer constringendo fuliginosum aërem, systole cordis ejectum, per bronchia pulmonis ad truncum asperæ arteriæ, indeque ad ejus caput; laryngem videlicet compellunt, eadem ratione qua ex utriculari tibia à brachio ipsam comprimente aër extruditur; è laryngis autem rima, quam Græci γλωττίδα, Latini fistulæ lingulam nuncupant, aër ille fortiter elisus sonitum edit; cum propter itineris quo fertur angustiam, sicuti ventus è conceptaculis arctioribus vi quadam perstrepit; tum præcipue ob ejus allisionem ad epiglottidem sibi obviam, quam nempe aër ille exsufflatus percutit:

Verum quia sonus ille sicuti tussientium ac mussitantium inconditus extaret ac informis, solers natura musculos quosdam laryngi præposuit, qui dum ejus rimulam pro libito angustant atque dilatant, explosum aërem varie figurando ei modulationem adjiciunt, haud secus ac labiis parumper disjunctis, certoque modo configuratis & porrectis, harmonicus sibilus editur. Nam si aqua è fonte per siphones eructata horum formas mutuatur, quanto magis aër è gutture è quo exilit diversis signabitur figuris, quippe qui aqua longe tenuior, & ad figurationem omnem paratior? Proinde vox ab *Aristotele 11. Probl. 31.* apposite definita est *Aër figuratus ac dilatus*, indeque desumpta est vocum distinctio in obtusas & acutas, quæ etsi exiles, puncto tamen acrius tympano aures offendunt; hinc etiam fit ut longiore viæ spatio, hebescente aëris in vocem tornati figura, seu, ut ait *Lucretius, formatura*, vox confuse ac indistincte exaudiatur, similiter ac quadratæ turres eminus rotundæ apparent. Ad Naturæ tam affabre voces fingentis imitationem, ars ingeniosa pneumatica musica instrumenta, ac præ illis fistulas organicas adinvenit, nam follium motor thoraci exinsufflanti, folles pulmonibus, tubuli bronchiis cannæque spiritali, ac reliqua machinæ structura mirabili laryngis opificio respondet.

Tandem porro efflatus ille aër è trachea arteria ac larynge, ubi jam evasit in vocem, tanquam è canoro aucupis utriculo, fertur ad gurgulionem, quem Galenus πλῆκτρον vocis appellat, & quo convulso ἀδόκητον ψόφον inopinatum sonum reddi scribit *Aretæus*) moxque ad palati testudinem, ceu ad τὸ ἠχεῖον aut lyræ cameratum concavum devehitur, in qua, sicut etiam intra narium calamos varia reflexione resonans ultimum assequitur vocis complementum, quamobrem si fornix τοῦ οὐρανοῦ h. e. palati, quam Lucretius *Linguæ* templum nominavit, cavernosa nimium fuerit, seu propter ossium corrosionem, ut in iis qui veneris calcitratu tacti sunt, seu propter errorem τῆς διαφορμῆς, ut in φθόῃ vox in oris inanitate quasi in specu obscuratur & velut in recessu auditur, Idque vitii κοιλοφωνίαν vocitant.

Pariterque male liberis narium semiris vox ἄχαρις profertur atque inelegans; nam polyposus, teste *Hippocr. 2 de morb.* φθέγγεται σομφὸν vocem obscuram promit atque inconcinnam: ac gravedinosis vox est μογγόλη minus limpida & indecora: Sicut ex adverso non satis aperto ore major pars oris per nares insuaviter effunditur, homineſque fiunt ὑπερρινίζοντες, Barbari *Nasitatem* appellant. Aptissime ergo *Galenus* hæc quinque distinxit, expirationem, Exsufflationem simplicem, Exsufflationem sonoram, Vocem & Loquelam, ac Exspirationem fieri docet ab universis thoracis musculis ipsum contrahentibus, Exsufflationem à triesopleuriis, Exsufflationem cum strepitu à musculis faucium, (dum nempe has stringendo viam aëris coarctant, nec non etiam epiglottin deprimunt, in quam aër vi ac impetu pulsus impingit) vocem à musculis gutturis, ac postremo loquelam à lingua;

Ex dictis patet organa φωνητικὰ, quibus vitiatis vox oblæditur, esse quintuplicia, scil. materiam vocalem vel exprimere, vel excipere vel deducere, vel modulari, vel perficere: Partes exprimentes sunt musculi intercostales ἰσοψυχίους opifices: Excipientes Pulmo, nam animalia eo carentia vocis emittendæ facultate destituuntur; ut rite observatum est ab *Aristotele 4 hist. an. 9.* Deducentes, Aspera arteria, Modulantes, Larynx suis musculis instructus, Perficientes denique Columella, Palatum & Narium tubi. *Menjotius.*

55. *Vocis suppressio*) Aphonia altum est vocis silentium, ita ut ne suspirus quidem locus supersit; Vocis autem defectum hic non agitamus consortio cerebri *sive oppressi*, ut in apoplexia; sive *convulsi* ut in epilepsia; sive *exoluti*, ut in moribundis procreatum; proindeque cæterarum operationum animalium ruina comitatum, quo sensu συμπτωματικῶς exprimuntur nomine τῆς ἀφωνίας, uno notarissima symptomate, nempe vocis absentia, reliquarum actionum συμπτωματικῶς lapsum complectente; sed de vocis privatione volumus intelligi, haud communem virtutis animalis injuriam, sed instrumentorum quibus vocis actio concredita est, privatam culpam consequente, per quam ægri mentis compotes, sensa animi, vel nutu exprimant, vel literis consignant. *Menjotius.*

Citra *paralysin* vox aliquamdiu deperditur, rursumque redit, sicuti meminit Excellentem Medicum, *Theodorum Zvvingerum* &c. cum in schola parentis mei, *Thomæ Plateri*, communis nostri Præceptoris versaremur, aliquoties ita obstupuisse, ut ne verbum quidem, etiam cum comminatione interrogatus, respondere potuerit, & sic mutum & attonitum domum rediisse, sensibus alioquin integris, quam speciem ἀπόπληκτον aphoniam *Hippocrates*, vocant, aliqui ad Catalepseos species referre voluerunt. *Platerus.*

86. *Et vel à natura*) Huiusce (vide §. 85. *vocis suppressio*) ἀφωνίας causæ sunt multiplices, juxta ordinem seriemque membrorum voci famulantium enarrandæ, *Primo*, Paralysis nervorum dorsalium musculis intercostalibus insertorum, qui non amplius præstant ἀθρόαν πνεύματος ἐκπνοὴν φοράν, simultaneam plurimi spiritua extra motionem, quomodo apud *Galenum* 1. *l. aff.* 6. puer in dorsi principium prolapsus obmutuit: Sic costis seu fractis seu luxatis vox vincitur, quia musculi interpositio cessant ab officio, iisdemque musculis sauciatis vox amputatur, partim quod reddantur ad motum invalidi, partim quod doloris formidine conquiescant; Addunt plerique per vulnera thoracis, si penetrantia fuerint, aërem, vocis materiã, effluere; At aër pectoris vulnere qui redditur, ille ipse videtur esse qui per vulnus habuerat ingressum, cum perseveret respirandi necessitas, nec pulmo aërem ore absorbere ac revomere desinat, imo non pauci perfosso thorace fistulam diu gerant, nullo prorsus vocis detrimento.

Secundo, resolutis nervis cervicalibus vox intermoritur, sed offensa simul respiratione, hi namque nervi ad septum transversum præsertim deferuntur.

Tertio vox aboritur intercepta in partibus materiam vocalem excipientibus ac deducentibus ductuum libertate. Vel à vaporibus qui inferne sursum obrepentes comprimunt membra spirabilia, Vel ab ingenti ac subitaneo catarrho, qui superne deorsum devolutus ἀποπνίγει τὸν ἄνθρωπον, ut loquitur *Hippocrates* l. *de corde*, desunt enim inferiores meatus quibus pulmo admissas depellat fluxiones, sed per solam asperam arteriam qua ipsas accepit, easdem datur rejicere.

Quarto vox nulla edi potest, si aër affatim ac violentè è pulmone propulsus rimulã laryngis nimiopere recludat, quo pacto tussis apud *Hippocr.* atque etiam risus, vocem abrumpit, τὸ γὰρ βίᾳ φερόμενον, inquit *Aristot.* in *fragm. de audib. id enim quod impetu rapitur, arduum regere ac moderari nequit*, ac idcirco tumultuaria, nec certis modis gubernata aëris collisio, vocis loco turbidum ac immodulatum edit fragorem.

Quinto vox perditur ob *laryngis angustiam*, ut in anginæ ... propter resolutionem nervorum recurrentium laryngis musculis implantatorum, unde quantumvis materia vocis non desideretur, hæc tamen in vocem conformari nequit: Quomodo apud *Galenum* quidam choeradas extrahendo, læsis his nervis, puero induxit mutitatem, Alter vero uno duntaxat istorum nervorum violato semivocalem ægrum reliquit; Quinimo præter aphoniam paralyticam, quædam est convulsifica, à spasmo dictorum nervorum atque musculorum, Atque etiam citra ullam resolutionem, convulsionemve, si laryngis musculi aut vulnerentur, aut exarescant, aut plus æquo madefiant, vox contabescit; quemadmodum quoque à lassitudine eorum phlegmonosa, quam diuturna attulit validaque vociferatio.

Tandem ob nimium spirituum subitumque excursum, ut in ἀκράτῳ ὀργῇ καὶ εὐφροσύνῃ, prægrandi iracundia, ac effuso gaudio, sed magis adhuc propter cumulatum illorum retrocessum in acerbissima mœstitudine, & gravissimo nec præviso timore, quem *Galenus* ἐκπλήξιν vocat, immutescimus, Verum ista vocis ἀπώλεια fugax est nec firmiter fixa. Omittimus *fumidi vaporis* inopiam, ob extinctum fere cordis calorem, modico egentis inspiratu, Etenim causa ista simul cum voce, reliqua evertit vitæ munia, hic autem particulares, ut jam præmonuimus aphoniæ causas scrutamur. *Menjotius.*

27. *Quæ sæpe lethalis*) Hippocraticæ de Aphonia prognoses soporosos affectus pleræque respiciunt, quapropter illis duntaxat inhærendum, quæ nostrum institutum spectant; Instrumentorum dialecticorum ac phoneticorum affectus sunt quasi proangeli & exnectores ægritudinum cerebro nervisque impendentium; Sic apud Hippocr. lingua tremula delirium, vocisque tarditas epilepsiam vel apoplexiam portendit, ob multas nervorum propagines loquelæ & voci à cerebro suppeditatas.

Aphonia convulsoria fatalis est ad mortem dolore crudelissimam, Paralytica vero indolenter affligit;

Formidabilior est vocis carentia quæ à nervorum recurrentium, quam quæ dorsalium invalitudine progignitur; Illi namque sunt surculi seatæ συζυγίας, ac idcirco cognatione, affinitate ac necessitudine cerebrum maxime attingunt; Denique major incumbit calamitas ea aphonia quam ex ἀναυδίᾳ, sermo enim plurium organorum numerum, nobilioremque eorundem apparatum postulat quam vox, ac ut facilius, ita innocentius vitiatur; quare per morbos primum ἀναυδία, deinceepsque in ipsorum proæursu aphonia exurgit, ut videre licet in exemplo Pythionis 3. Epid. *Menjotius.*

28. *Nervos voci destinatos*) Author lib. de voce & anhelitu, *Galeno* attributus, vocem inter arbitrarias functiones probat esse præstantissimam, quod ex cogitatione, motu animæ nobilissimo, proficiscatur: ac scite argutèque observat vocales nervos haud è spinali medulla, quamvis viciniori, sed è cerebro oriundos esse, ut vocis ministerium, mentis domicilio conotuum foret. *Menjotius.*

Nervorum affectorum ratinne Loquelam & *Vocem* labefactari posse in *motus impotentia* ostendimus, resolutis tunc vel contractis ipsorum musculis à causis illic enarratis; ut *Loquelam* privatim interdum aboleri *conjugatione tertia*, quæ linguæ nervum afficit, affecta, Et si noxa magna sit, præsertim ab ortu conformationis vitium, auditum tunc fere simul tolli, ob illius cum dicto ramo communicationem, Idem etiam fieri si sextæ & septimæ conjugationis nervorum, recurrentium dictorum, rami musculos linguæ implicantes patiantur: Et si hoc in eorundem nervorum propaginibus laryngem implicantibus fiat, *Vocem* tunc quoque cessare factum Anatomicorum, qui experiundi gratia recurrentes vinculo in porco exceperunt, manifeste declarat · Quæ *aphonia* nervorum recurrentium causa, à causis internis nata, rarius privatim voci accidit; Et si fit, vel à *vapore* tantum aliquo crasso, uti voluerunt, vel *defluxione* eo solummodo delapsa proficiscitur. Frequenous vero hoc vitium voci & loquelæ in Paralysi, à causis dictis, una cum aliis quoque motuum impotentiis accidit *Platerus.*

29. *Alia partialis*) Quibus causis vox intercidit, iisdem imminuitur, sed remissioribus, aut si æque ac in eo, salrem minus extensis, & quæ organa phonetica dextra tantum aut sinistra parte male habeant; Imminutæ vocis tria potissimum constituuntur genera; Primo *vox intercisa*, sive *aphonia intercalaris*, per quam instrumenta voci deputata haud uno velut tenore munus suum absolvunt, sed in media quasi via cæspitant offensantque, ut in pueris ejulantibus.

Secun-

Secundo, vox quidem cursu inoffenso continua, sed *elanguescens*, τὸ ἐκλελυμένον (nam fractum dicitur de omni infirmo) atque adeo surda ut ferme sit ἀσαφὴς. quam idcirco nigram vocitavit *Hippocrates*, & Avicenna sonitui comparavit duarum laminarum plumbearum simul attritarum; cui candida & argentea adversatur, Ita *Aristot. in fragmento de audib.* voces memorat τυφλὰς καὶ νεφώδεις, cæcas ac nubilas; item λευκὰς καὶ φαιὰς albas ac subnigras Et *Tranquillus* scribit Neronē exiguæ & fuscæ vocis fuisse, Nec profecto novum est objectorum sensibilium ipsarum quoque sensationum numenclaturas ab uno sensu ad alium transferri, *Plinius* siquidem surdum colorem vocavit, & odores dulces vulgo vocantur:

Tertium infirmæ vocis genus catulorum voculæ simile est, hæcque *vox catulina* cum claritudine gracilescit, ac videtur juxta *Aristotelem* in *fragm. de Audib.* posse nominari τριχώδης, quasi pilisormis, vulgo, *un filet de voix*, sicut exilissima cranij fractura τριχισμὸς dicitur: Quibus imbecillæ vocis speciebus *tremebunda* addi potest, contremiscentibus, vel rigentibus musculis voci devotis, unde ὑπὸ ῥιγῶν frigore quassatorum voces vacillant. *Menjotius.*

⁹⁰· Ἀφωνία) Quantumvis φωνὴ & αὐδὴ plerisque idem sint, imo apud ipsummet *Hippocr.* φωνὴ interdum accipiatur ἀντὶ τῆς αὐδῆς, proprie tamen ita distinguuntur ut illa vocem brutis & hominibus communem, hæc sermonem humanum designet, Loquela enim uni homini competit quateous est ἄγγελος τοῦ λόγου. intimatque cogitata, ac λόγος λόγου προφορικοῦ præcedere debet quamobrem Græcis λόγος & rationem & sermonem, sicut ἄλογος & irrationalem & mutum significat. *Menjotius.*

⁹¹· *Sermonis*) Loquutio adeo mirifica, ac, ut Enniano verbo utar, flexanima, hac arte perficitur, Lingua, quam verborum dædalam appellavit *Lucretius*, flexuosis suis nutibus vocem à larynge affluentem, & ad palatum reflexam diverberans, in varias dispescit particulas quæ syllabæ dicuntur, moxque easdem diversissimis committit, & ad instar ferme ossium συναρθρώσεως, simul articulat unde *Aristot. 4. h. an. 9* διάλεκτος ἐστὶν ἡ τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσις. *locutio est vocis per linguam articulatio*, ita ut jam scripto jam verbis mandari possit, ac lingua syllabis compaginandis inhabilis ἀδιάρθρωτος vocatur, Ergo è syllabis articulatim coagmentatis construuntur verba, ut ex verbis componuntur periodi, ac ex periodis oratio compingitur; videturque *Aristoteles in fragm. de audib.* sermonem articulatum assimilasse pluribus gemmis varie scalptis ac in anellum exquisite fabrefactis: Prædicta porro vocis in syllabas distinctio à consonantibus literis dependet, quæ vocalibus interseruntur, nam quemadmodum hæ, (inquit Philosophus l.c.) à larynge, præcipuo vocis organo proceduor, ideoque ab infantibus primo enuntiantur, sic linguæ munus est, atque labiorum, consonantes eloqui, ita dictas quod non per se, sed cum vocalibus sonent;

Linguæ autem associantur labia, nam, ut docet *Arist. 2. de part an. 16.* literarum aliæ sunt συμβολαὶ τῆς γλώττης, aliæ συμβολαὶ τῶν χειλῶν. Tandemque in opere loquutionis Dentes, non stant ἀσύμβολοι, præsertim vero anteriores, qui aërem nonnihil morantur, ne subito diffluat, ac ictum linguæ excipiendo ad ejus sese moventis firmitudinem conserunt, *plectri similem linguam solent dicere nostri*, inquiebat Cicero 2. de nat. Deor. *chordarum dentes, nares cornibus iis quæ ad nervos resonant in cantibus.* Menjotius.

⁹²· *Sermonis impedimentum*) Loquelæ vitia triplicia sunt, primo integrum ejus impedimentum, Latinis *mutitas*, Græcis ἀφωνία, ἀναυδία & ἀλαλία, Secundo imminuta ac impromta verborum prolatio, Græci sic affectos βραδυγλώσσους nominant, atque etiam ἰσχνοφώνους, quasi aciem non ferientes: Denique depravatio quam Græci ψελλισμὸν, τραυλότητα nuncupant. *Menjotius.*

⁹²· *Resolutione instrumentorum*) Sic musculorum causa respiratio vocalis deficit, Veluti *loquela*, si musculi linguam moventes; *vox* si laryngis musculi defluxionibus molestati officium siunt, *illi linguam* movendo, hi *rimulam* laryngis, pro diversimoda voce edenda, dilatando arctandoque, facere minime possint: Vel si hoc ex *inflammatione* ipsorum, aut *tumore* alio, functionem ipsorum impediente accidat. *Platerus.*

⁹³· *Aut à resolutione instrumentorum*) De sermonis aut vocis læsione ob convulsionem aut paralysin musculorum linguæ, vide supra § *Paralys. contingit Linguæ.*

⁹⁴· *Ex terrore*) Dubitatur an Metus loquelam corrumpat, quippe qui mutitans præsidiū quandoque fuerit: narrat enim *Pausanias* mutum quendam leone inopinate conspecto vocē præ terrore recuperasse: Nemini quoque non est nota historia de *Athis, Crœsi* filio. Respondemus *Athin* non tam metu quam ἀγωνίᾳ, i.e. animi æstu atque angore fuisse perculsum, quanquam enim dum quis magnam rem molitur, in ipso quidem suscepti operis initio, ob eventum incertum atque dubium, agoniæ societur metus, differt tamen ἀγωνία à timore. quod hic superiores partes orbet calore, illa vero pariter ac ira augmentum caliditatis afferat: Itaque excitatus in *Crœsi* filio diffususque cum cum calore spiritus, linguæ resolutionem momento persanavit, sicut multi pedibus paralytici e domo flagrante effugisse visi sunt: In bello, inquit *Aristot. 27.* Probl. 3. viri fortes præparata acie obtremiscunt, non propter terrorem extra se rapti, sed fidentes: Agonia igitur timorem sibi adjunctum statim pellit, ἀγωνιῶσι μὴ φοβούμενοι. ait *Aristot 1. Rhetor.* Huc refer *Aurelians* verba 2. *tard.* 1. eos suadentis *quos linguæ resolutio loquendi impotentes reddidit, ut animo concepta volvant quæ proferre nequeunt, sæpe enim quæ loqui volentes mente perceperunt, in alto formans spiritus, accepto motu erumpit in vocem.* Menjotius.

Aphonia.

VI. ⁸³· *Aphonia*, seu ⁸⁴· vocis ⁸⁵· suppressio

Et I. Alia *Totalis*, & hæc ⁸⁶· *vel* à naturæ conformantis vitio: *vel* à consummata paralysi; in qua valet aqua *liliorum convall. lavendul.*, cum *sanguine turturis*, *oleo anisi* & *spiritu vitriol*: vel a *virium in febribus continuis resolutione*, ⁸⁷· quæ sæpe lethalis: vel à *destillationibus* à capite ad ⁸⁸· *nervos voci destinatas* defluentibus, & laryngis musculos resolventibus, in qua *decoctum salsæ parillæ*, nec non *cauteria* artubus inusta laudantur. II. ⁸⁹· Alia *partialis*, ἀναυδία Græcis, seu ⁹⁰· sermonis ⁹¹· impedimentum, quæ aut à ⁹²· resolutione instrumentorum voci inservientium à destillante pituita oritur: adsuntque, frequentia sputa, tussis permanens, & assidua faucium irritatio. Aut ab interioris laryngis rimæ valida in febribus exsiccatione.

Linguæ usum post amputationem totius illius partis quâ lingua volubilis est, & trium annorum aphoniam, ⁹⁴· ex terrore ab inopinato fulgure oborto, ita restitutū, ut omnia æger articulatè prolocutus fuerit, vide apud Tulpium Observ. l.I.c.41. De *vocis depravatione* vide Tit. VI. cap. 3.

Yyyy 3

95. *Gustus læsio*) Supponimus Linguæ pelliculam nerveam, non impeditam, primario sensum Gustatus exequi: hæc ipsa nimirum est.

1. *Sensibilis*, tenera, unde abrasione, v. g. per ambusta facta, sensus Gustus labefactatur ad tempus.

2. *Porosa*, ut spicula, seu atomi saporosæ recipi possint: hinc mucilagine obducta & inviscata lingua, ut in febribus ardentibus, gustus perit,

3. Requiritur *motus*, ut agitare, excutere, & applicare sibi possit quæ dentibus comminuuntur, eadem sibi applicat & movet, adeoque hinc ab iisdem afficitúr, concurrente reliquo faucium pariete.

4. *Nervorum vigor*, seu ut fibræ nerveæ bene habeant: hinc in hemiplexia, resolutis nervis, & eadem paralytica reddita Gustus quoque aboletur, ex parte saltem.

5. *Humiditas sufficiens* ad capessendos omnis generis sapores.

Supponimus item *Gustum in humido & temperato, Archeo judice, fieri*, In humido quidem, seu domestico, seu salivali humiditate acquisito, hinc Salivalis humor omnino requiritur ad Gustum, quod à siccis tinctura sapida, sine aliqua humiditatis perfusione vix educi ac elixiviari queat; Seu, quæcunque sicca sunt, nisi suas sapidas salsasve asperitates (*quæcunque enim sapida sunt, præter solventem liquorem, qui ista patefaciat, pandat, explicet, etiam de Sale participant; Et contra quæ de sale non participant, saltem explicito, saporis quoque sunt expertia. Sal quippe primum est solubile, hinc omnino quoque primum sapidum. Salia autem spiculata esse & aculeata, rigida & pungentia, sibi relicta, idque vel magis vel minus statuimus,*) in humido aliquo deponant, nullum exserunt saporem, si quidem cum salia aqua solvantur, aqueo etiam vehiculo opus erat, ut poris insinuari possent, quod menstrui vice hic fungitur: hinc in febribus illa deficiente humiditate, arefacta & exsiccata lingua. Gustus quoque perit:

Intemperata vero, quia alieno charactere inquinata & intemperata lingua Sapor vitiatur, unde in febribus illis cuncta oblata videntur amara; viscosa vero pituita obducta eadem lignum sapiunt. Idque archeo judice, qui pro ideali dispositione, modo aversatur & refugit, modo amplectitur & desiderat sibi speciatim quæ aliis talia non apparent: hinc alios dulcium manet appetitus, alii à dulcibus omnibus abhorrent, & inde male habent; hinc quædam aliis gulæ delitias constituunt, quæ aliis potius nauseam creant ineffabilem &c. hinc vice versa alios amara, acida, salsa delectant, quæ alios lædunt tamen. *Wedelius Med. Physiol. sect. 4. c. 6.*

Auctus Gustus.

96. 1. *Eo Imminuto*) Lædi & Gustum si Augeatur, censet *Fr. Sylvius l. c.* qui molestus sit, quia nonnisi gratissima & exquisite sapida tunc placere solent: qualia cum difficile sit semper ac ubique habere, miseram censeo (*inquit*) illorum conditionem qui non nisi cum molestia gustare atque usurpare possunt alimenta vel medicamenta quæ vel latum unguem recedunt à sapore delicatissimo; Augetur autem Gustus tum ob sensorii constitutionem valde teneram, linguamque delicatam, tum ob Salivæ temperiem exquisitam. An vero (*addit*) sicut diminutus Gustus restituitur nonnunquam sumptis acidis sed temperatis, sic idem Auctus obtundique at quodammodo frequentiore usurpatione alimentorum subpinguium, ignoro; quippe qui hoc nondum tentavi, posset tamen id, me judice, c[illegible] ac sine periculo tentari, nam haud improbabile [illegible] pinguibus non tantum [illegible]ivam reddi posse aliquanto [illegible]cidiorem, at in super ab iisdem obtundi posse Linguæ sensum nimis exquisitum, ideóque molestiæ magis molestum.

97. *Imminuto vel abolito* Imminutio [illegible] & abolitionis eædem causæ sunt, magnitudine tantum [illegible], quæ si leviores, Gustum imminuunt, si graviores [illegible] bolent, Et illæ causæ sunt, vel defectu [illegible] in ipsa parte, vel nervi à tertio pari in lin[illegible] temperies, Adde, vel Lingua ipsa aliqu[illegible] afflicta, ut cum vel humida & pitui[illegible] materia obducitur, vel tumoribus, pustulis aut ulceribus [illegible], [illegible] propria illius actio, seu gustatus, imminui vel aboleri potest. Spiritus autem deficiunt, vel [illegible] ipsorum penuriam, ut in moribundis: vel ob obstructionem in [illegible] nervorum, per quos deferuntur, vel ob tumorem in ea cerebri parte genitum à qua nervi oriuntur. *R[illegible]*.

98. *Seu nervis mollioribus*) Lingua ad sensum & motum instructa nervis quartæ & septimæ conjugationis, subtili & sensili membrana obducta gaudet. Utut [illegible] diversos motus alios exercere possit lingua, imprimis [illegible] loquelam, utut diversa esse videantur sensus & motus, [illegible] tamen amicabiliter conspirant, ut ubicunque sensus [illegible] motus etiam adstet præsto, licet voluntarius [illegible] ablatus, ut in paralysi, sensus aliquando rel[illegible]quatur, & sensu omni ablato etiam motus auferatur. Imo ag[illegible] motus linguæ quam maxime erat ne[illegible]ssarius, ut [illegible] minui; constringi, evolvi & undique applicar[illegible] poss[illegible] particulæ. *Wedelius l. c.*

98. *Eo imminuto, vel abolito, seu nerv[illegible]c.* S[illegible] etiam, Linguæ & Palati vitio; tum en[illegible] imminui potest ac Aboleri Gustus; Lingua [illegible] morbis, ardentibus præsertim febribus, arida fit & omnis Gustus expers. Si non aboleatur, pl[illegible]um [illegible] imminuitur quandoque Gustus a Pituita vi[illegible] [illegible]am & palatum obducente, aut ab ipsa Saliva solito [illegible]ciore & inertiore: Exsiccatur lingua in febribus [illegible] ab halitibus, è pulmone imprimis cum exs[illegible] eman-nantibus, & una cum faucibus lin[illegible] & palatum male afficientibus. Ab iisdem halitibus Sal[illegible] di solet, quin & pituita ad palatum & [illegible] deposita tenacitatem acquirit ac lentor[illegible] obducta lingua ineptior fit ad di[illegible] sapores. *Salivæ* vitio etiam id accidit q[illegible] desideratur ad Gustus perfectionem: hæc [illegible] ut non tantum quatenus Linguam male afficit male [illegible], sed [illegible] quatenus inepta est eliciendis ac d[illegible] mistorum partibus, saporem in[illegible] [illegible]st. Quod enim cap. de *Olfactus læsione* d[illegible], de od[illegible] per inodora eliciendo, & confirmatum exemplo salium Armoniaci & Tartari unitorum, [illegible] dici potest de sapore nonnunquam [illegible] rebus [illegible] pidis, & quidem salivæ, unit insipidæ ope. D[illegible]ideratur autem Saliva *insipida* quidem, attamen fluida & [illegible]mosa, non item viscida & tenax, quæ partes mistorum sapidas dissolvere, quinimo nonnunquam forsan, vel sapores latentes elicere, vel plane novos p[illegible]ducere queat; cui usui servit ante omnia subtilis & ad dulcedinem usque contemperatus spiritus acidus in ipsa latitans. Hic acidus spiritus obtunditur imp[illegible] à partibus oleosis, à quibus suam tunc nanciscitur [illegible] viscositatem, quocirca ineptior deprehend[illegible] semper ad Gustum Saliva tenax & viscida. *Fr. Sylvius [illegible]. l. 1. c. 10.*

98. *Seu nervus &c.*) Sed frequentius latet in *instrumento sensus Gustus, tunica* nempe *communi* [illegible] *incingente*, maxime illic ubi linguam invest[illegible] [illegible] que [illegible] ingit: Si illa vel *nimis e*[illegible]*siccetur* & *induretur* [illegible] & scabritie dicta, tunc G[illegible]tus *impeditur* vel *deperditur*, vel *imminuitur*, adeo ut res omnes [illegible] idæ & [illegible], ut conqueri solent, esse videantur, cum [illegible] percipiendum mollities de[illegible] & humiditas [illegible]quiratur. Vel *limo obducatur* aut *humore* [illegible] *imbuatur*. *Exsiccatio* [illegible] unde prodeat, V[illegible] de Linguæ scabritie *Plater*.

99. *Prodest*

99. *Prodest sectio venæ sub lingua &c.*) Curatio varia est pro varietate causarum, Et ideo si in cerebro, vel nervis, affectus lateat, illi remedia aptanda sunt, præsertim ea quæ ad Paralysis curationem præscribi solent. Si à Tumoribus lædatur Gustus, illius curatio ex dictorum tumorum curatione dependet. *Riverius.*

100. *Eo depravato &c.*) Quamvis ob Linguæ ariditatem, aut muco obductam non semper dignosci possit verus rerum gustandarum sapor, non idcirco tamen falsus ipsi adscribitur sapor, sed potius nullus aut minor, unde pro depravati Gustus causa hæc haberi nequit. Veræ autem causæ à Salivæ, aliorumve humorum, vel halituum ad os delatorum vitiis sunt deducendæ. qualis enim in Saliva, cæterisque ori communicans humoribus halitibusve sapor continebitur, talis in totum aut ex parte assumptis inesse judicabitur. Sic salsa vel acida existente Saliva, rerum assumptarum sapor plus minus salsus aut acidus esse putabitur.

Humores alii ad os delati sunt vel *bilis*, vel *succus pancreaticus*, vel *pituita*, vel *mistura deversa ex his* promanans, vel aliud quid ab intestino tenui per ventriculum ascendens; vel *pituita* multiplex à *cerebro*, ejusve glandulis descendens, vel *humor multifarius* ex *pulmonibus* prodiens: Ad os præterea deferuntur ex variis partibus humores p.n. vitiati, *sanguis, pus, sanies*, vel aliud quid his affine.

Halitus imprimis ab intestino tenui aut ventriculo per œsophagum quandoque ex pulmonibus per asperam arteriam, vel ex ipsis faucibus, aut naribus male affectis prodeunt. *Salivam* subinde tam *acidam* generari & in os effundi ut dentes inde stupeant testatur experientia, hinc ab eadem assumptorum Saporem mutari constat. Eandem *salsam* sæpe observamus, salsedine sua rerum sapores inficientem: *Acida* fit *Saliva*, cum vel plus acidi purioris ac cæteris destituti reparatur a sanguine in glandulis salivalibus; vel minus spiritus volatilis per nervos accedit ad ipsum temperandum.

Salsa fit; cum sanguinis serum non tantum est salsum, sed idem copiosius secedit à reliquo sanguine ad salivam generandam, prætermissis, aut parcius accedentibus partibus reliquis, simul aliàs requisitis.

Bilis ad os delata amaritudine sua idem præstat. *Succus Pancreaticus* aciditate tunc excedente idem efficit, [illegible]

Pituita ex se insipida, nisi a succo pancreatico admisto, reddatur acida vel salsa, vix unquam saporem assumptorum depravabit.

Humores autem ex *bile ac succo pancreatico* vitiatis geniti, ut plurimum saporem vitriolatum, aut similem, rarius valde dulcem obtinent, ac eundem assumptis imprimunt; sicque Gustum depravant. *Pituita* à cerebro descendens, gustum depravans, acida vel salsa deprehenditur.

Rarius, aliquando tamen, Dulcedo nauseosa, sicut ab infernis partibus assurgit, ita à supernis delabitur, salivã cæteràque assumpta inficiens & gustum depravans.

Causam ejusmodi dulcedinis me nondum capere ultro fateor; *Pituita* multifaria ad *Pulmones* delata, varie ibi [illegible] immutata, dum iterum ad os propellitur, & salivæ, & assumptorum saporem corrumpere & Gustum depravare potest. *Sanguis* undecunque ad os delatus, saporem dulcem præ se fert, atque aliorum saporem pervertere valet. A *Pure* saporem immutari posse certum est, præsertim minus laudabili, & in saniem acriorem degenerante.

Halitus è ventriculo, tum imprimis per ipsum è tenui intestino solent Ructuum nomine multifarii assurgere, acidi, nidorosi &c. ac salivæ assumptorúmve saporem naturalem alterare: Ex *Pulmonibus*, asperáque arteria ulcere in Phthisi laborantibus, *halitus* graveolentes, Gustum depravantes autoiis clarum. Ex *Faucibus* itidem ulcere sordido, quod in lue Venerea familiare, laborantibus fœtentes, salivam & assumpta inficientes prodire satis notum. Ex *Naribus* quoque, tum secundum partes subcarneas, vel potius glandulosas, ulcere; tum secundum osseas, vel cartilagineas carie laborantibus, halitus cum aëre inspirato ad fauces tendere; vel liquoris forma sensim per palatum ad os aliquid descendere, atq; salivam hinc & assumpta posse inquinari nemo negaturus est. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 10.*

100. *Eo depravato*) Depravatur cum Lingua vitioso aliquo humore inficitur, ut in febribus sæpe contingit, cum bile infecta lingua omnia quæ gustantur amara esse indicat. Alias pituita salsa; vel humore melancholico imbuta, omnia salsa vel acida ei videntur; objecta enim externa linguæ admota vitiosum ipsius succum commovent, qui tunc temporis linguam magis feriens saporem suum magis in eam imprimit; & ita quæ gustantur tali sapore infecta videntur. Contingit tamen non raro linguam succorum in se contentorum sapores percipere, etiamsi nullum objectum externum ipsi admoveatur, ut docet *Galenus* 1. de *sympt.* c. c. 4. Et experientia testatur in febricitantibus, quorum lingua bile perfunditur, quæ si valde amara sit, continuum amarorem in lingua persentiunt, licet nihil extrinsecus degustent.

Causarum prædictarum diversitas ex saporum varietate, & Linguæ ipsius dispositione cognoscitur, Dulcedo enim sapor, & linguæ rubedo, Sanguinem significat; Amaror & color flavus, Bilem, Albedo cum dulcedine Pituitam color fuscus & aciditas, Melancholiam; Sapor abominabilis pravos humores in ventriculo contineri ostendit. Pustulæ, tumores, & ulcera oculis patent. Ac deniq: si nulla in lingua permutatio appareat, & Gustatus imminuatur aut aboleatur, in cerebro vel nervis causam latere censendum est. *Riverius.*

Laudatur &c.) Ad Depravati Gustus species varias rite curandas plurima pro causarum diversitate occurrunt agendæ, nam 1 *Saliva Acidior* si à nimio *acidorum* abusu ortum habeat, ab iis abstinendum aut temperate utendum, usurpanda præterea quæ aciditatem vitiosam temperent, sensim & paulatim; præsertim *Spiritus volatilis, & oleum. & Sal lixivum*, *volatile* imprimis & *oleosum*, *vinum* generosum, *spiritus vini aromaticus* quilibet; aliis tamen commistus. E.g.

℞. *Aqu. majoranæ, vel fœniculi*, ℥ij. *aqu. Matth.* vel *antiparalyt.* ℥ß. *syr. stœchad.* ℥j *M. Salsa Pituita*, præter jam memorata *Acidæ* convenientia (*& quæ cap. 3. de ptyalismo dicta sunt*) valent gummi tragac. mastiche, thus masc. Quod si redundet simul multum in sanguine serum, dentur hydragoga.

Bilis potentius ad os elevatur ob sui volatilitatem auctam à copiosiore spiritu volatili ipsi admixto pendentem, ideo abstinendum vino spirituoso, quovis vini spiritu, Conducet vinum ad aciditatem mediocrem vergens.

Bilis excellens *amaritudo* temperabitur medicamentis aciditate præditis, quorum ope sal ejus volatile reprimatur, e. g. spiritus acidi omnes, præsertim qui ex alumine paratur, qui & blandior & nonnihil austerus.

Si simul *copia Bilis* peccaverit, educatur in assuetis & nauseabundis per emetica ex *antimonio* præsertim; Per cholagoga, *rhabarb. tamarindos*, in iis qui difficulter vomunt.

Quæ imprimis caveri possunt in plerisque morbis pectoris, etsi præter multorum opinionem phthisi & asthmate laborantes bene habeant à vomitoriis, experientia teste: *Succus Pancreaticus* aciditate volatili peccans curabitur præsertim sale volatili oleoso, nam ob communem volatilitatem facilius invicem adunabuntur, à sale autem lixivo infringetur nimia aciditas, quæ & ab oleo similiter obtundetur. Valent hic aromatica omnia.

Idem succus *copiosior* minuetur per hydragoga, sudorifera & diuretica sale volatili oleoso constantia.

Si ex signis colligatur ipsum salsedine quoque laborare, ut si qui sursum eructantur aut evomuntur humores salsi gustentur, absint vero signa eos à capite descendisse, conveniunt quæ salsæ salivæ curationi debentur supra proposita.

Humores mixti, ex præfatis in tenui intestino cōfluentibus orti, curandi methodum variant prout varii existunt. *Humores* & *halitus* austeri omni sali volatili cedunt; præsertim ex sale armoniaco parato, ut & ejusdem spiritui: Unde tam excellens est ipsius in dicta suffocatione uterina effectus ad guttas iij. vj. ex cochleari vini, cerevisiæ, aut mixturæ appropriatæ.

Dulcedinem humorum nauseantam corrigunt acida, amara, acida salsa, Tartarum vitriol. Elixir. propriet. *Pituita* à cerebro descendens, *acida* vel *salsa*, temperetur & educatur medicamentis propositis; derivetur ad nares per errhina & sternutatoria. *Pituita Pulmonum* alterantibus & expectorantibus indiget, *crassior* incidentibus, salsa & tenuis incrassantibus.

Sanguis undecunque ad os delatus, indicat vasis aperti consolidationem; Sapor eluendus collutione cum vino, acero &c. *Puris* & *saniei* ad os deductio, affectus à quo procedunt curationem arguunt, *Halitus* à *ventriculo* & intestinu tenui assurgentes discutiendi, ac nova productio impedienda *Acidi* sale volatili quocunque, oleoso præsertim discutientur, *Nidorosi*, ac de bile participantes, spiritu nitri, à quo flatus quoque viscidi, colicum dolorem producentes potenter dissipabuntur, imprimis si aquis aromaticis & opio permiscentur, *Halitus à pectore* manantes corrigi quodammodo possunt per aromatica, sed auferendus affectus primarius. Idem statuendum de *Halitibus* ex faucium, narium've ulceribus & carie oriundis. *Sylvius ibid.*

100. *Eo depravato*) Fit hoc nonnunquam *ab assumptis* quibusdam, quorum *sapor* adeo *gustui* imprimitur, ut non tam cito cedere, aliisque saporibus locum dare possit, vel illis commixtus falsum quoque rei saporem gustui offerat. quod *ingrata*, sæpe si assumantur, faciunt, vel quæ sapore vehementi gustum admodum afficiunt; ut cum alimentoso sapore præditi cibi ægris, quos fastidire plerumque solent, offeruntur, & per vim quasi intruduntur, tunc quicquid, etiam alterius saporis postea sumpiunt, alimentosum hunc saporem habere vel redolere sibi persuadent, & cum dulcia, febricitantibus plerumque ingrata, illis exhibeantur omnia postea dulcia esse judicant; Sed & in *sanis* vehementer amara, salsa, austera, gustata, diutiusque inhærentia, reliquorum quæ sequuntur saporem immutant; hincque fit quod post caseum putrem, post acetum in acetariis assumpta, si superbibant, vinum non quale est, sed vel amarum, vel aliis magis dulce pro naturarum diversitate esse videatur. *Platerus.*

101. *In Linguæ corpus, mollesque nervos*) Organum Gustus est linguæ interior pars, ad quam sapidum pervenit, non per speciem, sed tenuem substantiam quæ mittitur ad organum, Fit hoc modo, Primo sapidum ori immittitur, & in membranam linguæ deponitur, quæ ideo est aspera, ne id quod sapidum est in gulam caderet; tum à saliva sapidum imbuitur, & eo modo ad partem interiorem linguæ pervenit; nam se in cibos insinuando, sal & aciditatem dissolvit s[illegible]iva, quæ penetrat ad ultimum linguæ per poros, & sic incidit in nervos, quos movet vel alterat, prout *Democriti* vel *Aristotelis* sententiam sequ[illegible] Gustus autem maxime in apice linguæ fit, quia illi sunt plurimi nervi, quod à Natura provisum fuit; non [illegible] radice linguæ, ne quando gustamus aliquid in gulam incideret. Nos in postrem[illegible] gulæ non gustare id probat, quod quando pilulas [illegible] ut r[illegible] volumus, in radicem linguæ mittimus [illegible] em percipiamus. In Palato est etiam quædam gustatio, sed adeo obscura, ut vix mereatur considerari. *Walæus Instit. p. 34.*

101. *Vel linguæ corpus*) Lingua afficitur nonnunquam convulsione aut paralysi, cujus rei causa vitiatur [illegible] ustus, Vide supra §. *Paralysis contingit linguæ.*)

102. *Vel quæ eum vestit membrana*, Ideoq; si qui [illegible] nimin cibo se satiaverit, illi postmodum omnia in[illegible]p[illegible]d[illegible] videntur, quia videlicet salia prius assumpturum ali[illegible] torum, quibus adhuc infarcti sunt linguæ pori, imped[illegible] ne recens advenientia linguam subeant; atque n[illegible], qui vellicari debet, attingant ut saporis emergat sensu[illegible] Sed fastidium hoc accidere potest etiam nullo assumpto cibo, & revera accidit ægris qui omnia respuunt, etsi diutius jejunio macerati sint, eo quod eorum lingua pravis humoribus imbuta est, qui obstruunt poros, ac præterea quia vapores ex ventriculo exurgentes, à palato reflexi, admodum condensantur, ac demum l[illegible]nguæ insidentes, crustam illic pariunt, quæ prohibe[illegible] ut salia alimentorum ad nervum usque penetrare valeant. *Dan. Dun[illegible]anus Tr. de motu An. p. 319.*

1[illegible]3. *Tetro humore imbuitur* Si Lingua humoribus & succis imbuatur, præter naturæ normam retentis, quantumvis liberè & rect[illegible]se lingua expediat & moveat, minus tamen exactè discernet, minusque gustabit sap[illegible]da; propterea quod intus existens, & nervos afficiens corpus, alterius corporis accessum impedit, & motum turbat, perit idcireo omne saporum discrimen, & quæcunque sapida, inter se diversa, sub eadem spe[illegible] organum formale apprehendit, culpa medii, seu mat[illegible] [illegible]us instrumenti, non sua; quamvis neq; instrumentum mater[illegible] e tunc per se delinquat, sed ob erroré externum [illegible]ea prorsus ratione qualiter in cornea infecta, vel aqueo ocu[illegible] humore, objecta quoque crocea nobis apparent. *Moline[illegible] p. 68.*

103. *Certo humore imbuitur*) Nonnunquam æ[illegible] saporem quidem percipiunt, sed alienum ac dissim[illegible] em sapori alimentorum quæ ingesserunt. Hinc febr[illegible] na laborantibus omnia amara repræsentantur, quo[illegible] illorum lingua tota bile imbuta est, en per arterias dela[illegible], aut à reflexione vaporum biliosorum in[illegible] [illegible]io [illegible]ingente: Salia alimentorum quæ ingerunt, [illegible] quæ [illegible]propria sunt istius humoris tantum commovent, linguæ poris infixa, & quæ illius nervum [illegible]iendo, ejus [illegible]tibus imprimunt quendam motum, [illegible] [illegible]o. Anima nostra sensum amaroris percipit [illegible] *ibid.*

1[illegible]4. *[illegible]ro ratione exhalat[illegible]nis* & [illegible] V[illegible]por humor[illegible]e Linguam sapo[illegible] & oppleat, ut [illegible]lia ve[illegible] inime vel [illegible]nt[illegible]t, causa declinanda primum erit. Quæ si ab assumpt[illegible] procedat, cum affectum longius perseverantem mi[illegible]e inducat & sponte cesset, negligitur, vel contrariis facile emendabitur Si vero ab *interno* affectu hoc nascatur, *vapore* tetro, vel *humore bilioso*, *alimentario*, il[illegible]ic congesti[illegible] ad hos[illegible]e humores evacuandos, & morbos sanandos, curandi intentio dirigitur. Quod si vero *Sapor* [illegible]le adversus causa sublata minime cesset, sed diutios perseverans, & [illegible]anis alioquin, vel ægris molestus sit, contrario sapore per exhibita conciliato, priorem qui molestabat vel m[illegible]itus vel emendamus. Sic *dulcis sapor*, tam alimentosus quam qui revera dulcis est, febricitantibus plerumque valde adversus, qui tamen sanis alioqui gratissimus est, corrigitur *acidis* primum, quæ illum non tantum emendant, sed & appetitum simul, quem dulcis [illegible]unt, & siti[illegible] quam dulcia augent, tollunt, Ore te[illegible]tur *cerasa acida siccata*, & emollita, ac similia. *Amara* quibusdam [illegible] [illegible]is magis accep[illegible] præsertim si [illegible]ore suavi quoq[illegible] constent, ut *absinthium*, præcipue [illegible]ino; Sicuti & *amarus* rursum sapor diutius gustui i[illegible]hæren[illegible], *dulcibus*, v[illegible] acidis quoque, quæ & illorum quæ sau[illegible] [illegible]mant vires retundunt & *insipidis* ei[illegible] [illegible]dant Quibus & *salsus* sapor cont[illegible]mperatur, ut [illegible] *[illegible]sus* insipidis retunditur. *Platerus.*

105. *Laudatur*

104. *Laudatur*) *Limus si linguæ & faucibus* adnatus Gustui incommodet, tenacitate & fœtore molestus, causa primum tollenda; quæ si ab assumptis glutinosis tantum proveniat, os post cibum sumptum abluatur, donec ciborum horum reliquiæ, vel succus crassus quæ adhæserunt, eluantur, facile cavebitur: Idem mane faciendum, si vel hanc ob causam, vel ob vapores à cibis noctu elevatos talis sordities collecta sit; & ut pauciores minusque crassi vapores exsurgant cœna, sobria procurandum. Et ne in ore retentæ hæ exhalationes successu temporis adhærescant, ore parum aperto dormire consuescere oportet, interposito etiam panno aut cannula in ore retenta, vapori exitum præbere debent.

Pituita si hanc tenacitatem in saliva pariat idem affluxus divertendus erit, illaque screatu propulsanda, præmissis etiam collutionibus incidentibus & detergentibus.

Si vero causa *morbus calidus*, siccando, vel vapores tetros sursum emittendo, salivamque sic incrassando *limum hunc crassum tetrumque* gignant, morbi primum habita ratione & causæ, topica erunt adhibenda; *Limum* ergo hunc auferimus iis, quæ vim *abstergendi*, & *si tenax* sit admodum, etiam incidendi; *lenientia*, ne linguam exasperent, permiscendo; imo si non facile cedat, abradendo.

Colluatur os *abstergentibus*, ut *hordei integri decocto*, *Sero lactis cum melle & sacchar*o, Vel

℞. *Hordei integri*, *pisor. rubr. vel cicer. r.* āā. p.j. *radic. liquir.* ℥j. *ficuum par. z. flor. malv. autumn.* p. j. f. *decoctio in* ℔j. *dissolve mellis vel sacch.* ℥ij.

Si majori abstersione & incisione opus, *calidiora* quædam & *acida* quoque, si pituita summe sit tenax, adduntur, ut

℞. *Hordei, cicer.* āā. p. j. *liquir.* ℥iß. *fol. salv. majoran. hyssopi*, āā. ʒij. *semin. cydon.* ʒij. *f. decoct. in aqua & vino albo, adde mell. ros.* ℥ij. *sacch. cand.* ℥j. *vini granat. vel aceti parum*, m. f. *oris collutio*, *Si addat tantundem alum.* quando admodum tenax est, potentissime absterget.

Capiat sæpe cochl. j. *oxysacch. vel hydrom. vel oxymel. simpl.* aut *scillit.* in summa tenacitate, & post tempus aliquod os colluat, rursum syrupos repetat, quibus nisi cedat, *aluminis* portio addenda, Vel *acetum scill.* dilutum ore continendum, quo tenacissimam materiam, quæ nullo pacto auferri prius poterat, ex ore tandem cessisse nonnunquam observavi. *Platerus.*

105. *Laudatur rasura Linguæ &c.*) Si ab halitibus dictis in Ardentibus febribus, aliisve Pulmonum vel Intestini tenuis, Ventriculive affectibus ad os delatis Pituita quoque capitis & saliva inspissetur, viscidior fiat, iisdemque tanquam muco obducatur, & ad Gustum ineptior fit Lingua, Incidentibus acidis & humectantibus erit utendum, quo non tantum in ore contenta dictorum humorum vitia corrigant, sed insuper intro sumpta pituitam ubicunque in corpore hærentem attenuent & dissolvant, & ad sequuturam forte purgationem faciliorem præparent. *Fr. Sylvius*

105. *Laudatur rasura*) Abradenda quoque materia hæc si pertinaciter adhæreat; ita tamen ne nimium linguam exasperemus, & ita majori inflammationi ansam præbeamus, si præsertim sit admodum sicca & fissa, in quo sæpe Chirurgi delinquunt; Fit autem hoc fricando linguam, dentes, palatum, digito vel instrumento ad hoc apto, linteo panno obvoluto, & in collutionibus intincto, quod & foliis *salvia, mentha* madefactis fit; *Instrumento rotundo* usitato ex fabcibus parato, vel argenteo, cujusmodi Chirurgi habent, sensim per linguam ducto spurcities illa abraditur, sæpe interim os abluendo, rursumque mox linguam in unctione leniendo. Sed & sæpe adeo tenax est pituita, & crassus pultis instar limus, ut & manibus apprehendi queat, sicque eximi possit vel trahi, eoque pacto cedere cogatur. *Platerus.*

Cap. LII.

De Morbis & Symptomatibus Labiorum.

1. L*Abiorum* affectus sunt, *Fissura, Ulcera, Tremor*, & *Perversio*.

FISSURA.

I. 2. *Fissura est continuitatis labiorum à nimia siccitate & tensione solutio.*

Cognoscitur ipso aspectu.

Oritur à siccitate nimia & tensione; ut in definitione dictum.

Curatur siccitatis per humectantia correctione, & solutæ unitatis unione. 3. Valet *pinguedo*
4. quæ *ex cochlearibus* ligneis in culina ad coquendum usitatis, si igni admoveantur, distillat: nec non *mucago* ex *gummi cerasorum* parata & illata.

Dividuntur variè.

I. Aliæ sunt à *Nativitate*, 5. quæ difficulter curantur.

Aliæ *Adventitiæ*, quæ facilius, 6. nisi ad cancrosam materiam degenerent.

II. Aliæ sunt à *Causis externis*, 7. frigore; calore, 8. vento boreali &c. & tum relatio ægri sufficiet.

In Curatione, ut omnia removeri debent, sic uniuscujusque ratio haberi. A frigore *pomatum album* valet.

Aliæ *ab internis*; nempe I. *Humoribus calidis*, qui ex capite sæpe devolvuntur, pruritum & profunditatem inferunt.

In Curatione, evacuata materia, lintea tenera *succo sempervivi* madida imponi; & si profundiores fissuræ sunt, *adipe anserino* & *caponis* illiniri debent. Prodest & unguentum ex lithargyr. argent. myrrhæ ana scr. s. cum cera virginea & oleo communi paratum. Foris imponitur in petia *salvia*.

II. *Vaporibus*, qui calidi, sicci, salsi & acres sunt. Ex inferioribus partibus per œsophagum vel asperam arteriam ascendunt. Mulieres salaciores, ex uteri siccitate, propter communem tunicam infestant, & fissuras sine ardore, pruritu, multa duritie, nec profundas, nec frequenter inducunt.

I. In *Curatione* partium mittentium ratio habenda est. In omnibus labium introvertendum, & præmissa mastiches masticatione, lingua humectandum est.

II. [1] Circa *Ulcera labiorum* hæc notanda sunt.

I. Omnia ab humoribus acribus, biliosis & serosis, sive ex adustione & putredine, sive ex admistione, *oriri*.

II. [1] Interdum crustosa, interdum manantia esse.

III. Interdum *Criticè* in febribus malignis & aliis protrudi, quæ per se facilè curantur, febrisque finem designant: Si cum viribus diminutis sint, mortem minantur.

Interdum *Symptomaticè*, idque vel propter contusionem labii; vel propter venena; vel propter humores, ut in morbo Gallico.

In [1] *curatione*, Medicamenta somni tempore optimè adhibentur. Acres cibi vitari debent.

III. *Tremor labiorum* provenit.

Vel ab *externa causa*, nimirum, 1. Frigore, cum dentium stridore. 2. Ira, vel metu, dissipatis aut ad interiora remissis spiritibus.

Vel ab *interna*, ut in cerebri magno affectu, ex nervorum debilitatione: in nausea, ex humore acri vellicante, vel ventriculi per consensum membranarum agitatione.

In Vermibus. Curatio ad causas obvertenda erit.

IV. [1] *Perversio labiorum*, fit ab affectu *nervorum tertii paris*, convulsis musculis; idque vel *per se*, à siccitate: vel *ex eventu*, seu cum cognati & congeneres, qui simul membrum aliquod attollunt vel deprimunt, convelluntur; vel antagonistæ musculi resolvuntur. *Lethalis* est, viribus debilibus, in febribus continuis, peculiari organorum defectu. *Periculo vacans* si vires sunt validæ, actiones sibi constant & criticæ materiæ ad caput metastasis peragitur.

[1] *Labiorum affectus sunt*) Adde *Magnitudinem excedentem, Eorum continuitatem, Cheilocacen.*

Magnitudo excedens.

Aliquando Labia deformiter intumescunt. Virum loquacem vidi, cui labia sæpissime intumescebant, adeo ut molem horrendam attingerent; hæc tamen pristinum habitum sola aquæ cum linteis frigide admotione recuperabant, quoniam hac humores alibi repellebantur. *P. Borellus cent. 4. Obs. 49.*

Labiorum continuitas.

Labia duo data sunt homini, superius ac inferius, quo sibi mutuo applicari queant, atque varia forma, plana rotondave, & ab invicem diduci, & contra vicissim componi, onde *contigua* sunt non continua: Fiunt autem Labia p. n. Continua, quoties eadem quavis de causa excoriantur exulceranturve, iterùmque ad consolidationem pergunt, imprimis quando usque ad utriusque Labii commissuras pergit notata excoriatio, tunc enim coalescentia & conglutinatio, in dictis commissuris initium capiens, pergit sensim ulterius, & tandem tota Labia (nisi arte difficili impediatur) consolidat & compingit. In quo statu periclitantur ægri, quod sensim alimentis assumendis præcludatur via.

Curatio instituenda 1. *dividendo* ac *separando* ab invicem Labia conjuncta & conglutinata per cultellum acutum. 2. Eadem ab invicem disjuncta tenendo per lamellas, præsertim plumbeas. 3. cuticula obducendo & cicatrisando separata hæc labia, initium ducendo à loco ubi committuntur secundum naturam labia. In quem finem optimo successu applicantur utrinq; hami plumbei obtusi, os in longum expansum servantes, ne scil. notata coalitio utriusque labii denuo habeat locum, novamque cogat dissectionem: Ubi autem locus commissuræ fuerit sua tectus cuticula, adeóque cicatrice obductus, facilis erit reliqua curatio, dummodo cicatricem admittat reliqua labiorum pars media. *Franc. Sylvius.*

Labro-sulcium seu *Cheilocace.*

Morbus hic, cui Græcum nomen à parte affecta, Latinum à præcipuo ac maxime conspicuo symptomate fecimus, familiare in Hibernia, omni tempore, interdum vero etiam epidemiæ Luis instar in quamplurimis populariter grassatur: rarissime tamen, ac vix unquam, adoritur adultos sed infantes duntaxat, eosque fere ab altero ætatis anno ad quartum aut quintum, quanquam & teneriores aliquanto & paulo vetustiores non sunt semper ab eo immunes.

Labra in eo admodum tumescunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, sed nequaquam fervido aut inflammatorio, & qui nunquam suppuretur, aut caput fœdet. Vergit autem aliquanto magis introrsum quam ad exteriorem partem, unde labra à gingivis & dentibus abscedunt, longius & foras aliquatenus replicantur magna cum deformitate, Eam etiamnum conspectiorem reddunt foveæ binæ in utroque labio, una in latere oris dextro, altera in sinistro, quæ ipsum labii corpus angusto quidem, sed profundo sulco dividunt in parte solum interiore, inde à gingivis aut gingivarum confinio, ad usque extimam labii viam, ulterius tamen non procedunt, nec exteriorem partem unquam invadunt. Hi sulci semper aut sanie madent, aut crasso pure obliti sunt, interdum quoque crustulæ in iis succrescunt. Malum hoc quandoque utrumque labium incessit, ut plurimum tamen superius duntaxat eo afficitur; & quando ambo simul hæc labes obsidet, longe tamen semper deterior est superioris quam inferioris labii conditio, ut plurimum, ac fere semper hunc morbum comitantur *Aphthæ* in palato, lingua, buccis, labiis, gingivis, quanquam infinitus est infantium numerus qui Aphthas patiuntur absque eo ut in Cheilocacen incidant, sicuti rursus non raro accidit ut idoneis remediis adhibitis Aphthæ aboleantur, Cheilocace superstite.

Malum hoc nonnullis sponte aut levibus remediis sanescit, ast plerumque si diutius negligatur, aut perperam curetur contumacissimum evadit, ita ut postea difficillime tollatur & multo opere ægre sanatum, aut sanitati proximum, improviso rebellet; in nonnullis vero penitus immedicabile redditur, & serpente contagio miseros infantes lenta tabe conficit, & tandem le homitur, id quod tum præcipue usu venire solet quando epidemice hæc labes sævit, ob quas causas Anglicum vulgus Cancrum oris appellat; quod tamen de aliis quoque ulcerosis ac malignis oris affectibus usurpat.

Ad

Ad peragendam feliciter curationem corpus purgandum est, non semel sed repetitis vicibus, ita ut idoneum temporis spatium semper interponatur. Purgationes pro captu corporum & ætatis satis validæ esse debent, præcipue ex *Senna & mercurio dulci*, quæ duo cæteris in hoc casu præferenda. Quod si eum infante tractabili tes est, magnopere conducet purgare *decoctis paratis è fumaria, betonica, phyllit. rad. lapathi, cichor. polypod. senna, agar. coriand. tamarind.* cujus decocti bini terni-ve haustus dye dandi per tat longum temporis spatium. Quod si grandior sit infans, sanguis quoque è brachiis detrahendus, vel hirudinis sucta aperta vena, vel scalpello etiam. Interea nam oris ulcusculis adhibenda idonea remedia, & labra fovenda illinendaque remediis quæ tumorem eorum imminuere, sordes detergere, sulcos emundare atque implere valeant, eòsque cum reliqua labiorum carne æquare.

In hos usus multa sunt quæ inservire valeant, sed cæteris præcellit *decoctum cherephylli quinquefol. myrtid. rosar. ac salvia*, in quo *sal vitrioli albi* sat magna copia dissolutum sit, ac linimentum factum è *sacchare Saturni, aqua plantag. & aceto rosac.* Utilissimum quoque est hirudines faciei admovere, itsque sanguinem tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipsis affatim deplere, idque bis aut ter facere. Quod si hæc omnia non satis juverint, tandem in alterutro, aut utroque brachio excitandæ fontanellæ, Et per multos dies potui dandum infusum decoctum concinnatum *ex salsapar. rad. chinæ, fumar. phyllit. lapathi integro, sem. card. rad. scorzon. & passul. maj.* ac quamdiu hoc bibet omni alio potu arcendus erit. Ubi tenellum admodum infantem invadit hoc malum, nonnulla istiurum omittenda, quædam aliter ordinanda, & in omnibus elementiora deligenda sunt, quod minime opus est ut particulatim explicemus &c.

Labia Leporina

[1]. *Fissura est continuitatis Labiorum &c.*) Omnium maxime insignis est quæ *Labiorum leporinorum* nomine insignitur sola Chirurgia curabilis; Labra (*inquit Franc. Sylvius Pr. l. 3. c. 12.*) curari possunt & debent à Chirurgis arte cordata, liberando in hie plus, nunc minus eadem à partibus subjacentibus, quo adduci queant & conjungi Labii hiulca. deinde exeoriando partes Labiorum uniendas, mox adducendo, ad se invicem dictas partes, hinc continendo easdem contiguas: denique conglutinando easdem simul una cum partibus subjectis. Dixi curationem hanc fieri debere arte, & quidem cordata: Arte namque & industria indiget Chirurgus istam curam instituturus: qui nendero animo forti esse oportet ad curam tam crudelem in teneris infantibus instituendam.

Primum enim in hac cura opus, est *separatio cruenta labiorum à partibus subjacentibus*, & quidem aliquando tanta ut tota maxilla superior carne sua denudetur & labiis, quod spectaculum sicut censeatur valde crudele, necessarium tamen est, miseris aliàs per totam vitam futuris infantibus: quos non semel tam feliciter vidi hac crudeli arte curatos, ut vix ulla prioris mali remanerent vestigia.

Secundum in hac cura minus crudele est, *excoriatio puta partium hiantium*, & nunc conglutinandarū, quæ scalpello fit in labiorum lateribus ab invicem p.n. & ut plurimum ob matris imaginationem, casum ve aut ictum hiantibus.

Tertium in hac cura opus, est *partium uniendarum adductio ad invicē*, quæ facillime ac tutissime perficitur per emplastra tenacissima, ex terebinthina atque parata, & prius labiis applicata, ipsisque arcte adhærentia, sed in extremis per fila fortia munita, quorum ope adducuntur ex parte, sed imprimis digitis ad invicem, aut ut plurimum hiantes labiorum partes.

Quartum opus est *Partium connexarum in contiguitate artificiali retentio*, quæ utplurimum absolvitur modo dis factis in mox notatis filis in laudatis Emplastris firmatis, horum enimope non tantum Emplastra utrinque cuti conjungenda, & labiis adhærentia ad se invicem paulatim adducta firmantur, sed subjecta quoque Labiorum cutis, quin substantia tota.

Quintum opus est, *Conglutinatio Labiorum tam inter se* quam cum partibus subjectis, in quem finem usurpantur imprimis Balsama singulis fere Chirurgis familiaria; Inter naturalia autem & simplicia plurimum præstat in hoc casu, Balsamus Peruvianus. *Fr. Sylvius Prax. l. 3. c. 12.*

Labia transversim per vulnus ab invicem hiantia minori artificio curantur, cum hic sufficiat vulneris labia per laudata emplastra ad se invicem adducere, atque consolidare. *Idem.*

[1]. *Valet pinguedo*) Labiorum Fissuræ Linimento ex *oleo amygd. cera & mastiche* citissime ad sanitatem perducuntur. *Item* hoc unguentum felicissime millies expertus sum.

℞. *Litharg. arg. myrrha, zinzib.* āā. ʒj. *f. Pulvis, misce cum melle & oleo olivar. f.* Linimentum quo liniantur Fissuræ ex *humana* saliva, mox desuper in tela extensum applicetur unguent. sic paucis diebus sanantur *f. Cæsar Barcellus Hort. Gen. p. 145. Schitzius Man. T. 1. p. 2. sect. 4. c. 2. Varignana.*

Hoc unice commendatur

℞. *Lithargyr. cerusa. frictionis plumbi, hyoscyami alb.* āā. *ol. rosac. cera q. s. f. Ungu. P. Bayrus Pr. l. 6. c. 3.*

Apes in olla nova testa comburantur, pulverisentur, & cum melle fiat ungu. quo labia inunguntur. *Arn. Villanovanus.*

Ad magnas & profundas ulcerationes Unge prius cum *adipe hædi*, deinde cum *pin-ned. anseris. melle & tereb. abietis* āā. addendo *flor. ro. ar. hyssop. & mastich. f. Ungu. Confert mel rosa. solum.* aut enim *succo bryonia &* sale. Conveniunt *bryonia folia. P. Bayrus.*

Ad fissuras labiorum, ulcerationes oris & palati

Solvatur *tragacant. in aqua rosac.* & per pannum coletur exprimendo; in colatura dissolve *amylum.* Illinantur partes cum parva penna in eis intincta & curat. *Idem.*

℞. *Gallar. cerussæ.* āā. *part. j. amyli. tragac.* āā. *part.* ß. *misce, cum adipe gallina* & unge. *Idem.* Vel

℞. *Furfur. pilor. caud. equina*, combure super lamina ferrea ignita, Cinerem eorum misce cum melle rosaceo, & Unge. *Idem.*

[4]. *Pinguedo quæ ex cochlearibus*) *Hartmannus Pr. Chym. g. 89. Frid. Hofmannus m. m. p. p. 302.*

[5]. *Quæ difficulter curantur*) *Scissura labii superioris*, quam infantes aliqui in lucem secum afferunt, admodum deformans (*Labium Leporinum vocant*) iterum concrescit si utrinque à lateribus labiorum, ubi divisa sunt, carnis tenuis portiuncula, cuticula vestita, amputetur, postéaque sutione vel aciculis infixis labia conjungantur, emplastrisque impositis, donec rursum coalescant retineantur, postmodum sicut in vulnerum curatione procedendo.

Possunt quoque divisionum & scissurarum ejusmodi labia artificiose iterum per cicatricem uniri. post quam prius detracta utrinque cute vulnerata fuerint; agglutinatis nempe glutine tenaci ad latera labiorum, linteis duplicatis aut triplicatis cum infusis fibulis, quibus mediantibus commode cum vinculis & ligaminibus diva sa labia contrahuntur & uniuntur. *Platerus.*

Sranim secundo die post partum imponatur ter de die cum linteo

℞. *Ol. ol* [illegible] *ar. pi* [illegible] *comm. pinqued. canu. taxi.* āā. ℔ʃ. *liquefiant ad* [illegible] *dissolve* [illegible] *galbani* āā. ʒj. [illegible] *ar Amther.* [illegible] *Infra. 19.*

[6]. *Nisi ad cancrosam materiam*) Labio ulcerato Ungu. sequens & nihil præterea apponat.

℞. *Tutb. opt. prapar.* ℥j. *succi solan. plantag. depurat.* āā. ℥iij. *ol. rosac. compl.* ℥iv. terantur omnia diligentissime in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, paulatim addantur *succi*, & *ol. rosat.* semper magis & magis confricando cum dicto pistillo per totum diem, ultimo addatur modicum ceræ liquefactæ & fiat Linimentum, quo sæpius, imo decies in die labium inungat, atque imponat *fol. plantaginis*, *Joh. Bapt. Montanus consil.* 116.

Juvenem, qui ex lue Venerea Labia inflata, ulcerata, nigra, tumida, dura, carcinomatis instar, habuit, curavi universalibus ad morbum Venereum & hoc Decocto, panno eo imbuto apposito,

℞. *Ligni s. ping.* ʒj. *bulliant in pinta una aqua solani, deinde colentur, adde alumin.* ʒj. rursusque ebulliant semel & colentur. *P. Forestus obs. 2. lib. 14.*

[6]. *Nisi ad cancrosam*) Ad ulcera maligna præstans hoc est,

℞. *Adipis caponis* ℔ß. *succi chelidonii* ℥ij. *camphor.* ℈ß. misce. *Jul. Cæs. Claudinus Empir. rat.*

[7]. *Frigore*) Fissuras labiorum & manuum &c. à frigore curat optime lotio cum urina humana. *Etmuller in Pyrotechn.*

[8]. *Vento Boreali*) Matrona à vento Boreali fissuras labiorum & siccitatem incurrebat, cui consilium dedi ut ungu. *pomaceo albo* omni vesperi labia inungeret. Ab eo præsidio non indiguit. Alia mulier sequenti Ungu. commode illinivit, quod ex recenti *axungia gallina, cera alba, aqua ros.* sæpius lotis constabat. *Aetius ovi pelliculam internam* fissuras labiorum agglutinare tradit. *Forestus.*

[9]. *In curatione*) Labiorum scissuras linimento ex *oleo amygd. dulc. cera & mastich.* quam brevissime ad sanitatem perducebat *Nicolaus Zanno* Chirurgus Ravennas; referente *Thoma Thomaio in idea Virid.*

Ulcera Labiorum.

[10]. *Circa ulcera Labiorum &c.*) Ulcera pleraque ortum habent ab Acido acri, quare in genere curabuntur 1. obtundendo acrimoniam illam notatam. 2. mundando ipsa à pure & sordibus, 3. consolidando eadem, ac cicatrisando: de quibus aliàs actum, hic addemus quod in plerisque Labiorum & Linguæ ulceribus convenit *mel rosatum*, quia omnia mellis nomine nota, & syrupi multi; addito non raro *spiritu vitrioli* ad aliquot guttas: *Sylvius Pr. l. 3. c. 12.*

[11]. *Interdum crustosa*) Labii superioris insigni tumore, cum crassissima crusta, laborabat anno 1679. filius meus Isaacu, sexennis, præ[...] à cæter[...]bus abdicare necesse fuit, ne [...] in os [...]peret, Præ cæteris remediis eximiam opem contul[...] fonticuli duo in interscapulio excitati. Ta[...]tiei purulentæ fundebant, ut quinquie[...] & [...] quotidie mundare necesse fuerit, idque per [...] mulierem, detrectantibus id offi[...] dom[...] ancillis. Exactis quindecim diebus excidi[...] post alios quindecim dies subsedit plane labii tu[...], atque inferiori exæquatus est, superst[...] livor, qui fotu ex vino albo calente disparuit. Per annum t[...] bo manantes fuere fonticuli, quos non ante occludi passus sum quam omnino exaruerint.

[10]. *In curatione*) Posita est in profligatione morborum à quibus dependent, & ablatione causarum quæ ulcera fovent, quibus factis Topica usurpanda sunt, quæ hujus sunt loci, Ea sunt,

Aquæ *aristoloch. plantag. rosar. hyperici, card. bened. fol. querc. nicotianæ, absynth.*

Ungu. *de cerussa, camphorat. de lith[...]gyr[...] de tut[...] diapompbol. diacalcit. rosat. de liquirit. citreum, de plumbo. Nicotianæ* Jouberti.

Sal saturni cum *oleo terebinth.*

Oleum *mastichis, hyper. momordi[...]o.* Item magistrale sequens

℞. *resina abiet.* ℥j. *terebinth.* ʒß. *ceræ flav[...]* ʒß. *olei hyperic. & nicotian.* āā. ʒuj. *f[...]* Appl[...] labiis prius *aqua aristol. & card. ben.* lot[...]. *Seb[...]us Alan. pag. 439.*

[10]. *In Curatione*) Ad omnia *Lab[...]ra* & ad ea quæ cacoethe vocatur, *Ossa usta* tenui[...]me tri[...]a in p[...]rsa, ut & non usta, & bene cessit. *Aetius [...] trab. [...] 4. [...] 18.*

Aqua sequens valde efficax est

℞. *Sacch. albi* ℔j. *sal. comm.* ℔ß. *alum. roch.* ℥j. mi[...]ce, destilla in alembico vitreo, Fiat aqua, cujus guttulæ [...]quot in crustam immittantur, Exiccat, [...] & ci[...]cem inducit *Joh. Vigierius Ch. l. 3. c. 42.*

Probatur Ungu. *Laurent. Lazar:* quod omnes [...]opos perficit,

℞. *Litharg. arg. plumbi usti* āā. ℥j. *myrrh.* [...] *tutb. prepar.* āā. ʒij. *pingu. viteli* ℥j. *f[...]. p[...] ius granat.* āā. ʒß. Bulliant ad luc[...] [...]niu[...], deinde *cera alba q. s.* reliqua in tenuissimum po[...] [...]dacta, ac per pannum transmissa adde, [...] in mortario plumbeo reformatum quo panni [...] sub[...] imbuti parti affectæ applicandi, & bis in die pe[...]utan[...]. *H. Capivaccius in consil. Scholtzii* [...] *con[...]*.

[11]. *Perversio labiorum*) Incurvationem, Detorsionem labiorum, & quæ sunt ejusmodi alia, varia, medicinam corrigere ignorat. *G. Blasius Therap. spec. p.* [...].

De Faciei Morbis & Symptomatibus.

Cap. LIII.

De Oris apertione, Hiatu & Oscitatione.

AD *Faciei* affectus pertinent [a] Oris *apertio, Hiatus, Oscitatio, Tortura,* & *Ptyalismus*

I. *Oris apertio est, quando os, quod per naturam claudi debebat, non clauditur.*

Fit id, [12]. I. Quando [13]. *maxilla inferior* capiti adnascitur, quod rarius contingit.

II. Quando tumores *circa juncturam* maxillarum, in inflammationibus maxillæ & tonsillarum exoriuntur.

III. [14]. Quando *oris cardo*, in quo gena vertitur, *obrigescit*, & os strictius, quo minus in rictu queat expandi, squallido humore in juncturam [...]am & vincula alti[...]s [...]bibito, c[...]n[...]

IV. Quando *cervix ex vulnere nervorum*, quia maxillæ veluti ossa rigescunt, d[...]stend[...]r.

II. *Oris Hiatus est, quando os, quod per naturam uno labio alteri superinsedente claudi debebat, hiat.* *Oritur* I. *A mala con[...]uetudine.*

2. *Maxilla*

2. [11]. *Maxillæ* inferioris *luxatione*.

3. *Narium*, ut copioſior aër attrahatur, *obſtructione*.

4. *Vaporum* calidiſſimorum in febribus *aſcenſu*; & tum, [16]. ſi ſint faucium ſine tumore dolores & puſilli & ſtrangulantes, emotio mentis portenditur.

5. *Laſâ* in lethargo memoriâ. *De Oſcitatione.*

III. [17]. *Oſcitatio eſt vehemens oris ab halituoſis & in ſpatiis muſculorum maxillæ inferioris, & buccarum collectis, & excretricem ad excernendum ſtimulantibus vaporibus, diſtentio.*

De *Signis* laborandum non eſt, quia verò auris meatus aërem tum ſatis non admittit, & nervus comprimitur, obauditionem conjunctam habet.

Cauſa in definitione expoſita eſt.

Curatio eſt *Nulla* ferè, *ſi* in nixu accidat. *Dubia*, *ſi* maxillam inferiorem luxet. Alias citra occaſionem frequentiorem, morbos (ſi diducto ore affatim aër hauritur, mox cum ſono excluditur) præſagit; & febrium propter vaporum ex materia in inferioribus jam collecta & putreſcente aſcenſum, præludium eſt.

[18]. *Peragitur*, I. Materiæ, quæ vapores ſuppeditat, excluſione. II. Vaporum diſcuſſione vel revulſione.

a. *Oris apertio*) Vide multa huc pertinentia infra de *maſticatione læſa*.

[12]. *Fit id*) Multori ex levi aliqua puſtula, vel vulnere in angulo oris aut labii, orto (num ex negligentia Chirurgi mihi non conſtat) paulatim ita totum os coaluit & clauſum fuit, ut infundibulo ali illum oportuerit; Cui tandem omnino os clauſum fuit; quod per inciſionem denuo apertum, iterum paulatim clauſum, & ſecunda ſectione apertum, clauſum fuiſſe denuo, & ita denuo clauſum, fuiſſe aut occaluiſſe, molitor iſte (noluit enim tertio aperiri) fame obiit. *Gr. Horſtius obſ. l. 4. obſ. 55.*

[13]. 1. *Quando maxilla inferior*) Vide *Columbum l. 15. Anatom. Coiterum libello Obſ. Anat. Euſtach. c. 28. de Dent.* qui exempla adducunt maxillæ inferioris capiti ita connatæ ut immobilis eſſet.

[14]. 19. *Quando oris cardo &c.*) Maxilla inferior utrinque ad finem duos attollit proceſſus, nonnullis cornua dictos; Horum *anterior*, tenuis & latus, deſinit in mucronem κορώνη appellatum, eique tendo muſculi temporalis valide adnectitur (*quo affecto Oris apertio lædi poteſt*) unde luxatio hujus maxillæ periculoſa cenſetur: *Poſterior* obtuſus, cervice, & ſimul oblongo capitulo, condylo nuncupato, ac cartilagine ad faciliorem motum obducto præditus, quo ſinui oſſis petroſi, cartilagine ſimiliter lævigato, inarticulatur, eique per ligamentum membraneum commune firmiter adhæret. *De Diemerbroeck Anat. l. 9. c. 19.* In hoc *ſinu oſſis petroſi*, & dicto *ligamento*, obrigeſcentiæ dictæ cauſa latet.

[15]. *Maxillæ inferioris luxatione*) Luxationis iſtius frequentiſſima, quin unica cauſa eſt oris nimius hiatus; nec ſolum luxationis effectus eſt oris hiatus hic.

[16]. *Si ſine faucium &c.*) Coaca eſt 275. Vide *Martiani* commentarium in hunc locum.

Oſcitatio.

[17]. *Oſcitatio*) Peculiariter de illo hiatu dicitur quo quis Os inter Oſcitandum diducit &c. Homo qui proclivis eſt in Oſcitationem dicitur χασμώδης, ut ὑπνώδης dicitur dormitator: eſtque ſignum hominis pigri, aut ſomnolenti, qui ſolent os magno diducere hiatu &c. Inter Oris vitia numeratur & Oſcitatio, ſive Pandiculatio, tum ſanorum tum ægrotorum. *Oſcedinem* vocat *Gellius*, *Dietericus Jatrei pag. 1393.* Græcis χάσμη, χασμός. Hiatus, Oſcitatio dicitur à χαίνω, hio, eſtque vel *naturalis*, aut in latitudine ſanitatis occurrens; actus ipſe Oſcitandi, h. e. exploſio flatus, & diſcuſſio è muſculis. Cujus cauſa eſt flatus, vel vapor quidam in muſculis juxta contentus, ut ſcribit *Galenus 7. aph. 56.* quam cauſam etiam agnoſcit *Sylvius l. 1. Pr. c. 30. §. 82.* vel *præter naturalis*, ubi quidem eadem cauſa, ſed vel exceſſu vel qualitate vitioſa peccans: An vero ad motus depravatos animales, & quaſi convulſivos recte referatur, cum naturaliter quaſi quotidie fere fiat, dubitari poſſet; Ego litem meam non faciam; Eſto levior depravatio *Bruno in Lexico p. 284.*

[17]. *Oſcitatio eſt &c.* Si quidem manifeſtum eſt œſophagum nobis invitis dilatari in *oſcitatione*, à nobis autem oſtenſum ejuſmodi expanſionem produci à membrana œſophagi nervea, hanc Oſcitationis ſedem eſſe non immerito ſtatuere poſſumus.

Iſtud vero ſymptoma nunquam non accidere ſolet, ſi quæpiam irritatio ſpiritus ad uberiorem in illam partem confluxum determinet, Irritationis iſtius cauſa frequentiſſima eſt humor moleſtus, membranam œſophagi internam irrigans: Humoris hujus duplex origo eſt, nempe aut glandulæ membranæ internæ inſertæ, aut vapores acidi è ventriculo tanquam ex olla fervente elati, parietum œſophagi ductum ſequuti, eique tanquam operculo impingentes. Fibræ nerveæ membranæ internæ eapropter irritatæ, intumeſcunt ac oſcitationem, œſophagi expanſione inducta pariunt; Ad motum hunc os commovetur, eadem quippe membrana (quæ immediatum eſt ſubjectum) inveſtitum.

Porro, cum œſophagi humor oſcitationis cauſa ſit ordinaria; apparet hinc cur oſcitatio ſomnum præcedat, huncque fere ſubſequi ſoleat, ſi perpendamus raro in ſomnum propenſionem adeſſe niſi cibus præceſſerit, aut cum ventriculus concoctionis operi ſe accingit: dum enim hæc perficitur, ex alimentis ingeſtis plurimi aſcendunt vapores, acidi, in illo exuperantis, naturam referentes, quorum pars intra œſophagum condenſata humectat membranam nerveam hunc amicientem, ſuaque irritatione ad dilatationem impellunt; Soluto quoque ſomno Oſcitatio ſequitur, quia per illum œſophagus humorem congeſſit, deinceps moleſtum, eum irritantem, quem excitati à ſomno ſputo rejicimus; Viſcerum enim calor, cum in ſomno magis vigeat, ideo plures tunc temporis è ventriculo exſurgunt vapores quam in vigilia: Fuligines à fermentationibus bilis & ſucci pancreatici excitari ſolitæ in infimo ventre, paroxyſmo febrili inchoante, irritatione ſua eundem effectum parere aptæ natæ ſunt, ac dilatatione inducta œſophagi hunc permeantes; Quodvis flatuum genus hunc effectum proferre idoneum eſt; In oſcitatione aliquid ſingulare eſt, ſiquidem ad conſpectum oſcitantis alicujus in oſcitationem impellimur: ſympathiæ iſtius cauſam exiſtimo, quod cum œſophagus humore ſuperfluo fere ſemper madeat, cauſa iſtius ſymptomatos nunquam fere abſit, etiamſi non ſemper ſufficiens effectui producendo, niſi ima-

ginato à simili accidenti inducta (in alio observato) spiritus determinet ad sufficientem influxum in fibras illas œsophagi nerveas: *Duncanus Tract. Gallico de Actionibus animal. mechanice explicatis p. 242.*

Musculorum lassitudo, & vaporum copia oris illam diductionem & efflationem causat, operantibus simul & velut consentientibus reliquorum musculorum conatui musculis thoracis, & maxillæ inferioris, & buccarum, si pandiculationi Oscitatio jungatur; Vel seorsim hisce musculis ad illorum defatigationem mitigandam, & vapores discutiendos agentibus, Oscitatio nascitur; Quæ & ex imaginatione, si quis alium oscitantem videat oritur, facilius tamen in pigris & somnolentis seu dispositis quam aliis. *Platerus.*

Helmontius ad os ventriculi, stomachum, reducit causam Oscitationis: *Sylvius* illos halitus flatulentos ad Pulmones tendere, & ita excitare Oscitationem credit: *Hippocrates* videtur in ea esse sententia, qui assiduarum Oscitationum medelam esse longam spirationem ait.

18. *Peragitur 1. materia)* *Hippocr. sect. 3. 2. Epid.* ait longam respirationem medelam esse Oscitationum, Causa est quod oscitationes crebræ tunc fiant cum multus & crassus flatus redundat circa ventriculum, aut per capitis & thoracis partes, ex quibus in musculos malarum redundent, unde fit ut oscitent, & qui *fame premuntur*, quod multum flatum in ventriculo colligant; Et qui *somnolenti*, quod in caput multus vapor ascendat; & qui alioquin redundant multis excrementis flatuosis: *Illos* quidem cibus aut somnus curat omnium optime; *Hos* cohibere spiritum, & nonnisi ex longis intervallis respirare (non potest autem respirari ex longis intervallis nisi longa fit respiratio, in quibus consulto detinetur thorax) quia ita optime dissipantur flatus qui in ventre, aut vus instrumenusve respirationis continentur, ut scilicet sanari solet singultus & tussis arida ex frigida intemperie. *Vallesius comm. in cit. Hipp. locum p. 115*

Anxietudinem, *oscitationem*, horrorem, *vinum pari aqua portione temperatum* epotum solvit, *Aphor. 56. 7.* Vinum quippe moderato suo calore in corpus digestum, eas quæ infestant materias, & mala, quæ efficiunt, expellit, & vacuat, reliquumque temperat. *Dietericus Intr. comm. in cit. aph.*

Varius olim fuit *vini miscendi modus*, Veteres Græci quam minimam vini partem aquæ plurimæ miscebant, & potius merum aquæ quam aquam mero addebant &c. *Hippocrates* aliam mixtionem in hoc apborismo tangit, ubi ait vinum æquale æquali potum, sanare anxietudinem, *Oscitationem*, & horrorem, Vino videlicet & calore suo humiditates, quas vel ventriculi tunicæ imbibunt, vel musculi continent, vel per cutem feruntur, dissolvente ac separante; *Aqua* vero non tam pellente aut evacuante vinum, & una cum vino illas humiditates per urinas, ut voluit *Galenus in comm.* quam vinum retinente ac cogente, ut diutius moretur in parte, quod alioqui subito digeri solet: Verum cum non pauciora, quam mixtionum, quæ in usu sunt, vinorum sint genera; atque inter ea infima quædam inveniantur, parum ab aquæ omphacitque natura recedentia, propterea nulla certa dari potest mixtionis regula, sed ita metiendusest aquæ modus ut vini & aquæ no umenta vitentur, & emolumentum afferatur; plus nimirum vel minus aquæ addatur pro vini viribus, pro sumentis ætate, consuetudine, vitæ genere, pro affectus morbosi specie ac magnitudine, pro anni tempore & cœli statu, Ita ut *æquale* hic referendum videatur ad vires vini & sumentis. *Liebautius schol. in cit. aphor.*

Cap. LIV.

De Oris tortura.

1. *Oris Tortura est ejusdem ex affectis vel* [2] *faciei* [3] *musculis, vel tertia & quinta conjugationis nervis, seu jis qui à primis cervicis vertebris descendunt* [4] *procedens distensio.*

[5] *Signa* sunt quod oculus alter rite claudi non possit, æger exspuere jussus alterâ tantum parte id faciat; quod si nulla signa appareant, ridere aut literam O pronuntiare jussus alteram oris partem movere nequeat.

[6] *Causa* in definitione exposita est.

[7] *Curatio* est *Facilior*, si nulli corporis parti turpitudo illa consentit. *Difficilior*, si ultra sex menses producitur. Quomodo *peragatur* in Differentiis videbitur.

Dividitur autem dupliciter pro ratione causarum.

I. Alia est à *Resolutione*, quæ

[8] *Cognoscitur* [9] ex eo, quod pars affecta sit laxa, mollis, ad sanam trahatur, sensus in parte sit obtusus, palpebræ oculi ex parte decidant, facies sine rugis extendatur, & continuò ad inferiora inclinet.

Oritur ab iisdem causis, à quibus Paralysis aut Apoplexia, quas portendit.

Curatur [10] ad modum Paralyseos.

I. *Per universalia*, ubi nota, 1. Ad fortiora antè quartum vel septimum diem, nisi metus sit à morbis memoratis, non accedendum.

2. Venam secandam prius cubiti; pòst sub lingua. 3. Cucurbitulas cum scarificatione potius scapulis quàm primis vertebris imponendas, ne, si cervici sæpius imponantur, tremorem inferant.

II. Per *Particularia*, & tum Erihina & Apophlegmatizantia sint in usu. Gargarismi ante Errhina, ne materia ad faciem ducatur, non adhibeantur. Extra, Inunctiones ex *Castoreo* fiant. Per ligaturam os ad naturalem statum redigatur. Æger in loco obscuro, ne lucis præsentiâ humores fusi ad nervos concurrant, ponatur. Speculum ipsi opponatur.

Alia à *Convulsione*, quæ

Cognoscitur [11] ex eo, quod pars affecta sit dura, & plerumque doleat, sana ad tensam trahatur. Cutis in una parte sit rugosa, in altera tensa, salivæ & sputi paucitas adsit.

Oritur

Oritur ab iisdem causis [12] à quibus convulsio.

[13] *Curatur* quoque *Difficulter*, vel *nullo modo*, si utrumque latus occupat (*spasmus Cynicus* dicitur) & fortis est, nam interdum intra quatuor dies, interdum intra duodecim, materia [14] ad Cerebrum translata, interficit, *si* in febribus ardentibus, perniciosa phrenitide &c. accidit.

II. [15] Alia est, *quando musculi* afficiuntur; & [16] tum vitiosa figura solam partem faciei, quam ille musculus regit, occupat.

Alia, *quando nervi*; & tum, *Principio* ipsorum *affecto*, cerebrum etiam dimidiâ parte afficitur, & dimidium faciei cum toto corpore patitur.

Progressu laborante, distortio dimidium faciei secundùm omnes partes occupat.

Tertio pari, quia aliqua sui parte cum motoriis oculorum nervis, per eadem foramina prominet, magis oculus laborat.

Quinto, levis fit noxa buccarum.

Primis cervicis vertebris, insignis fit iisdem noxa; Oculus verò, nisi simul musculus temporalis afficiatur, in quem quinta conjugatio ramulum mittit, est liberior.

1. *Oris tortura)* Canina convulsio essentialiter symptoma est oblæsi motus animalis, sed si effectuum ratio ineatur, in genere causæ morbificæ collocari debet, quod morbum in situ ac figura progignat. *Menjotius.*

1. *Oris Tortura)* Hæc & *oris tortura* & *spasmus cynicus* promiscue vocitatur; quas tamen voces latius est ita distinguere; ut altero tantum vultus latere perverso oris tortura & distorsio dicatur, quia curvitatis fœditas in oris ambitu, seu potius angulo, quem χαλινὸν Græci vocant, evidentius quam in reliqua facie apparet.

Distorsione vero utrumque oris latus obsidente, à rictus canum ira percitorum, & ad mordendum sese comparantium similitudine, σπασμὸς κυνικὸς, Latinis rictus caninus appelletur, canes namque ringendo utramque simul oris partem diducunt; *Galenus 2. de diff. Puls. 3.* varias *canis* nominis significationes proponens, inter cæteras ait morbum in facie quandoque significare, ubi spasmus cynicus proculdubio intelligitur: *Risum* quoque *Sardonium* nominant à Sardon herba, i. e. batrachio quodam venenato in Sardinia juxta fontium margines nascente, quod si edulio fuerit, dehiscere in rictus ora cogit, ita ut qui mortem oppetunt sub ridentium specie intereant, quam herbam *Apuleius* sceleratam, vulgus *Apium risus* nuncupat. *Menjotius.*

1. *Oris Tortura)* Adnotandum quod *Rondeletius* nos credere vult, Cum utrumque latus vel paralysi vel convulsione laborat, *Risum Sardonium* dici: Is autem est, mea opinione, cum ægri dentes ostendunt more canum irritatorum: *Hofmannus Inst. lib. 3. cap. 86.*

2. *Faciei)* Ut Facies domicilium est pulchritudinis, hæcque in membrorum debito situ, & apta figura maxime consistit, sic partium seu resolutarum, seu convulsarum ἀσχημοσύνη in facie, quam dehonestat, præcipue conspicua est; Hæc partim quia injuriis externis aperta, partim quia cerebro algido ac madido vicina, frequentius paralysi corripitur. *Menjotius.*

3. *Faciei musculis)* In hoc affectu raro Os solum laborat, at plerumque narium, palpebrarum, cæterarumque faciei partium musculi, nec non etiam latus musculus, μυῶδες πλάτυσμα dictus, qui omnibus vultus particulis communis est, ac universam ejus cutem naturaliter movet, una afficiuntur; ita ut non modo labia, sed faciei dimidium distorqueatur; *Oculus* etiam atque *lingua* eandem noxam non infrequenter participant, quinimo oris distensio, teste *Aureliano 2. tard. pass. 2. Colla quandoque & humeros simul rapit*, & ita *patientes facit commovere, tanquam onus humeris bajulantes transferendi ponderis causa.* Menjotius.

3. *Musculis)* Ea est fabrica musculorum ut etiam in media figura locati, omnemque motum animalem intermittentes, mediantibus tamen membris in quæ inseruntur, mutuam sibi præbeant ἀντίληψιν, cujus ope servatur partis movendæ ἰσορροπία, sive æquilibrium, quandoquidem musculi antagonistæ sint ἰσοδυνάμεις, nisuque æquabili contenduntur; Hæc porro nativa contranitentia, motum tonicum quodammodo æmulans, exigua est, ac proinde ἀνώδυνος, nisi vel in summe imbecillis, qui illam mediæ figuræ tensionem quanquam parvam vix tolerant, ideoque posituram dolore carentem vana spe quærentes, membra huc & illuc varie projiciunt, vel etiam in valentibus ac robustis, si diuturnior fuerit illa musculorum intentio; tunc enim ut ut levis sit, importuna nihilominus paulatim redditur, hominesque medio situ tandem defatigati hunc coguntur variare: Sed, dicet aliquis, si musculi natura sua sint ἀντίτονοι, sequetur aliquo eorum πρὸς συστολήν adducto, adversarii relaxationem violentam fore? Respondemus violentiam quandam adesse respectu musculi laxati, nullam vero ratione totius animalis: sic motus localis animalibus naturalis est, etsi membris ejus, utpote gravitate pollentibus vim inferat. His ita positis, patet musculo resoluto, ejus antagonistam sublata ἀντίληψει, illicò colligi, non pro arbitratu ægri, ac per virtutem locomotivam & animalem, sed necessario ac involuntarie, puta per contractionem illam musculis à natura inditam, nec appetitus imperio subditam. *Menjotius.*

4. *Procedens Distensio)* Præter veram legitimamque convulsionem, datur fallax atque notha, quæ per se non contingit, sed musculorum oppositorum paralysin ex accidenti consequitur; ac idcirco *Collectio* rectius quam convulsio dici debet. Hujus meminit *Hippocr. 2. Epid.* docens vertebris lateraliter luxatis partem in quam ipsæ vergunt resolvi, latusque adversum convelli: *Galenus* quoque *1. de m. musc. 9.* motuum qui sibi invicem succedunt, uno pereunte alterum adimi, e. g. tensore musculo resoluto aut amputato, membrum ab antagonista flexore statim flecti, ac flexum & immobile permanere, quod amplius expandi non possit. *Menjotius.*

5. *Signa)* Oritur affectio vel à convulsione partis contortæ, vel à paralysi partis oppositæ; velut habenis hinc illincve aut adductis aut remissis, capita equorum torquentur, *Convulsio* alteram sæpius quam utramque oris partem occupare consuevit, *Paralysis* alterum duntaxat latus tentare debet si *oris torturam* præstitura est, cum facies utrinque resoluta in neutram partem detorqueatur; Quod si convulsio atque paralysis in eodem latere alternatim sese excipiant, eo modò dextrorsum, modo lævorsum, quasi per artem ludicram deflectet, prout nunc spasmus nunc resolutio per vices infestabit.

Præſente jam affectu faciei ſchema corrumpitur, labia non rite combinantur, ſaliva ſponte effluit, ſpiritus altera tantum parte oris efflatur; manca demum eſt ac implicita loquela: nam ut articulatio abſolvatur, firma conduci labra, & ad nutum diduci neceſſe eſt: *Celſus* alia ſigna adjungit, ſcilicet febrem acutam, coloris in facie mutationem, ſed iſta aliena ſunt, neque perpetua. Magni porro momenti internoſcere, An malum vel convulſionis vel reſolutionis ſoboles ſit, illic enim membro trahenti, hic autem membro tracto debetur medela, cum morbus ibi non hæreat ubi figuræ depravatio ſeſe oſtendit; illicque *malactica*, hic *tonotica* uſurpanda ſunt: Igitur præter dicta ſinceræ ac inſinceræ convulſionis διαγνωστικὰ, In ſpaſmo particula dura eſt, rugoſa ac dolorifica, æger parcius ſpuit, nec palpebra è directo arcte occluditur; In paralyſi vero pars laxa eſt, lævis atque ſtupida, nec non etiam à colore florido deſciſcit; Uberior adeſt Ptyaliſmus, ac palpebra ſuperior vix diduci poteſt, inferiorque demergitur; Inſuper dimidia palati regio remolleſcit, aſpectuſque fixus ac demiſſus, perinde ac ægrotans attentæ meditationi incumberet.

Notandum autem partem faciei ex convulſione tortam atque corrugatam tactu interdum orbari, reſolutis ejus nervis extimis, quibus tangendi virtus ad cutem delegatur: Ac ex adverſo partem faciei ex reſolutione laxatam ſenſus eſſe compotem, ſi nervi exteriores, qui cuti tactum impertiunt, inſontes fuerint. *Menjotius.*

Oris Tortura ſpeciatim dicitur, in qua modo dicta oris ad alterum latus diſtorſione oculus alter rite claudi nequit, nec æger libere exſufflare; quando exſpuere juſſus ex altero tantum oris latere id præſtare poteſt; Quod ſi æger jubeatur ridere, vel literam O pronuntiare, facile apparebit alteram faciei partem libere movere non poſſe &c. *Etmuller.*

6. *Cauſa in definitione)* Cauſæ tam *externæ* quam *internæ* hujuſmodi *convulſionum* & *paralyſeon* quærendæ propriis locis, In ſpecie nunc in radice ac principio nervorum, ad faciei alteram partem derivatorum hæret malum, tumque dimidium faciei totius, quin etiam aliæ illius lateris partes plures, vel pauciores ſimul afficientur; Sin vero peculiariter vel in muſculo uno alterove faciei, vel in nervi cujuſdam ſurculo ſpeciali, ad hos derivato malum hæreat, illa ſaltem faciei pars quam iſte muſculus regit occupata apparebit.

Sic v.g. *Torturam oris* à *Paralyſi* tali particulari putat *Ep. Ferdinanda, Hiſt. m. 12.* natam, ex ſæpius repetita applicatione aceti acerrimi, cui fuerat immaceratum lithargyrium, ad foveas in variolis delendas: Hic *Heer Pbſerv. 17.* notat quendam ex ebrietate ſopitum, & tota nocte nive verberatum, tortura oris maxima exinde laborantem, dextra gena feneſtra viciniore omnino reſoluta: *Torturam* vero *oris* ex *ſpaſmo* notam obſervavit *Platerus* l. 1. *Obſ.* p. 137. & 139. *Etmuller.*

Torturam oris à paralyſi particulari obortam vidi in Arculario quodam nomine *Bozon*, qui vino madidus indormiit inclinata gena ſupra retinaculum illud ferreum quo lignum in operando ne vacillet firmum detinetur: Expergefactus me ore diſtorto adiit; illi enporiſton hoc præſcripſi, ut *oleo nucum* tantillum *ſeminis ſinapi pulveriſati* admiſceret, atque partem illineret, præmiſſa embrocatione ex *ſpiritu vini*: Poſtridie ſanus factus eſt.

7. *Curatio eſt facilior)* Tortura oris per ſe ſi extiterit, malum eſt difficile, aut tarde curabile; Si vero acutis morbis ſuperveniat, eaque ex ſpaſmo, periculoſiſſima, Quo pertinet Aphor. 49. 4. In *febre non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilia, aut oculus, aut naſus pervertatur, imbecillo jam corpore, in propinquo jam mors eſt*: In ſpecie ſuperveniens ſpaſmo vel paralyſi reliqui corporis, apoplexiam, epilepſiam vel mortem portendit. *Etmuller.*

8. *Quæ cognoſcitur ex eo)* Vide ſupra §. 5. *Signa.*

9. *Cognoſcitur ex eo quod pars)* Torturam oris ab utroque affectu eſſe oſtendunt *Salius* in *Altimar. Maſſaria* & alii, ſed hac differentia quod in paralyſi quidem morbus ſit non in latere illo quod affectum videtur eſſe, ſed in oppoſito; In Convulſione autem contrarium eſſe, h. e. oppoſitam videri ſanam, & eſſe morbum ibi ubi tortio ad ſenſum nulla. *Hofmannus Inſt.* *l. 3. c. 86.*

10. *Curatur ad modum Paralyſeos)* Præmiſſis univerſalibus, i. e. *primas vias laxantibus*, aut ulteriori efficacia fortius *purgantibus*, & *ſudorificis* ex *aromaticis* & *volatilibus*, quin & interdum *decocto ſudorifero ex lignis*, per aliquot dies continuato, ſi quidem ex *paralyſi* fuerit malum, ut pote frequentius, poſtea *veſicatoria* nuchæ, vel ad aurem affectam applicentur; ubi etiam *cucurbitulæ ſcarificatæ* admoveri poſſunt: Hinc *caſtoreum* tam interne quam externe uſurpatum eſt optimum: *Extractum ejus* in ore detineatur: *Eſſentia caſtorei* extrinſecus loco affecto crebrius illinatur, præſertim cum Tinctura *aſæ dulcis*, ſive *benzoes* commiſta, quam commendat *Timæus in caſibus p. 73.*

Quin & eſſentia *roſmar. ſalviæ* &c. ſimiliter admoveri poſſunt. *Nucha* item & *vertebræ* colli *ſpiritu vini* foveri & illiniri *oleo ſtillat. chamom. ſuccini*, & *terebinth.* debent.

In ore detineantur *maſticatoria* v. g. *Rotulæ.*

℞. *Nuc. miſch.* ℥ij. *rad. pyreth. angelicæ, ſem. ſtaphiſ. agr.* (vel *coriandri*) *ſinapi āā.* ℥j. *angelicæ*, (vel *cumini*) *cubebar. āā.* ʒß. *piper.* ℈ß. *maſtiches* ʒiß. *ceræ q. ſ. f. Rotulæ.*

Aut *Caſtoreum in ſpir. vini* diſſolutum, aut fiat gargariſatio, vel diuturna in ore retentio *decocti rad. pyrethri* cum *ſemine erucæ.* Etmuller.

11. *A convulſione, quæ cognoſcitur)* Fucata ac illegitima *convulſio*, quamvis germani ſpaſmi characterem mentiatur, ab eo tamen multifariam differt, Primo quidem in hoc pars ſana verſus ægram rapitur, in illa vero muſculus ſanus contrarium muſculum, ex paralyſi remiſſum attrahit, Secundo in hoc tanta eſt energia cauſæ convulſivæ, ut muſculi diſcerpantur potius quam patiantur ſe reduci; præſertim ſi affectio fortis & vetuſtior fuerit; In illa autem muſculus collectus non rigeſcit, ſed ad arbitrium externi impulſoris flexilis eſt, quamvis ſibi derelictus mox recolligatur: Imo ſi muſculus reſolutus manibus retrahatur ejus [illegible] qui ſacomatis defectu in ſeſe coactus fuerat, reparato æquipendio, priſtinum naturalemque habitum ſtatim recuperat; ac tamdiu in eo permanet quamdiu durat illa paralyticæ particulæ retractio.

Denique in ſpaſmo proprie dicto integra ſæpe eſt ac perfecta morboſi muſculi contractio, In adulterina vero convulſione, propter partis trahendæ cum ſua mole gravantis, tum extranei ac craſſi humoris copia onuſtæ reluctantiam, muſculus incolumis ultimam contractionem non aſſequitur abſque virtutis animalis adminiculo: E. g. ſi ægrum jubeas ut particulam ex eventu convulſam impenſius flectat, hæc ſane perſpicue flectetur: rurſus ſi jubeas exolvere voluntarium flectendi motum, videbis eandem confeſtim extendi, quouſque præcedentem, mediocremque flexionem repetat; & hinc quoque fit ut homo ſanus membri extrema flexione membri [illegible] facta, cum ipſam ſolverit, muſculus flectens nonnihil diſcedat, membrumque ad moderatam flexionem proprio motu revocetur. *Menjotius.*

12. *A quibus convulſio) Convulſio* vel *idiopathica* eſt vel *ſympathica*, Si *ſpaſmus cynicus* nono die poſt tethis evulſionem nonnunquam ſupervenit, & quidem cum

ægri

ægri pernicie; Trajecto quoque in prælijs, gladiatoriumque spectaculis [illegible] lethalis risus concitatus est ex *Aristotele* & *Plinio*, non quidem ut in titillatu ob calorem diaphragmatis, quem vulnus induxit, ut illi censet Philosophus, sed potius quod diaphragma à quarta & quinta cervicis vertebra nervos mutuetur, à quibus ramuli tendunt ad labia, unde lege sympathiæ præcordijs ob acceptum vulnus vibratis convulsionis risus excitatur.

His causis obliquati vultus addi potest maxillæ inferioris [illegible] sæva fractura serius vel minus artificiose tractata, ut docet *Hippocr.* l. de *artic.* Seu etiam musculorum masseterum vitio, tunc enim labia quanquam per se illæsa, sequuntur mandibulæ obtortionem, simulque dentes amittunt naturalem cuncubitum, & masticatio impeditur. *Menjotius.*

13. *Curatur quoque)* Universalia similiter locum habent, uti & sudorifera, & hinc quælibet ex & cum castoreo parata remedia. Videatur cura *Plateri l. 1. Obs. 137. & 139.* per *narcotica aromatica*, mediante *sudore* & *somno* hujusmodi affectum curantis, v. g. *Mithridat. syr. papav. Opiat.* Videatur *Timæus* in cat. p. 75. *Ettmuller.*

14. *Ad cerebrum translata)* Sic dolor in ossibus faciei, vel potius eorum periostio, cum stupore & palpitatione cutis, præcursor est rictus canini apud *Avicennam*, quod humoris exuperantiam indicet, paralysin aut convulsionem propediem illaturi. *Menjotius.*

15. *Alia est quando) Resolutio* fit dupliciter, vel quia impeditis nervis spiritus prohibentur à penetratione ad musculos, alias secundum naturam se habentes; vel quia penetrat quidem, sed viriatus musculus ejus impressionem non suscipit; Priorem modum *Hippocr.* [illegible], Posteriorem [illegible] videtur appellasse: Igitur si nervi culpa paralysis oriatur, salvo cæteroquin corpore musculi, ad quem nervus ille ducitur, alter quidem musculus ei oppositus potest pro voluntatis imperio vel contrahi vel non contrahi, neque hunc voluntarie semel collectum sponte nostra amplius extendi possibile est.

Verum hic proprie agitur de accidentaria *convulsione*, quæ semper est injussa, & quæ, velis nolis, adversi musculi immobilitatem & ignaviam consequitur, dicimusque talem convulsionem nunquam posse contingere si nervus [illegible] delator solummodo affectus sit, ac ipsa musculi, in qua nervus iste inseritur, substantia per se sana fuerit, eo quod licet obstructo v. g. nervo, confestim auferatur ob spirituum animalium penuriam, spontanea subjecti musculi systole, altera tamen contractio eidem musculo ad libramentum innata servetur, quippe quæ non à facultatis motoriæ à cerebro influxu, secus libera esset, sed à propria musculi, præsertimque tendinearum ejus partium constitutione dependeat, proindeque hanc corrumpi, nempe ipsummet musculum mollescere, flaccescere, &, ut ait Hippocr. effœminari necesse est, ut alter ei adversus perdita [illegible], absque jussu voluntatis stupens in sese, partemque in quam implantatur, secum abripiat. *Menjotius.*

16. *Et tum vitiosa figura)* Vultus [illegible] quæ nulli corporis parti consentiunt, celeriter aut sua sponte, aut ex necessitate sedantur, ex *Hippocr. 2. Prorrhet.* Oris Tortura ultra sex menses producta, *Avicenna* teste, difficilem curationem admittit, non tantum propter causæ inveterationem, sed etiam quod musculorum villi à firmo & constante situ certæ figuræ assuefacti, hanc ægre dimittant; Sic artus etiam morbi experies paucarum horarum positionem non sine molestia immutant; & corrigiæ diu complicatæ, tandemque explicatæ ac sibi derelictæ ad plicaturas ultro recurrunt; *Risus Sardonius* ex se turpis est, nunquam periculosus, sed exiziales passiones interdum protendit, v. g. apoplexiam, si sit paralyticus; aut epilepsiam, si convulsivus: aliquando lethali ægritudini sociatur; ut phrenitidi & continuis febribus, increscente circa cerebrum morbi malitia; Unde *Hippocr. 4. aph. 43. In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, mors in propinquo est*, scilicet [illegible], nam *Pythion 3. Epid.* convaluisse narratur, cui acuta febre detento die 7. [illegible], limo quandoque cynicus spasmus in crises utiliter cadit, materia sursum commigrante, & subinde vi naturæ deorsum remigrante, aut exitum habente per nares. *Menjotius.*

Rubor faciei.

III. Huc pertinet I. 17. *Rubor faciei* præter modum sine pustulis efflorescens: qui, *vel* est *perpetuus* & constans, cujus causa sanguis fervidior cutim imbuens.

Et *tum*, 18. Epar est calidius: præmissis universalibus, infusum *radicis cichorii* cum *passulis* & *syrupo corallorum* aliquandiu usurpandum: nec non serum lactis caprilli, cum *radicib. cichorii & taraxaci* decoctum, & clarificatum. 19. Post, *abluenda spiritu vini*, in quo *mastiches*, *thuris albi*, & *camphoræ ana* solutum, manè & vesperi facies: *scarificanda* singulis mensibus auriculæ: & *illinenda* aliquando *unguenta de cerussa camphorata* facies, *abluendaque* lixivio ex *cineribus caulium brassicæ* facto.

Urere mixtura ex *camphora*, *alum. usti*, *lithargyri ãã.* ʒß. *sulphur. vivi* ℈ß. *vitrioli albi*, *olibani*, *ãã.* ℈j. pulverisatis concinnato, cum *aqua rosar. & flor. fabar.* Lava faciem sub ingressum lecti 20. *aqua infusionis sulphuris* per aliquod tempus: vel composito 21. ex *lactis virginalis* ℔j. *cerusæ lotæ* ℥iß. *borac. adusti* ʒiv. *camph.* ʒiß. *succor. vermicularis*, *sempervivi ãã.* ℥iv. destillatis per vitrum.

17. *Rubor faciei)* A sanguine cutem carnemque subjectam possidente & irrigante (quod naturaliter fieri solere, cumque non solum in venis capillaribus cutaneis colligi, sed & propriæ cutis carnisque substantiam eodem imbui ex phlegmone patet) uti *genuinus ejus color ad rubedinem* nonnihil inclinans, & per cuticulam transparens exsurgit; vel etiam exacta quædam rubedo in certis locis prodit, ut in *labiis* & *glande*, ob fungosam quidem illorum carnem sanguine copiosius irrigatam; glandis vero sanguine arterioso cum tumere debet, perfusam, atque *malis*, quas in naturis quibusdam sanguis magis quam alias sedes cutaneas occupat; Sic si plus solito in superficiem corporis feratur, rubicundior adhuc color in illis nascitur in Ruboris generalis specie dicta.

In qua tamen *rubedo in facie*, quæ ob teneritatem

& laxitatem sanguinem facilius suscipit, magis elucescit; sicuti à calore externo, sanguine cum spiritibus extrorsum evocatu, corpus incalescere & rubere, faciemque rubore suffundi, nonnunquam & oculorum album simul tingi videmus: Vel etiam per animi affectus, in quibus sanguis cum spiritibus concitatus in exteriora diffunditur, ut ex *ira* faciem inflammari, atque ex *pudore* erubescere, quæ tamen mox cum sanguine recedente rursum evanescunt, in aliis citius, in aliis tardius, nam observavi quandoque in quibusdam & ex ira & ex pudore ruborem subortum, cum aliquo ardoris sensu ad multas horas in facie ejusque genis hæsisse, Quæ uti à sanguine in superficie corporis consistente eveniunt, sic & ex illius defectu in hisce locis, colore vivido amisso *Pallor* inducitur. *Platerus.*

Rubor faciei universus, præter modum sine pustulis efflorescens, si perpetuus est atque constans, fervidiore sanguine cutis imbuta est; sin ex intervallis recurrit, solus vapor eo sublatus in causa est, aut tenuis humor nondum impactus. *Fernelius.*

18. *Epar est calidius*) Ruborem faciei curaturus respicere potissimum ad hepar debet, quoniam ex ejus intemperie provenire isti insoliti rubores solent, Itaque, præmissis universalibus, *cichoris totius infusio* aliquandiu usurpata hepar corrigit; Idem faciunt radices aliæ, ut *lapathi acuti. Hartmannus Pr. Ch. c. 61.*

19. *Post abluenda*) Emulsio *Valeriolæ*, sequenti modo præparata præstantissima censetur.

℞. *Aqua fontana in vase citreo per xxiv. horas defæcata* ℔ix. *huic in panno lineo raro impone sem. papav. albi probe contusi* ℔j. *per emulsionem lac elicitum & percolatum cum ij. albumin. ovor. & sublimati præpar. dulcorati*, & diligentissime *triti* ʒij. in phiala optime clausa per integram horam agita: his ita *bene agitatis adde sub finem sacchari albissimi*, *boracis* super patella ignita parum ustæ āā. ℥vj. (ʒvj.) hac Emulsione abluatur facies mane & vesperi.

Fumus ex *sulphure & thure* prunis injectis facie exceptus, rubedinem illius delet; ut rosas rubras sulphure suffumigatas albescere illico videmus: Caute autem, spiritu interim retento, occlusisque oculis hoc erit tentandum. *Platerus.*

20. *Aqua infusionis sulphuris*) Ex sulphure vivo præsertim paratæ applicationes rubedinem admodum emendant si cum succo aliquo refrigerante, aut adstringente, ut *succo sempervivi*, *solani* vel *plantaginis* mistum, vel cum *aqua*, *odorata aliqua*, ut *rosacea* dilutum, diuque maceratum illinatur; Vel

℞. *Sulphur. vivi* ℥j. *thur. albi* ℥ß. *camph.* ʒij. *dissolvantur cum* ℔j. *aqu. fragor. & rosar.* ad usum; Potest & *succus limon.* vel *malor. granat acidor. addi*: Efficacius erit si *salis comm.* vel *ammon.* vel *alum.* ʒij. misceas, vel etiam *litharg.* coctum in *aceto*, vel *cerusam*. Vel

℞. *Sulph. vivi* ℥ß. *litharg. per coctionem in aceto dealbati* ʒij. *thuris* ℥j. *camphor.* ʒß. *granor. parad. vel zinzib.* ℈j. *ungu. citrini*, *vel albi camph.* ℥ij. *f. Linim.* Si ℈ß. *auripigmenti* addas, erit efficacissimum. *Platerus.*

21. *Lactis virginalis*) Ex *lithargyrio* albus liquor conficitur, sic nominatus ut magis acceptus sit; quod uti faciei colorem alienum, sic præsertim ruborem illius aufert, & sic conficitur.

℞. *Lithargyr. pulver.* ℥ij. *aceti albi* ℥vj. plus minusve prout potens existit, macerentur aliquandiu, sæpius per vices agitando, vel bulliant parum, quo facto sinatur crassior materia subsidere; liquorque clarus sensim effundatur, coleturque; Postea

℞. *Alumin.* vel *salis*, vel *utriusque* ℥ij. *dissolvantur in aqua fontis*, vel alicujus stillatitiæ faciem extergentis, ut *fabar. libor.* addita etiam boni odoris gratia *aqua rosar. ad* ℥vj. Interdum huic aquæ *boracis* ʒj. aut ij. addimus, vel etiam parum *camphoræ*. Hisce duabus aquis cum uti volumus, portionem utriusque æqualem fere commiscemus, tuncque subito, etsi prius limpidæ fuerint, in lacteum cremorem albissimum convertuntur. quo facies illinitur: quam si exasperet, affusis denuo aquis debet dilui. Sed & utriusque liquoris materiam permiscendo, macerandoque vel coquendo, statim lac hoc perficitur, Si majori abstersione opus est, *olei tartar.* parum illi commiscere possumus, aliave accommoda. *Platerus.*

Pustulæ ardentes.

II. 22. *Pustulæ ardentes*, quæ sæpe in facie extuberant.

Oriuntur 23. à tenuis & biliosi sanguinis incremento, aut consueta ejus evacuatione suppressâ, cute rarâ atque tenellâ facillimè humorem sub epidemide contentum recipiente.

24. Tolluntur 24. 1. *Liquore*, ex *plantag. solatro, agresta*, *albuminibus ovor.* xii. & *alumin.* lib. ß. destillatis. 2. *Aqua calcis viva* cum sero lactis facta, si locus defœdatus sæpe attingatur, pellicula ablata restituitur 25. *unguento de lithargyro*, ex *lithargyri aurei* triti & cribati unc. iij. *aquæ rosarum & ol. rosacei* ana unc. iv. facta. Aqua sensim in mortario agitanda, sensim affundi debet; tum & oleum sensim commisceri. 3. 26. *Menstruo virginis* in aqua calida soluto, quo eundo cubitum facies lavari debet, & spontè exsiccari. 4. *Oleo bufonum*, ex tribus vel quatuor bufonibus in olei olivarum lib. ij. per integram horam cocto. Hartmanno laudato, quo facies singulis diebus aliquoties illinenda.

22. *Pustulæ*) Gutta *rosacea*, est rubedo maculosa per quam facies saltem, & in ea frons, malæ, nasus, ac si guttis rubris, seu rosis angustioribus amplioribusve, plus minus, prominentibus conspersa essent, apparent; ad quod nomen alludentes Galli, hunc affectum *coupe-rose*, quod *vitriolum* significant., cum quo tamen nihil habet simile appellant, Ejusmodi facies tandem & *pustulosa* fit, atque extuberantiis admodum inæqualis & horrida, quibus auctus nasus aliquando pomis, uti vocant repletus, in immensum excrescit.

Uti autem sanguis fervidus & accensus *Guttam rosaceam* inducit, ita a vini frequentiore & immoderato potu sæpius contingit, quod inde visceribus sanguificationi destinatis, sanguineque ipso plus justo incalescentibus ille in loca hæc, ob naturam illorum, ad suscipiendum idonea, copiosius & frequentius delatus sanguis, eaque creberrime irrigando, tandem ruborem hunc permanentem pustulasque procreet.

Quod vitium diuturnum & pertinax est, cum sanguis nondum extra suam sedem naturalem excidens minime suppuretur, nec alias facile quoque discutiatur, Faciemque potissimum infestat, cum hæc alioquin pluquam alia loca sanguine abundare videatur: quod rube-

do

do naturaliter in facie, plerumq; quam cæteris locis manus apparens, in genis præsertim, quæ vel per se in naturis quibusdam, vel ex solo pudore mox erubescunt, satis demonstrat, sanguinem in faciem facile diffundi, indeque rursum, si secundum naturam adhuc se habeat, remeare posse: Quod tamen quando quantitate qualitateve peccans frequentius eo impellitur, minime fit, sed illic subsistens, fixusque remanens, permanentem ejusmodi affectum parit. *Platerus.*

23. *Oriuntur à tenuis & biliosi*) Vide superius §. 17. *Rubor faciei.*)

24. *Tolluntur*) *Gutta rosacea* dicta rubedo, ægre extirpatur, atq; ægerrime si pustulosa simul sit facies, nasusque inde admodum extuberet: Hisce itaque si curam adhibere sit animus, quam tamen plerique desperantes negligunt, sic erit instituenda, Primum corpus pro ratione abundantium humorum *purgandum*, sanguisque per *venam apertam* brachii, revulsionis, vel etiam, si facies hisce occupata sit, *frontis*, aut *sub lingua*, derivationis gratia, aut per *scarificationes* in colli lateribus & scapulis incisas educendus, & per admotas simul cucurbitulas à facie retrahendus, sæpius eas, vel præmissa scarificatione, aut sine ea repetendo: Quod & *sanguisugæ faciei sedibus* in naso vel prope eam, juxta alas, aut in malis, vel in mento, vel pone aures, appositæ evacuando & trahendo præstabunt.

Alterantibus dein, quæ sanguinis fervorem contemperando refrigerandoq; impetum hunc illius in faciem aliave loca sistant, utemur, eaque per vivendi rationem convenientem præscriptam, & medicamenta quæ illud efficiant, administrabimus.

Quo pacto hoc fieri queat, in morbis à sanguinis influxu genitis declaratur. Possunt & alia ex *sublimato & arsenico* erodentia & caustica remedia in pertinacioribus pustulis usurpari. *Platerus.*

25. *Tolluntur 1. Liquore*) Localia præsidia quæ applicantur sanguinem reprimere vi refrigerante, indeque genitum succum redundantem, si in pustulas elevetur maculæ; vi siccante & digerente absumere, quæ validiora esse debent si admodum induratæ illæ tuberositates ægre cedant; adhibendo, si reliqua non proficiant, etiam quæ erodendo urendoque hæc consumant.

Administrantur autem remedia in forma *liquorum*, & *unguentorum*, quibus rubræ maculæ & pustulæ illinuntur vel madefiunt; aut si fortiora sint quæ applicari debent, iis saltem tanguntur; A variis autem desumuntur.

A *Plantis* præcipue parata usurpantur, *Aqua fragorum, fraxini & flor. verbasci*, addita interdum camphora: *Vinum* quoque è *fragis* illitum prodest, *Aqua* valde usitata & utilis.

℞. *fragor. veris tempore, autumni vero, uvarum acerbarum*, ℔j. *lactis capr.* ℔ij. *album. ovor. n.* xij. *vel mucilag. sem. psyll. & cydonior. vel g. tragac.* factæ in *aqua rosar.* vel *plantag. ad* ℥iv. *camphor.* ʒij. *destillentur* Potest addi *acetum, succus limonum*, vel *aliarum plantar.* sequ. item *alum. sulphur.* Vel sic paretur.

℞. *lactis caprini* ℔iv. *farinæ frumenti tantum q. s.* ut cum dicto lacte in pastam panis redigatur, quam coques in furno, semicoctam eximes, & à crusta decorticatam in partes discindes, ac cum ℔iv. *alius lactis caprini* dissolves, addendo *mala limonia excorticata in partes secta* xij. *rad. raphani & oxylap. ãã.* ℥ij. *album. ovor. conquassat. vel cum spongia exceptorum, atque rursum expressorum, donec bene dissolvantur: n.* xij. *alum.* ℥ß. *tartari sacch. ãã.* ʒiij. *coralli albi* ʒij: *testar. ovor. calcinat* in *furno, camphoræ ãã.* ʒj. Misce diligenter, *eliciatur aqua per alembicum.*

Aluminosa, aqua appellata, ex *plantagine, portulaca, omphacio, alumine & albumin. ovor.* elicita convenit.

Multum in *rubore faciei*, seu *gutta rosacea*, præstabit sequens *aqua vitriolata.*

℞. *Aqu. spermatis ranar. verbasci, filicis ãã.* ℔iiß. *urinæ pueri impubis* ℔iij. mixtis adde *Theriac. Androm. rec.* ʒiiß. *vitrioli, salis fusi ad ignem apertum, alum. ãã.* ℥iij. *Per cineres vel baln. mar. eliciatur aqua ad siccitatem usque materia remanentis, huic aquæ misce camph. croci ãã.* ℥ij. serva ad usum.

Alius liquor in *rubra, tuberosa facie* per utilis, ut & si squamosa & crustacea sit.

℞. *litharg.* ℥j. *alumin.* ʒj. *borac.* ʒiij. *cerusæ* ℥ß. *aceti* ℥ij. *aquæ rosar. plantag. vel aliarum ad* ℥iv. *bulliant ad consumptionem tertiæ partis, coletur; adde succi limon. parum* huic quantitati quæ inungi debet. *Platerus.*

25. *Unguento*) Valet hoc quod

℞. *lithargyr. prepar. dealbati* (quod fit si ter in aceto albo infusum maceretur aliquamdiu, rursumque ab eo repurgatum ad usum siccetur) ℥ij. *adde aceti albi & olei de semine cucurb. q. s. ut in formam Linimenti redigatur, misce camphoræ coctæ donec dissolvatur in aqua rosar.* ʒß. fiat Illitio.

Pulvis rad. oxylap. & rad. asphodeli ustæ cinis, cum *oleo* inuncta laudantur. Ex *Calce* efficax Inunctio.

℞. *Calcis vivæ* ℥ij. *sulph. vivi* ℥ß. pulverisentur, bulliant in *aceto* ad consistentiam unguenti.

Ex *argento vivo* factum efficax remedium.

℞. *nucleos Persic. vel amygd. am.* mastica parum, ex illis sic remollitis, & in pastam fere redactis lacteum succum per pannum lineum exprime, illique *alumen coctum*, seu, ut vocant, *ustum*, nucis instar misce: Postea

℞. *argenti vivi* pisi magnitudine, atque in vola manus cum saliva tamdiu donec nigrescat confricato; dein cum *lacteo succo* prædicto permisce beneq; contemperato; eoque faciem noctu cubitum iturus inunge, maneq repetendo, idque spatio hebdomadæ unius continuando: Quo exacto, vel prius etiam, quoties in publicum prodendum, abluatur hoc pacto, Fiat pasta ex *farina fabar*, & *oryza* cum *album. ovi*, conquassato subacta, quæ ad usum in pilas formanda servetur, & ea emollita rursum per noctem in aqua, & dissoluta, facies cum panno abstergatur.

Aliud sic paratur.

℞. *argenti vivi* ℥j. *resinæ abietis lotæ aliquoties* ℥j. *agitentur probe, adde boracis* ℥ß. sacch. c. ℥j. *ossis sepiæ* ʒij. *Saponis* ℥ij. *olei Tartari* ʒij. *vel plus, cum olei amygd. dulc. & rosac. q. s. f. Linimentum*, potest & *succus oxalidis* vel *oxylap.* vel *limon.* addi & *lithargyr.*

Ex *sublimato* potentissima fiunt remedia, Caute, ut leviter hæc tantum tangant illis applicanda: quibus maculæ tactæ, donec cuticula abeat, tandem evanescunt, & pustulæ illitæ arescunt vel consumuntur. E. g.

℞. *sublimati* ʒj. *succi limon. vel aceti* ℥j. *aquæ alicujus convenientis* ℥iij. *coqu. ad tertiæ partis consumptionem colat. adde lac, succum limon. vel arant. & parum olei tartari.* Platerus.

26. *Menstruo virginis*) Ex *axungia leporis*, vel etiam aliorum *animalium* calido facta illitio, ad ruborem abigendum convenit. *Platerus*: Sed præstantius est menstruum, sive virginis sive mulieris juvenculæ, boni habitus in aqua calida solutum, quo si per aliquot dies cubitum eundo, facies lavetur, pustulæ cadunt, & nova succrescente cuticula rubor perit. *Hartmannus Pr. Ch. cap. 61.*

27. *Oleo Bufonum*) Propter signaturam macularum in ipsis &c. Hoc oleo faciem singulis & aliquot diebus line, & cadent pustulæ, morphæaque sanabitur: Valet hoc oleum præ cunctis aliis, ideoque per alia quum nihil proficimus, ad illud accedendum. *Hartmannus ibid.*

Lentigo.

III. [28] *Lentigo*, seu subnigra aut verè fulva faciei macula, lentem magnitudine & colore referens.

[29] *Tollitur, aqua florum persicorum*, si manè & vesperi abluatur: *aqua naphæ* ex floribus aurantiorum destillara: *aqua florum fabarum*: maximè verò, *oleo ceræ* & *oleo Tartari* per deliquium facto ana permistis, si illinatur, *Cosmeticum* verò non contemnendum paratur ex *stramentorum vitis* viniferæ, *tartaro, camphora, rosis siccis, iride Florent.* & *cicerum farina* cum aqua florum fabatum conspersa & exsiccata, Portio assumpta diluitur aqua liliorum alborum ad usum.

28. *Lentigo seu subnigra*) Ad poros cutis succus qui pilos illi infixos alere debebat deveniens, maculas, quas *Lentes* vocant, frequenter producit: hic enim illis prius assimilatus, coloreque antequam illorum radicibus apponitur nonnihil correspondens, si ab iis ulterius in pororum ambitum aliquousque dispergatur, maculas ejusmodi colorem fuscum, plus minusve ad pilorum colorem, quem dum illis assimilatur adipiscitur, nonnihil inclinantem procreat; Quæ diffusio hujus succi in poros, à calore externo nimium illum attrahente, porosque simul dilatante, interdum proficiscitur, si tunc succus pilos nutriens, non tantum pilorum radicibus se affigat, sed & ulterius diffusus, illicque subsistens maculas illas subfuscas plus minusve pro coloris cutis diversitate efficiat, magisque in cute apparentes, & inprimis in illis hominibus quibus natura caput & supercilia pilis rufis ornavit, faciemque, pectus & manus potissimum, cum hæ sedes calori Solis fiot amplius expositæ occupantes, quæ & quamdiu calida aëris constitutio viget, vix delentur.

Huic quoque nimia pororum à natura laxitas opitulari potest, ut unculam, quæ illos ambit, simili colore inficiat, qui postea ægre amplius, cum novo continuo accedente simili succo, locus ille cum pilo nutriatur, extirpatur, qui succus cum sit ad nutriendum adhuc idoneus, nec suppuratur nec corrumpitur; Quæ pororum laxitas, cum illic, maxime ubi cutis tenerior existit se offerat, in causa quoque est ut *Lentes* in illis potius locis nascantur, illicque melius etiam conspiciantur, quamobrem & in manuum digitorumque convexo potius quam vola lentes prodire patereque videmus.

Forte & pilis, tenuissimis præsertim, quales etiam in nudis alioquin apparentibus sedibus potis insiti sunt, attritis una cum radicibus, succo qui eos alere debuit ob id luxuriante, eædem maculæ possunt enasci, illis maxime in locis ubi frequenti lotione & frictione, ut in facie & manibus, abstersione sic eradicantur. *Platerus.*

29. *Tollitur*) *Sal Caulium antiquorum* præsens est remedium *Hartmannus Pr.Chym.p.241.* Has tollit *Aqua Satyrionis destillata. Hafenrefferus Nosod.l.1.c.5.*

Sal ex cineribus caulium antiquorum in eadem *quæ satyrion* præsens est remedium; Singulare etiam hoc est, quando *vaccinum hircinum*, *& caprinum fe. cum vitri pulvere* miscetur, & facies illinitur. *Idem l.4.c.3.*

Si *aqua vita* lavetur facies semel in die, à *furfuribus* & aliis cutaneis morbis liberabitur, *Borellus centur. 4. obs. 21.*

℞. *h. satyrionis* fol. maculosis luna nova, contunde minutim; affunde *aquam mellis*, destilla lento igne ex arena, reperies aquam nobilissimam, qua ablue faciem cubitum iturus, præsertim in vere, antequam protumpant, & nullas lentigines accipies per totam ætatem. *Agricola Ch.parv.p.697.*

Maxime omniū delet Lentigines *g.ammon. & nitrum ana p. aqu. melle permixta*, *Aetius* Consului ut *aqua ex cochleis destillata* uteretur, illa enim mirum in modum *lentigines* delet; quemadmodum *panis ex furno recenter extractus* calatho vimineo contectus olla supposita, si inde *rore defluente* lentigines liniantur, mirabile enim est, Vel solo *oleo tartari* liniat. *Forestus obs. 4. libr. 5. Chir.*

℞. *argent. vivi* ℥j. *amyli* ℥iij. *terantur* donec nihil appareat de argento vivo; adde *sem. melon. excort.* ℥ij. & iterum simul terantur, Liniatur ex iis facies noctu cum *oleo de semine cotti* (bombacis) prius dissolvendo, lavetur postea mane aqua calida: *P. Bayrus.*

Capa cum *vitello ovi, aceto & melle* mista curat. *Idem.* *Oleum de semine Cotti* singulare est ad lentigines faciei. *Idem.* *Cinnamomum cum melle* tritum maculas & lentigines de facie purgat. *Idem.*

Caphura cum *aqua rosar. & melle albo* purissimo confecta. *Idem.*

Elleborus niger fricatus cum aceto tollit fœditatem, lentigines & impetigines. *Idem.*

Oleum de *granis catap.maj.* delet omnes maculas: Idem facit *sinapi* cum *melle & adipe. Idem.*

CAP. LV.

De Ptyalismo.

P*Tyalismus est crebra & involuntaria, sine tussi & screatu* [1]. *exsputio, à* [2]. *nimia saliva copia* [3]. *proveniens.*

Res est de [4]. *Symptomatico*, non *Critico*, qui à morbo liberat.

Signis opus non est. [5]. *Involuntaria* dicitur, ut ab illa quæ consuetudine sive inter perorandum, sive non accersitur, distinguatur. *Sine tussi* est & *screatu*, quia sputum id est, quod exscreatione ex thorace pleromque ejicitur; saliva, quæ sine illa.

Causa est [6]. nimia salivæ copia. Nam si naturaliter in sua mediocritate consideretur cibum in ore ad primam coctionem mistura sua dum masticatur præparat, locutionem promovet, & saporum est vehiculum.

[8]. *Cura-*

[7]. *Curatio* generalis, [8]. quia in glandulis linguæ utrinque assistentibus, quas Tonsillas vocant, concurrente linguæ & partium in ore calore gignitur, ad tonsillarum roborationem convertenda est. Id fit decocto ex fol. *Myrti*, *Plantaginis*, *Alumine*, &c. quæ detinenda sunt tantum in ore, non gargarizanda, ne plus pituitæ attrahatur.

Dividitur secundum causas.

Alia est à *causis externis* [9]. salivam augentibus, [10]. ut hydrargyri inunctione molesta, sale viperæ assumpto, cibis copiosis & humidis, potu nimio: & hæc post cibum exsurgit.

Alia à *causis internis*, humore nimirum aquoso & pituitoso, qui.

1. [11]. Interdum *à Cerebro* ad fauces defluens, se ipsi commiscet; & tum in columellæ laxatione, inflammatione, & ulceribus oris idem fit. Curatio ad Catarrhum dirigenda est.

2. Interdum *in toto corpore* cumulatus, quod infantibus accidere solet, eò mittitur.

3. Interdum ex *ventriculo* humidiore & jejuno: Post morbos præsertim chronicos exsudat; & tum, ratio ventriculi per *aloëtica* purgantia, *Thus* & *Mastichen* cum vino sumpta; cibos sinapi admixtos, & *Diagalangam* habenda.

4. Interdum ex *intestinis*, ut in vermibus, ex *liene*, ut in scorbuticis, ex *pectore* & *pulmonibus*, &c. provenit.

[1]. *Exspuitio*) Quandoque abuti solet natura viis alimentariis ad excrementa rejicienda, quod vomitus exemplo clarum est, id inprimis quoque fit per os in genere, maxime enim intererat ut plura loca essent pro recrementis eliminandis, speciatim vero sero; Non solum per urinam & per sudorem ordinarius hujus evacuationis locus est, verum quoque per os, tum ordinariè pro capite purgando, tum consecutive pro reliqua M.S. ipsa; Unicuique loco nobiliori tanquam conclavi attexuit locum ignobiliorem ut expurgaretur camarina. *Wedelius.*

[2]. *A nimia Saliva copia*) Non copia solum in vitio est excedente, sed & imminuta, & cum alienis qualitatibus est imbuta; Salivæ, naturaliter insipidæ (*inquit Fr. Sylvius l.c.* omnibus liquoribus permiscibilis, Generationem lædi censeo, cum parcius fit. 2. cum copiosior. 3. Cum multifarie qualitatibus sensibilibus peccans præparatur. *Parcior* generatur

1. Defectu materiæ, cum illa non reponitur per alimenta & potus convenientia; Vel alio deducitur, sive intra corpus remaneat in hydrope vario; sive extra effundatur in alvi fluxu, urinæ, sudoris excretione nimia.

II. Vitio viarum, per quas defertur ad Glandulas dictas requisita materia; dissectis, obstructis, compressisve arteriis grandioribus, & aliquando nervis quoque, unde aliquis saltem accidere potest Salivæ defectus.

III. Glandularum ipsarum vitio, quando ineptæ fiunt transcolandæ, admittendæve laudatæ materiæ, aut eidem imbuendæ & in Salivam deducendæ: Quamvis quomodo affectæ sint, ac secundum naturam constitutæ istæ Glandulæ ad munus hoc absolvendum nondum satis constet.

Copiosior contra producitur (ut in melancholicis quibusdam, sputatoribus inde dictis, & nonnullis ægris) 1. ob materiæ Salivaris redundantiam, nunc ex ubere alimentorum liquidiorum, vini præsertim acidiusculi; nunc ex urinæ aut sudoris consueti excretione pauciore.

Ob *Viarum* sanguinem spiritusque animales ad Salivares glandulas deferentium *amplitudinem* aut *multitudinem*, ob quam plus materiæ in Salivam mutandæ affertur dictis Glandulis, quocirca in ipsis moram debitam non nectit Saliva, quin continuo effluens locum facit modo sequuturæ qualicunque Salivæ, ut plurimum idcirco magis aquosæ aut fluidæ.

Ista vero Ductuum salivarium amplitudo & laxitas debetur non raro Sputationi continuæ, more malo sensim contractæ, quo enim quis magis vel minus functionem quampiam exercet, eo partes illi ministrantes ad eandem facilius obeundam disponuntur.

Qualitatibus sensibilibus, tam propriis, quam communibus, vitiosam quandoque produci Salivam testatur sapor ejus, alias *salsus*, qui haud dubie debetur sero in sanguine salso, concurrente forsan simul Glandularum Salivarium vitio, propter quod minus aptæ sunt amovendæ à se superaddendæve istius seri salsitudini.

Alias *Acidus*, acceptus ferendus excedenti copiæ humoris Acidi tum in corpore tum in sanguine, ac forte subinde alicui defectui animalium spirituum, vel universali vel particulari; saltem in glandulis Salivaribus.

Alias *fastidiose dulcis*, & saturni saccharum æquans dulcedine, quærendus in sero simili, undecunque tandem orto.

Nam difficile est admodum omnes in corpore nostro humorum secundum qualitates pene innumeras obvenientes mutationes exacte explicare &c.

Alias *Amarus*, vel à bile sursum ructata, & aliquandiu in ore sui reliquias relinquente, ideoque Salivam omnem aliquandiu inquinante oritur: Vel ubi talis eructatio bilis locum non habuit, ab eadem forsan bile priore in sero existente, atque in Salivaribus glandulis Salivæ materiæ admista: Utut de hoc postremo modo valde dubitem, cum vix unquam observaverim sanguinis serum amarum. *Glutinosior* Saliva ortum suum debet sanguini multa pituita, itidem glutinosa scatenti: *Aquosior & fluidior* ejusdem defectui. *Sylvius de le Boë Pr.l.1.c.51.*

[3]. *Provenien*s) Sicut in glandulis conglobatis omnibus Lympha, ita in Conglomeratis omnibus Liquor peculiaris generatur, qui haud in communes omnibus, verum peculiares singulis ductus, eosdemque in determinatas unicuique cavitates desinentes defertur.

In os quidem sese duplices exonerant utrinque ductus; bini à Saliva per ipsos deportata, Salivales Salivaresque dicti, & à glandulis maxillaribus Conglomeratis, tam superioribus quam inferioribus oriundi; ut taceam infinitos canaliculos ex similibus glandulis ortos, & iisdem in os desinentes, ac contentum liquorem effundentes, à *Stenone* primum observatos: Salivam omnem ortum habere judico, partim ex sanguinis parte, quam quæ Lymphæ servit magis glutinosa, per arterias, partim ex animalibus spiritibus per nervos ad memoratas glandulas Conglomeratas deductis. *Fr. Sylvius Pr.l.1.c.51.*

[4]. *De symptomatico*) Salivam unicuique non cogitanti sponte in os confluere, eandemque mox deglutiri

notum: Hic Salivæ motus læditur 1. cum parcius aut difficilius, 2. quando copiosius vel facilius eo fertur; *parcius* ob ejus defectum, 2. ob salivares ductus obstructos, vel compressos, vel discissos; *Difficilius* ob sui glutinositatem: *Copiosius* ob ejus redundantiam, *facilius* ob sui tenuitatem aut fluiditatem: In os admissæ *Deglutitio* læditur, cum plane non fit, aut vix, præsertim ob faucium vel œsophagi angustiam, à tonsillarum tumore, angina, tumore in œsophago &c. unde difficilis œsophagi contractio, ac deglutiendorum detrusio; Lædi quoque potest œsophagi motus à paralysi aut convulsione, motu convulsivo in suffocatione hypochondriaca &c. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 51.*

5. *Involuntaria dicitur, ut*) Saliva motu producitur & cietur è glandulis, ut quo plus sunt motæ plus cieutur aquæ, & hæ: hinc somni tempore motu omni animali h. l. cessante, etiam cessat actio hæc; Eo vero impresso fortiori citatur, vel *corporeo*, facta agitatione labiorum, modo non nimis citato sermone interdum quasi absumatur, facta improportione quadam, unde exsiccantur fauces & spissatur saliva; vel *spirituali*, si spiritus accurrant magis, seu præ desiderio, sive nausea, ad objecta, utroque enim facto Saliva os repletur magis: Quorsum etiam ventriculus ipse confert aliquando, unde sialismus prodromus est nauseæ & vomitus, & in hypochondriacis quoque quibusdam observatur: Hinc Salivatio alia est *naturalis*, omnibus communis, perpetuo suppetente liquore hoc utili, licet excrementitio: Alia *p. n. & symptomatica*, dictis casibus: Alia *critica & medica*, ut in febribus, quin & gravidis quandoque, facta regurgitatione & copia majori huc lata; Alia *artificialis*, per hæc ipsa remedia diversis gradibus inducta. *Wedelius.*

6. *Nam si naturaliter*) Saliva alia est utilis, alia inutilis, illa dicitur κατ' ἐξοχὴν Saliva; hæc abusive, proprie vero Sputum, unde melancholici sunt Sputatores, unde his ipsis remediis crebrior inducitur sputatio: Utilis est illa tenuior, hæc viscidior, ut alias differentias plures non memoremus. *Wedelius.*

7. *Curatio generalis*) Curabitur *Parcior* Salivæ proventus 1. defectui materiæ aptæ, atque alimentorum advenientium adscribendus, liberaliore illorum usu, sic curato *hydrope*, quoties ipsius materia ipsi sovendo adimitur vel avertitur; ut & curato *alvi fluxu*, quando per ipsum materia ejus evacuatur; Denique sublato nimio urinæ aut puris effluvio, quando ipsius culpa evenit: *Dissecta arteria*, aut *nervi*, non curantur.

Qui autem *Vasorum* horum *obstructio & compressio* curari debeat alibi dictum. *Glandularum vitium* quale sit propter quod parcior producatur Saliva postquam innotuerit, non difficulter innotescet, remedium; quamvis dum ignoratur adhuc utrumque, possit Medicus prudens talia usurpare, imprimis externe medicamenta quæ vulgo vocantur Roborantia, suntque pleraque aromatica, E. g. *Ungu. Martiatum*, quo inungi poterit maxillæ utriusque regio, in qua sitæ sunt Salivares glandulæ; à quo si commodum accipiat æger; illa observatio est notanda.

Si forte æger pinguia ferre nequeat, Fotus paretur ex plantis aromaticis, addito quandoque vini spiritu, & nonnunquam egregio sale volatili (*Nota Auctorem inter causas externas Salivam augentes recensere Sal vipera assumptum, unde Sylvii conjectura firmatur ab usu Salis volatilis augeri posse salis proventum.*)

Salsitudo salivæ tolletur tum abstinendo à multo Salsorum usu, tum emendando seri salsitudinem, per Oculos cancr. coralia, margaritas, conchilia, & similiter mediocriter calcinata, & imprimis per *pilulas* de *cynoglossa*, vel de *storace* ad gran. ij. vel iij. in dies aut diebus alternis.

Aciditas Salivæ curabitur iisdem, ut & creta, sanguine draconis, lapide hæmatite, salibus fixis, & maxime volatilibus, quippe blandius, licet lentius, in corpore nostro humores quosvis alterantibus & corrigentibus.

Curabitur *Dulcedo Salivæ* fastidiosa, forte per conchilia & similiter mediocriter calcinata, ut & salia volatilia aliquanto acriora, quin salia quoque fixa, nec non acida satis acria; denique salsa cum acidis juncta, Salem puta tartari vitriolatum, & sim. licet de illis nondum mihi constet.

Sponte ac paulatim recedet *amaritudo Salivæ* à bile in os assurgente producta, ipsa deorsum propulsa per cholagoga, Amaror pertinacior eluendus os colluendo vino acidiusculo, aceto, oxycrato &c. Quod si purior bilis permanserit in sanguine, ipsiusve sero, imminuatur per cholagoga blanda, reliqua corrigatur per acida temperatiora.

Emendabitur nimia *Salivæ glutinositas*, tum per incidentia assumpta, aromatica sæpius laudata, imprimis salia volatilia inter prandendum cœnandumve cum vini tantillo, Tum per similia ore contenta, mox & post ejus collutionem iterum excreta, Tum per alimenta similia omissa; tum per pituitam tenacem, si copia simul aucta peccaverit præparatione ejus præmissa, blande per phlegmagoga ducenda.

Curabitur *Salivæ fluiditas & aquositas nimia*, usurpatione iterata glutinosorum, & quandoque subausterorum alimentorum, ut sunt mespila, sorba, mala cotonea &c. quibus pro re nata jungi possunt aliquando Pilulæ de cynoglossa &c.

Salivæ *copiosior proventus* curabitur 1. *Minuendo* ejus materiam, tum detrahendo in dies aliquid de alimentis liquidioribus, cum evacuando ipsam per alvum, aut cum urinis vel sudoribus.

Inter alvum moventia conducent phlegmagoga & hydragoga & simul mixta, sæpius minore quantitate sumpta. E. g. bis in hebdomada sumantur Pilulæ sequ.

℞. *massa pil. mastich.* ʒj. *resina Jalapa* ℈j. *Ol. succini gtt.* iij. *m. f. Pil. N.* xxx. *inaurentur, sumantur* iij. *aut* iv. *in lecto introeun*, ut bis aut ter ad summum purgetur.

Inter Diuretica & Sudorifera convenient Decocta minus ingrata, aliquoties in die, aut potus ordinarii loco usurpanda.

℞. *Rad. China in taleolas secta, apii āā* ℥j. *ras. ligni juniper. vel guajac.* ℥ij. *sassafras.* ʒij. *passular. maj. incis.* ℥iv. *Coq. s. a. ex aqua pur. a In colat.* ℥xxx. *dissolve syr. v. rad.* ℥ij. *spir. salis armon. gt.* xxx. *Aq. cinnam.* ℥j. *m.*

Quod si quis eodem medicamento per plures vias optet pituitam & serum evacuare, is semel aut bis in septimana poterit in decocti modo præscripti ℥ij. dissolvere El. Hydragogi nostri ʒij. vel iij.

Viarum Salivæ materiam afferentium *amplitudo nimia* curabitur imprimis Fotu subadstringente & blande aromatico, in vino rubello parato, & maxillis per pannum laneum sæpius calide applicato, cujus ope paulatim arctari ac roborari poterunt viæ ampliores.

In ipsis *Glandulis* quoties *aliquod vitium* simul concurrere rationali conjectura concluditur, quamvis necdum tale satis innotuerit, credo tamen dicta subadstringentia & blande aromatica tum interne tum externe commode usurpari. *E. g.*

℞. *rad. caryophyll. bistorta āā.* ʒj. *imperat.* ʒij. *china el.* ℥j. *liquir. ras.* ℥ß *coq. s. a. ex vino rubello ad* ℔ij. *addendo colat. aqu.* cinnam. syr. myrth. *rosar. rub. āā.* ℥j. *m. f. Apozema, cujus sumat* ℥ij. *vel* iij. bis terve in die æger. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 51.*

8. *Quia in glandulis utrinque lingua*) Constat ex physiologicis stillare salivam e glandulis, quibus numero infinitis

infinitis labia & fauces totæ pollent: pollent minoribus, quas conglomeratas vocant, sensui obviis, visui & tactui, Et majoribus, conglobatas dicuot, exigua præter hanc differentia; Sublingualibus non paucis, & lateralibus, Tonsillis: Illustrant se invicem collatæ hæ partes cum renibus, In utrisque continua fit stillatio, cessant tamen in faucibus fere tempore somni; ot per ductus detrudi suos queat. *Wedelius.* Vide supra §. 3. *Provenient.*)

[9]. *Salivam augentibus, ut Hydrargyri*) *Quæcunque serum in motum cient è centro suo, ut ad fauces confluat, sunt Salivantia* Sustinet hunc titulum κατ' ἐξοχὴν *Mercurius*, Licet enim & alia quædam huc referri possint, principatum tamen ille tenet, qui nec in hoc sibi parem habet medelam aliam: Sic novimus quosdam cum successu uti *vitriolo albo*, saltem ad gr. j. quotidie dato, eodem fine, minori indicatione, quo facto, & per aliquot dies continuato, blanda quædam Salivatio oritur, cum successu; Vitriolum enim est emeticum, duæ justa datum, minori vero continuatum, cum vomitum movere non possit, saltim salivam in os movet, ut id ipsum fit in vomiturientibus.

Salivationis autem effectus cum evidens sit, ratio non item, illam inquiramus: Notandum (1.) in *Mercurio* esse partes, ut rotundas, ita summe mobiles, unde etiamsi vel maxime extinctus, quietus, mortuus quasi appareat, mox motu mediante recorporetur & pristinam assumat faciem.

(2.) Esse in eodem vim summe elasticam; cum humidis aliis æqualem; summe evaporabilem; Vbicunque enim est vis dilatandi & concentrandi in corpore, ibi est vis elastica, quod in aëre & omnibus aliis liquidis clarum est: Evaporabilis vero vis igne patescit, aufugit enim totus, nisi captivetur clauso vase, totus inquam vix vestigio relicto, si purus sit, imo aurum ipsum ex parte quoque deprædat, quando ad vasa inaurata adhibitus igne mediante abigitur, unde principium evaporabile chimici nominant *Mercurium*.

(3.) Esse in eodem partes quidem sulphureas, viscidas, cohærentes, rotundas, sed cum salinis volatilibus sui generis, acerosis & terreis intime combinatas, solutasque, Sulphureæ parent ex colore quem nulle modo fingit, cœruleum, album, flavum, rubrum, nigrum, & nullum non; Pateot si cum acidis, rigidis immutentur, ut in mercurio sublimato, si cum iisdem beneficio terrearum, ignis vi, expandatur, ut cum acido sulphuris gas coiens cinnabario præstat ac exhibet vulgarem & antimoniatam, communem ac Helmontianam; Salinæ & terreæ, ex gravitate summa, Vtræque ex effectis variis, quatenus intime penetrat poros metallorum, eaque subigit & devorat. atque alia præstat mira; Sunt vero omnia sunt in Mercurio, quod summe mirabilem illum reddit; reliqua enim cum aliis habet communia, hoc sibi solum proprium, quod illa omnia non tam mixta, juncta, unita, sed & soluta obtineat, unde liquor est metallicus, non madefaciens manus, fluidus, menstruum universale metallorum, eorum cumprimis regis; Solvens est & solutum, viscido metallico liquore gaudens, quo destructo nec ipse cessat activus esse.

(4.) Videri quidem frigidum, torpidum, sed alas indeptum summe esse activum; Alas indipiscitur si solvatur solutionis vinculum; Solutus est & ligatus, solutus, liquore metallico aqueo concentratissimo intime combinatis particulis sulphureis, terreis, salinis, & quamdiu solutæ sic eædem; tamdiu mobilis, ligatus quoad vires harum, parent enim menstruo, parent solventi.

Simul ac vero dissociantur, ut non fluat amplius nullum sub Sole videas magis activum medicamentum, Emeticum, Sudoriferum, Purgans, universale; Alas induit excitur à calido & humido vitali; calidum vim elasticam expandit, humidum partes salinas recipit, dissociatione facta infirmatur ne fluat, sed hoc agat.

His itaque positis facilis clavis est ad lustranda effecta salivationis, sive enim intus adsumatur, seu extus applicetur, atomi subtilissimæ effumantes fundunt serum, & stimolant; ut & ipsum turgescat, elasticam vim suscipiat, & quidem in centro suo, in sanguine ipso, Lentore vero excusso, fluere citatius incipit, acrimonia salina fœtum, fluens vero citatius exitum quærit: adeoque à priori & posteriori, certum & notum est 1. fundi in de serum, 2. fusum non posse consistere suis totulis. 3. alterari quam maxime ut acrimoniam suam & illatam exuat, abstersum defæcatumque reddi, & 4. consequenter effectus præstare in corpore salutares ipsa sua alteratione hac & evacuatione.

Quas vero vias affectet ad exitum alias quam ordinarias: siquidem ordinarie agat.

Ordinariæ viæ sunt os & fauces, ubi continuo serum effluit & confluit, huc ergo ruere oportet magis, sibi relictum, huc exire, & sputatione mediante excerni; Attamen ad instar aliorum universalium, non solum extraordinarie aliquando alvum laxat; in aliis vomitum ciet hæc operatio (quo casu vix feliciter operatur, ex nostra experientia; sudorem item ciet, verum etiam ordinarie simul per dictas has vias operatur, ita tamen ut operatio primaria, ut decet, procedat nihilominus, præcipue vero per urinam & sudorem, tanquam per vias feri eductioni quadrantes & congruas magis præ aliis. *Wedelius A.m.m.p.461.*

[10]. *Vt Hydrargyri inunctione molesta*) *A quo saliva mirifice contaminatur*, Argentum vivum (*inquit Pietus Tract. 2. de Febr. cap. 7. p.m. 164.*) in quo sunt multæ arsenicales particulæ, ita contaminat, ut homo ab homine vitietur, si massa sanguinis est vitiata, Saliva certe hominis lue Venerea (quæ crassam tamen habet materiam) laborantis eum morbum vitigat, Ac si ejus corpus unguento argenti vivi perunctum sit, saliva æque pestifera est, ac contagiosa, atque ipsum argentum vivum. Saliva hominis (*inquit Jeremias Barthius*) venereo morbo laborantis, ab usu turbith mineralis, & emplastri mercurialis mures aliquot qui ipsam noctu linxerant in ipso hypocausto, ubi is decumbebat, interemptos observavit.

Huic non absimile est exemplum quod *affert D. Panarolus*, Ant. Landinus Bibliopola, phthisicus, sputum purulentum excreabat, quod si leviter mulcæ libabant statim moriebantur; ob præsentem vim veneni, muscæ licet semper in sterculiniis putridis, venenatisque locis degant, tamen hoc sputo, si vel leviter libarent illud, emoriebantur.

Citra luis præsentiam, in Matrona sanissima (si pruritum excipias, qui recens illam invaserat) ab inunctione umbilici, illius causa, ex *ungu. pomaceo*, cui *mercurius dulcis* admistus erat, salivam adeo fœtentem excitatam vidi, ut nullus esset ferendus tam copiosam, ut intra biduum plures grandes pelves impleverit, una cum pure teterrimo, in quod massam sanguinis universam conversam abiisse existimo, nulla enim abscessus præcedentis indicia præcesserunt. Evasit periculum sed multo cum labore.

[11]. *Interdum à cerebro ad fauces*) Claret ex physiologicis Salivam feri esse progeniem Serosum maxime est Cerebrum, nulla pars hac ipsa magis humido pollet, Vt Cor est calidi sedes, ita Cerebrum quasi humidi regia; unde etiam inducti fuere non pauci ut à capite nutritionem accessant, à succo nutritio, quem vocant Nervorum; Sanguis vehiculum est spirituum vitalium & materia; serum spirituum animalium: Fauces vero isthmus quidam & cataracta feri, non tam *ui* tendu-

tis (quod sibi persuadent qui caput exors catarrhorum autumant) quam potissimum ... reflui: Per anatomen quippe clarum est propagari ductum lacteum, seu lymphaticum thoracicum versus caput, valvulaque intermedia in ramum ascendentem discriminari; utrumque tendentem ad cor, & lympham illuc revehentem: Sensu etiam patet defluere modo blande, modo impetuose, quandoque lympham deviantem ad pulmones, & asperam arteriam, quin & tumores amygdalarum & faucium alios causari non raro. *Wedelius A.M.M.p.460.*

De Oris Affectibus.

Cap. LVI.

De Aphthis.

ORis ita propriè dicti [1] affectus sunt *Aphtha & Fœtor.*

[2] *Aphthæ sunt quædam in* [3] *summa oris superficie exulcerationes,* [4] *igneæ quidpiam caliditatis habentes.*

[5] *Signis* opus non est, visu ipso dignoscuntur.

[6] *Causæ* tam externæ, quam internæ, in Differentiis exponentur.

[7] *Curatio repulsione,* in principio cum adstrictione; in progressu cum discussione; *Discussione* sola, & *Maturatione,* si ad suppurationem tendant, ubi *lactis* vel *passularum* decoctum prodest, perficitur.

[1] *Affectus sunt*) Præterea. *Inflammatio, Hæmorrhagia periodica, Suctio alimentorum læsa & Masticatio læsa.*

[2] *Aphtha* ἄφθαι. De ulceribus superficiariis oris tum interni tum externi dicitur: Sunt enim Aphthæ ulcera oris superficiem ocupantia, cum molesto caloris p.n. sensu conjuncta, vel à sero sanguinis chyloso acriori, salino & ichoroso, vel à lacte similiter corrupto provenientia; Unde pueros lactantes præcipue infestare solent, *Gal. 3. in 3. Epid. t. 12.* & *Hippocr.* inter morbos infantiles recensuit *aph. 24. 3.* Aliquando aliis quoque corporis partibus exulceratis verbum ἄφθαι attribui legimus apud eundem, sic *Hipp.* Pudendis muliebribus *l. nat. mul. t. 381. l. de m. m. t. 57.* Huc pertinet *Coac. s. x. l. 29.* ubi ἀφθώδεα ῥάγματα de gravidis leguntur, Item de fistula pulmonum, sive aspera arteria, *2. de morb. tr. 49.* & *Galenus 2. K.T. cap. 8.* testiculos ἀφθώδεις curandos docet, *Bruno Lexici p. 103.* Vide *Dieterici Iatr. N. 135.*

[3] *Exulcerationes*) Levia & superficiaria oris ulcera vulgo *Aphthæ* nominari solent, quamvis apud *Hipp.* & *Galenum* interdum hoc nomen pro aliarum partium ulceribus usurpatum reperiatur; Quæ vero profundius se demittunt, Oris vel Faucium ulcera absolute nominantur, qualia sunt ea quæ Lue venerea affectis contingere solent. *Riverius.*

[3] *Exulcerationes*) In Aphthis hoc singulare observatur, quod cum cætera ulcera mox cuticulam soleant corrumpere ac consumere adeo ut eadem nuda existant, nisi pure obtegantur, Aphthæ corrumpant quidem linguæ, palati, reliquarumque oris partium cuticulam, non item ipsam consumant, donec paulatim decidant, nova cuticula sæpius prorsus succrescente, iterumque corrupta ac similiter decidente; Observatur autem ista in Aphthis corrupta, & ab inferioribus partibus paulatim secedens cuticula coloris varii, sæpius *candicantis*; aliquando *flavescentis*, quandoque *nigricantis.* Eadem cuticula nunc facilius & citius, nunc difficilius & segnius secedit à subjectis partibus: Hæc idcirco noto quia serviunt prognosi formandæ. *Sylvius Append. Tr. 10. §. 274.*

[4] *Ignea quidpiam caliditatis*) Aphthæ succedunt fere febribus ingenuibus & æstuosis; suntque Pustulæ quæ successive in ulcuscula abeunt, & in febribus his ingenuibus is excitantur ex acrioribus humoribus, & fere istis febribus superveniunt quæ humores crudi ventriculi, seu qui sunt æruginosis seu porraceis excrementis referti corripiunt: Hæc si in tempore Medicus evacuare neglexerit, Aphthæ necessario sequuntur &c. *Etmuller.*

[5] *Signis*) Aphthas futuras in morbo cognoscimus ex sapore & singultu: qui toto morbi decursu non dormiverint in soporem incidunt, & tunc aphthæ prodeunt, Singultus accidit si sunt ex ventriculo, & tunc plerumque sunt deterioris notæ. *Etmuller.*

[6] *Causæ*) Cum diversæ naturæ ulcuscula sint Aphthæ, modum generationis investigare necesse est; Ulcera pleraque aut consequuntur vulnera, vel excoriationem circa tertium diem, quando sanguis in pus incipit mutari, Aut per se habent ortum ab humoribus acribus partes molles rodentibus atque in ulcus vertentibus: Hi humores sunt fere salsi muriatici, vel acidi, à quibus partium superficies sive cuticula primum corrodi ac consumi solet, mox & pars subjecta similiter exedi, quæ partis exesæ apertio Ulcus vocatur, in quo sanguis, eo ad nutritionem delatus, in pus corrumpitur, semper ad albedinem vergens, nisi mali moris reddatur ulcus; Vel ab errore aliquo in rebus non naturalibus, vel medicamentis commisso, illud alteretur, ac mutetur; Sic e.g. à sulphure medicamentis immixto nigricabit fere pus prius albicans.

Aphthæ autem ubi exoriuntur, statim per vesiculas exiguas & albicantes se manifestant, adeo ut ipsarum ortus videatur fieri per talem cuticulæ corruptionem quæ ipsam reddat spissiorem & à subjectis partibus secedentem, donec paulatim amplius crassescens tandem ab ipsis decidat crustæ modo, succrescente ac sæpius mox, ac similiter corrupta nova cuticula, donec iterum decidat.

Quemadmodum vero pleraque ulcera post cuticulæ corruptionem ac secessum, novæ impediunt ortum, quin continue in latum vel profundum serpunt, subjectasque partes consumunt, ita contra in Aphthis hæret in cuticula præsertim corruptio, nec facile tunc aliquam profunditatem nanciscuntur ulcera vere superficiaria, cuticulæ soli infesta, & illam continue succrescentem iterum corrumpentia, ipsamque non tam consumentia quam inspissantia, & simul partibus subjectis inutilem facientia.

Unde non mirum si à vomitione humorum acrium, eorundemve aut halituum similium ascensu per œsopha-

œsophagum ad os excitentur tam sæpe Aphthæ; quatenus illi humores halitusque Acres, quovis modo ad os delati, partium omnium ibi contentarum cuticulam corrumpunt, & post sui incrassationem notabilem ad secessum & casum aptam reddunt, quoties salubres sunt Aphthæ, quæ periculosæ ac lethales fere observantur, quoties cuticulæ istius incrassatio & secessus non succedit, quin potius ipsa tenuis permanens partibus sub jacentibus firmiter adhæret, nec ab illis secedit facile.

Unde & hoc notandum, cæterorum ulcerum Curationem promoveri quando paulatim exsiccantur, & minus humoris ex ipsis prodit, Aphthas contra curationis spem facere quando ipsæ sunt humidæ, atque multum humoris effunditur ex ore, ptyalismum mentiens, tunc enim citius & facilius curari solent Aphthæ; Unde sicut ad cæterorum ulcerum curationem laudantur medicamenta humorum acrimoniam, sed acidam temperantia, ita contra curandis Aphthis conducunt medicamenta lenientia quidem, Acidamque acrimoniam temperantia, sed simul humectantia & madefacientia.

Ex quibus videor mihi posse de Ulcerum cæterorum, atque Aphtharum causa diversa hoc statuere, in cæteris ulceribus acrimoniam acidam similitudinem habere cum illis acidis quæ humiditate aquea dissoluta vim suum magis exerunt; adeoque concentrantibus indigent, In Aphthis contra similitudinem habere Acrimoniam acidam cum illis Acidis, quæ ab Aquea humiditate dissoluta vim suam amittunt, ideoq; iisdē opus habēt.

Quin inde mihi videor haud male concludere Ulcera cætera excitari ab *Acido* valde *Acri*, Aphthas vero ab *Acido minus acri*, quodque vim suam amittat in ipsa cuticula, quam corrumpere quidem possit, non item consumere, atque ideo in ea hæreat, unde dum corrumpitur, magis magisque incrassescens simul, atque è subjectis partibus sensim secedens cuticula, nova illi succrescit, quæ postquam prior decidit, paulatim pari modo corrumpi incipit, donec tandem aut corrigatur evacueturque peccans Acidum, aut sponte superetur deficiatve in corpore:

Quoniam vero inter purgantia in Aphthis curandis convenientissima optimum observatur *Rhabarbarum*, bilem purgans & tam sæpe, ac inprimis in pueris bilem æruginosam consequuntur Aphthæ, valde probabile videtur *humorem acidum Aphthas producentem*, aut esse *Bilem æruginosam*, aut humorem illi plane affinem, ideoque minus acrem quam observatur esse humor cætera ulcera gignens, Unde videtur adhuc idcirco ad curandas Aphthas conducere medicamentum acrimoniam temperans, sed simul humectans; quo hujus ope diluatur magis æruginosa bilis, ex flava & succo pancreatico acido & acri, non tamen extreme acri, confluentibus producta, & diluta reddatur infirmior & mitior. *Sylvius Append. Tr. x. §. 273. ad 291.*

A succi Pancreatici utpote Acidi, Acrimonia pendere Aphthas; ex frequentissimo ipsarum colore albo patet, postquam ab Acrimonia salsa lixiva nunquam albicantia sed nigricantia produci solent ulcera; Ab hoc Humore halitus per ventriculum ac œsophagum assurgens, quin ipse humor, ulcuscula albicantia in lingua palato, gingivis, totoque ore ac ipso eo œsophago & ventriculo etiam excitat. *Idem Tr. 9. §. 84.*

9. *Curatio*) Tota consistit in *humectatione*, quæ emolliat & leniter calefaciat: Cum vero Aphthæ coctæ sunt, abstergere illas oportet, vel spongiola alligata bacillo, vel linteaminibus, alterutrum intingi debet in decocto aliquo emolliente &c. Quando igitur lingua incipit exasperari, quod præcedit aphthas

℞. *fol. sedi maj.* detrahatur pellicula ab utraque folii parte, hinc in *aqua ros.* imponantur, ut humida serventur, postea imponantur linguæ ad humectationem.

Pari ratione usurpari possunt folia portulacæ, aut *Mucilago semin. cydonior.* cum *aqua portul.* extracta: Cum autem jam adsunt Aphthæ, optimum est *decoctum raparum*, ex quo expressus succus imponatur linguæ, humectat & abstergit: Si parum *salis prunellæ* vel *nitri* addatur, ardorem simul restinguit. Vel

℞. *herb. bellidis cum toto m. j. ficu. ping. n. ij. coqu. in aqua communi*, adde *salis prun. parum*, humectentur fauces & lingua sæpius.

In maxima siccitate.

℞. *butyr. r. insulsum*, *misce cum sacch. c. rubro ut fiat* instar boli; teneatur in ore; emollit, abstergit; Addi potest pariter parum *salis prunellæ*.

Quod si ulterius progrediantur Aphthæ, degenerant in Oris ulcera, successive depascentia, quæ ipsa oris ulcera, etiam ex aliis causis nata, frequentius fere curantur abstergentibus. *Etmuller.* Vide inferius §. *Ablui possunt.*)

Aphthas succi Pancreatici quavis Halitus Humorisve forma per ventriculum Oesophagum ad os assurgentis acrimonia ortum habere ostensum (vide § *causa*) unde patet earundem curationem consistere 1. in *Acrimoniæ* notatæ correctione, (*ibi proposita*) Ubi notandum omnia medicamenta in hunc finem usurpanda per os, fauces, gulam ventriculumque ulceribus hisce scatentia, transire debent, talia esse oportere quæ omnis acrimoniæ sunt expertia, ne in transitu illo plus noceant quam prosint.

2. In Ulcerum eorundem *mundatione*, *delinitione*, atque *exsiccatione*, Aphtharum ulcera mundant quæ blande abstergent, *mel rosac. syr. violar. simplex ac compos. lactis serum, decoctum raparum &c.*

Omnibus Indicationibus tribus satisfacit *Ovi vitellus conquassatus, & aquæ rosac. plantaginisve admixtus* cum tantillo *sacchari*; Hujus namque ratione absterguntur; atque *vitelli ope* deliniuntur, & utriusque beneficio exsiccantur notata ulcera: Conducunt etiam in hunc finem *Emulsiones hordei* atque similes, Usurpantur pleraque forma gargarismi; quin nonnulla ore aliquandiu continentur, atque paulatim degluciuntur. *Sylvius Append. Tr. 9. §. 292.* Vide plura infra §. 16. *Quæ excipere debent* (Et §. *Ablui possunt*) Et supra §. 6. *Causa.*)

Dividuntur multifariam.

8. I. Aliæ sunt *à Causa externa*; 8. hydrargyri nempe inunctione, cibis acribus in ventriculo corruptis, esu fungorum, mensium retentione &c.

Aliæ 10. ab *Internis*, nempe.

11. *Humoribus pravis* vel ibidem genitis, vel aliunde missis; Tum, 12. colores humorum imitantur. A pituita minus ferventes sentiuntur. A 13. bile plerumque inflammatæ sunt. In pueris nigræ, & veluti crustæ, 14. lethales evadunt.

15. Universalia postulant, 16. quæ excipere debent, *aqua nucum jugland.* cum *aceto* destillata, & cum spongia adhibita: *decoctum satureja* vel *veronica* cum *melle rosato*, & pauxillo *spiritus vitrioli*, 17. *gargarismus* ex *aqua prunellæ, foliis quercus, plantagin.* & *nitro* præparato. *Radix rubi mora ferentis* in vino ad tertias pro oris collutione decocta.

2. *Vaporibus*, qui vel à toto vel à parte, calido præsertim jecore emittuntur, summas oris partes facile ob mollitiem & teneritudinem acrimonia sua lædunt, in febribus frequenter talem morbum inducunt.

II. Aliæ sunt *Recentes*, [18] quæ facilius sanantur.

Aliæ *Inveterata*, quæ difficilius: idque tum propter partis sensibilitatem, quæ ab acribus medicamentis irritatur; tum propter medicamentorum à saliva elutionem, tum denique propter mali in loco calido & humido ad putredinem præparationem.

III. Aliæ sunt *sordida*, quæ *aqua saccharata*, cum *oleo vitrioli* permista, [19] ablui possunt.

Aliæ [20] *Vlcera sordida* post se relinquentes, & tum [21] *Aqua viridis* Plateri rectè adhibetur, quam ablutio oris per *aquam plantaginis* sequi debet.

IV. Aliæ *summam duntaxat cutem stringunt*, & in gingivas, palatum, linguæ latera & radicem serpunt.

Aliæ *profundius penetrant*, & palatum carnemque linguæ exedunt: in infantibus præcipue, quia molliora corpora habent.

[22] Laudantur [23] decocta [24] *Satureia* & *Veronica* in vino, si iis os colluatur. Aqua *nucum* cum aceto exstillata, si spongia adhibeatur.

V. [25] Aliæ sunt [26] *Puerorum*, quæ plerumque à lacte acri & salso proveniunt, *diamoro* cum melle rosato aut [27] Oxymelite curantur.

Aliæ *Adultorum*, quæ Universalia exposcunt.

8. *Hydrargyri nempe inunctione*) Si ab inunctione hydrargyri os inflammetur, hoc ne fiat, prius antequam ungatur (*lue affectus*) os sæpe *lacte*, *jusculo pingui* abluendo, *butyro*, *oleoque amygdal. recentibus* linguam reliquumque os inungendo, præcaveri debet. Privatim vero in inflammationibus jam in ulcera abeuntibus, aliqui *theriaca cum aqua vitæ* & aceto permixta partes inflammatas inungunt; Vel aquam prius ex illis elicitam adhibent; cui *bolum* aliaque similia siccantia miscent, quibus argenti vivi venenatam vim infringi credunt; quo nomine & *Gajaci decocto* os abluere juben *Platerus*.

9. *In ventriculo*) Quæ à ventriculo initium capiunt, in imis faucibus observantur; Quæ vero ab ichore salivali corrupto, plerumque incrustare solent linguam, quæ tunc fit arida, pallida, viscosa & varia prout peccant humores. Singultus accidit si sunt ex ventriculo, & tunc plerumque sunt deterioris notæ. *Etmuller*.

10. *Ab internis nempe 1.*) A morbo quoque alio prægresso nascuntur ulcera, vel immutantur: Veluti ex *abscessu* post inflammationem facto ruptoque relinquitur ulcus sordidum, *Vulnus*, aut *excoriatio simplex*, ob loci humiditatem facile in ulcus abeunt. *Platerus*.

11. *Humoribus pravis*) Generari solent ab acribus humoribus aut vaporibus à variis partibus in fauces translatis: Sic in febribus malignis hujusmodi ulcera sæpissime contingunt, & in iis qui calidiori hepatis aut aliarum partium intemperie laborant, aut corruptorum humorum illuvie scatent. *Riverius*. Corripiunt homines crudi ventriculi, seu qui sunt æruginosis seu porraceis recrementis referti; Hinc si Medicus evacuare in tempore neglexerit, Aphthæ necessario sequuntur: Vt ut autem ventriculus purus sit, nihilominus interdum aphthæ oriuntur, nempe à Saliva corrupta à salso & acri humore. *Etmuller*.

12. *Tum colores humorum imitantur*) Differentiæ propriis signis distinguuntur, siquidem ulcera rubicundiora à sanguine oriuntur, flaviora a bile, albescentia à pituita; & livida ab atra bile, fœtida putredinem adesse significant. *Riverius*.

13. *A bile plerumque*) Varii gradus reperiri solent pro varietate humorum è quibus generantur, vel enim fiunt vel à sanguine, vel à bile, vel pituita, vel melancholia, seu potius atra bile, quæ non solum exurentem; sed etiam plerumque malignam qualitatem obtinet, & ulcera ἀναβρωτικὰ generare solet. *Riverius*.

14. *Lethales evadunt*) Pessimæ sunt quæ ex ventriculo non repurgato eveniunt; totum enim ductum per gulam ad fauces usque obsidere solent; Optimæ sunt albæ, flavæ, candidæ, fungosæ, molles, quando instar flocci videntur tumere: Sed quando sunt glabræ, siccidæ, subsidentes, compactæ, tales significant morbum periculosum & diuturnum: Sunt & Aphthæ rubræ & molles malæ: lividæ, virides & nigræ omnium pessimæ: Malum signum est non facile coqui, emolliri, humectari, & longo tempore siccas, aridas, compactas, planas, æquales manere, & quanto diutius durant tanto pejus est: Longum morbum significant Aphthæ quæ intra triduum veniunt & abeunt, has enim rursus sequuntur novæ, adeo ut sæpius succedere soleant, & tanto futurus est morbus longior quanto Medicus frequenter purgat. *Etmuller*.

Quo magis albicant *Aphtha*, h. e. cuticula ab ipsis corrupta, quo facilius citiusque secedunt ipsæ à subjectis partibus, quin imo quo pauciores observantur, rariusque regenerantur aut succrescunt, eo sunt salubriores, eo facilius citiusque curantur, ipsique ægri convalescunt citius: Contra, quo eædem sunt à colore albicante remotiores, flavæ, ac inprimis atræ, quo segnius ac difficilius secedunt, adeoque subjectis partibus adhærent arctius, suntque magis compressæ, quo succrescunt lentius permanentque diutius, quo plures occupant partes, perdurantque diutius, eo sunt periculosiores ac nocentiores, eo curantur difficilius & rarius, pereuntque adeo ægri frequentius. *Fr. Sylvius*.

15. *Vniversalia postulant*) Curatio instituitur primum idonea victus ratione, quæ refrigeret & exsiccet, ac causæ antecedentis generationem impediat: Pueri itaque, si à lactis vitio malum contraxerint, Nutricis mutatio præcipiatur, aut propriæ nutricis lac corrigatur cibo & pauco laudabili; tum etiam V. S. & purgatione, si opus fuerit: Præsertim vero nutricibus præscribantur edulia refrigerantia & adstringentia) *quæ a Sylvio omnino, ut & medicamenta præscribuntur* qualia sunt *cydonia, pyra, mespila sorba, lactuca, & portulaca* In adultis eadem præscribantur, & vitentur acria, salsa & piperata.

Deinde causæ antecedenti prospiciendum est universalibus evacuationibus, pro ætatis ratione usurpatis.

Ac

Ac primum phlebotomia humores ad partem fluentes potenter revellit, eorumque acrimoniam temperat totum corpus refrigerando : Huic succedere debent *encurbitulæ scarificatæ, hirudines pone aures*, & sub mento affixæ, *vesicatorium* posteriori cervici admotum: Postera die à V. S. purgatio præscribenda, humori peccanti & ætati congrua. *Riverius.* Tanto futurus est longior morbus, quanto Medicus frequentius purgat; Nil enim pejus quam sæpe purgare eo tempore quo Aphthæ fiunt. *Etmuller.*

15. *Universalia postulant*) In solutionibus continui, *Pustulis* nimirum, *excoriationibus*, *fissuris*, *ulceribus* curandis, si hæc à causa interna proficiscantur, illa primum evacuantibus est auferenda, vel licet aliunde proveniant, si tamen in corpus cacochymicum, aut plethoricum cadant, eo prius repurgato facilius sanantur; Vel si maligna causa subsit, ut *lues venerea, scorbutus, elephantiasis*, primum est exterminanda; quæ si auferri nequeat, ægre vel nunquam hæc inde nata ulcera curari possunt; Quibus omnibus præmissis, aut simul usurpatis, vel illis etiam omissis, si nullam causam quæ illas foveat habeant, topica alia pustulis, alia fissuris, alia excoriationibus, & ulceribus adhibenda. *Platerus.*

16. *Quæ excipere debent*) In exulcerationibus, sive excoriationes tantum sint, sive ulcera, in lingua, buccis, palato, sive ulcuscula illa adeo frequentia, aphthæ, & gingivarum ulcera, tam *communia* quam *serpentia*, easque corrumpentia, *topica* admodum *exsiccantia*, ob loci humiditatem, eaque sæpe validissima adhibenda, quibus detergentia, si ulcera simul *sordida* sint, *carnemque putrem* exedentia, vel auferentia, si putrescant, permiscenda; Et si inflammatio ulceribus copuletur, frigida repellentia simul addenda; Eaque remedia tunc fere adhibenda quæ *inflammationi oris* conveniunt : Tum & adstringendo siccent, proindeque multa ex illis, etsi calor non adsit, hic quoque in ulceribus sanandis conferre possunt, sed & quæ malignitatem ulcerum reprimunt, quandoque si maligna fiot, apponuntur ; Quæ remedia diversimode administrantur, atque os illis vel generatim *colluí* potest, vel *masticando* imbui aut *suffumigari*; Platerus.

16. *Quæ excipere debent*) Summe efficax est *fœniculi radix* usta per se, & cum melle illita. *Ætius.* Siccum pharmacum, quod, ex *rosis, rheo, croco, & costo* constat, valde confert si cum *melle* illinatur, *Altimarus.*

Oris ulcera nulla alia re quam *radices pentaphylli, decocto* sanavi. Expertissimum remedium. *Barsicellus ex Thoma Thomajo.*

Quidam hoc valde laudant, *Nuc. aquat. immat. macerentur aceto destillato*, destilla per *alemb.* hanc aquam misce cum *melle rosar.* & inunge locum. *David Herlicius Tr. Germ. de Cura Grav. p. 378.*

Hoc illico Aphthas abigit in adultioribus, *Accipio nuces virid. semi-maturas, cum cortice frango, aceto macero, destillo, Hujus ℞. parum*, & spongia eo imbuta specillo alligetur, hac leniter absterge Aphthas, & ablue spongiam aqua fluviali, mox repete bis vel ter. *J. Hornius.*

Pilosella in vino cocta oris ulcera citissime curat. *Idem.*

Præsentissimum remedium ad Aphthas, tam in infantibus quam in adultis est eas diligenter prius ablutas, oblinire sequenti Linimento.

℞. *mell. rosac.* ℥ß. *ol. vitrioli* ʒj. m. f. Ungu. *Franc. Joel.*

℞. *sacch. cand. salis gemm. āā. q. s.* destilla ut oleum *sacch.* adde *aqua prunellæ & plantag. q. s. m. & de eo* cochl. j. in ore teneatur, Mire & cito sanat. *Joh. Cornhaverus.*

Diamoron cum *oxymel.* est probatissimum medicamentum. *Eust. Rudius.*

Pro removenda materia Aphtharum causa *sale vitrioli* nihil unquam pretiosius sum expertus. *Ang. Sala.*

16. *Quæ excipere debent*) Ab ipso curationis principio *Topica* administrentur, *Stomatica* à *Galeno* dicta; eaque ab initio mitiora sint, qualia sunt *Gargarismata*, vel *oris Collutiones* ex *aquis plantag. matris sylv. pec. rosar. syr. de rosi. siccis, de moris* paratæ, vel Decocta ex *fol. plantag. rubi, centinod. balaust. sant. r. & simil.* cum dictis *syrupis* : Si *inflammatio* adfuerit, utiliter addi poterunt *succi solani, sempervivi, portul. & sal prunellæ*, ex quantitate quæ acrimoniam non feriat : Vel illius loco *Alumen crudum*, in parva dosi admisceri poterit.

Si non sit *inflammatio*, unicum ac summum remedium est *spiritus vitrioli*, aut *sulph.* qui in adultis purus ac putus usurpari poterit, intincto in eum gossypio bacilli apici alligato, eoque ulceri admoto, levissimo contactu, sic enim Aphthæ simplices momento fere curantur : In pueris vero permiscetur dictus *spiritus* cum *melle rosaceo*, ea proportione ut aciditas linguam leniter feriat, & cum *penicillo ex linteo, baculo alligato*, Aphthæ illinantur frequenter, & cito curantur. Si admodum dolorificæ, aut sint ulcera, cum inflammatione, *lacte* sæpe gargarisato mulceantur.

Vel *Emulsion. semin. frigid. vel mucilag. sem. psyllii & cydon. cum aquis rosi. plantag. solani* extractis : Si dolor pertinax revulsionibus & topicis non sedetur, sed præ vehementia copiosi humores acres continuo attrahantur, unde vigiliæ & corporis consumptio, ad extremum remedium *Narcotica* veniendum, quæ dolorem sedant & humorum influxum inhibent. Ego puerum iv. annor. ab orci faucibus liberavi exhibito laudani gr. uno, cujus fauces & lingua profundis ulceribus scatebant, cum tanta inflammatione ut nec jusscula, nec topica ferre posset, & tanto humorum acrium affluxu ut illi continuo ex ore rivuli instar emanarent, & puer dies noctesque insomnes transigeret. *Riverius.*

Semen Basilici per noctem *aqua rosac.* maceretur, in succum album, seu gummi quoddam resolvitur, quod præsentaneo remedio inflammationibus & exulcerationibus, & Alkalæ oris, nec non labiorum fissuris & fissuris mammarum illitum. *Hier. Tragus.*

17. *Gargarismus ex aqua*) Ex aquis vide inferius §. *Pro oris collutione decocta*; dictorum simplicium, & inprimis in quibus adstrictio aliqua remanet, ut *rosar. flor. & calycum, ligustri, plantag. caprifol.* similiumq; collutiones fiunt, si loco decocti sumantur, in illisque terrestria, ut *bolus armena, gypsum ustum, alumen &c.* dissolvantur, aucta etiam illarum dosi, cum aquæ minus quam decocta siccent. *Platerus.*

18. *Quæ facilius sanantur*) Quoad prognosin Aphthæ proprie dictæ facillime curantur, Ulcera vero profundiora, aut putredinem adepta, *Νόμαι* à Græcis appellata, difficilius curantur : Et in pueris illa periculosiora sunt tum ob partis mollitiem, quam hujusmodi ulcera magis depascunt; tum quod remedia potentiora, ob eandem carnis mollitiem, ferre nequeunt. Unde fit ut pueri interdum ex hoc affectu intereant si malignitatem & putredinem comitem habuerit. Ratione *causæ* etiam, minus periculosa sunt ulcera quæ à *pituita*; magis quæ à *sanguine*, vel *bile* generantur : Ulcera *nigra* & *crustosa* pessima & lethalia sunt, præcipue in pueris: Fauces exulceratæ cum febre, difficiles sunt, ut docet *Hippocr. 3. Progn.* quia ut *Galenus* explicat, humoris erodentis malitiam indicant. *Riverius.*

19. *Ablui possunt*) Præter Collutiones, Gargarismos, &c. aliis formis usurpari possunt medicamenta, Quædam *commansa*, vel *masticata*, vires suas in ore exserunt, ulceraque sanant, ut sunt fructus esui apti, austeritatem aliquam ante maturitatem obtinentes, inprimis

mora, corna, cydonia, mespila, minus grata, sed efficacia; *folia ligustri*, quæ comesta aphthas sanant: Qua ratione & aliæ multæ *plantæ* decoctis aptæ, maniæ proderunt.

Fumi fuliginosi, quales in narium ulceribus, ore excepti siccando quoque prosunt: Qui ex *suffitu hydrargyri* fiunt, etsi inde ulcera nata sint, in os tamen obiter intromissi, curant eadem.

Quæ ulceribus vel *illinuntur*, vel *asperguntur*, aut etiam ut putredo simul auferatur, *affricantur*, adeoque sæpe ut sanguis exeat; Vel si validissima sint, *bombace* aut *linteo obvoluto* exceptis solum tangimus, sunt sequentia.

Ex *melle rosaceo* & *alum. crudo, ustove* mistura à Chirurgis plerumque ad ulcera abstergenda os inungi solet.

Ex *succis prædictorum fructuum*, vel *herbarum*, *melle* permixtis, vel inspissatis coctione fieri potest; sunt in usu *succi ex moris & uvis acerbis* cocti, *Diamorum*, *Omphacium*, quæ adhibita sanant, addito *alumine aut vitriol. albo* cum simul abstergendum.

Ex *Plantis siccis*, aliisve comminutis, vel ustis pulveres facti, per se, vel cum *melle*, *omphacio*, *diamoro*, (sapa) excepti, utiles.

Siccans sic paratur.

℞. *semin. myrtill. fol. lauri, c.c. vel ebor. usti vel spodii, ãã.* ʒß. *corall. usti* ʒj. f. Pulvis.

Efficacior. ℞. *gallar. cort. granat. ãã.* ʒj. *oss. dactyl. cupul. gland. ust. rad. cyper. ãã.* ʒß. *ros. rub.* ℈j. *Misce.*

Validior. ℞. *Acac. hypocist. ãã.* ʒj. *vitr. albi* ʒß. *sal. gemm.* ℈j. *rad. angel.* ℈ß. *f. Pulv.*

Ex liquoribus validis & erodentibus parantur remedia, quibus ulcera pertinaciter *tacta*, vel si sint lata, etiam *fricata*, sanantur: post quorum usum ne quid in faucibus hæreat, os vino, liquoreve alio abluimus, sunt sequentia, *Atramentum scriptorium* licet denigret, adhibitum ea egregie siccat; quod validius si *æruginem æris* illi addas operabitur. Valet *aqua viridis*, de qua vide §. 21. *Aqua viridis Plateri*) *Decoctum sublimati simplex ex* ʒj. illius, in *aqua comm. rosac. vel plantag.* coquatur leviter, tangantur ulcera: mitescet ℥j addendo aq. solani &c. ℥ij. *Aqua forti* diluta quidam utuntur. *Platerus.*

Ex decocto siccans & abstergens oris fit collutio; quod ex plantis variis austeris, adstringentibus & nitrosis, abstergentibus fit; veluti ex *foliis ligustri, plantaginis, pilosellæ, agrimoniæ, caudæ equinæ, helianthemi, cyani maj. oleæ, bellidis, caprifolii, virgæ aureæ. rubi, mali folia, geranii, ruper. pyri sylv. fagi, polygoni vel herniaria, pruni sylv. consolidæ, cortic. oxyac. granat. ex flor. rosar. rubr. balaust. cupul. gland. labrusca, oxyacant.* Ex *hordeo, lent. non excortic. fructu cupressi, semin. myrtillor. baccis pruni sylv. sumach*, fructu, *moror. sorbor. & ex gallis*, quibus si lentor in ore simul adsit, & putredo, calida quoque, ut *salvia, serpyllum, origanum, menthastrum, fol. lauri*, radixque *ireos* adduntur: atque inprimis in *scorbuto cochlearia, nasturtium, sisimbrium.*

Ex quibus, pluribus vel paucioribus, decoctum ex *aqua*, quæ si prius *ferrata* fuerit, aut *chalybeata*, etiam adstringit, paratur, addendo interdum & vini mediam, tertiam, vel quartam partem, nonnunquam & *aceti rosacei* vel rubri tantum donec acescat, & ut gratum magis sit, abstergatque amplius, *mellis* vel *sacchari, simpl.* vel *rosac.* vel *syr. rosac. myrtillor.* & *diamoron.* Et si potentius illud operari volumus, *succos* aliquos ex prædictis plantis expressos, ut *granatorum, acetum*, vel *salis & aluminis* aut *vitrioli* eam quantitatem, unde *salsedinem* vel nitrositatem aliquam adipiscatur, vel *bolum* etiam, aut *lapid. hæmatitis* attritum *succum* elicitum. Aliud *Decoctum* ex *terrestribus* solis fit cum admodum siccare volumus.

℞. *boli Armenæ* ℥j. *gypsi usti* ℥ß. *alumin.* ʒij. *vitrioli* ʒj. *vini albi mens.* ß. *coqu parum pro Collutione oris.*

Ex *succis* fructuum quorundam gratorum & copiosum fundentium, potius quam herbarum, cum ingrati hi sint, collutiones fieri possunt, maxime abstersionis causa, ut *succo* vel *vino granator.* vel *vino ex uvis facto rubro vel austero*, vel etiam *aceto*, præsertim *rosaceo*, & si admodum abstergere velis, *scillitico*, per se, aquave prius nonnihil temperatis, quibus ulcera ablura adeo expurgantur, ut veluti excocta post illorum usum esse videantur: quo nomine & ut siccantia postea melius agant hisce os prius interdum colluitur. *Cydoniorum succus*, cum siccandum, in ore potest retineri. *Platerus.*

20. *Ulcera sordida post se relinquunt*) Si ulcus sordidum ac putridum evaserit, abluatur primum *decocto hordei* & melle rosaceo, In pueris *lacte chalybeato*, cum *conserva ros.* agitato, mox ad fortiora transeundum, & imprimis *mel rosac.* guttis aliquot spiritus vitrioli acidulum redditum, multum confert: Si hæc non sufficiunt, aquis vel decoctis supra dictis addi possunt *alumen ustum*, *collyrium Lanfranci*, vel *ung. Ægypt.* majori vel minori dosi, prout affectus vehementia postulare videbitur.

Si denique à *Lue Venerea* faucium ulcus procedat, nonnisi lue sublata curari potest. *Riverius.*

21. *Tum Aqua viridis*) Fiunt & ex *aqua destillata, aluminosa* appellata, Collutiones, Quæ in omnibus Oris ulceribus sanandis quibusdam in locis in usu est, recipit

℞. *Uvar. rec. sylv. nondum plene matur.* ℔iij. *fol. portul. plantag. rec. ãã.* ℔ij. *album. ovor. n.* vi. *alumin.* ℔j. *ex contusis, invicemque mixtis, aqua elicitur. qua ulcera lavantur* vel fricantur. Efficacior fit si antequam aqua extrahatur *cortic. malor. granat. rec.* ℔j. *vitrioli* ℥iij. *aceti* ℥iv. addantur: Harum vices supplet *aqua Aluminosa Liebautii.*

℞. *succor. plantag. portul. alumin. rup. ãã.* ℔j. *album. ovor. n. xii. agitentur cum baculo*, destillentur in B.M. *Platerus.*

22. *Aqua viridis Plateri*) Valet in serpentibus ulceribus, in primis faucium & oris, sensibili emolumento, aliquoties applicata.

℞. *aerug. aris* ʒj. *auripigm.* ʒiß. *cribra subtiliss. coqu. in vini albi* ℥iv. *ad medias, refrig. adde aqu. rosar. & solani ãã.* ℥iß. Vel duo priora cum *nitri* & *aluminis pondere* ℈j. *aequal. coqu. in aquis rosar. & plantag.* ℥iv. Alia habetur in observ. p. 405.

Cauteria potentialia, ex *calce* & *fæce vini*, ita adhibita ut ulcera tantum tangant, quidam adhibent, Sed certius est *actuale cauterium* si subito uratur pars hinc enim eschara facta, si ea auferatur, ulcus curabitur. *Platerus.* Vide §. 19. *ablui possunt.*

21. *Tum Aqua viridis*) Valet hæc quæ fit ex vino albo, aqu. *rosar. plantag. ãã.* ℥iij. *alumin.* ℥ß. *virid. aris camphor. ãã.* ʒij. m. f. Liquor in penna seu gossypium intingatur &c. *Vidus Vidius.*

22. *Laudantur Decocta*) Nobile hoc medicamentum est ad omnia serpentia ulcera erodentia.

℞. *arsenici rub. calcis vivæ, gallar. alumin. ãã. p. aequ. ex* aceto in pastillos redige, & serva, *Al. Benedictus.*

Si ulcera sunt maligna, ego feliciter utor *Aqua*

Tartari

Tartari vel ex *chalchanto*, quibus omnia ulcera maligna curantur. *Herc. Saxonia.*

[23] *Decoctum satureje*) P. *Argellata* scribit secenties expertum esse in oris ulceribus *Saturejam*, quam in *vino* coquere jubet, & cum illo os colluere: duobus enim vel tribus diebus ægrum curat. *Gabelchoverus.*

[24] *Satureia*) Hęc suspecta, quia acris est, & quasi ignea, ideo potius decoctum sequ. convenit.

℞. *h. veronica m. ij. coq. in s.q. aq. simpl. adde mellis q. s.* & adhibeatur.

Vel *phlegma vitr.* cum *aqua prunellæ* & plantag. mistum, egregium in oris ulceribus partiumque vicinarum. *Ermuller.*

[25] *Alia*) Quædam excitantur à Lue Venerea, quarum venenatam vim reprimit *Aqua* elicita ex *Theriaca* & æqu. p. *aqua vitæ* & *aceti* mistis: Valet & sequens Gargarismus.

℞. *aqu. rosar. plantag. ãã.* ℥ij. *aqu. vitæ aceti ãã.* ℥ß. *diamor. mell. ros. ãã.* ʒiij. *theriac. boli*, vel *terræ Lemniæ, ãã.* ʒß. *misce.* Platerus.

[26] *Alia puerorum*) Puerulis Aphthæ sæpissime contingunt, ex *Hippocr. aph. 24. 3.* tum ob lactis acrimoniam, quę in transitu partes illas mollissimas exulcerat, ut docet *Galenus* in comm. Tum quia lac in ventriculis puerulorum sæpe corrumpitur, & acres vapores ad os transmittit, ut idem *Galenus* asserit 6. *κ-ων. c. ult.*

[27] *Aut oxymelite curatur*) Admirandam opem fert in Pueris hoc.

℞. *gallis contusis in aqua, coque, decocto colato ana mellis adde; & ad hujus spissitudinem recoque*; Ut maximo remedio utere, ita ut locis illitum satis diu digitos affrices. *Ætius.*

℞. *alum. sacch. ãã.* ℥ß. *coqu. in aqua plantag.* adde *succi moror.* q. s. quo os abluatur, optime juvat in puerorum Aphthis. *Coglenius Experim. c. 15.*

CAP. LVII.

De Fœtore Oris.

[1] *Foetor oris est anhelitus gravitas à vapore fœtido ex ore egresso producta.*

Signis opus non est.

Causa proxima est *vapor*, qui [2] progreditur.

I. A *Cibis* vel ex selpsis fœtidis, ut allio, cæpa, & tum fœtor brevi sponte evanescit: vel in ventriculo, aut [3] interstitiis dentium corruptis. [4] prosunt *tenera pyri folia* cum *pulver. piper. caryophyllorum* & melle contusa, in vino cocta & post cibum sumpta.

[5] Ab *intestinorum excrementis*, [6] cum orificium ventriculi inferius, quo in intestina se aperit, non arctè clauditur, quod ebriosis accidit, & tum *Caryophylli, Nux moschata, Zedoaria, Radices Imperatoria, ireos, Cortices citri*, &c. [7] in ore detinenda.

III. Ab *humoribus fœtidis*; [8] seu in ventriculo, [9] & tum *aloëticis* optimè evacuantur: seu [10] in osse colatorii, si quando corrumpitur; seu in ulcere & vulnere pulmonis, gingivarum, intestinorum.

IV. A *vermibus* in intestinis stabulantibus &c. Exemplum hujus affectus singulare cum febre hectica & renum abscessu quodam vide apud *Ballonium* cons, 41. l. 1.

[1] *Fœtor oris est*) Vitiosa expiratio se offert, si spiritus qui efflatur gravi odore sit præditus, aut fœteat, qualis per os dum expiratur in *fœtore anhelitus* vel *halitus*, aut *oris*, cum inde prodeat, nominato, exhalat, nunc stercorosum, nunc cadaverosum, aut putrem casei aliorumve odorem redolens, qui admodum molestus est, & ab adstantibus facilius quam ab ipso ægro percipitur; Et in quibusdam dum jejuni sunt, vel saltem magis se exerit; Aliis nec postea cessat, sed omni fere tempore perseverat: Aliquando post certorum duntaxat ciborum comestionem aut ebrietatem oritur, atque aliquandiu durat, & postea remittit: Interdum morborum quorundam est symptoma, & vel eos præire, vel presagire solet, quando citra aliam manifestam causam hoc vitium quod Galli vocant *sentir le malade*, ægroturire, in illis deprehenditur. *Platerus.*

[2] *Qui progreditur 1. &c.*) Ob infectionem spiritus ab illis quæ tetrum odorem exspirant factam, *Halitus fœtor*, uti & *Narium* & *Oris* exurgit: Atque si flatus hoc pacto odorem ab illis concipiant, *Ructus graveolentes*, vel *crepitus fœtidi* prodeunt: Qui fœtor à variis *assumptis* vel excrementis dependet; *Assumpta* quædam, si alieno odore prædita sint, eo anhelitum inquinantia, ut illa aliquamdiu redoleat efficiunt, eoque magis si in *ore* aut *dentium interstitiis* diutius hęreant; In ventriculum quoque delata odor ipsorum teter per os exhalatur, velut ab esu *allii, casei putris*, similiumque accidit: Et ab aliis quoque Odor etsi non adeo gravis, tamen adstantibus nauseosus & ingratus, ut à *vino* in ebriis, vel ab aliis *pinguibus cibis* halitus vel ructus: Multa quoque non per se odore gravi prędita, sed putredine vel corruptione demum illum adipiscentia, halitum vel ructum eodem inficiunt; veluti in ore caro, si *dentium intervallis*, & maxime in *dentibus erosis* vel *cavis* hæreat, ob moram, & locum quoque, si ille similiter corruptus sit, putrescens pessimum odorem acquirens Oris fœtorem parit: Quæ & in *ventriculo* corrupta idem potest efficere, quod & facile in quibusdam hominibus & animantibus evenit; è quibus illa fere sola quę carnibus vescuntur anhelitus fœtorem aliquando concipiunt; Dein & alia multa, per se non alioquin ingrati odoris, in ventriculo corrupta (quod facillime fit) ut *raphanus* comestus, qui ructum pessimi odoris efficit, tetrum anhelitum efficiunt. *Platerus.*

Si ab assumptis proveniat oris fœtor, eaque vel in ore gravem odorem expirent, ut *allium*; vel eructent ut raphanus, sponte cessat, tuncque à colloquio propinquiore abstinendum, odoratis utendum. *Idem.*

[3] *Aut interstitiis dentium*) Si quia *dentes immundi* sunt, vel ipsorum interstitiis angustis, vel cavitatibus, quando erosi sunt, cibus inhęrens putrescit, vel ob alias sordes in ore collectas, hoc fit, cavendum ne quid dentibus inhęreat, atque diligenter expurgandum: Dentes erosi & vitiati evellendi. *Platerus.*

[4] *Pro sunt tenera*) *Apii veri, Petroselini* vulgo di-

cti, herbæ recentis masticatio post allium aliave graveolentia comesta, tollit eorum fœtorem, aliumque ex ore prodeuntem occultat. *Platerus.*

5. *Ab intestinorum excrementis*) Excrementa fœtida, vel alioquin graveolentia, intrinsecus in *intestinis*, ventriculo, aliisve *cavitatibus* ad exteriora pertingentibus latentia, odores ipsorum tetros inde, vel exhalatione aut cum flatu emittunt, vel si extrinsecus sint, ab illis locis expirant. In *Intestinis* excrementa contenta, cum sua natura fœteant, eoque magis si biliosa, vel aliis pravis humoribus commista sint, fœtor ille non tantum cum excrementis inter dejiciendum se profert, sed & cum flatibus qui in intestinis facile colliguntur, & ab excrementis fœdum hunc odorem concipiunt, per podicem erumpentibus, crepitu se prodit, excrementorumque odorem pravum, à quibus expiravit, refert. *Platerus.*

6. *Cum orificium ventriculi inferius*) Oris fœtidus anhelitus ab intestinorum excrementis prodire solet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiusque præsertim orificii, pylori dicti, quo in intestina se aperit, is nimium patet, vixque exacte amplius constringi occludique potest, sicuti naturaliter fieri debet, tunc fœda excrementorum exhalatio sursum per intestina expirans, per apertas hasce & laxas vias in ventriculum, indeque ad os usque delata, anhelitum fœtore suo inficit: Quam nos præcipuam causam *illius oris fœtoris qui stercorosum* odorem exprimit, esse diligenti inquisitione deprehendimus; ob id adeo perseverantem & pertinacem, cum ab organi vitio procedat, quod ægre, reparari potest: Cui occasionem crapula diu continuata præbere solet, ex qua tandem ventriculus adeo laxus redditur, vel alia illius imbecillitas sequitur. *Platerus.*

7. *In ore detinenda*) In ore odorata, quæ suavi & amico odore imbuant, quædam *retinenda*; alia etiam *masticanda*, nonnunquam & *degluttienda*.

Ex simplicibus *Angelica radix* præ cæteris odorata, sed amara, dein & *imperatoria*, *zedoaria*, *nux mosch. caryoph.* communiter usurpantur: *Moschus & ambra* in divitibus, ob insignem odorem anhelitus hoc vitium egregie corrigunt, mista cum saccharo, & in orbiculos vel trochiscos, cum infus. *g. tragac.* facta in *aqua rosar.* vel *flor. arant.* aliave odorata redacta, eoque retenta, in quo dissoluta, vel etiam sensim deglutita, è faucibus odorem gratum spirant, Quibus & *lignum aloës*, *santalum*, *angel. radix* addi possunt, quæ & ventriculo debiliori conveniunt, uti & *benzoini* portiuncula.

Præter hęc multa alia odorata sic *masticari* possunt, veluti *radix Irid. Acori, Cyperi*, *Enulæ, cortic. Arant. citr. fol. Rosmar. Lauri. serpylli; Apii veri, Petrosel.* vulgo dictę herbę recentis masticatio post graveolentia comesta tollit eorum fœtorem, aliumque ex ore prodeuntem occultat.

Idem præstare dicuntur *folia anethi & anisi*, *sonchi* itidem: *Myrrham & resinam lentiscinam* probat *Dioscorides*, *Aurum* in ore contentum commendat *Matthiolus.*

Ex *compositis vinum* convenit pro *oris collutione*, vel etiam bibitum, in quo macerata sunt *radix & semen angel. majorana, salvia, semen coriandri*, aliæve *odoratæ herbæ*, uti & *aromata*, *Acetum rosac. ribes, rubi idæi, fragor.* mire efficax cæteris collutionibus mistum; vel solum hoc & simplex ore retentum, vel deglutitum, odorem fœdum ab assumptis mox sedat.

Vino rubro odorato, aceto, addito *sale* vel *alumine* continuo abluatur: Decoctum *Myrti fol.* rec. in *vino* valde prodest pro *collutione*, *Decoctum citri &c.*

Aliud fit ex *rad. cyperi cortic. citr. rosis, santalo odor. caryoph. cinnam.* decoctis in aqua cisternæ, addito *vino*.

Aqua stillat. variæ odoratæ sic quoque usurpantur, *rosar. moschata* vel additis *caryophyllis*, al... *aromat. sale. Aqua flor. arantior.*, *Aqua vita* cum ... *cinnam. & aromatum.*

Olea stillat. cinnam vel aliorum odoratorum, ... efficacia sunt, mista aliis, vel sola, si minima guttula ... cum ore retineatur: *Fricandi* insuper *Dentes*, præsertim si immundi simul sint, odoratis abstergentibus & putredinem arcentibus, veluti.

℞. *rad. ireos* ℥ij. *angelic.* ʒß. *santal. odor.* vel *lig... aloes*, vel *ligni sabinæ baccis.* vel *juniperi* ℥j. *gal.ia mosch.* ʒß. vel parum *moschi*, *salis alkali* ʒij. Add... *os sepiæ, cornu cervi, alumen us... um* in *dentium putredine*, vel *moschi* tantillum adde cum *sale*, vel *c. c.* vel aliis. *Platerus.*

Gallia moschata cum *cypero & mastiche* mista, dentique cavo indita *fœtori* dentium, ablata carie medetur. Tollitur & *fœtor* si abluuntur aqua in qua *sal ammoniacum* solutum post prandium & cœnam abluantur.

8. *Seu in ventriculo*) In ventriculo excrementa quædam alieno odore prædita, vel fœtentia, illic genita, vel eo delata eundem odorem per œsophagum interdum eructant; vel sursum exhalantia anhelitum inficiunt; sicuti in multis morbis, illisque præsertim in quibus excrementa circa ventriculum in venis meseraicis retenta, in eumque deferuntur, oris fœtor oritur qui eos præcedere & postea comitari solet. *Platerus.*

9. *Et tum aloeticis*) Si causa ventriculi eveniat fœtor oris, ille erit expurgandus atque castigandus, Exhibenturque purgantia si in eo causa lateat, quæ accommodantur excrementis fœtorem excitantibus, vel humiditati eum relaxanti: Inter quæ *Pilulæ* ex *aloe* paratæ, cum ventriculum egregie abstergant, & putredini resistant, valde sunt accommodatæ.

Vel *vinum purgans absinth.* addito; quod idem facit quod *aloe*, & simul est odoratum: Sicuti & aliæ multæ purgantium formæ, in ventriculi imbecillitate traditæ, & recipiunt purgantia; inter quæ & *myrobalani & rhabarbarum* hic commendantur, Hic tamen multa odorata illis permiscenda quę fœtorem corrigant, tam plantæ quam aromata, unde & *Pilulæ alocphanginæ*, de *aromatibus* dictæ & paratæ sæpe sumptæ prosunt. Et *vino purganti radicem angelica*, similiaque multa boni odoris *addimus*: *Alterantia* propinata ventriculum *roborare* debent, *excrementorum proventum* impedire, quod in victus ratione pręstatur, dando cibum paucum minime excrementitium, ad siccitatem tendentem. In *carnis esu*, cum facile putrescat, sint temperantes, eam *aromatibus, aceto*, aliisq; *succis acetosis, citri, limonum, arantior*, condiendo, uti & alios cibos.

Pani semen carvi, fœniculi permisceatur.

In fine mensæ *cydonia. pyra.* aliave adstringentia, in *laxo* præsertim *Ventriculo*, *Conditura* item *semin. anis*, fœniculi, *coriandri* comedant, vel aliis *pulveribus post pastum* appellatis, prandium claudant; *Jejuni* mane Pulveribus, tabulis, conditutis, electuariis, conservis, in *ventriculo humido & laxo* utilibus utantur; ea ex illis quæ odoratiora sunt *eligendo*, *aromat. rosat. moschat. diamosch. diambram &c. Trypheram magnam*, quod delicatos & colore, & suavi halitu reddat homines, sic appellari creditam probant, *Mastiche* sæpe deglutita vitium hoc corrigere traditur. *Platerus.*

10. *Seu in osse colatorii &c.* In *ore & faucibus*, non solum ex comestione graveolentium, & corruptione facta in dentibus, os fœtidum redditur, sed & à *saliva*, vel alia *oris* humiditate hoc interdum quoque accidere solet, quando fœtidis humoribus inquinatur, sicuti in *lue venerea* à pravis humoribus ex inunctione hydrargyri, ad os ut expuantur compulsis, oris fœtorem, aliis tunc oris accidentibus jungi videmus: *Limus* quoque *dentibus* adnatus, si exsuperet alicubi, ubi inter masticandum non aufertur odore aliquo ingrato, tandem etiam os imbuit:

bnit! In *ulceribus faucium* & *oris* partium putredo nata fœtori oris quoq; occasionem præbet, cum pus alioquin naturale minime fœteat; uti & in *ulceribus pulmonum*, nisi putredo adsit, ratione puris vix fœtor aliquis, ut creditur, oboritur. *Platerus.*

10. *Seu in osse colatorii*) Ideo prosunt masticatoria pro alterando & deplendo, præcavendo & curando; unde *myrrha*, *cortic. citri*, *costus verus*, *cinnam. caryoph. fol. Indum*, *rad. carlinæ*, *angel.* & alia masticari queunt. *Wedelius.*

Oris inflammatio,

Affectus sunt &c.) *Inflammationes* etiam & *calores præter naturam in Oris partibus* contingunt, quæ si à morbis aliis, calidis præsertim, & *febribus* potissimum proveniant, hisce primum cura generalis adhibetur; Inprimis vero *Linguæ* præcipue affectæ causa, ne si hujus inflammatio negligeretur, ad fauces quoque se extendens, anginam simul induceret, mortisque afferret periculum, unde tum studiose ut linguæ potius quam febris ratio habeatur, cum aliquos inde suffocari vident, vulgus urgere solet) vena sub lingua aperitur; diversionesque à superioribus deorsum per *cucurbitulas*, *scarificationes*, *frictiones*, faciendæ repetendæque, & quæ evaporationes tetras sursum factas reprimunt, calorem que intensum extinguunt, & febris & hujus affectus causa usurpanda.

Topica vero quibus *os colluitur*, vel quę *in ore retinentur*, vel alio modo adhibentur, si simplex sit calor refrigerare, & propter siccitatem quæ simul copulatur *humectare* & *emollire* si inflammatio adsit vel metuatur, adstringere potius & repellere debent, quibus *abstergentia* propter *limum* qui in ore facile colligitur, sensim permiscemus, nonnunquam & vim malignam, si adsit, refringentia, indeque ad *digerentia* procedimus, & *Maturantia* quoque si in abscessum vergat: Quæ calorem & ariditatem linguæ contemperare possunt, in gustus læsione ab hac causa explicantur.

Cum vero in inflammationis principio refrigerare & repellere simul volumus, sequentibus utimur, *Aqua fontis*, quæ si frigida sit actu refrigerat, vel *putei* aut *pluviæ*, quæ nonnihil quoque adstringunt: *Acetum album* vel *rubrum*, vel *rosaceum*, adstrictionis quoque causa, ea mensura ut decentem aqua acquirat aciditatem permiscentur, qua os abluitur. idem præstabunt aquæ stillatitiæ refrigerantes, *viol. nymph. solani, portulacæ, lactucæ*, atque adstringentes, *flor. vel calic. rosar. plantag. ligustri, caprifol. myrti*, & inprimis *aqua prunellæ*, quæ adeo efficax in affectu *die Breuno* vocato sanando censetur, ut nomen ab ea planta obtinuerit: quæ cum refrigerare volumus aceto permixta usurpatur, per se, vel aliis aquis frigidis permiscetur, cum ipsa non adeo refrigeret. *Succi acidi*, vel *austeri fructuum*, ut *ribes, berberis, uvarum, malorum arantior. limon. citrior. herbæ acetosæ, aceto* permixti vel soli usurpati: *Lactucæ succus* inprimis utilis censetur, Vel fructus iidem decoquantur decoctoque os colluatur, decoctum refrigerans & repellens.

℞. *fol. violar. lactuc. plantag. prunellæ, salicis, acetosæ, urtic. fragar. rec. ãã. m. j. flor. rosar. rubr. & antirrhini maj. malvæ autumnalis, hordei int. ãã. p. j. semin. cucurb.* ʒij. *berber.* ʒj. *cerasor. acid. sicc. par. x. prun. acid. n.* vj. *f. Decoctio in aqua & vino acido, adde parum sacch. vel mell. rosf.*

Aliud magis adstringens.

℞. *fol. pilosellæ, ligustri, prunell. caprifol. plantag. rubi, lentisci vel myrti ãã. m. j. flor. rosf. rub. & nymph. hordei, lentium ãã. p. j. prunor. vel cerasf. sorbor. vel cornor. cydonior. rec. aut siccat. paria aliquot. fruct. berber. & ribes similiter siccat. ad* ℥j. *decoquantur in vino rubro stypico*, & in colat. *mensura j. dissolve mell. rosf.* ℥iij. *syr. granat.* ℥ij. *m.*

In progressu Inflammationis digerentia permiscenda E. g.

℞. *liquir. rasf.* ℥j. *prunell. m. ij. plantag. m. j. hyssopi m.* ß. *flor. malvæ autumn. rosar. rubr. ãã. p. j. flor. salv. vel rosmar. p* ß. *lent. fabar. ãã.* ℥j. *semin. lini & fœnugr. ãã.* ℥ß. *Cupul. gland.* ʒvj. *ficuũ. n. x. passular. non enucl. par. xx. f. decoctio in aqua, addendo parum vini, dissolve in mensf. j. mellis* ℥ij. *syr. de rosis siccis* ℥j. *Diamor.* ℥ß. *misce.*

Multum in ejusmodi inflammationibus oris, cum ulceribus etiam profundioribus, præstiti *Nitro præparato* (*lapide prunellæ* sicut *herba prunella*, quod in affectu *Breune* singulare sit remedium ob id vocato) in *aqua salviæ* soluto, tepide interiora oris abluendo. Cum ad *maturationem* tendunt inflammationes.

℞. *rad. althææ* ℥iß. *caricar. n. xij. dactylor. n. vj. tamarind, vel cassiæ grana rec. cum pulpa n. x. sem. lini & & fœnugr. ãã.* ℥ß. *flor. malvæ & chamom. ãã. p. j. f. decoctio in lacte caprillo, dissolve album. ovi unius agitatum, croci parum, & mellis ad dulcorationem*, utatur.

Foris quoque si inflammatio non in sola lingua, sed cæteris quoque sit partibus, vel tantum in illis, vel si sub lingua sit, sub mento inunctiones utiliter fiunt, ab initio ex oleis repellentibus, ut *rosaceo*, mox discutientibus, ut *chamæmel. lilior.* Et si ad suppurationem vergat *sub Lingua inflammatio*, *Catapl.* ex *rad. alth. sem. lini & farinis* parata cum *croco*, dolorem compescunt atque egregie maturant, vel si hęc in lacte cocta in ore retineantur. Formulas vide cap. de Angina. *Platerus.*

Oris Hæmorrhagia periodicas.

Adde his *Hæmorrhagiam periodicam*, de qua *Arnoldus Bootius de Aff. Om. capit. 7.* Eximius, *inquit*, Hiberniæ Præsul, Archiepiscopus Armachanus, lxiv. ætatis annum agens, jam; à pluribus annis patitur bis terve anno *Periodicum sanguinis profluvium ex ore*, utplurimum in latere ejus sinistro duntaxat, nec ibi semper uno in loco, sed interdum ex linguæ latere, alias ex gingivis, quandoque ex alterius labii aut buccæ parte interiore: Antea & dum junior erat, exiliebat quandoque sanguis tanta vi ac copia ut in præsens vitæ periculum conjiceretur, omnique valentissimorum genere tentato ægerrime tandem restringeretur: Sed permulti jam sunt anni ex quo citra ullum impetum, & guttatim tantum sanguis promanat; id autem fit assiduo; absque ulla intermissione, noctu æque atque interdiu; donec periodus absoluta sit, quæ nunquam minus uno die naturali, plerumque duos aliquando etiam diutius durat; Initio aliquandiu nihil non tentatum fuit ut ab hoc symptomate liberaretur, sed posteaquam apparuit corpus ejus huic evacuationi prorsus acquievisse, destitit ejus suppressionem amplius moliri; monitus à me eam cum inevitabili ipsius pernicie conjunctam fore, cum hoc profluvium in beneficium suum olim conuerterit natura, eoque soleat à superfluo onere liberare se, quoties nimium increvit sanguis, humoresque ei permixti &c.

Suctio Alimentorum læsa.

Non sufficit homini Alimenta Esculenta Potulentáve appetere, nisi *eadem ore assumat, solidiora masticando comminuat*, & inde *per gulam in ventriculum* deglutiat: Læduntur multis modis hæ functiones, & 1. quidē *Liquidorum assumptio Suctu* perfici solita, ubi illa *plus minus deficit*: Accidit autem illud quando *Ægri Os*, vel aperire vel *claudere*, *Labia* saltem convenienter vel *conjungere*, vel *disjungere*, *Linguam* vero satis *exserere* vel *con-*

torquere non possunt: *Os aperire* non possunt ægri, quando ipsum permanet conclusum in *Temporalium musculorum convulsione*: *Os claudere non possunt* iidem quando illud perpetuo hiat in *maxillæ inferioris luxatione*, aut *musculorum temporalium paralysi*, vel *Vulnere transverso*: *Labia convenienter ac sufficienter conjungere* non possunt ægri, quando illa *desunt lysi* laborant, aut *vulnere* grandi hiant: *Labia sufficienter disjungere*, non possunt iidem ipsa quando itidem *desunt*, aut *convulsa spasmo cynico* tenentur: Utrumque imperfectè contingit, quando in alterutro latere *Paralysis* vel *Convulsio* adest, unde in affecto latere nulla vel nimia fit oris contractio, utraque vitiosa & noxia, in oris tortura dicta: Læditur idem *Suctus* in *Labiorum coalitu*, viam alimentis intercludente. *Fr. Sylvius lib. 1. Prax. c. 4.*

Masticatio Solidorum læsa.

Ciborum solidiorum masticatio læditur, quando maxilla inferior à superiori *abduci*, aut ad eandem *adduci* nequit, *Prius* contingit à *musculi temporalis convulsione*, à spasmo *Trismo* dicto: *Posterius* ab ejusdem *paralysi* vel *soluta continuitate transverse*, utrumque in *maxillæ luxatione*: Læditur eadem *masticatio Dentium* hinc inde deficientium, vel alias superne ac inferne non satis sibi *adaptatorum*, vel *stupore*, *dolore*, *carie*, aliave corruptione laborantium vitio. *Lingua* convenienter exeri, vel contorqueri nequit, quoties *paralysi* aut *convulsione*, aut *vulnere*, aut *fræno breviore* laborat. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 4.*

Masticatio vel *imminuitur*, aut *deficit plus minus*, vel *depravatur*, In *Imminuta* vel *Deficiente masticatione* vitia primaria sunt, vel *musculorum moventium* (ad quos etiam *musculosa congeries linguam constituens* pertinet) vel *maxillarum* & cum his Dentium *molarium*.

Quoad musculos moventes, primario *musculi temporales*, & hinc *musculi labiis & genis communes* sui considerationem merentur; eum in finem à natura fabricati, ut præter ornatum decentem movendæ maxillæ inferiori, & ad superiorem convenienter, idque valide adducendæ inserviant: Vitiatur hic motus quando vel *spasmo* laborant, adeoque *convulsi*, sive pertinaciter eorum fibræ contractæ & rigidæ persistunt, adeoque inferior maxilla superiori constanter adducta persistit; vel quando iidem *paralysi* laborant, & fibræ eorum relaxatæ & flaccidæ, inferiorem maxillam pondere proprio deorsum labi permittunt, absque reductione ad superiorem: *Convulsio ac paralysis temporalis musculi* rara est, quin cum convulsionibus universalibus epilepticis, & resolutionibus universalibus apoplecticis concurrat, quibus curatis, universaliter & particulariter horum affectus cessat, nisi interdum speciale musculi vulnerati, vel alio modo affecti, subsit vitium, particularibus remediis externis, pro casuum varietate, & cum aliis similium partium similibus affectibus convenientia vel analogia curandum.

Genis & labiis inservientium musculorum simultanea *convulsio* aut *paralysis*, pariter nonnisi aliis gravioribus hujus generis aliarum partium internarum affectibus superveniunt; *Etmuller.* Unde vel spasmus cynicus, vel oris tortura de quibus *supra*. De *maxillarum* ac *Dentium* vitiis masticationem impedientibus, vide inferius.

De Morbis & Symptomatibus Dentium.

Cap. LVIII.

De Dentium Corrosione.

Morbi *Dentium* sunt *Corrosio & Mobilitas.*

[1]. *Dentium corrosio est magnitudinis eorundem à causis erodentibus, ut fragantur & frustillatim excidant, diminutio, fistulas interdum inducens.*

Signa & tactu & visu facilè deprehenduntur, & ut plurimum, qui tales dentes habent, jejuni tetrum halitum exspirant.

[2]. *Causa* erosionis sunt, vel

[3]. *Externa*, fuci mulierum ex hydrargyro, dulcia, præsertim saccharum, ut experientia ostendit, calida assumta, nimium frigida post calida levi intervallo injecta.

Vel *Interna*, nempe 1. *Humores acres*, qui ex capite plerumque decurrunt; & tum dolores ferè quotidie circa vesperam recrudescunt, irritante vitiosâ parte affluxum.

In *Curatione* ita procedendum, ut primò fluxus sistatur.

2. [4]. Humiditas putrida, decocto *radic. Cappar. Menthæ*, *baccarum lauri. gallia moschata* cum *mastiche* denti indita tollatur.

3. [5]. Corruptio mundatione præcaveatur, per scalpellum à cibis, & oris collutione per vinum. Exempto dente fluxus cessat.

Laudantur, *Odontalgici Crollii* gr. j. denti impositum cum gossypio, Ttalliani globuli ex *opii Thebaici scr.* j. *Myrrha, Styrac. calam. ana dr. ß. Piperis albi, Croci, Galbani ana scr.* j. cum melle scillitico conformati, & denti inserti.

II. [6]. *Vermes*, qui globulis ex semine *hyoscyami*, *capa* & *porro* cum s. q. sebi caprini, conformatis, & dentium cavitati impositis, eliciuntur.

[7]. Sunt qui cariem & cavitatem dentium [8]. *Cauteriô* actuali denti *terebinthina* implere inusto felicissimè curant.

¹· *Dentium corrosio)* Est hæc nunc major nunc minor, qua insensibiliter Dens absumitur, & nunc successive excavatur; nunc altero latere pedetentim consumitur, donec successive magis corrosus frustillatim excidat; Inchoat malum utplurimum in parvo puncto extrinsecus, quod nigrescit primitus, hinc foraminulum aperitur, sicque ad interiora ejus penetrat, quæ quo teneriora ac molliora, indeque facilius dissolubilia, eo promptius absumuntur, & dentem cavum reddunt; conjungitur tunc, ad interiora ubi penetraverit corrosio, dolor nunc major nunc minor; prout radicem dentis nerveam diversimode simul arroserit. *Etmuller.*

²· *Terrum halitum)* Fœtorem subinde dentes cariosi inferunt, halitum oris inficientem, præsertim si major fuerit eorum excavatio, ut alimenta carnosa retenta in eandem putredinem attrahere queant: Imo ex nutrimenti dentis cariosi proprii corruptione, aut alimentorum masticatorum in iisdem retentorum putredine, vermes in eorum cavitatibus generantur, gravissimorum dolorum aliorumque malorum autores. *Etmuller.*

³· *Causæ erosionis) Causa carios* est læsa Dentis quacunque occasione nutritio, sive gingivarum vitiatarum, & à contiguo dente abscedentium, indeque ejus lateralem nutritionem impedientium (unde scorbutici, gingivæ vino, omnium frequentissime cariem patiuntur) eveniat causa, sive Dens ipse sub nutrimenti assimilatione, aut hujus successiva transpiratione frustratus, ex illius corruptela, & in acidum corrosivum degeneratione, cariem pedetentim contrahat; *Acidum* itaque, ex nutrimento Dentis degenerato tandem corrodens, cariem inducit: *Causa remota* rationem habent tam omnia Dentes alterantia supradicta, quam Dentium vacillantionem inducentia. *Etmuller.*

⁴· *Humiditas putrida decocto)* Dentes *fracti*, vel *divisi*, aut *abrupti*, vel *cavi*, aut alioquin *cariosi & corrupti*, reparari amplius nequeunt, & proin si inutiles sint, & molestiam afferant, evellendi erunt, Quod si vero adhuc usum aliquem in masticatione præbeant, præsertimque si ob vicinorum aliorum absentiam, illis adhuc opus sit, tunc relinquendi, sed ne ulterius corrumpantur quantum fieri potest prospiciendum; Quod fit si eam oris sedem sæpe colluamus *Decocto rad. cappar. pentaph. aristol. cyperi, fol. menthæ, gallar. sem. nigellæ, baccar. lauri, in vino* vel *aceto*, vel *aqua ferrata* facto.

Valet præcipue *Decoctum* rad. *tithymali* in aceto, quod efficacius addito *alumine*: Colluatur os *aqua salv. rorismar.* addito *sale & vino*: valet *acetum scill.* dilutum si nimis sit efficax.

Fricentur dentes corrupti Dentifriciis in sorditie præscriptis, quæ siccando etiam *corruptionem* arcent, vel pulvere sequenti

℞. *Ossis sepiæ* ʒij. *coralli usti c. c. combusti* āā. ʒj. *mastich. aluminis* āā. ʒß. *f. Pulvis*

Vel *ex origani, rorismar. parietar. cum melle* & sale prius permistorum combustorum *cineribus*: In dentem vitiosum indimus pulv. gallæ, *rad. peucedani, sem. staph. agriæ, pulegii*, aliquando & *chrysocollam, boracem* dictam. *Platerus.*

In primis hoc præstans remedium est.

℞. *Rad. lentisci, quinque fol. lapath. ac.* āā. ℥j. bulliant *in aceto acerrimo ad tertias, colat. adde salis* ʒß. hoc dentem collue. *Forestus lib. 13. obs. 16.*

Dens ex maxilla mortui evulsus, & cum radice sua dentem cariosum sæpe tangens, tandem post aliquot dies frustillatim dentem cadere facit. *Hartmannus in Pr. Chem.*

℞. *Myrrhæ, aloës hepat.* āā. ℥iij. *sem. hyoscyam.* ℥iß. *sem. urtic. Rom.* ℥ij. *croci* ℥i. (ʒj.) *nuc. mosch.* ℥j. *m. f. pulvis, affunde spir. vini, stent in loco calido* per dies aliquot, *hinc destilla per alemb.* dissolve *balsami sulph. partem xij.* & habebis Elixir præstantissimum, quo gingivæ quotidie semel illinantur, Certissimum est præservativum ad putredinem Dentium. *Joh. Poppius Tr. de Febr. Epid. p. 118.*

In causa calida ad Dentium corrosionem maxime prodest *Camphora*, sive illinatur, sive impleatur Dens corrosus. *Eust. Rudius A. M. l. 1. c. 39.*

⁵· *Corruptio mundatione præcaveatur)* Dentes exeduntur, corroduntur, excavantur, crapula, cruditatibus, prava viscerum affectione, vinosis alimentis, crebra & sæpe recurrente in Dentes defluxione, & ab humore terrestri instar rubiginis concrescente, qui dentes perinde ac rubigo ferrum exedit. Ab iisdem causis *nigrorem* & livorem dentes contrahunt.

Ad *Curationem*, Rubigo illa instrumentis idoneis eradenda, dein quod non potuit radi detergendum dentifriciis: Fiunt optima ex iis quæ siccant, Cum enim sicci & ossei sint dentes, siccandi vim habere oportet quæ illis detergendis adhibentur, Ne tamen nimis sint acria, ne gingivas exedant, & dentium radices exesa carne denudent.

Fiunt ex *rad. alth. malvæ, corall. pumice, ras. c. c. & eboris ustor.* (uruntur ut magis siccent) *bol. Arm. crusta panis usti, marmore albo, crystallo, testis ostreorum ustor. conchis mar. ustis, osse sepiæ non usto, cortic. ovor. non ustis*, hæc enim duo usta fœtidum odorem exspirant, *alum. usto, sale torrefacto*, aromatis, ad odoris & saporis gratiam, *myrrha* usta, ut amittat amarorem, *moscho, zibetto, caryophyll. nuc. mosch. rad. ireos Flor.* &c.

Fiunt autem *Dentifricia*, forma Pulverum, Opiatæ, Solidiore forma, ut cum *rad. alth.* mundata & incisa in partes longas 5. 6. digitos, coquitur per horam in *vini albi* ℔ß. in qua *alum.* ℥ij. *salis* ℥iij. sint dissolutæ, dein in furno siccentur; addatur rad. ireos decocto ut magis odoriferum. Radix illa optimum est remedium, quia mollis non lædit carnem gingivarum, & ab alumine adstrictionem habet.

In forma Pulveris

℞. *Corall. albi, ossis sepiæ, lap. pumic. rad. irid. Flor.* āā. ℈ij. *ras. c. c. & ebor. ustor. aa.* ℈j. *alum. usti salis torrefacti* āā. ℈ß. *F. Pulvis tenuissimus*, nam quo tenuior eo præstantius dentifric.

Quod si gingivæ siccæ sint, aut per acria dentifricia contabescant, & carne nudentur, ut accidit in biliosis, & iis qui habent gingivas siccas, hi Pulveres *melle rosato* excipiuntur, Vel gingivæ illinuntur prius *butyro insulso*; Hic ergo notandum erit quod quo humidiores erunt gingivæ, eò acriores debent esse pulveres Dentifriciorum.

Aqua destillata

℞. *Salis ammon. & gemm.* āā. ℥j. *sal. comm.* ℥iv. *alum.* ℥iij *aqu. rosar.* ℥vj. *f. destillatio.* Hæc aqua sordes dentibus hærentes terget, eos dealbat, & stabilit. *Enchir. med. Pr. pag. 119.*

⁵· *Corruptio mundatione præcaveatur)* Pro eadem immunitatis à corruptione & dolore certitudine, *Tithymali radice* inquit *Nonus*, in vino cocta os colluunt, vel *alumen* cum *myrrha* momento affricent, vel *iridem Illyricam* dentibus confricent, vel *Junip. baccas*, vel *cupressi folia*, vel *gallas* cum *melle* quater in mense illinant, vel *ulmi cortice* in vino decocto abluant, *Limaturam c. c.* fac ebullire in aqua in olla terrea nova, postea collue cum illa dentes sæpe, & non dolebunt dentes inquit *Anglicus*. Dentes quoque illæsos servari rad. herbæ *pentadactyli*, quotidie mane commanducata, *Arnoldus* author est. Plurima alia quæ Dentes præservent vide apud *Galenum* l. 2. K. T.

Vermes Dentium.

[6] *Vermes, qui globulis)* *Vermes* ex dentibus elicere subinde necesse est: Præstat hoc optime *Sabina in vino decocta*, & in ore retenta, quæ copiosos vermes elicit; *Fumus* item *sem. hyoscyami* specificus est, per infundibulum susceptus ore, mirabiliter vermes expellit: *Suffitus* item ex *fructu halicacabi* contuso, cum cera *misto*, facta exinde pasta, in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quo ore suscepto catervatim vermes cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti observati fuerunt: *Spiritus sulphuris* quoque dentibus cum *bombace* inditus vermes optime necat, & dolorem inde oriundum placat; Vel ex *pulvere gallarum* cum *succo rad. pyreth.* impraegnato paratur remedium, quod denti inditum vermes expurgat. *Etmuller.*

Medicamentum fit ex *seminibus porri* cum *cera* mistis, excipiendo fumum per os *Fonseca T. 1. cons. 46.*

Hos optime enecat guttula *olei vitrioli*, & una putredinem à qua ipsorum ortus est, delet, nervoque sensum adimit.

Vel inde Denti parum *olei sulph. per campanam facti*, quod potenter siccare *Heurnius* testatur.

Et *jus ranæ viridis, in aqua & aceto cocta* vermes dentium tollere ab *Hollerio* proditum est.

Porri & caparum succus denti dolenti adhibitus, vermes enecat. *Mercurialis.*

[6] *Vermes)* Quorum præsentium certi instar characteris sunt corrosiones perpetuæ, dolorque magis in una parte modo magis in alia excrucians. *Strobelbergerus.*

[7] *Sunt qui cariem)* Cariei ulterior progressus per artem & medicamenta inhibetur efficacissime imprimis per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum *cauterio actuali*, sive ex *ferro*, sive ob subtilitatem commodiorem, ex *argento* vel *auro* facto, quo facto auro foliato dens cavus repleatur; præservatur enim à majori putredine & corruptione: Vel ex *cera* cum *myrrha* probe subacta, vel potius ex *cera viridi*, propter admistam *æruginem*, impleatur dentis cariosi excavatio; Ipsa *myrrha* denti indita, egregia est in hoc usu.

Loco *actualis cauterii*, ubi necesse visum fuerit *potentiale adhibeatur*; Sic *aqua fortis* denti carioso admota, vel *spir. vitrioli gtt. 1. vel 2.* bombaci inditæ ac denti adhibitæ, mire corrosionem juvare & præservare dicitur; Item *zinzib.* in *oxymel.* coctum, & in cavernam dentis immissum, præservat corruptionem, *Corallorum* pulvis, denti cavo immissus, vel *ossa sepiæ*, item *camphora*, cariei ulteriorem progressum inhibent; vel ex *pulv. corall. alb.* cum *melle rosato* ad consistentiam linimenti crassioris redacto, dentibus illitum cariem inhibet. *Etmuller.*

[8] *Cauterio actuali denti)* Si dens dolens pertusus sit, nec ipsum sibi evelli æger velit, nullum præsentius est remedium quam caustica remedia immittere ut nervus sic exuratur exuaturque omni sentiendi potentia: Sic maxime laudari posset remedium quasi extremum ab *Avicenna* propositum, ut scil. Dens dolens ignito specillo aliquo ferreo cauterizetur, ac usuale hoc remedium semper cum felicitate succedere *Pulverinus* tradit.

[9] *Terebinthina implere)* Vide *Riverium in observ. comm. pag. m. 309.*

Fistulæ Dentium.

De [9] *Fistulis* dentium hæc duo sunt notanda.

I. Eos [10] humorem *corruptum* & *saniem* sensim stillare, qui *interdum* in os cum fœtore influit; *interdum* per dentium radices & maxillæ foramina, per quæ vasa in eas subeunt, sensim extra derivatur, & [11] tubercula in mala vel mento excitat; *interdum* apertum semper ulcus manet.

II. Vix, [12] *nisi dens evellatur*, quod tubercula illorum etsi rumpantur, noviter succrescant, & ulcera claudi nequeant, *curari posse*. Ut autem [13] dens benè extrahi possit, vel *ranarum viridium* in arboribus degentium *pinguedine* affricetur; vel ex [14] *tithymalli* [15] *succo* & *ammoniaco* formati globuli ipsi indantur: vel unguento ex *gummi ammoniaco* dissoluto, & [16] *semine hyoscyami* inungatur. [17] Sed observa.

1. Vicinos dentes benè muniri debere, ne à medicamento tangantur.
2. Os apertum servari, ut saliva effluat.
3. Nihil deglutiendum esse. Dicitur etiam [18] sine ferro extrahi posse si capsula ex *gummi arboris mori* putrido imponatur, vel si dente cadaveris longa tabe extincti attingatur.

[9] *De Fistulis Dentium)* Ex corroso dente nata sanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fistulam, liberum spatium effluendi haud nacta fuerit, sed interiora magis ac radicem dentis unius alteriusve, speciatim in maxillaribus vitiaverit, acrimonia sua nunc gingivam, nunc ipsam maxillam rodit, & præsertim per illa hujus foramina, per quæ vasa in dentes subeunt, sensim extra effluit, & tubercula nunc in gingivis, nunc sub maxillis excitat, quæ tandem exesa saniosum acre liquamen fundunt.

Et licet curetur tale tuberculum, & excitatum ulcusculum, subinde tamen quoties ex carioso dente sub nutritione vitiata nova sanies generatur, recidivat, & interdum in *fistulam*, vel gingivæ sive maxillæ degenerat, adeo ut talia curari nequeant nisi dens læsus evulsus fuerit. *Etmuller.*

[10] *Eos humorem corruptum)* Sæpe si vitiosi Dentes illic sint, ulcusque ad eos pertingat, vix donec illinc extracti sint sanabitur, atque interdum ulcus illic diutissime permanet, Alias quoque sinuosum factum maxillam inferiorem penetrans, ad exteriora sponte se aperit, illicque aqueam purulentamque materiam diu sæpe profundit; relicta sæpe post illius curam cicatrice profunda, unde in quibusdam ons quandam Torturam subsequutam *Platerus* observavit.

Vlcera fistulosa gingivarum.

[11] *Et Tubercula in mala vel mento)* Fistulosa sæpe ulcera gingivas obsident, unde vicini dentis radix cariem contrahit, eo usque ut saniei acrimonia sibi sæpe exitum extrinsecus aperiat sub mento; Quæ res falsam plurimis scrophularum, adeoque incurabilis morbi opinionem facit; In tali casu, *Aetii & Celsi* consilio, cariosum dentem eximere oportet, sic enim fistula extirpabitur; gingiva in exempti dentis locum se deprimet & substituet, sicque fovente putredinem sublata causa, id est, dente, facilior erit reliqua curatio. *Vigerius Ch. l. 3. c. 45.*

[12] *Nisi Dens evellatur)* Equidem præsentissimum remedium

remedium est cariosi evulsio, interdum etiam necessarium, si longius processerit caries, cum facile alius contiguus Dens contagio carioso infici, & hinc idem malum contrahere possit; ut taceam cariem confirmatam alia ratione quam evulsione curari non posse; Quamdiu vero vel nondum eo usque processerit malum, vel propter pericula, sub dentium evulsione interdum observata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda est, cariei scil. progressum ulteriorem inhibendo. *Etmuller.* Vide *Forestum sch. ad obs. 5. l. 14.* An Dens evellendus, quibus cautionibus &c. Vide *Strobelbergerum p. 160. & sequ.*

12. *Dens evellatur)* Ad Dentes auferendos, cum inutiles sunt, Chirurgi suas adhibent forcipes, & id genus varia instrumenta, inter quæ bifurcata, capræ bisulcam ungulam referentia, adunca parum, quæ firmiter manibus manubrio apto apprehendi possunt, aptissima sunt quibus eos extrahunt: nam vinculis, uti alii qui mobiles sunt, extrahi, cum firmiter hæreant, vix possunt, eoque minus si parum de illis abruptis aut corruptis supersit. *Ustione*, tum quia radices sic exsiccantur, vel dentes coarctantur, ut postea facilius excidant, vel eximi possint, effici potest 1. Quod immisso in cavum, aut cariosum dentem cauterio actuali, *stylo* scil. *candente*, vel potentiali, vel *aqua forti*, vel *tithymali* &c. perficitur. *Platerus.*

13. *Ut autem Dens bene extrahi)* Evulsio appropriato peragitur instrumento, ac succedit, eo melius quo minus firmiter Dens hæserit, & quo magis idem vacillaverit: Quo autem disponatur ad facilem, magis & minus dolentem evulsionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi solent, v. g. *tithymali succus* denti inditus; aut pasta ex eo cum *farina triticea*, & cavitati dentis inditur.

Præter *tithymali* lac alia ex simili lactearum genere pari virtute pollent, ut *lac ficulneum* farinæ admixtum.

Vel ex *lacte tithymali* cum *farina triticea* fiat pasta, quæ frixa in pinguedine ranæ, facit dentes sine dolore cadere.

Vel *farina siliginis* miscetur cum *lacte catapntia.* instar pultis, inditur denti cavo, sicque aliquamdiu permittatur, brevi sic cadere affirmant.

Succus item *chelidon. mai.* cavis dentibus inditus, eos frangit & ejicit.

Pinguedo item *ranarum virid.* dentibus affricata, aut iisdem indita, dentium casum promovet: nempe coquuntur *ranæ* in olla vitreata, affusa aqua communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis evulsionem promovet, vel

℞. *Gumm. ammon. sem. hyoscyami, succi ejusdem ãã. ʒiß. mistis addatur pinguedinis ranæ vir. ac ceræ parum f. Ungu.* denti extrahendo applicandum vel indendum. *Etmuller.*

14. *Tithymali)* Cujus decocto nonnulli utuntur ad comparandam Dentibus à dolore immunitatem, & ab omnibus injuriis: Si bis in mense os colluatur *tithymali decocto ex aceto*, ejus generis qui minima habet folia, anagallidi similia, vel portulacæ, nam mira, inquit *Alex. Benedictus* dentes stabilitate confirmat, quod ex *Galeno* hausisse videtur, qui radicis in vino decoctum eum in finem probat. Sequuntur *Joh. Anglicus, Arnoldus Villanovanus, Valescus* & alii; At videant ejusmodi adurentium usum præscribentes, ac proinde naturalem humorem absumentium, ne magis lædantur quam præmuniantur. *Strobelbergerus.*

15. *Tithymali succo cum ammoniaco)* Dentem corruptum medicamentis acribus, vehementerque exedentibus siccari ac tabescere, ut postea sponte sua excidat, *Forestus* testis est & experientia; In remediis autem quæ siccando & calefaciendo hoc facinor, acria sunt omnia, Singulariter tamen ac privatim hunc nonnulli putant lacteum illum humorem qui è *tithymalo* fluit, vel solum, vel *thuris & amyli* polline exceptum, carioso denti impositum, facere ut ipse mox per frusta decidat, ut *Mercurialis, Platerus* & alii, Sic *lac tithymali* cum *farina* misceatur, & fiat capsula denti, quasi sine dolore, vel cum modico, facit eum cadere, inquit *Gordonius*, ex quo *Joh. Anglicus. Henrnius.*

Aliter quam hi *Bayrus*, non *farinam lacti tithymali* miscet, sed *farinam lactis tithymali* denti applicat, qualis farina ex succo *radicum aronis* alias parari solet, ut cæteri non ab errore absint, qui ignorantia quadam farina vulgari succum *tithymali* adulterant; Pro farina *galbanum* commiscere *And. Cæsalpino* placuit, *Ammoniaco* alii utuntur. *Strobelbergerus.*

16. *Semine hyoscyami) Solum semen Jusquiami*, inquit Joh. Anglicus, *valet coctum in aqua calida, supra quam aquam patiens palatum apertum si tenuerit, cadent vermes evidenter in illam aquam, vel in aliam quæ ibi fuerit posita.*

Sed quod alias de fumigio sicco *semin. hyoscyami* scribitur; quod & vulgus sibi persuadet, *Hollerius* fabulosum esse tradit, nam inde aiunt manifeste vermes excidere: Revera incenso semine evolant tanquam vermiculi, etiamsi non attingat fumus vermiculosum dentem, ut *Forestus* innuit.

17. *Sed observa &c.)* Sunt qui exiguum lignellum, extremitate in aquam fortem intincta, aut saltem pennam dentis cavitati immittunt, quem sensu doloris privare & mortificare voluerint, *Evonymi* consilio: In quem finem *Pigrao & Pareo* ol. *vitrioli* usui existit, rectius quidem quam *arsenicum*, quod *galbano* mixtum denti imponit *Valescus*. Quæ quidem accurate administrari, ac vel per canaliculum imponi indique, ac cera postea, ne elabantur in fauces, occludi convenit, summo tamen cum delectu ac deliberatione, *Plinius præmonitu.* qui, Non censuerim, *inquit*, quod suadent Autores, cavernis dentium inditum lacet cera includi, magno experimento hominis, qui se eadem causa præcipitavit ex alto, quippe Tauros inflammat naribus illitis. *Strobelbergerus p. 158.*

18. *Sine ferro extrahi posse)* Ut sponte elabatur Dens conferre posse putant si in illum immittatur *gummi hederæ*, aut *sanguis lacertæ*:

Vel si *denti ipsiusve radici* admoveatur (prius reliquis recte munitis fermento aut cera, ne eos quoque tangat) *rad. mori* per triduum in aceto infusa, siccataque, postea pulverisata:

Vel *hyoscyami nigri radix* vel *folia*, admodum calefacta, radici dentis admota.

Colocynthis sylv. in aceto infusa, trita & *cum melle* cocta: Succus *chelidoniæ & artemisiæ* cum *aceto* sic adhibitus.

Eruca foliis caulium adhærens denti apposita.

Aqua elicita ex *sale armoniaco.*

Dentes sponte excidere feruntur si fricentur *pulvere ex granis* seu *semine urticæ & g. galbani* æquis partibus composito. *Platerus.*

Senectam anguium ustam ac tritam, cum oleo in mellis crassitiem redige, ore contine, Aut *senectam* ipsam non ustam dentibus affrica, Inde enim excident. *Aetius Tetrab. 2. serm. 2. c. 27.*

Quicunque excavatos dolentesque dentes digitis eximere sine omni molestia & cruciatu cupit, dissolvat ʒij. *g. ammon. aut galbani* cum s. q. *lactis esulæ* aut *hyoscyami*, & coquat lento igne donec lac absumatur, hinc formet globulos, & cavis dentibus imponat per noctem, & sic sine dolore eximere dentes poterit. *Fr. Joel. Pr. l. 2. sect. 6.*

Etsi venenati sint *radii in cauda pastinacæ piscis*; tamen usum suum habent, nam contriti cum *helleboro albo*, & denti illiti, sine dolore dentes extrahunt, iisdem

radiis si gingivæ scarificentur, aut vulnerentur, dentium dolorem statim tollunt. *Joel.*

Asserunt quidam immissa portione *rad. chelido. maior.* in dentem cavum paulo post illum sine dolore exci...lu.

Cap. LIX.

De Dentium mobilitate.

19. D*Entium mobilitas, est eorundem à causis suis profecta vacillatio, quam* [20] *casus interdum insequitur.*

Dentes *subjectum* sunt, sed præsertim *Incisorii*, [21] qui unâ saltem radicè nituntur.

Signum attactus ipse suppeditabit.

Causæ sunt, vel [22] *Externæ*, vel *Internæ*.

[23] *Externæ*, ictus nempe vel casus, & tum [24] medicamentis adstringentibus agendum in-primis remedio ex *gland. dr.* j. *alumin. usti*, *gallarum*, *succi acaciæ ana dr.* ʃ. *folior. rosar. rubr. m.* ʃ. cum vini rubri lib. II. ad casum unius pollicis decoctis & colatis composito, quo quotidie dentes elui debent.

Internæ sunt, I. *succus pravus*, gingivas vel dentium radices *erodens*; & tum, destillationes acres præcessere, & dentes dolent. [25] pulvis *ex corallo rubro præparato & mastiche* prodest, si in lue Venerea id fiat, morbus ille videatur. *Antheræ*, seu flosculi lutei in medio florum rosar. adhærescentes dentifriciis immiscendi.

II. *Nimia humiditas* radices dentium *laxans*; & tum, Os saliva abundat, & gingivæ sunt molles.

γ. In *Curatione* adstringentibus ex decocto *filicis maris*, *capparum*, *foliorum myrti*, *cum oleo sulphuris*, *musco terrestri*, qui etiam repens & clavatus dicitur, utendum. Cortices *granatorum*, *balaustia*, *vitriolum*, quia dentes denigrant, [26] vitanda: *Si* fit à Scorbuto, ad ipsum respiciendum.

III. *Defectus alimenti*, quod fit in senibus & convalescentibus, Unde alveoli fiunt ampliores. Non potest curari, modicè tamen adstringentibus agendum est.

Casum interdum sequi dixi, circa quem observa.

I. *β*. In *infantibus* modò radices remaneant, in quibus regenerandi spes residet, *sponte iterum renasci.*

II. *Molarium appendicem*, quia ita cum dentibus committitur ut ipsorum pars ossea videatur, rarò *decidere*.

III. [27] *Genuinos*, si exciderunt, *nunquam* ferè redire.

IV. [28] Dentibus ex *ebore* arte factis & insertis adimpleri posse, modò caveatur ne ex compressione gingivarum vel nervorum inflammatio sequatur.

19. *Dentium mobilitas)* Ἐγχρονία τῶν ὀδόντων, sive vacillatio: Mobiles sunt Dentes in suis alveolis, & vacillant, ubi nervi in eorum radicibus, & ligamenta quibus gingivis connexi ac firmati sunt, resolvuntur laxanturque *Franc. Joel. Pr. l. 6. sect. 6. p. 247.* Connexio est per γόμφωσιν, nam infixi videntur in alveolis suis quemadmodum clavi in ligno: Vinculis quoque robustis, quæ radicibus adhærent, alligantur præsepiolis sive locellis suis, & deinde cingunt gingivæ. *Th. Bartholinus Anat. reform. p. p. 730.*

Defectus Dentium.

Deficiunt Dentes vel *proprio*, vel *alieno Gingivarum vitio*, infra ubi de *Dentium vacillatione* explicando; *Proprio vitio*, dum *evelluntur*, aut *excutiuntur* à quavis causa externa: vel ita *alterantur*, ut tanquam minus viventes non amplius cum gingiva viva cohærere queant, sed sponte sua decidant: ut enim mortificatum, v. g. cariosum os, cum vicinis partibus, vita communi & propria, pro ratione spiritus influi & insiti gaudentibus, uniri nequit, sed necesse est ut excidatur & separetur, quo cum vivo partes subjacentes, molles, viventes, consolidatione debita, nutrimento mediante, uniri denuo queant; ita & Dens minus vitalis non jungitur amplius gingivæ, sed ab hac separatus excidit, idque

1. Si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeoque senii sub ratione, de quo videatur *Helmontius*, *Alimenta Tart. insunt*, §. 25.

2. Si ab externis nimis lædatur & vitietur, ut sunt *nimis frigida*, aut *copiosius assumpta*, dentibus inimicissima, & quæ senium eorum accelerant; item *nimis calida* dentes & gingivas quasi amburendo alterantia, eaque vel crebrius assumpta, vel dentibus admota, à quibus successive ita penetrantur & arroduntur dentes, ut frustulatim tandem excidant: Quo facit perversa plurium consuetudo, dolores dentium, vel aceto simplici, vel per coctionem medicatam curantium, à quibus stupefiunt non solum omnino dentes, & insensibiles sic fiunt subtiliores illorum intimæ fibrillæ, sed & ipsi dentes simul mortificantur & corroduntur.

3. *Nimis viscida & glutinosa* dentibus inimica sunt, ut sunt omnia dulcia, *sacchar.* ficus, uti & *caseus* &c. Hæc ipsa enim ut prompte & tenaciter dentibus adhærendo transpirationem eorundem propter necessariam nutritionem impediunt, ita & successive acorem contrahunt, qui continuata sui adhæsione successive eosdem alterat; hinc & *lac*, & quælibet *lacticinia*, ob hanc rationem inimica dentibus observantur; eosque ad sui corruptionem sive cariem & successivam deficientiam disponere: Hæc ipsa gingivas simul plus minus alterando, & laxiores ac flaccidiores reddendo, indeque nutrimentum pro dente, per gingivas transmittendum, corrumpendo, ipsos dentes insigniter lædere valent.

4. *Carie* denique plus minus exesi dentes à *Lapide dentali*, sive *lithodonte* obsessi seu sordibus variis inquinati,

quinati, nigrique ac fœtidi redditi, minus firmiter gingivæ cohærent, sed successive decidunt: Quæ posteriora vitia nonnisi ex vitiata Dentium nutritione privata, undecunque primitus orta, originem ducunt.

In quem finem noto, Nutriri dentem, non solum per propria sua vascula, arteriolas & venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam, ex adhærentibus ipsis gingivis; Unde & tam firmiter earum, quousque sani sunt, est nexus, ut Dens, sive osseum concretum, ex se indolens, quousque gingivis investitur, acutissimi tamen sit sensus; adeo mutuæ vitæ & nutritionis dentes sunt participes: Ac sane particularis, ac præ aliis partibus, propria est dentibus nutriendi ac augmentandi ratio, adeo ut, cum continua attritione necessario imminuantur, nisi nova eaque continua augmentatione repararentur, brevi penitus absumerentur; Quod ulterius ex eo patet, quod uno evulso vel elapso, vicini utrinque se dilatare magis soleant; & ex opposito ipsi respondens oblongari nonnihil, & in prioris spatium aliquantum subintrare observetur.

Dentes *Excidentes* aut *Deficientes* reparare, solius naturæ est, quæ in junioribus, per recentium Dentium subnascentiam priores alveolis suis extrudit & defectum ita restituit: Quamdiu itaque Dentium novorum primordia, & quasi semina intra gingivas restirant recondita, novi Dentes post priorum defectum renasci facile possunt; Id quod non tantum *Genuini*, sive *Sapientiæ* dicti Dentes comprobant, sed quod etiam interdum in senectute Dentes renati observati fuerint; Arti quod relictum est, saltim defectus illos naturæ imitandos nonnihil supplere, *artificiales Dentes ex ebore*, vel *dente hippopotami* fabricatos in istorum locum substituendo, pro loquelæ saltem gratia, non autem pro masticationis melioris beneficio, Equidem exempla quædam prostant dentium sanorum, ex homine recenter evulsorum, in proprios vel alienos alveolos denuo insertorum; firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam si nunquam dens defuisset, ita ut etiam fortis masticatio hoc modo perfici potuerit; Sed quoniam adeo incerta res nondum confirmata est, eam in medio relinquo. *Etmuller.*

21. *Qui una saltem radice nituntur*) Primores sive anteriores, ab officio in cibis incidendis, dicantur Incisores & Incisorii, simplicibus radicibus infixi sunt alveolis, ideo facilius excidunt, præsertim superiores; Canini dicti infinguntur simplicibus radicibus, ut primores, sed altius infiguntur & firmius, nam radices eorum superant alias omnes proceritate, & superioribus quidem longiores radices sunt; Dentium præsertim Incisoriorum & caninorum radices nonnunquam incurva acutie latius præsepiolis suis infigi recte notat *Spigelius*, unde difficile evolvuntur, nec sine metu alveolorum.

Molares pluribus radicibus nituntur, aut binis & ternis, ut maxillares inferiores, aut ternis & quaternis, ut superiores, qui plures habent radices, 1. quia alias penduli sunt, secus quam inferiores, qui etiam gravitate sua incumbunt. 2. quia substantia superioris maxillæ est rarior & mollior. *Bartholinus.*

22. *Causæ sunt*) Tremunt Dentes relaxatis gingivis: Relaxantur autem ob nimiam *humiditatem*, ut videre licet post sudationem in morbo Gallico, cum non solum tremunt, sed plerumque etiam decidunt &c. Relaxantur etiam dentes carne gingivarum absumpta, quæ replebat & firmabat intervalla dentium, Absumitur autem caro propter cariem dentium. *Rondeletius p. 309.*

Προηγούμεναι causæ sunt humorum putridorum ad Dentes & Gingivas defluxio, quales causæ in scorbuto occurrunt. *Fr. Joel.*

Interna causa est defectus alimenti, ut in senibus; quod etiam fieri potest in convalescentibus, & in his qui inedia utuntur; deficiente enim alimento dentes imminuuntur, & locelli fiunt ampliores. *Capivaccius Pr. l. 1. c. 52.*

22. *Causa sunt*) Dentes vacillantes, sive minus firmiter gingivis connexi, hoc vitii contrahunt *propria* vel *aliena*, *gingivarum*, culpa; *Propria* eadem est, sed in minori saltem gradu, quæ & Dentes decidere penitus & cadere facit, de qua supra: *Aliena Gingivarum culpa*, consistit in eo quod fibrosa illarum caro, vel mollis sive flaccida, vel simul tumida, vel etiam nonnihil exulcerata, adeoque omnibus his casibus plus minus cruenta simul evadat.

Rarum est quod in *Schenckii* Observat. c. de *Dentibus* refertur, ex *defluxione in Dentium alveolos*, hos gypsea pituita interdum impleri, ut dentes extrudantur: Suspicor tamen non tam ex defluxione, quam *lapidis*, sive *tophi dentalis* uberiori incremento potius vitium hoc ortum traxisse; Ista vero mala gingivarum oriuntur frequentissime *saliva* vel in genere *acrioris*, vel in specie *scorbutica* sapore, sive vitioso acri sale inquinatæ culpa, à qua tenus fibrarum gingivarum resolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus successive, non raro sensili admodum cum pruritu erodi assolent; vasculis sanguineis una per diæresin vitiatis, sanguinem paulatim fundentibus: Postea & *Mercurii* usus, tam in salivatione excitanda, & hinc actionis & præternaturalis cujusque copiosioris salivæ profluvium, quam faciei pro usu cosmetico applicatus, ordinariè gingivam valde laxare, & omnes dentes hinc mobiles quasi reddere solet.

Quod si ulterius procedat negotium, vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, absumi eædem vel corrumpi etiam, & ad gangrænam disponi assolent; Quod si firmior paululum fuerit gingivarum textura, relaxata eadem nihilominus sanguinem uberius in se recipit, & spuria intumescit & excrescit carne, laxa, flaccida & sordida, & facile ad tactum cruorem stillante, in *Gingivarum* hinc dicta *Excrescentia*, sive *Dentium superincarnatione*. Etmuller.

22. *Externa*) Causæ relaxationis resolutionisque nervorum & ligamentorum circum dentes, Procatarcticæ sunt, aut violenta concussio, aut venenati fumi vaporesque; velut sunt argenti vivi, cinabris, antimonii, item medicamenta stupefacientia diutius in ore retenta, Ex hisce causis plerumque argentariis, metallorum fusoribus & aurifabris dentes vacillare consueverunt. *Fr. Joel.*

24. *Medicamentis adstringentibus*) *Præmissa debita radicis morbosæ interna* curatione, *gingiva flaccida*, *tumida*, *cruenta*, *adstringenda*, *exulcerata absorbentibus*, *mundificantibus*, *adstringentibus consolidanda*, *corrupta*, & plus minus *gangrænata*, ab ulteriori mali progressu præservandæ: Conveniunt *flor. ros. rubr. flor. aquilegiæ*, & ex his *ungu. ad scorbutum oris* præsertim proficuum, *Polemanni*, *Vide in illius m. m. c. c. ebur ustum*, *lacca*, *myrrha*, *alum. crudum*, *ustum*. *lap. cancr. fol. quercus*, *ligustr. rad. ireos flor. bistort. torment. flor. malvæ arborosc. nasturt. aqu. ruta*, *salv. rosmar.* Ex his vel fiunt *Pulveres dentifricii*, vel *Decocta*, v. g. *Ruta in vino decocta*, calidissime os eluatur, valet in aff. scorbuticis, *Salvia*, *rosmar.* cocta in *aqua* cum pauco *alumine*, egregius est *Gargar.* vel

℞. *Herb. salv. m. ij*ß. *flor. malv. hort. rub. m. j. rad. polyp.* ℥ß. *f. Decoct. In colat.* ℔j. *adde mell. ros.* ℥ijß. *alum. usti* ℈j. *lap. prun.* ʒij. *terra sigill.* ʒ. *m. f. Dentilavium.*

Si aliud quid, certe *myrrha & lacca in gingivarum his vitiis* optima, & *Tinctura lacca* D. *Michaelis.*

℞. *Phlegm. vitriol q. v. dissolve alum. q. s. solut. & mistis infunde lacc. pulver. donec tingantur.*

Mel. rosac. cum *spir. sal.* tantillo usque ad gratum acorem impregnatum, omnia ulcera & putredinem

partium in ore sanat, si præsertim ex scorbuto originem ducunt; In specie si simul cum *decocto salv.* subinde abluantur gingivæ. *Etmuller.*

In Vacillatione Dentium Scorbutica

℞. *Rad. bistortæ* ℥iij. *flor. rosar. rubr.* ℥iß. *balaust.* ℥j. *alum. usti* ℈j. impregna largiter *spiritu cochleariæ*, qui ad oris scorbutum est egregius. *Idem.*

24. *Tum medicamentis adstringentibus)* Eligendo quæ non tantopere, uti aliqua adstringentia facere solent, Dentes denigrent, additis quæ gratum odorem simul ori concilient: Collutiones oris in hanc rem fiunt, *rad. pentaph. bistortæ, cappar. thapsi barb. fol. myrthi, lentisci, oleæ, viburni, potentillæ, fragar. mespil. cornor. sorbor. rosar. balaust. gallar.* quæ tamen dentes denigrant, *cortic. ulmi, cupular. gland. spong. bedegar. musci arbor.* decoctorum in *aqua ferrata*, aut *vino rubro*, addito quandoque *aceto*: *Alumine* addito efficacius fit.

Ad *humiditatem* simul *eliciendam*, quæ plerumque adest, *rad. pyrethri* simul incoqui potest, & ad odorem suavem, *rad. angel. summit. rorismar.* vel salviæ, atque ex *aromat.* quædam.

Sunt qui gummosa una incoquant, unde tamen parva accedit efficacia, ut *mastichen* & alia.

Aliæ Collutiones ex variis misturis fiunt, ut ex *Alumine* cum *aceto* soluto, addito *melle*, *Colymbadum muriam* probat *Dioscorides*, & *sory* in collutionibus.

Aliquid possunt aqua *peculi rosar. equiseti (fol. quercus*, addito *aceto*.

Valent *commanducata* quædam, *helenium, baccæ virgæ sanguineæ & crespini, mastiche.*

Oleum sylv. oleæ ore retentum commotos dentes firmare docet *Dioscor.*

Pulveres affricantur dentibus & gingivis, ut *coralli* aliique siccantes, in dentibus dealbandis descripti, addendo *sal* vel *alumen*, quod ustum magis adstringit.

Adduntur nonnunquam cineres ex combustis *rore-marino, salvia, myrto, lentisco, oleastro*, Ex *ossibus dactylor. oleæ*, *astacis ustis*, Vel alii *pulveres adstringentes, ut rad. cyper. nuc. cupressi, spong. bedegar. rosar.* vel *hypocyst.* aut *acacia* & *mastiches*, *boli* seu terræ alicujus aliæ *pinguis*, Odorata item, ut *cinnamom. caryoph. lignum aloes.* Platerus.

24. *Adstringentibus)* Oportet medicamenta non solum esse siccantia verum etiam adstringentia, ut *alumen, nux cupressi, rad. pentaph.* & *bistortæ, rosæ* & *earum semen* & *capitulum*, & similia. His adduntur quæ siccant cum quadam caliditate, modo nulla sit inflammatio, ut *flores anthos*, qui siccant simul & corroborant: Abstinendum à *chalcitide, cortice mali granati, gallis, balaustiis*, quia dentes denigrant. E. g.

℞. *Rad. pentaph. & bistortæ ãã.* ℥ij. *rosar. pecul. gland. spong. bedegar. ãã.* ℥ß. *f. decoctio in aqua ferrata.*

℞. *Aquæ cuspid. rosar.* ℔ß. *alum.* ℥ß. f. Decoctio, foveantur Dentes.

℞. *Alum. corall. r. ãã.* ℨij. *sumach. spong. bedegar. rad. bistort. ãã.* ℨj. *pulver. & cum succo cydon. f. Confectio.*

Prodest *aqua alumin.* præsertim si inflammatio adsit, vel aphthæ in aliqua parte oris, Vel *gutta aquæ* separationis *auri*, diluta *aqua plantag.* vel *peculi rosar.* vel *caudæ equin.* Hæc enim dentes stabiliunt & simul dealbant. *Rondeletius.*

Experimento frequenti probavimus hoc in quo *balaustia, galla immatura, rosa arida, ac tithymal.* adjecto *alumine*, ex *aceto* & *vino* austero discoquuntur, donec tertia pars supersit; Id decoctum tepens in ore detineatur. *Item. Plantagin. rad. & folior. succus* linamento exceptus, & circa dentes impositus efficaciter mobiles sistit. *Item* Ex *Galeno*, *Amurca* medetur efficacissime, decocta cum *aceto* ad crassitiem mellis. *Al. Benedictus l. 6. c. 15.*

℞. *Verncis, mastiches ãã.* ℥j. *g. elemi, terræ sigill. boli Arm. ãã.* ℨiß. *gummi dissolvatur* in *aceto* scill. reliqua pulverentur, & *cum ol. terebint.* ac modica *cera* f. Linim. Tum mane fricentur dentes cum panno lineo intus & extra, suaviter tamen, dein laventur cum vino aromatico, post fricentur leniter cum dicto Linimento. *J. Bapt. Montanus consf. 113.*

℞. *Mell.* ℥ß. *vernic. ammon. alum. sciss. thur. ãã.* ℨß. m. Bulliant in *aquæ vitæ* ℥iij. *aceti albi* ℥j. *unica ebullitione Colaturæ calenti adde croci gr. ij. & cum bombace hoc liquore calido imbuta* dentes & *gingivæ fricentur.* Hoc præsidium non solum mobiles dentes confirmat, & roborat, verum etiam congelatos in pristinum statum restituit, dolorem sedat & rheuma desiccat. *Joh. Zecchius consf. 72.*

Mobiles dentes firmiores reddit hic Pulvis.

℞. *Corall. utr. ãã.* ℨij. *mastich. tragac. g. arab. ãã.* ℨj. *m. f.* Pulvis. *Joh. Crato consf. 8. l. 5.* Inprimis in æstate prodest *medius cortex ligni è frutice berberis, si aquæ imponatur*, eaque mane os colluatur. *Idem consf. nu. 306. & 331.*

Peculiare & specificum hoc est remedium.

℞. *Gland.* ℨj. *gallar.* ℥ß. *alum. usti, succi acac. ãã.* ℈ij. *flor. rosf. rubr. m. j. coq. in vini rub. m. ij.* Cola, cum hoc Decocto sæpe eluantur Dentes. *Bern. Gordonius Pr. l. 1. p. 4. c. 7.*

Radix Anagall. masticata mirifice dentes firmat. *Villanovanus.*

25. *Pulvis ex corallo rubro)* Absumitur aliquando caro gingivarum propter cariem dentium, Huic affectui occurrimus ablatione cariei quæ est supergenita: Deinde aceto scillitico dentes fricamus, Postea utimur pulvere aliquo (vide §. *In curatione adstringentibus)* qui carnem siccando regignit, Magis conveniens remedium fiet additis sarcoticis, ut *thure* & ejus *cortice*, radice *panacis* aut *ireos, aristoloch.* vel *farina orobi*, nisi amaror prohibeat; *Pistolochia* & ireos radix ad id præstat, & odorem jucundum spirat, Nam in affectibus oris ea medicamenta eligenda quæ odorem, vel saporem nullum, vel jucundum habent. *Rondeletius.*

γ. *In curatione adstringentibus)* Omnis Dentium affectus siccantibus & adstringentibus curatur, ac dolor lenitur, quem in aliis partibus adstringentium usus solet augere: Ob id *olea* omnia, & axungiæ, denique quæcunque vim habent relaxandi & emolliendi fugienda sunt. *Rondeletius.*

γ. *In curatione adstringentibus)* Vide supra §. *Tum medicamentis adstringentibus)*

26. *Vitanda)* Dulcia etiam vitanda, ea enim Dentes putrefaciunt, & dolorem dentium excitant, citra tamen noxam hæc addimus *mel. rosac. colat.* & melius *oxym. scillit. Sacchar. ficus*, & similia, dentes corrumpunt, Quare non possum probare quod multi faciunt, qui in Dentium dolore *ficubus* utuntur, nam si hæ, cum non adesset, dolorem inducunt, multo magis præsentem adaugent. *Rondeletius.*

A proprietate *Porros* Dentes corrumpere gingivisque nocere statuit *Joh. Anglicus.*

Qui Dentes albos & nitidos habere cupit, vitet crapulam & cruditates; harum enim nidorosa exhalatio illos cito vel tabefacit, vel corrumpit, vel rubigine, & fœdo lentore obducit.

Vitet quoque usum frequentem *salsorum*, calidorum, vaporosorum, piperatorum & viscosorum, pinguium & *dulcium*, maxime si illa dulcia lentaque sint & glutinosa, ut & *sacchar.* lac, adipes, Vitet quoque usum ficuum, fructuum horariorum, & eorum quæ statim corrumpuntur & putrent in ventriculo,

Et quia

Et quia *frigida* dentibus sunt valde noxia, maxime postquam cibo calido vehementer incaluerint, veluti & calida cum fuerunt refrigerati, ideo maxime cavebit ne parva mora interfecta nunc nimium calidis, nunc nimium frigidis utatur, cum quod calidissimum est dentibus sit noxium, ut etiam quod frigidissimum est, altero post alium statim assumpto gravissima dentibus contingit noxa.

Conservat vero Dentes eorum detersio statim à pastu; & singulis matutinis eorundem ablutio aqua frigida, aut vino cum aqua misto, eoque frigido non calido, Nam Dentes corrumpi monstrat experientia si aqua calida sæpius abluantur. *Ench. med. Pr. p. 120.*

Vitabit dentibus frangere omnia solida & dura, *Dentes enim, quos* (dicebat Galenus) *sæpe ante concussos vires interjecto tempore destituunt, decidnos fieri videmus. Vitanda* quæ dentibus adversa sunt, stupefacientia, styptica, austera, acria, *acetum* & omnia nimis acida; Sed acetum, *inquit Avicenna*, quamvis sua essentia noceat dentibus; tamen quandoque utiliter ponitur in medicinis Dentium, ut eas penetrare faciat.

Lactis frequenti usu & dentes & gingivas lædi *Oribasius* memorat, de facili enim in ventre vitiatum vaporibus offendere solet. Et ipse *Galenus* assiduum ejus usum Dentibus & circumdatis carnibus nocere scribit.

a. In infantibus modo radices remaneant) Circa septimum & octavum annum permutatio Dentium fieri solet, quippe decidunt priores, in eorumque locum alii succrescunt; Super hac permutatione quæstio agitatur, An primi Dentes fuerint veri Dentes, & qui elapsis primis postea erumpunt, sintne plane novi Dentes, an novi rami ex eadem radice succrescentes? Dicam quod longo usu & diligenti inquisitione hac in re observavi; Primi Dentes circa septimum annum primo quidem vacillant, & postea decidunt, sed animadvertendum illos non radicitus elabi, at superiorem duntaxat partem radici insistentem decidere; nam quotidiana experientia docet, si primi Dentes radicitus evelluntur, vel per infortunium ita excutiantur, ut nulla particula radicis superstes remaneat, nunquam, vel rarissime novos in eorum locum succrescere; sed tunc plerumque alios proxime adstantes fieri latiores, sicque vacuum locum nonnihil replere: Et si forte radicitus evulso primo dente, alius in locum succedat, tunc radicem non fuisse penitus extractam, sed infimam ejus particulam diffractam intus in alveolo remansisse, è qua postea novus dens rursus repullulavit. Hinc studiose semper cavendum ne in priorum Dentium vacillantium extractione (quæ vulgo digitis vel filo alligato fieri solet) radix simul evellatur, aut excrudatur, utpote qua penitus evulsa spes nulla novi dentis emersum superest, qui alioquin manente radice postea facile succrescit. *De Diemerbroeck Anat. lib. 9. c. 10.* Videatur *Columbus in Anat. lib. 1. cap. 8.* Idem suadens.

27. *Genuinos si exciderunt*) Contrarium tamen aliquando ab *Eustachio* animadversum, qui *lib. de Dentibus c. 29.* varios casus de Dentium altera eruptione affert; Illud, *inquit*, consideratione dignum videtur, quibusdam non septimo, sed 13. & 14. anno confectos renovari dentes cecidisse, atque iterum natos fuisse: Alios statuto definitoque annorum numero, nimirum semel post septimum; iterumque post 14. annum eosdem dentes bis amisisse; & eosdem denuo novos recepisse.

Neque illud prætereundum est nonnullis xx. ætatis annum agentibus *Genuinum* erutum eodem anno renatum fuisse, multisque demum juvenibus bene temperans ac fortibus molarem unum extractum iterum creari.

28. *Dentibus ex ebore*) Quæstione dignum, An in locum evulsi Dentis, eodem momento alter substitui queat, qui intrusus alveolo firmiter affixus hæreat, Gingivarum carne postea vestiatur, nec aliis dissimilis maneat, masticationi cum aliis inserviens? Qui considerabit dentes vitam habere, venulas, arteriolas, & nervulos recipere, sentire, dolere, vinculis adstringi & firmari, Nunquam affirmabit Dentem alienum, adulterinum, alveolo intrusum, in locum evulsi reddi similem aliis dentibus, eodemque officio fungi, & peræque tenaciter hærere. *Riolanus Encheir. l. 4. c. 8.*

Longitudo Dentium.

Soli Dentes ex omnibus ossibus toto vitæ tempore augentur, ossa enim à natura determinatum incrementum sunt assequuta, quod accidit 22. aut 25. anno, tunc enim augeri desinunt; Nullos autem incrementi terminos Dentibus natura dedit, quia mandendo atteruntur; quod nisi regenerarentur tandem prorsus deficerent. Interdum autem longiores evadunt, cum amissus est Dens ex adverso positus, interdum cum maxima oris deformitate foras sunt exerti, aut intro ad oris cavitatem conversi; Longiores lima atteri & resecari debent, quod fit citra ullum dolorem, non enim sentiunt Dentes in ea parte, quia in eam densissimam Dentis partem nervorum fibræ non penetrant, Si vero foras admodum promineant, aut ad os sint ita conversi, ut vel faciem dehonestent, vel vocem impediant, evelli debent si lima non satisfaciat: ut autem lima debeant atteri docet *Aëtius Tetrab. 2. serm. 4. Med. 30. Ench. Med. Pr. p. 223.* Cautio tamen adsit in eorum resectione; Si quidem sentit non totus Dens per se, sed pars interior, mollior & magis medullosa, cui obvolvitur alia durior & exterior quæ non dolet, neque ab igne neque à ferro: sicut in ense sub cortice chalybis durissimo medulla ferrea intus latet minus dura, & ut cutis per cuticulam non sentientem sentit, sic pars intima per exteriorem, in quam intimam, cum cava sit, ingrediuntur nervuli molles & membranulæ succingentes: Hinc Monialis Paravii Dentem quem habebat præ aliis longissimum cum secari curasset ad deformitatis curam, statim convulsa & epileptica decidit; In parte autem dentis abscecta nervi vestigium apparebat. *Bartholinus Anat. Libell. 4. c. 12.*

Tophus Dentibus accretus.

His adde eorundem *Tartarum*, sive *Tophum* illis accretum.

Quoad *lapidem Dentalem*, sive *Lithodonton*, (vulgo ex vana persuasione vocant *Tartarum Dentium*, hujus ortum & genesin optime delineavit *Helmont. Tract. Alim. tartari infont. §. 22.* nempe nutrimentum Dentium laterale ex gingivis depravatum, sub sui perfecta cum Dente assimilatione frustratum & vitiatum, sicque in excrementitiam plus minus naturam degenerans, adhærescit saltem superficie tenus Denti, ibique quia jam ad duritiem Dentalem, ex aliquali sui pro nutriendo Dente alteratione, determinatum fuit, ad induresccntiam quasi lapideam identidem coagulatur saltem, & talem, plus minus tamen friabilem, duritiem acquirit, simulque quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberit, simul secum fortiter indurat: Nunquam igitur sanæ Gingivæ, & quæ cuspiduli figura ad dentis medium assurgunt, huncque firmo amplexu retinent, Dentalem hunc lapidem generare solent, Bene autem laxæ, flaccidæ, cruentæ minusque apte dentibus adhærentes, adeoque externis injuriis ad sensilem dentis partem aditum permit-

rentes, nec commodum nutrimentum suppeditantes, sed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt.

Ne ab his *Tophis* tandem *Dentium caries*, *crebrior dolor*, aut præmaturus casus superveniat, cura instituenda venit per ea quæ *sordes dictas abstergere*, *vitiosum* earum *acidum*, gingivis & dentibus hostile, *absorbere*, & hinc blanda adstrictoria vi gingivarum tonum roborare valent, quod si longius processerit malum, & tenacior mucus dentes vitiaverit, potenter *incidentia & dissolventia*, & quicquid heterogenei fuerit *absumentia*, & quasi *exedentia*, adhibenda sunt; habendo semper respectum ad *Scorbutum*, plus minus præsentem. *Etmuller*.

Cap. LX.

De Odontalgia.

SYmptomata Dentium sunt *Odontalgia*, Stupor, Stridor, & Nigredo.

Odontalgia.

1. *Odontalgia est* 2. *tristis dentium sensus, ab ipsorum continui per humores solutione procedens.* *Tristem sensum* dico, Dentes enim & mollium cerebri nervorum, ex quinta & sexta propagine participes sunt: & 3. nervulum ad radicem dentis implantatum habent, membranulæ cavitatem intus succingentes.

4. *Subjectum* sunt dentes maximè molares, Iste tamen dolor, 5. à dolore *puerorum dentientium*, qui, 6. cum canini erumpunt, maximus est, quique à duritie & densitate gingivarum oritur, & si pinguedine gallinæ vel lacte canino inungatur evanescit, alius est.

7. *Signis* opus non est: diligenter tamen à *gingivarum* dolore, quæ interdum inflammantur, tumescunt, putrescunt, quique exemto dente non sedatur, discernendus est.

8. *Causa* est humor 9. continuitatem solvens: de quo in Differentiis.

1. *Odontalgia)* Inter Guttæ species nemo hactenus *Odontagram* quæ inter Dentium affectus primas tenet, retulit, nisi solus è Priscis *Paulus* l. 3. c. 78. *Nonnullis*, inquit, *aures quoque & Dentes, & guttur articularius oblanguent doloribus*, Et ex hinc *Pamphilus Herilaus. l. de Arth. c. 5.* qui inter cavernas quæ arthritide affici possunt, & cavitates agnovit Dentium, quibus tamen sua quoque minime deneganda articulatio, quæ *gomphosis* dicta, *synarthroseos* species est, etsi non exquisite, prout & *Galenus* ambigere, & prope ad symphysin accedere pronuntiavit &c. Merito igitur inter *Guttarum species & Odontagra* recipitur, à symptomate & parte affecta nomen sumens; Symptoma ex genere noxæ facultatis animalis sensibilis, ipsius scil. sensus Tactus, vocaturque alias ὀδοντάλγία, ac vulgo Dolor Dentium. *Strobelbergerus Tr. de Pod. Dent. c. 2.*

2. *Tristis Dentium sensus)* Dentes non solum secundum nervos eorum radicibus insertos, & membranulam dentis cavitatem intus succingentem, sed etiam in propria substantia sentire docuit *Galenus* l. 5. K. T. c. 8. & 6. de V. P. c. 2. ubi dicit Dentes & cæteras oris particulas, una cum lingua sapores percipere: Tum etiam l. de *Ossibus* c. 5. inquiens ex ossibus dentes tantummodo mollium cerebri nervorum esse participes, ob idque solos manifeste sentire: Dolor igitur non solum nervulis & membranulæ interiori, sed etiam ipsi dentium substantiæ contingit. *Riverius.*

Sentit autem, non totus Dens per se, sed pars interior, mollior & magis medullosa, cui obvolvitur alia durior & exterior, quæ non dolet neque ab igne neque à ferro, sicut in ense sub cortice chalybis durissimo medulla ferrea intus latet minus dura, & ut cutis per cuticulam non sentientem sentit, sic pars intima per exteriorem, in quam intimam cum cava sit, ingrediuntur nervuli molles, & membranulæ succingentes: Hinc Monialis quædam dentem, quem habebat præ aliis longissimum, cum secari curasset, statim convulsa decidit, in parte autem dentis abjecta nervi vestigium apparebat. *Bartholinus Anatom. libello iv. c. 12.*

3. *Et nervulum ad radicem dentis)* Quia non semper molles, verum etiam res duræ comminuendæ erant, Dentes substantiam inter reliqua ossa nacti sunt durissimam; & qua parte ex alveolis extant, læves & nudi, nulloque periosteo obvoluti; qua vero in alveolis latent, asperi, & pellicula tenui, acutique sensus investiti sunt, intus cavitatem habentes, manifestum in molaribus confractis, at in caninis & incisoriis invisibilem, qua per exilia radicum foraminula, præter arteriolam à carotidibus, & venulam exilem à jugularibus, etiam *nervulum* à quinto paris ramo admittunt, per tenuissimam membranulam, quæ dictam cavitatem investit expansum, cujus, ut & periostei, radices investientis, ratione dentes acutissime sentiunt, quamvis sola eorum ossea substantia, membranula interiore & nervulo privata omnino insensibilis sit, quod patet, quia dum secantur aut limantur non sentiunt, Atque ita facile componi potest dissidium de sensu Dentium, quem alii Dentibus inesse, alii non inesse volunt, si dicamus Dentem pro toto isto instrumento ex osse, nervulo & membranula constante sumptum sentire; at pro sola ossea substantia sumptum non sentire.

Hæc tria vasa quomodo dentes ingrediantur fatemur cum Fallopio, nos in homine visu non assequi: Ratio tamen abunde docet vias aliquas dari per quas illa vasa dentium interiora subeant; quippe continua nutritio arteriarum & venarum ingressum ostendit; ut & illud quod cavitas molarium interior, ac præcipue mucosa substantia, sanguine nonnihil aspersa conspicitur, & sæpius evulso dente magna hæmorrhagia fiat: *Nervulum* autem ingredi docet sensus acutus, nam Dente molari erosione perforato, si acicula vel acus usque ad membranam quæ interiorem cavitatem investit, per foramen immittatur, valde acutus & dolorosus sensus percipitur, qui sine nervo illic esse non posset. *De Diemerbroeck Anat. lib. ix. cap. x.*

4. *Subjectum sunt Dentes)* Doloris Dentium tres sunt differentiæ *Galeno l. 6. de part. usu* & 3. & T. Sentitur enim vehemens dolor 1. aut in ipsa Dentium substantia, id quod *Galenus* se in propriis dentibus expertum esse asserit, seque non simplicem dolorem tantum, sed

sed & pulsatilem in substantia Dentium manifeste sensisse, 2. aut in Nervis, radicibus Dentium insertis (In omnium enim dentium radicibus implantati sunt, & quidem satis alte rami ex tertio pari nervorum cerebri ad maxillas descendentes); 3. aut in Gingivis, si illæ videlicet circa dentes inflaminentur, cum quibus per sympathiam & ipsis ipsi condolent. *Fr. Joel Tom. 1. p. 245.* Vide inferius Differentias § *Loco.*)

5. *A Dolore puerorum dentientium &c.)* Odaxismus dicitur; Dum concrescit & confirmatur Dens intra suum alveolum; & dum concretus erumpit extra gingivam, atrocissimum dolorem infert, sub quo interdum infaotes moti contingit: Eruinpunt autem utplurimum 7. mense. Non ergo negligenda est hujus affectus euratio, quæ tota posita est in hoc ut reddatur facilis eruptio ipsius dentis. *Enchir. med. Pr. p. 124.*

5. *A dolore puerorum dentientium)* Dentes, majores præsertim, gingivisque obtecti adhuc, in infantibus dum crescendo gingivas perforant, easque divellunt, distenduntque, dolorem illum qui illis eo tempore peculiaris est, infantesque admodum afficit procreant; Qui dolor, etsi gingivarum causa tantum accidat, nihilominus dentium quoque dolor dicitur, uti & alii dolores ex solutionibus continui facti, in quibus tamen partes enarratæ sensiles potius quam dentes patiuntur. *Platerus.*

6. *Cum caninis)* *Canini* dicti ob acumen, duritiem & usum, nam quod superiores scindere non possunt, hi confringunt: Vulgo *Oculares* dicuntur, non, ut quidam putant, quod oculorum ambitum fere attingant, cum vix alarum nasi partem infimam partem, sed quia in eos portio nervi oculos moventis, & profundius inseruntur, unde eorum extractio periculosa putatur, & ipsis etiam dolentibus palpebræ nonnihil palpitant. *Bartholinus.*

7. *Signis opus non est)* Vide infra *Loco*)

8. *Causa est)* Causæ procatarcticæ moventes antecedentes, sunt aër ventique impetu frigidi, & aqua frigidissima in ore detenta; Durisculorum corporum dentibus mordicatio, Cultro aut ferro dentium fodicatio, nucum juglandium & veteris casei, uti & dulcium (*sacchari præsertim, ficuum siccarum*) crebra commanducatio: Quæ causæ sedulo sunt vitandæ iis qui Dentium affectionibus laborant. *Joel.*

8. *Causa est)* Recensendis addendæ sunt causæ externæ & procatarcticæ dolorem Dentium producentes, quæ humorum fluxiones promovere solent, quarum præcipuæ sunt aër frigidus vel austrinus, mora in Sole ardente aut in aëre nocturno, crapula, omnes denique errores in victus ratione commissi: His adjunge eas quæ partem debilitare & fluxioni recipiendæ magis idoneam reddere valent, qualis est præsertim caries & perforatio dentis, quæ pertinaces non raro dentium dolores efficere consuevit. *Riverius.*

8. *Causa est humor)* Citra humoris influxum Dolorem exoriri posse ostendunt Dentes carie exesi; si hæc nervo proxima sit, ille enim quibusvis injuriis, ipsius aëris, expositus, atrocissimos expertus dolores, qui non nisi ambustioni dentis, vel ejusdem evulsioni cedunt. In me ipso id expertus sum hoc anno 1683. cum singulis momentis intolerando dolore affligeret, calida enim, frigida, dulcia, salsa, acida &c. æque nocebant, quia obvius erat nervus, ne minimo influentis humoris indicio se offerente, Ostendit & curatio, quæ per evulsionem dentis successit, protinus enim desiit dolor reditque somnus & tranquillitas quibus frui per plures hebdomadas non licuerat: Eodem tempore, simili dolore torquebatur quidam Horoligiopœus, cui nomen *Colombier*; Ex consilio Pharmacopœi purgatus fuit, & sanguinis missionem, cucurbitulas, vesicatoria, variaque alia admisit, omnia frustra; quod malum nec faceret nec foveret influxus humorum: Tandem ex meo consilio evulso dente, doloris immunitatem consequutus est: Idem observavi nuperis diebus in juvene Fabro Ferrario, qui alia ratione liberationem obtinere non potuit.

8. *Causa est humor)* Affectus quibus partes sensibiles affectæ hunc circa dentium regionem appareotem dolorem efficiunt, sunt vel *intemperies calida*, vel *frigida*, aut *irritatio* vel *continui solutio.* Platerus.

Dolor Dentium à Flatu.

8. *Causa est humor)* Causa materialis triplex est, 1. Humoralis, 2. Vaporosa, aut Flatulenta, 3. Vermes. *Signa causæ Humoralis,* vide infra §. *Ab humorum destinentium)* Vaporosæ aut *Flatulentæ* facilis est cognitio, Non enim perpetuus est, vel ex æquo discrucians dolor per totum paroxysmum, ut accidit quando ex destillatione humores eo decumbunt, sed per intervalla ingravescens, & celerrimo motu affligens: Mutatioque doloris, seu perambulatio de loco in locum, similiter flatulentam materiam significat, quæ veluti unitatis solutionem pariens ingentes dolores afferre solet.

Pro *Flatulento Dolore* amovendo, corpore *Clysteri* & *Purgante* rite purgato, *Cucurbitula levis* cum larga flamma, bis terve, spatulæ dolenti venit applicanda, Postea

℞. *Nigellæ, cumin. rad. pyreth. petrosel. āā. ℥ß. coque in vini q. s. ad consumptionem medietatis.*

Cum colatura actu calida diu multumque colluatur Dens, Efficaciter enim flatum extenuabit & discutiet, intemperiem frigidam corriget, multamque viscidam pituitam, flatuum materiam eliciet. *Th. Fienus in Physograph.*

Narcoticis uti in hoc affectu neutiquam consultum videtur, nimium enim congelatur & inspissatur Flatus, ac instar crassissimæ nubis nervosis partibus, dentiumque radicibus impingitur, nec aliud congelando efficiunt, quam quod leve solatium in difficiliorem affectum abeat: Vaporum porro curatio in eo saltem sita est, ut pars vaporum genitrix infœcunda reddatur, Cum vero hac in parte ventriculus in querela sit, ideo is à vaporum fomite liberandus est, fugiendaque inprimis omnia illa à quibus vaporum ascensio in caput & dentes ortum ducere possit. *Strobelbergerus c. 32.*

9. *Humor continuitatem solvens)* Fit dolor Dentium ab humorum influxu, qui vel frigidi & pituitosi sunt, vel calidi & serosi, salsi & acres, unde particularum distensio aut vellicatio contingit: Illi autem humores vel in maxillarum & dentium alveolorum membranas confluunt, vel in nervulum radici dentis insertum, vel in ipsam dentis substantiam: Etsi enim multi existiment dentes humorum affluxum ac distensionem in propria substantia recipere non posse, cum sint corpora densissima & durissima; id tamen docetur ab *Avicenna Fen. 1. l. 1.* doctr. 1. c. 5. *Fen.* l. 4. tr. 1. c. 4.

Et quandoque, inquit, *est materia apostemans dentem ipsum:* Confirmat *Fen. 1.* l. 3. tr. 3. c. 1. *Non enim est, quemadmodum quidam existimant medicorum, quod cerebrum ipsum non apostemetur, sic ratiocinantes, Nam quod lene est, sicut cerebrum, & durum, sicut ossa, non extenditur, & quod non extenditur, non apostematur: hic autem sermo est erroneus, & illud ideo quoniam lene viscosum extenditur, & ossa etiam apostemantur, & Galenus illud confessus est, & nos monstrabimus sermonem in capitulo dentium. Imo dicimus quod omne quod nutritur extenditur & augmentatur cum nutrimento, & similiter est possibile quod extendatur & augmentetur cum superfluitate, & illud est Apostema.* Hic vero docet *Avicenna* ex *Galeni* sententia, qui

l. 5. K.T. c. 8. cum, inquit, *impossibile sit dentes incrementum accipere citra nutrimentum, omnino duabus affectionibus & his contrariis obnoxii erunt, inopia videlicet & redundantia alimenti quod eis suppeditatur; Inopia igitur aridiores & macriores, alimentumque non sentientes, & ob id tenuiores eos reddet: redundantia vero consimilem iis affectionem concitare potest qualis est circa partes carnosas inflammatio.*

Verisimile tamen est dolorem frequentius fieri (si modo ille valde intensus fuerit) in partibus illis exquisito sensu donatis, nervulo nimirum & membranula alveolum succingente; dentiumque radices proxime ambiente: Quæ ab humoribus influentibus, non solum distensionem & vellicationem, sed etiam interdum inflammationem patiuntur, si nempe sanguis cum aliis humoribus admisceatur; tunc enim dolor à duplici causa exoritur, distensione videl. & compressione, quæ fit à dentis duritie, quam ferre non potest sine dolore, membranula inflammata; Hanc autem membranulæ inflammationem comitatur utplurimum gingivæ inflammatio, quæ ideo à *Galeno* & *Avicenna* inter dentium doloris causas recensetur. *Riverius.*

Prognoses, Curatio.

Curatio [10]. est *bona spei, si* se pus in aure colligat, *si* [11]. tumore in gingivis vel malis exorto, prius non apparente, materia ab interioribus ad exteriora transponatur.

Exigua, si febris ardens & insuetus dentium stridor accidat; quia is, cum ob convulsos temporum musculos invadat, & cerebrum ractum esse indicio sit, delirium primò; mox, quia mali confirmati signum est, mortem minatur.

[12]. *Peragitur* [13]. I. *Doloris*, si nimis urgeat [14]. per Narcotica *mitigatione*. [15]. Prosunt *Opii grana duo cum croci* æquali parte in bombace indita. Oris cum *aceto* & *Opio* collutio; Pilulæ ex *Opio* & *Theriaca* Andromachi formatæ. *Transplantatio* in nucem avellanam: de qua vide Beckerum, in Medico Microcosmo. [16]. *Radix prunella* arida denti dolenti ita affricata, ut sanguine tingatur, & salici perforatæ indita, obstructo foramine tubulo ex salice facto. *Dens* [17]. *molaris rhinocerotis* affricatus. *Ramus salicis* itidem affricatus & fumo camini expositus. Dolore sopito os illico [18]. decocto Salviæ & Rorismarini eluatur.

II. [19]. *Humoris* peccantis *evacuatione*, [20]. per sanguinis missionem, quæ fit propter *Revulsionem*, ex majore venâ; [21]. Propter derivationem, ex auriculis, [22]. vel sub lingua, ubi nec [23]. vesicatorium [24]. post aures negligendum, nec [25]. *orbiculus rapi*, sub cineribus assus & [26]. post aures calidissimè applicitus. Sunt qui saponem plantis pedum apponunt, ut excorientur.

III. Ejusdem [27]. *Repulsione* & [28]. *Interceptione*, [29]. ubi locum habet Emplastrum de *mastiche, gummi Elemi*, & [30]. *Tacamahaca* benè calefactum [31]. temporibus appositum.

IV. [32]. *Discussione* per [33]. Emplastrum de *Meliloto*, & alia.

V. [34]. *Proprietate agentium applicatione*, ex quibus præcipua, canis mortui *dens* in fornace ustus, cum posca mistus & impositus. [35]. Radix *lapathi acuti* ante germinationem vere collecta, exsiccata, & denti dolenti applicata. *Senecta Serpentis* in vino vel aceto cocta, gummi hederæ dentibus insertum, *oleum buxi* denti aqua acidâ abluto [37]. cum gossypio inditum.

VI. [38]. *Extractione*, quæ si dens [39]. aquâ ex *sale armoniaco* destillata tangatur, facilitabitur: vel, si illa de quibus articulo hujus capitis primo adhibita fuerint.

[40]. Insequente ad evulsionem hæmorrhagiâ, *Emplastrum* contra *rupturam* magnum ejusdem temporis lateri applicandum est: alveolo verò parum *colcotaris* pulverizati cum cotone indendum.

Per errorem evulsus, si ita restitui debet, ut alveolo agglutinetur, vino primò alveolus ablui debet, mox dens intrudi, tandem gargarismus adstringens, in quo & lignum lentiscinum, præscribi.

[41]. Laudantur & sequentia, in Odontalgia, I. [42]. *Decoctum* ex *radicis filicis, pentaphyll.* ana dr. iij. *bistorta* dr. ij. *folior. ruta, salvia, beton. florib. rosar.* ana m. ſ. in vini rubri adstringentis & aquæ communis q. ſ. factum, [43]. pro collutione oris. 2. [44]. *Alumen* in ignita scutella fusum, in pulverem redactum, cum *nuce moschata & melle* in mortario in linimenti formam permixtum & denti illitum. 3. *Piper aquaticum* denti dolenti inditum, 4. *Gummi juniperi* in aceto coctum. 5. Folia *rorismar.* & *hedera arborescent.* ana m. j. ex *posca cocta & tepidè ore detenta &c.*

[10]. *Curatio est bona spei &c.*) Omnium dolorum nullus est qui ægros frequentius & inclementius excruciet Dentium dolore. *Paraus l. 16. c. 35.* Omni siquidem ætati accidere solet, ut vix aliquis ab eo immunis evadat, præsertim hi quibus Dentes cavi, confracti, vel alioquin vitiati sunt, huic subjecti. *Platerus lib. 2. cap. 8.*

Unumque hominem inter Animalia illo cruciatu tentari credunt, quoniam aut inflammantur, aut erodi videntur, solusque tum homo dentiendo ægrotat, si sophronisteres emittit, tum infantes dentientes profluvio alvi pariter tentantur. *Al. Benedictus l. 6. c. 4.*

Intensissimum namque & majoris momenti hunc esse quam dolorem capitis ipse Galenus professus est. K.T. Dolor enim dentium virtutem omnem prosternit, omnem actionem rectam impedit, tam animalem quam naturalem, scil. studiorum, somni, confectionis cibi; Est enim sensibilitas nimia propter sympathiam & propinquitatem cum cerebro. *Dan. Leo Art. med. l. 7. sect. 1. c. 8.*

Deducuntque immanes isti dolores non raro ad syncopen, interdum ad Epilepsiam, ob cerebri cordisque compassionem, ut ratione vicinarum partium magnus affectus sit: Sæpius enim in vehementioribus dentium doloribus & cerebrum in consensum trahitur, & oculi figura pervertitur: *Pulverinus Pr. c. 35.* Sic.

Dentium

Dentium dolor cum eorundem ſtridore & febre ardente lethale ob convulſionem muſculorum temporum, vel etiam innuit futurum delirium ſi non ſit conſueti ſtridere, *Hippocr.1. Progn.24.*

Porro Dentium Dolor ex ſolius *ſanguinis* copia facilius curatur, & cito judicatur: A *bilioſo* humore, quoniam acutus & mordens eſt, brevius terminatur, ſed cum majori periculo & moleſtia: A *pituita & atra bile* diuturniorem habet judicationem, at mitior eſt ac minus muleſtus, & cum minori periculo ob cauſam frigidam, *Dom. Leo l.c.*

A calore autem ac materia calida celerius ac breviore tempore, ſed majori periculo curatur removeturque quam à frigida, *Idem.*

Dolores autem ex *ſiccitate* facti nullam fere recipiunt medicinam, ut *Galenus* ſcribit 5. K. T. Unde *Hippocr. in Coacis* dicebat, Quod *Dentes exſiccari perniocioſum.* Doloreſque Dentium ob alimenti inopiam, ſeu ob ſiccitatem, ut in ſenibus, ſanari non poſſe *Dom. Leo l. c.* ſtatuit.

Is autem dolor qui perforatum Dentem ſequitur; niſi Dens auferatur, nunquam curationem admittit; repetit enim ſemper quibuſvis medicamentis admotis quouſque vi Dens ipſe radicitus evellatur; *Pulverinus Art. Med.c.33. Strobelbergerus.*

11. *Si Tumore in gingivis vel malis*) Famula noſtra cum aſperrima hyeme lintea lavaret, ex frigore dolorem dentium incurrebat, *Cum lana ſuccida ol. chamem. & aneth.* admovebam, locum quoq; inungebam *ungu. alabaſtr.* quod egregium in omnibus doloribus Dentium, ex quavis cauſa, Auri inſtillavi *caſtorei* exiguum cum *nardo in oleo coctum*, ex *Aetio*, Poſtea maxilla inflata, quod bonum ſignum materiam foras evocari, continuando inunctionem dolor ceſſavit. *Foreſtus ſch. ad obſ. 3. l. 14.*

11. *Si Tumore in gingivis vel malis*) Cum Gingivæ & Genæ aſpectabili tumore tument; melius ægro & mitius eſſe incipit, ſic enim naturæ robore, vel artis beneficio, humoris dolorem committentis tranſlatio fit, per viam derivationis ab intus foris. *Foreſtus lib.13. obſervat. 41. Pareus, Heurnius, Platerus.* Tumores quidam genarum cum dentium dolore populariter graſſati ſunt à fluxione catarrhali poſt pluvias immodicas; Omnes breviter curati ſunt qui ficum inverſam calefactam, ſæpe renovando interius admovebant; Tumor enim cito maturatus aperiebatur, & cum ſputo evacuabatur, *P. Borellus obſ.86. cent.1.*

11. *Si tumore in gingivis*) Tumor in gingivis aut maxillis obortus doloris dentium ſolutionem affert, tranſlata fluxione ad partes exteriores, ita ut non amplius ad internam dentis cavitatem decumbat. *Riverius.*

12. *Peragitur 1. Doloris*) Curatio ad doloris cauſam auferendam, & ipſum dolorem mitigandum dirigenda eſt: licet enim anodyna parum proſint, niſi fluxio auferatur, ita tamen non raro urget, ut non ſolum anodynis proprie dictis, ſed etiam interdum narcoticis ante cauſæ ablationem demulcendus ſit: Humor igitur qui ad dentes confluit revellendus, evacuandus, & repellendus eſt, qui vero jam influxit derivandus & diſcutiendus. *Riverius.*

12. *Peragitur 1.*) Male ſibi conſulunt qui in acerbiſſima doloris vexatione illico ſe ad Dentiſpices convertunt: Pejus faciunt illi qui illico Dentes evellunt: Conveniendus Medicus qui curationem inſtituat, ex differentia cauſæ morbificæ primitivæ, antecedentis & continentis, & una de Doloris mitigatione ſtatuat, Cum enim nullus dolor ſit qui ægros inclementius excruciet Dentium dolore, ſane inprimis illud ſtudium adeſſe nobis debet, quo is debite miteſcat: Materia vero quæ influit ad Dentem alio vertatur, Et quæ influxit ſi adhuc loco ſit remeabilis, ut repellatur, & derivatione evacuetur; Sin imbibit jam pars materiam dolorificam, ut illa fundatur ac exhauriatur: Si pauca materia fuerit, admotis ſiccantibus remediis abſumatur; ſi vero multa proviſio, de toto corpore habeatur. Quamobrem Dolor dolorem mitigantia denotat, Cauſa autem externa, ſui Abrogationem, Interna vero ſi ſit intemperies, Alterationem per contraria; Si materia tunc impacta fuerit, Diſcuſſionem & Eradicationem; non impacta *Repreſſionem & Revulſionem*; habita in primis totius quoque ratione. *Heurnius.*

Errant igitur qui uno & eodem remedio omnes Dentium Dolores ſe ſanare poſſe gloriantur. *V. de Taranta.*

13. 1. *Doloris*) Quæ *anodyna* ſunt, in omni cauſa, cum defluxio præſertim ſubſtitit; & quæ proprietate quadam potiſſimum operantur, ſequentia valent, *Lac tepidum, butyrum, oleum commune* recens vel *amygdal.* ore retenta vel appoſita. *Panis maſticatus*, atque ita cataplaſmatis inſtar inter dentes & buccas detentus: *Juſcula tepida & pultes*: Decoctum *radic. althaa, panis, ſemin. lini* in lacte: Aliud, pituitam quoque eliciens

℞. *rad. alth. liquir. āā. ℥j. ſalvia, m. j. ficuum pingu. n. xii. ſem. fœnugr. ʒj. coqu. in aqua.* Platerus.

14. *Per Narcotica mitigatione*) Si dolor ita vehemens ſit, ut remediis cedere non valeat, ad *Narcotica* veniendum eſt, quæ ſub variis formis à Practicis proponuntur & denti dolenti admoventur, quorum tamen effectus non minus quàm cæterorum topicorum admodum incertus eſt: Verum eadem aſſumpta dolorem certo conſopiunt: Inter cætera *Laudanum Opiatum* principem locum obtinet, quod non ſolum dolorem ſedat, ſed etiam fluxionem cohibet, & tuto exhiberi poteſt poſt remedia univerſalia ad gr. iij. vel iv. modo à perito artifice præparatum fuerit: Topica vero remedia ex narcoticis parata multa circumferuntur, Sequentia duo ſint nobis inſtar omnium.

℞ *Opii, myrrha & ladani āā.* ʒ. pulverentur, cum vino albo decoquantur in formam Linimenti, quod pauco goſſypio exceptum denti applicetur: Alterum eſt *Empl. Riverii, Henrici magni* Archiatri, ſupra deſcriptum. *Riverius.*

14. *Per Narcotica mitigatione*) Opiatas antidotos; recentes præſertim, ut *Philonium Rom. Theriac. Mithrid.* &c. dentibus affricamus, vel apponimus aut imponimus, addendo *gr. j. Opii* ut vires augeantur: *Opii* ſolius emolliti pilula una denti intruſa, dolorem mox tollit; cui ne diffluat ceræ momentum prius, dum manibus ſubigitur, miſceri poteſt: Vel ſic magno cum ſucceſſu uſurpari.

℞. *Opii, ſem. hyoſciam. āā. gr. iv. ſem. paludapii āā. gr. ij. cum aqua vita f. Pilula.*

Vel hoc pacto.

℞. *Camph.* ℈j. *coqu in aqu. vita* ℥j. *donec diſſolvatur, in fine adde Opii gr. iij. vel iv. dilueq; & bombacis Pilulam* in eo madefactam denti intrude: Aliud ex Camphora.

℞. *ſpir. vini opt.* ℥ij *aut* iij. *camph.* ʒj. *aut* ʒij. *ſtent in Sale donec ſolvatur camphora, poſt deſtillentur per retortam, hic ſpiritus goſſypio cum dolenti denti applicetur* Vel.

℞. *rad. hyoſcyami* ʒj. *vini albi* ℔ß. *coqu & utatur.*

Oleum ex *ſemine hyoſcyami* expreſſum impoſitum denti cavo prodeſt. *Platerus.*

15. *Proſunt Opii grana*) Pilula ex *Philonio Rom.* poſt collutionem ex *lap. prunella* factam denti impoſita, nunquam me fefellit. *Th. Bartholinus Ciſta Med. Loc 31.*

Cape *Opium* in pauca quantitate, manu calefactum, ita ut molleſcat ut cera, circumpone denti dolenti, aufert omnem dolorem. *Montagnana conſ. 87.* Mulieri præ dolore, ad deſperationem ferme adductæ *laudani opiat. gr. iv.* cum *pauca conf. hyacinth.* exhibui, poſt horæ quadrantem placide dormivit, ac ſine dolore exper-

gefacta reliquum graviditatis tempus placide transegit, *Simon Jacoz.*

16. *Radix prunellæ*) Dolorem ad præsens levat, certo experimento, *Prunellæ herbæ radicis* frustum aridum denti impositum, *Alex. Benedictus l.30.p.1101.* Affricetur denti donec sanguinem emittat. *S. Paulo Qu. Bot.*

17. *Affricatus*) Hujus doloris remedium in abominando animali natura reposuit, nam si tibiæ bufonis, sive ranæ sylvestris, à carnibus mundatæ, super dentes dolentes confricabuntur, immediate dolor removetur, adeoque cruciatus cessabit, ut quasi in dentium superficie dolor collocatus videatur, *Fioravanti.*

18. *Os Decocto*) Cum calefacere potissimum volumus, Decocta sequentia in ore retenta juvabunt, Eaque actu eousque calida ut saltem non urant, ob quam & causam cum cito calor remittat, bis terve exspui, repetique debent, *Pyrethri rad. piper.* aut *zinzib. decocta in vino vulgus* sic usurpare solet, quæ & simul decoqui in hunc usum possunt; Hoc sæpe profuit

℞. *serpylli, salviæ, rosmar. ãã. m. j. zinzib. ʒj. sem. carvi ʒß. cicerum rub. sal. ãã. p. j. coqu. in vino albo.*

Colocynth. decoctum in vino factum admodum amarum sed efficax: *Aqua salv. rosmar. in vino destill.* & adhibita utilis: *Spiritus vini*, vel *baccar. junip.* admota, cito & valde operantur, *Oleum baccar. junip.* vel *spicæ*, vel *aromat.* destillatum, bombace excepta & dentibus imposita, efficaciter operantur.

Sacculi interdum usurpantur dentibus impositi, vel interpositi, ita ut à dente dolente mordeantur, E. g.

℞. *salv. fol. aliquot, pistentur, adde parum salis & piper.*

℞. *rad. pyret. piper. sem. sinap. salis ãã. p. aequ. f. Pulvis imponendus sacculo qui madefiat aceto calido.* Vel

℞. *rad. pyreth. pip. longi, sem. staphis. ãã. p. aequ. f. Pulvis qui sacculo exceptus, aqu. vitæ irroratus adhibeatur.*

Guaiaci Decoctum laudatur, cui *sal* interdum permiscetur *Fermentum* cum *aceto* subactum applicitum juvat, vel *Decoctum illius* buccis retentum. Valet admodum sequ.

℞. *Gumm. sandarach. seu vernic. scrib. ℥ß. vini*, vel *aceti*, vel *utriusque ℥iv.* vel *vi. coqu. ad consumpt. iij. partis. teneat in ore.*

Vel dissolvatur *sandaracha in aceto*, ore tenenda *Platerus.*

In *frigida* defluxione *calida* ab initio Repellentibus permixta, postea etiam calidissima sola adhibeantur. Adstringentia plura pauciorave, decocta in aqua vel vino rubro adstringente addito, si magis adstringere volumus, vel *aceto*, vel valde stypticis, ut *alumine*, *vitriolo*, *scoria* ferri, quæ fluxionem potentissime reprimunt.

Discutientia, Absumentia & Dissipantia sunt *hyssopus, calament. origan. puleg. majorana, serpillum, satureja* &c. *Sal* in vino albo *tenui*, *Calida* ab initio cum *repellentibus* mista sunt, *origanum, persicar. verbena*, in vino decocta, addito aceto pro repellendi vi, *Calidissima* sola sunt *pyrethr. piper. caryophilli &c. Strobelbergerus.*

19. *Humoris peccantis evacuatione*) Per alvum in humorum pituitosorum serosorumque redundantia, variis purgantibus exhibitis, injectisque quoque Purgatio instituatur, iisdem remediis quæ & in cæteris ejusmodi fluxionibus conveniunt. *Platerus.*

19. *Humoris peccantis evacuatione*) *Etiam per purgationem*, Correptus sum frequenti & molesta salivatione cum dolore Dentium acerbissimo: Sumpsi *resinæ jalapæ gr. viij.* quibus optime & blande purgatus serosam illuviem in corpore redundantem, dolorem ... in diversis corporis partibus excitantem, ... dejectionibus in magna copia excrevi, & sequenti die à prædictis doloribus & ptyalismo liberatus fui. *Sim. Jacoz. obs. 15 C. Piso* (qui existimat dolorem Dentium à seroso illu ... ut plurimum fieri) refert *L. de colluvie serosa*, Se dolore per multos dies afflictum, ab assumpto purgante, post sesqui-horam sinceram aquam ad ℔j. & amplius evomuisse, tanto successo ut postea vel x. annis ab hujusmodi dolore penitus immunis fuerit; quo edoctus experimento, simili affectu laborantibus serosos humores educentia felici successu præscripta. *Th. Burnet Thes. pag 367.*

Si à ventriculo dolor est, medetur *Vomitus* idque subito, sicut gravissimos dolores dentium videmus subito simul ac evomuit aliquis tolli. *Crato l.4. Epist. penult.*

Huc *Clysteres* referri possunt, qui mire conferunt, quod non solum emollire, verum etiam humorum impetum ad inferiora avertere queant. *Bayrus & Fuchsius.*

20. *Per Sanguinis missionem*) Si dolor ab humoribus calidis oriatur V. S. celebranda est è brachio ejusdem lateris, qua fluens humor plurimum revellitur; Si vero dolor à frigidis humoribus excitetur; minus V. S. convenit, ratione tamen fluxionis etiam usurpari poterit, cum inter revellentia remedia principem locum teneat: Sed minori copia tunc sanguis detrahendus, nisi plethoræ signa appareant; Cujus ratione, etiamsi ea pituitosa sit, liberalis V. S. instituenda; juxta præceptum *Galeni*, qui largam sanguinis missionem, plenitudini respondentem, omnium dolorum promptissimum esse remedium asseruit; quod nos frequentissima experientia, tum in aliis doloribus, tum præcipue in dolore dentium verissimum esse comperimus. *Riverius.*

Si à *sanguinis influxu fiat* dolor, capitisque præsertim dolor eum comitetur, è principio facta eum revellit. *Platerus & Nonnius.* Aperiantur Brachii venæ (*nullo delectu habito præterquam maxime turgentis*) Deinde alias quoque venas, sed gradatim, ut *Labiorum*, tundendas autumant: *Valescus & Heurnius.*

Si putrefactio dolori jungatur, *Venam inter mentum & infimum labium* aperit *Joh. Anglicus*: Aliis, *Valesco, Pareo, Foresto venas sub lingua* aperiere in more est, *Avicennæ* ac *Rhasis* mandato; *Palati venas*, ut *Rulando*, vel eas quæ pone aures conspiciuntur, ut *Heurnio. Rulando*, Alii *illas* quæ in *auris meatu* sunt conspicuæ parte supera, ut *Pareus: Heurnius* Gingivarum venulas jubet secari.

Sunt qui & ad eum Dolorem, quem calidi flatuosique sanguinis fluxio parit, secent vel urant arterias quæ sub fibra auriculæ pulsare deprehenduntur. *Strobelbergerus.*

21. *Propter derivationem*) Cæterum & *Scarificatio*, & *Cucurbitularum applicatio*, in collo, scapulis, humeris facta, ut in quacunque defluxione, ita hic maxime *eam derivat*, *Platero* confirmatione: Novi quendam, inquit *Forestus lib.13. Obs.6.* cum nulla remedia juvarent, Cucurbitulam cum scarificatione suomet consilio maxillæ apposuisse, citoque esse liberatum: Nec desunt qui intro tormentis *sub mento* cucurbitulas posuere, ut *Rhases*, quas tamen non *sub mento*, sed *ipsi mento* apponendas *Heurnius* statuit.

Ad eundem scopum privatim *scarificationem in carpo*, aut *manus externa sede, inter pollicem* & indicem, eo latere ubi dolor est, utiliter instituunt, Derivabiturque commode educendo sanguinem è *cartilaginea auriculæ* cavitate, per mediam scarificationem, quæ sæpe dolorem sedare *Pigræo* dicitur.

Ventosæ

Ventosas quoque prodesse *sub mento*, & supra *eminentiam posterioris capitis* viciniam, duabus venis situatis in latere colli ascendentibus ad collum *M. Rulandus* observavit. Ventosationes similes *sub* mento proponit *J. Anglicus* sed *cum incisione*.

Frictiones Ligaturas revulsionis, derivationis, diversionis causa velut in cæteris defluxionibus huc referre possumus cum *Platero*.

21. *Propter derivationem*) *Scarificatio*, & *Cucurbitularum* applicatio in collo, scapulis, humeris facta, in quacunque fluxione illam *derivat*, quibus & certo tempore factis Dentium dolorem præcavere vulgus solet, & ad eum tollendum privatim *scarificationem in carpo*, aut manus externa sede inter pollicem & indicem, eo latere ubi dolor est, instituunt: *Vesicatoriis* & *cauteriis* uti alias defluxiones sic & has, si sæpe superveniant, avertimus.

Et *vesicantia* quoque carpo & manus sedi dictæ privatim hujus doloris causa admovemus: Quod & *bulbus allii* contusus, supra dictas partes ligatus facit (*Vesicatoriis locus commodissimus est retro aurem, è directo: citissimo effectu sedant dolorem si præsertim à seroso humore ortum ducat*) *Frictiones* & *Ligaturæ* locum hic quoque, ut in cæteris defluxionibus habent: Per *Nares caput expurgantia* in pituitosorum serosorumq; abundantia admodum à loco affecto eos divertunt, Quod per frequentem emunctionem fieri potest, vel *errhina* naribus immissa, inter quæ *succus anagallidis* & *calendulæ* privatim in dentium dolore juvare creditur, Per *Os pituitam elicientia* idem præstant, quæ cum in ore contineantur, & proin topica simul sint remedia, juvant: Quæ particulares tamen evacuationes, si humoris sit magna copia, eaque adhuc in fluxu sit, ne humorem magis ad partem affectam præcipitent quasi derivent, rectius generali purgatione præmissa administrabuntur. *Platerus*.

21. *Propter derivationem*) Arteriolę à carotidibus Auri implantantur, quarum major quædam antitragum & anthelicem perreptans, superioremque maxillam conscendens, singulis Dentibus sanguinem vitalem suppeditat, cum quo sæpe acres humores ibidem defluentes acerrimę Odontalgiæ causa sunt, quam artificiose in anthelice, dissecta hac propagine multoties mirabiliter sedatam fuisse vidimus; quod etiam bene notatur à *Bauhino*, Et quendam vidimus in *Geldria* qui per hanc curationem insignem quæstum faciebat. *Diemerbroeck. Anat. p. m. 609.*

21. *Propter derivationem*) Quidam nullo alio remedio levari potuit præterquam *betonica* naso indita, qua curatus fuit. *P. Borellus cent. 1. obs. 86.*

Bursa Pastor. Contusa, & auribus indita, avellanæ magnitudine, remedium est sæpe expertum.

Allium contusum cum *sale* momento, pollici admotum, vesicas efficit, è quibus apertis aqua effluit, qua fluxio à dentibus derivatur & dolor tollitur. *Idem Cent. 3. obs. 8.*

Petroselinum comprime parum in manu, & cum succus egredi vult eum cum *5. vel 6. gran. pip.* mistum in aurem immitte q. s. in latere dolentis partis. Hoc remedium dolorem in momento sistit; permaneat per 3. vel 4. horas in aure, Si dolor redit repete. *Digbeus med. Exp. pag. 98.*

Succus *Costi nigri* calefactus in cortice granati, & auri instillatus dolores sanat, ut sæpe expertus sum. *Varignana.*

22. *Vel sub lingua*) Quin & tumentibus *Gingivis* & distentis, ante tamen dentiscalpio, aut scalpello, ut *Valescus* vult, leniter leviterque incisis scarificatisque; aut ipsis *Dentium radicibus*, ut ait *Joh. Anglicus* apposuisse *Sanguisugas* aliquando profuerit, ad materię conjunctæ evacuationem. Quo remedii genere ingentes olim Dentium dolores se sedasse *Paræus* meminit: Quibusdam proinde, nostro consilio, pro experimento fuit Gingivam juxta dentem querulum *dentiscalpio* ad usque dentem pungendo lędere, ac sanguinem manantem oris interno suctu (in defectu aut nausea hirudinum) emungere; præsenti sane levamine, quod dolor talis sæpe à sanguine in venulis dentis superfluo ac premente proveniat.

Ejus rei observatio magni momenti est in *Genuinis* quos vocant, dentibus, ut pote qui primum ad pubertatem cum maximis cruciatibus prodeunt: Quod parum plerique Medici observantes; aut insontes ac innoxios culpæ dentes evellunt, aut humorum vitio eos infestari sibi persuadentes, eos inanibus remediis obruunt: Cum vel *Vesalii* sanctione, *l. 1. Anat. c. 11.* dolore dentium affectis, nullum levi gingivarum ad postremum dentem scarificatione, ac interdum ossis pertusione præsentius remedium afferri possit. *Strobelbergerus.*

23. *Nec vesicatorium post aures*) Ego Dentium cruciatus intolerabiles sæpe sedavi vesicatoriis remediis sub aurem admotis, In ea scil. parte qua maxilla inferior superiori committitur, Subsunt enim illic *venæ*, *arteriæ* & *nervus*, quæ ad Dentium radices distribuuntur; Itaque rescissis mox vesiculis manat liquor tenuis, non modo qui malum facit, sed & qui fovet. *Paræus.* Sic commode exiguo vesicatorio, post aurem dextre apposito, quod è *pice nigra* & aliquanto *pulvere è cantharidis corpore constat*, derivationem *Pigræus* instituit. Præterea veteres & *sub mento* vesicatoria apposuisse ex *Sutleri* rythmis videre est.

Linitam pastam sub mento nocte ligabis
Pulvere cantharidum, sic rupta pelle notabis
Et per vesicas dentis tormenta fugabis.

23. *Vesicatorium post aures*) Ego Dentium dolorem intolerabilem sæpe sedavi vesicatoriis sub aurem admotis, *Paræus. Chir. l. 16. c. 25.*

Experimentum aliquando vidi in Senatore Geneveni, cui nullum aliud, præter hoc, remedium consulit. In acerbis Dentium doloribus pyrotica ex usu sunt, quoniam educitur quædam sanies tenuis; Et mirum tam exigua materia excreta tam acerbos dolores sedari. *G. Ballonius 1. Epid. p. 87.*

24. *Et post Aures*) Imo in ipsas *Aures immissa* medicamenta juvant, quia venulæ (*arteriolæ*) per quas fertur alimentum ad dentes per illas partes decurrunt: Ideo infunditur *oleum amygdal. amar.* in aurem vicinam denti dolenti, aut excipitur *fumus aceti*, in quo *pulegium* aut *origanum* cocta sint: Alii *acetum* in aurem infundunt, quo fluxio cohibetur efficacissime, & in *fluxione calida* præcipue confert: In *frigida* vero; *succus allii* cum *theriaca* mixtus, & in aurem tepide instillatus mirum in modum dolorem compescit: Idem præstat *allii bulbus* detracto cortice, in formam suppositorii scissus & in aurem immissus. *Reverius.*

Novimus militem Belgam, qui in curandis illis magnum sibi acquisiverat nomen, infuso auribus liquore, quem pro arcano retinebat sibi, Conversatus vero aliquandiu nobiscum eodem hospitio, sub discessum communicabat id ipsum, nihil aliud esse scilicet quam *aquam simplicem*, cui pauca *grana piperis* in cochleari super ignem intepuissent: Pro divitibus vero recipiebat granum unum *moschi*. Ratio pendet à meatu illo qui ab aurium regione ad os tendit. *Wedelius Am. m. m. pag. 139.*

In aurem è directo partis affectæ immissa quædam Dolores compescere solent E. g. *succus rutæ* vel *rad. asphodeli*, *hederæ terr.* succus mirabili effectu usurpatur, *Item succus calendulæ* ex parte opposita inditus, *Joh. Anglicus.*

Alii succum è directo inditum laudant, *Rondeletius* & *Platerus*: Valent. Olea plurima, *rutac. nardin. costin. lumbricor.* addito *castoreo*, imo ipsum *ol. de castor.* Aut etiam *destillata*, ut est de *caryoph.*

Heurnius excavatæ *cepa* infundit *ol. amygd. amar.* addendo parum *euphorb.* vel *castor.* Oleum inde expressum immittit auri ejusdem lateris.

Allii bulbum detracto cortice, in formam suppositorii scissum & in aurem partis dolentis intrusum mire juvare *Platerus* autumat.

25. *Orbiculus rapi*) Pro magno habetur arcano, magna certe efficacia revellit & dolorem sedat, ut Ego qui experimentum fieri & ab aliis factum observari, testari possum. *Th. Fienus Physogr. c. 16. Gabelchovverus cent. 3. cur. 12.* experimentum nobile esse, ait, apud mulieres Belgicas.

26. *Plantis pedum apponunt*) *Carpo* quoque, & *manus sedi externæ inter pollicem & indicem* simile aliquod remedium adhibemus, quale ex *bulbo allii* contuso supra dictas partes ligato *Platerus* instituit: Qua ratione & ipse *Galenus l. Εὐπορ.* dicebat se expertum esse in doloribus Dentium quod *Allium* appositum *volæ manus* ejusdem lateris dolorem sedat; Rationem addit *Mercurialis*, quod impetus fluentium humorum sic tardetur, Similiter *Montuus* per *caricas* cum *sem. sinapis* tritas, & panno inductas, cubitoque alterius partis in qua dolor est, impositas; Vel per *causticum ex calce viva* cum *sapone molli* incorporata compositum & applicatum.

27. *Ejusdem repulsione*) Per *adstringentia* ipsi parti dolenti admota, in fluxionis principio, eaque refrigerantia si materia calida sit: Ea vero frigida existente calida cum repellentibus sunt miscenda. In qualibet autem causa, si dolor vehemens fuerit, *anodyna repellentibus* sunt permiscenda. E. g.

℞. *rad. bistorta, pentaph. tormentill. ana ℥j. fol. verbena plantag. tapsi barb. ana m. j. nuc. cupr. gallar & calicum glandium ana ʒij. santal. rubr. & crystall. ana ʒiß. rosar. rubr. & balaust. ana pugi. f. Decoctio.*

28. *Interceptione*) *D. Leseq.* M. D. se curatum vidisse retulit dolorem *sale fraxini*, quo impletur digitale mulieris, & applicatur arteriæ temporum; Intra breve tempus facit nodum in arteria, quo fluxus intercipitur. *Riverius in obs. commun. Vino styptico* & aceto abluatur pars dolens tepide frequenter; in fluxione calida usurpari poterit ab initio: in frigida vero addi poterunt *radix cyperi, cortex buxi, folia hedera*, & similia: Simplicius medicamentum componitur ex *aqua plantag. & rosar.* cum *aceti* tantillo ad formam *oxycrati*, vel *galla* decoquantur *in aceto* quo abluantur dentes. *Riverius.*

28. *Repulsione & interceptione*) Empl. ex *pice Burgundica* cum *pulv. nucis mosch.* arteriæ temporali admotum, multis contulit. *Borellus cent. 4. obs. 68.*

28. *Ubi locum habet Emplastrum*) A purgato corpore, cujuscunque generis sit materia quæ influit, proderit ejus cursum sistere *Empl. contra ruptur.* Ex *pice & mastiche* facto, & temporibus qua parte dens dolet, admoto, *Parai ac Heurnii* consilio: Nullum præsentius remedium invenies *Emplastello facto ex pice vulgari*, aut *Resina liquefacta* cum *pulvere aluminis & gallar.* modo arteriæ paulo supra dentem excruciantem calidum apponatur. *Mizaldus cent. 3.*

Theriacam Emplastri quoque forma supra genam applicatam proponit. *Platerus.*

Nihil in seipso expertius habuit Clar. *Oberndorferus* quam *ammoniacum* aceto dissolutum, cum tantillo ceræ impositum. *Strobelbergerus.*

29. *Emplastrum de mastiche*) Ad fluxionem inhibendam adstringentia temporibus utiliter applicantur, qualia sunt Empl. ex gummi *Elemi*, vel *Mastiche* sola supra pannum sericeum liquata, cum pistillo æneo calefacto: *Empl. de mastiche* officin. vel *contra rupturam.* Vel

℞. *Thur. hypoc. ladani, ana ʒß. picis, mastich. ana ℥j. opii ℈ß. olei lentisc. q. s.* Fiat massa Empl. *Radix consolida maj.* recens contusa & admota tempori in formam Emplastri, fluxionem efficaciter intercipit: Fit etiam Empl. ex pulvere *aluminis & gallarum* cum pice subactu efficacissimum. *Riverius Henrici magni* Archiater Empl. sequens pro secreto habebat.

℞. *Aucum cupr. rosar. rubr. semin. nasturtii torrefacti. mastiches. terra sigill. ana ʒiß.* macerentur in aceto rosaceo per horas xxiv. postea siccentur Adde *opii in aqua vita dissolut. ʒiij. picis navalis, colophon. ana* [illegible]. *cera flava in oleis expressis seminum hyoscyami & papav. albi liquata* q. s. Fiat Empl. quod applicetur arter[illegible], vel etiam loco dolenti. *Riverius.*

30. *Et Tacamahaca*) Quæ validæ adstrictionis particeps, digerit, resolvit &c. Defluxiones quascunque è capite defluentes reprimit linteo excepta & post aurem alteram saltem, vel utramque ap[p]licata. Tem[illegible] adhibita cerati modo, dolorem de[illegible]ium [illegible], Dentibus etiam corruptis indita. *Schroderus.*

31. *Temporibus appositum*) Ea quæ fluxiones sistunt illic admota, humorem fluentem adeo interdum retinent, ut dolor in subjecta maxilla cesset, in temporum vero dicta regione suboriatur. *Platerus.*

31. *Temporibus appositum*) Temporibus ea quæ fluxionem sistunt ne ad dentes ferantur, utiliter applicari *Platerus* memorat, præsertim Emplastra, quæ tamen rectius retinentur in fovea quæ media est inter frontem & tempora, è regione sedis laborantis collocando & dies noctesque gestando. Verum meo judicio, hæc medicatio vix alibi locum habet quam in maxillarium dentium dolore superioris ordinis; nec sine accurata deliberatione usurpanda, utpote quæ adeo illic humorem fluentem interdum retinet, ut dolor in subjecta qui[illegible] maxilla cesset, In temporum vero dicta regione suboriatur, non exiguo ægri præjudicio. Multo minus in illud *Heurnii* consilium consentirem, qui non tantum temporibus, sed & ipsi capiti unde humor excurrere solet, Emplastrum imponendum censet, ob eundem metum retentionis humorum, capitis majori periculo quam ipsorum dentium, quodque exinde ægri apoplexiam, aut aliud grave malum incurrere possent. *Strobelbergerus.*

32. IV. *Discussione*) Postmodum ea usurpanda remedia quæ dolorem sedant, ejusque causam discutiunt; ex quibus ea deligenda sunt quæ non solum resolvunt & discutiunt, sed etiam fluxionem cohibent, adstringentium admixtione, in principio & augmento magis usurpentur; quæ vero tantum discutiunt, in statu & declinatione.

℞. *succi sempervivi & solani ana ℥ij. lactis vaccini aut ovilli ℥viij. Olei rosac. omphac. ℥iß. opii, croci ana gr. iij.* Misce, & linteo exceptus liquor maxillæ dentis dolentis tepide applicetur frequenter.

℞. *Medulla pomor. dulc. coct. ℥ij. furfuris aceto macerati ℥iij. olei rosac. omphac. ℥j. croci ℈ß. opii gr. [illegible] m. f.* Catapl. Vel

℞. *far hordei & fabar. ana ℥iij. ol. rosf. compl. & amygd. dulc. ana ℥ß. succi semperv. maj. ℥iß. lactis q. f.* Catapl.

℞. *album. ovor. n. ij. agitentur cum aqua r[o]sac. & excipiantur stupis cannabinis*, quæ inspergantur piperis pulver. ʒij. & parti dolenti applic[e]tur, ut totam genæ sedem comprehendant.

Hic tamen sedulo advertendum ne *adstringentia* maxillis applicentur si tumor eas [illegible]pet; periculum enim est ne humor ad fauces repellatur ægrumque suffocet; Cujus rei exemplum proponit *Valescus de Taranta*, cujusdam Medici dolore dentium laborantis, cum maxillæ inflammatione, qui *oleum rosac.* cum aceto admovit, unde incidit in anginam & mortuus est. *Riverius.* *refer ad §. 27.*

33. *Per.*

33. *Per Empl. de meliloto*) Malæ regioni extrinsecus loco dolenti correspondenti quædam *apposita dolorem* compescunt. *Emplastrum anodynum*

℞. *medullæ panis & pulpa pomor. āā. ℥ij. coqu. in lacte, adde far. semin. lini ol. rosac. vel chamom. āā. ℥j. croci ℈j. contundantur.*

Theriaca vel *aliæ opiata*, Empl. instar juvant, Aliud cum successu expertum.

℞. *alb. ovi cum aqua rosac. conquassetur, stupa cannabina excipe, asperge parum piperis pulverati, ita applica ut totam malæ sedem comprehendat.* Vel sic.

℞. *Vitell. ovi, & cum aqua vitæ distempera, cum pauco croco* applica; resolvit tumorem: Possunt & *farina addi*: In causa calida.

℞. *succor. solani, semperv. āā. ℥ij. aqu. rosl. lactis āā. ℥iß. olei rosl. omphac. ℥j. agita & admove ex pannis lineis.*

In causa potissimum frigida.

℞. *bulbor. capar. assor. sub ciner. ℥iij. ol. aneth. chamom. āā. ℥j. far. sem. fænigr. ℥j. f. Empl.*

Sacculi prosunt foris adhibiti, ex *milio* vel *panico*, *absint. flor. chamom. aneth. & sale.* Platerus.

34. *A proprietate*) *Exuviæ serpentis* coctæ Vel exsiccatæ in furno, aut combustæ pulveratæ, & cum *oleo* mixtæ donec unguenti instar dentibus inungi possint, laudantur: Si cutis *Bufonis* exsiccata hoc modo præparetur, laudatissimũ fit in dolore dentium remediũ.

Pastinacæ piscis caudæ aculeus si dentibus adhibeatur, illorum dolorem compescere scribit *Dioscorides*.

Inter *amuleta* Idem *lepidii radicem* collo suspensam dentium dolorem tollere docet. *Platerus.*

34. *Proprietate agentium*) Egregie conferre fertur *Ranæ in* aceto & aqua probe coctæ decoctum, ore contentum, *Actuarius m. m. l. 6. c. 7.*

Scalpella magnete tacta, solo tactu dolores dentium, aurium & oculorum tollunt. *P. Borellus centur. 4. obs. 75.*

Osse è femore seu tibia *Bufonis* dentes dolentes frica, in momento dolor remittit. *L. Fioravanti Phys. l. 2. c. 43. Helmont.* Dolorem ex specifica proprietate, à quacunque causa, tollit *rad. Oxylap.* siccata, dolenti denti admota. *Grulingius in observ.*

Odontalgia diuturna aufertur, si *salicii*, saltim per corticem vulnerato, assula sanguine eo loco dolente tincta inseratur, superinducto iterum cortice, quo regitur prædicta assula. *Kozach Tr. de sale c. 11.*

Frustula vi fulminis à quercu decussa, & instar dentiscalpii usurpata, ita dolorem sedant, ut nec postea unquam doleant. *Strobelbergerus de Pod.*

Dentium dolores multis experimentis ex *Marina Pastinaca radio* mitigati visi sunt; hic in Piscis cauda enascitur, quo si dentes tanguntur & gingivę scarificantur, quam citissime dolor evanescit, Prodit *Dioscorides L. 1. c. 9.* radium hunc Dentes frangere & evocare: Quomodo hoc perficiat docet *Plinius L. 2. c. 4.* Conteritur is, & cum helleboro albo miscetur, quorum mistura si dentes illiti fuerint, sine vexatione extrahuntur.

35. *Radices oxylapath.*) Radix *lapathi* acuti vere ante germinationem collecta & exsiccata, denti dolenti admota, specifica proprietate dolorem dentium tollit: Quod confirmatur *Foresti* experimento *obs. 6. l. 14.* ubi etiam dictam radicem recentem in taleolas concisam denti dolenti feliciter applicavit in puella quadam; quo etiam remedio in aliis quamplurimis, præcedentibus universalibus remediis se feliciter usum testatur.

36. *Senecta serpentis*) *Galeno authore 11. simpl.* Eadem exusta ac trita, & cum oleo ad mellis spissitudinem redacta, dolentique imposita denti succurrit *Archigenis* authoritate, confirmant *Pernumia, Forestus.*

37. *Dente cum gossypio impositis*) *Gummi galban. ammoniac. serapin.* emollita per se, vel cum aqua vitæ aut aceto, cavis dentium imposita, vel supra linteolum extensa, & dentibus emplastri instar apposita, doloribus dentium medentur. *Platerus.*

38. VI. *Extractione*) Si omnibus tentatis dolor dentium non cedit, & dens valde erosus fuerit, ferro extrahendus est, eoque extirpato dolor statim cessat; non amplius reversurus: Cavendum tamen est ne Dens evellatur eo tempore quo fluxio impetu ruit, aut caput dolet, aut tumet gingiva, aut dolor atrox sentitur: Et monendus est Chirurgus ne violenter & affatim, uno scilicet ictu, dentem evellat, ne violentam extractionem consequatur maxima cerebri concussio & ossis maxillæ disruptio, quam sæpe magna hæmorrhagia, febris & interdum mors consequitur: Evulso dente, ea pars à qua extractus est digitis undiquaque comprimatur, ut ad statum naturalem redeat, postmodum æger colluat os oxycrato tepido, caveatque ab aëre frigido, ne nova fluxio in alios dentes delabatur. *Riverius.*

39. *Si Dens aqua ex sale ammoniaco*) Si quis meticulosus manum Chirurgi refugiat, & aliis remediis sibi dentem extrahi cupiat, ea tentanda sunt quæ ab authoribus passim proponuntur, & dentis casum promovere censentur: qualia sunt pasta ex *lacte tithymali*, & *thuris pulvere* simul incorporatis cum pauco *amylo* in cavum dentis immissa; *radix ranunculi*; *cortex radicis mori*, *cinis vermium terrestrium*, *pyrethrum in aceto infusum*, *radix cucumeris agr. in aceto* infusa & similia.

Sed præ cæteris efficacissimam vim obtinet ad dentium casum promovendum *elleboraster*, si ejus folio contrito dens confricetur; sed diligenter cavendum est ne alii dentes hoc remedio tangantur, eorum enim casum etiam promovebit.

Quidam rusticus cum dolore dentium acerbissimo premeretur, suasit alter ut elleborastro dentem confricaret: ille hoc remedio incaute usus, majorem partem dentium maxillæ afflictæ confricuit, & intra paucas horas omnes propemodum deciderunt: Si quis igitur tam vehemens remedium experiri cupierit, suaserim ut reliquos dentes cera diligenter obducat, ita ut ille qui evellendus est nudus relinquatur & actioni medicamenti pateat. *Riverius.*

40. *Insequente ad evulsionem hæmorrhagia*) Sic sanguis in tanta copia effluat ut vix cohiberi possit (quod interdum contingit etiam sine maxillæ ruptione) ex vena vel arteria scissa; & refert *Valleriola* historiam cujusdam qui dente sine ulla vi & sine ferro, sed solis digitis extracto sanguinis lib. j. uno impetu ejecit, & altero die fere tantundem ex arteria gingivæ supposita.

Sistitur ut plurimum ille sanguinis fluxus apposito globulo solidiori, ex linteo confecto, & digitis per horam unam vel alteram compresso: quod si non succedat, vitriolum ustum admovendum est, & linteum in aceto maceratum superimponendum, idque digito comprimendum, donec crusta inducta fuerit: Postremum remedium est ferrum ignitum, quo statim erumpens cohibetur. *Riverius.* Vide plura cap. de Gingivarum aff.

41. *Laudantur & sequentia.*) ℞. *tragac.* ʒij. *hyssopi* ℥ß. herb. *perdicis melle & sale tenuis subacta, atque in olla* donec *in prunas redigatur cremata, quadrantem, piperis* trientem *tunde, incerniculo trajice & utere.* Quo si usus fuerit, neque Dentes dolebunt, neque funduntur, neque gingivas inflammationes cruorem fundent, nec carunculæ in iis supercrescent, neque fluxionibus tentabuntur, Erit porro os odorum & dentes nitidi, *Joh. Actuarius m. m. l. 6. c. 7.*

℞. *succi racemorum vitis albæ* ℔ß. *cortic. rad. mori* ℥ß. *coque ad dimidias, calidumque ore retinendum per 7. dies continuos exhibe*; Qui hoc utitur nunquam dentis dolore afficietur. *Ætius Tetr. 2. serm. 4. c. 28.*

Remedium *Andromachi*, quod eadem hora dolores sedat, *Piper. pyrethri, succi tithimali, āā. p. aqu. galbani*

exculpta cavernis impone *Idem ibid.*

Arcanum Tartari cum aceto dilutum, calide in ore detentum dolores dentium celeriter sistit. *Joh. Agricola comm. in Poppium p. 664.*

Sacchar. alumin. Si dissolvatur in aqua, & calidè in ore teneatur, statim dolores dentium sedat. *Idem ibid.*

Si doleant propter inflammationem gingivarum, remedium est citra molestiam repellens & discutiens, *Oleum lentisc.* recens, caliditate temperatum, ore retentum. *Altimarus Pr. c. 4. Folia Nicotianæ* in *aceto* cocta, & dentibus imposita, egregie dolorem sistere dicuntur, *Jac. Balde Tr. Germ. p. 242.*

Vidi gravidam in Dentium gravi dolore cineres calidos donec stigma notaque inureretur temporibus appressisse; hinc dolores cessasse, *Gul. Ballonius Append. de Dent. dolore p. 70. & 87.*

Marina pastinacæ radium, si dentes eo tangant, & gingivæ scarificentur, citissime dolor evanescit, J. C. *Baricellus* Hort. Gen. p. 324.

Acetum in quo coctum sit *spolium serpentis* est admirabile. *Petr. Bayrus l. 6. c. 8.*

Singularis decoctio cito sedans dolorem.

℞. *3. piper. cubebar, cortic. rad. mori capar. mandrag. saxifrag. āā.* ℥j. *coq. in vino rub. ad tertias*, Colatura detineatur in ore, *Idem.*

Rad. Sambuci in *aceto & vino* decoctas & gargarisatas pro singulari experimento commendat *Minderus in Med. mil. c. 10.* nec aliunde majus levamen se habuisse testatur.

℞. *rad. sambuc. concis.* ℥iiß. *aceti sambuc.* vel *simpl. vini albi āā.* ℥vj. *coqu. pro collutione.*

℞. *Mucilag. sem. psyll. & lini cum aqua sambuc extr. āā.* ℥vj. *olei sambuc.* ℥ß. *far. flor. sambuc. q. s. f. Catapl. Mart. Blochwitzius Anat. sambuc. sect. 3. c. 7.*

Experimentum hoc est.

℞. *flor. spica nardi, coqu. in vino*, Colatura ore sæpe teneatur.

Item Cuidam post Pilul. Purgantem, admotum *decoctum sabinæ* cum *baccis juniperi*, & optime inde habuit. *J. Ph. Brendelius Cons. 57.*

Præsentissimum remedium.

℞. *semin. lentisci Contus.* pone in sacculum, & ad intra admove dentibus: Habet miram vim extrahendi viscosos humores, ac leniendi, & tandem tollendi dolores *Joh. Th. de Bry Introd. in vit. Philos. tr. 2. c. 14. Cl. Deodatus.*

Nil præstantius *Ol. terebinth. cum pulv. Camph.* cujus oleum etiam est præstantissimum. *Claudinus cons. 123. De Dentium carie & dolore.* Hoc remedium in mista materia valde efficax est.

℞. *spir. vini & cum eo misceatur pulvis nitri*, & intincta bombace *dolenti loco applicetur, aut cavitati dentis. Crato cons. 5. l. 8.*

Si materia paulo frigidior est, quod diuturnitas doloris indicat, mirifice succurrit; usus hujus Pulv.

℞. *pyreth. pulv. part. j. caryophyll. part. ß. affunde spir. vini*, & madefiat eo linteorum duplex, & superponatur loco dolenti, repetendum autem sæpius donec remittat dolor. *Item.* Ad præservationem Dentium inprimis prodest *medius cortex ligni è frutice berberis*, *si aqua imponatur*, & oris matutinis os colluatur. *Item* hoc maxime commendatur, *Ol. vitrioli* si cum aqua misceatur, dentes à putredine præservat & dealbat, Nam gutta una vel altera *spir. vitrioli sacch. vel melle rosac.* admista mirifice deterget, Dentes & gingivas putridas cum ulceribus oris plurimum juvat. *Crato in cons. lib. 6.*

℞. *Ol. caryophyll.* ℥ß. *solve in eo camph.* ʒß. *adde spir. terebinth.* 4. *rectificati*, gutta j. vel ij. cum bombace cavo denti indita statim dolorem sistit. *Item* Ex follic. *hyoscyami* in quibus semen est, *ol. destill. vel expressum.* Ut & *decoct. ejusdem rad. cum persicaria in aceto* coctum, & tepide in os sumptum, dolores potenter sedat. *Oswaldus Crollius Bas. Ch. p. 22. & 180.*

Sal ex fructu abietis, si cum pauco aceto solvatur, & in ore aliquamdiu teneatur. *Item.*

℞. *papav. errat. hyoscyam. caryoph. sylv. melissa āā. F. l. a. Sal crystallinum*, de quo grana aliquot cavo denti impone, Certum est remedium. *Mich. Crugner. Op. c. 9. p. 119.*

Decoctum rad. hyoscyam. & h. persicar. in aceto rosac. efficacissime Dentium dolores sistit. *Item h. persicaria* dolentibus dentibus masticata, mox fimo ad putrescendum sepulta, vi quadam magnetica dentium dolores aufert. *Cl. Deodatus Panth. H. l. 3. c. 21.*

Experimentum semihoræ spatio dolorem tollens.

℞. *semin. apii gr. ij. hyoscyam. opii āā. gr. iij. cum syr. de papav. vel vino forti.* F. Pilul. Dentium cavernis indendæ, statim cessabit dolor. *Idem.*

℞. *lupulum* exsiccat. fricetur parum, postea coque in aceto forti parum, cola & exprime, Os collue, Est mirabile, *Tob. Dorncrellius l. 1. c. 19.*

Lappa maj. radix collecta Sole in Virg. existente Luna nova, certissimum ad dolorem dentium est remedium, *Aug. Etzlerus Tr. de Signat.*

Qu. essentia colocynth. arcanum est summum, Dosis ℈j. vel ʒß. cum lusculo vel syrupis. *Item.*

Sal ex *lacertis* chymice paratus dolores mirifice sanat.

Item Essentia saturejæ ad miraculum usque sanat, Guttulis nonnullis perfricatur Dens dolens; immittitur etiam gutta j. auribus ut caput calefiat, *P. Joh. Faber.*

Ol. *Buxi*, si gossypio per stylum excipiatur, & in foramen dentis gutta j. vel ij. injiciatur, illico dolorem tollit: Juvat & si illo gingivæ madefiant.

Item Ol. *campher. gutta j.* in foveam dentis instillata mirifice sedat. *R. Fonseca Tom. 1. cons. 46.*

Noduli parvi ad pisorum magnitudinem confecti sunt, quibus inclusa fuere *pulv. piper. sal*, medius *cortex sambuci*, per vices denti dolenti appositi sunt, mox cessavit.

Item Imperavi cuidam ut supra dentem dolentem *rad. lapath.* adponeret per taleolas concisam, & statim dolor cessavit.

Item Retulit amicus quidam se pluties probasse *folia lappa sale* adjecto, in aceto decocta, miraculose contulisse si decoctum tepide in ore frequenter detineatur. *P. Forestus lib. 14. obs. 6.* Evanescit dolor Archæo mortificato, quod perficitur per acria ut est *rad. pyrethri, urtica rub. flore*, cujus substantia rasa denti imposita mirifice ejus furorem mortificat. *Grembs. lib. 2. p. 63. Ol. Spicæ f. caryophyll.* dolenti denti inditum certissime sedat.

Item. Magnetem cœlo sereno pulverisa, calcina in olla vitrea donec viridescat, Ex hoc cum *farina, vino*, & g. *tragac. f. Rotula*, dentibus impositæ dolorem momento sistunt. *Item.*

Guajaci decoctum valde probatur. Ego ipse probavi. *Item.*

℞. *c. c. usti* ℥j. *vini boni* ℔j. *Coque*, sæpe probatum etiam à Principibus. *Item.*

℞. *albi dentem* j. *theriaca parum*; *telam aranea parum concisam m. f. Empl.* Si venæ medianæ brachii, eo loco quo dentes dolent, per aliquot horas imponatur, statim intensissimi dolores sistuntur. *Item.* Si sunt dolores ex destillationibus, *Decoctum rad. urtic maj. allii, cum pauco nuc. mosch. & croci in vino adusto & aceto āā. p. æq.* calide in ore retentum humores illapsos mirabiliter extrahit; *Item.*

Radix *lappa major.* admota subito aufert. *Grulingius in Observ.*

Decoctum *ramarum*, ex *aqua* cum pauco *aceto*, vel

vino

si gingivæ male habeant, dolori valde prodest, *Guarinonius conf.298.*

Fidum hoc est remedium in causa calida

℞. *Persicar. & rad. hyosciam. alb. rec.* ãã. ℥j *coque in vino & aceto* ãã. ℔ß. tepide foveatur dens. *Jo. Heurnius Pr. l.2.c.11.*

Menastrum è radice evulsum conspersum in pelvi aqua calidum reddit, qui ore exceptus dolorem mirabiliter sedat, si præsertim in lecto sit æger & moveatur sudor. *Hollerius Periocb.*

Spiritum vini affunde super scobem. Guiaci, stet in lenta digestione, extrahe essentiam, cujus cochl. j. teneat in ore super locum dolentem, & repete, doloremsedat. *Item*

℞. *Rad. torment. pyreth.* ãã. ʒj. *cort. rad. hyosciam.* ʒß. *staphis. sem. plantag.* ãã. ʒj. *papav. albi* ʒß. *opii* ℈j. *coque. cola. & os collue.* omnis evanescit dolor, *Conr. Kunrath Med. destill. p.287.*

Dentium dolori lævissimus nive in ore *retenta* curatus. *Zacutus P. M. H. l. obs.45.*

Viridem *corticem sambuci* coq. *in vino*, decoctum tene calidum in ore, & statim juvabit intra tres horas. *Item*

Allium tusum opti... e ... pone cum testa juglandis pulsui manus lateris dolentis per horas 24. Non redit dolor amplius. *Maroldus Pr.p.88.*

Allii nucleolus decorticatus, assatus, & denti dolenti à causa frigida appositus egregie auxiliatur.

Item Bacca junip. contractæ *vino albo* incoquuntur una cum *rosis. cupressi pilul. & myrti* vel. add... um cruciatus. Si quis hoc decocto calido, addito *aq. vitæ* momento os colluat, vel ... saccaro eodem linteolo dentem dolentem vestiverit, præsens experietur auxilium. *Mizaldus in Horto medico.*

Expertus sum *Cedria*, (sandaracham) coctam sedare dolorem dentium.

Item. & coma *juniperi* in aceto vini; *J.B. Montanus Conf 9.*

Peucedanum dentibus impositum perforatis, dolorem protinus solvit.

Item. ℞. *Philon Rom. cortic. rad. papav. rad pyreth. fol. Nicot. Ind. piper. longi, semin. hyosc.* ãã. ℈j. *opii Theb.* ʒß. *macerentur xxiv. horis in* ℔ß. *spir. vini*, destilla per Baln. aqua ore teneatur. *Muller in mir.p.88.*

Spiritus vini Odontalgiæ præsentaneum est remedium ... *r. Mynsicht.* ... *m.p.59.*

Gravi Dentium dolore vexatus *Allium* sub cineribus ... dolenti denti imposui, & mox dolor mituit. *P.* ... *l.* ... *15.* ...

... mo ... atu

℞. *Rad. hyosciam. fol. persicar. macul.* ãã. m. ß. *sem. papav.* ʒß. *bulliant parum in aceto rof.* Dentes colliue. *Pulver. Prax. c.33.*

Virginis ex *vitriolo* oleum putore gravissimum extorquetur, cujus narcoticæ virtutis magnum est argumentum quod eo gravissimus omnium dentium dolor in momento sedetur, si dentiscalpium intinctum in radicem dentis dolentis immittatur. *Quercetanus in Tet p.25.* Idem facit *ol. Bux* ... idatum à *Rolano, Riverio* & aliis.

℞. *Cortice formeut. vitis silv.* interiorem scobem, eamque in parvum globum redactam dolenti gingivæ applica, & sine dum morsus expers sit, ... recentem inde, expuens interim ex loco affecto ... os defluentem pituitam, Infallibile est adversus dolorem dentium ex humorum crassorum defluxu remedium. *Ronsæus Miscell. Ep. 25.*

Album ovi conquassa cum *aq. rof.* & super stuppam cannab. expansam effunde, aspergendo parum *piper. pulv.* parti applica ut totam malæ sedem apprehendat. *Rosenbergius Rhodol. p.333.*

℞. *Nitri propar. q. v. camph. dimid. partem misce cum oleo amygd. dulcium, fiat Unguentum.* Inde parum in dentem Repetatur aliquoties. Ego hoc remedio multis auxiliatus fui. *Jos. Schmid. Spec. Chirurg. 342.*

Decoctum *Sabinæ* ore detentum sæpe probatum est, *Mart. Schmuck. Tr. de secr. magn.*

Nullum præsentius remedium (*ex Mizaldo*) quam *Empl. ex pi ... vulsari cum pulv. alumin. & nuc. galla*, arteriæ temporali calidum apponendo, si præsertim dolor sit in maxilla superiori. *Schonbornius Man.p 53.*

Extemporaneum hoc est & summum, *Aqua Nicot. cum camph. q. s. ac opio* per B.M. destillata. *Idem.*

Euporiston hoc sæpe expertum est

℞. *Camphor. bulliat parum in aceto*, teneat tepide in ore. *Montagnana.*

Dolor mitigatur, Si lignellum sanguine gingivarum imbutum ungu. armario inungatur. *Schrederus Pharm. l.2.c.87.* Acetum *primulæ veris rad. impregnatum* loco errhini in nares attractum mirabiliter sedat. *Idem.*

Eximium *ol. Buxi. Idem.*

Mirabile experimentum *Lupulus exsiccatus* manu friccetur, in *aceto* forti elixetur, cola, exprime, In ore teneatur. *Schizius in Spec.*

Oleum ex *flor. thapsi barb.* putrefacti prius cum vino albo modico, post destillati, est res mirabilis in dolore Dentium & Podagrico *Joh Stockerus* ... *Pr. aurea.*

Nihil melius, ajebat *Oberdornferus*, in meipso expertus habui quam *ammon. aceto* solut. & tant illo ceræ addito instar Empl. impositum. *Strobelbergerus de Dent. P. d. ter. p.52.* Nobis Trochisci *è sem. hyosciami & styrace* cum tantillo *terebinth. Cypria* secundo inspissatæ probatissimi sunt. *Idem.*

Galla aceto acri elixa & ore retenta præsentes fert suppetias. *S. Trallianus l 3.c.13.* Succus *peucedani* in loco corrosi ... positus statim dolorem tollit.

Si vernus adsit, *sandaracha* pulverisata super dentem posita, vel *aceto* soluta magnum est remedium. *Varignana.* Expertus est *cortex pinea* mai. in *aceto* coctus ore detentus. *Idem.*

Experimentum, Tere duos vel tres frondes *salviæ* cum *3. grans piper & salis*, in subtili pet... liga, super locum dolentem applica, statim dolorem tollit. *Villanovanus.* Optimum hoc est.

℞. *Piper. pyreth.* ãã. ℈3. *theriaces* ʒj. m. f. Pastilli, quorum unus denti dolenti superponatur. *Item*, os colluant *aceto* in quo bullierint *cinnam macer. & nuces cupressi*, *Chr à Vega.*

Caltha herbæ succo os præsentaneo remedio colluitur. *Leon. Fuchsius.*

Siccatæ *cal ... pulvis* cavis dentibus immissus dolorem tollit. *Marcellus*

Episcopus dolore infestissimo cruciabatur, cui supra dentes dolentes crebro admovebam seq. Aquam linteolo exceptam, qua statim omnis dolor evanuit, & plurimum ex ore phlegmatis effluxit.

℞. *Aq. solani* ℥iij. *ol. vitriol. Rom. q. s.* ut acida fiat. *Rulandus Curat. 4. Cent. 2.*

Nil præstantius *ol. terebinth. chym. destil.* cum pulv. *camphor.*

Item *Vitellum ovi* applicatum, *Theriacâ* illita. *Claudinus conf. 2.*

N. torquebatur dentis cavernosi dolore; guttas aliquot *ol. camph.* gossypio excipio, ac dentis cavernæ impono, cruciatus illico inhibitus. *Rulandus cur.3.cent.24.*

Mira vis est Nicotianæ, Ego vehementer ex dente laborans, hanc decoxi ex aqua, cum *chamom. flor.* tepidi decocti ... ore tenebam, exspuebam, idem agebam horis duabus; Postridie capite inclinato liquor croci flavedinem referens copiose è naribus effluxit, Nicotianæ odorem referens, ac omnis dolor evanuit. *Heurnius fameth ad Pr.*

Gravissimo dolore afflictus, frustulum *tabaci* ore assumpsi, & diu leviter masticavi, donec vomitus excitatus

dolor vero intra duas horas evanuit, *Riverius cent. 4. observ. 31.*

Mulierem *pipere [aquat.* denti dolenti indito protinus dolorem se sedasse testatur. *Joh. Heurnius.*

Laudat idem *Sandaracham* albam (gum. juniperi) in *aceto* coctam, ut secretum remedium adhibuisse dicit.

℞. *Rorismar. hederæ arboresc.* āā. m. j. *coque in posca*, tepide ore teneatur. *Ottho Heurnius Not. in Fernelium cap. 8. lib. 5.*

Verbena in vino veteri cocta, & inde collutio oris facta omnes sedat dolores, quin & ipsa herba exterius imposita. *Gabelkover. & Stockerus in Empir.*

Meliloti radix in *vino* donec dimidium absumatur, elixa, ore ea parte contenta quæ dolet, præcipue auxiliatur, *Dom. Leonus* ex quo *Fuchsius*, facultatem discutiendi & reprimendi simul obtinet.

Scobs rad. Junip. in aqua cocta, donec colore vini rubri fulgeat, si ore teneatur decoctio calide sæpiùsque repetatur, juvat. *Gabelcovv.*

Zinzib. decoctionem ex *aceto* in causa calida, ex *vino* in frigida, frequenti experimento prædicat *Job. Anglicus.*

Succum millefolii potum dolorem statim tollere, & radicem ejus jejuno stomacho masticatam idem præstare asserit *Idem J. Anglicus.*

Hederam arboream incide, & die crastino invenies guttam effluentem, cum qua tangatur Dens, & curat sine dubio. *Idem.*

Vernicis ℥ß. in vini albi ℔ß. ad consumpt. iij. part. ebulliendam, indeque calide Dentes colluendos *Montanus* tradit, Vernicis enim fumus, *inquit*, arcet rheumatismos, & ejus juvamentum in sedando dolore dentium maximum est, nec habet compar, & vitium gingivæ tollit, *Avicenna* testimonio.

Cornu cervi ustum, & vino calido mixtum, dolorem dentium solvere *Jac. Manlius* narrat.

Hyssopi aqua quidam utuntur, est enim acris ac subtilis, ex *Evonymo.*

41. *Laudantur & sequentia*) Dentium regioni, si defluxio calida sit, ab initio dum adhuc fluit, ea quæ adstringendo citra calorem eam repellunt, postquam vero fluere desiit, quæ calore aliquo discutiunt & absumunt. In frigida vero defluxione, calida ab initio repellentibus permixta, postea etiam calidissima sola adhibentur, dolorem sedantibus, si ille intensus sit, in omnibus cautis semper additis: Quæ diversa forma, nunc in oris sede, cum dentes dolent, vel retinentur, vel aliis modis *dentibus apponuntur*, aut etiam si cavi sint, *imponuntur*, aut dentes iisdem suffumigantur. *Platerus.*

Suffitus per infundibulum in os ad dentes dolentes admissi conveniunt, qui ex *absinthio* & *satureja*, similibusque calidis, *in vino & aqua*, decoctis parantur, vaporéq; dum adhuc decoctum fervet, accipitur; cui decocto si *semen porri* addes, efficacius erit.

Fumus excitatus è *sandaracha* carbonibus ignitis injecta idem præstat; vel si à semine *porri & caparum* ustis fumum excipiat; quibus pulverisatis; ut spissior sit fumus, *cera* vel *pix* aliquando permiscentur; *Hyoscyami sem.* usti fumus probatur, minus nocebit si *cera virginea* ad ignis calorem soluta prius semin. illis inspergatur. *Platerus.*

42. *Decoctum ex rad. foliis*) Quo dolores sedari efficaciter scribit *Paulus Ægin.*

43. *Pro collutione oris*) Aliæ oris collutiones in morbi decursu parari poterunt. ℞. *Vini albi gener.* ℥iv. *rad. hyosciam. albi* ʒij. *bulliant ad consumptionem tertia partis, colat. adde aceti* ℥j. *vernicis* ʒj. *iterumq; bulliant unica ebullitione*, colatura abluatur os frequenter

Decoctum *verbenæ* simplex ad eundem usum à quamplurimis commendatur, Laudatur etiam decoctum *guaiaci* in *aqua* vel *vino* paratum, cui *sal* interdum permisceri potest, Vel

℞. *Fol. persicar. feræ & cortic. rad. hyoscyami* āā. p. ij. coqu. *in aceto rosac.* & hoc decocto colluatur os: Et si à causa calida dolor producatur *radix hyosc.* sola in aceto decoqui poterit: Si *Persicar.* acrimonia offendat, illius quantitas minuenda est; imo penitus omitti potest in fluxione à causa calida, & in illius locum subrogari *persicaria* maculata, quæ refrigerandi & adstringendi facultate prædita est, cujusque succus, aut decoctum, ad omnes fluxiones acres & biliosas coercendas per os tuto exhiberi potest: *Folia* etiam *hyoscyami* loco radicis usurpari possunt.

Quidam foliis *hyoscyami* & *pirsicariæ maculatæ* pro remedio magnetico utuntur, eáque decoquunt in aceto; cocta comburunt igne luculento, dentes aceto abluunt, & dolorem evanescere aiunt quamprimum folia combusta sunt.

Ego vero affectum tribuere *aceto* malim quo dentes abluuntur. In prædictis decoctis si *aceti* acrimonia tanta sit ut eam æger vix ferat, ex æquis *vini* & *aceti* partibus paretur, imo in causa frigida solum vinum usurpetur. *Amatus* hoc laudat

℞. *Sandar.* ℥j. *vini & aceti* āā. ℔ß. coqu. colatura calida diu teneatur in ore. Decoctum *rad. urticæ majoris*, cum pauxillo *nucis msch. & croci*, in æquis partibus vini & aceti paratum, calide in ore detentum, humores illapsos mirabiliter extrahit. Ab initio quidem dolor videtur augeri, sed paulo post mitigatur & desinit. *Riverius.*

44. *Alumen in ignita*) Ego quamplurima tentavi remedia, in unico tandem *alumine* inveni solatium, quod &c. sopiti enim dolores & nox quieta fuit. *Th. Bartholinus cent. 5. hist. 54.*

Differentiæ sumuntur *ab* 45. *humorum defluentium ortu, loco & qualitatibus humorum.*

I. *Ortu.* 46. Interdum à *Capitis vertice* confluunt; & tum per venam Cephalicam revellendum est, ea quæ de repellentibus supra innui observanda.

Interdum 47. ab *inferioribus* oriuntur, & tum per basilicam revellendum.

II. *Loco.* 48. Interdum in *dente* hæret; & tum, Dolor non est ita profundus, secundùm latitudinem dentis extenditur, plerumque vermem intus continet, ad cujus motú dolor exasperatur.

Interdum 49. in *nervulo*, in radices dentis, & membranam hujus nerveam tendente, & tum dolor vehementior est. Secundùm gingivas in latitudine se extendit, & ad aurem pertingit, dente exemto, quòd ob viam patefactam dolor melius diffletur, levatur.

Interdum in *maxillas ipsas* decumbit, & tum, in superiorem per oculum anguli majorem, in inferiorem per venas temporum confluit. Repellentibus, quia materia ad fauces delata suffocat, periculosè tentatur.

III. 50. *Qualitatibus.* Alii sunt 51. calidi, serosi, salsi & acres, qui acerrimum, sed ob subitas mutationes subito desinentem dolorem excitant. Ratò malæ tumorem conjunctum habent. Repellentibus, in ter quæ Radices *Oxylapathi* in vino austero decoctæ, & cum vino in ore detentæ: radices *prunorum sylvestrium* ablato cortice exteriore, quod præcipuum, cæteris paribus, tolluntur.

Revulsione

Revulsioni inservit *sal fraxini*, digitali mulierum, aut alicui instrumento inditum, & arteriæ temporum, ubi pulsatio sentitur, applicitum, intra breve tempus fit nodus in arteria.

Alii [53] *frigidi & pituitosi*, à quibus remissior & diuturnior est dolor, [54] malæ rumorem plerumque inferunt.

[55] Præmissis universalibus, [56] *camphora* ℈ß. *spir. vini* ℥ij. vel *gummi juniper.* ʒß. cum *vini Rhenani* ℥viij. decoctis, & [57] in ore retentis. Vel denique [58] *ol. caryophill. gtt. ij.* cum *camphora* pauxillo, denti cum gossypio impositis tollitur.

[45] *Ab humorum defluentium*) Humoralis qualitas & peccatum ex doloris specie aut differentia, quam æger optime indicabit, potissimum manifestari solet, attestante simul oris sapore. Si enim dolor fuerit gravativus, cum sapore oris subdulci, tum *sanguinem* prænotat; Si acutus mordax & pungens, tanquam ab acubus intrusis, cum sapore amaro Bilem, quæ acerrima sua vi dentes & gingivas mirum fatigare solet. Si benignus & extensivus cum sapore vel salso vel insipido, præsente inprimis carybaria, ac salivatione plurima, *Pituitam*: Si obstructioni, cum sapore acido, *Melancholiam* denotat, Inprimis si ad singulorum horum indicia, & totius corporis intemperies, victúsque ratio, faciei color, & humorum similis in toto habitu circumfluentia ac luxuries conspirent. *Strobelbergerus.*

[46] *Interdum à capitis &c.*) Partium materias mandantium signa præterire non oportet, Ita ut si à *capitis* vitio ortum ducat, id cognoscendum sit ex *repletione & gravitate* ipsius: *destillatione* seu rheumate in dentes ruente, afflictionéq; continua: Si autem à *Ventriculo*, ex affectibus ventriculi id innotescet; aderit enim vel gravitas, dolor vel perturbatio ipsius, postque cibum plerumque affliget. *Strobelbergerus.*

[46] *Interdum à capitis vertice*) Ex mente *Fernelii Pathol. lib. 5. c.* *Dolore*, inquit, *conflictantur gravissimo, idque fere ob distillationem, alias tenuem alias frigidam, quæ vel in maxillæ membranam, vel in dentium nervum, vel etiam in corpus decumbit. Ruit autem distillatio è capitis vertice per tempora in maxillam, aut superiorem aut inferiorem, & si quis dens exesus est, in quem jam via pateat, in eum maxime fluxio insilit.*

[46] *Interdum a capitis vertice &c. Interdum ab inferioribus*) Observabis *cerebrum* nocere dentibus destillatione, *Ventriculum* effumatione & saliva acriore, *Pulmonem* etiam aliquid conferre ad læsionem dentium. *Riolanus Ench. p. 309.* Sed maxime læsioni Dentium confert vitium massæ sanguineæ, quæ variis modis inquinari potest, labe concepta in visceribus &c.

[47] *Interdum ab inferioribus*) Fluunt humores in Dentes & partes adjunctas utplurimum à capite; Interdum tamen à partibus inferioribus promanant; Cum enim vitiosi aliqui humores, præcipue serosi, in parte aliqua geniti, in venis cumulantur, Natura illorum onus excutere tentans, ad partes debiliores eos præcipitat, Et si dentes propter intemperiem, cariem aut erosionem, tales extiterint, ad eos præsertim fluxio decumbit: Hujus rei experimentum proponit *Car. Piso.* (qui etiam existimat dolorem dentium à seroso humore utplurimum fieri) *l. de morbis ab illuvie serosa obs. 7.* ubi refert seipsum dolore dentium per multos dies afflictum, ab assumpto medicamento purgante post sesquihoram sinceram aquam ad ℔j. & amplius evomuisse, tanto successu, ut postea vel decem annis ab hujusmodi dolore immunis prorsus fuerit: quo edoctus experimento, simili affectu laborantibus, medicamenta serosos humores educentia præscripsit felici successu: Præterea hunc affectum à tali causa fere pendere hoc signo probare nititur, quod assidua salivatio doloris dentium comes fere perpetua esse soleat. *Riverius.*

Vasa per foramina radicum dentium singulorum in partem interiorem eorundem cavernosam se insinuant. Arteriæ quidem à carotidibus, venulæ à jugularibus: Per eadem vasa quæ ad Dentes alimentum deferunt, è massa sanguinea impuris humoribus inquinata, illuvie præsertim serosa, convehitur humor doloris dentium causa, scil. per arterias, venæ autem quod illatum est, non reducunt & revehunt.

[48] *Loco, interdum in Dente &c.*) Speciatim discernendum venit 1. Num dolor sit in ipso *Dente* primarius, 2. vel num in subdito *nervo*, aut num in *Gingivis*. Si in ipso Dente, seu, ut *Galenus it. m. m.* ubi Dens secundum totam seu propriam substantiam doleat, Tunc percipitur dolor non ita profundus, sed veluti in centro ipsius dentis, seu tantummodo secundum dentis longitudinem, Nec ulla apparet in colore dentis mutatio, nullum in gingivis vitium, nullaque ex iis signa præsunt quæ in *nervo* aut *maxilla* dolentibus; quin dentis protrusio, mobilitas, pulsatio, ac tensio potissimum, hic cognoscenda veniant, præsertim si compressis gingivis dolor non augeatur. Si autem in *Nervo*, tunc dolor sentitur juxta dentium radices profundior, altus ac pulsans, molestans non secundum longitudinem, sed distendens potius cis gingivas, sicut nervus extenditur, unde potius secundum latitudinem dolor percipietur, ait *Capivaccius.*

Talis tamen dolor sæpe maxillæ communicatur, *Labioque*, imo ad *Tempora* aliquando extenditur, monente *Cæsalpino*, Et non raro ipsæ vexantur *Aures*, ait *Heurnius*, Extractóque tandem si necesse sit, Dente permanet Inflammatio, ait idem *Cæsalpinus.*

Si vero in *Gingivis*, id oculis notabitur; Apparebunt enim vel tumefactæ extra aut intro, vel aliqua alia affectione vitiatæ, ut abscessu, vesicatione, inflammatione, colore vitiato, dumque digitis comprimuntur dolor redditur intensior; cedetque facilius medicamentis, quod causa ejus in superficie existat; vicináque tunc Buccarum regio frequenter in tumorem attollitur, qui aut per se, aut emollitione, resolutioneque debita plerumque remittit, Aliquando vero in abscessum intrinsecus, circa radicem gingivarum degenerat invalescitq; ex cujus ruptura putris ac fœtida materies pullulat. *Strobelbergerus p. 25.*

[48] *Interdum in Dente heret*) Succingitur cavitas Dentis (vide supra §. *Et nervulum ad radicem dentis*) tenuissima membranula exquisite sentiente, quæ si humorem aliquem à cerebro defluentem imbibit. Dolor fit maximus Dentium. In hac incipiunt erosiones, putredines: cariesque dolorificæ, & aliquando in hac vermiculi generantur admodum excruciantes: *Vasa* ad hanc cavitatem feruntur per foramina radicum dentium: *Venula* pro revehendo sanguine post nutritionem & augmentationem continuam: Arteriolæ pro dando calore nativo, & sanguine pro nutritione & augmentatione: Unde ex inflammatione dolor aliquando pulsatorius fit Dentium, quem *Galenus* in se ipso expertus est: Hinc multum lucidi sanguinis ex dente perforato aliquando emanat, & nonnunquam ad mortem usque. *Th. Bartholinus Anatomes Reform. libello IV. cap. 12.* Concesso autem *succo nerveo*, (siquidem nervuli molles & tenues eo feruntur, qui per radices in cavitatem intrant; ubi intus disperguntur, & parvulis propaginibus cum substantia quadam mucosa in dente medio reperta, miscentur) ab ejus vitio deduci potest Dentis dolor: sive in hoc labem contrahat, sive à cerebro is deferatur.

48. *Interdum in Dente hæret*) Irritatio membranæ nervosæ, summeque sensilis molestiam eam quoque parit quam Dentium dolorem vocant, quæ illi à *Dente proprio*, cum illius *confracti* tantum quædam remanet portio, aut *situs* pervertitur, aut alinquin ille fit inutilis, evenit, tunc enim tanquam corpus alienum membranam inter manducandum premens afficit, & quo minus in latere affecto cibum masticare possint impedit. Quod & aliis in *dentem cavum perforatumque*, dum repurgantur, immissis, vel etiam à cibo solidiore inter masticandum intruso, cum contactum hæc membrana alieni corporis ferre nequeat, contingit. Sed & etsi adhuc integris dentibus existentibus vis talis inferatur ut non decenti modo impellantur, præsertimque cum dolent, vel si interstitiis ipsorum aliquid vi inter masticandum impressum pertinaciter inhæreat, quia tunc dentibus ab invicem ad latera detrusis, radices membranas ipsis adnatas coarctant, molestia quoque inde pascitur; unde cum aliquid in dentium cavitatibus, aut interstitiis hæret, in illis repurgandis adeo sunt occupati.

Solutio continui manifesta in partibus sensu præditis, dentem ambientibus, dolorem dentibus adscriptum parit; Si dente à subjecta membrana, adnatisque gingivis per vim avulso, vel penitus extracto dolor suboriatur, qui eo major si distantem radicem, qualem majores dentes habere solent, habeat eáque maxillæ, sicuti aliquando fit, aliqua ex parte penitus connata sit, adeo ut maxillæ portio illi adhærens simul cum dente interdum avellatur, unde & maxilla per hanc violentiam tracta laborat, admodúmque patitur, inde & graviora interdum sequuntur accidentia. *Platerus*.

48. *In dente hæret*) Ut cum perforatus est aut erosus, Notandum enim raro dentes dolere nisi perforati fuerint, & erosio usque ad cavitatem internam penetret ac nervum tangat, ideo ut doloris sensus auferatur nervus adurendus est *cauterio actuali*, vel *aqua fortis*, aut *oleo vitrioli* in cavum dentis immisso, quod si frequenter iteretur, & dens valde corrosus fuerit, in partes sensim rumpitur & extrahitur. *Riverius*.

β *Vermem intus continet*) Si vermis in dente fuerit, amaris est necandus, inter alia sequens confert

℞. *Aloes* ℥j. *camph.* ℈ß. *aquæ vitæ* ℥ß. m. & cum bombace denti admove. *Riverius*.

49. *Interdum in nervulo*) Et tunc accusari potest, ex eorum mente qui succum nerveum constituunt, hujus depravatio, vel quia degener, vel quia vitiosis humoribus inquinatus.

49. *Interdum in nervulo in radices dentis*) Dolor inde fit, quod nervulus cavitati cujusque Dentis molaris insertus, una cum periosteo, quo cavitas & radix investitur, ab acri humore eroditur, ab ejusque summo frigore (*cum frigidus est humor*) quod nervis maxime inimicum, male afficitur. Dolor autem sursum (*aliquando*) ad capitis interiora extenditur, quia nervuli cavitatibus Dentium inserti, sunt propagines tertii & sexti paris; iis igitur male affectis, non est mirum totos illos nervos usque ad capitis interiora dolere. Imo credibile est frigidum & acrem humorem per cranii foramina, ex quibus nervi illi egrediuntur, secundum nervorum istorum longitudinem usque ad dentes defluere, sicque non tantum eas particulas, quæ radicibus Dentium inseruntur, sed integros nervos secundum longitudinem à cranio usque ad dentes à dicto humore affligi. *De Diemerbroeck. Hist. Med. 22.*

50. *Qualitatibus*) Afficiuntur Dentes *Intemperie*, nuda vel materiali. *Intemperies nuda* sunt vel calidæ, vel frigidæ, humidæ vel siccæ. *Signa calidæ intemperiei* petentur ab *ætate*, quæ erit florens, à *temperamento* calido, calido *anni* tempore. *Victu* præcedente calido, *colore faciei* rubro, à *sensu caliditatis* ipsius oris, *siti*, *vigiliis*, *doloris* vehementia, & *frigidorum juvamine*.

Signa frigidæ intemperiei petentur ab *Ætate* frigidiore, à *victu* præcedente simili, ex sensu *frigiditatis* in ore, *colore vultus* pallidiori, *doloris* non ita vehementis acutie, calidorumque adhibitorum levamine. Interdum tamen gravis dolor Dentium divexat sedem, qualis à frigore in manibus circa radicem unguium vehemens quandóque sentiri solet, In quo & multum exspuunt ægri, & si dentes cavi sint, ex illo, *auram frigidam* prodeuntem lingua admota sibi sentire videntur, ait *Platerus*.

Humida intemperies hoc potissimum indicio internoscitur, quod magna ipsarum gingivarum adsit laxitas, dentisque velut flacciditas: quanquam raro contingat ut intemperies hæc sola dolorem faciat, nisi acrimonia ipsi adjungatur, *Scitis enim*, inquit Mercurialis, *humiditatem solam*, secundum Galenum, *Dolorem non facere*.

Sicca tandem *intemperies* præcipue ex *Ætate* obvia est, fere enim iste dolor solum in decrepitis nasci tum, præterea tamen in cæteris minima adest excrementorum ubertas, dolor vehementissimus, corporis habitus, nec non dentes ipsi quasi aridiores facti.

In universum autem si intemperies aliqua sine materia præfuerit, tunc membra male affecta colore non mutantur, nullum pondus aut gravitas aderit, & nulla apparebit inflatio, juxta *Avicennæ* doctrinam.

Signa *compositarum* intemperierum ex hisce conficere licet. *Strobelbergerus de Pod. Dent. c. 9.*

50. *Qualitatibus humorum*) Nonnulli existimant dolorem Dentium interdum fieri à *flatulento spiritu*, intra dentis cavitatem & nervulum incluso ac membranulam interiorem vehementer divellente, unde dolor atrocissimus ac pene intolerabilis excitari solet. *Riverius*.

Ab illo dolorem produci testatur illius atrocitas & divulsionis sensus qui in parte percipitur, quive exiguo tempore desinit, ac discutientibus remediis parti admotis facile curatur. *Idem*.

Calida intemperies cum influxu sanguinis, accedente sæpe inflammatione, membranas afficiens, non solum quod illæ tunc accensæ distentæ sint, sed & quod tumefactæ, in loco arcto, à dente duro ipsis infixo, nunc premantur, dolorem Dentium parit eúmque distendentem & pulsantem, cum & pulsatio, quæ tamen in subjectis fit membranæ arteriolis, à quibus dens pulsatur, sentiatur tam aperte, ut & *Galenus* pulsationem hanc, uti & inflammationem in dente ipso fieri (quod tamen in osse tam solido, quod nec venas nec arterias admittit, ut inflammetur & pulsei fieri nequit) crediderit; atque in se ipso se expertum esse scripserit. Cæterum accidit quoque ut si hic sanguinis influxus simul in gingivas periostiáque illic substrata feratur, quod vel mox in principio, vel postmodum dolore perseverante, novámque fluxionem concitante fit, dolorem angeri, eóque amplius si abscessus illic gignatur, donec illo rupto, ulcus genitum, pus intus sæpe & foris profundat; Hujus autem influxus causa non alia quam illa quæ alias quoque sanguinis fluxiones concitare solet existit, Illius nimirum *plethora* & *caliditas* vel dolor alius prægressus ab aliis causis, hunc influxum concitans doloremque geminans; vel causæ aliæ externæ hunc commoventes. *Platerus*.

51. *Calidi, serosi, salsi, acres &c.*) Causarum diversitas variis signis dignoscitur; à calidis enim humoribus dolor oriundus intensior multo est, temperamentum calidius, ætas florens, tempus æstivum, caliditatis sensus in parte percipitur, & sæpe gingivarum inflammatio contingit; à frigidis remediis juvantur, læduntur autem

à calidis

& calidis. Si vero à *frigido humore* dolor oriatur, signa prædictis contraria apparere solent: Dolor autem ab humore calido, tenui, & sero acri & salso producitur, vehementior quidem est, sed citius desinit, ob humoris illius subitas mutationes. Qui vero ab humore *frigido* & pituitoso excitatur, mitior est sed multo diuturnior. *Riverius.*

51. *Serosi salsi & acris*) A defluxione *tennis*, *acris*, vel *salsi*, serosi pituitosive humoris irritatæ hæ membranæ potius quam refrigeratæ (de qua refrigeratione infra) dolor dentium molestus oritur; illis consuetus qui hisce excrementis; & proinde fluxionibus obnoxii sunt; Et in quibus eo potius quam alio defluxio, ob viarum eo pertinentium laxitatem, aut imbecillitatem loci, quę dentium vitiatorum causa præsertim accidit fertur, aut alioquin allicitur, quibus & humor defluens ex ore copiosus simul plerumque emanat expuiturque & ad nares quoque delatus, per illas extillat. *Platerus.*

52. *Repellentibus*) Curatio nudæ Intemperiei sola Alteratione perficitur, *Calida* debentur *Refrigerantia*, Prodest inprimis collutio ex *succo solatri*, *lactuca portul.* vel horum *decocto*, Foris *ol. rosac. nymph.* In *Frigida* valet Collutio calida ex *vino* generoso, aromatico, in quo *salvia*, *rosmar. lauri folia*, Quin vel linteum calidum sæpe maxillæ dolenti impositum, pro remedio est, *Pisonis* consilio; *Humidam* sola è *vino* generoso vel *aceto* ablutio successu temporis emendat; Prodesse styptica *Marnardus* inquit. In *sicca* commendantur *pinguedines*, *gallina*, *butyrum*, dentibus illitum, *Juscula* pinguia & oleosa, collutio ex *lacte* pingui, vel *decocto malvæ*, *fœnugr. caric. pingu.* Adstringentia absint, ob quæ à medicamento è moris facto & usitatissimo, plurimos noxam percepisse *Ætius* scribit. *Strobelbergerus.*

52. *Repellentibus*) Cum adstringere præcipoe volumus, defluxionémque sic cohibere, Decocta in ore tepida retinenda sic parantur. Ex simplicibus selectioribus solis factis, probatur inprimis *Decoctum tormentillæ*, item *verbenæ*, & *urtic. interioris frangulæ.*

Aqua rosar. adstrictionis causa convenit, cui & *aqua plantag.* commiscetur, *vinúmque* interdum rubrum, vel etiam *acetum*, *Stypticum* admodum *decoctum* fit hoc pacto

℞. *Scoriæ ferri* ʒiß. *vitrioli* ʒj. *coq. in vino & aceto.*
Defluxione jam facta adduntur calida quædam E. g.

℞. *Rad. pentaph. vel tormentill.* ℥j. *rad. pyreth.* ʒß. (℥iß.) *rad. cyper.* ʒij. *fol. hederæ. salv. hyssopi* ãã. *m. j. flor. ros. r ubr. lentium* ãã. *p. j. sem. papav. albi* ʒij. *piper. long.* ʒj. *coqu. in vino* Vel sic

℞. *Salv. hyssopi, verben.* ãã. *m. j. coqu. in vino* ℔j. *adde alumin.* ʒij. Vel

℞. *Mastiches* ℥j. *salv. hyssopi* ãã. *m. j. coqu. in vini & aceti ana.* Vel pulvis hic usurpatur, applicandus vel affricandus

℞. *Rad. bistortæ* ʒj. *alum. & rad. pyreth.* ãã. ℈j. *f. Pulvis.* Platerus. Vide §. *Pro collutione oris*)

52. *Repellentibus*) Dolor Dentium cum *humorum affluxu* varia requirit præsidia, Si enim defluxio sit calida, ab initio dum adhuc fluit, ea quæ adstringendo citra calorem eam repellunt, postquam vero fluere desiit, quæ calore aliquo discutiunt & absumunt. *Strobelbergerus.*

53. *Alii frigidi & pituitosi*) Causa antecedens sunt humores pituitosi & frigidi in toto corpore collecti, qui à majore calore exercitio conquisito in vapores attenuati, sicque copiosiores ad caput delati, à causa procatarctica, scil. frigore externo, non tantum ob pororum occlusionem intus detenti, verum etiam in liquorem serosum & ob cruditatem salsum atque acrem rursus condensati sunt, qui cum ad vias excrementorum cerebri evacuationi dicatas non decurreret, sed ad sinistri lateris maxillares dentes deflueret, acerrimum ibi dolorem excitavit. *De Diemerbroeck. Histor. med. xxxi. Juvenis ab ejusmodi causis odontalgia laborantis.*

53. *Alii frigidi & pituitosi*) Frigida intemperies inimica sua nervoso & membranoso generi qualitate, hasce circa dentium sedem partes afficiens, dolorem parit, ob vicinitatem dentium etiam appellatum: Acerbum quoque, adeoque frequentem, ut non immerito frigidum dentibus inimicum esse vulgo dici soleat. Quod à causis externis, *aere*, assumptis, potuque in primis frigido, dentes subito affatimque refrigerantibus, adeo ut ipsorum frigiditatem membranæ vicinæ etiam sentiant, fieri solet; eoque citius si dente non *integro*, sed *cavo* aut *fracto*, frigiditas mox membranas tangat; unde & dentibus vitiosis existentibus frequentius dolor commovetur, Dentium quoque putatus, cum tamen illo vitio adeo sint corrupti, ut non amplius viva sed mortua sint corpora, quæ tunc sentire nemo possit dicere.

Quod eadem ratione à defluxione frigida *pituitosi humoris*, non in dentem, qui eam admittere non potest sed subjectas membranas facta contingit, dentiumque dolor nullis apparentibus caloris, sed frigoris potius, ac si flatus frigidus è dente cavo efflaretur, indiciis, nascitur, nisi dolor hic sanguinis influxum quoque, uti sæpe fit, moveat, tunc enim calor, tumor, abscessus, subsequi quoque possunt. *Platerus.*

54. *Mala tumorem plerumque*) Quamvis hic tumor utplurimum doloris solutionem afferat, translata materia ad partes exteriores, ut tamen ille cito resolvatur quædam remedia usurpanda sunt, cui rei conferet sequens Linimentum,

℞. *Butyr. rec. & axungiæ gallinæ* ãã. ℥j. *pulv. ireos Flor.* ʒj. *croci* ℈ß. *olei chamam. & amygd. d.* ãã. *misce* Promptius operatur Catapl. ex *ficubus*, *pane & aceto*: *Urtica* contusa maxillæ admota cito dolorem solvit. *Riverius.*

55. *Præmissis universalibus*) Inter quæ Purgatio locum meretur, Sequenti ergo die post v. s. Purgans medicamentum exhibeatur, humori peccanti accommodatum; in forma vel Potionis, si humor peccans calidus extiterit; vel Pilularum si frigidus & pituitosus humor doloris causa fuerit. *Riverius.*

56. *Camphora*) Plurimum hic conducit *camphora* ʒß. *coqu. in aqua vitæ* ℥j. donec camphora dissolvatur, dentique adhibeatur: Vel cum *aqua vitæ* aliqua *composita* permisceatur, vel addito *vino* aut *aceto* denuo parum bulliat; Confert & *camphora* cum *oleo still. caryophyll.* vel *expresso* ex *amygdalis* dissoluta, Vel *ol. camphoratum* arte elicitum, adhibita.

Pulvis Camphora cum pulvere rad. hyoscyami siccatæ, æquis portionibus mixti, dolentibus dentibus applicati subito dolorem sedant: *Platerus.*

56. *Camphora &c.*) *Oleum camphoræ* mire est efficax. In vulgari usu habetur *ol. Caryophyll.* quo frustulum gossypii intinctum denti admovetur, & si erosus fuerit, cavo illius inseritur, sicque humor parti adhærens extrahitur, & illa roboratur: Vel in *olei caryoph.* ʒj. solve *camph. gr. viii.* usque eodem modo utere: Verum præ cæteris commendatur, & miris laudibus effertur *oleum buxi*, quod si gossypio per stylum excipiatur in foramen dentis gutta una vel altera injiciatur, illico dolorem tollit, Chymici etiam laudant oleum ligni, quod vocant *Heracleum* seu *Corylinum*, eodem modo usurpatum. *Riverius.*

57. *Et in ore retentus*) Si corpus rite purgatum fuerit, & caput pituita non sit admodum repletum, *Masticatoria* etiam, ad humores à parte affecta extrahendos

erunt efficacissima, quæ parantur vel ex pyrethro solo dentibus diu præmanso, vel sequens componi poterit.

℞. *Mastich. pyreth. & staphisagr.* āā. ʒj. *sem. hyosciami* ʒß. pulverentur & misceantur, ex iisque fiant globuli in panno lineo raro, quos diu masticet frequenter exspuendo. *Riverius*.

58. *Ol. destillatum caryophil.*) Non pauca inter olea existunt dentibus dicata, scil. Chymica, *Ol. rorismar. salviæ, thymi, spicæ, ligni abiet. lentisci*, piper. *sandaracæ, masticis*,

Sic ol. *ex ligno junip.* mirabiliter tollere dolores Dentium ex frigido catarrho natos asserit *Evonymus*.

Oleum succini decocto *zinzib.* ex *aqua* rosar. gargarisatum, aut cum gossypio denti cavo insertum, ac foris genæ illitum dolores frigidos mitigat. *M. Doringius Tr. de Opobal. s.*

Oleo myrrhæ Hofmannus utitur, præsertim si putredo jungatur Dentium. *Sulph. oleum* & dentes dealbare, & odontalgiam sedare si dens affectus vel leniter tangatur ait *Renodæus Antidot.*

59. *Camphoræ*) Tam in calida quam frigida causa commendatæ à *Joh. Anglico*, sed parva quantitate: Coctam in *aceto* laudat *Gabelcov*.

Si affectus cæteris non sopiatur, sicque cum inflammatione vehementi pulsatoriúsque dolor, *Camphoram* una cum *aceto* contritam, dentium radicibus ad gingivas applicandam, frequentius *Rhazes* præcipit.

℞. *Camphor.* ʒß. *aq. vitæ* ℥j. *coqu. donec camphora dissolvatur*, adhibeatur. *Platerus*.

Illustrissima quædam torquebatur infestissime Dentis cavernosi dolore, Irritis omnibus guttas aliquot *olei camph.* gossipio parvo exceptas denti cavernæ indo, Illico cruciatus inhibitus. *Rulandus cent. 2. cur. 3.*

Diæta.

Ut Humores erunt varii qui Dolorem committunt, sic debet esse varia victus ratio, ut in calidis humoribus & siccis, sic victus refrigerans & humectans, & è contra, Debetque Diæta respondere medicamentis, ait *Capivaccius*.

Cum est à *sanguine*, utantur victu refrigerante, & abstinentia carnium, ovorum & omnium quæ nocent dentibus. *Pereda*.

In universum autem cibus sit boni succi & liquidus, ne attritus ciborum dentes fatiget; Acida absint & viscosa, Cibo, *inquit Celsus*, primo abstinendum, deinde eo modico molique utendum, ne mandentis dentes irritet, Idque servandum est in quovis Dentium dolore, ex quacunq; causa oriatur. *Vinum* ex toto circumcidendum esse idem *Celsus* suadet, & *Forestus*, Aqua potius utendum in qua *semina coriandri præp.* fuerint decocta, aut cinnam exiguum, vel cerevisia communis, *Strobelbergerus*.

Prophylaxis.

Si dolor Dentium frequenter recurrere consueverit, ut in multis huic affectui obnoxiis contingit, prophylaxis adhibenda est, quæ in eo consistit ut humorum ad partes illas fluentium generatio impediatur, & dentes ipsi roborentur, ne tam facile suscipiant fluxionem, Si igitur ab humoribus calidis affectus producatur; eadem curatio adhibenda est quæ in calida intemperie hepatis & catarrho calido. Si vero à frigidis & pituitosis, frigidæ cerebri intemperiei & catarrhi frigidi curatio usurpanda est, dentium vero roboratio ex capite sequenti desumenda. *Riverius*.

Cap. LXI.

De Stupore, Stridore & Nigredine Dentium.

I. Stupor Dentium.

Stupor [1] *Dentium* [2] fit I. Interdum ab *acore* sive ciborum, sive humorum, sive vaporum, quod hypochondriacis accidit.

II. [3] Interdum ab *imaginatione* ad limarum strepitum, vel acerborum ab alio masticationem. Si acutus valdè sit sonus & stridulus, applicatio vim patitur quasi in angusto facta: tum & membrana auditus quasi icta offenditur, unde contrahitur repente, ac cum ea simul & nervuli quidam usque ad radicem dentium, in quem locum subitò incidens novus aër, horrorem quendam circa dentes facit. [4] Tollitur masticatione *ceræ*, *panis* calidi, *panni* &c.

1. *Stupor Dentium fit*) Dentium causa solum ea ratione quod *viciati* sunt, vel *stricti*, aut aliter *impulsi*, membranæ hæ irritantur, sed & quando dentes adeo exasperantur, ut lævitatem decentem amittant, tunc asperitatem & inæqualitatem hanc quoque membranæ persentientes, molestiam quandam quotiescunque dentes masticando impelluntur, premunturque, ac si alieni quid membranis esset infixum, qualis in *hæmodia* accidit patiuntur; accedente præsertim stupore aliquo, tunc quoque harum membranarum, quem à frigiditate eorum quæ dentes exasperant, per contagium veluti simul concipiunt, adeo ut dentes tunc, quorum causa hoc membranis accidit stupere (quod tamen, cum non sentiant, fieri nequit) existiment; quæ exasperatio, frigiditasque dentibus, & per consequens membranis, ab esu fructuum quorundam, nonnunquam etiam ab humore simili eo defluxo, vel potius vomitione per os reddito evenit, si ea acida & austera simul fere sint, cum non solum hæc potenter adstringendo exasperent, sed & aciditate (quæ nervoso generi ossibusque inimica est) penetrantia, dentes & vicinas illis membranas afficiant. Idq; eo citius si dentes molliores adhuc, nec vetustate penitus indurati existant, unde & junioribus hoc frequentius quam senioribus solet accidere. *Platerus*.

2. *Stupor Dentium*) Qui dentibus accidit *Stupor*, vel potius molestia in hæmodia, à dentibus solum, cum sensu Tactus uti reliqua ossa destituantur, existit; Sed quod Dentibus esu acidorum & frigidorum, quæ & tenuitate sua, & frigiditate Dentibus & nervis inimica sunt, nimium exasperatis & refrigeratis, à nervi & membranæ sensilis cum radicibus ipsorum continuatione, qua fit ut Dens ipse sentire videatur similis intemperies per contactum ei sedi qua Dentes tangunt imprimatur, & sic sensu ipsorum immutato, accidit ut cum dentes inter masticandum pressi, illa velut tumescentia premunt, inde sensus ille molestus exsurgat quem *Hæmodiam* vocant. *Platerus*.

3. *Stupor Dentium fit*) Interdum Dentes Dolore quodam stupido afficiuntur, vel molestia potius, in affectu quem *Hæmodiam* vocant, & Stuporem Dentium esse existimant, quem exprimere aliter non possumus,

mus, quam quod cum inter mordendum dentes premantur, titillatio quædam molesta suboritur, & quod longiores cæteris esse tunc videantur, eo nomine magis premi inter mordendum existimentur, *Strobelbergerus l. de Podagra Dent. c. 63.* ex *Platero.*

2. *Fit. 1.*) Oritur ab acidorum vel acerborum usu, vel ab humore acido & frigido, qui aut à cerebro in dentem decumbit, vel à ventriculo vomitu redditur, à quo nervus dentium ita refrigeratur, ut per eum affluere nequeat spiritus animalis, ob quam causam Dens ita stupens nullum cibum conterere sine dolore potest. *Enchir. Med. Pract.*

Hebetudo dentium est affectio manifesta. In ea nec frigida nec calida homines ferre possunt; Fit interdum à *calore*, plurimum tamen à *frigore*, Interdum ob exquisitum sensum: Si Postremum nec calida nec frigida ferre possunt; Si frigus adsit remissum, non possunt ferre frigida, quia frigida intemperies à frigidis læditur: Si vero intensius sit vel calor vel frigus, tunc patiens nec calida nec frigida potest ferre, Et hoc experimento probatur, Sint enim duo quorum alter habeat manum frigidissimam, alter frigidam tantum; Uterque eodem modo, eodémque tempore admoveat manum igni, is qui manum habet moderatè frigidam non sentiret dolorem, sed juvabitur, At qui manum habet valde frigidam, sentiet maximum dolorem, nec enim ferre potest contrarium propter summam resistentiam maximæ frigiditatis. *Capivaccius Pr. l. 1. c. 52.*

3. *Interdum ab imaginatione*) Est velut antipathicus quidam Dentium dolor, qui occulta quadam nonnullarum rerum molesta contrarietate dentes offendere videtur, quem ego quoque patior, dum vel ipse papyrum chartamve dentibus contero, vel alios id agere aspicio; Sine qua in dentibus molestia, tristique aliquo sensu, nec Socrus mea papyri dilacerationem ferre potest; Et Uxor mea ex stridore à panis scissu audito moleste quoque intra dentes, ut ait, afficitur; quod ab aliis rebus in aliis quoq; diversimode fieri comperimus. Qua ratione tenuissimos Dentium meatus, vel serræ, vel alterius instrumenti stridore pari affectu, ac tam facili causæ transitu lædi *Alexander Benedictus lib. 6.* unus mecum inter omnes alios scriptores meminit. Quam quidem molestiam nulla curatione aggredimur, sed sola rerum sic offendentium fuga, aversoque sensu vitandam consulimus. Vel enim levicula quavis patientia ejusmodi vexationem tolerare possumus. *Strobelbergerus Pod. Dent. p. 155.*

Algor Dentium.

Affine malum est *Algor Dentium*, dum frigoris attactu notabiliter alterantur Dentes, nempe acidum & frigus inimicissima existunt Dentibus, Unde illorum nimia impressione afficiuntur fibræ illorum interiores, & quasi irritantur, ut à cujusvis objecti actione specialis quidam dolor in dentibus percipiatur, masticationis negotium insigniter impediens.

Algorem curat spiritus vini dentibus affricatus, vel *panis calens* masticatus, vel *vitellum ovi* assatum calide masticatum, Item *theriaca* dentibus affricta. *Etmuller.*

4. *Tollitur masticatione*) Si ab *humoribus acidis* oriatur Stridor Dentium, illi evacuentur per convenientia remedia, & ventriculo capitique prospiciatur, Si à *ciborum acidorum & acerborum usu*, conveniunt ea quæ leniunt asperitatem, & quæ aliquo lentore partem replent, atque calfaciunt; quod præstant *Portulaca* commans, ac *semen ejus, amygdalæ*, & avellanæ, collutio *oris cum lacte tepente*, & cum vino in quo bullierint *salvia, rosmar. caryophylli, nux mosch.* & sim. *Enchir. m. Pr. pag. 118.*

Si fiat à *calore*, refrigerandum; Si à *frigore*, calefaciendum. Si ob *sensum exquisitum*, refrigerandum & crassefaciendum; nam refrigerantia sensum minuunt, seu obtundunt; incrassantia tollunt tenuitatem & raritatem dentis quæ ἀναισθησίας causa est; Quod si exquisitus hic sensus insit à principiis generationis, difficulter tollitur. *Galenus* & *Avic.* in frigore utuntur *oleo parato. è sinapi.* In *calore* utuntur *portulaca caphura*; Sed notandum in sensu exquisito cum *caphura & succo lactucæ* misceri debere adstringentia. *Capivaccius.*

Secundum *Paulum* stupori benefacit *portulaca*, vito etiam cui præscripsi, profuit: *Nuces pineæ, avellanæ*, quoque, aut juglandes commanducatæ prosunt, ut & *caseus* comestus. Prodest etiam si *sale* dentes confricentur. *P. Forestus obs. 9. lib. 14.*

Confestim removetur stupor si *portulacæ aqua* vel *succus* ore assumatur. *Jul. Cæsar Baricellus H. G. p. 337.*

In hoc affectu nihil melius est quam Dentes sale fricare, statim curantur. *Joh. Kornthaverus Comm. in l. de Peste p. 31.*

4. *Tollitur masticatione*) Dentium stupores, qui ab acidis eduliis connasci consuevere, ex aqua aut succo, vel frondibus *portulacæ* commansis quam citissime dissolvuntur. Ipse cum quadam æstate tum siti maxima, tum dentium stupore affligerer, commansis ipsius frondibus, & à siti & à stupore illico liberatus sum. Ab amico quodam audivi Portulacæ succum collinitum absque dubio verrucas exterminare. *Ex Aphrodiseo Ant. le Grand.*

Portulacæ rec. folia tamdiu masticata donec impedimentum hoc non amplius sentiatur, certissimum & citò est auxilium: Tardius illud faciunt si *medulla panis* aut *caseus parum tostus*, vel *vitellus ovi* coctione induratus, dum adhuc calent, dentibus affectis mordeantur, atque stringantur; Idem *amygdalæ* aut *avellanæ* excorticatæ, vel *cera sale* subacta masticentur. *Platerus.*

Curat *portulaca* recens masticata, *caseus* tam recens quam vetustus, adeóque alkali manifestiori dives *Siliqua* ceracea masticata: Item calidum *ori vitellum* ad duritiem coctum applicatum: Omnium optimum calida urina applicata. *Etmuller.*

Stridor Dentium.

II. 5. *Stridor*, procedit

I. Ab imbecillitate *musculorum* maxillæ 6. à frigore inducta.

II. A 7. *vermibus*, cerebro per consensum affecto.

III. 8. A *vaporum* multitudine, ut in paroxysmorum principiis. Solet Apoplexiam, & in febribus apud insuetos delirium, si hoc non præcessit, minari.

5. *Stridor procedit*) Inter affectus maxillarum reponitur, vide infra Titulum xiij §. *Præcipui affectus sunt immobilitas*)

5. *Stridor procedit*) Inter pathemata quæ Epilepticos vexant insigne est stridor Dentium, idque ex convulsivo impetu, cujus causæ repetendæ ex causis convulsionis: *Aug. Thonerus l. 6. Epist. 19.* Stridorem dentium à vehementi & acutissima febre excitatum, non in vapores irritantes refert, sed, veterum doctrinæ tenax, in Inanitionem, *G. Hofmann.*

6. *A frigore inducta*) Oritur potius mutua dentium concussio & collisio, quam stridor, qui fit cum dentes superiores & inferiores serræ instar adductæ & reductæ committuntur.

[7] *A vermibus*) Per consensum membranarum nervorum, quos titillant & mordent.

Vermes in dentibus cariosis gignuntur, & producuntur ex qualibet materia in illis cavitatibus retenta & putrefacta, sive excrementitia sit, sive ex alimentis putredini obnoxiis, carnibus præsertim & dulciariis, præ lentore cavitatibus dentium adhærescunt.

Si autem vermis doloris causa extiterit, dolor erit interpolatus, exiguis intervallis desinens ac rediens; tum motus vermis in parte aliquando percipitur. *Riverius.*

[8] *A vaporum multitudine*) Nisi adjuncta sit irritatio oritur potius oscitatio quam stridor dentium.

Hofmannus Inst. l. 3. c. 86. de convulsion. partic. Stridorem dentium fieri ait convulsione musculorum mandibulæ inferioris, qui mansorii dicuntur.

Nigredo Dentium Sordities.

III. [9] *Nigredo* à [10] variis causis procedit, tam [11] *externis*, quam *internis*. Illæ sunt. Detergendi incuria. Dulcium & calidorum usus. [12] Hydrargyri illitus. Istæ

1. Exspiratio *cruditatis* & crapulæ.
2. *Humorum* vitium, [13] propter viscerum maximéque lienis impuritatem à quartana relictam.

[14] Tollitur [15] dentifricio [16] ex *radic. althææ, iridis Illyricæ*, in aqua, cum salis gemmæ & aluminis ana q. s. coctis, post in fornace exsiccatis, in minutissimum pulverem contritis, ac cum aliquot moschi granis mixtis, compositum.

[17] Dentifricia componuntur, ex *maxillis lucii piscis* ustis, *corall. alb. ossib. dactylorum* ustis, *sepiæ piscis, testis ovorum* ustis, *cornu cervi* adusto &c.

[9]. *Nigredo*) Per nigrorem intelligimus colorem nigrum, non lividum, qui fit ob copiam alimenti, in dolore pulsante: Nigredo Dentium oritur ob succos vitiosus qui in superficie hærent: *Capivaccius Pr. l. 1. c. 52.*

[10]. *A variis causis procedit*) Nigrescunt & fœdo lentore obducuntur dentes detergendi incuria dulcium, & calidorum usu, expiratione cruditatis & crapulæ, humorum vitio, propter viscerum maximeque lienis impuritatem à quartana relictam, atque hydrargyri illitu. *Fernelius.*

[10]. *Nigredo ex variis causis*) Partatio est *Nigrorum Dentium* aliove modo *male coloratorum & Sordidorum*, quæ *Topho* aut tartaro obductorum (vide supra cap. h. x. §. *morbi Dentium sum*) quicquid enim hic subest vitii, nonnisi productum morbosum ex frustrata ac depravata privata dentium nutritione enatum, sive externa illa supra circa *Dentium casum*, speciatim viscida & dulcia primam occasionem suggesserint, sive gingivarum morbosus status, alterando nutrimentum Dentium, & vitiando lateralem illorum nutritionem, in causa fuerit; Sane ut *scorbuticis* nil aque familiare est ac gingivarum varias subire passiones, speciatim *cruentam flacciditatem*, ita & in talibus *Dentium nigrities* & sordities frequentissima est; *Nigrities* sane Dentibus adhærens, quid nisi extravenati ex gingivis plus minus corrupti, & acore infecti cruoris dentibus adhærentis vestigium est? à cujus hostili præsentia ut irritantur gingivæ, & inviscantur dentis pori, ita ex facili hinc acescentia erosio & cariei successivus progressus; Juxta læsionum gingivarum & dentium læsio, indeque sordium excrementitiarum pluralitas ac varietas æstimanda: Hinc & ab *Inunctione mercuriali*, pro cura luis Venereæ, simili-ve concitata salivatione, uti notabiliter vitiantur gingivæ, ita nigrescere subito, & pluribus sordibus inquinati observantur Dentes. *Emmuller.*

[11]. *Tam externis*) Qui ex esu *cerasor.* vel *myrtill.* dentibus & linguæ obhæret nigror, extemplo tollitur suffitu sulphureorum, quibus utimur ad accendendum candelas; Sed cavendum ne pectus subeat fumus. *Hartmannus.*

[12]. *Hydrargyri illitus*) Sive corpori admotum, sit in lue Venerea; sive faciei tantum, Unde mulieres quæ fucis ex mercurio utuntur, dentes nigros aut fœdo colore infectos habere consueverunt.

[13]. *Propter viscerum*) Tabescentibus Dentes livescunt, an accessione catarrhi? Annon potius ob tetrum halitum? Si arte exalbescant, color iste fœdus repetit. *Ballonius.* Huc alludit *Plinius, Dentes ignibus indomiti cavantur tabo pituitæ.* J. Thevart.

[14]. *Tollitur*) Ad curationem causa antecedens prius auferenda est, & si humores pravi in ventriculo redundantes huic malo originem dederint, evacuandi sunt, & partium eos producentium intemperies corrigenda, optimaque victus ratio instituenda, eaque alimenta eliminanda quæ dentes corrumpere nata sunt, præcipuè vero dulcia. *Riverius.*

[15]. *Tollitur dentifricio*) Infinita propemodum ad dentes dealbandos proponuntur remedia, quæ unusquisque experiri poterit: Nobis unicum sufficere poterit, quod in instanti dentes dealbat, ab omni sordine liberat, & à carie præservat, nempe *spiritus sulphuris* aut *vitrioli*, in quo exiguus bacillus demergendus est, ejusque extremo dentes confricandi; moxque linteo detergendi: In magna Dentium sorditie purum & putum oleum usurpari poterit, alias vero cum melle rosaceo permiscendum, aut aqua simplici temperandum erit, ne usu frequenti gingiva erodat:

Montanus consil. 113. refert se in didicisse Romæ ex quadam muliere, ad quam cum venisset admodum juvenis, atque illa esset annorum viginti, postea quinquagenariam in eodem fere statu eam reperit: quæ virtutum atque formæ integritatem oleo vitrioli acceptam tulisset: atque significasset se ex ejus usu dentes, quos in juventute pessimos habuerat, pulcherrimos habere & firmissimos, gingivas etiam firmas, & addidisse quod sibi videretur ob ejus usum tardius senescere; Usa autem erat singulis diebus una aut altera guttula, gingivas & dentes leviter confricando.

Cinis Tabaci ad dentes abstergendos & dealbandos mire efficax. Ad *Præcautionem* vero & *dentes conservandos*, primum ii à sordibus & cibis quotidie mundandi sunt dentiscalpio ex *ligno lentiscino*, aut alia materia idonea, mox vino oleo colluendum, dentes vero confricandi pulvere sequenti.

℞. *bistorta, alum. & corall. albi ā ā.* ʒ ß. Pulvis tenuiss. vel Aqua sequ. abluantur.

℞. *alum. ust. subtil. pulv.* ʒij. *cinnam. integr.* ʒß. *aqu. font. & rosf. ā ā.* ℥iv. bulliant in phiala vitrea supra cineres calidos ad tertiæ partis consumptionem: hoc liquore dentes confricentur mane cum linteo in eo madefacto. *Riverius.*

[15]. *Tollitur Dentifricio*) Tollitur pulvere *c. c. aristoloch. & ossium sepiæ*, quo sæpe fricandi Dentes; deinde lima abradendi, denique abluendi vino odorato; Ita Dentes redduntur nitidi, & oris halitus suavis. *Capivaccius.*

Dentes

Dentes nigri dealbantur hoc modo, Aspera & siccantia; quæ sua vi detersoria dentes dealbant, uruntur, & tandem in sicca medicamenta, aut opiatas rediguntur, aut pulverisata, & gummi arabico excepta formantur in Dentifricia.

℞. *alum. corall. albi rad. bistort.* āā. ℥j. f. Pulvis quo fricentur Dentes. Efficacius erit si *os sepia*, aut *c.c.* aut *cinis panis hordei, parietar. rad. beta, asphodel. testar. ovor. ostreor.* addantur.

℞. *Pulv. præscripti* ℥iij. *alum.* ʒj. *cum mucilag. g. tragac. & Arab. extr. cum aqu. rosar. aut vino adstringente*, f. Dentifricia oblonga, siccentur in Sole. *Rondeletius.*

Matronæ imperavimus ut cum *oleo vitrioli gutta* j. *aut* ij. aquæ admixta dentes fricaret; hoc enim modo & flavi & nigri albissimi evadunt. At *pumex* ignitus, vinoque albo bis extinctus, & tertia vice ignitus, relictus donec refrigeretur, absque alia extinctione, demum tritus & ablutus albissimos facit dentes, Nec eo magis celebre experimentum invenitur; Imo si Dentes eo, quamvis non combusto, sed trito fricentur, albissimi evadunt. *Forestus* ex *P. Bayro*; qui nihil præstantius esse ait.

Cinis Tabaci ad dentes dealbandos & abstergendos mire efficax est. *Riverius l. prax. c.2.*

Eo utuntur qui *fumo Tabaci* delectantur, à quo nigrorem contrahunt dentes; Cineris prædicti copia illis suppetit, Galli dicunt, *Ils sont de la terre le fossé.*

Nigror Dentium præcavetur vitatione *aceti* & ciborum admodum calidorum: Tum & purgando dentes sæpius ab adnatis tartari impuritatibus, & colluendo os à cibo sumpto, vel aqua salsa vel vino.

Qui jam adest nigror aliusve color fœdus, detergi hoc *lavamento* potest, In *aqua fontana* dilue *spir. vitrioli* vel *aluminis*. q. f. ad gratum acorem, In hoc laciniam intinge, eaque dentes ablue mane ac vesperi. Ac mox vel magisterio corallorum frica vel hoc Pulvere.

℞. *mandibul. lucij pisc. corall. albi, c. c. usti. alumin. calcinati, rad. irid. Flor.* āā. ʒß. *sal. gemm.* ʒj. *misce. Hartmannus.*

℞. *fol. rorismar. exsicc. & pulv. pan. alb. pulv.* āā. ʒij. *corall. rub. pulv.* ʒj. *alabastr.* ʒß. *m. f. Pulvis* cum quo quotidie dentes fricabis, ac os cum *aqua rorismar. colluas*, Brevi videbis admirandam efficaciam. *Andr. Libavius pr. Alch. p. 73.*

Præstantissimus est Pulvis ex *silicibus albis*, sic parandus, Igniantur quinquies aut sexies, in vinum album conjiciantur igniti, sic calcinati facillime teruntur; & in pollinem abeunt, remisce pulv. Iridis Florent. ad castigandum odorem sulphureum.

16. *Ex radice althææ*) Laudatur bismalva, quia mollis est, nec exedit carnem gingivarum, & adstrictionem acquirit ex *alumine*; *Rondeletius.*

17. *Dentifricia componuntur*) Conveniunt in leviori malo *ossa sepia, c.c. ustum, mandibula lucij piscis, testa ovor. calcinat. cinis majorana, rorismar. urina calida*, cum qua fricentur subinde dentes & gingivæ, *Tartarus calcinatus* aut potum *salis tartari, alum. usti*: Duriora subjecta lapidea, ex *silicibus, pumice* &c. vitanda sunt, quia crebriori usu gingivas atterere & absumere valent, ut recte monet *Zwelferus* in *Pharmac. Regia*, nisi ubi fortius agendum, tunc enim, paulo tamen rarius, adhibita talia minus nocent, Exempli loco sit *farina Virginea Mynsicht*, egregie Dentes dealbans, & à tartaro corrosivo purgans:

Hisce modo dictis convenienter radix *Irid. Florent.* additur, præsertim quod & ipsa conveniat propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non est inepta: Paratis *Dentifriciis* aliquot guttæ *ol. destill. caryoph.* aut *ligni Rhodij* possunt addi; Quod si dictis Pulveribus color purpureus conciliandus, *Coccionellam* in *aqua aluminis* solvamus, & soluto aspergantus pulverem, qui exinde rubescit, sed leni admotus igni idem purpurascit:

Quod si pertinacius fuerit malum, sordes tenaciores, obstinata nigrities firmius dentibus impacta, ac firmius conglutinata *lithodontes*, optimum remedium est *spiritus salis* cum melle ad gratiam sapons, vel quantum placet mistus, & ita gingivis illitus; *Spiritus vitrioli* suspectus est, cujus loco *oleum sulph.* in aqua communi dilutum, vel cum *melle rosato subactum*: Non inconveniens est si recipiatur vinum, cui permisceatur *spiritus sulphuris*, ut acescat; huic immitte *radiculam polypodij* per xxiv. horas, hanc sicca, & utere pro dentifricio; firmat, mundat, & candorem iisdem inducit: Et ea quæ de *spir. vitrioli* refert *Riverius* l. 6. Pr. c. 2. potius *spiritui salis* quam *spiritui vitrioli* applicanda veniunt.

Pulvis Dentifricius *Principissa Aldenburgens.*

℞. *Ossis sep. c.c. usti, pumic. præp.* āā. ℥iij. *moschi* ℈j. *misce f. Pulvis*, cui aspergatur *spir. rosar.* ℥ß. & sicca, Interim

℞. *granor. Kermes, santal. rub.* āā. ℥ß. *spir. vini* q. s. pro extrahenda Tinctura, qua irrora aliquoties prædictum Pulverem, sicca: Non incommodum est hujusmodi Pulveribus dentifriciis *sal armoniacum* subinde addere; dentibus, gingivis, ac omnibus oris partibus apprime conveniens. *Ettmuller.*

CAP. LXII.

De Gingivarum Affectibus.

Gingivarum præcipui affectus sunt *Excrescentia*, & *Parulis*.

I. *Excrescentia* interdum tanta est, ob spongiosam gingivarum raritatem, & uberiorem sanguinis affluxum, ut dentes, præsertim molares obregantur. 18. Caro excrescens interdum est laxa, sordida & flaccescens; cruorem etiam, si paulatim attingatur, de se fundit: Nonnunquam putredine corripitur; aliquando ejus est expers.

In 19. *curatione* adstringentibus, *alumine usto, sale ammoniaco, mastiche, thure* in pollinem redactis, si nulla putredo adest, utendum: si adest, *aqua viridis* Plateri, Hartmanni, nec non *Unguentum de Aquilegia* commendantur.

Hæc duo multo usu comprobata sunt.

Rec. radic. *tormentil. sanguinis dracon. mastich. corallor. rubr.* ana dr. j. *alum. usti* dr. iiß. *nucis mosch.* scr. iv. *ireos Illyr.* dr. f. *Caryophyll.* scr. j. Cyper. scr. f. pulveriz. subtilissimè, & addito *spirit. vitrioli* scr. j. *Oxymelitis scill.* q. f. fiat linimentum molle gingivis illinendum.

Et R. 20. Pulv. *folior. Aquileg. salvia, mentha crispa, nucis moschata*, ana unc. f. *Aluminis usti* unc.

j. *Mellis purissimi* unc. iv. Mel bene igne despumetur, calenti & despumato pulveres inspergantur. F. Linimentum, pro inungendis gingivis.

II. *Parulis est inflammatio gingivarum ad dentium radicem, intus & foras adeò prominens, ut etiam vicina partes distendantur, caleant, & rubeant.* Procumbit in maxillam superiorem ex oculorum cantho majore; in inferiorem, per tempora è venis eò desinentibus.

Abscessus hinc sequitur, cujus pus non ad faciei cutem, sed ad dentium radices exili velamento tectas irrumpit. [21.] *Vlcus* si malè curatum est, caruncula exstat, & [22.] prominet, [23.] *Epulis* nuncupata.

Curandi ratio eadem, quæ in inflammationibus cæteris. Potest vena sub lingua aperiri. Iuvant & cucurbitulæ collo admotæ.

Observa in *Topicis*, Medicamentis asperis & mordacibus supersedendum esse. Ab *aceto* abstinendum, cum gingivas sua natura molles & raras erodat. [24.] Laudari *aquam tabaci* destillatam cum *lapide prunella* in gargarismo. Extra, medullam *panis triticei* cum lacte.

In Epulide *vitriolum* adspersum valere.

Laborant verò etiam gingivæ *sanguinis fluxu*, qui si cum alvo liquida conjungitur lethalis est, quia virtutis in hepate & venoso genere debilitatem, & in ipso sanguine vitium significat, quod in scorbuto accidere solet. [25.] Criticus non est subitò sistendus, ne in partem nobiliorem decumbat.

Solent [26.] & *carne denudari* ab acribus humoribus corrosæ, soletque tum *pulvis ex thure, mastiche, sarcocolla & sanguine dracon.* ana concinnatus usurpari; cui usui & superiora inserviunt. [28.] Mundificantur *radicibus pentaphylli* decoctis in aqua cum rosarum calycibus, potestque portio aceti scyllit. affundi.

[18.] *Caro excrescens*) In ore in buccis caro luxuriare potest, præsertim vero in gingivis, quarum carnositas adeo sæpe augetur, ut dentes magna ex parte obtegantur, diciturque *Dentium superincarnatio*, Alias vero certis in Gingivarum locis, circa Dentium radicem, caruncula emergit quæ privatim *Epulis* dicitur: Ejusmodi una mihi iu dentium sedis fine excrevit, mollis, rubra, pendula, crassa, sed radice tenui nitens, quæ per vices increscens & decrescens, sic in hodiernam diem usque perseverat, nullum impedimentum alioquin afferens. *Platerus.*

[18.] *Caro excrescens*) Fit aliquando ut caro illa quæ est in intervallis dentium supercrescat, & sanguis inter mandendum reiiciatur: Tunc frigidis & adstringentibus caro illa laxior curanda est; ut *aqua aluminosa*, quæ repellit sua frigiditate & adstrictione: Prodest etiam colluere os *succo cydoniorum*, aut alicujus herbæ similis facultatis, vel mandere *pyrum* vel *malum cydonium*. Postea utile fuerit *pulv. corall. rubr. spongia bedegar & rad. bistorta* inspergere. *Rondeletius l. 1. c. 47.*

[19.] *In curatione*) Gingivarum carnis excrescentia, quam & *Dentium superincarnationem* vocant, cum vix aliud incommodum afferat quam quod in morsu ciborum sanguis inde emanet leviter, cibosque cruentos aliquo pacto reddat, non admodum curatur; Cum masticando cibo in ea dentium sede ubi gingivæ tument, hæ sæpius impulsæ, fere decrescant iterum & diminuantur, eodem modo quo illa neglecta masticatione prius excreverunt;

Quod si vero eo usque augeantur ut jam dentes molares fere obtegant, atque in morsu inter dentes veniant, tunc collutionibus oris admodum, siccantibus, abstergentibus gingivæ tumidæ erunt fricandæ qualia in dentium sorditie describuntur: Felici imprimis successu *lapidis prunellæ* pulvis, aut *spiritus salis nitri*, ut & *salis communis* cum penicillo aut gossipio gingivarum carni luxurianti affricatur.

Quæ nisi juvent, ad validiora erit transeundum, atque *unguento* ex *pulvere æ i*, dein & illo quod ex *omphacio* succisque aliis in polypo descriptis, gingivæ erunt illinendæ, Vel *oleo vitrioli* ut illic quoque ostensum solo vel misto leviter madefaciendæ: Si dentes admodum vel omnino gingivis obducantur, fortioribus quoque *aquis*, vel *aqua fortis* earum superficies eminens solum tangenda; ne si circa radices dentium hoc fieret, illic quoque consumptæ, nudos dentes & imbecilles relinquerent: Vnde ne vel hæc aut alia loca attingant, necdum aliquid de illis alio feratur aut deglutiatur, cavendum; muniendo dum hæc apponuntur loca vicina, osque post horum usum sæpe & studiose colluendo. *Platerus.*

[20.] ℞. *pulv. fol. aquilegia*) *Hartmanni* est remedium, qui *aquilegiam* proprietate quadam bis talis mederi ait; Myrrham huic linimento adjungit *Etmuller.*

Vlcus Putridum Cancrosum.

[21.] *Vlcus si male*) Ulcus malignum ex aphthis sordidis neglectis, in infantibus præsertim, aliisve de causis natum, Gingivas fere sine dolore aut non magno occupat: quod *Cancrum Gingivarum Herpetem exedentem Rhasis vocant*: Purulentum & album primum est, mox flavescit, inde nigrescit, serpit, & cavernosum fit, gingivasque eo loco ubi est, penitus depascitur, sæpe & subjectam maxillam vitians in sphacelum abit à qua corruptam portionem illius cum dentibus à reliqua maxilla abscedentem exemptam vidi. unde facies postea eo loco deformata manet: Sic ejusmodi ulcus malignum alveolos superiorum dentium anteriorum depascens, in pueris duobus dentientibus, ab iisdem parentibus natis observavi. Et aliud post dentis extractionem exortum, maxillam inferiorem, linguam & palatum misere absumens, & tandem magnis cruciatibus mortem inferens; in mercatore quodam vidi. *Platerus.*

Idem infortunium aliquando observavi in puero septenni, filio militis præsidiarii, cui nomen Grosjan *Genevensis, variolis laborante: huic pars materia maligna in gingiva superioris parte sinistram decubuit, pra qua maxilla pars cum tribus dentibus, sphacelo tactis intra biduum excidit, morte paulo post subsequente.*

Aqua hæc mirifice prodest.

℞ *aqua rosar. myrtillor. ãã. ℔ j. caryophyll. cynnam. ãã. ʒiij. corall. rubr. appii ℥ß. sangu. drac. ʒiij. boli Arm. ʒiß. camph. gr. iij. alum. rocha ℥j. sal commun. ʒß. gran. tentisca m. j. bulliant ad consumpt. 4. partes, stent in infus. per 4. horas,* destilla. *Claudinus Empir. rat. l. 3. tr. 3. p. 4. c. 2.* Doctus sum *flor. malva arborescent. pulverisatos, melle despumato & alum. tantillo*, quantum lingua ferre possit, mistos

& gingivis illitos, efficacissimum remedium contra omnem putredinem gingivarum, ipsumque scorbutum. *S. Pauls Quad. Bot. p. 387.*

In ulceribus sordidis Gingivarum, qualia fere sunt, abstergens Pulvis paratur.

℞. *Pumicis* ℥ij. *cin. testar. cancror. & cochl. ustar.* ana ℥j. *tutia prapar. alum. tartar.* ana ʒß. *rad. ireos* ℥ij. *f. Pulvis.* Platerus.

Huc quinque *Gingivarum tumor & exulceratio*, in affectu illo maritimis septentrionalibus populis consueto & Epidemio, quem *Scorbutum* vocant, referri debet, In quo *Gingiva intumescunt*, cruoremque exudantes, putrescunt & corrumpuntur, atque adeo absumuntur ut dentium radices nudæ pateant, *Platerus.* De hoc affectu vide infra Tract. *de Aff. Lien 1.*

In *Cancro gingivarum* usurpari solet *Pulvis Bryonia* nominatus, & excellens.

℞. *tutia prapar. cum aqua rof.* ʒij. *g. arab. tragac.* torref. ana ʒj. *sarcocoll. thur. mast.* ana ʒß. *rad. ireos, cin. calamint. usta* ana ʒß. *f. Pulvis subtiliss. qui succo bryon. permiscetur donec in pultem veluti subigatur, dein calore solis vel ignis exsiccetur, rursum pulverisetur, succoque eodem irroretur* & exiccetur, quod ubi quinquies factum fuerit, pulvere hoc solo, vel *melle* excepto, gingivæ putrescentes fricentur, donec putri materia abrasa sanguis prodeat.

Vngu. Aegypt. putridis & serpentibus gingivar. & oris ulceribus aliquando inungitur: Cum Gingivæ consumi incipiunt, isto utimur.

℞. *rad. consol. cortic. granat.* ana ʒj. *thur. myrrha* ana ʒß. *chalcitid. usta* ℈j. *vitrioli albi* ʒß. *f. Pulvis.* Platerus.

Peculiare hoc est *Gordonij.*

℞. *helleb. aristol. long. filicis alum. usti stercor. columb. fecis ferri usta, gallar. balaust. pulv. cum succo. fol. oliv. & melle f. ungu.* Forestus *lib. 14. obs. 15.*

22. *Prominet, Epulis*) *Vide supra tit. 6. cap. 1. §. de Polypo ex Platero*: Et *Artic. 2. l. v. tit. 19. c. 1. De* morbis Scroti. §. *Oritur ex sanguine impuriore*)

22. *Epulis nuncupata*) Epulis caruncula juxta radicem dentium enascens, cum nullum impedimentum fere afferat, & licet in catarrho aliquando magis intumescat, sponte tamen iterum subsideat; plerumque negligitur: Si tamen adeo excrescat ut dentibus se interponens masticationem impediat, & morsu dolorem pariat, tunc oris collutionibus admodum adstringentibus caro hæc laxa facile flaccescit & minuitur: Quod si magnum impedimentum afferat, potentioribus quoque uti, uti in gingivarum carne absumenda dictum, utendum, caroque hæc tangenda, cautione, si noxia sint, eadem adhibita: Quod si pendula sit hæc caro, radice gracili, & seta vinciri posset, hoc pacto tandem marcescens evanesceret. *Platerus.*

Laudant Aquam) Si Gingivæ ob inflammationem doleant, *oleum lentiscinum* recens, moderate calidum, in ore retentum præstantissimum medicamentum est. *Ioh. Actuarius m. m. l. 6. c. 7.* Præstantissimum remedium est *Sicyonium* temperatum, Oleum in ore retentum & hinc inde volutatum, oleum autem sit recens in duplici vase calefactum: *Trallianus Pr. l. 3. c. 10.*

Gingivæ cruentæ.

23. *Laborant etiam &c.*) In ore a gingivis, quæ laxa & molli carne constant, facile sanguis exudat, etiam sponte *si eo turgeant*, & tumidæ sint: alias vero per *suctionem* eo elicitu, uti in doloribus dentium, humores eo defluentes, collectis buccis circa gingivas exugere tentantes, sanguinem sic quoque exugunt, At *læsione harum* citius hoc evenit, ut aliquid sanguinis inde emanet; ut à *punctione illarum* dum dentes purgantur, vel separatione aliqua a dentibus facta, eandem ob causam: vel ob *morsum* aut *masticationem* duriorum ciborum gingivas valide impellentium, quibus cibis præmorsis, sanguis postea adhærens eos cruore tinctos ea sede reddit: maxime vero cum *dentibus* per vim erutis illi à gingivis membranisque avelluntur, sanguis majori quantitate prodit: vidimusque tanta copia atque impetu aliquando, arteria illius loci divulsa, sanguinem tamdiu profluxisse, neque sisti potuisse, donec æger vitam hanc ob causam finierit,

Ex Gingivis sanguis frequenter & levi de causa exudans, ob illius copiam, cum plethoram indicet, illius causa, ne graviora accidentia pariat, sanguis detrahitur, aliaque quæ plethoram corrigunt fiunt, quæ & hoc vitium inde progressum sanant: Quod si nihilominus perseveret, adstringentibus collutionibus emendabitur: Si ob *Punctionem levem* aut *suctionem* sputum cruentum fiat, sponte cessat: Ob *dentem evulsum* sanguinis exspuitio concitata, etsi per se quoque plerumque desinat, tamen collutione oris facta cum *vino rubro styptico*, vel *aceto rosac.* addendo & parum *aqua rosac.* citius sistitur: Quod si vero non desinat sanguis ob disruptam venam, vel præcipue arteriam, fluere, tunc os vehementius adstringentibus, in oris & faucium inflammationibus cum repellendum est, & dentium mobilitate expositis colluendum, & si non cesset, in spatium dentis eruti pulveres, aliaque sanguinem sistentia, in vulnerum hæmorrhagia descripta, imponenda: Ad hæc valde juvat *chalcanthum* ustum impositum; Et si hæc non proficiant, *cauterium actuale* huic sedi imprimendum, vel *potentiale*, sed quod mox urat, ne diu illud in ore retinere cogantur: Commodeque hoc *Pilula ex bombace* formata in *aquafortis* madefacta, vulneratoque Dentium intervallo intrusa perficitur: quod cum cætera omnia irrita essent profuisse, tum in hoc casu, tum in aliis angustiis vulneribus sæpius experti sumus. *Platerus.*

23. *Laborant etiam Gingiva*) Symptomatice sanguis ex Gingivis profluit ob suam acrimoniam, & vitiosam hepatis aut lienis constitutionem, sic in scorbuto familiaris est hujusmodi sanguinis è gingivis effluxus: Interdum etiam copiose profluit ex dente avulso, lacerata scil. arteriola quæ radici dentis inseritur, unde tanta interdum sanguinis copia emergit ut inde quibusdam mors contigerit: Fluxus symptomatici curatio perficitur sanguinis detractione & purgatione, aliisque remediis viscerum afflictorum vitia corrigentibus, quibus succedent Topica remedia adstringendi vi prædita, in gargarismatum seu collutionum, pulverum & linimentorum aut opiatarum formam redacta:

Si *evulso Dente* copiosa accidat hæmorrhagia, revulsio primum instituenda est per v. f. & cucurbitulas, & parti adstringentia admovenda, quale est cataplasma ex *bolo Armena, terra sigill. sangu. drac.* aliisque adstringentibus *albumine ovi* exceptis paratum, tum *gypsum* solum *albumine ovi* exceptum sanguinem fluentem potentissime cohibet: quæ si non sufficiant, patientis digitus loco imponendus est ex quo sanguis erumpit, & tamdiu detinendus donec sanguis supra orificium arteriæ coagulatus non amplius effluat: Si levioribus hisce sanguis cohiberi nequeat, ex *Valleriola* consilio obs. 3. l. 5. & exemplo in vetula, *chalcitis usta* imponenda, quæ in sanguine sistendo miram vim obtinet, nam & vehementer adstringit, & caustica vi, instar ignis, omnem fluorem reprimit.

Zacutus Lus. refert *obs. 84. l. 1. Pr. Adm.* extracto dente violento concussu, ex lacerata arteria gingivæ subdita copiosam sequutam esse hæmorrhagiam, quæ cum cohiberi non potuisset ullis præsidiis, neque digito vulneri imposito, neque *chalcitide usta*, tandem im-

tandem impleto loco *pulvere gummi Arab* post tres horas sanguinem restrictum fuisse, hoc enim gummi obstruendi, refrigerandi, glutinandi, & exiccandi vim habet. Idem *Zacutus obs. 5.* ejusdem libri, Refert militem ab evulso dente passum esse sanguinis fluxum ex arteria cui dens innitebatur. Sanguine biduo ubertim fluente, irritis omnibus præsidiis, se Galenicum emplastrum ex *aloe, thure & pilis leporinis* exactissime tritis & mixtis cum *candido ovi* imposuisse, ac intra paucas horas sanguinem omnino suppressum, & ægrum à mortis faucibus ereptum. Hoc pretiosissimo auxilio, à se primum invento, gloriatur *Galenus lib. 5. meth. cap. 7.* incisam in gibbero arteriam fuisse conglutinatam. *Riverius.*

Ex Gingivis subinde gravis hæmorrhagia oriri observatur, eaque adeo copiosa ut *Schenckius* lethalem ex Gingivis hæmorrhagiam observaverit. Interdum illa critica est, interdum periodica, *Criticam* affert *Zacutus lib. Pr. adm. obs. 86.* *Periodicam Schenckius.*

Causa est in specie vel *Gingivarum laxitas scorbutica*, conjuncta cum corrosione vasculorum à saliva nimis corrodente facta; Vel, quod frequentissimum est, post *ineptam dentis evulsionem* insequi solet. Hæmorrhagia hæc quæ est à natura, ut *critica*, aut *periodica*, non est sedanda, nisi succedanea substituatur evacuatio. Ista vero quæ est p. n. adeóque à Scorbuto, sistenda per *Tincturam lacca Mynsichti, vel decoctum rad. torment. cum alumine.*

Quæ vero est propter dentem evulsum, curatur cum *bombace tincturæ sulph. vitrioli*, ut vocatur, intincto & admoto; vel applicetur *solutio vitrioli*, quæ sanguinem sistit, Vel imponatur *gummi Arabicum*, quod glutinositate sua sanguinem ex arteriis emanantem restringit, vel fiat decoctum ad gargarisandum,

℞. *Rad. torment. bistorta*, ãã. ʒiij. *gallar. contus.* ʒß. *semin. papav. albi* ʒij. *coqu. in s. q. aqu. simpl.* Colat. adde *Boli Armeni vel vulg.* ʒij. *Opii parum*, Misce.

Aliis irritis Cauterium actuale admoveri potest. *Ettmuller. Pr p. 2. pag. 158.*

25. *Criticus non est subito sistendus*) Sanguis magna copia interdum è gingivis fluere consuevit, idque vel *criticè* vel *symptomatice*. Quamvis autem Hæmorrhagia critica rarissime per gingivas fieri consueverit, id tamen interdum accidere docet experientia & authorum observationes: Sic refert *Dodonæus observ. 14.* cuidam Latomo ecthymatis laboranti sanguinem è gingivis erupisse, eumque repressum ad urinarios meatus translatum fuisse, unde cruenta urina est insequuta; quæ cum adstringentibus cohibita fuisset, iterum ad gingivas conversa est, nec fluxus cessavit, donec æger à morbo liberatus est, *Amatus Lus. cur. 9. cent. 5.* refert quibusdam sanguinem è gingivis utiliter effluxisse, eoque cohibito nonnulla sanitatis incommoda subsequuta esse; *Zacutus* etiam *obs. 86. lib. 1. Pr. adm.* refert aurifabrum, cum ex multo labore juxta fornacem in ardentem febrem incidisset, & esset firmus ac fortis, copiosam celebrasse phlebotomiam, cujus vi ita levatus est ut in 7°. die, præcedente gingivarum pruritu & labii inferioris ingenti dolore, & venula gingivæ inferioris rivuli sanguinei profluerent per tres continuos dies, in tanta quantitate, ut libras amplius quinque excederent, & quanto plus sanguinis affluxerat, tanto magis remittebatur febris, qua omnino extincta sanguis sponte sua cessavit omnino. *Riverius.*

Gingivarum corrosio.

26. *Solent & carne denudari*) Ad corrosas & ad ulcere serpente infestatas gingivas, miram opem affert id quod ex *charta usta* constat siccum (*siccum* appellatur id quod sole ustum, *constans ex calcis partibus duabus*, auripigmenti una & dimidia, verum conterere oportet, & hoc ipsum in aqua sub exortentis caniculæ ardoribus, ita ut ter aqua diffundatur, & postea pharmacum deficcetur, cavendum etiam ne [illegible] hoc quicquam deglutiatur) Sive per se solum [illegible] cum melle adlubeatur. *Aëtius* Tetr. 2. *serm. 8. cap. 28.*

Pulvis mirabilis secretus est hic contra ulc[illegible] corruptiones & cancerosas gingivarum corruption[illegible].

℞. *Succi bryon.* ℔ß. *tragac. g. Arab. torre*[illegible] ãã. j. *sarcocolla. mastich. thur. ireos* ãã. ʒß. *tuthia* [illegible] *aq. far. lota* ʒij. *chalcanth. adusti* ʒß. *f. Pulvis* [illegible] *cum succo prædicto inspergatur, tunc exponatur* [illegible], dein exsiccetur, quinquies hoc repetendo, demum applicetur & liniatur cum melle super corrosion[illegible] gingivarum. *Joh. Stoeckerus Pr.*

27. *Solent & carne denudari*) *Eroduntur* [illegible] *givæ & exulcerantur* ab humoribus acribus & erod[illegible] ad eas confluentibus, partes autem *mandantes* sunt cerebrũ, vẽtriculus, lien, aliæq. partes (*præcipua pars mandans est massa sanguinea, humoribus acribus* [illegible]) Lienosi præsertim ulceribus Gingiv[illegible] obnoxii sunt, unde in scorbuto magna [illegible] partium exulceratio & corruptio contingit. [illegible] am ex Lumbricis, aut corruptis humoribus [illegible] generantur, gingivarum erosiones solent [illegible] ita ut illæ diu perseverantes lumbricoru[illegible] indicia esse soleant. Vide exemplum apud [illegible] *Hildanum obs. 59. cent. 1.*

Curatio primum ad causam antecedentem dirigenda, & humores vitiosi vacuandi per v. s. & [illegible] nem, acres & calidi temperandi per apozemat[illegible] jusculа medicata, & alia. Eorundem humorum fluxus avertenda per cucurbitulas & canteria po[illegible] partibus idoneis admota, Ac denique parti[illegible] affectæ vitia corrigenda. Postmodum verò a[illegible] Topica veniendum est, quæ pro magnitudine affectus va[illegible]anda sunt, ita ut simplici Erosioni ea tantum admovenda sint quæ adstringendi & exiccandi vi [illegible] tædita sunt, atque ita Lotio sequens primum usurpari poterit.

℞. *Gallar. immat. calic. land. & balaust.* ãã. ℥j. *rof. rub. p. 3. alum. crudi* ʒiij. coqu. in *aqua* [illegible] *as* part. ij. & una *vini rub. austeri* [illegible] decocto [illegible] gingivæ abluantur, Si hoc decocto non [illegible] eruitio, *Opiata sequens* adjungenda est,

℞. *Sangu. drac.* ʒiij. *lign. aloes, ro. rub. spod. c c ad albedinem usti nuc. cupr.* ãã. ʒj. *myrrhæ* [illegible] *tabaci* ãã. ℈ij. *fiat omnium Pulvis, melle excipiendus, addens spir. sulph. aut vitr. gutt. aliquot*, Opiata [illegible] extendatur supra linteola instar lamellarum, gingivis admove hora somni. *Spiritus sulph. aut vitr.* sicut dentes mundificat & dealbat, sic etiam gingivarum putredinem arcet, solus vel cum *aqua* aut *melle rosac.* permixtus. Si *ulcus profundum fuerit* aut *sordidum*, sequenti *Balsamo* illinatur sæpius in die

℞. *Myrrha el. & sacch. c.* ãã. *p. aq.* pu[illegible]erentur, iisque impleatur album ovi ad duritiem [illegible] & per medium sectum, postea filo probe alli[illegible] & suspendatur in cella vinaria, supponendo vas v[illegible], stillabit liquor s. Balsamus. Quod si prædictis [illegible] ex arte administratis affectus non tollatur, & Dens ulceri vicinus carie affectus sit, ad illius evulsionem veniendum est, & ulcus cito curabitur, alioquin incurabile prorsus remanebit. *Riverius.*

28. *Mundificatur radicibus*) Felici succ[illegible] in exulcerationibus gingivarum, cum superiorum [illegible] alveolorum absumptione, usus [illegible] felici successu, *succo a raucorum expresso*, cum succo *anagall. aquatica, beccabunga* est Germanorum. *Platerus.*

Gingiva

Gingivæ Flaccidæ, Tumidæ, Cruentæ à Scorbuto.

Valet Gargarismus de *Tormentilla Mynsichti*, *p. 403.* Decoctum ad Gingivas roborandas *Poterii* in *Pharm. p. 313. Myrrha & Lacca* in istis gingivarum vitiis sunt præstantissimæ: Huic *Tinctura Laccæ* associari solet; Nam sola *myrrha* crebrius masticata præservat egregie contra *Scorbutum oris*: Egregium est Linimentum *Hartmanni.*

℞. *Pulv. fol. aquileg. salv. menth. cr. nuc. mosch. āā. ʒß. alum. usti ℥j. mellis puriss. ℥iv. m. f. Linimentum* quo Gingivæ quotidie bis illinantur; Cum vero cibus sumendus est eluatur os *aqua prunellæ*, vel vino cui immaceratum est *nasturtium aquat.*

Illi non incommode *myrrha* addenda, Vide aliud Linim. in Praxi *Barbette ex Deckers*: Jn *Excrescentia Gingivarum scorbutica succus cochlear.* cum *alumine usto* mistus egregius est: Sicuti ad hæc ipsa vitia Gingivarum ex Scorbuto nulli cedit *Vermicularis*, cujus decoctum cum *alumine & melle* nobile experimentum est, gargarisando usurpatum: *Vide Misc. Cur. annus 6. 50.* Egregia est mistura apud *Digbi Med. Exp. p 2. p. 76.* Ex *aqua calcis vivæ* cum *alum. crudo & usto* ac *rad. irid. Flor.* Valet & mistura, efficacissima in Scorbuto oris, nempe *Cremor calcis vivæ* supernatans saliformis.

℞. *hujus cremor. ʒiij. g. laccæ ʒij. vitriol. cypr. gr. vi. aqua rosar. salv. āā. ℥iß. solve calore leni ut probe impregnetur à lacca*, Eo laventur dentes, Probatum est.

Merito extollitur usus *Laccæ*, Nam D. *Michael* Putredinem gingivarum scorbuticam, tantam ut gangrænam minaretur, cum intensissimo fœtore, per solam *Tincturam Laccæ*, præmissis universalibus, feliciter restituit: Nobilissima etiam est *Myrrha*, V. g.

℞. *fol. salviæ, alum. usti. maxill. lucii piscis calcin. myrrhæ rubr. āā. ʒiß. mellis q. s. pro Linim.* ad fricandos Dentes.

Si efficacius vis, aliquot guttis *spir. salis* impregnetur.

Jn graviore malo; præter Linim. *Hartmanni ad ung. Ægypt. melle rosat.* probe mistum, deveniendum, Jmo interdum *Aqua fortis* gravior gingivarum luxuries sedanda. Aut denique *Aqua virid. ex viridi æris*, pauco *auripigm. alumine* & quibusdam vulnerariis, addito *melle*, in aquam infusis & decoctis hic commode adhiberi possunt; quo affrictæ gingivæ, à luxurie, flacciditate & putredine defendantur. *Etmuller.* Vide Caput de mobilitate Dentium §. *Pulvis ex corallo rubro.*)

Laxitati & Putredini Gingivarũ à proprietate quadam *Aquilegia* medetur. Idem facit decoctum *summitatum rubi Idæi.* Mundificat autem egregie putrescentes Gingivas *Aqua viridis Plateri*, cujus descriptio prostat in fine Observat. ejus. *Hartmannus Pr. Ch. caput. 87.*

Pruritus Gingivarum.

ὀδοντίασις dicitur, Vide in De morbis Jusantium.

Abscedentes Gingivæ à Dentibus.

Contingit nonnunquam *separatio Gingivarum à Dentibus*, si à violento morsu procedat, ab eo cavere oportet, atque potius in sano loco cibi erunt masticandi: Si à *Tophis* adnatis oriatur, illi primum erunt *extergendi*, vel auferend, cum hisce præsentibus caro minime possit accrescere, quibus sublatis caro melius dentium radicibus adhærescet, nonnunquam & denuo coalescet, Hinc conveniunt remedia quæ Dentes mundificant, & quæ carnem gingivarum regenerant, id præstare possunt, non solum hac vi, sed & siccante, conglutinando; Præter quæ juvant hanc conglutinationem *collutiones oris*, quæ & siccando & constringendo id præstant. E. g.

℞. *rad. consol. pentaph. ireos āā. ʒß. rad. aristol. panac. āā. ʒiß. rad. angel. cyperi āā. ʒij. h. pimpinell. verbenæ, hyper. puleg. āā. m. j. ros. rub. p. j. balaust. ʒij. myrobal. citr. ʒiij. sem. orobi ʒij. mastich. thur. āā. ʒß. decoqu. in vino & melle, addendo parum aceti scill. aromatis cinnamati* colluat os frequenter, Addi potest alum. parum, *Platerus.*

Gingivarum fistula.

Efficacissima est *Aqua viridis* §. de gingivarum excrescentia proposita. *Sennertus.*

Gingivarum Gangræna.

Fœtori & gangrænæ Dentium (Gingivarum) resistit *Tinctura Laccæ* cum *rosis* vel *sanguine dracon.* mediante *spir. sulph.* extracta, addendo *ligni Rhodii* vel *caryophyll.* (oleum) semel tantum in septimana usurpetur. *Fr. Hofmannus m. m. l. 1. c. 19.*

Cap. LXIII.

De Maxillarum Affectibus.

Maxillarum præcipui [29] affectus sunt, *Immobilitas & Luxatio.*

I. *Immobilitas* inferiori maxillæ [30] accidir, *vel* propter luxationem, fracturam, maxillæ cum capite coalitum: *vel* [31] propter destillationem [32] è vertice capitis derivatam, quæ in ejus articulum ad radicem auriculæ influit, insequente dolore & tumore duro ac conspicuo. Destillatio sistitur *sacculo* ex pulvere *tartari & salis communis* calidiuscule admoto: Immobilitas tollitur, oleo *rutæ & vermium* terrestr. in quibus *flores Chamameli* ebullivere. Huc & *Scorbutica* maxillarum rigiditas pertinet.

II. [34] *Maxillæ* [35] *luxatio est ejusdem vel altera tantum parte, vel utraque ad priorem partem, rara sed periculosa depulsio.*

Cognoscitur exinde, quod os in ea claudi nequeat, locutio depravetur, masticatio tollatur, & si luxatur processus rostro similis, qui sub jugali osse inseritur, ipso osse jugali humilior fit, & extra ipsum fertur.

28. De *curatione* notandum. 1. Citò reponendam, ne musculi affecti propter ramos nervorum, qui à secundo & quinto cerebri pari orti, in musculos maxillam moventes inseruntur, cerebrum in consensum trahant. 2. Si non restituitur, periculum mortis circa diem decimum, cum febre continua, & dormiendi inexpugnabili necessitate, minari.

Dividitur in eam, *in qua altera tantum parte maxilla depellitur:* & tum, à parte illa in anteriorem magis prominet, in adversum ipsa & mentum inclinatur, os distorquetur, & ordo dentium inferior & superior ita sibi non respondet, ut sub incisoriis sint canini. *Curatio* videatur apud Practicos.

Et *in eam, in qua utraque depellitur;* & tum, ordo dentium sibi respondet. Os magis hiat, & balbuties insequitur. Maxilla inferior cum superiore non potest committi, sed illa magis prominet. Propter quatuor musculorum maxillam sursum trahentium, & nervorum ipsis insertorum affectum, unde dolor, inflammatio, febris acuta, ventriculi dolores, periculo non caret. *Curationem* vide ibidem.

Motus Maxillarum depravatio.
Stridor Dentium.

29. *Præcipui affectus sunt Immobilitas*) Adde his *motus depravationem*, Quando *tremule movetur maxilla*, unde sonus ex Dentium crebriore collisione natus supervenit in affectu, ob id *Dentium stridor* dicto.

Oritur proxime à spasmo reciproco musculorum ingenis, abductioni & adductioni mutua opera inservientium, qui aliquali convulsivo motu affecti stridorem talem inferunt.

Specialiores hujus causæ sunt, vel *frigus externum*, vel *vermes* sive lumbrici intestinorum, ex qua causa dentium stridor nocturnus infantibus est familiaris: Sicut & ex causis aliis convulsionibus communibus oriri potest; Speciatim & per consensum fieri solet *in febrium rigoribus*, ob consensum cum partibus circa præcordia membranosis.

Sine causa manifesta superveniens malum portendit, Apoplexiæ aut Epilepsiæ imminentis: In febribus dentibus stridere malum præsertim si deliranti id accidat.

In *Cura*, causis sublatis & ipse affectus morbosus cessat, Optimum tamen remedium est *Balsamus Peruvianus* extrinsecus usurpatus. *Etmuller.*

30. *Accidit vel Propter*) Maxillæ immobiles fiunt vel in tantum, vel in totum (unde læditur masticatio &c.) aut ob *luxationem*, in qua os nimis hiat, à quavis violentia externa factam: Interdum etiam ex *oscitatione vehementiori*, adeoque nimio oris hiatu inductam, facile tunc per *inflictam alapam*, vel *percussionem sub mento* tunc curabilem: Vel ob *tumorem*, aut *faucium*, in *tonsillis inflammatis*, aliave ratione nimis tumentibus, in quibus vix os aperiri potest; Aut *Parotidum*, liberũ in sua cavitate maxillæ processibus motum impedientium: Vel quando *nutritionis privatæ errore*, aut universalis ex massa sanguinea, quasi decubitus ratione, lentus tartareusve humor juncturam illam maxillæ cum ossibus temporum repleverit; adeoque motum liberum illius impleverit, quale in *Scorbuto* interdum contingere affirmat *Sennertus. Etmuller.*

Maxillarum dolor.

31. *Vel propter destillationem*) A qua excitatur illarum Dolor; Causa [illegible] est adfluxio humoris calidi vel frigidi, Maxillę siquidem vestiuntur membrana tenui, vel periosteo ex pericranio orto, per quam plurium surculi venarum, arteriarum & nervorum sunt dispersi, qui & in radicibus implantantur dentium: Per eos autem defluit *humor tenuis* & calidus, qui vehementes dolores cum in maxillis tum in dentibus excitat; Aut crassus & pituitosus humor eo delabitur, & in maxillis tumorem excitat: *Procatarctica* sunt ambientis aëris excellens frigiditas aut caliditas, & ictus violentus. Crapula item & ingluvies defluxiones excitant.

Signa sunt manifesta, Humoris autem defluentis qualitas ex habitu faciei, doloris vehementia, & tumore maxillarum dignoscitur.

Curatio pro affluentis humoris qualitate variari debet, post vitiosi itaque humoris expurgationem & subtractionem, ut si calidus sit humor in maxilla collectus, per *Pilulas cochias*, Si vero crassus & pituitosus per *aureas & aggregativas*, Tum ad dolorem per mitigantia Topica remedia confugiendum erit.

In calida defluxione utiliter emplastello ex pulvere *cantharid.* cum pauxillo *fermenti*, & *mucilag. semin. psyllii* in *aceto* maceratis & pone aures per 4. horas applicato uti possumus; ex quo Empl. ubi vesica est excitata, ichor puncta vesicula exprimatur, & locus mundatur aut *oleo rosac.* aut *ungul. popul.* Maxillæ vero dolenti applicetur Cataplasma ex *fol. solani* & *semperv.* in æquis partibus *aquæ & aceti* concoctis addita q. s. *farinæ hordei* & parum *olei violar.* ac simul contrita in cataplasm. formam redigantur. Aut

℞. *album. ovor. n.* ij. *aquæ & aceti ros. ãã.* ℥ j. Contundantur, & ad lentum ignem concoquantur, semper agitando donec in pultis formam redeant, cui tandem tepido admisce *pulver. thuris* ʒ iij. quæ tepida duplici linteo excipiantur, & instar Catapl. applicentur per noctem.

Interiores autem maxillarum partes in ore utilissimum erit crebro eluere *decocto rad. hyoscyami* in rotulas concisarum, quæ in æq. part. *aquæ & aceti* cócoquantur.

Vbi vero affluens ex cerebro *humor* fuerit *frigidus* & crassus, & tumorem aliquem in maxillis excitet, tum præstiterit crebro inungere & os colluere cum *aqua juniperi*, aut cum *decocto rorismar.* & *rad. pyrethri in vino.* Aut.

℞. *flor. chamom. melilot. aneth. serpilli, rorismar. ãã m. j. semin. malvæ m.* ß. contundantur, & in sacculum quadratum aut maxillæ adaptatum consuantur, & in *vino* ebulliant; qui sacculus expressus dolenti tumentique maxillæ crebro applicetur. *Franc Joel.*

31. *Vel propter destillationem*) Crebro destillatione tentatur maxilla inferior &c. *Fernelius in Pathol.*

32. *E vertice capitis derivatam*) E Lymphaticis potius deducendam vasis, quæ plurima in vicinia decurrunt.

33. *Sistitur sacculo*) *Hartmannus Pr. Chym. capite 89.*

33. *Sistitur sacculo*) Si Tumor in genæ regione, ubi Dentes dolent, intus forisve, aut utrinque prodeat, dolorque remittat, tunc sponte, vel inunctione oleorum calida facile discutitur; Si dolor vero cum tumore augeatur, quia abscessus tunc generatur, ut ille maturetur, anodyna cataplasmata juvabunt Inprimis si farina sumatur *tritici* vel *spelta* in *lacte* coquatur, *olibanumque* pulverisatum in fine illi permisceatur applicetur que, abscessum maturabit:

Quod & fiet si *intrinsecus* in ore *lac tepidum* contineat, in quo *rad. alth. sem. lini, semperv. maj. squamæ aliquæ & bulbul. lilior. albor.* decocta fuerint: *Abscessus maturatus*, intrinsecus in ore ruptus per se, aut apertus ungue, aut phlebotomo in ulcus abit, quod sponte, vel remediis oris ulceribus convenientibus sanatur: Si extrinsecus sub cute collecto pure, illic abscessus fiat, sicut in ulceribus externis aperiatur & curetur. Sæpe autem si vitiosi dentes illic sint, ulcusque ad eos pertingat, vix, donec illi extracti sint, sanabitur; relicta sæpe post illius curam cicatrice profunda, unde oris quædam tortura apparet, *Platerus*. Vel caruncula succedit ulceri male curato, *Epulis* dicta.

34. *Maxillæ*) Scilicet Inferioris, quæ in homine aliisque animalibus sola mobilis est, excepto Crocodilo, qui hanc cum ossibus temporum adeo unitam habet ut nullo modo moveri queat; Psittacus vero utramque movet. *Th. Bartol. Anat. Reform.*

35. *Maxillæ luxatio*) Hæc in unam tantummodo, anteriorem scilicet, seu priorem partem fit, Accidit autem si processus anterior & acutus, rostro similis, qui *corone* Græcis nominatur, infra iugale os elabatur, ut eo ita humilior fiat, ut rursum in suum locum amplius redire non possit: Alias enim, etsi processus hic ossi jugali humilius demittatur, non tamen statim fit luxatio, sed ore aperto in suum locum revertitur. *Vigierius Chirurg. l.5.c.3.*

36. *Depulsio*) Causa frequentissima, imo fere unica, est nimia oris apertio & diductio, sive id fiat oscitando, sive grave aliquod onus dentibus apprehendendo, & in altum elevando, ita ut processus dictus osse jugali humilior fiat, & simul in latus convertatur. *Idem.*

37. *De Curatione*) Si cum dolore oculorum & cervicis hic casus incidat, ex brachio sanguis mittendus est, monente *Celso l.8.c.2.* Et tempora ac cervix *ol. rosato, lumbricato* inungenda *Idem.*

38. *Cito reponendam*) Maxillæ luxatio periculosum malum est, & cito reponenda, docentibus *Hippocr. & Galeno 2. de Artic.* cum musculi temporales, hisque inserti nervi, hinc ipsum cerebrum in consensum trahantur, unde dolores, inflammationes, febres continuæ, sopores torpidi oriuntur, & ipsa mors: Majus periculum imminet, difficiliorque est repositio si maxilla utraque parte luxata sit. *Idem.*

Maxillæ Fistula.

Maxillarum præcipui affectus) Maxillæ Fistulæ meminit *Fabritius Hildanus cent. 3. obs. 33.* curatæ extractione dentis; cujus radix putrida maxillæ parti contiguæ cariem & fistulam induxerat.

Maxillæ Fungus.

Fungum in maxilla curatum adducit *Thom. Bartholinus Histor. 53. Centur. iij.* Nobili in dextro latere colli magnus & durus tumor succrevit &c. credidi tumorem causatum esse à materia pituitosa sensim congesta & indurata &c. ab admotis cataplasmatis emollientibus tumor mollis factus instar phlegmones suppuratæ &c. ratus magnam copiam puris copiam subesse, applicui canterium potentiale, sed nil nisi guttula una aut altera nigerrimi liquoris exstillavit; immisso minimo digito in vulnus deprehendi tumorem in circuitu cavernosum & plane fungosum: post escharæ casum fungosam substantiam longo temporis spatio cathæreticis consumpsi, Vlcere mundato cicatrix inducta.

Convulsio & Paralysis.

Maxilla inferior & *convulsione & paralysi* interdum tenetur, crebrius vero destillatione. *Fernelius.*

Corruptio & Tumor.

Tumoris gingivæ, sub quo non solum Dens, sed & ejusdem alveolus, cum parte mandibulæ inferioris usque ad os jugale corrupta, ubi subortus novus tumor, qui sectus patefecit tabem, qua abrasione & inustionibus superata, æger convaluit, Exemplum vide in *Marchetti sylloge obs. 34.*

Tumor durus.

Tumoris duri Exemplum vide apud *Platerum obs. l.3. p. 656.* Joh. Sculterum *Armam. obs. 23.* de Tumore cum folliculo exciso: Nihil ad Tumores duros dissolvendos melius esse ait quam *Decoctum salsaparillæ.*

Fractura.

Exempla prostant apud Chirurgiæ scriptores, *Vigierium l.4.c.4. Peccetium l.1.c.114. Celsum l.8.c.7. Avicennam Fen.5.tr 3.c.22.*

Cap. LXIV.

De Gurgulionis Affectibus.

38. G*urgulionis* seu *Vuulæ affectus præcipui* sunt *Laxatio* & *Inflammatio.*

Laxatio.

I. *Laxatio est, quando is præter naturam citra inflammationem intumescens, ab humore plerumque pituitoso, à cerebro transmisso, in longum extenditur.* Tum dicitur χαλασμένη: 39. σταφύλη autem, sive Uva, quando ima parte in rotunditatem crassescens supra qua dependet, gracilior efficitur, ut uvæ à pediculo suo pendentis speciem præ se ferat. 40. Tum vero radici linguæ & faucibus incumbit titillatione molesta, qua qui afficitur, hanc perpetuo vorare frustra contendit, metuitque ne ejus impetu strangulctur. Columella ipsa mollis est, albicans, concolor palato, sine dolore & calore. Humor à Cerebro demittitur, quod præcipue fit in Catarrhis.

41. In *curatione* præmittenda universalia: affluxus revellendus, per venæsectionem repellendus, derivandus per cucurbitulas, caput depurandum per errhina. 42. Inter repellentia est *aqua plantag. centinod. rosar. rubrar.* cum *diamoro* &c. 43. *Vuula insufflatur*, post adstringentia

[44] gargarismi usum, [45] *pulv.* ex [46] *piper. longi* scr. 1. *succi acaciæ*, *radic. tormentill.* ana scr. ij. compositus. [47] *Vertici* per aliquot horas *imponitur* in infantibus, *charta munda* quadruplicata, lactis materni & aquæ rosaceæ æqu. part. imbuta: adultis, vel *Ovum recens* ad duritiem coctum, & per medium scissum: vel *nuces juglandes* cum spiritu vini contusæ; vel *fermentum vetus* cum succini albi pulvere.

Si *columella* est erosa contemperandus est acris humor.

[38] *Gurgulionis vel Uvula*) Uvula est parva glandula in imis faucibus à palato pendens, laxa quadam membrana tecta, in qua tanquam in sacco pendet; non enim hac tegitur, sed præter hanc propriam membranam obtinet, suam: Destillat ex illa glandula tenuis salivalis humor sui generis, in membranam perforatam, & per hanc in palatum, quoties autem materia est viscida, membrana oppletur & impeditur influxus, sicque fit laxitas & distensio membranæ: modo dicendis corrigenda: quibus si dolor ex irritatione, aut dispositio inflammatoria exinde accedat, *Diacodii Montani* parum addi potest. *Etmuller.*

[39] *Σταφυλὴ autem, sive Uva*) Uva dicitur quando ob inflammationem rotunda & subnigra, aut livida apparet Uvæ modo, Quare primum est scarificanda, Et si ex eo melius non habeat, abscindenda, tum quia major est, tum quia corrupta. *Rondeletius.*

[40] *Tum vero radici linguæ*) Illis qui hac laborant affectione semper videtur adesse bolus in illa parte superiore œsophagi, Illis notis, etiam sine inspectione agnosci potest an plus justo elongata fuerit. *Rondeletius.*

[42] *In curatione*) Relaxata Columella curatur pituitæ purgatione, corroboratione & exsiccatione cerebri, suffitibus, sacculis, emplastris, gargarismatis adstringentibus &c. *Euch. Med. Pract.*

[41] *In Curatione*) Si plenitudo fuerit in capite, & multa pituita adhuc defluat, optimum est Pilulis pituitam educentibus corpus evacuare; Quod si multus & viscidus, & crassus humor sit, detergendus, incidendus, & iterum evacuandus est, & pars tangenda pipere &c.

Si autem perseveraverit in ea magnitudine, etiamsi sine inflammatione sit, summitas ejus abscindenda est, ut brevior fiat, Nam si longior fuerit quam pro sua natura, partem superiorem œsophagi tangit & nauseam parit. *Rondeletius.*

[42] *Inter repellentia*) In *laxitate Uvulæ* ex defluxione frigida, adstringentia & siccantia validissime, ut statim siccata abbrevietur & restringatur sursum, nec ita in fauces propendeat, subito usurpanda, E. g.

℞. *Cortic. granat.* ℥ij. *balaust.* ℥ß. *rosar. rubr. lentisci* ãã. *p.* j. *semin. myrti* ʒij. *f. decoctio in vino rubro, addendo parum* aceti; In progressu parum *piperis & rad. pyrethri, floresque chamom.* adduntur.

Aqua linguæ cervinæ gargarisata laudatur; *Acetum & aqua* permixta, *Succus mali granati, Omphacium.*

℞. *acaciæ, hypocyst.* ãã. ℥iß. *boli pinguis* ʒj. *amyli* ʒij. *rad. bistortæ* ʒß. *cum infusione g. tragac. f. Trochisci ore detinendi.* Platerus.

Valet Gargarisma ex decocto *flor. ligustri* cum *nitro* aut *sale prunellæ*: *Sal decrepitatum* cum pauco pipere applicari potest uvulæ. Loco *salis communis* optimum est *sal armoniacum* subinde uvulæ applicatum: *Spiritum* aluminis commendant alii. *Etmuller.*

[43] *Uvula insufflatur post &c.*) Primo admovebitur *cortex granatorum* subtilissime pulveratus, cui in progressu tantillum piperis admisceri poterit. Vel

℞ *rosar. rubr. balaust. corticis granat.* ãã. ʒß. *rad. bistortæ, tormentill. gallar. immatur. ireos Flor.* ãã. ʒj. *alum. usti* ℈ij. m. f. Pulvis. *Riverius.*

[43] *Uvula insufflatur*) Frequens fit ejus partis *aspersio*, ex tenuissimo pulvere *piper. longi*, quod exsiccando, calefaciendo, & pituitam absorbendo leniter adstringit; vel ex *sale*, vel *alumine*, apposito super gladium non acutum, aut super parvam spatulam: His enim pulveribus contracta Columella contrahetur, sursumque remeans brevior evadet. *Enchir. Med. Pr.* Loco *salis comm.* optimum est *sal Ammoniac.* subinde Uvulæ applicatum. *Etmuller.*

Pulverem hunc medicamenta antecellere multis experimentis comprobavimus.

℞. *piper. cinnam.* ãã. ℈ß. *cortic. thuris, gallar.* ãã. ℈j. *ros. rubr.* ʒij. *m. f.* Pulvis, quo gurgulio contingendus est. *Bapt. Codronchius.*

[43] *Insufflatur*) Modus hujusmodi Pulveres adhibendi talis est; Lingua speculo oris depressa, mox spatula Chirurgica, aut cochleari perexiguo ad id concinnato Pulvis Uvulæ admoveatur; quod pluries in die repetendum est, donec humor columellæ imbibitus prorsus absumptus sit: Ut autem Pulvis uvulæ undique inspergi atque insufflari possit, utile est instrumentum à *Fabritio Hildano* excogitatum *Obs. 21. Centur.* ij. *Riverius.*

[44] *Gargarismi*) Quos dum æger ore tenet, caput habeat supinum, ut scil. tangant partem affectam. *Euch. Med. Pr.*

[44] *Gargarismi*) Licet Gargarismata utilia sint, tamen ubi nulla est inflammatio Pulverum usus est efficacior, iis enim uvula relaxata potentius constringitur & exsiccatur. *Riverius.*

[45] *Pulvere*) Qui communiter fit ex pipere, præsertim longo, vel ex *alumine*, aut *sale ammoniaco* ustis, aut *æris flore* ex *Dioscor.* Vel

℞. *salis, instar avellanæ*, uratur in cochleari ferreo donec rubere incipiat, adde *pip. longi* ʒj. *zinzib. rad. pyreth.* ãã. ʒß. *f. Pulvis. Cochleæ putamen ustum, anethum cum radice & semine ustum, Nucum cortic. exteriorum* pulvis. Pulverem *nitri prepar.* in gargareone pupello, ut promptissimum remedium, quia humores replentes exprimit, sæpius expertus sum. *Platerus.*

[46] *Piperis longi*) Curatur si pauca sit materia, & caput non admodum plenum recrementis, solo *pulvere piperis longi*, quod quidem calefacit, exsiccat, & leviter adstringit. *Rondeletius.*

[46] *Piperis longi*) Vulgus Chirurgorum *piper longum* pulveratum admovent, quod non vacat periculo, siquidem metuendum est ne humores affatim à cerebro ad partem affectam attrahantur, & grave aliquod damnum afferant. *Riverius.*

[47] *Vertici*) Præter supradicta, sincipiti raso admovetur parvum Emplastrum ex *pice*, cujus ope dicunt columellam elevari, & fluxionem quæ à cerebro in eam decumbit, revelli ac sisti. *Euch. M. Pr.*

Empl. saluberrimum fit cum *baccis lauri, pulegio, origano, mentastro, sabina*, tritis ex *melle* coctis, si capiti deraso imponatur. *Al. Benedictus l. 4. c. 16.*

Contundatur *medulla nucis juglandis* in *spir. vini* & suturæ coronali imponatur. *Crato.*

[48] *Fermentum vetus*) Vel spiritu vini humectatum. *Etmuller.*

Ulcera Columellæ.

[49] *Si columella est erosa*) Ulcera Columellæ *simplicia* curantur facile, ut & linguæ, & totius palati ac faucium, Curantur autem per *Decoctum* aut *veronica ex aqua* admixto

admixto *melle*, aut *satureja in vino*. Hæc enim post debitas gargarisationes perfecte curant: *Potus* sit, quod notandum, non acris, sed *sacchara* conditus, hoc enim descendentem cum potu putrilaginem absumit. In *contumacioribus* recurrendum est ad *spiritum vitrioli*, qui istis, vel aquis, vel decoctis mundificantibus, si additur ea quantitate ut vix percipiatur (per se enim usurpari nunquam debet) celeriorem & efficaciorem curam præstat, præsertim *si aquæ plantaginis* permistus offeratur. E *moris* vel *syrupus*, vel potius *succus*, aut *sal*, multum hisce curationibus confert proprietate, qua refertur ad os.

In Ulceribus putridis & malignis, cum ista non sufficiunt, recurrendum est ad *Aquas virides*, cap. de *Polypo Narium* descriptas. Hæ omnem putredinem & exulcerationem funditus tollunt, simul & potenter consolidant, *Victus* esto commodus ne recrudescant ulcera. *Hartmannus Pr. Ch. c. 92.* Undecunque etiam natæ Uvulæ exulceratæ eadem ipsa remedia quæ Aphthis conveniunt, in specie Gargarismus *Hartmanni* polychrestus commode usurpari potest, qui in affectibus ori communibus & angina est præstans.

℞. *herb. malv. hort. m. j. flor. rof. rubr. prunell. veronica, salv. āā. m. ß. rad. polypod. qu. coqu. in aq. portul.* ℔iv. *aceti vini* ℥vj. *usque ad casum transversi pollicis, colentur.* colatura leniter exprimatur. *Etmuller.*

Habebis hoc pro secreto, quod in linguæ, oris & Uvulæ ulceribus miracula facit.

℞. *aqu. comm.* ℥iiß. *pulv. sublim.* ʒß. *bulliant ad liquefactionem sublimati*, & cola, Tange loca exulcerata mane & sero. *Sebast. Cortilio Pr. libr. 1. capite 6.*

Si ulcus in Uvula sanari queat, mature antequam vicinas sedes & palatum quoque exedat, uti fere fit, abscindatur, vel uratur. *Platerus.*

Cancer Uvulæ.

Si cancrosum ulcus Uvulam occupaverit, de illius malitia tantum ex acerbitate doloris, aut è materiæ fluentis, virulentia judicandum, nam malum videri nequit: Remedia sint liquida ut injici possint, *succus plantag. solani semperviví*, in mortario (*plumbeo*) agitatur, *mel. rosat. syr. rof. siccar. granat.* Si malignitas his non cedat tangendum ulcus tantillo, *aquæ alumin.* aut sublimatæ. Valet Ablutio sequens. ℞. *Aqu. plantag.* & *caprifol.* āā. ℥iij. *mell rof. col. syr. de absynth.* āā. ℥j. misce, *Vigierius Ch. lib. 3. c. 49.*

Gurgulionis Inflammatio.

II. *Gurgulionis inflammatio*, est ejusdem à sanguine bilioso in eum delapso, cum rubore, ardore, dolore, suffocationis periculo, interdum febre, intumescentia. [49] Res se in ea habet ut in aliis inflammationibus.

[50] *Notandumque* 1. [51] Utendum austerioribus, repellentibus ubi moderatus defluxus, acerbis & magis adstringentibus, ut rob. *nuc. virid.* succo *cornor. sorbor.* ubi vehementior.

2. Suppurationem vel promovendam, vel si non succedit ferro aperiendum.

3. Non poss: tuto [52] incidi vel scarificari quamdiu tumida est & rubicunda, quia sanguinis fluxus imminet.

4. Cum fluxus sanguinis metuitur, & putrefactio adest, cauterium actuale commodissimum Paulo videri.

[49] *Res in ea se habet ut in aliis inflammationibus*) Columellæ inflammatio curatur ut Angina, id est, mittendo sanguinem è brachio & venis sub lingua, & appositione Cucurbitularum cum scarificatione in lateribus colli, gargarismatis in principio adstringentibus, deinde discutientibus utendum: Columellæ inflammatio differt ab Angina in repellendo, Nam in Angina adduntur aliqua dulcia ad detersionem; In inflammatione columellæ uti possumus *aceto*, & aliis adstringentibus citra detersionem in principio, quia affectio hæc nequit tam cito suffocationem afferre; In Angina potest, & ob tumorem & pituitam ibi retentam ab inflammatione, ob id statim à principio utimur *diamoron*, vel *melle*, ad illius detersionem. *Rondeletius.*

[50] *Notandumque 1. Utendum &c.*) Præmissis clystere & V. S. hoc datum Gargarisma, cum essemus in principio ad fluxionem reprimendum.

℞. *aqu. plantag.* ℔iß. *flor. rof. rubr. p. iß. gallar. contrit. n. iij.* Ebulliant una forti ebullitione, Colat. *adde diamor.* ℥iij. misce.

Post venas sub lingua secui, Uvulam propendentem & inflammatam *Pulv. alum ust. & bol. Armeni* mixtis sublevavi, Post sequ. utens Gargarismate convaluit.

℞. *plantag. bellid. min. flor. rof. rubr. āā. p. j. balaust.* ʒiij. *coque in aq. simpl. ad* ℔j *adde aq. plantag.* ℔j. *sem. cydon.* ʒj. *sem malva* ʒß. *rursus bulliant addendo diamori* ℥iiß. *mell. rof. colat.* ℥ß misce. Jubebam quoque ut ex *diamoro* lamberet. *Forestus.*

Mulieri Tonsillæ vehementer tumebant, columella inflammata & valde laxata, ut vix deglutiret & respiraret, Hanc sic curavi.

℞. *aqu. fontis* ℥ij. *ol. vitrioli q. s. ad gratum acorem*, In hac aqua intinctam pennam ad fauces tumentes immittebat sæpius; Ejus usu per multa phlegmata expuebat: Postea *succinum* album carbonibus imposuit, & per infundibulum fumum ore excepit, Intra dies spatium curata est. *M. Rulandus Cent. 2. Cur. 97.*

[51] *Utendum austerioribus*) Valet Gargarisma ex *decocto flor. ligustri* cum *nitro* vel *sale prunella*. *Etmuller.*

Eligenda sunt illa quæ sapore aut odore palato ingrata non sunt, & potius adhibenda sunt medicamentosa quam pure medicamenta; Ob id *Decoctum* vel *succus fructuum acidorum acerborum* mirum in modum valet, ut *succus uvæ acerba, pomorum, nucum, mororum, pyrorum, prunor. acid. cerasor. sorbor. mespilor. malor. granat. acid. coton.* vel decoctum eorundem: Ex herbis laudantur, *plantago, portulaca, solanum, pilosella &c.* Vel aquæ destillatæ, ex quibus citius parantur gargarismi, ut aqua *caprifol. rosar. pecul. rof. plantag. solatri, myrti &c. Aqua cisterna* cum pauco *aceto* non est inutilis: *Repellentia* fiunt magna ex parte cum *aceto*, vel si fiant ex succis fructuum, in principio *acetum rof.* additur ut citissime repellat. *Rondeletius.*

[51] *Utendum austerioribus*) Pulvis repellens fit *ex lapide agerato Galeni*, vel hæmatite, qui Uvulæ apponitur, vel cum cannula insufflatur. *Pulvis digerens*, in progressu conveniens.

℞. *rad. ireos* ʒß. *thuris* ʒj. *far. orobi* ʒß. *croci* ℈j. *misce. Platerus.*

Columellæ Tabes.

Contabescit hæc pars, & veluti lorum efficitur aliquando, quæ affectio à summa siccitate, vel atrophia illius partis fit, Et non curatur. *Rondeletius.*

51. *Utendum austerioribus*) Optimum pharmacum cum initio inflammationis, in vigore adhibitum.

℞. *rhois culinar.* ℥j. *flor. rosar.* ℥ß. *croci* ʒß. *colla* ℥j. *Pulvis, de hoc dimidium cochl. misce in duobus aqua mulsa* cyathis f. Gargarismus. *Aetius*; ex quo *Dom. Leo.* Ad reprimendam fluxionem generosum est *decoctum gallar. rhois culinar. & coriar. myrica fruct. mali Punic. flor. & putamin.* ex iis fiat Gargarismus. *Nicol. Piso Pr. l. 2. c. 1. Tinctura flor. malv. arborea* in aqua cal. infusor. os colluatur, sola vel addito *lapide prunellæ, alumine*, & *syr. violar.* seu *papav. errat. L. Schonbornius in man.*

In partibus externis adhibentur illa Cataplasmata resiccantia quæ in Angina præscribuntur, Et est abstinendum ab oleis, unguentis nimium laxantibus, quod in Angina proprium est, nam in ea non timemus de relaxatione Uvulæ, ut hic, Et in hoc differt curatio Columellæ inflammatæ ab Angina. *Rondeletius.*

Detergentia, Digerentia.

Si simul cum *Prolapsu* adsit *Inflammatio*, optimum decoctum *herba aut radicis taraxici*; *Suffitus succini* ore exceptus specificum est *Rulandi.*

Vel *semen cannabis* in *posca* parum coctum & colatum, pro gargarismate adhibitum, est unum ex optimis remediis.

Vel *radix tormentillæ & uvularia herba* ãã. *coquantur in cerevisia secundaria, & cum modico* mellis edulcorata adhibeatur pro gargarismate. *Etmuller.*

Nuces virides exsicca, & *palmularum ossa*, & de ipsis ubi velis sufficienter exurito, & æqu. p. amborum exsiccato, & siccis tritis utitor, Valde enim discussoria sunt. *Aetius.*

Ad humiditatem absumendam certum est experimentum si parum *croci urina* hum. admisceatur, & pro gargarisatione adhibeatur. *Conr. Kunrath. Med. dest. pagina 36.*

Aqua scolopendr. mirabiliter valet in læso gutture. Contra Uvulam remedium expertissimum.

℞. *Cochleare de rad. cannabis*, bibas ex eo, Experientiam in multis non vanam fuisse scio. *Joh. Stokkerus Pr. c. 33.*

Præstantissimus est Pulvis qui de *albo Græco* exsiccato, cæteris permixto configitur, si laxatæ colum. admoveatur. *Arn. Weickardus.*

Solius *zinziber, albi* jusculo, si reliqua ad manus non sint, sublevatur columella dependens. *Joel.*

Si morbus processerit, sitque à parte digerendum aliquid, Repellentibus fructus digerentes, vel *diamoron*, vel *dianucum*: vel *mel* vel *sacchar.* permiscemus, aut quia medicamentum minus gratum videtur; At *diamoron*, & *dianucum*, quia videtur parum habere adstrictionis, meliores erunt in incremento quam in principio; *Fructus* detergentes & digerentes sunt, *Ficus, passulæ, amygdala* contritæ; Ex *herbis* digerunt *hyssopus, origan. puleg.* & aliæ calidæ & siccæ nec multum amaræ, *Liquiritia*, inter detergentia ponitur, ut & *decoctum hordei: fabar. rosar. recent. piper. zinzib. cinnam. galanga* potentissime digerunt, *Sapa & mel* detergunt; Sed eo tempore quo est utendum detergentibus Eclegmata magis conveniunt; Parantur autem ex dulcibus & pulveribus digerentibus, ut ex *Pulv. diair. simpl. Salom.*

Quod si fieret adhuc magna defluxio, liberum erit addere aliquid ex succis vel aquis adstringentibus: Syrupi adstringentes hoc tempore conveniunt, quia etiam detergent ob saccharum.

Verum si dictis Eclegmatis addatur aliquantula quantitas *piper.* vel *cinnam.* vel *zinzib.* citissime morbum digerunt, & pituitam retentam ob inflammationem expurgant. Probavi aliquando Eclegma *Scribonii Largi*, ex *pipere, myrrha & melle* in muliere quæ suffocabatur & desperata erat: Intra unum diem rejecit incredibilem pituitæ quantitatem & materiæ quæ circa columellam, glandes & fauces, propter inflammationem retenta erat: Sine *Myrrha* quæ propter amarorem ingrata est, poterit sic parari.

℞. *piper.* ʒß. *pulv. Irid. Veneta* ʒij. *succi liquir.* ʒiß. *sacch. c.* ℥ij. *mellis* ℥j. *m. f. Lohoc*, Capiat lambendo.

In Declinatione, vel ubi multa pituita retenta est in partibus circumvicinis, convenit sequens.

℞. *liquir. ras.* ℥ij. *fol. hyssopi vel origani*, vel *pulegii, m. j. passular. à gigartis mundat. ficuum pingu.* ãã. *p. xx. anisi* ʒiij. *flor. anth. stachad.* ãã. *p. j. f. Decoctio ad* ℔. j. *dissolve oxym. simpl. vel mell. rosat.* ℥iij. *sapa* ℥ij. *misce fiat Gargarismus*, vel dissolve *syr. de liquir.* addendo parum *cinnam.* vel *piper.* vel *zinzib.* in fine decoctionis. *Rondeletius.*

52. *Non posse tuto incidi &c.*) Si relaxata Columella prædictis remediis ad pristinum statum reduci non valeat, sed elongata permanens gravem continuo molestiam inferat, ultimum erit summitatem ejus præscindere: In qua operatione quædam cautiones exhibendæ sunt, *Prima* ex *Hippocrate* desumitur, 3. Progn. t. 21. ubi *Gurguliones*: inquit, *cum periculo secantur, & scarificantur, & aduruntur, quoad rubidi magnique fuerint, inflammatio enim super venit & sanguinis fluor: sed hos oportet aliis moliminibus extenuare enits per illud tempus: Ubi vero pensile fuerit omne id quod uvam appellant, fitque Gurgulionis pars summa major ac orbiculata. superior vero tenuior, per illud tempus admoliri manus tutum est; Sed præstat, ubi alvum duxeris, uti Chirurgia. si liceat per tempus, nec æger strangulatur.*

Galenus *in comm.* hujus loci verba *Hippocratis* explicans, dicit Gurgulionem inflammatione laborantem non esse præscindendum aut scarificandum, sed ea tantum sedata, ita ut pars superior saltem gurgulionis sit extenuata.

Altera cautio desumitur ex *Paulo lib. 6. c. 31.* ut scil. columella ferro non attingatur quando livida, aut subnigra est, nempe malignitatis cujusdam particeps, vel ad Cancri naturam accedens: Sed, ex eodem *Paulo*, in iis operatio tuto perfici potest quæ tenues sunt, oblongæ, candicantes, &, ut ait *Hippocr.* in summa parte imminutæ: Hujus operationis feliciter peractæ dat exemplum *Amatus observ. 65. centur. 3.* in studioso, qui gurgulionem habebat lori modo oblongum & exanguem, cui cum nulla remedia profuissent, portio ejus superflua forcipibus præcisa est, & illico oleo vitrioli contacta, sicque æger ab eo incommodo liberatus est, *Tertia cautio* est, Ne nimia Gurgulionis quantitas abscindatur, inde enim vocis & respirationis læsionem exoriri docet *Galenus* 11. de V. P. cap. 11. & ex integra ejus consumptione, ut in lue Venérea aliquando contingit, tabes & mors non raro subsequuta est. *Riverius.*

54. *Incidi*) Si perseverans in sua magnitudine Columella periculum suffocationis afferat, ea aut ferro præcidenda, aut caustico urenda, Neque tamen nimis præcipitanda est abscissio, si ullo alio remedio possit sanatio absolvi, quod aliquando ex ea abscissione & vox lædatur, & excitetur sanguinis profluvium quod æger-

rime ſiſti poteſt. Antequam autem abſcindatur, videndum eſt qualis ſit figura & color, Non enim tangenda eſt ſi ſit rotunda in inferiore ſui parte & ſuperiore gracilis, veluti ex pedunculo pendente &c. Vide ſuperius caput de Uvulæ inflammatione. *Ench.Med.Pr.* Abſciſſionis modum vide & l.3. qui Chirurgiam continet.

Cap. LXV.

De Tonſillarum Affectibus.

Tonſillarum [53] præcipui affectus ſunt *Inflammatio* & *Vlcus*.

Inflammatio.

I. [54] *Tonſillarum inflammatio eſt earum* [55] *ex affluxu humorum* [56] *genita intumeſcentia.*

Cognoſcitur intus ſub maxilla tactu viſuque, ubi ceu fruſtulum quoddam faucibus inhæreſcens, mole ſua premit, obſtatque ne cibus, potus, aut ſaliva facile tranſeant. Adeſt quoque dolor, ardor, rubor, & ſitis, & facilius in tonſillas quam gurgulionem, ob mollitiem & laxitatem ſubſtantiæ, ac temperamenti proprii & loci caliditatem & humiditatem cadit.

Oritur externè in *pueris* ob ἀδδηφαγίαν, cui tenera corporis textura accedit: in *lactentibus*, ob lactis vitium & pravitatem: in *puellis*, ob menſtruorum inſufficientem purgationem: *adultis*, ob nimiam meri potationem, multam & avidiorem ciborum maximè acrium & aſperorum devorationem, pariuntque eam ceraſa avidius comeſta ſuo acore.

[58] *Interne* ob [59] humorum calidorum & acrium affluxum.

Tumor hic 1. *Vel* eſt *levis*, [60] qui gargariſmos adſtringentes & quidem tepidos expoſcit.

Vel [61] *vehemens* & ſuffocationem minitans: Et *tum*, ſecanda primo baſilica, mox cephalica, non neglectis venis ſub lingua; [62] agendum topicis, cavendo ne nimio refrigerantium & adſtringentium uſu indurentur.

2. Vel [63] *reſolvitur*, [64] Laudatur gargariſmus ex *argentina* in cereviſia cocta, & tum bono loco ſe res habent.

Vel [65] *ſuppuratur*, & [66] *tum* juvanda ſuppurantibus natura, intus per gargariſmos, & foris per cataplaſmata; & [67] rumpendus per *puleg. calaminthum*, *hyſſopum*, *in* mulſa decoctis abſceſſus.

Vel [68] *induratur*. Et *tum* forte univerſalia topicis præmiſſa non ſunt; [69] *nimis* adſtringentibus actum; [70] Emollientibus & reſolventibus pugnandum.

[53] *Tonſillarum præcipui affectus ſunt*) Laborant & Tumore ex defluxione pituitoſa, cui eadem remedia quæ inflammationi conveniunt; minus tamen refrigerantibus utendo admiſcendoque quæ potentius detergunt, moxque digerunt. *Platerus.*

[54] *Tonſillarum Inflammatio eſt earum*) Pariſthmia, ſive Tonſillæ, & Antiades, eodem modo curantur quo Columellæ inflammatio (nam & ipſæ inflammationes ſunt) & raro accidit inflammatio in una parte quin & aliæ partes ob vicinitatem etiam lædantur: Diſtinguuntur autem quod *Pariſthmia*, ſint inflammatio partium internarum oris, inter tracheam arteriam & œſophagum: *Antiades* vero ſunt inflammationes glandularum quæ ſunt poſt linguam in ejus radice. *Rondeletius.*

[55] *Ex affluxu humorum genita intumeſcentia*) Ex ſingulis Glandulis Conglobatis, non item ex Conglomeratis, vaſa Lymphatica prodire conſtat experientia: quare Lympham in iſtis præparari ſum arbitratus, & quidem partim ex parte ſanguinis acidiore in dictis glandulis à reliqua maſſa ſecreta; partim ex ſpiritibus animalibus per nervos ad ipſas delatis atque illi permiſtis: Etſi autem pars illa ſanguinis acidior potiſſima ſit lymphæ materia, non puto tamen illam putam putam, ſed aqua dilutam huic uſui inſervire, quam tunc demum voco impuram, cum alia inſuper ſanguinis pars eidem occurrit admiſta, redditque lympham minus acidam viſcoſioremve, & quandoque forſan ſubſalſam.

Prout igitur in corpore exiſtet ſerum ſanguinis laudabile, aut idem ab externis cauſis, aëre, alimentis &c. vel internis varie mutabitur, ita producetur quoque ex ipſo Lympha aut acidior, aut ſubſalſa, dilutior vel aquoſior, viſcoſior &c.

Prout rurſus Animales ſpiritus copioſi erunt vel pauci, puri vel impuri, eorumque motus ad dictas glandulas, liber aut impeditus, ita non parum varians erit lympha, Prout denique ipſæ Glandulæ erunt aut integræ, aut male affectæ, ita & ipſarum culpa tum ſpiritus acidi à ſanguine, ejuſve ſero ſecreto, tum ejuſdem cum volatili & animali permiſtio fiet diverſa: Vnde multis modis variantes poſſunt exurgere vitiatæ Lymphæ ſpecies: Læditur autem Glanduloſæ Lymphæ præparatio 1. ſi *parcior*, 2. ſi *copioſior*, 3. cum variis modis *qualitate vitiata* producitur, magis aut minus *acida ſubſalſa, glutinoſa &c.*)

Quamvis autem conſtitutionem Glandularum conglobatarum exactam non ſumus hactenus aſſequuti, aliquid tamen addemus de earundem vitiis, ob quæ non raro nec parum vitiatur Lymphæ productio; *Tumoris* ſaltem ac *Indurationis*, ut & *Inflammationis* earũ cauſa.

Glandularum harum & *Tumor*, ſive *moles aucta*, & *durities* & *inflammatio* etiam in vivis ad ſenſum apparent, tum in faucibus *Tonſillæ* dictæ, tum in colli partibus variis, aliiſve locis multa pinguedine aut carne minime tectis, ubi aliquando viſu, ſemper tactu caloriſve ſenſu dignoſcentur illarum vitia: Diſtinguendus eſt glandularum tumor ab illarum duritie, cum & tumor abſque duritie, & durities abſque tumore poſſit exiſtere, quinimo ſubinde exiſtat, licet ſæpius jungatur Tumori Durities: Intumeſcunt Glandulæ conglobatæ, tum quando ipſæ aluntur augenturque copioſius in ſtatu

optimo, tum quando ipsæ coacervant præter naturam in sua substantia continuo allabentem sanguinem, qui facilius per ipsam molliorem atque flaccidiorem dispergitur quam per substantiam carnium firmiorum ac solidiorum.

Coacervatur autem p. n. in conglobatis glandulis sanguis ob impedimentum illius refluxui positum, præsertim obstructionem in venis capillaribus, canalibusve, arteriis venisque interpositis, à pituita concrescente frequentius, sanguine autem coagulato rarius contingentem: quoties enim vel ab aëre æstuante, vel ab alimentis condimentisve spirituosis aut aromaticis, vel sale volatili abundantibus, corporis animive motu, vigiliis; solito magis soluti & fluidi facti sunt in corpore humores omnes una cum sanguine, maxime pituita, quaquaversum deferuntur iidem abundantius, toties superveniente aëris, aquæve frigore, vel usurpatis alimentis, condimentis, alimentis medicamentisve actu frigidis, aliisve coagulandi vi præditis, vel ad quietem summam devoluto corpore, vel tristitia extrema, metuve panico, inexpectatoque homines opprimente, quemadmodum in aliis partibus, ita in glandulis conglobatis coagulari solet tum pituita, tum sanguis, unde ad motum incepti facti hærent in vasis, vel intermediis canalibus, sanguinemque affluentem, ne per impeditas vias ulterius pergat, sistunt, qui per glandularum substantiam vicinam dispersus eandem in molem majorem, hoc est Tumorem attollit.

Idem humor si glandularum substantiæ arctius impingatur, aut post partium suarum fluidiorum ac molliorum discussionem solidior fiat & compactior, Duritiem in Glandulis efficit, Sanguis notatus quoties in vasis suis & Ductibus subsistens, aut ex iisdem in glandularum substantiam effusus incenditur, toties *inflammationem* parit, satis frequentem apparentemque in Tonsillis. *Fr. Sylvius Pr. l. 1. c. 49.*

56. *Genita intumescentia)* Pluries cum Anginæ nothæ accidentibus Tonsillæ utrinque, uno vel utroque latere, globi instar (*extra inflammationem*) protuberantes, porisque manifestis spongiæ instar apertæ & porosæ visuntur, quem affectum *Paristhmia* vocant. Sed & quoque Tumor inflammans, cum rubore & calore in Tonsillis enarratis *occurrit*, quas sic affectas *Antiades* vocant. *Platerus.*

57. *Cognoscitur)* Tonsillarum inflammationibus, occasione *lympha vitiata*, spissioris scil. & acidæ actioris concitatis, febris continua, sed magis lenta (*quam in Angina exquisita*) est juncta; *fauces* quidem *rubent*, sed minus inflammatæ sunt; Tonsillæ vero tumidæ insigniter prominent; Et cum naturaliter habeant foramen amplum in summitate sui, tunicaque crassa eas cingens foramine aperto in fauces perforata sit, adeoque hiet, & hinc à dictis glandulis excernatur, lympha salivalis glutinosior in fauces & gulam fit, propterea quando Tonsillæ hæ sunt tumidæ, ac plus minus inflammatæ, foramina hæc insigniter hiant & magis conspicua fiunt; ita ut imperitis Chirurgis pro ulceribus Tonsillarum habeantur, observante *Schenckio*, Inprimis in hac Tonsillarum inflammatione materia viscida, glutinosa & mucosa, linguam & fauces incrustat, ac subinde tenacis pelliculæ instar illis adhæret, ac nihil aliud est quam lympha tonsillarum ac glandularum vicinarum vitiata ac impura reddita & glutinosa, à nutrimento dictarum partium chyloso, ob earum læsionem non rite assimilato ita alterata. *Etmuller.* Vide infra cap. de Angina §. *Oritur a sanguine)* libro sequ. c. 1.

58. *Interne ob humorum)* In Tonsillarum, ac quibusvis partium oris anginis, præterea quæ in genere circa omnes inflammationes observantur, semper simul lymphæ habenda est ratio, quæ nimis crassa, interdum simul acida, aut alio modo vitiata, per medicamenta interna *anticatarrhalia, succinata, myrrhata* item, *volatilia* & *absorbentia* ac similia corrigenda & emendanda. *Etmuller.*

Tonsillarum Inflatio pituitosa.

59. *Ob humorum calidorum & acrium affluxum)* Antiades, seu glandulæ post linguam in ejus radice, citra inflammationem aliquando inflantur & defluxione pituitæ intumescunt, ita ut cibi transglutitionem impediant: Curamus vacuando pituitam & humiditates capitis, Sunt enim positæ non longe à foraminibus quibus pituita mora palatum expurgatur; Post evacuationem illam universalem, factam Pilulis pituitam educentibus, derivatio per *Errhina* multum confert. Quod si pauca sit materia in capite, aut evacuata probe per errhina, utilissimum est *masticatoria* parare ex attrahentibus & detergentibus, ut id quod continetur circa illas partes laxas, & multis foraminibus perforatas educatur: Nam quemadmodum in Inflammationibus parva illa evacuatio sanguinis facta per venas linguæ magnam utilitatem præstat, sic & masticatoriis levantur partes vicinæ: Et quia masticatorium hoc fit etiam ex detergentibus, id quod in parte collectum est etiam evacuatur, & discutitur, Hoc autem modo parabuntur,

℞. *Cubebar. zinzib.* āā, ʒj. *excipiantur ficubus*, masticent frequenter & expuant.

Sunt & utilissima condimenta quæ ex *sapa & aceto* fiunt, & quæ *capas* recipiunt, Incidunt enim & attenuant, potissimum quando pituita multum viscida est. Gargarismata leviter adstringentia, & aliquantulum detergentia prosunt, de quibus cap. de Angina.

Inunctiones in parte externa ex reficcantibus in principio prosunt, In declinatione, & cum consistit defluxio, digerentia cum aliquibus emollientibus: hoc autem faciendum est ne relaxantibus medicamentis partes laxiores redditæ majorem defluxionem recipiant. *Rondeletius.*

60. *Vel est levis, qui gargarismos)* Cum quidam levi Tonsillarum inflammatione, & sine febre laboraret, hoc unico Gargarismo ab ea liberatus est.

℞. *Aqu. plantag.* ℔iß. *flor. ros. rub. p. j. sem. cydon.* ʒj. *bulliant parum & colentur, adde diamor.* ℥ij. *dianucum* ℥ß. misce: *Forestus lib. 15. obs. 7.*

Decoctum Verbenæ facile sanat ulcera Tonsillarum. *Phil. Grulingius.*

60. *Qui Gargarismos)* In Tonsillarum & Uvulæ inflammatione intrinsecus, ut in Angina adstringentibus à principio, mox additis resolventibus, tandemque solum digerentibus utemur; Permixtis semper propter lenturis copiam, qui adhærere solet, detergentibus, doloremque, si urgeat, mitigantibus. Ita ut & multa remedia, quæ in Angina sunt explicata, hic quoque conveniant, sicuti & quæ in oris partium inflammationibus adducuntur. *Platerus.*

61. *Gargarismos adstringentes)* Si inflammatione laborent Glandulæ, in specie Tonsillæ, gargarismis emollientibus & incidentibus blandioribus, neutiquam adstringentibus, sed tepide usurpatis, corrigendus & humor pituitosus obstruens, & sanguis, aut in vasis subsistens, aut in glandularum substantiam effusus accensusque, quibus si nequeat impediri, emollientibus præsertim, & blande incidentibus aromaticis promovenda ejus suppuratio, hinc & apostematis ruptio, puris effusio, hinc & ulceris mundatio & consolidatio: *Gargarismi emollientis formula.*

℞. *Rad. apii, althaa* āā. ʒj. *fol. malvæ man.* j. *passul. major. incis.* ℥ij. *coq. ex aq. hordei, in colat.* ℔j. *dissolve*

dissolve syr. violat. simpl. v. radic. ãã. ℥ß. *m. f. Gargarismus.*

Hujus loco usurpari solet solus *raparum assarum succus* expressus, Curata inflammatione, Gargarismo ex subadstringentibus & aromaticis minus acribus parato, & aliquoties in die calide usurpato, reparanda vitiata prius Glandularum substantia & constitutio: E.g.

℞. *Rad. bistortæ, imperat.* ãã. ʒij. *fol. veron. man.* ß. *salviæ, flor. rosſ. rubr.* ãã. *m.* ß. *coq. ex aq. hordei, Colat.* ℔j. *adde mell. rosſ.* ℥j. Misce *Sylvius Pr. l. 1. c. 49.*

[61.] *Vel vehemens)* In Tonsillarum inflammationibus, sæpius subinde recurrentibus, præsertim illa quæ ex lymphæ vitio, v. g. scorbuto, aliove simili habituali sæpius recidivat, præsertim ubi ætatis, aut aliarum circumstantiarum ratione à priori malum non bene curabile existit, *Fonticulus brachio inustus* convenientissimum est consilium præservativum, Sæpius enim evenit ut qui semel quadam in parte inflammationem suppuratam fuerunt passi, & forsan fermenti ulcerosi aliquid residuum manserit, & facili occasione ex irritatione undecunque facta, præsertim in corpore cacochymico, mox recidivet inflammatio; idque facilius in locis glandulosis, quibus in casibus pro palliativa cura fonticulus videtur convenientissimus. *Etmuller.*

[62.] *Agendum Topicis)* Ad Tonsillarum inflammationem optimum est remedium, Si *terra sigillata* tangatur, vel *in jusculo* sensim deglutiatur. *Borellus. Frid. Hofmannus.* Si *succum adstringentium cotoneor.* cum pari *mell. rosac.* portione coxeris, & eo tonsillas, vel uvulam inflammatam, & oris putrilaginem illeveris, illico summum auxilium experieris. *Mizaldus in Horto Med.* Nos *lino* utimur *Cocco tincto*, & *viperæ* caput collo laborantis eodem appendimus, ita ut carnem tangat, atque ita prodesse miris modis experimur. *Christ. à Vega Art. M. lib. 3. s. 5. c. 5.*

[62.] *Agendum topicis)* Extrinsecus, sive in Tonsillas tantum, aut Gargareonem defluxio delapsa sit, foris sub maxilla inferiore, ab initio, non quæ relaxant, ut in angina) cum non tantum hic sit periculum ut statim ex alto humorem evocare necesse sit) sed quæ humores exsiccent, & partes simul has laxas adstringant nonnihil, applicanda erunt; quæ ex dicendis in Angina humores absumentibus & digerentibus, adstringentia quædam permiscendo, parantur. In *Progressu* solis digerentibus; sed admixtis in Tonsillarum tumore emollientibus, ne in scirrhum indurentur, utendum: qualia in scrophulis absumendis usurpari solent. *Platerus.*

[63.] *Resolvitur) Martinus Rulandus* in amygdalarum inflammatione, & tumore, uvulæque casu ex humoribus à capite fluentibus excitatis, sola *Carabe* mirabilia paravit, 1. suffitum consulebat hoc modo exceptum, accipiebat *Carabes albiss.* ʒj. cujus pulveris crassioris, carbonibus impositi, fumum ore excipere jubebat ægrum; *Fermenti* præterea veter. ℥j. linteolo inducebat, aspersoque ejusdem *Carabæ* pulvere vertici imponebat per diem; nocte sequenti recens imponebat Empl. His solis præsidiis plurimos à faucium tumoribus, Uvulæ casu, amygdalarumque inflammationibus oppressos persanavit, *Ex ejus curat.*

[64.] *Laudatur Gargarismus) Cardanus*, tanquam quod omnibus innotescat dignum remedium, ad omnes inflammationes faucium, ariditatem & fissuras linguæ tollendas hoc laudat.

℞. *Sempervivi* bonam quantitatem, contunde, & pro singulis contusi ℔ß. adde *salis armoniaci* ʒij. ponantur in loco humido subterraneo, donec sal solvatur, postea destillentur in B. M. aqua hac colluatur os in omnibus inflammationibus faucium.

[65.] *Vel suppuratur)* Quibusdam inflammatione laborantibus nati sunt in collo infra aures, singuli tumores, quibus apertis pus profluxit. *Ench. m. Pr.*

[66.] *Et tum juvanda suppurantibus)* Iisque tum internis tum externis, Inter externa sunt *Empl. diachylum*, vel *catapl.* ex *fol. malvæ, bismalv. violar. rad. alth. lilior. coctis, pistatis, ad* ℔ß. additis *butyri insulsi* ℥iij. *far. tritic.* ℥iß. *croci* ℈j. *Intro* sumuntur Gargarismata suppurantia, ex *decocto caricar. rad. malvæ sem. lini, fœnugr. flor. chamom. Enchir. Med. Pract.*

[67.] *Et rumpendus)* Vel scalpello aperiendus. *Ench. m. Pr.*

[68.] *Vel induratur)* Glandularum tumor, tum & durities pituitæ in viis suis coagulatæ, curanda per medicamenta incidentia & attenuantia, imprimis sudorem simul moventia, quo foras propellatur quod forinsecus penetravit per cutis poros, aliasque apertiones in corporis interiora, vel cum ipso habet affinitatem; Conducet mixtura sequens cochleatim sæpius sumpta, corpore, ubi decumbit æger, ad sudorem promovendum mediocriter tecto.

℞. *Aqu. fumar. fœnic.* ãã. ℥iß. *theriacal. simpl.* ʒvj: *spir. salis armon. gtt.* xx. *bezoart. miner.* ʒß. *vel antimon. diaph.* ʒj. *syr. card. ben.* ℥j. *m.*

Hoc remedio & solvitur simul pituita in glandulis coagulata, & eadem soluta mobilisq; facta removetur à loco in quo p. n. hæret, quin non raro reducitur denuo in vasa sua, moxque aut emendatur in totum, sanguinique admiscetur; aut ubi emendari nequit sanguini tantum confunditur, & nunc per corporis poros cum sudore; nunc per renum vasa, & urethram cum urinis, nunc per intestina cum alvi fæcibus excernitur ac nocere desinit: In eundem finem, ex parte saltem, conducit *Suffitus ex carabe, mastiche*, & similibus, quoties capitis glandulæ sunt male affectæ, naribus & ore patulo cum aëre inspirato exceptus & ad interiora penetrans: hec tantum humoré pituitosum in ipsis hærentem solvens, verum glandulas ipsas in pristinum statum reducens, quin adversus novas aëris injurias muniens ac roborans: Eodem suffitu linteis excepto glandulæ superficiales per frictionem blandam restitui possunt in integrum: In quem finem usurpari quoque potest, *Ungu. Martiatum & Althææ compositum*, parti affectæ illitum. *Fr. Sylvius ibid.*

[69.] *Nimis adstringentibus actum, emollientibus &c.)* Digerentia in declinatione cum aliquibus emollientibus sunt miscenda, quia glandulæ istæ indurantur facile, & morbus in scirrhum degenerat, qui nunquam aut raro curatur in his, sunt autem illa medicamenta apponenda in lateribus arteriæ, sub maxilla inferiore: Et quia hoc videtur pugnare cum consuetudine, rationem subjunxi; Hanc ex *Dioscoridis* loco uno colligo, qui ait *nucibus cupressi strumas curari posse*: Hæc videntur pugnare cum Practicis, qui omnes utuntur adstringentibus in parte interna, & relaxantibus in externa; sed quia partes laxæ sunt, cum defluit materia non sunt laxandæ, sed cum constit, defluxio, ut materia ad extra trahatur, Quare in omnibus illis affectibus esset utilissimum in principio, si Medicus vocaretur, & illas futuras defluxiones cognosceret, medicamenta utcunque resiccantia, cum levi quadam adstrictione intus & extra ponere; Quod in me ipso frequenter expertus sum, & Anginam, & Defluxiones ad fauces prohibui & multos à scrophulis incipientibus vindicavi nucis illis cupressi supra partem appositis, Potest fieri tale cataplasma,

℞. *Nidi hirund.* ℥iij. *pulv. nuc. cupressi* ℥j. *rosar.* ℥iß. *excipiantur oxymel. f. ad formam catapl. applicetur in lateribus colli.* Hoc medicamentum leviter adstringit partes laxas, pituitamque illam tenuem jam defluxam exsiccat, *Rondeletius.*

70. *Emollientibus & resolventibus pugnandum)* Nobilis N. ob lapidem in Tonsillarum faucium abscessu concretum, continua afficiebatur tussi; Ejus fauces cum Medici quidam ex *balaustiis, rosis, lauro Alexandr.* ac *aluminis decocto* & aliis siccantibus colluere jussissent, illis humore abscessus tenuiori absumpto, & grossiori relicto, lapis magis accreverat, adeo ut laryngis musculos tumor fere occupasset: Alii vero Medici Bechica tussis remedia ad nauseam usque frustra diu cum exhibuissent, Ego tandem accersitus suasi, ut non exsiccantibus, sed mollientibus & maturantibus fauces affectas crebro collueret; u pe tepido ex malvis, ficubus, radicis *rad. althææ* decocto elueret, in quo momentum *diamoro* dissolv. A collutione vero de electuario stomatico, quod ex *mellis despumati* ℥ij. *butyri rec. insulsi* ℥j. *pulv. ireos* ℈j. aut *nucleorum tribuli mar. farina coadunata* triduum lamberet, quo tumore emollito, oborta ex destillatione valida tussi, calculum gypseum excreavit, firmissimum tophis qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accrescere solent. *Joh. Langius.*

Vlcera Tonsillarum.

II. De [71] *Vlceribus* hæc veniunt notanda.

I. Sine febre securiora esse.

II. Æstate suborta, quia citò serpunt, pejora quàm quæ aliis oriuntur temporibus.

III. Interdum citra inflammationem, vel ex destillatione salsa partes illas exedente, vel ex aliis caussis, tempore verno & aëre pestilenti, oriri.

IV. Alia *familiaria* esse & mitia, quæ sunt exigua, munda, non altè descendentia, nec inflammata, nec dolorem excitantia.

Alia [72] *maligna*, & *pestilentia*, quæ lata, cava, concreto humore albo aut livido, aut nigro sordentia; quod si concretæ illæ sordes altiùs descenderint, Eschara gignitur.

V. [73] Circa fauces eum magna molestia serpentia, difficultatem spirandi adferre, quod [74] si in pectus per tracheam penetrant, eodem illo die strangulare.

In *curatione*, omnia oris ulcera, tum ne ampliùs serpant, tum quia semper [75] a saliva fiunt humidiora, validiora adstringentia reposcere. Convenit ad mundificandum *diamoron* cum aqua mulsa, præmissis universalibus. Et tantum de Capitis Morbis.

71. *De Vlceribus)* Ulcus, aut excoriatio, vel vulnus, in diversis faucium locis, à variis caussis pronascuntur: frequenter post inflammationes Faucium, Tonsillarum & Gargareonis suppuratas & in abscessum conversas, postquam ille disrumpitur, ulcus illatum partium nascitur; Alius à *defluxione acri*, vel tumorem prius excitante, vel statim exulcerante, faucium elaooris sedis, tunicæ succiogentis, tonsillarum & gurgulioois, interdum & œsophagi sequitur excoriatio, palatum quoque sæpe, interdum & oris partes alias simul inficiens, vicinasque sedes aliquando exedens: Quod & à maligna illa materia, quæ in elephantiasi & lue Venerea membranoso generi tantopere insidiatur, potest accidere, unde tam perversa in palati posteriore, & faucium sedibus ulcera, in narium amplitudinem serpentia, glandulas & columellam sæpe depascentia io illis morbis prodeunt. *Platerus.*

72. *Alia maligna)* Probe observandum quod sordida ac contumacia Tonsillarum ulcera, ordinario fere pro fundamento habere solent Luem Veneream. *Etmuller.*

72. *Maligna)* Si ea ulcera à Lue Venerea ortum habuerint, confugiendum ad *Decoctum Guaiacinum & Illitum ex Hydrargyro*, sub his enim remediis funditus peribunt & extinguentur. *Ench. M. Pr.*

73. *Circa fauces cum magna molestia)* Ulcera Tonsillarum non facile coercentur, præsertim maligna cum sint, in collo calidiore & humidiore, ac excrementis suscipiendis, adeoque putredini opportuno. *Ench. M. Pr.*

Quod si in Pectus) Si sanies ab illis dimanans, intro destillet, maximum internis visceribus incommodum affert. *Ench. M. Pr.*

75. *A saliva fiunt humidiora)* Unde & medicamentorum vis refringitur. *Rondeletius.*

76. *Convenit ad mundificandum)* Tangantur ea bacillo, vel specillo bombace munito, qui immersus sit in *aqua* aluminosa, *aqua sublimati aqua forti*, & similibus. *Ench. Med. Pr.* Purgato corpore in crustosis & malignis Ulceribus, *Hirundinum cinis* cum *melle* egregie valet; Et Empl. ex *nidis hirund.* quo nos sæpissime usi sumus. *Forestus lib. 15. obs. 7.* Mirabiliter prodest *excrementum caninum album* cum *melle rosac. colato* mixtum, in ore retentum & paulatim deglutitum. *Veikardus.*



Finis Libri II. De Capitis Affectibus.

INDEX LOCUPLETISSIMUS
RERUM ET VERBORUM
QUÆ
In hoc Opere Continentur.

Prior numerus Paginam, Posterior ita notatus §. Articulum indicat.

 EEeee

An de-

Curatio,

C

Locu.

Cataphora

Vomitoriorum

Dotes

Arterio-

GGggg

D

Hellebori

E

In

F

tio

Paroxys-

Quanam

Epicar-

Maculæ

H

I

K

L

Lenientia

Ad di-

Signa

Mercurius

Sequentia suo ordine omissa,
hic collocamus.

N.

O.

Oleum

P.

Carbun-

 LLLiij

Cur

 LLlll 4

globuli

Tartarum

In

 MMmmm 3

Z.

FINIS.